TRACTATUUM BIBLICORUM

Volumen Posterius:

Sive

Criticorum Sacrorum

Tomus IX.

LONDINI,

Excudebat *JACOBUS FLESHER,* MDCLX.

Prostant apud { CORNELIUM BEE, RICHARDUM ROYSTON, GUILIELMUM WELLS, SAMUELEM THOMSON *Londini.*; GUILIELMUM MORDEN *Cantabrigiæ.*; THOMAM ROBINSON *Oxonii.*

TRACTATUS
HOC
POSTERIORI VOLUMINE
CONTENTI
Hi ſunt.

Nicolai Fulleri *Miſcellaneorum Sacrorum lib. VI* Pag. 2215

Sam. Petiti *Variæ Lectiones In S. Scripturam* 2535

Sim. De Muis *Varia Sacra variis è Rabbinis contexta* 2607

* Joh. Gregorii *In aliquot SS. loca Notæ & Obſervationes* 2751

* Pauli Fagii *Tranſlationum præcipuarum vet. Teſt. Collatio* 2836

* Chriſtoph. Cartwrighti *Ebor. Mellificium Hebraicum, ſive, Obſervationes ex Hebræorum antiquiorum monumentis deſumptæ* 2943

Lucæ Brugenſis *In variantia SS. Bibl. loca Notationes* 3129

Jac. Lopidis Stunicæ *contra* Eraſmum Rot. *Annotat. In Defenſionem Tralationis N. Teſt.* 3443

Eraſmi *Apologia ad* Jac. Lop. Stunicam 3552

Marquardi Freheri *De Numiſmate cenſus Diſſertatio* 3627

Guil. Klebitius *De buccella intincta quam comedit Judas* 3650

Matth. Hoſti *De Sex Hydriarum Johan. 2 capacitate Diſſertatio* 3655

Guil. Ader *De Ægrotis & Morbis in Euang.* 3660

Ang. Caninii *In loca aliquot N. Teſt. Diſquiſitiones.* 3688

Nic. Fabri *De Myrrhata potione Diſputatio* 3712

* Lud. Cappelli *Templi Hieroſolymitani Delineatio Triplex* 3716

Ejuſdem *Hiſtoria Apoſtolica* 3873

Joh. Cloppenburgi *Collationes Criticæ Sacræ per Epiſtolas cum* Lud. de Dieu 3967

Jacobi Uſſerii *De Cainane Arphaxadi filio Diſſertatio* 4004

* Matth. Wren *Epiſ. Elienſis In Catacheſin Racovianam* 4015

Franciſci Moncæii *Aaron Purgatus, ſive De Vitulo Aureo lib. II.* 4403

Joh. Anton. Vander Linden *Exercitatio in Act. 2. 13.* Vini pleni 4531

Hug. Grotii *De Veritate Religionis Chriſtianæ lib. VI. cum Annotat.* 4567

UMI

NICOLAI FULLERI
MISCELLANEORUM SACRORUM
LIBER I.

CAP. I. *Declaratur* ἀπὸ μιᾶς *Luc.* 14. 18.

SEmper mihi insolita ac planè peregrina visa est loquendi formula quam adhibet Lucas cap. 14. v. 18. *Cœperunt* ἀπὸ μιᾶς *se excusare.* Vetus Interpres convertit *simul*, adverbio congregandi: At hoc est Græcorum ἅμα, vel ὁμοῦ. Novus, *uno ore*, ut subintelligatur φωνῆς. At cùm responsa sint diversa, vix dici queant *uno ore* eisdémq; verbis prolata. Nec satis commodè suppleri potest ἀπὸ μιᾶς, subaudiendo γνώμης, aut βυλῆς, ut sit sententia, *uno animo recusarunt:* Nam seorsum invitatos fuisse à nunciis, prout in quemq; inciderant, consentaneum est; ideóq; & seorsim respondisse, non communicatis inter se consiliis. Sed esto, subaudiatur γνώμης, aut βυλῆς, aut etiã φωνῆς: hîc tamen idoneum Græci alicujus autoris exemplum desidero. Nam Homericum illud à doctissimo interprete in Annotationibus citatum non quadrat, cùm absit indè Præpositio ἀπὸ, quam negligere nullo modo oportet.

Arabicus Interpres, cùm videret ἀπὸ μιᾶς omnino Græcum non esse locutionis genus, sed exoticum & adventitium, nec expositiones Græcas, quarum proximè meminimus, probaret, fortè etiam locutionis novitate offensus, aliquantulùm dubitaret an germana illa essent Euangelistæ verba, maluit prorsus silentio transire quàm aut incertâ & vacillante versione reddere, aut eadem ἀνεμπλώδλα (quod tamen in difficilibus & ambiguis translatitiũ est) Lectori obtrudere.

Quid si igitur dicamus ἀπὸ μιᾶς idem omnino esse atq; ἐξ αὐτῆς, & Lucam, natione Syrum, usitatissimum illud apud Syros adverbium מחרא (quod πρὸς χρῆμα, εὐθὺς vel εὐθέως significat, i. *illico, continuò, statim*, itémq; ἤδη *jam*, Matth. 5. 28.) hâc ratione exprimere voluisse? omnia certè ad unguem conveniunt. Præpositio namq; Syra מן respondet Græcæ ἀπὸ, חדא numerale femineum idem valet quod μιᾶς, denique eandem habet significationem Syrorum vox שעא quã Græcorũ ὥρα. Quare ut illâ redintegratur sensus מחרא, quasi dicas מן חדא שעא, ità hâc suppletur ἀπὸ μιᾶς, q. d. ἀπὸ μιᾶς ὥρας, ad verbum *ex una hora*, i. continuó.

Consimili ratione id quod sermone Græco dicitur ἀφ' ἧς, i. *ex quo*, **assoon as**, Syri dicunt מן שעתא, *ab* (vel *ex*) *hora illa*, ut Lucæ 13. 25. Sed aliquantò aptius fortasse hujus rei exemplum reperitur Luc. 7. 45. Ibi nempe & genus femininum usurpatur, ἀφ' ἧς εἰσῆλθεν, *ex qua intravit*, מן דעלת, & utriusque vocis modò dictæ ellipsis cernitur par atque eadem, tum ὥρας in Græco, tum שעא aut שעתא in Syriaco. Sic enim plena efficitur utrobique oratio, ἀφ' ἧς ὥρας εἰσῆλθεν, מן שעא דעלת. Hoc autem loquendi genere, שעא, ut & ὥρα, seu *hora*, significatur brevissimum temporis spatium: Latinè *momentum* aut *punctum temporis* dicas.

Unde Hebraicum illud רגע אחר Exod. 33. 5. i. *momento uno, illico, è vestigio*, Græcè non ὀρθρίζετε μὴ (ut mendosissimè vulgò habetur apud Lxx) sed ὄρθρῳ τῇ μιᾷ vel ὄρθρῳ μιᾷ, ut sæpius in Apocalypsi, 18. 17, 19. Chaldæorum idiomate (quod Syro non tam proximum quàm idem ferè est) vertitur שעה חדא, q. d. *horâ unâ*.

Quapropter מן שאעתה (quo pacto sæpe εὐθέως Arabicè declaratur in Divino illo quatuor Euangelistarum volumine, quódque ad verbum sonat non *ex hora illa*, sed *ex hora illius*, scilicet *rei*) hunc habet sensum, *uno eodémque momento quo res illa accidit.* Et planè synonymum est, vel potiùs idem quod Syriacum מחרא. Aliquantillum tamen interest, quòd illic in substantivo suo subintelligitur adjectivum, hîc contrà in adjectivo substantivum.

Porrò adverbium ἐξ αὐτῆς (quod alibi redditur ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης, & Marc. 6. 25. בחדא שעתא, *horâ unâ*) Syrissimum resipere videtur, & planè idem valet atque usitata Syrorum formula Act. 11. 11. בה בשעתא, i. ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, sicuti à Luca Græcè ad verbum exprimitur Act. 16. 18. *eodem ipso momento*, **at the same instant.** Quod rursus Act. 23. 30. à Paraphraste Syro transfertur מחרא, ad v. ἀπὸ μιᾶς, verbis quidem diversis, sed sententiâ utrobique eâdem, utì suprà dictum est.

Postremò, quod ad sensum loci attinet, & appositissima est & uberrima significatio hæc formulæ ἀπὸ μιᾶς quam adduximus, nempe ut vertatur *confestim*, vel *illico*, &c. Hinc enim colligitur quàm egregiè semper instructi sint miseri mortales speciosis & extemporalibus commentis ad Divinam vocationem promptissimè recusandam. Item, quàm peregrina semper in terras istas adveniat veritas cœlestis, ut quæ primo statim aspectu repudietur. Præterea, quàm aptè in Scripturis S. appelletur improbus quisque mundi hujus amator פתי, i. *fatuus*, videlicet eò quòd פתאום, h. e. *subitò* & (ut explicat doctissimus Hebræorum Grammaticus D. Kimchius in Rad. פתה) בסהירות, i. *cum festinatione*, oblatum in Euangelio immensi pretii Thesaurum, re nihil quicquam deliberatâ, continuò rejiciat & instar galli Æsopici vilissimo seculi istius granulo hordeaceo postponat. Huc spectat sæpius illud iteratum קרי, i. *temere* seu *fortuitò*, Levit. 26. quomodo se gerere solent impii in Divinam clementiam & tolerantiam. Verùm hæc doctis amplìùs observanda relinquimus: nec enim commentarios sed adversaria scribere instituimus.

CAP. II. Amen *non esse Jurisjurandi formulam.*

SUnt qui dicant voce *Amen*, quam in historia Euangelica sæpenumero usurpat Servator, Jusjurandum significari. Quod quí fiat, cerni vix, ac nè vix quidem, potest. Hebræis certè si credimus, iísque suæ linguæ peritissimis Viris, אמן Asseverationem tantummodo notabit. Nihil quippe aliud est *Amen* (ut eorũ verbis utar) quàm חזוק האמר וקיומו h. e. *corroboratio sermonis & confirmatio ipsius.* Idẽ testimonio suo confirmat Hieronymus, noſtrorũ omnĩũ apud antiquos literis Hebraicis eruditissimus, *Dominus in Euangelio* (inquit Comment. in Esa. l. 8. c. 25.) *sæpe hoc verbo utitur, Amen, Amen, i. Vere, verè, dico vobis.* Cum Hieronymo pulcrè concinit Arabicus interpres, qui vocabulum *Amen*, quàm creberrimè à Servatore memoratum, & à reliquis aliarum linguarum Interpretibus retentum, nusquam ipse retinuit, sed in locum ejus אלחק vocem popularibus suis familiarẽ, tanquam proprium & dilucidũ interpretamentum, ubique reposuit. Porrò אלחק, si lingua Hebræa (cujus dialectus est Arabica) consulatur, omnino valet τὸ ἀκριβὲς, quemadmodum vertere solet Aquila, & Arabicus quoque interpres Luc. 1. 3, &c. Hoc autem prorsus idem est atque τὸ ἀληθὲς, ut & חק Arabicè vulgò significat. Sed unde certiorem hujus rei cognitionem petamus quàm ex ipso linguæ Hebrææ usu, quem ingenti Dei beneficio in sanctissimis V. Instrumenti Tabulis etiam nunc conservatum habemus? Ubi, quamvìs sæpissimè legatur

gatur *Amen*, nusquam tamen Jusjurandum designare reperitur; Confirmationem autem ubique eámque vehementissimam, quoties quidem duplicatum invenitur, ut Deut. 27. 15. Neh. 8. 6. Psal. 41. 13, &c. Lxx Interpretibus Optationem quandam adsignificare videtur, ut qui *Amen* semper transferant γένοιτο, h. e. *Fiat* vel *Utinam fiat*, vel simpliciter *Utinam*, sicuti vertit Leunclavius, vir Græcè doctissimus, Xenoph. Cyri Institut. l. 6. λαβεῖν μοι αὐτὸν γένοιτο, *utinã eum capiam*. Illorum igitur judicio vox hæc quasi ἐπιφωνηματικῶς attexta censebitur ad firmum & flagrans precantis desiderium votúmque declarandum. Itaque Hieronymus, *Optat fieri*, inquit, Comm. in Jer. l. 5. c. 28. 6. *hoc enim significat Amen*. Enimvero quasi אמן, per aphæresin, pro יאמן in futuro Niphal usurpetur. Aquila Psal. 72. 19. (ut in Editione Romana Lxx Interpretum annotatur) reddit πεπισωμένως, i. *credibiliter*, aut (quod quidem multò magìs opinor, quippe Hieronymi [Com. in Isa. l. 18. c. 65. 16.] Suidæque [voce Ἀμήν] testimonio comprobatur, eâdem quoque ed. Romanâ illud ipsum alibi attestante, not. Psal. 41. 14.) πεπισωμένως, h. e. *fideliter*, interprete Hieronymo; ad verbum *firmatè*, vel *firmé*. In codicibus nonnullis calamo exaratis [In manu scripta Euthymii Exegesi in Psalmos, Collegii Magdalenensis Oxonii; item in Psalterio Græco M S. cum scholiis, Collegii S. Trinitatis ibidem] scriptum reperi πεπισωμένος, subaudito scilicet ὂν vel ἔστιν ὁ λόγος, i. *firmus* aut *stabilis est* vel *sit sermo*, ἀντὶ τοῦ, ἀψευδὴς καὶ ἀληθῆ τὰ εἰρημένα, inquit Euthymius Expos. Psal. 72. 19. *à mendacio pura exsistunt, & vera, quæ dicta sunt*; aut potiùs, ut idem alibi eruditè exponit Expos. Psal. 89. 53. ἀληθῆ καὶ λίαν ἀληθῆ, *vera atque adeò valde vera* exsistunt quæ dicta sunt; addito videlicet adverbio propter vocem *Amen* geminatam. Ubi jure mirum videatur in exemplari Mſ. versionem utramque conjunctam inveniri. Nam אמן ואמן Aquila ibi vertisse dicitur πεπισωμένος καὶ πεπισωμένος, q.d. *firmus creditúsq;* (sive *credi dignus*) *est sermo*. Nos tamẽ πεπισωμένως, aut etiam, si placet, πεπισωμένος (quippe ω in ο creberrimè corrumpitur, & ad rem nihil interest utrovis modo legatur) maximè genuinũ Aquilæq; propriũ esse minimè dubitamus, & omnino insitam Hebræi thematis vim integram servare facilè cernamus: Ità ut vocula ista *Amen* πιστόν instar sit ex fide profecti, quo congruenter & opportunè claudatur ac firmiter in mente supplicantis obsignetur oratio. Jam verò cùm Servator de rebus longè præstantissimis omniúmq; maximè necessariis apud populum Dei passim orationem haberet, cuperétq; eorum animis quàm firmissimè res illas infigere, putabimúsne ipsum verbis inusitato & ignoto sensu adhibitis id præstitisse? Quid? ánne etiam fieri potest ut juramentum exsistat citra ullam juramenti formam? In jurisjurandi religione semper interponitur Deus & Testis & Judex: At in verbis illis Christi *Amen* non est attributum Divinum, (i. quo Deus ipse ceu increata Veritas significetur) sed affirmatio veritatis illius quæ in oratione spectatur. Modus hic loquendi, *Amen*, *Amen*, i. *Verum*, *verum*, vel *Verè*, *verè* (h. e. *Rem verissimam*, vel *Verissimè*) *dico vobis*, Ἀληθίσατα λέγω ὑμῖν, simpliciter enunciat summam clarissimámque convenientiam orationis cum rebus ipsis, absque ulla juramenti specie: id quod collatis Euangelistarum testimoniis perspicuum evadet. Nam ubi apud unum eorum occurrit ἀμὴν, idem ipsum ab altero redditur ἀληθῶς, i. *verè*, utì videre est Matth. 16. 28. Luc. 9. 27. Item Marc. 12. 43. & Luc. 21. 3. atque alibi. Videtur autem Lucas de industria usurpasse ἀληθῶς, ut Ἑλληνικώτερον καὶ σαφέστερον loqueretur, & vim voculæ *Amen* interpretaretur. Non tamen ille primus ità reddidit, sed multò antè ipsi quoque Lxx eodem adverbio vocabulum *Amen* Græcè expressêrunt, ut Jer. 28. 6. καὶ εἶπεν Ἱερεμίας אמן, ἀληθῶς, οὕτω ποιήσαι Κύριος. Quapropter ἀληθῶς non ut interpretamentum novum excogitavit Euangelista, sed ut vetus, & Ecclesiæ jam diu probè cognitum retinuit, usúque suo in posterum commendavit. Atque idem alicubi [4. 24, 25.] ἀμὴν primùm, & deinde ἐπ' ἀληθείας, i. *in veritate*, tanquam voces planè synonymas ἐν παραλλήλῳ adhibet, ut prior posteriore declarari, & linguam Hebræam ignorantibus dilucidè exponi possit. Hîc nemo dixerit, opinor, ἐπ' ἀληθείας *in veritate*, aut ἀληθῶς *verè*, Juramentum significare. Nec enim *in veritate* seu *verè* loqui aliud esse poterit quàm rebus ipsis convenienter loqui. Quomodo igitur *Amen* Jusjurandũ censeatur, cùm id ejusdem prorsus significationis esse ostenderimus? Haud dubiè vehementer exsecratus est & juravit Petrus, præsertim in ultima illa abnegatione: sed astantes non item: tantùm διϊσχυρίζοντο, i. *asseverabant*, vel *constanter affirmabant*, ídque adhibitâ hâc ipsâ loquendi formulâ de qua ambigitur, ἐπ' ἀληθείας seu ἀληθῶς, h. e. *verè rem ità se habere*, Luc. 22. 59. Nam planè idem est διϊσχυρίζεσθαι quod & διαβεβαιοῦσθαι, i. *confirmare*, vel *pro certo firmó q; asserere*. Syri enunciant verbo שרר: quod ex Hebræo fonte profluxit; ubi in malam partẽ accipitur, & *obfirmare* denotat vel *obstinare*: hîc in bonam, sonátq; βεβαιῶσαι, στηρίζειν, *confirmare*, *stabilire*; unde שררא βεβαιότης sive *firmitatis*, h. e. veritatis, apud Syros nomen. Cui simillimum est & sono & significatione Anglicanum **sure, aut surety.** Itaque שרר διαβεβαιοῦσθαι Tit. 3. 8. omnino est Anglicè **to assure**, vel **of a surety**, vel **assuredly to affirm**. Eadem est Hebraici quoque thematis אמן significatio, utì constat ex 1 Reg. 8. 26. & aliunde.

Quid quòd *Amen* & ναὶ est ubi tanquam ἰσοδύναμα reperias? Loquitur quippe Servator apud Matthæum 23. 36. de vindicta cædis Prophetarum, usurpavit *Amen*: Idem postea apud Lucam 11. 51. eadem de re usus narratur ναὶ Græcorum adverbio loco Hebræorum *Amen*. Huc accedit Lxx Interpretum autoritas. אבל enim adverbium affirmandi Hebraicum in tristissima illa & gravissima fratrũ Josephi asseveratione Gen. 42. 21. recentissimi Interpretes Latini transtulerunt *Profectò*, Chaldæus P. בקושטא, i. ἐπ' ἀληθείας. Atq; ità R. David in Lexico, עניני אמת, *Significatio ejus*, inquit, *Veritas*. Hoc idem Lxx illi ναὶ particulâ exprimendum judicarunt. Porrò quandoque ambo, ναὶ nempe atq; *Amen*, conjuncta leguntur; ut Apoc. 22. 20. Ἀμὴν, ναὶ ἔρχου, Κύριε Ἰησοῦ, *Amen*, *etiam* (vel *certè*) *veni*, *Domine Jesu*, pari omnino ratione atq; *Abba*, *Pater*, in Epistola ad Romanos 8. 15. conduplicatâ, ut videtur, ἐμφάσεως ergò significatione. Atque eadem de causa, vehementioris scilicet affirmationis, iteratæ leguntur illæ ipsæ voces apud Apostolum 2 Cor. 1. 20. ità tamen ut ibi ναὶ præcedat, sequatur ἀμήν. Quem eundem collocandi ordinem observat Moses etiam Meredinæus, ex Mesopotamia sacerdos Catholicus (homo præclarâ eruditione & linguæ suæ, videlicet Syriacæ, singulari peritiâ) in calce sacrosancti codicis quatuor Euangelistarum Viennæ excusi; ubi tanquam clausulam ardentissimi voti sui subjungit postrema hæc verba, אין ואמין, h. e. ναὶ καὶ ἀμήν· quæ prorsus idem valeant apud Syros atq; אמן ואמן, i. ἀμὴν καὶ ἀμήν, usitatissima in Psalmis aliisq; S. Scripturæ libris Hebraicis vehementer Confirmandi vel Optandi sive Precandi formula. Unde mihi quidem per fit verisimile, geminatum illud ναὶ Matth. 5. 37. & Jac. 5. 12. non aliud esse quàm certissimam firmissimámque assevérationem, idémque quod *Amen*, *Amen*, toties in Euangelio Johannis repetitum.

Cæterùm nobis hîc opponantur verba Hieronymi Comment. in Ezech. 16. quibus ait *in Veteri T. Dei juramentum esse*, Vivo ego dicit Dominus; *in Novo autem*, Amen, amen, dico vobis. Sed sensus est. Recentem hanc N. T. formulam perinde valere ac antiquum illud Veteris juramentum, ejúsque instar esse, & parem ad veritatem confirmandam vim locúmque obtinere. Alioquin idem Hieronymus ipse sibi adversabitur, ut qui *Amen* sæpe interpretari soleat *verè*, Asseverandi videlicet non Jurandi vocabulo. Rursum objiciat quis forsitan particulas ἦ μὴν quæ inveniuntur in Epistola ad Hebræos 6. 14. & in V. T. sæpe apud Lxx. videntur enim conjunctim prolatæ, & sono & significatione referre vocabulum *Amen*. At primò incertum est deductæ fuerint illæ ab isto necne: siquidem omnes norunt *Amen* unicam esse dictionem, contrà ἦ μὴν omnino duas esse. Deinde negari non potest ἦ μὴν per se duntaxat ἀληθῶς seu ὄντως significare, i. *verè*, *equidem*, *profectò*. Ut ergò concedamus eandem planè esse dictionem, necesse est usum illum quo

simplicem

simplicem asseverationem signat, ut qui origini suæ congruentior sit ac vicinior, antiquiorem esse eo quo jurijurando postea adhiberi cœpit: Hâc namque ratione deflexit ab *Amen*, & novam significationem acquisivit ex nova peregrinæ linguæ consuetudine. Hinc itaque nullo modo efficitur ut si ἦ μὰν apud Græcos subinde Jurandi formula sit, continuò apud Hebræos *Amen*, unde derivata conjicitur illa, perinde se habeat. Diversarum enim linguarum diversissimus solet esse usus. Atque is ubique imprimis spectandus,

Quem penes arbitrium est & jus & norma loquendi,

ut prudenter ait Poeta, De arte Poet. 72.

CAP. 3. *De Essais, eorúmque etymo.*

CUM olim, admodum juvenis, amanuensis essem clarissimo venerabilis & sanctæ memoriæ Theologo D. ROBERTO HORNO Episcopo Wintonensi, memini laboriosissimũ virum opus eximium aggressum De Ecclesiæ Anglicanæ cum antiqua illa verèque Apostolica summa consensione, déque recentis istius Romanæ impia ἑτεροδοξία. Sed crebris iisque acutissimis calculi doloribus cruciatus, ac brevi etiam exhaustus, prorsus imperfectum illud reliquit, nè materiâ quidem ulla ex parte satis amplâ comportatâ quæ tanto ædificio exstruendo sufficeret. Ibi in schedis quibusdam de Monachis vitáque Monastica, quas mihi describendas tradiderat, incidi in locum Philonis de Essæis ab Eusebio citatum Eccl. Hist. l. 2. c. 17. ac continuò de vera nominis eorum notatione cogitare cœpi: Quam facilè intellexi è lingua Syriaca petendam, quòd ea tum Judæis, unde orti sunt Essæi, vernacula exsisteret. Non incommodè autem videbatur *Essæus* deduci ab אסא, quod Græcè valet θεραπεύειν, i. *curare* vel *sanare*; unde formetur verbale אסא, i. θεραπευτὴς, h. e. *sanator* vel *curator*. Quæ mihi sententia eò magìs arrisit quòd eam apertè ab ipso Philone confirmatam viderem, quẽ nemo non novit omnium maximè idoneum esse testem; nam & utriusq; linguæ (ut probabile est) peritus, & cum eisdem Essæis sæpe familiariter versatus fuerat. Ejus hæc sunt verba, lib. περὶ βίου θεωρητ. Θεραπευταὶ γὰρ θεραπευτίδες ἐτύμως κληθήσεται, παρ' ὅσον ἰατρικὴν ἐπαγγέλλονται κρείττονα τὰ κατὰ πόλεις· ἣ μὲν γὰρ σώματα θεραπεύει μόνον, ἐκείνη δὲ καὶ ψυχὰς νόσοις κεκρατημέναις χαλεπαῖς καὶ δυσιάτοις, h. e. *Sanatores* vel *Sanatrices ex origine vocis appellantur, quatenus Medicinam profitentur potiorem eâ quæ passim per urbes exercetur. Hæc enim corpora duntaxat sanat, at illorum ars etiam animas curat morbis gravibus & sanatu difficilibus laborantes.* Epiphanius Adversùs Hæres. lib. 1. Hær. 29. hanc ipsam vocabuli θεραπευτὴς significationem sectatur, nempe quâ ἰατρὸν indicat: Sed præ nimia vitæ solitariæ admiratione, cujus autores sciebat Essæos, superstitiosos (uti palàm est) Judæos, dum eosdem pro Christianis (licèt etiam ante Christum natum floruerint) haberi, Eusebium imitatus, summâ vi contendit, longissimè à scopo aberrat. Nam primùm, quòd eos dictos putat Ἰεσσαῖος ab Ἰεσσαὶ scilicet patre Davidis, nimis id quidem procul petitum est. Ut & illud taceam, ישׁ diversissimæ notationis esse, nec θεραπεύειν innuere, sed יש id enim valet ישׁ, ex quo ישׁי apud Hebræos derivatum videtur. Deinde in posteriore item etymologia (quod tanti viri pace dixerim) ὑγιὲς invenias, ישׁע quippe, ex quo ישׁוע Divinum Servatoris nostri nomen originem duxit, (hinc enim secundo loco *Essæos*, quasi alteros, ut ità dicam, *Jesuitas*, appellatos vult) non notat θεραπευτικὴν aliquam, seu *curatoriam* aut *sanatoriam*, sed in genere quamcunque *servandi* rationem, quocunque tandem modo præstetur, maximè verò eam quâ quis à violento quopiam impetu periculóve vel oppressione liberatur. Ex quo fit ut sæpe dicantur Principes seu Magistratus, ac viri etiam fortes, illos הושׁיע, i. e. *servare*, quos liberarunt. Atque hoc pacto *servare*, i. impetum hostilem propulsando & propugnando, vel eximendo è periculis & quasi vi extrahendo, Græci propriè dicunt ἀμύνειν καὶ ῥύεσθαι· quibus vocibus idem illud verbum Hebræum eruditè accommodatéque redditur à Lxx. Isa. 59. 16. & 63. 5.

Melanchthon & Peucerus, excellentes viri, omníq; doctrinæ genere instructissimi, *Essæos* tum à עשׂה, quod est *facere, agere, operari*, quia bonis operibus Deo servire studerent, tum etiam à חזה, quod est *considerare, speculari, contemplari*, quia vitam in contemplatione positam colerent, nomen olim consecutos esse prodiderunt, Chron. l. 2. p. 113. Primò illud certum est, quod opponitur, quódque ipse jamdudum animadverteram, verbum עשׂה, utpote Hebraicum, ignotũ fuisse vocabulum Essæis Syriacè aut Syrochaldaicè loquentibus. Addo insuper & illud, Si ex *actione* vel *operatione* nomen inveniſſent, profectò aut פלחא aut עבדא aut saltem סעדא vocatos fuisse oportuit. Deinde quod aiunt *in Eusebio legi, Essæos dictos esse quasi* θεωρητικοὺς, equidem non inficior hujusmodi quiddam à Suida observatum legi, Θεωρία τὰ πολλὰ παρὰ Ἑβραίοις· ἔνθεν καὶ Ἐσσαῖοι κληθῆναι, τοῦτο δηλοῦντος τοῦ ὀνόματος, τυτέστι, θεωρητικοί, *In contemplatione plurimùm permanent, unde etiam Essæi vocantur, h. e. ut nomen ipsum declarat, Contemplativi*: verùm apud Eusebium nusquam sanè compâret. Illud duntaxat exstat, nempe inscriptio libri Philonis Περὶ βίου θεωρητικοῦ· at hinc petendam *Essæorum* appellationem nè uno quidem verbulo nutúve significat. Denique credibile non est quod illi affirmant, Eusebium nomen feciſſe à חזה. Quamvìs enim verbum istud Syris cum Hebræis commune sit, tamen hoc vitii ineſſet, quòd nimis angusta fuisset appellatio illa, quippe unum tantummodo Essæorum genus designasset, eorum scilicet qui in contemplatione versari consueverunt; altero eorum, qui in actione vel operatione, ab hac nominis ratione longè remoto. Quid multa? consulat Lector Eusebium: nullum istorum etymorum indicium aut vestigium uspiam agnoscet, sat scio; quin potiùs illum à Philonis sententia de nominis *Essæorum* origine transversum, ut aiunt, unguem non discedere comperiet.

Verùm nactus nuper pulcerrimum librum doctissimi viri Josephi Scaligeri De Emendatione temporum inscriptum, aliam ibi etymologiam reperi alteri Philonis etymo, quod in libello suprà à me indicato legas, respondentem, dictos nimirum θεραπευτὰς quòd *Dei cultores essent*, Lib. 6. initio. Cui significatui convenit vocabulum Syriacum חסי vel חסיא à Scaligero allatum, unde idem Græcos suum ὅσιον mutuatos asserit. Indéq; etiam Philo alicubi Essæos παρωνύμως τῆς ὁσιότητος esse scripsit, lib. Περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον.

Atque hæc eò libentiùs amplector quòd notum sit חסיד apud veteres Hebræos celeberrimum fuisse piorum omnium cognomentum: A quo admodum credibile est Syriacum חסי fluxisse, ablatâ (quod sæpe fit) per Apocopen literâ ultimâ. Nam ubi in Psalmo 16. 10. legitur, *Non sines* חסידך *sanctum tuum sentire corruptionem*, ibi Syrus P. reponit חסיך, Lucas verò ἃ ὅσιόν σου, Lxx interpretum more, quem illi constanter ubique observant. Adeóque autor libri Maccabæorum ipsum nomen Hebræum usurpat formâ Græcâ inflexum, συναγωγὴ, inquit, Ἀσιδαίων, 1 Mac. 2. 42. Id quod eadem de re agens Ben Gorion in Historia sua Hebraicè scripta, lib. 3. c. 8. reddit עדת החסידים, verbum è verbo exprimens. Postea tamen idem Historicus, tanquam proprio quodam nomine, Essæos ipsos Hebraicè חסידים appellat Hist. Jud. l. 4. c. 6. quemadmodum & alii quidam Hebræorum, teste ibidem in Annotationibus suis Sebastiano Munstero, viro de studiosis linguæ Sanctæ optimè merito.

Probabile igitur est Essæos, hâc ratione, piorum olim Judæorum reliquias fuisse ex diris illis, Græcorum maximè persecutionibus ereptas. Qui primùm necessitate coacti in loca solitaria, ubi delitescerent, turbulentis & funestis temporibus se receperunt; deinceps tutis & tranquillis, suapte voluntate, pristinæ vitæ consuetudine allecti, ejusmodi in locis plerique permanserunt. Porrò augescente paulatim hominum admiratione, & sanctitatis opinione inflati, planè instar Monachorum Christianorum (sic solent humana in pejus ruere; nec quicquam novi est sub Sole) ipsi sibi proprium quoddam vivendi institutum condere cœperunt; & ad extremum in sectam plurimis superstitionibus obstrictam degenerarunt, retento interea, ad majorem sui in vulgus ostentationem, antiquo חסידים vel חסין cognomine.

Atque idem ferè ipsum visum Munstero, Schindlero, aliis, credibile opinor. Neque enim sine gravi contumelia tanti stuporis damnari poterunt viri linguæ Hebraicæ scientissimi, ut ignorasse dicantur חסיד nomen fuisse *piorum* omnium commune. Jocularium id quidem est, de quo nemo dubitarit qui primoribus modò labris literas illas gustarit. Quin potiùs hoc quæritur, Annon ament subinde Hæretici sectariique titulos totius populi Dei sive Ecclesiæ communes insigni dolo invertere, pariique arrogantiâ ad se privatim ornandos transferre? Certè apud utrumque populum, & veterem & novum, & Judæos & Christianos, id usu venisse legimus. Hinc inter illos alii *Pharisæi*, i. *Separati*; alii *Sadducæi*, i. *Justi:* inter hos alii *Cathari*, i. *Puri*; alii *Mesalliani*, i. *Precantes*, itémq; alii aliter cognominati: quasi verò ipsi soli, ac non universa Ecclesia, aut separati & segregati essent à mundo, aut justificati, justitiæve studio dediti, aut resipiscentiâ fidéq; purificati, aut deniq; quotidiano precandi exercitio assueti. Illud etiam diſpiciendum, Annon restrictiore postmodum significatione usurpatum sit nomen חסיד? Equidem Hebræorum Grammaticorum princeps Kimchius Comment. in Psal. 40. 11, &c. חסד propriè esse vult יתרון הטיבה, θειότης ἤτοι ὑπεροχὴ ἀγαθότητος *præstantiam vel eminentiam bonitatis.* Itaque חסיד amplius & excellentius quiddam sonat quàm טוב, i. ἀγαθὸς, *bonus*, nempe qui non vulgari aliquâ bonitate sed singulari & præcipuâ quadam præter cæteros prædius existimatur. Nam συναγωγὴ Ἀσιδαίων *cœtus Asidæorum*, 1 Macc. 2. 42. flos totius Israelis est habendus. Mox enim adjungitur ἰσχυροὶ δυνάμει, Hebraicè גבורי חיל, h. e. *eximio animi robore præstantes.* Item, πᾶς ὁ ἐκκοσιαζόμενος τῷ νόμῳ, Heb. כל המתנדב לתורה, h. e. *promptissimus quisq; qui voluntate alacerrimâ Legi devotus heroicum in morem discrimini cuivis pro eadem subeundo se offerebat:* neque enim nisi hujusmodi circuitione Hebraismi vim satis accuratè exprimere licet. [Sic Judic. 5. 2, 9. & 2 Par. 17. 16, &c.] Planè ut hoc hominum genus (si exemplo non inepto sed ad rem accommodato uti libet) verâ proportione respondeat Confessoribus & Martyribus apud veteres Catholicos. Atque huc spectare videtur nomen ipsum loci Ducis Asidæorum proprii, 1 Macc. 2. 1, &c. quippe Μωδεῖν *Modin*, à themate ירה nuncupatum arbitror, q. tu dicas Ὁμολογητῶν *Confessorum* locum, vicum oppidúmve. Verùm augescente in dies, à Macchabaicis præsertim temporibus, superstitione, paritérq; (ut fit) stupidâ ambitiosæ & fucatæ sanctimoniæ admiratione, חסיד tandem à novitiis Judæorum Magistris ad majorem sublimitatem, imò ad ipsum perfectionis apicem, evehi cœpit. Etenim ex Rabbinorum sententia ab eodem Kimchio Commēt. in Psal. 103. 17. חסיד is esse decernitur שעושה יותר על מה שנצטוה, i. *qui facit plus boni quàm præceptum est.* Ex hoc igitur longè superbissimo supererogandi (ut vocant) studio, quod posteriorum seculorum corruptio nomini antiquo affinxit, non ineptè quidem certè nec insulsè *Essenos*, quorum ὁσιότητα *sanctitatem* clarissimi scriptores Philo & Josephus exquisitis verbis in astra tollunt, Hebræorū aliqui, teste, ut diximus, Munstero, appellandos censuerunt חסידים *Hasidæos*, h. e. supererogatoriâ & incomparabili sanctitate cæteris omnibus excellentes.

Nihilominus repudiandum non est alterum illud nomen ab אסא deductum, ut quod & ipsum testimonio Philonis comprobetur. Quamvis autem ille more suo ἀλληγορῶν rem ferè omnem *ad animi affectus curandos* transferat, corporis tamen morbos pariter *sanasse* id genus hominum, Epiphanio credendum, ídq; artis medicæ beneficio; cujus eos jam olim studiosissimos fuisse refert Josephus, gravis imprimis Historicus: Σπουδάζουσιν, inquit, De Bell. Jud. l. 2. c. 12. in Lat. c. 7. ἐκτόπως περὶ τὰ τῶν παλαιῶν συγγράμματα, μάλιστα τὰ πρὸς ὠφέλειαν ψυχῆς καὶ σώματος ἐκλέγοντες. Ἔνθεν αὐτοῖς περὶ θεραπείας παθῶν ῥίζαι τε ἀνέκκητοι καὶ λίθων ἰδιότητες ἀνεψηλάφηνται, h. e. *Mirabile studium collocant in veterum scriptis pervolutandis: Ex quibus ea maximè deligunt quæ animæ corporíq; conducant. Hinc diligenter investigant & radices remediis afferendis idoneas, & lapidum proprietates, quibus medicinam morbis faciant.* Apparet igitur ex Josepho Essenos utramque, tam corporis quàm animæ, Medicinam factitasse, & ad morbos depellendos sanitatémq; restituendam egregiâ remediorum cognitione fuisse instructos. Medicorum autem eam sectam quam ἐμπειρικὴν vocant, quòd *experimentis* tantummodo niteretur, eos potissimùm secutos arbitror: nam τήρησιν, maximam & præcipuam τῆς ἐμπειρίας partem, tanquam fundamentum posuisse videntur; siquidem antiquorum observationibus plurimùm dediti, ad communem vitæ usum (à quo remotissima habebatur causarum naturalium scientia, difficilis quidem illa & obscura) omnia referebant. Hinc ergò rursus apparet, quandoquidem Essæi artificiosâ & humanitus inventâ medicandi ratione sunt usi (unde & θεραπευταὶ Græcè appellati) nullo pacto probabile videri eos aut fuisse aut esse potuisse viros Apostolicos, h. e. antiquissimos illos primitivæ, quam vocant, Ecclesiæ Christianos temporibus Apostolorum proximos. Hos enim Historia Euangelica & Ecclesiastica confirmat invocato nomine Jesu Christi planè mirabiliter & Divinitus morbos sanasse; illos autem certum & perspicuum Josephi testimonium demonstrat, remediis cuiq; morbo depellendo aptis adhibitis, ex consueto naturæ ordine, citra omnem miraculi speciem, ægrotos curasse.

Præterea illud item liquet, Essenos illos, quos Epiphanius lib. 1. hær. 19 inter celebres Judaismi sectas recenset, & haud procul à lacu Asphaltite abesse ait, eosdem omnino esse quos Josephus & Plinius Nat. hist. l. 5. c. 17. *Esenos* appellant: nam, ut cætera taceam, nomen ipsum prorsus idem est. At, inquies, Epiphanius eódem loci Ὀσλωὺς interpretatur σιδαρεῖς, i. *validos*, alibi autem ἰταμοὺς, i. *animosos* seu *fortes:* mirum ni à חסן vocabulo Hebræo; aut certè à עושנא, vel עושנא, ejusdē significatûs, Syro. Sed illud interest, quòd utrumq; nomen *robur* & *fortitudinem* indicat, non *robustum* & *fortem*. Insuper, in posteriore prior syllaba *os* habet, non *o*. Reperitur quidem apud Syros etiam חסין, Mat. 12. 29. itidem & עשין, i. ἰσχυροὺς *robustos*, Jac. 3. 4. & Luc. 23. 23. atque adeò apud autorem Aruch אשין, h. e. σκληροὺς, σιδηροῦς, *durus, firmus*; verùm prima syllaba scribitur *a* brevi, non *o*, & (quod præcipuè animadvertendum fuerat) *n* litera in ambobus radicalis est, ut vocant: In voce autē Ὀσλωοὶ est index pluralis numeri ex gentium Orientalium idiotismo. Reliquum igitur est ut putemus Ὀσλωὺς planè eos esse quos אסין, h. e. θεραπευτὰς, seu *Sanatores* aut *Curatores*, Syri dicunt in plurali à sing. אסא, non autem à חסי. Nam vocalem Kamets (autore Widmanstadio, Cl. viro, & harum linguarum callentissimo) Syri adinstar *o* longi ubique ferè pronunciant; vocalem verò Pathach ut ō nunquam proferre solent.

Postremò, id quoque Lectorem semper meminisse velim, licèt non ità magni sit momenti, haud tamen usquequaque contemnendum; Accentûs etiam ratione appellationem Ἐσλωῶν vel Ὀσλωῶν, *Essenorum* aut *Ossenorum*, multò propiùs ad אסא quàm חסי accedere. Etenim cùm Cheth in חסי aspiratio sit densissima, videretur postulare ut, si nomen *Essenorum* vel *Essæorum* aut *Ossenorum* indè deductum fuisset, principium ejus spiritu aspero à Græcis afficeretur; quod nusquam apud eos fieri, compertum & exploratum habemus. Veruntamen non magnopere contendam; sed, re in medio relictâ, hoc dictu facillimum æquissimúmque fore opinor, Essæos videlicet binomines fuisse videri (ut sæpe usu venit) & partim à חסי partim ab אסא appellationē sortitos: Cujus vim duplicem uno & simplici solius θεραπευτῶν nomine venustè admodum & eruditè Philo complexus est.

CAP. 4. *De Regione Ararat: De loco ubi primùm quievit Arca Noæ: De profectione indè susceptā: Déq; significatione vocis* מקדם *Gen.* 11. 2.

MOses vir Dei in Historia Diluvii Gen. 8. 4. narrat Arcam Noæ requievisse על הרי אררט, ἐπὶ τὰ ὄρη τὰ Ἀγγαῖα *super montes Ararat*, ut Lxx verterunt, retento nomine Hebræo. Vetus verò interpres Latinus transtulit *super montes Armenia:* atque ità reddiderunt ipsi quoque Lxx, Esa. 37. 38. διεσώθησαν εἰς Ἀρμενίαν· ubi tamen Latinus habet *Ararat:* quod miror.

Armenia

Armenia (Major videlicet, nam de hac tantùm agitur: Minor quippe pars Cappadociæ à Geographis censetur) generatim accepta, latissima regio est: & ab Occasu Euphrate, ab Ortu Mediâ, à Septentrione Colchide, Iberiâ & Albaniâ, à Meridie monte Tauro terminatur, qui perpetuis jugis ad Mediæ usque confinia longissimè protenditur, Armeniam à Mesopotamia, Babylonia & Assyria submovens. Adi Strabonem l. Geogr. 11. & Ptolemæum Tab. Asiæ 3. *Armeniorum gens*, inquit Tacitus Annal. l. 3. *nostris provinciis latè prætenta, penitus ad Medos porrigitur.* Porrò admodum montosam esse Armeniam omnes uno ore tradunt. Quærimus ergò ubi tandem locorum vel ad quemnam montium ejus appulsa sit Arca Noæ? Geographi quidam in Tabulis suis locum ipsum montémque depingunt, subjectum nempe gradui quidem longitudinis 79. latitudinis autem 41. & paulò ampliùs, proximè oppidum cui nomen *Chiagri*. Qua in re Hieronymi auctoritatem sunt secuti: Is enim scribit Comment. in Isa. l. 11. c. 37. *Ararat regio in Armenia campestris est, per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis, ad radices Tauri montis, qui usque illuc extenditur. Ergò & Arca in qua liberatus est Noe cum liberis suis, cessante Diluvio, non ad montes generaliter Armeniæ delata est, quæ appellatur Ararat, sed ad montes Tauri altissimos, qui Ararat imminent campis.* Videtur igitur Hieronymus nomine *Ararat* campos duntaxat Araxenos propriè designare; fortè quoniam egregiè fertiles. Nam fertilis quoq; est regio Ararat, Gen. 8. 11. & 9. 20. Strab. Geogr. l. 11. Deinde antiquorum sermone celebratum erat, olim ibi diluvium exstitisse. Quasi verò in montanis tractibus haud mediocris ubertas non inveniatur. Diluvium autem in fabulam mutatum nihil omnino certi exhibere potest. Præterea à Septentrionali latere in Australe per totam Armeniam transeundum fuisset, ut in Mesopotamiam perveniretur, itinere longè difficillimo, propter tot montes altissimos superandos & molestissimas subinde viarum angustias penetrandas. Deniq; non satis assequor quid velit ubi dicit, *Ararat regionē in Armeniæ campestrem esse*, cùm S. literæ contrà montosam omnino asserant. Satius igitur erit Epiphanio auscultare, Μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν, ὅπισθεν τῆς λάρνακος τῆς Νῶε ἐν τοῖς ὄρεσι τοῖς Ἀραρὰτ ἀναμέσον Ἀρμενίων καὶ Καρδυήνων, ἐν τῷ Λυβὰρ ὄρει καλουμένῳ, ἐκεῖσε πρῶτον κατοίκησις γίνεται, μετὰ τὸν κατακλυσμὸν, τῶν ἀνθρώπων, i. *Post Diluvium, cùm consedisset Arca Noæ in montibus Ararat, inter Armenios & Cardueos, nempe in monte quodam Lonbar vocato, ibi primùm habitatio hominum post Diluvium fieri cœpta est.* Juvabit etiam vetustissimorum scriptorum, quos citat Joseph. Antiq. Jud. l. 1. c. 4. eadem de re testimonia audire: Τῆς δὲ κατακλυσμοῦ τούτου καὶ τῆς λάρνακος μέμνηνται πάντες οἱ τὰς βαρβαικὰς ἱστορίας ἀναγεγραφότες· ὧν ἐστι καὶ Βηρωσὸς ὁ Χαλδαῖος· διηγούμενος δὲ τὰ περὶ τὸν κατακλυσμὸν, οὕτω πως διέξεισι, Λέγεται δὴ καὶ τὸ πλοῖον ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ ἐπὶ τοῦ ὄρους τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τὸ ἀσφάλτου ἀφαιροῦντας· χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἐπιχώριοι πρὸς καθαρισμούς. Μέμνηται δὲ τούτων καὶ Ἱερώνυμος ὁ Αἰγύπτιος, ὁ τὰ ἀρχαιολογίαν τὴν Φοινικικὴν συγγεγραφώς, καὶ Μνασέας δὲ, καὶ ἄλλοι πλείους. Καὶ Νικόλαος δὲ ὁ Δαμασκηνὸς ἐν τῇ ἐνενηκοστῇ καὶ ὀκτὼ βίβλῳ ἱστορεῖ περὶ αὐτῶν, λέγων οὕτως, Ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος καὶ τὴν Ἀρμενίαν, Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας διὰ τὸν κατακλυσμὸν λόγος ἔχει σωθῆναι, καὶ τινα διὰ λάρνακος ὀκάμνον διὰ τὴν ἀκρόφυσιν ὀκεῖλαι· καὶ τὰ λείψανα τῆς ξύλων διὰ πολὺ χρῶνται· γένοιτο δ' ἂν οὗτος ὅτινα καὶ Μωϋσῆς ἀνέγραψεν ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης, h. e. *Diluvii istius & Arcæ meminerunt omnes barbaricæ Historiæ scriptores; & in his Berossus Chaldæus. Narrans enim de hoc diluvio, sic fermè scribit; Fertur autem & navigii hujus pars quædam adhuc in Armenia apud montem Cordyæorum (vel Cordæorum) superesse, & quosdam bitumen indè abrasum secum reportare; quo vice piamenti ad mala periculáque amolienda maximè utebantur homines. Meminit horum & Hieronymus Ægyptius, qui Antiquitates Phœnicum scripsit, Mnaseas, & alii plures. Quin & Nicolaus Damascenus libro 96. de his rebus narrat in hæc verba, Est super ipsam Minyadem magnus mons in Armenia nomine Baris, in quo multos, cùm eò confugissent Diluvii tempore, servatos ferunt, & quendam Arcâ vectum in hujus vertice hæsisse, ac reliquias lignorum ejus longo tempore duravisse. Qui fortasse is fuerit de quo etiam Moses scripsit, Judæorum Legislator.* Atque hi omnes verbis magis inter se discrepant quàm rebus ipsis. Epiphanius in confinio Armeniæ propriè sic dictæ & Gordyenæ Arcam consedisse refert. Quamvis enim Armenia generaliter usurpata ad Medos usque pertingeret, propriè tamen dicta multùm indè aberat. Etenim Centrite fluvio definiebatur, qui à fontibus Tigridis distabat Ortum versùs circiter parasangas 8, h. e. milliaria ferme 30. auctore Xenophonte, scriptore fide dignissimo, ut qui regiones illas penitus lustrarit, Exped. Cyri l. 4. Sed, nè quisquam nominum varietate decipiatur, sciendum est Gordyæos, Gordos, Cordæos, Cardyæos, vel Carduenos eosdem planè esse, quos Stephanus De urbibus, voce Γορδυαῖα, *Gordechos*, Xenophon *Carduchos* appellat. *Adiabenis*, inquit Plinius Nat. hist. l. 6. c. 15. *connectuntur Carduchi quondam* (temporibus scilicet Xenophontis) *dicti, nunc Corduæni, præfluente Tigri.* Horum regionem sedem olim Arcæ Noæ præbuisse, constans semper fama fuit. Quare Chaldæus interpres *Montes Ararat* טורי קרדו exponit, קרדו, inquam, pro קרדוח, enunciato per apocopen usitatam vocabulo, definente præsertim in ח literam, quam vel ab ipsis Thalmudicis propter nimiam pronunciationis asperitatem absorberi tradit Caninius Institut. linguæ Syræ. Idque verbis Scripturæ valde consentaneum puto. Etenim 2 Reg. 19. 37. narrantur filii Sancheribi, trucidato parente, statim *in terram Ararat confugisse.* Meritò quidem. Eò namque & expeditissimus & tutissimus erat receptus: Expeditissimus, quia in proximo sita erat terra Ararat, h. e. regio Gordyæa, vel Carduchæa aut Carduæa, quippe quæ Assyriis Adiabenis (apud quos condita erat Ninive) ad Septentrionem imminebat & adhærebat: Tutissimus, quoniam editissimis montibus asperrima erat aditúque difficilis. Gens item ipsa bellicosa erat, & jugum servile nunquam passa, hostili semper, in Assyrios primùm, deinde in Persas animo, nec ullis eorum exercitibus domari potuit. Hæc omnia apud Xenophontem legimus Exped. Cyri lib. 3. Is iter reducis Græcorum exercitûs (cui præfuit ipse) ex Assyriorum planitie, prope fluvium Tigrim, per montosam regionem Carduchorum in Armeniam penetratum describens, hæc habet verba, Καρδούχους οἰκεῖν ἀνὰ τὰ ὄρη πρὸς ἄρκτον, καὶ πολεμικοὺς εἶναι, καὶ βασιλέως οὐκ ἀκούειν· ἀλλὰ καὶ ἐμβαλεῖν ποτὲ εἰς αὐτοὺς βασιλικὸν στρατιὰν δώδεκα μυριάδων, τούτων δὲ οὐδένα ἀπονοστῆσαι διὰ δυσχωρίαν, i. *Carduchos habitare in montibus ad Septentrionem*, Assyriæ scilicet, *& bellicosos esse, & Regi* Persarum *non obtemperare: Cumque irruisset in eos aliquando Regius exercitus centum & viginti millium, eorum neminem rediisse, propter locorum difficultatem.*

Verùm enimvero quæ tandem ratio afferatur quamobrem Josephus, cùm lib. 1. Antiq. cap. 4. (uti jam ostendimus) regionem hanc τῶν Καρδυαίων *Carduæorum* emendatè dici scripsisset, postea lib. 20. cap. 2. χώραν Καρῶν λεγομένην, *regionem Carôn dictam*, quasi sui oblitus, scripserit? Mihi quidem certè dubium non est quin manifestus librarii lapsus sit, & reponendum vel Καρδυαίων, ut suprà, vel Καρδῶν, ut Chaldæus docuit Interpres. Accidit enim aliquoties cùm duæ literæ similes concurrunt, quales sunt ρ & δ, ut alteram, quasi jam descriptam, librarii transiliant. Fieri etiam potuit ut in voce Καιρῶν Iota prioris syllabæ longiore caudâ productum, præ nimia scribendi festinatione, locum ρ occupârit (quod alibi observasse meminimus) & ρ posterioris syllabæ (quod sæpe fieri videmus) germanæ literæ δ, tanquam supposititia, subrepserit: υ autem in ν corrumpi, & ο in ω pervulgatum est. Præterea facilè potuit ex Καρδὼ procudi Καρδὼ, & hinc, more Græcanico, quo terminationes peregrinæ nominum in ω, ascito ν, vertuntur in ων, Καρδὼν· unde vitiosum illud Καιρῶν in vulgatis Josephi exemplaribus. Quod autem ab eo statim subjungitur l. 20. c. 2. *Amomi feracissimam esse regionem Cardu*, negare videtur Plinius Nat. hist. l. 12. c. 13. ut qui contendat *nasci Amomum in ea Armeniæ parte quæ Oténe vocatur.* Sita enim est Oténe ultra

Araxem fluvium, παρὰ Κύρῳ πόλεμῳ *ad Cyrum amnem* (inquit Quadratus Historicus) non ità longè ab Albania, Steph. περὶ πόλεων, voce Ὠβαρηνοί. Quod & Ptolemæus Geogr. l. 5. c. 13. satis perspicuè indicat, excepto quòd apud eum malè præfigitur *M* in Græco codice, & *T* in Latino; siquidem utrobique pravè habetur, illic Μωλωὰ, hic *Totene*. Nè multa, nos Josepho potiùs adhærescimus. Nam cùm vir exquisitissimæ peritiæ Dioscorides De simp. medicamentis l. 1. c. 14. testetur *Amomum Armenium omnium præstantissimum esse, Medicum verò viribus multò minoribus pollere, quòd in locis aquosis & irriguis nascatur*, utique innuit Armenium illud, quod præstantissimum esse pronunciavit, non in irriguis udísque reperiri, qualia sunt Oténes omnia, quippe Araxi Cyróque interjacentia, sed in montosis & siccioribus locis, nominatim regionis Cardu (autore Josepho) quæ procul abest ab Oténe Austrum versùs, & Assyriæ Adiabenæ conjungitur. Unde & *amomum* Virgilius Eclog. 4. 25. *Assyrium* nuncupat, quia in regione Assyriæ contigua, ejusdémque olim ditionis ortum, haud secùs atque in ipsa Assyria ortum censeatur.

Cæterùm vetus traditio non solùm locum communem, nempe Gordyæam, sed proprium etiam nominatim designat ubi Arca consedit. Nam audivimus suprà ex Nicolao Damasceno, montem *Barin* dictum in cujus vertice hæsit. Eundem *Imbarum*, atque etiam (nisi mendum sit typographicum) *Nibarum* appellare videtur Strabo Geogr. l. 11. & supra Armenios, Ortum videlicet Solstitialem versùs, situm refert. Nam ut Abum, alterum altissimum montem (unde Euphrates Araxésque prolabuntur) ad Occasum collocat, ità Imbarum in Ortum usque ad Mediam indè porrigi ait, utrumque Tauri portionem. Epiphanius (ut antè docuimus) *Loubarum* nominat, inter Cardyæos & Armenios positum, in angulo scilicet Orientali Mediam versùs. Ac forsan is est quem *Udaespin* Ptolemæus nuncupat apud Mardos, Asiæ Tab. 3. Siquidem Mardos eosdem esse non dubito quos *Carduchos* vel *Gordyæos* alii vocitant. Idque vel hinc facilè liqueat, quòd *Corbulonem* ducem Romanum, *post deleta Artaxata, ad occupanda Tigranocerta* proficiscentem, *atque fines suos prætergredientem*, Tacitus narrat *Mardos incursavisse, latrociniis exercitos, contráque irrumpentem montibus defensos*, Annal. l. 14. Etenim idem prorsus erat situs Carduchorum, ut ex Xenophonte constat, eadem item incolarum instituta moréque. *Mardos* autem ab Assyriis cognominatos fuisse credibile est, q. d. *Rebelles* aut *Defectores*. Nam מרד illis, ut & Hebræis, *ἀφίστασθαι* vel *deficere* significat. Unde etiam Syri *apostatam* מרודא appellant. Horum de genere (ut id quoque obiter attingam) videntur fuisse ii quos refert Strabo l. 11. *Montes prope Mediam incoluisse, feros homines & contumaces, cognomento Saraparas appellatos, quòd capita hominibus abscinderent.* Melius opinor legendum *Rasaparasæ*. ראש enim vel ריש *caput*, פרם *scidit* vel *abscidit* denotat. Rectè autem atque ex ordine collocatis verbis dicendi sunt, ni fallor, *Parasaraſæ*, פרסי רישא, i. *Abscissores capitum*. Porrò quòd eruditissimus quidam vir Σειτακισὰς hîc legendum autumat, & vocem Σαράβαρα (quæ genus quoddam tibialium significat Persis usitatum) huc trahere conatur, quis non prorsus alienum esse cernit, atque adeò (quod valde iniquum est) vel ipso eodem teste, contra fidem antiquorum codicũ? qui non Σειτακισὰς habent, ut indè allusio ulla ad Persica illa Σειτακιὰν effingi queat, sed Σειτακυδισὰς. Quod licèt ab eo non probetur, utpote unius literæ vitiosæ labeculâ aspersum (nam Σειτακυδισὰς legendum esse constat: literæ autem ω & υ sive υ facilè invicem permutantur) multò tamen propius vero est quàm quod ab eo tantopère probatur. Nec enim uspiam invenias Σειτακισὰς gentes ullas dictas quòd *crura hominibus abscinderent*. Quàm ineptum certè istud! At Σειτακυδισὰς (qui iidem Ἀποσκυθισαὶ quoq; nominantur) uno ore probant tum Grammatici, tum Historici. Nam propriè Σειτακυδίσαι est Πολεμεῖν τὸ δὴ ἀπὸ κεφαλῆς δέρμα, ut tradit Suidas, h. e. *cutem quâ caput tegitur cum crinibus amputare*. Idémque clarissimo Herodoti testimonio l. 4. p. 126. ed. Hervag. & confirmatur & illustratur. Narrat enim Scythas (cujus generis sunt quos appellat Strabo *Saraparas*, aut potiùs *Parasaraſas*) hostium capita præcidere solitos, eísq; detractâ pelle & elaboratâ subactâq; mantilium (χλειμάκτρων) loco uti. Optimè igitur in eandẽ corporis partem ínq; eandem gentem convenit utrumq; nomen, Ἀποκεφάλισαὶ videlicet & Σειτακυδισαὶ, & veritate satis apertâ fundatum agnoscitur. Περισκελισαὶ autem, unà cum adjuncto vocabulo Σαράβαρα (quod ad rem præsentem attinet) omnino commentitium videtur, ac (ut dici solet) ὀδὲν πρὸς ὑπο, nempe à Straboniani nominis sensu significatúque longè diversum. Præterea idem Strabo eodem ferè loci commemorat *Baridis templum*, ubi situm tradit Epiphanius Loubar montem, *haud longè à via quà itur ad* urbem Mediæ primariam *Ecbatana*. Quod etiam fortasse ad Nicolai Damasceni montem Barin non ineptè accommodetur, ità ut mons ipse *Baris* dictus fuerit à Templo, Templum verò à Navigio, Noæ videlicet. Ægyptii namq; navigium quoddam *Barin* nuncupabant, teste Herodoto, Euterpê. Idcóq; βάρις ab Hesychio πλοῖον exponitur. Certè Navigii illius reliquias ad suam usq; ætatem asservatas fuisse, & mirâ superstitione ab accolis exterísq; cultas, memoriæ prodidit Berosus. Quamobrem satis patet eundem montem cui Arca insedit *Barin*, *Imbarum* vel *Loubarum* appellatum: Quorum omnium nominũ quodnam maximè germanum sit difficile divinatu arbitror. Illud perspicuum est, sedem propriam Arcæ fuisse in Aquilonari Carduenæ latere, quà in Ortum declinat, & Mediæ Atropatenæ jungitur.

Jam omnibus in confesso est, ex isto loco, aut saltem regione circumjacente, Noam filiósque profectos cum suis universis in campum Sinnaar seu Babylonicum tandem pervenisse. Atqui profecti sunt, inquit Scriptura מקדם, i. *ab Oriente*, prout omnes transtulerunt. Necesse est ergò ut tractus ille Araratæus, à quo, Campum Babylonicum, ad quẽ profecti narrantur, vel omnino vel aliquatenus ad Orientem Solẽ spectare dicatur. At istud cum vero locorũ situ ex diametro pugnare videtur. Liquet enim ex Strabone, Ptolemæo, Mercatore reliquísq; insignibus longéq; diligentissimis Geographis partem hanc Armeniæ Majoris, maximè Orientalem, à Campo Babylonico rectà ad Septentrionem vergere. Hâc igitur ratione מצפון potiùs quàm מקדם, *à Septentrione* potiùs quàm *ab Ortu*, profecti censeantur. Hunc nodũ sic quis facilè solvat, ut dicat מקדם *ab Oriente* intelligendũ respectu Judææ, aut potiùs deserti, ubi Moses historiã hanc conscripsit: nam si ad illud referatur Ararat, aliquantulùm quidẽ in Ortum spectabit. At id parùm convenit verbis Scripturæ, quæ gentes Mesopotamiæ & Babyloniæ imminentes משפחות צפון, i. *cognationes Septentrionis*, Jer. 25. 9, 26, &c. appellare solet: In quibus incolas Ararat, atque etiam Armeniæ Majoris, nemo dubitaverit habendos. Ad hæc, incommodissimum jure videatur in describendo itinere aliquo terminos ejusdem non inter se conferre (quod maximè consentaneum foret rationi) sed ad remotissimum tertium quendam locum, qui nulla sit illius itineris pars, referre. Itaque meminerimus primùm, quod testatur Strabo lib. 11. *Omnia in orbem Armeniæ circumposita montosa ferè esse & aspera*. Ex montibus ergò Araratæis vel Carduenis facilior erat priscis illis mortalibus descensus in partes Mediæ proximas. Hinc cùm palantes paulatim progressi fuissent ad Mediæ Assyriæque confinia, in unum veluti agmen postmodum collecti, ordinatæ & compositæ profectionis initio indè facto, per Assyriæ camporum latissimè patentium æquora, ad Tigridis ripam universos pariter pertendisse probabile est. Hoc nempe pacto iter illud majore sui parte, eâque præcipuâ, מקדם *ab Oriente* verissimè factum judicetur. Sed obstabat, inquies, periculosus trajectus Tigridis, fluvii ibidem amplissimi, profundi, rapidi. Item de Nimrodo dicitur Gen. 10. 11. יצא, *processit in Assyriam*, tanquam videlicet in locum ignotum, non שב, *recessit*, aut *reversus est*, tanquam ad notum antéque visum. Respondeo, יצא passim ad loca quælibet, nota juxtà atque ignota, accommodari; hîc autem peculiari quadam significatione pro *expeditione bellica* potissimùm adhiberi, ut & 2 Sam. 11. 1. quæ in potentem illum venatorem ac tyrannum aptissimè quadrat. Deinde trajectum Tigridis nusquam diffi-

difficilem esse potuisse iis qui fabricandi navigii satis erant periti, & *materiâ idoneâ instructi*. Sed enim fatendum atque etiam profitendum est, regionem totam quæ Tigridis ripæ prætenditur materiæ navalis prorsus inopem semper fuisse. Ad quam rem demonstrandam in promptu est amplissimum Dionis testimonium, de Trajano copias flumen illud traducturo narrantis, Ἐπειδὴ ἡ χώρα ἡ πρὸς τῷ Τίγριδι ἄφορος ναυπηγησίμων ξύλων ἐστὶ, τὰ πλοῖα, ἃ ἐν ταῖς ὕλαις ταύταις ἐκεῖ τῷ Νίσιδιν ἐναπῳκοδόμησαν, ὅτι ἡ πολεμία ἤγαγεν ἐφ' ἁμάξαις· ὕτω γάρ πως καλοῦσιν, ὅσα διαλυθέντα ἐς συμπήγνυσι. ἔζευξεν αὐτὰ κατὰ τὸ Καρδύηον ὄρος ἐκπορώτατα· οἱ γὰρ βάρβαροι ἀνειλημμένοι ἐκώλυον, *Quoniam*, inquit, *tractus Tigridi finitimus minimè ferax erat materiæ navibus conficiendis aptæ, navigia quæ in silvis circa Nisibin fabricata fuerant, plaustris imposita, ad fluvium devexit. Ità namq; erant comparata ut facilè dissolvi ac denuo compingi possent. Conjunxit igitur ea* (ad usum scilicet pontis quo flumen transiretur) *è regione montis Cardyni maximo cum labore: quoniam barbari obsistentes prohibebant*. Hæc verba eò libentiùs annotavi ut Tigritanæ regionis infra montem Cardynum (h.e. Carduæam, vel Carduenam montesam, de qua suprà disseruimus) ubique ἄξυλα Lector uno & eodem aspectu cerneret, cùm incommodum naturale, tum etiam adjumentum ab arte excogitatum, unum quidem illud in præsentia, sed egregium inprimis & trajectionis necessitati utilissimum: ut de aliis plura non addam industriæ humanæ multò magis parabilibus, præsertim de ratibus contexendis, item de *vitilibus* quondam *Britannorum* nostrorum & *Lusitanorum navigiis corio circumsutis*, Plin. Nat. hist. l. 4. c. 16. Strab. Geogr. l. 3. déq; *papyraceis, junceis & arundineis Ægyptiorum*, Plin. l. 6. c. 22. & lib. 7. c. 56. denique de vulgari Tartarorum *uxores liberósque fluvios latos & profundos trajicientium solertia absque ullo navigiorum auxilio*, Matthias à Michou de Sarmat. l. 1. c. 7. Quare ut permagna semper fuerit in tractu Tigritano materiæ penuria, pluribus tamen aliis subfidiis priscos illos homines usos fuisse, aut certè uti potuisse, consentaneum est. Veruntamen ficui placet altera sententia, licèt multò minùs probabilis propter longissimum itineris molestissimi circuitum, nimirum antiquissimos illos viros, transmisso prope fontes Tigri, per Armeniam & Mesopotamiam sub ipsis Tauri montis radicibus in Campum Sinaar perveniisse, tum מקדם non *ab Oriente* sed *Orientem versùs* necessariò interpretabitur. Neque id absonum videri debet. Ità quippe usurpatur Gen. 13. 11. Nam cùm Lotus discederet ab Abramo è terra Canaan, & proficisceretur מקדם, h.e. Sedomum ad ripam Jordanis, patet ibi מקדם reddi non posse *ab Oriente*. Nullo namque modo indè profectus est Lotus, sed ab Occidente omnino. Quis enim nescit Cananæam à Jordane ad Occasum vergere? Rectè igitur doctissimi viri, Tremellius & Junius, emendatâ ibi Veteri Editione Latinâ, transtulerunt מקדם *Orientem versùs*. Præpositio enim מן sæpe idem significat quod *versùs* vel *ad* apud Latinos, & situm tantummodo absque motu designat. Quandoque autem etiam cum motu easdem Præpositiones valere reperitur. Cujus rei locus ille Geneseos modò allatus luculentum est exemplum. Eíque par legitur (meo quidem judicio) 2 Sam. 6. 2. *Surrexit, abiitque David, & totus populus qui erat cum ipso*, (מבעלי יהודה) *Baalima Jehudæ*, i. *ad Baalima*, vel *Baalima versùs*. Nam inclusa subintelligitur in accusativo illo Præpositionis utriusque significatio. Atque id confirmatur partim manifestâ loci ipsius sententiâ; oppidum enim Baalimorum (quod alio nomine *Baala* vocatur & *Kiriat-Jearima*) erat terminus, ut dicitur, ad quem contendebat David, ut indè Arcam reduceret Hierosolymam: partim liquidâ loci simillimi ac maximè gemini explicatione. Etenim 1 Chron. 13. 6. ubi historia prorsus eadem denuo memoratur, pro מבעלים scribitur בעלתה, adjectâ in fine literâ ה, notâ motûs ad locum, quæ vice præpositionis מן fungatur, ejúsq; vim exprimat. Hoc ipso modo interpretati sunt Lxx, Gen. 13. 3. ἀπορεύθη ὅθεν ἦλθεν, ἕως τῷ ἐρήμου, ἕως Βαιθήλ. i. *Profectus est illuc unde venerat, nempe in desertum, Bethelem usque*. Ubi מנגב planissimè exponitur ἐς τῷ ἔρημον, *in, vel ad, desertum*. Rarus est hic usus particulæ istius in Hebræa quidem lingua, in Arabica verò frequens, præsertim verbis *appropinquandi* sive *accedendi* conjunctæ. Cui neutra harum sententiarum arriserit, commodè ità vertat מקדם; quemadmodum Aquila idem reddidit Gen. 2. 8. nempe ἀπ' ἀρχῆς, & Hieronymus, eum imitatus, *à principio*: Quibus astipulatur Chaldæus interpres reddens בקדמיתא, i. *initio*: ut eodem sensu usurpetur quo Syrorum מן קדים, i. *olim* vel *ab initio*: (Ità namq; Syrus Paraphrastes transtulit ἀπ' ἀρχῆς 1 Joh. 2. 24.) Etenim sic quoque explicatu facilis erit res tota in hanc sententiam, *Evenit ut cùm olim* (vel *initio*) *proficiscerentur homines, invenirent convallem in regione Sinaar, & habitarent ibi*, Gen. 11. 2. Atque hâc ratione ex historia præcedenti subintelligendus erit locus ex quo profecti sunt; quod leviculum est. Et indicabitur antiquissimam maximéq; memorandam fuisse profectionem istam, ut quæ ab universo genere humano pariter confecta fuerit, sdque semel duntaxat, *initio*. Nam in campum Babylonicum cùm perveniissent, variè disjectis indè familiis, suas quæque vias inierunt ac persecutæ sunt, non conjunctim deinceps unquam in posterum, sed separatim semper, discerpto veluti corpore societatis humanæ.

CAP. 5. *Syracidæ duo loci declarati, viz. Cap. 7. 13. & 6. 23.*

LIbrum Syracidæ, qui *Ecclesiasticus* vulgò perhibetur, quàm plurimis γνώμαις seu sententiis acutis, elegantibus, sapientibus ac admodum piis sanctísque refertum scimus: Quarum nonnullas ità versas ab interpretibus observes ut earum aut venustatem aut etiam sensum parùm assecuti videantur. Exemplum hîc unum aut alterum proponere libet. Cap. 7. 13. ait, Μὴ ἀγάπα ψεῦδος ἐπ' ἀδελφῷ σου. Novus interpres sic transfert, *Ne exares mendacium in fratrem tuum*. Vetus autem sic, *Noli amare mendacium adversùs fratrem tuum*. Neuter apposité. Quamvis enim *exarare* Latinis sit *stylo scribere*, nusquam tamen apud Græcos ἀγραφεῖν hâc significatione reperitur. Præterea dilutum planè est ut à prudentissimo viro scriptum tantummodo mendacium in fratrem prohibitum intelligatur. Quin potiùs posterior ejusdem versiculi pars indicat, clandestinas & dolosas quaslibet artes & consilia in priore vetari. Hæc quippe sequuntur, Μηδὲ φίλῳ τὸ ὅμοιον ποίει, i. *Neque quod simile est amico facitites*, q.d. Nec interea, dum falsitatem fraudémq; moliris, externâ specie te amicum fumules, quò facilíùs eum occultis illis technis atq; fallaciis tuis incautum opprimas. Vulgata autem editio longè diversum reponit verbum quàm habet Græcus contextus, quod potiùs aberrare est quàm interpretari. Nisi malimus (id quod omnino crediderim) scriptum fuisse primùm *arare*, mox à sciolo aliquo, unius literulæ mutatione, factum indè *amare*, propterea quòd *arare mendacium* facilè videbat à Latinis auribus prorsus abhorrere. At, inquies, non minùs & ἀγρεύειν ψεῦδος à Græcis; ità tamen scripsit Syracides. Non diffiteor utrumque; modò illud simul meminisse velis, eum Hebræum scripsisse potissimùm Hebræis: ideóq; ipsum cupidè allusisse ad venustissima linguæ suæ vocabula; nec tamen interea quicquam αἰνιγματίζειν suis contribulibus, ejusdem linguæ non ignaris. Dicam verbo. Μὴ ἀγάπα ψεῦδος purus putus est Hebraismus, idémq; quod אל תחרוש שקר. Sic enim loqui solent Hebræi per Metaphoram pulcerrimam. Prov. 3. 29. eruditè reddunt Lxx verbo τεκταίνειν, Latini itidem *moliendi, machinandi & fabricandi* verbis. Nisi quòd paulò reconditius est Hebræum חרש, quod propriè denotat *arare*. Sed quia altiùs impactum vomerem sub terra occultum ferri animadvertimus, significat insuper *clàm & ex insidiis struere*. Deinde quoniam fabri instrumentis suis sulcare quodammodo videntur ligna & lapides, significat tertio loco *fabricari*. Quare conjunctâ, si libet, utráque significatione, perinde valet ibi ἀγρεύειν, h.e. חרש, atq; *occultè & callidè moliri*. Id quod ad unguem scitè imprimis exprimit Homericũ illud βυσσοδομεύειν. Porrò quamvis suprà meritò negarim ἀγρεύειν *exarandi* vel *scribendi* significatione à Græcis usurpari, id tamen de alio quodam consimilis notionis verbo concedi oportet. Etenim χαράσσειν tum *sulcare* denotat tũ *literas stylo calamóve ducere*.

Nam & Scriptores, aratorum instar, suos quasi sulcos inter scribendum imprimere videntur. χαράσσω autem ortu prorsus Hebræum est à חרש (de quo proximè locutus sum) deductum. Priore igitur propriâque significatione bellè refert natales suos (utrumque nempe, חרש & χαράσσειν, est *terram incidere*, vel *excavare*, aut *sulcare*) neque minùs venustè Metaphoricâ. Nam ipsum quoque חרש nonnunquam valet χαράσσειν, ἐγχαράσσειν, ἐγκολάπτειν, h. e. *notas literasve imprimere, incidere, inscribere*, & (ut optimè transtulit Vetus interpres Jer. 17. 1.) *exarare*. Idque ampliùs indicio est Syracidem *exarandi* significationem hoc loco neutiquam adhibere voluisse. Alioquin in promptu erat accommodatissimum & tritissimum verbum χαράσσειν. Quod quando veluti deditâ operâ repudiavit & diversum ascivit, diversum item intellectum sibi illic placuisse ostendit.

Exemplum alterum de proximo sumere licet. Cap. 6. 23. ità scribit Syracides, Σοφία γὰρ κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστι, καὶ οὐ πολλοῖς ἐστι φανερά. Hæc alii (quos editionem quandam nostratem secutam video) sic transferunt, *Ejus enim sapientia nomine est, neque multis est perspicua*. At quo tandem jure ità transferant? cùm in exemplaribus Græcis nusquam compareat αὐτοῖς *eis* sed ubique αὐτῆς *ipsius*, ut referatur non ad *indoctos* seu *rudes* illos de quibus antè, sed ad *Sapientiam*, cujus jam meminit. Junius, ut & Vetus interpres, verbum verbo reddidit, *Nam sapientiæ secundùm nomen suum est*. Verùm quid hoc sibi vult? *Sapientum est solùm*, inquit. At quis hîc sensum alienum non observet exprimi? Nec enim hoc sonant verba, sed istud potiùs, *Sapientia similis est nomini suo*, vel, *perinde est sapientia atque nomen ipsius*, **Such is wisdome as the name of it importeth**. Huc spectant verba Abigailis de Nabale 1 Sam. 25. 25. κατὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἄτως ἐστὶ, i. *Prout est nomen ejus, ità est ipse*. Unde Lxx interpretes καθ' αὐτὸν & ὅμοιον αὐτῷ, Gen. 2. 18, 20. pro eodem indifferenter usurpant. Quid multa? aperta res est. Itaque haud omnino ineptè Lyranus, *Sapientia secundùm nomen est ejus*, i. *Habet*, inquit, *nomen à re*. Pergit; *Dicitur enim* sapientia *à* sapore, *quamvis stultis insipida videatur*. Quantò satius fuisset à lingua Syracidæ aliquatenus notâ quàm ab ignota penitus etymum petiisse? Non enim quæritur unde vox *Sapientia* deducatur, sed σοφία: nec *insipida* asseritur esse, sed *non manifesta*. Præstat ergò ad avitam Syracidæ linguam, Hebræam nempe, recurrere. Quam ille cùm aliarum omnium matrem agnosceret, & unicum veræ Sapientiæ thesaurum, ibi scrutandos innuit verbis illis vocabuli σοφίας natales. Accommodatissimum autem ad hanc rem videtur verbum צפה, quod Lxx vertunt καλύπτειν, Hieronymus *operire*. R. Nathani peritissimo viro, פירושו כסוי, i. *significatio ejus tegumentum est*. Huc igitur dubio procul spectavit Syracides, ut Σοφία dicta sit q. צפוּרה in Paul, vel potiùs צופיה *Souphia* (formæ רומיה) eò quòd tectum quiddam sit & opertum menti humanæ. Hinc ait *ipsam respondere nomini suo*, h. e. nominis etymologiæ. Nam quemadmodum nomen primâ suâ apud Hebræos origine *occultum tectúmve* denotat, ità reapse occulta tectáve est Sapientia, proinde *non manifesta vulgó*. Rectè ergò Democritus *Veritatem*, quæ sapientiæ est subjecta materies, *in profundo demersam esse* ait, *penitúsque abstrusam*. Præclarè item in eandem sententiam disserit Jobus, 28. 20, 21. *Unde Sapientia venit? & quis est locus intelligentiæ? abscondita est ab oculis omnium viventium*. Ubi cùm dicit *absconditam esse Sapientiam* sive *Intelligentiam*, verbum עלם adhibet, quod propriè valet κρύπτειν *celare* vel *occultare*. Ex quo fluxit vernaculum apud Arabes *Intelligentiæ Scientiæque* nomen. Quare utriusque nominis, tum Arabici, tum Græci, consimilis est ac consentiens derivatio ex uno & eodem linguæ Hebraicæ fonte. Verè igitur Socrates apud Platonem in Cratylo σοφίας etymum σκοτωδέστερον esse ait καὶ ξενικώτερον. Facilè nempe suspicatus est homo Græcus rectam & germanam ejusdem notationem non à lingua vernacula & passim notâ, sed aliunde, à recondita sive occulta aliqua sibíque incognita & peregrina, esse arcessendam.

CAP. 6. *Explicatio nominis* רקיע, *quod* στερέωμα *Lxx vertendum putarunt.*

VOcabulum Hebræum רקיע passim à Lxx Interpretibus redditur στερέωμα, Latinè *Firmamentum* vulgò exponitur. Quod quo consilio fecerint Lxx illi cùm sæpius ac attentiùs mecum ipse cogitassem, varias afferri posse rationes videbam. Nam Cœlum seu רקיע, quandoquidem tentorio sæpissime in S. literis assimilatur, πήγνυσθαι dicitur quatenus expanditur Esa. 47. 5. Sic enim expandi solent tentoria cùm alligatis ad paxillos in terram depactos funibus distenduntur, atque hoc etiam pacto firmantur. Itaque הרקיע immensum quoddam (ut ità dicam) πῆγμα, ideóque & στερέωμα, non ineptè appelletur. Viderunt etiam nonnullis in locis Scripturæ S. Cœlorum firmitatem ac robur prædicari, Psal. 35. 10, &c. ipsósque חזקים ἰσχυροὺς vel στερεοὺς (nam ità quoque vox illa redditur à Lxx) *firmos* seu *solidos* appellari, Job. 37. 18. adeóque ad terram ipsam (quam omnes firmam solidámque esse sentiunt) vocem רקע plerumque accommodari: Quocirca eò magis uti placuit στερεώματι seu *firmamenti* vocabulo. Deinde si רקיע πίτασμα aut ἐκπέτασμα aut quid aliud tale transtulissent, fortassis id genus nomen nimis exile fuissent arbitrati, & facilem lapsûs occasionem præbiturum; ac si videlicet universa cœlestium compages longitudinem ac latitudinem quidem admirandam, profunditatem verò aut perexiguam aut omnino nullam haberet. Quam opinionem pravam & apertissimè falsam cùm vulgò metuendam cernerent, eámque, si cui inesset, radicitus evulsam cuperent, στερεὸν vel στερέωμα usurpare maluerunt. Hoc quippe vocabulo non solùm μῆκος καὶ πλάτος *longitudinem & latitudinem*, sed βάθος *profunditatem* inprimis necessariò inclusam norunt omnes. Cujus ratione si reliquorum corporum contentio fiat, vel amplissimam, quæ ullibi reperitur, profunditatis dimensionem maximè stupenda altitudo cœlestis στερεώματος innumeris partibus superabit: meritò ut Cœlum tantummodo per excellentiam *profundum* nuncupetur à præstantissimo Poeta Eclogâ 4. Et divinus ille omnium Poetarum coryphæus, ubi maximam simpliciter altitudinem seu profunditatem quæ à nobis in hoc mundo cogitari potest exprimere vult, solam *cœli à terra*, item *Orientis ab Occidente*, extremam distantiam adhibet, ut illam ipsis quasi oculis efficaciter subjiciat & repræsentet, Psal. 103. 11, 12.

Veruntamen mihi quidem nihil aptius, nec quod à vero propiùs abfit, occurrit, quàm ut dicam peritissimos ac celeberrimos illos viros (quorum interpretationem στερέωμα germanissimam esse constat) ad Syriacæ linguæ (quæ Hebraæ idioma est) usum respexisse. Syris enim רקע perspicuè denotat πιέζειν, i. *premere*, seu *comprimere*, *constipare*, *compingere*. Ut Luc. 6. 38. μέτρον πεπιεσμένον *mensura pressa & conferta* Syriacè כילתא רקיעתא transfertur. Hinc panniculus qui vestimento trito inditur ad scissuram explendam à Syris אורקעתא vocatur Matth. 9. 16. quòd eodem quasi inferciatur seu inculcetur. Quinimo vix hilum, opinor, à vero aberrabit qui τῷ πιέζειν seu *premendi* significationem verbi רקע & Hebræam esse statuet & primariam, utpote ex qua altera illa *extendendi* seu *dilatandi* per consequens postmodum fluxerit. Etenim quæ extenduntur sive dilatantur, urgente prementis vi extendi plerumque videmus sive dilatari: quemadmodum cernitur ἐν τοῖς ἐλατοῖς, cujus generis sunt ductiles laminæ æris, argenti, auri, quas Hebræi ריקועים appellant, quòd crebro mallei prementis ictu extendi soleant. Atque huc rectè applicabitur illud Ezechielis 6. 11. & 25. 6. רקע ברגל, quod verè propriéque declarare videtur *premere* terram *pede*. Nec adversatur Kimchius, qui *percutere* exponit. Est enim pressio quasi continuata percussio. Hanc ergò ipsam tam Hebræam quàm Syriacam thematis hujus significationem eruditè observavit interpres ille Græcus quem citat Chrysostomus Psalmum 136. edisserens. Aquilam esse conjicio. Is Hebræum רוקע ibidem (quod Lxx more

suo

ſuo στερεώσας reddiderunt) πιλήσας vertendum exiſtimavit. Πιλῆν verò etſi vix quicquam differre videtur à πιέζειν, eâque re Autor Lexici veteris Græcolatini πίλησιν *Preſſionem*, h. e. πίεσιν, interpretatus, utrumque æquipollens, alterum alteri judicavit, tamen hic neſcio quomodo magis ad illud quàm iſtud inclinat animus; ſiquidem πιλῆν rei de qua jam agitur naturæ declarandæ paulò convenientius forſan habeatur: nec injuriâ ſané. πίλησις namque non temeraria quævis & evanida compreſſio eſt, ſed accurata & ſtabilis. Unde Ariſtoteles Meteorolog. l. 4. c. 9. πιλητὰ definivit eſſe ὅσα ἧ πιεσῶν μόνιμον ἔχει τὴν πίεσιν, *illa duntaxat preſſilia quæ firmam & conſtantem obtinent compreſſionem*: qualia potiſſimùm ſunt quæ certâ quadam ratione coagmentata & compacta intelliguntur. Inſuper & id negligendum non eſt, *pilam* ex ſententia Grammaticorum à πιλέω derivari, indéque nomen ſortiri quòd Sphærica figura ejuſmodi ſit cujus omnes undique partes introrſum vergentes ad ipſum uſque centrum quaſi cuneatim ſeſe conſtipant. Quamobrem הרקיע propriè transferetur τὸ πεπιεσμένον, maximè verò propriè τὸ πεπιλημένον, vel τὸ πίλημα, nempe quod preſſum eſt undique & in ſeſe collectum vel confertum aut compactum, atque idcirco firmum ac ſolidum. Hujuſmodi quippe & haberi & eſſe ſolet compactum quodque, ſecundùm pervulgatum illud & notiſſimum pronunciatum, *Vis unita fortior*.

Duos nunc Globos contemplemur; unum inferum, hunc terreſtrem, cui inſiſtimus, ex Terra Aquiſque paſſim interfuſis compoſitum; alterum ſuperum, cœleſtem illum verticibus noſtris imminentem; qui quoniam citimâ ſui parte concavus eſt, & ubique motu cietur circulari, venuſtè גלגל, h. e. *Rota*, alicubi in Scripturis Sanctis perhibetur, Pſal. 77. 19. Terreſtrem hunc craſſum omnino & fæculentum eſſe cernimus, ut qui centro proximè incumbens totius Univerſi quaſi fundum exiſtat, & reſidentes inibi quaſi fæces recipiat. Hinc ergò jure רקע dicitur Deus, cùm παχυμερῆ ſeu *craſſa* iſtiuſmodi omnia, πεπιεσμένα καὶ πεπιλημένα, *compreſſa, coacta & conſtipata*, conglobaret. Idque ipſum verè eſt etiam στερεῖν, h. e. *firmare*; quatenus univerſitas iſta ἧ παχυμερῶν, nempe eorum quæ recrementorum inſtar aut prorſus craſſa ſunt, ut Terra, aut ſaltem craſſiuſcula, ut Aqua, in unum coagmentata, tum ſatis magnas habet vires ad ſeſe deinceps tuendum ac conſervandum, tum ab aliis omnibus diverſæ naturæ diſſociata propriam eámque ſtabilem ſedem decreto Dei atque potentiâ in perpetuum obtinuit. Quare meritò etiam ipſa Terra רקיע quoddam haberi debet, h. e. ut Græci dicunt, πίλημα vel στερέωμα, *conglobatum* quiddam vel *ſolidatum*, aut *firmatum* & *ſtabilitum*. Veruntamen *Rakia* appellationem ſuperus ille globus & cœleſtis præcipuâ quadam ratione ubique in literis Sacris ſibi vendicat. Eſt enim magnitudinis planè admirandæ ac propè immenſæ; adeò ut cum eo collatus inferus hic & terreſtris, omni magnitudine amiſsâ in punctum redactus, velut evaneſcat. Is, is, inquam, eſt vaſtiſſimus theſaurus puræ totius, ſubtilis tenuiſque naturæ corporeæ, quo congeſta eſt à Creatore Opt. Max. ibíque ſeorſum recondita. Nam liquida iſta ſubtiliáque à craſſis & fæculentis reliquis ſeparata, quamvìs fluida ſint ſuopte ingenio, רקע Deus principio rerum conditarum, h. e. compreſſa, coacta & conſtipata per ſe in locum ſuum conglobavit & quaſi coagulavit, (ſicut Jovius Monachus apud Photium Biblioth. p. 306. στερέωσιν exponit ἡ πρώτη πῆξις καὶ γένεσις· & Arabicus Interpres στερέωμα גלד, tanquam *congelatum quiddam in cryſtalli modum*, transferre ſolet Pſal. 150. 1.) Ideóque item ἐστερέωσε *firmavit*, propter rationem ſuperiùs allatam. Igitur cœleſte רקיע eſt univerſitas ἧ λεπτομερῶν, videlicet *eorum quæ ſunt tenuis ſubtiliſque naturæ*, in regionem ſuperam conglobata & firmata; quæque κατ' ἐξοχὴν incomparabilis magnitudinis ſola רקיע vocari ſolet. Forſan & alia quoq; cauſa adduci queat cur cœlum potiſſimùm רקיע, h. e. *compactum* & *ſolidum*, appelletur; nimirum quòd nihil habeat uſpiam inanitatis, ſed omnia ſui generis naturæ ubique plena, ut compreſſa, partibus quàm proximè coeuntibus, extrudere ſolent aliena univerſa. Ità namque clariſſimus & acutiſſimus Philoſophus Julius Scaliger in ſuis adverſùs Cardanum Exercitationibus deducto ab ὅλον vocabulo, id *ſolidum* verè & ὑτύμως vocandum cenſuit *quod totum eſt ſui plenum, non alieni*, Exercit. 76.

Nec obſtat infima firmamenti regio, pluviâ, grandine, nive, nubibus, nebulis ac id genus aliis craſſiuſculis alienæque naturæ tam exhalationibus quàm vaporibus nunquam non referta. Neceſſitate quadam id factum eſt. Nam cùm ſit in confinio utriuſque globi poſita, utriuſque item naturæ participem quadamtenus eam eſſe oportuit. Deinde eximio & inenarrabili rerum omnium ſubjectarum, præcipuè ſtirpium atque animalium, commodo illud evenit. Poſtremò turbida iſta congeries craſſiorum corporum, per citimum hoc Firmamenti ſpatium diſperſa & diffuſa non magìs impedit quò minùs illud *Rakia* habeatur, quàm montium altitudo permultùm ſupra convexam Terræ ſuperficiem exſtantium prohibet nè Terrarum Orbis verè Orbis dicatur. Imò norunt periti longè majorem eſſe rationem puræ illius liquidæque expanſi partis (quam טוהר השמים *puritatem cæli* & זוהר הרקיע *nitorem firmamenti* vocant Scripturæ ſanctæ Exod. 24. 10. Dan. 12. 3.) ad hanc veluti ſordidam haliti úſque inquinatam atque obſcuratam (quæ nobis proxima eſt) quàm ſit terreni Orbis ſemidiametri ad montium ſublimitatem.

CAP. 7. *Cur Lxx interpretati ſint* רשע impium, צבא κόσμον, וכה νικᾶν, *denique* דבר θάνατον, *h. e.* peſtem.

FAcilè animadvertat diligens Lector, receptum eſſe Lxx Interpretibus morem Hebræa multa vocabula vertendi ex vernacula potiùs Syriaci idiomatis conſuetudine quàm Hebræi; licèt utrobique Radix, ut vocant, ſeu verbum principale unum idémque maneat. Hinc רשע, quod Hebraicè, Hebræis teſtibus, ſignificat *irrequietum* & *turbulentum*, vel (ut aliis placet) *damnandum* ſeu *improbum*, ubique ferè ἀσεβῆ *impium* reddunt: quemadmodum vox eadem à Syris ſemper uſurpari ſolet. Ideóque & vocis ipſius Hebrææ illam propriam eſſe ſignificationem exiſtimavit Hieronymus Comment. lib. 6. in Eſa. 14. *Iniquitas*, inquit, *ſive, ut mel ùs habetur in Hebræo, Impietas, ſuper talentum plumbi ſedere conſpicitur*. Nam cùm apud Zachariam 5. 8. in exemplaribus Græcis ἡ ἀνομία i. *iniquitas*, legeretur, hiſce verbis oſtendit verſionem alteram ſibi magis probari; nimirum ut vox הרשעה potiùs ἡ ἀσέβεια, i. *impietas*, ab ipſis Lxx, pro aſſidua ſua aliàs conſuetudine, fuiſſet reddenda.

Rurſus Gen. 2. 1. ubi in Hebræo habentur hæc verba, *Perfecti ſunt cœli & terra & omnis exercitus illorum*, צבאם, Lxx illic (quod & alibi itidem fecerunt) repoſuerunt ὁ κόσμος αὐτῶν *Ornatus eorum*, Syrorum more. Nam κοσμεῖν Syriacè צבת dicitur. Niſi malis (quod ſanè admodum veriſimile videtur) eos ab Hebræo צבה deduxiſſe: unde צבי, quod הדר, i. *decus*, ab Hebræis exponitur, quomodo item κόσμος à Suida ἐυπρέπεια declaratur. Literæ autem ה & א ſæpenumero invicem permutantur.

Adjiciam & aliud exemplum valdè perſpicuum. Thema וכה Hebræum Græcè ſonat καθαρὸν ἢ λαμπρύνεις, *purum nitidúmve eſſe aut fieri*. Eóque utitur Propheta Pſal. 51. 4. *Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & purus ſis* (תזכה) *quando tu judicas*. Lxx verò paulò aliter verterunt, videlicet καὶ νικήσεις, *& vincas*, pro *& purus ſis*. Quam verſionem Apoſtolus quoque ipſe autoritate ſuâ comprobavit Rom. 3. 4. Res igitur eadem eſt, idem utrobique ſenſus. Verborum autem diſcrepantiam effecit frequens, quem dixi, mos illorum Interpretum Hebræa vocabula transferendi prout eorundem apud Syros (quorum lingua Hebrææ Dialectus quàm proxima eſſe cognoſcitur) nota & uſitata erat ſignificatio: Ut hìc Hebræum וכה ſecundùm ejuſdem apud Syros ſignificationem νικᾶν interpretati ſunt, Luc. 11. 22. Joh. 16. 33, &c. Videtúrque hæc Syriaca ex illa Hebræa profluxiſſe per Metonymiam effecti & Synec-

dochen

dochen ſpecici. Is enim qui in foro cauſam dicens purus eſt à crimine aut culpa, cauſam obtinere ſolet, ac proinde adverſarium vincere.

Interdum, cùm diverſæ ſunt radices, Hebræa & Syra, verſionem ſuam quaſi de induſtria ad vocabuli Syriaci notionem inflexerunt, etiam quando aliud Græcum magìs proprium quàm illud quo uſi ſunt ſuppetebat. Ex. gr. דבר *peſtem* Hebræis deſignat: at Lxx Exod. 9. 3. 2 Sam. 24. 13. & alibi, voce θάναλος illud exprimunt (quamvis adeſſet uſitatiſſima & peculiaris altera, nempe λοιμὸς) prorſus ex vulgari uſu linguæ Syriacæ, quæ *peſtem* מותנא vocat, i. θάνατον vel *mortem*, ad verbum *mortalitatem*. Quemadmodum & nos Anglicè eundem morbum the Sickneſſe, vel the Plague, καθ' ἐξοχὴν appellamus. Hujus ſignificatûs veſtigia cernere etiam licet in N. T. Nam eodem modo hoc ipſum nomen θάνατος ab auctore Apocalypſeos uſurpatum legamus, c. 6. 8. Quod qui negare auſit, nec convenire conceſſerit cum quatuor illis judiciis peſſimis à propheta commemoratis Ezech. 14. 21. mihi quidem meridie ipſo cæcutire videtur.

CAP. 8. *Quid ſit* חסד, *Item* κεχαριτωμένος, *&* χάρις, *atque* חסי *Syriacum, &* ἀγαθωσύνη *apud Paulum, denique* χάσις *apud Heſychium.*

VEtus eſt dictum Rabbinorum, חסד eſſe *beneficentiam* ejuſmodi quæ ſit לפנים משורת הדין, h. e. interprete Fagio, Viro doctiſſimo, *nondum decreta in judicio ut fiat*, Pirke Aboth, c. 6. in Schol. Senſus eſt, Cùm ſponte benefit, nec exſpectatâ Judicis ſententiâ quâ præcipiatur. Perinde igitur accepit verba illa ac ſi ſcriptum fuiſſet לפני משורת הדין, h. e. *ante menſuram judicii*, videlicet ante latam Judicis ſententiam. Cùm incorrupta & germana ſcribendi legendíque ratio hæc ſit, לפנים משירת הדין, i. *Ultra lineam ipſius judicii*, aut *juris*. Quorum verborum hic eſt facilis & perſpicuus ſenſus, חסד eſſe *benignitatem* ſeu *beneficentiam eam ad quam præſtandam quis nullâ juris neceſſitate aſtringitur*, h. e. planè immeritam miniméque debitam ac prorſus gratuitam benignitatem. Hanc Lxx ἔλεος *miſericordiam* transferre ſolent, reſpectu materiæ principalis circa quam maximè verſatur benignitas. Ea verò eſt miſeria inopis ſublevanda, quâ tangitur cor miſerantis. A Symmacho Pſal. 40. 11. redditur χάρις, i. *gratia*, ἀπὸ τοῦ χαίρειν deducto vocabulo, quòd animo læto ſeu prompto atque alacri, ſolius benevolentiæ cauſâ, virtute hâc præditus benefaciat, nullo merito debitóve, quo devinctus teneatur, veluti cogente. Unde illud Apoſtoli, Ὁ ἐλεῶν, ἐν ἱλαρότητι, *Qui miſeretur, cum hilaritate*. Ut opus illius qui miſeretur, quiſquis eſt fidelium, atque adeò mortalium (non enim convenit ampliſſimæ virtuti reſtricta quorundam de ſolis ſuis Diaconis Eleemoſynariis expoſitio) verè ſit ἔλεος ſive χάρις, dum χαίρων, h. e. *hilarè & alacriter*, munere ſuo fungitur. Ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός, *Nam hilarem datorem diligit Deus*. Nomen autem Latinum *gratia* à Græci nominis genitivo per Metathefin eſt ortum. Nam γ vel *g* & χ ejuſdem omnino ordinis ſunt literæ. Arabicum utrique convenit: quippe אלנעמה, ſi ipſum quoque ex natalibus ſuis (ut æquum eſt) penſetur, *amœnitatem* planè ſonat: Quoniam videlicet ſuaviſſimus guſtatur virtutis iſtius amabiliſſimæ fructus, nova ſubinde & inopinata beneficia benigniſſimè accumulantis. Porrò vox χάρις, quandoquidem aptiſſimè congruit *benignitati Divinæ*, quæ ſe glorioſiſſimè exſeruit in nobis per Chriſtum ſervandis, cupidè uſurpatur ab Apoſtolo. Atque eo potiſſimùm conſilio uſurpavit ut meritum omne debitúmque penitus excludat, adhibito vocabulo quod utrique ex diametro adverſatur: id quod clariſſimis verbis demonſtravit Rom. 11. 6. ubi pauciſſimis res tota Divinitus explicatur per Antitheſin contrariorum quæ immediata vocantur: itidémque Rom. 4. 5. ubi *non operans ſed ſolummodo credens juſtificatus* aſſeritur. Ità namque habet tranſlatio Syra, poſtulante ſententiâ, אלא הימן בלחוד, *ſed credit ſolummodo*. Ut Sola fides, quæ gratiâ omni modo gratuitâ nititur, antiquiſſimi interpretis teſtimonio dilucidè confirmetur, imò Eccleſiæ Syriacæ, cunctarum Orientalium celeberrimæ, cum primis Apoſtolicæ & glorioſiſſimi nominis Chriſtiani parentis beatiſſimæ, non ſolùm ſummâ conſenſione ſed publicâ etiam & ſolenni comprobatione ſtabiliatur: quæ Interpretem illum ſuum vendicat, & ab omni vetuſtate ad hodiernum uſque diem in ſacris cœtibus legendum proponit. Quod autem ſcribit Johannes 1. 17. *Legem quidem per Moſen datam, gratiam verò & veritatem per Jeſum Chriſtum exſtitiſſe*, nihil aliud ibi ſunt ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια quàm nobiliſſima illa duo חסד ואמת, quæ perſæpe in T. V. conjunctiſſima occurrunt: Quorum prius denotat *gratuitum Dei favorem*, quo fit ut ultra adeóque præter rigidam & immotam univerſæ legalis (ut ità dicam) ſeveritatis lineam, æterna bona, remiſſionem nempe peccatorum, renovationem & vitam cœleſtem promittat prorſus immerentibus imò contraria omnia merentibus: Poſteri indicat *immutabilē Dei conſtantiā ac veritatē*, quâ promiſſa bona iiſdē, quantumvis immerentib⁹, largiſſimè ultra omnem juris lineam perfectiſſiméque præſtat. Quamvis autem utraque, χάρις καὶ ἀλήθεια, *Gratia & Veritas*, in Lege crebrò commemorentur, non tamen illic exhibentur, ſed in Euangelio per Chriſtum duntaxat, *in quo omnes promiſſiones Dei ſunt Etiam & Amen ad ipſius Dei gloriam*, 2 Cor. 1. 20.

Cæterùm à χάρις, cujus Genitivus eſt χάριτος, derivatur verbum χαριτόω, i. *gratiâ iſtiuſmodi aliquem afficio* vel *dono*: Legitúrque in Epiſtola ad Epheſios 1. 6. ἐν ᾗ ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς. Hebraicè ſic reddas ex Pſal. 18. 25. אשר בו התחסר עמני, h. e. *per quam benignum ſe nobis præbuit*, vel *benignè nobiſcum egit*. Deinde à χαρίζω formatur participium aut potiùs participiale κεχαρισμένος, *gratiâ illâ donatus*: quod planè eſt Hebræum חסיד, paſſivè videlicet acceptum: (Quandoque enim idem ipſum nomen activè *beneficum*, *eúmque qui gratiam largitur*, ſignificare deprehenditur.) Atque eodem modo, nempe κεχαρισμένος, exprimitur חסיד à vetere Scholiaſte loco illo Pſalmi cujus paulò antè meminimus. Itaque κεχαρισμένη in Angelica Virginis ſalutatione Luc. 1. 28. verè & propriè eſt חסידה. Nam ירצה, vel etiam רצויה, à Græcis interpretibus δεκτὴ vel εὐπρόσδεκτος vel εὐδοκημένη aut εὐδοκητὴ diceretur. Syrus periphraſi adhibitâ vertit מלית טיבותא, i. *gratiæ plena*, ſive, *in quam Deus cœleſtem gratiam ſuam profudit*, ut idem alibi eandem vocem interpretatur, Epheſ. 1. 6. Syrum ſequitur hîc, ut & alibi, vulgata editio Latina. Quinetiam Apoſtolus Syriacam illâ loquendi formulam imitatus videtur Rom. 15. 14. ubi ait Romanos μεστοὺς εἶναι ἀγαθωσύνης, *plenos eſſe bonitate*, h. e. Dei gratiâ. Siquidem χάρις Syriacè טבותא dicitur, quod planiſſimè & ad verbum redditur ἀγαθωσύνη, i. *bonitas*. Nec diſcrepat Hebræum, חסד, quod Kimchius Comment. in Pſal. 36. 11. non minùs verè quàm venuſtè יתרון הטובה appellat, h. e. *excellentiam bonitatis*, ſeu *eximiam bonitatem*. Quare apud Hebræos, propriè loquendo, plùs aliquantò valet חסד quàm טובה. Igitur ubi hoc illius vicem implet, ut liquet ex Judic. 9. 16. & 8. 35. id per Synecdochen generis factum intelligitur, propter excellentiam modò dictam. Atque ità acceptum nomen טובה Pſal. 65. 11. rectè redditur χρηστότης, i. *benignitas*, quæ Syriacè בסימותא *ſuavitas* elegantiſſimè vocatur. Quarum appellationum, Græcarum dico, altera affectum ſignat præſtantiſſimæ virtutis illius, ut quæ humaniſſimo libentiſſimóque animo ad benefaciendum ſemper contendat; altera effectum ejuſdem, ut quæ quotidianis omnium uſibus ſit expoſita. Huc ſpectat vox peregrina χάσις apud Heſychium, quæ ab eo explicatur ἀγαθὸς, χρηστὸς, *bonus, benignus*. Ab Hebræo quippe חסיד orta videtur per Apocopen literæ ד, ut alibi diximus [ſuprà c. 3.] aut à Syriaco חסי: nam utrumque pro eodem ab interpretibus habetur; itaque tam חסיד quàm חסי ὅσιος ab illis tranſfertur. Attamen חסי, quatenus à radice Syriaca חסא derivatum cenſetur, propriè redditur *expiatus, purus, purificatus*. Et verba illa Pilati Matth. 27. 24. *Innocens ſum à ſanguine juſti hujus*. Syrus eodem themate uſus vertit אנא מחסי, h. e. ad verbum, *expiatus*, vel *purificatus ſum*: quod in rem præſentem optimè quadrabat. Nam luſtrales erant, ſolenni veterum

terum ritu, aquæ illæ quas tum coram populo Pilatus adhibuit manibus abluendis. Quare ἀσιῶς isthîc & καθαρὸς æquipollentia judicanda sunt, ut colligitur ex consimili locutione Act. 20,26. & ut apertè usurpantur ab ipsis Lxx, Gen. 24. 8, 41. Itidem & ὅσιος ab Hesychio καθαρὸς & ἁγνὸς declaratur. Ad eundem modum à Syro quoque redditur ὅσιος Heb. 7. 26. nempe זכיא, h. e. *purus*. Quidam verò חום & חסא & ejusdem significationis themata haud ineptè statuentes innuunt חסי, scilicet passivum, eum esse *cui parcitur à Deo*, vel *cujus miseretur Deus*, condonatis ei peccatis; חסי autem activum denotare ἡ ἐπιεικῆ καὶ ξυγγνωμονικὸν, *hominem lenem mitémque*. Ad summam חסיד passivè seu חסי, is est quem ultra omnem judicii lineam (neque enim *in judicium cum hujusmodi intrat Dominus* Psal. 143. 2.) peculiari & immensâ suâ benignitate prosequitur Deus, remissâ meritissimâ pœnâ mortis æternæ, & collato immeritissimo beneficio vitæ sempiternæ; Quem per sanguinem Christi à peccatis universis purgavit & expiavit, ac verè ὅσιον seu *purum* in eo reddidit; Cui insuper hoc largitus est donum, ut & activè חסיד seu חסי vel ὅσιος fiat, *integer*, inquam, *facilis, suavis, benignus*, denique *bonus*. Hic ergò *Chasid* seu *Chasi* haud dubiè est χάσιος Hesychii, vox omnino peregrina, ut monuimus: nihil enim habet Græcanicum præter solam terminationem. Eruditissimus Stephanus confundere videtur vocabulũ istud χάσιος cum Laconico χαδς, quamvis permultùm differant, non ortu solùm sed etiam sono & significatione. Quippe χαὸν propriè valet τὸ ἀρχαῖον, i. *antiquum*, à *Chao* antiquissimo illo rerum omnium primordio desumptâ voce. Et quoniam εὐγένεια est *generis antiquitas*, catachrestic ôs etiam significat τὸ εὐγενές. Item quia mores antiqui, tanquam simplices ac probi, vulgò laudantur, τὸ χαὸν aliquando ἀγαθὸν quoque sed valde impropriè, exponitur. Hæc sunt quæ testatur Suidas; astipulante Theocrito Scholiaste. At ista certè perspicuum est nihil attinere ad χάσιος, ut idem atque illud esse probetur χαός.

CAP. 9. *De amne Sabbatico, seu Sabbatione, vel Sambatione.*

ELeutherus amnis, Strabonis ætate Geogr. l. 6. Seleucidis terminus à quibusdam statuebatur: ut & Brocardi tempore communis erat limes, Regnum Terræ sanctæ dirimens à Principatu Antiocheno, qui in Seleucidis ditionis locum (ut videtur) successit. Illud intereſt, quòd Brocardus Descript. Terræ S. c. 2. fluvium illum *Valaniam* appellet, à proximo quodam oppido cui, Ptolemæo teste Geogr. l. 5. c. 15. nomen erat Βηλανᾶια *Balaneæ*. Atque hic idem est amnis quem olim *Sabbaticum* dictum fuisse narrat Josephus De bello Judaico l. 7. c. 13. in Græco. Id quod situs ipse ab eo descriptus luculenter demonstrat, his verbis, ῥεῖ μὲν γὰρ μέσος Ἀρκιλας τῆς Ἀγρίππα βασιλείας καὶ Ῥαφανείας, h. e. *Fluit medius* (ut habet versio Latina novissimè edita) *inter Arcas & Raphaneas, Agrippæ Regni civitates*. Quod quidem non est vertere, sed pervertere. Aberrant quippe hæc & à Græcis & à veritate ipsa. Nam Agrippæ donatam quidem fuisse ditionem Lysaniæ in Libano ab Imp. Claudio, Josephus est autor, Antiq. Judaic. l. 19. c. 4. Ergò & Arcæam (aut potiùs Arcen) simul attributam fuisse necesse erat: Hanc nempe in Libano sitam ad Tribûs Aseritarum portionem spectasse idem testatur Historicus. Raphanæa verò oppidulum satis longè distabat à Libano, &, sicut ex Stephano & Ptolemæo constat, ad Casiotidis (quæ Seleucis olim erat, aut saltem pars ejus) in Syria præfecturam pertinebat. Græca igitur illa Josephi ad hunc modum sunt transferenda, *Fluit medius inter Arcen Agrippæ Regni civitatem, & Raphaneam*, vel *Raphaneas*. Atqui eundem omnino locum eundémque positum Eleuthero amni assignant Geographi: Is ergò est quem Josephus *Sabbaticum* cognominatum fuisse ait. Cujus verba de fluminis istius natura & cognominis ratione fortassis operæpretium fuerit adjicere. *Conspicit* (Titus Imperator Antiochiam è Judæa proficiscens) *in itinere fluvium spectatu dignissimum: habet enim proprietatem mirabilem. Nam cùm sit, quando fluit, largus & meatu haud segnis, totus quidem indè à fontibus deficiens senis numero diebus siccum exhibet locum videndum; deinde, quasi nullâ mutatione factâ, septimo die similis erumpit. Atque hunc ordinem semper eum retinere accuratè observatum est. Unde etiam Sabbaticus est appellatus, à sacro Judæorum septimo die sic denominatus.* Hactenus Josephus De Bello Jud. l. 7. c. 24. in Lat. & c. 13. Græc. Cæterùm Plinius de isto eodem flumine verba faciens Nat. hist. lib. 31. c. 2. prorsus contraria Josephi narrationi refert: *In Judæa*, inquit, *rivus Sabbatis omnibus siccatur*. Pauca quidem sunt hæc & absque ullo supercilio simpliciter prolata, multò tamen credibiliora videntur quàm illa Josephi. Probabilius nempe est amnem istum uno quàm sex diebus siccari. Præterea cùm שבת (unde nomen traxit) sit *cessare & quiescere*, quanam obsecro ratione *Sabbaticus* secundùm Josephum nuncupetur fluvius ille? Nam, si ei credimus, Sabbatis ipsis minimè omnium est Sabbaticus: tum enim maximè, ex illius sententia, pleno alveo rapidus fluit. Contrà *siccari*, ut ait Plinius, nec omnino fluere, id demum verè est Σαββατίζειν vel *feriari & ab opere vacare*. Quare admodum credibile est, Josephum, nisi dederimus eum sibi etiam ipsi (quod flagitiosissimum foret) palàm repugnare, longè aliter initio scripsisse (uti meritò suspicatur doctissimus Casaubonus Exerc. 15. diatr. 20. adv. Baronium) vitiata autem postmodum à librariis fuisse verba. Quæ clariss. idem vir aliquantò operosiùs, triplici ratione, nempe vocum trajectione, omissione, & additione, restituenda arbitratur: ego simplici duntaxat, solâ scilicet trajectione, hunc in modum quàm mollissimè emendanda censuerim, Πολὺς γὰρ ὢν, ὅτε ῥεῖ, καὶ κατ' ἐποχὰν ὑ σχολαῖος ἐξ ἡμερῶν ἀριθμὸν, ὑπεῖλα ὃ πᾶς ἐκ τῶν πηγῶν ἐκλείπων, ξηρὸν παραδίδωσιν ὁρᾶν τὸ τόπον κατ' ἐβδόμην· ἀπ' ὥσπερ ἰδρωτίας γνωμίης μεταβολῆς ὁμοίως ἐκδίδωσι, *Nam cùm sit largus, quando fluit, & meatu haud segnis sex dierum spatio, mox totus usque ab ipsis fontibus deficiens siccum exhibet locum videndum die septimo: dehinc, quasi nullâ mutatione factâ, perinde erumpit.* Hæc si admiserimus, pacata evadent omnia. Sin minùs, non sibi, non Plinio tantùm, sed Judæis universis unus adversabitur Josephus. Nam Plinio Elias Levita cum suis apertè suffragatur in Thisbite, ubi agit de amne *Sambatione*, vel potiùs *Sabbatione*: nam illud ex isto excusum esse arbitror, mutato *b* in affine *m*: quemadmodum cernere licet in τέρμινθος pro τερέβινθος apud Lxx Jos. 24. 26. in מחנן pro בחנן apud Interpretem Chaldæum Num. 21. 33. item in Ἰάμνια pro Ἰάβνεια apud Josephum Antiq. lib. 12. c. 11. & Ptolemæum Geogr. lib. 5. c. 16. 2 Par. 26. 6. atque in hujusmodi quàm plurimis aliis. Denique hoc ipsum nomen, tanquam proprium viri cujusdam usurpatum, in luculenta illa Photii Bibliotheca pag. 41. lin. ult. aliàs Σαββάτιος aliàs Σαμβάτιος scribitur, ut in Notis suis testatur eruditiss. Hæschelius. Nisi quis ex Idiomate Arabico (unde & terminatio nominis adjectiva est orta) deduci malit hoc modo, ut Daghes Hebraicum literæ ב inustum Arabicè mutetur in ل, atque hæc rursus in م. Siquidem apud Arabas Nun ante Be perinde sonat ut Mim: nam *Anbaron* quasi *Ambaron* pronunciant, Gram. Arab. Erpen. pag. 15. Sed Eliam audiamus. *Sambation*, inquit, vel (ut docti vocare solent Arabicè) *Sabbation*, מפני שביתתו בשבת, *propter ipsius in Sabbato cessationem*, nomen est fluvii cujusdam, quem aiunt singulis septimanæ diebus præterquam Sabbato impetu tanto decurrere ut lapides grandes loco moveat; nec fieri posse ut tunc quidem temporis quisquam eum transire queat. Cujus rei hanc esse causam ferunt, nè decem Tribus, quæ illic captivæ detinentur, indè unquam egrediantur nisi sanctum Sabbati diem profanare velint. Mox addit Elias, R. Maimonidem, illustrem Judæorum Doctorem, scripsisse, hunc amnem esse fluvium Gozan, de quo mentio aliquoties fit in S. literis; ità verò denominatum à themate גזז, quod *abripiendi* significationem habet, quia videlicet, exceptâ duntaxat septimâ, cæteris omnibus diebus

bus vel ipsa etiam saxa præcipiti cursûs celeritate secum rapiat. En quàm bellè hæc inter se concinant ; quámque mirifico saltu, tanto terrarum tractu, tot altissimis montibus superatis, Sabbaticus iste sive fluvius sive rivus à mari Mediterraneo ad Caspium, à Judæa in Mediam, jam pridem pervenerit ! Nec dubium est, usque eò continenter (quantum scilicet per Sabbata licuerit) perrecturum, dum ad Hyperboreos, ultra omnem Aquilonis flatum, sub ipso Mundi cardine degentes, permeet, quæsiturus apud eos mirificissimas illas, Danitarum maximè atque Nephthalitarum, quas alluat, imò quas fabulosâ vi suâ coerceat, Hordas. Dignissimum sanè flumen quod ex putidissimis Rabbinorum profluat lacunis; & cujus in ripa quidem una ludant vicini Pygmæi à gruum periculo metúque liberi, in altera autem cygni jamjam morituri

Dulcia defectâ modulentur carmina linguâ,

& suavissimos illos cantus fundant à Poetis tantopere celebratos.

CAP. 10. *Nominis* LAZARI *Etymologia.*

DOctissimus quidam Theologus *Lazarum* eundem esse autumat qui Hebraicè *Eleazar* appellatur. Quod ut confirmet, profert Tertulliani & Prudentii in eandem sententiam autoritatem. Unde nonnulli nominis LAZARI interpretationem esse arbitrati sunt, DEI ADJUTORIUM. *Deus* enim Hebraicè אל dicitur ; *adjutorium* autem vel *adjumentum*, עזר. Hosce igitur omnes nomen *Lazari* per Aphæresin literæ א ab *Eleazar* derivasse oportet. Atqui adversatur illis primùm Linguæ analogia, quæ nusquam patitur vocem אל deperdere literam א in hujusmodi nominum compositione. Deinde reclamant vehementer exemplaria universa, atque adeò res ipsa. Siquidem idioma illud quo usus est Servator non vocat *Eleazar* Lazarum, sed *Eliazar:* LXX verò & Græci omnes, Ἐλιάζαρ Matth. 1. 15. eodem modo quo & Hebræi אליעזר. Quod cùm apertius sit quàm ut negari aut possit aut debeat, aliam de quærendo etymo rationem inire coacti sunt eruditi. Itaque Hieronymus LAZARUM exponit simpliciter *Adjutum.* Interpret. nominum Hebr. At id עזור est, non לעזר. Et (quod multò minùs probatur) ל primariam nominis literam, tanquam inutilem, abjicit. Ad veritatem propiùs accedit Junius in Notis Luc. 16.20. LAZARUS, inquit, *perinde sonat atq; si dixeris, Virum cui ferri oportet adjumentum*, innuens nimirum à Gerundi voce quæ præfixum habeat ל in Cal vel Niphal, ut à לעזור vel לעזר, petendam esse nominis originem. Rectè quidem ; nisi duo impedirent quò minùs ità sit ; partim Syriaci nominis לעזר puncta vocalia, quæ longè aliter se habent ; partim quòd vocem illam Gerundii Syri formare non soleant, nisi interposito מ inter ל & primam thematis literam in verbo quidem activo, in passivo autem adjectâ insuper literâ ת initio & ו fini. Ego verò multis abhinc annis, cùm nondum quicquam istorum legissem, aliam nominis illius vim atque naturam esse perspexi ; quæ etiam nunc maximè arridet, dum probabilius aliquid ea de re inveniatur. Negandi particula Syriaca est לא. Participium autem vel participiale nomen Syrorum more formatum est עזר, i. *auxilians*, vel *auxiliator*, utì עזור Hebræum. Quem verò *destitutum auxilio* Latini dicunt Job. 29. 12. Hebræi nominant לא עזר לו, Syri לא עזר לה, vocibus seorsum explicatis & per se positis ; iisdem autem unum in nomen conflatis & conjunctis, לעזר, occultato sive quiescente א in vocali sua longa sub ל (quemadmodum cernitur in composito vocabulo בגד Gen. 30. 11. pro בא גד) & ablatâ vel potiùs subauditâ (ut sæpe fit in sermone communi) vocalì לה. Planè ergò idem est לעזר Syris qui *inops* Latinis, ἀδεής Græcis. Et nomen accommodatissimum est mendicissimo illi homini omnis humanæ opis experti, cui hoc solùm supereſt ut duntaxat ἐνδυμεῖν *desiderare* posset universa quibus indigeret vitæ istius subsidia. Qui proprius est Mendici character, ab Hebræis אביון, h. e. ἐνδυμητῆ, eam ob rem pervenustè nuncupati. Qualem Dominus in Euangelio describit Lazarum, ἐνδυμούντα χερσαδινῶν ἀπὸ τῆς φυσίων τῆς πιπλόντων ἀπὸ τῆ τραπέζης τῦ πλυσίυ, Luc. 16.20. Adeóq; omnis pauper verè est לעזר, h.e. *amicorum auxilio præsidióq; destitutus.* Non enim *proximis* solùm sed *fratribus* etiam suis *pauperem odio esse* solere testatur Solomon Prov. 14.20 & 19.7. Itidem Poeta, Stob. ser. 236.

Ἔρημός ἐς' ἀνθρώπων ἠπορημένος.

Nimis hoc notum ex quotidiana hominum vita. Sed antequam finem faciam, restat ut iis breviter respondeam qui perquam fortassis gravatè concedere velint לעזר Syriacum esse nomen, dicántque עזר (verso ז in ר) non עזר Syrum esse. Primùm satis per se apparet nominis illius formationem Syram non Hebræam exsistere. Syrorum quippe est, primæ Participii prioris in Cal radicali ◦ subjicere, secundæ autem - , modò ultima sit ר vel gutturalis. Deinde, licèt demus in nominibus (ut vocant) appellativis vel communibus mutationem illam fieri, certè propria sæpissimè recusant. Verbi causâ, עזור, nomen proprium apud Hebræos, עזור à Syris Matth. 1. 13, 14. Item אלעזר apud illos, אליעזר ab istis proferri, moris esse novimus. Ubi vocalium quidem aliqua, literarum verò radicalium (atque adeò hujus ipsius de qua disputamus) prorsus nulla deprehendi potest mutatio. Mirandum igitur non est vocem לעזר, quandoquidem nominis proprii vice fungitur, Zain literam primitivam constanter eandem retinere.

CAP. 11. *Nominis* Tyranni *Etymon, & quædam de Tyro Tyriisque annotatu non indigna.*

NOmen τύραννος primo aspectu Græcum videatur, quòd si quis illud penitus pernoscere conetur, à Syro forsan idiomate oriundum comperiet. צור enim Syris *Tyrum* indicat ; unde ductum denominativum צורן, *id quod Tyrium est*, vel *ad Tyrum spectat*, significat. Hinc igitur צ (i. τς) ut simplici τ prolato, dein geminato *N* in compensationem vocalis longæ, denique terminatione Græcâ adjectâ, factum est vocabulum τύραννος. Stephanus Περὶ πόλεων voce Τυρρηνία, à *Tyrrheno*, Tyrrheniæ incola vel cive, nomen illud derivat ; quod sententiam meam ampliùs confirmat. צורין enim *Tyrios* significat numero plurali : hinc Τυρρηνὸς *Turrenus*, ἀφ' ὧ καὶ ἀφαίρεσιν τῦ γεφυμαλοῦ προσθέσιν Τύραννος ἐκλήθη. *A quo*, inquit Stephanus, TYRANNUS *nomen accepit, demptâ scilicet indè* R *literâ, &* N *isthic additâ.* Quinetiam ubi apud Sextum Pompeium legimus *Turrhenos Etruscos appellari solitos*, vetus codex habet *Turannos.* Derivationem utramque paucis complexus est Sophoclis Scholiastes, Oedip. Tyran. Procœm. de Inscript. Nam antiquorum opiniones hac de re commemorans, docet τύραννον *Tyrannum* alios ἀπὸ Τύρυ πόλεως *ab urbe Tyro*, alios ἀπὸ τῶν Τυρρηνῶν *à Tyrrhenis*, nomen adeptum censuisse. Quòd autem propter latrocinia id factum autumat, probabile non est ; quippe cùm id genus vitæ meritò videatur ferum, agreste, & planè contrarium eis quæ mox de Tyrrhenorum splendore & universa administratione civili testatissima proferemus. Atque hanc deductionem, præsertim à *Tyro*, non alienam judicabunt ii qui summum veteris Tyri splendorem apud Historicos tum sacros tum profanos observarunt, meminerúntq; Phœnicas seu Tyrios non modò in Græciam (ut vetustissima Cadmi memoria docet) & in universam Hispaniam (utì autor est Varro, Plin. Nat. hist. l. 3. c. 1. & res ipsa demonstrat) perveniſſe, sed etiam interjectam Italiam lustrasse adeóque incoluisse. Ab his originem traxit gens Tyrrhena vel Hetrusca (eadem namq; est) cujus maxima potentia ipso rerum Trojanarum seculo ab Historicis [Liv. dec. 1. l. 1. & 5. & 9. Plin. l. 7. c. 56. & l. 9. c. 39. & l. 21. c. 3. Melæ l. 1. c. 12, &c.] celebrata, religionum cognitio, literarum artiúmque peritia, (unde ἐργασία Τυρρωνικὴ & φιλοτεχνία illustris olim erat) Resp. florentissima, magnificus & verè regius rerum omnium apparatus non nisi à Tyriis initio proficisci potuit : Qui omni memoriâ θαλασσοκρατοῦντες [Athen. Dipnos. l. 15.] plurimas maris Mediterranei regiones occuparunt, ac pro magnificis Dominis & tantùm non hominibus cœlitus delapsis apud imperitos & barbaros sese venditarunt.

Usque

Usque adeò deniq; celebrata est Tyri fama ut claritate suâ totius penè Orientis luminibus obstruxerit, ac nomen suum amplissi næ præstantissimæque illius regioni imposuerit. Nam à צור ipsa quoq; *Syria* denominata videtur, non διὰ τὸ σύριξ ὑπὸ τῶ κατακλυσμῶ, ut inepte Hesychius auguratur. Huic rei non incommodè suffragatur quod de Pythagora ab Eusebio ex antiquis scriptoribus desumptum memoriæ proditum legimus Euang. præp. l. 10. c. 4. pag. 276. Πυθαγόρας, ὡς μὲν τινες, Σάμιος, ὡς δ' ἕτεροί φασι, Τυῤῥηνὸς ὢν τὸ γένος· οἱ δ' αὐτὸν Σύριον ἢ Τύριον οἱ λέγουσιν, *Pythagoram alii Samium, alii Tyrrhenum fuisse aiunt. Sunt verò qui illum Syrium sive Tyrium esse dicant.* Explanandi adverbio *sive* planè confirmat *Syrium* ac *Tyrium* pro vocabulis synonymis habenda, & à principali צור, quasi gemellam prolem, utrumq; creatum. Eodem modo eadem quoque nomina usurpantur à Theodoreto De curand. Græcorum affect. ser. 1. pag. 5. & 7. qui Pherecyden Pythagoræ Magistrum aliàs Σύριον aliàs Τύριον appellat: illud jam non disputo quàm veré. Satis sit in præsentia ostendisse utramq; vocem à doctissimis viris indifferenter adhibitam, & eo sensu adhibitam ut hominē nationē barbarum significet, non Græcum. Nè quis *Syrium* non à voce Σύρις (h. e. Τύρις) quæ apud Procopium Com. in Esai. c. 18. p. 257. exstat, unde ἡ Συρία, videlicet χώρα vel γῆ, *Syria* finitima Palæstinæ dicta est regio, denominatum putet, sed à *Syro* ex Cycladibus insulis unâ, quam *Syrum* solus, quod sciam, Strabo ex omnibus Geographis nuncupat l. 10. Herodotus lib. 7. ab *Assyriæ* appellatione per Aphæresin nominis istius originē arcessit, sed ratione imbecillâ adductus, qui Syros & Assyrios eandē esse gentē existimet. Quippe planè diversam esse constat, vel ex ipso Xenophonte Cyri pæd. l. 1, &c. aliisq; item peritioribus Græcis. Præterea quod narrat, quos Græci *Syros* nominant, à barbaris indigenis *Assyrios* vocitatos, vero consentaneum non est; siquidē *Aramæi* ὁμηχωλῶς sunt dicti. Neq; etiā apud eosdem barbaros *Assyrius* & *Assyria* propria erant incolarum regionisq; illius nomina, sed *Athyrius* & *Athyria* vel *Athuria*. Hoc Græci quoq; testantur, *Assyriam* videlicet Βαβυλῶνα vel Ἀτυρίαν nuncupatam Dionis Trajano, Steph. in voce Νῖνος. Quod & alibi (si volet Deus) attingemus. Malim igitur à *Tyro*, urbe illustrissimâ inque propinquo positâ, & Græcis ab ultima antiquitate perpetuo commercio notissimâ, *Syriam* nomen suū duxisse quàm ab *Athuriæ* regione, multò minùs cognita, longéq; in Orientem remotiore. Docet quidē Strabo l. 16. p. 491. cúmq; postea sectatus Hieron. Com. in Esai. c. 19. fol. 30. d. Historicos nonnullos Græcos vetustū Assyriorum Imperium *Syrorum* vocasse, & eosdem Assyrios *Syros* nuncupasse. Non tamen per Aphæresin sive *decurtationē* ullam (quam autumat quidam) nomen alterum ab altero derivarunt, sed per Synecdochen satis usitatam totū à parte, h. e. totum Imperium gentis latè dominantis à parte quondam subjecta, utpote multò notiore ac propiore (ut patet, & modò diximus) appellantes, nomen alterum jam olim aliunde (sicuti declaravimus) peculiariter & propriè desumptum in alterius locum supposuerunt. Nec quenquam moveat in vocibus à *Tyri* nomine petitis aliàs τ aliàs σ exprimi: nam ϒ utramq; valet literam, nimirum *ts*. Unde & hæc ipsa civitas qua de agimus non modò *Tyrus* sed *Sarra* etiam à veteribus appellata fuit, Aul. Gell. Noct. Att. l. 14. c. 6. itémq; (nisi me conjectura fallit) *Sora*, uti perhibet Stephanus voce Σώρα, his verbis, Ἔστι δὲ Φοινίκης πόλις Σώρα. Τὸ ἐθνικὸν Σωρανός. Itáq; ostrum quod à Poeta alibi *Tyriū* dicitur Georg. l. 3. v. 17. alibi *Sarranum* peræq; nuncupatur Georg. l. 2. v. 506. Quare admiratio opulentiæ gloriæque Tyriorū *Tyranni* nomen apud Græcos Latinósq; peperit; apud quos antiquitus honestum fuisse vocabulum atque in bonā partem acceptū doctissimi Grammaticorū tradiderunt. Longè verò clarissima aptissimáque sunt Esaiæ Prophetæ verba ad nominis istius originem confirmandam, qui inter insignes titulos quibus Tyrum ornat, eam appellat המעטירה, q. d. *coronas imponentem suis*: & continuò exponens quid hoc sibi velit, *Cujus*, inquit, *mercatores principes sunt, negotiatores inclyti terræ*, Esa. 23. 8. Verba sanè magnifica & ad dignitatem regium propriè spectantia. שר enim *virum primarium* significat, quem ἄρχοντα Græci dicunt. Hinc nostrum Herr, & Gallorum *Sire*, quod vel ipsis Regibus attribuunt. Vocabulum autem נכבדים eos indicat quos aliàs חורים Hebræi vocant, Syri verò חארא: hos alii *ingenuos* transferunt, i. εὐγενεῖς, quales *Euganeos* Plinius recenset, h. e. *genere præstantes*, lib. 3. c. 20. Lxx alibi ἐλευθέρους, alibi ἐντίμους, Hieronymus *optimates*, Tremellius & Junius *Clarissimos*, idque ad vocis originem accommodatissimè, quæ propriè *albos* vel *candidos* denotat, i. splendidos & latè conspicuos. Hinc Græcorum ἥρως, Latinorum *herus*, & Germanorum Herr. Præstat enim fontes ipsos rectà adire quàm rivulos longis & obscuris anfractibus, cum aliis, consectari. Porrò non solùm fastum Tyriorum sed luxum etiam una & immensas delicias à Prophetis reprehendi observemus: nec immeritò: sunt enim res inter se conjunctissimæ. *Ecce*, inquit Servator Luc. 7. 25. *qui vestitu magnifico utuntur & in deliciis vivunt, sunt in Palatiis Regum.* Ubi cùm פונקא apud Syros, ut & apud Hebræos, significare τρυφὴν seu *delicias* animadvertissem, statim conjeci haud omnino ἀσόχως, ni fallor, Tyrios olim & Sidonios פיניקיא à finitimis nuncupatos, q. d. τρυφερὸς vel *delicatos*; à Græcis autem Φοίνικας, à Latinis *Phœnices* more Græcorum, suo verò *Pœnos*, quasi *Phœnos*, ut rectè tradit Hieronymus; attamen non tam *corrupto sermone*, ut idem ait, quàm correpto potiùs atq; contracto & (ut ità dicam) decurtato, usitatâ quadam loquendi celeritate in omnibus, opinor, linguis. Eóque accedit peculiaris Syrorum mos, quem ab ipsis Carthaginiensibus seu Tyriis (qui iidem Syri erant) sunt mutuati; quibus familiare est ultimam literam, etiam principalem, per Apocopen tollere, ut cernitur in dictionibus מלכי pro מלכות, & בי pro בית, & שנא pro שנאת, &c. Quam tamen Apocopen respuunt Latini in vocabulo *Punicus*, servántq; literas primigenias omnes. Quòd verò hìc *u* vocalem usurpant, illic *œ* diphthongum, nihil interest: sunt enim commutabiles, uti videre licet in istis, *pœna* nempe & *punio*, item *mœnia* & *munio*, aliísque. Itaq; magnopere miror eruditissimum virum Jos. Scaligerum ad tam deviam nominis hujus investigationem studium operámq; suam contulisse Animadvers. in Chronol. Eusebii, pag. 36. nimirum ut dicat פנחם *sine ulla mutatione esse* Φοῖνιξ, *si adhibeatur vocalis distinctio*: quippe cùm neq; vocales quadrent neq; consonantes, nec ulla deductionis istius ratio Historica (quæ maximè, homini præsertim ἰσοεικωλάτῳ, spectanda fuisset) nota certáve aut probabilis afferri queat. Φοῖνιξ habet initio *oi* vel *œ*, aut (ut diximus) *u*, hoc est, υ (nam Dorico etiam & Æolico more *oi* pro υ ponitur) diphthongum scilicet, vel vocalem longam; ille verò appingit Seghol, id est, *e* breve: quod valde dissonat. Deinde *Phœnix* posteriore loco *i* longum obtinet, uti facilè monstrant obliqui; Scaliger autem Chirek parvum substituit, compensatione palàm iniquâ. Porrò de consonantibus, si ξ elementum Græcum ab Hebraicis ח & ם oriundum esset, valeret haud dubiè χσ in casu recto, ac proinde obliquos hoc pacto formaret, Φοινιχσ, Φοινιχι, & cæteros pariter; regióque ipsa Φοινίχη ab omnibus vocaretur. At hæc commentitia sunt universa, siquidem literam planè diversam ubiq; personare audimus, Kappa nempe Græcorū, quod cum Hebræorum Tyriorúmq; ק non solùm propriè convenit verùm etiam unū & idem est. Ad hæc, nihil profectò est opus ut ex Scaligero discamus quonam modo Græci nomē פנחם olim proferre consueverint. Antiquissima Lxx Interpretum versio Φινικὲς illos non Φοῖνιξ semper pronunciasse perspicuè & passim docebit. Interea ipsos פוניקיא germano nomine Φοίνικας appellare solet. Atq; eâ re factum ut qui Hebraicè צידנים, i. *Sidonii*, appellantur, Deut. 3. 9. à Lxx nominentur οἱ Φοίνικες, & Sidon ipsa Φοινίκη Isa. 23. 2. Atque adeò Hesychius Σιδονίους interpretatur Φοίνικας. *Sidoniorum* autem nomine gens universa primùm vocata fuit, ab auctore & conditore suo *Sidone*, de quo Gen. 10. 15. Porrò sicut à Sidone Metropoli olim florentissimâ (cujus coloniam in propinquo sitam ac tandem æmulam fuisse Tyrum narrant Historici) studium illud delicati victûs, vestitûs, cæteríque cultûs & apparatûs cum elegantia & copia

copia, ad subjectas & circumjacentes urbes, oppida & vicos citò permanavit; ità insignem quoque פוניקיא, h.e. *Phœnicum*, appellationem, ex hoc ipso studio factam, eandem pariter originem habuisse admodum probabile videtur. Ineptè igitur veterum nonnulli *Phœnicen* totam penè oram maritimam Syriæ ad Ægyptum usque statuerunt; cùm verè propriéque pars duntaxat modica sit illius oræ, Sidoni Tyróq; finitima; quarum etiam in ditione ac potestate erat. Atque hanc descriptionem quàm proximè exhibet Ptolemæus, Geographus accuratissimus, l. 5. Cæterùm mirè consentaneum esse cognomen hoc à *deliciis* deductum testatur ætatum omnium experientia. Semper quippe usuvenit ut celeberrimum quodque emporium voluptatibus maximè circumfluat luxúq; solutum sit: id quod Sidoni ac Tyro imprimis atque insigniter præter reliqua omnia emporia accidisse res ipsa demonstrat. Nam hæ solæ rei nauticæ summâ peritiâ olim excelluerunt, longinquis & assiduis navigationibus solæ omnes circumcircà terras lustrarunt, ex quibus optima & pretiosissima quæque exportata undique domum ad se convexerunt & congesserunt. Denique apud has solas amplissimum totius sanè Orbis institutum quasi Monopolium quàm plurima secula, usque ad ipsam ferè B. Hieronymi ætatem, viguit, Com. in Isai. c. 23. Ex quo lucrum immensum fecerunt, divitias infinitas cumularunt. Hinc regalis continuò luxus, omnísque generis insatiabiles & delicatissimæ voluptates. Dein à Phœnicibus hæc mala paulatim profecta non ad proximos modò Syros verùm etiam ad Græcos tam Europæos quàm Asiaticos, ipsósque tandem Romanos, veluti contagione quadam longè latéque serpserunt. Quam rem Cicero, à veteribus Historicis edoctus, disertis verbis confirmat lib. 3. De Rep. apud Nonium, voce MERCATURA, *Phœnices primi mercaturis & mercibus suis avaritiam & magnificentiam & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Græciam.* Itaque haud injuriâ antiquissimus Scriptor Homerus Iliad. ψ'. 743. Sidonios πολυδαίδαλους cognominat, h. e. *vario atque multiplici artificio longè omnibus præstantes.* Ejusdemmodi enim artificum numerum permagnum mollis & voluptaria civium vita (ut fieri solet) & opiparè sustentavit & auxit in dies & variis inventis exercuit. Huc spectant μυελα illa ἀδύσμαλα (sic nempe Poeta Odyss. ο'. 415. leviculo nomine prudenter notat ornamenta omnia cultûs supervacanei quibus mitificè dediti plerumq; sunt delicati) quæ νηὶ μελαίνῃ ἄγοντες (ut ait idem) eò copiosiùs distrahere consueverunt Phœnices quoniam affatim ejusmodi mercium ipsis suppetebat domi. Τρῶλαι verò Φοίνικες cùm in eodem versu appellantur, hoc certè epitheto, quasi digito indice, monstrat Homerus delicatam ac mollem Phœnicum vivendi rationem. Perinde enim sonat vox illa ac si dixisset eos *gulosos, qui abdomini indulgerent, catillones, cupediis & bellariis vorandis assuetos, qui voluptate ventris ac corporis omnia metirentur.* Astipulantur etiam Sacræ literæ. Nam idcirco *meretrici fidicinæ* Tyriorum civitatem assimilat Esaias c. 23. 15. & eidem *hortum Edenis*, ἢ παράδεισον ἢ τρυφῆς, cum omni & ornamentorum gloria & deliciarum suavitate, assignat Ezechiel c. 28. 13.

CAP. 12. *De Luce primi diei.*

RAtioni veritatíq; valde consentaneum videtur quod De operib. sex dier. part. 2. l. 1. c. 2. Gen. 1. 3. tradit D. Hieronymus Zanchius, clarissimus Theologus, de luce primo die creata, nimirum nubeculam quandam lucidam fuisse quæ motu suo circulari ab Oriente in Occidentem diem noctémque confecit, ex qua postmodum condensata & perfecta corpus Solare immediatè formatum fuit. Opinio igitur Junii, Lucem hanc ab igne elementari in sua sede locato profectam afferentis, mihi planè non probatur. Nam qui potuisset ignis cætera illustrare cùm nondum ipse exsisteret? Quis enim nescit Expansum istud totum quod capitibus nostris imminet die non primo sed secundo fuisse conditum? atqui hujus pars primaria est Elementum Ignis. Constat etiam ex Philosophia & perpetua jam usque à rerum primordio experientia Ignem in orbe suo non lucere, utcunque sit naturâ suâ φωτιστικὸς lumen quippe nisi magis coactus & condensatus non præbet. Unde & cœlestia illa corpora perenni luce fulgentia densiores partes orbium suorum à Philosophis statuuntur, ut non æquabiliter fusa sed conglobata tandem lucerent. At Ignis in regione illa æthereâ, quoniam pro longè amplissima quam occupat dimensione summè extenditur, summè item attenuatur, miniméq; proinde lucet. Sed esto, luxisset ibi: quænam, obsecro, distinctio fuisset inter Lucem & Tenebras, si Ignis, complexu suo omnia hæc inferiora coercens, eadem omnia clarâ luce undique collustrasset? postremò, cùm certissimum sit Gen. 1. 5. diem non aliam esse lucem quàm eam quæ primo die condita fuerat, cúmque lux illa quâ die quarto corpora cœlestia mundum perfuderunt, dies sit Gen. 1. 14. profectò necesse est ut lux utraq; eadé omnino sit. At diei quarti lux diurna cœlestis est & à Sole derivata: Ergò & primi. Quare non video quomodo lux primi diei elementaris fuerit & ab Igne promanarit.

CAP. 13. *De Astroarche & Urania apud Herodianum.*

AFfertur ab eodem doctissimo viro F. Junio, in suis ad idem caput Annotationibus, locus quidam Herodiani qui mihi negotium facessivit. Verba hæc sunt, Latinè à Politiano reddita; nam Græca non suppetunt; *Simulacrum Uraniæ jussit* Bassianus *afferri: Quod scilicet Carthaginiensibus omnique Africa venerabile, positum fuisse à Phœnissa Didone creditur, quo tempore antiquam Carthaginem dissecto corio ædificavit. Hanc Afri Uraniam vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse affirmantes.* Hîc primâ fronte facilia videntur omnia; sin propiùs & accuratiùs inspicias, satìs impedita & explicatu difficilia comperies. Nam primùm quæro, cùm notissimum sit Carthaginienses fuisse Tyrios sive Phœnices, cur eidem genti ejusdem Deæ non idem sed planè diversum fuerit nomen; Deinde attentè expendi velim verba illa Herodiani postrema, *Hanc Afri Uraniam vocant, Phœnices Astroarchen.* Apertè quidem docet non Græcam sed Punicam & Syriacam utramq; appellationem esse: sic enim vocant *Afri* & *Phœnices*, non Græci. Quorsum igitur tanquam à Græcis profectum observatur linguæ tam alienæ etymon? quasi verò dicta fuerit Phœnicibus seu Syris Ἀστροάρχη, παρὰ τὴν ἄστρων ἀρχήν, *ab imperio quod in astra obtinet*: atque ità scilicet nominis Tyrii vel Syriaci origo apud Græcos investiganda censebitur: quo nihil potest ineptius fingi. Quid si igitur pro *Astroarche Astarte* legendum? Lapsúsque est non tam librarius quàm Herodianus etiam ipse cum reliquis suæ gentis hominibus detorquendo vocabulum peregrinum consimilis soni (uti mos est Græcorum) ad sui idiomatis pronunciationem ac Etymologiam. Idque eò fecerunt audaciùs quoniam in priscorum Græcorum scriptis idem omnino nomen, aut sanè quàm simillimum, invenerunt. Siquidem in Orphei Hymnis legitur Ἀστράρχη, ubi Luna cùm aliis tum his verbis à Poeta laudatur,

Ἀστράρχη ταυρόκερλ', ἐλικόδερμε, πάνσοφε κόρη.

nisi forsan & illic Ἀστάρτη potiùs reponendum quis conjiciat. Ità namq; & constabit versus, & sensus ipse (sicut mox ostendemus) aptissimè quadrabit. Certè liquet ex Scripturis sanctis *Astoreth*, ut Hebræi efferunt 2 Reg. 23. 13. *Astarten* verò, ut Græci, vetustissimum & celeberrimum fuisse Sidoniorum, ideóque etiam Tyriorum atq; Phœnicum, Numen. Testis porrò est omni exceptione major Augustinus, Junonem à Pœnis vel Afris *Astarten* fuisse appellatam, Tom. 4. Quæst. super. Judic. lib. 7. c. 16. *Juno*, inquit, *sine dubitatione à Punicis Astarte vocatur.* Fidenter pronunciat; nec injuriâ. Notissima quippe res erat ipsi, Afro præsertim & ortu & educatione. Quin & Virgilius Junonem præsentissimum Pœnorum Numen agnoscit, Æneid. l. 1.

Quam Juno fertur terris magis omnibus unam
Posthabitâ coluisse Samo ———

de Carthagine eorum metropoli canens. Adhæc, vel pueri

pueri sciunt Junonem à Romanis *Lucinam* nuncupatam, atque à puerperis in partu invocari solitam. Hinc apud Terentium Andriâ, act. 3. sc. 1. exclamat Glycerium parturiens,

Juno Lucina, fer opem, serva me, obsecro.

Præterea *Lucinam* & *Lunam* eandem esse verbis significantissimis confirmat Cicero De Nat. Deor. l. 2. *Dianam*, inquit, *& Lunam eandem esse putant*, &c. LUNA *à lucendo nominata est: eadem est enim Lucina. Itaq; ut apud Græcos Dianam, eámq; Luciferam, sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* Cæterùm his opponi potest quod apud Eusebium Præp. Euang. l. 1. c. 5. aliósque occurrit, τὴν Ἀστάρτην Φοίνικες τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι, i. *Phœnices Astartem Venerem esse perhibent.* Sed discipiendum ampliùs. Nam inter Veneres alii Ἀφροδίτην hanc seu *Venerem* illam esse arbitrantur quam meritò Plinius Nat. hist. l. 2. c. 8. *ingens sidus* vocat, *& claritatis tantæ ut ejus unius radiis umbræ reddantur.* Huc spectat inanis Suidæ Etymologia, quâ ἀστροάρχην *Astarten* per Metathesin denominatum autumat ἀπὸ τοῦ ἄστρου, *à stella*, scilicet Veneris, quasi *Astraten* dicas. Quam eandem vocem, videlicet Ἀστάρτην, invenire licet apud Ptolemæum Geogr. l. 4. c. 8. ubi insulæ Sinûs Arabici ab illo recensentur. Alii verò Philosophiæ pariter & universæ Gentium Theologiæ peritissimi viri contendunt eandem ipsam planè Lunam existimari oportere. Primùm enim Cicero De Nat. Deor. lib. 3. quatuor nobis Veneres profert, eásque nominatim cum suis quamq; natalibus recenset; ex quibus *quarta*, inquit, *Syria Tyróq; concepta, quæ Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.* Quis autem fuerit hic Adonis suggerit Macrobius Saturnal. lib. 1. ca. 21. *Adonim*, inquit, *Solem esse non dubitatur inspectâ religione Assyriorum* (vel *Syrorum*) *apud quos Veneris Architidis & Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent.* Verbis Macrobii mendum inesse opinor, & pro *Veneris Architidis* legendum vel ex Cicerone *Veneris Astartes*, vel ex Topographia *Veneris Arcitidis*, deducto nomine ab *Arce* urbe nobili antiquâque ad radices Libani sitâ; cui proximam describit Ptolemæus Heliopolin, Veneris templo & turpissimâ idolomaniâ ad Constantini Magni tempora (qui funditus eam sustulit) toto orbe famosam, Euseb. De vita Constantini, l. 3. c. 56. Quamvis autem Macrobius Venerem illam Terrâ interpretetur, nihilominus etiam ex iis quæ ab ipso narrantur attentus lector colligat rectiùs in Lunam omnia convenire. *Simulacrum hujus Deæ* (uti refert) *in monte Libano fingitur, capite obnupto, specie tristi, faciem manu lævâ intra amictum sustinens.* Enimvero sic Luna se habere credebatur olim in defectu, quando etiam *laborare* vulgò dicebatur, quemadmodum ex Plinio aliisque accepimus. Tunc enim quasi *obnubitur* Luna, h.e. velut obvoluto capite, more lugentium, tenebrosâ Terræ umbrâ tegitur atque obscuratur. Idcirco defectus istos tanquam ominosos tristésque valde horrebat stulta antiquitas, & incondito æris pulsati tinnitu expiabat. Quòd verò simulacrum illud *faciem lævâ intra amiculum sustinuit*, idcirco factum videtur quoniam Luna lævâ sui parte etiamnum latente, à dextra, nempe Orientali (sic enim tradunt Physici, Arist. De Cœlo, l. 2. c. 2.) rursus è tenebris emergere incipit, ac desideratam faciei lucem mortalibus patefacere. Jure igitur asserit Plutarchus lib. Amator. γῆ καὶ ἥλιον Ἀφροδίτην κηδεύεσθαλλοντα τινὰ ὁμοιότητα, h.e. *Terrâ nullâ ratione dum Veneris afficiunt appellatione, similitudinem ullam assequuntur.* Deinde pauculis interpositis, quæ mutila corruptáq; leguntur concludit, Εἰκότως μὲν οὖν Ἀφροδίτης σελήνην, ἥλιον δ' Ἔρωτι, μᾶλλον δὲ οὐκ ἄλλον θεῶν μᾶλλον εἰκὸς ἦν, i. *Probabile itaq; est Lunam Veneri, Solem Cupidini adsimilem esse potiùs quam ullis aliis è numero Deorum.* Enimvero ità habendum; siquidem ut Luna radiis solaribus splendescit, sic & Venus Cupidinis vi incalescit. At enim ulteriùs progrediuntur Veteres, Lunámq; reapse Venerem esse pronunciant, eíq; supplicantes eodem vocabulo nuncupant. Sic namq; Levinus apud Macrobium Saturnal. l. 3. c. 8. *Venerem igitur almum adorans, sive femina sive mas est; ità ut alma noctiluca est.* Hisce consentanea sunt verba Orphei in Hymno Σελήνης, sive *Lunæ*, quæ non solùm ab eo salutatur Ἀστέρχη (vel, si malis, Ἀστάρλη) item φασφόρος & vel *Lucifera* (quod est proprium Veneris epitheton) sed etiam θῆλύς τε ἄρσην, i. *mas & femina*; insuper καλλιγάσπερος νυχία, h.e. uno verbo, *noctiluca*, quomodo Horatius quoque eam nominat Carm. l. 4. Od. 6.

Ritè crescentem face noctilucam.

Deniq; *Philochorus in Atthide* (uti narrat Macrobius loco suprà citato) *eandem*, nempe Venerem, *affirmat esse Lunam.* Quare hinc liquet, sicubi *Astarten* legimus esse *Venerem*, nomen istud non Astronomicè accipiendum esse pro Veneris stella inter Solem ac Mercurium collocata, sed Theologicè, scilicet pro Luna, ex more Gentilium Theologorum. Præterea Lunam omni proculdubio germanam Phœnicum *Astarten* censendam; *Astroarchen* verò mendosum aut prorsus fictitium videri & nihili vocabulum, modò quis id ad Phœnices Tyriósve referendum contenderit, ut indè derivari illud velit.

Quoniam autem de stella Veneris proximè disseruimus, ejúsq; nomenclaturâ Hebraicam, quæ apud eruditissimum Scriptorem Epiphanium extat lib. 1. adv. Hæres. p. 21. nondum satis enucleatè explicatam esse putamus, veniam hanc, spero, dabit Lector (quod ipsius commodo fiat) ut quam pauciss. inis experiamur ecquam nos quoq; veritati etiamnum laboranti opem, quantulacunque est, ferre queamus. Epiphanius igitur de Pharisæorum hæresi agens, Veneris appellationem cùm illis tum reliquis etiam Judæis familiarem commemorat, eámq; geminam usitato (ut videtur) Græcorum ac Latinorum more: Ἀφροδίτη Σεροὰ ἤτοι Λυδή, *Venus*, inquit, Pharisæis dicitur *Seroua* vel *Lyud.* Non hic excutiam aliorum inventa. Per me sibi habeat qui volet tam צדר quàm לוט. Mihi abundè erit si institiam hanc Notatiunculam probè stabilitam in medium candidè protulero. Sic ergò statuo, Illorum nominum quæ ex Epiphanio jam recitavi prius quidem integrum esse, posterius autem vitiosum videri. Atq; illud certè unde derivari oporteat obscurum non est. Maxima vocis similitudo & summa significationis convenientia facilè demonstrant à זרח, quod ἀνατέλλω *orior* passim redditur, initio fluxisse: ut Σεροὰ *Seroua* nihil aliud sit quàm זרוחא, nomen verbale formæ participii Paul apud Rabbinos Syrósq; frequentissimæ. Est autem זרוח planè ad verbum ἀνατολικὸς *Orientalis.* Eodémque modo dicitur stella Veneris cùm Solem antegreditur. Ἑωσφόρος ἀνατολικὸς ἀστὴρ, ὁ πρὸ ἕω φέρων, *Lucifer*, inquit Hesychius, *est stella Orientalis quæ auroram refert.* Itidem Virgilius Eclog. 8. 17.

Nascere præq; diem veniens age, Lucifer, almum.

Nam simul atque, ut elegantissimè canit Ovidius Metam. l. 2. 112.

——nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora fores & plena rosarum
Atria, diffugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & cœli statione novissimus exit,

Cæterùm vox altera tam indignis modis accepta est à librariis ut nisi ipsum archetypum in Rabbinorum scriptis conservatum mansisset, nè per nebulam quidem quænam verè esset conspici aut cognosci posset. Duplici quippe mendo vitiatum est Λυδή, partim transpositione literarum, pro Λυδὴ, vel Λυδά, partim transmutatione, videlicet ν in λ, & χ in δ. Siquidem hæ literæ ut situ magìs quàm figurâ dissimiles sunt inter se, ità à scriptoribus librariis haud rarò invicem corrumpuntur. Omnino enim legendum Νόγα sive Νάγα *Nouga* vel *Noga* vernacula Hebræorum loquendi consuetudo evincit. Nam hoc ipso nomine נוגה Rabbini Venerem appellare solent, ab egregio scilicet *splendore*, quo fit ut *ejus unius radiis umbras reddi* ex autoritate Plinii l. 2. c. 8. suprà observaverimus. Jure itaque ἕσπερος, *Vesperus* aut *Vesper* (h.e. Venus Solem subsequens) κατ' ἐξοχὴν נוגה *Nogah*, i. φάγος *splendor* (atque de stellarum *splendore* peculiariter dicitur vocabulum illud Joel. 2. 10.) nuncupatus est, quòd universis minoribus cœli luminaribus noctem illustrantibus claritate antecellat, & tanquam dux omnium primus in medium procedens statim post Phœbi discessum sese contemplandum exhibeat, reliquisque sideribus paulatim

deinceps apparentibus quasi facem suam præferat longè fulgentissimam, secundùm illud Virgilii Georg. l. 1. 251.

——sera rubens accendit lumina Vesper.

Sed de gemino Veneris nomine Hebræo hactenus.

At quid tandem *Urania?* Ego, nè multis morer Lectorem, crediderim Junonis esse epitheton, aut etiam Veneris, ut docuimus, pro Luna usurpatæ, & ab Hebræo אור, quod *lucem* significat, & Phœnicum more אור pronunciatur, deductum: unde adjecto in fine Nun, aut per se solùm, aut cum Jod, (quod passim fit à Syris) formatur denominativum אורן, vel אורני masculinum, & femininum אורניא, h. e. *Lucidus* & *Lucida*, aut *Lucinus* & *Lucina*. Itaque *Astarte Urania* idem omnino valet apud Phœnicas quod *Juno Lucina* apud Latinos.

Hinc insuper & illud patet, Græcos ineptè & frustrà apud se investigare conari vocis οὐρανὸς originem, quasi ab ὄρος, aut ὁράω derivetur; cùm omnino à Phœnicibus oriunda sit, & propriè cœlum sidereum denoter, perennem illum puri luminis fontem; indéque initio אורן, i. *lucidum*, nominatum, Græcè autem οὐρανόν. Cui simillimum & significatione maximè geminum respondet vocabulum verè Græcum (quoniam domi apud Græcos natum) Ὄλυμπος videlicet, q. d. ὁλόλαμπος, quòd *totus clarissimâ luce fulgeat.*

Postremò unum illud Lectorem monebo, utrùm παρέρσεως an ἐπείρεγως, an etiam secùs, ipse judicet. Cùm olim tam illustris semper fuerit atque religiosus apud gentes illas Orientales, Syros dico, Phœnices, Tyrios, Astartes Uraniæ, h. e. Lunæ, cultus, haud mirum si eadem erroris quasi lues ad proximos Arabas, nationem superstitiosissimam ac pertinacissimam, tandem quoque pervaserit. Reliquias opinionis istius, quam vetustam sciebat & penitus insitam esse popularibus suis callidissimus Pseudopropheta Mahometus, sibi aliquatenus retinendas esse judicavit, unà cum aliis ejusdem farinæ quàm plurimis næniis, quò gratior & acceptior in vulgus haberetur. Indè Saraceni, ac Turci Saracenis per omnia addicti, *Lunam imperio suo* (inquit Leunclavius Pandect. Turc. Historiæ) *velut fatali quadam lege propitiam & auspicatam mirum quantum habere virium in portendendis juvandisq; successibus conatuum suorum semper existimarunt.* Idque ipsum Belvacensis etiam testimonio corroborat, *Saracenos jam olim sibi Lunam attribuisse* testantis. Quasi videlicet palàm facerent omnibus, hujus præsidio & tutelæ sese commendatos esse voluisse. Itaque consecrata instituto majorum apud eos hodiéque spectatur Lunæ imago clarissimis Imperii sui insignibus; hausta nimirum ex antiquis Gentilium lacunis persuasione præcipuæ cujusdam ac Divinæ virtutis quæ occultis quibusdam rationibus ex Luna, tanquam ex veteri Astarte, cœlitus ad ipsos defluat.

CAP. 14. *De significatione nominis* HELIOGABALI.

AMbigitur quid nomen *Heliogabalus* designet; Quo idolum quoddam Emissenum seu Syriacum appellatum fuisse legimus; A quo cognomen traxit ille omnium non solùm bipedum (ut scitè ait Alexander Severus) sed etiam quadrupedum spurcissimus, non Imperator, sed immane monstrum Imperii Romani. *Solem indigenæ maximè colunt*, inquit Herodianus, *Phœnicum linguâ Heleagabalum vocitantes.* Itidem Capitolinus, *Heliogabalum Phœnices vocant Solem.* Lampridius verò *Heliogabalum Deum, alios Solem, alios Jovem* dixisse ait. Hunc Dio Nicæus in compendium à Xiphilino redactus semel (si bene memini) Ἐλεγάβαλον nominat; mendosè: aliàs autem ubique Ἑλιογάβαλον, ac nè id quidem accuratè. Photius denique Biblioth. p. 52. lin. 7. variantibus aliquatenus exemplaribus, habet partim Ἐλαγάβαλον, partim Ἐλαγάβαλλον. Quod igitur ad etymon attinet, satìs est per se manifestum appellationem istam ex duabus dictionibus cõpositam esse: Quarũ prior, minimè quidé illa difficilis, imposuit tamen cõpluribus vocis similitudine, cùm existimarent vocabulũ illud Græcum esse; siquidé Græci Solem ἥλιον vocant. At istos redarguunt Historici, appellationẽ totam Syriacam asserentes, utrâq; scilicet sui parte. Et Dio ubiq; eam ab ε, vocali brevi, nusquam à longa η inchoat: omnino rectè sané. Ità quippe ferebat natura vocis, quæ planè est Syrorum אלהא, i. *Deus*, amotâ aspirationis literâ ה (quæ Græcis in medio dictionis semper ferè est inimica) & ad sonum *e* vel *i* inflexo priore Camets; fortasse ut nomen Syrum voci ἥλιος quàm maximè assimilaretur. Punctum verò raptum Chateph Pathach (id enim in idiomate quidem Syro magis analogum opinor quàm Cateph Seghol: quod tamen ubiq; Guido Fabricius apponendum curavit Lib. Rit. Severi Patr.) proferri solet à peregrinis instar *a*, vel *e*; Camets autem ut *o*, vel etiam *a*. Itaq; אלהא à Græcis & Latinis vulgò pronunciatur *Elea*, vel *Elio*, aut etiam *Helio* (Nam א aspirationem quandam habet, licèt tenuissimam: eíq; rei indicio est Arabicum הוה ab Hebræo אבה). Fulvio Ursino Not. in Dion. maximè probatur *Ela*, quod in antiquis numismatibus reperitur. Onuphrio Panvinio, *Ala*. Quanquam hoc minùs exactum censet Ursinus; cùm tamen revera meritò exactius ducendum sit. Etenim quàm proximè congruit ad ipsam normam, h. e. ad nativam Syrorum pronunciandi rationem, qui primam syllabam nominis illius per Chateph Pathach, imò per simplex Pathach (uti cernitur in Alphabeto Syrico Widmanstadii) scribere solent, ut אלהא vel *Alaha*, Græcè Ἀλαα, & per crasin Ἀλα. Atq; hinc Onuphrianum *Ala*.

Posterior vox *Gabalus* quid verè sit non adeò facile est explanatu. Haud enim liquidò dixerim utrùm idem sit quod בעלא, antiquus ille & celebris Phœnicum Deus, (Nam ע sæpe prolationem obtinet ipsius *g*. Ut sit *Bagalus*, & per Metathesin (quæ usitata item est) *Gabalus*. Quod si ità sit, huc respexisse videntur qui putárunt Jovem significari, ex vi vocis בעלא, quæ *Dominum* sonat: quale erat Græcorum & Romanorum summum & potentissimum illud Idolum quod *Jovẽ* indigitarunt) an potiùs à חבלא derivetur, quod φθορὰν *corruptionem* significat. Nam Cheth quandoq; literam *g* valet; ut pro חלבנה *galbanum* dicitur: itidémque in aliis multis. Nonnunquam conticescit ח, ut nomen חגי, quod Hebræi aspiratè proferunt, Græci & Latini Ἀγγαῖος & *Aggæus* absq; ulla aspiratione eloquuntur. Atq; ità proximè acceditur ad nomen *Apollinis*. Imò hinc Græcum nomen Ἀπόλλων primùm maximéq; propriè ortum videtur, nempe ex Syro חבולא, resolutâ diphthongo *ou* in *o* breve, literâque sequenti duplicatâ ad diphthongum compensandam. Res autem significata pulcrè convenit. Nam ipsi etiam Græci *Apollinem* (quem Solem ab iis existimari nemo nescit) cognominatum putant (inquit Macrobius Saturnal. l. 1. c. 17. Vide Turneb. Adverl. To. 1. l. 11. c. 8.) ὡς ἀπολλύνα τὰ ζῶα, *quòd perimat animantes*; eúmq; tanquam mortis & interi ûs Præfidem venerantur. Atq; idcirco ipsum arcu & sagittis, quibus mortales configat, instructũ cecinerunt Poetæ, ut observat Ammianus Marcellinus, l. 19. Adde quòd epitheton seu appositum nomen τῆ Πυθίᾳ, quo passim celebratur Apollo, παρὰ τὸ πύθειν ἢ τοι σήπειν, i. *à putrefaciendo*, fabricatum novimus. Id verò, si μυθολογικῶς interpretari libet, ad Pythonem draconem est referendũ qui τοξευθεὶς ὑπὸ Ἀπόλλωνος ἢ σαπὶς, *sagittis confectus ab Apolline in prima infantia* (ut refert Macrobius Saturn. l. 1. c. 17.) *ac deinde putrefactus*, ei cognomen dedit, ut *Pythius* diceretur. Sin φυσιολογικῶς accipere malis, de insita Solis vi est intelligendum. Sol enim putredinis autor à Philosophis statuitur. Σῆψις nempe, sicuti definit Aristoteles Meteorolog. l. 4. c. 1. ὅτι φθορὰ τοῦ ἐν ἑκάστῳ ὑγροῦ οἰκείας καὶ κατὰ φύσιν θερμότητος ὑπ' ἀλλοτρίας θερμότητος· ἄλλη δ' ὅτιν ἡ τοῦ περιέχοντος, *Putredo est corruptio proprii & qui in unoquoq; humido inest nativi caloris à calore alieno illata. Alienus autem hic est calor ambientis*, aeris videlicet. Aerem verò non nisi radiis Solaribus intepescere experimur. *Pythius* igitur vel חבולא, h. e. ὁ φθείρων *corruptor*, cognominatus est Sol quòd Pythonem draconem perimat; nimirum quòd humorem illum insitum, qui unà cũ calore primigenio crassi & infimi mundi hujus corpora quælibet multiplici ac volubili impetu serpens pervadit, corrumpere soleat, dum radiis suis, velut acutissimis sagittis penitus infixis, nativum calorem proliciens atq; immutans putredinẽ inducit. Non ignoro alias quoq; interpretationes excogitatas; sed hanc cæteris antepono.

Quòd autem nuper nostrâs quidam à nomine *Abaddon* deductionem fieri voluit, voce *ex sola natura explicatore*

explicatione (ut ait) *manante*, hoc quidem non est de vocabulis agere (quod proposuerat) sed de rebus ipsis. Deinde pervulgatum est, Apollinem Numen superum ab antiquis censeri, non inferum; præterea ejusmodi autorem corruptionis haberi ut etiam generationis pariter omnis naturalis causa vel maxima potentissimáque prædicetur. Οὐρανὸν καὶ ἥλιον ὡς ἥρωσιν καὶ παῖδας θεογαμεῖσι, *Cœlum & Solem*, inquit Philosophus De gener. animal. lib. 1. c. 2. *tanquam genitores ac patres salutare solent universi*. Denique quid opus per anfractus vocabulum dissonum sectari, cùm rectà sese obvium det omnino consonum, h.e. & sensu & sono quàm simillimum, aut potiùs idem? idque in illo idiomate ubi omnes omnium Deorum apud Græcos origines præcipuè scrutandas esse ipse quoque arbitratur. Neque magìs suspicetur quispiam, cum Græcis linguæ Syriacæ prorsus ignaris, Ἀπόλλων à verbo ἀπόλλω ortum, quàm Κέρβερος à nomine κέρας, Χειμάρρους Κεδρών 2 Sam. 15. 23, &c.

Omnium verò accommodatissima expeditissimáque est Etymologia illa quæ petitur à themate גבל, quod Syris seu Phœnicibus *formare* & *fingere* denotat; scilicet ut *Heliogabalus* nihil aliud sit quàm אלהא גבילא, i. ὁ θεὸς ὁ πλάσας vel ὁ κτίσας, Hebraicè היוצר, h. e. *Deus ille qui omnia finxit aut condidit*. Atque ità testatur Marcellinus lib. 17. appellatum fuisse Solem, nempe κτίσιν ἐπιμυθοῦντες, in obelisco quodam maximo antiquissimis notis hieroglyphicis inscripto, quem ex Heliopolitana Ægypti civitate Romam transferri jussit Constantius Imperator. Marcellini narrationem confirmat apud Eusebium Præp. Euang. l. 3. c. 4. Porphyrius. Is enim vetustas Ægyptiorum opiniones de Deo déque rerum Natura recensens, ait τὸν ἥλιον δημιουργὸν *ipsum Solem opificem* (seu *conditorem*) *universi* ab eorum sapientibus agnoici & prædicari. Itaque in numo impuri illius Antonini, cùm appellatur *Sacerdos Dei Solis Elagabali*, epitheton hoc à *condendi* (ut diximus) aut *creandi* vel *formandi* significatu petitum opportunè accommodatur ad illustrandam & ampl ficandam Numinis Solaris dignitatem: Cujus ipse eandem ob causam se *ministrum* esse magnificè prædicat. Quem splendorem si à *Gabalis*, obscuro scilicet oppidulo (Strab. Geogr. l. 16. p. 503.) arcessere voluisset, perinde foret ac si lucem è tenebris se elicere posse speraisset. Neutri istud, neque Soli, neque Imperatori, gloriæ unquam fuisset, sed dedecori potiùs utrique. Quocirca Tyrii atque Sidonii, Gabalitis vicini Ezec. 27. 9. quamvis urbium longè clarissimarum incolæ, communem eundem Deum non à loco *Tyrium* aut *Sidonium*, sed ab insigni quadam proprietate *Herculem* denominandum censuerunt, Miscel. lib. 2. c. 7. quemadmodum & Gabalitæ ab altera nihilo minùs insigni *Gabulum* vel *Gabalum* appellandum existimarunt. Eóque libentiùs appellasse videntur quòd nomen tutelaris Dei sui cum nomine oppiduli pulcrè concinere observarent. Deperit autem venustas illa appellationis si à loco deducta putetur. Ut & illud taceam, desiderari usitatum genitivi casûs articulum Syriacum ד, qui voci posteriori in ejusmodi locutionibus passim præponi solet. Fruatur tamen qui secùs sentit sensu suo; modò ut nobis, liberis item hominibus, *nec ullius* (hisce præsertim in rebus) *jurare in verba Magistri addictis*, eandem impertire dignetur sentiendi libertatem. Hæc æquissima est, quæque maximè deceat virum eruditum & ingenuis artibus excultum, moderatio. Sed pergendum quò cœpimus.

Orpheus Apollinem (nempe Solem) in Hymno ei dicato *Panem* nuncupat; fortè quoniam *omnes Deos qui sub cœlo sunt ad Solem referunt*, ut Vectius Prætextatus affirmat, Macrob. Saturn. l. 1. c. 17. Rursus Pan iste vel Apollo seu Sol ab eodem Orpheo hoc pacto invocatur Hymno Panis,

Παῖλοφυὲς, γενέτωρ πάντων, πολυώνυμε δαῖμον,
Κοσμοκράτωρ———
Cuncta creans gignénsq; Deus, multísq; celebris
Nominibus, mundi Rector———

Sic Græci vulgò Solem φοῖβον, quasi φαέβιον, dixerunt, quòd *dias in lumine oras*, ut ait Lucretius, cuncta producat.

Ad eundem modum illud ipsum astrum ab iisdem gentibus Orientalibus, Assyriis, inquam, Syrísve ac Phœnicibus, teste Macrobio, Saturnal. lib. 1. cap. 23, & 21. partim *Adad*, partim *Adonis* vocatũ est. *Nominis* ADAD *interpretatio*, inquit ille, *significat* UNUS. Quod quidẽ si ità est, tum monosyllabum utique efferri debet nomen illud. Syri namq; cùm *unum* significare volunt, non *Adad* dicunt geminatâ syllabâ, sed חד *Ad* simplici, omissâ per Aphæresin literâ primâ vocabuli Hebræi אחד. *Adonis* autem cuivis suboleat à voce ארון vel ארוני profluxisse, quâ *Dominus* declaratur. Proh scelus infandum! Majúsne istо aut detestabilius ullum admitti potest sacrilegium, quàm quo gloriosissima illa maximéque propria, Creationis videlicet, Unitatis seu Simplicitatis, & universalis Dominii attributa, sacrosanctæ Omnipotentis Majestati, Satanæ dolo impulsúque erepta creaturæ exornandæ à miseris cæcísque mortalibus accommodantur? Usque adeò *evanuerunt homines in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum*, Rom. 1. 21. Neque frustrà Moses Deut. 4. 19. accuratè monet populum Dei, Israelitas, nè tam horrendo cùm reliquarum gentium; tum nominatim Syrorum, vicinorum suorum, errore atque insaniâ abriperentur, ut qui non ità pridem subitam eorum defectionem fuisset expertus, cùm vilissimo ac turpissimo Ægyptiorum more Vitulum agnoscerent ac prædicarent Liberatorem Exod. 32. 4. eíque sese incurvarent, *mutantes Gloriam suam in formam bovis comedentis herbam*; Psal. 106. 19, 20.

CAP. 15. *De motu Terræ, Cœlique quiete.*

NIcolai Copernici nobilissimi Mathematici libros *Cœlestium Revolutionum* totius Astronomiæ rerúmque pulcerrimarum & scitu dignissimarum locupletem esse thesaurum meritò agnoscimus. Hypothesin verò illam, quam & ipse seriò confirmat & discipuli ejus pertinaciter tuentur, Solis videlicet in universi medio quietem, & Terreni Globi motum circularem, non solùm à communi hominum sensu abhorrere sed (quod multò maximum est) Scripturis S. acerrimè repugnare certò scimus. His si quando premantur, illud unicum est effugium, *Scripturas ex vulgari quadam hominum opinione loqui*. Quod responsum quàm bellè ad omnia quadret, agedum uno aut altero S. literarum loco experiamur.

Longè dulcissimus est Psalmus 104. totúsque constat argumentis ad Deum laudandum aptissimis, quæ petuntur à rerum conditarum Creatione & Conservatione. Unum verò illud præcipuum est quod à Terræ ipsius stabilitate desumitur v. 5. *Fundavit terram super bases suas, nè dimoveretur in seculum & perpetuum*. Tribus hìc argumentis perpetuam ideóque innatam & naturalem Terræ seu Terreni globi stabilitatem demonstrat Propheta: Quorum primum *fundandi* verbo haud obscurè indicatur. Quis enim ignorat id tantùm verè *fundatum* dici quod locum non mutat sed in sede sua immotum quiescit firmúmque ac fixum manet, ut in palatiis, templis reliquísque magnificis ædificiis maximè cernimus. Cùm igitur audiamus *fundatam terram* (h. e. *altâ mole solidatam*, interprete Hieronymo Zach. 12. 1.) stabilem pariter agnoscamus necesse est. Neque id satís. Additur præterea, *fundatam eam esse super bases suas*. Ità namque vocabulum מכינות alibi redditur à Græcis Interpretibus doctissimis Jer. 52. 17. Βάσις autem (inquit Hesychius eruditissimus Lexicographus) valet στήριγμα, ἕδρα, στάσις, i. *stabilimentum, firmam sedem*, & *statum* seu *quietem*: quæ omnia pulcrè respondent derivationi vocis Hebraicæ. Verbum quippe כון (unde מכינה) significat ἑδράζειν. Sic enim illud transtulit Aquila interpres accuratissimus. Quod autem est ἀδραμύον, i. *loco suo firmatum*, idem βέβαιον seu πάγιον, h. e. *firmum* seu *fixum*, exponit Suidas: cui consentit etiam Hesychius. Vocabulum igitur Hebræum peculiarem habet emphasin. Itaq; illud aliquoties ἀνερμήνευτον posuerunt Interpretes Græci, in singulari quidem ἡ μεχωνὰ, in plurali verò αἱ μεχωνὼθ scribentes. Ejus autem vim commodè exprimit nomen ἕδρα paùlò antè ex Hesychio citatum, atq; hìc etiam specialiter ad-

hibitum ab Aquila & Symmacho simul, uno eodémque interpretamento, ὅτι τῆς ἴδρας αὐτῆς · quod prætermissum in Bibliis Græcis Romæ excusis, nuper nobis suppeditavit Græca Chrysostomi editio Etonensis, quàm emendatissima profectò & politissima splendidissimáque, Expos. in Psal. 104. inscript. Chrysost. To. 1. pag. 945. Opinor tamen initio scriptum ὅτι τὰς ἴδρας αὐτῆς, *super sedes suas*, pluraliter; ut cum archetypo ad amussim conveniat. Jam verò quoniam *fundata est Terra*, non *super basin*, unam videlicet, sed *bases*, plurimas scilicet aut potiùs innumeras, quomodo non immota consistat loco eodē Terra omnigenà firmitate stabilita? quare sententiam magìs quàm verba sectati Lxx verterunt ὅτι ἡ ἀσφάλεια αὐτῆς *super firmitatem suam*, multiplicem nempe; quod numerus pluralis in Hebræo innuit. Ut indè intelligeremus absolutissimam Terreni globi stabilitatem. Atque eodèm mihi semper pertinere visa est vox בלימה apud Jobum 26.7. quam Judæi, præsertim recentiores, compositam esse existimarunt ex בלי particula negativa & מה significante *quid* seu *aliquid*: Quibus astipulantur reliqui omnes tam Græci quàm Latini, οὐδὲν & *nihilum* interpretati. Cæterùm cùm rara admodum sit hujusmodi compositio apud Hebræos, & ab ipso themate בלם facillima sit deductio, consentaneum sanè est ut hanc potiùs amplectamur. Liquet enim בלם Hebræis Syrísque significare φιμῶν, ἀγχεῖν, i. *arctè constringere, suffocantis videlicet in morem*, 1 Cor. 9.9. Psal. 32.9. Hinc secundùm formam אביזה fit nomen בלימה, quod denotet veluti ἀγκύλην seu *fibulā*, aut vinculū illud validissimum quo undiq; constricta tenetur Terra nè loco suo moveri queat ullam in partē. At quid hoc aliud est quàm vis illa ἐδραιότητος & ἀκινησίας Divinitus insita & per totum Telluris globum disseminata? Id verò eximiè, meo sanè judicio, comprobat versio Arabica באסתי תאקחא quà suprà allatū Paraphrastes expressit. Neq; enim *soliditatē* aut *firmitatē* modò significat, sed etiam primò ac propriè *vim* quandam *astrictoriam*, quâ factum est ut firmitatem illam seu stabilitatem nanciscatur; q.d. *super firmitatē suam multiplicē ex ingenita stabiliendi & ad unum locū valentissimè sese astringendi facultate procreatam*. Atq; hæc firmatrix (ut ità loquar) virtus cùm ex essentiali Terrestris orbis forma emanet, haud temere *eundem super seipsum fundatum esse* ait Euthymius, aut si editionem Etonensem sequemur, Chrysostomus, vel potiùs Theodoretus, [Expos. M.S. Coll. Magdal. in Psal. 104.] αὐτὸν γὰρ ἐφ' ἑαυτῶν ἐδραίας δέδωκεν αὐτῇ τὸ ἀκίνητον, *Deus enim terræ super seipsā stabilitæ vim illā immobilitatis indidit*. Quid multa? Quod postremò sequitur omnem prorsus motum localē vehementiùs excludit. Quippe ait בל תמוט, i. *nè dimoveretur*, vel *levissimo minimóve motu quoquoversum ferretur*. Sæpe namq; attribuitur verbum מוט *pedum labentium vacillationi* vel *titubationi*; cui è regione opponitur status immobilis rei firmiter hærentis eodem semper loco. Adeóq; apud Prophetam de *re clavis confixa, nè locum usquam mutet*, dicitur לא ימוט, Isa. 41.7. q.d. *id eò fieri nè dimoveatur*. Clavorum porrò instar in Terræ sphæra sunt המכונות seu *bases* illæ, nimirum multiplex illa quæ in ea ubiq; viget virtus כולמת vel ἑφεκτικὴ motûs omnis: unde evenit ut, superioribus corporibus universis variâ, admirandâ & jugi celeriter circumrotatis, ipsa perpetuò eodèm loci consistat, & tanquam centrum, motûs expers, in Mundi medio quiescat. Si quis hoc specie tenus fieri dicat, næ is egregiū se δοκησίσοφον prodit. Nam eâdem ratione neget oportet & reliqua omnia ejusdem generis quæ ibi recitantur, non imaginaria sed solidissima verissimáq; Naturæ opera, eáq; in cerebri sui phasmata & spectra mortalium stolidissimus transformet.

Non minùs perspicuum testimonium de Terræ quiete exstat apud Ecclesiasten. 1.4. *Terra*, inquit, *in seculum stat*, nempe sede suâ immota fixáque, citra quamcunq; loci mutationē, tanquâ commune centrum totius machinæ mundi hujus corruptibilis; cùm reliqua cuncta quæ vel incolunt terram, ut *genus Humanū*, vel adhærent, ut *mare* & *flumina*, vel ambiunt atq; circumeunt, ut *aer ventúsq;*, præcipuè verò cœlestia corpora, & eorū lampas longè splēdidissima lucísq; universæ fons perennis, Sol ipse, perpetuis motibus sint obnoxia. Quibus tandē motibus? Quidni localibus? nec enim, opinor, negabit ullus cui vel mica sanæ mentis inest. Quare istiusmodi privata est terra. Verè igitur immobilis. Hìc siquis Copernici discipulus asserat Solem loco uno immotum hærere, contrà Terram in orbem volvi, nónne incomparabili Salomonis sapientiæ, imò æternæ verbi Divini veritati turpissimè repugnaret? Atqui, *Oritur Sol*, i. videtur oriri; item, *Stat Terra*, i. videtur stare: Bellè scilicet! Quamobrem dicas itidem necesse est, Ventum spirantem, Aerem permeantem, Flumina labentia, reliquáque naturæ lege mobilia, non reipsa sed falsâ hominum existimatione moveri; ut te uno ore omnes vel Anticyram ablegent, vel ad agnatos & gentiles deducendum censeant.

Quid, obsecro, apertius infatigabili Solis cursu ex Psalmo illo Davidis mellitissimo? *Soli* (inquit Ps. 19. 4, &c.) *disposuit tentorium in cœlis. Nam est tanquam sponsus prodiens è thalamo suo: lætatur tanquā robustus decursurus viam. Ab extremitate cœlorū exitus ejus, & revolutio ejus ad extremitates eorum est. Nec est quod abscondatur à calore ejus.* Hisce verbis non tam narrat quàm depingit Propheta curriculi Solaris circuitū periodicum, quis & qualis sit, eúmq; illustribus exemplis declarat glorioſissimum juxtà ac rapidissimum esse. Mox finem adjicit admirabilis istius circuitûs; nempe eo commodissimè diffundi lucē atq; calorem in omnes terræ regiones. Quamvìs enim Terra per se immobilis ad cœlestes illius radios se convertere nequeat, Solis tamen undiq; accessu facillimè effici ut loco suo immota consistens illustretur, caloríſq; vitalis beneficio ubiq; fruatur, etiam in occultissimis suis plagis, quales sunt polares, hinc ad Septentrionem, quas idcirco generatim nomine צפון complectitur Scriptura quòd sint *abstrusæ atq; recondita*, illinc ad Meridiem, quas ideo חדרי חמן, Νότου ταμεῖα h. e. κρύφια οἰκήματα (ità namq; ab Hesychio exponitur vox ταμεῖα) nempe *Penetralia Austri*, elegantissimè Jobus appellat 9. 9. Porrò repetita crambe de *motu Solis apparente, qui reapse non sit*, putidissima est. Constat enim ipso statim initio Prophetam testari se non acturum de evanidis hominum imaginationibus, quæ nihili sunt, sed de amplissimis operibus manuum Dei ipsius, quæ vera sunt, certa, sincera, solida, ac proinde ad sacrosanctam ejus Majestatem celebrandam accommodatissima.

Libenter quærā ex istis hominibus, quid tandē arbitrentur Miraculum esse? Nónne id quod Naturæ ordini adversatur? Atqui tanquā ingens miraculum narratur quòd Josuâ Divinitus jubente, 10.12, 13, 14. *Sol steterit in medio cœli, nec festinarit ad occasum, quasi diem integrū*. Motus igitur, idémq; celerrimus, Solis naturæ maximè cōsentaneus est. Ergò mōstrosum est figmentum eorū qui motum Soli auferunt, quē Terræ tribuant. Perinde enim est ac si *Cœlum Terræ miscerent* (ut tritum est sermone proverbium) aut *sursum flumina ferri* docerent. Quare summè opus est profectò ut excutiant Theologi & spongiis deleant aniles istas de tā stupida Solis cessatione & rapida Terræ gyratione fabulas ab inconsideratis quibusdam planéq; Ethnicis Philosophis, Divinæ veritatis ignaris, & ea in re plusquam absurdis, mutuatas; item ut moneant quosdam qui Christianorum nomine meritò gloriantur, nè more Archimedis, præclaris alioquin aliquot suis inventis quasi ἐνθουσιάζοντες, abripiantur nescio quos in specus, sed sapiant ad sobrietatem, uti veros decet Philosophos, memores veteris dicti, *Nè sutor ultra crepidam*, &,

——Quod medicorum est
Promittant medici ——

CAP. 16. *De Nomine* Astrologi *in Scripturis occurrente.*

SUnt qui ἀστρολογίαν Astrologicam præclarè se tutatos putant si nè nomen quidem *Astrologi* in Scripturis sacris, Veteris præsertim Instrumenti, reperiri posse contendant. Qua in re egregiam nuper operam navarunt Astrologis nostrates quidam Academici, adhibito magno verborum apparatu, singulari argumentorum artificio, & Hebraicæ etiam veritatis speciosâ investigatione. Primùm prolixo admodum sermone & planè stomachoso negant מעוננים ullâ ratione *Planetarios* significare. Ac tantùm

non

non Auguſtino ipſi indignantur, quem illius nominis fuiſſe autorem ſuſpicari videntur. Picum autē cum ſuo Achinna parvi faciunt. Nec injuriâ. Illum enim, utpote Aſtrologicarum nugarum hoſtem acerrimum, earundem patronos rejicere nemo miretur: Hunc verò, unà cum ipſis, nos quoque rejicimus, nempe ridiculum & inane hominis ſimulacrum, qui nunquam aut vixerit aut à doctiſſimo viro adductus fuerit. Nam cùm Picus *Akibas* vel *Akivas* ſcripſiſſet, librarius mendosè *Achinnas* excepit, proclivi lapſu *u* in *n* mutato. Siquidem ab Hebræis עקיבא, Doctor ille dicitur, q.d. ὁ ἀνακείλων, vel potiùs ὁ ἀνακείλιδος, & ἐξετασιδὸς, aut ἐξέλασις, i. *explorator* vel *inquiſitor*; aut *explorandi, inquirendi*, vel *examinandi, facultate pollens*. Atque ità Kimchius Rad. עין, & nomen Rabbini iſtius & ſententiam tradit, רבי עקיבא אומר זה המחשב עתים ושעות ואומר היום יפה לצאת למחר יפה ליקח: *R. Akibas ait hunc* (מעונן) *eum eſſe qui ſupputat tempora & horas, dicítq;, Hodie fauſtum eſt procedere, Cras fauſtum erit accipere.* Deductio hæc manifeſta eſt. Nam עונה à עון derivatum (unde מעונן) in Textu ſacro & apud Rabbinos denotat זמן, h.e. *opportunitatem*, καιρὸν, & עת קבוע, *tempus ſtatutum*. מעונן igitur is eſt qui conſtituta & definita tempora boni vel mali, læti vel triſtis, proſperi vel calamitoſi eventûs in omni negotio aggrediendo, videlicet in vita inſtituenda, itinere ſuſcipiendo, conjugio contrahendo, legatione obeunda, bello gerendo, reliquíſque tot & tam variis caſibus privatis & publicis (qui mortalibus accidere ſolent) ex arte præſcire, & conſulentibus ſe prædicere poſſe profitetur. Hæc eadem omnia cùm ſe prænoſcere glorietur Aſtrologus cœleſtium quidem corporum cunctorum motu poſitúque, maximè verò Planetarum, à quibus illa præcipuè effici quoque contendit, nemo æqui paulò amantior negaverit מעונן non ineptè *Aſtrologum*, vel etiam Metonymicè *Planetarium*, reddi poſſe. Quamvis autem non ignorem מעונן quandoque ὑποθεγγόμενον, ut Mich. 5.12. ſæpius κληδονιζόμενον à Græcis transferri (quaſi deducatur à themate ענן ordinis duplicantiū, quod eandem habeat ſignificationem quam & ענה, h.e. *reſpondendi, fandi* vel *proloquendi*, quemadmodum ſæpe fit in lingua Hebræa) longè tamen potior eſt eorum ſententia qui à עון derivandum cenſent: nam expeditior eſt & dilucidior; ſiquidem certa eſt & in promptu hujus ſignificandi ratio antè expoſita, illius non item. Deinde adeò jejuna eſt, exilis & vulgaris ἡ κληδονισμὸς vel *ominum* obſervatio ut celeberrimam quandam artem (qualis fuiſſe videtur illa המעוננים) apud clariſſimas & prudentiſſimas gentes, Ægyptios nimirum, Palæſtinos, & hujuſmodi, conſtituere vix ſit credibile eam unquam valuiſſe. Hinc igitur, alibi aliò confugerunt Græci interpretes, ut מעונן modò ὀρνιθοσκόπον, Lev. 19.26. modò οἰωνιζόμενον, Jer. 27.9. vertendum judicarint, utrâque voce *augurem* ſignificante, qui ex volatu cantúq; & paſtu avium futura prædicebat. Itaque etymologia à nomine ענן petenda erit, quod *nubem* denotat; quoniam eò potiſſimùm intenti ſunt oculi המעוננים, ad proximam videlicet hanc expanſi regionem, quam *cœli* etiam nomine frequentiſſimè appellat Scriptura. Valde igitur confinis eſt Augur Aſtrologo, & nihilo ferè minùs quàm hic quondam celebratus artifex. Itaque tanquam clariſſimum divinorum par, conſimilis præſagiendi & futura prædicendi vanitatis conſortium, à Cicerone nominatim copulantur in Epiſtola quadam ad A. Cæcinam Augurem egregium ſcripta, Epiſt. ad Famil. lib. 6. 6. Porrò cùm nubibus ſimul & avibus communis ſit infima aeris regio, ab illis potiùs appellationem apud Hebræos conjiciat quis Augures ſortitos, ut מעוננים dicerentur, non ſolùm propter templum illud aereum lituo (quod Auguratûs erat inſigne) ad auſpicia captanda undique deſignatum, ſed etiam in diſciplinæ ipſius contemptum majorem. Nam מעוננים, ſi verbum è verbo exprimere volueris, planè *nebulones* ſonat, ἀπὸ τῆς νεφελῶν vel (quod idem omnino eſt) à *nebulis* nuncupatos; nempe quòd inſignes eſſent impoſtores, variiſque ſtrophis & offutiis, more *præſtigiatorum* (ut & alii tranſtulere) callidè, obſcurè aut ambiguè reſponſorum, mendacia ſua velarent, quaſi totidem *nebulis*, atq; ità nihil aliud quàm *nebulas*, h.e. fumos, hominibus paſſim venditarent. Id verò an in Aſtrologos etiam, artem ſcilicet Aſtrologicam factitantes, aptè quadret, non eſt difficile cognitu.

Cæterùm objicitur ex Iſai. 57.3. בני עוננה. ubi vulgata Græcorum editio habet ὑοὶ ἄνομοι, tanquam à עון, i. ἀνομία, derivatâ voce; cùm tamen ſciant eruditi עון à עוה formari, & Nun ejuſdem radicale ſeu thematicum non eſſe. Vulgata verò Latinorum ſatis quidem peritè, *filii auguratricis*, Symmachi veſtigiis inhærens, teſte Hieronymo, Comment. in Eſai. l. 16. c. 57. *Theodotio*, inquit, *ipſum verbum Hebraicum poſuit* עוננה *ὠνωὰ, quod nos juxta Symmachum in Auguratricem vertimus*, h. e. Latinè reddidimus *auguratricem*; ut hoc obiter lectorem moneam, nè deceptus forſitan Annotatiunculâ quadam Bibliorum Francofurtenſium Symmachum ſcripſiſſe autumet ὑοὶ ἀνοιωνιστρίας, quod ibi pro illius interpretamento ponitur. Ridiculum ſanè vocabulum, quódq; ei nè per ſomnium quidem unquam in mentem venit. Quinimo erratum eſt apertum, ex Hieronymi verbis temere arreptis ortum. Neq; enim *inauguratrix* (ut indè fingatur ἀνοιωνίστρια) conjunctim & in compoſitione dicitur, ſed ſeparatim & extra compoſitionem, præpoſitione cum ſuo caſu conſtructâ, *in auguratricem*. Igitur utrovis modo intelligatur *auguratrix* iſta, nempe *quæ auguretur* ſive *ex avibus*, quæ infra nubes ſunt, ſive *ex aſtris*, quæ ſupra (atq; id nunc agimus) planè infirmum eſt quod objicitur.

Nam ut demus, feminas non ſolere paſſim Aſtrologiæ operam dare, an ideo negabitur unam aut alteram aliquando aut dediſſe, aut dare potuiſſe? Certè totius Philoſophiæ (quod multò maximum eſt) peritiſſimas fuiſſe nonnullas notiſſimum eſt: quidni etiam Aſtrologiæ? Nam & curioſas plùs ſatis eſſe quotidie experimur, eóque aptiores ad iſtius περιεργίας ſtudia capeſſenda. Verùm enimvero nihil opus eſt hâc reſponſione. Metaphorica quippe locutio Prophetæ eſt, non propria, conſimilis illi, *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Chittæa*, Ezec. 16.3. *Id dicitur propter imitationem*, inquit Munſterus. Atque ità hoc in loco, *Pater tuus adulter, mater tua* עוננה, i. *ſuperſtitioſa temporum obſervatrix*, q.d. Eò vehementiùs dediti eſtis corruptelis & inquinamentis cùm corporalibus tum ſpiritualibus, maximè autem Aſtrologicis divinationibus, quoniam hereditarium eſt malum iſtud, à majoribus veſtris ad vos propagatum & deductum. Idcóque non veſtrâ ſolummodo pravitate ſed perditiſſimo majorum exemplo & æmulatione ſtimulamini. Hebræorum mos eſt ut de univerſitate aliqua, v.g. de regione, republica aut civitate, verba facientes, ſæpe femineum genus uſurpent. עוננה igitur femineo genere ponitur; non quòd femina ulla hanc artem aliquando ſit profeſſa, ſed quia gens Judaica, muliebris ſexûs imagine à Propheta repræſentata, his ineptiis indè à majoribus ſemper mancipata fuerat: Id quod teſtantur Solis equi & altaria militiæ cœli conſecrata. At nos, inquies, tantam támque horrendam impietatem non defendimus. Bona verba. Fateor, inquam, ex animo. Diſcrepatis quippe ſecundùm magis & minús. Neque enim Stoïcorum more peccata æqualia aſſerimus.

Sin iſta minùs placent, quid ſi dicamus Aſtrologum eſſe הידעוני? quem antiquiſſimum & magni nominis olim apud Hebræos alióſque Orientales populos artificem fuiſſe legimus. Sanè ſi appellationem ipſam ſpectes, nihil ferè propiùs abeſt. Nam vocabulum הידעוני *divinus* transfertur à Vulgato interprete Deut. 18.11. Levit. 20.27. à LXX autem expreſſiùs γνώστης, 1 Sam. 28.3. & 2 Reg. 21.6, &c. Porrò Hebræos, quòd præpoſitionum compoſitione careant, voce ſimplici compoſitæ quoq; vim complecti ſæpenumerò comperias. Erit igitur הידעוני ὁ γνώστης vel ὁ προγνώστης, qualē ſe profitetur Aſtrologus. Verùm cōtinuò excipiet idē, ſe nō προγνώστην eſſe ſimpliciter ſed προγνώστην δι' ἀσφαλείας. Optimè. Nam vel hac potiſſimùm de cauſa κατ' ἐξοχὴν dictus eſt is προγνώστης ob artificioſiſſimam ſcilicet, illuſtriſſimam & accuratiſſimam futurorū contingentium præſcientiā & prænunciandi rationem. Tam admirabilis ſiquidem eſt cœleſtiū motuum ἀπλανεία, cœlorū autem ipſorum tam ſublimis & latè conſpicua majeſtas, horum denique ſcientiæ,

quæ *Aſtronomia* dicitur, tanta ſubtilitas, quam miniſtram ſe adhibere in divinationibus ſuis jactitabant Aſtrologi, ut eminentiſſimum ipſis dignitatis gradum conciliarit. Quid quòd permultis poſtea ſeculis ſeſe ſuámque artem ambitioſiùs oſtentando in vulgus uſque adeò profecerunt ut ipſi ſoli clariſſimo *Mathematicorum* nomine ſalutarentur, quaſi ipſi ſoli poſſent μανθάνειν (quod idem valet atque ידע apud Hebræos, unde ידעוני) i. *intelligere ac percipere* abſtruſiſſima quæque, aut ſaltem ac ſi totius Matheſeos, *artis reconditæ*, ut ait Cicero De Orat. lib. 1. *multiplicis & ſubtiliſſimæ*, vis omnis virtúſque penès eos eſſet; ipſi nucleo fruerentur, reliqui putamina eſitarent, ut qui ſoli finem adepti eſſent ad quem cæteri contenderent duntaxat.

Quòd autem הידעוני ſeu *prognoſtes* iſte perpetuum ferè comitem adjunctum habet אוב, i. *Pythonem, Pythonicum* aut *Magum*, non ab re id factum comperiemus, ſi meminerimus Magos ità neceſſarium hujus artis uſum ſibi putaſſe ut *Magiæ clavem* Aſtrologiam appellarint, Picus adverſ. Aſtrologos, l. 2. c. 5. Plinius lib. 30. c. 2. refert Oſthanem, Magorum alterum coryphæum, (qui Xerxem bello Græco comitatus, & de Magica primus eſt commentatus) literis prodidiſſe, non ſolùm illam eſſe Magiæ ſpeciem quæ ex *umbrarum inferorúmque colloquiis*, ſed illam etiam quæ *ex ſtellis divinationem promittit*. Nullus hîc eſt tergiverſandi locus. Palàm quippe eſt Magiam (infamem, inquam, iſtam) & ἱερομαντικὴν & ἀερομαντικὴν, tanquam gemellas ſorores, cum multis item aliis ejuſdem naturæ ſororculis, jam indè ab initio fuiſſe enixam. Deinde divinatores Pythonici conſuluerunt Deos inferos; *Vidi Deos*, inquit Pythoniſſa 1 Sam. 28. 13. *aſcendentes e terra:* Aſtrologici verò ſuperos. Quis enim ignorat inſignem veterum ἀστρολατρείαν; cujus etiamnum manifeſta paſſim exſtant veſtigia, & Aſtrologicis divinatiunculis haud parùm corroborantur. Nam quas ob vires (utcunque commentitias) priſci mortales militiam cœli, Saturnum dico, Jovem, Martem, &c. coluerunt, eaſdem plurimas agnoſcunt Aſtrologi; adeò ut quamvis idololatricos cœleſtium corporum cultus ex animo deteſtentur, idololatrica tamen antiquorum Babyloniorum figmenta mordicus retineant. Multùm hodie quidem fatemur repurgatam Aſtrologiam & quaſi circumciſam. Utinam expurgatam porrò videamus atque exciſam. Quid enim paleæ cum tritico? h. e. inaniſſimo commento cum ſolidiſſimis nobiliſſimiſque ſcientiis? Ad extremum id velim obſervet Aſtrologus quòd ſuus iſte ידעוני vel προγνώστης alicubi non ſolùm anteambulones habet *Pythones*, ſed etiam pediſſequos ipſos *Teraphim*, ut 2 Reg. 23. 24. Id enim fit,

Primo nè medium, medio nè diſcrepet imum,

quod facilè mihi ſpero aſſentietur Lector candidus ſi quid ſit propriè תרף cognoverit. Atque hoc malim ex Sebaſtiano Munſtero, optimo viro artiúmque Mathematicarum & Hebraicæ linguæ doctiſſimo, quàm ex me diſcat. *Venit hoc nomen* (inquit ille Annot. in Gen. 37. 19.) *à verbo* רפה, *quod* diſſolvere *ſignificat & ceſſare. Erant enim Teraphim imagines* (μορφώματα *Aquila vertit* Hier. Quæſt. in Gen.) *juxta quarum inſpectionem Gentes faciebant vel omittebant opus. Hujuſmodi figuras & imagines quidam Aſtrologi facere ſolent ſub certis conſtellationibus, putantes illas capaces cœleſtium influxuum.* Itaque Selomoh Jarhi illuſtris Rabbinus confirmat, imagines Teraphim cum accurata certæ cujuſdam horæ obſervatione & diſpoſitione fuiſſe fabricatas. Aſtipulatur item Kimchius Comment. in Hoſ. 3. 4. הם צלמים יראו בהם העתידות, i. Teraphim *imagines erant per quas prævidere ſolebant res futuras.* Cujus generis fuiſſe videntur ξόανα illa, i. *ſimulacra brevia*, apud Latinos, quæ à veteribus quondam portabantur in lecticis (autore Servio Æneid. 6.) & ab ipſis mota infundebant vaticinationem. Huic porrò deſcriptioni quam tradit Kimchius ipſa conſideratio perſonæ Labanis Teraphimorum illorum domini multò antiquiſſimi haud ineptè congruit. Notum quippe eſt eum genere Chaldæum fuiſſe; oriundum igitur ex gente Aſtrologicis vanitatibus deditiſſima. Quocirca quando Rex Babylonis Ezech. 21. 21. *conſuluit Teraphim* de futuro expeditionis ſuæ eventu, non novam aliquam aut peregrinam adhibuit divinandi rationem, ſed vetuſtam & vernaculam, gentíſque ſuæ, Chaldæorum nempe ſive Babyloniorum, propriam. A quibus tandem latiùs ſerpſit Idolum Taraph, tanquam Διοσκοῦροι quoddam, aut certè ἀφροδισιτὸς, ad alias etiam nationes, unà cum μαθηματοτεχνίᾳ Planetariorum illius procreatrice. Adhæc, quoniam in morbis ſanandis, præſertim deploratis, non ſecùs atque rebus futuris prædicendis, miraculoſa quædam vis & Divina prorſus elucere agnoſcitur, eodèm quoque imagines ſuas ἀφροδισιάσας, h. e. *virtute cœlitus illapsâ perfuſas*, accommodare non dubitarunt Aſtrologi. Si teſtem quis deſiderat, ſatìs confidentem audiat Galeottum Martium Narnienſem De doctrina promiſcua, c. 24. *Imago Leonis*, inquit, *in auro impreſſa, cùm Sol tuberonem, h. e. cor ſigni Leonis, obtinet, cæteris etiam animadverſis, dolori renum ſubvenit, ut Mathematici aſſerunt, & experientia, h. e. ex uſu nata doctrina, confirmat. Et ſicuti de hac imagine nunc loquor, ità de cæteris cenſendum eſt. Plurimæ enim ſunt tales imagines Aſtrologicè formatæ, materiâ temporéque differentes, quæ morbos, & ancipites quidem, ſuâ poteſtate ac vi aut fugant, aut leniunt, aut curant.* Scio המעינן & הידעוני alicubi ſimul recenſeri eodem catalogo, ut Deut. 18. 10, 11. unde & diſcrepare inter ſe colligat aliquis. At quid tum poſtea? an igitur eundem artificem non deſignabunt? Illud verò minimè conſectarium arbitror: e. c. Eundem omnino vulgus appellabat & *Chaldæum* & *Mathematicum*, hominem ſcilicet per aſtra divinandi curioſitatem exercentem. Hic ſi nomina ſpectes, diverſiſſima ſunt; ſin rem ipſam, in eandem perſonam conveniunt, Aſtrologum videlicet ſeu Genethliacum. Nihilominus utrumque nomen ab Imperatore pariter commemoratur in eadem lege, Cod. lib. 9. tit. 18. l. 5. ad omnem nimirum ambiguitatem accuratiùs excludendam. Quod paſſim factitare ſolent legumlatores. Porrò rem, perſonámve eandem, vel artificem, apud Latinos, vel Hebræos, vel quaſcunque alios gentes, alia atque alia ſortiri poſſe nomina, partim variis reſpectibus, partim aſcitis etiam exteris appellationibus, notius eſt quàm ut pluribus monere ſit opus.

Pergam igitur ad alia duo, quæ ſuperſunt, nomina: quorum alterum identidem occurrit apud Danielem. Appellantur enim Aſtrologi כשדים à Propheta c. 2. 2, 4. &c. Quod quamvis negetur a quibuſdam, non deſunt tamen argumenta firma & perſpicua quibus probetur. Ac primùm producere libet Strabonem, auctorem gravem & locupletem; qui lib. 6. teſtatur *conſtitutam eſſe habitationem peculiarem in Babylonia Philoſophis indigenis, plurimùm Aſtronomiam tractantibus, qui Chaldæi appellantur. Sunt ex eis* (inquit) *qui è natalibus hominum eventura iis vaticinari ſe profiteantur: ſed à cæteris non probantur.* Hic quatuor ſunt animadvertenda. 1. Chaldæos indè ab ultima antiquitate Philoſophiæ rerúmque naturalium contemplationi deditos fuiſſe. 2. Singularem & præcipuam operam in Aſtronomia ſeu corporum motuúmque cœleſtium obſervatione ab iis poſitam. 3. Horum ſectam quandam omnem laborem impendiſſe Aſtrologicis futurorum contingentium per totam vitam humanam prædictionibus, eóque univerſam Aſtronomicam conſiderationem retuliſſe. 4. Hanc itiorum diſciplinam cæteros improbaſſe & rejeciſſe, ut quæ rectum Philoſophiæ atque Aſtronomiæ uſum detorqueret ac perverteret. Hinc Lector facilè intelligat qualia fuerint Aſtrologiæ incunabula, & ut ipſo ſtatim initio veri Philoſophi atque Aſtronomi eam exploſerint. Sed omittamus iſta. Illud inprimis tenendum, *Chaldæos*, i. viros doctrinæ & ſapientiæ opinione claros apud Babylonios, in tres ordines fuiſſe diſtributos, *Philoſophorum, Aſtronomorum*, & *Aſtrologorum*. Cùm itaque Rex accerſi juberet *Chaldæos*, Dan. 2. 2. de duobus prioribus hoc accipi minimè debet, quippe qui id non profiterentur quod ille poſtulabat, præſentionem nimirum & prædictionem rerum futurarum in maximè

maximè fortuitis vitæ humanæ eventibus. Restat ergò ut Astrologos adductos dicamus; quos absolutè *Chaldæos* more Babyloniorum & Syrorum familiari appellat Daniel. Nam cùm à consuetudine usúque vulgari (qui in imponendis nominibus primas obtinet) semper remotissima esset Philosophorum & Astronomorum professio contemplativa, Astrologi verò ad infinitam vitæ humanæ praxin sese applicantes ingenti hiatu ea promitterent se prænunciaturos universa quorum notitiam maximè expetebat vana mortalitas, hinc ad Astrologos summo studio undique concursum est. Itaque istorum elatio reliquorum luminibus facilè continuò obstruxit, soli ut *Chaldæi* per excellentiam ipsi ubique appellarentur, utpote in maxima celebritate viventes, delitescentibus quasi in obscuro aliis; omnino prout de altero illo *Mathematicorum* nomine suprà est dictum. Hinc etiam in celeberrimo illo apud Regē conventu, Dan. 2. 4, 5, &c. soli subindè nominantur *Chaldæi*, singulares scilicet homines auctoritate atque existimatione omnium, cùm reliqui interea divinatores, qui aderant frequentes, tanquam καφὰ σφίσματα, nihili præ illis fierent. Et sanè quis non augustos cœli interpretes (cujusmodi tum habebantur Chaldæi isti) summâ veneratione meritò prosequendos judicaret? Huc accedit gentium illarum consensus, quæ unà cum arte Astrologica *Chaldæi* etiam nomen ad Astrologum designandum à Babyloniis Syrísque acceperunt. Insigne habemus Ciceronis testimonium De Divinat. l. 1. *Chaldæi*, inquit, *non ex artis sed ex gentis vocabulo nominati, diuturnâ observatione siderum scientiam putantur effecisse, ut prædici posset quid cuique eventurum, & quo quisque fato natus esset.* Audis *Chaldæum* artificem esse ejusmodi qui omnem Astronomicam observationem ad futurorum contingentium præsensionem venandam referat: At is purus putus est Astrologus præterea nemo. Dictum porrò ait Astrologum ab ortûs sui loco *Chaldæum*, perinde ut à *Phrygia Phrygionem* nuncupatum narrat Plinius l. 8. c. 48. quod ibi ars illa acu pingendi primùm inventa fuerit. Aben Ezra magni nominis Rabbinus exponit apud Kimchium Rad. כשף quinam sint *Chaldæi*, הכשדים הם חכמי המזלות *homines* videlicet *periti sideralis* (quam vocant) *scientiæ*. Item, *qui norunt futura ex arte sua, contemplatione genitura*. q. d. *Chaldæus nihil est aliud quàm divinator genethliacus*. Cui assentitur Hieronymus Comment. in 2. Dan. *Porrò* (inquit) *in Chaldæis γενεθλιαλόγους significari puto, quos vulgus Mathematicos vocat.* Eidem tanquam appendix accedat Gellius, cujus hæc sunt verba, Noct. Att. l. 14. c. 1. *Adversùm istos qui sese Chaldæos seu Genethliacos appellant, ac de motu déque positu stellarum dicere posse quæ futura sunt profitentur, audivimus quondam Favorinum Philosophum Romæ Græcè disserentem*, &c. Hîc manifestum est ex particula *seu* interposita eosdem omnino esse *Chaldæos* & *Genethliacos*, vel etiam Astrologos; item ex vocula *sese* nomen *Chaldæi* peculiare fuisse Astrologo, nec temere ex trivio arreptum, sed ab ipso Astrologo de sese usurpatum. Idcirco idem alibi multò asseverantiùs loquitur, *Vulgus* (inquit l. 1. c. 9.) *quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit.* Quare, Gellio teste, *Mathematici* quidem nomen novitium est atque alienum, *Chaldæi* autem antiquâ origine proprium est Astrologi, quo verè rectéque appellari eum *oporteat*. Quæ contrà afferuntur omittimus uti infirma. Nos apertis veterum testimoniis nitimur.

Quartum Astrologi nomen periphrasticum est, & triplici modo enunciatur ab Esaia in illustri illa de Babylone, Astrologorum antiquissima Metropoli, Prophetia, cap. 47. 13. Vocatur enim ibi Astrologus חובר השמים, deinde adjicitur quasi ἐξηγητικῶς החזוה בכוכבים, & mox מודיע לחדשים. Cognomentum primum חובר השמים alius *Contemplatorem*, *Observatorem* alius, alius denique *Scrutatorem Cœlorum* reddidit. Lxx verò clarè *Astrologum*. Atque hæc nominis istius ratio est quam ex idiomate Arabico ostendit Kimchius. Ibi quippe חבר *decîdere* significat, sive *decernere*. Ergò חובר השמים *is est*, inquit, *qui ex præstituto stellarum rem decidit*, sive *decernit*, h. e. qui artem sibi quandam assumsit cœli stellarúmque contemplatione decernendi ac judicandi quæ cuique sint eventura. Hujusmodi vero artifex, qui judiciariam istam ex astris divinationem profitetur, præterquam Astrologus, est nemo. Nam inferioribus omnibus sublunaribus se cœlestem quasi arbitrum ostentat à Natura datum, ad quem innumeri illi ab infinitâ varietate distincti casus mundi inferioris hinc deferantur, ut ipsius apoteleſmaticâ scientiâ & sententiâ decidantur, ex decretorio scilicet cujusque fidere cujusque constitutione vel conformatione. Quòd si hîc ה pro ח positum dicatur (quomodo in חוצן pro חוצן suspicatus est Josephus Kimchius; ac fieri quidem potest: neque enim absurdum est; nam ה & ח literæ sunt valde affines) tum חובר השמים *incantator cœlorum* verti poterit. Nec obscura est similitudo incantatoris cum Astrologo. Sicut enim ille fictitiis quibusdam verbis rerum terrestrium naturas immutare, iisque novas vires indere se putat ad stupenda quædam effecta præstanda; characteres item & simulacra à seipso excogitata atq; hâc illâve specie formata insignem indè ὠφέλειαν consequi existimat; ità & hic ex inani hominum curiosorum traditione præceptísque commentitiis & ἀναπολογήτοις corpora cœlestia novis proprietatibus ac inusitatis & naturæ suæ minimè congruentibus prædita opinionis errore deceptus autumat; imaginibus quoque cœlestibus, præcipuè orbis Zodiaci signis, (quæ cerebri humani figmenta sunt universa) mirabilem attribuit efficaciam ad eventa particularia distinctè producenda & prænuncianda. Porrò, חוברי השמים *augures Cœli* reddit Hieronymus, Comment. in Esa. 47. *Pro eo quod nos* (inquit) *juxta Symmachum & Theodotionem interpretati sumus*, STENT ET SALVENT TE AUGURES COELI, Lxx *manifestiùs transtulerunt*, STENT ET SALVAM TE FACIANT ASTROLOGI COELI, *qui vulgò appellantur Mathematici*, &c. Atque hæc etiam interpretatio satis manifestâ & propinquâ nititur cognatione (uti suprà in מעונן subindicavimus) quâ inter se Astrologos & Augures conjunctos esse arbitrati sunt jam olim eruditissimi viri. In Cœlo quippe versantur utrique, Aereo hi, Æthereo illi. Et ut hi Volucribus ità illi Sideribus ad prædictiones suas abutebantur. Utrique insuper cœlum in certas quasdam partes vel segmenta dividebant, quorum subsidio futura prævideret. Huc spectat singulare illud Astrologorum artificium de constituenda Figura cœlesti vel Themate conformando (unicum propè totius Astrologiæ κειμήλιον) quod fit accuratâ cœli distributione in duodecim segmenta, quæ *domus* vel *domicilia* nominant Astrologi, in quibus reconditas futurorum significationes mirum quàm curiosè quæritent, quámque confidenter se reperturos sperent. Habebant quoque Augures, quemadmodum Astrologi, suam quandam cœli partitionem μαθηλὼ ad futurorum præsensionem comparandam. *Solebant* (inquit Servius) *Augures, dum divinabant, ità agere. Primùm designabant lituo spatia, & eis nomina dabant, ut prima pars diceretur Antica*, ad Ortum nempe; *posterior, Postica*, ad Occasum; *Item Dextra*, ad Meridiem; *& Sinistra*, ad Septentrionem. *Atque ità secundùm hæc spatia divinabant.* Eadem memorat Livius in historia Numæ inaugurandi, Dec. 1. l. 1. Quanquam apud Tuscos (subtilissimos harum rerum præceptores) exquisitior erat cœli partitio Auguralis, adeò ut ipsam etiam Astrologicam aliquantùm superarit. Tuscos enim Cœlum in sedecim partes divisisse referunt nonnulli. Vide Peucer. De divin. gener. Sed omissis istis, illud denique notandum, Astrologos *Augures cœli* significanter nuncupatos, q. d. non humiles Augures & vulgares infimi hujus cœli, aut potiùs aeris caliginosi, sed nobiles quosdam & præclaros summi & lucidissimi illius cœli Augures, qui iidem *Astrologi* proprio nomine perhibentur.

Quocirca statim expressiùs loquitur Propheta, החזוים בכוכבים eos appellans: quod alii reddunt *inspectores* vel *contemplatores stellarum*, aut *qui stellas contemplantur*. Rectè quidem. Usitatissima nempe hæc significatio est

thematis

thematis חזה. Idcóque rectè etiam Anglicana versio **Starre-gezers** habet. Nam, ut vulgatam verbi notationem taceam, & consilium Prophetæ contemptum innuentis, quis non statim animadvertat (qui vel leviter veris vocabulorum originibus observandis fuerit assuetus) nostrum **gaze** ab Hebraico חזה planè oriundum, ablato ה (quod sæpe in illo verborum ordine ab ipsis Hebræis fieri norunt studiosi) & ח mutato in ג, similem admodum literam? Veruntamen (quod pace doctissimorum virorum dictum velim) alia magis arridet interpretatio. Etenim recordandum est חזה non solùm denotare *contemplationem* in genere, sed speciatim etiam *futurorum contemplationem & præsensionem*. Unde & *Propheta* sæpenumero חזה nominatur in Scripturis, ut Esa. 30. 10. Idem omnino vocabulum hîc usurpatur; non tamen absolutè, sed adjicitur distinctionis gratiâ בכוכבים, ut quales sint isti *Prophetæ* intelligatur. Estque distinctio hæc valde necessaria. Eadem quippe materia propria subjecta est utrique Prophetarum generi, futura videlicet contingentia particularia, quatenus verè talia. (Quod cupio etiam atque etiam expendant Astrologi. Legatur historia Josephi, Gen. 40. Samuelis, 1 Sam. 9. Esaiæ item, Jeremiæ, Danielis, cæterorúmque prædictiones.) Finis idem propositus, præsensio scilicet futurorum eorundem. Mediis duntaxat discrepant: nam Prophetæ quidem θείᾳ ἐπιπνοίᾳ solâ Divinâ revelatione prænoscunt futura, Astrologi verò arte suâ & creaturarum beneficio, h.e. corporum cœlestium, quatenus commentitiis quibusdam proprietatibus induta finguntur, non à Deo imbuta cognoscuntur. Quamobrem fatetur Propheta superbam Babylonem suos quoque habere Prophetas, eósque insignes & claros *Astrologos* nomine, non tamen ejusmodi qui Divinitus & absolutè sed humanitus & per stellas viderent futura, i. prophetarent: quos Anglicè si appellare velimus, commodissimè **Starre-Prophets** dixerimus.

Tertium Astrologi apud Esaiam epitheton restat, מודיע לחדשים, h.e. *qui notas facit in mensibus singulis*, vel *in Calendas singulas* (id enim propriè significat חודש, ut rectè vertit Vetus interpres 2 Reg. 4. 23.) *prædictiones suas*. In ipsam jam incidimus Astrologorum Praxin, eámque, teste Prophetâ, vetustissimam, quâ pervulgare atque edere soliti sunt elaboratas à se rerum futurarum præsensiones, in sua quædam temporum spatia, præsertim menstrua, digestas. Nec defuerunt singulis ætatibus plurimi (ut est natura hominum rerum istiusmodi occultarum cognoscendi avidissima) qui non solùm apud Babylonios reliquósque Ethnicos sed in ipso Ecclesiæ sinu mercibus hisce certatim coemendis inhiarent. Ammianus Marcellinus lib. 28. narrat, multos Senatorum Nobiliúmque Romanorum tantopere deditos fuisse Astrologorum placitis *ut nec in publicum prodirent, nec pranderent, nec lavari se cautiùs potuisse arbitrarentur, antequam Ephemeride scrupulosiùs scisciatâ didicissent ubi esset, verbi gratiâ, signum Mercurii, vel quotam Cancri sideris partem polum discurrens obineret Luna*. Idem testatur Nicetas in Alexio Comneno de ipsis Imperatoribus Christianis, *Nostri temporis Imperatores* (inquit) *nec minimam mutationem astris inconsultis instituunt*. De seculo nostro nihil attinet dicere. Norunt vel mediocriter periti המזרעים esse τὰς περιγωνίζουσας, i. qui προγνωστικῷ quandam δύναμιν ex astris adepti prænunciant futura, v.c. vilitatem annonæ aut caritatem, bella aut pacem, mortem Principum, morbos aut sanitatem, aliósque varios admodum maximéque fortuitos vitæ humanæ casus, tum privatos tum publicos. Cujusmodi artifices nimiùm etiam nunc sunt multi, ac passim noti: Eósque vulgus vocabulo quod ad amussim exprimit Hebraicum מזרעים, *Prognosticatores*, appellat. Præterea sciunt omnes Ephemeridem popularem vel *Calendarium* à *Calendis* (h.e. חדשים) vel *Almanah* vulgò vocari. Id nominis ab Arabibus impositum censent docti: Conflatum autem ex *Al* articulo Arabico, & μὴν dictione Græcâ *mensem* denotante. Nisi fortè à vicinis Ægyptiis, longè ante Arabas celeberrimis olim Astrologis, profectum id nomen fuerit, multò quidem vetustius quàm plerique ferè omnes existimare videntur. Siquidem ex Porphyrio constat, ipsius etiam ætate passim usitatam fuisse apud Ægyptios appellationem *Almenach*, & descriptionem *Almenachicam*. Hæc quippe sunt illius verba, quemadmodum ab Eusebio citantur Euang. Præp. l. 3. c. 4. Postquam Astrologica quædam Ægyptiorum, videlicet *Decanos, Horoscopos, Duces fortes*, commemorasset, ὧν καὶ ὀνόματα, inquit, ἐν τοῖς Ἀλμενιχιακοῖς φέρεται, καὶ θεραπεῖαι παθῶν, καὶ ἀναλολαὶ, καὶ δύσεις, καὶ μελλόντων ζημιώσεις, i. *Quorum etiam nomina in Almenichiacis referuntur, & morborum curationes, & Ortus, & Occasus, & futurorum significationes*. Porrò Almanah seu Calendarium istud, tanquam præstantissimam longéque exspectatissimam sui partem, prædictiones rerum maximè contingentium ex ordine seriéque mensium (unde utrumque natum est nomen) dispositas atque descriptas ubique complecti observes. Originem moris hujus si quis noscere cupit, liquidò discat ex Esaia, à Chaldæis illustrissimis & antiquissimis illis Cœli apud Babylonios Interpretibus primùm manasse. Usque adeò verum est Ecclesiastæ elogium, *Nihil novi esse sub Sole*; sed quæ re ipsâ nimiâ vetustate rancida sunt & cariosa, miris modis interpolata, subinde nova videri.

CAP. 17. *De significatione vocis* תלי *Gen.* 27. 3.

ISaacus Esauo filio benedicere cupiens jubet eum parare מטעמים, ἐδέσματα, *pulmentum*, aut potiùs *cupedias*, vel *cibos lautos gratíq; saporis*, quibus vescatur. Verbum enim טעם (unde מטעמים) aliquando non *gustare* simpliciter & quomodocunque, sed *cum voluptate quadam gustare* significat, ut 2 Sam. 19. 35. Ac proinde legi malim ἡδύσματα, h.e. *escas suaves & probè condîtas*. Nam & Suidas ἡδύσματα exponit βρώματα. Atque hoc ipso nomine usos crediderim exquisitos Interpretes Aquilam & Symmachum Prov. 23. 6. quod postea ab imperitis depravatum in ἐδέσματα degenerarit. Sed de hoc & hujusmodi quàm plurimis aliàs fortasse commodiùs. Isaacus ergo filium suum his verbis venatum ablegat, *Sume, quæso, instrumenta tua, pharetram tuam, & arcum tuum*, &c. Itáque omnes, quos equidem viderim, interpretes, Græci pariter atque Latini, תלי exponunt *pharetram*. Solus Chaldæus P. סייף, h.e. *gladium*, reddidit. Quam interpretationem tanquam deteriorem miror cur unanimi consensione repudiarint universi; cùm tamen, si æquâ lance ponderetur, haud temere rejici debeat, ac forsan aptior rectiórque appareat. Non nego תלי ad verbum *quicquid appensum est* significare; ideóque, si vocabulum per se spectes, tam *pharetræ* quàm *gladio* esse commune. Idiomatis autem Hebræi usu *gladio* propriè attribuitur; omnino prout linguâ nostrâ vernaculâ **a Hanger**, q. d. *appensorium* (vox idem valens quod & תלי) gladio rectâ deorsum à latere dependenti (idcirco breviori) non in transversum (sicuti longior solet) propriè significando adhibetur. Nam talem hîc gladium intelligendum puto. Siquidem *Seife* Arabibus (quod idem est Chaldæorum sive Syrorum סיפא) gladium minùs longum declarat, leviter incurvum, & falcis formam ex parte referentem (uti narrat Leunclavius in Appendice sua Xenophontea ad lib. 4. De instit. Cyri) usitatissimum populis omnibus Orientalibus. Addo etiam, non inusitatum & Occidentalibus, tum nostris tum antiquorum quoque temporibus. Nam Glossarium vetus Græcolatinum *Sicam* exponit Θρᾳκικὸν ξίφος ὀπισθοκαμπὲς, h.e. *ensem Thracium incurvum*. Rectè *Thracium* cognominat: non solùm enim à Thracibus vulgò gestatum, sed etiam ab illis primùm fuisse excogitatum refert apud Eusebium Clemens Alexandrinus De Euang. præp. l. 10. c. 6. p. 278. Θρᾷκες πρῶτοι ἁρπὴν κατεμόλπων ἔνοργον ἔχι δ' μάχαιραν καμπύλην, *Thraces primi quam vocant Harpen invenerunt. Est autem Harpe gladius incurvus*, ad exemplar videlicet falcis. Quale est Hesychii ξιφοδιάστασον, quódque is similiter ἅρπην continuò interpretatur. Nos **a Faulchion** dicimus, *falcatum gladium*, curvum videlicet latiorémque, quem Xenophon aliíque κοπίδα passim vocant. Gladium autem oblongum minúsque latum Syri pecu-

peculiariter ספסרא appellare videntur. Id quod ex Historici cujusdam Græci (nisi me fallit memoria, Dionis) verbis apud Suidam satis apertè colligi posse arbitror. Allata namque refert munera Trajano à Barbaro quodam, nempe *texta serica, & Σαμψήρας.* Omnino Syriaca vox est, quam illi ספסרא *Saphsiras* pronunciant. *Hæ verò sunt σπάθαι βαρβαρικαὶ*, inquit, h.e. *spathæ barbarico more fabricatæ.* Vocabuli hujus meminit etiam Josephus in Archæologia sua 20. 2. ubi narratur Helena Adiabenorum Regina grandiorem filium Monobazum Proregem creasse, traditis ei de more Regiis insignibus, scilicet *σπασθῆσα τὸ διάδημα, καὶ δοῦσα τὴν Σαμψήραν τῷ παιδὶ δακτύλιον, τύπῳ σαμψήρᾳ ὀνομαζομένῳ παρὰ βασιλεῦσι*; *impositio ei diademate, & dato patrio annulo signatorio, simúlq; Sampserâ, ut ipsi vocant. Sampseram* nos nunc quoque (ut modò Suidas) *spatham barbaricam* appositè interpretabimur. Porrò *gladios majores* Vegetius *Spathas* vocari tradit De re Milit. l.1. c.15. Atque eodem planè modo quo Suidas *Saphsiram* declaravit, Hesychius Σάρισσαν *Sarissam* interpretatus est, σπάθῃ videlicet βαρβαρικῇ *spatham barbaricam*, non obscuram (ut opinor) alterius cum altera necessitudinem significans. Unde suspicari licèt *Saphsiram* compositum esse vocabulum ex *Saiph* & *Sarissa*, quasi *Saphsarissa* vel ξίφος σαρισσοειδὲς diceretur; propter longitudinem nimirum, quâ σάρισσαν propriè nuncupatam, h. e. ξίφος ἀκοντίῳ Ἑλληνικῷ, nempe hastam Macedonicam, imitari videretur. Quamvis autem probè sciam sæpissime confundi distinctionem istam *Saiphæ* & *Saiphsarissæ* vel *Saphsiræ*, non tamen prorsus inutile fuerit observasse. Arabes ità crebrò usurpant nomen סיף, ut alterum genus gladii brevioris præcipuè atque adeò solùm ipsis placuisse intelligatur. Nec immeritò. Est enim & valde expeditum & plagam longè gravissimam infligit. Quocirca hujusmodi gladio potissimùm viros militares Regúmque satellites antiquitus armatos fuisse apparet, cùm alias ob causas, tum maximè ad fontes capite plectendos & decollandos. Itaque quem Marcus in Euang. c.6. 27. σπεκουλάτορα, h.e. *speculatorem*, nominat, eundem Glossarium Græcè δήμιον *carnificem*, & mox ἀποκεφαλίζοντα *qui caput amputat*; Arabs autem idiomate suo שיאפא interpretatur, ad verbum *gladiatorem*, propriè cum Cicerone Epist. ad Q. Frat. l.2. 9. *Macherophoron* (ut opinor) dicas, à terrifico (ut apud eum liquet) gestamine, *machærâ* nimirum. Quæ qualis olim fuerit & ad quem usum plerumque comparata percommodè monet Suetonius in Claudio 15. Is enim de præcidendis falsario cuidam manibus Claudii Imperatoris jussu narrans, *Carnificem*, inquit, *statim acciri cum machæra, mensáque lanionia flagitavit.* Planè tanquam inter se cognata, conjunxit *macheram*, h. e. gladium brevem lanimque, & *mensam lanioniam.* Quemadmodum à consimili mactatûs sive laniatûs opere *macherophorus* ipse טבח Hebraicè vocatur, communi *laniorum* & *satellitum* item nomine. Quinetiam Pollux Onomast. lib. 10.c. 24. coquis κοπίδας assignat, majores scilicet cultros, sicarum instar, ad incidendas carnes utiles. Cujusmodi instrumentum venatori non minùs imò magis necessarium est quàm arcus ipse, nedum pharetra. Sicæ quippe, vel copidis, aut etiam machæræ usus ubique solet evenire; arcûs non item. Plurimùm nempe capiebantur feræ citra ullam arcûs opem aut operam: v. g. non solùm canibus, sed retibus, plagis, laqueis, fossis occultis, cæterísque rationibus quas veterum lectio docebit. Neque enim iis quæ facilia sunt & in promptu posita immorari libet. Pollux l.5.c.3. inter cuncta instrumenta venatoria principem locum attribuit Ensi. Ac perquam suavis & ingeniosus Poeta Oppianus De Venat. l.1.92. venatorem rebus omnibus adornatum pulcréque instructum depingens, inprimis commemorat,

Δεξιτάριον δ' ἄρα μαιόθι ζώνης,

falcem, (h. e. *ensem falcatum, copidem*, seu *sicam*) *in zonæ medio pendulam.* Hanc nostrates a Woodknife appellant, q. d. *cultrum saltuarii*, quòd saltus peragranti ac feras ibidem confecturo & dilaniaturo valde sit idoneus atque necessarius. Suetonius in Claudio, 13. *cultrum venatorium* nuncupat, simúlque ad ictus repentinos & mortiferos inferendos habilem esse innuit.

Ad hæc, pharetra per se *armorum* nomine censeri non potest, cùm armorum theca sit solùm seu vagina. At כלים hic non *instrumenta* in genere, sed cujusdam modi instrumenta significat, ad pugnas nimirum cum feris ineundas vel ad capessendam venationem accommodata; qualia quidem *arma* revera propriéque dicuntur; quomodo hoc in loco כלים appositè reddidisse videtur interpres V.Lat. Quòd si sagittas nomine *pharetræ*, quâ continentur, intelligendas arbitreris, cur non multò magis nomine *arcûs*, cui aptantur? cujus sunt & appendices & quasi pars quædam. Arcus enim omnis. (qui quidem utilis sit) sive militaris sive venatorius, necessariò sagittas adjunctas habet, aut saltem ponitur habere. Quid igitur opus חלי statuere *pharetram* ad sagittas indè eruendas, cùm vi vocis *arcus* mox sequentis protinus exhibeantur & in promptu sint pariter? Hinc fit ut cùm alibi tum in Scripturis persæpe solius *arcûs*, tanquam principalis, vocabulo proposito, nulla deinceps fiat mentio nè *sagittarum* quidem, (nedum *pharetræ*) ut quæ illius nomine necessariò comprehendantur & apertè significentur.

Illud item observari cupio, Hebræos non destitui voce usitatâ miniméque dubiâ quâ *pharetram* exprimant. Nam eam אשפה ubique nominare solent. Probabile ergò est חלי longè diversum quid esse ab אשפה, ut sono, sic & re ipsâ. Itaque si pharetram Patriarcha indicare cogitasset, vix est verisimile eum in re notissima maximéque vulgari declaranda vocabulum inusitatum ambiguúmque & insolens usurpare voluisse.

Quare *Arcûs* mentionem continuò subjungens, consentaneum est ut aliud quiddam ab arcu, iisque quæ instar arcûs habentur (cujusmodi sunt pharetra & sagittæ) præposuerit, h. e. priore & potiore loco statuerit, quod Arcum saltem æquiparet, nè dicam superet. Id verò, nisi Gladium dixeris, haud facilè præterea quicquam excogitaveris. Hanc ergò ob causam, quoties de violentia armata agitur, impetúque cum discrimine conjuncto faciendo aut excipiendo (qualis in bellicis certaminibus conspicitur) hæc duo ferè semper, *Gladium*, inquam, & *Arcum*, istum eminus, illum cominus utendum, veluti summè olim necessaria arma, commemorata invenias; ídque sæpenumero in ipsis etiam S. literis, atque eo ordine plerumque dispositа quo hic cernuntur, prout deprehendere licet Gen. 48. 22. 1 Sam. 18.4. 2 Reg. 6. 22. Psal. 7.13. & 37. 14, 15, &c. Perspicuum verò est, neque potest negari, venationis labores ac pericula cum bellicis arctissimâ necessitudine esse conjuncta, & venatorem ad militis similitudinem quàm proximè accedere, adeò ut vix tam simile sit ovum ovo (velut est in proverbio) quàm prælium venationi. Idcirco eam Oppianus Cyneg.l.1.86. non θήρην simpliciter sed θήρης μῶλον *Venationis bellum* appellat; alibi ἀνδρῶν πολέμοιο, *belli simulacrum*, Halieut.l.4. 561. quòd præliorum conflictus variósque casus efficacissimè repræsentet. Itidem prudentissimus autor Xenophon Cyri pæd.l. 1. venationem censet ἀληθεστάτην μελέτην πρὸς τὰ πολέμια, *verissimam rerum quæ ad bellum spectant meditationem.* Quare non injuriâ Esauus Gen.25.32. de certaminibus suis venatoriis perinde loquitur ut de bellicis; *Ecce ego*, inquit, *pergo ad moriendum*, vel *ad mortis pericula subeunda.* Si igitur in prœliis (ut ità dicam) humanis, seu hominum inter se, conjunctissima semper erat amborum, Ensis videlicet Arcûsque, & opera & mentio, certè haud minùs ac fortassis etiam magis in ferinis, seu hominum adversùs feras, res sic se habeat oportet.

Omnibus itaque expensis, verius, eruditius & ad rem propositam aptius חלי Onkelus vertit סיפא, vocabulo Chaldæis, Syris & Arabibus familiari (quod fortè à Græco ξίφος, aut saltem hoc ab illo profluxerit.) Nam præpositâ in genere *armorum* mentione, & accentu *Zakeph* de more distinctâ, convenientissimè statim sequitur specialis enumeratio armorum primariorum quæ venationi longè sunt aptissima summéq; necessaria, qualia sunt *Sica* seu

Copis,

Copiis, & *Arcus*. Cæterùm de Pharetra cum sagittis suis, velut arcûs additamento & appendice, nominatim monere non ità erat opus: Gladium autem venatorium (qui ad rem maximè pertinebat) omnino prætermitti, id verò, meâ quidem sententiâ, parùm credibile videtur.

CAP. 18. *De vocabuli* קפוד *significatione.*

CUM Deus per Prophetam Esaiam c. 14.23. minatur se Babyloniam vastaturum, desertámque & palustrem redditurum, *Ponam eam*, inquit, *in possessionem hereditariam ipsius Kippod, & paludes* (seu *stagna*) *aquarum*. Hîc de voce קפוד varia est & anceps interpretum sententia. Lxx ἐχῖνον verterunt, ut & Latinus Vulgatus *Ericium*: Quos imitatus videtur R. Salomon. At terrestre omnino animal est Ericius vel Erinaceus; nec quicquam exhibet contemplatio naturæ ejus quod præsenti loco conveniat.

R. Joseph Kimchi קפוד *Testudinem* exponit, quam Hispani *tortuga* dicunt; suæque interpretationis confirmationem affert ex Arabum dialecto, qui Testudinem קנפאד appellare solent; ubi eædem omnes literæ radicales compârent quæ in Hebræo vocabulo cernuntur. א verò & ן sunt adventitiæ, quarum illa Cholem longæ vocalis aut potiùs Cametz loco Cholem posita, hæc Dages fortis vicem implet. Atque hanc nominis istius declarationem probabilem efficit Hebrææ Arabicæq; linguæ permagna affinitas. Nec à vocis significatione discrepat animalis natura. Siquidem קפד propriè *præcidere* denotat, uti textor stamen præcidit, telâ jam totâ pertextâ, Esa. 38.12. Testudini autem etsi *dentes non sint, rostri tamen acie comminuit omnia*, teste Plinio l.11.c.37. *Comminuit*, inquam, quasi præcidendo, *marginibus* videlicet *rostri acutis, supernâ parte inferiorem claudente, pyxidum modo*. lib.9.c.10.

Tremellius *Plancum* reddidit seu Aquilam anatoriam. *Hujc vita circa lacus*, inquit Plinius l.10 c.3. Id quod consentaneum est Prophetæ instituto. Deinde alibi avibus annumeratur קפוד, Esai.34.11. Neq; illud etiam hîc ineptum. Veruntamen vocis etymologia non usquequaq; consonat. Planci enim *ingenium est testudines è sublimi jactas solo illidere*; Item, *circa stagna aquatica aves appetere, mergentes se subindè, donec sopitas lassatásque rapiat*. Utrobiq; vix quicquam reperias quod verbi קפד *præcidendi* significatui ad amussim respondeat. Nihilominus non diffiteor verisimilem esse interpretationem istam atq; eruditam.

Deniq; versio illa quam edidit Rob. Stephanus an.1545. volumine mediocri, charactere minimo cum annotationibus, vocabulum קפוד, *Fibrum* seu *Castorem* transtulit. Quod genus animal ἀμφίβιον esse didicimus, h.e. aquis haud minùs quàm terræ assuetum; nec non esse mirè מקפד, nempe ejusmodi quod acerrimâ *præcidendi* vi polleat. Itaq: à Plinio l.8.c.30. traditur esse *animal horrendi morsûs. Arbores*, inquit, *juxta flumina, ut ferro, cædit. Hominis parte comprehensâ, non antequam fracta concrepuerint ossa morsus resolvit*. Verùm enimvero quid si *Lutram* interpretemur? Varro certè De lingua Lat.l.4. p.22. *Lutram Lytram* dictam existimat, *quòd radices arborum in ripa succidat atque dissolvat*, à λύειν nimirum, quod *solvere* designat. Adeóq; eandem ipsam proprietatem morsu sævissimo *præcidendi* quælibet, quam Plinius Fibri esse scribit, Aristoteles Hist.animal.l.8.c.5. Lutræ attribuit, τῇ ἐνδελεῖ. Græca hæc sunt verba, Δάκνει δὲ τὸς ἀνθρώπους καὶ ὁ ἐνυδρὶς, καὶ ὃν ἀρίσιν (ὡς λέγυσι) μάχεις ἂν ὀσῦ φόρον ἀκύσαι. Quid quòd Plinius l.32.c.11. *Lutras è genere fibrorum* esse affirmat. Et ut Servius in Virg.Georg.1. Fibros *canes Ponticos* esse pronunciat, ità Ælianus & Aetius, Græci scriptores, Lutram nuncupant κύνα ποτάμιον *canem fluvialem*, Gesner.De Quadr. p.684. Morsûs verò diritate nihilo inferiorem eam arbitramur Fibro, si vera narrant venatores. Quis ergò hanc quidem ob rem negabit Lutram meritò קפוד appellari posse? Porrò cùm sit fluminum & stagnorum incola, Dominus desolandam prædicens Babyloniam Euphratis fluvii *aquis stagnantibus, eam in possessionem hereditariam Lutræ cessuram* ait, ubi tyrannidem in pisces longè latéq; exerceat. Neque *Testudinis Lutræve* interpretationibus efficit quòd cum *Platea* conjunxerit eas Propheta c.34. 11. Est enim Platea, ut & Lutra, aquaticum animal. Et res diversi quantumvis generis permixtè aliquando narrari per congeriem novum non est. Quòd verò *pernoctaturas* ait Sophonias c. 2.14. *tum plateam tum lutram in ornamentis ædium Ninives* (בכפתוריה) perinde valet ac si dixisset *desertam ac inviam fore Niniven, ferarúmque & avium solivagarum domicilium, quæ commorentur seu permaneant in ornamentis ædium*, h.e. etiam intra ornatissimas ædes ejus maximéque conspicuas, nemine absterrente. *Plateam* autem *Lutramq;* tanquam insignia animalia aquatica speciatim recenset, quòd regio Ninives irrigua esset fontibus ac rivulis Lyci Capríque amnium inter quos urbem eam olim sitam fuisse apertis testimoniis alibi ostendemus, sc.l.3.c.6.

CAP. 19. *De vocabulis* πιστὸς *&* πιστόω. *Necnon de versione loci cujusdam* 2 *Tim.*3.14.

NEgare videtur Henricus Stephanus, linguæ Græcæ sine ulla controversia peritissimus vir, πιστὸν activâ significatione inveniri, pro *eo*, inquam, *qui credulus est* seu *credens*, aut *qui fidem adhibet*; sed passivâ tantùm, pro *eo* nimirum *qui fidelis est*, h. e. dignus cui credatur aut fides adhibeatur. Hæc nempe sunt ipsius verba in suo illoditissimo Thesauro, "Απιστος *inter alia significat eum qui fidem non adhibet, atque adeò eum quem Latini* incredulum *vocant: At* πιστὸς *non itidem de eo dicatur (quod sciam) qui fidem adhibet, aut etiam qui credulus est*. Ego verò, quamvis doctissimi viri autoritate permultùm movear, in contrariam tamen sententiam vi veritatis ire cogor. Quotiescunque enim vocabulum πιστὸς pro *homine Christiano* seu *pio* usurpatum occurrit (quod innumeris locis evenit) toties necesse est fateamur πιστὸν activè poni *eúmque* denotare *qui credit* aut *fidem adhibet Deo*. Unum idque apertissimum exemplum proferam: Μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστὸς, ait Dominus Thomæ in Euangelio, h. e. *Ne sis incredulus, sed credens*, Joh.20.27. Quis hîc non videt ex ipsa antithesi manifestò constare, sicut ἄπιστος valet *eum qui fidem non adhibet*, ità ex adverso πιστὸν *eum* significare *qui adhibet*?

Porrò à voce πιστὸς secundùm duplicem hanc significationem deductum legimus verbum πιστόω. Nam partim passivè sonat, ut in illo loquendi genere, πιστῶ σε ὅρκῳ, h.e. *Jurejurando te adactum efficio dignum cui credatur*; partim activè, ut πιστῶσαί τινα, *confirmare aliquem, fide* scilicet *ei factâ*, h.e. exemptâ ei dubitatione omni efficere ut firmiter credat. Siquidem ὁ διαζων (ut, eleganter indicatâ vocis origine, inquit Etymologus) οἱονεὶ δύο σκοπὸς ἔχων καὶ διανοίαν, incertâ mente vacillat & claudicat: Qui verò πιστῶ ejus, fidei beneficio, stabilitur animus, h.e. πιστὸς vel *credens* fit, aut etiam *firmus*. Ità namque à Doctore Beza eruditè exponitur πιστὸς Act. 13.34. Hesychium, opinor, imitato, qui πιστὰ, βέβαια interpretatur in Lexico; vel etiam Hieronymum in Commentariis in Esai.55.3. qui *fidelia David* pro *firmis atq; robustis* accipi posse monet; vel denique Hebraïsmum secuto, siquidem Hebraicè נאמן vel πιστὸς idem valet quod נכון, h.e. *firmus*, ut optimè reddidit V. interpres 2 Sam.7.16. Unde Aquila אמן *Amen* transtulit πεπιστωμένον, i. *firmè* vel *firmiter*, ad verbum *firmatè*, ut suprà monuimus c.2. Quò magis miror alienam planè significationem à doctissimis interpretibus verbo huic tribui, 2 Tim. 3.14 Σὺ δὲ μένε ἐν οἷς ἔμαθες καὶ ἐπιστώθης· sic enim ista verterunt, *At tu maneto in iis quæ didicisti & quæ tibi cõcredita sunt*, aut *credita sunt*, ut habet editio Vulgata; minùs aptè proculdubio utrique. Nam perinde hoc est ac si in Græco scriptum fuisset καὶ ἐπιστώθης, quod nusquam legitur. Επιστώθης verò diversum sonat, nempe ἐπιστώσης, ἐπληροφορήθης, ut pereruditè interpretatus est Hesychius, ac, posteriore præsertim loco, accõmodatissimè ad Apostoli & sententiam & loquendi consuetudinem. Majus quippe est πιστωθῆναι quàm μαθεῖν, *plenè certiorari* aut *certum esse* quàm in genere *didicisse*. Hoc enim quorumvis est, illud verè credentium duntaxat, quorum propria est πληροφορία ex potentissima Spiritûs S. ἀποδείξει seu demonstratione orta, cujus capaces

non

non ſunt increduli. Quamobrem hoc pacto illa Pauli verba verterim, *& quorum firma* (ſeu *plena*) *fides tibi facta eſt.* Atque eodèm omninò ſpectavit Paraphraſtes Syrus, adhibito verbo אשתרית ad Græcum βεβαιώθης Syriacè exprimendum: eſt enim אשתרית idem quod βεβαιωθὴς, h. e. *confirmatus es* vel *ſtabilitus.*

CAP. 20. *De ſignificatione nominis* Plumarii, *artiſque ipſius antiquitate.*

SÆpe uſurpantur Exod. c. 26, & 28. atque alibi, nomina hæc duo Hebræa, חושב, h. e. *artifex peritiſſimus*, & רוקם, h. e. *Phrygio.* Utrumque editio Vulg. Latina *plumarium* reddere ſolet. Et nè vim vocis iſtius ignoremus aut perperàm intelligamus, alibi eundem artificem *polymitarium* tranſtulit, h. e. qui pluribus verſicoloribus liciis pingit; alibi verò, amplioris declarationis causâ, non contentus *plumarium* dixiſſe, addit, *& qui pulcrâ varietate contexit.* Atque in eandem ſententiam interpretati ſunt LXX ποικιλτὴν, i. *qui veſtem multis coloribus figuríſque variat:* quomodo etiam à Gloſſographo *Plumarius* Græcè exponitur. Ac mihi quidem jamdiu de nomine iſto cogitanti illud facilè liquet, & Latinum & vetus eſſe: quod autem ad veram propriámque ſignificationem attinet, nondum quicquam ſatis firmum reperi in quo planè acquieſcat animus. Grammatici hanc afferre videntur nominis rationem, nempe *plumarium* indè dictum *quòd acupingeret ſuper culcitris plumeis aut plagis pulvinaribus.* At quid hoc, obſecro, ad *plumas* quæ plagis illis culcitríſve continerentur? Neque acu tantùm pingebant plumarii, ſed pectinè quoque & radio texebant, utì ſuprà audivimus: nec ſuper culcitris ſolis pingebant, ſed aliis etiam quamplurimis veſtium generibus. Doctiſſimus Turnebus Adverſ. lib. 11. c. 25. cenſet artem plumariam propriè acceptam ſpeciem quandam eſſe ſolertiæ acu pingendi; *Cùm clavi*, inquit, *aut patagia, aut ſegmenta, aut ſcutula, aut teſſella, ſic alia aliis in veſte ſuperaſſuuntur ut plumam avium referant. Unde &* plumariorum *&* plumandi *nomen ortum eſt, per ſimilitudinem traductum: Aut cùm ſine aſſumento acu pingendo plumæ avium referuntur.* Ergò ex Turnebi ſententia non propriè, perinde ut *aurifex, argentarius, plumbarius, ſilicarius, plauſtrarius*, cæteríque artifices, à materia ſibi ſubjecta in qua verſantur, ſed per ſimilitudinem *plumarius* nomen ſuum adeptus eſt. Quod certè minùs conſentaneum videtur. Placuit igitur aliis eum *à tingendis multiplici colore plumis* ità fuiſſe appellatum. Unde *Plumarium* in Gloſſario veteri πλιοβάφον expoſitum invenias. Sed hoc nimis vulgare eſt & exile artificium, artíſque infectoriæ perpuſilla ſanè particula atque multeſima, & eximiâ ſubtiliſſimâque acupictoris ac polymitarii peritiâ longè inferior. Quid ergò hac de re divinandum? An ab Indis uſque Occidentalibus, barbariſſimis illis Columbinæ (quæ aliàs & temere & iniquè *America* vulgò appellatur) incolis, veriſſimè toto orbe penitus diviſis, pulcerrimæ artis ſcientiam tot ſeculis intermortuam repetemus? Certè apud eos floret innumeros jam annos in hodiernum uſque diem ipſiſſima (ni fallor) ars plumaria propriè veréque ſic dicta. Siquidem notum ſatis eſt & compertum, opera plurima ab iis ex avium plumis penníſve verſicoloribus contexta tantâ támque exquiſitâ ac penè inimitabili ſolertiâ elaborari ut vel cum ipſius Apellis aut Zeuxis accuratiſſimo penicillo facilè certare queant. Teſtis hac quidem in re nemo certior Corteſio, in cujus caſſes immenſa harum omniúmque pretioſiſſimarum rerum præda decidit. Is Mutezumæ Mexicanorum Imperatoris incredibilem opulentiam ſplendorémque referens, de textis iſtiuſmodi plumeis ità ſcribit, Narrat. 2. *Ea verò ex plumis talia erant quòd nec in cera nec in rebus ſericis acu pictis mirabiliora fieri poſſent.* Ac rurſus alibi Narrat. 3. *Ex plumis fabrefacta tam mirabilia habuimus ut ſcriptis demonſtrari non poſſint, nec eorum excellentia comprehendi ni videantur.* Hæc autem ab eo non hyperbolicè ſed veriſſimè dici, res ipſa deinceps palàm atque apertè oſtendit, multis eximiæ artis illius in orbem uſque noſtrum advectis egregiis ſpeciminibus.

Neque verò credi debet ſolertiam iſtam ibi primùm ortam eſſe, ſed ex noſtra potiùs continente (magno univerſi terrarum orbis ſeminario) unà cum ipſis hominibus olim eodèm traductam. Sic enim ſtatuo, antiquiſſimam ποικιλτικὴν ſeu *variandi artem* fuiſſe hanc de qua agimus Plumariam. Nam cùm priſci mortales aucupio (ut & venationi ac piſcatui: id quod ex omnium barbarorum moribus conſtat) plurimùm dediti fuiſſent, avium, quas ceperant, Divinitus pictarum, inenarrabilem colorum varietatem, ſuavitatem & pulcritudinem contemplantes, non poterant non ſummâ admiratione affici: Ac dehinc (ἄρχονται μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν θαυμάζειν πάντες Metaph. l. 1. c. 2.) in materia præſertim tam parabili támque jucunda ingenii vires eouſque experiri non deſierunt donec ex ſententia inceptum ſuccederet. Nam in polymitaria, acupictoria, reliquiſque ejuſmodi, non illico ſuppetit materia idonea ad opus conficiendum; ſed neceſſe eſt ut laboriosè præparetur, cùm aliter, tum imprimis multiplici & exquiſito tingendi artificio: Plumaria verò, cùm ſtatim in promptu eam abunde haberet, primâ inter omnes variandi ſubtilitate excelluiſſe videtur. (Siquidem artes ſimpliciores minúſque aliunde adjumentis aſſumptis indigentes, priores omnino exſtitiſſe & excultas fuiſſe credibile eſt.) Verùm enimvero cùm in operibus plumariis ſola ſpectaretur voluptas quâ caperentur & oblectarentur oculi, poſtquam unà cum inſigni tincturarum varietate excogitata ſunt opificia quoque byſſina ſericáque, & pretioſa reliqua tenuiſſimarum veſtium genera, quæ & oculos ſuaviſſimo aſpectu paſcerent, & præclaram inſuper utilitatem corpori commodiſſimè molliſſiméque veſtiendo afferrent, in deſuetudinem paulatim abire cœpit Plumaria, donec tandem penitus exolevit; ſolo duntaxat nomine, tanquam ſui pignore, cognatis artibus, Polymitariæ & Acupictoriæ, relicto.

Sed miretur fortè quiſpiam quomodo artificium tam venuſtum & elegans ex omnibus omnium in orbe noſtro animis ità funditus deleri unquam potuerit. At idem ſi recordetur edaciſſimam longiſſimi temporis vim & humanarum rerum ſubindè orientium atque occidentium ſummam inconſtantiam, mirari certè deſinet. Nemo intelligens dubitat Hebræorum Poeticen longè ſanctiſſimam, antiquiſſimam & exactiſſimam fuiſſe; illam tamen multis jam ſeculis obliteratam ſcimus. Verba quippe Poematum ſacrorum tenemus (æterna ſoli Deo laus) numeri verò (proh dolor!) prorſus interciderunt; ídque apud Judæos ipſos, gentem alioquì futilium traditionum tenaciſſimam. Sed auguſtum eſt hujuſcemodi exemplum: utar itaque ſimillimo rei propoſitæ & maximè gemino. Purpura Tyria, piſciculi ſanguine infecta, multis à Chriſto nato annis celeberrima fuit, ſummorum Magiſtratuum, Regum, Romanorum Imperatorum inſigne, magnificis impenſis & profuſis atq; adeò infinitis ſumptibus ab iis expetita. Hodie verò nobiliſſimus ille color nuſquâ comparet, quinimo jamdiu per ſuperiorum ſeculorum inertiam cæcis tenebris quaſi obrutus & ſepultus jacet, ignoratâ penitus pretioſiſſimæ tincturæ ratione. Vide Budæum De Aſſe lib. 2. Bayſium De re veſtiaria, Brodæi Miſcell. l. 2. c. 22.

NICOLAI FULLERI MISCELLANEORUM SACRORUM LIBER II.

Cap. 1. *De monte Loubar, déque Etymo* Labari.

CUM jampridem [ſuprà lib. 1. c. 4.] cogitata mea de voce *Loubar* apud Epiphanium memoriæ causâ in ſchedis annotaſſem, prodiit denuo incomparabilis illa editio Tremelliana operâ & curâ doctiſſimi Theologi Franciſci Junii elucubrata & expolita, pluribúſque Scholiis locupletata: In quibus alicubi [Gen. 8. 4.] *Loubar montis* mentionem facit, & ſuam ea de re ſententiam profert teſtimoniis Epiphanii & Joſephi corroboratam. Quæ quàm ſit firma tum demum rectè judicabit Lector poſtquàm auctores ipſos loquentes audiverit. Et Epiphanii quidem hæc ſunt verba ſuprà lib. 1. c. 4. à me recitata & expoſita, *Delatam Aream Noæ ad regionem Ararat montoſam inter Armenios & Carduenos, in monte quodam qui Loubar vocitatur* (ἐν τῷ Λυβὰρ ὄρει καλυμβῷ) *reſedisſe*, Lib. 1. contra Hæreſ. Joſephi verò hæc: μόνας ἄλλας ἑπτὰ ἡμέρας, τὰ ζῶα ἐκ λάρνακος ἐξαφίησιν· αὐτὸς τε μετὰ γενεᾶς πεζεύσας, καὶ θύσας τῷ Θεῷ, σωθῆναι ἔυχετο τοῖς οἰκείοις. Ἀποβατήριον δὲ τόπον τοῦτον Ἀρμένιοι καλοῦσι, i. *Poſtquam alios ſeptem dies exſpectaſſet* Noa *animantes ex Arca emiſit. Et ipſe quoque cum progenie egreſſus, mactatis Deo victimis, epulabatur unà cum familia. Apobaterion*, i. *Egreſſorium* [Hieronymus *Exitum* vel *Egreſſum* interpretatur lib. De locis Hebraicis] *loco nomen Armenii fecerunt*, Antiq. Jud. l. 1. c. 4. Unde liquet etymon illud *Loubaris*, nempe ut quaſi *Deſcenſorium* diceretur, (quod commentus eſt Junius) perperàm attribui Joſepho: nec enim ipſius *Loubar* uſquam meminit. Inſuper quod aſſerit, *locum illum* ἀποβατήριον *dictum, Joſepho teſte, ſermone autem Armenio & Ægyptio Loubar, eò quòd editiſſimus eſſet, unde in omnes partes deſcenderetur*, omnino fictitium videtur. Ità namque non ἀποβατήριον ſed καταβαλήριον potiùs appellandum fuiſſe conſtat. Longè alia eſt Joſephi ſententia, eáque ſatis perſpicua; nimirum, nominatum ἀποβατήριον quoniam ibi primùm Noa ex Arca cum uxore familiâque ἀπέβη εἰς τὴν γῆν, ut loquitur Johannes c. 21. 9. vel, ut verbis ſynonymis Lucas c. 8. 27. ἐξῆλθεν ἐπὶ τὴν γῆν *in terram exierat*, aut *egreſſus fuerat*, aut etiam *deſcenderat*. Sic enim loqui ſolent Latini de vectoribus nautíſve è navi egreſſis in terram, planiſſimam licèt omniúmque maximè æquabilem. Quare patet locum illum dictum ἀποβατήριον, h. e. *exſcenſorium*, ratione tantummodo egreſſûs vel exſcenſûs vel deſcenſionis ipſius Noæ in terram illam ubi primùm hæſit Arca. Inque ejuſdem deſcenſionis monumentum continuò hæc verba ibidem ſubjicit Joſephus, ab interprete Latino prætermiſſa, Ἐκεῖ γὰρ ἀνασωθέντες τῆς λάρνακος ἔτι νῦν οἱ ἐπιχώριοι τὰ λείψανα ἐπιδεικνύουσι, h. e. *Illic namque réliquias Arcæ, quæ ſalva evaſerat, etiam nunc oſtendunt indigenæ.* Nominis igitur impoſiti cauſam affert, non devexitatem loci in omnes partes (quod planè ἀπεσκίδνυσον fuiſſet) ſed memoriam poſteris prodendam appulſæ eodèm Arcæ & ex undis Diluvii ereptæ.

Cæterùm Labar ſignificare *deſcenſionem* probare etiam nititur doctiſſimus idem vir ex Epiphanio: *Unde*, inquit, Labra *Ægyptiis dicitur tota παροικία quæ uni Synagogæ ſubeſt; &* Lubra, *Synagoga loco editiore ſita.* Sed præſtat ipſum Epiphanii locum adſcribere, καὶ ἡ Ἀρμοναιτῶν l. 2. tom. 2. Καὶ ἴδιαν ταύτας (ἐκκλησίας) ἀντιλαγχάνοι δὲ πεσσβύτεροι διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας ἡ οἰκητόρων, πλησίον ἑκάστης ἐκκλησίας ὄντων, καὶ ἀμφιδρόμων ἤτοι λαβρῶν, ἐπιχωρίως καλουμένων ὑπὸ μὲν τῶν Ἀλεξανδρέων κατοικέντων πόλιν, i. *Seorſum Eccleſiis iſtis præpoſiti ſunt Presbyteri propter eccleſiaſticos uſus incolarum, qui proximi ſunt cuique Eccleſiæ, atque etiam platearum, vel Labrarum, more patrio dictarum iis qui Alexandrinorum urbem incolunt.* Epiphanius hîc non ait Labram *Ægyptiis dici totam* παροικίαν *quæ uni Synagogæ ſubeſt, &* Lubram *Synagogam editiore loco ſitam*; ſed illud tantùm ait, ἄμφοδον, i. *vicum urbis* vel *plateam*, vernaculo ſermone propriè dici *labram*; ídque non ab Ægyptiorum gente in univerſum, verùm ab *Alexandrinis* duntaxat *civibus*, h. e. Græcis hominibus. Atque adeò apertum eſt, λαβρὰν nihil aliud eſſe quàm λαῦραν, antiquiſſimis Græcorum ſcriptoribus uſitatam: nam υ & β ſæpiſſime permutantur. Et λαῦρος idem eſt quod λάβρος, teſtibus Lexicographis & Grammaticis, qui λαῦραν etiam exponunt ῥύμην vel δημοσίαν ὁδὸν, i. *vicum* vel *viam publicam*, quia δι' αὐτῆς οἱ λαοὶ ῥέουσι, *per eam populus fluit* ſeu *commeat.* Hinc διάλαυρος dicitur apud Heſychium οἰκία μεγάλη, παντὶ χόδην λαύρης διειλημμένη, *domus ampla, undique vicis*, ſeu *angiportis, dirempta*, ab aliis ſcilicet ædibus. *Inſulam* Latini vocant, autore Sexto Pompeio, *quæ non jungitur communibus parietibus cum vicinis, circuítúque publico aut privato cingitur*: qualis plerumque exſiſtit magnifica illuſtris alicujus viri domus. Eadémque aliter περιάμφοδος etiam appellatur, h. e. *vicorum*, vel *viarum publicarum, ambitu circundata.* Non me fugit *labrarum* vel *laurarum* mentionem apud Paulum Diaconum alióſque reperiri, ubi de Monaſteriis verba fiunt: At tum nomen illud, teſtibus Suida & Nicephoro Hiſt. Eccl. l. 14. c. 50. *anguſtas Monachorum cellas* ſignificabit. Rurſúmque eodèm res redit: ſiquidem *laura* vel *labra* à Grammaticis non tantùm ῥύμη redditur, ſed etiam ῥύμη στενὴ ἢ στενωπός, *vicus anguſtus aut angiportus*, ἔνθα πᾶσα ἀκαθαρσία, *ubi omnis immunditia eſt*, inquit Suidas; τόπος ὑποχώρησιν ἀνειμένος, *locus ad ventrem ibi exonerandum vacuus relictus*, inquit Heſychius. Ad ſimilitudinem igitur *labrarum* in urbibus exſtructa Monachorum domicilia idem quoque ipſa ſortita ſunt nomen. Et ut Monachis gratificer, anguſtia loci fortaſſis eos monebat de *Via arcta*: Fœditatis autem conſideratio ſuggerebat humilitatem, quódque ſcribitur, *Tanquam purgamenta mundi facti ſumus & omnium ſordes*, &c. De *Synagoga* quæ dicitur *Libertinorum* in Actis quid cenſendum ſit, amplector ſententiam Cl. Viri D. Bezæ in ſuis ad eum locum Annotationibus indicatam, dum probabilior inveniatur.

Denique conatur tandem Junius conjecturam hanc ſuam accommodare ad reddendam nominis *Labari* rationem; irrito tamen labore. *Hinc quoque*, inquit, *nomen* Labarum, *ſignum penſile, quod præferebatur Regibus & Imperatoribus, ex Armeniorum & Perſarum uſu; quia exemptile erat & de conto ſuo (ut ità dicam) deſcendebat, amovebatúrque commodè.* At unde diſcamus Romanos ſigna illa penſilia ab Armeniis ac Perſis mutuatos? Certè legimus apud Suidam Σκυθικὰ σημεῖα, Scythas geſtaſſe in bello ὑφάσματα βαφῇ ποικιλμένα, ἃ εἰς ἰδέαν μάλιστα ὁρᾶν ἔικασαι, καὶ ἀπηωρῶντο κόντων συμμέτρων, *lintea quædam* (aut *vela*) *variis coloribus tincta, quæ ad effigiem maximè ſerpentum picta cernebantur, contíſque mediocribus in ſublimi aptata & appenſa.* An ergò à Scythis *Labari* originem arceſſemus? Equidem non

non arbitror. Quis adeò imperitus est historiæ Latinæ ut ignoret vexillorum usum apud Romanos valdè antiquum fuisse, atque exstitisse longè antequam Scythæ Romanis innotuissent, aut Armenii, aut Persæ? Neque aliud est *Labarum* quàm *vexilli genus quoddam*, autore Turnebo, Advers. l. 15. c. 16. Id verò quale fuerit ostendit Josephus Scaliger Castigat. in Sex. Pompeium, c. 16. ex forma, quæ in veteribus monimentis picta visitur, nempe signum militare transversum antennæ specie lignum habens, ex quo paludamenti simile pendebat velum. Quod quidem velum quia *candys labari* à Tertulliano dicitur in Apologetico (ut eruditissimè idem Scaliger emendavit) & ex Xenophonte Cyri Pæd. l. 8. patet κάνδυς ὁλοπόρφυρον *candys purpureum totum* regium apud Persas indumentum fuisse, ex hoc forsan suspicatus est Junius *Labarum* quoq; à Persis ad Romanos deveniſse. Sed Metaphorica & catachrestica Tertulliani locutio perineptum est & nimis lubricum hujus rei argumentum. Nam eâdem operâ omnia Romanorum vexilla, ipsúmq; etiam Labarum, in suppara stolásq; convertantur. Quin primùm docemur Persas candye pro vexillo usos? dein Romanos item usum istum ab illis acceptum imitatos? Nos certè agnoscimus antiquissimum fuisse Romanorum Imperatorum morem (quem alibi etiam ex Plutarcho observavimus) ut pugnam nec ità multò pòst committendam significarent χιτῶνι φοινικῷ *tunicâ puniceâ* sive *rutilâ*; προύκειτο, inquit Plutarchus in Vita Marcelli, p. 571. ὁ φοινικοῦς χιτὼν, ὡς ἔοικεν, μάχης ἐσομένης σύμβολον, *Proponebatur* (nempe à Marcello confestim cum Annibale acie dimicaturo) *tunica illa punicea, ut moris erat, pugnæ futuræ signum*; vel (ut alio loco idem narrat Historicus in Fabii Vita, p. 332. χιτῶνι κοκκίνῳ ὑπὲρ τῆς σκηνῆς διαπετομένῳ, *tunicâ coccinâ supra tentorium Imperatoris dispansâ indicium fiebat*; quemadmodum à Terentio Varrone prælio Cannensi sub horam pugnæ factum legimus: cùm nondum Persa quispiam aut Armenius Romano militi, nè aspectu quidem solo, esset cognitus. Varro τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἔξέθηκε, inquit Plutarchus. Quam eandem rem narrans Livius Dec. 3. l. 2. ait, *signum pugnæ proposuit*; q.d. *notissimum illud signum*; id enim valet τὸ σημεῖον apud Plutarchum emphaticè positum. Signum autem pugnæ apud Romanos vexillum exstitisse monet Cæsar De bello Gall. lib. 2. (*Vexillum*, inquit, *proponendum: quod erat insigne cùm ad arma concurri oporteret.* Quare *dispansa tunica* illa cujus meminit Plutarchus pro vexillo est habenda. Ex hac ergò consuetudine (ut planè quod res est dicam) non temere crediderim ortum illum *Labari candyn* quem vocat Tertullianus; ac paludamentum fuisse, non barbaricum, sed Romanum; h.e. quod antiquitus Romani Imperatores, tanquam Majestatis suæ coràm præsentis symbolum, militibus in acie præferendum constituerunt. Est enim veri quàm simillimum, ut si amictus Imperatorius in sublimi explicatus idoneum prælii ineundi indicium est habitus, idem pari modo circumgestatus prælii jam initi efficacissimum ad animos accendendos hortamentum (quasi re in ipso Imperatoris conspectu gerendâ) meritò haberi debuerit. Quocirca Labari lignum semper indè ab initio ità est fabricatum ut aptissimum esset, transversarii supernè conto affixi extremitatibus utrinque prominentibus, haud secùs ac humeris quibusdam hinc indè exstantibus, vesti illi commodissimè distendendæ. *Vestem* cùm dico, ἱμάτιον intelligo seu φάρος, (quibus nominibus utitur Eusebius Labarũ describens De Vita Const. lib. 2. c. 25.) h. e. *velum* sive *vexillum*, *coccineum* aut *purpureum* (Hoc enim *Labari* epitheton est apud Prudentium, Lib. 1. contra Symmachum. Nec quicquam ferè interest; unum quippe idémque est coloris genus Mat. 27. 28. & Joh. 19. 2.) ad effigiem candyos aut paludamenti, vestis nimirum vel chlamydis Imperatoriæ, conformatum. Paludamentum autem prorsus réq; ipsâ barbaricum, miniméq; receptum ac usitatum Imperatoribus Romanis, nec Imperatoris imaginem satis aptè repræsentare, neque à Romanis tam eximio támque incomparabili honore unquam affici potuisse credibile videtur. Utrumque quàm maximè clarum est atque testatum perspicuis Sozomeni verbis, de Labaro scribentis Eccl. hist. l. 1. c. 4. Σημεῖον τοῦτο πολεμικὸν ἦν ἄλλων τιμιώτερον, καθότι ἐπὶ τῶν βασιλέων ἡγεῖτο καὶ πρωτεύειν ἐνόμιζε παρὰ τὰ στρατεύματα, *Hoc signum bellicum in majore honore quàm alia propterea fuit quòd semper Imperatorem antecedere & ab exercitibus* (sive *militibus*) *adorari consuevit.* Porrò coccineus color sive puniceus aut purpureus potissimùm delectus videtur, non solùm quòd nobilissimus esset omniúmq; princeps, ac ideirco *Regum & Imperatorum dicatus vestimentis*, Plin. Nat. hist. 22. c. 2. & lib. 9. c. 39. sed etiam quòd maximè sanguinem referret, monerétq; instantis dimicationis non sine sanguinis effusione viriliter absolvendæ. Hactenus de re: de nomine deinceps videamus.

Quamvis autem valde obscura sit & incerta *Labari* etymologia, faciliùs tamen (mihi crede) & probabiliùs à Græcis quàm aliunde longiùs eam petamus; eóque magis quòd Græco sermone ac milite diutissimè libentissiméque Romani sint usi. Haud igitur omnino absimile vero erit, *Labarum* à voce λάζεσθαι deductum videri. quod Græcis est *vorax*, & *rapidum* vel *vehemens*. Quam quidem significationem universis Romanorum signis apprimè convenientem comperiemus. Antiqua siquidem signa quinque numero fuisse narrat Plinius Nat. hist. l. 10. c. 4. *Aquilæ* videlicet, *Lupi*, *Minotauri*, *Equi* & *Apri*. Deindè *C. Marius, reliquis in totum abdicatis, Aquilam solam in aciem portari jussit.* Quid verò aptiùs quàm λάζεσθαι exprimat Aquilæ naturam, quæ & voraciſſima est & rapidissima? ut de cæteris taceam. Porrò etsi Aquilæ signum vexillum non erat, sed ὑπὸ μικροῦ, ut refert Dion lib. 40. ἐν ᾧ αὐτὸς ἀετὸς χρυσοῦς ἐνῆν), & mox, ἐν αὐτῷ ὡς ἀνδρὸς ὄντι δόκιμον μικρῷ, εἰς ὀξὺ τὸ σύμπαν ἀπηκμάκει, ἵνα καὶ εἰς τὸ δάπεδον καταπήγνυται, φέρει. *Ædicula cui collocata inerat Aquila aurea. Hanc vir unus portabat in parva quadam hasta præfixam, cujus ima cuspis in acumen desinebat, ut solo defigi posset:* attamen nihil impedit quò minùs vexilla etiam λάζεσθαι, & per Epenthesin *Labara*, rectè sint nuncupata, velorum appensorum ratione, quòd ea vi ventorum & signiferorum impetu agitata & quasi vibrata rapido motu ferri viderentur, & terrorem hostibus majorem incuterent. Ideóq; venustè σοφίσματα dicuntur à Suida Σκυθ. σημ. Cùm igitur initio omnibus vexillis signísq; militaribus commune fuisset *Labari* nomen, vulgaris postea castrensis sermonis usus privatim uni addixit, paludamento scilicet dispanso; quia id multùm cæteris antecelleret: sicut à Sozomeno Eccl. hist. l. 1. c. 4. longè ante Constantini M. ætatem antiquitus exstitisse prædicatur, τὸ ἐπισημότατον σύμβολον τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς, *signum illud Imperii Romani omnium clarissimum.* Quod verò inter alia maximè emineret, sibi soli per excellentiam Synecdochicam totius generis nomen sumere solere, pervulgatum est.

Lilius Gyraldus Dialogis. 25. duas *Labari* originationes profert. Quarum una ἀπὸ τῆς εὐλαβείας desumitur; nam *postquam vexillum illud in Crucem commutaverat Constantinus Magnus*, σημεῖον τῆς μεγάλης εὐλαβείας, i. *signum magnæ pietatis, exstitit.* Altera ἀπὸ τῆς λαβῆς, quòd scilicet *à Constantino captum fuerit Labarum.* Hæc cùm Lilius infirmissima esse videret, quoniam ad Constantini tantùm tempora (quibus longè vetustius fuit Labarum) pertinent, continuò subjicit, *Est & (quod nunc succurrit) Labara civitas Cariæ, unde sit nomen gentile Labareus, ut Stephanus ostendit.* Quid ergò? indéne *Labarum*? Multò equidem malim vel à pugnacissimis Ægyptiorum, palustrium illius regionis locorum incolis, qui *Hermotybies* ab Herodoto lib. 2. dicuntur, iidémque *Labares* à Stephano πρὸς πόλεων, voce Ἑρμοτυβιεῖς, nomen accepisse vexillum illud, & ex eorum vetusto more usúq; ad Romanos olim traductũ (nisi quòd antiquius est Labarum, h.e. candyos five paludamenti dispansi, χιτῶν & διαπετομένου vexillum quàm antiquissimum primúmq; Romanorũ cum Ægyptiis cómercium;) vel (ut quàm proximè Romã accedamus) à *Laboriis*, ubertimâ & laudatissimâ Campaniæ regione, denominatum fuisse *Labarum*, quasi *Laborium*, vel *Laborinum*. Labarorum autem stolæ & χιτῶνες κόκκινοι cum militis Campani luxu vehementer congruunt.

Quinetiam analogia (quam summâ ope defensitavit

Aristarchus, insignis Grammaticus) facilè permittit ut quemadmodum ab *Odor odôrum*, i. *odoratum*, derivatur, ità à *Labor*, *labôrum*, h.e. *laborioſum*. Sic autem ſcriptum reperitur nomen vexilli iſtius apud Sozomenum, loco ſuprà citato, his verbis, τὸ παρὰ Ῥωμαίοις καλούμενον λάβαρον, *quod à Romanis Labôrum vocatur*: omnino prout Turnebus quoque in vetere Lexico ſe legiſſe confirmat Adverſ. l. 15. c. 16. Hujuſce ſcripturæ veſtigia manifeſta hodiéque in ipſo Juſtiniani Codice l. 12. Ti. 18. remanere cernuntur: Quam, ut vitioſam, nihil eſt quòd quiſquam jure damnet, utcunque propter vetuſtatem obſoleta fortaſſis exiſtimetur. Ibi lectiſſimi ſatellites illi quos primùm Conſtantinus M. ad Labarum humeris ſuis ferendum conſtituit, *præpoſiti Labôrum* pro *Labororum* per Syncopen appellantur; ut *præfectus fabrûm* pro *fabrorum*, *numûm* pro *numorum*, &c. Quapropter hinc olim dictum cenſeatur *Labôrum* quòd res ſummi laboris plena eſſet Romanis legionibus tutari ſignum illùd, atque adeò, *Hoc opus, hic labor*, ut ait Virgilius; aut etiam quia unum hoc ſignum, teſte ibidem Sozomeno, ἢ καμνόντας φάλαγξιν ὁπλῖται ἢ μάχας παρῆναι *acie-bus in præliis laborantibus adeſſe* & ubique ſuccurrere ſoleret. Quam eandem ferè nominis iſtius rationem Gregorius quoque Nazianzenus ſecutus videtur; quippe is in Oratione priore adverſùs Julianum Labarum vocat τὸ μέγα σύνθημα, ὃ μὴ τῷ σωρῷ πομπεύει ἢ ἄγει ἢ σφλὸν, ὡς ὕψει εἰρόμενον, καμάτων λυτῆριον ὄν τε καὶ Ῥωμαίοις ὀνομαζόμενον, καὶ βασιλεῖον (ὡς ἂν ἄποι τις) ἢ λοιπῶν συνθημάτων, *Magnum illud inſigne* (ſive *vexillum*) *quod unà cum Cruce pompæ ſolennis more exercitum ducit, in altum ſublatum, quódque laborum ſolutio & eſt & à Romanis dicitur, regiſq; inſtar (ut ità dicam) in reliqua vexilla dominatur. Labores* hic eodem ſignificatu accipiat Lector quo uſurpatum à Poeta occurrit verſibus iſtis de Trojæ excidio, Æn. 2. 361.

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut poſſit lacrymis æquare labores?

pro *extremis* ſcilicet *calamitatibus* & *periculis capitalibus*, qualia plerumque exſiſtunt bellica. Putavit igitur Nazianzenus à genitivo plurali *Laborum* καθ' ὑπολῆψιν *Labarum* à Latinis nuncupatum. Atque hæc etymologia, ſi res ipſa conſideretur, propemodum cum illa quam proximè declaravimus concinere animadvertatur. Eam enim ob rem in partem aliquam exercitûs laborantem raptim inferri conſuevit Labôrum, ut hoc à comitantibus & circumſtantibus militum fortiſſimis quibuſque acerrimè propugnatum, illius pariter propugnandæ cauſam juſtam & neceſſariam præberet. Quod certè nihil aliud erat quàm illud veteris proverbii, ἦλῳ ἦλον ἐλαύνειν *clavum clavo expellere*, h.e. majore periculo minus amoliri. Attamen taceri non poteſt, duriſſimum videri, nec ullo penè uſu unquam molliendum, ut à genitivo plurali maſculino formetur in recto ſingulari ſubſtantivum neutrum; utcunque Græcis hominibus analogiæ Latinæ prorſus ignaris commentum illud placeat. Quòd autem vocabulum hoc, ſermone caſtrenſi tritum, correptâ tandem ſyllabâ penultimâ, enunciari cœpit *Labarum* pro Labôrum, per Syſtolen uſitatam id factum eſt, ut Græci eâdem ratione ῥηγὸς à ῥηγὸς formârunt, Latini *potitur* à *potior potîris*; item *rego* aut à *Rem populi ago* (quæ vulgaris eſt Grammaticorum derivatio) aut (quod quidem magìs credo) à *Rex*, *rêgis*. Nam vox primitiva REX *e* literam naturâ longam habet; unde apud Suidam emendatè ῥὴξ ſcribitur, per η vocalem longam, utpote à ריש, quod Syriacâ vel Phœnicum linguâ *caput* ſonat, deducta. Si cui *Labarum* aliter derivandum videtur, fruatur per me licet ſententiâ ſuâ; modò nè in tantas anguſtias nos adductos putet ut Armenios vel Perſas ea de cauſa neceſſe ſit adire. Atque hæc de etymo in præſentia ſatìs ſupérque ſint dicta. *Labari* autem originem de induſtria pluribus declarandum putavi, tum quia altiſſimum ea de re ſilentium ubique eſſe animadverti, tum ut Lectori non ſolùm Antiquitatis ſed pietatis etiam ſtudioſo gratificarer. Quippe hinc ſtatim liquidò diſcat quantulo & quàm nullo penè negotio religioſiſſimus juxtà atque ſapientiſſimus Imperator Conſtantinus ille, verè Magnus, ampliſſimam & commodiſſimam occaſionem nactus ſit ſalutare Crucis ſignum, alicqui probroſum, quàm glorioſiſſimum efficiendi, non in vulgus tantùm, ſed multò etiam magìs apud exercitum, robur & firmamentum Reip. totius atque Imperii. Quo quidem conſilio Divinitus ſanè (ut feliciſſimus eventus comprobavit) patefacto, mirum quantum fidei Chriſtianæ decus auctum fuerit, & os maledicis obturatum. Ejuſdem eventi ſimilem σφράγισιν ſive occaſionem apud Ægyptios præbuit characteris Hieroglyphici genus Crucis formam exprimens, quod, purgato, juſſu Imperatoris Theodoſii, Serapidis Templo, lapidibus inſculptum apparuit. Vide Socrat. Eccl. Hiſt. l. 7. c. 15. Ità ſubindè accidit, occultâ & ſuſpiciendâ Dei providentiâ, rerum omnium gubernatrice, ut ſacroſanctæ veritatis hoſtes ſuis ipſorum inventis veritatem promoveant; & *ignoti Dei ara*, Act. 17. 23. noti prædicandi opportunitatem ſubminiſtret; ac demum hoc pacto (ut prudentiſſimè ait Jethro) *eâ ipſâ re quâ ſuperbiunt ſuperior illis eſſe agnoſcatur*, Exod. 18. 11.

Cæterùm de nomine *Loubar*, quod apud Epiphanium legitur, alia mihi conjectura nuper in mentem venit. Teſtatur Joſephus Scaliger, De emend. Temp. l. 7. initio, Annot. in Comp. Æthiop. *Æthiopas Abaſſenos prædicare ſe generis ſui primordia ab antiquis Chaldæis & Aſſyriis ducere. Lingua inſuper elegantiſſima & vetuſtiſſima, quâ libros ſacros & profanos conſcriptos habent, proximè abeſt* (eodem teſte) *à Chaldæa & Aſſyria*. Quare etiam Armeniæ ſimilis ſit oportet; nam tres haſce gentes omnino confines fuiſſe narrant Geographi. Atqui Abaſſenorum antiquo illo idiomate Mons דבר nominatur. Hinc *Doubar*, i. *montem*, vocatum fuiſſe ab accolis Armeniis tractum illum egregiè montoſum in quo conſedit Arca, non eſt fidei prorſus abſonum. Sæpe namque accidit ut nomina appellativa, κατ' ἐξοχὴν præſertim ſumpta, vertantur in propria, aut ſaltem propriorum loco uſurpentur. E. g. *Maſſada*, firmiſſimum ac munitiſſimum propugnaculum prope lacum Aſphaltiten ab Herode M. exſtructum, nomen commune habet מצדא, quod τὸ ὀχύρωμα ſermone Græco exponitur, noſtro The Fort appellatur. Sic *Gibraltar*, mons Hiſpaniæ notiſſimus ad fretum Gaditanum, olim *Calpe* dictus, Arabicè *Gebel Tarif*, i. *Mons Tarif*, inquit Ortelius Theſaur. Geogr. nuncupatur. Quaſi verò *Tarif* nomen proprium ſit, ac non potiùs appellativum, אלטרף, *extremitatem* Latinè declarans. Quare *Gibraltar* nihil aliud eſt quàm *Mons extremitatis*; planè idem quod ſcribit Plinius l. 3. c. 1. *Calpe Hiſpaniæ extimus mons eſt*. Sic deniq; *Taurus*, nomen montis Aſiæ maximi ac celeberrimi, verè Syrorum eſt טורא, quod Latinè *montem*, Græcè τὸ ὄρος denotat, Anglicè The Mount; quemadmodum promontorium S. Michaelis in Cornubia vulgò à nobis vocitatur. Nam ut à תירא deducatur, quod Syriacè *bovem* ſonat, ab Hebræo שור derivatum (ש de more in ת raphatum, ut vocant, converſo) nulla aut certè perridicula initi poteſt ratio. Quamobrem ad eundem modum *Doubar* nomen generale (quod forſan à טור Syriaco fluxerit; ſunt enim ד & ט, item ב & ו elementa vicina) citò in proprium certi cujuſdam montis migrare potuit. Transformari autem deinceps δ in λ (ſicuti contrà) à dormitantibus perſæpe ſcriptoribus librariis, nihil fuit facilius; ut in Δασὰ pro Λασὰ & Δαγιδὰ pro Δαγιλὰ cernitur in Græcis Bibliorum exemplaribus, Gen. 10. 19. & Jud. 16. 4. Teſtatur hoc ipſum Lambinus, homo pereruditus, & in antiquis exemplaribus manuſcriptis diu ſtudioſiſſimè volutatus, Annot. in lib. 10. ep. ad Atticũ, ep. 5. Atq; ità tandem ex Δαῖσαρ Λαῖσαρ factum.

Sed quoniam ex Æthiopia ſunt uſq; hæc, nimis illa quidem procul petita videantur. Ut igitur ab illis ipſis regionibus Armeniæ Syriæque & Aſſyriæ non recedamus longiùs, primùm meminerimus (quod eſt à nobis de Monte iſto ſuperiore lib. c. 4. demonſtratũ) variis videlicet nominibus eum in antiquorũ ſcriptis appellari. Vocatur enim aliàs *Baris*, aliàs *Imbarus*, aliàs *Nibarus*, aliàs deniq; *Loubar*. Atque eâ re haud temere rurſus cõjectare licet *Loubar* apud Epiphaniũ compoſitam eſſe dictionem, cujus pars poſterior

Baris

Baris incorrupta ſit integráque (cùm eâdem miniméque mutata apud omnes reperiatur) prior autem (ut ex diverſa & vacillante ſcriptura conſtat) omnino mendoſa judicetur. Quid ſi ergò non Λύβαεις (ut emendat Junius: unde enim αι ſyllaba præpoſita? aut quorſum? aut quid tandem valet?) ſed Τύβαεις dicendus eſt mons ille? Nam λ & τ ſunt literæ figurâ quàm ſimillimæ: quò major erat, præſertim per præcipitem feſtinationem, linguarúmque inſcitiam, ad confundendum proclivitas. Porrò τυ pro τυρ accipiendum, R liquidâ vel per Syncopen ejectâ, vel à librariis prætermiſsâ. Voculæ autem τυρ ſive טור ea eſt quam proximè oſtendimus ſignificatio, nempe *Mons*. בירה, ætate Danielis, Eſtheræ, Eſdræ tritum Orientalibus vocabulum. *Templum* vel *Palatium* deſignat. Hinc *verbum* βάεις (ut autor eſt Hieronymus) Comment. in Pſal. 45. 8. ὀπτχώειον *Paleſtinæ: quod domum declarat ex omni parte concluſam & in modum turrium ac mœnium publicorum ædificatam.* Cujus formam quia veterum naves imitarentur, utpote foris ſuis tectæ & pinnis quibuſdam ſupernè cinctæ, ſuis item lateribus quaſi parietibus (ſiquidem τοίχους Græci vocant) undique concluſæ, aliis inſuper in rebus ad effigiem amplorum ædificiorum compoſitæ, βάεις & ipſæ ſunt appellatæ, utì ſuprà annotavimus. Arca verò Noæ ingens ac planè miranda βάεις meritò haberi debet. Quapropter Τύβαεις, vel pleniùs Τύρβαρις *Tauri portio* (ut ait Strabo Geog. l. 11.) aut *Mons Templi* exponitur, nimirum ubi exſtructo Templo aſſervatæ ſunt Arcæ reliquiæ & ſumma cum veneratione mortalium concurſantium ſpectatæ, ſicut pluribus ex Beroſo antè docuimus lib. 1. cap. 4. aut *Mons Navigii*, quòd ad eum appulſa fuiſſet olim Arca Noæ, & ad Beroſi uſque ætatem ibi viſenda permanſiſſet. Atque hæc ſaltem aliquo nituntur fundamento. Non auſim tamen quicquam aſſeveranter dicere. Penès doctos eſto judicium.

CAP. 2. *De forma deprecandi Hebræa; déque Græca, Latina & Syra eidem reſpondenti. Oſtenduntur errata quædam interpretum eadem in re.*

DEprecandi atque averſandi formulæ aliæ aliis nationibus ſunt familiares. Hebræi paſſim adhibere ſolent nomen חלילה, quod propriè ſonat τὸ βέβηλον *rem profanam*, vel *Nefas*, ut V. Interpres alicubi haud ineptè reddidit. Porrò etſi unum eſt nomen iſtud & ſimplex, non uno tamen ſed variis multíſque modis uſurpatur. Quandoque enim abſolutè ponitur ipſum per ſe ſolùm, id quod rarò evenit, 1 Sam. 14. 45. & 20. 2. ſæpiſſimè adjunctis aliis particulis; Quæ ſi aderunt omnes, ſenſum plenum ac perfectum gignent; ut 1 Reg. 21. 3. חלילה לי מיהוה מתתי, i. *Res profana* (vel *Nefas*) *mihi*, ſubaudi תחשב, i. *imputabitur, à Domino, adèo ut tradere* (vel *dare*) *nequeam.* Item 1 Sam. 24. 7. חלילה לי מיהוה אם אעשה, i. *Res profana* (vel *Nefas*) *mihi* imputabitur *à Jehova ſi facerem.* Sin deerunt aliquæ, continuò facilè ſupplentur ex illis loquendi formis quæ ſubindè occurrunt perfectæ: ut Joſ. 22. 29. חלילה לנו ממנו למרוד ביהוה, i. *Pro re profana nobis* ducetur *ab eo* (h. e. à Domino; Relativum enim ponitur pro antecedente) *ut rebellaremus contra Dominum.* Ubi etiam animadvertas ל gerundii notam obtinere locum אם, vel מ, ad vitandam κακοφωνίαν ex concurſu ſimilium ſonorum orituram. Obſerves alibi Ellipſin præpoſitionis מן: ut 2 Sam. 23. 17. חלילה לי יהוה מעשותי, i. *Nefas mihi à Jehova* imputabitur, *ità ut facere non poſſim*, יהוה pro מיהוה: in eadem quippe hiſtoria 1 Chron. 11. 19. additur מ; niſi quòd ibi legatur מאלוהי, i. *à Deo meo*, pro מיהוה.

Septuaginta variè transferunt חלילה; completo autem verborum ambitu dupliciter. Primò, Μηδαμῶς 1 Sam. 26. 11. vel Μή μοι γένοιτο 1 Reg. 21. 3. vel etiam Μή μοι εἴη (idque ſemel tantùm, ni fallor) παρὰ Κυρίου ποιῆσαι τὸ ῥῆμα τοῦτο Job. 27. 5. Iterum, Ἱλεώς μοι ὁ Θεὸς, τοῦ ποιῆσαι τὸ ῥῆμα τοῦτο, 1 Chron. 11. 19. Quarum prior loquendi ratio ità exponitur à Vulgato Interprete Latino, *Abſit à me, ut rem hanc faciam.* Poſterior ità, *Propitius ſit mihi Dominus, nè faciam hanc rem*, 2 *Sam.* 23. 17. Atque hic nominativum *Dominus* vel *Deus* ubique conſuevit adjicere: quem tamen Græci nonnunquam omittunt, 2 Sam. 20. 20. & 1 Sam. 14. 45. & Gen. 43. 23. & 1 Mac. 2. 21. Syri verò (unde tam Græci quàm Latini hanc locutionem ſunt mutuati) ſemper: illis enim in more poſitum eſt præciſè dicere לי חס, ſubintellecto nominativo אלהא *Deus* vel מריא *Dominus.* Sic & Græci quandoque loqui ſolent, Ἱλεώς μοι, ſubaudito ὁ Θεὸς vel ὁ Κύριος, h. e. ſi ſententia ſola ſpectetur, *Abſit mihi illud*, vel *Avertat à me Deus*, aut *Prohibeat.*

Quò magis miror eruditiſſimos interpretes Tremellium ac Junium tritam hanc Syrorum Deprecandi formulam non obſervaſſe Mat. 16. 22. חס לך מרי דתהוא לך הדא, quæ explicatâ & integrâ oratione ſic vertatur, Ἵλεως σοι ὁ Θεὸς, Κύριε, τοῦ εἶναί σοι τοῦτο. Nam ut apud Syrum Paraphraſten Ellipſis cernitur negationis, itidem & apud Græcos V. Teſtamenti Interpretes in eodem ſermonis genere, 1 Chron. 11. 19. 2 Sam. 23. 17. Itaque ד particula Syriaca in hoc loquendi modo eandem vim obtinet quam & ei ſynonymum *ut* Latinum cum verbis *metuo, timeo, vereor* conjunctum. Dicimus enim, e.g. *Metuo ut ſuſtineat*, i. *ut non* vel *ut nè ſuſtineat*: ſic Syriacum illud דתהוא, *ut ſit*, perindè valet atque דלא תהוא *ut non ſit*, aut etiam (quod re ipsâ idem ſonat: nam utramq; vim, & Negandi & Comparandi, præpoſitio מן obtinet) מרחמוא *quàm ut ſit*, adjectivo Ἵλεως poſitivo pro comparativo accepto. Præterea, cùm חס ſit ex ordine verborum quieſcentium in medio, habeâtque ſubſcriptum Camets, fieri non poteſt ut ſit aut participium, (ità namq; חאם ſcribendum foret, vel חיס) aut imperativi modi: ſic enim חום non חם dixiſſet, vel Tremellio ipſo Judice in Grammatica Chaldæa & Syra. Quare חס לך omnino transferendum fuerat non *Propitius ſis*, vel *eſto*, ſed *Propitius eſt* Deus *tibi, Domine*: q. d. *magìs tibi propitius eſt quàm ut hoc tibi accidat*: ad verbum, *pepercit tibi*, i. decrevit parcere, vel certiſſimè parcet, aut parcit. Res adeò eſt aperta ut credam doctiſſimos viros ad conjecturam alieni ſenſûs, non ad judicium ſuum, verba illa reddidiſſe. Nam haud dubiè præjudicium D. Bezæ ſunt ſecuti, qui unà cum Eraſmo, Ἵλεώς σοι, vertit, *Propitius tibi ſis*, abſque ullo reſpectu idiomatis Syrogræci; quod tamen accuratè fuiſſet obſervandum, quódque ſtatim perſpicuè docuiſſet conſimilium locorum Veteris Inſtrumenti collatio non indiligens. Etenim (ut ſuperiora omnia miſſa faciam) cùm graviſſimè metuerent Joſephi fratres nè conjecti in vincula furti peragerentur rei ob repertas in manticis pecunias, atque idcirco diſpenſatorem protinus adirent, eſque ſe multùm purgarent, reſpondit ille Gen. 43. 23. Ἵλεως ὑμῖν, μὴ φοβεῖσθε, hic certo certius eſt, locum omnino nullum dari perſonæ ſecundæ. Nec enim interpretari ullo modo licet, *Propitii ſitis vobis ipſis*, ô filii Jacobi; *nè metuite*: ſed ſumma neceſſitas cogit perſonam tertiam adhibere, & *Deum* ipſum ſubintelligere, qui periculum quod timebatur præſentiſſimum averteret; q. d. *Propitius vobis eſt Deus, nè malum id eveniat quod tantopere formidare videmini: Nè metuite igitur.* Verba Hebraicæ veritatis ſunt שלום לכם, i. *Pax vobis.* At enim Ἵλεως ὑμῖν ipſiſſima eſt formula Syrorum חס לכין. Hoc certè ad rem nihil intereſt: ſententia quippe eadem eſt utrobique. Deinde ex utriſque conjunctis compoſita eſt forma illa Rabbinica ſignificantiſſima חס ושלום, i. *Propitius eſt* Deus, *& pax*, h. e. & ſalva ſunt omnia. Quod obiter commonefacere libuit. Quamobrem quando in hoc Geneſeos loco ſinq; illo Matthæi idem prorſus exſiſtit eâdémq; de re loquendi modus, neceſſe eſt fateamur (niſi pertinaces eſſe velimus) eâdem pariter ratione transferendum utrumque. Omnino igitur rectè & eruditè V. Interpres clauſulam illam Matthæi ſic vertit, *Abſit à te, Domine: Non erit tibi hoc.* Etſi enim verba non numerat, rem tamen ipſam ad unguem expreſſit, obſervato idiotiſmo & deprecandi ſignificatione, quod fieri inprimis oportuit.

Veruntamen hanc alibi animadverſionem ac diligentiam non adhibuit, nè hac ipſa quidem in re qua de nunc agitur. Nam quamvis facillima ſint verba Hebraïci contextûs Gen. 18. 25. *Abſit tibi: An Judex totius terræ non faceret judicium?* ille tamen lapſus in priore membro, reliqua

item pervertit, *Non est*, inquit, *hoc tuum, qui judicas omnem terram, Nequaquam facies judicium hoc.* Erratum istud nimis manifestum est & crassum, transferre חלילה לך *Non est hoc tuum.* Cúmque diu & attentè mecum meditarer quid ei tandem in mentem venerit ità interpretari, interea commodùm pervenit in manus pulcerrima & longè exoptatissima Lxx Interpretum editio Græca Romæ elaborata; ubi in Annotationibus ad calcem capitis illius deprehendi versionem hanc οὐχὶ σὸν, i. *Non est tuum*, Symmacho ascribi. Hîc statim mirari desii, quod ad Vulgatæ editionis Latinæ auctorem attinet, inspecto jam ipso erroris fonte. Symmachi verò non poteram satìs mirari negligentiam, aut potiùs istorum temeritatem & inanem diligentiam, qui rectè à Symmacho exposita invertere sunt ausi. Absit enim ut interpretem peritissimum, toties ab Hieronymo laudatissimo viro laudatum, tantæ vel oscitantiæ vel inscitiæ accusem. Quinimo omni asseveratione affirmare non dubitabo Symmachum nunquam interpretatum fuisse חלילה οὐχὶ σὸν, sed aut οὐκ ἴσον, i. *non est justum*, aut potiùs οὐχ ὅσιον, i. *impurum, impium, nefarium* aut *nefandum est.* Nam hoc (οὐχ ὅσιον nempe) multò malim, cùm propter literam aspiratam χ in voce οὐχὶ præcedente, quæ quasi nota impressa indicat spiritum asperum dictionis sequentis, tum maximè aptissimæ significationis gratiâ: nec enim exquisitiùs potuit reddi vocabulum חלילה quàm οὐχ ὅσιον, i. *impurum, profanum, impium.* Neque multùm hinc abest illa de qua suprà meminimus expositio V. interpretis Latini, qui 1 Sam. 14.45. חלילה vertit *Nefas*, germanum ibi Symmachum proculdubio, non adulteratum, imitatus. Ac ad eam proximè accedit significatio quam assignat Josephus Kimchius, nempe מניעה, h. e. *prohibitio*, vel *quod prohibitum*, seu *vetitum, est.* Illa verò quam sequitur Aben-Ezra (teste Munstero Annot. in 18. c. Gen. Bibl. Hebr.) videlicet *res quæ non convenit*, longè remotior est & planè diluta, nec vocis Hebrææ vim & pondus ulla ex parte refert. Plurima namque sunt minimè *convenientia* quæ nè *vetita* quidem haberi possunt, nedum *profana* atque *impia.*

Cap. 3. *De vocabulo Rabbinico* מין, *déque Bethosæis, Judæorum secta.*

Doctissimus Judæus Elias Levita Germanus (cui gratiam non mediocrem debent Christiani propter sincerum in linguæ Sanctæ cognitione ipsos adjuvandi studium) in Lexico suo Rabbinico, quod *Thisbitem* inscripsit, Rad. מין, docet Rabbinos eum מין appellasse שאין לו דת, i. *qui legem non habet:* Latinè ad verbum *exlegem*, Græcè ἄνομον dicas. Quo nomine Antichristus ille omnium exlegum & Hæreticorum coryphæus ab Apostolo notatur. Nec incommodè παραβάτην reddideris, prout Julianum Apostatam appellatum novimus, aut παραβάσεις, eodem sensu quo ab Apostolo Johanne Epist. 2. v. 9. usurpatum legimus. Postea idem vocabulum Elias deductum à magno illo Hæresiarcha Manete affirmare videtur. Quem Eusebius ἀπὸ τῆς μανίας *ex insania*, quasi μανιώλα dictum, nomen inveniisse innuit Histor. Eccl. lib. 7. cap. 35. Sed allusio potiùs hæc quædam est Eusebii ad consimilis soni vocem Græcam quàm genuina ex idiomate vernaculo eruta originatio. Cæterùm quod ad deductionem illam attinet quam affert Elias, valde profectò aliena existimari debet. Manetis enim sectatores *Manichæos* vocatos fuisse scimus, non *Minæos.* Deinde recentior videtur Manetis hæresis quàm ut מין vocabulum Rabbinicum parere potuerit. Et quid, quæso, Rabbinis cum Manete, vel hac solùm de causâ odiosissimo quòd hominis Christiani speciem, licèt tenuissimam, præ se ferret? Ad hæc pervulgatum est מין idiomate Rabbinico *hæreticum* designare. Consentaneum est ergò ut dogmatis Judaici respectum designet, non Christiani. Quare præstat aliunde Etymologiam petere; neque meâ quidem sententiâ commodiùs quàm à themate Hebræo מאן. Sicut enim ex באש Radice Hebræa Syri formant nomen ביש (nam א & י sunt literæ valde inter se commutabiles) ad eundem prorsus modum Rabbini, qui linguam Syriacam plurimùm æmulantur, suum מין analogicè ex מאן derivasse sunt putandi. Atque hoc magnopere liquet ex significatione etiam ipsius verbi מאן, quod *renuere* sæpe transfert V. Interpres, Septuaginta passim μὴ βούλεσθαι Exod. 9. 2. vel οὐκ ἐθέλειν Gen. 48. 19. Alludunt enim ad אין, i. *Non*, particulam negativam, quam themati מאן inesse subindicant, & Exod. 7. 14. hoc in illam cum præpositione junctam apertè resolvunt. Symmachus eruditè ἀπειθῆν vertit Exod. 4. 23. sic & Chaldæus P. סרב. Neq; enim מאן *utcunque negare* vel *renuere* valet, sed *pertinaciter etiam, animóque obstinato*, ut Exod. 7. 14. Itaque מין propriè est Syrorum כפורא vel כפרן, h. e. *abnegator veritatis* scilicet *agnitæ* 1 Sam. 8. 19. 2 Sam. 2. 23. Itidem Hispani *Renegado* vocitant. Chaldæo Paraphrastæ סרבן dicitur, i. *rebellis*; Græcis autem ἀπειθὴς, i. *qui nullam admittit persuasionem, nullâ oratione flectitur, contumax*, & *refractarius:* qualis reipsa est omnis hæreticus. Vox סרבן Chaldæa habetur in antiqua inscriptione ἐπὶ Μαχαβαίων quam ex Origene refert Eusebius Hist. Eccl. l. 6. c. 25. Σαρβὴθ σαρβανὲλ, h. e. interprete Junio, *Virga rebellantium Deo.* Malim, *Generatio rebellantium.* Non enim שרביט legitur, quod *virgam*, sed שרבת, quod γενεὰν *generationem*, vel *progeniem*, valet. Notantur autem potissimùm Judæi desertores seu apostatæ, hostes Dei, Judaicæque Reipub. ac bonorum omnium pernicies & pestis capitalis; necnon etiam propago scelerata successorum Alexandri, Regum Syriæ, perditè θεομάχων, & in pios ferinâ crudelitate infamium, ut illis libris ostenditur.

Porrò מין nomen, præter generalem *Hæretici* significationem, certam quandam speciem apud veteres Rabbinos καθ' ἐξοχὴν denotasse videtur. Hieronymus Nazaræos ætate suâ peculiariter dictos fuisse *Minæos* à Pharisæis asserit; *Qui dum volunt*, inquit, *& Judæi esse & Christiani, nec Judæi sunt nec Christiani*, August. Tom. 2. Epist. 11. Elias Rad. מין testem citat R. Mosem filium Maimon (is annis abhinc ampliùs quadringentis scripsit) confirmantem כי זה השם אינו נופל רק על צדוקי או ביתוסי *Nomen hoc* (מין) *non convenire nisi in Sadducæum aut Bethosæum.* De Sadducæo, quis olim fuerit, satìs constat; at de Bethosæo non item. Quòd si Eliam audiemus Rad. צדוק, *Baithos* erit proprium viri nescio cujus nomen qui æqualis Saddoko (unde *Sadducæi*) disciplinæ suæ ipse quoque princeps sectatoribus suis (ביתוסים) *Bethosæorum* appellationem pepererit. Qua in re insignem prodit ἀτοπίαν siquidem nullus uspiam apud Judaicæ historiæ scriptores compâret *Baithosius.* Quem tamen minimè omnium perpetuâ oblivione obruere debuissent, illustris præsertim sectæ autorem. Josephus, clarissimus Judæorum Historicus, De bello Jud. l. 2. c. 7. tres duntaxat apud Judæos disciplinas celebres recensèt, *Pharisæorum* videlicet, *Sadducæorum*, & *Essenorum.* Eidem astipulatur Ben Gorion Hebraicè conscriptus Hist. Jud. l. 4 c. 6. Quocirca cùm Moses ille Maimonides esset de grege Pharisaico Rabbinus, מינים, h. e. *Hæreticos*, ei fuisse oportuit Sadducæos & Essenos. Esseni igitur sunt *Bethosæi* isti. Quinetiam in ipso nomine luculenta apparent veritatis indicia. Neque enim alii sunt ביתוסים (si propiùs inspicias) quàm בית אוסאים; deinde frequenti usu duabus vocibus in unam coalescentibus ביתוסים, i. *Familia Essæorum* vel *Sanatorum:* de quibus suprà locuti sumus lib. 1. c. 3. Hæc nempe verè fuit hæresis Judaica, æqualis ac par Sadducææ & celebritate nominis & originis antiquitate. Unde iterum patet *Essenos* (sicuti antè demonstravimus) etiam ab אסא, quod *sanare* significat Syris & Rabbinis, vulgò denominatos fuisse. Nam clara res est, ביתוסים nec ab Hebræo חסידים nec à Syro חסין originem trahere potuisse.

Cæterùm subit cogitatio, quonam modo nobilissimum istud par המינים ex una sui parte tam celebre sit in Euangelio, ex altera verò tam sit obscurum ut nè semel quidem nominetur. Multa enim ibidem fit mentio Sadducæorum, Esseni contrà nullibi omnino memorantur. Conjiciat quis forsan id eam ob causam accidisse quòd Christi ætate vix dum nata esset familia seu secta illa; atqui longè

secùs

secùs res se habet. Etenim ante Philonis tempora (qui Christo adhuc vitam in terris degente vixit) maximâ gloriâ florebant cùm in Ægypto tum in Palæstina aliísque orbis partibus; [Περὶ βίου θεωρητικοῦ.] Item sui instituti commentarios penès se habebant à *veteribus*, παλαιῶν ἀνδρῶν, conscriptos, qui illius disciplinæ olim *principes* fuerant, ἀρχηγοί. Quò magìs incredibilis & absurda est Eusebii opinio, Hist. Eccles. l. 2. c. 17. Essenos hosce fuisse *Christianos* aut *Apostolicos viros*, cùm nondum *Christianorum* nomen Act. 11. 26. *virive Apostolici* in rerum natura exstarent. Rectiùs multò Josephus, qui Antiquit. Judaic. l. 15. c. 13. Essæos *genus hominum Pythagoræis Græcorum non absimile* esse pronunciavit. Probabile igitur est, quia Esseni nec Ecclesiæ nec Reipub. gubernacula ullo modo tractarent, sed congressus hominum, suæ sanctimoniæ fiduciâ turgidi, fugerent, & loca solitaria ad lacum Asphaltitem incolerent, Plin. Nat. hist. l. 5. c. 17. nihil Domino Servatori *in Templo, in Synagogis, in cœtibus frequentissimis*, Joh. 18. 20. Euangelii sui prædicandi gratiâ cupidè versanti, negotii unquam cum illis fuisse; ideóque de ipsis tanquam ignotis prorsus ubique taceri in Historia Euangelica & scriptis Apostolicis.

At si quis eos ibi contenderit *Pharisæorum* nomine comprehensos, non magnopere pugnabo. Etenim quamvìs non dicerentur *Pharisæi*, re tamen ipsâ certè Pharisæi erant. Rectè enim & dilucidè ostendit Suidas quinam fuerint Pharisæi, & cur ità appellati, Voce Φαρισαῖοι, à פרש, i. ἀφορισμοὶ, ut Gal. 2. 12. Οἱ ἐμαυτοὺς ἀφορισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτὸς ἀπὸ ἄλλων ἁπάντων, εἰς τὸ καθαρώτατον τοῦ βίου καὶ ἀκριβέστατον, καὶ εἰς τὰ τοῦ νόμου ἐντάλματα, *Pharisæi sunt*, inquit, *quos interpretari licet Separatos, eò quòd quasi dividerent sese atque separarent ab aliis omnibus hominibus, tum purissimo exquisitissimóq; vivendi genere, tum etiam præceptorum Legis ratione.* Utrumque magna cum gloria de Essæis prædicat Philo, Lib. Περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον, & Περὶ βίου θεωρητικοῦ: siquidem testatur eos tam studiosos fuisse puritatis ut subducerent se ex reliquorum hominum turba, nè pravis moribus atque opinionibus dissimilium sui tanquam pernicioså quadam contagione inficerentur. Imò hac in re ipsis Pharisæis erant Φαρισαϊστέρους. Nam isti societatem tantùm familiarem & privatas ædes, illi etiam publicos cœtus, vicos, oppida, urbes præ nimia sanctitate in universùm fugiebant. Neque minùs (atque haud scio an etiam magìs) S. literarum lectioni erant dediti; adeò ut totos dies, ætatem omnem consumerent ἐντυγχάνοντες τοῖς ἱερωτάτοις γράμμασιν, *sanctissimarum literarum lectioni vacantes*, inquit Philo. Nihil igitur inter utrosque hìc intererat, nisi quòd Pharisæi τὸ ῥητὸν vel *literam*, ut vocant, unà cum vetustis traditionibus retinebant, Esseni eandem repudiatis illis traditionibus lectitabant, Munster. in Annot. Hist. Ben. Gor. l. 4. c. 6. Idéoque eos השונים, i. *Variantes*, vocarunt Judæi, seu *Diversos* aut *Discrepantes*, h.e. hæreticos, ut mihi hac de re Leo Afer idoneus est testis, Descrip. Africæ l. 2. fol. 49. qui propterea *ex cæterorum Judæorum communitate illos tandem ad ultimum ferè Atlantem exterminatos* refert. *Hi*, inquit, *à reliquis Judæis Africanis hæretici reputantur, dictíque sunt eorum linguâ Carraim.* Lege *Carraim*, id enim est alterum eorum nomen: unde & hæreseos crimen iis conflatum. Quippe à Pharisæis maximis (ut diximus) Traditionum patronis appellati sunt idiomate Rabbinico קראים, formâ verò Syriacâ sive vernaculâ קריא. Porrò ex hac voce natum est vetustum & prodigiosum mendum nominis flagitiosissimi absurdè Essenis attributi. Refert enim Chrysostomus Hom. in Act. Apost. 46. Tom. 4. p. 867. ed. Savil. vocabulum Σικάριοι, quod Act. 21. 38. occurrit, exponens, quosdam existimasse Essenos olim *Sicarios* nominatos, Τὰς Σικαρίους, οἱ μέν φασί τινες ἀνδρὰς εἶναι, ἅτινα κεκαμμένα μὲν ἔχουσι τὰ ξίφη, σικὰς δὲ καλουμένας παρὰ Ῥωμαίοις· οἱ δὲ τὰς μιᾶς αἱρέσεως τὰς παρ' Ἑβραίοις, *Sicarios*, inquit, *alii genus quoddam latronum esse aiunt, ità dictos ab eis quos gestabant ensibus* (brevibus nimirum: nam ξιφίδια μικρὰ *ensiculos parvos* appellat Josephus De Bello Jud. l. 2. ca. 23.) *hos Romani Sicas vocant; alii unam ex tribus Judæorum Sectis*; quam mox Essenorum esse memorat; οἱ αὐτοὶ δὴ καὶ Σικάριοι, διὰ τὸ τῇ ζηλωταὶ, *Iidem verò & Sicarii nuncupati sunt, eò quòd essent zelotæ.* Sciolus quispiam, cùm nomen קריא Essenis assignatum fortè observâsset, illúdque minimum, h.e. sibilo duntaxat, à Σικάριοι distare vidisset, legisséque in Actis *sinaeios sicarios in eremum solitudinémve*, consuetam Essenorum sedem & habitandi locum, secessisse, *abductósque* illuc etiam *ab Ægyptio*, cujus in patria perquam noti essent frequentésq; Esseni & omnium laude admirationéq; celebrati; insuper postquam *zelotarum* nomen haud malè convenire Essæis animadverteret, in historiáque Josephi reperisset *Zelotas* factionem quandam Judæorum fuisse, eosdémq; *Sicarios* item vocatos; credibile putavit Essæos potuisse *Sicarios* nuncupari. Istius rei falsitatem plerique veterum, viri alioquin longè doctissimi, deprehendere non potuerunt, quippe Hebraicæ Syriacæq; linguæ cognitione defecti. Hinc ergò ad Chrysostomum, dehinc ad Suidam quoq; Lexicographum depravatio eadè pervasit, nisi quòd Chrysostomus Essæis, Suidas Pharisæis (minùs tamen rectè) ascribit. Σικάριοι λέγονται οἱ Φαρισαῖοι, ὡς ζηλωταὶ, *Pharisæi vocantur Sicarii, utpote zelotæ.* Cæterùm nobis veri paulò similius fit, librarii lapsum magìs quàm scioli audaciam huic mendæ occasionem præbuisse. Nihil enim proclivius fuit quàm articulum οἱ transmutare in syllabam σι, quæ temere ac perperàm coalesceret vocabulo Καριοὶ, unde confieret σικάριοι. [Vide Notas eruditissimi Dounæi, qui mendam hanc *nodum insolubilem* arbitratus est, Tom. 8 p. 692.] Divulsâ igitur syllabâ σι, & literæ σ adempto apiculo minutulo dextrorsum prominente, ut fiat ο, vocibus hoc modo in integrum restitutis, emendata lectio ultro se nobis offeret, nempe οἱ Καριοί. Qui iidem etiam ζηλωταὶ cognominati sunt, non quòd (ut alteri illi) Καίσαρα δεσπότην ὁμολογεῖν, *Cæsarem profiteri Dominum* obstinatissimè recusarent, Joseph. De Bello Jud. l. 7. c. 37. sed quòd scriptæ Mosis legi firmissimè adhærescerent, peculiariter subaudito τῷ νόμῳ, quæ Scripturæ similiter phrasis est, ut Act. 21. 20. Itaq; ad institutum nostrum admodum appositè Suidas, Ζηλωταὶ παρὰ Ἰουδαίοις οἱ τῷ νόμῳ φύλακες, *Zelotæ*, inquit, *apud Judæos appellantur qui Legis sunt custodes.* (*Custodes* autem usurpat eodem sensu quo Horatius carmine illo, Epist. l. 1. ep. 1. 17.

Virtutis verè custos rigidúsq; satelles.)

Hanc ipsam rem testimonio suo apertè comprobat R. Elias Levita, què suprà citavi. Nam de Bethosæis agens in Thisb. voce צדוק, *Non credunt*, inquit, *nisi id solum quod in Lege scripta habetur, quæ* תורה שבכתב *vulgò vocitatur; repudiatâ penitus lege ore traditâ, quæ* תורה שבעל פה *perhibetur.* Siquidem τὸ ῥητὸν τοῦ νόμου *literam* sive *scriptum legis* Mosaicæ arctissimè ac planè mordicus tenebant; propterea *Karaim* à Judæis, à Syris *Karaie* nuncupati, à Græcis autem (ut ex mendoso illo Chrysostomi testimonio colligere licet) Καιοὶ, i. ἀναγνῶται, *Lectores*, partim à jugi *lectione* Scripturæ Sanctæ (quam מקרא, h. e. ἀνάγνωσμα, vocitare solent Judæi, Elias in Thisbite, rad. קרא) præcipuè propter rejectas Traditiones. Quasi verò nudam literam agnoscerent solùm Esseni, nisi simul illorum putidas traditiones admitterent. Sed frustrà; nam his etiam mercibus nihilo minùs onusti erant quàm Pharisæi ipsi. Ut enim hi Traditiones sic Essæi Allegorias in immensum accumulârunt, Scripturam sacram veluti παντοφυῆ Anaxagoræ arbitrati, ad quidlibet eliciendum ex quolibet. Hos insigniter æmulatus est Philo: Indéque Adamantii Origenis ubique ἀλληγορήματα ambitiosè, imò prodigiosè, affectantis pruritus. Qui postea Ecclesiam quoque Catholicam invasit, magno & diutino veritatis Divinitus inspiratæ dispendio. Nec mihi quisquam succenseat hæc monenti. Quippe incunabula prorsus eadem tractationis Allegoricæ jam olim animadverterat acerrimo vir ingenio perspicacissimóque, & in omni genere doctrinarum præstantissimus Scriptor Photius, Patriarcha Constantinopolitanus. Ille enim Bibliothp. 150. dum Philonis, quem Essenorũ discipulum, summúmq; admiratorem & buccinatorẽ existimationis eorum esse optimè noverat, σωτάγματα sive *commentarios* re-

censet, simul notat eos tanquam ἐκβιαζόμενα τὰ πλάγια παρὰ ἀλληγορίαν τῆ γραμμαλῶ, *maxima ex parte deflexos violenter ad sacri Scripti allegoriam:* atque illico subtexit judicii sui verissimam & prudentissimam sententiam, ἐξ ὧν, εἶμαι, κὴ πᾶς ὁ ἀλληγορικὸς τῆς γραφῆς ἐν τῆ ἐκκλησία λόγος ἔρρεν ἀρχὴν εἰσρυῶαι, *Unde etiam, ut opinor,* inquit, *primùm fluxit ratio hac universa, qua Ecclesiam occupavit, more Allegorico Scripturam exponendi.*

CAP. 4. *De tribus filiis Noachi. Explicatur autem sensus verborum ejus, Gen. 9. 25, 26, 27.*

NArratur sub finem cap. 9. Geneseos historia trium filiorum Noachi, quomodo in patrem se gesserint; nempe ità ut unus eorum, Cham videlicet, maledictioni se obnoxium fecerit, reliqui autem duo benedictionis compotes evaserint. Ac benedictio quidem Semi prompta est & aperta cuivis; altera verò Japheti difficilior, & ancipitem habet sententiam. Alii quippe futurum יפת à יפה deducunt; perinde quasi transferri velint, *Condecoret Deus Japhetum*; ut Augustinus Steuchus (referente Munstero in Annot. Gen. 9.) & R. Nathan, Concordantiarum, quas vocant, Hebraicarum auctor: Quod, quia Grammaticis præceptionibus repugnat, rejicitur omnino. Alii statuto themate פתה (uti revera est) sequuntur raram apud Hebræos verbi significationem, usitatissimam tamen Syris; quorum lingua est Hebraicæ Dialectus proxima; atque ità reddunt, *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem.* Alii rursus, eodem themate servato, à communi & vulgari significatione non recedendum sibi putarunt, dum sic vertunt, *Alliciet Deus Jephethum ut habitet in tentoriis Schemi.* Istarum translationum posterior hæc Tremellii est ac Junii; prior illa est Veteris interpretis, eáque ferè ab universis recepta, Latinis, Græcis, Hebræis, & à Chaldæo item Paraphraste. Etsi autem sensus recentissimorum interpretum eruditus est & pius, certis tamen de causis commodius ac tutius opinor Vulgatæ editioni adhærescere. Primùm, illa *alliciendi* seu *persuadendi* significatio, quantumvis alibi crebra, in Hiphil planè insolens est. Deinde פתה cùm *allicere* denotat accusativum ubique postulat, expresso aut saltem subaudito את ejusdem signo; at hîc dativum adjunctum habet, utì constat ex ל vulgari illius indicio. Nam eandem & significationem & constructionem obtinet quam & הרחיב, ut Gen. 26. 22. הרחיב יהוה לנו, h. e. *Dilatavit Jehova nobis.* Id quod perspicuè & accuratè observarunt Lxx transferentes Πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφεθ, *Dilatet Deus* (non *Japhetum*, sed) *Japheto*; ut subintelligatur *habitandi locum*: q. d. *Amplissimam regionem Japheto largiatur Deus*, sive *largietur.* Tempus enim futurum ut Imperativi ità & Optativi modi vice fungitur apud Hebræos.

Porrò sic intelligenda esse verba ista etiam res ipsa satìs manifestè docebit. Etenim Scripturæ propositum est ostendere, Chamum omni dignitate filii familiâs excidisse, & tanquam extraneum ad infimam maximéque servilem conditionem detrusum. Triplicem verò filiorum prærogativam olim fuisse, in Scripturis animadvertere licet, Sacerdotii nimirum, Duplæ portionis, & Principatûs. Principatum igitur sive Dominium Chamo totum penitus aufert (ut & cætera) Noachus, atque in Semum ac Japhetum pariter confert. Tum, Sacrorum quidem administrationem Semo propriè attribuit, cujus *Deum beatum* idcirco prædicat. Duplam verò portionem, h. e. Orbis terrarum longè maximam regionem, Japheto privatim assignat. Quæque is antè tanto temporis spatio futura prænunciaverat, Spiritu Prophetico impulsus, eadem nos jamdiu certissimo rerum eventu comprobata cernimus. Quinam enim amplissima & potentissima Orbis Regna & Imperia tenuerunt diutissimè, adeóque etiam nunc tenent? Nónne Assyrii, Chaldæi, Persæ, Macedones, Romani, Turci, Saraceni, Moschovitæ, aliíque, ad unum omnes, aut Semo aut Japheto prognati? Quòd autem Nimrodus, Chami nepos, ipso statim initio tyrannidem occupavit, nihil sanè est. Istius enim principatum nullo modo comparandum esse cum illorum Imperiis, vel populorum multitudine, vel terrarum amplitudine, vel temporis diuturnitate, notum est cuilibet. Idem quoque censendum de Regno Ægyptiorum. Res autem à Tearcone Æthiope & Sesostre Ægyptio (quorum meminit Strabo lib. 1, & 15.) in Asia & Europa gestæ, fabulosæ sunt admodum. Nec Imperia aut Regna fuerunt, sed tumultuosæ potiùs peregrinationes ducendæ sunt; quippe cùm celerrimè, inanis fulgetri instar, perierint penitus & in auras evanuerint. De Æthiopum verò Abassenorum Imperio dictum est suprà c. 1. eos primâ generis sui origine Chaldæos & Assyrios esse, non Æthiopas.

Dein, Jehovam esse *Deum Semi* luce meridianâ clariùs liquet. Israelitas namque Semi posteros *elegit Deus ut essent sibi populus sanctus & peculiaris præ omnibus populis qui erant sub universo Cœlo*, Deut. 7. 6. Psal. 135. 4. initóque fœdere & symbolis additis devinxit eos sibi, atque etiam confirmavit *se fore Deum eis & Semini eorum post eos in perpetuum*, Gen. 17. 7. Et quò manifestius id omnibus fieret, aspectabilibus signis gloriosam præsentiam suam testari voluit; qualia erant, Sacrarium Exod. 25. 8. & præcipuè Arca, quæ in eo asservabatur Num. 7. 89. & 10. 35. unà cum duabus, quas continebat, testimonii Tabulis Exod. 25. 16. 1 Reg. 8. 9. verbum cœlitus ore Dei prolatum & ejusdem digito perscriptum complectentibus; nec non Scripturis Divinitus inspiratis in Sacrarii etiam Adyto, tanquam sanctissimo archivo, reconditis, Deut. 4. 6. 7. 8. 33. 35. Ps. 147. 19, 20. insuper, Urim & Thummim, arcanum quoddam ad occulta Dei consilia retegenda instrumentum, Exod. 28. 30. Num. 27. 21. Vox cœlestis, frequenter è medio Cherubinorum resonans, Exod. 25. 22. Num. 7. 89. Nubes gloriosa, ut Mosaicum tabernaculum quondam Exod. 40. 34. 35. ità Templum postea Solomonicum operiens & implens 1 Reg. 8. 10, 11, 12. Prophetarum & virorum Dei per longissimum & propè continuatum multarum ætatum spatium immediata Missio & summè miranda Efficacia: De qua jam deficiente, lugubris illa in Psalmo exstat querimonia, *Signa nostra non videmus, non est amplius Propheta*, Psal. 74. 9. splendidissimum item Sacerdotium, cum accuratissima cultûs etiam externi præscriptione, Exod. 29. 43, 44, 45. Quas ob causas speciali & præcipuo quodam modo apud Hebræos à Semo propagates *collocatum* dicebatur *nomen Jehovæ*, utì legimus Deut. 12. & 1 Reg. 8. *Nominis* enim vocabulo omnia symbola sensilia præsentiæ Divinæ continentur. Quin & *nomen Dei* ibidem, שכנתיה, i. *illius res habitata* vel *habitatio*, transfertur à Chaldæo Paraphraste. Atque adeò Deus ipse eâdem appellatione ab eodem nonnunquam designatur, Num. 35. 34.

Vox autem השכינה (& more Syriaco שכינתא) rectè, ni fallor, exponatur *habitatio illa*, vel *inhabitatio*; Græcè ἡ κατοίκησις, aut potiùs ἡ σκήνωσις, vel ἡ κατασκήνωσις: ità nempe, & eruditè quidem, transferunt Lxx. Sic enim innuunt (prout sæpe facere solent, nósque alibi observavimus) thema Græcum σκηνὴ, cum suis derivatis σκηνόω, κατασκηνόω, &c. ab Hebræo שכן originem traxisse. Simplicem ergò & dilucidam vocabuli explicationem hanc opinor esse, nimirum ut השכינה id dicatur per quod Deus, cùm singulari quadam ratione inibi habitaret, peculiari item & sensili modo Israelitis præsentiam suam exhibuit, séque apud eos habitare testatus est, proprio Divinæ cujusdam prærogativæ beneficio. Humana igitur Christi natura, longè excellentissimè omnium quæ suprà recensuimus, & quàm maximè propriè, propter hypostaticam unionem, nomen השכינה suo jure vendicat. Christus enim homo non συμβολικῶς, i. *repræsentationis respectu*, sed ὄντως κὴ ὑσιωδῶς, i. *re ipsâ & essentialiter*, Deus est. Nam *in eo habitat* (κατοικεῖ, שכן) *omnis plenitudo Deitatis corporaliter*, Col. 2. 9. Atque hæc prior est summæ præstantiæ שכינתא sive *inhabitatio*. Etenim Deus per se habitat in Christo homine; per Christum verò hominem in Israelitis. Posterior autem שכינתא est Christi Israelitica & cognatio & perpetua totius vitæ consuetudo.

Utramque

Utramque pariter memorat Johannes 1. 14. *Verbum caro factum est*: hactenus priorem: dein continuò posteriorem, *Et habitavit* (ἐσκήνωσεν ipsum שכן) *inter nos*. Significanter dixit *nos*, nempe Israelitas solos, Semi, non Japheti, nedum Chami maledicti, posteros. Quocirca Apostolus Rom. 9. 4, 5. prærogativis reliquis accuratè enumeratis, Israelitarum cum Christo sanguinis conjunctionem, quasi primariam & summam veluti summarum, postremo loco subjungit, *Ex quibus est Christus, quod ad carnem attinet; qui est supra omnia Deus, benedictus in secula, Amen.* Quamobrem insignis hæc est Prophetia de incarnatione Filii Dei; & prima distinctio, eáque Divinitus revelata, quâ definitur ex qua demum stirpe naturam humanam esset assumpturus. Unde non injuriâ וישכן Gen. 9. 27. refertur à Paraphraste non ad *Japhetum* sed ad *Deum*: & tum ו conjunctionis discretivæ officio fungetur; ut in hunc modum locus hic commodissimè reddatur, *Dilatabit quidem Deus Japheto, sed habitabit in tentoriis Semi:* h. e. Soli Semo, in ipsius posteris Israelitis, eximium hunc honorem & dignitatem multò amplissimam largietur Jehova, unigenitus Dei Filius, verus Deus, ut eos populum sibi peculiarem deligere velit, ac tandem in eorum carne patefieri, & cum illis familiariter versari. Sic namque ab effectis probatur, JEHOVAM esse *Deum Semi*; simúlque explicatur quis sit illorum verborum sensus. Hæc omnia pulcrè conveniunt etymo nominis SEMI, qui idcirco non sine afflatu cœlesti videtur appellatus fuisse שם, i. *Nomen*, quoniam שם השם, h. e. *Ibi Nomen illud*; nempe quia futurum erat ut is Nomen illud benedictum Dei, i. Angelum illum in cujus medio *nomen illud est* Exod. 23. 20, 21. secum manentem & habitantem, atque ipsius beneficio veram integrámque Dei notitiam cultúmque apud se repositum, haberet; à quo tam Japhetus quàm Chamus utrumque essent quæsituri & accepturi.

Itidem & nomina CHAMI ac JAPHETI instinctu Divino imposita, cum propheticis hisce Patriarchæ (ut ità dicam) effatis optimè congruunt. Etenim HAMI vel CHAMI nomen compositam jure censeatur habere significationem, ut BEER-SEBA, quod *Puteum ipsorum septem & Puteum juramenti* simul designat, Gen. 21. 30, 31. Hieron. Comm. in Amos 5. 5. Nam חמם *calorem* in genere denotat, Psal. 39. 3. Qui si internus sit Cordis, CHAM nomen indè deductum θυμῷ vel *excandescentiæ* notationem continet. Idque consentaneum est maledictioni ab excandescentia eidem nempe Chamo unà cum posteris illatæ: sin externus Aeris, καύμα vel *æstum* indicabit, significatu congruentissimo naturæ regionis quam sortitus est Cham. Neque enim ambigitur quin Africa, tertia illa Orbis pars, *Libya* à Græcis dicta (quam olim prodidit Herodotus Melp. l. 4. mari circumfluam esse, excepto duntaxat ubi Asiæ contermina est) ex omni memoria, jam indè ab ipso penè Diluvio, Chami sedes fuerit. Ideóque Ægyptus, quæ Africæ quasi frons est & pars primaria, antiquitus χημία (ut refert Plutarchus De Iside & Osiride) à peritissimis Sacerdotum Ægyptiorum appellata est, ex nomine videlicet *Chami* terrarum illarum domini. Sic Hieronymus, Trad. Hebr. in Genes. *Ægyptus*, inquit, *usque hodie Ægyptiorum linguâ* HAM *dicitur*. Ejusdem originis est χημία (ut & hoc quantumvis παρήχησις adjiciam) quam ἀργύρου καὶ χρυσοῦ κατασκευὴν definit Suidas, *artificiosam argenti aurique apparationem*. De qua scriptos libros, diligenter conquisitos, Diocletianus Imp. comburi jussit, nè istius artis beneficio locupletati & inflati Ægyptii (*gens novarum rerum avida*, ut ait Vopiscus) Romanis deinceps rebellarent. Arabes addito articulo *Alchemiam*, Ægyptii simpliciter *Chemiam* vocabant, quò commendatior esset; quasi scilicet à Chamo primo parente inventa, & per manus ipsis tradita. Planè, ut est proverbio, κακῶ κόρακι κακὸν ὠόν.

Cæterùm regionem illam universam ab initio usque ad finem h. e. ab Ægypto ad extremas Æthiopiæ maritimæ oras, æstuosam quidem esse ubique, sed plerisque in locis maximis caloribus torreri, perpetuo Geographorũ omnium consensu testatum est, réque ipsâ jam plùs satis compertum. Itaque non solùm Ægyptus nomen habuit à *Chami* nomine derivatum, sed reliqua etiam Africa universa. Nam Africa olim Ἀμμωνὶς dicta est, ut ait Stephanus περὶ πόλεων, voce Λιβύη. Idémque alibi, Πᾶσα ἡ Λιβύη Ἀμμωνία ἐκαλεῖτο ἀπὸ Ἄμμωνος, *Tota*, inquit, *Africa Ammonia nuncupata est, ab Ammône*, voce Ἀμμωνία. At quis tandem his Ammon? Illéne quem ab *arena*, quam ἄμμον Græci vocant, nominatum volunt Grammatici? Profectò verè Græcula, id est, futilis & inepta, meritò censeatur hæc Etymologia. Græcanicum quippe vocabulum istud non est sed Ægyptiacum, & ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διός *proprium apud Ægyptios nomen Jovis*, ut locupletissimus auctor Plutarchus asserit De Iside & Osiride. Ubi tamen interpretationem nominis quam affert Manethos Sebennita probare non possum, qui dicit AMUN κεκρυμμένον, i. *occultatum*, significare. Quinimo id כמון est, Chaldæis etiam Syrísque notum vocabulum. Quòd si hinc deductum fuisset nomen *Amun*, excideret ן radicale, omnino contrà quàm unquam fieri solet. Fefellit autem Ægyptium litera *n*, quam thematicam putavit, cùm adventitia tantùm sit & nominis formativa, in omnibus ferè linguis, maximè Orientalibus, tritissima. Deinde quod Hecatæus Abderita testatur, τούτῳ μὲν θεὸς ἀλλήλους τῷ ῥήματι χρῆσθαι τοὺς Αἰγυπτίους ὅταν τινὰ θορυβαλῶνται· θορυβητικῶς γὰρ τῷ φωνῷ, id ego quidem in eam sententiam accipio ut dicat *appellativam esse hanc vocem* Ἀμὼν, *ut quâ utantur Ægyptii in mutuis congressibus, quoties alter alterum comiter appellat & colloquium exordiuntur*. Pervulgatum est enim in salutationibus opportunè & crebrò adhiberi nomina Divina apud plerasque omnes gentes. Huc forsan illud Plinii pertinet Nat. hist. l. 28. c. 2. *In Africa nemo destinat aliquid nisi præfatus Africam*. Nam ut reliqui Africani in destinationibus suis, ità Ægyptii etiam in compellationibus, fausti ominis gratiâ, *Amun* (unde *Ammonia*, i. Africa, nomen accepit) olim præfari videntur fuisse soliti. Alioqui, ni id velit Hecatæus, minimè dubium est ipsum item aberrare. Fixum namque & statutum hoc maneat, quod antè docuimus, *Ammonem* peculiare esse Jovis nomen apud Ægyptios. Verùm enimvero, quoniam valde *versipellis* (ut lepidè ait Plautus Amphitruone) semper fuit Gentilium iste Jupiter & æquivocus, denuo quærendum, Quis Jupiter? Accomodatissimè respondet Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 24. *Eundem esse Jovem ac Solem*; ídque claris indiciis ostendit. Huc accedit quòd capite arietino & corniger fingebatur Ammon iste, Diod. Sic. Bibl. Hist. lib. 3. Nam signum Arietis Ægyptii scientissimi olim harũ rerũ magistri totius curriculi Solaris & carcerem & metam & principium & finem statuerunt. Cornua autem sunt hinc indè è corpore Solari emicantes radii, Macrob. Expos. in Som. Scip. l. 1. c. 21. adeóque Hebraicum קרן (unde κέρας & *cornu* emanarunt) significat *in morem cornuum splendorem radiósque emittere*, Exod. 34. 30. Macrobii sententiam confirmat veritas ipsa. Nam Hebræi *Solem* חמה appellant; & idolum Solis, quod à Gentibus summâ veneratione colebatur, חמן, q. d. *Solare*: utrumque à חמם, quod valet *calefieri*. Aptè igitur Africa *Ammonia* dicta fuit priscis, cùm ob cultum Ammonis, i. Solis, aut Idoli Solaris, cui erat mancipata, tum præcipuè ob æstus Solares, quibus præter cæteras regiones expósita est plaga illa. Quòd si quis Ammonem & Hamum eundem existimet, indéq; Libyam nuncupatam *Ammoniam*, non erit ineruditum nec absurdum. Nam si verisimile est Assyrios & Babylonios Nimrodum hominem extraneum consecrâsse nomine *Jovis Beli*, cur non & Libyas Hamum stirpis suæ authorem nomine *Jovis Hammonis* dedicâsse magis habeatur credibile? Postremò, tanta hìc rerum omnium est convenientia, ut color ille niger, quo cunctarum quæ terras incolunt nationum maximè insignes sunt Africani, *Chami* appellatione includatur. Quippe חום *nigrum* significat Hebræis. Quare non minùs vera quàm elegans erit παρήχησις, nempe hæc; Filiorum Noæ minimum jure nominatum *Cham*, quia & habitator

habitator *Chamia*, i. regionis æstuosæ, & pater *Chumim*, i. populorum calore rigantium, erat futurus.

De Japheto nunc agamus. Hunc si *Allectum* interpretemur, sanctæ illius societatis respectu ad quam cum Semo coeundam pelliciendus erat à Deo, nomen id communis erit significationis. Eódem quippe etiam Chamus erat attrahendus, utì plurimis exemplis constat, vel sub ipsa Lege; multò jam magis sub Euangelio gentibus omnibus indiscriminatim promulgato. Si verò *Dilatatum* exponamus, erit tum demum nomen *Japhet* significationis ipsi soli propriæ. Notum est enim Europam totam Japheto & posteris ejus fuisse attributam; majorem item Asiæ partem, nempe peninsulam illã grandem quæ à sinu Issico Trapezuntem usque pertinet; ampliſſimos etiam terrarum tractus à Cappadocia & Armenia (quarum incolæ Moschicæ sunt gentes à Meschecho oriundæ Gen. 10. 2.) item à Media & Parthia (Parthos enim ὅλον Σκυθικὸν appellat Eustathius Comment. in Dionysii περιήγησιν) deinde ab Indo Scytharum, Sacarum, Serum, Sinarum provinciis ad ultimas Orientis metas; indéque sursum versùs ad ipsum usque Polum: universam, inquam, hanc plagam Septentrionalem, cujus maxima pars Tartaria sive Magni Cani Imperium hodie dicitur, mari Eoo Indicóque terminatum. Tartari autem isti haud dubiè Scytharum Nomadum numero sunt habendi. Nam hi (inquit Strabo lib. 11.) *ad lævam Orientem versùs degunt; & usque ad mare Orientale atque Indiam porriguntur. Veteres Græcorum scriptores universas gentes Septentrionales Scytharum & Celtoscytharum nomine affecerunt.* Porrò Scytharum gentes omnes & bellicosissimæ semper erant & numerosissimæ, & creberrimis expeditionibus ac irruptionibus undique in exteras regiones admodum deditæ. Atque indè *cunctos Scythas à Persis* SACAS *appellatos fuisse* opinor (Herodot. Polymn. l. 7.) videlicet aut à שקק, i. à *discurrendo*, quòd passim populabundi excurrere essent soliti, vel potiùs à סק & סכסך, quod *multitudinem* denotat & *commisturam:* Itaque ut *Arabes* dicuntur à ערב, h. e. *turba confusa*, (ἐπιμικτοι Exod. 12. 38.) sic & *Sacæ* à סך, h. e. *multitudo miscellanea*, nimirum quia ex infinita veluti colluvione numerosissimarum gentium constabant. Eâque re hodie promiscuè à vicinis vocantur (ut ferunt) *Totari*, vulgò *Tartari*, voce (ut videtur) Syrorum, quibus undique à Septentrionibus imminent, q. d. תותריא, h. e. περισσιλιοὶ, vel *Redundatitii*, propter insignem & supra reliquas ubique terrarum nationes mirum in modum redundantem hominum multitudinem. Doctissimè igitur & appositissimè reddidisse videtur Symmachus verba illa Gen. 14. 9. תדעל מלך גוים, Θαδγὰλ βασιλεὺς. Σκυθῶν, ut vox גוים, i. *Gentes*, significet populum Scythicum, maximâ variarum gentium multitudine, Abrahami etiam ætate, abundantem. Quod certè Historicorum narrationibus mirè convenit. Etenim Elamitarum sive Persarum Reges semper usos invenies Scythicorum exercituum subsidio in expeditionibus suis, eorúmque robore plurimùm fisos. Idque similiter ab Assyriorum & Babyloniorum Regibus factitatum est. Cùm ergò Sacæ seu Scythæ semper numerosissimi fuerint, solíque omnium nationum frequentibus migrationibus assueti, (unde acutè colligit Plinius lib. 2. c. 108. continentis Septentrionalis quàm maximum propéque immensum esse spatium, *quòd innumerabiles gentes subindè sedem mutantes capiat*) plusquam probabile profectò est, ab ipsis primùm habitatam fuisse quoque Indiam Occidentalem, quam passim *Americam* dicunt, verè ac meritò *Columbinam* potiùs dicerent, à magnanimo Heroe Christophoro Columbo Genuensi primo terrarum illarum investigatore atque inventore planè Divinitus constituto, Nov. Orb. c. 84, & 85. Certa nempe res est, gentes universas ex hac continente quam nos accolimus in quaslibet Orbis terrarum plagas tanquam colonias initio fuisse deductas. Hinc ergò Columbina primùm incolas acceperit necesse est. Atqui ex omnibus hujus continentis tractibus longè aptissimus est Japheticus (quocunque nomine censeatur, Scythicus, Sarmaticus, Cimbricus vel Cimmerius, Celticus denique Septentrionalis iste, quem nos spectamus,) ad rem illam perficiendam. Nam sine ulla controversia multò is quidem propior est Columbinæ. Brevis itaque facilísque trajectio est ex illo in istam, appropinquantibus sensim utriusque continentis litoribus, donec tandem in angustam cervicem (ut quibusdam placet) aut saltem (quod vero propius est) in multas insulas desinant, modico intervallo disjunctas, quæ liberum & expeditum transitum adeuntibus præbent. Præterea (ut modò meminimus) semper plenus fuit hic tractus innumeris examinibus robustissimarum, audacissimarum & confidentissimarum nationum, quæ intrepidè animísque præsentibus quodvis periculum subire essent paratæ, quæque sæpius terrâ regiones Australes stupendis multitudinibus longè latéque obruissent: Nónne igitur credibile est easdem mari etiam semel aut iterum consimilem expeditionem suscepisse in Ortum aut Occasum aut Septentrionem, prout ductorum impetus instinctu Divino incitatus dirigebat? Contrà, omnes continentis istius partes quæ ad Meridiem vergunt immenso undique mari ab India Occidentali submoventur: Populíque ipsi timidiores minúsque bellicosi, nec unquam migrationibus assueti, sed placidâ quiete, regionum amœnitate & beatâ rerum quâ fruebantur copiâ delectati, stabiles & quasi sedibus quique suis fixi mansisse leguntur. Quare proculdubio à Japheti posteris Septentrionalium partium continentis istius incolis habitari primùm cœpta est America, seu veriùs Columbina. Atque istis valde conveniunt quæ commemorat Antonius Galvanus, generosæ stirpis Lusitanus (qui diu apud Indos Moluccenses cum potestate fuerat) in libello quodam suo de novarum terrarum Inventoribus Anglicè à Richardo Hackluito περιηγητῇ nostro recèns edito; nimirum, Tabencos (quos vocat) seu Chinenses vehementer confirmare sese omnium primos in longinquas Orbis regiones navibus trajecisse; cúmque sint totius Tartariæ gens illustrissima, se maximæ parti Scythiæ olim fuisse dominatos. Insuper ait, prorsus credibile videri à Chinensibus hisce, Tartarísve aut Scythis Orientalibus repertam fuisse Columbinam & incolis repletam. Nam nationes ejus & moribus vivendíque ratione & corporis totius filo, videlicet parvis oculis, naribus simis, aliísque proprietatibus, persimiles sunt Chinensibus. Utut hoc erat, satìs tamen apertum est illud, Americanos seu Columbinos primos è terra Japhetica, i. e. tractu hoc Septentrionali, in regionem illam longè ampliſſimam veréque Novum Orbem concessisse, ac sequentibus seculis ulteriùs etiam vel suâ sponte vel pulsos à finitimis fortioribus, superato freto Magellanico, in climata Australi Polo vicina processisse. Nihil enim impediebat; cùm fretum illud mirè angustum sit, utpote unius alicubi & perpaucarum alibi Leucarum, teste omni exceptione majore nobiliſſimo Navarcho nostro Francisco Drako, primario ordinis Equestris viro, qui idipsum totum perlustravit. Quamobrem quandoquidem ad Europam, Septentrionalémque & Boreum Asiæ tractum Novus Orbis veluti immensæ magnitudinis auctarium accessit, & Japheto posteríque ejus jure hereditario in perpetuam possessionem obtigit, negari non potest perfectè atque absolutè impletam esse propheticam Patriarchæ benedictionem, & *Japhetum* veriſſimè sic nominatum, ut cui *dilataverit*, h. e. vastissimum planéque stupendæ amplitudinis spatium, duplicis portionis instar, non parcè & restrictè sed largissimè effusissiméque admensæ, concesserit Deus.

CAP. 5. *Tartaros seu Totaros non esse à stirpe Israelitica ortos.*

TArtaros docti vero nomine *Tataros* aut *Totaros* dicendos contendunt. Nomen autem istud eos adeptos narrat Leunclavius Pandect. hist. Turc. à fluvio *Tataro* quem accolunt; Haithon verò lib. de Tartaris c. 16. à provincia *Tatar* quam incolunt. Illustris quidam vir vocem *Tatar* vel *Totar* Syriacè *reliquias* vel *residuos* indicare arbitratur: Ac gentem ipsam à dispersis & dissipatis illis

illis decem Tribuum Israelitis oriundam conjicit, quos antiquis temporibus ultra Mediam transportatos fuisse ait. *Hinc*, inquit, *inter Hordas quoque Tartarorum Aquilonem versùs, nonnulla nomina Dan, Zabulon, Nephtalis retinuerunt: hinc etiam tanta Hebræorum copia in Russia, Sarmatia, Lithuania locisque Tartaria vicinis.* Hâc ergò ratione Tartari origine Scythæ non erunt, nec ex Japheti sed Semi potiùs stirpe propagati intelligentur. Quæ mihi quidem non tam superioris capitis sententiæ contraria quàm ipsi rerum veritati parùm consentanea esse videntur. Primùm agnosco, haud ineptè nominis hujus etymon à Syris peti. Siquidem Syris Assyriisque Tartari, non nisi Armeniâ duntaxat ac Mediâ interjectâ, proximè imminent. Imò magnis quondam incursionibus Syriam Assyriámque vastarunt, atque ibidem aliquamdiu consedisse ac dominati fuisse leguntur. Consule Haithonem aliósque de gente illa rebúsque ab ea gestis scriptores.

Cæterùm hoc statuo, vocabulum תותר, unde *Tatari* vel *Totari* nominati censentur, Syris propriè τὸ περισσεῦμα, h. e. *id quod redundat*, denotare. Hanc ipsam quippe vocem adhibet Paraphrastes Matth. 12. 34. ubi ista Domini verba reddit ἐκ τῆς περισσείας καρδίας ὁ στόμα λαλεῖ *ex redundantia cordis os loquitur.* Huic cognatum nomen יתירותא, i. *abundantia*, Luc. 12. 15. item יתיר *amplus, abundans, copiosus*, Luc. 15. 17. denique radix seu thema יתר *abundavit* Mat. 13. 12. idem confirmant. *Residuum* verò seu *reliquias*, Græcè λεῖμμα, Syri שרכנא propriè appellant, Rom. 11. 5 Itaque cùm testatissimum sit Tartarorum nationem omnium, opinor, quas terrarum Orbis sustinet alítque populosissimam esse & numerosissimam ampliſſimámque, quis neget eos à Syris vocari potuisse תיתריא, h. e. *Redundantes*, nomine convenientissimo maximéque significanti? Atque hoc pacto vocabuli Syriaci propria & vera notio rei ipsius naturæ, quæ indè denominatur, aptissimè congruet. Quin etiam *reliquiæ* aut *residuum* rei alicujus vix commodè dici queat id quod rem illam cujus residuum vocatur magnitudine numeróve longissimè superat. Sanè cum redundante Tartarorum gente mirificéque superfluente pugnat *reliquiarum* nimis restricta appellatio, imminutionem potiùs innuens & paucitatem quàm abundantiam veram aut redundantiam. Hactenus de nomine. Jam de gente Totarorum, sítne generis Israelitici, latiùs disseramus.

Insignis ille impostor, qui à Carolo V. Imp. Mantuæ vivus exustus meritas suæ perfidiæ ac impietatis pœnas dedit, Regem scilicet se gloriosè prædicabat *Tabor*, vel *Umbilicaria* (ut est apud Ortelium Tab. Tartariæ) h. e. mediæ, intimæ longéque primariæ Totarorum regionis. *Tabor* enim aut potiùs *Tabbur* טבור Hebræis *Umbilicum* significat. Atque præclarus hic populus, unà cum suis ejusdem farinæ Regibus, vento nescio quo delati sunt illuc ex abstruso quodam ultimóque totius Orientis angulo, quem Esdras quidam κρυφῶς nobis commonstrasse putatur l. 2. c. 13. v. 45. Regionis nomen si quæris, *Arsareth* eam antiquitus vocatam fuisse tradit, q. d. Hebraicè הר שאריתן, quod *mons Reliquiarum* exponitur; ficto videlicet nomine ab imaginariis Decem Tribuum *reliquiis* quæ eò usque penetrâsse somniantur, emenso vel potiùs ementito *anni unius ac dimidii itinere*, velut idem ipse Esdras, tanquam Beton aliquis aut Diognetus, (ut autumant) metatus memoriæ prodidit. Quod nisi טבין vocabulum esset Syriacum aut Chaldæum, nec ab homine Israelitico imponi posset, credi necesse foret nomen *Tabin* promontorii (de quo Plinius l. 6. c. 17.) indè deductum; quòd videlicet prope illud consedissent טבין i. *Boni*, reliqui nempe Israelitæ; verè tamen non nisi per ἀντιφρασιν sic appellandi. cùm eos tanquam sceleratissimos ac perditissimos idololatras ubique exsecrentur Prophetæ. Mirari interim subit, quonam alite quóve consilio ad promontorium Tabin potissimùm pervenerint bellæ istæ reliquiæ! Dicamúsne id factum ductu Cretensis illius Mosis cujus luculenter meminit Socrates Eccl. Hist. l. 6. c. 37. (est enim Historia valde memorabilis lectúque digna) ut paribus auspiciis à promontorio Tabin initio itineris facto, profectione æquè probabili, ad similitudinem populi ex Ægypto exeuntis, per vastissimos maris Indici gurgites redeant, ac eodem primùm per immensas tot terrarum gentiúmque fortissimarum difficultates appulerint? An potiùs nonnullos etiam Geographos aliquando haud minorem sibi potestatem permittere arbitremur quàm pictoribus atque poetis semper concessam fuisse sciunt omnes? Ut ut factum est, promontorio Tabin affinguntur Gauthæ populus, aut Gauthaii. At quid hoc, obsecro, nominis est? Mirum ni כובדי pro כובדים dicere voluit autor. Itaque quasi declarationis ergò statim subjicit eos sic nuncupatos (כובדי scilicet, i. *glorificantes*) *à summa Dei gloria asserenda: Et hinc*, inquit, *Cathaii clarissimum Regnum.* Sed multiplex hîc error admittitur. Nam כובדים aut כובדי non rectè dicitur, in ea præsertim significatione, verùm מכבדים potiùs. Deinde ut ità sit, participium tamen activum Kal semper formatur per Cholem priorem vocalem, non Camets aut Pathach, ut *Cobedhim*, non *Cabedhim*: Is namque Syrorum mos est: quibus tamen vox hæc usitata non est, sed diversissima, nempe משבדין. Præterea licèt *Dh* mutetur in *Th*, cur prorsus abjicitur *b*, ac non pari ratione migrat in *p*? atque ità כובדי nobis non *Gauthai* aut *Cathai*, sed *Caupthai*, vel saltem *Caubthai*, procreabit. Denique, ut de nomine omnino sileam, res ipsa clamat, universam illam nominis significationem impudentissimum atque adeò prodigiosum esse mendacium. Audiamus de Cathaynis universis nobilissimum fidéque dignissimum testem, Haithonem, inquam, Armenium libro De Tartaris cap. 1. *Sectæ gentium Regni Cathai vix possent aliquo modo enarrari. Quoniam aliqui sunt qui colunt idola de metallo, alii verò Boves adorant qui terram laborant, ex qua crescunt frumenta & alia nutritiva. Alii colunt magnas Arbores, alii naturalia, alii Astra colunt, alii Solem colunt, alii Lunam. Alii verò nullam habent fidem vel legem, sed sicut bruta animalia ducunt bestialiter vitam suam.* Hósne nomen nominísve ullam particulam *à Dei gloriâ*, eâque *summâ asserendâ*, unquam traxisse existimabimus? Non minùs putida est & absurda nominis *Horda* ab Hebræo ירד in Hiphil deductio. *Morad* quidem legimus pro *descensu*: *Horad* autem vel *Horda* omnino barbarum est Hebræis. Quod si exstaret, *dejectionem* quidem & *deturbationem* non aut *descensionem* aut *expulsionem* significaret. Quid multa? Matthias à Michou De utraque Sarmatia l. 1. c. 8. vocabulum illud Tartarorum esse proprium monet, iísq; *Multitudinem* denotare. Sic Jovius Libello De legatione Moschovitarum, à Moschovitis, ut videtur, edoctus, HORDA, inquit, *Tartarorum linguâ est consentientis in unum populi congregatio ad effigiem civitatis.* Leunclavius Pand. Turcic. *Ordam* idiomate tam Turcico quàm Tartarico *Castra* sonare autumat. Tartarorum Hordæ principales certè, Haithoni sunt septem; Matthiæ verò, quatuor aut quinque: Reliquarum autem, quæ minùs sunt principales, infinitum propè numerum esse constat, ut ait Jovius: Nè quis parùm cautus in Hordis istis Israeliticas Tribus se reperisse somniet. Quod tamen evenisse cernimus in hac Tartariæ descriptione, Ortel. Tab. Tartariæ, *Nam si oculos ad extremos usque continentis Arctoæ fines attollamus, Danitas ibi atque Nephthalitas, proximè Scythicum promontorium, supra gradum 75. collocatos comperiemus.* Hui! tam procul ad Septentriones? Quidni scilicet? siquidem Septentrionales sunt Tribus illæ. Nam reminiscí oportet eas olim in terra Israelitica remotissimas ad Septentrionem sub Libani montis radicibus sedes obtinuisse: Hinc consimiles in Tartaria ad Scythicum promontorium suo jure capessere finguntur, reliquis longè à tergo Austrum versùs relictis in sua illa Umbilicaria regione, ubi (si nebuloni combusto credimus) præclarè degunt sub uno rege unitæ. Mira sanè; sed ejusmodi quæ Haithonem Armenium, Matthiam à Michou, M. Paulum Venetum viros regionum rerúmque Tartaricarum peritissimos, prorsus latuerunt.

Daci, Daæ & Dani celebres olim erant tractûs Septentrionalis incolæ. Neque dum obsolevit, imò viget etiam nunc splendétque, *Danorum* nomen. Hic ergò nonne perabsurdum foret atque ridiculum siquis *Danos* in *Danitas* transformaret, gentémque Israeliticam in Cimbrica Cherso-

Cherſoneſo quæritaret? Tantundem ſanè agit qui de Nephthalitis quoque ſatagit. Nam *Ephthalitas* ſive *Euthalitas* verè dici teſtantur Hiſtorici. Nominis hujus originem Theophanes Byzantius apud Photium Biblioth. p.38.lin.30.docet, Ἐφθαλανὸς ὁ τῶν Ἐφθαλιτῶν βασιλεὺς, ὅθεν καὶ τὸ γένος ἔσχε τὴν κλῆσιν, *Ephthalanus*, inquit, *Ephthalitarum Rex, à quo gens etiam ipſa nomen ſuum traxit*; ut *Ephthalitæ* per Syncopen, tanquam *Ephthalanitæ*, vocati videantur. Habitationis autem locum Procopius, autor item gravis atque locuples, Περσοικοῦσι τοὺς βορρᾶν ἄνεμον Πέρσας, *Perſas à Septentrione accolunt*, pag.31. lin.30. Nephthalitas igitur in auras evaneſcere videmus, cùm ſolos Ephthalitas agnoſcant Hiſtoriæ, eóſque ab *Ephthalano* Scytha non à *Nephthali* Iſraelita denominatos, denique Perſidi non Polo propinquos.

Dum adhuc Mediæ Zonæ regiones incognitæ manerent, nota erat & apud omnes pervulgata iiſdem in locis Pygmæorum habitatio; at poſtquam noſtrâ patrúmque noſtrorum ætate, plurimis terrâ marique peregrinationibus cuncta ſunt ibi perluſtrata, diffugerunt protinus Pygmæi, & ultra Lappones ad intolerabilia Poli frigora glaciéſque ac nives ſeſe receperunt, P. Jovius De legat. Moſchov. Non quòd vel minimam aſperitatis tantæ támque horridæ partem ſuſtinere ſe poſſe confiderent; ſed tota ſpes erat ſita in ignoti loci obſcuritate, fore videlicet ut caligo Polaris commodiſſimam latebram exhiberet quæ lucifugos homulos occultaret & procul ab hominum conſpectu ſubmoveret. Hiſce iiſdem veſtigiis inſiſtere videntur Danitæ, Nephthalitæ & id genus reliqui, dum vicina Polo loca petere contendunt, & ut Pygmæorum finibus appropinquent tantopere laborant. Digni profectò utrique qui apud Utopienſes civitate donentur. Nam ut gentem Pygmæam fictitiam eſſe, nec uſquam in rerum (quod aiunt) natura exſiſtere arbitramur, ità univerſam quoque Totarorum nationem Iſraeliticam, h. e. quatenus ex Iſraelitarum reliquiis procreata putatur. Neque enim aliunde hæc initio profluxerunt quàm ex cænoſis Judæorum lacubus inaniſſimarum fabularum, qui trans Caſpios montes longè gentium neſcio quot examina ſuperſtitum Iſraelitarum & antiquam Regni ampliſſimi gloriam ſeriò narrare non erubeſcunt.

Nos ſi Sacræ hiſtoriæ autoritatem ac fidem conſtanter ſequendam judicabimus, fieri non poteſt quin pro certiſſimo ſciamus Decem illas Tribus ab Aſſyriorum Imperatore captivas abductas in regionibus haud ità longinquis hæſiſſe, & ipſius mandato (quod ratum firmúmque eſſe oportuit) domicilia ſua fixiſſe: ſicuti pauca hæc Scripturæ verba planè & dilucidè docebunt 2 Reg.17.6. *Anno nono Hoſea cepit Rex Aſſyriæ Samariam; & deportavit Iſraelem in Aſſyriam, collocavitq; eos in Chalach & in Chabor & ad fluvium Gozan, & in civitatibus Mediæ.* Senſus hic eſt, Traductas fuiſſe Decem Tribus in Aſſyriam, ut partim in Præfecturis remotioribus Aſſyriæ, partim in regionibus ac civitatibus Mediæ, ab Aſſyria non admodum diſtantibus, deinceps collocarentur. *Chalach* enim, Ptolemæo *Calacine*, Aſſyriæ pars eſt Septentrionalis, ad Occidentem aliquantùm declinans, Mardis, aut *Corduenis nunc*, inquit Plinius, Nat.hiſt.l.6.c.15. *quondam Carduchis dictis*, proxima. *Chabor* regionem montanam Aſſyriæ & Mediæ conterminam arbitratur doctiſſimus Junius. Atq; ità certè ſcriptum reperitur nomen illud in Græco Ptolemæi exemplari l.6.c.1. ὁ Χαλδρὰς τὸ ὄρος, i. *Chaboras mons*. In Latina verò Bilibaldi verſione, quam commentariis ſuis illuſtravit Moletius Geographus Venetus, *Coathras* appellatur. Cui aſtipulatur Gerardus etiam Mercator, Pinacographus accuratiſſimus, idémque Mathematicus peritiſſimus; niſi quòd, tranſpoſitâ literâ aſpiratâ, eundem montem *Choatram* nominat. Nos, cum Junio, exemplaris Græci, tanquam archetypi, fidem omnino tuendam ſequendámque putamus. Nomen autem vitioſum Καδδρὰς (unde & alterum exſtitit, nempe Χωδρὰς, leviſſimâ mutatione factâ) ex integro Χαλδρὰς natum videtur, inverſo ordine vocalium α & ω, & β in δ (quod crebrò accidit) corrupto. *Gozan* verò *fluvium* Cyrum amnem in Media exiſtimamus eſſe. Is enim, cùm antiquis temporibus *Gozan* propriè à Medis diceretur, recentiore nomine eóque Perſico (ut apparet) *Cyrus* in poſterum appellari cœpit. Vetuſti tamen nominis veſtigia in oppido *Gauzania* vicino (quod apud Ptolemæum etiam nunc exſtat Geog.l.6.c.2.) relicta cernuntur. Indè namque oppidum illud ità olim fuiſſe nuncupatum valde credibile eſt. Iſtis igitur verbis *ad fluvium Gozan* intelligo fluvii illius ripam utramque, ſeu τὸν περίχωρον *regionem circumjacentem*, ab urbe Gauzania aut etiam ulteriùs ad mare uſque Hyrcanum pertinentem. Atq; eum tractum locum fuiſſe ſtatuo quem Iſraelitarum parti cuidam incolendum aſſignavit Imperator Aſſyrius. Ibidem ferè collocantur à Ptolemæo Caduſii, quos Plinius *Gelas* quoque nominatos ſcribit l.6.c.16. Utrumque forſan vocabulum ab Iſraelitis primùm eſt ortum, qui illic unà cum indigenis permiſtè habitabant. Iſraelitarum enim linguâ alterum *Sanctos* ſignificat; quales ſe ratione fœderis cum Patribus ictâ jactitabant: alterum *Deportatos* ſeu *patriâ profugos & extorres*; ac tales ſe ob peccata ſua factos magno ſuo malo tandem ſenſerunt & agnoverunt. Quanquam haud invitus inſuper concedam, Iſraelitas à Gozane flumine inter finitimos populos, nominatim verò Caſpios, ad extremos Mediæ fines Septentrionem verſùs proximè Araxem fluvium, diſſeminatos poſtmodum fuiſſe. Cujus rei indicium fortaſſis non ineptum cenſeatur Ἀρσαράτα urbs, ibidem omnino poſita, ut autor eſt Ptolemæus l.5.c.13. Vox autem *Arſarata* Hebraica videtur, eáque compoſita, nempe שאריתעיר, h.e. *civitas Reliquiarum*; quòd ſatis magna illic Iſraelitarum manus unà cum Medis indigenis conjuncta habitaret, ut in loco maximè periculis expoſito validiores eſſent utrique ad impetus hoſtium excipiendos & reprimendos. Nam hoc etiam *Reliquiarum* nomine frequenter deſignari ſolet gens Iſraelitica. Præterea vocabula illa duo, nempe הר, quod ſuprà memoravimus, & עיר, quod modò diximus, ità ſunt ſimilia ut nonnunquam alterum pro altero ſcribi & legi ſoleat; id quod ex corruptelis quibuſdam quæ S.Bibliorum verſionibus antiquis hodiéque inhærent promptiſſimum eſt colligere. Nam eſt ubi & הר πόλις, quaſi עיר, & viciſſim עיר ὄρος quaſi הר, proclivi errore transferatur. 2 Reg. 23.16. & 2 Par.21.11. 2 Reg.17.6. & 18.11. Quo minùs mirandum videatur ſi pro הר שאריתעיר (qui mons nuſquam gentium aut exſtitit aliquando aut nunc exſiſtit) שאריתעיר emendatè legendum contendo. Quippe id manifeſtò evincit *Arſarata*, proprium urbis non montis nomen apud Ptolemæum vetuſtum atque illuſtrem Geographum. Atque hinc (ni fallor) originem duxit fabuloſa illa narratio apud Eſdram Σπόκρυφον de mirabili quadam Iſraelitarum profectione in regionem Arſaratenam, quaſi ab Aſſyria longè remotiſſimam, & tantùm non toto penitus orbe diviſam: ubi ſcilicet *nunquam inhabitavit genus humanum*, 4 Eſd.13.41. ſi homini inepto credere fas eſt. Sin veris Geographorum deſcriptionibus (quarum imperitiſſimi plerumque fuerunt poſteriores præſertim Judæi) fidem adhibere placet, ager Arſaratenus paulùm quidem ultra Caſpios montes, ſed tamen in ipſa Media, eſt ſitus. Etenim Atropatenes pars eſt. Quippe cis Araxem amnem jacet Mediam verſùs; Araxe autem Atropatenem ab Otene Armeniæ regione ſuâ ætate diſcretam fuiſſe confirmat Plinius lib.6.c.13. Quamvis poſtea, cùm Geographiam ſuam ſcriberet Ptolemæus, Armenii in illos Medorum fines invaſiſſe, urbémq; & tractum Arſaratenum antiquis dominis eripuiſſe videantur.

Cæterùm Gozanis regio περίχωρος (de qua loqui inſtituimus) licèt ipſa quoque Mediæ propria eſſet, tamen quia infeſta videtur fuiſſe crebris barbararum nationum latrociniis & incurſionibus terrâ marique, meritò diſtinguitur à regione ſequenti. Quæ quoniam cultior erat & elegantior & frequentioribus vicis urbibúſque habitata, vocatur in Scriptura *civitates Mediæ*. Quoniam verò mediterraneus idem tractus, Ecbatana & ulteriùs tendens, amœnis montibus molliter aſſurgebat, *Hara* etiam nuncupatur, i. *montoſus*, 1 Par.5.26. ut à noviſſimis Interpretibus haud incommodè exponitur. Sed vox *Nehar* in iſto loquendi genere,

genere, videlicet *Nehar Gozan*, nobis, ut & veteri Latino interpreti, ipsíque Lxx, planè appellativa videtur; itidem ut in illo, *Nehar Perath*, h. e. *fluvius Euphrates*, ubique. Porrò CHABOR *fluvium & oppidum Chaborâ* [Ptol. Geogr. l. 5. c. 18.] interpretari cum Tremellio, item NEHAR GOZAN *regionem Gausanitidem*, valde est alienum. Siquidem *Chabor* hîc regio est, non fluvius contrà *Gozan* fluvius est, non regio: Ac tam Chaboras quàm Gausanitis in Aram Naharajim seu Mesopotamia situm suum obtinent: ubi Israelitas Decem Tribuum constat nunquam collocatos fuisse. Junius *Nehar Gozan* tractum Mediæ explicat, ubi Margasos ponit Ptolemæus, quasi *Nargesanitas* dicamus; consimili mendo quo apud eundem Ptolemæum Tab. 4. *Marsaris* pro *Narsaris* in Babyloniæ descriptione legitur. Sed istis omissis, illud extra controversiam est verba contextûs sacri diligenter expendenti, Decem illas Tribus in captivitatem ab Assyriorum Regibus redactas partim in Assyria partim in Media solummodo fuisse collocatas: Tantum abest ut tam procul trans Caspios montes ad Colchos & Iberos unquam pervenerint, nedum ad Promontorium Tabin & Hyperboreos. Imò apud Assyrios Medósque mansisse eos *usque in hunc diem* testatur Scriptura 2 Reg. 17. 23. & 1 Chron. 5. 26. Testatur idem quoque res ipsa. Quónam enim pedem moverent homines miseri, inermes duro servitutis jugo subditi, per terras hostiles variè dispersi & dissipati? Impossibilis erat reditus; inexplicabilis æquè processus. Nam aut revertendo mediæ hostium phalanges inexpugnabiles fuissent perrumpendæ, aut progrediendo ingens atque terrima totius Scythiæ movenda fuisset Camarina, & innumerabiles copiæ ferocissimarum gentium cùm lacessendæ tum profligandæ. Quid igitur aliud quàm iisdem in locis Assyriæ Mediæque permansisse eos putabimus, & à Deo rejectos in suis sceleribus ibidem computruisse? Ità namque comminatus fuerat Deus Levit. 26. 33. *Vos autem ventilans dispergam in Gentes.* Item 38. *Peribitis in ipsis Gentibus, & absumet vos terra inimicorum vestrorum.* Verùm enimvero clarissima semper judicavi verba Isaiæ 7. 8. *Adhuc intra sexaginta quinque annos* יחת אפרים מעם (h. e. *deponetur*, inquit Munsterus, vel *dejicietur*: alius quidam *supprimetur*, à נחת verbo deducto; sed rectiùs à חתת) *atteretur Ephraim, ut non sit populus*, interprete Tremellio. Eodem sensu transtulerunt Lxx, ἐκλείψει ἡ βασιλεία Ἐφραὶμ ἀπὸ λαοῦ. Sic & Vulgata editio, *desinet Ephraim esse populus*, sententiâ optimè expressâ. Ità quippe exponitur futurum יחת à D. Kimchio doctissimo Judæo, וישבור ויתבטל, i. *confringetur & abolebitur.* Eodem modo interpretatur etiam Chrysostomus Expos. in Esai. cap. 7. Tom. 1. p. 1074. l. 30. ὀλόκληρον ἀπολεῖται τὸ ἔθνος, *Gens illa tota peribit.* Quod tum demum impleri cœpit cùm ab Asar-haddone universæ Regni Decem Tribuum reliquiæ deportatæ sunt, & per Assyriam Mediámque disjectæ: ubi paulatim quasi contabuerunt, donec tandem cum infinita profanarum gentium multitudine confusæ, tanquam rivi aquula cum mari vasto, in nihilum penitus evanuissent. Quamobrem vel uno hoc Prophetæ testimonio, velut ariete valido perculsa, evertitur eorum opinio qui Tartaros seu Totaros pro Decem Tribuum reliquiis habendos statuunt. Ità nempe populus ille quem Propheta in *non populum* redigendum Divinitus prædixit, in populum immensum (cujusmodi sunt Tartari) contrà atque prædictum fuerat excreverit. Quod omnino nequit fieri.

De circumcisione Tartarorum, post receptum semel ab eis Mahometi dogma, ambigere non licet. Verùm antiquitus illos fuisse circumcisos, id denique firmâ probatione indiget. Marcus Paulus Venetus, qui totos XVII annos in aula Magni Chani Tartarorum Imperatoris versatus, eíque intimus factus, De regionib. Orient. l. 1. c. 8. multa de Tartaris scripsit, de illorum circumcisione prorsus ἀπὸ γρῦ. Hoc tantùm tradit, lib. 1. cap. 58. eos vetusto instituto Gentiles fuisse idololatras, & Numen quoddam fictitium, nomine *Natagai*, in maximo honore habuisse; deinde uxorem ejusdem Idoli liberósque, tanquam minorum gentium Deos, coluisse. Nec ullam extitisse domum ubi consecrata non conspicerentur horum simulacra: quæ tantâ veneratione prosecuti quondam sunt Tartari ut cibum non antè caperent quàm istorum idolorum ora pinguedine carnis coctæ perunxissent. Haithon item lib. De Tartar. c. 16. de Tartaris hæc narrat; propriam eorum regionem sitam esse ultra magnum montem Belgian: Ibíque habitasse antiquos Tartaros bestiarum more, absque literis, absque fide, ac de loco in locum migrasse, quærentes pascua armentis. Quæ perinde sunt accipienda ac si dicat eos Scytharum Nomadum numero censendos. Matthias à Michou, De Sarmatia Asiana l. 1. c. 5. de suscepta à Tartaris Mahometi perfidia verba faciens, docet causam omnino fuisse callidam Saracenorum persuasionem, religionem suam ostentantium, & prædicantium faciliorem Christianâ, dein suaviorem; denique viris belligeris (quales essent Tartari) convenientiorem. De consimili autem circumcisionis ritu (quod tamen argumentum, si verum fuisset, omitti minimè omnium debuerat) verbum nullum. Ad extremum sic scribit, *Itaque extunc, velut & nunc, Mahometum venerantes sequuntur. Pentateucho Moysis obedium, circumciduntur, & legalia observant.* Quibus verbis non obscurè significatur, Tartaros ante illa tempora quibus Mahometi sectatores evaserunt, circumcisos non fuisse, nec legales observâsse ritus. Verùm fac antiquissimam fuisse eorum circumcisionem & à majoribus olim traditam, quid indè, quæso, efficietur? Nec enim in hunc modum argumentari licet, Tartari Israelitis similes paréque erant circumcisione, Ergò & generis origine. Quippe sic ipsos etiam Ægyptios Israelitas ostenderis; itidem & Colchos: De Iberis enim (quos tamen esse Chabor quidam contendunt) nihil hujusmodi accepimus. Addo etiam quasdam Indiæ Occidentalis gentes. Sæpenumero nempe solet Leo ille rugiens ridiculus esse simius Omnipotentis Dei: Eúmque ritus complures Divinis quàm simillimos, per se vel per emissarios suos, barbaras nationes docuisse legimus, ut veterum recentiorúmque auctorum libros evolventi constare poterit.

Quod postremum objicitur de Judæorum in plagis illis Septentrionalibus frequentia, leviculum est. Nam fugitivos errones dira vox hæc, *Sanguis ejus super nos & super filios nostros* Mat. 27. 25. tanquam alteros Cainos αὐτοκαλακείτας, σαλδομώους καὶ ἀκλασατοῦλας, in omnes Orbis partes persecuta disturbavit ac dissipavit irrequietâ simul & irreparabili jactatione. Gravissimè Chrysostomus, vir sanctus, his verbis in Judæos eorúmque infandum illud κυνοκλονίας crimen invehitur Hom. in Psal. 8. Tom. 1. p. 577. lin. 34. Ἕως μὲν οὖν τοὺς δούλους ἡμαρτάνετε, ἐτυγχάνετε συγγνώμης, πεφρίτας ἀναιροῦντες καὶ λιθάζοντες· ἐπειδὴ δὲ εἰς τὸν δεσπότην τὰς χεῖρας ἐξετείνατε, ἀνίατον γέγονεν ὑμῖν τὸ ἕλκος λοιπόν. *Dum in servos quidem peccastis, tantisper consecuti estis veniam; quamvis Prophetas de medio tolleretis & lapidibus obrueretis: Postquam verò ipsi Domino manus attulistis, insanabile vobis in posterum evasit ulcus.* Et paulò inferiùs lin. 41. ὁ Θεὸς ὑμᾶς ἀπώσατο παντελῶς, *Deus vos in perpetuum aversatus est.* Itidem superiùs lin. 5. ἀπειρήκασι κολάζοντες, *pœnas nunquam terminandas persolvunt*, de eisdem liquidò pronunciavit. Istis consentanea scribit Hieronymus, qui Com. in Esai. 1. 6. ultimam cladem & calamitatem à Romanis Impp. Vespasiano Titóque & Adriano Judæis importatam *Æternam captivitatem* appellat. Huc accessit incredibilis eorum pertinacia, acerbissimæ usurarum exactiones, clandestina cum Saracenis fœdera, perfidia plusquam Punica, proditionésque Christianorum superioribus seculis terræ Sanctæ recuperandæ desiderio flagrantium. Hisce denique sceleribus irritati majores nostri omnes ubique ferè Judæos, præsertim in Occiduis istis Orbis Christiani provinciis, exsilio multarunt: Qui deinde ejecti in regiones illas Septentrionales, utpote propinquiores ac liberiores, magna ex parte diverterunt.

Quod autem putatur, proinde deportatos ultra Mediam

Israelitas ac si Scythiæ regiones incolis vacuas occuparint neque dum habitatas, minuenda est ista opinio: nihil enim simile habet veri. Nam Scytharum gentem ut numerosissimam longè ità & antiquissimam fuisse liquet. Refert Justinus Historicus Epit. lib. 2. Scythas olim cum ipsis etiam Ægyptiis de originis vetustate contendisse, & prolatis utrinque atque inter se collatis argumentis hos ab illis superatos. Quinetiam ex Scripturis patet, loca ad Septentriones spectantia statim à Diluvio primùm habitari cœpta. Quamvis enim humanum genus, celebri & velut per manus acceptâ de Paradisi summa amœnitate famâ allectum, vel aliâ qualibet ratione permotum, à Septentrionibus profectum in planitiem Babylonicam descenderit; confusis tamen linguis, & dissipatâ hominum multitudine, frequentiores cœtus lustratas antè terras & consuetas sedes notis itineribus repetisse plusquam probabile est, & ex illis deinceps locis in ulteriora paulatim progressos. Adeò ut amplissimus ille Scythiæ tractus & hominum semper fœcundissimus celerrimè agminibus robustissimorum incolarum (citeriore potissimùm sui parte, ubi collocati finguntur Israelitæ) abunde repletus fuerit. Nec unquam postea ullus eò aditus patuit maximis & instructissimis exercitibus Ægyptiorum, Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, nedum exiguis copiolis pavidorum exsulum tot malis attritorum, tot infortuniis mactatorum. Plura non addam. Satis nempe ex superioribus perspicuum est, Tartaros seu Totaros Israelitas genere non esse, sed Gentiles Scythásque, nec Semo sed Japheto prognatos.

CAP. 6. *De nomine* JEHOVA *pervulgato: Déq;* Ἰαὼ, Ἰδὼ, Ἰωβὰ *Græcorum, &* Jove *Latinorum.*

SEptuaginta Interpretes, sanctissimi doctissimíque viri, gloriosum Dei nomen יהוה ubique ferè Κύριον, i. *Dominum*, quandoque Θεὸν, i. *Deum*, transferre solent. Non quòd aut vim vocis ignorarint (id præstanti eorum eruditioni repugnaret) aut superstitione quadam obligati ità fecerint, (id summæ eorum pietati adversaretur) sed 1. ut ad intellectum communem, cui maximè Scripturam S. destinatam sciebant, sese accommodarent. Nam ἴδια per se meram contemplari non est cujusvis; Attributis autem suis vestitam, promptum satis & expeditum. Cunctorum porrò Attributorum Essentiæ Divinæ nullum, opinor, notius, aut ad pietatem, inchoandam præsertim, aptius quàm *Dominus*. Ac verissimè quidem per consequens JEHOVA redditur *Dominus*. Nam qui JEHOVA est, videlicet cujus essentia est à seipso, omnibúsque dat & conservat hoc ipsum quod sunt, is proculdubio est Κύριος κυριευόντων, καὶ μόνος δυνάστης 1 Tim. 6. 15. & παντοκράτωρ Apoc. 1. 8. absolutéque & propriè *Dominus*. 2. Quòd subtilem & exactam nominis interpretationem prorsus difficillimam, penè dixeram impossibilem, fore viderent. Cedò namque mihi in omnibus omnium gentium linguis nomen alterum quod huic ad unguem respondeat, quódque essentiam secundùm triplicem, h. e. universam, temporis notationem exprimat, itáque adumbratam immutabilis & æternæ durationis imaginem captui nostro facillimè pulcerriméque repræsentet. Siquidem (ut acutè observavit gravissimus Theologus D. Zanchius De Divinis attributis l. 1. c. 13.) in nomine יהוה Camets productum literâ ה præteriti temporis index est; Cholem, præsentis; Jod, denique futuri: & totum thema הוה ipsum *Esse* simpliciter significat. Hoc idem adegit autorem Apocalypseos periphrasin adhibere quò vim & naturam nominis יהוה plenius explicaret. Etenim quod uno verbo non poterat efferre, pluribus necesse erat describere, in hunc modum, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος Apoc. 1. 4. quæ omnia simul & semel incredibili concinnitate & efficaciâ unico Hebræo vocabulo יהוה comprehenduntur. Ex ista verò quam nos Sacra docet Apocalypsis vocabuli hujus interpretatione constare poterit, non assita aut aliunde assumpta (ut arbitrantur plerique ferè omnes Judæi recentiores, & nostrorum quoque nonnulli) sed nativa ac propria esse nominis *Jehova* ea quibus nunc vulgò legi solet puncta vocalia. Interpretatio enim illa & puncta ista mirificè ad unguem (ut vidimus) inter se conveniunt. Quare si illam Divinitus traditam agnoscimus, prorsus nihil, opinor, aberit quin ista eodem planè modo accipienda existimare debeamus. Cur igitur (inquies) ipsum illud vocabulum Hebræum (ut & alia quædam ejusdem idiomatis) non scripsit Græcè, aut is, aut alius quisquam sacrorum apud Græcos Interpretum? Vel hanc inprimis ob causam, quia Græca lingua non patitur incorruptè atque integrè scribi aut proferri. Græcis enim non solùm extra modum absona sed etiam ineffabilis omnino est aspiratio istiusmodi in medio. Quæ augetur insuper duritate prolationis υ consonantis, quam præcedat ο vocalis. Unde ἀνεκφώνητον illud veteres cognominarunt. Non quòd simpliciter, sed quòd Græcâ linguâ vix ac nè vix quidem efferri & voce exprimi posset. Planè ut Plinius, l. 5. in Procœmio, eidem vocabulo synonymum Latinum usurpat, de Punicis sive Africanis populorum oppidorúmque nominibus loquens; *Vel maximè sunt ineffabilia*, inquit, *præterquam ipsorum linguis.* Id enim verè est ἀνεκφώνητον· non quòd omnino & in universum nequaquam efferri licet. Quasi scilicet olim Judæi, perinde ut veteres Romani, teste Plinio Nat. hist. l. 28. c. 2. occultarint nomen Dei in cujus tutela essent, nè quo modo ab hostibus evocatus habitatum aliò commigraret. Nomen autem JEHOVA non solùm innotuisse, sed etiam celeberrimum & clarissimum fuisse apud gentes, præsertim finitimas, Palæstinos, inquam, Idumæos, Arabas, Ægyptios, Syros, &c. testatior in V. Instrumento res est quàm ut majoris probationis indigeat. Quinimo populi longissimè dissiti id non ignorarunt. Exempla duo occurrunt: Quorum unum paulò obscurius est, ex Oraculo Apollinis Clarii desumptum, quod exstat apud Macrobium Saturnal. l. 1. c. 18. Is *enim consultus quis Deorum habendus esset qui vocatur* Ἰαὼ, hæc inter alia effatus dicitur,

Φρίξεο τ' πάντων ὕπατον Θεὸν ὄμμα Ἰαώ,
Cunctorum summus Divorum habeatur Iao.

Hic, cùm testimonium quadantenus reddidisset veritati, *Jao summum illum Deum* prædicans, ità tamen ut πολυθεΐαν simul confirmaret callidissimus Serpens & mendaciorum omnium architectus Spiritus, mox consulentes obscuris suis ambagibus palàm ludificatur. Nam ejusmodi sunt responsi verba quæ sequuntur ut vel hic eorum sensus sit, *Iao esse Hyeme Plutonem, Vere ineunte Jovem, Æstate Solem, Autumno tandem seipsum*, Bacchum fortassis ob vindemiæ proventum: Vel etiam hic, *Hyeme Plutonem esse Deorum supremum, Vere Jovem Æstate Solem, Autumno denique Iao.* Utrolibet vel quolibet modo accipiantur verba, partim cum creaturis, partim cum detestandis Gentium idolis λοξίας iste commiscere conatur τὸν Ἰαὼ, ut tenebris plusquam Ægyptiacis omnia apud suos involveret; nocubi vel minima scintillula veræ lucis in nomine Ἰαὼ utcunque cognito emicans appareret. Alterum satis manifestum reperitur in historia Diodori Siculi, qui Julii Cæsaris & Augusti temporibus vixit, paulò ante Christum in carne patefactum. Is Biblioth. Hist. lib. 1. part. 2. cap. 59. ubi verba facit de legumlatoribus antiquis, qui simularunt se Deorum munere acceptas leges popularibus suis constituisse, hæc confestim subjicit, Παρὰ δὲ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον Θεὸν μεγαυχήσαντα τὰς νόμους αὐτῷ δεδόσθαι, i. *Apud Judæos Mosen finxisse Deum illum qui Iao cognominatur Leges ipsi tradidisse.* Hic primò animadvertere licet, *Jehova* nomen vulgò notum fuisse Græcis. Neq; quenquam in eo errore versari velim ut conjecturâ auguretur Ἰαὼ esse Hebraicum יה, quod quidem unum est ex nominibus Divinis: fieri nempe id non potest. Nam Ἰαὼ trisyllabum est, יה monosyllabum in idiomate Hebræo, dissyllabũ in Græco, ut Ἰα. Ad hæc, יה à Græcis omnino profertur ut *Ia*, quemadmodum in ἀλληλεΐα, *Alleluia* cernitur. Nec

uſpiam reperitur ſuperadditum *o*. Niſi fortè id alicubi per imperitiam accidit ; ut in exordio Interpretationis Pſalmi 104. Chryſoſtomo inſcriptæ, ubi vel librarius mendoſè Ἰαὼ pro Ἰὰ ſubſtituit, vel Autor ipſe Hebraicæ linguæ ignarus, aut non ſatis memor nec attentus, Ἰὰ & Ἰαὼ, ideóque eorum prototypa יה & יהוה, eandem vocem eſſe exiſtimavit. Quod quidem abſonum ipſóque aurium non nimis hebetum judicio jure damnandum cenſeatur. Haud gravatè tamen conceſſerim, utrumque nomen ratione non pronunciationis ſed ſignificationis idem omnino valere & pro eodem rectè ſumi poſſe. Id quod alibi, auxiliante Deo, attingemus. Interea pro certo habendum eſt, Ἰαὼ nihil aliud eſſe quàm יהוה. Rurſus ergò obſervetur quàm intolerabilis ſit Græcis aſperitas pronunciationis *Jehova*. Nam in Ἰαὼ primùm eliditur ה, converſo Scheva in *a*, ut in σαβαὼθ pro צבאות, &c. deinde *v* conſonans abjicitur ; denique *a* longum unà cum ה litera quieſcente exterminatur. Atqui hoc iniquiſſimum ſanè erat, quod ſcilicet ad *a* vocalem attinet, nullâ quippe aut perexiguâ neceſſitate factum. Itaque ſuſpicor aut mendum ſubeſſe, aut Metatheſin ex moleſta forſan nominis peregrini prolatione natam, & Ἰαὼ ordine recto ſcribendum & pronunciandum. Hâc namque ratione egregiè exprimetur nomen יהוה, &, quoad ejus fieri poteſt, quaſi integrum exhibebitur, ſaltem poteſtate (ut loquuntur) vel δυνάμει, ſervato eodem numero ſyllabarum, & partibus totius vocabuli longè principibus, vocalibus videlicet longis ω & α : Quæ venuſtè adhibentur Divinæ naturæ deſignandæ, non ſolùm eam ob cauſam de qua in Apocalypſi 1.8. ſed propter hanc etiam, nimirum quòd ſint auguſtiſſimi illius nominis & (ut ità dicam) ὑστωδῶς elementa primaria.

Operæpretium erit ſuperioribus adjicere aliam quoque rationem quam ſecuti ſunt Græci in tremendi nominis hujus pronunciatione : Atque eam petere licet apud Euſebium Præp.Euang.l.1.cap.5. ex Porphyrio, capitali quidem illo fidei Chriſtianæ hoſte, Philoſopho tamen inſigni, & veterum Hiſtoriarum ſcientiſſimo. Hic de rebus Judaicis diſſerens libro adverſùs Chriſtianos 4. narrat celeberrimum olim fuiſſe apud Phœnices Hiſtoricum Sanchouniathonem quendam Berytium, ipſis Troicis temporibus antiquiorem. Cujus ſcripta à Philone Byblio Græcè verſa, tum veritatis tum accuratæ diligentiæ nomine, multis laudibus ornat Porphyrius. Nam inquit, τὸν παλαιὸν ἱστορίαν ἐκ μέρους καὶ πόλιν ἰδιωτικῶν, καὶ μέρος ἐκ τοῖς ἱεροῖς ἀναγεγραμμένων συναγαγὼν συντάγματος, h.e. *Veterem hiſtoriam partim ex civilibus urbium ſingularum partim ex ſacris templorum commentariis compoſitam perſcripſit.* Itaque aſſerit eum de Judæorum quoque gente veriſſima tradidiſſe, ut qui rerum omnium ſummas acceperit παρὰ τοῦ ἱερέως θεοῦ τοῦ Ἰδιοῦ, *à Sacerdote quodam Dei Jeuo.* Hic rurſus idem nomen יהוה apertè enunciatum habemus, & literis Græcis denuò expreſſum, modo tamen aliquantùm diverſo à ſuperiore. Siquidem Phœnices & Syri (à quibus ad Græcos emanavit vox illa) vocalem *o* paſſim in *ou* vel *u* mutare ſunt ſoliti ; ut pro *Salmon* dicunt *Salmun*, pro *Zadok Zaduk*, itidémque in cæteris. Camets verò tanquam ω ab iiſdem proferri jam antè monuimus. At Græci cùm *v* conſonantem ignorarent, & aſpirationem iſthîc reſpuant, utramque pariter rejecerunt, & pro Syrorum *Jehuvo* ipſi *Jeuo* pronunciârunt ac ſcripſerunt. Porrò in eodem illo Porphyrii teſtimonio, prout à Theodoreto citatur, non Ἰδιὼ ſcriptum reperitur, ſed Ἰαώ. Et, ut mea certè fert opinio, interpolatio eſt imperiti alicujus, qui cùm Syriſmum modò dictum, Sanchouniathoni Hiſtorico ejúſque interpreti Philoni Byblio perſpectum & exploratum, ignoraret, ſatis tamen fortaſſe cognoſceret, aut ſaltem ſuſpicaretur, idem prorſus ſonare nomen Ἰαὼ Græcis auribus familiare, hoc reponere maluit, rejecto Ἰδιὼ tanquam notho & ſuppoſititio. Forſan ab hac voce Ἰδιὼ orta eſt & appellatio Bacchi, quâ Εὐιὸς eſt dictus, & ſolennis illa bacchantium Mænadum acclamatio Εὐοῖ in Orgiis ſuis celebrandis. Sic quippe ſemper ſolitus eſt Satanas ut cultu ità & titulis Divinæ Majeſtatis propriis ſeſe decorare. Unde aliquando quoque eas Εὐοῖ σαβοῖ ſimul Baccho, aut potiùs Diabolo, vociferatas fuiſſe legimus ; haud ſecùs atque fideles verum æternúmque Deum invocantes *Jehovam Sabaoth* apud Judæos appellabant.

Reſtat tertius nominis יהוה efferendi modus, quem apud Epiphanium κατ' ἀρχοντικὸν exſtare obſervavimus, Adv. Hæreſ.lib.1.To.3. ubi poſtquam complures Dei appellationes Hebraicas recenſuiſſet, earúmque interpretationes protinus adjunxiſſet, ad extremum, veluti nomen maximè proprium, attexitur Ἰαβὲ ſed corruptum proculdubio à librariis ; ut & totum ipſius exemplar Græcum innumeris mendis ſcatet. Crediderim initio ſcriptum fuiſſe ab Autore Ἰωβά. Mutatio autem deinceps ω in ο proclivis admodum erat propter magnam harum literarum ſimilitudinem, ſitu tantummodo non figurâ diſcrepantium. Et ſyllabarum literarúmque tranſpoſitionem creberrimam experimur. Atque hoc pacto pro vitiata voce Ἰαβὲ quàm emendatiſſima nobis reſtituetur Ἰωβά. Eámque ſi admiſerimus, conſulemus exiſtimationi doctiſſimi Patris, linguæ etiam Hebraicæ non ignari. Sin minùs, quid tandem fiet vocabulo Ἰαβέ? Ad nullum enim aliud ex omnibus apud Hebræos attributis Divinis ullâ ratione reduci poterit ; id quod cuilibet ſtatim conſtabit vel leviter ſecum hac de re cogitanti. Poſtremò, Hebræi nominis expoſitio quam affert Epiphanius vehementer urget, aſſenſúmque ſummâ vi extorquet nobis : τὸ Ἰαβέ, inquit, ὃς ἦν ἔστι καὶ ἐσόμενος ἐστὶν, h.e. interprete Cornario, *Qui erat, & eſt, & ſemper eſt.* Mendoſè ; ut & ſententia ipſa fateri cogit ; niſi orationem partim utili membro defectam partim inutili redundantem ac ſupervacaneam haberi velimus. Legendum igitur, ὃς ἦν, καὶ ἔσται, καὶ ἐστὶν, *qui fuit, & erit, ſempérq; eſt.* Quis hîc, obſecro, non illico animadvertat exactiſſimam illam ſubtiliſſimámque nominis יהוה explicationem quam ex Apocalypſi primùm petitam ſuprà Doctori Zanchio adſcripſimus? At nunc certè clariſſimè cernere licet Epiphanium illi antevertiſſe longo multorum ſeculorum intervallo. Liquet & illud, difficultatem pronunciandi nominis iſtius, apud Græcos præſertim, quam antè notavimus, tam varias apud eos ſcribendi formas peperiſſe. Item illud, omnium trium vocabulorum, quibus Græci Hebræum יהוה repræſentare conati ſunt literis ſuis, ultimum hoc Epiphanii ad archetypum quàm proximè accedere. Nam & vocales primarias retinet ω atque α, & *v* inſuper conſonantem (licèt ex more Græco) in β valde affinem converſam apertè oſtendit. Quòd niſi litera aſpirata He cum antecedente Scheva à vocali ſequenti (ut fit) abſorpta fuiſſet, Ἰαβὰ planè ipſum foret nomen יהוה non δυνάμει ſolùm, ſed ἐνεργείᾳ etiam, réque ipſâ. At enim illud ingenuè monendus eſt Lector, nomen Ἰαβὲ ab Epiphanio ſimpliciter memoratum, à Theodoreto in Exod.Quæſt.15.pag.30. Samaritanis nominatim aſſignari. Hæc quippe ſunt ipſius verba, *Samaritani vocant illud nomen*, Tetragrammaton ſcilicet, JABE ; *Judæi* verò JA. De *Ja* pro *Jao* alibi dicturi ſumus, Miſcell. l.4. c.13. De *Jabe* autem, ut hîc apud Theodoretum pro incorrupto admittatur, id tamen ſimul concedi neceſſe eſt, Samaritanorum proprium eſſe, non Judæorum. Videntur enim Samaritani odio capitali ſemper à populo Dei diſſidentes, ut reliquum cultum ſacrum, ità nominis Divini hujus, omnium principis, prolationem pariter novare voluiſſe, nequa illis ulla, nedum tanta in re, cum Judæorum gente communitas aut ſocietas intercederet. Ad id autem eò cupidiùs faciendum ſunt aggreſſi, quòd pronunciationis novitati patrocinium expeditum & ſpecioſum ex ipſis Dei verbis Exod. 3.14. prætexi poſſe intelligerent. Quocirca repudiato more Judæis uſitato non יְהוָה *Jehova* ſed יִהְוֶה *Jehve* (prorſus ut thematis ſynonymi nomen geminum אֶהְיֶה *Ehje*) efferre cœperunt. Hinc igitur, expuncto ה, & ו de more in β migrante, ortum opinor vocabulum Ἰαβὲ *Jabe*, quatenus videlicet (autore Theodoreto) à Samaritanis profectum cenſetur. Modò autem Judæis familiari omnino Ἰωβὰ (ut oſtendimus) proferendum eſſe apparet : à quo mihi certè religio eſt diſcedere. Siquidem cum Judæis, non cum Samaritanis, in unum Eccleſiæ Catholicæ corpus coaluimus, Epheſ.3.6.

Atque *illis*, non istis, *Eloquia Dei credita fuisse* pro comperto habemus, Rom. 3.2.

Verùm à Græcis ad Latinos pergamus. Hi tritissimum nomen *Jupiter* vel *Jovis* (nam hic quoque antiquus Nominativus est Prisciano) unde, quæso, mutuati sunt præterquam ab Hebræis? Et quid aliud est (si originem spectes vocabuli) Latinorum *Jovis* quàm Hebræorum *Jehova*, aut potiùs *Jehovih* יְהוִה, quomodo sæpe scriptum invenitur, ut Deut. 3.24. & 9.26, &c? Quamvis Latini apud se natum illud nomen rati, & à *juvando* deductum, primam ejusdem syllabam imperitè corripuerint: Qua in re inferiores sunt Græcis: licèt in hac rursum superiores, quòd *v* consonantem manifestò retinuerint, quam Græci aut prorsus omiserunt aut in aliam transformarunt. Cæterùm *Juppiter* cum duplici *p* plerique omnes Poeticum esse existimant: Ego verò, pace eorum, genuinum maximéque ὀρθόγραφον crediderim. Nam ex יהוה tanquam primitivo factum est primùm *Jovas* vel *Jovis*; tum adjuncto vetustissimi summéque naturalis principatûs epitheto, formatum est *Jovispiter*; tandem ablatâ syllabâ *is*, *Jovpiter* vel *Juvpiter* (quippe *o* & *u* sibi invicem succedunt) postremò mutatâ *v* consonante in consimilem *p*, exstitit *Juppiter*. Atque hanc nominis istius scribendi rationem vir eruditus Aldus Manutius Pauli F. ex antiquis libris & inscriptionibus, item ex veteribus aureis argenteis æreisque numis, omnino rectam esse confirmat, Epit. Orthograp. pag. 102. Vide quanta quámque tetra pestis sit superstitio, cuncta, etiam saluberrima, contactu suo inficiens & corrumpens! Sanctissimum nempe unicéque suspiciendum veri Dei nomen in turpissimum & horrendum idolum tandem redegit. Hæc profectò immanis est tenebrarum potestas: Cujus vim utinam hodie non experiremur. Quò diligentiùs semper est attendendum ut primo quoque tempore summis viribus eidem obviàm eatur, & Hydræ istius capita subindè renascentia Spiritûs S. gladio statim abscindantur.

Cap. 7. *De Vitulorum cultu Ægyptiaco apud Israelitas. De Baalimis, & Hercule: Déq; τῇ Βάαλ, quod habetur in libro Tobiæ & Epistola ad Romanos. Erasmus defensus.*

IN Historia Tobiæ Græca Bibliorum Romæ editorum. cap. 1. v. 5. hæc verba leguntur, Καὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ αἱ συναποστᾶσαι ἔθυον τῇ Βάαλ τῇ δαμάλει, h. e. *Et omnes Tribus quæ pariter defecerant sacrificarunt Baali juvencæ illi*, vel *buculæ illi*. Haud dubiè intelligit Vitulum utrumque quem 1 Reg. 12. 28, 29. superstitione Ægyptiacâ Dane & Bethele adorandum collocarat Jeroboamus, imitatus veteres Israelitas, qui eodem exemplo adducti in eandem olim idolomaniam inciderant. *Videtur mihi idcirco*, inquit Hieronymus Comment. l. 1. in Hoseam c. 4. *& populus Israel in solitudine fecisse sibi caput vituli quod coleret, & Hieroboam filius Nabat vitulos aureos fabricatus: ut quod in Ægypto didicerant, Ἄπιν καὶ Μνεῖν, qui sub figura boum coluntur, esse Deos, hoc in sua superstitione servarent.* Quamvis autem ipsa ἀρχέτυπα, & Apis scilicet Memphiticus, summus Ægyptiorum Deus, idémque fatidicus, & Mneuis Heliopolitanus, Apis pater, maximísq; secundùm Apin honoribus affectus, boves mares fuerint, Plin. l. 8. c. 46. Plutarch. De Isid. & Osir. Strabo Geogr. lib. 17. solet tamen aliquando Scriptura, ubi de portentosis istis idolis mentionem facit, genus femineum usurpare, & *vitulas* seu *juvencas* illa dicere; ut Hos. cap. 10. 5. *Propter vitulas* (לעגלות) *Bethavenis pavebunt habitatores Samariæ.* Atque hic operæpretium erit rursus eruditam Hieronymi sententiam audire Comment. in Hoseam l. 3. c. 10. *In Beth-aven, id est, Bethel, vaccas aureas coluerunt habitatores Samariæ: Quas cum irrisione non* VITULOS, *sexûs masculini, sed* VACCAS, *id est, feminas, appellavit: ut videlicet Israel non solùm Deos vitulos sed Deas vaccas coleret.* Unde & Sulpitius Severus Sacræ Hist. lib. 1. idola à Jeroboamo in finibus Regni sui erecta & collocata eodem hoc nomine nuncupavit: *Vaccam*, inquit, *auream in Bethel, alteram apud Dan constituit, quibus populus litaret.* Bethelis igitur & Danis vituli עגלות appellantur à Propheta, h. e. *juvencæ* vel *vaccæ*, aut δαμάλεις (ità namque transtulerunt ipsi Lxx etiam masculinam vocem עגלים 2 Reg. 10. 29.) non quòd tales fuerint ipso per se sexu, sed sexûs proprietate in majorem contemptum propter ignaviam & imbecillitatem. Vanissima quippe vanitas omne idolum, seu simulacrum adorandum, opus manuum hominis. Porrò *Baal* κύριον vel *dominum* sonat, vel *possessorem* & *potestatem in rem aliquam habentem*: Idéoque universè quodvis Idolum declarat, quoniam idololatræi se totos dedunt & mancipant. Unde non solùm in plurali *Baalim* sæpe occurrunt, sed variæ quoque species recensentur, ut *Baal-berith* Judic. 9. 4. *Baal-zebub* 2 Reg. 1. 2. *Baal-peor* Num. 25. 3. & *Baal* Sidoniorum ac Tyriorum Deus 1 Reg. 16. 31. aliíque forsan nonnulli. Et hanc ob causam Græci interpretes הבעלים generatim τὰ εἴδωλα verterunt 2 Par. 17. 3.

Itaque cùm interpres Historiæ Tobiæ τῇ Βάαλ in genere scripsisset, addito articulo feminino, (quo frequentissimè utuntur Lxx, ut 1 Sam. 7. 4. 2 Par. 24. 7. Jer. 2. 8. Soph. 1. 4, &c.) mox opportunè distinctionis ergò subjicit τῇ δαμάλει, ut intelligeretur de quonam Baale (vitulâ nempe Bethelis, aut potiùs Danis, quæ Nephthalitis in proximo erat) verba faceret.

Scio aliam lectionem annotari, τῷ Βάαλ τῇ δυνάμει, i. *potestati Baalis*, inquit Junius. Imò *potentiæ*; quæ prima & propria est nominis hujus significatio. At pessimè quadrat δύναμις ubi immensa est ἀδυναμία. Quapropter non possum ullo modo probare versionem quam in textu inscripsit, *Baali Deo*; ac si exaratum fuisset τῇ Βάαλ τῷ δυνάμει. Hæc enim planè (nam aliquantùm ambigua est illa altera) Divinam potentiam denotat; & tritum est apud recentiores Judæos nomen הגבורה, i. ἡ δύναμις, quo uti solent ad Deum verum atque Omnipotentem indicandum. Necnon etiam in N. T. idem invenire licet. *Videbitis*, inquit Christus Matth. 26. 64. *Filium hominis sedentem ad dexteram potentiæ illius*, τῆς δυνάμεως, הגבורה, i. summè potentis vel potentissimi illius. Nam Hebræi nomina substantiva pro adjectivis superlativi gradûs crebrò usurpare solent. Quem Hebraismum, Græcis auribus insuetum, ut illustraret Lucas 22. 69. more suo adjecit τῆς Θεοῦ nempe ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ, i. e. *ad dexteram illius potentissimi*, videlicet *Dei ipsius*. Ergò ille transferre non licuit *Baali omnipotenti*, ità nec *Baali Deo*; quoniam hoc modo Deum verum (quod absit) intelligi necesse est. Nam ideo *Deus* transfertur, quia ἡ δύναμις, i. *summè potens*, vel *omnipotens*, ille significatur, nimirum Hebræorum הגבורה. Quod quidem attributum solius Dei Opt. Max. proprium est apud illos, ut rectè observavit Elias Thisb. rad. גבר. Qui præterea ait, אינו בא אלא עם הא הידיעה, *Non usurpatur* vocabulum istud (גבורה) in hac significatione, *nisi cum He emphatico*; quemadmodum & ἡ δύναμις apud Tobiam. Nam articulus Græcus est ipsissimum *He*, nedum valet illud. Veruntamen retineri potest utcunque hæc lectio, si τῇ δυνάμει accipiatur (quemadmodum sæpe reddiderunt Lxx) pro לצבא, hoc sensu, *Qui sacrificaverunt Baali, illi exercitui cœlesti*; atque ità intelligatur totum σύστημα & ipsa universitas corporum cœlestium; quæ magnus *Baal* & *Pan* Gentilium dicatur. Antiquis autem Hebræis maximè solennem fuisse τῆς δυνάμεως τῦ οὐρανῦ *cœlestis illius exercitûs* adorationem & cultum, nemo est qui ignoret, modò literas Sacras vel à limine duntaxat salutarit. Nihilominus multò satius esse duco lectionem vulgatam τῷ Βάαλ τῇ δαμάλει, constanter tueri. Etenim simplicissima est & facillima, & vetusti Chaldaici exemplaris, ex quo interpretationem suam hausisse se testatur Hieronymus, autoritate fulcitur.

Cæterùm an eadem hæc lectio prorsus conveniat lucémq; afferat loco ab Apostolo citato in Epist. ad Rom. c. 11. 4. *Qui non flexerunt genu* τῇ Βάαλ, nolim pro indubitato affirmare. Certè omnino dissimilia non sunt. Quare si de Vituli adoratione intelligantur verba ista, optimè subauditur vox δαμάλει, idq; ex usu Scripturæ, ut patet testimonio Hoseæ suprà allato. Nam ut rem ipsam dicam, nomen

nomen *Baal* per se generis est masculini; atque ità sæpissime usurpatur, ἀλλ' ἔδοξε τῷ Βάαλ & τοῖς Βααλίμ, Jud. 2. 13, 11, &c. Necesse est igitur ut quoties articulum femininum adjunctum habet, adsciscatur ei aptum aliquod substantivum femineum Scripturis familiare & vernaculum. Hinc fortasse factum est ut cùm in loco illo Tobiæ 1. 5. primùm simpliciter scriptum fuisset τῷ Βάαλ, ac deinde aliquis doctus ad marginem annotasset τῷ δαμάλει, alter item τῇ δαμάλει, utrumque tandem per imperitiam librariorum, tanquam varia lectio, in contextum ipsum irrepserit. At enim si verba illa Apostoli peculiariter accipienda sint de Baale Tyriorum & Sidoniorum Deo, quem Achabus unà cum Jezebela uxore ab Ithobale istius gentis Rege, socero suo, nuperrimè eximiâ quadam veneratione colendum acceperat (1 Reg. 16. 31. & Joseph. Antiq. l. 9. c. 6.) aliud tum substituendum erit vocabulum. Equidem hoc magìs amplecterer. Etenim est veri omnino simillimum, feminam crudelissimam & suprà modum superstitiosam, rerum jam potitam, patrii Dei cultum summâ vi ursisse & modis omnibus promovisse. Atque idem iste Deus maximè idoneus videbatur qui dubiis & angustis Achabi rebus opitularetur; Scilicet (nisi animus me valde fallit) magnus ille ἀλεξίκακος seu *malorum depulsor*, Hercules, summus & antiquissimus Tyriorum Deus, (Strabo lib. 16.) ut qui & præcipuo semper honore ibi sit affectus, & indè à Tyro condita (h. e. bis mille & trecentis annis, si sacerdoti Tyrio fides est tribuenda) usque ad Herodoti ætatem (Euterp. lib. 2. Euseb. De Præp. Euang. lib. 3. cap. 11.) magnificum illic templum, pariter cum ipsa urbe exstructum, habuerit. Herculem verò hunc reipsa nihil aliud esse quàm Solem declarat Macrobius Saturnal. lib. 1. cap. 20. unde 12. illos Herculis labores à Poetis tantopere decantatos, percursa & perlustrata quotannis à Sole 12. Zodiaci signa interpretatur Porphyrius. Certè nomen ipsum, à Sidoniis Tyriisve vel Phœnicibus inditum, idem apertè confirmat. Dictus namque ab iis est insigni & peculiari quadam appellatione Hercules, quasi חזה כל, i. *Omnia intuens* vel *lustrans*, aut ut Homerus Od. μ'. de Sole pronunciat,

——ὃς πάντ' ἐφορᾷ,

Qui omnia inspicit: unde etiam eundem antiquitas *Jovis oculum* appellasse fertur, Macrob. Saturn. lib. 1. c. 21. Hoc etymon eò aptius videtur quò veterum Tyriorum moribus est congruentius. Nam ii cùm transmarinis peregrinationibus & ignotorum Orbis locorum peragrationibus mirum in modum delectarentur, ex sua sibi cupiditate (uti solent idololatræ) similem finxerunt Deum, omnia scilicet perlustrantem: Quem etiam tanquam ducem sequerentur in longinquis itineribus suis terrâ marique dirigendis. Atque hæc religio, à Phœnicibus sive Tyriis primò inducta, paulatim longiùs serpsit, donec ad Græcos tandem, & ulteriùs, permeavit. Id quod luculento Xenophontis exemplo satìs liquere poterit. Etenim Exped. Cyri l. 6. narrat se navigationem quandam suscepturum, ante omnia rem sacram fecisse τῷ ἡγεμόνι Ἡρακλεῖ, *Herculi* scilicet *illi via duci*, eúmque per exsta consuluisse cùm de ratione itineris instituti tum etiam de eventu. Sed ad propositum redeamus. Quandoquidem *Baalis* nomine ibi vel omnino, vel maximè, celeberrimum illud Sidoniorum Tyriorúmque Idolum innuitur, adjungendum est τῷ Βάαλ vocabulum ejusmodi quod & idipsum & reliqua simul Numina stercorea significationis suæ complexu coerceat & contineat. Duorum potissimùm optio datur: utrumvis sumas nihil ferè interest. Primùm enim commodè subaudiri potest vox στήλη, ex 2 Reg. 10. 26, 27. ubi מצבה, quæ Baali attribuitur, Lxx στήλῳ, i. *statuam*, reddiderunt. Deinde non minùs commodè, atque haud scio an etiam magìs, subintelligatur εἰκόνι. Nam generalior est vox ista, non tantùm fusiles & sculptiles imagines sed pictas etiam indicans. Ejusmodi est & צלם Hebraicum (sicuti videre licet Num. 33. 52. Ezec. 23. 14, &c.) quod passim Lxx interpretantur εἰκόνα, nominatim verò 2 Reg. 11. 18. καὶ τὰς εἰκόνας αὐτῶν (צלמיו) ζωγράφων ἀγαθῶν, i. *Et imagines ejus* (nempe Baalis) *contriverunt valide*, prout habet Vulgata editio Latina. Nihil igitur de suo adjecit Erasmus, cùm in c. illo Epistolæ ad Romanos τῷ Βάαλ reddidit *imagini Baal*, sed defectum seu ellipticam locutionem unius loci Scripturæ S. rectè & eruditè supplevit, vocabulo ex altero ejusdem Scripturæ loco consimili petito. Tanquam enim si plenè scripta sint Græca τῷ τῦ Βάαλ εἰκόνι; sic est interpretatus.

Cap. 8. *De loco baptizati Eunuchi à Philippo Evangelista. De Chamatha, Ribla, Torrente Ægypti, Rhinocorura, Nilo; deniq; de utroq; termino Terræ Sanctæ Septentrionali & Australi.*

In Actis Apostolorum, ubi narratur historia baptizati Eunuchi Æthiopis, hæc sunt verba, c. 8. 36. *Cùm verò pergerent in via, venerunt ad quandam aquam. Fortassis*, (inquit D. Beza in Annotationibus ad locum illum) *ad Eleutherum fluvium, necessariò in illo tractu, alioqui valdè arido, trajiciendum.* Equidem, ità me Deus amet, stupore perculsus sum cùm hæc legerem. Nam cùm certo certius sit Baptismum Eunuchi peractum fuisse in itinere quod is Hierosolymis Gazam habebat, norunt omnes quibus vel tantillum inest notitiæ locorum terræ Sanctæ, necessariò hæc in Australi parte regionis illius contigisse; Eleutherum verò amnem proximè Libanum esse, in Septentrionali termino, longissimè dissitum: adeò ut totius Phœniciæ Aquilonem versus extremum limitem eum constituat Ptolemæus l. 5. c. 15. Item Strabo Geogr. l. 16. Plin. Nat. hist. l. 5. c. 20. Brochardus in Descriptione Terræ sanctæ *fluvium Valaniæ* nuncupat, (quòd urbi quam Βαλανέαν dicit Ptolemæus proximus esset) eóque distinctum fuisse ait Regnum Jerosolymitanum à Principatu Antiocheno. Quocirca minimè dubitandum est quin totâ (quod aiunt) viâ, hac quidem in re, errarit magnus ille Theologus. Mihi certè hîc cumulatissimè satisfacit Eusebius, cujus verba admodum perspicua sunt in libro De locis Hebraicis, quem interpretatus est & auxit Hieronymus: *Est hodie Bethsoron*, inquit, *vicus euntibus nobis ab Ælia Chebron in vicesimo lapide: Juxta quem fons ad radices montis ebulliens ab eadem in qua gignitur sorbetur humo. Et Apostolorum Acta referunt Eunuchum Candacis Reginæ in hoc esse baptizatum à Philippo.* Haud multum ergò distabat locus is Chebrone, nempe duobus circiter passuum millibus; cùm Chebron 22 ab Ælia abesset. Brochardus alium videtur locum statuere, inter quem & Chebronem longius intervallũ interjectum sit, nempe trium leucarum, h. e. sex milliarium. Nos clarissimis Viris Eusebio & Hieronymo fidem potiùs habemus, ut qui & totius regionis illius peritissimi fuerint (Cæsareæ alter, alter Bethlehemi diu commoratus) & ipsis rei gestæ temporibus multò propiores vixerint. Audiamus tamen Brochardum, Descript. terræ Sanctæ, cap. 9. *Ab Hebron tres numerantur leucæ contra Aquilonem, declinando paululùm ad Occidentem, ad Nehel Escol, i. torrentem Botri, unde exploratores portaverunt palmitem uvæ. Ad lævam hujus vallis, per dimidiam leucam, descendit rivus, in quo Philippus baptizavit Eunuchum Candacis Reginæ, haud longè à Sicelech.* Quibus verbis significat non ità procul Eleutheropoli baptizatum fuisse Eunuchum: Unde forsan ortus est error eruditissimi interpretis, Eleutherum fuisse amnem ubi baptizatus erat.

Nominatissimi sunt in Sacris siteris duo potissimùm termini terræ Sanctæ, Septentrionalis videlicet, & Australis. Illum *introitum Emath* seu *aditum Chamathæ* appellare solent. Porrò quænam fuerit ista *Chamatha* Hieronymus dilucidè docet pluribus in locis. *Hemath*, inquit, Comment. in cap. 10. Isaiæ, *usque hodie Syri Epiphaniam vocant.* Rursus Comment. in Zach. cap. 9. *Hemath ipsa est qua ab Antiocho ἐπιφανῆ* (quem festivè Polybius ἐπιμανῆ nuncupat, Athen. Dipnos. lib. 2.) *Epiphaniæ nomen accepit: & nunc Syriæ Cœles est civitas.* Neque hoc se assecutum testatur conjecturâ, sed certissimâ experientiâ. *Ego*, inquit, (De locis Hebraicis)

investigans reperi, Emath urbem Cœles Syriæ appellari, quæ nunc Græco sermone Epiphania dicitur. Idem tamen alibi alternare videtur, & duplicem Hemath constituere, ut Comment. in Amos 6. *Pergite in Hemath magnam, quæ nunc Antiochia nominatur.* Magnam *autem vocat (Propheta) ad distinctionem minoris Hemath, quæ appellatur Epiphania. Unde usque hodie pergentibus Mesopotamiam prima mansio vocatur Emmas* [*Emesa* Ptolemæo] *corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinens. Cujus regio appellatur Reblatha. In qua, præsente Nabuchodonosor, Regis Judææ Sedechiæ interfecti sunt filii, & oculi ejus excæcati.* Atqui vocabulum *Magna* longè diversum apud Prophetam habet sensum. Non enim distinguit unam Hemath ab altera, sed eandem omnino civitatem nominis amplitudine famâque præ aliis celebrat; eodem ferè sensu quo apud Græcos μεγάλη πόλις aliquando μητρόπολιν indicare deprehenditur. Alioquin an quia in descriptione illa Josuæ c. 19, 28. *Sidonem magnam* legimus, idcirco duplicem quoque Sidonem fuisse augurabimur? Non equidem opinor. Adde quòd ipse Hieronymus, interpres, aut potiùs novi operis conditor, apud Eusebium De locis Hebr. sententiam nostram confirmat, hisce verbis, *In Amos quoq; Emath Rabba scribitur, quod nobiscum sonat Emath magna. Diximus de hac & suprà, quòd nobis videretur hanc esse Epiphaniam juxta Emesam; quæ usque hodie Syro sermone sic dicitur,* Et in Quæstionibus Hebraicis rem universam diligentiùs & apertiùs explanat, *Amath usque ad nostrum tempus tam à Syris quàm ab Hebræis ità ut apud veteres dicta fuerat appellatur. Hanc Macedones, qui post Alexandrum in Oriente regnaverunt, Epiphaniam nuncupaverunt. Nonnulli Antiochiam ità appellatam putant. Alii, licèt non verè, tamen opinionem suam quasi verisimili vocabulo consolantes, Emath primam ab Antiochia mansionem, Edessam pergentibus, appellari putant; & eandem esse quæ apud veteres dicta sit Emath.* Hic observet Lector geminum pariter errorem palàm coargui, tum eorum qui Antiochiam, tum eorum item qui Emesam eandem esse existimarunt, quam veteres *Amatham* vocarunt. Priorem memorat probátque Cyrillus Comment. in 12. Proph. min. Amos 6. 2. φασὶ γὰρ αἱμαθ τὴν πλατεῖαν ταύτην καὶ νῦν Ἀντιόχειαν, τὴν μείζω καὶ σεσοφισμένην, τὴν γείτονα καὶ ὁμορον, Ἐπιφάνειαν Ἀντιόχου τοῦ ἐπικλήσεως Ἐπιφανοῦς, *Aiunt autem spatiosam quidem & amplam hanc Æmath, eam esse quæ nunc Antiochia vocatur: Minorem verò & angustiorem, eidem esse vicinam & finitimam, Epiphaniam scilicet Antiochi Epiphanis cognominati.* Posteriorem secutus videtur Theophylactus [in Ἐξηγήσει Χωροβατικῇ, &c. Zach. 9. 2. Extat MS. in illustri Bibliotheca Bodliana Oxonii] ἡ Ἡμὰθ, ἡ νῦν Ἐπιφάνεια μητροπολιτικὴ· Ἡμὰθ γὰρ μεγάλη καὶ Ἐμισὴ ὀνομάζει ἡ θεία γραφή, *Emath urbs illa est quæ hodie Epiphania appellatur. Emisam autem Emath magnam nominat Scriptura Divina.* Atque hinc lumen aliquod adhibeatur obscuris illis Hieron. verbis paulò antè allatis: *Unde,* inquit, Com. in Amos 6. *usq; hodie pergentibus Mesopotamiam prima Mansio vocatur Emas,* &c. q.d. Ex quo factum est ut nomen pristinum, quod in *Antiochia*, intervalli sive spatii primæ Mansionis termino uno, obsolevit, in altero, videlicet *Emas* aut *Emisa*, ad nostram usque ætatem, quamvis nonnihil immutatum, permanserit. Sed veritas perquam stabili (ut videmus) fundamento nititur, antiquorum indigenarum, non recentium advenarum utriusque simul gentis, Hebræorum dico & Syrorum, locupletissimo testimonio corroborata atque demonstrata. Eadem quoque est Josephi sententia Antiq. l. 1. c. 7. *Amathus,* inquit, *Amathen habitavit, quæ adhuc etiam ab indigenis* (ἀπὸ τῆς ἐπιχωρίων) *Amathe vocitatur. Macedones verò eam Epiphaniam ab uno è suis posteris* (ἀφ' ἑνὸς τῶν ἐπιγόνων) *cognominarunt.* Quò minùs audiendum est Thargum Hierosolymitanum, quod Græcorum quorundam errorem imitatum Hemath passim, teste Elia in Methurg. אנטוכיא *Antiochiam* reddere solet. Atenim Judæos, præsertim nuperos, Geographiæ Chorographiæq; ignoratione meritò notari, novum non est cuiquam qui eorum scripta degustarit. Quod verò deinceps ait Hieronymus, Hemath regionis Reblathæ urbem extitisse, ex diametro Scripturæ verbis adversatur. Quin potiùs Ribla regionis Hemath urbs erat, ut patet ex Jer. 52. 9, &c. Quocirca eruditè doctissimus idem vir Commentar. in Ezec. 47. *Rebla,* inquit, *est, quæ nunc Syriæ vocatur Antiochia.* Item in c. 13. Esaiæ, *Nabuchodonosor Sedechiam captum duxit in Antiochiam: quæ tunc vocabatur Reblata.* Vide Annotat. ad Jerem. 52. in Bibliis Græcis Rom. ed. Olympiodorus Hemath Antiochiam, Riblā verò Daphnen, περάσιον vel *suburbium* ejus esse asserit. Sed Scripturæ minimè consentaneum videtur. Nam (ut superiora omittam) si Ribla suburbium esset Chamathæ, non diceretur esse בארץ חמת *in terra Chamath,* sed בחמת *in Chamath*; ut Mamre item, ager suburbanus Chebronis, בחברון *in* vel *ad Chebronem* esse pronunciatur Gen. 13. 18. aut saltem על פני חמת (ut Gen. 49. 30.) h. e. *è regione* vel *juxta Hemath*; non autem *in terra Hemath* 2 Reg. 23. 33. ut ubique usurpatur. Junius *Riblam Apamiam* exponit: *ut Paraphrastes,* inquit, *Jerosolymitanus docet in Num.* 34. Atqui Hieronymus Com. in 47. Ezec. de eodem Numerorum loco mentionem faciens, dicit Sephamam, urbem ibidem commemoratam, Hebræis *Apamiam* nominari. Et est sanè hîc utriusque vocis, in similitudine soni, non obscura convenientia. Sententiam igitur Hieronymi amplector, Riblam Antiochiam, Sephamam Apamiam esse statuentis.

Australis Terræ sanctæ terminus שיחור & נכל מצרים crebrò perhibetur. Andreas Masius vir eruditissimus Com. in Josuæ c. 13. affirmat *Hieronymum in mare deducere apud Rhinocoluram* (vel *Rhinocoruram*, utrumque enim promiscuè legitur) *fluviolum quendam, qui sit Sihor, alius à Nilo.* Nobis verò nihil ejusmodi apud Hieronymum reperire contigit. Quinimo contrà statuit *Sihor* planè Nilum ipsum esse. Et rationem addere solet à natura rei nominisque etymo petitam, *eò quòd aquas turbidas habeat Nilus:* θολερὸν ὕδωρ Græci vocant: cujusmodi Pausanias l. 1. p. 25. Nigri fluvio assignasse videtur: cui eandem esse naturam quam Nilo Plinius prodidit Nat. Hist. lib. 5. c. 8. שחור enim Hebraicè *nigrum* vel *nigricans* aut *fuscum* significat, Lev. 13. 31, &c. Atque hinc fortassis μέλας primò Græcis dictus est Nilus, teste Eustathio Comment. in Dionysii περιήγησιν, & exinde Latinis *Melo*, auctoribus Servio in Georg. 4. & Festo. *Siris* etiam, nomen Nili Æthiopicum,

(Σῖριος ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται),——

ut est apud Dionysium περιηγητὴν) non valde abhorret ab Hebraico *Sihor* vel *Sior*, & per contractionem sermoni quotidiano familiarissimam *Sir*. Unde profectum arbitror epitheton sive cognomen apud Græcos clarum (ortu tamen non Græcum, ut nugantur ipsi, sed Æthiopicum sive Ægyptium) stellæ illius quam *Caniculam* Latini vocant; nempe ut Σείριος ἀστὴρ nuncupetur, & absolutè, voce ἀστὴρ subintellectâ, Σείριος, q. dicatur Νειλῶος, vel *stella Niliaca*: quia nimirum eodem *ardentissimo æstatis tempore* & *Caniculæ sidus*, Sirius iste, *exoriebatur*, & Nilus abundantissimè crescebat, Sole videlicet Leonem transeunte, Plin. Nat Hist. lib. 2. c. 47. & l. 5. c. 9. tanquam si illius (ὑδραγωγῶ scilicet) ignes hujus aquas elicerent, paritérque ambo veluti concordes æstuarent, hic in terris, ille in cœlis; Plutarch. De Iside & Osir. Denique ejusdem omnino originis est *Osiris*, nomen non modò Ægyptiis sed Græcis juxtà Latiníque notissimum. Neque enim aliud est *Osiris*, vel etiam (uti Hellanicus Ægyptiacè proferri testatur) Ὄσιεις *Husiris*, quàm vocabulum *Siris* proximè annotatum, cui præpositus sit articulus, vel adspiratio, ad emphasin indicandam. Atque hoc item nomine fluvium Nilum propriè designari cùm à Sacerdotibus Ægyptiis sapientioribus, tum ab ἁπλουστάτοις, id est, simplicis veritatis amantissimis quibusque, & absque ambagibus præstigiisque verborum rem clarè & perspicuè enunciantibus, autor est Plutarchus ibid. Fateor equidem nonnullam ambiguitatem inesse verbis illis quibus ait Hieron. plagam Australem definiri

definiri *torrente Ægypti, qui juxta Urbem Rhinocoruram mari influit.* At hæc facilè solvitur verbis aliis, quibus perspicuè & breviter docetur quis & qualis sit rivus ille: *Inter Rhinocoluram*, inquit Comment. in Amos 6. *& Pelusium rivus Nili, sive torrens de eremo veniens, mare ingreditur.* Hic summopere animadvertamus eundem esse *Nili rivum* quem & *torrentem.* Eúmq; meritò Scriptura *torrentem Ægypti* passim appellat Gen.15.18. quandoq; verò etiam *fluvium* aut *flumen Ægypti*, non quatenus erat communis limes (sic enim etiam terræ Israelitidis æquè torrens esset & diceretur) sed quatenus brachiolum erat Nili ipsius, cujus universum quasi corpus proprium Ægypti esse norunt omnes. Quocirca torrentem istum etiam *Nilum* ipsum alibi appellare non veretur in Isa.27.l.9. Comment. *Percussis adversariis vestris ab alveo fluminis usq; ad torrentem Ægypti, i. ab Euphrate usq; ad Nilum.* Haud injuriâ. Nam in homogeneis (ut vocant) aut similaribus vel minima quælibet particula totius nomine solet affici. *Eremus* autem illa Hieronymi non est ea quæ Petram Arabiæ spectat; ut indè quispiam, nullo autore, amnem aliquem in Sirbonidem paludem ineptè derivaret; sed ea quæ Pelusium & Heroum Urbem, ad recessum intimum sinûs Arabici sitam, interjacet: Quam eandem *Desertum Ægypti* appellat Masius Com. in Jos.10.41. eámq; item ab Arabibus (ut opinor) *Albiset* nominari tradit, nimirum à situ. Quippe Arabicè עיט *αἰγιαλὸν litus* significat. Quod non ignoravit Hieronymus. Unde SATIM *litora* vel *ripas* exponit Interp. Nom. Heb. in Num. Quare *Albiset*, h. e. עלי אל שיט, sonat παρὰ τὸ αἰγιαλὸν, i. *litoriam*, aut *litoralem.* Siquidem isthmum illum obtinet qui est inter mare Ægyptium & sinum Arabicum. Itaque utriusque maris litori adjacet Eremus ista, tam ad Ortum quàm ad Occasum: Cujus loca deserta esse & arenosa, & magnâ serpentum multitudine scatere tradit Strabo lib.17. Neq; verò indè ità venit quasi illam totam permeet (quod tamen necesse foret si ex Arabia Petræa descenderet) sed quoniam latus duntaxat illius Australe stringit tantummodo. Nam alioquin Eremus ipsa per se siticulosa est & perarida. Denique quod scribit Hieronymus, *Torrentem istum in mare ingredi*, non est perinde accipiendum quasi protinus & continuò ingrederetur, sed primùm illapsus in Sirbonidem lacum, prope Casium montem urbémque Rhinocoluram, in mare Mediterraneum tandem erumpit. Idque Leonis Afri testimonio confirmari potest: cujus hæc sunt verba, Descript.Africæ l.8.c.1. *Ex eo Nili ramo qui Pelusium præterfluit, alius derivatur alveus, qui in lacum conversus angustis faucibus mari conjungitur. Ad cujus ripam Tenesse* (vel *Tenexe*) *antiquissima Civitas est condita.* Ideóq; Josephus Moletius ἔκρηξμα, [Ptol.Geogr.l.4.c.5.] i. *eruptionem*, Sirbonidis Paludis, *Golfum Tenexen*, appellatione vulgari & nautis Venetis usitatâ, reddidit. Leoni se comitem adjungit Brocardus, non minùs hic etiam quàm ille oculatus testis; nisi quòd apud Brocardum mendosa ferè sunt omnia. Qualiacunque tamen sunt, proferre non pigebit & paulisper expendere. Is igitur ad extremum libelli sui de Ægypti descriptione breviter agens, hunc ipsum fluviolum seu rivum sibi præcipuè recordandum putavit. *In loco*, inquit, Descript. Terræ S. c.13. *qui Delta nominatur, fluvius Nilus in duos rivos divisus totam ferè Ægyptum facit insulam in modum Δ literæ triangulariter figuratam: procedítq; major aquarum vis ad Alexandriam, & minor ad Damiatam* (olim *Pelusium.*) *A Delta usq; Heliopolim tria numerantur milliaria; ubi & alius rivus à Nilo segregatur, & defertur ad civitatem Pelusii; & indè fluens per desertum versus Terram Sanctam, juxta civitatem Jaris* (lege *Laris*, vel *Larissam* potiùs, ut & hodie passim vocitatur) *intrat Mare*, &c. *Hic rivus vocatur propriè in Scriptura Rivus Ægypti, terminatúrq; ad ipsum sors tribûs Juda. Quidam vocant eum Binoco ulam,* (lege *Rhinocoluram*) *alii Syron Ægypti* (omnino legendum *Syor*, vel *Sihor*, ut vox Hebræa שיחור facilè pervincit) *& non est navigabilis.* Hic primò observandum, Brocardum unà cum Leone Rivum Syor ex Nili brachio Septentrionali sive Pelusiaco deducere, utpote ortum infra apicem ipsius Delta, ubi aquarum Niliacarum divortia fiunt, aliquot milliariis mare versùs, in territorio Heliopolitano. Secundò, ex sententia item Hieronymi narrat, Rivum illum *ad*, i. *prope*, Pelusium delatum, ulteriùs, cursu aliquantò magis ad Septentriones flexo, pergere, & Eremi, quâ Ægyptum attingit, latus citimum alluere. Tertiò, ubi ait fluviolum eum *mare intrare juxta civitatem Laris*, id non ità intelligendum quasi illic statuat ostium amnis; quem nuper audivimus ex Hieronymo propiùs Ægyptum, nempe inter Rhinocoluram & Pelusium, in mare ingredi: Sed quoniam in lacum Sirbonidem influit, cujus extremæ fauces Larissam penè pertingunt, idcirco dicit *juxta eam mare intrare.* Atque hæc vehementer congruunt verbis Hieronymi, quæ pòst paulò subjiciemus: Laris enim (seu Larissa hodie) à veteribus *Ostracina* est nuncupata. Hanc verò juxta Rhinocoluram collocat Hieronymus; Ergò etiam non ità procul Rivi istius ἐκβολὴν sive *exitu*, qui Rhinocoluræ erat vicinus. Neque enim Rhinocolura in ipsis omnino faucibus erat sita, sed ab eis aliquantum vergebat Judæam versùs. Tenessen autem oppidum fauces obtinere, suprà ex Leone Afro demonstravimus. Hoc Brocardus modò *Taphnim*, vel *Thaphnim*, & *Thanim* etiam, de qua in Psalmo 78. (at minùs rectè) modò *Taphium* nominare videtur: Idq; non ineptè forsan ἀπὸ τῆς τάφου *à sepulcro* utiq; corporis Pompeii ibi in proximo conditi. Quartò, quod asserit, fluviolum hunc à quibusdam *Rhinocoluram* vocari, Epiphanium, opinor, significat, ipsósq; Rhinocolurenses: Qui erroris sui causam, sed levissimam & perinfirmam, arripuisse videntur ex Esaiæ loco quodam non satìs accuratè considerato, ficuti continuò latiùs & apertiùs ostendemus. Quintò, quos ait *Syor* aut *Sihor Ægypti* ipsum appellasse, iidem non ficto & incerto sed vero atque indubitato nomine sunt usi. Hujus quippe nominis memoriam S. literis perspicuè consignatam habemus, ut 1 Par.13.5. Itidè Scripturæ consentaneum est quod refert, *Sortem Tribûs Judæ ad eum* usq; rivum pertinuisse, Jos.15.47. Postremò, jure *non navigabilem esse* confirmat, ut qui multò minor sit eo qui Pelusium præterfluit: Attamen utrique, tam minori quàm majori, idem ostium assignare videtur, *fretum* videlicet *quod est juxta Pharmam* (*Pharamidam* puto, i. Rhinocoluram, ut docet Moletius.) Cujus rei hanc, credo, causam afferre licet, quia in Sirbonidem ambo pariter lapsi confunduntur tandem & quodammodo conjunguntur, quamvis multorum milliarium intervallo aliàs dirempti. Quòd si alterutri attribuendum sit fretum illud aut ἔκρηξμα, certè Rivi limitanei quàm Pelusiaci magis proprium censeatur, quippe qui id suum propinquitate loci meritò vendicare possit.

Quoniam verò Casius, Sirbonis & Rhinocorura in vicino sunt posita, fit ut quandoque Casius limitis vice fungatur; ut est apud Herodotum l.2. *A monte Casio, qui Ægyptum Syriámq; disterminat, stadia centum sunt in Arabicum sinum.* Quandoque Sirbônis, itidem apud eundem l.3. *Juxta lacum Sirbonidis Casius mons pertingit ad mare. A Sirbonidis lacu deinceps jam Ægyptus est.* Sic & apud Plinium Nat.hist.l.5.c.13. *Mox Idumæa incipit & Palæstina ab emersu Sirbonis lacûs: quem quidam* CL. *Mill. Pass. circuitu tradidere. Herodotus Casio monti applicuit; nunc est palus modica, Oppida Rhinocolura, & intus Rhaphea: Gaza, & intus Anthedon.* Quandoque *Rhinocorura*: Nam ubi in Textu Sacro legitur, *Usq; ad Nahal-Mitsrajim, Torrentem Ægypti*, Esa.27.12. Lxx verterunt ἕως Ῥινοκορούρων, i. *Usque ad Rhinocoruram, quod est oppidum*, inquit Hieronymus Comment. in Esa. *in Ægypti Palæstinaque confinio; non tam verba Scripturarum quam sensum verborum exprimentes.* Rectè primùm Hieronymus Rhinocoruram *in confinio* statuit. Perinde etiam Epiphanius Serm. Ancor. Κεῖται δὲ ἡ χώρα Ῥινοκορούρων ἀνὰ μέσον Αἰγύπτου καὶ Παλαιστίνης, ἀντικρὺ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, *Sita est*, inquit, *regio Rhinocorurorum inter Ægyptum & Palæstinam, ex adverso Rubri maris.* Uterque Dicæarchi Siculi autoritatem secuti videntur. Is enim ità scribit, Biblioth.l.1. Αὕτη δὲ (Ῥινοκορούρα) κεῖται μὲν πρὸς τοῖς μεθορίοις τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Συρίας, ἐστὶ μακρὰν τῆς παρήκοντος αἰγιαλοῦ πάντων

πάντων χαλδν τῆ ἀνθρωπίνων Matras ἀνικάτων ἐσέρυται, i. *Ipsa Rhinocorura in finibus Ægypti Syriæque sita, haud longè à litore adjacente, omnibus ferè quæ ad victum humanum spectant privata est.* Rectè quoque illud pronunciat Hieronymus, Lxx, *dum* NAHAL (Syriacè & Ægyptiacè NEEL) MITSRAIIM *transferunt Rhinocoruram, non verba sed sensum* duntaxat *exprimere*; videlicet pro termino ipso id quod ei proximũ erat ponere.

Porrò versio ista Lxx interpretum minùs dexterè accepta & Epiphanio alicubi erroris ansam & Rhinocorurensibus incertæ (penè dicam fabulosæ) traditionis occasionem præbuit. Ille namque χῶ Μαιτχαΐων, *Nahal* seu *Neel* omnino ipsam Rhinocoruram esse arbitratur; Ῥινοκόρυρα ἑρμηνεύῃ Νεὶλ· καὶ ὕτω φύσει οἱ ἔγχωριοι αὐτὴν καλοῦσιν· ἀπὸ δὲ τῆ Ἑβραΐδος ἑρμηνεύῃ Καῆρες, h. e. *Rhinocoruram interpretamur* NEEL: *Atque ità naturâ* (seu *propriè*) *indigena eam vocant: ex idiomate autem Hebraico exponitur Sors.* Quibus verbis innuere videtur *Rhinocoruram* Græcis idem esse quod נחל vel *Neel* Ægyptiis & Syris. Id verò minimè opinor convenire. Etenim si ipsa *Rhinocorura* sit נחל vel *Neel* (veluti v. g. *Sebaste* est Samaria, *Ælia* Hierosolyma, *Constantinopolis* Byzantium, cæteráque hujusmodi) profectò non *sensum verborum*, ut ait Hieronymus, sed *verba* ipsa accuratissimè expresserunt Lxx. Insuper & hoc incommodi urget. Si *Rhinocorura* sit *Neel*, & *Neel* prorsus sit ipsum *Nahal*; Ergò *Nahal Mitsrajim* apud Prophetam omnino idem erit atque *Rhinocorura Ægypti.* Quod fieri nequit. Etsi enim Ægypto finitima fuit urbs illa, ad Cananitidem tamen spectabat, ut apertissimè affirmat Strabo lib. 16. *Rhinocolura in ipsa Phœnicia est apud Ægyptum.* Et certissimo Hieronymi testimonio compertum habemus, incolas ejusdem & regionis circumjacentis Phœnicum linguâ fuisse usos. *Urbem Ostracinam*, inquit Comment. in Esa. l. 5. c. 19. *& cæteras juxta Rhinocoruram & Casium civitates usque hodie in Ægypto* (Hieronymi quippe temporibus, ut & multò antea, contra veterem morem, Ægypto attribuebantur) *linguâ Chananitide, h. e. Syrâ, loqui manifestum est.* Quamobrem probabilis non est sententia Epiphanii, qui *Rhinocoruram* putet esse נחל vel *Neel.* Ac potiùs Hieronymo assentior, linguarum, historiarum & locorum situs peritissimo viro; qui idcirco (ut antè meminimus) Lxx interpretatos existimat NAHAL-MITSRAIIM *Rhinocoruram*, non quòd ipsa Rhinocorura esset Nahal Mitsrajim, sed ratione confinii, quòd proxima esset termino illi. Quinetiam Epiphanius longè aliò refert vocem *Neel* quàm propria ipsius significatio, Prophetæ loco reique ipsi congruens, ullo modo sinat; nimirum ut à נחל derivetur denotante κλῆρον. Nam Rhinocoruram, incolarum traditione adductus, locum fuisse autumat ubi Noah, jactis olim sortibus, tribus filiis suis diviserit Orbem terrarum universum. Hoc item valde est imbecillum. Quippe נחל non designat κλῆρον vel *sortem* propriè acceptam (hæc enim גורל dicitur Hebræis) sed κλῆρον, i. *possessionem* vel *hereditatem* simpliciter, citra ullum sortitionis respectum.

Quocirca si unquam verè Rhinocoruræ nomen fuit *Neel*, aliunde ortum videtur. Ego à נעל *Naal* deducere malim, quod *serâ* aut *pessulo occludere* significat. Ità ut quemadmodum apud Ezechielem 30. 15. *Sin*, h. e. Pelusium, מעון vel ὀχύρωμα *& munitio Ægypti* dicitur, & apud Suidam voce Πηλούσιον, κλεὶς τῆς Αἰγύπτου καὶ ὑποδοχὴ καὶ ἐξόδου, *clavis Ægypti, quod ad aditum exitúmve attinet*; sic è contrario Israelitis vel Syris aut Palæstinis Rhinocorura erat quasi *Neel* (à נעל videlicet cognominata, non à נחל) h. e. *sera, pessulus*, vel *Clausura*, nempe propugnaculum ad limitum custodiam exstructum. Atque eodèm pertinere verisimillimum est celeberrimam illam pœnam *mutilatarum narium* quâ incolæ affecti memorantur, quæque ipsi urbi nomen dedit. Nam appellatam eam *Rhinocoluram* vel *Rhinocoruram* à ῥὶς, ῥινὸς, & κολούειν aut κείρειν tradunt Græci, ὑπὸ τῆ ἀσωτικισμένων ἐκῆ τοπαλαιὸν ἀνθρώπων τὰς ῥῖνας ἠκρωτηριασμένων ὕτω καλεμένων, inquit Stephanus Byzantius περὶ πόλεων, voce Ῥινοκόρυρα. Vindicta hæc est longè atrocissima & multò gravior morte ipsâ. Tot igitur cives ignominiâ omnium turpissimâ maximéque insigni nec unquam depellendâ acerrimè irritatos simul una eadémque in urbe, eâque limitanea & hostibus proxima, collocare, quis non reipublicæ periculosissimum fore judicet, & summæ profectò insaniæ plenum, ideóque perparùm credibile videri? Credibilius ergò est, non Regis in cives subditósve delinquentes, sed victoris in debellatos hostes, sævitiam fuisse. Nam cùm Rhinocorurenses, præsidium totius provinciæ primum validissimúmque, Ægyptiorum recentium adhuc & exsultantium impetum excepissent & fortiter (ut fit) obstinatéque sustinuissent, diræ in eos ultionis exemplum hoc editum est: non multùm absimile ei quod Nahasum Jabesitis minitatum fuisse legimus, 1 Sam. 11. 2.

Novissimorum Interpretum alter, quasi hæsitans seséque interdum revocans, נחל מצרים modò *vallem Ægypti* reddere solet, modò *torrentem*: quod equidem miror; nam hæc duo diversissima esse nemo non videt. Concedo tamen ità subinde fecisse ipsos Lxx, aut eorum potiùs interpolatores: vocem quippe נחל aliàs ποταμὸν *fluvium* transferunt, aliàs χειμάῤῥουν *torrentem*, aliàs φάραγγα *vallem*, 1 Reg. 8. 65. Jos. 15. 7, 4. Has omnes interpretationes vis vocabuli complectitur; Et postrema non est quidem prorsus inepta. Nam cùm φάραγξ, testibus Hesychio & Suida, sit κοίλωμα vel κοιλότης τῆς γῆς, *cavum* aut *cavitas terræ*, præter Casii montis Vallem, novimus ex Strabone lib. 16. loca in extremitate Phœniciæ Pelusio vicina *cava* & palustria esse. Sed paulò incertior fortassis erit istiusmodi terminus. Magis ergò probarem alterutram priorem interpretationem, vel etiam utramq; conjunctim, si placet. Itaq; laudo Veterem Interpretem Latinum, qui נחל constanter ubiq; *torrentem* reddit aut salè voce non absimili. Pulcerrimè autem Nilus *torrentis* appellatione designatur. Est enim magnus ille veréque mirandus totius Orbis torrens, per excellentiam hyperbolicam sic dictus, ut doctissimè observavit Strabo lib. 1. *Siquidem torrens*, inquit, *amplius quàm reliqua flumina augetur pluviis aquis, Nilus ipsos torrentes eo ipso superat, tantâ copiâ aquæ, tam longo turgens tempore.* Eodèm pertinere existimandum est antiquissimum illud ænigma vulgari Ægyptiorum & opinione & sermone olim celebratum, Euseb. Præp. Euang. l. 3. c. 10. pag. 70. Nilum nempe ἐξ οὐρανῦ καταῤῥηγὸς *de cœlo ad ipsos delabi*, tanquam διοσπόλεις quoddam; nimirum propter incredibilem & immensam aquarum cœlestium vim, sive imbres largissimos & assiduos, quibus in Æthiopiam quæ sub Ægypto est, statо tempore quotannis, ὑπὸ θερινῶν τροπῶν μέχει τῆς ἰσημερίας τῆς ἐν τῷ μετοπώρῳ (ut tradit Theophylactus Simocates Historicus, Phot. Biblioth. pag. 47. 2.) *à Solstitio æstivo ad Æquinoctium autumnale*, è cœlo defluentibus, usque eò intumescere solet Nilus ut quàm latissimè diutissiméque stagnans Ægyptum inundet, ac torrentium omnium, sine ulla dubitatione, longè torrentissimus evadat. Et ut nostri seculi homines jactare tandem desinant se primos omnium certissimis experimentis deprehendisse propriam inundantis Nili causam, audiant (missis cæteris) unicum hunc nostrum auctorem, Strab. Geograph. lib. 17. *Enimverò antiqui conjecturâ, recentiores etiam visu ipso cognoverunt Nilum augeri, quando supernè adsita Æthiopia imbribus æstivis proluitur, maximè in extremis montibus; Imbribus autem finientibus, paulatim inundationem desinere. Quam rem ii potissimùm deprehenderunt qui in Arabicum sinum navigarunt usque ad Cinnamomiferam regionem, & ii qui ad elephantorum venationem missi fuerunt: aut si qui alii usus Ptolemæos Ægypti Reges (præcipuè Philadelphum, cognitionis rerum apprimè studiosum) impulerunt ut homines aliquos eò amandarent.* Quare nomen Hebræum נחל, i. *fluvius torrens*, Nilo καθ' ἐξοχὴν impositum, mirabile ejusdem incrementum anniversarium in se quasi reconditum consignatúmque exhibet. Neque multum abest quin planissimè credam ipsum etiam *Nili* nomen, & Græcis & Latinis

Latinis literis tantopere celebratum, ab Hebræorum quidem נחל *Nahal* vel *Naal*, Phœnicum verò & Ægyptiorum *Neel*, ac per contractionem *Neil*, promanasse, mutato (ut sæpissime evenire solet, nósque lib. 2. c. 1. ostendimus) nomine appellativo in proprium. Hanc deductionem longè anteponerem ei quam ridiculè commenti sunt Græci, dictum videlicet Νεῖλον quasi Νέϊλον, παρὰ τὸ νέας, ἤτοι ἐπαυξήσεις, ἄγειν ἰλύν, *quòd novum quotannis limum adductum agris illinat*. Nihil est enim alienius quàm originem nominis Ægyptii à lingua peregrina penitus, qualis est Græca, derivare.

Præterea non solùm Nilus ipse (i. amnis totus) hoc nomine dicitur, verùm etiam ejus יאורים sive ῥεῖθρα, h. e. *fluenta* seu rivi aut brachia (quoniam nihil aliud sunt quàm Nilus) eodem donantur, & נחלים pariter appellantur ab Isaia 11. 15. Ubi siquis שבעה נחלים *septem valles* transferret, næ is haud levem omnium hominum, maximè doctorum atque prudentium, reprehensionem vereri jure deberet. Quoniam verò distinctione aliquâ opus erat quâ fluentum aliud ab alio secerni & internosci queat, non tantùm נחל מצרים dictus est rivus ille qui Ægyptum à Phœnicia vel terra Israelitide disterminabat, sed etiam, tanquam nomine peculiari ab Amoso Propheta insignitus c. 6.14. נחל הערבה *torrens deserti*, vel *planitiei desertæ*, nuncupatur, ob desertum nempe Tsinis, cujus extremitatem (ut jam antè declaravimus) Austrum versùs attingebat. Atenim testatur Hieronymus Com. in Amos lib. 3. c. 6. Theodotionem illic transtulisse *torrentem Arabiæ*. Quocirca etiam atq; etiam mihi monendus est Lector nè nimis facilè credat ex hoc interpretamento imaginarium illum amnem, de quo semel atque iterum jam meminimus, qui Petram Arabiæ præterfluat, monstrari posse. Perinfirmum quippe est testimonium istud ad eam rem efficiendam, imò corruptum, & omnino nullum. Etenim ignorare non potuit Theodotio Arabiam, sive regionem Arabum, non dici Hebraicè ערבה, sed ערב. Atque eo pacto nomen hoc vertitur tum à Lxx tum ab Interprete Latino Ezec. 27. 21. Ἀραβία, *Arabia*. Nec etiam aliter ibi, nempe apud Amosum, Theodotio vocem ערבה expressit quàm alibi solet: nimirum eandem ipsam Hebraicam Græcis characteribus signatam reposuit. Id quod & in aliis plurimis vocabulis multò crebriùs ille quàm cæteri Interpretes facere consuevit; ut aliàs (Deo incepta nostra secundante) fusè ostendemus. Ad summam, luculenter appareat ex loco quodam Jobi c. 39.9. ubi ערבה à Theodotione redditur ἀραβά, hîc quoque eandem vocem eodem more reddi oportere; itáque legendum apud Amosum non *Arabiæ*, sed *arabæ*, aut potiùs *araba*, terminatione non variatâ; quandoquidem peregrinum est vocabulum, Hebraicum videlicet, non Græcum. Consimile mendum inolevit Commentariis doctissimi ejusdem Patris in Ezekielem, c. 47.8. Nam *ad Arabas*, quod illic Theodotioni attribuitur, illius non est, nec Hebræo congruit: siquidem ערבה nomen est appellativum, non proprium; loci, non gentis; singulare, non plurale. Veruntamen expeditissimè, literâ supervacaneâ ſ rejectâ, in integrum restituatur: ut genuina habeatur Theodotionis versio, *descendant ad araba*. Utrumque autem erratum, quamvis deprehensu emendatúque non difficile certè, præ nimia tamen festinatione (ut sæpiusculè evenit, præsertim opere in longo) fefellit virum illum linguarum peritissimum, Bibliorum Græcorum Francofurtensis editionis, alioqui quàm castigatissimæ nitidissimæque, autorem. Etenim ut illic Ἀραβίας, ità hîc τὰς Ἀραβας Græcè vertit, addito quidem Theodotionis nomine, neutiquam verò observatâ Theodotionis interpretandi consuetudine, aut animadverso consilio, verbum illud Hebræum *ἀνεμφωνήτον* in medio relinquendi. Insuper docuimus suprà, proprium Nili nomen dictum *Sihor*, aut *Sior*, aut *Sir*: Quare idem quoque septem ipsius rivis commune fuisse oportet: consentaneum igitur erat ut suâ quisque appellatione dignosceretur; quam ei inderet aut urbs aliqua primaria quam alluat, aut ratio situs, aut quivis alius respectus idoneus. Hinc factum arbitror ut rivus ille qui omnium proximus erat terræ Sanctæ, non *Sihor* simpliciter (commune quippe erat id & cæterorum nomen) sed השיחור אשר על פני מצרים vocetur Jos. 13, 3. i. *Sihor ille qui est ad faciem Ægypti*, h. e. qui à terra Israelitide dirimit anteriorem partem Ægypti: Quam *faciem Ægypti* ideo nuncupat quoniam descendentibus è Cananæa in Ægyptum hæc primùm ex adverso statim occurrit séque conspiciendam offert, reliquo totius Provinciæ veluti corpore nondum apparente.

CAP. 9. *Ecclesias, h. e. Templa Christianorum, Apostolicis temporibus fuisse ædificatas.*

NOtum est vocem ἐκκλησίαν apud idoneos auctores Græcos sonare non solùm multitudinem hominum unum in locum congregatorum, sed locum etiam ipsum in quem sunt congregati. Postquam autem eâdem voce Spiritus S. appellare cœpit cœtum populi Dei, usurpatum est itidem vocabulum illud pro Templo seu æde sacrâ publico pietatis exercitio & cultui Divino destinatâ, in quam conveniret cœtus ille. At hoc (inquiunt nonnulli) recens est ac nuperum, nec Apostolorum temporibus ædes ulla ejusmodi apud Christianos uspiam exstitit. Adeò ut quidam (licèt alioqui vir eruditus ac pius) satis temere asserere palàm sit ausus *Corinthios tum* (quando videlicet Paulus cum eis versabatur) *templum non habuisse in quo Christianam religionem exercerent*. Si *templi* nomine amplissimam domum intelligat & regiâ quasi magnificentiâ exædificatam, (quales hodie visuntur plurimæ ubique ferè gentium) facilè concedimus. Necdum enim tantæ erant Christianorum facultates quæ tam sumptuosis sufficerent operibus. Sin ædem commodam velit, publicámque non privati juris, & sacris cœtibus peculiariter assignatam, multò probabiliùs ipsi asseveramus quàm is ullâ ratione negare poterit. Et ad nostri propositi confirmationem accommodatissimus est locus ille unde orta est controversia, nimirum 1 Cor. 11. ubi non obscurum esse arbitror ἐκκλησίαν significare domum totius cœtûs Christiani communem, ad conventus ibidem celebrandos comparatam. Nam quod priùs dixerat Apostolus versu 18. *Cùm convenitis in Ecclesiam*, mox v. 20. repetens exponit, *Cùm convenitis eodem loci*; indicans ἐκκλησίαν non tam denotare multitudinem eorum qui conveniebant quàm locum in quem conveniebant. Id quod ex antitheſi continuò sequenti multò adhuc manifestiùs patet. Ibi quippe apertissimè opponit *domos* privatas, quæ uniuscujusq; sunt propriæ, *Ecclesia Dei*, quæ omnium communis est; item, alimentum terrenum quod illic sumi moris erat, cibo cœlesti qui hîc capiebatur, v. 22. *Enimvero*, inquit *num domos non habetis ad edendum & bibendum? an Ecclesiam Dei contemnitis?* Duo reprehendit; Unum, quòd ignorârint usum pervulgatum privatarum ædium: quas cùm *haberent*, nempe in potestate sua (hæc quippe vis est verbi ἔχειν) licebat ad arbitrium suum illis uti, atq; inibi repositis & apparatis escis (quantum satis erat) quandocunque vesci ac frui: Nam ut ad alia vitæ istius necessaria commoda eas comparatas esse sciunt omnes, sic imprimis εἰς τὸ ἐσθίειν καὶ πίνειν, *ad edendum & bibendum*; edendum autem τὸ ἴδιον δεῖπνον *suam cujusq; cœnam*, cujus proximo versu meminerat. Alterum, quòd turpissimè justâ atque iniquissimè ad suas cupiditates, & quidem vitiosas, Ecclesiâ sint abusi: Quæ cùm sit domus Dei, humani aut privati juris non est, sed Divini. Igitur omnino ad cultûm Dei adhiberi debet, videlicet ad Orationẽ sanctã; ad Scripturarum lectionem, expositionem, auditionẽ; ad Sacramentoꝝ denique, ac nominatim Cœnæ Dominicæ, religiosam perceptionem: atq; ità ut illic non saturentur corpora, sed pascantur animæ. Hæc quoniã Corinthii propalã negligebant, & nullo discrimine, prout libitũ erat, pervertebant, apertè ostendebant se non revereri Ecclesiã vel domum Dei, sed eam planè contemnere. Unde versu ultimo institutam reprehensionẽ eodem modo concludit, *Quòd si quis esurit, domi edat*. Hîc Sole ipso clarius est, vocabulum *domi* privatas ac suas cujusq; ædes indicare: Ergò contrariorum ratio necessariò

postulat

postulat ut alterum antitheseos membrum, scilicet *Ecclesia Dei*, ex versu 22. repetitum, ædem sacram significet ad omnes fideles in commune pariter spectantem: nè claudicet, sed ut erecta consistat, antithesis.

Istiusmodi quædam cùm in Adversariis jamdiu annotata habuissem, còmperi postmodum eandem esse Augustini, summi Theologi, sententiam. Is enim ità scribit Tom. 4. Quæst. super Levit. l. 3. q. 57. ECCLESIA *dicitur locus quo Ecclesia congregatur. Nam* ECCLESIA *homines sunt; de quibus dicitur,* UT EXHIBERET SIBI GLORIOSAM ECCLESIAM. *Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait,* NUMQUID DOMOS NON HABETIS AD MANDUCANDUM ET BIBENDUM, AN ECCLESIAM DEI CONTEMNITIS? Quibus verbis haud mediocriter me confirmatum fateor; præsertim cùm præclara rei ipsius probabilitas magnopere suffragetur. Jubet enim Apostolus 1 Cor. 14.40. *omnia decenter & ordine fieri.* In ordine autem eóque quod decet tuendo permagna Loci habenda est ratio; ut sacra publicáq; officia sacris publicísq; in locis, solennia & statuta solennibus statutísque, quoad ejus fieri potest, præstentur. Quin etiam hoc confert ad pacem Ecclesiæ conservandam, ad declinandas hæreticorum insidias, (quæ in conventibus clandestinis maximè solent delitescere) ad contumacium & perversorum turbas atq; tumultus devitandos. Quare Paulus Act. 19.9. cùm Judæi *indurati* veritati Euangelicæ acriter adversarentur, *deque eadem coram multitudine malè loquerentur, abscedens* ipse *ab illis, separavit* item *discipulos, quotidie disserens in Schola Tyranni cujusdã.* Utile judicavit Apostolo discludere pios & semovere à rebellibus, loco utcunq; convenienti, publicóq; hominũ conventu frequentato. Quem ergò mutuum extrinsecùs sumere coactus est, necessitate subitaneâ urgente, nónne primo quoque tempore, opportunitatem nactus, rebúsq; ex sententia compositis, ut Ecclesiæ cœtúsve piorum proprium acquireret, diligenter daturum fuisse operam putabimus? Maximè, quoniam tam ortu quàm educatione & disciplinâ Judæus multiplicem apud gentẽ suam Synagogarum commoditatem & εὐλαξίαν optimè noverat. Quarum constitutionem antiquissimam fuisse, & jam indè ab initio reip. Israeliticæ, docet Jacobus Act. 15.21. nempe ἐκ γενεῶν ἀρχαίων, *ab ætatibus antiquis*, vel etiam *primis*, modò vim vocis ἀρχαίων (ut & קדמיא apud Syrum Paraphrastem) accuratè reddere velis. Nec humanitus sed Divinitus cœptam confirmat Prophetа Ps. 74.8. מועדי אל Συναγωγὰς ἰσχυρᾶς, interp. Aquilâ, *Synagogas potentis* Dei eas appellans; non solùm ex fine, utpote cultui Divino dicatas, verùm etiam ex efficiente, utpote secundùm Dei voluntatem exstructas. Rectè igitur in Euangelio Luc. 7.5. cõmendatur à Judæis Centurio ille apud Dominum, eò ipsò quod *Synagogã* sacris conventibus agendis *ædificâsset.* Magnum nempe erat sinceræ pietatis argumentum. Minimè ergò dubitandum quin primis illis purissimæ Ecclesiæ temporibus & Apostoli viríq; Apostolici ad hoc sint exhortati fideles, & ipsi quoq; fideles pro suo eximio zelo pietatísq; ardore alacres se ac promptos exhibuerint. Insuper, qui pro virili parte diem sacrum, *Dominicum* dico Apoc. 1.10. vel *Primum hebdomadis* 1 Cor. 16.2. (ut sanctis exercitiis tum potissimùm publicè vacarent) indè à primordio Euangelii promulgati religiosissimè observârant, loco item sacro, Synagogâ videlicet vel Ecclesiâ, ubi eadem illa pietatis officia commodè ritéq; exsequerentur, diu carere non potuerunt. Sanè fideles erant & Christiani Judæi illi ad quos scripsit Jacobus; illísque nominatim *Synagogam*, h. e. Ecclesiam vel ædem sacram, attribuit Apostolus cap. 2. ver. 2. Nam τῷ συναγωγῷ non opinor transferri debere *cœtum*, quòd designare putem locum in quem convenire solerent ad precandum & Scripturam audiendam. Idque ex consequenti facilè liquebit. Siquidem verba illa *standi* & *sedendi* (quæ ad vocem συναγωγὴ præcedentem necessariò referuntur) Situs sunt vocabula; locum igitur propriè denotant. Et τὸ ὑποπόδιον etiam sive *scabellum* subindicat veterem & usitatum in Synagogis sedendi morem, ut est apud Eusebium, aut Philonem potiùs, quem citat Eusebius De præpar. Euang. l. 8. c. 12. *Concurrunt ad loca sacra, quæ Synagogæ dicuntur, singulis Sabbatis: ubi ordine sub senioribus juniores considere solent.* Eámque ob rem & sellis altioribus & subselliis instructa fuisse censendum est loca illa sacra. Sed quoniam *Synagoga* nomen antiquæ velut usucapionis jure Judaicorum cœtuum proprium videbatur, ipso statim initio exolevit; & distinctionis causâ Christianis conventibus celebrandis constituta loca vel *Ecclesia* vel προσευχήρια vel κυριακὰ sunt nuncupata. Postremi istius nominis vestigium expressum etiam nunc exstat in lingua nostra vulgari. Nam Templum Christianum **Church** aspiratè dicimus pro *Kurk*; *Kurk* verò per Syncopen pro *Kuriak*. Atque haud scio an aptius ullum ferè aliud reperiatur nomen. Convenientissimè enim prisci illi Ecclesiæ Antesignani ἀπὸ τῆς Κυείς (*cujus nos sumus, cuique servimus*) ut ἡ Κυειακὴ, nempe Diem quando, ità τὸ Κυειακὸν, nempe Locũ ubi, more solenni ei servimus, denominare voluerunt.

Nec mihi quispiam hìc objiciat persecutionem ullam cui obnoxium dicat fidelium cœtum. Etenim nascentis Ecclesiæ exordio rariorem illam fuisse, summo Dei beneficio, inveniemus, & plurimùm privatam, omnino ex Judæorum seditiosorum malevolentia & invidia ortam, Euseb. Eccles. Hist. lib. 9. cap. 5. & 10, &c. Magistratus interea Romani (qui Reipublicæ gubernacula ubique tenebant) parùm aut nihil molestiæ ferè, nisi coacti & quasi aliud agentes, exhibebant, ut Act. 18.14, 15, &c. *Soli ex omnibus* (inquit Melito Sardensis Episcopus in suo quem obtulit Imperatori libello Apologetico, Euseb. Hist. Eccles. lib. 4. cap. 25.) *Nero & Domitianus ab invidis quibusdam hominibus persuasi doctrinam nostram calumniis objicere* [ὑπ' διαβολῆ καλεσῆσαι] *voluerunt.* Quòd si qua publica Ecclesiæ ingruebat calamitas, ea nobis semper ferè fuit cum Judæis ipsis communis. Quæ si Synagogas illorum ubique prorsus abolere non poterat, certè nec Ecclesias vel Oratoria nostra funditus delere ex orbe Romano valebat. Quinimo ad Aureliani usque tempora permansisse integra, vel unum illud ipsius illustrissimum decretum abunde testatur. Cùm enim Paulus Samosatenus jure optimo Episcopatu privatus Domno in ipsius locum suffecto Antiochiæ Episcopo non cederet, κὴ μηδαμῶς, inquit Eusebius Eccles. Hist. lib. 7. cap. 29. ἐκελῶσι τῆ ἐκκλησίας οἴκε θέλοντ☩, βασιλὰς ἐπέρχθης Αὐρηλιανὸς αὐτοκράτωρ τοῖς περιέλε διείλησε, τύτοις νῆμαι προσάξων ἡ οἶκον οἷς ἂν οἱ κρ ἡ Ἰταλίας κὴ ἡ Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τῆ δόγματ☩ ἐπιστέλλοιεν· ὅτω δῆτα ὁ περδηλωθεὶς ἀνὴρ μὴ ἡ ἐκάτης αἰσχύνης ὑπὸ τῆς κοσμικῆς ἀρχῆς ἐξελαυνέλαι τῆς ἐκκλησίας, *nec ullo modo Ecclesia domo absistere vellet, Aurelianus Imperator ea de re compellatus & sententiam rogatus, aquissimè quid agendum esset constituit. Iis quippe domum illam attribuendam mandat quibus Italiæ urbísque Romæ consortes ejusdem dogmatis Episcopi literas mitterent.* (Videlicet τὰ κοινωνικὰ γράμματα, h. e. literas fidei Christianæ communionem testantes] *Atque ità tandem homo suprà dictus summo cum dedecore à Principe seculari ex Ecclesia exigitur.* Hic alii DOMUM ECCLESIÆ *domum Episcopalẽ* interpretantur. At Eusebius ipse (uti vides) *Ecclesiam* dilucidè exponit, *à Principe seculari ex Ecclesia exigitur.* Neq; enim domus Episcopi *Ecclesia* dici solet, aut communis totius Ecclesiæ exsistit, cùm Episcopi potiùs privata sit ac sua: Neq; *Ecclesiâ*, h. e. cœtu fidelium, *expelli* quisquam potest autoritate secularis Imperii. Quare ἐκκλησία vel ἐκκλησίας οἶκ☩ Eusebio dicitur, quem aliàs ἱερὸν οἶκον *domum sacram* Græci appellant quia rebus & actionibus sacris dedicata esset; ut ex Theodosii Imperatoris memorabili illo sermone liquet quo Gregorium Nazianzenum Ecclesiæ Constantinopolitanæ Archiepiscopum confirmat, Ὦ πάτερ, σοὶ ἡ κὴ τοῖς ἱδρῶσι τοῖς σοῖς δι' ἡμῶν ὁ Θεὸς ἐσχείζ ἡ ἐκκλησίαν· ἰδὺ δίδωμί σοι ἡ οἶκον ἡ ἱερὸν κὴ ἡ θρόνον, *O pater*, inquit Imperator, *tibi tuísque sudoribus Deus per nos Ecclesiam hanc in manus tradit. Ecce do tibi sacram hanc domum thronúmque*, h. e. (νεὼν) *templum*, in quo, & Cathedram Episcopalem, de qua publicè populum Dei tui fidei commissum & commendatum doceas.

doceas. Vide Greg. Naz. Orat. fun. in laudem Basil. p. 821. l. 3. Orat. de vita Greg. Naz. p. 11. Utcunque sit, nihil laboro. Nam quod de domo Episcopi propria asseritur, multò magis de universæ Ecclesiæ domo intelligatur oportet. Hanc enim principalem fuisse, illam verò hujus quasi appendicem nemo est qui ignoret. Sed dicat quis Ecclesias istas ipsâ Aureliani ætate, aut non ità multò antè, fuisse exstructas. Quàm insulsum hoc est? Quasi verò res tanta, tot in locis, tam procul diffitis, brevi aliquo spatio perfici posset? Eusebius Hist. l. 8. c. 1. de Halcyoniis & felici rerum Christianarum successu ante persecutionem à Diocletiano motam verba faciens, hæc scribit, Πῶς δ' ἂν τις διαγράψειε τὰς μυριάδας ἐκείνας ἀθρόως ἀγομένας, καὶ τὰ πλήθη καθ' ἑκάστην πόλιν ἀθροιζόμενα, τάς τε ἐπισήμους ἐν τοῖς συλλόγοις ψυχάς; ὧν δὴ ἕνεκα μεγάλων ὑπὸ τοῖς πάλαι οἰκοδομήμασιν ἀρχαίοις, εὐρείας τε πλάτος ἀνὰ πόλεις τὰς πόλεις ἐν θεμελίων ἀνέσεων ἐκκλησίας. *Quomodo autem quisquam conventus illos longè frequentissimos, numerúmque cœtuum in singulis urbibus coactorum, & insignes hominum in Oratoriis concursus percensere queat? Quam ob causam cùm prisca illa ædificia nullâ jam ratione tot támque numerosos cœtus capere possent, spatiosas & amplas Ecclesias in omnibus urbibus ex fundamentis denuo erexerunt.* Valde cupio ut expendantur ista quàm diligentissimé. Basilicas quidem magnificáque Ecclesiarum tecta, *nuper*, h. e. non multò ante Diocletiani Imperium, annum nempe circiter trecentesimum à Christo nato, fuisse ædificata narrat Eusebius, cùm multitudine opibúsque majorem in modum florere cœpisset cœtus Christianus. *Oratoria* verò satìs apta præsenti rerum statui à priscis temporibus semper exstitisse significat. Quæro quænam sint hæc *prisca tempora*, aut *prisca ædificia* temporibus illis exstructa. *Seculum* centum annorum spatium definiunt eruditi. Seculum porrò unum non sufficit (cùm Monas nullo numero sit habenda) ut *prisca* sive *antiqua* verè dicantur aut sint ædificia. Quare omnino opus est ut seculis duobus minimùm, vel etiam pluribus, *prisca ædificia* metiamur & æstimemus. Sunt apud nos (Deo habenda est gratia) plurimæ eæque pulcerrimæ Ecclesiæ; quas si quis *prisca* sive *antiqua ædificia* dixerit, verissimo nomine eas affecerit. Recentissimam tamen earum & nuperrimè exstructam ducentis annis vetustiorem esse liquidò confirmare ausim. Si hæc norma (veluti æquum est) ad superiora accommodetur, minimè dubito fore ut *prisca* illa omnia Eusebii *ædificia*, saltem pleraque, in ipsam Apostolorum ætatem prorsus incidant.

CAP. 10. *Exponuntur varia vocabula quæ in Bibliis Græcis apud Lxx Interpretes reperiuntur, ut, τὰ Σάββαλα, ἡ χώρα τῶν Χαλδαίων, Χυσὶ ὁ ἀρχισυνάγωγος, ἅμα, τόκος, τεφρὶ, θάλασσα, denique κεφαλίς.*

JOhannes Piscator in Scholiis suis ad 16. cap. prioris ad Corinthios, versu 2. scriptum videri existimat σαββάτων pro σαββάτοις, ex voce scilicet Hebræa שבתון, quæ numeri singularis est, derivatum. Quod & ante eum observârat doctiss. vir Matthæus Beroaldus Chronici sui accuratissimi lib. 1. cap. 4. sub finem. Atqui à vero alienam esse hanc conjecturam indicat articulus τῶν genitivi pluralis sæpe præpositus, ut Luc. 4. 16. ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν σαββάτων, & alibi passim; item dativus τοῖς σάββασι, nec non nominativus & accusativus τὰ σάββαλα, quemadmodum & idem vir eruditus agnoscit. Hinc apertissimè patet σαββάτων non à שבתון Hebræo, sed à nominativo Græco τὰ σάββατα deducendum: Quinetiam τὰ σάββαλα formâ pluralis pro singulari creberrimè usurpari. Unum, idque exquisitissimum, exemplum adhibebo. Lev. 23. 32. de die Expiationum scribens Moses ità infit, שבת שבתון הוא לכם, i. *Sabbathum cessationis esto vobis:* Lxx verò sic verterunt σάββαλα σαββάτων ἔσαι ὑμῖν. Ubi σάββαλα pro singulari σάββαλον poni liquidò videmus, & σαββάτων accentu in penultima scribi more Græcorum à σάββαλα, non σαββάλων more Hebræorum accentu in ultima, veluti à שבתון, quamvis hoc ipsum vocabulum Hebraicum ibidem occurrat. Imò שבתון ab iisdem etiam σάββαλα transfertur Exod. 16. 23. Ambigitur ergò ex quo tandem fonte fluxerit nomen illud Græcum σάββαλα, ut indè postmodum deriventur σαββάτων & σάββασι. Responsio facilis erit si rectè rem putemus. Sciendum est igitur, Lxx Interpretibus vernaculam fuisse linguam Syriacam. Syri autem *Sabbatum* simpliciter שבתא per Apocopen enunciant; emphaticè autem שבתא, σάββαλα. Hoc verò quoniam speciem neutri pluralis apud Græcos habet, eodem modo inflectitur; in nominativo videlicet, accusativo & vocativo τὰ σάββαλα, indéque in genitivo τῶν σαββάτων, in dativo & ablativo τοῖς σάββασι, tanquam à שבא σάββα singulari, ad instar γεῖμμα, τος. Atque obliqui isti σαββάτων, σάββασι, σάββαλα, quamvis terminatione plurales videantur, significatione tamen sunt singulares, ut ipsorum recti quoque שבתא & שבתא à quibus emanârunt. Porrò σάββαλον, prout ξύλον, declinatum in utroque numero, non nisi à שבת Hebræo profectisci potuit. Cujus voces plurales (præterquam σαββάτοις) eædem sunt quæ ipsius σάββα· sed facilè internoscuntur; quòd illæ de pluribus semper dicantur, hæ de uno duntaxat. Ac quemadmodum in Novo T. ità in Vetere, præcipuè in Pentateucho, multò creberrimus est istarum usus. Nam Sacrorum voluminum Scriptores & Interpretes, nominatim Septuaginta, idiomatis vulgaris, videlicet Syriaci (utpote notissimi maximéque familiaris) permagnam ubique rationem habuisse videntur. Atque indè tanta apud eos cernitur, præsertim in nominibus propriis, varietas; dum ubique ferè vestigiis vulgi insistere malunt, sonósque ac literas à sermone quotidiano abhorrentes fugiunt.

Miror subindè Græcos Interpretes, ipsâ soni similitudine quandoque adductos, quandoque autem ut vocabuli alicujus Græci originem innuere videantur, pro voce Hebræa Græcam omnino diversæ significationis, non tameri invenustè prorsus, reponere. Verbi gratiâ, quod ab Hebræis appellatur אור כשדים *Ur Chaldæorum* Gen. 11. 28. à Græcis reddicur ἡ χώρα τῶν Χαλδαίων, i. *regio Chaldæorum.* Nisi fortè χ subrepsit in locum aspirationis, licèt tenuissimæ, quàm postulat Aleph. Itaque hoc pacto vox Χωρὲ Syriacè אורא, non appellativum erit nomen, sed proprium. Vel natum est χ ex errore Scriptoris librarii, literam posteriorem præpositionis ב, quæ antecedere solet vocem בֵּית, temerè iterantis. Igitur cùm emendator aliquis, linguæ Syriacæ sive Hebraicæ ignarus, semel duntaxat legisset ἐν οἴκῳ τῶν Χαλδαίων, semel autem iterúmque ἐν χώρᾳ τῶν Χαλδαίων, Gen. 11. 31. & 15. 7. viderétque χώρα Græcum vocabulum esse, & sensum ubiq; percommodum habere posse, Græcorũ more inflexo nomine & accentu mutato, illic ἐν τῇ χώρᾳ, hìc verò ἐκ τῆς χώρας, aut omisso articulo ἐκ χώρας, τῶν Χαλδαίων edendum curavit.

Item 2 Sam. 16. 16. חשי הארכי רעה רוד *Chusai Arcaus*, vel *Erechæus*, aut *Arachites* (à loco quodam *Erech* denominatus Jos. 16. 2.) *amicus David*, ab istis transfertur, Χυσὶ ὁ ἀρχισυνάγωγος Δαυὶδ, *Chusi princeps sodalium* (vel *amicorum*) *Davidis*. Sed forsan hìc mendum subest, cui occasionem præbuit soni similitudo, conflatis in unum vocabulis duobus quæ divisim & scribi & legi debuerant. Nam ὁ ἀρχισυνάγωγος Δαυὶδ sic restituere possumus in integrum, ὁ Ἀρχὶ, ἑταῖρος Δαυὶδ. Lectio tamen vulgata inepta non est, quod ad rem ipsam attinet.

Item Gen. 14. 5. זוזים בהם, *(Percussérunt) Zuzæos Hami*, isti ità interpretantur (καλλιόλαι) ἴσχυν ἰσχυρὰ ἅμα αὐτοῖς, i. *(Conciderunt) gentes validas unà cum eis.* Ἔθνη ἰσχυρὰ mutuati videntur Græci à Chaldæo Paraphraste; vel potiùs hìc ab illis. Nam is nomen proprium זוזים reddidit תקיפיה, i. *robustos illos*, hâc, opinor, ratione motus, quòd מזחה ex eadem radice ortum unde & זוזים, *postem* propriè significans, *robur* item consignificare videatur. In בהם, Beth præpositione eâdem manente, הם mirè transformatum est, ex nomine scilicet proprio loci in pronomen relativum, vocalium quidem aliquâ, literarum verò nullâ mutatione factâ; imò nè vocalium quidem, nisi quod ad earum sedem tantùmmodo attinet; perinde ac si scriptum fuisset בהם: ubi consonantiam quoque affectâsse videntur, vertendo ב non μ, vel

vel σὺν, sed ἅμα. Nisi duplicem lectionem ab imperitis librariis in unam confusam dicamus. Nam cùm alia interpretatio haberet more Syriaco בחמא ἐν Ἀμὰ, alia σὺν αὐτοῖς, sciolus quispiam ex ambabus pariter commistis effecit ἅμα αὐτοῖς, invitatus scilicet summâ congruentiâ nominis Ἀμὰ, & voce, & significatione.

Rursus Lxx חוך, quod Hebræis propriè *medium* sonat, & Metaphoricè *dolum* (quoniam dolosus aliud in pectore, quasi medio sui, clausum, aliud in lingua promptum habet) sæpe τόκον, i. *fœnus*, transferunt, ut Psal. 55.12. tanquam si τόκῳ non à τίκτω deducatur, significéque monstrosum quendam pecuniæ veluti *partum*, sed à חוך Hebraico. Et sanè consimilis admodum est vox utraque, résque ipsa pulcrè convenit. Nemo quippe nescit fœnerationem pernicio sissimis & innumeris dolis fraudibúsque esse refertam.

פח παγίδα ubique reddunt, ut hoc ab illo oriundum intelligamus. Cùm tamen Græci παγίδα à πήγνυμι derivent, quòd humi videlicet *figatur* ad feras capiendas. פח autem propriè denotat rem extensam seu expansam instar bracteæ aut laminæ Exod. 39.3. quasi *diffiatam* dicas, vel *flatu extensam & extenuatam*: (hæc nempe maximè propria est notatio, à themate פוח) unde *tendicula* aptissimè exponitur. Quamvis autem utrumque παγίδι attribuatur, nempe ut & *defigi* dicatur & *expandi* seu *extendi*, magis tamen quadrat hoc posterius; ut quod decipulo, h. e. fallaciæ instrumento, accommodatius esse meritò censeatur.

Elegantissima est eorundem interpretatio, Psal. 111. 5. quâ טרף transtulerunt τροφὴ *alimentum* (juxta illud Prov. 30.8. הטריפני *ale me*) eruditissimè simul indicato vocabuli Græci fonte; quem Hebræum טרף esse palàm statuerunt. Id verò *rapiendi* aut *discerpendi* significationem habet. טרף ergò (unde τροφὴ profluxit) dicta est *esca*, vel quòd priscus mortalium victus ex *rapto* constaret *capturâve*, h. e. prædâ quam venatione, aucupio aut piscatione quærere solenne erat olim, hodiéque etiam est, apud barbaras omnes nationes; (Itaque nomini טרף vox altera, nempe ציד, significatione similis & θήρευμα *venationem* Gen. 25.28. & ὀψοφάγιον *cibaria* Jos. 9.14. simul designare reperitur. Nam Metaphora à feris petita earúmq; ritu, quam probat Kimchius, minimè placet) vel quòd cibus sumendus *discerpi*, h. e. dividi distribuíque, soleat. Paríque ratione cibaria seu commeatum שבר, q. d. *fracturam* vel *fragmen*, appellant Hebræi Gen. 42.1, &c. Ideóque rectè Apollinarius in Metaphrasi טרף δᾶτα exposuit, voce ejusmodi quæ à δαίω derivata *dividendi* aut *partiendi* notionem inclusam gerit.

תרשיש aliquando θάλασσαν interpretantur, ut Isa. 2.16. Atque ità nominis Græci originem quasi digito demonstrare videntur. Nam Græcis primùm usitatam fuisse opinor vocem θάρσαν. Legitur enim in Iambis Parmenonis cujusdam Byzantii apud Athenæum à Musuro recensitum & ab Aldo editum, Deipnosophist. lib. 3, ubi de ficis Cauneis meminit,

Ἥλθον μαχρὼ θάρσαν,

Hinc ταράσσω verbum Græcum, quod propriè valet *maris instar commoveo & agito*. Nam muta aspirata θ facilè migrat in tenuem τ, ut ἄυτις pro ἄυθις dicitur. Porrò ex θάρσαν factum denuò est θάλασσα, mutato scilicet ρ in λ, quod in multis cernitur vocabulis: ut κείσαρ & κλίσαρ ex ἅ quo usurpantur; quódque Græci λείριον vocant, Latini *lilium*. Atque huc spectat longè facetissimum illud Diogenis in adulatores dicterium, πολὺ κρεῖττον ἦν εἰς κόρακας ἀπελθεῖν ἢ εἰς κόλακας. Nam præterquam quòd alluditur ad proverbium εἰς κόρακας, eximia etiam venustas spectatur in affini utriusque vocis sono, κόρακας nempe & κόλακας. Erudita igitur est hæc deductio ab antiquis illis Interpretibus commonstrata, & longè anteferenda ei quam affert Etymologus, nimirum ut dicatur θάλασσα, quasi σάλασσα, à σάλος· quam veluti parùm verisimilem non injuriâ rejicit Henricus Stephanus.

Vetus Interpres Latinus מגלה Jer. 36. 2. *volumen* optimè vertit. Nam nomen quoque Hebræum à גלל formatur, quod *volvere* significat. A Græcis variè redditur, nempe à Symmacho τυμπάνῳ *instrumentum* Psal. 40.8. ab Aquila ibidem ἕλιγμα *volumen*; (unde Latinus interpres versionem suam sumpsit) à Scholiaste quodam Ezec. 2.9. τόμος, i. *sectio* quælibet libri, seu *pars*. *Tomum nonnulli dictum volunt*, inquit Stephanus, *quòd excidatur è pellibus animantium*. Atque eo quidem modo fieri solet membrana; quam ideo sic etiam Latini appellârunt quòd è pellibus membra animalium tegentibus fit concinnata. A Lxx sæpiùs χαρτίον transfertur, i. *Chartula*, vel generatim χάρτης *Charta*, χάρτης autem à χαράσσω derivatum videtur Eustathio; quòd *exarandis* inibi literarum notis conveniat. Verùm quoniam Charta ab Ægyptiis primùm confici cœpit ex frutice quodam quem ipsi *Papyrum* vocârunt, nomen illud Ægyptiacum potiùs quàm Græcum haberi oportet. Atque hîc trium simul delectus & facultas suppetit. Etenim vel à חרש denominari potuit, unde, uti suprà annotavimus, Græcum χαράσσω, verbum planè synonymum, provenit: aut (quod multò magis credo) à חרת *exarare* sive *insculpere* itidem ut חרש significante (Nam ש & ת sæpissime invicem permutantur) quare utrobique eadem quadrabit nominis ratio quam in χαράσσω affert Eustathius: vel denique à כרת forsan deductum existimetur, quod *scindere* vel *excidere* denotat. *Charta* namque (ut tradit Plinius l. 13. c. 11.) *præparantur ex papyro, divisо* (& veluti discisso) *acu in pratennes, sed quàm latissimas philuras*. Verùm si ex instrumento quod ad rem aliquam vel concinnandam vel utendam adhibetur commodè nomen invenire queat res illa, certè χάρτης rectè dicatur à חרט. Hoc enim & *acum* significat, quâ chartæ præparantur autore Plinio l. 13. c. 11. & *stylum scriptorium*, quo jam præparatæ variis characteribus notantur ad sensa mentis nostræ exprimenda. Quod autem ad sonum utriusque vocis & literas principales attinet, convenientia tanta cernitur quanta (ut arbitror) maxima esse potest.

Quandoque מגלה ab iisdem Lxx κεφαλὶς exponitur, voce valde inusitatâ ac peregrinâ. Nec usquam de ea quicquam reperire potui quod diu multúmque cogitanti planè satisfaceret. Junius Parall. lib. 3. cap. 10. *volumen* ità dictum autumat, eò quòd *convolutus & complicatus liber quasi opus capitatum* sit. Profectò eâdem ratione etiam *evolutus* quâ *convolutus* & *explicatus* quâ *complicatus* liber *capitatum opus* videatur: uterque enim easdem habet extremitates, quasi capita quædam. Sin id velit, volumen *capitatum* videri *opus* quia in brevem summam contractum, equidem libens dedero κεφάλαιον hujusmodi quiddam indicare: Sed tum res ipsæ scriptæ spectantur, non chartarum volumen aut membranarum in quibus sunt scriptæ. Adhæc, *liber capitatus* potiùs est βιβλίον κεφαλίδος quàm κεφαλὶς βιβλίου, ut in textu sacro legitur. Deinde κεφαλὶς *capitium* vulgò perhibetur vel *capitii tegmen*; quod libri involucro designando satis rectè forsan, libro autem ipsi ineptè congrueret. Beza asserit Græcum Interpretem accepisse מגלה in significatione גלגולת; nam utrumque esse ejusdem radicis. At id alienius foret; nam hoc ab illo longè discrepat & sono & significatione, ut nemo non statim animadvertat. Suidas κεφαλίδα βιβλίου ait esse ὅπερ τινὲς ἕλιγμα φασὶ, *quod quidam volumen vocant*. Aquilæ proculdubio interpretamentum respicit Hebræum vocabulum מגלה exprimentis non Græcum κεφαλίς. Quid si dicamus igitur nomen κεφαλὶς idiotismum esse, & dictionem ἐπιχώριον ac peculiarem, non à voce Græca κεφαλὴ, sed ab Hebræa כפל, vel Syra כפל aut קפל ortam? quæ Exod. 26.9. denotant id quod minimè est ἁπλούμενον, i. *expansum, explicatum* vel *extensum*, sed διπλούμενον, h. e. *compositum, complicatum & convolutum*. Quare κεφαλὶς hoc pacto idem ferè est atque מגלה, & Græcè δίπλωμα purè reddatur. Idque Latinis quoque est vocabulum admodum familiare. Indè namque literas & mandata Principum passim ab illis *Diplomata* vocitata observentur, quòd chartis vel membranis *complicatis* constarent. In eandem sententiam Budæus Annot. reliq. in Pandect. p. 322.

Diplomata

Diplomata sunt quas literas patentes *nunc appellamus: Cujusmodi sunt Edicta & Mandata Principum, Regio signo sancta. Verbum est Græcum, quippiam duplicato compositum significans aut complicatum, ut linteum, quod* πλύγμα *dicitur.* Opportunè autē meminit verbi πλύνω unde est πλύγμα, cum derivatis cæteris. Nam illo etiam usi sunt Interpretes in thematis istius Hebraici declaratione. נפל enim Job 41. 4. transtulerunt πλύξιν, h. e. *complicationem*, aut potiùs hîc, *quod complicatum est.* Idque ad propositum nostrum valde pertinet. Nam & ex Glossario intelligimus πλύχας *tabellas pugillares* significare, & apud Stephanum ex Euripide πίνδι πλύχας citatum legimus. Ad extremum, illud item Lectorem admonere liceat, vocabulum קלף, quod apud Syros Chaldæósve λεπίδα sive *corticem* propriè denotat, à Judæis Metaphoricè, idque admodum eleganter & concinnè, pro *membrana* vulgò usurpari. Sic enim breviter rectéque ab Elia (in Thisb. קלף exponitur העור שכותבין עליו, i. *pellis in qua scribitur.* Nec ineptè forsan hinc quoque nomen κεφαλὴς originem duxisse existimetur; nimirum ut ex קלף factum dicatur קפל per Metathesin sive transpositionem earundem utique literarum, rationem linguis (ut opinor) universis consuetissimam in vocibus variè formandis atque fabricandis. Certè hoc modo derivationem haud minùs expeditam habituri sumus, & significationem cum Apostoli sententia pulcrè congruentem reperiemus. Ità namque κεφαλὴς, quasi κιλαφὶς, prorsus idem sonabit quod διφθέρα vetus & pervulgata Græcorum vox *membranam* designans. Quippe διφθέρας suas Græci & ex animalium pellibus semper confici solitas, & scriptorum monumentis excipiendis & conservandis, jam usque ab ultima antiquitate, comparatas fuisse testantur. Neque novum aut insolitum erat Judæis Syríve Græcè loquentibus, è lingua sua depromptis vocabulis quibusdam & formâ Græcâ indutis libenter ac crebrò uti. Exemplum perspicuum habetur Exod. 12. 19. ἴν τε τοῖς γειωραις καὶ αὐτόχθοσι τῆς γῆς, i. *tam de advenis quàm indigenis terræ.* Ubi γειωραι (גיורא Syriacè) appellantur, nomine à גור derivato, qui Græcè προσήλυτοι propriè dicuntur.

Θίβις etiam aut θήκη & θίκη (ut in exemplaribus aliis scribitur Exod. 2. 3.) Omnino Hebraica vox est תיבה, quæ à Græcis κιβωτὸς ἢ κιβώτιον nominatur, i. *arca* sive *arcula: ἣν τινες*, inquit Scholiastes in Annotat. Bibl. Rom. καλοῦσι κίτλω (emenda κίστλω) i. *quam quidam vocant Cistam.* Aliáque complura hujusmodi vocabula in Bibliis occurrunt vel ab Hebræis vel à Syris vel ab utrisque pariter sumpta, & more Græco transfigurata.

CAP. II. Metaxa. *Diversæ interpretationes ipsius* משי. Ἄνθινον. Polymitum. Τείχινον. Sericum *idem esse quod* Bombycem. Serici *etymon.*

A Recentioribus Græcis Sericum Μίταξα dicitur, Philand. annot. in Vitruvii l. 7. c. 3. Isidor. lib. 19. c. 29. Quam & ipsam accepisse videntur à Romanis: siquidem Lucilius vetus Poeta Latinus, quíque multò ante Virgilii & Horatii ætatem floruit, *lini metaxam* funiculum lineum appellat. Quinetiam *metaxam* σπεῖρον exponi in antiquo Lexico testatur Turnebus Adverss. Tom. 2. l. 20. c. 4. Sericum igitur μίταξα nuncupatum videtur, eò quòd olim, sicut & hodie, multiplici metaxâ seu funiculo in glomos ingentes conglobatum venum ire solebat.

Hebræis venustum & concinnum nomen est משי Ezec. 16. 10, 13. Cujus ab Hieronymo varia recensetur in Commentariis interpretatio. Theodotio enim ipsum verbum Hebraicum posuit; Aquila ἄνθινον (vel ἀνθινὸν) i. *floridum* vestimentum transtulit. *Pictas verò vestes*, inquit Baysius libello De re vestiaria, *ni fallor, ἀνθινὰς appellant.* Pictura autem ita vel intexebatur pectine vel inserebatur acu. Artificium hoc Babyloniorum antiquissimum inventum erat, Jos. 7. 21. illud Ægyptiorum multò recentius, Plin. l. 8. c. 48. Utrumque eleganter brevitérque inter se confert Epigrammate quodam de veste polymita Martialis, lib. 14. 150.

——*victa est* (inquit)
Pectine Niliaco jam Babylonis acu.

Unde indumentum πολύμιτον idem ferè videtur quòd ἀνθινὸν. Ità quippe nominatur quòd *plurimis & versicoloribus liciis* est contextum. Ideóque versio illa prior Aquilæ idem indicat quod & altera Symmachi, πολύμιτον transferentis. Liquet enim hujus, ut & Aquilæ, geminam fuisse editionem. Nam Aquila rursum interpretatus est משי *palpabile*, ut vertit Hieronymus Com. in Nah. 3. 1. Atque hîc incertum fateor animum & ancipitem hærere, integráne sit hæc Hieronymi tralatio an vitiosa. Etenim si Aquilam superiorem sententiam non mutâsse sed in ea usque permansisse judicaverimus, fieri non potest quin lapsus sit Hieronymus. Toto enim cœlo distat *palpabile* à *floridò* vestitu. Incredibile igitur non est Hieronymum deceptum esse potuisse exemplari mendoso, & ἁπτὸν, i. *contrectabile* seu *palpabile*, legisse, cùm tamen βαπτὸν, i. *tinctum*, seu *infectum*, vario scilicet colore, scripsisset Aquila. Ità nempe fiet ut optimè hæc versio cum illa altera conveniat. Βαπτὸν enim & ἀνθινὸν sono quidem aliquantùm, re verò ipsâ (uti patet) perparùm aut nihil omnino discrepant. Quod Hesychium & Suidam, peritissimos Lexicographos, impulit ut hoc per illud, tanquam ei synonymum, exponant. Cæterùm (ut id etiam leviter in transitu attingam) vix dum satìs assequi queo cur Aquila משי Græcè reddiderit ἀνθινὸν, vel, quod idem est, βαπτὸν. An quia משה, cùm omnino significet prout משך, & de aquis ferè dicatur in Bibliorum textu Hebraico, putavit denotare posse *tractum* illum quo infectores uti solent dum res tingendas tinctásque huc illuc versantes mersant? an potiùs, quoniam Hebræi arbitrantur verbum משך quandoque significare artificiosum calami seu styli *tractum ductúmve*, ut Judic. 5. 14. ideo & משי conjecit Aquila *picturatas vestes* designare, quæ variis hujusmodi ductibus distingui & exornari solent? Quòd si (ut sæpenumero cuilibet credo mortalium usu venire, præsertim in ambiguis) aliud alio tempore ediderit Aquila, superiora posterioribus corrigendi atque emendandi consilio, Hieronymum nullo modo in transferendo peccasse putandum est; sed quemadmodum Aquila ἁπτὸν i. ψηλαφητὸν, in altera editione posuit, ità Hieronymum verissimè interpretatum esse *palpabile.* Atq; hoc vero propius esse arbitror; siquidē persuasissimū mihi est, Hieronymū diligentissimum, & utriusq; linguæ, Hebraeæ & Græcæ, doctissimum virū, omniū Translationū accuratâ recognitione & collatione instructissimū ad Biblia sacra exponenda accessisse. Aquilā verò agnoscimus exactissimum Interpretē & in vocabulorum propriis ac reconditis significationibus & cernendis oculatissimum & consectandis studiosissimum. Is ergò unâ expositione non contentus, quamvis ingeniosâ satìs ac subtili alteram adjecit. משי namque non tantùm à משה quod sit significationis משך derivari posse censuit, sed etiam ab eodem משה quod themati משש par sit idémq; prorsus valeat. Eruditis enim notissimum est, & suprà semel, ni fallor, atq; iterum monuimus, verba Duplicantia, & Quiescentia Lamed He, crebrò confundi & unam eandémque notionem obtinere. Quare משי omnino reddendum est ut משיש, i. ἁπτὸν Græcè, *palpabile* vel *tractabile* Latiné. *Palpare* autem denotat *leniter blandéq; tangere*, Anglicè **to smooth**. *Tractabile* item dicitur id quod *aspero* opponitur. משיש igitur, ἁπτὸν ad verbum, *tangibile* vel *tactile*, id Aquilæ est quod inoffensum, facilem, lævem mollémque tactum præbet. Quale nimirum non inepte existimetur μαλακὸν illud ἱμάτιον, aulæ Regalis proprium, de quo Servator in Euangelio meminit Mat. 11. 8. Quænam verò nominatim sit ilţiusmodi lævissima mollissimáque tactu vestis præter cæteras omnes, neminem opinor nisi qui tactionis prorsus sit expers ignorare. Pergamus ergò ad reliqua quæ supersunt expendenda.

Altera Symmachi editio משי *indumentum* vertit, inquit Hieronymus. Græcè (ficut ex Origine annotatur in Bibl. Rom.) ἐπένδυμα dicitur, eò quòd *aliis vestibus superinduebatur.*

indutebatur. Eandem etiam veſtem χιτῶνα ποδήρη appellârunt Græci, quoniam ad *pedes* uſque pertingebat. Porrò ἔνδυμα *ſtolam* interpretatur Gloſſarium Vetus Latino-Græcum ab Henrico Stephano vulgatum. Et hoc ipſum Euangeliſtarum inter ſe collatione confirmatur. Nam eundem ejuſdem Angeli veſtitum quem Matthæus 28. 3. ἔνδυμα λευκὸν Græcè nominat, Marcus 16. 5. στολὴν λευκὴν appellat. *Stolam* verò matronarum veſtem fuiſſe ſciunt omnes. Hanc Tibullus *longam*, Horatius *ad talos demiſſam* cognominat. Græci generaliùs uſurpant στολὴν, ac viris etiam (ut Mar. 12. 38.) attribuunt. Cujus munus hoc eſſe docet Xenophon Cyri pæd. l. 8. nempe συγκρύπτειν εἴ τις τι ἐν τῷ σώματι ἐνδεὲς ἔχοι, ἢ καλλίους ἢ μείζους ἐπιδεικνύειν τοὺς φοροῦντας, h. e. *tegere quæ minùs perfecta corpori inſunt, multúmque geſtantium tum pulcritudini tum ſtaturæ addere*. Eo namque conſilio prolixis hujuſmodi veſtibus utebantur antiqui, inprimis glorioſi Judæorum Magiſtri, οἱ θέλοντες ἐν στολαῖς περιπατεῖν, ſicut ipſis in Euangelio Chriſtus vehementer exprobrat. Idémque hoc apprimè convenit Prophetæ propoſito: quod diligentiùs examinanti ſtatim manifeſtum evadet. Ac nec ilta quidem ſignificatio à vocabulo משׁ quicquam abhorret. Hebræis enim משׁ ſonat *tractum* ſeu *protractum*, h. e. productum vel prolixum: Cujuſmodi veſtimentum ἔνδυμα i. *Stolam*, fuiſſe diximus.

Adjiciam & illud, ἐπένδυμα nihil aliud videri quam ἐπενδύτῃ de quo meminit Johannes 21. 7. Unde in Gloſſariis vetuſtis Henrici Stephani ἐπενδύτης modò *Superaria*, modò *Superalia* redditur, eò quòd omnino inſtar ἐπενδύματος ſuper alia (utì vox ipſa quoque ſonat) veſtimenta indueretur, illis longior. Atque hinc noſtrum **Harplas** natum videatur. His conſentanea tradit Suidas, Ὑποδύτης, τὸ ἐσώτερον ἱμάτιον· ἐπενδύτης ᾖ, τὸ ἐπάνω, h. e. *Hypodytes, interior veſtis eſt; Ependytes, ſuperior*. Itaque miror cur idem alibi, velut oblitus ſui contraria ſcribat: Ἐπενδύτης, inquit, τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον, ὃ καὶ Ὑποκάμισον λέγεται, i. *Ependytes eſt veſtimentum intimum, quod & Hypocamiſum dicitur*. Enimvero *hypocamiſum* vocatur quod ſubeſt camiſiæ, videlicet ſubuculæ, ut à Paulo apud Pompeium Feſtum exponitur. Atque ità ἐπενδύτης planè idem erit quod *Induſium* vel *Tunica intima* & ἐχίσαρχα, h. e. carni cutíve proxima. Quomodo ergò erit τὸ ἐπάνω ἱμάτιον, i. *indumentum extimum ac ſummum*? Aut igitur vitioſa ſunt iſta Suidæ verba, aut καταχρηστικῶς & impropriè dicitur Induſium ἐπενδύτης, nempe quoniam in morem ἐπενδύτου propriè ſumpti promiſſus quidam veſtitus erat & talaris quo corpus totum tegebatur. Hanc verò expoſitionem tantopere ab altera diſcrepantem expreſſiſſe videtur Suidas ex illo quem annotavimus loco Johannis 21. 7. atque eodèm peculiariter accommodâſſe. Idque fortaſſis hâc potiſſimùm ratione motus fecit, quòd Petrus ibi dicitur, *cùm eſſet nudus, accinxiſſe ſibi* ἐπενδύτην. At iſtud tanti non eſt ut nova & inaudita proinde ſignificatio ſit excogitanda. *Nudus* enim familiari Hebræis loquendi modo is appellatur, non qui omni prorſus veſte caret, ſed ſuperiore ſolùm & ordinariâ, nempe ſuo cujuſque ordini conveniente, ut 1 Sam. 19. 24. Eſa. 20. 2. Act. 19. 16. Præterea ſi *Camiſia* ſit tunica linea intima, quam Galli *Chemiſe* vocant, nos a **Hemd**, quodnam, obſecro, indumenti genus eſſe poteſt *Hypocamiſum*, inter camiſiam & cutem interjectum, cùm *camiſia* veſtis ſit cuti proxima? Illud item conſtat, *camiſiam* Arabicum eſſe vocabulum: ſiquidem ἐπενδύτης apud Johannem ab Interprete Arabe קמיץ redditur, h. e. χιτὼν ſive *tunica*, ſuperior videlicet laxiórque, ut quæ cinctu opus haberet, ac interiorem veſtitum ambitu ſuo coerceret: Linea forſitan: nam & Athenienſes alióſque λινοῦν χιτῶνα ποδήρη *tunicam lineam talarem* geſtâſſe teſtatur Pollux Onomaſt. l. 7. c. 16. Et apud eundem c. 12. Sophocles ἐπενδύτην eleganter λινοστλωῆ nuncupat, quòd lineus eſſet, & aptus lotura fieri mundus. Ut autem veſtis iſtiuſmodi, ſive linea, ſive etiam lanea, modò tenuior (qualis univerſa ferè ſolet eſſe in regionibus calidioribus) incommoda fuerit natatui; non tamen uſque adeò quin, intervallo ſaltem modico, ſatìs ſe expedire poſſet natator eâ indutus. Neque verò liquet an etiam nare neceſſe habuerit Petrus: Propiùs enim à terra aberat navigium. Denique quò impeditior & moleſtior veſtis, eò ardentior & illuſtrior emicuit Apoſtoli zelus, mare profundum aliàs, tanquam terræ ſolum, præſente Domino, pedibus ſuis calcare auſi. Certè Hieronymus *Camiſiam* lineam tunicam fuiſſe docet, & tam arctam atque accommodam ut gerenti neutiquam eſſet impedimento; eámque militibus quaſi peculiarem aſſignat. *Solent militantes*, inquit Epiſt. ad Fabiolam De veſte ſacerd. *habere tunicas lineas quas Camiſias vocant, ſic aptas membris & aſtrictas corporibus ut expediti ſint vel ad curſum vel ad prælia, dirigere jacula, tenere clypeum, enſem librare, & quocunque neceſſitas traxerit*.

Septuaginta משׁ reddunt τείχαπλον. Quod quale ſit docet Suidas, primùm univerſè, ἱμάτιον πολυτίμητον, i. *veſtem magni pretii*, exponens; mox ſpecialiter, βομβυκινον ὕφασμα, i. *textum bombycinum*. Heſychius itidem primùm πολύτιμον, pariter ut Suidas, interpretatur; deinde quædam addit magìs perſpicuè vim vocabuli τείχαπλον explicantia, nempe, τὸ βομβύκινον ὕφασμα ὑπὲρ τῶν τείχων τῆς κεφαλῆς ἀπλούμενον, i. *textum quoddam bombycinum crinibus capitis ſupernè aptatum*, vel *ſuper capitis crines connexum*. Τείχαπλον igitur Heſychio idem ſignificat quod *Capillare* Martiali, reticulum nempe muliebre quod crinibus obducebatur. Apud Ezechielem verò loco ſuprà citato 16. 13. ità ſignificare non poteſt: quippe cùm שׁי אבנטלאות numero recenſeatur, h. e. eorum quibus corpus humanum amicitur, quæque veluti circumjecta habet, quemadmodum vox Græca ſonat. Deſignat igitur figuratè veſtem bombycinam, idcirco τείχαπλον dictam quòd ex bombyce olim τὰ τείχαπλα, *capillaria*, vulgò confici ſolerent; vel potiùs quòd opera bombycina tranſlucida eſſent inſtar reticuli muliebris, rarâque ac tenui & ſubtili texturâ conſtarent. Explicatio Hieronymi, quamvìs aliâ viâ, eodèm redit: *Cùm* (inquit Commentar. in Ezech. 16. 10.) *diligenter inquirerem quid ſibi vellet vocabulum Trichapti, quod Lxx tranſtulerunt, & à nullo Græcorum nec uſum nec etymologiam poſſem invenire ſermonis, tandem didici à Lxx eſſe compoſitum, (Rebus enim novis nova fingenda ſunt nomina) quòd tanta ſubtilitatis fuerit veſtimentum ut pilorum & capillorum tenuitatem habere credatur. Unde & ego volens tenuitatem exprimere veſtimenti, pro* TRICHAPTO *ſubtilibus tranſtuli: quòd tenui ſtamine atque ſubtegmine textum erat*. Rurſus, *Septuaginta* τείχαπλα *tranſtulerunt, ſervantes interpretationem præteritam, ut ad ſimilitudinem capillorum tenuia veſtimenta monſtrarent*. Denique Commentariis in Zachariam, ubi fortè incidit in iſtius loci Ezekielis Prophetæ mentionem, totidè ferè verbis eandè illam vocem declarat, *In* τειχάπλοις *veſtes tenues accipiamus; quæ tam pulcræ ſunt atq; ſubtiles ut capillorum ſimiles eſſe videantur*. Ad hanc Hieronymi explicationè quàm proximè accedit genus quoddam veſtiũ quas Poeta Ἀτλικτὰς & Pherecrates apud Athenæum, lib. Dipnoſoph. 6. pag. 95. l. 10. ἀμπεχόνας τεχνύφεις appellat, q. d. *indumenta è pilis texta*, h. e. tenuiſſima & ſubtiliſſima; qualia videlicet propter egregiã mollitiam ac tenuitatem κόρεις ἁβρὸν ὑβριλιάσαις, teneris & delicatis juvencularum jam primùm pubeſcentium corpuſculis, congruerent. Atque hunc eſſe illius epitheti ſenſum, ſatìs ex Heſychio intelligitur, qui vel ipſam vocem ἀμπεχόνην per ſe ſolam λεπτὸν ἱμάτιον *tenue indumentum* interpretatur, ſpectatâ, niſi fallor, verbi ἀμπέχω peculiari notione. Etenim ἀμπέχειν eſt *amplecti & undiq; quã proximè circumdare*, utì ſolent circumfuſa molliſſima quæq; tenuiſſimáque & maximè fluida. Eámq; ob rem vir diſertiſſimus Gregorius Nazianzenus de ſubtilibus mollibúſque & pretioſis veſtimentis loquens μαλακὰ cum ἀμπεχόνεσι, more quodam ſuo, libenter copulare cernitur, ὅπερ αὖ καὶ Καισαρ. pag. 49. lin. 13. ὡς τὸν μεγ. Βασίλ. p. 93. l. 31. ἀεὶ φιλοπλωχ. p. 134. l. 53.

Illud obiter hîc monendum, משׁ non propriè ac per ſe *tenue* valere, ſed *extractum* ſeu *extenſum*, & deinde, per conſequens ſcilicet, *tenue*. Nam quò magìs quid extenditur,

ditur, eò tenuius evadat necesse est atque rarius. Cæterùm omnium indumentorum nullum tenuius est subtiliúsve aut rarius Serico. Itaque de Sericis verissimè cecinit Dionysius, θεωγ. 757.

Κοῖνοις ὕτι καὶ ἦεν ἀραχνάων ἐείσην.
Hæc superant tenues quas texit Aranea telas.

Ejusmodi sunt (ut arbitror) quas σφωνὰς ἀραχνοϋφεῖς, vocabulo sanè venusto, nominat simul & notat Eusebius Euang. Præp. l. 8. c. ult. p. 229. q. d. *præ nimia tenuitate raritatéq; aranei texta imitantes.* Gregorius autem Nazianzenus ἐκ φιλοπτωχ. pag. 134. l. 53. per Hyperbolem elegantem ἀέρια ὑφάσματα admodum significanter appellat, h. e. *aeris instar tenuia.* Cujus generis sunt linea nonnulla, maximè Serica: ὅτις, inquit, ἐναχνιοῦσθαι μᾶλλον, ἢπερ ἐμπεφλέγθαι. Hinc Plinius quoque Nat. hist. l. 11. c. 22. excogitatum queritur Sericum *ad feminas denudandas*, &, ut idem lib. 6. c. 17. ait, *ut in publico matrona transluceat*, nimirum ob summam tenuitatem textorum istiusmodi, Bombycinorum dico, vel Sericorum. Nec enim quicquam hæc ab illis discrepare opinor: licèt quidam discrimen manifestum ex veterum quorundam autorum verbis statuere conentur, Brodæus Miscel. lib. 2. c. 22. Quod quàm sit imbecillum, si paulisper attenderimus (siquidem digna cognitu res est) facilè liquebit.

Certè utrisque, tam Bombycinis quàm Sericis, eadem reapse semper fuit materia, filum scilicet tenuissimum, *redordiendum*, ut loquitur Plinius lib. 11. c. 22. & lib. 6. 17. *rursúsq; texendum.* Porrò Poeticum planè est quod idem narrat, *Seras sylvarum lanicio nobiles perfusam aquâ depectere frondium canitiem.* Nam à Poeta apertè mutuum sumpsit, ut ex verbis ipsius suavibus magis quàm veris intelligitur, Georg. l. 2.

Quid nemora Æthiopum molli canentia lanâ?
Velleráque ut foliis depectant tenuia Seres?

Quod autem à Strabone l. 15. refertur ex Nearcho, mendacissimo rerum Indicarum scriptore (ut idem Geographus lib. 2. fatetur) Sericum fieri ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου, *Byssо ex corticibus quibusdam carminatâ*, multò adhuc longiùs à vero abest; nullam quippe veri speciem habere potest; sed purum putum est figmentum ab Arabibus aut Ægyptiis aut etiam Indis negotiatoribus excogitatum: Quemadmodum olim commenti sunt *Cinnamomum ex avium nidis, & privatim Phœnicis, decuti, item Casiam circa paludes* inveniri, *propugnante unguibus diro vespertilionum genere, aligerísque serpentibus, hisce commentis*, inquit Plinius l. 12. c. 19. *augentes rerum pretia.* Nam vel unum istud ex multis aliis velim paulò attentiùs animadvertat diligens rerum æstimator; vestes xylinas *ex interiore* quadam *lanugine neri*, quam fundit fruticis cujusdam (quem *Gossipion* vocant) *fructus* dehiscens, *nucis barbatæ similis*, Plin. Nat. hist. l. 19. c. 1. Permultum tamen cedunt illæ Bombycinis mollitie, lævore, splendore, denique pretio. Semper enim lignosi quiddam obtinet lanugo illa, quamvis tenerrima: quo fit ut eximias Bombycis dotes Xylinum assequi & æquiparare nullo pacto queat. Eadem prorsus ratio in lanigeris (si quæ essent, aut fuissent unquam) Serum arbores tantundem valere debet: Atque haud scio an etiam eò magis, quò asperius, crudius, crassius, naturæ arboreæ propius esse solet folium unde Sericum fieri putatur quàm fructus unde Xylinum confici cernitur. Quòd si folium Sericum pretiosum edere non potest, quantò minùs cortex? qui, cùm sit arboris veluti corium, à lignosa ipsius duritie & fæculento (ut ità dicam) crassamine proximè absit necesse est. Quare corticosum hoc Sericum explodendum est penitus & ejiciendum. Foliaceum verò, quamvis & ipsum palàm commentitium sit, videtur tamen αἰνιγματῶδες nescio quid continere, & rei veritatem obscuris verborum involucris obumbrare. Etenim (ut uno expediam verbo) Sericum modo quodam *arborum lanicium* dicatur, *déque foliis pecti*, quatenus videlicet foliorum quorundam, maximè Lactucæ primùm, mox Mori pabulo aluntur vermiculi illi quos Sericum nere novimus, Bayf. lib. de re vestiaria c. 5. Clarissimum Zonaræ testimonium habemus de ratione Serici conficiendi ex India Orientali Justiniano Imperante, annis abhinc ampliùs mille, in Occiduas hasce Orbis terræ partes allata: *Tela Serica, inquit, quæ priùs à Persis Mercatoribus tantùm afferebantur, Justiniani temporibus à Romanis texi cœpit; cùm ignorarent antea quomodo fieret, & vermium fila esse nescirent. Caterùm duo Monachi ex India Byzantium profecti originem illius declarârunt, pollicitiq; se fœtum illorum vermium, ova nimirum perexigua, allaturos, & ostensuros Romanis quemadmodum illa fovendo, animata in vermes mutentur, & Sericum naturâ texant. Eos Justinianus in præsentia muneribus, de cætero magnis pollicitationibus ad id præstandum confirmavit. Itáque Serum ova Byzantium attulerunt, & in fimo collocata in vermes transformarunt, & Mori foliis aluerunt, indéque Sericum confecerunt.* Quibus ex verbis perspicuum cuivis est, antiquum illud ac germanum Indiæ Sericum vermiculorum tantummodo fuisse opificium. Alioqui nostrorum hominum navigationibus Indicis jamdudum compertum est, nullum omnino aliud Serici genus nunc esse quàm hoc Bombycinum: Nec igitur unquam fuisse. Fieri enim non potest ut res tantæ præstantiæ, tantopere celebrata, & paratu non difficilis, unà cum arboribus ipsis universis funditus interierit, ità ut India, quæ vermiculum Bombycinum, infirmissimum animalculum, servavit, aliisque gentibus quàm plurimis tradidit, nè unam quidem arborem è tot silvis Serici feracibus sibi servârit, ex qua pauculos aliquot surculos desumptos serere ad speciem propagandam, & mercem pretiosissimam juxta atque utilissimam posteris commendandam & transmittendam.

Atque hîc ineptum est vestium purpurearum exemplum à Brodæo allatum, Miscel. l. 2. c. 22. Quamvis enim multos abhinc annos interciderit coloris purpurei misturæ & temperaturæ artificium, olim in vestibus magnificis tingendis occupatissimum, materiam tamen coloris illius, h. e. speciem ipsam naturalem, nempe conchyliorum cruorem (*ostrum* ideo vocitatum, autore Vitruvio De Architect. l. 7. c. 13. *quòd ex concharum marinarum testis eximeretur*) omnino non esse deletum sed usq; ad hodiernum diem exstare & permanere, notius est quàm ut ambigere quisquam debeat. Hac verò in re de qua quærimus planè contrà eveniſse cernimus. Nam arte Sericariâ summè vigente florentéque, folia sericum fundentia ad unum omnia, non tantùm apud Indos, sed ubique etiam terrarum, prorsus evanuerunt in nihilum redacta. Quod sanè rerum natura non patitur. Quamobrem veterum complures ab hoc arborum Sericarum figmento abhorruerunt, nempe Pausanias, Servius, Suidas, Hesychius, aliique; qui à vermiculo apud Seras Metaxam seu Sericum fieri prodiderunt, non autem ex arborum lana: adeóque vermiculum ipsum *Serem* dictum Genti pariter Textóq; illi nobilissimo nomen dedisse asseruerunt. Hesychii hæc sunt verba, Σῆρες, ζῶα τινὰ θυσία μίταξαν, ἃ ὄνομα ἔθνους, ὅθεν ἔχει καὶ τὸ ὁλοσηρικόν, i. *Seres animalia sunt quæ nent Metaxam, vel, nomen gentis, unde etiam affertur Holosericum.* Mox, Σῆρες, σκώληκες οἱ γηοῦντες τὰ σηρικά, σῆρες γὰρ οἱ σκώληκες, i. *Seres vermes sunt qui Sericum gignunt, Seres enim vermes sunt.* Continuò sequitur, Σῆς, σκώληξ, i. *Ses, vermis.* Sic & Suidas, postquam commemoravit, *Seras, Sericum*, & *Serem vermiculum Bombycinum*, statim subjungit, Σῆς, σητὸς, ὁ σκώληξ, i. *Ses*, Genit. *Setis, vermis.* Subinnuere videntur Lexicographi isti nomen SER *vermiculum* denotans à *Ses* derivari, mutato *S* in *R*, quod sæpe fit cùm à Græcis tum à Latinis; ut in ἄρβλω pro ἄροω, & *honor* pro *honos*, cæterísq; ejusmodi. Itaque *Seta* (quomodo Itali Sericum appellant) à *Ses* potiùs, cujus genitivus *Setis* est, quàm à *Ser* deduci oportet; *Ses* autem à voce Hebraica שס ejusdem significationis, quæ Isa. 51. 8. legenti occurrit. At enim vocabulum Anglicanum **Selk** non nisi *Sericum* autorem generis sui agnoscit. **Selk** enim nuncupatum est quasi *Selik*, pro *Serik*, literæ *R* in *L* facili commutatione factâ; id quod suprà satis supérque ostendimus.

Porrò nomen ipsum σηρικὸν vel *Sericum* (si à viris doctissimis veritatis tuendæ aut saltem indagandæ causâ dissentire fas est) principale puto; cujus derivatum sit *Ser*, per Apocopen usitatam, quemadmodum ex *Punicus* vel *Pœnicus*, à פוניקיא, fit *Pœnus*. Jam quæritur, Unde principale hoc? Respondeo; Illud primùm constat, ab Indis ad Orientales populos, ab istis rursum ad Occidentales, usque ab antiquissimis temporibus pervenisse Sericum; duplici scilicet itinere, terrestri & maritimo. Illud per Bactros, Medos, Assyrios, in Mesopotamiam, Syriam, Palæstinam, indéque ad Occiduas maris Mediterranei oras regionésq; ducit: Hoc Ægyptiorum olim Arabúmq; operâ præcipuè absolvi solebat, per Sinum utrumque, Persicum putà & Arabicum. Verisimillimum deinde est, Occidentales, unà cum splendidissimis illis mercibus, nomen etiam ipsarum ab Orientalibus accepisse: ídque aliàs gentile, ut vestem Sericam veteres Græcos *Medicam* appellâsse testatur Suidas; aliàs proprium, ut sunt *Bombyx* & *Sericum*, Σηρικὸν. *Bombycis* quidem origo, utpote ab eruditis linguis aliena, ignoratur: fortè à Medis Indísve derivata. Appellatione tamen suâ *Bombyx*, quemadmodum *Ser*, tam vermiculum opificem quàm Metaxam, ipsius opificium, signare cognoscitur. *Sericum* verò apud Isaiam Prophetam reperimus, cap. 19. 9. ubi vestes שריקות *Serikoth* memorat. Tremellius *generosas*, Castalio *eximias*, Munsterus *reticulatas*, prior editio Roberti Stephani planè *Sericum* interpretatur; qua in re Kimchium, erudítissimum Rabbinum, ducê sequitur, הטוב שבמשי וכן יקרא בלשון ערבי אל שרק, i. *Præstantissimum Sericum: Atq; ità vocari solet in lingua Arabica* AL-SERAK, Rad. שרק. Tremellius & Castalio interpretamentis nimium generalibus sunt usi. Itidem & Græci: Qui etiam literarum ד & ר similitudine decepti, שריקות perinde transtulerunt χισὰ, ac si scriptum esset in Hebræo שדיקות, à שדק vel סדק, quod Syrorum idiomate, Judæis tum vernaculo, σχίζειν denotat, ut videre est Joh. 19. 24. לא נסדקיה, Μὴ σχίζωμεν αὐτὸν, *Ne findamus eam*, forsan consultò & de industria ità verterunt. Siquidem ר & ד elementa ejusmodi sunt ut alterũ alterius vicem aliquando præstare soleat. Exempla sunt, *Rodanim* pro *Dodanim*, & contrà *Diphath* pro *Riphath*, 1 Chron. 1. 7, 6. Satìs tamen verè (quod ad rem ipsam attinet) reddiderunt χισὰ, i. *fissiles*, vel potiùs *dividuas* aut *divisiles*, si ità loqui liceret. Vix enim quicquam inveniatur quod Serico, propter singularem tenuitatem, divisilius fit in minutissimas penéque Geometricas lineolas. Vulgata editio Latina *plectendi* verbum adhibet. Mallem *pectendi*; nam illud שרג potiùs est, hoc שרק vel סרק, admodum familiare Judæis recentioribus *pectendi* significatione. Illud ergò perinde valet ac si dicas *plexas vestes*, i. plurimis liciis textas seu implicitas, πολυμίτους Græci vocant; hoc *pexas*, l. non villosas (prout Latinæ linguæ usus postulat) sed, in morem capilli accuratissimè pexi, egregio & lævore, & nitore, tactuí simul & aspectui gratissimas. Munsteri translatio raritatem indicat, ideóque διαφάνειαν qualis *reticulis* inesse videtur, q. dicas, *vestes raras* sive *perlucidas*. Id quod aptissimè texto Serico convenit, & primo vocabuli ipsius etymo. Etenim סריקא Orientalibus illis populis (à quibus ad nos primùm delatum diximus Sericum) *vacuum* seu *inane* designat. Indè *Sericum* appellationem invenit; nec immeritó. Est enim inanitate quadam pulcerrimâ ubique respersum, & veluti pertusum, ac pendulis araneorum telis æquabili tenuitate simillimum.

CAP. 12. *De Saracenis, cur ità fuerint nominati, déq; Ismaelitis, Cedrais & Agarenis.*

SUperioris capitis disputatio mihi in memoriam redigit quod scribit Hieronymus Comment. in Ezech. l. 8. c. 25. *Agarenos, qui nunc Saraceni appellantur, falsò sibi assumere nomen Saræ, ut de ingenua & domina videantur esse generati.* Itaq; asserit Comment. in Esa. l. 5. c. 21. *Agarenos perverso nomine Saracenos vocari.* Quasi verò quẽadmodum plusquam probabile est, *Agarenos* nomen duxisse ab *Agar* concubinâ Abrahami uxore, sic & *Saraceni* à *Sarâ* legitimâ justâq; ejusdem conjuge fuerint denominati. Atqui valde dissimilis est ratio. Deductio namque *Agareni* ab *Agar* facilis est ac perspicua: Servatis enim omnibus principalibus sive radicalibus (ut vocant) literis, nihil aut deest aut abundat. Contrà *Saracenus* à nomine שרה *Sarah* vel *Sara* formari aut fingi nullo modo potest. Inest enim litera istiusmodi quæ omnino semper radicalis nec unquam additicia solet esse, nempe *k* aut *c*, Hebraica videlicet ק. Hæc summâ vi cogit ut nomen aliud quæratur à *Saræ* nomine diversissimum unde vox *Saracenus* derivetur. Testatissimũ quippe est *Saracenos* ab Arabibus ipsis אל סרק *El Sarak* passim dici. Quare vocabulum *Saracenus* à primitivo *Sarak* סרק ortum sit oportet, non aliunde. Id verò quid valeat dudũ ostendimus, *vacuum* scilicet seu *inane*; planè idem quod Hebræorum ריק, & ejusdẽ forsan originis. Utrumque, cùm personis attribuitur, vel morum respectu dicitur, vel fortunarum. Quando igitur P. Chaldæus אנשים ריקים Jud. 11. 3. reddit גברין סריקין, i. *viros inanes*, intelligamus aut otiosos minimèq; frugi homines, aut vitam pauperem, duram & incultam agentes; qualis eorum plerumque est qui rapto vivere solent, locáque horrida & deserta incolunt. Duabus hisce interpretationibus conjunctis, eruditissimam ac numeris omnibus absolutam versionem ibidem nobis tradidit vetus Interpres Latinus, dum אנשים ריקים exponit *viros inopes & latrocinantes* ex vulgari etiam sermonis Arabici usu. Tales semper fuerunt אל סרק, h. e. *Sarakeni*. Hieronymus expertus loquitur, Jeremiæ cap. 3. enarrans, *Arabum gens latrociniis dedita usq; hodie incursat terminos Palæstinæ.* Rursus idem citans locum Jer. 49. ubi excidium Arabibus à Nebucadnetsare eventurum Prophèta prædicit, hæc scribit Comment. in Isa. l. 5. c. 11. *Ismaelitarum, h. e. Saracenorum, gens in tentoriis habitant; qui quas nox compulerit sedes tenent; quibus armenta sunt & pecora camelorúmq; greges; qui non habent ostia nec vectes: Non enim versantur in urbibus, sed in solitudine habitant.* Constat igitur Saracenos ex genere Nomadũ Arabum fuisse. Quos *lacte & ferinâ carne vesci* solitos tradit Plinius l. 6. c. 28. Unde Ammianus Marcellinus, harum rerum non imperitus, ut qui diu in Oriente militârit, non dubitavit Saracenos eosdem esse censere quos *Scenitas Arabas* Græci appellârunt. Idémq; l. 14. Saracenos *nationem pernicio sam* vocat, *qui ultrò citróq; discursantes quicquid inveniri poterat momento temporis parvi vastabant, milvorum rapaci vitæ similes.* Rursus, *Victus universis caro ferina est, lactísq; abundans copia, quâ sustentantur, & herbæ multiplices, & si quæ alites capi per aucupium possint. Et plerosq; nos vidimus*, inquit Ammianus, *frumenti usum & vini penitus ignorantes.* Patet ergò verissimè סריקין dictos, quasi *inanes* ac *inopes* copiarum illarum quæ ad vitam cultiorem atque civilem degendam prorsus sunt necessariæ, probitatis etiam ac humanitatis expertes: Cujusmodi evadunt ii qui solitudinum vastarum incolæ incertis sedibus vagantur, &, ritu militari, prædæ rapinísq; perpetuò studeant. Hæc valde consentanea sunt iis quæ de Ismaele narrat Scriptura, Ismaelitarum autore, quos eosdem *Saracenos* esse confirmavit Hieronymus; nimirum *eum fore* פרא אדם, i. *onagrum hominem*, h. e. *ferum* (hinc quippe vox Latina, videlicet à פרא) nempe dirâ feritate Onagri simillimum, maximè vagum, solitudinum amantissimum, comitatis ac mansuetudinis inanem, nec ulli violentiâ efrænatâ inferiorem, sagittarium denique pugnatorémque acerrimum. *Nam asini feri, cùm venatibus agitantur*, inquit Ammianus Marcellinus Hist. lib. 23. *ità eminus lapides post terga calcitrando emittunt ut perforent pectora sequentium, aut perfractis ossibus capita ipsa disflodant. Multitudine insuper innumerâ eos ideo simul incedere* ait lib. 24. *ut constipatione densâ feroces leonum frustrentur insultus.* Satìs aptum est hoc etiam ingenio Ismaelitarum globis prædatoriis circumquaque grassantium exprimendo.

Stephanus περὶ πόλεων ità scribit, Σάρακα, χώρα Ἀραβίας μὴ τῆς Ναβαταίας. Οἱ ἐπιχώριοι Σαρακηνοί, i. *Saraca regio est Arabiæ*

Arabiæ post Nabatæos: Cujus incolæ Saraceni. Ptolemæus lib. Geogr. 5.c.17. Regionem ipsam Σαρακηνὴ vocat. Nomen ergò regionis format ab incolæ nomine, quod est *Saracenus.* Contrà, Stephanus hoc ab illa deducit. Porrò vocabulum *Saraka* optimè convenit deserto; quod non ineptè quis *magnum inane* appellet, maximè cum frugum inops esse, ideóque סרקא, i. *vacuum*, rebus nempe ad corpus sustentandum necessariis, testetur Hieronymus Comm. in Isa.l.17. c.60. Et Strabo l. 16. memoriæ prodidit, *Arabas Scenitas, camelorum pastores, regionem arenosam ac sterilem habitare.*

Hieronymus Cedar Saracæ vel Saracenes partem statuit. *Cedar*, inquit, Comm. in Psal. l.16. c.60. *Saracenorum regio est.* Certè Plinius Nat.Hist.l.5.c.11. *Cedraos Nabatæis* Arabiæ Petrææ dominis *à Meridie* jungit: Ergò (ut videtur) ab Ortu proximè montibus qui *Melanes* dicuntur eos collocatos innuit: Cùm ab Occidentali latere illorum montium ad Ægyptum usque regionem Saracenorum extendat Ptolemæus Geogr. l. 5. c. 17. eundémque ferè locum eis assignavit Stephanus. Melanas autem arbitror esse montes illos quos nomine quidem *Pharanis* aliquando ut Deut. 33. 2. *Seiris* autem crebrò comprehendit Scriptura, & Strabo l.16. à sinûs Arabici promontorio quodam (id Ptolemæus lib.5. cap. 17. τὸ κατ' Φαρὰν ἀκρωτήριον vocat) usq; ad Arabum Petram producit & usq; in Palæstinam. Neque sensu dissimilia sunt nomina. *Pharan* enim *mons* (extrinsecùs inserto in contextum vulgatæ Græcorum Bibliorum editionis etymo) ὄρος καλάμινον καὶ δασὺ exponitur, *Mons umbrosus & condensus*: haud equidem incommodé. Etenim à פארה id deduxit autor illius interpretamenti, quod *ramum, ramusculum* vel *frondem* significat. Ut פארן *Pharan* propriè sit *frondosus*, aut (sicuti rectè δασὺ expressit Paraphrastes Arabs Abac. 3.3.) כתיר אלשגר *arboribus abundans*, ideóque καλάμινον *umbrâ multâ obtectus.* Pari quoque ratione eosdem montes *Seir*, i. *hispidos atque hirsutos*, nuncupârunt Hebræi, propter multiplicem silvarum veluti comam; Græci verò *Melanas*, i. *Nigros*, propter umbrarum opacitatem (umbras quippe *nigras* verè & Physicè appellavit Lucretius) cùm aliàs tota undique regio æstuosa sit & arida & umbrarum expers, Strabone teste. Cæterùm quos Ptolemæus *Pharanitas* vocat, si quis Cedræos esse autumet, haud multùm fortassis aberrabit. David enim, qui in Psalmo 120. gravissimè queritur *se diu habitasse* עם אהלי קדר *μετὰ τῶν σκηνωμάτων Κηδάρ apud tentoria Cedræorum*, vel *apud Cedræos Scenitas*, expressis verbis 1 Sam.25.1. narratur post *obitum Samuelis descendisse ad desertum Pharanis*, ibíque degisse.

Porrò *Agareni*, Hebraicè הגריים Psal.83.6. ut & Straboni ac Ptolemæo *Agræi* dicti, iisdem auctoribus, Ortum æstivum versùs à Petra Nabatæa, in deserto sedes habuerunt. Id quod Chronicorum etiam Historiâ apertè confirmatur: docet enim 1 Chron. 5. 10. *Rubenitas temporibus Saulis bellum gessisse contra Hagarenos; qui cecidérunt manu ipsorum: itaque habitâsse in tentoriis eorum in toto tractu anteriore qui est ad Orientem Gileadi.* Montem autem Gileadis *Hippum* Ptolemæi esse auguror; utì Chermonem montem (qui quasi ramus est Libani) *Alsadamum* ejusdem esse reor. Quamobrem multò generaliùs *Saracenorum* nomen usurpat Hieronymus quàm solent veteres Geographi, nempe pro Arabibus omnibus Scenitis seu Nomadibus universæ solitudinis Arabicæ incolis. Nam (ut audivimus) Ismaelitas, Cedræos, Agarenos, omnes, inquam, istos, *Saracenos*, esse affirmat. Apud Geographos verò cùm inter se distincti, tum à Saracenis separati, suísq; locis discluſi, quique leguntur.

Cap. 13. *De varia nominis* Machabæi *ratione.*

Ben Gorion Historiarum Judaicarum lib. 3. cap. 9. asserit Judam Mathathiæ F. cognomen *Machabæi* inveniſſe על גבורתו, i. *propter fortitudinem suam.* Quod quidem Munstero nimis durum videtur atque difficile, & tantùm non indissolubilis nodus; ut ex Annotationibus ipsius in eundem locum liquet. *Unde*, inquit, *vox ipsa* Macchabæus *derivetur non constat. Neque enim in Hebraismo neque in Chaldaismo* נכב *aut* מכב *aut* כבא *invenitur significare Fortitudinem.* Atqui illud solum viro alioqui peritissimo imposuit, quòd putârit vocabulum *Macchabæus* ab uno eodémque simplici themate deducendum; cùm tamen Hebraica nominis istius prolatio (sicuti legitur in contextu Hebræo Historiæ ab eodem Munstero editæ) originis compositæ id esse declarat. Nam מכבי quis non videt facillimè resolvi posse in duas hasce dictiones, quarum prior est מכה, i. *plaga*, altera בי, i. *per me?* quasi dicat, *Plaga per me infligetur à Deo*, Judæis nempe apostatis, & Gentilibus fidelium persecutoribus. Hanc verò fatidicam nominis interpretationem multiplex eventus, quem Historia passim commemorat, re comprobavit. Atque huc haud dubiè respexisse putandus est Ben Gorion, ubi Judam ex *fortitudine* nomen adeptum esse ait. Unde namque nisi à robore manûs animíque viri fortis plaga vehemens & mortifera in hostem venit? *Plaga* igitur in *Macchabæi* nomine per Metonymiam Effecti pro *fortitudine plaga effectrice* usurpatur.

Satis ergò expedita jam res est. Neque tamen Junio placet hæc originatio; sed aliam subtiliorem multò (haud scio an veriorem) nobis tradidit, *Dicti sunt*, inquit 1 Macc. 1. 1. in Annot. Macbæorum *libri, quia historiam principum quorundam Jehudæorum exponunt, qui populares suos à tyrannide vindicantes insigne suum aut militare vexillum quatuor literis inscripserunt, M. C. B. I. (ut olim Romani facere sunt soliti.) Quibus literis significatum est Hebraicè dictum illud Moschis, Exod.15.11.* מי כמוכה באלים יהוה Quis est par tibi inter Deos, Jehova? *Ex qua inscriptione vexilli & à popularibus & ab exteris omnibus* Macbæi *unâ voce fuerunt appellati, aut vocabulo corrupto* Machabæi. Statuit igitur hâc ratione eruditus ille vir nominis *Macchabæi* originem petendam ex ea Cabbalæ parte quam נוטריקון vocant Judæi, q. d. *notaricon.* Sic enim à nomine Latino *Notarius* appellant artificium illud (utì docet Autor Aruch apud Eliam Thisb.) שכותבין אות אחת שנעשית כימן לכל דבר, *quo scribunt literam unam qua fiat* (vel *sit*) *signum* (aut *nota*) *totius* alicujus *dictionis.* Cui inanissimæ curiositati ultra modum dediti erant posteriores Judæi; adeò ut hinc (præsertim ex verbis Scripturæ) haud secus atque Ethnici sortibus Virgilianis, mira arcana elicere se posse sperarent. Verùm recentius est inventum istud quàm ut ad Machabæorum ætatem (quæ propiùs aberat à purioribus illis Esræ & Nehemiæ temporibus) pertigerit. Idque nomen ipsum artis Latinum satìs indicat: nec dum enim Judæorum cum Latinis commercium ullum erat. Adhæc, ars illa ignota erat vulgo, cui potissimùm vexilla inservire debebant. Contrà, doctiores, harum rerum periti, nominis *Machabæi* per artem נוטריקון conformati & compositi nusquam meminerunt. *Hebræi*, inquit Munsterus loco suprà citato, *constanter vocant eos Hasmonæos, non Machabæos.* Denique ex libris Machabæorum & Josephi historia [1 Mach. cap. 2. Antiquit. Judaic. lib. 12. cap. 8.] comperire licet Judam, eúmque solum, indè ab initio, saltem adultæ ætatis, longè antequam exercitui præesset, *Machabæi* cognomen accepisse, ut eo à reliquis fratribus (quorum unicuique suum item erat impositum) distingueretur, spe non obscurâ accedente fore ut secundùm conjecturam ex ingenii indole factam eventus faustus nomini congruens aliquando tandem sequeretur.

Cæterùm non alienum erit de *Hasmonæorum* etiam appellatione pauca interserere. חשמנים (quod semel tantùm reperitur in S. literis, videlicet Psal. 68. 31.) Kimchius exponit אנשים גדולים ונגידים, i. *magnates & principes viros.* Lxx reddiderunt πρέσβεις. Quæ quidem vox, si à πρεσβυς formetur, significationem parem obtinebit ei quam Kimch. attulit; nempe denotabit ἀρχοντας ἢ πρωτιμωμένους, i. *primarios viros & autoritate vel honore præstantes,*

ut Hesychius interpretatur: sin autem à πρέσβις, *legatos* sonabit, sicuti transtulit V. Interpres, nec id sanè ineruditè, si dictionem compositam accipias ex חש, quod valet *festinare*, & מנח *præficere* seu *præponere*. Nihil enim magis decet Legatum quàm celeritas: item, *magno alicui negotio administrando & conficiendo præponi*. Hieronymus Epist. ad Fabiolam, mans. 26. *festinantes* vertit: quæ interpretatio minùs placet; est enim manca. Ben Gorion חשמנים usurpare videtur simpliciter pro *Præfectis*, Hist. Judaic. l. 3. c. 3. quòd optimè quadrat proposito. Ità namq; in loco illo Psalmi vocabulum חשמנים idem ferme erit quod פקדים Gen. 41. 34. h. e. τοπάρχας, aut potiùs νομάρχας, dignitate superiores quàm illi, teste Strabone l. 17. initio. Nam Ægyptum (de qua sermo illic habetur) jam indè antiquitus *in præfecturas oppidorum, quas νόμες vocant, divisam* fuisse nemo non novit, Plin. l. 5. c. 9. Quare Mathathiam filium Johannis filii Simeonis חשמונאי *Hasmonæum* appellatum fuisse scribunt Hebræi (Kimch. rad. חשמן & חברי & Compend. Josephi Hebr.) q. d. *Præfectorium*, nimirum Præfecti autoritate apud populares suos valentem. Atque ab eo deinceps posteri omnes denominati sunt *Hasmonæi*, ut qui non solùm originem generis sui ab eo deducti acceperint, sed etiam autoritatis. Scio Josephum Antiq. l. 12. c. 8. principium nominis istius (modò nè mendum insit) aliquantò altiùs petere, nempe ab *Asmonæo* quodam Mathathiæ proavo. Utcunque sit, celeberrimum (sicuti diximus) fuisse virum necesse est qui id nominis primus obtinuit, aut penè intermortuum deinceps renovavit.

Sed, ut ad cœptum sermonem regrediamur, Romanorum exemplum huc non valde convenit. Non enim solebant illi literas verborum & orationis indices, sed numerorum tantùm notas (quas *Siphras* vocant) vexillis appingere. Siquidem *antiqui* (ut est apud Vegetium, De re militari lib. 2. cap. 13.) *quia sciebant in acie, bello commisso, celeriter ordines aciesque turbari atque confundi, nè hoc posset accidere, cohortes in centurias divisérunt, & singulis centuriis singula vexilla constituerunt*; *ità ut ex qua cohorte vel quota esset centuria in illo vexillo literis esset adscriptum: Quod intuentes vel legentes milites in quantovis tumultu à contubernalibus suis aberrare non possent.* Solebant quidem Romani etiam notis quibusdam propriis & literis verborum signis in velociter scribendo uti; sed remota erat ars hæc à vulgi scientia: Ad quem tamen præcipuè acer vexillorum intuitus & summa observatio spectabat.

Malim igitur prioris etymi significato adhærescere. Quòd si id minùs placet, à כבה *exstinxit* potiùs deducendum censerem: ut מכבי sit nomen proprium, formæ מעשי 1 Chr. 9. 12. & *Exstinctorem* designet. Verè quippe fortissimus *Exstinctor* erat Judas Machabæus, cæterique magnanimi Heroes, bellorum & incendiorum civilium Reip. Judaicæ quæ totis viribus excitârant in populum Dei Gentiles & perfidi Judæi. Nunquam etiam destiterunt & ille & isti validissimis conatibus prorsus exstinguere נר הגוים, i. *lucernam Gentium*, vel *splendorem*, alioquin oriturum ex prosperis rerum successibus. Potest etiam probabiliter Judæ cognomentum illud Μακκαβαῖος à themate נקב petitum videri. Unde in Hiphil à Participio activo factum sit מקבי, h. e. *Mallei instar pertundendi, perforandi ac perfringendi robur ac vim adeptus.* Quâ quidem similitudine pulcrè designatur miranda invicti animi præsentia quæ Judæ semper inerat, & maximæ validissimi corporis vires quibus fratres universos longè antecelluit. His enim futurum sperabatur ut inimicos impiósque desertores contereret atque dissiparet, sicuti tota τῶν Μακκαβαϊκῶν Historia ubique declarat. Meritò itaque, quemadmodum Imperator Babylonius Jer. 50. 23. פטיש, h. e. *Malleus*, ingens Orbis terrarum à Propheta est dictus, ità & Judam malleum haud minimum hostium & apostatarum in Palæstina locísque finitimis degentium per eandem Metaphoram à suis appellatum arbitremur. Non me fugit, usitatam nominis *Maccabæi* scripturam apud Josephum quidem Gorionidem esse per כ literam. Neque mirum; eâ præsertim nominis origine propositâ quam initio explicavimus. Apud eundem verò Græcè editum (si modò idem est) ut & apud antiquissimos Græcorum Historicos, nomen illud per κ, cui propriè congruit Hebræum ק, passim scriptum legitur. Quò minùs spernenda est quarta jam à nobis exposita nominis istius ratio. Sin utraque hæc deductio nimis Metaphorica videtur, magis propria fortassis erit à נאב petita, ut indè מכאבי appellatus fuerit (secundùm formam מלאכי à לאך) quasi *Dolorem afferens*. Nam usque ad extremum spiritum totus in hoc erat ut hostibus populi Dei quàm acerbissimum ubique dolorem inureret, quemadmodum sæpe jam diximus, ejúsque rei quasi prænuncium erat cognomentum istud. Aut denominativum erit à מגפה, quod est θραῦσις *fractio*, maximè bellicâ clade illata. Hinc מגבי appellatio Judæ peculiaris. Guimel autem à Græcis eodem modo nonnunquam efferri quo literam κ, & Pe quo β, satis intelligatur ex גמל & καμηλος, item ex פיבכת & Βάβας. Vulgatissima utique est hæc mutatio. Quare Judam nuncupatum conjectemus *Maccabæum*, q. מגפי, i. θραυστὸν, ἤτοι θραυστικὸν, h. e. *qui hostium opes animósque frangat*, aut *frangendi vim & facultatem habeat*, aut *habiturus sit*. Eóque alludunt fortasse verba illa 2 Macc. 15. 16. quibus Judas ad se Jeremiam Prophetam usum somniat cùm gladium aureum traderet, Λάβε τὴν ἁγίαν ῥομφαίαν, δῶρον παρὰ τοῦ Θεοῦ, δι' ἧς θραύσεις τοὺς ἀντικειμένους, *Accipe*, inquit, *sanctum hunc gladium ab ipso Deo donatum, quo frangas adversarios.* Atenim haud scio an satiùs foret מחבי scribere cum litera ח, & à verbo Syriaco ac etiam Hebraico, sed minùs usitato, חבב delivare: unde Participium prius fit מחב in Aphel, cui postea adjicitur in fine Jod nominis propriì formativum. Hoc autem pacto מחבי significabit ἀγαπητικὸν, φιλικὸν, *Amantem, Ad amandum properantem*, vel *Amicum*, vel *Eum qui eximio amore complectitur*, Deum scilicet verum ac vivum, patriam item gentémque suam, licèt omnium odio flagrantem & ignominiæ undiq; expositam; adeò ut non dubitet quibuscunq; periculis eam ob causam caput fortunásq; suas universas objectare. Quales ubiq; describuntur nobilissimi Machabæi φιλοθέους καὶ φιλοπάτρους καὶ φιλαδέλφους immortali gloriâ florentes; Judas verò aliorũ omnium princeps, ut hoc ipso nomine, ità & nominis suavissimâ clarissimâq; notione.

CAP. 14. *De monte Morija.*

COnstat ex capite tertio secundi Chronicorum montem illum in quo ædificatum est à Salomone Templum Domini, olim propriè dictum fuisse *montem Morija*. A quo deinceps tota illa regio montosa undiq; adjacens (ubi condita sunt postea Jerusalaima) appellationem accepit, ut ipsa quoque ארץ המוריה *Terra Morija* denominaretur Gen. 22. 2. Nominis verò hujus rationes longissimè inter se diversæ à pluribus afferuntur. Quidam *Morijah* deducunt à מור, quod *Myrrham* significat, quasi Myrrhifera priscis seculis fuerit regio Hierosolymitana, unico è Canticis desumpto firmamento nixi Cant. 4. 6. At notissimum est cuivis, sensum Parabolicum, quo totus Canticorum libellus conscriptus est, ab Historico, quem ipsi tradunt, quàm maximè discrepare. Imò nobis forsan probabilius conjicere liceat, הר המור ænigmaticè per Apocopen enunciatum nihil aliud esse quàm plenè & perspicuè expressum nomen הר חמוריה (de quo nunc quæritur) sedem nimirum Templi urbísque Hierusalem 2 Par. 3. 1. quam eandem hoc loquendi genere significari peritissimi Interpretes arbitrantur. Alii compositum asserunt ex מרא Syriaco, quod est *Dominus*, & Hebræo *Jah*. Sed nimiùm insolens est compositio illa; & Cholem in principio positum apertè repugnat. Alii à מורא derivandum censent, (ut P. Chaldæus, à quo פולחנא, i. *Cultus*, transfertur) quòd locus is esset exercitio timoris Dei, h. e. sinceræ pietatis cultúsque Divini, destinandus. Verè hoc quidem dicitur; non tamen congruit etymo quod manifesta S. contextûs verba demonstrant: Ea namque non à ירא, i. *timuit*, sed à ראה, i. *vidit*, originem nominis *Morijah* arcessendam confirmant.

Aquila καλαφανῆ, h. e. *Lucidam*, transtulit, inquit Hieron.

Quæst.

Quæst. Heb. in Gen. 22. 2. Malim *conspicuam*, aut potiùs *undique valdéque conspicuam*; ut בְּ præpositio vim aliquam addere intelligatur. Utrùm verò à רָאָה, quod probabilius videtur, an à יָרָה in Hiphil, quod Aquila ipse φωλίζειν reddere privatim solet, derivatum velit, non valde liquet. Certè ab Hieronymo *illuminans* exponitur. Idque planè est φωλίζων, & ad מוֹרִיָּה pertinet, à themate יָרָה: Quod alienum est à רָאָה, germani etymi radice. LXX verterunt מוֹרִיָּה אֶל־אֶרֶץ הַ εἰς τὴν γῆν ὑψηλὴν *in terram excelsam*. Atque hæc versio sensu ferè convenit cum illa Aquilæ. Nam locus longè latéque conspicuus idem excelsus sit necesse est; & contrà, excelsus, pariter conspicuus. Sed vox Hebræa perperàm ab utraque versione pro nomine adjectivo habetur, cùm revera substantivum existat; ut vel ipsa constructio dilucidè satis indicat. Quod cùm perspexisset Symmachus, transtulit εἰς τὴν γῆν τῆς ὀπτασίας, i. *in terram visionis*, uti habet etiam editio Vulg. Latina. Atqui ὀπτασία, i. *visio* seu *apparitio*, respondet potiùs Hebræo vocabulo מַרְאֶה usitatissimo apud Prophetas: Vox autem מוֹרִיָּה nusquam ità usurpata invenitur.

Ego verò (ut pace tot doctissimorum virorum liberè dicam quod sentio, & in medium proferam quod cùm à veritate neutiquam abhorrere tum ad Christi gloriam imprimis spectare confido) nomen *Morijah* non solùm substantivum sed ex duobus etiam compositum arbitror, quorũ prius est participium in Hiphil passivum מֹרְאָה, alterum unum ex Divinis nominibus maximè propriis, nempe יָהּ *Jah*, quod idem prorsus videtur atque יְהוָה *Jehova*, unde per Syncopen factum est, ablatis videlicet intermediis literis ה & ו primâq; & ultimâ י ac ה in unam vocem conflatis. Porrò compositionis istius perspicua hæc est ratio miniméque difficilis. In participio מֹרְאָה mutatur primùm Camets Chatuph per Ectasin in affine punctum Cholem. Tum per contractionem quandam eliditur א, & traductum ipsius punctum Seghol præcedenti ר subjectum intelligitur. Deinde, more Quiescentium Lamed He, migrante ה in י, Seghol item in Chirek vertitur. Postremò *Jah* יָהּ nomen Divinum fini annectitur: Idcirco vi Dagesch fortis duplicatur Jod, ut utriusque vicem præstare queat. Quare vocabulum מוֹרִיָּהּ perinde valet ac מֹרְאֶה יָהּ vocibus separatim & distinctè scriptis, h.e. φανερωθεὶς Θεὸς vel Κύριος, *Deus* (aut *Dominus*) *conspicuus factus*. Insigne profectò monimentum & testimonium, non Templi ibidem exstruendi (ut volunt nonnulli. Nec enim Templum est καταφανὴς Θεὸς, *valde conspicuus Deus*) sed Domini nostri Jesu Christi (qui *Templo major est* Matth. 12. 6.) *in carne*, illic potissimùm, *patefaciendi* 1 Tim. 3. 16. Is enim verè est *Dominus ille gloriæ* 1 Cor. 2. 8. & ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. *Qui est supra omnia Deus, Benedictus in secula. Amen*, Rom. 9. 5. Is in regione Morijæ, nempe Bethlehemi, in vicinia Hierosolymorum, natus est, promissus videlicet ille IMMANUEL, *Nobiscum Deus*, Esa. 7. 14. Unde totus circumjacens tractus ab Esaia Propheta 8. 8. *terra Immanuelis* Divinitus appellatur; nomine quidem discrepante literis syllabísque, re tamen unum idémque sonante. Is in monte ipso Morijæ *Templum suum* gloriosè *ingressus*, Mal. 3. 1. ibíque separatim à Prophetis, Luc. 2. 28, 38. catervatim à populo, ipsíque etiam pueris honorificentissimè exceptus, stupenda plurima opera edendo, & cœlestem doctrinam suam palàm omnibus prædicando, Matth. 21. 12, 13, 14, 15. & 26. 55. Luc. 19. 47, &c. exspectatum se tot seculis humani generis Redemptorem adesse demonstravit. Is denique in eadem illa Morijæ regione, adeóque quàm proximè montem propriè sic dictum, imò in monte ipso (Nam Civitas David, Sedes Templi, & locus Calvariæ nuncupatus unius & ejusdem montani tractûs colles sunt seu monticuli, uti narrat Munsterus Cosmogr. l. 5. c. 45.) æternam nobis salutem acquisivit, acceptissimo sui in ara crucis sacrificio peracto. Ibi æternus Pater Filium unigenitum ac dilectum, in quo acquiescit, morti tradidit propter offensas nostras. Illuc Filius ipse מוֹרִיָּה *patefactus in carne Deus* perrexit, suis humeris portans lignum, cui mox ut & Isaacus olim Gen. 22. superimponitur; manus pedésq; hic funibus constrictus, ille clavis confixus; hic jamjam offerendus, ille reipsa oblatus & consummatus. Ibi lectissimus Aries, Dux gregis, Caput Ecclesiæ, detentus in perplexis vepribus, hæ peccatis nostris innumeris, infinito Divinæ suæ virtutis robore, quo ut אַיִל *eil* potiùs quàm *ail* pollebat, pondus iræ Patris contra nos accensæ sustinuit, & cumulatissimam nostro omnium nomine satisfactionem præstitit. Indéque, quasi tridui itinere permensо, tertio die redivivus & incolumis, ad suos rediit. Hæc aliáq; quæ in historia illa recitantur, in monte terrâve Morijæ peracta, ad Dominum Jesum Christum (qui solus est *Morijah*) rectà pertinent; ut typus veritati, umbra corpori ad amussim per omnia respondeat.

David Kimchius אֶרֶץ הַמּוֹרִיָּה *universam terram Israeliticam* esse asserit. Quod eatenus rectè dicitur ut intelligatur de Domino Servatore nostro, cujus Divinâ per tot annos præsentiâ & assiduâ omnium ibi locorum peragratione & lustratione sanctificata fuit præ omnibus aliis terris terra illa. Nam intra fines ejus se semper continuit, nec *in viam Gentium* unquam abiit, Matth. 10. 5. ut ostenderet se *ministrum* fuisse *circumcisionis*, Rom. 15. 8. primóq; & præcipuè *nonnisi ad oves perditas domûs Israel* à Patre *missum*, Matth. 15. 24. Sed ab isto sensu longissimè abest eruditissimus pariter & pertinacissimus Judæus. Itaque illa quam affert appellationis hujus causa falsa est atque inepta; nimirum sic vocatam terram Israeliticam, אֶרֶץ רְוִיָּה אֲחַר שִׁשְׁכַּן בָּהּ הַכָּבוֹד, *quòd terra irrigua esset*, vel *quòd omnibus copiis circumflueret & abundaret, postquam in ea habitavit gloria illa* Dei. Quasi à רָוָה, h.e. *irrigari, inebriari, abundare*, deduci oporteret vocabulum *Morijah*; cùm manifestis ac disertis Scripturæ verbis compertum sit, à רָאָה, h.e. *videre, conspicere*, omnino derivandum. Ut interim præteream, terram illam longè ante erectum inibi Tabernaculum, aut exstructum Templum, aut ulla residentis in utroque gloriæ Dei symbola aspectabilia, dum adhuc esset profanarum gentium propria, *affluentem fuisse lacte ac melle*, Exod. 13. 5. &c. i. naturali eâq; eximiâ feracitate ac ubertate prædictam, quemadmodũ à Mose clarissimis verbis describitur Deut. 8. 7, 8, 9. Num. 13. 24, 27. Irrigua quidem fuit, sed modicè, permultum cedens Ægypto, Scripturâ, Deut. 11. 10, 11. req; ipsâ etiam testante. Quinimo tractus Hierosolymitanus, qui propriè *terra Morijæ* dicitur in Scripturis S. (modò *Morijam* cum Kimchio à רָוָה petas, & sive *abundantem* sive *irriguum* interpreteris) *Morija* planè non poterat appellari. Nam eum & siccum & sterilem esse confirmat Hieronymus, certissimus atq; religiosissimus testis, quíq; multos ibi annos ad extremum usq; spiritum vixit; *Totius*, inquit, Comment. in Esa. 49. *provinciæ deterrimus est, & saxosis montibus asperatur, & penuriam patitur sitis; ità ut cœlestibus utatur pluviis, & raritatem fontium cisternarum exstructione foleatur.* Quamobrem omnibus rectè ponderatis, etymum nostrum, quo מוֹרִיָּה *Dominum* (seu *Deum*) *conspicuum factum* interpretamur, cæteris jure anteponimus. Meritò autem mons ille ubi Templum est ædificatum, deinde urbs quoque Hierusalem totáque regio finitima, *Mons & terra Morijæ* vocatur propriâ quadam ratione, utpote ubi Filius Dei Jesus Christus, verus *Jah* seu *Jehovah*, tot modis se conspicuum & manifestum vel ipsis oculis sensibúsque corporeis exhibuit, nascendo, docendo, miracula edendo, patiendo, moriendo, resurgendo, in cœlum denique ascendendo.

Illud verò prius membrum v. 14. c. 22. Gen. יְהוָה יִרְאֶה, i. *Jehova videbit*, de Deo Patre exponendum ducimus, qui Filium in mundum misit ad pretium redemptionis nostræ persolvendum. Posterius, בְּהַר יְהוָה יֵרָאֶה, i. *In monte Jehova videbitur*, sub. *Jehova* (posito antecedente pro relativo) ità explicamus, *In monte suo videndum* (seu *conspiciendũ*) *se se exhibebit Jehova*; & de Filio Dei Christo dictum acci imus: ut sit illustris Prophetia τῆς ἐνανθρωπήσεως seu Incarnationis ipsius antiquis Patribus tradita, ad fidem eorum in attentissima & assidua exspectatione veri Messiæ sustentandam & confirmandam, reddendámque accuratam etymi modò declarati rationem!

Quam nimiùm sanè obscurant qui principalem vocem יראה *providebitur* expoſuerunt.

CAP. 15. *De varia expoſitione* כברת הארץ *Gen.* 35. 16, *&c.*

DIfficilis est locutio כברת הארץ: nec interpretibus inter se convenit quid sibi velint verba illa. Alii כברת à כביר, q. e. *magnum, multum, validum*, dictum arbitrantur; & amplum terræ spatium denotari putant. Alii à ברה, q. e. *comedere*; idque intervallum significari existimant quod confici potest & solet à diluculo ad tempus usque cibi sumendi, prandii nimirum: Quapropter satis longum fuerit intervallum necesse est, adeóque longius quàm ut rei veritati congruat. Etenim sepulcrum Rachelis non ampliùs ferè milliari uno distasse videtur ab oppido Bethlehem. Nam cùm illud in itinere Bethlehemum versùs extructum memoret Scriptura, ipsum quidem oppidum ad *sextum ab Ælia* vel Hierosolyma *lapidem* situm fuisse docet Hieronymus, testis αὐτόπτης, sepulcrum verò ad *quintum*. Hic id duntaxat in transcursu attingere & lectorem obiter monere placet; Si vera sunt quæ modò annotavimus, haud rectè tradere Eliam Levitam פרסה *quatuor milliaribus constare*. Nam Kimchius Com. in Pſ. 132. 6. pro comperto narrat *Bethlehemum Hierosolymis non ampliùs tribus* פרסאות *abesse*, Brocardus *tribus leucis*, Hieronymus (utì paulò antè indicavimus) *sex milliariis*. Quare פרסה & *Leuca* una eadémque sunt mensura, utralibet autem duo tantummodo milliaria complectitur. Non ignoro aliam quandam fuisse *Parsam*, eámque valdè celebrem, Regiam videlicet & angariis maximè (ut videtur) constitutam. At hæc non פרסה simpliciter, sed פרסה סניאה, h. e. *Parsa ampla*, vulgò est dicta: Græci ἐμπαράσυλα vocárunt: quæ duplo major erat communi illâ; siquidem quatuor milliaria continebat, vel stadia XXX, attributis more Judæorum cuique מיל, seu *milliario*, stadiis VII cum semisse.

Porrò hinc opinor R. Saadiam כברת exponere מיל, h. e. *milliarium*; accommodatè satìs, fateor, ad rem: vocem autem ipsam, de qua maximè quærebatur, nihil omnino explicat. Meir Nethib nimis vagè reddit חתיכת ארץ h. e. *portionem* (aut *segmentum*) *terræ*. Contrà, alii nimis parcè, *exiguum spatium terræ*: quod Munsterus *Stadio* definivit. Alter quidam, *uno duntaxat Jugero*, Onkeli videlicet autoritate fretus, qui כברת transtulit, tanquam per Metathesin à כרב vel כרבה deductum, vocabulo Syro-Chaldæo, *Arationem* (ni fallor) sonante. Nam verbum ἀροτριᾶν *arare* voce כרב ab Interprete Syro expressum legimus 1 Cor. 9. 10. Hâc ergò ratione efficietur ut כברה, & per anagrammatismum כברה, certum sit terræ spatium arando sive arandi labore descriptum & designatum, atque idem ferè quod Græcorum ἄρουρα pro terræ mensura acceptum.

Hieronymus ab istis omnibus discedit quàm longissimè, Vir alioquin doctissimus sine controversia & acerrimi judicii. Nam verbi Hebraici ברה (quod suprà memoravimus) illam arbitratus est aptiorem significationem quâ *eligere* designat; *Chabratha*, inquit, De Nom. Heb. lib. Reg. *Electio. Super hoc in libris Hebraicarum Quæstionum pleniùs disputatum est.* Ubi ità scribit Quæst. Heb. in Gen. *Sed melius est si transferatur,* IN ELECTO TERRÆ TEMPORE, CÙM INTROIRET EPHRATA. *Porrò Vernum tempus significat, cùm in florem cuncta rumpuntur, & anni tempus electum est. Vel cùm transeuntes per viam carpunt & eligunt è vicinis agris quodcunque ad manus venerit, diversis floribus invitati.* Atqui res ipsa clamat, non temporis sed loci notationem hisce verbis contineri. Verùm ut ità sit, déque tempore accipiantur ista, tamen haud facile est dictu cur Vernum potiùs quàm Autumnale intelligi oporteat. Imò fortassis hoc quàm illud meritò probabilius habeatur. Quis enim, quod ad rerum delectum attinet, autumnales fructus vernis floribus non anteponeret? Ad hæc, si Jacobi ex Mesopotamia reditum paulò attentiùs consideremus, ferè in autumnum incidisse comperiemus. Notum quippe est, cùm *Laban ad tondendas oves suas abiisset* Gen. 31. 19. quæ *tridui itinere* aberant Gen. 30. 36. hanc opportunitatem nactum Jacobum protinus secum suis omnibus clam socero surripuisse, & trajecto Euphrate, summâ celeritate contendisse ad montem Galaad. Fuga igitur Jacobi in ipsam tonsuram incurrit. *Tonsuræ* autem *tempus* (si Varroni De re Rustic. l. 2. c. 11. aut etiam rerum naturæ fidem adhibere libet) *est inter Æquinoctium vernum & Solstitium, cùm sudare inceperunt oves.* Nam *ex sudore* (ut idem ait) *lana fit mollior & ponderosior, & colore meliore.* Quare ad montem Galaad sub exitum mensis Maii pervenerit. Illinc properè discessit Machanaiima: Indè Succothas: Ubi cùm se suúmque comitatum aliquantulùm recreâsset ex itineris labore, timore Labanis & Esaui, aliísque molestiis, diebus (ut verisimile est) haud multis consumptis, Sechemum perrexit: Atque ibi demum statuerat aliquamdiù commorari, regionem adeptus mirum in modum fertilem (teste Brocardo Descript. Terr. sanct. c. 7.) *ac amœnitate & deliciis nullo loco inferiorem.* Ecce autem hîc, non ità multò pòst, ingens calamitas; & raptu Dinæ cædéque Sechemitarum perturbata & confusa omnia sanctissimi ac sapientissimi Patriarchæ consilia. Igitur trepidus primùm, postea Divinitus confirmatus, Bethelem festinat. Unde, voto ritè persoluto, Bethlehemum tandem devênit. Quis ὁδοιποικὸν illud seu itinerarium Jacobi in S. literis descriptum contemplans, non illico sentiat, commodè hæc omnia ab eo quatuor aut ad summum quinque mensium spatio confici potuisse? Credibilius ergò videatur, Jacobum Autumno quàm Vere ad Bethlehemum in reditu accessisse. Sed mittamus hæc, tanquam dubia & lubrica & paulò curiosiùs fortasse quæsita.

Jam Interpretes Græcos adeamus. Ex quibus LXX, clarissimi illi Viri, adeò mendosa hodie hîc, ut & alibi ferè passim, (quod vehementer dolendum est) habent verba atque imperfecta ut vix quicquam indè nè mediocriter quidem certi erui queat & exsculpi. Nihilominus Hieronymum ducem sequamur Quæst. Heb. in Genes. & כברת eos ἱπποδρομον transtulisse auguremur: ità namque etiam ipsa eorum verba innuere videntur. Χαβραθὰ *Chabratha* autem annotatiunculam arbitramur esse è versione Syriaca desumptam, ut ostendunt תא terminatio Syra & Pathach vocalis initio loco Chirik posita. Eximendum igitur contextui est vocabulum illud, & in albo veluti in sede propria collocandum. Retinuit porrò Syrus leviter (ut diximus) immutatam vocem ipsam Hebræam; quemadmodum in ambiguis & difficilibus plerumque fieri solet. Hallucinatus est itaque Alexander ille Polyhistor apud Eusebium Euang. præp. l. 9. p. 248. lin. 4. qui Χαφραθὰ (sic enim assumptâ literâ aspiratâ ibi scribitur vox χαβραθὰ) proprium loci alicujus, verbi causâ, urbis, oppidi, aut saltem vici nomen esse existimavit. Narrat quippe Jacobum ἐκεῖθεν (ἐκ Λυζᾶ τῆς Βαιθὴλ) ἐλθόντα εἰς Χαφραθά· ἔνθεν παραγενέσθαι εἰς Ἐφραθά, ἤ ὅτι Βηθλεέμ. Interpretationem autem istam ipsorum LXX adeò absonam judicavit Hieronymus ut ei has voces expresserit, *Nescio quid volentes* HIPPODROMUM *Septuaginta transtulerunt.* Ac ità, re in medio relictâ, cognoscendi cupidos destituit vir summus, cui, si divinam intendisset aciem, nodum multò magìs impeditum difficile non fuisset expedire. Nos quid potissimùm hac in re sequi consentaneum opinemur, lectorem non celabimus. Puto igitur illos perinde interpretatos ac si existimârint ex רכבה, formæ צדקה, à רכב, effectum fuisse per transpositionem unius & ejusdem literæ, nempe Resch, vocabulum כברה, in regimine כברת. Sonat autem רכבה, & per Metathesin כברה, *equitationem*, vel *cursum equestrem*: ἱππόδρομον Græci nominant, h. e. *spatium decursionis equestris*: ità ut sumatur pro certo quodam mensuræ genere cursu equestri definito. Unde factum fortassis ut Munsterus *stadium* verterit. Quod quidem haud ineptè dicitur si per se spectetur vox aut Hebræa רכבה & per Metathesin כברה, aut Græca ἱππόδρομος· utraque enim, ut & Latina *stadium*, *curriculum equestre*

equeſtre denotat. Sin res ipſa conſideretur, h. e. intervallum utràque illâ voce declaratum, quod interjectum erat inter Bethlehem & ſepulcrum Rachelis, tum denique patet *ſtadium* non quadrare; imò nè illud quidem quod ἱππικὸν vocatur, q. dicas *equeſtre* (indito item ab equorum curſu nomine) quatuor licèt ſtadia complectens, teſte Plutarcho in Solone. Nam in longitudinem duplo circiter majorem porrectum fuiſſe *Hippodromum* ipſorum Lxx ex intervallo antedicto conſtat.

Reliquorum interpretamenta loci hujus Gen. 35. 16. nanciſci hactenus non potui. Atque haud ſcio an prorſus interciderint. Aquilæ verò exſtat, ab Hieronymo ſemel atque iterum annotatum. *Aquila*, inquit, Quæſt. Heb. in Geneſ. *hoc ità tranſtulit, Et factum eſt*, κατ' ὁδὸν τῆς γῆς, *id eſt, in itinere terræ introëns in Ephrata*. Rurſus De locis Hebr. Chabrata, *quod interpretatur Aquila* κατ' ὁδὸν, *id eſt*, juxta viam, *quæ ducit in Ephrata, id eſt, Bethlehem*. Palàm eſt igitur hâc ratione Caph pro litera ſervili ab Aquila haberi. ברת autem in regimine poſitum ὁδὸν exponi, nempe λειφόεσσαν, viam publicam ſcilicet, vel Regiam, ſeu militarem, quæ extra urbem eſt (quemadmodum Luc. 14. 23. Ἔξελθε εἰς τὰς ὁδοὺς, *Exi in ipſas vias*, publicas ſcilicet, quæ in agro ſive rure ſunt: & Act. 8. 36. ἐπορεύοντο κατὰ τὴν ὁδὸν, *pergebant in illa via*, regiâ videlicet, quæ Hieroſolymis deſcendit Gazam) cujus in ſtatu abſoluto vox primaria ſit ברה, à verbo item ברה deducta ejuſdem ſignificationis cujus ſunt ברא & ברר. Valent autem hæc propriè καθαίρειν, ſeu *purum ac mundum reddere, purgare*. Et privatim accommodata legamus ad tractus nemoroſos & frutetoſos; ac tum *ſuccidendi* vis quædam vocibus iſtis ſubjecta innuitur, nimirum ex conſequenti colligendo antecedens. Itaque, quod וברואת Joſ. 17. 18. eruditè reddit Vulg. editio, *Succides atque purgabis ad habitandum ſpatia*, huc aptè quadrabit. Eodem quippe modo ברה *viam patefactam* declarabit, per quam libera ultrò citróque commeandi facultas exſtitit; h. e. quam olim arboribus & fruticibus, vepribus & dumetis, aliiſque id genus obſtructam, veſtitam & undique contectam, immiſſæ cum ſecuribus falcibúſque & reliquis iſtiuſmodi ferramentis operæ purgârunt & aperuerunt. Eſt ergò propriè ברה ſententiâ Aquilæ *iter purum ac patens*. Quo pacto loquitur Livius lib. 4. bell. Pun. *Dimicatum*, inquit, *puro ac patenti campo, ubi ſine ullo inſidiarum metu verâ virtute geri res poſſet*. Iſtud autem nihil eſt aliud quàm *via publica & regia*, ut vocant. Ex hoc fonte emanavit ſignificatio illa verbi פנה in Piel, cùm pro ὁδοποιῆσαι ſumitur (ut rectè Lxx verterunt) h. e. *viam munire*. Ad verbum enim denotat *viam facies ſeu aſpectui expoſitam & conſpicuam ex omni parte reddere*, ſublatis iis quæ & conſpectum impedire & proſpectum adimere videbantur. Hinc etiam ortum eſt verbum Græcum προκόπτειν, h. e. *procedere, progredi, proficere*, ut Luc. 2. 52. προέκοπτε σοφίᾳ *proficiebat ſapientiâ*. Propriè verò ſonat *ante alios ſcindere, cædere* vel *ſuccidere*, nempe in itinere faciendo (quod ſuccîſis arboribus, cæteríſque ejuſmodi, quibus obſeptum erat, pervium quis reddidit & commodum) alios omnes antecedere. Hinc item Phraſis illa Græcorum ὁδὸν τέμνειν, h. e. *viam ſcindere*; quòd exciſis paſſim ſilvis fruticibúſque & vepretis viæ ferè pararentur olim ab antiquis. Hinc illa quoque Latinorum, *aperire viam*, cùm antè quaſi occluſa eſſet denſitate & perplexitate ſilvarum; item, *ſecare viam*, more Græcorum, unde elegantiſſimè de Turno Virgilius Æn. l. 12. 368.

——*Quacunque viam ſecat, agmina cedunt,*

inquit, h. e. proſtratis hîc illic, dexterâ, ſiniſtrâ, hoſtibus, tanquam arboribus, per denſiſſimos cuneos viam ſibi aperit. Quare, ſecundùm Aquilam, hunc in modum interpretabimur loca Scripturæ ubi vocabulum illud reperitur: v. g. Gen. 35. 16. *Deinde profecti ſunt Bethele. Accidítque etiamnum planè in publica illius regionis via, quâ pervenitur Ephratham, ut pareret Rachel.* Rurſum Gen. 48. 7. *Ego verò cùm redirem Padane, mortua eſt apud me Rachel in regione Canaanis, in ipſo itinere, cùm adhuc planè in publica regionis via eſſem quâ Ephratham pergitur.* Denique 2 Reg. 5. 19. *Sed dixit ei Eliſæus, Abi cum pace. Ità abiit ab eo planè in viam publicam regionis*, q. d. *Ille primùm igitur extra oppidum profectus in viam ſe dedit Naaman, dixit Gehazi miniſter Eliſæi*, &c.

Quòd ſi vocem ברת à Syriaca ברא, *rus* aut *agrum urbi circumjacentem*, vel *extrinſecùs ſitum*, ſignificante, derivandum putâſſet Aquila, non κατ' ὁδὸν, opinor, tranſtuliſſet, ſed κατ' ἀγρὸν τῆς γῆς· quod nuſquam legi, & Latinis Hieronymi verbis repugnat. Non tamen inferior erit priore interpretatio iſta, ſi rectè itidem accommodetur.

Cap. 16. *De deductione & expoſitione vocabuli* מבקרין *ab interprete Syro adhibiti Matth.* 6. 7.

Præcipit Dominus in Euangelio Matth. 6. 7. μὴ βαττολογήσητε, *Ne inania loquamini*, ut tranſtulit Arias. *Ne eadem blaterate*, ut Beza. *Ne garrite*, ut Caſtalio. *Ne loquaces ſitis*, ut Stephanus. *Ne multum loquamini*, ut habet editio Vulgata: cui apertè conſonant ſequentia Scripturæ verba, *Putant enim fore ut ſuâ illâ* πολυλογίᾳ, i. *multiloquio*, ſeu *loquacitate, exaudiantur*. Ubi βαττολογίαν textus ipſe πολυλογίαν eſſe perſpicuè declarat.

Paraphraſis Syra ſic vertit, לא הויתין מפקקין. Quæ Tremellius, doctiſſimus interpres, ità reddidit, *Ne ſitis multiloqui*. Ad verbum, *Ne ſitis proferentes*; *à* פוק *vel* נפק, inquit, *deductâ voce, quæ ſignificat idem quod Hebraicum* יצא exivit. Atqui nimis multùm inter ſe diſcrepant πολυλογῖαν, καὶ λέγειν, *loquacem eſſe & ſimpliciter verba proferre*. Quinetiam omnis in univerſum locutio מוצא פה ab Hebræis appellatur, h. e. *prolatio oris*; à Chaldæis itidem אפקות מימרא, h. e. *prolatio ſermonis*. Quare ſi admittatur deductio iſta Tremellii, perinde ſonabunt Syriaca illa ac ſi dixiſſet Dominus, *Ne proferatis verba ulla inter orandum*. Quod ſanè perquam eſt abſurdum. Probabiliorem igitur neceſſe eſt inveſtigemus derivationem. Eámque, ni fallor, radix Hebræa פנה facilè ſuppeditabit. Hebræis enim vox eſt פך, *phialam* ſignificans. Unde Græci ſuum φακὸς ſunt mutuati; quo ſæpius utuntur Lxx. Porrò φακὸν non ſolùm olearium vas ſed aquarium quoque fuiſſe docent iidem Lxx & Joſephus ipſe, φακὸν ὕδατος utrique memorantes 1 Sam. 26. 11. Antiq. l. 6. c. 14. Id quod à Suida ſic declaratur, ἄσκος ὑδατοδόχος ἀσγὴς ἐκδίκου, ὃ ἀγγειοπλάστης παρ' ἡμῖν ἀσκοδαῦλα λέγεται, *Genus eſt*, inquit, *vaſis aquarii, itineribus conficiendis accommodi, quod ruſticano more apud nos Aſcodaula vocatur*. Quòd ſi ἀσκοδαῦλα ſit ἀσκὸς ταύρου, h. e. *culleum*, conflatis ſcilicet in unum duobus vocabulis (quemadmodum veriſimile videtur) & τ in δ, ϱ item in λ affines literas mutatis, grandius, opinor, erit vas illud quàm ut פך Hebræo conveniat. Fallitúrque haud dubiè Suidas in hiſtoria illa Saulis, parùm aut decori aut rationis memor, qui Aſcodaulam totam, vas utique ingens, ac non mediocre potiùs, quod ſiti noctu (ut fit) reſtinguendæ ſufficeret, Regi appoſitum fuiſſe augueretur. Sed ut ut hoc factum eſt, illud certè liquet, nomini פך reſpondere apud Hebræos verbum פכר, apud Ezec. 47. 2. *aquarum decurſum* denotat *ubertim tanquam è phiala manantium*. Verbo autem פנה alterum ſignificatione par, nempe פכך, ex analogia linguæ formari poſſe notum eſt: unde verſo כ in ק derivetur Syriacum פקק. Participium igitur מפקקין apud Matthæum idem omnino valebit quod מפכים apud Ezechielem. Utrumque propriè quidem exponitur נובעים (ut eſt in Concordantiis Hebraicis) h. e. ἀναβλύζοντες vel *ſcaturientes*, Metaphoricè autem *ſermone redundantes ac ſuperfluentes*; Anglicè, **whoſe mouthes runne ober**; eleganter petitâ à Phialis ſimilitudine, vel à Fontibus, qui phialarum inſtar ſunt, earúmque ſpeciem referunt, & nomen nonnunquam aſciſcunt. Eodem ferè modo à Latinis *fundere* & *funditare* dicuntur ii qui plurima & inania proferunt verba.

Poſſumus

Possumus insuper, sensu haud absimili, originem verbi Syriaci ab altero themate Hebræo, nempe בקק, i. *vacuavit*, arcessere. Quare מפקק quasi מבקק, is erit qui quicquid intus est verborum temere exinanire solet atque profundere. Quod genus hominum Græci λογοφόρους, ut opinor, appellant, h. e. *multa ac supervacanea garrientes*; itémque φλυάρους, à φλύω, i. *ebullio*, derivatâ voce; nempe lebetum instar, quos nimio subjecti ignis calore effervescentes ac redundantes subitò evacuari & exhauriri videmus. Cæterùm hîc fortasse non fuisset valde opus Hebræam linguam in subsidium advocare, cùm Syriaca satis ipsa per se ad hanc rem expediendam sit instructa. Nam ibi quoque invenitur פך à themate פכך, ex quo formetur מפקק, literâ simili (ut modò diximus) in consimilem mutatâ: quod non solùm in diversis sed in eadem etiam lingua non est prorsus inusitatum. Vocabulum autem פך Syriacè sonat Σιαγόνα, i. *malam* vel *maxillam*. Quemadmodum igitur apud Græcos à vehementi contentione & dilatatione τῆς λάρυγγος, i. *gutturis*, λαρυγίζων nominatur is qui clamitat, ità à jugi ἡ σιαγὼν & *maxillæ* utriusque labore agitationéque qui blaterat, Syris appellatur מפקק, pro מפכך, Græcè ad verbum Σιαγονίζων, Latinè itidem *maxillator* (ut ità dicam) h. e. maxillarum agitator. Cui vitio contrarium est quod apud Jobum legitur in vulgata editione Græca, χεῖρα θεῖναι δεῖ σιαγόνι, i. continere & cohibere se à loquendo atque silentium agere, quasi *manu maxillæ admotâ* sive *injectâ*.

Cap. 17. *Quid propriè significet* דבר אגרא, *prout transtulit interpres Syrus* Σελωιαζομένους *in Euangelio.*

Σελωιαζομένους, h. e. *lunaticos*, in Euangelio Matth. 4. 24. Paraphrastes Syrus transtulit דבר אגרא, id quod peritissimus interpres Tremellius ad verbum sonare ait *Filium agrorum, i. hominem agrestem, & qui à reliquorum consuetudine abhorreat.* At hîc multa me ab assensione cohibent. Primùm enim ut periphrasis illa *filius civitatis* Luc. 15. 15. valet civem, ità & hæc *filius agrorum* rusticum vel rusticanum hominem propriè significare censebitur: quod à proposito abest quàm longissimé. Deinde, supervacaneum videtur, quod ad hunc quidem sensum attinet, relativum ד, h. e. *qui*. Præterea, vox Græca Σελωιαζομένους pluralis est, בר autem Syriaca, eidem respondens, singularis, non *filios* denotans, sed *filium*; ideóque scribendum foret non בר sed בני in plurali, hoc modo, ובני אגרא. Postremò, negandum est, *agrum* vel *agros* à Syris אגדא vel אגרא appellari. Nam, ut omittam alia quædam nomina apud eos usitata (quoniam ad alias Græci idiomatis voces propiùs accedere videntur) illud quod legitur in contextu Syro Mat. 27. 7, 8, 10. planè idem ipsum est de quo nunc quæritur. Ibi nempe *ager* seu ἀγρὸς non אגרא sed אגורסא à Paraph. redditur: quæ sanè vocabula satis multùm inter se distant atque diversa sunt: Hoc enim quatuor constat syllabis, illud tribus duntaxat; hoc literam *s* retinet, illud caret; hoc Vau insertum habet, illud non item. Indéque manavit vox אגיריסין (servato itidem ס) quâ Chaldæus Interpres nomen Hebræum מוגים apud Jeremiam 5. 8. reddidit. Etenim ab ἄγειν ortum habere patet; ut סוסין אגיריסון *equi agrestes* intelligantur, qui passim solutéque per agros silvásque & saltus vagantur, ubicunque locorum pabula sibi quærentes. Elias (quin potiùs Baal ipse Aruch, à quo sumpsit Elias) exponit שאינן בני תרבות, h. e. *qui non sunt mansuefacti, nec domiturâ ullâ humanis usibus assueti.* Methurg. אגרס. Hos Græci φορβάδα ἵππους appellant, *qui gregales liberè pascuntur.* Atque hinc etiam φορβάδα γυναῖκα meretricem dicunt, non inepté: quippe quæ, in morem gregalis equæ, omnibus vulgato corpore prostet: ad eundem ferè modum quo usurpasse videtur Propheta nomen Hebræum antè dictum. Quocirca si sensus Tremellianus, videlicet *Filii agrorum*, Paraphrasi Syriacæ verè inesset, haud dubiè legeremus illic hæc verba eidem congruentia ובני אגורסא, non autem ודבר אגרא: quæ aliam certè interpretationem necessariò postulant. Eáque in promptu erit si communem Syriaci sermonis usum attenderimus. Etenim בר Syris ἔξω, i. *extra*, significat: אגרא verò passim δόμαλα seu *tecta* iisdem designat, non σελωιαζόμενον sive *lunaticum*, per se scilicet, amotâ particulâ בר: quod tamen observavit Schindlerus, sed planè ἀσύχως, ut arbitror. Præcisè autem dicitur דבר מן אגרא pro דבר אגרא: nam subintelligendum est מן, ut plena sit oratio: quod usitatum est in popularibus ittiusmodi formulis, quæ sermonis compendio gaudent. Igitur דבר אגרא (ut verbum verbo reddam) sonat *qui extra tecta* degunt. Græcè ἀσύχους appelles licet. Quâ voce utuntur Lxx ad eos designandos qui vitam miserrimam trahunt, propriè more דמרודים, *perduellionis*, sive *defectionis, crimine damnatorum*, aut *proscriptorum*; in silvis, solitudinibus montibúsque & locis deviis, sine foco, sine lare ullo familiari oberrantium. Hosce imitantur דבר אגרא à Syris vocitati, h. e. qui loca vasta & deserta nec ab ullis hominibus habitata libenter incolunt, solitudinem quærentes & ab hominum consuetudine prorsus abhorrentes. Quales esse solent inprimis ii qui diabolicæ melancholiæ rabie perciti sunt atque horrendo furore exagitati. Cujusmodi erat ille quem describit Lucas c. 8. 27, 29. *Nullo*, inquit, *vestimento induebatur.* (Itaque σφάλμα omnino prodigiosum videtur illud Schindleri Lexic. Pent. voce אגרין: בר אגרין *filius vestium, qui vestibus incedit, & vestitur*, ad suprà dictum, Matth. 4. de hoc eodem hominum genere annotatum) *nulláque in domo manebat. Imò nè catenis quidem vinctus & compedibus custodiri poterat; sed diruptis vinculis agitabatur à Dæmone in deserta.*

Parùm igitur commodè hoc ipso in loco, ordine verborum inverso, reddita videntur ista, ὑπήντησεν αὐτῷ ἀνήρ τις ἐκ τῆς πόλεως, *Occurrit ei ex urbe vir quidam*, Luc. 8. 27. Palàm enim & perspicuè confirmat Marc. 5. 2, 3. dæmoniacum illum è *monumentis, in quibus manebat, Domino occurrisse*, non autem *ex urbe*, quam fugitabat

——πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων,

Il. ζ'. 202. ac per loca deserta & inaccessa temere vagari solitus, ut ex Luca modò audivimus. Quamobrem, accuratè observatâ nativâ verborum serie & continuatione, dicamus *virum quendam ex urbe illa* (sicuti Joh. 1. 45. Philippus narratur esse ἐκ τῆς πόλεως *ex civitate Bethsaida*) h. e. qui dudum fuerat civis, habitator vel incola urbis illius, quamvis tum extra eam assiduè viveret, postquam à dæmone vexari cœpit, *Christo statim in terram egresso occurrisse* proximè litus, satis procul ab urbe Gadarensi, quæ maritima non erat, sed paulò longiùs à lacu remota.

Cæterùm quòd Matth. 17. 15. (ubi idem rursus occurrit locutionis genus) transferuntur Syriaca illa דאית לה בר אגרא, *cui est lunaticus morbus.* Malim, *cui est lunaticus spiritus*, aut *dæmon*, (ità namque loqui solent Euangelistæ) aut potiùs, (ut interpretationis nostræ vestigiis insistamus) *cui est spiritus tectorum fugitans*; Græcè ὃς ἔχει πνεῦμα ἄσυχον, aut si aliud aptius nomen in eandem sententiam inveniatur: Omnino prout apud Marcum 9. 17, 25. legimus πνεῦμα ἄλαλον & κωφόν. Per Metonymiam quippe effecti Spiritui impuro attribuitur quod homini convenit in quo ἐνεργεῖ, ut Græci dicunt, quem corripit ac vexat Spiritus ille.

Cap. 18. *De Manete hæretico, nominúmque ejus rationibus.*

De Mane Hæresiarcha suprà aliquantulùm [cap. 3.] diximus. Epiphanius adversus Hæres. lib. 2. Tom. 2. eum initio Κύβεικον *Cubricum* appellatum, & mulieris cujusdam viduæ vilem servulum fuisse scribit. Id autem nomen compositum videtur ex ריק voce notissima, *inane* seu *vacuum* significante, & קוב, quod Hebræis & Chaldæis *ventriculum* ac *ventrem* denotat, aut, si mavis, à כובא deducere, quod linguâ Chaldaicâ *vas vinarium* sonat,

sonat, כלי של יין. Quanquam vocabulum istud (ut & alia nonnulla) gentes illas Orientales à Romanis, rerum dominis, in eas regiones frequenter commeantibus, ibíque passim degentibus, mutuatas fuisse omnino credibile est. Latini namque *Cupam* perhibent, vas vino condendo paratum,

——*ratem vacua sustentant undique Cupa,*

inquit Lucanus Bel.civ. lib. 4. Indè nostrates doliarium à **Coupar**, q. d. *cuparium*, vulgò vocitant.

Hujus autem Cupæ formam quia poculum quoddam imitabatur, *cupa* & ipsum dicebatur. *Qui duas cupas mero plenas exhausit*, ut loquitur Nævius apud Nonium. Hinc nostrum **Cup**, quod universum poculi genus apud nos complectitur. Licet ad veteris Cupæ potoriæ figuram quàm proximè accedat poculi species illa quam **Tankerd** vernaculo sermone nuncupamus. Quare *cubricus* perinde sonabit atque *venter* seu *ventriculus inanis*, aut *dolium* vel *poculum inane*. Quod genus nominis impostor ille, cùm jam adoleviſſet, apertè probrosum esse animadvertens, pro virili operam dedit ut mutaretur, séque *Manem* appellandum curavit. Vox autem מאנא (ut verè testatur Epiphanius) linguâ Babylonicâ & Syrâ ϛκεῦος, i. *vas*, vel *instrumentum*, designat; Vocabulum admodum generale adeò ut ipsas etiam *vestes* τὰ ἱμάτια Act. 18.6, &c. comprehendat. Unde & linteum illud quod Petro apparuit ϛκεῦος seu מאנא idiomate Syro denominatur Act. 10. 11.

Neque dum quievit scelus. Facilè quippe sensit parùm sibi fore honorificum si vulgari servorum nomine uteretur: Quale re ipsâ erat *Manes* vocabulum. Id quod Zenonis Philosophi celebre illud dictum satis declarat. Ille nempe cum morbo gravi afflictaretur, Medicúsque pullo columbino (ut refert Musonius Stob. Ser. 39.) vescendum consuleret, ὡς Μάνλω, ἔφη, μὴ θεράπδα, *Non secùs*, inquit, *quàm Manem me curato*. Nimirum id volebat Philosophus, se non molliùs quàm servulum aliquem ægrotantem tractandum, *Manetis* nomine quemlibet generatim servum denotans. Nomen ergò pristinum, infimam olim vitæ suæ conditionem subindicans, speciosо attributo decoravit callidissimus nebulo; Séque non ampliùs Μάνλω simpliciter, sed Μανιχαῖον, nomine compositо, nuncupavit. Est autem Μανιχαῖος seu *Manichæus*, מאנא חיא, h. e. *Vas*, vel *instrumentum*, *vivum*. Dignum sanè & hoc quoque patellâ (ut aiunt) operculum: Siquidem servus omnis ὄργανον ἔμψυχον *instrumentum animatum ac vivum* censendus est, autore Philosopho Pol.l.1.c.4. Pulcrè ut hîc etiam nomini suo responderit emptitius iste servus nequam, si quisquam ullibi gentium alius. Vide Epiphanium & Socratem Hist. Eccl.l.1.c.7. Attamen (ut quod res est dicam) illud significare voluit blasphemus impostor, in se, tanquam *vase* aliquo cœlitus scilicet demisso, *vitam* æternam recondi, unde cæteris mortalibus petenda ac depromenda esset. Porrò Syris usitatum est vocabulum aliud, soni similitudine nomini Μανιχαῖος proximum, nempe particula מאנאי, h. e. *Quidnam?* quam subindè usurpare solent cùm singularem ac propè incomparabilem rei aut personæ alicujus præstantiam, velut admiratione quadam obstupefacti, summis laudibus efferre & prædicare instituunt: Ut in Euangelio Luc. 1. 66. ubi de futura insigni Johannis Baptistæ excellentia disseritur, *Et omnes*, inquit Euangelista, *reposuerunt ea in corde suo, dicentes*, Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται; Syriacè מאנאי נהוא טליא הנא, *Quidnam erit hic puer?* h. e. Qualis & quantus vir? Nimirum planè incomparabilis atque Divinus. An ab illa voce Manes *Manichæi* cognomentum sibi asciverit etsi liquidò dici non potest, notum est tamen impostores ejusmodi in excogitandis talibus verborum nominúmque præstigiis improbè ingeniosos & astutos semper fuisse.

Quòd si vox *Manichæus* duplici *N* scriberetur, non dubitarem asserere exsecrabilem & summè superbum Agyrtam מנא חיא, h. e. *Manna vivum*, sibi nomen adoptasse; quemadmodum & Christus לחמא חיא, ὁ ἄρτος ὁ ζῶν, *Panem vivum*, se dixit, Joh. 6. 51. *Singularis* enim erat hæresiarchæ illius *audacia*, ut expertus loquitur beatus vir Augustinus Tom. 6. l. contra Ep. Fundam. c. 6, & 8. *& ineffabile sacrilegium*; adeò ut tantùm non pro *Christo* ipso se coli voluerit, & tanquam *Spiritum S.* seu *Paracletum* illum à Servatore promissum *sese prædicârit*, Euseb. Hist.Eccl.l.7. c.30. Quoniam verò Spiritus insitam habet vivificandi vim, & Manna è cœlo depluit, hinc os impudens *Mannichæi*, h.e. *Manna viva*, cognomentum vendicavit.

Refert Augustinus in libro De hæresibus, Manem à discipulis suis in Græcia *Manichæum* nuncupatum quasi *Manna fundentem*, è *Manna* videlicet & χέω conflato nomine. Atqui infirma prorsus est hæc conjectura. Nam ut prior ità posterior quoque vox in nomine illo peregrina est & ab idiomate Græco planè aliena; homini autem barbaro, qualis erat Manes, notissima, utpote ex sermone ipsi vernaculo desumpta. Deinde terminatio χαῖος tam inusitata & absona est Græcis, præsertim in nominibus à χέω vel χάω compositis, ut vel sola per se impedire queat quò minùs indè ductum putetur vocabulum. Nec enim in χαῖος ulla istiusmodi desinere solent unquam, sed in χόος semper, ut χρυσοχόος, οἰνοχόος. Placet autem Scaligero, in Animadversionibus suis Eusebianis p. 221. Μάνλω nomen substantivum esse, & *Hæresiarcham ipsum*; Μανιχαῖον verò adjectivum, *eúmque* significare *qui ejus secta est*. Sed nullo statim negotio convincitur, τοῖς ἀνὺ πρεσβεῖς ἀλῶς. Fatetur enim Hæresiarcham tum *Manem* tum *Manichæum* passim vocari à veteribus Patribus, Hieronymo, aliísque primæ notæ scriptoribus: Imò etiam à seipso eundem Manem in Epistola quadam *Manichæum* nominari, Epiphan. adverſ. Hæres. lib. 2. p. 269. Deinde palàm agnoscit (uti res est) ex proprio Μάνης attributum Μανιχαῖος nullâ analogiâ deflecti unquam posse. Liquet ergò nomen esse compositum, ac propriè substantivum. Sæpissimè tamen more adjectivi usurpatum concedo; sed per Catachresin manifestam. Cujus causam hanc fuisse suspicor quòd terminatio αῖος adjectivi formam præ se ferat apud Græcos: atque adeò re verâ ipsum χαῖος apud Syros adjectivum est, sicut proximè declaravimus. Quare cùm Μανιχαῖος à nomine Μάνης in morem possessivi (κλιτικῷ τύπῳ) formari nullâ ratione queat, incassum, tanquam ἀπὸ μηχανῆς, ad id confirmandum denominatio Παυλικιανῶν quasi consimilis producitur. Hîc quippe aliqua saltem probabilitatis species apparet; nempe ut ἀπὸ τοῦ Παύλου effingatur vox analogica Παυλικοί, ac indè promptissimè denominentur Παυλικιανοί. Illic nulla omnino. Quis enim vel adamantinis unguibus ex vocabulo Μάνης exsculpat Μανιχαῖος; laterem lavet planissimè qui attentaverit. Proinde non dubitandum quin χαῖος vocabulum exsistat per se significans, ex quo, addito altero, nempe Μάνης, conflatum sit nomen Μανιχαῖος. Nihilo pluris faciendum est & illud ejusdem Scaligeri continuò sequens, *Quòd* Μανιχαῖος *adjectivũ pro substantivo* Μάνης *usurpatum sit, non caret exemplo. Qui enim* Μίνανδρος *dicebatur, is dictus etiam* Μινανδριανός, *à quo* Μινανδριανισταὶ *ejus secta populares*. Fabulæ. Mihi quidem non exemplo id solùm sed (quod multò magis in vitio est) ratione etiã carere videtur. Nam adjectivũ ejusmodi pro substantivo suo usurpari, unum & idem est atq; auctorẽ disciplinæ alicujus ejusdem sectatorẽ esse & sectatoris nomine appellari; aut (quod perinde valet) liberos tum originem tum nomẽ non ducere à parentibus, sed contrà parentes à liberis. Pari jure fingatur item boves à plaustro trahi, & invertatur ubiq; rerum ordo. Menandrum verò alicubi *Menandrianum* dici id demum non intrepidè asserendum, sed dilucidè docendum esset, aut certè probabiliter ostendendum. Hæresiarchæ quidem appellatione discipulos aliquando insigniri consentaneum arbitramur: Est enim quilibet eorum tanquam alter idem; ut qui voluntatis inclinatione in eum totus propendeat, ac pravæ doctrinæ imaginẽ in mente penitus conceptam gestat, in illáq; quoquoversum spargenda vicariam Hæresiarchæ operam impendat. Icidem exemplis perspicuis certísque exploratum habemus. Hinc Judas in Euangelio Joh. 6. 70. ex ore Domini *diabolus* (Syriacè *Satanas*) audit; itémq; Ptolemaitæ *Ptolemaï*,

Novatiani

Novatiani *Novati*, Valentiniani *Valentini* subindè vocitantur, Epiphan. adv. Hær. l. 1. p. 97. l. 1. p. 3. & l. 2. p. 249. lib. 1. p. 3. & 75. & 93. Quinetiam quotidiano sermone Epicureum *Epicurum* nominare solemus. Discipuli autem nomine Hæresiarcham notari, vix uspiam ac nè vix quidem reperiatur. Namque firmamentum ac fundamentum ruinosum, imò nullum est; Μενανδειανισὴς à voce Μενανδειανὸς derivatur: Μένανδρος igitur est dictus Μενανδειανός. Quin potiùs Μενανδειανισὴς idem est appellatus qui & Μενανδειανὸς: perinde ut Ὠριγενιασὴς idem dicitur Sozomeno Eccles. Hist. l. 8. c. 12. p. 110. qui Ὠριγένης vel Ὠριγένις Epiphanio Adverſ. Hær. l. 11. p. 3. lin. 24. & p. 226. l. 7. Alioquin ità etiam argutari liceat, Ὠριγενιασὴς à nomine Ὠριγένις formatum est eodem planè modo quo & Μενανδειανισὴς à Μενανδειανός. Quapropter Origenes quoque nomen mutârit necesse est, & *Origenius* repentè est nuncupatus. Quasi scilicet derivatum etiam alterum ab altero quandoque formari non possit; id quod vel hoc uno exemplo satis testatum esse reor: enimvero utrumque à principali deducitur; sed hoc intereſt, quòd illud μένης profluit, hoc ἀμένης. Rursus illud imitationem potissimùm designat; hoc conditionem eam quâ quis alieni est non sui juris ac mancipii. Alioqui, quod ad sensum appellationis attinet, prorsus congruunt, & ad eandem personam ritè denotandam aptè quadrant. Uterque enim, tam Menandrianus quàm Menandrianista, est Menandri Hæresiarchæ sectator, h. e. & simiolus, & servum pecus.

Cæterùm quod dubitat Scaliger, utrùm *Manes* vocabulum Persicum sit an Chaldaicum, scrupulus item est evulsu non difficilis. Nam vel suo ipsius Manichæi judicio (ὡς αὐτὸς φησι) ex lingua Chaldaica sive Syriaca non ex Persica petitum nomen illud sibi ipse imposuit, Epiph. Adverſ. hæres. l. 2. p. 266. Etsi enim ex Perside profectus dicitur cùm tartareum dogmatis sui virus eructare incipere, non tamen ibi natus videtur, sed potiùs in vicina terra hostili, Babylonia videlicet aut Mesopotamia; atque indè tandem, ut servus emptitius, in Persidem captivus abductus. Minimè igitur mirandum, usque eò promptum alacrémq; ad concertationes & disputationes publicas in Mesopotamia capessendas se exhibuisse, ut ad eas (teste Epiphanio) Orthodoxos, nullo interveniente interprete, cupidè & audacter provocârit. Hoc quippe magno argumento est, expeditissimum ei fuisse ac omnino vernaculum & nativum illius linguæ usum. Atque hoc velut paratissimo subsidio, secundùm versutæ & pestiferæ doctrinæ pellaciam, fretus & confirmatus, Mesopotamiam Syriámque universam indubitatâ & peculiari spe devoraverat, quasi præconii sui efficacitate illico subigendam.

CAP. 19. *De Psallianis, aut Sallianis, aut potiùs Massallianis: Déque iis quos Græci* Βακαντίζους *vocant.*

PSallianorum, inquit Augustinus Tom. 6. De Hær. ad Quod-vult-Deum, *hæresim postremam ponit Epiphanius: Quod nomen ex lingua Syra est: Græcè autem dicuntur* Εὐχίται, *ab orando sic appellati. Psallianorum* hic nomen vitiatum esse constat. Nam ab Epiphanio haud ità nuncupantur; hæc quippe sunt ipsius verba Lib. 3. Tom. 2. adverſ. Hæres. Μασσαλιανοὶ ἢ ἔτοι λεγόμενοι, ἑρμηνευόμενοι Εὐχόμενοι. *Hi verò Massaliani vocantur*, hoc est, *si interpreteris, Orantes.* Rectè quidem. Nam *orantibus* sive *precantibus* apud Syros nomen est מצליא vel מצליא. Litera autem ץ passim simplici *S*, quandoque etiam duplici, à Græcis exprimitur, ut cernitur in vocibus ἰασὰ, βύσσος, aliísque. At sonum *TS*, quem per se valet litera ץ, ut omnino barbarum, tam Græci quàm Latini prorsus ignorant. Quare vox *Psallianorum* perperàm legitur pro *Massallianorum*, aut saltem pro *Salianorum*, ablato *P.* Tum verò non Εὐχόμενοι interpretabimur Græcè, sed Αἰτοῦντες, Syriacè שאלין, ut & Hebraicè, Prov. 20. 4. eodem planè modo quo usurpatur utraque vox Syra & Græca Act. 3. 2. דנהוא שאל ודקחא, τὸ αὐτὸν ἐλεημοσύνην, i. *ut peteret eleemosynam*, vel *mendicaret.* Etenim solenne quoque erat huic hominum generi (quos imitati videntur postea familiæ Franciscanæ fraterculi) mendicitatem religionis ergò palàm profiteri. Id quod disertis verbis inter alia de illis testatur Epiphanius, Ἐκτείνουσι τὰς χεῖρας μεταλῶν, ὡς ἀξίωτοι ἢ ἀκτήμονες, *Porrigunt*, inquit, *manus ad stipem petendam, utpote qui victu omni careant ac possessione.* Quemadmodum igitur *Massalliani* vocati sunt ab assiduo *precandi* ritu, ità & *Salliani* haud immeritò cognominati fuerint fortassis à vulgari & quotidiana *mendicandi* consuetudine. Licet *Massallianorum* etiam nomen eodem pacto exponere. Nam Syri, itémque Hebræi, eos qui *petunt* quippiam, vel *rogant*, aut etiam *mendicant*, משאלין appellare solent, Psal. 109. 10. Marc. 10. 2, 17.

Præterea iisdem Epiphanius impingit ἀεργίαν, h. e. *cessationis ab opere*, seu *desidiæ*, *socordiæque* crimen; eósque fucis, ignavo pecori & à præsepi arcendo, assimilat. Deinde commemorat præcipuum erroris ipsorum firmamentum, nempe dictum illud Servatoris, Joh. 6. 27. *Operemini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Epiphanii verbis consentanea narrat Augustinus De Hæres. ad Quod-vult-Deum, Hær. 57. *Dicuntur*, inquit, *Euchitæ opinari, Monachis non licere sustentandæ vitæ suæ causâ aliquid operari; atque ità seipsos Monachos profiteri ut omnino ab operibus vacent.* [Vide Theodoriti Hist. Eccles. lib. 4. c. 11. in Gr.] Itaque desertâ suâ quisque vocatione, otiosi atque inertes sursum deorsum cursitabant. Religio quippe ipsis erat, certo aliquo genere cursúque vivendi implicari. Id demum haud secus ac manicas compedésque gravissimas exhorruerunt. Hinc Epiphanius Massallianos ἀκωλύτους appellat, quòd ferre non possent se ullâ ratione *prohiberi* aut *coerceri*, quò minùs licentiâ suâ fruerentur, & curis omnibus soluti vitam ignavam degerent atque turpem.

Istorum de grege erant quorum meminit Synesius Ptolemaidis Cyrenaicæ Episcopus Epist. 67. ad Theophilum. Περιουσιοί τινες Βακάντιζοι παρ' ἡμῖν. ἀνέξῃ γάρ με μικρὸν ὑποβαρβαρίσαντος, ἵνα διὰ συνηθείας τῇ πολιτικῇ φωνῇς, τὸν οἰκεῖον κακίαν ἐμφατικώτερον παραστήσωμι. ἔτοι καθέδραν μὲν ὑποδεδεγμένων ἔχειν ἐν βίλοις, ὅτιγε τὸν ἔσαν ὑπολελοίπασιν, ἐν χῇ συμφορᾷ, ἀλλ' ἀνθαίρετοι μεταστῆσαι γενόμενοι. *Oberrant*, inquit, *quidam* Βακάντιζοι *apud nos; feres enim me paululùm sermone subbarbaro utentem, ut voce hujusmodi instituto magis consuetâ & familiari quorundam improbitatem significantius exprimam. Horum nempe alii Episcopi designati munus illud suscipere renuunt; alii verò etiam antè susceptum deseruerunt, non calamitate ullâ coacti, sed suâ sponte vagi atque exsulum instar, sedem stabilem & domicilium certum non habentes.* Quis hic non videat Βακαντίζους appellatos fuisse provinciali Romanorum linguâ, quasi *Vacantivos* aut *Vacativos* à verbo *vaco*, quòd vacare perpetuò ac feriari solerent voluntate suâ à negotiis omnibus publicis & privatis, cessationéque istâ Ecclesiæ Resq; publicæ prorsus inutiles torperent? Atque eò allusisse videtur Augustinus suprà, ubi Euchitas ejusmodi *Monachos* esse dicit *qui omnino ab operibus vacarent.* Peritè igitur à Suida Βακάντιζος exponitur σχολαστὴς, ad verbum *otiator*, ac si dicat *qui otiandi quasi artem quandam factitat*; addítq; mox appositissimè amplioris declarationis gratiâ, μὴ παραμένων τῷ πράγματι αὐτῷ, h. e. *Qui non permanet constanter in negotio suo gerendo*, eo nimirum quod ad muneris sui rationem jure pertinet. Pulcrè itaque convenit Suidæ cum Synesio, & utrique cum Augustino atque Epiphanio, Massallianos videlicet postea cognominatos fuisse *Vacantivos, inutilia* (ut ait Poeta, Hor. epist. l. 1, 2.) *Telluris pondera, & fruges consumere natos:* Qui *domos alienas exedebant, idque in speciem utentes prolixis adóque jugibus suis precationibus*, Matth. 23. 14. Iisque hodie successit hac quidem in re totus Monachorum chorus Papisticus, germana Massallianorum Vacantivorum soboles, precatores superstitiosi, *ventres otiosi*, Tit. 1. 12.

CAP. 20. *De voce τέκνον, quæ ſæpe* Filius *redditur.*

NON ſatis probatur doctiſſimo Interpreti quòd Vulgata editio cùm alibi tum Matth. 3. 9. *τέκνα filios* verterit. Id tamen magno & acri judicio feciſſe videtur. Primùm enim noverat *τέκνον* ſæpe à diſertioribus etiam Græcis pro *filio* uſurpari, à Sacris verò ſcriptoribus quàm ſæpiſſime, ut Matth. 9. 2. & 21. 28. & 22. 24, &c. Itidem Hebraicum זרע, quod *ſemen* ſonat, h. e. poſteros in genere, peculiariter, ſidque crebrò, accommodatur ad *filios* quoque ſignificandum, quemadmodum cernitur Gen. 21. 13. & 48. 11, &c. Adeò ut mos ille antiquiſſimus apud Hebræos ducendi, affinitatis jure, mortui fratris uxorem, *ſemen* & *filium* pro eodem habeat. Nam qui בן, h. e. *filius*, & בכור, h. e. *primogenitus*, dicitur Deut. 25. 5, 6. idem זרע, h. e. *ſemen*, appellatur Gen. 38. 8. ut & σπέρμα Matth. 22. 24.

Deinde obſervanda eſt promiſſio Abrahæ facta, quæ nominatim ac præcipuè Filios ſpectabat, ratione & naturalis dignitatis, quâ ad inſtar capitis eminent mares, & privilegii adventitii, ut qui ſoli inſculptum carni ſuæ geſtarent federis ſignum, Circumciſionem. Denique quoniam cœleſte illud Regnum in S. literis ſub *hereditatis* nomine atque ſimilitudine ſæpiſſime proponitur; *hereditas* autem filiorum propriè dicitur eſſe, non filiarum, niſi ubi illi non adſint; (nota quippe lex eſt Num. 27. 8. *Cùm alicui mortuo filius non erit, tunc demum* (non aliàs) *transferetur poſſeſſio ejus ad filias ejus.*) Hinc fit ut propter uſitatum hunc inter homines morem in typo terreſtris poſſeſſionis conſimiliter loquatur Spiritus S. de veritate cœleſtis hereditatis; ejuſdem ſcilicet heredes *filiorum* potiſſimùm nomine ſcribens. Nemo enim ignorat quàm crebrò formulas è medio petitas adhibeat Scriptura ſacra, omnino, ut ait Apoſtolus, κατὰ ἄνθρωπον Gal. 3. 15. vel ἀνθρώπινον Rom. 6. 19. &c. *hominum more verba faciens, propter infirmitatem carnis noſtræ.* Atque eundem planè in modum ratiocinatur Paulus Rom. 8. 17. *Quòd ſi filii, etiam heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Ubi quamvis in Græco habeatur τέκνα, novus tamen Interpres, contra morem ſuum, vertere maluit *filii* quàm *liberi* argumenti Apoſtoli ſenſu adductus. Verè namque fideles omnes, propter unigenitum illum, *filii* ſunt, & quidem *primogeniti*, Exod. 4. 22. Heb. 12. 23. quorum maximè propria eſt hereditas paterna. Non igitur ullo modo verendum nè Feminæ propterea ab hereditate cœleſti excluſæ videantur. Ad rem ipſam enim quod attinet, ſcimus *in Chriſto Jeſu univerſos nos unum eſſe* hominem: *Ideòque non eſſe Judæum neque Græcum, non eſſe ſervum neque liberum, non eſſe maſculum neque feminam*, Gal. 3. 28.

NICOLAI FULLERI MISCELLANEORUM SACRORUM LIBER III.

CAP. 1. *Locus quidam Euſebii in Hiſt. Eccl. de Jacobo fratre Domini emendatus & explicatus.*

NON obſcurum eſt aliquantò acriùs intuenti, verba illa de Jacobo fratre Domini quæ ex Hegeſippo affert Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libr. 2. c. 23. mendoſa eſſe, Διὰ τὴν ὑπερβολὴν, inquit, τῆ δικαιοσύνης αὐτοῦ, ἐκαλεῖτο Δίκαιος, καὶ Ὠβλίας, ὅ ἐστιν Ἑλληνιστὶ, Περιοχὴ τοῦ λαοῦ, καὶ Δικαιοσύνη, i. e. *Ob eximiam juſtitiam ipſius dictus eſt Juſtus, & Oblias: quod Latinè eſt, Munitio populi, & Juſtitia.* Primùm namque facilè liquet cuivis linguæ Hebrææ non prorſus ignaro, vocabulum *juſtitia* nominis *Oblias* ſignificatu non contineri. Deinde conſentaneum non eſt, eum voce (ut loquuntur) abſtractâ *Juſtitiam* appellatum. Imò etiam Hegeſippus ipſemet proximè illum non *Juſtitiam* ſed *Juſtum* nuncupatum fuiſſe aſſeruerat. Quòd ſi iterum hîc itidem, ut & paulò antè, Δίκαιος, i. *Juſtus*, nominetur, inanis erit unius & ejuſdem vocabuli repetitio. Inſuper appellatio Hebræa *Oblias* (niſi fateamur eam vitiosè ſcriptam) exponi non poteſt περιοχὴ τοῦ λαοῦ. Nihil enim ſubeſt unde ullâ ratione erui aut exſculpi queat iſtiuſmodi expoſitio. Sciendum igitur עז aut מעוז Eſa. 23. 14. & Prov. 21. 22. denotare *robur* ὀχύρωμα, *munitionem* & (ut verbum verbo reddam) *fortalitium*, ſi ità cum barbaris loqui liceret, locum videlicet arte vel naturâ munitum adverſus vim hoſtilem. Unde Tyrus, urbs munitiſſima, vocatur מעוז ab Eſaia 23. 14. Et in Proverbiis Cap. 18. 10. & 10. 15. legitur מגדל עז *turris roboris*, vel *robuſta*; item קריה עז *urbs munitionis*, vel *munita*. Hinc potens ac valida Palæſtinæ civitas, Gaza nempe, Hebraicè עזה dicitur, i. *munitionis*, vel *munita*. Cæterùm vox περιοχὴ, quæ generatim declarat *ambitum* quemvis, in ſpecie pro *ambitu munitionis* adhibetur, idémque valet quod ὀχύρωμα. Itaque eâdem utuntur Lxx Pſal. 31. 21. ἐν πόλει περιοχῆς, *in urbe munitionis* vel *munita*. Symmachus interpretatur περιπεφραγμένῃ, *circumſepta*, vel *circumvallata*; Heſychius verò τετειχισμένῃ, i. e. *mœnibus circumdatâ*, aut *mœnitâ* ut Plautino vocabulo Bacchid. Heſychii interpretamento par referam.

Eſto igitur περιοχὴ מעז vel עז Hebræis: λαὸν autem, i. e. *populum*, עם ab iis dici, nemo linguæ ſanctæ adeò imperitus eſt tiro qui neſciat. Litera verò ל ſubſcripto Schevâ genitivi vel dativi apud eos eſt index. Deniq; Δίκαιος, i. e. *juſtus*, Hebraicè צדיק appellatur. Jam eruditi cujuſlibet lectoris judicium ſubire non dubitabo, an non vitiatus hic locus & corruptus hunc in modum rectè emaculari & reſtitui poſſit, Διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς δικαιοσύνης αὐτοῦ ἐκαλεῖτο Σαδδίκ, καὶ Ὠζλιὰμ, ὅ ἐστιν Ἑλληνιστὶ Δίκαιος, καὶ Περιοχὴ τοῦ λαοῦ, i. e. *Ob eximiā juſtitiā ipſius dictus eſt Saddik, & Ozliā: quod Latinè eſt Juſtus, & Munitio populi.*

Porrò cognomentum Ὠζλιὰμ (aut potiùs, propter Schevа, Ὠζλιὰμ· quippe in manuſcriptis codicibus ſæpenumero corrumpitur ε in ι, & contrà, Canter. Syntag. pag. 13.) inveniſſe videtur Jacobus ex jugibus precibus fuſis piiſque votis ſuſceptis pro populi ſalute atque incolumitate, utì paulò ſuperiùs apud Euſebium narravit Hegeſippus. Verum autem appellationis iſtius ortum (niſi fallor) è Pſalmo 29. quaſi à fonte repetere licet. Ibi namque diſertis verbis ſcriptum reperitur עז יהוה לעמו יתן, inquit Propheta, Κύριος ἰσχὺν, ſive δύναμιν, vel κράτος, τῷ λαῷ αὐτοῦ δώσει, *Jehova robur* (aut *præſidium*) *populo ſuo dabit.* Quod cùm pluribus aliis modis efficit, tum etiam excitando identidem viros pietate virtuteque inſignes, qui ardentiſſimo aſſiduè docendi precandiſque ſtudio ac zelo propugnaculorum lòco ſint Eccleſiæ & populo Dei. Hinc ego (ſi quid conjecturâ probabili conſequi

possum) & cognomentum pravum corrigendum & rectum indidem deducendum existimârim. Ut autem à עפל deducatur (quod tamen quosdam voluisse intelligo) equidem nullo pacto probare queo. *Hinc putant Eusebium* (inquit Mercerus in Annot. in Pagnini Thesaur. rad. עפל) *Jacobum vocasse Obliam, quasi* עפליה, *Arcem Domini. Quòd ut Nathinæi olim portam tenerent, & præcluderent aditum ad Regem, in præsidio collocati; sic tunc Jacobus Arcem Hierosolymis occuparet quâ ad Deum accederetur.* Multa hîc dissentanea. Græci enim nunquam hoc nomen efferunt per β, sed ubique per φ aut π. Neque enim dicunt Ὠβὰλ, sed Ὠφὰλ, aut Ὠφλὰ, aut saltem Ὀφὶλ Neh. 3. 26. 2 Par. 27. 3. & 33. 14. Unde vitiosissimum illud ὄπλα in exemplaribus nonnullis. Deinde dicendum foret, modò ut consistere quis velit comparationem, *ut Nathinæi olim portam tenuerunt, & præcluserunt aditum ad Regem, in præsidio collocati; sic tunc Jacobus arcem Hierosolymis occupavit, & præclusit aditum, nè ad Deum accederetur:* quod quàm sit impium cogitare, tam procul abesse à piis etymi istius autoribus satis scio. Postremò, quod unum præcipuè observatum oportuit, prorsus inconsideratè neglectum apparet. Etenim Hegesippus Jacobum Domini fratrem refert non עפליה, h. e. *Arcem Domini*, sed עפלעם, h. e. περιοχὴ τῦ λαῦ *Arcem*, sive *Præsidium, populi*, à Judæis appellatum. Hoc ergò, utpote consentaneum verbis Hegesippi, tanquam germanum cognomentum recipimus: illud verò, utpote alienum planéq; absonum, tanquam adulterinum & subditicium, prout revera est, rejicimus atque respuimus.

Quamobrem ut ad propositum redeam, ad nostrum, inquam, Ὠζλιὰμ, vel Ὠζλεὰμ, cùm vocabulum illud occurrisset librariis linguæ Hebrææ ubique imperitis, citò degenerasse putandum est in Ὠβλιάς. Nam cùm Ὠβλιὰμ casus accusativus librariis videretur, idémque mendosè pro Ὠβλιὰν (quæ usitata est Græcis terminatio) positus, non aliunde quàm à recto Ὠβλιὰς proficisci potuisse autumârunt. Itáque accusativum illum perspicuè quidem legimus apud JoviumMonachum in Photii Patriarchæ Bibliotheca, pag. 332. l. 19. sed in λίαν adverbium perversè mutatum; itidémque ωβ (quod suppositicium diximus πρὸ ωζ) miris modis propter præcedentem voculam χὴ apud Hegesippum, partim in Ἰωὰβ partim in Ἰαχωὰβ transfiguratum. Atq; hoc notatione ac animadversione saltem aliquâ profectò dignum eruditissimus Hœschelius nescio quo pacto in Notis suis, satis alioqui copiosis & accuratis, silentio penitus præteriit. Autoris verba ascribam, quò major Lectori fides fiat. Ὁ δὴ Ἰάκωβος ἐφ' ὅσον ἀρετῆς ἦλθε, καὶ τίνα παρῆχεν ὑπόληψιν τοῖς Ἰουδαίων λαοῖς, καὶ ἡ κλῆσις ἀπαδοῦ. Ἰωὰβ [*Al.* Ἰαχωὰβ] λίαν γὰρ αὐτὸν τὸ Πλῆθος, διὰ τὸ τῆς ἀρετῆς μεγαθος καὶ ὅσος τὸ θεῖον παῤῥησίαν, τυγχάνει, Περιοχὴ καὶ σκέπη τῷ λαῷ, καταγόμαζον, *Jacobus verò ad quantum virtutis celsitudinem emerserit, & quam sui existimationem Judæorum populo præbuerit, vel ipsa appellatio altâ voce clamat. Etenim Job* (vel *Jacob*) *valde eum Multitudo propter virtutis magnitudinem & ad Deum precandi fiduciam, h. e. Munitionem & præsidium populi, nuncupavit.* Hic cognomenti quidem interpretationem integerrimam aptissimámque, cognomentum autem ipsum corruptissimum longéque ineptissimum esse cernimus. Quid enim sibi vult Ἰωὰβ; quid Ἰαχωὰβ; quid utrique cum περιοχή; quàm alienum λίαν adverbium? Cæterùm quod ad literas ζ & β attinet, unde maxima ὑποβολιμαίων nominis Ὠβλιὰμ fingendi occasio, figuræ sunt non multùm dissimiles, imò propemodum ejusdem, maximè in exemplaribus antiquis calamo exaratis (quos mihi nuper Oxonii complures in amplissimorum Collegiorum, Wichamici S. Virginis Deiparæ, & Warhamici S. Mariæ Magdalenæ, Bibliothecis locupletissimis per benignè concessum est ut inspicerem:) Neque enim nisi lineolâ obliquâ in β sinistrorsum ductâ discrepant, & nonnunquam à librariis invicem permutantur. Exemplum luculentum unum itémque alterum offertur ex Bibliis Græcis; Primum editionis Francofurtensis, ubi Judic. 16. 3. in ipso contextu sacro leguntur hæc verba, ἐπελάζετο ἐπὶ δύο θυρῶν· eadémq; ab Henrico etiam Stephano in Thesauro annotâtur. Sed vitiosè proculdubio utrobique: rectum quippe est ἐπελάβετο· atq; idem hoc in Bibliis quoq; Romanis perspicuè scriptum cernitur. Vitium verò facilè arguunt cùm alia nonnulla, tum maximè archetypa veritas, Hebraicam dico, quæ non קרב ἐπελάζετο sed אחז ἐπελάβετο palàm exhibet. Deinde ex illis eisdem Bibliis, verùm editionis Romanæ, Num. 7. 3. in Annotationibus (quod à viris doctis non animadversum fuisse miror) ubi Eusebii Emisseni ista citantur verba, ἀμάξας λαμπωλίνας, τὰς διατρόχους λέγει, ἃς τινες ζηρώτια καλοῦσι. Quibus certè verbis duplex inhæret mendum. Nam & διτρόχους pro διατρόχους omnino legendum contendo, & βιρώτια, aut potiùs βιρότια, pro ζηρώτια. *Birotia* verò vocabulum Latinum esse constat, à Græcis, ut alia plurima, vulgò usurpatum, & à *birotis* nominativo singulari formatum, compositio ex *bis* & *rota*, ut *bilibris* ex *bis* & *libra*. Est autem *plaustrum* aut *vehiculum birote* quod duabus nititur rotis. Eusebius Græcè διτροχον nominat, Pollux δίκυκλον, Onomast. lib. 10. cap. 12. Vox hæc apud Noniũ reperitur; *Cisiũ*, inquit, *genus vehiculi biroti*. Malim *birotis*, aut *birote*, quod analogiæ magis congruit.

CAP. 2. *De significatione vocabuli* περιοχὴ *quâ pro* munitione *usurpatur: de* Crac *seu Petra Arabiæ, Characmobis, & Cercasio, vel Circesio.*

EQuidem libens agnosco vocem περιοχὴ (de qua capite superiore egimus) quatenus pro *munitione* accipitur, insolentem esse dictionem, nec usitatam (ut opinor) disertioribus Græcis. Orta quippe primùm videtur (modò in ambiguis quandoque conjecturâ non prorsus ἀσόχῳ uti liceat) apud Græcos Orientales. Ad eos verò perveniisse arbitramur à Syris, Palæstinis reliquísque vicinarum istiusmodi regionum incolis profectam. Etenim Hebraicè, Syriacè atque Chaldaicè כרך (unde originem duxerunt κίρκος, & per Metathesin κρίκος, Græcorum, item *circus* & *circulus*, *circum* & *circa*, Latinorum) significat *involvere, circumducere, circundare*. Indè כריך *involutus*, aut *convolutus, circundatus*, & per Synecdochen generis *munitus*. Indè quoque כרך substantivum, & addito in fine, Syrorum more, א Emphatico, כרכא, quod à Paraphraste Syro adhibetur 2 Tim. 4. 13. & quicquid *involutum* est, aut *convolutum*, ac etiam *circundatum* denotat. Præterea *locũ septum* declarat apud eundẽ Paraphrastem, *cinctúmve*, muro videlicet vel aliquo alio munitionis genere Joh. 11. 54. & Luc. 19. 17. id quod Elias etiam multis prolatis exemplis in Thisbite & Methurgeman ostendit.

Hoc ergò postremum est idem ipsum nomen quo Petram Deserti, Nabathæorum olim Metropolin, vulgò appellatam suâ ætate narrat Brocardus Descript. Terr. sanctæ, cap. 7. *Quæ nunc*, inquit, *Crac dicitur*, nimirum ἐπιχωρίως ab indigenis: quod quidem Græcè loquentibus nihil aliud est quàm περιοχή. Haud ineptè igitur Haytho Armenius lib. De Tartaris cap. 14 & 53. *Crac* interpretari videtur *Castrum*. Nam cùm Petram antè *Cracem Montis Regalis* appellâsset, post *Castrum Montis Regalis* eandem vocat, h. e. *Oppidum*, vel *Urbem munitam*: Planè prout sonat nostrum **Chester**, indidem deductum, in plurimis urbium nostrarũ vocabulis compositis. Græcè ὀχύρωμα dicitur; Hebraicè verò vel מבצר (unde μαψὰς 2 Sam. 24. 7. & decurtatum illud Ptolemæi μὰψ, pro μαψὰς, vitiosè positũ, Geogr. l. 5. c. 16. Itaq; Hieronymus De locis Hebr. fol. 130. c. MABSAR, *usq; ad præsentem diem vicus grandis in regione Gebalena*, i. e. Idumæa) vel מצור, unde etiam *Mozera*, alterũ Petræ nomẽ apud Brocardum cap. 7. proximis (ut opinor) Judæis usitatius; synonymum autem voci *Crac*, & ab Interpretibus Græcis similiter reddi solitum περιοχὴ, i. *locus munitionibus undiq; vallatus*, Psal. 31. 29. Qualem fuisse Arabum Petram ex Historicis liquet. Naturâ quippe rupibus ac præcipitiis eam admodum munitam fuisse docet Strabo l. 16. Nec non & artis beneficio, repetitis sæpius operibus & extructionibus, firmissimum propugnaculum præsidiúmque evasit. Adeò ut ibidem potissimùm, tanquam in arce longè tutissima,

Sultanus

Sultanus universos Ægypti Arabiæque thesauros reponere consueverit, eodem teste Brocardo. Quare vitiosum Moletii *Arach* Ptolem. Geogr. l.5.c.17. ab integro nostro *Crac* effictum esse arbitror; etenim propiùs indè abest: at aliquantò longiùs à *Rekem*, quomodo à Syris Petram olim dictam fuisse refert Hieronymus De loc. Hebr. Nam Ἀρκλω apud Josephum Antiq.l.4.c.4. pag.96. certum est mendosè legi, pro Ἀρκλμ, aut Ῥακλμ, sive Ῥηκλμ, vel denique Ῥεκλμ. Unde corruptum illud Epiphanii ῥωκωμ Adverſ.Hæreſ. l.2.c.9.p.204. Literæ nempe α, ε & ω à scriptoribus librariis crebrò invicem commutantur. Compertum est enim antiquum nomen esse רקם *Rekem*, quod sæpe memorat Interpres Chaldæus. Qui tamen non Petram ità dici vult, sed Cades: quod magìs probo. Porrò Cades, quoniam *conjungitur* (uti docet Hieronymus) *civitati Petræ*, facilè potuit propter vicinitatem eidem (ut alibi nonnunquam accidit) sine detrimento nomen suum commodare.

Hinc itidem *Characmôba* Descript. terræ sanctæ, c. 7. oppidum in extremis finibus Moabitidis Austrum versùs situm, nomen traxisse videtur: Siquidem compositio vocabulo illo (quod Græcè scribitur Χαρακμωβα) indicatur ἐπιτείχισις Μωαβιτιδος, i. *Munitio*, aut *Præsidium*, *Moabitidis*. Nominis autem originem veram ignorantes Græci nonnulli, partim in Μωαχδεξ, ut est apud Stephanum Byzantium De urbibus, partim in χαράκωμα, ut in impresso Ptolemæi exemplari Græco legitur l.5.c.17. perversè certè non tamen omnino infeliciter mutâsse deprehenduntur. Χάραξ enim seu χαράκωμα Græcis *vallum* & *agger* dicitur; כרך verò ἐπιτείχισις seu *septum munitum* exponi diximus. Ista igitur duo non longiùs inter se distant significatione quàm species à genere, literarum autem sono perpusillum. At enim à quo ædificata fuerit Munitio hæc in Moabitide, haud facilè dixerim: nihilominus non pigebit augurari. Fortasse à Nabuchodonosore fuerit exstructa, postquam Moabitis intulisset horrendam illam cladem atque excidium, quod eis prænunciavit Jeremias cap.48. Et nè gens seditiosa superbaque, amotâ deinceps formidine, ad ingenium rediret résq; novas moliretur, coloniâ suorum, nempe Chaldæorum, illuc deductâ, ibíque in præsidiis collocatâ, in posterum cavisse probabile est. Testatur namque Stephanus voce Ἀδάρα πόλις, φυλὴ τινα ἐν Χαρακμώοις Βαβυλωνίων, *tribum quandam Babyloniorum*, (h. e. genus seu progeniem quandam hominum è Babylonia oriundorum) *Characmobis superstitem mansisse*; quasi reliquias scilicet priscæ illius coloniæ quam eum in locum quondam Imperator Babylonius miserat.

Hinc denique (non autem à fabuloso *Circes* nomine) *Circeium* illud castrum denominatum censemus; cujus meminit Julius Capitolinus, & à quo non ità procul aberat Gordiani Junioris, Imperatoris Romani, tumulus latè conspicuus. *Circusium* (fortè *Cercasium*) id vocat Ammianus lib.23. *Cujus*, inquit, *mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut spatium insulare fingentes: quod Diocletianus, exiguum antehac, muris turribúsque circumdedit celsis*, &c. *nè vagarentur per Syriam Persæ*, &c. *Circesium* appellat Euagrius Hist.Eccl.li.5.c.9. Τὸ ἢ Κιρκήσιον ἔστι πόλισμα Ῥωμαίοις ὀλκαιρότατον, πρὸς ταῖς ἐσχατιαῖς τῆ πολεμίᾳ κείμενον. ὅπερ ὀχυρὸν ὑ μόνα τὰ τείχη ποιῶ ἐς ἄπειρον ὕψος ἐπαιρόμενα, ἀλλὰ καὶ ὑπὸ Εὐφράτης καὶ Ἄβορος (Ptolemæo Χαβώρας dicitur) ὁι πολεμοὶ, κυκλοῦντες καὶ ὥσπερ ἐννησοῦντες τὴν πόλιν. Verba hæc per se facilia & Ammiani testimonio consentanea interpretationis nostræ non indigent. Illud duntaxat observandum, *circumdandi* verbo dilucidè explicari rationem ὀλκαιρότατον nominis כרכא variè (ut plerumque solet evenire) ab exteris hominibus, Græcis, inquam, ac Romanis, transformati. Est ubi Κιρκίσιον scriptum reperias; quemadmodum habetur in Theophylacti Simocatæ Historia, quam summatim more institutóque suo percurrit Photius Biblioth.p. 43.l.22. Ἐπὶ τὸ Κιρκίσιον Χοσρόης ὁ Περσῶν βασιλεὺς παρεγένετο, προχωρήσας Μαυρικίῳ τῷ αὐτοκράτορι, h. e, *Circinsium advenit Chosroes Persarum Rex; ut qui in Mauricii Imperatoris fidem se contulisset*: mendosâ certè appellatione, sicuti patet ex eadem historia ab Euagrio Eccles. Hist. l.6. c.27. fusiùs exposita, ἀφικνεῖται, inquit, κατὰ τὸ Κιρκήσιον, &c. *Circesium devenit*. Corruptum est autem σ in γ, similis figuræ literam. Nam γ, si formam spectes, curtum σ censebitur, cui dempta scilicet est cauda. Cujusmodi corruptionis exemplum apud Græcos, & quidem pervetustum ac vulgatissimum, cernitur in nomine *Josuæ*; quem cùm υἱὸν Ναυὴ, aut potiùs υἱὸν Νὴ, ut 1 Par. 7. 27. dicere deberent, υἱὸν Ναυὴ perperàm vocitant. Atque hæc tam prava nominis istius pronunciatio nata primùm est procul dubio ex vitiosa illa quam notavimus scriptura.

Cap. 3. *De varia interpretatione vocum Hebraicarum* תהו & בהו *Gen.*1.2. *Additur etiam conjectura probabilis de vera earum significatione.*

VOcabula תוהו ובוהו variè redduntur ab interpretibus: nempe, à Chaldæo Paraphraste צדיא וריקניא, i. *desolata & vacua*; q. d. *rudis & inculta, nondum ullis vestita plantis, nullis herbis aut arboribus ornata*. Hunc secuti sunt Pagninus & Vatablus. A Munstero, *informis & inanis*, i. formâ, efficacitate & ornatu carens. Huic astipulati sunt Tremellius & Junius. A Vetere interprete Latino, *inanis & vacua*, verbis planè synonymis; nec immeritò. Nam, ut ait Munsterus, תהו ובהו *ferè unum & idem significant*. A Symmacho ἀργὸν, (i. *res iners*, ignava, otiosa, omni facultate agendi vel præstandi multiplex opus suum destituta; ut quæ nondum formam suam naturalem, æquè multiplicem, adepta fuisset) καὶ ἀδιάκριτον, i. *atque res indiscreta*, non distincta, nullo ordine digesta. Innuit Chaos illud antiquum & primum in quo confusa latuerit universa rerum natura. Siquidem tradiderunt veteres, uti refert Diodorus Siculus Bibliothecæ historicæ lib.1. *rerum omnium principio*, κατὰ τὸν ἐξ ἀρχῆς τοῦ ὅλων σύστασιν, μίαν ἰδέαν ἰδίαν ἕκαστον ἔχειν καὶ χρῶμα, μεμιγμένης ἀυτοῖς τῆς φύσεως. Et in eandem sententiam affert testimonium Euripidis, qui Anaxagoræ Physici erat discipulus,

Ὡς ἔφυδ' ἡ γαῖα τ' ἰῶ μορφὴ μία.
Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἀλλήλων δίχα,
Τίκτουσι πάντα——

Quæ elegantèr expressa leguntur apud Ovidium Metamorph.lib.1.

Ante mare & terras &, quod tegit omnia, cœlum,
Unus erat toto natura vultus in orbe,
Quem dixere Chaos; rudis indigestáque moles,
Nec quicquam nisi pondus iners, congestáq; eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

Nam διάκρισις καὶ διαιρέσεις & σύγχυσις ut pugnantia & inter se contraria opponuntur. Ab Aquila & Theodotione κένωμα vel κενὸν, (i. *res inanis*, vel *inane*) καὶ οὐδὲν, & *nihilum*. Materiam illam primam designant. Quæ quamvìs fuerit per se inanis formæ omnis, & idcirco nihilum ἐνεργείᾳ videlicet vel *actu*, esse tamen ἀποδοχὴν πάσης γενέσεως, καὶ τὸ παραδεκτικὸς, i. *receptaculum omnis generationis, & illam rerum deinceps exsistentium capacem naturam*, Plato disertissimâ & prolixâ admodum oratione in Timæo declarat. Denique à Lxx transferuntur ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος. Ἀόρατος, i. *non aspectabilis*, occulta, non conspicua. Nempe quia, nondum creatâ luce, tenebræ omnia longè latéque obtinuerant. Continuò enim sequitur, *Tenebræ erant in superficie abyssi*, quasi ratio his verbis reddatur cur Terra esset ἀόρατος ut Lxx ipsum תוהו vertendum censuerunt. Vel ἰῶ ἀόρατος itidem intelligendum est ut si scriptum fuisset οὐκ ἰῶ ὄρασις ὕτοι ὅλος οὐτῆ, i. *non erat ei aspectus* (h. e. quicquam aspectu dignum) *vel species*, aut *forma*. Etenim sic loqui plerumque solent Hebræi, לא מראה לה, i. *non erat ei* (nempe Terræ) *species*, propriè *aspectus*. Atque ità ἀόρατος Hebraico more ab Hebræis usurpabitur (quod neutiquam est mirum;

nem eorum versio innumeris scatet Hebraismis) idémque erit quod ἄμορφος, vel ἀνόλεθρος, *informis*, aut etiam *deformis*. Utrumque namque convenit Materiæ; cujus vim nomine *terræ* hisce adjunctis descriptæ adumbrare voluit Moses. Alterum epitheton est ἀκαταπαύστος, quod ab aliis redditur *incomposita* vel *incondita*. Malim *nondum instructa rebus ullis*, (omnino prout Xenophon dixit Anab. l. 4. οἰκίας κεκτημένοις κατεσκευασμένας) aut *apparatu suo carens*; id quod Hebræi elegantissimo vocabulo appellant תֹּהוּ, h.e. *plenitudinem ipsius* terræ, vel *ea quæ ipsam implent*. Quapropter utraque vox, ἀόρατος videlicet & ἀκατάσκευος, reipsa nihil aliud sunt quàm *informis & inanis*; de quibus secundo loco diximus.

Reliquum nunc est ut nomina eadem Hebræa ipsi paucis explicemus, aut saltem explicare studeamus, & in id opellam aliquam nostram conferamus. Chaldæis thema תָּהָה significat *stupere*: Hinc תֹּוהוּ, mutatâ He literâ thematicâ in affinem Vau quiescentem in Schurek. Item בָּהַת Chaldaicè vel Syriacè *erubescere* & *pudere* denotat; quod perinde à בָּהָה ejusdem significationis verbo ortum habeat, velut צָבַת à צָבָא, judicio Lxx Interpretum, quos harum linguarum peritissimos fuisse constat. Hinc nempe factum est ut quoties צָבָא Cœlo Terræque attribuitur, κόσμον transferant; quasi idem omninò valeat quod צָבַת Syrorum & Chaldæorum indè deductum. Sciebant quippe א aliquando migrare in ת, ut in נִרְפַּתָה cernitur Jer. 51.9. aliísque ejusmodi; ה verò in ת sæpissime, sicut in verbis quiescentibus ל, ה, animadvertatur. Præterea נָשָׁה & נָשַׁת apud Hebræos significatione conveniunt, adeò ut hoc ab illo profectum videatur. Quidni itidem apud Chaldæos eveniat in verbis בָּהַת & בָּהָה? Quare thema usitatissimum בָּהַת ab exoleto בָּהָה derivatum censeatur; unde formatum est בּוּהוּ. Itaque תֹּוהוּ ובֹוהוּ ad verbum exprimuntur *res stupenda & pudenda*. Confusio enim & deformitas (quæ adhuc rudi illi vastæque rerum corruptibilium massæ inerant) stuporem & pudorem afferre solent. Neque verò simpliciter ista dicuntur: Sed quemadmodum in Microcosmo membra quædam ἀσχήμονα appellantur ab Apostolo 1 Cor. 12. 23. i. *inhonesta* vel *indecora*, non per se, sed comparatè, ratione eorum quæ *eximiâ* venustate sunt prædita: Sic in Mundo ipso Terra, h.e. prima illa moles indigesta (quam *chaos* antiqui nuncupârunt) initio erat תֹּוהוּ ובֹוהוּ *res stupenda & pudenda*, non omnino (quippe quæ à Deo condita est ut principium esset & veluti seminarium universæ rerum naturæ: πλῶ δ' ἀρχλῶ τίμιον pronunciavit Philosophus De animalium ingressu, c. 5.) sed respectu admirabilis ordinis & pulcritudinis sequentis, absolutâ demum rerum omnium creatione.

CAP. 4. *De significatione verbi* קוה *Gen.* 1. 9, & 10. *Item de vocabulis* תְּרִין & εὐθύς.

EOdem primo Geneseos c. v. 9, & 10. soli Castalio & Junius יִקָּווּ *confluant* interpretantur, reliqui omnes *congregentur*. Quam versionem Junius ipse quoque approbavit alibi, ut qui מִקְוֶה, Exod. 7. 22. reddiderit *congregationem*; ut ut hîc *confluxum* (quod obsoletum est; malim *confluentem*) aut *conceptaculum* exponit. Certè versio altera nequaquam est prava aut rejicienda. Quippe notum est קַו *lineam* seu *filum* fieri ex lino, cannabe, cæterísve istiusmodi contortis & implicatis inter se atque collectis. Unde & verbum קוה haud injuriâ *collectionem* seu *congregationem* significare censeatur. Verùm enimvero quoniam קַו *perpendiculum* vel *amussim*, i. lineam rectam, denotat, non ineptè קוה notionem etiam *recti motûs* obtineat: cujus vim elementis universis, Aquæ præsertim, inesse omnes cernimus. Rectus autem motus cùm sit brevissimus, ideóque ad incitandam celeritatem aptissimus, hoc verbo non obscurè intelligimus quàm promptè & alacriter obtemperârint Aquæ mandato Creatoris. Rectà namque & celerrimè discesserunt omnes in alveos suos. Atque ità יקוו Hebræis idem prorsus significabit quod יתרצו Syris, h.e. *recto cursu impetúq; contendant*. Nam *rectum* Syriacè sive Chaldaicè תְּרִין appellatur. Græci eâdem significatione ὁρμᾶν utuntur, ut Matth. 8. 32. vel potiùs δύειν· hoc enim valet *summa cum velocitate ferri*. Atque hinc ego εὐθὺς (si alicunde deducere fas est) deducendum magis putarem (ut sit quasi ἴθυν) quàm cùm Etymologo ab ἴθυ & τίθημι. Siquidem motûs celeritatem (si cætera paria sint) spatii confecti brevitate potissimùm metiri solemus. Hanc rursus directione æstimamus. Etenim deflectere de curriculo recto, & motum obliquare, magnum affert velocitati impedimentum, ejúsque vigorem paulatim debilitat, donec tandem penitus evanescat. Idem ipsum animalia omnia confirmare videntur; quæ itineribus quàm possunt rectissimis res desideratas petunt. Nec nisi motu εὐθεῖ ferè ἴθυ licet. Poetæ verbum ἰθύειν eâdem significatione usurpant; quod Eustathius exponit κατ' εὐθὺ ὁρμᾶν, i. *recto impetu contendere*: éstq; consentaneum deductioni ab ἰθὺς vel ἰθύ.

CAP. 5. *Explicantur variæ interpretationes verborum* Gen. 3. 8. לְרוּחַ הַיּוֹם *ad auram diei*: *& emendantur ex illis quædam.*

VErba illa Gen. 3. 8. וַיִּשְׁמְעוּ אֶת קוֹל יְהוָה אֱלֹהִים מִתְהַלֵּךְ בַּגָּן לְרוּחַ הַיּוֹם, Tralatio à Roberto Stephano edita 1545. ità reddit, *Audiverunt vocem Domini Dei deambulantis in horto ad auram diei*. Annotationes autem ità exponunt, AD AURAM DIEI: *Sub vesperam, quo tempore ventus sese attollere & aspirare solet Zephyrus*. Atque id satìs quidem commodé. Aristoteles enim in Problematis Sect. 26. prob. 34. observat, ἡ Ζέφυρος περὶ τὸν δείλιον πνεῖν, h.e. *Zephyrum* vel *Favonium* (à Virgilio Æn. 3. *felicem*, ab Horatio Carm. l. 3. Od. 7. *candidum* nominatum, ac proinde beatis illis Paradisi sedibus accommodatissimum) *vespertinis temporibus spirare*. Hîsce consentanea est versio Lxx Interpretum, Καὶ ἤκουσαν τὴν φωνὴν Κυρίου τοῦ Θεοῦ περιπατοῦντος ἐν τῷ παραδείσῳ τὸ δειλινόν, i. *Et audiverunt vocem Domini Dei ambulantis in Paradiso vespere*. Sic enim τὸ δειλινὸν expressit V. Int. Latinus Exod. 29. 39. Ubi etiam idem ipsum τὸ δειλινὸν seu *vesperè* opponitur τῷ πρωὶ seu *manè*. Hieronymus Traditionibus Hebraicis in Genesim *ad vesperam* interpretatur; addítq; plerosque codices Latinorum pro eo *post meridiem* habere. Quemadmodum ipse quoq; vocem δείλης reddidit in Latina versione sua Lxx Interpretum Soph. 2. 7. Atque ità vertit Gaza suprà positum Aristotelis τὸ δειλινὸν, nempe *pomeridianis horis*. Neque enim ἡ δείλη planè ipsa est ἑσπέρα seu *vespera*, sed *tempus proximè eam antecedens*, *diei* scilicet *jam in occasum præcipitantis*, ut alicubi loquitur Tacitus. Sic quippe docet Antyllus περὶ τῆς καθ' ἡμέραν διαφορᾶς τῆς ἀέρων apud Stobæum Serm. 143. Aquila ab Hieronymo ibidem vertisse perhibetur ἐν τῷ ἀνέμῳ *in vento*; Symmachus διὰ πνεύματος *per flatum*. Quare non est dubium quin redundans sit recepta Vulgatæ editionis lectio *Ad auram post meridiem*, composita quippe est ex interpretationibus duabus, Aquilæ videlicet vel Symmachi; hinc enim *ad auram* sumptum est, & ipsorum Lxx; hinc *post meridiem*. Etenim gemina est interpretatio unius & ejusdem vocabuli, לְרוּחַ, à librariis imperitè ibi (ut aliis quoque in locis) consarcinata.

Idem accidisse etiam videtur versioni Theodotionis, quam eodèm loci Hieronymus commemorat, ἐν τῷ πνεύματι περὶ καταψυξιν τῆς ἡμέρας, i. *in aura* spirante *ad refrigerationem illius diei*. Ubi quilibet non omnino imperitus linguæ Hebraicæ facilè videat verba illa ἐν τῷ πνεύματι τῆς ἡμέρας per se sola satìs esse ad reddendum Hebraica לְרוּחַ הַיּוֹם. Quòd si quis dicat περὶ καταψυξιν adjici ἐπεξηγητικῶς, id foret expositionem texere, nõ interpretationem. In hanc igitur sententiam adducor ut putem doctum aliquem interpretatione illâ Theodotionis non contentum, accuratiorem aliam ad marginem libri annotâsse; quam audaculus quispiam in textum ipsum postea transtulerit, eámq; non integram prorsus & incorruptam sed vitiatâ aliquantùm conjunctione eorum quæ divisa esse oportuit. Nam περὶ καταψυξιν τῆς ἡμέρας initio ità exaratum fuisse arbitror, περὶ, ἢ καταψυξιν τῆς ἡμέρας. Est enim hæc subtilis & erudita

erudita versio verborum לרוח היום. Siquidem præpositio utraque Græca, ἐπὶ vel κατὰ, Hebræam ל valet, & tempori significando adhibetur: ψύξις verò vim vocabuli רוח pleniſſimè explicat. Nam & *auram ventúmve* indicat, & *refrigerationē* pariter *quam ventus flatu ſuo efficere ſolet:* q.d. *ſub* (vel *circiter*) *id tempus quo venti flatu refrigeſcit dies,* **About the Cool of the day.** Atque hoc pacto לרוח היום, contrarium cenſebitur tempori illi quod alibi appellatur כחום היום, i. *cùm incaleſcit dies* **About the Heat of the day,** Gen. 18. 1. Ubi Lxx verterunt (quod ad rem ipſam attinet) verè rectéque μεσημβρίας, i. *Meridie.* Propriè tamen verba ſonant κατὰ τὸ καῦμα τῆς ἡμέρας, (Nam & καῦμα quis forſan à חום ortum crediderit) ſicuti habet V. editio, *in ipſo fervore diei.*

Onkelus in Paraphraſi ſua Chaldaica tranſtulit לרוח למנח יומא היום, i. *ad quietem dei,* h. e. circiter occaſum Solis. *Quieſcit autem dies,* inquit Munſterus, *quando Sol occumbit.* Id opinor innuere doctiſſimum virum, inſtare laboris diurni finem occidente jam Sole. Hanc enim quaſi metam quotidianam poſuit Deus negotiis & operibus humanis obeundis, teſtante Prophetâ Pſal. 104. 23. *Prodit homo ad opus ſuum & ad culturam ſuam uſq; ad veſperam.* Itaque רוח *ruach* perinde interpretatur ac ſi ſcriptum fuiſſet רויח *revach,* themate adeóque conſonantibus omnibus eiſdem manentibus, niſi quòd puncta vocalia diverſa ſint. Significat autem רוח propriè διάστημα *locum ac ſpatium ſatis amplum ubi quis reſpirare commodè queat,* & Metaphoricè *recreationem* vel ἀνάψυξιν, quemadmodum Lxx verterunt 1 Sam. 16. 23. & Exod. 8. 15. Porrò ἀνάψυξις idem valet quod ἀνάπαυσις: ità nempe exponitur ab Heſychio. Chaldaicè מנח dicitur (ad verbum *requieſcere*) i. *requies,* quæ nihil aliud eſt quàm intermiſſio à labore. R. Jonas aliorſum accipit vocem רוח, (Nam hinc illum quoque expoſitionem ſuam ſumpſiſſe ait Kimchius Rad. רוח) & ad cœli temperiem deſignandam accommodat, non ad rerum humanarum rationem ullam indicandam. Quam quidem eandem fuiſſe vereor Munſteri quoque ſententiam; ſed minùs idoneam, nec vocabuli רוח ſignificato ſatis congruentem, (inquit Rabbinus ille) לרוח היום כלומר בעת רוח היום ורוח היום הוא קרוי אויר, i. *Ad auram dei,* q.d. κατ' ἀνάψυξιν τῆς ἡμέρας, *tempore reſpirationis dei. Reſpiratio autem dei eſt refrigeratio aeris ipſius.* Ego verò ex ipſis R. Jonæ verbis colligo eum tritiſſimam *flatûs* & *perflandi* ſignificationem ſecutum videri; omnino prout Lxx vocem מרוחים tranſtulerunt Jer. 22. 14. ῥιπιζὰ, h. e. *perflabilia.* Et tempus illud ab eo innui exiſtimo quo lenis & jucundæ auræ quaſi ῥιπισμῷ ſeu *ventilatione* refrigeratur dies. Quibus efficitur ut eadem prorſus ſit ipſius interpretatio atque illa Græcorum quam proximè recenſuimus. Poſtremum autem iſtud Onkeli interpretamentum, ut רוח habeatur pro רויח, admittere nolim; quandoquidem infirmo nititur fundamento. Poſtulat enim id concedi quod vix quiſquam temere dederit, nimirum Biblia ſacra olim abſque vocalibus fuiſſe perſcripta. Reliquas verſiones ſatis aptas opinor ac faciles; maximè alteram illam Theodotionis à nobis emendatam.

Veruntamen mihi fit veriſimillimum, ל non tam denotare tempus quàm motum ad locum, ſicuti ſæpe ſolet, aut etiam (ſi placet) conſilium ſeſe moventis; ut hoc modo reddantur verba illa, *Ambulantis ad ventum* (vel *ventum verſùs*) *illius dei,* vel *ad auram,* intellige *captandam*; h. e. ad loca idonea in quibus aura captetur. Nam ut Filius Dei primis parentibus humanâ formâ apparuit, ità ἀνθρωποπαθῶς hæc ei attribuuntur. Uſitatum namque & ſolenne eſt hominibus, in regionibus præſertim tepidioribus, loca aperta, libera miniméque concluſa, vento expoſita & perflabilia quærere, in quibus ſpatientur, ut eò alſior & amœnior ſit ambulatio, aurâ frigidulâ calorem aeris ſuaviter temperante. Expeditus eſt hic ſenſus & perſpicuus, nec ullam certi alicujus temporis neceſſitatem imponit, & beatiſſimo ἀναθρωπήσεως Domini noſtri myſterio optimè convenit.

Cæterùm illa Tremellii & Junii interpretatio, *Audiverunt vocem Jehovæ Dei itantem per hortum ipſum ad ventum illius dei, id eſt,* ut ipſi exponunt, *levem quendam ſonum ac velut ſtrepitum advenientis Dei,* omnino non placet. Nec enim *voce* ſtrepitum adventis ſignificari puto: quippe tum ſcripſiſſet Moſes non abſolutè קול, i. *vocem,* ſed קול רגליו, ut 1 Reg. 14. 6. *ſonum pedum ejus,* ab illis fuiſſe auditum. Præterea מתהלך (licèt Kimchius aliter ſentiat, non tamen demonſtrat) nuſquam tribuitur voci aut rei iſtiuſmodi, ſed perſonæ ubique, ac nominatim ipſi Jehovæ perſæpe, ut Levit. 26. 12. Deut. 23. 14. 2 Sam. 7. 6. & alibi. Deinde uſurpandum fuiſſet, non ל; ſed ב, ut oſtenderetur cauſa reportans vocem ad aures; in hunc modum, *itantem per hortum in aura dei;* vel *itantem in horto per auram dei.* Poſtremò levis & valde tenuis ſonus (qualis eſt deambulantis in gramine) vix minimo intervallo interjecto præſentiri poteſt. Atqui videtur hîc innui, è longinquo factum indicium, hoc eſt, vocem procul alicunde ad eorum aures delapſam inſonuiſſe, unde ſpatium habuerint ad ſeſe properè ſubducendos & abſcondendos inter arbores Paradiſi.

Cap. 6. *De magnitudine Ninives & Babylonis. Item de vero Ninives ſitu, ubi initio fuerit condita. Denique indicatur ex Ammiano Marcellino unde nomen* Adiabenes (*quæ pars eſt Aſſyriæ*) *originem traxerit.*

Diodorus Siculus Bibliothecæ Hiſt. lib. 2. refert Ninum (quam *Niniven* vocat Scriptura Sancta) longè ampliſſimam & planè ſtupendi ambitûs fuiſſe urbem. Nam cùm forma ejus eſſet ἑτερομήκης, i. *altera ex parte longior,* ità ut duorum laterum inæqualium majus 150 ſtadia complecteretur, minus 90, totus utique ambitus (περίοδος) in unam ſummam collectus 480 ſtadia (hoc eſt, 60 milliaria) efficiebat. Hinc illud apud Jonam 3. 3. Niniven videlicet eſſe *civitatem longè maximam, trium dierum itinere,* hoc eſt, *in circuitum patere itinere tridui.* Iter enim unius diei 20 ferè milliaribus æſtimari ſolet. Porrò eundem ambitum Plinius Nat. Hiſt. lib. 6. cap. 26. Babyloni aſſignare videtur, quam 60 *millia paſſuum muris amplexam* ſcribit. Itidem multis ante eum ætatibus Herodotus Clio. lib. 1. *Sita eſt,* inquit, *Babylon in planitie ingenti, formâ quadratâ, magnitudine quoquò verſùs centenûm vicenûm ſtadiorum; in ſumma quadringentorum & octoginta, in circuitu quatuor laterum urbis.* Atenim Strabo Geog. lib. 16. poſtquam ipſo ſtatim exordio apertè aſſeveravit *Niniven multò majorem fuiſſe Babylone,* illico longè minore Babylonis declaratâ amplitudine idem quoque demonſtrat. Narrat enim eam non niſi 385 ſtadiorum ambitum habuiſſe. Diodorus autem lib. 2. etiam ex iſta ſumma nonnihil detrahit, 365 tantùm tribuit ſtadia, ſecutus fidem Clitarchi & quorundam qui cum Alexandro in Aſiam trajecerunt. Idem ipſum confirmat Cteſias Cnidius; niſi quòd is quoque non acceſſionem ullam ſed deceſſionem aliquantulam (nempe quinq; ſtadiorum) de poſtrema hac ſumma facit. Ego tutiùs ultimis hiſce credi putârim: Nam & complures ſunt, & plerique omnes oculati teſtes. Atque eò magis iſtorum verbis nitor quòd Sacrarum literarum autoritate fulciri videantur, & ad earum ſententiam proximè accedere. Nam à Jona 3. 3. pronunciatur Nineve fuiſſe urbs גדולה לאלוהים *Magna Deo,* vel *Divina,* h. e. ſummæ & admirandæ, *magnitudinis,* qualia ſunt Divina. Quemadmodum ferè Græci quoque uſurpant vocabulum θεῖος: nam id θεῖον ἄτοι μέγα exponit Suidas, aliíque: Stephanus eruditè, *Quicquid in ſuo genere cæteris præſtat.* Id autem elogium planiſſimè eximium eſt & prorſus ſingulare; nec Babyloni ullíve urbium, præterquam huic ſoli, uſpiam attributũ legitur. Dicam itaq; fidenter, ut antiquiſſima omnium à Diluvio civitatum fuerit Babylon, Niniven certè longè maximâ

cæterarum ampliſſimámque jure ſtatuamus oportet.

Quocirca ſatis verè oſtendit Diodorus quanta fuerit Nineve; ubi autem ſita non item. Fabulatur enim eam ὀλὴ τ Εὐφράτῃ πόλαμὸν *ad Euphratem fluvium* fuiſſe conditam. Plinius lib. 6. cap. 13. *Tigri impoſitam* refert, *ad Solis occaſum ſpectantem*, h. e. in Occidentali Tigridis margine. Utrumque à vero eſt alienum. Ità namque fuiſſet Meſopotamiæ ſeu Interamnis regionis urbs; cùm tamen plerique omnes Aſſyriæ propriè appellatæ fuiſſe agnoſcant. Herodotus eodèm loci eam ſtatuere videtur ubi Tigris & Euphrates conjunguntur & confluũt. Nam cùm antè ſcripſiſſet, *exire ex Euphrate in Tigrim alterum flumen, ad quod urbs Ninus ſita erat* (hoc autem Diodoro aliquatenus patrocinari queat) poſtea aſſerit perſpicuis verbis *flumen Tigrim Ninum Aſſyriorum urbem præterfluere*. Quam eandem ipſius Seleuciæ ſedem fuiſſe docet Plinius l. 6. c. 26. *eámque vicinitate ſuâ exhauſiſſe Babylonem, utpote conditam à Seleuco Nicatore intra nonageſimum lapidem* (Strabo l. 16. intra 38. tradit) *in confluente Euphratis foſſâ perducti & Tigris*. Nihilominus Strabo (ut & Plinius lib. 5. cap. 25.) peculiariter illam *Seleuciam ad Tigrim* appellat. Ptolemæus contrà Aſiæ Tab. 5. ad Euphratem ſtatuit: Idémque Ninum in Tigridis quidem ripa Orientali (unà cum Herodoto) ſed ad Septentrionem, ſupra confluentem antè dictum, longiùs promovet. Uterque egregiè fallitur. Nec enim ad Tigrim exſtructa erat Ninus ſeu Nineve, ſed ad Lycum amnem; qui *per Claſitas*, inquit Plinius 6. 26. (fortè *Calacitas*, nempe Calacines, Aſſyriæ regionis ſuperioris, cujus meminit Ptolemæus Aſiæ Tab. 5. incolas) *ex Armenia fertur*, tandémque in Tigrim cadit. Neque verò cis Lycum ad Occaſum, ſed in regione ulteriore Ortum verſùs, ut eſt apud Strabonem, gravem & locupletem ſanè autorem: *Trans Lycum*, inquit lib. 16. *Aturia campi Ninum circumjacent*. Ubi *Aturia* pro *Aſſuria* vel *Aſſyria* dicitur, uti rectè monet Munſterus Annot. in Jonæ cap. 1. mutato ש in ת, more Chaldaico. Nam ità quoq; legitur אתור pro אשור apud Paraphraſten Chaldæum Gen. 25. 18. Quod alibi etiam fieri obſervemus, ut liquet ex *Batanæa* Ptolem. Geogr. l. 5. c. 15. pro *Baſanæa* ſive *Baſanitide*, à בשן. Cujuſmodi ferè eſt & Atticæ dialecti proprium, σ in τ vertentis.

Atque hunc veriſſimum eſſe Nini ſitum, cognitum & compertum habemus ex recentiorum quoque teſtimonio, qui oculis ſuis loca ipſa luſtrârunt. Paulus Diaconus, Heraclii Imperatoris res adverſùs Perſas præclarè geſtas exponens, refert eum in Orientem proficiſcentem, *Kalendis Decemb. veniſſe ad fluvium magnum Zabam; & cùm hunc tranſiſſet, caſtrametatum eſſe juxta Niniven*. Citerior ergò, i. Occidentalior, eſt Zaba magnus fluvius quàm Ninive. *Zaba* verò Hebraicè *Lupum* ſonat, qui Græcè λύκος nominatur. Hic igitur *Lycum* Strabonis videmus (ultra quem condita eſt Ninive) quamvis appellatione peregrinâ velatum. Ammianus Marcellinus *Anzabam* vocat; & eundem omnino urbis Ninives poſitum deſcribit quem Paulus Diaconus, atque olim Strabo, ubi agit de Perſarum expeditione ex Oriente contra Amidam adventantium: *Reges*, inquit, *Ninive, ingenti Adiabenes civitate tranſmiſſâ, in medio pontis Anzabæ hoſtiis cæſis, exſtiſque proſperantibus, tranſiere latiſſimi*. Rurſus patet, Niniven Orientaliorem eſſe Anzabâ vel magno Zabâ aut Lyco flumine, judicio Ammiani: Quem teſtem omni exceptione majorem eſſe fatebitur quiſquis hiſtoriam ejus legerit; Diu namque in illis partibus verſatum ipſum deprehendet, & idcirco exploratiſſima hiſce de rebus conſcribere. Imò & hunc eundem Ninives ſitum Diodorus ipſe Siculus alicubi comprobare videtur: nam l. 17. ait Darium Alexandri Magni ἀνλιπάλον è Babylonia eductum ingentem exercitum in Aſſyriam tranſportâſſe: ἔκαδδε γὰρ περὶ τ Νίνον ποιήσαδς τ παράταξιν, ἐυδιάλυτάτων ὄντων τ περὶ ἀυλὴν πεδίων, καὶ πολλὴν ἐυρυχωρίαν παρεχομένων τῇ μεγέθει τῇ ἀθροισμάτων τὰ ἀυτῆ διωάμεων, *Studuiſſe* ſcilicet *ut circa Ninum dimicaretur: quòd latiſſima illius urbis regio campeſtris* (quam ſuprà *Aturiæ campos* appellavit Strabo) *explicandis commodè ordinibus numeroſiſſimi exercitûs eſſet aptiſſima*. Nec enim ità pridem ingenti malo ſuo fuerat expertus, hanc maximam ac penè ſolam fuiſſe cauſam inſignis illius cladis ad Iſſum acceptæ, quòd planâ & campeſtri regione relictâ in anguſtias ſe temere & imprudenter conjeciſſet; Arrian. De Exp. Alex. l. 1. At certo certius eſt, locum ipſum ultimi prælii commiſſi fuiſſe oppidum quoddam Hiſtoricis *Gaugamela* dictum: id verò Strabo l. 16. initio *Domum Cameli* interpretatur. Quod ſi ità eſt, nomen oppidi mendo non caret: neque enim *Gaugamela* ſed *Baigamla* appellandum foret, hoc namque βαγχωλὸς *Domum Cameli* denotat. Hermolaus Barbarus in Caſtigationibus Plinianis l. 6. c. 26. teſtatur codices vetuſtos ſeparatim legere *Gave Camela*: quod quidem Aſſyriacè ſcribitur גבי גמלא, & ſonat *juxta* vel potiùs *penès Camelum*, q. d. locum Camelo datum in poſſeſſionem. Idque verbis Straboni apprimè convenit. Utcunque autem hoc ſit, Gaugamela Arrianus Expedit. Alex. lib. 4. collocat πρὸς πόλαμῷ Βυμάδῳ *ad amnem Bumadum*, quem Ptolemæus & Strabo Κάπρον, i. *Aprum*, vocant, Paulus verò Diaconus *Zabam minorem*. Eúmq; ait circiter 48. millia paſſuum à majore Zaba diſtare. Videtur itaque non procul Gaugamelis fuiſſe Ninive. Quinimo Cornelius Tacitus adeò vicinam judicavit ut non dubitârit pronunciare illam ipſam fuiſſe locum ſuperati ab Alexandro Darii: *Tranſmiſſo*, inquit Annal. lib. 12. *amne Tigri, permeant Adiabenos*, &c. *Sed capta in tranſitu urbs Ninos, vetuſtiſſima ſedes Aſſyriæ, Caſtellum inſigne famâ, quod poſtremo inter Darium atq; Alexandrũ prælio Perſarum illic opes concidêrat*.

Iſtis omnibus efficitur, longè remotam à Tigri fuiſſe Niniven, & ultra Lycum amnem propiùs Gaugamela fluviúmque Kapron fuiſſe collocatam. Conſtat item ex prolatis modò teſtimoniis, Λύκον & Κάπρον, duo illa præcipua Adiabenes flumina, quæ diverſis nominibus Græci appellârunt, ab Hebræis Meſopotamiam Aſſyriámque paſſim incolentibus *Zabam*, uno eodémque nomine, utrumque fuiſſe nuncupatum. Veruntamen diſtinguendi cauſâ, quod vicinius erat Tigri, *Zabam majorem* ſive *Zabam* ſimpliciter, quod autem longiùs aberat, *minorem Zabam* dixerunt. Quocirca hinc facilè corrigi poſſe arbitror depravata amnium iſtorum nomina apud Xenophontem. Nam ubi Cyri minoris Expedit. l. 3. proximum Tigri vocat Ζάθλω, certè Ζάβλω aut Ζάδαω reponendum exiſtimarem. Admodum enim proclive erat librariis β in θ mutare, quippe quæ eodem calami ductu formentur, continuato iſtud, dirempto illud. Rurſus, quando Expedit. l. 2. ulteriorem Ζάβαλον appellat, ſi, unâ tantummodo interpoſitâ literâ, Ζάβκαλον vel Ζαβκαλῶν (Hebraicè זאב קטון) legeris, germanum planè nomen, *Lycum* vel *Zabam Minorem*, reſtitueris. Atque iſtum *Zabdatan* Xenophon *quatuor plethra* latum eſſe ſcribit, id eſt, quadringentos pedes. Quare ampliorem fuiſſe oportet latitudinem Zabæ alterius; quem idcirco *magnum* non immeritò cognominavit Paulus.

Porrò ad poſterius hoc nomen Xenophonteum, Ζάβαλον ſcilicet, corruptiſſimum illud Βύμαδον, quod ex Hiſtoria Arriani retulimus, redigendum cenſeo atque exigendum. Nam eundem omnino fluvium utrobique deſignari, luce ipsâ illuſtrius eſt. Mutatum verò fuiſſe nomen tam exiguo temporis ſpatio quantulum inter ætatem Xenophontis & res Alexandri in Oriente geſtas interjectum erat, prorſus incredibile videtur. Imò idem, ſive ſaltem ſynonymum, quàm plurimis pòſt ſeculis conſtanter manſiſſe, perpetua Hiſtoricorum conſenſio demonſtrat. Unde ergò natum autumemus monſtrum hoc nominis Βύμαδον, præterquam ex librariorum ſumma inſcitia pariter atque negligentia? Supponi namque ſæpe ſolebat ab iis β in locum ζ propter figuræ ſimilitudinem, ut ſuprà docuimus c. 1. item υ pro α, eſt enim υ quaſi reſupinatum α. Deniq; μ, pro β, eandem ob cauſam. Veteres enim hujuſmodi charactere, μ, literam β, penè ſicut μ, ſubindè pingebant. (Hinc in Chryſoſtomi editione Etonenſi Tit. Pſal. 8. Λαβαναὴ pro Λαμαναὴ. Itidem apud Joſephum Antiq. l. 10. c. 7. Καρχαβησὰ pro Καρχαμησὰ) τ verò in δ, & contrà,

propter

propter magnam ſoni convenientiam, quàm creberrimè mutatum fuiſſe experimur.

Cæterùm Ammianus libro Hiſtoriæ ſuæ tertio & viceſimo errorem veterum coarguens, qui Adiabenam, celebrem Aſſyriæ provinciam, nomine ex α particula privativa, & διαβάτης compoſito vocatam putârunt, *quòd inter fluvios navigeros ſita, adiri vado nunquam potuerit*, hæc verba continuò ſubjungit, *Nos autem didicimus, quòd in his terris amnes ſunt duo perpetui (quos & tranſivimus) Diavas & Adiavas, junctis navalibus pontibus.* Hinc veriſſimè juxta atque eruditiſſimè nomen Adiabenes petit Ammianus. Siquidem Adiabene vel Adiavene ab Adiava ſic appellata eſt. Utrumque autem nomen, nempe Adiavas vel Diavas, communiter vel etiam propriè acceptum, idem eſt nihilque reverâ aliud quam Anzabas vel Zabas, de quibus antè meminimus. Chaldæi quippe Syríve & Aſſyrii, frequenter Zajin Hebræorum in Daleth mutant: ut quod hi זאב, & emphaſi, aut ſuo ipſorum more præpoſitâ ה, הזאב, aut Syriaco poſtpoſitâ א, זאבא dicunt, illi דאב, & emphaticè דאבא proferunt. *A* verò & *An* in nominibus Adiavas & Anzabas, atque aliæ hujuſmodi particulæ, quandoq; à fronte, quandoque à tergo adjectæ, non inuſitatæ ſunt appendiculæ, quibus nomina, propria præſertim, variantur apud eandem nonnunquam gentem (ut eadem urbs *Chezib* & *Achzib* dicitur Judæis Gen. 38. 5. & Joſ. 15.44.) maximè autem pro variis variarum regionum dialectis, à quibus adhibentur. Illuſtre hujus rei exemplum exſtat Geneſ. 25. 20. in voce פדן *Padan*, nomine urbis cujuſdam Meſopotamiæ: Eadem nempe *Aphphadana* ὄνομα effertur apud Ptolemæum Geogr. l.5.c.18. additâ literâ *A* initio vocabuli. Ad eundem modum Rabbini pro גמלא dicunt אגמלא, ut eſt apud D. Kimchium Rad. יהב. Quin & Latini ab Hebræo מר, ejuſdem ſignificationis vocabulum (*Amarus*) *A* literâ præfixâ formârunt.

Potuit etiam fieri ut ex præpoſito ה emphatico Hebræorum ortæ fuerint appendiculæ illæ *A* & *An*. Exempli cauſâ Jer.35.2. pro הרכבים, Syri uſurpaſſe videntur ארכבין. Itaque Lxx Interpretes appellationem vernaculam, cunctiſque familiarem & notam potiorem judicantes, transferre maluerunt Ἀραβίαν quàm οἱ Ῥηχαβίμ. Itidem Moſaicum illud הכנה Exod.3.2. Onkelus interpres Chaldæus reddidit אכנא, præpoſito ſimiliter א pro ה emphatico. Sic *A* litera, à qua inchoatur nomen *Adiabas* vel *Adiavas* vel *Anzabas*, nata videatur ex ה emphatico, cujus propria vocalis eſt Pathach. Porrò quoniam vocalem hanc ſequi ſolet Daghes, geminandi vim habens, ideo interjectum eſt *N* in nomine *Anzabas*, quod fungatur vice Daghes. Hoc quippe modo interdum Chaldæi & Aſſyrii ſupplent punctum illud, ut in מנדעא pro מדעא aliiſque ejuſmodi legimus. Idque ipſum in Græca quoque & Latina lingua uſu nonnunquam venit. Vulgatiſſimum hujus rei exemplum eſto vox *India*, quæ הדו, quaſi *Hoddua*, Hebraicè per Daghes profertur; Græcè verò Latinéque per ſuccedentem in locum Daghes *N* literam. Notiſſimum alterum ſit verbum לכך: quod quidem in lingua primigenia (uti cernimus) per literam geminatam effertur; in Græca autem λύκω, per diphthongum, quæ in morem vocalis longæ puncti Daghes literam thematicam duplicantis munus obeat; denique in Latina *Lingo*, quaſi *Liggo*, per elementum *N*, quod *G* literæ Dageſſatæ, h. e. vi Daghes geminatæ, vicem præſtet. Pari ratione ex provinciali Judæorum vocabulo הזאבא *Hazzaba* effictum eſt, fortaſſe etiam à Græcis ac Latinis, *Anzabas*. Ad ſummam, *Zabam*, vel *Anzabam*, aut *Adiavam*, emphaſeως (& quidem in duobus hiſce poſterioribus geminatæ) ratione, *majorem Zabam* vel *Lycum* valere putamus. Idem verò nomen ἀνεμφάτως & cum adjectione prolatum, ut זאב קטון *Zeb* vel *Zab caton*, ritu Hebræo, vel Aſſyrio Syróve, unicâ, eâque ad calcem ſolùm additâ, emphaſi, ut דאבא, h. e. Diavas, *minorem Zabam* ſignificat, quem Κάπρον Græci perhibent.

Verùm enimvero Lectori erudito diſpiciendum annon utrumque nomen *Diavas* & *Adiavas* apud Marcellinum concinnè magìs minúſque operosè ab Arabibus deduci queat. Fuerunt autem hi & linguæ & loci vicinitate non tantùm Syris ſed ipſis etiam Aſſyriis proximi. Etenim *Arabas Orios Adiabenóſque ſolo Tigri diſterminatos* teſtatur Plinius l.6.c.27. Ammianus quoque Marcellinus lib.14. *Saracenorum initium ab Aſſyriis exordiens, uſque ad Nili Cataractas porrigi* ait. Idque conſentaneum videtur Sacris literis, quæ Gen.25.18. docent *habitaſſe Iſmaelitas ab Havila uſque ad Sur, quod eſt è regione Ægypti, & indè uſqueqno venitur in Aſſyriam*, ἕως ἐλθεῖν ἐπὶ Ἀσσυρίους, ut Lxx accommodatè tum ad verba Hebraica tum ad rei veritatem interpretatos exiſtimo. Notum inſuper eſt, Arabes ſive Saracenos à Græcorum primùm deinde à Romanorum exercitibus adjutores comitéſque adhiberi ſolitos ad tractum illum univerſum irrumpendum atque infeſtandum. Ab iſtis igitur ubique locorum illic volitantibus mutuati ſunt (ut probabile eſt) Græci *Adiabenes* nomen, quod Romanis poſtmodum traderent. Quippe *Diavas* eſt דיאב Arabicum, h. e. λύκοι ſive *lupi*; *Adiavas* autem, vel potiùs *Addiavas* (liqueſcente videlicet literâ *I* articuli præpoſiti & Solari ſequente per Teſdid duplicatâ) eſt Arabicum אלדיאב, h.e. οἱ λύκοι vel *lupi illi* demonſtrativé. Quamobrem *Addiabene* aut, Græcorum more molliùs enunciatâ voce, *Adiabene*, quaſi *Lycia, Regióve luporum*, aut *Lupina*, appellata eſt, quòd eam אלדיאב οἱ λύκοι, vel in duali אלדיבין, ſeu אלדיבאן, τὼ λύκω, *Lyci*, ſive *Lupi*, aut *Zabæ* amnes duo, major ſcilicet & minor, mediam irrigarent. Itaque eandem Μέσω & Μεσώνην quoque nominatam fuiſſe teſtatur Aſinius Quadratus, utpote τοῦ μὲν δύο ποταμῶν ἀντὶ μεσαζομένων, *quia mediam inter duo, qua ibidem ſunt, flumina regionem occuparet*, Steph. περὶ πόλ. voce Μέση & Μεσ. Flumina autem illa duos Zabas eſſe oſtendimus, aut (ut Græci appellare ſolebant) Λύκον καὶ Κάπρον, non Euphraten & Tigridem: quod tamen velle videtur Stephanus voce Ἀδιαβηνὴ, & ante eum idem ille quem citavimus, Quadratus. Nam Stephano nihil eſt quòd quiſquam litem intendat; nec enim is de ſuo quicquam apponit novi, rem omnem mutuatus à Quadrato, nobili ſanè Hiſtorico, qui res Parthicas pluribus voluminibus eſt proſecutus. Quicum ut de nomine contendere non audeam, de loco quidem certè, quaſi Euphraten & Tigridem interjacente, reclamat veritas. Quamvis enim & iſti ſuam haberent Μέσω, non tamen hanc de qua nunc agimus, ſed planè diverſam, quæ *Meſopotamia* privatim nuncupatur. Niſi ſi Quadrato impoſuit *Meſes* ſive *Meſones* multiplex appellatio; itémque ambiguum *Aſſyriæ* nomen, quod ad ipſam quoque Syriam (cujus pars eſt Meſopotamia) veteres nonnunquam accommodârunt. Porrò Adiabenen antè *Aſſyriam* dictam fuiſſe autor eſt Plinius l.5. c.12. κατ' ἐξοχὴν nimirum, quoniam Aſſyriæ pars erat (verè namque Dio, ἔστι δ' Ἀσσυρίας καὶ αὐτὴ Νίνος μέχρι ἄντη) longè primaria, feraciſſima nempe ampliſſimáque, & ambitu ſuo Metropolim Niniven complexa. Eandem hodie doctiſſimus Coſmographus Gerardus Mercator l.2.c.12. *Sark* vulgò vocitari tradit, i. ut alibi monuimus, *Prædatoriam*. Eodémq; ſi accommodetur *Adiabene* nomen, & ex Topographico Tropographicum reddatur, utrumque *Luporum inſtar Prædatoriam* interpretabimur, aut *Prædabundam*. Egregiè hæc congruunt *Lupinis* vel, ſicut appellat Nahum Propheta 2. 11, 12. *leoninis* veterum Aſſyriorum moribus, qui orbem terrarum longè latéque prædati ſunt atque depopulati; & Nimrodi, robuſti illius venatoris, indolem inſigniter referunt, qui & Niniven condidit, tanquam luſtrum ingens, prædarúmque undique raptarum inclytum quondam receptaculum; & malum illud princeps invexit, à quo Aſſyrii ad ſe primùm derivatum acceperunt, ac tanquam hereditarium poſteris deinceps tranſmiſerunt.

CAP. 7. *Quis sit ille συζητητὴς de quo Apostolus meminit* 1 *Cor.* 1. 20.

NOmen συζητητὴς 1 Cor. 1. 20. à Johanne Drusio, doctissimo viro, putatur significare *quos dicunt Hebræi* SAPIENTES MEHEKAR. Eámque conjecturam D. Beza quoque in Annotationibus suis & laudat & suffragio suo comprobat: quæ tamen, si paulò accuratiùs expendatur, cùm à genuina vocis notione tum à sententia Apostoli aliena deprehendetur. Constat enim חקר propriè ἐξιχνιάζειν significare, ut transtulit exquisitissimus interpres Aquila; cui assentiuntur nonnunquam Lxx, Tremellius ubique, unum idémque *perveſtigandi* verbum constanter retinens. Atque idcirco abditissima terræ loca dicuntur מחקרי ארץ, secundùm Aquilam ἐξιχνιασμοὶ γῆς, i. *investigationes terræ*, secundùm Tremellium *ima vestigia*, h. e. occultissima terræ penetralia, quæ summæ sunt investigationis, vel summam desiderant investigationem. Igitur חכמי המחקר propriè *sapientes* sunt tales qui in rerum abstrusarum penitúsque latentium *perveſtigatione* occupantur; atque, ut apertiùs dicam, Judæorum sunt Philosophi Physici, qui absolutam rerum Naturalium cognitionem & abditarum causarum perscrutationem suscipiunt ac profitentur. Id vel ex ipso Kimchio, quem citat Drusius, facilè intelligatur. Unum aut alterum locum, eúmque manifestum, proferre satis erit in præsentia ad fidem faciendam. In posteriore parte Michlol, themate בהה, hæc habet verba, *Dicunt* חכמי המחקר, h. e. *Sapientes*, vel *Scientes illius investigationis*, TOHU *ejusmodi rem esse cui nulla insit similitudo aut forma, parata tamen sit & apta ad quamvis similitudinem omnémque formam recipiendam. Vocatur autem Græcè* ὕλη. BOHU *verò formam esse cui vis insit & potentia ad* ὕλην, *Materiam, similitudine figuráque induendam. Harum denique conjunctione ex voluntate Dei mundi istius creationem exstitisse.* Quis hîc φυσιολόγους clarissimè monstrari non animadvertat? quorum officium est Materiam & Formam, quæque composita sunt ex utrisque, diligenter tractare & contemplari. Rursum Commentariis in Psal. 111. 10. חכמת החקירה האמיתית היא לרעת כל מעשה בראשית, i. *Scientia vera investigationis illius valet ad pernoscendum unumquodque opus creationis.* Et paulò pòst, חכמת החקירה & פילוסופיא *Scientiam investigationis* & *Philosophiam* (Naturalem videlicet) tanquam synonyma & significatione omnino paria connectit.

Quare appellatio *Chacham hammehekar* non convenit voci quâ utitur Apostolus. Nec enim idem sonant ἐξιχνιαστὴς & συζητητής. Hæc quippe vox expers figuræ est, illa verò figurata & Metaphorica. *Chacham hammehekar* seu ἐξιχνιαστὴς rerum naturas tantùm considerat, συζητητὴς verborum etiam sensa. Hic propriè cum aliis vel apud alios semper disserit; ille apud se seorsum contemplari potest, adeóque solet, ex effectis causas, ex accidentibus essentias indagans, haud aliter atque canis venaticus latentes in silva feras omnibus vestigiis persequens odoratur & perveſtigat. Insuper, cùm vocabulum *Sapiens* præcedens ad Gentes referri par est, juxta illud, *Græci sapientiam quærunt*; Gentium verò sapientiæ præcipua pars, quâ gloriabantur, esset Physice, quorsum, obsecro, uno duntaxat interposito verbulo, iterum in voce συζητὴς pro *perveſtigatore Physico* acceptâ inculcaretur mentio eadem de re, nempe scientiâ naturali, eâque quasi apud Judæos vigente, novitios admodum magistros disciplinæ illius valdéq; obscuros si cum Gentibus conferantur? Nam cùm Arabes multis post Christi ascensionem seculis, opibus atque imperio jam florentes, assiduam strenuámque operam darent Philosophiæ, præsertim Peripateticæ (quæ sola Physicen accuratè tradit) ab iis deinceps excitati Judæi eadem sectati sunt studia. Indéque tum demum exorta est apud Hebræos disciplina eorum qui חכמי המחקר nominantur, Kimchii quidem ætate illustres, Apostolicis autem temporibus multò posteriores.

Quantò igitur meliùs Paraphrastes Syrus συζητητὴς interpretatus est דרושא, vocabulo aptissimo maximéque proprio? Etenim דרש linguâ tum Hebræâ tum Syrâ ζητῶν καὶ συζητῶν significat, i. *quærere, inquirere, disquirere, disputare, disserere.* Τί συζητεῖτε μετ' αὐτῶν; inquit Dominus in Euangelio Mar. 9. 16. מנא דרשין אנתון עמהון, *Quid disquiritis*, vel *disputatis*, aut *disseritis, cum illis?* Hinc συζητητὴς דרושא Syriacè dictus. Quod idcirco accuratè monendum duxi, quia cum vulgari Judæorum idiomate & antiqua eorum consuetudine apprimè congruit. Primùm enim מדרש 2 Chron. 13. 22. & 24. 27. *librum diligenter elaboratum* designat *ubi in promptu sint quærenda*, vel *quæsitu digna.* Exinde commentatio omnis subtilis & exquisita dicta est מדרש. Sed præstat Eliæ Levitæ verba apponere: קראו מדרש כל פירוש שאינו על דרך פשוטו, *vocatur*, inquit Thisb. דרש, *Midrasch Expositio omnis*, vel *tractatus, qui non viâ rationéque simplici conficitur:* sed spreto sensu quem Grammaticum vocant ac literalem, tanquam facili obvióque & ante pedes (ut aiunt) posito, speculatur mysticum, allegoricum, tropologicum, anagogicum. Unde usitata illa Rabbinorum formula, דרך דרש, h. e. *secundùm sensum reconditum*, vel *allegoricè*, uti transtulit Mercerus apud Aben-Ezram Hos. 4. 3.

Hunc autem Sacrarum literarum exponendi modum vetustissimum fuisse liquet apud Judæos, & summo in pretio habitum. Adeóque luxuriârunt veteres Allegoriis ut non solùm ceremonias (ubi commodè locum habent) sed universum Scripturæ contextum ipsáque historica & apertissima quæque mysticis suis interpretationibus, quasi materiam primam, in formas innumeras, imò deformitates, prodigiosè transfigurârint. Quò inprimis spectare videntur verba Apostoli Titum jubentis ut moneat Cretenses *Nè attendant Judaicis fabulis*, 1. 14. Verè namque inanes erant fabulæ vanissimorum hominum ἀλληγορήματα illa in quibus ipsi mirificè sibi placebant. Quoniam verò Platonica & Pythagoræa Philosophia symbolica erat, mystica, ænigmatica, hæc jam olim Judæorum Rabbinis & eruditis apud eos quibusque primò arridere cœpit. Unus Philo Hebræorum disertissimus, quasi πολλῶν ἀνεξιχνιάστων ἄλλων, & quem cuilibet promptum est adire, testis erit nobis hac in re maximè idoneus. Adhæc, quandoquidem sensus Allegoricus ambiguus est atque anceps admodum, & commentitiis expositionibus variari in infinitum potest, hinc statim multiplices συζητήσεις & disputationes gliscere necesse fuit; quemadmodum Apostolus ipse quoque docet 1 Tim. 1. 4. *Judaicas illas* (maximè Allegoriarum) *fabulas quæstiones prabere potiùs quàm ædificationem Dei quæ est per fidem.*

Jam verò mysticus iste interpres, quíque facultatem tradendi המדרש seu *allegoricam* ejusmodi interpretationem erat adeptus, idiomate Judæorum usitato & Rabbinico πεπαιδευμένος בעל המדרש appellatus est, absolutè autem דרשן. Quod ipsissimum est nomen cui apud Hebræos ad amussim congruit συζητητὴς Paulinus, Doctor scilicet subtilis, mysticus, anagogicus, non qui occultas rerum naturas venatur, sed recondita Legis ac Prophetarum sensa rimatur.

Loca ubi differebant id genus Doctores בתי המדרשות, h. e. *domus reconditarum*, seu *mysticarum, disquisitionum ac dissertationum* appellatæ sunt. Quæ reipsâ eædem erant cum Synagogis, ratione autem discrepabant; ità videlicet cognominatæ quòd Doctores mystici illic disserere solerent. Harum domorum maximum olim Hierosolymis fuisse numerum narrant Rabbini, quoniam illic tanquam in celeberrima totius gentis Judaicæ Academia universus ferè τὸ συζητητὸν, הדרשנים, chorus residere consuevit.

Dicat quispiam, nihil adversari quominùs *Chacme Hammehekar* possint iidem esse qui etiam συζητηταὶ seu דרשנים appellantur. Imò verò id neutiquam fieri potest. Nam à D. Kimchio versum sextum Psalmi 91. exponente, alteri alteris veluti ex diametro opponuntur. Narrat quippe בעלי הדרש, συζητηταὶς videlicet, sive *disquisitores*

istos

istos *mysticos*, affirmare, versum illū de Dæmonibus, השדים intelligendum esse. Contrà חכמי המחקר, illos scilicet *naturæ pervestigatores*, acriter negare Dæmones vel omnino esse: idque non quomodocunque facere, sed במופת ἀποδεικτικῶς, adhibitâ in eam sententiam demonstratione. Profanum certè hominum genus, ac unà cum veteribus Sadducæis meritò detestandum.

Cæterùm sicut דרשנים vel συζητηταὶ ità סופרים, γραμματεῖς Græcè dicti, & quandoque expressioris (ut videtur) distinctionis gratiâ, γραμματεῖς τῆς λαοῦ *Scriba populi* (à Josepho Antiq. Jud. l. 2. c. 5. ἱερογραμματεῖς appellati) Ecclesiastici quoque erant Doctores (Non hìc loquor de civilibus populi moderatoribus, שוטרי העם Hebraicè nuncupatis, quos itidem γραμματεῖς τῆς λαοῦ Lxx Jos. 1. 10. verterunt) minimè tamen illis similes, aut Allegorici, sed qui τὸ ῥητὸν retinentes, sensum Grammaticum utcunque populo explicabant, crassiore Minervâ verbísque ad captum vulgarem accommodatis, secundùm vetus illud dictum ἀμαθέστερον loquentes ἢ σοφίστερον. Id quod optimo saluberrimóque & antiquissimo omnium instituto fieri ubique solebat, ante invectam à curiosis ac malè feriatis hominibus pernicioſam Allegorias passim fingendi consuetudinem: A. Gell. Noct. Attic. l. 12. c. 5. Neh. 8. 9.

Quamobrem, ut ad propositum tandem Apostoli locum quæ dicta sunt applicem, insultatio Pauli hanc habet sententiam, dilucidam sanè atque expeditam, *Ubi sapiens*, &c. q.d. Ubi Gentilium Philosophus, sapientiæ ex operum naturæ contemplatione comparatæ opinione elatus? ubi Judæorum Doctor, verbi Divini cognitione tumidus, sive secundarius iste vulgaris ac Grammaticus, sive primarius ille ac mysticus, in urbe sancta potissimùm celebris? Omnes utique pariter seculi hujus alumni censendi atque elementorum ejus, utpote freti tantummodo naturali perspicaciâ scientiâque humanitus acquisitâ, citra Spiritûs S. ex verbo illuminationem. Ideóque quod ad veram ac solidam salutis æternæ adipiscendæ notitiam attinet, prorsus fatui, cum universa sua mundana, quantacunque est, sapientia. Hìc in tribus illis hominum eruditorum ordinibus crescentem venustè orationem cernere licet, omniáque aptissimè cohærere, nec quicquam alienum admisceri, servatâ ubique germanâ vocum significatione: Quod unicè, quoad ejus fieri poterit, perpetuò studendum est.

CAP. 8. *De insigni quodam Plutarchi & Taciti mendacio, affirmantium Judæos Asinum honorare.*

PLutarchus, autor aliàs gravis & cum primis eruditus, multa in Sympoſiacis l. 4. c. 5. adversùs Judæos futilia scribens, seriò asserere non dubitat eos τιμᾶν ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος, *honore asinum prosequi, ut qui olim iis monstraverit aquæ fontem.* Eadem, sed aliquantò fusiùs, narrat istius ferè æqualis Cornelius Tacitus Hist. lib. 5. (Vide Tertullianum Apolog. c. 16.) Et quò plus ponderis habeat testimonium, etiam plurimorum consentientem auctoritatem laudat. Narrat igitur, *cùm grex asinorum agrestium è pastu in rupem nemore opacam concessisset, secutum Mosen conjecturâ herbidi soli, largas aquarum venas aperuisse.* Deinde *Judæos effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimq; depulerant, penetrali sacravisse*, religiosè scilicet venerandam, sicut antè citatis Plutarchi verbis significatur, aliísque etiam expressioribus Democriti cujusdam Historici apud Suidam declaratur; *Judæi*, inquit, χρυσῶ ὄνου κεφαλὴν σεβόμενοι, *aureum asini caput adorabant*; & aliis insuper apud Josephum acrioribus Apionis cujusdam Grammatici Alexandrini, universæ gentis Judaicæ hostis immanis: Qui in sua rerum Ægyptiacarum Historia scribere non erubuit, Judæos capitis asinini effigiem auream, in Sacrario collocatam, cultu religioso afficere solitos; eámque ab Antiocho Epiphane, cùm Templum Hierosolymitanum spoliaret, in adytis repertam. Mirabar equidem hæc legens. Nam Vitulum quidem per infandam idololatriam veteres Judæos seu Israelitas ad exemplum Ægyptiorum cultu Divino dignatos fuisse novimus; Asini verò ab iis honore aliquando decorati nusquam vel minimum vestigium, imò nè tenuissimam quidem umbram, apparere opinamur. Putidum proculdubio hoc est tetrúmque mendacium, in ignominiam gentis religionisque Judaicæ (ut & alia multa) ab Ethnicis confictum: Haud aliter atque olim commenti sunt in Christianos, sanctissimos viros, *Oedipodéos incestus, & Thyesteas convivia*, ut Ecclesiastica tradit historia, Euseb. l. 5. cap. 1. Neque nostrâ hâc ætate fidelissimi Jesu Christi servi diabolicas ejusmodi calumnias evadere potuerunt. Nemo quippe nescit quanta quámque horrenda per immensam malitiam parémque impudentiam à furiis & Erinnybus Pontificiis objecta sint fortissimis illis Ecclesiæ Dei athletis, Luthero, Zuinglio, Calvino, aliísque. Sed ad propositum redeo. Etsi tam crassa est & exsecranda calumniæ istius in Judæos falsitas ut opus non sit Historicorum probatissimos fidéque dignissimos, Polybium, Strabonem, Nicolaum Damascenum, cæterósque, quos citat Josephus, advocare, sed palàm vel ab ipsis autoribus redarguatur; (nam Tacitus solâ veritate victus mox diserris verbis fateri cogitur, *Nulla simulacra urbibus Judaicis, nedum Templis, esse*) dispicere tamen libet ecquid uspiam reperiatur quod fabulæ hujus fingendæ aliquam saltem occasionem fortasse præbuerit. Sanè, si quid tale sit, credibile est ex Scripturis quæ Græcè jampridem apud Ethnicos exstabant, fuisse desumptum. Illic igitur cùm omnia animo rationéque diligenter lustrâssem, nihil quicquam invenire potui nisi quod huc detortum extra modum ineptum atque absurdum videretur. Qualecunque tamen est, in medium proferre non pigrabor.

Moses Gen. 36. 24. Horæorum Principum genus describens, *Is est*, inquit, *Ana qui invenit* את הימים *in deserto, cùm pasceret asinos Sibeonis patris sui.* Hìc quia vocabulum Hebræum difficilis esset interpretationis, Lxx, Aquila, Symmachus, Theodotio, idem ipsum ἰαμὶν (terminatione Syrâ) literis Græcis expressum retinuerunt: Reliqui interpretari aggressi sunt. *Quorum nonnulli*, inquit Hieronymus Quæst. Hebr. in Gen. AQUAS CALIDAS, *juxta Punica lingua viciniam, qua Hebræa contermina est, hoc vocabulo signari putant.* (Atque ità vertit vulgatæ editionis Latinæ autor, quisquis ille fuit) *Alii putant* JAMIM *Maria appellata. Iisdem enim literis scribuntur Maria quibus nunc hic sermo descriptus est. Et volunt illum, dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, quæ juxta idioma lingua Hebraica Maria nuncupentur; quòd scilicet stagnum repererit. Cujus rei inventio in eremo difficilis est.* Hâc ergò ratione Tseri vocalis longa loco Patach & Dagesch posita dicetur. Versio hæc (quia facillima) pluribus olim placuisse videtur: Adeò ut Diodorus Tarsensis in expos. Gen. fidenter confirmârit, ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος τὴν Ἰαμὶν Ὕδωρ βύλον λέγειν· ἀντὶ τοῦ Εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ, *Syrus & Hebræus Aquam* JAMIN *vocare solent, h. e. Invenit fontem in deserto.* Hæc aliáque hujusmodi cùm innotescerent Ethnicorum aliquibus, fabularum ac mendaciorum architectis, perindè acceperunt ac si deducentibus atque monstrantibus asinis fons ille fuerit inventus. Neque id satís: Sed quod Horæorum primario cuidam viro accidisse narratur, id Judæorum legislatori Mosi (forsan quòd literis Judaicis proditum esset) ineptissimè attribuerunt. Atque ulteriùs etiamnum progressi, persolutum deinceps ab eodem Mose populóque Judæorum universo, ob indicatum scilicet fontem, religiosi honoris præmium Asinino, vilissimo certè quadrupedum, generi impudenter finxerunt. Vanissimum commentum. Non enim ימים JENIM, sed ימים JAMMIM *Maria* significat. Neque Stagnum ullum aut Mare præter Mortuum illud in deserto Arabico Geographus quispiam aut Historicus unquam observavit: Ad hæc, haud parùm distat Fons à stagno aut Mari.

Rectiùs igitur interpretati sunt illi de quibus Hieronymus Quæst. Heb. in Genes. *Sunt qui arbitrentur*, inquit, *Onagros ad hoc admissos esse ad asinas, & Anam istiusmodi reperisse concubitum, ut velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur* ימים. Chaldæus P. longiùs aberrat, quippe qui ימים interpretetur גבריין, i. *gigantes*, quasi

quasi pro אמים positâ voce; quo pacto Moabitæ gigantes, quòd *terribiles* essent, vulgò vocâsse traduntur Deut. 2. 11. Optima verò est eorum sententia qui ימים *Mulos* exponunt, utì solent Hebræorum ac nostrorum doctissimi interpretes. *Plerique putant*, inquit Hieronymus ibidem, *quòd equarum greges ab asinis in deserto ipse (Ana) fecerit primus ascendi, ut Mulorum indè nova contra naturam animalia nascerentur.* Illud tantùm addo, *jemim* peregrinum nomen videri, & ab Horæis, qui confusaneam illam speciem in orbem introduxerunt, primùm impositum. Nam ab Hebræis longè alio nomine donatur Mulus, ac פרד ab iis propriè appellatur. Cujus etymi rationem ab insita sterilitate sumendam monent Rabbini, Kimch. Rad. ut פרד dicatur quasi נפרד, h.e. *separatus*, nimirum à prole, quam nullam generat; aut *solitarius* sive *solus*, omnino prout μόνος in Euangelio Joh. 12. 24. usurpatum occurrit. Nomen *burdo* ab interprete Latino adhibitum 2 Reg. 5. 17. itémque antiquius alterum, & politioribus scriptoribus familiare, nempe *veredus*, equum celerem denotans, sive viatorium sive venatorium, ejusdem sunt originis. Nam & literæ principales utrobique eædem sunt (discrepantia enim ב, *b* & *v* pro nihilo est putanda) & significatio probè convenit: Illud enim *Mulum* privatim designat, hoc Equorum quidem genus quoddam, sed Metaphoricè à Mulorum eximia pernicitate appellationem adeptum. Siquidem hâc re maximè commendantur ab Aristotele ἡμίονοι *muli*, utpote πρὸς ταχυτῆτα διαφέροντες, *egregiâ in cursu velocitate præstantes*, Hist. animal. lib. 6. cap. 36. pag. 199. Atq; id nos tragicus ille Absalomi casus 2 Sam. 18. 9. satìs monere queat. Verùm enimvero (sicut observatum nuperrimè contigit ut legerem in laudatissima illa Chrysostomi editione Etonensi) *Burdo* à doctissimis viris, Jacobo quidem Billio redditur *equus*, Johanne autem Boysio exponitur *de genere equorum* tom. 8. pag. 855, & 881. Nos Sipontino potiùs & Nebrissensi assentiendum duximus, quibus *burdo* dicitur *qui ex equo & asinâ natus est.* Idque veteris Glossarii autoritate apertè confirmatur, ubi vocabula *Mulus* & *Burdo* tanquam synonyma conjuncta reperiuntur. Illud tamen interest, quòd in Parallelis Græcis ibidem *Burdo* describitur ἡμίονος ἐξ ἵππου θηλείας καὶ ὄνου, *Mulus ex Equa & Asino.* Cui contrarium est quod modò à Sipontino & Nebrissensi traditum memoravimus.

Sed, ut ad rem redeam, levicula hæc profectò est occasio tam prodigiosi mendacii commiscendi. Sed meminerimus Senarium Menandri,

Μικρὸν πείσασ' ὅτι τοῦ πρᾶξαι κακῶς.

Item mimum Publii,

Malefacere qui vult, nusquam non causam invenit.

Imò subindè absque ulla prorsus occasionis specie ludus jocúsque est impiis pios mendaciis impudentissimis obruere & turpissimis contumeliis de industria vexare. Atque eò magìs plerumque inflammatur effrænatus eorum & ignitus maledicendi maléque faciendi furor quò illustriùs in clarissimo aliquo Dei opere conspiciendam sese exhibet gloria Divina. Itaque præcipuè liberationem utramque, typicam nempe ex Ægypto per Mosen, & veram atque æternam ex inferno per Christum Dominum nostrum in cruce consummatam, omni convitiorum mendaciorúmque, quasi telorum, genere certatim figere tentârunt. In priorem, totámque pariter gentem Judaicam, insigne, præter alia, est hoc de ductu honoréque Asini, ex Plutarcho Tacitóque, tanquam ex Diaboli pharetra, depromptum. In posteriorem, noménque simul Christianum universum, omnino consimile, aut detestabilius etiam, est alterum illud de Actis Pilati ac Servatoris summo Satanæ artificio fabricatum, & ab ipsius mancipiis, maximè Juliano Imperatore, exsecrando illo Apostata, jactatum, Euseb. Hist. l. 9. c. 5. Denique felicissima veritatis Euangelicæ instauratio postremis hisce temporibus, & modis omnibus admiranda, quot quámque innumeris hujusmodi venenatis sagittis petita fuerit in sanctis ejusdem assertoribus, ubique testatum est, ut & suprà attigimus.

CAP. 9. *Translationis LXX interpretum loci duo, partim emendati, partim explicati. Itémque Aquilæ unus.*

NON dubito quin mendum insit verbis illis Psalmi 30. 12. ἔσχασα ἢ κοπετόν μου εἰς χαρὰν ἐμοί, ac levissimâ mutatione facillimè emendari posse puto si utrumque α vocabuli χαρὰν vertatur in ο, quæ consimiles sunt literæ, nec differunt nisi duobus minutulis apicibus in α dextrorsum exstantibus. Nam omnino legendum εἰς χορὸν ἐμοί, ut & vox Hebræa מחול eidem respondens pervincit, & ipsa quoque ratio confirmat. Sunt enim ἀντίστροφοι & inter se oppositi gestus κοπετὸς καὶ χορὸς planctus & chorea. Ut igitur *planctus* in luctu, ità *chorea* in lætitia. Quare amoto *planctu* commodè & concinnè succedit *chorea* in locũ ejus. Unde lingua Syriaca pervenustè servatũ unum idémq; thema, tanquam communem materiam, aliâ atq; aliâ conjugatione variat, veluti contrariis formis sibi per vices subeuntibus. Ut à רקד formatur & רקר quod in Pael *Saltare* significat, & ארקד quod in Aphel *Plangere* Mat. 11. 17. Veruntamen non nego pervetustum esse mendum istud: id quod constat tum ex V. interp. Lat. qui *Gaudium* transtulit, tum ex Apolinarii Metaphrasi, ubi χάρμα exponitur.

Haud absimilem huic nævum cernere licet in eodem contextu Græco Gen. 19. 6. Ἐξῆλθε δὲ Λὼτ πρὸς ἄνδρας πρὸς τὸ πρόθυρον, καὶ τὴν θύραν προσέλεξεν ὀπίσω αὐτῶν, h.e. *Egressus est autem Lot ad eos in vestibulum; ostium verò adaperuit post se.* Quis hìc non observet προσέλεξεν absonum esse atq; absurdum? Neque enim solent ex ædibus forâs egressuri *ostium post se aperire* (quorsum nempe aut etiam quomodo id fiat?) sed ante se, ut exitus liber pateat ac inoffensus. Deinde Hebræo סגר (cujus interpretandi gratiâ adhibetur) prorsus contrarium est: hoc enim *occludere* significat; quod consilio Loti valdè consentaneum exstitit. Voluit quippe is hospitum suorum incolumitati ac pudicitiæ quàm accuratissimè prospicere & consulere: Fieri autem id non poterat nisi occlusis firmissimè foribus. Insuper, eodèm spectant etiam sequentia: Etenim ver. 9. narratur, impurissimos Sodomitas, simul ac Lotum minùs dicto audientem sibi fore intellexerunt, confestim omnes impetu pariter facto *in eum irruisse, & accessisse ut januam effringerent.* Occlusa igitur fuerit janua necesse est: Nec enim alioquin opus esset eam effringere conari, si jam patefacta fuisset aut adaperta. Sic ergò restituenda videntur Græca, καὶ τὴν θύραν προέωσεν ὀπίσω αὐτῶν, h. e. *Fores autem obdidit post se.* Verbum istud quilibet, opinor, eruditus vel mediocriter maximè idoneum perspiciet, ac tantùm non illud ipsum reapse quo LXX sunt usi, ut quod & Hebraicæ veritati & loci sententiæ pulcrè conveniat. Præterea perexigua admittitur mutatio, eáque in literis simillimi soni. Nam ξ & σ (ut observavit Canterus Syntag. De rat. emend. Græc. auct. réque ipsa loquitur) eodem ferè proferuntur à nonnullis modo: quò proclivior erat librarii lapsus in transcribendo, præpropero præsertim & plerumque tumultuario eorum more. Porrò προέωσεν (ut vim naturámque verbi paulò latiùs & apertiùs explanem) perinde valet ac si dicas *allisit*, fores nimirum ad limina postésque, violento & repentino quodam motu trudens eas aut impellens: ut innuatur quàm maxima festinatio, quâ gravissimum periculum, quod jam in proximo aderat & impendebat, totis viribus amoliri properavit. Tenenda insuper est antiqua Græcorum consuetudo, quam in verbo isto potissimùm deligendo spectasse censendi sunt LXX doctissimi illi viri. Nam & προσωθεῖν *ostium* quidem *claudere* denotat, sed certo modo, nempe *trudendo & obnixè à se dimovendo.* Id autem Lotus jam forâs egressus facere omnino non poterat, nisi januam ità appensam cogitemus ut extrorsum fuerit aperienda. Quem eundem morem, videlicet ἐντὸς ἀνάγεσθαι ἢ αὐλίον, i. atriensis *januæ extrà aperiendæ* sive *in publicum rejiciendæ*, ut loquitur Plinius lib. 36. cap. 19. totius olim veteris Græciæ commu-

communem fuisse testatur Plutarchus in Publicolæ Vita. Id autem Romanis prorsus inusitatum erat, nec cuiquam omni memoriâ, nisi L. Valerio Publicolæ, ejúsque fratri, honoris causâ permissum. Rem omnem Helladius quidam Besantinous in Chrestomathiis suis breviter & dilucidè exposuit hisce verbis, Phot. Biblioth. pag. 875. lib. 23. Τότε χάειν κόπτυσι πρὸ τοῖς κωμικοῖς οἱ ἐξιόντες τὰς θύρας, διότι οὐχ, ὡς παρ' ἡμῖν νυνὶ, τὸ πάλαι ἀνεῳγυντο αἱ θύραι, ἀλλ' ἐναλλὶ πέπαι· ἔξωθεν γὰρ αὐλὰς ἀναβέποντες, ἔνδοθεν ἐξίεσαν· πρότερον δὲ τῇ χειρὶ ψόφον ἐποίουν κρούοντες, ὅτι τοὺς ἔγγιστα τῆς ἐπὶ τὰς θύρας, ἢ φυλάξασθαι μὴ πληγεὶς ἐσῶ λάθῃ, ἢ θυρῶν ἀθαμβῶν ἅψῃ, *Hanc ob causam*, inquit, *apud Comicos fores pulsant qui domo sunt exituri; quoniam non, ut hodie apud nos, ità olim apud veteres, aperiebantur fores, sed contrario modo. Extrorsùm enim eas pellentes, ex interiore ædium parte egrediebantur. Priùs autem manu strepitum ciebant pulsando, ut perciperent qui ad fores assistebant, sibique caverent, nè astantium aliquis foribus repentè protrusis percuteretur.* Itaque vulgata editio Latina, cùm Græcam hîc (ut ubique ferè solet) imitari studeret, verbum προσέωσε, germanum Hebræi סגר interpretamentum, pro *attrusit*, quod insolens fuisset Latinis hoc præsertim loco, transtulit, quod sensu non tam simile quàm idem est, *accluſit*. Cui quid, obsecro, magìs contrarium dici aut fingi potest quàm subditìtium illud προσέφξεν *adaperuit?* Libet autem id Lectori indicare, Clementinam Bibliorum Latinorum Editionem, à Romanis correctoribus concinnatam, *Occludendi* verbum habere, non *accludendi*. Ego tamen nihil temere mutandum censuerim, ut qui in omnibus codicibus quàm emendatissimè accuratissiméque editis, nempe à Theologis Lovanienſibus, Plantino, Stephano, Tornæsio, à Bernardino Gadolo, abhinc annos supra centum, ex autoritate atque approbatione Cardinalis Piccolhominei, in Bibliis Complutensibus, in Concordantiis, quas vocant, Majoribus, in Bibliis quibusdam Manuscriptis quæ deditâ operâ diligenter consului, *accludens* in contextu Latino, non *occludens*, constanter & perspicuè scriptum repererim. Illud etiam expendi velim, me non ire inficias, si articulus in Græco subaudiatur, & voces ὀπίσω αὐτῶ divellantur à verbo προσέφξεν, sensum aliquem per πρωθύστερον & temporum Enallagen reddi posse hoc modo, ἐξῆλθε Λὼτ πρὸς αὐτὰς πρὸς τὸ πρόθυρον, ἢ ἡ θύρα προσέφξεν, ἢ ὀπίσω αὐτῶ, h. e. *Egressus est ad eos Lot in vestibulum: ostium autem adaperuerat, quod post se erat.* Sed violenta sunt ista & veritati Hebraicæ (prout res ipsa loquitur) minimè consona.

Accedo ad alium Interpretem multò diligentissimum, Aquilam nempe, mendam (spero) emaculaturus quæ in illius verbis hæret Prov. 19. 13. Ubi *mulier rixosa* cum *stillicidio* confertur, quod דלף טורד Hebraicè dicitur. Id σαγηλὸς σώτομος transfertur ab Aquila, utì legitur in Annotationibus editionis Romanæ. Sed quivis linguæ Hebrææ Græcæque non omnino imperitus haud magno sanè negotio perspiciat Aquilam σαγηλὸν σώτονον scripsisse; atque ità legi oportere persuasissimum mihi est. Vox enim ζώτονος ab Hesychio exponitur ζοῶδες, ἰσχυὸς, ζωτικὸς, i. *vehemens, validus, continuus*, Metaphorâ (ut palàm est) sumptâ ab *intentione* arcûs, nervorum, & similium, quæ non nisi adhibitâ vi viriúmque continuatione aliquâ, non relaxatione, contenduntur. Est ergò σαγηλὸς ζώτονος *stilla vehemens ac sæva, perpetuo ejusdem casûs quasi tenore decidens, nec quicquam de priore impetu remittens.* Hæc aptissimè congruunt vocabulo טורד, quod eodem pacto ab Hebræis interpretibus exponitur, & in eandem sententiam à Rabbinis passim usurpatur. Illi namque, teste D. Kimchio in Rad. (cui adstipulatur Elias Levita in Thisb.) מרוד appellare solent virum ejusmodi, שעסקו תמיד על ענין ולא נח ולא שקט ממנו, *qui assiduus est in opere, nec unquam quiescit, neque respirat ab eo.* Qualis in Euangelio nobis depingitur Martha, μεριμνῶσα καὶ τυρβαζομένη (מרודה) περὶ πολλὰ, Luc. 10. 41. aut Menedemus ille in Comœdia, quem sic Chremes alloquitur,

Nunquam tam manè egredior, neq; tam vespere
Domum revertor, quin te in fundo conspicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique.
Nullum remittis tempus, neq; te respicis.

Quamobrem σαγηλὸς σώτονος magnam habet emphasin, & ad unguem exprimit דלף טורד, *stillicidium* verò aut *stilla continua* non item, nisi addatur *vehemens, sæva*, aut tale quidpiam.

Cæterùm interpretamentum Symmachi σαγόνες καλαπιδῶσαι non ineruditum arbitramur aut rejiciendum. Petitum autem est à Chaldæa ejusdem radicis טרד significatione, quæ cap. 4. Danielis habetur. Ibi siquidem ἐκδιώκειν à Lxx redditur, h. e. *urgere, expellere, depellere, abigere, exigere:* quomodo hoc ipsum verbum ab iisdem exprimitur Prov. 27. 15. nempe ἐκβάλλειν, i. *ejicere*. In vulgari Arabum sermone *persequi* significat atque *exagitare:* quod eodem spectat. Ergò σαγόνες καλαπιδῶσαι, h. e. *stillæ accelerantes*, imbres magni sunt & assidui, qui nullum concedunt respirandi locum, sed veluti persequuntur gradúmque accelerare cogunt, & vel peregre proficiscentem à cœpto itinere depellunt, vel domi manentem, tecto perstillante, exigunt ex ædibus, quæsiturum alibi ubi tutus ab imbribus lateat. Patet igitur hanc Symmachi versionem non multùm discrepare ab illa Aquilæ; imò consentaneam illi esse, tanquam quoddam ejus consequens.

CAP. 10. *Defenditur versio Lxx Interpretum. Psal.* 105. 28.

PSalmo 105. 28. in Hebraica veritate ità legimus, ולא מרו את דברו, vel את דבריו. Doctissimus Hebræorum interpres R. David exponit, *Non mutârunt*, (i. non irrita fecerunt) *verba ejus* (Dei videlicet) vel, *verbum ejus*. Aquila, καὶ ὐ προσώπησε, *& non contenderunt adversùs*, (quæ Arabica quoque est hujus verbi significatio:) Symmachus, ὐκ ὑπώθησε, *non contumaciter restiterunt:* Theodotio & Quinta Editio, καὶ ὐ παρεπίκρανε *& non exacerbaverunt*. V. Editio Latina habet, *& non exacerbavit*, mendosè forsan legens παρεπίκρανεν pro παρεπίκρανε. Atque hi omnes particulam negativam retinent, quæ in Hebræo planissimè exprimitur. Lxx verò interpretes, antiquissimi pariter ac peritissimi viri, eandem abjecisse prorsus videntur nonnullis, ut qui olim sic ista verba reddiderint, καὶ παρεπίκρανε τοὺς λόγους αὐτῶ. Quorum auctoritatem secuta est editio 6. Apollinarius item, homo nequaquam novitius nec ineruditus, in Græca sua Psalmorum Metaphrasi,

Οἱ δ' ἐπίουν βάλδεν ἐναντία πικρὰ θεοῖο,

i. *Sed isti* (Ægyptii) *amara cogitârunt* (aut *moliti sunt*) *contraria dictis* (seu *mandatis*) *Dei.* Quinetiam V. editionem Latinam & verbum plurale *exacerbaverunt* olim habuisse, & *non* negandi particulâ caruisse, plùs quàm probabile est. Testis hac ipsa de re gravis & religiosus est Augustinus tom. 8. enarr. in Psal. 104. *Quod sequitur*, inquit, *in diversis Codicibus variè legitur. Alii namque habent* EXACERBAVERUNT SERMONES EJUS. *Alii verò*, NON EXACERBAVERUNT SERMONES EJUS. *Sed quod priùs dixi, in pluribus invenimus. Ubi autem addita est negativa particula, vix duos codices potuimus reperire.* Certè Arabica Psalmorum Interpretatio editionis Savarianæ negationem nullam exhibet, ואסחטוא ביאמרת *& irritârunt sermonem ejus.*

Quæritur jam, commodéne defendi queant Lxx qui, veluti expunctâ Sacri contextûs voce primariâ לא, sententiam negativam in affirmativam mutarint. Respondemus, Posse. Ac primùm quidem illud etiam atque etiam pernegamus, tantos viros saltem per incuriam omisisse, nedum de industria eliminasse, vocem לא. Insicita est, temeraria, nè dicam, manifesta atque improba, calumnia. Notùm quippe est Grammaticis, & à D. Kimchio in priore

parte

parte Michlol, tractatu De literis servilibus, observatum, frequentem accidere in textu Hebraico ה interrogativi Ellipsi, ut 2 Reg. 5. 26. לא לבי הלך, pro הלא לבי הלך, οὐχὶ ἡ καρδία μου ἐπορεύθη; *Annon*, (vel *Nónne*) *cor meum ivit?* Et Job 40.20. תמשוך לויתן, *An extrahere poteris balænam?* pro התמשוך. Sic Tremellius & Junius Psal. 121.1. אשא עיני pro האשא *Attollámne oculos meos?* q.d. *Equidem non attollam.* Cur igitur æquè non liceat Lxx clarissimis illis interpretibus, linguæ suæ cognitione posterorum nemini secundis, retentâ particulâ לא, subintelligere ה interrogativum, hoc pacto, והלא מרו את־דברי ה?

Atenim Elias Levita, eruditus ac diligens Grammaticus, negat conjunctionem ו unquam præponi ה interrogativo. Sed non admodum probatur doctis sententia ipsius; & nominatim Mercero minùs placet: Atq; adeò ille ipse Elias והלא usurpare solet. Quod non fecisset, opinor, nisi urgente ac impellente veritate: eáq; adminiculis haud quaquam infirmis, ratione usúq; fulcitur. Nam aliquando collocatur ו ante ה interrogationis notam, ut Prov. 24.28. והפתית, *& an pellicies?* Quidni verò collocetur? cùm etiam ante אם, eidem He interrogativo ἰσοδύναμον, positum inveniatur, ut Prov. 27. 24. ואם־נזר, *& an coronamentum?* Rectè igitur hîc והלא, subaudito ה interrogativo inter conjunctionem & particulam negativam, redditur, *Et annon?* quemadmodum & in Græco apud Marcum legitur, καὶ οὐκ εἰσὶν αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ, *& ánnon sunt sorores ejus?* ubi καὶ οὐκ idem prorsus est atq; ולא Hebræum interrogativè prolatum, aut etiam והלא, interposito *He*. Cui valdè consentaneum est interpretamentum Syriacum ibidem ולאהא, adeóq; consentaneum ut ipsi Lxx propriam hujus versionem ad illud accommodârint. Nam sæpenumero הלא non οὐκ vel οὐχὶ, sed οὐκ ἰδὲ, quod planissimè est הלא, reddidisse observentur; sicuti in Lexico nostro apertiùs ostendemus & singillatim, modò vita supersit, ac studiis conatibúsq; nostris propitius adsit cœlestis Pater & Deus noster in secula benedictus. Quod autem ad ולא attinet interrogativè positum, eodem pacto usurpatum occurrit Levit. 18.28. ולא תקיא, i. *Et non evomet vos terra illa, cùm polluveritis eam?* &c. Hæc enim per interrogationem simplicissima est vertendi ratio. Citra interrogationem autem minùs idonea videtur. Nam vel species orationis invertitur, parenthesi interjectâ, & mutato *Et* in *Ut*, quod cernitur in editione Tremellii; vel imperfecta relinquitur oratio, quod in Græca; vel asciscitur verbum minimè necessarium, quod in Vulgata Latina animadvertatur. Congruenter igitur & appositè versiones vernaculæ, Anglicana videlicet prior & Gallica, interrogativè transtulerunt. Ità nempe insitum sententiæ pondus (quod interrogatione ademptâ nonnihil obscuratur) in lucem egregiè profertur, q.d. Dubium non est quin terra illa, quæ gentes profanas veríque Dei ignaras evomuit, vos populum sanctum & æterni Dei cognitione imbutum, si pariter eam polluveritis, multò magis tandem evomat. Iltis attexenda sunt verba Israelitarum de Davide in Regnum reducendo, 2 Sam. 19.43. ולא היה דברי ראשון, ubi ולא in morem interrogationis teddiderunt novissimi Interpretes Latini, *Annon fuit sermo meus prior apud me de reducendo Rege meo?* Ad eundem quoque modum antiquissimi Interpretes Græci, καὶ οὐκ ἐλογίσθη ὁ λόγος μου πρῶτός μοι τοῦ Ἰούδα, ἐπιστρέψαι τὸν βασιλέα μου; i. *Insuper ánnon reputata mecum priùs est sententia quàm (sua) cum Juda, de reducendo Rege?* vel sicut in aliis exemplaribus legitur, καὶ οὐκ ἐγένετο τὸ ῥῆμά μου πρότερον τοῦ ἐπιστρέψαι τὸν βασιλέα μου; *Nónne etjam prior exstitit sermo meus de reducendo Rege meo?* Ubiq; videre licet eandem servari interrogandi formulam; & meritò quidem: præclarè namque consentit & concinit superioribus, iísq; manifestis ejusdem capitis verbis, v. 9. & 11. Quanquam autem allatis hisce exemplis, quasi datis totidem pignoribus, rei de qua ambigitur fides fiat, tamen quò testatior etiamnum evadat, libet aliud præterea adjungere Exod. 8.26. quod quidem adeò est perspicuum ut cuivis non nimis contentioso abundè satisfacere queat. הן נזבח את־תועבת מצרים לעיניהם ולא יסקלנו, *Ecce*, inquit Moses, *sacrificaturi sumus* (vel *sacrificemus* forsan) *abominationem Ægyptiorum ante oculos eorum, & ánnon lapidabunt* (vel *lapidarent*) *nos?* **Behold we may sacrifice the abomination of the Egyptians before their eies; and shall (or, would) they not then stone us?** Perinde P. Chaldæus, *Verùm esto, sacrificemus pecudem illā quam colunt Ægyptii, at q, adeò ipsis spectantibus, nónne censerent nos lapidandos?* vel *lapidarent nos?* q. d. *Profectò lapidarent.* Sic enim hoc ipso in loco, negatione interrogativâ in simplicem & directam affirmationem conversâ, interpretandum censuit utraque pariter editio vulgata, & Græca & Latina, ἐὰν θύσωμεν τὰ βδελύγματα τῶν Αἰγυπτίων ἐναντίον αὐτῶν, λιθοβοληθησόμεθα, *Quòd si mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram iis, lapidibus nos obruent.* Eâdem omnino ratione ולא מרו, *at q,* (vel *at qui*) *nónne rebellárunt*, perinde valet ac si diceretur *planè rebellárunt.* Particula namq; לא usurpata דרך שאלה, i. *interrogativè*, vim obtinet affirmandi. Usitatissimus est hic Hebræis loquendi modus, nec suâ apud eos emphasi caret. Quocirca Lxx, licèt orationis formam aliquantulùm mutârint, sententiam tamen omni ex parte illæsam atque illibatam servârunt. Nam, Hebraismo per simplicem asseverationem expresso, transtulerunt, καὶ παρεπικραναν τὸν λόγους αὐτῶν.

Ac ità potiùs quàm aliter vertendum censuerunt, quoniam verbum מרה aptissimè de Ægyptiis accipiendum judicârunt. Nam cùm מרה, i. *rebellare*, aut etiam *amarulenter se gerere* (si nativam à themate primigenio deductam originem respexerimus, utì sub finem ittius disceptatiunculæ ostendemus) sit actio personarum propria, iísq; ubique attribuatur, impropriè duritérque signis & ostentis accommodari putârunt. Reliquum ergò erat ut vel de Mose atq; Aharone vel de Ægyptiis מרו verbum intelligatur: Atqui de istis maluerunt intelligi quàm de illis. Nihil enim magnum dici aut mirum esse existimârunt si præstantissimi Dei servi affirmentur *non rebellâsse*, utpote à rebellione omnium longè alienissimi: Ægyptios autem simpliciter *non rebellâsse δὶς διὰ πασῶν* (quod aiunt) à disertis Scripturæ verbis discrepare noverunt. Coacti sunt ità q; aliam quærere interpretationem, ex qua veram locóq; ipsi accommodatam elicerent sententiam: Quam nullo negotio eâdem quàm suprà diximus ratione invenerunt. Unâ nempe duntaxat literulâ ex consueto Scripturæ more subauditâ, & à fronte adjunctâ לא particulæ neganti; aut etiam solo pronunciationis modo aliquantùm immutato, לא מרו in Ægyptios optimè convenire posse perspexerunt. Genus verò loquendi per interrogationem Hebræis familiare, (licèt ἐμφαλικώτερον) non adhibuerunt, sed purâ usi sunt affirmatione, tanquam facillimâ summéq; perspicuâ. Quæ tamen vi suâ non carebit, si rem ipsam paulò diligentiùs (ut par est) consideremus. Jure namque gravissimum videatur dictúque mirabile, Ægyptios tot tremendis plagis exagitatos, tot stupendis prodigiis obrutos & quasi undique circumfusos, malitiâ tamen plusquam giganteâ toties στομαχῶν, in rebellione adversùs Deum toties iterata etiamnum obstinatos permanere, nec præpotenti illius dexteræ cedere animósve submittere. Hinc accentus distinguens in מרו quasi manu injectâ lectorem paulisper sistere videtur, ut horrendam post homines natos atrocissimæ & teterrimæ rebellionis immanitatem penitus cognoscat animóque contempletur. Porrò & illud spectasse putandi sunt doctissimi viri, de Ægyptiis proximè mentionem fieri, cùm antè, tum continuò post verbum מרו. Etenim v. 26. בם, i. *in eis*, aut *in eos*, de solis Ægyptiis accipiendum videtur; q. d. *impositurunt Ægyptii res signorum*, tanquam onus videlicet aut jugum grave ad eos fortiter coercendos ac perdomandos. Quomodo dicuntur *impositi* à Davide *milites præsidiarii*, בארם, *Syriæ*, & בארום *Idumææ* 2 Sam. 8. 6, 14. Sic & *manus* regia domûs Davidicæ prædicatur à Psalte imposita בים *mari* & בנהרות *fluminibus*, tanquam terminis, quos κατ' ἐξοχὴν validissiméque teneat, hostésque ibidem ingruentes reprimat. In quibus loquendi generibus ב præpositio Hebræa Latinæ *contra* vim naturámque aliquatenus resipit. Præterea si accuratiùs expendatur ibi Prophetæ consilium, liquebit illico signa illa & prodigia ejusmodi esse quibus promovit paulatim

Deus

Deus tandémque perfecit illustrissimam maximéque admirandam populi sui liberationem à servitute gravissima valdéque diuturna adversùs gentem hostilem, non quibus confirmavit vocationem liberantium (Mosis, inquam, & Aaronis) apud populum liberandum, nempe Israeliticum, uti suggerunt quidam: siquidem hujusmodi signa ad rem propositam rectà non spectant, quippe cùm ab his nondum inchoetur ulla liberationis ἐνέργεια, domito aut domari cœpto tyranno populôve tyrannico qui opprimebant, sed tantummodo erigatur populus qui oppressus jacebat in lætam miniméque dubiam liberationis spem, atque ità præparetur ad liberationem quæ jam in proximo aderat ritè accipiendam. Quare prodigia quæ edita memorantur v. 26. בם *in eos*, **against**, vel **upon them** aut, si dilutiùs libeat interpretari, *apud eos*, omnino ad Ægyptios referenda sunt, in quos edita fuerunt. Ut illud interim taceam ארץ חם *regionem Chami*, i. Chamitarum, vel Ægyptiorum Chamo oriundorum, significare, eadémque vocabula hoc ipso v. 28. ὑπὸ κοινῦ necessariò repetenda esse post verbum ויחשיך, i. *& obscuravit*, terram scilicet Chamitarum vel Ægyptiorum. Fatendum est ergò Ægyptios personam esse proximam antè verbum מרו, eóque aptiùs nominativi vice fungi posse. Ad hæc, iidem Ægyptii mox subsequuntur v. 29. Nam quod istìc narratur de *aquis in sanguinem conversis* non oportet accipi de eo quod legitur Exod. 4. 9. sed quod Exod. 7. 19. Hìc enim meminit Propheta de *aquis* generatim, i. de aquis omnibus totius Ægypti, non de aquis rivi unius, iísque perpusillis, vase aliquo manúve indè haustis; item de *aquis* talibus *in sanguinem mutatis* quæ *piscium* Ægypti totius diram luem & (ut ità dicam) internecinam cladem effecerunt: ut hæc eadem clades liberationem quam tractat Propheta vehementiùs urgeret. Solet quidem, scio, etiam cum nominativo remotiore verbum convenire, veruntamen usitatius est ut ad propiorem referatur: quod & hìc Lxx maluisse videmus. Patet itaque hanc eorum versionem iniquè à quibusdam damnari, iniquiùs traduci, cùm & Scripturæ phrasi & ejusdem loci antecedentibus consequentibúsque probè congruat.

Addam insuper paucula quædam alia eodèm pertinentia auctarii more. Interpretes iidem nostri cùm δισσολογίαν quandam seu duplicem cernerent vocem sacram, lectionem videlicet & scriptionem, קרי & כתיב, (quam nota indicat Massoretica *o* voci in contextu superposita) posteriorem potiùs amplexi sunt; nec injuriâ. Quamvis enim mandatum Dei de populo Israelitico dimittendo, quod ad rem ipsam attinet, unicum duntaxat esset, ideóque דבר, i. λόγος vel *verbum*, verissimè dicatur numero singulari, tamen quia non semel propositum sed sæpius repetitum multísque modis inculcatum fuisse constat, instar plurium meritò haberi debuit: Eámque ob causam λόγους, i. *verba*, reddiderunt, scriptionem ipsam aptiorem ducentes. Est etiam & istud observatu non indignum; Monent Grammatici verba quiescentia in secunda litera, & duplicantia eandem, itémque quiescentia ל, ה non rarò commutari inter se & ejusdem significationis esse. Hinc R. David מרה à מור deduci voluit, quod *mutare* denotat; Lxx verò à מרר, quod *amarescere* designat, vel *amarum esse*. Ac convenientior fortassis est ista ipsorum Lxx deductio quàm illa Rabbini. Nam & ubique bellè quadrat, & pulcram Metaphoram continet. Nemo quippe ignorat Bilem amaram esse: & πικροχόλους nuncupârunt Medici *in quibus amara redundat bilis*; qui & iidem naturâ sunt ὀξύχολοι, i. *iracundi & contumaces* seu *amarulenti*. Igitur מרה propriè significat idè quod מרר, nempe *amarescere*, aut πικρίᾳ *amarulentiâ*, ut loquitur Paulus Ephes. 4. 31. vel ζήλῳ πικρῷ *fervore amaro*, ut Jacobus 3. 14. *laborare* (est ubi antiquus Interpres Latinus exponat *ad amaritudinẽ concitari* Hos. 14. 1.) breviter, *iracundum esse, contumacẽ*, vel *amarulentũ*. Huc accedit constructio Hebræa cum ב, i. *in* vel *adversùs*, aut cum את pro ל vel אל aut על posito, i. *contrà*. Hoc etiam confirmat Chaldæus P. qui מרה את vel ב (ad verbum *amarus fuit in*) passim transfert על מריב, i. *rebellavit* (vel *rebellius fuit*) *in*. Eodèm spectant Aquilæ & Symmachi interpretamenta quæ initio recensui. Veruntamen verbum Græcum παρεπίκρανεν ex communi illius linguæ usu non intransitivam (ut Hebræum) sed transitivam habet significationem, q.d. *sermones ejus amaros fecerunt*, i. iratos, suâ scilicet rebellione. Nam rebellio iram amarâ concitat. Imò ipsum etiam Hebræum est ubi Hieronymus transitivum esse statuat, & in Benoni Cal Græcè significanter reddi posse putet παραπικράνων. *Quod*, inquit, Comm. in Sophon. 3. 1. *dicere possumus*, DEUM AMARUM FACIENS, *i. tuo vitio dulcem Dominum atque clementem vertens in amaritudinem, ut qui misereri vult punire cogatur.* Quod si quis velit ἀμελαβάτως accipi, in hunc modum resolvenda erit sententia, Ἐπίκρανεν περὶ τοῦ λόγου αὐτῦ, h. e. *amari fuerunt adversùs sermones ejus*, ἐπίκρανεν videlicet pro ἐπικράνθησαν, ut ἐπίστρεψεν pro ἐπιστράφησαν, &c. Item περὶ pro ὑπὲρ vel ἐπὶ, ut παραλλῆν περὶ pro λαλῆν ὑπὲρ, i. *obloqui*; Psal. 44. 16. Sic apud Aquilam ἐμπίπτειν pro ἔπεσεν ἐπὶ. Unde παρεπίκρανεν Apollinarius circumlocutione usus rectè expressit ἐβάλοντο πικρὰ ἐναντία. Latinè hoc pacto verterem propriè παρεπίκρανεν τοῦ λόγου αὐτῦ, *amarâ bile percitos sese instigârunt contra verba ejus*, vel *amarulenter se gesserunt contra verba ejus*: i. *inobedientes fuerunt*, prout utrumque verbum, tam Hebræum quàm Græcum, transtulit Latinus Interpres Vulgatus 1 Reg. 13. 26. aut potiùs *rebellârunt*, vel *contumaces fuerunt*, vocibus significantioribus magísque Latinis.

CAP. II. *Ostenditur vocabulum* אפילות *Exod.* 9. 32. *non rectè reddi* latentia sub terra. *Ibidem defenditur versio Lxx interpretum: & ratio Mesis apud Ægyptios & Palæstinos explicatur.*

RAbbi David duplicem affert interpretationem verborum quæ occurrunt Exod. 9. 32. כי אפילות הנה: nam primùm exponit חשכות ונסתרות תחת הארץ, h. e. *tenebrosa & abscondita sub terra*; deinde פירושו מתאחרות vel, inquit, *interpretatio ejus est*, TARDANTIA: i. ut Latini loqui solent, reddidítque etiam Vetus interpres, *serotina*, ut & Lxx ante eum ὄψιμα, quos ille imitatus est. Sententiam verò hanc posteriorem dilucidè confirmat doctissimus idem Grammaticus noto tritóque vocabuli ipsius usu apud Rabbinos; qui ut præcocia quæque celeriter matureścunt passim appellant חרפי, propriè *acuta* vel *velocia*, ità serotina quæque tardiùs maturitatem consequuntur dicunt אפלי, eâdem voce qua de nunc agitur. Tremellius & Junius priorem amplexi sunt expositionem. Ego Lxx Interpretibus & Vulgato Latino hìc (ut & alibi) sæpe adhærescendum potiùs duxerim. Tremellianam quippe interpretationem nec rei ipsius neque regionum illarum Australium, nominatim Ægypti, admittit natura. *In Ægypto*, inquit Plinius lib. 18. cap. 7. *hordeum sexto à satu mense, frumenta septimo metuntur.* Quare si ità fert illius cœli solísque proprietas, ut inter utrumque genus unius tantummodo mensis intervallum fuerit interjectum, fieri quidem non potest ut tantò temporis spatio Hordeum anteverterit quantum ex interpretatione illa interfuisse necesse est. Hæc namque sunt verba Exod. 9. 31, 32. *Linum autem & hordeum læsum erat; quia hordeo spica erat mutica, & lino culmus; Triticum verò & zea non erant læsa, eò quòd latentia erant sub terra.* Demus plagam Grandinis atque Tonitrui mense primo, qui in Martium nostrum magna ex parte incurrit, eóque ineunte forsan, accidisse. Atq; ità sanè fateamur oportet. Testatur enim Scriptura, *hordeum Abib fuisse*, i. afflurexisse in culmum cum spica (id quippe significat *Abib*) *cùm læderetur*: quod in Ægypto mense primo evenire solebat. Unde & eundem mensem *Abib* appellatum fuisse legimus in S. literis: in quem etiam exitus Israelitarum ex Ægypto incidit; *Hodie vos exitis*, ait Moses Exod. 13. 4. *mense Abib*. Quare instabat jam messis hordeacea; quam *paulò ante calendas Aprilis* cæpisse

Plinius quoque est auctor l. 18. c. 18. Alienissimum igitur erit arbitrari *triticum & zeam latentia tum fuisse sub terra.* Quid? an totos quinque vel quatuor minimùm menses (nam ferè Novembri incipiente serebatur) grana inertia marcidáque ac veluti mortua delituisse credibile est in Ægypti tepidissimæ & fertilissimæ regionis arvis? An eadem rursus uno aut altero mense repentè exoriri, adolescere, ad maturitatem denique perduci potuisse putabimus? Etenim constat universam messem Ægyptiacam mense Maio fuisse peractam. Id quod pro certo ibidem tradit Plinius, & Leo Afer testis αὐτόπτης hisce verbis confirmat Descript. Africæ lib. 8. cap. 4. *Sub Aprilis initium segetes succidunt Ægyptii, succisas confestim triturant; neq; spicam ad vigesimum Maii secandam relinquunt.* Itaq; versio illa *latentia sub terra*, ut veritati apertissimè repugnans, prorsus rejicienda videtur. Vocabulum *obscura* ad oram libri adscriptum & à vocis Hebraicæ significatione non abhorret & sententiam satis commodam habet, modò rectè accipiatur. *Obscurum* nempe id plerumq; dici solet, non quod omnino non videtur, sed quod parùm ac tenuiter. Quinimo participium quoque *latentia* utcunque tolerari poterit, si *latentia* intellexeris non sub terra in glebis sed supra terram in herba. Nam fruges adhuc immaturæ, quæque nondum exierunt in spicam, ac nè in vaginam quidem, haud immeritò *latere* censeantur. Atenim quid opus est à sensu communi remotis & ad rem explicandam non ità accommodatis uti verbis, cùm facilia & idonea in promptu sint? Nolim ergò *serotina* loco moveri. Nam propria ejus significatio propriæ vocis אפילה significationi admodum est affinis (Nec enim aliud est ὀψία vel *serum diei* quàm ipsius diei אפלה, i. *caligo* seu *obscuritas*, aut saltem tempus diei in obscuritatem seu caliginem jam vergentis) & Metaphorica illius Metaphoricæ hujus ex æquo respondet. Utrumque siquidem nomen in utroque idiomate denotat *id quod tardiùs matureſcit.* Hinc quod in textu S. narratur, Hordeo læso incolume mansisse Triticum, statim patet, utique id optimâ contigisse ratione; quippe cùm Hordei propè jam maturi culmus aliquantùm arefactus ideóque induratus non cederet ictibus grandinis, sed obniteretur, itaque continuò frangeretur; Triticum autem, tenerum adhuc & in herba veluti abditum, lentâ flexilíque suâ mollitiâ satis quidem tutò procellæ impetum devitaret, & ingruentes ictus declinaret atque subterfugeret.

Cæterùm istud agricolis nostratibus mirum videatur, apud quos, contrà quàm apud Ægyptios, messis hordeacea paulò tardior esse solet triticeâ, sementis posterior multó: Non enim nisi exactâ prorsus hieme Hordeum serunt nostri, sub finem videlicet Martii. Atque ità facere magnis coguntur & necessariis causis. Nam cùm infirmum sit Hordei granum suapte naturâ tenerúmque, hiberni temporis asperitatem & frigorum vim acerrimam maximéque penetrabilem (qualem in hisce Septentrionalibus regionibus experimur) ferre nequit. Verùm in Ægypto aliísque similibus locis, quæ curriculo Solis & Austrinis caloribus sunt finitima, nihil ejusmodi metuendum. Cùm ibi legationem obiret Petrus Martyr, ab Angleria ad Sultanum Cairensem à Rege Hispaniæ missus, omnia læta & florentia se conspexisse refert vel mediâ hieme; *Floridas*, inquit Legationis Babylonicæ lib. 2. *habent arbores Ægyptii & viridaria Decembri & Januario mensibus.* Deinde lib. 3. narrat *solere quidem Hispanos in patria sua Aprili, & plerisque in locis Maio mense, equos herbatum mittere; Ægyptios autem Januario & Februario mensibus jumenta sua in pascuis habere.* Idem ipsum corroboratur pervetusto Callixeni, Historici cujusdam Rhodii, testimonio, Ἡ Αἴγυπτος ἡ διὰ τοῦ πεδίου καὶ ἀπὸ ἐπιτολῆς, ἡ διὰ τῶν καταβοττας, τὰ πρώϊος καὶ ὄψε ὀπωρίζει καὶ ἐπιγείοις φυόμενα τόποις, ἄφθονα γεννᾷ ἡ φιλανθρώπως· ἔστε γὰρ ὅτε καὶ δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀρούραις καρπὸν ἀμῶσι. *Ægyptus*, inquit, *tum propter mitissimam ambientis aeris constitutionem, tum propter diligentem hortorum culturam, quæ aliis in regionibus parcè stata quaque temporibus nascuntur, & copiosè & perpetuò producit; adeò ut nec Rosa, nec Viola alba, nec flos alius temere ullus illic unquam deesse soleat.* Ex hac ergò Ægypti cœlíque Ægyptiorum leniſsima & suaviſsima temperie, quâ nos tantopere superant, ingeniitidem operum rusticorum discrimen oritur, quemadmodum aliis in rebus, sic potissimùm in serendi metendíque temporibus; adeò ut quæ nobis seriùs proveniunt, illis longè citiùs; quæque nos semina terræ mandamus vere, illi desinente autumno, aut hiemis initio; item quorum nos sementes separatim aliâ atque aliâ anni parte facere necesse est, illi ea simul uno eodémque anni tempore serunt. Porrò eadem est ratio Chananææ, utpote Ægypto proximæ. Nam frumenta ibi quoque metebantur mense primo, quando & Jordanis fluvii inundatio anniversaria fiebat, & festus Paschatis dies agitabatur, Jos. 3. 15. & 4. 19. & 5. 10. 1 Chron. 12. 15, &c. Unde decretum lege Mosaicâ ut *cùm primùm falx in segetem mitteretur manipulus frugum offerretur Domino*, statuto etiam certo quodam die, *postridie* scilicet *Paschatis* Deut. 16. 9. & Lev. 23. 10, 11. idem igitur erat & messis principium. Priorem verò in Chananæa, ut & in Ægypto, fuisse messem hordeaceam triticeâ, res ipsa loquitur: quin etiam perspicuo Scripturæ testimonio liquet. Legimus enim septem illos è posteris Saulis qui dediti erant Gibeonitis ut piaculares fierent ob perfidiam ipsius & crudelitatem, *suspendio ab iis fuisse necatos ipsis primis diebus messis, in principio messis hordeaceæ*, 2 *Sam.* 21. 9. quod perinde est ac si diceretur *ineunte messe, quando videlicet hordeum incipit meti.* Ab hordei igitur defectione messem suam exordiebantur incolæ Palæstinæ: Antecessit ergò apud eos messis hordeacea triticeam.

Istis quamvis ità manifestis ut negari aut infirmari nequeant, contrarium tamen videtur quod habetur Exod. 23. 16. ubi festum Pentecostes חג הקציר, h. e. *festum messis*, appellatur, quasi verò messis opportunum tempus non esset nisi exactis jam à Paschate quinquaginta circiter diebus. Atqui non idcirco nuncupatur Pentecoste *festum messis* quòd tum primùm segetes meti inciperent, quin potiùs quòd meti desinerent, teríque jam inciperent fruges & in granaria condi. Est ergò Pentecoste *festum* quidem *messis*, sed absolutæ, non inchoatæ. Duobus nempe festis, tanquam terminis, conclusa & definita erat apud Hebræos messis. Nam ut Pascha principium erat, ità Pentecoste finis, Lev. 23. 10, 17. Unde illud *manipulus frugum* significabat, veluti inchoatum quiddam ac imperfectum & quasi tumultuarium; hunc *panes*, & quidem *fermentati*, indicabant, tanquam re tunc demum perfectâ & compositâ & ad usus quotidianos paratâ. Nam omnibus in festo Pentecostes ex sententia transactis, & finitis totius messis laboribus, reliquum erat ut comportatis frugibus uti fruíq; inciperent, earum largitori Opt. Max. solenni priùs (ut decuit) persolutâ gratiarum actione, & oblatis *primitiarum* nomine *duobus panibus agitationis.* Ideóque Pentecoste non *festum messis* simpliciter vocatur, sed additur Exod. 23. 16. *primitiarum laborum tuorum, quæ severis in agro tuo*, h. e. festum illud anniversarium, quo offerendæ erant primitiæ frugum messis jam absolutæ exantlatis laboribus perceptarum. Nam repetenda videtur vox חג, i. *festum*, & verba posteriora accipienda ut per ἐπεξήγησιν adjecta.

Cæterùm restat nodus alter multò magis implicitus, qui, nisi solvatur, impedita reddet omnia. Sunt autem verba quædam Hieronymi disertis Scripturæ verbis, quæ suprà attulimus, maximè (ut videntur) repugnantia. Confirmat enim is, in Amosi Prophetæ explicatione c. 4. 7. *ab extremo mense Aprili usque ad messem frumenti tres menses superesse, Maium, Junium, Julium*; idque *in Palæstina.* Quoniam verò fidem homini sancto eodem loci diu versato sæpissiméque hanc rem experto derogari neutiquam oportere existimo, omnino statuendum antiquitatem fuisse jampridem veteris culturæ rationem & desuetudine abolitam. Siquidem indigenis Judææ agricolis pulsis aut è medio sublatis, cives Romani cuncta illic possidentes more patrio res rusticas suas administrari

adminiſtrari voluerunt. Hinc meſſis, quæ vetere conſuetudine citiùs fieri ſolebat, non niſi poſt ſolſtitium deinceps in Judæa, perinde ut in Italia, inchoari & peragi cœpit.

CAP. 13. *Verſione Aquilæ redarguitur Judæorum quorundam perfidia in verbo* כארו *admiſſa: Eadémq; cum verſione Lxx Interpretum comparatur.*

ILluſtris eſt illa Prophetia & expreſſa maximè quæ Pſal. 22.16. æternæ memoriæ prodita exſtat de crucifixione Domini noſtri Jeſu Chriſti, *Foderunt manus meas & pedes meos*; ubi ipſorum Judæorum antiquiſſima & emendatiſſima exemplaria duplicem ſacræ & religioſæ obſervationis vocem ſemper agnoviſſe oſtendit vir eruditus Johannes Iſaacus Levita in ſua adverſùs Lindanum Veritatis Hebraicæ defenſione: Ac partim manifeſto parvi Maſſoreth & R. Jacob filli Haym teſtimonio, partim ſuâ ipſius experientiâ perſpicuè demonſtrat, כתוב olim fuiſſe כארו, h. e. ſcriptum fuiſſe in textu, *Foderunt*, קרי verò, nempe in margine, annotatum fuiſſe, כארי, i. *tanquam leo*. Atque illud ipſum mirificè confirmatur interpretamento quodam Aquilæ, viri exquiſitâ peritiâ & ſingulari induſtriâ. Talis enim ab Hieronymo etiam exiſtimatur Comment. in Eſa. 49. *Aquila homo*, inquit, *eruditiſſimus linguæ Hebraicæ, & verbum de verbo exprimens*. Is itaque vocem Hebræam Græcè ἴχνωαν tranſtulit, verbo pluralis numeri. Unde apertiſſimè colligitur כארו quoque eum reperiſſe in Bibliis Hebræis, non כארי ſolùm. Alioquin haud dubiè non verbum ſed nomen duntaxat ſibi neceſſariò uſurpandum judicâſſet: Eóque cupidiùs feciſſet quò vehementior tum inter Judæos & Chriſtianos ubique gliſcebat concertatio, noſtris Crucifixi hoſtes præcipuè verbo כארו i. *foderunt* ſummâ vi urgentibus. Sed clariſſimus Interpres, quamvis Judæorum partibus, utpote proſelytus, toto pectore ſtuderet, cùm tamen in exemplaribus, quæ varia haud dubiè & correctiſſima, tantum opus aggreſſus, ſibi comparaverat, non minùs כארו videret quàm כארי, putarétque illud iſto expeditius magíſque opportunum, (nam כארי ſenſum habet imperfectum, niſi aliunde verbum ſumatur ad orationem explendam; כארו verò per ſe, citra omnem opem alienam, perfectam exhibet ſententiam) hinc igitur omiſſo כארי, ſolummodo כארו interpretandum ſuſcepit. Tantum aberat ut id unquam ſacrilego auſu delere & omnino expungere conaretur. Quod tamen à recentioribus quibuſdam Judæis intra ſexcentos circiter abhinc annos (uti conjicit Iſaacus) in minoribus Bibliis, rudiorum puerorúmque in uſum deſcriptis, primò cœptum, deinde latiùs propagatum fuit; inſigni certè cùm imperitiâ tum impietate. Imperitum enim erat Keri & Chethib confundere, alterúmque pro altero ſubſtituere; impium verò, illud tantummodo quaſi pro imperio recipere, hoc prorſus rejicere & ex ſacroſanctis Dei tabulis penitus eradere voluiſſe. Atqui invicta veritatis vis eorum malitiam ſuperavit, & ſuis ipſos telis confoſſos proſtravit. Teſtes enim habemus fide digniſſimos, nempe hoſtes ipſos, eorúmque monumenta in hunc uſque diem ab iſtiuſmodi corruptelis & depravationibus libera. Nobis in præſentia unus Aquila inſtar omnium erit: Quem, etiamſi ſola commendaret vetuſtas, novitiis iſtis impoſtoribus longè anteponeremus. Certum quippe eſt floruiſſe eum ſub Imperatore Ælio Adriano, ac verſionem ſuam edidiſſe vix dum exacto centeſimo à Chriſti Aſcenſione anno. Quare ambigi non poteſt כארו germanam eſſe & multò vetuſtiſſimam adeóque primam ſcriptionem; quam ipſi quoque Lxx, quatuor propè ſeculis Aquilâ antiquiores, interpretatione ſuâ comprobârunt. Nam ea de re utriſque inter ſe optimè convenit. Siquidem utrique Chethib ſeu *ſcriptum* ibidem eſſe Verbum aſſeverant, Nomen tacent.

Veruntamen in exponenda verbi illius notione plurimùm diſcrepant, gravibus ſanè juſtiſque cauſis permoti. Etenim Lxx vocabuli כארו thema ſtatuerunt, non כאר, (quippe quod nuſquam in toto Bibliorum Hebræorum volumine legatur) ſed כרה radicem notiſſimam, & ὄρυξαν tranſtulerunt; literam verò א adſcititiam eſſe putârunt, לחשך, i. ad vocalis longæ (videlicet Camets præeuntis) ſonum producendum ſeu protrahendum; cujuſmodi protractiones alibi in S. literis ſunt uſitatæ, ut cernitur in צואר pro צור, מלאכים pro מלכים, & cæteris; vel ſtatuendum thema כור, ejuſdem ſignificationis cujus eſt & כרה (ut in aliis ſæpe accidit) fungatúrque א vice ה radicalis (nam literæ אהוי commutabiles ſunt inter ſe) Sicut igitur רמה pro ראמה *exaltata eſt* ſcribitur Zach. 14.10. ità & hîc כארו ponitur pro כרו *foderunt*. Contrà, cùm Aquilæ productivum illud א, utpote non valde uſitatum, parùm placeret; nec uſpiam reperiret verbum כור, ſcirétq; linguam Syram Hebrææ propaginem eſſe, א radicale cenſere maluit, (ſic namque frequentiſſimè in medio themate ſolet eſſe) & verbum כאר dehinc apud Syros veſtigavit: Ubi deprehendit illud ὀρυγμὸς vel αἰχμὴς ſignificationem obtinere, licèt multò frequentiùs occurrat ibi כחוח: Nam כאר ſemel duntaxat in tota N. T. Paraphraſi Syriacâ legiſſe recordor, כהת autem ſæpiſſime. Porrò Syriacum כאר prorſus idem opinor eſſe atque Rabbinicum כער, permutatis inter ſe literis ſimilibus, א ſcilicet & ע gutturalibus; quod vel in una eadémque lingua non rarò evenit, quemadmodum apud Hebræos אפל & עפל, Eſa. 32.14. (Vide Hieron. ibidem) item תאב & תעב, Amos 6.8. cæterâque generis ejuſdem promiſcua haberi videmus. Unde factum ſuſpicor ut כער & כאר in exemplaribus vetuſtis indifferenter ſcripta reperiantur. Cujus rei meminit Baal Aruch in expoſitione vocis כאר. Eámque ob cauſam ipſe etiam (ut credibile eſt) de induſtria omiſit vocabulum כער, quippe quod ex ſynonymo כאר antè declarato, facilè intellectum iri putaret. Id tamen ei, quaſi parùm memori, vitio vertiſſe videtur Elias in Methurg. כער. Rabbinorum verò כער (ut perſpicuis exemplis in Thisbite docetur) αἰσχος ſive ἀκαμοσύνη propriè denotat, h.e. *deformitatem, turpitudinem, fœditatem*. Pari igitur ratione Aquila ſimillimum vel potiùs idem thema כאר interpretandum exiſtimavit. Quare כארו reddit ex idiomate Syriaco ἴχνωαν, i. *turpiter*, vel *pudendum in modum, tractârunt*, aut etiam *fœdârunt*. Omnino prout Homerus Il. σ'. initio, αἰχμὴν uſurpat, graviſſimum Achillis luctum deſcribens ob acceptum de cæde Patrocli nuncium,

—χαλεὴν δ' ἴχνυε πένθος:

& paulò pòſt,

—χερσὶ κόμην ἴχνυε δαΐζων.

Itidémque Homerus Latinus *fœdare* adhibet Æn. 4. cùm ab eo introducitur Anna,

—*Unguibus ora fœdans & pectora pugnis*,

auditâ ſcilicet morte Didonis ſororis. Et Æneas apud eundem Æn. l. 2. percontatur umbram Hectoris pulvere cruento atram,

—*Qua cauſa indigna ſerenos*
Fœdavit vultus?

i. *cruentavit*, inquit Servius; non minùs verè quàm ad præſens propoſitum meum aptè congruentérque. Igitur כארו ידי ורגלי ſecundùm Aquilam interpretabimur, *Fœdârunt manus meas & pedes meos*, h. e. *cruentârunt*; nimirum cùm manus pedéſque Servatoris clavis penè trabalibus configerent, iſſque altè adactis perfoderent; haud ſecùs ac ſi immani morſu & truculentis ſæviſſimi validiſſimíque leonis (id enim innuit *He* emphaticum latens ſub כ in Kamets) unguibus lacerata forent ac diſcerpta membra illa Domini; quemadmodum כ Keri apertè indicatur. Enimvero huc etiam, tanquam ad fontem ſuum unde emanavit, reduci debet interpretatio illa quæ ſæpius citatur à Tertulliano Adv. Judæos, *Exterminârunt manus meas & pedes meos*; ſiquidem *exterminârunt* Græcè valet ἐξωλέσαν (nam ità vertitur ἐξωλόθρευσε in editione vulgata Matth. 6.16.) iſtud autem reipſa nihil aliud eſt quàm ἴχνωαν, i. *deformârunt, deturpârunt*, ac potiùs *fœdârunt*. Niſi fortè eruditus aliquis Græcorum, cujus fidem ſequitur Tertullianus, כארו à themate כרה pro כרר ſumpto ortum autumavit. Etenim ſuprà c. 3. oſtendimus ה & ר

literas inter se commutabiles exsistere. Porrò כרת propriè redditur κόπτω, ἀποκόπτω, ἐκκόπτω, *scindo, abscindo, exscindo*. Sæpe etiam ἀφανίζω *extermino*. Sunt igitur כרה & כרת radices notionis vicinæ. Liquet enim fossionem quandam esse scissionem, & proin dissolutionem, abolitionem, exterminationem: Quò facilius altera in alteram transmutari potuerit. Adde quòd Syrorum כרה (nam illis quoque idem est thema) ab eodem כרת similiter derivari probabile videtur. Et quidem significationes sunt admodum propinquæ. Nam Syriacum כרה, quod sonat κολοβόω, *decurto, mutilo*, parùm certè distare à κόπτω nemo non intelligit: Adeò ut aptè Hesychius κολοβόω exponat ἀποκόπτω, h.e. *præcido* vel *extremas partes cædo*; quod in arboribus decacuminandis ramisq; circumcidendis fieri solet. Quocirca hinc etiam probabiliter peti poterit interpretamentum illud Tertulliani. Judæi quippe כארו vel כרו, h.e. quodam modo ἀπολόβωσαν χεῖρες καὶ πόδας *exterminârunt manus pedésq;*, cùm vulneribus gravissimis & propè insanabilibus sauciarent extremas illas partes corporis Domini & tantùm non præciderent. Sed ad institutam Aquilæ declarationem revocetur oratio. Majorem itaque cernere licet inter eum & LXX verborum quàm rerum discrepantiam, si veritatem aliquantò propiùs contemplemur. Nam quod ille generaliter & confusè, id isti specialiter & propriè exposuerunt. Ille deformatas & fœdatas Christi manus pedésque narrat; isti quonam modo deformatæ fuerint ac fœdatæ perspicuè & distinctè explicant. Quocirca horum interpretationem, ut numeris omnibus absolutissimam, obviis animorum ulnis amplectimur: Habet enim ἀκρίβειαν incomparabilem, perpetuam veteris Ecclesiæ approbationem, facillimámque & è proximo petitam derivationem. Neque tamen alteram Aquilæ aspernari oportet, imò potiùs gratâ memoriâ prosequi & retinere, velut eximium testimonium & ad rei ipsius immotam veritatem & ad textûs Hebraici illibatam sinceritatem asserendam.

CAP. 13. *Quomodo in versum 10 Psalmi 96. irrepserint verba illa* ἀπὸ τοῦ ξύλου, *à ligno. Aperiuntur etiam fontes multiplicis corruptelæ in translationibus Græcis.*

CItantur tum à Justino tum ab Augustino aliísque verba illa, *Regnavit Dominus à ligno*, tanquam ex Psalmo 96. desumpta; quæ quoniam à Judæis non agnoscuntur, plagii nefarii atque sacrilegii eos damnare non dubitat Lindanus. Atenim eâdem sententiâ (uti rectè post Lyranum observat Isaacus) Græcam item versionem atq; etiam V. Latinam, necnon interpretationem Hieronymi, homo (ut leniſſimè dicam) nimis insolens & temerarius damnet necesse est; nam in iis nusquam comparent verba illa: cedò, num à Judæis indè quoque surrepta? An verò os aliquod impurum dicere ausit aut versiones illas aut Ecclesiam Catholicam (quæ tot jam annos eâdem suffragio suo comprobat) in scelere tanto cum perfidis Christi hostibus conspirâsse? Quid? an Sponsa Christi, *columna & stabilimentum veritatis*, tam illustre testimonium dolo sacrilego interversum neglexisse putabitur, adeò ut nè à Justino quidem monita idem ipsum tanquam peculium suum (modò germanum ac genuinum fuisset) quasi postliminiò recuperare tandem aliquando & in pristinas sedes restituere studuerit? Imò an beatissimi Apostoli & Euangelistæ, qui N. Federis tabulas incredibili & planè Divinâ diligentiâ fidéque conscripserunt, eásque accuratissimè undique conquisitis ex V.T. Vaticiniis quibusque luculentissimis exposuerunt & corroborârunt, hoc adeò insigne longéque præter cætera accommodatissimum ad fidem Euangelicam promovendam ingratâ vel taciturnitate vel oblivione penitus sepelivissent? ac non potiùs exquisitâ observatione dignum censuissent, si ullibi tum in contextu Sacro exstitisset? Omnino igitur, prout res est. Faber *non esse de Hebraica veritate* pronunciavit, sed *Christianâ devotione additum* judicavit. Additum verò arbitramur in Græca quadam Psalmorum translatione, vel translationis potiùs exemplari uno aut altero, quod viderat Justinus. Id autem quoniam Authentico non congruebat, jure optimo non admittebant Judæi, partim denunciationis Divinæ religione obstricti, partim muneris sui ratione permoti. Primarium enim hunc dignitatis gradum à Deo obtinuerant ut suos quasi χαρτοφύλακας eos constituerit. Siquidem, testante Apostolo, Rom. 3. 2. ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, h.e. *illorum fidei commissa sunt & concredita oracula Dei*: eáque admiranda cum ἐπιμελείᾳ, cura, cautione, observantia custodierunt. Absit enim, modis, inquam, omnibus absit, ut sanctissimum Apostolum, qui etiam ipsius Dei noluit *falsus testis* inveniri 1 Cor. 15. 15. hominum unquam vel conjunctissimorum fuisse ψευδομάρτυρες suspicemur. Alioqui, si saltem tenuissimâ istiusmodi sacrilegii suspicione meritò perstringi potuissent, unquámne Apostolos, qui corruptiones alias & leviora eorum vitia atq; errata tanto reprehendunt zelo ac spiritûs fervore, tam immane scelus tacituros opinabimur? Neq; verò in posterioribus ætatibus deferbuit ardentissimum hoc studium (quod pro immensa sua erga Ecclesiam bonitate Judæorum animis Deus indiderat) antiqua illa & θεόπνευστα Hebræi Canonis scripta sarta (ut aiunt) tectáque conservandi. Imò potiùs, imminente jam postremâ gentis illius vastatione & horrendâ in terras omnes dissipatione, (in qua hodie vivit vivétq; perpetuò absq; ulla reditûs spe) crevit ardor veritatem Hebraicam intemeratam custodiendi. Quo consilio excogitata est à peritissimis Judæorum Magistris subtilis quædam ars & curiosa, quam המסורת dixerunt, h.e. *traditionem*, vel *rationem accuratissimam tradendi per manus* posteris, Scripturæ sanctæ canonem purum semper integrúmque: Cujus beneficio non vocabula duntaxat sed ipsas etiam literas in numerato habent, adeo ut nulla, nè minima quidem, mutatio invehi queat ab hominibus aut indoctis aut oscitantibus aut temerariis quin è vestigio facilè deprehendatur. Unde non ineptè ab ipsis dicitur סיג לתורה, quasi *septum Veteris Instrumenti*, ad omnem indè labem metúmque depravationis submovendum & propulsandum.

Hanc Judæorum industriam si aliquantò studiosiùs (ut par erat) imitati fuissent nostri, non tot scateret mendis translatio utraque, tam Græca quàm Latina, præsertim illa. Sed promiscuè quorumlibet, maximè librariorum, audaciæ atque inscitiæ nimis permissum est. Occasio autem quâ laxatas eis veluti habenas corrumpendi auguror multiplex erat apud Græcos versionum copia & varietas. Nam eas multis illi mirísque modis & mutilârunt & permutârunt & confuderunt & perverterunt. Oblata est & altera vitiandi velut ansa, nimirum Lectoris subindè in albo exemplaris sui pro arbitrio (ut fit) adjecta annotatio: Ab hac item manus continere nequibant scriptores librarii, quinimo inconsideratâ prorsus & singulari certè temeritate desumpta ex margine in sacrum verborum Scripturæ contextum inserere non metuerunt. Atque hæ duæ vastæ sunt mendorum tanquam lacunæ, ex limpidissimis Hebraicæ veritatis fontibus potissimùm detergendæ & expurgandæ. Prioris exempla nusquam ferè non sunt oculis exposita: posterioris licèt non adeò frequentia inveniantur, non rarò tamen reperias. Cujus rei specimen haud necesse est ut aliò quæsitum abeas: hic ipse locus Psal. 96. 10. de quo agere cœpimus, satis perspicuum suppeditat. Nam cùm Lector quispiam paulò attentior animadvertisset Prophetam ibi spiritualis Regni Christi pomœrium in universas gentes proferendum significare, horum Scripturæ S. verborũ ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν apposuit è regione, in ora libri sui, voces illas ἀπὸ τοῦ ξύλου, quasi ἐξηγητικὰς. Etenim ἀπὸ τοῦ ξύλου, à cruce Christi, inchoatum fuisse ipsius in omnes gentes Regnum novimus, cùm *scisso* vi crucis *velo* Mat. 27. 51. (ut ità dicam) ceremoniarum Legalium, & *rituum chirographo deleto* Col. 2. 14. *parietíque intergerini dissepimento soluto funditúsq; diruto* Ephes. 2. 14, 15. non jam ampliùs, ut antea, discluſæ erant Gentes. Verùm quando post Christi resurrectionem, Apostolis *cœlesti virtute armatis* Act. 1. 8. *exeuntibúsque*, & *Dominum Gloria*

Gloria crucifixum ubiq; prædicantibus Marc. 16. 1 Cor. 20. 2. 8. ipsæ etiam *Gentes ad obedientiam fidei* sunt conversæ, Rom. 1. 5. 1 Cor. 1. 18. tum demũ reipsâ *Dominus in gentibus regnavit*, idque *à ligno* seu cruce; eò quòd Cruce, h. e. *sermone Crucis*, nempe Euangelio, tanquam *sceptro Regni* ipsius & *gladio Spiritûs*, Gentes se potenter domitas profiterentur atque subactas. Porrò cùm Annotatiuncula ista librario non injuriâ arrideret, ratus eam variam esse lectionem, in Textum fidenter transtulit. Hunc deinde alii fortè (ut solent) imitati sunt. Tandem vehementer probatæ piis sanctísque quibusdam viris verborum sententia scriptioni etiam ipsi fidem autoritatémque conciliavit. Neque certò internosci potuit lapsus iste nisi ab Hebraicæ veritatis gnaro; qui rarus admodum erat, præsertim apud Christianos. Interea editio communis seu vulgata pristinam retinuit integritatem; nec de eâ, tanquam antiquâ & justâ possessione suâ, privato quorundam judicio dimoveri unquam & dejici potuit. Quantò magis Archetypum ipsum, ceu præsidiis validissimis undique munitum, ab omni mutatione intactum permansit? Cujus, velut coticulæ Divinitùs traditæ, ad veritatis aurum purum putum explorandum, si saltem mediocrem notitiam adeptus fuisset Justinus (eximiâ aliàs pietate atque eruditione Jesu Christi martyr) experimento protinus certissimo comperisset neque paucula hæc verba ἀπὸ τοῦ ξύλου genuinam esse hujus aut cujuscunque alterius Psalmi particulam, neque plures illos versus quos in medium Psalmi 13. editionis vulgatæ inserfit consuetudo, germana esse illius Psalmi membra, sed probationes ab Apostolo congestas in tertio Epistolæ ad Romanos capite, & varia per se exsistere testimonia ex diversis Scripturæ locis petita; quemadmodum jam olim eruditè demonstravit Hieronymus. Quò turpior est Lindani & cæterorum ejusdem generis Sophistarum Hebraicè scientium (nam Justinum, Augustinum aliósque veteres piósque Patres satìs tutatur linguæ Sanctæ imperitia; quam ipsimet quoque ingenuè agnoscunt) egregius stupor & perdita impudentia, qui idcirco exemplarium Hebræorum incontaminatæ & Divinæ puritati labem aspergere satagunt quòd ea Græcis & Latinis per omnia non respondeant. Quasi verò amussis ad materiam vel perpendiculum ad columnam sit exigendum.

CAP. 14. *De Hebræa voce* חלר, *déque Græca* καλάδυσις, *quâ illam Aquila est interpretatus.*

VOcabulum Hebræum חלר in varias significationes ab Interpretibus distrahitur, prout quisque ex cujusque locorum Scripturæ sensu conjecturam faciebat. Aquila verò linguam Syriacam, Hebrææ dialectum proximam maximéque finitimam, more suo consulens, animadvertit idem ipsum thema apud Syros usitatum esse propriéque valere καλαδύνειν, h. e. *penitus (seu in profundum) ingredi, in penitiorem recessum sese abdere.* Undè καλάδυσις Hesychius in genere exponit τὰς λαθρίους τόπους καὶ βαθεῖς *loca occulta & profunda*, Item κάθυψις *loca abdita.* Suidas autem specialiter & distinctè, φωλεὰς, νομὰς, σπήλαια, *lustra* seu *latibula, cuniculos* seu *fossas subterraneas*, denique *speluncas.* Chrysostomus Comm. in Psal. 143. addit χαράδρας *cavernas.* Manifesta hujus significationis vestigia etiam nunc exstant in paraphrasi Syra N. Testamenti. Nam verba illa 2 Tim. 3. 6. οἱ ἐνδυνόντες εἰς τὰς οἰκίας Syrus ità reddidit, דמחלרין בית בתא: ubi ܐܬܕܢܝ idem est quod καλαδύνειν· quod & Hesychii testimonio confirmatur, ἔνδυσιν, καλάδυσιν interpretantis. Rectè igitur D. Beza, cùm transtulisset *qui irrepunt, id est*, inquit, *qui sese immergunt.* Non enim clandestinus tantùm eorum introitus notatur, sed ejusmodi maximè quo, quasi profundum petentes, occultissima penetralia pertentabant & intima quæque perscrutabantur & pernoscebant. Adeóque si δύνειν significat εἰς βάθος καλύπτειν (ut linguæ Græcæ peritissimi explicant) certè magis ἐνδύνειν idem significabit. Erudita ergò est versio editionis Vulgatæ *qui penetrant domos*, quod valet ex sententia Grammaticorum *qui penitus intrant.* Quanquam Latini multò frequentiùs adhibitâ præpositione loqui solent, *qui penetrant in domos*, ac etiam *qui penetrant se in domos.* Sic enim de Androdo quodam ex Appione Polyhistore narrat A. Gellius lib. 5. cap. 14. *Illum specum quandam nactum remotam latebrosámque, in eam se penetrâsse & recondidisse:* quibus verbis planè exprimitur Syriacum חלר & Græcum καλάδυσις vel ἔνδυσις.

Huc pertinet nomen חלריתא, quo Syriacè 2 Tim. 2. 17. nuncupatur *gangræna*, q. d. καλαδλικὴ aut καλάδυσις. Convenientissima sanè appellatio. Quippe novimus dirum illud malum non ἐπιπόλαιον esse aut in summa cute hærere, sed ἔνδυτον, h. e. *in profundum penetrare & cuniculos* (ut ità dicam) *altiùs agere* in corpus, carnémque ipsam & intimos artus depascere atque exedere. Huc item commodè refertur חלודא *rubiginem* significans apud Munsterum in Dictionario Chaldaico. Nemo enim nescit quàm penetrabilis sit vis Rubiginis ad ferrum erodendum. Huc denique spectat Hebræum חולד, quod *mustelam* Kimchius exponit, Lxx verò γαλῆ. Ego γαλῆ ἀγρίαν, sive *silvestrem mustelam* intellexerim; quam eandem *Viverram* esse docet Lexicon Græcolatinum vetus ab Henrico Stephano editum. Idque Strabonis etiam autoritate lib. 3. corroboratur. Pulcrè autem congruit nomen חולד Viverræ ingenio. Est enim hæc insigniter καλαδλικὴ καὶ φωλαδλική· id quod magno suo malo experiuntur quotidie Cuniculi, quos mirâ ferocià atque agilitate insectantur Viverræ, מחלדות, h. e. in multifores, profundos ac tortuosos eorum specus sese penetrantes. Neque prorsus incredibile est, Chalybas illos celebres quos supra Trapezuntem & Pharnaciam sitos fuisse tradit Strabo, alterum sibi nomen hinc asciviisse ut *Chaldæi* vocarentur. (Non dico *Chaldæos* Babylonios, quorum nomen non ח & ל literis, sed כ & ש scribitur; quíque, quatenus augurium, haruspicinam, genethliacam, cæteráque nefarias artes tractarent, haud immeritò pro כשרים CHASDIM *Chaldæis* כשרים CHASCHEDIM, quasi ipsi *Dæmones*, à Rabbino quodam παρονομάζοντι ἐτυμολογοῦντα) *Chaldæi* verò Pontici mirum ni à חלריא חלר, q. d. καλαδεῖς appellati fuerunt vel a Phœnicibus, qui oram illam universam antiquitus perlustrârunt, vel potiùs à vicinis Cappadocibus, qui & *Leucosyri* dicebantur à similitudine linguæ, quamvis colore essent Syris dissimiles. Nam Chaldæi isti Troglodyticam quandam vitam agebant, & in καλαδύσεσιν aut *specubus subterraneis* abditas metallorum, præcipuè Ferri, venas rimantes, indè victum tolerabant, ut veterum multi perhibent. Plura non addam: hæc satìs supérque sunto ad vim vocis declarandam. Prolixitatem (si qua est) rerum non inutilium cognitu jucunditas, utì spero, excusabit.

Pererudité igitur ab accuratissimo interprete Aquila verus propriúsque nominis חלר significatus indicatur, dum ab eo vertitur καλάδυσις. Ità tamen hìc accipiendum est καλαδύσεως nomen ut non locus solùm intelligatur (quemadmodum suprà à Grammaticis expositum ostendimus) sed motus aut actus ipse qui circa locum illum versatur, vel etiam status & conditio eorum qui locum illum frequentant & incolunt; prout Græci sermonis consuetudinem sæpissime ferre videmus. Quare חלר, itidémq; καταδύσεις proprium ejus interpretamentum, tum *latibulum* aut *caverna* exponetur (ut Psal. 49. 2.) tum *latitatio* aut *irreptio*, h. e. actus aut conditio latitantis aut irrepentis in latibulum seu speluncam illam profundam, ut Job 11. 17. Psal. 17. 13. & 39. 6. & 89. 48. Porrò aptissimè & perquam venustè *profundi specûs & obscuri* similitudine intelligitur Terra hæc quæ nobis habitanda conceditur: Nam & infimam totius Universi sedem obtinet ac remotissimam arctissimámque centrum versùs. Unde tanquam pars humiliationis ab Apostolo affertur quòd eò usque descenderit Servator, nimirum εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς Ephes. 4. 9. Et densæ caliginis hìc plena sunt omnia, si conferantur cum clarissimo Cœli stelliferi fulgore: sin cum

longè purissima ac prorsus inenarrabili Cœli illius tertii (quod solum vera est piorum omnium *patria* ac *urbs quam paravit eis Deus* Heb. 11. 14,16. cujusque sunt *municipes* Phil. 3.20.) luce comparentur, necesse est ut vel maximus Terræ & undique circumfusi istius Aeris splendor in tenebras plusquam Cimmerias atque adeò Ægyptiacas illico redigatur & evanescat. Idcirco globum hunc infimum, quem mortales incolunt, τὸ κάτω τοῦ αἰῶνος τούτου pronunciavit Apostolus Eph. 6.12. h.e. *tenebrosum hunc mundum*, ut per Hypallagen rectè vertit Syrus Paraphrastes. Et גיא על מות, h.e. *Vallem umbræ lethalis*, non temere dici posse existimamus. Siquidem גיא *Vallis* (unde Græcorum γῆ, i. *terra*, appellationis suæ originem duxisse videatur) locum scitissimè delineat, propter Terræ in mundi medio positum, in altitudinem planè mirandam depressum atque subsidentem. על מות autem loci qualitatem declarat: nam & *umbrosus* est locus is (hinc item aliud Terræ nomen Latinum, nempe *tellus* q. טל, ab Hebraico צל *umbram* denotante) propter crassissimam quâ omni ex parte involvitur caliginem, & *lethalis*, propter pernicioſissimam peccati contagionem cuncta ibi pervadentem & corrumpentem. Atque ibidem tanquam in spelunca sua immani rabie sævit Leo ille rugiens, tenebrarum Angelus, Eph. 2. 2. & 6. 12. ad usque supremum Judicii diem, quo in ignem æternum est deturbandus. Quid igitur aliud est vita nostra, ratione terræ hujus in qua degimus, quàm καθόδους *descensus* & *latitatio* in antro quodam profundo, caliginoso atque horrido? Itaque meritò cognominatur Terra ista ἡ καθοδυτὸς Psal. 49.1. ab hac *in abstruso Latitatione*, quemadmodum eadem ἡ οἰκουμένη vulgò vocitatur à nostra omnium *habitatione*, Chrysost. init. expos. in Psal. 48. Tom. 1. p. 663. l. 9. Idque magis elucebit si spectetur non solùm totum vitæ istius curriculum, sed ea etiam ad quam tendit meta. Nónne enim suopte nutu in sepulcrum perpetuò vergit, imò gradu celerrimo properat mortalitas nostra? ut quemadmodum nascendo animus *domum luteam* subiit Job. 4. 19. ità moriendo corpus in cavernam terream altiùs irrepat, ubi abditum lateat ex decreto Dei, *Quia pulvis es, & in pulverem revertêris.* Cujus rei eximiam utilissimámque commonitionem vocis חלד notatio intelligentium animis jugiter suggerit.

Verùm enimvero præcipuam vocis hujus usurpandæ occasionem & quasi ansam præbuisse videtur simplicissima illa primáque priscorum mortalium vivendi ratio. Constat enim ut indumentum vetustissimum fuisse animalium pelles, ità habitationem antiquissimam subterraneos fuisse specus, καταδύσεις σπηλαίων vocat Chrysostomus Comm. in Esa. 4. Tom. 1. p. 1053. l. 25. Procopius ἀνθρωφυεῖς καταδύσεις Comm. in Esa. 7. p. 122. (utrumque genus conjunctim ferme memorat Apostolus Heb. 11. 37, 38. Sanctorum ærumnas describens) in quibus tanquam in naturalibus quibusdam tectis sive *nativis domibus*, ut ait Senecæ Hippolytus Act. 2. p. 140. *quas opaca illa dederant antra*, sese abdere solebant. Hoc quippe genus habitandi minimè erat operosum maximéque parabile. Quod posterioribus etiam seculis retinuerunt multæ, præsertim barbaræ, nationes, potissimùm in regionibus Australinis rapido Solis æstu torrefactis. De Meridiano Palæstinæ latere perspicuum Hieronymi testimonium habemus Com. in Abdiam, *Et revera (ut dicamus aliquid & de natura loci) omnis Australis regio Idumæorum, de Elentheropoli usque Petram & Hailam, in specubus habitatiunculas habet, & propter nimios calores Solis (quia Meridiana provincia est) subterraneis tuguriis utitur.* Hic ergò cùm priscus esset habitationis modus, idémque apud nonnullos earundem regionum incolas etiamnum usitatus, haud mirum si in primigenia Hebræorum lingua vocem חלד, velut impressum sui vestigium, reliquerit. Lingua verò Punica, cùm ortu Syra sit, ideóque Hebraicæ tam affinis ut verba ejus permulta & penè omnia eidem consona esse asserat Augustinus Contr. lit. Petiliani Donat. l. 2. c. 104. Tom. 7. dubium non est quin rem hanc quam nunc tractamus promptissimo suffragio comprobet. Pœni enim, teste Servio in Virg. Æneid. lib. 4. 259. habent vocabulum *Magar*, quod planè est Hebræum מער. Ex quo perfacili conversione *R* in *L* fit *Magal*, in plurali *Magalia*. Est autem Pœnorum MAGAR sive MAGAL *villa*, nempe casa sive domuncula rustica & vilis. Quæ quoniam humilis plerumque & cespititia olim erat, secundùm illud Virgilii, Eclog. 1. 69.

Pauperis & tugurî congestum cespite culmen,

ad speluncæ similitudinem quàm proximè accedebat; hinc factum, nec injuriâ, ut illius sibi nomen adoptârit. Ejusdem rei Græca quoque lingua (licèt Hebrææ sit quasi surculus valde degener) insigne indicium ostendit in vocabulo μάγαρον, quod quamvis pro *domo* passim à Græcis usurpetur, verè tamen ac reipsa *spelunca* seu *antrum* primitus significat, ab Hebræa voce מערה derivatum, mutato ע in γ, quod pervulgatum est. Ac nè ipsis quidem Græcis ignota erat significatio ista, quippe qui μάγαρον, ut refert Hesychius, καλώδιον οἴκησιν *subterraneum domicilium* vel speluncam esse declarârunt. Hebræum ergò חלד, h. e. *antrum*, opportunè memoriam refricabat veteris mortalium habitationis, rudis quidem illius ac miseræ; ut alios præterea usus, quos paulò superiùs attigi, omittam. Sic & אהל, σκηνὴ seu σκήνωμα, h. e. *tentorium*, propriè denotans, sæpe idem omnino valet quod οἶκος vel οἴκια, atque ità transfertur à Lxx. Veruntamen tacita quædam emphasis inest, nempe ut hâc ratione partim antiqua Patriarcharum atque Israelitarum vita *sub pellibus* seu *tentoriis degentium*, & sedes subindè mutantium, posterorum animis repræsentaretur; partim ut meminerint se *peregrinos* in hoc mundo esse & *advenas*, vitámque hanc terrestrem nihil aliud esse quàm παροικίαν, *temporariam* scilicet *commorationem*, nec ullum hic stabile & fixum exsistere domicilium. Utrumque in epistola ad Hebræos Divinitus observatur c. 11. 9, 10, 13. Neque multùm discrepant מגור & חלד, παροικία & καλύβυσις: ambo siquidem vitam miseram subindicant; sed illud incertam, tanquam *peregrinorum, in aliena regione commorantium*; hoc tristem & obscuram, quasi lucifugorum, *in antro profundo & tenebroso latitantium* Jud. 6. 2. aut potiùs (quod præcipuè atque insigniter huc quadrat) quasi reorum, in perpetuis sordibus & lugubri squalore versantium: nam illorum est (ut alicubi me legere memini apud Græcorum disertissimum Chrysostomum) τὸ καταδύεσθαι, τὸ ἰσχνύεσθαι, τὸ κύνειν, τὸ σκληῦν. Qualis nostra omnium vita est postquam propter peccatum delitescere, h.e. beatâ Paradisi luce privari & cæco conscientiæ acriter accusantis stimulo identidem pungi atque agitari, cœpimus. Cujus tanta vis est ut primos parentes vel in ipso statim Paradiso καλύβυσιν aliquam sive *locum delitescendi* anxiè quæritare coegerit. Neque enim aliud, re quidem verâ, quàm velle καταδύεσθαι valent verba illa, *Abscondit se Adam & uxor ejus à facie Domini.* Quæque proximè antecedunt, *Consuerunt folia ficûs*, non obscura sunt ejusdem consilii indicia.

Quocirca qui חלד aut βίωσιν *vitam*, cum Symmacho Psal. 39. 6. aut ὑπόστασιν *subsistentiam*, h.e. durationem seu permansionem in vita hac, cum Lxx Psal. 39. 6. & 89. 47. Psal. 17. 14. Psal. 40. 2. aut γῆν *terram*, aut οἰκουμένην *orbem habitabilem*, cum iisdem, aut cum Hebræis זמן *tempus (vivendi* scilicet) aut עולם *seculum* seu *mundum* hunc sunt interpretati, veritatis quidem partem aliquam protulerunt, potiorem verò reticuerunt. Hæc enim omnia vivendi duntaxat vel tempus vel locum simpliciter significant, quid & quale sit utrumque (quod caput est, & ad vim vocis demonstrandam inprimis valet) nullo modo patefaciunt. Quòd si ὑπόστασις ab eo verbi ὑφίσταμαι significatu deductum intelligatur quo accipitur pro χαμαὶ ἵζειν, ac *subsidere* & *profundum petere*, opponitúrque τῷ ὑπερκαθῆσθαι, hoc est, *emergenti* & *in summo eminenti*, propiùs tum aberit à vocabuli Hebræi significatione.

Vulgatæ editionis Latinæ autor semel Job. 11. 17. חלד vertit *vesperam.* Interpretatio autem illa Psalmorum quæ Hieronymo attribuitur, alibi *profundum*, alibi *Occidentem* reddidit. Tres istæ expositiones ortæ sunt proculdubio

ex una eadémque Aquilæ, ſed minùs dextrè perceptâ. Media namq; harum mutila eſt: Καλδυσις enim non *profundum* denotat, ſed *ſpecum profundum*, aut *penetrationem in profundum*, vel *latitationem inibi*. Prima verò & ultima perperàm intellecta deprehenditur; quippe nomen καταδυσις refertur hîc ab Aquila omnino ad hominem vel genus humanum, at interpretes iſti ad Solem detorſerunt. Quod alibi ſanè non diffiteor rectè accommodari potuiſſe; nam & Sol cùm occidit καταδυναι dicitur à Poetis Græcis, h.e. *in Oceano demergi*, aut *in undas ſe condere*, ut Virgilius eos imitatus loquitur Georg.l.1. Hinc interpretum verſio illa utraque nimis aliena, *Occidens*, inquam, & *veſpera*, ſeu *tempus Solis occidentis*.

Adeptus ſum nuper beneficio Venerabilis viri fratríſque amantiſſimi D.Guilielmi Barloi, Archidiaconi Saleſburienſis, vetuſtum Bibliorum codicem Latinum manu ſcriptum, cujus fronti præfigitur Pſalterium (ut vocant) D. Hieronymo nominatim in Indice aſſignatum. Attamen ex accurata collatione non leviter ab illo quod Hieronymo vulgò inſcribitur diſcrepare animadverti, atque adeò in nonnullis Hebraicæ veritatis ſententiam feliciùs ac ſagaciùs odorari. Id verò hac in re, de qua jam diſſerimus, utrùm præſtiterit, affirmare nolim. Certè ex eo Rabbinici idiomatis uſu quem ſecundo loco attigi interpretamentum ſuum deſumpſit, idémq; conſtanter & perpetuò ſervavit; ut ex ſingulis quæ deinceps recenſere non piget ſtatim liquebit: v. g. Pſal.17.14. *Qui mortui ſunt in rubigine*, Pſal.39.6. *Rubigo mea, quaſi non ſit, in conſpectu tuo*, Pſal.49.1. *Auribus percipite univerſi habitatores Rubiginis*, Pſal.89.48. *Memento mei qualis rubigo ſim. Rubiginis* nomine Interpretem auguror miſerabilem vitæ hujus terreſtris ſtatum intellexiſſe; q.d. *Rubiginoſum quodammodo*, h.e. tetrum, ſqualidum, horridum & corruptioni undique obnoxium. Neque prorſus aſpernandum hunc quoque ſenſum opinor, niſi quòd à Metaphorico thematis ſignificatu manare apparet, atque idcirco ſecundarium eſſe, & fortaſſe paulò longiùs arceſſitum, non primarium, non proprium, non genuinum, cujuſmodi illum Aquilæ ducendum exiſtimo.

CAP. 15. *De vocabulo Hebræo* תשוקה, *déque Græcis* ἀπροφὴ *&* ἀπεροφὴ, *quibus illud Lxx interpretandum duxerunt.*

NOtus & pervulgatus linguæ Sanctæ mos eſt (quod antè non ſemel monui) ut verba duplicantia & quieſcentia in media ſæpenumero ejuſdem planè habeantur ſignificatûs: Qualia cùm ſint שוק & שקק, certè ut hoc *jugem ambulationem curſitationémque* aut *diſcurſum* valet, ità & illud; eóque magìs quòd propria huc illuc curſitandi adjumenta & inſtrumenta nobis à natura data, Crura videlicet, שוקים Hebraicè dicta, ab eadem omnino radice pullulent. Quare תשוקה quoque vocabulum, ab eodem שוק deductum, eandem pariter ſignificandi vim reſipiat neceſſe eſt. Quia verò diſcurſus iſte vel frequens itio aut validioris & potioris ad infirmiorem minúſque præſtantem eſſe queat, aut contrà; quorum illud auxilii afferendi cura efficere ſolet, hoc auxilii implorandi deſiderium cogit; hinc per Metonymiam effecti תשוקה modò *cura*, modò *receptus* aut *recurſus* exponatur. Mihi igitur (ut quod res eſt fatear) ſemper placuit antiqua Lxx Interpretum verſio Gen. 3.16. ubi תשוקה ἀπροφὴν reddiderunt; Καὶ πρὸς τὸν ἄνδρα σου ἡ ἀπροφή σου, h.e. *Ad virum tuum erit recurſus tuus*, vel *Apud virum tuum erit tibi receptus* aut *perfugium*, q. d. Quoniam naturâ *vas infirmius* es 1 Pet.3.7. conſilióque minùs polles ad res gerendas, minùs animi corporíſque robore vales, ubique Viro non tam adjutore indigebis quàm autore ducéque, maximè verò quoties malum aliquod te urgebit, aut ullum tibi periculum imminebit; tum omnino neceſſe habebis fidem illius implorare, ad ejus opem auxiliúmque confugere, ut in ipſius tutela ac præſidio lateas. Vetus interpres Latinus ſenſum non ineptè expreſſit his verbis, *Sub viri poteſtate eris*, h. e. Tui quaſi tutela viro à me permiſſa eſt; ideóque in ejus ditione ac poteſtate eris. Nam *tutela* Digeſt.l.26.tit.1.l.1. *vis eſt ac poteſtas in capite libero, ad tuendam eam quæ per infirmitatem ſexûs* (qua de hic agitur, non ætatis, quam tractant Juriſconſulti ibid. l. 16, & 18.) *ſe defendere nequit*. Prudentérque ſtatuerunt antiqui ac ipſi naturæ convenienter, *Tutelam virile officium eſſe*, nec feminarum ſed maſculorum id eſſe munus. Atque huc pulcrè quadrat quod ſequitur, καὶ αὐτός σου κυριεύσει, *& ipſe tibi præerit*, ſeu *dominabitur*, vel *autoritatem*, κυρ, *in te obtinebit*. Debetur namque Viro, tutelæ illius nomine, poteſtas hæc ſeu autoritas. Quam cùm Sara, verè שרה & *princeps* aliàs femina, mariti ſui propriam eſſe ſingulari cum obſervantia ſemper agnoviſſet, *Dominum* eum appellans Gen.18.12. meritò laudatur ab Apoſtolo, 1 Pet. 3.6.

David Kimchius תשוקה exponit תאוה והשק, h. e. *deſiderium, concupiſcentiam, & amoris propenſionem*; quare appetitum conjunctionis intelligit ad ſobolem procreandam, & individuæ ſocietatis conſuetudiníſque vitæ. Ità tranſtuliſſe etiam Symmachum refert Hieronymus Quæſt. in Gen. *Appetitum* ſcilicet vel *impetum*, nimirum quem Græci ὁρμὴν dicunt. Neque multùm diſcrepat Aquila, qui *ſocietatem* reddidit. Etenim κοινωνία non ſolùm in aliis totius vitæ noſtræ rebus cernitur, ſed etiam de connubio καὶ ὅτι παίδων ποιᾶς *de liberorum procreatione* dicitur, autore Polluce Onomaſt. l. 3. c. 3. Appetitus autem hic conjugii reliquæque ſocietatis vitæ, cùm naturâ maribus æquè ac feminis inſitus ſit, nihil vel ad virilem eminentiam attinet vel ad muliebrem ſubmiſſionem. Quod cùm vidiſſent alii interpretes, in eam partem acceperunt, *appetitum uxoris fore penès maritum eique ſubditum*, quaſi nè appetendum quidem eſſet uxori quicquam niſi quod viro placeret. Abſurda (niſi fallor) ſententia. Alii rurſus *appetitum* intelligi volunt quo femina maritale expetat dominium: atqui non admodum ſimile eſt veri, ſubjectionis hoc jugum appetitione ſpontaneâ ſubiri. Sed, inquies, propriæ infirmitatis ſenſu adigitur. Non ergò ſectatur illud appetendo, ſed patitur non recuſando. Ad hæc, non ait Scriptura *appetitum uxoris inclinandum ad dominium mariti*, ſed *ad ipſummet maritum*. Quare ſi תשוקה *appetitum* interpretari libet, communis certè eſt hic appetitus & naturâ reciprocus, utrumque alteri ex æquo (ut paulò antè eſt dictum) devinciens. Idcirco æquabilem potiùs vitæ conditionem oſtendit quàm dominium. Quinimo ſi hæc loquendi formula *appetitum dominii* declaret, Chriſtus Eccleſiam ſibi dominam aſciſceret: Nam eodem modo loquitur Eccleſia cùm de Chriſto Sponſo in Canticis meminit 7.10. *Ego ſum dilecti mei*, ועלי תשוקתו, *& ergà me eſt appetitus ejus*, ut quidem iſti transferunt. Veruntamen res ipſa docet, ſanctiſſimum maritale duntaxat ſtudium curámque indicari.

Atque hîc altera nominis hujus ſignificatio locum habet. Hebræa, ſi verbum de verbo exprimas, ibi ſonant, *motus jugis crurum ejus*, h. e. itatio ſeu ventitatio ejus *eſt ad me*. Quod plano perſpicuóque ſermone nihil aliud eſt quàm *continenter me inviſit*, vel *perpetuam de me curam gerit*. Itáque tranſtulerunt Lxx, ἐπ' ἐμὲ ἡ ἀπεροφὴ αὐτῆς. Heſychius enim ἀπεροφὼ exponit φροντίδα, ἐπιμέλειαν, *curam, ſtudium, ſolicitudinem*. Plutarchus autem ἀπεροφὼ atque ἀπολογισμὸν, *attentam curam & conſiderationem*, tanquam æqualia inter ſe pariáque copulat, περὶ Στοϊκῶν ἐναντιωμ. Diſcurſus nempè crebráque itio admodum memorem ſeriámque curam & ſolicitudinem demonſtrat: Quomodo ſe gerere ſolent optimi & Patresfamilias & Medici, illi in prædiis ſuis obeundis, hi in ægrotis adeundis ſubindè & inviſendis, aliíque ſimiliter.

Doctiſſimus Hebræorum Grammaticus idem & Interpres Kimchius ex hoc fonte derivat vocem משק, quæ legitur Gen.15.2. Atq; hoc pacto בן משק ביתי ſignificabit *filius diſcurſûs* (vel *itationis*) *domûs meæ*, h.e. vel is quî jugiter diſcurrens omnes domûs meæ partes perluſtrat; ut cuî totius familiæ cura & ſolicitudo incumbat; vel is ad

quem recurrit aut continenter adit familiæ meæ quilibet, videlicet rationes ei redditurus, aut res ab eo neceſſarias petiturus, aut ex illius autoritate aliud quidvis facturus. Primarius apertè ſervus deſcribitur & aliorum omnium præcipuus. Idem alibi *Senior domûs* Abrahami appellatur, *qui præerat omnibus quæ habebat*, Gen. 24. 2. Rectè igitur Theodotio משק ביתי (quod ad ſenſum attinet) vertit, ὁ ἐπὶ τῆς οἰκίας μου h. e. *qui præpoſitus eſt domui meæ.* Cujuſmodi ſervus apud Terentium *familiæ columen* eleganter nuncupatur Phorm. Act. 1. ſcen. 5. Nam ut columen in ædificio totius culminis faſtigium occupat, ità ſervus primarius ille proximè & ſecundùm herum ipſum ſupremum in familia adminiſtranda locum obtinet. Et ut omnes canterii ab extremo tecto ducti undique in unum columen conveniunt, ità familia univerſa ad ſervum primarium aſſiduè recurrit ac ventitat, illum reſpicit, ex illius conſilio & moderamine pendet. Sacræ literæ Joſephum Gen. 41. & Eliakimum Iſa. 22. hujus rei magnifica & verè regia exemplaria nobis proponunt.

CAP. 16. *Quid ſit* ὀρθοτομῆν τὸν λόγον, *& unde deducta ſit Metaphora illa.*

APoſtolus Timotheum hortatur ut ſe *probum operarium præſtet minimèque pudendum*, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, h. e. ad verbum, *rectè ſecantem ſermonem veritatis*, 2 Tim. 2. 15. Sed nè quis, germano Metaphoricæ locutionis iſtius uſu non percepto, de ſubtilibus quibuſdam ac jejunis διχοτομίαις aut diviſionibus duntaxat hoc acciperet, Vulgata editio cùm Latinè tum ad Metaphoræ vim declarandam ideóque & Apoſtoli ſententiam explicandam accommodatiſſimè interpretata eſt *rectè tractantem.* Ità namque à ſpecie ad genus traductâ ſignificatione (ut aliàs ſæpenumero fieri ſolet) uſurpatur à Græcis ὀρθοτομῆν. Nam ut καινοτομῆν, propriè denotans *novas vias ſecare*, ex uſu linguæ Græcæ *res novas moliri* vel *ſuſcipere* valet, pari ratione etiam ὀρθοτομῆν *res rectas aggredi* vel *facere* ſignificabit. Unde & Lxx ישר, h. e. *dirigere* aut *rectum facere*, ὀρθοτομῆν ſemel atque iterum reddiderunt. Itidem Chryſoſtomus κατευθύνειν ὁδὸν exponit ὀρθοτομῆν ὁδὸν, Com. in Pſ. 5. 9. Tom. 1. p. 544. l. 10. Et Gregorius Nazianzenus τὸ ὀρθοτομῆν, i. *rectum iter tenere*, opponit τὸ κακῶς ὁδεύειν, *malè* vel *pravè incedere*, Orat. Apol. fugæ pag. 23, 28. Prov. 3. 6. & 11. 5. Hinc item Lexicon illud Græcolatinum non minùs eruditum quàm vetuſtum ab Henrico Stephano divulgatum ὀρθοτομῶ expoſuit *rectifacio, rectè tracto.* Denique antiquiſſimũ illud monimentum nec unquam ſatis laudatum, verſio nempe Syriaca, hoc ipſum confirmat, quippe quæ tranſtulerit ὀρθοτομῆν τὸν λόγον *rectè prædicare ſermonem.* *Rectè* verò *tractare* ſeu *prædicare ſermonem* ſi definire libet, quid, obſecro, aliud eſt quàm, ut optimè explanavit doctiſſimus interpres Annot. in 2 Tim. 2. 15. *primùm omnium, quod ad doctrinam ipſam attinet, nihil prætermittere quod dicendum ſit, nihil etiam adjicere de ſuo, nihil mutilare, diſcerpere, torquere; deinde ſpectare diligenter quid ferat auditorum captus, quicquid denique ad ædificationem conducit?* At *ſecare ſermonem* & inſuetum eſt Latinis auribus dicendi genus & (quod deterius eſt) nimis anguſtum, nec amplitudinem ſenſûs Apoſtolici aſſequitur.

Cæterùm de Metaphora ipſa, D. Beza arbitratur eam ſumptam ab illa Legali victimarum ſectione ac diſtributione. Nec inerudita eſt conjectura. Veruntamen malit forſan quiſpiam (abſolutè loquendo) Græci idiomatis formulam ex ejuſdem linguæ conſuetudine penſitare; & cùm Græci dicant τέμνειν ὁδὸν *viam patefacere* ſeu *aperire*, indè demum dictum ὀρθοτομῆν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, ac ſic commodè exprimi poſſe, *verbi veritatis rectam quaſi viam patefacere*, vel *aperire*, aut *ſermonem veritatis*, quaſi iter, *rectà patefacere*, aut ſimpliciùs, *rectum verbi veritatis iter tenere.* Quòd ſi veriſimilius videbitur Apoſtolum, utpote Hebræum ex Hebræis, Hebraico more locutum, & ad ſectionem quandam alluſiſſe in Lege ſolennem, Timotheo notam, diſpiciendum annon alia notior fuerit Timotheo quàm illa carnium ſectio ſeu laniena in Templo tantùm Hieroſolymitano ſpectanda, eámque potiùs reſpexerit Apoſtolus. Rem paucis expediam. Familiare eſt Chaldæis Syríſve & Judæis verbum פסק, quod τέμνειν ἢ κόπτειν *Scindere* vel *Secare* ſignificat. Indè verſus Bibliorum, qui quaſi particulæ ſunt in quas ſemper ſecta fuit Scriptura ſancta, nomen acceperunt, ut פסוקים vocarentur, h. e. τμήματα vel κόμματα, *ſegmenta* vel *particula.* Nihil hoc notius Timotheo, *Sacras literas à pueritia edocto*, 2 Tim. 3. 15. Hiſce autem verſibus, פסוקים, h. e. univerſæ Legis ac Prophetarum doctrinæ, vel verbo Dei ſcripto, qui operam dabant, הספוכקים כתורה ὁι τέμνοντες τὸν νόμον *qui Legem ſecabant*, appellati ſunt, i. qui in Lege tractanda occupati erant, verſati vel exercitati. Nam R. Moſes Maimonides הפוסקים atque העוסקים in Lege tanquam ſynonyma uſurpat, Com. in Pirk. Avoth. Eleganter itaque Paulus & gentis ſuæ idiotiſmo congruenter præcipit, inprimis ſtudendum Timotheo, ut פוסק τέμνων τὸν λόγον τῆς ἀληθείας *ſecans* ſeu *tractans ſermonem veritatis*, ὀρθοτομῶν *rectâ ratione tractans* id præſtet.

CAP. 17. *Melicertam priſcum Herculis cognomentum fuiſſe à Phœnicibus impoſitum. Eundémque* Palæmonem *à Græcis*, Portunum *à Latinis appellatum.*

SUprà lib. 2. c. 7. à nobis eſt obſervatum, Baalem illum Sidoniorum Deum, cujus cultum invectum ab Achabo in gratiam uxoris ſuæ Jezabelæ narrat Scriptura 1 Reg. 16. 31. Herculem videri, ſummum ac celeberrimum Tyriorum quoque Idolum. Nam utroſque eandem fuiſſe gentem, & hos ab illis deductam antiquitus coloniam, minimè eſt dubium. Illud tantùm hîc addo, Euſebium lib. 1. Euangelicæ præparationis tradidiſſe, Herculem Μέλκαρθον cognominatum fuiſſe à Phœnicibus; Μέλκαρθος, ὁ καὶ Ἡρακλῆς, *Melcarthus*, inquit, *qui idem etiam eſt Hercules.* Appellatio verò hæc conflata eſt ex duabus dictionibus מלך & קרתא, quibus ſignificatur *Rex ipſius urbis*, Sidonis videlicet aut Tyri. Amathuſii, urbis tractûſque Meridiani, tritici ubertate nobilis, in Cypro (Strab. Geog. l. 14 &. 8.) incolæ Herculem (teſte Heſychio) Μάλικα vulgò appellare conſueverunt. Id verò nominis dubium non eſt ad illos permeâſſe ex commercio vetuſto cum Tyriis Sidoníſque, à quibus breviſſimo liberrimæ ſecundiſſimæque navigationis curſu quàm proximè aberant. Eſtque idem ipſum *Melcarthus* vel מלך קרתא quod modò declaravimus: Cujus pars poſterior, quæ epitheti vice fungitur, deeſt; prior autem & principalis מלך mutatur in מלכא (Græcè ὁ βασιλεὺς aut ὁ ἄναξ) additâ ſcilicet emphaſi in compenſationem epitheti; quod ab Amathuſiis pronunciatur Μάλικα, nullo penè diſcrimine unius tantùm literulæ, omnium minimæ, Iota dico; ut tenuiſſimo ejus ſono Scheva Phœnicum aliquatenus referrent. Cæterùm ſicut Amathuſiis ſpecialiter dictus eſt Μάλικα voce Syriacâ, ità communiter ab omnibus Græcis voce vernaculâ appellatus eſt ἄναξ. Eámque appellationem perhonorificam fuiſſe narrat Theodoretus De Curandis Græc. affect. Ser. 8. p. 113. Ἐκεῖνον, inquit, σωτῆρα καὶ ἀλεξίκακον προσηγόρευον· καὶ τὸ, ΗΡΑΚΛΗΣ ΑΝΑΞ, τοῖς λόγοις προσετάττον, *Illum Servatorem ac Malorum depulſorem nominabant. Et verba hæc*, HERCULES REX, *ſermonibus ſuis & colloquiis præponebant:* nimirum quòd huic obteſtationi aut religioſæ præfationi ſingularem quandam vim ineſſe putarent ad univerſa inſtituta ſua ſecundanda. Quemadmodum Romani ſolenni ritu, *Quod bonum, fauſtum felíxque ſit*, præfari ſolebant. Ejuſmodi quiddam de præfatione nominis *Chami*, Ægyptiis & Africanis uſitatâ, ſuprà memoravimus lib. 2. c. 4.

Vocabulo MELECH perſimile proximúmque eſt BAAL, vel BEEL, h. e. *Dominus*; ſed magnificentius fortaſſis eſt MELECH. Veruntamen ſi vocis origo (ut par eſt) ſpectetur, *Conſul* propriè exponetur מלך.

Etenim

Etenim radix seu thema unde formatur *consulere* significat seu *consilium dare*. Neque Regii nominis majestas à Sidoniis Tyriísve tantùm Herculi suo est attributa, sed ab aliis passim nationibus. Nam (ut de cæteris taceam) Ammonitarum *Molech* & *Milchom* idem reipsa sunt nomen. Tanta támque immensa est Diaboli superbia ut non solùm minuere & lædere sed solvere quoque & abolere ac ad se demum transferre, si posset, nitatur supremam majestatem ejus cui soli est *regnum & potentia & gloria in secula. Amen.*

Porrò, quod narrant Poetæ, Melicertam, postquam in mare se præcipitavit, & in Deorum numerum relatus est, *Palæmona* à Græcis nuncupatum, (*Solent* enim *mortuis consecratis nomina immutari*, inquit Lactantius Inst. l. 1.) meræ nugæ, mera inscitia est. Quasi verò *Melicerta* pristinum ejus nomen Græcum esset. Certè peregrinum est omnino & extraneum, מלך קרתא, à Phœnicibus non à Græcis ortum. Idcirco ut nomen, ità & eum cui impositum erat illud nomen, miseri mortales ignorârunt. Nam longè alium ab Hercule putantes se colere, ipsissimum Herculem venerabantur, cæcâ nominis tantummodo ignoratione decepti. *Melicerta* quippe Phœnicibus, *Palæmon* dicitur Græcis. Παλαίμων ὁ Ἡρακλῆς, *Palæmon verò est Hercules*, ut verissimè testatur Hesychius. A Sidoniis Tyriísve *Melicerta* nomine invocatus est, quòd magnus esset quasi *Patronus civitatis* ipsorum & *tutelaris Deus*, ὁ πολιοῦχος θεός.

Cur autem à Græcis Παλαίμων appellatus sit non liquet: Nisi fortè primi autores nominis à παλαίω illud deduxerint, quod tamen posteri ignorârunt. Nemo verò nescit Herculem tanquam insignem maximéque egregium præter cæteros παλαιστὴν seu *luctatorem* vel *certatorem* ab omnibus celebrari. Ad hæc, Etymologicon magnum Παλαίμονα, τὸν ἔμπειρον τῆς παλαιστικῆς, *Palæmonem, artis luctandi peritum*, interpretatur. Aut potiùs à πάλαι, vel παλαιὸς, i. *olim*, vel *vetus*, eum Παλαίμονα nuncupârint, q. d. *Antiquitatis ergò venerandum*: quod ipsum est Cadmi quoque apud Phœnicas etymon. Atque istud mirè consentaneum est veterum Sidoniorum atque Tyriorum moribus, quos permultùm de Antiquitate sua semper gloriatos fuisse constat; & eorum de Hercule suo, utpote Deo vetustissimo, opinioni ac prædicationi, quàm pluribus refert Herodotus Euterpê.

Latini idem Numen *Portunum* aut (sicut apud Varronem scribitur De ling. Lat. l. 5.) *Portumnum* nominârunt, à *Portu*: Idémque rursum, quatenus Pelago imperitabat, *Neptunum* à *nando* dixerunt, autore Cicerone De Nat. Deor. l. 2. *Datum est*, inquit, *Neptuno, alteri Jovis* (ut volunt) *fratri, maritimum omne Regnum*; *noménque productum, ut* PORTUNUS *à* PORTU, *sic* NEPTUNUS *à* NANDO. Quocirca certamen Isthmicum, quod alii Neptuno sacrum fuisse narrant, Strab. lib. 8. Plutarch. in Vita Thesei, Pausanias in Atticis sub finem, & Corinth. in princip. & apud Photium Biblioth. p. 872. Helladius Melicertæ seu Portuno dicatum confirmant. Nam uterque idem erat, duplici nomine idcirco forsitan designatus, atque adeò duplici simulacro, sed uno eodémque Templo, ante oculos odorantium propositus, quoniam duobus hisce terminis Portu & Pelago definitur omnis navigatio.

Quod autem asserit Plutarchus in Theseo, ludos Melicertæ proprios, noctu non interdiu, & τελετὴν, h.e. *mysticæ cujusdam initiationis*, ritu sedatè lenitérque præ Neptunio agone celebrari solitos, cum antè dictis minimè pugnat. Siquidem id non rem sed ejusdem rei rationem aliam atque aliam (ut modo attigimus) significat. Navem enim, quam salo, tanquam diurno operis labore, pelagus fatigavit, portus, quasi cubile, ad tranquillitatem à fluctuum jactatione liberam, velut ad nocturnæ requietis suavitatem fruendam, invitat & excipit. Huc item convenit Adytum illud subterraneum in quod penitus abditum fabulantur Melicertam. Quid enim aliud est istud quàm ænigmaticum portûs exemplum? *Portus* namque quasi *porrò intus* appellatus videtur; quippe sinus terræ est & locus intimus atque concluſus, ubi tanquam in antro quodam tutè lateant naves, elegantissimè in eandem sententiam à Virgilio descriptus Æn. lib. 1. 163.

Est in secessu longo locus: insula portum
Efficit objectu laterum &c.

Atque hanc portûs notionem explanant & confirmant alia ejusdem Poetæ verba accuratissima & pervenusta, quibus cursum navigii celerrimè se in portum recipientis exprimit Æn. l. 5. 243.

Ad terram fugit & portu se condidit alto,

i. secreto vel intimo, secundùm Grammaticos. Perinde enim loquitur de Portu quasi de conclavi aliquo vel loco ejusmodi abdito penitúsque abstruso, in quo condere & reponere aut seponere solemus ea quæ magnâ diligentiâ & quàm cautissimè asservari volumus. Linguarum omnium mater, Hebraica, eâdem ratione *portum* חוף, dicit, à חפף i. *texit* vel *protexit* (unde & חופה, i. *thalamus* sive *cubiculum nuptiale*) quòd locus tectus sit & occultus, navésque à vi ventorum protegat.

Itaque miror Franciſci Grapaldi, hominis eruditi, indiligentiam, qui scripserit, *Portarum deus Portunus. Unde & clavim manu tenebat: autor Festus. Veluti nunc claves dantur D. Petro, qui Janitor cœlestis aula vulgò creditur.* Neque enim Festus hæc tradit, sed Festi Longobardus mutilator Paulus, à quo diversa *clavis* videlicet & *clavus* in unum confusa fuisse videntur. Quanquam & ipsum Paulum excusare quodammodo poterit vera vetustáque marginis lectio, *Qui clavum* (h. e. gubernaculum) *manu tenere fingebatur, & Deus putabatur esse Portuum.* Sic quoque Servius versum hunc Virgilii edisserens Æneid. lib. 5. 241.

Et pater ipse manu magnâ Portunus euntem
Impulit———

Portunus, inquit, *Deus maximus qui portubus præest*: non *qui portis*. Nam Portarum Deum (quem θυρεῖον Græci dicunt) vel ex ipso nomine Janum esse constat. *Apud nos Janum*, ut ait Macrobius Sat. l. 1. c. 9. *omnibus præesse januis nomen ostendit.* Atque is etiam solus erat ex universa Gentilium Deorum turba κλειδοῦχος sive *claviger*. Describitur quippe ab Ovidio Fast. l. 1.

——Tenens dextrâ baculum, clavémque sinistrâ.

Itidem Macrobius, *Cum clavi*, inquit, *& virga figuratur, quasi omnium & portarum custos & rector viarum.* Quare *baculum* apud Ovidium mediocrem sive viatorium intelligamus oportet, qualem Euangelistæ ῥάβδον vocitant, quemadmodum Macrobius *virgam*. Veruntamen memoriæ proditum est à Dracone quodam Corcyræo apud Athenæum Dipnos. lib. 15. pag. 692. edit. Commel. *Primum* σκάφας καὶ πλοῖα, *rates atque navigia, primùm reperisse. Eaque de causa civitates in Græcia, item in Italia & Sicilia multas, numum cudisse impressâ bicipiti Facie una ex parte, & ex altera Rate vel Navigio.* Id autem, præsertim observato τῷ σχήματι διπροσώπου arcano sensu, apprimè consentaneum est Sacris Hebræorum literis, modò ut Janus idem habeatur ac Noachus; quod eruditi nonnulli autumant, & satis probabiliter dici defendíque posse videtur. Quo posito, minimè mirandum est Clavum à veteribus Jano tributum, tam necessarium videlicet navis ubique gubernandæ & quoquoversum dirigendæ subsidium & instrumentum. Ità ut absque eo foret, incassum sanè inventa fuisset Navis, planéque inhabilis exstitisset ad navigantium usus. Hâc igitur ratione tam Clavi quàm Clavis tutelam penès Janum fuisse existimemus. At penès Portunum, non opinor: nisi Portunum Proteum aut Vertumnum aliquem arbitremur. Nihil enim superstitione inconstantius aut mutabilius.

Quid

Quid multa? Firmum fixúmque maneat quod diximus, *Portunum* à *Portu* nomen inveniſſe, quòd portui præeſſe crederetur. Id verò ſi ad Tyrum (à qua acceperunt Latini ſuperſtitionem hanc) accommodetur, perinde erit ac ſi dicas, quòd urbi præeſſe crederetur. Quid enim aliud erat urbs illa quàm portus ampliſſimus? *Munitionem maris* eam vocat Eſaias c. 23. 4. h. e. portum vel emporium munitiſſimum. Itidem de Sidone habendum. Vel *Portunus* appellatus videtur quòd ejus potiſſimùm auſpicio ductúq; navigantes dirigi & ex alto in portum invehi putarentur: Id quod Sidoniorum ac Tyriorum Melicertæ vel Herculi, h. e. Soli omnium navigationum ipſorum ſummo moderatori, ità convenit ut nihil ſuprà poſſit.

CAP. 18. *De voce ἄσημος apud Euſebium.*

IN extremo narrationis hiſtoriæ de Agbaro (aut potiùs Abgaro) ſcriptæ, Edeſſenorum Dynaſta, & Thaddæo Apoſtolo, apud Euſebium, hæc verba collocata inveniuntur Hiſt. Eccle. lib. 1. cap. 14. προστάξας δοθῆναι αὐτῷ χρυσὸν καὶ ἄσημον· quæ ſic interpretatus eſt Muſculus, *Præcepit ei dari aurum & argentum. Interpres*, inquit Grynæus in Scholiis, *ſuſpicatus eſt opinor, corruptum eſſe exemplar, & legendum* χρυσὸν καὶ ἄργυρον, *cùm ſit ſcriptum* χρυσὸν καὶ ἄσημον, *aurum factum & infectum.* Primùm illud eruditiſſimi Grynæi pace dixerim, vocem *factum* ſuppoſititiam eſſe déque ſuo additam. Nam ita planè ſonant verba ipſa Græca, *Præcepit ei dare aurum & non ſignatum*, vel *infectum.* Quæ cùm ſenſum nullum certum apertúmque exhiberent legenti, coactus eſt interpres (ut in dubiis fieri ſolet) ad accurata Græcorum Lexica confugere. Ibi apud Heſychium reperit, Ἄσιμος, ἄργυρος. Hinc igitur facilè ſtatim collegit & vocis ἄσημον in impreſſo Euſebii exemplari Græco vitioſam eſſe ſcripturã, & nullo prorſus negotio emendari poſſe mutato *η* in *ι*, quorũ ſoni ſimiles inter ſe, diverſi tamen, à multis in unum confunduntur, nullo prolationis diſcrimine obſervato. Itaque graviſſimum doctiſſimúmq; Theologum non ἄργυρον (quod nimis remotum fuiſſet vocabulum) ſed ἄσιμον (quod in proximo erat) pro ἄσημον emendatè legiſſe arbitramur.

Verùm enimvero nomen iſtud Heſychianum uſque adeò abſonum viſum eſt Henrico Stephano omnium longè diligentiſſimo Lexicographo ut ei nullam in Theſauro ſuo ſedem, nullum in Appendice nè obſcurum quidem angulum concedere ſit dignatus. Quid multa? Peregrina certè Græcis vox eſt ἄσιμος, à vernacula Syrorum lingua petita, qui argentum *Sima* vulgò vocare ſolent. דהבא וסאמא ליתי לי *Aurum & argentum non eſt mihi*, inquit Petrus in Actis 3. 6.

Vox autem סאמא, à סים participio, quod *poſitum* ſeu *repoſitum* atque *reconditum* ſonat Rom. 2. 5. deducta jure videatur. Eſt enim Argentum longè maxima ampliſſimáque pecuniæ in theſauris (qui סימתא Syriacè dicuntur) reponendæ ſeu recondendæ materia. Quam ob cauſam pecunia, ex quocunque tandem metallo cuſa, cùm Græcè ἀργύριον tum Hebraicè כסף, quibus vocabulis *argentum* propriè ſignificatur, appellationem invenit. Ex *Sima* igitur, *A* literâ initio (ut in aliis uſuvenit, nóſque cap. 6. docuimus) & terminatione Græcanicâ fini adjectâ, formatum eſt ἄσιμος, nomen ἐπιχώριον, incolis Syriæ Græcè loquentibus (populariter ſcilicet, more patrio minúſque purè) uſitatum. Nec miretur quiſquam ab Euſebio viro diſertiſſimo vocem hujuſmodi extraneam & barbaram adhiberi: Appoſuit enim bonâ fide non verba ſua ſed interpretis Syri qui monimenta rerum geſtarum Agbari (ſive Abgari) & Thaddæi tabulis publicis comprehenſa, & è Tabulario civitatis Edeſſenorum deprompta, ex Syriaco, rudi ac nudâ quadam ſimplicitate, ὡς λέξιν *ad verbum* (ut Euſebius ipſe monet) in Græcum ſermonem verterat.

CAP. 19. *De ſignificatione vocabuli* שוטר: *& quinam fuerint* השוטרים *apud antiquos Hebræos.* Satrapæ *etymon.*

LIcèt in Sacris Hebræorum literis crebrò legatur vox שוטרים, non tamen ſatis certam facilémve habere videtur ſignificationem; id quod multiplici interpretum expoſitione confirmatur. Horum omnium antiquiſſimi LXX eos γραμματεῖς paſſim vocitant, h.e. *Scribas*, 1 Par. 26. 29. eorúmque muneris functionem γραμματεύειν, i. *Scribas agere*, quaſi apud veteres Notariorum locum illos obtinuiſſe ſint arbitrati. Verſionis iſtius origo à Syris deducta eſt, qui *chirographum* ſeu ſyngraphum שטר dicere ſolent Col. 2. 14. Sæpius etiam γραμματοεισαγωγεῖς eoſdem nominant, q.d. *ſcriptorum* vel *literarum introductores*; forſan quòd mandata publicis literis conſignata, & à Magiſtratibus accepta, ad ipſos jam confecta referrent, **Returners of writs, warrants, &c.**

Paraphraſtes Chaldæus vocabulum Hebræum ubiq; ferè סרכיא tranſtulit. Idque Theodotio apud Danielem 6. 2. (ſicut Hieronymus in Commentariis ibidem oſtendit) ταξιτὰς vertit, nempe qui poteſtatẽ haberent τὰς ἀτάκτους ἀναπαύειν, vel, ut Apoſtolus loquitur 2 Theſ. 3. 6, 11. τὰς ἀτάκτους περιπατοῦντας, incompoſitos moribus, & flagitioſè viventes, ſubigendi & in ordinem redigendi. Aquila expreſſiùs τοὺς ζυγαστικὰς, h.e. qui homines improbè agendi cupiditate & libidine effrænatos cohibendi ſive coercendi atque reprimendi autoritate valerent. Utriq; interpretamento conſona eſt notio Thematis סרן, quod Lexici Chald. autor exponit חפש, h.e. *apprehendit*; Rabbi verò Elias in Thisbite ſuo קשר *vinxit, ligavit.* Quare שוטרים eorũ in numero habendos cẽſuit quos Romani *viatores* ac *lictores* appellant. Eſt ubi שוטרים idem interpretetur פורענין, à פרע, quod *rependere* vel *ulciſci* ſignificat, Deut. 16. 18. Hinc igitur conjicere licet, eos tanquam vindices quoſdam atque ultores fuiſſe à Magiſtratib⁹ conſtitutos, qui ipſorũ ſententiam exſequerentur, & ſcelerib⁹ meritas pœnas rependerent. Indidem natum eſt *Pharao*, non proprium ſed appellativum vel commune Regum apud Ægyptios nomen. Quod quadamtenus intellexit Joſeph. Ant. l. 8. c. 2. licèt penitus inſitam vocis vim minùs perceperit, ὁ Φαραὼ καθ' Αἰγυπτίους Βασιλέα ζημαίνει, PHARAO *Ægyptiis Regem ſignificat.* Atq; eodem planè modo redditur vocabulum illud à LXX ὁ βασιλεὺς Iſa. 19. 11. & à V. interprete Latino *Rex* Gen. 47. 2. Idque generaliter quidem acceptum ſatìs rectè dicitur; propriè verò diverſum ſonat. Siquidem פרעה Ægyptiis idem fuiſſe videtur atque פרועא Syris, h.e. ἀνταποδότης *Retributor*, tam præmii reſpectu quàm pœnæ: Quibus duabus rebus *omnem remp. contineri* dixit Solon, Cic. epiſt. ad Brut. 15. imò Spiritus ipſe Sanctus per Apoſtolum Petrum, qui *ſupereminentem Regis autoritatem malorum vindictâ & bonorum laude* definivit 1 Pet. 2. 14. A Rege autem tanquam ſupremo quodam fonte poteſtas ἀνταποδοτικὴ ſeu *Retribuendi* univerſa per Præfides ac Judices, qui eam conſilio & ſententiâ gererent, ad infimos deinceps פורענין, h.e. *Retributores*, qui opere & χειρουργικῶς (ut ità dicam) eam adminiſtrarent gradatim deducta eſt. Porrò utraque vox, סרכיא atque פורענין à Paraphraſte adhibita, derivata videtur à notis in Dictionario Munſteri radicis שטר ſignificationibus, nempe *ligandi*, item *percutiendi cadendique.*

Atque in eandem ferè ſententiam Aquila & Theodotio שוטר Prov. 6. 7. ἐκβιαστὴν reddiderunt, q.d. *coactorem*, aut potiùs *compulſorem* (ità namque vocare ſolent leges Romanæ) quòd vi homines ad parendum adigeret, nimirum vinculis, plagis, cæteríſq; ſuppliciorum generibus. Necnon eodèm recidit interpretamentum illud quod ipſis LXX ibidem tantummodo, nec uſpiam alibi, adſcribitur, (ſed vitioſè, ut opinor, cùm Symmachi potiùs eſſe videatur) ἀναγκάζων dico. Hoc autem vocabulum, ut alterum quoque priùs, eum denotat *qui cogit* & quandam veluti *neceſſitatem imponit* obtemperandi.

Cæterùm V. interpres Latinus admodum inconſtans hîc eſt. Sæpe namq; שוטרים *Præpoſitos* interpretatur ſeu (quod idem eſt) *Præfectos*, ſæpe *Magiſtros*, quandoque *Duces*, præterea *Exactores*, *Præceptores*, *Principes*, *Præcones*; ut periphraſes quaſdam omittam. Mirari ſatìs nequeo tot támque diverſas unius voculæ interpretationes, eáſque penè omnes nec nominis origini nec Græcorum eruditis verſionibus indè petitis conſentaneas, adeóque ferè ejuſmodi

ejusmodi ut Scripturarũ loca quibus adhibentur obscurare magìs quàm explicare atque illustrare comperiantur.

Equidem fateor multiplex istorum fuisse munus qui שוטרים dicuntur, tam belli quàm pacis temporibus, (ut pluribus Scripturæ locis facilè comprobetur) non tamen idcirco multis variisque utendum interpretationibus. Verum est quod vulgò dici solet, *Frustrà fieri per plura quod commodè fieri possit per pauciora.* Quærendum nempe erat nomen significationis & ambitu & proprietate idoneum, idque constanter retinendum. Lyrano, viro literis Hebraicis erudito, ex omnibus illis quas suprà recensuimus Vulgatæ editionis versionibus, maximè placet *Exactor.* Cujus verba, licèt minùs polita, ad rem tamen satìs apposita, adscribere juvabit, Deut. 16. 18. שופטים ושוטרים, Judices et Magistros constitues, &c. *In Hebræo*, inquit, *habetur* Judices et exactores. *Ut vocentur* Judices *qui habent inquirere veritatem industriâ mentis & cautelâ verborum, & dare sententiam secundùm inventa.* Exactores *verò qui veritatem inquirunt verberibus & afflictionibus, moderatis tamen, & exsequuntur Judicum sententiam: Quia frustrà daretur sententia nisi esset qui eam exsequeretur.* Huic igitur *Exactor* is est quem Græci πράκτορα propriè dicunt. Idémque pari ratione apud Lucam *Judici* continuò subjicitur, μή σε κριτὴς σε παραδῷ τῷ πράκτορι, καὶ ὁ πράκτωρ σε βάλῃ εἰς φυλακὴν, *Nè Judex te tradat exactori, & exactor te conjiciat in carcerem.* Ità tamen vox πράκτωρ sive *exactor* accipienda est ut de eo dici intelligatur qui pœnam exigat, aut saltem pecuniam pœnæ nomine, nempe mulctatitiam: Quandoquidè vereor nè si quemvis pecuniarum publicarum coactorem designare putetur, significatum ultra modum extendi meritò judicetur, & (quod æquè displicet) à vera vocis originatione, quam antè explicavimus, longiùs discedatur. Neque enim φορολόγος quilibet aut publicanus vel vectigalium redemptor (qui πράκτωρ quoque dicitur Luc. 3. 13.) rectè ἐκβιαστὴς aut ἀναγκάζων item appelletur. Præterea השוטרים Magistratibus semper adesse & in eorum comitatu versari solebant; quod Publicanis cæterísque ejusmodi non erat necesse. Josephus quidem eos in Antiquitatibus suis lib. 4. c. 8. ὑπηρέτας reddidisse videtur. Quam vocem eò libentiùs amplector quòd à sanctis N. T. Scriptoribus eam sæpissime usurpari videam. Ac tales omnino fuisse πράκτορας de quibus jam meminimus liquet ex Matthæo, qui eundem apertè ὑπηρέτην vocat quem Lucas πράκτορα. Nomen etiam אלשרט, quo Arabicè dicuntur οἱ ὑπηρέται Joh. 7. 45. & alibi, fortassis ab Hebræo per Metathesin est ortum. *Ministros* vertunt Interpretes: nos sermone vernaculo **Officers** appellamus. Nominis porrò ὑπηρέτου tam generalis est notio ut complexu suo omnia Hebræorum שוטרים ministeria, quamvis plurima fuerint maximéque diversa, facilè comprehendat. Latina verò *Apparitorum* appellatio longè aptissima est. *Apparitores*, ut ostendit doctissimus Budæus Annot. reliq. in Pandect. p. 341. *erant ministri apparituram Magistratibus facilitantes, multiplici ac distinctâ functione:* οἱ παρεδρεύοντες τοῖς ἐπ' ἐξούσιας, h. e. *qui præsto erant Magistratibus ad imperia accipienda & exsequenda:* unde *exsecutores* quoque iidem in Justiniani Codice nominantur. Jurisconsulti Græci ἐκβιασταὶ passim appellant. Horum enim munus erat ἐκβιβάζειν, h. e. ἀγεῖν, ut eruditè exponit Hesychius, nempe *perficere* sive *conficere* aut *exsequi* (barbarè *ad effectum producere*) Magistratuum jussa sententiásve ab iis latas. Quanquam si vocis ἐκβιαστὴς naturam penitus perscrutari volumus, germanam ejus significationem hanc (nisi fallor) deprehendemus, *facere ut, qui delitescere studeat, ex latebris egrediatur & in publicum prodeat, instare & urgere ut comparent.* Nam id demum peculiariter & origini suæ congruenter valet ἐκβιβάζειν. Quare ἐκβιαστὴς idem ferè denotat atque Syrorum דחוש, quo nomine illi ὑπηρέτην vulgariter appellant Joh. 7. 32. Est enim דחושא Hebraicè המרדיק (ut in Aruch declaratur Rad. רחס.) ὁ ἐπείγων, h. e. *qui premit & urget*, scilicet ad comparendum; Latinis *Stator*, à *sistendo* nuncupatus. Atque indè formatum opinor ab antiquis Hebræorum Grammaticis nomen דגש, puncti cujusdam apud eos insignis, succedente (ut aliàs evenit) ג in locum ח, soni non omnino dissimilis literâ. Inditum verò id nomen est ex officio, per Metaphoram lepidissimam. Siquidem munus puncti illius est, literas alioqui quodam modo subterfugituras & quasi in turba clàm elapsuras, soni aut geminati aut saltem intenti vigore, tanquam vi adhibitâ, cogere ut compareant, & statoris instar sistere atque exhibere auribus præter cæteras clarissimè percipiendas. Placuit autem hoc leviter in transitu attingere. Quippe Elias Thisb. דגש, quasi in medio luto hærens, לא נודע לנו כתרוגו, *Nescimus*, inquit, *interpretationem nominis Daghes.* Ἐκβιβάζειν igitur (ut omnia uno verbo complectar) significat *urgere & reos ad comparendum, & res ad apparendum*, vel (ut more Terentiano loquar Eunuch. Act. 2. scen. 3.) *facere ut res*, nempe mandata edictáque Magistratuum, *appareant*, h. e. peragantur & perficiantur. Utrumque ad ἐκβιβασμὸν pertinet utrâque ratione tum nominis, tum muneris. Et nisi quod in suprà posito Proverbiorum loco ἐκβιασὴς, propiùs accedere videtur ad vocabuli Hebræi significatum quàm ἐκβιβασὴς, hoc illius sedem sibi vendicare posse arbitrarer. Nihilominus de re ipsa probè convenit: iidem quippe sunt ἐκβιασταὶ qui ἐκβιβασταὶ, Latinè *Apparitores* dicti. Ἐλαὶ ἦ ὑπηρέται τοῖς ἄρχουσι παρεδρεύοντες, inquit Glossarii veteris autor, sicut antè Budæus, *Sunt autem ministri qui Magistratibus assiduam præstant operam.* Cujusmodi omnino apud antiquos Hebræos ipsos שוטרים fuisse patet. Nam vetere instituto iis qui cum potestate erant, Judicibus dico, Principibus familiarum, Tribunis, reliquísque apparere consueverunt.

Adeò autem honestum erat nomen illud ut Provinciarum Persici Imperii Præsidibus attributum fuerit vulgò ab Orientalibus, indéque ad Occidentales tandem manârit. Etenim *Satrapa* quasi שטר אפא, h. e. *apparitor faciei*, nuncupatus videtur, **An Officer of the presence**, utpote ὑπηρέτης seu δοῦλος τῆ μεγάλου βασιλέως, sicuti loquitur Aristoteles De mundo, c. 6. qui expeditum ad Regem magnum aditum habebat, quémque olim verisimile est (ut exemplo Nehemiæ liquet) ex eorum ordine deligi solitum qui jugiter Regi magno apparebant vel ministrabant. Atque haud scio an huc commodè reduci queat verbum אחשדרפן apud Chaldæos quidem usitatum, sed exoticum nescio quid ac peregrinum sapiens: Quod fortasse nihil aliud est quàm soni discrepantia, ad ritum pronunciationis Medorum, aut saltem Persarum (quibus jam servire cœperant Chaldæi) conformatâ voce. Cujus speciem satìs quidem similem præ se fert nomen ἐξαδάκτης in quibusdam Photii exemplaribus repertum. Nisi si scripturæ is error est, ut & ζαδάκτης apud Hesychium. Nam in aliis expressè habetur ζατράκης, omnibus omnium, Latinorum juxta atque Græcorum, scriptis celebratum vocabulum, nec aliunde, sine controversia, æquè molliter ac à שטר אפא deducendum.

Cap. 20. *De verbis illis Deuteronomii* ארמי אובד אבי. *De vicinitate linguæ Syriacæ cum Hebræa: déque maximo illius usu in eruendis Hebraicarum vocum ignotiorum significationibus.*

Prima verba solennis illius ἐξομολογήσεως seu *professionis* quæ legitur Deut. 26. 5. nempe ארמי אובד אבי, ab aliis quidem interpretibus de Labane dicta intelliguntur, ab aliis rursus de Jacobo. Atque horum haud dubiè sententia potior est ac veritati magìs consentanea. Nam vox אובד, cùm sit in Cal, non potest non absoluta seu intransitiva esse: nusquam enim sensu transitivo usurpata invenitur, sed semper & ubique absoluto. Quare jure repudianda videtur hoc quidem loco utraque versio, Græca pariter & Latina, utpote à notissimo linguæ Hebrææ usu (quemadmodum in Lexico nostro dilucidè docuimus) prorsus aliena: Utramque tamen persæpe alibi nativæ significationi congruentem studiosè retinendam arbitramur: nempe ubi אובד redditur ἀπολλύμενος, ἀπολόμενος, *pariens* Job. 31. 19. & *periturus* Job. 29. 13. item

perditus

perditus Psal. 31.12. & Esa. 27.13. Ex quibus vera & genuina vocabuli vis satis intelligatur; præsertim quando מאבד conjungitur Job 29.13. & de *vase perdito* Psal. 31. 12. itémque de *ove quæ periit* Psal. 119. 176. enunciatur, aut cùm sensu rectè expresso אובד ὁ ἐν λύπαις *Mœrens* transfertur Prov. 31.6. Itaque Labani attribui nequit, sed Jacobo duntaxat convenit. Is enim verè אובד, h.e. *periens*, aut jamjam *perituru*s, vel *perdendus* & *conficiendus* erat à Labane gravissimis & innumeris ærumnis, nisi singulari Numinis providentiâ circumseptus semper ac tandem liberatus fuisset; sicut Jacobus ipse vehementer & pluribus cum eo expostulat Gen. 31. Nec quicquam impedit quin multò latiùs extendatur verbale אובד, in omnem videlicet ætatem Jacobi. Multis quippe modis *perituru*s propè à pueritia videbatur vir sanctissimus ad extremam usq; senectutem: Verbi g. odio & machinationibus Esaui, exsilio dein fugâq; tumultuariâ, dolo ac perfidiâ Labanis, indignatione ac terrore ob Sichemitas interemptos, morte præmaturâ charissimæ conjugis, mox alterius superstitis incestu, creditâ suavissimi filii Josephi dilaniatione, dirâ ingruente postmodũ fame, & migratione demum Ægyptiacâ. Hinc tristis illa & luctuosa ipsius vox coram Pharaone erupit Gen. 47.9. *Pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ.* Quod valde significanter expressit Moses vocabulo אובד, q.d. *mœrore ac miseriis perditus*, ideóque non miser tantùm sed etiam miserrimus.

Porrò nomen ארמי optimè quadrat in Jacobũ, ut rectè censent doctissimi cùm nostri tum Hebræi quoq; Interpretes. Notum est namq; Jacobum cõtinuam viginti annorum servitutem in Syria serviviſſe. Præterea recordandum & illud, eum matre Syrâ natum, uxores quoq; Syras duxisse, liberósq; omnes, uno duntaxat Binjamine excepto, in Syria procreâsse; deniq; servitiis è Syria comparatis aut omnino aut maxima ex parte usum: indè enim hæc, ut & reliquas facultates, acquisierat. Quare sive ortus Jacobi sive comitatus sive vitæ consuetudo spectetur, meritò *Aramæus* vel *Syrus* appellatus videtur.

Quod nisi sequentia obstarent, etiã avus ipse Abrahamus commodè hoc nomine à nobis intelligatur. Nam & is unà cum Teracho parente aliquãdiu in terra Aramæa seu Syria commoratus fuerat. Quinetiam adeò propinquæ erant inter se gentes Syri & Chaldæi ut *Aram Naharajim*, h.e. *Syria interamnis*, (quam Græci *Mesopotamiam* vocant) *terra Chaldæorum* nominetur ab Ezechiele 1.3. Unde Stephanus quoq; in Actis 7.2. Ur, terræ Chaldæorum urbem, in *Mesopotamia* vel *Syria interamni* sitam narrat. Itidem Strabo lib. 16. Monarchiã illam quam everterunt Medi, & *Chaldæorum* passim perhibent Prophetæ, ipse ex antiquorum scriptorum sententia *Syrorum* fuisse pronunciat; Syros utique & Chaldæos eandem gentem esse statuens.

Ad hæc, conjunctissimam utriusq; populi cognationem demonstrat una eadémq; lingua utriq; communis & vernacula. Chaldæi enim suâ ipsorum linguâ apud Regem suum, Babylonicum scilicet, verba facientes, *Aramicè* seu *linguâ Aramæâ locuti* dicuntur Dan. 2.4. Et quæ nunc *Chaldaica* vocantur Veteris Instrumenti *Paraphrases*, pristinæ suæ integritati (ut par est) restitutæ, vix aliud quicquam reipsa quàm Syriacæ deprehendentur. Illud insuper magnopere observandum occurrit, eandem hanc linguam Aramæam seu Syram à Divinis illis Viris qui Novum Testamentum literis consignárunt semper *Hebræam* appellari solere. Res adeò aperta est atq; testata ut inanis labor foret eam prolatis exemplis operosiùs ostendere conari. Quod autem istud ideo solùm evenisse multi arbitrantur quoniã Hebræis vulgaris erat illius linguæ usus, non admodũ probatur. Nam ità Græcus etiã sermo (quo non minùs crebrò ac familiariter nascẽtis Ecclesiæ temporibus iidẽ utebantur.) *Hebræus* quoq; esset dicendus; ut versâ vice Hebræi *Græci* quandoq; vocantur Joh. 7.35. & 12.20. Non tamẽ negaverim aliquid esse quod opinantur: Sed præcipuam certè rationem ab insita idiomatis Syriaci proprietate petendam existimaverim; arctissima quippe necessitudo intercedit linguæ Syræ cum Hebræa. Hæc, inquam, summa vicinitas (quam nulla omnium uspiam gentium linguarum alia assequi potest) effecit ut lingua Sancta, quasi mater, Syriacæ soli, tanquam filiæ simillimæ maximéque germanæ, nomen suum, & quidem lubens, accommodârit.

Porrò hujus quam dico similitudinis tam insignis luculentissima demonstratio exstat, singulari Dei providentiâ, & magnificâ Ferdinandi Imp. liberalitate, eximium ac verè divinum illud monimentum, antiquissima videlicet Novi Test. Paraphrasis Aramæa seu Syra, elegantissimis typis & quàm accuratissimè multis abhinc annis Viennæ edita. Et enim si quis vel hunc unum Codicem paulò diligentius legere & expendere perseveraverit, egregia cum voluptate pariter atq; utilitate compe riet verissimum esse quod scripsi.

Hinc veteres illi Hebraicæ veritatis Interpretes Græci, illustres & peritissimi viri, Lxx nimirum, Symmachus, Theodotio, inprimis Aquila (quos toties ac tantopere laudat Hieronymus) maximè in ambiguis & difficilibus vocabulis explicandis, ad usum sermonis Syri quàm studiosissimè attendere consueverunt, rimaturi ecquænam ibi reperiatur consimilis dictio, quam velut Cynosuram quandam intuentes, ad reconditam Hebræi thematis notionem, tanquam desideratum portum, feliciter deducerentur. Aliquot hujusce rei exempla perquàm manifesta suprà indicavimus, plura forsan aliàs indicaturi, si vitam produxerit & valetudinem commodam concesserit summè misericors Jehova Deus noster, bonorũ omniũ largitor benignissimus. Interea toto pectore hortor eruditos, linguæ Sanctæ ex animo studiosos, ut exactissimorum interpretum & veterum apud Judæos doctorum virorum vestigiis diligenter insistant, h.e. ut linguæ Syriacæ strenuam operam navent, eámque cum Hebræa, quæ in Sacrosanctis Bibliis pura integrâque ex admirabili Dei gratia conservatur, accuratè & assiduè conferant; atque ità lucem obscuris, explicationem perplexis pro virili afferre conentur.

Cæterùm idioma Arabicum, cùm longiùs abesse constet ab Hebræo quàm Syrum, minorem quoque exhibere utilitatem necesse est Hebræo perdiscendo quàm Syrum. Quocirca etsi Judæorum Grammatici in vocum Hebraicarum significatione indaganda nonnunquã Arabicis utuntur subsidiis, sæpissimè tamen advocant, præter Thargumim, Thalmudicos Commentarios, & universum Chaos idiomatis Rabbinici; quæ omnia multò maxima ex parte Syrismũ ubiq; ferè resipiunt: nihilominus linguam ipsam Syriacam ignorâsse videntur, aut potiùs cõtempsisse & respuisse, tanquam impuram scitúque prorsus indignam. Tales quippe ab iis habebantur Syri, nempe omnium cæterarum gentium maximè detestabiles. Unde præputiatus quilibet & Gentilis, ideóq; aversandus, ארמאה, h.e. *Aramæus* vel *Syrus*, ab illis vocitabatur. Arabicæ verò linguæ apud posteriores Rabbinos præcipuam gratiam conciliavit partim communis Circumcisionis ritus, partim florentium artium & scientiarum gloria: Alioqui cognatione quâ linguam Sanctam attingit, haud parùm cedit Syriacæ, veteríq; Ægyptiæ (ut credibile videtur) nonnihil admistum habet. Nam & habitatio Arabum semper proxima fuit Ægypto, & antiquissima illis erant cum Ægyptiis cõmercia ab ipso usq; principio generis sui; adeóq; re ipsâ ab Ægyptiis sunt oriundi. Matrem quippe eorum Hagaram cùm *Ægyptiam* fuisse, tum etiam Ismaeli, stirpis Arabum autori, *uxorẽ ex Ægypto accepisse* testantur Sacræ literæ Gen. 16.1. & 21.21. Porrò Arabas non solùm citeriorem Sinûs Arabici oram, sed ulteriorem quoq; Ægyptum versùs, (quæ *Troglodytica* vulgò appellatur) occupâsse & longè latéq; incoluisse, Geographi & Historici pariter confirmant.

Veruntamen nolim aliorsum atq; ego scripsi hæc quisquam accipiat, quasi scilicet idiomatis Arabici notitiam sperni velim aut negligi. Absit. Sed eo consilio feci ut hoc solùm lectorem monerem, linguam Aramæam Hebraicæ simillimam esse, & proximo loco discendam; indéq; potissimùm (optimo veterum exemplo) ignotiorum thematũ Hebræorũ significationes quàm sæpissimè enucleandas. Nihilo tamen secius profiteor, animóq; libentissimo semper agnoscam, finitimam esse linguæ Sanctæ Arabicam, adeóq; finitimã ut meritò ejusdem Dialectus sit habenda, eíq; secundùm Chaldæam vel Syram plurimũ omnino sit tribuendũ.

NICO-

NICOLAI FULLERI MISCELLANEORUM SACRORUM LIBER IV.

Viro Ornatiſsimo,

D. ARTHURO LAKESIO;

S. Theologiæ Doctori, Cathedralis Eccleſiæ Wigornienſis Decano, & Collegii S. Mariæ Virginis Θεοτόκῳ in celeberrima Academia Oxonienſi Præſidi ac Cuſtodi Vigilantiſsimo,

NICOLAUS FULLERUS

Felicitatem precatur æternam.

NON te fugit, Venerande Vir, vetuſti & laudati moris eſſe ut qui gravium ac propè lethalium vulnerum acceptorum diſcrimine liberati priſtinam ſanitatem recuperârant, Medicis, quorum operâ fideli & eruditâ convaluerant, debita juſtâque ἰατρεῖα, h. e. *Medicationis* ſive *curationis præmia*, quàm primùm perſolverent. Id verò juris, quantum plurimum eſt, tu à me meritò exigere potes. Nam cùm Dominus Henricus Walloppus, meus olim diſcipulus, nunc autem Vir ſplendidiſſimus, mihíque verè & ex animo obſervandus, cui tres priores horum Miſcellaneorum libros libentiſſimè dicaveram, Codicem meum, quanquam multis, fateor, lituris itémque raſuris non paucis paſſim (ut fit) caſtigatum, tamen quàm diſtinctiſſimè (liquidò confirmare poſſum) quámque accuratiſſimè manu meâ perſcriptum, Typographo tranſmarino excudendum miſiſſet, rediit ille quidem ad nos demum, ſed immuneris mendis ità mirum in modum fœdatus, iíſque quaſi totidem vulneribus læſus & cruentatus, vix ut ipſe miſellum fœtum meum agnoſcere potuerim. Cujus ſortem, ſanè peracerbam, etſi triſtis aſſiduè miſerabar, ad opem tamen ferendam (quod unicè ſtudebam) nihil omnino ſuppetebat præter voluntatem. Cúmque jam deplorata eſſent propemodum univerſa, ecce ex inſperato lætiſſima ſpes affulſit, literæ videlicet tuæ ſuaviſſimæ, ſingulari humanitate conditæ, quibus ſolicitum ex indigniſſima fortuna Libelli mei animum haud mediocriter recreâſti, & langueſcentia ſtudia noſtra prudenti piâque cohortatione tuâ vehementer corroborâſti. Literis porrò tuis adjunxiſti Lexicon Pentaglotton Valentini Schindleri, linguarum Orientalium Profeſſoris Clariſſ. tunc recèns editum; quod cùm ipſum per ſe mihi gratiſſimum fuit, tum hòc etiam gratius quòd veterrimæ veriſſimæque candidiſſimi pectoris tui erga me benevolentiæ indubitatum pignus exiſtimabam. Nec ità longo pòſt tempore à doctiſſimis & fidiſſimis Jeſu Chriſti Miniſtris, mihíque dilectiſſimis fratribus, Barloo atque Harwardo, certior factus ſum, velle te ut Operi manum denuò admoverem, & quæ depravârat Typographi incuria corrigerem, quæ omiſerat ſupplerem, quæ intricaverat extricarem, denique operam ſedulò darem ut liber quàm emendatiſſimus ad te mitteretur; téque deinceps in te rem totam recepturum, daturúmque negotium hominibus idoneis, qui diligenter & ex arte perſanatis pleriſque ferè omnibus, præſertim gravioribus vulneribus, quæ prior inflixerat Editio, Opuſculum illud quàm maximè poſſent ſalvum integrúmque, abſque ullo labore ſumptúve noſtro, in aſpectum lucémque iterum eſſent prolaturi. Itaque facere non potui quin tibi tam præclaram rei bene gerendæ opportunitatem ultro offerenti promptè obtemperarem; adjicerémque, tanquam ἐξ ὑπομνήσεως, haud pauca, ſuis quæque locis interſerenda eis quæ antè fuerant vulgata. His acceſſit liber iſte Quartus, recens ac planè novus, quem ex diſſipatis obſervatiuncularum mearum chartulis tibi concinnavi

navi munuſculum. Nam ἰατρεῖα vix auſim dicere; cùm tanti nequaquam ſit æſtimandus ut impenſam curámque tuam æquare poſſe cenſeatur, nedum ut centeſimam partem integerrimi ac propè ſingularis tui erga me amoris aſſequi valeat. At tamen quantulus, aut qualis ille cunque eſt, tibi totum dico, addico. Quòd ſi quid adjumenti ſtudioſo Antiquitatis lectori afferet, tibi gratia debebitur, per quem libera præbita eſt facultas incorruptè atque emendatè in publicum prodeundi. Mihíque perſuaſiſſimum eſt, pergratum fore humaniſſimo Patrono meo, te eodem ſecum volumine conjunctum cernere quicum ſummâ familiaritate & amicitiâ conjunctus multos jam annos vixit; præſertim cùm animadverterit ea etiam quæ ſibi ſunt inſcripta beneficio tuo longè emendatiora nunc & auctiora in vulgus rurſum exire. Atque utinam tantum ſuppeteret otii ut elaborare poſſem aliquid dignum patrocinio Clariſſimi prudentiſſimíque Fratris tui, Equitis Aurati, Regiæ Majeſtati ab arcanis ſacríſque Conſiliis, & Secretarii Principalis. (Quem precor Omnipotentem Deum ut alterum Patriæ WALSINGHAMUM, ſub quo militiæ Aulicæ tyrocinium fecit, reddat, Senatorum Regiorum ætatis ſuæ Phœnicem, beatæ ſempérque honorandæ memoriæ virum.) Id verò tum fortaſſe fiet quando Concordantiarum Hebraicarum Interpretationem, pridem inchoatam; & Notis noſtris illuſtrari cœptam, Gratia Divina tempus commodum conceſſerit ut perficiamus & ad exitum optatum perducamus. Verùm enimvero bene longum ſanè aliud magnúmque Opus in manibus habemus, quod ut quàm maximè poſſumus aſſiduo moliamur labore, non ſolùm promiſſis, tanquam prædibus, ſed voti fermè religione obſtricti tenemur. Nihilominus Neceſſitas, penetrabile juxtà atque inſuperabile telum, coegit ut Miſcellaneis noſtris laborantibus maturè ſuccurrerem. Poſthac autem certum eſt (auxiliante Domino) ad penſi ſuſcepti accurationem me totum (quod valetudinis rerúmque domeſticarum & Miniſterii mei Eccleſiaſtici commodo fiat) conferre, dum feliciter tandem abſolvatur. Felicis autem hujus eventi partem non minimam ſatis patet ex ſubſidio præcipuorum quorundam librorum, præſertim manuſcriptorum, pendere: Quos ferè omnes, quoniam illuſtrium quarundam Bibliothecarum parietibus concluſos teneri, & acri cuſtodiâ ſeptos munitóſque eſſe novimus, nobis rure procul degentibus, corpore parùm firmis, animíque minimè fidentibus, difficillimè adiri, conſuli & liberè pervolutari poſſe putavimus. Hac ergò in re (quæ tua eſt cunctis bonarum literarum verè ſtudioſis expoſitiſſima ſemper adjuvandi voluntas) inopiæ noſtræ benignè pollicitus es te ſuppetias venturum, réque ipsâ effecturum ut nobis Academiæ inſignes quæque paterent Bibliothecæ, domi tuæ interea comiter acceptis, útque reliqua omnia (quantum in te ſitum eſſet) nanciſceremur auxilia quæ ad conatus noſtros provehendos præcipuè eſſent opus. Quod ut nuper, ineunte hâc hieme, alacriter præſtare cœpiſti, ità prolixè porrò præſtiturum non dubitamus, duplici præſertim, eâque eximiâ, humanitate tuâ confirmati, cùm liberaliſſimi hoſpitii, quo ſatis quidem diu videbamur uſi, tum etiam ampliſſimi atque acceptiſſimi muneris, omnium videlicet S. Johannis Chryſoſtomi voluminum Etonæ perquam ſanè luculenter Græcè editorum, quibus nos auctos dimiſiſti ac repentè præter exſpectationem noſtram univerſam mirificè locupletatos. Equidem opinor te hoc pacto veteris amiculi non tam indigentiæ quàm imbecillitati opportunè conſultum ire voluiſſe, ut laborioſiſſimi pérque diuturni Operis tædium, adhibitâ identidem divini illius χρυσορρήμονος plenâ dulciſſimæ variæque oblectationis atque ſolatii lectione, vel penitus diſcuteretur, vel magna ex parte minueretur & levaretur. Quò juſtior tibi à me ac illuſtrior ſemper habenda eſt gratia. Dominus Jeſus ſanctis laboribus tuis benedicat; quíque te nobiliſſimo Collegio columen, & egregium Academiæ noſtræ ornamentum excitavit, idem diutiſſimè ſalvum eiſdem conſervet, & cœleſti Spiritûs ſui ductu gubernet, ad nominis ſui laudem, Eccleſiæ emolumentum, & religioſiſſimi animi tui ſolatium perpetuum. Vale, Vir amiciſſime, mihíque omni officio colende, & Nicolaum meum patriſſantem commendatiſſimum à me, ubi tempus erit, ut habere velis, etiam atque etiam oro obſecróque.

Ex Muſeo noſtro Alldingtonæ
Cal. Feb. 1615.

NICOLAI

NICOLAI FULLERI MISCELLANEORUM SACRORUM LIBER IV.

CAP. 1. *Cur* ἀπὸ μιᾶς *Luc.*14.18. *à Paraphraſte Syro reddatur* מן חד. *Euangelium ſecundùm Lucam Græcè ſcriptum πρωτότυπον eſſe atque authenticum; non autem illud quod Syriacè eſt editum. Attingitur libertas transferendi quam ſibi Paraphraſtes permiſit.*

INitium ſcriptionis Miſcellaneorum iſtorum me feciſſe memini à declaratione formulæ cujuſdam loquendi, Græcis inuſitatæ ac peregrinæ, quæ legitur Luc. 14. 18. *Cœperunt* ἀπὸ μιᾶς *ſe excuſare*, cujus vim & naturam ibi pluribus excutere & explicare ſum conatus. Reſtat jam quæſtio neque nimis facilis neque ſcitu prorſus indigna, ac ſuperiori diſputationi peropportuna, quam anteà per feſtinationem, calamo ad exitum (ut fit) properante, ſilentio prætermiſeram. Eam verò in præſentia quàm potero pauciſſimis expediam. Meritò enim id ex nobis quæratur, cur, ſi modò ἀπὸ μιᾶς Syriacè valeat מחדא, à Paraphraſte antiquiſſimo & ſermonis utriuſque linguæ præclarè docto uſurpatum non ſit, nè hoc ipſo quidem in loco ubi maximè opus fuiſſe videatur? Dicam apertè & ingenuè quod ſentio. Conſtat, opinor, inter omnes (nam privatam, eámque imbecillam, paucorum quorundam conjecturam nihil moror) Græcum Euangelii ſecundùm Lucam exemplar primum exſtitiſſe & genuinum Euangeliſtæ *αὐτόχειρον*, pro certo non ſolùm putandum eſſe ſed etiam omnino credendum. Id jam indè à principio, per manus traditum, perpetuo Eccleſiæ Catholicæ conſenſu corroboratum & confirmatum accepimus. Eſtque Spiritûs S. conſilio valde conſonans, Euangeliſtam in Divino illo opere & ſuſcipiendo & conficiendo Regni Dei quàm latiſſimè propagandi ſtudioſiſſimum fuiſſe: Itaque multò ſanctius & antiquius duxiſſe, publico atque adeò univerſali omnium Eccleſiarum commodo quàm privato & ſingulari unius alicujus, videlicet Syriacæ, inſervire. Quod quidem propoſitum ſuum hâc potiſſimùm ratione ſe aſſecuturum judicavit, ſi linguâ quaquaverſùm maximè diffuſâ & quàm plurimarum gentium communi Euangelium conſcriberet. Talem verò, tunc certè temporis, & nonnullis antò, multis autem pòſt ſeculis, quàm viveret Euangeliſta, Græcam ſolam fuiſſe, perſpectum & manifeſtò compertum erat. Hanc ergò unam ex omni linguarum numero delegit, cujus literis primùm conſignatam æternæ ſalutis per Chriſtum humano generi partæ Hiſtoriam, cœleſti Spiritûs afflatu calamum dirigente, monumentis ſacris mandaret. Paraphraſin verò Syram aliquantò poſteriorem fuiſſe, & è Græco ab alio quodam ſancto viro, qui autoritate multò inferior eſſet quàm Euangeliſta, ſeparatim in uſum Eccleſiæ Syriacæ expreſſam, veritati conſentaneum arbitramur. Is igitur cùm phraſi ἀπὸ μιᾶς deeſſe autumaret vocem *γνώμης* aut *βουλῆς* aut etiam *καρδίας* ad ſenſum abſolvendum, vertit מן חד רעין, q. tu dicas מן חד, vel potiùs מן חד לב. Quippe לב tum Hebraicè ut Num. 16.28. tum Syriacè ut Matth.18.35. junctum obſervavimus præpoſitioni מן, ad id quod ſponte, conſilio, ſtudio & voluntate fit declarandum. At enim מן חד שעא dici non poteſt ſine fœdo Solœciſmo. Vox enim שעא feminei generis eſt, non, ut חד, maſculini. Quocirca neq; illud admitti poterit, ut מן חד pro מחדא poni exiſtimetur. Hîc namque neceſſariò ſubintelligitur שעא, ſicuti ſuprà affatim diſſeruimus. Præterea vix concedendum arbitror ut מן חד reddatur *à primo*, q. d. *ad unum omnes*. Syrus enim tum adhibuiſſet vocabulum uſitatiſſimum קדמא, non חד, ſtatímque ſubjunxiſſet ad orationem, alioquin hiulcam, explendam ועדמא לאחריא, h. e. *à primo ad ultimum* omnes. Inſuper ſtatuendum foret, eum in Græco legiſſe, non ἀπὸ μιᾶς, ſed ἀπὸ ἑνὸς, quod tamen nullo uſpiam in codice ſcriptum reperitur. Quamobrem Interpres Syrus non tam putandus eſt neglexiſſe quàm ſcrupuloſè anxiéque exquirere ſubinde noluiſſe vocis aut locutionis alicujus proprietatem. Eam igitur, quamvis etiam ex ſua ipſius lingua, Syra videlicet, deductam atque illîc certiſſimè inveniendam, libertate quadam uſus, omnino præteriit: quemadmodum hîc ab illo factum videmus. Quod, nè cui parùm credibile cenſeatur, levi brachio apud eundem Euangeliſtam, ac primùm quidem ex initio capitis proximi, oſtendemus. Tritiſſima eſt & linguæ Syriacæ propria loquendi ratio quâ *Peccator* vel *peccatis reus* חיבא dicitur, i. ὀφειλέτης *debitor*. Hanc ergò vocem Euangeliſta ex conſuetudine ſermonis vernaculi ſibi familiariſſimam contextui Græco inſeruit, ὀφειλέ) ἐγένοντο, inquit, *debitores fuerunt*, c.13.4. Paraphraſtes tamen Syrus quantumvis perſpicuè in Archetypo Græco expoſitum Syriſmum in Syra Interpretatione penitus tacuit, vertítque more communi חטין הוו ἁμαρτωλοὶ ἐγένοντο, *peccatores fuerunt*. Rurſum c.1.66. καὶ πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν, *Et omnes qui audierunt, repoſuerunt ea in corde ſuo*, omiſſo illic etiam Syriſmo, tranſtulit מחהשבין הוו, h.e. ἐλογίζοντο *cogitabant*. Similiter c.7.39. εἶπεν ἐν ἑαυτῷ, *dixit apud ſe* (qui peculiaris eſt Hebræorum & Syrorum loquendi mos) formâ pervulgatâ אהחשב בנפשה, h.e. διελογίζετο ἐν ἑαυτῷ *cogitabat apud ſe*, enunciat. Item c.3. 38. τοῦ Ἀδάμ, τοῦ Θεοῦ, filii *Adam*, filii *Dei*, diverſo modo tranſtulit, בר אדם דמן אלהא, h. e. υἱοῦ Ἀδάμ, τοῦ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, *filii Adam, qui à Deo exſtitit*. Pari libertate frequenter uſus eſt in vocibus quoque ſeparatis: v. g. c. 1. 52. δυνάστας, i. *viros in rep. primarios ac principes*, nempe qui *cum poteſtate eſſe* dicuntur, ſive *cum imperio* (horum enim, non privatorum aut vulgarium, ſunt throni atque tribunalia, eóſque שליפא Syri vocant) Paraphraſtes vertit חלופא, h.e. δυνατοὺς vel ἰσχυροὺς, *fortes* ſive *robuſtos*. Sic Luc. 4. 11. ἐπὶ χειρῶν *in manibus*, על דרעיחון: h.e. ἐπ' ἀγκάλαις *in ulnis*; item Luc. 6. 45. τὸ στόμα (quod פומא propriè appellatur) ille מפיתא, h. e. τὰ χείλη *labia*, reddere maluit. Atque ità permultis in locis ab eo factum animadvertere liceat; quod lectorem in hiſce ſtudiis mediocriter exercitatum haudquaquam latere putamus.

CAP. 2. *De fluvio* Chebar *ſive* Chobar *apud Ezekielem, quem poſitum habeat; unde ſit dictus. Itidem de* Aborræ *ſive* Chabora *fluvio apud Strabonem & Ptolemæum, quinam ſit; & quæ nominis ratio.*

CHorographia ſive locorum deſcriptio, præſertim diligens & accurata, cùm omni Hiſtoriæ utiliſſima, tum Sacræ perneceſſaria exiſtit. Itaque plurimum debent cuncti Scripturæ ſtudioſi doctiſſimis viris, Euſebio primùm, deinde etiam Hieronymo, propter editum De locis Hebraicis libellum. Attamen is, quia nimiùm plerumque brevis eſt, nec ullam habet cum Geographis externis, nominatim Ptolemæo, collationem aut comparationem, obſcurus & ambiguus ſæpe evadit, lectorémq; auxilii prorſus inopẽ ſubindè relinquit. Hoc ego non

rarò alibi expertus, nuper in notitia fluvii cujusdam apud Ezekielem indaganda veriſſimum eſſe didici. Memoratur enim initio capitis primi flumen כבר, quod Lxx Χοβὰς dicunt, itémq; Interpres Latinus *Chobar*, multis poſtea cœleſtibus revelationibus & Divinis appariſionibus eidem Prophetæ propter illud exhibitis nobilitatum. Continuò igitur Hieronymum conſulo, quà mihi proximum erat eum adire, nempe in Commentariis; CHOBAR, inquit Com. in Ezec. c. 1. 1. *aut nomen eſt fluminis, aut certè juxta interpretationem ſuam, quà in Grave vertitur, Tigrim ſignificat, & Euphratem, & omnia magna & graviſſima flumina, quæ in terra Chaldæorum perhibentur.* Et nè quis *grave* ſenſu Metaphorico ſumi exiſtimet, conſtat ex apertis ipſius verbis c. 43. 3. vocem illam propriè ab eo accipi. *Fluvius Chobar*, inquit, *qui Onus Ponduſq; ſignificat.* Jure itaque hoc etymon damnat Lyranus, tanquam ex ignorantia idiomatis Hebræi natum, quâ factum eſt ut ſimilitudine literarum ר & ד deceptus כבר in כבד perverſè mutârit hujus erroris autor. Abſit enim ut Hieronymus, literis Hebraicis eruditiſſimus Pater, tantæ imperitiæ vel tenuiſſimâ ſuſpicione perſtringatur, nedum damnetur ullo pacto, aut etiam accuſetur. Imò potiùs omnino arbitrandum, illum hic nunc, ut paſſim aliàs conſtevit, non loqui ex ſuo ipſius judicio (quod peracutum & exactum erat) ſed ex opinione quadam vulgari & recepta, hauſta ſcilicet ex libro Hebraicorum Nominum Philoni inſcripto, quem in Latinum convertit auxítque idem Hieronymus. Neque tamen pro indubitato Philonis (ut nec Hieronymi) habendum eſt quicquid inibi reperitur, propter ſummam exemplarium diſcrepantiam & confuſionem, de qua eodèm loci queritur Hieronymus. At dicat quis כביר ab ipſo Theodotione Job. 8. 2. reddi βαρὺς, i. *gravis.* Metaphoricè inquam, non propriè; prout λύκοι βαρεῖς, *lupi graves*, i. ſævi, dicuntur Act. 20. 29. & ἐπιστολαὶ βαρεῖαι, *epiſtolæ graves*, i. vehementes, 2 Cor. 10. 10. Quo modo βαρὺς ab Heſychio exponitur σκληρός. Unde ἄνεμοι σκληροὶ, *venti validi*, ut Vulgata editio non ineptè vertit Jac. 3. 4. Accedit alterum incommodum quo acriùs urgetur Hieronymi expoſitio, neq; id Lyranum præteriit; nempe quòd *Chobar* nomen non propriũ cenſeat eſſe ſed appellativum; & *Tigridis, Euphratis, omniúmque magnorum fluminum quæ in terra Chaldæorum eſſe perhibentur*, (quid ni etiam in univerſo terrarum orbe) commune. Nimis hoc quidem dubium, inconſtans, vagum, & ab Hiſtorica, h. e. certiſſima, loci notatione (qualis maximè decet Sacras literas) valde remotum. Quocirca multò meliùs idem ipſe Hieronymus in Locis Hebraicis CHOBAR *flumen quoddam Babylonium* privatim propriéq; ſtatuit. Rectè ſanè. Liquet enim captivorum multitudinem, inter quam ſe verſatum eſſe ad fluvium Chebarem ſæpius ait Propheta Ezek. 1. 1. & 3. 15, &c. illuc planiſſimè deportatam, & partim Babylone, partim in Babylonia, h. e. in regione Babyloni circumjacente, collocatam fuiſſe, 2 Reg. 24. 15, 16. Verùm enimvero cùm multis amnibus irrigua narretur Babylonia (ut Geographi demonſtrant, & locus ille Pſalmi, 137. 1. *Ad flumina Babyloniæ ſedentes*, &c. itidem monet) quemnam, obſecro, iſtorum nominatim ac ſeparatim dicamus *Chobar*? Hoc demum utinam ſive Euſebius, ſive Hieronymus, ſive veterum alius ullus, qui & à ſeculo Ezekielis Prophetæ & à loco Chobaris fluvii multò minùs longè quàm nos aberat, pro certo declaraſſet. Quare horum ſubſidiis deſtituti ad probabiles recentiorum conjecturas neceſſe eſt confugiamus. Clariſſimi Interpretes Tremellius & Junius fluvium Chebar eum eſſe autumant quem Ptolemæus in Geographicis vocat *Chaboram, in Meſopotamia, ex Maſio monte in Euphratem, ad oppidum ejuſdem nominis, influentem.* Ac ſono quidem Ptolemaicum Χαβώρας pulcrè congruit cum Prophetico כבר: ſitu autem (quod primarium certè eſt) multum inter ſe differunt fluvii illi qui utroque nomine indicantur; ſiquidem hunc in Babylonia eſſe proximè oſtendimus, illum verò citeriorem Meſopotamiæ partem permeare jam docuit Ptolemæus. Tantundem igitur inter ſe diſtare cernuntur quantum in latitudinem tota ferme patet Meſopotamia. Præterea ſi nomen utrumque propiùs & intentiùs inſpiciatur, fieri non poteſt ut *Chaboras* Ptolemæi ſit idem fluvius qui eſt *Chebar* Ezekielis. *Chaboras* enim à probatiſſimis Scriptoribus magna ex parte effertur ſine omni aſpiratione, ut *Abora* à Marcellino lib. 23. Ἄβορας ab Euagrio Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 9. Ἄβορ & denique à Stephano περὶ πόλ. voce Ῥησῖνα. At Caph, prima litera nominis *Chebar*, ejuſmodi eſt quæ nunquam deperdatur, ſed à Græcis Latiníſque ut *C*, vel *K*, vel *Ch* ſemper pronuncietur. Nondum ergò voti compotes porrò pergendum putavimus, quæſituri ecquis eſſet alius qui ad veritatem magìs appropinquârit. Commodùm autem unum aut alterum conſulueramus cùm in virũ eruditiſſimũ Joſephum Scaligerũ incidimus, hac eadem de re breviter & dilucidè diſſerentem De emend. Temp. l. 5. p. 218. hiſce verbis, *Rex Joiachin cum proceribus Babylonem traductus eſt; Ezekiel cum plebe in partes Chaborræ fluvii, quem Ezekiel ipſe* כבר *vocat. Straboni & Ptolemæo* Χαβόρρας *dicitur; qui eum diſtinguunt ab eo qui Regium flumen dicitur. Regium flumen, ſive Neharmalca, eſt* διώρυξ *Euphratis diducta juſſu Regis cujuſdam Babylonii, unde nomen Syriacè illi apud Ammianum & Plinium.* PLINIUS, "*Sunt qui tradunt Euphratem Chobaris præfecti opere diductum, ubi eum diximus findi, nè præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret; ab Aſſyriis verò univerſis appellatum* ARMALCAR, *quod ſignificat Regium flumen. Sed in Plinio corrigendum* NEHARMALCA. *Ex quibus verbis Plinii inceſſere poſſet ſuſpicio πόλαμὸν βαϛιλικὸν & Χαβόρρας eundem eſſe; ut à præfecto qui diduxit* CHOBAR, *à Rege qui juſſit* REGIUM FLUMEN *dictum videatur. Eſt &* Ἄβορρας *iiſdem autoribus, qui* ABORRA *Marcellino. Sed non eſt* CHABORRAS. Hactenus Scaliger. Primò quod ait Strabonem & Ptolemæum Χαβόρραν ſive (ut in Græco Ptolemæi exemplari Geogr. l. 5. c. 18. legimus) Χαβώραν diſtinguere à *flumine Regio*, ità eſt profectò. Nec diſtinguere ſolùm neceſſe habuerunt, ſed etiam longè diverſum ſtatuere, cùm alter (ut diximus) in Meſopotamiæ fronte poſitus ſit, alter ferè in Babyloniæ mèdio. Quod autem conjicit ex Plinii verbis *flumen Regium* eſſe *Chebarem* Ezekielis, equidem magnopere probatur, utpote erudita & veri quàm ſimillima ſententia. Itémq; quod addit, à Præfecto Chobare nomen inveniſſe, non invitus aſſentirer, niſi me ab aſſenſione aliquantum retineret idem ipſe, quem teſtem citat, Plinius. Nam is *Gobarem* vocat, non *Chobarem*, in exemplari meo. Quod ſi Scaliger caſtigatiore aliquo & locupletiore uſus eſt, quàm vellem indicâſſet, quò certior rei non admodum liquidæ fides indè afferretur. Illud quidem certè fateor, literas כ & ג ejuſdem ordinis eſſe, ac proinde inter ſe commutabiles apud Hebræos Syróſque: exemplo eſt סכר & סגר Eſa. 19. 4. & 1 Sam. 26. 8. Verùm à Græcis Latiníſve literam כ elemento γ vel *g* exprimi ſolere, difficiliùs liquebit. Libenter tamen dedero χ (quo propriè redditur כ) crebrò à ſcriptoribus librariis in γ mutari, propter utriuſq; figuræ vicinitatem. Etenim γ eſt imperfectum χ, nempe ubi deſit in decuſſi pars dextra inferior. Cæterùm hæc lubrica fortaſſe miniméque firma ſunt ducenda. Inſuper conſentaneum non eſt, Prophetam, repudiatâ illuſtri propriâq; appellatione, ab ipſo Rege operis autore petitâ, obſcuram & alienam, à miniſtro tantùm & curatore deſumptam, uſurpare voluiſſe. Nam in rebus ab eodem genere cauſæ denominandis ritè à potiore ſemper fieri ſolet denominatio. Quid ſi igitur auguremur nomen fluvio impoſitũ à ſua ipſius natura? ut כבר dictus ſit quaſi *vehemens, validus, rapidus*, quòd incitatiore curſu deferretur, nempe recto & prono, non obliquo neque flexuoſo, ut in Geographica Ptolemæi Tabula contemplandum proponitur. Optimâ ſanè ratione in unum hunc fluvium geminum illud nomen (prout nos interpretati ſumus) convenerit; quippe velut ab efficiente principali *Naar-Malca*, ità ab adjuncta proprietate notabili *Chebar* nuncupatus videtur. Poſtremò, ubi negat Scaliger Ἄβορρας aut Ἄβορας eſſe Χαβόρρας vel Χαβώρας, negat profectò rem claram, ac Geographis pariter atque Hiſtoricis teſtatam. Quod pro ſuo jure citra rationem facere, nimis certè durum eſt, præter æquúmque & bonum. Sed veritus eſt, opinor, nè, ſi daret eundem eſſe, ſimul

simul etiam concedere cogeretur (quod antè monuimus) כ in principio vocabuli positum abjici & amitti posse. Atqui nihil omnino opus erat id vereri. Neque enim nos Χαβώρων sive Χαβόρραν à כבר arcessendum existimamus, sed à voce Syra חברא, quæ βόθυνον, i. *fossam*, significat Mat. 12. 11. Atque ità dictum putamus amnem illum quòd præ Euphratis magnitudine, cui illabitur, tanquam fossa aliqua videretur. Oppidum verò in confluentibus situm duplici nomine noscitur. Nam & *Circesium* (quemadmodum suprà lib. 3. c. 2. copiosè memoravimus) vocatur ab Historicis propter egregiam munitionem, & *Chaboras* à Ptolemæo propter fluvium istum alluentem: quo pacto *Fossa Clodia* dicitur Latinis oppidum in Adriatici maris litore exstructum. Porrò ח litera gutturalis sæpissime apud Græcos Latinósque aut intercidit prorsus, sonúmque proprium & suum nullum habet, nisi vocalis duntaxat subscriptæ, ut חנה, Ἄννα, *Anna*, aut quasi χ profertur, ut חם, Χάμ, *Cham*. Exempla passim obvia sunt utriusque prolationis, atque adeò nonnunquam in eodem nomine; ut in Titulo Psalmi 52. אחימלך Theodotio quidem & Symmachus pronunciant Ἀχιμέλεχ· Aquila verò, ח in intertrimentum (ut ità dicam) abeunte, Ἀεμέλεχ. Eodem planè modo quo חברא ab aliis Χαβόρα effertur, ab aliis Ἀβόρα· hoc enim rectum est, propter Camets vocalem longam; aut saltem Ἀβόρρας, geminatâ videlicet literâ ρ ad vocalem longam æquiparandam.

CAP. 3. *Terminationem utramque,* ῶν *videlicet &* ῶθς, *gentium Orientalium propriam esse.* Essæorum *etymon Philo petiisse videtur è Græco, Epiphanius ex Hebræo. De* חשא, *posteriore* Essæorum *etymo, ab illustri viro Jos. Scaligero excogitato.*

LIbro primo cap. 3. de Essæis sive Essenis, locuti sumus: utramque autem appellationem ejusdem gentis propriam esse arbitramur. At contrà censet doctissimus Scaliger De emendat. temp. l. 6. p. 252. *Terminatio Syriaca,* inquit, *est* Ἐσσαῖος, *Græca,* Ἔσσηνος. Imò utraque pariter Syriaca est. Nam ut illam à voce singulari, ità hanc à plurali deducendam esse novimus. Licet etiam à plurali utrâque derivare, prout numerus ille apud Syros duplicem habet formam, partim in יא, partim in ין, & quidem perquam frequenter desinentium. Igitur eruditè Stephanus περὶ πόλεων terminationes ambas, ῶν & ῶθς, nimirum & ῶθς, gentibus Orientalibus, Syris, dico, Arabibus, Persis, assignat: Posteriorem verò, utpote longè usitatissimam maximéque vernaculam, τύπον ἐπιχώριον, vel ἰσχώριον, h. e. *formam patriam,* sive *indigenarum propriam,* identidem vocitare solet. Neque obstat quòd nomen *Essæorum* sectæ sit, non gentis. Fateor equidem Stephanum de nominibus gentilibus potissimùm agere. Atqui utrumque genus apud Syros eandem formam obtinet. Atque adeò Essenos nihilo minùs *gentem* appellare dubitabimus quàm Plinius ipse, qui Nat. hist. lib. 5. cap. 17. eos non solùm *gentem,* sed *gentem* etiam *aternam,* insigni additamento, nuncupat, quòd undique confluente & frequentante convenarum turbâ renascerentur. Quare tantum abest ut terminationem Ἔσσηνὸς Græcam putem, ut eam multò omnium maximè Syriacam existimem.

Est porrò quod ex Philonis verbis ὅτι πᾶς σεμνεῖῶν ἐλεύθερος, p. 600. lectorem veritatis amantem moneam de jam sæpius memorato *Essæorum* nomine, Λέγουσί τινες παρ' Ἑβραίοις, ὄνομα Ἐσσαῖοι, πλεῖῶν ὡσὲρ τετρακισχιλίους καὶ ἐμοὶ δόξαν, οὐκ ἀκριβεῖ τύπῳ διαλήλῳ Ἑλληνικῇ παρώνυμοι Ὁσιότητος, ἐπικλὴν κεῖν τοῖς μάλιστα θεραπεύειν θεὸν γεγόνασι, *Dicuntur aliqui apud Judæos nomine quidem Essæi, numero autem supra quater mille, ut opinor, sermone Græco, quamvis non accuratâ ratione, à voce* ὁσιότης (quæ *sanctitatem* sonat) *denominati, quoniam Deum colunt & venerantur, ut qui maximè.* Hic Scaliger, *Disertè ait cultores Dei vocatos patrio idiomate, h. e. Syriaco; in quo* חסי & חסיא *est* ὅσιος· *unde Græci perspicuè suum* ὅσιον *mutuati sunt.* Atqui si attentis animis diligentiùs (ut par est) verba Philonis expenderimus, videbimus (ni fallor) ea planè contrà ac ab ipso dicta sint Scaligerum accepisse. Non enim *patrio idiomate, h. e. Syriaco,* uti ratus est Scaliger, ità vocatos ait, sed, quemadmodum disertè pronunciat idem ipse Philo, διαλέκτῳ Ἑλληνικῇ *idiomate Græco* deductum nomen accepisse à vocabulo ὁσιότης, ut Ἐσσαῖος quasi ὅσιος appellati viderentur; καθ' ἐμὲ δόξαν, *meâ quidem sententiâ,* inquit Philo (sic enim distinguit Eusebius De præp. Euang. l. 8. c. 11.) quasi jam tum existerent nonnulli qui *Essæos* probabiliùs aliunde denominatos existimarent. Quoniam verò tam accentu quàm literis satìs multùm inter se discrepant voces illæ, opportunè continuò subjungit, οὐκ ἀκριβεῖ τύπῳ, *haud accuratâ,* vel *exquisitâ, ratione,* sive *formâ,* id factum videri. Itidem in Apologia quoq; scribit apud Eusebium, Καλοῦνται Ἐσσαῖοι, παρὰ τὴν ὁσιότητα, μοι δοκῶ, τὴν θεραπευτικὴν ἀρετὴν ἐξωνομασμένοι, *Vocantur,* inquit, Essæi, *à voce* ὁσιότης (*ut ego quidem opinor*) *appellationem adepti.* Nec aliter atq; jam exposuimus Philonis verba intellexisse videtur clariss. Ecclesiæ Doctor Chrysostomus, divino vir ingenio. Nam cùm tres memorâsset principes Judæorum sectas, quas γενικὰς *generales* idcircò nuncupat quòd longè latéque pervasissent, statim ista attexit, Ἐσσηνοὶ, οἱ δὴ Ὅσιοι λέγονται, τοῦτο γὰρ ὅτι τὸ Ἐσσηνοὶ ὄνομα, Ἔσσηνοι, inquit, *qui Hosii etiam dicuntur: hoc quippe est ipsum nomen Essæni,* Homil. 46. in Act. Unde perspicuum fit *Essenos* & *Hosios* à Chrysostomo pro eodem nomine duci. Non enim ait, *nomen* Ἐσσηνοὶ *Græcè redditur* ὅσιοι, sed planè & dilucidè, ὅσιοι *est ipsum nomen* Ἐσσηνοὶ· q.d. *Essæni* idè prorsus est vocabulum quod & *Hosii,* sed terminatione peregrinâ variatum. Eosdem ergò tum *Essenos* tum *Hosios* appellatos esse dixerat, hoc scilicet modo à Græcis, illo ab Hebræis Syrísque. Jure igitur existimemus Philonem nominis *Essæni* vel *Essæi* natales è Græco sermone deduxisse. Atq; ità solet alibi homo & optimarũ artium scientiâ & summâ elegantis ac mellitæ linguæ facundiâ copiâq; florentissimus, aliàs seriò etymon nativum ex Hebræis Syrísve fontibus haurire, aliàs quasi animi causâ ad illud venustè alludere, & arreptâ ex soni similitudine occasione, apud Græcos (præsertim ubi allegoriis luxuriat) nominis Hebræi originem investigare. Exempli gratia ἀλληγορίας νόμ. ἱερ. τὸ μὴ τὴν ἐξαίμερον. genuinam ex Hebræo nominum Φισὼν & Εὐιλὰτ notationem deinceps traditurus (nam illud Στόμαθος ἀλλοίωσιν, à פה & שנה, hoc Ὠκεανός, à themate חול, ח pro ה substituto interpretari placuit) à Græcanica utriusque etymologia, veluti φεναικισμάθως, more citharistarum, præludio quodam auspicatus, Φισὼν, quasi φείσων, παρὰ τὸ φείδεσθαι, *à parcendo* scilicet & *conservando*; Εὐιλὰτ autem, quasi εὐιλατὸν, h. e. *propitium* & *clementem,* ab εὖ & ἱλάομαι, deducere libuit: haud secùs atque hoc loco Ἐσσαίους tanquam Ὁσαίους, h. e. ὁσίους, propter consonum quiddam voce simul sensúque appellatos esse voluit.

Cæterùm quod deinde asserit Scaliger, Epiphanium censuisse eosdem *Essæos* ἀπὸ τὸ ἁσαθαι nominatos, Epiphanii verbis haudquaquam convenit, quæ planissimè Adverss. Hæres. l. 1. Hær. 29. p. 57. ità se habent, Ἦτοι ἐκ τῆ Ἰεσσαὶ [Syr. אישי Mat. 1. 6.] ἤτοι ἐκ τῆ ὀνόματος Ἰησοῦ τῆ Κυρίε ἡμῶν, ἐπεκλήθησαν Ἰεσσαῖοι, διὰ τὸ ἐξ Ἰησοῦ ὁρμᾶσθαι, μαθηταὶ ὄντες αὐτῆ, ἢ διὰ τὸ τῆς ἐτυμολογίας τῆ ὀνόματος τῆ Κυρίε. Ἰησοῦς γὰρ, κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον, Θεραπευτὴς νοηθήσεται, ἤτοι Ἰατρὸς, καὶ Σωτὴρ, *Aut à* JESSE, *aut à nomine* JESU *Domini nostri, nuncupati sunt* JESSÆI; *propterea quòd à Jesu primùm instituti ac profecti sunt, utpote ipsius discipuli. Vel propter rationem nominis* JESU, *quod Hebraico sermone Curatorem* (vel *Sanatorem*) *significat, aut Medicum, & Servatorem.* Hic illico perspicuè cernat Lector consideratus Epiphanium vocabulo Hebræo ישע alieniorem quidem significationem (veluti suprà lib. 1. c. 3. observavimus) attribuere, sed tamen (modò excipiatur Ἰεσσαὶ) ab illo solo, nec aliunde (non igitur ab ἁσαθαι) nomen *Essæorum* derivare. Quocirca erratum est (ut ità dicam) ἐνύλακι ab acutissimo scriptore. Neq; enim Philo etymon Syriacum, neq; Epiphanius Græcum sectatus invenitur. Nihilominùs felicissimè idem indicavit proprium atque indubitatum fontem nominis ὁσίε, quod appellationis Ἐσσαίων origo altera à Philone statuitur, & Syriacè, secundùm Scaligerum, nomen Essæis percommodè dedisse potuit videri.

Quippe præterquam quòd voce consonat, moribus etiam eorum examussim congruit, qui *sanctitatem* glorioſè præ ſe ferrent, eámque ſpecioſâ ſimulatione mirum in modum oſtentarent.

Non tamen uſque ſatisfecit חסי exactiſſimo viro. Itaque aliud, nempe חשא, protinus exquiſiviſſe dicitur. Id autem, ab Hebræo themate חשה, quod eſt ζιωπᾶν, ἡσυχάζειν, profectum, propriè denotat ἥσυχον vel ἡσύχιον, h.e. *hominem tacitum* ſive *quietum*. Egregium certè nomen. Etenim cùm vocis ſimilitudine valdè vicinum eſt appellationi *Eſſæorum*, tum ſignificationis proprietate eorum conſuetudini vitæque inſtituto proximum. Atque hoc in primis obſervandum videtur. Oſtendimus in ſuperioribus lib. 1. c. 3. cùm rationem redderemus cur nuſquam omnino *Eſſenorum* meminerit Hiſtoria Euangelica, eos conſultò & ex profeſſo rem duntaxat privatam curâſſe, in ſeceſſu & ſolitudine perpetuò vixiſſe, à repub. adminiſtrandâ prorſus abhorruiſſe. Namque id demum valet חשיין, ἥσυχίους ſive *Eſſæos* eſſe, h.e. ἀναχωρητὰς, eremi videlicet incolas; quos etiam ἡσυχαστὰς, *tranquillitatis inſigniter appetentes*, à veteribus nuncupatos tradit Imperator Novell. Conſtit. 5. c. 3. item ἀπράγμονας (ut vocabulum Græcum optimè declaratur ab Heſychio) planè Numinis Epicurei vitam otioſam & quietam traducentes, Lucret. De rerum nat. lib. 1. Cic. De nat. Deor. l. 1. ſumma cum pace, à communibus ſocietatis humanæ rebus ſemotos longéque ſejunctos, qui nec haberent ipſi negotii quidquam, nec exhiberent aliis. Quale vivendi genus, nempe σχολαστικὸν, *in otio languens*, Plutarchus De pugnantibus Stoicorum ſentent. ex Chryſippo prudenter colligit οὐδὲν τῇ ἡδονικῇ διαφέρειν, *nihil à voluptario differre*. Nec ullo pacto nè ſuſpicandum quidem eſt, Apoſtolum, ubi jubet fideles ἡσυχάζειν καὶ πράσσειν τὰ ἴδια *quietos eſſe & res ſuas agere* 1 Theſſ. 4. 11. idcirco voluiſſe eos omnino eſſe ἀπραγμονὰς καὶ ἰδιοπραγμονὰς (ut loquitur Plutarchus) h. e. à negotiis alienis publicíſq; univerſis feriatos, ſibi ſolùm ſuíſque neceſſitatibus ac commodis perpetuò vacare: Quod à ſincerâ in proximum charitate abeſt quàm longiſſimè, cujus præſtantiſſimum officium eſt *Quæ ſua ſunt non quærere* 1 Cor. 13. 5. *ea etiam quæ ſunt aliorum ſpectare* Phil. 2. 4. Quin potiùs hoc tantùm vetat Apoſtolus, nempe ἀλλοτριεπισκοπεῖν *res alienas curioſiùs inſpicere* 1 Pet. 4. 15. item περιεργάζεσθαι *inaniter ſatagere* 2 Theſſ. 3. 11. denique πολυπραγμονεῖν *multis negotiis turbulentè ac inutiliter implicari*. Quapropter ſeceſſus ille Eſſæorum, tranquillitatem neceſſariis vitæ hujus curis, maximè publicis, immunem tantopere expetentium, vix humanus (ut opinor) ducendus eſt, nedum Chriſtianus. Notiſſima eſt Ciceronis ſententia, & omnium ſermone celebrata, Offic. lib. 1. *Præclarè ſcriptum eſt à Platone, Non nobis ſolùm nati ſumus: ortûſque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici. Atque ita placet Stoicis, quæ in terris gignantur, ad uſum hominum omnia creari; Homines autem hominum causâ eſſe generatos, ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſe poſſent.* Tandémque ſubnectit, *Et tum artibus, tum operâ, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem.* Ut ergò laudet Epicurus, cum Hieronymo ſuo, ἡσυχίαν hanc ſive umbratilem quietem à rebus gerendis avocantem, [Plut. De pugn. Stoic. ſent.] certè vel ipſi naturæ inimicam eſſe liquet; quippe quæ eos diſtrahat quos illa devinxerat. Omnia huc ſpectant ut doceam nomen חשא quadrare non poſſe in primum Eſſæorum ortum, quem à piorum Judæorum (qui חסידים Hebraicè vocantur) reliquiis initio ductum conjectavimus lib. 1. cap. 3. Quos *errâſſe* narrat Apoſtolus Heb. 11. 37, 38. *cum ovillis & caprinis pellibus, in deſertis, in montibus, in ſpeluncis, & cavernis terræ, deſtitutos, oppreſſos, malè tractatos: quibus indignus erat mundus.* Quanquam ſeceſſerunt hi quoque, multò tamen aliter quàm חשיין novitii iſti Eſſæi; nimirum non ſuâ ſponte, ſed coacti; non ad immunitatem illam captandam, ſed ad perſecutionem declinandam; non quòd verſari inter homines diſpliceret, ſed quòd Deum verum illîc colere ac profiteri per Tyrannos non liceret. Quare apparet longè recentius eſſe nomen חשא quàm ſint perſonæ quibus primis accommodandum id nomen proponitur. Hâc ergò ratione multò magis pobatur alterum, videlicet חסי, ut quod ad primum חסיד quàm proximè accedat. Neutrum verò, hoc eſt, nec חסי nec חשא, cum vocabulo Ὅσιοι unquam congruere poterit. Nam utrumque ſubjectam habet vocalem Pathach, quæ tanquam *a* vel *e* ſemper profertur, non Camets (ut Ὅσιοι à participio plurali אסין) quod Syri plerumque ut *o*, aliquando ut *a*, Græci etiam ut *e* pronunciare ſolent. Quamobrem plurale quidem אסין Ἐσσαῖς & Ὅσιοι ſimul repræſentat, Pluralia verò חסין & חשיין Ἐσσαῖς tantummodo exhibent. Adhuc igitur in ſententia priſtina permanens, hæc illi meritò poſthabenda exiſtimo.

Poſtremò, niſi ſubdubitarem, parùm tum quidem vulgò apud Eſſenos (quamvis Hebræos) notum fuiſſe verbum Hebræum חסרה (quod Mercero interprete eſt *in locum aliquem ſe recipere ubi ſis tectus & tutus, latibulum ſeu protectionem alienbi quærere*) profectò ſuſpicarer indè etiam *Eſſenos* nomen trahere potuiſſe, ac propterea ſic primùm appellatos quòd initio latitare ſolerent in המחסים, ἐν ταῖς σκέπαις, ἐν ταῖς κλαφυγξὶν, in editis petrarum ſpeluncis Iſa. 4. 6. Pſal. 104. 18. qualibus, præter cæteras terræ Iſraeliticæ regiones, nobilitatus eſt tractus *En-gedi* ſive *Engaddæ* vicinus, ad lacum Aſphatiten. Quem eundem locum Eſſenorum quaſi patriam ac natale ſolum quondam exſtitiſſe certo & perſpicuo Plinii teſtimonio conſtat, Nat. hiſt. l. 5. c. 17. Sed tollenda nunc denique manus de tabula, & ad alia pergendum.

CAP. 4. *Hebraiſmum, h. e. linguam Hebræam quæ in S. Bibliis incorrupta exſtat, idioma Phœnicum ſive Chananæorum non eſſe, nec unquam fuiſſe, poſt linguarum ſcilicet confuſionem.*

NOva & nupera admodum opinio eſt doctorum quorundam, linguam Hebræam, quæ immortali Divinæ bonitatis & clementiæ beneficio in Veteris Teſtamenti ſacrorum Bibliorum volumine integra & illibata conſervatur, Phœnicum aut potiùs Chananæorum (quorum illi pars erant, indéque oriundi) vernaculum olim & uſitatum idioma fuiſſe; Abrahamum verò domeſticóſque ipſius non è Chaldæa eam in Chananæam importâſſe, ſed ab indigenis Chananæis didiciſſe, & eorum magiſterio acceptam illius linguæ cognitionem poſteris deinceps tranſmiſiſſe. Hæc opinio, quamvis partim novitate ſuâ (ut fit) partim admirabilitate, addo etiam ſpecioſam quandam probabilitatem, nonnullis vehementer arrideat & ſuaviter blandiatur, non tamen probatur pleriſque ferè omnibus Theologis, aliíſque non paucis ingenio, doctrinâ, linguarum ſcientiâ præſtantiſſimis ſanè viris. Quorum ego ſententiam fateor, atq; etiam profiteor & præ me fero, non tam autoritate cujuſquam permotũ quàm certâ ratione adductum, me ſemper libentiſſimè amplexum eſſe. Nec, candidum Lectorem nactus, in medium proferre & apud eum deponere gravabor quod mihi dudum hac de re aliquantiſper cogitanti in mentem venit.

Principio, qui cæterarum linguarum cum Hebræa comparationem & contentionem artificioſam aliquando inſtituerit, & operam non ignavam ſed juſtam ac ſtrenuam in ea facienda poſuerit, ſine dubio non ſolùm probabile ſed etiam planè verum eſſe comperiet quod teſtatur vir ſanctus Hieronymus Com. in Soph. 3. 18. *Linguam Hebræam omnium linguarum eſſe matricem.* Cujus teſtimonio eò majorem fidem adhibendam arbitramur, quò ſtudioſiorem eum atque diuturno uſu peritiorem trium linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, fuiſſe ſcimus. Neque opus eſt ullo Hieronymi dicto rem iſtam confirmare, cùm creberrimo eorum facto quorum operâ excogitatum emanavit commentum hoc novum ſatis ſupérque appareat. Cernimus enim clariſſimos viros cùm alios nonnullos, tum maximè Scaligerum, in verborum ſive Græcorum ſive Latinorum originibus ſcrutandis ad Hebræos fontes paſſim recurrere. Idque optimâ ratione fieri conſtat: nimirum ut ex *Matrice* (quam vocat Hieronymus) fœtus indè ortus agnoſcatur,

agnoſcatur, & quàm genuinus ſit comprobetur. Quemadmodum igitur in immenſa rerum mundi hujus congerie præcipuum aliquid & eximium in unoquoque genere produxit Deus quod reliquorum omnium ejuſdem generis menſura quædam exſiſtat, ad quam exigantur, & quâ ſingulatim explorentur; ità in linguarum etiam infinitâ varietate eveniſſe cenſeamus, unam præter cæteras à Divina providentia conſtitutam cujus directione ac puritate aliarum omnium obliquitatem & impuritatem metiremur. Ecqua verò alia quàm Matrix illa Hebræa ad id apta & idonea exiſtimabitur? Divinitùs ergò ſervata eſt hæc in θεοπνεύστοις illis monumentis, quaſi Regula de cœlo delapſa, ad quam omnia omnium linguarum judicia dirigerentur; ut ex majore minoréve convenientia vel diſcrepantia quæ & quanta eſſet cujuſque linguæ integritas aut pravitas dignoſceretur. Et ut Iridis aſpectus Diluvium, ſic Hebraicæ linguæ auditus confuſionis Babylonicæ pœnam juſtiſſimam, gentes omnes pervagatam, in memoriam redigeret. Hoc autem ſupremi Judicis gloriæ (quod caput eſt) amplificandæ & in perpetuas ſeculorum ætates propagandæ & pervulgandæ magnopere conducit. Tanti igitur pretii theſaurum, maledicti Chami Gen. 9. 22, 25. ac nominatim Chanaani poſterorúmq; ejus fidei curæq; commendatũ & traditum fuiſſe, nullo ſanè pacto probabile videtur. Imò penès domeſticos Eccleſiæ Dei, Noachum, Semum, Heberum, nefariæ impiæq; conſpirationis in campo Sennaar conflatæ non participes, reconditum manſiſſe, omnino credibile opinor. Nec imbecilla eſt hæc novitii alicujus ſcriptoris cõjectura, ſed certum antiqui Patris Auguſtini, nobiliſſimi Theologi, judiciũ, De Civ. Dei, l. 16. c. 11. tom. 5. Cujus verba, quòd ad rem maximè attineant, aliquãtò copioſiùs adſcribere nõ pigebit. *Quando merito elatioris impietatis gentes linguarum diverſitate punitæ atq; diviſæ ſunt, & civitas impiorum Confuſionis nomen accepit, hoc eſt, appellata eſt* BABYLON, *non defuit domus Heber, ubi ea quæ antea fuit omnium lingua remaneret. Unde, ſicut ſuprà memoravi, cùm cœpiſſent enumerari filii Sem, qui ſinguli gentes ſingulas procreârunt, primus eſt commemoratus Heber* Gen. 10. 21. *cùm ſit abnepos ipſius, hoc eſt, ab illo quintus inveniatur exortus. Quia ergo in illius familia remanſit hæc lingua, diviſis per alias linguas cæteris gentibus, quæ lingua priùs humano generi non immeritò creditur fuiſſe communis, ideo deinceps Hebræa eſt nuncupata.* Rurſum, *Et ideo credenda eſt ipſa fuiſſe prima illa communis, quoniam de pœna venit illa multiplicatio mutatióq; linguarũ, & utiq; prater hanc pœnam eſſe debuit populus Dei. Nec fruſtrà linguam iſtam, hoc eſt, quam tenuit Abraham, nec in omnes filios ſuos tranſmittere potuit, ſed in eos tantùm qui propagati per Jacob, & inſigniùs atq; eminentiùs in Dei populum coaleſcentes, Dei teſtamenta & ſtirpem Chriſti habere potuerunt. Nec Heber ipſe eandem linguam in univerſam progeniem ſuam refudit, ſed in eam tantùm cujus generationes perducuntur ad Abraham. Quapropter etiamſi non evidenter expreſſum eſt, fuiſſe aliquod pium genus hominum quando ab impiis Babylonia condebatur, non ad hoc valuit hæc obſcuritas ut quærentis fraudaretur, ſed potiùs ut exerceretur intentio. Cùm enim legitur unam fuiſſe linguam primitus omnium, & ante omnes filios Sem commendatur Heber, quamvis ab illo quintus oriatur, & Hebræa vocatur lingua quam Patriarcharum & Prophetarum non ſolùm in ſermonibus ſuis, verùm etiam in literis Sacris cuſtodivit auctoritas, profectò itaq; cùm quæritur in diviſione linguarum, ubi lingua illa remanere potuerit quæ fuit antè communis, quæ ſine ulla dubitatione ubi remanſit, non ibi fuit illa pœna quæ facta eſt mutatione linguarum; quid aliud occurrit niſi quòd in hujuſmodi gente remanſerit à cujus nomine nomen accepit? Et hoc juſtitiæ gentis hujus non parvum apparuiſſe veſtigium, quòd cùm aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad iſtam non pervenit tale ſupplicium.* Acutè profectò præſtantiſſimus Doctor firméque à perpetuâ Eccleſiæ ſucceſſione conſimilem etiam primæ linguæ immutabilis atque incorruptæ continuationem ad ipſum uſque benedicti Seminis adventum concludit. Nam ſi Eccleſiam Dei communis defectionis non affinem fuiſſe conceſſerimus, certè pœnâ quoque confuſionis linguarum pariter immunem fateamur oportet. Deinde ex ſingulari elogio Heberi (qui electo Dei populo peculiare nomen dedit, ut *filii Heberi* ſive *Hebræi* dicerentur) rectè colligit, linguam item primigeniam, quam eis tranſmiſit, ab ipſo nomen ſimiliter duxiſſe, ut *Hebræa* appellaretur: Quemadmodum deinceps ætatibus Chriſto propioribus eadem lingua ab inferiore ac propriore parente Juda *Judaica* iterum nominata legitur 2 Reg. 18. 26. Poſtremò, leve non eſt nec temere contemnendum quod ille, ad alia properans, leviter tranſit ac tantummodo perſtringit, Hebræam videlicet principem eam eſſe linguam *quam Patriarcharum & Prophetarum non ſolùm in ſermonibus ſuis verùm etiam in literis Sacris cuſtodivit autoritas*, q. d. Neceſſe eſt linguam Hebræam, cùm à Noacho Semóque accepta per caſtiſſimas & religioſiſſimas manus Patriarcharum & Prophetarum longiſſimè porrectâ plurimarum ætatum ſerie ad Chriſtum in carne patefactum poſteris tradita fuerit, ſartam tectámque ab omni contagione & corruptela fuiſſe cuſtoditam; præcipuè, quando jam indè ab initio ſanctiſſimis Dei arcanis excipiendis & conſervandis dicata & conſecrata fuit. Ac proinde ità firmiter arctéque implicita cohæſit illius integritas cum horum æternitate ut nulla truculentiſſimorum tyrannorum immanitas, cùm maximè toto pectore cunctiſque nervis ad eam funditus delendam incumberent, nè tantillùm quidem labefactare aut pervertere unquam potuerit.

Præterea id in primis optarim ut accuratè animadvertat lector & acri judicio pro ſua prudentia perpendat, quàm diligenter, quàm cautè, quàm ſolicitè omnibus ſeculis, uſque ab ultima antiquitate, ſe abſtinuerint à profanarum gentium hominúmve conſuetudine & familiaritate, non Judæi tantùm vel Hebræi, ſed omnium ſeculorum fideles, domeſtici Eccleſiæ, & filii Dei, ut vocare ſolent S. literæ: Adeò ut horrendæ totius humani generis corruptionis ac depravationis, & Diluvii poſtea univerſum terrarum orbem inundantis, hujus interdicti contemptus & violatio præcipua & propè ſingularis ac unica cauſa afferatur. At poſtquam Deus in Abrahamo, è natali ſolo patriiſque ſedibus educto & in terra Chanaan collocato, populum proprium ac peculiarem ex omni omnium gentium numero ſibi delegiſſet, magis indies magíſque ac tandem innumeris penè modis, ceremoniarum præſertim legalium & externæ politiæ tanquam multiplici vallo circumdato, arcere & prohibere voluit ſuos ab impiarum gentium, maximè verò Chananæorum, ſocietate & converſatione. *Omnino*, inquit Deut. 7. 2, 3, 4, 5, 6. *interecioni devovebis eas: non inibis cum eis fedus, nec miſereberis earum. Neq; affinitates junges cum eis. Quia ſeducent te, nè ſequaris me. Quin potiùs aras earum, ſtatuas, lucos, ſculptilia abolebis & diſperdes: Quia populus ſanctus es Domino Deo tuo.* Hæc cuncta magnum illum Patriarcham Abrahamum, ſtirpis electæ autorem, certò ſciſſe & attentè obſervâſſe, ut congruenter ſuos inſtitueret, & conſilio Divino inſerviret, dubitari non debet; præſertim cùm Deus ipſe ampliſſimum ei ſplendidiſſimúmque teſtimonium perhibeat Gen. 18. 19. *Novi Abrahamum præcepturum filiis ſuis & familiæ ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, faciántque judicium & juſtitiam.* Quamvis autem excidii tum gentium illarum tum idolorum exſequendi nondum tempus à Deo præſtitutum adveniſſet, idcóque nec Abraham quidquam adhuc ejuſmodi aggreſſus uſpiam legatur; tamen quoniam ipſe cum ſuis præcipuè ſanctus erat (*Nam ſi rami ſancti, etiam radix*, Rom. 11. 16.) unúmq; & idem ei quod cæteris omnibus ab idololatrarum conſuetudine & familiaritate impendebat periculum, certè ab illa quàm religioſiſſimè ſibi ſuíſque caviſſe eum oportuit: Cujus rei paſſim clara comparent indicia. Jam cum iſtis conferat lector quod opinantur nonnulli, Abrahamum ſcilicet linguam Chanaan cùm ipſum didiciſſe, tum poſteros etiam docuiſſe; ſummè contrarium inveniet. Quid enim magis abſonum dici queat, quàm ut idem Chananæorum familiaritatem & conjunctionem devitet, nihilo tamen

minùs quotidiani & vernaculi Chananæorum ſermonis notitiam uſúmque expetat & conſequi ſtudeat? Nónne rectè dictum eſt à quodam, ſocietatis conjunctioníſque humanæ vinculum eſſe Rationem & Orationem, intimum illud, externum iſtud, de quo nunc loquimur? Atque ità neceſſariò fatendum foret, quos Deus olim linguarum confuſionis beneficio (ſic namque ſolet Divina benignitas ex malis noſtris ſua elicere bona) quaſi firmiſſimo muro diſcluſerat faciléque evitandos reddiderat, Abrahamum communi ejuſdem linguæ uſu (qui primarius eſt omnis commertii gradus) propiùs ſibi conjunxiſſe, & perfoſſo, imò diruto, muro illo, ſibi quidem difficiliùs evitandos, poſteris autem inevitabiles propemodum effeciſſe. Quis enim non videt, naturalis ejuſdem linguæ communitas cum Chananæis quantum offendiculum, quàm exitioſum in idololatriam præcipitium fuiſſet Iſraelitis? Quanta, non dico, feneſtra, ſed janua, imò quàm immanis porta hâc ratione patuiſſet contagioni gentis maledictæ populum electum jugiter pervaſuræ? quem tamen ab illa modis omnibus quàm longiſſimè ſomotum eſſe voluit conſilium Divinum; cui Abrahamum per omnia vigilantiſſimè ſubſerviſſe nemo ſanè pius aut cordatus unquam, opinor, negaverit. Quamobrem qui vel ipſius ſepulturæ cum gentibus idololatris conſortium penitus abnuit Gen. 23. eò magis univerſum ſermonis commercium haud dubiè reſpuiſſet, quò plùs hoc quàm illud pietati nocere potuiſſet.

Mihi unum hoc duntaxat abſurdum, ex ſermonis conjunctione oriturum, adeò grave videtur, ut ſatis per ſe valere queat ad iſtam recentiorum opinionem ex animis noſtris radicitus evellendam, cogátque agnoſcere, *Abrahamum Hebræum* Gen. 14. 13. linguâ quæ etiam nunc meritò perhibetur *Hebræa* ſanctáque ſemper uſum; Chananæam autem conſultò potiùs refugiſſe, ſuóſque quoad poſſet ab ejus notitia abſtinuiſſe, quàm vel eam ſpontè quæſiſſe, vel eis ad illam diſcendam, & familiariter uſurpandam exemplo ſuo præiſſe. Non enim pro leviculo olim eſt habitum Neh. 13. 23, 24, 25. ſanctum Dei populum ſermoni peregrino, nè Moabitarum quidem aut Ammonitarum, quanquam Loto Abrahami conſanguineo oriundorum, quia idololatræ eſſent, conſueſcere, nedum Chananæorum, qui non modò religione profani, ſed genere etiam prorſus extranei, atque adeò ante alios exſecrandi & deteſtabiles, fuiſſe noſcuntur. Quid? an Nehemiam, Abrahami filium, tanto zelo, tam mirificè accenſum legemus, cùm *Judæos* quoſdam *Azoticè loquentes* deprehenderet, *Judaicè autem neſcientes*, ut *eis malediceret, percuteret, glabraret*; magnum verò Patriarcham, alioqui zelo nemini ſecundum, ità deferbuiſſe aut potiùs conglaciaſſe cenſebimus ut patrium & avitum ab Hebero acceptũ ſermonem dediſcere, maledictum, a Chanaane extrinſecùs arceſſitum, addiſcere ſuſtinuerit? Equidem nullo pacto conſentaneum arbitror.

Quod ex Iſaia 19. 18. objicitur, Hebræorum ſermonem *Chananæum* appellari, rectè diluit Lyranus, reſpondens, linguam Iſraeliticam *Chananitidem* dici, non quòd eâ Chananæi loquerentur, ſed quòd eorum qui terram Chananitidem multa jam ſecula poſſederant, nempe Iſraelitarum, propria eſſet. Quare *lingua Chanaan* ſignificat linguam, non populi Chananæi, (qui propriè dicitur כנעני, Jod calci nominis adjecto) verùm terræ Chanaan (ſic quippe vox *Chanaan* in Scripturis uſurpatur, ut Exod. 15. 15.) h. e. habitatorum terræ, qui jam diu erant Iſraelitæ: perinde ut dicitur Gen. 11. 9. *confuſum eſſe labium univerſæ terræ*, i. univerſorum incolarum vel habitatorum terræ. Huic porrò expoſitioni optimè congruunt ſequentia. Quapropter in complexione Prophetiæ hujus de vocatione Gentium Iſaias enumeraturus populos communionis ſanctæ conſortes, quos item in ſuperioribus nominatim deſignaverat, tres tantummodo recenſet c. 19. 25. *Ægyptiũ, Aſſyrium, Iſraeliticum*; omiſsâ hîc quidẽ omnino voce *Chanaan*, quia regionẽ non populũ denotaret, itáq; ad Iſraelitas, regionis illius dominos ac poſſeſſores Divinitus conſtitutos, ſpectaret, & eorum nomine comprehenſa intelligeretur.

Verùm enimvero aliter nodus iſte, & fortaſſe faciliùs, in hunc modum ſolvi poterit; ut dicamus Prophetam tot antè ætatibus prænunciâſſe, primos Euangelii apud Ægyptios præcones *linguâ Chananitide*, h. e. (ſi Hieronymo credimus Com. in. Iſa. lib. 5. c. 19. 18. & l. 7. c. 19. 18) Syrâ, quæ inter Ægyptiam & Hebræam media eſt, præconium ſuum ſalutare peracturos. Nam illuc, nempe in Ægyptum, utpote regionem proximam & celeberrimam, primis illis naſcentis Eccleſiæ temporibus deſcendiſſe ſive Marcum, ſive alios nonnullos Chriſti Diſcipulos, quibus cunctis lingua Syra tum eſſet vernacula, pluſquam probabile exiſtimamus.

Opponitur iterum, Nomina antiqua urbium & locorum in regione Chanaan, quibus ante Iſraelitarum adventum eodèm, & ibidem habitationem, dicta fuerunt, planè Hebraica eſſe, quemadmodum in libris Moſis, & Joſuæ cernitur; igitur à Chananæis etiam impoſita videri, quibus unus idémque ſermo vernaculus cum Iſraelitis vel Hebræis eſſet communis. Hîc, tanquam ſi firmiſſimum allatum ſit argumentum, ità mirè ſibi placet non nemo. Atqui nihil prorſus eſt quòd eâ quidem re tantopere ſeſe efferat. Nam ut nomina illa univerſa purè Hebræa ſint, tamen ullum ex eis vel Chananæum eſſe vel à Chananæis impoſitum pernegamus. Quin potiùs vetuſta ab indigenis Chananæis indita nomina, ab Hebræis, in eaſdem ſedes ſuccedentibus, Hebraico more poſtmodum prolata & expoſita, itidémque à divinis illis Scriptoribus Sacrarum literarum monumentis mandata fuiſſe aſſerimus. Non longè abiero: facili promptóque exemplo agam Gen. 31. 47. *Jegar Sahadutha* proprium eſt montis cujuſdam in terra Iſraelitica nomen; proprium ejuſdem quoque eſt *Galed*, atque idem omnino ſonat, ità ut *qui utrumvis rectè norit, ambo noverit*. Id duntaxat intereſt, quòd illud à Labane Syro Syriacè primùm eſt impoſitum, hoc à Jacobo Hebræo Hebraicè deinde expoſitum. Enimvero ſic fiet ut & priſcorum nominum veritas & Hebraici ſermonis uſque ab Hebero deducti integritas immutabilis & illæſa conſervetur.

Poſtremò, quod quidam efficere conatur ex verbis Auguſtini Contr. lit. Petil. l. 2. c. 104. Tom. 7. p. 107. quandoquidem lingua Punica, quæ Chananæorum quondam erat, eadem eſt quæ Hebræa, proinde & Hebræam Chananitidem eſſe, perinfirmum ſanè exiſtit. Nuſquam enim id aſſerit Auguſtinus: Imò contrà, Punicam eandem non eſſe quam Hebræam, ſed diverſam. Non enim teſtatur planè omnia, ſed *penè omnia Hebræa Punica lingua conſona*: Apertè igitur *nonnulla* diſſona ſive diverſa fatetur: Et quidem ſatis *multa* (mihi crede) faſſurus foret, ſi Hebraicè ſciſſet, aut ſermonis patrii, h. e. Punici, ornandi & amplificandi paulò ſtudioſior non fuiſſet. Ità quippe fert natura hominum, ſecundùm καθολικὸν illud Θεώρημα, *Suum cuique pulcrum*. Hieronymus certè utrâque linguâ præclarè eruditus Com. in Iſa. lib. 7. c. 19. 18. *Chananitidem Hebræa tantummodo magna ex parte confinem eſſe* pronunciat. Non ergò *maxima ex parte*, neque etiam *penè omni ex parte*; nimiò autem minùs *omni ex parte*. Ad eundem ferè modum ipſius quoq; Auguſtini judicium longè alibi moderatius cernitur Tom. 9. Tract. in Joh. 15. p. 95. B. *Cognatæ ſunt*, inquit, *linguæ iſtæ & vicinæ, Hebraica, Punica, & Syra*. Atque hanc ſententiam veriorem eſſe cognoſcet qui linguas illas, Chananitidem ſive Syriacam & Hebræam, inter ſe diligenter contulerit.

Ad ſummam, novæ iſtius opinionis propugnatoribus, præſertim acrioribus quibuſdam, libet pluſculum quàm initio conceſſeramus jam largiri. Damus igitur ſermonem illum qui Novo in Teſtamento *Hebraus* nominatur, Chananæum, ſive Tyrium, ſive Punicum eſſe; hâc tamen lege ut eum qui in Vetere purus aſſervatur pro abſolutè Hebræo relinquere nè dedignentur eis quorum proprium eſt illius linguæ ſtudium; Theologos dico & candidatos Theologiæ, cujus arcana univerſa in ſacroſanctis Hebrææ linguæ penetralibus ſunt repoſita. Unde flagrantiſſimus emicat Theologorum amor quo linguam illam meritiſſimè depereunt, ſolâ pietate ad amandum excitati, non ſuperſtitione

ſtitione aliquâ obligati, ut cavillantur nonnulli; ipſi potiùs revera ſuperſtitionis rei, qui dum cœli ſcrutantur plagas, & ſublimi vertice ſidera ſibi videntur ferire, Theologis ex officii ſui religione δεισιδαίμοσι, ac propterea quaſi humi ſtratis, tantùm non ſuperſtant, & per licentiam, officii parùm memores, inſultant. Nobis ſanè valde placet Terentianum illud,

Rem ipſam dic, ac mitte malè loqui.

Id verò ſi ab æqui bonique amantibus impetrare liceret, non tot maledictis convitiiſque tam pertinaciter certatum eſſet non ſolùm de linguæ Hebraicæ puritate primigeniâ, ſed de characterum etiam Hebraicorum (quos ſummâ item Dei benignitate à Judæis jam olim traditos habemus) antiquâ ſinceritate. Horum autem quamvis alterum ex altero non pendeat neceſſariò (Nam & diverſæ linguæ eiſdem characteribus, & eadem lingua diverſis characteribus ſignari poterit) tamen quia quodam modo inter ſe conjuncta cernuntur, de Idiomate uſque abhuc ſatis multa locuti, de Literis eidem Idiomati peculiaribus nunc (ſi placet) nonnulla ſolo unius veritatis ſtudio ſedatè diſſeremus. *Viſuntur quidem hodie Sicli*, inquit doctiſſimus Scaliger Animadverſ. in Chronol. Euſeb. p. 109. & 103. *qui quotidie Jeroſolymis effodiuntur, & ſub Regibus Juda in uſu fuerunt. In illis numis eadem litera incuſa ſunt quæ in ſcriptis Samaritanorum leguntur, ſine ulla vel exigua mutatione. Et putare veterum Hebræorum alias literas fuiſſe quàm quæ in illis Siclis viſuntur, & quæ ſub Regibus Juda in commerciis Judæorum erant, extremæ & inſaniæ & imperitiæ eſt.* q.d. Effoſſorum Siclorum literæ porſus eædem ſunt cum hodiernis Samaritarum; proinde nec aliæ in uſu fuerunt priſcis Hebræis à temporibus Moſis ad excidium Templi quàm Samariticæ. Atqui eæ quibus hodie Judæi Sacros libros & omnia acta ſua conſcribunt diverſæ ſunt à Samaritanis: Igitur nuperæ ſunt ac novitiæ. Planè infirmum eſt utrumque conſequens. Nam ut ſcriptæ Samaritanorum literæ eædem omnino ſint atque Siclis incuſæ, non tamen neceſſe eſt has ſolas, præterea nullas, veteribus Hebræis fuiſſe uſitatas. Quaſi verò uni genti unum duntaxat literarum genus ſemper in uſu fuiſſe oporteat? Id quod vel ipſa experientia facilè redarguat apud omnes, credo, gentes, maximè humaniores. Certè apud noſtrates characteres Archivorum proprios multum à vulgaribus diſcrepare videmus. Imò multiplicem literarum ſpeciem Arabibus familiarem ſciunt periti, haud parùm inter ſe ſubindè diſcrepantium. Sed obſcuriora ſunt iſta forſan, neque admodum nota ſtudioſis. Illuſtriſſimam autem vetuſtiſſimémque Ægyptiorum remp. quis ignorat? Quid? an uno tantùm characteris genere ſatis inſtructam fuiſſe arbitrabimur? Hieroglyphicos eorum characteres ſummam ac propè admirandam à communibus & vulgatis habuiſſe diſſimilitudinem certo certius opinor. Et quiſquam illud acriter pugnabit, ut ſapientiſſima Hebræorum gens uni tantummodo literarum formæ quaſi in ſervitutem perpetuò addicta judicetur? Non dubitamus igitur, pro duobus illis præcipuis rerum ac negotiorum diverſorum generibus, Sacrorum videlicet & Civilium, duplicem minimùm literarum figuram antiquis Hebræis fuiſſe conſuetam. Quod idem, meo quidem animo, res ipſa illico docere queat: Quippe alterum genus ſcripta Judæorum monumenta ad hodiernum diem affatim exſtantia luculenter demonſtrant, alterum Samaritanorum libri & numiſmata vetera ab interitu vindicant.

Neque eſt quòd quiſquam dicat eas literas quibus hodie Judæi Sacros libros & omnia acta ſua conſcribunt nuperas ac novitias eſſe, ex Samaritanis depravatas. Obſecro, unde gentium illud nobis conſtabit? Digladiantur quidem Judæi inter ſe de apicibus, vetuſtatem eorum aliis obſtinatè negantibus, aliis contrà aſſerentibus; de literis non item: Siquidem inter omnes convenit, uſque ab ultima antiquitate illas perduraſſe, atque adeò integras & illibatas, nihilo ſecius ac Samaritanas, & fortaſſe etiam magis, permanſiſſe. Nam hi ab illis quos habent characteres precariò conceſſos acceperunt. Ad hæc, numeroſiſſima Judæorum gens, longè latéque diſſeminata, facilius potuit (ut eſt omni ratione probabile) characteres ſuos ſartos tectóſque conſervare quàm popellus exiguus in angulum oppidò anguſtum contruſus. Quis enim neſcit parvæ lacunæ aquam multò citiùs corrumpi quàm ingentis piſcinæ? Præterea accuratè notatam velim pervicaciſſimam Judæorum indolem, ejus quod ſemel arripuerint firmiſſimè tenacium, maximè ubi de traditionibus ſacris ageretur & ad legem Moſaicam ſpectantibus. Atque hîc Judæi Samaritas, tenebriones ſcilicet contemptos & abjectos, longè multúmque ſemper ſuperârunt; uti pluribus & clariſſimis teſtimoniis exemplíſque apud Joſephum, & alibi, demonſtratum legitur. Prorſus ergò incredibile eſt, Sacerdotes atque Levitas characteres priſcos, præſertim quibus Sacra volumina antiquitùs perpetuò deſcribere conſueverant, propter uſum aſſiduum oblivíſci ullo modo potuiſſe, aut religioni obſtrictos rejicere & deſerere unquam voluiſſe, & conſpiratione conſenſúque unanimi novam ac degenerem literarum ſpeciem ubique terrarum comprobâſſe atque admiſiſſe. Imò conſentaneum eſt, Judæos unà cum Scripturis Sacris incorruptis ſcriptionem quoque ſacram incorruptam pariter retinuiſſe & ad poſteros tranſmiſiſſe. Quæ initio Sacris & Eccleſiaſticis rebus duntaxat dicata, ſequentibus deinde ſeculis negotiis etiam Politicis adhiberi cœpit. Idque tum primùm veriſimile reor eveniſſe cùm Samaritani characteribus Judæorum civilibus ſunt uſi, nè eorundem communione cum hoſtibus perditiſſimis ſummèque deteſtabilibus juncti viderentur. Porrò Sacerdos ille à quo Cuthæi ſive Samaritani & cultum & literas didicerunt, ſtirpis Leviticæ non erat, ſed ordinis à Jeroboamo inſtituti, 1 Reg. 12. 31. & 2 Reg. 17. 27. Unde & altera fortaſſe emerſit diverſi characteris cauſa, nempe odium Sacerdotum Leviticorum, quorum characteres ſcribendíque rationem Sacerdotes Jeroboamici conſultò etiam & dedità operâ ſint averſati. Ut & illud obliviſcar, quòd Sacerdos non ſponte ſuâ, ſed à Principe extraneo, Aſſyriorum Imperatore, coactus, ad homines item extraneos, Samaritanos ſcilicet, Legem docendos acceſſerit. Quamobrem utroſque characteres, tanquam gemellos fœtus, ab eadem gente Iſraelitica prognatos exiſtimari par eſt. Ac proinde non admodum inter ſe diſſimiles, & modò non coætaneos. Niſi ſi paulò antiquiores ſunt forſan quibus hodie utuntur Judæi, quò tum vetuſtiores eſſe cognoſcuntur res Eccleſiaſticæ quàm Civiles (atque illuc vergunt, niſi fallor, verba Irenæi Adverſ. hæreſ. l. 2. c. 41. p. 198. *antiquas & primas Hebræorum literas Sacerdotales* appellantis) tum ſimpliciores minúſque operoſos videmus hos quàm illos. Exemplo ſit unicum Jod à Servatore noſtro propoſitum Mat. 5. 18. Id enim in Alphabeto Hebraico, teſte omni exceptione majore eodem Domino noſtro, eſt cunctorum elementorum minimum & ſimpliciſſimum. In Alphabeto autem Samaritico, ut & in Siclis antiquis (quanquam bene magnum utrobique diſcrimen cernitur) ſpatioſum eſt, variúmque, & multiplici ductu compoſitum, Scal. Animadverſ. in Euſeb. Chron. p. 103. & Bezæ Annot. major. in Matth. 17. 24. Sed ut hoc ſit, ad rem haud multum intereſt. Namque longa dies in literis, quemadmodum in rebus humanis univerſis, quamvis ſumma adſit vigilantia, aliquam tandem alicubi mutationem parere ſolet. Illud planè fatendum eſt, utrumque characterem, tam Samaritanum quàm Hebraicum, longè vetuſtiſſimum eſſe.

Ad hæc, non abſurdè concedi poſſe putamus Samaritanum & Phœnicium, ſive Syriacum veterem, ferè eundem olim fuiſſe, utpote ex eodem fonte derivatum. Etenim Samaritanos literas ſuas ab Hebræis accepiſſe ſuprà memoravimus; Phœnicias autem multis antè ſæculis eaſdem à patre Hebræorum Abrahamo didiciſſe, veri non abſimile autumamus. Nam ſi Ægyptios propter exiguî temporis commorationem, eámque initio ſatis moleſtam, tam benignè remuneratus eſt (narrante Joſepho Antiq. l. 1. c. 9.)

ut

ut illis clarissimas scientias Arithmeticam & Astronomiam (quarum antea rudes fuerant) ultro tradiderit, quantam & quàm insignem gratiam retulerit Chananæis sive Phœnicibus, commodæ & diuturnæ habitationis ergô, non difficile est cogitare: Quos non solùm Numerorum atque Astrorum scientiâ, sed literarum etiam ad animi sensa expeditè consignanda, præstanti artificio atque beneficio locupletavit & ornavit. Quippe gloriam illam inventionis ac primæ propagationis cùm literarum tum scientiarum, quam Plinius l. 5. c. 12. Phœnicibus, alii Ægyptiis tribuere solent, nos Josephum aut potiùs veritatem ipsam secuti, magno Patriarchæ Abrahamo & popularibus ejus Chaldæis primò & peculiariter asserendam esse censemus.

CAP. 5. *Quod & quale sit lignum* Gopher *ex quo constructa est Arca. Complures versiones explicantur. Lignum* Gopher *cupressinum potissimùm videri.*

SUmmè misericors Deus noster Noachum unà cum suis ex undis aquarum Diluvii servaturus, jubet eum facere sibi תבת עצי גפר *arcam lignorum* (sive *è lignis*) *Gopher*. Difficilis & obscura vox est *Gopher*, eóque obscurior quòd nusquam alibi in S. literis quàm hoc ipso in loco reperiatur; itaque nihil ei luminis ex variorum locorum accurata inter se collatione facta afferri queat: id quod aliàs in cæteris vocabulis maximo nobis adjumento esse consuevit ad verum significatum investigandum. Doctissimus Judæorum Interpres R. David exponit GOPHER *lignum leve in superficie aquarum*. Admodum sanè generatim atque universè. Hisce enim verbis quasi è longinquo indicare voluit arboris illius speciem (quæcunque demum fuerit) ex cujus materia coagmentata & constructa fit Arca Noæ, quæ aquis Diluvii olim innatavit. Sed magna hîc discrepantia cernitur. Lxx עצי גפר transtulerunt ξύλα τετράγωνα, h. e. *ligna quadrata*, Gen. 6. 14. nescio quid spectantes, nisi positum voluerint גפר pro כפר, quod in eodem versu continuò sequitur. Est autem כופר bituminis genus quoddam, succus scilicet pinguis, glutinosus & sequax atque lentus. Cujus item naturæ est גפרית, quod Syri Luc. 17. 29. dicunt ניבריתא. Cæterùm à כופר oritur verbum, quod primùm *bitumine* vel *pice linere* significat, deinde generaliter *tectorio quovis illinere* vel *inducere*. Atque hoc idem est ἀλοιφᾶν, prout Aquila reddidit. Nameque Eustathius apud Stephanum nomen ἀλοιφὴ, unde verbum istud formatur (omissis aliis significatibus vulgò notis) interpretatur etiam τὸ ἐπὶ τοίχων κονίαμα, *tectorium quo parietes inducuntur*. Et quia illita & inducta lævigantur ac quasi complanantur, ex consequenti כפר pro *lævigare* à Lxx (ut & à V. Interprete Latino) acceptum videtur. Ligna igitur Quadrata sunt, quæ ad quadrum dolando redacta & complanata, seu lævigata politáve, aptissimè inter se committi & compingi possunt. Hinc Metaphorica *quadrandi* locutio pro *consentiendi* & *conveniendi* vulgari apud Latinos significatione. Porrò hæc literarum ג & כ permutatio in his ipsis dictionibus adeò probatur Hieronymo ut ad hunc modum loqui non dubitet, *Pro* QUADRATIS *lignis* BITUMINATIS *legimus in Hebræo*, nimirum verso ג in כ ejusdem organi elementum. Eodémque similiter Vulgata editio Latina (quamvis prior sensus versioni Lxx Interpretum, quam modò explicavi, congruens, multò receptior sit) accommodari secundo loco potest. Nam (ut antè attigimus) *ligna lævigata* rectè intelligere licet bitumine illita. Siquidem tectorio parietes *lævigari* Latinè dicimus, cùm eodem obducuntur lævésque fiunt: quod æquè cerâ, pice, reliquísque ejusmodi liquidis effici posse novimus. Scholia Græca partim ξύλα ἄσηπτα exponunt, h. e. *putredini non obnoxia*. Atque id sumpsisse videntur à Chrysostomo, apud quem Serm. 24. in Genes. Tom. 1. pag. 176. l. 24. conjunctim legitur ἐκ ξύλων τετραγώνων ἀσήπτων· nimis autem generaliter, undecunque sumptum. Partim πλάκας πυξίνας, i. *tabulas buxeas*: ineptè, ni fallor. Quamvis enim Buxus æterna sit, ut narrat Plinius lib. 16. c. 40, & 41. & propter duritiam teredines in ea non nascantur, spississima tamen est ex omni materie, ut & Ebenus, ideo etiam gravissima judicatur: Et neutra in aquis fluitat. Partim denique ξύλα κέδρινα, h. e. *ligna cedrina*: non malè: hæc enim est communis opinio Chaldæi Interpretis & veterum Rabbinorum. Firmissima namque est materies illa, quanquam non adeò apta navigiis. Nam inopiâ Abietis (quæ maximè idonea est & præcipuè semper expetita) cedro ad classes uti solebant antiqui. Præterea nomen גפר cùm diversum sit ab ארז, quod proprium est Cedri ac usitatissimum vocabulum non solùm apud Hebræos sed Chaldæos etiam (nam Paraphrastæ illud קדרום, quo גופר hîc redditur, nemo nescit Græcum esse) lignum item Cedrinum à Gopherino pariter distare consentaneum & consequens existimo. Quocirca Tremellius & Junius *Cedrelaten* amplectuntur. Hæc autem Abieti æmula est magnitudine, & opinor materiâ item cognata. Quò accommodatior jure censeatur ad nominis Hebræi significationem declarandam. Neq; tamen spernenda est interpretatio Munsteri, qui גופר *pinum* vertit. Etenim si Hyler attendas Germanicum arboris illius nomen (quod observavit Avenarius Dictionar. Ebr. rad. גפר) egregiè referre sentietur Hebraicum *Gopher*. Sin navigii usum consideres, ad quem adhibenda erat materies, certè Pineam omnes utilissimam fateantur necesse. Unde Pinus à Virgilio Eclog. 4. 38. *Nautica* nuncupatur, quasi navibus fabricandis aptissima. Et *firmissimam* esse eam *adversùs cariem tineásque* testatur Plinius. Eandem quoque firmitatem, imò majorem, attribuit *Cupressо*, quam κυπάρισσον Græci vocant. Itaque scribit, *eam non sentire vetustatem, cum primis æternam putari, rimam fissuramque non capere, teredines propter innatam amaritudinem non parere*. Eâque re monumenta quàm maximè diuturna Plato cupressinis tabulis inscribenda statuit, μνήμας κυπαρισσίνας appellans. Ac mihi quidem nescio quo modo haud mediocriter placet, *Cupressum*, non solùm ob ostensam materiæ firmitatem præstantiámque, videri arborem illam *Gopher* de qua quæritur, sed multò etiam magis propter manifestam nominis similitudinem: quâ fit ut vocem ipsam Hebræam totam à corruptione integram in se usque conservet. Etenim omissâ terminatione adventitiâ, quid aliud, cedo, est *Cupar* aut *Cuper* quàm Hebræum *Gopher*? Nam mutationem *G* in *C*, *Ph* in *P*, *O* in *V* nihil moror. Quòd si quis adhuc restat scrupulus de materiæ hujus vel magnitudine, nè satis ampla fortassis fuisse videatur ad Arcæ fabricam absolvendam, vel natura, nè satis conveniens ad navigium indè exstruendum, hunc unico, eóque perspicuo certóque, testimonio statim eximemus. *Sylvas Cupressinas*, inquit Petrus Martyr ab Angleria Legat. Babylon. l. 2. p. 388. *ità peculiares habent Cretenses ut domorum omnium trabes, contignationes tabulatáque omnia ex illis arboribus, atque etiam naves construant*. Quibus construendis eò commodior aptiórque est censenda Cupressus quòd eam *materie raram* esse moneat Plinius, & ideirco ejusmodi quæ facilè supernatet sive innatet aquis. Hoc autem perinde valet atque illud Kimchii, *lignum leve in superficie aquarum*. Nihil ergò prohibet quò minùs Cupressus sit *Gopher*, & indiscreta ferè nominis similitudo (quam diximus) propemodum urget concedere. Mihi certè maximam admirationem movet quod de reliquiis lignorum Arcæ refert Epiphanius Adversus Hæres. lib. 1. p. 23. Eas scilicet ad suam usque ætatem visendas perdurâsse, ampliùs utique bis mille & septingentos annos, neque tam prodigiosâ temporis diuturnitate etiamnum extabuisse, ἔτι ἐν Διόβρᾳ τὰ λείψανα τῆς τοῦ Νῶε λάρνακος δείκνυται ἐν τῇ τῶν Καρδυήνων χώρᾳ. Id verò in eximiam ac testatissimam Cupressinæ materiæ perpetuitatem apprimè convenit. Prætermittendum deniq; non est, hanc arborem quondam *Diti sacram* fuisse, autore Plinio lib. 16. cap. 33. *& ideo funebri signo ad domos positam*. Cujus rei causam fabulosam eámque multiplicem commemorat Hadrianus Junius Medicus, vir eruditissimus, variæque lectionis; apud quem, sicui vacat ac placet, promptum est legere Animadversorum lib. 1. c. 20.

Naturalem

Naturalem verò ſuggerit Pompeius Feſtus in hæc verba, *Cupreſſi mortuorum domibus ponebantur ideo quia, huius generis arbor non renaſcitur. Sicut ex mortuo nihil iam eſt ſperandum*, Scalig. Caſtigat. in Feſt. Hanc ipſam Servius ſuffragio ſuo comprobat. Quam tamen planè futilem & commenticiam eſſe, firmo & luculento ejuſdem quem paulò antè citavimus Martyris teſtimonio conſtat: *Mihi*, inquit, *Cretenſes affirmârunt quòd apud eos Cupreſſi inciſa renaſcantur.* Haud immeritò igitur inveteratâ Gentium ſuperſtitione feralis habita eſt Cupreſſus, non quoniam cæſa non reviresceret, (Nugæ!) ſed quia Arca Cupreſſina in immenſis illis Diluvii fluctibus luctuoſum & diuturnum fuerat veluti ſepulcrum univerſi generis humani omniúmque animalium in ſiccò degentium. Veteris quoque inſtituti erat, ἐν ξύλοις κυπαρισσίνοις ἀρκας ἀ Cupreſſo, teſte Thucydide Hiſt. l. 2. p. 55. mortuorum corpora oſſáve condere, non modò, ut Scholiaſtes annotat, διὰ τὸ ἄσηπτον *quòd non putreſcerent*, ſed etiam propter ingentem illam λάρναξα ἤτοι Cοῆν, h.e. *Arcam funebrem* ſive *ſepulcralem*, ex eadem materie fabricatam. Quippe ſicut Jonas è ventre ceti, ità Noe ex clauſtris Arcæ, ὡς παραβολῇ, uti loquitur Apoſtolus, *ſimilitudine quadam*, quaſi redivivus in terram evaſit. Hanc ego cauſam veram, aut ſaltem probabilem, exiſtimo, & ſuperſtitioſâ illâ Gentium obſervatione, unà cum ſubobſcura Diluvii memoria, poſteris per manus traditam.

CAP. 6. *Quid propriè ſignificet vox* מדרגה. *De Gradatis montibus. Déque Speluncis Judæorum & Arabum, maximè Trachonitarum & En-gedi. De Speluncis latronum.*

VOcabulum Hebræum מדרגה ab omnibus ferè interpretibus, tam Judæorum quàm noſtris, *gradus* paſſim exponitur. *Scalas* inſuper *cochleámque*, ſive *cochlidas ſcalas*, eandem vocem reddunt, Metonymicè videlicet acceptam; quia ex pluribus gradibus compingi & coagmentari ſoleant ſcalæ. Hanc autem *gradûs* ſignificationem themati דרג peculiarem & primariam eſſe ſtatuo. Nititúrque fundamento ſatis firmo & manifeſto, vulgari nimirum Chaldaici ſive Syriaci Idiomatis uſu. Ubi דרגא in Paraphraſibus utriuſque generis, tum Veteris tum Novi Teſtamenti, ἀναβαθμὶδα, βαθμὸν atque ἀναβαθμὸν, frequentiſſimè reddi deprehendas, Exod. 20. 26. 1 Tim. 3. 13. Act. 21. 40, &c. Quinetiam ex Miniſtris Hebræorum Accentibus quendam דרגא appellárunt veteres Rabbini vernaculo ſermone ſuo (qui multò maxima ex parte Syrus erat ſive Chaldæus) quòd ſpeciem imitaretur gradûs unius alteri incumbentis atque hærentis, hoc modo, Z.

Sed aliud paulò diverſiùs (ſi vim vocis accuratè expendere libet) deſignare videtur מדרגה. Quippe denominativi formam refert à דרג deducti, ut ex מ radici præfixo facilè cognoſcatur. Satìs igitur rectè & ad nomen ipſum accommodatè reddatur מדרגה *ſcalare* quiddam, h.e. locus adeò ſublimis, atque ità difficili & arduo aſcenſu, ut non niſi ſcalis applicitis vel ſcalarum adminiculo adiri aut ſuperari poſſit. Atque hâc, opinor, ratione permoti Lxx φάραγγα tranſtulerunt. Quam vocem Apolinarius Metaphraſ. Pſal. 104. 10. circuitione quadam uſus, γαίης τραχήλου ῥῆγμα exponit, i. *terra aſpera* (vel *ſaxoſa*) *locum in altitudinem bene magnam abruptum.* Suidas breviter & perſpicuè βάραθρον. *Barathrum* autem *Graci*, inquit Pompeius Feſtus, *appellant locum præcipitem, unde emergi non poſſit.* Antiquiſſimos Interpretes noviſſimi quoque imitati *præcipitium* ſimiliter verterunt Ezek. 38. 20. Vulgata editio Latina aliquantò longiùs diſtedit ab utriſque ut quæ primùm *maceriam* reddat Cant. 2. 14. deinde *ſepem* Ezek. 38. 20. non ità lato diſcrimine. Siquidem tam *macerie* quàm *ſepes* eſt ſeptum ſive ſepimentũ circumdandi & tutandi cauſâ comparatum, hoc *naturale* è *virgultis aut ſpinis*, illud *fabrile* è *lapidibus*, vel *lateribus*; Varro De re ruſt. lib. 1. c. 14. Huc ergò referri debet συστοιχισμα, interpretamentum Græcum, non (ut ego quidem arbitror) ipſorum Lxx germanum; ſed ſubditiium recentioris alicujus. Hieronymus *præmunitio* Latinè ad verbum expreſſit, h. e. propugnaculum ſive præmunitionem. Origen. hom. 4. in Cant. Eóque reſpiciens, eandem vocem Hebraicam *munitionem* aut *munimentum* alibi tranſtulit, Comm. in Ezek. c. 38. 20. Omnes autem iſtæ verſiones poſtremæ ex uno eodémque fonte manarunt, nempe per anagrammatiſmum derivatæ à גדר, quod φραγμὸς, τοῖχος, φραγμὸς à Græcis crebrò redditur; ut מדרגה ſcilicet pro מגדרה, literâ ג ad vocis initium retractâ, habeatur. Equidem (ut quod res eſt dicam) mihi ſemper viſum eſt מדרגה adjectivum ſubſtantivi loco poſitum, ſubaudito nomine גבעה, quod *collem*, *montémve* denotat, & omnino ad exemplum מדרבה Iſa. 14. 4. formatum. Quare ut vocabulo iſto Babylon à Propheta eleganter nuncupatur *Amata*, quòd auro undique corraſo congeſtóque circumflueret; ſic illo collis aliquis aut mons excelſus & præruptus מדרגה vocatur, i. *Gradatus* (ità namque verbum verbo ad unguem planiſſimè exprimitur) quia plerumque tramite anguſto & gradibus quibuſdam inciſo, quaſi cochlidibus ſcalis, conſcendi ſoleret collis vel mons ejuſmodi, permoleſto valdéque periculoſo itinere, propter præcipitem pronámque declivitatem. Undè montes nonnulli *Climaces*, h. e. *Scalæ*, quaſi proprio nomine à Græcis ſunt dicti, quòd difficilem haberent acclivitatem, & quia in eos pedetentim & gradatim aſcenderetur, Strabo Geogr. l. 14, & 16.

Porrò in Gradatis iſtis montibus collibúſq; ubi ſummâ erat devexitas, priſci mortales, præſertim in Judæa & vicina Arabia, maximè Trachonitide, effoſſa habebant & exciſa antra quàm laxiſſima capaciſſimáque, quò tanquam ad arces tutiſſimas penéque inexpugnabiles confugiebant, repentino hoſtium vel gravioris alicujus periculi metu impellente. *Arabiam & Ituræam verſùs*, inquit Strabo l. 16. *ſunt montes aſperi & altis ſpeluncis inſignes, quarum una quatuor hominum millia recipere poſſit.* Multa & mira narrat Joſephus Antiq. Jud. l. 14. c. 27. de Trachonitarum המדרגות, h. e. *Scalaribus* ſeu *gradatis* iſtiuſmodi rupibus, earúmque ampliſſimis & immanibus ſanè ſpeluncis, quibus ſe diu tutati ſunt adverſùs Herodem & lectiſſimas illius copias, acerrimè & ſummâ vi pertinaciſſimè oppugnantes. Sed operæ pretium erit ſuis illum verbis loquentem audire. Ἦν δὲ ὄρεσι τὰ σπήλαια τειλεὸς ὀξέρρωγόσι, καὶ κατὰ τὸ μεσαίτατον ὑποχάνους ἔχοντα τὰς παρόδους, ἐς πόλλας ἐξόδους ἐμπεσεχόμενα· ἐν δὲ τούτοις μὴ πάνυ τι οἰκεῖον ἐφώλευον. ὁ δὲ βασιλεὺς λάρναξι ἐν αὐτοῖς πηξάμενος, καθὴ ταύτας ζιδυμεῖς ἀλύσεσι ἐνδεδεμένας διὰ μηχανῆς ὑπὸ κορυφῆς τῆ ὄρους· μήτε κάτωθεν ἀτείναι διὰ τ ὀξύτητα τῆ ὄρους δυναμένου, μήτε ἄνωθεν καθίεσθαι ἐπ' αὐτούς. *Erant*, inquit, *hæ ſpelunca ſita in montibus abruptiſſimis: ac in media circiter altitudine anguſtos & præcipites habebant aditus, acutis undique cinctos rupibus. In harum igitur cavernas ſeſe abſtrudentes* Trachonitæ *cum domeſticis ſuis univerſis deliteſcebant. Rex autem arcas in eos comparatas* militibus replet, & *catenis ferreis de vertice montis machina ſubſidio demittit: Quandoquidem nec ex inferiore loco aſcendere poterant milites propter erectum montis faſtigium, nec è ſuperiore, nè reptando quidem, ad eos devenire.* Produnt S. literæ cùm alios nonnullos ſimili profugio & ſalutis ſuæ præſidio olim uſos, tum Davidem inprimis ſanguinarias Saulis manus per loca deſerta atque invia fugitantem. Tales fuiſſe narrantur Rupes En-gedi, præcelſæ ſcilicet atque abruptiſſimæ, ſolis ibicibus ſeu rupicapris perviæ: ubi quàm ſpatioſiſſima fuerit oportet ſpelunca illa, cujus intimus abditiſſimúſque receſſus perfacilè Davidem unà cum ſexcentis militibus inibi latitantem occultaret & contegeret, 1 Sam. 24. 3, 4. & 23. 13.

Ex pervulgato earum regionum more de ejuſmodi omnino ſpeluncis intelligenda ſunt illa Domini verba in Euangelio Mat. 21. 13. à veteribus Prophetis petita, Jer. 7. 11. *Domus mea, domus precationis vocabitur: at vos eam feciſtis ſpeluncam latronum.* Nam imaginem ſpeluncæ vaſtiſſimæ in editis rupibus exciſæ pulcrè repræſentabat magnificum Solomonis Templum in arce Sion conditum. Utrobique eminebat poſitio ſecura loci capaciſſimi, ſublimiſque

missque admodum & ingentibus saxis firmissimi. Idem nefarium institutum incolarum, qui in Deum impiè, in proximum perfidè se gerebant, turpe lucrum undecunque captantes & corradentes. Eadem confidentia perditissimorum hominum, latronum videlicet spelunca, Judæorum autem Templo, tanquam munitione prorsus inexpugnabili, audacissimè se efferentium.

CAP. 7. *De vestimento Naziræorum & Prophetarum. Coarguitur error Interpretationis Latinæ Concordantiarum Hebraicarum, quæ Basileæ est edita: In quem incidit etiam doctissimus Schindlerus.*

CConcordantiarum Hebraicarum librum verè aureum esse, & usum mirificum atque divinum præbere, nemo Theologiæ linguæque Hebraicæ tam rudis & imperitus tiro quin probè intelligat, & in quotidiana, Veteris potissimùm Instrumenti, lectione magis ac magis experiatur. Hujus libri versionem Latinam Basileæ editam, cùm non nimiùm probarem, & tamen, distractis atque divenditis jam omnibus propemodum exemplaribus, à studiosis desiderari viderem, subitò consilium cepi de novâ editione simul & versione instituenda. Atque adeò rem illico aggressi sumus, prosperéque (juvante Deo) processeramus aliquantùm, cùm aliud nobis interea propositum est opus, longè majorum vigiliarum, & diuturnioris ac durioris laboris, quódque ambitu suo potiorem quoque partem prioris incepti comprehenderet. Jure igitur intermissum est illud prius, ut posteriori liceret eò liberiùs incumbere: Intermissum, inquam, est, non omissum penitus atque desertum. Quippe stat sententia (ubi primùm potero) susceptam versionem denuo prosequi, ac demum exsequi (si volet Dominus.) Id verò dum perficiatur, liceat obiter hîc declarare, quòd R. Mardochæus, Concordantiarum Autor, in secundo significatu Radicis אדר scribit, אדרת esse מה שיוחד לגוירים לבוש, *Indumentum quoddam proprium Naziræorum.* (Ità namque verba Hebræa verissimè planissiméque sonant: uti sub finem disquisitiunculæ istius commonstrabimus.) Hoc autem proculdubio de אדרת שער, h. e. *pallio saccino*, aut *cilicino*, vel *togâ villosâ*, villissimi scilicet vestimenti genere, est intelligendum. Siquidem prima vocabuli vis est, ut indicet quicquid *eminet*, aut *egregium exsistit. Quæcunq; sunt ex hac Radice*, inquit Mercerus, *insigne quippiam denotant.* Quocirca אדרת *vestem* designat, vel *pretiosam valde*, qualis est Regum purpura: (nam, ut ait Hieronymus Com. in Jon. 3.6. *mutavit Rex Ninive* אדרתו *purpuram suam sacco,*) vel contrà, *egregiè vilem vulgarémque*, maximè cùm subnectitur שער: quemadmodum Zach. 13.4. ubi sermone, qui Kimchio erat vernaculus, exponitur *Esclavina*, h. e. *Scortea*, aut *penula scortea* sive *coriacea*; nempe quæ confecta sit è pellibus iisque propriè lanatis, aut villosis: (neque enim aliter expositio congruet Hebræo) vel metonymicè (sicut eadem vox Hispana, quæ *Schiavina* dicitur Italis, à Philippo Venutio redditur Dictionar. Ital.) *Gausapina penula*, vestitus quidam villorum & fili crassitudine insignis, Galeottis, i. miseris remigibus servísque usitatus, atque ad verbum *Servilis* nuncupatus utrobique, tum apud Hispanos, tum apud Italos. Proinde miror Kimchium statim subjicere, vestem istiusmodi villosam, אדרת dictam esse propter *magnificentiam* ac *pretium* suum. Quod priori quidem generi probè convenit, posteriori nequaquam. Nisi veste villosâ, pellitas nobilium & ditiorum vestes, h. e. quibus subsutæ sunt pretiosæ pelles, significare velit. At illa, cùm mollis sit & delicata vestiendi ratio, Prophetici muneris severitati atque austeritati vel maximè repugnat. Quinimo, contrà potiùs, infimi & vilissimi indumenti genus indicatur. Eóque spectant verba illa Concordantiarum, quibus dicitur, *proprium fuisse Naziræorum.* Neque tamen istud admodum liquet fuerítne tale vestimentum, pilosum scilicet sive cilicinum, peculiare Naziræis. Illud constat, Naziræos capillos barbámque promisisse. An igitur, ex intonsis & hirsutis crinibus colligere licet, vestem quoque villosam sive cilicinam eos gestasse? Utrumque tristitiæ convenire (quale videtur Nazirætûs votum) nôrunt omnes. Ac hujusmodi quidem *erat Prophetarum habitus* (inquit Hieronymus Comment. in Zach. c. 13. v. 4.) *ut quando populum ad pœnitentiam provocabant, induerentur cilicio. Unde & Esaiæ præcipitur, ut auferat saccum de lumbis suis, & nudus incedat: nequaquam enim tempus esse pœnitentiæ sed imminentis captivitatis. Ergò & iste pseudoprophetes nequaquam habitum accipiet prophetalem, nè sub alieno vestitu & operimento simplicem quosq; decipiat.* Neque, ut credibile est, dissimiles fuerint hac in re Prophetæ & Naziræi. Sanè de Johanne Baptista ex Evangelio certissimum habemus, eum & Nazirætum jam indè ab utero matris fuisse, & vestimento cilicino indutum, resipiscentiam Judæis prædicâsse. Luc. 1.15. Matth. 3.4. & 11.14. Item alterum exstitisse Eliam, qui olim pilosus seu hirsutus describitur, & hujusce indumenti genere, de quo agitur, nempe אדרת, amictus, 2 Reg. 1.8. 1 Reg. 19.19.

Quòd si כמיר, in Paraphrasi Syra, Matth. 6.16. commodè reddi posset *atratus*, h. e. atrâ sive pullâ veste indutus, sicut ibidem vertit doctissimus Tremellius, & ante eum Kimchius in Lexico, sanè non vultum solùm, sed vestitum etiam, tetricitate & tristi quadam severitate spectabilem, à Servatore perstringi, Paraphrastæ judicio, existimemus: eundémque non multùm fortasse dissimilem ei quem jam declaravimus, & à Pharisæis subindè gestari solitum, quoties votorum, quibus sæpiusculè nuncupandis, per speciem singularis sanctimoniæ, admodum dediti erant, religione obstricti tenerentur. Quocirca, ut prolixa & luxuriosa Scribarum vestimenta apertè alibi reprehenduntur; ità hoc loco, aspera & vilia Pharisæorum tectè notantur à Domino, Mar. 12. 38. Luc. 20, 46. & Mat. 6.16. Quadrat enim huc & institutum Pharisæorum, & nomen. Siquidem ex instituto, crebris jejuniis macerati, & summâ vitæ austeritate insignes se plebi venditabant, præcipuè verò ὅτε ἤκουον, i. cùm in theatricæ superstitionis suæ studia & exercitationes incumberent: ut qui tum, κὴ ἀνδρὰς τραγικὰς ἔχον, autore Epiphanio Adversus hæres. l. 1. p. 20. *vel spinas sibi in cubilia substernerent*; quò minùs sc. conquiescerent, quóque magis preculis suis pervigiles vacarent. Nomen porrò Pharisæi planè Nazirætum indicat. Etenim vocabulum Hebræum נזיר, *Nazir*, Gen. 49.26. ab Onkelo Chaldaicè פרישא (unde φαρισαῖος sive *Pharisæus*) & à Symmacho Græcè ἀφωρισμένος, h. e. *separatus* vel *segregatus*, nempe à reliquorum hominum colluvie, præ eximiæ & incomparabilis sanctitatis gloria: quam cupidissimè captabant superbi Hypocritæ, non tam vultûs tristitiâ, quàm victûs vestitûsque rarâ & insolitâ asperitate & squalore.

Cæterùm ad illum Prophetarum, quem diximus, habitum respexisse videtur Dominus in Euangelio Matth. 7.15. ubi prænunciat fore, ut pseudoprophetæ vestimentis ovium induti adveniant. Non quòd indumenta cilicina, vel saccina, ex ovium agnorúmve villis tenuissimis unquam contexta putentur: sed partim ut innuatur, quâ potissimùm ratione conentur pseudoprophetæ in veros prophetas sese transfigurare, nimirum cùm externi habitûs accuratâ imitatione, tum maximè mansuetudinis, innocentiæ, ac simplicitatis morum & doctrinæ speciosâ simulatione; partim ut alludatur ad primas & simplicissimas illas vestes pelliceas, quibus Adamum & uxorem ejus induit Deus, Paradiso confestim expellendos: & ad eas itidem ejusdem modi, quibus complures rudes barbaræque nationes, omnibus seculis, hodiéque etiam contectæ vagantur; præcipuè autem ad illas, quæ funestis & formidolosis persecutionum temporibus, tanquam atro quodam turbine de improviso incidentibus, & perdiu aliquando durantibus, citra artem, opere tumultuario è pellibus sunt paratæ. Nam ipsas etiam pelles ovillas & caprinas, asperas videlicet & omnino inelaboratas, sanctorum Dei servorum olim fuisse vestitum, satis certum est. Ità namque testantur Sacræ literæ Heb. 11. 37. eos ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν, *ovillis & caprinis pellibus contectos*

contectos oberraſſe in deſertis & montibus ac ſpeluncis, deſtitutos, afflictos, maliſque vexatos. Atque in eandem ferè ſententiam interpretati videntur Lxx אדרת שער *δοερὴν δασεῖαν, pellem hirſutam*, h.e. recèns detractam cum pilis aut vellere, Gen. 25. 25. Quo pacto vocem Græcam uſurpavit Diodorus Siculus Biblioth. hiſt. l. 1. pag. 14. de prima mundi ætate verba faciens; quippe ſolitos tum ait priſcos illos mortales *ταῖς δοραῖς τῶν θηρίων σκεπασμοῖς χρῆσθαι, ferarum pellibus ad corpora tegenda uti.* Similiter apud Zachariam Zac. 13. 4. vertunt *δέρριν τριχίνην, h.e. pellem cilicinam*, aut *pilis hirtam.* Eodem denique modo אדרת ſive *pallium* Eliæ paſſim μηλωτὴν transferunt. Eſt autem μηλωτὴ (ut in Gloſſario expoſitum invenimus) *pellis lanata.* Porrò iſtis cùm ſimilia eſſent veſtimenta è pilis, vel viliſſimâ velleris parte, aut *ἀπ' ἐρίας τραχείας καὶ ἀκεραμάλλου* (verba ſunt Strabonis apud Bayſium de ſagis villoſis Gallorum ſcribentis De re veſt. p. 70.) *è lana hirta & villi piloſi* vel *oblongi*, contexta, etiam ipſa Metonymicè appellata ſunt δέρρεις, h. e. ſecundùm Heſychium *παχέα ὑφάσματα craſſa texta*, ſeu *veſtimenta.* Autor autem Etymologici magni propter hanc quam diximus vicinitatem utrumq; ſignificatũ conjunxit. Δέρρις, ἱμάτιον παχὺ, ἢ δέρμα. Δέρρις, inquit, *eſt veſtis craſſa, vel pellis.* Quamobrẽ omnia hæc, ſive pellicea, ſive cilicina, ſive ſaccina, ſive craſſiora, & piloſa aut villoſa aſperáque ejuſmodi indumenta ſignificatu vocis אדרת, præſertim cui epitheto שער explicitè vel implicitè adjunctum ſit, comprehendi cernimus; & aſpero, rigido tetricóq; Naziræorum inſtituto votóq; vehementer convenire. Quò minùs placet autor verſionis Concordantiarum, à quo נזירים hoc loco redditur *Chriſtiani:* ſiquidem procul eum à vero aberraſſe liquet, vocum ſimilitudine forſan deceptũ. Nam ab Hebræis *Nazareth* נצר *Netſer* vocatur; ut & à Syris nomine indè deducto נצרת, Elias in Thisb. voce נוצרי. Hinc Judæi Chriſtianos non נזירים (quod longè aliud eſt) ſed נוצרים *Noſerim* ſemper appellare conſueverunt. Judæis congruenter ipſi quoque Syri נצריא, ſive נצרין, eoſdem vulgò vocitant. Quocirca ferme prodigio ſimile habeatur, clariſſimum & doctiſſimum Schindlerum tam alibi Lynceum, in eundem hunc lapidem, alioqui notatu vitatúque facillimum, de integro, & quidem graviter, incurriſſe. Neque enim errorem ſuſtuliſſe, ſed adjuviſſe atque auxiſſe in Lexico ſuo Pentaglotto videtur Rad. אזר. Etenim præterquam quòd ab eo quaſi recocta crambe reponitur & inculcatur *veſtis propria Chriſtianis*, tanquam ex abundanti de ſuo inſuper adjecit, *hoc eſt, Monachis & Monialibus:* Atque ità verſionem apertè inconcinnam & alienam explicatione magis inconcinnâ & alienâ cumulavit. Namque נזיר & נוצרי *Naziræus* & *Nazarenus* aliquatenus, quamvis non ſenſu, tamen ſono, conveniunt; *Monachus* autem & *Monialis* utroque ab alterutro valde diſſident. Neque eſt unde liquidò, imò nè probabiliter quidem, diſcamus, Naziræos albis veſtibus indutos olim fuiſſe, ut eos cum Monialibus velatis, Monachíſque ſaltem albatis, quadantenus veſtitu congruentes exiſtimemus. Nam quod affertur ex Jeremiæ Lam. 4. 7. perquam jejunum eſt ac frigidum; ut quod *puritatem* ſonet, non *albedinem*; item Metaphoricè prolatum ſit, non propriè; nec colorem indumenti deſignet, ſed conditionem qualitatémque vitæ. Quòd ſi colorum aliquem in veſtitu delectum habitum à Naziræis cenſebimus, utique atratos ſive pullatos potiùs quàm albatos omne Naziræatûs ſui tempus traduxiſſe conjiciamus: id enim ſuo ipſorum propoſito (quod ſæpius memoravimus) multò magis conſentaneum eſſe apparet.

Cap. 8. *De Anno Jubilæo, & varia nominis* יובל *ſive* Jubilæi *interpretatione.*

ANni Jubilæi memoriam apud Hebræos claram & illuſtrem eſſe ſempérque fuiſſe novimus: at nominis ipſius rationem non perinde claram eſſe experimur, quin potiùs obſcuram, incertam, dubiam & difficultate non mediocri impeditam ac implicatam. Interpres Chaldæus יובל, aliàs שופרא, i. *tubam*, aliàs דכרא *arietem*, aliàs יובלא *Jobelem* vel *Jubilæum*, ídque crebrò, tranſfert; Exod. 19. 19. Joſ. 6. 5. Levit. 25. 11, &c. Num. 36. 4. Hoc autem poſtremum, quandoquidem ipſum nomen Hebræum *ἀνερμήνευτον* exiſtit, magno argumento eſt, vocem illam non adeò promptam & expoſitam declarationem habere. Quod ad alterum attinet, דכרא, inquam, ex Hebræo peti non poteſt. Neque enim ad איל, quæ verà eſt & peculiaris Arietis apud Hebræos appellatio, ullo pacto reduci queat. Nititur autem nudo & ſolitario unius duntaxat Rabbini teſtimonio; qui dicat ſe, cùm in Arabiam fortè proficiſceretur, audiſſe Arietem vocari יובלא. Nos verò conſtantem deſideramus, perſpicuum & vulgarem gentis Arabicæ uſum, ut vocabulum ſincerè atque germanè Arabicum eſſe pernoſcamus. Scitum eſt enim quod affertur à Philoſopho Ethic. Nic. l. 1. & quotidiano ſermone etiam apud noſtrates celebratur proverbium, *Μία χελιδὼν ἦαρ οὐ ποιεῖ, Una hirundo ver non efficit.* Ità nec unica auditio vocem aut illam aut ullam genuinam eſſe comprobet. Interpretamentum primum tantidem æſtimandum eſt; quippe à ſecundo pendet. Quotieſcunque enim JOBEL à Paraphraſte *tuba* redditur, arietina utiq; aut è cornu arietino confecta innuitur. Quod vel hanc ſolam ob cauſam jure rejicit eruditiſſimus vir Andr. Maſius Comment. in Joſ. 6. quoniam prorſus inhabile cernitur id genus cornu ad tubam indè parandam. Nempe ſolidum eſt totum, non cavum, ut inflatum recipere poſſit.

Sed fac יבלא Arabicum eſſe ſive Arietis ſive cornûs arietini nomen, cùm tamen multò facilior aptiórque ſit ab Hebræo fonte derivatio, nihil, hîc quidem, opus fuerit auxilium ab Arabibus implorare. Alii igitur, quorum princeps apparet Johannes Avenarius, linguæ ſanctæ peritiſſimus, arbitrantur יובל eſſe *ſonum quendam cornûs profluentem, & productiorem tuba clangorem. Sonum* verò *profluentem* dicit, propter יבלי מים, h. e. *ὕδωρ διατροχάδην* ſive *παρρέον*, ut habetur in editione Græca, *aqua currentes* vel *præterfluentes*, in Latina vetere, Eſa. 30. 25. & 44. 4. Atenim *profluens* omnis tubæ ſonus dici poteſt, cùm ex ore per tubam manet. Quòd ſi continentem unius toni ſonum intelligi velit, tum addatur oportet משך, cui ſignificatûs illius vis eſt attribuenda. Cæterùm *productionem* illam ſoni quam ſuggerit thema יבל non admittit. Non enim quantitatem deſignat ſed motum ſolummodo citra ullum quantitatis augeſcentis reſpectum, ut *ducere, adducere, afferre, reducere, educere*, atque etiam *producere*, quod quidem *propalam ducere* valeat, non autem quod *extendere* ſeu *in longum latúmve ducere.* Unde æs *ductile* dicitur quod in laminas dilatatur. Quocunque oculos circumtulerit Lector locáque univerſa luſtraverit, facilè perſpiciet eam radicis iſtius naturam eſſe quam modò breviter deſcripſi. At quantò ſatius foret à *diducendi* ſignificatu nominis יובל explicationem ſumpſiſſe? Id nempe & cum thematis ſive vocis principalis notione & cum rei ipſius dilucida veritatè congruiſſet. Huc enim propriè ſpectat יבלי מים, h.e. *diductiones aquarum*, rivi videlicet in quos flumina diduci ſolent. Itaque eruditè apud Procopium in Commentariis redditur *ἀγωγοὶ ὕδατος*, h. e. (ut ab Heſychio vox Græca exponitur) *ῥύακες, rivi.* Quare יובל hoc pacto deſignabit non *productionem* ſed *diductionem* potiùs ſoni; Quòd anno ſcilicet quinquageſimo ſolenni ritu diduceretur, i. in diverſas partes & in alia atque alia loca quaſi duceretur tubæ ſonitus, donec tandem illius cantu univerſa terra Iſraelitica perſonaret. Hæc enim ad amuſſim conveniunt cum præcepti verbis quæ leguntur Levit. 25. 9. *Facietis ut tranſeat tuba in tota terra veſtra.*

Verùm enimvero quoniam promiſcua eſt & confuſa hæc nominis ratio, aſiorúmque diverſiſſimorum temporum, maximè bellicorum, communis, tunc (enim potiſſimùm permeare ſolet regionem totam tubæ ſive buccinæ clangor, ad milites undique quàm plurimos quámque citiſſimè contrahendos & colligendos Judic. 6. 34, 35. & 1 Sam. 13. 3.) mihi certè non ſatis accommoda videtur,

aliáque porrò investiganda quæ magis idonea censeatur. Unumquodq; autem accommodatissimè à suo fine usúque proprio denominatur. Hinc igitur peritissimè judicârunt Lxx annum quinquagesimum nomen mutuatum ut *Jobel* diceretur. יבל enim (veluti suprà monuimus) valet *ducere, deducere*, aut etiam *reducere*, ἀνάγειν, ut Jer. 31. 9. Quocirca יובל propriè significat ἀναγωγὴν, h. e. *reductionem*: Estque ejusdem formæ nomen, cujus sunt אורב ἐνέδρα *insidiæ* Jos. 8. 7. יותר περίσσεια *excellentia* Eccles. 7. 12. aliáque nonnulla similitudinem participii activi Cal referentia. Igitur si שנת היובל verbum verbo reddere libet, rectè interpretabimur τὸ ἔτος τῆς ἀναγωγῆς, *annum reductionis*. Reducebat namque annus iste omnes ad vetustas sedes agrósque suos, ad antiqua hereditatum jura & primas vivendi conditiones. Itaque non ineptè ex Philone περὶ τῶν δέκα λογίων, p. 524. JOBEL exponi etiam poterit ἀποκάλασις, i. *Restitutio*; quòd anno quinquagesimo res ac personæ apud Judæos universæ in loca pristina restituerentur sive reponerentur. Hoc idem ipsis Sacri contextûs verbis perspicuè demonstratur Lev. 25. 10. *Jubilæus ille erit vobis, ut revertamini quisque ad possessionem suam, & quisque ad familiam suam redeatis.* Doctissimè igitur (quod ad sensum attinet) interpretati sunt Lxx שנת היובל τὸ ἔτος τῆς ἀφέσεως, h. e. ut rectè in editione vulgata exponitur, *annus remissionis*, Num. 36. 4. neque minùs eruditè in Vetere Lexico Græcolatino *annus emancipationis*. Tunc enim remissa sunt Hebræis debita, emancipati item servi fundíque: Hi namque ad antiquos dominos denuo possidendi redibant, illi αὐτεξούσιοι, i. *pristini sui juris & potestatis*, fiebant. Hæc ergò ἄφεσις nihil aliud est quàm ἀναγωγὴ illa cujus paulò antè meminimus, quâ reduces esse dicamus personas atque res, nimirum à loco alieno in sedes proprias, à nexu extraneo ad statum integrum, à servitute ad libertatem reductas & restitutas. Atque ità *Jobel* idem re ipsâ habebitur quod דרור. Ac proinde ab utroque Interprete, tam Græco quàm Latino, eodem nomine exprimitur דרור, videlicet ἄφεσις, sive *Remissio*, Levit. 25. 10. quæ nihil aliud est quàm universalis (ut ità dicam) habitatorum, terræque pariter, libertas. Et eodem planè modo vocabulum Ἰώβηλος à Josepho Antiq. lib. 3. c. 10. declaratum legitur: Ἑλευθερίαν σημαίνει τοῦνομα, *Nomen illud*, inquit, *Libertatem significat*.

Interpretes Græci vocem יובל σημασίαν quoque nonnunquam transtulisse videntur, h. e. *tuba buccinave clangorem*: Id quod Hebraicè propriè vocatur תרועה. Cujus interpretationis hanc opinor occasionem exstitisse. Cùm doctus aliquis observasset שופר תרועה & שופר יובל, perinde quasi nihil interesset, pro eodem indiscriminatim usurpari in sanctissimis illis Veteris Testamenti tabulis Hebraicis Levit. 25. 9. & Jos. 6. 6. idémque forsan linguæ Latinæ non imperitus, cùm sciret *Jubilum* Romanis usitatum vocabulum ab Hebræo JOBEL ortum haud temere censeri posse; utriusque rei animadversione confirmatus, JOBEL σημασίαν reddidit. Cui sanè versioni vehementer patrocinatur illa quam proximè tetigimus nominis Romani notatio. Etenim *jubilare* (ut docet Varro) vox est rusticorum; qui tenacissimi plerumque solent esse verborum antiquorum. Denotat autem clamorem lætum tollere, aut sonum indistinctum & confusum edere, gaudii & exsultantis animi indicem.

Et lætis scopulis audivit jubila Cyclops,

inquit Silius Italicus lib. 14. Itaque *jubilationem* Glossarium Græcè interpretatur ἀλαλαγμὸν, quem Euthymius Exposit. in Psal. 33. 3. ἀνίκιον βοὴν exponit, *clamorem* videlicet *ob partam victoriam editum*. Ἀλαλαγμὸς verò prorsus ipsum est תרועה, idémque Symmacho σημασία. Utrumque designat non tantùm vocem quæ ore exprimitur sed etiam quæ organis, e. g. tubâ, cornu, cymbalo. Unde cymbalum sonorum & ad exsultationem sonitu suo concitandam aptum κύμβαλον ἀλαλαγμῶ à Psalte dicitur Psal. 150. 5. atque ab Apostolo κύμβαλον ἀλαλάζον illud ipsum appellatur 1 Cor. 13. 1. Quamobrem שופר היובל Latinè reddatur quidem *buccina clangoris*, sed impropriè tamen & per consequens; aptiùs autem & commodiùs *buccina Jubilæi*, aut sanè *buccina cujus usus est in Jubileo*: quod magis probo, atque ut mihi quidem profectò in Historia Josuæ 6. 4, 6. eruditè transtulisse videtur vulgatus Interpres. Veruntamen illud semper tenendum, modò nominis vim exquisitè & enucleatè explanari velimus, necesse est tum vertatur *buccina Remissionis*, aut *Restitutionis*, aut denique *Reductionis*, prout suprà minutatim, quàm potuimus diligentissimè, ex autoritate doctissimorum atque antiquissimorum Interpretum docere conati sumus.

CAP. 9. *De vocabulo* זכוכית *apud Jobum, quàm variè reddatur ab Interpretibus.* Ὕαλος *tria significat, De Succino, quid sit, & quæ nominis ratio. Et an probabiliter* זכוכית *esse censeatur. Mercatura antiquissima Tyriorũ.*

VErbum quidem זך satis notum est & usitatum; nomen autem זכוכית, indè natum, rarissimum, ut quod semel duntaxat in S. literis inveniatur, Jobi 28. 17. & obscuritate haud mediocri involutum sit. Nec aliter fieri poterat, Interpretibus inter se multùm (ut videmus) discrepantibus, & magnâ sententiarum versionúmque varietate, tanquam Euripo quodam diversâ fluctuum agitatione æstuante, huc illuc lectorem rapientibus. Ego verò, quæ sit cujusque Hebraicè scientissimi inter eos interpretatio, non gravabor more meo breviter & dilucidè indicare, exorsus (uti consentaneum est) à peculiari thematis ipsius notione. Nomen ergò זכוכית ex originis suæ vi insita καθαρὸν καὶ λαμπρὸν denotat, i. *purum ac nitidum*. Quod maximè convenit Vitro. Unde ὕαλος καθαρὸς dicitur in Apocalypsi 21. 18. per Adjunctionem aptissimam. Καθαρὸν autem quasi καθόρατον sive διόρατον, h. e. *perspicuum*, accipio. Sicuti vitreum calicem *perspicuum* dicit Martialis. Græci propriè διαφανὲς nominant, quemadmodum זך à Lxx Exod. 30. 34. vel διαυγὲς, ut ab Aquila Prov. 16. 2. vox eadem transfertur. Rectè igitur, observato etymo, interpretati sunt Lxx זכוכית ὕαλον, & ab iis edoctus Interpres Latinus *vitrum*. Neq; verò etymi solùm rationem habuerunt Græci, sed idiomate quoq; vulgari sciebant ὕαλον passim זכוכית appellari. Nihil enim aliud est זגוגיתא Chaldæi Paraphrastæ, vel per Syncopen זוגיתא Rabbinorum (sic uti scriptum reperitur apud Kimchium Rad. זכך) aut etiam Arabicum *Zugeg*, quàm Hebræum זכוכית, mutato scilicet כ in ג ejusdem organi literam. Nec quenquam movere debet quòd apud Jobum זכוכית auro æquiparari aut etiam (ut omni laude semper ornandus Pagninus colligit) æstimatione præponi videatur, cùm hodie longè longéq; plurimùm absit ut tantidem æstimetur. Verum nempe verbum est quod vulgò dici solet, *Distinguenda sunt tempora*. Permulta namq; apud nos, v. g. Cinnamomum, cæteráque ejusmodi, propemodum vilia habentur, quæ proximis etiam seculis, maximè priscis illis temporibus, quàm pretiosissima ducebantur.

Quare nihil erat quòd recentissimi Interpretes, hodiernam Vitri, vel præstantissimi, vilitatem contemplati, זכוכית *Gemmam* verterint, ut pretium amplius adderent. Neque justâ possessione suâ vocem אבן depellere licet; quæ sive per se, sive cum adjuncto, eóque aut generali יקרה, aut speciali gemmæ nominatim cujuslibet, *lapidem pretiosũ* denotat. Gemmam verò *nitidam* dici, quamvis rectum judicetur ex vocis Hebraicæ etymo, vereor nè supervacaneum putetur ex rei natura. Siquidem omnis gemma (quæ quidem propriè gemma appelletur, non autẽ Metaphoricè, ut *Magnetica gemma* apud Claudianum De Magnete, pag. 335.) *pura* sive *nitida* vocetur, h. e. puritate sive nitore quodam suo conspicua. Nitor hic totius istorum lapidum generis qualitas est naturâ communis. *Nitidissima* autem *gemma* superlativè vix (ut opinor) congruens Grammaticæ versio videbitur, nisi זכוכית pro substantivo, nusquam comparente, *nitorem* autem significante, & locum adjectivi gradûs superlativi obtinente habeatur; cùm multò magis formæ consentaneum sit ut contrà adjectivum potiùs substantivè positum existimetur.

Quid

Quid, quòd omnino ὑαλινος est vox ὕαλος, quam usurpant Lxx, ac ttia potissimùm significare deprehenditur certâ quadam naturæ similitudine inter se conjuncta? Non enim *Vitrum* modò (ut à Veteri Interprete Latino exponitur) sed *Crystallum* etiam indicat. Id quod ex Aristophanis Scholiaste in Nub. observat Stephanus. Nomine ὑάλου, i. *Vitri*, vocârunt, inquit, veteres † διαφανῆ λίθον, † ἰδιωτικῶς λεγόμενον κρύον, ὁποῖόν ἐστι ὑάλῳ, *translucidum illum lapidem qui sermone vulgari dicitur* κρύος, *similis autem est vitro*, ubi nominis ratio affertur (ut patet) utriusque convenientia. Quam Plinius hisce verbis annotat, *Maximus honos est vitro candido translucenti, quàm proximâ Crystalli similitudine.* Atque huc spectat forsan הזכוכית הלבנה apud Kimchium ex vetustis Rabbinorum scriptis citatum. Certè antiqua Bibliorum Scholia Græca hîc tam זכוכית quàm ὕαλον exposuerunt κρύσταλλον *crystallum*. Eodem etiam pacto Munsterus, aliíque Interpretes Latini, quibus annumerandus item Avenarius.

Porrò quamvis pretiosa sit Crystallus, pretio tamen quàm זכוכית multò inferiorem existimavit Aben Ezra. Non placuit igitur reddi *Crystallum*. *Adamantem* זכוכית esse voluit, *Qui maximum in rebus humanis*, inquit Plinius Nat. hist. lib. 37. cap. 4 *non solùm inter Gemmas, pretium habet.* Atqui doctissimorum judicio Adamas est יהלום, ídque optimâ ratione. Notum enim est cuivis longè potiorem esse denominationem quæ à qualitate propria petitur quàm quæ à communi generis universi; hæc enim non distinguit. Cujusmodi nomen est זכוכית, si etymi ratio ineatur, uti paulò superiùs ostendimus. Sed Adamas privatim ab ingenita peculiari quadam vi dicitur Hebr. יהלום nempe ab indomita duritia & robore invicto, quo gemmas, lapidésque omnes, & validissima quæque superat.

Verùm enimvero operæ pretium erit porrò quærere annon nomine ὕαλος Lxx *Succinum* intellexerint. Non hîc disseremus de Succini natura, Pineæne arboris resina sit (ut Plinii Nat. hist. l. 37. c. 3. atque Encelii De re Metall. lib. 3. c. 16. opinio est) an præstantissimum bitumen (quod quidem magis credo) occultis meatibus ex terra in mare profluens; quæ Georgii Agricolæ, Physici doctissimi, est sententia De nat. fossil. l. 4. Sed institutum persequemur, & de Succino agemus, quatenus vocabulo ὕαλος designatur, & ambitu notionis illius continetur. Nam & hic tertius est ejusdem significatus, sicuti tradit Gorræus, vir harum rerum peritissimus. *Est Succinum*, inquit, *fulvum & perspicuum instar vitri*; quod genus Græci nuncupant ὕαλον. Ac jure quidem nuncuparunt. Nam primum & peculiare atque vernaculum *Succini* nomen, ex rei ipsius natura ab incolis regionum, ubi oritur, olim inditum, idem ipsum ad hodiernum usque diem declarat. *Certum est*, inquit Plinius Nat. hist. l. 37. c. 3. *gigni in insulis Septentrionalis Oceani, & à Germanis appellari Glessum: Itaque & à nostris unam insularum ob id Glessariam appellatam.* Quid verò aliud valet *Glessum* quàm nostrum **Glas**, h. e. *Vitrum*, notissimum etiam nunc Anglis & Germanis nomen? Nec Plinio assentior, *quòd arboris succum fuisse prisci Latini crediderint, ob id Succinum appellatum.* Imò à זכך vel זגג credibile est denominatum fuisse *Succinum*, q. d. ὑάλινον, i. *vitreum*, vel καθαρὸν, διαφανὲς, λαμπρὸν, *purum, perspicuum, nitidum*; nomenque illud primùm accepisse à negotiatoribus Phœnicibus seu Tyriis, quibus antiquissima fuisse commercia cum gentibus Septentrionalibus, liquet ex Historia tum Sacra tum profana. *Thubal* enim, *Meschec* & *Thogarma* apud Ezekielem 27. 13, 14. ubi mercaturas olim fecerunt Tyrii, gentes erant Ponti Euxini accolæ. Imò Pontum ipsum, antea *Axinum* ab inhospitali feritate appellatum, ἐκδηλον ἐκεῖθεν ποῦ λήσεις (ut est apud Etymologici scriptorem) *ejectis indè latronibus, Euxinum*, h. e. hospitibus humaniter excipiendis promptum ac facilem, effecit Hercules, sive Tyrii Herculis numine ductúque freti. Thasum verò, civitatem & insulam in mari Ægæo longè ditissimam, Thraciæque vicinam, veterrimam fuisse Tyriorum coloniam confirmat Herodotus lib. 2. Unde identidem repetitis, more suo, navigationum cursibus, ad ulteriora Thraciæ Pontíque Euxini loca quàm longissimè processerunt iidem & mercatores impigri & nautæ omni memoriâ solertissimi. Itaque allatum à Germanis Succinum, priscis illis seculis, in Thraciam & regiones Ponto Euxino finitimas ad Tyrios pervenit: quod ab iisdem Germanis postea in Pannoniam devectum, ad Venetos perveniisse narrat Plinius lib. 37. c. 3. Quidni autem & hâc quoque viâ ad Tyrios etiam pervenerit? Nam Thuscos sive Tyrrhenos libro primo c. 11. ostendimus vetustam valdéque inclytam fuisse Tyriorum sive Phœnicum coloniam. Eos autem omnia penè loca trans Padum usque ad Alpes, adeóque ipsam Adriam (à qua mare *Adriaticum* est vocatum) antiquitus tenuisse docet Livius Dec. 1. lib. 5. Quanquam penetrato deinceps freto Gaditano, non solùm proxima Hispaniæ Galliæque litora, sed Germaniæ etiam, ad sinum usque Balticum, Tyrios probabile est perlustrasse. Cæterùm mercis istius, Succini dico, pretium vetustis illis temporibus apud Phœnices, Hebræos, Syros, cæterósque Australes populos in immensum auxit, præter insignes dotes coloris, odoris, nitoris, perspicuitatis, quòd rarissima etiam esset inventu, & è loco admodum longinquo deportaretur. Nam (ut asserunt periti) in solo Prussiæ litore, & nusquam alibi terrarum, reperitur Succinum, permagno incolarum bono. Vide Ortel. Theatr. Tab. 87.

CAP. 10. *De varia Elephanti appellatione apud Hebræos. De nomine* Behemoth *apud Jobum. Nominis Græci Latinique* Elephantis *etymon. De Bove Luca. De nomine* אלפא *Syrochaldaico* navigium *denotante. Conatus interpretandi fabellam anigmaticam de Jove in taurum sive juvencum transformato, qui Europam transvexerit.* Europæ *etymon.*

TRIA sunt omnino apud Hebræos Elephanti nomina. Quorum primum, plurale scilicet הבים, (ut opinantur Kimchius & Chaldæus Paraphrastes) in solo vocabulo שנהבים composito invenitur, & quidem in Scripturis sanctis 1 Reg. 10. 22. sed *ex qua lingua sit*, Hebraicâne, an Indicâ, an etiam Æthiopicâ, *vix liquet*, inquit doctissimus Mercerus. Alterum est פיל, ignotum veteribus Hebræis, usitatissimum non modò Rabbinis sed Chaldæis etiam, ipsísque item Arabibus. Hoc autem à radice פיל eliciendum putat non nemo. Cùm potiùs à nomine apud Græcos Latinósque tritissimo, ἐλέφας, deducendum videatur. Nam abjectâ (ut fieri solet) terminatione adventitiâ, & in ελφ vel ελεφ præposito per Metathesin φ, formatum arbitror φελ: unde deinceps פיל. Plurima namque vocabula à Græcis, nonnulla quoq; à Latinis, recentiores Hebræos, Syrósq; & Arabas jam olim mutuatos fuisse patet. Tertium est בהמות, plurale itidem, ut primum, sed purè & apertè Hebraicum; rarissimum tamen, & difficultatis non prorsus expers. Etenim R. David בהמות certam quandam bestiam esse statuit, ità nominatam. Id quod minimè obscuro Scripturæ testimonio niti videtur, Job 40. 10. Hoc idem veteri Interpreti Latino est visum: sed cùm de bestiæ specie non satis constaret, Hebræum *Behemoth* (ut in ambiguis fieri consuevit) retinuit. Posteriores, tam Judæi quàm nostri, *Elephantem* nominatim trâstulerunt, variis sive rationibus sive conjecturis adducti. Nam Dei propositum est eodèm loci duobus clarissimis & incomparabilibus exemplis immensam potentiam suâ palàm asserere. Delecta igitur sunt ad hanc rem animalia longè maxima quæ Globus hic infimus, quem incolimus, circumfluo Mari præcinctus, suppeditare posset. Atqui convenit, terrestrium quidem Elephantem, aquatilium verò Balænam, vastissimæ, citra omnem controversiam, molis esse. Plin. Nat. hist. l. 8. c. 1. & l. 9. c. 3. Quare ut *Leviathanis* nomine indicatur hæc, ità *Behemotharum* appellatione illum pariter significari consentaneum est. Porrò *Behemoth* formâ plurali nuncupatur Elephantus, more Hebræorum, qui pluralibus nonnunquam pro superlativis per excellentiam uti solent. Sic sapientia summa Prov. 9. 1. dicitur ab eis *sapientiæ*.

Itidem Elephas *Behemoth*, i. *Beſtiæ*, pluraliter appellatur, quia propter longè ampliſſimam veréque ſuſpiciendam corporis magnitudinem quaſi multarum ſit inſtar, h. e. maxima ſeu vaſtiſſima beſtia, à Julio Scaligero lepidè *beſtiarum Heros* cognominata, Exercit.adverſ.Card.204. Eodèm ſpectat etiam nomen generis Synecdochicæs pro ſpecie acceptum: quod aliis item linguis, Græcæ nimirum & Latinæ, inſuetum non eſt. Nam & Græci κατ' ἐξοχὴν Elephantos vocant θηρία, i. *feras*, ut Suidas annotat, θηρία, ὅτι ἐλέφαντες. Plutarchus quoque in Eumene τῶν θηρίων τὸς πύργους memorat, *turritos Elephantos* ſignificans. Et Latini eoſdem *belluas* appellant. *Circa dentes belluis ſumma cura*, inquit Plinius Nat.hiſt.l.8.c.3. h.e. Elephantis. *Eóne es ferox*, ait Thraſo apud Terentium, Eunuch.act.3.ſcen.1. *quia habes imperium in belluas?* i. Elephantos.

Cæterùm de nomine *Elephantis* Græco Latinóque mihi perſuaſum eſt, ab Orientalibus gentibus illud, unà cum belluis ipſis, ad Græcos primùm, deinde ad Romanos olim profectum. Eſt enim Hebræis Syríſque commune thema אלף, utriſque in Cal *diſcere*, in Piel aut Pael *docere* ſignificans. Hinc אלוף, i. *Princeps* aut *Dux*, dictus, quòd *doceat*, h.e. edicat, præcipiat, præſcribat quæ cuiq; ſint facienda. Indéque אלף *Bos*, quòd omnia apud eos animalia magnitudine corporis antecedat. Atque hæ ſignificationes (prima præſertim ultimáque) ad rem præſentem valde ſunt accommodatæ. Nam de Elephantis ſummâ docilitate planè mirabilia ſunt quæ narrat Plinius Nat.hiſt. lib.8.c.1. *Maximum*, inquit, *terreſtrium animalium eſt Elephas, proximúmq; humanis ſenſibus. Quippe intellectus illis ſermonis patrii, & imperiorum obedientia, officiorúmq; quæ didicere memoria, amoris & gloriæ voluptas:* & c.3. *Certũ eſt unum tardioris ingenii in accipiendis quæ tradebantur, ſæpius caſtigatum verberibus, eadem illa meditantem noctu repertum. Mutianus ter Conſul autor eſt, aliquem ex his & literarum ductus Græcarum didiciſſe, ſolitúmq; perſcribere ejus linguæ verbis*, IPSE EGO HÆC SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Exſtant etiam apud Arrianum lib. rerum Indicar.de innata quadam intelligentia (τὸ συμβοσφον vocat, h.e. interprete Heſychio, τὸ ἐν φύσεως εὐμαθὲς καὶ εὐφυὲς καὶ ὀξυμαθὲς, vel τὸ ἐν φύσεως σοφὸν) Elephantorum incredibilia nonnulla. Ipſe item refert ſe ſpectâſſe Elephantem cymbalum pulſantem, ſaltantibus aliis; & tam pulſationem quàm ſaltationem eorum ἐν ῥυθμῷ, h.e. numeroſam ſive modulatam & ad legum Muſicarum normam rationémque congruentem fuiſſe. Adeò ut non immeritò ſola hæc ex omnibus beſtiis אליפא, ELEPHANTIS, h.e. *Diſcentis* vel *Docilis*, nomen invenerit.

Dictam verò Belluam illam אלפא, h. e. *Bovem*, non magis incredibile eſt ab Orientalibus quàm ab Occidentalibus. Conſtat enim à veteribus Romanis Elephantos *Boves Lucas* fuiſſe appellatos, Plin.l.8.c.6. ac *Lucas* quidem quaſi *Lucanos* dictos, quòd *in Lucania Pyrrhi bello primùm apud hoſtes viſi fuiſſent: Boves* autem *ab eo quòd maximam quadrupedem* quæ in regione illa haberetur *Bovem* indigenæ *vocarent*. Varr.De ling Lat.li.6.p.72. Neque in Lucania ſolùm atque Italia univerſa, ſed in Græcia etiam vicina, atque adeò in cunctis regionibus iſtis, tam ad Orientem Solem quàm ad Occidentem, citra Zonam torridam (quæ Elephantorum ferè eſt natalis locus) ſitis, nobilitata ſemper eſt Bovis, præter cæteras animantes terreſtres, egregia corporis amplitudo. Unde *Græci adſueti*, ut ait Feſtus voce BULIMA, *magnis & amplis rebus*, in nominum compoſitione, *præponere* BU, *à magnitudine ſcilicet Bovis*, βούλιμον *magnam famem dicunt*, & βούπαιδα *grandem puerum*, aliáque ejuſmodi. Ad hunc modum Orientales, Hebræos dico, Syros, Phœnices, cùm Elephantem primùm conſpicerent (quod eis aliquot antè ſeculis contigit quàm Occidentalibus) cerneréntque apud ſe eidem ingenti corporis mole proximum eſſe Bovem, quanquam longo intervallo, tamen proximum, hujus nomen (cùm aliud nullum ipſis ſuppeteret aptius) illi indiderunt, & extraneam illam belluam Bovinâ, h. e. ampliſſimâ, magnitudine inſignem אלף vel אלפא, i. *Bovem*, pariter appellârunt, noménque iſtud ſuccedentibus ætatibus ad Occidentales paulatim tranſmiſerunt. Addo inſuper ex Sacro textu, aliquam hujuſce nominis rationem à paſtûs ſimilitudine fortè petitam videri; nam *fœnum ut Bos comedit* Job.40.10. Sed longè primaria eſt altera, ac planè unica (quam explicavimus) ratio, à corporis magnitudine ſumpta.

His adjungere non ineptè poſſumus ἐλέφαντα τὸν λεγόμενον Βουσαρὴ, *Elephantem eum quem Boſare vocant, & in Deſarena India regione gigni* tradit Arrianus Periplo Maris Rubri. *Boſare*, inquit in Schol.p.94. vir variâ eruditione ornatus Guil. Stuckius, *videtur dici quaſi* Βῦς Ἄρεως, *Bos Martius*. Neque ſanè ineleganter ità dici videtur propter latos & ingentes humeros, eóſque turrigeros. Nam Elephantes *domiti militant*, ut eſt apud Plinium l.8.c.9. *& turres armatorum in hoſtes ferunt, magnâq; ex parte Orientis bella conficiunt. Proſternunt acies, proterunt armatos.* Ego verò ſubdubito vocem Βουσαρὴ mendoſam eſſe, & originationem iſtam Stuckii parùm analogam minúſq; conſentaneam exſiſtere; quippe nomen peregrinum ac barbarum exiſtimo, non Græcum; neque enim tum dicendum foret in accuſativo τὸν λεγόμενον Βουσαρὴ, ſed Βουῦ, aut Doricè Βῶν Ἄρεως, ſiquidem litera σ in medio planè intolerabilis videtur. Cúmque Elephantus ſit animal πολεμικὸν, quomodo Βῦς Ἄρεως, *Bos Martius*, appellatio nempe ſynonyma, eadémque communis, ſpeciem certam conſtituat? Nam præcipuum & ſingulare quoddam Elephantorum genus ibi ab Arriano deſignari, negare non licet. Proinde quid ſi Δουσαρὴ, aut Δουσαρὼ, vel Δουσάρω legendum conjiciamus, & nomen ab Arabicis negotiatoribus impoſitum putemus? Certè terra ipſa, Elephantorum id genus procreatrix & altrix, quæ ἡ Δουσαρὼν χώρα *regio Deſarena* dicitur Arriano, ſummâ nominis ſui ſimilitudine id vel maximè comprobat. Nam vox Δουσαρήνη prorſus eadem habenda eſt ac Δουσαρήνη, aut Δουσαρήνη, aut etiam Δωσαρήνη. Hæc enim omnia perfacilè & creberrimè invicem corrumpi & permutari, notum eſt atque compertum eis qui Græcis exemplaribus evolvendis ſaltem mediocriter ſunt aſſueti. Eóque magìs arridet vox iſta quòd Nabatæos ſive Arabas Bacchum Δυσάρην vocitaſſe Heſychius ex Iſidoro ſuggerit. Bacchum autem καλαγαγὼν πρῶτον ἀφ' ἁπάντων θριαμβον ἐπ' ἐλέφαντος Ἰνδικῷ, *primum ex omnibus Elephanto Indico vectum triumphaſſe*, narrat Diodorus Bibliot.hiſt.l.4.pag.147. & Plinius l.8.c.2. Quare ut prioris ſignificatûs ratione Δωσαρὴ indicabit pulcerrimum ac præſtantiſſimum Elephantem, qualem producere ſolet Doſarena Indiæ regio: ità poſterioris, idem ferè denotabitur, videlicet Elephas præter cæteros inſignis & præcipuus, quali olim inſedit Bacchus cùm de India victa triumphum ageret. Huc denique accommodari queat quod prodidit Stephanus, Δουσαρὴν dici σκόπελον καὶ κορυφὴν ὑψηλοτάτην Ἀραβίας, *rupem & regionem Arabiæ in verticem celſiſſimum faſtigiatam*. Sed πόλει voce Δουσαρῆ. Itidem eruditiſſimus & πολύγλωσσος Schindlerus, *Montem* ſive *terram montoſam* ab Arabibus vocari דשאר *Daſchir* in Lexico ſuo docet. Indéque forſan non ſolùm regio illa Indica propter ſitûs ſimilitudinem, ſed Bacchus etiam ipſe ſibi nomen Arabicum (de quo paulò antè meminimus) aſciviſſe autumetur, quoniam, ſecundùm illud Virgilii Georg.l.2.113.

Bacchus amat colles.——

Eodem igitur ſenſu hujus generis Elephantem Arabicos mercatores Δωσαρὴ cognominâſſe credibile eſt, quo ingentem illam machinam, δούειον ἵππον ſcilicet ab Epeo fabricatum,

Inſtar montis equum——

Poeta appellat Æneid.l.2.15. Et Dionyſius ὁ περιηγητὴς Verſ.598. cete immania

Οὔρεσιν ἠλιβάτοισιν ἐοικότα, ——

montibus altis ſimilia, nuncupat. *Elephantes fert Africa & Æthiopia*, inquit Plinius l.8.c.11. *ſed maximos India.* Indicis autem reliquis Elephantem Δωσαρὴν, ut qui montis inſtar eſſet, vaſtiſſimâ corporis mole præſtitiſſe teſtari videtur Arrianus. Nè multa; Liberrima per me Lectoris optio ſit, utrùm probare malit Βουσαρὴ an Δουσαρῆ.

Illud

Illud tamen instituto meo, hoc vero propius opinor. Utrũque autem egregiam atque eminentem supra reliquas animantes terrestres Elephantini corporis staturam & amplitudinem commendat & illustrat.

Eadémque illa eximia magnitudo maximam (nisi fallor) causam præbuit significatûs alius, quo אלפא pro *navigio* à Chaldæis Syríve usurpatur. (Nomen autem magis proprium opinor ספינה, Hebræis, Syris & Arabibus commune: Unde & Italorum *Sapinus*, *pinum* vel *abietem* denotans, quòd hæ navib⁹ fabricandis materiem aptissimam suppeditarent) Notabilis quippe apparet utrobiq; moles, tum Navigii, tum Bovis. Eodèm accedit vecturæ item commoditas, quam naves remis ventóque impulsæ non minorem exhibent quàm boves plaustra trahentes. Bovem verò resupinatum navis effigiem quandam & simulacrum autumare, nimis fortasse curiosum existimetur. Illud certissimum, nomen אלפא Bovis simul Navísque notionem complecti. Hinc autem initio capto (ut Lectorem Antiquitatis studiosum id strictim moneamus) indagare forsan liceat, quid penitus abditum lateat in recessu tenebroso fabulæ, alioqui perabsurdæ & flagitiosissimæ, quâ Jovem fingunt figurâ Bovis aut Juvenci aut Tauri (omnia quippe hæc ad idem recidunt) indutum à litore Tyrio abreptam asportâsse in Cretam Agenoris Phœnicum Regis filiam pulcerrimam, Europen, à qua nomen traxerit EUROPA, tertia Orbis terrarum pars, quam nos incolimus. Etenim hâc fabellâ tanquam ænigmate quodam commendare voluisse videntur Tyrii sive Sidonii posteritatis memoriæ navigationis suæ antiquissimæ in Occidentales hasce Orbis partes primordia. Ænigmatis autem nodus (ut ità dicam) nectitur ambiguo vocis אלפא, rursúsque facilè & perspicuè solvitur distincto ejusdem significatu. Interea meminisse oportet, quod etiam libris superioribus attigimus, peculiare Tyriorum Numen Herculem (ut nos quidem auguramur) à Sacris scriptoribus *Baalem*, à Phœnicibus בעל שמין Βεελσάμω nuncupari: Atque idem Solem esse, sicut ex vetustissimo autore Sanchouniathone, qui Phœnicum Historiam condidit, demonstrat Eusebius De Præpar. Eu. l. 1. p. 22. Τὸν (Ἥλιον) Θεὸν νόμιζον μόνον ὑφανῆ κύριον, Βεελσάμω καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι Κύριος οὐρανῦ, Ζεὺς ὁ παρ' Ἕλλησι, *Hunc (Solem) Deum existimabant, qui solus summam cœli potestatem haberet*, BEELSAMEN *appellantes*, *quod est apud Phœnices* DOMINUS COELI, *apud Græcos autem* JUPPITER. Quocirca Jovẽ in אלפא, h.e. *Bovem*, mutatum, ità demum transportâsse Europam in Occiduos istos tractus, reipsa nihil aliud significare voluisse videntur Tyrii (fabularum plurimarum apud Græcos architecti) quàm Solis ductu atque beneficio חורי אפא, i. *albos* sive *candidos faciebus*, nimirum Tyrios ipsos, אלפא, h.e. non jam *Bovis* sed *Navis* subsidio atq; ministerio in Occidentales istas regiones primùm classe trajecisse: quia in navigationibus suis terras úmq; lustrationibus ubiq; animadverterent Continentis hujus in Occasum vergentis incolas nivali propemodum faciei candore spectabiles: quasi verò universa Septentrionalium nostrorum pulcritudo non aliunde initio quàm à Tyriis proficisci potuerit. Festus paulò aliter & sanè perquam concinnè rem totam in hæc verba explicat, *Quidam*, inquit, *ob pulcritudinem regionis* (Europæ) *per simulationem raptæ filiæ, occupatam eam terram ab Agenore & Phœnicibus ferunt*. Immensæ igitur avaritiæ & inexplebili Regna & bona aliena invadendi cupiditati speciosam causam prætexuerunt Tyrii; ut qui dictitârint se Europen (חורא אפא) regiam scilicet virginem, eximio faciei candore præstantem, quæsitum appulisse: Itidem ut hodie turpissimum eundem animi morbum religioso Crucis promovendæ zelo velare solent nonnulli atque celare. Horum alterutrum, vel ex ipso eventu & nominum significationibus valde opportunis, fabulæ istius simplicem sensum conjecto. Sicui minùs arridet, ipse commodiorem proferat.

Verùm Εὐρώπη dicitur Græcis, teste Eustathio, quasi εὐρυώπη. At hoc, si accuratè reddatur, propriè est *latos habens oculos*, i. latè prospectantes: Quod alienum est; ut alia obliviscar; maximè, quàm sit absonum, nominis Syriaci sive Phœnicii etymon à Græcis quærere. Lactantius De falsâ Relig. l. 1. p. 27. Jovem interpretatur in Taurum aut Bovem transformatum, *Navis tutelam*, i. tutelarem Deum, in Tauro vel Bove fuisse figuratum. At hoc foret non Phœnicium statuere navigium illud, sed Ægyptium, propter Apin & Mneuin sacros illos Boves, Strab. Geog. l. 17. p. 536. quod minimè profectò quadrat. Ægyptios enim nunquam maritimarũ Expeditionũ & lustrationũ nomine celebratos, aut ullâ rerum earum scientiâ claros habitos fuisse legimus. Quòd denique negat Herodotus Melpomenè, Europam Tyriam transvectam in hanc commeâsse terram quæ nunc à Græcis vocatur *Europa*, sed è Phœnicia tantùm in Cretam, & è Creta in Africam; non magnopere attenderat profectionum maritimarum institutum olim à Phœnicibus rationem, & quàm diutissimè constanter observatam, ut à latere Meridiano, nempe à Creta, vicinóque Africæ litore, maximè verò Carthagine, item à Sicilia, nominatim Syracusis (quam *Tyrum occultam* vel *absconditam*, צור כסיא, exponere licet) exorsi, totam sursum versùs, dexterâ lævâque, oram maritimam Europæ; hoc est, non solùm Peloponnesi, Græciæ, Thraciæ, sed Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, tandémque (ut capite proximo suggessimus) Germaniæ etiam litora sint perscrutati.

CAP. II. *Tyri nomen* Sarra, *vel* Sora, *vel* Sor, *veteribus Græcis non fuisse prorsus incognitum. Tsadi à Syris non passim nec semper in Teth mutari.* Tyranni *nomen antiquum esse, præsertim in bonam partem acceptum; in malam verò, recentius.*

OBservavimus in superioribus [lib. 1. cap. 11.] ex Gellio, Tyrum à veteribus *Sarram* appellatam, & ex Stephano, *Soram*. Ad hæc, à *Tyro*, sive *Sarra*, sive *Sora*, *Syriam* denominatam conjectavimus. Conjecturam hanc nostram (nostram enim jure vendicemus, quam domi apud nos primos natam esse novimus) approbavit vir quidam ex nostratibus apprimè eruditus. Contrà illustris vir Josephus Scaliger nomen *Sarra* incognitum fuisse Græcis asseverat. *Nam, ut Syri, ipsi*, inquit, *vocabant Tyron. Syri enim pro* SOR, TUR *dixerunt: primùm quia Sade & Sin literas mutant in Tau; deinde quia ipsi non utuntur* O, *sed pro ea* U *solent usurpare*, Castigat. in Fest. voce SARRA. Postremum hoc de vocalibus O & U non gravatè concedimus. Reliqua verò omnia (dabit autem nobis, quemadmodum speramus, hanc veniam, ut ab eo liberiùs aliquando dissentire fas sit, præsertim ubi est opus) veritati parùm consentanea esse ftimus ipsi, & qui linguæ Syræ operam ullam dederunt nescire non possunt. Ut autem ab eo quod proximum est ordiamur, Schin quidem (non Sin) in Tau aliquoties, Tsadi autem nunquam mutatum invenimus. Vertitur certè in Teth, parciùs tamen, inque aliquibus vocibus (quas usus docebit) non profusè, nec in omnibus. Cæterùm Tsadi in nomine quidem appellativo צור, apud Hebræos significante *rupem*, migrat in Teth: hinc factum טור, quod Syris est *mons* in genere. At in nomine proprio צור (nam aliam hîc esse propriorum nominum rationem, aliam appellativorum, jam antea l. 1. c. 10. meminimus) eandem ipsam apud Syros literam omninò immutabilem esse, sempérque fuisse, asserimus. Cui rei amplissimo testimonio est, undecies, minimùm, iterata vox צור, *Tyrum* urbem denotans, in vetusta Novi T. Paraphrasi Syra, ab ultima penè antiquitate ad hodiernum usque diem Ecclesiis Syriacis universis notissimâ & familiarissimâ. Quid, צירן *Tsaidan* civitas admodum Tyro propinqua, & vetustissima totius Phœnices Metropolis, quam nos *Sidonem* dicimus, éstne consimili literæ צ (quam eandem præpositam gerit) mutatione à Syris variata? Unquámne vel fando auditũ est טירן *Taidan* pro צירן *Tsaidan* ab illis efferri? Quòd si טירן ab omni sermonis Syriaci usu valde abhorret, nónne pari ratione טור *Tur* etiam, *Tyrum* Syriacè indicans, abhorreat necesse est?

Præterea si nomen *Sarra* inusitatum Græcis affirmâsset, tolerabile utiq; fuisset: ut verò incognitum illis dicatur,

ferri certè non debet. Nam si *Sarra* Græcis penitus incognitum mansisset, quî fieri potuit ut indè formata sint ab eis, *Syria*, *Syrius*, & per syncopen *Syrus*? Quod tamen libenter admittunt eruditi, etiam qui Scaligeri sententiæ favent. Quid porrò respondebit ad vocabulum Σώρα urbis Phœniciæ apud Stephanum? Quid ad id quod clarissimis & certissimis verbis designatum reperitur apud Hesychium, Σόορ, τύρ@. Nónne hoc æquè expressum est & illustre, ac illud apud Festum, *Sarra Tyros*? Σόορ autem pro Σῶρ, vel potiùs Σὼρ à Librario minùs emendatè scriptum arbitramur.

Quod deinde attinet ad nominis *Tyranni* vetustatem; quam ibidem Miscel. l. 1. c. 11. significavimus maximam nobis videri, pro leviculo ducendum est, quod ex Sophoclis Scholiaste à quodam (Sanf. De descen. Christi ad Inf. Oedip. Tyran. proem. de Inscript.) opponitur, *serò admodum hoc nomen, Archilochi nempe ætate, ut Hippias Sophista tradit, inter Græcos divulgatum. Neque enim Homerum, neque Hesiodum, neque alium quenquam antiquorum, Tyrannum in poematis nominare. Quare hinc* (inquit) *manifestum est recentius esse Tyranni nomen.* Scilicet in malam partem acceptum (quod haud inviti dabimus) non in bonam. Item apud elegantiores & disertiores Græcos, non apud vulgum. Nam vulgò quidem, in sermone quotidiano, à primo ferme Cadmi & Phœnicum in Græciam adventu non negatur usitatum fuisse *Tyranni* nomen. A Poetis autem utpote politissimis scriptoribus, maximè in poemata sua, non statim admissum est barbarum vocabulum: nec nisi postquam peregrinitate suâ, veluti rubigine quadam detersâ, diuturno usu splendescere tandem cœpisset. Atque ità demum, unà cum vetustiore Βασιλὺς, quasi μασιλὺς, ab Hebræo מֶשֶׁל formato, frequenter postmodum ab eruditis adhibitum est. Sed peculiari tamen ratione; quâ facilè priscæ originis esse appareat. Observat enim idem Scholiastes, τὺς μὲν Ὅμηρον ποιητὰς, τὺς δὲ μετὰ Τρωϊκῶν βασιλῆς, τυράννους μετωνομάζειν, *Poetas, qui post Homerum floruerunt, Reges Troicis temporibus superiores, tyrannos appellare consuevisse.* Nimirum quòd priscis illis Regibus, nomen, ut ità dicam, coætaneum & eisdem seculis natum, usúque vulgari tritum, aptissimum judicarent. Idque in malam partem, ut simile veri est, accipi noluerunt, cùm antiquissimis illis Regibus privatim addi vellent, qui à decantato Poetis seculo Aureo, aut saltem Argenteo, non ità multùm abessent. Quòd si quis Homeri silentium, ut qui nominis Tyranni nusquam meminerit, porrò urgere pergat, idem diligenter expendat velim, quæ scribit Strabo Geog. l. 16. p. 504. *Post Sidonem maxima & antiquissima Phœnicum urbs est Tyrus, cum Sidone & magnitudine & formâ & antiquitate comparanda, multis fabulis celebrata. Poetæ tamen magis Sidonem celebrant: atque adeò Homerus Tyri non meminit.* Quare si nulla Tyri ab Homero in tota Poësi sua facta est mentio, mirum certè videri non debet, *Tyranni* quoque nomen indè derivatum, nullibi apud eum comparere. Illud verò permirum cuivis videri queat, Tyrum ætate Homeri multísque ante eum seculis unam omnium ferè Orientis clarissimam, illustrissimam, nobilissimámque urbem silentio transmitti: æmulam autem vicinámque Sidonem, sæpiùs, & quidem honorificè commemorari. Id quidem vix aliunde proficisci potuit quàm ab atroci quodam in Tyrum Tyriósque odio. Itaque *Tyranni* nomen, videlicet in malam partem nondum usurpatum, pariter omittere voluit & penitus tacitum relinquere. Cujus autoritatem deinceps secuti, & exemplum imitati sunt posteri.

CAP. 12. *Ad* Labari *Etymon investigandum conatus postremus. De Trophæo sive ferculo. Nomen Crux unde ortum sit. De Crucis nomine Syriaco* וקיפא. *Patibulum, alterum Crucis nomen Latinum, unde deductum sit, & quid propriè sonet.*

QUanquam antehac de Labari Etymo multa diximus, satìs tamen multa vix dum dixisse videmur. Etenim nè opinioni quidem nostræ, nedum Lectoris exspectationi, reive ipsius indubitatæ veritati fecimus satis. Quoniam autem, ut aiunt, δεύτεραι φρονήσεις ζωηρότεραι, *posteriores cogitationes commodiores* plerumque solent esse ac *peritiores*, agedum, si placet, rem denuo aggrediamur, non tam perficiendi spe (quis enim id sibi polliceatur, in tanta támque densa & cœca antiquitatis caligine & ignoratione) quàm experiendi voluntate. Ut rem acu tangere non detur, propiùs certè quidem à vero nos jam abfore, minúsque aberraturos esse confidimus.

Docuimus suprà Miscel. l. 2. c. 1. ex eruditissima quadam Tertulliani emendatione, à clarissimo viro Josepho Scaligero annotatâ, cui adjecimus observatiunculam duplicem è Plutarchi vitis petitam, Labarum, h. e. signum militare, omnium apud Romanos nobilissimum, fuisse velum purpureum, sive coccinum, vel puniceum, in speciem paludamenti Imperatorii conformatum; quod ex conto transversum, in morem antennæ, lignum habente, penderet. Labarum igitur duabus ex rebus constabat, principali, scilicet veste illa; & minùs principali, videlicet ligno. Vestem antiquitus χιτῶνα, *tunicam*, simpliciter fuisse ostendit Plutarchus, eámque promiscuè ità vocat, non distinctè & explicatè indicans hostísne, an civis, illa tunica fuerit. Liceat igitur probabiliter conjicere, ipso planè initio, exuvias, sive spolia hosti cæso detracta, fuisse indumentum illud: Spoliáque id genus propriè *Opima* Latini appellant: Nempe *quæ*, ficut est apud Festum, *dux populi Romani duci hostium detraxit*: vel, ut expressiùs loquitur Plutarchus in vita Romuli, quæ detraxit δυὰ ἡγεμὼν ἐκ πολέμου τροπαῖον ἡγεμόνι ἀνελὼν *dux duci cæso, re præclarè suâ à manu gestâ*. Hinc indumentum ità detractum Labarum, quasi λάφυγον, dictum opinor, mutatâ φ in *b*, quod usitatissimum est: & υ in *a*, quod nihilo ferè minùs usitatum cernitur, ut in Calix à κύλιξ, item in Canis à κυὼν, cæteríque ejusmodi. Minimè verò mirandum, Græcum hoc nomen apud Romanos inveteraſſe, cùm ritus ipse, atq; adeò alii complures ritus moréſque, tam belli, quàm pacis, à Græcis finitimis orti, ad Romanos facilè permanarint. Id quod declarat pars altera labari, nempe lignum. Istud enim, nomine quidem suo proprióque Romani sive Latini *Ferculum* appellant Liv. Dec. 1. l. 1. à ferendo suspensa inibi ducis hostium cœsi spolia: exotico autem & extraneo, valde tamen familiari & pervulgato, *Trophæum*, aut potiùs *Tropæum* (ut in Glossario emendatè scribitur) Græcè τρόπαιον nuncupatum, ὑπὸ τῆ πολεμίων τροπῆς, quòd hostium in fugam versorum monumentum statueretur. Quoniam autem in *Tropæo* sive *ferculo* spolia suspendi moris erat, fabricari in modum Crucis oportuit, asserculis transversis hinc indè exstantibus. Imò ἀρχαϊκῶς, *more antiquo*, nihil aliud erat *Tropæum* quàm stipes quernus (ità namque Plutarchus de Romulo narrat *ferculum* sive *tropæum* paraturo, δρυὸς ἴταμὸν ὑφηρεγόδη, καὶ διεμόχλευεν ὅπως τρόπαιον) abscissis penitus ramis infirmioribus, & firmis modicè detruncatis: ob eámque rem, ut auguror, *trunca trophæa* vocat Juvenalis Satyr. 10. Hujusmodi Romanorum vallum militarem sive castrensem fuisse arbitror: quem χάρακα Græci dicunt, eúmque suis κεραίαις, h. e. *apicibus* vel *ramis*, cornuum instar utrinque eminentibus instructum, & in summo aggere defixum ad ejusdem munitionem adhibebant. Est autem χάραξ idem quod σανὶς, quanquam derivatione discrepant. Ille enim à χαράσσω, ἤτοι ὀξύω, dictus est, quòd exacutus in terrâ depangeretur: hic ab ἵσαμι, quòd erectus in auras statueretur. Vide Hesyc. voce σανίδι. Horum alteri congruit Latinum, *Crux*: alteri Syriacum וקיפא. Namq; vocabulum *Crux* deduci volunt quidam à κρύω, quod est *ferire, pulsare*: Malim à κρύω, h. e. ἐγκρύω, unde ἐγκρύσης παξάλῳ ὃς ἦ τοῖχον Judic. 16. 13. vel à προσκρύω, quod est προσηλῶ, interp. Hesyc. quia cruci fontes clavis affigerentur. Sed repudianda est proculdubio hæc deductio cùm aliis de causis, tũ maximè propter syllabã *cru* in verbo Latino ubiq; brevẽ, at in Græco κρύω longã. Itẽ quia in obliquis vocabuli *crux* apparet *c* litera, quæ, si à κρύω nasceretur, foret *s*. Verùm si à χάραξ formetur *Crux* extrito per syncopẽ priore *a*, & posteriore in *u* converso, itémq; χ in *c* (quorũ unũquodq; fæpissimè fieri solet) omnia ad unguẽ quadrabũt, & inter se suavissimè

simè concinent. Quinetiam *crux* perinde atque κέρας suas habet κεραίας, sua κέρατα, ligni sc. erecti & transversi extremitates prominentes. Denique ad rem valdè pertinet quod in Lexico veteri Græcolatino legimus: κατάρνω, *Induco, Cancello. Inducimus* enim vel *cancellamus* calami ductu ad similitudinem crucis conformato. Itaque *inducere* sive *cancellare* scriptum aliquod, sermone vernaculo planè dicimus, **to cross a writing.**

Porrò liquet Syrum וקיפא, ab Hebræo זקף derivari: quod verè propriéque valet ἀνορθῶν, ut optimè à Lxx exprimitur, Psal. 145. 14. h.e. *erigere*, vel *surrigere*, aut *celsum & erectum statuere*. Quocirca ad verbum aptè reddi poterit *Arrectarium*, vel *lignum tignúmve in sublime erectum*, aut *sublatum*. Huc igitur, nempe ad hanc sermonis vernaculi notissimam vocem, appositissimè accommodâsse videtur Dominus noster Jesus verba sua prophetica, Joh. 3. 14. *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto, ità exaltari oportet filium hominis*. Ac rursus, Joh. 12. 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me ipsum*. Significanter dixit, *Si exaltatus fuero*, nimirum quia affigendus esset ipsi וקיפא, vel τῷ σανίδι, *Tigno* vel *palo* illi *in sublime erecto*. Unde congruentissimè mox subjungit Apostolus, hoc ipso vocabulo Christum satis perspicuè demonstrâsse, quo mortis genere futurum esset ut moreretur. Verè enim σανροῦσθαι, aut *crucifigi*, Syriacè למורקפו (quo mortis genus planissimè designatur) idem est atque ὑψοῦσθαι, i. *exaltari* vel *in altum tolli*: Quæ primigenia est, ut antè monuimus, verbi זקף notio. Eodémque spectat vocabulum Hebraicum תרומה in lege Mosaica creberrimum, profectum à themate רום. Quod idem Thema Kimchius adhibet in expositione Radicis זקף: itémque Paraphrastes Syrus in Græco ὑψωθῶναι apud Euangelistam interpretando. Etenim ἀναφορὰν propriè denotat, quæ non *oblationem* simpliciter factam, sed *in altum sublatam* significat: Typicâ haud dubiè, eâq; insigni, & prænunciâ testificatione corporis Christi in sublimem erectæ crucis aram exaltandi.

Insuper quod à doctissimo Interprete Beza Annot. in Joh. 19. 17. annotatur ex Plutarcho, quemque maleficorum suam portâsse crucem, idem etiam de Tropæo ex eodem observare licet: eum ipsum videlicet olim qui τὰ λάφυρα, *Spolia illa Opima*, adeptus fuerat, eadem suspensa gerentem, fabricato ad id aptè ferculo sive tropæo in Capitolium ascendisse. Ità quippe, loco suprà citato, Romulus fecisse memoratur à Plutarcho, Rom. vitâ; ὑπαλαβὼν ἢ τῷ δεξιῷ τὸ τρόπαιον ὤμῳ παρεστηκότι ὀρθὸν ἐβάστασεν, ὑξάρχων ὄπνιλα παιᾶν. Permagna igitur convenientia cernitur Tropæi Crucísque, non solùm quod ad formam attinet consimilem, sed quod ad eundem etiam vetustum gestandi ritum. Quò justiùs & concinniùs ab Ecclesiasticis Scriptoribus *Crux Tropæum* passim appellatur, & ab Apostolo satis clarè significatur, cùm ἀπέκδυσις, *hostium despoliatio*, tum etiam θρίαμβος, *Triumphus*, cruci accommodantur & attribuuntur.

Restat nomen aliud, nempe *patibulum*, quod omnino prætereundum non erat; quia cruce planè synonymum (discrimen enim inter utrumq; quod afferunt nonnulli, pro nihilo putandum est: cùm à Tertulliano, Arnobio, Lactantio, autoribus Latinitatis reíq; Christianæ non spernendis, pro eodem ubiq; usurpentur.) Est igitur admodum probabile, & nominum apud Latinos formandi modo maximè analogum, ut Crucem *Patibulum* dici existimemus à *Patendo*, sicuti *stabulum* à *stando*. Nam ut *stabulũ* locus est, ubi *stare* solent animalia, ità *Patibulum* ubi fontes *patent*, h.e. *patuli* existunt. *Patulos* autem nihilo seciùs homines vocemus, atque arbores. Siquidem ut has ramis diffusas, sic illos brachiis *dispansos* in *Cruce* sive *Patibulo* conspicimus. Eadem utrobiq; est ratio. Atq; ad hanc Patibuli derivationem, valdè pertinent verba illa Christi, *Omnes traham ad me ipsum*, Joh. 12. 32. Quæ mihi quidem præclarè explicâsse videtur Lactantius De vera Sap. l. 4. c. 26. *Extendit in Passione manus suas*, inquit, *Orbémq; dimensus est: ut jam tunc ostenderet ab Ortu solis usq; ad occasum magnum populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum.*

Jam verò satis, opinor, exspatiati, ut ad propositum maturè redeamus, *Labarum*, olim λάφυρον (quanquam posteà plurale λάφυρα solùm in usu esse consuevit) initio paludamentum Imperatorium fuisse arbitramur, hostium Duci detractum; quod in *Tropæo*, vel *ferculo*, ad effigiem Crucis compósito suspensum atque distentum, legionibus Romanis præferri solebat, ad terrorem hostibus injiciendum, & spem bonam commilitonibus afferendam & confirmandam: fore nimirum, ut, si pro se quisque virilem strenuámque operam navarent, similibus spoliis potiti, iísq; egregiè locupletati, victoriam gloriosam reportarent: Hanc demum primam & antiquissimam *Labari* originem, sensúmq; exstitisse auguramur. Quem posterioribus ætatibus (ut obsolescere paulatim solent vetera instituta) mutatum fuisse probabile videtur: Ità ut, quod olim pro paludamento Ducis exercitûs hostilis habitum fuerat, jam contrà pro Chlamyde Imperatoriâ, Ducis Legionum Romanarum, gestatum sit, eodem quo primùm exposuimus modo.

Antequam hinc discedo vindicandus est à corruptela locus insignis de *Cruce* apud Justinum in Tryphone pag. 96. lin. 8. Μονοκέρωτος κέρατα ὅμοιός ἄλλῳ πεφυκὼς ἢ σχήματος ἔχοι ἄν τις εἰπεῖν ἢ ὑποδήξαι, εἰ μὴ τὸ τύπῳ, ὃς ἢ σανὶς δέδεται. ὄρθιον γὰρ τὸ ἓν ἔστι ξύλον, ἀφ' οὗ ὅσον τὸ ἀνώτατον μέρος ὡς κέρας ὑπερῆμθον, ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον συσταυρωθῇ, ἢ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνῃ ἢ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας ἢ αὐτὸ ὀξύκορον ὄζον, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι, ἢ βλέπεις ὡς κέρας ἢ αὐτὸ σὺν τοῖς ἄλλοις κέρασι σωματικὸν σχῆμα ἐπιτετηδευμένον ἢ πεπηγμένον, h.e. *Monocerôtis cornua dici & ostendi non potest rem aliam aut figuram ullam referre, nisi eam, quæ Crucis speciem adumbrat. Hujus enim lignum unum Arrectarium est, cujus pars summa tanquam cornu eminet atque exstat, cùm alterum lignum*, Transversarium *coagmentatur, e quo usque extremitates instar cornuum videntur, unico illi cornui utrinque adjunctæ. Porrò quod stipiti medio infixum est pegma, quasi cornu & ipsum prominulum exsistit, cui insistentes sustinentur qui Cruci affiguntur: Et apparet veluti cornu illud quoq; cum aliis cornibus conformatum atq; compactum.* Hîc in Animadversionibus suis Eusebianis eruditissimis, pag. 110. ità infit Scaliger. *Quod in Historia de Cruce præcipuum est, & nemo, quod viderim, annotavit, in medio stipitis erat lignũ impactum cui insidebat is qui Cruci affigebatur.* Rursum. *Et sanè duo præcipua in Historia Crucis sunt* τὸ ὑποπόδιον ἢ τὸ ὀξύκορον πῆγμα, &c. *Nam supplicio afficiendi pede in Suppedaneum posito, Crucem ascendebant*, etc. *Deinde pedibus insistentes suppedaneo, medio autem ligno inequitantes*, &c. *binis clavis pedes in Suppedaneo, totidem ambas manus in transversario ligno transfigebantur.* Quod de ligno *Suppedaneo* narrat, verissimum est, & Justini verbis apprimè cõsentaneũ, atque à Nansio jamdudum observatum. Quod autem de pegmate illo subjicit, in quo, non secus ac in equuleo, olim equitâsse finguntur cruci affixi, imaginarium profectò Inventum est, nullo uspiam sancti Martyris Justini verbulo testatum. Nisi quis immanes & barbaros Japonenses, toto penitus Orbe divisos, satis locupletes in hanc rem testes fore existimat. Siquidem liquet ex verbis suprà allatis, si paulò diligentiùs legantur & attendantur, τὸ ὑποπόδιον ἢ τὸ ὀξύκορον πῆγμα, quæ Scaliger diversa putat, à Justino prorsus unum idémque haberi. Etenim quàm apertissimè patet, quatuor, non ampliùs, crucis cornua à Justino recenseri, τὸ ὑπερῆμθον, τὸ ἑκατέρωθεν, ἢ τὸ ἐν μέσῳ ὀξύκορον· quorum in numerum inexorabilis necessitas flagitat ut referatur τὸ ὑποπόδιον. Intercidit igitur equitandum crucis sedile, quippe vanum & super numerum. Neque verò cornua quinque ullo pacto agnoscit Justinus: ut & verba proximè exposita, & certa loci sententia facilè vincit. Accommodare enim vult doctissimus Martyr ad Crucis figuram, hunc Propheticum Mosis sermonem, Deut. 33. 17. κέρατα μονοκέρωτος τὰ κέρατα αὐτοῦ· ἐν αὐτοῖς ἔθνη κερατιεῖ ἅμα ἕως ἀπ' ἄκρου τῆς γῆς, i. *Cornua Monocerôtis sunt Cornua illius: eis gentes feriet simul, usq; ab extremitate terræ.* Quemadmodum igitur quadruplex est, eáque cuilibet vel imperitissimo notissima, orbis terrarum,

perinde ut cœlorum, extremitas; quæ τέσσαρα ἄκρα ab interpretibus Græcis Jer. 49. 36. *Quatuor plaga* à vulgato Latino sæpe redduntur, Orientalis nempe & Occidentalis, item Septentrionalis & Australis: pari ratione Crucis etiam extremitates sive Cornua quatuor totidem terræ plagis respondentia, Justinus contemplanda proponit; q.d. Crux, h. e. Euangelium Christi Crucifixi, Divinâ virtute suâ totum Orbem penetrabit, cunctas Terræ regiones pervadet, populos universos ubique locorum degentes mirandum in modum permovebit & percellet. Planè idem quod prædixerat Dominus, felicem & stupendum eundem eventum sermone aperto & dilucido apud Matthæum tractans cap. 24. 14. *Prædicabitur*, inquit, *Euangelium Regni in toto terrarum Orbe, ut sit testimonio omnibus gentibus; & tunc veniet finis.* Atque hanc genuinam esse verborum Justini sententiam res ipsa docet. Quocirca quà Crux beatum ac benedictum Christi Instrumentum consideratur, ad vitam salutémque Mundi destinatum, pro quatuor hujus cardinibus, quatuor ibi (non plura) illius cornua animadvertenda exhibentur. E contrario, quà maleficum ac maledictum exsecrandorum hostium, gentium, Judæorum, Satanæ Instrumentum intelligitur, ad ignominiam & exitium Christi Domini nostri comparatum, Crux alibi, pag. 104. lin. 34. a b eodem Justino Cornibus itidem quatuor duntaxat armata esse ponitur, atque adeò necesse est ponatur. Nam ubi verba Psal. 22. 21. σῶσον ἀπὸ κεράτων μονοκερώτων τὴν ταπείνωσίν μου, *Serva à cornibus unicornium humilitatem meam*, sive *me humilem*, vel *humillimum*, de Christo exponit, continuò docet, hinc peculiare mortis genus prænunciari, τετέσι σωρῷ, *fore nimirum ut cruci suffigendus esset*, h. e. crucis sive patibuli infestis & præacutis cornibus gravissimè sauciatus atque confossus trucidaretur. Ex certissimis autem testibus Euangelistis manifestò comperire & manu tenere licet, quaternis tantummodo crucis cornibus vulneratum fuisse Christum; v. g. binis tigni Arrectarii, summo scilicet, propter fodicantes ibi sacrosanctum ejus caput spineæ coronæ aculeos, & eidem adhuc erecto, necdum ingruente morte inclinato, Joh. 19. 30. altiùs adactos, & medio, propter ambos pedes clavis illic transverberatos, & suppedaneo affixos; item binis Transversarii, quippe ad unam extremitatem dextera ejus, ad alteram sinistra, suo utraque perforata & allisa clavo, adhæsit. Hæc ità clara sunt & perspicua ut offusam Historiæ Crucis novi istius inventi caliginem luce suâ citò discutere & dissipare queant.

Imò veteris illius Scriptoris Irenæi verborum quorundam (quæ jam diù excerpta & in Adversariis annotata habemus) sententia germana hinc declarari, & repugnantia omnis tolli, nullo negotio poterit. *Ipse habitus Crucis*, inquit, Adv. hær. l. 2. c. 42. pag. 201. *fines & summitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requiescit qui clavis affigitur.* Palàm est Irenæum hæc omnia à Justino mutuatum. Proinde dextrè accepta non discrepant à verbis Justini. Nam *quinque fines* seu *cornua* illius nihil aliud reipsa sunt quàm *quatuor* hujus. Justinus enim certo quodam modo extremitates Crucis contemplatur, nempe quatenus κέρατα *cornua* apparent, h. e. cùm ut exstantes sive eminentes, tum etiam ut feriendi & acutissimo dolore cruciandi vim habentes. Itaque Arrectarii extremitatem infimam silentio prætermittit, utpote nec verè exstantem, cùm obruta ac defossa lateat, nec ullâ cruciati ibidem & ab eadem corporis Dominici notâ insignem: quod longè primarium exsistit. Huc accedit quòd *Suppedanei* nomine commodè intelligatur extremitas illa, tanquam pars subjacens, eíque sustentando inserviens. Irenæus autem Crucis fines aut summitates, vel potiùs extremitates, generaliter accipiens, præter quatuor superiores, illam quoque quæ in terram defigitur, quamvis aspectum omnem fugiat, seorsum à Suppedaneo & nominatim sibi commemorandam putavit, tum quia terminat Arrectarii longitudinem, tum quia proposito conducebat, nempe ad explendum numerum Quinarium, cujus notationem cò loci de industria pluribus exemplis explicat. Porrò ex istis iterum Irenæi verbis efficitur, planè commentitium esse *inequitabile* illud cornu à Scaligero obtrusum. Nam si quatuor sunt, ad summum quinque, universa Crucis cornua, non utique sex. Totidem autem necessariò sunt numeranda, si Scaligerum audiemus; in latitudinem quidem bina extrema; in longitudinem verò non tantùm bina similiter extrema, sed etiam bina insuper intermedia; cùm unius solùm Irenæus (prout ante eum Justinus) expresè meminerit. Itaque miror, quando eum Irenæi locum citat Scaliger, hoc ab illo non animadversum. Neque est quòd quisquam suspicetur nomine *unius in medio* inequitabile illud Scaligeri cornu ab Irenæo comprehendi. Fieri id non potest. Nam cùm tria omnino sint stipitis Arrectarii cornua, quorum alterum summum est, cui Titulus affigitur, alterum verò imum ex sententia Irenæi, quod humi depangitur, necesse est tertium inter utrumque interjectum duntaxat suppedaneum statuamus, quoniam ejusmodi est ut crux eo carere nequeat; cùm sedilis inequitandi, utpote supervacanei, jactura non sit nauci facienda. Eodèm postrema item Irenæi verba spectare videntur, *ubi requiescit qui clavis affigitur*: h. e. cui tanquam fulcimento suppedaneo insistit is qui clavis eidem affigitur. Nam & ἀναπαύεσθαι sive *requiescere* dicitur qui à motu cessat, nec loco usquam se movet, sed iisdem vestigiis inhæret. Unde cœlum Plinius l. 2. c. 3. ait *æterno & irrequieto ambitu circumagi*. Vox quoque Hebræa מנוחה ab Interprete quidem Latino *requies*, à Lxx autem στάσις, h. e. *status*, exponitur Deut. 28. 65. Et columba, cùm extra Arcam nusquam haberet consistendi locum, requietis locum plantæ pedis sui nullibi invenisse traditur. Ambo hæc, status dico & clavorum confixio, in suppedaneum ad amussim quadrant, in commentitium autem illud sedile nequaquam. Nam ut cogitetur crucifixus, ei insidens, vectari & requiescere, attamen clavis eidem non affigitur: quod præcipuè recordari oportet; hinc enim vel maximè nominis *cornu* origo. Neque enim secundùm Justinum (primum, quod sciam, appellationis istius autorem) κέρας *cornu* id tantùm est quod exstat & prominet, sed in primis quod ad impetendum & confodiendum valet, sicut antè annotavimus. Cæterùm quod urget Scaliger, τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον, *in medio stipitis impactum*, nihil sanè officit quò minùs Suppedaneum idem ipsum planissimè existimetur. Nam vel respectu latitudinis tigni arrectarii rectè dictum accipiatur; siquidem in media ejus latitudine pertuso cavo, aut exsculpto, immissum fuisse suppedanei cardinem, quò cruci coagmentaretur, consentaneum est: vel peræquè etiam respectu longitudinis; etenim si tota (uti placet Irenæo) infra Suppedaneum stipitis longitudo sumatur, tam subterranea scilicet quàm quæ è terra exstat, ad imam usque ligni extremitatem, haud dubiè Suppedaneum aut in medio positum censebimus, aut saltem à medio quàm proximè disjunctum. Cui nè isthuc quidem satis sit, veram facilémque responsionem hanc auferat; *Medium* passim perhiberi quod inter duo extrema interjacet, etsi à neutro æqualiter distat. Quippe putidum foret planéque contentiosum, ad Geometricam ἀκρίβειαν hæc, præsertim vulgaria, exigenda postulare.

Deinde cupidè arripit arctéque tenet illud quoque Justini, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται *Cui insidunt & vectantur*. Malim *cui insistunt & vectantur*: minimè verò omnium *cui inequitant & vectantur*. Non enim stantes aut insistentes equo uspiam (ut opinor) equitare solent, sed sedentes aut insidentes: stantes autè satis commodè vectari, præsertim curru, subindè usitatum arbitror. Atq; id demum verè propriéque est ὀχοῦσθαι seu ἐποχοῦσθαι, ἀπὸ τοῦ ὄχου, quod ἅρμα sive *currum* denotat. Reíque istius imaginem egregiam præbet Curruum bellicorum consideratio, quos priscis temporibus in usu propè quotidiano fuisse memoriæ proditum legimus. His ergò vecti milites (quos παραβάτας Græci vocant) non sedentes, sed erecti, stantes sive consistentes, pugnare solebant. Παραβάται, οἱ ἐπὶ τῶν ἁρμάτων ἑστῶτες μαχόμενοι, *Parabatæ*, inquit Hesychius, *stantes è curribus*

curribus pugnabant. Quare Crux Chriſto Domino noſtro currûs inſtar erat, cujus in ſuppedaneo conſiſtens ſive inſiſtens, corpore animóque celſo erectóque, per obedientiam longè promptiſſimam & Patri cœleſti acceptiſſimam, patientiámque ſummè Divinam, cum omnibus hoſtibus ſuis noſtriſque, Peccato, Mundo, Morte, Satana, Inferno, validiſſimè conflixit. Verùm enimverò Metaphoricè & admodum venuſtè à politiſſimis Helleniſmi autoribus is etiam cenſetur ἐπόχημος qui ſublimè collocatus fulcimento alicui innititur, ac eo ſuſtinetur. Itaque lepidiſſimè à Luciano apud Stephanum dicitur quis qui ſuffultus incederet ἐμβάταις ὑψηλοῖς, h. e. *calceis præaltis* ſive cothurnis, eiſdem ἐποχούμενος, id eſt, *innixus, inſiſtens*, aut potiùs *ſublevatus*, vel etiam *ſuſtentatus*. Igitur in hanc quoque ſententiam ritè congruat dictio illa ſuppedaneo Crucis fulcimento. Eo namque pedibus ſubdito ſive ſubjecto qui crucem aſcendit ſuſtinetur, h. e. ſurſum tenetur, ex liquida (ut volunt Grammatici) compoſitionis ipſius ratione. Quinetiam Firmicus, quem teſtem tertium in rem ſuam Scaliger producit, prævaricatur quidem in Scaligerum, veritati autem præclarum teſtimonium reddit: *Cornua nihil aliud niſi venerandum ſignum Crucis monſtrant. Hujus ſigni uno extenſo ac directo cornu Mundus ſuſtentatur, Terra conſtringitur.* Firmici verba ferè idem ſonant ac priora Irenæi. Ille nempe, non aliter ac iſte, *extenſum ac directum cornu* unum tantummodo agnoſcit. Hoc autem Lectori venerandæ Antiquitatis, non partium, ſtudioſo accuratè animadverſum & notatum volo. Inſuper, quod Irenæus *in medio poſitum* vocat, Firmicus *Extenſum ac directum* nuncupat, hoc eſt toties memoratum jam nobis ſuppedaneum Crucis pegma: *Extenſum* videlicet, quaſi extra ſuperficiem planam tigni arrectarii tenſum ac prominens; *directum* verò, quia πρὸς ὀρθὰς *ad angulos rectos* ſive *ad normam* eidem arrectario impactum, idque è regione, non ἐκ τῶν πλαγίων *ex obliquo*, vel *à latere*: hoc enim *tranſverſum* dicitur Latinis, illud propriè *directum*. De cætero, quod ait Firmicus unum hoc cornu & *ſuſtentare* & *conſtringere*, ſoli Suppedaneo convenit. Nam illud tum *ſuſtentandi* vim virtutémque ſignificare intelligatur; quia crucifixo eſt pro baſi, quâ totius corporis ſuperſtantis (in ſpeciem Cœli ſurſum undique tendentis) moles nitatur: tum *conſtringendi*, propter confixionem binorum clavorum, quibus tanquam ferreis vinculis, pedes, membra ſcilicet corporis humani infima (quem ſitum & Globus terreſtris obtinet in Univerſi medio) arctiſſimè firmiſſiméque ſuppedaneo conjunguntur & copulantur. Poſtremò libet hoc etiam tanquam πρόσθεμα quoddam ſuperioribus adjicere, nempe ex gemina Crucis contemplatione apud Juſtinum & Irenæum obſervata geminam item manâſſe illius delineationem, Chriſtianis familiarem, quadratam videlicet, & alterâ parte longiorem. Etenim ſi Arrectarii pars ea tantummodo ſpectetur quæ à ſummo incipiat & in ſuppedaneum deſinat, Crux indè orietur quadrata. Autor enim eſt Plinius l. 7. c. 17. *quod ſit hominum ſpatium à veſtigio ad verticem, id eſſe paſſis manibus inter longiſſimos digitos.* Similiter Vitruvius De Architect. lib. 3. cap. 1. *Si à pedibus imis ad ſummum caput menſum erit corpus, eáque menſura relata fuerit ad manus panſas, invenietur eadem latitudo, uti altitudo.* Qualem *quadratam deſignationem* idem meritò appellat, quippe quæ latitudinem habeat longitudini æqualem. Verùm ſi ultra Suppedaneum, h. e. terminum corporis crucifixi, protendatur intuitus ad ſtipitis arrectarii extremum ſolo infixum, efficietur tum Crux στερεμνίκης, lineâ longitudinis alteram latitudinis multùm excedente. Sed miſſo leviculo hoc παραίτημα, rem denique ipſam aliquando concludamus. Quare cùm medium illud inequitabile Pegma per ſe ſupervacuum ſit & ab antiquis Scriptoribus, Juſtino, Irenæo, Firmico, uno Suppedaneo more majorum contentis, admitti nullâ conditione poſſit, redeat properè ad Japonenſes ſuos, nec barbarâ novitate ſuâ nobis dehinc negotium laceſſat.

CAP. 13. *Cur nomen* JEHOVA ἀνεκφώνητον *Græcis ſit dictum. Conatus nomen illud Græce, ſeu Græcorum more, efferendi. Quartus & quintus modus pervulgati nominis illius prioribus tribus ſuperadditus.*

QUæ ſuprà l. 2. c. 6. de ſanctiſſimo nomine JEHOVA diſſeruimus, expleturi, nonnulla hic obſervatu (ut ſperamus) haud indigna adjicienda cenſuimus. Primum illud eſt quod fatentur omnes, Nomen hoc unum ex omnibus Dei maximè proprium habendum, ac ſolum præter cætera ad Divinæ Majeſtatis eſſentiam planè, diſertè & abſolutè ſignificandam deſtinatum. Idcirco יהוה dictum ceor ab antiquis Hebræorum Sapientibus, i. τὸ διεσταλμένον ἄγαν διαπεφωνημένον, *diſtinctè expoſitum ſive explicatum.* Non enim aſſentior Cabbaliſtis, qui ità nuncupatum aiunt quòd per alia exponatur. Neque enim nomina vel אלהים vel אדני adhibentur unquam ad exponendum quid ſonet vocabulum JEHOVA & ad ejus interpretationem declarandam, ſed tantummodo ut vicaria ei operas præbeant, & utrumque ſubinde ejus loco pronuncientur. Præterea nulli dubium eſſe poteſt, qui modò mediocri cum diligentia in Veteris Inſtrumenti Scripturarum Hebraicarum lectione ſit verſatus, quin Judæis olim, prima ab infantia, Deus notiſſimum eſſe voluerit nomen illud, imò ſermone quotidiano uſurpatum, tanquam ſanctiſſimæ Majeſtatis ſuæ καθ' ὑπερολὴν (ut ità dicam) μνημόσυνον vel *monumentum* ſingulare maximéque obvium, Exod. 3. 15. Summâ quidem ſeveritate Iſraelitis interdixerat Deus nè ulla Deorum falſorum vel tenuiſſima fieret mentio. *Nomen*, inquit Exod. 23. 13. *Deorum alienorum nè recordamini: nè auditor in ore tuo.* Sed יהוה ſanctiſſimum nomen ſuum ſemper eis in animo, in ore, in oculis eſſe juſſit. Exod. 3. 15. *Hoc eſt nomen meum in ſeculum, & hoc Memoriale meum in generationem & generationem.* q. d. Idolorum quidem memoriam omnem oblivione ſempiternâ deleri & penitus obrui cupio: Me verò perenni celebratione memorari par eſt: Ad id autem efficiendum, ſingulare hoc & peculiare nomen in primis comparatum vobiſque traditum ſcitote. Nullum enim propterea, nè minimum quidem, indicium aut veſtigium ficti alicujus & commentitii Numinis exſtare voluit apud veros ſui cultores, ut auguſtiſſimi nominis ſui memoriâ eos aſſiduè & ubique totos poſſideret. Tantum aberat ut ullo unquam pacto abſterrere & abſtrahere pios ſtuduerit ab illo reverenter & religioſè pronunciando. Nulla dum nata eſt meticuloſa ſuſpicio, fore ſcilicet ut quotidiano uſu vileſceret aliquando & in vanum ſumeretur. At cur, inquam, iſtuc plus huic nomini quàm reliquis univerſis metuendum? Quamvis enim illa eſſentiam non ſignificent, tamen conſignificant; atque adeò quoddam ex iis planè ſignificat. Quis enim negaverit nomen יה ἀπὸ τοῦ εἶναι eſſe? certè viri Hebraicè doctiſſimi ab eſſentia inditum exiſtimant. Mercerus *non dubium eſſe* ait *decurtatum eſſe ex nomine tetragrammato* יהוה. Indéque evénit ut Euthymius יה, perinde quaſi יהוה, τὸν ὄντα *eum qui eſt* interpretatus ſit; Origenes autem Ἰὰ & Ἰαὼ pro eodem vocabulo (modò nè vitioſa ſit Græci codicis ſcriptura Expoſ. in Pſal. 111. 1. M. S. περὶ ἀρχῶν l. 6. M. S.) habuerit, nempe quod ad ſenſum attinet, quia ὁ ὤν utroque ſignificatur; non quod ad vocem, quam aliam atque aliam eſſe apparet. Quare ſi propter ſingularem eſſentiæ Divinæ ſignificationem abſtinere cœperunt veteres à nomine JEHOVA eloquendo, ergò & à JAH pariter eandem ob cauſam abſtinuiſſe oportuit. Atqui JAH vocabulum paſſim & liberè ac propalàm efferre non ſunt veriti. Non igitur religioſâ quadam timiditate à nomine JEHOVA pronunciando refugerunt primi conſuetudinis illius autores, tanquam ſi vulgarem uſum nomini apprimè venerando vilitatis rubiginem, neſcio quam, obducturum ſuſpicarentur. Quinimo neceſſe erat, ut quemadmodum gemmæ, aurum, argentum, cætera, tractando nitidiora & ſplendidiora redduntur, ità ſacrum hoc Nomen, promulgando quotidie magis ac magis clareſceret, & eò illuſtrius ac glorioſius quò notius & celebratius evaderet

evaderet (ſecundùm verum illud ac vetus dictum, *Bonum quò communius, eò melius*) præſertim apud populum Dei caſtâ Divini Nominis reverentiâ ab incunabulis imbutum. Celare igitur proprium id Dei nomen, & ſcrupuloſis quibuſdam rationibus in operto continere, novitium eſt inſtitutum & humanitus inventum; cùm antea omnibus patuiſſe & promptiſſimum vulgatiſſimúmque fuiſſe perpetua Scripturæ veteris conſenſio palàm teſtetur. Adeò ut nominibus hominum propriis quàm plurimis (quibus nihil ferè ſolet eſſe in ſermone vulgari uſitatius aut tritius) variè adjunctum cernas, partim à fronte, ídque vel explicatè, ut יהוֹ, vel contractè, ut יו; partim à tergo, pari quoq; ratione, nunc יהוה aut יהו, nunc יה. Nimirum id egit Divina providentia, ut quoquopacto memoriale illud nomen, quaſi clariſſimum ſignum, aſſiduè ante oculos Judæorum propoſitum, oblivionem omnem procul ſubmoveret, & nominibus eorum veluti intextum ad exteros univerſos, quibuſcum illi contraherent, porrò emanaret. Quare nullo modo probabilis eſt eorum opinio qui Hebræos ab illo nomine ſonando tum demum abſtinuiſſe putant cùm ſenſiſſent ab exteris gentibus ad idola traductum. Nam ut gentes profanæ nominis illius ſanctitatem turpiter violâſſent, certè hoc Judæos, peculiarem Dei populum, impedire non debuit, nec potuit, quò minùs ipſi inter ſe religioſè puréq; idem enunciarent. Quid? annon notiſſima illa nomina veri Dei, *Elohim* ſive *El*, & *Adonai* (ut ſuprà oſtendimus) in exſecranda ſua idola, *Helion* ſcilicet ſive *Solem*, & *Adonidem*, gentes contulerunt? An ideo ab iſtis palàm & paſſim uſurpandis abſtinuerunt Judæi? Nihil ſanè minùs. Nam uſitatiſſima & familiariſſima in ſermone quotidiano jugiter apud eos, omni memoriâ, permanſerunt, & permanent. Ineptè igitur hac etiam de cauſa ἀνεκφώνητον cenſetur nomen Tetragrammaton. Profectò ratio illa quare primò ἀνεκφώνητον ſit vocatum, quam attulimus, ab inextricabili pronunciationis Græcanicæ difficultate ſumptam, firma eſt & perſpicua, & in promptu cuilibet qui vel leviſſimum periculum facere dignetur. Nos igitur (quod antè omiſimus) jam nunc, verbi gratiâ, experiamur atque tentemus (nolim enim mihi quiſquam, ſed rei potiùs ipſi fidem habeat) ecquânam ratione auguſtiſſimũ illũd nomen Græcè, h. e. Græco more, enunciari exactè queat? Ut omnes nervos contenderis, & quàm accuratiſſimè eloqui coneris, certè Ἰαωυὰ, vel ſaltem Ἰεωυὰ, *Jeova*, omnino dicas oportet. At quanta hîc prolationis inconcinnitas? quantus hiatus? quàm nihil prorſus conſonum? Cenſen' volubiles Græcorum linguas ex hiſce ſalebris ſeſe expedire, aut teretes eorum aures tam confuſi & incondìti ſoni aſperitatem perpeti poſſe? Neque dum tamen integra redditur pronunciatio. Nam & litera aſpirata *H* penitus intercidit, & diphthongus ſuppoſititia in germanæ conſonantis locum ſubrepſit. Vides igitur quàm inſigniter ac propè incredibiliter operoſa ſit & moleſta linguæ Græcæ unius hujus Nominis proferendi ratio! quàm item inſuavis & ſupra modum abſona! ut non immeritò Hebræorum Sapientes, hâc re animadverſâ, maximè poſtquam Græci in Oriente dominari & rerum illic potiri omnéſque Provincias obtinere & complere cœperunt, nomen illud ἀνεκφώνητον *ineffabile* eſſe conſtituerint: Nè id per ſe enunciatum Genti curioſiſſimæ & perquam faſtidioſæ, ubiq; jam locorum inter Judæos verſanti, & negotium faceſſeret & cachinnos (quod ſummè abominandum erat & quàm cautiſſimè declinandum) paſſim commoveret.

Porrò hîc nobis occurrit & ipſa ſeſe offert mira quædam vocabuli hujus & memoratu notatúque digniſſima proprietas; videlicet, in nominis יהוה ἐκφωνήσει ſeu *prolatione* apud Græcos omnes vocales perſpicuè diſtinctas ſuo quamque ſono ſimul comparere, α ſcilicet, ε ſive η, ι, ο ſive ω, & υ. Quippe ε & η, item ο & ω, ſono non diſcrepant, ſed ſoni duntaxat continuatione & productione, minore majoréque. Nec ante Simonidem Melicum vocales longas à brevibus figurâ diſtinctas fuiſſe docet Plinius Nat. hiſt. lib. 7. c. 56. Itaque expunctis apud Latinos η & ω, quinque tantummodo ab illis numerantur vocales. Quòd ſi rectè à priſcis Hebræorum Doctoribus הנועות, i. *motus*, appellantur Vocales; motus autem vitam deſignat; certè Vitam univerſam, atque adeò inexhauſtum univerſæ vitæ Fontem, ſanctiſſimo hoc nomine Συμβολικῶς indicari quivis intelligat. Quod uno verbo attingere placuit, nè quis obſervatiunculam iſtam quiddam Cabbaliſticum reſipere clamitet.

Id verò cum primis eſt animadvertendum, quòd reliquis tribus Nominis יהוה apud Græcos efferendi modis (quos alibi copioſè tractavimus) hîc quartus accedit, non Judæorum tantùm Sapientibus ſed Græcorum etiam Philoſophis pulcrè notus, atque etiam ſuaviſſimis eorum verſibus explicatus, & propè vulgò decantatus, ínque omnium quaſi oculis expoſitus. Cujus rei gravem & incorruptum teſtem habemus Euſebium Euang. Præp. lib. 11. p. 305. 29. Τῶν ἑπτὰ φωνηέντων ἢ ὅτι τὸ αὐτὸ Συμβαίνειν, μιᾶς τινος ἁρμονίας ἐκφωνήσεως ἐκείνης φασὶν ἐκφώνησιν· ὧν διὰ τεσσάρων στοιχείων παῖδες Ἑβραίων Συμβέβηκεν, ὅτι ἀνεπλάττοντο τὸ Θεῖον ὄνομα μέσως καλαπάτησιν, ἄλεκτόν τι τοῖς πολλοῖς καὶ ἀπόῤῥητον ὄντ' ἴδ' πᾶσι παρὰ πατρὸς εἰληφότες. Καὶ ὅθεν παρ' Ἕλλησι ἡ Σοφῶν, ἀκ οἶδ' ὁπόθεν τις τοῦτο μαθὼν ἠνίξατο, ὧ δέσπο δι' ἐπῶν φήσας,

Ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰὲν
Γρύμματα, ἁπάντων ἀκάμαντον πατέρ' ἐσ.
Εἰμὶ δ' ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος, ἣ τὰ λυρώδη
Ἡμοσάμην δίνης ἐσχατίοιο μέλη.

Septem vocales, inquit, *in unum idémque Nomen conflatæ, ineffabilis & arcana cujuſdam appellationis (ut ferunt) enunciationem complectuntur. Quod quidem Nomen quatuor literis notatum Hebræorum natio ſupremæ Dei potentiæ aſſignant. Idq; filii à patribus acceptum ejuſmodi quid exiſtimabant ut in vulgus edendum eſſe non putarent, ſed pro arcano habendum. Quinetiam aliquis eorum qui Sophi (h. e. Sapientes) apud Græcos perhibentur, haud ſcio unde edoctus, hoc ipſum occultè ſignificavit, verſibus in hunc ferè modum id elocutus,*

Me ſeptem celebrant elementa vocalia magnum,
Æternúmq; Deum, perpetuúmq; Patrem.
Illa ego ſum mundi Chelys incorrupta, ſuaves
Quæ motûs Cœli tempero ſola modos.

Hinc intelligimus glorioſiſſimum atque omnium olim ſermone celebratiſſimum Dei nomen יהוה *Septem*, h. e. cunctas (ſicuti paulò antè explicavimus) Græcorum vocales comprehendere, eíſque certo quodam ordine diſpoſitis idem nomen apertè planéque exprimi, verbi gratiâ ι ε [η] ω [ο] υ α, *Ieova*. Divinum autem Numen, cujus providentiâ adminiſtratur immenſa cœli machina, *Chelyn* vocat; quam ἑπτάτονον Poetæ cognominant, h. e. *ſeptem intentam chordis*, non propter ſeptem Planetarum numerum, ex quorum orbibus coagmentatum Philoſophi fingunt cœlum, ſed propter ſeptem vocalium Græcarum concordem ſonum, ex quo concinnatum oſtendunt Hebræi Nomen tetragrammaton.

Poſtremò (ut modum etiam quintum inſuper addam) videor mihi apud ipſos quoque Lxx alicubi reperiſſe nomen illud Dei ſacroſanctum יהוה, Græcis literis non obſcurè ſed dilucidè ſatis & perſpicuè exaratum: quanquam, ídque haud temere (ut ſuprà oſtendimus) à diſtincta & aperta illius ſcriptione de induſtria paſſim alibi abſtinuerint. Semel tamen in eorum verſione (non ſecùs atque in vulgari noſtra Anglicana) idem ipſum Nomen, tanquam de manibus eorum elapſum, (caſúne an conſultò evenerit incertum; an etiam ab eruditò aliquo poſtea Annotationis vice adjectum ſit, quod ſanè admodum credibile videtur) vigilantibus legentium oculis mentibúſq; ſe conſpiciendum exhibet. Locus is (niſi fallor) eſt 2 Sam 1. 12. ubi verba contextûs Hebræi ſunt עַל עַם יהוה, quibus reſpondent in Vulg. Latino *ſuper populum Domini*, prout alibi ferè ſemper: at in Græco habentur ὅτι ὁ λαὸς Ἰούδα. Hic vocem Ἰούδα mendoſam non ſinceram eſſe, nec nomine יהוה convenire, quivis continuò deprehendat. Tollendum itaq; eſt mendum, ut corrigi queat. Id quod vel minimâ

nimâ liturâ fiat. Deletâ quippe unâ tantùm literâ ſ (quam inſerſit imperitus aliquis, ſummâ germanæ vocis novitate auſteritatéque offenſus) ſanctum & auguſtum Nomen Ἰουδὰ priſtinam integritatem nitorémque facillimè recuperabit. Non enim conſentaneum videtur ut pro Ἰάδα quiſquam Kvelis ex Latini Interpretis ſententia reponendum conjiciat. Nam cùm hoc ab illo literis ac ſono permultùm diſcrepet, id foret non antiquam vocem emendare ſed prorſus abolere, & in locum ejus novam ſubrogare, contra omnium exemplarium autoritatem & veteris ſcripturæ fidem: Cujus veſtigia, pro virili parte, veluti præcipuam probabilis legitimæque emendationis regulam, quàm accuratiſſimè ſimul & religioſiſſimè ubique perſequenda arbitramur. Præterea rarum atque inſolens non eſt ut Cholem, hoc eſt, *O* longum Hebræorum, per *o* parvum à Græcis exprimatur. Quod exemplis haud paucis confirmetur, qualia ſunt Βοὸζ, Ῥόδιοι, Σόδομα, Γόμορρα, &c. Denique in nomine Ἰωὰ, *v* tenue loco *v* conſonantis Latinæ poſitum exiſtimari debet, ad eundem planè modum quo in Bibliis Græcis Romæ divulgatis perpetuò ſcribitur Δαυὶδ, non vel Δαβὶδ, ut vulgò, vel Δαυὶδ, ut Græcorum doctiſſimi plerumque ſonum *v* conſonantis in vocibus Latinis more patrio proferendis imitari ſolent. Itidem *Javan* in eiſdem Sacris codicibus Gen. 10. 2. & 1 Par. 1. 5. Ἰλιὰς pingitur Ἰαυὰν vel Ἰαωὰν pro Ἰαυὰν vel Ἰαβὰν. Et apud Dionyſium Halicarnaſſeum De Antiq. Rom. lib. 2. *Aventinus* ſimiliter legitur Ἀουεντῖνος pro Ἀβεντῖνος aut Ἀβουντῖνος. Denique apud Suidam *Octavianus* Ὀκταωϊανὸς pro Ὀκταουϊανός. Imò vel ipſi Latini, nimirum Poetæ, dialyſi factâ, nonnunquam *v* conſonantem per *u* vocalem enunciant: ut in pervulgato illo Ovidii pentametro Epiſt 12.

Debuerant fuſos evolviſſe ſuos.

& in altero Catulli, Carm. 64.

Condita quin verè pectoris evoluam.

Hoc igitur pacto *v* in Ἰουὰ eandem ferè vim obtinebit ac propemodum ſonabit ut duplex *u* noſtratium: quod ſæpenumero vicem *v* conſonantis præſtare obſervetur in vocabulis Anglicanis è ſermone Latino petitis, cujuſmodi ſunt *Via* Way, *vaſtus* Waſt, *vallum* Wall, &c.

Porrò perpendat Lector annon ad hoc ipſum Nomen commodè referri queat quod antè perſtrinximus deſumptum ex tractatu Origenis περὶ ἀρχῶν. Verba exemplaris manuſcripti ità ſe habent, Χρὴ μήποτε οἰόμενοι ὅτι οἱ ταῦτα ζωπυρούμενοι ὅτε τὰ τῆς μαγείας πονήματα, ὅτε τὰ τῶν θείων γεγραμμένων διαπειρώμενοι, πάντ' ἄρυσαν· ἀπὸ μὲν μαγείας τὸ Ἰαλδαβαὼθ, ἢ τὸ Ἀσαφαῖον, ἢ τὸ Ὡραῖον· ἀπὸ δὲ τῶν Ἑβραϊκῶν γεγραμμένων τὸ Ἰαωὶα παρ' Ἑβραίοις ὀνομαζόμενον· ἢ τὰ ἑξῆς. Ubi ſtatim in conſpectum venit nomen Ἰαωὶα apertè corruptum. Emendatio autem vulgaris per diſtinctionem leviſſima quidem eſt; ſed gravem hunc ſcrupulum legentium animis injicit, ut Origenes Ἰὰ & Ἰαὼ, h. e. יה & יהוה, idem vocabulum cenſuiſſe putetur: quod de homine Hebraicè erudito ægre credendum arbitramur. Conſiderandum igitur ſítne alia quæpiam verior aut veriſimilior lectio: v. g. hujuſmodi, Ἰαὼ τὸ Ἰαωὰ παρ' Ἑβραίοις ὀνομαζόμενον. Ut hoc pacto totus orationis contextus vertatur, *Id verò ſciamus oportet, eos qui iſta compoſuerunt, cùm neque res magicas intelligerent, nec quæ ad Divinarum literarum ſcientiam ſpectant dignoſcerent*, hinc indè petita *confudiſſe univerſa. Nempe è magia Jaldabaoth, & Aſtaphæum, atque Horæum; ex Hebraicis autem Scripturis Iao, qui Iaoua Hebræis dicitur*, &c. Hæc emendatio eò potior quàm altera eſt exiſtimanda quòd ſcrupulum omnem paulò antè notatum eximat, & Nomen principale integrum miniméque divulſum conſervet, denique cum veritatis Hebraicæ uſu vehementer congruat. Mutatio autem *ι* in *υ* prorſus nihili eſt facienda. Etenim literæ illæ perquam creberrimè invicem & depravare ſe ſolent & corrigere. Vocis item Ἰαὼ præpoſitæ in locum idoneum ſuúmque (niſi fallor) reſtitutionem facilè probabit qui tritam noverit conſuetudinem librariorum vocabula ſimilia propter conſimilia, præſertim continuò ſubſequentia, ſedibus propriis deturbantium. Poſtremò *α*, initium nominis Ἰαωὰ occupans, pro Scheva ſubſtituitur de more linguæ Græcæ, punctulum illud ſæpe quidem per *ε*, non rarò tamen per *α* etiam, reddentis. Quapropter duo hæc vocabula, nimirum ſuperius illud Epiphanii, nempe Ἰαβὰ l. 2. c. 6. & poſtremum iſtud verſioni Lxx Interpretum (ut monuimus) inſertum, ſcilicet Ἰουὰ, ſimillima inter ſe vel potiùs eadem ducenda ſunt. Sed hoc intereſt, quòd illud Omega habet, pariter ac ipſum archetypum; iſtud autem Omicron, quò longiùs ab archetypo meritò cenſeatur receſſiſſe. Propiùs aliquantò accedit Ἰαωὰ, non ſolùm *ω* repræſentato, ſed Scheva inſuper expreſſo. Hæc habui quæ de Nomine Jehova pervulgato ſuperioribus attexenda putavi. Ex quibus omnibus elucet quàm ineluctabilem pronunciandi difficultatem unum hoc Nomen Græcis ſemper attulerit; &, ut in omnes partes linguam verſarint, quàm ægre ullam vel mediocrem quoquomodo, emendatè autem, purè integréque prorſus nullam aſſecuti ſint eloquendi facultatem. Ut planè & dilucidè appareat, τῆς ἀνικρωνήσιας illius (quæ poſterioribus ætatibus tantopere invaluit) cauſam vel ſolam (quod quidem magis opinor) vel certè longè principem, initio exſtitiſſe ſummam (quam toties jam notavimus) Nominis iſtius apud Græcos efferendi aſperitatem.

CAP. 14. *De nomine* Ἰη, *quod ab Ethnicis Baccho eſt attributum. De nomine* Ἰα *vitioſè aſpirato apud Heſychium. De inepta (quam commentus eſt quidam) literæ aſpiratæ retractione in Nomine* Jah. *Reſponſo Apollinis Clarii non declarari ſed obſcurari veram Hebraicámque originem nominum* Ἰαὼ & Ἥλιος: *quorum, ut & aliorum trium,* Ἄιδης *ſcilicet,* Ζεὺς, *&* Διόνυσος, *etymon Græcum explicatur ex Oraculi ſententia. Cur Jao* mollis *dictus ſit Apollini; idémq;* incertus Deus *Lucano. Vocabulum* Dis *à* Shaddai *non derivari.*

QUòd Bacchi cultores ſæpius inter ſupplicandum vocem Ἰη ingeminâſſe tradit Athenæus Dipnoſ. lib. 8. p. 140. (ex qua ipſe quoque Bacchus Ἰήιος indigitatus eſt) id fortaſſe ab alio quodam nomine Divino, יה videlicet, ſive Ἰὰ, Dæmonis aſtu ſunt ſuffurati. Apud Athenæum verò eruditè deprehendit Stephanus Append. Theſſ. Græc. voce Ἰη, aſpiratè ſcribendum ἵη ἵη· & tum acclamationem hanc παρὰ τὸ ἱέναι *ab immittendo* factam videri, eâque indicari expetitam à Deo lætitiam, quam ſuorum animis immitteret.

Atque iſtis congruiſſet nomen Ἱα in Heſychii Lexico utiliſſimo repertum, niſi per inſignem errorem, maximámque verborum Autoris ignorationem lapſum ibi ſciremus ſcriptorem Librarium. Nam ambos illos apices, ſpiritûs aſperi dico & accentûs acuti, quos vitioſæ priori ſyllabæ imminentes conſpicimus, rectè & ex ſententia Autoris poſteriori omnino ſuperponi oportuit. Ità quippe legenda & diſtinguenda ſunt verba, ἵά, δασυνόμενον τὸ ἄλφα καὶ ὀξυνόμενον, ἢ Θεὸν ζημαίνει παρ' Ἑβραίοις, h. e. *iáh* vocabulum, *cujus Alpha aſpiratur & acuitur, Deum ſignificat apud Hebræos.* Peritè quidem & ad normam Hebraicæ dictionis accommodatiſſimè. Etenim in יה & Camets, קמץ Alpha reſpondens, accentu Grammatico (ut vocant) attollitur, & He eidem adjunctum, ſpiritum denſum referens, inſerto Mappik vegetius efficitur. Atque hæc pronunciationem Hebraicam vocis iſtius egregiè demonſtrant (modò ut ex idiotiſmo linguæ Sanctæ aſpiratio ſonum literæ *α* non antecedere ſed ſequi intelligatur,) à Græcanica verò longè abſunt. Liquet enim ἱα à Græcis vel accentu ſpiritúque deſtitutum ſcribi, ut in voce compoſita ἀλληλούϊα· vel accentu acuto, ſpiritu nullo affectum inveniri, ut ἵα apud Euthymium Expoſ. in Pſal. 111. 1. MS. vel denique ſpiritu leni, accentu gravi, ut ἱὰ apud Epiphanium Lib. 1. adv. Hær. p. 132. lin. 15. quanquam & eodèm loci lin. 12. ἵα etiam ſcribitur in impreſſis Epiphanii exemplaribus. Quod non multùm diſcrepat à ſcriptura Heſychii, quæ ſola proculdubio

culdubio integra, sincera & archetypa existimanda est. Constat igitur inter omnes, & pro concesso compertóque sumere licet, Iota nusquam spiritu aspero notari (ut mendosum Hesychiani librarii ἰὰ suggerit; quódq; unicè laudâsset quidam, si in illud fortè incidisset) sed passim tenui spiritu scriptum cerni. Itidémque etiam ipsum ἰὴ suprà allatum (quatenus scilicet ἀπὸ τ῀ ἰάσεως derivatum ponitur) ψιλῶς, eodem teste Hesychio, profertur. Estque hæc prolatio lenis frequentior alterâ, usúque vulgari receptior.

Neque harioletur quispiam retrahendam esse literam aspiratam à fine ad initium vocabuli *Jah*; nimis id violentum foret. Imò Grammaticis certè absurdum atque prodigiosum meritò videatur ut litera suapte naturâ quiescens (quamvis hîc propter punctum Mappik inditum prolata) à vocali sua, cui quasi coagmentata & coalita semper cohæret, divulsa & distracta, in locum planè peregrinum transportetur, & vocali non suæ sed extraneæ conglutinetur. Quid, quòd nihil omnino opus est? quippe cùm lateat, quasi recondita, in vocali sua eandem sedem constanter obtinente. Quæ nisi sedem mutâsse putetur, ut *Hai* pro *Jah* novo ac inaudito more dicatur, fruſtrà concretam aspirationem traductam somniaveris. Quod dein ab eodem autore regeritur, in nomine *Abraham* translatam esse aspirationem à Græcis, ut qui *Habraam* illud proferant, futile quidem est atque ineptum. Alioqui quid, obsecro, censeat de nomine Ἀζεμμ, quod multò antiquius esse quàm alterum Ἀζεαὰμ scimus universi? An hîc etiam translatam similiter dicet aspirationem? Atqui nulla omnino exstitit in prototypo. Patet ergò peræquè in utroque vocabulo, tam in Ἀζεαὰμ videlicet posteriore quàm in Ἀζεὰμ priore, præpositæ aspirationis causam esse vel Hebraici א peculiarem vim, vel linguæ Græcæ vernaculum quendam morem, non autem literæ ה imaginarium ullum anagrammatismum. Quid multa? Litera ה, quam antecedat Camets, persæpe expressa quidem à Græcis, sed in ſ mutata pronunciatur; persæpe suppressa in vocali *a*, miniméque mutata, latére animadvertitur. Utriusque generis exempla quàm plurima, & quidem in iisdem quandoque vocibus nonnulla, obvia & exposita sunt Lectori in Bibliis Græcis. Nusquam autem in aliquo eorum cernitur traductio aspirationis à calce in caput; sed ubique ה locum ultimum, h. e. suum, semper occupante, præfixus spectatur lenis Græcorum spiritus; ídque non solùm in nominibus illis quorum primæ literæ tenuiter aspirantur ab Hebræis, sed etiam in illis quorum initiũ est aspiratio densissima, ה scilicet, aut ע. Quibus efficitur, ה in calce dictionis tam esse stabilem ut nè duplici quidem aspiratione fortiter urgente, nedum simplici leviter, loco moveri & retrahi unquam possit. Quocirca qui ἰὰ postulat proferendum quasi ἰὰ *Hia*, idem quoque pari ratione eadémq; de causa Ἀζιὰ pronunciet, non Ἀζιά, Ἀσωνίας, non Ἀδωνία: ac multò magis Ἀσαδία, Ἀναΐα, Ἀζδία, cunctáque ejusmodi reliqua, aspiratè non leniter proferat, contra omnium qui sunt, fuerunt, erunt, Græcorum codicum fidem. Imò pergat idem, eâdémque operâ Ἐλωνὶμ in Ἑλωνὶμ, & Κωὶλεθ in Χωὶλεθ convertat, cæteráq; illius quoq; ordinis permulta audacter invertat.

Disseruimus suprà lib. 2. c. 6. de nomine *Jao*, déq; responso Apollinis Clarii quisnam Deorum habendus esset indicantis, sed tam perversè támque malitiosè ut id operam penitus dedisse videatur nè veritatis liquidæ quicquam indè elici aut exprimi posset. Oraculi verba sunt,

Φεύζεο τ῀ πάντων ὕπατον Θεὸν ἔμμεν Ἰάω.
Χείματι μὲν τ' ἈΐδωνῦΔία δ' ἔαρϑ' ἁγεμόνευε,
Ἠέλιον δ' Ἄρεΐδις, μετοπώρῃ δ' ἀζεὰδ Ἰάω.

Cunctorum summus Divorum habeatur Iao.
Hic hieme est Pluto: cùm ver est, Juppiter idem:
Cúmq; æstas, Sol est: cùm autumnus, mollis Iao.

Quibus verbis tantum abest ut *regiam veritatis viam commonstrârit* (quod vult quidam [Sanford. De Descensu, lib. 1. p. 14.]) ut omnino contrà potiùs ab illa quàm longissimè abduxerit. Nam exorsus à verbis ejusmodi quæ Jehovæ supremi Dei Majestatem deceant Psal. 97. 9. & 135. 5. ad extremum (ut videmus) in turpe idolum, Bachum videlicet, palàm desinit. Huc enim spectare ἀζεὰδ, i. *mollem, delicatum, effeminatum*, *Jao* nemo non novit qui Bacchicam mythologiam vel leviter nôrit: nimirum (ut est apud Diodorum Siculum Bibl. hist. l. 3. p. 138.) γενόμενον Διόνυσον τὴ κάλλει διάφορον, τὸ μὲν πρῶτον ἐν χορείαις καὶ γυναικῶν θιάσοις καὶ παιδιαῖς ἀνεστράφη· μετὰ δὲ ταῦτα στρατόπεδον ἐκ τῶν γυναικῶν συναγαγόντα, καὶ θύρσοις καθοπλίσαντα, στρατείαν ἐπὶ πᾶσαν ποιήσασθαι τὴν οἰκουμένην, *Dionysium* (sive *Bacchum*) *fuisse pulcritudine eximiâ; ac primùm quidem in tripudiis & cantibus mulierúmque thiasis ínq; omnis generis luxu lusúque vitam traduxisse; postea verò collecto ex iisdem mulieribus exercitu, quem thyrsis armaverat, expeditionem in omnem terrarum orbem suscepisse & confeciſſe.* Itaque apud Orpheum, magnum illum Mystagogum & Orgiorum Interpretem irrefragabilem, in celebri illo carmine,

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος,
Juppiter est unus, Pluto, & Sol, ac Dionysius,

pro *Jao* perspicuè legitur *Dionysius* sive *Bacchus*. Quocirca agnoscit quidem Dæmon Clarius *Jao* sive *Jehovam*, sed tamen ità ut ἀζεὰδ pariter eundem existimari velit; h. e. Liberum (ut vocant) Patrem, ac licenter utique Liberum, nempe dissolutum & luxuriâ lasciviâque diffluentem. Dionysum autem vel Liberum, ipsum Solem esse, præterea nihil, Macrobius ex eodem Orpheo demonstrat Saturnal. l. 1. c. 18. p. 265.

Ἥλιος, ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσι,
Solem nunc alio Dionysum nomine dicunt.

Et nominis istius notationem declarat. Appellatum quippe narrat Διόνυσον à Græcis ἀπὸ τῆ διννᾶδ, i. *quòd circumferatur in ambitum, ut ipse Vates ait,*

Οὐνεκα δινῶνται κατ' ἀπείρονα μακρὸν Ὄλυμπον,
Per cœli quoniam versat se immania templa.

Eandem etiam ejusdem nominis rationem memorat Eusebius Euang. Præpar. l. 3. p. 68. τὴ χειρολικὴ τ῀ καὶ ἐγκύκλιον κίνησιν, *orbem quasi saltatorium & circularem motum.* Eò autem apertè inclinat Oraculi sententia ut intelligat Lector unum illum Ethnicorum summum Deum, Solem scilicet, quatuor nominibus propter totidem diversos respectus insignitum. Etenim hieme Ἄδης sive Ἀΐδης dictus est Sol, h. e. *Obscurus*, propter diutinam sub terris moram, & debilem lucem ex modica altitudine. Vere Ζεὺς, quia tum *fervere* incipit, quod est ζεῖν, omniáque adventu jam propiore ad hemisphærium nostrum quasi *revivíscere* facit, quod est ζῆν, genetabili præsertim Zephyri, h. e. venti ζωηφόρε, aurâ verno potissimùm tempore crebriùs & leniùs spirante. Æstate Ἥλιος, propter τὴ ἥλιον, i. ejus & *splendorem* & *calorem*, summè tunc vigentem. Autumno denique Ἰάω, propter lætas torcularia calcantium voces atque clamores (ἰὰ siquidem est, Hesychio teste, φωνὴ καὶ βοή *vox & clamor*) & mox sequentia λήναια, *torcularium* videlicet *ferias festúmque*; unde & ipse Bacchus cognominatus est *Lenæus*. Quoniam verò sub idem tempus agi solitum est celeberrimum Judæorum festum, quod vocant *Tabernaculorum*, cum lætis itidem acclamationibus, sæpius ingeminato nomine *Jehova* vel *Jao*, cúmque palmarum, olearum cæterarúmque speciosarum & frondosarum arborum ramis thyrsorum in morem (ut quidem Ethnicis videbatur) solenniter gestatis, suspicati sunt eorum complures, nominatim verò insignis Philosophus Plutarchus Sympos. l. 4. problem. 5. sub appellatione peregrina *Jao* Bacchum à Judæis coli atque invocari. Huic tamen valde refragatur ejus ferè æqualis Cornel. Tacitus, *Quia sacerdotes*, inquit, *eorum tibiâ tympaníſq; concinebant, hederâ vinciebantur, vitíſq; aurea Templo reperta* (cujus etiam mentionem facit Josephus Antiq. l. 15. c. 14. eâmque θαῦμα, h. e. *rem mirandam*, propter

propter magnitudinem, artificium sumptúmque immensum nuncupat) *Liberum Patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati sunt, nequaquam congruentibus institutis; quippe Liber festos latósque ritus posuit; Judæorum mos absurdus sordidúsque.* Os improbum, durum, blasphemum. Alii Saturnum opinantur: *credo propter Sabbati sanctificationem*, inquit Augustinus Tom. 4. De consens. Euan. l. 1. c. 22. *quia isti eum diem Saturno tribuerunt.* Doctissimus Romanorum Varro Jovem putavit, propterea quòd, cùm animadverteret Judæos Summum Deum colere, Jovem autem Regem omnium Deorum arbitrentur Romani, nec quicquam eo superius venerari soleant, nihil aliud potuit suspicari quàm Jovem. Ex hac sententiarum apud Gentes & opinionum de Numine JAO varietate ac discrepantia ortum est illud Lucani De bello Pharsal. l. 2.

——— *dedita sacris*
Incerti Judæa Dei ———

Judæorum enim Deum *Incertum* nuncupat, quòd Ethnici cæci & stupidi illum aliàs Liberum, aliàs Saturnum, aliàs Jovem, aliàs Solem esse existimârunt. Quamobrem nimis alienum est ex alterutro carmine, sive Orphei, sive Apollinis Clarii, gloriosissima veri Dei nomina, pútà *Shaddai*, *Elohim*, *Jehova*, tanquam cognita veteribus illis Græcis, non tantùm de sono sed multò magis de patria & origine Hebraica, extundere velle. Imò aureum Solis Orbem Altissimi loco numerantes & venerantes, aliâ atq; aliâ appellatione, quasi veste, eundem ipsum ornârunt atq; texerunt pro diversa (utì in confesso est) quatuor anni temporum ratione, nullo Hebraicæ derivationis nè levissimè quidem presso vestigio apparente, quin potiùs omnibus ibi ad Græcæ linguæ normam aut ἀναλόγως exactis aut παραλόγως coactis. Nam Ἀΐδης, sive per crasin Ἀδης, ex ἰδεῖν aoristo & α privativo præfixo deduci, tam apertum est ut mirer hominem ullum eruditum vel unum verbum hac de re nobiscum commutare posse. Obscura autem Solis lux adeò apta & congruens est hiemi ut nihil suprá. Porrò vox Ἄδης sive Ἀΐδης ad *Shaddai* referri nequit ab eo qui eandem ad *Adama* priùs retulit. *Dis* verò nomen Latinum quorsum Græcis inferciatur nondum capio: nisi fortè illud quoque ortu Græcum somnietur, quasi ab *Aides* (ut annotatiuncula marginis subindicat) per Aphæresin repetendum. Cùm tamen constet, *Dis* nihil aliud esse quàm *Dives* per Syncopen contractum, nempe ad instar *sis* pro *si vis*, & significatu undique consentaneum esse voci Πλούτων, autore ipso Ciceronе utriusq; linguæ eximiâ peritiâ prædito, De nat. Deor. lib. 2. Restant duo vocabula, Ἰαὼ & Ἠλιῶ, quæ licèt ab Hebræis primò sint accepta, tradentibus scilicet Phœnicibus, antiquissimis Græcorum magistris (Quippe illud suprà l. 2. c. 6. ad יהוה reduximus, hoc ad אלהא. Nam ad אלהים reducere velle, nihil potest ineptius fingi. Etenim apud Græcos terminatio *M* nominis vernaculi nulla usquam exstat; nec in plurali unquam apud Phœnicas) tamen ità adhibentur à Dæmone Ophéoque Interprete ut illico ex ipsa collocatione usúque liqueat, Græcam duntaxat deductionem ab eis spectari, prout antè singillatim & enucleatè perscripsimus.

CAP. 15. *De triplici Ptolemaidis Palæstinæ appellatione,* Accho *scilicet,* Ace, & Acon. *De fabulosa nominis* Ace *ratione. Locus quidam eadem de re explicatus apud Stephanum; alter autem castigatus apud Josephum. De oppidi Ecdippæ Tribûs Aseriticæ vero nomine situque. De Acziba sive Ecdippa altera quæ ad Tribum Judæ pertinet.*

MIrabitur fortasse Lector, quem extremo capite proximo attigimus, crebrum & translatitium Græcorum morem, quo voces peregrinas, v. g. Hebraicas aut Syras, quasi vernaculas planéque Græcas, etymis ex idiomate suo depromptis subindè edisserere & declarare conantur. Exempla ibi proposuimus illustria: Cúmq; alibi alia non pauca animadvertantur, tum maximè apud Philonem, & Græcorum etiam nonnunquam Theologos, partim per inscientiam, partim per allusionem quandam, eámque (si ad rei naturam aperiendam accommodata sit) valde dulcem aliquando atque venustam. Persæpe tamen ridiculus exsistere solet mos ille, cùm ad inanem ineptámque fabulositatem detorquetur. Cujusmodi olim fortè evênit ut legerem apud Stephanum περὶ πόλεων. Illic enim Ἄκη *Ace* citatur urbs Phœnices, quæ à Claudio quodam Julo, vel Julio, vel Jolao (quippe toties variato nomine appellatur) ità dicta traditur quòd ejus Regio Belo amni proxima colocasiæ remedia, τὰ ἄκη, Herculi suppeditârit, cujus lacteo quodam succo sanata sunt mortifera in corpore ipsius ulcera, ex Lernææ Hydræ venenatis morsibus enata. Eâque re Herculem ait in monumentum sanitatis restitutæ urbem Ἄκλω, h. e. *Remedium* sive *Medelam*, nominâsse. Rursus, Πτολεμαὶς, πόλις Φοινίκης· ἐκαλεῖτο δ' πρότερον Ἄκη (accentu in ultima; quod quidem magis probo) ἀπὸ τῆς ἰάσεως τῆ γενομένη δήγματι Ἡρακλεῖ ὑπὸ ὄφεως, *Ptolemais*, inquit Stephanus, *urbs Phœnices. Vocata est autem antea Ace, à sanatione morsûs serpentini qui Herculi accidit.* Utrumque fabulæ. Nomen enim urbis illius antiquum עכו Hebraicæ est non Græcæ originis, Judic. 1. 31. Cholem autem, h. e. ω, longæ vocalis, in ν mirificè transfiguratæ hanc, eámque probabilem, rationem afferre licet, Quòd Græci, cùm nomen hoc à Syris acciperent sive Phœnicibus, qui Act. 21. 7. עכו *Acu* pronunciant, ipsi itidem per υ Ἀκκὺ proferebant, facilè verò deinceps Ἀκὺ in Ἀκὶ, & hoc in Ἀκὴ, propter consimilem & communem trib⁹ istis literis notabilem soni exilitatem, corrumpi potuit. Brochardus *Acon* appellat (ut & hodie vocitari solet) ex idiotismo (ut videtur) Græcorum, qui nomina peregrina in ω definentia ferè adjecto ν efferre consueverunt, ut *Cicero* Κικέρων, *Cato* Κάτων, &c. Nam castissima & emendatissima nominis pronunciatio est Ἀκχὼ, ut in Bibliis Romanis præclarè habetur Judic. 1. 31. itidémque in Vulgata editione Latina *Accho.* Non tamen respuenda est altera Ἀκὴ, Plinio quoque l. 5. c. 19. similiter *Ace* dicta, quoniam non ità multùm à vero distat. Penitus autem explodenda est vox Ἀρκὴ apud Joseph. Antiq. l. 5. c. 1. p. 125. etenim depravata est haud dubiè, ρ perperàm inserto. Siquidem urbs Ἀρκὴ, quæ paucis pòst versibus commemoratur, maximè diversa est, non ad Carmelum montem sed ad Libanum posita.

Neque solùm vitiosum ibi habetur vocabulum Ἀρκὴ, sed etiam Ἀκτιτὴς pariter mendosum: atq; adeò clausula ipsa quâ utrumque comprehenditur, licèt brevissima & paucissimorum verborum, non minùs corrupta exstat, librarii temeritate & incuriâ. Hæc tamen omnia Interpretatio Latina, quanquam absolutissimè edita (si fronti titulóve credimus) nihil quicquam ulla ex parte mutata, retinet: *In hac portione*, inquit, Antiq. l. 5. c. 1. pag. 60. *fuit urbs Arce, alio nomine Actipus.* Prorsus eodem pacto quo in Græca vitiosè legitur, Ἀρκὴ πόλις ὑπῆρχεν ἀνήκουσ' ἐν τῇ μεσόγαι, ἣ κ) Ἀκτιτής. Monstrum nominis. Illud certè dicere voluit Ἔκδιππα Ptol. Geog. l. 5. c. 15. Hebraicè אכזיב *Achzib*, Jos. 19. 29. Judic. 1. 31. Facillimè autem clausulæ adhibetur remedium, unicâ duntaxat voculâ, quæ leviculæ curationis indigebat, nullo negotio persanatâ, ad hunc modum, Ἀκὴ πόλις ὑπῆρχεν ἀνήκουσ' ἐν τῇ μεσόγαι, ἣ κ) Ἔκδιππα, *Ace urbs in eorum portione inerat, in qua etiam Ecdippa.* Id quod commodissimè explicatur simul & confirmatur ab Hieronymo in Locis Hebraicis, *Acziph*, inquit, *in Tribu Aser. Hæc est Ecdippa, in nono milliario Ptolemaidis, pergentibus Tyrum.* Statim intelligitur ex mediocri intervallo Ecdippam ad eandem Aseritarum sortem pertinere ad quam & Ptolemais, præsertim cùm Tyrum versùs, hoc est, ad Septentriones, indè spectâsse dicatur. Quàm verò promptum sit mutare ב vel β in π, neminem, opinor, fugit. Item τ aut ζ quàm citò vertatur in δ, passim docent Grammatici in verborum conjugationis quartæ futuro secundo & præterito medio formando: nec non Dores,

cùm pro ζω per Metathesin efferunt σδω· denique Latini, qui à βάζω deducunt *vado*, aliáque ejusdem generis similiter nonnulla.

Postremò, non prætereundum est nè id quidem, alteram etiam fuisse Aczibam sive Ecdippam, Austrálem, ab hac, quæ Septentrionali terræ Israeliticæ termino propior erat, longè remotam, & sorti Judæ olim attributam, Keilæ vicinam, neque multùm Accarone dissitam; de qua Jos. 15. 44. Quod ideo breviter in transcursu monendum duximus, nequis hâc istius cum illa nominis communitate & ambiguitate deceptus urbes diversissimas inter se confunderet, & utramque eandem existimaret.

CAP. 16. *De Halabarcha & Arabarcha. De vetusta Animalium pecorúmve traductione Arabica & Ægyptia. Locus in Antiq. Josephi emendatus. Alabarches quis sit ex sententia Cujacii; quæ paulò accuratiùs expenditur: Nostra dein explicatur & cum Cujaciana confertur.*

SUperiore capite paucula quædam apud Josephum purgavimus, à scriptoribus librariis inquinata. Ac permultis quidem ejusmodi mendarum quasi maculis aspersa est pulcerrima illa & splendidissima Historia. Sunt & nonnulla illic difficilioris interpretationis vocabula; quæ ut diligenter à viris doctis sint exposita, non tamen usquequaque vacant obscuritate si exactiore lance aliquamdiu pensitentur. In his mihi sanè numerandum videtur nomen Ἀλαβάρχης vel Ἀλλαβάρχης, aut Ἀεραβάρχης· tot namque inveniuntur diversæ lectionis genera. Horum medium, Ἀλαβάρχης, reperitur in Historia Ecclesiastica Eusebii à Ruffino in sermonem Latinum versa: quippe *Salis præfectum* reddidit, perinde quasi ἁλαβάρχω in Græco legerit. Quam lectionem, ut nullâ ferè ratione fultam & singulari ipsius testimonio nixam, meritò repudiandam censemus. Unde enim infertam conjectemus literam β; aut cur non potiùs ἁλιάρχω eum legisse suspicemur? Duo autem extrema integra atque incorrupta haud temere haberi possunt. Ab Ἀεραβάρχης *Arabarches* derivatum est *Arabarchia* vocabulum, quod in Codice Justiniani Imperatoris commemoratur lib. 4. Tit. 61. & in plerisq; ferè omnibus exemplaribus (quanquam nihil proclivius quàm migrare ρ in λ) perspicuè scriptum exstat: eóque magìs inviolatum servandum ac retinendum arbitramur; maximè cùm sensum gignat commodum, legísque, ubi adhibetur, sententiæ congruentem. *Arabarchiam* igitur ab *Arabarche* quemadmodum *Dynastiam* à *Dynaste* formatum cum Lilio Gyraldo opinamur, ut *Arabarches* dicatur Præfectus Arabiæ, Ægypto conterminæ, cui delegata erat cura exigendi per ministros suos vectigalis quod pendere solebant qui animalia ex Arabia in Ægyptum, vel ex Ægypto vicissim in Arabiam, ulteriorésque regiones traducebant. Est enim Arabia quàm proximè Ægyptum sita, imò quasi insita penitus & immista Ægypto. Cui rei testimonio sunt *Arabes Autéi* haud procul Pelusio, Plin. l. 6. cap. 29. Item Arabiæ Nomus, vicinus Heliopolitæ, ubi regio *Rameses* dicta in S. literis Gen. 47. 11. alendo pecori aptissima. Et Arabes Ægyptii, ad quos confugiens Chæremon Episcopus grandævus, unà cum uxore, nusquam postea comparuit, Euseb. Eccl. hist. l. 6. c. 42. Præterea Arabas rei pecuariæ studiosissimos fuisse, & horum in pecore divitias exstitisse, confirmant Strabo, Plinius, & historiæ cùm profanæ tum sacræ 2 Par. 17. 11. & 2 Reg. 3. 4. Equorum denique traductionem ex Ægypto (quos illa generosissimos copiosè quondam progenuit, & quibus plurimùm confisa est Isa. 31. 1, 3.) eísque impositum vectigal, Scripturæ sanctæ monumentis mandatum legimus 1 Reg. 10. 28, 29. Hanc ergò rationem & nominis & muneris Arabarchæ satis idoneam existimamus.

Quod autem ad Ruffini interpretamentum attinet à Lilio adductum Dialog. 29. (*Ruffinus*, inquit, *in tertio Judaicæ Antiquitatis volumine Arabarchin summum Hebræorum Sacerdotem vocari interpretatur*) & apertè mendosum & à proposito prorsus alienum judicemus. Verba Josephi in Græco vulgato hæc sunt Antiq. l. 3. c. 8. Γίνονται δὲ καὶ τοῖς ἱερεῦσιν στολαὶ παῖσι τοῖς ἄλλοις, ἃς Χαναίας καλοῦσι, καὶ δὴ καὶ τῷ ἀρχιερεῖ· ὃν Ἀναεραβάχλω προσαγορεύουσι· σημαίνει δὲ ἀρχιερέα, *Fiunt autem stolæ cùm Sacerdotibus aliis omnibus, quos Judæi Chanaas vocant; tum etiam ipsi Pontifici, quem Anarabachen appellant. Significat autem nomen illud, principem sacerdotem.* Quis linguæ Hebraicæ Syriacæve (Judæis tum vernaculæ) tam imperitus, qui non statim persentiscat utrobique mendum inoleviſſe, levius illic, gravius istîc? Nam quos Hebræi כהנים, Syri כהנין dicunt, vel כהנא. Hinc priore loco χαναίας corruptè legitur pro χαανίας, aut χαανή. Quem autem Hebræi כהן הגדול, aut potiùs (quod propriè sonat Græcũ ἀρχιερεὺς) כהן הראש, appellare solent 2 Par. 24. 11. Syri רב כהנא passim vocitant Mat. 26. 63, &c. Hinc posteriore loco βαβάχλω (nam supervacaneum ἀνα omnino est abjiciendum, quod ex præcedente ὃν vitiosè repetito natum vocabuli initio adhæsit) in libris vulgatis, inverso ad calcem vocabuli literarum ordine, perperàm habetur pro βαβχαανή· quâ scripturâ nihil sincerius esse arbitramur.

Restat jam vox ἀλαβάρχης, quam vir doctissimus Cujacius Observ. l. 8. c. 37. explosâ & ejectâ ἀεραβάρχης, itémque ἀλαβάρχης, solam retinendam decrevit. Est autem *Alabarches*, illius judicio, *Magister scripturæ*. Quippe ἄλαβα, interprete Hesychio, est μέλαν ᾧ γράφομεν *atramentum quo scribimus*. Quare ἀλαβάρχης, si verbum pro verbo reddatur, *atramenti præfectum* designat. Atque hoc primùm non ità valde placet. Etenim deridiculi nescio quid & jocularium atque contemnendum sonare videtur nomen illud; aliàs splendidum, & viris amplissimæ dignitatis seriò tributum, quod minimè quadrat. E. g. Semel atque iterum à Josepho [Antiq. l. 18. c. 20. & l. 20. c. 3.] perhonorifica fit mentio Alexandri cujusdam, qui καθ' ἑξοχὴν nominatur ὁ ἀλαβάρχης, *Alabarcha ille*. Cujus fratrem narrat fuisse Philonem Judæum, eloquentiâ studiisque doctrinæ & autoritate longè principem virum: Filium verò ejus, *Tiberium* nomine, Fado Judææ Procuratori in eundem summæ dignitatis gradum successisse. Ullámne ergò amplitudinis accessionem factam censeamus ornatissimo viro ut ex etymi Cujaciani ratione ὁ ἀλαβάρχης, h. e. *Magister ille atramentarius*, appellatus esse dicatur? Profectò manifestæ decessionis hæc est, non accessionis appellatio. Præterea, quòd idem refertur ἀλαβαρχήσας ὁν Ἀλεξανδρεία, *Alabarcha magistratum* (non *magisterium* scilicet) *gessisse Alexandriæ* (ità namque & quidem appositè vertit Interpres) quomodo ad *Magistrum scripturæ* sive *atramenti* pertineat nondum video. Neque enim Magistratus is est qui vel *in belluas*, ut ait ille Terentianus Thraso, nempe in Elephantos, nedum in cæteras pecudes, sed in homines, eosdémque etiam præcipuè liberos, imperium & potestatem habet. Insuper si *Alabarchia* circa traductionem animalium & vectigalia indè exigenda olim versata ponatur, civitati certè Alexandriæ neutiquam congruit; quippe illic ejusmodi commercium animalium sive pecorum traductorum neque factitatum unquam nec institutum memoratur; addo nec institui potuisse, ut urbis Alexandrinæ positio satìs ipsa per se demonstrare & confirmare queat. Nam ab Austro imminebat lacus geminus, mediocris quidem Mareotis, latissimus autem Mœris; ab Ortu septem Nili fluenta Ægyptum universam intersecabant; à Septentrione mare quod vocant Mediterraneum omni ex parte prætentum firmissimum obicem opponebat. Hæc Prophetæ Nahumi verbis 3. 8. valde sunt consentanea: is enim ad eundem plane modum Alexandriam describit, *sitam* videlicet *inter rivos*, *aquis circumdatam*; *cujus propugnaculum est Mare*. Hactenus igitur apparet incommodissimum fuisse tractum Alexandrinum Alabarchæ illius quem statuit Cujacius muneri obeundo & exsequendo: quomodo enim cogeret vectigalia traductionis nomine, cùm per aquas passim obstantes & impedientes nusquam

greges

greges aut armenta traduci possent? At, inquies, saltem ab Occasu liberrima suppetebat ultro citróque commeandi facultas, pecoráque numerosa traducendi, & quidem consuetudine vetustâ atque usitatâ. Minimè verò. Id nempe nè fieret, prohibebat solitudo ingens adjuncta ac propè continens, cui *Barcha* nomen. *Hæc enim extendit se*, inquit Leo Africanus testis oculatus, Descript. Africæ, lib. 6. fol. 232. b. *Orientem versùs ad confinia usq; Alexandriæ loca; sic ut longitudine mille & trecenta, latitudine verò ducenta ferè capiat milliaria. Desertum est asperum, aquâ atque frugibus infelicissimum.* Quamobrem urbs Alexandria, quæ Alexandro Alabarchæ sedem ibi fixam & honoratam præbuit, *Magistro atramenti* nullam concedit. Neq; enim est, præterquam nugas vitámque inertem, quod illic omnino agat. Ad extremum, illud etiam atque etiam animadvertat Lector, *Magistrum scripturæ* ex ordine Publicanorum esse, h. e. ministrorum Romani Imperii, qui certo constituto pretio vectigalia à fisco conducebant. Hi verò quàm odiosi, quàm detestabiles quámq; exsecrandi per ista tempora Judæis habiti fuerint, nemo est qui nesciat, nisi si quis forsan Historiæ Euangelicæ idem est nescius. Jam verò pietatis in Deum & conservatæ religionis patriæ testimonium amplissimum Alexandro Alabarchæ dedit Josephus Antiq. l. 20. c. 3. in hæc verba, ὃς διαφέρων ἦν τῇ πρὸς τὸν Θεὸν εὐσεβείᾳ τὸν παῖδα Ἀλεξάνδρου· τοῖς γὰρ πατρίοις ἔθεσιν ἐμμένειν ἐσπούδαζεν, *qui etiam pietate erga Deum filio Alexandro præstitit; ut qui instituta moréque patrios deseruerit.* Nam Alexander iste filius, in totum desertor (ut videtur) Judaismo, Judææ Procurator est designatus. At quantus & quàm sordidus turpísque desertor existimatus fuisset pater, si Publicanus fieri sustinuisset?

Nam si violandum est jus, regnandi gratiâ
Violandum est,

ut ait Eteocles apud Euripidem, Cic. Offic. l. 3. Imò contrà pietate excelluit, accepta à majoribus instituta constanter retinuit. Dubium igitur non est quin aversatus sit toto pectore Publicani munus. Atqui suscepisse Alabarchæ munus explêsse constat. *Alabarches* ergò *Publicanus* non est. Quocirca nec *Magister scripturæ* est *Alabarches.*

Hæc & hujusmodi nonnulla (nam natales nominis ἀλαβάρχης mitto nunc scrutari) ubi mecum ipse paulò diligentiùs reputâssem, clarissimi viri sententia, quæ antehac mirum in modum placuerat, minùs dein minúsque placere cœpit, donec tandem instigante (ut fit) veri inveniendi cupiditate, probabiliorem (quoad ejus fieri posset) investigare sum aggressus. Quam me penitùs assecutum polliceri non ausim; vehementer certè conatum, ingenuè profiteor. Rem omnem paucis complectar. Principio recordandum est, nos de Orientalibus nunc gentibus agere, Arabibus scilicet, Judæis, Syris, déque negotiis apud eos gestis. Itaque minimè mirandum si verbis illorum propriis tum personæ tum negotia ipsorum subindè enunciata inveniantur. Vulgari sermone tritum est Syris vocabulum חלף, idémque Arabibus commune, & ab Hebræis ortum. Significat autem ἀντὶ, h. e. *pro*, sive *loco* aut *vice*. Familiare etiam est Syris ארכן, & in compositione ארכא, similibus Græcis utrumque respondens, nempe ἄρχων, & in compositione ἀρχὴς & ἀρχῶν. V. g. τετράρχης Mat. 14. 1. Syriacè טטרכא dicitur, & χιλίαρχος Act. 21. 31, &c. כילרנא. Quapropter ex duabus istis vocibus conflatum auguramur nomen Syris & Hebræis vernaculum חלף ארכן, vel חלפרכא (mutat autem ἀλαβάρχης ב in β, quod vulgatissimum est) i. *Qui vice Principis fungitur, Qui vicarium principatum tenet*, ad verbum, *Qui pro altero*, aut *loco alterius, Princeps est.* Planè ut à Grammaticis declaratur ὕπαρχος, nimirum ὁ ὑπ' ἄλλῳ ἄρχων, ὁ μὴ ὢν αὐτοκράτωρ, *qui propriam ac suam potestatem non habet, proinde nec liberam summámve, sed aliunde acceptam, nempe à rege, vel Imperatore.* Sciendum est porrò, Judæis Alexandriam (ut & Antiochiam) incolentibus præcipuè indultum antiquitus à Regibus Græcis, & postmodum ab Imperatoribus Romanis, ut æquo & pari cum cæteris civitatis jure uterentur, delectúnque haberent ex sua gente Præsidem cui parerent, exempti videlicet jurisdictione & potestate Præsidis Regii ac Imperatorii. Hunc autem Magistratum Josephus De Bello Jud. l. 7. c. 21. Lat. 9. Græc. vel Græcorum more, aliàs ἄρχοντα vocat, ἦν γὰρ ἄρχων τῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ Ἰουδαίων, *Erat enim Princeps apud Antiochiam Judæorum*, inquit, de patre Antiochi loquens perditissimi illius apostatæ; aliàs ἐθνάρχης, h. e. ἄρχοντα τοῦ ἔθνους, *gentis Judaicæ Præfectum*; id namque denotat τὸ ἔθνος, ut Luc. 23. 2. Joh. 11. 48, 50. atque alibi. Exemplum occurrit luculentum Antiq. l. 19. c. 4. in verbis Edicti Imperatoris Claudii, quod in Judæorum Alexandrinorum gratiam nominatim impetravit Rex Agrippa, ἐπεὶ γὰρ τελευτήσαντος τοῦ Ἰουδαίων ἐθνάρχου, ἃ Σεβαστὸν μὴ καταλυθέντα ἐθνάρχας γίνεσθαι, *Cùm mihi cognitum & compertum sit, defuncto Judæorum Ethnarchâ, Augustum non vetuisse alios deinceps Ethnarchas fieri*, &c. Eodem ferè pacto Simon, Macchabaici nominis gloria, sæpius appellatur ἐθνάρχης τῶν Ἰουδαίων, *Princeps*, aut *Præfectus, gentis Judæorum* 1 Mac. 14. 47. & 15. 1, &c. ut cui summa in suam gentem potestas permissa esset à Regibus Syriæ. Erat ergò Simon ὕπαρχος τῶν Ἰουδαίων. Nam hæc duo verba, ὕπαρχον dico atque ἐθνάρχην, sono magìs quàm sensu inter se discrepant. Ac tantundem ferè valet ἐθνάρχης ab Apostolo usurpatum 2 Cor. 11. 32. ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως, h. e. ὕπαρχος, extentâ paulò ulteriùs significatione, & ad gentem proximam & consanguineam, Arabum scilicet, (quæ eadem ferme habebatur) traductâ. Vel Syrorum more חלפרכא, i. ἀλαβάρχην *Alabarcham*, eundem Magistratum dicit Josephus. Est autem *Alabarcha* (ut suprà ostendimus) qui Majestatis Imperatoriæ vicem apud suos obtinet, in illis potissimùm locis ac urbibus ubi Judæi peculiari illo libertatis ac exemptionis, quam diximus, jure potiebantur. Huic nomini significatione par est & geminum aliquantò quidem recentius, sed tamen omnium, præsertim apud Arabas, sermone celebratissimum, vocabulum *Chalipha*, ab eodem Hebræorum Syrorúmve themate חלף derivatum. Etenim nihil aliud sonat quàm summi eorum Prophetæ & Monarchæ, Mahometi, Vicarium & Successorem in Imperio, Arabiæ præcipuè, gentísque Arabicæ. *Locum tenens* vulgari, Lieutenant similiter Anglicano sermone perhibetur. In hac nominis istius deductione atque significatu omnia inter se pulcrè conveniunt. Apparet enim Magistratum summi honoris dignitatísque fuisse. Nihil hìc ridiculum, nihil humile, nihil sordidum; omnia severa, sublimia, magnifica. Neque hìc quicquam quod à vetustis Judæorum moribus & religione abhorreat, sed unumquodque mirè consonum & consentaneum. Quòd si alibi ἀλαβάρχης, alibi verò ἀλαβάρχης scriptum legatur, est & illud Græcis valde usitatum & vulgare, qui literam Hebraicam ח partim aspiratè partim leniter passim proferre solent.

CAP. 17. *Quid valeant verba illa Luc. 2. 49.* ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με, *quæ accuratissime à Syro Interprete expressa esse ostenduntur. Loquendi formula demonstratur ex Chrysostomi verbis maximè geminis. Ejusdem Interpretis Syri vocabulum* קסטונרא, *quo vox* κτῶσθαι *Matth. 27. 65. appositè ab ipso redditur, quid propriè sit atque significet declaratur. Tremellii error notatur. Nomen* קיסטון *& mendosum & prave expositum à Munstero primùm, dein à Schindlero, ex Baal Aruch corrigitur & explicatur.*

PARAPHRASIN Syram in perplexis quibusdam atque impeditis, propter archetypi Græci ambiguitatem, quam nec Arabica nec Latina Interpretatio explicat, felicissimè subindè collineantem animadvertimus. Id quod exemplo saltem uno, quasi dato arrabone, docere & confirmare libet. Locus autem ad manum suppetit satìs aptus Lucæ 2. 49. ubi B. Virgini de gravissima quâ angebatur tum ipsa tum Josephus solicitudine, vestigando ubique Filio suo Domino nostro Jesu, vehementiùs expostulanti, respondit idem Dominus, *Quid est*

quod quærebatis me? ὐκ ἤδειτε ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με; Græca hæc prorsus ambiguum quiddam sonare videntur. Illud tamen non solvit Arabs, quem hîc exemplari Græco adhæsisse, nec Syriacum spectâsse res ipsa indicat, sed totidem verbis redditum in medio reliquit, אמא חעלמאן אנה ינבעי אי אן אכון פי אלדי לאבי. *Nónne scitis ambo quòd requiritur ut sim in iis quæ sunt Patris mei?* Eodem pacto Latinus, *Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt oportet me esse?* Itidem Beza, *An nesciebatis oportere me in iis esse quæ Patris mei sunt?* Piscator verò, Castalionem imitatus, distinctè exposuit, *in negotiis Patris mei oportere me esse*, animo quidem optimo, veruntamen modo (quod viri eruditi pace dixerim) parùm exacto & exquisito. Nam ut demus rectè dici τὰ ἐν τοῖς πράγμασι negotia obire vel *administrare*, quis, obsecro, dederit τὰ ἐν τοῖς idem valere, aut unquam Græcè loquentibus usitatum fuisse? ac non potiùs inauditum, insolens, absonum existimet? Insuper dubium non est quin ad verba matris accuratè responderit Dominus; illa autem non de negotio aliquo, sed de loco verba facit, *Ecce*, inquit, *pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Quæruntur enim quæ extra locum suum aut sunt, aut esse putantur; contrà, quæ in loco suo sunt, ineptum est quæri. Justè itaque & acutè parentes suos reprehendit Dominus verbis illis, q.d. Quorsum verò tot in locis tantâ curâ, tanto labore, sursum deorsum cursitantes, me tamdiu quæritâstis? quasi viarum scilicet inscitiâ imprudens aliquò deflexerim aut aberrârim. Imò vos potiùs imprudentes, qui me nè transversum quidem digitum (ut aiunt) usquam aberrantem, sed in loco mihi maximè proprio constanter & assiduè versantem, in locis extraneis & alienis tantopere quæritaveritis. Quamobrem multò omnium clarissimè aptissimèque sententiam contextûs Sacri expressit Syrus hisce verbis, דבית אבי ולא לי דאחוא ליו ידעון אנתון. *Nónne sciebatis quòd in domo Patris mei oportet me esse? Domum Patris* vocat Templum, sanctissimo & multiplici pietatis veræque religionis exercitio Divinitus destinatum; omnino prout Joh. 2. 15, 16. cùm *facto è funiculis flagello vendentes & ementes è Templo ejiceret, Nè facite*, inquit, *domum Patris mei, domum mercatûs.* Ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου ad verbum denotat *in locis Patris mei*, h. e. in æde, sive in domo. Nam articulus pluralis neutri generis in hac loquendi formula idem planè valet atque in illa, Joh. 19. 27. *recepit eam εἰς τὰ ἴδια in sua*, ut fideliter quidem sed obscurè reddit V. Interpres; dilucidè autem Beza, *recepit eam domum suam.* Porrò locutionis Græcæ eodem prorsus sensu usurpatæ, quem doctissimè observavit Paraphrastes Syrus, exemplum clarissimum exstat apud facundissimum & politissimum autorem Chrysostomum, Serm. in Gen. 52. Πῶς ἀπελαύεις ἃ δίκαιον; ὐκ οἶδα ὅτι ὅπου ἂν ἀνῇ ἀπελθεῖν συμβαίνῃ, ἐν τοῖς τοῦ δεσπότου τοῦ ἑαυτοῦ δεῖ αὐτὸν ἀνάγκη; *Quónam expellis justum? an nescis quocunq; ei acciderit ut proficiscatur, necesse esse ut sit in iis locis quæ ipsius sunt Domini?* Ità est profectò: siquidem Domini est universus terrarum orbis. Prorsus eadem hîc phrasis cernitur apud Chrysostomum quam antè apud Lucam annotavimus: Atqui posterior necessariò intelligenda est de loco; Ergò & prior; id quod interpretationem Paraphrastæ à nobis expositam non solùm credibilem & verisimilem sed planè veram & germanam esse egregiè demonstrat.

Parem ejusdem Paraphrastæ εὐστοχίαν sive *conjecturæ dexteritatem* animadvertere licet in voce κυστωδία declaranda Mat. 27. 65. quam eò libentiùs mihi explanandam suscepi quòd utriusque cõtextûs Interpretes genuinam nominis utrobiq; adhibiti vim penitus assecuti non videantur. Piscator κυστωδίαν interpretatus est *custodes milites*, nimirum ex indicio, c. 28. 4. Sed quia pro munerum ratione varia erant custodum militarium genera, aliiq; mortuis, ut hîc, alii vivis, ut Act. 28. 16. additi, non satìs distincta est expositio illa. Beza, *præsidiarios milites, Templi custodiæ designatos. Collocatum autem* ait *hoc præsidium ad Templum in* castello *Antonia* dicto. At parùm probabile est, præsidiarios milites, relictâ Templi custodiâ, quam cùm interdiu, tum maximè noctu, assiduam agere debuissent, procul indè obscuro in loco apud mortuum desedisse. Syrus Paraphrastes קסטונרא. Atq; hoc vocabulum clarissimus Interpres Tremellius idem auguratur esse ac κυστωδίαν in Græco, & utrumque à Latino *custodia* profectum. Verùm pro certo habemus, à veritate longiùs abesse quod opinatur. Nam & puncta vocalia discrepant, præsertim initio utriusque vocis, hîc *ou* aut *u*, illic *e*; & numerus dispar, hîc singularis, illic pluralis; & consonantes omnino diversæ, hîc *d*, illîc *n* & *r*; adeò ut mirari subeat, oculatissimum virum tantam discrepantiam non pervidisse.

Mihi verò quàm poteram diligentissimè investiganti quid propriè valeret vox illa à Paraphraste usurpata, tandem manifestò deprehendi קסטונרא esse vocabulum Latinum *Quæstionarii* notatum in Lexico illo pererudito & perveteri quod in Appendice Thesauri sui H. Stephanus edidit. Nihil hîc absonum, congruente insigniter non tantùm elementorum sono sed etiam (quod caput est) significatione simul ipsâ. Quippe (ut breviter & enucleatè idem Lexicographus enarrat) *Quæstionarii sunt βασάνων ὑπηρέται tormentorum ministri*, h. e. σωματοφύλακες sive *satellites* (Nam ex istorum numero eligebantur: ac idcirco quem Marcus σπεκυλάτορα nominat vel *spiculatorem*, Syrus אספיקלטרא, Thargum Hierosolymitanum ספקלטור, & δήμιον sive *carnificem* fuisse liquet, Suidas δορυφόρον, i. *satellitem*, exponit, spiculo scilicet armatum) qui Præsidibus apparebant, ut hi illorum ministerio uterentur ad quæstionem habendam ac tormenta inferenda, quibus non solùm veritas erueretur, sed etiam damnati plecterentur. Hos ergò quis non videt maximè idoneos fuisse custodes mortuorum, qui ab ipsis torti fuerant aut supplicio mactati? præsertim cùm horum capitali periculo lueretur, si quis parùm cautè minúsque graviter tortus aut supplicio affectus, vitâ viribúsque postmodum casu aliquo recuperatis, evasisset, & extremam debitámque pœnam non persolvisset?

Sebastianus Munsterus in Dictionario Chaldaico קיסטון Latinè *carnificem* reddit: Munsteri vestigiis insistens, itidem Schindlerus in Lexico; vitiosè proculdubio uterque. Nam apud Baal Aruch (cujus autoritatem Munsterus se profitetur sequi) vocem קיסטון nusquam, sed קייסטור scriptam invenimus, nimirum non literâ ן sed ר terminatam. *Carnificem* autem eodèm loci magis ספקלטור esse patet, cujus erat (ut ibi habetur) להחריב ולחת לטבח *disperdere & dare occidioni* vel *mactationi.* Ei verò qui קייסטור appellatur, secundùm verba Ezechielis, atramentarium Scribæ illîc assignatur. Id nempe innuere voluit Lexici autor, קייסטור Magistratum esse & Principem virum, cujus acta publicis literis consignari oporteret. Quare omnino hic est Romanorum *Quæstor*, & per Syncopen *Quæstor* dictus, *qui quæstioni habendæ præerat rebus q; capitalibus*, ut Pomponius in Digestis lib. 1. tit. 2. docet; Vir utique primariæ autoritatis, non minister aliquis, qualis erat Quæstionarius ille satelles, qui Quæstore longè inferior erat ejúsque imperium exsequebatur.

CAP. 18. *Mendum fœdissimum emaculatum & sublatum ex Interpretamento quodam Aquilæ apud Procopium Isaia 40. 7, 8. Aquila præclara linguæ Hebraicæ eruditio commendatur atq; defenditur contra iniquissimam Jo. Curterii calumniam. Quid valeat δόλιεψις, quid item δολιεῦσαι apud Græcos; necnon quid* חנא *synonymum apud Rabbinos & Chaldæos.*

LOngè latéque pervagata & omnium ferè communis linguæ Sanctæ superioribus seculis inscitia in accuratissimis alioqui veterum Interpretum versionibus, Lxx dico, Aquilæ, Symmachi & Theodotionis, errores non paucos sed multos, non leves sed graves, atq; adeò fœdos, tetros ac planè prodigiosos peperit; addo etiã prorsus inextricabiles, nisi admirandâ Dei clemẽtiâ Idiomatis Hebræi, nunquã satìs pro dignitate usúq; laudati, scientia facilis, frequens & cunctis jam exposita præluceret. Eâque (ut par est) prælucente, mirum quantulo quámque nullo sanè negotio, quæ impeditissima ac omnino insolubilia videbantur, expeditissima statim

ſtatim & explicatiſſima reddantur. Corruptionem ejuſmodi inſignem nuper mihi contigit ut deprehenderem apud eruditiſſimum Scriptorem Procopium in Commentariis quibus Iſaiam Prophetam illuſtrat; idque prolatis non ſolùm variis Eccleſiaſticorum Doctorum expoſitionibus, ſed vetuſtorum etiam Interpretum (quorum antè meminimus) verſionibus, quas diligenter expendere & cum Lxx conferre, & pro diverſis earum ſenſibus (quos plures & diverſi ſubindè Hebraicorum verborum ſignificatus ſuppeditant) alias atq; alias expoſitiones accommodare ſolet; diſcrepantes quidem illas identidem, quod ad ſpecialem ſive peculiarem loci cujuſque ſententiam, pulcrè autem congruentes, quod ad generalem & communem attinet, pietati fideique ſemper analogam. Quem eundem Scripturas Sacras explanandi morem B. Hieronymum ubique imitatum videmus, utiliſſimum certè, & clariſſimo ſanctæ & eruditæ Antiquitatis exemplo corroboratum. At hic, quanquam non ità dudum redivivus, in deſuetudinem jam paulatim abire incipit, partim per delicatiſſimum quorundam faſtidium, partim per inertiſſimam aliorum ignaviam, partim imò plurimùm per ſuperbiſſimam Romani Pontificis tyrannidem. Quâ factum cernimus ut excluſis & eliminatis tranſlationibus cæteris, etiam ipſo Hebraicæ veritatis Prototypo, verſio Latina vulgata duntaxat Divinum quendam principatum obtineat, &, apud Pontificios præſertim, in tota ratione Theologorum, ſola utramque paginam faciat. Sed hac de re aliàs fortaſſe commodiùs. Nunc verò quod agitur agamus.

Locus ille apud Procopium, de quo dicere inſtituimus, eſt cap. 40. Iſaiæ ver. 7, & 8. in Aquilæ interpretamento quodam. Verba Procopii hæc ſunt, triplicem trium Interpretum verſionem ibidem citantis, καὶ ἡ τὸ Ἑβραϊκὸν, χόρτον κλῶ φησὶν Ἰουδαίων λαόν· ὁ δὲ Σύμμαχος καὶ Θεοδοτίων ἐν περιττῇ φασὶν, Ἀληθῶς χόρτος ὁ λαὸς· ἐξηράνθη ὁ χόρτος, ἐξέπεσε τὸ ἄνθος· ὁ δὲ Ἀκύλας, Πλὴν ὅτι ὁ λαὸς ἐξηράνθη, πλὴν ὅτι ἀπέῤῥυσεν ἄνθος; Hæc hunc in modum Latinè reddidit Johannes Curterius, qui magno ſtudioſorum bono Græcum Procopii exemplar primus excudendum & divulgandum curavit, *Quòd ſi ad Hebraica attendas, Fœni nomine Judæorum populum ſignificari reperias, cùm Symmachum & Theodotionem tanquam per appendicem*, VERE FOENUM POPULUS. EXARUIT FOENUM, EXCIDIT FLOS, *habere*; *Aquilam autem*, APUD QUEM EXARUIT POPULUS? APUD QUEM EFFLUXIT FLOS? *quærere videamus.* Illud ἐν περιττῇ *in morem additamenti* quid ſibi velit oſtendit Hieronymus Com. in Eſaiam l. 11. c. 40. 7, 8. *Hoc quod aſteriſcis notatur*, VERE FOENUM EST POPULUS: ARUIT FOENUM, CECIDIT FLOS, *ex Hebraico & Theodotionis editione additum eſt. Ex quo manifeſtum eſt vel à Lxx prætermiſſum, vel paulatim ſcriptorum vitio abolitum, dum & prior & ſequens verſus finitur in Flore.* Aquilæ autem Interpretatio turpiſſimo mendo corrupta, ex eleganti, accurata, exquiſita in tetram, inertem, abſurdam mutata & depravata eſt. Atq; hanc tantam maculam non eluit, nec eluere conatus eſt, præſtanti (ut exiſtimatur) eruditione vir, Curterius Interpres. Imò nè appoſitâ quidem, pro conſuetudine ſua aliàs, ad oram libri notâ, Lectori diſpiciendam exhibuit. Quin potiùs ſcripturam illam totam ut incorruptam, integram, nec opis medicæ indigentem ſecurus admiſit; atq; adeò vitium, quod inest, ingens non modò non coarguit ſed auxit etiam & confirmavit, cùm de ſuo adderet *quærendi* ſive *interrogandi* verbum, quod apud Procopium non reperitur, ut miſerrimum ſenſiculũ ſuum aliquo vel tenuiſſimo probabilitatis tectorio incruſtaret. Sed fruſtrà eſt. Neq; enim fieri poteſt ut ullus ex hiſce verbis, *Apud quem exaruit populus? apud quem effluxit flos?* ſenſus eruatur qui aut per ſe conſiſtat aut cum præcedentibus conſequentibúſq; cohæreat, niſi & mendoſiſſima ſcriptura corrigatur & interpunctio æquè vitioſa in integrum reſtituatur. Quod non ità difficulter fiat, ſi ſyllabæ divulſæ, περ σ vel potiùs περασ (nam α in ο corrumpi tritiſſimum eſt) & ον, quæ in præpoſitionem & articulum mirificè transformatæ fuerant, priſtinâ formâ recuperatâ, in unam eamq; genuinam vocem πέρσον denuo coaleſcant. Interrogatio autem (quâ nihil potuit ineptius excogitari) in ſimplicem affirmationẽ (hæc nempe hujus loci propria eſt) vertatur. Deniq; verba, ἐξηράνθη & ἀπέῤῥυσεν, interpoſitâ diſtinctionis notâ ab antecedentibus ſeparata, ſequentibus conjungantur. Ità igitur eſt ſine controverſia legendum germanum Aquilæ interpretamentum, Πέρσον ὁ λαὸς, ἐξηράνθη πέρσον· ἀπέῤῥυσεν ἄνθος, h. e. *Olus viride* ſive *herba virens* (ad verb. & propriè, *Porrum*) *eſt populus. Exaruit herba; defluxit flos.* Hæc ſcriptura, ſic à nobis reſtituta, & perſpicua eſt & cum Hebraici contextûs verbis ac mente Prophetæ valde conſentanea. Etenim (ut de ſolo ſignificatu agam, ex quo Prophetæ ſententia per ſe quàm clariſſimè ſtatim eluceat) חציר non ſolùm χλόη, i. *herba virens*, Pſal. 90. 5, redditur, & χλωρὸν *viride* 2 Reg. 19. 26. & βοτάνη *herba* vel *gramen* 1 Reg. 18. 5. verùm etiam πέρσον, i. *porrum*, Num. 11. 5. quem quidem ſignificatum, ſicuti modò indicavimus, vocabuli iſtius proprium eſſe opinamur, reliquos autem jam enumeratos per Synecdochen ſpeciei indè procreatos καθ' ἑξοχὴν quandam, quia Porrum præter olera cætera (hinc itidem Arabicè nomen adepta) egregiè viret. Exquiſitiſſimus igitur Interpres hunc etiam hoc loco retinere voluit, pro more ſuo, quo ubique conſuevit proprias verborum ſignificationes ſtudioſiſſimè conſectari. Id quod cùm ex doctiſſimis ipſius interpretamentis, quæ paſſim hodiéque legenda exſtant, apertiſſimè liquet, tum ex ampliſſimo S. Hieronymi, ſummi viri, teſtimonio Com. in Iſa. 49. *Aquila*, inquit, *homo eruditiſſimus linguæ Hebraicæ, & verbum de verbo exprimens.* Ruſus Com. in Ezec. 16. *Aquila volens exprimere etymologiam ſermonis Hebraici.* Eâque re alibi *diligentem & curioſum Interpretem* appellat, Com. in Oſeam c. 2. Eſt etiam ubi tradat, eum R. Akibæ, nominatiſſimi apud Judæos Doctoris, diſcipulum autumatum, Com. in Iſa. 8. Itaque ſupra modum mirari ſoleo Johannis Curterii maledicendi pariter atque mentiendi libidinem, qui eò inſolentiæ proceſſit ut palàm affirmare non erubuerit, *Aquilam Sinopitam, cùm ipſa vix Hebræorum elementa didiciſſet, Interpretationem novam S. Bibliorum Adriano Imperante molitum*, Præfat. in Procopii Com. in Iſaiam. Quis hæc legens, & cum ſuperioribus Hieronymi verbis quamlibèt leviter comparans, non è veſtigio animadvertat Curterium nefario falſi teſtimonii crimine à viro ſancto damnari, ut qui ſingularem Aquilæ literarum Hebraicarum peritiam & accuratiſſimam ad curioſitatem uſque diligentiam propalam ac diſertis verbis aſſerat & prædicet? Hieronymo (quanquam is mihi unus eſt pro centum mille Curteriis) ſe comitem ultro adjungit Epiphanius: Ἑβραίων διδάσκαλον ἀκριβέστατα παιδευθέντα ἠκριβῶσθαι, *Aquila*, inquit De Menſuris & ponder. *literis Hebraicis ſummè eruditus ad interpretandum acceſſit.* Imò Imperator ipſe Juſtinianus, qui in Novellis Conſtitutionibus Conſtit. 146. De Hebræis, c. 1. Interpretationi Aquilæ ſeparatim præcipuam quandam autoritatem dediſſe reperitur. Recitabo διαλάξεως ſive *decreti* iſtius verba; ubi poſtquam Lxx Interpretum potiſſimùm editionem Hebræis publicè in Synagogis legendam commendâſſet, continenter ſubjungit, καὶ ταύτην μὲν χρήσασθαι μάλιστα πάντας· πάλιν δὲ ἀλλ' ὡς ἂν μὴ τὰς λοιπὰς αὐτοῖς ὑποκλέπτειν νομοθετοῦμεν ἐρημωθείσας, ἄδειαν δίδομεν καὶ τῇ Ἀκύλα καλουμένῃ, κἂν εἰ ἀλλόφυλος ὑπάρχοι, καὶ εἴ τινος ἄλλου τινῶν λέξεων ἔχοι πρὸς τὴν Ἑβδομήκοντα διαφωνίαν. Ἡ παρ' αὐτοῖς λεγομένη Δευτέρωσις ἀπαγορεύομεν πανταχοῦ, ὡς ἰδίᾳ μὲν ἱερὰς καὶ σωτηρίους βίβλους, παραδεδομένας ὑπὸ τοῦ περιττοῦ ἐξηγήσεως ἧς ὅσαι ἀνδρῶν ὑπὲρ μόνης λεγόντων τῆς γῆς, καὶ θᾶττον ὑπὸ αὐλοῖς ἠχούντων ὑδ' ὕδατος, hoc eſt, interprete Haloandro, *Atque hâc quidem omnes præcipuè utentur. Nè tamen in eam opinionem veniant quaſi cæteras interpretationes excluſerimus, damus illis licentiam ut etiam interpretatione Aquilæ utantur: tametſi ille diverſæ nationis fuerit, & in nonnullis dictionibus non mediocrem cum Lxx habeat differentiam. Quæ verò Deuterôſis, quaſi Secundaria traditio, ab ipſis dicitur, in univerſum interdicimus, ut quæ Sacris libris comprehenſa non ſit, neque deſuper tradita per*

Prophetas, ſed excerpta quadam virorum contineat qui terrena duntaxat loquantur, neque quicquam in ſe Divini habeant Numinis. Perquàm ineptè hîc & falsò à vetere interprete Δεύτερωσις reddita eſt *Secunda editio:* quaſi verò ſecundam Aquilæ editionem Judæis legendam Imperator interdixerit: quod quàm ſit devium, quàm abſurdum, fuſiùs ſtatim declarabo. Haloander autem (ut audivimus) ſatìs quidem rectè *Secundariam traditionem* vertit: quam Pontificiorum Legendæ (ut vocant) Aureæ non abſimilem arbitramur. *Judaicas fabulas* nuncupat Hieronymus Com. Ezek. 36. quas eorum חכמי המשנה, h.e. *ſapientes* vel *periti doctrinæ repetitæ* aut *iteratæ*, in immenſum accumulârunt. Sapientes autem iſtos propriè vocitabant תנאים nomine Chaldaico, ſed quod à themate Hebræo deductum ſit. Nam à שנה (h.e. ἐδεύτερωσεν *iteravit*) more Chaldæo Syróve fit תנה, mutato (ut ſæpe jam diximus) ש in ת. Hinc in Pael formatur תני, quod eſt הגיד, ſive ספר, i. *indicavit, narravit, expoſuit, recenſuit*, propriè autem *eadem ſæpius iterando & inculcando*, Paraph. Chald. Pſ. 9. 11. & 44. 1. Alii à תנן deducunt: quod eodèm planè recidit, quippe תנן ortum eſt ab Hebræo שנן. Hoc autem ſignificatu primo & principali, *iterandi* ſcilicet, convenit cum cognato themate שנה. Nam alterum *acuendi* poſteriorem puto & à principali derivatum, quoniam acuere ſolemus ſæpe repetito aut iterato cotis vel ferramenti ductu. Itidem diſcenda quoq; inculcamus. Hinc תנאים, h.e. Δευτερωταὶ *Iteratores*, dicebantur olim Judæorum Doctores ſive Magiſtri, qui fabuloſas traditionum ſuarum narrationes ſæpius iteratas diſcipulis ſuis ingerebant ac inculcabant, ſubinde aliquid (ut fit) inſuper affingentes. Siquidem (ut verè ait Procopius Com. in Iſa. pag. 31.) ἡ γεφυρικὴ ἐμιλωνίας δευτερώσεις μυθικὰς ἐπεισήγετο, *in Scripturæ Interpretationes traditiones fabuloſas extrinſecùs inferebant.* Itidem Hieronymus Com. in c. 6. Dan. *Judæi*, inquit, *per occaſionem unius verbi longas ſolent fabulas texere.* Hanc ergò Δευτέρωσιν, hanc, inquam, anilium fabularum texturam & ματαιολογίαν ſive *vaniloquentiam* prudenter ac piè prohibuit Imperator. Aquilæ verò Editio ſecunda longè aliud eſt; nempe ipſius δεύτερα φρονήσεις *poſteriores cogitationes*: quæ cùm σοφώτεραι *ſapientiores* (ut eſt in veteri proverbio) plerumque ſoleant eſſe, indè eſt quòd tantam dignitatem admirationémque apud Hebræos obtinuit editio illa ut eam unam omnium ipſi κατ' ἀκρίβειαν, h. e. *accuratiſsimam & exquiſitiſsimam* cognominârint, Hier. Com. in Ezec. 3. Unde arreptâ (ut mea quidem fert opinio) commodiſsimâ maximéque idoneâ occaſione, Imperator Juſtinianus Aquilæ potiſsimèm Editionem, atque adeò Secundam, Judæis, utpote ſuo ipſorum judicio apertè comprobatam atque receptam, in Synagogis publicè proponendam conſtituit. Cedo jam quemvis arbitrum, vel ipſum, ſi in vivis eſt, Curterium. Neque enim dubito quin tot locupletiſsimis certiſsimíſque teſtibus, Epiphanio, Hieronymo, Juſtiniano, Hebræorum denique gente, inſigni tum ſcientiâ tum autoritate pollentibus, manifeſtò convictus, ingenuè tandem faſſurus eſſet, Aquilam ſingulari linguæ Hebrææ peritiâ fuiſſe præditum. Quare *eum vix elementa Hebraa didiciſſe* tantum abeſt à veritate ut nihil veritati magìs poſſit eſſe contrarium. Quin potiùs verendum nè Curterius, idem qui tam gravem imperitiæ ignominiam Aquilæ per ſummam injuriam inurere conatur, ipſe pari propemodum juſtiſsimè notetur, ut cui tam rancidum fœtidúmque Librarii mendum non ſuboluerit. Nullum certè naſum (ut opinor) ei fuiſſe oportet cui talia placuerint.

CAP. 19. *Locus in Ptolemæi Geographia emendatus & Latinè redditus. De Magnete ſive lapide Heracleo aut Herculeo. De ejus vi ἡγεμονικῇ ſive* gubernatrice: *Quam priſcis Tyriis non fuiſſe ignotam, probabile videtur.*

JAmdudum ſuſpicari cœpi non prorſus de nihilo fuiſſe quòd Magnes λίθος Ἡρακλεία *lapis Heracleus* vel *Herculeus* olim eſt dictus. Nam licèt id nominis quidam Coticulæ tribuant, à veterum tamen compluribus, iíſq; peritiſsimis viris, huic lapidi peculiariter aſſignatum comperi. Etenim aliis (nè longior ſim) omiſſis, teſtem nunc in hanc rem unum certiſsimum citabo, Claudium Ptolemæum, præſtantem Philoſophum, Mathematicum autem hinc uſque ad ſidera notiſsimum: Quem eò libentiùs delegi quia mendoſus eſt apud eum locus & ab Interpretibus peſſimè habitus quem allaturus ſum. Atque is eſt Geographiæ lib. 7. cap. 2. ubi de Satyrorum Inſulis tribus locutus, φέρονται δέ, inquit, καὶ ἄλλαι συνεχεῖς δύο· ἐν αἷς φασι τὰ σιδηρᾶ ἔχοντα ἥλους πλοῖα καλέχεσθαι· μήποτε τῆς Ἡρακλείας λίθου δεῖ αὐλὰς χρυσομιμήτους· καὶ διὰ τοῦτο ὑπὸ ἐρίων ναυπηγεῖσθαι· καλέχειν δὲ καὶ αὐλὰς ἀνθρωποφάγους, κληρεμβόλους Μανιόλας. Hæc verba interpretatio Bilibaldi Latina, prout à Moletio Venetiis edita eſt, ſic reddit, *Feruntur & hîc alia Inſulæ continuæ eſſe, numero decem, Maniola appellatæ: In quibus dicunt navigia quæ clavos ferreos habent detineri. Ac ideo illa ligneis compaginant, nè quando lapis Herculeus, qui circa ipſas gignitur, illa attrahat. Obq; hoc ſuper trabibus ea in ſicco firmari aſſerunt. Tenere autem ipſas dicuntur Anthropophagi, Manioli dicti.* Verſio hæc (ut patet) tribus minimùm vitiis laborat. Nam & ſupervacanea eſt: redundant enim *Illa attrahat* & *Maniolæ appellatæ:* quod poſterius ineptè refertur ad inſulas, cùm Prototypon Græcum non inſulas ſed incolas dicat *Maniolas.* Et lectione vitiosâ nititur: diſtinguenda quippe ſunt in vulgatis codicibus quæ malè conjuncta fuerant, ut ὅπλ ὕφεις· item ναῦς à verbo ſeparandum. πηγοῦς autem in πηδοῦς reſtituendum, crebrò nempe corrumpi ſolet π in ν & δ in γ à ſcriptoribus librariis; Canter. Syntag. p. 12, 13. Et confuſa eſt ac conflata ex duabus. Quis enim paulò attentior non illico ſentiat utramque hanc clauſulam, *Ac ideo illa ligneis compaginant*, item, *Obque hoc ſuper trabibus ea in ſicco firmari aſſerunt*, geminam eſſe interpretationem imperitè conſarcinatam? Ac prioris quidem autor ὅπλ ὑφείς aut legiſſe aut legi voluiſſe videtur, voce compoſitâ fictitiâque; poſterioris, ὅπλ ὑδοῖς (ut opinor) reponendum conjecit, q.d. *ſuper liminibus:* quoniam verò limina ex craſſioribus plerumq; lignis, cujuſmodi ſunt trabes, conſtant, *ſuper trabibus* tranſtulit: dein αὐτηγοῦς legiſſe ſuſpicor, quaſi ab αὖος, i. *ſiccus*, & πήγνυμαι i. *figor, defigor, firmor*, coalito, & coagmentato vocabulo. Quæ omnia tam ſunt inerudita támq; abſona, vix ut credâ à viro utriuſq; linguæ vel mediocriter docto proficiſci potuiſſe. Ut ut eſt, nos certè Græca illa dilucidè & emendatè hoc ferè modo arbitramur reddi oportere, *Feruntur & aliæ decem continuato ordine poſitæ. In quibus aiunt navigia quæ ferreos habeant claves retineri: fortaſſe quia lapis Herculeus circa illas gignatur. Eáque re, vel ſecundis à puppi proſequentibus ventis, naves veluti compedibus vinctas inhiberi. Atque iſtas etiam Inſulas barbaros tenere dicunt humanâ carne veſcentes, qui vocantur Maniolæ.* Hæc habui dicere de verborum Ptolemæi tum interpretatione tum emendatione. Prolixitati non gravatè (ut ſpero) veniam dabit Lector æquus & utiliſsimi Scriptoris ſtudioſus.

Quamobrem Ἡρακλεία λίθος Ptolemæo haud dubiè eſt Magnes: deductúmque habet nomen, non ab *Heraclea* civitate, ut vult Eraſmus Chiliad. 1. Cent. 5. Adag. 87. (tunc enim analogum foret Ἡρακλειώτης & Ἡρακλειώτης vel Ἡρακλεωτικὸς in maſculino, aut Ἡρακλειῶτις vel Ἡρακλεωτικὴ in feminino) ſed à vetuſtiſsimo nomine Ἡρακλῆς, quod *Hercules* Latinè appellatur. Porrò Herculem ſuprà lib. 2. c. 7. ἡγεμόνα, h. e. *viæ ducem*, antiquitus cognominatum oſtendimus. Quid ſi igitur admirandum illum lapidem, Herculeum dico, ità initio nuncupatum auguremur à Tyriis ipſis, veterrimis Herculis cultoribus, maximíſq; atq; adeò unicis olim Orbis terrarum Iuſtratoribus, quòd ejus, tanquam Herculis aut Solis cujuſdam Sideríſve terreſtris, ductu in longiſſimis ſubindè itineribus ſuis terrâ maríque conficiendis dirigerentur ac gubernarentur? Adeò ut quemadmodum Hercules ipſe ἡγεμὼν, i. *viæ dux*, ſic lapis hic quoque *Herculeus*, ac proinde ἡγεμονικὸς, hoc eſt, *ducendi viaque commonſtrandæ vi virtutéque pollens*, nuncupetur. Id quod nos vetuſto & vernaculo vocabulo ad amuſſim exprimimus,

τλὸ

τλῶ ἡγεμονικῶ λίθου Anglicano ſermone the Loadſtone eandem ob cauſam planiſſimè appellantes. Neque enim duritiæ eſt tam indomitæ lapis hic ut propter eam quis *Herculeum* dictum autumet; nam & ferro frangitur, & à cote teritur. Trahitur quidem à Magnete Ferrum: at Magnes itidem à Ferro. Ferreæ denique, fateor, naturæ eſt Magnes, *Siderites* ideo vocatus: ſed Ferrum Marti non Herculi dicatum eſt. Quocirca inſignis communiſque vis illa ἡγεμονικὴ, quam Herculi quidem Tyrus affinxit, lapidi verò Deus infixit, longè omnium accommodatiſſima cauſa eſt ob quam Magnes, nomen ab *Herculis* nomine conſecutus, *Herculeus* primùm à veteribus Tyriis appellatus fuiſſe exiſtimetur. Unde propagatum eſt poſteris vocabulum, ac deinceps Græcis Latiníſque: ſed ità ut vis illa ἡγεμονικὴ ſive *gubernatrix*, quæ huic vocabulo ſubjicitur, funditus interciderit, donec ægre tandem longiſſimo ſeculorum plurimorum intervallo, in extrema mundi iſtius ſenecta, ſummè ſuſpiciendâ & prædicandâ Dei benignitate, quaſi ab inferis excitata revixit; quò citiùs faciliúſque Euangelii ſalutaris doctrina in univerſas orbis regiones traducta apud omnes mortales pervulgetur. Quòd ſi quis cenſet principem illam lapidis Herculei proprietatem veteribus Tyriis fuiſſe prorſus incognitam, idem pariter nobis expediat atque demonſtret quonam modo quâve ratione, ſaltem probabili, fieri potuerit ut curſum tenerent; præſertim cùm non flumen aliquod aut fretum anguſtum, neque etiam mare Mediterraneum (quanquam alioqui ſatis amplum) ſed vaſtiſſimus Oceanus, Indicus, Atlanticus, Septentrionalis eſſet navigandus; ídque non ſemel, (quod temere & fortuitò cuivis vel imperitiſſimo accidere poterat: ut & quondam Jamboulo apud Diodorum Siculum Bibl. hiſt. lib. 3. pag. 96. eveniſſe legitur, cùm pro καθαμῶ, i. *homine piscatori*, ab Æthiopibus in navicula eſſet expoſitus) ſed plùs millies ultro citróque per multa ſecula, priuſquam ab Aſſyriis, Arabibus & Ægyptiis primùm acciſæ ſunt Tyriorum opes, & perturbata atque impedita negotiatio, dein à Græcis & Romanis poſtmodum radicitus ſublata & exſtirpata eſt. Neque mihi quiſquam regerat, eos Eteſiarum, h.e. ſtatorum quorundam ventorum, flatu opportunè uſos. Nam hi uno duntaxat anni tempore aliquatenus certi flant, non omni; & in unam ſolùm mundi regionem ſpirare ſolent, non in omnem: Tyriorum verò negotiatores impigri & nautæ ſtrenui aſſiduam mercaturæ operam dabant, & quoquoverſum in omnes Orbis terrarum partes vela faciebant, ſtimulante ſupra modum (ut fit) partim gloriæ cupiditate, partim rerum Naturæ mirabilium aliarum ex aliis quotidie ſpectandi voluptate, partim, atque adeò præcipuè, quæ ad nihil *non mortalia pectora cogit, Auri ſacrâ fame.* Poſtremò, etſi perſpicuum eſt, cœleſtium corporum artificioſam & accuratam obſervationem multò maximum afferre momentum ad navigationem univerſam, præſertim longinquam, (de qua potiſſimùm loquimur) rectè & feliciter abſolvendam, perpetua tamen & conſtans æquabiliſſque directio (ſine qua vacillabit & irrita tandem futura eſt omnis navigatio) variato in horas, imò in ſingula propemodum momenta, navigii curſu, niſi paratum adſit lapidis Herculei ſubſidium, retineri & ſervari nequit. Nam ut liquidum lucidúmque & tranquillum ſit cœlum, (quod ſanè ſæpenumero caliginoſum, obſcurum & turbidum cernimus) longè tamen aberrare accidat à recto itinere etiam cœleſti obſervatione exquiſitè habitâ; quoniam permagnam in terra maríſque loci mutationem nullam in cœlis diſcrepantiam, quæ quidem ſenſu percipiatur, parere videmus, propter incomparabilem ambitûs cœleſtis amplitudinem & immenſam undiq; à terræ maríſq; globo diſtantiam. Lapidis autem Herculei vel Hegemonici auxilio ac indicio (quod facillimum eſt, minimóq; parabile, & in promptu poſitũ) non tantùm recta & quaſi ſtrata navis via monſtratur, verùm etiã quælibet quantumvis exigua diverticula flexionéſq; cõtinuò arguuntur & manifeſtò deprehenduntur, quocunq; demum tempore, interdiu noctúve, etiam cœlo quàm maximè pluvio nubibúſque obducto.

Verùm enimvero, dicet aliquis, ſi proprietas illa Magnetica tam excellens, támque neceſſarii uſûs, Tyriis innotuiſſet, mirum quin Marinus Geographus Tyrius, qui multa præclara edidit, & Ptolemæo egregiè præluxit, aut alius quiſquam, maximè ex numero doctorum, poſteritatis notitiæ eam tradidiſſet atque commendâſſet. Imò quò magis excelluit ſingulari uſûs commoditate ac neceſſitate, eò ſtudioſiùs Tyrii celabant & modis omnibus εὐπορήτοις quàm cautiſſimè continebant, nè ſemel pervulgato tam inſigni Navigationis adjumento, ipſi, qui ſoli adhuc in omni ævo maria univerſa terráſque ſimul maritimas & inſulas, non ſecùs ac ſi αὐτοκράτορες domini eſſent, multiplici negotiatione ſuâ obtinuerant, indéque immenſum ac perennem fructum & gloriæ & lucri percepérant, complures in poſterum utriuſque conſortes, propter communem & eandem navigandi peritiam, quamvis invitiſſimi, reperirent. Quòd ſi concedamus, priſcis illis ſeculis, cùm reſpublica Tyriorum artibus, ſcientiis rerúmque geſtarum gloriâ maximè floreret, ἡγεμονικὴν ſive *gubernatricem* lapidis Herculei proprietatem in vulgus emanâſſe & propalam omnibus cognitam fuiſſe, nihilo tamen minùs tam grandi tot ætatum ſpatio deperire penitus potuit & ex hominum memoria omnino deleri. Rectè Horatius De arte Poet.

Debemur morti nos noſtráq; ——

Et paulò pòſt,

——*Mortalia facta peribunt.*

Item,

Multa renaſcentur quæ jam cecidere, cadéntque
Quæ nunc ſunt in honore ——

videlicet non *vocabula* tantùm, ſed humana quævis alia.

Divinitus Eccleſiaſtes 1.10. *Eſtne*, inquit, *quicquam de quo dicat quis, Ecce hoc, novum eſt?* Huc ſpectant quæ ſuprà lib. 1. cap. 20. pluribus verbis diſſeruimus de interitu artis Plumariæ, Sacræque Hebræorum Poetices, & ignorato tinctu germanæ Purpuræ, quo unos omnium gentium Tyrios egregiè & ditatos olim & celebratos fuiſſe legimus.

Poſtremò ex hac apud Ptolemæum de lapide Herculeo narratiuncula intelligimus, non ſolùm in India Magnetem naſci, ſed ibi etiam natum ſingulari efficacitate valere. Clara & teſtata hæc quoque res eſt, certiſſimo recentiorum etiam autorum experimento, nominatim verò doctiſſimi Gilberti noſtri artis tam Magneticæ quàm Medicæ ſcientiſſimi; qui ex India Orientali, China & Bengala Magnetes omnium præſtantiſſimos peti aſſerit. Idem inſuper refert *ſcientiam Nautica pyxidula* (verbis ipſius utor De Magnete lib. 1. cap. 2. p. 9.) *traductam videri in Italiam per Paulum Venetum, qui circa Annum MCCLX apud Chinas artem Pyxidis didicit.* Atteſtatur etiam Ludovicus Vartomannus Navig. lib. 6. c. 27. ſe, cùm circiter Annum Chriſti MD navigio Indico vectus ad inſulam Javam contenderet, obſervâſſe Gubernatorem Indum pyxide nauticâ chartâque marinâ variis lineis, ventorum indicibus, diſtinctâ more noſtro utentem. Hoc autem pauciſſimis pòſt annis accidit quàm Luſitanorum claſſis, Auſtrali Africæ orâ luſtratâ, ad citeriorem Indiæ Orientalis partem primùm appulſa eſt. Nullo igitur modo credibile videtur, Indos longè ulteriores à Luſitanis continuò arcanum illud Magneticum fuiſſe edoctos: Quare ab antiquis, iíſque navigandi ſolertiâ artéque præſtantibus viris, per manus traditum acceperint neceſſe eſt. At quos, obſecro, à condito ævo, rei nauticæ inſigni peritiâ & admirandâ navigationis longinquitate excellentes, famâque illuſtres eam ob rem omni memoriâ apud veteres & immortali gloriâ florentes, præterquam Tyrios ſive Sidonios ſolos inveniemus? Scitiſſimè à Virgilio dicitur Georg. l. 1. 146.

——*duris urgens in rebus egeſtas.*

Itidem in eandem sententiam ait Claudianus De raptu Proserpinæ lib. 3.

——rerúmque remotas
Ingeniosa vias paulatim explorat egestas.

Rursum Virgilius, cùm docuisset Deum *curis acuere* voluisse *mortalia corda*, tandem subnectit,

Ut varias usus meditando extunderet artes.

Georg. l. 1. 122, & 132. Maximus autem *usus*, maxima, inquam, *egestas*, h. e. necessitas, quæ quemvis maria sulcantem premat, est tenendi cursûs recti. Hâc cùm sæpius gravissimè urgerentur Tyrii, extuderunt denique ὑγεμονικὸν lapidis Herculei artificium, eò ad illud extundendum naturâ aptiores quò magis præter cæteros mortales acerrimi ingenii acumine solertiâque valuisse prædicantur.

Sin autem opinetur aliquis Solomonis id inventum exstitisse, & ab eo Tyrios didicisse, non equidem magnopere pugnabo: quinimo probabiliter id conjectari posse existimo: siquidem novimus Solomonem tam incomparabilem totius rerum Naturæ scientiam à Deo consecutum ut ætatibus omnibus semper miraculo fuerit sítque futurus. Credibile est igitur eum, præter Magnetis vulgarem illam & pervagatam vim ferri attrahendi, abstrusiorem hanc longéque primariam, quam ὑγεμονικὸν, i. *gubernatricem*, diximus, non ignorâsse; præsertim cùm proposito ipsius, Divinitus (nisi fallor) instillato, auri atque aromatum ex ultimis ac remotissimis Indiæ oris classe convehendi, expeditè certâque ratione assequendo, non solùm magnopere conduceret, verùm etiam tam opportunum, tam necessarium támque Divinum esset auxilium ut ab humano ingenio nihil sanè quicquam (ut arbitror) excogitari posset suprá. Quod si ità est, dubium esse nequit quin rem totam cum Tyriis benignissimè communicârit, utpote nautis suis ac gubernatoribus præstantissimis omniúmque consiliorum ad res maritimas universas spectantium administris præcipuis; quos nuper Tyro accîtos, Indicæ navigationis ergô, Etsione Geberris, portu tuto & celebri in litore Maris Rubri sito, collocaverat. Veruntamen illud fortè incommodum cuipiam videatur, Tyrios artem tam necessariam non primùm impertîsse Græcis atque Latinis, in proximo degentibus, sed Indis potiùs, omnium gentium longissimè dissitis. Imò Tyriis id commodissimum est visum, rem summè utilem propinquos quidem celare, cum longinquis autem communicare. Sciebant enim fore ut quantum illis lucri gloriæve indè accederet, tantundem sibi protinus necessariò decederet; ab istis verò nihil ejusmodi unquam metuendum videbant.

CAP. 20. *De variis causis cur Mare* Erythræum *sive* Rubrum *ità sit dictum, iisque universis futilibus ac commentitiis. De unica vera certáque nominis illius impositi causa, à nemine (ut apparet) Græcorum aut Latinorum hactenus animadversa.*

QUemadmodum Nilus fluvius, Græcorum pariter atque Latinorum sermonibus scriptísque celebratissimus, nominis sui originem superioribus seculis prorsus ignotam habuit, nec (quod equidem sciam) à quoquam aut veterum aut recentiorum, ante nos (absit verbo invidia) memoriæ ac literis proditam; sic eidem vicinum Mare Erythræum sive Rubrum, licèt ab ultima antiquitate omnibus valde in ore fuerit, atque monumentis omne genus, tum sacris tum profanis, Historicorum, Philosophorum, Theologorum, testatissimum ornatissimúmque evaserit, quod tamen ad germanum ejus etymon attinet, ità in obscuro semper latuit ut quamvis perexiguam veritatis ac tenuissimam quandam subitò quasi transvolantem umbram leviter notârint, veritatem tamen ipsam nè strictim quidem per transennam (pace eorum dixerim) unquam aspexisse videantur. Id quod facilè continuò liquebit ex variis maximéque inter se discrepantibus ea de re sententiis: Quæ pleræque ferè omnes tam sunt leves, tam ineptæ, tam absurdæ & à ratione abhorrentes, ut delirantium potiùs somnia ducendæ sint quàm hominum peritorum judicia. Non est proinde necesse operosiùs ista redarguere: siquidem commemorâsse duntaxat, confutâsse erit.

Exordiar autem à Pomponio Mela. Is enim De situ orbis, l. 3. c. 7. brevissimè, *Rubrum mare*, inquit, *Græci, sive quia ejus coloris est, sive quia ibi Erythras regnavit,* Ἐρυθρὰν θάλασσαν *appellant.* Plinii verò paulò latius testimonium exstat Nat. hist. l. 6. c. 23. *Mare quod Rubrum dixere nostri, Graci Erythraum, à Rege Erythra; aut (ut alii) Solis repercussu talem reddi colorem existimantes; alii ab arena terráque; alii à tali aquæ ipsius natura.* Strabonis adhuc aliud multò copiosius subjiciam. Refert enim Geog. l. 16. pag. 523. ex Eratosthene, Artemidoro, aliísque, *quosdam putare Mari Rubro esse nomen à colore propter reflexionem radiorum apparente; vel à Sole, cùm supra verticem est; vel à montibus ex adustione rubentibus. Cteſiam verò Cnidium observâsse fontem quendam esse qui aquam rubicundam ac minio plenam in mare emittat. Agatharchidem autem, hujus popularem, à Boxo quodam Persa edoctum tradidisse, Persam quendam, Erythram nomine, equorum armentum, leonum insultu exterritum & in insulam quandam fugatum, per mare, constructâ illic primùm rate, sectatum; cùm animadverteret insulam commodè habitari posse, reducto armento, missísque in eam, & in alias, itémque in reliquam oram maritimam (è* Persis scilicet) *colonis, pelagus de suo nomine appellavisse. Alios verò asserere, non Persa alicujus, sed Persei filium Erythram fuisse qui in iis locis imperârit, & mari pariter nomen dederit.* Hactenus Strabo.

Figmenta veterum de specie ruboris apparentis, quæ primo loco à Strabone memorantur, haud parùm illustrant excerpta quædam ex Agatharchide apud Photium Biblioth. p. 717. & ex Ouranio apud Stephanum περὶ πόλεων, voce Ἐρυθραί. Quippe ait Agatharchides *nonnullos narrare, montes quidem ad Occasum Sinûs Arabici, feriente eos aeri igneóque Solis radio, carbonis candentis* (h. e. *igne rubentis*) *imaginem exhibere: Arena verò cumulos subrubentes per litora Ortum versùs ad multa stadia passim exstare: Igitur relucentem atque emicantem ex utrisque splendorem* (ἀυγὴν) *cùm in fretum incidit, simili continentis colore mare inficere videri. Alios autem perhibere, Solem ibi, non, quemadmodum apud nos, claris & fulgentibus radiis maris aquas impetere, sed sanguinis speciem habentibus; quibus effici ut ipsum quoque mare sanguinei propemodum coloris similitudinem referat.* Horum autorum utrumque genus rejicit & aspernatur Agatharchides: neque adeò injuriâ. Ouranius tamen, Historicus non ignobilis, Rerum Arabicarum secundo, prioris generis sententiam ferè amplectitur, &, nè eandem omnino quam veteres cantilenam caneret, aliquid etiam novi de suo insuper addit: namque Ἐρυθρὰν θάλασσαν *Mare Rubrum* ità nuncupatum tradit ἀπὸ τῆς παρακειμένων ὀρῶν, ἃ ἐρυθρὰ δεινῶς εἶσι καὶ πορφυρᾶ· καὶ ἐπὶ τὰ βάλλῃ εἰς ἀυτὰ ὁ ἥλιος τὴν ἀυγὴν, καταπίμπει εἰς τὴν θάλασσαν σκιὰν ἐρυθρὰν· καὶ ὄμβρῳ ὑ καταλυθέντων τῶν ὀρέων κάτω συῤῥέοντων εἰς θάλασσαν, ὥτω γίγνεσθαι ἡ θάλασσα τὴν χρόαν, *ab imminentibus montibus, qui valde rubri sunt & purpurei.* (Vocem hanc ità accipiat Lector ut & Homero sanguis dicitur *purpureus*) *Atque ubi Sol eos radiis illustraverit, deorsum in mare jaculantur umbram rubram. Porrò imbre proluti, aquis suis undique in mare defluentibus, consimili colore illud tingunt.* Quidam nuper prodidit, non à circumjacentium litorum montiúmve rubore (ut ex proximè citatis Autoribus intelleximus) Mare Rubrum sic dictum, sed ab ipsius fundi colore, *qui rubeus*, inquit, *apparet per aquas perspicuas*, Schind. in Lex. Pent. voce סוף. Ducendus ergò est color ille aut ab arena terráque subjacente (quod vetustate rancidum esse ex Plinio suprà docuimus) aut ab alga in fundo hærente; quam *rubram* quidem

nuncupavit

nuncupavit Claudianus De Magnete ſed, Poetarum more. Id enim Epitheti genus apertè eſt vel figuratum vel fictitium.

Cæterùm quod ad poſtrema Ouranii verba attinet, de prolutis montibus quibuſdam rubris, ad commentitium illum Cteſiæ fontem propiùs accedere videntur. Quòd ſi cum utriſque conferre libet quæ de Rubro etiam fonte ſcribit Pauſanias Meſſen. p. 113. efficietur concentus δι' ὅλων, congruentibus ſcilicet ex diametro (ut aiunt) inter ſe ſententiis. Ἔστι δὲ ὕδωρ, οἷόν τι ὑπόξανθον τὼ χροΐαν αἷμα, Ἐβραίων ἡ γῆ παρέχει πρὸς Ἰόππην πόλιν θαλάσσης μὲ ἐγγυτάτω τὸ ὕδωρ δέ· λόγον δὲ εἰς ἃ πυνθάνομαι λέγουσιν οἱ ταύτῃ, Περσέα ἀνελόντα τὸ κῆτος, ᾧ ἡ παῖς ἐκκειτο τῷ Κηφέως, ἐνταῦθα τὸ αἷμα ἀπονίψασθαι. *Aquam rutilam, (ſive rufam) qua colore ſanguini omnino par ſit, Hebræorum terra prabet ad urbem Joppen: ac proximè quidem mare eſt hac aqua. Sermo autem pervulgatus eſt indigenarum, Perſeum, poſtquam interemit cetum, cui expoſita fuerat Cephei filia, eodèm loci ſanguinem quo reſperſus erat abluiſſe.* Teſtimonium hoc Pauſaniæ aliquantò locupletius eſt quàm illud Cteſiæ, id eſt, mendacio uno aut altero auctius. Nam aquæ rutilæ fonti ſuperadditur decantata à Poetis fabula Andromedæ belluæ marinæ periculo liberatæ, & Perſei liberatoris, cui poſtea præmii loco illa nupſit. Dicimus ergò, ſi propter illum Cteſiæ fontem mare Sinûs Arabici *Rubrum* eſt appellatum, eodem jure propter hunc Pauſaniæ mare quoque Mediterraneum *Rubrum* eſſe appellandum. Atque ità, ſi mendaci Græciæ credere liceat, non unum ſed geminum foret mare Rubrum: Imò etiam tergeminum, Mediterraneum videlicet, Arabicum & Perſicum. Quippe admodum credibile eſt miniosum Cteſiæ fontem propter Sinûs Perſici marginem poſitum ab eo exiſtimari (conſtat enim hominem mirificè φιλόμυθον apud Reges Perſiæ medicinam factitâſſe) ac planè nihil aliud fuiſſe quàm metalla miniaria litori Sinûs illius vicina. *Tradit* nempe *Juba minium naſci in Carmania*, Plin. l. 33. c. 7. h. e. in Sagdiana, vel Sagdana, quæ Sinûs Perſici inſula eſt Carmaniæ adjacens. Ità namq; habet Ptolemæus Geog. 6. c. 8. Σαγδιανὰ, ἐν ᾗ μίλτος. *Sagdiana, in qua minium.* Pirkmeyerus vitiosè, perinde quaſi propriū eſſet oppidi urbíſve nomē, tranſtulit, *Sagdana, in qua Miltus.* Inque eandem ſententiam acceperunt eruditiſſimi viri Moletius & Mercator, utì palàm liquet ex Indice illius, & Tabula Geogrphica iſtius: quod ſi rectum foret, addidiſſet Ptolemæus more ſuo πόλις, paſſim prout alibi. Solet autem ſubindè, quanquam breviſſimè, annotare aliquid inſigne & præcipuum quod proprietatem & ſingularem loci naturam indicet: v. g. lib. 7. c. 1. Κόαρα, ἐν ᾗ ἀδάμας, *Coſſa in qua Adamas* naſcitur. Πυρᾶτα, ἐν ᾗ βήρυλλος, *Purata, in qua Beryllus.* Item l. 5. c. 7. Ἐν τῷ Σαχαλίτῃ κόλπῳ, ἐν ᾧ κολύμβησις πινικῆς, ὅτι ἀσκωλοπλιαπλέουσι. Hìc doctiſſimi Geographi, ex errore imperitæ interpretationis pendentes, admodum ridiculi evaſerunt. Nos hoc pacto verè & dilucidè reddendum putamus, *In Sinu Sachalite, ubi pinici piſcatus eſt, ſuper utribus mare tranſmittunt.* Nam κολύμβησιν quaſi ἀναχολύμβησιν accipio: πινικὸν autem concham margaritiferam intelligo, & ἀπὸ τῆς πίνης vel πίννης *à pina* vel *pinna* denominatum arbitror; quòd ei par ſit, non quidem magnitudinè (eſt enim minor) ſed tamen figurâ, ſicut apud Athenæum Dipnoſ. l. 3. teſtatur Theophraſtus, γίνεσθαι ὁ μαργαρίτης ἐν ὀστρέῳ τινὶ παραπλησίῳ ᾗ πίνναις, πλὴν ἐλάττονι. Quare (ut ad Cteſiam revertamur) ex inſulæ Sagdianæ minio fœcundæ naturâ ortus videtur fons ille fabuloſus. Eóque aptior Cteſiæ viſa eſt hæc inſula quæ proprietate ſuâ notabili nomen mari imponeret, quòd proxima eſſet inſulæ Oaractæ, in qua ſepulcrum Erythræ, ingentem ſcilicet tumulum, ſilveſtribus palmis conſitum, exſtare aiebant: Arrh. Rerum Ind. pag. 194. Strab. Geog. lib. 16.

At hìc de loci iſtius nomine haud parùm diſcrepat inter Autores. Etenim Ὤγυεις *Ogyris* dicitur inſula Plinio lib. 6. c. 28. Melæ Sit. orb. l. 3. c. 8. Stephano voce Ὤγυεις, & Dionyſio περιηγητῇ 607. Eratoſtheni apud Strabonem lib. 16. *Tyrina*; Nearcho apud eundem *Doracta*; denique Ptolemæo Ὀυοροχθὰ, *Vorochtha* vel *Borochtha*: unde fortaſſe mendoſum illud *Doracta*. Nec de certo compertóque loci poſitu quicquam habent, quod planè liqueat. Nam Ogyrin ſive Tyrinam alii paulò longiùs intra Sinum Perſicum collocant, Arr. Rerum Ind. pag. 193. Strab. Geog. l. 16. alii eam indè duobus ſtadiorum millibus in altum mare, Oceanum ſcilicet, Auſtrum versùs ſubmovent,

—— Καρμανίδος ἔκλυδον ἄκρης,

utì canit Dionyſius 606. *Extra Carmania promontorium*; quo, tanquam obice altero, Sinus Perſicus clauditur. De homine autem ipſo ſatis inter omnes convenit, *Erythram*, aut *Erythrum*, aut etiam *Erythraum* illum fuiſſe appellatum: eúmque doctiſſimi quique cùm veterum tum recentiorum nomen Mari *Erythræo* dediſſe confirmant. Verùm de gente unde ortus ſit vehementiſſimè inter ſe diſſentiunt: quippe alii illum natum in patria Perſia & natione Perſam, alii ex patre Perſeo Danaes filio, & genere Argivum vel Græcum fuiſſe contendunt. Veruntamen perſpicuum eſt, Perſam illum, *Boxum* nomine, (cujus antè meminimus) narrationem ſuam ex Græcorum fabulis effinxiſſe. Erat enim harum jam peritus, utpote cùm Ἑλληνίσαι γλῶτταν καὶ γνώμην, καὶ ᾗ Ἀθήναις, λιπόντα τὴν πατρίδα, ἐμβιῶναι, *Græcum nunc eum factum tum linguâ tum ſententiâ, & patriâ relictâ Athenis vixiſſe.* Agatharchides apud Photium Bibl. pag. 718. teſtatur. Siquidem nemini dubium eſſe poteſt quin archetypæ ducendæ ſint Græcorum nugæ. Quis enim non videt quanto antiquorum errore nixus ſit Boxus, ut qui vulgaris cujuſdam opinionis conſpiratione illis conſentiens Perſicum ſinum & Arabicum eundem putârit, idémque mare Erythræum ſive Rubrum utrique commune exiſtimârit; cùm longè diverſi ſint Sinus & permagno intervallo, totius videlicet Arabiæ Felicis amplitudine, inter ſe diſtent. Quódq; caput eſt, non animadvertit homo ineptus nomina ἐρυθρός, item ἐρυθρὸς ſive ἐρυθρὰ, & ἐρυθρᾶς, omnia, Græca eſſe vocabula, nec ab idiomate Perſarum, neque Arabum etiam, nec Ægyptiorum, mare Rubrum accolentium, proficiſci potuiſſe. Quæ verò de Perſeo, Gorgonum & Meduſæ debellatore, ejúſque nato Erythra vel Erythro (quem *Herodum* vocat Stephanus περὶ πόλ. voce Ἐρυθρὸς) commenti ſunt Græci, res ipſa clamat, pro meris portentis habenda eſſe, & ὑπὸ τῆς ποιητικῆς ἐξουσίας *à Poetica licentia* (ut veriſſimè ait Agatharchides Phot. Bibl. p. 717) ortûs ſui initium cepiſſe. Quò magìs miror præſtantes ingenio & eruditione viros hodiéque opinari, à rege Erythra, qui ibi regnaverit, mare illud *Erythræum* vel *Rubrum* dictum fuiſſe. Faciunt certè quod in aquis moribundi ac jamjam ſubmergendi facere ſolent: Juncum aut virgultum quodvis tenuiſſimum, quia robuſtius non datur adminiculum quo ſuſtineri queant, ſummâ vi captant & apprehendunt: ſic iſti, quaſi re deploratâ, omníque ſpe veritatis inveniendæ deſtituti, vaniſſimum commentum cupidè amplexantur, quia firmum & probabile aliud nuſquam reperiant in quo conſiſtere & acquieſcere poſſint.

Nos verò, ut nomini tot jam ſecula quaſi in tenebris jacenti lumen certum clarúmque opellâ noſtrâ, Deo (ut ſpes eſt) duce & autore, afferamus, primum illud pro indubitato ſtatuamus oportet, Rubrum mare non reapſe ſed nomine tenus *Rubrum* eſſe. Ludovicus Vartomannus (qui illud totum ab intimo ferè Sinûs receſſu ad ipſas uſque freti fauces pernavigavit) *Satis eſt*, inquit Navig. l. 1. c. 21. *in confeſſo omnibus, quòd dictum æquor non eſt rubrum, ſed inſtar reliqui aquoris.* Johannes Brodæus Turonenſis, vir eruditus, quàm diligentiſſimè percontatus, & omnia penitus deditâ operâ perſcrutatus, rei iſtius veritatem ex oculatis teſtibus compluribus exploratiſſimè cognitam his verbis explicat Miſcell. l. 3. c. 9. *Sæpenumero de multis ſciſcitatus ſum qui tempeſtatibus in hoc mare ejecti, quíque etiam hoc peregrè, in has regiones profecti, multos dies contemplati eſſent, an veritati conſentirem quæ de ejus rubrâ aquâ*

aqua & arena partim vulgò jactarentur partim etiam à claris hominibus literis mandarentur. Quorum nonnulli infantiam meam mirari, alii ſtultitiam ridere, qui mihi fucum fieri non ſentirem. Neminem porrò adhuc tam ſtolidum nautam reperi qui mare illud Rubrum nuncupatum ab Oceano noſtro quicquam differre prædicaret. Ad extremum, nè quis rem iſtam antiquis minimè perſpectam ſuſpicaretur, luculento Curtii quoque teſtimonio eam corroborat. Deinde non minùs veritati conſentaneum arbitramur, nomen mari Erythræo primò & proximè à regione quam alluit, more ubique gentium vulgatiſſimo, factum fuiſſe; regionem autem à Principe quodam viro planéque Heroico, qui eam poſſederit & cum imperio obtinuerit, ibi aſſiduè victitârit, tandémque ſepultus ſit, appellationis originem duxiſſe. Atqui manca hîc prorſus eſt cùm apud Perſas tum apud Græcos univerſa Erythræ fabula. Nam *mare* quidem *Erythræum* ubique inculcatur, *regio* autem *Erythræa* eidem finitima nullibi memoratur: Sed in ejus ſedem ſubrepſit tenebricoſa quædam inſula, eáque longè remota, alieno loco ſita, & nomine variante vagóque ſignata, aliàs *Oaracta* ſive *Vorachtha* ſive *Doracta*, aliàs *Ogyris*, aliàs *Tyrina* nuncupata. Poſtremò illud nihilo minùs antiquis haud invitus concedo, *Erythram* ſive *Erythrum* verum ſanè Herôis illius nomen fuiſſe, nativum tamen ac germanum pernego. Etenim quî potuit (quod paulò antè attigimus) nativum ac germanum eſſe, cùm linguæ omnino peregrinæ atque extraneæ nomen eſſet? Exempli causâ, verum fratris Andreæ nomen eſt *Petrus*, quia communi nominis notioni & ſignificationi ad unguem congruens; germanum tamen ac nativum eſt *Cephas*, quia germana vernaculi & nativi idiomatis vox eſt. Atque hæc demum eſt tenuiſſima illa veritatis umbra de qua initio mentionem fecimus. De reliquo, ſi quæratur quiſnam homo ſit pro certo habendus cui *Erythræ* fuiſſe nomen ferunt, item quænam liquida ſit aut ſaltem probabilis nominis iſtius eidem impoſiti ratio, immenſum quantum à via recta hactenus aberratum ſit & de curriculo veritatis ad inaniſſimas Græcorum fabulas deflexum. Dicam igitur ipſe quàm potero apertiſſimè accuratiſſiméque quid hac de re ſentiam.

Erythras ſive Erythrus planiſſimè is eſt quem nomine quidem Sacræ literæ *Eſaum* appellant, cognomine autem *Edomum*, Iſaaci filium grandiorem, Jacobi verò fratrem. Eſt enim אדום Græcè Πυῤῥὸς, ſive Ἐρυθρὸς, *Erythrus*, Latinè *Ruber*, 2 Reg. 3. 22. Iſa. 63. 2. Hujus coloris ſpecie Hiſtoria Sacra, ad hoc ipſum nomen *Edom* venuſtè alludens, narrat egregiè deceptos fuiſſe Moabitas, cùm *aquæ venientes à via Edom, tanquam ſanguis* אדמים, *Adummim*, h. e. *rubræ, è longinquo viderentur*, Solis in ortu ſuo halitibus terreſtribus (ut ſolet) rubeſcentis imagine earum ſuperficiem inficiente, multóque forſitan efficaciùs quàm naturæ vires ferebant Divinitus repercuſſâ. Ex hoc fonte vox אדמה derivata putatur, quæ ex recondita notionis vi ſignificet, non *terram* ſimpliciter, ſed *terram rubram*. Quam vim cùm uno vocabulo exprimi non poſſe cenſeret Theodotio, nomen ipſum Hebræum non ſemper (ut arbitratur quidam) ſed aliquando repoſuit ἀνερμήνευτον, ſicut & ipſi Lxx Iſa. 15. 9. Ubi tamen idem ipſe Theodotio (ut teſtatur Hieronymus De locis Heb.) *Terram* interpretatus eſt. Ibidem Procopius, *Adama*, inquit, σημαίνει δὲ γῆν ἢ παρθενικὴν, ἀφ' ἧς Ἀδὰμ ἐπλάσθη, *ſignificat terram virgineam, ex qua formatus eſt Adam. Virgineam terram* vocat vel propter ruborem virgineum, vel quia terram puram & ab aratro intactam rubere putabat. Ut ut autem hoc ſit, liquidò apparet Heſychium à Procopio mutuatum totum illud Ἀδάμα, παρθενικὴ γῆ· quemadmodũ & alia ſexcenta ejuſmodi vel à Sacris vel ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus ſumpta Interpretamenta eum in Lexicon ſuum accuratiſſimum tranſtuliſſe, eruditis compertum, imò nè ipſis quidem Antipodibus prorſus incognitum opinor. Quò ineptior eſt is qui tum vocem *Adama* Græcam autumavit, tum contrà de Heſychio & ſenſit & ſcripſit. Verùm enimvero (ut perſequamur quod inſtituimus, & ad noſtrum *Edom* redeamus) totam nominis hujus rationem non certam modò ſed etiam longè certiſſimam, Divinitus, inquam, certam, graviſſimíſque & ampliſſimis S. Scripturæ monumentis ſemel atque iterum teſtatam & conſignatam habemus. Gen. 25. 30. *Dixit Eſaus Jacobo, Sine ut ſorbeam de rufo iſto, de rufo* (inquam *jure*) *iſto: nam feſſus ſum. Quam ob cauſam vocatum eſt nomen ejus Edom.* Atq; adeò, cùm primùm in lucem ederetur Gen. 25. 25. quamvis *Eſau* ſtatim ab omnibus diceretur (à עשה ſcilicet) h. e. *Factus*, vel *Perfectus*, aut *Paratus*, quoniam perfectè pilis ornatus, puerorum inſtar qui ætate ſatis maturi ſunt, natus eſt; tamen quia אדמוני, i. πυῤῥόχρως & πυῤῥὸς, *rufus* ſive *ruber*, h. e. frequenti pilo, eóq; rubro aut rufo, denſiſſimus, ex utero prodiret, inſitâ jam tum in corpore ſuo cauſam nominis *Edom* geſtabat, ínq; promptu etiam poſitam: quæ poſtmodum inſigni illo eventu Juſculi rubri expetiti & juris Primogeniti ſimul venditi rurſus renovata & confirmata æquè cunctorum ſermone celebratum reddidit nomen hoc *Edom* atq; illud *Eſau*. Itaq; Eſauo nomen *Edom*, i. Πυῤῥὸς ſive Ἐρυθρὸς *Ruber*, privatum erat & peculiare non ſolùm naturali proprietate (quam notam Zoilo etiam Poeta inuſſit, Mart. l. 12. 54.) ſed fortuitâ inſuper appetitione, & memorabili exinde dignitatis primogeniti venditione. Viro huic, quantum ad hoc ſeculum, ſumma aderant omnia: robuſtus animus & bellicoſus, egregia generis claritas, eximia corporis forma planéq; (ut ait ille) regio principatu digna, ἄξιον τυραννίδος· affinitas ſplendidiſſima potentiſſimáque, in matrimonium ductâ Mahalathâ Nabaiothi, Nabatæorum autoris, & Iſmaelis filii primogeniti, ſorore germanâ Gen. 28. 9. copiarum militarium firmiſſima præſidia Gen. 33. 1. illuſtris rerum geſtarum gloria; maxima divitiarum opúmque affluentia; regionis amplæ imperium antiquiſſimum juxtà ſtabiliſſimúmque; Gen. 36. 31. 1 Reg. 11. 14. Hæc quidem meritò regalia ſunt ducenda, & ejuſmodi quæ non niſi in virum Principem & Heroicum convenire queant. Haud mirandum igitur ſi Edomus, h. e. Erythras vel Erythrus, vir tantus præſertim, regioni in ditionem ac poteſtatem ſuam redactæ nomen dedit, ut & illa ארץ אדום *Terra Edom* ſive *terra Erythri*, atque adeò ſimpliciter אדום *Edom* genere ſcilicet femineo Jer. 49. 17. Syriacè *Edoum* Marc. 3. 8. Arabicè *Adouma*, ἡ Ἰδουμαία *Idumæa* vel *Erythræa* Pſ. 60. 10. appelletur; gens autem ipſa *Edomita*, vel *Idumæi*, vel *Edoumæi*, Græcè Ἰδουμαῖοι, quæ vulgatior eſt ſcriptura, vel etiam Ἐδουμαῖοι, quæ verior, & à Stephano annotatur Voce Ἰδουμαῖοι. Verba Stephani, quamvis mendoſa ſint, aſcribam; quandoquidem & corrigere fortaſſe conducet, & explanare. Ἰδουμαῖοι, ἔθνος Ἑβραίων (lege Ἀραβίων, non me, ſed Sunio Hiſtorico, apud hunc ipſum Stephanum Voce Ἰδουμαῖοι, autore) ἀπὸ Ἄδωμ. Ἄδομα γὰρ οἱ Ἰουδαῖοι τὸ ἐρυθρὸν καλοῦσιν· ὅτι ξανθὸν βρῶμα δοὺς τῷ ἀδελφῷ (lege αὐτῷ ὁ ἀδελφὸς, Sacris literis confirmantibus Gen. 25. 31, 32, 33.) τὰ πρωτοτόκια εἵλήφει, *Idumæi* inquit, *gens eſt Arabica ab Adomo. Adomum enim Judæi Rubrum vocant, quoniam cibo rufo ei conceſſo, frater primatum præripuit.* Hæc ità ſunt perſpicua & apertè vera ut alieniſſimum illud Suidæ interpretamentum, Ἐδὼμ ἑρμηνεύεται θερμασία, omnino miſſum facere liceat: nam eo explicatur potiùs nomen Græcum αἴθων quàm Hebræum *Edom*. Niſi quis fortè ortum malit ex eo quòd cùm veterum quiſpiam Hebraicè neutiquam eruditus, quem autorem ſecutus eſt Suidas, verbum אדמו apud Lxx in codicibus nonnullis, iiſq; pervetuſtis, ἐπυρράθησε pro ἐπυῤῥώθησε, redditum animadvertiſſet Thren. 4. 7. neque manifeſtum Librarii mendum à vero proprióque thematis Hebræi ſignificatu dijudicare & dignoſcere poſſet, deductum ab eodem themate nomen אדום πυῤῥὸς ſive θερμασίαν interpretandum conjectavit: ſed ineptè prorſus. Planè ut Philo πρὸς τοὺς τὰ τῶν ὄντων πράγματα κληρονόμους, pag. 339. nomen *Phua*, obſtetricis Hebrææ proprium, Ἐρυθρὸν *Rubrum* interpretatus eſt, tenui iſtâ (ut ſuſpicor) conjecturâ inductus, nimirum quòd ἐρυθρίασιν vel ἐρύθημα, à *rubore* Græcis dictum, *Fue* ab Arabibus, Hebræorum vicinis, vocitatum accepiſſet: Mat. Silvat. Pandect. Med. fol. 98. 6. Falſus eſt ergò uterq; hic in principali

principali vocabulo, ille in significatu germano, errore (ut ità dicam) ἀνθιστόηχον.

Porrò Edomus iste, quia totius regionis seu provinciæ Dominus ac Princeps evasit, imperio item maris eandem regionem præterfluentis simul potitum esse consentaneum apparet. Etenim Idumæa nupera & novitia, quam describit Ptolemæus, veteris (de qua jam agimus) pars est tantummodo, eáque exigua, terminis nimiùm angustis quasi in obscurum aliquem angulum contrusa. Antiquam autem spatiosissimam fuisse constat, ut quæ universam Nabatæorum gentem sibi vendicârit, maximam Arabiæ Petrææ partem comprehenderit, & fines suos ad Sinum usque Arabicum longo oræ maritimæ tractu protulerit. Testatum est enim Idumæos & Nabatæos in populi unius corpus coaluisse, & multò omnium Arabum fortissimos & bellicosissimos exstitisse. Id quod de Edomo ejúsque posteris Divinitus prædixerat Isaacus, juxta illud Gen. 27. 40. *Gladio tuo vives*, & S. Scripturæ volumina pluribus locis demonstrant. Itaque eos solos ex toto Arabum genere eximio & peculiari quodam cognomento insignitos accepimus, ut *Dachareni* dicerentur. Δαχαηλωὶ, ἔθνος Ἀραβίας, ἀπὸ Ναβάτου προσαγορευθὲν Ναβαλαῖον· Σημαίνει δὲ τὸ Δαχαηλωὶ ἀρσενικῶς. (Lege ἀρσενικὸς, ex autoritate Eustathii Comm. in Dionys. περιηγ. 954. reíque ipsius veritate) *Dachareni*, inquit Stephanus περὶ πόλ. voce Δαχαηλωὶ, *gens est Arabiæ, à Nabate denominata Nabatæa. Significat autem vocabulum Dachareni, Masculos*, à nomine videlicet Arabico & Syro דכר *marem* vel *masculum* denotante: quòd non, ut cæteri Arabes, ἀβρόβιοι, mollitiâ scilicet infames, animos gererent imbelles ac muliebres, sed mares sive viriles ad bella fortiter suscipienda & conficienda. Atque hîc nullo sanè negotio éluitur macula quâ veterum nonnulli Nabatæorum nomen afficere sunt conati. Memorat enim idem Stephanus voce Ναβαλαῖοι, Nabaten quendam gentis Nabatææ autorem; ac illico nominis rationem explicans, subtexit, Ναβάτης δέ ἐστιν, ὁ ἐκ μοιχείας γενόμενος, *Nabates autem exponitur, qui ex adulterio est ortus.* Ubi palàm liquet hostili animo superadditum fuisse illud *ex adulterio*, déque industria confictum ad gentis universæ ignominiam. Siquidem נבת Arabicè *germinare* tantummodo aut *florere* significat, eodem ferè sensu quo צמח ab Hebræis usurpatur. Quocirca si hinc etiam censenda est & æstimanda *Nabatæorum* appellatio, omni contumeliâ vacabit, nihílque nisi planè honorificum sonare poterit. Perinde quippe est acsi dicas, *Crescentes, Germinantes, Florentes*, opibus videlicet, potentiâ, imperio reíque (ut modò attigimus) bellicæ gloriâ. Idumæos autem & Nabatæos eundem esse populum, & sinum Arabicum accoluisse, clarissimum ac peridoneum autorem habemus Strabonem. Nam & Arabiam Petræam peragravit, & Ælium Gallum Romanorum ducem in Arabiam interiorem, quæ *Felix* perhibetur, comitatus est. Is ergò, *Idumæi*, inquit, *Nabatæi sunt. Per seditionem autem indè ejecti Judæis se adjunxerunt, & eorum leges amplexi sunt.* Imò à Davide Rege adversis prælíis fracti & ad internecionem demum cæsi, jure belli in Israelitarum potestatem venerunt, 2 Sam. 8. 14. & 1 Reg. 11. 16. Quis verò nescit civitatem Petram Nabatæorum fuisse Metropolin? eam tamen in terra Edom sitam asserit Hieronymus De loc. Heb. & verò etiam Sacra pervincit Historia 2 Reg. 14. 7. De utrísque igitur, Edomæis ac Nabatæis, perinde quasi nihil interfit, promiscuè & indiscriminatim deinceps loquemur.

Sapientissimus Solomon & rerum Naturalium ante alios longè scientissimus, patri Davidi in Regno succedens, cùm Edomæâ simul potitus intellexisset in ejus ora maritima commodam navium stationem esse, unde in Indiam solventes ex ea peterent viâ tutâ, facili, compendiariâ pretiosissimas illas merces, ebur, aurum, gemmas, aromata, quas antea terrestri itinere, intolerabili cum labore, sumptu immenso, periculis innumeris advehere consueverant, consilium cepit emporium mercium ejusmodi Indicarum & navalia ædificandis inibi navibus apta propter mare Rubrum in litore Idumææ constituere. Quocirca quia rei nauticæ suos, h. e. Israelitas, rudes omnino atque imperitos esse noverat, missis ad Hiramum Tyri Regem literis, cum Tyriis actutum evocatis, summis navigandi artificibus, societatem totius Indici negotii coivit. Itaque coloniam sine controversia numerosam & validam, Tyriorum potissimùm, quos navigationis & mercaturæ quàm studiosissimos usúque peritissimos esse sciebat, in Edomæam deductam, partim Etsione Geberis, tanquam in navalium suorum sede, partim Elothis, tanquam in classis Indicæ portu & emporio celebri, collocavit. Nam Etsione navalia regia fuisse, mihi maximo argumento est quod scribitur 1 Reg. 9. 26. אני עשה ναῦν ἐποίησεν (Josephus Antiq. l. 8. c. 2. p. 240. uno verbo appositè vertit ἐναυπηγήσατο) *naves fabricatus est Solomon*, sive *fabricandas curavit, Etsione Geberis*. Erat ergò Etsion Geberis ναυπήγιον, *locus compingendis*, h. e. ædificandis, adornandis, instruendis, *navibus* Salomonis *constitutus*. Quapropter quamvis aliquantò propinquior esset Elotharum quàm Etsionis situs (quandoquidem Israelitæ prætergressi fratres suos filios Esaui, prius Elothas quàm Etsionem pervenerunt Deut. 2. 8.) tamen 2 Par. 8. 17. cùm iter Solomonis narratur quod in Edomæam ad mare Rubrum fecit, Etsionem, quæ paulò longiùs aberat, primùm contendisse dicitur. Idque non temere nec inconsultè evenit. Urgebat enim cura & solicitudo classis regiæ, quæ ibi fabricabatur & apparabatur, quàm ocyssimè inspiciendæ & diligenter lustrandæ. Oppidum hoc aliàs Γασιὼν apud Lxx scribitur, aliàs Γασιὼν, aliàs Γασιὼν, ut in Editione Romana, quod omnium optimum est, 2 Par. 8. 17. Deut. 2. 8. Vetus Interpretatio Latina ubique habet *Asiongaber*, perinde atque Josephus Ἀσιωνγάβριγ. Notum est autem י, primam nominis istius literam, aliquando in *g* mutatam pronunciari, aliquando propter insitam prolationis asperitatem prorsus omitti. Testatur Hieronymus ad suam ætatem tot secula permansisse, & nomine paulùm mutilato *Esiam* vulgò appellatam: *Est civitas Esau*, inquit De locis Hebr. *quam nunc Esiam nuncupari putant, juxta Mare rubrum & Ailam.* Hactenus de Etsione.

Porrò Elothas suprà emporium Indicæ negotiationi destinatum diximus: nec injuriâ quidem. Nam cùm duo sint in omni negotiatione maritima necessaria, navigia apparata quæ vehant, & merces comportatæ & congestæ quæ vehantur, si prioris vicem Etsionem implêsse constat, certè posterioris usum Elothas præbuisse pariter constabit. Alia nempe loca, præterquam hæc duo, ad rem Indicam universam comparata omnino nulla legimus. Quocirca cùm Etsion Geberis naves undique armamentis suis jam instructas suppeditâsset, mox vicinum Elotharum emporium mercibus & exportandis propediem solvendas onerare, & importatis, postquam reversæ sunt, exonerare consuevit. Atque hoc ætatum sequentium testimonio usúque frequenti ostendere & comprobare licet. Sed nonnulla prius dicam de nomine. אילת *Ælath* in regimine singulari, vel אילות *Æloth* in plurali, prototypon est Hebraicum. Hinc à Tyriis sive Phœnicibus factum est איליא *Ailath*, cujus singulare absolutum est אילא *Aila*, plurale אילן: siquidem Hebræorum pluralia feminea in ות definentia terminare solent in ן præcedente Camets. Unde Græcorum aliàs Αἴλα, quod profert Stephanus Voce Αἴλανον, & *Aila* apud Hieronymum; utrumq; à singulari absoluto, אילא: aliàs Αἰλών, ut in Bibliis Romanis Deut. 2. 8. aliàs Ἔλανα, vel Ἐλλάνα, ut in Ptolemæi Geographia l. 5. c. 17. & l. 6. c. 7. aliàs Ἄλανα, ut in Diodori Bibliotheca l. 3. p. 123. quod forsan mendosum est pro Αἴλανα, à singulari scilicet Αἴλανον, quod legitur apud Stephanum. Indè Latinum *Ælana* à Plinio memoratum l. 6. c. 28. Jubæ autem *Laana* apud eundem per inversionem literæ *L* dictum apparet, rectè an secùs nihil ad nostrum institutum. Non nihil tamen vereor nè fortè lapsus sit alteruter, aut Juba videlicet, aut Plinius, & *Laana* prò *Ælana* perperàm substituerit. Nam apud Ptolemæum cernitur Λανίτης κόλπος *Laanites Sinus*, eádem ferè latitudine in latere Arabiæ

Orientali

Orientali ad mare Perſicum quâ eſt & *Elanites* in Occidentali ad Arabicum. Ἐιλανὶ verò Joſephi Antiq.l.8. c.2. idem planè vocabulum eſt ac Αἰλανα, ſed exiliore ſono enunciatum. Aliàs denique Αἰλὰθ, quod in Bibliis ſæpius occurrit: atque indè Latinorum *Ailath*; quod ſemel *Elath* ſcribitur Deut. 2. 8. Cæterùm, quantùm ad rem ipſam, illud bona cum lectoris venia annotare liceat, ex tribus aut ſummùm quatuor gentibus à quibus olim habitatam fuiſſe Elanam Sacra teſtatur Hiſtoria, maximè Tyrios ſive Phœnicas ab exteris nominatim celebrari: neque immeritò. Judæorum enim minimè ſtabilis aut diuturna fuit poſſeſſio. Nam ab Edomæis initio ejecti, dein à Retſine Syriæ Rege, non ità multò pòſt funditus ſublati ſunt atque deleti, conſtitutâ in eorum ſedibus (ut apparet) Syrorum ſuorum coloniâ, 2 Reg. 16. 6. & 14. 22. & 8. 20. Minimè verò mirum ſi in Judæos ab utriſque eſt tam acerbè ſævitum, quippe qui (ut alia præteream) pro dominis ſe gererent, & regiis vectigalibus exigendis præeſſent. Tyrii contrà ſedulò conſervati, ob egregiam & peculiarem navigandi peritiam, variáſque & ditiſſimas mercaturas; quas non tam negotiatoribus quàm Regibus ipſis lucroſiſſimas fuiſſe oportet. Porrò Syri Tyriíque pro iiſdem ſunt habendi. Nam & Tyrii Syrophœnices ſunt dicti, & eadem utriſque lingua communis. Quocirca oppidum Elanam duæ ſimul gentes uſque tenuerunt, Idumæi videlicet & Syri cum συμφύλοις ſuis ſive *cognatis* Syrophœnicibus Tyriiſve. Id quod ſubtili compendio pulcrè indicat vocabulum ארומים 2 Reg. 16. 6. à Maſoritis obſervatum, & ſolenni notulâ ſupraſcriptâ quaſi digito monſtratum. Etenim extrema vocis elementa ad utramque gentem ex æquo pertinere nôrunt periti; media verò diſtinctè oſtendunt alteram ab altera diſcretam, nempe Reſch Syros ארמים, Vau Cholem Idumæos ארומים. Nec quenquam turbet litera ר migrans in ד; quippe familiare illud eſſe Hebræis facilè docebunt *Hadar* & *Hadad* Gen. 36. 39. & 1 Par. 1. 50. *Riphath* & *Diphath*, *Rhodanim* & *Dodanim* Gen. 10. 3, 4. & 1 Par. 1. 6, 7. cæteráque ejuſdem modi. Mutila igitur & decurtata cenſenda eſt Editio quæ gentem alterutram, ſive *Idumæos*, ſive *Syros*, ſolùm nominat; plena autem integráque quæ utramque fideliter reponit, ut vetuſtiſſima illa & accuratiſſima Bernardini Gadoli Brixiani, auſpiciis Cardinalis Piccolhominéi elaborata & divulgata, *Idumæi & Syri*, inquit, *venérunt in Hailam, & habitaverunt ibi uſque in diem hanc.* Cui etiam adſtipulatur vetus apud me Codex manuſcriptus eandem planè ſententiam repræſentans. Atque eo pacto accipiendum eſſe nomen ארומים res ipſa quoque confirmat. Idumæos enim ibi permanſiſſe omnino conſentaneum eſt, propter inviolabilem totius undique regionis poſſeſſionem & dominatum; Syros autem ſive Tyrios, perinde conſentaneum, propter aſſiduam & quotidianam ex navigatione & negotiatione utilitatem. Eâque inſuper re ex omnibus omnium incolarum Elanæ generibus, Tyrii ſoli non tantùm noti ſed nobiles etiam & illuſtres apud exteras nationes exſtiterunt, quòd reliquis domi ſemper ferè deſidentibus, ipſi tranſmarinis ac longinquis peregrinationibus uſque ab ultima antiquitate claruerunt.

Verùm ante omnia ſcire convenit quæ narrat Strabo Geogr. l. 16. p. 522. nimirum, poſt promontorium, quod uſque ad Petram Arabum, qui *Nabatæi* dicuntur, & in Paleſtinam pertendit (Promontorium illud *Pharan* nominatur à Ptolemæo, indéque continentibus jugis montes ii quos *Melanas* ille, *Seir* vocant Scripturæ, in Judæam ipſam pertinent) ſuccedere Elaniticum Sinum, κολπον πολλαῖς κώμαις Ἀράβων τῶν πεταγρεδομένων Ναβαταίων, *multis vicis* ſeu *pagis* (inquit Diodorus l. 3. p. 123.) *Arabum qui Nabatæi appellantur circumhabitatum.* Horum omnium pagorum Elanam in inferiore Sinûs parte poſitam, à qua totus nomen traxit, ut *Elanites* vel *Elaniticus* nuncuparetur, longè principem exſtitiſſe. Eámque, πόλιν *urbem* Strabo vocat, propter magnitudinem; Glaucus rerum Arabicarum 30, & Diodorus (quem proximè citavimus) κώμην *pagum*, quòd muris careret. Deindè Arabicam Ælii Galli expeditionem, ab initio, quemadmodum confecta fuerit exponens, tacito nomine antiquo, aliud adhibet multò recentius; & quam *Elanam* antè appellârat, jam Λευκὴν κώμην *Album pagum* ſive *vicum* dicit, duobus ſcilicet nominibus planè eundem locum denotans; quia illud indigenis, hoc exteris nationibus, præſertim mercatoribus, notius & familiarius eſſe ſciret. Id verò binominem eſſe urbem vel pagum hunc indicio eſſe poterit, quòd accuratiſſimi Geographi, quibus ſeparatim ac minutatim ſingula loca recenſere propoſitum erat, uno ex duobus iſtis expreſſo, alterum reticent. v. g. Ptolemæus *Elanæ* meminit, *Album* verò *pagum* omiſit. Arrianus in Periplo contrà hunc nominatim reponit, illam præterit. Cujus rei hanc ſolam (ut quidem opinor) rationem afferre licet, quòd, cùm utrumque nomen idem valere cognoſcerent, alterum duntaxat commemorare ſatìs haberent. Alioqui credibile non eſt Ptolemæum *Album pagum* locum adeò illuſtrem ſilentio tam ako tranſmiſſurum. Quippe Album pagum *maximum Nabatæorum emporium* Strabo l. 16. appellat. Et paulò pòſt, *Ex Albo pago in Petram, ex Petra Rhinocoluram, quæ in ipſa Phœnicia eſt apud Ægyptum, merces Indicæ Arabicæq; ſolebant portari; atq; hinc in alia loca. Nunc pars maxima per Nilum Alexandriam vehitur.* Atqui pagum urbémve maritimam claram ac nobilem, præterquam Elanam, nullam in Nabatæorum regione reperimus. Hæc ergò ſit oportet Pagus ille Albus.

Adde quòd in iſto Strabonis teſtimonio negotiationis Indicæ mari à Solomone primùm inſtitutæ veſtigia non obſcura deprehendantur. Donec enim Edomæi in ditione Regum Judæ erant, ſolebant mercatores Indici ex urbe Elana ſive Albo pago Petram petere, atque indè Hieroſolymam Tyrúmque merces pervehere. At poſtquam creato ſibi Rege defecerunt à Judæis Edomæi (quod Joramo impio pii Joſaphati filio regnante accidit 2 Reg. 8. 20.) immutatus eſt aliquantùm mos antiquus; ſiquidem deportârunt quidem Elanâ negotiatores merces ſuas, more ſolito, Petram: indè autem nequaquam ulteriùs progreſſi, interdicente videlicet eis Rege Idumæo Judæorum commercio, novo jam itinere Rhinocoluram divertere cœperunt. Qui mos ſanè perquam diu manſiſſe videtur; uſque dum Ptolemæi Ægyptiorum Reges, opibus & potentiâ florentes, Indicam & Arabicam quoque negotiationem Alexandriam pertrahere ſummo conatu ſtuduerunt. Idque maxima ex parte effectum eſt immani ſumptu apertis ac munitis in litore Ægyptio cùm aliis tum præcipuè portubus duobus, quorum propiorem *Myos hormon*, i. *Muris portum*, longinquiorem *Berenices*, nominârunt. Nam hi adeò celebres & mercatoribus frequentes facti ſunt ut Joſephus Hiſtoricus Antiq. l. 8. c. 2. Ετsionem Geberis *Berenices portum* interpretari non dubitârit; errore tamen perabſurdo, tam intervalli quàm poſitûs ratione. Quippe procul diſtat *Myos hormos Muris Portus*, eóque magis adhuc Berenices, ab Etſionis atque Elanæ, nempe bidui aut tridui etiam navigatione. Jacéntque in oppoſitis è regione litoribus, hi ad orientem Solem in Nabatæa, illi ad occidentem in Ægypto. Conveniunt autem aliquatenus, quòd Indicarum & Arabicarum mercium portus ſint utrique: veruntamen recentes illi, veteres iſti. Hæc omnia diſcimus ex Arriano Perip. maris Erythræi, Ἐκ δὲ εὐανύμων Βερενίκης, ἀπὸ Μυὸς ὅρμου δυσὶν δρόμοις ἢ τρισὶν ὡς πρὸς ἀνατολὰς διαπλεύσασι, πεζοπόμπιον κόλπον, ὅρμος ἔστιν ἕτερος, ὃ λέγεται Λευκὴ κώμη· ἀπ' ἧς ἔστιν (lege ἄσιν) ὡς Πέτραν, πρὸς Μαλίχαν βασιλέα Ναβαταίων· ἔχει δὲ ἐμπορίου τινὰ καὶ αὐτὸ τάξιν, τοῖς ἀπὸ τῆς Ἀραβίας ἐξαντιζομένοις εἰς αὐτὸν πλοίοις ἐ μεγάλοις. διὸ καὶ παφυλακὴν ἔχειν εἰς αὐτὸν παραπλησίαν τῇ τάξει καὶ ἀποστεγνῶν φορτίων, καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ στόματος ἀποστέλλεται, *Ad ſiniſtram Berenices, bidui aut tridui à Muris portu navigatione, adjacentem ſinum Ortum verſus tranſmittemi, occurrit portus alius & præſidium, quod Album pagus dicitur. Ex quo Petram itur ad Malicham Nabatæorum Regem. Eſt & ipſum illud præſidium emporii loco minoribus navigiis quæ ex Arabia illuc appelluntur. Quocirca cautionis etiam & cuſtodiæ cauſâ eodem mitti ſolet qui quartam partem mercium*

cium quæ importantur exigat, & Centurio cum exercitu. *Melicha* eſt nomen appellativum, מלכא. Quod perinde valet atque ὁ βασιλεύς. Vide lib. 3. c. 17. πραγματεύς, i. *exactor*, idem ſonat atque ὁ λαμβάνων, Mat. 17. 24. a Receiver.

Liquet inſuper ex iſtis Arriani verbis, vigente etiamnum mercatûs Ægyptii ſive Alexandrini maximâ celebritate, emporium Edomæum non prorſus ad ſolitudinem redactum nec omnino frequentari deſitum, ſed antiquæ negotiationis reliquias ſatis illuſtres & conſpicuas uſque ſervâſſe: atque adeò (quod caput eſt) emporium illud, quod Λευκὴ κώμη *Album pagum* nomine nupero vocârunt poſteri, vetuſto & ſuo *Elanam* perhiberi ac revera eſſe. Eſt & altera Leuce, quæ nomine non Græco ſed Syro Arabicóque à Ptolemæo lib. 6. appellatur. Hanc Aretas Regis Obodæ (quem *Obeidam* Strabo vocat) filius, oraculo quodam & viſo ἀνδρὸς λευκοῦ & ἐπὶ λευκῆς δρομάδος ὀχουμένου & *hominis albati albo camelo dromade provecti* monitus, (uti narrat Stephanus περὶ πόλ. voce Ἀναγα) ædificavit atque incolis frequentavit; & exinde nomine conſentaneo impoſito, Ἀναγα (חורא) ὅ ἐστι κατ' Ἀραβας καὶ Σύρους, λευκὴ, *Anara, quod Arabibus & Syris eſt Leuce, Alba*, ab eodem dicta eſt. Quam item Album pagum eſſe haud difficulter dederim, propter ſummâ nominis congruentiam, & poſitionem Auaræ in Græco Ptolemæi codice non multò plùs quàm Ælanæ in Orientem (propiùs nempe ſitum Etſionis) ac nihilo ferè ampliùs in Septentriones vergentis; niſi quòd Ælanam conſtat urbem maritimam fuiſſe, Auaram autem πόλιν ἢ κώμην μεσόγειον *urbem aut vicum mediterraneum* & à mare remotum teſtatur Ptolemæus l. 5. c. 17. Nos verò (ſicuti ſuprà diximus) omnino ut Ælanam Album pagum arbitremur inclinat animus. Illuc autem adducimur certo & perſpicuo B. Hieronymi teſtimonio. *Ailat*, inquit, De loc. Hebr. *in extremis finibus Paleſtinæ, juncta meridianæ ſolitudini & mari Rubro. Unde ex Ægypto Indiam, & indè ad Ægyptum navigatur. Sedet autem ibi legio Romana cognomento Decima. Et olim quidem Ailat à veteribus dicebatur, nunc verò appellatur Aila.* Hîc eadem ferè narrat de Ailath ſive Elana Hieronymus quæ de Albo pago Arrianus: idem loci ſitus; eadem militum cuſtodia: niſi quòd hîc major recenſetur numerus: nec injuriâ. Rebus enim dubiis ac vehementer jam inclinatis & perturbatis, cùm viveret Hieronymus, firmioribus præſidiis opus erat apud omnes gentes, certè limitaneas, maximè verò inſtabiles ac perfidas. Regnante autem Adriano, cùm ſcriberet Arrianus, non ità opus; ſiquidem florentiſſimum illis temporibus fuiſſe dicitur Romanum Imperium. Idem poſtremò navigationis curſus; quẽ detorquere ſolebant Berenicen aut Ægyptum versùs, quò faciliùs citer medium Sinûs tenerent, orámque Arabicam, latrociniis & periculis marinis infeſtam, magna ex parte declinarent. Qua de re attexam dilucida & expreſſa Arriani verba Perip. maris Erythræi, Καθόλου ὅτος ὁ τῆ Ἀραβικῆς χώρας ὑπώρειος παράπλους ἐστὶν ὀκνηρὸς, καὶ ἀλίμενος & ἡ χώρα καὶ δύσορμος, καὶ ἀκρωτήρια ῥαχίαις & πέτραις ἀπορρώξι, καὶ ἐπὶ πολὺ φοβερά· διὸ καὶ ἀπλοΐστων μέσον πλῶν κατέχουσιν, καὶ ὡς τὸν Ἀραβικὸν κόλπον μᾶλλον παρεξύνουσιν ἄχει τῆς Κατακεκαυμένης νήσου, μεθ' ἣν εὐθέως ἡμέρων ἀνθρώπων ζωχῆς χῶραι, *Omnino hæc continentis Arabiæ præternavigatio periculoſa eſt: ipſáq; regio nec portum habet ullum nec ſtationem navibus tutam. Præterea impedita eſt brevibus & inacceſſa ſcopulis, denigq; horroris ubiq; plena. Itaq; in altum provecti medium curſum tenemus: propiùs autẽ oram Arabicã contendimus uſq; ad Inſulã Combuſtã. Poſt hanc protinus loca continenter ſuccedunt manſuetis hominibus habitata.* Arriano aſtipulatur Strabo lib. 16. *Præternavigatio*, inquit, *non ampliùs aſpera eſt* (nempe à Sotiræ Deæ portu, vel Theon Sotéron, autore Ptolemæo) *ſed propiùs quodammodo ad Arabiam acceditur.* Utriuſque teſtimonii hanc conſentientem eſſe oportet ſententiam. A portu Theon Sotéron tuti curſûs initium fieri, eúmque exinde ſenſim & paulatim ad litus Arabicum flecti; ab Inſula verò Combuſta, ac deinceps, curſum omnino tutum exiſtere, & amoto jam metu, proximè Arabiam dirigi. Tantundem de navigationis Arabicæ difficultate primùm, dein ſecuritate, narrat Lud. Vartomannus Navig. l. 1. c. 21. *Interdiu tantùm navigabile eſt mare Erythræum: noctu conquieſcunt tantiſper nautæ donec ad eam Inſulam perventum eſt quæ Camaran dicitur*: (cujus latitudo penè par & æqualis eſt latitudini Inſulæ Combuſtæ, nempe 15 circiter graduum Ptol. l. 6. c. 7.) *deinceps itur tutiùs. Cur noctu ſulcari nequeat id cauſæ afferunt, quòd aridis & ſcopulis brevibúſque frequens eſt mirandum in modum mare. Ob id opus eſt diuturniore ſpeculâ, è ſuperiore parte mali prævidentibus diſcrimina nautis.* Hæc aliquantò enucleatiùs diſſerenda putavimus, quia obſcuris illis Hieronymi verbis, *unde ex Ægypto in Indiam*, lucem aliquam afferunt, & occaſionem alteram nos ſubmonent quamobrem Joſephus *Berenicen* pro *Etſione Geberis* habendam conjectârit. Nam cùm duos tantummodo portus Indicos in Sacris Hiſtoriis commemoratos ſciret, *Etſionem* atque *Elanam*, intelligerétque ex mercatoribus, oræ maritimæ parùm ipſe peritus, ſecundum ab Elana portum unde Indiam versùs ſolverent eſſe Berenicen, ſtatim hanc, errore ductus, Etſionem exiſtimavit.

Ad ſummam, omnia huc redeunt, ut perſpicuè cernat Lector veram nominis *Erythræi* ſive *Rubri* maris originem, eámque celeberrimæ in Ophirum navigationi, quam Solomon princeps inſtituit & magnificis impenſis adornavit, antiquitate omnino parem. Etenim cùm navigatio iſta, multis etiam pòſt ſeculis uſitata, ab Edomæi maris portubus, Elanam dico atque Etſionem, cœpta, in eiſdem rurſus terminaretur, meritò mare quoque Edomæum ſimul nobilitâſſe & famâ inclytum atque illuſtre reddidiſſe cenſeatur. Idque eò faciliùs citiúſque effectum eſt quòd Phœnices, ínque eis vel maximè Tyrii, in utroque mari, Edomæo & Mediterraneo, mercaturas ampliſſimas & copioſiſſimas olim feciſſe, & tam continentis oræ mari imæ quàm Inſularum loca idonea & opportuna coloniis miſſis occupâſſe dicuntur. De Mediterraneo adeò compertum eſt atque teſtatum ut nè verbum quidem addere ſit opus. De Edomæo ſive Erythræo, quamvis non æquè, ſatis tamen liquidò conſtare arbitror. Ut enim quæ antè ſunt dicta tranſiliam, huic rei argumento eſſe poteſt Φοινίκων κώμη *Phœnicum oppidum* Ptol. Geog. l. 6. c. 7. non ità procul Elanâ in litore Arabico conditum; *Aſtarte Inſula*. Ità namque appellatur à Marciano in Periplo, Steph. περὶ πόλ. voce Ἀσταῆλη, licèt eam Ptolemæus l. 4. c. 10. Ἀστράτην *Aſtraten* nominet, per anagrammatiſſmum vulgarem. Notum eſt autem Aſtarten antiquiſſimam fuiſſe Sidoniorum Deam; cujus nomen inſulæ impoſitum indicio eſt Phœnicas olim mare illud navigaſſe. Idémque docebant Stelæ lapideæ literis incognitis, vetuſtis ſcilicet Phœnicum, inſcriptæ, Diodor. Sic. l. 3. p. 114. Plin. l. 6. c. 28. quas ignorabant multò recentiores Græci & Romani, ipſíque etiam Ægyptii, quamvis Hieroglyphicorum characterum ſcientiſſimi. Quid multa? *Gens Tyra* à Plinio l. 6. c. 29. memoratur in Sinu Maris Rubri. Herodotus l. 2. τῆς Ἀραβίης τὰ παρὰ θάλασσαν Σύριοι νέμονται, *Arabiæ*, inquit, *maritimam oram Syri incolunt.* Phœnicas appellat *Syrios*: nam Syriæ pars eſt Phœnice. Ad eundem modum Heſychius *Sidonios Erythræi maris accolas* fuiſſe teſtatur; Σιδόνιοι, Φοίνικες, καὶ οἱ τὴν Ἐρυθρὰν οἰκοῦντες θάλασσαν, h. e. *Sidonii* ſunt non ſolùm *Phœnices*, videlicet qui Phœnicen incolunt, verùm *etiam qui Erythræum* ſeu *Rubrum mare accolunt.* Quos Dionyſius Periegeſ. 906. propterea Ἐρυθραίους (quaſi Ἐρυμαίους· ſunt enim ſynonyma) *Erythræos* peculiariter nuncupat, nomine certè aptiſſimo, & antiquam Phœnicum propaginem eſſe ait. Quinetiam ex Arabico ſinu (quem propriè *Erythræum*, h. e. *Edomæum*, vocari apparet) ulteriùs progreſſi Phœnices Tyrum & Aradum inſulas in Perſico occupârunt & nominârunt. *Quæ Phœniceis ſimilia habent templa*, inquit Strabo l. 16. *earum incolæ affirmant inſulas & urbes quas Phœnices eodem nomine habent, ſuas eſſe colonias.* Tanta ſcilicet eis inerat germaniſſimæ & antiquiſſimæ ſtirpis fiducia. Quoniam autem ex Erythræa, h. e. Edomæa, navigationis curſum exorſi, illuc permeaverant,

maris quoque Erythræi amplitudinem unà secum extendi eousque voluerunt. Imò propter commentitium quendam Erythram, nempe Tyrium aut Phœnicem aliquem, ex Erythræa sive Edomæa quondam profectum, & in insula quadam Tyrina sive intra sive extra sinum Persicum (nondum enim liquet) sepultum, cujus tumulus ibi visendus exstabat, conati sunt posteri, præcipuè autem Persæ, & rerum ab Alexandro gestarum scriptores fabulosi, verum atque indubitatum Erythram, videlicet Edomum, de justissima sui ipsius nominis, regionis, maris possessione per summam injuriam depellere & deturbare. Neque hoc contenti, *rates* etiam, quibus primùm navigari cœptum est, *inter insulas Rubri maris* longè gentium ab eodem *Erythra inventas* contendunt; ut & alii *nave primum in Græciam ex Ægypto Danaum advenisse* tradunt, Plin. l. 7. c. 56. Nugæ meræ; commentum absurdissimum. Planè hoc est, quod dici solet, ἄνω ποταμῶν, perinde ac si quis non à carceribus ad calcem sed prorsus contra à calce ad carceres cursum iniri postulet. Nominis enim *Erythræi* principium atque honos non remeavit à Sinu Persico ad Arabicum, sed emanavit potiùs ab Arabico ad Persicum. Firmamentum quo nitamur si quæris, validissimum proferimus: 1 Reg. 9. 26. *Naves fabricatus est Rex Solomon Etsione Geberis, quæ est prope Elothas ad litus maris Rubri in terra Edomi.* Ubi & alterius commenti vanitas dilucidè cernatur. Neque enim gloria inventionis Navigii vel inchoati Persis vel perfecti Ægyptiis ullo modo tribuenda videtur: Sed laus utraque, proximè & secundùm communem omnium nostrûm parentem Noam, cui primò atque adeò Divinitus monstrata est Arcæ, h.e. navis ingentis constratæ, exquisitissimâ ratione construendæ, cognitio & scientia, Tyriorum sive Phœnicum genti est concedenda. Quippe hi, omni superiore memoriâ, longè cæteris mortalibus arte peritiâq; rei nauticæ excelluerunt; omniúmq; primi in mari Erythræo sive Edomæo non ratem temere & opere tumultuario fortuitóque compactam, sed classem verè regalem singulari artificio ædificatam, instructam & gubernatam exhibuerunt, salvámque & incolumem non modò in Arabiæ & Ægypti vicina loca, sed in Indiæ Æthiopiæque (ut probabile est) remotissimas regiones, ultrò citróque per immensum Oceanum, & duxerunt & reduxerunt. Quamobrem celeberrimum illud *Erythræi* sive *Rubri maris* nomen tum demum cœptum est usurpari postquam classe in mari Edom paratâ negotiationem Arabicam, Indicam, & fortasse Æthiopicam, instituisset Solomon. Etenim posteris ætatibus unà cum pretiosis illis mercibus quas Gazam, aut Rhinocoluram potissimùm, à mari Edom jumentis mercatores Tyrii sive Phœnices deportare, & indè navigiis in diversissimas, præsertim maris Mediterranei, regiones distrahere consueverunt, paulatim ipsum quoque nomen *maris Edom*, unde advectæ fuerant, in dies singulos magìs magísque divulgari & per ora hominum passim volitare cœpit. Attamen non tam nomen ipsum proprium per se, scilicet *Edom*, enunciatum videtur à mercatoribus, quàm nominis ejusdem interpretamentum, suo cujusque gentis idiomate expressum, nempe ἐρυθρὸς, ἐρυθρᾶῖος, *Ruber*, cæteráque ejusmodi. Idque eo consilio factum ut exteros rei ignaros (quod solenne est mercatoribus eísque qui regiones longinquas peragrârunt) insolitâ vocabuli novitate quasi obstupefacerent, animísque audientium majorem admirationem moverent.

Atque hæc ipsissima sunt incunabula Maris Erythræi, Græcis maximè cùm Asiaticis tum Europæis à Phœnicibus olim tradita, simul cum aliis quibusdam Indicæ Navigationis quasi appendicibus, partim fabulosis atque profanis, partim veris, sed quodam ænigmatis veluti tectorio inductis. Cujus generis est, *Cinnamomum & Casiam in avium nidis, & privatim phœnicis, apud Arabas reperiri*, Herod. Thal. l. 3. Plin. Nat. hist. lib. 12. c. 19. Quod occultè innuere videtur Tyriorum (nam & hi *Phœnices* sunt) navigia ex remotissimis Indiæ insulis aromata illa in Sinum Arabicum deferentia. Item clarissima apud veteres Bacchi duntaxat & Herculis in Indiam expeditio ex Hebræorum simul & Tyriorum eodèm institutâ navigatione originem duxit. Nam Deorum nomine Gentes ipsas quarum proprii erant Dii illi significatas arbitramur. Quare ut Hercules Tyrios denotat, qui Herculem peculiariter coluerunt; ità Bacchus Hebræos, quos illius sacris deditos fuisse Ethnici quamvìs falsissimè, vulgò tamen, existimabant. Atque adeò (quantum conjecturâ auguramur) *Bacchus* vocabulum (de *Hercule* autem suprà locuti sumus) ex augustissimo & summè venerando nomine JEHOVA astutiâ Satanæ suppilatum & surreptum videtur. Priscum quippe ac integrum est Ἰάβαχος *Jobachus*, attestante Hesychio, Ἰοβάχος, inquit, ὁ Διόνυσος. Unde dictum est postea Carminis genus quoddam in honorem Bacchi, cùm anniversarii festi dies ejus agerentur & sacra fierent, cani solitum, Phot. Bibl. pag. 524. Porrò *Jobachus* vel (terminatione Græcâ ademptâ) *Jobach* sono planè simillimum apparet nomini *Jovah*. Dein ex *Jobach*, parte priore decisâ, exstitit *Bacchus*, quotidiano sermone trita idoli appellatio. Huc denique spectat quod refert Philonides Medicus apud Athenæum Dipnos. l. 15. *translatam è Rubro mari vitem in Græciam à Baccho*, ἐκ τ' Ἐρυθρᾶς θαλάττης ὑπὸ Διονύσου μεθυσθῶσιν εἰς τὴν Ἑλλάδα τ' ἄμπελον· nimirum quia percrebuerat fama vetus & illustris, per Rubrũ mare aditum patere in Indiam, ex qua sola pretiosa universa provenire putabant; idcirco Vitem quoque indè allatam, utpote fruticem pretiosissimis quibusvis Indiæ mercibus facilè conferendum, nè dicam anteferendum.

Sed missa faciamus ista. Illud fortasse non ab re fuerit Lectori suggerere quod monet Agatharchides Phot. Bibl. 7. 18. Μέγα τὸ παρέλλαξον, Ἐρυθρᾶς θάλατταν αὐτῶν ἢ θάλατταν Ἐρυθράν· τὸ μὲν γὰρ κυκλούσαν σημαίνει τ' θαλάττης ἄνδρα, τὸ δ' τ' πυρρότητα δηλοῖ τ' ῥηθείσης φύσεως. Ἔστι δ' τὸ μὲν ἀπὸ τῆς χρώματος τ' κλῆσιν καλασκιάζον, φάσθ· ὁ γὰρ ἔδειν ἐρυθρός· τὸ δ' ἀπὸ τῆς διωκεῖσθαι, ἀληθές, h.e. *Multum interest utrum dicas, Mare Erythræ, an, Mare Erythrum.* (q. d. *Mare Rubri*, an *Mare Rubrum*) *Illud enim designat virum qui in id mare dominatus est; hoc, dicto mari insitum atque innatum ruborem. Est autem illa loquendi ratio quæ à colore nomen facit, falsa; neque enim rubrum est mare: sed quæ ab eo qui in mari potestatem habuit, vera.* Agatharchide igitur judice nomen *maris Rubri* colorem maris illius necesse est significet; propterea falsi confestim damnandum. Agatharchidis vestigia non leviter premit Brodæus Miscell. l. 3. c. 9. & *mare Rubrũ falsò ità appellari* apertissimè pronunciat. Itáne verò? Quid igitur fiet antiquissimis S. Bibliorum versionibus, Græcæ & Latinæ? quæ eodem modo idem mare nuncupant, hæc locis omnibus, illa item omnibus præterquam tribus, si bene memini. Primus locus est Judic. 11. 16. ubi θάλασσα σὺφ redditur pro σὺφ, aut potiùs σὲφ, prono scilicet librariorum lapsu, σὲφ enim vel *Suph* est vox ipsa Hebraica סוף *juncum* aut *caricem* aut *algam* significans. Nam istis mare illud & litora circumjacentia abundare compertum est. Igitur θάλασσα σὲφ sonat *mare caricosum, juncosum*, vel *algosum*. Offert se denuo illud ipsum vocabulum Hebræum, tametsi valde mendosum, Jer. 49. 21. Ibi namq; θαλάσσης ὐκ legitur: In aliis autem codicibus συ ἐν θαλάσῃ habetur, transposito videlicet & mutilato vocabulo, pro ἐν θαλάσῃ σύφ. Tertius locus est 1 Reg. 9. 26. illic enim ἡ θάλασσα ἡ ἐσχάτη transfertur, quasi סוף *Soph* pro סוף *Souph* legerit Interpres, aut certè legendum putârit; & tanquam perinde valeat ים סוף atque הים האחרון, i. ἡ θάλασσα ἡ ἐσχάτη, *mare posterius* vel *postremum*. In qua sententia & Benjaminem Itinerarii autorem fuisse docet Schindlerus; neque tamen eam coarguit, quamvìs inscitiæ & erroris meritò damnandam: abhorret enim cùm ab assiduo linguæ Hebraicæ usu tum etiam à liquidissima rei ipsius veritate: quippe הים האחרון ad verbum redditur ἡ θάλασσα ἡ ὀπίσω, *mare quod retro est*, vel *à tergo*. Atque eodem sensu accipiendum est proprium ejus apud Septuaginta Interpretamentum, quod ubique ferè est ἡ θάλασσα ἡ ἐσχάτη *mare novissimum*: quo modo scilicet tergum pars novissima vocetur corporis humani. Huic autem loquendi generi oppo-

opponitur alterum, nempe הים הקדמוני, ad verbum ἡ θάλασσα ἡ πρόσω, *mare quod antè est*, vel *à fronte* Joel 2.20. & Zach.14.8. Itaq; usitatum ejus quoq; interpretamentum ἡ θάλασσα ἡ πρώτη *mare anterius* vel *primum* intelligi oportet. Utrâque formulâ Hebræi exprimunt Mare, hâc quidem Orientale, illâ verò Occidentale. Nam (ut eruditè monet Kimchius Rad. אחר) cùm homo faciem suam ad suavissimam & post tenebras nocturnas exspectatissimam orientis Solis lucem aspiciendam convertit, mundi pars anterior ei Ortus est, posterior Occasus. Unde etiam pari ratione Australis plaga *dextra* nominatur Hebræis, Septentrionalis *sinistra*. Eodémque pacto semper transferre solent Paraphrastæ Chaldæi. Imò Græci ipsi aliquando & τὴν θάλασσαν τὴν πρὸς ἀνατολὰς *mare Orientale* Ezek. 47.18. & הים האחרון, τὴν θάλασσαν τὴν ἐπὶ δυσμῶν *mare Occidentale* Deut.11.24. apertis & perspicuis verbis reddunt. Quocirca הים האחרון, appellatio, inquam, illa, cum naturali positione maris Rubri mirabiliter pugnat. Etenim mare Rubrum non à tergo Terræ sanctæ situm esse sed à fronte, h.e. non ad occidentem Solem spectare sed ad orientem, nemo penè omnium est qui nesciat. Jure igitur exsibilandus est & explodendus R. Benjamin cum ipsolenti suæ atque inaudita locutione. Neq; verò probanda est Græca illa, quam attulimus, versio sanè interpolis; non enim pluris ducenda videtur; nam aut falsa est, si proprio, quem diximus, Scripturæ sensu sumatur; aut inepta, si communi; siquidem ἡ θάλασσα ἡ ἐσχάτη *Mare extremum*, h.e. in extremitate positum, utrique ex æquo convenit, tam mari Mediterraneo quàm Rubro: quippe duabus hisce extremitatibus (quod quidem ad Ortum & Occasum attinet) terram Israeliticam inclusit Dominus Exod.23.31. Egregia verò distinctio quæ appellatione communi efficitur! Adde quòd ἡ θάλασσα ἡ ἐσχάτη non ad unguem exprimit ים סוף *Jam Soph*; quin potiùs θάλασσα ἐσχάτη, imò θάλασσα τέλους vel τέρμα *Mare termini*, h.e. θάλασσα περιλημένη, *Mare terminatum*, i. non interminatum seu immensum, vasti Oceani instar, sed margine adjacentium terrarum omni propemodum ex parte conclusum. Etenim adeò angustum est ostium Rubri maris ut ternis non ampliùs passuum millibus, teste Vartomanno Navig.l.2.c.3.pateat. At nè hic quidem sensus est ad distinguendum aptus; nam & is peræquè Mediterraneo mari convenit: ídque vel ipsum nomen satis indicat: *Mediterraneum* enim indè est appellatum, quòd *medio terræ*, multiplici amfractu & tractu longissimo undique ferè ambientis, quasi gremio contineatur. Quare deductio à סוף *Soph*, utrolibet modo fiat, parùm idonea censetur, non solùm quia nomina ipsa principalia *Soph* & *Suph* diversa sunt tum sono tum significatu, sed etiam quoniam appellatio quæ hinc elicitur propria est, quæ verò indè communis. Eodem incommodo urgetur quæ à סופה *Supha*, h. e. *procella*, petitur nominis istius ratio. Longè enim aliud sonat *Souph* atque *Supha*. Insuper, ut *procellosum* sit illud mare, autore Melâ De situ orb.l.3. c.7. tamen maria universa crebris & immanibus procellis agitari & turbari experimur. Multò igitur satius est antiquum nomen retinere, & ים סוף ἡ Ἐρυθρὰν θάλασσαν *mare Rubrum*, more veteribus cunctis & recentioribus plerisque ferè omnibus usitatissimo, transferre. Nam licèt nomen illud vim vocis archetypæ non explicet, rei tamen ipsius (quod præcipuè semper est observandum) certam, claram & peculiarem significationem exhibet.

Sed enim obstrepit atq; objicit doctissimus, cum Agatharchide suo, Brodæus, *id nominis planè falsum esse*: mirum quin è S. Bibliis eradendum simul asserat. Absit. Imò falsus ipse est opinione suâ, qui temerariam & præcipitem sententiam proferat, & falsitatis illud damnet quod à S. Scripturis originem traxit. Quid? annon æquè rectè veréque appellatur *mare Edom* atque *terra Edom*? Potuítne Atlas, mons scilicet unus, vastissimo Oceano nomen indere, ut *Atlanticum* diceretur; ampliſſima verò & celeberrima regio Edom exiguo mari contermino nomen dare non potuit, ut *Edomæum* vocaretur? Certè possessor quilibet rei quam possidet jure optimo nomen suum imponat: Esauo igitur, qui est idem *Edomus*, omni ratione licuit tam mari quàm regioni maritimæ, utriusque Dominus ac Princeps, nominis sui quasi characterem notámque imprimere, ut *Edomæum* utrumque antiquitus passim vocitaretur. Quod autem de Edomo dicitur, idem etiam de Edomæis Edomææ incolis (quoniam *Edomi* sunt instar Gen.36.9.) est intelligendum. Si Palæstini igitur mare Mediterraneum, cujus nec ità diu neque magna ex parte domini erant, nuncupare tamen nomine suo quiverunt *Palæstinum* Exod. 23.31. quidni & Edomæi Arabicum, quod diutissimè tōtum tenuerunt, nomine itidem suo nuncupârint *Edomæum*? At quid, obsecro, aliud est *Edomæum* quàm Ἐρυθρὸν, Ἐρυθρᾶιον, vel *Rubrum*? nisi quòd illud Hebraicè enunciatur, hæc Græcè Latinéque; ut *Cephas*, Πάτρος & *Petrus*; *Thomas*, Δίδυμος & *Geminus*, cæteráque ejusmodi.

Dicet aliquis, Veruntamen non rubet mare illud naturâ. Quasi scilicet ignorârint Lxx illi doctissimi sapientissimíque viri rem tam in promptu, tam in proximo positam. Nihilo secius cùm sæpenumero Ἐρυθρὰν θάλασσαν *mare rubrum* usurpârint, non toties falsum aut scripserunt aut probârunt, sed indubitatam Sacræ Geographiæ Historiæque fidem secuti versionem suam elaborârunt. Non ità falsò appellârunt, sed appellatione more possessivo (ut creberrimè usu venit) à nomine principali *Edom*, quod est Ἐρυθρὸς vel *Ruber*, derivatâ, mare quoq; *Edom*, i. Ἐρυθρὸν vel *Rubrum*, & verè & vulgò dici noverunt, quòd τῆς Ἐρυθρᾶς *Rubri* esset, sive ad ἡ Ἐρυθρὸν ad *Rubrum* illum spectaret. Itaque vocabula Ἐρυθρὸς & *Ruber* in hoc loquendi genere propria sunt non appellativa, κυριτικῶς non φυσικῶς adhibita, possessionis non naturæ respectu intelligenda. Neque enim fando unquam auditum est, dominos rebus à se possessis naturas suas, sed nomina tantummodo, impertisse. Deceptus est igitur Agatharchides, qui *Mare Rubrum* non nisi appellativè sumi posse putârit, & colorem maris nativum necessariò denotare somniârit; cùm hâc loquendi formulâ propriè duntaxat accipi debeat epitheton illud, & solam dominantis *Edomi*, h.e. *Rubri* vel *Rufi*, ditionem potestatémque indicare. Proinde χαριτὸν ἁμάρτημα censendum est, vitióque vertendum scriptoribus librariis, quoties (quod tamen in plerisque ferè omnibus exemplaribus Græcis Latiníque passim cernitur) minuto r pingitur *rubrum*, quandoquidem majusculo, utpote nominis proprii initium occupans, scribi oportet.

Apage ergò Græcas nugas, apage, inquam, falsi vel tenuissimam labeculam, Erythrámque omnem commenticium, nempe istiusmodi qui ab Edomo nostro, solo vero germanóque Erythrâ, alius statuatur. Quem unum si scisset Curtius, tum demum, utpote rectè judicans, necessariò foret amplectendus. Nam Edomo si accommodentur verba ejus, profectò ad rem propositam, i. ad ipsissimam veritatem, egregiè quadrabunt: *Mare*, inquit lib.8. *quo alluitur, nè colore quidem abhorret à cæteris. Ab Erythro Rege inditum est nomen. Propter quod ignari rubere aquas credunt.* Itidem Suidas, Ἐρυθρὰ θάλασσα ἐκλήθη, οὐκ ἀπὸ τῆς χρόας τοῦ ὕδατος τινὸς οὔσης· ἀλλ' ἀπὸ τινος ἀνδρὸς, Ἐρυθρᾶ τῷ περιωνύμου, ὃς πρῶτος ἐβασίλευσε τούτων τῶν τόπων, *Mare Rubrum non ex colore unde nomen invenit, sicut opinantur nonnulli, sed à viro quodam Erythra appellato, qui in locis illis principatum tenuit.* Hoc quidem certè uterque nobis assentitur, Ἐρυθρὰν θάλασσαν *mare Rubrum* verè dici, sed eâ lege ut cognomen illud maris à nomine possessoris sumptum existimetur, non ex natura rei. Quod tamen iniquissimè, legitimâ distinctione spretâ, negavit olim Agatharchides, pariter hodiéque Brodæus. Neuter itaque unicum illum certissimúmq; Erythram novit; aut si nôsset, liberam justámque aliàs nominis imponendi potestatem ei permissurus videtur.

NICOLAI FULLERI
MISCELLANEORUM SACRORUM
LIBER V.

Reverendißimo in Chriſto Patri ac Domino,

D. LANCELOTTO ANDROSIO,

Epiſcopo Wintonenſi, Sereniſſimæ Regiæ Majeſtati ab arcanis ſacriſque Conſiliis, Domino & Mecænati ſuo multis nominibus plurimùm obſervando,

NICOLAUS FULLERUS

Salutem æternam exoptat.

ETSI non ignoro, Ampliſſime Præſul, partim quàm varia & faſtidioſa ſint multorum judicia, partim etiam quàm invida & maligna nonnullorum, nihil ut utrique probare velint niſi quæ ipſi excogitaverint, neutri tamen me deterrere ullo pacto aut potuerunt aut poterunt, quin propoſiti uſque tenax maneam, ac priſtinum inſtitutum ſtudiúmque perſequi pergam, Illuſtrandi nimirum peculiariter præter cætera omnia veritatem archetypam Bibliorum Sacrorum utriuſque Teſtamenti, locutionum formulas verbáque ſingula ſparſim ac permiſtè animadverſa exponendi & declarandi; necnon Sacrarum literarum Verſiones, præſertim antiquas, explorandi, atque inter ſe & cum textu Sacro, maximè Hebræo, comparandi. Quam exercitationem ut ipſe mihi utiliſſimam juxtà atque jucundiſſimam ſum expertus, talem dubio procul reperient & alii quotquot ſtudioſè & alacriter (utì par eſt) periculum fecerint. Nam cùm ex tribus interpretandi & Scripturas exponendi generibus apud veteres Eccleſiaſtas toties celebratis, Hiſtorico videlicet, Tropologico & Anagogico, primarium jure habeatur id quod Hiſtoriam ſeu intellectum juxta literam declarat (ſiquidem *Fundamenti* locum obtinet, ſicut appellare conſuevit Hieronymus, & in Amoſum egregiè Cap. 2. *ſenſum regium*, h.e. principalem, vocat; propterea quòd *ſolidiſſimus* ab eo judicatur atque *firmiſſimus*) profectò diligens & accurata aſſiduáque primigenii Textûs inveſtigatio & inquiſitio, cujus potiſſimùm beneficio ſenſus Hiſtorici ſive Grammatici explicata miniméque involuta & dilucida notitia comparatur, imprimis neceſſariò eſt adhibenda. Itaque juſtiſſima & immortalis gratia debetur præſtantibus viris omníque laude digniſſimis, privatim autem linguæ Hebraicæ Doctoribus eximiis, Pagnino, Munſtero, Fagio, Tremellio, Mercero, Schindlero, aliíſque; nominatim verò, qui adhuc in vivis eſt (atque utinam quàm diutiſſimè feliciſſiméque vivat) eruditiſſimo pariter ac laborioſiſſimo Buxtorfio, cujus præclarâ & infatigabili operâ in ipſa adyta intimáque idiomatis Hebraici penetralia in dies ſingulos ſtudioſi magìs ſemper magíſque deducuntur. Adeò ut liquidò dicere & affirmare poſſim, nullam unquam ætatem uſque ab ipſis incunabulis linguæ iſtius ad Gentes propagatæ tot, tam propriis, tam idoneis, tam facilibus & expeditis adminiculis atque adjumentis inſtructam fuiſſe ad exactam & ſolidam ejuſdem peritiam conſequendam. His adde linguæ illius Dialectos principales, Syriacam ſcilicet & Arabicam; quarum altera multis abhinc annis pulcrè eſt illuſtrata, altera non ità diu excoli cœpit, primùm à Typographia Medicea typis certè ſpecioſiſſimis, ac nihilo inferioribus nuperrimè ab Erpeniana elaboratur, inſigni artificio & diligentiâ Erpenii ipſius, linguarum Orientalium Profeſſoris ſcientiſſimi: Cujus præclaros conatus provehat, oro, ad exitus optatos Divina benignitas.

Mihi verò, qui nulla ex parte Viris tantis æquiparandus ſum, abunde ſatìs erit in præſentia (ut & aliàs poſthac, juvante Deo) Minuta hæc duo pro mea tenuitate cum Vidua paupercula in gazophylacium Domini & commune ſtudioſorum bonum conferre. Quæ nullo modo auſim, Doctiſſime Antiſtes, nomini tuo quàm latè patet Chriſtianus Orbis lectiſſimis Scriptis tuis Illuſtriſſimo, inſcribere, niſi perſpecta mihi fuiſſet ſumma humanitas tua quâ Literarum & Linguarum eruditarum ſtudioſos, omnium πολυγλωσσότατος ipſe, peramanter complecti ſoles, & eorum commodis cupidiſſimè conſulere

atque

atque prospicere. Neque enim exspectas dum importunè rogeris vel ambitionibus variis appetaris: Imò sponte liberrimâque tuâ solius voluntate, nullo prorsus interveniente aut impulsore aut etiam monitore, nonnullos nihil ejusmodi cogitantes, in museis penitus abditos, verè ὀπαχόπως dispexisti, suavissiméque elicuisti, & ad te continuò invitatis atque accersitis prolixè benefeciſti.

Fas mihi sit, Venerande Mecænas, non audita solùm verùm etiam certissimo experimento comperta propalam loqui: Non quòd coràm in os laudibus tuis, quanquam meritissimis, oblecteris; sed ut tanto καλοπροσωπαλεῖ rectéque facto, si non debita, saltem aliqua constet gratia; útque cæteri Ordinis tui, Viri Clarissimi, pulcerrimum institutum tuum imitari dignentur. Id quod si ab illis strenuè ac certatim fieret, non ità langueſcerent literæ, præsertim Hebræorum, interiores & reconditæ, quasi squalore quodam obsitæ sitúque obductæ. Mirum quippe quantum propensus principum virorum favor in re quaque animos addat, multóque erectiores & ardentiores ad rem bene gerendam efficiat. Hos ego bonarum literarum Patronos, tanquam germanos Eccleſiæ Reiq; publicæ Nutritios, summo & amore & honore prosequendos semper judicavi. In iis ergò cùm te (ut & Reverendiſſ. Dominos, Archiepiscopum Cantuariensem, itémq; Episcopum Bathonensem ac Wellensem, amicos mihi perpetuâ obsetvantiâ colendos) præcipuè numerandum cognoscam, nec quicquam suppetat præter chartaceum aliquod munusculum quo singulare meum in te officium testatum faciam, accipe, quæso, hoc ipsum sereno lætóq; vultu, &, quæ tua est laudatissima indoles, donantis potiùs affectum quàm doni tenuitatem spectandâ existima. Deus Opt. Max. pro immensâ bonitate sua longævam tibi senectam & valetudinem firmam largiatur, ut & Reipublicæ prudenti consilio & Christi Eccleſiæ excellenti doctrinâ annos quàm plurimos prodeſſe possis. Ex Museo nostro Walthamæ tuæ 10. Cal. Novemb. 1620.

NICOLAI FULLERI MISCELLANEORUM SACRORUM LIBER V.

CAP. I. *Quid sit Hebraicum* חומש, *quæve pars Corporis humani. Quid valeat* percutere אל החומש, *h. e.* in inguine, *ut vertit Vetus Interpres, vel* ad quintam costam, *ut Novum. Propriùs cingendi locus.* Καιειον πεδιμα.

SUbit animum dubitationis aliquantulum, atque adeò timoris, nè proximi libri caput ultimum, quamvis (uti spero) non prorsus inconcinnum nec inutile, fastidium aliquod tædiúmve prolixitate suâ Lectori crearit. Id verò, si quod erit, dabimus dehinc (si volet Deus) operam ut brevitate quàm poterimus exquisitissimâ universum abstergeamus; veruntamen hâc lege ut rerum ipsarum, quas sparsim tractandas suscepimus, justa & satis perspicua, quoad licet, declaratio nè quid indè detrimenti accipiat. Sed, ut tandem propositum opus aggrediamur, aut potiùs in opere jamdudum incepto pergamus, videndum paucis quid sit חומש, & *percutere* vel *ferire* אל החומש. Dubium verò non est quin חומש ad verbum sonet *res in quinque partes divisa partem quintam.* In illa verò loquendi formula quâ quis Hebraicè dicitur *percutere* אל החומש, i. *ad quintam costam*, ut eruditè reddiderunt novissimi Interpretes, vox ista intelligenda videtur non de superioribus costis, quas *Legitimas* Anatomici vocant, & septem sunt numero; sed de inferioribus, quas *Nothas* ac *Spurias* nuncupant, quoniam ad os pectoris non pertingunt nec cum eo committuntur. Nam hæ quinque omnino exsistunt. Quocirca אל החומש perinde valebit ac si dicas *ad* vel *circa aliquam costarum notharum*, quarum quælibet ratione cæterarum *Quinta* numeratur, aut (si ità loqui liceret) *ad ipsum quinionem*, πεντάδα (sicuti τέλεσι à V. Interprete *quaternio* convertitur Act. 12.4) *spuriarum costarum*, harum enim inferiores superioribus applicatæ unam utrinque compagem efficiunt. Ut designetur regio illa corporis concava & ossibus carens quæ subjacet costis hisce nothis sive spuriis, indéque ad coxendicis ossa pertinet: quæ, quia inanis est, laxa mollísque, ictibus violentis maximè est pervia. Hinc etiam κενεῶνα Græci vocarunt, quasi διδυμον τῶν ὀσφῦν, i. *vacuum ossibus* corporis locum, ut scribit Hesychius: itémque λαγόνα, ut idem refert, παρὰ τὸ λήγειν ἐκεῖ τὰ ὀστᾶ τῆς πλευρᾶς, autore Eustathio, *quod ibi desinant costarum ossa.* Eámque ob rem Lxx ψόας sive ψοάς sunt interpretati: quibus nominibus Græci eam partem denotant quæ *lumborum* appellatione comprehenditur. Etenim Lexici Græcolatini veteris autor ψόας *lumbum* Latinè interpretatur. Hesychius ψόα docet esse τὰς κατὰ τὴν ὀσφῦν σάρκας *carnes quæ ad lumbos sunt*, h. e. lumborum musculos. Ἐν ταύταις ἥκιστα οἱ νεφροὶ, inquit Suidas, δι' ἃν αἱ ὀρέξεις κινοῦσι πεφύκασι, *hisce renes inhærent, à quibus naturaliter excitantur appetitiones.* Ad eundem ferè modum rem totam describit politissimus Medicus Fernelius, De Partibus Corp. Hum. c. 7. *Incubant ambo* Renes *musculis dorsi interioribus, quos* ψόας *Græci dicunt, inanibus iis subjecti partibus quæ inter costarum extrema & os coxæ interjecta sunt,* κενεῶνες *propterea Græcis appellatæ.* Vulgata Editio Latina non satis aptè *inguen* reddidit, ut quæ pars multò inferior sit, circa pudenda. Imò apparet ex eodem quem tractamus Hebraico loquendi modo non ipsam tantùm lumborum regionem, sed illâ etiam aliquantulò superiorem, & sursum versùs, secundùm costas spurias sive adulterinas ad thoracis sive pectoris os, quod στέρνον vocatur, spectantem, appellatione החומש designari; idque hinc indè ex utroque corporis latere. Cùm Hasael incitatissimo præcipitíque cursu fugienti Abnero instaret, nec ab illo quàm acerrimè persequendo usquam divertere aut desistere ullâ ratione vellet, imâ hastæ cuspide à tergo insectantem percussit 2 Sam. 2. 19, 21, 23. Dexterâ verò hastam gestavit Abnerus: quare eâdem corporis parte (hanc enim dexteræ Abneri fugâ se recipientis adversam fuisse necesse est) Hasaelem vulneravit. Verè igitur cautéq; apud Kimchium notatis

tavit R. Jochanam, ictum fuisse Hasaelem ברופן חמישי מקום שמרה וכבד תלויין בו *ad costam quintam: quo loco fel* (i. vesicula bilis) *& jecur pendent.* Pendere autem ea in dextro abdominis latere sub costis nothis nemo rei Anatomicæ tam imperitus qui nesciat. Rursus, cùm sanguinarius juxtà atq; perfidiosus Joabus Abnerum per speciem familiaris appellationis colloquiíque intra portam seduxisset, *percussit eum ibi*, inquit Historia Sacra 2 Sam. 3. 27. החומש *quintâ costâ*. Ig tur ad quintam quidem costam, sed sinistræ corporis parti, vulnus hoc inflixit: quippe hanc dexteræ Joabi colloquentis è regione sitam fuisse liquet. *Et mortuus est*, q.d. Confestim & è vestigio mortuus concidit Abnerus. Dira nempe mortísque præsentissimæ effectrix erat plaga illa. Eodèm ferè loci lethaliter quoque vulneratum fuisse Servatorem nostrum docet Euangelista Joh. 19. 34. *Quidam*, inquit, *ex militibus lanceâ* ✝ *πλευρὰν αὐτοῦ ἔνυξε costam* (sive *latus*) *ejus fodit: & statim exivit sanguis & aqua.* Syrus, מחיהי ברפנה, *percussit eum in costa*, vel *ad costam ejus*, videlicet quintam; quam suprà R. Jochanam eodem ipso nomine Syriaco (nam Syrismum passim usurpant Rabbini) דופן חמישי. Itaq; perfosso pericardio seu cordis involucro, (ubi visceris illius humectandi temperandíque causâ aqueum quendam humorem provida Natura collocavit, nè perpetuis diastoles systolésque motibus exsiccaretur) ad intimam usque cordis sedem ferri mucronem pertigisse apparet. Enimvero lethiferis ejusmodi ictibus hanc quam memoravimus ossium inanitatem admodum opportunam esse meritò diximus: est enim & facillimè penetrabilis, & in proximo positum habet, unà cum Vitalibus cæteris, perennem illum halitûs nostri fontem, Cor nimirum: *Cujus caput*, ut ait Fernelius, *quod & basin rectè nuncupes (est enim figurâ pyramidis) sub osse pectoris ad quintam costam consedit; turbinato autem mucrone infra lævam papillam in priora thoracis eminet.* Ad quem propè locum porrigitur sursum versùs tum vetusta tum hodierna cingendi consuetudo; deorsum verò, ad Renes Lumbósque. Itaque præcinctus narratur in Apocalypsi 1. 13. Filius Dei ad mamillas. Et *Lumborum Zonam* nominat Propheta Esa. 11. 5. ab usitato cinctûs spatio: ibi namque cingulo circumdari solemus. Quoniam autem eadem etiam est Renum quæ Lumborum naturalis sedes, indifferenter *accingere renes* transferre amat Vetus Interpres perinde ut *accingere lumbos*. Hæc si idem probè meminisset, nunquam certè חומש *inguen* reddidisset: neque enim ad inguina vestes constringi cingulo uspiam moris fuisse accepimus, aut etiam commodè fieri posse existimamus. Sed suspicor eum sententiam Lxx Interpretum secutum ità transtulisse. Etenim mirum ni *inguen* sonare putavit quod illi ψόαι verterunt; maximè cùm nomen hoc (teste Marcello Virgilio) Grammatici à libidine deductum voluerint, cui à natura attributum est inguen, & in quo primùm apparet, quamvis in ipsis ψόαις è renibus procreetur. Postremò in hac potissimùm corporis regione accipi opinor vulnera illa mortifera quæ *καιρια τραύματα* & *καιρίας πληγὰς* Græci dixerunt, quòd loco maximè opportuno acciderent ad mortem afferendam. Cujusmodi vulnus illud Didonis est apud Virgilium Æneid. 4. *sub pectore stridens*; i émque lethale illud (ut luculenter exponit Livius Dec. 1. lib. 1.) quod Lucretiæ vindex culter altè adactus intulit, אל החומש *ad quintam costam* subeunte ferri cuspide, atque illinc ad cor ipsum sursum versùs penetrante.

Cap. 2. *Varia vocabuli Hebraici* חמושים *significatio explicatur. Multiplex interpretatio verborum Mosis* וחמושים עלו, *Exod.* 13. 18. *declaratur & expenditur. Deniq; vera ratio modúsq; egressûs Israelitarum ex Ægypto qualis fuerit, dilucidè brevitérq; ostenditur.*

HAnc disquisitionem proximæ continuò subtexendam existimavimus propter intimam illam quâ inter se conjunctæ cernuntur cognationem. Sunt enim conjugata quædam חומש & חמוש. *Ascendebant*, inquit Moses de mirabili Hebræorum ex Ægypto ascensu, h. e. egressu, verba faciens, *filii Israelis* חמושים *è terra Ægypti*, Exod. 13. 18. Locutio ista diversis interpretationibus in totidem sensus (ut fieri solet) discerpitur. Nos insigniores duntaxat more nostro explanare, & veritatem quam possumus diligentissimè illustrare conabimur.

Exod. 13. 18. חמושים à Theodotione (ut tradunt) transfertur πεμπαΐζοντες, h. e. *quintam exsistentes*. Nam vocabulum Hebræum per Catachresin quandam Synecdochicam accepisse videtur significatu non absimili ei quo שלשים & רבעים legimus Exod. 20. 5. Vox ergò πεμπαΐζοντες secundùm Theodotionem (quâ ad verbum exprimere voluit חמושים) denotabit Adnepotes, *quintas* videlicet ordine generationis à Patribus *personas*: quarum singulas vocabulo γενεὰ reddere solent sacri Græcorum Interpretes: eósque imitatus Theodotio (ut probabile est) ad eorum versionem ipse suam accommodavit; quod & alibi sæpe fecisse deprehenditur. Unde illud Hieronymi Comment. in Eccles. 2. *Lxx & Theodotio in pluribus locis concordant*. Certè hic πεμπαΐζοντες ἀνέβησε, i. *quintam ascenderunt*, idem planè videtur atque πέμπτη γενεᾷ ἀνέβησαν, i. *generatione quintâ ascenderunt*, ut est apud Lxx. Quòd si opponatur locus Gen. 15. 16. τετάρτῃ γενεᾷ *generatione quartâ revertentur*, respondere licet, paulò altiùs illic quàm hîc peti recensionis initium; hîc enim solos ingressos in Ægyptum filios indicari, illic verò istis etiam patres annumerari. Verùm enimvero quid de reliquis Scripturæ locis dicemus quibus ista vocabuli πεμπαΐζοντες significatio aptari non poterit? Mihi sanè persuasum est, eorum accuratâ ratione habitâ, virum eruditum unâ & eâdem interpretatione ubique usum. Quocirca cùm vox πεμπαΐζοντες minùs ubique quadret, quærenda est altera quæ & rectè conveniat & huic sit quàm simillima. Ea verò est πεμπάζοντες, derivata à nomine Xenophontéo πεμπὰς, uti observavit in Appendice sua nobilis & eruditus Vir Johannes Leunclavius. Valet autem πεμπάζειν idem quod πεμπάζειν verbum Æolicum, nimirum *per quinos numerare*. Adeóque, si sensu reciproco intelligatur (ut in multis evenit) exponi potest *numerare se* vel *numerari*. Quare חמושים πεμπάζοντες ἀνέβησαν sonat *numerantes se* vel *numerati* (diligentissimè scilicet, ad ipsas usque πεμπάδας vel *quiniones*) *ascenderunt filii Israel*. Hæc nominis hujus significatio ubique quidem pulcrè congruit, hîc verò pulcerrimè convenit præstantissimo & Pastori & Duci Gregis Exercitûsque Dominici; item peculiari populo, ex quo, delectu habito ac recensione eam ob rem accuratè factâ, nè unus quidem vilissimus homunculus est desideratus aut derelictus. Huc spectant verba illa longè efficacissima Exod. 10. 26. *Non relinquetur vel ungula*, nedum corpus totum pecoris unius, multò minùs Israelitæ ullius.

Denique hinc ostenditur Israelitas ordinato agmine & composito ex Ægypto egressos. Quid enim aliud est πεμπάζειν seu in πεμπάδας aut numeros certos distribuere quàm ordinare agmen, tum decoræ profectionis ergò, tum diligentis etiam recensionis. Πεμπάδας autem hasce universas in unam summam collectas & sub uno quasi aspectu positas Sacris literis consignavit Moses, Vir Dei, ad æternam rei tantæ memoriam, Exod. 12. 37. Ista igitur nominis Græci πεμπάζοντες significatio valde consentit cum posteriore, eáque (nisi fallor) appositiore, Kimchii interpretatione. Is enim præter priorem, quâ declaratur חמוש esse חגור חומש, i. *accinctus ad quintam costam* (& tam de armis dici potest quàm de vestibus) hanc quoque affert in Lexico, nempe חומש non modò זיוון sed טיקום etiã significare. Est autem טיקום vel טבסא (ut Syriacè emendatiùs scribitur Luc. 1. 8. & alibi) prorsus idem quod Græcum τάξις, h. e. *ordinatio* vel *ordo*. Quare חמושים ex sententia Kimchii dicentur *ii qui ex ordine collocati procedunt*, *ordine*, inquam, πεμπάδων vel *quinionum* propriè. Porrò התיקום seu *ordinationis* consequens est זיוון, i. *Expeditio*. Quippe constat in omnem processum vel profectionem non posse gravius incidere impedimentum quàm sit confusio & ordinis perturbatio; contrà, quod

ordinatum

ordinatum est, paratum utique est & expeditum. Ordinatus autem istiusmodi processus miniméque impeditus maxima solet esse securitatis demonstratio: Sicut è contrario hæsitationis, anxietatis, trepidationis perpetua comes est perturbatio. Itaque vel hâc solâ voce declaratur qualiter ex Ægypto, tanquam ergastulo teterrimo, exierint olim Israelitæ, videlicet ביד רמה *manu sublatâ*, ut narrat Moses; h.e. non tumultuario modo atque confuso, non diffidenter, non trepidè, fugitivorum instar, sed maximæ spei pleni, animísque alacribus, celsis, erectis miniméque perturbatis.

Aquila חמושים καθωπλισμένους vertit; paritérque V. Interpres *armatos*. Quod ut alibi satis consentaneum sit, hîc tamen, nimirum in exitu Ægyptiaco, mihi quidem nullo pacto probatur. Namque apertè pugnat cum revertendi proposito, cujus spem aliquam Pharaoni semper facere videri voluit Deus. Cúmque omnes vel leviſſimas causas sedulò quæreret ac fingeret Pharao nè Israelitas dimitteret, nusquam apparatum bellicum objicit, quò seditionis eos accusaret: quod tamen cupidissimè vehementissimé que ursisset, si quid omnino tale exstitisset. Deinde convenientissimè inserviebat occulto Divini judicii in Pharaonem pòst paulò exsequendi consilio, Israelitas nudos ac inermes abire. Nam hanc maximam fore illecebram prævideràt Deus quâ Tyrannus audaciùs ac præcipitantiùs insequens in imum Maris caricosi alveum, velut in foveam, pertraheretur.

Ad hæc, non video quomodo *armati* ascenderent ii quibus nulla omnino arma aut essent aut esse potuissent, utpote durissimæ & miserrimæ servitutis jugo subditis atque oppressis continenter ad ipsum usque extremum profectionis suæ momentum. Denique quorsum arma nequaquam pugnaturis, sed spectaturis solummodo potentem Dei dexteram cœlitus exsertam próque ipsis pugnantem? *State*, inquit Exod. 14. 13, 14. *& videte salutem Jehovæ, quam comparabit vobis hodie. Jehova pugnabit pro vobis: vos verò silete*, seu *quiescite*: quemadmodum felicissimo rei evehtu apertè statim est comprobatum. Imò profectio qualitercunque *armata* valde obscuratura videatur liberationis summè stupendæ gloriam, Deo soli debitam, nullísque humanis subsidiis ulla ex parte adjutam. Usque adeò autem non placet חמושים reddi *armatos* ut nec *militari ordine incedentes* exponi velim. Nam cùm *ordine* per se abunde satìs sit, quid, quæso, opus est addere *militari*? Quamvis enim in acie milites ordine incedant, & quidem subindè per παρεμβάδα, non tamen illi soli. Nam decorus procedendi ordo seriésque longissimè porrecta, & τὸ ζυγούντων seu *astitum* numerus certus, v.g. Quinarius vel alius ejusmodi, in quavis pompa solenni vel maximè spectari solet. Mihi verò sæpius & attentiùs cogitanti de ratione Egressûs Ægyptiaci, profectò Pompæ quàm simillimus fuisse videtur: Pompam dico vel Nuptiarum vel Sacrorum causâ institutam. Illam luculentissimis verbis observat & depingit Ezekiel c. 16. 8, &c. hanc Moses ipse statim initio, velut legationis suæ caput & summam omnem, diligenter exponit apud Pharaonem Exod. 5. 3, &c. Utrique mirificè convenit, petita acceptáque fuisse ab Ægyptiis non ulla *armorum* genera (nec enim tutum erat; namque id violenti alicujus & atrocis incepti suspicionem maximam commovisset: neque etiam necesse; quippe cùm instrumentorum bellicorum affatim postmodum Rubri maris ejectamenta essent suppeditatura, Joseph. Antiq. Jud. lib. 2. cap. ult.) sed *instrumenta aurea atque argentea*, & pretiosas insuper *vestes*, Exod. 12. 35, 36. ad gloriam videlicet pompæ istius extrinsecùs amplificandam. Unde populo turpissimâ Vituli idololatriâ profanato, & jam adulterii spiritualis scelere contaminato, per Mosem (qui modò ipsorum fuerat apud montem Sinai παμπαγωγὸς & quasi παρανυμφίος Exod. 19. 17.) edicit Deus ut extemplo *ornamentum suum universum à se quisque deponat* Exod. 33. 5. & sordidatus luctui se dedat. Sed hæc hactenus.

Cap. 3. *Explicatur varia deductio & expositio nominum* עפולים & טחורים: *veterúmq; ac recentiorum Interpretum ea de re sententia enarratur.*

De vocabulis עפולים & טחורים, quorum illud in contextu Sacro scribitur, hoc oræ extrinsecùs (utpote legendum) adjungitur, libet jam nonnulla quæ ad utriusque faciliorem intellectum pertinent Lectorem breviter monere. Ac primùm de veterum versionibus videamus. Certè à Lxx semper eodem modo utrumque nomen exponitur, ἕδρας, i. *sedes*. Hos imitatus est V. Interpres Latinus, nisi quòd aliis atque aliis verbis, more suo, rem eandem exprimit: aliàs enim *secretiorem partem natium*, aliàs *partem corporis per quam stercora egeruntur*, sed frequentiùs *anum* vertit.

Symmachus (ut habetur in Scholiis Bibliorum Græcorum 1 Sam. 5. 6.) alicubi transtulit τὰ κρυπτὰ, h.e. *occultas* corporis *partes*, posteriores videlicet & præ pudore tegendas. Quam quidem interpretationem mirificè tuetur Jonathanis Chaldæi Paraphrastæ autoritas. Hanc enim si sequamur (nam aliter quoque, deductâ à עופל 2 Reg. 5. 24. i. *clivo* seu *loco altiore*, origine, sic nuncupatæ partes illæ ab elevatis seu extuberantibus clunibus ἐτυμολογοῦνται) עפול omnino vertendum erit כסי, h.e. *tectum* aut *abditum*. Quippe עפל pro אפל positum existimavit, mutatâ scilicet (quod rarum non est) literâ gutturali unâ in alteram. Idque ipsum diligentissimum Grammaticum Kimchium permovit ut vocabulũ Hebraicum עפולים (quod in textu Sacro scribitur) כנוי לתחתוניות pro *cognomento* partium *inferiorum* habendum censuerit. *Partes inferiores* apud eum perinde valent atque *anus* vel ἕδρα, quam *meatum ventris inferiorem continendis transmittendísq; excrementis destinatum* definiunt Medici: quámque à Græcis ità nominatam putamus quoniam ei tanquam basi sedentes, innitimur. Est autem *Basis* infima columnæ pars. Unde & *Fundamentum*, quod eundem in ædificiis locum obtinet totúmque latet, à nostratibus vulgò vocitatur.

Quinetiam ad hunc intellectum planè propensa videatur ipsa marginis Lectio, nempe vox altera, טחור. Etenim Chaldaicè Rabbinicéque טחר sonat idem quod עצם Hebraicum, i. propriè μύειν, συμμύειν, sicuti à Baal Aruch declaratur. *Comprimendi* igitur seu *constringendi* notionem obtinet. Ea verò quàm proximè accedit ad ἀνὴ Coryciæo, h. e. *ani* vel *podicis* etymon. Nam ut idem δακτύλιος appellatur à rotunditate, ità Coryciæ quoque nominatur ἀπὸ τῆς Κοίγυλος, quia *contrahi* solet & *constringi* seu *comprimi*, nè intempestivè effluant excrementa. Ex hisce ergò omnibus efficitur, eruditam esse neque temere rejiciendam versionem antiquam utramque, Græcam videlicet & Latinam.

Potiorem tamen & vero propiorem eorum sententiam esse opinor qui utroque nomine tam scripto quàm lecto non partem aliquam corporis sed morbum quendam illius partis designari arbitrantur. Id quod satis constare poterit ex Deut. 28. 27. ubi apertè Morbis, iisque gravissimis, annumeratur. Atque hoc etiam, sed tamen generaliter, quasi testis incertus atque vacillans, affirmat Kimchius in Rad. טחר, הוא חולי התחתוניות, *Est*, inquit, *morbus inferiorum* corporis partium. Rectè quidem, tum quod ad rem in genere tum quod ad locum attinet. Nam consentanea scribit verbis Psalmi 78. 66. *Percussit hostes suos* (nimirum Philistæos, qui Arcam captivam detinebant) אחור, εἰς τὰ ὀπίσω, *in posterioribus*. Quod apud Suidam optimè exponitur τὰ ἀπὸ ἕδρας πάθος, i. *sedis* (vel *ani*) *morbus*. Ac idcirco idem mox eodem in Psalmo *probrosum* appellatur, quòd in pudendas scilicet corporis partes jussu Divino invasisset.

Cæterùm rem istam obscuriorem effecit multiplex Interpretum expositio. Etenim cùm quis sit hic Morbus quæritur, alii alium esse volunt. Versio quæ Symmacho ascribitur 1 Sam. 5. 12. (nam Symmachi longè aliam antè attulimus. Itaque Theodotionis alterutram, hanc, aut potiùs illam

illam, fuisse probabile est) vocem Hebræam ἕδρην ἐκτετρῆσθαι valere existimavit, i. *sedem prociduam*, quam ἔκτρησιν τῆς ἕδρας *resolutionem sedis* vocat, à causa, quæ resolutio seu laxitas musculi est humore nimio perfusi. At id pueris & infantibus quàm adultis familiarius est vitium, & tædio magis quàm dolore molestum. Josephus τὸ τῆς δυσεντερίας πάθος fuisse auguratur, *intestinorum* videlicet *tormina*. Dirum id quidem symptoma meritò censeatur, sed Alvi non Ani (de quo nunc agitur) proprium. Aquila τὸ τῆς φαγεδαίνης ἕλκος opinatur. Est autem ulcus illud Cancri genus quoddam non summam tantùm cutem sed subjectam etiam carnem depascens: φλεγμονὴν intelligi puto, indéque natum ἀπόστημα. Hos enim Ani affectus perhibent Medici, & ex iis dolores admodum acerbos & lancinantes gigni tradunt.

Recentiorum unica ferè omnium exstat versio, quâ nomen utrumque *hæmorrhois* vel *mariſca* transfertur: Eáque passim universis maximè probatur: neque injuriâ. Hæmorrhois quippe in ani margine oritur, & in ficûs speciem extuberans sanguine melancholico distenditur, ægrúmque acri dolore affligit, præsertim ea quæ *cæca* appellatur, quòd aperta non sit nec sanguinis quicquam profundat. עפוֹל autem dici videtur Hæmorrhois ista, quoniam obscura est & (ut vocant) *cæca*, non solùm in cæca corporis parte nascens: טחוֹר, quia sanguine melancholico concrescit. Denique turpis est morbus ipse & deridendus, secundùm pervulgatum illud Poetæ scomma,

Caduntur tumidæ Medico ridente mariſcæ,

Juven. Sat. 2. eóque aptior erat ad reprimendam Philistæorum superbiam & ferociam, sicuti in Psalmo suprà est observatum. Verùm enimvero quòd margini ascribitur legendum nomen Chaldaicum טחורים, vulgi potissimùm gratiâ id factum videtur, cui post Captivitatem Babylonicam notius esse cœpit & familiarius idioma illud, aut (quod tantidem æstimandum est) Rabbinicum, quàm purè Hebraicum. Alii, ex Talmudicorum opinione, vocem hanc טחורים in locum alterius, scilicet עפולים, substitutam arbitrantur, propterea quòd pronunciatu lectúque honestior existimanda est illa quàm ista: Id verò, quoniam de Sacris literis modo quodam quasi corrigendis parùm honorificè dici putetur, equidem probare vix ausim. Deinde facilè ex superioribus colligitur, nihil opus esse hoc subsidio. Nam cùm originationis utriusque eandem ferè docuerimus esse rationem, profectò par & æqualis utrobique intelligitur & cernitur exsistere honestas.

CAP. 4. *Diversa interpretamenta thematis* יאוֹת *expenduntur & excutiuntur. Simúlque loca nonnulla S. Scripturæ ubi idem occurrit declarantur.*

PAraphrastes Chaldæus Gen. 34. 15. נאוֹת transtulit ניטפס. Hoc editionis Complutensis autores *conveniemus vobiscum* sunt interpretati. Quam quidem expositionem satìs commodè ex vulgari Hebraicè Chaldaicéque doctorum sententia traditam fatemur: attamen si paulò diligentiùs expendatur, non ità valde forsan probabitur. Nam verbi ניטפס alia certè significatio, quæ verè propria & nativa sit, exquirenda videtur. Familiare est Chaldæis Syrísque vocabulum טפסא vel טופסא, à Græco τύπος ortum: id autem sonat *effigiem, formam, figuram*: unde factum est verbum טפס, quod *formare* significat aut *conformare*, *figurare* vel *configurare*.

Porrò ניטפס passivum Ithpeal arbitramur: quod communi Syrorum consuetudine ת characteristicum retinet: quemadmodum in Rituali quodam Severi Patriarchæ libello legimus, pag. 41. נתטפס צליבא דמשיחך בלבוחהון, h. e. *Figuretur* (sive *formetur*) *Crux Christi tui in cordibus eorum*. Sed privato Paraphrastarum illorum more, abjicit ת propter ט primam thematis literam potestate consimilem, in qua per Dagesch supplet

tur characteristicum. Quare נטפס pro נתטפס, si vim verbi accuratè expressam cupias, reddendum erit *formabimur* aut *conformabimur*, vel etiam significatu reciproco *formabimus* sive *conformabimus nos ipsos*. Atque ità hoc in loco (ut in aliis nonnullis) Paraphrastem istum antiquissimam Lxx Interpretum editionem imitatum observemus. Nam illorum par omnino eadémque est versio, ὁμοιωθησόμεθα ὑμῖν, i. *assimilabimur* sive *conformabimur vobis*. Proinde suspicor tam Lxx quàm Chaldæum Paraphrasten censuisse futuri נאוֹת thema non esse יאַת, ut plerique omnes statuunt, sed אוֹת, i. *signum*. Ac perinde ut ab אוֹר, quod *lumen* significat, fit in Niphal נאוֹר, i. *illuminabimur*, sic ab אוֹת, in eodem item futuro, נאוֹת formatum existimarunt. Igitur hâc ratione נאוֹת לכם notabit ad verbum *signabimur* sive *consignabimur vobis*: q. d. *tanquam signo utriſque communiter impreſſo, ſimiles efficiemur*, seu *conformabimur, vobis*. Poterit etiam reddi *obsignabimur*, aut *obsignabimus nos vobis*; h.e. Firmissimum assensum pollicemur, tanquam pactionis signi sive sigilli impressione corroboratæ. Unde factum opinor ut Lxx 2 Reg. 12. 8. ויאותו ᾠ Συνῳδήκησαν & *consenserunt* interpretati sint.

Vulgatus Interpres Latinus נאוֹת Gen. 34 15. haud ineruditè transtulit *federabimur*. Eâque re monet, Metaphoram hanc propriè ac primò à solenni apud veteres federum sanciendorum more petitam. Nec enim ullum olim percuti solebat fedus nisi signo aliquo (quod אוֹת הבריית Hebraicè vocatur) proposito & propalam collocato ad firmiorem ac diuturniorem rei gerendæ & conficiendæ memoriam posteris prodendam.

Verbo autem huic Paraphrastæ אטפס sive אתטפס, quod jam explicavimus, quàm simillimum est & aliud Syriacum sive Chaldaicum, nempe אתתפיס. Sonus enim propemodum convenit, & eædem ferè sunt literæ (excepto duntaxat quòd hîc ת pro ט habeatur) sed diversissimâ sunt origine. Nam illud à טפס (ut antè ostendimus) derivatur, hoc à פוּם vel פּיס nascitur, atque haud scio an ab exoleto Græcorum πῶσις oriundum dicam. Valde tamen propinqua sunt significatione: Sicut enim illud indicat *conformari* seu *configurari*, aut etiam *literis consignatis paciſci*, vel potiùs *Fedære ſignis ac ſymbolis quibuſdam adhibitis firmato conjungi ac conſentire*; ità hoc simpliciter & generatim *consentire* valet vel *assentiri*: & (ut passim docet N. Testamenti Paraphrasis Syra) respondet Græco πείθεσθαι. Utrumque verò, tam Græcum πείθεσθαι quàm Syrum אתתפיס, à V. Latino Interprete redditur *Acquiescere* Rom. 2. 8. quemadmodum idem quoque non ineptè transtulit & verbum Hebræum נאוֹת Gen. 34.23. & Chaldæum ibidem ipsius interpretamentum ab Onkelo positum. Ex hac item amborum thematum, אתטפס videlicet & אתתפיס, summa similitudine manasse haud injuriâ putetur versio illa Græca Συνῳδήκησαν 2 Reg. 12. 8. quam suprà attigimus.

Cæterùm quòd eodèm loci Vulgata editio Latina ויאותו הכהנים convertit *prohibitíque sunt Sacerdotes*, neque id quidem prorsus ab re factum opinor; quippe cujus perfacilè quoque suppetat ex superioribus ratio. Diximus enim נאוֹת significare posse σημαίνεσθαι, vel *Obsignari*. Quoniam verò quæ obsignantur, ut Literæ, Lagenæ, Sarcinæ, aliáque permulta & diversissima (nam & Fovea leonum obsignata narratur apud Danielem 6.18. & Sepulcrum apud Matthæum 27. 66.) occlusa tenentur, ut eorum aspectu, contrectatione, aditúve introitúq; vel exitu prohibeantur homines, hinc, nempe ex consequenti, non inscitè, *prohiberi* quoque exponere licet. Eodem sensu usurpatur ab Apostolo Συνέχεσθαι, 2 Cor. 11. 10. ἡ καύχησις αὕτη οὐ Συνεχήσεται εἰς ἐμέ, i. *Hæc gloriatio non obsignabitur contrame*. h. e. *Non occludetur* (vel *intercludetur*) *mihi gloriatio hæc*: quod propriis & perspicuis verbis sonat, *Non prohibebor* (sive, *Non prohibebit me quiſquam*) *hâc gloriatione, quin illâ utar*. Itidem interpretemur ויאותו 2 Reg. 12. 8. *Et Obſignati ſunt ſacerdotes, nè acciperent*, h. e. *occluſæ eis manus, quò minùs acciperent*: vel apertiùs, *prohibiti ſunt accipere*, nimirum re

jam

jam in posterum veritâ edicto Regio, cujus proximè meminerat. Ac mihi sanè, nescio quo modo, parùm convenire videtur Majestati Regiæ, tanquam demissum atque humile quoddam sermonis genus, ut *acquievisse* dicantur *sacerdotes*, vel *assensi fuisse Regi*, aut *pactionem cum eo fecisse*, vel denique quasi *fœdus iniisse* de interdicto observando.

Postremò יאוה Jer. 10. 7. quod nonnulli huc referendum autumant, Vulgata Latinorum Editio (ut ostendit Hieronymus) Theodotionis autoritate nixa à themate Syriaco derivandum existimavit: idque commodiùs haud dubiè quàm vulgò fieri solet. Patet enim huc minùs quadrare sæpe jam dictas illas *acquiescendi*, *assentiendi*, aut etiam *paciscendi* significationes. Ut verò *conquiescat in* vertatur, non sinit Lamed sequens, dativi non ablativi index. Idem tamen optimè congruit constructioni verbi Syriaci יאוה. Unde in tertia personâ feminini generis fit יְאֹוָה, & propter Athnach, Chateph Pathach in Camets productò, יְאֹוָה, cum triplici Camets subjecto. Quamobrem verba illa Jeremiæ כִּי לְךָ יְאֹוָה sic interpretanda ducimus, *Quippe id te decet*, videlicet *ut timearis ab omnibus*, quod proximè antecesserat: habétque sententiam aptissimam & facillimam. Theodotionem Græcè ità transtulisse opinor, ὅτι σὲ πρέπον, vel πρέπον τί. Hoc olim Latinus aliquis Interpres, quasi adesset τὸ articulus præpositivus, ità reddidit, *Tuum est enim decus*: parùm dextrè. Non enim arbitror peritissimum Virum, Theodotionem, censuisse vocem יאוה nomen esse substantivum, formæ יַאֲבָה. Quandoquidem, tum sensus (alioqui commodissimus) hoc pacto aliquatenus labefactaretur, tum accentus penultimæ adhærescens (non ultimæ, ut in nominibus) apertè refragaretur.

CAP. 5. *Varia interpretamenta verbi* ידון *Gen.* 6. 3. *afferuntur & breviter declarantur. Versio autem à* נרן, *vocabulo commentitio, desumpta refutatur & meritò rejicitur.*

PErmagnâ Interpretum discrepantiâ effectum est ut difficilis admodum & obscura sit verbi ידון Gen. 6. 3. expositio. Nam illius originem alii aliunde, prout in ambiguis sæpenumero, atque adeò ubique, evenire solet, ducendam existimarunt. Etenim (ut ab antiquissimis exordiar) Lxx (quos sectatur V. Editio Latina) לא ידון, ὐ μὴ καταμείνῃ, *Non* (aut *nequaquam*) *permanebit* reddiderunt. Perinde ut Chaldæus Paraphrastes, veterum Græcorum in locis haud paucis imitator clancularius, לא יתכיים transtulit, i. *non stabilietur*; *non firmus manebit*: quod planè est *non permanebit*, utì modò est dictum. Atque hi omnes à voce Syriaca דנא sive דנה, quæ Hebraicæ דן hoc in loco synonyma sit, (quippe verba Quiescentia diversorum ordinum, ut & Duplicantia, crebrò inter se permutata observes & significandi quasi vicarias subindè operas tradere) suam interpretationem sunt mutuati. Syris enim דנא sonat καρτερῶν, ὑπομενετικῶν, *durare*, *perdurare*, *perseverare*, ut liquet ex Act. 10. 7. & 2 Cor. 11. 20. Ex istâ autem expositione pius certè & eruditus sensus elicitur in hæc ferme verba, *Quoniam degeneres isti filii, quibuslibet vel deterrimis mortalium omnium nequitiâ & impietate sunt pares, gratiámque meam toties oblatam indignis modis respuerunt, rebellantes & dolore afficientes ac contristantes Spiritum S. meum*, Gen. 6. 6. Esa. 63. 10. Ephes. 4. 30. *statui abjicere eos à facie mea, & Spiritum S. meum auferre ab ipsis*, Psal. 51. 11. *(quippe qui nequeat in eis usque durare) denique spoliatos præsidio Spiritûs mei, justissimo tandem exitio dedam: nisi videlicet intra tempus à me definitum respuerint.*

Hieronymus, quia ב sæpenumero valet *in*, *adversùs*, *contrà*, & דן sequente ב sonat *exercere judicium*, i. exsequi supplicium in aliquem (ut Psal. 110. 6.) ità declarat hæc verba, Quæst. in Gen. *In Hebræo scriptum est* Non judicabit Spiritus meus homines istos in sempiternũ: quoniam caro sunt. *h. e. Quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus, sed hîc illis restituam quod merentur.* Quasi verò unum aliquod, nedum innumera & gravissima peccata, temporalibus pœnis in hac vitâ expiari pro meritis possint. Satius igitur erit hoc pacto expositionem tradi, *Spiritus meus non judicabit homines istos*, vel *non exercebit in eos judicium in sempiternũ* (illico videlicet, seu repentè, & è vestigio, prout meriti sunt) *quamvis etiam ipsi caro sint*: *sed* ארבא (ut optimè habetur in Chaldaico) *Spatium* (respiscendi scilicet) *eis dabitur, centum nempe ac viginti anni. Intra quod tempus si non respuerint, tum demum universos pariter æternis mactabo supplicis.* Hæc opinor non solùm verborum proprietati sed rerum etiam veritati congruenter dici. Namque sic tandem evenit. Cùm enim semel exspectassel (sicuti scribit Apostolus 2 Pet. 2. 5.) summa Dei lenitas seu μακροθυμία, nec quicquam interea profecissel, induxit denique Diluvium in mundum impiorum. Atque ità (unico excepto Noâ cum suis) mundum reliquum, h. e. universos simul, tam filios Dei quàm filios hominum, utpote contumaces & palàm impios, *in sempiternum judicavit*, h. e. punivit. Postremò R. Solomon in hunc modum explicat, לא יתרעם ויריב רוחי, *Non commovebitur & litigabit Spiritus meus apud me in seculum propter hominem, utrùm illum perdam, an illius misereat*: h. e. Non anxio semper animo mecum ipse disceptare pergam quid facturus sim hominibus istis: nec libet diutiùs (prout hactenus consuevi meíque moris est Thren. 3. 33.) differre pœnam: tandem discernam quidnam facturus sim, &c. Hanc sententiam, tanquam accommodatissimam, doctiores ferè omnes hoc tempore amplectuntur.

Veruntamen antequam finem faciam, duo potissimùm annotanda duximus ad primam interpretationem, quæ reliquas vetustate antecedit, spectantia. Unum est, animam humanam, quam Deus corpori indidit, nomine *spiritûs* illic minùs aptè intelligi: quod tamen nonnulli, Hebræorum præsertim Doctores, arctè tenent, haud quidem veré; nam ità loqui non solent Scripturæ; nec enim *Spiritus Dei* Anima hominis usplam dicitur. Præterea sensus ipse inanis videtur, *Non permanebit Spiritus meus*, h. e. anima humana, *perpetùo in homine*: siquidem ab ipso penè initio, simul ac primùm peccavit Adam, decretum fuerat nè permaneret, Gen. 2. 17. & 3. 19. Alterum est, quod suspicatur Kimchius, cùm rationem reddere vellet quamobrem Paraphrastes Chaldæus ידון *permanendi* verbo sit interpretatus, eum scilicet censuisse à נרן illud deducendum. Quasi לא ידון propriè sit, *non permanebit tanquam in vagina inclusus Spiritus meus*. Sed hallucinatur proculdubio. Mutuatus est enim (ut diximus) Paraphrastes interpretationem suam à Syriaco דנא, quod tritum erat ac obvium, non à נרן verbo Hebraico, quod omnino nusquam est inventum. Neque patitur ratio Grammatica deductionem illam; quandoquidem à נרן in futuro fit יִדֹּן, Chirik parvo (utì norunt omnes) literæ Jod subscripto, sequente Dagesch; quod in יִדֹּן cum Camets sub Jod transformari nequit. Neque enim Chirik parvum in Camets produci unquam potest, sed, excidente Dagesch, aut idem manet, suffultum virgulâ Metheg, aut de more in Tseri, affinem vocalem, dilatatur.

CAP. 6. *Vocabuli* דר *Esth.* 1. 6. *varia interpretamenta, tam antiqua quàm recentia, explicantur & expenduntur.*

NOmen דר Esth. 1. 6. valde controversum est, & multiplici interpretatione in diversos significatus, ut alia quàm plurima, distrahitur. Rabbini *Lapidem pretiosum* autumant, *qui illatus in convivium* sive *cœnaculum*, *lucet ac splendet præsentibus tanquam meridies* sive *lux meridiana*, ut à Kimchio narratur. Haud dubiè verbis istis Carbunculum gemmam designant, *à similitudine ignium*, ut scribit Plinius, sic *appellatam*. Hæc enim flammas imitari videtur & eximio fulgore radicare. Unde efficitur, Rabbinos דר à דור sive מדורה derivandum putasse. Rogus enim seu pyra accensa longè latéque splendescit;

non

non à דרום per Apocopen, ut ineptè quidam auguratur, ſuſpicatus ſcilicet Kimchium per צהרים, i. *meridiem* ſive *lucem meridianam*, idem illud innuiſſe. At is Hyperbolicè inſignem Gemmæ ſplendorem ità expreſſit: non autem דרום intelligi voluit, h.e. *Plagam Meridianam*, cujus nullum eſt lumen, ſplendor nullus, ſiquidem eſt ſpatii cujuſdam locíve, non lucis ibidem micantis, appellatio.

Porrò Carbunculorum varia erant genera: qui omnes ferè, quoniam ex India, Æthiopia, Arabia ad Meridiem verſa navibus advehebantur, in opulentiſſimis emporiis venire ſolebant, nempe Tyro, Alexandriâ, Carthagine, aliiſque hujuſmodi urbibus maritimis. Addo & *Carchedonios* complures dictos, *propter opulentiam Carthaginis magnæ*, ſicuti docet Plinius, quò quondam deportabantur. Atque hoc illud eſſe opinor quod volunt Rabbini, ubi aiunt reperiri בכרכי הים, h.e. *in munitis urbibus maris*; non *in mari ipſo*, quemadmodum perperàm quidam tranſtulit.

Munſterus lapidem iſtum *Darium* vocat, ut in Hebræo habetur. Lxx Πάριον, h.e. *Parium*, quaſi mutato ד in פ: quod fieri nequit: nulla eſt enim inter illas literas organi ejuſdem, nulla ſoni communio. Et, ut quod res eſt dicam, lapidi *Pario* (quod genus eſt marmoris candidiſſimi) nomen dedit Inſula Paros, una ex Cycladibus, ubi effoditur, non vox Hebræa. Id tamen libens agnoſco, longè credibilius videri, pavimento Aſſueri ſternendo adhibitum fuiſſe lapidem Parium, ut narrant Lxx, quàm Carbunculum gemmam, ut opinantur Rabbini. Licèt hoc opinari abſurdum non fuerit, ſaltem ornando accommodari potuiſſe.

Cæterùm præter illam Lxx Interpretum verſionem, de qua modò memini, aliam inſuper in textu Græco mox ſubjungi obſervabit diligens Lector hiſce verbis, κύκλῳ ῥόδα πεπασμένα· ubi ut κύκλῳ reſpondet dictioni Hebraicæ סחרת, ità ῥόδα nomini ורד, unà cum conjunctione Vau copulativa, aſſumpto deinde extrinſecùs participio πεπασμένα ad ſententiam explendam. Cujus item interpretationis (ſi mihi hæc venia detur) rationem aliquatenus probabilem afferre conaber. Hebraicas literas ד & ר admodum ſimiles eſſe, & parvo tantùm apice diſtingui, nec rarò ab Interpretibus Græcis confundi, teſtatur Hieronymus. Nam & *Ephod bar* pro *Ephod bad*, & דקרו pro דקרו eos alicubi legiſſe confirmat. *Ex quo evenit*, inquit, *ut idem verbum diversè legentes, aliter atque aliter transferant.* Præterea frequenter accidit literarum tranſpoſitio in optimis nonnunquam exemplaribus, quâ verborum formam pariter & notionem permultùm variari neceſſe eſt. Utriuſlibet exemplum hoc ipſo loco proponitur. Etenim cùm ורד pro ודר tanquam unam ſimplicémque dictionem quidam legiſſet (literâ ד vel mutatâ vel tranſpoſitâ) ſtatim ῥόδον transferre non dubitavit. Namque ῥόδον, i. *roſa*, à Thargumicis ſcriptoribus ורד dicitur: quod proximum eſt vocabulo Æolico. Æoles enim ῥόδον more ſuo βρόδον appellant, præfixo β huic, ut & aliis etiam nominibus. Porrò Hebraicè Chaldaicéque סחר *circuitum* ſignificat. Hinc ergò fabricata eſt interpretatio illa κύκλῳ ῥόδα, ſuppleto (ut ſuprà indicavimus) ſenſu voce πεπασμένα, q. d. *Lectuli aurei & argentei ſuper pavimentum*, &c. *Roſis circumcirca ſparſis, diſpoſiti erant.* Hæc verba Kircherus in Concordantiis prorſus omiſit; Editionis autem Francofurtenſis Autor, Vir doctiſſimus, in Additionibus textui inſertis numeravit. Neuter, præ uſitata (ut fit) in opere longo feſtinatione, ſatis advertiſſe videtur. Sunt enim revera duplicatum contextûs ipſius interpretamentum. Tremellius ex idiomate Chaldæo דר *habitationem* tranſtulit: non malè. Junius indidem *ſolum*: quod tamen vix reperitur apud Chaldæos. Quid ſi דר idem putetur quod דרא? quippe vox utraque ab eodem themate orta eſt, *atrium*que ſignificat, Chaldæis Syríſque & Arabibus notiſſima. Sanè idoneus indè ſenſus efficietur hoc modo, *ſuper pavimentum*, &c. *cùm atrii, tum etiam ambitûs.*

CAP. 7. *Quid propriè primóque ſignificet* תפלין. *Vetus interpretamentum Hebraï nominis* טוטפות, *& unde ſit oriundum. Coarguitur falſa punctorum ratio apud Judæos. Nomina Græca* ἐνιαῖα *&* ἀσάλευτα *declarantur. Verſio Latina Vulgata emendatur.* φυλακτήριον *quid, & unde dictum.* תפלין *per alluſionem appellatum. Quid valeat* טוטפתא *apud Jonathanem Paraphraſtem.*

OBſcura & parùm nota eſt טוטף, nominis Hebræi originatio. Mihi certè maximè conſentaneum rationi videtur ex Arabica lingua peti, quæ Hebraicæ dialectus eſt altera: quippe Arabibus verbum eſt טוף *circumire* denotans. Unde dictum conjectemus טוטף, nempe quia frontem brachiúmque circumire eíſque ritu Judaico circumdari ſolet. Idem verò à Chaldæo Paraphraſte תפלא redditur; quemadmodum apud Syros etiam paſſim vocitatur. Tenendum autem (ut & illud in tranſitu attingam) תפלא omninò rectè ad radicem תפל referri oportere. Nec audiendus Elias cum ſuis, qui à פלל deducendum aſſerit: ſiquidem fefellit Eliam Jod poſt Pe olim collocati ſolitum: id enim loco Chirik parvi poſitum putavit; cùm ipſius Scheva potiùs (ut ſæpe uſu venit quoties ſine vocalibus ſcribitur) vicem gerat; quod Dageſch, geminandi vim habens, deinceps ſequi non patitur. Atque iſtud ex Idiomate Syriaco ſatis conſtare poterit: ubi ſubjectis punctis תפלא planè habetur, non תפלא, ſicut in Thargum mendoſè ſcribitur, & à Judæis recentioribus item vitioſè profertur.

Porrò תפל ab Hebræo טפל derivari, literis ejuſdem organi inter ſe permutatis, manifeſtum eſt. Valet autem טפל, teſtibus Hebræis, חבור ודבוק, i. *conjunctionem & adhæſionem.* Eodémque modo verbum טפל tranſtulit Symmachus Job. 13. 4. nempe προσθῆναι, i. *apponere, adjungere.* Hieronymus itidem Pſal. 119. 69. *applicare.* Hinc emanavit interpretamentum Aquilæ: qui טוטפות Exod. 13. 16. ἐνιαῖα vertendum cenſuit, q. d. *adhæſilia*, aut potiùs *alligabilia* ſive *ligamina*, à verbo ἐνίσχω *obſtringo, obligari* ſeu *alligari* ſignificante: id quod propriè eſt vox vernacula תפלין, quâ טוטפות Hebræa antiquitùs exponi conſuevit. Hinc quoque V. Interpres Latinus *appenſa* tranſtulit. Nec aliud voluiſſe mihi videntur Lxx ἀσάλευτα interpretati, h. e. *immobilia*; quòd eodem in loco, nimirum in fronte manúque ſiniſtra (quibus alligari moris eſt Judaici) ſemper hærere (præſertim inter orandum) nec indè moveri deberent. Quocirca ex eorum Verſione emendandam arbitror Deut. 6. 8. Verſionem vulgatam Lat. *nec* pro & repoſito, ſic, *Erunt q. nec movebuntur, inter oculos tuos*, h. e. ἀσάλευτα *immota manebunt*, vel *immobilia erunt, inter oculos tuos.* Atqui S. Evangeliſta Matthæus c. 23. 5. interpretationem affert quæ longè diverſa videtur. Ab illo enim vocabulum תפלין, ac proinde טוטפות ei ſynonymum, φυλακτήρια, h. e. *conſervatoria*, exponitur. Nomen hoc Græcum à fine videtur inditum, quia טוטפות adhibita eſſent tanquam adminicula ad efficacem Legis memoriam firmiùs conſervandam. Eóque reſpexerit fortaſſe vetus Interpres Exod. 13. 16. non enim contentus reddidiſſe טוטפות *appenſum quid* continuò ſubjicit *ob recordationem*. Eadémq; eſt inſuper expoſitio Aben Ezræ quam in Notis ad eundem locum legimus, nempe וכרון, i. *memoriale.* Veruntamen concedere oportet φυλακτήριον ſic finem ſignificare, ut habendi modum ſitúmque etiam ſimul denotet. Nam cùm adjectivum ſit, conſiſtere per ſe nequit niſi ſubintelligatur ſubſtantivum σελαμμα, aut aliud ſimile quod *alligationem* ſonet aut *conjunctionem*; perinde ut Syriacum vel Chaldæum תפלא, quo à veteribus טוטף ſemper vulgò expreſſum diximus. Quapropter haud ineptè ipſum item φυλακτήριον ad ſignificationem vocis תפלא quodam modo tandem reducatur. Liquet igitur (ſatis enim hoc conſectarium antecedentia demonſtrant) ex veteri inſtituto תפלה hîc non eſſe vocem germanam: ſiquidem non προσευκτήρια, i. e. *Precatoria* ſeu *Precationis exercendæ monimenta*, ſunt nuncupata, ſed φυλακτήρια

xlieia, i. *ſervatoria*, quippe cùm Legis univerſæ cuſtodiendæ & obſervandæ cauſâ, primus maximéque genuinus eorum uſus ſit introductus. Quem nòn inficior, mutato in deterius etymo, poſtmodum à recentioribus Judæis ad ſuperſtitioſas precatiunculas detorqueri potuiſſe, ac planè re ipsâ detortum eſſe; ídque admodum (ut apparet) inſcité: quandoquidem תְּפִלִּין propriè ſonat *preces* ſeu *precationes*, non *precatoria*, ſive *ad precationem pertinentia*. Et תְּפִלָּה in plurali תְּפִלּוֹת ritè format, non תְּפִלִּים, aut (quod idem eſt) תְּפִלִּין. Itaque dicam apertè quod mihi hac in re ſubolet; Nomen hoc per alluſionem primùm fuiſſe impoſitum: quâ mirificè veteres Judæorum Doctores delectatos invenias, ut תְּפִלִּין quaſi תְּפִלִּין παρονομάζοντες appellarint, non utique nativam vocis notionem, ſed ſolennem, in precationibus potiſſimùm, rei uſum ſpectantes.

Cæterùm Jonathan Paraphraſtes Chaldæus aliàs אֲצֶעָדָה, i. *armillam*, nomine טוֹטָפְתָא ſeu טוֹטָפְתָא exprimit, ut 2 Sam. 1. 10. aliàs פְּאֵר, h. e. *tiaram*, ut Ezek. 24. 17, 23. alicubi etiam עֲטָרָה, i. *coronam* ut Eſth. 8. 15. eodem declarat, non, equidem opinor, Grammaticè, ſed myſticè ſeu ſymbolicè uſurpato vocabulo, nempe propter locum proprium utrobique peræquè eundem. Nam טוֹטָפָת & Capiti inſtar *tiaræ* ſive *coronæ*, & Brachio inſtar *armillæ* circumponi & alligari conſuevit. Nec minùs, imò multò magis, illam quàm iſtas pro eximio ornamento haberi debere Paraphraſtes exiſtimavit, intellectu (ut ità loquar) conflato ex appendiculæ natura, & ornandi propoſito. Quamobrem non incommodè טוֹטָפָת ex ſententia Paraphraſtæ *monile frontis* vel *monile brachii manúſve* reddas licet. Libenter quippe nomen *monile* uſurpo, quoniam à *monendo* (ut volunt Grammatici) deductum aptiſſimè quadrare videtur ad vetuſtum illud (de quo meminimus) Phylacterii annectendi conſilium. Porrò hoc ipſum fortaſſis ornamentum לוּרִית חֵן periphraſticè nominari poterit; quod ab Aquila περιδέκια χάριτος & Prov. 1. 9. vertitur. תִּפְלָא autem, vocabuli טוֹטָפָת interpretamentum, propriè ac per ſe περιδέκιον, h. e. *additamentum* ſeu appendiculam, ſonare ſatìs antea docuimus.

CAP. 8. *Attingitur mos R. Mardochæi Nathanis, qui Concordantias Hebraicas compoſuit. Duplex verſio aſſertur vocabuli* עִבְטִיט *Chabak.* 2. 6. *Poſterior retractatur & explicatur. Interpretatio Græca redarguitur. Curſim & in tranſitu declaratur quid propriè valeat* κλοιὸς, *nomen uſitatum in Editione Græca; quid etiam* boia, *ejuſdem interpretamentum Latinum.*

SOlet Autor Concordantiarum Hebraicarum voces rariores aut difficiliores nominatim ante omnes citare & quaſi digito Lectoribus indicare, quò non mediocrem ſed præcipuam adhibendam moneat animadverſionem. Simul verò ſuis ſingularum ſedibus ac domiciliis, ubi ab illo collocantur, ſatìs apertè oſtendit quónam eas ipſe ſuo judicio referendas eſſe exiſtimet. Ad eundem modum in principio recenſionis vocabuli טִיט innuit, etſi עִבְטִיט ambiguam habeat ſuæ originis inveſtigationem, ſe tamen illud in vocibus ad nomen טִיט ſpectantibus numerare. Neque officit quòd in radice עָבַט denuo recenſetur. Nam ex adjuncta illic expoſitione (quæ eſt, רִבּוּי הַטִּיט, i. *multum cœni lutíve*) planè conſtat id à טִיט potiùs quàm à עָבַט eum deducere voluiſſe. Eſtque prompta quidem & expedita deductio iſta. Etenim עִבְטִיט dictio compoſita ſtatuitur (quales in S. literis occurrunt complures) cujus pars prior *denſum* vel *denſitatem* deſignat, poſterior *lutum*. Derivatio hæc pulcrè congruit ſenſui Prophetico Chabak. 2. 6. atque in hanc ſententiam ibidem tranſtulit V. Interpres Latinus, *Væ ei qui multiplicat non ſua; uſque quò? & aggravat* (vel *coacervat*) *contra* (vel *apud* aut *ſupra*) *ſe denſum lutum*. Agit enim ibi Propheta de inexſaturabili avaritia Tyranni Babylonici divitias immenſis omnium gentium rapinis congeſtas, & denſiſſimi luti inſtar, coacervantis in ſuam ipſius perniciem, paulò pòſt eiſdem, tanquam cœnoſâ ac voraginoſâ palude, penitus abſorbendi.

Doctiſſimus Hebræorum Grammaticus, idémque Interpres, Kimchius etiam à עבט nomen hoc rectè formari poſſe confirmat, ultimâ radicali repetitâ; velut in סנריר à סנר, & id genus aliis cernitur. Duplicationem verò iſtam vim quandam intendendæ ſignificationis obtinere, ad exemplum punctali Dageſch literam geminantis (quod & ipſum eâ re σιγλαλικὸν plerumque eſt) norunt periti. Itaque עִבְטִיט à Kimchio רִבּוּי מָמוֹן, i. *abundantia pecuniarum* vel *divitiarum*, exponitur. Malim מַשְׁכּוֹן, i. *Pignorum*: quippe עָבוֹט propriè *Pignus* ſonat, non *pecuniam*; & עָבַט verbum *pignus*, non *pecuniam*, *capere*. Nec inconcinnè (ut opinor) hæc item ſignificatio aptari poterit Prophetæ propoſito. Aſſimilatur enim Babylonius fœneratori acerbiſſimo, vel prædii alicujus duriſſimo domino; & ingentes ipſius theſauri, aviditſſimè pariter ac crudeliſſimè undique corraſi, pignorum cumulis penès fœneratorem vel dominum illum congeſtis. Quare clauſula מְכַבִּיד עָלָיו עִבְטִיט, i. *qui coacervat* (vel *accumulat*) *apud ſe pignorum copiam*, &c. hanc habere videtur ſententiam, Qui jam infinitis rapinis, quaſi totidem pignoribus ablatis, per intolerabilem ſævitiam omnes gentes ubique locorum coercet, ſimul ac perſoluta primùm fuerit pœnarum veluti ſumma Divinitus conſtituta, continuò repetent ab eodem omnes gentes pignora ſua. h. e. Juſtiſſimè deinceps eum ſpoliabunt à quo nefariè & crudeliter antea fuerant ſpoliatæ.

Verùm quod ad Interpretationem Græcam attinet, quandam annotatam videas in Editione Francofurtenſi, quæ tamen in Romana non invenitur: nec injuriâ; quippe recentem ac nuperam eſſe apparet: nempe iſtam, βαρυῶν ἢ παχὺ πηλὸν καθ' ἑαυτῆς· quam quis non illico deprehendat expreſſam & effectam eſſe ex Vulgata verſione Latina? nam eiſdem (utì patet) verborum ejus veſtigiis inſiſtit atque inhæret. In Sacro autem Editionis Græcæ contextu ſic tranſtuliſſe perhibentur LXX ὁ βαρυῶν τὸν κλοιὸν ἐντῆ σιβαρῶς. Sed abſurdiora ſunt hæc quàm ut clariſſimis illis Interpretibus, viris Hebraicè ſcientiſſimis, ſeriò attribui aut debeant aut poſſint. Inepti quidem profectò interpolatoris, non Interpretis, ſunt verba, qui partim ſuâ ipſius imperitiâ, partim vitioſo (aut vitioſè ſaltem lecto) exemplari deceptus, cùm עָלָיו pro עָלָיו legiſſet, κλοιὸν ἐντῆ, h. e. *jugum ſuum*, reddidit. Deinde cùm עִבְטִיט idem cenſeret atque ſimplex עָב, σιβαρῶς, i. *ſpiſſe*, convertit, & per conſequens *graviter* vel *validè*: namque Spiſſa & gravia ſeu ponderoſa eſſe ſolent & firma ſive valida.

Liceat hoc loco (quanquam obiter ac παρέργως arreptâ occaſiunculâ) Lectorem monere quid verè propriéque ſit κλοιὸς, hactenus haud ità notum, quod hìc ab Hieronymo *torquis* redditur, ab aliis vulgò *jugum*: ídque propter ſimilitudinem quandam: eſt enim περιδεραχάλιον δεσμὸς, teſte Heſychio, *vinculum collo circumdatum*, quippe quod loro ſatìs craſſo aut circulo ligneo ferreóve collo aſtringi ſoleret. Sed minùs accurata eſt hæc expoſitio, utpote generalis nimiùm, & proinde ambigua. Exquiſitam ſi deſideras, docebit nullo negotio Lexicon illud utiliſſimum Græco-latinum vetus ab Henrico Stephano, viro de ſtudioſis utriuſque linguæ præclarè merito, editum. Κλοιὸς, inquit, *Boia*. Idémque confirmat Hieronymus teſtimonio ſuo fide digniſſimo ampliſſimóque Com. in Jer. 27. 2. Κλοιὸς *ſermone vulgari Boiam vocant*. Neque dum ulla ferè ex parte explicatus eſt nodus. Nam æquè forſitan ignoratur *boia* atque κλοιὸς. Hìc profectò in ſummas anguſtias redacti, conſilii auxiliíque penitus inopes eſſemus, niſi lingua noſtra vernacula, Anglicanam dico, opportunè ſuppetias adveniret. Namq; ea, quantumvis barbara videatur, utrumque nomen, tam Græcum quàm Latinum, nomine duplici indidem utrobique orto, ſtatim quid ſit perſpicuè faciléq; declarat. Siquidem à Κλοιὸς natum eſt noſtrum **Clog**, literæ enim *I* & *G* eandem perſæpe vim obtinent. Similiter à *Boia* noſtrum **Boi**, origine adeò manifeſtâ, ut nihil ſuprá. Porrò **Boi** apud noſtrates

ſignifica-

significat lignum, non illud quidem longum, sed valde crassum, imâ præsertim sui parte, quod in summo mari fluitans locum ancoræ, cui fune satis longo alligatur, in profundo submersæ indicat. Eandem omnino formam plerumque habet nostrum Clog, egregiè item crassum ponderosúmque, & collari valido firmiter annexum: quod indui solet cervicibus fugitivorum communiter tum hominum tum cæterorum animalium. Constat autem duabus partibus, Collari, & Massâ sive Mole (ut ità dicam) eidem adjunctâ atque appensâ, ligneâ quidem ferè, quam tamen ex alia quavis materia componi (quæ gestantem graviter premat & coerceat) nihil impedit. Quoties igitur κλοιὸς *collare* ab eruditis transfertur, per Synecdochen intelligendum est fieri, parte pro toto positâ. *Boias* in plurali effert Plautus, non quòd vox singulari careat, sed quoniam affatim (ut credibile est) suppetebat hujusmodi vinculorum, & semper prompta paratáque erant domi; necnon quia pro atrocitate criminis & delinquentis ferocia Boiæ binæ nonnunquam, & aliquando etiam ternæ, impingi consueverunt.

CAP. 9. חסיל *ab antiquis etiam Interpretibus* Bruchum *reddi, & quamobrem. Aliàs reptile, aliàs volatile Hieronymo videri.* ילק *Melolontham seu Chrysocantharum propriè esse. Cur* aculeatus *seu* hispidus *dicatur Jeremiæ, c.* 51.27.

CHASIL, quod alibi minùs rectè ἐρυσίβη, 2 Chron. 6.28. optimè redditur βροῦχος ab ipsis Lxx, itémque *bruchus* à V. Latino Interprete eodèm loci. Etenim versio illa primariâ thematis utriusque significatione manifestò confirmatur. Siquidem חסל valet הכריית secundùm Aben Ezram, i. *excidere* sive *exscindere*; secundùm verò R. Salomonem כלה, i. *consumere*; κατέδεδζ autem, i. *perdere* seu *exedere*, ut interpretati sunt Lxx Deut. 28.38. Idipsum similiter sonat βρύκειν (quod est λάζεως ἐσθίειν *avidè edere* sive *devorare*, autore Hesychio) unde derivatum est nomen βρῦχος, vel etiam βρῦκος, utì apud eundem Hesychium scribitur. Idem quoque docet, Cyprios τὸν χλωρὸν ἀκρίδα *viridem locustam* ità appellare.

Animalculum hoc, Bruchum dico, partim volatilibus partim reptilibus assignare videtur Hieronymus in Commentariis in Nachum, c. 3. ubi aliàs testatur *Bruchum repentè in terram cadere, cùm lasso volatu ultrà iri non quiverit.* Item, *Bruchum parvum esse animal & innumerabile, & qui modicùm quidem se videatur elevare à terra.* Aliàs contrà *Bruchum* ait *semper in terra esse, & absque alis cibo & ventri servire.* Idem hoc Sipontino placet, nempe *vermiculum esse haud dissimilem locustæ, herbas erodentem, sine alis tamen.* In expositione Psalmi 105. Chrysostomo inscripta Autor ille supposititius ait, ὁ βροῦχος αὐξηθεὶς ἀκρὶς πτερωθεῖσα γίνεται, *Bruchus incremento capto fit locusta ubi ætate processerit:* quod à vero est alienum. Non enim Bruchus sed Attelabus grandior factus locusta evadit. Nam Attelabos *locustarum minimas* vocat Plinius lib. 29. c. 4. *earúmq; parva genimina* Hieronymus in Nachum, c. 3. Cæterùm nostri Interpretes CHASIL a Caterpillar transferre consueverunt; dirum quoque genus, & terræ fructibus herbísque infestum, eísque excidendis, peredendis & absumendis jugiter intentum; verè ut חסיל dici mereatur.

Valde etiam ambigitur quodnam animalculi genus sit ילק. Vulgata Græcorum quidem Editio sæpissime, Latinorum verò semper *bruchum* transferre solet. Nos tamen paulò antè ostendimus חסיל potiùs *bruchum* reddi oportere, ídque etiam ex communi utriusque Editionis sententia. Hîc verò doctissimi viri Tremellius ac Junius ילק appositissimè reddidisse videntur *melolontham.* Eam ego propriè habendam arbitror quam vernaculo sermone a Chafer passim vocitamus. Est enim viridis Scarabæi genus quoddam, aureo colore splendens. Μηλολόνθη, sive Μηλολάνθη, εἶδος καραβάρου, ὅς τινες χρυσοκανθάρους λέγουσιν, inquit Hesychius, *Species scarabæorum, quos Chrysocantharos appellant nonnulli:* quoniam nimirum (ut ex Aristophanis Scholiaste docet Henricus Stephanus) habent χρυσίζοντα τὰ πτερὰ, h. e. *pennas* (superiores videlicet, quibus tanquam crustâ quadam teguntur ac muniuntur inferiores) *ad auri colorem aliquantùm inclinantes.*

Tradunt Chrysocantharum hunc aptam jam olim materiam lusibus puerilibus suppeditasse, cùm fili extremitate unâ ipsius pedi, alterâ furculo alicui minuculo alligatâ, altiùs subvolare minimè valens, in orbem circumactus gyros innumeros daret. Chrysocantharus seu Melolantha eadem hodiéq; nostratibus pueris idem præbet spectaculum ludicrum, crustâ alterâ extremâ aciculâ trajectâ, cujus mucronem summis digitis duobus teneat ludibundus puer, circumvolitante infernè Melolanthâ motu continuo bombóque quàm diutissimé.

Porrò *Melolantham* indè appellatam putat Eustathius quòd ταῖς μηλέαις advolet cùm ἀνθῶν *florere* incipiunt; Suidas, quòd τοῖς περὶ μηλεῶν ἄνθεσι, *malorum floribus insideat.* Addendum censeo *eósque corrumpat:* id enim in nomine compósito valere opinor syllabam ολ mediam, ab inusitato themate ὀλέω sive ὄλλω, i. *perdo, perimo*, petitam. Atque hoc ipsum ampliùs declaratur Hebrææ vocis ילק derivatione, quæ à לקק sumpta existimatur; perinde quasi *lambentis* afflatu adusti perdantur seu corrumpantur flores.

Quòd autem ילק epitheto סמר à Propheta Jer. 51.27. cognominatur & describitur, q. d. *erectis pilis setísve* aut *aculeis horrens*, hanc habere putetur rationem satis probabilem; Melolantha advolans, assiduâ & veloci pennarum quaternarum pariter agitatione, Herinacei spinis undiq; exstantibus hispidi speciem referre videtur. Ipsáq; hæc imago hastatas equitum turmas, aut sagittis tanquam aculeis armatas, graphicè exprimit.

Illud denique non omnino tacendum quod observat Stephanus, μηλολανθῶν aliquoties *bruchum* Latinè reddi, propter utriusque speciei aliquam, nisi fallor, similitudinem. Hinc ergò conjicimus vocabulum βρῦχος, quod ad Hebræum ילק declarandum à vetustis Interpretibus subindè adhibetur, πολύσημον & ambiguum esse, ac *melolantham* simul denotare: quæ quidem propria est (ut diximus) nominis Hebræi interpretatio.

CAP. 10. *De significatu nominis* חריט *apud Prophetam Esaiam. De Acu crinali: Déque Crumenulis ornatûs causâ gestatis; quod secundum est interpretamentum vocabuli* חריט. *Quibus duobus interjectum est tertium ex Jonathanis Paraphrasi Chaldæa desumptum,* Fibulæ *(nisi me conjectura decipit) significationem exhibens.*

IN Notis ad Concordantias Hebraicas à nobis in Latinum conversas observare meminimus radicem חרט à חרת, quæ *sculpere, insculpere, exarare* sonat, pullulasse, aspiratâ tantummodo in tenuem mutatâ. Itaque primaria thematis significatio jure statuitur *cælum stylúsque scriptorius.* Est verò præterea genus quoddam ornamenti muliebris quod חריט à Propheta appellatur Esa. 3.22. Vetus Interpres Latinus *acum* transtulit. *Acûs* autem nomine denotare voluit non eam *quâ sarcinatrix* (ut cum Festo loquar) sed quâ *ornatrix utitur.* Id enim & loci sententia apertè monet, & appositè suggerit Hieronymus, vir usquequaque doctissimus, Commentar. in Esa. 3. *Habent acus,* inquit, *mulieres, quibus ornatorum crinium compago retinetur, nè laxiùs fluant & in sparsos dissipentur capillos.* Hieronymo attestatur Martialis Epigrammate de Acu aurea, lib. 14.24.

Tenuia nè madidi violent bombycina crines,
Figat acus tortas sustineátq; comas.

Quam ob causam Acum hanc Apuleius *crinalem* nuncupat. *Discerniculum* quoque sive (ut est apud V. Interpretem Latinum Esa. 3.19.) *discriminale* Latinis perhibetur, à *discernendis* seu dividendis ante frontem mulierum capillis. Quoniam verò Stylum scriptorium, h. e. חרט, magni-

magnitudine & figurâ referebat, indè apud Hebræos deducta est appellationis origo ut חריט itidem diceretur Acus illa. Cujus rei similimum exemplum lingua Græca suppeditat. Etenim ipsa eadem Acus à voce κάλαμος δι' ὃ γράφομεν (ut est in Lexico veteri) *à calamo scilicet scriptorio*, Græcè καλαμὶς vocatur, levissimâ utrobique factâ mutatione, & ob eandem penè magnitudinem figurámque eâdem appellatione signatur. Quanquam alii malint καλαμίδα nuncupatam ἀπὸ τῆς καλάμης, nempe à materia, quia ex arundine facta sit.

Jonathan Paraphrastes Chaldæus חריטים reddit מחכייא, h. e. (ut ego quidem suspicor) *fibulas*; nimirum à חכך Hebræo; unde חכה, i. *hamus*; cujus figuram imitatur ac munere fungitur Fibula: Infixo quippe acumine, quasi dente, qui *mordeat* (sicuti loquitur Ovidius) aut tanquam hamo, qui prehendat, vestē alioqui defluentem commodè sublevat atque subnectit. Nec dissimili ratione περόνη quoque nominatur à Græcis παρὰ τὸ πείρειν à *transfigendo* & *perforando*. Porrò חריט haud inscitè *fibulam* exponi posse censuit Paraphrastes, propter similitudinem nonnullam. Quandoquidē instar Styli & in acumen desinit Fibula, & ad trajiciendum sive transfigendum est apta. Atque hæc vocabuli interpretatio probè congruit Prophetæ consilio, qui insignem feminarum ornatum sigillatim commemorare instituit. Cujus pars non postrema cùm antiquis tum recentioribus etiam temporibus erant Fibulæ aureæ ac inauratæ, ad muliebrem cultum mundúmque pretiosum & elegantiorem necessariò spectantes.

Verùm enimvero quoniam neutra istarum expositionum satìs aptè convenit loco cuidam Scripturæ, 2 Reg. 5. 23. ubi *ligasse Naaman* legitur *duo talenta argenti in duobus* חריטים, ideo aliam, quæ quadraret, sibi investigandam putavit R. Ravid, vestigiis tamen Aben Ezræ prioribus (uti constat) ingressus. Itaque חריט ibi interpretatur כים, i. *crumenam*, ex lingua Arabica, quæ Crumenam dicit כרשא, literâ ח in כ, pronunciatione eidem affinem, de more versâ. Rationem nominis hîc item à similitudine arcessendam conjectamus; nempe marsupii genus quoddam חריט quoque appellatum videri quia styli sive discerniculi muliebris speciem referret, quippe quòd illius instar oblongum esset, angustum seu gracile, atque teres sive rotundum. Ad eundem etiam modum Lxx חריט illic reddiderunt σύλακον, ut & Interpres Latinus *saccum*, numarium intellige, eúmq; bene grandem; qualis fuerit oportet qui duobus argenti talentis capiendis sufficere posset. Alioquin aptiùs alibi *saccellus* transferretur (nam una eadémque est apud Hebræos communis forma primitivorum & diminutivorum, sicut simplicium & compositorum) cujusmodi erant Crumenæ aut potiùs Crumenulæ opulentiorum maximè feminarum sericæ, vel holosericæ, argento auróque ac gemmis refulgentes, & ad ornatum magis quàm necessitatem comparatæ. De quibus accipienda fortassis vox חריטים apud Esaiam.

CAP. II. *De nomine* חרטם, *quod* Genethliacum *Aben Ezræ videri putant quidam, sed minùs verè. Fabulosum ejusdem interpretamentum à R. Saadia allatum. Quid propriè valeat* חרטם, *déque variis ejus translationibus apud Græcos. Aquila versio declaratur. Nomen* Elymas *Act.* 13. *exponitur.*

NOmen חרטם meritò judicavi superioribus proximè subnectendum, utpote eisdem cognatione conjunctum; sicuti ex sequentibus paulò pòst perspicuè intelligetur. Certum est autem, hominem quem id nominis designat superstitiosæ cujusdam atque impiæ divinationis fuisse professorem; sed quæ aut qualis illa fuerit liquidò dicere non possumus. Tradunt quidam *Genethliacum* ab Aben Ezra converti: At is tamen ipse non ità sensisse videtur. Apponam verba quàm accuratissimè expressa, *Sunt*, inquit, חרטמים *rerum naturæ periti, qui sciunt principia & naturas rerum omnium, cunctáque quæ occultis rationibus* (h. e. vi & facultate insitâ intimâque) *fieri solent*. Proculdubio Physicos innuit, quorum munus est abditas rerum causas perscrutari. Verùm principi Philosophiæ parti, quæ circa Naturæ obscuritatem versatur, palàm injuria est hæc interpretatio; nec ullo, quod equidem vel scire vel conjectare queam, fulcitur rationis idoneæ fundamento, nec etymi alicujus explicatione illustratur. Quinimo nomen חרטם Aben Ezra peregrinum esse suspicatur, & ab Ægyptiis vel Chaldæis ortum, quoniam in Scripturis S. non alibi legitur quàm ubi de rebus utriusque illius gentis agitur. Atqui probabiliùs hinc, meo quidem judicio, efficitur, vocabulum illud neutrius generis proprium videri. Siquidem vero maximè consentaneum existit, linguas longè diversas fuisse Chaldæam & Ægyptiam: vocabulis igitur multùm discreparunt. Sequitur ergò neque Ægyptium fuisse nomen, quia apud Chaldæos usurpatum narratur; neque Chaldæum, quia apud Ægyptios. Credamus itaque linguæ Hebraicæ proprium esse, & originationem ejus illic ritè investigandam.

Quocirca R. Saadias vocem compositam censet atque à חור & אטום etymon repetit, eósque חרטומים interpretatur *qui ex arboris foramine obturato* sive *obstructo* (namque id valet חור אטום) *præstigiis* seu *veneficiis nescio quibus divinationes eliciunt*. Cujusmodi divinandi genus (nisi fortè quis fatidicam Dodonæ Quercum, quam tamen ut apertè fabulosam Strabo rejicit, huc attinere autumaverit) quia nusquam gentium reperio, prudens omitto ac negligo. Mihi certè à חרט promptissimus & rationi quàm congruentissimus placet deducendi modus, ut ם fit heemanticum, & חרטם à חרט formetur ad instar שלשם à שלש. Porrò חרט à Græcis reddikur γεγρὶς· id autem denotat & instrumentū artificis nempe *stylum*, aut etiam *cælum*, (quemadmodum vocabulum Hebraicum à novissimis Interpretibus vertitur) & artē ipsam, v. g. *picturam*, *cælaturam*, vel *sculpturam*, quæ stylo cœlóve exercetur. Quare חרטם is propriè censeatur esse qui superstitiosos quosdam characteres, picturas, imagines, figuras, aliáque ejusmodi notissima Magices subsidia adhibebat in nefariæ divinationis suæ operibus exsequendis. Itaque neutra Græcorum versio satis convenire videtur. Nam ἐξηγητὴς Gen. 41. 8. uti scribit Hesychius, est ὁ περὶ ἱερείων καὶ διοσημείων ἐξηγούμενος, i. *victimarum* vel *exsistrū atque ostentorum interpres*. Ἐπαοιδὸς autem Exod. 7. 11. est *incantator*. Uterque *verbis rem peragit*, sicut ait Hieronymus, nec quicquam illis cum stylo cœlóque negotii est. Onkelus Paraphrastes חרטם reddit חרשא, qualiter etiam Syriacè *Magus* vulgò vocitatur Act. 13. 6, &c. Atque eodem modo Symmachus חרטם exponit μάγον· non inepté. Magos enim plurimum semper operæ atque adeò fiduciæ in exsecrabilibus illis characteribus ac imaginibus cœlatis sculptísve posuisse compertum habetur.

Aquila χρυφιαστὴν transtulisse refertur. Quod nihil aliud valere opinor quàm *Magum*, q. d. *rerum absconditarum atque abditarum professorem*. Studiosus namque est Magus occultæ (ut vocant) philosophiæ, & ex atri Ditis penetralibus elicitæ. Inaudita autem vox est atque insolens Græcis auribus χρυφιαστής. Quæ an ab illa quæ in Actis invenitur, nimirum Ἐλύμας (quæ à Luca ibidem ὁ μάγος exponitur) emanarit, affirmare non ausim. Sanè testis est Beza, pro חרטם in Arabica Pentateuchi Interpretatione haberi עלמא. Unde factum putat nomen Ἐλύμας, q. d. עלימא. admodū certè probabiliter & eruditè. Quod enim objicit Junius, Ἐλύμας in utraq; Paraphrasi, Syra pariter & Arabica, per א non per ע scribi, nihil impedit: siquidem Paraphrastæ nomen idiomatis Cyprii proprium, Græcorum more ab Euangelista prolatum, eodem fideliter reponendum existimarunt, prout eosdem alibi quoque fecisse reperias. Ἐλύμας seu עליא, si Hebræos fontes adeamus (quò respexisse Aquilam, virum etymi eruendi scientissimum, credibile est) ad verbum sonat τὸν κρύφιον, ἢ τὸν κρυφιαστὴν, h. e. *Occultum*, vel *Rerum occultarum studiosum*, vel *Qui in occulto*, sive *in operto, omnia sua facit*: qualis inprimis est quilibet impiæ Magiæ deditus.

CAP. 12. *Vocabulum difficile* זרזיר, *semélq; duntaxat in Scripturis occurrens Prov.* 30. 31. *amplissimè explicatur, variis veterum ac recentiorum Interpretationibus memoratis simul & perspicuè enarratis.*

PEritissimi Grammatici nomen זרזיר à זרז themate Chaldæo deducunt, quod *cingere, præcingere, accingere* aut etiam *succingere* significat. Quoniam verò corpore succincto & robustiores reddimur & expeditiores ad opus aggrediendum ac peragendum, hinc fit ut *vigorem* insuper *agilitatémque* indicare videatur. Et aliquoties à Paraphraste pro *armare* usurpatur, omnino ut *accingere* apud Latinos, nec non (ut alibi annotasse recordor) ζωννύειν apud Græcos. Hinc Lxx זרזיר ἀλέκτορα transtulerunt. Sed juvabit fortasse verba minutatim expendere, & breviter cum Paraphrasi Chaldæa conferre. Ἀλέκτωρ ἐμπεπατῶν ἠλαίας εὔψυχος, h. e. *Gallus inambulans inter gallinas alacris.* Ubi facilè animadvertat consideratus Lector & nomen poni, scilicet ἀλέκτωρ, & nominis etymon ex Chaldaismo petitum, videlicet εὔψυχος, quod idem planè est atque זריז, h. e. *alacris, expeditus, promptus,* à זרז, unde זרזיר: Cui adjuncta vox מתנים (quod ad vim eidem subjectam attinet) inclusa subintelligitur in nomine εὔψυχος. Siquidem Lumborum regio libidinis ac cupiditatis sedes passim existimatur & metonymicè pro *cupiditate* usurpatur. Reliqua duo vocabula, ἐμπεπατῶν ἠλαίας, extrinsecùs ascita sunt ad pleniorem sententiæ declarationem. Cum hac versione tam accuratè convenit Interpreti Chaldæo ut nè ovum quidem ovo similius dicas, modò emendatè Paraphrasis legatur. Nomen enim תרנגולי planè mendosum esse apparet, quippe cùm confusè masculini pariter & feminini speciem præ se ferat: Vau enim in pehultima (ut ex Syrismo constat) argumento est nomen femininum esse; contrà terminatio masculini generis est, utpote cujus index est Jod. Delendum igitur Jod, & substituendum Nun, ut nomini feminino terminatio quoque feminina congruat; & enucleatè scribendum תרנגולן, à תרנגולא singulari *gallinam* denotante; vel, si libet, decurtando literam postremam, utì consueverunt ταχυγεάφοι, præsertim in vocibus probè cognitis & usitatis, adhibitâ supernè lineolâ sinistrorsum descendente hoc modo, תרנגול. Unde veri quàm simillimum est, suppositicium illud Jod primùm exstitisse, transmutatâ in ipsum lineolâ. Quare sic se habet versio Chaldaica integra, אנבא דמזרז בינת תרנגולן, h. e. *Gallus qui alacris est inter gallinas.* Quam omnino eandē esse cum Græca Lxx Interpretū vel cæcostatim appareat.

Aquila & Theodotio (quos in Editione Francofurtensi unà cum Symmacho nusquam comparere miror) breviter reddunt ἀλεκτρυὼν νότῳ, i. *Gallus dorso* aut (congruentiùs Hebræo מתנים) *lumbis.* Sed alibi quoque itidem vertit Aquila, quia Lumbi ad dorsum pertinent, in ejúsque partibus numerantur. Verùm præcisa est (nisi fallor) oratio. Etenim desiderari videtur aliquid ad sententiam explendam, nimirùm ἀκροζωσμῷ, vel tale quiddam. Atque ità vocabulo ἀλεκτρυὼν repetito ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, concordabit cum Interpretatione Symmachi in Editione Romana continenter sequente: quam V. Interpres Latinus expressisse videatur hisce verbis, *Gallus succinctus lumbos:* quanquam aliò forsitan spectare potuit Symmachus, sicuti ad extremum indicabimus. Interea de Gallo videamus: quippe celebrata est à multis versio illa, haud prorsus immeritò. Est enim Gallus pugnacissimū & pertinacissimū in certamine animal: adeò ut *ex iis quidā ad bella tantùm & prælia assidua nascantur.* Quinetiam *Pergami spectaculum eorum omnibus annis, ceu gladiatorum, publicè editum* memorat Plinius Nat. Hist. lib. 10. c. 21. Imò omnibus propè septimanis, aut saltem mensibus, quidam hodiéque ridiculis istiusmodi gallorum monomachiis tempus terunt sumptúsque faciunt. Præterea corpore quasi *succincto*, h. e. probè compacto & lacertoso, Gallus spectabilis exsistit. Denique imperitat suo generi, & regnum, in quacunque est domo, exercet. Hanc igitur expositionem multò libentiùs amplecterer quàm eam quâ vel *Sturnus* vel *Pica* redditur, utpote exiguâ admodum atque incertâ aut potiùs nullâ penitus ratione fultam. Attamen Gallus (ut verum fatear) vix idoneum videatur proponi Regiæ Majestatis exemplar; nisi quis velit Scripturam S. *parvis componere magna*, utì loquitur Poeta, & fieri non rarò solet.

Quare monet Kimchius זרזיר à nonnullis reddi *Canem venaticum:* quippe *gracilis*, inquit, *est lumbis suis, haud aliter ac si restrictus esset.* Id quod etiam, inter cæteras insignes generosorum Canum notas, venustè observavit Gratius apud Scaligerum Poet. l. 5. c. 9.

Sint celsi vultus, sint hirta frontibus aures,
Os magnum; & patulis agitatos morsibus ignes
Spirent: astricti succingant ilia ventris.

Sed verbis Kimchianis addo insuper alia ad vocis זרזיר vim ac significationem spectantia. Etenim generosiores Canes eximiis corporis viribus valere cernimus, expeditissimâ item celeritate agilitatéque esse; tantâ verò audaciâ atque ferociâ ut à natura hisce dotibus tanquam armis egregiè instructi & velut *accincti* videantur. Unde *Colophonios* olim, *itémque Castabalenses* narrat Plinius lib. 8. c. 40. *cohortes canum propter bella habuisse, eásque primas dimicasse in acie, nunquam detrectantes.* Eædem, nostris quoque temporibus, sociæ & auxiliares copiæ in nuda Indorum Occidentalium corpora immissæ dicuntur. Verùm ut omittamus illud tam barbarum támque immane tetrúmque facinus, assidua Canum venatio quid aliud, obsecro, est quàm militia quædam? Rectè ergò Horatius lib. 1. Epist. 2.

Militat in silvis catulus. ———

Itaque quomodocunque accipitur זרזיר, aptissimum profectò comperietur, *Canis venaticus*, interpretamentum Prov. 30. 31. & ejusmodi quod ad loci propositum pulcrè conveniat. Quidam, teste Kimchio, *Pardum* transtulerunt. Sed obscurum est illud & ignotum in vulgus animal, nec ullâ generositatis alicujus ratione commendabile. Contrà spectatissima ubique est homini Canum virtus: nullúmque facilè reperias in quotidiano vitæ usu humano generi socialius aut conjunctius animal. Equum semper excipio. De utroque exstat vetus Plinii elogium, *Fidelissimi ante omnia Homini Canes atque Equi:* idque etiam in maximis quibusque periculis. De Cane jam diximus. De Equo, quantus, quàm validus, quàm magnanimus sit bellator ac propugnator & in sui ipsius & sessoris periculis, omnes ferè ab Orbe condito partæ illustres victoriæ testatum faciunt. Cujus rei luculenta admodum legitur demonstratio apud Jobum cap. 39. Quapropter erudita est versio Tremellii, qui זרזיר מתנים, *accinctum lumbis, Equum* exposuit. Etsi enim, quod ad corporis situm attinet, Equus generosus haud ità commodè *accinctus lumbis*, h. e. gracilis, dicatur, sed tantummodo

Cui brevis est alvus, ———

ut est apud Virgilium Georg. lib. 3. quod aliud sonat; roboris tamen summæque ad pugnam capessendam alacritatis, artium item omnium bellicarum, quas edoctus est, respectu, rectè זרזיר appellatur. Cæterùm (pace doctissimi viri) unum hîc desidero, quod cum primis adscriptum velim, Ornatum nempe bellicum, quo cinctus tectúsque & munitus Equus adversùs tela & vim hostilem in aciem descendit: nam eâ re vel maximè propriè זרזיר nuncupatur. Quæ quidem vox potissimùm, animo meo, eum Equum designat quem *cataphractum*, h. e. *ferro circumquaque munitum*, Græci pariter & Latini vocare solent. Atque haud scio an sic etiam olim verterit Symmachus. Namque verba ipsius vulgata, περιφραγισμῷ τῶν ὀφῶν, vitiata videntur, & nullum exhibent sensum legenti. Quid si igitur περιφραγμῷ restituatur, subintelligendo ἵππῳ; nisi fiquis Hebræo magis consonum arbitretur περιφιγμῷ, i. *circumcirca strictus.*

Ac

Ac ista quidem interpretatio rectè in Canem venaticum (quemadmodum declaravit R. Levi, quem sequitur Kimchius, uti suprà commemoravimus) congruere potest. Nec minùs ferè aptè accommodari insuper queat ad expositionem aliam à prioribus omnibus diversam, quam citat Aben Ezra. Ait enim *nonnullos vocabulum* זרזיר *Apum naturæ assignasse*. Neque temere eos ità censuisse res ipsa docebit. Est enim Apes de genere insectorum. Imò *inter omnia ea principatum* Api Plinius attribuit l.11.c.5. *Insecta* verò *appellantur ab incisuris*, quarum præcipua in alvo spectatur, *Præcincta separans membra*, ut Plinii verbis utar lib.11.c.1. *tenui tantummodo fistulâ cohærentia*. Quatenus ergò זרז *præcingere* sonat, *præcinctam* nunc audimus, ac quotidie videmus, Apem. Quinetiam vigore eximio promptissimâque alacritate & agilitate incomparabili pollentem aspicimus. *Quos efficacia*, inquit Plinius l.11.c.5. *industriaq; tantæ comparemus nervos? Quas vires?* &c. quam thematis illius notionem esse alteram antè statuimus. Denique aculeo tanquam spiculo à natura armatam, bellici castrorum moris imitatricem, acerrimámque ac pugnacissimam esse satis compertum habetur, attestantibus etiam S. literis Deut.1.44. Atque huc tertium radicis significatum pertinere initio ostendimus. Igitur undique liquet non de nihilo fuisse quòd זרזיר olim quidam interpretati sunt *Apem*. Sed viderint eruditi.

CAP.13. *Vocabulum depravatum in Annotationibus Merceri emendatur & explicatur. Acicula nomen Hebræum quodnam sit, ejúsq; usus quomodo inventus. Nomen etiam Anglicum unde ortum. Quid propriè sonet* ירקון. *De morbo quem Angli* Viridem *vocant; Déque Ictero. Declaratur locus Jeremiæ c.30.6.*

ADjicitur in Annotationibus doctissimi Merceri quibus Thesaurum Pagnini auxit ac illustravit, nomen vernaculum quo חה exponi dicitur à R. Davide in Lexico, nempe *ago de fimilho*, planè mendosum, nec omnino quicquam significans: cùm perspicuè in codice Kimchiano legatur *ago de pomilo*, i. *acus pomellata* (ut ità loqui liceat) h.e. pomulo seu pomello, sive minutissimo globulo, pomuli instar, præfixa; Acus videlicet capitata, nè digitum, dum adigitur, lædat. Distinguitur autem hoc modo ab Acu sarcinatrice atque ornatrice. Itali nunc vulgò vocitant *ago da pomolo*, nimirum *aciculam*, mulieribus maximè familiarem, quam *capitatam* modò diximus.

Hebræi satis quidem aptè, & ad naturæ antiquissimum usum necessitatémque perquam accommodatè, eádem voce חה & *spinam* & *aciculam* designare consueverunt. Priscis enim & rudibus illis seculis, nondum reperto Aciculæ Fibulæve conficiendæ artificio, facilè utriusque vicem supplevit spina, instrumentum à natura fabricatum, & nusquam non obvium atque expositum. Achæmenidem narrat Virgilius Æneid.lib.3.594. incultam & horridam vitam inter Cyclopas in silvis trahentem, *conserto spinis tegmine* fuisse indutum. Idémque, ac eisdem propè verbis, de vetustis & agrestibus Germanorum moribus refert Tacitus pag.638. *Tegmen*, inquit, *omnibus sagum, fibulâ aut, si deest, spinâ consertum.* Hinc denique nomen vernaculum **Pin**, quo *aciculam* Anglicè appellamus, commodissimè deducendum videatur, omisso duntaxat à fronte fibilo. Quod & alibi apud nos fieri observetur; ut cùm pro *stanno* **Tin** dicimus, pro *stulto* sive *stolido* **Dolt**, aliáque ad eundem modum nonnulla.

ירקון apud Jeremiam c.30.6. à Kimchio Rad. ירק exponitur ירוקות, i. ὠχρίασις, *pallor*, sicut Amos 4.9. transfert Theodotio. Propria verò vocis notio est *color herbidus* sive *herbeus*, qualis nimirum herbis flaccescentibus inesse cernitur, cùm jam arescentes pristinam vividamque viriditatem paulatim amittunt, ac livere incipiunt, & decolorem quandam speciem albicantes præ se ferre. Ex quo fit ut pro *pallore* ritè usurpetur. Græcè χλωρότης ad unguem exprimitur. Quod quidem nomen ἀπὸ τῆς χλόης derivatum *viriditatem herbidam* denotat *cùm pallore conjunctam*: adeóque sæpissimè ab Hippocrate perinde tanquam ὄχρος adhibetur. Hujusmodi planè vim Anglicanæ voci **Green** aliquando subjici animadvertamus; ut cùm cachexiam, quæ cutem totam colore pallido ad viriditatem quandam obscuram vergente inficit, **The Green sickness**, h.e. *Morbum viridem*, passim vocitamus. Cui admodum affinis est Ictерus. Nam & ex eadem ferè causa originem ducit, sanguine scilicet corrupto vitioso humoris redundantiâ, & corpus itidem non solum tetro lividóque ac lurido colore squalidum reddit, sed etiam quasi suscepto gravi onere languidum & invalidum torpidúmque efficit. Utrumque igitur morbi genus Hebraicum ירקון meritò censeatur, q. d. *Oleaceum*. Herbis enim (ut testantur Medici) pallore albicantibus totum corpus assimilat, lurido quodam virore suffusâ cute. Itaque eleganter ac venustè à Propheta adhibetur ad indicandam arguendámque horribilem formidinem ex atrocissimis malis ingruentibus oriturum. Appositissimè item ירקון ibi transtulerunt Lxx ἴκτερον. Nam & luridus Ictericorum (ut & Cachecticorum) color ingenti timore perterritis egregiè convenit; & inertissima illorum segnitia sive languor aut marcor inexpugnabilis summam horum ignaviam & torporem ineluctabilem luculenter depingit & tantùm non ante oculos proponit.

CAP. 14. *De Vinculis quibus ligatus dicitur Samson Jud. 16.7. De Nervis, seu funibus Nerviceis.* יתרים לחים *quales fuerint ex sententia Kimchii, reíque ipsius veritate. Quid sit* טרפשא *Rabbinorum. Item* πέδιλα, & λοῖδοι *Jecoris. Quid verè sit* יותרת, *& quamobrem Reticulum illud Jecoris* λοῖδος *vocetur.*

IN Samsonis Historia non admodum liquet quod vinculorum genus sit יתרים לחים quibus se ipse constringendum præbuit. R. Salomon חבלים דקים *funes tenues* seu *funiculos minutos* exponit, sicuti mox עבותים è contrario חבלים גסים, *funes densos* sive *crassos*, interpretatur. Atqui neutris consonat adjectivum לחים, i. *humentes* sive *virentes*, ut qui ex cannabe cæteráque ejusmodi materia flaccida variéque & multipliciter arefacta atque exsiccata conficiantur. Lxx νεύρεσι reddiderunt, similitérque V. Interpres *funes nerviceos*: neque id (ut arbitror) inerudité; comperto quippe יתר subindè *funiculum* illum denotare *quo arcus intenditur*. Eum verò, quia nerviceus olim esse sive ex nervis confieri solebat, νεῦρον seu *nervum* à Græcis pariter Latinísque vulgò vocitatum apparet. Idémque nerviceum funiculi genus Orientales etiam gentes arcubus suis adaptasse confirmat Plinius lib.11.c.49. *Camelino*, inquit, *genitali* (quippe quod νευρᾶδες esset, i. *nerviceum* sive *nervosum*) *arcus intendere Orientis populis fidissimum*. Neque arcus solùm sed onagros etiam balistásque & cætera tormenta funibus nervinis olim intendi solita prodit Vegetius De re militari lib. 3.cap.9. Ad hæc, vel ipsum nominis etymon satis monstrat, rem eodem signficatam ad quidvis ligandum idoneam. Namq; νεῦρον sive νευρὰ à verbo νεύειν derivatur, quod est *vergere, inclinare, & quamcunque in partem flecti*. Nervus enim maximè flexibilis est, eóque ligaminibus indè parandis accommodatior. Necnon ad validissimè constringendum adhiberi potuisse, atque adeò consuevisse, indicio est vinculum quoddam celebre apud priscos Latinos ad fontes coercendos comparatum, hoc ipso nomine affectum. Itaq; legimus apud Plautum Asinariâ, act.3.sc.2.

——Stimulos, laminas, crucésque, compedésque,
Nervos, catenas, carceres, &c.

Non igitur dubitandum quin probabiliter νευρᾶις seu *nervis* aut *nerviceis funibus*, tanquam vinculis robustissimis, Samsonis manus pedésque arctissimè firmissiméque colligari potuerint: nisi vehementer impedirent continuò sequentia, *necdum siccos* scilicet fuisse nerviceos illos funes *& adhuc humentes*. Constat enim Nervos humo-

re ad firmiter arctéque astringendum inhabiles reddi; nam eo laxantur debilitantúrque, flaccescente protinus omni intentionis vi, sicut verè docetur ab Alexandro in Problematis, ξυεὶ δὲ φύσει τὰ νεῦρα. ὅ τε ὑγρότης, ὡς ἐναντία, μαχωμένη τῷ χαυνοῖ αὐτὰ καὶ σήπει, *Quando*, inquit, *sicci sunt naturâ nervi, humor, utpote contrarius, molles eos laxósq; miniméq; compactos & quasi fungosos ac marcidos efficit.*

R. David שבטים, i. *virgas*, in Commentariis verbo uno quàm brevissimè exponit. At in Lexico diligenter & copiosè rem persequitur; ubi cùm attulisset verba Scripturæ suprà dictæ, יתרים לחים, *Sensus est*, inquit, שבטים, i. *Virgæ. Quanam enim ratio est funium qui fiunt è lino vel cannabe, ut sint humentes siccive? Verùm indicare vult Virgas, idque cùm ait* יתרים, i. *Funes. Namque sic fiunt è Virgis funes, dum adhuc sunt humidæ viridesq;, ità ut flecti queant.* Igitur יתרים, h.e. שבטים, hîc haud omninò commodè, opinor, *restes* simpliciter verti. Etenim proximis verbis apertè negavit Kimchius istiusmodi יתרים *è cannabe vel lino fieri.* Unde tamen *restes necti* tradit Varro De Re rust. l. 1. c. 23. Prorsus rectè, meo quidem animo, Latinè *vimina* transferas, vel peculiariter *restes viminеas*; itidem Anglicè **Withes**, ex eodem videlicet fonte derivatâ voce. Siquidem *vimen*, q.d. *viemen* à *vieo* deducitur, quod antiquâ Romanorum linguâ sonat *flecto, vincio.* Unde *vitilia* dicta sunt vasa, quòd è virgis cõnstarent, sequacis ad vincturas nexúsq; lentitiæ. *Vitem* quoque (cujus quidem nomen quàm minimũ abest ab Anglicano **Withe**) indè nuncupatam apparet, quòd *vitilis* sit, i. lenta & ad vinculorum usum apta. Quinetiam **Ropes** non ineptè reddas, modò spectetur vera vocis quoque istius Anglicanæ notio à Græcis oriunda, quibus ῥῶπες dicta sunt *ἱμαντώδη φυτὰ*, h.e. *vimina* seu *virgulta instar lori flexilia.* Cæterùm hoc in genere *præcipua dos Salici*, teste Plinio lib. 16. c. 37. Idcirco eam **Withy** κατ' ἐξοχὴν appellasse existimentur majores nostri, quoniam summè flexibilis exsistit principémq; in vinculis *vitilibus* locum obtinet. Nisi quis *Viticem* sic appellatam malit; quæ tamen ipsa species quædam Salicis esse probabiliter videatur.

Vox יותרת à R. Salomone Exod. 29. 13. ubi primùm legenti occurrit, exponitur טרפשא. Id verò nominis ex idiomate Rabbinico manasse ait Kimchius in Lexico: qui voce Hispanis vernaculâ & peculiari אב"רש *Hebræa* interpretatur. Latini *fibras* dicunt. Græci autem λοβὸς appellant. Eodémque vocabulo Lxx etiam Interpretes usos nomen Hebræum יותרת passim reddidisse videmus. Atqui omnino aliud valet vox טרפשא: éstque non tam Rabbinorum quàm Græcorum potiùs propria, nimirum τράπεζα, i. *mensa*: quam eorum ἱεροσκόποι sive aruspices vel exstispices in superstitiosis suis divinationibus jecori assignabant, ejúsque partem quandam statuebant; sed quænam liquidò fuerit pars ista, id demum ἀσαφὲς καὶ οὐ ῥᾴδιον *obscurum esse miniméq; perspicuum* existimavit apud Stephanum in Thesauro Rufus Ephesius, voce Ὄρυξ. Veruntamen τράπεζαν jecoris non fuisse λοβὸν sed planè diversum quiddam, constat ex Nicandri Theriacis, ubi λοβὸς, h.e. *Fibra*, ἐκ τῆς τραπέζης, i. *è mensa*, nasci palàm asseritur, Θηριακ. Vers. 559.

——— ἀπὸ κάπρου
Ἡπατίῃ ἀκρότατον κλῆσαι λοβὸν, ὅππα τραπέζης
Ἐκφύῃ, νεύει δὲ χολῆς ὀχέσσον, ὑπὲκ πυλάων.

Hepatis (inquit Stephanus) *pars ea quæ latior est instar mensulæ* τράπεζα *nominatur.* Quærendum autem porrò quæ tandem hæc latior pars & ubi sita putetur: Fortè gibba jecoris pars, quoniam mensæ instar & eminet & lævis est, τράπεζα haud prorsus ineptè dicta conjiciatur. Conjectorem quippe re ipsâ hoc agere est, non enarratorem. Sed quid facias ubi desunt aperta veterum testimonia? Ac nè λοβὸς quidem vocabuli pervulgati significatio undique certa est & explorata atque ab omni dubitatione vacua. Nam aliàs exponitur τὸ ἄκρον τοῦ ἥπατος *extrema pars hepatis*, aliàs σημεῖόν τι ἐν τῷ ἥπατι *signum quoddam in hepate*. Etymologus pag. 569. 12. παρὰ τοῖς θυτικοῖς τὰ κάτω μέρη τοῦ ἥπατος ἔτω λέγεται, *apud aruspices*, inquit, *inferiores jecoris partes ità dicuntur.* Sunt qui jecoris venas interpretantur λοβούς: quibus non convenit usitata Scripturæ phrasis על הכבד *super jecur.* Præterea si plures in λοβὸς divisum est jecur (ut clarissimi tradunt Medici: quamvis acriter repugnet Realdus Columbus peritissimus Anatomicus, ratione non infirmâ nixus, Rei Anatom. lib. 6. pag. 298.) יותרת numero singulari semper enunciatum λοβὸς, quasi unicus tantummodo is sit, minùs verò rectéque transferatur. Quocirca mihi certè valde probatur Vulgatæ Latinorum Editionis versio, quâ *reticulum jecoris* redditur; hîc quippe omnia perbellè congruunt: nam & unum est solummodo, & super jecur. Nec enim aliud exsistit quàm membrana tenuissima quâ jecur integitur, ut Dissectionis historia demonstrat. Quinetiam si analogiam in rimandis vocum significationibus sequi licet, nihil impedit quò minùs λοβὸν hîc perinde valere arbitremur atque cùm de Leguminibus dicitur; ubi notissimum est λοβὸν vocari ἀγγεῖον *vasculum*, sive Siliquam aut Folliculum illum, quo semen continetur. Pari igitur ratione Reticulum, quod tanquam folliculus quidam jecur inclusum comprehendit, meritò λοβὸς nuncupatum existimetur. Atque ità vocem intellexisse videntur Lxx qui ἀπὸ λοβὸν τοῦ ἥπατος vel ἀπὸ λοβὸν ἀπὸ τοῦ ἥπατος ubique transferunt, Exod. 29. 22. Levit. 3. 4, &c.

CAP. 15. *De Giblaïs, duplicíq; Gebalitide sive Gebalene, Septentrionali atque Australi. De nomine* ארגובליא, *ejúsq; compositione.*

LOCUS quidam S. literis celebratur *Gebal* nomine, Ezek. 27. 9. Psal. 83. 7. populúsque eum incolens *Giblini* vel *Giblin* appellantur 1 Reg. 5. 18. Neque obscura est nominis ratio à themate גבל deducti. Sonat autem illud *terminare, determinare, termino circumscribere.* Unde גבול, h. e. *terminus, limes:* Indéque dicti *Giblaï*, qui propriè sunt *limitanei*, i. limitum incolæ, vernaculo sermone **Marche-men** nuncupati. Limes autem Orientalis & Occidentalis terræ Sanctæ erat utrumque mare, nempe Mortuum & Mediterraneum: Septentrionalis & Australis, erat Introitus Chamathæ, & Desertum Suris vel Sinis. Jam verò qui terras (omisso mari, cujus propriè nulli sunt incolæ) ad Septentrionalem & Australem limitem sitas habitabant, *Giblaï* sive *Gebaleni* vel *Gebalitæ* appellati sunt. Hinc duplex Gebal vel Gebalitis aut Gebalene; SEPTENTRIONALIS videlicet respectu terræ Israeliticæ; eáque est Gabala urbs regióque eidem adjacens, in extremo Phœnices limite posita. Proinde eam Strabo lib. 16. pag. 503. Syriæ attribuit. Hecatæus tamen Phœnicibus assignat, itidémque Stephanus περὶ πόλεων, voce Γάβαλα; quod equidem magis probo: est enim propinqua Aradiis, nec procul Sidone, & contra Introitum Chamathæ ad Occasum collocata. At Lxx Byblum *Gebal* esse censuerunt, & cives Gebalis seu iblæos *Byblios* transtulerunt Ezek. 27. 9. propter vicinitatem, ut opinor, vel quòd à Giblæis habitaretur. Quinetiam Brochardus, suâ item ætate, Byblum *Giblet* vocari, & tum parvam admodum fuisse asserit Descr. terræ S. cap. 2. Adeóque hodie *Gibeleto* à nautis Italicis vulgò appellatur. Porrò Giblæos istos in omni artificio architectonico & fabrili excelluisse satis testatum ac compertum est ex verbis Scripturæ: nominatim enim commemorantur unà cum Tyriis & Sidoniis à Solomone adhibiti ad nobilissima Orbis terrarum ædificia perficienda 1 Reg. 5. 18. E contrario Gebal sive Gebalene AUSTRALIS est Beersebа & tractus undique finitimus. *Beersebа* quippe *nunc Giblin dicitur*, inquit Brochardus c. 10. *& est terminus Judææ*, &c. *Giblin* autem præcisè dicta est pro *Beth-Giblin.* (In nomine enim Arabico hanc vocem præponi monent Ortelius & Petrus à Laiestain in Thes. Geogr. & Tab. Terr. S.) *Beth-Giblin* verò nihil aliud significat quàm *Locum* vel *Domicilium* aut *Sedem Giblæorum.* Imò ipsam Idumæorum regionem

Γεβαλίτιν

ῥαββηλώθ μεθερμηνευόμενα *Gebalenen transnominatam esse* testatur Stephanus Πεει πόλ. voce Γάβηνα. Idem insuper confirmatur eo loquendi genere quod persæpe usurpat Thargum Hierosolymitanum. Solet enim illic Seir, h.e. Idumæa, identidem appellari גבלא *Gabla*, ut Deut. 2. 8, &c. His addantur expressa & clarissima Hieronymi verba in eandem sententiam: *Unus atque idem* (inquit Com. in Abdiæ cap. 1.) *tribus nominibus appellatur*, ESAU, EDOM, SEIR. *Possedítque regionem quæ nunc Gebalena dicitur, & in finibus est Eleutheropoleos, ubi antè habitaverunt Horræi.* Atque huc denique valde probabile est spectare vocem *Gebal* Psal. 83. 7. nimirum ut designet regionem quandam Palæstinæ Australis & in Ægyptum vergentis. Id quod satis liquere videatur ex nominibus compluribus, antecedentibus & consequentibus ei ibidem adjunctis, universis tractus populósque Meridianos significantibus. Veruntamen non adeò latè patuit principio Gebalene, i. Giblæorum Australium sedes sive regio, ut Idumæam etiam complecteretur: siquidem ab ista apertè distincta & separata recensetur in Psalmo. Et territorii urbis Beersebæ (ut antè diximus) credibile est propriam fuisse olim appellationem illam.

In Paraphrasi Chaldaica Psalmorum Hebræum גבל (h.e. הגבלים, sive אנשי גבל, *Giblæi* seu *Gebaleni*) redditur גובלאי, tanquam nomen proprium ac gentile. Alibi verò in morem appellativi exprimitur, ut vel ipsa statim forma numeri pluralis emphatica palàm indicat, nempe ארגובליא. Designat autem privatim *fabros lapidarios* sive *latomos* aut *lapicidas*, eósque non inferiores & gregarios (hoc enim est גובליא sive גבלין, q.d. *qui lapides certis terminis descriptos ac definitos formant, scalpunt, poliunt*, ex usu scilicet Paraphrastarum & sententia Rabbinorum: nam alioqui vox ipsa lignorum vel cujuscunq; tandem materiæ opificio ritè congruat) sed primarios & principes, quos ἀρχιλιθυργοὺς sive *archilatomos* vocare licet. Idque אר particulam valere, è Græco ἀρχὶ exemptam & quasi præfectam, suspicor. Namque ad eundem modum tam Syriacè quàm Paraphrasticè ארדכלא, mirabili quadam literarum transmutatione, ἀρχιτέκτονα, i. *architectum*, denotat.

CAP. 16. *Quid valeat vox Rabbinica* חמטון, *& unde orta. Quid sit* terra Chabul 1 *Reg.* 9. 13. *cujus varia interpretamenta explicantur. Sententia Rabbinorum de sterilitate ejusdem tractûs rejicitur, & probabilior subjungitur. Vulgata Græcorum versionis hallucinatio. Josephus expenditur & declaratur.*

REgum Historia narrat, Hiramum Tyriorum Regem vocasse tractum illum quem ei Salomon donaverat ad compensandum plurima & præstantissima illa officia quibus ab eo antea fuerat adjutus, ארץ כבול, *terram Chabul*. Vox ista כבול difficilis multiplicem & perincertam peperit Interpretum versionem. Docet enim Kimchius Rabbinos veteres *terrã Chabul* ארץ חמטון interpretatos, h. e. *terram arenæ*, sive *arenosam*. חמטון autem vocabulum idiomatis Rabbinici proprium esse ait, & חול, i. *arenam*, Hebraicè sonare. Rectè quidem: nam & Græci idem ipsum ἄμαθον (unde suum חמטון Rabbini effinxerunt) appellare solent. Est enim ἄμαθος, teste Suidâ, ἡ ἐπὶ πλείονος κόνις *pulvis campestris*, vel potiùs, ut tradit Hesychius, ἡ μεσόγειος ἄμμος *arena mediterranea*: namque *maritima* ἡ παραθαλασσία peculiariter ψάμαθος vocitatur.

Jam verò solum ejusmodi arenosum idcirco ארץ כבול, h. e. *terram compeditam* vel *compediti*, vocatum Rabbini existimarunt quòd viator illic, cruribus subsidentibus, pedibúsque penitus submersis, haud secùs ac compeditus aliquis, lassus tardúsque incederet. Aut quòd terra illa quasi compedes quasdam iter per eam facienti impingeret, vel arenis suis tanquam compedibus illum constrictum atque implicitum magnopere retardaret & defatigaret. Atque hinc denique fluxit additamentum quod R. Levi Gersonides in morem corollarii adjecit expositioni Rabbinicæ quam paulò antè retulimus, hisce verbis, *Terra arenosa*, inquit, שאינה עושה פירות, *quæ nullos edit fructus*. Siquidem compertum est Arenam sterilem esse, neque eâ frugibus quicquam inimicius exsistere: arida quippe est (unde & nomen habet) atque humore omnino defecta. Idémq; ut opinor, velle videtur declaratio quã affert Baal Aruch, nimirũ חמטון עפר מלוח esse *pulverẽ salsuginosũ*; quoniam Arena vi siccitatis insitæ, haud secùs atque Salsilago, urit sata, & solum infructuosum vastúmque efficit.

Cæterùm R. Salomon non חול *arenam*, sed טיט *lutum* sive *cœnum*, interpretamenti sui rationem affert. Cui rei mirificè congruit à כבל, h.e. *compede*, deductum etymon, quod ille perquam scitè linguâ Hebraicâ explicat, ארץ טיט שהרגל בו, inquit, q. ארץ כבלים, i. נכבלת בה. Verè enim non tam in arena quàm in cœno pes veluti compede vinctus tenacissimè solet hærere ac detineri. Et quidem loca cœnosa, æquè ac arenosa, fructuum minimè fertilia experimur, quippe quæ humore nimio semper madentia, uliginosa squalidáque reddantur.

Quocirca ארץ כבול, utrâque causâ tacitâ, Metonymicè brevitérque (ut traditum est à suprascriptis Judæorum Doctoribus) *terra infrugifera* seu *infructuosa* exponi potest: sed quàm verè viderint ipsi. Etenim constat ex Chorographica regionum illarum historia, *tractus Libani & Antilibani radicibus finitimos supra modum fertiles & cultos fuisse, abundantes pascuis, vineis, hortis & pomariis*, ut Brocardi verbis utar, Descr. Terræ S. cap. 3. Quibus etiam consentaneum est fatidicum Patriarchæ testamentum, quo prænunciat, Tribûs Aseriditis regionem egregiè feracem futuram, *Aseris*, inquit Gen. 49. 20. *pinguis erit panis: Et ipse præbebit delicias Regibus.* Obtinuit enim (ut Josephus autor est testísque oculatus) *totam Convallem*, κοίλην, *quæ Sidonem spectat, Jephtaelis*, opinor, nomine in S. literis designatam Jos. 19. 27. Huic autem Tribui planè contigua, imò continua, erat *Terra Chabul*. Ut minimè mirum videatur si eadem ferè utriusque soli indoles exstitit.

Illud igitur ægre Judæorum Magistris assentiri queo, terram Chabul propterea repudiatam ab Hiramo quòd infœcunda esset fructúmque non ferret. Hoc certè multò magis crediderim, homines Tyrios, delicatulos scilicet Mercatores, atque eâ re *Punicos* & per Apocopen *Pœnos* antiquitus cognominatos, magnopere respuisse ac naribus admodum corrugatis nauseasse *terram Chabul*, terram, inquam, *lutosam* sive *cœnosam* (h. e. densam & robustam) quamvis alioqui præpinguem & uberrimam, ut planè sordidam & laboriosam nimis suóque instituto prorsus contrariam. Hæc ergò causa agri repudiati & summam Salomonis magnificentiam sapientiámque decet, & Tyrii Regis populíque mollibus ac solutis moribus consonat. Neque enim considerant Rabbini regionem sterilem & incultam non fuisse donum hominis verè liberalis, nedum Regis, tantíque præsertim Regis, sed omnino sordidum habendum, ac δῶρον (ut aiunt) ἄδωρον, Calabríque hospitis xenia, porcis scilicet abjicienda, nequaquam in bene meritos conferenda. Scitum est illud Poetæ Hor. 1. epist. 7. 20.

Prodigus & stultus donat quæ spernit & odit.

Vulgata Græcorum versio כבול ὅριον interpretatur. At id est גבול vocabulum Hebraicum, per Guimel, non per Chaph literam. Quanquam non inficior literas illas soni similitudine valde affines esse: quod forsitan imposuit Interpreti, quisquis ille fuit, accedente præsertim aliquo loci positionis quoque respectu. Etenim terra Chabul Tribui Aseris adhærebat ad Septentriones, in ipso limite, uti liquet ex Josuæ c. 19. 27. Unde verba ista libelli De Locis Hebraicis sunt profecta, CHABOL, *terminus Aser*: quasi videlicet regionem hanc proinde כבול appellatam velit quòd olim גבול fuisset, h.e. ὅριον *terminus*, Tribui Aseris.

Neque minùs longè Josephum Antiq. l. 8. c. 2. ab accurata nominis istius notione discessisse arbitror. Is enim

οὐκ ἀρέσκον, *quod non placet*, seu *quod displicet*, Phœnicum linguâ eo significari auguratur, Μεθερμηνεύομενον δὲ τὸ Χαβλὼν καὶ Φοινίκων γλῶτταν, Οὐκ ἀρέσκον, ζημαίνει. Fortè à קבל appellationem illam ortam putavit. קבל enim Syrorum seu Phœnicum idiomate *contrà*, *adversùs*, *è regione* denotat. *Quod* autem *displicet*, idem *contrarium* sit atque *adversetur* animis nostris necesse est. Nec obstat χαβλὼν per χ scriptum, cùm per κ potiùs foret scribendum: nam à scriptoribus librariis κ sæpe corrumpi solet in χ, & contrà, propter eandem utrobique figuram solâ parvitate & magnitudine discrepantem. Veruntamen probabiliter dicamus hanc quoque declarationem, ut & proximam, ex ipsis Sacri contextûs verbis perperàm acceptis hausta. Nam cùm 1 Reg. 9. in extremo commatis 12. legisset Josephus καὶ οὐκ ἤρεσε αὐτῷ, *Et non placuerunt ei*, suspicatus est in subsequenti commate positum proprium nomen *Chabul* interpretationis suæ originem indè trahere, & *Chabul* οὐκ ἀρέσκον valere conjecit. Atque is certè mos est S. literarum passim usitatus, nominis quidem rationem præponere, nomen verò ipsum continuò deinceps subjungere. Vide Gen. 29. 33, 34, 35.

CAP. 17. *De* גד, Fortunam prosperam *& Stellam quandam significante. Quare ab Aquila* εὔζωνος *transferatur: Et quis ille* εὔζωνος *habeatur. De* ילפת, *quam* Scabiem Ægyptiam *vocant Rabbini*; *alii* Scabiem saniosam. *Cur à Lxx* λειχὼ, *à Vetere Interprete Latino* Impetigo *reddatur*, *additis simul nominum rationibus.*

גד à Tremellio vel *coriandrum* vel *turma* ubique exponitur. Ac significatio quidem prior una eadémque manet apud omnes, altera verò non item. Nam Lxx Gen. 30. 11. τύχῃ, i. *Fortunam*, reddiderunt: τύχη autem hic intelligenda est ἀγαθὴ τύχη, vel εὐλυχία, quemadmodum etiam ab Hesychio declaratur, *Fortuna* videlicet *prospera* sive *secunda*. Unde V. Interpres Latinus *Feliciter* ibidem transtulit. Imitatus est enim ipsos Lxx, qui ב illo Geneseos loco præpositionem *in* esse putarunt; proinde בגד ὲν τύχῃ, i. *cum bona fortuna*, interpretati sunt: quod nonnulli codices, versione quidem corruptâ sed sensu integro, legisse perhibentur ἐυτύχηκα, i. *Felix sum*, vel *Res mihi feliciter evenit*. Itémque Rabbini גד (ex Arabismo videlicet, teste Aben Ezra) כוכב צדק, i. *Stellam Jovis*, vel מזל טוב, i. ἀγαθῷ τύχῃ *secundam fortunam*, interpretari solent. Quod prorsus consonum est verbis Ciceronis, viri divinationis Chaldaicæ sive Astrologicæ non ignari, *Hominum generi*, inquit, *prosperus & salutaris est fulgor ille qui dicitur Jovis*. Hisce omnibus mirè congruunt gentilitii Leæ mores, superstitiosissimâ Chaldæorum stirpe prognatæ, & apud eos educatæ.

Aquila Interpres accuratus vertit, *Venit accinctio*, ut apud Hieronymum in Quæstionibus Hebraicis in Gen. 30. 11. legitur. Malim *accinctus*: ità nempe emendandum censeo tum ex usitata alibi Aquilæ versione, tum ex disertis ipsius Hieronymi verbis ibidem Gen. 49. 19. *Gad*, inquit, *significantiùs* εὔζωνος, *i. Accinctus, sive Expeditus, exprimi potest*. Nata forsan est hæc interpretatio ex Syriaco vocabulo גדוד *juvenem* significante. Sunt enim plerumque juvenes εὔζωνοι *bene accincti*, h. e. gnavi, strenui, acres, agiles, expediti ad rem quamvis aggrediendam, maximè bellicam. Porrò גדוד *juvenis* appellatus videtur à *cæsis capillis* (ità quippe loqui licebit, si *cæsaries*, ut volunt Grammatici, coma sit virorum quæ cædi solet.) Est enim גדד *cædere*, *incidere*. *Mos* autem *erat apud veteres* (ut docet Hadrianus Junius Com. De Coma, cap. 4.) *puerorum crines ali ac promitti* (namque delicata est ætas puerilis, & mollitiæ femineæ particeps) *contrà adultorum tonderi*, ut quibus omnino dedecori esset coma prolixior. Itaque *ponere capillos & togam virilem sumere* pro eodem habebatur. Cæterùm probabile insuper est Aquilam hoc interpretamento, inter alia, spectasse id quod narratur de Gaditis Jos. 1, & 4. nimirum eos εὐζώνους *probè accinctos* ordinéque militari collocatos processisse ante fratres suos in aciem, terræ Sanctæ hereditatem unà cum illis adituros.

Sed quid de loco Esaiæ cap. 65. 11. censendum? Sanè doctissimus Interpres Hieronymus, repudiatâ voce εὐζώνῳ, quam laudarat, *Fortunæ* nomen, ut aptius illic, adhibendum putavit, *Qui ponitis Fortunæ mensam*. Ego verò non dubito Aquilam ibi quoque vocabulum consuetum retinuisse, ac ità propemodum reddidisse, εἱ παρατάσσοντες τῷ εὐζάνῳ τράπεζαν, i. *qui apparatis* (vel *apponitis*) *mensam illi strenuo*, aut *expedito illi*, Soli videlicet, omnium corporum cœlestium coryphæo & chorago; *Strenuo*, inquam, si cœlestem radiorum efficaciam consideres; *Expedito*, si mirabilem curriculi celeritatem. Utrumque pulcerrimis & suavissimis verbis depingitur à Propheta Psal. 19. 5. Nam est *tanquam sponsus prodiens è thalamo suo, exsultat tanquam robustus* (aut *potens*, sive *heros*) *quispiam decursurus viam*. Hic voces γίγας, δυνατὸς, δρομεύς, quibus Interpretes Græci Hebræum גבור exposuerunt, totidem sunt luculentæ declarationes quid sibi velit ὁ εὐζωνος apud Esaiam. Neq; procul abire opus erat idololatris Hebræis ad istum sive גד sive εὔζωνον inveniendum. In proximo nempe aderat maximum & antiquissimum Tyri Numen Hercules, quem tanquam omnium longè εὐζωνότατον miris modis celebrarunt Gentiles, eundémque etiam Solis vice Divinis honoribus affecerunt, ut alibi fusiùs exposuimus, l. 2. c. 7.

Verùm enimvero vocabulum גד apud Esaiam ab Aben Ezra גדודי השמים, i. *turmæ cœlestes*, explicatur. Universas ergò cœlorum stellas, ut opinor, vult intelligi. At id aptiùs fortasse in vocem מני, quæ illico sequitur, convenire judicabitur. Hæc quippe *numerum* sonat, i. copias cœlestes, exercitum cœli seu turbam stellarum numerosissimam, quæ Deorum loco & habebantur olim & ubique colebantur. Nomine autem גד è diverso eximium & singulare quoddam Idolum à Propheta designari videatur, cujus imperio cætera, quæ *numerus* scilicet erant, subjici atque parêre fingerentur.

Morbum ילפת novissimi Interpretes *Scabiem saniosam* existimarunt esse, itáque etiam transtulerunt; autoritate forsan D. Kimchii adducti, qui ex vetusta Rabbinorum traditione *Scabiem Ægyptiam* exposuit; quæ, uti narratur Exod. 9. 10. *ulcus* dirum erat multis *pustulis erumpens*. At pustulas istas non necesse est humidas aut sanioſas fuisse. Imò siccas potiùs exstitisse probabile videtur, & maximo turpissimóque pruritu permolestas; adeò ut nè ipsi quidem Magi manibus unguibúsq; temperare, nec coram Pharaone quieti consistere ullo modo possent. Libenter igitur assentior ipsis Lxx & antiquo interpreti Latino, qui λειχῶνα sive *Impetiginem* reddiderunt: Grave quidem malum, ab *impetu* sive *impetendo* Latinis nuncupatum, Græcis autem παρὰ τὸ λείχειν ἤτοι καλεδίειν, *à peredendo*. *Pustulis* quippe *majoribus* (sicut testantur Medici) *asperum emergit, acriter cutem corrodit, latéq; procedit*, Fernel. Pathol. l. 7. c. 4. Plinius Nat. Hist. l. 26. c. 1. vehementer conquestus de novis morbis non tantùm reliquas corporis partes inferiores sed etiam summam longéque primariam, faciem nempe totúmque vultum, *tanta* cum *fœditate* infestantibus *ut quæcunque*, inquit, *mors præferenda esset*; *ex his gravissimum à Græcis Lichenas appellari* monet. Cúmque peregrinam esse docuisset luem hanc, & veteribus Romanis prorsus incognitam, statim opportunè indicat unde primùm orta fuerit, *Ægyptum talium vitiorum genitricem* expressis verbis perhibens. Contagiosum insuper morbum illum fuisse ostendit, & *veloci transitu, oculi maximè*, pervadentem: pertinacissimum item, nec nisi *causticis* tantummodo curari potuisse, *ni usq; in ossa corpus exustum esset, rebellante tædio*. Quocirca Rabbini nomen ילפת à לפת (quod *involvere* apud eos significat, sed ab Arabibus, ut credo, desumptum) deduci voluisse videntur, nimirum quòd corpus arctè complecteretur eíq; penitus insideret. Hæc omnia consilio Mosis optimè congruunt; qui cuncta quæ deformem aspectum, fœditatem insignem, contagionem impuram, lepræque speciem licèt tenuem

essent

essent habitura, à corpore, præsertim Sacerdotis, & Sacrificii ritè per eum offerendi, longissimè depellenda statuit. Cujusmodi erat morbus iste Ægyptius, *tam fœdum Malum*, (uti de Lichene loquitur Plinius l. 26. c. 4.) quod facilè in Psoram sive נרב, Psorâq; deinde in Lepram vertitur. Unde conjuncta recensentur in Contextu Hebræo נרב & ילפת, *Psora & Lichen*. Sunt enim mala omnino finitima & genere proxima.

CAP. 18. *De multiplici interpretatione vocabuli* אפדן *apud Danielem c.* 11. 45. *Symmachi* ἱππόσκιον *minutatim exponitur. Interpretamentum Aquilæ explicatur & emendatur. Conjectura, Anne insit nomini* אפדן *occulta significatio Tunicæ coccineæ supra Augustale dispansæ de more Romanorum.*

PArùm certa est vocabuli אפדן sub finem Prophetiæ Danielis origo: Cujus obscuritate etymíque inveniendi difficultate permoti Lxx *de nomine Apadno* (uti scribit Hieronymus Com. in Dan. 11. 45.) *omnino conticuerunt, omni se illius quæstione liberantes.* Itidem Theodotio id nominis ex Hebræo in Græcum convertere recusavit, & Ἀφαδανῶ *Aphadano* planè ἀνερμήνευτον in contextu Interpretationis suæ reposuit. Symmachus tamen rem haud infeliciter aggressus אפדן à themate פרן derivari voluisse videtur, præposito א formativo; transtulit enim אהלי אפדנו τὰς σκηνὰς τῶ ἱπποσκίου αὐτῶ, i. interprete Hieronymo, *papiliones equitatûs sui.* Ad eundem quoque modum ἱππόσκιον exponitur à Scholiaste [Bibl. Gr. Rom.] τὸ ἱππικὸν, i. *equitatus*, significatu non ità congruenti. Etenim Græca Symmachi versio potiùs sonat *papiliones* seu *tentoria equilis sui*, seu *stabuli equorum suorum.* Neque tamen adhuc satis evoluta & enucleata in promptúq; posita est derivatio, nisi cujusmodi equos specialiter intellexerit eruditissimus Interpres ritè perceperis. Non enim generatim *equos* qualescunque significat, sed *jugales* privatim, aut etiam κυνωτάτον *bijuges*, binos scilicet ad jugum unum alligatos. Id quippe denotat פרן idiomate Chaldæo Syróque, *jugum* videlicet & *par jumentorum*, sive Equorum, sive Mulorum, sive Boum. Sed usui militari bellicóque (de quo jam agitur) patet Equos omnium accommodatissimos esse & ubique consuetissimos. Eósque insuper *curules* accipere consentaneum est; quorum quàm plurima generosissima & lectissima paria domi bellíque semper parata habere, Regum (de quibus hîc loquitur Propheta) magnificentiæ ac majestati maximè convenit. Accuratè igitur & exquisitè ex intima nominis notione, atque adeò ejusdem Symmachi autoritate & consilio, sic reddenda forent verba illa, τὰς σκηνὰς τῶ ξυνωρίδ⊙ αὐτῶ, *tentoria bigarum ipsius.* Verùm quia vox ξυνωρίδ⊙, quæ conjungitur cum σκηνὰς locum denotante, in lingua Græca nomine caret indè formato quod locum designet, ἵππ⊙ autem habet, placuit Synecdochica locutio à specie ad genus traducta, quò dilucidior esset interpretatio: Cujus ubique Symmachum studiosissimum experimur; eâque re præter cæteros meritò laudatur à vetustis autoribus. Erant igitur αἱ σκηναὶ τῶ ἱπποσκίου, Symmachi judicio, *stabulum bellicum curulium equorum, qui in bigas aut quadrigas* (h. e. geminas bigas) *distributi & dispositi currus Regales trahebant.* Namque Reges priscis temporibus prælia conseruisse invectos curribus, ad quos jugales insignes juncti essent, ex antiquis historiis sacris pariter ac profanis oppidò compertum existimo. Cæterùm an hîc ex parte intelligendo totum, *equile Regium* (quæ quidem res præclara est ac sumptuosa, & ad Salomonis magnificentissimi Regis gloriam amplificandam non semel nec leviter in Scripturis S. commemorata) pro *Regia* ipsa sive *tentorio Regali* satis commodè sumi queat, in medio relinquam. Illud tantùm assero, ità statuisse Rabbinos, quos secuti sunt deinceps Paraphrastæ. Siquidem ex Rabbinismo אפדנא Kimchius ארמון, i. *palatium*, valere tradit. Idémque vocem eandem ad radicem פדן, h.e. *jugum*, revocandam judicat. Id quod aliâ ratione effici non posse putamus nisi eâ quam modò attigimus. Atque huc, nempe ad hunc Doctorum Judaicorum usum, collineasse arbitrandus est Aquila, cùm אפדנו *prætorium suum* transferret. Ejus verba citat Hieronymus Com. in Dan. 11. 45. sed à Scriptoribus librariis vitiata, *Et plantabit tabernacula prætorii sui in* ἀφαδανῶ *inter maria*, &c. Ubi quis non statim perspiciat inutilem illam redundantiam, *in* ἀφαδανῶ, ex interpretatione Theodotionis surreptam, huc temere ab imperitis ingestam fuisse? quâ tanquam strumâ (sicuti oportet) exsectâ, sensus orationis integer & omni ex parte sanus ac perfectus illico evadet. Nè multa: Nacti ergò sumus Aquilæ quoque interpretamentum, doctissimi ac diligentissimi Patris beneficio; אפדן *prætorium.* Hoc verò quale sit docebit Asconius: *Veteres*, inquit, *omnem Magistratum cui totus pareret exercitus, Prætorem appellaverunt. Unde & Prætorium, tabernaculum ejus.* Quod peculiariter eximio nomine à Quintiliano vocatur *Augustale*, Instit. Orat. l. 8. c. 2.

Nec minùs, quin etiam magis fortasse, probabilis est deductio ut Aleph radicale sit, Nun verò adventitium, & אפדן ut ab אפד proficiscatur, cujus notissima est significatio, *cingere, amicire, operire, superinduere.* Itaque redditur à doctis *aulæum*; neutiquam ab re: quippe *aulæum* ejusmodi quiddam est quo locus *cingitur* & velut *amicitur* ac *vestitur.* Eique etiam cùm אהל, quod est *tentorium*, cui jungitur à Daniele, probè convenit: Ità tamen ut אהלי אפדנו, i. *tentoria aulæi sui*, non quælibet & vulgaria tentoria sint habenda, sed splendida & magnifica, superbis & pretiosis aulæis undique suspensis ornata & intus circumdata. Proinde verba illa Prophetæ R. Saadias מכסי ציור exponit, i. *operimenta picturæ*, seu *picturata*, *opere artificiosissimo*, instar Ephodi sive amiculi Sacerdotalis Exod. 28. 6. Hæc autem erant Imperatoris ipsius propria, qui summus erat omnium dominus ac moderator.

Quòd si non libet אפדן *aulæum* interpretari, esto ejusdem omnino cum אפוד significationis, vertatúrq; aut ἀμφὶς *amiculum*, aut στολὴ *vestis*, aut ἐπίνδυμα (h.e. χιτὼν) *tunica* (quomodo à Græcis Interpretibus est expressum) res eodèm redibit. Nam *tentorium amiculi sui*, erit tentorium ubi ipse Imperator amicitur, h. e. Prætorium. Vel si אפדן generali *cingendi* significatione accipere placet, *tentorium cinctûs sui* sonabit, *quo ipse cingitur*, h.e. circumdatur.

Denique in memoriam redeo moris cujusdam solennis ac vetusti Romanorum Imperatorum quem suprà pluribus explanavi. Namque illi pugnæ paulò pòst committendæ signum dare solebant explicatione tunicæ coccineæ supra tentorium Imperatoris, sicut à Plutarcho in Fabii vita narratur pag. 332. edit. Græc. Steph. Ejus hæc sunt verba de Terentio Varrone prælium Cannense mox inituro, ἅμα ὑμίλῃ τὸ τῆς μάχης σημεῖον ἔξέθηκεν. ἦν δὲ χιτὼν κόκκινος ὑπὲρ τῆς στρατηγικῆς σκηνῆς διατεινόμενος, *Simul atque dies illuxit pugnæ signum extulit. Id autem est tunica coccinea supra Imperatoris tabernaculum dispansa.* An igitur ad hunc morem Romanorum pertineant illa Danielis verba haud absurdè quærere licet. Illud sanè constat, χιτῶνας i. *tunicam*, significatu ab אפוד, ideóq; etiam ab אפדן, perparum aut nihil prorsus discrepare; ità ut אהלי אפדנו rectè vertatur *tentoria tunicæ suæ*, coccineæ videlicet. Necnon apparet, de turbulento quodam Tyranno & sanguinario Virum Dei prophetâsse: Qui, si Antiochus Epiphanes fuit, eum certè Romæ obsidem aliquandiu vixisse docet Appianus in Syriacis; & proinde mores Romanos aliquatenus didicisse, & forsan instar simioli imitatum fuisse, incredibile non est. Saltem isto tanquam peculiari argumento Divinitus præmonstrare potuit Propheta, Antiochum, quantumvis glorioſum pariter ac furiosum, multifariàm Romanis obnoxium fore & quasi delegatum ab iis Imperium administraturum. Sin autem de Romanorum exercituum Imperatoribus intelligenda sunt verba Prophetæ, præcipuâ quadam ratione excogitatum ab eo, & de industria consultóq; adhibitum videatur vocabulum אפדן *tunicæ* notionem continens, ut esset monimentum multò illustrissimum, aliquot antè seculis, ad definitè distinctéque designandam Gentem illam cujus tabernacula

Imperatoria nobiliſſimo tunicæ coccineæ ſublimè ſuſpenſæ & explicatæ indicio, de vernaculo & antiquitus conſueto ejuſdem Gentis more, longè latéque conſpicua exſiſterent.

CAP. 19. *Vocabulum* אבנים *declaratur, prout in duobus Scripturæ locis uſurpatur, nempe Exod.* 1. 16. *&* *Jer.* 18. 3. *Expenditur verſio noviſſimorum Interpretum in priore loco, & Hieronymi in poſteriore.*

VOcem אבנים Exod. 1. 16. Kimchius *uterum* exponit. Deducit autem à בנים, h. e. *filii*, præfixâ א literâ adventitiâ; quòd locus is proprius ſit *filiorũ*, nempe fœtûs utriuſque ſexûs formandi: nam à digniore (ut plerumque fit) vult nomen fuiſſe impoſitum. Quòd verò numero duali vocabulum enunciatur, לענין הצירים *ratione duorum cardinum* id factum exiſtimat, שהם בפתח הרחם *qui ſunt ad oſtium matricis*. Quos ille *cardines*, Medici atque Anatomici *Uteri cornua* vulgò vocitant. Sunt autem bini *ingentes proceſſus*, inquit Fernelius lib. De part. corp. hum. deſcr. c. 7. *qui curvatis inflexiſque cornibus aſſimiles, utrinque ab uteri introitu ſurſum ad ilia coxarúmque oſſa incurvati retorquentur*. Vide Columb. De re Anatom. lib. 11. c. 16. Sed hoc interpretamentum Scripturæ verbis parùm convenit. Dicuntur enim obſtetrices *inſpicere* ſive *intueri ſolitæ in* (vel *ſuper*) האבנים. Quod ſi de ipſo utero intelligatur, nihil fieri poteſt abſurdius. Ab aliis igitur אבנים explicatur מקום נפילת הולד, i. *locus caſûs infantis*, ut eſt apud Kimchium. At hinc, quoniam ambigua ſunt verba, duplex oritur expoſitio. Siquidem מקום נפילת, i. *locus caſûs*, &c. exponi poteſt *locus per quem*, vel *in quem*, *elabens*, vel *elapſus*, *ex utero fœtus excidit*. Idcirco alii אבנים valere putant המשבר, h. e. *Os matricis διὰ τὴν ἐπὶ τέκνων σωτηρίᾳ propter graviſſimam acutiſſimorum partûs dolorum quaſi fracturam* ità appellatam. Atqui eodem ferè abſurditatis incommodo laborat opinio iſta quo ſuperior.

R. Salomon משב האשה היולדת, i. *ſellam mulieris parturientis*, interpretatur. Quod omnium maximè & probabile & Scripturæ verbis conſentaneum exiſtit. Lxx & V. editionis Latinæ autor ſenſum eruditè expreſſerunt; ſed tamen verba paulò aliter atque noviſſimi Interpretes accepiſſe videntur, nimirum hoc pacto, וראיתן על האבנים, i. *cùm videritis* eas *ſuper ſellas ſuas*: quod re quidem ipsâ nihil aliud eſt quàm quod in Latino habetur, *Quando partûs tempus advenerit*, aut quod in Græco, ὅταν ὦσι πρὸς τὸ τίκτειν, i. *cùm intentæ jam ſunt pariendo*, vel, *cùm in partu jam verſantur*. Nec incommodè ſubauditur accuſandi caſus: nam & is proximè præceſſerat, & id facillimè permittit interjecta copula. Adde quòd uſitatiſſima verbi ראה conſtructio poſtulat ut ſequatur את particula, vel expreſſa, vel denique ſυνάμει. Rariùs conjungitur cum præpoſitione ב; cum על verò nunquam niſi ſemel tantummodo, ſi bene memini, nempe Exod. 5. 21. ídque mutatâ etiam ſignificatione propriâ. Illic enim ראה valet *cognoſcere*, ſicuti verterunt noviſſimi Interpretes; על autem ſequens non *de* ſed *contra*, ut alibi paſſim. Utrumque verbo Græco καταγιγώσκειν pulcrè declaratur: ut hoc modo locus ille dilucidè reddatur, καταγνοίη ὑμῶν ὁ Θεὸς, ἢ ἐκδικήσαι (ὑμᾶς) *Cognoſcat Deus adverſùm vos* (i. reos vos peragat Deus) *&* nos *vindicet*. Itaque non aſſentior nuperis Interpretibus, qui על cum verbo ראיתן conjunctim conſtruunt ad hunc modum, *cùm inſpicietis in ſellas parturientium*, ſcilicet in locum in quem elapſus ex utero fœtus incidit, utì ſuprà eſt dictum. Hoc etiam res ipſa rationi abſonum evincet. Nam quorſum, obſecro, ſellæ inſpiciendæ? Imò mater & infans (quod quidem multò magis credo) quàm intentiſſimè ſpectandi atque obſervandi. Neque in ſellas, opinor, unquam incidere ſolitus eſt partus, ſed obſtetricis manibus excipi. Partus ille qui נפל Hebraicè dicitur, h. e. *caducus*, idem eſt qui & *abortivus*: de quo hîc non agitur; nec enim ab iſtiuſmodi partu quicquam ſibi metuiſſe putandus eſt Tyrannus Ægyptius.

Verùm ut ad vocem אבנים, unde digreſſa eſt, oratio revertatur, patet ex verbis Jeremiæ c. 18. 3. ſignificatum ejus non proprium omnino ſed aliquatenus communem fuiſſe. Namque ibi etiam figulo tribuitur, qui *opus ſuum ſuper* האבנים *facere* narratur. Erat igitur certum ſellæ ſeu ſedilis genus parturientibus feminis maximè & figulis conſuetum; ídque, quantum conjecturâ augurari licet, à forma appellationem adeptum. Etenim (niſi me fallit animus) primò ac propriè אבנים dualiter à ſingulari אבן dicti ſunt *lapides molares ambo*, Catillus videlicet ac Meta, quorum alter alteri perexiguo illo quidem ſed tamen æquali ſpatio interpoſito impendent. Unde οἱ λίθοι in vulgata editione Græca vocabulum Hebræum vertitur in eodem illo quem attulimus Jeremiæ loco. Natum autem ibi videtur interpretamentum iſtud ex annotatiuncula alicujus ad oram libri adſcripta, primam propriámque vocis illius ſignificationem indicare volentis. Deinde ab hac notione petitum fuiſſe probabile eſt ſellæ cujuſdammodi nomen, propterea quòd lapidum molarium figuram numerúmque & poſitionem referebat; coagmentata nempe videtur ex duabus tabulis rotundis pari undique intervallo disjunctis, quarum ſuperior ſedilis, inferior baſis vice fungeretur, illâ huic incumbente, ad ſimilitudinem catilli metæ imminentis.

Doctiſſimus vir Hieronymus אבנים apud Jeremiam *rotam* transferendum cenſuit, & ab אבן itidem derivavit: faciliùs & expeditiùs fortaſſe ſignificatûs quidem ratione ab אפן, quod & *rotam* planè denotat, & huic de qua nunc loquimur quàm ſimillimam vocem exhibet Prov. 25. 11. nempe אפנים, numero item duali. Literæ verò ב & פ admodum affines eſſe noſcuntur: quò proclivior erat utriuſque in alteram mutatio. Cujus ſubſidio fretus ipſe etiam Hieronymus Prov. 21. 14. יכפה perinde ut יכבה interpretatus eſt. Cæterùm vel rotunditatis ſolius reſpectu haud malè *rotam* reddidit: eadem quippe hæc Rotæ Lapidibúſque molaribus eſt communis. Veruntamen id (ut ſæpius jam diximus) adverſatur, quòd nomen à Propheta adhibitum duale eſt, pluribúſque convenit; rota verò ſingularis unica & ſimplex fuit, quam Plinius *orbem* vocat lib. 7. c. 56. Inſuper ut demus huc ſatis aptè quadrare Hieronymi interpretationem, certè ad Exodi locum initio citatum, ubi vox prorſus eadem denuo occurrit, accommodari non poterit.

CAP. 20. *Quale animalculum ſit* גום, Campe, Eruca; *unà cum ſuo cujuſque nominis etymo. Locus Amoſi illuſtratus.* גליונים *apud Eſaiam quid ſonet. Veſtes pellucidæ. Verſio Græca gloſſemate redundans. Specula. Verſio Græca Propheta ſcopo accommodatior.*

SEptuaginta גום ubique κάμπλω exponunt, Græcè ſic dictam à multiplici corporis *flexu* inter reptandum. Antiquus Interpres Latinus *erucam* paſſim vertit, ut & Lexicon vetus Græco-latinum. Itidem Columella De re Ruſt. lib. 11. c. 3. *Noxia animalia*, inquit, *quæ à nobis appellantur Erucæ, Græcè verò κάμπαι nominantur*. Eſt autem Campe ſeu Eruca vermiculus quidam hirſutus (utì docet Columella lib. 10. De cultu hortor. pag. 244.) olera maximè infeſtans,

Nec ſolùm teneras audent erodere frondes,
Implicitus concha limax, hirſutáque campe.

Erucas Plinius *dirum animal* vocat lib. 17. c. 24. *Erodúntque*, inquit, *frondem vitis, aliæ florem; olivarum quoque, ac depaſtã arborem turpi facie relinquunt. Naſcitur hoc malũ tepore humido ac lento.* Illuſtratur hoc Plinii teſtimonio locus Amoſi, c. 4. 9. ubi *incrementa hortorum, vinearum, ficuum & olearum ab erucis conſumpta fuiſſe* demonſtrat. Ex eodem quoque elicitur *erucæ* etymon Latinum: quæ non ab *arrodendis* (ut perperàm quidam tradit) ſed ab *erodendis* frondibus, oleribus, fructibúſque nomen invenit. Huic conſentanea ferè eſt nominis Hebraici ratio. גום enim, Kimchio teſte Comment. in Joel. 1. 4. à גוה arceſſitur,

arcessitur, quod perinde valeat atque נזז, addito מ servili, nimirum על שם שגזו את החבואה , *propterea quòd tondet* (sive *depascitur*) *proventum, fructúmve.* Lexicon Græcolatinum (modò nè mendosum sit) etiam *urucam* appellat, quasi ab *urendo*, nempe quòd occultâ rosione adurat tenera quæque germinantia. Paraphrastes Chaldæus זהלא idiomate suo perhibet, q. *serpentem* dicas, à tardo *serpendi* sive *reptandi* motu. Utrumque etymon elegantì Columellæ carmine confirmatur,

> ——— *Serpítque eruca per hortos,*
> *Quos super ingrediens exurit semina morsu:*
> *Quæ capitis viduata comâ, spoliatáque nudo*
> *Vertice, trunca jacent, tristi consumpta veneno.*

Non avolat eruca, inquit Hieronymus Com. in Amos. 4. 9. *ut locusta, & huc illuc discurrens semesa dimittit, sed permanet perituris frugibus, & tardo lapsu pigrísque morsibus consumit universa.* Idem Joelis cap. 2. exponens, *Erucam parvum tardúmque vermiculum* esse docet, *qui vix moveri potest, & levi tactu conteritur.* Quamvis ergò גזם, h. e. κάμπλω seu *erucam*, Kimchius in Lexico *Locustæ speciem quandam* esse asserat, quam planè diversam ostendimus (nam genus illud reptile duntaxat est, hoc volucre) tamen similis est (ut videtur) imò par eadémque omnino pestis.

גליונים apud Esaiam c. 3. 23. à *detegendo, revelando, aperiendo* nomen acceperunt. Kimchius in Lexico vestes quasdam esse autumat, nempe חלוקים, i. *Interulas* sive *Subucculas* (quas ità nominant Hebræi quia læves minimóque tactu asperæ esse soleant) *tenues ac subtiles, sic appellatas quoniam transparebat sub illis corpus præ nimia earum tenuitate.* Eodem planè modo interpretati sunt ipsi quoque Lxx διαφανῆ λακωνικὰ h. e. *perlucida* indumenta *Laconica:* quæ idcirco à Lacedæmoniis privatim nomen deductum habebant quòd insignis esset meritóque detestanda Lacedæmoniorum, præter cæteras gentes, lascivia & turpitudo in denudandis quacunque ratione feminarum corporibus. At tamen subolet hîc nescio quid supervacanei: satìs enim fuisset scripsisse alterutrum, sive διαφανῆ sive λακωνικὰ, subaudiendo utrobique ἱμάτια, aut potiùs χιτώνια, vocabulo aptiore & mulierum proprio. Eædem quippe erant vestes *perlucidæ* quæ *Laconicæ:* itaque separatim adhibitæ inveniuntur ab eruditis Lexicographis. Suidas enim διαφανῆ χιτώνια, i. *perlucidas tunicas*, exponit τὰ ἰχνὰ δι' ὧν διαφαίνεται τὰ σώματα τῶν γυναικῶν, *tenues, per quas pellucent corpora feminarum.* Rursum ab Hesychio λακωνικὸς χιτὼν, i. *tunica Laconica*, λεπτὴ ἐσθὴς declaratur, i. *vestis tenuis.* Quapropter alterum ex duobus pro glossemate habendum videtur. Porrò Coas vestes fuisse istiusmodi refert Horatius lib. 1. Sat. 2. scilicet araneorum modo textas, quæ *nihil obstabant* nè corpus *penè nudum videri* queat. Tales item vestes intelligi possunt Sericæ seu Bombycinæ, de quibus scitè scribit Plinius lib. 6. c. 17. *facere eas ut in publico matrona transluceat.*

Vetus Interpres Latinus גליון *speculum* reddidit; sic Paraphrastes Chaldæus; sic Judæorum doctissimi: nec quisquam nostrorum (quod equidem sciam) aliter transtulit. Quippe versio ista & nominis rationi & rei ipsius veritati admodum consentanea est. Etenim Speculum quoque *detegit, revelat, aperit*, si quid uspiam est in corpore ejúsve amiciendi modo dedecoris, ut de more corrigatur: & ex universa supellectili muliebri maximè necessarium semper existimatum est instrumentum. Permultum igitur abesse jure videatur, ut, cùm Propheta illic bis terve vestimenti delicati feminarum meminerit, Speculum tandem, præcipuam quandam mundi muliebris partem, penitus usquequaque omiserit. Nihilominus spernenda non est versio Græca: nam & originationem obtinet æquè probabilem, & Prophetæ consilio, luxum præcipuè & lasciviam feminarum gravissimè increpantis, magìs consonam esse liquet: siquidem vestes illæ, transpectûs ratione, mulierum turpissimam lasciviam, pretiosâ verò tenuitate ac mollitie pudendum luxum palàm arguebant: horum autem vitiorum neutrum in ipso Speculorum per se usu cernitur aut damnatur.

NICOLAI FULLERI
MISCELLANEORUM SACRORUM
LIBER VI.

CAP. I. *Quid sonet vocabulum Rabbinicum* קונדים, *& unde oriundum.* דרדר Carduum, *aut potiùs* Tribulum, *significare. Quod Syri Paraphrastæ testimonio confirmatur.* חרחר *indifferenter* Laricem *vel* Tedam *esse.*

HEbræorũ Doctores דרדר Spinæ speciem quandam esse tradunt, quam idiomate suo קונדס vel (sicut legisse videtur Munsterus) קונדים vulgò appellant. Vocem istam (ut alias quàm plurimas) mutuati sunt à Græcis: est enim ipsissimum eorum κυνάδες formâ plurali usurpatum. Idémque ab Hesychio κυνοβαλὰ declaratur, i. *Sentes canis* seu *Rubi canini.* Hisce astipulatur Onkelus Paraphrastes, qui דרדר nomine item plurali exponit אטדין ab Hebræo אטד. Unde *Goren Atad* Gen. 50. 10. *Hebræi dicunt*, inquit Lyranus, *quia Atad non est nomen proprium sed commune, & significat genus Spinarum, quod Gallicè vocatur* Aiglentier; *quia area illa clausa erat in modum sepis talibus spinis.* Eodem nomine notus est nostratibus Sentis canis, **Eglentine** Anglicè dictus. Hinc arguitur geminus error, & Autoris Baal Aruch passim nuncupati, qui קונדים Italicè קרד', *Carduos*, reddit, & veterum Rabbinorum, qui דרדר *Rubos caninos* exponendum judicarunt. Hoc enim interpretamentum ad קוץ potiùs spectat, quo (uti monet Aben Ezra) *majores spinæ* designantur (**Thornes and Briers** vocant nostrates) sepimentis (ut modò audivimus) aptæ, quàm ad דרדר, quo *minores* denotantur, noxiis herbis accensendæ, & communi nomine **Thistles** vernaculo sermone appellatæ. Lxx constanter τρίβολον ubique transferunt. Itidem Latinus Interpres *tribulum.* Differunt autem nonnihil Carduus & Tribulus. Quamvis enim uterque sit generis *spinosarum herbarum*, hoc tamen interest, quòd ille *spinosus foliatus* est, iste *secundùm spinam folium habet.* Jure igitur à Plinio lib. 21. cap. 15. distinguuntur & seorsum memorantur. Ac Tribulum quidem Plinius *rem diram* vocat, eúmque juxtà cum Carduo *inter frugum morbos & ipsius terræ pestes* numerat lib. 18. c. 17. Apostolus verò ad Hebræos de terra sterili loquens & *maledictioni obnoxia*, ait illam talem esse quæ *profert ἀκάνθας καὶ τριβόλους*

spinas

ſpinas & tribulos, apertè demonſtrans locum Geneſeos 3.18. ubi קוץ ודרדר, tanquam vocabula Græcis illis ſynonyma & omnino paria, in eandem ſententiam nominatim recenſentur. Itaque Paraphraſtes Syrus verba illa Epiſtolæ ad Hebræos transferens, non aliam vocem quàm דרדרא adhibuit ad τριβόλους exprimendum. Conſtat igitur etiam ex vulgari Syriaci ſermonis uſu דרדר rectè *tribulum* verti.

R. David putat arborem quæ תדהר Hebraicè indigitatur Cedri ſpeciem quandam eſſe. R. Salomon eandem arbitratur eſſe quam Galli *Sap* dicunt. *Sap* verò vel *Sapin* à Gallis vocatur Abies, Synecdochicè videlicet. Nam propriè Latinis eſt *Sapinus* inferior abietis pars & enodis, ut docet Plinius lib. 16. c. 39, & 10. Atqui Abies doctorum judicio eſt ברוש: cui tamen תדהר cognatam arborem opinor. Aquila & Theodotio, teſte Hieronymo, nomen Hebraum *Tidhar* repoſuerunt, nullo prorſus interpretamento declaratum, palàm indicantes difficilem & incertam eſſe illius cognitionem. Hieronymus etiam ipſe aliâ atque aliâ interpretatione uſus, quaſi hæſitans & ſubindè ſeſe revocans, idem innuit: nam Eſa. 41. 19. *ulmum*, Eſa. 60. 13. *buxum* tranſtulit. Eruditè Lxx πεύκλω vertêrunt: eſt autem hæc *Picea*, vel *Larix*, aut *Teda*. Sed *laricem* malo: nam ſæpius à Plinio lib. 16. 39, & 42. (quemadmodum quoque ab Eſaia) conjunguntur *abies* & *larix*. Utraque *montes amat*. *Omnium* item *arborum altiſſimæ & rectiſſimæ* ab eo prædicantur; nec non *pondus ſuſtinere valideæ, etiam in tranſverſum poſitæ*. Quò aptiùs inter arbores Libani pulcerrimas & ædificiis conſtruendis maximè idoneas à Propheta numerantur. Teda propriè dicta Larici admodum ſimilis eſt arbor, & ejuſdem cum ea naturæ. Situſque nativus ei eſt, ut Cedro ac Larici, in excelſis montium jugis. Et utramque, tam *Tedam* quàm *Laricem*, πεύκλω reddidit Lexicon Græco-latinum vetus. Noviſſimi Interpretes TIDHAR *Tedam* eſſe opinantur: nec immeritò. Naturam quippe Cedri imitatur, utpote pinguis ac reſinoſa. Et tanta eſt in nomine Latino vicinitas ut ab Hebræo per Apocopen liquidæ *R* ortum videatur. Denique Larix in Tedam mutata degenerat. *Laricis enim morbus eſt*, autore Plinio lib. 16. c. 10. *ut Teda fiat*. Eó que minùs hic placet *tedam* interpretari.

CAP. 2. *Quid* מר *propriè ſonet, & cujuſmodi genus veſtimenti habeatur. Quid* μανδύας *ſignificet, & unde natum ſit; quódq; ortu primo Hebraicum magis cenſendum videatur quàm Perſicum. Item de* Epheſtride, Sago, Læna, Penula.

INjurioſiſſimè & ſceleratiſſimè Rex Ammonitarum tractaſſe narratur, 2 Sam. 10. 4. ſervos Davidis, ac *præcidiſſe per medium* מדויהם: quod Paraphraſtes Chaldæus & Kimchius ibidem interpretati ſunt *veſtes eorum*. Quanquam alibi Kimchius *certum quoddam veſtimenti genus* fuiſſe fatetur *cujus forma ignota ſit poſteris*, Comment. in 2 Sam. 20. 8. R. Levi, etymo à themate דוה petito, המכנסים, i. *femoralia*, exponit: Quæ ità vocari autumat *quoniam eis teguntur nates pudendúmq;, & ſordes ſeu excrementa indè defluunt ac decidunt*. Nam ex eadem radice vox non diſſimilis pullulat quæ *purgationes* & *immunditias muliebres* pariter deſignat. Verùm enimvero vocabulum מר ſynonymum, aut potiùs idem, cum affixis Dageſſatum, palàm monſtrat מדר radicem eſſe. Lxx μανδύαν plerumque transferunt. V. Interpres Latinus Judic. 3. 16. eruditè *ſagum*. Eſtque propriè veſtis belli index, ut & μανδύας, quem πολεμικὸν propterea vocat Heſychius, præſertim apud Perſas. Hic igitur, ubi de pace miſſi referuntur Legati, μανδύας per Catachreſin quandam pro *penula* uſurpatur. Atque adeò Pollux eundem ipſum μανδύαν Romanorum *Penulæ ſimilem* fuiſſe perhibet Onomaſt. l. 7. c. 13. 269. Id quod propoſito loci iſtius haud ineptè convenit. *Penula* quippe *veſtimentum* erat *itinerarium & pluviæ*, ut loquitur Lampridius in Alexandri Vita. Quare מדויהם 2 Sam. 10. 4. rectè interpretemur *penulas eorum*. Penulatos nempe iter feciſſe Legatos Davidis credibile eſt. Lxx autem de induſtria μανδύας adhibent ad nomen מדויים exprimendum, ut oſtendant illius originem non tam à Perſis (ſicuti tradit Heſychius) quàm ab ipſis Hebræis, primis maximéque genuinis autoribus, deductam videri per tranſlatitiam & conſuetam linguis Orientalibus Epentheſin literæ *N*, peculiariter in vocibus vi punctuli Dageſch inſerti geminandis. Nam ità ſolent Interpretes illi vocem aliquam Hebræam, Græcâ, aut apud Græcos uſitatâ, conſimilis ſoni voce ſubindè quaſi deditâ operâ exponere derivationis indicandæ gratiâ. Quem eorum morem latiùs ſuprà explicavimus lib. 2. cap. 10.

Cæterùm quod ad quotidianum & pervulgatum rei ipſius uſum attinet, compertum eſt μανδύαν, ἐφεστρίδα, χλαῖναν, itémque Lænam, Sagum, Penulam, veſtes ſummas fuiſſe extimáſque, ἐπιβλήματα idcirco generatim à Græcis cognominatas, quòd aliis omnibus eſſent *ſuperjectæ* & *ſuperinductæ* ad pluvias, frigus reliquáque aeris & viarum incommoda propulſanda. Indéque privatim & expreſſè dicta eſt ἐφεστρὶς, ab ἐπένυμι ſcilicet, h. e. à *ſuperinduendo*, quia vel armis (nam militibus iſtius generis veſtes perquam ſunt neceſſariæ, quemadmodum etiam peregrè proficiſcentibus) vel indumentis cæteris univerſis *ſuperindui* ſolebat. In eandem ferè ſententiam μανδύας quoque à מר ſive מרו oriundum (namque ab eruditis quibuſdam Vau pro adventitio ducitur) nominis ſui rationem certam & perſpicuam reperit. Etenim מר à themate מרר derivatum eſſe conſtat: id verò ſonat *metiri, dimetiri, menſuram rei alicujus agere* ſeu *ixiri*. Quare מר verè & ἱμάτιον denotat non tantùm מלבוש, i. *veſtimentum* (ut eſt apud Kimchium in Lexico) verùm etiam מלבוש מדה, i. *veſtimentum menſuræ*, eodem prorſus intellectu quo 1 Chr. 20. 6. איש מדה, i. *vir menſuræ*, explanatur à Kimchio איש מדה גדולה, i. *vir menſuræ magnæ*, & à R. Salomone ſimpliciter איש גדול, i. *vir magnus* ſive *grandis*. Itaq; μανδύας aut (quod idem eſt) מר, vocabulum primigenium, ex ſubjecta vi denotat *veſtem ambitu permagnam ampliſſimámq;*, ut quæ cæteris omnibus ſuperjecta & ſuperinduta eas amplexu ſuo coerceret atque circumdaret. Rectè ergò omnino Etymologus, propter propinquam indumentorum iſtorum cognationem ἐφεστρίδα interpretatus ex originatione ſuprà explicata τὸ ἐπὶ τοῖς ἱματίοις ἐπίβλημα, mox eandem ipſam μανδύαν vulgò appellari teſtatur. Et doctiſſimus Grammaticus Euſtathius apud Stephanum χλαῖναν i. *Lænam*, (quam *penulam gauſapinam* vocare licet, & militibus præcipuè, perinde ut Sagum Sagulúmve, familiarem fuiſſe ſuprâque alia veſtimenta ſumptam docet Nonius) μανδυοφόρος ἐπίβλημα nuncupat, i. *amictum qui Mandua ſpeciem referebat*. Quæ quidem verba pulcrè conſonant teſtimonio Pollucis de Romanorum *penula* antè allato.

CAP. 3. *Quænam menſura ſit* גמר. *Cur* גמדים *Aquila apud Ezechielem interpretatus ſit* Pygmæos, *& Kimchius* גנסים, *i. varos ſen* Nanos. *Cur* nani *dicti. Cur etiam* Noubæ *ſive* Noubæi. *Editio Vulgata Latina, authentica ſcilicet, Pygmæorum gentem tuetur. Lxx* גמדים milites præſidiarios *haud malè reddunt; R. Solomon ex traditione*, urinatores; *alii*, validos *ſive* pugiles; *Symmachus*, etiam Medos; *Theodotio*, Gammadim *ſeu* Gammadæos, *ut & Noviſſimi Interpretes. Locus Plinii emendatus, monſtratâ ſimul mendi origine.*

NOmen גמר Judic. 3. 16. Kimchius *cubitum* [illegible] nit, Lxx σπιθαμὴν, V. Interp. Latinus *pal*[illegible]. Quæ eadem eſt atque σπιθαμὴ, ut docet Lexicon Græco-latinum antiquum Henrici Stephani; non autem *Palmus*. Is enim in Gloſſario veteri πυγμὴ Græcè dicitur: Eſtque quatuor tantùm digitorum menſura, videlicet tertia pars Palmæ ſeu Spithamæ, quæ digitos continet 12. Aquila haud dubiè tranſtulit πυγμὴν, ut facilè intelligitur ex verſione quadam ipſius Ezekielis 27. 11. Eſt autem πυγμὴ (ut à Polluce explicatur Onomaſt. l. 2. [illegible]

ἢ διὰ χειρὸς μέσων) ſpatium à cubito ad digitos in pugnum contractos & compreſſos. Atque hæc aliquantò brevior eſt quàm πῆχυς, i. *Cubitum*, Legale nimirum, quod Sex erat Palmorum; ſed ad Commune, quod Quinque erat (ut perhibet Arias Montanus) quàm proximè accedebat. Itaque cùm Aquila *Gammadim* apud Ezechielem loco proximè citato ſciret eſſe gentem quandam, nomen verò fabuloſæ *Pygmæorum* gentis Hebraicæ appellationi ſignificatione proximum videret, non tam rei veritate forſitan (quæ vel ipſo uſu planiſſimè jam nulla cognoſcitur) quàm ſimillimâ nominis notione (pro ſua conſuetudine ubique ad verbum potiùs quàm ad ſententiam interpretandi) adductus, fidenter *Pygmæos* tranſtulit: ídque editione primâ, ut teſtatur Hieronymus: Nam poſtmodum (ſiquidem curæ poſteriores plerumque meliores) verſionem illam correxiſſe, & fabuloſitatem tam ineptam támque profanam Sacris Tabulis funditus eraſiſſe credibile eſt. Eam tamen comprobat Kimchius in Lexico: ubi גמדים interpretatur *homines exiguæ menſuræ* (ſic quoque Mela De ſitu Orbis lib. 3. cap. 9. Pygmæos vocat *minutum genus*) videlicet ננסים, i. νάνους ſive *Nanos*: quos Græci à particula privativa νὴ & ἄνω dictos exiſtimant, παρὰ τὸ ἐστερῆσθαι τοῦ ἄνω, ut ait Suidas, *quòd omni penitus altitudine ſeu proceritate carerent*. At enim Kimchii & Aquilæ minùs nihilo hac in re æſtimanda eſt autoritas. Comprobare etiam videtur Editio Vulgata Latina, quæ pro authentica habenda ſtatuitur, nullóque prætextu rejicienda aut corrigenda. Hæc enim nunc ſola fidem conciliat Pygmæorum genti, eámque quaſi ſinu ſuo fovet ac tuetur, ad nihilum alioqui redigendam: quippe nuſquam alibi terrarum aut gentium perfugium reperit, nuſquam comparet, neque apud Thraces, Indos, Æthiopes, ac nè apud ipſos quidem Nubæos Æthiopes, Nili fluminis accolas, & non ità procul à paludibus Niliacis ſitos, Plin. l. 6. c. 30. Qui propter ſummam vicinitatem veterémque neceſſitudinem iidem etiam aliquando *Pygmæi* cognominantur. Νῦβαι, inquit Heſychius (Stephano Περὶ πόλεων, Νῦβαι vel Νυβαῖοι, Plinio *Nubei*, aut potiùs *Nubæi*, perhibentur) Πυγμαῖοι, h. e. *Nobæ* (ſive *Nubæ*, vel *Nubæi*) *ſunt Pygmæi*. Sed prorſus inania ſunt iſta; quæ, ut Daimacho & Megaſtheni [Strab. l. 2.] cæteríſque mendaciorum ac fabularum architectis conveniant, certè Scriptores veritatis amantes & viros Eccleſiaſticos neutiquam decent, nedum ſanctiſſimum Prophetam & Scripturas Divinitus inſpiratas.

Quantò meliùs Lxx φύλακας, h. e. *milites præſidiarios*, transferendo, veritatem quadamtenus (uti pòſt paulò oſtendemus) attingere maluerunt, quàm vanam & curioſam nominis proprii originationem intempeſtivè conſectando, ab ipſa re διὰ πασῶν (quod aiunt) diſcrepare? Quinimo ſi ipſis ullo modo arriſiſſet inane Pygmæorum commentum, ut initio גומר σπιθαμὴν reddiderunt, ità deinceps גמדים σπιθαμαίους cupidè & opportunè expoſuiſſent, obſervato & nominis etymo & homunculorum illorum celebri epitheto. Etenim iidem populi & *Spithamæi* & *Pygmæi* diverſis nominibus à Plinio l. 7. c. 2. appellantur, ut ex pervetuſtis libris annotat doctiſſimus Turnebus Adverſar. l. 24. c. 42. R. Salomon ex traditione quadam Rabbinica *Urinatores* vertit, *qui in ipſum uſque maris profundum deſcendentes*, inquit, *explorant cubitos altitudinis ejus*. Homines certè non omnino inutiles, præſertim Tyriis, inſularibus olim ac mercatoribus clariſſimis, ad extrahendas aliquando è mari merces. Sed quid urinatoribus, in imo æquoris fundo verſantibus, cum excelſis *turribus*, aut earum in ſublimi propugnatione? Alii igitur גמדים reddendum putarunt *cubito* (*brachióve*) *valentes*, h. e. viros robore præſtantes & toroſis lacertis validos. Neque dubium eſt quin eò reſpexerint Lxx cùm φύλακας, i. *cuſtodes* ſeu *milites in præſidiis collocatos ad urbem tuendam ac conſervandam*, Metonymicè converterent: namque hi inprimis fortes atque robuſti ſolent deligi. Similiter etiam explicari queat vox Græca πυγμαῖος à πυγμὴ *pugnum* ac *pugillatum* ſimul ſonante; q.d. *virum qui pugno impacto graves ictus infligere poteſt*, & *pugilatu exercitatum*, imò *pugilem*: ſiquidem egregiè exercet is & Pugnum, quem adverſario ſummâ vi incutit; & Cubitum, dum hoc identidem ſublato ingruentes ictus excipit. Utraque ſanè ratio nominis, tum Hebræi tum Græci, tolerabilis eſt, & ejuſmodi ut in propoſitum Ezekielis locum ſatis aptè quadret. Nec inficior, animo effingi poſſe & excogitari intellectum iſtum peræquè apud Hebræos atque Græcos, ſed neutrò i ullo loquendi uſu (quod caput ſemper eſſe debet) confirmatur. Verùm inſolens eſt ac inaudita ſignificatio utraque. Nam Hebræis Vir fortis & robuſtus גבור dicitur, & איש חיל, reliquíſque hujuſmodi nominibus; nuſquam גמר: uti nec pro *pugile* ab ævo condito adhibetur. Græcis autem ubique πυγμαῖος de quantitate uſurpatur, & à longè peritiſſimis in eâque lingua exercitatiſſimis viris exponitur *æquans* ſeu *explens menſuram* πυγμῆς. Itidem πυγμαῖοι, *populi quidam qui menſuram iſtam ſuâ ſtaturâ non excedere credebantur*. Eodem pacto, pervulgatæ ſignificationis luce coactus, interpretatur Lyranus, Pygmæos ſcilicet *homines* eſſe *cubitalis magnitudinis*, & *optimos* quidem *Sagittarios*, attamen in Turribus Tyri magis ad inſultandum quàm ad reſiſtendum diſpoſitos, more *cæcorum & claudorum*. Sam. 5. 6. Ideóque in accuratiſſimis exemplaribus, nominatim verò in Bibliis Lovanii, eíſque quæ Clementis 8. autoritate ſunt edita Lugduni, obſervare promptum eſt, literam *P*, primam vocis *Pygmæi*, majuſculam pingi, tanquam nominis quod proprium ſit gentis cujuſdam, non commune ſive appellativum. Modo quidem appellativi declaratur ab Hieronymo, ſed prorſus inſolenter (uti diximus) & certè ità ut privatim & commodè ad nomen proprium declaratio illa referri queat. Finguntur enim Pygmæi non *bellatores* ſolùm, verùm etiam ad bella promptiſſimi, ut vel ex uno duntaxat Juvenalis verſiculo intelligere licet, Sat. 13.

Pygmæus parvis currit bellator in armis,

Præſtum ſcilicet animoſè initurus. Eodèm loci quanquam ridet Poeta bellatorculos iſtos, non tamen diffitetur rem eſſe veram; quemadmodum plerique ferè omnes veterum facere conſueverunt. Necdum enim (quò facilíùs danda eis ſit venia) planè compertum erat non exſtare in rerum natura. Id quod jamdiu, præſertim noſtrâ patrúmque noſtrorum memoriâ, crebris, iſſque quàm maximè longínquis, profectionibus ac peregrinationibus terrâ marique in omnes Orbis partes ſuſceptis, teſtatiſſimum evaſit. Quare exterminetur tandem aliquando, præcipuè ex Sacris voluminibus, perridicula & omnino commentitia gens Pygmæorum. Quam nè admittere videretur Symmachus, maluit גמדים (teſte Hieronymo) vocem compoſitam arbitrari (quales in Bibliis Hebraicis occurrunt nonnullæ) & tanquam גם מדים, i. *etiam Medi*, dictionibus ſeorſum poſitis transferre. Cæterùm quoniam compoſitio ejuſmodi rariſſima eſt, & *Medorum* mentio hic quaſi alieno loco fieret, cum *Perſis* potiùs ſuperiore verſu quàm cum *Arvadæis*, populo longè diſſito, conjungenda, minùs probatur hæc quoque Symmachi verſio. Atque omnium veterum optimè cenſuiſſe putandus eſt Theodotio: quippe nomen ipſum Hebraicum (ut docet Hieronymus) illibatum miniméque mutatum retinuit, utpote populi Arvadæis finitimi, & regionem olim probè notam incolentis, proprium. Hujus ſententiam meritò amplexi ſunt noviſſimi Interpretes, qui גמדים *Gammadeos* reddunt, nimirum incolas urbis Gammades in Phœnice, *quam ipſa ſe condens terra unà cum agris circumjacentibus devoravit*, uti narrat Plinius, Nat. hiſt. lib. 2. cap. 91. Ipſe tamen ibidem eandem urbem *Gammalen* pro *Gammaden* vitioſè appellat, deceptus Græco aliquo codice mendoſo, ubi Δ in Λ corruptum legebatur, prono admodum lapſu & ſæpe conſueto librariis Græcis, propter elementorum iſtorum maximam ſimilitudinem, ſicuti nos ſuprà exemplis aliquot prolatis perſpicuè demonſtravimus, lib. 2. cap. 1.

Cap.

CAP. 4. *De vocabulo Hebraico* דיו, *cujus interpretamentum omnino nullum comparet apud Lxx. In Editione vulg. Lat.* atramentum *redditur: ut etiam Syriacè ſonat. Indéque à Syris* דיואא, *i.* δαιμόνια, *dicuntur. Aut forſan à Latinis mutuati ſunt id nominis. Cur* דוכיפת, ἔποψ *&* Upupa *appelletur. Item originatio nominis Targumici* נגר טורא *explicatur, & Rabbinica Hebræi* דוכיפת.

VOX דיו ſemel duntaxat occurrit in Bibliis Hebraicis, nempe Jer. 36. 18. Ubi in Editione Lxx Interpretum penitus intercidit verſio Græca. Vetus autem Latina *atramentum* verè expoſuit. Uſitatum enim eſt apud Syros דיותא, à דיו Hebraico formatum, μέλαν, i. *atramentum*, ſignificans, 2 Cor. 3.3. Hinc etiam opinor Dæmonia דיואא Syriacè denominantur, ab *atri* coloris ſpecie; quâ potiſſimùm induti Spiritus illi tenebrarum conſpiciendos ſe nonnunquam præbent miſeris mortalibus, ut graviorem intuentibus terrorem & conſternationem incutiant. Schindlerus autem arbitratur Diabolos דיואא nuncupatos ab Hebræa voce דיה *Vulturem*, vel *Milvum*, denotante, quaſi *vulturibus ſimiles*; immani, credo, rapacitate intelligi voluit & inſatiabili ubique & uſque prædandi cupiditate. *Triduo antè aut biduo volant Vultures ubi cadavera futura ſunt*, inquit Plinius lib. 10. c. 6. Quanquam & nigritiæ ſeu atroris ratione (utì modò obſervavimus) Vulturibus Diaboli ſimiles dicantur; nam is quoque Vulturum eſt color, & quidem rapaciſſimorum ac voraciſſimorum. Quippe eodem Plinio teſte, *Vulturum prævalent nigri*. Verùm enimvero diſpiciendum annon דיואא ad nomen Latinum *Divi* commodè reduci queat. Complures enim voces Latinas à Syris civitate donatas legimus. Divi autem iſti ſunt δαιμόνια, quibus ſacros honores cultúmque religioſum Ethnici tribuebant 1 Cor. 10. 20. Præcipuè verò ac privatim Deos inferos hoc nomine deſignari reor, quos *Divos Manes* Lucretius indigitat, & δαίμονας καταχθονίους Lexicon Græco-latinum vetus. Hiſce etiam pecudes nigras mactare & immolare ritu ſolenni conſueverunt.

Avem דוכיפת Tremellius *Atagenem* transfert. Antiqui ἔποπα, Græcè, Latinè *Upupam*. *Quam nos*, inquit Hieronymus Com. in Zach. 5. 9. *de Græci nominis ſimilitudine traximus. Nam & ipſi* ἔποπα *appellant, ab eo quòd ſtercora humana conſideret.* Tametſi multò ſimilior veri eſt deductio à voce *Up*, quam ſæpius ingeminatam emittere ſolet avis illa. Kimchius & Munſterus *Gallum ſilveſtrem* vel *montanum* reddiderunt. Uterque fortaſſis à Chaldæo Paraphraſte interpretationem iſtam ſumpſit, qui דוכיפת exponit נגר טורא. Quod perinde acceperunt illi ac ſi ſignificaret *protrahens* ſive *producens in monte* (*tempus* ſcilicet, vel *vitam*) aut *permanens in monte*. נגר enim Syriacè παραμένειν ſonat, Act. 18. 20. Atq; ità *Gallum montanum* vel (ut Geſnerus appellat) *Ilrogallum* intelligendum putarunt. Sed aliam fortaſſe nominis Targumici rationem paulò aptiorem, meâ quidem ſententiâ, & rei nominatæ congruentiorem afferre licet. Etenim duo illa vocabula נגר טורא ſimpliciter & ad verbum non aliud ſignant quàm *producens montem*. Quoniam verò *mons* ſecundùm Grammaticos dici poteſt quicquid eminet, voce טורא hîc commodiſſimè denotari arbitror quod Græci λόφον vocant, nomine communi & *collibus* ſeu *tumulis*, & *avium criſtis*, h. e. apicibus quibuſdam qui in earum capitibus exſtant. Quocirca appellatio iſta, nempe נגר טורא, i. *producens* λόφον ſive *criſtam*, planè ipſam Upupam quaſi clariſſimo ſigno maximéque genuino patefacit. Namq; illa, utì refert Plinius lib. 10. c. 29. *viſenda eſt criſtâ plicatili, contrahens eam ſubrigénſque per longitudinem capitis.*

Atque huc pertinet (niſi fallor) nominis דוכיפת compoſitio quam commenti ſunt Rabbini. Dividunt enim illud bipartitò, ut pars prior דו, idiomate Rabbinico *duas*, à voce Latina *duo*, poſterior כיפות (quaſi à כיף, ſeu כיפה aut כיפא, πέτρα, h. e. *ſaxum prominens* ſive *rupem*, & per Synecdochen catachreſticam *eminentiam* quamlibet denotante) *criſtas* ſignificet. Sic R. Solomon, כרבלתו כפולה, *Criſta*, inquit, *ejus duplex eſt* ſive *duplicata*; nimirum propter duplicem illam formam, quam memorat Plinius, *criſtæ plicatilis*, aliàs *contractæ*, aliàs *ſurrectæ*. Quamobrem ex communi Rabbinorum opinione rectè quidem Upupam φίλοφον dixerimus: quo pacto autem τελοφίλαν dicere fas ſit, id demum ambigitur. Fidem autor ipſe faciat oportet.

CAP. 5. *Cur* אונים *Deut.* 23. 13. ζώνη *reddatur à Lxx. Antiqua vocis Græcæ ſignificatio explicatur: quam non animadvertit V. Interpres Latinus. Cur Menſis ſecundus* ויו *vocetur Hebraicè, & cur* איר *Chaldaicè. Menſis item* Aprilis *quare ità dictus.*

R Solomon generaliter exponit nomen אונים Deut. 23. 13. כלי חשמיש *inſtrumenta miniſterii*, h. e. cujuſvis opificii, ſeu ad quemvis uſum comparata; omnino prout ſæpe uſurpata legimus ὅπλα à Græcis, & *arma* à Latinis. Peculiariter autem *inſtrumenta bellica* deſignat, quibus contra hoſtes utimur, ſive defendendi ſive offendendi cauſâ. Id quod ex vulgari Syrorum lingua (quæ Hebraicæ eſt dialectûs proxima) ſatìs ſupérq; conſtare arbitror: Etenim *arma* Syri וינא vocant, *armare* זיין in Pael. Et ab eodem themate derivatum eſt אונים, formativo א præpoſito. Cæterùm vox iſta Hebræa in Editione Græca ζώνη vertitur; itidem in Vulgata Latina *balteus*. Græci verò ità interpretati videntur hac in primis ratione ducti, nimirum ut non ſolùm nomen Hebraicum exponerent, ſed etiam (qui familiaris eſt ipſorũ mos, à nobis aliquoties jam in Miſcellaneis hiſce noſtris perſpicuè annotatus) ut nominis item Græci originem ab Hebraico illo deducendam quaſi digito monſtrarent. Ideóque vocum veluti delectu habito, hanc unam (licèt primo aſpectu parùm idoneam) cæteris repudiatis aſſumpſerunt. Quod ut alibi nonnunquam percommodè cecidiſſe obſervemus, ità hîc quoque haud profectò infeliciter eveniſſe cernamus. Nam Græcorum antiquiſſimi (teſte Pauſaniâ Bœot. pag. 233, & 234.) *armaturam omnem* generatim, ſive *omne genus armorũ* (πᾶν ὅπλων γ' σκεῦος) *quibus inſtruitur quis* dixere ζώννυσθαι. Et τὸ ἐνδῦσαι τὰ ὅπλα *arma induere* vocarunt ζώσασθαι. Indéque datum refert Minervæ cognomen ζωσηλίας (cujus ſtatuæ duæ lapideæ in quodam Bœotiæ loco viſebantur) quòd ibi primùm ἐζώσαλο, i. *ſe armaſſet*, vel *arma induiſſet* ſeu *accinxiſſet, cum hoſtibus dimicatura.* Quæ ſi vera ſunt, credibile ſanè eſt vocem ζώννυμι, cùm ad זין vel זון à Lxx reducitur, planè naturalibus ſuis reſtitutam videri. Ad hunc igitur antiquitus loquendi modum quàm peritiſſimè tranſtuliſſe cenſendi ſunt Lxx & Veritati Hebraicæ admodum convenienter ſupradictum Deuteronomii locum, καὶ πάσσαλός σοι ἔσται ἐπὶ τῆς ζώνης σου (nam ità emendandum exiſtimo ex autoritate archetypi Hebræi) h. e. *Et paxillus erit tibi ſupra*, vel *præter, arma tua*, ſive *præter bellicum apparatum* aut *inſtrumentum tuum.* Hîc ergò ζώνη notionem habet reconditam & priſcam illam cujus meminit Pauſanias, nomini primigenio וינא ſeu אונים egregiè conſonam. Atqui V. Interp. Latinus, cùm non niſi pervulgatam vocabuli ζώνη ſignificationem agnoſceret, *baltenm* (ut diximus) convertit. Hoc autem pacto ſimul ab utroque contextu aberrat, cùm Hebræo tùm etiam Græco, quem tamen ibi maximè imitari voluiſſe videtur.

Menſis זיו partim in Aprilem partim in Maium noſtrum incidit. Dictum verò ità arbitrantur Rabbini (utì narrat & explanat Kimchius Com. in 1 Reg. 6. 1.) quia tum demum ſplendidæ & ſpecioſæ atq; conſpicuæ fiant arbores, germinibus & floribus ornatæ. Namque זיו idiomate Chaldæo & Syro, itémq; Rabbinico, נוגה ſive זוהר Hebraicè ſonat, h. e. *fulgorem*, ſeu *ſplendorem*. Ego verò, ſi meo arbitratu liberè loqui licet, minùs appoſitam rationem iſtam eſſe reor ac propemodum alienam. Neque enim propriè arbores, earúmve germina floréſque aut fructus, *ſplendere* vel *fulgere* dicuntur: quippe id Luci maximè primúmque convenire nemo tam imperitus qui neſciat.

Quare

Quare videat Lector ſtudioſus an non malit menſem *Ziv* ità appellatum quòd reverſo tunc temporis ad noſtrum Hemiſphærium Sole, & aliquantò altiùs evecto, diurnæ lucis *ſplendor* ampliſſimus & clariſſimus eſſe incipiat, tum radiorum propiùs ad perpendiculum accedentium efficaciâ, tum longioris ambitûs moræque ſupra horizontem diuturnioris incremento.

Forſan & אייר, Chaldaicum ejuſdem menſis nomen, à themate אור, quod *lucere* vel *lucidum eſſe* ſignificat, ortum, & ad analogiam perfectorum לישן aut חיור ex Pael formatum, eandem ob cauſam à veteribus impoſitum fuiſſe, rectè & probabiliter ſentiamus. Certè notiſſima *Aprilis* apud Romanos appellatio Cincio (ſicut refert Macrobius Saturnal. lib. 1. c. 12.) hinc præcipuè nata videtur. Nam *cùm ferè ante æquinoctium vernum triſte* ſoleat *eſſe cœlum & nubibus obductum*, id vere, eóque potiſſimùm adulto, quaſi *aperiri* cernitur, patefactâ veluti latiſſimâ lucis januâ, erumpentibúſque ex celſiore loco validiſſimè radiis Solaribus. Ex iſtis quippe cætera pendent omnia quæ à Cincio commemorantur. Quocirca ab hac lucis Solaris *apertione Aprilem* quaſi *Aperilem* antiquitus appellatum, non eſt incredibile exiſtimandum. Ac prorſus eodèm ſpectat hujus ipſius menſis deſcriptio Virgiliana, luculentiſſimis verbis tradita,

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum
Taurus ——

q. d. Aprilem tunc denique verè & eſſe & dici cùm Sol *Taurum* ingreſſus, *candorem*que, i. ſplendorem, illuſtriorem adeptus, *auratis cornibus*, h. e. lucidiſſimis radiis, efficaciſſimè & velut taurino robore *annum exorditur* naturalem.

CAP. 6. *R. Salomon* דוראים Violas albas *eſſe arbitratur. Alii verò Judæorum Doctores* Mandragoras *judicant, nimirum ex ſententia Lxx Interpretum; quæ deinceps explicatur & defenditur.* זין *varie exponitur.* Feras *propriè ſonat, & quamobrem. Symmachi verſio in integrum reſtituitur.*

VOcabulum דודאים Gen. 30. 14. R. Salomon herbam deſignare tradit quæ linguâ Iſmaeliticâ ſive Arabicâ יסמ"ן appellatur. *Jeſemin* autem Arabicè dicitur λευκόϊον, i. *Album violam*, monet Matthæus Sylvaticus Pandect. Medic. cap. 373. Violam verò palàm eſt florem eſſe ſpectatiſſimum ob eximiam pulcritudinem & odorem gratiſſimum. Idcirco eam tanquam florem præcipuum inter στεφανωτικὰς ſeu *coronarios* Theophraſtus apud Athenæum Deipnoſ. lib. 15. numerat; addítque λευκόϊον πρῶτον ἦρ ἀνθῶν ἐκφαίνεις. Idem teſtatur quoque Plinius, nempe *Violam albam primam florum ver nunciantium emicare*, lib. 21. c. 11. ac ſtatim ſubjungit, *eandem è cæteris maximè durare*. Hoc ergò quod attulimus, an ſatìs ſit cauſæ ad efficiendum ut aut generatim Violæ aut privatim Violæ albæ דודאים habeantur, eruditis dijudicandum relinquo.

Lxx tranſtulerunt μανδραγόρας ſive μῆλα μανδραγορῶν, h. e. *Mandragoras*, vel *mala mandragoraxum*. Quam expoſitionem non ſolùm V. Latinus ſed doctiſſimi etiam Hebræorum Interpretes Aben Ezra, Kimchius, Paraphraſtes Chaldæus, alii, ſuffragiis ſuis comprobarunt. Omnes enim יברוחין verterunt, vocabulo Arabico uſi *Jabroa* vel *Jabroh* ſive *Jabroc*, quod *Mandragoram* denotat, ſicuti monet Matthæus Sylvaticus Pandect. Med. fol. 129. b. Et paucis illis Scripturæ locis ubi vox דודאים reperitur ſatìs rectè convenire exiſtimetur. Primùm enim illud animadverti velim (quod eſt à Dioſcoride annotatum lib. 4. c. 658.) Mandragoram φίλτρους vel *amoris illecebris* idoneum habitum fuiſſe à veteribus. Nam & nomen Hebræum דודאים perinde ſonat ac ſi dicas φίλτρα vel *amatoria*. Unde Mandragoras & cupidiſſimè appetivit Rachel & ægerrimè eidem conceſſit Lea; illa, nequid ſororì ſuppeteret quo mariti à ſe amor ad eam transferretur; hæc, nè quâ re careret cujus beneficio conciliari poſſet idem amor atque confirmari. Huc accedit Mandragoræ vis ὑπνωτικὴ, i. *ſomnifica*, quæ vel hanc ob cauſam Veneri grata eſt & amica quòd retinendi ſeminis facultatem vulvæ conferat ut docent Medici, Levin. Lemn. De occ. nat. mir. lib. 4. cap. 10. Præterea purgando ad conceptum prodeſſe Mandragoram monent rerum naturæ periti, Plin. lib. 26. cap. 15. licèt Aben Ezra profiteatur ſe neſcire quomodo id fieri queat. Indéque credibile eſt emanaſſe cognomentum quoddam Veneris apud Heſychium, ut *Mandragoritis* appellaretur. Tradit porrò Dioſcorides Mandragoræ mala alicubi eſitari ſolita à paſtoribus; qualis erat Jacobus unà cum ſuis omnibus uxoribus, liberis, ſervis. Neque mirum eſt Rubeni, ſicut & mulierculis, arriſiſſe mala illa, quippe quæ *amabilia* eſſent (ut ait Lemnius) *blanda, odorata, pulcra* denique; nempe *gallinacei ovi vitello ſimilia*, h. e. colore tanquam aurea. Sic Dioſcorides teſtatur eadem κεχρίσθαι τῇ χροιᾷ, ideóque oculis grata eſſe; & εὐώδη μὲ βάρος τινὸς, h. e. moderatè non vehementer fragrantia, idcirco naribus item non injucunda. Quod objicitur de Mandragora tardiùs matureſcente, facilè diluit regionum cœlíque permagna varietas. Et *tempora meſſis triticeæ*, præſertim prima, ſatìs præcocia erant apud populos illos Orientales.

Nomen זין Lxx μονιὸν interpretantur Pſal. 80. 14. Eſt autem μονιὸς *ſolivagus*, vel *qui ſolitarius paſcitur*. Generaliter ergò ferociſſima quæque & ſævíſſima beſtia hoc nomine appelletur, videlicet quæ tam immanis eſt ut cum aliis unà paſci non ſuſtineat. Propriè verò Suidas Græcæ hujus appellationis notione comprehendi vult ἄγριον ὗν, i. *Suem agreſtem ac ferum*, aut etiam μονόλυκον, i. *Lupum ſolitarium*. Heſychius addit S. Cyrillum in Expoſitione Hoſeæ Prophetæ μονιὸν interpretari ὄνον, ſcilicet ἄγριον (repetito ex ſuperioribus apud eum verbis epitheto) h. e. *Aſinum ſilveſtrem*. Atenim Onagri ſeu Aſini ſilveſtres μονιοὶ ſive μοναδικοὶ non ſunt, ſed ἀγελαῖοι maximè, gregatim ſemper ingredientes: nam multitudine innumerâ eos ſimul incedere teſtatur Ammianus Marcellinus lib. 24.

Cæterùm veteri Rabbinorum idiomate זין *motum* ſeu *loci mutationem* ſonat. Propriè igitur hâc ratione זין eſt quodvis *animal mobile* ſeu *vagum, & locum frequenter mutans*. Itaque Aben Ezra עוף, i. *aves* vel *alites*, exponit. R. Salomon etiam רמש, i. *reptilia*. Nos libenter ex Kimchio Com. in Pſal. 80. 14. intelligimus חיות המדבר, i. *beſtias deſerti* ſeu *feras*: namque hæ omnium ſummè *inſtabiles* ſunt *mobiléſque* ac *vagæ*; ſiquidem aſſiduè quoquoverſum prædabundæ multifariàm diſcurrunt. Earum enim ὁ βίος νομαδικὸς, ἐξ ἀνάγκης τοῦ προφῦ ἀναγκαῖον ἐκτοπίζειν, *vita inſtabilis eſt, & ſubindè cibi cauſâ loca mutare & incertis ſedibus vagari coguntur*, ut eſt apud Ariſtotelem De Part. anim. lib. 4. cap. 6. Cicurum verò ac manſuetorum animalium fixæ ſunt apud dominos ſuos ſedes paſtúſque paratus ſemper adeſt. Chaldæus Paraphraſtes Gen. 14. 5. הזוזים reddit תקיפיא, i. *robuſtos illos*, ad eundem modum ut & Lxx ἔθνη ἰσχυρὰ *gentes validas* in Græcum converterant. Hanc igitur interpretationem ſi ſequamur, זין quoque ab eodem themate derivatum rectè vertatur *beſtia qualibet robuſta & truculenta*; ſive ſolitaria, ſive gregatim incedat, nihil intereſt. Atque ità expoſitio iſta eandem quidem rem quam proxima declarabit, ſed proprietate diverſâ. Utramque ſi placet conjunctim ſumamus. Priorem tamen potiorem eſſe reor, utpote certiore ac notiore fundamento nixam. Quare זין non *animal quomodocunque mobile*, h. e. חיה ſive ζῶον ſeu *animal* ſimpliciter, ut nonnullos voluiſſe teſtatur Kimchius in Lexico, ſed *animal vagum, validúmque & ferum* indicabit, ut ſunt Lupi, Urſi, Leones, Tigrides, & id genus alia.

Atque hanc eſſe propriam ac germanam Kimchii ipſius ſententiam docet idem ipſe Expoſitione in Pſalmum 50. 11. verbis longè clariſſimis, nempe iſtis, מלת זין כלל להיות השדה המדבריות, *Ziz*, inquit, *eſt nomen*

generale beſtiarum agri quæ deſerta incolunt. Eſtque iſtud ipſiſſimum Symmachi interpretamentum, videlicet ζῶα ἐρημίαι, i. *animalia deſerti*, ſive *feræ*, ad שדי זין rectà pertendens. Nullo enim pacto adduci poſſum ut credam hanc Symmachi verſionem ad proximè antecedens membrum, nempe חזיר מיער pertinere, quemadmodum in Scholiis Bibliorum Græcorum Romanæ Editionis perperàm annotatum videmus. Nam præterquam quòd deeſt præpoſitio Græca ἐκ, quæ reſpondeat Hebrææ מן, & יער alibi δρυμὸς à Symmacho reddi ſolet, longè profectò ineptiſſimum atque imperitiſſimum & viro Hebraicè docto perquam indignum fuiſſet חזיר, quod nemo neſcit *Porcum* vel *Suem* ſonare, prorſus inſcienter ζῶα, i. *animalia*, interpretari.

Occurrit hæc vox tertiò ac poſtremò (neque enim ampliùs invenitur in S. literis) apud Eſaiam, c. 66. 11. ubi R. David זין pro זין poſitum auguratur, & proinde *ſplendorem* interpretatur. Atq; ità quidem tranſtulit Interpres ille Græcus qui Pſalmo 50. 11. שדי זין reddidit ὡραιότης ἀγροῦ, i. *pulcritudo* ſeu *forma decora & ſpecioſa* ſive *ſplendor agri*. At ei egregiè impoſuit perſimilis figura literæ ו & ן. Id quod de Kimchio, inſigni Grammatico, nè tenuiſſimè quidem ſuſpicari licet. Neque tamen putandum eſt mutari potuiſſe ן in ו, cùm diſſimillimos habeant ſonos & omnino diverſa pronunciationis organa. Non igitur aſſentior Kimchio. R. Salomon (ut virum eruditum decet) conſtanter retinet quem initio poſuerat ſignificatum *motûs*, ſeu *mobilitatis* (qui corruptè Pſal. 50. hîc autem emendatè declaratur verbo ſermonis vernaculi, nempe Gallici, אישמ'ובימנט *eſmouvement*) Itaque explicat locum Prophetæ, *Et oblectemini gloriâ magnâ, quæ movet ac promovet ſe* (i. properat) *pervenire ad illam.* Itidem Lxx, τρυφήσητε ἀπὸ ὁσόδυ δόξης αὐτῆς, i. interprete Hieronymo, *delectamini ab introitu gloriæ ejus*, vel, *delicias agatis ex introitu gloria ejus*, aut *gloriæ quæ introibit* (ſive *perventura eſt*) *ad eam.*

Alii interpretationibus ſuis magìs propendent ad ſignificatum poſteriorem *beſtias agreſtes deſerti* indicantem, ſynecdochicè tamen & metonymicè uſurpatum. Hieronymus enim in Commentariis ſuis ad ſupraſcriptum Iſaiæ locum Theodotionem זין tranſtuliſſe ſcribit πλῆθος *multitudinem.* Ibi contrà Procopius Symmacho verſionem eandem aſſignat. Sed Hieronymus λίτρᾳ in exemplari aliquo mendoſo, non πλήθει, legiſſe videtur; ſiquidem Symmachum *pinguedinem* reddidiſſe ait. Id verò, quia valde abſonum, non opinor ſincerum aut genuinum Symmachi interpretamentum eſſe: πλῆθος autem, h. e. *multitudo*, præſertim *miſcellanea* (qualis plerumque in ſolitudinibus eſt agreſtium animalium) non omnino incommodè ad ſignificationem modò dictam revocari poterit, necnon etiam verbis ætiologiæ illico ſubtextæ confirmari. Ubi eadem *gloriæ abundantia Torrentis inundantis* imagine repræſentatur. Eodèm pariter ſpectat Aquilæ verſio, nimirum παντοδαπὸς ſive παντοδαπής. Utrumque ab Heſychio σύμμικτος, ab Hieronymo *omnimodus* (h. e. *commixtus, promiſcuus, miſcellaneus*) exponitur. Ità ut זין hoc certè pacto perinde ferè valeat ac ערוב, quod eſt *confuſanea omnis generis multitudo*, voce metonymicè (ut diximus) acceptâ; propriè verò *ferarum* duntaxat *turbam* deſignat.

CAP. 7. יענה *non ſignificat* Sirenem, *nec* στρουθὸν, *i.* Paſſerem, *neque etiam* Struthionem *ſeu* Struthiocamelum: *Sed optimè* Strigem *reddere licet, quæ Ululæ ſpecies quædam habetur.* Τέρας *exponitur aliquando* στρουθίζειν. *Et* Strix *Græcè* στρουθὸς *transfertur.*

VOcabulum Hebræum יענה alicubi à Græcis Interpretibus redditur σειρήν. Quam interpretationem nemo facilè (ut arbitror) à Lxx doctiſſimis illis viris manaſſe crediderit: nam planè fabuloſam eſſe & in prodigioſis Poetarum figmentis numerandam ſciunt omnes. Itaque cùm nè ab ipſis quidem Ethnicis Sirenes, teſte Plinio lib. 10. c. 49. *fidem impetrare* potuiſſent, Allegoricæ expoſitionis beneficio transformatæ ſunt tandem (uti docet Servius) in Meretrices, quæ miſeros ſcortatores verborum ſuavitate & voluptatum illecebris ineſcatos ad egeſtatis ſcopulum naviculam affligere reſque familiaris naufragium facere adigunt.

Iſtis igitur miſſis, quemadmodum στρουθὸς conveniat videamus. Hæc quippe altera eſt interpretandi ratio priore multò probabilior. Illud autem primò concedi oportet, nomen στρουθὸς ſolum ac per ſe poſitum, nullo ad differentiam deſignandam addito epitheto, *Paſſerem* Latinè ſignificare. Nam quod ex Heſychio annotat Henricus Stephanus in Theſauro, Atticos τὰς στρουθοκαμήλους ſimpliciter στρουθὰς appellaſſe, idoneo aliquo exemplo velim demonſtretur. Neque etiam conſtat an id dixerit ſenſeritve Heſychius: ſiquidem imperfecta ſunt & decurtata illius verba ad hunc modum, Στρουθὸς, ὁ καλαφατὴς καὶ λάγνος. Ἀττικοὶ δὲ τὰς στρουθοκαμήλους ..... Porrò teſtatiſſimum eſt, ſemper maximè infamem fuiſſe Paſſerem propter inſignem ipſius præter cæteras omnes aves aviculáſque ſalacitatem. Ergò ut Sus ob lutulentas volutationes Lege Moſaicâ immundus habetur, ità Paſſer ob effrænatam coitûs libidinem meritò impurus ab eadem cenſeatur. Huc accedit odioſiſſima ſubindè illius aviculæ garrulitas, quando vocibus creberrimis, iſſque μονοτόνοις vehementiſſimâ contentione iteratis pipilans, ſummam, propiùs præſertim atque intra tecta audientibus, moleſtiam exhibet. Atque hoc poſterius quàm proximè accedit ad vocabuli Hebraici originem, quæ à ענה ducitur, quod *reſonare* ſignificat. Veruntamen quoniam non ſolivagas ſed congregatas volare aviculas haſce cernimus, nec loca deſerta & horrida ſed culta atque frugifera frequentare, nè hæc quidem ubique ſatìs congruit interpretatio.

Quare στρουθὸν in στρουθοκάμηλον mutavit Symmachus, reliquíque. Quorum ſententiam Vulgata quoque Editio Latina ſequitur *Struthionem* ubique transferens. Sed (ut credibile eſt) Struthio ſive Struthocamelus aut omnino incognita Judæis aut ſaltem rara admodum apud eos fuiſſe videtur avis, ut quam Plinius alitem *Africanam* vel *Æthiopicam* dicat lib. 10. c. 1. à Judæa quàm longiſſimè remotam. Quò minùs ſuſpicandum arbitramur, vulgaribus & quotidianis eorum menſis nominatim in Lege fuiſſe prohibitam. Præterea funeſtas & lugubres Struthocameli querelas nemo veterum Græcorum qui diligenter & accuratè de rerum natura ſcripſerunt, unquam, quod ſciam, nè breviter quidem perſtrinxerit vel ſemel tantummodo obſervavit: Quod tamen de בת יענה non ſolùm traditum legimus in S. literis ſed illuſtribus verbis celebratum.

Reſtat igitur ut conjectemus ejuſmodi alitis genus quod & θρηνητικὸν ſit, h. e. *lamentabile quiddam ſonet*, & φιλέρημον, h. e. *ſolitudinibus aſſuetum*, exiſtat. Rectè itaque, opinor, Tremellius *Ululam* vertit: quam Græci, ut & Latini, à mœſto velut *ululatu* ὀλολυγόνα appellant. Eodem quoque modo Hebræi à ענה (ut paulò antè attigimus) à *clamando* ſive *reſonando* יענה nuncuparunt, propter vocem ſcilicet ſonoram, præſertim noctis ſilentio, & ſæpius ingeminatam. Niſi malimus (quod potiùs credo) Ululæ quandam ſpeciem eſſe, quam *Strigem* vocarunt. Etenim *Strix* ὀλολυγὼν redditur Græcè in Gloſſario antiquo. Eam verò ἐρημαίαν ſeu *ſolitudinis amantem* nominat Aratus Διοσημ. v. 948. ejúſque voces triſtes ac ferales ſemper exiſtimatas fuiſſe conſtat: adeò ut illi alitum generi nomen olim à rauco atque incondito *ſtridore* inditum fuerit, autore Ovidio Faſt. l. 6.

Eſt illis Strigibus nomen; ſed nominis hujus
Cauſa, quòd horrenda ſtridere nocte ſolent.

Malim *horrendum*. Similiter etiam canit is qui Philomelam compoſuit,

Strix nocturna ſonans & Veſpertilio ſtridunt.

Ubi verbis illis *nocturna ſonans* declarare videtur pervulgatum apud Græcos Strigis cognomentum: nam νυκτιβόα nuncupata eſt quondam in carmine quodam Σκηπτικῷ quod recitat Feſtus. Nos ſermone Anglicano vocitamus,

tamus, ut arbitror, a Schritch-Owl: sed emendatiùs forsitan & ad originem propiùs a Screech-Owl. Postremò Suidas τελζὶν, i. *stridere* (quod jam Strigis proprium esse ostendimus) explicat verbo στρουθίζειν, tanquam synonymo. Imò *Strix* ipsa in Glossario quod antè citavimus non solùm ὀλολυγὼν transfertur, sed etiam στρουθὸς, i. *Struthio*; dum verum sit quod Stephanum initio diximus observasse. Namque id si ità est, στρουθὸς nomen erit πολύσημον, tres hosce quos tractavimus significatus complectens. Quorum ultimo, quem proximè declaravimus, assumpto, ritè huc accommodari poterit versio Lxx Interpretum, quam secundo loco attulimus. Sed tamen, ut de re minimè comperta, non liquere pronunciamus.

Cap. 8. *Nomen* Iaspis *ex Hebræo fonte derivatum. Vulgata editio Latina* Beryllum *in locum* Iaspidis *supposuit.* Onyx *pro* Iasponyche *apud Lxx. Idem lapis dictus à Paraphraste quidem Chaldæo* Panthera; *à Plinio autem,* Iaspis Onyche puncta, *&* πολύχαμμος.

NOmen Hebraicum ישפה quam qualémve separatim gemmam designet, quilibet cui vel leviter cognita est lingua Græca Latináve facillimè (ut opinor) perspiciat: Nec enim dubitare poterit quin eadem sit quæ à Græcis ἴασπις, à Latinis itidem *Iaspis* perhibetur, ex Hebræo fonte hîc etiam (ut in *Sapphiri* nomine cernitur) derivatâ appellatione. Omnia quippe ad amussim exactissimâ ratione conveniunt. Nam tres primæ consonantes cum vocali priore prorsus eædem sunt utrobique. Vocalis autem posterior Seghol Græcè Latinéque ut *I* pronunciari, & ה (ubi vocem terminat) in *S* sæpenumero mutari tritissimum existimo atque notissimum. Quò magis miror Vulg. Editionem Latinam pro ישפה *Beryllum* transtulisse. Sed Græcam Josephi historiam de Antiquitatibus Judaicis lib. 3. cap. 8. (uti suspicor) imitata est: Illic enim *Beryllus* in quarta gemmarum Pectoralis serie ultimo loco collocatus invenitur. Quemadmodum & duarum proximè antecedentium serierum ordinem apud Lxx repertum eadem Josephi Historia invertit, quod ad duas scilicet utriusque posteriores gemmas attinet. Veruntamen quem ibi tanquam mendosum deserit Latinus Interpres, cur hic sequatur non video. Certè Lxx ישפה ὀνύχιον interpretati vix quicquam à vero aberrasse videntur: Occupavit enim *Iaspis* apud Interpretes illos sedem ἀδάμαντος· quippe יהלום Arabicè אלכמ"ס, i. *Adamantem*, vocari Aben Ezra sibi virum quendam egregiè sapientem testatum ait; & quidem ipso etymo satis monstratur. Restituenda igitur est *Iaspis* in locum ultimum ac duodecimum, utpote re verâ proprium maximóque genuinum: Neque tamen indè omnino pellenda est *Onyx*, modò *Onychem* non simpliciter ac per se dictam Lxx accepisse censeantur, sed cujus ut natura sic & appellatio composita exsistat, quam *Iasponychem* nominari tradit Plinius lib. 37. cap. 9. Idque etiam testimonio suo confirmat vir doctissimus Georgius Agricola De natura foss. lib. 6. *Quadam*, inquit, *Iaspis Onyche pungitur; aut ex altera parte Iaspis est, ex altera Onyx; qua Iasponyx vocatur. Qualis reperitur ad Mittelbachum pagum.* Hoc ipsum ferè sensisse reor Chaldæum Paraphrasten, à quo ישפה redditur פנתירי, i. πάνθηρ, (namque Græca vox est) quòd multiplici macularum distinctione Pantheram referret gemma illa. Neque verò necesse est cum Alberto Pantheram sui cujusdam generis lapidem (quem is *Pantherum* appellat) ab Iaspide omnino diversum statuere. Siquidem pro Iaspidis specie habuisse videtur uterque Paraphrastes Chaldæus, eâque popularibus suis Syris Assyriísque notâ & familiari. Quam vel illam *Onyche punctam* sive *Iasponychem* fuisse conjectare licet; vel saltem *Iaspidem* quandam Dioscoridis, quam describit lapidem esse διαφύσεις ἔχοντα διαλευκὰς ἢ ἀποστιλβούσας, Λαμπρὸν καὶ ἄνθινον, i. *albis splendidísque intercursantibus respersum maculis, qui Assyrius perhibetur.* Eundem Plinius, utpote *pluribus lineis albis per transversum præcinctum, Polygrammon* à Græcis nuncupatum fuisse docet. Narrat insuper tam illustrem ac planè mirificum olim apud veteres ejus usum exstitisse ut *totus Oriens pro amuleto eum gestasse* consueverit.

Cap. 9. חומט *magìs probatur* Lacertam *transferri, aut etiam* Limacem, *quàm* Chamæleontem. תחמס Hirundo *non est; quin potiùs* Noctua, *vel* Bubo: *non* Cymindis, *nedum* Harpyia *prodigiosa.*

TRemellius חומט transfert *Chamæleontem* Levit. 11. 30. Atqui Chamæleon animal est Indiæ Africæque proprium; Judææ autem prorsus, ut opinor, incognitum atque omnino peregrinum. Veruntamen *figuram & magnitudinem* habet *lacerti*, teste Plinio Hist. lib. 8. cap. 33. Leo Afr. Desc. l. 9. Aristoteles tantummodo τὸ σχῆμα σαυρώδες esse, h. e. *figurâ lacertam referre*, memorat De Hist. anim. lib. 2. cap. 11. Addit Plinius, *hibernis mensibus Chamæleontem latère, ut & Lacertam.* Hinc fortè injecta est suspicio, Interpretes Græcos similitudine deceptos pro *Chamæleonte Lacertos* reddidisse. Quinetiam nominis *Chamæleon* pars prior ac potior ad sonum Hebraici *Chomet* aliquatenus appropinquare videatur. Nihilominus versionem antiquam sequi malim. Nam Lxx σαῦραν verterunt; ad eundem modum V. Int. Latinus, *Lacertam.* Nisi si cui probabilior habebitur R. Solomonis sententia, qui חומט reptile illud esse censet quod Galli vulgò לים"צה *Limáce* appellant. Id autem Cochlea est terrestris, Latinè *limax* nuncupatur, à *limo* scilicet, unde nascitur, uti autor est Festus. Porrò nominis istius ratio per Metathesin à themate חטם sive חתם arcessi potest. Utrumque *obstruere, obsignare* seu *concludere* denotat: quod in Limacem haud ineptè convenit. Siquidem is *conchæ implicitus* (ut canit Columella lib. 10. De cultu hortorum,) in eandem quasi obstructus & obsignatus conditur. Lacertam verò idem Doctor potiùs לטאה esse existimat, atque idiomate suo, nempe Gallico לישר"דה *Lisarde* exponit. Et certè admodum prompta est originatio: siquidem לאט sive לוט significat *involvere, tegere, operire.* Idque bellè congruit Lacertis: Nam, ut ait Virgilius,

——*Virides etiam occultant spineta Lacertos;*

Kimchius in Lexico, Interpretamentum vernaculum citans R. Solomonis, pro לישר"דה substituit לנינרם"ושא. Id autem quid valeret quamvis nesciret doctissimus quidam vir, tamen Limacem indè intelligi voluit, sensu à R. Solomonis mente (ut patet) prorsus alieno. Ego verò vocabulum illud pro Hispanico habendum suspicor, & è lingua sibi familiari atque nativa à Kimchio desumptum, corruptum autem & vitiosum, literis (ut fit) variè mutatis ac transpositis, non integrum & emendatum. Quod quidem (si divinare licet) לאנרד"ישו *Lagardizo* esse putaverim. Namque hoc literis non multùm differt à suppositicio, & cum superiore Gallico ritè concordat, *lacertúmq;* Hispanicè denotat.

תחמס Tremellius *Hirundinem* reddit Levit. 11. 16. At hæc עניר est, etiam eodem ipso Interprete, Jer. 8. 7. Mihi sanè præ cæteris maximè probatur versionis Græcæ & Vulgatæ Latinæ γλαῦξ sive *Noctua.* Nam eruditè Kimchius ex etymo vocabuli & Thargum Hierosolymitano docet תחמס esse *alitem ejusmodi quæ alias omnes aves rapit atque impetit*; addo item, (nam utrumque nomen, ut Hebræum ità & Syriacum חטופיתא synonymum, cùm activè tum passivè accipi potest) rapitur atque impetitur ab iisdem. Quod noctuæ admodum congruens aptúmque esse cernitur; quippe ut vim infert ità patitur vicissim, cæteris in eam certatim undique involantibus. Quinetiam Physiologiæ periti *solertem* quandam produnt *Noctuæ contra aves dimicationem. Majore* nempe *circumdata multitudine, resupina pedibus repugnat, collectáq; in arctum & quasi* conglobata *rostro & unguibus tota tegitur*, Plin. l. 10. c. 17.

Onkelus ציצא transfert, q.d. *Pinnatam* avem, h.e. cui quædam eminentiæ utrimque exstent ad similitudinem pinnarum in piscibus, quæ ציצין Chaldaicè vocantur. Bubonem fortassis innuit, aut saltem Otum, qui *Bubone minor est, Noctuis major.* Utriusque enim *aures* hinc illinc *plumea* haud aliter *eminent* atque in piscibus pinnas prominere videmus, Plin. lib. 10. c. 23. & 11. c. 37. Quidam *Nycticoracem* vertit: Quod satis probari potest, modò νυκτικόρακ *Bubo* sit, ut vult Glossarii Veteris autor. Alii *nocturnum Accipitrem* exponunt. *Cymindim* Græci vocant, avem rapacem ac prævalidam, adeò ut *cum aquila bellum internecivum gerat, cohærentésq; sæpe prehendantur; raram* tamen, eóque minùs aptam huic loco, utpote à vulgari usu longissimè distantem atque sejunctam, Plin. li. 10. cap. 8. Quantò magis Harpyiam admitti nolim, alitem planè fabulosam ac prodigiosam, quæque aut nulla existat in rerum natura, aut rapacem & violentam quamlibet designet.

CAP. 10. חסידה *non est* Milvus, *sed* πελαργὸς, *i.* Ciconia. *Nomen Græcum à Rabbinis expositum est vocibus & conjunctim & separatim usurpatis. Ciconiæ naturalis pietas erga parentes. Ab Aquila redditur* ἐρωδιὸς *& cur ità interpretatus videatur.*

QUOD ad avem attinet quæ חסידה dicitur, Hieronymus Comment. suis in Zach. 5. 9. tradit *Hebræos putare* HASIDAM *esse Milvum, avem rapacissimam & semper domesticis avibus insidiantem.* Atque idem primo aspectu velle videatur Kimchius, cui HASIDA (ut interpretatur Pagninus in Thesauro) est *Milvus albus*; quem ità nuncupatum censeant Rabbini à collata *benignitate* in sui generis aves reliquas, quibus escas impertire solet. Nos verò ejusmodi Milvos albos nusquam reperimus. Et petitum à *benignitate* etymon aliti rapacissimæ avidissimæque neutiquam convenire existimamus. Quinimo nos Milvos omnes cujuscunque tandem generis (nisi fortè Utopienses excipias) de communibus escis propemodum quotidie acriter inter se certantes ac dimicantes intuemur. Sed suspicari subit veteres Rabbinos argutè adjecisse epitheton לבנה, ut notum & celebre nomen Græcum quo avis illa appellatur eò aptiùs exprimerent. Nam vox דיה *nigritiæ* significationem primitus obtinet, indè quippe דיו, quod *atramentum* denotat. לבנה verò *album* sonat. Quare דיה לבנה omnino idem valere videtur quod πελαργὸς, i. *Ciconia.* Denominatur enim Græcè per compositionem quandam (ut annotant Grammatici) παρὰ τὸ πελὸν, i. μέλαν, & τὸ ἀργὸν, i. λευκὸν, quoniam pennas habet albas & nigras. Itaque R. Solomon declarans quid sit חסידה in contextu Sacro, verba ista continuò subtexit חיה דיה לבנה ציונו"יא, *Hæc est nigra-alba Cigogne*, Gallicè videlicet, Latinè autem *Ciconia.* Est tamen ubi, velut diviso nomine Græco, seorsum ab alterutro colore appellationem sortiatur. V.g. דיו sive דיותא apud Baal Aruch, & in Lexico Chaldaico Munsteri, dicitur à *nigrore* solùm. Contrà Levit. 11. 19. חוריתא apud Onkelum Paraphrasten duntaxat ab *albore* vocatur. Eíq; quàm planissimè assentitur Poetarum Latinorum princeps, Ciconiam *avem candidam* per periphrasin nuncupans, Georg. l. 2. v. 320.

Candida venit avis, longis invisa colubris.

Cum hisce omnibus ad amussim congruit præclarum ingeneratæ cujusdam benignitatis ac pietatis (quam חסד Hebræi nominant) simulacrum, ab antiquissimis Physicis in hoc alitum genere observatum ac literis proditum, atq; adeò, ut inquit Aristoteles in Animalium historia, παρὰ πολλοῖς θρυλλούμενον *à pluribus decantatum.* Tradunt enim Ciconias inter volandum alias ab aliis sublevari, sequentes *præcedentibus colla imponere, fessos duces ad terga recipere*, denique *genitricum senectam invicem educare.* Verba sunt Plinii lib. 10. cap. 23. Hoc ultimum est τὰς ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι τοῖς γονεῦσι, ut loquitur Apostolus 1 Tim. 5. 4. *vicem rependere parentibus*, nimirum ἀντιτιθέναι. Idq; ipsum valet ἀνταναπελαργῶν, verbum nobilissimum & quotidiani sermonis usu passim tritissimum, à πελαργὸς, h. e. *Ciconia*, egregia indole naturáque sumptum. Hinc item πελαργικὸς νόμος, i. *lex qualis est Ciconarum.* Lege autem illâ edicitur liberis ut parentes alant, aut vinciantur, Erasmi Adag. Chil. 1. Cent. 10. adag. 1. Quocirca valde probanda est vetusta illa versio Græca quâ חסידה πελαργὸς exponitur, quamvis minùs arriserit Olympiodoro Bibl. Gr. Rom. Not. ad Jobi 39. 16. Etenim volucris istius celeberrima proprietas & vis insita pulcrè respondet Hebraici nominis etymo. Id verò Aquilam neglexisse, accuratissimum aliàs Interpretem & significationis propriæ ubiq; diligentissimum investigatorem, in re præsertim tam pervulgata támque illustri, mihi quidem ægre patiar persuaderi: Quin potiùs hoc crediderim, aut (si libet) conjectarim, existimasse eum ἐρωδιὸν (quâ voce adhibitâ transferre solet חסידה) *Ciconiam* declarare. Conjecturam hanc meam haud parùm adjuvant Suidæ verba; Ἐρωδιὸς, ὁ πελαργὸς λεγόμενος, ἢ ὅμοιός τις αὐτῷ, *Erodius*, inquit, *eadem avis est qua Pelargus* (i. *Ciconia*) *dicitur, vel saltem ei similis.* Ritè insuper à naturali illo *amoris* affectu (de quo jam satis meminimus, & quem nomen Hebræum apertè indicat) vocabuli hujus quoque originem repetere licet: ac nè longè quidem; quippe res in promptu est posita. Molliter enim formari poterit ab ἔρως, ἔρωτος· ut ἐρωδιὸς quasi ἐρωλιὸς appelletur, mutato duntaxat ד in ל quod maximè in proclivi est. Etenim literæ sunt in eundem ordinem digestæ, & soni cognatione proximâ conjunctæ.

CAP. 11. *Quid verè sonet* רביונים, *utrolibet modo exponatur. Absurdum cùm Rabbinorum tum maximè Josephi Historici commentum. Compositio nominis ex Hebræo & Chaldæo non ità insolens putanda est apud posteriores Judæos. Enucleata vox* חריונים: *& cur altera in alterius locum substituta.*

IN verbis S. contextûs 2 Reg. 6. 25. חריונים impositum gerit circulum minutum; qui signum est Masorethicum sive per manus traditum quo monetur Lector vocabulum istud ad aliud in margine annotatum esse referendum quod hujus vice legatur, ut hîc loco קרי, חריונים, h. e. *legendum est* (nam id significatur literâ ק, cui à tergo adhæret virgula transversa supernè) רביונים. Cujus vocabuli pars prior, nempe רב, vel conjuncta legi potest vel disjuncta. Et conjuncta quidem sive integra legitur à plerisque, denotátque *id quod* (רב Chaldaicè, pro יב, i.) *defluit* sive *decidit*, videlicet à יונים *Columbis*: qualia sunt non solùm Stercus (ut vulgò existimatur) sed Ingluvies etiam & Interanea: Hæc enim omnia, qui Columbas dissecant & exenterant, defluere seu delabi sinunt in terram. Nam רביונים de *stercore columbino* tantùm intelligere, atque hoc deinceps ad focum accendendum adhibere, tam est probabile ut nihil minùs, si solum Josephi Historici commentum exceperis, unum profectò ex omnibus post homines natos longè absurdissimum ac spurcissimum. Narrat enim κόπρον περιστερῶν ἀντὶ ἁλῶν ἀνῆσθαι πρὸ Ἐζεχίου, *emisse Hebræos stercus columbarum quo vice salis uterentur*, ad cibos scilicet, quibus tamen miserè indigebant, condiendos, & ad gulam pariter sale isto (si modò Sal est habendum) in summa fame magis irritandam. Disjuncta verò sive dissoluta legitur à Josepho Kimchio Davidis patre; qui ד pronomen Chaldæum *quod*, ב præpositionem *in* exponendum arbitratur: ità ut רביונים *quicquid est in columbis* significet, h. e. quicquid intus habent Columbæ. Cujus significatûs ambitu universa antè memorata comprehendi perspicuum est. Atque hæc Josephi Kimchii interpretatio tum expeditior, tum punctorum vocalium rationi magis consentanea videtur. Utraque autem ejusdem est sententiæ (ut ostendimus) & idiomatis (ut per se patet) non Sancti seu Hebraici, sed communis ac vernaculi Judæorum, nempe Syrochaldaici. Neque cuiquam durum videri debet eandem dictionem

ex

ex Hebræo simul & Chaldæo esse conflatam, quando linguæ sunt cognatione quadam naturali inter se conjunctissimæ, Hebræa & Chaldæa, sive Syra. Jam verò post deportationem Babylonicam non, ut olim, pura & sincera erat lingua Hebræorum, sed mista & confusanea, veréque (ut ità dicam) *vernacula*, h.e. quæ vernas deceret, servos videlicet domi natos atque educatos apud dominos suos Assyrios, Chaldæos, Syros. Quorum verba si promiscuè usurpare in sermone quotidiano & vulgari paulatim consuescebant, minimè mirandum opinor.

Porrò quod attinet ad כתיב, nimirum illud quod in textu S. scribitur, nempe חרייונים, convenit inter omnes nomen compositũ esse, q. חורי יונים: cujus pars posterior notissima est; prior etsi non æquè, satis tamen nota est & ipsa. Neque enim ambigitur quin ad vocem Hebraicam חור pertineat *foramen* significantem, itáque nuncupatum (ut videtur) à *candore lucis* quæ per illud apparere & conspici solet. Deinde quoniam *caverna* est foramen quoddam, חור ad eundem modum à Latinis redditur, à Græcis passim σπήλη, voce idem denotante. Ad hæc quia *alvus*, Græcè κοιλία, verè insignis est humani corporis *caverna* seu *cavus recessus* (quod vel ipsa nomina satis apertè indicant: *Alvus enim* quasi *alveus* dicitur, & κοιλία ἀπὸ τῦ κοίλυ denominatur) non ineptè etiam ipsa חור appellari potest. Cæterùm *alvus* vel κοιλία non solùm *cibi* est & *potionis receptaculum* (ut ait Cicero De Nat. Deor. lib. 2.) sed *locus* etiam *quò defluunt sordes*, ut autor est Servius. Hinc חור Hebraicum cùm utramque *alvum*, tum etiam Metonymicè quæ utrâque tenentur inclusa, privatim verò *stercora*, Græcè κόπρια, sonare deprehenditur. Sic Latinè *alvus nigra, pallida, varia*, cæteráque ejusmodi apud Celsum & Medicos usurpata inveniantur pro *excrementis alvi*: Juxtà atque Paracelsici fimum equi propè ubique more suo *ventrem equinum* vocitant.

Significatio ista posterior bis occurrit: semel nempe 2 Reg. 18. 27. ubi vocabulo חרי (ut fieri solet) puncta aliena, vocis scilicet quâ declaratur, quam קרי appellatum ostendimus, attribuuntur. Est autem vox hæc צואה, quæ ad verbum ferè ἀποχώρημα vel *excrementum* vertitur. Ac rursum Esa. 36. 12. ibíque litera א thematica non est, sed productiva (ut vocant) linguis Orientalibus valde familiaris. Illa verò prior significatio eadem est cum hac de qua jam agimus, eámque suprà tractavimus. Reperitur autem 2 Reg. 6. 25. quo in loco חרי ambas κοιλίας seu *alvos* designat: quarum anterior in avibus à situ φολιοβῶ peculiariter Græcis dicitur, *ingluvies* Latinis; éstque sinus quidam quo statim cibi recentes neque dum satis confecti excipiuntur & conduntur. Ac vocis hujus quoque lectio puncta mutuatur à רב (cujus suprà meminimus) Chirik videlicet & Scheva: nam propria ipsius sunt Cholem & Tseri, solutâ compositione (uti initio indicavimus) ad hunc modum, חורי יונים, i. *alvi columborum*. *Alvorum* autem nomine intelliguntur (ut antè explicavimus) Interanea & Ingluvies. Et cum ingluvie quidem congestos, qui inibi solent inesse, cibos consentaneum est accipi; at cum Intestinis sordes etiam seu excrementa non item, utpote penitus abhorrentia ab alendi proposito.

Ad extremum, notam in libri ora adscriptam credibile est ab Ezra, qui Sacra volumina digessit, institutam fuisse ad popularem intelligentiam adjuvandam. Id autem Doctores Hebræi factum tradunt ut aurium honori consulatur. Quasi verò (si res diligenter expendantur) non æquè honesta sit vox utraque, scripta perinde ut lecta; aut quasi ulla omnino ex parte quovis modo corrigi possit, vel liceat, Spiritûs S. locutio: quod quidem in primis multò accuratissimè & religiosissimè cavendum est. Ego sanè simplicem ac unicam causam (quam modò indicavi supráque attigi lib. 5. cap. 3.) agnosco, ampliorem & dilucidiorem verbi alioquin obscurioris declarationem. Etenim præcipua habenda erat vulgi imperiti ratio, ut quàm facillimè cuncta percipere posset.

CAP. 12. *De varia apud veteres triturandi ratione. Déque diversis instrumentis eodem spectantibus.*

VAria erat priscis illis seculis apud Veteres triturandi ratio. Fruges enim vel excuti solebant vel exteri. Et excutiebantur quidem crebrò iteratis baculorum ictibus. *Infirmiora* quippe *semina*, inquit Hieronymus Com. in Esa. 28. 27. *virgâ excutiuntur & baculo, qua vulgò Flagella dicuntur.* Unde nostrum **Flayel** emanavit, quasi **Flagel** dictum. Nam vetusto idiomate Anglicano **y** pro **g** sæpe positum reperiatur; ut in **yeven** pro **geven**, **yate** pro **gate**, cæteríque ejusmodi. Exterebantur autem vel jumentorum ungulis, boum maximè in Judæa, secundùm illud in Lege, Deut. 25. 4. *Non obligabis os bovi trituranti*; (tametsi Columella non dubitet *equis meliùs quàm bubus eam rem confici posse*, De re rust. lib. 2. cap. 21.) vel insuper instrumento quodam rusticano, quod *tribulum* & *tribulum* quoque à *tero* antiqui appellarunt. *Id* verò *fiebat* (uti autor est Varro De re rust. lib. 1. cap. 52.) aut *è tabula* per se sola *lapidibus ferróve asperata, qua impositò aurigâ vel pondere aliquo grandi traheretur jumentis junctis.* Ac eodem ferè modo describunt Rabbini quoque hoc ipsum instrumentum trituræ accommodum, cujus Varro jam meminit. R. David in Radicibus ait חרוץ sive חריץ esse *tabulam ligneam, cui subtus infixi essent complures lapides exigui, quorum acuminibus exstantibus & grana frumenti exterantur, & stramenta in paleas concidantur.* R. Salomon in Esa. 41. 15. ità declarat, *Est instrumentum*, inquit, *ligneum ac ponderosum crebris incisurarum aciebus ad limæ similitudinem eminentibus paratum, quod eò usque trahitur super culmos dum, extritis frumentis, in paleas minutas redigantur.* Hactenus Rabbini alterum quidem tribulæ genus perspicuè & ad Varronis mentem appositè explicarunt: Alterum verò haud minùs cognitu necessarium, utpote in Scripturis Sanctis commemoratum ac celebratum, silentio transierunt. Audiamus igitur porrò Varronem: *Aut fiebat*, inquit ibidem, *ex asseribus dentatis cum orbiculis, quod vocatum est Plostellum Pœnicum: in quo quis sederet atque agitaret trahentia jumenta.* In eandem item sententiam Hieronymus Comment. in Amos. 1. 3. posterius hoc tribulæ genus, *Pœnicum* seu *Punicum* denominatum à Pœnis seu Tyriis aut Phœnicibus, Hebræorum quondam vicinis proximis, apud quos erat usitatum, docet *esse plaustrum quod rotis subtèr ferreis atque dentatis volvitur, ut excussis frumentis, stipulam in areis conterat, & in cibos jumentorum, propter fœni sterilitatem, paleas comminuat.* Prius autem illud, quòd rotis omnino careret, nec volveretur, sed simpliciter traheretur, meritò *traham* vocitatam arbitror ut à Columella sic à Vetere etiam Interprete 1 Chron. 20. 3. Atque ità חרוץ sive חריץ cum eodem peculiariter vertendum existimo, nempe *traham*, sic Hebraicè nuncupatam propter asperitatem incisurarum grana è folliculis excidentium & stramenta incidentium. Utrumque enim sonat חרץ. Manifestò autem distinguitur *traha*, Esa. 28. 27. à *plostello Punico*, i. plaustro rotis ad triturandum instructo, quod עגלה Hebraicè vocatur ibidem à Propheta, nomine tamen communi, non proprio: & pluribus constabat partibus quàm חריץ, fabricæque erat multò operosioris; quippe cùm (uti liquet ex testimoniis paulò antè allatis) & asseres simul dentatos haberet & orbiculos, ideóque longè majorem obtinebat terendi vim, & impetu ferebatur vehementiore. Proinde καὶ ἐξοχὴν *tribula* nomine generis quandoque appellata videtur à Latinis, ut à Columella De re Rust. lib. 2. c. 21. *Si pauca juga sunt, adjicere Tribulam & Traham possis: quæ res utraque culmos facillimè comminuit.* Itidem à Virgilio Georg. lib. 1. 164.

Tribulaque, traheæque, & iniquo pondere rastri.

Atque haud scio an nomen singulare חרוצה (cujus plurale apud Amosum reperitur cap. 1. ver. 3.) commodè *plostellum*

ſtellum Punicum ſignificare dicam, ut חרוצה accipiatur in morem ſubſtantivi, q. ענלה חרוצה, quod ad verbum reddas *plauſtrum aſperatum*, בחידודי החריצין (ſicuti loquitur R. Solomon) i. *aciebus inciſurarum*, tam quod ad rotas attinet quàm quod ad aſſeres. Atque idem hoc Ploſtellum trituratorium nomine proprio מורג appellatum videtur; & alicubi addito etiam epitheto ſynonymo מורג חרוץ, h. e. *ploſtellum trahæ*. חרוץ autem & חרץ ipſa quoque ſubſtantivorum loco uſurpata occurrunt: At ſubauditam habent vocem לוח, i. *tabulam*: vel קרש, i. *aſſerem*, utramlibet maſculini generis, ſicut & illa. Cæterùm מורג חרוץ Eſa. 41. 15. perinde ferè intelligetur atque טיט היון Pſal. 40. 2. Conjunguntur enim nonnunquam cognatæ ſignificationis verba emphaſeos gratiâ. Nam ut ibi in Pſalmo *lutum cœni* tenaciſſimum lutum deſignat valdéque profundum, ità hîc apud Eſaiam *ploſtellum trahæ* indicat ploſtellum ejuſmodi cui quaſi duplicata vis inſit, ploſtellum videlicet aſperrimum, quódque validiſſimè proterat res ſubjectas, comminuátque & diſcerpat.

Denique חריץ הברזל 2 Sam. 12. 31, &c. ego certè non reddiderim *tribulam*, ſive *traham*, *ferream*, (quippe inſolens & abſurdum opinor. Neutra nempe è ferro tota eſt unquam aut uſpiam fabricata) ſed *tribulam*, *traham*. ve, *ferratam*, h. e. cui paſſim infixum eſt aſperandi causâ ferrum; quemadmodum ſuprà perſpicuè (niſi me fallit animus) demonſtravi.

CAP. 13. *Quid denotet nomen* חרך, *itémque* שבכה. *Déque varia Feneſtrarum ratione, præſertim apud antiquos Judæos. Symmachi verſio quædam nondum vulgò ſatis intellecta enarratur. Verſio propria ac nativa loci Prov.* 12. 27. *aſſeritur & explicatur: Chaldæi verò Interpretis & Lxx minùs probatur.*

NOmen plurale חרכים Cant. 2. 9. (quod Lxx δίκλυα, i. *retia*, interpretati ſunt,) propriè ſignificat *clathros*, h. e. ferramenta ipſa lignáve directa atque tranſverſa retis in modum ſtructa inter ſe & compacta, quibus feneſtræ ſemper uſque ab ultima antiquitate ad noſtra tempora muniri conſueverunt: Itáque ibidem tranſtulerunt Tremellius & Junius. Totum autem opus שבכה Hebraicè dicitur, ut 2 Reg. 1. 2. Atque illud quale ſit R. Solomonem dilucidè docentem pauliſper attendere operæ pretium erit. *Ego*, inquit, *dico* שבכה *eſſe quod Gallicè vocant* גראד"ה Gráde. *Idque contexere ſolent in morem ſtaminis & ſubtegminis aſſeribus longis brevibúſque, quos* Cancellos *vocant, foramina frequentia habentibus.* Quod autem vetuſto ſermone Gallico *Grade* per *D* dicebatur, nos etiam nunc Anglicè a Grate per *T* appellamus. Idque nominis ex Latino haud dubiè eſt profectum. Cancellatum enim opus quaſi *gradatum* videtur, ut quod formatum ſit modicis intervallis, & foraminum quibuſdã ordinibus gradatim aſcendentibus ac deſcendentibus. Redditúrque à Græcis opus hujuſmodi δικλωτὸν, i. *reticulatum*, & à V. Latino Interprete *cancelli*. Utraque verſio, Græca Latináque, linguæ Hebrææ ex æquo convenit, à qua שבך nominatur quicquid *perplexum* eſt atque *intricatum*: Hebrææ tamen atque Arabicæ pariter congruentiſſima certè eſt Græca; ſiquidem Arabes δίκλυον, i. *rete*, שבך vulgò appellant. Tales fuerunt feneſtræ illæ quas אטומות, i. *obturatas* vel *clauſas* vocat Ezekiel 41. 16. ut ex Græcorum interpretatione liquet: nam ii חלנים אטומות θυείδας δικλωτὰς verterunt, h. e. *clauſas* ſeu *obtectas ſepimento reticulato* ſive *cancellato*. *Clathratas* Plautus perhibet Mil. glor. p. 397. l. 32. Ac planè tantundem valet θυείδες κρυπταὶ apud eoſdem Lxx Ezek. 41. 26. & 40. 16. i. *feneſtræ occultæ*, nempe operimento illo cancellato tectæ & obductæ. Sic Aquilæ quoque interpretamentum accipiendum, θυείδες πεφραγμέναι, i. *feneſtræ munitæ* aut potiùs *obſtructæ* (ſervatâ vocabuli Hebræi propriâ notione) quod perinde ſonat ac *obductæ*, utì jam expoſuimus. Verſio autem Symmachi aliquantò inſolentior eſt & ſatìs è longinquo arceſſita, θυείδες τοξικαὶ, i. *Feneſtræ obliquæ*, inquit Hieronymus Com. in Ezek. 40. *quæ idcirco à Sagittis vocabulum perceperunt quòd inſtar ſagittarum anguſtum in ædes lumen immittant, & intrinſecùs dilatentur.* Reduci poteſt hæc Symmachi interpretatio ad vulgarem Judæorum ſententiam, nimirum quòd propemodum clauſæ & anguſtæ erant feneſtræ illæ foris, & apertæ ſive latæ ac ſpatioſæ intus. Quocirca τοξικὰς ſuſpicor eas nuncupatas, petitâ à *ſagittariis* (non à *ſagittis*) ſimilitudine. Enimvero ſolent ſagittarii limis oculis & obliquo aſpectu atque tranſverſo corporis ſtatu ſagittas in ſcopum dirigere: Itidem feneſtræ etiam iſtæ non tantùm rectos Solis lucíſque radios intromittunt, ſed multò maximè obliquos & tranſverſos, hàc atque illàc ingruentes, ad ædes affatim & copioſè illuſtrandas. At enim hâc ratione non τοξικαὶ dicendæ eſſent feneſtræ illæ, ſed τοξολικαί· quod nuſquam exſtat. Igitur (ut apertè & ingenuè loquar) mihi neutra expoſitio plenè ſatisfacit, neque hæc mea poſterior, quoniam à Græco vocabulo diſcrepat, neque illa Hieronymi prior, quia Allegoriam redolet, rem ipſam non declarat. Quippe τοξικὰς θυείδας, i. *feneſtras ſagittarias*, non à lucidorum radiorum immiſſione, ſed à ſagittarum in hoſtes emiſſione, nomen traxiſſe apparet. Id quod me nuperrimè monuit nobilis Architectus, Leo Albertus Florentinus, de murorum munitionibus verba faciens; *Sunt*, inquit, De re Ædificatoria lib. 4. cap. 4. *per murum aptis locis relicta fiſſuræ, unde furtim à ſagittariis incautus & properans hoſtis ſaucietur. Fiſſuras* appellat feneſtellas ſeu aperturas in muris adeò anguſtas extrinſecùs ut rimæ tantummodo, propter diſtantiam laterum perexiguam, eſſe exiſtimentur; eam ſcilicet ob rem nequo jactu facilè telorum hoſtilium, niſi unico, nempe directo, eóque etiam haud ità promptè, propugnatores feriri queant. Intrinſecùs autem latiſſimè patebant, ut ampliſſimi ſpatii beneficio, non ſolùm rectà jaculari, ſed utramlibet in partem telum commodè pro re nata obliquare liceret. Hinc ergò conſtare poteſt (quod vix à quoquam hactenus animadverſum opinor) cur חלונות אטומות, i. *feneſtras clauſulas* ſive *obturatas*, Symmachus θυείδας τοξικὰς, h. e. *feneſtras ſagittarias*, interpretatus ſit. Nimirum quia ſagittariarum (quas jam monſtravimus) ſpeciem omnino referrent, & foris præ anguſtia aperturæ tanquam clauſulæ ſeu obturatæ viderentur, intus autem ſpatioſæ exſiſterent ad lumen quaquaverſum largiter ſpargendum. Ac de Symmachi quidem verſione ſatìs multa dixìmus.

Cæterùm quod ad ſuperius obturatæ feneſtræ genus attinet, quandoquidem per *cancellatum* hujuſmodi feneſtræ *ſeptum* Achaziam decidiſſe narrat S. Hiſtoria, aliquatenus indè probabile exſiſtit, pro temporis commoditate exemptiles aut verſatiles fuiſſe veterum clathros. Atque hinc חרכים fortè ſunt nominati, nimirum à חרך themate, quod Arabicè *motum* denotat, q. d. *mobiles*. Quibus extrinſecùs adhibitis olim muniri ſolebant feneſtrarum aperturæ: Sicut apud nos hodiéque eædem intrinſecùs paſſim muniuntur mobilibus quibuſdam ſeu truſatilibus, quas ideo Drau-windows, quaſi *tractiles feneſtras*, quòd huc illuc facilè trahantur, vulgò appellamus. Sed hoc intereſt, quòd illæ clathris conſtarent, ut per eas interdiu cerni poſſet, iſtæ verò tabulis accuratè & firmiter compactis atque conjunctis conficiantur, ut nè quà furibus noxiíſve animalibus vel aeris incommodis ullus noctu pateat introitus.

Convenit inter omnes, ad hanc radicem ſpectare quod habetur Prov. 12. 27. לא יחרוך רמיה צידו: ab omnibus tamen verbo חרך attribuitur ſenſus alienus, minimèque congruens cum uſitato illo nominis ſignificatu quem ſuprà declaravimus. Nam concorditer univerſi, quos mihi contigit videre, ex Chaldaiſmo verſionem mutuantur, hoc modo, *Non aduret doloſus venationem ſuam.* h. e. *Non aſſabit nec elixabit*, inquit Aben Ezra. Ego verò (quod pace tot doctiſſimorum virorum dicere liceat) nè tranſverſum quidem digitum (ut aiunt) à pervulgata ipſius nominis notione diſcedendum cenſeo: Namque ità propriè & germanè interpretandum opinor, *non clathrabit*, i. non

i. non clathris aut cancellis circumdatis asservabit, *venationem*, seu *quod venando cepit*. Mos erat antiquus, idémq; ad hodiernum usque diem manet, ut captas tum aves tum feras illico in caveas clathratas vel cancellatim compositas includerent sive aucupes sive venatores, ubi paratæ semper in promptúque essent, quibus fruerentur quotiescunque liberet, cùm ad alimentum corporis, tum etiam ad liberam animi oblectationem. Venustè igitur & perspicuè facilliméque, nullo extrinsecùs assumpto interpretamento, sed domi apud ipsos Hebræos nato, sententia per se constat. Quippe negat Solomon fore id quod summè cupit dolosus seu fraudulentus, videlicet ut prædam quasi clathratam & in potestate sua positam obtineat & fruatur; quinimo contrà eventurum, ut præter opinionem mox aliquà elabatur aut eripiatur præda priusquam caveâ firmiter includatur, atque ità ejus usu fructúque penitus destituatur dolosus. Lxx לא יחרוך reddunt οὐκ ἁλώσεται *non adipiscetur* venationem cupitam, transitivè. Hos imitatur, eorum vestigiis insistens, Chaldæus Paraphrastes, sed intransitivè vertit, לא נסתקבל *non obveniet*, sive *non occurret*, οὐκ ὑπαντήσει, quasi dicant utrique, *Captabit quidem dolosus, sed non capiet*: imò, sicuti verba contextûs Sacri clarè sonant, Ut quàm sæpissime capiat, certè non percipiet, non possidebit, non fruetur unquam. Nam illud alterum communis omnium ætatum experientia palàm redarguit.

Cap. 14. *Varia interpretatio nominis* Hobnim *apud Ezekielem. De præstantia Hebeni, ejúsque duobus generibus. Cur pluraliter enunciata sit vox* הובנים. *Cur conjunctim recensentur à Propheta Ebur & Hebenus.*

Hobnim apud Ezekielem c. 27. 15. vulgaris Interpretatio Græca reddit τοῖς εἰσαγομένοις, i. *his qui introducebantur*, cùm *Houbaim*, (tanquam à בא in Hophal) pro *Hobnim* vitiosè legisset. Neque recta est versio Jonathanis Chaldæi, qui הובנים interpretatur טווסין, h. e. *Pavones*: ità namque significat טווסא (autore Kimchio) vocabulum Rabbinis usitatum; mirum ni à voce Græca παὼς primò deductum. Cæterùm Kimchius in Lexico חיות, i. *bestias*, esse censet, quarum ex ossibus vel cornibus fit opus artificiosum. Idem tamen postea *quosdam* ait Hobnim *exponere Arborem quandam quam* יבנים (scribendum fortasse איבנים vel איבנום) i. *Ebenum, nuncupant*. Rursus eandem arborem in Commentariis אבנום Arabicè dici tradit. Itidem à Matthæo Sylvatico Pand. Med. c. 229. *Abnus* perhibetur. Atque ità הובנים ἐβένους vertit olim Symmachus; quem secutus est Hieronymus; nec injuriâ. Etenim hæc germana est proculdubio vocis istius declaratio, ut non modò ostendit (quod vel sonus statim indicat) manifesta nominis vicinitas, verùm etiam abunde attestatur rei ipsius veritas. Ex Scriptura nempe patet, Dedanæos illos quos ibi memorat Ezekiel mercatores insignes fuisse, & Arabiæ Felici conterminos; idcirco cum ex ea tum ex India atque Æthiopia eidem propinqua pretiosissimas merces reportabant. Hæ verò quænam fuerint ex antiquissimo Regum Persidis tributo regionibus illis Australibus indicto facilè intelligere licet: Erat autem triplex, Auri, Eboris atq; Hebeni. Adeóque ad ipsa Romanorum Imperatorum tempora *tertiam rem in tributorum autoritate mansisse Hebenum* testatur Plinius lib. 12. cap. 4.

Porrò הובנים plurali potiùs numero quàm singulari Prophetam scripsisse arbitror, quòd materies illa in teretes quasdam partes & quasi frusta scissa à negotiatoribus advehi soleret. Athenæus κορμοὺς, i. *truncos* seu *stipites* appellat Deipnos. l. 5. p. 61. Plinius *phalangas*. Quocirca הובנים non *ligna hebenina* cum Hieronymo sed propriè *phalangas hebeninas* cum Plinio libenter transtulerim. Sunt qui *Hebenum*, quia duûm est generum, הובנים ab Hebræis plurali numero appellatam existiment. At tum *Hebenus* Hebraicè dicenda esset, non Hobnim, q. d. *multa Hebenorum genera*, sed Hobnajim (hæc enim dualis est forma) i. utraque Hebenus. Et quidē *duo ejus genera* narrat Plinius l. 12. c. 4. *arboreum* unum, *melius* ac *rarum*; alterum *fruticosum* & vulgare, utpote *totâ Indiâ dispersum*. Dioscorides lib. 1. cap. 130. ità distinguit ut dicat Hebenum alterum *Æthiopicum* esse *præstantissimum, ac nigrum*; alterum verò *Indicum, multò inferius, lineisq; albis & fulvis intercurrentibus variatum*. Quare statuendum est, hoc rejecto, illud duntaxat in pretio fuisse: & singulariter quidem *Hebenum* appellatum, quod ad ipsam materiem attinet; pluraliter autem *Hobnim*, quod ad partes illas seu phalangas quas memoravimus. Hinc insuper liquet, cùm Poeta canit Georg. lib. 2. *solam Indiam nigrum ferre Hebenum*, eum *Indiam* ibi (ut aliàs nonnunquam evenit) pro *Æthiopia* usurpasse. Nam Æthiopiæ peculiarem fuisse Hebenum illam pretiosam nigrámque, testem longè antiquiorem Dioscoride citat Plinius Herodotum Historicum: eúmque narrat prodidisse, *centenas phalangas è materie illa Regibus Persicis tertio quoque anno Æthiopas persolvisse*, Nat. hist. l. 12. c. 4.

Postremò aptissimè à Propheta conjunguntur *Ebur & Hebenus*, non solùm quòd simul illa pensitari Regibus mos esset vetustissimus, sed quia naturæ quadam societate sint devincta, & ἀντιστοίχως sibi mutuò respondentia. Etenim utrique extremus est color, eodem excellentiæ gradu, Ebori videlicet pulcerrimi candoris, Hebeno speciosissimi nigroris. Utrumque politissimum, nitidissimum & incomparabili lævore conspicuum. Denique utrumque corneum exsistit, h. e. ad similitudinem Cornu quàm proximè accedit. Ac de Ebore quidem audi Ezekielem *cornua Eboris* commemorantem: De Hebeno consule Dioscoridem; ἐμφερὲς, inquit, κέρατι ἠργασμένῳ, h. e. *cornum refert elaboratum & lævigatum*.

Cap. 15. *Varia interpretatio vocabuli* טף. *Ejusdem originatio; ut & nominis Arabici* טפלא *à P. Chaldæo passim usurpati.* Ἀποκοπή. *Verbum* טפף, *quod est apud Esaiam, explicatur.*

Vox Hebræa טף à V. Latino Interprete ubique vertitur *parvuli* in plurali; quemadmodum sæpe à Lxx παιδία, i. *pueruli*: nonnunquam etiam νήπια, i. *infantes*, ut Jer. 43. 6. & Ezek. 9. 6. ubi ab *adolescentibus* ac *virginibus*, qui ætate jam sunt adultâ, apertè distinguuntur. Quocirca νήπιος sive *infans* hoc pacto non solùm *eum* denotabit *qui omnino non fari* sed *eum* etiam *qui non satis fari aut sapere per ætatem* potest. Rationem nominis satis commodè à תפף petere licet, nimirum ut טף quasi תף appelletur (verso ת in ט: quod translatitium est, ut in טעה pro תעה cernitur; sunt enim literæ ejusdem prolationis.) Pueri enim, atque adeò Infantes ipsi, usque à teneris unguiculis, motu admodum crebro, & variâ maximéque conspicuâ manuum præsertim ac brachiorum agitatione mirè gestire solent, prorsus in morem *tympanizantium* seu *tympana pulsantium*. Paraphrastes Chaldæus טפלא adhibet, nomen planè Arabicum. Ità namque Arabes νήπιον, itémque παιδίον vocitant, Euangel. Arab. Matth. 18. 2. & 21. 16. Hujus porrò nominis originem à טפל, quod Hebraicè sonat *consuere, concinnare, adjungere* deducendam arbitror. Atque à vetustis Rabbinis id טפל dicitur quod ἐν παρεκβάσεως μέρει, i. *accessionis instar*, est; sicut è diverso עקר, quod *præcipuum* est & *principale*. Enimvero ad eundem modum parvuli matrum, quarum proprium est & naturæ convenientissimum munus τεκνοτροφεῖν, h. e. *liberos educare*, ut docet Apostolus, necnon nutricum, quæ matribus quasi vicariæ succedere solent, tanquam *appendices* quædam sunt atq; *additamenta*; quibus adhærescere, nec ab earum complexu, dum adhuc tenera est mollísque puerorum ætas (hanc autem sexennio, si bene memini, Plato definivit) avelli abstrahíve oportet. Eâque re, tum præterea quòd mollitie timiditatéque simillimus sit ætati puerili sexus muliebris, factum opinor ut identidem in S. literis, quando cœtuum sive multitudinum recensiones narrantur, unà cum *mulieribus* conjunctim nominentur *pueri*.

Non ineptè itaque V. Editio Latina, cùm in Hebræo Exod. 12. 37. reperiatur tantummodo *abſque parvulis*, adjecit inſuper *& mulieribus:* namque id ſubintelligi licet ac debet, pro communi Scripturarum Veteris Noviſque Teſtamenti loquendi conſuetudine, & uſitata notiſſimæ Synecdoches ratione. Quanquam illic (ut & alibi Num. 1.3. & 14. 3,31.) imbellis puerorum ætas notatur. Privatim enim & præcipuè nomine טף, i. *parvulorum* ac *puerorum*, intelliguntur omnes mares qui nondum viginti annos nati, nec ad militiam idcirco apti erant, ut contrà nomine הגברים, i. *virorum*, militaris ætas propriè deſignatur, eorum videlicet qui jam viginti annos aut attigerunt aut etiam ſuperarunt. Mulierum verò nulla unquam militaris habetur ætas.

Valde quidem aliena & extranea eſt verſio Σπυρὶς, i. *ſupellex, inſtrumentum*; quâ tamen Græci Interpretes, non antiquiſſimi illi Lxx, clariſſimi viri, ut opinor, ſed nuperi quidam obſcuri interpolatores, neſcio qui, nonnunquam utuntur ad Hebraicum טף exprimendum. Ego verò eam à Chaldæi Paraphraſtæ טפלא (quod ſuprà expoſui) profectam ſuſpicor. Sunt enim inſtrumenta & ſupellex omnis *appendicum* atque *acceſſionum* numero ducenda, utpote ad neceſſarios vitæ humanæ uſus accommodata & comparata.

Verbum infinitum טפוף, Eſa. 3. 16. uſurpatum, ad hanc radicem pertinet, propriéque denotat *parvulos imitari*, vel *more puerorum ſe gerere*. Significat ergò Propheta filias Sion vel *minutis paſſibus ingredi*, ſicuti ſolent parvuli (itáque interpretatus eſt Tremellius) quod certè leviculum eſt, neque adeò ab inſita atque innata feminis mollitie abhorrens; vel potiùs *ludibundas & exſultim incedere:* quod verè eſt inſignis laſciviæ argumentum. Quare hoc pacto טפף à טף perinde deducetur apud Hebræos atque παίζειν, i. *more puerorum ludere*, ἀπὸ τῶ παιδὸς apud Græcos. Alii (in quibus eſt V. Int. Latinus) טפוף à תוף (ut ſuprà monuimus) derivare maluerunt, ideóq; *plaudere* tranſtulerunt. Iſtud autem indecoro manuum geſtui aptè tribuendum putarunt, quoniam continuò Propheta ſubjungit de ludicro pedum greſſu mentionem expreſſam.

CAP. 16. צוף *unde dictum. Rabbinica ejus appellatio exponitur; Syriaca quoque, unde illa oriunda eſſe exiſtimetur. Macula quædam Dictionarii Chaldaici eluitur.* ככר *quid ſit.* מורה יורה *ſeu quid valeat Hebraicè; quid item ſynonymum* בכוריא *Syriacè.*

KImchius צוף explicat in Lexico חלת הדבש. Hoc autem, ſi verbum verbo reddendum erit, rectè declaratur *placenta mellis* ſeu *mellita*. Sed cùm hæc locutionis ſpecies longè alium exhibeat ſenſum legenti quàm is eſt ad quem indicandum accommodatur, opportunè additur alibi in eodem libro [voce יער] שיוציאו ממנה הדבש, i. *ex qua mel educitur* ſive *exprimitur*. Non eſt igitur hoc in loco חלת הדבש *placenta mellis*, operis piſtorii genus quoddam, ſed omnino apiarii. Id verò κηρίον Græci perhibent, à *cereis cellulis* (κηρὸς cera eſt Græcè) in quibus apes mellificant. *Favum* Latini vocant eodem ferè modo à *faviſſis*, h. e. *flaviſſis*, liquefcente *L.* Sunt autem *flaviſſæ* (uti autor eſt Soranus apud Gellium) vetere Romanorum ſermone *theſauri*, ſeu loci ad recondendum aliquid idonei. Antiquâ Hebræorum linguâ צוף propriè dicitur à *fluendo* & *diſtillando:* etenim favus melle manat & fluit. At verò חלת דבש appellatio quidem elegans eſt, ſed nupera, ex recentiore quadam Judæorum loquendi conſuetudine nata. Porrò conſuetudinem iſtam (niſi me fallit conjectura) ab idiomate Syrorum primùm originem accepiſſe arbitror. Illi namque Favum mellis ככריתא דרבשא appellare ſolent, Luc. 24 42. Eâdémque formulâ utuntur Paraphraſtæ Chaldæi indidem derivatâ. Atque hîc mihi in mentem venit fœdum mendum quod in Dictionario Chaldaico optimi viri Sebaſtiani Munſteri inhæret. Habetur enim ibi כבריתא per Beth ſcriptum. Neque temere per incogitantiam accidit, ſed conſultò & de induſtria ità exaratum eſt, ut ipſa literarum ſeries palàm oſtendit. Quare monendi ſunt imperitiores ut reſtituto Caph in locum Beth emendatè legant. Sic quoque fiet ut appellatio Syra ככריתא דרבשא Hebraicam חלת הדבש ſenſu penitus æquiparet: Etenim דבשא eadem planè vox eſt quæ & דבש Hebraica. חלת autem & ככריתא, licèt ſono diſſideant, re tamen ipſâ idem valere opinor: ſiquidem ככריתא omnino eſt Hebræum ככר, niſi quòd illud formam habet femininam, hoc maſculinam. Atqui חלה & ככר ſignificatione conveniunt: id quod conferenti, 2 Sam. 6. 19. cum 1 Chron. 16. 3. ſtatim liquebit. Nam pars eadem muneris Davidici quæ in Samuelis Hiſtoria vocatur חלת להם, in dicto Chronicorum libro ככר להם appellatur. ככר ex ſe ſuâque naturâ ſimpliciter conſideratum, generatim denotat *maſſam in latum diductam*; quæ cùm ex metallo conflatur *talentum* exſiſtit; cùm ex farina fingitur, חלה, i. *placenta*, evadit. Hujus figuram quoniam aliquatenus imitatur Favus, utpote latior quàm craſſior, חלת דדבש à Judæis, eodémque modo ככריתא דרבשא à Syris nuncupatur.

Voce יורה ſive (quæ ejuſdem radicis eſt ſurculus & tantundem valet) מורה certum quoddam pluviæ genus deſignatur, temporis reſpectu. Eam verò Lxx πρώϊμον ὑετὸν nominant; Vulgata autem Editio Latina modò *pluviam matutinam*, ut Joel. 2. 23. ad verbum Græca reddens; modò ſenſum duntaxat exprimens, *pluviam temporaneam*, i. tempeſtivam, vel quæ maturè ac primo quoque tempore decidit, Deut. 11. 14. Idque ipſum planè denotat vocabulum Metaphoricum πρώϊμος ſive *matutinus*: ſiquidem tempus matutinum primam diei partem eſſe nemo ignorat. יורה ergò pluvia tum demum fieri intelligitur cùm primùm terræ ſemina mandantur, (quemadmodum ex ipſis Hieronymi verbis colligitur Comment. in Hoſ. 6. 3.) nimirum ut tempeſtivè oriatur herba, *imbribus* hiſce *primoribus* (ſic enim loquitur Varro De re Ruſt. lib. 2. c. 2.) *evocata*. Itaque יורה eruditè interpretatus eſt Junius ex primaria thematis ſignificatione, *pluviam ejus qui injicit ſemen & committit humo*. Fortaſſe etiam ab *oſtendendo* (quæ altera eſt thematis ſignificatio) utrumque nomen מורה ſeu יורה inditum videatur. Efficit enim id genus pluviæ ut ſemen terræ ſulcis commiſſum obrutúmque, atque aliquantiſper abſconditum, tum denique ſeſe oſtendat emicétque & appareat, humore ſcilicet copioſo deſuper infuſo herbeſcentem viriditatem efficaciter eliciente. Syriacè בכוריא appellatur ab Hebræo בכיר formato nomine, quod πρεσβύτατον ſonat vel πρωτότοκον, h. e. *natu maximum* ſive *primogenitum*; quoniam videlicet culturam continenter ſubſequens haud ſecùs reliquas deinceps pluvias antevertit quàm primogenitus fratrum omnium primus naſci ſolet.

CAP. 17. *Multiplex verſio Græca Latináque & Chaldæa verborum* יחגרו *&* יחרגו *examinatur & explicatur. Tandem nonnihil ex Arabiſmo adjicitur eodem ſpectans. Nomen* חובלים *apud Zachariam Prophetam quid valeat declaratur ex ſententia veterum ac nuperorum Interpretum.*

PRobabile eſt יחגרו 2 Sam. 22. 46. literis poſterioribus tranſpoſitis, legi יחרגו Pſal. 18. 46. ut eadem utriuſque Carminis conſenſio, quæ in cæteris omnibus vocibus luculenter apparet, in hiſce duabus quoque pariter eluceſcat, útque quod inferius eſt (quoad ejus fieri poterit) ad principale ſemper exigatur, h. e. radix Chaldæa Syráve ad Hebræam, non è contrario. חגר autem Chaldaicè Syriacéque *claudicare*. Unde Græci ἐχώλανεν interpretati ſunt; perinde Latinus *claudicaverunt*, Pſal. 18. q. d. *Quamvis claudi eſſent hoſtes mei, tamen clauſtris*, ſeu *penetralibus, ſuis diffiſi, indéque egreſſi, fugâ qualicunque ſaluti ſuæ conſuluerunt*. Eodem etiam pertinet verbum ἐχώλευεν 2 Sam. 22. ídque uſurpatum ſignificatu neutrali: Cujus exemplum cùm ſe deſiderare profiteatur Henricus Stephanus, hîc promptum inveniat. Denotat enim

enim apertè πταίειν, i. *impingere, titubare, vacillare.* Σφαλλῶσιν, *titubabunt, è clauſtris*, h. e. titubante greſſu fugient, utì ſolent qui præpropere feſtinant. Quòd ſi ad corpus animúmque ſimul verbi Græci notionem extendere libet, idem propemodum quod *trepidare* ſignificabit: ac meritò quidem. Namque trepidus omnis vacillat cùm corpore tum animo. Certè in Gloſſario antiquo Σφάλλω (h. e. Σφάλλω abſolutum ſeu intranſitivum) verbo *trepidat* Latinè declaratur. Et tantundem valet חרג (nempe Hebræum חגר tranſpoſitum) apud Chaldæos. Itaque reddunt utrobique noviſſimi Interpretes, *horreſcunt è conclavibus ſuis*, tremore videlicet oborto. Vetus autem 2 Sam. 22. vertit *contrahentur in anguſtiis ſuis*, pavore ſcilicet metúve, forſitan hinc quoque petitâ tranſlatione. At propius vero eſt, ab uſitatiſſima Hebræis *cingendi* ſignificatione verbi חגר iſtud interpretamentum deſumptum fuiſſe. Nam *cingere* nihil aliud eſt quàm veſtes cingulo ad corpus contrahere atque conſtringere. Aut potiùs (quod eodèm redigitur) cùm apud Græcum aliquem Interpretem Latinus πλέκειν reperiſſet, indè verſionem ſuam hauſiſſe putetur. Etenim πλέκειν propriè eſt μὴ φόβῳ συσπᾶσθαι, autore Euſtathio, h. e. ubi quis præ metu in angulum aliquem locúmve occultum intimúmque quàm maximè procul ab hoſte ſeſe abdit, ibíque contractis crúribus, brachiis totóque corpore, ſpatio quàm fieri poteſt minimo deliteſcit. Quod ipſum ſpatium mox propterea in contextu Latino *anguſtiarum* nomine appellatur. Satis apta ſanè interpretatio iſta foret niſi magis ei conveniret præpoſitio ב, i. *in*, quàm מן, i. *è* vel *ex*, *à* vel *ab*. Igitur congruentior erit ſententia ſi חגר pervulgato *accingendi* ſignificatu accipiatur, hoc pacto; *accingent*, ſive *expedient, ſe ex clauſtris*, h. e. relictis rebus omnibus, expeditè celeritérque ſe proripient è clauſtris. Nam qui alicubi concluſi & obſeſſi tenentur, ſummè cupiunt quàm expeditiſſimè procul aliquò excurrere atque profugere, haud ſecùs atque aviculæ è caveis evolare. Exemplo ſit David apud Keilæos. Huc quadrat utriuſque Paraphraſtæ verſio Chaldæa. Alter enim habet יזעון, i. *movebuntur*, vel *movebunt ſe*, mutatis ſcilicet ac derelictis priſtinis ſedibus quibus olim conſiſi erant. Alter יטלטלון, i. *migrabunt*, nempe vagi ac profugi, quæritantes loca longè remota ubi tutò & liberè conſiſtant & conquieſcant. Ad eandem propè ſententiam accommodari poteſt radix Chaldæa חרן. Nam trepidatio omnis repentinus quidam motus eſt ac concuſſus; atque adeò trepidationis vehementis effectum & τακμήριον eſt varia & præceps motio. Solet enim qui grave aliquod periculum aut calamitatem imminentem ſubterfugere vult, ſubindè ſedem ex ſede velociter mutare; prout Sedechiæ pſeudoprophetæ minatur Michæas 2 Chron. 18. 24.

Poſtremò Lectorem monere libet, Arabicam inſuper verbi חרן ſignificationem, i. *exire, prodire, egredi*, ſatìs rectè congruere, hoc modo; יבלו ויחרגו ממסגרותיהם, h. e. *cadent & prodibunt è clauſtris* (ſive *penetralibus*) *ſuis*. Senſus eſt, Cadent animis vel audaciſſimi confidentiſſimíque hoſtes mei, & latibulis ſuis, quibus antè fidebant, ſéque eorum præſidio ab omni periculo tutiſſimos exiſtimabant, egreſſi, deditionem facient. *Latibulorum* nomine propugnacula, & potiſſimùm vaſtas ſpeluncas in aſperrimis montibus rupibúſque editiſſimis ſitas intelligo; de quibus multa in S. literis, & apud Joſephum cæteróſque tum Hiſtoricos tum Geographos. Arabicus Pſalmorum Interpres Romæ nuper editus pro חרגו, literâ gutturali unâ in locum alterius molliſſimè ſuffectâ, poſuit ערגו, quod Arabibus idem prorſus eſt atque ἐχώλανεν Græcis, h. e. *claudicarunt*. Quinetiam Interpres ille propemodum ubique ad Editionem Græcam verſionem ſuam datâ operâ aptaſſe videtur.

Vox Hebræa חובלים apud Zachariam Prophetam c. 11. 7. ancipitis certè eſt difficiliſque ſententiæ. Difficultas autem omnis oritur (ut plerumque accidit) ex multiplici thematis ſignificatione. Nam חבלים Lxx σχοινίσματα reddiderunt, h. e. non *funiculos*, ut V. Editio Latina habet, ſed potiùs *funiculamenta* (ſi modò verbum è verbo exprimere volumus) i. *agri poſſidendi portiones*, μέρη ἢ κλῆροι, ut rectè ab Heſychio & Suida vox Græca exponitur: Quoniam funium adminiculo à menſoribus priùs metatæ aſſignari deinde poſſeſſoribus ſuis conſueverunt portiones illæ. Atqui cùm vocabulum Hebræum ſit participium Cal activum, neceſſe eſt ut χοινίζοντος magis ſonet quàm χοινισμάτα. χοινίζοντες autem propriè intelliguntur *ii qui fune demenſam atq; deſcriptã hereditatem ſeu poſſeſſionem aliquã obtinent*. Idémq; ſignificatus optimè cùm in vocem Hebræam חובלים, utpote à חבל *funiculum menſorium* ſonante deductam, tum in rem præſentem convenit. Namque eodem modo Terræ ſanctæ poſſeſſio priſca & avita utriſque obtigit tam Judæis quàm Iſraelitis. Itaque ſequitur continuò, *Diſſolutam, diruptam* ſeu *irritam germanitatem fore*, nec ampliùs inſtar *fratrum unà habitaturos*, aut eiſdem poſſeſſionibus, utì ſolent fratres Pſal. 133. 1. conſociandos, ſed deinceps juſto ac ſevero Dei judicio in regiones diverſiſſimas, pervulgato alienorum & extraneorum more, diſtrahendos atque diſſipandos. Hunc certè ſenſum non temere reſciendum arbitror. Atque is adeò cuidam arriſit ut nomen אחוה ſubtextum, quò exactiùs ei reſponderet, καταχρῆσιν transferendum cenſuerit. Sed deceptus inſuper eſt proculdubio ſimilitudine literarum ו & י: proinde אחוה pro אחוה eum legiſſe oportet. Ad eundem quoque lapidem doctiſſimus ille vir Editionis Francofurtenſis autor pedem offendiſſe videtur: Etenim in Annotationibus καταχρῆσιν planè *ex Hebræo* verti aſſerit: quod equidem miror; ſiquidem neutrum hìc ex Hebræo eſt, neque καταχρῆσιν (ut oſtendimus) neque διαθήκην, quod in pleriſque libris perperàm habetur, quippe huc ex verſu 10. importunè trajectum, aut ſaltem ex Chaldæi Paraphraſtæ קימא hìc repetito fortaſſis effictum. Tremellius, alio Funiculi uſu obſervato, חובלים *devincientes* transfert. Funis enim ad vinciendum & conſtringendum eſt aptus, idcirco etiam ad conjungendum & componendum. Unde fit ut aliquando apud Thalmudicos occurrat חבילה pro *amoris & benevolentiæ conjunctione* acceptum: In Scripturis autem nuſquam comparet ſignificatio illa. Hoc tamen loco cum ſubſequentibus, nempe *ut diſſolverem germanitatem*, rectè cohæret.

Alii *corrumpentes* ſeu *perpendentes* vertunt, notione tam Chaldæis Syríſque quàm Hebræis uſitatâ: Sed utrobique omnino ferè in Piel aut Pael; in Cal verò (quemadmodum hìc cernitur) non niſi quàm rariſſimè.

Cap. 18. *Significatio Hebraa verbi* חנט, *Syris item & Arabibus uſitata, declaratur.* Μίγμα *quid ſit, &* ἐπιθυμιασμός. *Quid* συσσῆναι *ſonet Act.* 5. 6. *Inepta interpretatio coarguitur.* Κηδεῖαι, *i.* faſciæ ſepulcrales, *etiam* σπεῖραι *dictæ, & quamobrem.* ἀπεσσῆναι *idem quod* συσσῆναι.

RAdix Hebræa חנט ſenſu ſuo nativo ac primigenio apud utrumque Paraphraſtem Syrum & Arabem uſurpata invenitur Joh. 19. 39. ubi quod Græcè μίγμα dicitur Syriacè חונטתא, Arabicè חנוט redditur. Sonat autem μίγμα *miſturam*: & accommodatur propriè ad medicamentorum miſturas, ut eſt apud Galenum: item ad colorum compoſitiones quæ à pictoribus confiunt; nec non ad unguentorum, quæ à myropolis. Illud ex Suida conſtat, hoc ex Euangeliſta. Et quidem perſimilis eſt horum inter ſe ratio. Apparet igitur חונטתא vel חנוט, ex hoc verſu & altero ſubſequenti, eſſe μίγμα ἀρωμάτων: &, ut explicat R. Solomon Com. in Gen. 50. 2. מרקחת בשמים *condituram aromatum*, h. e. unctionis quoddam genus ex variorum aromatum ſpeciebus confectum, quo delibuta fuerunt olim, apud Ægyptios maximè præter cæteros omnium ubique gentium mortales, defunctorum, præſertim illuſtrium virorum, cadavera, ut quàm diutiſſimè integra atque incorrupta ſervari poſſent. Vide Gen. 50. 2. Conſule item Herodotum, Diodorum Siculum, & Plinium. Quocirca cùm unguentum illud pretioſiſſimum

in

in corpus Domini esset effusum Matth. 26. 12. & Marc. 14. 8. opportunè amplam indè valdéque idoneam Mortis & Sepulturæ suæ prædicendæ occasionem arripuit; *Occupavit*, inquit, *ungere corpus meum ad sepulturam*: q. d. Hæc unctio est quasi altera cadaveris mei pollinctura propediem futura. Ubi observandum est, vocabulum Græcum ἐνταφιασμὸν idem ipsum esse quo utuntur Lxx in Hebraico חנט transferendo Gen. 50. 2, 3, 26. Exponitur autem in Lexico veteri Græco-latino *pollinctura* seu *funeratio*. Propriè tamen & verè (uti ex Budæo annotat Stephanus) ἐνταφιασμὸς dicitur cùm corpus mortuum τοῖς ἐνταφίοις, subaudi ὀθονίοις, h.e. *linteis* suis *sepulcralibus*, involutum & obvinctum, sepulcro mox condendum præparatur. Atenim quoniam istud de more fiebat additis unguentis aromaticis, hinc ἐνταφιασμὸς etiam pro ipsa sumitur *unctione* sive *pollinctura*.

Eodèm pertinet Συνέλαβε, verbum à Luca Euangelista adhibitum in Actis Apostolorum ad corporis mortui funerationem indicandam. Id quidam aliàs *corripere* transfert, aliàs *subtraherè*; sed meo quidem animo neutiquam appositè. Neque verò longè abire necesse est: quippe in proximo posita pervulgata verbi notio optimè quadrat, nempe *contrahere* seu *coarctare*. Eámque jure amplectitur Syrus, usurpato ibidem themate כנש, quod *congregare* seu *colligere* denotat, ut Hebræum כנס, unde fluxit. Hinc מכנסים, i. *femoralia* seu *subligacula*, nuncupata, quippe *contracta* cujusdam & *constricta* vestis genus. Similiter in corpore sepulturæ adornando, ubi totum fuerit undique vinctum atque obligatum linteis illis, palàm est fieri id omnino non posse sine accurata membrorum omnium *contractione* & *coarctatione*. Itaq; quod in Actis Apostolicis dicitur Συνέστειλαν, i. *contraxerunt*, idem à Johanne in Euangelio exponitur ἔδησαν, i. *vinxerunt*, modum scilicet Euangelistâ monstrante: Eúmque ibidem etiamnum dilucidiùs Paraphrastes declarat, verbo Syriaco כרכו usus, i. *involverunt*: q. d. *contraxerunt*, seu *in angustum collegerunt corporis mortui membra, vinciendo eadem multiplicibus linteorum sepulcralium voluminibus*. Atque hæc à Græcis κνεῖαι propriè vocantur Joh. 11. 44. *fasciæ* à Latinis, itidem quoque à Syris פסקיתא, quod provenit à singulari פסקיא. Idque omnino est *fascia*, nomen Latinum. Neque enim à פסק, i. κόπτειν, proximè est oriundum, quasi פסקיתא κόμματα dicas; quamvis pulcrè inter se congruant etyma. Nam κνεῖαι à κνήθειν derivatur, perinde ut κόμματα à κόπτειν. Utrumque igitur horum nominum *segmenta* ἐτύμως reddas. Græci etiam σπείρας nominant, ut intelligitur ex verbo mendoso Σπειρολοκῶ, quod περιλλήλως cum ἐνταφιάζω, tanquam eidem æquipollens, conjungit Glossarium: Σπαὶ verò Metaphoricè nuncupatæ videntur propter similitudinem, quòd ad vinciendum aptæ essent, quódque angustæ & longæ, quales conspiciuntur restes, lora, habenæ. Præterea Glossarium eodem loci pro συνέλαβε suprà dicto περισπάλλειν νεκρὸν *pollincere* interpretatur, q. d. *undique involutum contrahere*. Quod in primis observandum duxi ad versionem quam attuli eò magìs corroborandam.

CAP. 19. *Concordantiarum Hebraicarum loca duo dilucidè explicantur. In priore exponitur triplex significatio vocabuli* צבוע *à Jeremia etiam Propheta adhibiti: In posteriore, loquendi quædam formula Hebræa, nempe* לאות ההעתק, *non passim obvia declaratur, & ad Græcam versionem Lxx Interpretum breviter accommodatur.*

PErmulta sunt difficilia & obscura in Opere illo utilissimo Concordantiarum Hebraicarum à R. Mardochæo Nathane constructo: Quæ partim in ipsa versione nostra partim in Notis eidem insertis pro virili parte expedivimus atque illustravimus. Hìc tamen (ut & alibi fecimus) nonnulla paulò fusiùs & explicatiùs tractare conabimur. Dicit autem זאב, i. *Lupum*, esse speciem quandam de speciebus הצבועים. Operæ pretium igitur erit indagare quid valeat צבוע, ídque eò magìs quòd à Jeremia Propheta quoque c. 12. 9. idem vocabulum usurpetur. Sic enim fiet ut de eadem fidelia (quod aiunt) duos parietes dealbare liceat. Primò igitur apud Syros צבע propriè βάπτειν, i. *immergere* sive *tingere*, significat. Et quia quod colore aliquo inficitur, tale fit *immergendo* sive *tingendo*, hinc item *colorare* denotat. Omnino prout βάπτειν & *tingere* apud Græcos Latinósque utrumque significatum complectuntur. Rectè igitur ab Hieronymo Comment. in Jer. 12. צבוע exponitur *tinctum* vel *discolor*; eodémque modo à Kimchio, *quod variorum est colorum*. Quare quod scribit Mardochæus, זאב, i. *Lupum*, esse de genere הצבועים, non incommodè vertendum putamus *eorum animalium quæ diversi sunt coloris*. Et sanè cum re ipsa satìs aptè convenit versio ista. Sunt enim Lupi plerique naturâ cinerei, h. e. mixti coloris. *Pellium apud nos artifices*, inquit Gesnerus Icon. animal. quadr. ser. ord. 2. *Lupos è Suecia in primis commendant, quòd egregii, magni, & cinereo sive cano colore sint*. Hinc Homerus Il. x'. v. 334. Lupum πολιὸν, i. *canum*; itidémque Oppianus De venat. lib. 3. v. 293. universa Luporum genera πολιόθριχα, h.e. *quorum pili sunt cani*, appellat. Cæterùm צבוע quandoque non simpliciter *tinctum* solùm, sed *coccineo* etiam seu *rubro colore tinctum* sonat. Atque ità dupliciter potest nomen hoc accipi quatenus Lupis aptatur; nimirum vel ut pilorum ipsorum colorem naturâ rubrum indicet (Quod minùs aptè huc quadrat. Non enim nisi una duntaxat è quinque Luporum speciebus, autore Oppiano, ξυθὴ *rufa* est; nec ea quidem undique: nam venter canis quasi guttis seu maculis aspersus albicat) vel ut colorem declaret adventitium, ex dilaniatorum videlicet animalium cruore inductum: Quomodo etiam à R. Solomone exponitur מגואל בדם, i. *contaminatus sanguine*; à Josepho item Kimchio מגולל בדם, h. e. *volutatus in sanguine*, aut potiùs *cruentatus*. Quod certè vehementer arridet, sed activè vel saltem reciprocè intellectum, nempe, *qui se cruentavit* aut *cruentat*. Siquidem tale est omne genus Luporum; quos rapaces, famelicos, cruentos, carnivoros esse nemo non novit. Quamobrem rectè fortassis hunc quoque in modum reddatur צבועים, *rubefacta* scilicet seu *sanguine infecta*, vel *cruentata* seu *cruenta*, & *carnivora animalia*.

Alii צבוע, egregiè significatu nominis אצבע, quod *digitum* sonat, derivato, *digitatum* reddunt. Sed quoniam de animalibus rapacibus agitur, *digitatum* diversum quiddam est, & aliquantò levius minúsque idoneum per se ad animalium ejusmodi crudelitatem & immanitatem exprimendam. Quid si igitur *uncinatum* verteris, aut (si ità loqui non licet) *uncis unguibus digitatum*? Certè hâc ratione versio & nativa evadet & efficax pariter ad proprietatem illam apertè designandam. Uncinata enim animalia, sive *unguibus uncis digitata, rapacia esse & carne tantùm vesci*, tradunt rerum naturæ scientes, Plin. lib. 10. c. 11. & lib. 11. c. 45. Hæc igitur versio ab ea quam proximè explicavimus haud aliter discrepat quàm destinatum à fine ad quem destinatur. Rapit enim הצבוע unguibus suis, quos aduncos seu curvos habet, ut confestim se cruentet rapto.

Libet denuo in capitis primi significatu ultimo radicis כבר exprimere quid apud Mardochæum nostrum sonet לאות ההעתק non admodum pervulgata locutio. Verbum עתק in Hiphil significat propriè *transferre*, h. e. de loco uno in alterum traducere. Metaphoricè verò vel *exscribere*, i. scripti alicujus exemplum componere (Itáque usurpatur Prov. 25. 1. אשר העתיקו, *quæ transtulerunt*, h. e. ex commentariis rerum Solomonis transcripta & unico libello seorsum comprehensa divulgarunt) vel מלשון ללשון, ut loquitur Elias, *ex sermone in sermonem vertere*, nimirum ex ignoto & peregrino in notum & vernaculum. Quod ipsum *interpretari* vulgò dicimus. Quoniam autem sua quoque linguæ est interpretatio, nempe quâ recondita alioqui mentis sensa verbis prolatis expromit; hinc etiam העתק Autori nostro

venustè

venustè denotat *res cogitatas oratione exprimere.* Sic enim ex animo in linguam transferri quodammodo videntur. Igitur לאות העתק, i. *fatigatio interpretationis*, est loquendi difficultas, cùm quis impeditæ linguæ ægre quid sentiat expromere & efferre potest: cujusmodi à Latinis *balbus* vocatur. Nam *blesum* opinor eum dici quem nostrates a **Lisper** appellant. Id quod ex verbis Martialis in Carmenionem, hominem delicatum ac voluptarium, satis liquere arbitror,

Os blæsum tibi, debilisque lingua est.
Nobis filia fortiùs loquetur.

Mos enim est plerumque mollium & effeminatorum in loquendo delicias facere, & quandam linguæ debilitatem ridiculè simulare. Leve ergò est hoc linguæ vitium & sæpenumero magna ex parte fictitium: Grave verò *fatigatio interpretationis* & naturale malum est, quod *balbuties* Latinè perhibetur. Rectè autem *fatigatio* nominatur: siquidem balbis tanquam permolestum ac penè Colossicum onus est vitium illud; quo velut fatigati & propemodum oppressi, vocis cursum subindè sistere, unde ἰσχνόφωνοι, & hæsitante linguâ tardiùs progredi coguntur, unde βεβλώγλωσσοι iidem nuncupantur à Lxx eòdem prorsus loco in quo thema כבד, hunc ipsum de quo agitur intellectum habens, positum invenitur, nempe Exodi 4. 10.

CAP. 20. *Rabbinica expositio vocabuli* חרום *declaratur. Stibii illitus pro Supercilio usurpatus. Simitas semper deformis existimata, ut ex Plutarcho monstratur.* κολοβόῤῥιν *quid significet apud Lxx.* Δραχμὴ *sive* Drachma DARCHEMON & ADARCHON *ab Orientalibus appellata,* ZOUSA *propriè ab Hebræis; ab Arabibus* DRACHMA, *& pro* Pecunia *ab istis generaliter accepta. E contrario* Drachma ἀργυρεὶς *voce communi est nuncupata. Itidem* Argentum *pro* Siclo *est usurpatum.*

INtercidit apud R. Mardochæum in Concordantiis Hebraicis utriusque exemplaris, tam Veneti quàm Basilienſis, altera thematis חרם significatio: Sed levi operâ restituimus è Kimchii Lexico, ubi ex sententia Rabbinorum חרום (quod Levit. 21. 19. habetur) docet *eum esse cujus nasus depressus est & quasi demersus inter utrumque oculum; ità ut supercilium utriusque oculi cohærere videatur & continuari.* Hic כוחל, quod *Stibium* quidem propriè denotat, Metonymicè *Supercilium* reddendum conjectavi, tum quia sensus id postulet, tum quòd nigrum ferè sit supercilium, tum quòd passim (ut Scripturæ quoque Sanctæ confirmant) ad supercilia denigranda jam olim adhiberi solerent stimmismata. *Stibium nigro tingit colore*, inquit Georgius Agricola De Nat. Fossil. lib. 10. p. 366. *atque idcirco illud mulieres ciliis illinunt.* Verùm quando nusquam hunc vocabuli כוחל significatum invenire licet, præstiterit fortasse, nativo significatu retento, sic convertere, *ità ut Stibium utriusque oculi ejus unà sit*, i. utrimque in unum coeat. Res eodèm redit: nam ex adjuncto subjectum intelligi oportet, cui adhæret. Hisce igitur Rabbinorum verbis nihil aliud quàm *simas nares* describi liquet. Nam si qua fortè est nasi simitas, subsidente intercilio supercilia inter se continuans, tum talis pariter apparere solet oculorum situs; nempe ut quemadmodum bina stimmismata, h. e. supercilia stibio fucata, quasi in unum coeunt, sic bini quoque oculi superciliis subjuncti tanquam unus videantur.

Afferam insignem Plutarchi locum rationem nominis Horatii Coclitis in Publicolæ Vita reddentis, qui non solùm Rabbinicam interpretationem vocis חרום egregiè comprobet, sed verbis etiam valde perspicuis declaret atque illustret, Ὡρατίῳ ὁ Κόκλιος ἐπωνυμίαν ἔσχεν, ὡς ἔνιοι λέγουσι, διὰ συμβεβηκὸς ῥινὸς ἐνδεδυκυίας, ὥστε μὴ διορίζειν τὰ ὄμματα, ἀλλὰ τὰς ὀφρῦς συνεκδῦναι, h. e. *Horatius ille Cocles cognomentum habuit (ut quidam dicunt) ex Simitate nasi depressi & quasi demersi, ità ut non esset quod distingueret seu disterminaret oculos, sed confunderentur & in unum coalescerent supercilia:* & statim subjicit, *cùm vellent eum vulgò Cyclopem vocare* (h.e. monstrosum illum Polyphemum, unoculum) ἀ γλῶττης ὀλισθαινούσης, *labante linguâ, invaluisse consuetudinem ut Coclitem eum populus appellarit.* Hinc ergò patet cùm idem esse simitatem quod à Rabbinis ex Kimchio suprà est definitum, tum etiam simitatis aspectum semper deformem fuisse habitum, sicuti usus vocabuli Hebraici innuit in contextu Sacro Levitici antè citato. Neque multum abludit etymon: siquidem חרם sonat *disperdere* sive *vastare.* Ergò חרום, i. *disperditus* seu *vastatus*, vocatur *Simus*, utpote orbatus decorâ oculorum conformatione ac positione, quæ primarium est totius faciei ornamentum, ut & facies totius corporis humani summum maximéque conspicuum est decus. Ab hac eadem significatione versionem Lxx Interpretum vix transversum quidem digitum usquam discedere opinor. Namque ab iis חרום redditur κολοβόῤῥιν, h. e. *cui curtus est nasus* vel *diminutus*, nec ad justam longitudinem productus supernè, sed in reliquæ faciei situm æquabilem, & quasi planitiem, repentè deficiens, ità ut ex parte superiore veluti amputatus videatur & decurtatus. Ad eundem modum transtulit V. Interp. Latinus, *qui parvo* (vel *torto*) *est naso*, i. *recurvato*, ideóque *brevi*; sicut etiam Interpretem illum alicubi κολοβῦν *breviare* convertisse memini. Idem puto Suidam quoque voluisse, à quo κολοβόῤῥιν exponitur ὁ μικρόῤῥιν.

Sed antequam hunc sermonem pertexam, exponam breviter conjecturam quandam quæ mihi nuper in mentem venit. Nempe κόλυρος ab Hesychio generaliter declaratur κολοβὸς, i. *mutilus, truncatus.* Quare ῥινοκόλυρος idem prorsus erit atque κολοβόῤῥιν, i. *qui mutilo curtóve est naso.* Jam verò satis constat ex Historia calamitatis Rhinocolourensis (de qua in superioribus l. 2. c. 8. copiosè meminimus) sævissimam antiquitus apud Ægyptios pœnam fuisse, *nasi mutilationem* sive *præcisionem*, non tam ratione doloris, qui non ità grandis est, quàm turpissimæ quæ æternùm inuritur ignominiæ; nec obscuro aut inferiore aliquo, sed in eminentissimo altissimóque corporis loco, ubi statim vel è longinquo conspici queat. Hoc pœnæ genere non nisi atrocissima quædam scelera multata fuisse consentaneum est, maximè verò (ut ex Strabone colligimus Geogr. lib. 16. p. 506.) ea quæ exsilium mererentur. Sceleroſi igitur ejusmodi ex communitate Reipublicæ & ex Imperii Ægyptiaci finibus exterminandi, Nasis præcisis supplicium pendebant, concessâ interim vitâ, quò gravior ac testatior esset pœna, redituíque in patriam spes omnis intercluderetur. Quid si igitur vetustum hunc Ægyptiorum morem spectantes Lxx חרום, i. *devotum, Eradicationi* scilicet (ut S. literæ loquuntur Ezr. 7. 26.) κολοβόῤῥινα transtulerunt, i. *naso mutilatum*, quoniam tali pœnâ olim affici solebat exterminationi devotus quisque. Atque is propriè dicitur חרום, & κολοβόῤῥιν, i. *truncatus naribus: Simus* autem Metaphoricè propter similitudinem, quia illius speciem præbet.

Vulgata Editio, tum Græca tum Latina, verè apertéque ostendit, numisma illud quod Hebræi דרכמן nuncupant nihil aliud esse quàm Δραχμὴν sive *Drachmam*: Ac nomen quoque re ipsâ prorsus idem est, transpositâ duntaxat *A* vocali (nam Δραχμὴν quasi Δαρχμὴν pronunciant Hebræi: id quod ipsis etiam Græcis aliquando usitatum fuisse testatur Hesychius) mutatâ simul aliquantulùm (ut fieri solet) terminatione, & א insuper nonnunquam à fronte adjecto, ut in אדרכון *Adarchon*, de gentium Orientalium more, paritérque ad compensandum literæ מ à tergo defectum. Siquidem Ezræ & Nehemiæ temporibus (à quibus commemoratur hoc monetæ genus, quisq; ad ipsam ferè Alexandri Magni monarchiam vixerunt) notissimæ jamdudum gentibus Orientalibus factæ fuerant res Græcorum. Quanquam est qui eruditè conjiciat *Adarchon* per Aphæresin, quasi *Daricon* nuncupatum videri. Δαρεικὸς autem sive *Daricus* apud Suidam χρυσοῦς στατὴρ, i. *aureus stater*, definitur. Sed huic conjecturæ palàm officit ך Hebraicum, cui Græcorum χ non κ respondere nemo nescit.

neſcit. *Adarchon* enim ſcribitur in archetypo, non *Adarcon*. Numiſma verò *Daricum* percuſſit primus Darius quidam Perſarum Rex, ſed antiquior eo (ut ait Suidas) qui Xerxis pater fuit. Ab illo denominatus eſt Δαρεικὸς, & per Syncopen (autore Etymologo) Δαρεικὸς, nempe χρυσοῦς, q.d. *Darii Aureum*. Porrò utrumque nomen à V. Interprete Latino *Solidus* etiam redditur, qui ejuſdem ponderis cenſendus eſt atque Drachma. [Vide Breerwood De ponderibus & pretiis veterum numorum, cap. 3. pag. 10.] Etenim in Gloſſario (ut taceam verſionem Vulgatam utroque vocabulo indifferenter utentem) *Solidus* νόμισμα Græcè exponitur. Denarium verò τὸ νόμισμα interpretatur Heſychius: Atqui Denarius nihilùm, vel quàm minimùm diſtat à Drachma. Adeò ut Plinius pronunciare non dubitet *Drachmam Denarii argenti pondus habere*, lib. 21. c. 34. Cæterùm quòd diximus Hebræos Drachmam דרכמון & אדרכון appellaſſe, intelligendum eſt non tam ſuo quàm veterum Medorum aut Perſarum etiam idiomate. Nam ſermone vernaculo Judæi Drachmam זוא vocitant. Idque Heſychium minimè latuit: Ζῦσαι, inquit, δραχμαί.

Arabes quoque hanc ipſam vocem *Drachmam* à Græcis ſunt mutuati: ſed כ vel χ, h.e. mutam aſpiratam, in ה, ſimplicem videlicet aſpirationem, transformarunt, & ex δραχμὴ דרהם effecerunt. Atque hinc deinde, eâdem aſpirationis notâ è medio ſublatâ, tritum apud noſtrates ſermone quotidiano vocabulum Dzam, pro Dzahm, natum videtur. Præterea apud Paraphraſtem Arabicum דרהם non ſolùm ſpecialiter δραχμὴν ſive *Denarium* declarare ſolet, verùm etiam, quia maximè vulgaris erat olim & tranſlatitius ubique gentium illius monetæ uſus, ad *pecuniam* generatim deſignandam σωικδοχικῶς accommodatum ab illo legitur Matth. 28. 12. Ibi namque ἀργύρια, i. *numos argenteos*, Interpres דראהם reddit, ſpeciei ſcilicet nomine generis vice poſito. Itaque clariùs ipſum genus כסף, i. *argentum* ſive *pecuniam*, nominatim adhibet verſu 15. E contrario Alexarchus ille, quia διαλέκτου ἰδίας ἀσύνηγκεν (ut eſt apud Athenæum Deipnoſ. lib. 3.) Drachmam appellatione quadam generali ἀργυρέαν, q.d. *argenteam*, nuncupatam voluit. Neque verò adeò recens exiſtimandus eſt mos iſte, aut levicula de cauſa illico damnandus: Nam vel ipſi Hebræi, Græcis Latiníſque longè antiquiores, addo etiam ſapientiores, eundem uſurpaſſe cernuntur. Siquidem illos Siclum ſuum (qui parem apud eos locum obtinebat ac apud Græcos Drachma, & Denarius apud Latinos) abſolutè כסף, i. *argentum*, vulgò nominaſſe obſervemus, Gen. 20. 16. & 45. 22, &c.

APPENDIX APOLOGETICA.

Ubi defenduntur nonnulla in Miſcellaneis meis obſervata, quæ à Johanne Druſio viro eruditiſſimo in ſuis ad Pentateuchum Notis nuper editis oppugnantur. Præterea adjungitur æquiſſima veriſimáq; adverſùs eundem ingenuitatis meæ defenſio. Deniq; paucis aſſeritur denuo Sacroſancti nominis Tetragrammati pronunciatio JEHOVA, *Samaritică* JAVE *rejectâ.*

SCitum eſt illud Solomonis Prov. 10. 19. *In multitudine verborum non deerit peccatum*, non modò cùm loquimur (ubi pronus admodum eſt lapſus. Quid enim linguâ volubilius aut præcipitantius?) ſed cùm ſcribimus etiam. Quamvìs enim deliberandi ſpatium aliquantulum haud dubiè minuat peccatum, non omnino tollit tamen. Uſque adeò ἐυπερίσατον illud eſt, ut loquitur Apoſtolus Hebr. 12. 1. & nobis ubique obvium. Nihilo minùs nequaquam ceſſandum, ſed ſemper conſulendum bono publico, ídque diligenter ſtrenuéque pro facultate noſtra promovendum. Hoc animo cùm eſſem affectus, Miſcellaneorum meorum adverſaria, opportunitatem nactus, in lucem edidi. Neque dubito haud pauca in eis repertum iri quæ jure reprehendi & poſſint & debeant. Namque à natura ad unum omnes ità comparati ſumus ut, niſi radius à Sole juſtitiæ mentibus noſtris cœlitus affulſerit, fieri nequeat quin aſſiduè offendamus. Itaque adverſùs denſiſſimam iſtam corruptionis noſtræ caliginem penitus inſitam & radium illum nimiùm ſæpe interrumpentem quilibet piè ſtudioſus ſubindè inter meditandum legendúmque & ſcribendum intus apud ſe precatiunculam hanc mecum occinet,

Mens hominis tenebræ. Lux ô clariſſima Mundi,
Chriſte, tuo tenebras lumine pelle meas.

Quid multa? Planiſſimè hominem me eſſe negarem, & (quod abſit) Spiritûs S. efficaciam ſimul repudiarem, niſi errata mea libens agnoſcerem. Hæc verò ſi quis eruditus emendaverit, permagnam profectò à me gratiam meritò inibit. Etenim quid hoc aliud eſt quàm maculas eluere, quò pulcriora deinceps Scripta appareant? Veruntamen duo potiſſimùm & poſtulo & flagito: ut maculæ re ipsâ ſint, non fingantur; item ut aquâ, non aceto, abluantur, h.e. candidè, non contumeliosè, corrigantur. Qua in re utinam poſthumum illud Clariſſimi Viri Johannis Druſii τῦ μακαρίτυ in Pentateuchum Opus (quod mihi primus in manum tradidit Theologorum decus D. Arthurus Lakeſius Bathonenſis ac Wellenſis Epiſcopus) non atroci me nuper injuriâ affeciſſet. Id niſi ità ſe haberet, nihil certè opus foret ullam mei defenſionem ſuſcipere. Quam nunc planè neceſſariam judicabit Lector æquus ſi ſequentia attentè perlegerit.

Principio in Miſcellaneorum meorum lib. 1. cap. 4. annotaveram *uſum particulæ* מן *ſignificantis* AD *in Hebræa quidem lingua rarum eſſe, in Arabica verò frequentem*. Id ſtatim carpit Druſius: *Quod verum an falſum ſit*, inquit, *aliis ejus linguæ peritioribus dijudicandum relinquo.* Satìs amarum quidem hoc atque aſperum; hominem prorſus ignotum & innoxium, ſua, qualiacunque demum, ſanè non ſine labore parta, cum omnibus literarum, præſertim Hebraicarum, ſtudioſis benignè communicantem, temeritatis ſimul falsíque obſcurè inſimulare. Quaſi verò id in publicum proferre auſim quod ipſe minimè noverim, quódque peritiores minùs verum ſint judicaturi. Atque tametſi palàm fateatur ſe neſcire verúmne an falſum, mihi tamen id credere non dignatur, quantumvìs ſcienti; ſed fidem omnem abrogat, tanquam non ſatìs ſcilicet perito ad rem longè facillimam pernoſcendam. Neque enim ea incognita cuiquam eſſe poterit qui modò Muſas Arabicas vel à limine (ut aiunt) ſalutaverit. Quemvis tamen arbitrum per me Lector ſtatuat, nominatim verò ſuum ipſius Druſii conterraneum Thomam Erpenium, integerrimum doctiſſimúmque virum, linguæ Arabicæ non peritiorem tantùm, ſed etiam multò peritiſſimum, déque Philarabibus univerſis (expertus loquor) quàm optimè meritum & aſſiduè merentem. Is ergò ſententiam rogatus planiſſimè continuò ſecundùm me decernet, in libello utiliſſimo Centum Regentium pulcerrimis typis non ità pridem emendatiſſimè divulgato, pag. 102.

Deinde

Deinde duplici nomine deductionem meam vocabuli מין *hæreticum* denotantis reprehendere libuit: *Longè*, inquit, *petita, nè dicam coacta, est hæc Etymologia.* Equidem non video quo jure hoc dicat. Quomodo enim *longè petitam* censeat, cùm liquidò monstraverim de proximo sumptam? nimirum à themate מאן, quod *pertinaciter negare* significat. Unde aptissimè appelletur Hæreticus מין, quasi *pertinax & obstinatus sanæ doctrinæ abnegator atque oppugnator*; cujusmodi revera omnem hæreticum esse plus satis subindè experimur. Itaque Elias in Thisbite ex sententia Rabbinorum similiter מין definit, videlicet *eum esse* שאין לו דת *cui lex non est, Exlex, Qui legi parére renuit.* Significanter Græcè ἄνομος reddatur, eo præsertim sensu quo Antichristo attribuitur cognomentum illud 2 Thess. 2. 8. Quomodo autem *coactam* autumet *Etymologiam* nostram cùm derivationem analogiæ Grammaticæ prorsus consentaneam declaraverim? Nam ut Syri sive Chaldæi בישׁ à בּאשׁ, ità veteres Rabbini idiomati Syro-Chaldaico à teneris assueti ac innutriti מין à מאן pari ratione formasse videantur. Porrò quod ait *nusquam inveniri* (nimirum in S. literis) *vocem à* מאן *deductam pro Doctrina orthodoxa abnegatore*, nos quoque tantundem regerimus de radice מין, *Speciem*, non *Hæresim* aut *Hæreticum*, in Scripturis designare. Placuit tamen doctissimo Mercero indè מינים arcessere, quod *sectas in religione* significet apud Rabbinos, ut in Notis ipsius ad Pagnini Thesaurum multos abhinc annos observatum legimus. Huic nunc suffragatur Drusius: nec injuriâ. Est enim deductio ista paulò expeditior; at nostra (quod pace tantorũ virorũ dixerim) multò certè efficacior & vegetior, intimam rei naturam apertè statim explicans. Quòd si ratio nominis Rabbinici מין ex significatu in Bibliis Hebraicis usitato petenda sit, quem, obsecro, alium intellectum indè colligas quàm ut signet *speciem quamlibet hominum atque ordinem quoquomodo ab aliis distinctum ac separatum*, putà Levitas, Sacerdotes, Naziræos, Essæos, inprimis verò Pharisæos ab Hebræis peculiariter indè nuncupatos? Id autem quàm bellè congruat cum mente Rabbinorum viderint inventores. Attamen liberrima usquequaque penès Lectorem potestas sit ut utram velit originationem eligat.

De Baithosæis equidem ingenuè sententiam aut potiùs conjecturam meam in medium protuli. Eruditorum esto judicium: neque enim vacat nec expedit actum (ut aiunt) agere. Illud tantùm assero, me satis probabiliter ostendisse, gemino præsertim argumento, Baithosæos Essæos sive Ossenos esse; uno à perspicua nominis ratione sumpto, altero à trium duntaxat celeberrimarum apud Judæos Sectarum numero, ut in Miscellaneis prioribus cuivis inspicere & cognoscere promptissimum est.

Cæterùm quod opinatur Drusius, Essæos propemodum Pharisæos esse, & perexiguo discrimine certorum rituum ac ceremoniarum ab iis differre, efficit ut jam non ampliùs tres, sicut olim, sed duæ re ipsâ recipiendæ sint Judæorum Sectæ; contrà quàm Drusius ipse statuit, & veteres omnes unâ voce animóque tradiderunt. Nam tenue quoddam leviculorum aliquot rituum discrimen nihil moror. Imò, si Philoni credimus illustrissimo doctissimóque Judæo (cujus apud nos autoritas, hac maximè in re, plurimùm valere debet, quíque & de Essæis diligentissimè scripsit & cum eis sæpissime versatus fuit) palàm est eos universo totius vitæ instituto à Pharisæis discrepasse. Illi enim hominum congressus fugiebant, hi quàm cupidissimè appetebant. Illi nihil possidentes ἀκτημοσύνῃ summè gloriabantur; hi, utpote perquam avari ac insatiabiles, divitiis in immensum congerendis assiduè studebant. Illi ad rempublicam administrandam non accedebant; hi potestates, honores, magistratus omnium mortalium avidissimè ambibant. Quid multa? Qui utrumque solius Philonis libellum de Essæis luculenter conscriptum vel cursim tantummodo perlegerit, & deinde paulò accuratiùs cum historia Euangelica contulerit, næ is haud mediocri sed magno sanè intervallo Essæos à Pharisæis distare animadverteret.

Quod ad locum Apostoli attinet 1 Cor. 1. 20. ubi ζυζητητὴς non חקר sed דרשׁ significare affirmavi; *Imò*, inquit Drusius, חקר *verbo* συζητεῖν *reddunt Lxx Psal.* 43. 21. *& Ezek.* 39. 14. *Hoc primum.* Ultimum, inquam ego, an primum exsistat, nihil interest, modò ad rem de qua agitur accommodatè dicatur. Hic verò quis non primo statim aspectu videat, συζητεῖν extra oleas esse & ἀπροσδιόνυσον? quippe cùm planè diversum sit à συζητεῖν, unde συζητητὴς. Illud enim sonat *exquirere, indagare,* vel *diligenter quærere secum* vel *apud se, uti placidè tacitéque solent Physici*; hoc *unà cum altero aliisve quærere, uti moris est disputantium & acriter plerumque concertantium atque altercantium.* Ex quo efficitur, nomen συζητητὴς parùm commodè cohærere cum verbis τῷ αἰῶνι τούτῳ, si causas naturales rerúmve naturas designare intelligantur. Præterea perinde hîc valent verba ista τῷ αἰῶνι τούτῳ atq; infrà cap. 2. 6. ubi σοφία τοῦ αἰῶνος τούτου rectè declaratur *sapientia mundana ista*, sive *secularis*, vel *quam admiratur mundus iste*; éstque insita & innata animis humanis: Opponitur autem cœlesti & adventitiæ ex Spiritûs S. illuminatione, quæ prorsus occulta est mundo & seculo huic. Ità ut τῷ αἰῶνι τούτῳ omnino accipiendum sit quemadmodum κόσμου τούτου continuò sequens. Atqui hoc denotat homines non regeneratos, naturales, animales, rationis solùm viribus pollentes: Talis ergò *disputator* iste intelligi debet. Adhæc, συζητητὴς juxtà ac participium ipsum συζητῶν est habendum: nemo verò dixerit illud exponendum ὁ συζητῶν τῷ αἰῶνι τούτῳ, quamvis postulet dativum personæ à tergo adhærentem; multò minùs ὁ συζητῶν τοῦ αἰῶνος τούτου. Quare genitivus quem usurpat Apostolus neque hominem indicat quicum disputatur, neque de qua, sed qualitatem tantummodo disputantis. Ut ὁ συζητητὴς (vel ὁ συζητῶν) τοῦ αἰῶνος τούτου simpliciter sit (sicuti jam ostendimus) *Disputator* (seu *doctor*) *mundanus*, h. e. solâ mundi seculíve hujus sapientiâ imbutus quam dictat ratio humana, non cœlesti illâ quam inspirat Spiritus Sanctus.

Pergit porrò Vir doctissimus; *Jam verò*, inquit, *quòd ait Physicam diu post Christum Judæis innotuisse, toto cœlo fallitur.* Dum hæc legerem, subiit mentem Horatianum illud,

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Ego namque illico meras ὑποδείξεις exspectare cœpi, & rationes aliquot invictas, quibus manus darem. At nihil omnino ejusmodi comparet, præterquam quod foliis farfari levius ac infirmius meritò existimes. Eâque re profectò me *toto cœlo* (ut ait ipse) *falli* profiteor. *Nam Physica* (seu Rerum naturæ scientia) *pars est*, inquit, *Philosophiæ quæ in Judæa vigebat sub Templo secundo.* Audio quidem Drusii verba. At mihi non verba dari cupio, sed argumenta. Illud enim cum primis desidero, unde nobis fidem faciat, Physices rerúmque naturalium in Judæa, non dico viguisse ac floruisse studia, sed aliquatenus aut mediocriter culta fuisse sub Templo secundo. Cedò vel paucula tantummodo monumenta de rebus Naturalibus conscripta, quæ totidem testimonia sint, Judæos per ista tempora publicè Physicis tractandis operam dedisse. Solent enim eruditi, præsertim ubi vigent artium ac disciplinarum studia, Systemata quædam, aut saltem Præcepta aliquot vel Rudimenta, literis mandare, quibus non viventes modò sed posteros etiam adjuvent atque instituant ad rerum cognitionem faciliùs & accuratiùs adipiscendam. Illud insuper animadvertere oportet, Arabas, viros acutissimos & diligentissimos, Hebræorum quoque vicinos proximos, & linguæ aliquâ, eâque non exiguâ, conjunctione sociatos, si quid tam eximium támque præclarum apud Judæos eminuisset, non cessaturos fuisse, sed Arabicè versum id hominibus suis quàm primùm impertituros, eísque libentissimè commonstraturos. At illi omnia à Græcis sunt mutuati, non Physica tantùm, verùm etiam Geometrica, Arithmetica, Astronomica, cæteráque ejusdem generis. Nec est quicquam quod Hebræis hac in re usquam acceptum referant.

Quid quòd Ptolemæus ille Philadelphus, cùm magnificentiſſimam Bibliothecam Alexandriæ multis librorum millibus inſtrueret atque locupletaret, eóſque è regionibus admodum longinquis ſtudioſè advehendos curaſſet, ſi qua ſcripta Philoſophica apud Judæos, tam propinquos Ægypto, exſtitiſſent, nónne omni abjectâ cunctatione diligenter conquiſita cupidiſſimè ad ſe comportari juſſiſſet? quippe qui Biblia Sacra (quanquam Philoſophicis apud Gentiles poſthabita) tanto ſumptu & apparatu ex Hebræo converſa, in Bibliothecam introducenda, ibíque honorificè collocanda, exiſtimaret. Suſpicetur forſan aliquis, Philoſophica Judæorum repoſita quidem illic fuiſſe, ſed, cùm Bibliotheca conflagraret, ignibus abſumpta. Prototypa fateor, non exemplaria indè tranſcripta; ut nec Lxx Interpretum, nec Operum Ariſtotelis, aliorúmque à Rege Ptolemæo coemptorum.

Quod verò poſtremum affert doctiſſimus Druſius, non modò non contra nos ſed planè pro nobis eſſe cenſebitur ſi ritè æſtimetur. *Haſamonæi*, inquit, *decretum fecerunt quod memoratur in Hiſtoria illius temporis. Maledictus qui docet filium ſuum Philoſophiam Græcam*, Hîc ante omnia recordandum, Judæos exſiliis periculíſque aſſiduis jactatos & calamitatibus innumeris attritos, antiqua artium ac diſciplinarum monumenta, ſi qua ſuperfuerant, jam diu penitus amiſiſſe; uſque eò ut ægerrimè ipſos etiam Sacros codices, per ſummam hoſtium immanitatem, incolumes conſervare potuerint. Cùm autem Græcos viderent toto Oriente paſſim volitantes, eoſdémque, illis potiſſimùm temporibus, omnium ſcientiarum gloriâ florentes, ceperunt conſilium (ut eſt mens humana cognitionis avida) eorum operâ uti ad Philoſophiæ notitiam (cujus ipſi imperiti & expertes erant, nec alicunde apud ſe, propter crebras vaſtationes, ſubſidia ſuppetebant) comparandam & percipiendam. Hinc orta eſt Principum ſuſpicio metúſque, fore ut familiari cum Græcis conſuetudine corrumperentur ſuorum animi & ad Gentiliſmum paulatim deficerent. Igitur ut rei tam nefariæ occaſio omnis præcideretur, interdictum omnino eſt Judæis Græcâ Philoſophiâ, ſicuti clarè ſonant verba, non ſolùm Philoſophiæ cum Lege permiſtione, quemadmodum Druſius ſuggerit de ſuo. Quocirca conſentaneum eſt, Judæos gemina de cauſa Philoſophiæ quæ apud Græcos vigebat ignaros fuiſſe; quippe quam nec ipſi ſcirent, nec aliunde diſcere liceret. Quò minùs mirandum ſi apud eos jam olim planè jacebant Philoſophiæ ſtudia. Certè religio erat ipſis eam attingere, donec ſerò tandem Græcam Philoſophiam ab Arabibus cognatis ſuis quàm à Græcis accipere maluerunt.

Nunc denique perventum eſt ad illud quod diverſi generis eſt: Non enim ad literas ſed ad mores ſpectat. Itaque ſeparatim mihi hoc loco tractandum putavi, ídque quàm poſſum conſideratiſſimè, quia vehementer urget, meâque maximè intereſt. *Tantùm requiro*, inquit Druſius de me ſcribens, *majorem ingenuitatem. Nam cùm, ut dubium non eſt, ex meis libris aliquid profecerit, tamen mei nuſquam mentionem facit, niſi ſemel, ubi diſſentit.* Cùm primùm oculos in hæc verba conjicerem, equidem magnopere mirabar (veniam dabit Lector ſi pro mei juſtiſſima defenſione liberè quæ vera ſunt dixero) talia, tam iniqua, tam inepta, tam falſa viro tanto excidere unquam potuiſſe. Etenim quænam, amabo te, iſta eſt æquitas Druſii, hominem honorificè de ipſo locutum, nec mali quicquam meritum, non dico accuſare clanculùm intus apud ſe, ſed propalam tanquam *minùs ingenuum* συκοφάντην, & publico ſcripto reum peragere, ac confidenter, cauſâ non cognitâ, damnare? Profectò nimis Dictatoria imò Tyrannica eſt iſta poteſtas. *Ingenuitatem* verò meam neque libet neque opus eſt ut prædicem; quippe cùm (eſt Deo gratia) ſatis comperta & teſtata ſit apud noſtrates, eóſque (ut cæteros taceam) viros eximios atque primarios, doctrinâ, virtute, pietate ornatiſſimos Epiſcopos; quos nominatim recenſere & appellare in præſentia nihil attinet.

Quòd porrò queritur, *me ſui mentionem non feciſſe*; Magnum verò ſcelus! Quaſi non liceat Autoris alicujus verba, etiam Sanctorum Patrum, Prophetarum, Apoſtolorum, atque adeò Chriſti Domini, ſcriptis noſtris ſubindè inſerere, niſi ubique expreſſo ſimul nomine. Sanè quæ ſemel divulgata ſunt & in lucem edita, publici juris jam fiunt, & à quovis lectore uſurpari poterunt, modò nè de induſtria ſubtrahat ea autoribus ſuis, ſibíque in morem plagiarii vendicet. Quod facilè vitabitur ſi non paſſim, verùm quoties opus erit, Autores appellentur. Itidémque à me quàm religioſiſſimè factum confirmo atque teſtificor. Semel autem tantummodo in Miſcellaneis Druſii mentionem feci, quoniam non niſi ſemel omnino opus erat. Quod ſi nè tum quidem feciſſem, jure tamen mecum ea de re expoſtulare non poſſet, in qua ipſe pariter aut etiam multò magis ſimul deliquiſſet. Sæpius enim, me non nominato, Druſium huic libro ſuo aſperſiſſe mea non pauca Lector vel mediocriter attentus facilè animadvertat. Neque porrò negandum eadem inveniri & excogitari poſſe ab iis qui temporibus locíſque inter ſe quàm longiſſimè diſtant. *Nihil* namque (ut eſt apud Eccleſiaſtem 1. 9.) *novi eſt ſub Sole.*

Cujus rei & ratio ipſa admonet, & exempla ſuppetunt permulta. Unum temperare mihi nequeo quò minùs jam nunc proferam. Scripſit ad me olim, cùm priorem Miſcellaneorum editionem adornarem, Amicus quidam meus, Vir neutiquam obſcurus, idémque eruditus ac fide digniſſimus, ſe certò ſcire aliquas ex Notis meis fuiſſe eaſdem cum iis quas antea obſervaverat Reverendiſſimus Patronus meus & Mecænas D. Epiſcopus Wintonenſis. Quid? an idcirco me repetundarum illico inſimularet Vir Clariſſimus, & quaſi cum iniquo rerum ſurreptitiarum poſſeſſore ageret? Alieniſſimum ſanè illud erat ab eximio integerrimi ipſius animi candore. Imò collaudavit potiùs favítque ſupra ſpem omnem, & literulas noſtras propè langueſcentes inſigni deinceps benevolentiâ benignitatéque erigere & recreare non deſiit.

Atqui firmat Vir doctiſſimus *me ex ſuis libris aliquid profeciſſe.* Mirum ni illud fortaſſe dicere voluit, *proficere potuiſſe.* Quippe hanc laudem libris ejus non os meum modò verùm etiam extranei cujuſvis ultro tribuerit. Sed enim expreſsè inſtat *profeciſſe.* Quid ità, quæſo? Quia *dubium non eſt.* Feſtivè dictum. Equidem illudere hoc eſt, non probare. Ain' tandem? *Dubium non eſt?* Quinimo pluſquam ſummè dubium illud eſt; nempe veritati prorſus contrarium. Nam me non profeciſſe quicquam ex libris ipſius, argumento ſatis magno eſſe debet liber hic meus, Miſcellaneorum, inquam, qui totus à capite uſque ad calcem nè hilo quidem ex Druſianis (mihi crede) ornatior aut lucupletior factus eſt: Adeò ut mihi ſanctè jurato firmiſſimè aſſeverare liceat, eum indè nulla penitus ex parte, ullâ vel minutiſſimâ ſententiolâ, ſenſiculóve aut minimo (quod ſciam) verbulo (præter paucula illa ex D. Bezæ Annotationibus majoribus deſumpta) auctiorem evaſiſſe. Etenim quî fieri potuit ut ex libris Druſii aliquid profecerim, quibus univerſis vacua ſemper & fuit & etiam nunc eſt Bibliotheca mea, ab ipſo uſque principio ſtudiorum meorum? Non tamen dedità operâ neque conſultò id evenit: abſit: ſed planè fortuitò: Divinâ providentiâ fortaſſe ità gubernante, quò ſpectatior eſſet integritas mea hac ipſa in re de qua jam litigatur. Nam ut de plurimis & probatiſſimis Clariſſimi Viri Operibus ritè uſurpari queat Virgilianum illud,

Quæ regio in terris Druſi non plena laboris?

mihi quidem certè procul ruri in ſeceſſu multos annos delitescenti nondum contigit tam felici eſſe ut ullo Druſii Opere adhuc diteſceret Muſeum meum. Veruntamen propediem futurum ſpero atque confido. Interea liquidò cernat Lector quàm falsò crimen animi *parùm ingenui* mihi impingere conatus ſit Druſius: In quem ſanè ipſum potiùs jure id transferendum videatur. Notum enim eſt ac celebratum Pamphili Terentiani dictum Andr. Act. 2. Sc. 1.

Ego

Ego neutiquam officium esse liberi puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.

Quid multis moror? Hoc quidem testor, mihi ista planè extorqueri, eáque invitissimum scribere; & eruditissimi Viri laboribus tantopere favere ut verbum unum non commutassem nisi acutissimum & violentissimum telum, Necessitatem dico, impelleret & tantùm non penitus fodicaret. Etenim nemo sanæ mentis (ut opinor) prudens ac sciens sustineat ullam bonæ famæ jacturam facere, sed omnibus nervis contendat ut eam sartam tectam conservet. Quam Solomon Prov. 22. 1. argento, auro, quibuscunque demum & quantiscunque divitiis anteponendam esse docet.

De Nomine tetragrammato.

DE Sacrosancto nomine JEHOVA in Miscellaneis nostris semel atque iterum abunde diximus: Quoniam autem lectionem & pronunciationem hanc nihili æstimat Drusius, imò peccari & quidem graviter peccari ab iis affirmat qui JEHOVA legunt, neque hâc acrimoniâ contentus, Anglos simul omnes Opere isto posthumo nominatim perstringit atque lacessit, aliquid rursus breviter dicendum, nè & Genti nostræ & pariter (quod caput est) causæ communis veritati defuisse videamur. Primùm igitur conqueritur nos Samariticam lectionem rejicere; quæ tamen genuina sit. Respondemus, id non admodum liquere vel suo ipsorum judicio; variant enim aliquantulùm hac de re loquentes. Samaritæ *Jave* sive *Jahave* efferebant, Drusius (ut & ante eum Mercerus) *Jeheve*, Index Operi Drusiano attextus (nisi fortè mendum est) *Javoh*. Quinetiam Drusius ipse nonnihil vacillat: nam aliàs permagnam præ se fert fiduciam, séque certò scire narrat; aliàs vix dubitat; ad extremum tantummodo conjicit. Est ubi, re quasi deploratâ, sic sentiat; cùm Nomen tetragrammaton non habeat proprias vocales, non posse legi suis consonantibus. Planissimè ergò efficitur ut idem ipsum nomen omnino legi nequeat. Unumquodque enim vocabulum, si verè legitur, suis, non alienis, legitur vocalibus, prout suâ quisque vitâ vivit, non extraneâ. Atqui, inquiet, à Samaritanis didicimus Sanctissimi illius Nominis vocales, quibus enucleatè legatur & pronuncietur. Nobis verò nefas est (in rebus præsertim Sacris) Samaritarum esse discipulis, ut qui à summo Magistro (qui solus ipsa est Veritas) luculenter didicerimus Joh. 4. 22. Samaritanos *adorare quod nesciunt*: &, *Salutem ex Judæis esse*. Deinde ex Apostolo (ut antehac observavimus) constat, non Samaritanis sed Judæis *concredita esse eloquia Dei*, Rom. 3. 2. Igitur ab his, non ab illis, petenda.

Quòd si testimonium Samaritanorum valeat ad confirmandam lectionem *Jahave* sive *Jave*, qui tamen populus sanctus non sunt, sed Gentiles impuri, cur non æquè reliquos Gentiles, multò etiam antiquiores, advocemus ad asserendam pronunciationem *Jehovah* sive *Jehovih*? Quid enim aliud est *Jovis* vetustus Latinorum nominativus quàm nomen *Jehovih* contractum? Nam ה sæpe migrat in *S*, maximè in terminationibus nominum (ut in superioribus docuisse meminimus) propter eandem utrobique naturam, nempe spirantem ac sibilantem: namque Sibilus quidam est spiritus. Quid item aliud sono repræsentat Ἰαὼ apud Græcos quàm *Jehovah* sive *Jovah* verum Templi Hierosolymitani Deum? quem Gentiles æstu Satanæ fascinati in turpissimum Bacchi idolum transmutarunt, Tacit. Hist. lib. 5. pag. 617. Perinde etiam atque Ἰαχ sacrosanctum Hebræorum *Jah* exhibet, Græcè quidem dissyllabum, videlicet Ἰα, quamvis Hebraicè sit monosyllabum. Literæ verò Græcorum conjunctæ, ejusdem instrumenti, scilicet χ, aspiratam Hebræorum He puncto Mappik corroboratam egregiè referunt.

Hæc, sicut & alia generis ejusdem nonnulla, quæ in Miscellaneis suprà commemoravimus, licèt valde probabilia sint atque dilucida, nos tamen Gentilium testimoniis non nitimur, sed omninò Divinitus revelatis & in utroque Testamento perspicuè consignatis. Siquidem in S. literis ubique quatuor consonantes Nominis tetragrammati Jod, He, Vau, He, tres hasce vocales ex institutione item Divina subjectas habent, *E*, *O*, *A*, quibus clarè explicatéque profertur vox JEHOVA. Igitur JEHOVA genuinam ac germanam lectionem ac pronunciationem esse, ex animo credimus & profitemur. Negant autem superstitiosi Judæi, Drusius itidem, aliíque Christiani nonnulli, qui illorum traditionem mordicus tenent, has Tetragrammati proprias esse vocales, sed prorsus alienas, & ad nomen *Adonai* peculiariter spectare vehementer contendunt; quasi dicant, *Sunt vocales nominis* ADONAI; *Ergò non Tetragrammati*. Frigidum certè argumentum &, penè dicam, ridiculum. Quasi verò nomina diversissima non possint, nec subindè soleant, eisdem efferri vocalibus. Nihil ferè notius, opinor. Quocirca utcunque sint propriæ nominis ADONAI, tamen Tetragrammati pariter non desinunt propriæ esse.

Hoc autem duplici ratione ostenditur. Nam ex tribus illis vocalibus duas primas, videlicet *E* & *O*, Tetragrammati genuinas esse evincitur, si paulò attentiùs considerabimus nomina propria quæ ex Tetragrammati parte priore ac potiore composita passim occurrunt; qualia sunt JEHONATHAN, i. *Jehova nathan*; JEHORAM, i. *Jehova ram*; JEHOSHAPHAT, i. *Jehova shaphat*; cæteráque consimilia permulta. Hìc nemo (ut equidem opinor) legendum aut pronunciandum censuerit *Adonathan*, *Adoram*, *Adoshaphat*, &c. quoniam *E* & *O* proprias nominis compositi vocales existimat. Sin autem partis in compositione propriæ sunt, cur non itidem totius extra compositionem? cùm idem utrobique inviolabile nomen exsistat, illic secundùm partem, hìc per se totum. Ultimam verò vocalem *A* sive Camets peculiarem ac nativam Tetragrammati esse, vel ex ipso nomine ADONAI satìs liquere poterit. Etenim ubi nomen illud humanum est, cum Pathach, i. *A* brevi, in syllaba postrema scribitur, utì Grammatices etiam ratio postulat; ubi autem Divinum, cum Camets, i. *A* longa, ídque contra analogiam Grammaticam. Cedò causam. Nimirum ut nomini Tetragrammato exprimendo aptè congruat & conveniat. Quòd si igitur Camets seu *A* longa nomini ADONAI, quanquam alieno loco, supponitur propter Tetragrammaton, sanè multò magìs loco nativo veréque suo eidem ipsi Tetragrammato subjiciatur necesse est propter se. Rursus cùm Camets (utì jam diximus) nomen ADONAI Divinum ab humano distinguat, consentaneum videtur ut vocalis illa nominis absolutè Divini, nempe JEHOVA, propria sit, ideóque distinguat. Tantundem quoque efficitur ex JAH nomine essentiali si[illegible]ntiæ similiter indice: quippe hoc religiosissimi & He[illegible] doctissimi viri nihil aliud judicant quàm ipsum Tetragrammaton JEHOVA decurtatum, h. e. ex trissyllabo in monosyllabum per Syncopen contractum. Syncope est, cùm aliquid è medio dictionis eximitur. Contractio autem Syncoptica fieri solet apud Hebræos, reductâ vocali consonantis sequentis ad antecedentem, ut cum hac in unam vocem coalescat: v. g. ex JEHOVAH sive (quod idem est) JOVAH fit JAH. Nam in hoc vocabulo observandum, non simplicem (ut in plerisque aliis) sed duplicem fieri contractionem; ità tamen ut vocalis reducta, quæ in elisæ locum succedit, minimè mutetur, sed in utraque integra & illibata servetur. Proinde patet hâc etiam ratione Camets tertiam esse, eámque germanam, Tetragrammati vocalem.

Neque obscura est ea ratio quæ ex Apocalypsi affertur, 4. 8. ubi ὁ ἦν, καὶ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἐρχόμενος pulcerrimum est atque distinctum & exquisitum Tetragrammati interpretamentũ, recensionem syllabarum (nisi fallor) non Hebræorũ more à dextera in sinistram, sed cõtrà, Græcorum ritu, à sinistra in dexteram exordiendo & continuando. Sic namq; primo loco VA seu Camets obviàm procedit, Præterita הָיָה, i. *Fuit*, indicium: secundo HO sive Cholem, Participii הֹוֶה, nempe *Est*, insigne: tertio JE sive Jod, Fu-

turi יִהְיֶה, i. *Erit*, characteristicon. Hisce ergò punctis vocalibus nomini JEHOVA suppositis æternitas naturæ seu essentiæ Divinæ menti humanæ dilucidè contemplanda exhibetur, ut quæ perpetuitatis sit omnino immutabilis, sempérque fuerit & futura sit, principii finísque prorsus expers. Eodem planè modo, ac eodem simul ordine, Filii quoque Deitas in Epistola ad Hebræos c.13.8. demonstratur, Ἰησοῦς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, *Jesus Christus heri & hodie idem, & in secula.* Hujus mysterii notitia, quæ nomine JEHOVA tanquam involuta & complicata continetur, præclarè interpretamento Apocalyptico evolvitur atque explicatur: Ità ut duo ista perinde ferè se habeant atque Definitio & Definitum; quorum alterutro posito, alterum pariter concedi debet.

Verùm enimvero non me solum (ut diximus suprà) notasse satìs habuit Drusius ad Exod.6.3. sed Angli quoque nominatim ab eo notati quia nomine JEHOVA *interdum sint usi.* *Miror*, inquit, *Anglos.* Atenim ego Drusium magìs miror qui Anglos potiùs quàm Gallos cæterósque Christianos, nomine prorsus eodem interdum usos, mirandos duxerit. Deinde ait, *Nollem factum.* Mox dilemmate quodam adhibito se rem satìs firmiter probasse auguratur in hunc modum, *Aut genuina est lectio* (videlicet JEHOVA) *aut corrupta. Si genuina, cur non semper utuntur? Si corrupta, cur aliquando?* Cornutum istud argumentum non penetrat quicquam; siquidem obtusum est utrumque cornu. Quamvìs enim genuinam lectionem illam libenter agnoscamus, non tamen idcirco necesse arbitramur eam ubique usurpare; præsertim cùm in promptu sit vox vicaria ADONAI sive Κύριος, i. *Dominus*, eadémque nomen item Divinum, significationis notioris ac familiarioris, & (quod primarium est) ab Apostolis Divinitus inspiratis comprobatum, nobísque deinceps traditum, pro linguæ qualitate & ædificationis ratione indifferenter utendum. Dicat enim quispiam, *Lectio* JEHOVA *nusquam apud illos exstat.* Ità est profectò: nec injuriâ utique, propter insignem linguæ Græcæ, quâ locuti sunt & scripserunt, ἀδυναμίαν unde prolatio ineptissima maximéque absona nec ullo modo toleranda evasisset, ut in Miscellaneis minutatim & copiosissimè declaravimus lib.2.cap.6.& lib.4.cap.13. Ad hæc, sibi forsitan à nominis Hebraici usu temperarunt, nè Judæis, in re per se indifferenti, odio atque offendiculo essent. Neque etiam ullibi (nam & hoc insuper damus) nè in Latinorum quidem vetustis codicibus nomen Tetragrammaton JEHOVA invenitur; quamvìs ea sit linguæ Latinæ indoles ut percommodè à Latinis appellatio illa enunciari queat. Cujus rei solam certissimámque hanc causam afferre licet, Quoniam Græci Latinis antea nec tradiderant, nec tradere potuerant: namque hos ab illis, utpote antiquioribus, quod ad S. literarum cognitionem attinet cultúmque Divinum, cùm nomina hujusmodi Hebraica tum alia universa ad veram pietatem spectantia accepisse apparet. Idémque de Viro sancto Hieronymo existimandum: quippe ab ipso Tetragrammaton passim transfertur *Dominus.* Quidni autem transferretur? Tritum est enim ac celebratum, *Discentem oportet credere.* Ità nempe à Præceptore Judæo didicerat, satìs alioqui deterritus à Sacrosancto nomine usurpando præjudicatâ de Græcis Interpretibus opinione, & adversariorum versionem ejus novitatis ergô cupidissimè carpturorum invidiâ & malevolentiâ.

Ad summam, expedire arbitror rudibus ac imperitis (quorum maximus est numerus) frequentiùs *Dominum* exponi, ídque ex consequenti verissimé; Creator enim, qui essentiam ipsam tribuit, absolutè summéque proprius est operis à se conditi Dominus: Eruditis autem & in rerum Divinarum contemplatione versatis & exercitatis sæpius *Jehovam* enunciari; tum verò præcipuè ubi emphaseως occulta vis aliqua subest: Non tamen semper, vel hanc inprimis ob causam, nimirum ad superstitionem Judaicæ haud multùm dissimilem declinandam. Atque hæc quidem hactenus dicta sunto. Reliquum quod supererit temporis vacui à curis negotiísque necessariis Ecclesiæ numerosissimæ Walthamensis mihi nuper ultro demandatæ à Clarissimo hujus memoriæ Theologorum D. D. Androsio Wintoniensi Episcopo, & Patrono meo omni officii genere observando, certum est conferre in Opuscula quædam mea quàm primùm potero perficienda, ἐάνπερ ὁπηχίῃ ὁ Θεὸς.

SAMUELIS

Μόνῳ Θεῷ Δόξα

Maii 27° 1684

SAMUELIS PETITI VARIÆ LECTIONES.

In quibus Eccleſiæ utriuſque Federis ritus moréſque antiqui, Sacri item ejuſdem atque Eccleſiaſtici Scriptores illuſtrantur, explicantur, emendantur.

Ampliſſimo Eruditiſſimóque Viro

CHRISTOPHORO JUSTELLO

Regis Chriſtianiſſimi Conſiliario, & ab Epiſtolis.

SAMUEL PETITUS S.

CUM primùm hos noſtros libellos in lucem edere conſtitui, Ampliſſime Juſtelle, neque diu neque anxiè mecum animo verſavi, quem potiſſimùm inter eos quorum amicitiam in ſummis meis bonis reputo, patronum illis adoptarem; occurriſti tu unus maximè, qui ſatis ſupérque teſtatum mihi feciſti quantum me amares, eóque animos addidiſti ut auderem: quanquam meæ mihi tenuitatis probè conſcius, penè me repreſſi, nam

Pagina judicium docti ſubitura veretur
JUSTELLI, *ut Clario miſſa legenda Deo.*

Veretur certè, & id quidem jure meritò, cùm neminem harum literarum cognitione te ſuperiorem habeas, paucos pares: teſtis eſt literatus hic orbis, me nihil gratiæ dare, ſed liberè, ut mos eſt meus, & ingenuum decet, dicere quod res eſt. Verùm ubi conſilium, ſive mavis audaciam meam, in te appellando attentiùs paulò expendi, ſumma iſta tua eruditio, Vir ampliſſimè, nè factum mutarem fecit; gratiam enim & genium, quem à me non habent, libellis noſtris tu dabis, ſi tuo nomini eos conſecrari lubenti animo patiaris: Quod ut à te impetrem enixè rogo, Deúmque veneror, ut bono Reipublicæ tuóque in ævum ſis ſuperſtes. Vale, Vir Ampliſſime, & nos ama. Scripſimus Lutetiæ Pariſiorum a. d. 9. Kalend. Maias, anni Dionyſiani 1633.

Lectori meo,

SAMUEL PETITUS S.

PAucis te volo, mi Lector, in anteceſſum. Non ignoras, & doles mecum, ſi Chriſtianus es, quàm ſtudia in contraria ſciſſâ, proh dolor! in partes Rep. Chriſtianâ, homines qui nunc ſunt, ſcindantur ipſi:

Quò vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant?

Hinc partium odia, hinc convicia, quibus alter alterius famam proſcindere ludum jocúmque putat. At verò hæc ætas aliam vitam, alios mores poſtulat, Chriſtianúmque longè magis decet τῇ ἀληθείᾳ θύειν, quàm δουλεύειν τῇ ὑποθέσει. Quod cùm nobis dictum putaverimus, LECTIONES has noſtras, quas foràs emittimus, publicique, h. e. tui, Mi Lector, judicii facimus, ità animati ſcripſimus, ut ab omni partium ſive ſtudio ſive odio, Deum teſtor, procul abſimus, & ſolo veritatis amore ducamur: Quo nomine meremur, te judicem appello, ut ſi quid nobis humanitus exciderit, condones. Vale, mi Lector, & mecum votum hoc concipe, quod olim fuit Sanctiſſimi Antiſtitis; *Domine Jeſu, fac nos unum: Introduc teipſum in titulos tuos, & mane, nè alter veniat & poſſideat, & de tuis velis fallat.* γένοιτο, γένοιτο.

SAMUELIS PETITI VARIÆ LECTIONES.

Cap. I.

Amozi, itémque Lucæ loca illustrata. Baal *&* Moloch *de omnibus Diis usurpantur. Speciatim iis nominibus censetur* Saturnus, *qui* Baalpehor, *item* Ciun, *&* Repha *dicitur. Israelitæ longinquiùs sunt deportati quàm Damasceni.*

MUlta in S. literis, primâ specie ἀναλογίαν, scrupulum lectoribus injiciunt, ad quæ si penitiùs attendas & loca penetres, nè vestigium quidem supererit τῆς ἀναλογίας. In hunc censum veniunt ea quæ leguntur in oratione B. Stephani apud Lucam τῶ πεπαιδευμένω 7.42, 43. petita ex Amozi 5. 25, 26. Descripsimus illa ἐκ παχυλήτερα.

Μὴ σφάγια καὶ θυσίας προσηνέγκατέ μοι ἔτη τεσσαράκοντα ἐν τῇ ἐρήμῳ, οἶκος Ἰσραήλ.	הזבחים ומנחה הגשתם לי במדבר ארבעים שנה בית ישראל.
Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ	ונשאתם את סכות
Μολόχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ Θεοῦ	מלככם ואת כיון צלמיכם
ὑμῶν Ῥεμφάν, τοὺς τύπους οὓς	כוכב אלהיכם אשר עשיתם לכם
ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς·	והגלתי אתכם מהלאה
Καὶ μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος.	לדמשק :

Quædam hîc sunt aliter quàm à Stephano referuntur expressa, etiam in Lxx Seniorum interpretatione, aut cæterorum Græcorum Interpretum editionibus, de quibus B. Hieronymus Comment. 2. in Amozum. *In eo loco ubi Lucas posuit* μολὸχ, *& in Hebraico scriptum est* מלככם, *Aquila vertit* μελχὸμ, *Symmachus & Theodotio,* Regis vestri. *Pro eo quoque quod in Lxx legitur* ῥαιφὰν, *Aquila & Symmachus ipsum Hebraicum transferentes posuerunt* כיון, *Theodotio* ἀμαύρωσιν, *i.* obscuritatem. *Rursum pro* סכות *Aquila* συνιασμὸς, *i.* umbracula, *Symmachus & Lxx* τὴν σκηνὴν, tabernaculum, *Theodotio transtulit* visionem. Quare videndum est, σοὶ θεῷ δ' εἰπεῖν, quomodo Stephano cum Hebraica conveniat veritate, quæ item ratio sit eorum quæ immutavit, nec habentur in Hebraico aut apud Lxx. Sciendum igitur est, quicquid ab Amozo, & ex Amozo à Stephano Israelitis objicitur, referendum esse ad tempus moræ Israelitarum in deserto. Liquidò id probatur è ratione antitheseos apud Prophetam: Negat enim Israelitas illo moræ suæ in deserto tempore, quod intervallum est annorum 40. obtulisse Deo sacrificia, imò contrà exprobrat circumtulisse in thensis sive lecticis imagines Molochi τοῦ *Ciun*, sive *Repha*. Patet id quoque è serie narrationis Stephani, qui his verbis docet quàm ingrato erga Deum animo fuerint Israelitæ in deserto: postea refert missos fuisse in possessionem Cananitidis terræ à Josue. Ergò quod hîc narratur Israelitas circumtulisse in thensis & lecticis imagines Molochi, factum est ab Israelitis cùm adhuc in deserto morarentur. Secundò, observandum est, quemadmodum *Baal*, sive *Bel*, in genere & communiter de omnibus Diis dicitur, qui addito ad τὸ בעל epitheto distinguuntur; ità etiam מלך, quod est *Melech*, *Molech*, *Moloch*, nomen esse Diis omnibus commune. Huc facit comparatio eorum quæ habentur 2 Reg. 18. 34. & Esa. 36. 19. cum illis quæ leguntur Esa. 37. 12. Nam qui illic *Deus Hamath, Arphad*, &c. appellatur, hîc dicitur מלך *Hamath, Arphad.* Unde etiam qui *Moloch* appellatur, *Baal* dicitur, ut Jer. 19. 5. & alibi. Quare ubi peculiariter Deus alicujus gentis aut urbis hoc nomine designabatur, fiebat addito epitheto petito vel ab ipsa gente & populo, sive urbe, ut *Moloch Ammonitarum*, & fortè *Adramelech, & Anamelech*, vel à loco in quo colebatur, vel aliunde. Non igitur tam severè castigandus fuit ab eruditissimis viris Theophylactus, qui ad c. 7. Actorum notat Μολὸχ θεὸν ἴδιον τῶν Μωαβιτῶν. Non minùs enim Moabitarum Deus quàm ille Ammonitarum *Moloch* poterat appellari; imò ità appellatum fuisse in his Amozi verbis paulò pòst, Deo dante, probabimus: Sed, ut jam antè diximus, epithetis distinguebantur & discernebantur, unde fit ut non temere in Scriptura occurrat nomen *Moloch* usurpatum peculiariter de Ammonitarum Deo, quin Ammonitarum præcesserit aut immediatè sequatur nomen sive mentio: quare etiam *Melcom*, vel *Milcom*, מלכם, appellatur cum pronomine relativo ad Ammonitas. Tertiò, Notandum est, *Baal* sive *Bel* speciatim dici de Saturno. Hoc habemus è Theodoreto ad Psal. 105. Suida & aliis: Βὴλ ὁ Κρόνος. Servius ad lib. 1. Æneid. *Linguâ Punicâ* Bal *Deus dicitur, apud Assyrios autem* Bel *dicitur quadam sacrorum ratione & Saturnus & Sol.* Idem de *Moloch* dicas, nec de eo disputant eruditi, quin plerumque censeatur Saturnus, quod maximè verum est in his Amozi verbis: nam *Molocum* esse *Saturnum* non sinit nos dubitare, quòd idem appelletur כיון *Ciun:* omnino enim *Ciun* est Saturnus, ut testantur Rabbini ad hunc locum, & nos probare sumus conati in nostris ad Punica Plauti observationibus. His disputatis & semel constitutis, facilè veniemus in cognitionem eorum quæ hîc à Propheta dicuntur, &, quæ ea sit historia cujus meminit, quámque verbulo indicat. Sæpius Deum ab Israelitis exacerbatum fuisse, toto illo tempore moræ eorum in deserto, testatur Moyses: at semel tantùm atque iterum à vero cultu Dei ad illum idolorum Israelitas defeciisse idem meminit: ac prius quidem fuit, quando vitulo aureo solennia peregerunt Exod. 32. posterius verò est, cùm blanditiis feminarum Moabitidum & Madianitidum irretiti coluerunt Moabitarum &, ut puto, Madianitarum etiam numen *Baalpehor*, eíque sacrificia obtulerunt. Num. 25. Psal. 106. historiam hanc alludit Propheta: certè quæ referuntur Psalmo 106. & ab Amozo paria inter se faciunt; quod unde unde suboluerit Theophylacto, nescio: hoc scio, optimè & ex vero illum observasse ad cap. 7. Actor. super istis verbis, Ἰσραηλίτας, σκηνοποιησαμένους σκῆνος εἴδωλον καὶ κεκλικέναι Μολὸχ εἴδωλον ὃ τοῦτο Μωαβιτῶν, καὶ τὴν Μωαβιτῶν μανίαν πεπληρωκέναι. Coluerũt illi *Baalpehor*, Num. 25. Psal. 106. hîc verò dicuntur coluisse *Moloch*, quod idem est numen: Nam, ut diximus, *Baal* & *Moloch* de eodem numine dicuntur: Certè Saturnus utrobique intelligitur. Suidas è vetustioribus de *Baalpehoro*, Βεελφεγώρ. Βὴλ ὁ Κρόνος· Φεγὼρ ἢ ὁ τόπος ἐν ᾧ ἐτιμᾶτο· ἐξ ὧν Βεελφεγώρ. *Moloch* verò eruditissimis quibusque Saturnus est. Sequitur altera appellatio apud Lucam è Lxx Seniorum interpretatione, *Repha*, vel *Rephan*: Sed prius illud è variis & discrepantibus hujus vocis scripturis malo, *Repha*. Quid significet ista vox, quæstionis est, & quomodo ea cùm Lxx Seniores, tum ex iis B. Lucas, nomen *Ciun* sint interpretati. De ea re nos ista conjicimus. Appellatio *Ciun* Saturnum designat; cùm autem nomen hoc *Ciun* minùs fortè notum, & sacrorum

tantùm

tantùm esset, Lxx Seniores substituerunt appellationem ejusdem Dei Saturni magìs notam atque familiarem, quæ in promiscuo, si quid judico, usu esset apud plebem, cujus appellationis synonymam habes Psal. 106. in hoc argumento; ויצמדו לבעל פעור ויאכלו זבחי מתים, Græci vertunt, καὶ ἐτελέσθησαν τῷ Βεελφεγώρ· καὶ ἔφαγον τὰς θυσίας νεκρῶν. Nos existimamus Saturnum, qui inter τοὺς καταχθονίους θεοὺς censetur, nec minùs Ἀιδωνέως appellatur quàm ipse Charon, ut ex Hesychio constat, nomine מתים designari: Nam זבחי מתים sunt *sacrificia* mactata honori *Baalpehor*, i. Saturni; Nomini vero מת synonymum est istud רפא. Nam in S. literis רפאים sunt מתים, i. *mortui*. Est igitur *Moloch* idem qui *Baalpehor*, idémque alio nomine *Ciun*, itémque *Repha*, quo, ut magìs trito & notiore quàm nomen *Ciun*, usos fuisse Lxx Interpretes conjicimus. Appellabatur igitur Saturnus in illo Syriæ tractu רפא *Repha*, quem Psaltes per contemptum voce synonymâ מת appellavit. Quare optimè Theodotio nomen *Ciun*, quod Lxx vertunt *Repha*, interpretatus est ἀμαύρωσιν, i. *obscuritatem*, ut observat B. Hieronymus: optimè item Scholia Græca ad cap. 7. Act. *Repha* cum *Moloch* idem faciunt & interpretantur: τίς ὁ Μολόχ; τὸ ἄστρον Ῥαφάν, ὅ ἐστι καθαίρεσις· addit Theophylactus, ἤτοι τύφλωσις. Quod nescio an referant ad naturam planetæ Saturni. Ego רפא interpretor appellatum Saturnum, quia de diis καταχθονίοις est: itaque Psaltes hanc appellationem *Repha* nomine synonymo מת est interpretatus: mortui autem sunt non minùs verè quàm appellantur à Poetis, *luce carentes*. Fuit igitur Saturni cognomen *Repha* usitatissimum apud Syros, quod nomine מת Psaltes expressit: itaque in sua interpretatione Lxx Seniores, & Stephanus apud Lucam, nomen Saturni in Amozi Prophetæ verbis minùs notum & familiare, ut quod tantùm fortè in sacris usurparetur, vel jam desiisset esse in usu, *Ciun* interpretati sunt alio Saturni cognomine, *Repha* scilicet, notissimo, & quod in promiscuo apud plebem erat usu. Quod autem ad Græca verba attinet, puto ità esse, secundùm Hebræorum interpunctionem, interpungenda quoque; καὶ ἀνελάβετε τὸν σκηνὸν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν, Ῥαφὰν τοὺς τύπους, οὓς ἐποιήσατε προσκυνῶν αὐτοῖς. Appellat Ῥαφὰν τοὺς τύπους, *Repha imaginibus expressum*, sive *imagines Repha*, quomodo loqui amant Hebræi, & observavimus in Punicis Plauti simile loquendi genus in parili argumento. Sequuntur pòst hæc verba quæ longè majorem habent difficultatem; καὶ μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος. Nam in Hebraico legitur, והגלתי אתכם מהלאה לדמשק. Neque hìc secutus est Stephanus apud Lucam editionem Lxx, quæ habet ἐπέκεινα Δαμασκοῦ, non autem Βαβυλῶνος. Quid igitur dicemus? Aberrasse Stephanum apud Lucam ab Hebraica veritate? Absit. Spiritu namque S. dictante ista è V. Testamento ad rem Christianam promovendam adtulit Stephanus: *nec putandus est* (inquit Hieronymus, cujus conciliationi ineundæ viam non probamus in omnibus) *primus martyr errasse: qui pro eo quod in Propheta scriptum est*, trans Damascum, *dixerit*, trans Babylonem. *Magìs enim intelligentiam quàm verbum posuit, quia trans Damascum ducti sunt in Babylonem, sive trans Babylonem.* Agit Amozus Propheta de captivitate X tribuum populi Israelitici, qui non in Babyloniam summotus fuit sed in Mediam, ut habes 2 Reg. 17. 6. Idem acciderat Damascenis paulò antè 2 Reg. 16. 9. quemadmodum futurum prædicebat Amozus c. 1. 3, 4, 5. Súntque Damasceni exportati in *Kirum* Amoz. 1. 5. 2 Reg. 16. 9. Putat Vir Cl. *Kirum* esse illam Mediæ partem quæ ab hac Damascenorum deportatione *Syromedia* dicta sit: sed id sine ullo autore. Ego contrà facilè mihi persuadeo *Kirum* esse in Babylonia, ac fortè hinc nomen invenit ea Babyloniæ civitas quæ Ptolemæo Tab. 4. Asiæ *Chiriphe* appellatur. Quicquid hujus civitatis sit, non dubito *Kirum* esse in Babylonia; nè dubitem faciunt Amozi verba, quæ interpretatur Stephanus: ea sunt, והגלתי אתכם מהלאה לדמשק, quæ cum vulgo non interpretor, sed hoc modo, *Submovebo ego vos longinquiùs quàm submota est Damascus.* Non enim dicit Dominus se Israelitas deportaturum ultra Damascum in Babylonem; hoc enim falsum est: sed longinquiùs se eos summoturum quàm summoti fuerunt Damasceni, qui cùm in *Kirum*, i. ut existimamus, in Babyloniam summoti sint, Israelitæ autem longinquiùs summovendi essent quàm Damasceni, optimè Stephanus dicit Dominum Israelitas summoturum longinquiùs quàm in Babyloniam: nam in Babyloniam summoti erant Damasceni, Israelitæ verò longinquiùs erant summovendi quàm Damasceni. Hìc est sensus, meo judicio, verborum Prophetæ apud Lucam; μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος. Debebat Dominus Israelitas deportare מהלאה לדמשק *longinquiùs quàm Damasceni* sunt summoti: summoti autem sunt Damasceni in Babyloniam. Quare dicit Dominus apud Lucam se Israelitas deportaturum ἐπέκεινα Βαβυλῶνος *longinquiùs quàm in Babyloniam*: itaque in Mediam deportati sunt.

CAP. 2. *Lucæ verbis Act. 21. lux præfata. Quivis alius præter Nazaræum sumptus poterat facere in victimas à Nazaræo offerendas: si quid pecuniæ supererat post sumptus factos, impendebatur in victimas aliorum Nazaræorum.*

LOcus legitur eximius apud Lucam Act. 21. de quatuor illis Nazaræis quibus se comitem addidit Paulus, sumptúsque in victimas ab illis offerendas fecit. Hujus autem loci mentem te posse assequi frustrà speres, nisi è Judæorum ritibus. Observandum igitur est, non hìc agi de Paulo, ac si ille ipse Nazaræatûs votum concepisset; imò contrà, ut optimè aliis est observatum, hæc verba, δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς, ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλήν, significant, non Paulum, sed quatuor alios viros comam quam aluerant è Nazaræatûs voto deposuisse; Paulum verò sumptus in hanc rem fecisse: Quod à Paulo factum est è veteri Judæorum instituto. Scribit enim Maimonides lib. הפלאה Tract. נזירות cap. 8. fol. 411. pag. 11. obtinuisse apud Judæos ut si quis dixisset, הרי עלי לנלח נזיר, i. δαπάνησον ὅτι Ναζαραίῳ, ἵνα ξυρήσηται τὴν κεφαλήν, tenebatur ille sumptus facere in victimas à Nazaræo offerendas, peractis voti diebus, si Nazaræus, cujus intererat, id pateretur: האומר הרי עלי לנלח נזיר חייב להביא קרבנות תנלחת טהרה ומקריבן על יד אי זה נזיר שירצה. Atque ità non Nazaræus, sed is, qui volebat in victimas sumptus facere, victimas עליו offerebat. Quòd si quis dixisset, se velle dimidium tantùm impensæ in victimas faciendæ præstare, Nazaræus quod erat reliquum præstabat: הרי אמר עלי חצי קרבנות נזיר או אם הרי עלי לנלח חצי נזיר הרי זה מביא חצי הקרבנות לאי זה נזיר שירצה ואותו נזיר משלים קרבנותיו משלו. Quæ apud Lucam leguntur gemina germana sunt: nam consilium dant Paulo cæteri qui aderant Apostoli, ut sumptus faceret in victimas quas offerre Deo debebant quatuor illi viri qui Nazaræatûs votum voverant, δαπάνησον ἐπ' αὐτοῖς, ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλήν, i. אמור הרי עלי לנלח ארבע וה הנזירים: idque suboluit Oecumenio, qui ad hæc notat, τὰς προσφορὰς ὑπὲρ αὐτῶν καὶ ἃ νόμου θυσίας, σὺ πάρεχε. Quod etiam fecit Paulus, ut Lucas testatur. An verò Paulus integros sumptus fecerit nécne, dicere non possumus: hoc unum certò affirmamus, illum fuisse ἁγνιδίστα σὺν τοῖς Ναζαραίοις, quia quasi in partem Nazaræatûs venerat sumptus hos faciendo, & præterea non poterat non esse in casto, cùm sacris interesse deberet quorum ille sumptus faciebat, & על ידו offerebantur. Quare non simpliciter dicitur Paulus à Luca ἁγνισθεὶς, sed ἁγνιδίστα σὺν τοῖς Ναζαραίοις. Sequitur in Lucæ narratione, διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ, ἕως οὗ προσηνέχθη ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν ἡ προσφορά. Id quid sit, investigandum jam est cum bono Deo. Scribit Maimonides loco laudato, c. 9. fol. 412. p. 1. Nazaræum, sive quis alius sumptus in victimas faceret, denunciare solitum se tantum pecuniæ destinasse in victimarũ sumptus, idq; fiebat ἐν τῇ συντελείᾳ τὰς ἡμέρας τοῦ ἁγνισμοῦ. Quòd si quid pecuniæ supereresset post sumptus factos, impendebatur in victimas aliorũ Nazaræorum:

rum: המפריש מעות שיקריב מהן קרבנות נזירים והקריב מהן והותירו יביאו במותרן קרבנות נזירים אחרים שמותר נזירים לנזירים. Ex hoc more nostri Paulus, διαγγέλλ τῷ ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ, i. המפריש מעות שיקריב מהן קרבנות נזירים ביום מלאות ימי נזירות: neque enim possunt dici Σωτελοῦς αἱ ἡμέραι τοῦ ἁγνισμοῦ τῶν Ναζιραίων, nisi illo die quo comam deponebant, & sacrificia Lege sancita Deo offerebant; itaque qui διαγγέλλ τῷ ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ, denunciat תגלחת טהרה & etiam קרבנות quæ eam sequuntur. Quòd verò hîc narratur B. Paulus, διαγγέλλων τῷ ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ, ἕως οὗ προσηνέχθη ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν ἡ προσφορά, peculiarem habet causam è jure, cujus regulam jam descripsimus, petitam. Quatuor erant viri qui Nazaræatûs votum voverant, sed eâdem die omnes illos votum suum expunxisse adeò versimile non est, ut contrà ex historia Lucæ pro certo compertum habeamus, non eâdem die sed diversâ vota fuisse soluta: hinc factum est ut dicatur Paulus Lucæ, διαγγέλλων τῷ ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ, ἕως οὗ προσηνέχθη ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν ἡ προσφορά, nempe quia non eâdem die omnes illi votum suum expungebant, sed intercedebat aliquod intervallum: at illud quot dierum fuerit inter hunc & illum, nostrum non est dicere, qui divini non sumus: videtur tamen posse colligi è Luca non majus interfessisse intervallum ab eo die quo is qui primus votum suum expungebat comam deposuit, ad illum quo is qui postremus comam deponebat votum expunxit suum, quàm septem dierum. Unde horum dierum numerus legitur apud Lucam; ὡς δὲ ἤμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, at que intra hos dies futuram ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ horum quatuor Nazaræorum denunciaverat Paulus, ídque ab eo factum est nè pecunia quam conferebat ad victimas, & reliqua erat futura post peracta sacra primi Nazaræi, in aliorum Nazaræorum sacra, præterquam trium illorum qui sequentibus diebus intra ἑπτὰ ἡμέρας sua vota erant expuncturi, impenderetur.

CAP. 3. *Expenditur alter è Lucæ Act. 18. locus. Licebat etiam in urbe sacra, aut intra Provinciam, dummodo posset postridie sacra in Templo facere, comam deponere. Legitimum Nazaræatûs tempus est 30 dierum. Judæi comam non alebant: contrà Græci.*

NArratur Paulus Hierosolyma profecturus, Cenchreis solvens comam deposuisse, ídque ex voto, ut volunt, Nazaræatûs, Act. 18. nam conjungunt ista Interpretes, κειράμενος τῷ κεφαλῷ, & ἔσχε δὲ εὐχὴν, quasi posterius istud sit prioris αἰτιολογία, quanquam non capio Oecumenii mentem in notis ad hæc verba; τὸ δὲ κείρασθαι τῷ κεφαλῷ καὶ' εὐχὴν, Ἰουδαϊκὸν ὂν, ἦν δὲ θυσίας γενέσθαι, ὅτις οὐκ ἐγένετο ἔτι μὴ τὸ τυφλῶσαι τὸν Σωσθένην. Quàm multa enim peccat Oecumenius! mitto errorem qui illi cum plerisque Interpretum est communis, τὸ κείρασθαι τῷ κεφαλῷ καὶ' εὐχὴν. Attamen cùm optimè observet istud Ἰουδαϊκὸν ὂν, ἦν δὲ θυσίας γενέσθαι, quis ferat ab eo hoc addi, sacrificium oblatum non fuisse, quia pulsatus est Sosthenes? quasi scilicet res sacra, i. sacrificium, posset Deo secundùm Mosaicos ritus offerri Corinthi, aut istud contigisset ante illatam Sostheni injuriam. Sed utrumque certè falsum est: nam Hierosolymis tantùm licebat sacrificia offerre, non alibi gentium, & Paulus comam deposuit cùm jam se itineri Hierosolymitano accingeret, quod diu post pulsatum Sosthenem accidit. Quare optimè observavit Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum pater, debuisse Paulum caput suum tondere Hierolymis, siquidem ex voto Nazaræorum tondebat. Nam Lex cavet Num. 6. ut Nazaræus caput suum tondeat *ad ostium tabernaculi conventûs*, & sacrificium Deo offerat. Ergò non potuit Paulus caput suum tondere Cenchreis è Nazaræorum voto. Excipit ὁ πολυμαθέστατος Cardinalis factum id à Paulo esse Cenchreis, quia fortè mortuus erat aliquis coram Paulo: Ergò illico fuit Paulo caput tondendum. Verùm hæc Baroniana exceptio planè falsa est: nam non illico caput suum tondebat Nazaræus ubi coram eo mortuus erat aliquis, sed septimo à pollutione die, octavo sacrificium Deo offerebatur. Habes expressis verbis Num. 6. Hinc præceptum עשה in Rabbinorum Libris; שיגלח על קרבנות כשישלים נזירות או כשיטמא. Quare etiam Nazaræus, qui ob mortuum fuerat pollutus, debebat caput suum tondere Hierosolymis, sive ubicunque Deo sacra fiebant: atque hinc factum puto ut Deus noluerit Nazaræum pollutum ob mortuum, statim ac pollutus fuisset, caput suum tondere, sed dies septem voluit intercedere, ut etiam is qui remotissimè habitabat ab Urbe sacra, in qua sacrificia Deo offerebantur, posset intra illud temporis spatium è Cananitidis terræ finibus in eam Urbem venire, & ità quod Lege sanctum erat peragere. Non igitur Paulus, etiam ex hac causa, potuit caput suum Cenchreis tondere; non enim per Legem extra Hierosolymorum urbem licebat. Objicies è Maimonide libro laudato, cap. 6. fol. 410. p. 2. necessarium non fuisse ut Nazaræus qui pollutus fuerat, caput suum raderet ad ostium Tabernaculi, verùm etiam Legi fecisse satìs si die à pollutione septimo comam deposuisset intra provinciam: כשמגלח נזיר תגלחת טומאה אינו צריך לגלח על פתח המקדש ולא להשליך שערו על האש ובין שגלח במדינה או במקדש שערו אסור בהנאה וטעון קבורה ואפרו אסור כאפר כל הנקברים. Ergò non Hierosolymis tantùm sed etiam extra urbem atque in Provincia licebat Nazaræo polluto comam deponere. Verùm ista nostræ nequaquam officiunt sententiæ; nam etiã Nazaræo qui votum suum expungebat תגלחת טהרה, licebat comam deponere במדינה intra Provinciam: testis est omni exceptione major Maimonides libro laudato, cap. 8. fol. 411. pag. 2. ומשליכין שערן לאש ואם גלח במדינה יצא בין שגלח במדינה ובין שגלח במקדש תחת הדיוט הוא משליך שערו. Atqui Nazaræus eo ipso die quo caput suum radebat, sacris operabatur, & sacrificia Deo offerebat: at verò sacra non poterant peragi nec sacrificia offerri nisi Hierosolymis. Quare voce hâc מדינה intelligit Maimonides vel urbem ipsam, vel locum in Provincia non longè ab urbe dissitum, cùm omnino necesse esset illo ipso die in urbe sacris operari. Par est ratio, meo judicio, תגלחת טמאה: nam Nazaræus pollutus tondebatur septimo die à pollutione, etiam aliquando octavo. Sacrificia autem offerebantur sequenti à deposita coma die, vel eodem, siquidem octavo deposuisset comam. Maimonides libro laudato, fol. 410. pag. 2. מגלח שער ראשו בשביעי וטובל בשביעי אחר ההויה כדרך כל טמאי מת ומביא קרבנותיו בשמיני ואם גלח בשמיני מביא קרבנותיו בו ביום. Cùm igitur dicitur Nazaræus pollutus comam deponere septimo à pollutione die intra Provinciam, intellige vel ipsam Hierosolymorum urbem, vel locum non procul ab ea positum: nam Nazaræo necesse erat postridie sacra Deo facere Hierosolymis. Unde liquet quàm malè ab interpretibus acceptus sit hic locus, cùm putant Paulum caput suum totondisse Cenchreis ex voto: De quo in genere hæc pronunciat Josephus ἀλών. lib. 2. cap. 26. agens de Berenice; ἐπεδήμει δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, εὐχὴν ἐκτελοῦσα τῷ Θεῷ· τὰς γὰρ ἐν νόσῳ καταπονουμένους, ἢ τισιν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἔθος ἐστὶ ταῖς γυναιξὶ πρὸ τεσσαράκοντα ἡμερῶν, ἧς ἀποδώσειν μέλλουσιν θυσίας, οἶνόν τε ἀφέξεσθαι, καὶ ξυρήσασθαι τὰς κόμας. E quibus verbis colligimus quænam fuerit vulgo concipiendi voti Nazaræatûs causa, nempe morbus, aut alia aliqua necessitas. Secundò, Etiam feminas vovisse hoc votum exemplo est Berenice: ídque constat è Lege Num. 6. & Maimonide. Tertiò, Quodnam fuerit vulgò legitimum tempus quo durabat Nazaræatus, ità ut toto illo tempore à vini usu & tondendis capillis abstinerent, spatium scilicet 30 dierum, & tricesimo primo demum die votum exsolvebant & sacrificia offerebant. Cum Josepho paria facit Maimonides, & Nazaræatûs tempus menstruum esse pronunciat libro jam sæpe à nobis laudato cap. 3. סתם נזירות שלשים יום Tricesimo primo die oportebat Nazaræum comam deponere. Maimonides cap. 4. fol. 409. נזיר שלשים יום

אינו מגלח אלא ביום אחד ושלשים. Tricesimo primo igitur die deponebat comam & sacrificia offerebat. Ergò 30 dierum intervallum erat legitimum tempus voti Nazaræatûs: Itaque qui nullum voti sui Nazaræatûs tempus definiebat, aut minus faciebat 30 dierum spatio, Nazaræatûs illius tempus 30 diebus durabat. Maimonides lib. laudato, cap. 3. fol. 408. pag. 2. ואפילו אמר הריני נויר נזירות גדולה עד מאד הרבה הרי זה נויר שלשים יום השהרי לא פירש זמן פירש זמן פחות משלשים שאמר הריני נויר יום אחד או י' ימים או כ' יום הרי זה נויר שלשים יום שאין נזירות פחותה שלשים יום: Sed ista hactenus. Quod verò ad historiam Lucæ attinet, existimamus verba ista, ἔχε γὰρ εὐχὴν ἐφ' ἑαυτῷ esse αἰτιολογίαν, non ejus quod immediatè præcedit, κειράμενος τὴν κεφαλὴν, sed hujus potiùs, ἐξέπλευσε εἰς τὴν Συρίαν. Navigavit in Syriam ut festum Hierosolymis ageret, atque istud est quod voverat B. Paulus; itaque paulò pòst Ephesiis dicebat, *oportere omnino ut diem festum, qui instabat, ageret Hierosolymis.* At verò quare id *oportet omnino?* Non id fit propter legem illam Mosaicam quâ cavetur de tribus festis ab omnibus celebrandis Hierosolymis: nam biennium ferè Corinthi & totum triennium Ephesi commoratus est, nec Hierosolyma petiit ut festa agitaret. Quod igitur dicit B. Paulus hoc in loco se eò esse necessitatis adactum ut Hierosolyma proficisceretur ad festum, adactus est ex voto, non quòd jam ampliùs lege Mosaicâ teneretur. Sed quæret aliquis, quare huic historiæ profectionis B. Pauli Hierosolyma inserta sint ista, κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν Κεγχρέαις, & quid causæ fuerit Paulo tondendi capitis. Causam facilè reddemus cum bono Deo. Observandũ igitur est, quid solenne fuerit B. Paulo apud plebem: nempe ἐγκεῖσθαι τοῖς Ἰουδαίοις ὡς Ἰουδαῖος, τοῖς ἀνόμοις ὡς ἄνομος, 1 Cor. 9. Ex hoc solenni more non dubitamus B. Paulum, quamdiu apud Corinthios fuit, comam aluisse: Nam apud Græcos id erat hominis ingenui, ut ex hoc Aristophanis versu, qui in proverbium abiit, constat,

Ἔπειτα δῆτα δῦλος ὢν κόμην ἔχεις;

πάσσων δὴ ἐλαθέρων τὸ κομᾶν, ut veteres observant Magistri. Contrà verò apud Judæos videtur obtinuisse ut comam non alerent, sed strictim tonderentur; constat è Nazaræis, qui propter voti religionem 30 diebus à tondendis capillis abstinebant. Ergò qui nullâ voti religione erant obnoxii alendæ comæ, comam non alebant, sed semel atque iterum, aut fortasse pluries singulis mensibus, tondebantur. Cùm igitur Paulus, qui Corinthi comam aluerat, pro Corinthiorum more, Corintho esset profecturus Hierosolyma, antequam è portu solveret, comam deposuit, capútque strictim totondit pro Judæorum more. Nam cum illis rem sibi fore Hierosolymis dubitare non poterat: atque ità qui habitu capitis Corinthios, quamdiu Corinthi fuit, retulit, idem etiam Judæos ad eorum Metropolim accedens referre volebat.

CAP. 4. *Prolata lux Marci 7.* Corban *qui se Deo voverat. Filii apud Judæos cogebantur alere parentes, etiam ex emendicata ostiatim stipe.*

DIfficillimus legitur apud Matth. 15. & Marc. 7. locus, cui, si Deus dederit, facem aliquam præferre conabimur, Κορβᾶν, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, ὠφεληθῇς. Hunc locum ità interpretatus est B. Hier. Comment. in Matth. 15. *Præceperat Dominus vel imbecillitates, vel ætates, vel penurias parentum considerans, ut filii honorarent, etiam in vitæ necessariis ministrandis, parentes suos. Hanc providentissimam Dei legem volentes Scribæ & Pharisæi subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea quæ parentibus offerenda sunt Deo vovere voluerit, qui verus est pater, oblatio Domini præponatur parentum muneribus, vel certè ipsi parentes, quæ Deo consecrata cernebant, nè sacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur. Atque ità fiebat ut oblatio liberorum sub occasione Templi & Dei in Sacerdotum lucra caderet. Hæc pessima Pharisæorum traditio de alia veniebat occasione; Multi habentes obligatos ære alieno, & nolentes sibi creditum reddere, delegabant Sacerdotibus, ut exacta pecunia ministeriis Templi & eorum usibus deserviret.* Theophylactus, Ἔδιδασκον γὰρ τοὺς παῖδας μηδὲν δίδόναι τοῖς γονεῦσιν, ἀλλ' ἀνατιθέναι ὅσα ἔχουσι τῷ γαζοφυλακίῳ τῷ ἱερῷ· ὧν δὲ ἐν τῷ ἱερῷ θησαυρὸς, ἐν ᾧ ὁ βωμὸς καλεῖται· ἐκαλοῦτο δὴ καὶ Γάζα. ὁ δὴ θησαυρὸς τοῖς πένησι διεδίδοτο. οἱ τοίνυν Φαρισαῖοι πείθοντες τοὺς παῖδας μηδὲν δίδόναι τοῖς γονεῦσιν, ἀλλ' ἀνατιθέναι αὐτὰ τῷ θησαυρῷ τῷ ἱερῷ, ἐδίδασκον αὐτοὺς λέγειν, ὅτι δῶρόν ἐστι, τουτέστιν, ἀνατεθειμένον τῷ Θεῷ ἐστιν, ὃ πάτερ, ὁ ζημιῶς ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆναι· καὶ ἕτως ἐμέριζον αὐτοὶ μὴ δὴ παίδων τὰ χρήματα, καὶ οἱ γονεῖς κατελιμπάνοντο ἀνηρωτόμητοι. ἐποίουν δὲ τοῦτο καὶ οἱ δανεισταί· ἐὰν γάρ τις ἐδάνισέ τινι χρήματα, εἶτα δύσκολος ὁ χρεώστης ἦν, καὶ οὐκ ἀπεδίδου τὸ ὀφειλόμενον, ἔλεγεν ὁ δανιστὴς περὶ τούτου· ἀγνώμονα χρεώστην, Κορβᾶν ἐστιν ὃ ὀφείλεις μοι, τουτέστι, δῶρον τῷ Θεῷ ἀνατεθειμένον. ὁ οὖν χρεώστης ὡς τῷ Θεῷ ἦκοτε ὀφειλων, καὶ ἄκων κατέβαλε. τοῦτο ἐδίδασκον τοὺς παῖδας οἱ Φαρισαῖοι ποιεῖν. Mitto prudens interpretationes præstantissimorum hujus & superioris ætatis virorum, quia Κορβᾶν interpretantur de iis quæ alendis parentibus impendi possunt. At verò istæ interpretationes repugnant legibus παραδοσιμαδότοις Judæorum. Nam nullâ se poterant exceptione tueri, quin alendi essent parentes: cogebantur enim inviti: hæc enim est regula juris Judæorum, כופין את הבן לזון את האב *Cogitur filius alere parentem.* Hiscuni Hebræus, referente C. L. Druſiõ; *Legimus, Honora Deum de opibus tuis, &, Honora patrem & matrem. Deus honorandus, si habeas; parentes, sive habeas, sive non: nam si nihil habes, debes mendicare ostiatim pro eis.* Eadem habentur in lib. Musar, cap. 5. Ergò non poterat filius, si Κορβᾶν eo sensu quo volunt viri magni interpreteris, hâc exceptione se tueri: omnino enim cogebatur vel ex emendicata ostiatim stipe parentes alere. Lex de honorandis parentibus non tantùm legem de iis alendis suo ambitu complectitur, sed etiam de iis in publicũ prodeuntibus deducendis & domum reducendis, ità interpretantur Judæi; *Quis est honor quẽ filius debet exhibere parentibus? Dat eis cibum & potum, calceat q3, introducit & educit.* Debebant igitur liberi parentibus præstò esse, adesséq; ut in publicũ deducerent & domũ reducerẽt. Fuerunt apud Judæos, de quibus legitur lex Lev. 27. qui Dei sacro se ad tempus devoverent ministerio: iíque *Corban* appellabantur. Josephus ἀρχαιολογ. lib. 4. cap. 4. Καὶ οἱ Κορβᾶν αὐτὸς ὀνομάσαντες τῷ Θεῷ, δῶρον ἢ τοῦτο σημαίνει κατ' Ἑλλήνων γλῶτταν, βουλομένοις ἀφίεσθαι τῆς λειτουργίας τοῖς ἱερεῦσι καταβάλλειν ἀργύριον, γυναῖκα μὲ τεσσαράκοντα σίκλους, ἄνδρα δὲ πεντήκοντα· ὅσοι δ' ἐνδεέστερα τῶν εἰσιμίων ἔχουσι χρημάτων, τοῖς ἱερεῦσιν ἐξῆναι ἀντὶ τούτων ὡς βούλονται δοκιμάσαι. Confundit istos Illustrissimus Annalium Ecclesiasticorum pater ad annum 53 num. 35. cum Nazaræis, sed malè. Nam iis qui *Corban* appellantur, λειτουργία ἐν τῷ ναῷ attribuitur: de Nazaræis verò nihil hujusmodi refertur, nec potest eorum votum dici λειτουργία. His adde, quòd nullâ pecuniâ poterant Nazaræi redimi ab exsolvendo voto: contrà isti *Corban* numeratâ Sacerdotibus pecuniâ à λειτουργίας opere redimuntur. His positis existimamus liberos illos, cum hac exceptione, Κορβᾶν, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, ὠφεληθῇς, se adversùs parentes suos tuerentur, nè honorem illis haberent Lege sancitum, hâc voce Κορβᾶν seipsos appellasse, & significare se devoviſse sacro Dei ministerio: itaque non posse propter τὴν λειτουργίαν, cujus rei sunt è voto, parentibus adesse. Addunt, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, ὠφεληθῇς, *Quod tamen cunque per me est*, i. ubi vacabo & otium erit ἀπὸ τῆς λειτουργίας, *tibi adero.* Sensus igitur est Κορβᾶν, Ego, ô parentes, devovi me τῇ λειτουργίᾳ ἐν τῷ ναῷ, itaque cogor propter τὰς λειτουργίας occupationes vobis deesse; cæterùm ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, ὠφεληθῇς, ubi per has τὰς λειτουργίας occupationes licebit & potero, vobis adero & juvabo. Ità se tuebantur religionis prætextu impii liberi, nè parentibus adessent, at tamen poterant facilè hoc negotio defungi;

nam

nam ἀφ' ἑαυτῆς τῆς λειτουργίας τοῖς ἀργύριον καταβάλλουσι licebat.

CAP. 5. *Expenditur è Matthæi cap. 5. locus. Lapidibus obruti apud Judæos patibulo imponebantur. Maxima illis sepulturæ cura. Insepulti in vallem Hinnonis projiciebantur.*

PRimus, quod sciam, locum Matth. 5. de judiciorum forma, ad quam alludit Christus, excussit vir de literis optimè meritus Angelus Caninius, existimátque verba Christi hujus esse sensûs; *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo temere, reus eſt judicio*, Triumvirûm scilicet; *Quicunque dixerit fratri ſuo*, RACA, *reus erit concilio*, quod est Synhedrion parvum viginti trium; *Qui autem dixerit*, FATUE, *reus erit gehennæ ignis*, i. summo Synhedrio Septuaginta unius, quo Divinum judicium intelligimus. Hanc interpretationem secutus est Vir Clarissimus, qui præterea hoc de suo videtur largiri, Synhedrium illud magnum Septuaginta unius circumscribi his verbis, εἰς τὴ γέενναν τῦ πυρὸς, quia summum hoc Concilium quadruplici suppliciorum genere utebatur, strangulatione, gladio, lapidatione, vivicomburio; inter quas pœnas non dubium est quin vivicomburium gravissima pœna fuerit. Quasi scilicet Synhedrium illud parvum Viginti trium, quod de capitalibus causis cognoscebat, & judicia דיני נפשות reddebat, non uteretur quadruplici pœnarum istarum genere: quod est falsum omnino atque absurdum. Sed falsum quoque est & illud, quod observarunt Viri eruditissimi, in verbis Christi, ἔνοχος ἔσαι τῇ κρίσει, judicium intelligi in quo sedebant Triumviri: Nam, quod etiam animadvertit Cl. Drusius, præcedenti commate eâdémque voce, eodémque sensu, usus est Christus, ὃς φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσαι τῇ κρίσει. Pœna autem homicidii erat capitalis: Quare hîc ἡ κρίσις significat Judicum consessum, in quo de rebus capitalibus cognoscebatur: qui Judicum consessus non erit ille Triumvirûm, cujus cognitionem דיני נפשות *judicia capitalia* sunt egressa; reddebat enim tantùm דיני ממונות *judicia pecuniaria*, ut constat è Talmudicis scriptoribus, vel ipso referente Angelo Caninio. Non negat itaque Christus vel minimo peccato, ut iræ tacitæ, deberi pœnam capitis sive mortis: distinguit tamen peccatorum inter se comparatorum gravitatem ex varia judiciorum ratione ad quam alludit, apud Judæos etiam in capitis pœna: Dicit itaque Christus, eum qui, etiam tacitè, iraſcitur fratri suo, damnandum esse ad mortem, sive teneri capitis pœnâ. Nam cognitionis Synhedrii Viginti trium, quod hîc intelligitur voce τῇ κρίσει, erant דיני נפשות: *Qui verò dixerit fratri ſuo*, RACA, capite quoq; luet. Gravitatem autem criminis præ ira ostendit Dominus, cùm dicit non animadversum iri in illum capitis pœnâ è Synhedrii viginti trium sententia, quemadmodum factum fuerat adversûs illum qui iraſcebatur, sed ex Synhedrii summi LXX unius sententia, quod nonnisi de rebus gravissimis, & quæ irent in exemplum, cognoscebat, ídque Hierosolymis. Addit postremò, *Qui autem dixerit*, FATUE, pœnas capitis dabit, & ostendit longè istud præ cæteris gravissimum esse crimen, ut in cujus criminis sontem dicat sævitum iri etiam post mortem: id, meo judicio, significant ista Christi verba, ἔνοχος ἔσαι εἰς τὴ γέενναν. Ubi primò diligenter est observandum, quod non possumus satìs mirari fugisse eruditissimos interpretes, non dixisse Christum, ut in præcedentibus, ἔνοχος ἔσαι τῇ γεέννῃ τῦ πυρὸς, sed mutato loquendi genere, ἔνοχος ἔσαι εἰς τὴ γέενναν τῦ πυρὸς. Quod satìs arguit aliud quidpiam subintelligendum esse, quod vulgum latet. Maxima fuit apud Judæos habita sepulturæ cura atque ratio: Quare etiam hostes suos sepeliebant, ut constat è Josepho, ἀλόσ. lib. 3. c. 14. πρὸ γῆν ἀγελόητας ἑαυτὸς, πρὸ μὲ ἡμῖν, μάχεις ἡλίῳ δύσεως ἀτάφυς κεῖσθαι κεῖναν, κἀκτοι κ) πολεμίες θάπλῳ θεμιτὸν ἡγέμθοι. Unde fiebat ut affectos supplicio eodem die terræ mandarent ex lege, ut docet Maimonides lib. Jud. ult. Tract. Sanhedrin, c. 15. מצות עשה לקבור את כל הרוגי בית דין ביום ההריגה: ídque cum instrumentis supplicii, ut ibidem legitur. Quanquam in his in quos fuerat animadversum judicum sententiâ, aliud quid præterea observabatur, ut nimirum insepulti aliquot horas Soli & hominum oculis exponerentur, quod erat longè ignominiosissimum, ut constat è Josephi laudatis verbis, patibulo impositi. Philo de Legibus, ubi agit de homicidarum pœna, quæ capitis erat, ut sancivit Moyses Exod. 20. 24. Lev. 24. 17. Μωσῆς μὲ θανάτῳ, ὅσῳ ὀξ' ἢ ἰῶ, ἰῶτο ἂν καὶ' αὐτὴ ὁ νομοθέτης· ἐπὶ ᾧ τῦτ' ὐκ ἀνεβάλετο, τιμωρίαν ἄλλω προσδιατάττων, κολάσεως τὰς ἀναβολὰς ἀνασκολοπίζων. Atque ità sæviebatur in eos qui priùs lapidibus fuerant obruti: Nam hæc est regula juris Hebræorum apud Salomonem Jarhium; כל הנסקלין נתלין. Verùm ad occasum Solem sepeliebantur. Josephus è Moyse, κ) μόνας δι' ὅλης τῆς ἡμέρας ὑς θέαν τῶ ἁπάντων, θαπλόσθω νυκτός. Atque id quidem commune jus fuit; sed non dubitamus omnino insepultos abjectos fuisse illos in quos graviùs sævitum ire vellent judices. Vide minas Domini adversûs Jehoiakimum Josiæ filium apud Jeremiam cap. 22. 19. & exemplum Peraitæ Nigri apud Josephum ἀλόσ. l. 5. c. 1. ἐπεὶ ᾧ ἔξω τῆς πυλῶν ἦκτο, τ Σωτηρίαν ἐπηγγὺς, ὡς ταφῆς ἰκέτευον· οἱ ᾧ περαπλήσαντες, ὃς ἐπεθύμει μάλιστα γῆς, μὴ μεταδόσειν αὐτῷ, τ φόνου ἐνέχυρον. Huic cadaverum supplicio affectorum insepultorum projectioni destinatam fuisse vallem Hinnonis Hierosolymis suspicamur è verbis D. Kimhi ad Psal. 27. גהינום סמוך לירושלם והוא מקום נמאס ומשליכים שם הטומאות והנבלות והיה שם אש תמיד לשרוף הטומאות ועצמות: E quibus verbis colligimus, primò, in hanc γέενναν, *Hinnonis vallem*, projecta fuisse insepulta cadavera: secundò, ubi cadavera putruissent, ossa illorum fuisse igne combusta, qui huic fini perpetuò ardebat in hac valle: unde ab hoc igne perpetuo vallis Hinnonis factum putamus ut *Gehenna* dicatur infernus, in quo perpetuus est ignis; non verò, ut volunt eruditi, à Topheth illius vallis ubi Molocho pueros comburebant. Hinc igitur exponi debet dictum Christi, ἔνοχος ἔσαι εἰς τ γέενναν τ πυρὸς, i. debet damnari εἰς τ γέενναν, quemadmodum dicitur apud Græcos scriptores, εἰς κόρακας, apud Latinos, *ad Gemonias ſcalas*, & si qua sunt hujusmodi. Debet insepultus projici in *Gehennam*, sive *vallem Hinnonis*, quod est longè omnium gravissimum & ignominiosissimum, & capitis pœnæ superadditur maximè infame.

CAP. 6. *Exponitur locus ex Epiſtola ad Hebræos cap.* 11.

UBI agit Apostolus Epist. ad Hebræos cap. 11. extremo, de Patribus & fidelibus ante τ ἔνσαρκον οἰκονομίαν Christi, quædam addit quæ difficultate non carent omni; Καὶ ῦτοι πάντες μαρτυρηθέντες διὰ τ πίστεως ὐκ ἐκομίσαντο τ ἐπαγγελίαν, τῦ Θεῦ περὶ ἡμῶν κρεῖττόν τι προβλεψαμένυ, ἵνα μὴ χωρὶς ἡμῶν τελειωθῶσι. Interpretantur viri eruditissimi hunc locum hoc modo; Patrum temporibus non esse natum Christum ob amorem illum singularem quo Deus nos prosequitur: quia si sub Testamento V. ex ejus cultibus fuisset τελείωσις, Testamento N. non erat opus. Sed locum non penetrarunt: Nam non sequitur, Si Deus exhibuisset Christum in carne post datam Legem, putà ex. g. temporibus Davidis, Salomonis, Ezechiæ, Josiæ, aliorum, fore ut N. Testamento opus non fuisset: nam ex quo exhibitus fuisset in carne Christus, N. fuisset Testamentum. Multò minùs sequitur, si exhibuisset Deus Christum in carne Patrum temporibus, ergò τελείωσις penderet ex ritibus atque cultu V. Testamenti: imò contrà, quoquo tandem cumq; tempore exhibitus fuisset in carne Christus, aboliti fuissent, ut factum etiam est eo exhibito, ritus atque cultus V. Testamenti; & certè Christi exhibitione palàm fit, factúmque est, τελείωσιν pendere non posse è ritibus V. Testamenti: nam ut loquitur Apostolus hâc ipsâ Epist. c. 7. 2. Εἰ μὲν ὖν τελείωσις διὰ τ Λευϊτικῆς ἱερωσύνης ἦν, τίς ἔτι χρεία κτ τ τάξιν Μελχισεδὲκ ἕτερον ἀνίστασθαι ἱερέα; Ut autem hic locus commodiùs intelligatur, priùs illud observandum est, vocem κρεῖττόν τι in his Apostoli verbis, τῦ

Θεῦ

Θεῦ δεῖ ἡμᾶς κρεῖττόν τι περβλέψαι, non opponi ad ea quæ consecuti sunt Patriarchæ per fidem in ἐπαγγελίαν Θεῦ, sed referri & dici de Judæis Christianis factis, ad quos hanc Epistolam scribit Apostolus, quorum conditio, ut erat rerum præsentium status, opponitur conditioni eorundem illo ipso tempore, si jam ante eorum tempora Christus in carne exhibitus fuisset. Præterea sciendum est, illud χωρὶς ἡμᾶς intelligi debere non de Christianis in genere sed de Apostolo ipso atque Judæis, sive Hebræis, ad quos scribebat. Jam verò certum est, in primordiis nascentis Ecclesiæ Christianæ vocandos fuisse aliquos è Judæis qui Christi fidem amplecterentur; ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν, Rom. 11. 5. At verò post illa tempora excidit Israel, ut salutem participarent Ethnici; τῷ Ἰσραὴλ παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς· εἰ δὲ τὸ παράπτωμα αὐτῶν πλοῦτος κόσμου, καὶ τὸ ἥττημα αὐτῶν πλοῦτος ἐθνῶν, Rom. 11. 11, 12. Dicit ergò Apostolus, Christum ante hæc sua tempora non esse in carne à Deo exhibitum, nè si jam longè antè exhibitus fuisset, excidissent ipsi salutis gratiâ, illâ concluſi defectione quæ Judæos manebat post Messiæ tempora. Noluit itaque Deus alio tempore Christum exhiberi, sed isto, ut qui vellet istos salvos fieri: Nam supererat ad adventum Christi λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος, quod ad fidem Christi deduci & ejus beneficio salutem consequi, tanquam membra corporis illius, debebat.

CAP. 7. *Illustratur locus Psal. 19. Rom. 10.* קו *item-que* φθόγος *elementa &* καλημέρεις.

QUÆ habentur Ps. 19. בכל הארץ יצא קום ובקצה תבל מלידם, vertunt Græci Lxx, quos descripsit B. Paulus Rom. 10. 18. Εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ἐξῆλθεν ὁ φθόγος αὐτῶν, καὶ εἰς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν. Video quæri quare vocem קום vertant Lxx, ὁ φθόγος αὐτῶν, eóque sequatur B. Paulus, cùm meliùs, ut sentiunt plerique, vox κανὼν, quâ usus est Aquila, respondeat Hebraicæ קו. Quod autem putant legisse τὰς Lxx קולם nullius est momenti: neque quicquam mutandum est: Nam οἱ Lxx bene & è Prophetæ mente atque sensu verterunt, ὁ φθόγος αὐτῶν. Rationes nostræ hæ sunt; Totus Prophetæ contextus, sive ea quæ præcedunt sive ea quæ sequuntur spectes, facilè evincit vocem קו illâ tantùm debere exponi significatione: Sed maximè probat Esaiæ locus 28. 9, 10, 13. ubi vocem istam קו usurpat Propheta, cùm ageret de Israelitis, rudibus adhuc atque elementariis pueris; את מי יורה דעה ואת מי יבין שמועה גמולי מחלב עתיקי משדים: כי צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם: והיה להם דבר יהוה צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם: Narrat Propheta Deum instituisse Israelitas tanquam elementarios pueros, qui primùm literas syllabásque nosse, & ità paulatim versum unum legere, mox & alium docentur. Eadem est mens Prophetæ Psal. 19. qui docet homines esse institutos & imbutos è cœlorum compage (vel Apostolorum ministerio, prout accommodat locum Prophetæ B. Paulus ad Apostolorum prædicationem) primis elementis pietatis atque fidei. Nam, sive cœlorum compagem spectes, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ (ἥτις ἀΐδιός ἐστι δύναμις καὶ θειότης) φανερόν ἐστιν ἐν ἐαυτοῖς, Rom. 1. 19. sive Apostolorum, &, qui eos præcesserunt, Prophetarum de Messia conciones, sua habent elementa καὶ στοιχεῖα. Itaque dixit Propheta habere suum קו, habere quoque iis qui majores progressus fecerint, suos מלים, h.e. habere, elementarii pueri quæ addiscant, elementa & versus; habere, quas provectiores doceantur, orationes. Græci verò vertunt ad hunc sensum vocem קו, quæ *versum* aliquem significat, τὸ φθόγγον, i. *elementum*, & *literam*: nam hoc sensu Græcis scriptoribus, i. pro *litera*, non tantùm vocali sed etiam consona, ut Plutarcho in vita Fabii, ὁ φθόγος usurpatur.

CAP. 8. *Prælata fax Johanni Apocalypseos cap. 2. 17. Calculus albus erat tessera* Ψηφίσεως.

NON satìs diligenter excussus est hic locus ex Apocalypsi Johannis cap. 2. 17. Καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ ὁ λαμβάνων. Nam fruſtrà sunt viri eruditissimi qui calculum hunc putant esse symbolum testémque absolutionis & remissionis peccatorum, (calculi enim albi olim indicabant absolutionem,) justitiæ, sanctimoniæ veræ & puritatis incorruptæ, extincto vetere homine. Ratio hæc est; quia agitur de præmio τῶν ἀθλησάντων, ut constat ex omnibus his Epistolis, qui omni defuncti labore cœlo recipiuntur; non igitur de symbolo remissionis peccatorum, justitiæ & puritatis incorruptæ. Adde quòd ψῆφος non dabatur reo, sed in urnam mittebatur. Præterea, quod caput est, ista debent conjungi cum præcedentibus, & ex iis pendent; Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἀπὸ τοῦ μάννα τοῦ κεκρυμμένου· καὶ δώσω αὐτῷ ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ ὁ λαμβάνων. Facilè enim ista nos quasi manu deduxerunt ad reserandà horum verborum penetralia. Cùm enim dicat Dominus victores admissum iri ad epulas Mannæ, quod sequitur hinc pendet, atque alluditur ad Hieronicarum præmia: Nam Hieronicæ fruebantur epulo publico, & de publico cœnabant. Non temere autem admittebantur, nisi symbolo fidem facerent se esse τῶν ἱερῶν ζωϊτῶν. Quomodo etiam annonam civicam panémque gradilem accipiebant datis tesseris: Ità etiam testatur Dominus se τοῦ νικῶντος publico Mannæ accepturum epulo, & ut ad illud admittantur, se daturum illis pollicetur ψῆφον λευκὴν, καὶ ἐπὶ τὴν ψῆφον ὄνομα καινὸν γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ ὁ λαμβάνων. Hic calculus symbolum est & tessera, cui nè quis nomen suum inscribat, cavetur: nam in eum incidi à se pronunciat Dominus *nomen novum, quod nemo novit nisi is qui accipit*. Nè quis autem miretur hujusmodi tesseram appellari *calculum*, sciat & in hunc usum usurpatas fuisse æreas tabulas, unde appellatur tessera, *titulus æneus*, L. V. Cod. Theod. de annon. civic. & pane gradili. *Titulus fingendus est æneus, in quem & panis modus, & percipientis nomen debebit incidi.* Non longè abit à nostra interpretatione Arethas in Comment. ad h. l. Νικῶντι ἢ διάβολον σοφιῶσαι καὶ ψῆφον λευκὴν, τουτέστι δόξῃ λελαμπρυμμένῳ· τοῦτο ἢ τὸ λευκὴν ψῆφον ἢ ἐπὶ τῶν ἐν τοῖς θεάτροις καὶ τοῖς σταδίοις ἀγωνιζομένων γνώσιμον ἔφη, τοῖς νικῶσι παρεχομένων ἐκεῖθεν τὰ σήκεια. Erátque hic calculus albus ἢ Ψηφίσεως symbolum.

CAP. 9. *Exponitur locus Apostoli Pauli ex Epistola ad Colossenses cap. 2. 18.* ἐμβατεύειν.

NON videntur assecuti Interpretes hæc B. Pauli verba Col. 2. 18. ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων. Alludit manifestò B. Apostolus ad ea quæ leguntur Exod. 25. 40. & referuntur Heb. 8. 5. Καθὼς κεχρημάτισται Μωσῆς, μέλλων ἐπιτελεῖν ἢ σκηνήν· ὅρα γάρ, φησὶ, ποιήσεις πάντα κατὰ τὸν τύπον τὸν δειχθέντα σοι ἐν τῷ ὄρει. Tabernaculum hoc ritè factum, i. secundùm exemplar quod viderat Moyses in monte, introduxit Josue cum Patribus in terram Cananitidem Act. 7. 44, 45. Ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου ἦν τοῖς πατράσιν ἡμῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ, καθὼς διετάξατο ὁ λαλῶν τῷ Μωσῇ ποιῆσαι αὐτὴν κατὰ τὸν τύπον ὃν ἑωράκει· ἣν καὶ εἰσήγαγον διαδεξάμενοι οἱ πατέρες ἡμῶν μετὰ Ἰησοῦ ἐν τῇ κατασχέσει τῶν ἐθνῶν, ὧν ἐξῶσεν ὁ Θεὸς ἀπὸ προσώπου τῶν πατέρων ἡμῶν. Ad hæc igitur omnia alludit noster Apostolus his verbis, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων. Est enim ἐμβατεύειν Jurisconsultorum vox, quâ significatur *in possessionem mittere ingrediendo*: itaque Josue in Cananitidem ἐνεβάτευσε ἢ σκηνὴν ποιησάμενος κατὰ τὸν τύπον ὃν ἑωράκει Μωσῆς. Contrà verò illi quos notat Apostolus, ἐνεβάτευον ἃ μὴ ἑωράκεισαν, in Ecclesiam Christi invehebant nova dogmata, quæ à Deo non acceperant, ut illa obtinerent, & à Christianis observarentur.

CAP.

CAP. 10. *Tria S. Scripturæ loca illustrantur. Tabulæ contractûs ratæ fiebant obsignatione. De Confessoriis & Communicatoriis literis. Testes septies interrogabantur: eorum testimonia obsignabant Judices. Circumcisio Apostolo itémq; Judæis dicta* σφραγὶς, חפלין קמע.

ALiquoties occurrit in utriusque Federis Veteris & Novi libris vox חתם, i. σφραγὶς καὶ σφραγίζειν, quæ à nobis, σῶ Θεῷ δ' ἐπεῖν, diligentiùs est expendenda: 2 Tim. 2. 19. Ὁ μὲν τοι στερεὸς θεμέλιος τῆ Θεῦ ἕστηκεν, ἔχων τὸν σφραγῖδα ταύτην· ἔγνω Κύριος τὲς ὄντας αὐτῦ. καὶ ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Κυρίου. Metaphora hîc petitur è tabulis contractûs, quæ ratæ non habebantur apud Judæos nisi appositæ essent σφραγῖδες. Maimonides lib. שופטים, Tract. עדות, Perek 6. primore: מתקיים השטר בבית דין יחתמו העדים בפניהם יבאו העדים החתומים בפניהם ויאמרו כל אחד ואחד וזה כתב ידי ואני עד ברבר הזה: & eodem Perek extremo, מותר לכתוב הקיים בשטר קודם שיתקיים השטר שאין הכתיבה עיקר אלא החתימה: i. *Licet adscribere tabulis contractûs de quo convenerit antequam tabulæ ratæ fiant; tabulæ autem non fiunt ratæ solâ eorum de quibus contractus fit scripturâ, sed* חתימת σφραγίδων *appositione.* Hîc autem observabis eadem à B. Paulo usurpari verba. Nam quod dixit B. Paulus θεμέλιον, appellat Maimonides עיקר, quod idem significat, *fundamentum* nempe; atque uterque intelligit res de quibus fit contractus. Quod scripsit Apostolus σφραγῖδα, Maimonides חתימה: & quod appellat Paulus στερεὸν στῶσαι, dixit Maimonides החקים. Obiter observa è Paulo τὴ σφραγῖδα orbiculo utrinque adscripta esse quædam verba: nam in una τὴ σφραγῖδα facie leguntur ista, Ἔγνω Κύριος τὲς ὄντας αὐτῦ· in altera verò, Ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Κυρίου. Quomodo etiam in Communicatoriis Christianorum literis fieri amabat: de quibus pauca obiter, σῶ Θεῷ δ' ἐπεῖν, dicenda sunt. Meminit earum Canon XXV Synodi Eliberitanæ; *Omnis qui attulerit literas Confessorias, sublato nomine Confessoris, eò quòd sub hac nominis gloria partim concutiant simplices, communicatoria ei sunt dandæ literæ.* Quænam fuerint hæ *Confessoriæ literæ*, video quæri: Non possumus tamen assensum præbere Illustrissimo Annalium Ecclesiasticorum conditori, qui existimat eas esse quas Confessores, ut & Martyres, lapsis dabant, ut ad pacem Ecclesiæ & communionem admitterentur: de quibus Confessoriis literis intelligendus est IX Canon primæ Synodi Arelatensis: *De his qui Confessorum literas offerunt, placuit ut sublatis eis literis alias accipiant Communicatorias.* Nam longè alia fuit, meo judicio, ratio scribendi epistolas Confessorias, de quibus Eliberitani Patres, ab ea quâ scribebantur Confessoriæ, de quibus Canon Arelatensis Synodi. Nam, quia Confessoriæ literæ, de quibus Arelatense Concilium, solo Confessoris nomine scribebantur, necesse erat illas literas tolli, & alias Communicatorias de novo scribi: At verò si è Confessoriis, de quibus Eliberitani Patres, tollas Confessoris nomen, quod adscribebatur, nihil præterea erat innovandum; restabant enim Communicatoriæ literæ, ut moris erat scribere. Quare, quod ad *Confessorias literas* attinet Arelatensis Synodi, sanciunt Patres, *eas tolli, & alias Communicatorias accipi.* At verò, quod spectat *Confessorias*, de quibus Patres Eliberitani, *sublato Confessoris nomine*, non aliæ Communicatoriæ dandæ, sed eædem Communicatoriæ restabant. Quomodo autem istud fieret, inquirendum restat. De Communicatoriarum, quas etiam *Formatas* appellant, Epistolarum forma hæc habemus è vocabulario Papiæ; *Formatæ Epistolæ à sanctis trecentis octodecim Patribus in Niceno Concilio constitutæ feruntur: nè videlicet quicunq; Clericorum in transferendo se quascunq; literas confingeret à proprio Episcopo commeandi licentiam accepisse. Oportebit igitur in Epistolis, quæ* Formatæ *habebuntur, literas has ex eorũ supputatione exprimi: Primas literas Græcas Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, quæ videlicet sunt π, υ, α. Pater enim Græcè πατὴρ, Filius υἱὸς, Sanctus Spiritus ἅγιον πνεῦμα dicuntur: quarum supputatio est quadringentorum octoginta & unius. Addenda præterea erit prima litera nominis Petri Apostoli cum supputatione sua, sicut aliorum, quæ sequuntur: hæc est π, quæ litera significat octoginta. Nominis quoq; Episcopi, qui delegat Epistolam. Prima ponenda erit Clerici, cui licentia datur: Secunda Episcopi, ad quem dirigitur: Tertia Civitatis, de qua mittitur. Quarta & earum supputatio Indictionis ejusdem anni, &c.* Post alia; *Anathema ponatur in calce Epistolæ, & monogramma in fine, hujusmodi* BTE. *quod est*, bene valete. *Signum autem in Privilegii exordio, vel Chrismon erit. Chrismon autem hujusmodi effigiabatur specie;*

Ut autem plenius, tali meâ sententiâ effigiabatur specie;

Consueverunt præterea in extremo margine Privilegii quosdam insignire orbiculos, Antistitis nomen, & panca qualibet verba continentes in hunc modum;

In horum Orbiculorum uno vides inscriptum esse Antistitis sive Episcopi nomen qui literas dabat Communicatorias; in alterius albo nullus dubito adscriptum fuisse Confessoris nomen, eóque fortè facit quod in orbe legitur, DEXTRA. DOMINI. FECIT. VIRTUTEM. Optimè enim referas ad Confessorem. Sed Confessorum nomina ex hoc albo expungenda esse scisc̃unt Eliberitani Patres. Verùm de his hactenus. Sequitur alter locus Joannis 3. 33. Ὁ λαβὼν αὐτῦ τὴ μαρτυρίαν, ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθὴς ἐστιν. Metaphora petita est ab iis quæ apud Judæos fieri consueverunt: nam solebant septem vicibus interrogare testes, diligentérq; singula eorum expendere verba atq; testimonia. Maimonides loco laudato Perek 1. מצות עשה לדרוש העדים ולחקרן ולהרבות בשאלתן ומרקדקין עליהן ומסיעין אותן מעניין לעניין בעת השאלה כדי שישתוקו או יחזרו בהן אם יש בעדותן דופי וצריכין הדיינים להזהר בעת חקירת העדות שמא מתוכה ילמדו לשקר בשבע חקירות בודקין העדים: Qui autem testes audiebant, ubi testimonium eorum admittebant, referebant in tabulas manu ipsorum testium descriptum, saltem in causis pecuniariis. Maimonides Perek 3. דין תורה שאין מקבלין עדות לא בדיני ממונות ולא בדיני נפשות אלא מפי העדים ולא מכתב יד אבל מדברי סופרים שחותכין דיני ממונות בעדות מבשטר: Scriptura autem rata fiebat, si judices testarentur hanc esse manum hujus & illius testis. Maimonid. Perek 6. מתקיים השטר בבית דין שהיו דיינים מכירין כתב ידי העדים שזו עדות פלוני וזו עדות פלוני: Atque id proculdubio judices cum ipsis testibus obsignabant. Nam החקיים השטר אין הכתיבה עיקר אלא החתימה: Quare Judices hâc obsignatione suâ palàm faciebant se testimonium admittere testium tanquam veracium, & testes hoc testimonium dixisse. Hinc pendet interpretatio verborum Joannis Baptistæ apud cognominem Euangelistam; ὁ λαβὼν αὐτῦ τὴν μαρτυρίαν מקבל העדותו: quâ etiam voce utitur Syrus Paraph. qui Christi testimoniũ tanquam veracis admisit, חתם ἐσφράγισεν ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθὴς ἐστι, *quod Deus:* ἃ τὰ ῥήματα λαλεῖ ὁ Χριστὸς, *ve-*

rax

rax est. Tertius locus habetur Esaiæ 8. 16. צור תעודה חתום תורה בלמדי : Mirũ in modum vertunt Lxx Interpretes; Τότε φανεροὶ ἔσονται οἱ σφραγιζόμενοι ὑπὸ νόμον τοῦ μὴ μαθεῖν. Sed hîc quædam sunt observanda. Primum est, Lxx Interpretes paulò aliter interpunxisse quàm fit hodie : Nam vocem צור conjungebant cum præcedentibus, atque ità legebant, conjunctâ literâ ת vocis תעודה cum voce צור : עלכדו צורת : Quorum verborum sensum, non verba ipsa expressêrunt ; καὶ ἀλώσονται ἄνθρωποι ἐν ἀσφαλείᾳ ὄντες. Sequentia proculdubio ità legerunt, unâ literulâ mutatâ, צור התום תורה בלמדי, ad verb. *denudatum est signatam esse Legem in discipulis.* Lxx Seniores sensum reddiderunt his verbis, Τότε ἔσονται φανεροὶ οἱ σφραγιζόμενοι ὑπὸ νόμον τοῦ μὴ μαθεῖν, i. *tunc manifesti erunt qui signantur nè discant Legem.* Hunc locum ità B. Hieronymus interpretatur, *Quia factus est Dominus in lapidem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel ; & missum ad se Emmanuel suscipere noluerunt : Liga testimonium Veteris Instrumenti, & trade illa discipulis meis qui Euangelium susceperunt, Apostolis videlicet, sive Apostolicis viris. Vel certè, Lex & Prophetia ligetur usq; ad Johannem apud eos, & clausa sit atque signata, ut quod legunt non intelligant.* Sed longè aliter capiendus est hîc locus, qui comparandus est cum Eph. 1. 13. Ἐν ᾧ καὶ ὑμεῖς, ἀκούσαντες τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, τὸ εὐαγγέλιον τῆς σωτηρίας ὑμῶν, ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσφραγίσθητε τῷ πνεύματι τῆς ἐπαγγελίας τῷ ἁγίῳ· Eph. 4. 30. Καὶ μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε· 2 Cor. 1. 22. Ὁ καὶ σφραγισάμενος ἡμᾶς, καὶ δοὺς τὸν ἀρραβῶνα τοῦ πνεύματος ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν. Nemini Christianorum dubium esse potest, cùm ex iis quæ præcedunt tum iis quæ sequuntur, agi de temporibus Messiæ & Euangelii prædicatione, quam eleganter describit Jeremias 31. 35. & refertur Heb. 8. 8, 9, 10. Ὅτι αὕτη ἡ διαθήκη ἣν διαθήσομαι τῷ οἴκῳ Ἰσραὴλ μετὰ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, λέγει Κύριος· διδοὺς νόμους μου εἰς τὴν διάνοιαν αὐτῶν, καὶ ἐπὶ καρδίας αὐτῶν ἐπιγράψω αὐτούς. Vides tabulas in quibus describuntur Christi leges, esse fidelium διάνοιαν καὶ καρδίας. Idem dictum puta ab Esaia, צור תעודה חתום תורה בלמדי i. *Efforma testimonium, obsigna Legem in discipulis meis.* צור hîc significat, meo judicio, *effingere, formare*, non, quod putant interpretes, *ligare*. *Discipuli* autem, i. fideles quique, tanquam tabulæ sunt in quibus inscribuntur testimonia atque lex Domini : Est igitur metaphora petita ab obsignatione חתימת tabularum, in quibus scriptum habetur testimonium quod ab aliquo dictum est. Tabulæ istæ fideles ipsi sunt, itaque σφραγίζονται, illísque apponitur σφραγὶς Spiritûs S. de qua locis laudatis Eph. 1. 13. & 4. 30. 2 Cor. 1. 22. atque etiam hæc σφραγὶς appellatur περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι, Rom. 2. 29. Quare Circumcisionis Sacramentum, quod internam illam circumcisionem repræsentabat, appellatur quoque σφραγὶς Rom. 4. 11. Καὶ σημεῖον ἔλαβε περιτομὴν σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ. Quomodo etiam appellabant Judæi. Maimonides l. אהבה Tract. מילה, Perek 3. מברך אבי הבן או המל או אחד מן העומדין שם בריך אתה יהוה אלהינו מלך העולם אשר קדש ידיד מבטן וחוק בשארו שם ונצציו חתם באות ברית : Erátque Circumcisio hæc externa tanquam σφραγὶς apposita τοῖς φυλακτηρίοις, תפלין appellant, quæ gestabant Judæi in fronte & in brachiis, ex Lege ; eáque sunt quæ γράμμα nominat, & cum Circumcisione externa conjungit Apostolus Rom. 2. 27. διὰ γράμματος καὶ περιτομῆς.

CAP. 11. *Lux præfertur loco ex Epist. 1. ad Tim. extrema.* Θεμέλιος *vox* ἑλληνιστική.

QUÆ superiori capite observavimus ad comma 19. cap. 2. posterioris Epist. ad Tim. σοὶ θεμελίου, nos admonent, ut expendamus ejusdem vocis significationem in his quæ leguntur 1 Tim. Epist. extremâ ; Τοῖς πλουσίοις ἐν τῷ νῦν αἰῶνι παράγγελλε ἀγαθοεργεῖν, πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, εὐμεταδότους εἶναι, κοινωνικούς· ἀποθησαυρίζοντας ἑαυτοῖς θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, ἵνα ἐπιλάβωνται τῆς αἰωνίου ζωῆς. Vox θεμέλιος non est Græca sed potiùs ἑλληνιστικὴ, & respondet hîc, non minùs quàm altero illo loco, Hebraicæ עיקר, éstque petita metaphora ab iis qui nomina faciunt ; solent enim illi diligenter in patrimonium & vasa debitoris inquirere, nè mala faciant : quia autem creditori à debitore scripto cavetur de refundenda pecunia, & scriptum hoc ab Hebræis עיקר, ab Hellenistis θεμέλιος appellatur, B. Paulus scripsit oportere ἀποθησαυρίζειν θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, i. facienda esse bona nomina, quod fit maximè si in pauperes munifices simus ; Deus enim hanc pauperibus erogatam pecuniam, tanquam sibi creditam, non tantùm refundet sed etiam sortis usuram, quod non semel Christus in Euangelio docet.

CAP. 12. *Tituli Euangeliorum apud Paraphrastem Syrum illustrantur. Epiphanius explicatur. Dorotheus itémque Syriacus titulus Euangelii secundùm Lucam emendantur. Troas Alexandria : ibi enangelizavit Lucas. Apostoli κήρυκες.*

EXpendemus hoc capite, cum bono Deo, titulos qui apud Paraphrastem Syrum præscribuntur quatuor Euangeliis : præfert ille Matthæi hæc verba, אונגליון קדישא כרוזותא דמתי שליחא דאכרו עבראית בארעא דפלסטיני : *Euangelium sanctum : Prædicatio Matthæi Apostoli, quam prædicavit Hebraicè in terra Palæstina.* Cum his paria faciunt veteres Græci Latiníque scriptores, sed unus instar omnium erit B. Hieronymus in Catalogo Script. Eccl. *Matthæus, qui & Levi, ex publicano Apostolus, primus in Judæa, propter eos qui ex circumcisione crediderant, Euangelium Christi Hebraicis literis verbíq; composuit.* Huic adde, quia ultro se offert occasio, Epiphanium κτ' Ἐβιωναίων, cujus hæc sunt verba, Ὁ Ἰάκωβος λελυθότως τολμήσας, ὠμῷ τῷ γαζοφυλακίῳ, καὶ ἔυρεν ὑδὲν χρημάτων, πλὴν βίβλους τὰς ὑπὲρ χρήματα· ἀναγινώσκων ἢ ἐν ταύταις, ὡς ἤδη ἔφην, τὸ κτ' Ἰωάννου εὐαγγέλιον ὑπὸ Ἑλλάδος εἰς Ἑβραΐδα φωνὴν μεταληφθὲν ἠκριβοῦτο, καὶ τὰς τῶν Ἀποστόλων πράξεις. ὃ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ κτ' Ματθαῖον Ἑβραϊκὸν αὐτόν. Quibus verbis docet Tiberiade in gazophylacio Patriarchæ Tiberiadensium Judæorum asservata fuisse Euangelium Hebraicum Matthæi, Euangelium item Joannis & Acta Apostolorum de Græcis Hebræa facta. Quid tamen hîc sit Euangelium, τὸ κτ' Ματθαῖον Ἑβραϊκὸν αὐτὸν, omnes fortè non intelligunt : certè mentem Epiphanii non est assecutus nuperus ejus editor, cujus hæc est nota, *Nisi vitii aliquid ei loco subsit, αὐτὸν appellari puto Christi Domini genealogiam, quæ arboris instar conformari vulgò solet.* Sed dicis causâ ista dicuntur. Ego verò puto Epiphaniũ appellasse τὸ κτ' Ματθαῖον Ἑβραϊκὸν αὐτὸν, quod Hebraicè primùm ab auctore scriptum sive editum est in lucem, ut opponat Hebraico Joannis Euangelio, aut Actis Apostolorum, quæ Hebraïca quoq; asservabantur in Tiberiadensium Judæorũ gazophylacio. Putavit ergò Epiphanius cum aliis veteribus, Euangelium Matthæi Hebraicum esse αὐτὸν, ità natum, & à Matthæo editum, germanúmque illius partum, non autem è Græco versum, ut Euangelium Joannis, & Apostolorum Acta. Verùm de his hactenus. Titulus Euangelii secundùm Marcum hæc habet, אונגליון קדישא סברתא דמרקום מסברנא : *Euangelium Sanctũ : Euangelizatio Marci Euangelistæ.* At verò in fine ità appositum leges, שלם אונגליון קדישא כרוזותא דמרקום דמלל וסבר רהומאית ברהומא : *Explicit Euangeliũ Sanctum : Euangelizatio Marci, quam protulit & euangelizavit Latinè Romæ.* B. Hieronymus libro laudato, *Marcus discipulus & Interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus breve scripsit Euangeliũ : quod cùm Petrus audisset, probavit, & Ecclesiæ legendũ suâ autoritate edidit, sicut Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro scripsit.* MSS. Florentini, quos laudant Viri incomparabiles, Ἰσέον, ὅτι τὸ κτ' Μάρκου εὐαγγέλιον κηρυχθὲν ὑπὸ Πέτρου Ῥώμῃ. Quod verò attinet ad Euangelium secundùm Lucam, præscripta leguntur ista, אונגליון קדישא סברתא דלוקום מסברנא דמלל וסבר יונאית באלכסנדריא רבתא : *Euangelium Sanctum : Euangelizatio Lucæ Euangelistæ, quam protulit & enangelizavit Græcè in Alexandria magna.* Sed hîc turbat, quia nullus est vetèrum qui dicat B. Lucam in Ægypto euangelizasse : *primus*

qui Alexandriæ in Ægypto *Christum annuncians, constituit Ecclesiam*, Marcus est, ut habes apud Hieronymum in Catalogo. Vide Eusebium Historiâ 2. Dorotheum Tyrium in Synopsi: *mortuus autem est* Marcus *octavo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.* Quanquam Dorotheus Marcum Trajano imperante passum scribat, ut vulgò quidem editur ad hunc modum, Μάρκος ὁ Εὐαγγελιστὴς, καὶ πρῶτος Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπος, Ἀλεξανδρεῦσι καὶ πάσῃ τῇ περιχώρῳ αὐτῆς ἐκήρυξε τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Κυρίου, ὑπὸ Αἰγύπτου καὶ μέχρι Πενταπόλεως, ὅτε ἦν ἡ βασιλείας Τραϊανοῦ, ὃν Ἀλεξανδρέα καλῶν λαβὼν κατὰ τὸ τεχνίλιν, καὶ συρὼν ὑπὸ τῶν καλαμβίων Βυκόλων τόπων, ἕως τῶν καλαμβίων Ἀγγέλων, ἐκεῖ ἐκάη πυρὶ ὑπὸ τῶν εἰδωλομαχῶν, μηνὶ Φαρμουθίλεως, καὶ ἐκεῖ ἐτάφη ἐν τοῖς Βυκόλοις. Negotium fecit hic locus Viro Illustri in Eusebianis Animadversionibus: Sed, aut ego valde fallor, aut leviter corruptus est Dorothei locus, cui leve mendum densissimas offudit tenebras: nam ità sævitum est in Marcum post ejus mortem. Sepultus fuerat Marcus Alexandriæ in loco cui nomen erat Βυκόλα· at 35 post mortem annis à furente plebe monumento suo erutus Marcus, uncóque tractus ad locum cui Ἀγγέλων erat nomen, ibidem igne consumptus est. Lego igitur & distinguo Dorothei verba ad hunc modum, Ἐπὶ τῆς βασιλείας Τραϊανοῦ, ὃν Ἀλεξανδρέα κάλων λαβὼν κατὰ τὸ τεχνίλιν, καὶ συρεὶς ὑπὸ τῶν καλαμβίων Βυκόλα τόπων, ἕως τῶν καλαμβίων Ἀγγέλων, ἐκεῖ ἐκάη πυρὶ, μηνὶ Φαρμουθὶ, λε, ὡς καὶ ἐκεῖ ἐτάφη ἐν τοῖς Βυκόλα. Erat Alexandriæ locus dictus Βυκόλα, (certè è Strabone, lib. 17. constat Alexandriæ locum fuisse olim Βυκόλοις assignatum) in eo autem sepultus fuerat Marcus: Plebs verò furens, sub initia Trajani prorutum tumulo Marcum traxit ad locum cujus nomen esse dixit Dorotheus Ἀγγέλων, ibidémque combussit, ídque accidit mense Pharmuthi, anno tricesimo quinto postquam sepultus fuerat in loco *Bucoli* dicto. Certè ab anno octavo, sive potiùs nono, Neronis, quo desiit esse in vivis Marcus, ut habes in Chronicis Eusebii, ad initia Trajani anni sunt 35. Martyrologiorum autem & Menologiorum auctores egregiè falluntur, qui ea quæ in defuncti Marci cadaver sunt admissa vivo valentíque contigisse memorant. Sed è diverticulo in viam redeamus. Marco igitur in Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopatu successit Anianus, qui præfuit annis 22. Anianum excepit Abilius, cujus Episcopatus fuit annorum 13. Cæterorum vide seriem & catalogum apud Eusebium, nusquam comparet Lucas, qui proculdubio in alio terrarum orbis tractu Euangelium Christi annunciabat. Lucas in Act. Apost. historiam Pauli contexens ad cap. 16. usque, satìs indicat se rebus illis non interfuisse, cùm cap. demum 16. de se tanquam tunc primùm Pauli comite penè individuo verba faciat: Ὡς δὲ τὸ ὅραμα εἶδεν, εὐθέως ἐζητήσαμεν ἐξελθεῖν εἰς Μακεδονίαν, συμβιβάζοντες ὅτι προσκέκληται ἡμᾶς ὁ Κύριος εὐαγγελίσασθαι αὐτούς· ἀναχθέντες οὖν ἀπὸ Τρωάδος, εὐθυδρομήσαμεν εἰς Σαμοθρᾴκην. Ex quo igitur venit Paulus Troadem, comitem habuit Lucam; παρελθόντες δὲ τὴν Μυσίαν κατέβησαν εἰς Τρωάδα. Quare dicendum est Lucam fuisse Troade, ubi Euangelium annunciabat cùm eò venit Paulus: Troas autem etiam *Alexandria* appellatur: Vide Strabonem lib. 13. Plinius lib. 5. cap. 30. *Troadis primus locus Amaxitus, dein Cebrenia, ipsáque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria.* Stephanus, in Ἀλεξάνδρεια, δευτέρα, ἐστὶ πόλις Τρῳάς. Quare optimè dixit Syrus de Luca, סבר יונאיתא באלכסנדריא: Sed Alexandria hæc non est illa famosissima totius Ægypti Metropolis, verùm ista Troadis urbs, i. Troas ipsa. Quare nullum mihi dubium est corruptam esse vocem quæ sequitur apud Syrum, רבתא, est namque Alexandriæ Ægypti cognomentũ: lego, באלכסידריא רבתא: facilis enim lapsus fuit literæ ב ר in literam כ ר: Ità autem appellatur hæc Alexandria ob maximam lauri copiam quæ in eo tractu: ut contrà hæc laurus ab urbe cognomentum *Alexandrinæ* reperit, nam dicebatur Ἀλεξάνδρεια βοτὰ. Stephanus, ἔστι καὶ Ἀλεξάνδρεια βοτὰ καὶ φυτόν. De ea Dioscorides lib. 4. cap. 147. δάφνη Ἀλεξάνδρεια, οἱ δὲ Ἰδαία. Plinius lib. 15. extremo: *Est & Alexandrina* laurus, *quam aliqui Idæam vocant. Plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti, necnisi montosis.* Quemadmodum igitur laurus hæc *Idæa*, *Alexandrina* dicebatur Ἀλεξάνδρεια βοτὰ, quia in Ida ad Alexandriam Troadis plurima erat, ità etiam vice versâ *Alexandria* hæc, ut ab aliis distingueretur, dicta est *Alexandria lauri*, אלכסנדריא רבתא Ἀλεξάνδρεια τῆς βοτῆς. Verùm de his hactenus; pensum exsequamur. Titulus Syriacus Euangelii secundùm Johannem hæc præscribit, אונגליון קדישא כרזותא דיוחנן דמלל ואכרז יונאית באפסוס *Euangelium Sanctum: Prædicatio Johannis, quam protulit & prædicavit Græcè Ephesi.* Ità verò habent Græci MSS. Florentini, ut referunt viri Incomparabiles, Ἰσέον ὅτι τὸ κατ' Ἰωάννην εὐαγγέλιον, ἐν τοῖς χειρογράφοις Τεθραυσμένον, ἐπιγεγράφθη ὑπὸ τοῦ Ἰωάννου ἐν Πάτμῳ τῇ νήσῳ. Observandum autem ad hos titulos primò, discrimen aliquod statui ab Interprete Syro inter Matthæum Johannémque cum Marco & Luca: Nam priori illi bigæ adscribitur כרזותא *Prædicatio*, huic verò posteriori סבראה *Euangelizatio*. Nempe Apostoli erant, non Euangelistæ tantùm, BB. Matthæus & Johannes: quare illis attribuit τὸ κήρυγμα, כרזותא, quod videtur factum fuisse Apostolorum proprium, quia Apostoli κήρυκες appellantur εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κῆρυξ καὶ Ἀπόστολος כרוזא ושליחא 1 Tim. 2. 7. 2 Tim. 1. 2. & τὸ κηρύσσειν absolutè de munere Apostolico usurpatur: Καὶ ἐποίησε δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν. דיכרון Marci 3. 14. Secundò animadvertendum est Euangelium à Joanne prædicatum fuisse in Asia sive Ephesi, ut habes in titulo Syriaco, in literas verò relatum fuisse, eodem dictante, in insula Patmo, ut observant MSS. Florentini: nempe non semper in eodem, in quo primùm prædicaverant Euangelium, loco illud idem scriptis mandarunt: Ecce exemplum à Marco. Scripsit Marcus Euangelium Romæ, ubi etiam & euangelizavit, dictante Petro, & post illa idem Euangelium annunciavit in Ægypto Alexandrinis. B. Hieronymus lib. laudato in Marco, *Assumpto itaque Euangelio quod ipse confecerat, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians constituit Ecclesiam.* Rursum ecce de Luca: Euangelium scripsit Lucas in Achaiæ & Bœotiæ partibus. Hier. Procœmio Comment. in Matth. *Tertius Lucas Medicus, natione Syrus Antiochensis, cujus laus in Euangelio; qui & ipse discipulus Apostoli Pauli in Achaia Bœotiaque partibus volumen condidit, quadam altiùs repetens: &, ut ipse in procœmio confitetur, audita magis quam visa describens.* Atqui jam antè alibi terrarum Euangelium annunciaverat: Epiphanius enim Hæresi 51 scribit Lucam, ubi Româ à Paulo discessit, primùm docuisse in Gallia, καὶ κηρύξαι πρῶτον ἐν Δαλματίᾳ, καὶ Γαλατίᾳ, καὶ ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ ἐν Μακεδονίᾳ, ἀρχὴν δὲ ἐν τῇ Γαλλίᾳ, ὡς καὶ τινων φησὶ αὐτὸ ἀκολούθων λέγειν ἐν ᾧ αὖθις ὑπεσταλῆς ὁ αὐτὸς Παῦλος, Κεῖσθαι, φησὶν, ἐν τῇ Γαλλίᾳ· ὃ δὲ ἐν τῇ Γαλατίᾳ, ὥς τινες πλανηθέντες νομίζουσιν, ἀλλὰ ἐν τῇ Γαλλίᾳ. E Macedonia verò in Achaiam venit & confinem Bœotiam, in iísque partibus Euangelii volumen condidit, ac tandem martyrio coronatus est. Quare Thebani illi, quos à Luca in religione Christiana institutos fuisse refert Oecumenius, Bœotiæ sunt, non Libyæ sive Ægypti. Tertiò colligere licet, Matthæũ atque Johannẽ Apostolos, nullo alio mortali dictante sua scripsisse Euangelia; sed eos ipsos in literas retulisse, & librariis suis scribenda dictasse, ut de Johannis Euangelio habes in iis quæ descripsimus è MSS Florentinis. At verò, ut ibidem habes de Marci Euangelio, Marcus & Lucas ab aliis excepta in suos codices retulerunt.

CAP. 13. *Locus è Prophetia Habacuk laudatus. Hebr. cap. 10. illustratur.* Hophel *nomen duorum locorum in Judæa, & fortasse trium. Judæi instantibus hostibus in spheluncas confugiebant.*

EXimius est Prophetæ Habacuk locus cap. 2. 4. qui à Paulo non semel laudatur, sed plenius Hebr. 10. 38. ex Interpretis Græci fide.

הנה

הנה עפלה לא ישרה נפשו בו וצדיק באמונתו יחיה ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται· ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ.

Paululùm invertit ordinem horum verborum B. Apostolus: sed id leve est & nullius momẽti præ interpretatione verbi עפלה, de quo dicendum est accuratè cum bono Deo. Novies tantùm occurrit vox עפל in Sacris V.T. tabulis: nempe Num. 14. 44. in conjugatione Hiphil, ubi agit de Israelitis, qui consilium ceperant invadendi Hamalecitas & Cananæos ויעפלו לעלות אל ראש ההר. Rursum nomen עפל 2 Reg. 5. 24. in historia Giezi, qui à Naamano duo argenti talenta acceperat ויבוא אל העפל ויקח מידם ויפקד בבית: Item 2 Chron. 27. 3. ובחומת העפל בנה לרב. & 33. 14. וסבב לעפל: Mentio muri illius עפל habetur Neh. 3. 27. at commate præcedenti, ut & ejusdẽ libri 11. 21. Nethinæi dicuntur habitare בעפל *in Hophel*: Esaiæ 32. 14. עפל ובחן היה בער מערות עד עולם: Michææ 4. 8. ואתה מגדל עדר עפל בת ציון: Nonus denique locus habetur Habac. 2. 4. Singula expendamus. Vox עפל apud Nehemiam designat locum aliquem urbis Hierosolymorum non longè à Templo positum; eodem sensu, ut puto, usurpatur apud Michæam, & utroque Chronicorum loco. At verò 2 Reg. 5. 24. nomen est proprium alterius loci, qui in confinio Syriæ & terræ Cananitidis erat, ubi exstructas domos habes. Tertium quoq; locum, huic alteri similem, aut eum ipsum, hoc nomine designari apud Esaiam 32. 14. nullus dubito, de quo B. Hier. Comment. 10. in Esaiam ad h. l. עפל & בחן *Hebrai duas turres in Hierusalem fuisse arbitrantur, excelsas atq; firmissimas, quæ his appellantur nominibus. Quarum prior interpretatur* tenebræ *sive* nubilum, *quòd usque ad nubes erigeret caput; altera* probamentum *& firmitas, sive, ut Symmachus vertit,* inquisitio, *eò quòd in contemplando culmine ejus oculi fallerentur.* Sed mihi ignoscent Judæi, credat nescio quis Apella, non ego: Longè vero videtur similius עופל, cujus meminit Esaias, fuisse locum adeò refertum ædibus, quemadmodum & בחן, ut in vicis censeri posset. Quare Lxx Interpretes vertunt optimè, si sensum spectes, hæc verba, Καὶ ἔσομαί σοι πύλαια ἕως τῆς αἰῶνος. Quare autem loca ista appellentur עפל, Θεῷ δόξα, videndum est. Tota circa urbem sacram regio ad sexagesimum usq; lapidem, teste Strabone, erat ὑπόντρυς; itaque multæ erant domus in illo tractu saxis incisæ, & præbebat spelunca domos; atq; hæ speluncæ, sive essent ἀυλοφυεῖς sive arte atq; operâ humanâ excisæ, appellantur עפל, propter τὸ σκολιὸν (quomodo vertunt aliquando Græci Interpretes) illarum. Observavit autem Esaias, Deum vertere speluncas עפל, quæ præbebant domos, spelæis ferarum; atque ità non rem ipsam sed rei usum mutare: erant enim semper speluncæ, sed incolæ mutarunt; quæ enim priùs ab hominibus incolebantur facta sunt in ferarum lustra. Loca igitur illa quæ proprio nomine עפל appellantur, ità dicuntur quia speluncæ sunt, quæ aut domos præbebant, 2 Reg. 5. 24. & Esaiæ 32. 14. aut ad quas erant constructa ædificia, ut locus ille urbis sacræ ad Templũ positus עפל Neh. 3. 27. & 9. 21. Mich. 4. 8. 2 Chron. 27. 3. & 33. 14. Ad has autem speluncas, sive ἀυλοφυεῖς sive arte factas, quæ plurimæ in montana Judææ regione erant, confugiebant Judæi, maximè rebus suis adversis, ut hostium suorum impetus effugerent: habes exemplum Jud. 6, 2. Incidebant igitur sibi in montibus מערות quæ essent מצרות *in propugnacula.* Ità Mattathias cum tota domo, cæteríque viri pii è Judæis, fugerunt εἰς τὰς κρύφας ὀν τῇ ἐρήμῳ, 1 Mac. 2. Ab hac voce deducitur verbum in Hiphil Num. 14. 44. ויעפלו לעלות אל ראש ההר: His verbis significat Moyses quibus artibus voluerint Israelitæ invadere Hamalecitas atque Cananæos, qui in monte: ויעפלו inquit, i. in speluncis quæ in monte latuerunt, & insidiati sunt ut imparatos aggrederentur. Hinc quoq; verbum conjugationis Puhal Habac. 2. 4. עפלה, quod optimè è Lxx interpretibus expressit Apostolus ὑποστείληται. Significat ὑποστέλλεσθαι, ut observant Grammaticorum filii, τὸ διακρύπτεσθαι, λανθάνειν. Hoc idem significat verbum Hebræum, latere ἐν τοῖς κρύφοις καὶ τοῖς σπηλαίοις, tanquam ἐν τοῖς ὀχυρώμασι. Deus autem per Prophetam testatur, improbum bene sibi non consulere, qui præterhabito Domino speraverit infortunium effugere si se in speluncarum propugnacula receperit: gratum enim & acceptum Domino id non est.

CAP. 14. *Duplex versio Græca unius loci ex Esaia cap. 64. apud Hieronymum: quarum altera emendatur.*

EXimius est apud Esaiam 64. 4. locus, ומעולם לא שמעו לא האזינו עין לא ראתה אלהים זולתך יעשה למחכה לו: de quo B. Hier. Ep. ad Pammachium de optimo genere interpretandi, *Lxx Interpretes multò aliter transtulerunt; A seculo non audivimus, neque oculi nostri viderunt Deum absq; te: & opera tua vera, & facies exspectantibus te misericordiam.* Quanquam hodie ista, *& opera tua vera,* non leguntur apud Græcos Interpretes. Erat igitur in Græcis, Ἀπὸ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν εἶδον θεὸν πλὴν σοῦ, καὶ τὰ ἔργα σου ἀληθῆ, καὶ πιστὰς τοῖς ὑπομένουσί σε ἔλεον. Sed non animadvertit B. Hieronymus, primò duas varias interpretationes in unam coaluisse: Nam alii ista, יעשה למחכה לו interpretabantur, καὶ, sive ἅ, ut habes apud Justinum adversùs Tryphonem, πιστὰς τοῖς ὑπομένουσί σε ἔλεον. Alii verò, qui legebant ועשה למחכה לך hoc modo verterunt, καὶ τὰ ἔργα σου ἀληθῆ. Secundò observandum est, quod miror fugisse tantum virum, B. Hieronymum, corrupta esse ista verba, καὶ τὰ ἔργα σου ἀληθῆ. Non enim est in Hebræo ἀληθῆ. Itaque corrigendum est, καὶ τὰ ἔργα σου ἃ λήθει, *& opera tua quæ latent:* respondebúntque Hebræis; nam חכה significat etiam *latere exspectando,* ut de latronibus qui in insidiis sunt Hos. 6. q. d. & opera tua, quæ latent tibi, ità ut tu solus ea noveris; alii sine te in cognitionem illorum non veniant.

CAP. 15. *De precibus Judæorum matutinis atq; vespertinis; quotâ diei horâ illarum initium, itémque dimissio. Judæi diebus Sabbati & festis horâ sextâ tantùm ad prandium dimittebantur. Prælata lux Act. Apost. 2. 15. Judæorum stationes sive semijejunia. Illustratur Lucas Act. 3. 2. & 10. 10, 30.*

OBservarunt veteres Christiani Stationum semijejunia; de quibus in sequentibus videbimus, Deo dante, eásq; Stationes ad nonam horam usq; detinebant jejuni, occupati in Sacrorum Librorum lectione, & orationibus, etiam sacrificiorum, intervenientes: atque id factum putamus è Judæorum institutis. Habuerunt enim Judæi hujusmodi semijejunia ad horam diei sextam, vel nonam, quæ תעניות שעות appellant. Maimonides lib. זמנים, Tract. תעניות, Perek 1. §. 13. מתענה אדם שעות והוא שלא יאכל כלום. שאר היום כיצד הרי שהיה טרוד בכפציו ומתעסק בצרכיו ולא אכל עד חצות או עד תשע שעתו קבל עליו תענית עד חצי היום: Glossa hæc de causa. Apud Judæos, stante Templo atq; usu sacrificiorum obtinente, semel atque iterum singulis diebus sacrificia Deo offerebantur, nempe manè & vesperi: Sacrificiorum autem vice, ubi non poterant ea offerri, preces ad Deum fundebantur. Preces matutinæ concipiebantur ab oriente Sole ad horam tertiam. Maimonides lib. האהבה, Tract. תפלת השחר מצותה שיתחיל להתפלל עם הנץ החמה וומנה עד סוף שעה רביעית שהיא שלישית היום: Quia autem Sabbato diebúsque festis præter sacrificium matutinum addebatur aliud sacrificium, etiã factum est ut ejus vice illis diebus preces quoq; conciperentur. Maimonides libro laudato §. 7. & 10. וכל יום שיש בו קרבן מוסף תקנו בו תפלת שלישית כנגד קרבן מוסף היא הנקראת תפלת המוספין: נמצאו תפלות בשבתות ובמועדים ובראי חרשים ארבא שלשה של כל יום ותפלת המוספין: Durabat autẽ hujus precationis tempus à matutina finita, sive ab hora tertia ad horam septimam. Maimonides loco laudato, Perek 3. §. 5. תפלת המוספין ומנה אחר תפלת השחר עד שבע שעות ביום. Quanquam potiùs existimem ad horam sextam tantùm durasse. Incipiebat enim תפלת מנחה גדולה, ut postea, Θεοῦ δόξα, videbimus, post horam

sextam & dimidiam, autore eodem Maimonide. Quare etiam Josephus refert populum, qui diebus Sabbati ad Synagogam sive Proseucham convenerat ut Sacrorum Librorum lectioni atq; orationibus interveniret, non dimitti solitum ad prandium nisi horâ sextâ, nempe post fusas preces השחר והמוספין: Verba Josephi sunt è Vita sua; Καλὰ τὰ ὀφθῆσαν ἓν ἡμέραι συνάγονται πάντες εἰς τ προσευχάς. ὅτε ἠρέσκετο τ πᾶς λεχθεῖσι τὸ πλῆθος, καὶ πάντως ἂν εἰς τάσιν ἐχάρης, εἰ μὴ τ σώματον ἀνέλυσιν ἐπελθοῦσα ἕκτη ὥρα, καθ' ἣν τοῖς σάββασιν ἀεισιτοιεῖσθαι νόμιμόν ἐστιν ἡμῖν. Atque ex his petenda est, si quid judico, exceptionis quâ se tuentur Apostoli ratio, Act. 2. 15. Οὐ γὰρ, ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, ἅτοι μεθύουσιν· ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τ ἡμέρας. Erat hic dies Pentecostes, ac proinde festus; itaque cùm essent peragendæ preces השחר והמוספין, ante has preces peractas fas non fuit quicquam cibi gustare; i. non licuit per mores & instituta hujus gentis ante horam sextam, diebus festis, procurando corpori indulgere: At verò aliis diebus præterquam festis licebat epulis operari post horam diei tertiam. Qui verò religiosiores erant, non tantùm diebus festis sed etiam aliis hebdomadis diebus corpus non procurabant ante horam diei sextam: atque hoc est quod dicit Maimon. Glossa; קבל עליו תענית עד חצי יום. Qui verò omnium religiosissimi erant, ad horam usque nonam orationibus operabantur, cujus hæc est causa; Matutinas preces sequebantur vespertinæ, quæ aliæ alios habebant terminos, & variis definiebantur temporis intervallis. Tempus enim offerendi jugis sacrificii vespertini variè definiebatur. Nam si Pascha mactandum fuisset in Sabbati parasceue, sacrificium juge offerebatur ab hora sexta & dimidia ad nonam & dimidiam usque; dicebatúrque illud temporis intervallum, מנחה גדולה: cæteris diebus offerebatur ἐνδιαλειχισμὸς ab hora nona & dimidia ad occasum Solem usque; atque tempus illud dicitur מנחה קטנה: Preces igitur quæ fundebantur tempore מנחה גדולה definiuntur ab hora sexta & dimidia ad horam nonam & dimidiam; quæ verò fiebant tempore מנחה קטנה definiuntur ab hora nona & dimidia ad Solem occasum. Licebátque pro arbitrio vel hoc vel illo tempore preces suas concipere, quanquam satius erat concepisse tempore מנחה גדולה: Maimon. loco laudato, Perek 3. §. 2, 3, 4. כבר אמרנו שתפלת המנחה כנגד תמיד של בין הערבים תקנו ומנה ולפי שהיה התמיד קרב בכל יום בתשע שעות ומחצה תקנו זמנה מתשע שעות ומחצה והיא הנקראת מנחה קטנה ולפי שבערב הפסח שחל להיות בערב שבת היו שוחטין את התמיד בשש שעות ומחצה אמרו שהמתפלל מאחר שש שעות ומחצה יצא ומשהגיע זמן זה הגיע זמן חיובה וזו היא הנקראת מנחה גדולה: נהגו אנשים הרבה להתפלל גדולה וקטנה ואחת רשות והורו מקצת הגאונים שאין ראוי להתפלל רשות אלא הגדולה וכן הדין ניתן מפני שהיא כנגד דבר שאינו תדיר בכל יום ואם התפלל הגדולה חובה לא יתפלל קטנה אלא רשות: הא למדת שזמן מנחה גדולה משש שעות ומחצה עד תשע שעות ומחצה וזמן מנחה קטנה מתשע שעות ומחצה עד שישאר מן היום שעה ורביע ויש לו להתפלל אותה עד שתשקע החמה: Ex hoc more ascendunt Petrus & Johannes in Templum sub horam nonam tempore מנחה קטנה Act. 3. 2. Ἐπὶ τὸ αὐτὸ τ Πέτρος καὶ Ἰωάννης ἀνέβαινον εἰς τὸ ἱερὸν, ὅτι τ ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐνάτην. Rursum Petrus preces concipiebat tempore מנחה גדולה post horã sextam Act. 10. 9. Ἀνέβη Πέτρος ἐπὶ τὸ δῶμα προσεύξασθαι περὶ ὥραν ἕκτην. Itémque Cornelius Centurio Act. 10. 30. Ἀπὸ τετράδος ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, καὶ τ ἐνάτην ὥραν προσευχόμενος ἐν τῷ οἴκῳ μου. Ad quæ verba Beda notat Græcos scriptum habuisse, Μέχρι ταύτης τῆς ὥρας ἤμην νηστεύων, καὶ προσευχόμενος ἀπὸ τῆς ἕκτης ὥρας μέχρι τῆς ἐνάτης ὥρας. Optimè, meo quidem judicio. Atque ab hoc exemplo discimus viros religiosiores solitos fuisse nihil quicquam cibi capere antequam his precibus מנחה גדולה essent defuncti: Ecce enim Centurio Cornelius, qui è Judæorum instituto vivebat, cibum non gustaverat ante horam nonam. Rursum Petrus, qui in solarium ascenderat tempore מנחה גדולה, h.e. circa horam sextam, nondum corpus suum procuraverat, Act. 10. 10. ἐγένετο δ πεῖναι, καὶ ἤθελε γεύσασθαι. Non igitur ante finitas has preces, i. non ante nonam horam, cibum sumpserat.

CAP. 16. *Judæorum juramenta in quatuor classes tributa. De testibus leges. An summus Pontifex testimonium cuiquam dicat, itémq; Rex. Juramenta alia necessaria, quæ in judicio, & nonnisi invocato Dei nomine; alia voluntaria, quæ per res creatas etiam concipiebantur. Variæ horum juramentorum formulæ Matthæi 5. Maimonides emendatur, itémq; Martialis & illustratur. Eclogæ Basilicõn supplentur. Balsamo Lampridiúsque corriguntur.*

DIstribuunt veteres Hebræorũ Magistri Juramentum in quatuor species; Maimonides l. שבועות, Tract. שבועות, Perek 1. *Temerarium, Vanum, Depositi, & Testium:* ארבעה מיני שבועות הן שבועת ביטוי ושבועת שוא ושבועת הפקדון ושבועת העדות: Juramentũ Temerarium de rebus est quæ non sunt omnino, nec, quo tandem cumq; velis tempore, in hominis qui illud concipit potestate: ואין שבועת ביטוי נוהגת אלא דברים שאיפשר לו לעשות בין להבא בין לשעבר: quanquam impossibilia non sint per Legem. Maimonides ad præceptum negans 61. בטוי הוא שנשבע על ענינים שאיפשר לנו לעשותם או שלא נעשה בלא מניעת התורה ונשבענו על דבר מהם שנעשהו או שלא נעשהו והנה חובה עלינו לקיים מה שנשבענו: Distinguuntur autem in quatuor classes; duæ futurum tempus spectant, aliæ duæ præteritum, fítque in utroq; tempore vel *abnutivũ*, vel *adnutivum*: שבועת ביטוי היא נחלקת לארבע' חלקי' שתי' להבא ושתי לשעבר כנון נשבע על דבר שעבר נעשה או שלא נעשה ועל דבר שעתיד להיות יעשה ושלא יעשה: Qui verò nõ præstabat rem, (quanquam per Legem non prohiberetur,) quam ità temerariè juraverat, præstare autem non poterat quia deficiebant vires, dicebatur jurare לשקר: Maimon. in Commeat. ad Præcepta; כמשבועת שקר היא העברת שבועת בטוי: Juramentum Vanum in quatuor quoque ordines distribuitur: Primus est, quando juratur aliquid ità esse quod noverimus nõ ità esse: שבועת שוא נחלקת לד' מחלוקות האחת שנשבע על דבר הידוע שאין כן: Secundus est, cùm de re juratur de qua nemo ambigit: השנייה שנשבע על דבר ידוע שאין בו ספק לאדם שהוא כן: Tertius ordo est, quando juratur de non præstando Legis præceptis obsequio, ut si quis, ex. g. juret se cùm defungetur epulis agni Paschalis non vesciturum pane azymo, שלישית שנשבע לבטל את המצות. Quartus deniq; est, cùm juratur de re quæ per vires præstari non potest, רביעית שנשבע על דבר שאין כח בו לעשות: Quod ad Juramentum Depositi attinet, habes plenè apud Moysem Levit. 6. De Juramento verò Testium ista Maimonides; שבועת העדות כיצד העדים שידעו עדות ממון ותבעם בעל העדות להעיד לו וכפרו בעדותן ולא העידו ונשבעו שאינן יודעין לו עדות זו היא נקראת שבועת העדות: De Testibus nonnulla leguntur apud veteres Judæos quæ ad has Leges omnino referri debent; I. est, ut nemo deneget testimonium dicere de iis quæ novit: להעיד לבית דין למי שיש לו עדות: Verùm feminas & servos Leges nõ sinebant testimonium dicere. Josephus l. 4. Γυναικῶν δ μὴ ἴσον μαρτυρεία διὰ κουφότητα καὶ θράσος αὐτῶν. μαρτυρεῖτωσαν δ μήτε δοῦλοι διὰ τ τῆς ψυχῆς ἀγένειαν· ἐς ἢ διὰ κέρδος εἰκὸς, ἢ διὰ φόβον μὴ τἀληθῆ μαρτυρῆσαι. Præterea quod attinet ad Pontificem Maximum, testimonium quidem dicebat ille, verùm neq; in ἅπ τυχόντων causis, neq; pro omnibus Tribunalibus: Nam in Regum tantùm causis testimonium dicebat, & pro Tribunali tantùm Synedrii magni, quod è priori pendet: Maimonides li. שופטים, Tract. עדות, Perek 1. כהן גדול אינו חייב להעיד אלא עדות שהוא למלך ישראל בלבד הולך לבית דין הגדול ומעיד בה אבל בשאר עדיות פטור: Quod ad Reges spectat, distinguunt Judæi inter Reges domûs David & Reges Israelis: hos negant ulli mortalium testimonium dixisse, contrarium de illis asserunt. Maimonides eodem lib. Tract. מלכים: מלכי בית דוד דנין ודנין אותן ומעידים עליהם אבל מלכי ישראל נורו חכמים שלא ידון ולא דנין אותו ולא מעיד ולא מעידין עליו: Lex de Testibus II. hæc est, לדרוש ולחקור העדים: Diligenter

Diligenter inquirebatur in teſtes. Joſephus, ἡ τῶν μαρτύρων μαζάνεια ἀκριβῆ ποιήσει τὰ ἐγκλήματα. Septiéſque interrogabantur, ídque tum in genere cùm ſpeciatim, vel minima quæque inveſtigando. Maimonides loco laudato, לדרוש עדים ולחקרן ולהרבות בשלאתן ומדקדקין עליהן ומסיעין אותן מעניין לעניין בעת השאלה כדי שישתוקו או יחזרו בהן אם יש בעדותן דופי וציריכים הדיינים לזהר בעת חקירת העדות שמא מתוכה ילמדו לשקר בשבע חקירות בודקין העדים: Sequitur Lex III. Nè quis teſtimonium dicat adverſùs eum qui in re capitali adverſùs ſe teſtimonium dixiſſet, לא יורה העד בדין זה שהעיד עליו בדיני נפשות: IV. eſt, Uno non ſatìs eſſe teſte לא יקום דבר בעד אחד: Joſephus, οὐκ ἐξ μὴ πεισθέσι μάρτυσι, ἀλλὰ πλείοσι, ἢ τὸ τελεσθὲν, δύο. V. Nè quis criminis alicujus damnatus, aut infamiâ notatus, teſtimonium dicat, שלא יעיד בעל עבירה: VI. שלא יעיד קרוב, οἰκείῳ non licet teſtimonium dicere, & improbatus ſemper de domo teſtis: Nam μάζυρές εἰσιν ἕτοι οἷς μὴ μάρτυσι τὸ πρᾶγμαλος ἐδεῖ ἢ δίκη δῷ, ut eſt apud Demoſthenem ὁ τῆς πρὸς Βοιωτὸν. VII. לעשות לעד זומם באשר זמם: Joſephus, Ἂν δὲ τις ψευδῆ μαρτυρήσας πεισθῇ, παρέτω τελευτὰ ἐλεγχθεὶς ὅσα ὁ καλαμαζυρηθεὶς πάσχειν ἔμελλεν. Ut ψευδομάρτυς eâdem multetur pœnâ quâ is erat multandus adverſùs quem teſtimonium dixerat. Teſtes autem non pùniebantur niſi abſoluto judicio: Sed Sadducæi dicebant, niſi poſtquam occiſus eſſet is qui judicatus fuerat, juxta illud, *animam pro anima*, Lev. 18. 2. Verùm ut ad Juramenta noſtra redeat oratio, diſtinguunt ea Hebræi aliâ ratione in Voluntaria, & Neceſſaria: Neceſſaria ea ſunt, quæ continentur hoc, ut appellant, præcepto affirmante, לישבע בשמו באמת, quæ deferebantur vel ab actore, vel à judicibus, in judicio, reo aut teſtibus. Hæc verò Juramenta, quæ in judicio auctoritate judicum jurabantur, in duo genera diſtribuuntur; unum eſt, שבועת הדיינין, alterum שבועת הסת. Cave autem putes hoc Juramentum הסת diſtingui à Juramento quod appellant הדיינין quaſi Juramentum הסת non juretur auctoritate judicum. Nam etiam judices deferebant hoc Juramentum הסת. Maimonides Tract. שבועות, Perek 11. והיא הנקראת שבועת הסת ואע"פ שבת דין משביעין אותה אינה נקראת שבועת הדיינין: Diſtinguuntur autem, quia qui jurabat jusjurandum הדיינין volens & lubenti animo, itémque corporaliter, i. manu geſtans librum Legis, aut φυλακλήεια, (nam qui habebat in manu φυλακλήεια, nihil erat neceſſe, ſi vellet, librum Legis tangere) jurabat: is verò qui jurabat jusjurandum הסת, invitus adigebatur à judice, nec jurabat corporaliter, i. non tangebat Legis librum, quanquam eum præ manibus haberet Synagogæ apparitor, aut alius quivis de plebe. Maimonides loco proximè laudato, הנשבע אוחז ספר תורה בורעו והוא עומד ונשבע בשם או בכנוי בשבועה או באלה מפיו או מפי הדיינין זו היא שבועה הדיינין הדיינין שהשביעו בלא נקיטת חפץ בידו ואם אחז תפילין בידו ואין צריך ליטול ספר תורה אלא תפילין בכפו חפץ הוא אין בין שבועת הסת לשבועת הדיינין אלא נקיטת חפץ שאין הנשבע שבועת הסת אוחז ספר תורה אלא משביעין אותו בשם או בכנוי בשבועה או באלה מפיו או מפי בית דין כמו שבועת הדיינין וכבר נהגו הכל להיות ספר תורה ביד חזן הכנסת או שאר העם בעת שמשביעין שבועת הסת כדי לאיים עליו: Juramenta verò Voluntaria ea ſunt quæ fiunt extra judicium & ſine judicis auctoritate; eáque ſunt vel לשקר vel לשוא vel etiam באמת: In Neceſſariis autem Juramentis omnibus *per Deum* jurabatur. Maimonides loco laudato, Perek 11. מצות עשה שישבע מי שנתחייב שבועה בבית דין בשם. Ratio eſt apud Maimonidem in Comment. ad Præcepta, quia cùm de alicujus rei veritate affirmanda & ſtabilienda agitur, honos habetur ei per quem affirmatur, atque is uni Deo eſt habendus. מצותו" היא שצונו להשבע בשמו כשנצטרך לקיים דבר: מהדברים או להכחישו בי בזה תהיה הגדולה והכבוד והעילוי: Quare idem obſervat, כשנצטרך לקיים דבר tunc *per* ſolum *Deum* jurari, non per rem creatam quæcunque ea ſit, etiamſi ſubintelligatur Dei nomen, concipiendo juramentum per alicujus creaturæ nomen: השבועה בעת הצורך יוצאה בה והיא מצות עשה ולזה לא הנתר להשבע בדבר מכל הנבראים כמו המלאכים והכוכבים אלא על צד חסרון המצרף כמו שישבע בשמש והוא ירצה לאמר אדון השמש ועל זה הצד תשבע אומתנו בשם משה רבי" מד. נכבד שמו כאלו הנשבע נשבע באדון משה או במי ששלחו: Quare neque juramentum per creaturam aliquam propriè juramentum cenſebatur, i. non erat juratum habendum hujuſmodi jusjurandum. Maimonides Tract. שבועות, Perek 12. מי נשבע בשמים ובארץ ובשמש כיוצא בהן אעפ" שאין כוונתו אלא למי שבראם אין זו שבועה וכן הנשבה הנביא מן הנביאים או בכתב מכתבי הקדש אע"פ שאין כוונתו אלא למי ששלח נביא זה או למי שצוה בכתב זה אין זו שבועה. Quæ verba intelligenda ſunt ſi jurandum ſit apud Judices: nam alioqui *per creaturas* jurare licebat: nam diſtinguunt, ut dixim⁹, inter juramẽta quæ jurantur in judicio, & illa quæ non jurantur in judicio. Juramenta quæ in judicio deferuntur aut ſuſcipiuntur, ſúntq; vel Depoſiti, vel Teſtium, nonniſi *per Dei nomen* concipiuntur. Maimonides loco laudato, Perek 14. מצות עשה מישבע מי שנתחייב שבועה בבית דין בשם לקיים דבר: Deferebatur enim & ſuſcipiebatur hoc juramentum: itaque non licebat in hoc juramento, in quo neceſſariò Dei nomen interpellabatur, & *per Deum* expreſſis verbis jurabatur, addere creaturam Deo ſociam. Maimonides ibidem, ואסור להשבע בדבר אחר עם שמו וכל המשתף דבר אחר עם שם הק"בה בשבועה נעקר מן העולם: & in Comment. ad hoc Præceptum, כבר עבר ושתף דבר אחר עם שם שמים אשר בא פירות כל המשתף שם שמים עם דבר אחר נעקר מן העולם: Neque intelligunt Judæi Præceptum hoc affirmans, להשבע בשמו, niſi de juramento quod neceſſarium omnino eſt & judiciale, i. ab actore aut judice defertur reo vel teſtibus: in cæteris verò juramentis non neceſſe eſſe *per Deum* jurari. Maimonides Comment. ad hoc Præceptum, אמרה תורה השבע בשמו ואמרה תורה אל תשבע ר"ל כמו שהשבועה אשר אין צריך אליה מוהיר ממנה והיא מצות לא תעשה כן השבועה בעת הצורך יוצאה בה והיא מצות עשה. Quare ſi *per creaturam* jurabatur apud judices, non erat iis ratum habendum, ut diximus: Nam *jurare oportet, ut delatum eſt jusjurandum.* L. III. Sect. 4. C. *de jurejur.* At ſi quis illicitum jusjùrandum juraverit, non ſtabitur. *Sed ſi quis illicitum jusjurandum detulerit*, (at quantò magìs non delatum juraverit?) *ſcilicet improbatæ publicè religionis, videamus an pro eo habeatur atque ſi juratum non eſſet. Quod magìs exiſtimo dicendum.* L. V. D. eod. Verùm, ut hoc obiter addam, quædam iſtarum Legum habentur in Ecloga Baſilicõn L. XXII. Titulo 5. cap. 3. Sed integriora poſſunt legi è Photio in Nomocanone Titulo 13. *de Laicis* cap. 19. & Balſamone in Canonem XCIV, Synodi VI. in Trullo. Quanquam Balſamonis codex corruptus eſt non ſemel: ità enim legitur, Εἰ δὲ ἐμοῦ ἐπάγοντος τοῦ Θεοῦ ὀμόσαι, τῆς κεφαλῆς σου ἢ τῶν τέκνων σου ὤμοσας ἵνα, ἀφελεῖν ὀφείλῃς ὁ ὅρκος ἐῤῥωμένος. Imò contrarium planè dicit Lex, *& ſi ego deſuli, ut* per Deum *jurares*, *tu* per caput tuum *juraſti*, *vel* filiorum tuorum, *non erit juratum habendum jusjurandum.* Quare reſcribo apud Balſamonem, τῆς κεφαλῆς σου ἢ τῶν τέκνων σου ὤμοσας, ἵνα ἀφελεῖν ὀφείλῃ ὁ ὅρκος ἐῤῥωμένος. Rurſum leges apud Balſamonem, itémque Photium; κἀγὼ ἐπιφέρω σοι τῆς σωτηρίας σου ὀμόσαι. Vertunt nullo planè bono ſenſu, *Rectè tibi defero, ut per ſalutem tuam jures.* Non enim hic agitur, utrùm jusjurandum *per ſalutem ſuam* ſit licitum; ſed utrùm hujuſmodi jurejurando ſtandum ſit, nécne; nam non videtur juratum habendum ex præcedentibus. Sed vox excidit, quia eſt eadem cum ultima ſyllaba præcedentis dictionis. Cohærent autem iſta cum præcedentibus, itaque ſunt continuanda; κἀγὼ, ὡς ἐπιφέρω σοι τῆς σωτηρίας σου ὀμόσαι. *Bene eſt*, inquit, *ſtabitur, ſi exegi ut per ſalutem tuam jurares.*

rares. Quod verò attinet verba ista Legis, *Sed si quis illicitum jusjurandum detulerit, scilicet improbatæ publicè religionis, videamus an pro eo habeatur atque si juratum non esset: quod magis existimo dicendum.* Sciendum est ista esse petita è 22. Ulpiani Libro ad Edictum. Scripsit autem Ulpianus hos ad Edictum libros imperante Alexandro Mammeæ filio, ut pluribus probare possemus si id ageretur. Jam verò videamus quænam illa sit *improbata publicè religio*, cujus jusjurandum dicendum est illicitum. Christianam religionem improbatam fuisse publicè tunc temporis non sinit nos dubitare quod in historia illius ævi legimus; neque unquam in orbe Romano Christianis bene adeò fuit ut publicè approbaretur illorum religio: quando meliusculè cum illis actum fuit, hoc indultum est ut non inquirerentur, & qui deferrent pœnas darent; sed tamen oblati puniebantur: idque videtur obtinuisse cùm Ulpianus hos ad Edictum libros scriberet. Nam observat Lampridius, in Alexandri vita, Alexandrum Christianis tantùm indulsisse ut essent: quibus verbis satìs indicat approbatam publicè non fuisse illorum religionem, quanquam animum in Christianos propensum haberet Alexander, adeò ut *cùm Christiani quendam locum qui publicus fuerat occupassent, contrà popinarii dicerent sibi eum deberi, Alexander rescripserit, meliùs esse ut quomodocunque Deus illic colatur quàm popinariis dedatur*, inquit Lampridius: quin etiam Christum in suo veneraretur larario. Lampridius, *Matutinis horis in larario suo in quo & divos Principes, sed optimos electos, & sanctiores animas, in queis & Apollonium & quantum scriptor suorum temporum dicit,* CHRISTUM, *Abraham, & Orpheum, & hujuscemodi Deos habebat, ac majorum effigies, rem divinam faciebat.* Sed quid est, *& hujuscemodi Deos habebat?* Suspecta est hæc lectio Viris summis, nec immeritò: Non enim Abraham, nec Orpheum, sed nec Apollonium, pro Diis habuit Alexander, nec quisquam in illo tempore, sed animas sanctiores, & viros Divinos, eos existimarunt, & sic coluerunt. Prima editio habet, *Abraham, & Orpheum, & hujusce Deos.* E Palatinis membranis adferunt Viri Incomparabiles, *Abraham, & Orpheum, & hujusce cæteros.* Rescribendum puto, *Abraham, & Orpheum, & hujusce eteros. Eteri* sive *Hetæri*, quemadmodum *hetæria*, ἑταῖροι, ἑταιεία. Atque intelliguntur Orphei socii, Argonautæ Heroes; nam in illis Orpheus fuit. Negat igitur Ulpianus juratum esse, si improbatæ publicè religionis, i. e. Christianæ, jusjurandum delatum sit, utpote illicitum. Sed redeamus ad Judæorum juramenta. Ubi igitur non juratur in judicio, ut veritas affirmetur & stabiliatur, sed extra judicium, sítque juramentum, vel Depositi, vel Testium, vel Temerarium, vel Vanum, aut quodcunque volueris, licet *per creaturas* jurare: significatúrque hoc juramento eum cum quo res est ei qui jurat, debere persuasum habere rem de qua loquitur non minùs certam & indubitatam esse quàm sit res illa per quam jurat; Maimonides in Comment. ad hoc præceptum, וכל עת שלא יכוין הנשבע זה ונשבע באחד חובראים להאמינו שיש לאותו הדבר אמתת עצם עד שישבע בו: Quare legimus multa Juramentorum genera, in hunc censum referenda, Judæis fuisse usurpata. Referuntur quædam Matthæi 5. à Christo ἐν τῷ οὐρανῷ *per cœlum*; ἐν τῇ γῇ *per terram*; εἰς Ἱερουσάλυμα *per Hierusalem*; ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτῆς *per caput suum*; ἐν τῷ ναῷ *per Templum*; ut Judæus ille Poeta apud Martialem lib. 11.

Ecce negas, juráque mihi per Templa Tonantis:
Non credo: jura, verpe, per Anchialon.

Item, ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ *per aurum Templi*; ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ *per altare*; ἐν τῷ δώρῳ τῷ ἐπάνω τοῦ θυσιαστηρίου *per donum quod super altare*; Judaicè dicebatur בקרבן: meminit Theophrastus in libris Legũ apud Josephum λέγει δ', ὅτι κωλύουσιν οἱ Τυρίων νόμοι ξενικὸς ὅρκους ὀμνύειν, ἐν οἷς μέλλει τινων ἄλλων καὶ ἡ κλῆσις ὄρκου, Κορβᾶν, καλουμένου. Huc spectat etiam locus è Psal. 24. 4. לא נשא לשוא נפשו: ità est hujus loci scriptura כתיב quam secuti sunt Græci, ὃς οὐκ ἔλαβεν ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. Sed קריא *lectio*, ut adnotant Massorithæ, est נפשי. Utriusque elegans est sensus & interpretatio; si נפשו legimus, referendum est ad illud jusjurandum quod ἐν τῇ κεφαλῇ αὐτοῦ fiebat; si verò scribamus נפשי refero ad juramenti illam formulam quâ jurabatur בנפש המלך *per animam Regis*, cujus exempla in Scripturis passim obvia: Rex autem erat David cùm hunc Psalmum scribebat: ut etiam jurabatur per animam illius cum quo res erat, si paulò honoratior esset: ità Sunamitis illa jurat per animam Elisæi Prophetæ 2 Reg. 4. 30. Eodèm refero verba Cantici Canticorum c. 2. 7. & alibi eodem lib. השבעתי אתכם בנות ירושלם הצבאות או באילות השדה אם תעירו ואם תעוררו את האהבה עד שתחפץ Pastorale juramentum dicunt esse Viri maximi, & eunt in sententiam Aben Esræ asserentis hæc animantia commemorari quia pulcra sunt & venusta, & sanè in amore solet horum animantium mentio fieri, ut Prov. 5. אילת אהבים: sed nos in alia imus; non hìc juratur quasi in judicio, ut veritas stabiliatur; quanquam & juramenta hæc sint de rebus veris; sed filiæ sive puellæ Hierosolymitanæ interpellantur, atque jurare jubentur, בצבאות או באילות *per capreas vel cervas*, nè amicæ somnũ & quietem interrumpant: eóq; juramento significatur, puellas Hierosolymitanas tam fore solicitas nè amicæ ejus qui juramentum illis deferebat somnum & quietem interrumpant ipsæ, aut ab aliis interrumpi sinant, quàm solicitæ sunt *cervæ*, per quas juramentum illis defertur, nè hinnuli, quos in suis habent lustris, excitentur, & eorum quies interrumpatur: itaque nè id fiat, perpetuò sunt in excubiis. Xenophon libro Κυνηγετικῷ, ubi agit de venatu cervarum & hinnulorum; Ἅμα δὲ τῇ ἡμέρᾳ ὀφέλειν ἀγέσας τοὺς νεβρεῖς ἐκεῖσε ἕκαστον ἂν μέλλῃ ἑκάστη ἑαυτῆς συνάσειν· καλαχλίναται δὲ καὶ γάλα δῶσαι, καὶ διασκεδάσαι μὴ ὁρᾶν τινα, φυλάττει δὲ αὐτῆς ἑκάστη, ἀπελθοῦσα εἰς τὸ ἀνίπεδον. Quicunque autem juraverat *per Deum*, si juramentum susceperat, vel Vanum vel Temerarium, aut pejeraverat, sive abnegando depositum, sive in testimonii dictione, & pœnas dabat, & sacrificium offerre tenebatur: Maimonides Tract. שבועות, Perek 12. אע"פ שלוקה הנשבע לשוא או לשקר יכן הנשבע שבועת העדות או שבועות הפקדון מביא קרבן אע"פ שאין בו לא כרת ולא מיתת בית דין יש בו חילול השם המקודש At verò quando per res creatas jurabatur, non videntur Judæi in eo posuisse ἐπορκίαν, aut temerarium sive vanum juramentum; imò potiùs peccabant, ὑβρίζοντες, καὶ οὐκ ὀφείλοντες. Colligo è verbis Christi Matth. 5. Πάλιν ἠκούσατε ὅτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις, οὐκ ἐπιορκήσεις, ἀποδώσεις δὲ τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ὀμόσαι ὅλως, μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, μήτε ἐν τῇ γῇ, μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου. E quibus verbis, si cum iis quæ ex Maimonide descripsimus conferas, constare arbitror, Judæos existimâsse non esse perjurium, aut vanum sive temerarium juramentum, quando per res creatas jurabatur; neque eum qui hoc modo pejerasset, aut juramentum vanum sive temerarium concepisset per res creatas, teneri eâ lege quæ est adversùs pejerantes, aut jurantes juramentum temerarium, vel vanum: cùm Lege hâc non teneantur nisi qui בשם *per Deum* juraverint. At priùs quidem docet Christus hæc juramenta esse illicita, nec jurandum esse omnino per res creatas: deinde etiam cùm per res creatas juratur, & Deum quoque aliquâ ratione hujusmodi juramentis interpellari: nam cœli sunt θρόνος τοῦ Θεοῦ, terra ὑποπόδιον τῶν ποδῶν αὐτοῦ, Hierosolyma πόλις τοῦ μεγάλου βασιλέως. Sed id maximè probat, quod observat Dominus Mat. 23. Unde etiam præterea discimus excipi ab hac communi juramentorum quæ per res creatas jurabantur Lege, juramenta quæ fiebant *per aurum Templi*, aut בקרבן: nam si quis pejerasset, aut juramentum vanum sive temerarium juravisset *per aurum Templi* vel בקרבן, tenebatur lege perjurii & temerarii sive vani juramenti, quasi *per* ipsum *Deum* juratum fuisset: Ὃς ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ ναῷ, οὐδέν ἐστιν· ὃς δ' ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ, ὀφείλει· ὃς ἐὰν ὀμόσῃ ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ, οὐδέν ἐστιν· ὃς δ' ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ δώρῳ τῷ ἐπάνω αὐτοῦ, ὀφείλει. Vides reum esse qui juraverit *per aurum Templi*, & בקרבן legéque teneri si pejeraverit, aut temerarium vel vanum jura-

juramentum juraverit, perinde ac si *per Deum* ipsum jurasset: non autem eâ Lege teneri si juraverit *per Templum*, aut *per altare*: conjungit quoque Christus juramentum *per cœlum*: Unde licet judicium facere de juramentis omnibus per res creatas, neminem lege teneri perjurii, aut juramenti temerarii vel vani, qui juraverat per rem creatam aliquam, excepto juramento *per aurum Templi*, itémq; juramento בקרבן. Qui verò *per Deum* juraverat, sive in judicio sive extra judicium, tenebatur lege perjurii, aut juramenti temerarii sive vani si pejeraverat, quodcunq; jurasset jusjurandum temerarium aut vanum. Videntur autem Gentiles in aliquam hujus moris Judæorum cognitionem veniſse: nam Martialis non satìs habet quòd Judæus *per Templum* jurarit; noverat enim, si jurantes *per Templum* pejerassent, οὐδὲν ὀφείλειν, ut loquitur Christus: sed vult jurari *per Deum* ipsum; per quem qui juraverat, si pejeraret, certum erat ὀφείλειν.

Ecce negas, juráſq; mihi per Templa Tonantis:
Non credo: jura, verpe, per Anchialon.

Ità namq; hunc versum rescribendum censeo, éstque jusjurandum abnutivum tribus distinctis vocibus, *An*, quod est אין, sive אן, confunduntur enim hæ duæ voces, i. *Non*; חי *vivit* עליון *Alon*, ut è Plauto pronunciatum fuisse constat, Dei nomen: est ergò jusjurandum hominis negantis & inficiantis crimen cujus accusabatur: אן חי עליון *An: ehi alon: Non: vivit Deus.* Unde etiam patet omnino his verbis, *per Anchialon*, denotari juramentum *per Deum*: Nam si intelligeretur puer ipse quem amabant Martialis & Judæus, non consultius fecisset Martialis: cùm si quis jurabat *per caput* suum, aut alterius, & falsò juraret, putaret οὐδὲν ὀφείλειν, nec se ὀφείλειν, non magis quàm si jurasset *per Templum*: Contrà verò, si *per Deum* jurans pejeraret, lege perjurii tenebatur. Cum iis quæ à Christo observantur paria faciunt Maimonidis verba Tract. שבועות, Perek 12. docentis jusjurandum per res creatas improbatum quidem illud fuisse, & monitos qui ità jurabant, nè adeò temere jurarent, sed tamen nullam fuisse habitam rationem illius juramenti, etiamsi esset vanum, aut temerarium, aut falsò denique jurasset: nihil illos qui ità juraverant ὀφείλειν, ἢ οὐδὲν ὀφείλειν) hujusmodi jusjurandum: מי שנשבע בשמים ובארץ ובשמש וביוצא בהן אעפ"י שאין כוונתו אלא למי שבלאם אין זו שבועה וכן הנשבע בהנביא מן נביאים או בכתב מכתביש הקדש אע"פ שאין כוונתו אלא למי ששלח נביא זה או למי שצוה בכתב זה אין זו שבועה אע"פ שאין אלו שבועות מאימים עליהם ומלמדין את העם שלא ינהגו קלות ראש בכך מראין בעינידם שזו שבועה ופותחין להם פתח ומתירין להם בד"א בשאר כתבי הקדש: Negat Maimonides juramenta quæ per res creatas concipiuntur esse propriè juramenta: nam plurimùm ità jurabant qui jurabant לשוא, לשקר, aut alia de causa, extra judicium, juramentum voluntarium, nè necesse esset scilicet illos ὀφείλειν. Juramentum autem propriè dictum est quod in judicio juratur בשם באמת: Idem tamen asserit esse juramenta per res creatas: eóq; argumento terreri eos docet qui jurant; non enim in more positum esse tam temerariè salutem suam contemnere: eósque arguebant peccati ex Moysis Lege, (cujus פרשה פתוחה quæ incipit Levit. 19. agitúrq; de juramento לשקר, hic apud Maimonidem intelligitur ופותחין להם פתח, sed rescribendum puto ופותחין להם פתוח) & interpretabantur illam Sectionem Legis verbis illis quibus illustratur in reliquis S. Scripturæ libris.

Cap. 17. *De voce* Amen *nonnulla observantur. Precum erat clausula. Reus fiebat ejusdem voti qui votum cum juramento concipienti respondebat* Amen. *Quare Christus toties illud* Amen *dicat, & ipse* Amen *dicatur.*

Optimè observarunt viri præstantissimi vocem אמן usurpari tum in affirmando cùm in optando. In optando quidem quando preces sacræ hâc voce clauduntur; claudi autem certum est è 1 Cor. 14.16. & Justini Apologetico 2. Ità apud Judæos si quis voventi votum Nazaræatûs, aut rem sacram, interposito jurejurando, *Amen* ἐνδέχεται, reus fit ejusdem voti. Maimonides libro הפלאה, Tract. נדרים, Perek 2. אחד נודר מפי עצמו או שהדירו חבירו ואמר אמן או רבר שענינו בענין אמן שהוא קבלת דברי ואין הנודר נאסר בדבר שאסר על עצמו עד שיוציא בשפתיו והיה פיו ולבו שוין אבל המתכוין לנדור בנזיר ונדר ונדר בקרבן בקרבן ונדר בנזיר בשבועה: Affirmat vox ista in dictis Christi, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, passim in historia Euangelica usurpata, at verò unde petita sit non explicant viri eruditissimi. Nullus dubito repetenda ista esse è juramentorum formulis: nam judex adjurabat; qui jurabat, respondebat *Amen*: Maimonides Tract. שבועות, Perek 11. הרוינין שאמרו לו משביעין אנו אותך בה" אלהי ישר' או במי ששמו חנון שאין לזה בירך כלום והוא עונה אמן או שאמרו הרי פלו" בן פלוני ארור לה" אלהי ישראל או למי ששמו חנון אם אש פלוני אצלו ממון ולא יורה לו והוא עונה אמן: Quare cùm dicit Christus, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, idem est ac si diceret, *Juratus vobis dico.* Unde etiam petenda interpretatio horum verborum; Ὅσαι γὰρ ἐπαγγελίαι Θεοῦ, ἐν αὐτῷ τὸ ναὶ, διὸ καὶ δι' αὐτοῦ τὸ ἀμὴν, 2 Cor. 1.20. Nam docet promissiones illas Dei in Christo ratas esse, metaphorâ desumptâ, priori quidem ab illo qui aliquid affirmat sine jurejurando, Ἔστω ὁ λόγος ὑμῶν ναὶ ναὶ, οὒ οὔ, Matt. 5.37. Jacob. 5.12. posteriori verò, qui jurando confirmat. Eodem quoque sensu Apoc. 1.7. ναὶ, ἀμήν, confirmat quæ dixit simplici asseveratione, & deinde jurejurando. Quòd verò Christus Apoc. 3.14. appellatur ὁ ἀμὴν videtur petitum ex Esaiæ 65.16. ubi Deus semel atque iterum אלהי אמן appellatur.

Cap. 18. *Vectigalia & Tributa distincta: illa à Publicanis conducebantur, hæc non item. Judæa vectigalis à Pompeio facta (Appianus emendatus) in Provinciæ formam redacta, facta quoque est tributaria. De Lxx Seniorum interpretatione, & jejunio ejus de causa institutio.*

Observat Eusebius in Chronicis Judæos à Romanis vectigales factos fuisse. Verba ejus sunt numero cIↃ IↃ CCCCXLIX. *Judæi Romanorum per Pompeium vectigales facti, & Pontificatum apud eos suscepit Hyrcanus annis* 34. Sed paucis ista tractari non possunt; diligenter enim distinguendum est inter tria tempora, quibus si tota nostra disputatio commodè divisa non sit, frustrà erit omnis labor quem ei impendemus. Primum intervallum est à factis per Pompeium Judæis Romanorum vectigalibus ad Archelaum usque Herodis Magni Filium in exsilium pulsum. Alterum est à pulso Archelao ad excidium Hierosolymitanum. Tertium denique post excidium illud.

Vectigal aliud certum imponebatur, quod *stipendiarium* dicitur, quasi victoriæ præmium atque pœna belli: aut Censoria locatio constituebatur, quemadmodum Asiæ, lege Semproniâ, ut autor est Cicero Oratione Frumentariâ. Atque ista vectigalia, ut portoria, & enphyteumata, conducta habebant Publicani, non tributa, Lege XII. §. ult. D. *De publ. & vect.* Lege *eum qui* D. *De ver. sign.* Hinc diligenter distinguuntur Vectigalia à Tributis apud Tacitum Annal. 13. & Vectigalia à Publicanis conducta fuisse, non autem Tributa, omnino colligitur. *Eodem anno crebris populi flagitationibus immodestiam Publicanorum arguentis, dubitavit Nero an cuncta vectigalia omitti juberet; idque pulcerrimum donum generi mortalium daret. Sed impetum ejus, multùm priùs laudatâ magnitudine animi, attimere Senatores, dissolutionem imperii docendo, si fructus, quibus Respub. sustineretur, deminuerentur. Quippe sublatis portoriis, sequens ut Tributorum abolitio expostularetur. Pleraque Vectigalium societates à Consulibus & Tribunis constitutas, acri etiam populi Rom. tum libertate. Reliqua mox ità provisa, ut ratio quæstuum & necessitas erogationum inter se congruerent. Temperandas planè Publicanorum cupidines, nè per tot annos sine querela tolerata, novis acerbitatibus ad invidiam verterent.* Qua de causa Cæsar,

dum vult levare Asiam Publicanis apud Dionem lib. 12. quod redigebatur ex Vectigalibus, in Tributi collationem transformat.

His animadversis dicimus, primò vectigalem Romanorum factam fuisse Judæam à Pompeio, ut testatur Eusebius, qui habet à Josepho; Καὶ τὰ μὲ Ἱεροσόλυμα ὑποτελῆ φόρῳ Ῥωμαίοις ἐποίησεν. Vectigal istud quod præstabant Judæi, utrùm fuerit è portoriis an ex enphyteumatis juxtà cum ignarissimis scimus: hoc tantùm ignorare nos non sinunt Josephus & Eusebius, Judæos Romanis vectigalia præstitisse postquam in ordinem à Pompeio coacti sunt.

Mutasse istud putamus ubi Herodes Judæis Rex est impositus à Romanis: Nam Herodes à Romanis Rex est renunciatus, ut qui unquam optimo jure; Οὐ γὸ ἦρη καλῶς ἔχειν Ἀντωνίῳ, βασιλέα μὲν ἀλλ' ἐκ τῶν ἀρχῶν γεγενημένων ἐνθύναι ἁπάντων· ὅτω γὸ ἂν ἐδὲ βασιλεὺς εἶη. δόντας ἢ τῷ τιμῶν, ἢ τῆς ἐξουσίας καταξιώσαντας ἐᾷν αὐτῇ χρῆσθαι. Erat igitur Herodes ἀνυπεύθυνος, non vectigalis. Quanquam Herodem vectigalem fuisse colligunt viri eruditissimi ex his Appiani verbis libro Bellorum Civilium 5. Ἦση δέ ποι καὶ βασιλέας ὧς δοκιμάσειεν, ὅπῃ φόρος ἄρα τεταγμένος, Πέντε μὲ Δαρῶν ἐ Φαρνάκης τῷ Μιθριδάτου, Ἰδουμαίων ἢ καὶ Σαμαρέων Ἡρῴδην, Ἀμύντα ἢ Πισιδῶν, καὶ Πολέμωνα μέρος Κιλικίας, καὶ ἑτέρους ἐς ἕτερα ἔθνη. Hæc dicuntur facta ab Antonio cùm ad bellum Parthicum proficisceretur; itaque si quis paulò accuratiùs ea expendat, facilè animadvertet, ὅπῃ φόρος τεταγμένος, non esse hujus loci, nec quicquam facere ad mentem Appiani, quem ausim contendere non ità scripsisse, sed hoc modo, ὅπῃ φορᾶς ἄρα τεταγμένος. Sensus est, Antonium jussisse Herodem, alios Reges, sua quemque in ditione, in armis esse, præstò ad quosvis incertos casus, sive hostium irruptiones sive si quid ipsi Antonio, ut incerta est Martis alea, secùs accidisset. Vectigalem tamen facit Herodē B. Hier. Comment. in Matth. 22. Judæam stipendiariam. Verba illius sunt, *Nuper sub Cæsare Augusto Judæa subjecta Romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat.* Sed imposuit B. Hieronymo celebrata illa nascente Christo in toto orbe descriptio, quam confundit cum descriptione bonorum Archelai in exsilium pulsi post natū Christū. Cùm celebraretur prior illa descriptio, Judæa non est facta stipendiaria: actus enim toto orbe census est, non tam è curiositate Augusti quàm arcano Dei consilio, Καὶ ὁ Αὐγουστος ὑπηρετεῖ τῷ ὸν Βηθλεὲμ τόκῳ διὰ τῆ ἀπογραφῆς, inquit B. Chrysostomus Hom. in Matth. 8. Quod ad posteriorem descriptionem attinet quæ fuit bonorum Archelai Viennæ Allobrogum exsulantis, alia planè res est, de qua, Deo dante, jam agendum est.

Herode Magno rebus humanis exempto, Judææ præfectus est Archelaus ejus filius, Ethnarchæ nomine atque titulo: sed dignitate motus est paulò pòst ab Augusto Cæsare, & missus Viennam Allobrogum in exsilium, Judæáque est in Provinciæ formam redacta, Cæsaríque attributa, qui Provincialium censum à Quirinio voluit agi, & Archelai bona fisco adjudicari. Josephus, Παρῶν ἢ καὶ Κυρηνίῳ εἰς τὴν Ἰουδαίων, περιόντων τῆς Συρίας γενομένων, ἀπολιμησόμενός τε ὧν τὰς οὐσίας, καὶ ἀποδωσόμενος τὰ Ἀρχελάου χρήματα. Bona ista Archelai sunt fisco adjudicata, eáque, ut puto, conducebant Publicani: itaque Publicanorum mentio est in Historia Euangelica: Meminit Publicanorum qui essent in urbe Nazareth, qui unus de illis fuit, Matthæus cap. 9. mentio quoque habetur eorum qui erant Jerichunte, Lucæ 19. Habuit igitur Judæa prædia stipendiaria; fuerunt quoq; portoria: nam de hujusmodi vectigalibus intelligenda sunt ista Johannis Baptistæ verba ad Publicanos Lucæ 3. 13. μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. Quæ conducta à Publicanis, ab iis exigebantur. Sed præterea coacti sunt Judæi tributum pendere capitatim, quod tributum appellatur *census*, cujus meminit Josephus ad Hierosolymitanos oratione, Ῥωμαῖοι ἢ ἐ ζωύθη δασμὸν αἰτοῦσιν, ὃν οἱ πάλαι ὑμῶν τοῖς ἐκείνων παισὶ παρέσχον. Meminit quoque Paraph. Chald. Jonathan in fine Habakuk וישתיצון רומאי ולא ינבון קיסומא מירושלם *Delebuntur Romani, & non exigent censum ex Hierosolymis.* Unde ut hoc obiter addam, ut & ex ejus Targum in Pentateuchum, in quo Deut. 33. memoratur *mare Tiberiadis*, colligere licet hunc Jonathan suam scripsisse Paraphrasin Tiberio imperante. Tributum hoc erat didrachmum, ut constat è Matth. 17. Ἐλθόντων ἢ αὐτῶν εἰς Καφαρναὸμ, προσῆλθον οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες τῷ Πέτρῳ, καὶ εἶπον, Ὁ διδάσκαλος ὑμῶν ὐ τελῖ τὰ δίδραχμα; λέγει, Ναί. Sed ex hac historia videtur peti argumentum adversùs ea quæ diximus, tributum hoc didrachmi à Judæis qui Archelao paruerant exactum tantùm fuisse, illísque imperatum postquam Judæa, quæ fuerat ditionis Archelai, eo in exsilium pulso, in Provinciæ formam est redacta. Nam Galilæa non erat ditionis Archelai: atqui urbis Capernaum, quæ erat Galilææ, incolæ tributum hoc didrachmi pendunt. Verùm alia planè est ratio urbis Capernaum quàm totius Galilææ: nam quanquam esset in Galilæa, non tamen erat ditionis Tetrarchæ Galilææ, ut videtur colligi posse è Matth. 4. Postquam enim Johannes Baptista conjectus est in carcerem ab Herode Galilææ Tetrarcha, Christus è Nazareth, quæ erat ditionis hujus Tetrarchæ, secessit Capernaum, quia nihil juris erat Herodi in hanc urbem, quæ proculdubio adtributa olim fuerat Archelao, ac proinde erat Provinciæ Cæsaris. Sed de his satìs, redeamus ad didrachmi pensitationem. Non ignoramus Illustr. Annalium Ecclesiasticorum Parentem, Incomparabilem Casaubonum, alios viros eruditissimos, historiam Matth. 17. retulisse ad pensitationem à Deo institutam in usum Tabernaculi aut Templi: itaque quasi precariò exiguntur hæc didrachma, non superbè & cum violentia, sicut solent exigi tributa à Principibus seculi imposita. Sed mihi ignoscent viri maximi assensum non præbenti: Nam verum omnino non est didrachma, quorum pensitatio erat à Deo instituta, exacta fuisse sine ulla violentia. Certum quidem est à primo die mensis Adar ad 25 diem ejusdem mensis exigi solita sine ulla violentia: sed à die 25 mensis Adar cogebantur vel inviti, pignoribus captis, (inter quæ etiam capi poterant vestes, quod alioqui lege Dei erat vetitum) ad didrachmorum pensitationem. Maimonides lib. זמנים Tract. שקלים, Perek 1. באחד באדר משמיעין על השקלים נדי שיבין כל אחד ואחד מחצית השקל שלו ויהיה עתיד ליתן: בחמשה עשר בו ישבו השולחנין בכל מדינה ומדינה ותובעין בנחת כל מי שיתן להם יקבלו ממנו ומי שלא נתן אין כופין אותו ליתן: בחמשה ועשרים בו ישבו במקדש לגבות ומכאן ואילך כופין את מי שלא יתן עד שיתן וכל מי שלא יתן משכנין אותו ולוקחין עבוטו בעל כרחו אפילו כסותו: Atqui ea quæ referuntur de didrachmorum pensitatione Matth. 17. posteriora sunt die 25 mensis Adar; jam enim erat Christus in procinctu ad iter Hierosolymitanum, instante Paschate σαμφασίμῳ, & se in viam dat statim ac didrachma solvit: ineunte itaque mense Nisan ista contigerunt, cùm jam pensitatio didrachmorum à Deo instituta exacta esset etiam ab invitis. Videtúrque exactum fuisse impositum à Cæsare capitatim (nam impositum fuisse singulorum Provincialium capitibus, non verò tributum istud pendi solitum pro modo agri quem quisque possideret, omnino constat ex eo quòd Christus, qui nihil possidebat, illud solvit) didrachmi tributum, postquam exactum fuisset didrachmum à Deo institutum. Nempe pensitatio didrachmi à Deo instituta exigebatur intra primos 25 mensis Adar dies, tributum verò Cæsari pendebatur mense Nisan: itaque etiam primis mensis Nisan diebus, eò quòd tributum quod Cæsari pendebatur tunc exigeretur, Pharisæi cum Herodianis Christum interrogant, an liceret hoc tributum Cæsari pendere, τί σοι δοκεῖ; ἔξεστι δῦναι κῆσον Καίσαρι, ἢ ὔ; Sed, quia commoda se ultro offert disputatio de Herodianis, age pauca, Ζωὴ Θεῷ δ' ἀπεῖν, addamus ad lucem hujus loci; non tamen referemus ea quæ super hoc argumento commenti sunt è veteribus nonnulli & ab iis acceperunt viri præstantissimi, Herodianos Herodem Magnum pro Christo suscepisse: nam id nobis non satìs commodè dictum videtur; ut ut enim Herodem fortè aliqui, quamdiu

quamdiu fuit in vivis, pro Christo ſuſceperint, non vero tamen eſt ſimile etiam poſt obitum ejus eandem inſaniam inſedisſe animis adulatorum, ità ut ſumptus ad ſacrificia in honorem Herodis obeunda natalémque ejus colendum facerent, duraverítque hæc φρενῖτις tam longo poſt ejus funus tempore cùm res ipſa ſatis argueret Herodem non fuiſſe Meſſiam. Sed, ut dicam quod ſentio, Sacram Euangelii hiſtoriam ter tantùm Herodianorum meminiſſe obſervandum eſt: nempe Matth. 22. 16. Marci 3. 6. & 12. 13. ſed Marci 12. eadem refertur quæ Matthæi 22. hiſtoria habetur. *Herodianos* interpretatur Syrus Paraphraſtes בית הרודם, & Hebræus Interpres Euangelii ſecundùm Matthæum eodem ſenſu עברי הרודום optimè, meo judicio. Nam *Herodiani* iſti fuerunt ſervi ſive liberti Herodis & Archelai, ab Herode ità appellati, ut ſolenne eſt, qui tributis exigendis præerant: cùm enim olim, Herode atque Archelao rerum in Judæa potientibus, tributis præfuiſſent, poſtquam tota Archelai familia fiſco eſt adjudicata, tributis quoque præfuiſſe videntur exigendis: itaque ubi de tributis exigendis agitur & jure Romanorum, in conſilium advocantur à Phariſæis, ſi quâ ratione poſſent Chriſtum in crimen adducere: eadémque cauſa eſt, ut puto, quare capita conferunt Phariſæi & Herodiani, Marc. 3. nam cùm iſta acciderint paulò poſt Sabbatum δευτεροπρωτον, omnino menſe Niſan iſta geſta ſunt, cùm adhuc tributa Cæſari exigerentur: atque hujus obſervationis videtur veniſſe in mentem B. Hieronymo, quanquam multa peccat: verba illius ſunt Comment. in Matth. 22. *Nuper ſub Cæſare Auguſto Judæa ſubjecta Romanis, quando in toto orbe eſt celebrata deſcriptio, ſtipendiaria facta fuerat; & erat in populo magna ſeditio, dicentibus aliis pro ſecuritate & quiete, quâ Romani pro omnibus militarent, debere tributa perſolvi: Phariſæis verò, qui ſibi applaudebant de juſtitia, è contrario dicentibus, non debere populum Dei, qui decimas ſolveret, & primitias daret, & cætera quæ in Lege ſcripta ſunt faceret, humanis legibus ſubjacere. Cæſar Auguſtus Herodem filium Antipatri alienigenam, & proſelytum Regem Judæis conſtituerat, qui tributis præeſſet, & Romano pareret imperio. Mittunt igitur Phariſæi diſcipulos ſuos cum* Herodianis, *i. militibus Herodis, ſeu quos illudentes Phariſæi, quia Romanis tributa ſolvebant*, Herodianos *vocabant, & non Divino cultui deditos. Quidam Latinorum ridiculè* Herodianos *putant qui Herodem Chriſtum eſſe credebant, quod nuſquam omnino legimus.* In his vides confundi τὴν πρώτην ἀπογραφὴν, quâ Judæa tributaria facta non eſt, cum τὴν δευτέραν, quâ Archelai bona fiſco adjudicata ſunt, cenſus provincialium Judæorum actus eſt, & tributum illis eſt capitatim impoſitum, unde magna fuit in populo ſeditio, ut conſtat ex Act. Apoſt. & Joſephi hiſtoria. *Herodiani* verò ſunt, non qui Romanis tributa ſolvebant, ſed contrà Herodis & Archelai familia fiſco Cæſaris adjudicata, quæ tributis exigendis præerat. Sed quid faciemus Herodianis illis quorum meminit Perſius, ut volunt viri maximi, his verbis è 5. Satyra?

Herodis venere dies, unctâque feneſtrâ
Diſpoſita pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrúmque amplexa catinum
Cauda natat thynnis, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitáque Sabbata palles.

Ad quæ veteris Interpretis hæc eſt nota, *Herodes apud Judæos regnavit temporibus Auguſti, in partibus Syriæ. Herodiani ergò diem natalem Herodis obſervant, ut etiam Sabbata, quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponunt.* Sed Interpres Perſii mentem non penetravit: quòd enim de *Herodianis* habet, accepit ille nomen ex hiſtoria Euangelica, appellationis cauſam ab Eccleſiaſticis Scriptoribus: eáque omnia præter Satyrici mentem, qui non agit de Judæorum ſectariis, ſed iis potiùs qui Romæ Judaicam ſuperſtitionem amplectebantur, & dies feriatos aut feſtos gentis illius religioſè obſervabant: *Dies* autem illos *Herodis* appellat, i. Judæi cujuſvis, verùm Herodem nominat, cùm de omnibus Judæis velit generatim intelligi, quia Herodem vult ὀνομασὶ τωδάζειν. Erátque hic Herodes Agrippa Judæorum Rex Imperatoribus Romanorum ſatis charus, & Romæ notus propter longam illic moram. At verò *Herodianos* in ſectariis Judæorum debere cenſeri exiſtimant viri eruditiſſimi veteres & recentiores; argumentum ducunt è verbis Chriſti Marc. 8. Ὁρᾶτε, βλέπετε ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων, καὶ τῆς ζύμης Ἡρῴδου· quæ non capiunt: mens enim eruenda eſt maximè è præcedentibus. Phariſæi ἐζήτουν παρὰ τοῦ Χριστοῦ σημεῖον, Marc. 8. 11. Herodes quoque ἐζήτει ἰδεῖν αὐτὸν, Luc. 9. διὰ τὸ ἀκούειν πολλὰ περὶ αὐτοῦ, Luc. 23. hæc & in Phariſæis & in Herode notat Dominus, itaque ſuos cavere jubet ab hujuſmodi affectu qui præpoſterus eſt. Sed è diverticulo in viam. Erant igitur in Judæa prædia ſtipendiaria è bonis Archelai fiſco adjudicatis, fuerunt quoque portoria, quæ à publicanis, quorum mentio in ſacra Euangelii hiſtoria, conducebantur & exigebantur; & præter omnia iſta tributum didrachmi capitatim impoſitum: Nam Judæa cùm eſt in Provinciæ formam redacta, Archelao pulſo in exſilium, Cæſari tributa eſt: Provinciæ autem Cæſaris tributum præſtabant. Theophilus Inſtitutionum lib. 2. de rerum diviſione; Στιπενδιάρια ἢ καὶ Τειβουτάρεια λέγεται τὰ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις διακείμενα κλήματα, βασιλικῇ κελεύσει ὑπὸ τῷ δήμῳ κεκτήμενα· ἡ δὲ περιγραφὴς αὐτῆς γέγονεν ἐντεῦθεν ἡ πρόφασις. Ὁ πάλαι Ῥωμαίων βασιλεὺς πάσης κρατήσας γῆς, θαυμαζοίης δὲ παρὰ Ῥωμαίων ἕνεκα τῆς οἰκείας ἀνδρείας, δίειλε τὰς ἐπαρχίας· καὶ τὰς μὲ ἐκράτησεν αὐτὸς ἑαυτῷ, τὰς δὲ ἀφῆκε τῷ δήμῳ· καὶ αἱ τοῦ δήμου ἐκλήθησαν Στιπενδιάρειαι ἐντεῦθεν, ὅτι εἰσπὸς ὅδιν ὁ λεγιὼν, καὶ ἡ κατὰ μικρὸν γινομένη ἀργυρεὶς καὶ τῶν ἄλλων συλλογή. ἐπειδὴ δὲ ὀλίγα τινὰ οἱ ἐπαρχιῶται ἐκ τῶν παρ' αὐτοῖς γινομένων συναγωγῆς ἔπεμπον τῷ δήμῳ, διὰ τὸ ταῦτα δαπανᾶν εἰς οἰκείας χρείας ἡ καὶ τέρψεις, διὰ τοῦτο ἐκλήθησαν Στιπενδιάρειαι· καὶ λοιπὸν ἀκολούθως, καὶ αἱ οἰκίαι, καὶ οἱ ἀγροὶ, Στιπενδιάρειαι· αἱ δὲ τῆς βασιλέως ἐπαρχίαι ὠνομάσθησαν Τειβουτάρειαι· ἐπειδὴ Τειβοῦτόν ἐστι τὸ βαρὺ τέλος, ὅπερ ἐπέβαλε τοῖς οἰκείοις ἐπαρχιώταις ὁ βασιλεὺς, ὡς πολλὰ δαπανῶν περὶ τὸ τῆς χρείωσις ἀποχρῶν. In primis Theophili verbis mendum eſſe putat vir eruditiſſimus Julius Cæſar Bulengerus, & inducendam eſſe vocem, καὶ Τειβυλάρεια, quia tributaria Cæſaris erant non populi: Sed vox iſta delenda non eſt, quæ omnino neceſſaria eſt, & ità habes in ſequentibus; καὶ τὰ Στιπενδιάρεια καὶ Τειβυτάρεια ἔχοντες πάλαι, καὶ συγχώρησιν δήμου ἢ βασιλέως, ἐκ ὧν ἐσαώσατε. Non itaque vox iſta eſt quæ in mendo cubat, ſed alia; locus igitur ità legendus eſt, Στιπενδιάρεια ἢ καὶ Τειβυτάρεια λέγεται τὰ ἐν ταῖς ἐπαρχίαις διακείμενα κλήματα, βασιλικῇ κελεύσει, ὑπὸ τῷ δήμῳ κεκτήμενα. Quibus verbis docet ea eſſe tributaria in Provinciis prædia quæ poſſidentur ex conceſſione Imperatoris; ſtipendiaria verò quæ poſſidentur ex conceſſione populi: iſtud tamen aliquatenus tantùm & quodammodo, non plenario jure: Erat enim Reſp. tota penès Imperatorem; nec quicquam juris habebat populus Romanus niſi ex Imperatoris conceſſione: itaque pro arbitrio alias populo, alias ſibi Provincias tribuebat; omnes tamen ordinabat, nec erat, niſi ſpecie tenus penès Senatum populúmque Romanum. Addit Bulengerus, Theophilum aliquid hoc loco peccare, qui ſtipendiariis Provinciis levius onus quàm tributariis, i. Proconſularibus quàm Præſidialibus, eſſe velit, cùm Tacitus ſcribat l. 2. Annalium, *Achaiam ac Macedoniam onera deprecanteis, levari in præſens Proconſulari imperio, tradíque Cæſari placuiſſe.* Sed nil peccat Theophilus: nam proculdubio Provinciæ Cæſaris, ut quæ armis eſſent tenendæ, graviori onere premebantur quàm Provinciæ populi; Vectigalia enim pendebant non minùs quàm Provinciæ populi, ut exemplo Judææ docemur, & præterea tributum quoque alendis militibus. Quod verò ſcribit Tacitus, Achaiam ac Macedoniam, ut onere levarentur, levatas fuiſſe Proconſulari imperio, & traditas Cæſari, habet peculiarem cauſam: traduntur hæ Provinciæ Cæſari, non ut armis tenerentur; itaque in iis non fuit habendus nec alendus exercitus, nec propterea tributum imponendum, ſed tantùm ut ſumptu levarentur quem faciebant.

Quomodo

Quomodo autem sumptu levatæ sint cùm levatæ Proconsulari imperio Cæsari traditæ sunt, facile animadvertere est: nullis copiis instruendæ fuerunt hæ Provinciæ, pacatæ namque erant; itaque nullum exercitui alendo fuit imponendum tributum, sola ab illis exigebantur vectigalia. Sed cùm sumptus facerent propter Proconsulem, qui in eas cum imperio mittebatur, & Legatos, qui tres erant Proconsuli, ut auctor est Dio lib. 53. eo onere iisque sumptibus magna ex parte levatæ sunt cùm traditæ sunt Cæsari; Prætor enim, qui Provincias Cæsaris nomine administrabat, unum tantùm habebat Legatum, ut est apud Dionem loco laudato; itaque longè minores sumptus fecerunt Provinciales. Redeamus eò unde digressa est oratio. Judæa igitur in Provinciæ formam redacta Cæsari tradita est, & tributum pendere cœpit τεσσαρακοστῷ καὶ ἑβδόμῳ ἔτει μετὰ τὴν Ἀντωνίου εἰς Ἄκτιον ἧτταν ὑπὸ Καίσαρος, ut est apud Josephum l. 18. Sed Eusebius eodem anno Augustum decessisse & Archelaum in exsilium missum fuisse scribit; atque ab eo habet B. Hieronymus Commentario in Matthæi 17. *Post Augustum Cæsarem Judæa facta est tributaria, & omnes censi capite ferebantur. Unde & Joseph cum Maria cognata sua professus est in Bethleem. Rursum quoniam nutritus erat in Nazareth, quod est oppidum Galilææ Capharnaum urbi subjacens, ex more poscunt tributa, & pro signorum magnitudine hi qui exigebant non audent ipsum repetere, sed discipulum conveniunt, sive malitiosè interrogant, utrùm reddat tributa, an contradicat Cæsaris voluntati.* Dicit autem post Augustum Cæsarem factam esse tributariam Judæam, quia eodem quo Augustus mortuus est anno Archelaum relegatum fuisse Viennam existimat; itémque Provinciam ordinavit Tiberius, non Augustus. Quæ sequuntur & corrupta sunt, emendo; *Antè & Joseph cum Maria cognata sua professus est in Bethleem*; nempe ἐν τῇ πρώτῃ ἀπογραφῇ. Atque ista obtinuerunt, frustrà obnitente Judâ cum suis sectariis, donec tandem ad arma ventum est extremo Neronis principatu; unde secutum est Urbis excidium. Excisâ Hierosolymorum urbe Judæi, non Provinciales tantùm, sed omnes, quotquot & ubicunque gentium essent qui superstitionem Judaicam profitebantur, jussi sunt & coacti à Vespasiano & Tito capitatim didrachmum Capitolio quotannis inferre. Josephus, Φόρον τοῖς ὅπου ὄντες Ἰουδαῖοι ἐτέθησαν, δύο δραχμὰς ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν ἐτελέλουν. Xiphilinus è Dione, Καὶ ἀπ' ἐκείνου δίδραχμον ἐτάχθη τοῦ τὰ πάτρια ἀνθ' ὧν ἐθεσέλουσιν, τῷ Καπιτωλίῳ Διὶ καθ' ἕτος ἀποφέρειν. Quod tributum severè admodum exigebatur imperante Domitiano; unde inspiciebantur an circumsecti essent. Suetonius in Domitiano cap. 12. *Præter cæteros Judaicus fiscus acerbissimè actus est: ad quem deferebantur qui vel, ut professi, Judaicam intra urbem viverent vitam, vel dissimulatâ origine imposita genti tributa non pependissent. Interfuisse adolescentulum memini, cùm à Procuratore frequentissimóque concilio inspiceretur senex nonagenarius, an circumsectus esset.* Hinc Martialis,

Sed quæ de Solymis venit perustis,
Damnatam modò mentulam tributi.

Nec acerbissimè tantùm agebatur, sed etiam non sine calumnia: verùm calumniam tolli jussit Divus Nerva, eóque pertinet inscriptio Numi illius, CALUMNIA. FISCI. JUDAICI. SUBLATA: & intelligenda sunt ad hunc modum quæ de Nerva scribit Dio, τοῖς δὲ ἄλλοις ἔτ' ἀσεβέσι, ἔτ' Ἰουδαϊκὸν βίον καταλιπεῖν τινας ζηλοῦσι. Non enim Divus Nerva Judæos levavit tributi onere, quod ab illis pendi adhuc suâ ætate Origenes Epistolâ ad Africanum testatur.

Hadriano imperante, cùm rebellare voluissent Judæi, Hadrianus militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret, ut est apud Sulpitium Severum, ità ut illis nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare concederetur: excipio diem illum quo Hierosolyma à Tito diruta sunt; tunc enim Hierosolyma ingredi illis licet, sed ingressum illum magno redimunt, idque duravit usque ad tempora B. Hieronymi. Itinerarium Burdigalense, ubi agit de loco Templi, *Sunt ibi & statuæ duæ Hadriani. Est & non longè de statuis lapis pertusus, ad quem veniunt Judæi singulis annis, & ungunt eum, & lamentant se cum gemitu, & vestimenta sua scindunt, & sic recedunt.* B. Hieronymus Comment. in Sophoniam, *Et hoc non tantùm de captivitate dicendum est, sed usque ad præsentem diem perfidi coloni, post interfectionem servorum, & ad extremum filii Dei, excepto planctu, prohibentur ingredi Jerusalem; & ut ruinam suæ eis flere liceat civitatis, pretio redimunt: ut, qui quondam emerant sanguinem Christi, emant lacrymas suas, & nè fletus quidem eis gratuitus sit. Videas in die quo capta est à Romanis & diruta Jerusalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisq; obsitos in corporibus & in habitu suo iram Domini demonstrantes. Congregatur turba miserorum, & patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστάσῃ ejus, de Oliveti quoque monte crucis fulgente vexillo, plangere ruinas sui Templi populum miserum, & tamen non esse miserabilem. Adhuc fletus in genis, & livida brachia, & sparsi crines, & miles mercedè postulat, ut illis flere plus liceat.* Cùm autè ità sæviit Hadrianus in debellatos qui rebellaverant Judæos, fidei Christianæ prospectũ est hâc ratione, quia cùm ad illa tempora penè omnes Christum Deum sub Legis observatione crederent, tunc Legis servitus à libertate fidei atq; Ecclesiæ sublata est, ut notat Sulpitius Severus Hist. S. l. 2. Inter cætera autem sævitiæ Hadriani capita, videtur cavisse Hadrianus nè libros Sacros patriâ, h.e. Hebræâ, linguâ legerent, nisi vectigali pensitato, cujus meminit Tertullianus Apolog. c. 18. sed verba illius paulò altiùs sunt, ut faciliùs intelligantur, repetenda: docet enim Prophetarum voces, itémq; virtutes, in thesauris literarum manere, nec istas nunc latere; *Ptolemæorum eruditissimus, quem Philadelphum supernominant, inter cætera memoriarum quibus aut vetustas aut curiositas aliqua ad famam patrocinabatur, Libros à Judæis quoque postulavit, proprias scilicet atque vernaculas literas, quas soli habebant Hebræi retro, qui nunc Judæi. Igitur & litera Hebræa, & eloquium. Sed nè notitia vacaret, hoc quoque Ptolemæo à Judæis subscriptum est, Lxx & duobus Interpretibus indultis: ità in Græcum stylum ex aperto monimenta reliquit. Hodie apud Serapæum Ptolemæi bibliotheca cum ipsis Hebraicis literis exhibentur. Sed & Judæi palàm lectitant. Vectigalis libertas vulgò aditur Sabbatis omnibus.* Duo docet Tertullianus his verbis: prius est, Judæos habuisse Libros antiquissimos, suâ, h.e. Hebræâ, linguâ descriptos; alterum verò, nè notitiâ vacarent, in Græcam fuisse versos à Septuaginta duobus interpretibus, Ptolemæo Philadelpho curante. Nè quis verò posset suspicari hos libros Græcè fuisse conscriptos, non Hebraicè, duobus probat argumentis Hebraicè scriptos fuisse: Nam *apud Serapæum Ptolemæi bibliotheca cum ipsis Hebraicis literis exhibentur*; & hâc ipsâ linguâ *Judæi* eos *palàm lectitant*. Verùm ad hæc addit Tertullianus, quòd Hebraicè suos libros in Synagogis legant Judæi, fuisse *vectigalem libertatem*. Unde colliges, non privatim licitum fuisse Judæis, Moysis & Prophetarum libros Hebræâ linguâ scriptos legere, publicè quidem id concessum fuisse in Synagogis singulis Sabbatis, vectigal hac de causa pendentibus. Vectigal autem istud non à Vespasiano aut ejus filiis fuit institutum, ut constat ex Josepho, nec dum quicquam à Severo adversùs Judæos fuerat constitutum, quando ista scribebat Tertullianus, qui Apologeticum scripsit, quo tempore Severus Pescenniani belli reliquias persequebatur, & expeditionem in Parthos parabat, qui Pescennii partibus faverant. Severus autem à Parthico bello rediens primùm in Judæos sæviit, & Judæos fieri sub gravi pœna vetuit, ut est apud Spartianum. Inter Vespasianum autem ejúsque filios & Severum nullus intervenit præter Hadrianum qui Judæos afflixerit. Hadrianus igitur is est qui vectigal Judæis imperavit, ut liceret palàm in Synagogis, Sabbatis omnibus, Libros Moysis & Prophetarum Hebraicè legere, quæ libertas vectigalis

publicè

publicè concessa, singulis privatim videtur denegata. Atque hinc factum putamus ut Syri Christiani cæterísque in toto illo Orientis tractu, qui de Judæis Ἐβραΐζουσι fiebant, aut inter illos degebant, cùm illorum non interesset aut publicè aut privatim redimere vectigalis alicujus pensione lectionem Sacrorum librorum V. Federis Hebraicè, assueverint lectioni editionis Lxx Interpretum: unde nomina pleraque propria, aut etiam appellativa, quæ vice erant propriorum, quæ apud Græcos Interpretes occurrunt, usurpentur à Syro Paraphraste tanquam nota & invulgata apud suos Syros. Hinc τῆς Πεντηκοστῆς nomen in ejus Paraphrasi legitur, non עצרתא ἀσαρθὰ, & si quæ sunt alia hujusmodi; quemadmodum quoque appellatio *Arcæ Federis*, quæ in Sacris V.T. libris Hebraicè appellatur ארון יהוה & ארון אלהים, itémque ארון ברית aut ארון העדות: Græci passim ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης. Quam appellationem à Græcis mutuatus est Paraph. Syrus, Heb. 9.4. ibi enim legitur קבתוא דדיתקא, i. κιβωτὸς τῆς διαθήκης. Item habes illustre exemplum in Legis nomine, quam non אוריא sed נמוסא Græcè appellat: atque ipsi quidem veteres Christiani, qui in Judæa erant, editionem Græcorum Interpretum, non autem Hebraicam V. Federis, usurparunt, quod unicè probat eximius locus è Synodo Cæsariensi Palæstinæ, quæ celebrata est imperante Severo à Theoph. Cæsariensi Palæst. Episcopo, ut refert Eusebius Hist. 5. Fragmentum habes, quod ad hanc rem facit, apud Bedam De Æquinoctio Vernali in hæc verba, *Dixit Theophilus; Ecce de die & tempore probastis: de Lunâ quid vobis videtur? utrùm crescentem, ac jam plenam, an imminutam à Deo fuisse consecratam* (aliàs *concreatam?*) *Episcopi responderunt, Plenam. Et ille; Probate quod dicitis. Responderunt, Et fecit Deus duo luminaria magna, & posuit ea in firmamento cœli, ut luceant super terram: luminare majus in inchoationem diei, luminare minus in inchoationem noctis. Non poterat aliter, nisi esset plena.* Hinc patet, secutos esse Palæstinæ Episcopos Lxx Interpretum editionem: Nam ista *in inchoationem diei* & *in inchoationem noctis*, petita sunt è varia vocis Græcæ significatione; Hebræa enim למשלת היום itémque למשלת הלילה non admittunt illam significationem, quæ optimè convenit cum Græcis, εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας, & εἰς ἀρχὰς τῆς νυκτός. Quanto verò habuerunt in pretio veteres illi Christiani de Judæis facti editionem Græcorum Interpretum, quam solam privatim legere licebat ex Hadriani edicto, tanto eam contrà odio sunt prosecuti ejusdem ætatis Hebræorum Magistri, qui cùm ægre ferrent sibi non licere, nisi publicè in Synagogis, Sabbatis, Hebraicè S. Scripturam legere, omnia quæque sunt tum primùm commenti adversùs Lxx Interpretum versionem, ut è suorum manibus excuterent, nè tandem è jugi S. literarum lectione hujus editionis, à religione Judaica ad fidem Christianam desciscerent, dediscerèntque pravas illas & noxias Magistrorum suorum interpretationes, à quibus nimium quantum abit τὴν Septuaginta editio: itaque passim discedebant Judæi ab eorum interpretatione, ut è beato Justino Martyre constat, & calumniabantur τὴν ἑξήγησιν ὧν ἐξηγήσαντο οἱ ἑβδομήκοντα παρὰ Πτολεμαίῳ τῷ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖ γεγόμενοι μὴ ὄντ' ἐν τισιν ἀληθῆ. Atque etiam adulterabant: hoc enim feciisse observat Justinus Hebræorum Magistros παραχάραντας τὰς ἐξηγήσεις, ὡς ἐξηγήσαντο οἱ πρεσβύτεροι παρὰ τῷ Πτολεμαίῳ τῷ τῶν Αἰγυπτίων βασιλεῖ γενόμενοι. Rursum multa abstulerunt, καὶ ὅτι πολλὰς γραφὰς τέλεον ἀπεῖλον ἀπὸ τῶν ἐξηγήσεων τῶν γεγενημένων ὑπὸ τῶν παρὰ Πτολεμαίῳ γεγενημένων πρεσβυτέρων. Quæ omnia paulò ante Justini ætatem à Judæis fuisse perpetrata liquet ex Justino, οὐδὲ γὰρ ὀλίγου χρόνου ταῦτα ἐξήλεγξαν. Quare etiam ea quæ immutarant aut eraserant invenire erat Justini temporibus, ἐγγεγραμμένα ἔν τισιν ἀντιγράφοις τῶν Συναγωγῶν Ἰουδαίων. Floruit autem proximè post debellatos ab Hadriano Judæos Justinus: unde liquet ea, quam diximus, de causa, Hebræorum Magistros Lxx Interpretum editionem corrupisse: ad idémque tempus refero (imò fortè ad posterius; nam B. Justinus nihil hujusmodi aut dictum aut observatum ab Hebræis suî ævi refert,) institutum jejunium die octavo mensis Tebeth: בח בטבת נכתבה התורת יוניה בימי תלמי המלך והיה חושך לעולם ג׳ ימים: Scio virum Illustrem ad ea tempora referre quibus Lxx Interpretes vixerunt: sed mihi non persuadet: nam è Josepho constat auctoritate publicâ id muneris fuisse aggressos Lxx Interpretes, & laudat Josephus τῶν Ἑβραϊζόντων Judæorum unus, non facturus omnino, si suâ jam ætate institutum fuisset ab Hebræis jejunium ob hoc Alexandrinorum ausum, & fabula illa de tenebris, quæ universo orbi incubuerant, propter interpretationem Legis in Græcum sermonem, invulgata fuisset. Verba Josephi, quæ huc faciunt, leguntur in Proœmio Ἀρχαιολογίας, Εὗρον τοίνυν, ὅτι Πτολεμαῖος μὲν ὁ πρότερος βασιλεὺς τῆς παιδείας καὶ βίβλων συναγωγὰς ἁπάσας, ὅσαι κατὰ τὴν οἰκουμένην ἦσαν ἢ ἡμέτερον νόμον, καὶ ἃ καὶ αὐτὸν διάταξιν τῆς πολιτείας εἰς Ἑλλάδα μεταβηναι· ὁ δὲ παρ' ἡμῖν Ἀρχιερεὺς ὑδατὸς ἀρετῇ πρότερος Ἐλεάζαρος τῷ μεγίστῳ βασιλεῖ ταύτης ἀπολαῦσαι τῆς ὠφελείας οὐκ ἐφθόνησεν, πάντως ἀντιπραττόμενον ἄν, εἰ μὴ παλαιὸν ὦν ἡμῖν τὸ μηδὲν ἀρχαῖον ἀπορρήτου. Habes exemplar literarum Eleazari ad Ptolemæum lib. 11. in quibus hæc leges, Ἀρχιερεὺς Ἐλεάζαρος βασιλεῖ Πτολεμαίῳ χαίρειν, &c. ἃ δ' ἐπιτολῶ λαβόντες, μεγάλως ἥσθημεν διὰ τὴν προαίρεσιν σου· καὶ συναθροίσαντες τὸ πλῆθος, ἀνέγνωμεν αὐτοῖς, ἵνα φανερὸν ποιήσωμεν αὐτῷ ὧν ἔχεις πρὸς τὸν θεὸν εὐσέβειαν· ὑπειλήφαμεν δὲ καὶ πρωτεύοντας ἄνδρας ἐξ ἑκάστης φυλῆς ἡμῶν ἐκλεκτοὺς πεπομφέναι ἔχοντας τὸν νόμον. Quod verò jam diximus jejunium illud octavi diei mensis Tebeth ob scriptam Græcè Legem, institutum non fuisse eo ipso quo Lex Græcè scripta est tempore, neque etiam Josephi ætate, sed circa B. Justini tempora, post debellatos & perditos ab Hadriano Judæos, non levi argumento ibimus, Deo dante, confirmatum. Refert Philo Judæus lib. De vita Moysis 2. 449. Judæos quotannis festum in Insula Pharo agitare, ob interpretatam Legem Græcè; addit Gentiles quoque Ægyptios convenire eodém. Quòd verò his & illis eandem festi causam fuisse tradit, nobis non probat: sed ea de re infrà, Θεῦ δόντος, agetur. Verba Philonis primùm repræsentemus, Διὰ μὲν οὖν ταῦτ' ἀνὰ πᾶν ἔτος ἑορτὴ καὶ πανήγυρις ἄγεται καὶ φάρος νῆσον, οἷς ὧν οὐκ Ἰουδαῖοι μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλοῖς ἔθνεσι διαπλέουσι, τόν τε χωρίον ζωμώσαντες, ὃν ᾧ πρῶτον τὰ ἐμπόρια ἐξέλαμψε, καὶ πολλαῖς ἕνεκα εὐεργεσίας ἀεὶ νεαζούσης εὐχαριστήσοντες τῷ Θεῷ· μᾶλλον δὲ καὶ τὰς εὐχὰς, καὶ τὰς εὐχαριστίας, οἱ μὲν πεζεύοντες σκιρὰς ὅτι τῷ αἰγιαλῷ, οἱ δ' ὅτι τὰ αἰγιαλίτιδα φάμμον καταλιπαίνοντες ἐν ὑποδοχῇ, μετ' οἰκείων καὶ φίλων ἑστιῶνται, πολυτελεστέραν τῆς ἐν βασιλείοις κατασκευῆς τόπον τὰ ἀκτὰ νομίζοντες. Ex his vides, Philonis ætate adhuc obtinuisse ut festum istud à Judæis in insula Pharo agitaretur; quòd verò Ægyptios Gentiles idem festum celebrasse asserit eandem ob causam, nobis quidem non persuadet. Nulli tamen dubitamus, cùm id Philo oculatus testis referat, eodem die Ægyptios cum Judæis convenisse in insula Pharo, sed diversas ob causas: Judæi ob versam Græcè Legem; Ægyptii propter Isidis errores, dum maritũ quæreret Osirim: atque hoc festum est, meo judicio, quod Kalend. Colotianum SACRUM PHARIÆ appellat, & mensi Aprili adtribuit. Mense Athyr, die 17. ut est apud Plutarch. περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος, rebus humanis est exemptus. Ἐβδόμῃ δὲ φασὶ μηνὸς Ἀθὺρ τὸν Ὀσίριδος ἡμῖν τελευτῆσαι Αἰγύπτιοι μυθολογοῦσιν. Ubi Isidi res innotuit ad Coptum urbẽ, maritî cadaver perquirens vagata est huc & illuc animi anxia. Plutarch. Τὴν δ' Ἶσιν αἰδομένην, κυέουσάν μὲν ὀλαῦσαι τὸ πλοκάμων ἕνα καὶ κίνδυμον σκληρὸν ἀνθρωπεῖον, ὅπου τῇ πόλει μίκρα νῦν ὄνομα Κυνοπολίτῃ πλανωμένην καὶ πάντη καὶ ἀπρεπῶς, &c. Hinc est festum ISIDIS NAVIGIUM quod mensi Martio adscribit idem Colotianum Kalendarium. Tandem devenit ad Pharon Insulam, hinc SACRUM PHARIÆ, ut jam diximus; quod accidit mense Choiac, qui mensem Athyr excipit. Mense igitur Choiac, ut nobis videtur, Ægyptii ad Pharon Insulam conveniebant ob SACRUM PHARIÆ, & Judæi ob interpretatam à Lxx Senioribus Græcè Legem: Illum verò ipsum diem posteriores Judæi, post Hadriani Edictũ, odio hujº versionis jejunio dicarunt. Tempus certè convenit: nam post quã menses

Ægyptiaci

Ægyptiaci facti sunt Augustorum, & fixi in anno Juliano, mensis Choiac cœpit die 27. Novembris, respondétque Decembri: Mensis quoque Tebeth in idem ferè tempus incidit: & octavus ejus dies poterit, certis quibusdam illius Judæorum Octaeteridis, quæ Christi ætate obtinebat, annis, in tertiam dierum mensis Choiac δεκάδα cadere, in quam conjicimus illud SACRUM PHARIÆ. Quare dicimus Judæos circa B. Justini tempora ex illa Octaeteride, quæ obtinebat adhuc, & quam usurpaverant Christi ævo, mutasse diem Judæorum Ægyptiensium festum jejunio: annum ipsum Octaeteridis certò indicare non possumus, quia nobis non constat quoto mensis Aprilis die agitatum sit apud Romanos SACRUM PHARIÆ. Audacter tamen pronunciabimus, Octaeteridis annum non esse primum, neque item quartum, neque item septimum, quia dies octavus mensis Tebeth in his tribus Octaeteridis annis cadit in mensem Tybi, qui mensem Choiac excipit. Dicemus quoque non esse annum tertium, neque item sextum, nec denique octavum Octaeteridis, quia dies octavus mensis Tebeth in his tribus Octaeteridis annis non cadit in ultimam dierum mensis Choiac δεκάδα. Atqui pro comperto habemus SACRUM PHARIÆ celebratum fuisse affecto mense Choiac, quo die celebratum fuit ab Ægyptiensibus festum ob versam Græcè Legem, idémque mutavit aliquot pòst seculis, ut diximus, jejunio. Quare dicendum est annum fuisse secundum vel quintum Octaeteridis: Ratio est, quia SACRUM PHARIÆ adscribit Kalendarium Colotianum mensi Aprili, cujus rei hanc causam accipe; Isidis, Serapidis, &, uno ut absolvam verbo, Ægyptia sacra in Urbem sunt admissa antequam annum Romanum emendaret D. Julius, ante Consulatum Gabinii & Pisonis, quanquam non publicé. Tertullianus Apologetico, *Serapidem, & Isidem, & Harpocratem, cum suo Cynocephalo, Capitolio prohibitos inferri, i. curiâ Deorum pulsos, Piso & Gabinius COSS. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverant, turpium & otiosarum superstitionum vitia cohibentes.* Circa illa autem tempora annus Romanorum incipiebat ineunte Octobri Juliano. Id liquebit ex istis M. Tullii versibus lib. 2. De suo Consulatu,

Nam primùm astrorum volucreis, te consule, motus,
Concursúq; graveis stellarum ardore micanteis,
Tu quoque cùm tumulos Albano in monte nivaleis
Lustrasti, & læto mactasti lacte Latinas,
Vidisti & claro tremulos ardore cometas,
Multáque miscerí nocturnâ strage putasti,
Quod ferme dirum in tempus cecidere Latinæ,
Cùm claram speciem concreto lumine Luna
Abdidit, & subitò stellanti nocte peremptæ est.

Aut ego nihil hìc capio, aut dicit Cicero, Latinas ferias, quas Consul indixerat, penè incidisse in diem quo contigit Lunæ Eclipsis: ea enim proximè secuta est quartum, i. ultimum Latinarum feriarum diem. Annus Romanus, quo Consules fuerunt M. Tullius Cicero & C. Antonius, cœpit affecto anno termillesimo octingentesimo octagesimo sexto ab Orbe condito, Cyclo Solis II. Lunæ XIV. literâ Dominicali E. Hoc anno contigit Lunæ Eclipsis die septimo Novembris Juliani, feriâ sextâ: eámque indicat Cicero. Quare si hæc Lunæ Eclipsis ultimum Latinarum feriarum diem proximè secuta est, quod omnino colliges è Ciceronis verbis, sequitur primum Latinarum feriarum diem fuisse tertium Novembris Juliani. Unde etiam deprehendes Kalend. Januarias anni hujus Romani, quibus Magistratum adiit Cicero, fuisse die quarto aut quinto Octobris Juliani: Nam altero ab inito Magistratu mense celebrabantur Latinæ feriæ, ídque ineunte, si quàm maturissimè indictæ fuissent. Id liquet ex historia Romana: exemplum enim, quod sciam, constitutarum quammaturissimè Latinarum feriarum, est à L. Æmilio Paulo, & C. Licinio Cos. qui Magistratum inierunt Idibus Martiis, at *pridie Idus Aprilis Latinis est constituta dies*, ut habes apud Livium libro XLIV. Ad hoc exemplum Ciceronem Latinas constituisse volumus: itaque cùm constitutæ sint Latinæ, eo Consule, die tertio Novembris Juliani, altero à Kalendis Februarii Romani die propter illius religionem, sequitur Kalendas Januarii Romani, quibus inierunt Magistratum M. T. Cicero & C. Antonius, incidisse in diem quartum Octobris Juliani: Jam verò eâ tempestate annus Ægyptiacus incipiebat die octavo Septembris Juliani: Cœpit igitur mensis Choiac, qui Ægyptiorum quartus est, die septimo Decembris Juliani, & quinque ultimi illius dies sunt primi quinque dies Januarii Juliani: ac proinde ultimi sex dies mensis Choiac cadunt in primos sex dies Aprilis Romani. Nam si Kalendæ Januarii Romani cadunt in diem quartum Octobris Juliani, omnino necesse est Kalendas Aprilis Romani cadere in diem ultimum Decembris Juliani. Circa hæc autem tempora admissa sunt, privatim saltem, in Urbem Ægyptiorum sacra, éstque SACRUM PHARIÆ, quod extremo mense Choiac celebrabatur, adtributum ineunti tunc Aprili Romano, quemadmodum ISIÐIS NAVIGIUM mensi Martio Romano adscribitur. Postquam verò annus à D. Julio est emendatus, nihilo tamen minùs iisdem mensibus adscribuntur hæc solennia, quia cùm primùm in Urbem sunt recepta, in hos Romanos menses inciderunt.

CAP. 19. *Epiphanii locus expensus de* Sabbato secundo-primo: *ei lux prælata.*

ABstrusissimus est Epiphanii locus Hæresi 30. quæ Ebionitarum est, ubi disputat de Sabbato δευτεροπρώτῳ· ejus verba sunt, Ἦν δὲ σάββατον δευτερόπρωτον, ὡς ἔχει τὸ εὐαγγέλιον. σάββατα δὲ διάφορα δείκνυσιν ὁ νόμος· τὸ μὲν καθ' ἑβδομάδα ἀνακυκλούμενον φύσει σάββατον, τὸ δὲ διὰ τὰς ἐκκλησίας τὰς καὶ σαλπίσας τεθειμένας, καὶ τὰς κατ' ἐξοχὴν ἑορτὰς, ὅτε ἡμέρας σαλπιστηρίας, καὶ ἡμέρας παχῶν, ὅτε τὸ πρόβατον θύουσι, καὶ ἄζυμα λοιπὸν ἐσθίουσιν· ἔτι δὲ τῷ μίαν τινὰ νηστεύουσι τῶν ἔτους, τὴν λεγομένην μεγάλην, καὶ τὴν ἄλλην, ἣν λέγουσι μικράν· ὅτε δὲ ἐμπίπλουσιν ἑαυτοὺς αἱ ἡμέραι, ἤτοι ἐν δευτέρᾳ σαββάτων, ἢ ἐν τετράδι, σάββατον καὶ αὐτὸ αὐτοῖς ἐκλέγεται. Hunc locum attigit nuperus Epiphanii Interpres, & ad eum hæc observat, *Jejunia in Hebræorum Kalendario notantur 26. Sed neque festa, neque ab opere vacua, ac Sabbata fuerunt, præter X Tisri, quo die Festum* כפורים *sive* expiationis *cum jejunio celebratum est. Atque hæc est μεγάλη νηστεία, quam inter Sabbata refert Epiphanius. Tum enim operis nihil faciebant. De minore jejunio nondum certam rationem expedire potui. In Kalendario Hebræorum, quod Sigonius & Torniellus ediderunt, die XIV Adar Jejunium Esther cum Mardochai festo, quod erat* Phurim, *sive* Sortium, *mimus, incidit. Quod proinde Jejunium minus existimari possit. Verùm summovendum hoc Jejunium in XIII Adar, ut factum est à Munstero atque Genebrardo; quod Scriptura autoritate constat. Nam Esther cap. 9. 22. XIV, & XV, mensis Adar inter Judæorum festa sanciuntur, ubi* sint dies illi epularum ac lætitiæ. *Non igitur XIV die jejunabant. Quare de mixore illo jejunio, quod festum quoque sive Sabbatum sit, amplius quærendum videtur. Tres autem duntaxat hebdomadis ferias Epiphanius commemoravit, secundam, tertiam & quartam. Sed nec etiam cæteras* συνεκδοχικῶς *est complexus: Neque enim nulla est ratio cur à cæteris eæ solennitates arceantur. Nam certorum dierum superstitio illa quam Judæi observant, & in Jad Rambam exposuit, nihil ad hunc locum facit.* Atque hæc quidem Epiphanii Interpres, sed autoris sui locum non penetravit, & multa in his paucis verbis peccat. Verum quidem est jejuniorum dies festos non fuisse, neque id dixit aut somniavit quisquam, quod quidem meminerim, multò minùs Epiphanius harum rerum non imperitus. Quod verò addit Jejuniorum dies non fuisse ab opere vacuos, admittendum non erit, si Maimonidem audimus lib. ומגיח, Trac. תעניות, Perek 3. §. 9. ubi agit de Jejuniis ad impetrandam pluviam indictis; מיתרין בעשיית מלאכה וברחיצה ובסיכה ותשמיש המיה ונעילת סנדל כשאר כל התעניות: Ut verò dicamus de altero, i. minori hoc Jejunio, de quo Epiphanius, (nam de majori

jori bene obſervatum eſt ab Epiphanii Interprete, eſſe diem כפורים) exiſtimo minus iſtud, quod appellat Epiphanius, Jejunium eſſe quod celebratur à Judæis nono die menſis Ab. cujus inſtituti cauſas aperit Maimonides loco laudato, Perek 5. §. 3. תשעה באב חמשה דברים אירעו בו נגזר על ישראל במדבר שלא יכנסו לארץ וחרב הבית בראשונה ובשנייה ונלכדה עיר גדולה וביתר שמה והיתה צרה גדולה כמו חורבן בירת המקדש ובו ביום המוכן לפודענות חרש טורנוס רופוס הרשע ממלכי אדם את ההיכל ואת סביביו לקיים מה שנאמר ציון שדה תחרש: Celebratúrque hic dies pari religione atque dies כפורים, ut legimus apud Maimonidem loco laudato §. 7. תשע באב לילו כיומו לכל דבר שלו אסור ביום הכפורים: Erat igitur μεγάλη νηστεία dies כפורים, & dies nonus menſis Ab μικρὰ νηστεία erat. Sequitur, quod majorem habet difficultatem, de hebdomadis feriis, & verborum Epiphanii ſenſu. Primùm igitur obſervandum eſt, Epiphanium non tantùm hìc agere de Jejuniorum diebus, ſed etiam Neomeniarum, feſtorúmque, ut Paſchatis & Scenopegiæ: itaque de his in univerſum diebus omnibus Neomeniarum, Paſchatis, Scenopegiæ, Jejuniorúmque majoris & minoris, pronunciat, Ὅτε γὰρ ἐμπίπτουσιν αὗται αἱ ἡμέραι, ἤτοι ἐν δευτέρᾳ Ϛαββάτου, ἢ ἐν τρίτῃ, ἢ ἐν τετράδι, σάββατον καὶ αὐτὸ αὐτοῖς ὀφείλει. Secundò notandum venit hos dies non ſimpliciter appellatos fuiſſe *Sabbata*, ſed *prima Sabbata*, uti conſtat ex eo quòd apud Lucam fit mentio Sabbati δευτεροπρώτου, quod erat Sabbatum naturale ex Epiphanii ſententia, & ſolennem Paſchatis diem, *Sabbatum primum* appellatum, ſequebatur. Epiphanius, διὰ μὴ τὴν ἡμέραν ἣν ἀζύμων ἡμεῖς ἄγομεν, καὶ ὀνειδίσαι ἡμᾶς Ϛαββάτῳ, τῇ Ϛαββάτῳ φύσει τῇ μὴ οὔσῃ ἡμέραν ἣν ἀζύμων ὡς Ϛάββατον λελογισμένῃ, &c. Atque ex his corrigendus eſt in præcedentibus leviter corruptus Epiphanii locus ad hunc modum, Ὅτε γὰρ ἐμπίπτουσιν αὗται αἱ ἡμέραι, ἤτοι ἐν δευτέρᾳ σαββάτου, ἢ ἐν τρίτῃ, ἢ ἐν τετράδι, ἀ σάββατον καὶ αὐτὸ αὐτοῖς ὀφείλεται. Quando igitur Neomenia, aut ſolennis Paſchatis, Scenopegiæ, aut Jejunii, ſive majoris ſive minoris, dies in feriam ſecundam, aut tertiam, aut quartam cadebat, dies appellabatur πρῶτον σάββατον, naturale verò Sabbatum, quod illum diem ſequebatur, δευτερόπρωτον appellabatur. Hæc eſt Epiphanii mens. Quæſtionis jam eſt, utrùm tribus iſtis duntaxat hebdomadis feriis, ſecundâ, tertiâ & quartâ, commemoratis, cæteras tamen omnes Epiphanius συνεκδοχικῶς complectatur nécne. Complecti omnes ſententia eſt Interpretis Epiphanii, qui nullo tamen argumento eam tuetur: ſed auctoritatis ille tantæ non eſt ut adversùs Epiphanii verba ſine teſte illi credendum putemus. Non tamen eò deveniemus, ut exiſtimemus Neomenias, ſolennéſque dies Paſchatis, Scenopegiæ, & Jejuniorum, majoris minoríſque, nunquam cadere potuiſſe in Sabbatum, aut in feriam primam, aut quintam, aut ſextam; ſed dicimus Epiphanium in ea fuiſſe ſententia ut crederet nunquam à Judæis Neomenias, aut ſolennia Paſchatis, Scenopegiæ, & Jejuniorum, majoris minoríſque, appellata fuiſſe πρῶτα σάββατα, niſi cùm in feriam ſecundam, aut tertiam, aut quartam cadebant, ſequénſque naturale Sabbatum δευτερόπρωτον appellabatur. Quare autem ità ſit opinatus Epiphanius, hæc nobis videtur cauſa atque ratio. Si Neomenia, aut ſolenne Paſchatis, aut Scenopegiæ, aut Jejunii, ſive majoris ſive minoris, cadat in feriam primam vel ſextam, dies ille commodè non poterat appellari *Sabbatum*, quia nullus intercedebat dies inter illum & Sabbatum naturale; ſed feriam ſextam excipiebat Sabbatũ naturale, & feriam primam præcedebat immediaté. Quare abſurdè dies illi Neomeniarum, Paſchatis, Scenopegiæ & utriuſque Jejunii in ferias has duas, primam & ſextam, incidentes, appellati fuiſſent *Sabbata*: ſed multò magìs abſurdè feria prima fuiſſet appellata *Sabbatum primum*, cùm Sabbatum exciperet. Quod ad quintam attinet feriam, hæc ratio eſt, *Sabbatum* enim non appellabatur, quia de Sabbato naturali, quod poſtridie illius erat, eſſe cenſebatur, ſive potiùs eſſe de gloria illius: atque hanc adfert Maimonides loco laudato cauſam, ubi agit de Jejuniis ad impetrandam pluviam indictis, Perek 3. §. 7. quare feriâ quintâ, cùm jejunabatur, officinæ patebant, בחמשי פותחין כל היום מפני כבוד השבת ואם יש לחנות שני פתחים פותח אחת ונועל אחת ואם יש לחנות אצטבה פותח כדרכו בחמשי ואינו חושש:

CAP. 20. *De Judæorum Phylacteriis. Unde dicta* Taphoth. *Lxx Seniorum editio, itémque B. Hieronymus emendati.*

DE Judæorum Phylacteriis, quæ תפלין appellant, præceptum exſtat Exod. 13. 16. Deut. 6. 9. & 11. 18. ubi טטפת nominantur. Quid verò ſint hæc תפילין ſive טטפת habes apud Juſtinum Mart. Hier. in cap. 23. Matth. Theophylactum, Maimonidem, alios; neque in his audiendus eſt Epiphanius. In Euangelio Matthæi c. 23. appellantur φυλακτήρια, i. *amuleta*: nam ità interpretatur optimum Gloſſarium, Φυλακτήριον, *Servatorium, Amolimentum, Amoletum, Prævia* ſive potiùs *Proebra*, ut ex Varrone conſtat. Lxx Interpretes vertunt, ut vulgò editur, ἀσάλευτα· καὶ ἔσται ἀσάλευτα πρὸ ὀφθαλμῶν σου. Eſt igitur ἀσάλευτα idem quod φυλακτήρια, *amuleta*. Quanquam B. Hieronymus putavit deduci debere hanc vocem παρὰ τὸ σαλεύω, videtúrque legiſſe apud Lxx Interpretes σαλευτά, non autem cum α privativo ἀσάλευτα. Nam hæc Hieronymi verba ſunt in Comment. ad cap. 23. Matthæi; *Hoc Phariſæi malè interpretantes, ſcribebant in membranis Decalogum Moſi, i. decem verba Legis: complicantes ea & ligantes in fronte, & quaſi coronam capite facientes, ut ſemper ante oculos moverentur.* Vides ex his B. Hieronymi, *ut ſemper ante oculos moverentur*, Hieronymum legiſſe apud Lxx Interpretes καὶ ἔσται σαλευτὰ πρὸ ὀφθαλμῶν σου. Quare leviter corrupta ſunt ejuſdem B. Hieronymi verba, quæ ibidem leguntur; *Dominus cùm dediſſet mandata legis per Moſen, ad extremum intulit, Ligabis ea in manu tua, & erunt immota ante oculos tuos.* Non erant immota hæc Phylacteria, ex Hieronymi quidem ſententia, imò contrà *ſemper ante oculos movebantur.* Itaque reſcribendum puto, *& erunt in mota ante oculos tuos*, καὶ ἔσται ὡς σαλευτὰ πρὸ ὀφθαλμῶν σου Cum Hieronymo paria facit Lat. Interpres Deut. 6. 9. *Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, erúntque & movebuntur ante oculos tuos.* Variè tamen ab iſto interpretatum legitur in duobus aliis locis, ut omnino liqueat Lat. vulgat. editionem eſſe à varia manu, neque unius. Deut. 11. 18. ità legitur, *Et ſuſpendite ea pro ſigno in manibus, & inter oculos veſtros collocate*: at verò Exod. 13. 16. in hæc verba, *Erit igitur quaſi ſignatum in manu tua, & quaſi appenſum quid ob recordationem ante oculos tuos.* Si unus auctor eſſet hujus editionis, cur tam variè hanc vocem טטפת interpretaretur, quæ cùm ter tantùm occurrat, in vulgata Latina tribus diverſis interpretata modis legitur? Nam Exod. 13. videtur Lat. Interpres in animo habuiſſe τὰ φυλακτήρια, quomodo appellantur טטפת in Euangelio, vertit enim, *appenſum quid ob recordationem*: Deut. 6. in Græcis legit & cum iis interpretatur, καὶ ἔσται σαλευτὰ *erúntque & movebuntur.* Demum Deut. 11. vertit היו טוטפות *collocate.* Judæi alii aliunde vocem טטפת deducunt, ex Ægyptiaca & Africana dialecto R. David Kimhi. Illuſtr. Scaliger putat vocem eſſe Ægyptiacam, quæ *amuletum* ſignificet: & certè in eo meretur aſſenſum, quòd notat ſignificare *amuletum*: nam id adſtruit nominis notatio, & ſuperſtitioſarum gentium obſervatio circa amuleta. Certum eſt atque indubitatum apud veteres in amuletis fuiſſe præcipuè γλωσσόκομα τινα, atque inter ea maximè pudenda, quæ variis è rebus efformata appenſa geſtabant ὀπὴ φθόνου ἕνεκεν, unde factum eſt ut *faſcinum* de pudendis dicatur. Hujuſmodi gentium φυλακτηρίοις noluit Deus ſuos Iſraelitas uti, quod aſſueverant facere, ut videtur, dum inquilini in Ægypto ſervirent, & Ægyptiorum ſuperſtitioſis amuletis frontem muniebant; ſed potiùs vult ut Decalogum in membranulis deſcriptum in frontibus geſtent; ſítque illis vice Ægyptiacorum *amuletorum* לטוטפות ὡς φυλακτήρια. טטפת

vox est composita, meo judicio, ex voce טוט unde טיט, quod *lutum limum* significat, & פות unde פות, i. *turpitudo, pudendum.* Hinc petenda est originatio vocis פתכרא, quâ utitur Syrus Paraphrastes extremâ Johannis Epistolâ 1. in vertendo τῷ εἰδώλων nomine: Nam vox est composita ex פות i. *pudendum*; & כורא *fornax*; quasi dixeris *pudendum fornacis.* Est igitur טטפת *pudenda è luto efformata:* quia autem in amuletis erant ista maximè, factum est ut טטפת generaliter significet quodvis *amuletum*, sive φυλακτήριον. Hoc ipsum adstruit etymologia nominis תפילין, quo Judæi טטפת, & Syrus apud Matthæum τὰ φυλακτήρια interpretantur, nempe deducitur à תפל, & תפילין sunt τὰ γελοῖα. Lxx verò Interpretes accesserunt proximè ad nominis notationem & rei usum: nam vertunt טטפת, ut nobis quidem videtur, ἀζάλδια, quomodo emendandum putamus, voce compositâ, quæ derivatur ἀπὸ τῆς ἄζας καὶ τοῦ ἀλεύω. Significat ἄζα, ut constat ex Hesychio, κόγιν, κόπρον ἢ ἀσχήμονα ἀπομείνασαν. Κόγις videtur significare *pudenda.* Hesychius interpretatur ἀκαθαρσίαν, & κονίσαλοι, ἀφεδρίσια, καὶ τὰ αἰδοῖα. Atque ità appellatur apud Athenæum numen aliquod Priapeium. ἀλεύω verò, eodem Hesychio teste, idem est quod φυλάσσω. Quare τὰ ἀζάλδυτα sunt appensa αἰδοῖα ὅπλ ὑποζωπῆ, qua in voce habes significationem vocis טטפת, & præterea horum pudendorum appensorum usum, nempe ut φυλακτήρια *amuleta* essent.

CAP. 21. *Josephus, ubi agit de Essenis, illustratur & emendatur. Esseni palmis victitabant. Plinius correctus.*

QUæ referuntur de Essenorum institutis pleraque à viris maximis diligenter sunt expensa; nonnulla tamen occurrunt in quibus habemus quo nos exerceamus. Josephus lib. 2. Excidii, Τοῖς δ' ἄλλοις ἡμέρας βάδην ὀρύσσοντες βάδην ποδιαῖον τὴν σκαλίδι, τοιοῦτον γάρ ὅπι τὸ διδόμενον ὑπ' αὐτῶν ἐξυλίδιον τοῖς νεοσυστάτοις, καὶ περικαλύψαντες ἱματίου, ὡς μὴ τὰς ἀυγὰς ὑβρίζοιεν τοῦ Θεοῦ, σκαδίκτην εἰς αὐτὸν· ἔπειτα τὴν ἀνοιχθεῖσαν γῆν ἐφέλκουσιν εἰς τὸ βόθρον. καὶ τοῦτο ποιοῦσι τοὺς ἐρημοτάτους τόπους ἐκλεγόμενοι. Hunc locum laudavit Porphyrius lib. 3. Περὶ ἀποχῆς, ubi inter cætera ità leguntur ista, quæ excutienda sunt, ὡς μὴ τὴν αὐτὴν ἐνυβρίζειν τοῖς θεοῖς. Sed Eusebius, qui Porphyrium descripsit, habet, ὡς μὴ τὴν ἀυγὴν ἐνυβρίζειν τῷ Θεῷ. Existimarunt Viri incomparabiles Essenos Solem adorasse: luce enim, inquiunt, clariora sunt Josephi verba, ὡς μὴ τὰς ἀυγὰς ὑβρίζοιεν τῷ Θεῷ. Judæus quamvis, tamen loquitur ut Græcus Græcè scribens: Græcis enim ἀνίσχοντι Θεῷ nihil aliud est quàm ἀνίσχοντι ἡλίῳ. Sed mirificè confirmant ista ejusdem, πρός γε μὴν τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβῶς, πρὶν δ' ἀναχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν ἐυχὰς ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι. Adde quòd Sampsæi, qui veterum erant Essenorum propago, Solem colebant, unde etiam nomen invenerunt. Vide Epiphanium de Elxai, & in Sampsæorum hæresi. Sed tanti non sunt apud me ponderis argumenta ut putem Essenos, quorum pietatem in Deum tantopere prædicant Philo & Josephus, Solem coluisse atq; ad illum preces concepisse. Nam quod ad Sampsæos attinet Essenorum traducem, certum est multa innovasse in Essenis, etiam instituto Essenorum veteri ἐν διαμέσῳ pugnantia, ut μὴ ἐξεκρατεύσαι, & alia, quæ memorat Epiphanius: In his censeo Solem colere; quippe cùm veteres Esseni suas πρὸς ἀναχεῖν τὸν ἥλιον, sive ἀνίσχοντι ἡλίῳ, preces ad Deum funderent, putarunt Sampsæi Solem tanquam Deum coli ab Essenis: unde & ipsi coluerunt. Quod verò attinet ad Josephi verba, sunt à nobis, Deo dante, accuratè expendenda. Neque enim Josephum voluisse dicere Essenos Solẽ adorare, tam mihi liquet quàm illum meridie lucere: nostrámque sententiam tuetur Josephus ipse, qui ut probet Essenos cæteris longè præstantiores in Deo colendo, ista in exemplum adfert. Nam illud γὰρ ostendit ad præcedentia referenda esse quæ sequuntur. Atqui tantũ abest ut ii qui Solem colunt pii sint, ut contrà inter impios maximè sint censendi. Adde quòd Philo Josephum interpretatur: Διὸς δ' καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰώθασιν ἔυχεσθαι, πρὶν ἢ ἴω, καὶ πρὶ τὸν ἑσπέραν. ἡλίῳ μὲν ἀνίσχοντι, ἐυμενείας αἰτούμενοι τὸν ὅλως ἐυμενείαν φωτὸς ἀρχέτυπον τὸν διάνοιαν αὐτῶν ἀναπλησθῆναι· δυσμὰς δ', ὥσπερ τῷ τὸν ψυχὴν τῷ ἀϊδίοις καὶ αἰσθητοῖς ὅλοις παντελῶς ὀπτικρὶς θέσαν, ἐν τῷ ἑαυτῶν συνειδέναι καὶ βελτιστείῳ ῥυμβῶν, ἀληθείαν ἰχνηλατεῖν. Ex his vides quodnam fuerit argumentum precum Essenorum, & ad quem fuerint fusæ, ad Deum scilicet, non ad Solem: pro ratione igitur temporis, ἡλίῳ μὲν ἀνίσχοντι, Deum precabantur ut, quemadmodum ὅπι τοῦ ἀνθρώπου τὸν ἥλιον αὐτὸς ἀνατέλλει, ità ipse, qui lux est vera atque cœlestis, mentibus illuceret oriens ex alto. Neque aliud voluit Josephus, cujus verba levi mendo, sed quod tenebras tamen & quidem densissimas offundat huic loco, emaculanda sunt, atq; ità legenda; Πρὶν δ' ἀναχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸ γ' ἐυχὰς ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι. Refertur αὐτὸ ad τὸ θεῖον· vertendũ itaque est, *Nam ante ortum Solem nihil quicquam profani loquuntur, sed patrias quasdam preces ad eum quidem,* Deum scilicet, *fundunt tanquam supplicantes ut exoriatur & illucescat.* Dixit autem, εἰς αὐτὸ γ' ἐυχὰς, ut ostendat non esse referendum ad Solem. Restat ultimum argumentum ex his Josephi verbis, ὡς μὴ τὰς ἀυγὰς ὑβρίζοιεν τοῦ Θεοῦ, quibus putant viri magni probari Solem ab Essenis adoratum fuisse. Sed nemo mihi facilè persuadebit, Josephum, hominem gente atque religione Judæum, usurpasse in his τοῦ Θεοῦ nomen pro Græcorum more. Adde, quòd si noctu, aut in locis Solis radiis non perviis, egerebant, nihil erat quòd metuerent Solis radiis in juriam fieri: atqui semper ventrem exonerabant Esseni in scrobiculam, quam σκαλίδι ποδιαῖον deprimebant; honestatis autem causâ inter egerendum veste dimissâ se tegebant: post egestionem terram retrahebant in scrobiculam. Ratio hujus rei est, inquit Josephus, ὡς μὴ τὰς ἀυγὰς ὑβρίζοιεν τῷ Θεῷ. Levi maculâ deformatus est hic locus maximo cum sensûs illius dispendio: nos imus emendatum, ὡς μὴ τὰς ἀυλὰς ὑβρίζοιεν τῷ Θεῷ. Facilè mutavit τὸ λ in τὸ γ. At longè alius ac planè diversus sensus est. Terram appellat τῷ ἀυλῷ, aut τὰς ἀυλὰς, *Dei*, qui hunc universum mundum tanquam domicilium habet, in eóque terra est tanquam ἡ ἀυλὴ domûs illius: nè igitur vel hâc suâ dehonestarent egestione Dei atrium, egerebant in scrobiculam, & in eam terram retrahebant. Palmis victitasse scribit Solinus: malè apud Plinium editur, *sine pecunia, socia palmarum.* Conjiciebamus emendandum esse *satias palmarum*; nempe palmis victitabant, eóq; cibo se explebant.

CAP. 22. *Differentia inter victimam pro peccato & pro delicto.*

VIdeo à nostris non immeritò quæri quid sit חטאת *victima pro peccato*, quid אשם *victima pro delicto*, & quomodo distinguantur: nam distingui omnino constat è Lev. 7. Num. 18. & aliis multis S. Scripturæ locis. Qua de re dicemus paucis cum bono Deo. Vox חטאת generalior est, & idem aliquando significat & est quod אשם, ut Lev. 5. חטאת & אשם de eodem sacrificio dicuntur. Est tamen ubi ista inter se distinguantur, ut jam diximus, atque אשם appelletur, quo sacro certa quædam peccatorum genera, de quibus infrà, Deo dante, sumus dicturi, procurabantur. Cætera verò omnia peccata, quæ in hunc non veniunt censum, procurantur & expiantur sacrificio quod ἁπλῶς appellatur חטאת. Sacrificii אשם dicti lex exstat Lev. 7. eadémque καὶ τοῦ חטאת est כחטאת כאשם תורה אחת להם: De cujus ritu vide Præceptum Affirmans 65. & Negans 145. apud Maimonidem. Sed hæc vulgaria sunt. Agè verò, jam videamus quæ peccata procurentur hoc sacrificio אשם. Ac primò quidem hujus ordinis sunt peccata quæ ignorans & non conscius admisit, de quibus tamen dubitat atque animi incertus est an ea admiserit. Legem habes Lev. 5. Itaque sacrificium istud, quia qui illud offert dubius est mentis an peccatum quod hoc sacrificio it procuratum admiserit, appellatur אשם תלוי. De

quo

quo LXX Lege inter Affirmantia præcepta: לדקריב היחיד קרבן זב ונרפא לו זב דנאדנא שחייבין עליו חטאת או לא דנא והו נקרא אשם תלוי: At ubi certus est admissi sceleris, non אשם sed חטאת offert, ut constat è Levit. 4. & est Affirmans præceptum 69. להקריב היחיד קרבן חטאת אם שגג במצות לא תעשה שחייבין עליה כרת: Maimon. ad præceptum Affirmans 70. לדקריב קרבן נאשר ירקדש לנו ספק באיתן דטאים הגדולים שחייבין על זדונם כרת ועל שגגתן חטאת קבועה והו הכרבן יקרא אשם הלוי והוא שיהיו לפניו שתי חתיכות אדרת שיש ואדרת על כלב ואכל אחת משתיהן ונאבד האחרת ונתקדש לו כפק ולא ידע אי זו מהן אכל הנה הוא יקריב כרבן על הספק המתקדש ויתכפר לו והוא דנקרא אשם הלוי ואם הראבת לו אדר כן כי החתיכה שאכל היתה חלב הכליות הנה נתאמרה דשגגה ויקריב קרבן דטאת קבועה ודנתחייב שנה בזה הקרבן: Refértque idem Maimonides l. קרבנות, Tract. שגגות, hanc Legem שיקריב אשם מי שלא נודע לו אם חטא אם לא דטא עד שיודע לו ויביא חטאתו והו הנקרא אשם תלוי: Sequuntur peccata quædam, quæ, ut ut aut nec per ignorantiam essent ad nissa, essent certè palàm & in confesso, expiabant hoc sacrificio, quod appellant אשם ודאי. Maimonides loco Præcepti affirmantis laudato: יקריב החוטא אשם על עבירות ידועות והו הנקרא אשם ודאי: Primum, quod hujus sit ordinis, peccatum est, quando ab aliquo res Divinæ & sacræ intervertuntur per ignorantiam, cujus peccati agniti & confessi procuratio atque expiatio fiebat isto sacrificio dicto; Legem habes Levit. 5. Secunda peccatorum quæ expiabantur hoc sacro series est, depositi abnegatio, rei alienæ direptio, dolus malus adversùs societatem contractam, aut adversùs proximum, rei inventæ interversio, perjuriúmque Levit. 5. Tertiò expiabatur isto sacrificio אשם qui rem habuisset cum ancilla serva quæ esset in contubernio alterius, ut leges Levit. 19. Quæ omnia Karita per satyram complectitur præceptum Affirmans LXXI. לדקריב השונג במעילה או החיטא בגזלה או בשפרה חרופ" או שכפר בקדון ונשבע לשקר מביא קרבן אשם והו הנקרא אשם ודאי: Ad quam Legem hæc sunt Maimonidis verba in Commentariis. מי שחטא חטאים ידועים שיקריב קרבן אשם ויתכפר לו והוא הנקרא אשם ודאי ודחטאים שיתחייב עלידם זה הקרבן הם המעילה והגזלה ובא על שפחה חרופה ונשבע לשקר על שבועת הפקדון והו שכל מי שמעל בשגגה והוא שיהנה בשוה מן הקדש בין הקדש בדק הבית בין הקדש מזבח ומי שינזל חברו שוה פרוטה או יותר ונשבע או בא על שפחה חרופה בין בשוגג בין במזיד הוא הנה חובה עליו שיקריב קרבן אל החטאתו ואינו קרבן חטאת ואמנם הוא אשם והוא הנקרא אשם ודאי: Sunt & alia quædam peccata quæ expiantur isto sacrificiorum genere, nempe si quis, qui interfuisset, aut ab aliis resciviſſet, blasphemi nomen apud judices non detulisset; item si quis rei immundæ contactu polluereturr; denique si temere & in vanum nomen Dei jurejurando appellasset: habes legem Lev. 5. Præterea in leprosi purgatione Deo offerebatur octavo die agnus in אשם, eáque lex est etiam ei dicta qui in re & censu tenui erat: offerebatur item חטאת & holocaustum, sed tenuiorum חטאת & holocaustum erant duo turtures, aut duo columbarum pulli, Lev. 14.

CAP. 23. *Virgines, ut plurimùm, apud Judæos ducebantur uxores. De libello repudii. Josephi codices correcti.*

VEteri populi Judaici instituto Virgines, ut plurimùm, ducebantur, cujus instituti lex apud vernaculum scriptorem Josephum ἀρχαιολογίας lib. 6. legitur; Γαμεῖσθαι δ' ὃν ἂν γάμε ῥηθήσεσθαι παρθένον ἐλαθέρας γενέων ἀγαθῶν· ὁ δὲ μὴ μέλλων ἄγεσθαι παρθένον, μὴ ζευγνύσθω σωοικεῖν ἄλλῳ, μὴ δὲ λυπᾶν ἢ ἀφιέναι αὐτῆς ἄνδρα. Posteriorum verborum, ut hodie eduntur, nullus est sensus. Aut enim dicuntur de muliere vidua cujus maritus è vivis excesserit, aut de illa quæ à marito dimissa est. De muliere vidua non posse dici patet, quia Lege licebat viduæ, alteri nubere: nec id probatione eget. Præterea quis credat manes hoc curare sepultos? Quod ad mulierem à priore viro dimissam attinet, non omnino interdictum est illius nuptiis. Nam dimisse ad secundi voti convolare licebat si prior maritus permisisset. Josephus lib. 15. de Salome, quæ Costobaro marito libellum discidii dederat, agens; Χρῆν διαλθόντα, ἐπεὶ συνέβη Σαλώμην ταπεινότατα πρὸς Κοσόβαρον, πάντως μὲν αὐτὴν ἐυθὺς γεγυμνασίου ἀπολυσθῆναι δὲ χάριν, ἃ κατὰ τοὺς Ἰουδαίων νόμους ἀνδρὶ μὲν δὲ ἔξεστι παρ' ἡλίκον ἂν τοῦτο ποιεῖν, γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὸν γαμηθῆναι, μὴ τῶν πρώτων ἀνδρῶν ἀφέντων. Ideo solennia illa verba adjiciebantur in libello ἀποστασίου, אישׁ רחוקה ממני ומיחדת לכל אישׁ *Esto rejecta à me, & permissa cuicunq; viro*: h.e. Do tibi facultatem nubendi cuicunque volueris viro. Nisi clausula esset adjecta, non poterat alii nubere. Maimonides lib. נשים, Tract. גירושין, Perek 1. וניפו אל גט הרי את מיחדת לכל אדם: Habes exemplum in formula libellorum ἀποστασίου apud Maimonidem loco laudato, Perek 4. די הויתּ אנתתי מן קדמת דנא וכדו פטרית ושבקית ותרוכית יתיכי ליכי די תתויין ושאה ושלטאה בנפשיכי למהך להתנסבא לכל גבר די תצכיין ואינש לא ומחה בידיכי מן שמי מן יומא דנן ולעלם והרי את מיחדת לכל אדם ודן די יהוי ליכי בנאי ספר תירוכין וגט פיטורין ואגרת שיבוקין כדת משה וישראל: i. *Quæ fuisti uxor mea antehac, nunc verò repudio, dimitto atque expello te, ut sias libera, dominàque tui ipsius, ad abeundum & nubendum cui viro volueris, & nemo rejiciatur per te propter nomen meũ, à die hoc usque in seculum. Itaque licita esto omni homini: & hicce erit tibi à me libellus repudii, & libellus expulsionum, & epistola dimissionis, juxta legem Mosis & Israel.* Meminit quoque hujus rei Josephus lib. 4 Γυναῖκες τῶν σωοικούντων βελόμενοι διαζευχθῆναι καθ' ἃς ἁπαπορῶν αἰτίας, γεγράφασι μὲν οἷς τὸ μηδέποτε συνελθεῖν ἐχρεζέσθω. λάθοι δ' ἂν ὅπως ἐξουσίαν συνοικεῖν ἑτέρῳ, πρότερον δὲ οὐ ἐρετέον. Nisi permisisset maritus non poterat alteri nubere: Quare priora illa, quæ è lib. 4. Josephi descripsimus verba, rescribenda sunt; μὴ ζευγνύσθω συνοικῆσαι ἄλλῳ, μηδὲ λιτόντι πρότερον αὐτῆς ἀνδρός. Nè dimissum ducat, cui prior maritus hoc jus non reliquerit: Dimisisse autem uxorem non erat putandus qui non dedisset βιβλίον ἀποστασίου. Itaque leges apud Maimonidem loco laudato, Perek 1. אין האשה מתגרשת אלא בכתב שניץ לה ולא בדבר אחר: Constat verò è laudatis Josephi lib. 15. verbis non licitum fuisse uxoribus scribere maritis τὰ τῆς ἀπολείψεως γράμματα. Sed objici potest è Maimonide ab uxoribus scribi γράμματα, quæ גט מיאון appellantur. Sed longè alia eorum γραμμάτων ratio est quàm τῆ ἀποστασίου. Nam hæc γράμματα scribebantur apud judices, quando puella impubes & minor cogebatur invita à matre, aut fratribus, vel agnatis, matrimonium cum aliquo contrahere: in quam rem duos advocabat testes, qui ea de re testimonium apud judices scripto dicebant; atque hujusmodi testimonium scripto dictum גט מיאון appellabatur. Maimonides loco laudato, Perek 1. מי וכר שהשיאה אחיה או אמה או קרוביה שלא לדעתה אינה צריכה למאן כיצד ממאנת אומרת בפני שני עדים אין רצוני בפלוני אי אין רצוני בקידושין שקדשוני אמי ואחי וכיוצא בדברים אלו אפילו היו אורחין מסובין בית בעלה והיא עומדת ומשקה עליהן ואמרה איני רוצה בפלוני בעלי הרי זה מיאון השנים שמאנת הקטנה בפניהן כותבים לה ביום פלוני מיאנה פלו' בת פלוני בפנינו בפלו' בעלה וחותמין ונותנין לה וזה הו" גופו של גט מיאון וגט מיאון אינו כגט הגירושין שנתינתו מגרש ואין צריך כתיבה לשמה ולא מסירה ולא דבר ממשפטי גט הגירושין ואין כתובין בו טופסי הגט שמא יראה כגט גירושין לפי שאינו אלא כמעשה בית דין:

גט מיאון

בכך בשבת כך וכך יום לחודש פלוני שנת כך וכך למנין פלוני מיאנה פלונית בת פלוני בפניני ואמרה שאמי או אחי המעניני והשיאוני או קידשוני ואני קטנה לפלוני בר פלוני והשתא גיליתי דעתי קדמיכין דלא צבינא ביה ולא קאימנא עימיה ובדקנא פלונית דא ואתברך לנא העדין קטנה היא וכתבנא וחתמנא ויהיבנא לה לוכות ולראייה כרורה פלוני בר פלוני עד פלוני בר פלוני עד : Ex his vides quàm longè diversa res fuerit à libello ἀποστασίου libellus quem גט מיאון appellant.

CAP. 24. *De Judæorum Patriarchis, Apostolis, Archisynagogis, Patribus Synagogarum, Hiereis, Presbyteris, Didascalis, Archiperecitis: BB. Epiphanius, Augustinus, uterq; Codex illustrantur, emendantur.*

FRequens mentio fit in Jureconsultorum libris, *Patriarcharum* Judæorum, *Apostolorum, Archisynagogorum, Patrum Synagogarum, Hiereorum, Presbyterorum, Didascalorum, Archiperecitarum, & Cœlicolarum*, de quibus quicquid à nobis observatum est, huic, nè pereat, mandabitur chartæ. Post Hierosolymorum excidium Judæi (neq; enim ante tempora τῆς ὑστέρας διασπορᾶς ulla fit mentio *Patriarcharum*) suos habuerunt Patriarchas, qui suis præessent ἀποδασμοῖς singuli. Itaque Origenis temporibus Patriarcha Judæorum Alexandriæ fuit quidam Huillus, cujus ex Origene meminit B. Hieronymus Apologiâ adv. Ruffinum: *Certè etiam Origenes Patriarcham Huillum, qui temporibus ejus fuit, nominat.* Tiberiadensium Patriarcharum Judæorum Hillelis & Judæ meminit Epiphanius, κατ' Ἐξιωνέων, è quo discès, Ciliciam attributam fuisse præfecturæ Patriarchæ Tiberiadensium. Verba Epiphanii hæc sunt, Συμβέβηκε γὰρ αὐτὸν τὸν Ἰάσπιον μὴ τὸ ἀξιωθῆναι Ἰούδαν τὸν Πατειάρχην, ὃν περιπομπὸν (τάχα γὰρ ὅπως ἐλέγετο αἱμοπτῆς ἦνεκεν) γέρας τοῦ Ἰασίωνος τοῦ Ἀποστολῆς δοῦναι τιμῆ ἐυκαρπίας· καὶ μετ' ὀπτολὴν εἰς τὴν Ἀποστολῆς δοῦναι τιμῆ εἰς τὴν Κιλίκων γῆν. ὃς ἀνελθὼν οἰκεῖσι ἀπὸ ἑκάστης πόλεως τῆς Κιλικίας τὰ ὀπτδέκαλα καὶ τὰς ἀπαρχὰς παρὰ τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἰουδαίων εἰσέπραττεν. Atque ex his pendet, ut id obiter observem, quare dicat B. Paulus Phil. 3. se esse Ἑβραῖον ἐξ Ἑβραίων, nempe Hellenista non erat, quanquam natus Tarsi Ciliciæ, ut ipse de se affirmat Act. 22. quia Judæi qui in Cilicia erant inter Ἑβραΐζοντας, qui Biblia Hebraicè legebant. Videntur enim attributi Judæi Cilices τῇ μητροπόλει Hierosolymis, non Babyloni: Nam ecce ἐν τῇ ὑστέρᾳ διασπορᾷ, post excidium Hierosolymitanum, ubi Patriarchæ instituti sunt, Cilices attributi sunt Patriarchæ Palæstinæ Tiberiadensi. Patriarchas, in utraque Palæstina, & aliis Orientis atque Occidentis partibus & Provinciis, fuisse constat ex hac Imperatorum Theodosii & Valentiniani AA. ad Joannem Comitem Sacrarum Largitionum Constitutione; *Judæorum Primates qui in utriusq; Palæstinæ Synedriis dominantur, vel in aliis Provinciis degunt, periculo suo anniversarium canonem de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam quam Patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant, & hoc, quod de Occidentalibus partibus Patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Dat. III. Kalend. Jun. Constantinop. Florentio & Dionysio Conss. L. XVII. C. de Judæis & Cœlicolis.* Eadem habetur Lege ultimâ Cod. Theod. eodem; *Judæorum primates qui in utriusque Palæstinæ synedriis nominantur, vel in aliis Provinciis degunt, quæcunque post excessum Patriarcharum pensionis nomine suscepere, cogantur exsolvere. In futurum verò periculo eorundem anniversarius canon de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigatur, ad eam formam quam Patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant: Quæ tamen quanta sit solerti inquisitione discutias, & quod de Occidentalibus partibus Patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Dat. III. Kalend. Jun. Constantinop. Florentio & Dionysio Conss.* Isti Judæorum Patriarchæ videri volebant esse de tribu Juda. Origenes περὶ ἀρχῶν libro 4. c. 1. *Dicunt permanere adhuc principem ex genere Judæ, istum videlicet qui est gentis eorum princeps, quem nominant Patriarcham, nec deficere posse de semine ejus qui permaneat usque ad adventum ejus Christi quem sibiipsi describunt.* Sed id verè negat beatus Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi 12. agens de vaticinio Jacobæo; οἱ ἔχουσι τὸν ἐκ φύσεως Ἰούδα καὶ τῆς Δαυΐδ, ὅτι ἦλθεν ὁ προσδοκώμενος· αἰσχύνομαι τὰ λέγειν αὐτῶν τὰ περίεργα καὶ τῶν καλουμένων Παλειαρχῶν πράγματα, καὶ τί τούτων τὸ φῦλον, καὶ τὶ ἢ μήτηρ, καὶ ἀλλὰ παραλιμπάνω ἢ τοῖς εἰδόσι. Verè quoq; idem negat Theodoretus, sed parùm verè addit, meo quidem judicio, omnes istos Patriarchas è stirpe Herodis fuisse, non autem Davidis, prognatos. Verba illius hæc sunt, Ἐρ. οἱ καλέμενοι οὖν παρ' Ἰουδαίων Πατειάρχαι οὐκ ἐκ τοῦ Δαυΐτικῆς ὑπάρχουσι συγγενείας; Ορ. πάμπαν. Ερ. ἀλλὰ πόθεν ὁρμῶνται; Ορ. ἐξ Ἡρῴδου τοῦ ἀλλοφύλου, ὃς, παρόδην μὲν, Ἀσκαλωνίτης ἐτύγχανεν ὤν, μητρόθεν δὲ, Ἰδουμαῖος· ἄλλως τε, καὶ αὐτοὶ παντελῶς ἠφανίσθησ. καὶ χρόνος διελήλυθεν, ἐξ οὗ καὶ τὰ τῶν ἡγεμονία τὸ πέρας ἐδέξατο. Sed neq; Judæorum omnium ista fuit sententia; nam referebat Josephus Patriarcharum Hillelis & Judæ quondam Apostolus Epiphanio, Patriarchas Tiberiadenses genus suum retulisse ad Gamalielem illum cujus nomen legitur in Actibus Apostolicis: en tibi Epiphanii verba loco priùs laudato ex illius Josephi fide; Ὁ δὲ Παβιάρχης κατ' ἐκεῖνο καιρὸ Ἑλλὴλ τοὔνομα ἦν. ἐκ γὰρ τῆς Γαμαλιὴλ ἐτύγχανε, τοῦ παρ' αὐτοῖς γνωμάρχου Πατειάρχου. ἔστι δὲ διανοηθῆναι, ὡς καὶ ἄλλοι ὕστερον ὑπάνθενλο, τοῦτον τὸν γνῶ ἐκείνου τοῦ πρώτου Γαμαλιὴλ, τοῦ δὲ τοῦ σωτῆρος τοῦ Χριστοῦ συμβουλεύσαντος, ἀποφεύξ τῆς κατ' αὐτοῦ Ἀποστόλων ὀπτουλῆς. Nascebantur autem Patriarchæ, non fiebant, nec creabantur; h. e. non electionis suffragiis præficiebantur Patriarchæ suis ἀποδασμοῖς, sed nascendi jure: Filius enim patrem excipiebat & succedebat in Patriarchatu, quæ lex in plerisq; ἀξιώμασι καὶ ἀρχαῖς obtinuit quoq;. Habes apud Epiphanium loco laudato, Ἀφῃρῆται ὁ παῖς καλαληφθεὶς ὑπὸ Ἑλλὴλ εἰς Πατριαρχίαν φερόμενος. οὐδεὶς γὰρ ἄλλος ἁρπάζει τὰς ἀρχὰς παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, ἀλλὰ υἱὸς πάλεα διαδέχεται. Itaq; puer etiam qui patri succedebat, Patriarcha erat & appellabatur, verùm sub cura tutelâque eorum qui à patre dabantur; iíq; erant, ut puto, ex eorum numero qui Patriarcharum Apostoli dicebantur, & erant iis à consiliis, ut infrà, Deo dante, dicemus: Certè Josephus ille qui Judæ filio à patre Hillelo datus est tutor, erat quoq; illius Apostolus, ut constat ex Epiphanio: Atq; isti tutores omnia Patriarchæ nomine administrabant. Epiphanius; Ἐκοιμήθη ὁ Πατειάρχης Ἑλλὴλ, ᾧ κλῆς ἐπιθέσεως παρὰ δὲ τοῦ κομιδῆ νέον ὄντα Ἰασίωνα καὶ ἄλλῳ τινὶ ὀπτεκτάτῳ. τὰ πάντα τοίνυν ἐπερέπετο διὰ τὸν δύο τούτων, διὰ τὸ ἔτι παλαιὰ ὄντα νηπιάζειν, καὶ ἐν χερσὶν αὐτῶν ἀνατρέφεσθαι. Hinc fit ut Josephus, quod refert paulò pòst eo autore Epiphanius, quæ essent in Hillelis gazophylacio repositæ, eo reserato, scrutetur & exquirat. Neq; tantùm quæ illius erant administrabant, sed etiã Patriarcham in sua habebant potestate ut educarent: dixit enim Epiphanius verbis proximè laudatis *Judam Patriarcham* ἐν χερσὶν Ἰασίωνα καὶ ἄλλου τινὸς ὀπτεκτάτου ἀνατρέφεσθαι, & paulò pòst addit, ὁ δὲ Ἰασίων καὶ ὁ σὺν αὐτῷ πρεσβύτης, ἀνάγκαν ἔχοντες τὸ παιδὶ συνέπεσθαι, βαρέως μὲν ἤνεγκαν. Instituebántq; illũ, ità tamen ut meminissent semper illum Patriarcham esse, honorémq; ei haberent. Vides in exemplo Patriarchæ hujus Judæ adolescentis perditi & luxu diffluentis. Epiphanius; Ὁ δὲ [Judas] μᾶλλον τοῖς νέοις ἐπείθετο, κρύπτων τὰ αἰσχρὰ καὶ ἀρνούμενος. ὅτε δὲ ἐπύθοντο οἱ περὶ Ἰάσπιον ἐξεπήγη τὰ καθ' ἑκάστην φανερῶς τῷ λόγῳ, ἀλλ' ὡς δι' ὀπτσήμου παρόντων. De hoc Patriarcha Juda intelligenda sunt B. Hieronymi verba in Comment. ad hæc cap. 3. Esaiæ; ET EFFEMINATI DOMINABUNTUR EIS; *Consideremus*, inquit, *Patriarchas Judaorũ, & juvenes sive pueros, effeminatósq; ac deliciis affluentes; & impletam Prophetiam esse cernemus.* Non omnes Judæorum Patriarchæ, quando ad hanc dignitatem sunt evecti, juvenes & pueri fuerunt: neq; necessum est eos qui juvenes fuerunt, fuisse quoq; perditis moribus: Sed habet proculdubio B. Hieronymus, ut diximus, ab Epiphanio de nepote isto Juda. Quod ad munus Patriarcharum attinet, erat præesse τῇ ἐπαρχίᾳ ἢ ἀποδασμῷ, cujus quisq; erat Patriarcha. Itaq; suæ ditioni subjectis Judæis præponebant alios qui præessent. Constat è Constitutione Imperatorum Arcadii & Honorii AA. ad Eutychianũ PP. *Cuncta privilegia quæ viris spectabilibus Patriarchis, vel eis*

quos

quos ipsi cæteris præposuerunt, Divæ memoriæ pater noster atque retro principes detulerunt, summ robur tenere censemus. Dat. III. *Non. Feb. Constp. Honorio A.* VI. *& Aristæneto CONSS.* L. XV. Cod. Theod. *De Judæis & Cœlicolis.* Quare dixerunt Imperatores Theodosius, Arcadius & Honorius AAA. *Manifestum esse Primates Judæorum virorum clarissimorum & inlustrium Patriarcharum arbitrio habere suam de religione sententiam.* L. VIII. Cod. Theod. eod. Præfecti autem isti à Patriarcha ejus ditioni subjecti erant: docent Imperatores Arcadius & Honorius; *Judæi sint obstricti ceremoniis suis, nos interea in conservandis privilegiis eorum veteres imitemur, quorum sanctionibus definitum est, ut privilegia his qui inlustrium Patriarcharum ditioni subjecti sunt, Archisynagogis, Patriarchisque ac Presbyteris, cæterisque qui in ejus religionis sacramento versantur,* &c. L. XIII. Cod. Theod. eod. Sed quinam sunt hi Patriarchæ, *qui inlustrium Patriarcharum ditioni subjecti sunt?* Quomodo ab inlustribus illis quorum ditioni subjiciebantur distinguentur? Nos è literarum ductu emendandum putamus hoc modo, *Archisynagogis, Patri, Hiereisque, ac Presbyteris, Pater* dicitur qui est Synagogarum. Hierei Synagogis deserviebant, de quibus Lex est IV. Cod. Theod. eod. Quos autē præponebant, jus quoque habebant Patriarchæ abdicandi Magistratu si quid deliquissent, ut infrà, Deo dante, exemplis probabimus. Atq; isti à Patriarchis præpositi, Judæorū *primates*, itémque *majores*, & *proceres* dicti, judicia reddebant iis Judæis qui erant de Synagogis illorum. Ac primùm quidem in iis quæ ad superstitionem eorum spectabant, Primates jus habebant Synagogâ interdicendi; quanquam non nemo ex iis qui facti fuerant ἀποσυνάγωγοι, appellaret Romanos judices; ut iis auctoribus reciperetur in sectam: verùm à suis Judicibus id fieri nolunt Imperatores Theodosius, Arcadius, & Honorius AAA. sed potiùs ut rata habeatur Primatum judicia; *Judæorum querelæ quosdam auctoritate judicum recipi in sectam suam reclamantibus Legis suæ Primatibus adseverant, quos ipsi judicio suo ac voluntate projiciunt: quam omnino submoveri jubemus injuriam, nec eorum in ea superstitione sedulus cœtus, aut per vim judicum, aut rescripti subscriptione invitis Primatibus suis, quos virorum clarissimorum & inlustrium Patriarcharum arbitrio manifestum est habere suam de religione sententiam, opem reconciliationis mereantur indebitæ. Dat.* XV. *Kal. Maii Constantinopol. Arcadio A.* II. *& Rufino Conss.* Lege VIII. Cod. Theod. eodem. In iis verò quæ ad forum & Leges ac jura pertinent, jus dixisse Primates suis Judæis nullus dubito, & omnino constat è Constitutione Imperatorum Arcadii & Honorii AA. ad Eutychianum data VI. Nonas Februarias anno à Consulatu Arcadii A. II. & Rufini VI. qui Consules habuit Honorium Augustum IV. & Eutychianum: nam hâc Constitutione adimuntur judicia Judæorum Primatibus. Ergò priùs reddiderant; idque constat è Lege XIII. Cod. Theod. eodem, quæ scripta est ante hanc Constitutionem. Cæsario & Attico Coss. *Pareant legibus suis.* Sed, ut diximus, hâc Constitutione Primatibus Judæorum jus adimitur judicia reddendi in causis quæ tam ad superstitionem eorum quàm ad forum & Leges juráque pertinent, cum aliqua tamen exceptione: nam communi inter litigantes pactione in civili negotio licebat sortiri Primatum judicium ad similitudinem arbitrorum. Verba Constitutionis hæc sunt, *Judæi communi Romanorum jure viventes, in his causis quæ tam ad superstitionem eorum quàm ad formam & Leges ac jura pertinent, adeant solenni more judicia, omnésq; Romanis Legibus conferant & excipiant actiones. Si qui verò ex his communi pactione ad similitudinem arbitrorum apud Judæos in civili duntaxat negotio putaverit litigandum, sortiri eorum judicium jure publico non vetentur. Eorum etiam sententias judices exsequantur, tanquam ex sententia cognitoris arbitri dati fuerint.* An verò quæ biennio ante hanc Constitutionem sanciverant Imperatores Arcadius & Honorius de rerum venalium pretio, nè quis rebus Judæorum venalibus propositis pretia statueret præter Judæorum proceres atque Primates; *Nemo externa religionis Judæorum Judæis pretia statuet cùm venalia proponunt: justum est enim sua cuique committere. Itaque Rectores Provinciarum vobis nullum disconsorem aut moderatorem esse concedent. Quòd si quis sumere sibi curam (præter vos, procerésque vestros) audeat; eum, velut aliena appetentem, supplicio coercere festinent. Dat.* IV. *Kal. Mart. Const. Arcadio* IV. *& Honorio* III. *AA. Conss.* Lege IX. C. *De Judæis & Cœlicolis:* & Lege X. Cod. Theod. eod. An, inquam, sanctio ista antiquata sit Constitutione insecutâ, quam descripsimus, quæri potest: & nobis videtur esse antiquata, cùm forum & Leges ac jura Judæis adempta sint istâ Constitutione: quæ tamen & ipsa diu non obtinuit, ut conjicere est. Nam anno 20. pòst, potestas judicia inter Judæos faciendi illorum Primatibus videtur data; *Si qua inter Christianos & Judæos sit contentio, non à senioribus Judæorum sed ab ordinariis judicibus dirimantur. Dat.* XIII. *Kalend. Nov. Honorio* XII. *& Theodosio* VIII. *A A. Conss.* Lege XV. C. eod. Nam hinc constat Judæum actorem vel reum Christiani forum sortiri debere. Ergò ubi inter Judæos ipsos est contentio, à Judæorum Primatibus potest dirimi. Atque ista hactenus de præfectis à Patriarcha suæ ditioni Primatibus, qui judicia redderent atq; jus dicerent Judæis earum Synagogarum quarum erant Primates. Sed non possum prætermittere sine piaculo Legem à Constantino Magno scriptam, Gallicano & Symmacho Coss. de immunitate horum Primatum ab omnibus tam personalibus quàm civilibus muneribus; ea est Lex. II. Cod. Theod. eod. primáq; illius verba hæc sunt; *Qui devotione totâ Synagogis Judæorum, Patriarchis, vel Presbyteris se dederunt, & in memoratas sectas degentes Legi ipsi præsident, immunes ab omnibus tam personalibus quàm civilibus muneribus perseverent.* In morbo jacent ista, *& in memoratas sectas degentes Legi ipsi præsident.* Nam non *Legi ipsi præsidebant*, ut tamen præfert vulgata ista scriptura, sed potiùs ex illorum Lege atque secundùm jura ac Leges patrias judicia reddebant. Rescribendum igitur est, *& in memorata secta de gentis Lege ipsi præsident.* Sensus est, Qui vel in Archisynagogis, Patribus Synagogarum, & Hiereis, vel in Patriarcharum Apostolis, aut inter Presbyteros censentur ac numerantur, genti pro more & ex lege gentis ipsius, quæ erat hujusmodi viros à Patriarchis præfici Judæis suis ditionibus subjectis, præsident, immunes esse ab omnibus tam personalibus quàm civilibus muneribus. Et quidem ista sunt quæ observavimus de Primatum præfectura attributa illis à Patriarcha, ut jus suis dicerent, & quæ minoris erant momenti gererent. Quod ad Rempublicam & cætera, quæ majoris erant operæ, illorum cura incumbebat Patriarchis, non solis tamen, sed unà cum Apostolis, quos appellant, qui longè majoris erant dignationis quàm cæteri Primates, Archisynagogi, Patres Synagogarum, Hierei, atque Presbyteri. Erant enim Apostoli suis Patriarchis à consiliis, illorúmque consistoriani comites. Epiphanius loco laudato; ὃν γὰρ ὁ Ἰώσηπος πρὸ παρ' αὐτοῖς ἀξιωματικῶν ἀνδρῶν ἐναρίθμιος ὢν· εἶσί γέ τοι μετὰ Πατριάρχου Ἀπόστολοι καλούμενοι· ἀφισταμένου γὰρ τοῦ Πατριάρχου, καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις, καὶ ἐν νυκτὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγουσι, διὰ τὸ συμβουλεύειν καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατ' ἐκ νόμον. Eâque erant secundùm Patriarchas auctoritate ut penès illos esset, acceptâ à Patriarchis potestate, jus movendi Magistratu & dignitate Primates Judæorum ditionibus Patriarcharum subjectos, Archisynagogos, Hiereos, Presbyteros, Azanitas, si quid deliquissent. Epiphanius de Josepho illo Apostolo Judæ Tiberiadensium Patriarchæ, qui in Ciliciam (erat illa præfecturæ hujus Patriarchæ attributa) ablegatus est; Μετὰ ὀλίγων ὁ Ἰώσηπος ἀποστέλλεται εἰς Κιλίκων γῆν· ἐπεὶ ὢν οἶδε Ἀπόστολος, ὥστε καὶ παρ' αὐτοῖς, ὡς ἔφην, τὸ ἀξίωμα κεκτῆται, ἐμβριθέστατος καὶ κεκαρευὼν δῆθεν τὰς κατάσεις συνομίλας, ὥστε ἀντιλέγειν συμβαλόμενος, πολλὰς δὴ κακῶν κατασκάπτων Ἀρχισυναγώγων, καὶ Ἱερέων, καὶ Πρεσβυτέρων, καὶ Ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς Διακόνων ἐμπλεκομένων ἢ ὑπερβῆναι, καθαιρῶν τε καὶ μεταλλαγὰς τῆς ἀξιώματος ὑπὸ πολλῶν ἐνεκοτεῖτο. Videtur autem facta esse ab Apostolis hæc ἀνάκρισις Archisynagogorū, Hiereorum, Presbyterorum, Azanitarúmque, quotannis. Fiebat namque ab Apostolis, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore ad sin-

gulis Synagogas dirigebantur. Habes in exemplo hujus Josephi apud Epiphanium, Συμβέβηκεν αὐτὸν τ̀ Ἰώσηπον, μ τὸ ἀδελφιδοῦν Ἰούδα τ Πατριάρχου, ὃν πρεσβύτερον γέρας τ Ἰωσήπου τ Ἀποστολῆς δῦναι τ ὀπαδεῖαι· κ μετ' ὀπτολῶν ὅπερ ὑπετέλει εἰς τ Κιλίκων γλῶ, ὃς ἀνελθὼν ἐκεῖσε ὑπ ἑκάστης πόλεως τῆς Κιλικίας τὰ ὀπτὰ ἑκατὰ κ τὰς ἀπαρχὰς περ ἧς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἰουδαίων εἰσέπρασσεν. E quibus verbis hoc ampliùs discès, munus istud exigendi auri atque argenti Apostolis illis fuisse à Patriarcha demandatum, quibus factum vellet. Aurum istud atque argentum Patriarchæ pendebatur, ídque quotannis, à Synagogis singulis quæ ditionis & præfecturæ illius erant; *Anniversarium canonem de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam quam Patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant.* L.XVII.C. *de Judæis & Cœlicol.* quæ Lex est ultima Cod.Theod. eod. Ergò anniversarium canonem auri coronarii singulæ Synagogæ Patriarchæ suo pendebant, h.e. quotannis. Ac primò exigebant istud aurum à singulis uniuscujusq; Synagogæ Judæis, illarum Synagogarum Archisynagogi, Hierei, Presbyteri, Azanitæ; postea ab illis Archisynagogis, Hiereis, Presbyteris, Azanitis exigebant Apostoli. Habes omnia ista apud Epiphanium, in iis quæ proximè descripsimus. Nam mittitur à Juda Tiberiadis Patriarcha & dirigitur Josephus Apostolus ad Synagogas Ciliciæ, ut ab Archisynagogis & cæteris quos recensuimus anniversarium hunc coronarii auri canonem exigeret. Gravissimus autem hic morum censor Josephus, qui vellet Primates Synagogarum ad sanam mentem & decorum revocare, perditos illos Archisynagogos, Hiereos, Presbyteros, & Azanitas, qui nimiùm quàm multi erant in Cilicia, dignitate movet, hoc prætextu, quòd auri coronarii anniversarium canonem non penderent, aut potiùs tricarentur ac moras necterent in pendendo. Hic est sensus, meo judicio, verborum Epiphanii; μετ' ὀπτολῶν ὁ Ἰώσηπ ὑπετέλει εἰς τ Κιλίκων γλῶ, ὃς ἀνελθὼν ἐκεῖσε ὑπ ἑκάστης πόλεως τ Κιλικίας τὰ ὀπτὰ ἑκαστὰ κ τὰς ἀπαρχὰς περ ἧς ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἰουδαίων εἰσέπρασσεν· ἐπεὶ ὧν οἷα Ἀπόστολ, ὕτως γὸ παρ' αὐτοῖς, ὡς ἔφη, τὸ ἀξίωμα κεῖται, ἐμβριθέστ κ καθαρεύων δῦθεν τὰ εἰς καλάσασιν ἐυνομίας, ὅπως ὀπτελῶν περβαλόμ, πολλὰς τ κακῶν κατασθέντων Ἀρχισωαγώγων, κ Ἱερέων, κ Πρεσβυτέρων, κ Ἀζανιτῶν τ παρ' αὐτοῖς διακόνων ἐρμωδιομένων ἢ ὑπηρετῶν, καθαιρῶν τ κ μετακινῶν τὸ ἀξιώματ, ὑπὸ πολλῶν ἐνεκοτεῖτο. Miror erudit issimis viris non suboluisse de mendo in his verbis, ὕτως ὀπτελεῖν περβαλόμ. Cui enim respondebit ὕτως illud? an adulteratis & πονηρῷ κόμματ numis anniversarium coronarii auri canonem pendebant? aut quid illud est, ad cujus similitudinem pendere causatur & prætexit Josephus? Sed transpositæ sunt voces, quæ ità distinguendæ sunt, & locus concipiendus, ὥς, ὐκ ὀπτελεῖν περβαλόμ. Itaque ὐκ ὀπτελεῖν περβαλλόμ, *non pendere causatus*, perditissimum quemque Archisynagogorum, Hiereorum, Presbyterorum, & Azanitarum dignitate movit, & in odium multorum incurrit. Sed hæc obiter. Eundem ordinem observare est in Constitutione Imperatorum Arcadii & Honorii AA. ad Messalam PP. quâ interdicitur Judæis in posterum aurum atque argentum mittere Patriarchis, & exactoribus illis exigere, sancitâ pœnâ in quam incurrant qui exegerint; *Superstitionis indigna est, ut Archisynagogi, sive Presbyteri Judæorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omne quicquid consideratâ temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur erarium. De cetero autem nihil prædicto decernimus esse mittendum. Noverint igitur populi Judæorum removisse nos depræ dationis hujusmodi functionem. Quòd si qui ab illo depopulatore Judæorum ad hoc officium exactionis fuerint directi, judicibus offerantur, ità ut tanquam in Legum nostrarum violatores sententia proferatur. Dat. 3. Id. April. Med. Theodoro V.C. CONS.* Lege 14 Cod. Theod. eod. Sed mutavit jus istud, iisdem Imperatoribus auctoribus. Nam anno 5. post hanc Constitutionem, alterâ ad Hadrianum PP. datâ potestatem fecerunt & copiam concesserunt Imperatores Arcadius & Honorius Judæis aurum coronarium mittendi ad Patriarcham; *Dudum jusseramus ut ea quæ Patriarchis à Judæis istarum partium ex consuetudine præbebantur, minimè præberentur. Verùm nunc amotâ primâ jussione secundùm veterum Principum statuta privilegia cunctos scire volumus, Judæis mittendi copiam à nostra clementia esse concessam. Dat. 8. Kal. Aug. Rom. A. VI. & Arisæneto CONSS.* Verùm, agè, videamus quodnã illud fuerit quod ad Patriarcham ditioni illius subjecti Judæi aurum mittebant atque argentum. *Coronarium* appellant Imperatores Theodosius & Valentinianus Lege XVII Cod. eod. *Anniversarium Canonem de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam quam Patriarchæ quondã auri coronarii nomine postulabant.* Quod his verbis Græci explicant, ídque rectè, ut maximo Cujacio videtur ad L.X. Cod. Titul. LXXV. *de auro coronario*, ἐπειδὴ οἱ Ἰουδαῖοι παρεῖχον ὑπὲρ τῶ χρυσίου τῷ οἰκείῳ ἱερεῖ καθ' ἕκαστον ἔτ ἡμιλῶ ποσότητα χρυσίου. Putátque vir summus id aurum olim Judæos quotannis contulisse Patriarchis Hierosolymitanis, atq; huc pertinere verba M. Tullii pro L. Flacco, *Cùm auri Judæorum nomine, quotannis ex Italia & ex omnibus vestris Provinciis Hierosolymã exportari soleret.* Sed, meo judicio, fallitur ὁ πάνυ, & confundit Patriarchas cum Pontificibus Hierosolymitanis. Atqui neque fuerunt Judæorum Patriarchæ de Pontificum aut Sacerdotum gente: neq; itẽ quamdiu fuerunt Pontifices Hierosolymæ; nam Patriarchæ instituti sunt ἐν τῇ ὑςέρᾳ διασπορᾷ, post excidium Hierosolymitanum. Adde quòd neq; Hierosolymæ tantùm fuerunt Patriarchæ, sed etiam alibi, ut Alexandriæ Ægypti, Tiberiade, & in partibus Occidentalibus. Quod verò ad Ciceronis verba attinet, sciendum est, Hierosolymitanum Templum fuisse commune Judæorum omnium, ubicunq; gentium essent, ærariũ. Habes apud Maimonidem, ubi exponit illud præceptũ quo cavebatur, nè Judæorum Rex magnam auri atq; argenti vim compararet, שלא ירבה לו כסף וזהב: Docet enim cõmodè esse intelligendum, nè videlicet apud se Rex adservet. Nam vetitum non erat thesauros reponere in Templo Dei, tanquam publico gentis ærario. Maimon. וכל כסף וזהב שירבה לאוצר בית יהוה ולהיות שם מכן לצרכי הצבור ולמלחמותם הרי זה מצוה להרבותו ואין אסור אלא להרבות לעצמו בבית גנזיו: Pariã cum Maimonide facit Josephus l. 14. Θαυμάσῃ δ μυδεὶς ὁ τοσοῦτος ἐν πλῦτ ἐν τῷ ἡμεδέρῳ ἱερῷ, πάντων μὲν χρ τ οἰκουμένων Ἰουδαίων κ Σεβομένων τ Θεὸν, ἔτι δ κ μᾶλλον ἀπὸ τῆς Ἀσίας κ τῆς Εὐρώπης, εἰς αὐτὸ ζυμφερόντων ἐκ πολλῶν πάνυ χεόνων, ἡμῖν δ δημόσια χρήματα ὐκ ἔσιν, ἢ τὰ τῦ Θεῦ μόνα. Rursum l. 18. docet quodnam fuerit illud aurum quod Hierosolymam exportabatur, τὸ δίδραχμον nempe, quod Israelitarum singuli annos nati 20. tenebantur Deo pendere, cujus lex habetur apud Moysem, & mentio in Euangelio, inferebatúrq; Templo, & præterea aliam votivam pecuniam; ἔσι δ κ Νίσιβις πόλις χ τ αὐτὸν τ πολαμῦ περῤῥέον, ὅθεν Ἰουδαῖοι τῇ φύσ μᾶλλον χεῖον πεπισδκότες, τότε δίδραχμον τῷ Θεῷ καταβάλλειν ἐκάσοις πάτριον ταύτῃ καταπιδεῦσο, κ ὁπόσα ἄλλα ἀναθήματα· ἐχρῶντο δ ἄμφω ταμείῳ ταῖσδε τ πόλεσιν· ἐντεῦθεν δ δὴ Ἱεροσολύμων ἀνεπίμπλητο ἡ καιρός. Aurum igitur hoc mittebatur ad summũ Pontificem, sed Hierosolymam exportabatur, inferebatúrq; in Templum, ut in eo tanquam ærario publico reponeretur ad usus gentis publicos. Aurum verò quod exigebant Patriarchæ ad illos mittebatur, non è didrachmis aut votiva aliqua pecunia, sed amore Judæorum proprio; appellatúrque ab Imperatoribus *aurum coronarium* è communi Romanorum loquendi usu. Est autem *aurum coronarium, quæ diversarum ordines curiarum, vel amore proprio, vel indulgentiarum lætitiâ, vel rebus prosperè gestis admoniti in coronis aureis signísq; diversis obtulerint.* Lege IV. Cod. Theod. *De auro coronario.* Quod Patriarchis mittebatur aurum atq; argentum à Judæis, & appellatur aliquâ similitudine *aurum coronarium*, missum est, ut nobis videtur, primò amore Judæorum proprio in suos Patriarchas; postea à Patriarchis coactum est, quia consuetudo id tulerat: nam non poterat ab ullo *absq; consuetudine cogi:* Lege unicâ, C. *De auro coronario.* Cogebant autem & exigebant

Archi-

Archisynagogi sive Presbyteri, cæteríque, vel Apostoli à Patriarchis directi, exigebant, inquam, aurum istud atque argentum à Judæis ex uniuscujusque decimis atque primitiis frugum. Epiphanius de Josepho verbis jam antè non semel descriptis; Μετ' ὀλίγων ὁ Ἰώσηπος ἀποστέλλεται εἰς ἡ Κιλίκων γλῶ, ὃς ἀνελθὼν ἐκεῖθε ὑπὸ ἐκάστης πόλεως τῆς Κιλικίας τὰ ἐπιδέκατα καὶ τὰς ἀπαρχὰς παρὰ τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ Ἰουδαίων εἰσέπραττεν. Non tenebantur Judæi, Templo non stante, nec obtinente sacrorum usu, ad primitias, therumoth, & decimas frugum; & si tenerentur, pendere non tenerentur nisi Levitis ac Sacerdotibus. At verò, quia primùm amore proprio in suos Patriarchas, qui non erant de gente Levitica aut Sacerdotali, contulerunt Judæi adæratione primitiarum & decimarum suarum frugum; propter hanc consuetudinem factum est ut postea jure Patriarchæ ab iis aurum atque argentum cogerent ex decimis & primitiis illorum adæratis, idque quotannis, ut jam diximus. Quanquam non unâ vice cogebatur & exigebatur istud aurum, sed pluribus in singulis annis vicibus; quod suspicari licet ex his Legis XIV. Cod. Theod. *De Judæis & Cœlicol.* verbis, quæ jam descripsimus; *Superstitionis indigna est, ut Archisynagogi, sive Presbyteri Judæorum, vel quos ipsi Apostolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à singulis Synagogis exactam summam atque susceptam ad eundem reportent. Qua de re omne quidquid considerat à temporis ratione confidimus esse collectum, fideliter ad nostrum dirigatur erarium.* Vides enim III. Idus Aprileis, ante quem diem data est Mediolani hæc Constitutio, nondum coactum fuisse omne illud aurum atque argentum, sed pro temporis ratione partem aliquam; nimirum aurum atque argentum ex adæratis primitiis & decimis musti & olei illius anni Judaici vertentis à mense Tisri. Supererat cogendum ex adæratis primitiis atque decimis frugum, quod cogi nondum poterat a. d. III. Id. April. Nam ut dicam quod sentio, cùm exigeretur & cogeretur aurum illud coronarium quod Patriarchæ postulabant è primitiis & decimis, non poterat exigi nisi jam collectis & elaboratis frugibus. Quare statuimus tribus vicibus quotannis exactum fuisse coronarium hoc Patriarcharum aurum, primâ quidem novo anno, post festum Scenopegias, elaborato jam vino; alterâ, elaborato jam oleo; tertiâ denique post Pentecostes festum, elaborato frumento. Atque ità ut statueretur modus & forma ad quam exigeretur, scilicet modius frumenti, aut hemina vini, aut quartarium olei, tot æra pendebat, atque formam hanc postulabant, & ad eam exigebant coronarium aurum nomine Patriarchæ à Synagogis Archisynagogi, Hierei, Presbyteri, Azanitæ, ab his Apostoli. Sed ista fuerunt quamdiu Patriarchæ Judæorum rebus præfuerunt, postea mutarunt; & Patriarchis esse non licuit, nedum præesse. Verùm tempus quo esse desierunt investigandum est. Suâ ætate nullos fuisse Judæorum Patriarchas testatur Theodoretus verbis jam antè à nobis laudatis; καὶ αὐτοὶ, Judæorum Patriarchæ, παιδιὰν ἡγανίσθησ, καὶ χεῖρον διελήλυθεν ἐξ οὗ καὶ ἡ τῶν ἡγεμονία τὸ πέρας ἐδέξατο· quod verum est: nam anno Christi CCCCXXIX, Florentio & Dionysio Coss. jam non erant Patriarchæ. Liquet è Constitutione Imperatorum Theodosii & Valentiniani data his Coss. ad Joannem C. S. L. *Judæorum primates, qui in utriusq; Palæstinæ Synedriis dominantur, vel in aliis provinciis degunt, periculo suo anniversarium canonem de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigant ad eam formam quam Patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant, & hoc quod de Occidentalibus partibus Patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Dat. III. Kal. Jun. Constantinop. Florentio & Dionysio CONSS.* L. XVIII. *De Jud. & Cæl.* Magísque liquebit ex eadem Constitutione, ut legitur L. ultimâ Cod. Theod. eod. *Judæorum primates, qui in utriusq; Palæstinæ Synedriis nominantur, vel in aliis provinciis degunt, quæcunq; post excessum Patriarcharum pensionis nomine suscepere, cogantur exsolvere. In futurum verò periculo eorundem*, &c. Legis hîc *excessum Patriarcharum*, id est, Patriarchas non ampliùs esse, ídque jam ab aliquot annis: itaque dicunt Imperatores, *Patriarchas quondam postulasse aurum coronarium*, quando scilicet erant; erant autem adhuc Patriarchæ anno Christi CCCCIV. qui Consules habuit Honorium Aug. VI. & Aristænetum: nam eo anno scripta est Lex XVII. Cod. Theod. *De Jud. & Cœlicol.* quâ cavetur, licere Patriarchis aurum à Judæis suæ ἐπαρχίας καὶ ὑποδιαστολῆς exigere. Restat igitur ut intra illud annorum intervallum, quod est ab anno Christi CCCCIV ad CCCCXXIX, Patriarchæ esse desierint. Postquam autem esse desierunt Patriarchæ; sive *post excessum Patriarcharum*, ut loquuntur Imperatores, Judæorum Primates ex auro illo coronario quod Patriarchis pendebatur quotannis, pensionis nomine quædam susceperunt: sed id omne à primatibus refundi voluerunt Imperatores, ut suo ipsorum inferretur ærario: atq; in posterum voluerunt aurum illud coronarium, quod à primatibus Judæorum ubique terrarum de Synagogis omnibus exigebatur, ut Patriarchis à Primatibus, qui illorum ἐπαρχίας & ditionis essent, mitteretur, sibi pendi, iisdem Primatibus exigentibus. *Judæorum Primates, qui in utriusq; Palæstinæ Synedriis nominantur, vel in aliis provinciis degunt, quæcunque post excessum Patriarcharum pensionis nomine susceperè, cogantur exsolvere. In futurum verò periculo eorundem anniversarius canon de Synagogis omnibus, Palatinis compellentibus, exigatur ad eam formam quam Patriarchæ quondam coronarii auri nomine postulabant. Quæ tamen quanta sit, solerti inquisitione discutias, & quod de Occidentalibus partibus Patriarchis conferri consueverat, nostris largitionibus inferatur. Dat. III. Kal. Jun. Constp. Florentio & Dionysio CONSS.* Atque ista hactenus de Judæorum Patriarchis & Apostolis. Videamus jam, τίνες διδόνται, quinam sint illi qui *Primates* Judæorum appellantur, itémque *Majores* non semel, *Proceréque*. *Primates* illi sunt, *qui illustrium Patriarcharum arbitrio suam habent sententiam*, i. autoritatem, L. VIII. Cod. Theod. *De Jud. & Cœlicol.* At verò hi sunt Archisynagogi, Patres, Hierei, Presbyteri L. XIII. Cod. eod. *qui de gentis Lege ipsi genti præsident.* L. II. Cod. Theod. eod. *quósque Patriarchæ cæteris præposuerunt.* L. XV. Cod. Theod. eod. *Archisynagogorum* nomen jam ante τὸν ὑστέραν διασπορὰν erat notum, ut constat ex historia Euangelica; & ex Act. Apost. cap. 13 15. videtur posse colligi in unaquaque Synagoga plures fuisse Archisynagogos: μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ Νόμου καὶ τῶν Προφητῶν ἀπέστειλαν οἱ Ἀρχισυνάγωγοι πρὸς αὐτὸς, λέγοντες, ἄνδρες ἀδελφοὶ, εἴ τις λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως πρὸς τὸν λαὸν, λέγετε. E quibus verbis liquet, præfuisse Archisynagogos cœtibus Ecclesiasticis qui in Synagogis cogebantur; atq; verba fecisse apud populum pro concione, quibus per illos licebat, ut etiam in ordinem cogebatur ab iis & sui admonebatur officii populus qui convenerat. Lucæ 13.14. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἀρχισυνάγωγος, ἀγανακτῶν ὅτι τῷ σαββάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ Ἰησοῦς, ἔλεγε τῷ ὄχλῳ· ἓξ ἡμέραι εἰσὶν, ἐν αἷς δεῖ ἐργάζεσθαι· ἐν ταύταις οὖν ἐρχόμενοι θεραπεύεσθε, καὶ μὴ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου. *Patrum Synagogarum* meminit Imperator Constantinus M. *Imp. Constantinus Hierei, & Archisynagogis, & Patribus Synagogarum, & cæteris qui in eodem loco deserviunt. Hiereos, & Archisynagogos, & Patres Synagogarum, & cæteros qui Synagogis deserviunt, ab omni corporali munere liberos esse præcipimus. Dat. Kal. Decemb. Constp. Basso & Ablavio CONSS.* L. IV. Cod. Theod. eod. itémq; ex emendatione nostra Lex XIII. Cod. Theod. eod. Atq; hunc Patrem Synagogæ putamus primũ fuisse, si ab Archisynagogo discedas, cujus erat vicarius. Hujus rei conjecturam facimus è cæteris Judæorum institutis: nam in magno Synedrio Hierosolymitano בית דין LXXI. erat אב alter à נשיא, ut constat è jure Talmudistarum. Pari ratione existimamus Patres Synagogarum primos esse ab Archisynagogis: & fortasse hinc est quòd plures unius Synagogæ nominentur Archisynagogi: non quòd plures revera essent Archisynagogi; sed in unaquaq; Synagoga erat Archisynagogus, & alter ab eo Pater Synagogæ, illius vicarius, qui ejusdem nominis honore afficitur: quemadmodũ apud eosdem Judæos, utut Summus Pontifex unus esset, tamen ejus Vicarius etiam Summus

Pontifex appellatur in sacris Bibliis, ut observarunt jam pridem viri clarissimi. Atque idem erat muneris Patri Synagogæ quod Archisynagogo, cujus erat vicarius vicésque ejus fungebatur. Sequitur ut de *Hiereis* dicamus, quorum mentio Lege illâ IV. Cod. Theod. *de Jud. & Cœlicol.* & Lege XIII. Cod. Theod. eod. ut quidem nos emendamus. Ac primùm quidem observandum est in singulis Synagogis plures fuisse Hiereos, quorum unus esset cæterorum primus Hiereorum, qui *Archiereus* dicebatur. Habes apud Ælium Lampridium in Alexandro Severo; *Volebat videri originem de Romanorum gente trahere, quia eum pudebat Syrum dici: maximè quod quodam tempore festo, ut solent Antiochenses, Ægyptii, Alexandrini, lacessiverant eum convitiolis,* SYRUM, ARCHISYNAGOGUM, *eum vocantes,* ARCHIEREUM. *Hiereis* autem atque *Archierei* appellabantur, non quòd de Sacerdotum gente essent, sed quia, quod olim fuerat Sacerdotum munus quamdiu res Judæorum steterunt, in instituendo populo Hierei isti præstabant, & Legem in Synagogis legebant atque interpretabantur. Quare etiam iidem mihi videntur fuisse appellati *Didascali*. *Didascalorum* nomen occurrit in inscriptione Legis XXIII. Cod. Theod. eodem. *Imperatores Honorius & Theodosius AA. Annati Didascalo & Majoribus Judæorum.* De istis Judæorum Hiereis modóque illos eligendi verba Alexandri Severi apud Ælium Lampridium sunt intelligenda, *Et quia de publicandis dispositionibus mentio contigit, ubi aliquos voluisset vel Rectores provinciis dare, vel præpositos facere, vel procuratores, i. rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis: dicebátque, grave esse cùm id Christiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita.* Vides in ordinandis Hiereis Judæos id observasse, ut nomina eorum proponerent, quò posset fieri ἀνάκρισις illorum, & in vitam morésque inquiri, ut detecti mali rejicerentur, prædicati verò boni ordinarentur. Idque observatum volunt ab ipsis Ecclesiæ Judaicæ primordiis in Sacerdotum ordinatione. Cyprianus Epist. 68. de inauguratione Eleazari Aaronis filii in Sacerdotem; *Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem: i. instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales nonnisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio justa & legitima quæ omnium suffragio fuerit examinata.* Quod ad Presbyteros attinet Judæorum, qui *Seniores* etiam appellantur Lege XV. C. *de Jud. & Cœlicol.* sententia nostra est, fuisse è Judæis nobilissimos & sapientissimos, qui unà cum suæ Synagogæ Archisynagogo, Patre Synagogæ, Archiereo, & Hiereis, Synagogæ suæ præessent, respondebántque illis qui de populo in Synedrium ex LXXII legebantur, ut constat è Maimonide. Atque isti sunt Archisynagogi, Patres Synagogarum, Archierei, Hierei, & Presbyteri, qui *Judæorum primates*, & *in Synedriis dominari* dicuntur: i. è quibus Synedria in singulis illis urbibus, in quibus erant Judæorum Synagogæ, constituebantur, & penès quos jus dicendi erat potestas. Sed fuerunt quoque præter istos qui præerant Synagogis, Synagogarum ministri, quos Ἀζανίτας appellat Epiphanius loco jam antè à nobis sæpius laudato, de quibus quædam dicenda sunt. Epiphanius interpretatur διακόνους ἢ ὑπηρέτας. Diaconorum munus describit B. Chrysostomus in cap. 9. Heb. Homiliâ 17. ὁ διάκονος ὑψηλὸς ἐστὼς μεγάλῃ τῇ φωνῇ, φασὶ δεῖ τῇ βοῇ, καθάπερ τις κήρυξ τῶν χείρονα αἴρων εἰς τὸ ὕψος, τὰς μὲ καλεῖ, τὰς δ' ἀπείργει, τὰς μὲ ἐκβάλλει, τὰς δ' εἰσάγει. Matthæus Blastares, referentibus viris eruditissimis; ᾠδεῖον ἐξαρτῶντες διάκονοι τοῖς ἱερουργοῦσι πέπλους ἀμφοῖ, καὶ τὰς τῆς ἱερᾶς τελεσθῆς ὀπτηρεῦντες ἐυχὰς, καὶ τῷ ᾠδείῳ τοῖς ὧν τῷ ἄμβωνι σημαίνουσι διακόνοις τὸν καιρὸν τῆς ἀφωνίσεως ἢ † κατηχυμένων καὶ τῶν πιστῶν. Non longè abludit Azanitarum munus, qui שליחין דצבור appellantur apud Maimonidem Tractatu תעניות. Aderant Azanitæ recitanti è pulpito Legem, manu sudarium tenentes, qui motitantes sudarium istud, signum populo dabant ut AMEN diceret. Elias Levita è Baal Aruk; חזן הכנסת הוא המיציא הקהל בתפלתו ונקרא חזן מלשון ראייה שהוא צריך לראות היאך יקרא והיאך קורא בני אדם לספר תורה כך פירש בעל הערוך אבל מצאתי ששליח הצבור רוצה לומר שמש הקהל נקרא חזן: כאמרם החזן היה מניף בסודר: ונקרא אם כן חזן לפי שהוא צריך לראות פה הם צרכי הצבור שיעשה המוטל עליו: Ex his quæ à nobis hactenus dicta sunt, patet quàm peritè Nicolaus Serrarius Rabbino suo priore cap. 32. eundem faciat שליח הצבור & Ἀρχισυνάγωγον, quàm malè item illos Apostolos, quorum nomen apud Epiphanium legitur, dicat eosdem esse cum iis Apostolis de quibus mentio apud S. Justinum Dialogo adv. Tryph. & D. Hieronymum ad Esaiæ 18. Sed non distinguit inter Apostolos consistorianos Patriarcharum comites, quorum ut & Patriarcharum census tantùm est ἀπὸ τῆς ὑσέρας διασπορᾶς, & inter illos qui paulò post mortem Domini missi sunt in universum orbem terrarum hac una de causa nè susciperent Christi passionem. Justinus non semel loco laudato. Beatus Hieronymus in Esaiam ex Eusebio Cæsariense; *In præsenti capitulo adversùm Judæos & Hierosolymam dicit prophetiam dirigi: quòd in principio fidei Christianæ ad totas gentes epistolas miserint nè susciperent passionem Christi: & miserint usq; ad Æthiopiam & Occidentalem plagam, totúmque orbem hujus blasphemiæ dissemination compleverint.* Sed ista mittamus, accedamus potiùs ad interpretationem eorum quæ leguntur Novellâ CXLVI. *Ut hâc datâ nobis licentiâ, neque damnis aliquibus subjiciantur omnino qui Græcam vocem & alias tradunt, neque ab aliquovis prohibeantur. Neque licentiam habebunt hi qui ab eis majores omnibus* Archiperecitæ *aut* Presbyteri, *forsitan vel* Magistri *appellantur, perinœis aliquibus aut anathematismis hoc prohibere.* Viri magni putant *Archiperecitæ* esse vocem hybridam, Græcam partim, partim Hebræam. Horum munus erat legere & interpretari illas Legis & Prophetarum sectiones, quas Hebræi פרשות & פרקים appellant, & ad eas accommodare subdistinctiones Tractatuum majorum Talmudicorum, quas iidem Judæi פרקים vocant. Igitur Ἀρχιπερεκίται, quasi *particularii*, quibus ad unguem noti Talmudis tituli. Vir non ineruditus Nicolaus Serrarius Rabbino priore cap. 17. vult Archiperecitas appellatos fuisse, vel qui temporum gnari valde habebantur, vel potiùs qui Talmudis erant callentissimi, ejusdémque lectioni præsidebant, ἀρχιδιδάσκαλοι nimirum, vel Archirabbini. Sed meo judicio falluntur. Hoc quidem verum est, partim Græcam esse vocem, partim Hebræam, τὸ *Archiperecitæ*: Sed nobis non probatur, quòd posterius membrum à פרקים Talmudis deducant. Quomodo enim approbarentur *Archiperecitæ*, qui Talmudis titulos, sive פרקים, publicè in Synagogis legerent & interpretarentur, cùm hâc ipsâ Constitutione interdicat Justinianus publicâ τῆς δευτερώσεως quam משנה תורה appellant, & est præcipua Talmudis pars, lectione? Verba Constitutionis hæc sunt; *Eam verò, quæ ab eis δευτέρωσις dicitur, interdicimus omnimodo, utpote sacris non conjunctam libris, neque desuper traditam de Prophetis, sed inventionem constitutam virorum ex sola loquentium terra, & Divinum in ipsis habentium nihil. Et ipsas ergò sacras voces legant, codices ipsos respuentes, sed non abscondentes quidem quæ per eos dicta sunt, exterioribus verò traditis sine scriptis vanæ vocis utentes, ad simpliciorum per ipsos excogitatis perditionem.* Ex his videre est, caveri hâc Constitutione nè publicè in Synagogis legantur αἱ δευτερώσεις, sed Hebraica Biblia, & si velint, eorum Græca, aut alia aliqua versio. Cùm verò à majoribus sive Primatibus & proceribus suis prohiberentur Judæi Græcâ vel aliâ linguâ patriâ reddita Biblia cum Hebræo contextu legere, eósque, qui secùs facerent pœnis multarent Primates, cavet Justinianus nè in posterum Primates hoc prohibeant, aut pœnis multent eos qui fecerint. Majores isti & Primates Judæorum ab Imperatore appellantur *Archiperecitæ*, *Presbyteri*, *Magistri*. De Presbyteris

Presbyteris jam à nobis dictum est, qui sint: Magistri nobis iidem esse videntur qui Hierei in Codice appellantur, erántque Didascali, & in Synagogis Legem prælegebant atque interpretabantur. Quod ad *Archiperecitas* attinet, eosdem esse cum iis putamus qui ab aliis *Archisynagogi* dicuntur. Ratio verò nominis hæc est: prius illius membrum Græcum est, posterius verò Hebraicum à פרק, quando significat *supereſſe malis, & ab illis liberari:* & פרקה appellarunt illis temporibus reliquias illas Judæorum variis in locis superstites, & tot defunctas malis, quibus excepta fuerat universa illorum gens & natio: פרקה igitur erat manus Judæorum, quæ in eandem cogebatur Synagogam, ità appellata, quia supererat excidio gentis: quales פרקות erant ubique terrarum. Archiperecitæ ergò sunt qui suis præsident פרקות, i. Archisynagogi. Neque alia mens est verborum Seder olam zuta de Marzutra, quæ referemus è Serrarii fide, *Ascendit in terram Iſrael, & conſtituerunt eum Leriſch Perekh.* Ità legit Serrarius, & exponit *in caput* sive *principem Perakim:* sed falsò; nam, ut ex ejus scriptura constat, scriptum est Judaicè לריש פרקה, non autem פרקים aut in statu constructo פרקי. Est igitur Archiperecita, ריש פרקה qui præst uni Synagogæ de reliquiis Judæorum: Archisynagogus. Constat autem ex hac Justiniani Novella, mutasse jus illud quod Arcadius & Honorius Judæis scripserat, Honorio A. IV. & Eutychiano Coss. quo Primatibus atque Majoribus Judæorum adimebantur judicia in causis quæ ad superstitionem illorum pertinebant: Nam non negat Justinianus, imò contrà probat, Majores Judæorum judicia reddidisse in causis quæ superstitionem eorum attinebant, ex eo quòd non vult ut secundùm jus illud iis attributum mulctent pœnis Ecclesiasticis eos qui Græca aut vernacula Biblia cum Hebraica editione in Synagogis legebant, *neque licentiam habebunt hi qui ab eis Majores omnibus Archiperecita, aut Presbyteri, forsitan vel Magistri appellantur, perinæis aliquibus aut anathematismis hoc prohibere.* Vides hos Judæorum Majores Judæos suæ ditionis delinquentes in iis quæ erant superstitionis Judaicæ mulctasse anathematisinis & Συναγωγὰς fecisse, quod ab iis fieri in hac causa prohibet Imperator.

CAP. 25. *Antiochi ſævitia in Judæos. Libros Legis tradi jubebat. Auctor Maccabaici I. illuſtratur. Pythoniſſa. Græca verſio 2 Reg. 21. emendatur.*

Quàm malè Judæos mulctaverit Antiochus Epiphanes referunt vernaculi eorum scriptores: inter cætera autem interdixit illis S. Librorum Moysis lectione. Elias in Tisbi אנטיוכס הרשע מלך יון גזר עלינו ישראל שלא יקראו בתורה: voluítque omnes Legis libros suis tradi ministris de medio tollendos, pœnâ capitis constitutâ adversùs eos qui deprehensi fuissent habere hos libros. Josephus lib. 12. c. 7. Ἠναγκάζετο ἡ ἅπαν βίβλον ἐυρεθεῖν ἱερὰ καὶ νόμον, καὶ πᾶς' οἷς ἐυρεθείη καὶ ἔτοι κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο. Idem leges apud auctorem Maccabaici 1. cap. 1. Καὶ τὰ βιβλία τῆς νόμου ἃ εὗρον ἐνεπύρισαν πυρὶ κατασχίσαντες, καὶ ὅπου ἐυρίσκετο παρά τινι βιβλίον διαθήκης. Exstat hac quoque de re ejusdem autoris locus cap. 3. 48. nemini, quod sciam, ex autoris mente expositus, eum adscribemus ex edit. Romana, cum qua paria facit Drusiana, itémque aliæ; καὶ ἐξεπίλασαν τὸ βιβλίον τῆς νόμου ὃν ἐξερεύνων τὰ ἔθνη τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν. Interpretantur Viri clarissimi *Gentes de libro Legis scrutabantur effigies idolorum suorum:* nec tamen capiunt satìs, nisi tunc temporis idola sua non sine norma aliqua è S. literis deprompta formari voluerint. In Hispanica editione ità legitur ut & in aliis quibusdam, atque etiam MSS. Ἐξερεύνων τὰ ἔθνη τῆς ἐπιγράφην ἐπ' αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν. Evolvebant fortè gentes sacra exemplaria ut numinum suorum imaginibus sparsim adornarent: nè Judæi, etiam inter legendum, ea quæ alibi colere recusarant, saltem non sine religione conspicere cogerentur. Sed posterior ista editio, ejúsque interpretatio, non potest probari, quia gentes sacra hæc exemplaria è Judæorum manibus ablata igne perdebant; tantum abest ut illa suorum numinum imaginibus adornarint, aut Judæis ea illis imaginibus adspersa legenda tradiderint. Crederem potiùs autorem Maccabaici hoc velle, Gentiles, cùm viderent Legis libros sibi à Judæis non tradi, sed occultari potiùs, suorum numinum idola interrogasse ubinam laterent illi libri: nam id illis solenne in rebus dubiis, & simulacra ipsa responsa dabant, vel בעלות אוב, quæ virgam myrteam manibus gestantes suffumigabantur, cùm interrogabantur. Maimonides lib. 1. Tract. עבודה זרה, Perek 6. f. 26. b. מעשה האוב זה שהוא עומד ומקטיר קטרת ירועה ואוחז שרביט של הדס בידו ומניפו והוא מדבר בלט ברברי ידועי אצלם: Græci Interpr. אבו vertunt Ἐγγαστρίμυθοι, cùm soleant ἐγγαστρίμυθον. Locus est 2 Reg. 21. 7. de Manasse, καὶ ἐποίησε ἐγγαστρίμυθον καὶ γνώσας. Miror viris eruditissimis è Suida, qui τελεσφόρον, τέλειον μάντιν, ἐγγαστρίμυθον interpretatur, non succurrisse, emendandum esse καὶ ἐποίησε τελεστὴν· intelligunt enim illas suffumigationes sive initiationes quæ, quotiescumque ἐγγαστρίμυθοι interrogabantur, fiebant.

CAP. 26. *De Amonis annis, itémque Joſiæ & Nechaonis. Quare Euſebium in his admiratio ſubit: ejus Chronicon emaculatur.*

CONfert Eusebius in Chronicis annum Amonis primum in numerum CIↃCCCLX. & comparat cum anno quarto Olympiadis tricesimæ: hæc verò leguntur de eo, *Amon ſecundùm Lxx Seniorum interpretationem* 12 *annis regnavit, ſecundùm Hebræos annis* 2. Nihil hìc variant Græca Scaligeri; Ἐβεζίων Ἰούδα ιζ'. Ἀμὼν ἐβασίλευσε χρ. μὼ τὼς ο' ἔτη ιβ', χρ. ἡ τὼς Ἐβεζίους ἔτη β'. Atque ità transcripserunt posteriores, & habet codex Gregorii; qui hac de causa dixit Eusebio malè; ἡ Ἀμὼς ἦν Μανασσῆ ιβ' ἔτη Εὐσεβίῳ λέγει βασιλεῦσαι χρ. τὼς ο'· Ἰούδαλα δέ. Et certè Clemens Alexandrinus atque omnes qui ante Eusebium scripserunt Regi Amon duos annos adscripserunt è suis codd. i. ex Lxx Seniorum interpretatione. Causam hujus interpolationis optimè assecutus est Illustris Heros in Eusebianis. Vitium tamen subesse in numeris non est odoratus. Non ignoramus rationes Eusebii omnino exigere ut exsurgat annorum numerus quem in ejus codicibus habes ad annum secundum Darii Hystaspis, in quo, ex Eusebii sententia, desinit annus septuagesimus captivitatis: Sed negamus ejusdem Eusebii rationes pati ut tot anni assignentur Amoni. Necesse enim est ut Eusebius 10 tantùm annos attribuat Amoni: atque ità profectò ab Eusebio fuerat factum, & scripserat, *Amon ſecundùm Lxx Seniorum interpretationem* 10 *annis regnavit.* Cùm verò eruditus aliquis huic numero superscripsisset numerum duorum annorum, qui habetur in ed. Lxx Seniorum, imperitus librarius utrumque conjunxit, & è 10 annis fecit 12: atque ità cæteras Eusebii rationes conturbarunt. Validissimum hujus nostræ sententiæ argumentum est in his Eusebii, num. CIↃCCCCIII. ad annum 32. sive ultimum Josiæ Regis; *Joſias Rex Judæorum cum Nechaone Rege Ægyptiorum congreſſus occiditur. At mihi miraculo eſt, quomodo ad unum tempus uterque convenerit, cùm Scriptura Divina hunc Pharaonem Nechaonem appellet.* Pleniora sunt quæ in Græcis Scaligeri leguntur ad hunc annum, Ἰωσίας βασιλεὺς Ἰούδα συμβαλὼν Νεχαῶ τῷ καὶ Νεχαλῶ ἀναιρῆται ὑπ' αὐτῶ· καί μοι δαιμάζειν ἔπεσι, πῶς συνίσταμον οἱ χρόνοι καὶ ἡ παγκόσμιον κανόνα, ὡς ἀντιφέρωσιν [ἡ] τῶ Ἰωσίᾳ ἡ τῷ Αἰγυπτίων βασιλέα Νεχαῶ, ἡ καὶ Ψαμμήτιχον, ὃν καὶ ὁ Δηὰ τῶ Ἱερεμίᾳ γεγραφὼ Φαρραῶ Νεχαῶ ὀνομάζει. Vide animadversiones viri magni, itémque eruditissimi viri, Vazatensis Episcopi. Statuenda quidem sunt Eusebii verba, de quorum interpretatione sumus solliciti, ad annum Josiæ tricesimum secundum: sed annus Josiæ tricesimus secundus non est conferendus in numerum Eusebianum

num cIↃcccIII. alioqui planè deliraret Eusebius, cùm dicit *sibi miraculo esse, quomodo ad unum possint tempus convenire* Josias & Nechao, & tamen certum sit à Divina Jeremiæ Scriptura, Pharaonem, cum quo Judæorum Rex Josias congressus est, *Nechaonem* appellari: hodie enim in vulgatis Eusebii cod. annus primus Nechao secundi, qui & *Necepsos*, Ægyptiorum Regis confertur in numerum Eusebianum cIↃcccc II. sive annum Josiæ tricesimum primum. Nullum igitur hic subest miraculum, si Nechao, qui anno tricesimo primo Josiæ imperare cœpit, altero pòst anno cum Josia sit congressus. At verò miraculo fuit Eusebio, Nechaonem Regem cum Josia fuisse congressum, cùm tamen Nechao nondum imperare cœpisset, ex Eusebii sententia, χρ' ἃ προκύμβιον καιρὸν, sed adhuc imperaret Psammetichus. Hæc est Græcorum Eusebii sententia; Καὶ μοι θαυμάζειν ἔπεισι, πῶς ζωέδεσμον οἱ χρόνοι χρ' τὸν Ἰωσίᾳ τὸν ἐπὶ Αἰγυπτίων βασιλέα Νεχαῶ, τὸν καὶ Ψαμμήτιχον, ὃν καὶ ὁ θεὸς τῷ Ἱερεμίου χρηστὴ Φαρεῶ Νεχαῶ ὀνομάζει· i. *Sed admiratio mihi incessit, quomodo tempora concurrerent secundùm propositum Canonem, ut Rex Ægyptiorum Nechao, is namque Psammetichus est, è regione Regi Josiæ oppositus sit, quem Divina Jeremiæ Scriptura Pharaonem Nechao nominat.* Canon igitur Eusebii comparabat annos Josiæ cum annis Psammetichi: itaque miratur quomodo ad unum tempus potuerint convenire Josias & Nechao: nam Nechaonem cum Josia congressum fuisse Divina testatur Scriptura. Optimè quidem in numerum Eusebianum cIↃcccc II. confertur annus primus Nechaonis: sed primus Josiæ annus conferendus est in numerum Eusebianum cIↃcccLXX. non autem in cIↃcccLXXII. atque ità 20. tantùm anni adscribentur Amoni, qui imperare cœpit numero Eusebiano cIↃcccLX. Josias autem regnavit annis 32. Quare tricesimus secundus Josiæ annus, qui idem est ultimus vitæ ejusdem, conferendus est in numerum Eusebianum cIↃcccc I. quo anno etiam superarat Psammetichus: nam Psammetichus, auctore Eusebio, *annis quadraginta quatuor imperavit*, ejúsque primus annus adsignatur numero Eusebiano cIↃcccLVIII. Annus igitur Psammetichi quadragesimus quartus cadet in numerum Eusebianum cIↃcccc I. qui est ultimus quoque Josiæ annus. Anno verò sequenti imperare cœpit *Nechao secundus, qui & Necepsos*, imperavítque *annis sex*. Secundùm propositum igitur hunc Canonem non potuit non mirari Eusebius, Josiam, Scripturâ teste, cum Ægyptiorum Rege Nechaone congressum, cùm tamen ex hoc Canone Josiæ cædes uno antecedat anno Nechaonis initia; & si cum ullo Ægyptiorum Rege congressus est Josias, cum Psammeticho est congressus. Atque hæc est ratio admirandi Eusebio, qui, ut hinc patet, non 12. annos, sed 10. tantùm adscripsit Amoni.

CAP. 27. *De annis παιδοποιΐας Patrum apud Lxx Seniores: eorum editio interpolata: conatus in ea restituenda. Unde hac diversitas ab Hebræo. De altero* KAINAN *quæsitum.*

INterpolatam fuisse Lxx Seniorum editionem in annis veterum Patriarcharum παιδοποιΐας nemini potest esse dubium: nam Lxx Interpretes hodie colligunt ab Adamo creato ad Diluvium annos 2242. cùm tamen essent revera ex eorum editione antiquitus 2262. testis est omni exceptione major Africanus apud Georgium Syncellum; Ὁ μέντοι Ἀφρικανὸς β, σξβ'. ἔτη ἐπελογίσατο ἐκ τινων ἀρχαίων ἀνδιγράφων ὕστερον φερομένων, οἷς καὶ ἡμεῖς. Infrà, Ἀφρικανὸς ἡ πρὸς Εὐσέβιον ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως κατακλυσμοῦ, διακοσιοῦ ἔτη κ'. Honorius quoque Augustodunensis annos 2262. non autem 2242. habet. Hujus discrepantiæ causa est, quòd alii annos παιδοποιΐας Mathusala 187. esse scribant, alii 167. tantúm: at Moyses 187. annos tempus παιδοποιΐας Mathusala definivit; & certum est Lxx Seniores annos à Moyse determinatos ampliasse potiùs quàm imminuisse. Præterea si ex hac interpolata editione ab Adamo ad Diluvium 2242. tantùm anni numerentur, magna oritur absurditas, nempe Mathusala 14 annos Diluvio superfuisse, quæ quæstio veteres Patres multùm exercuit, ad quam solvendam nihil consultius visum est B. Hier. quàm ad fontes Hebraicæ editionis confugere. Verùm, ut dixi, diversè conceptum erat tempus τῆς παιδοποιΐας Mathusala, cùm in quibusdam cod. olim anni 187. (& certè Fasti Siculi, itémq; Chronic. Niceph. Patriarchæ in annis παιδοποιΐας Mathusala diserte habent ρπζ'.) in aliis tantùm 167 legerentur. Hujus interpolationis causas dicere *periculosæ plenum* est *opus aleæ*, ut & quare Lxx Interpretes annos à Moyse definitos ampliarunt: Itaq; quicquid huic committemus chartæ, accipi volumus tanquam conjecturas, quas publici facimus juris, ut excitata nostro exemplo studiosa juventus bonas aliquot horas collocet in nobilissimæ hujus rei investigatione. Septuaginta Judæorum Interpretes iter in Ægyptum susceperunt, evocante Ægyptiorũ Rege Ptolemæo, & sacros Moysis libros de Hebræis Græcos fecerũt. Obtinebat autem apud Ægyptios & eorum animis insederat antiquitatis summæ gloriatio, legebantúrque Regum διαδοχαὶ, atq; supererat memoria Dynastiarum, quæ longè antevertebant ipsum Orbem conditum, si quis comparet cũ rationibus Moysis. Huic Ægyptiorum gloriationi ἀνθρωπίνῳ noluerũt Lxx Seniores: sed potiùs ad Moysis rationes de suo addiderunt, ut paria facerent cum rationibus Ægyptiorum. Itaq; primis illis generationibus quæ Diluvium antecedũt, Noacho excepto, centenos annos ampliùs quàm Moyses tribuerunt: quâ ratione factum est ut prima Ægyptiorum Dynastia incidat paulò post annum Mundi natalem: exinde ad natum Abrahamum largiuntur de suo Lxx Seniores singulis Patriarchis, excepto Thare, annos 100, & Nachoro etiam præter 100. alios 50. unde natalis Abrahami in illam quam oportebat Dynastiam confertur, etiam secundùm ratiocinia temporum Ægyptiorum. En autem seriem Dynastiarum eorum ad Abrahami tempora è Manethone.

Πρώτη δυναστεία Θεινιτῶν, ἐφ' νεκύας καὶ τοὺς ἡμιθέους, βασιλέων η'. οἱ πάντες ἐβασίλευσαν ἔτη σξγ'.

Prima Dynastia Thinitarum, quæ prima est exorta post mortuos, qui Semidei vocati sunt, Regum 8. Colliguntur anni primæ Dynastiæ CCLXIII.

Δευτέρα δυναστεία Θεινιτῶν, βασιλέων θ'. ὧν ἔτη τβ'. ὧν πρώτης καὶ δευτέρας δυναστείας ἔτη φξε'.

Secunda Dynastia Thinitarum, Regum 9. Anni secundæ Dynastiæ colliguntur CCCII. *Anni primæ & secundæ Dynastiæ colliguntur* IↃLXV.

Τρίτη δυναστεία Μεμφιτῶν, βασιλέων θ'. οἱ καὶ ἐβασίλευσαν ἔτεσι σιδ'. ὧν ἐφ' γ' δυνασκῶν ἔτη ψοδ'.

Tertia Dynastia Memphitarum, Regum 9. Anni tertiæ Dynastiæ colliguntur CCXIV. *Anni trium Dynastiarum colliguntur* IↃCCCLXXIX.

Τετάρτη δυναστεία Μεμφιτῶν Συρίωνας ἑτέρας βασιλέων θ'. οἱ καὶ ἐβασίλευσαν ἔτεσι σλβ'. ὧν ἐφ' δ' δυνασκῶν ἔτη α,για'.

Quarta Dynastia Memphitarum ex alia stirpe, Reg. 9. Colliguntur quartæ Dynastiæ anni CCXXXII. *Anni quatuor Dynastiarum colliguntur* CIↃCXI.

Πέμπτη δυναστεία ἐξ Ἐλεφαντίνης, βασιλέων θ'. οἱ καὶ ἐβασίλευσαν ἔτεσι σιε'. ὧν ἐφ' ε' δυνασκῶν ἔτη α,τκς'.

Quinta Dynastia Elephantinorum, Regum 9. Anni quintæ Dynastiæ colliguntur CCXV. *Anni quinque Dynastiarum colliguntur* CIↃCCCXXVI.

Ἕκτη δυναστεία Μεμφιτῶν, βασιλέων ς'. οἱ καὶ ἐβασίλευσαν ἔτεσι ρνγ'. ὧν ἐφ' ς' δυνασκῶν ἔτη α,υοθ'.

Sexta Dynastia Memphitarum, Regum 6. Anni sextæ Dynastiæ colliguntur CLIII. *Anni sex Dynastiarum colliguntur* CIↃCCCLXXIX.

Ἑβδόμη δυναστεία Μεμφιτῶν, βασιλέων ο'. οἱ ἐβασίλευσαν ἡμέρας ο'.

Septima Dynastia Memphitarum, Regum 70. Hi singulis diebus imperarunt.

Ὀγδόη δυναστεία Μεμφιτῶν, βασιλέων κζ'. οἱ καὶ ἐβασίλευσαν ἔτεσι ρμς'. ὧν ἐφ' η' δυνασκῶν ἔτη α,χκα'

Octava

Octava Dynastia Memphitarum, Regum 27. Hi regnarunt annos CXLVI. *Anni octo Dynastiarum colliguntur* cIↃIↃCXXV.

Ἐννάτη δυναστεία Ἡρακλεοπολιτῶν, βασιλέων ιθ'. οἱ καὶ βασιλεῖς ὕτεσι υϡ'. ὁμοῦ ἔτη ϡ' δυναστῶν ἔτη βωλδ'.

Nona Dynastia Heracleopolitanorum, Regum 19. Hi regnarunt annos ccccIX. *Colliguntur novem Dynastiarum anni* cIↃIↃIↃXXXIV.

Δεκάτη δυναστεία Ἡρακλεοπολιτῶν, βασιλέων ιθ'. οἱ ἐβασίλευσαν ἔτη ξπϛ'. ὁμοῦ τῶν ι' δυναστῶν ἔτη βϡιδ'.

Decima Dynastia Heracleopolitanorum, Regum 19. Hi regnarunt annos CLXXIV. *Colliguntur decem Dynastiarum anni* cIↃIↃCCXIX.

Ἑνδεκάτη δυναστεία Διοσπολιτῶν, βασιλέων ις'. οἱ ἐβασίλευσαν ἔτη μγ'. μεθ' οὓς Ἀμμενέμης ἔτη ις'. ὁμοῦ τῶν ια' δυναστῶν ἔτη βϡοζ'.

Undecima Dynastia Diospolitarum, Regum 16. Hi regnarunt annos XLIII. *Post quos Ammenemes annos* XVI. *Colliguntur undecim Dynastiarum anni* cIↃIↃCCLXXVII.

Δωδεκάτη δυναστεία Διοσπολιτῶν, βασιλέων ζ'. οἱ ἐβασίλευσαν ἔτη ϱξ' ὁμοῦ ϡ ιβ'. δυναστειῶν ἔτη βυλη'.

Duodecima Dynastia Diospolitarum, Regum 7. Anni duodecima Dynastia colliguntur CLX. *Anni duodecim Dynastiarum colliguntur* cIↃIↃCCCCXXVIII.

Τεσσαρεσκαιδεκάτη δυναστεία Διοσπολιτῶν, βασιλέων ξ'. οἱ ἐβασίλευσαν ἔτη υηγ'. ὁμοῦ ϡ ιγ' δυναστειῶν ἔτη ϛ,ωϟα'.

Decimatertia Dynastia Diospolitarum, Regum 60. Hi regnarunt annos CCCCLIII. *Colliguntur tredecim Dynastiarum anni* cIↃIↃIↃCCCXCI.

Τεσσαρεσκαιδεκάτη δυναστεία Ξοϊτῶν, βασιλέων οζ'. οἱ ἐβασίλευσαν ἔτη ϱπδ'. ὁμοῦ ϡ ιδ' δυναστειῶν ἔτη γ,οϵ'.

Quartadecima Dynastia Xoitarum, Regum 77. Hi regnarunt annos CLXXIV. *Colliguntur anni quatuordecim Dynastiarum* cIↃIↃIↃLXXV.

Πεντεκαιδεκάτη δυναστεία βασιλέων ϛ'. ποιμένες ἦσαν Φοίνικες ξένοι βασιλεῖς, οἳ καὶ Μέμφιν εἶλον. οἳ ἐβασίλευσαν ἔτη σμϛ'. ὁμοῦ ϡ ις' δυναστειῶν ἔτη γ,τιζ'.

Quintadecima Dynastia Regum 6. Hi fuerunt Pastores, Phœnices advenæ, qui Memphim occuparunt. Colliguntur quintadecim Dynastiæ anni CCXLII. *Colliguntur anni quindecim Dynastiarum* cIↃIↃIↃCCCXVII.

Ἑκκαιδεκάτη δυναστεία βασιλέων λβ'. ποιμένες ἄλλοι. οἳ ἐβασίλευσαν ἔτη φιη'. ὁμοῦ ϡ ις' δυναστειῶν ἔτη ϝ,ωλϵ'.

Sextadecima Dynastia Pastores alii. Reges 32. *Hi regnarunt annos* IↃXVIII. *Colliguntur sedecim Dynastiarum anni* cIↃIↃIↃIↃCCCXXXV.

Annus autem hujus Dynastiæ tercentesimus sexagesimus sextus est natalis Abrahami, ut colligit Vir Illustris, quod liquidò patet ex iis quæ Manetho scripsit apud Josephum de Exodo Hebræorum, itémque ex iis quæ habentur in S. libris de Regibus Ægyptiorum *συγχείνοις* Regum Hebræorum. Hanc Ægyptiorum *περίληψιν*, quæ nimiùm quantum mentes illorum invaserat, de gentis suæ antiquitate, quæ etiam superabat Moysis ratiocinia, & Orbis natalem, cùm non possent Lxx Seniores de illorum animis evellere, ad illam eorum antiquitatem rationes Moysis & annorum numeros accommodarunt, *τῇ τῶν Αἰγυπτίων ἰσοδάϛῃ διαλύσοντες*. Sententiam nostram confirmat, quòd primus primæ Ægyptiorum Dynastiæ annus annis 183 antevertat natalem Mundi secundùm vulgatam Lxx Seniorum editionem. Sed ea interpolata nobis videtur: Suspicamur enim Lxx Interpretes de suo largitos esse Patriarchis omnibus, exceptis Noacho & Thare, ab Adamo ad Abrahamum, hoc excluso, centum annos, & quibusdam etiam aliquot annos præter centum. Quod verò ad Noachum attinet, nihil ejus ætati ampliùs quàm Moyses tribuerunt, quia ætate jam provectâ, annos natus quingentos filios sustuliisse dicitur. En igitur in Tabella conspectum annorum *τῆς παιδοποιίας* Patriarcharum è Lxx Seniorum manu, ut nostra est suspicio, non interpolata, itémque ex Hebræo fonte.

ANNI ΠΑΙΔΟΠΟΙΙΑΣ PATRIARCHARUM.

PATRES.	AN. ΤΩΝ LXX.	AN. MOYSIS.
ADAM.	CCXXX.	CXXX.
SETH.	CCV.	CV.
ENOS.	CXC.	XC.
KAINAN.	CLXX.	LXX.
MALALEEL.	CLXV.	LXV.
JARED.	CCLXII.	CLXII.
ENOCH.	CLXV.	LXV.
MATHUSALA.	CCLXXXVII.	CLXXXVII.
LAMECH.	CCLXXXVIII.	CLXXXII.
NOE.	IↃ.	IↃ.
SEM.	CC.	C.
ARPHAXAD.	CXXXV.	XXXV.
SALA.	CXXX.	XXX.
HEBER.	CXXXIV.	XXXIV.
PELEG.	CXXX.	XXX.
REHU.	CXXXII.	XXXII.
SERUG.	CXXX.	XXX.
NACHOR.	CLXXIX.	XXIX.
THARE.	LXX.	LXX.
	cIↃIↃIↃIↃCCII.	cIↃIↃCCCCXLVI.

Non recensuimus in hac serie *τὸ δεύτερον* KAINAN inter Semi posteros, quem neque agnoscit Hebraica veritas neque Hebraicus Samaritanorum Codex, cujus fragmenta leguntur in Græcis Eusebianis Scaligeri. Eum quoque ex hoc albo erasit Eusebius, eóque prior is à quo accepit Africanus; neque item numerat Epiphanius Hæresi Melchisedecitarum, nec Græcorum plerique alii Chronologi, ut testatur Beda. Nos verò ideo ejus nomen expunximus, quia suspicamur distinctum à Sala non fuisse; sed potiùs unum eundémque fuisse Kainan & Sala; ità ut *τὸ* Kainan sit cognomentum *τοῦ* Salæ. Hujus nostræ conjecturæ fundus est, quòd idem sit numerus annorum *παιδοποιίας*, item annorum vitæ Kainan & Salæ. Antequam Kainan gigneret Salam, ut habet vulgata Lxx Seniorum editio, erat annos 130 natus: totidem adscribunt Salæ antequam genuisset Eberum. Vixit Kainan post genitum Salam annos 330. idem est numerus annorum vitæ Salæ *μὴ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Ἔβερ*. Quis ex his non conjiciat unum & eundem esse Kainan & Salam? Quare Eusebius lib. 1. Chronicorum Canonum agens *περὶ μεσισμοῦ γῆς*, ubi recenset posteros Semi, Kainan non distinguit à Sala, sed eundem facit; itaque Salam prætermisit.

υἱοὶ Ἀρφαξάδ.

Καϊνᾶν,	ἀφ' οὗ Γασφλωοὶ
Ἔβερ	ἀφ' οὗ Ἑβραῖοι.

Dices, quare distinguuntur in editione Lxx Interpretum? Cognomentum *τοῦ Salæ* fuisse *τὸ Kainan* jam diximus: unde istud cognomen addiderant Lxx Seniores in sua editione, & verterant, ut suspicamur, ubique, *καὶ Ἀρφαξὰδ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν τὸν Σαλᾶ*. Cujus cognominis causam cùm ignorarent librarii, & meminissent *Kainan* esse nomen viri Gen. 5. pronepotis Adami, putarunt & hìc quoque nomen esse proprium filii Arphaxad, non ejusdem qui *Sala* proprio nomine dicebatur, cognomentum: itaque nimis, hac quidem in re, satagei distinxerunt, atque ex uno duos fecerunt, & utrique eundem, cùm diversum non invenirent, annorum *παιδοποιίας* vitæque numerum adscripserunt. Atque hæc fuit prima mali labes. Sed unde istud *Salæ* cognomentum hauserunt & acceperunt Lxx Interpretes? Quare item illud est impositum? Quod ad prius attinet, uno verbo dicemus, Lxx Seniores habuisse istud cognomen *ἐκ τῆς παραδόσεως*, ex qua multa accepisse quæ in eorum editione etiamnum hodie leguntur, nemini vel minimùm in ea versato dubium

esse

esse potest. Quare ad posterius quæsitum deveniendum est. Pronepos Adami *Kainan* nomen habuit, ut constat è cap. 5. Geneseos. Id Hebraicè est קינן, quod vertit B. Hier. l. De nominibus Hebraicis, *lamentationem*. Nomen autem istud pronepoti Adami inditum fuisse putamus ob publicam morum religionisq; corruptelam, quam se detestari & dolere, vel ex hoc nomine filio suo impositio, publicè testatum voluit Enos. Par est ratio & causa cognominis hujus *Sale* impositi: Nam cùm Salæ coævus, Noæ item pronepos è filio Cham, Nembrod mores atque religionem corrumperet, & tyrannidem occuparet, sævirétq; in cæteros, (unde leges Gen. 10. 2. Assur, unum è filiis Semi, coactum fuisse solum vertere, ἐκ τῆς γῆς ἐκείνης ἐξῆλθεν Ἀσσὲρ, nempe ob tyrannidem & sævitiam Nembrodi) nulli dubitamus Salam pro sua in Deum pietate id graviter, ut par erat, tulisse, impietatem illius detestatum fuisse, & tot malis indoluisse, cognoménq; planè contrarium & repugnans illi Nembrodi sibi assumpsisse. Cùm igitur Nembrod diceretur, גבור ציד לפני יהוה γίγας βίᾳ θαυτίον Κυρίου, dictus est Sala קינן ὁ Καϊνᾶν, i. morum atque religionis corruptelam Nembrodíque tyrannidem detestans & dolens. Atque hoc Salæ cognomen, quod è traditione acceptum adscripserunt eidem LXX Interpretes, adscripsit quoque B. Lucas in Genealogia Domini, nec alius est ὁ Καϊνᾶν apud B. Lucam à τοῦ Σαλᾶ. Quare tollenda est apud B. Lucam interpunctio, quæ distinguere & alium facere videtur, rescribendúmq; est, Τοῦ Ἐβὲρ, τοῦ Σαλᾶ τοῦ Καϊνᾶν, τοῦ Ἀρφαξὰδ, τοῦ Σὴμ, i. *Filii Eberi, filii Salæ cognomento Kainani, filii Arphaxad*, &c. Sed de his satis. Numerantur igitur ab Adamo ad natalem Abrahami è Lxx Interpretum sententia, anni 3702. Jam verò ineundus est numerus annorum quibus imperarunt Reges quindecim Dynastiarum Ægyptiorum. Colliguntur autem, ut in superioribus quoq; diximus, omnes quindecim Dynastiarum anni 3317. Sextædecimæ verò Dynastiæ anno 366. nascitur Abrahamus. Quare prioribus illis annis quindecim Dynastiarum addendi sunt 365. anni sextædecimæ Dynastiæ: exsurgit numerus annorum 3682. qui elapsi sunt à primo primæ Ægyptiorum Dynastiæ anno ad natalem Abrahami. At verò editio LXX Seniorum numerat ab Adamo ad natalem Abrahami annos 3702. Ergò rationes editionis Lxx Interpretum superant ratiocinia Ægyptiorum annis 20, quibus νεκύας καὶ τοὺ ἡμιθέους, *mortuos*, qui *Semidei* vocati sunt, & primam Ægyptiorum Dynastiam præcesserunt, vixisse existimandum est; itaque hos 20 annos τοῦ μυθικοῦ τοῦ Ἡμιθέων intervallo imputamus. Atqui vetustissimi illi, qui illibatum hunc annorum numerum quem nos repræsentavimus in suis codicibus editionis Lxx Seniorum habuerunt, cùm nullos annos tribuendos putarent illi τοῦ Ἡμιθέων intervallo, de quo non constabat, 20 hos annos, quibus rationes Lxx Interpretum superant calculum Ægyptiorum, resecandos esse existimarunt, ut rationes Moysis ex editione Lxx Interpretum pariæ facerent cum rationibus Ægyptiorum: Itaque annos παιδοποιΐας Mathusalæ 287 in 267 mutarunt. Cœpit autem primus magnus annus Canicularis temporis historici anno quarto Adami: nam differentia est inter hanc nostram Lxx Seniorum editionem & veritatem Hebraicam annorum 1756. Quoto autem Orbis conditi anno cœperit magnus hic Ægyptiorum Canicularis annus, ignorare non possumus attestatione Censorini, qui l. De anno Natali scribit anno ab Orbe condito MMMMCLXXXVII, Æræ Christianæ Dionysianæ CCXXXVIII, à diebus æstivis cœpisse annum Nabonassari DCCCCLXXXVI die vicesimo quinto Junii: centum verò abhinc retro annis cœpisse annum Ægyptiacum die vicesimo Julii, eundémq; fuisse annum primum vertentem magni anni Canicularis. Verba Censorini hæc sunt, *Hic annus, cujus velut index & titulus quidam est* Ulpii & Pontiani Consulatus, *est eorum qui vocantur* anni Augustorum *ducentesimus sexagesimus quintus ex Kal. Jan. Sed Ægyptii, quòd biennio antè in potestatem ditionémq; Pop. Rom. venerunt, habent hunc* Augustorum annum *ducentesimum sexagesimum septimum. Nam ut à nostris ità ab Ægyptiis quidam anni in literas relati sunt, ut quos* Nabonazari *nominant, quòd à primo ejus imperii anno consurgunt: quorum hic nongentesimus octogesimus sextus est. Sed horum initia semper à primo die mensis ejus sumuntur, cui apud Ægyptios nomen est* Thoth; *quique hoc anno fuit ante diem septimum Kal. Julias: cùm ab hinc annos centum Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio Præsente Coss. Roma, iidem dies fuerint ante diem duodecimum Kal. Augusti, quo tempore solet Canicula in Ægypto facere exortum. Quare scire etiam licet anni illius magni qui, ut suprà dictum est,* Solaris, & Canicularis, & Dei *annus vocatur, nunc agi vertentem annum centesimum.* Cœperat annus Nabonassari DCCCLXXXVI die vicesimo Julii anni ab Orbe condito MMMMLXXXVII, Æræ Dionysianæ CXXXVII, Sulpitio Camerino & Q. Nigro Camerino Coss. F. literâ Dominicali, Cyclo Solis septimo, vertítq; ad diem usq; vicesimum Julii anni sequentis, qui erat Orbis conditi MMMMLXXXVIII, Christi CXXXIX, Imp. Antonino Pio II. & Bruttio Præsente Coss. Cyclo Solis octavo, literâ Dominicali E. quo anno cœpit primus annus vertens magni anni Canicularis die vicesimo Julii, (itáq; jampridem monuerunt viri eruditissimi legendum esse apud Censorinum, *iidem dies fuerint ante diem tertiumdecimum Kal. Augusti:* & certè hic dies *tertiusdecimus Kalendas Augusti* appellatur ab Ægyptiis *Natalis Mundi*, ut è Solino constat.) Unde dicit Censorinus annum centesimum vertentem magni anni Canicularis die vicesimo quinto Junii anni ab Orbe condito MMMMCLXXXVII, Æræ Dionysianæ CCXXXVIII, Ulpio & Pontiano Coss. Cyclo Solis vicesimo tertio, literâ Dominicali G. quo ipso die cœpit quoque annus Nabonassari DCCCCLXXXVI. Quare cœpit annus primus vertens magni Anni Canicularis Ægyptiorum, cum anno Nabonassari DCCCLXXXVII, die *tertiodecimo Kalendas Augusti* anni ab Orbe conditi MMMMLXXXVIII, Æræ Christi Dionysianæ CXXXIX, *Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio Præsente Coss. Roma.* Hinc altiùs repetendum est principium. Ergò ab anno quarto Adami ex editione hac nostra Lxx Seniorum ad annum Christi CXXXIX, Antonino Pio II. & Bruttio Præsente Coss. verterunt quatuor anni magni Caniculares: Nam adde annis Orbis conditi 4088, annos 1756, quibus nostra Lxx Interpretum editio veritatem Hebraicam superat, constabit annum primum vertentem magni anni Canicularis cœpisse die *tertiodecimo Kal. Augusti* anni quarti Adami: nam quatuor magni anni Caniculares Ægyptiorum sunt anni Juliani 5840. At verò is annus qui Consulès habuit Antoninum Pium II. & Bruttium Præsentem fuit ab Adamo condito è nostra Lxx Interpretum editione, annus 5844. Hinc lucem mutuabitur, meo judicio, & emendabitur fragmentum è Manethone, quod legitur libro 1 Chronic. Eusebii in Græcis Scaligeri; Ἡφαίστου χείνθ ὧν ἦσι, διὰ τὸ ἡνύσθε καὶ ἡμίθεας αὐτὰ φαίνειν. Ἔπειτα Κρόνθ, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες θεοὶ ιβ', ἐβασίλευσαν ἔτη γλπ δ'. Ἔπειτα ἡμίθεοι βασιλῆς γ' ἔτη σιζ'. καὶ μετ' αὐτὺς ἥρωαι ις' Κυνικῦ κύκλυ ἀνεγράφησαν ἐν ἔτεσι υμγ'. εἶτα Ταυιθὶ ις' δυνασία ἡρώων ιγ', ἐτῶν ξζ', &c. Mutilus est hic locus; enumeraverat enim hîc Manetho Dynastias, earúmq; Reges sive ἥρωας. Sed exciderunt: atq; hæc verba, ἐν ἔτεσι υμγ', eò pertinent. Observabat enim tot annos imperium fuisse penès illam Dynastiam: At primus primæ Dynastiæ annus, ut ex iis quæ in superioribus disputavimus constat, cadit in decimum octavum annum vertentem magni anni Canicularis. Huc faciunt verba ista emendanda ad hunc modum, Καὶ μετ' αὐτὺς ἥρωαι ιη' Κυνικῦ κύκλυ ἀνεγράφησαν. Facilis lapsus τοῦ ιη' in τὸ ι'. maximè cùm in hoc Fragmento sequatur, sed mutilè, εἶτα Ταυιθὶ ις' δυνασία, &c. Sensus est, *Post Semideos Dynastia Regum* (has appellat ἥρωας,) *adscribuntur anno decimo octavo Cycli Canicularis*; hoc est, census illarum est ab anno decimo octavo magni anni Canicularis. Totus igitur locus ità rescribendus, interpungendus & asteriscis notandus est. Καὶ μετ' αὐτὺς ἥρωαι ιη' Κυνικῦ κύκλυ ἀνεγράφησ, * ἐν ἔτει υμγ'. * εἶτα Ταυιθὶ ις' δυνασία. Atq; ista hactenus: non possum tamen sine ingenti piaculo omittere, Tertullianum nobis præiviſse in eo quod suspicamur editionem Lxx

Inter-

Interpretum ad ſuperandam Ægyptiorum antiquitatem fuiſſe accommodatam: nam teſtatur rationes Moyſis etiam vincere Ægyptiorum antiquitatem è Manethonis tabulariis inveſtigatam: Quod nonniſi de Græca Moyſis editione à Lxx Senioribus procurata intelligendum eſt. Hebræam quippe non noverat. Verba Tertulliani ſunt Apologetici cap. 19. *Hæc quibus ordinibus probari poſſint, non tam difficile eſt nobis exponere quàm enorme, nec arduum, ſed interim longum. Multis inſtrumentis, cum digitorũ ſupputariis geſticulis aſſidendum eſt. Reſeranda antiquiſſimarum etiam gentium archiva, Ægyptiorũ, Chaldæorũ, Phœnicũ; advocandi eorũ municipes, per quos notitia ſubminiſtrata eſt, aliqui, Manethon Ægyptius, & Beroſus Chaldæus, ſed & Hieronymus Phœnix Tyri Rex. Sectatores quoque eorum Mendeſius Ptolemæus, & Menander Epheſius*, &c. Quis ſit iſte *Hieronymus* quæritur, fruſtráq; emendat Vir magnus *Hiromus Phœnix Tyri Rex*: Nam non agitur de Regibus Tyri, ſed de ſcriptoribus, per quos notitia Regum Tyri ſubminiſtrata eſt. Non autem Phœnix fuit hic Hieronymus, ſed Ægyptius, ut ſcribit Joſephus ἀρχαιολ. l. 1, c. 4. duobus locis: Μέμνηται ἢ τούτων κ' Ἱερώνυμος ὁ Αἰγύπτιος, ὁ τ' ἀρχαιολογίαν τ' Φοινικικὴν συγγεγραφώς. Syriam tamen adminiſtravit. Joſephus contra Apionem lib. 1. Ἱερώνυμος ὁ τ' παρὰ διαδόχων ἱστορίαν συγγεγραφὼς, κ' τ' αὐτὸν μὲν ἐπὶ ἔτη ἑκατὸν χρόνον· φίλος δ' ὢν Ἀντιόχου τ' βασιλέως τ' Συρίαν ἐπετρόπευεν. Quomodo igitur *Phœnicem* appellabit *Hieronymum* Tertullianus? Compendioſa ſcribendi ratio & interpunctio tenebras huic loco offudit. Veteres compendii gratiâ mutæ literæ non apponebant *E*, utpote qui literam ipſam pro ſyllaba acciperent: item ſæpiſſime *C* pro *G* ſcribebant: hinc factum puto ut in veteribus Tertulliani exemplaribus ſcriptum fuerit, *Phœnics Tyri Recs*, i. *Phœnices Tyri Reges*. Quare locus ità legendus atque interpungendus eſt, *Sed & Hieronymus, Phœnices Tyri Reges*, &c. Tertulliano *Phœnices Tyri Reges* dicitur Liber ille quem laudat Joſephus hoc titulo, Φοινίκων ἀναγεγραμμένα ἐπὶ τοῦ ἐν Τύρῳ βασιλευόντων. Atq; ex hoc Libro ſua Menander Epheſius acceperat.

CAP. 28. *De Interpretatione Græca Prophetarum diſſeritur; à quo & quando procurata ſit: quinam Interpretes illi fuerint dubitanter proponitur. Loca è Pſal. 95. Job. 5. Zach. 6. Græca editionis illuſtrantur. Joſephus emendatur.*

SAcra Hebræorum Biblia converſa fuiſſe in Græcum ſermonem ante Chriſti atque Apoſtolorum tempora nemo eſt qui in dubium revocare poſſit; nam paſſim in libris Novi Federis adferuntur loca Veteris è Græca tranſlatione quæ nonnihil recedit ab Hebraico contextu. At verò dubitationem habet, quando & à quibus procurata fuerit hæc interpretatio. Quanquam non ſum neſcius, Ptolemæum Lagidam ejúſque filium Philadelphum, regni jam cum patre participem, curaſſe ut Hebræorum ſacra monumenta in Græcum ſermonem converterentur, Δημητρίου Φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων, ut loquitur Ariſtobulus Peripateticus ad Ptolemæum Philometorem. Sed nihil præter Pentateuchum Græcè tunc verſum fuiſſe liquet è Joſephi narratione lib. 12. c. 2. & certè Græcus cæterorum librorum ſtilus arguit, eos qui Ptolemæi Philadelphi rogatu Pentateuchum Moyſis interpretati ſunt reliquos Libros ſacros non converriſſe. Quare inveſtigandum eſt à nobis, Deo dante, quando, quo auctore, & à quibus procurata ſit librorum V. T. præter Pentateuchum, Græca editio. Juſtinus vetuſtiſſimus Eccleſiæ Scriptor, Chriſtíque Martyr, refert Ptolemæum per epiſtolam rogaſſe Herodem Judæorum Regem ut ſibi Biblia Hebraica mitteret, quod cùm lubenter ab Herode factum eſſet, libri autem illi, ut qui Hebraicè conſcripti eſſent, ab Ægyptiis non intelligerentur, iteratâ legatione petiit Ptolemæus ab Herode ut qui Græcè interpretarentur mitteret, quod & ab Herode impetravit Ptolemæus. Libri autem illi erant Prophetici. Juſtini verba ipſa ex Apol. 2. non adſcribo, quia pluſcula ſunt. Inſignis certè hic error eſt antiquiſſimi & ſanctiſſimi Scriptoris Eccleſiaſtici, tempora Herodis in Ptolemæi ætatem conferentis, & quæ diverſis temporibus geſta ſunt in unum conjicientis propter celebritatem prioris: Nam verum eſt Ptolemæum Philadelphum curaſſe ut ſacri Moyſis libri, non autem illi Prophetarum, de quibus Juſtinus, in Græcum ſermonem verterentur. Ex his verò Juſtini Martyris verbis colligimus, Herode curante Judæorum Rege, Prophetarum libros Græcè quoque fuiſſe converſos, ità ut omnes ſacri Hebræorum libri Græcè haberentur editi, ídque, puto, in gratiam Helleniſtarum. Suſpicionem noſtram videtur confirmare locus è Pſalmo, qui Græcis eſt 95. de quo Juſtinus Martyr Dialogo cum Tryphone, Καὶ ἀπὸ τοῦ ὀκτωκαιδεκάτου πάλιν ἡμῖν ἐστὶ διὰ Δαυὶδ λεχθέντων λόγων, λέξεις βραχείας ἀφέλοντο ταύτας, ἀπὸ τοῦ ξύλου· εἰρημένου γὰρ τοῦ λόγου, ὅπερ ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου, ἀφῆκαν, ὅπερ ἐν τοῖς ἔθνεσιν, ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν. In Hebraico Pſalmi textu nulla habentur verba quæ his Græcis reſpondeant, ἀπὸ τοῦ ξύλου ſúntque Græcorum Interpretum gloſſemata, quibus indicant, quodnam tempus deſignari putent cui commodè aptari poſſint Prophetæ verba. Refert Joſephus lib. 15. extremo, Herodem Templum Hieroſolymitanum in auguſtiorem formam inſtauraſſe, eóque nomine Judæorum gentem Deo gratiam habuiſſe & Herodi, eidémque bene fuiſſe adprecatam. Encænia autem hæc Templi ab Herode inſtaurati inciderunt in Natalem Regni ejus, fuítque Xylophoriorum feſtum eodem die, ut diximus ſuperiori capite. Atque hoc eſt tertium Templum Hieroſolymitanum, quod opus fore Meſſiæ vulgò ſibi perſuaſerant Judæi: itaque non defuerunt qui Herodem crederent eſſe Meſſiam; Tertullianès libro De Præſcriptionibus, Epiphanius in Herodianorum Hæreſi, B. Hier. in Dialogo adv. Luciferianos, quanquam ſeipſum caſtigat idem Hier. in cap. 22. Matthæi: & certè longè falluntur qui Herodianos de his interpretantur: quanquam fuerint qui Herodis ætate eum pro Chriſto ſuſciperent, in quorum numero fortè cenſendi ſunt Interpretes Græci Pſalmi 95. qui de ſuo Prophetæ verbis addiderunt, ἀπὸ τοῦ ξύλου· bonæ enim ſpei pleni ob inſtauratum ab Herode Templum, putarunt ab inſtaurato hoc Templo ejúſque Encæniis Dei imperium firmatum fuiſſe; tempus autẽ circumſcribunt à ſolennitate, quæ adhuc in Judæorum oculis, quando hunc locum vertebant boni iſti Interpretes, ἀπὸ τοῦ ξύλου, ſive potiùs, ἀπὸ τοῦ ξύλων (ſed mutarunt Chriſtiani veteres in ἀπὸ τοῦ ξύλου, ut ad Chriſti crucem referrent) מהעצים, quando ſcilicet in Encæniis Templi ad Herode tertiùm inſtaurati feſtum etiam Xylophoriorum celebratum eſt, ídque majori cum pompa quàm unquam antehac fuerat factum, atque id Judaicè deſignant העצים τὰ ξύλα. Herode igitur apud Judæos rerum potiente, eodémque curante, ut habet Juſtinus Martyr, Prophetici Hebræorum libri in Græcum ſermonem verſi ſunt. Quorum verò operâ in vertendo uſus ſit Herodes, quærendum jam à nobis eſt, Deo dante. Inter Judæorum ſectarios Eſſenis præcipuè honorem habuit Herodes propter Manehemum, qui Herodi prædixerat olim, fore ut Judæorum regnum obtineret, ſumma cum nominis ſui gloria & felici rerum ſucceſſu. Joſephus lib. 15. Ἡρώδης ἢ κ' τούτοις ἀρχιερῆς, τόν τε Μανάημον ἀφῆκε διεξιόντα, κ' πάντας ἀπ' ἐκείνου τοῦ Ἐσσηνὰς τιμᾷ διετέλει. Eſſenorum operâ uſum fuiſſe Herodem in vertendis Prophetarum libris ſuſpicio noſtra eſt, híſque innitimur conjecturis. Pſalmo, qui Græcis eſt 39. iſta in Hebræo leguntur, זבח ומנחה לא חפצת אונים כרית לי עולה וחטאה לא שאלת: Græci iſti Interpretes reddiderunt, Θυσίαν κ' προσφορὰν οὐκ ἠθέλησας, σῶμα ἢ κατηρτίσω μοι· ὁλοκαυτώματα κ' περὶ ἁμαρτίας οὐκ ἐξεδέξω. Quæ hîc dicuntur κατάχρησις à Propheta: ἁπλῶς ab Interpret. intelliguntur è ſuæ hæreſeos ſcitis. Nam Eſſeni nullas victimas Deo immolabant. Joſeph. l. 18. Εἰς ἢ τὸ ἱερὸν ἀναθήματα τε σύλλογος Ἐσσηνοὶ, θυσίαι οὐκ ἐπιτελοῦσι διαφορότητι ἁγνειῶν, ἃς νομίζουσιν, κ' δι' αὐτὸ ἀπεργάζονται ἢ κοινῇ τεμενίσματος, ἐφ' ἁγνῇ τὰς θυσίας ἐπιτελοῦσι. Exiſtimat vir ſummus, Eſſenos immo-

lasse victimas in locis in quibus degebant, quòd de ritu immolationis nō illis cum Judæis reliquis conveniret. In quo duo hæretica erant; prius, quòd alios ritus ab iis quos sanxit Moyses haberent, alterum, quòd alibi quàm ubi Moyses præcepit victimas suas immolarent. Itaque non mirum si tanquam piaculares aditu Templi prohibebantur. Sed immolasse omnino negat Philo l. Περὶ θεωρητικῶν. Οὐ ζῶα καταθύοντες· ἀλλὰ ἱερουργεῖν τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες. Suáque peccata καθαϊσμοῖς castibúsque procurabant & expiabant; itaque emendandum puto apud Josephum, καὶ δι' αὐτὸ ἐρχόμενοι τῷ κοινῷ τεμενίσματι, ἐφ' αὐτῷ τὰς δι' ὁσίας ἐπιτελοῦσι. Hîc αἱ ὁσίαι sunt καθαϊσμοὶ sive *expiationes*, quibus peccata sua quisq; tollebat. Hoc idem mendum occupavit Zonaræ codices, qui transcripserat hæc verba ex inemendato Josephi codice; nam diu est ex quo corruptus est hic Josephi locus; agnoscit enim Rufinus vulgatam adeóque mendosam hanc scripturam. Sequitur apud Davidem, אונים כריח לי. Vertunt Græci, σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι. Quæ verba planè sapiunt Essenum interpretem. Verborum Davidis hic est sensus, *Voluisti ut dicto sim audiens & præstó.* Alludit autem ad legem Exo. 21. ex qua servi auris fibulâ perforabatur ad januam heri, apud quem servitutem erat serviturus in perpetuum. Sed apud Essenos nullus erat servus. Josephus ib. ὅτε δ' ἄλλων ἐπιδέονται κλῆσιν, αὐτοὶ δ' ἐφ' ἑαυτῶν ζῶντες ὀλὴ διακονίᾳ τῇ ἐπ' ἀλλήλοις ἐπιχωροῦσι. Invicem tamen sibi ministrabant, ut hîc habes, qui ejusdem collegii erant corporati: nam distribuebantur per corpora sive collegia, τάγματα dixit Josephus, in singulis urbibus. Josephus Excidii lib. 2. cap. 12. Μία δ' ἐκ ἔστιν αὐτῶν πόλις, ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ μετοικοῦσι πολλοί. Καθαιρεῖν δ' ἐν ἑκάστῃ πόλει τῶν τάγματος ἐξαίρετον. Atque in his collegiis corporati senioribus dicto audientes erant, & ibatur in sententiam illius partis quæ major erat. Josephus ibid. Τοῖς δὲ πρεσβυτέροις ὑπακούειν, καὶ τοῖς πλείοσιν, ἐν καλῷ τίθενται· δέκα γοῦν συγκαθεζομένων ἐκ ἂν λαλήσειέ τις, ἑ' ἀκόντων δὲ ἐννέα. Verùm nil mirum si, ubi adsunt decem, invitis novem decimus sermonem habeat, tunc enim plures non sunt, sed omnes, omnes. Excidit itaque meo judicio litera numeralis, quia eadem cum litera finali dictionis quæ præcedit. Rescribo, cum bono Deo, δέκα γοῦν καθεζομένων ἐκ ἂν λαλήσειέ τις, ϛ' ἀκόντων δὲ ἐννέα, *invitis sex è novem* qui adsunt; nam ità plures sunt qui nolunt quàm qui velint: quòd si quinque tantùm nollent, erunt pares calculi, si ratio habeatur illius qui locuturus est. Sed de his satís. Maximè autem corporati horum collegiorum tenebantur legi Divinæ obsequi, neque in hæc corpora cooptabantur nisi juramento adacti ad vitam piè, sanctè & inculpatè transigendam. Josephus ibid. Πεῖν δὲ κοινῆς ἄφασις ἔστηκε, ὅρκους αὐτοῖς ὀμνῦσι φρυκώδεις, πρῶτον μὲ εὐσεβήσειν τὸ θεῖον, ἔπειτα τὰ πρὸς ἀνθρώπους δίκαια φυλάξειν, καὶ μήτε κῆ γνώμῃ βλάψειν τινὰ, μήτε ἐξ ἐπιτάγματος· μισήσειν δὲ ἀεὶ τοὺς ἀδίκους, καὶ συναγωνιεῖσθαι τοῖς δικαίοις· πίστιν δὲ πᾶσι παρέξειν πᾶσι, μάλιστα δὲ τοῖς κρατοῦσιν. Quare ità interpretabatur verba Davidis Græcus Interpres ex hæresi Essenorum, *Noluisti hostias aut victimas tibi offerri, sed corpus*, sive *collegium*, *constituisti*, in quod cooptatus Legi tuæ, ô Deus, obsequium præstem. Atque ità hæresi suæ patrocinium sive potiùs auctoritatem ibat quæsitum ab antiquitate, quasi Davidis ætate hujusmodi hetæriæ fierent. Unde fortè nomen etiam Esseni sibi fecerunt *Jessæis* à *Jesse* Davidis patre, ut observat Epiphanius in Nazoræorum hæresi, quanquã longè fallitur, qui Christianos putat quorum mores & instituta descripserit Philo; nam Philo de Essenis tantùm Judæorum sectariis intelligendus est, ut jamdudum monuerunt viri magni. Verba Epiphanii hæc sunt, Καὶ πάντες δὲ Χεισιανοὶ Ναζωραῖοι τότε ὠνόμαντο ἐκαλοῦντο· γέγονε δὲ ἐπ' ὀλίγῳ χρόνῳ καλοῦσι αὐτοὺς Ἰεσσαίους, διὰ τὸ Ἰεσσαὶ οἶμαι, ἐπειδήπερ ὁ Δαβὶδ ἦν Ἰεσσαί. Et paulò pòst, Εὕροις δ' ἂν, ὦ φιλόλογε, καὶ τάτε τῶν ὑποθέσιν, ἐντυχὼν τοῖς τῦ Φίλωνος ὑπομνήμασιν, ἐν τῇ περὶ Ἰεσσαίων αὐτῦ ἐπιγεγραμμένῃ βίβλῳ. Essenorum quoque doctrinam redolet, quòd idem Græcus Interpres ista verba, quæ leguntur Jobi 5. 1. קרא נא היש עונך ואל מי מקדשים תפנה ità reddidit, Ἐπικαλέσαι δ' εἴτις σοι ὑπακούσεται, ἢ εἴ τινα ἀγγέλων ἁγίων ὄψῃ· nam quòd קדשים vertit ἁγίους ἀγγέλους, factum est ut cultum Angelorum adstrueret, quod scitũ erat Essenorum; unde qui huic sectæ nomẽ dabant, jurabant, καὶ σωτηρήσειν ὁμοίως τάτε αἱρέσεως αὐτῷ βιβλία, καὶ τὰ τῦ ἀγγέλου ὀνόματα. Principibus amicos fuisse Essenos testatur illorũ jusjurandum, cujus inter cætera capita hoc unum est apud Josephum, Τὸ πιστὸν εἶναι παρέξειν πᾶσι, μάλιστα δὲ τοῖς κρατοῦσιν· ἐ γὰρ δίχα Θεῦ τὴν ἀρχὴν περιγίνεσθαί τινι τὸ ἄρχειν. Ex eorum mente & sensu Græcus Interp. verba Zach. c. 6. ישב ומשל על כסאו והיה כהן על כסאו interp. est, καὶ καθιῆται καὶ κατάρξει ὅτι τῦ θρόνυ αὐτῦ, καὶ ἔσαι ἱερεὺς ἐκ δεξιῶν αὐτῦ. Adscribit Propheta Sacerdoti thronum, quemadmodũ & Targum Hierosol. non tantùm summo Pontifici sed etiam ejus Vicario; חד לכהנא רבא וחד לסגן כהניא: At verò Græcus Zach. Interp. posterius istud כסאו refert ad thronum Regis, ad cujus dexteram stare facit summum Pontificem, non autem sedere, quia Rex adest: ídque juris esse docet Maimon. l. שופטים, Tract. מלכים, Perek 2. Sed non ἀκριβοδικαίως. Nam contrà staret Rex in conspectu Pontificis. Verba Maimon. hæc sunt, אבל כהן גדול אינו בא לפני המלך אלא אם רצה ואינו עומד לפניו אלא המלך עומד לפני כהן גדול אף על פי כן מצוה על כהן גדול לכבד את המלך ולהושיבו ולעמד מפניו כשיבא לו:

CAP. 29. *Unde civitatum quarundam populi* Neocori *appellentur. Lucas in Actibus Apostolicis illustratur, itémque aliquot veteres Inscriptiones & Numi. Josephus obiter emendatur.*

PAssim quidem legas in veteribus Inscriptionibus hoc NEOCORI nomẽ, sed illud de Civitatum populis dici rarò occurret in his ipsis Inscriptionibus; semel tantùm, quod meminerim, in Libris, nempe apud Luc. Πεξαποσίλα cap. 19. Καταστίλας δὲ ὁ Γραμματεὺς τὸν ὄχλον, φησὶν, ἄνδρες Ἐφέσιοι, τίς γάρ ἐστιν ἀνθρώπῳ ὃς ἐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν ΝΕΩΚΟΡΟΝ οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος καὶ τῦ Διοπετῦς; Habes item in Arundelliano Marmore, quo habetur Donariorum ad Gymnasii Smyrnensis ornatum recensio, sed mutila, rursúmque in eorundem Marmorum Auctariolo de Perinthiis. At passim in Græcis Numismatis, sed tantùm ab Imperatorũ Romanorum ævo, non ante illorum tempora, occurrit vox ΝΕΩΚΟΡΟΣ, hoc sensu, ídque etiam cum temporis nota, ut ΕΦΕΣΙΩΝ Δ ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Quod verò in iisdem legitur ΕΦΕΣΙΩΝ Α ΝΕΩΚΟΡΩΝ, illud A non est nota temporis, neque debet legi πρῶτον, sed πρώτων, quomodo integrè exhibet hic Aurelii Veri Numus, ΕΦΕΣΙΩΝ ΔΙΣ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑΣΙΑΣ, ídq; significat illos esse *primos Asiæ*. Optimè autem ΝΕΩΚΟΡΟΝ interpretatus est Syrus Paraphrastes apud Lucam כומרתא, quod jam observarunt Viri summi. Sed cujusnam Numinis dicuntur ΝΕΩΚΟΡΟΙ plerique illi populi? Multa de his præstantissimus Vir in notis ad Marmora Arundelliana: sed tamẽ ejus sententiæ non possumus accedere. Nam quod ad Κοινὸν Ἀσίας Agonem illum sacrum, quem Smyrnæ celebratũ in veteribus Inscriptionibus non semel legas, attinet, mihi persuadere non possum ejus causâ Urbes, quando in illis celebrabatur hic Agon, dictas fuisse Νεωκόρους. Rationes cur ità censeam hæ sunt; Alibi quàm *Smyrnæ* celebratum non leges hunc Agonem Κοινὸν Ἀσίας. Ità in Farnesiano Marmore, ΣΜΥΡΝΑΝ. Ε. ΚΟΙΝΟΝ. ΑΣΙΑΣ. ΔΙΟ. & in Arundelliano, in quo habes C. Antonii Septimii Publii Citharœdi Victorias, ΣΜΥΡΝΑΝ. ΚΟΙΝΟΝ. ΑΣΙΑΣ. Scilicet in hac tantùm Urbe celebratur Κοινὸν Ἀσίας, eámque Urbem designat, meo judicio, in suo Edicto Augustus apud Josephum lib. 16. c. 10. Καὶ τῦτο τὸ διάταγμα κελεύω ἀναπεθῆναι ἐν ἐπισημοτάτῳ τόπῳ ἡμῖν δόντι μοι ὑπὸ τῦ Κοινῦ τῆς Ἀσίας ἐν ἀγῶνι. Postremam hanc vocem hîc nullo sensu legi putarunt Viri magni; quare etiam eam omisit Rufinus vetus Josephi Interpres: itaq; Ill. Scaliger l. 5. magni operis docuit legendum esse Ἀσυρίᾳ, *Ancyra*. Verùm nè emendationem hanc probemus facit, quòd Ancyra Asiæ non erat, sed Galatiæ, adeóq; hujus caput. Rescriptum autem hoc de Judæis Asiæ erat: itaque Julius Antonius Proconsul Asiæ edixit

Ephesiis

Ephesiis apud Josephum loco laudato, ὑπὲρ ὧν Ἰούλιος Ἀντώνιος Ἀνδρόνικος ἔγραψεν Ἐφεσίων ἄρχουσιν βουλῇ, δήμῳ χαίρειν. οἱ ἐν τῇ Ἀσίᾳ κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι ἰδίοις φερομένοις δικαιοδοσιακοῖς μοι ἐν Ἐφέσῳ ἐπέδειξαν Καίσαρα τὸν Σεβαστὸν καὶ Ἀγρίππαν συγχωρηκέναι αὐτοῖς χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις νόμοις καὶ ἔθεσιν. Atque hoc in gratiam Judæorum Augusti Edictum propositum est à Norbano Flacco Asiæ Proconsule, ubi illud ab Augusto accepit cum hoc ad se Rescripto, Καῖσαρ Νορβανῷ Φλάκκῳ χαίρειν. Ἰουδαῖοι ὅσοι ποτ' ἦν οἰκοῦσι δι' ἀρχαίων συνηθειῶν οἰκίαν χρήματά τε ἱερὰ φέροντες ἀναπέμπειν εἰς Ἱεροσόλυμα, ἀκωλύτως τοῦτο ποιοῦντας. Habes paulò pòst Edictum quoque Proconsulis in hæc verba, Τίτος Νορβανὸς Φλάκκος Ἀνθύπατος Σαρδιανῶν ἄρχουσι χαίρειν. Καῖσάρ μοι ἔγραψεν κελεύων μὴ κωλύειν τοὺς Ἰουδαίους, ὅσοι ἂν ὦσιν κατὰ τὸ πάτριον αὐτοῖς ἔθος συναγαγόντες χρήματα, ἀναπέμπειν εἰς Ἱεροσόλυμα. Ἔγραψα οὖν ὑμῖν ἵν' εἰδῆτε ὅτι Καῖσαρ κἀγὼ οὕτως θέλομεν γίνεσθαι. Ad Asiæ igitur Proconsulem datum est hoc Augusti in gratiam Judæorum Asiæ Rescriptum: Ancyra autem non erat de Communi Asiæ, ut quæ illius civitas non esset, sed Galatiæ: Galatiam verò non administrabat Asiæ Proconsul. En tibi coævum scriptorem Strabonem extremo suo opere; Ἀλλ' ἐν ἀρχαῖς τε διέθηκε ποιήσας Τιβεριὸς μὲν δύο· Λυκίᾳ μὲν ὅση ὑπὸ Ῥωμαίοις, ἔξω τῆς ὑπὸ Ἰούλᾳ μὲν πρότερον, νυνὶ δὲ Πτολεμαίῳ τῷ ἐκείνου παιδί· καὶ Ἀσίαν τὴν ὄντος Ἄλυος καὶ τῆς Ταύρου, πλὴν Γαλατῶν, καὶ τῆς ὑπὸ Ἀμύντου ἡγουμένων ἐθνῶν, ἔτι δὲ Βιθυνίας καὶ τῆς Ποντικῆς. Quare non est mutandum τὸ ἀργύρᾳ in τὸ Ἀγκύρᾳ, sed solo accentu mutato medicina huic malè affecto loco facienda est: nam rescribendum tantùm est, ὁ ἀργυρᾶ, scilicet sive stele, sive tabella: nam, ut addit Josephus, hoc Edictum ἐπελογεφήθη ὁ τῇ Καίσαρος ναῷ. Sed de his satis. Redeamus ad institutum sermonem. Smyrnæ igitur tantùm, non alibi in Asia, celebrabatur Agon ille cui nomen Κοινὸν Ἀσίας, eíque, puto, præfidebant Asiarchæ, quorum munus τὸ ἐπιτελεῖν τὰ κυνηγέσια, ut est in Basilicis, & Agonibus sive Ludis præesse, qui ab Asiæ Communi fiebant. Quare optimè Rufinus apud Eusebium lib. 4. in Agone Polycarpi Ἀσιάρχου. interpretatur *munerarium*. Neque hic Agon fuit Pentaetericus, ut volunt viri præstantissimi; nec id probat Inscriptio Farnesiana, cujus pluscula hìc describemus ut id quod dicimus demonstremus;

Ε. ΠΑΝΑΘΗΝΕΙΑ. ΟΛΥΜΠΕΙΑ. ΠΑΝΕΛΛΗΝΙΑ. ΑΔΡΙΑΝΙΑ. ΔΙΣ. ΣΜΥΡΝΑΝ. Ε. ΚΟΙΝΑ. ΑΣΙΑΣ. ΔΙΣ. ΟΜΟΙΩΣ. ΕΝ. ΣΜΥΡΝΗ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΚΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΕΦΕΣΟΝ. ΤΡΙΣ. ΑΔΡΙΑΝΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΒΑΒΒΙΛΛΗΑ.

Nam aut ego valde fallor, aut litera E significat, non quoto anno celebrentur Panathenæa & Κοινὸν Ἀσίας, sed potiùs quoties vicerit M. Aurelius Asclepiades cùm Athenis tum Smyrnæ, variis Agonibus, nempe quinquies: nam Athenis vicit *Panathenaïs*, deinde *Olympiis*, tertiò *Panellenis*, quartò quintóque *Adrianis*; *bis* quippe *Adrianis* vicit. Ità etiam Smyrnæ quinque victorias reportavit: vicit enim semel atque iterum Κοινῷ Ἀσίας, tertiò *Olympiis*, quartò *Adrianis*, quintò rursum *Olympiis*. Numerum autem hunc victoriarum indicari literis his numeralibus omnino probat quod sequitur, ΕΦΕΣΟΝ. ΤΡΙΣ. ΑΔΡΙΑΝΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. ΒΑΒΒΙΛΛΗΑ. Quemadmodum enim Ephesi ter victoriam reportavit, ità etiam Athenis atque Smyrnæ quinquies. Alterum argumentum quo probamus Civitates Asiæ non dici ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ propter Agonem Κοινὸν Ἀσίας, hoc est, Smyrnenses primum *Neocori* dicuntur in Numis Augusti, ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Rursum Neocori facti sunt imperante Adriano: Marmor Arundellianum, cujus meminimus hujus initio capitis, ΚΑΙ. ΟΣΑ. ΕΠΕΤΥΧΟΜΕΝ. ΠΑΡΑ. ΤΟΥ. ΚΥΡΙΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΔΙ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. ΔΟΓΜΑ. ΣΥΓΚΛΗΤΟΥ. ΚΑΘΟ. ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΟΙ. ΓΕΓΟΝΑΜΕΝ; Ab his temporibus ad illa Gallienorum Neocori ampliùs facti non sunt; itaque in Numis Gallienorum *bis Neocori* tantùm dicuntur; ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Jam verò si propter Κοινὸν Ἀσίας *Neocori* dicerentur Smyrnenses, longè sæpius dicti essent *Neocori* ante tempora Gallienorum: nam M. Aurelius Asclepiades Κοινὸν Ἀσίας semel atque iterum vicit Smyrnæ, ídque imperante Commodo. Vicit enim hic Asclepiades Olympiade 240. Inscriptio Farnesiana, ΟΛΥΜΠΙΑ. ΤΑ. ΕΝ. ΠΕΙΣΙΣ. ΣΜ. ΟΛΥΜΠΙΑ ΔΙ. Olympias autem 240. incidit in alterum à Marci Aurelii Augusti morte annum. Quotquot autem Agones enumerantur in illa Inscriptione, vicit Asclepiades intra sex annos, ut ibidem habes. Quare imperante Commodo Asclepiades vicit bis Κοινὸν Ἀσίας, atque ità Smyrnenses, imperante Commodo, fuissent quater Neocori. Rursum post Commodum C. Antonius Septimius Publius vicit Smyrnæ Κοινὸν Ἀσίας· habes in tertio Marmore Arundelliano, ΣΜΥΡΝΑΝ. ΚΟΙΝΟΝ. ΑΣΙΑΣ. Id accidisse post Commodi mortem colligimus, quòd etiam hic Septimius vicerit ΚΩΜΩΔΕΙΑ. B. Agonem, ut puto, institutum à Severo in honorem Commodi. Unde sequeretur pluries fuisse Neocoros quàm bis Smyrnenses, imperantibus Gallienis, si ità dicti fuissent propter Κοινὸν Ἀσίας. Sed *bis* tantùm fuerunt *Neocori Smyrnenses* ad tempora Gallienorum, ut ex eorum Numis patet. Quare alia de causa quàm propter hunc Agonem, Κοινὸν Ἀσίας, Civitates Asiæ dicebantur ΝΕΩΚΟΡΟΙ. Ea nobis hæc videtur; Nonnunquam simpliciter Urbes appellantur ΝΕΩΚΟΡΟΙ sine ulla numinis cujusquam additione, atque id est frequentissimum; víxque aliter usurpatum, præter tria, quod sciam, exempla reperias. Cujus verò Numinis *Neocori* fuerint Civitates, quæ ità nominantur, promptum non est dicere. In Smyrnæorum Numismatis figura visitur turrita quæ dexterâ lauream tenet, & *Deûm Mater* est. An dicemus Civitatem Asiæ Numen commune, cujus ΝΕΩΚΟΡΟΙ esse dicuntur, fuisse *Deûm Matrem*? Quicquid id est, certum est Civitates Asiæ simpliciter ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ dictas fuisse alterius Numinis quàm *Dianæ*. Quanquam & *Dianæ* appellantur ΝΕΩΚΟΡΟΙ, sed addito hujus Numinis nomine. Ità in Caracallæ Numis *Ephesii* dicuntur fuisse *bis Neocori Dianæ*; ΕΦΕΣΙΩΝ. ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. Ubi illud ΚΑΙ, meo judicio, additum est ut distinguat τὼν νεωκοιῶν Dianæ ab illa νεωκοίᾳ quâ tum *Ephesus* cùm pleræque etiam Asiæ Civitates ΝΕΩΚΟΡΟΙ simpliciter dicuntur; ac præterea ità etiam videtur additum ut ostendat Ephesios, qui ad hæc Caracallæ tempora *bis Neocori* simpliciter fuerant, *Dianæ* quoque ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ. factos fuisse à Caracalla, qui impensè videtur favisse Ephesiis; nam etiam tertiùm ac quartùm ΝΕΩΚΟΡΟΙ simpliciter, ac sine ulla Numinis additione dicuntur in Caracallæ Numis, ΕΦΕΣΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. item, ΕΦΕΣΙΩΝ. Δ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Ad tempora igitur Antonini Caracallæ bis jam fuerant Ephesii ΝΕΩΚΟΡΟΙ simpliciter, & semel tantùm ΝΕΩΚΟΡΟΙ. ΤΗΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. Antoninus fecit primò Ephesios ΝΕΩΚΟΡΟΥΣ. ΤΗΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. atque ità fuerunt tunc tantùm ΔΙΣ. ΝΕΩΚΟΡΟΙ simpliciter, sed etiam ΚΑΙ. ΤΗΣ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ, ut præfert Caracallæ Numus. Ab eodem Caracalla deinde sequentibus annis facti sunt Ephesii ΝΕΩΚΟΡΟΙ simpliciter semel atque iterum; unde fuerunt *Neocori ter* atque *quater* illo imperante. Facti autem fuerant *Ephesii* primùm *Neocori Dianæ*, imperante Claudio, ut constat è cap. 19. Act. Apost. Ità *Magnesii* in Maximi Numo dicuntur *Dianæ Neocori*, ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. Atque his omnibus festivitatibus ludi populis dati sunt, exhibentibus Asiarchis, unde illorum apud Lucam mentio fit.

SIMEONIS DE MUIS AURELIANENSIS VARIA SACRA VARIIS E RABBINIS CONTEXTA.

LECTORI.

ERANT in manibus meis *Varia* ſive *Adverſaria*, quæ in Moſis *Pentateuchum*, (vulgò enim ſic vocant) reliquóſque ſacros libros amicorum conſilio impulſus dudum adorno, cùm is liber cui titulus *Exercitationes Biblicæ* allatus ad me cœptum opus invitum & reluctantem intermittere coegit. Multò enim mihi & honeſtiùs & utiliùs ducebam ad oblectationémque aptius quod cœperam perſequi, quàm id genus certaminis denuo aggredi, ubi victoria rarò laudem habet, præſertim cum eo viro qui, ut eſt homo, neſcio an à ſententia quæ ſemel animo inſedit revocari unquam poſſit. Revertor nunc igitur lubens ad intermiſſum laborem, *Variá*que mea, quæ ut nunc exhiberem, huícque meæ Hebraicæ veritatis aſſertioni annecterem, plurimæ, nec leves, cauſæ, quas ſilere modeſtia jubet, impulerunt. Conſilium in his concinnandis *Variis*, ut ſemel ſcias, hoc ſecutus ſum. Non è noſtris, ſed ex Hebræorum duntaxat Doctoribus, neque his etiam omnibus, ſed iis præſertim qui literalem, quem appellant, ſenſum attingunt, illa ferè contexui; non quòd Hebræos noſtris præferam (abſit hoc à me) ſed quia profeſſionis meæ limites exire religio fuit: nec libuit arare bove ſimul & aſino, agrúmque diverſis permixtíſque ſeminibus conſerere. Ità autem Hebræorum ſententias refero aliáſque aliis compono, meum etiam interdum, ſi quod meum eſt, interponens judicium, nihil ut præjudicatum nedum fraudi eſſe, Græcorum Latinorúmque Sanctorum Patrum præſertim, opinionibus atque interpretationibus velim. Ipſa Hebræorum verba ſæpius recito, ſed ità ut ſtatim eorum qui Hebraicè neſciunt gratiâ Latinè reddam, ſenſum ſcilicet, non verbum è verbo, quæ poſtrema interpretandi ratio inepta atque inſcita ab omnibus ſemper habita eſt. Rabbinicas fabellas ſomniáve, quæ parùm ſobriorum hominum interdum videri poſſint, ſi quando huic ſcripto delectamenti cauſâ fortè inteximus, illico refelluntur, ſi tamen digna ſunt quæ refellantur, ac non ipſa per ſe ſpontéque ſatis corruunt. Penè exciderat quod jam dictum oportuit, me in promendis S. Scripturæ locis non Vulgatæ verſionis ſed Hebraicæ potiſſimùm veritatis fidem ſecutum, ſervato tamen, quoad ejus fieri potuit ac per veritatem Hebraicam licuit, Vulgatæ verſionis, quam ſummè ac ſanctè veneror, germano contextu. Habes, Lector, ſatis explicatam conſilii mei rationem. Vale.

SIMEONIS

SIMEONIS DE MUIS AURELIANENSIS
VARIA SACRA
VARIIS E RABBINIS CONTEXTA.

Explicantur breviter & ſuccinctè Geneſeos Cap. 1. Ver. 3. quibus diei ſecundi opus deſcribitur.

ויאמר אלהים יהי רקיע בתוך המים ויהי מבדיל בין מים למים :

6. *Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum* [*ſit expanſum*] *in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.*

ויעש אלהים את הרקיע ויבדל בין המים אשר מתחת לרקיע ובין המים אשר מעל לרקיע ויהי כן :

7. *Et fecit Deus firmamentum*, [*expanſum*] *diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab his* [*aquis*] *quæ erant ſuper firmamentum* [*expanſum*] : *& factum eſt ità.*

ויקרא אלהים לרקיע שמים ויהי ערב ויהי בקר יום שני :

8. *Vocavítque Deus firmamentum* [*expanſum*] *cœlum; fuítque veſpera, & fuit manè dies ſecundus.*

DIxit quoque Deus, *Fiat firmamentum*, &c. Quid ſit *firmamentum*, ſeu רקיע, i. *expanſio*, ſeu *expanſum*, cujus hic fit mentio, valde cùm inter Philoſophos tum inter Theologos eſt controverſum. Abarbanel putat hâc voce ſignificari ſphæras omnes cœleſtes præter primam : cùm enim hæc primo die ſit creata, & quidem מהאין המוחלט *ex nihilo abſoluto*, ſeu *abſolutè*, illas ſecundo eſſe conditas, & quidem è prima illa. Id circo, inquit, dicitur hîc, *Et fecit Deus firmamentum*, non autem *Et creavit*, &c. Vult nempe Abarbanel primo die ſolummodo creata principia cùm inferiorum tum ſuperiorum corporum ; quatuor ſcilicet elementa, ut eſſent principium rerum ſublunarium ſeu inferiorum, primámque ac ſupremam illam ſphæram, ut eſſet principium ſuperiorum corporum ; quibus ex principiis ſecundùm vim illis impreſſam ſubſequentibus poſtea diebus à Deo facta ſint cætera. Neq; verò, inquit, primo ſtatim die conveniebat inferiores ſphæras unà cũ ſuprema illa condi & fabricari, quòd iſtum diem creandis duntaxat è nihilo principiis deſtinaſſet Deus, qui המעט מהנמצאות שאפשר *quàm fieri potuit pauciſſima* מהאין הגמור *è nihilo perfecto* exſiſtere voluit. Satis hæc philoſophicè & probabiliter, ſi pariter expediret cætera. Equidem vererer nè ridiculus eſſem ſi alia, quæ ſubtiliter & argutè philoſophatur, percenſere vellem : adeò mihi videntur aliena & abſurda, ſi tamen ſatis capio ejus mentem. Miſſis tot ferè opinionibus quæ interpretum ſunt capita, ac pleriſque omnino deridiculis, breviter meam & ipſe proponam, nihil tamen, ut in re admodum dubia & perobſcura, affirmans. Igitur poſt Rambam, Abben Tibbon & alios Hebræorum, *firmamentum* ſeu *expanſum* interpretor infimam hanc aeris regionem quæ nos attingit & in qua mortales vivimus, ſupra quam nubes, quæ ſunt מים בכח *potentiâ aquæ*, exſiſtunt, infrà illam verò המים בפועל *ipſæ aquæ actu*, nempe maria, flumina & fontes. Ante ſecundum diem confuſa adhuc & indiſtincta erant omnia elementa, quæ mihi probabile eſt primo mundi die unà cum terra creata, ſicuti ſentire Abarbanelem notavimus ad v. 1. hujus cap. Die igitur ſecundo cœpit Deus illa diſtinguere ac ſecernere : ac primò quidem aerem ſic diſtribuit ut aquas inferiores inter & ſuperiores, i. nubes, quæ media ſunt aeris regio, hæc ultima atque infima aeris pars, ceu expanſum ac diffuſum quoddam corpus, ambiens undique terræ atque aquarum inferiorum globum, exſiſteret. Nihil aliud ſanè puto ſignificari tribus his verſibus. Atque hæc ſententia mihi videtur ſimplicior, paucioribúſque involuta ambagibus. Occurres, Si ità res habet, utì dicis, in deſcriptione originis mundi, nulla ſpeciatim fiet mentio ſupremæ aeris regionis atque ætheris. Reſponderi poteſt, ea tantùm quæ oculis cernerentur, & quæ vulgus per ſe capere nullóq; negotio intelligere poſſet, ex more Scripturæ, quæ tam ad indoctos quàm doctos pertinet, hoc in capite explicata, & ad rudis vulgi captum certè, nec admodum, ut palàm eſt, ex arte Philoſophica aut Mathematica, ut illud forſitan, quod v. 16. de duobus majoribus luminaribus, Sole nempe & Luna, ſcribitur, cùm tamen revera Luna aliis ſtellis multò minor ſit, ac tantummodo oculis major appareat, ut in infimo ac ultimo orbe poſita. Scio Ezram & alios alio quodam modo, quod de majoribus luminaribus duobus dicitur, interpretari, neque malè profectò, ſicuti fortaſſe à nobis aliàs obſervabitur commodiùs. Non aliena eſt porrò, neque indigna quæ referatur, eorum ſententia qui *expanſi* vocabulo intelligi volunt quicquid ſupra terræ & aquæ globum cernere eſt, nimirum triplicem illam aeris regionem, infimam, mediam, ſupremam, deinde ætherem ſeu ignem, & orbes cœleſtes omnes, quæ omnia die ſecundâ aiunt creata. Si excipiatur ſuprema illa ſphæra, quam unam ſaltem ex omnibus cum Abarbanele primo mundi die è puro nihilo unà cum terræ & aquæ globo, utì videtur convincere hujus capitis v. 1. fabricatam exiſtimo, huic opinioni lubens ſubſcribam. Non enim abſurdè explicat quî illa compago ſuperiores aquas ab infimis disjungat, nempe non ſe totâ, quâ uſque ad primam illam ſphæram, ſeu, juxta alios, ad extremum mundi patet, ſed eâ tantùm ſui parte quæ infima aeris regio dicitur, quæ quidem, utì pars firmamenti ſeu expanſi illius, *firmamenti* quoque nomine haud abs re appellari poteſt.

7. *Et fecit Deus firmamentum*, &c.] Dum dixit, *Sit firmamentum*,

mamentum, &c. *Fecit*, nempe verbo. Nihil enim aliud est hic versus quàm expositio præcedentis ampliórque declaratio. Sed quî *fecisse* dicitur quod jam erat factum? Nam *terræ* vocabulo, quæ primo die condita est, omnia elementa contineri ex Abarbanele docuimus ad v. 1. hujus cap. Respondeo; fecit ut aeris quædam portio esset firmamentum, i. expansum & exporrectum quoddam corpus, aquas inferiores inter & superiores constitutum ac veluti firmatum, id quod antea non erat. *Fecit* secundùm quid, i. aptavit. Hoc sensu *faciendi* verbum accipitur 1 Sam. 12. 6. necnon Deut. 21. 12. ubi dicitur, *radet cæsariem*, seu *caput suum*, ועשתה *& faciet* (i. præcidet) *ungues*. Rasi, non tamen de aere sed de cœlis, qui cùm antea essent לחים i. *humidi*, seu *liquidi ac fluxi*, postea sunt densati, interpretatur, תקנו על עמדו, i. in eo statu posuit in quo esset permansurus. Deinde universa illa aeris, ætheris & cœlestium orbium compages, excipiatur tamen semper prima sphæra, die secundo forsan, ut alii sentiunt, de novo edita, cùm ejus nihil antea esset. An tamen è nihilo puro, quod Abarbanel negaret, exstructa fuerit nécne in medio relinquo, nec quisquam certò definire potest. Quanquam mihi videtur probabiliùs negari, ob eam causam potissimùm quæ paulò antè ex Abarbanele observata est.

8. *Vocavítque Deus firmamentum* (seu *expansum*) *cœlum*. Cur firmamentum vocarit Deus, h.e. voluerit vocari שמים *cœlum*, non satìs liquet, nisi quia quicquid esset supra hominum caput, communi *cœli* vocabulo voluerit nuncupari, in eo scilicet ad captum vulgi, qui quæ supra caput sunt non satìs distinguit sed in unum confundit, descendens seséque accommodans. *Cœlum* in consuetudine S. literarum pro aere appellari notum est certè omnibus, ut promere exempla nihil opus sit. In posteriore sententia, à qua ipsi non abhorremus, universa illa aeris, ætheris & orbium cœlestium compago non absurdè *cœli* vocabulo appellabitur, à potiore & digniore sui parte, quæ est cœlum. Quærit Rasi, cur hujus diei, secundi videlicet, operi non sit adjectum, itidem ut aliorum dierum operib⁹, *& vidit Deus quòd esset bonum*; respondétq; לפי שלא היה נגמר מלאכת המים עד יום שלישי והרי התחיל בה בשני ודבר שלא נגמר אינו במלואו וטובו, *quòd aquarum opus, nisi tertio die, non fuerit absolutum, etsi cœptum fuerat secundo: quicquid autem minimè absolutum est, nec plenum* (seu *integrum*) *nec bonum est*. Pergit; ובשלישי שנגמר מלאכת המים והתחיל וגמר מלאכה אחרת כפל בו כי טוב שני פעמים אחרת לגמר מלאכת השני ואחת לגמר מלאכת היום: *In explicando verò diei tertii opere, quo die aquarum opus est absolutum, aliúdque præterea cœptum & perfectum, bis repetitum est*, Et vidit Deus quòd esset bonum, *semel ad complendum aquarum opus, iterum verò ad absolvendum opus istius diei*, nempe terræ fœcundationem. Fecit Deus quod boni artifices solent, qui non priùs sua approbant opera nec deponunt è manibus quàm perpolita perfectáque ac satìs ex arte elaborata cognoverint. Illud enim, *Et vidit Deus quòd esset bonum*, aliud nihil est quàm cujusque operis approbatio.

Fecitq; Deus duo luminaria magna, &c. Gen. 1.16.

IN cap. Gen. 1. v. 16. scribitur Deus *fecisse duo luminaria magna*, nempe Solem & Lunam, quorum *ille diem, hæc* verò *noctem moderaretur*. Qui hoc intelligendum, cùm Lunam Planetis stellísq; omnibus magnitudine longè cedere doceant Astrologi, etsi excipiunt quidam Mercurium & Venerem? 2. Vulgò solet responderi *magna luminaria* dici Solem & Lunam, quòd præ reliquis stellis, etsi Luna, uti diximus, stellis ferme omnibus longè minor sit, talia oculis appareant. Scriptura, aiunt, hîc, ut sæpe aliàs, ad rudiorum & vulgi captum descendit. Ezra, cui subscribunt Abarbanel & alii, censet non dici *magna* ratione corporis sed luminis; אין פי' גדולים על מדתם בגופם רק על אורם, *Non*, inquit, *magna dicuntur ratione mensuræ* (seu *molis*) *corporeæ, sed ratione luminis*. Addo ex iisdem, Quamvìs Sol & Luna multò inter se sint impares lumine, tamen utrumque appellari *luminare magnum* comparatè ad alias stellas, non secùs atque 1 Sam. 17. 13. filii Isæi tres dicuntur *magni*, etsi Eliabus maximus natu esset, nec inter se pares ætate essent.

Et ædificavit Dominus Deus costam illam quam tulerat de Adam (seu *homine*) *in mulierem*, Gen. 2. 22.

ETsi satìs supérque sit mortalibus ingeniis scire quid à Deo esse factum, nec satìs pium aut tutum interdum, cur aut quî factum velle investigare, nihilominus tamen opera Dei Opt. Max. quà possumus, examinare haudquaquam prohibemur, modò intra modum consistamus, nec ultrà quàm possit mens humana, minimum autem potest, adnitamur; illud semper tenentes, nimium esse in Dei operibus quod religiosè admiremur, silentióque ac fide veneremur, nihil aut parùm quod satìs capiamus, nedum verbis explicare possimus. Ingenuè fateamur nescire nos quæ nescimus, nec dum mortales sumus scire possumus. Dei opera eorúmque causas scrutari, nec nimiùm tamen solicitè, forsan liceat, nunquam de iis certò pronunciare quisquam audeat. Quis jure reprehendat si quis expendens fortè hunc versum Gen. 2. *Et ædificavit Dominus Deus costam illam quam tulerat de Adam, in mulierem*, quærat 1. Quare non eodem modo mulier quo homo seu Adamus creata est, nec quo modo cæterorum animantium feminæ, quæ unà cùm maribus editæ sunt, sed è costa Adami jam creati? 2. Quare non usurpet hoc loco S. Scriptura verbum *creandi*, aut *formandi*, sed *ædificandi*? Deniq; an costa illa quæ ab Adamo sublata est ad constructionem illius corporis fuerit necessaria, an superflua? Nam si necessaria astruatur, sequetur defuisse postea aliquid corpori Adami: si verò fuit superflua, jure quis arguere videatur monstrum fuisse Adamum, quòd ejus corpus membris redundaret. Hæc quærere humanarum est argutiarum, de his certò respondere non itidem humani est acuminis. Si quis tamen suas conjecturas, sed nihil aliud quàm conjecturas, de his & ejusmodi in medium proferre velit, non est, meâ quidem sententiâ, rejiciendus. Abarbanelem virum utique doctum, sagacem & acutum inter alios Hebræorum audiendum censeo, cujus quidem verba Latinè ad hunc modum utcunque expressi; nimis enim longum esset Hebraica referre; *Visum est Deo ut crearet mulierem è costa hominis*; *neq; eam seorsum ac separatim condere voluit, quemadmodum cæterorum animantium feminas, & ipsum Adamum, propterea quòd cæterorum animalium femina maribus, nisi procreandi ergô duntaxat, non conjungantur, ac nihil præterea illis cum maribus sit, ut qua seorsum vitam agant. At verò homini feminâ est opus cùm ad alia multa tum ad cibos parandos & alia domestica officia,* [Addo, *ac præsertim ad vitæ societatem*,] *ideóque homini subjaceat obediátque necesse est. Oportuit idcirco mulierem partem esse illius corporis, ut ceu pars suo toti conjungeretur adhæreréque, firmiùs ipsum amaret tueretúrque quoad posset. Detraxit igitur Deus* unam de costis *Adæ*, & replevit *seu* clausit carnem *in corpore Adæ* pro ea, *ex eáque mulieris ædificium exstruxit, sicuti dicitur* Gen. 1.21. Et ædificavit Dominus Deus costam illam, *&c.* Nonnullis interjectis pergit, *Neq; verò creavit Deus mulierem ex Pedibus, quæ abjectior in homine pars est, nè illam haberet pro ancilla, neq; ex Capite, nè illa sibi videretur domina, sed ex Costa quæ medio in corpore jaceret, ut doceretur utrique parem in domo locum ac dignitatem competere. Quod ad alia membra attinet, adferuntur etiam quædam mystica rationes. Videtur mihi porrò eodem tempore quo Adamus creatus est, creata & illa costa, præter costas ad corporis constructionem necessarias. Neq; tamen illa fuit superflua aut otiosa. Est enim aliquid inutile cuipiam singulari, quod tamen est necessarium speciei. Sic semen superfluum est ratione individui, ipsum tamen charũ habet natura conservátq; ad procreationem generísq; propagationem. Similiter statuendum de costa illa, fuisse inutilem primo homini, ast necessariam ad mulieris procreati-*

procreationem. Neq; verò dubium quin ea costa mixta carne fuerit, ex illáq; ossa, ex carne verò caro exstiterit in muliere. Fieri autem non potuit vi ac viâ naturæ ut capitis membra, cor, medulla, jecur, nervi etiam, arteria, vena, tum ex carne tum ex osse tantùm exstiterint. Hinc est quòd Sacer Textus mulieris è costa creationem Dei voluntati ac potentiæ ascribat, his verbis, Et ædificavit Dominus Deus costam illam quam tulerat de homine, in mulierem. *Utitur verbo* ædificandi, *non* creandi *propterea quòd è nihilo mulier non fuit, neque* formandi *quoniam illius forma non fuit nova forma sed hominis forma: utitur, inquam, verbo* ædificandi *quasi opus Divinæ artis mulier sit.*

Hâc vice os ex ossibus meis, & caro ex carne mea, &c. Gen. 2. 23.

ADamus somno qui Divinitus immissus fuerat expergrectus mulierem ex suarum costarum una constructam cùm vidisset, *Hâc vice,* inquit, *os ex ossibus meis, & caro ex carne mea,* &c. Quid hoc, *Hâc vice?* Bechai sic exponit, על דרך הפשט ואת הפעם בלבד היא שנלקחה עצם מעצמי אבל מכאן ואילך לא יצטרך לקחת אשה מצלע אלא הבריות יתעסקו בפריה ורביה: *Si sensum sequaris literalem, Hâc vice tantummodo assumpta est* mulier *os ex ossibus meis. Verùm deinceps haud necesse erit extrahi mulierem è costa; sed procreationi liberorum studebunt homines:* nascetúrq; mulier כמנהגו של עולם *secundùm morem mundi,* ut Isaacus Karus loquitur. Ità interpretatum esse Rasi autor est Bechai, qui tamen locum non indicat. Certè ista interpretatio non exstat in Comment. Rasi in h.l. Hoc observat idem Bechai ex allegoricis, mulierem duram esse naturâ quòd ex osse sit condita, hominem verò seu virum facilem quòd ex pulvere sive humo, quæ est facilis: ideóq; dici de homine paulò antè, comm. 7. *Formaverat igitur Dominus Deus hominem,* &c. quòd fuerit instar luti, quod facilè figuli manibus cedit; de muliere verò, comm. 22. *Et ædificavit,* &c. non secùs ac quispiam ædificium è duris lapidibus excitat: indéq; esse quod Psal. 103. 13. legitur, *Quomodo miseretur pater filiorum;* ubi misericordia patri tribuitur, cùm cõtrà מרת הדין *conditio* (sive *proprietas*) *judicii* matri, ut Prov. 31. 1. *Prophetia quâ erudivit* (seu *castigavit*) *eum mater ipsius.* Rasi istis verbis, שבא אדם על כל ואת הפעם doceri censet, *Adamum ingressum super omnia animalia, neq; mente in iis acquievisse.* Quæ explicans Isaacus Karus הם ושלום, inquit, שבא בפועל אלא אחר שקרא לכל הבהמות וחיות שמות הראויות להם בחכמתו ראה שאין שום נקבה שלהם מסכים עמו, *Abfit, quòd reapse* (sive *actu*) *ingressus sit: sed posteaquam universis jumentis & feris convenientia indidisset nomina, vidit pro sua sapientia nullam eorum femellam sibi congruere.*

An verè cum Eva locutus serpens? Gen. cap. 3. *Explicantur etiam versus duo ex eodem capite.*

HIstoria serpentis qui inierit colloquium cum Eva, eámque ad vetiti pomi esum solicitarit, describitur Gen. 3. unde petendam censeo: longum enim esset ac tædiosum illam hoc loco referre, præsertim cùm omnibus nota sit.

Circa eam quæritur, Quomodo serpens, qui linguæ ac sermonis expers est, colloqui cum muliere potuerit. Variè, ut de re dubia prorsus atque incerta, respondent Hebræi. Sunt qui dicant initio rerum serpentem intellectu fuisse præditum sermoníq; habuisse usum, erectóq; incessisse corporis statu, sed quòd peccasset Evam decipiendo, destitutum intellectu sermonéque, abrasósque ac præfectos ei pedes, scilicet ab Angelis ministerii (adeò delirant) qui statim ac Deus pronunciavit ipsum deinceps in ventrem incessurum, è cœlo delapsi sint Deo operam navaturi. Si ità esset, cur istorum in serpentis exsecrationibus nulla mentio, cùm iis quæ illic dicuntur longè graviora sint. Deinde hanc sententiam rerum naturas palàm est evertere: Alii, in quibus Saadias, existimant Satanam fuisse qui locutus cum muliere sit, indutum scilicet atque ementitum speciem serpentis. Sed nullâ probabili nituntur ratione, nec explicant quî in Satanam convenire possint quæ in serpentis exsecrationibus dicuntur, *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias agri:* (nam quod, quæso, animalis genus Satanas?) *super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ,* &c. v. 14, 15. Lepidi hi videntur porrò cùm observant נחש *serpentem* שטן *Satanam* idem valere in numeris, etsi uno saltem, aut 701 ob finale ן; hoc illud excedit. Ramban, autore Abarbanele, nullum censet dari istius historiæ literalem sensum, אבל שהוא רמז מן החכמה השבעית והאלהית, *sed eâ sapientiam innui, cùm naturalem tum divinam.* Fateor hoc non capere me. Non desunt etiam qui credant locutum angelum serpentis ore. Quod si esset, non peccasset serpens, causáq; esset nulla cur pœnas innocens luisset, próq; angelo vapulasset serpentum genus. Tum autem non decuit angelum id facere. Quosdam esse intelligo qui affirmant Evam sciviſse ac noviſse omnium bestiarum linguas, ac, si ità fas loqui, idiomata & dialectos. Itaque explicant illud versûs primi, *& dixit* serpens ברמיזות, i. *nutibus & signis,* vel בצפצוף, i. *sibilo.* Verùm ut demus ità esse, quis tandem aut quid induxit serpentem ut Evam falleret? Et quis eum modum aut artem docuit quâ circumveniri capíve posset? Qui scire, quæso, potuit serpens quid homini Deus edixisset aut vetuisset? Anne Dei Adamum alloquentis verba alicunde exceperat? Acutissimè omnium sensisse mihi videtur Abarbanel, qui negat mulierem unquam allocutum serpentem huscque illam respondisse, quòd neque serpens sermonis particeps sit, neque, ut de Balaami asina quæ verè locuta est, hîc dicatur ullibi, *aperuitq; Dominus os serpentis;* adeò ut neque propriæ naturæ vi, neque præter naturæ vim locutus serpens dici possit. Vult igitur is quem modò nominavi, hoc sensu scribi allocutum serpentem ipsam Evam, quòd cùm serpens in arborem scientiæ boni & mali iterum atque iterum ascendisset, indéque non semel vidente atque inspectante Evâ fructus decerpsisset, edissétque, ac nihilo tamen duriùs haberet, nedum mortuus esset, cœperit Eva apud se cogitare, non esse noxios nedum lethales ejus arboris fructus quibus impunè serpens vesceretur: ídque perinde fuisse ac si mulieri dixisset serpens, *Nequaquam morte moriemini,* & cætera quæ locutus scribitur. Ejusmodi prosopopœiæ sunt in S. literis innumeræ, ex. gr. Psal. 148. 7. *Laudate Dominum è terra dracones & omnes abyssi;* Job. 28. 14. *Abyssus dicit, Non est in me sapientia: & Mare loquitur, Non est mecum.* Mitto sexcenta alia exempla, quibus nihil necesse implere paginas, quia legenti passim obvia sunt. Hoc ipso in capite v. 14. & qui sequitur, Deus dicitur cum serpente sermonem habuisse. Quasi verò Deus serpentem mutum animal & rationis expers sit allocutus. Quòd dicatur v. 6. *Vidit igitur mulier, quòd bona esset arbor ad vescendum,* &c. non autem, *Audivit igitur vocem serpentis,* aut fidem habuit ejus verbis, indè probari evidenter existimat quem laudavi Abarbanel, serpentem minimè sermonem habuisse cum muliere neque hanc cum illo, sed mulierem duntaxat serpentis facto esúve ex interdictæ fructu arboris impulsam quæ hîc scribuntur animo secum agitasse. Sed si ità est ut serpens minimè sit locutus cum muliere, neque eam ipse deceperit, cur igitur punitus est dirísque imprecationibus à Deo acceptus? Respondet idem Abarbanel, Quòd serpens prò ingenio callido quo erat præditus, herbis & graminibus quibus vescebantur reliquæ bestiæ, quæque erant ei à Deo concessa in cibum, non contentus, ascendisset in arborem ut indè fructus decerperet ederétque, idcirco eum punitum esse à Deo.

Sed quãdo in hujus rei mentionẽ incidimus, operæpretiũ etiã erit quærere, quæ fuerit serpentis pœna, cùm hæc res ad eam de qua mox diximus non parùm pertineat. Respondet laudatus Abarbanel, בששנה הקבה" טבעו ומזגו ועשאו עפריי, *In eo quòd mutavit Deus naturalẽ ejus indolẽ & constitutionẽ, tũmq; efficit terrestrem.* Nam notati capitis v. 14.

Et ait Dominus Deus ad ſerpentem, Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias agri: ſuper pectus tuum gradieris, & terram (ſeu pulverem) comedes cunctis diebus vitæ tuæ, ità accipiendum docet ut non veſci ampliùs debeat ſerpens, ſicut antea ſolitus erat, oleribus herbíſve, quemadmodum faciunt alia terreſtria animantia, ſed pulvere. Atque hanc unam ſerpentis exſecrationem eſſe vult, ut terreſtris maximè efficiatur: unde conſequatur neceſſariò, ut terrâ ſeu pulvere deinceps in cibum utatur, ideóque in ventrem ſemper ac pectus incedere debeat, paſtum nempe naturali ſuæ conditioni convenientem humi quæſiturus. Sic igitur explicat hoc ejuſdem verſûs, *ſuper pectus tuum gradieris*, quaſi diceretur, Non aſcendes ultrà in arbores, ſed cibus tuus deinceps ſolus erit pulvis, ideóque ſuper pectus tuum incedes, in pulvere cibum quæſiturus. Verſum autem 15. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum*, ſic explicat, ut Quia ſerpentis poſt peccatum primorum parentum mutata naturalis conditio eſt, prorſúſque terreſtris effecta, ideóque ab naturali hominis conditione, quæ in ſumma temperatione poſita eſt, longiſſimè diſtans, eamobrem perpetuas gerat inimicitias ſerpens cum homine, homóque cum ſerpente, ſic ut ille huic caput, hic illi ſemper calcem conetur illidere, nempe propter ſummam antipathiam & mutuam repugnantiam ex diverſa & prorſus differente naturali conditione exſurgentem. Ità ferè philoſophatur Abarbanel, ſatìs ſubtiliter ſanè nec omnino abſurdè, meo judicio. Nihil affirmo tamen, nec meum eſt.

Sed ſcit Deus quòd in die qua comederitis ex eo fructu, *aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Deus, ſcientes bonum & malum*, Gen. 3. 5.

GEN. 3. 5. ſerpens etiam legitur hoc dixiſſe mulieri, *Sed ſcit Deus quòd in die qua comederitis*, &c. ut mox. Quaſi verò ſerpens Deum noſſet, boníque & mali diſcrimen. Et quí mulieri, niſi prorſus amens fuiſſet, perſuadere ille unquam potuiſſet Dei mentem ſcire ſe? Ipſa, ipſa ergò potiùs, ut videtur, éſtque Abarbanelis opinio, ſibi hoc perſuadebat ſerpentis facto impulſa. Verùm quæ tandem hujus verſiculi ſententia, & quid Eva hîc ſibi voluit, & quomodo ex facto ſerpentis tale quid ei in mentem venit? Sic exiſtimare aliquis poſſet. Quia fructum quo veſci à Deo fuerat vetita exemplo ſerpentis non eſſe lethalem Eva didicerat, cœpit cogitare nihil aliud Deum moviſſe ut ejuſmodi fructûs eſu ſibi viróque interdiceret quàm nè, ſi fortè eo veſcerentur, ipſi ſimiles evaderent, tantâque mentis acie pollerent quantâ ipſe, abſolutámque illam ac perfectam boni & mali ſcientiam quæ ſoli Deo propria eſt adipiſcerentur, aut ad eam certè quamproximè accederent. Hoc autem ideo venit in mentem illi, quòd à Deo ipſo *arbor ſcientiæ boni & mali* appellata fuiſſet illa arbor cujus fructu interdicebatur; húcq; pertinet notati capitis verſus 5. *Vidit igitur mulier quòd bona eſſet arbor ad veſcendum*, quia nimirum ſerpens impunè ejus fructu uſus eſſet; *quódque deſiderabilis eſſet oculis*, quia pulcra; ונחמד העץ להשכיל, *& concupiſcibilis arbor ad intelligendum*: quòd enim eſſet vocata ipſius Dei ore *arbor ſcientiæ*, indè colligebat ejus arboris beneficio conſecuturam ſe omnium rerum ſcientiam: ſic enim interpretabatur *ſcientiam boni & mali*, & quidem præter Dei mentem, qui *arborem ſcientiæ boni & mali* (ſic enim cum pleriſque noſtris exiſtimo) ab eventu potiùs per prolepſin appellat, quòd ejus guſtato fructu intellecturi eſſent Adamus & Eva quot & quanta ſe in mala poſteróſque ſuos miſeri conjeciſſent, quótque & quantis à bonis excidiſſent.

Adam verò cognovit uxorem ſuam Hevam, quæ concepit & peperit Cain, dicens, Acquiſivi virum à Domino (ſeu *ipſi Domino.*) *Rurſúmque peperit fratrem ejus Habel. Fuit autem Habel paſtor ovium, & Cain agricola*, Gen. 4. 1, 2.

PRimi mortalium nati fuere Cainus & Habel, quorum illi Caino nomen fuit, huic Habeli: illud *acquiſitum Deo*, hoc *vanitatem* ſonat.

Quæritur quid moverit Adamum, ſive Evam, (ipſa enim eſt quæ liberis impoſuit nomina, at de mariti ſententia, ut videtur) ut minori natu filio infauſtum malíque ominis nomen inderet, præſertim cùm primogenito fauſtum indidiſſet. Quæri item poſſit, Cur prioris nominis etymon explicetur, poſterioris verò non. Ità ferme reſpondet Iſaacus Karus, Adamum poſtquam peccati pœnituiſſet, ſtatuiſſe apud ſe ut qui primus ſibi filius naſceretur, Divino cultui, ſecundus verò rebus domeſticis, quæ ad Dei cultum mera vanitas ſunt, applicaretur, ideóque illi Caino quod ſonat *acquiſitum Deo*, huic verò Habeli quod *vanitatem*, nomen eſſe voluiſſe: ac propterea etiam illius nominis cauſam aſſignaſſe, hujus verò non; quòd ut colendo & celebrando Deo filium gignere glorioſum, ità exercendis rebus vanis inglorium. Quandoquidem autem ubi ſemel quis peccavit ſecùs ei res accidunt quàm ſperarit, longè Adamum fefellit eventus. Cainus enim evaſit parricida, próque Dei cultore avarus agricola; Habel contrà relictâ rerum domeſticarum curâ, לקח אומנות רועה שהוא אומנות נקיה שהצדיקים מתעסקין בו יעקב ומשה ודוד והשבטים לפי שמרת בורדים בשדה להבין בסודות אלהיות, *artem coluit paſtoritiam, genus artis innocuum, quod viri juſti* ac pii, *Jacobus, Moyſes, David, Tribuúmque patres ſunt ſecuti: quòd eam exercendo artem ſolis interim in agru procul à ſtrepitu liceret rerum Divinarum contemplationi ac ſtudio vacare.* In hujus ſententia קניתי איש את יהוה vertendum, *Acquiſivi virum Domino*, non ut vulgò, *à*, vel *cum, Domino*. Ramban ità accipit, probátque את interdum pro ל & præpoſitione אל uſurpari. Aiunt alii unà cum Caino editam ſororem gemellam, ejuſdem olim futuram uxorem, cum Habele verò binas, ejuſdem quoque ſcilicet futuras uxores; ideóque fuiſſe hunc puſillo admodum corpore cùm eſt editus in lucem, ac propterea à *vanitate* nominatum. Somnia, quæ nullâ probabili nituntur ratione. Quaſi verò ſeptem aut novem pòſt menſibus natæ non potuiſſent eſſe illorum uxores. Sed enim haud inepte quis dixerat Habelem à *vanitate* appellatum, quòd jam tum cùm hic natus eſt Divini afflatu numinis præſentiſceret Eva, ſive Adamus, quid illo tandem futurum eſſet, nempe illum miſerè necandum à fratre.

Adam verò (ſeu *homo*) *cognovit uxorem ſuam*, Gen. 4. 1.

NEſcio quî fit ut ea quæ turpia re non ſunt, verbis flagitioſa exiſtimentur: illa autem quæ turpia ſunt, nominibus vocentur ſuis. Latrocinari, mentiri, occidere, re turpe eſt, ſed dicitur non obſcœnè; liberis dare operam re honeſtum eſt, nomine obſcœnum dictúque fœdum. Cic. 1. off. In hoc ſcilicet imitata eſt hominum verecundia ipſam naturam, quæque illa, utpote aſpectum deformem habitura atque turpem, contexit atque abdidit, eadem omnes qui ſanâ mente ſunt removent ab oculis: quarúmque partium corporis uſus ſunt neceſſarii, eas neque partes neque earum uſus ſuis ac propriis nominibus appellant. Neque vero alienum eſt quod Talmudici ſtatuunt, Datos idcirco homini digitos inſtar clavorum acutos, ut ſi fortè verbum parùm honeſtum audiat, figere ſtatim in aures ſuas digitos poſſit, nè quid illæ turpe & obſcœnum admittant. Ac ſi profanis etiam autoribus paulò ſeverioris notæ quaſdam partes earúmque uſus ac venerandum illud concubii pudici ſecretum propriis vocabulis efferre religio fuit, quid mirum quòd ſacer textus, dum

Adamum

Adamum cum uxore consuetudinem iniisse aut habuisse significare vult, ידע, i. *cognoscendi* verbum usurpat? *Adam verò*, seu potiùs *homo* (propter ה emphaticum, quod propriis nominibus non adhibetur; in Hebræo enim האדם) *cognovit uxorem suam*, ait Sacer textus. Sed cur tandem, quærat aliquis, hoc potiùs quàm aliud verbum usurpavit? Ecce tibi Bechai, qui ad hoc sic habet, דע כי התשמיש בלשון התורה נקרא ידיעה והטעם לפי שהזרע בא מן המיח שהוא מקום החכמה והדעת ועוד ראוי התשמיש היותה סבתה עץ הדעת ולכן נקרא בשם ידיעה: *Scito lecti officium in usu sacrarum literarum* COGNITIONEM *vocari, propterea quòd semen è cerebro, quod est sapientiæ & cognitionis sedes, defluat: deinde libidinis causa fuit arbor scientiæ seu cognitionis: idcireo usus uxoris nominatur* COGNITIO. Postremo modo etiam Ezra ad v. 6. cap. 3. Gen. Mihi non videtur tam altè repetenda hujusce rei ratio. Quòd enim nusquam magis quàm tum vir pro viro cognoscatur, femina pro femina, uxor pro uxore, idcirco videtur Scriptura viri cum muliere seu uxore consuetudinem eo verbo significasse.

Quæritur etiam hîc an cùm adhuc versaretur in horto voluptatis Adamus uxorem cognoverit, an extra hortum. Rasi putat in horto voluptatis concepisse Evam ac peperisse: ideóque exponendum censet hunc locum, *Adam autem* (seu *homo*) *cognoverat uxorem suam*, per præt. plusquam perfectum, quod ex eo intelligendum vult quòd nomini *Adam* verbum subjungatur, id quod secùs esset si nomini verbum præfigeretur. Quam regulam unde hauserit Rasi, nescio. Certè est omnino incerta. Ezra igitur existimat extra hortum id factum: כאשר ראה שלא יהיה בגופו בעצמו לעולם הוצרך להחיות המין, *Cùm videret Adamus se non perpetuò victurum in corpore per seipsum, necesse habuit propagare speciem*; nempe id tantùm animadvertit ac sensit ex beato illo horto expulsus, nimirum post peccatum. Hic si existimat non daturum operam liberis fuisse Adamum si non peccasset, falsus est. Legi enim à Deo latæ de propagando genere obsecutus dubio procul fuisset etsi nunquam peccasset. Sed id si vult, tum demum solùm de ea re cogitasse postquam se mortalem factum intellexisset, non repugnarim certè.

Posuítque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum, Gen. 4. 15.

CAinus postquam ex invidia, quæ inter fratres frequens malum est, Habelem fratrem interemisset, à Deo vehementer objurgatus, assiduâque per orbem terrarum oberratione damnatus, timere cœpit, ac timorem ipse suum Deo exposuit, nè ab obvio quoque interficeretur. Ast Deus securum ipsum esse jussit, signúmque etiam ei apposuit nè à quoquam necaretur. Sacri textûs verba sunt hæc, *Posuitque Dominus in Cain signum, ut non interficeret eum omnis qui invenisset eum.*

Quodnam illud signum fuerit, quæritur. Respondet Rasi sui nominis literam aliquam Caini fronti inussisse Deum. Quidam ejus capiti affixum cornu censent. Alii fortem illi animum & audaciam Divinitus inditam, sic ut nihil timeret. Ezra signum prodigiúmve aliquod in oculis Caini edidisse Deum, quod illi fiduciam attulerit. At hanc sententiam ex eo refellit Ramban, quòd *ponendi* verbum fixum aliquid notet & stabile. Non enim dicitur *dedit* (aut *fecit*) *Caino signum*, sed *apposuit* illi *signum*, quod perpetuò scilicet unà cum illo maneret. Sunt qui putent nescio quid Caini vultui impressum à Deo quod terrorem horrorémque cæteris animantibus subitò incusserit, ut nulla ad illum auderet propiùs accedere. Sunt qui lepram in ejus fronte aut vultu efflorusse suspicantur: alii canem ei datum qui viam præiret latratúque admoneret adesse qui lædere ac nocere possent, ac procul arceret etiam. Alii aliud divinant: nec mirum; cùm nihil de isto signo exprimat Scriptura. Sic ego sentio, Nesciri posse neque sciri necesse esse quod qualéve illud signum fuerit, sed quodcunque aut qualecunque fuerit, tale fuisse ut quicunque oculis viderit, aut quo alio pacto deprehenderit, manus aut vim Caino adferre non ausus sit. Quanquam ipsum tandem à Lamecho atnepote sed cæco interfectum esse (ità vix unquam pœnam in terris etiam effugit homicida) existimant Hebræorum nonnulli, freti autoritate v. 23. c. 4. Genes. ubi virum quempiam à se occisum videtur dicere Lamechus. Verùm ut occisus sit à Lamecho forsan aliquis, quod ex citato versu non tamen convincitur, qua de re alter erit dicendi locus, non sequitur statim fuisse Cainum, nec est probabile signum Divinitus ei inustum ipsum quoquo modo fefellisse.

Audite vocem meam, uxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum, Gen. 4. 23.

HUnc versum quò faciliùs exponant Hebræorum Magistri hujusmodi ferme comminiscuntur fabulam, Cæcum fuisse Lamechum, solitum autem cùm voluptatis ergò more principum, tum pellium quibus indueretur comparandarum gratiâ, in agros ad venandum proficisci, ducem autem itineris ei adfuisse parvulum quendam puerum, qui cùm semel latitantem medias inter arbores Cainum procul conspexisset, suspicans esse feram, quòd Cainus prolixiore esset comâ, Lamechum admonuerit ut eam in partem arcum dirigeret ubi erat Cainus. Quod cùm fecisset Lamechus, percussum ab eo esse Cainum, quo statim præ dolore altiùs vociferante, evestigio accurrisse Lamechum unà cum puero, cognitóque Cainum atavum suum esse, arcum quem habebat in manibus subitâ irâ permotum in caput pueri adeò graviter incussisse ut ille moreretur. Quo audito Lamechi uxores, Adam & Sellam, non sustinentes cum viro versari diutiùs, quòd duorum simul hominum interfector esset, ab eo voluisse discedere: verùm his verbis conatum illas retinere, *Audite vocem meam, auscultate sermonem meum*, ac nè rebellate in me, quandoquidem estis uxores meæ, ego autem maritus vester: *quoniam* si *virum occidi*, nempe Cainum, illud vertet *in vulnus* ac malum *meum*, q. d. ego puniar, non vos; ac si adolescentulum interfeci, hoc quoque ad me attinet, non ad vos: sua enim quemque manet pœna. Cur igitur mihi pergitis esse molestæ? sufficiat mihi dolor meus. Hæc est plerorumque ex Hebræis circa hunc versum sententia, quam probat Abarbanel. Alii, in quibus Tanchuma, teste Rasi, paulò aliter hoc tradunt, divinantes puerum illum quo itineris duce uteretur Lamechus fuisse Tubalcainũ ej filium, eúmq; à Lamecho inter complosiones manuũ, cùm nempe, cognito Cainum *atavum suum* à se occisum, præ dolore, ut fit, manum manui fortiùs incuteret, interfectum. Atq; istum sensum hujus versûs esse volunt, ut Lamechus uxores suas à se quòd duorum hominum interfector esset divortium facere volentes deliniat his verbis, *Audite vocem meam: nónne* (particulam enim כי sic interpretantur) *virum occidi in vulnus meum*, i. datâ operâ, ità ut ejus mors mihi imputari, istúdque crimen ac vulnus meum dici debeat, *& puerum in livorem meum*, perinde ac si dicat, plagâ, aut vibice qui meus, seu à me inflictus, dicendus sit? Nónne errans & imprudens feci, non autem malo animo, nec de industria? Non est istud vulnus aut crimen meum, neque livor meus; ac si diceret, non mihi vertendum crimini quod accidit, quia imprudens feci. Accipe Hebraica, ut referuntur è Rasi; שמען קולי שחיו נשיו פורשות ממנו מתשמיש לפי שהרג את קין ואת תובל קין בנו שהיה למך סומא וחיבל קין מושכו וראה את קין ונדמה לו כחיה ואמ' לאביו למשוך בקש' והרנו וכיון שירה שהוא קין זקנו הכה כף אל כף וספק את בנו ביניה והרנו והיו נשיו פורשות ממנו והוא מפיסן שמען קולי להשמע לי לתשמיש וכי איש אשר הרגתי לפצעי הוא נהרג וכי אני פצעתיו מויר שיהא הפצע קרוי על שמי וילד אשר הרגתי לחבורתי נהרג בלומר על ידי חבורתי בתמיהה והלא שונג אני ולא מזיר לא והו חבורתי ולא והו חבורתי: Cupiam scire ex iltis, quo ex oraculo didicerunt Lamechum fuisse cæcum, nec hoc modò, sed

sed præterea venandi adeò studiosum doctúmque, ut cæcus posset jaculo sagittâve feras configere. Quis etiam de Tubalcaino inter complosiones manuum interfecto revelavit? O miram apocalypsin! Nihil enim ejusmodi rerum in Sacro codice. Aliud annotat Rasi ex lib. cui tit. *Midras Bereschit Rabba*; לא הרג למך כלום ונשיו פורשות ממנו משקיימו פריה ורביה לפי שנגזרה גזרה לכלות זרעו של קין לאחר שבעה דורות אמרו מה אנו יולדות לכהלה למחר המבול בא ושוטף את הכל והוא אומר להן וכי איש הרגתי לפצעי וכי אני הרגתי את הבל שהוא איש בקומה וילד בשנים שיהיה זרעי כלה באויקו עון ומה קין שהרג נתלו לו שבעה דורות אני שלא הרגתי לא כל שכן שיתלו כי שביעיות הרבה, i. *Non interfecit Lamechus quenquam: uxores autem ejus volebant ab eo divortium facere, cùm jam liberos edidissent, quòd audierant à Deo edictum, Caini genus post septem etates (seu generationes) esse delendum. Cur, aiebant, dabimus operam liberis miserè perituris?* (ad verb. לבהלה, *ad terrorem*) *Instat diluvium, quod inundabit universa. Ipse autem sic ad illas, Et num virum occidi in vulnus meum? & num ego occidi Habelem, staturâ quidem virum, annis verò puerum? Quid? Ipsi Caino percussori in septem usque etates (seu generationes) dilata est sua pœna; mihi, qui neminem occidi, quoties septem etates differtur?*

Quàm benè ac solidè ex ver. 15. cap. 4. Gen. in septimam usque ætatem differendam Caini pœnam colligant Hebræi, quivis potest facilè judicare qui locum adeat. Ezra haud feliciùs hujus loci nodum solvit, qui veritas ait Lamechi uxores procreare liberos, בעבור שיהיו שבועיים לקין ויהרגו או ימותו, *quòd septimi à Caino futuri essent, interficiendíque aut morituri*: ideóq; uxoribus suis dixisse Lamechum, Ego sum certè ille septimus: quòd si quis me pulsare aut mihi manus velit afferre, tam vir quàm puer, confodiam illum atque interficiam. (Vult enim הרגתי, quod est *interfeci*, pro futuro hic usurpari, probátque similibus exemplis.) Ac si in septimam ætatem dilata est Caino pœna, Lamecho in septuagesimam septimam est rejicienda: ille enim sponte & consultâ operâ fratrem interemit, ego verò neminem interfeci. Volebat nempe, inquit Ezra, uxoribus significare ac persuadere כי כבר בטלה הגזרה על קין *factum irritum de Caino decretum*; cùm verè tamen Lamechi filii universáque ejus posteritas Diluvio perierit, nec Caino relictum sit nomen ob manus fratri illatas. Sic ludunt interdum Hebræi in interpretandis S. literis, sibíque, modò utcunque se expediant, nihil non licere arbitrantur. Quantò satius esset à S. literis abstinere manum quàm eas si tractes eo pacto habere? Religioso silentio adoranda potiùs in iis tot incognita mysteria, nec semper curiosiùs perscrutanda. Voluit Deus mortales animos latere multa, quæ suo tempore aperiantur. Ecce tibi autem rursum aliud ex Bechai novum, qui sic habet, הביא למך החרב והרציחה בעולם ומעשה אבות יעשו בנים כי הוא בנו של קין הרוצח הראשון והוליד שלשה בנים הבן הבכור למדהו ענין המרעה כפי טבעי הבהמות הבן השני למדהו חכמת הנגון הבן השלישי למדהו כלי המלחמה בחרבות וברמחים וללטוש נחשת והנשים שלו היו מתפחדות ממנו שלא ימות בעונש חטאו לפי שהביא הרציחה בעולם ועל כן היה אומר להן וכי איש הרגתי לפצעי או ילד לחבורתי שעשיתי בו כמו שעשה קין וכונתו לומר כי האדם יכול להרוג בלא חרב ואין החרב סבת הרציחה ואף על פי שהוא הוציא בעולם אומנותו אין עליו עונש בזה כי אפשר להמית במיתה קשה מן החרב, i. *Invexit Lamechus gladium, atque adeo cædem in orbem. Exempla parentum imitantur filii: ipse enim filius (abnepos) Caini primi mortalium sicarii: habuit autem tres filios; quorum primogenitum docuit artem pascuariam juxta cujusque animalis naturam atque indolem; secundum docuit artem musicam; tertium artem conficiendi arma, enses, lanceas, arísq; expoliendi. Lamechi porrò uxores illi metuebant, nè morte peccati lueret pœnas, qui in orbem cædis instrumenta induxerat. Propterea igitur illis aiebat, Et* num virum occîdi in vulnus meum, *aut* puerum in livorem meum, *idémque vobis videor feciſſe quod Cainus? Hoc volebat ſcilicet, poſſe aliquem alium interficere abſque gladio, neque gladium cauſam eſſe cædis: ideóque haud fore ſe puniendum, qui novam artem hominum generi tradidiſſet: ſiquidem durius mortis genus inferri poſſit quàm quod gladio.* Satìs probabiliter quidem diceret Bechai, nisi Sacer textus repugnaret, qui docet non à Lamecho sed à filiis inventas istas artes. Consulamus nunc Latinos, siquid fortè melius de hujus versûs mente nos doceant. In varias quoque sententias circa hunc locum distrahi video Latinos interpretes: nec mirum; cùm Textus Lamechi duplicem cædem videatur notare quidem, nec tamen hîc aut uspiam alibi quos quáque de causa occiderit vel leviter designet. Ex omnibus meliùs mihi videntur sensisse qui durum atque inhumanum fuisse Lamechum conjectant, multósque suâ ferociâ & tyrannide oppressisse, ideóque metuisse uxores ejus nè quando omnes, impetu facto, in illum ruerent ac malè mulctarent, déque hac re ab iis admonitum Lamechum adeò non mitigatum, ut potiùs se magìs ad crudelitatem accenderet, jactando apud uxores, sibi satìs animi esse viriúmque ad fortissimum quemque interficiendum, si qui ipsum aggredi auderent: ac si diceret, Non est quod mihi metuatis, ô uxores meæ; nam quemvis virum aut etiam adolescentem nullo negotio possum confodere, si quis me aggredi ausit. *Occiderem*, (vel *occiderim*, seu *occidero*) *in vulnus meum, in livorem meum*, i. si quis mihi vulnus velit infligere aut me plagâ afficere. Aut *in vulnus meum, in livorem meum*, perinde est ac si diceret, Ego in meum caput recipio si quid est periculi; meo periculo fiat quicquid fiet. Vatablus sic ferme interpretatus est. Mitto aliorum expositiones, quas longum esset referre.

Et genuit Adamus ad ſimilitudinem & imaginem ſuam, vocavítque nomen ejus Seth, Gen. 5. 3.

CUR hoc additum, *ad ſimilitudinem & imaginem ſuam*? Nónne enim satìs experientia docet quicquid in animalibus generatur ad similitudinem generantis generari? Quidni verò hoc etiam de Caino & Habele dictum? Respondet Isaacus Karus, Quandoquidem venire poterat in mentem, primum hominem, utpote ad Dei similitudinem effictum, similem sui non potuisse efficere, esse enim tantum támque excellens opus ipsiusmet Dei, idcirco additum fuit, *ad ſimilitudinem & imaginem ſuam*. Porrò autem quòd Cainus & Habel excisi sint, (ille cum universa posteritate Diluvio, hic à fratre) de iis haud dictum hoc, ast bene de Setho, שממנו הושתת העולם, *ex quo fundatus & conſtitutus mundus eſt*. (Noachus enim generis humani conservator è Sethi progenie fuit.) Ramban ait, Quòd summa Adami dignitas posita esset in expressione ad Dei similitudinem atque exemplar, dicuntur hic ejus quoque posteri eandem similitudinem retinuisse, etsi hoc neque de Caino neque de Habele dicitur, sed de Setho, *ex* quo propagandus mundus erat. Addit, או מפני שאדם נברא בתכלית שלימות היצירה הגיד בשת כי היה כמהו בכח וביופי, *Aut propterea quòd Adamus creatus eſſet atque effictus, quàm fieri potuit, perfectiſſimo modo, de Setho dicitur, quòd ei geminus ac ſimilis fuerit cùm robore tum forma dignitate.*

Cœpítque Noe agricola, & plantavit vineam, Gen. 9. 20.

QUI dici Noe potest primus conseviſſe vineam? Nullane ante illud tempus fuerat vinea? An etiam defuerant vites? Censet Abarbanel, שם היות שקודם המבול היו שם גפנים לאכול הענבים הנה לא היה כרם מסודר שורות שורות לעשות יין עד שבא נח שמזמורות הגפנים שהכניס עמו בתיבה נטע כרם מסודר שורות שורות כדי להיציא יין מהענבים, *Et ſi ante Diluvium eſſent illic vites nudæ tantùm ederentur, non tamen fuiſſe vineam in ordines ſtructam ad faciendum vinum, donec Noachus ex ſurculis vitium, quos ſecum in arcam tulerat, conſevit vineam in ordines diſpoſitam*

di ſpoſitam, quò ex uvis eliceret vinum. Eodem ferè modo Bechai; הראשונים נטעו גפן כל אחד ואחד לעצמו אבל נח התחיל עתה לנטוע גפנים שורות הנקראים כרם והוא שאמר ויחל : *Primi mortalium vites ſeorſim ac ſeparatim conſeverant: verùm Noachus eas nunc cœpit in ordines digerere, qui* כרם *vinea* (i. multitudo vitium ſimul conſitarum) *vocantur: atque illud eſt quod dicitur*, Cœpítq; Noe, &c. Pergit Bechai; והגיד לנו הכתוב צרות רבות ודעות שהיין סבה להם כי החטיא את הצדיק התמים אשר הציל את כל העולם וגרם לו שיהיה ורעו מקולל : *Exponit autem nobis Scriptura multa magnáque mala quibus vinum cauſam dedit: quòd nimirum ad peccandum induxit* Noachum *virum juſtiſſimum atque integerrimum, cui mundi univerſi ſalus debebatur; occaſionémque præbuit, ut ejus poſteri* (Chananæi ſcilicet, à Chanaan nepote oriundi v. 25.) *malè fortunandi eſſent*, calamitatibúſque obruendi. Certe ità eſt. Vinum multorum malorum cauſa ſemper fuit erítq;, quod uberiùs hauſtum ſuo non pepercit auctori. Haud abs re eſt quod Baal Hatturim obſervat, etſi argutiùs, היין quod *vinum* ſonat, Gematricè ſive Arithmeticè idem eſſe ac יללה *ejulatum*: (utriuſque enim nominis literæ pro numeris acceptæ efficiunt 75.) quòd ſcilicet non unam ejulatûs doloríſve cauſam ſæpe vinum attulerit. Quò pertinet illud Prov. 23. 29, & ſeq. *Cui væ? cui væ? cui rixa? cui murmur? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nónne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis?* &c. Ut reliqua taceam quæ hic Rabbini tradunt, illud quidem certè præterire non poſſum quod legitur in Jalkut; אמר ליה הקדוש ברוך הוא לנא לא היה לך ללמוד מאדם הראשון שלא גרם לו אלא יין כמאן דאמר אותו אילן שאכל ממנו אדם הראשון גפן היה שאין לך דבר שמביא יללה לעולם אלא יין : *Dixit ipſi Noa ſanctiſſimus Deus, Non debuiſti exemplum ſequi primi hominis, cui præter vinum non alia peccandi cauſa fuit: quemadmodum dixit aliquis, Arbor è qua comedit primus homo, vitis fuit: nulla enim res eſt quæ afferat hominibus ejulatum niſi vinum.* Non vana prorſus ſunt hæc quæ in vinum dicuntur: quanquam ſi verum fateri volumus, quod vitium vini dicimus, noſtrum eſt, qui immodicè bibendo legitimum vini uſum corrumpimus, quod modicè ſumptum adeò non nocet, ut animos ad hilaritatem, quâ cùm ad valetudinem tum ad negotia gerenda nihil melius, convertat. Haud inepté in cyatho inſcripſerat quiſquis eſt, *Nemo niſi à ſeipſo læditur*, hoc volens ſignificare, non eſſe in vinum culpam conferendam quæ noſtra eſt. Verum eſt profectò quod ait Seneca, *liberaliorem potionem menti vigorem dare; interdúmque animum in exſultationem libertatémque extrahendum, triſtémque ſobrietatem removendam paulliſper.* Sed nimium, nec placet, quod idem ait, *nonnunquam & uſq; ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, ſed ut eluat curas.* Vini ſemper parcus ſit vir ſapiens, eóque ſic utatur, ut reficiatur quidem, non impleatur: caveátque nè ſibi unquam cum adoleſcente Terentiano dicendum ſit,

At, at, data herele verba mihi ſunt: vicit vinum quod bibi:
Ac dum accubabam, quàm videbar mihi eſſe pulcrè ſobrius!
Poſtquam ſurrexi, neque pes, neque mens ſatìs ſuum officium facit.

Dixit quoque Deus ad Abraham, Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, ſed Saram, Gen. 17. 15.

RIſi nuper, cùm in eum locum incidiſſem, ubi explicans Abarbanel cauſam propter quam edixit Deus ut quæ antea Sarai dicta fuerat Sara deinceps vocaretur, voluiſſe Deum ait quæ antea שרי *Sarai* nomine terminationis maſc. dicebatur, eam poſtea שרה *Saram* appellari cum ה in fine generis feminei nota, ut eo nomine deinceps palàm fieret omnibus nunc eam eſſe feminam quæ antea ob infœcunditatem quaſi non femina fuiſſet. Sic ferme ille, qui obſervat præterea veteres Hebræorum etiam dixiſſe, שלא היה לה אבר ההריון רל" האם שבנשים *Saræ defuiſſe id per quod feminæ evadunt matres.* Aliter vertere non ſinit pudor. Scilicet Veterum illorum non alia mens videtur fuiſſe, quàm Saram antea veluti non feminam fuiſſe, quæ nihil adhuc mundo liberorum edidiſſet. Quaſi verò tantillum rei Deum moverit ut nomen Saræ immutaret. Quot autem nomina ſunt mulierum etiam fœcundâ prole beatarum quæ terminationem maſculinam habent? Nihil opus exemplis in re perſpicua. Meliùs Raſi, qui ad verſum notatum ſic habet לא תקרא את שמה שרי דמשמע שרה לי ולא לאחרים כי שרה סתם שמה שתהא שרה על כל : *Non vocabis nomen ejus Sarai, quod ſonat principem* (ſeu *dominam*) *meam*, (quaſi שרי fit pro שרתי) *aliorum verò non*; *ſed* שרה (i. Princeps) *abſolutè ei nomen erit: ſiquidem omnium futura eſt princeps ac domina.* Optimè hoc ſanè quadrat ad Abrahami etymon, *Nec ultrà vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abraham: quia patrem multarum Gentium conſtitui te*, Gen. 17. 5. Obſervandum porrò id quod Elias Orientalis, interpres Raſi, ad illud mox notati loci, שרה לי, i. *Principem meam*, annotat. פי' לאומתי בראיתא בשילהי פק' דברכות בתחלה נעשת שרה לאומתה ולבסוף נעשת שרה לכל האומות ופרשי' שרו לשון יחיה משמע שרתי, i. *Principem Gentis meæ; ſicuti eſt in* שילהי ברכות *cap.* 1. *Initio facta fuit Princeps gentis ſuæ, aſt tandem facta eſt Princeps nationum omnium. Accipit autem Raſi* שרי *in numero ſingulari, ut ſonet idem ac* שרתי. Abarbanel, quem citabam antea in alia quadam ſententia, interpretatur etiam שרי *Sarai, Principem meam*, ut ampliùs non eſſet dicenda unius Abrahami domina, ſed שרה *Sara*, i. *Princeps*, ſeu *Domina*, multarum nationum.

De tribus Angelis quorum mentio Gen. 18. 19. *Cur tres; & qui.*

ANgelorum trium, quorum in cap. 18, & 19. lib. Gen. mentio fit, unum tradunt nonnulli Hebræorum Doctores miſſum qui Saræ eam tandem futuram matrem nunciaret, duos verò Sodomam perrexiſſe, unum qui urbem everteret, alterum qui urbis incendio Lotum ſubduceret. Hoc ſcilicet nituntur fundamento, quod ipſi ponunt, שאין מלאך אחד עושה שתי שליחיות *Angelum unum unâ ſolummodo legatione fungi, non duabus.* Ità etiam ſenſit Paraphraſtes Hieroſolymitanus, qui ad verſum 2. notati cap. 18. Gen. ſic habet, *Tres Angeli miſſi ſunt ad Patrem noſtrum Abraham, tréſq; illi miſſi ſunt ad tria,* אורים ליית אפשר לחד מן מלאכי מרומא דישתלח ביריה יתיר מן מלא חדא, *quia non poteſt uni Angelorum Excelſi niſi una res delegari*, &c. Sanè quidem iſtam ſententiam non parùm videtur juvare, quòd cùm, utì obſervat Raſi, paſſim his in capitibus de illis Angelis uſurpetur numerus multitudinis, ex. gr. *cúmque comediſſent, dixerunt ad eum*, cap. 18. nihilominus comm. 10. ejuſdem cap. dicatur, *Et dixit, Revertens veniam ad te tempore iſto, & habebit filium Sara uxor tua:* item, quod ad Sodomorum ſubverſionem attinet, comm. 21. cap. 19. *Dixítque ad eum* [Lotum] *Etiam in hoc ſuſcepi preces tuas, ut non ſubvertam urbem, pro qua locutus es:* & comm. 17. mox cit. cap. *Fuítque dum educerent eos, dixit, Salva animam tuam*, &c. unde colligere eſt, unicum præſertim fuiſſe cui Loti ſalus curæ fuerit. Paulò aliter rem explicat Nachmanides; *Unus*, inquit, *venit qui nunciaret Saræ; unus qui Abrahamum* (è dolore ſcilicet recentis circumciſionis laborantem) *curaret; tertius qui Sodomam everteret. Et Raphael quidem, poſtquam Abrahamum curaſſet, abiit quò Lotum ſervaret:* שאין זה שתי שליחיות כי היה במקום אחר ונצטווה בו אחר כן או ששתיהן לאצלה : *quia neque duæ* (ſimul) *legationes fuerunt, quæ diverſis locis ac mandatis peracta ſunt; aut ſi duæ fuerunt, utraque ſalutis fuit.*

Annotat præterea Bechai Angelos illos fuiſſe Michaelem, Raphaelem,

Raphaelem, Gabrielem; ac Michaelem quidem fuisse qui venerit nunciatum Saræ, & Lotum servarit, שהם ב' שליחות חסד ורחמים, *quæ duæ sunt legationes misericordiæ & miserationum*; Raphaelem verò fuisse qui venerit curatum Abrahamum; Gabrielem denique venisse eversum Sodomam, hócque ipsum esse quod scribitur comm. 1. cap. 16. *Venerúntq; duo illi Angeli Sodomam vespere*, &c. Michael nimirum & Gabriel; Michael, qui Lotum eriperet; Gabriel, qui Sodomam everteret, hócq; esse quod scribitur com. 25. cap. 19. *Et subvertit civitates has*, non autem *subverterunt*. Quod porrò ab Rabbinis ponitur, *Duas legationes haud obire unum Angelum*, verum esse duntaxat כשהם זה הפך זה *cùm una alteri adversatur*: siquidem minimè rationi sit consentaneum Angelum הממונה על הרחמים, *miserationibus præpositum* exercere דין שהוא חפכן *judicium quod cum ea re pugnat*, sicut nec Angelum præpositum judicio exercere miserationes: verùm כשהם שתי שליחות שוים של דין או של רחמים, *quando duæ legationes inter se conveniunt, súntq; judicii aut miserationum*, tunc duas pluréſve unum Angelum obire posse. Addit Bechai, Quòd si dicas tertiam etiam legationem committendam fuisse Michaeli, nimirum Abrahæ curationem כי הכל בכלל חסד, *siquidem hac quoque misericordiæ fuerit*; הא לאו דידיה הוא והיה משיג בזה גבולי של רפאל, *Ecce istud ad Michaelem haud pertinuit*; *alioquin fines Raphaelis* (quæ vox *Dei medicum* sonat) *occupassет*, ejúsque munus sibi sumpsisset: ideóque unicuique datum est מר׳ שיש בכח פקידותו לעשות ושלא להשיג גבול כי כה משפט העליונים, *illud quod ad proprium cujusq; efficium ac munus pertinebat, nè alter alterius fines invaderet: est enim hæc excelsorum illorum consuetudo*, ex eo quod scriptum est Job. 25. 2. *Potestas & terror, qui apud eum èst, facit concordiam in sublimibus suis.* Chama Chaninæ filius tertio à Circumcisione die (quando vehementior erat dolor, juxta illud Genes. 34. 25. *Tertio itaque die, cùm essent in dolore*, &c.) visitatum observat abs Deo Angelóve Abrahamum. Sanè verò trium Angelorum historia Abrahami circumcisioni proxima est, nihílque inter hanc & illam interjectum. Imò, quòd scribatur cap. 18. 1. h. e. initio פרשה *sectionis*, *Et apparuit ei Dominus*, non autem, *Et apparuit Abrahamo Dominus*, evincere vult Bechai sectionem hanc cum præcedente cohærere, quæ scilicet hîc narrantur cum iis quæ de Abrahami circumcisione præcesserunt. והכוונה לומר כי בזכות המילה נראה לו השם, *Hoc nimirum significatur, ob meritum circumcisionis apparuisse Abrahamo Dominum.* Baal Hatturim suo more ex numero quem efficiunt suis literis voces hæ, והנה שלשה *& ecce tres*, probat, sanè verò evidenter & perquam solidè, Michaelem, Gabrielem & Raphaelem fuisse qui visi sint Abrahamo, quòd cùm illæ tum hæ voces, אלו מיכאל גבריאל ורפאל, h. e. *Isti* sunt *Michael, Gabriel & Raphael*, Arithmeticè, sive, ut loquuntur, Gematricè, efficiant 701. numeróque conveniant. Hæc sunt Rabbinorum commenta, quàm solida quivis facilè cernit. Mitto alia, quæ nugantur, plurima.

Servivit ergò Jacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine, Gen. 29. 20.

APud Labanum avunculum, ad quem metu Esai fratris indignantis necémque minitantis, quòd paternam benedictionem intercepisset, de mattis sententia præsertim se receperat, non multùm temporis Jacobus fuit, quin Rachelis, alterius è Labani filiabus, specie captus, (virgo enim erat egregiâ formâ atque honestâ) ejus amore ardere occeperit. Nec diu continuit se quin avunculo amorem patefecerit suum, dum illo quærente quid mercedis optaret pro cura pecorum cui eum præfecerat, Rachelem petiit sibi uxorem dari. Nec dubium est quin etiam, id quod erat, ut è Labani filiabus uxorem sibi acciperet, parentes, antequam ab illis discederet, suasisse vel jussisse diceret. Non recusavit generum avunculus; sed eâ lege & conditione, ut nè priùs Rachelem duceret quàm septennem ille operam in pascendis gregibus præstitisset. Placuit conditio; servit Jacobus septem annos, quibus exactis, adit avunculum de nuptiis, nec impetrat tamen; intervenit enim ibi Labani fraus quædam. Inter ea quibus hæc historia describitur, illud est considerandum quod legitur Gen. 29. 20. *Servivit ergò Jacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* Istud sanè non admodum è consuetudine amantum dictum videri potest, quibus vel breve tempus est longissimum, diésque anni, anni secula sunt dum potiantur quam expetunt. Spes dilata cruciat, in amore potissimùm, ubi mora mors est. Qui amarunt, hoc affirmant.

Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est,

dicebat nescio quis insanus amator. Abarbanel mihi videtur commodè interpretatus eum locum, qui sic habet, ספר הכתוב שעבד יעקב את לבן בצאנו שבע שנים שנדר לעבוד בעד רחל ושהיו בעיניו לא כשנים שבעה שהוא זמן רב אבל בימים אחדים כי היתה אהבתו בכ״ רבה וחזקה שלא הרגיש בעמל ויגיעה כל הימים כאלו היו השנים ימים והשבעה א״ או שני ימים כי מריב חשקו בה נראה לו שלקחה בזול והקונה בזול יפרע בעין יפה, *Ait Scriptura septennem operam navasse Jacobum ipsi Labano in pascendis gregibus pro Rachele, quemadmodum promiserat, totúmque illud septennii spatium, alioquin longum, Jacobo visum fuisse paucorum dierum instar: siquidem tanto, támque vehementi illius amore flagraret, ut nihil sentiret istius temporis labores, ac si anni septem unus duóve dies fuissent. Namque præ illius amore videbatur sibi illam vili pretio acquirere: qui autem quid acquirit vili pretio, latum oculum ac frontem exporrigit.* Isaacus Arama in Akkedath Isaac alio quodam modo, sed qui tamen eodèm recidat; אמר שעבד כל ז׳ השנים ההנה עבודה שלימה ונאמנת בכל מאמצי כחו כאלו היה התנאי לעבוד בה ימים אחדים ולא לבלתי הרגישו העמל והיגיעה רק שלאהבתי אותה נראה לו שלקחה בזול והלוקח וכו״, *Navasse illum ait* Sacer textus *totos illos annos septem sedulam ac fidelem, quàm potuit maximè, operam, non aliter ac si se duntaxat ad paucos dies obstrinxisset, nec sic tamen ut interea temporis labores non senserit: sed præ ejus amore videbatur sibi vili pretio eam acquirere: qui autem vili pretio aliquid acquirit*, &c. ut mox. Eodèm spectat Bechai, qui habet, היה ראוי שיהיו בעיניו כימים מרובים אבל לענין טורח העבודה אמר כן כי היו אצלו ימים אחדים לא מנין שנים ולא מנין חדשים וכן אמר כי מלאו ימי ולא אמר שנותי וזה להמעיט בעיניו טורח ז״ שנים, *Erat cur potiùs illi viderentur dies multi: sed hoc de ipsa opera & labore ministerii intelligendum: pro paucis enim diebus, non pro annis, non pro mensibus apud illum fuerunt: quo sensu ipse Jacobus mox Labano ait*, (v. 21.) Da uxorem meam; quia completi sunt dies mei, [ità Hebraicè,] ut ingrediar ad illam. Anni mei *non dicit, quò extenuaret magìs septennii laborem.*

Nónne quasi alienas reputavit nos? vendidit enim nos, comeditque pretium nostrum, Gen. 31. 15.

JAcobus, cùm Labani soceri ejusdémque avunculi sui fronte solito austeriore, ejúsque filiorum crebris convitiis, tum præsertim Divino mandato motus, redire ad suos in Palæstinam cogitabat, quódque vereretur ut abeundi facultatem ab avunculo obtinere posset, clàm meditabatur fugam. Sed priùs primariarum uxorum, Rachelis & Liæ, animum qui esset erga se pertentabat, an sequi se in patriam vellent. Illæ verò secuturas quocunque iret aiebant, nihílque morari hereditatem paternam ad quam nullum jus inter mares haberent, Rasi. Sacer textus habet præterea, Gen. 31. 15. *Nónne quasi alienas reputavit nos? vendidit enim nos, comeditque pretium nostrum*; ad verb. *comeditque etiam comedendo pecuniam nostram.* Quod interpretatur Rasi; אפילו בשעה שדרך בני אדם לתת נדוניא לבנותיו בשעה נשואין נהג עמנו כנכריות כי מכרנו לך בשבר הפעולה ויאכל גם אכול את כספנו שעכב דמי שכר פעולתך, *Quo etiam*

etiam tempore homines ſolent filias dotare, videlicet nuptiarum tempore, egit nobiſcum quaſi cum extraneis: vendidit quippe nos tibi pro laboris mercede, Comedítq; etiam comedendo pecuniam noſtram: *fraudavit quippe pecuniâ operæ & labori tuo debitâ*. Breviùs Ezra; כאלו מכרנו שלא עשה כמשפט האבות עם הבנות רק אמר שמור צאני וקח בנותי במשכרתך, *Perinde eſt ac ſi nos vendidiſſet: non enim egit nobiſcum quemadmodum alii patres cum filiabus ſolent; ſed nos tibi pro mercede curæ pecuariæ tradidit.* Sciunt aut ſcire debent omnes, Liam & Rachelem ob locatam præſtitámque earum patri Labano in paſcendis pecuariis ſeptennii operam, Jacobo uxores datas; tantũ abeſt ut aliquid attulerint dotis. Hoc ipſum eſt de quo hîc conqueruntur Lia & Rachel, non ſatìs modeſtè, ut videtur, pro filiabus, niſi illas patris iniquitas atque injuſtitia excuſaret. Quanquam, meo quidem judicio, dici potiùs debet de patre illas minimè conqueri, ſed, uti ſapientes filias decebat, non priùs ſe abituras decernere, præſertim inſcio atque inconſulto patre, quàm illum minùs iniquo animo ſuam ipſarum abitionem laturum certis argumentis ſtatuiſſent, ut quo parùm æquo hactenus uſæ eſſent, pro alienis ab illo habitæ, nullâ in ipſis nuptiis dote conſtitutâ. Ac ſic ſentiunt Abarbanel & Iſaacus Arama.

Miſit Jacob, & vocavit Rachel & Liam in agrum, ubi paſcebat greges, Gen. 31. 4.

CUM uxoribus Lia & Rachele ſuum à ſocero abeundi conſilium communicaturus Jacobus illas evocavit in agrum, ut ex illo conſtat Gen. 31. 4. *Miſit Jacob, & vocavit Rachel & Liam in agrum, ubi paſcebat greges.* Cur in agrum? Quòd vereretur nè ſi domi cum illis ea de re ageret, aliquà fortè res emanaret ad filios, aut ad uxorum fratres, qui ſæpe ad ſorores ventitabant. Nam etſi forſan in conclave aliquod retro ultimis in ædibus ſe abdidiſſent, poterant aut hi aut illi de induſtria aut ſecùs ad fores accedere, indéque audire vel etiam captare ſermones qui intus haberentur, præſertim ſi, ut interdum in ejuſmodi occaſionibus fieri ſolet, clamores fortè orirentur. Quæſivit ergò ſolum ac tutum locum Jacobus. Cur item in textu notato, ſicut & in v. 14. ejuſdem cap. priùs Rachel quàm Lia, quæ natu major erat, nominatur? Reſpondet Raſi; שהיא היתה עקר הבית שבשבילה נזדווג יעקב עם לבן ואף בניה של לאה מודים בדבר שהרי בועז ובירז דינו משבט יהודה אומרים קרחל וכלאה אשר בנו שתיהן וגו' הקדימו רחל ללאה, *Quòd fuiſſet illa fundamentum familiæ; propter eam enim Labano affinitate conjunctus eſt Jacobus: id quod etiã ipſius Liæ poſteri ultro confeſſi ſunt: ipſi enim Booz audienti & conſentienti* (tacebat enim, nec repugnabat) *dicebat ſuus Senatus* [Paulò aliter Hebraicè, ſed eodèm ſenſus recidit] Ruth. 4. 11. *(tam Booz autem quàm Seniores erant è tribu Judæ*, Judas autem ex Lia,) faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel & Liam, quæ ambæ ædificaverunt domum Iſrael. *Lia nempe præponebant Rachelem.* Illius tamen filiis, Rubeni, Simeoni & cæteris prærogativa natalium competebat, ut hiſtoria ſatìs declarat. Et rectè & verum dicit Raſi. Nam abſq; Rachele fuiſſet, quam ob elegantiam formæ & morum inprimis honeſtatem ac ſuavitatem Jacobus deperibat, (magìs enim in Rachele animum quàm corporis formam adamaſſe virum ſanctum omnino pium eſt credere) nunquam Liam uxorẽ duxiſſet. Cùm enim ille Rachelem ſibi in matrimonio à patre poſtulaſſet, eámque ſeptenni operâ in paſcendis gregibus pactus eſſet, expleto tempore, ei pro Rachele Lia, quæ minùs liberali facie erat, primâ nocte, fallentibus tenebris quòd eſſet natu major, ſupponitur, atq; ità ejus nuptiis per dolũ Jacobus implicatur, non priùs Rachele potitus quàm rurſum, per lucem cognito errore, ſeptem annorum ſervitio ſe mancipaſſet. Hæc hiſtoria Gen. 29. deſcribitur. Atque hinc eſt quòd Rachel ſola ex omnibus Jacobi uxoribus *Jacobi uxor* legatur appellata, Gen. 46. 19. aliæ verò nunquam, ſicuti ad cap. 31. Gen. v. 33. obſervat Raſi.

Et Rachel furata eſt idola patris ſui, Gen. 31. 19.

JAcobus, poſtquam viginti annos in Meſopotamia, quò fratris inſidias veritus ſe receperat, apud Labanum avunculum eundem & ſocerum ſuum (nam duas ejus filias ſimul habebat in matrimonio) manſiſſet, redire in Chananæam ad patrem cupiebat. Sed quia haud facilè ſibi diſcedendi poteſtatem facturum avunculum ſperabat, ſemel, cùm fortè commodùm domo abeſſet Labanus tondendis ovibus occupatus, clàm meditatus eſt fugam, evaſítque ſimul cum duabus uxoribus, Lia & Rachele, quarum Rachel abiens paterna idola unà ſecum abſtulit. *Et Rachel furata eſt* התרפים, ſeu *idola patris ſui*, inquit ſacer textus Gen. 31. 19.

Quæritur quid ità fecerit Rachel, quóve conſilio. Reſpondent Hebræorum nonnulli, in quibus Ramban, כדי שלא יגלו לאביה אם ישאל בהם כי בורח יעקב *nè patri ſuo proderent, ſi fortè, ut ſolebat, ea conſuleret, aufugiſſe Jacobum.* Atque, inquiunt, quòd ſic Jacobum allocutus legatur Labanus, Gen. 31. 30. *cur furatus es deos meos?* argumentum eſt evidens Theraphim illa, quæ furata eſt Rachel, pro diis coluiſſe Labanum, per quæ ſcilicet divinationes auguriáque exerceret. Divinationibus quippe & auguriis valde addicti fuere Orientales, ut ex illo Eſaiæ conſtat, cap. 2. 6. *repleti ſunt*, nempe Iſraelitæ, *præ Oriente* auguriis, &c. Balaamus, Beori filius, ariolus fuit Orientalis, ut ex illo patet Num. 23. 11. *De Aram adduxit me Balac, Rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Ità ferme illi. In Midras legitur, למה נגבה אותם שלא יהיו מגידים שיעקב בורח וכי התרפים מדברים והלא כתוב לא יהגו בגרונם אמר ליה אין דכתיב והתרפים דברו און, *Quare furata eſt idola? Nè indicarent quòd Jacobus fugiſſet. Et quî Theraphim loqui poſſunt, cùm ſcriptum ſit* (Pſal. 115. 7.) non muſſant (ſcilicet idola) in gutture ſuo? *Excepit alter, Imò loqui poſſunt, quòd ſcriptum ſit*, (Zach. 10. 2.) Simulacra (*ſeu* Theraphim) locuta ſunt vanitatem, &c. Scribit Chananeel furatam Rachelem idola patris quò illi daretur occaſio reſipiſcendi, acſi diceret, אלוה הגנוב אין בו חמש, *Nihil ſolidi Deus furto ablatus*, ſeu, *qui furto obnoxius eſt, habere poteſt*; Deus, qui furis in prædam cedit, non eſt Deus. Húcque pertinere quòd Joas illius Gedeonis pater, Gedeonem ad ſupplicium quòd aram Baalis idolo conſecratam diruiſſet expetentibus reſpondit, Jud. 6. 31. *Numquid ultores eſtis Baal, ut pugnetis pro eo? qui litigaverit pro eo interficiatur uſque mane: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo qui ſuffodit aram ejus*: q. d. Anne de Baalis poteſtate diffiditis? Cur enim non illi potiſſimùm relinquitis ulciſcendi ſui locum, ſi eum poſſe aliquid arbitramini? Eodèm quoque ſpectare vult illud Ezech. 28. 9. *Numquid dicendo dices, Deus ego ſum, coram interfectore tuo, cùm ſis homo, & non Deus in manu confodientis te?* Bechai putat idola patris abſtuliſſe Rachelem, לעקור עבודה זרה מבית אביה *ad exſtirpandum idololatriam è domo patris.* Sic etiam ſentit Raſi, נתכונה מעו' להפריש את אביה *quò*, inquit, *abduceret patrem ab idolorum cultu, eò fecit.* Verùm hanc ſententiam refellit Ezra, quia ſi ità eſſet, ut hi volunt, nulla erat cauſa quamobrẽ ea idola ſecum aſportaſſet. ac non potiùs alicubi defodiſſet in via. Addo ego, ſperarétne Rachel patrem à primis annis addictũ idololatriæ eo pacto ab idolorum cultu revocare? Nam ut amiſiſſet ille ſua idola, nónne poterat iis ſimilia fabricare, aut fabricanda curare? Cenſet igitur Ezra probabiliùs, Aſtrologiæ peritũ fuiſſe Labanum, ideóque veritam Rachelem nè (ſcilicet in illis ſuis idolis) conſuleret contemplaretúrque aſtra, diſcerétq; quâ viâ fugiſſet Jacobus. Huic ſententiæ favet Abarbanel. Abſit verò ut dicamus voluiſſe ſecum auferre Rachelem paterna idola quòd ea coleret veneraretúrque. Injuria fit profectò Racheli ſi ità ſtatuatur. Namque Rachelem mariti exemplo verum Deum coluiſſe omnino credibile eſt. Aliam quandam iſtius furti cauſam affert Flavius Joſephus, Antiq. Jud. lib. 1. cap. 19. τινὲς δὲ τῶν

inquit, ἐπεφέρετο τῶν θεῶν ἡ Ῥαχήλα, καταφρονεῖν μὲν τὰ τοιαύτης τιμῆς τῶν θεῶν διδαξαι δ' αὐτὸν Ἰακώβ, ἵνα δ' ἂν καταλειφθεῖεν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτῆς διωχθέντες, ἔχοι τούτοις προσφυγοῦσα συγγνώμης τυγχάνειν. Quod Gelenius vertit, *Sigilla verò deorum secum ferebat Rachel, non quòd deos coleret, quorum contemptum à marito didicerat, sed ut si fortè pater fugientes assequeretur, haberet quò confugeret veniam impetratura.* De figura porrò Theraphim non utique etiam inter Hebræos convenit, dum, ut in re dubia, alius aliam sententiam affert. Quidam existimant vas æneum fuisse ad horarum partes, necnon etiam res futuras cognoscendas comparatum. Alii posse astrologiæ peritos figuram quandam certis horis fabricare quæ loquatur. Ezra sibi ait videri שהתרפים היו על צורת בן אדם והיא עשויה לקבל כח העליונים, *Theraphim humanam habuisse figuram ità aptatam & compositam ut superiorum & cœlestium corporum virtute atque influxu afficeretur:* verùm quî id fieret non posse explicare. Probat suam sententiam, quòd Theraphim illa, quæ Michol in lecto posuerat, custodes domûs fefellerint, creditáque sint pro Davide, 1 Sam. 19. 13. Abarbanel docet figuras quidem ipsas seu imagines non per se locutas, siquidem verus sermo nisi beneficio naturalium organorum non perficiatur, sed per eas figuras הכח הדמיוני אשר לקוסם *imaginatricem facultatem ipsius arioli* excitatam, ut ille sibi videretur audire ceu vocem quandam submissam res occultas indicantem, אשר תשוטט בהם מחשבתו *quas mente & cogitatione agitaret.* Apud Bechai res multò aliter declaratur ad istum modum, כיצר עשין מביאין אדם בכור ושוחטין ומולחין אותו במלח ובבשמי' וכותבין על ציץ של זהב שם רוח טומאה ומניחים הציץ בכשוף תחת לשונו ונותנים אותו בקיר ומדליקים לפניו נרות ומשתחוים לו ומדבר עמהם בלחש וזהו שכתוב כי התרפים דברו און, *Quomodò id fiebat? Adducebatur primogenitus quispiam, jugulabatur condiebatúrque sale & aromatibus, inscribebatur nomen spiritûs immundi in lamina aurea, quæ arte quadam magicâ ejus lingua supponebatur: ipse autem affigebatur parieti, accensisque coram eo lucernis adorabatur, ac tunc loquebatur mussando, hócque est quod scribitur,* THERAPHIM LOCUTA SUNT VANITATEM. Fides istarũ rerum penès autores esto, si tamen digni sunt fide qui quidvis, ut lubitum est, comminiscuntur. Nihil ego certi existimo de figura Theraphim doceri posse, sicuti nec de etymi ratione. Nam quod quidam affirmant תרפים dici quasi רפים i. *remissa*, seu *lenta*, à radice רפה quæ significat *remissum & lentum esse*, לרמז עליהם כי דבריהם כמו נבואה רפה תבא, ברב ותכוב לעתים הרחוקות, *quò innuatur leniam ac remissam esse illorum prophetiam, quæ ut plurimùm eveniat, mentiatúrque multos post annos*; ut omittam coactum hoc videri, certè non admodum ad analogiam grammaticam quadrat, utî facilè judicabunt qui Hebraicè sciunt. Ad Chaldæam vocem תורפא quæ *turpitudinem* significat, undéque *turpis* vocabulum videtur natum, erit fortasse aliquis qui illud referat. Mihi exotica vox prorsus videtur.

Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob, & tabernaculum Liæ, & tabernaculum utriusque famulæ (seu *ambarum ancillarum*) *non invenit: egressus autem tabernaculum Liæ, venit in tabernaculum Rachelis*, &c. Gen. 31. 33.

LAbanus cùm audisset ruri agens tondendis ovibus occupatus Jacobum generum, qui hactenus eadem in domo cum socero manserat, universa cum familia & totis quantæ erant facultatibus clanculum aufugisse, furto etiã surreptis idolis, (nam Rachel altera è Labani filiabus, Jacobi uxor, ea, gravi certè de causa, incertum quâ, abiens secum abstulerat) ad iter se accingit, assumptis secum propinquis & cognatis, magnísque itineribus Jacobum consecutus tandem assequitur post dies septem in Galaado monte. Ingens primùm expostulatio de abductis clàm filiabus ac de furto idolorum. Negare furtum Jacobus; (non enim ipse idola surripuerat, ac nesciebat Rachelem surripuisse) contrà verò instare alter, donec illi Jacobus licere diceret scrinia omnia reserare atque introspicere, ut quem penès furtum delitesceret is statim privaretur vitâ. Sed Rachel, quæ cognito patris adventu, in clitellis cameli quo vectabatur idola illa subitò absconderat, nè deprehenderetur in furto si clitellæ aperirentur, pulcram ex tempore dignámque muliebri ingenio commenta est causam: petebat enim veniam à patre si advenienti non assurgeret, (sedebat autem per speciem requiescendi in clitellis, ubi idola habebat occulta) quòd diceret sibi accidisse quod mulieribus solet. Tunc autem Labanus destitit ampliùs inquirere, vel quòd *crederet*, inquit Josephus Antiq. lib. 1. cap. 19. *filiam sic affectam non fuisse sacris*, in quibus scilicet educata fuerat, *propiùs accessuram*: vel quòd, ut alii Hebræorum probabiliùs quidem sentiunt, ei religio esset, vel certè non satis honestum, illis etiam temporibus, videretur mulierem sic laborantem accedere. Frustrà igitur singula tabernacula lustravit scriniáque omnia excussit Labanus. Quod dum explicat Sacer textus, sic habet, Gen. 31. 33. & qui sequuntur, *Ingressus itaque Laban tabernaculum Jacob, & tabernaculum Liæ, & tabernaculum ambarum ancillarum, non invenit: egressus autem tabernaculum Liæ, venit in tabernaculum Rachelis. Porrò Rachel acceperat idola & posuerat ea in clitellis cameli, & sedit super ea: contrectavit autem Laban totum tabernaculum, & non invenit. Dixitq; ad patrem suum, Nè irascatur dominus meus quòd coram te assurgere nequeo: quia juxta consuetudinem feminarum nunc accidit mihi:* sic delusa solicitudo quærentis est. Quæritur, quî fieri potuit, ut cùm in Jacobi & Liæ primùm ac deinde in ambarum ancillarum tabernacula ingressus esset Labanus, ipse dicatur postea è Liæ tabernaculo in Rachelis transiisse, ac non potiùs è tabernaculo ancillarum. Putat Ezra semel ac iterum ingressum Labanum Liæ tabernaculum, nempe antequam ancillarum tabernaculum fuisset ingressus, ac rursum postquam ex ancillarũ tabernaculo exisset. An verò ancillarum unum tantùm an duo fuerint tabernacula ipse ambiguum relinquit. Rectum etiam existimat, ut ipsius Jacobi tabernaculum Liæ inter & Rachelis tabernacula dicatur fuisse, sibíq; ait videri, Scripturam hîc sequi brevitatem, nec suo loco agere de Rachelis tabernaculo. Vult igitur Ezra ingressum Labanum Jacobi tabernaculum, deinde Liæ, deinde Rachelis, denique ambarum ancillarum, húncque esse sensum hujus loci; Scrutatũ esse Labanum Jacobi tabernaculum, Liæ quoque & ambarum ancillarum, ac nihil in illis furti reperisse, nihil enim erat: cùm verò egressus Liæ tabernaculum, Rachelis ubi erant idola adiisset, jam tum illa abs Rachele fuisse in clitellis cameli occultata. Nimirum extrà locum & seorsum agere voluit autor Geneseos de Rachelis tabernaculo, quòd de illo plura esset dicturus. Satis hoc placet. Bechai aliter sentit; יתכן לומר כי אהל לאה היה גדול מכולן עד שהיה אהל שתי האמהות בתוכו ומשיצא מאהל שתי האמהות עדין היה עומד באהל לאה ולכך הוצרך לומר ויצא מאהל לאה, *Dicendum est*, inquit, *Liæ tabernaculum omnium fuisse maximum, ità ut ambarum ancillarum tabernaculum eo contineretur, ac postquam exiisset è tabernaculo ancillarum Labanus, adhuc esset in tabernaculo Liæ, ut propterea necesse fuerit dicere,* EGRESSUS AUTEM TABERNACULUM LIÆ VENIT IN TABERNACULUM RACHELIS. Isaacus Arama in Akkedhath Isaac satis subtiliter, ut solet, philosophatur. Audiet illum qui volet. Mihi certè nec probatur nec improbatur. Sic autem habet, ויבא לבן באהל יעקב וכו' ספר הכתוב חריצות לבן וחיפושו אחר התרפי' הדם והסבה אשר בעבורה לא מצאם ווה שהוא נכנס ראשונה לאהל יעקב כמש' לו הכר לך מה עמדי ובקש לבא ממנו אל אהל רחל אלא שראה אותה יושבת ומצנעת כדרך נשים באהל כמו שהוכיח להלן ולא נכנס ויבא משם לאהל לאה כי שני האוהלים אשר לרחל וללאה היו על פני ארך אהל יעקב ופתח פתוח היה לו לאהלו לכל אחד מהם ומהם

ומהם לאהליהם אשר לשתי האמהות אשר היו
סמוכות אצלם וגם אהלי האמהיות היו פתוחות
זה לזה כדי שישמעו בשירותם ולזה קראם הכתוב
אחד אמר באהל שתי האמהות מה שלא היו כן
אהלי הנכיורת והא לך צורת ישובן שהיו
מישלופם זה לזה כי לבן הוקיר ביאה לכל
חנה וכאשר לא מצא היה לו לבא מאהל בלהה
לאהל רחל אלא שעמדה לפניו הסבה שקדמה ולזה
נטה לו לשוב בדרך אשר בא בו לחפש שנית
באהלים ההמה כסבור שמא ימצאם שם ולא יצטרך
להרגיז את רחל ממעשה צניעותה עד שיצא מאהל
לאה לאהל יעקב ולזה אמר ויצא מאהל לאה
ובראותו שגמר החפוש ולא מצא הוברח לשוב ולבא
מאהל יעקב לאהל רחל דרך פתחו שאם לא כן
היה לו לומר ויבא מאהל לאה אל אהל רחל ולא
יוכיר יציאה.

Ingreſſus itaque Laban tabernaculum Jacob, &c. Exponit Scriptura diligentiam Labani in inveſtigandis idolis, cauſámq; propter quam ab eo non ſint inventa. Nimirum ait ipſum ingreſſum eſſe primò Jacobi tabernaculum, juxta illud (v. 32.) coram fratribus noſtris ſcrutare; quicquid tuorum apud me inveneris, auſer: *indéque voluiſſe ingredi Rachelis tabernaculum, niſi ipſam vidiſſet ſedentem, ac neſcio quo modo verecundè agentem in tabernaculo ex feminarum more,* (h.e. non ſecùs ſe gerentem quàm quæ patiuntur quod mulieres ſingulis menſibus ſolent) *id quod textus arguit: non ergò ingreſſus eſt, ut voluerat, ſed indè venit in tabernaculum Liæ; ambo enim tabernacula Rachelis & Liæ ſita erant ad faciem longitudinis tabernaculi ipſius Jacobi, cui quidem ad utrumque patebat porta; indè verò in ancillarum tabernacula quæ illa contingebant: tabernacula autem ancillarum etiam patebant invicem, quò mutuis ſe officiis juvare poſſent; ac propterea dicitur in numero ſingulari,* & tabernaculum ambarum ancillarum; *ſecùs de dominarum tabernaculis; (ecce autem tibi figura illorum poſitûs, qua invicem penetrabilia erant)*



idcirco enim in illa ſeorſim ac ſeparatim ſcribitur ingreſſus Labanus. Cùm autem nihil invenisſet, decrevit venire è tabernaculo Balæ in Rachelis, abſq; ea cauſa fuiſſet quæ jam recitata eſt. Igitur regreſſus eſt viâ quâ venerat, quò ſcrutaretur denuo in illis tabernaculis, ſperans fortè ſe illic inventurum idola, nec priùs neceſſe putavit Rachelis incommodare quàm egreſſus è Liæ in Jacobi tabernaculum veniſſet. Idcirco dicitur, egreſſus autem tabernaculum Liæ, *&c. cúmq; videret ſe diligenter omnia perſcrutatum nihil inveniſſe, neceſſe habuit iterum venire è tabernaculo Jacobi in Rachelis, portâ quæ ad illud ducebat: alioquin, niſi ità res haberet, fuiſſet dicendum, & venit è tabernaculo Liæ in Rachelis, non autem,* ET EGRESSUS TABERNACULUM LIÆ, &c. Hactenus ille. Cur porrò tam diligenter ſingula tabernacula perſcrutatus ſit ſcriniáq; omnia excuſſerit Labanus ut inveniret deos ſuos, ſi quis quærat, nihil aliud cauſæ eſſe puto quàm quòd illi ſummo in pretio fuerint, ut quibus divinitatis aliquid ineſſe crederet. Abarbanel exiſtimat, כי חשב שהם יגידו לו אמתת הדבר על מה היה יעקב בורח *quòd ſperaret rem, ut erat, ab iis patefactum iri; quam ob cauſam nimirum aufugiſſet Jacobus.* Verùm quid opus fuit Labano de hoc conſulere deos ſuos cùm ea res minimè illi dubia eſſe potuerit, quoties & quàm malè Jacobum accepiſſet conſcio?

Apud quemcunq; inveneris deos tuos, non vivat, Gen. 31. 32.

INter cætera, dum negat à ſe ſurrepta idola, hoc ait Jacobus, Gen. 31. 32. *Apud quemcunque inveneris deos tuos, non vivat.* Quorum verborum hic ſenſus eſt ex Abarbanele; Non ſurripui ego tua idola, ac neſcio an ea ſurripuerit meorum aliquis: at volo ut penès quem inveniantur, is non vivat ampliùs, ſed morte nunc afficiatur, כרין גונב נפש *non ſecùs ac ſi fur hominis eſſet.* Idem annotat ſapientes Magiſtros, ſic enim appellant, accipere hoc quaſi ſit imprecatio, שימיתהו האל כיון שפנה אל אלהים אחרים *ut illum Deus interficiat, quando ſe ad deos alios convertit.* Addit ex iiſdem, Neſciebat autem Jacobus ſubrepta à Rachele idola, quia ſi ſciviſſet nunquam malè precatus fuiſſet: non enim dubitaſſet quin Rachelis rectum fuiſſet conſilium, atque לשם שמים *ad Dei gloriam* ſpectans. Putant autem Rachelem מן החרם הזה vel מאותה קללה *ob illam imprecationem* haud multò poſtea mortuam eſſe in itinere, in partu Benjamini, ut legere eſt Gen. 35. 18. Addit Bechai, ומכאן שיש לאדם ליזהר מעונש הצדיקים ומקללתם, *Indéque eſt quòd quiſque ſolicitè cavere debet à ſanctorum virorum pœnis & imprecationibus.* Hos non malè refellit Ezra, quòd Phineis uxor, ut eſt 1 Sam. 4. ex partu quoque ſit mortua, nec quiſquam tamen legatur ei malè imprecatus. Ac ſanè iſtæ ſunt argutiæ nimis argutæ, quæ nobis haud probantur: ut de iſtis ſubtilibus & acutis nimiùm Magiſtris verè dicturus mihi videar,

Faciunt ne intelligendo, ut nihil intelligant.

Næ ego ſubſcribo lubens Abarbaneli aut Ezræ, qui hoc *non vivat,* ſeu potiùs *non vivet,* enunciativè interpretatur אהרגנו *interficiam illum* manúq; meâ defodiam. Haud tamen abnuo poſſe accipi poſteriore modo, *non vivat,* imprecativè, faciátq; Deus ut moriatur.

Declaratur locus è cap. 32. Gen. necnon ratio nominis Iſrael *adverſùs plerorumque ex Antiquis ſententiam.*

JAcobus è Meſopotamia in Palæſtinam revertens vehementer ſibi ab Eſao fratre metuebat, nè iræ memor durius aliquid in ſe adventantem conſuleret: quando Deus, qui nè in metu quidem ſuos diutiùs quàm par eſt verſari patitur, eum novo quodam modo, cùm jam non procul à fratre abeſſet, confirmavit ſecurúmq; eſſe juſſit. Jacobum enim, poſtquam agmen ſuum ultra Jaboci fluminis vadum promoviſſet, alicubi in ſolo loco repertum & ab agmine relictum, Deo rem gubernante, aggreſſus noctu Angelus, cúmq; eo fortiter diúque luctatus uſq; ad auroram, ceſſit tandem victus, victori Angeli homini nihil ab hominibus metuendum eſſe confirmans, ipſi Jacobo è re factóve novo dato nomine, ut deinceps *Iſrael,* quaſi tu dicas *prævalentem Deo,* i. Dei Angelo, appellaretur.

Inter ea quibus illa hiſtoria explicatur, hæc ſunt, Gen. 32. 28. *Nequaquam,* inquit, nempe Angelus, *Jacob appellabitur nomen tuum, ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti* (ſeu *prævaluiſti*) *quantò magis contra homines prævalebis?* Sed hoc non utique verum deprehenditur, cùm ab eo tempore legatur Jacobus vocatus Jacobus innumeris in locis, & ſtatim quidem poſt ea verba quæ è libro Geneſeos recitavimus. Vocabulo rem expedit Ezra ad cap. 35. Gen. v. 10. huic germanũ prorſus, לא יקרא שמך עוד יעקב כי אם ישראל היה שמך *Non vocabitur nomen tuũ ultrà Jacob tantummodo, ſed etiam Iſrael.* Hic verò verſus Gen. 32. c. palàm arguit errare ſeu hallucinari eos qui ישראל *Iſrael* interpretantur, ſi tamen ſeriò interpretantur ac non potiùs allegoriæ ſerviunt: tantis enim mentibus cedendum, déq; iis modeſtè ac religioſè ſemper pronunciandũ; interpretantur, inquam, prædictum nomen, quaſi איש רואה אל *virum videntem Deum,* vel ישר אל *rectum Dei. Quamvis,* inquit S. Hieronymus in Quæſt. in Gen. *grandis auctoritatis ſint & eloquentiæ, & ipſorum umbra nos opprimat, qui Iſrael virum, ſive* mentem *videntem Deum, tranſtulerunt, nos magis*

Scripturæ & Angeli, vel Dei, qui ipsum Israel vocavit, autoritate ducimur quàm cujuslibet eloquentiæ secularis. Neque est cur opponas D. Hieronymo ipsum eundem D. Hieronymum, qui in cap. 44. Esaiæ id nomen *rectum Dei*, aut *virum videntem Deum* exponit. Ea namque Hieronymi consuetudo, præsertim ubi aliò festinat, ut sæpe communes ac receptas celebriorum Doctorum opiniones quæ ad locum institutúmve facere videantur, tanquam suas proponat, quamvis ipse longè aliter sentiat. Nisi hanc regulam teneas facilè ac sæpe errabis in dijudicanda Hieronymi mente. Est aliud præterea quod illam antiquorum sententiam de ratione nominis *Israel* apertè refellat, sed nihil tamen est ad Geneseos versum, nempe quòd, si ità esset, ut volunt, ישראל per ש dextrum, non autem per ש sinistrum esset scribendum: ac si sonaret certè *virum videntem Deum*, א potiùs quàm Jod initio postularet. Est igitur ישראל ex שרה quod est *prævalere*, seu *principatum obtinere*, & אל quod *Deum*, ut fortem, significat: Jódq; initio positum nominis proprii est formativum, ut in יעקב *Jacob*, יצחק *Isaac*, & aliis. Ista intelligunt quotquot Hebraicè sciunt.

Parvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo, Gen. 33. 5.

POstquam narravit Sacer textus ut revertenti è Mesopotamia viginti post annos Jacobo Esaus frater obviàm ierit, ut in ejus collum ruerit, flens flentem amplexans suavitérq; exoscülans, indè Esaum ait feminarum & puerorum turbam conspicatum de illis interrogasse fratrem, *Quinam essent*. respondisse verò Jacobum, *Parvuli sunt quos donavit mihi Deus servo tuo*, Gen. 33. 5. Quæritur cur de filiis solùm responderit Jacobus, de mulieribus verò non? Respondet Abarbanel, quòd illum puderet apud fratrem fateri quatuor sibi esse uxores, tot enim habebat, nè scilicet deridendum se præberet fratri, qui licèt dissolutus maléq; moratus, certè minùs Numinis observans, tres solummodo habebat. Judicasse nempe Jacobum satius fore si de uxoribus taceret: facilè enim suspicaturum Esaum illarum mulierum partim uxores esse, partim liberorum nutrices. Verùm hoc parùm se mihi probat. Quid enim? Num venire potuit in mentem Jacobo celare se posse fratrem uxores suas? Qualem igitur hominem esse Esaum existimabat? Adeóne inofficiosum atq; inhumanum ut non, saltem ubi illæ feminæ unà cum liberis salutandi gratiá accederent, de singulis quæ quíve essent quæsiturum illum esse sibi persuaderet? Igitur non mihi dubium est quin suas uxores fratri honoris atq; officii causâ, ut fit, obtulerit Jacobus, ac præterea singularum etiam nomina ediderit, præsertim cùm Lia & Rachel amborum consobrinæ essent. Sed hoc brevitatis ergò ut multa interdum tacet Scriptura. Tum quidem cùm interrogatus à fratre est Jacobus quæ esset illa turba, de filiis solùm respondit ut qui propiùs Esaum cognatione contingerent. Sed mox cùm singulæ feminæ unà cum liberis salutatum Esaum accesserunt, nemo, puto, dubitaro potest quin & quæ sibi essent, & quæ illarum nomina essent, sigillatim indicarit. Ità videtur sensisse Flavius Josephus, Antiq. Jud. l. 1. c. 19. ubi scribit in hæc verba; καὶ ὁ Ἠσαῦς ἀσπασάμενος αὐτὸ, ἀνήρετο τοὺς παῖδων τὸ ὄχλον καὶ τὰς γυναῖκας· ἡδέως τε τότε τὸ πᾶν μαθὼν φέει αὐτοῦ καὶ αὐλὰς συμπαθίζειν αὐτοῖς θεὸς τ πατρὸς· quod Gelenius vertit, *At Esaus eo salutato interrogabat de turba mulierum ac puerorum: & cùm didicisset omnia, volebat eos deducere ad patrem.* Qui dicit omnia nihil excipit: quid enim potest esse extra omnia?

Explicatur difficultas è Geneseos cap. 33.

JAcobus & Esaus fratres, cùm ille è Mesopotamia ubi viginti annos absens ab infenso fratre commoratus fuerat reverteretur, postquam inter se suavissimè consalutassent, satísque diu, prout locus & tempus ferebant, mutuis honoris ac benevolentiæ officiis certassent, lacrymísque præ gaudio, ut fit, indulsissent, Esai enim iram longum tempus fortè delinierat, ipsas quoq; Jacobi uxores ac liberos (erant quatuor; hi verò cum Dina duodecim) Esaum salutatum accessisse refert Scriptura, hócque ordine processisse, uti ancillæ, h. e. secundariæ uxores, nempe Bala & Zelpha, deinde Lia & Rachel, singulæ cum suis liberis Esaum aliæ post alias adierint. Sacer textus sic habet, cap. 33. Gen. v. 6, 7. *Et appropinquantes ancillæ & filii earum incurvati sunt. Accessit quoq; Lia cum pueris* (seu *liberis*) *suis: & cùm similiter adorassent, extremi Joseph & Rachel adoraverunt.*

Quæritur cur cùm Balam & Zelpham Liámque secuti sint sui liberi, uti docere videtur notati Textûs series, Racheli matri Josephus scribatur præviisse. Ecce tibi Rasi tantopere Judæis laudatus Doctor, qui dignam *capite Tribuum Israelis*, ità enim à suis honoris ergò indigitatur, profert conjecturam, dum Josephum pudicitiæ matris consulere voluisse divinat: sic enim dixisse apud se, אמי יפת תאר שמא יתלה ברה עיניו אותו רשע אעמוד כנגדו ואעכבנו מלהסתכל בה, *Mater egregiâ est formâ: ne fortè ad eam sceleratus Esaus adjiciat oculos, stabo ex adverso illi, impediámq; nè illam contemplari liceat.* Quasi verò tum ejus ætatis esset Josephus ut quid muliebris formæ decor virum moveret scire posset. Tum enim ille annos vix natus erat 7. aut, ut summum dicam, 8. non major, ac multò minor fortasse, ut tempora computanti atque ad calculos revocanti facilè patebit. Igitur ridicula est ac fatua ista conjectura. Profectò si quid causæ est cur matrem anteiisse legatur Josephus, nihil aliud fuisse crediderim quàm quòd Josephum, utpote adhuc tenellum puellum, eundémque unicum filium, qui alium à quo regeretur fratrem non haberet, ire præ mater jusserit, quemadmodum prudentes matres solent, quæ puellos, nè quid eis secùs quàm oportet contingat si ab tergo incedant, sibi præmittunt. Erit fortasse aliquis qui existimet Josephum priùs nominari quàm matrem, non quòd is in salutandi officio prior fuerit, sed quòd qui postea tantus vir fuisset, eum Moyses, sive quis alius est Pentateuchi autor, honoris ergò primo loco nominarit: sicuti Reges videmus summósq; principes ante matres nominari, nec tam interdum in historiis facti seriem in nominandis personis quàm personarum conditionem & dignitatem spectari. Verùm si ità esset, hujus capitis v. 2. ubi de matrum cum suis quarumque natis instructo agmine, quòd jam propè adesset Esaus, agitur, Josephus itidem ante matrem fuisset nominandus, cùm secùs fiat. Si enim hîc honoris ergò dicatur primo loco nominatus Josephus, quid? oblitúsne paulò antè fuisset Moyses, sive quis alius est, quid Josephi dignitati deberetur? Multò igitur alienius esse dicere id honoris fortasse detulisse Rachelem Josepho, quòd jam tum præsagiret Divini afflatu numinis qualis & quantus ille futurus esset. Satius forsan sit ejusmodi rerum causas non ità anxiè perscrutari, quia aut nullæ aut planè incertæ sunt.

Et mortua est Debora nutrix Rebecca, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum; vocavítq; nomen ejus, Quercum fletûs, Gen. 35. 8.

APud Bethelam mortua scribitur Debora nutrix Rebeccæ, cùm esset in comitatu Jacobi è Mesopotamia in Palæstinam redeuntis, inibíq; sepulta sub montis radicibus ubi urbs erat sita. Verùm an illa est quæ unà cum Rebecca Isaaco nuptura non paucos ante annos in Palæstinam venerat, eíque comes data fuerat? ut est Gen. 24. 59. Quid autem Rebeccæ nutrici cum Jacobi familia? Censet Rasi affirmátq; hoc se accepisse ex Moyse הדרשן, i. *Concionatore*, à Rebecca in Mesopotamiam missam Deboram quæ Jacobum indè abduceret: siquidem id se facturam recepisset Rebecca, cùm Jacobum ad Labanum fratrem ire jussit, sicuti legere est Gen. 27. obiisse autem Deboram in itinere, cùm in Chananæam unà cum Jacobo reverteretur. Idem censet Abarbanel, ídque affirmat se habere à Cabbala, nisi quòd ait missam Deboram להוציאו משם ולחוס על ילדיו כי היא היתה אשה חכמה, *qua Jacobum accerseret è Mesopotamia, tum ejus liberos curaret. quòd mulier esset egregiè cordata.* Nachmanides existimat fuisse tunc Deboram cum

Jacobo

Jacobo, quòd postquam primò venisset cum Rebecca in Chananæam, rediisset illa ad suos lares, unde deinde profecta cum Jacobo invisendæ dominæ cupida Chananæam repetiit. Huic quoque sententiæ suffragatur Abarbanel. Addit Nachmanides, או נתעסקה בגדול בני יעקב לכבוד רבקה ולאהבתה והיתה בביתו, *Aut educandis Jacobi liberis operam dabat, quòd Rebeccam coleret & amaret: ideóque apud ipsum erat.* Docet hic etiam non abs re esse, si quis dicat nutricem, de qua hîc sermo, non eam fuisse quæ cum Rebecca Isaaco nuptura quondam venisset, (non enim ea Gen. 24. 59. nominatur) sed aliam quandam quæ apud Labanum & Bathuelem remansisset, quámque abiens Jacobus secum abduxisset, לכלכל את שיבתה לכבוד אמו, *quò summam ejus senectutem foveret, matris studens honori:* morem quippe esse nobilium ut plures habeant nutrices: non esse enim probabile tam grandem natu à Rebecca missam ad Jacobum, sicut sentit Moses ille Concionator. Sanè quidem quæ illa cunque fuerit nutrix Rebeccæ, eam oportet fuisse tum valde senem cùm revertit in Chananæam Jacobus. Sed vero similius est tandem abductam abs Jacobo è Mesopotamia senem feminam eam ob causam quæ mox dicta est, quàm allegatam à Rebecca in Mesopotamiam, quippe quia Rebecca facilè non unum virum ad id quod volebat magis idoneum nanciscì poterat. Sed ubi tandem misisse legitur Rebecca qui Jacobum è Mesopotamia accerseret? Hæc res profectò prorsus in incerto est. Neque verò de ejus generis quæstionibus, quæ nihil aut parùm momenti ad S. literas intelligendas habent, judico esse admodum laborandum. Sat sit Sacri textûs autoritati credere, Deboram Rebeccæ nutricem, quæ illa cunque sit, vitâ functam cùm esset in comitatu Jacobi è Mesopotamia in Chananæam redeuntis. Nimia præter hoc curiositas vitiosa est, progressúmque in studiis moratur, nedum utilis est. Mediocritatem hîc & in ejusdemmodi rebus probo. Mysteria, quæ palàm mysteria sunt, cognitáque prodesse aut certè delectare vehementer possunt, ea quin anxiè studioséque indagemus quis impediat? Ast quæ levia sunt parúmque utilitatis videntur habitura si cognoscantur, ea ignorare magis juvat quàm cum operæ temporísq; dispendio cognoscere.

Majoris paulò momenti est id quod quæri item solet circa propositum comma, cur ob mortem Deboræ decrepitâ ætate feminæ acerbi adeò ploratus editi sint, ut indè loco ubi sepulta est *Quercus fletûs* nomen sit factum. Quæ enim jactura in morte feminæ ejúsque decrepitæ? Respondet Abarbanel, בעבור שהיתה אצלם במדרגת אם בנו עליה, *Quòd eam in matris loco haberent*, tam amarè *illos de ejus morte flevisse.* Eodem ferme modo Isaacus Arama, בכו עליה בכי גדול כי אשה חשובה היתה, *Ejus mortem ingenti luctu prosecutos, quòd esset femina haud parvi pretii.* Magna profectò jactura sapientis feminæ, quæ aliis exemplo prodesse possit, sed rara: rara quippe avis sapiens femina. Ast Abarbanel probat etiam, non ego, quod legitur in הגדה, nomen est Commentarii mystici, inibi cognovisse Jacobum de morte matris, etsi taceat Sacer codex Rebeccæ cùm mortem tum sepulturam, quòd ejus morti filiorum nepotúmve adfuisset nemo, ac illorum etiam nemo funus suâ præsentiâ cohonestasset: Jacobum autem ejúsq; liberos auditâ matris aviæque morte ingentem edidisse luctum, cùm hujus tum Deboræ ergô; ideóque nomen indidisse loco ubi tum erant, *Quertum fletûs.* Laudat Abarbanel veteres Hebræorum Doctores. Ramban & Bechai sentiunt cum veteribus illis, ac confirmant præterea Rebeccam vitâ functam cùm ad patrem rediit Jacobus, quòd scriptum sit Gen. 35. 27. *Venit itaque Jacob ad Isaac patrem suum in Mambre civitatem Arbee*, &c. Si, inquiunt, superstes fuisset tunc temporis Rebecca, dicendum fuerat, *Venit Jacob ad Isaac patrem suum & ad matrem suam*, præsertim cùm matris consilio profectus ille fuisset in Mesopotamiam. Eodèm pertinere notant è priscis illis Rabbinis quòd propositum comma statim hoc sequatur, *Apparuit autem iterum Deus Jacob*, &c. *benedixitq; ei.* Aiunt scilicet sese ostendisse tunc Jacobo Deminum, quò ipsi de morte matris afflicto consolationem adhiberet. Addunt ex eisdem, מה ברכו ברכת אבלים ברכו, *Quid benedixit ei? benedictione lugentium benedixit ei*, i. in luctu consolatus est; non secùs atque post obitum Abrahami Deus benedixisse Isaaco legitur, Gen. 25. 11. Ità ferme illi. Rasi observat ex Aggadah vocem אלון, quam *quercum* reddidimus, idem esse quod Græcè ἄλλος, quasi אלון בקות sonaret *alium fletum*, quòd נתב שרשים באבל שני שהוגד לו על אמו משתה *inibi Jacobus audivisset de luctu altero, ad eúmq; allatum esset nuncium de morte matris.* Sanè verò ridiculum Græcam vocem Hebræis interseri. Quorsum, quæso? Et unde eam vocem didicisset Jacobus? Jonathan Chaldæus interpretatus est מישר בניתא *planitiem*, seu *vallem, fletûs.*

Tollénsque Simeon & ligans, illis præsentibus,
Gen. 42. 24.

JOsephi fratres decem annonæ comparandæ ergô à Jacobo patre missi cùm Ægyptum venissent, Josephum rerum potentem, penès quem omnis frumenti copia erat redacta, simul adeunt. Nihil de Josepho, ut quem imberbem vendidissent [sic Rasi] illis constabat. At Josephus, qui optimè fratres nosset quòd eos grandiusculos jámque barbâ indutos reliquisset, callidè agnitionem dissimulans, speculandi gratiâ venisse résque novas clàm moliri arguebat. Illi dum crimen purgant, se duodecim fratres uno prognatos parente affirmant, quorum unus, is erat Josephus, periisset, alter verò omnium natu minimus domi apud patrem remansisset. Tum Josephus, qui Benjaminum germanum fratrem impensè cuperet videre, eò rem deducit ut ad faciendam dictorum fidem è decem unus in vincula conjiciatur, interim dum reliqui novem ad patrem revertantur, Benjaminum indè in Ægyptum deducturi. Statímq; ipsius Josephi arbitrio Simeon pro obside in oculis aliorum in nervum compingitur: hócque S. literæ his verbis significant, *tollénsque*, nempe Joseph, *Simeon & ligans, illis præsentibus*, &c. sive, uti in Hebræo ad verb. est, & *accepit ab eis Simeonem, ligavítque eum in oculis eorum.*

Quæritur cur Simeonem inter alios voluerit Josephus: nullum enim sanctorum virorum temere factum. Variè respondent Hebræi. Ezra quidem sic ad h. l. habet, כי כאשר יחטאו רבים הגדול שבהם בשנים יענש יותר ועוב ראובן כי הוא הצילו, *Cùm plures contingit peccare (criménve admittere) qui inter eos natu grandior est graviore eum pœnâ multari oportet. Præteriit autem ipsum Rubenem, quòd ejus beneficio salvus evasisset.* Hoc vult Ezra scilicet, Cùm ab omnibus simul fratribus in Josephum peccatum esset, præterito Rubene qui cæteros fratres ad cædem accensos in mitius consilium deduxerat, Simeonem in vincula à Josepho conjectum quòd post Rubenem inter alios esset grandior, ideóque dignior pœnâ. Ezræ consentit Abarbanel, qui observat præterea è suorum Magistrorum libris Simeonem & Levi fuisse qui cæteros his verbis accenderent, Gen. 37. 20. *Nunc ergò venite & occidamus eum*, &c. quòd Rubenis & Judæ in Josephum tantum odium non fuerit, ut è cap. mox citato constat: alii autem, qui ex ancillis nati essent, vix credantur eò temeritatis ausi prorumpere. Hanc conjecturam non parùm adjuvat quòd Simeon & Levi tum adhuc à cæde Sechemitarum recentes sanguinis fundendi, ut fit, avidiores essent. Rasi Simeonem ait fuisse qui Josephum in cisternam demiserit, ac Levi fratri dixerit, Gen. notato cap. 19. *Ecce somniator venit.* Verùm hoc ex textu minimè probatur, qui omnibus aut plerisque saltem simul conspirantibus id tribuere potiùs videtur. Addit aliud Rasi quod mihi se magis probat, studuisse Josephum Simeonem à Levi divellere nè in ipsius necem hi ambo conspirarent, qui antea perspicuum suæ crudelitatis exemplum in Sichemitarum cæde præbuissent. Non est mehercule vana hæc conjectura, quã etiam sequitur Bechai, cujus verba non pigebit adscribere; עכב את שמעון יותר מכולם כדי להפרידו מאת לוי שלא יטלו שניהם עצה כנגדו בעין שעשו כנגד שכם לפי ששניהם מצויים יחד תמיד כענין שכתוב שמעון ולוי אחים כלי חמס, *Ex omnibus* (Joseph)

retinuit Simeonem, quo ipsum à Levi sejungeret, nè ambo adversùs se inirent consilium sicuti adversùs Sichemum fecerant, quòd inter hos præcipua quædam esset societas. Unde illud (Gen. 49.5.) SIMEON ET LEVI FRATRES, VASA INIQUITATIS, &c. Subtilius est quod annotat Rasi, idcirco ligatum dici Simeonem in oculis fratrum, quòd mox, iisdem absentibus, vinculis solutus benéq; cibo ac potu acceptus fuerit. Hoc enim *illis præsentibus*, seu *in oculis eorum*, aliud nihil esse videtur quàm illis videntibus atq; inspectantibus. Deinde isti interpretationi repugnat quod Gen.c.43.23. scribitur, illis in Ægyptum cum Benjamino reversis eductum Simeonem. Unde, nisi è carcere?

Apertóque unus sacco, ut daret jumento pabulum in diversorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, &c. Gen. 42. 27.

JOsephi fratres, comparatâ in Ægypto annonâ ac Simeone pro obside inibi relicto, ad patrem revertentes, in hospitium serò cùm venissent, ecce unus illorum sacco aperto quò pabulum asino daret, pecuniam reperit in ore sacci: curaverat enim Josephus ut pecunia quam pro coempto frumento fratres numerarant clàm in eorum sarcinas inderetur.

Quæritur quis illorum aperuit saccum. Rasi ipsum Levi esse conjectat, qui destitutus Simeone quicum conjunctissimè vivebat, *unus* seu *unicus* dicatur. Ipsius adeò verba audiamus; ויפתח האחד הוא לוי שנשאר יחיד משמעון בן זונו, ET APERUIT UNUS. *Is est Levi, qui relictus fuit unicus* (absens) *à Simeone compare suo.* Hic *unus* pro *unico* exponit. Cum eo sentit & Bechai qui sic habet; ומה שכתיב ויפתח האחד את שקו זה לוי שנפרד שמעון ממנו קראו הכתיב אחד ולפי, *Quod autem scribitur*, & aperuit unus saccum suum, *is est Levi, propterea quòd enim divulsus fuerat ab eo Simeon, eum appellat Scriptura Unum.* Ezræ *unus* est pro *uno eorum.* Addit; ויתכן להיות ראובן כי הוא הבכור כמו אחד בחשבון, *Apparet autem esse Ruben, quòd is esset primogenitus* instar unius in numero (&) *sicut unum in numeris.* Hæc nihil solidi habere videntur: nec admodum refert scire quis ille fuerit. Majoris forsan momenti est hoc, an unus tantummodo aperuerit saccum, an etiam alii. Nonnulli sentiunt, & in iis Abarbanel, haud dubium quidem esse quin cæteri quoque sacços aperuerint, saltem ut an sua etiam pecunia in iis esset explorarent, sed quòd pecunia altiùs in saccos intra medium frumentum esset defossa, nihil pecuniarum reperisse præter unum, in cujus sacci ore pecunia ab eo cui datum hoc negotii à Josepho fuerat fortè erat relicta. Ab his quidem facit, quòd, nisi exhaustis saccis domi coram patre, ab aliis non legatur repertum argentum: quæ res tum illorum animis maximum terrorem incussit, nè fortasse dolo malo pecuniam unà cum frumento abstulisse accusarentur. En Textûs verba, v. 45. cap. Gen. 42. *His dictis, cùm frumenta* (Hebr. *saccos*) *effunderent, singuli repererunt in sacco suo:* (ità Hebraicè, ut in Vulg. *in ore saccorum*) *exterritíque simul omnibus*, &c. Verùm alia ex parte pugnat quòd Jacobus, qui exhauriendis sarcinis postquam ad ipsum filii ex Ægypto rediissent præsens interfuit, testis est in ore saccorum repertas pecunias, Gen. 43.11. ubi in Fonte בפי אמתחתיכם *in ore saccorum vestrorum*, non, ut in Vulg. *in sacculis vestris.* Ipsi quoque Jacobi filii, dum in Ægyptum cum Benjamino reversi Josephi œconomo de reportato in saccis argento se purgant, statim in ore saccorum repertas pecunias affirmant, neque hoc tantùm, sed & in diversorio, non apud patrem, Gen. 43. 21. Adde, si vis, & ver.8. cap. 44. Quod hic dicam certè non habeo, nisi quod uni in diversorio accidit de omnibus affirmari, nec satis singula ut facta fuerant distingui, quòd ferè perinde esset in diversorio & domi id accidisse. Apud Josephum scriptorem locupletissimum pecuniæ ab uno in diversorio repertæ nulla mentio.

Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet, &c. Gen.44.5.

JOsephi fratres ad patrem ex Ægypto cum annona revertentes consecutus non sine heri mandatis Josephi domûs procurator, qui in Benjamini sarcinam calicem argenteum ità ut erat à domino jussus clàm indiderat, postquam assecutus esset, ad istum eos modum alloquebatur, *Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis*, Gen.44.5.

Quæritur quid sibi hoc velit, *in quo augurari solet*, quod in Vulg. versione legitur. Juvabit profectò consulere Hebraicum codicem, quid hîc dicat. Hebræus igitur codex ità habet, הלוא זה אשר שתה אדני בו והוא נחש ינחש בו וגו', Id quod ego sic verto è Bechai mente, *Nónne hic calix est in quo bibit dominus meus? & ipse augurando auguratus est de eo*, &c. בו hîc pro בעבורו R. Jonâ autore. Nihil me moratur verbum ינחש fut.temporis: futurum enim in consuetudine Hebraici sermonis non rarò pro præterito usurpatur; *Et ipse augurando auguratus est de eo* porrò cùm ait ille Josephi servus, perinde esse videtur ac si diceret, Neque verò ignorare vos volo ipsum esse Josephum herum meum, qui augurii sive ariolandi scientiâ quâ pollet vos esse qui furto calicem abstulistis divinarit: vel si minùs per se ipse auguratus sit, certè, ut censent Bechai quem laudabam mox, & R. Jonas, teste Ezrâ, augures consuluerit, ex quibus totam rem ut habet didicerit. Probabilius tamen mihi fit velle illũ Josephi servum ipsummet Josephum auguratum esse (& id verba videntur sonare) quem eximium somniorum esse conjectorem fama vulgaverat. Quidni & augurem seu ariolum? Neq; profectò id etiam latere extraneos poterat. Ad tantam eum potentiam & dignitatem evexerat conjiciendorum somniorũ solertia. Utro modo accipias parùm refert. Certè autem hoc illis dicebat, nè suspicarentur dolum mirarentúrque cur ipsos potissimùm furti suspectos insequeretur, cùm tunc tẽporis undique terrarum mortales in Josephi domum annonæ comparandæ gratiâ confluerent. Eadem de causa etiam excussurus singulorum sarcinas à natu maximo exorsus est, nè quid eis suboleret si secùs fecisset. Ad superiorem interpretationem facit illud Josephi ad fratres postquam ad illum essent adducti, eodem in capite v. 15. *Cur sic agere voluistis? annon nostis quòd augurando auguratur*, sive *divinando divinat* (illic idem verbum quod hic, & ejusdem temporis) *vir qui similis est mei?* h. e. juxta Rasi, an ignoratis virum mei similem augurandi habere scientiam, certóque conjicere & cognoscere vos esse qui surripuistis calicem? Vel juxta citatum Jonam, כי איש כמיני ישׁ לו מנחשים *viro mei simili non deesse ariolos* (seu *divinos?*) Palàm cum Rasi facit istius loci vulgaris versio quæ habet, *An ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia?*

Augurando auguratus est de eo, nempe scypho, quid eo factum sit, vos nimirum esse qui furto abstulistis. *Augurando auguratus est*, i. certò auguratus est: ejusdem quippe verbi repetitio majorem certitudinem denotat. *Augurando auguratus est de eo*, ut de aliis rebus semper solet. Atque hæc forsan causa est quamobrem hoc loco verbum futuri temporis ינחש adhibitum sit, nempe ad rem quam aliàs etiam facere soleret Josephus de more linguæ denotandam: quomodo mox antè ישתה pro *bibit*, seu *bibere solet*, dictum fuit. Alii aliter atque aliter accipient, ut est sua cuique sententia. Verùm ità me Deus amet, ut interpretatio quam attulimus satis placet. Ezra sic exponit, הוא נסה אתכם בו לרעת אם אתם גנבים, *Ipse experiri vos eo* calice *voluit an essetis fures:* quo modo verbum נחש accipitur Gen.30.26. ubi נחשתי *experimento didici quòd benedixerit mihi Deus*, &c. Ad hujus ergò mentẽ vertendũ esset, *& ipse experiendo expertus est* (seu *probando probavit*) *in eo*, &c. Quid si, accipiendo prædictum verbum in *experiendi* seu *probandi* significatione, sic interpretaretur aliquis; *& ipse probando probat in eo*, q. d. ille Œconomus, Isto calice herus meus eorum qui in ædes suas ventitant

ventitant fidem probare solet? Aptè sanè & continuatè. Quem surripuistis scyphum, is est quo potare herus meus, & ad se ventientium fidem experiri solet. Utrobique autem verbum futuri temporis, quod tempus è consuetudine Hebraici idiomatis rem quæ fieri soleat frequenter atque eleganter exprimit, sicuti mox nobis dictum, aliásque observatum non semel. Ad hanc & Ezræ interpretationem satìs verò conveniet illud jam citatum è 15.v. ejusdem cap. si illic quoque verbum נחש pro *experiri* ac *probare* sumatur, *annon nostis quòd* נחש ינחש *probando probat vir qui similis est mei?* hoc sensu, Cur suffurati estis calicem? An nesciebatis virum mei similem eorum qui ad se ventitant fidem probare solere? etenim illi esse necesse: Isaacus Arama & Abarbanel acutè satìs interpretantur, quasi horum verborum *& ipse augurando auguratur in eo*, hic sensus sit, Scitote hunc quem surripuistis calicem eum esse quo potat herus meus, & in quo suæ sublimitatis felicitatísque statuit præsagium, & propter quem in posterum præclarè secum actum iri anguratur. Ex quo enim uti cœpit eo calice prosperè sibi semper fuisse autumat. Hoc autem, inquiunt, illis dicebat, nè fortè mirarentur quamobrem tam solicitus esset de argenteo calice, re non ità magni pretii. Illud autem v.15. *ánnon nostis quòd augurando auguratur vir qui similis est mei?* ad suam interpretationem accommodat sic Abarbanel, An ignoratis virum mei similem in re aliqua ponere suæ felicitatis sive sublimitatis augurium? Observat Ezra esse qui dicant, in scyphum illum inspicientem coram fratribus Josephum quæ cujusque illorum ætas esset, quis major natu, quis minor, id quod satìs per se cognoscebat, dixisse, meditantem tum videlicet quid facere vellet, fratrúmque amorem ac fidem erga Benjaminum germanum suum eo scypho tentare destinantem. Horum sententia, vel potiùs somnium, si verum esset, in promptu esset horum verborum sensus, *& ipse augurando auguratur in eo.* Latini Latinæ ac Vulgatæ versionis varias quoque afferunt expositiones, quæ è suis autoribus petendæ sunt. In re dubia & incerta eligere quisque potest quod volet, suísque frui conjecturis.

Exacto autem illo anno, venerunt ad eum anno secundo, &c. Gen.47.18.

ÆGyptiorum universa gens, in dira illa quæ terras imperium Ægypti obtinente Pharaone incesserat annonæ inopia, cùm argentum pecudésque queis frumentum compararet jam prorsus deficerent, tandem de communi sententia Josephum, penès quem rerum ac præsertim annonæ potestas erat, legitur adiisse; quò suos agros suáque corpora frumenti pretium offerret. Inter ea quibus hæc res explicatur istud est, *Exacto autem illo anno,* quo nempe sua pecora atque armenta pro pane Ægyptii vendiderant, *venerunt ad eum anno secundo,* nempe ut cum Josepho de se suísque agris pro pane paciscerentur. Quid *secundo?* An septem annorum famis secundo? Non videtur. Cui enim persuaderi poterit anni unius spatio non modò horrea Ægypti, quæ superiorum annorum septem felix ubertas impleverat, frumentis exhausta, sed eò etiam necessitatis redactos Ægyptios ut omnino jam deficiente argento, quæque pro frumento permutarent pecoribus, se & qui solùm in bonis restabant agros vendere cogerentur, ni potiùs fame perire vellent. Audiamus igitur quæ de hac re Hebræorum sit sententia. Omnium maximè placet Bechai, cujus adeò subjiciam verba; איך יתכן שיחום הכסף המקנה בשנה אחת אבל הספיק להם הכסף כל חמש שנים כי כן דרך הארצות בזמן הרעב שהן דוחקים ומצטמין את עצמם וכספם ואהבם אחם יספיק אותם זמן גדול ויוסיף הכתוב כי אחרי שחם הכסף לסוף חמש שנים באו אל יוסף והיה זה בשנה הששית ונתן להם במקניהם לחם וכול' ויבאו אליו בשנה השנית לו היא השנה השביעית שהיא שנית לששית ויאמרו לו שיקנה אותם ואדמתם בלחם שיאכילם בשנה הואת השביעית, *Quî,* inquit, *fieri potest ut pecunia simul cum pecoribus anno uno sit exhausta? Imò illis satìs fuit argenti ad annos quinque; quòd soleant mortales in summa rei frumentariæ difficultate moderari sumptibus, ità ut ad multum temporis suppeditet quod illis est pecuniarum. Sacer igitur textus meminit, postquam defecisset argentum, scilicet elapsis quinq; annis, adiisse Ægyptios Josephum, nempe anno sexto, próq; pecoribus panem* (seu *frumentum*) *ab eo accepisse.* Mox, *Adierunt & illum postea anno secundo, is fuit annis septimus, qui sexto fuit secundus,* (quasi tu diceres, *alter ab illo*) *rogantes ut de se suísque terris* (seu *agris*) *pro pane liceret paciscí, nè alioqui sibi sit fame pereundum.* Sic ferme Bechai, qui affirmat hunc esse literalem sensum. Hæc verò interpretatio confirmatur, quòd eodem illo anno subministratum à Josepho fuerit Ægyptiis semen quod terræ mandarent, *(en vobis semen, seminate ergò terram,* hujus cap. v. 23.) cùm antea, nempe Gen. 45. 6. exacto jam famis biennio, affirmasset Josephus adhuc restare quinque annos quibus neque sementis fieret neque messis. Unde clarè constat septimum ac ultimum fuisse illum annum, quo anno semen Ægyptiis in sequentis anni sementem à Josepho est suppeditatum. Alioquin si Josephus secundo famis anno semina Ægyptiis præbuisset, & illos fefellisset, & præter dictorum fidem fecisset. Neque verò possum assentiri ipsi Rasi qui *anno secundo* explicat לשני הרעב, i. *annorum famis secundo:* quòd illud famis septennium, ingrediente Ægyptum Jacobo, brevius fuerit factum contractúmque. Ità citat ex nescio quo Tractatu Talmudico, Tosiphta Sota, ואף על פי שאמר יוסף ועוד חמש שנים אשר אין חריש וקציר מכיון שבא יעקב למצרים באה ברכה לרגליו והתחילו לזרוע וכלה הרעב, *Quanquam dixerat Josephus* (Gen.45.6.) Biennium enim est quòd cœpit fames esse in terra, & adhuc quinque anni restant quibus nec arari poterit nec meti, *nihilominus ingressu Jacobi fortunata est Ægyptus, túmque cœpta est fieri sementis, & desiit fames.* In hanc sententiam abiere multi ex iis qui allegorias potiùs quàm verum ac genuinum sensum aucupantur, quia inquiunt, כשירד יעקב למצרים מיד כלה הרעב בזכותו, *Simul ac descendit Jacobus in Ægyptum cessavit fames ipsius* gratiâ ac *merito.* At si ità est, Josephus videri poterat mentitus, qui septem annos sterilitatis prænunciarat. Respondent כי אחרי מות אביו חזר הרעב ליושנו, *à Jacobi morte rediisse famem, qualis antea fuerat,* sícque Josephi vaticinium comprobatum, qui haud prædixerat sterilitatis annos fore continuos. Atque huc pertinere illud volunt Gen. 47.7. *benedixítque Jacobus Pharaonem.* במה ברכו שנמנעו שני רעב אף על פי כן שלמו אחר מיתתו, *Qua in re,* inquiunt, *ei benedixit? Quòd famis anni fuerint interrupti. Nihilominus tamen ab ejus morte expleti sunt,* ut patet è cap. Gen. ultimo, v.21. ubi patre mortuo sic fratres alloquitur Josephus, *Nolite timere: ego pascam vos, & parvulos vestros.* Atq; ex ejus rei occasione quidam Simeon, referente Bechai, hic aiebat, אין זה קדוש השם שרבוי צדיקים קיימים בחייהם ובטלים לאחר מיתתן, i. *Non pertinet ad Dei gloriã venerationémq; ut justorũ verba* (hoc accipio de Jacobi benedictione) *solùm dum ii vivunt vim suã habeant, eadem verò iis exstinctis irrita sint.* Alter autem excipiebat, זה קדוש השם שכל זמן שהצדיקים בעולם ברכה בעולם נסתלקו מן העולם נסתלקה ברכה מן העולם: *Imò verò ad Dei gloriam venerationémq; pertinet ut quamdiu justi vivunt cúmque mortalibus agunt prospera omnia mortalibus contingant, secùs verò iisdem sublatis.* [Ad verb. *justi in mundo, benedictio sit in mundo, iisdem verò sublatis eadem tollatur.*] Verùm istam opinionem palàm refellit Sacri codicis contextus, qui apertè docere videtur annos illos fuisse perpetuos, póstque adventum Jacobi in Ægyptum famem adhuc perseverasse. Tuum erit adire de hoc caput 47.Gen. Quòd porrò Pharaoni benedixisse dicitur Jacobus, nihil istis allegoricis Interpretibus favet: nam ibi *benedicendi* verbum ut aliàs sæpe pro salutare & fausta precari simpliciter usurpatur. Neque etiam quòd mortuo Jacobo fratribus pollicetur Josephus eos se eorúmq; parvulos alìturum, probat à morte Jacobi rediisse famem. Nihil enim aliud ibi videtur velle Josephus quàm se curam eorum alendorum deinceps suscipere; nec indè ficet famem colligere. Haud multò acutior

hîc Abarbanel, qui *anno ſecundo* interpretatur annorum quinque quos adhuc reſtare dixerat Joſephus Gen. 45. 11. ſecundo, qui ſeptem famis annorum fuerit quartus. Hic enim vult etiam שפקד יי׳ את הארץ לברכת יעקב כי עלה נילוס והשקה את האדמה באופן שהוציאו כדי מחיתם, *Viſitaſſe Dominum terram ob benedictionem Jacobi: ſiquidem aſcenderit Nilus, terrámque ità irrigarit ut ad victum neceſſaria ſuppeditarit.* Ità etiam Iſaacus Arama.

VARIA SACRA
EX EXODO.

Exod. 1. 7. *Filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt, ac roborati nimis impleverunt terram.*

ERANT Iſraelitarum tum cùm florente Joſepho in Ægyptum demigrarunt omnino capita ſeptuaginta. Sed brevi poſtea, Joſepho iiſque qui è Chananæa in Ægyptum devenerant fato functis, eorum ſoboles mirum in modum propagata eſt. Id ſignificat textus Vulgatæ Edit. his verbis; *Filii Iſrael creverunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt,* &c. Hebraicus verò iſtis, ובני ישראל פרו וישרצו וירבו ויעצמו במאד מאד ותמלא הארץ אתם, quæ ſic ad verbum exprimi poſſunt, *Porrò filii Iſrael fructificaverunt, & reptificaverunt, multiplicatíque ſunt, ac roborati valde valde: & repleta eſt terra illa.* Hîc quatuor verba idem ferme ſignificantia non fruſtrà congeri docet Abarbanel, qui verbo פרו, quod propriè eſt *fructum ediderunt*, vel, ſi Latinus ſermo pateretur, *fructificaverunt*, indicari ait neminem tam virum quàm feminam fuiſſe ſterilem partûſve expertem, ſed omnes frugiferæ arboris inſtar ſingulis annis fœtum edidiſſe, neque verò ſingulas mulieres ſingulos duntaxat filios tuliſſe ſed plures, ità ut inſtar reptilium, quorum fœcunda eſt maximè procreatio, naſci viderentur, ideóque non ſine cauſa adhiberi τὸ וישרצו, quod propriè ſonat *& reptificaverunt*, ſeu *copiosè produxerunt more reptilium.* Quoniam autem, inquit idem Abarbanel, gemelli ferè ſunt debiles & imbecilli בסבת מיעוט החומר *propter paucitatem materiæ*, ideóque citò exſtinguuntur nec ætatem ferunt, ac ſi qui paulùm ultra primos annos progrediuntur infirmâ admodum corporis compoſitione ac debili temperamento exſiſtunt; eam ob rem Sacer textus uſus eſt de induſtria verbo וירבו *& multiplicati ſunt*, quo quidem datur intelligi numeroſam illam Iſraelitarum ſobolem non fuiſſe ejuſmodi quæ ſubitò, ut fit, moreretur, ſed ætate proceſſiſſe longiúſque in annos provectam totum incrementum accepiſſe, neque verò infirmam ſed robuſtam exſtitiſſe; hæcque cauſa eſt, inquit, quamobrem dicatur ויעצמו במאד מאד *roborati ſunt valde valde*, i. admodum. Ità ferme ſingulorum hujus verſûs verborum pondera expendit Abarbanel. Eodem etiam modo Ezra, niſi quòd expendit etiam iſta verba במאד מאד, *valde valde*, iiſque vult ſignificari non potuiſſe magis robuſtos effici. Paulò aliter veteres Rabbini, teſte Bechai, qui ſic citat ex Midras; ובני ישראל פרו וישרצו פרו מאי רבותיהו תל׳ וישרצו ששה בכרס אחד בשרצים הללו יכול נמוכים כשרצים תל׳ וירבו בעלי קומה יכול חלשים תל׳ ויעצמו במאד מאד, Porrò filii Iſrael fructificaverunt, & reptificaverunt. *Quî verò iſtud? Hoc*, & reptificaverunt, *ſatis declarat perinde ac ſi diceretur, reptilium inſtar ſex eodem partu editi ſunt: ac nè iſti brevis fortè ſtaturæ ad modum reptilium fuiſſe crederentur, ſubjungitur ſtatim*, & magni facti ſunt, *ſeu* creverunt, (ità enim reddi etiam poteſt וירבו) *i. proceram ſtaturam nacti ſunt. Nè porrò debiles & infirmos illos quis putaret, additur denique*, & roborati ſunt valde valde. Raſi quoque ſex uno partu vult eſſe tum editos; Aben Ezra gemellos pluréſve. Baal hatturim hîc, ut ſolet, delirat, ſéxque his vocabulis, פרו וישרצו וירבו ויעצמו במאד מאד innui vult ſex editos uno partu. Haud dubium ſanè eſt quin Iſraelitæ in Ægypto novo & inſolito quodam modo fuerint propagati. Alioquin quî intra ducentorum & decem annorum ſpatium (neque enim in Ægypto diutiùs hæſiſſe creduntur) vel, ſi vis etiam, quadringentorum triginta, tam pauci homines ad tantum numerum excreſcere potuerunt, nempe ad millia ſexcenta? Tot enim cenſa ſunt cùm Ægyptum exierunt, præter pueros, feminas ac promiſcuum vulgus.

Surrexit interim Rex novus ſuper Ægyptum qui ignorabat Joſeph, Exod. 1. 8.

CUM tot támque præclara Joſephi in Ægyptiorum gentem cæteróſque mortales merita exſtitiſſent, ut [Juxta verſionem vulgatam in cap. 41. Gen. v. 45.] *Servator orbis terra*, ab Rege ipſo indito nomine, fuiſſet appellatus, jure ac meritò mirum videri debet quî fieri potuit ut non ità multo tempore ab ejus morte in ea gente Rex fuerit qui Joſephum ignoraret. Raſi commodè mihi videtur interpretatus, *qui ignorabat Joſeph*, עשה עצמו כאלו לא ידעו, i. *ità ſe geſſit ac ſi ipſum ignoraſſet* neſciviſſétque ejus in Ægyptios beneficia. At vide porró. Qui hîc dicitur Joſephum ignorare, ſtatim, nempe Exod. 5. 2. ſe neſcire Dominum ait. Unde Hebræi in Midras exſtruunt ejuſmodi γνώμλω, כל הכופר בטובתו של חברו סופו שיכפור בטובתו של הקדוש ברוך הוא: *Quicunque negat beneficium acceptum ab homine, tandem negabit beneficia accepta à Deo Opt. Max.* ſeu, *Quicunque ingrato eſt animo erga homines, eodem ſit tandem erga Deum neceſſe eſt*, ſibíque ſua non Deo accepta referat, ſicuti Nabuchodonoſorus, & ille qui dicebat Ezec, 29. 3. לי יאורי ואני עשיתני *Meus eſt fluvius meus, & ego feci memetipſum.* Tantum eſt ingrati animi vitium ut ad Dei contemptum & ſummam impietatem hominem adducat: & veriſſimè ac rectiſſimè dixit, quiſquis eſt, *Dixeris maledicta cuncta cùm ingratum hominem dixeris.* Abarbanel, qui hoc quod dicitur, ſurrexiſſe Regem novum qui Joſephum ignoraret, vult ad ea pertinere quæ mox ſubjiçiuntur, nempe quòd Rex ille cùm videret populum Hebræum citò numero ac viribus creviſſe, multiplicatâque ſupra modum progenie univerſam ferme Ægyptum repleviſſe, veritus ſit nè quandoque ſi quod ingrueret bellum hoſtibus ſeſe ille conjungeret, ac libertatem éque Ægypto exitum armis quæreret; iſte, inquam, Abarbanel in hunc ſenſum accipit quod dicitur, Regem illum novum non noviſſe Joſephum: כי אלו ידעו לא היה עולה בלבו שזרעו יפלו במרד והקשר הזה, *Quia ſi eam ſatis noſſet nunquam illi veniſſet in mentem cogitare illius gentis ac nepotes deficere & conjurare unquam poſſe.* Ezra & alii, in quibus Flavius Joſephus, cenſent Regem illum novum מורע המלוכה *è regia ſtirpe* minimè fuiſſe, ut mirum videri haud debeat quòd Joſephum minimè noſſet. Colligit hoc Ezra ex eo quòd dicatur ויקם *& ſurrexit.* Sed hoc frivolũ eſſe argumentũ rectè contendit Abarbanel, quòd illud verbi de quovis novo rege uſurpari in more fit. Deinde,

ut

ut iſte Rex regio è genere non eſſet, non tamen latere illum potuerunt Joſephi in Ægyptiorum gentem beneficia.

Dixit autem Rex Ægypti obſtetricibus Hebræarum; quarum una vocabatur Sephora, altera Phua, Exod. 1. 15.

Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit eis domos, Ibid. v. 21.

QUòd exigua Jacobi ſoboles (tum enim erant omnino capita ſeptuaginta non ampliùs) quæ florente Joſepho in Ægyptum demigrârat brevi tempore in tantum numerum excreviſſet, jure ut timeri jam poſſet & cenſeri pro gente, Ægyptiorum Rex Pharao de conſilii ſententia variis Iſraelitas laboribus atque ærumnis exercere ſtatuit, quò attriti viribus minùs deinceps poſſent in liberis procreandis. Sed cùm ea ratio nihil proficeret quin Iſraelitas continuis ærumnis vegetiores fœcundioréſque in dies fieri cerneret Pharao, tandem accerſitis Hebræarum obſtetricibus, quæ & ipſæ, ut apparet, Hebrææ erant, (earum uni Siphræ, ſeu Sephoræ, alteri Phuæ nomen erat) edixit ut quicquid inter Iſraelitas maſculini ſexûs naſceretur ſtatim ſuffocarent necarentque, ſervatis tantùm feminis. At illæ (ut eſt religioſus & clemens muliebris ſemper animus) Deum magis quàm Regem veritæ, tantúmque ſceleris horrentes, præſertim in ſuum genus, vivos etiam mares conſervarunt, nec vitam innoxiis infantibus adimere ſuſtinuerunt. Quam pietatem Deus Opt. Max. qui nullum rectè factum abſque præmio abire ſinit, amplâ ſtatim mercede remuneratus eſt. Hanc hiſtoriam dum explicat Sacer textus, hæc habet inter cætera, *Dixit autem Rex Ægypti obſtetricibus Hebræarum*, ſeu potiùs *Hebræis, quarum una vocabatur Sephora*, ſeu *Siphra, altera Phua*, &c. Exod. cap. 1. v. 15. *Et quia timuerunt obſtetrices Deum, ædificavit*, ſeu *fecit, eis domos*, ibid. v. 21.

Duo hîc quæruntur; An Hebræis mulieribus, eo tempore cùm Hebræa gens mirum in modum jam eſſet propagata, duæ ſufficere potuerint obſtetrices. Deinde, quid hæc ſibi velint verba ויעש להם בתים *& fecit eis domos.*

Quod ad primum attinet, reſponderi poteſt Siphram & Phuam obſtetricum principes fuiſſe, quæ tributum Regi penderent: iis autem, ut fit, à Rege edictum quid vellet à cæteris quæ ſub illarum poteſtate eſſent fieri. Ezra in hac eſt ſententia, qui habet, שרות היו על כל המילדות כי אין ספק כי יותר מחמש מאות מילדות היו אלא אלו שתיהן שרות היו עליהן לחת מס למלך מהשכר וככה ראיתי היום במקומות רבות, והאם והבת היו בדרך קבלה, *Principes fuerunt ſuper omnes obſtetrices: dubium enim non eſt quin ampliùs quingentæ obſtetrices fuerint. Verùm hæ duæ aliarum principes erant, quæ Regi vectigal penderent ex mercedula. Ac ſic vidi hodiéque fieri multis in locis. Cabbala porrò docet matrem & filiam eas fuiſſe.* Refellit hanc opinionem Abarbanel, quia ſi ità eſſet Textus debuiſſet eas vocare *principes obſtetricum*, quemadmodum vocat *principem pincernarum* & *principem piſtorum*, Gen. 40. 2. & *principem laniorum* non ſemel in Geneſi. Tum autem, inquit, quid profuiſſet Pharaoni id edicere principibus iſtis niſi etiam omnibus quæ iis ſubjacerent ediciſſet, aut ſaltem imperaſſet illis obſtetricum principibus ut ad alias obſtetrices regium mandatum perferendum curarent? Atqui hac de re nihil in Sacro exſtat codice. Cenſet igitur laudatus Abarbanel conſuetudinem obtinuiſſe in Ægypto ut parturienti obſtetrices adeſſent duæ, quarum una exeuntem partum adjuvaret ejúſq: membra & corpus aptaret, ac propterea diceretur שפרה *Siphra* à שפר quod eſt *pulcrum eſſe*, עשׂ' שמשפירה את היולד *quòd venuſtatem conferret fœtui*: altera verò parturientem conſolaretur, eſque verbis, voce & precibus opem ferret, atque idcirco appellaretur פועה *Phua* à verbo פעה quod eſt *clamare*, quòd clamore tantùm adjuvaret. Vult igitur hoc quod Textus ait, *Dixit autem Rex Ægypti obſtetricibus Hebræarum, quarum una vocabatur Siphra, altera Phua*, non de duabus modò intelligendum obſtetricibus, ſed de omnibus, quarum duo ſcilicet eſſent officia, ità ut obſtetricantium una Siphra, altera Phua diceretur. Satis ſubtiliter quidem, ſed non æquè forſan ſolidé. Raſi & Bechai alteram פועה *Phuam* à verbo notato dictam volunt, על שם שפועה ומברכת והורה לולד כדרך הנשים המפייסות תינוק בוכה, *quòd clamaret, alloqueretúrque & veluti confabularetur cum recèns nato, more mulierum quæ flentes puerulos deliniunt ac permulcent.* Abarbanel eas obſtetrices non exiſtimat Hebræas fuiſſe ſed Ægyptias: non enim commiſſurum Hebræis mulieribus id negotii Pharaonem, nec ſperaturum unquam ut in ſuos ſic ſævirent. Ego verò Hebræas fuiſſe puto. Nam quare hîc diceretur למילדת העבריות *obſtetricibus Hebræarum* niſi & ipſæ Hebrææ fuiſſent? Quaſi verò Ægyptiæ mulieres ad Hebræis obſtetricandum deſtinatæ ante etiam illum diem fuiſſent. Cur? An quia deeſſent mulieres Hebrææ quæ obſtetricandi artem ſcirent ac probè exercere poſſent? Non apparet profectò. Deinde ut dicam quod ſentio, illæ Hebrææ voces propter ה emphaticum quod in pathach ſub ל includitur, non mihi videntur reddendæ *obſtetricibus Hebræarum*, ſed *obſtetricibus Hebræis:* nomina enim & participia more nominum in regimine uſurpata reſpuunt ה emphaticum. Intelligunt qui Hebraicè ſciunt. Id verò convincit Chaldæa Onkeli paraphraſis, לחיתא יהודיתא *obſtetricibus Judæis*, necnon Hieroſolymitana למילדתא עבריתא *obſtetricibus Hebræis.* Ecce tibi ex Hebræis arioli, qui, ſi Deo placet, divinent Siphram eandem cum Jochabeda Moyſis matre, Phuam autem Mariam illius filiam, ejuſdem Moyſis ſororem fuiſſe. In iis ſunt Autor paraphraſeos Hieroſolymitanæ, Bechai, necnon Raſi, celebris ille apud Judæos Magiſter. Ridiculum. Unde enim probant? Quòd המילדת, quæ vox hîc pro *obſtetricibus* uſurpatur, ſi monadem tantummodo addas idem arithmeticè valeat ac יוכבד בת לוי *Jochabed filia Levi.* Nugæ. Si porrò Cabbalâ tantum nituntur, vereor ut ſatis turò nitantur. Non minùs lepidum ſanè eſt quod legitur apud Baal Hatturim, quo autore nihil nugacius, unde obſtetricantium illa שפרה diceretur, in hæc verba, דרך המילדת שפעמים שהולד נוצר מת לוקחת המילדת שפופרת של קנה ומשימה תוך מעיו של הולד ומנחרת בו ומשיבא רוח לולד והוא שפרה לשון שפופרת, *Conſuetudo obſtetricis eſt, ut cùm interdum fœtus in lucem editur mortuus, canna* (ſeu *arundinis*) *calamum illius faucibus viſceribúſque inſerendo ac in eum inſufflando ſpiritum atque animam reddat.* Indè שפרה *Siphra* à שפופרת quod eſt *calamus* apud Hebræorum Magiſtros: non enim occurrit ea vox in S. codicibus. Quis Medicorum illud credat? Iſtúdne verò alicubi Hippocrates docuit aut Galenus?

Altera reſtat quæſtio de ſenſu horum verborum, *& fecit eis domos*, nempe obſtetricibus, quòd Deum veritæ magis quàm Pharaonis imperium naſcentibus Iſraelitarum maribus quos ſuffocare juſſæ erant pepercíſſent. Ego poſt multos interpretor *Deum feciſſe illis domos*, i. opum, honorum ac liberorum ingentem vim illis conceſſiſſe; quo ſenſu 2 Sam. 7. 11. dicitur, *Prædicítque tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus.* Huc referri poteſt illud Pſal. 113. 9. *Qui habitare facit ſterilem in domo*, ſeu *domum, matrem filiorum lætantem:* necnon Pſal. 68. 7. *Deus* eſt *qui inhabitare facit unicos in domo:* de quorum verborum ſententia adi, ſi libet, noſtros in Pſalmorum librum Commentarios. David Kimhi ad v. 7. Pſal. 68. etſi ad interpretationem quam mox attulimus non recedit, tamen his verbis *& fecit eis domos* ſentit præſertim ſignificari abſconditas & occultatas à Deo obſtetrices illas, nimirum, ſic enim interpretor, quibuſdam in domibus ubi à Pharaone cui dicto minùs audientes fuerant tutæ eſſent: quo modo Jer. 36. 26. dicitur Deus abſcondiſſe Baruchum ſcribam & Jeremiam prophetam, nè iis ſcilicet manus injicerent quibus abs Joakimo Rege mandatum fuerat. Allegoricè liberiùs, ſuo

more

more, domos hîc interpretantur Sacerdotii, Levitatûs ac Regni, illorum quidem ex Jochabeda, hujus ex Maria, ſicuti legere eſt in Maſſecheth Sota. Frivolum hoc dignúmque ſuis autoribus, è quibus tantùm hoc excerpſiſſe ſat ſit. Quod legatur in Textu *& fecit* להם (apud Chald. etiam להון) i. *eis*, in maſc. genere, non autem להן i. *eis*, in femin. cenſent nonnulli debere potiùs hoc illud pronomen ad Iſraelitas referri, ut hic ſit ſenſus, Ex eo quòd timuerint obſtetrices Deum, nec interfecerint ſicuti à Rege juſſæ erant naſcentes Iſraelitarum mares, creviſſe populum Iſraeliticum: atque hoc ipſum eſſe *& fecit eis domos*; quaſi diceretur, Per eam obſtetricum pietatem fecit Deus ut liberis auctæ atque amplificatæ mirum in modum Iſraelitarum domus ac familiæ brevi evaſerint. Si aſſentirer huic ſententiæ, non tamen propter illud pronomen maſc. gen. Quanquam enim pro more linguæ, verſu hujuſce capitis 18. dicitur de obſtetricibus, ויאמר להן מדוע עשיתן *Dixítque illis*, fem.gen. *Cur feciſtis*, fem.gen. nihilominus tamen ſcio eſſe ex uſu S.literarum ut de feminis genus maſculinum interdum uſurpetur. Ex. gr. ponatur illud Exod. 2.17. ויבאו הרעים ויגרשום, *Supervenere paſtores, & ejecerunt eas*, nempe filias Sacerdotis Madian: & tamen ם affixum pronomen maſculini eſt generis. Ac deinde etiam mox ſequitur, ויושיען וישק את צאנם, *& ſervavit eas*, f. g. *& adaquavit oves earum*: hîc quoque affixum maſc. Alia quæ idem confirmarent proferre certè poſſem, niſi hæc ſatis ſupérque fore arbitrarer. Sed enim Bechai cauſam cur pronomen maſc. tribuat Scriptura hoc loco obſtetricibus adfert haud abſurdam ſanè ac levem, quòd illas ſcilicet dignitate pares maribus faceret ob conſervatos mares. Ejus adeò audiamus verba; בשכר המצוה שהן מתעסקות בה להחיות הזכרים, i. *in præmium præcepti cui operam dederunt conſervando mares.* Verùm ut eò unde paululùm digreſſi ſumus revertamur, ſunt qui hoc *& fecit eis domos* non pertinere ad Deum volunt, ſed ad Pharaonem cujus ſtatim fit mentio his verbis, *Præcepit ergò Pharao omni populo ſuo, dicens, Quicquid maſculini ſexûs natum fuerit in flumen projicite*, &c. Nempe ſic exiſtimant, Pharaonem quòd ſuſpectam obſtetricum Hebræarum fidem haberet certas iis ad habitandum domos aſſignaſſe unde exire non poſſent quin ſentirent Ægyptii: ut cùm aliquò irent obſtetricatum eas comitarentur Ægyptii, qui in flumen quotquot maſculini ſexûs naſcerentur ex edicto Regio demergerent: quò pertinet id quod mox ſequitur, *Præcepit ergò Pharao omni populo ſuo, dicens, Quicquid maſculini ſexûs natum fuerit in flumen projicite*, &c. quaſi hoc ità cum præcedente verſu cohæreat; Poſtquam obſtetricibus, quæ Deum magìs erant reveritæ quàm ſuum imperium, conſtituiſſet Rex Pharao certas illas domos, de quibus mox dictum, mandaſſe eundem Ægyptiis ut quotquot deprehenderent naſci mares, ſecuti ſcilicet Hebræarum, ſeu Hebræas obſtetrices, eos in flumen dejicerent. Ex iis qui hoc *& fecit eis domos* ad Pharaonem putant pertinere, ſunt qui להם ad Iſraelitas referunt, ad iſtum modum, *& fecit eis domos*, nempe Pharao Iſraelitis: quaſi diceretur, Cùm obſtetrices Deum magìs quàm Regem veritæ mares conſervaſſent, cuſtodes Iſraelitis adhibuit Pharao, ac duas inter Iſraelitarum domos Ægyptii unam eſſe voluit, nè iſti celare poſſent natos mares. Hunc eſſe literalem ſenſum affirmat Bechai. Verùm illud non ſentio neque hoc neque illo modo ad Pharaonem referendum, nec id ferre contextum, ut per ſe quiſque judicare nullo negotio poteſt. Adi tu locum, & judica.

Præcipiens eis, Quando obſtetricabitis Hebræas, & videbitis ſuper ſedem, &c. Ibid.v.16.

HÆC & quæ ibi ſequuntur dicebat Ægyptiorum Rex Pharao cùm Hebræis obſtetricibus, de quibus mox dictum, ut quotquot maſculini ſexûs inter Iſraelitas naſcerentur ſtatim ſuffocarent præciperet. Sed quæritur quid illic vox אבנים ſignificet. Bechai eam vocem ait ſignificare *ſellam, in qua parturiens ſedet.* Sic autem appellatam על שם שירכותיה של יולדת מצעננות נאבנים, *quòd parturientium femora lapidum inſtar* (quî אבנים Hebræis dicuntur) *frigeſcant.* Itidem etiam illam vocari משבר à שבר quod eſt *frangere*, על שם שאבריה משתברים, *quòd parturientis membra veluti diſrumpantur:* Indéque eſſe quòd Onkelus hîc interpretatur, מתבראי. Obſervat idem Bechai eſſe, ex allegoricis ſcilicet Interpretibus, qui האבנים velint eſſe quaſi בנים" הא, i. *ſex filios*, (ה enim 5. א verò unum in numeris notat) quòd tum ששה בברם אחד *ſex uno partu editi ſint liberi.* Alii putant אבנים propriè *rotam figularem* ſignificare, eámque vocem, quòd illa rota apud Orientales duobus lapidibus ceu molaribus conſtaret, quorum ſuperior & minor moveretur, inferior verò ac major immotus ſtaret, dualem formam obtinere, indè autem ſellam cui inſideret parturiens dictam à ſimilitudine; vel quòd, ut eſt in Baal Hatturim, מה היוצר ירך מכאן וירך מכאן וסדן באמצע אף אשה ירך מכאן וירך מכאן והולד באמצע, *quemadmodum figulus* dum opus facit *hinc & illinc habet femora, in medio autem eſt rota; ità parturientis femoribus hinc & illinc poſitis in medio ſit infans.* Eſt qui, autore Ezrâ, א in iſto nomine ut & in אפסים, Ezech.47.3. putet eſſe נוסף *heemanticum*, ſeu *addititium*, quaſi illud nomen eſſet à radice בנה quæ eſt *ædificare*, unde בן *filius*, in plur. בנים *filii*, ac denique אבנים, quâ voce *ſedes* ſignificatur *ubi naſcuntur filii.* Ipſe Ezra vuk א eſſe radicale: & eſt, meâ quidem ſententiâ. Bis tantùm hanc vocem in S. literîs occurrere notat Maſſora, hîc in ſignificatione *ſedis* ſeu *ſellæ parturientis*, & Jer. 18. 3. in ſignificatione *rotæ figularis.*

Ivítque vir de domo Levi, & accepit filium Levi, &c. Exod.2.1.

INitio cap. 2. Exodi explicatur ortus Moyſis, ac primò quidem dicitur ejus pater fuiſſe è familia Levi, mater verò ipſius Levi filia: ſic enim habet Hebraica veritas, *Ivítque vir de domo Levi, & accepit filiam Levi.* Qui illi fuerint docet cap. 6. ejuſdem libri v.20. Nempe ille fuit Amramus, hæc verò Jochabeda: Amramus autem ex Caatho Levi nepos fuit, hæc verò ipſius Levi filia, Amrami amita, ut è cap.6. Exodi verſu mox citato videre eſt. Sed hîc non levis difficultas exoritur, quî fieri potuit ut è Jochabeda Levi filia natus ſit Moyſes. Nam cùm totos ſaltem 210. annos Iſraelitas in Ægypto fuiſſe conſtet, indéque eos eduxerit Moyſes anno ætatis 80. Levi autem fuerit circiter 50. annorum cùm Ægyptum venit, aut Levi fuerit admodum ſenex cùm genuit Jochabedam, aut Jochabeda cùm Moyſem genuit neceſſe eſt. Alioquin 210. illorum annorum numerus non conſtabit, niſi ad 80. annos Moyſis (tot enim erat natus cùm Iſraelitas ex Ægypto eduxit) accedant 130. quorum ſpatium decurriſſe partim Levi partim Jochabedam ante natum Moyſem oportet. At ſi è 130. accreſcant duntaxat 60. ad 50. annos ipſius Levi, cùm Ægyptum venit, fient 110. adhúcque ſupererunt 70. qui Jochabedæ ætatem conficiant. Utraque autem hæc ætas, nempe 110. annorum in viro & 70. in femina, non admodum apta ad generandum videri poſſit, illis præſertim temporibus, cùm deterior jam ac brevior facta vita mortalium eſſet.

Sic ferme ex Hebræis ſolvi hic nodus poteſt. Seniores quidem viri ſi cum vetulis feminis dormiant generare minimè poſſunt; ſecùs ſi cum juvenculis. In juvencula quippe ſenex maritus poteſt, ut quotidiana experientia docet, quod in exſucca vetula fruſtrà tentaret. Hoc volebat Abrahamus, cùm Gen.17.17. Deo ſobolem pollicente, apud ſe ac ridens aiebat, *Putáſne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Scilicet non tam ætatis ſuæ imbecillitatem quàm uxoris accuſabat. Nec ſatis habuit ſi centum ſe annos natum diceret niſi etiam Saræ uxoris effœtam ætatem notaſſet. Si jam tum Abrahamus viros ad generandum impares cognoviſſet, cur diu pòſt, cùm jam Iſaac⁹ Saræ illi⁹ nonagenariæ fili⁹ 40.annũ attigiſſet, quòd Sara naturæ conceſſiſſet, uxorem duxit Ceturam? Quàm verò fruſtrà duxerit declarant ſex liberi mares ex ea ſuſcepti,

pti, ut legere est Gen. 25. 2. Tunc temporis autem cùm illam duxit annum egisse illum 140. nimis palàm fit: sed Ceturam sanè oportet fuisse juvenem quæ virum tot pignoribus bearit. Similiter de Levi dicendum, ipsum, cùm jam in Ægypto esset, ex juniore quadam uxore suscepisse Jochabedam. Levi quando Ægyptum venit circiter 50. annorum erat, huic nata sit Jochabeda anno ab ingressu in Ægyptum 87. nempe ultimo ipsius ætatis anno: (vixit enim Levi 137. annos, Exod. 6. 20.) ac siquidem Moyses octogenarius Israelitas ex Ægypto eduxit, tribuantur Jochabedæ quando edidit Moysem duntaxat 43. anni: ità conficientur 210 anni mansionis Israelitarum in Ægypto. Quòd si plures annos ipsi Jochabedæ cùm Moysem genuit tribuere forsan voles, id quod rationi nequaquam repugnabit, tot tibi de annis Levi cùm Jochabedam genuit erunt deducendi. In edit. Vulgata, quæ Exod. 2. 1. pro eo quod Hebraicè legitur *filium Levi*, habet *uxorem stirpis suæ*, Exodi verò 6. 20. patruelem non amitam Amrami ait fuisse Jochabedam, nulla primâ fronte apparet difficultas; nisi quòd Num. 26. 58, 59. in eadem editione Vulgata cui consentit Hebræus codex legitur, *At verò Caath genuit Amram, qui habuit uxorem Jochabed filiam Levi, quæ nata est ei in Ægypto*: unde apertè constat ipsius Levi filiam fuisse Jochabedam. Facilè porrò se expediunt è Rabbinis illi qui affirmant Jochabedam cùm centum esset annorum, ad annos pubertatis reversam, novámque pueram anno demum 130. factam, genuisse Moysem. Sed somnia ista sunt, quæ nisi fatuis probari non possunt.

At cur tandem dicitur vir ille accepisse filiam Levi? An quia tum primùm sibi illam desponderit? Non. Jam enim nati illi erant Maria & Aaron. Bechai putat dici illam accepisse, שהחזירה לפי שפירש ממנה בגורת כל הבן הילוד היאורה תשליכוהו, *quòd eam redire jusserit à qua secesserat propter Pharaonis edictum de projiciendis in flumen omnibus maribus.* Idem sentit & Rasi.

Ad Caput 4. Exodi.

Jussus à Deo Moyses Israelitarum seniores convenire, iisque significare sibi apparuisse Dominum, qui vellet illos ex Ægypti miseriis in terram lacte melléque circumfluentem educere, primò quidem detrectabat imperium, quòd diceret suis verbis fidem fortassè non habituros Israelitas, negaturósque sibi visum Deum. At jubere Deus Moysi ut quam manu teneret virgam in terram abjiceret. Fecit: & ecce virga in serpentem subitò mutata, qui mox caudâ prehensus à Moyse in virgam rediit. Post hoc jussus etiam Moyses manum in sinum condere, cùm paruisset, ecce repentè leprosam indè nivíque similem exseruit, quæ denuo in sinum condita pristinum colorem recepit. Quorsum autem ista signa? Non tam sanè ut promissorum fidem acciperet Moyses, qui rubi flammis innoxiis ardentis novo miraculo satìs fuerat confirmatus, quàm ut ea apud Israelitas fidei faciendæ gratiâ ederet. Ità sentit Ezra cujus hæc verba sunt, זה האות לא נתנו למשה שיאמין כי כבר נתן לן אות הסנה רק עשה לו האות שיעשה בכה לבני ישראל על כן כתוב למען יאמינו והטעם תעשה כן להם, *Hoc signum*, virgæ scilicet in colubrum versæ qui deinde redierit in virgam, *non exhibuit Deus Moysi quò ipse crederet, jam enim illi exhibuerat rubi signum: verùm illud ei signum fecit* (seu *ostendit*) *quod itidem apud Israelitas faceret. Idcirco scriptum est* (hic, v. 5.) Ut credant quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, &c. *Quorum verborum hæc sententia*; *Itidem tu facito apud illos*, Ut credant, &c.

Sed enim haudquaquam tacendum est quod hîc observat Bechai, duobus his prodigiis voluisse Deum docere Moysem שבידו להחיות את המת ולהמית את החי כי המטה היה עץ יבש כמו מת ונעשה נחש גם ידו שהיתה חיה נעשה כמתה: שהרי הצרעת חולי חשוב כמיתה כענין שכתוב אל נא תהי כמה, *posse se mortuum vitæ restituere, viventem verò morti tradere: siquidem virga illa* Moysis *ficca mortui instar conversa sit in viventem serpentem: ejusdémq; etiam manus antea rectè valens facta sit tanquam mortua: leprâ enim morbus pro morte habetur, juxta illud* Aaronis ad Moysem, cùm Mariam sororem vidisset perfusam leprâ, *Nè, quæso, fiat hæc quasi mortuum, quod dum egreditur è vulva matris suæ, ecce jam medium carnis ejus devoratum est*, Num 12. 12. Rasi, Ramban, Bechai quoque & alii, è Veterum Hebræorum mente, primo istorum signorum docent indicare voluisse Deum Moysi, שספר לשון הרע על ישראל ותופש אומנותו של נחש *malè ipsum* ac secùs quàm par esset *de Israelitis locutum, serpentísq;* antiqui *artem exercuisse* atque imitatum esse cùm dixit, *Ecce non credent mihi, neque obedient voci meæ*, Exod. 4. 1. postquam præsertim ipsi dixisset, *Et obedient voci tuæ*, Exod. 3. 18. Altero verò à Moyse Deum pœnas obtrectationis exigere voluisse: ideóque non ut promissorum fidem acciperet Moyses, sed ut ex uno intelligeret malè se de Israelitis locutum, altero autem peccati pœnas daret, edita tum ista signa, quæ alioqui satìs fuisset Israelitis exhiberi ubi ad illos venisset Moyses. Negat Abarbanel hoc esse satìs, ut loquuntur, literale. Excogitat igitur aliud, sed quod contortum & subtile nimis videtur, neque placet. Idcirco parcam referre. Adeant illum quibus licet.

Filius meus, primogenitus meus Israel, Exod. 4. 22.

Jussit Deus Moysi ut Pharaoni renuenti dimittere Israelitas ad se colendum hoc diceret, *Filius meus, primogenitus meus Israel*, Exod. 4. 22. Quibus verbis nihil aliud significari Deus voluit quàm Israelitici populi præ reliquis eximiam ac peculiarem dignitatem, qualis esse primogeniti solet inter cæteros fratres: quòd nempe Dei populus esset. Quo sensu Psal. 89. 28. de Davide dicebat quisquis est, *Etiam ego primogenitum ponam illum: excelsum præ Regibus terræ.* Ezra *filium Dei primogenitum* explicat Gentem cujus majores jam ab initio coluerint Deum. Aptè: nam hinc datur intelligi non temere fuisse quòd istius gentis peculiarem ac perpetuam usque curam Deus egerit. Non sanè displicet id quod observat Rasi, etsi est allegoricum; נאן חתם הקבה" על מכירת הבכורה שלקח יעקב מעשו, *Subscripsit hic* autórque fuit *sanctissimus ille Deus venditioni primogenituræ quam acceperat Jacobus ab Esao:* quasi diceretur, Hîc demum adhibito veluti chirographo ac sigillo comprobavit Deus, ratámque habuit primogenituræ venditionem, de qua Esao cum fratre Jacobo omnium Israelitarum parente pridem convenerat, Gen. 25. Est hoc leve profectò, sed non caret tamen acumine.

Tulit ergò Moyses uxorem suam & filios suos, & imposuit eos super asinum, &c. Exod. 4. 20.

In Ægyptum ad Pharaonem Dei jussu proficiscens Moyses quò Israelitas suos ex Ægyptiaca servitute liberaret, uxorem secum & communes liberos ducebat. Istud exprimitur his verbis, Exod. 4. 20. *Tulit ergò Moyses uxorem suam & filios suos, & imposuit eos super asinum*, &c.

Quæri jure ac meritò potest quid sibi proponeret Moyses ut duceret secum uxorem & liberos. Uxoris enim & liberorum cura à negotiis gerendis avocat: nec satìs benè & feliciter rempub. administrare potest qui rei familiaris curâ distinetur. Respondeo ex Abarbanele, videri id factum à Moyse ut cùm ad Israelitas pervenisset majorem iis salutis fiduciam ostenderet, nihílque se timere à Pharaone & Ægyptiis probaret, qui uxorem & charissima pignora non dubitasset in Ægyptum adducere, nunquam facturus nisi omnino securus esset. Neque verò nunc attinet disputare, pervenerint nécne Sephora & liberi usque in Ægyptum, id quod negat Abarbanel: qua de re dicendi alter erit locus. Sanè verò cùm illos initio profectionis sibi adjunxit, id ei consilii fuisse videtur quod diximus.

Quærere item solent hoc loco Hebræi, quî uxori Moysis & liberis duobus sufficere unus asinus potuerit. Hîc enim scribitur *& imposuit eos asino.* Japhetus & alii *asini* vocabulum

bulum, hîc collectivè, sive, ut ipsi loquuntur, ceu שם המין *nomen speciei*, sumendum docent pro multis asinis, quomodo Gen. 32. 5. ויהי לי שור וחמור. Ad verb. *Et est mihi bos & asinus*, pro, *Sunt mihi boves & asini*. Hos refellit Ezra, quòd non hic locus sit ubi id nominis collectivè usurpari possit. Censet igitur esse accipiendum ut sonat, atque ità sedisse in asino Sephoram ut Eliezerum adhuc infantulum & qui nondum circumcisus esset gestarit in sinu, alterum verò filium non ità multò fortasse majorem à tergo habuerit: asinos autem apud Ægyptios mulis digniores esse habitos. Ego simpliciter hoc sic accipio, ut dicatur Moyses uxorem & liberos imposuisse asino, quòd forsan illorum unumquemq; asino imposuerit, additis etiam fortasse comitibus famulísve qui singulos asinos regerent & infantulos curarent. Nunquam aliter passurus videtur fuisse Jethro Moysis socer eos abire. Quasi verò Jethroni Madianitarum Sacerdoti atque etiam, utì quidem pleriq; existimant, principi deessent asini. Gallicè dicimus, *Il les mist tous trois à cheval*, etiam de eo qui in plures equos intulit. Sanè fatendum est movere interdum Hebræos difficultates ubi nihil opus est. Dicat aliquis, Ut Abrahamus vir potens & magna in re Hagarem & Ismaelem filium domo cùm ablegavit solos jussit abire quò necessitas duceret, pane duntaxat & utre aquæ Hagaris humeris impositò, nec saltem asino dato qui ea conveheret; sic fieri etiam potest ut Jethro solos abire fiverit Moysem, Sephoram & liberos: eam enim fuisse istorum temporum simplicitatem. Respondeo, non simplicitatem istam dicendam sed inhumanitatem. Neque verò illius memoriæ hominum tantam fuisse simplicitatem ut abeuntibus nulla comitatis officia præstarent probat satis illud Labani ad Jacobum soerum, Gen. 31. 26, 27. *Quare ità egisti, ut clam me abigeres filias meas, quasi captivas gladio? Cur ignorante me fugere voluisti, nec indicare mihi ut prosequerer te cum gaudio & canticis & tympanis & citharis?* Quod ad Abrahamum attinet, fecit quod illum facere dignum fuit in eos qui se insolenter gessissent in domo ipsius. Ac profectò nihil fecit præter Dei mandatum, qui ei jusserat ut de Hagare & Ismaele faceret quod vellet Sara: Sara autem volebat ejici. At si asinos & servos illis comites adjunxisset, non ejectio fuisset. Neque verò passura erat Sara cum honorifico comitatu abire quos ignominiâ dignos potiùs judicabat.

Cúmque esset in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum, Exodi 4.24.

Exod. 4. sub finem, Moysi ad Pharaonem è Madianea regione proficiscenti, cùm esset in quodam diversorio, occurrisse Dominus legitur eúmque petiisse ad necem. Sacri textûs hæc verba sunt, *Et fuit in itinere, in diversorio, occurrit ei Dominus, & quærebat occidere eum*, Exod. 4. 24.

Quid hoc sit quæritur. Accipiant alii quomodo volent: ego hîc existimo occurrisse dici Deum Moysi eúmque expetiisse ad necem, quòd ei Divinitus contigerit lethalis morbus. Similem legere est loquendi modum Exod. 5. 3. *Dixerúntq;*, nempe Moyses & Aaron Pharaoni, *Deus Hebræorum obviam venit nobis: Eamus, quæso, viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro:* פן יפגענו בדבר או בחרב, *nè fortè occurrat nobis* Dominus *peste aut gladio*. Illic verbum פגע hîc נגש, quæ duo idem significant. Sed cur morbus à Deo tum inflictus Moysi? Aiunt vulgò Hebræi quòd non circumcidisset Moyses filium Eliezerum octavo die, sive quòd hic ægrotaret, sive quòd metueret periculum Moyses si filius in itinere circumcideretur. Ità esse docet id quod mox sequitur, Sephoram Moysis uxorem cùm cerneret id quod viro acciderat, arrepto silice filio præputium præscidisse: atque hoc ubi factum esset omissum à Deo Moysem. Intelligebat nempe Sephora id quod erat, non aliam ob causam incidisse in morbum Moysem quàm ob dilatam filii circumcisionem. Nisi profectò ità esset non cohæreret satis quod narratur de Sephora. Tum ægrotasse Moysem & graviter quidem satis videtur demonstrare, quòd non ipse circumciderit filium sed Sephora: nunquam enim omissurus erat istud officium si per valetudinem licuisset, præsertim qui sciret Abrahamum suâ manu Ismaeli filio servísque omnibus præputium amputasse, Gen. 17. Samuel filius Chophni negat Moysem fuisse quem Deus ad necem expetierit; verùm ait fuisse Eliezerum. Absit, inquit, ut quem legatum Deus mittebat ad suos liberandos eum interficere in itinere voluerit. Non nominatur hîc tamen, inquit Eliezerus, quòd tunc nondum haberet nomen. Simile profert ex Gen. 38. 27. *Et fuit eâ* [Thamare] *pariente, dedit manum.* Ubi non nominatur qui protulit manum, quia nondum obtinebat nomen. Refellit hunc Ezra, quia si malè habebat Eliezerus non debuit eum circumcidere Sephora: alioquin dolorem dolori addidisset, quod fuisset inhumanum atque adeò matris clementiâ indignum.

Dixítque Sephora, *Quia* [*Sanè* vel *Num*] *sponsus sanguinum tu mihi es. Et dimisit eum* Dominus, qui voluerat eum interficere: *tunc dixit* Sephora, *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*, Exod. 4. 25, 26.

Eliezer filii præputium ubi præcidisset Sephora, חתן דמים אתה לי, *Quia (Sanè) sponsus sanguinum tu mihi es*, aiebat, Exod. 4. 25. Cui verò? Moysi, an filio? Hoc putat Rasi ad filium pertinere, ut ei dicat Sephora, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, i. Tu es in causa cur sponsus meus sit occidendus: quæ mox restitutâ Moysi valetudine, nimirum post peractam circumcisionem, ait, חתן דמים למולת *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*; quasi tum demum certò intelligens Moysem propter dilatam circumcisionem fuisse interficiendum, (ab angelo nempe, utì ipse censet, נעשה כמין נחש *speciem serpentis induto*) dicat, Sponsus meus fuerat occidendus ob circumcisionem filii dilatam. Ezra annotat morem esse mulierum ut filium postquam circumcisus est vocent *Sponsum*. Ac illud quidem *Sponsus sanguinum tu mihi es* accipit ut Rasi; hoc verò *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*, aliter ad istum ferme modum, Non tu quidem sponsus sanguinum es, quòd propter te occisus sit vir meus; רק אתה חתן מתבוסס בדם המילה, *veruntamen tu es sponsus voluntatis*, seu *volutans, te in sanguine* & cruore *circumcisionis*. Postquam nimirum cerneret Moysem peractâ circumcisione convaluisse, corrigebat quod mox antè dixerat. Cum hoc consentit Isaacus Arama, qui ad hoc, *dixítq; Sanè sponsus sanguinum tu mihi es*, sic interpretatur, נשראתה בסכנת בעלה אמרה על בנה כבר נולדת לסימן דמים בביתי ולרעתי אמנם כשראתה שרפתה מסני הסכנ" והצער אמרה חתן דמים למולות ירצה שנהפכו הדמים האלו לדמי ברית מילה ושמחה: *Cùm vidisset* Sephora *in periculo esse maritum, filio dixit, Natus es in signum domi meæ sanguinum, & in malum mũ. Verùm eadem cùm animadvertisset desiisse periculum & dolorem*, (subitò mutatâ sententiâ,) *ait*, Sponsus sanguinum, ob circumcisionem, *quasi hoc vellet, Conversi sunt illi sanguini in sanguines fœderis Circumcisionis & lætitiæ*. Ego utrumq; ad Moysem referendum censeo, totámq; rem sic explico. Cùm videret Sephora Moysem gravi & periculoso morbo decumbere, hærebat quæ hujus morbi causa esset, an quòd non circumcidisset ipse filium, an quòd secum ipsam abduceret in Ægyptum. Tum igitur arrepto silice filii præputium præscidit, dixítque, *Num* fortè, ô Moyses, *sponsus sanguinum tu*, h. e. Num tu lethali hoc morbo correptus es, לי pro בעבורי *propter me*, non autem propter dilatam filii circumcisionem? Dubitabat scilicet à se esset causa mali, an à filio. At, peractâ circumcisione, ut vidit Moysi melius esse factum, ait, Tu *sponsus sanguinum, ob circumcisionem*, quasi hoc vellet, Nunc tandem intelligo causam morbi fuisse dilatam circumcisionem, non me. Accentus Regius seu distinctivus תפחה proximè præcedens probat לי & למולות eodem esse modo accipienda & distinguenda, ad istum modum, *Sponsus sanguinum tu, propter me*, &, *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*.

Intelligunt

Intelligunt hoc vel mediocriter Hebraicè docti. Expendit Bechai cur dicatur וירף ממנו *Et dimisit eum*; ad v. *Et destitit ab eo* tantùm, non autem, & recessit ab eo omnino, nimirum Dominus seu Angelus; vúltque, ostendere ac significare tum voluisse Angelum, reliquum fuisse adhuc aliquid, ac nondum completum Circumcisionis mandatum amputato præputio, sed faciendam fuisse præterea פריעת i. *denudationem*, quam vocant; idque intelligentem Sephoram statim peregisse denudationem, atque idcirco dixisse in numero multitudinis למולות, quò designaret שתי מולות מילה ופריעה *duo illa quæ fiunt in Circumcisione, amputationem & denudationem.* Intelligunt qui morem circumcidendi Hebræorum sciunt.

Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus (vel *ut prolongentur dies tui*) *super terram*, &c. Exo. 20. 12.

כל משפטי התורה מדה כנגד מדה, *Par pari semper Lex reponit.* Igitur dici potiùs conveniebat, *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut honorent te alii.* Respondetur, Quisquis prorogat dies honore ab aliis afficitur; dicitur enim Lev. 19. 32. *Coram cano capite consurge, & honora personam senis.* Idcirco hîc ait Deus, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut prolongentur dies tui*, evadásque senex & honor tibi habeatur. Ità ferme quæstionem proponit ac solvit Isaacus Karus.

Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: at in septimo egredietur liber gratis. Quòd si dixerit servus ille, Diligo dominum meum, uxorem meam & liberos: non egrediar liber; tunc adducet eum dominus ejus ad Judices, & adducet eum ad ostium, vel ad postem, perforabitque aurem ejus subulâ, & erit ei servus in seculum, Exod. 21. 2, 5, 6.

LEX est in Exod. codice, cap. 21. v. 2. quæ servo Hebræo sponte permanere volenti in servitute aurem jubet perforari. Dubitatur inter Hebræos interpretes quid עברי *Hebræi* voce ibi sit intelligendum. Sunt enim qui per *servum Hebræum* intelligunt eum qui non ex Israelitico genere, seu ex Jacobi posteris esset, sed ממשפחת אברהם *è prosapia Abrahami* tantummodo, qui *Hebræus* dictus est, Gen. 14. 13. quòd esset ex Heberis posteris, ità ut *Hebræus* quemlibet è gente Ismaelitica, Idumæa, & cæteris quæ ex Abrahamo originem ducebant significarit; וככה הבת וכל העבדים הנוכרים אחר כן דרך אחד לכל, *Atque*, inquiunt, *filia* venditæ à patre, de qua v. 7. *& servi, quoties postea fit mentio, eadem ratio est.* Durum quippe illis videtur admittere Israelitæ aurem fuisse perfossam, ex lege quæ illic legitur. Deinde hâc nituntur ratione, quòd ille servus si septimo anno renueret libertatem, *in seculum* seu *perpetuum* dicatur serviturus, (explicant enim לעלם *in seculum*, ut sonat, pro, quamdiu vivet) quod de Israelita dicere haudquaquam illorum opinioni convenit. Alii meliùs sentiunt *Hebræum* & *Israelitam* pro eodem usurpari. Nam si Hebræus alius est quàm Israelita, cur diceret Scriptura Deut. 15. 12. *Si tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus*, &c. nam ex ejusdem libri cap. 1. v. 16. ubi dicitur, *& quod justum est judicate* בין איש ובין אחיו ובין גרו *inter virum & fratrem ejus, & inter peregrinum ejus*, satis constat per *fratrem* intelligendum esse Israelitam; nihil enim istud aliud sonat quàm Israelitam inter & Israelitam & peregrinum. Unde Latinus interpres vertit, *sive civis sit ille, sive peregrinus.* Idumæos quidem certè S. literæ *fratres* Israelitarum appellant, sed solos Idumæos, quòd Esaum (qui & אדום *Edom*, Gen. 25. 30. unde אדמי *Idumæus*) Idumæorum parentem & Jacobum Israelitarum idem simul clauserit gestaríque uterus. Exstant loca Deut. 23. 7. *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est*, &c. necnon Amos 1. 11. *eò quòd persecutus est gladio fratrem suum*, nempe Idumæus Israelem. Hebræum & Israelitam pro eodem dici probat, quòd cùm Moyses & Aaron Pharaoni dixissent, Exo. 5. 1. *Hæc dixit Dominus Deus Israel*, interrogati postea quis esset iste Deus, respondérint v. 3. *Deus Hebræorum occurrit nobis.* Unde manifestò liquet *Deum Hebræorum & Deum Israelitarum* pro eodem dici. Accedit quòd alibi *Hebræus* nunquam vocetur nisi qui è posteris sit Jacobi, ex. gr. Gen. 41. 12. *Erat ibi* in carcere *nobiscum puer Hebræus*, nempe Josephus. Exo. 2. 11. *Percutientem quendam Hebræum è fratribus suis.* Adjici item alia possent generis ejusdem quæ brevitatis ergô omittimus. Neque verò prætereundum silentio, Jonam unde & ex qua gente esset rogatum respondisse cap. 1. 9. Hebræum se esse. At si *Hebræus* dici potuisset Ismaelita, Idumæus, aliúsve gentis quispiam, interrogationi Jonas non fecisset satis, neque ad rogatum respondisset. Sed illud ad rem pertinet maximè quod scribitur Jer. 34. 9. *Ut dimitteret unusquisque servum suum, & unusquisque ancillam suam, Hebræum & Hebræam liberos:* ubi quis per *Hebræus* accipiendus sit clarè docet quod mox subjicitur, לבלתי עבר בם ביהודי אחיהו איש, *ut non uteretur eis tanquam servis*, id est, *Judæo fratre suo.* Constat enim Idumæum, Ismaelitam, aut alium ejusmodi *Judæum* dici non posse. Nam quid illis, quæso, cum Juda aut regno Judæ? Ut darem profectò *Hebræos* dici potuisse Ismaelitas, Idumæos, & quicunque ex Abrahamo Hebræo originem ducerent, non tamen *Judæos*, quia nihil ad Judæ tribum aut regnum pertinerent. Cur Abrahamus porrò Israelitæque *Hebræi* dicti sint si quis quærat, respondeo, ità enim mihi videtur Abrahamum *Hebræum* appellatum quòd Hebræam linguam unà cum vera religione, cujus ea erat propria, præ cæteris mortalibus tum excoluerit: *Hebræos* quoq; eadem de causa dictos qui sacrosanctam illam linguam unà cum vero Dei cultu conservarunt: id quod ex Abrahami quidem filiis solus Isaacus, ex Isaaci Jacobus, ex Jacobi duodecim Patriarchæ fecerunt. Unde illorum Patriarcharum posteri, penès quos usus ejus linguæ veráq; religio constitit, *Hebræi* dicti, quæ vulgo & honorifico magis vocabulo *Israelitæ. Hebræa* autem cœpit appellari ea lingua quæ cùm communis antea universo hominum generi una fuisset, post linguarum perturbationem & confusionem quæ, turri Babel nomen dedit, ut est Gen. 11. 9. in Heberis (à Semo Noemi filio ortum ducebat) familia ac gente, quanquam non tota, unà cum vera religione mansit, indéque *Hebræa* appellata est. Hinc est cur Semus Heberis proavus dicatur אבי כל בני עבר *pater omnium filiorum Heber*, i. omnium Hebræorum, Gen. 10. 21. Unde refelli ii ex Hebræis & nostris facilè possunt qui Abrahamum עברי quasi עברי נהרי *transfluvialem* brevitatis gratiâ dictum volunt, בעבור שבא מעבר הנהר *propterea quòd* à Mesopotamia *trans* Euphratem *fluvium venisset.* Hæc ratio in S. textu non legitur, illa legitur.

Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortivum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subjacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judicaverint. Sin autem mors ejus fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, livorem pro livore, Exod. 21. v. 22, &c.

Item è Levit. cap. 24. versus duo explanantur.

LEX est descripta Exo. 21. ut si quis vehementiùs cum altero dimicando uterum ferentem mulierem quæ sese, ut fit, dirimendæ pugnæ ingessisset, imprudens ità percussisset uti abortum faceret, at citra mortem, is mariti arbitrio, dicente tamen Senatu, mulctam solveret: sin autem consecuta mors esset, tunc *animam pro anima* penderet, *oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede*, &c. Non convenit inter Hebræos certè quid *animæ* vocabulo accipiendum sit, cùm dicitur, *reddet animam pro anima.* Sunt enim qui per *animam* vitam, sunt qui mulctam sive

pœnam pecuniariam duntaxat intelligant. Qui *animam*, ut ſonat, pro vita accipiunt, hâc nituntur ratione, quòd cùm ob fœtum mulieri prægnanti excuſſum dicatur quis mulctandus duntaxat, de eo qui interfecerit prægnantem mulierem ſcribatur, *reddet animam pro anima*; quæ verba ſi nihil aliud quàm mulctam ſonarent, non alia interfectæ prægnantis mulieris & non deformati fœtûs excuſſi fuiſſet pœna: quod ità ſi eſſet, cur de illa muliere interfecta alia uſurpaſſet verba Scriptura atque de excuſſo fœtu? Qui verò per *animam* hîc volunt intelligi duntaxat pœnam pecuniariam, ereptâ animâ ſeu vitâ dignam ſcilicet, hoc potiſſimùm ſuæ ſententiæ adferunt argumentum, quòd ejus qui imprudens mulierem prægnantem interemiſſet par non videatur neq; conſentaneum eandem fuiſſe pœnam atque ejus qui ſciens alium occidiſſet: quanquam non omnino tamen ille immunis à pœna eſſet, ſicuti qui imprudens alium occidiſſet, quòd vellet tunc ſaltem illum percutere quicum ei res eſſet, ideóque dignus eſſet aliquâ pœnâ. [*Abarbanel.*] Suam ſententiam confirmant ex eo quod ſequitur mox, *Oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. quod Cabbala docet non eſſe, ut ſonat, accipiendum על נטילת אבר ממש *de ablatione membri præcisè*, ſed ſic ut ſi mulier gravida ex illato fortè ab rixantibus ictu non moreretur ſed membro tantùm aliquo capta indè evaderet, tum membri duntaxat damnum pœnámve pecuniariam ſolvere percuſſor teneretur. Igitur *oculum pro oculo* interpretantur דמי עין *pretium*, ſive *æſtimationem pecuniariam, oculi*, non autem oculum præcisè, quaſi ex lege quadam talionis qui alteri eruiſſet oculum, dentem revulſiſſet, manum pedémve amputaſſet, eadem ille pati debuerit. Nam quî, inquiunt, [*Bechai*] fieri id adeò rigidè potuit? Ac nonne cùm non ſit omnium idem robur, ſi qui oculum alteri effodiſſet eidem oculus fuiſſet extorquendus, periculum fuiſſet interdum nè ſimul cum oculo vita eriperetur præter talionis legem? Sed exſtat lex alia Lev. 24. 19, 20. quæ apertiùs videtur inducere talionem. Ejus legis verba ſunt hæc, *Qui irrogaverit maculam cuilibet civium ſuorum: ſicut fecit, ſic fiet ei. Fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente reſtituet: qualem inflixerit maculam, talem ſuſtinere cogetur.* Quis primâ fronte non judicet iſtis verbis talionem præcipi? & tamen negant Hebræi freti Cabbalæ autoritate huic legi poſſe fieri ſatis niſi pœnâ pecuniariâ, non autem mutilatione aut ſectione membri: ſiquidem fieri vix ac nè vix quidem poſſit, utì quis vulnus ab alio acceptum eâdem longitudine, latitudine & altitudine redhibeat, ut dici poſſit qui primus vulnus inflixit talione repercuſſus, idémq; ei factum quod alteri fecit. Nam ſi majus aut minus fuerit vulnus redditum quàm acceptum, non erit certè talio: ac ſi majus quidem, neceſſe erit rurſum aliquid exigi pœnæ ab eo qui exegit, longo & ridiculo circuitu dum tandem res ad æquilibrium revocetur. אלא מכאן שאינו ממש אלא דמים בדמי מה״ת שעשה לא פחות ולא יתר, *Verùm*, inquiunt, *quandoquidem non eſt hoc accipiendum præcisè, ſed de pœna pecuniaria pro ratione illati damni, nec plus nec minus erit*, [*Bechai*] ſi modò juſta ac digna fuerit inflicta mulcta, cujus penès Judices arbitrium, qui rem ex æquo penſatis omnibus æſtimare debeant. Sed enim, aiunt, recitata cùm ex Exodo, tum è Levit. verba ſi, ut ſonant, eſſent accipienda, juſtáne talio dici poſſet ubi quis volens ac ſciens illum læderet qui imprudens læſiſſet? Ad hoc, quid ſi qui oculum alteri dextrum exſculpſiſſet, dextro jam oculo aut utroque etiam orbatus fuiſſet? Deinde quid ſi in exſequenda talione paulò altiùs latiúſve imprimendo vulnus, pro vulnere mors inferatur, ut fieri ſæpe neceſſe eſt, juſtáne atque æqua talio erit? At dicet aliquis, Quid igitur facient Hebræi iſtis verbis Levit. in cap. cit. *ſicut fecit, ſic fiet ei?* Reſpondent nihil aliud iis ſignificari quàm ſicuti damnum intulit, ità damno eum eſſe afficiendum. Simile quid autem proferunt è Jud. codice, cap. 15. v. 11. de Samſone qui aiebat, *Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis*; quorum verborum non alia mens eſt quàm, Sicuti à Philiſtæis malè mihi factum, ità mali quid iis faciam. Non enim ſimile fuit Philiſtæorum facto factum Samſonis: hic enim illorum agris ac ſegetibus ignem, neſcio quâ uſus arte, paſſim injecit, cùm illi uxorem ejus alii viro tradidiſſent, aut ſocer ejus ſaltem de quorundam è ſua gente ſententia. Citant & hoc è cap. 1. Abdiæ v. 15, 16. *Sicut feciſti, fiet tibi, retributio tua revertetur in caput tuum. Quomodo enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum, bibent omnes gentes jugiter*, &c. Quæ verba talionē ſeu æqualē omnino retributionē ſonare credat nemo. Ità Hebræi ſentiunt. Ezra tamen cenſet talioni fuiſſe locum ſi quis eam pœnam pecuniâ nollet redimere, itáque reſtringit: atque hanc fuiſſe veterū mentem ac traditionem videtur affirmare; præmittit enim mox iſtud minimè ſilentio tranſeundum, quia pro Traditionibus facit, והכלל לא נוכל לפרש על דרך מצות התורה פירוש שלם אם לא נטמוך על דברי חול״ כי כאשר קבלנו התורה מן האבות כן קבלנו תורה שבעל פה״ אין הפרש ביניהם, *Hæc eſto regula; Non poſſumus, ut par eſt, modum præceptorum Legis explicare niſi verbis traditionéve Sapientum μαιευτικῶς innitamur: ſicut enim Legem ipſam à majoribus accepimus, ità & legem ore tenus traditam: nihil inter hanc & illam diſcriminis.* Aſſentior profectò Ezræ, ac minacem exiſtimo fuiſſe duntaxat talionis legem, ſi quis ſcilicet paciſci de redimenda talione nollet. At quis tam alienus à ſana mente qui hoc recuſaret? Occurrit aliquis, [*Haggam apud Ezram*] Quid ſi adeò pauper eſſet qui percuſſiſſet ut non poſſet pecuniæ mulctam pendere? Lepidè regerit alter, Quid ſi qui oculum alteri extorſiſſet cæcus eſſet? Nam fieri quidem poteſt, ac fit ſæpe, ut pauper rem augeat ſubitóque dives evadat: at cæcus acutè videntis oculi damnū reſarcire poterat nunquā. De talione legi poteſt diſceptatio Sexti Cæcilii Jureconſulti & Favorini Philoſophi apud Aulum Gellium, Noct. Attic. lib. 20. cap. 1.

Si quis furatus fuerit bovem aut ovem, & jugulaverit vel vendiderit; quinque boves pro uno bove reſtituet, & quatuor oves pro una ove, Exod. 22. 1.

QUæritur ratio diſparitatis, cur nempe in bovis furem quintupli, in ovis verò quadrupli pœna conſtituitur, præſertim cùm fur ordinarius duplo tantùm plecteretur, Exod. cit. cap. comm. 4. Talmudiſtæ iſtius diſparitatis duas potiſſimùm comminiſcuntur rationes. Jochanan Zaccæi filius, teſte Raſi, putat quòd bos furto ſubtractus per ſe incedat, ovis verò in humeros aſportetur, quæ res furi eſt dedecori, idcirco boves quidem quinque pro uno, oves verò duntaxat quatuor pro una reſtitui. Meir, teſte eodem Raſi, cenſet quòd bos utilis ſit labori, ovis verò minimè, id eſſe cauſæ quamobrē pro uno ſubtracto bove plures quàm oves pro ſubtracta ove reſtitui Lex juſſerit. Raſi porrò ſic habet Hebraicè, אר״ יוחנן בן זכאי חם המקום על נבודן של בריות שור שהולך ברגליו ולא נתבזה בו הגנב לנושאו על כתפו משלם חמשה שה שנושאו על כתפו משלם ארבעה הואיל ונתבזה בו אמר רבי מאיר בא וראה כמה גדולה כוחה של מלאכה שור שבטלו ממלאכתו חמשה שה שלא בטלו ממלאכתו ארבעה: Meir conſentit excellens ille Saadias, auctore Ezrâ, aſtque illius diſparitatis cauſam eſſe בעבור הנזק שנגבא לבעל השור יותר מהשה כי בו יחרוש, *majus damnū quod accipitur ex furto bovis quàm ex furto ovis, quòd ille arationi ſit utilis.* Non inepta profectò hæc ratio. At meliùs tamen, meo quidē judicio, Nachmanides, qui, auctore Bechai, ità cenſet: Delictorum ſive criminum quæ facilius promptiúſque eſt admitti major debet eſſe pœna. Indè eſt quòd Lex, cùm furem dupli ſolummodo damnet, furi tamen minorum pecudum, quæ quòd in agris ac deſertis ſoleant verſari nullo negotio ſurripi poſſunt, quadrupli pœnam conſtituit: majorum autem pecudum furi, quòd hæ quàm illæ item faciliùs abduci poſſint, ut quas haud ità facilè paſtor advertit, auget pœnam, quadruplo unum inſuper addens. Eodem planè modo Iſaacus Karus. Horum ſententiæ palàm ſuffragatur Jus civile, quod furi nec manifeſto dupli,

dupli, manifesto quadrupli pœnam irrogat, abigeos verò extra ordinem punit, atq; in his eum leniùs coercendum statuit qui à stabulo abegit pecus, quàm qui à silva aut à grege, L. 3. ff. de Abigeis, ex restitutione viri incomparabilis Cujacii, Observat. l. 6. c. 8. *Scilicet*, inquit, *quia quò major delinquendi facultas & occasio, eò majore pœnâ quisq; in officio continendus est.*

Viri sancti eritis mihi, & carnem in agro raptam non comedetis, sed projicietis canibus, Exodi 22. 31.

LEX est in Exodo, cap. 22. versu postremo, quæ carnem bestiæ, putà bovis aut ovis, à fera in agris raptæ edi vetat. Verba legis mox recitata sunt.

Quæritur quæ istius legis causa sit. Respondent Hebræorum nonnulli, in quibus Moses Sacerdos, Ezrâ teste, כי יש בטרפה כרמית סם רע שיזיק תולדת האדם *quòd caro bestiæ à fera raptæ aliquid instar veneni habeat quod hominis naturam lædat*, indéq; esse quòd cùm Deut. 14. 21. prohibeantur Israelitæ vesci carne spontè mortuâ, sed eam tamen jubeantur peregrinis secum degentibus dare, aut extraneis vendere, iidem non modò carne bestiæ à fera raptæ jubeantur abstinere, sed etiam illam ad canes projicere, nec permittantur peregrinis dare aut extraneis vendere: כי הטרפה קשרה מהנבלה, *siquidem caro bestiæ à fera raptæ quàm caro per se mortua majoris momenti* magisq; noxia *sit*. Non est hoc admodum probabile, nec, opinor, concedent Medici. Puto igitur idcirco vetitos Israelitas carnem bestiæ à fera discerptæ edere, ut quæ legitimo ritu cum sanguinis missione non esset mactata, sed ab immundo animali, putà leone, urso, lupo, cane dilaniata, ideóq; immunda vel hac ex parte jure ac meritò haberi posset. Probat verò nostram sententiam, quòd huic legi præfixa leguntur hæc verba, *Viri sancti eritis mihi:* perinde quasi diceretur, ideóq; ab omni immundo cibo, ut qui immunditiæ & vitii aliquid in animis vestris ingeneraret, abstinebitis. Nam cibi, si noxii sunt, corporibus & animis atq; adeò moribus plurimùm officiunt. Idem quoq; ferme Deut. loco antea notato legi de non edendo morticino, quod immundum habebatur, subjicitur. Quòd autem morticinum peregrinis extraneísque dari aut vendi poterat, caro verò bestiæ à fera discerptæ non, sed jubebatur ad canes projici, hoc indè duntaxat factum autumo quòd ruri, ubi potissimùm bestias à feris dilaniari contingit, semper ad manum sint canes quibus promptum esset ejusmodi carnem projicere. Nimis verò stultè somniant Hebræi, in iis Rasi, hanc fuisse à Deo canibus constitutam mercedem, quòd Ægypto migrantibus Israelitis minimè allatrarint, sicuti dudum à Mose prædictum fuerat Pharaoni, Exod. 11. 7.

Non coques hœdum in lacte matris suæ, Exod. 23. 19. & 34. 26. & Deut. 14. 21.

STuduit semper Deus omni ratione Israelitas suos ad clementiam & mansuetudinem erudire, nec erga homines modò sed etiam erga bruta animantia, quò scilicet eò magis ad mansuetudinem erga homines informarentur. Nam quorsum, quæso, spectat illa lex Lev. 22. 28. *Bovem autem vel pecus, ipsum & filium ejus non macta bitis die unâ:* & quorsum illa altera, Deut. 22. 6. *Si ambulans per viam in arbore vel in terra nidum avis inveneris, & matrem pullis vel ovis desuper incubantem, non accipies eam cum filiis*, nisi ut docerentur Israelitæ fugiendam esse omnem crudelitatem, colendam verò mansuetudinem? Haud alia profectò ejus legis quâ cavetur nè hœdus in lacte matris suæ coquatur videtur esse ratio. Quis enim vel paulùm humanior eat inficias crudelitatis aliquam saltem speciem habere, si lac maternum nutricationi à natura datum in diversum adeò usum convertatur, consumendóq; pecori adhibeatur? Ità sentiunt Isaacus Arama & alii, qui etiam censent *hœdi* nomine intelligendam ovem, & quicquid lac habet. At cur oblationi primarum frugum statim subnectatur hæc lex si quis fortè quærat, responderi potest ex Hebræis, quòd tempore primarum frugum augescant ac recrescant hœdi. Autor est Bechai docere Ramban quòd in more esset apud idolorum cultores ut festos dies agentes carne vescerentur in lacte coctâ, idq; suis in templis, eam ob rem carnem lacti incoctam Lege interdici: atq; ideo postquam Israelitis ut ter in anno festos celebraturi in ædem Domini convenirent præscriptum, subjici mox, bis saltem, (nempe Exod. 23, & 34.) *Non coques, tum* scilicet, *hœdum in lacte matris suæ*, sicuti solent idolorum cultores. In eadem ferme sententia est Abarbanel, qui illud fecisse idolorum cultores ait tempore collectionis frugum, sperantes ob id largiorem proventum in posterum, deúmq; suum scilicet magis propitium. Uterq; sanè, & Ramban & Abarbanel, satis se mihi probarent si morem illum probarent, de quo nihil usquam legitur quod sciam. Aliorum sententiæ indignæ sunt quæ referantur, nisi fortè illorum qui censent ejusmodi præceptorum seu statutorum non esse nimis anxiè indagandam rationem: multa quippe sapienter à Deo esse instituta quorum causæ vel sapientissimos mortalium lateant. Nam quid humanæ mentis acies ad immortalis atq; æternæ mentis consilium?

Primi octo versus è 32. cap. Exodi breviter declarati. Item aliud è primi Reg. 12. per occasionem explicatur.

IN Sina monte, quò leges accepturus Deo jubente conscenderat, cùm moram faceret Moyses, Israelitæ desperato ejus reditu, jam enim diu aberat, Aaronem frequentes convenerunt, rogantes utì Deum qui sibi deinceps præiret faceret: nescire enim se quid Moyse factum esset. Aaron igitur etsi primò, ut credibile est, tergiversatus, coactus tamen tandem assiduis atq; importunis nimis precibus cedere, ut ad se mulierum, juvenum, puellarúmq; aureæ inaures afferrentur imperavit. Nec mora: simul universi inaures ad ipsum Aaronem certatim conferre, ex quibus in massam conflatis vitulum cælo exsculpsit, quem cernens stolida Israelitarum gens pro Deo à quo ex Ægypto esset educta agnovit. Quod animadvertens non sine stupore Aaron aram coram vitulo excitat, simúlq; diem Domino festum edicit in posterum diem. Postridie igitur cùm primâ luce Israelitæ ad altare citò confluere, non exspectato Aarone, ibíque vitulo ceu cuipiam numini rem Divinam facere variásq; victimas offerre, totum deinde diem agitare inter se convivia aut ludere. Versus quibus hoc describitur exstant Exod. 32. initio, in hæc ferme verba;

I. *Videns autem populus quòd moram faceret descendendi è monte Moyses, congregatus adversùs Aaron dixit, Surge, fac nobis Deum qui nos præcedat: Moysi enim hnic viro, qui nos eduxit è terra Ægypti, ignoramus quid acciderit ei.* II. *Dixítque ad eos Aaron, Tollite inaures aureas de uxorum filiorúmque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.* III. *Sustulerunt itaque omnis populus inaures aureas, quæ erant in auribus eorum, (suis,) & detulerunt ad Aaron.* IV. *Quas cùm ille accepisset, formavit stylo, & fecit ex eis vitulum conflatilem: dixerúntque, Iste est Deus tuus, ô Israel, qui te eduxit è terra Ægypti.* V. *Quod cùm vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo, & clamavit dicens, Cras solennitas Domini est.* VI. *Surgentésque manè obtulerunt holocausta & hostias pacificas: sedítque populus ut manducaret & biberet, & surrexerunt ut luderent.* VII. *Locutus est autem Dominus ad Moysem, Vade, descende, quia corrupit populus tuus, quem eduxisti è terra Ægypti.* VIII. *Recesserunt citò de via, quam præcepi eis, fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias dixerunt, Iste est Deus tuus, Israel, qui eduxit te è terra Ægypti.* Si cui mirum videatur, quòd in primo v. אלהים *Deum* reddo, ubi vulgò reddunt *deos*, & in v. 4. *Deus tuus*, ubi vulgò *dii tui*, adeat ipse Gen. 20. 13. necnon 35. 7. & 2 Sam. 7. 23. quibus in locis exstant exempla quæ ostendunt de uno Deo honoris ergò pluralem numerum, cùm in nomine tum in verbo, ut hic, è consuetudine linguæ Hebraicæ usurpari. Sed ut sic verterem, fecit præsertim v. 18. cap. 9. Nehemiæ, sive libri 2 Esdræ, ubi Hebraicè in numero singulari, זה אלהיך אשר העלך וגו׳: Adi sis locum.

Circa hos versus, porrò quæritur, Anne tam insani Israelitæ fuerint ut Deum facere posse Aaronem, ac vitulum hominis exsculptum manu æternum atque immortale Numen esse crederent? Deinde quî Aaron vir pius juxtà ac sapiens adduci potuit ut vitulum Dei vice colendum populo exhiberet? Utrumq; enim à ratione longè videtur alienum.

Non meum est profectò tam implicitos nodos evolvere. Ea tantùm nunc referre animus est quæ è variis Hebræorum Magistrorum (quanquam Abarbanel præcipuus autor fuit) Commentariis hinc indè decerpsimus, nonnullâ tamen interdum correctione adhibitâ, ex quibus & propositi versus explicari, & propositæ circa illos quæstiones, si non planè, certè non omnino ineptè solvi posse videntur. Hæc sunt videlicet.

Absit, absit, ut Israelitæ sibi idolum fieri postularint, nedum constituxerit Aaron. Nam quod ad Israelitas attinet, ii Ægyptiorum quibuscum diu vitam egerant scientiis ac superstitionibus imbuti, qui Ægyptii arte quadam imagines seu figuras, טלסמאות *Talismanas* vocabant, ità effingebant, mira agendi vis iis ut inesset, ex influxa scilicet è superioribus corporibus virtute, quòd putarent Moysem fato functum in Sina monte, sive sponte sive potiùs à flammis devoratum, aut aliquò terrarum vi numinis delatum, Deum sibi præiturum ut facerent, Aaronem rogabant, הוא כבוד חונה בצורת נויד, *hoc est*, (audis Ezram) *corpoream aliquam imaginem* (seu *figuram*) *in qua Deus resideret*; cujus figuræ quidem beneficio deinceps ducerentur regerentúrve: nolebant enim quempiam mortalium aut humano satum genere ducem, ac nè Aaronem quidem ipsum, quòd vererentur nè quid humanitus illi contingeret, sicuti sibi persuadebant Moysi accidisse; sed aliquid volebant quod nec mori unquam nec etiam loco per se migrare posset, quales figuræ aut imagines sunt ex ære alióve metallo conflatæ: quò pertinet illud, *qui nos præcedat*, quasi dicerent qui nobis præeat perpetuò, nec deserat unquam sicuti fecit Moyses. Hac de re porrò adierunt Aaronem, quòd ipsum crederent conflandarum ejusmodi imaginum seu figurarum peritum, ut qui Moysis frater esset, à quo figuræ cujusdam operâ, ubi Divini vis numinis lateret, eductos se ex Ægypto cæteráq; alia edita miracula ac portenta interpretarentur. Atq; hinc fuit quòd Israelitarum minùs quidem sana pars, vulgus scilicet, aureum vitulum quem Aaron exsculpserat cernens dixerit, *Hic est Deus tuus, ô Israel, qui te eduxit è terra Ægypti.* Hoc scilicet illi solùm volebant: In hac figura Deus est, sicut in illa cujus virtute Moyses tot patravit miracula. Quanquam ex eo quòd non dicatur hîc, *Deus noster*, sed *Deus tuus, ô Israel*, nonnulli etiam colligunt Israelitarum hæc non fuisse, sed promiscuæ cujusdam ac vilis turbæ, quæ, ut fit, Israelitas Ægypto abeuntes comitata sit, ut est Exod. 12.38. At hoc refelli ex v.8. cap.32.Exod. nullo negotio potest, ubi ista verba palàm Israelitis tribuuntur. Sed enim Aaronis neutiquam consilium fuit figuram fabricari quam pro Deo Israelitæ colerent; absit: nunquam, nunquam id ab eo Israelitæ obtinere potuissent, potiúsq; ille quosvis cruciatus & quodvis mortis genus subiisset: sed posteaquam diu multúmq; Deum, i. ejusmodi aliquam imaginem quam diximus, ab eo Israelitæ flagitassent, tandem victus, maximè propter Hur in illo tumultu interfectum, uti ex Cabbala constat, excogitavit rationem quî diem ex die duceret dum tandem Moyses è monte descenderet. Primùm enim ab Israelitis postulavit ut mulierum, juvenum, puellarúmq; inaures aureæ ad se afferrentur, unde scilicet imago, qualem optabant, solida immotáq; ac digna quæ in se Deum aut ejus virtutem admitteret, conflari posset. Hoc nimirum tentavit, ratus nunquam fore ut mulieres, juvenes ac puellæ à se inaures paterentur avelli discerpíve. Nec falsus Aaron opinione fuit: apparet enim ex versu 3. ubi dicitur, *Sustulerunt itaque omnis populus inaures aureas, quæ erant* באוניהם *in auribus suis*, sive *eorum* non *earum*, minimè mulieres fuisse sed viros qui inaures ab auribus detractas Aaroni obtulerint. Atq; ità censet Isaacus Arama, inter paucos Hebræorum eruditus atque acutus; & Cabbalistæ scripserunt mulieres idcirco hanc mercedem tulisse à Deo, ut in novilunio vacarent ab labore, viris offerentibus hircum ad expiationem. Ad rem revertor. Quid Aaron postquam inaures accepisset? Vitulum noluit ex proplasmate effingere, sed quò lentiùs opus procederet nec priùs absolveretur quàm Moyses reversus esset, inaures in ignem seu fornacem conjecit omnes, juxta illud cap.32. Exo.v.24. & *projeci illud* aurum *in ignem*, &c. éque conflata indè massa vitulum cælo expressit: interea verò in eo elaborando opere nihil artis aut industriæ omissum, ut eò magis Israelitarum stupiditas coargui convincíq; posset, postquam cernerent in imagine tantâ arte laboréq; perfecta virtutis inesse nihil, adeò ut culpa non in autorem seu artificem, sed in ipsammet imaginem conferenda esset. Ac sic Eliam legimus gessisse se erga Baalis prophetas, quibus dicebat in hunc modum, *Eligite vobis juvencum unum, & facite primi*, seu *primùm, quia vos plures estis*, &c. 1 Reg.18.25. Non defuerunt tamen ex Israelitis, ità amens & furiosa erat illa gens, qui capti tum artis elegantiâ tũ materiæ pulcritudine vitulum illum statim adorarint, antequam ullam ejus virtutem essent experti; judicarintq; simili aliquâ figurâ in educendo ex Ægypto populo usum Moysem, sic ut dixerint, *Hic est Deus tuus, ô Israel, qui te eduxit è terra Ægypti.* Cùm autem animadverteret Aaron tantam dementiam, excitavit altare, edixítq; diem Domino festum in posterum diem; cogitabat enim Moysem de omnibus ut acta erant tandem à Deo edocendum, ideóq; citò venturum nec cessaturum ampliús. Sed illi Aaronis mentem aliorsum atq; erat accipientes, insequente die non exspectato Aarone, primo mane, vitulo, ut in quo (sic enim quidam existimare possent) Deum latere fortassis sibi persuadebant, (etsi vitulum ceu idolum tunc Israelitarum quosdam saltem coluisse vulgò Hebræi putent) in altari illo fecerunt, non sine profusa hilaritate: ità ut non minùs aptè quàm verè dici possit, הוה דבר הענל תחלתו שונג וסופו מזיד *Initium istius rei fuit incogitantia, finis verò arrogantiæ* (seu *malitiæ*) *peccatum.* Nam in isto vituli cultu, quocunque accipiatur modo, & quæ illi cunque obducatur species, non potuit non esse extremum scelus summáque impietas, præsertim nullâ adhuc ejus expertâ virtute. Et quoniam recta Aaronis mens fuerat, idcirco in eum à Deo haud animadversum: & Moyses, qui Levitas in quemq; noxæ reum nullo sanguinis aut amicitiæ discrimine districto gladio ferri imperavit, nè inultum tantum scelus abiret, Aaroni, initio tamen leviter objurgato, pepercit, nunquam facturus si in culpa eum esse cognovisset: is enim erat qui nihil gratiæ concederet. Neq; verò Deus de Aarone apud Moysem conquestus est, sed de populo tantùm, ac neq; etiã universo, dum ait v.7. toties notati capitis, *Vade, descende: quia* viam suam *corrupit populus tuus, (populus tuus* tantùm inquit, non omnis populus tuus) *quem eduxisti è terra Ægypti.* Nihil obstat quòd Deut.9.20. scribitur Deus in Aaronem etiam iratus fuisse vehementer ea de causa ità ut vellet illum perdere. Hoc enim nihil aliud significatur quàm gravitas istius peccati tanta, ut non satis esset eos perdi quorum mala mens fuerat, nisi etiam Aaron cujus manu vitulus fuerat fabricatus perderetur, etsi rectum ejus consilium fuisset, מפני שבאה התקלה על ידו, *propterea quòd ejus operâ causa mali exstitisset.* E Rabbinis sunt qui expendant cur dictum sit, *ædificavit* Aaron *altare coram eo.* Nempe aiunt, Haud dubium quin unà cum illo ii quoq; voluerint exstruere altare: sed non sivit ipse, admonens altaris dignitatem non ferre ut alius quàm ipse operam commodaret. Aaronis autem hîc quoq; non aliud consiliũ fuit quàm ut dum sic negotium opúsve in dies proferebatur, interea temporis Moyses è monte descenderet. Sibi autem ipsi, inquiunt, altare exstruebat. Expendunt item Rabbinorum nonnulli, allegoricorum præsertim, versum 6. ubi Israelitæ sacrificia duntaxat obtulisse dicuntur; cui verò, Deo an vitulo, non exprimitur. Volunt hi igitur Deo non vitulo feciſſe Israelitas. Nam versum 8. ubi vitulo dicuntur oblata sacrificia, non de Israelitis, sed de extraneis qui se illis miscuerant, interpretantur, déque his hoc usurpant vetus verbum,

verbũ, קשים גרם לישראל נספחת בבשר החי, *Id ſunt Iſraelitis extranei, quod ſcabies carni vivæ:* quòd hi ſuo exemplo non paucos ex Iſraelitis in idem ſcelus pertraxerint. Verùm iſtos dum majorum ſuorum cauſam nimis piè accuratéque defendunt, vim textui ſacro facere palàm omnibus fiet qui locum adire voluerint. Certum enim eſt ex contextu verſuum 6, & 8. de Iſraelitis eſſe accipiendos. Ridiculè porrò iſti Allegorici enarratores conjiciunt ex eo quod ſcribitur, *Locutus eſt autem Dominus ad Moyſem, Vade, deſcende; quia corrupit*, nempe viam ſuam, *populus tuus, quem eduxiſti*, &c. non autem *populus meus, quem eduxi*, &c. non queri Deum niſi de extraneis illis quos diximus: perinde ac ſi diceret Deus, Populus tuus iſti ſunt, non meus. Tibi dixeram, *Educam exercitus meos, populum meum, filios Iſrael*, &c. tibi verò viſum eſt admittere extraneos: iſti igitur tui ſint, non mei. Quàm levis & jejuna ſit hæc conjectura quivis per ſe ſatìs intelligit; modò nè Rabbinico prorſus ingenio ſit, i. ſolerti & acuto in nugis: etſi tamen non omnes Rabbini ſic ſunt. Alii ex Hebræis paulò aliter rem totam explicant. Nempe volunt nihil aliud poſtulaſſe ab Aarone Iſraelitas niſi ut imaginem conderet aliquam per quam deinceps ducerentur regerentúrve. Aiunt enim hi etiam calluiſſe Ægyptios artem quandam fabricandarũ ſeu conflandarum imaginum quæ vim à ſuperioribus corporibus ſummam acciperent, miráque adeò inter mortales efficerent. Quòd igitur Iſraelitarum plerique, aut nonnulli ſaltem, ejuſmodi aliquâ uſum imagine Moyſem in patrandis hactenus prodigiis ac miraculis crederent, ſeriò ſuſpicarentur certè, cùm Moyſem abeſſe viderent, nunquam enim coram Moyſe tale quicquam auſuros fuiſſe, occaſione utendum ratos, Aaronem adiiſſe rogaſſéq; uti imaginem ſeu ſignum conderet aliquod per quod deinceps res futuras poſſent cognoſcere, prodigioſa facere, ac denique in illo vaſtiſſimo deſerto duci ac regi. Non enim illos dubitaſſe quin Aaron ejuſmodi fabricandarum imaginum peritus eſſet non minùs quàm frater. Sanè verò ſuam hi ſententiam confirmant quòd non dictum ab Iſraelitis ſit, *fac nobis Deum*, quem colamus, ſed *qui nos præcedat*. Non ergò, inquiunt, quicquam de idololatria tum cogitabant, præſertim cùm in vicem abſentis Moyſis peterent quicquid illud eſſet quod peterent: dicebant enim, *Moyſi enim huic viro qui nos eduxit è terra Ægypti, ignoramus quid acciderit ei*; quod aliud nihil eſt quàm, periit enim nobis Moyſes dux noſter. Unde ducem ac rectorem tantummodo ſeu aliquid cujus beneficio ducerentur, non Deum Iſraelitas petiiſſe concludunt, quòd nunquam Moyſem pro Deo illi habuerint. Deinde aiunt quoque tergiverſatum diu Aaronem, & quas potuit operi moras nexuiſſe, dum adveniens Moyſes ſeditionem pro ſua ſapientia atq; autoritate compeſceret. Non potuiſſe autem illum facere quin Iſraelitarum nonnulli viri malè ſani atq; à mente prorſus alieni, aureum vituli ſignum tandem perfectum, nullâ adhuc expertâ ejus virtute, ſolâ materiæ artíſque elegantiâ capti ſtatim adorarint exclamaríntque, *Hic eſt Deus tuus, ô Iſrael, qui te eduxit è terra Ægypti:* qui hoc ſolùm vellent, Hæc figura eſt aut ſimilis aliqua cujus beneficio Moyſes nos ex Ægypto eduxit. Nolebant, inquiunt, hoc profectò, vitulum ſuis ex inauribus conflatum Deum illum eſſe qui cauſa eſt cauſarum ac rerum omnium principium; ſed ità ſentiebant, non Dominum Deum fuiſſe qui tot tantáque hactenus perpetraſſet, ſed Moyſem ipſum beneficio ſimilis cujuſdam ſigni aut imaginis, quam fortè (ego hoc dico) Ægyptiorum more Deum vocarent atque adorarent. Deinde addunt, Aaronem cùm animadverteret tantam quorundam inſaniam qui pauxillo auri cultum exhibuiſſent, altare erexiſſe atque diem Domino feſtum in craſtinum diem edixiſſe, quò ſcilicet idololatriam averteret: ſed longè aliter cecidiſſe ac putarat Aaron; illos enim primo manè vitulo non Deo in altari illo feciſſe. Hæc è variorum Rabbinorum commentariis ferè excerpſimus, nonnulla interdum ubi viſum eſt emendantes, déque noſtro addentes ſupplentéſque: quæ ego omnia neque affirmo neq; nego. Ea ſunt mehercule, quibus tot incommodis abſurdíſve quæ propoſiti verſus primâ fronte objiciunt, non omnino ineptè occurri poſſit. His igitur nihil adjicerem niſi me hujus vituli facta mentio ut de duobus ab Hieroboamo Rege populo ad colendum propoſitis breviter ſaltem dicerem admoneret. Res ſic habet; Salomone exſtincto, quia filius Roboamus ejus in imperio ſucceſſor populi rogantis remitti laxaríve vectigalia, quæ Salomon graviſſima impoſuerat, juſtas preces de ſuorum æqualium ſententiâ ſuperbè acerbéque rejecerat, regnum Iſraeliticum jam Salomonis vitiis labans ſciſſum eſt in duo, ſic ut Roboamo tribus duæ duntaxat, Judæa & Benjaminia, Hieroboamo verò qui in Salomonis ſervis aliquamdiu fuerat reliquæ decem ex Dei nutu & voluntate ceſſerint. Sed veritus Hieroboamus nè ſi populus Hieroſolymam quæ in parte duarum tribuum erat ad ſtatos feſtos ex Legis præſcripto adiret, tandem à ſe ad veterem dominum ac regem deficeret, ſtatuit ſuorum animos ſuperſtitione implicare, quò rebus & ſaluti ſuæ conſuleret. Itaq; duas ex auro vitulorum effigies erexit, Bethele & Dane, quibus deinceps populus litaret, nè ampliùs ſacrorum causâ Hieroſolymam proficiſceretur. Exſtruxit quoque fana editis in locis, ſacerdotéſque inſtituit etiam ex infima plebe, omiſsâ tribu Leviticâ. Hiſtoria hæc copioſè deſcribitur 1 Reg. 12. Circa quam nunc quæritur potiſſimùm, quî ſperare potuit Hieroboamus perſuaſurum ſe populo vitulos ut coleret, & quî in hoc negotio ſe geſſit, præſertim cùm non neſcirent omnes quàm non bene vitulus ab Aarone erectus majoribus olim vertiſſet. Vult Kimhi ipſum Hieroboamum hâc ferme oratione aggreſſum Iſraelitas; Numquid ſcitis Iſraelitarum Regnum Dei nutu ac voluntate diſtractum in duo, ſicuti mihi dudum ab Achia Silonite, Propheta, prædictum fuerat? [1 Reg. 11.] Si ità eſt, non delectatur ampliùs Deus regno Davidis, nec adeò Hieroſolymâ ejus regni ſede. Quid igitur faciendum nunc niſi ut quamprimum ſtatuatur alter locus quò veniatis ſacrificatum? Cùm autem Aaron in vicem abſentis Moyſis ſtatuerit olim majoribus veſtris vitulum in quo Divina majeſtas reſideret, idem putatote vobis eſſe faciendum, próque domicilio quod Deus antea habebat Hieroſolymis ponite vobis vitulum ubi Deus habitet. Addit Kimhi, Atque hæc cauſa, quamobrem Hieroboamus de vitulis à ſe conflatis eadem uſurpaverit verba quæ Iſraelitæ in deſerto, *Hic eſt Deus tuus, ô Iſrael, qui te eduxit è terrâ Ægypti*, 1 Reg. 12. 28. neque enim ejus conſilium fuit idolum colendum proponere. Pergit; Cur autem duos Hieroboamus erexit vitulos? Nè nimis fatigarentur Iſraelitæ, ſi illis in unum locum eſſet veniendum. Ità ferme Kimhi, ac ſatìs commodè profectò, qui, ut ego quidem arbitror, non eſt exiſtimandus ſenſiſſe vitulum populo exhibuiſſe Aaronem ut in eo Deum haberet colerétque; ſed hoc tantùm, ità ſuaſiſſe ac perſuaſiſſe ſuis Hieroboamum, ut eos ad ſuorum vitulorum cultum adduceret, licèt fortaſſe aliam prorſus fuiſſe ipſius Aaronis mentem ipſi conſtaret. Verùm Kimhi minimè docet quid iis reſponderit Hieroboamus, qui dicerent, aut certè dicere potuiſſent, malè & infeliciter ceſſiſſe olim vituli cultum majoribus, ideóque ſe vitulos illos quos erexiſſet nolle venerari, nec iis cultum deferre ullum. Dicam igitur de hoc, quod ſentio ipſe, nempe Hieroboamum dixiſſe, vituli cultu olim offenſum Deum, quòd tum ſaltem minùs ſanæ mentis homines non tam Deum in vitulo quàm ipſummet vitulum coluiſſent. Oportet ſanè ità locutum Hieroboamum, aut nihil effeciſſet ſuadendo ſuorum vitulorum cultum exemplo vituli ab Aarone fabricati, &, ut ipſe quidem aſſeverabat, ad Deum in eo colendum propoſiti. Quaſi verò utile ad ſuadendum potuiſſet eſſe illud exemplum, quod ſingulare juſtitiæ Divinæ exemplum conjunctum habens omnium potiùs animos longè avertiſſet.

Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum, Exod. 33. 11.

NON minùs bene quàm breviter iſtud explicat Abarbanel, ad hunc modum, רוצה לומר שהשיי בעצמו ובכבודו היה מדבר מבלי אמצעי למשרה כאשר ידבר איש אל רעהו, *Nihil aliud vult hoc dicere, quàm*

quàm Deũ per se & in sua Majestate egisse cum Mose, absque internuncio, non secùs ac quispiam agit cũ amico. Quippe volunt Hebræi cum aliis Prophetis egisse Deum per Angelos interpretes; cum Mose verò non, sed per seipsum absque interprete, non aliter atque ut amici familiariter inter se confabulari solent: quæ res certè ad Mosis prophetiæ excellentiam commendandam vehementer pertineat. Neque verò Moysis gloriam ac dignitatem elevat, quòd Deut 5.4. legatur etiam Deus populum Israeliticum universum allocutus coràm ac præsens præsentem, h. e. absque interprete; cùm nimirum Legem tulit in Sinæ monte. Sic habet versus Deut. *Facie ad faciem locutus est vobiscum in monte de medio ignis.* Namq; ut observat Abarbanel, discriminis multum est inter Moysen & populum: populo enim semel tantùm concessum fuit Dei loquentis verba audire; ast Moysi quotidie. Deinde, quod multò majus atque excellentius est, non modò immortalem Dei vocem audivit Moyses, sed spiritu prophetico præterea mens ejus afflata est: populo verò aliud nihil datum, quanquam & hæc singularis gratia fuit, quàm ut vocem aliquã ex immortalis Dei ore exeuntẽ auribus perciperet. Quod ad Jacobum attinet, qui ipse testis est vidisse se coràm Deum, Gen. 32. 31. his verbis, *Vidit Deum facie ad faciem*, alia res est. Nam ibi per *Deum* Dei angelum Interpretes intelligendum esse haud injuriâ docent: & Chaldæus Targumista interpretatus est "מלאכא דיי *Angelum Domini.* Instabit aliquis non posse oculis corporeis cerni Deum, ut dici Moyses possit collocutus cum Deo *ore ad os*, seu *facie ad faciem.* Respondeo non esse *rè facie ad faciem* accipiendum ut sonat, quasi tunc Deum, sicuti à beatis mentibus cernitur, suis oculis viderit Moyses adhuc mortalis: sed quòd cum æterno Deo absque interprete, ut à nobis paulò est antè dictum, collocutus sit. Nam cur, quæso, si Dei faciem in eo jam colloquio vidisset Moyses, illi postea cupienti ac poscenti videre Deum, diceret Deus, *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & vivet:* necnon, *& videbis posteriora mea, faciem autẽ meã videre non poteris?* cap. cit. Exod. v. 20, 23.

Ex D. Isaaci Abarbanelis Commentariis ad Cap. 30. Exodi, Sectione חשא.

וידבר יי' אל משה ואתה קח לך בשמים ראש
וגו'עד ויאמר יי' אל משה קח לך: ראוי
שתתעורר על מה שנאמ' בשמן המשחה
ואתה קח לך ולא נסתפק לומר ומשחת
כמש" בכיור וכנו וברוב כלי המשכן: או
קח לך כמש" בקטרת: אבל הוסיף לומר
ואתה קח לך: ווה בלא ספק מעיד על
אמיתת מה שזכרו חול" שלא נעשה
שמן המשחה כי אם פעם אחת
שעשאו משה רבינו בידיו ולא יעשה עוד
בעתיד אמרו במסכת הוריות ר' יהודה
אומר אותו שמן המשחה שעשה משה
במדבר כמה ניסין נעשו בו מתחלה ועד
סוף בתחלה לא היה אלא יב" לוג
ראה כמה יורה בולעת וכמה עיקרין
בולעין וכמה האור שורף ובו נמשחו המשכן
וכל כליו: ואהרן ובניו כל שמונת ימי
המלואים וכהנים גדולים ומלכים ואפי כנ" בן
וכו" עוד אמרו שם ואותו שמן קיים לעתיד
לבוא שנאמר שמן משחת קדש יהיה זה
לי לדורותיכם זה בגמטריא תריסר הוו
ועוד אמרו שם משנגנז הארון נגנז
עמו צלוחית שמן המשחה וצנצנת המן ומקלו
של אהרן שקדיה ופרחיה. וארגז ששלחו
פלשתים דורון לאלהי ישראל: ומה שחלק
הראבע" על זה כבר השיבו הרמבן"
והזכיר אמתת דעתם זל" מאשר לא
אם"הכתו' שמן משחת קדש יהיה זה
לאהרן ולבניו לדורותם כמש": בבגדים:
אבל אשר יהיה לי לדורותיכם: מורה
שיהיה השמן העשוי הזה מתמיד למשוח
בו לכל הדורות: ולכן נאמר מצאתי דוד
עבדי בשמן קדשי משחתיו כי שמן קדשו
הוא אשר נעשה במדבר על ידי ארון
הנביאים בקדישה ובטהרה: ולזה
נתכבד דוד המלך בקראו עצמו משיח אלהי
יעקב להיותו כמשה באותו שמן האלהי
הקדוש ונראה לי להוסיף על טענות
הרמבן" טענה אחרת לקיום דעת
חול' והיא מה שנאמ' כאן כשמן המשחה
ובמת כוונתו לא תעשו כמוהו קדש
הוא קדש יהיה לכם: איש אשר
יעשה כמוהו וגו' ואם בא הכתו'
לצוות שיעשה שמן המשחה תמיד בזה

Locutúsque est Dominus ad Moysem dicens, Tu autem sume tibi aromata præcipua, &c. Exod. 30. 23. Usque ad *Dixítq; Dominus ad Moysem, Sume tibi aromata*, &c. Ibid. 34. Necesse est admoneri te, de unctionis oleo dici, *Tu autem sume tibi*; nec satìs fuisse si diceretur, *Unges*, [Exod. 40. 11. ubi nempe usus ipsius olei traditur, non autem ratio ejus conficiendi, ut hîc,] sicut dictum est de concha, basi ac plerisque vasis Sanctuarii, aut *Sume tibi*, ut de thymiamate sive suffimento: sed dicitur, *Tu sume tibi*, superaddito *tu* pronomine. Atque hoc certè probat verum esse quod Sapientes nostri *μαχαιρᾶται* ponunt, oleum unctionis semel tantùm fuisse confectum, ut quod Mosis Doctor noster suis ipse manibus confecerit, nec deinceps conficiendum fuerit ampliùs. Dixerunt in Tractatu Horajoth, *R. Judas dicit, In oleo unctionis quod Moses confecit in deserto, quot facti sunt miracula à principio ad finem? Initio fuerunt duntaxat duodecim logi. Quantum verò absorpsit ahenum, quantum radicu, quantum vi ignis exustum? Eo autem unctum tabernaculum, vasaque ejus, Aaron ejúsque liberi ipsis diebus initiationis suæ, præter Sacerdotes magnos, Reges, atque etiam Sacerdotem magnum Sacerdotis magni filium*, &c. Dicitur præterea ibi, *Istúdque oleum duraturum est in posterum, quia dictum est*, Oleum unctionis sanctum erit hoc mihi in generationes vestras: זה v. 31. quod sonat *hoc*, in numeris valet 12. Additur deinde ibidem, *Cùm recondita fuit arca, unà etiam reconditus fuit olei unctorii lecythus, urnâ quâ manna continebatur, Aharonis virga, hujúsq; amygdalæ, ac flores, & capsula, quam Philistini dono miserant Israelitarum Deo.* Sapiens autem R. Abben Ezra, qui repugnat, confutatus est à R. Mose Nachmanide, qui Magistrorum sententiam ex eo probat quòd non dicat Scriptura, *Oleum unctionis sanctum erit hoc Aharon & filiis ejus in generationes eorum*, uti dictum de vestibus, sed *erit mihi in generationes vestras*; id quod arguit oleum istud à Mose confectum perenne futurum, omniúmque ætatum inunctionibus inserviturum. Propterea dicitur, Psal. 89. 21. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum.* Oleum quippe Dei sanctum illud est, quod in deserto confectum fuit sanctè ac purè ipsius Mosis Prophetarum Domini manibus. Et verò de hoc gloriatur David Rex, seipsum vocans 2 Sam. 23. 1. *unctum Dei Jacob*, quòd nempe inunctus esset Divino illo & sancto oleo. Visum est mihi porrò ad confirmandum Magistrorum sententiam rationibus R. Mosis Nachmanidis aliam addere, nimirum, illud quod hîc dicitur de oleo unctorio, *& juxta compositionem ejus non facietis simile: sanctum est, sanctũ erit vobis*, v. 32. *Homo quicunq; tale composuerit*, &c. *exterminabitur de populis suis*, v. 33. Quòd si voluisset Scriptura modum concinnandi semper imposterum olei unctorii præscribere, debuisset

debuisset eadem certè prohibere nè aliud concinnaremus unquam ad ejus exemplum in usus nostros, sicuti fecit de suffitu, his verbis, *Talem thymiamatis*, sive *suffimenti, compositionem non faciatis vobis*, sive *in usus vestros*, &c. nihil autem simile usurpavit Scriptura de unctionis oleo, sed planè vetuit nè usquam eâdem confecturâ oleum faceremus, præciséque dixit, *Homo quicunque tale composuerit*, aliúdque ad ejus exemplum concinnaverit, perinde quasi diceret, neque Deo, neque vobis esse aliud concinnandum: est enim inhibitio plana sive absoluta: hócq; argumento est voluisse Legem ac vetuisse nè ullo unquam tempore aliud unctionis unguentum præter illud prorsus conficeretur. Addo his præterea tertiam rationem, quia si mens Legis fuisset ut aliàs concinnari posset oleum unctionis, non debuerat præscribere quantitatem aromatum tantummodo. [Sensus, non debebat Lex præscribere aromatum quantitatem, nisi etiam adderet servandam esse proportionem, si plus minus ponderis adhiberetur, sicuti fecit, &c.] Nullam quippe proportionis in illius compositione rationem habendam monuit, sicuti fecit in suffimenti confectura, de qua ait, *solum cum solo erit*, i. unumquodque seorsum confundetur; ubi non præscripsit singulorum pondus ex quibus suffimentum esset componendum, propterea quòd in majore interdum copia illud essent confecturi, interdum in minore, sed rationem compositionis edixit simpliciúmq; quæ illam essent ingressura proportionem, quíque eorum ordo esset observandus, quandocunque concinnare illud vellent. Hoc jam observarat R. Levi Ben Gersom. Ex his autem palàm fit Sapientum nostrorum *מעכ"ת* cabbalam veritati esse consonam, nimirum non fuisse oleum unctionis aliud quàm quod à Mose confectum est in deserto. Et verò exploratum habes, non fuisse inunctum Sacerdotem existente domo secundâ, propterea quòd jam fuerat reconditum oleum unctionis, siquidem ipsum recondiderat Josias unà cum reliquis rebus sacris, nec facultas illis erat aliud concinnandi. Indè est quòd hoc loco Mosi dicitur, cùm agitur de oleo unctorio, *Tu autem sume tibi*, perinde quasi diceretur, Tu, tu ipse accipito res has, & conficito oleum unctorium, nec alius quisquam mortalis quamdiu terra erit audeat illud conficere. Hujus autem causa, nempe cur voluerit Deus oleum unctionis esse perpetuum atque æternùm duraturum, neque idem voluerit de suffitu, est, quoniam Deus Opt. Max. apud Israelitas constituit regimen duplex, humanum, Regum videlicet, qui supremi sunt inter populi gubernatores; alterum divinum, quod est Sacerdotum Dei Ministrorum. Quoniam autem utrosque istos, rectores sive gubernatores regi oportet ac regere populum ad normam legis ac præceptorum, quemadmodum dicitur de Sacerdote quidem, *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus*, Mal. 2. 7. Deut. 17. 20. de Rege vero, *neque declinet à præcepto in partem dextram vel sinistram*; idcirco præcepit Deus Mosi ut faceret oleum unctorium ritéque condiret, útq; ipse per se Sacerdotes inungeret, ipsúmq; oleum in futuras ætates reservaretur, eóq; Reges & Sacerdotes inungerentur semper, quò hi omnes ipsius Mosis manibus oleóque ab ipso confecto inuncti censerentur. Ac propterea Moses Magister noster Sacerdotis magni officio primus functus est apud Tabernaculum Domini septem diebus initiationis idémque primus Israelitarum Rex fuit, juxta illud; *Fuitque*, supp. Moses, *in Israele Rex congregatis principibus populi cum Tribubus Israel*, Deut. 33. 5. quò essent Sacerdotes ac Reges omnes ex eo veluti expressum exemplar ejúsque vestigiis insisterent: perinde ac si oleum istud annulus ac sigillum fuerit Mosis Prophetarum principis, quo obsignandi essent Rex & Sacerdos, adeò ut vi illius efficerentur ejus discipuli, gloriaríque possent se opus esse manuum ejus. Indéque factum ut Regum inunctio semper peracta sit per manus Prophetæ qui esset è discipulis Mosis Magistri nostri, ac si unctio & ungens admonerent ipsum Regem, cùm inungeretur, ut memor esset legis Mosis ejúsque vestigiis incederet, postquam unctus esset oleo optimo ab illo confecto, ínque ejus locum suffectus. Ea causa est quamobrem olei hujus divini lecythus semper reposita fuerit in Arca Dei, reconditáque unà cum ea tempore vastatæ urbis ac templi: siquidem sanctum istud oleum ex iis sit rebus quæ opus sunt legi Divinæ, atque utrumque (nempe oleum & arca) per manus Mosis Magistri nostri *מעכ"ת* datum sit. Verùm qui fieri potuerit ut tamdiu perdurarit oleum à Mose confectum in deserto,

התיאר הוד׳ ראוי שתאמר התורה שלא
נעשה כמוהו לצורכנו כמו שאמרה בענין
הקטרת והקטרת אשר תעשה במתכנתה לא
תעשו לכם ולא אמרה כן בשמן המשחה
אלא שלא נעשהו כלל ואמר בהחלט
איש אשר יעשה כמוהו רוצה לומר לא
ליי׳ ולא לכם כי היא אזהרה מוחלטת
והוא לאות שכיוונה תורה שלא יעשה
בהחלט שמן המשחה וולתי בשום דור
מהדורות: ועוד אני עושה על זה טענה
שלישית והוא שאם היתה כוונת התורה
שיעשו שמן המשחה פעמי׳ אחרות לא
היה ראוי לכתוב כמות הסמים בלבר
שלא יחס ההרכבה כמו שאמרה בקטרת
בד בבד יהיה ולא ביארה המשקל
שיקח מכל א׳ מהם לפי שפעמים יעשו
יותר ופעמים פחות אבל סדר ההרכבה
ויחס הפשוטי׳ הנכנסי׳ בה וערכם יהיה
שמור תמיד בכל עת שיעשו אותו וכבר
זכר זה הרלבנ׳ וכל זה מוכיח שקבלת
חול׳ היא האמת שלא היה שם
שמן משחה אחר אלא אותו שעשה
משה במדבר: ומפני זה תמצא שלא
היה כהן משוח בבית שני לפי שכבר
היה נגנז שמן המשחה שגנזו יאשיהו עם
שאר הדברים הקדושים ולא היה להם
רשות לעשותו: ומפני זה נאמר כאן למשה
במצות שמן המשחה ואתה קח לך
רוצה לומר אתה בעצמך תקח לך הדברים
האלה ותעשה שמן המשחה ולא יעשה
איתו אדם אחר עוד כל ימי׳ הארן
והית׳ סברת זה רוצה לומר שרצה יתברך
שיהיה׳ שמן המשחה נצחיו ועומד לעד
ולא עשה כן לקטרת לפי שהקדוש ברוך
הוא נתן בישראל שתי הנהגות:
והם הנהגה אנושית כפי המעלה
שתאות למלכים שהם המנהיגים היותר
עליונים שבעם: והנהגה אלדית כפי
חקדוש ועבודה שהוא לכהנים משרתי יי׳
ולפי ששני המנהיגים האלה ראוי שיתנהגו
וינהיגו את העם כפי חתורה והמצוה
כמו שאמר כי שפתי כהן ישמרו דעת
ותורה יבקשו מפיהו ובמלך נאמר ולבלתי
סור מן המצוה ימין ושמאל: לכן צוה
יתברך למשה שיעשה שמן המשחה
מרוקח כראוי ושמשה בעצמו ימשח את
הכהני׳ ואותו שמן ישאר לדורות למשוח
בו המלכים והכהני׳ הגדולים תמיד
כדי שכלם יהיו נמשחים על ידי
משה רבינו מהשמן אשר הוא עשה:
ולכך היה משה רבינו כנ׳ במשכן יי׳
בראשונה שבעת ימי המלואים: והוא
היה המלך הראשון שמלך על ישראל
כמו שאמר ויהי בישורון מלך כדי שיהיו
הכהני׳ והמלכים כלם דומתו נמשכים
ממנו והולכים בדרכיו: וכאלו היה השמן
ההוא טבעתו של ארון הנביא׳ לחתום
בו מלך וכהן באופן שיהיו כלם תלמידיו
ומעשה ידיו להתפאר: ולכן היתה
משוחת המלכים תמיד על ידי נביא
שהוא מתלמידיו של משה רבינו:
ואלו המשיחה והמושח יאמרו לכל מלך
בהמשחו זכרו תורת משה והלכתם בדרכיו
אחרי שאתם משוחי׳ בשמן הטוב אשר
עשה ואתם הלכם במקומו: ולזה היתה
צלוחית השמן האלדי הוה מונחת תמיד אצל
ארון האלדים ונגנזה עמו בעת החרבן להיות
השמן הקדוש ההוא דבר מצרכי תורת
האלדים ושניהם ניתנו על ידי משה רבינו
ע״ה: ואמנם איך יתכן שהיה מתמיד השמן
ההוא שעשה משה במדבר זמן כל כך

הרבה הוא דבר מתמיה מאד : וצדק הרלבג" במה שכתב שכבר יתכן שיעשה השם מופת על ידי הנביא גם אחרי מותו כי כן ראינו שלא סר המן במות משה כמו שיתבאר בספר יהושע כי הנביא ביד אלדיו הטובה עליו נותן לדברים טבע שימצא בהם ההתמדה והנצחיות · ולכך היה המן אשר בצנצנת עומד קיים קרוב לאלף שני' בבית יי' עם מהירות הפעלות המן שהיה נבאש הנשאר ממנו אחרי יומו ובחום השמש ונמס · אבל משה נתן בו על דרך המופת כח הטבעי אל שלא התפעל מהדברי אשר מחוץ ולכך נשאר קיים גם אחרי מות הנביא : וכן היה הענין בשמן המשחה הזה שנתן משה בו כח על דרך המופת להתקיים ולהתמיד ולשנות מה שידבק בו מהאויר המקיף ולהשיבו אל טבעו והנה תמצא שיש לשמן האותות מה לקבל זה הכח המתמיד כי הוא מכל המשקים יותר עומד עד שכבר יעברו עליו אלפים מן השנים ולא יפסד ואמרו עליו החכמי' שכאשר יתישן לא יחסר ממנו אבל ותוסף שיעור מה לפי שיתדקדק יותר ואולי הסמים שנכנסו בואת ההרכבה היו עוזרי' גם כן אליו כי המופתי' כשיעשה אותם השם יבקש להם סבות היותר נאותות ולכך אחול" בראש כריתות שוה הענין היה בשמן המשחה על דרך פלא : ויעזור לזה גם כן שמן השמן הקדוש ההוא לא הוציאו או כמות רב לאותה משיחה שנעשת לשעתה במדבר כי חלק מועט היה מושח כל א" ואנשים מועטי" נמשחו שמה : ואמנם אחר כן מזמן לזמן רב היו מושחין כנ" או מלך ולכן לא היה מהפלא מיספיק שיספיק השמן ההוא אלפים שנה :

וראוי עתה לבאר בענין שמן המשחה דיניה ותנאיה ואתן סבותיה כפי הסברא הפשוטה ושרשי הענין כפי מה שהורונו הכתובים ודברי חכמינו זל" ואני כבר התחבתי הדבור בדרוש הזה בפירושי לספר מלכים בענין משיחת שלמה ואספרהו פה שנית :

חעיקר הא" הוא בידיעת הצורך שיש במשיחה לכלי המקדש לכהנים ולמלכים ואומר אנו כי לשלש תכליות צוה השם יתברך ואת המשיחה : האחת כדי שתהיה אות הבחירה הלאהית : כי הנה הדבר או האיש אשר יבחר יי" בו להבדילו ליחדו משאר הדברים או האנשים היה ראוי שיעשה פועל בו ייחוד ויובדל והוא יהיה המורה על היותו נבחר מאת האלדים כאלו אותה משיחה היתה אות וסימן על הבדלתו לגבוה : ולכן היה נמשח הכנ" להודיע שהוא נבחר למעלה ההיא משאר אחיו הכהנים : והיה נמשח המלך להיות בחירתו על פי יי" : והתכלית הב" הוא כדי להכין הנמשח לקבל השפע האלהי שעי" אותה משיחה תדבק בו ההשגה העליונה : וכן אמרו במשנה שהכנ" הנשאל באורים והתומים היתה שכונה שורה עליו וכן הוא מבואר בענין המלכים : כי הנה שאול מיד שנמשח צלחה עליו רוח יי" והתנבא ונהפך לאיש אחר והיה זה לסבת המשיח : ובדוד נאמר וימשח אותו בקרב אחיו ותצלח רוח יי" אל דוד מהיום ההוא ומעלה :

העיקר הב" שהמשיחה הנזכרת תהיה כשמן ולא ביין ושאר המשקי אמרה תורה שמן משחת קדש ובמשחת המלכים נאמר אם בשאול ויקח שמואל את פך השמן ויצק על ראשו : ובדוד נאמר לשמואל מלא קרנך שמן לפי שבמשן היו כל המשיחות : ויש בזה אצלי שתי סבות : האחת לפי שהשמן מבין שאר המשקים הוא המורה יותר על הכבוד

res est sanè admiratione digna. R. Levi Gersomi filius quî id fieri potuerit declarat dum scribit, par esse ut faciat Deus miraculum per manus Prophetæ, etiam postquam vitâ cessit: compertum quippe nobis est non defiisse Mannam, mortuo Mose, sicuti explicatum in libro Josuæ. Siquidem Propheta Dei sui ope adjutus eam rebus tribuit naturam ut perennitatem atque æternitatem obtineant. Manna igitur quæ urnâ continebatur, mansit salva atque incolumis tantùm non mille annos in domo Dei, licèt citò ac facilè ea corrumpi posset, ut quæ, si quis ex ea reliquum faceret in crastinum, putrescebat, & incalescente sole liquescebat. Ast Moses ei indiderat modo quodam supra naturam naturalem quandam virtutem, ut affici non posset à rebus externis, propterea que mansit salva etiam post mortem Prophetæ. Idem est judicium de oleo unctionis hoc, cui Deus indidit virtutem præter naturæ vim ut perduraret & perennaret, converterétque aerem ambientem in naturam suam. Porrò autem oleo quædam insunt signa, per quæ redditur idoneum recipiendæ isti virtuti perpetuanti (*sive* perennitatis:) est enim omnium lignorum maximè diuturnum, adeò ut per millia annorum perseveret incorruptum. Dixerúntque Sapientes oleo senescenti nihil detrahi, quin addi aliquid, siquidem subtilius in dies evadit. Adde quod forsan aromata quæ ingressa sunt ejus olei unctorii compositionem, ad hoc etiam juverunt. Deus enim cùm patrat miracula, accommodat aptátq; causas [nempe *aptationem causarũ*] quàm fieri potest convenientes. Propterea dictum à sapientibus initio Tract. Cerithuth, eam rem in oleo unctionis admirabiliter eluxisse. Ad hæc accedit, quòd non magna copia istius olei sancti adhibita à Mose fuit ad inunctionem, quæ tunc ab eo facta in deserto: parùm enim olei fuit satis ad inungendum unumquemque; pauci autem ibi inuncti sunt. Deinde verò nonnisi per longa intervalla inunctus fuit Summus sacerdos aut Rex. Itaque non adeò mirum videri debet potuisse sufficere oleum istud per mille annos. *Deinde post nonnulla quæ interserit ad grammaticam vocum & commatum interpretationem potissimùm pertinentia, quaque tædii vitandi gratiâ omitto, subjicit hæc quæ sequuntur*, Hujus autem loci est exponere quæ pertinent ad sacræ unctionis unguentum, ejus rationes & conditiones, quarum causas dabo probabiles, necnon præcipua rei capita, secundùm ea quæ docent nos tum S. literæ tum sapientes nostri *μαχαείρα*. Jam autem copiosè pertractavi hoc argumentum (*sive* quæstionem) in commentario meo ad librum Regum, ubi agitur de Salomonis unctione, iterúmque hîc pertractabo.

Cap. I. Primum Caput est de necessitate inunctionis vasorum Sanctuarii, Sacerdotum ac Regum. Dico igitur duas ob causas præcepisse Deum eam unctionem. Primò, ut esset signum electionis Divinæ. Quam enim rem aut hominem Deus selegisset præ cæteris rebus aut hominibus ad peculiare quid, in ea re aut homine conveniebat fieri aliquid operis per quod ab aliis discernerentur, & cognoscerentur à Deo esse selecta eíque propriè addicta atque unita: perinde ac si illa unctio fuerit signum notáque rei addictæ Deo. Atque idcirco unctus fuit Sacerdos magnus quò innotesceret eum fuisse delectum ad istam dignitatem præ reliquis fratribus suis Sacerdotibus. Unctus fuit Rex quoque, quòd ex ore Divino esset ejus electio. Secunda causa est, ut idoneus efficeretur is qui ungeretur ad recipiendum influxum Divinum: per illam siquidem unctionem providentia Divina uncto firmiùs adhærescebat. Ac sic dictum est in Misna, *Sacerdoti magno consulenti Urim & Tummin incubuisse Divinam majestatem.* Idem de regibus perspicuum est. Saul namque statim atque unctus fuit, Domini spiritu correptus vaticinatus est, & in alium virum mutatus, 1 Sam. 10. hócque virtute ac merito unctionis. De Davide dictum est, *Tulit ergò Samuel cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus, & directus est spiritus Domini à die illa in David*; & deinceps, 1 Sam. 16.

Cap. II. Quòd inunctio, cujus mentio est, perficiatur oleo, non autem vino, aut alio liquore. Lex ait, *Faciésque oleum unctionis sanctæ.* De unctione Regum dicitur, ac de Saulis quidem, *Tulit autem lenticulam olei, & effudit super caput ejus, & deosculatus est eum*, &c. De Davidis verò mandatum est Samueli, his verbis, *Imple cornu tuum oleo*, &c. unctiones quippe omnes peragebantur oleo. Cujus quidem rei, meo judicio, duæ sunt causæ: prima, quòd oleum ex omnibus liquoribus præcipuè gloriam atque

atque excellentiam designet. Nónne enim Joatham Jerobaalis filius in fabula sive apologo, quo arbores facit aliquando convenisse ad ungendum sibi Regem, primo loco oleam nominat, eámque, rogatam scilicet ut regnum vellet capessere, inducit loquentem ad hunc modum, Jud. 9. 6. *Numquid possum deserere pinguedinem meam, quâ per me honorificant Deum & homines*, &c? ubi quidem gloriam sive honorem oleæ adscribit. Atque eam ob rem oleam primo loco nominavit, quòd olearia oliva ex omnibus arboribus regno magis esset idonea, quippe cunctis honoratior ac præstantior: indéque est quòd reliquis liquoribus oleum supernatat. Olei dignitatem commendat hoc Psaltis, Ps. 133. 2. *Sicut oleum optimum super caput*, &c. neque non illud Salomonis, Eccl. 9. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum super caput tuum non deficiat.* Cùm igitur vasa sive instrumenta Sanctuarii, Sacerdotésque præ reliquo populo [ad verb. *de inter reliquum populum*] & Reges inter cæteros Israelitas [*de medio Israelitarum*] peculiari quodam honore ac dignitate fulgerent ac præstarent, certè quidem oleum ceu signum electionis & consecrationis illorum fuit adhibendum. Secunda causa, propterea quòd oleum præ omnibus liquoribus longiore temporis spatio durat incorruptum. Quoniam autem sanctitas in vasis Sanctuarii & Sacerdotibus erat perpetua, neque unquam abolenda, itidémque regia potestas in Regibus ad illos eorúmque posteros, si viis Dei incederent, pertinebat, quemadmodum dictum est Deut. 17. 20. *ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus in medio Israel*, idcirco inunctio illorum peracta fuit oleo ad designandum æternitatem illam excellentiæ, & sanctitatis.

CAP. III. Quòd oleum istud haud aptum esset inunctioni, nisi certis quibusdam aromatibus conditum, & unoquoque ad definitum quantitatis modum cui nihil addi ac detrahi posset. Similiter causa danda est cur solum oleum ad accensionem candelabri sufficeret, ad unctionem verò non, nisi esset admixtum aromatibus ex quadam proportionis ratione. Causa hujus rei est, quia aromata bonum nomen designant & actiones laudabiles, quæ naturâ in lucem emanant. Sicuti enim aromatum odor longè diffunditur, ità & bonum nomen: quò illud pertinet, Cant. 1. 3. *Ad odorem unguentorum tuorum optimorum, oleum effusum nomen tuum.* Quando igitur gloriam oleum designat, sicuti à me observatum, debuit ipsum aromatibus condiri ad monendum ac docendum coronam gloriæ & excellentiæ esse bonum nomen. Quo sensu ait David, Ps. 141. 5. *Contundat me justus, (erit) misericordia, & increpet me, (erit) oleum præcipuum; non franget caput meum.* Accedit illud Salomonis, Eccl. 7. 2. *Melius est nomen bonum quàm oleum bonum:* esse siquidem debet olei boni, unde petitur similitudo, cum nomine analogia: per oleum autem bonum intellige illud quod est aromatibus conditum. *(Ex quo consequitur oleo aromatibus condito bonum nomen designari.)* Scripsit porrò philosophus, debere hominem dare operam ut edat laudabiles actiones, quo comparat bonum nomen atque existimationem, sed non adeò ut ad hoc omnes vires conferat nihílque aliud spectet. Quia igitur id mediocriter prudentérque agere homo debet, idcirco ad hoc significandum jussit Deus admisceri aromata certo modo ac proportione cui nihil posset addi, ad docendum non licere plus æquo propagando nomini studere, ac nihil detrahi, ad docendum ab edendis laudabilibus actionibus comparandi nominis ergò nunquam esse desistendum, sed id convenienti modo esse faciendum. Quandoquidem autem excellentia ac perfectio convenit Dei Sacerdotibus ejúsque populi Regibus, idcirco inuncti sunt oleo condito, quemadmodum dictum est.

CAP. IV. Quòd Sacerdotum & Regum inunctio super caput fieret, vasorum verò Sanctuarii omnium in quavis sui parte. Lex ait, Levit. 8. 12. *Fudit etiam ex oleo unctionis super caput Aharon*, &c. Similiter, quod ad Regum unctionem pertinet, dictum 2 Reg. 9. 6. *& fudit oleum super caput ejus.* In Gemara, *Cùm ungeret illum, oleo caput ejus perfundebant.* At quod spectat ad vasa Sanctuarii, nullus certus assignatus fuit locus unctioni: itaque jure ac meritò quæritur, cur non itidem Sacerdotes ac Reges in quovis sui corporis membro fuerint uncti, ut vasa Sanctuarii omnia. Hujus rei ratio manifesta est, propterea quòd hominibus facultatum fundamentum in cerebro positum sit,

יהמעלה הלא תראה בדברי יותם בן
ירובעל כשנשא משלו הלוך הלכו
העצים למשוח עליהם מלך זכר ראשונה
הזית: ואמר עליהה החדלתי את דשני
אשר בי יכבדו אלדים ואנשים וגומר
שיחס הכבוד לשמן: ולזה זכר הזית
בראשונה כי היה זית השמן מבין כל
העצים יותר נאות למלוכה להיותו יותר
נכבד מכלם ולכך השמן עולה למעלה
על כל המשקים: ולמעלתו אמר המשורר
כשמן הטוב על הראש: ושלמה אמר
ושמן על ראשך אל יחסר: ולהיות
כלי המקדש והכהנים מבין שאר העם
והמלכים מקרב ישראל מיוחדים בכבוד
ומעלה היה אות בחירתם ויחודם
בשמן המורה עליו: והסבה הב" היא
מפני שהשמן הוא היותר מתמיד זמן
ארוך מכל המשקי" מבלי הפסד ולפי
שהקדושה בכלי המקדש ובכהנים היתה
עד עולם ועד ולא תמוש וכן המלוכה
במלכים היתה מתמדת להם ולורעם
אחריהם אם ילכו בדרכי השם וכמש"
למען יאריך ימים על ממלכתו הוא ובניו
בקרב ישראל: לכן היתה משיחתם בשמן
להורות על נצחיות המעלה והקדושה
ההיא:

העיקר הג" שמן לא יאות למשיחה
אלא בהיותו מרוקח בבשמי" ידוע" וכל
אחד מהם בשיעור ידוע עליו אין להוסיף
וממנו אין לגרוע: וראוי לתת גם כן
הסבה בזה למה הספיק השמן לבדו
להדלקת המנורה ולא הספיק למשיחה
מבלי עירוב הבשמים בערך ההוא: והסבה
בו היא: שהבשמים מורים על השם
הטוב ועל פעולות המעלה שיצא טבעם
בעולם: כי כמו שהבשמים ריחם הולך
למרחוק כן הוא השם הטוב ווה הוא
לריח שמניך טובים שמך תורק שמך:
ולפי שהשמן מורה על הכבוד כמו שזכרתי
היה ראוי שיתבשם להעיר על שהשם
הטוב הוא עטרת הכבוד והמעלה:
וכמו שאמר יהלמני צדיק חסד ויוכיחני
שמן טוב אל יניא ראשי ואמר שלמה
טוב שם משמן טוב כי הוא המשל
הדומה אליו ושמן טוב הוא המבושם וכבר
כתב הפלוסיף שראוי לאד" שיעשה פעולות
המעלה כדי שיקנה השם טוב: אבל
לא שישים כל תכליתו וכוונתו על קנין
השם: ולפי שראוי שזה יעשה האדם
במצוע וכפי השכל: לכן להעיר על וה
צוה ית" שיהיו הבשמים בערך ידוע עליו
אין להוסיף להשתדל יות" מראי לפרסם
שמו וממנו אין לגרוע בחדול מעשית פעולות
המעלה לקנותו אלא שיהיה בשיעור הראוי
ולפי שהמעלה והשלמות ראוי לכהני וי"
ולמלכי עמו: לכן היו משוחים בשמן
מבושם כמו שנזכר:

העיקר הד" שהמשיחה תהיה לכהנים
ולמלכים על הראש ולכל כלי המקדש תהיה
המשיחה באי זה מקום מגופם אמרה תורה
ויצוק השמן המשחה על ראש אהרן: וכן
נאמר במשיחת המלכים ויצוק שמן על ראשו
ובגמרא אמרו כשהוא מושחו מציקי" לו שמן
על ראשו: ואמנם בכלי המשכן לא נזכר מקום
ידוע למשוח וראוי לחקור למה לא היו הכהנים
והמלכים נמשחים באי זה אבר מגופם ככל
כלי המקדש: אבל הטעם בזה מבואר
לפי שהאנשים יסוד כחותיהם היא במוח
ומשם

ומשם יפרדו וימשכו ההשגות והחושי כלם
פנימיים וחיצוני" והעצבים לכל הגוף ולכן
נקרא ראש כי הוא ראשית לכל האברי"
והיות" מעולה שבהם ומפני זה נהגו המלכי"
לתת העטרה והנזר על הראש : וכמאמר
הנביא ישימו הציניף הטהיר על ראשו וגם
חכמי העמי" כשסומכים את חכמיהם נוהגים
לשום על ראשיהם בית ראש הנקרא
בוניטי" להמה שהוא ראוי לתת נזר ועטרת
החכמה על ראשו : ועל זה עצמו צוה יתברך
שישים הכג" ציץ הזהב על ראשו שהיה
קדש ליוי" : ולהיות הראש מקום החכמה
והתבונה ומקור המעלה היה ראוי שימשחו
הכהנים מורי התורה והמלכים מנהיגי העם
על ראשם : אמנם כלי המקדש מפני שלא
היה בהם ראש כי היו מתדמי החלקים
במעלתם היתה משיחתם בכל מקום מהם
והוא על דרך מה שכתב הפלוסוף שהבח"
שיש להם לב החיות תלויה בו והשרצים
מפני שאין להם לב החיות מתפשט בכל
גופם :

העיקר הד" שבכהנים ומלכי" צריכים
משיחה ויציקה ובכלי המקדש משיחה בלבד:
אמרו בגמרא כשהוא מושחו מציקין לו על
ראשו ואחר כך נותנין לו שמן בין ריסי
עיניו : ואחר כך מציקין לו שמן על ראשו
תנאי היא איכא דאמרי משיחה עדיפא
ואיכא דאמרי יציקה בכלי עדיפא מאי טעמא
דמאן דאמר יציקה עדיפא דכתיב ויצק
משמן המשחה על ראש אהרן וימשח אותו
לקדשו : ומאן דאמר משיחה עדיפא סבר
שכן נתרבית אצל כלי שרת ויצוק שמן
המשחה על ראש אהרן וימשח אותו לקדשו
בתחלה ויצוק ובסוף וימשח הכי קאמר מאי
טעמא דויצוק משום דוימשח : וראוי שנדע
למה הוצרכה יציקה ומשיחה בכהנים ובמלכים
ולא נסתפקו באחרת מהן כמו שהיה בכלי
המקדש שהיו לבד ביציקה או במשיחה :
ואומר בתשובת זה שהיציקה והמשיחה
יתחלפו לדעת חצל" היציקת היא נתינת
השמן על הראש ויציקתו שם מהכלי אשר
הוא בו : אמנם המשיחה היא בצורת הנזר
שהיו עושין מאותו שמן ומשחת בו את
אהל מועד וגומר ואת אהרן ואם בניו
תמשח וגו" ולא נזכרה היציקה אלא
במעשה שנאמר ויצוק משמן המשחה על
ראש אהרן וימשח אותו לקדשו: ובמלכים
פעמים יזכור משיחה ופעמים יזכור
יציקה ויראה שהיו היציקה והמשיחה
שתיהן דבר אחד וששניו השמות היא
כפי הבחינות כי כאשר נעריך השמן את
הכלי אשר בו היה וממנו ישפכוהו תקרא
יציקה וכשנעריכהו אל הנמשח המקבל
אותו תקרא משיחה : האמנם כפי
קבלת חול" שהיתה היציקה וולת
המשיחה נראה לומר בסבתו כי בעבור
שהיתה המשיחה בכהנים ובמלכי" לשתי
חכליות כמו שביארתי בעקר הראשון : אחד
ליחד הנמשח לגבוה ושני להכינו לקבול
השפע האלהי : לכן בכהנים ובמלכים מפני
יחודם ומפני הכנת לקבל השפע העליון אם
הכהן גדול בחול עליו רוח הקדש ואם
במלך בהצלחת מעשיו : הוצרכו שתי
פעולות יציקה ומשיחה כנגד שתי התכליות
ההמה אבל בכלי המקדש שלא יפול
בהם אלא ההברלה והיחוד בלבד היה
מספיק בהם אחת מהפעולות והיא
המשיחה כי הכלים לא יקבלו רוח
הקדש ככהני" ולא הצלחת גבורה
כמלכים.

indéque per universum corpus dividantur, ac distribuantur apprehensiones sensúsque omnes tum interiores tum exteriores ac nervi. Atque ideo caput ראש appellatur quòd ראשית *principium* sit omnium membrorum eorúmque præstantissimum. Ac propter hoc solent Reges coronam & diadema capiti imponere, juxta illud Prophetæ, Zach. 3. 5. *Imponant cidarim mundam super caput ejus.* Et verò Sapientes populorum, cùm Sapientes sive doctores suos promovent, pileum solent capitibus illorum imponere, volentes innuere eum qui promovetur dignum esse qui diadema & coronam Sapientiæ gerat in capite. Eadem hæc causa, quamobrem jusserit Deus ut Sacerdos magnus capiti imponeret laminam auream, cui hoc esset insculptum, *Sanctitas Domino.* Porrò etiam quoniam caput Sapientiæ atque intelligentiæ sedes est, sónsque dignitatis, par erat certè Sacerdotes qui legis sunt Doctores, Regésque qui populi ductores, ungi in capite. Verùm Sanctuarii vasa, quòd carerent capite, siquidem similibus constarent partibus, parísque inter se dignitatis, ungebantur in quolibet sui loco: ídque haud præter illud quod scriptum reliquit Philosophus, Animalium quæ cor habent, vivendi facultatem in corde sitam esse, ast reptilium, quia corde destituantur, per universum illorum corpus diffusam.

Cap. 5. Quòd Sacerdotibus & Regibus necessaria fuit inunctio & effusio, vasis autem Sanctuarii inunctio duntaxat. In Gemara dicitur, *Cùm ungit eum, affundunt ei super caput, deinde oleum inter oculorum palpebras ponunt, ac denique oleum affundunt ejus capiti: illud est Doctorum Mesnicorum. Nonnulli unctionem potiorem esse aiunt; quidam verò, ad vas quod attinet, affusionem. Quâ ratione nititur qui censet affusionem esse potiorem? quòd scriptum sit,* & fudit ex oleo unctionis super caput Aharon, unxítque eum ut consecraret eum. *Qui verò censuit inunctionem esse potiorem, existimavit peractam fuisse illam unctionem juxta vas ministerii,* nempe quo continebatur oleum. Et fudit oleum unctionis super caput Aharon, unxítque eum ut consecraret eum. *Fudit primùm, deinde unxit* [nimirum primo loco fundendum ex vase oleum fuit, ut peragereturdeinde unctio,] *quippe sic dixit autor posterioris sententiæ, cur fudit, & quia unxit.* Haud abs re erit cognoscere cur opus fuerit affusione & unctione in Sacerdotibus & Regibus, nec alterutra fuerit satis, quemadmodum in vasis Sanctuarii sola affusio soláve unctio fuit satís. Respondeo affusionem & unctionem distingui ex mente Sapientum nostrorum *μαχαιρᾶ*, siquidem affusio sit olei adhibitio super caput, ejúsque super eodem è vase ubi erat effusio: unctio autem fiebat in coronæ formam, quam ex illo describebant oleo. *Et unges eo Tabernaculum Ecclesiæ, & arcam testimonii,* &c. *Aaron præterea & filios ejus unges, sanctificabísque eos ut sacerdotio fungantur mihi,* Exod. 30. Neque verò affusionis usquam mentio nisi in ipso opere, cúmque ipsa peragitur inunctio: dictum est quippe Levit. 8. 12. *Et fudit ex oleo unctionis super caput Aaron, unxítque eum ut consecraret.* Quod ad Reges attinet, interdum mentio fit unctionis, interdum affusionis. Ac videntur unctio & affusio idem esse re, ac nomine solummodo differre pro diversa ratione. Nam si oleum considerabitur quà respectum habet ad vas in quo fuit & unde effunditur, vocabitur affusio; si verò quà ad unctum qui illud recipit sive eo perfunditur, unctio. Verùm juxta traditionem Sapientum nostrorum *μαχαιρᾶ* affusio aliud est quàm unctio. Igitur ut propositæ satisfiat quæstioni, videtur dicendum propterea quòd Sacerdotum & Regum unctio duas ob causas fuit, sicut exposui in capite primo, 1. ad uniendum peculiarémque Deo faciendum eum qui ungitur; deinde quò ille disponeretur ad recipiendum Divinum influxum: idcirco in Sacerdotibus & Regibus propter illorum cum Deo unitionem, ac propter eorundem præparationem ad recipiendum supremum influxum, nimirum quod ad summum Sacerdotem attinet, dum in illum Spiritus sanctus insiliebat, quod ad Regem verò, dum prosperè ac feliciter agebat; idcirco, inquam, in illis necessariæ fuerunt actiones duæ, affusio & inunctio, respectu duarum istarum causarum. Ast in vasis Sanctuarii, in quæ non cadebat nisi separatio & addictio, una istarum actionum satis erat, nempe unctio; vasa siquidem non recipiebant Spiritum sanctum [i. e. ex mente autoris, influxum Divinum] ut Sacerdotes, neque illis felix aut prospera potestatis administratio competebat ut Regibus.

Cap.

CAP. 6. Quòd forma inunctionis Sacerdotis magni alia erat quàm Regum, etsi affusio utrisque esset communis, dixerunt in Gemara, docuerunt Magistri, quomodo ungunt Reges in modum coronæ, Sacerdotes verò in modum Caph. Doctor Manassias Geræ filius in formam Caph Græci, ait. Igitur jure ac meritò quæritur postquam Sacerdotibus & Regibus æqualis fuit communisque affusio & unctio, necnon ipsum idem oleum, & in capite utrique uncti sunt, cur non itidem eadem utrorumque fuit unctionis forma? namque ut Reges deceat coronæ forma, quid tandem Caph Græco cum Sacerdote magno? Dico ego in unctionis forma discrimen esse quod distinguat Regem ab Sacerdote. Rex quippe ungebatur inter oculorum palpebras in formam coronæ, ut innueretur eum selegisse Deum è medio Israelitarum cujus capiti diadema regium & coronam celsitudinis imponeret; atque eam ob rem forma illius unctionis instar coronæ fuit, quæ regiam potestatem designat. Verùm forma unctionis Sacerdotis instar fuit Caph, quò innueretur ipsum esse Sacerdotem, & à Deo qui staret ad ministrandum in ipsius Sanctuario. Caph enim כהן i. Sacerdotem designat, est quippe prima ejus nominis litera. כהן autem nihil aliud sonat quàm Dei ministrum: ac propterea inunctio hæc facta in formam istius literæ quæ Sacerdotis erga Deum officium doceret. Fieri etiam potest ut figura literæ Caph in ungendo Sacerdote fuerit adhibita, ad docendum ipsius esse Deo manibus servire (כף enim Hebræis *manum* sonat.) Rex siquidem rectâ administratione Deo servit; Sacerdos verò manibus rem Divinam facit. Porrò autem Doctor Manassias vult literam Caph Græcam fuisse adhibitam, quòd ea in scriptura Græca omnium literarum sit elegantissima, suâque figurâ ac specie maximè insignis.

העיקר הו" שצורת המשיחה בכהן גדול
אינה כצורתה במלכים עם היות היציקה
שוה בשניהם: אמרו בגמרא תנו רבנן כיצד
מושחין את המלכים כמין נזר ואת הכהנים
כמין כף" אמר רב מנשיא בר גרא כמין כף"
יתית: וראוי לחקור אם היו הכהנים הגדולים
והמלכים משתוים ביציקה ובמשיחה
ובאותו שמן עצמו וכלם נמשחו על הראש
למה וה התחלפו בצורת המשיחה כי הנה עם
היות צורת הנזר באותה למלכים הנה הכף"
היונית מה היחס אשר לה עם הכהן גדול
ואומר שצורת המשיחה היא הבדיל
המבדיל המלך מן הכהן: לפי שהמלך היו
מושחין אותו בין ריסי עיניו כמין נזר לרמוז
שיחדו הקדוש ברוך הוא מקרב ישראל לתת
נזר המלכות ועטרת המעלה על ראשו ולכך
היתה צורת משיחתו כמין נזר המורה על
המלכות: אבל צורת משיחת הכהן היה כמין
כף" לרמוז שהוא כהן ויחדו הקדוש ברוך הוא
לעמוד לשרת במקדשו: כי הכף" ירמוז אל
הכהן שהיא האית הראשונה משמו וענין כהן
הוא משרת האל: ולכן היתה המשיחה ההיא
בצורתה תורה על כהונתו לאל עליון: ואפשר
שהיתה צורת הכף" גם כן במשיחת הכהן
להורות שהוא יעבוד את אלהיו בידיו ובכפיו:
כי המלך יעבוד בהנהגתו: והכהן יעבוד בכפיו
ובידיו: והנה רב מנשיא אמר שהיתה כמין
כף" יונית לפי שאות הכף" בכתיבה היונית
הוא יותר יפה ויותר נרשמת בצורתם:

Verùm forma unctionis Sacerdotis instar fuit Caph: at non idem sentit Rasi, cujus est hoc, Omnes inunctiones fiebant in formam *chi* exceptis Regum inunctionibus, quæ fiebant coronæ in modum. *Alii, quorum Moses Maimonides in Tract.* Celim, *commentator Rasi, Elias orientalis, Levi Ben Gerson non simpliciter dicunt* כי יונית *sed, & quidem Elias orientalis ad illud Rasi* in formam chi *scribit,* In capite primo Cerithuth, quid, *inquiunt,* in modum chi? in modum chi Græci, *ait Doctor Manassias. Sed Abarbanel hoc in capite disertè affirmat eundem Manassiam sentire literam caph Græcam in unctione fuisse adhibitam. Deinde etiam David Kimhi ad Psal.* 133. *comma* 2. *& Bechai, literæ caph Græcæ mentionem faciunt. Utram igitur dicemus caph, an chi? Videtur posse conciliari illud dissidium si per caph Græcum intelligemus chi non cappa: quidni verò litera chi appelletur caph Græcum, si Græcis ejusdem potestatis sit* χ *atque Hebræis caph lene, ideóq; caph Græcum aut Græcorum dici haud incommodè possit, siquidem revera* χ *sit caph Græcorum, i. Græcis sit pro caph, utpote, ut jam dictum, ejusdem soni & potestatis apud Græcos atque caph lene apud Hebræos? Repugnat tamen Elias Levita, qui in Tisbi observat Magistros dicere, inunctum fuisse Pontificem, sive summum Sacerdotem,* כמין גם יונית instar Gam Græci, *id est, Gamma. Nam etiam hinc colligitur si Gam Græcum est Gamma, Caph Græcum est Cappa.*

CAP. 7. Quòd vulgares Sacerdotes inuncti sunt solummodo in deserto ad conferendum ipsis sanctitatem; verùm illorum filii minimè inuncti sunt post eos. Vi enim primæ illius inunctionis quâ semel delibuti fuerant patres, sanctitatem adepti sunt. Non sic est de summis Sacerdotibus: nam etiam Sacerdoti magno Sacerdotis magni filio opus erat unctione. Lex ait, *Pontifex*, i. *Sacerdos maximus inter fratres suos, super cujus caput fusum fuerit unctionis oleum,* &c. quo sensu dixerunt in tractatu Horaioth, Mar, sive Doctor, ait, etiam Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius opus habuit unctione. Et in Tract. Cerithuth dixerunt, Sacerdos autem unctus in locum ejus. Quid unctus? indè diximus, eum qui ex ejus filiis esset unctus, summum fuisse Sacerdotem, si non esset unctus non fuisse summum Sacerdotem. At enim reliqui Israelitarum Gubernatores, Judices, Synedriales, Millenarii, Centenarii haud uncti fuerunt, sed Reges duntaxat. Itaque in hoc capite duo quæri possunt: 1. quare omnium ætatum ac temporum vulgares Sacerdotes, cùm munus ministrandi in Sanctuario aggrediebantur non ungebantur, sicut omnium ætatum Sacerdotes; aut certè Sacerdoti magno unctio Sacerdotis magni parentis sui debuit esse satis, quemadmodum res se habuit in minoribus Sacerdotibus: 2. quare non se habuit res in administratione Israelitarum politica, sicut in procuratione sive administratione Sanctuarii, ut sicuti vulgares Sacerdotes in deserto inuncti fuere, etsi majoribus Sacerdotibus subjacerent, ità etiam inungendi fuerint Judices sive Duces Synedriales, & principes qui essent sub Regum potestate. Causa totius rei meo judicio est, quod cùm unctionis dubio procul beneficio, sicuti jam memini, tam Sacerdos quàm Rex addicerentur peculiari officio, præque aliis secernerentur, utrorumque tamen posteri ejusdem vi unctionis manebant secreti, eadémque

השקר הו" הוא שהכהנים הדיוטים
נמשחו לפי שעה במדבר בקדושתם: אבל
בניהם לא היו נמשחים אחריהם: כי כבר
נתקדשו מאותה משיחה ראשונה שנמשחו
האבות: ולא כן הכהנים הגדולים: שאפי" היה
כנ" בן כנ" טעון משיחה: אמרה תורה והכהן
הגדול מאחיו אשר יוצק על ראשו שמן
המשחה: וכן אמרו במס" הוריות אע" פ
אפילו כנ" בן כנ" היה משיחה: ובמסכת
כריתות אמרו והכהן המשיח תחתיו מאי משיח
הקמל" דמבניו הוא המשיח הוי כנ" ואי לא
משיח לא הוי כנ": ואמנם בשאר מנהיגי
ישראל שופטים וסנהדרין שרי אלפים ושרי
מאות לא היו נמשחים אלא המלכים בלבד:
וראוי אם כן לחקור בעקר הזה בשני דברים הא'
למה לא היו נמשחים הכהנים הדיוטים
שבכל דור ודור בבואם לשרת במקדש
כמו שהיו נמשחים הכהנים הגדולים
כלם לדורותיהם: או יהיה הכנ" נסמך על
משיחת הכנ" אביו ככהנים הדיוטים:
והב" למה בהנהגת ישראל בממשלה
לא היה הענין דומה להנהגת המקדש רוצה
לומר שכמו שנמשחו הכהנים הדיוטים
במדבר בהיותם תחת הכהנים הגדולים
ככה ימשחו השופטים והסנהדרין והשרים
אשר הם תחת ידי המלכים וסבת
כל זה: אצלי היא שהמשיחה: אין
ספק שתעשה יחוד והבדלה כמו שזכרתי
ובהיות הכהן נמשח לשרת לפני יי"
והמלך גם כן היו בניהם נסמכי" על אותה
המשיחה:

המשיחה ונמשחים עמה לפי שכבר נולדו
בה ולא נתחדש בהם דבר: אבל
בהיות הכנ" מיוחד במעלתו מבין שאר
הכהנים: אה" נלח": לכן היה טעון
משיחה בהכנסו לשמש כהונה גדולה:
עכ": ולכן לא היו משחים את הכהנים
ההדיוטים בכל דור לפי שלא נעשה בהם
יחוד והבדלה מבין שאר אחיהם ולא
נתחדשה בהם מעלה יותר ממה שנולדו
בה: והיו משחים הכנ" בן הכנ" לפי
שהיותו כנ" לא נולד עמו ולא ירשו
מאביו: אבל מנוהו אחיו הכהנים מפני
שלמותו: והיה ראוי שימשח לאות המנוי
והשררה ההיא שיהיה גדול מאחיו במעלה:
ואמנם שופטי ישראל ושאר השרים לא היו
נמשחים: לפי שהמשיחה תגוור ההתמדה
והנצחיות שהכהני" מיד שנמשחו היו כל
בניהם וזרעם משרתי מקדש יי" והמלכי" נם
כן אחרי משיחתם היה המלכות ירושה להם
ולבניהם וכמו שאמר למען יאריך ימים על
ממלכתו הוא ובניו בקרב ישראל: וכן
זכרו במסכת סנהדרין ובמס" הוריות
שהמלכות ירושה לבנים אם כן המשיחה
תורה על חנצחיות: ולכן לא נמשחו
השופטים ולא הסנהדרין ולה השרים
לפי שלא היתה ממשלתם נצחית ולא
ירושה לבניהם כמו שאמרתי:

העקר הח" שעם היות מצות המשיחה:
שוה בכהני ובמלכים והיה כנ" בן כנ" נמשח
ולא יסמך על משיחת אביו הנה המלך
אינו כן כי המלך שימלוך תחת אביו לא
ימשח אמרו בגמרא כנ" בן כנ" טעון משיחה
ואין מושחין מלך בן מלך ומפני מה משחו
את שלמה מפני מחלוקת אדוניהו ויהואש
מפני מחלוקת עתליהו: ואת יהואחז מפני
יהויקים אשר היה גדול ממנו שתי שנים
וראוי אם כן שנחקור למה לא היה כן
הכנ" שיהיו שניהם מלך וכנ" נמשחים אף
על פי שיהיו בן מלך ובן כנ" או לא יהיה
אחד מהם נמשח לא מלך ולא כנ":
אבל הסבה בזה מבוארת היא שהמלכו"
להיותו בפי הדין ירושה לבן הבכור אם היה
ראוי אליו ולא יהיה בו מונע עצמי לכן
כשימלוך תחת אביו מבלי קטטה ומחלוקת
לא היה צריך למשיחה חדשה כי היה
נסמך על משיחת אביו כשמלך מחדש
בהיותו יורש מלכותו כפי הדין הישר אמנם
בהיות במלכות קטטה ומחלוקת יצטרך
המולך בו למשיחה לאות לבני מרי שהוא
הנבחר למלכות ולא החולקים עליו:
אמנם הכנ" שלא יירש הכהונה גדלה מאביו
כי אינה ירושה לבניו לרשת אותה הבן
הבכור כמלכות אבל הוא ממונה מיד אחיו
הכהנים להיות כנ" בעבור היותו יותר הגון
לאותה מעלה מצד עצמו כמו שאמר והכהן
הגדול מאחיו ואחזל" גדול בנוי גדול בעושר
גדול בכח: היה ראוי שיהיה נמשח כדי
שמתוך אותה המשיחה יודע שהוא הממונה
לכנ" ממין כל שאר אחיו:

העקר הט" שאין המשיחה כוללת ושנם
לכל המלכי" אמרו בגמרא מלכי בית דוד
נמשחים מלכי בית ישראל אינם נמשחים
מנא לן אמר רבא קום משחהו כי זה הוא זה
טעון משיחה ואין אחר טעון משיחה והקשו
שם מיהוא בן נמשי שנמשח והשיבו
שוה היה מפני מחלוקת יורם בן אחאב והקשו
עוד וכי מפני מחלוקתו של יורם נמעול
בשמן המשחה והשיבו שהאמת הוא כדעת

unctione censebantur delibuti, propterea quòd in ea nascebantur, nec quicquam postea novi illis accidebat. Ast quòd summus Sacerdos propriam quandam ac peculiarem sortiretur dignitatem inter reliquos Sacerdotes, idcirco opus statuit unctione, dum summi Sacerdotis munus atq; officium capesseret. Indè est quòd vulgares omnium ætatum Sacerdotes minimè uncti sunt, quòd inter cæteros fratres suos nihil haberent peculiare, nec quicquam novæ dignitatis ad eam in qua nati erant accederet. Ungebatur verò summus Sacerdos summi Sacerdotis socius, siquidem summi Sacerdotis prærogativam nec natalibus deberet, nec paternâ hereditate nanciscereturt, sed eam fratrum Sacerdotum suffragiis assequeretur, merito perfectionis ac virtutis suæ: conveniebat igitur ungi illum in signum electionis, & principatûs illius quo inter fratres emineret. Judices autem Israelitarum & cæteri principes non fuerunt inuncti, siquidem inunctio continuitatem & perpetuitatem inducit. Sacerdotes enim statim atque fuere uncti, eorum filii ac posteri Sanctuarii ministerio addicti sunt: Postquam etiam Reges uncti fuerunt, regnum ad illos eorúmque posteros jure hereditario pertinuit: in quam sententiam dictum est, *ut prolonget dies in regno suo, ipse & filii ejus in medio Israel.* Similiter in Tract. Sanhedrim, & in Tract. Horaioth meminerunt regnum ad filios hereditario jure pertinere. Si ità est, unctio perpetuitatem arguit. Hoc causæ est quamobrem neque Judices sive Duces, neque Synedriales, neque Principes uncti sunt, siquidem illorum administratio non fuit perpetua, neque ad eorum filios jure hereditario pertinuit, quemadmodum dixi.

CAP. VIII. Quòd par sit licèt præceptum inungendorum Sacerdotum ac Regum, unctúsque fuerit Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius, ut cui non sufficeret unctio patris, non tamen Rex: Rex enim qui succedebat patri non ungebatur. Dixerunt in Gemara, *Sacerdos magnus Sacerdotis magni filius opus habuit unctione: Rex verò Regis filius non ungebatur. Cur igitur unxerunt Salomonem? Propter contentionem sive seditionem ab Adonia concitatam. Joas quoq; ob seditionem ab Athalia commotam. Neq; non Joachaz propter Joacimum biennio grandiorem.* 1 Reg. 1. 39. & 1 Paral. 29. 22. & 2 Paral. 23. 2 Reg. 23. & 2 Paral. 36. Si ità est, quæri jure ac meritò potest, cur non eadem fuerit ratio Sacerdotis magni & Regis, ut nempe ambo Rex & Sacerdos magnus ungendi fuerint, etiamsi essent, ille Regis filius, hic verò Sacerdotis magni, aut illorum neuter ungendus fuerit, neq; Rex neq; Sacerdos magnus. Verùm causa hujus rei manifesta est, quòd regnum debeatur jure hereditario filio natu majori, si ad illud idoneus sit, nec sit in eo impedimentum essentiale. Idcirco quando paternum regnum obtinebat filius fine dissensione & contentione, haud opus habuit novâ inunctione; siquidem patris sui, qui primus regnum adeptus esset, unctione niteretur, adeundo regni paterni hereditatem recto atq; æquo jure. At de regno si oriretur dissensio & contentio, opus habuit qui inibat illud unctione, quæ commonefaceret rebelles illum esse delectum ad regnum, neq; esse ipsi obsistendum. Verùm quandoquidem summum Sacerdotium non adipiscebatur summus Sacerdos jure hereditatis paternæ, quæ natu grandiori filio deberetur, ut regnum, sed præficiebatur à fratribus suis Sacerdotibus, qui esset summus Sacerdos, quòd ad eam dignitatem aptior per se magísq; idoneus esset, quo sensu dicitur, *Pontifex*, i. *Sacerdos maximus inter fratres suos*, Levit. 21. 10. necnon à Sapientibus nostris *μαχαίτατος, major pulcritudine, major opibus, major robore*; ea causa est quamobrem par esset illum oleo perfundi, ut istiusmodi inunctionis beneficio palàm fieret illum è reliquis fratribus in summum Sacerdotem fuisse constitutum.

CAP. IX. Quòd inunctio non est quorumvis, neq; etiam Regum omnium. Dicitur in Gemara, *Reges Domûs* (seu *familiæ*) *Davidis uncti fuerunt, Reges autem Domûs Israel minimè*, 1 Sam. 16. 12. *Unde hoc nobis constat? Rabba ait*, Surge, unge eum: *ipse* est enim, *i. ipse opus habet unctione, alius verò non*, 2 Reg. 9. Proferunt illis Jehu filium Namsi, quem oleo constat fuisse delibutum, cùm tamen Israelitarum Rex fuerit, Ibid. Respondetur fuisse id factum propter Joram Achabi filium, qui jus regni Israelitici sibi asserebat. Movent deinde difficultatem: Quid autem? Ideónè oleo unctionis sacræ in ungendo extraneo principe abutemur? Respondent veritati esse consentaneum juxta mentem

Doctorii

Doctoris Papæi unctum illum fuisse oleo Balsamino. Statuunt igitur non fuisse oleo perfundendos Israelitarum Reges, sed si necessitas id interdum postularet propter controversiam de Regno, tunc oleo Balsami non autem oleo unctionis sacro peractam fuisse unctionem. Hujus quoque rei reddenda ratio est, nempe discriminis Regum Davidicæ familiæ & Regum Israel, necnon olei unctionis & olei Balsamini. Dico igitur inunctum fuisse Saulem ab Samuele propheta oleo unctionis, quòd ejus inunctio recta esset ac legitima, ejúsque regnum ipsi ac posteris perpetuum fuisset permansurum, si non peccasset: quomodo aiebat Sauli Samuel Propheta, *quia nunc stabilierat Dominus Regnum tuum super Israelem usque in seculum: nunc autem regnum tuum non stabit.* Posteaquam autem peccasset Saul, adempta est illi regia potestas datáque Davidi ejúsque posteris. Illud est quod aiebat Deus prophetæ, *Surge, unge eum: ipse est enim*; perinde ac si diceret, ipse dignus est unctione, ipse ejúsque posteri, non autem Saul. Quod quidem Magistri liberiùs sive argutiùs interpretati sunt, *ipse opus habet unctione, alius verò non*; quasi diceretur, neminem regnaturum in Israele jure natalium atque ortûs, nisi qui sit ex ejus posteris: eam ob rem inunctus fuit oleo unctionis ab ipso Mose confecto in deserto, eodem, inquam, quo Aharon ejúsque filii inuncti fuerant in Sacerdotium perpetuum, quò significaretur datum fuisse regnum Davidi ejúsque posteris in sempiternum, sicuti æternum Sacerdotium datum fuerat Aharoni ejúsque filiis. Quandoquidem autem cæterorum Regum, qui regnum Israelitarum obtinuerunt post regnorum divisionem, non fuit regnum legitimum, neque stabile aut diuturnum, nec illi regnandi potestatem obtinuerunt nisi ob peccata Davidicæ familiæ, indè est quòd non fuerunt inuncti, ad docendum non fuisse eos ad regnum delectos, neque fuisse Divinitus constitutos, nisi in pœnam Davidis posterorum. Cùm verò postulavit necessitas ungi Jehu filium Namsi, minimè par fuit inungi illum oleo unctionis sacro, siquidem ejus regnum non esset perpetuum, neque Dei nomini consecratum, quæ quidem duæ res sunt, quas inunctio per oleum unctionis designat. Inunctus fuit autem oleo Balsamino, ut per hoc daretur intelligi regnum illius non fuisse verum aut legitimum: oleum Balsaminum, etiamsi per se sit pretiosum, non tamen verum est ac legitimum ad inunctionem; sicuti illud quod confecit Moyses.

רב פפא שנמשח בשמן אפרסמון: הנה ביארו שכפי הדין אין מושחין למלכי ישר' ואם יביא ההכרח אליו מפני המחלוקת אז לא ימשח בשמן המשחה אלא בשמן אפרסמון: וראוי גם כן לתת הסבה בזה דל' בהבדלת שמן המשחה משמן המשחה להיות ממלכי ישרא' ובהבדיל שמן המשחה משמן אפרסמון: ואומר ששאול נמשח על יד שמואל הנביא משמן המשחה להיות משיחתו ישרה ומלכותו נכונה לו ולורעו עד עולם אם לא היה חוטא וכמו שאמר הנביא כי עתה הכין יי' את ממלכתך על ישראל עד עולם: וכאשר חטא שאול הוסרה המלכות ממנו ונתנה לדוד ולזרעו ולכך אמר הקדוש ברוך הוא לנביא קום משחהו כי זה הוא רוצה לומר זה הוא הראוי למשיחה הוא וזרעו לא שאול ולזה דרשו זה טעון משיחה ואין אחר טעון משיחה כלומר שלא ימלוך בישרא' בהסתעפו' ישר כי אם מזרעו: ולכן נמשח בשמן המשחה שעשה משה במדבר כמו שנמשח אהרן ובניו לכהונ' עולם להודיע שנתנה המלכו' לדוד ולזרעו עדי עד כמו שנתנה הכהונה לאהרן ולבניו לנצח: ולפי ששאר המלכים אשר מלכו בישראל אחרי חלוק המלכיות לה' הית' ממלכתם ישרה' ונכונה ולא מלכו כי אם בפשע: בית דוד לכן לא היו נמשחים להעיר שלא היו הם נבחרים למלכות ולא היתה המלכתם מאת יי' מן השמים כי אם להעניש את זרע דוד וכאשר הביא ההכרח למשוח את יהוא בן נמשי לא נמשח בשמן השמחה מפני שמלכותו לא היה נצחיי ולא התקדש לשם יי' שהם הדברים שתורה עליהם המשיחה בשמן המשחה: ונמשח בשמן אפרסמון להעיר שהיה מלכותו בלתי אמתי כמו שמן אפרסמון עם היותו שמן יקר הוא בלתי אמתי למשיחה כשמן שעשה משה:

Cap. X. De inungente, quòd alius quàm propheta esse non debeat. Hoc manifestum est ex lege; Moses enim Prophetarum magister unxit per se Sacerdotes, & vasa Sanctuarii. Similiter liquet inunctos fuisse Reges à Prophetis, 2 Reg. 9. Samuel enim qui fuit Videns, inunxit Saulem & Davidem: Nathan item Propheta Salomonem. Jehu quoque filius Namsi à Propheta unctus fuit, quem Sapientes nostri *μαχαειτας* putant fuisse Jonam filium Amathi. Causa hujus rei est manifesta ex eo quod à me observatum. Postquam enim unctio signum est electionis Divinæ, decuit eam peragi per manus Prophetæ: *Quis enim affuit in consilio Domini*, Jer. 23. 18. ut eum scire possit quem elegerit in Regem super Israelem, *& vidit, & audivit sermonem ejus*, ibid. voluntatémque cùm diceret, *Iste dominabitur populo meo*; 1 Sam. 9. 10. quis, inquam, scire potest præter Prophetam? Sacerdotem quoque magnum conveniebat à Propheta eligi, sicuti Eleazarum Sacerdotem, Aharone ejus patre vitâ functo, in summum Sacerdotem elegit Dominus Prophetarum Moses, etsi interdum summi Sacerdotes fuerint constituti Regum jussu tempore domûs secundæ, quod fuit præter jus.

העקר הי' במושח שלא יהיה אלא נביא התבאר זה בתורה שמשה רבן של נביאים משח בעצמו את הכהנים וכלי המקדש וכן מצאנו במלכי' שהיו נביאים מושחים אותם כי שמואל הרואה משח את שאול והוא עצמו משח את דוד: ונתן הנביא משח את שלמה: ואף יהוא בן נמשי עי' נביא נמשח ואחזל' שהיה יונה בן אמתי: והסבה בזה מבוארת ממה שזכרתי שאחרי היות המשיחה אות על הבחירה האלהות היה ראוי שתהיה עי' נביא כי מי עמד בסוד יי' לדעת האיש אשר יבחר בו למלך על ישראל ויראה וישמע את דברו ורצונו לאמר זה יעצור בעמי כי אם הנביא: ועם הכנ' היה ראוי שיהיה נבחר עי' נביא כמו שבחר אדון הנביאים באלעזר הכהן לכנ' אחרי מות אהרן אביו עם היות שפעמים הכהנים גדולי' היו ממונים במאמר המלכים בזמן בית שני אשר לא כדת:

Cap. XI. De loco ubi inungerentur Reges. Dixerunt in Gemara, *Illud est Doctorum, Non ungunt Reges nisi juxta fontem*, boni scilicet ominis ergô, *quò* instar perennis aquæ *proferatur ac prolatetur eorum regnum. Dictum est enim*, 1 Reg. 1. 33, & 34. Et dixit eis Rex, Tollite vobiscum servos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & deducite eum in Githon: & ungat eum ibi Sadoc Sacerdos, & Natham Propheta in Regem super Israel, *&c.* Porrò autem causa quamobrem uncti fuerint Reges apud fontem jam allata est per modum expositionis allegoricæ, quò scilicet proferatur aut protendatur eorum regnum. Sed restant duo consideranda; Unum, quare non etiam in unctione summorum Sacerdotum adhibita ab illis Magistris est ea conditio, ut perageretur apud fontem,

העקר היא' במקום אשר ימשחו שמה המלכי' אמרו בגמרא תני רבנן אין מושחין את המלכים אלא על המעין כדי שתמשך מלכותם שנאמ' ויאמר המלך להם קחו את עבדי אדוניכם והרכבת' את שלמה בני על הפרדה אשר לי והורדתם אותו אל גיחון ומשח אותו שם וגומ': והנה הסבה למה היו נמשחים על המעין כבר זכרוה על צד הדרש כדי שתמשך מלכותם: אבל נשאר לחקור בזה שני דברים: האחד למה לא התנו כזה במשיחת הכהנים הגדולים שתהיה גם כן על המעין כדי

כדי שתמשך גדולתם : והשני איך עשו
בנין אב בזה מענין שלמה כיון שלא
מצאנו כן בשאול ולא בדוד ולא בשאר
המלכים רוצה לומר שיהיו נמשחים על
המעין : לפי שלא היתה נמשכת כהונתם
הגדולה לזרעם אחריהם ואינה ירושה
לבניהם כמו שאמרתי : וכיון שהמשיחה
על המעין אינה אלא לסימן שתמשך
הגדולה ההיא לבניהם ולא תחדל : לכן
לא נעשתה בכהנים הגדולים אלא
במלכים שהמלכות תהיה ירושה לבניהם
כי מפני התמדתה והמשכתה תמיד היתה
נעשית שם : ולשני אומר שכפי מה שדרשו
הול" צוה המלך דוד שימשחו את שלמה
בן על המעין כדי לתת סימן ואות שתמשך
מלכותו לנצח : ולפי שהיה זה הסימן לקוח
לשם ברכה ראו חכמים לסמוך אליו המנהג
לשאר המלכי" שימשחום תמיד על המעין
כדי שתהיה מלכותם שלם כמלכות שלמה
ושלום ואמת יהי" בימיה כאשר היה בימי
שלמה שנמצא בו העושר והכבוד והחכמה
יותר ממה שהיו לפניו ולאחריו מהמלכים
ולתת סימן שכן תהיה מלכותם אמרו שיהיו
נמשחים כלם על המעין : לא שיהיה
התנאי הזה מחקי המלוכה אלא שלמדוהו
בדרך סימן טוב ממה שנעשה לשלמה
בהמלכתו : ואפשר לומר עוד בזה כי בעבור
ששאול לא ישב בנו הבכור על כסא מלכותו
וגם דוד בניו הגדולים ספו תמו מן בלהות
ולא ירשו מלכותו וירשו שלמה הקטן מהם :
לכן לא עשו סימן ההמשכה משאול ולא
מדוד ועשו אותה משלמה שבנו הגדול
ישב על כסאו וירש מלכותו וכן משם
והלאה היה מולך בבית דוד תמיד הבן
גדול :

העקר הי" בזמן המשיחה שתהיה ביום ולא
בלילה וכמו שמצינו במשיחת הכהנים
ובמשיחת המלכים שהיו מושחים את כלם
ביום ולא בלילה : וסבת זה מבארת שהוא
לסימן ברכה וטובה שתהיה המלכות והגדולה
ההיא זכה ומאירה מבלי חשך ולא צרה ואל
דרך זה אמר דוד בדבריו אחרונים : וכאור
בקר יזרח שמש בקר לא עבות מנונה וממטר
דשא מארץ ואמר כי לא כן ביתי עם אל כי
ברית עולם שם לי ערוכה בכל ושמורה :

העקר הינ" הוא מה שכבר זכרתי למעלה
שלא נעשה שמן המשחה כי אם פעם אחת
במדבר ועל ידי משה רבינו ולא יעשה עוד
בעתיד שמן משחה אחר ולעתיד לבוא בימות
המשיח עתיד הקדוש ברוך הוא להחזיר לעמו
אותו שמן המשחה שעשה משה שנגנז עם
הארון ובו ימשחו המלכים והכהנים הגדולים
בימים ההם : הנה ביארתי בדרוש הנכבד
הוה יג" עקרים יקרים כפי התורה וקבלת
חכמינו זכרונם לברכה ונתתי בהם סבות
נאותות לפי חולשת דעתי :

quò proferretur eorum dignitas. Alterum, Quî in hoc negotio exſtructa ab iiſdem eſt generalis lex ſive regula aut principium ex eo quod circa Salomonem eſt geſtum, poſteaquam non idem reperire eſt neque de Saule, neque de Davide, neque de cæteris Regibus, nempe fuiſſe unctos illos juxta fontem. Ad primum reſpondeo, Propterea quòd ſummi Sacerdotis dignitas non tranſibat ad poſteros, nec ad filios jure hereditario pertinebat, utì dictum. Quandoquidem enim unctio apud fontem non fiebat, niſi ut eſſet ſignum propagatum iri regnum ad filios, neque deſiturum, idcirco haud obſervata fuit ea conditio in ſummis Sacerdotibus, ſed in Regibus tantùm, quoniam regnum hereditarium eſt, proptérque ejus continuam ac perennem ſucceſſionem Regum, inunctio ſemper apud fontem peracta eſt. Ad ſecundum verò reſpondeo ex mente Sapientum noſtrorum *מאמרם* præcepiſſe Regem Davidem ungi filium Salomonem juxta fontem, ut ſignum eſſet ejus regnum æternùm duraturum ac propagandum. Quoniam autem id ſignum fuit boni ominis, cenſuerunt Sapientes inducendum hoc in morem, ut cæteri itidem Reges omnes inungerentur apud fontem, quò illorum imperium foret perfectum inſtar imperii Salomonis, páxque & fides temporibus eorum vigerent, ſicut ejuſdem temporibus, quando opum, gloriæ & ſapientiæ amplius fuit quàm retro, & pòſt ſub Regum nemine. Ut igitur ſignum daretur aliquod tale futurum exterorum imperium, cenſuerunt ungendos omnes juxta fontem, non quòd hæc conditio è ſtatutis regni ſit, ſed quoniam ex eo quod factum eſt in inauguratione Salomonis, didicerunt illam eſſe boni ominis. Dici præterea poteſt, propterea quòd Saulis filius natu major patri non ſucceſſit in regnum, atque etiam Davidis filii grandiores miſerè perierunt [ad verb. *defecerunt, conſumpti ſunt à terroribus*, ex Pſal. 73. 19.] neque paternum adierunt regnum, ſed iis natu minor Salomo, id cauſæ eſſe quamobrem neque à Saule neque à Davide ſignum oménve perennitatis fuerit repetitum, ſed ab Salomone, in cujus ſolio major natu filius ſedit, ínque regnum ſucceſſit; & exinde ac deinceps in Davidica familia regnum ſemper obtinuit filius major.

CAP. XII. De inunctionis tempore, quòd fieri debuerit de die, non autem de nocte: quomodo legimus inunctos fuiſſe omnes tum Sacerdotes tum Reges diu, non noctu. Cauſa hujus rei manifeſta eſt ſignum boni ominis, nempe quò id regnum eáque dignitas pura exſiſteret ac lucida, ſine tenebris & anxietate ſive anguſtia. Atque hoc ſenſu dixit David, cùm noviſſima verba habuit, *Et ſicut lux aurora*, ſive *manè oriente ſole, manè abſque nubibus à ſplendore, & à pluvia herba de terra. Non enim ſic domus mea cum Deo, quia pactum æternum iniit mecum, ordinatum per omnia atque cuſtoditum.*

CAP. XIII. De eo quod jam à me ſuprà obſervatum, quòd confectum ſit oleum unctionis duntaxat ſemel, nempe in deſerto, ídque per manus Moſis Magiſtri noſtri, nec aliud conficiendum ſit præterea impoſterum, ſed Deus poſtquam advenerit Meſſias reſtituturus ſit populo ſuo oleum unctionis à Moſe confectum, quod unà cum arca fuit reconditum: quo quidem oleo inungendi ſint Reges ejus ætatis. Hactenus capita ſive radices tredecim magni momenti de gravi hac quæſtione ſive argumento expoſui Legi congruenter, & Cabbalæ Sapientum noſtrorum *מאמרם*, cauſásque attuli haud ineptas pro ingenii mei imbecillitate.

Arripiénſque vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex ea potum filiis Iſrael, Exod. 32. 20.

ESina monte, ubi quadraginta ipſos dies totidémque noctes unà cum Deo egerat, tabulâſque lapideas ejus manu exaratas acceperat, poſtquam deſcendiſſet Moyſes, ubi ad caſtra propiùs pervenit, vitulum, quem Iſraelitæ colebant, choreáſque conſpexit. Tum verò irâ percitus tabulas primùm è manibus excutere, ſúbque montis radicibus perfringere: deinde arreptum vitulum, igníque exuſtum in minutum pulverem contundere, éxque pulvere aquam torrentis è monte defluentis conſpergere, útque ex ea omnes Iſraelitæ biberent imperare. Hæc hiſtoria deſcribitur Exod. 32. ubi inter cætera hic verſus, *Arripiénſque* Moyſes *vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex ea potum filiis Iſrael.*

Quæritur quid cauſæ ſit, quamobrem Iſraelitas ejuſmodi aquam bibere voluerit Moyſes. Ezra & alii idcirco hoc putant à Moyſe factum, ut de iis conſtaret qui vitulum coluiſſent: aquæ enim illius beneficio aut impreſſam ſacrilegis notam in vultu, aut intumuiſſe eorum ventrem, cùm

eam

eam alii, omnes enim bibere jussi sunt, impunè potarent. Nam absque hoc fuisset, nunquam Levitas, quibus postea præcepit Moyses ut districtis gladiis sacrilegii reos cæderent, eos agnoscere potuisse. Volunt hi nimirum ejusdem fuisse virtutis eam aquam pulvere è contuso illo vitulo consperſam, atq; illam quæ pulviſculo è Tabernaculi solo permixta potáq; mulieri, quæ viro feciſſet quod minùs castæ solent, femur decutiebat ventrémq; distendebat, Num. 5. Fuisse istius aquæ potationem in pœnam argumento esse volunt nonnulli ex Hebræis, quòd Deut. 9. 21. Moyses ejus non meminit, sicut nec trium millium [Numerat Vulgata 23. millia] virorum cædis, quia ibi scilicet pœnas silere vellet. Tantùm illic ait, *projeci pulverem ejus* vituli *in torrentem, qui descendebat è monte illo.* Nihil addit præterea. Abarbanel sibi ait videri feciſſe erga vitulum Moysem quicquid in ejus contemptum vertere poterat. Ex. gr. hîc, nè pro æterno Deo crederetur, palàm feciſſe omnibus quàm non esset à corruptione alienus, resolvendo illum in quatuor elementa: illum enim primò exussisse; deinde ità minutim contudisse commoluisséque, totus ut in pulverem abierit; pulverem postea per aera dispersum in aquam effudisse: nempe ut indè daretur intelligi, nihil Divinitatis illum habuisse, nihilóq; plus virtutis quàm quæ quatuor ex elementis constant. Jussisse autem ut ex aqua pulvere illo consperſa Israelitæ omnes biberent, כדי שיצאו בהשתנה הדבר נתעב ונאלח, *quò tandem* illa aqua *cum urina, re putida fœtidáq; egereretur*; sícque omnibus nihil Divini vitulum illum habuisse liquidò constaret. Bechai verbo rem expedit, המים שזרה בהם השקה אותם דרך בזיון כדי שיוציאוהו דרך הנקבים, i. *Ex aqua quam consperſiſſet bibere eos voluit contemptûs ergò, quò nimirum eam egererent per meatus.* [Ità D. Hieron. ad Fabiolam.] Huc refert illud Esa. 30. 22. de idolis, *Et contaminabitis operimentum sculptilium argenti tui, & amictum conflatilis auri tui; disperges ea sicut immunditiam menstruatæ: Egredere*, vel juxta alios, *Sordes* estis, *dices ei.* Eodem propè modo & Ramban, teste Isaaco Aramâ, qui ipse aliud sentit, & subtiliter sanè, nimirum innuere voluisse Moysem, cogendo Israelitas ex aqua pulvere è contuso vitulo consperſa bibere, per ea quæ fecerat, (nimirum exurendo, & comminuendo vitulum in pulverem) illos imbui velle intellectûs salutari disciplinâ, quæ instar aquæ interiora pervaderet, ossa irrigaret, animæq; medicina esset adversûs imminentem perniciem; h. e. docere se illos eo ritu voluisse, háncque animis veluti instillare salutarem doctrinam, vitulum illum nihil fuisse nisi meram vituli imaginem: quæ doctrina ad propulsandam imminentem à Deo calamitatem iis utilis futura esset. Huc enim denique redit omnis ejus oratio, quæ à me referetur Hebraicè, ut omnium qui Hebraicè sciunt sit judicium. Sic habet; ויש לומר שירמוז כי במעשה הזה שעשה השקם מוסר השכל במעיניו ישועתו ויבא בטיב בקרבם ושקוי לעצמותם ורפאות לנפשותם להצילם משואת הכליה שבקשה לפנות בם: Quæri item potest circa propositam historiam, quo consilio perfregerit Moyses tabulas Divino digito inscriptas. Melius sanè fuisset si eas apud montem reliquisset: neque enim tum primùm cognoscebat de vitulo; Deus quippe ei rem, ut erat, jam patefecerat. Qui legatum agit, si fortasse ii ad quos mittitur minùs illum audiant, non debet propterea domini sui literas concerpere. Sunt in iis Bechai qui dicant, כי בבא משה אל גבול טומאת הענל שפרחה הכתיבה מן הלוחות ונשארו אבנים: *Cùm perveniſſet Moyses ad terminum immunditiæ* (seu *impuritatis*) *vituli, avolaſſe scripturam à tabulis, reliquósq; duntaxat fuisse lapides.* Addunt deinde eos lapides Divinâ scripturâ destitutos perinde fuisse atque corpus sine anima, ideóq; tum Moysi prægraves visos, ità ut eos statim è manibus excusserit, præsertim cùm nihil Divinæ manûs retinerent, nullíq; ampliùs usui esse possent. Huc pertinere volunt illud quod Mystici observant, cùm notati capitis Exod. v. 15. legatur Moyses duas illas tabulas בידו *in manu sua* habuisse, hîc nempe v. 19. dici eas abjeciſſe מידיו *è manibus suis*, ut quas tum ob gravitatem utrâque etiam manu sustinere non posset. Perinde autem leves fuisse aiunt lapideas illas tabulas Divinâ scripturâ impressas ac ferri candentem laminam, quæ igne luminéve, ceu animâ, veluti suffulcitur, eâdem verò scripturâ destitutas pristinum pondus recepisse, non secùs ac facit lamina ubi frigus induit. Sunt, autore Abrahamo Sebâ, in lib. cui titulus, *Fascículus myrrhæ*, (Commentarius est in Legem celebris) qui dicant, רושם הראיה בלב גדול מהשמיעה ווהו אומרו וירא את העגל ומחולות ומגודל צערו וכאב לבו לא יכול לסבול את הלוחות ושבר אותם תחת ההר על שלא נשאר לו כח לסבלם, *visu magis animum afficiquàm auditu; ideóq; ut conſpexisset Moyses vitulum choreásq;, præ dolore non potuisse ferre tabulas, illásque perfregisse sub monte, quòd ad eas ferendas ampliùs illi non suppeterent vires.* Alii existimant consultò datâque operâ perfregisse eas tabulas Moysem, quò Israelitarum animis dolorem inureret, cùm viderent suâ se culpâ legem Dei digito exsculptam amisisse. Ità sentit Abarbanel, qui sic scribit, לא הניח את הלוחות במקום שניתנו לו אבל הביאם בידיו כדי שיראו ישראל וירגישו אברתם כאשר ישברם לעיניהם, *Non reliquit tabulas in loco ubi datæ illi fuerant, aſt secum ipse manibus deferebat, ut eas cernerent Israelitæ sentiréntq; quid damni facerent quando illas coram iis conſringeret.* Satis verò placet hæc sententia.

Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: at in septimo egredietur liber gratis. Quòd si dixerit servus ille, Diligo dominum meum, uxorem meam & liberos; non egrediar liber: Tunc adducet eum dominus ejus ad Judices, & adducet eum ad ostium, vel ad postem, perforabitque aurem ejus subulâ, & erit ei servus in seculum, Exod. 21. 2, 5, 6.

LEX erat in legibus Mosaicis, ut servus Hebræus sive Israeliticæ gentis pretio comparatus sex annos servitutem coleret, postea liber esset: Quòd si, exacto sexennio, heri sui suæque uxoris ac pignorum amore captus libertatem detrectaret, negarétque de heri potestate exire, subulâ tum alteram ei aurem ab ipso hero ad januam aut ad postem pertundi eadem hæc lex jubebat. Sacri textûs hæc verba sunt, Exod. 21. 2, 5, 6. *Si emeris servum Hebræum, sex annis serviet tibi: at in septimo egredietur liber gratis. Quòd si dixerit servus, Diligo dominum meum, uxorem meam ac liberos, non egrediar liber: Tunc adducet eum dominus ejus*, &c. Idem ferme legere est & Deut. 15. à v. 12.

Quæritur cur isti servo auris perfoderetur, & quidem in ostio vel poste. Baal Hatturim verbo rem expedit, לומר שישמור בית אדונו, *Ut eo doceretur ritu diligenter sibi custodiendam heri domum*, tanquam si portæ esset affixus: Si hæc causa est, quare tam serò, post sex demum annos, sui muneris admonebatur servus? Nónne statim initio potiùs oportebat? Satis, satis tum illum, præsertim qui herum amaret, admonebat amor, quid hero deberet, ut alio illum pacto admoneri nihil esset necesse. Meliùs igitur Rasi quosdam citans, Bechai, Abarbanel, Isaacus quoq; Arama & alii idcirco hoc factum existimant, ut qui; cùm liber esse posset, heri sui, suæq; uxoris ac liberorum causâ, (nam illa cum his penès herum remanebant, si servo eam herus dedisset) servire mallet, is notaretur ignominiâ, & quidem in publico, nimirum ad portam Senatûs, in oculis omnium civium, quò isto exemplo alii nè idem facerent deterrerentur. Sed cur notatur ignominiâ qui laude potiùs dignus videri poterat, quòd herum herilémq; familiam, (Deut. 15. 16.) uxorem suam ac liberos diligeret? Respondent, quòd Israelitici generis vir præter Dominum dominum haberet neminem, ipso Domino autore, qui Levit. 25. 55. *Mihi enim*, aiebat, *filii Israel servi, servi mei sunt, quos eduxi è terra Ægypti*, &c.

ille autem qui se volens cùm liber esse posset homini in servum manciparet, meliorem suam suorúmq; conditionem sperans quàm si liber abiret, Domini Dei dominium ex parte abdicaret, legísq; Divinæ jugum quodammodo excuteret, quò hominis jugum subiret induerétque, ac deniq; plus in homine spei quàm in Deo poneret. Huc verò pertineret quod in Midras ad hoc, *& adducet eum ad ostium*, &c. legitur, אמר הקבה" אני פתחתי לו פתח הבית לצאת חפשי והוא סגר עליו פתח הבית להיות עבד לפיכך ילקה בפתח, *Ego, dicebat Deus Opt. Max. recluseram illi ostium domûs, quod ipse sibi clausit. Idcirco plectatur in ostio.* Neque nocet quòd sponte quis in servitutem dare se posset, & id impunè quidem, atque paciſci cum hero quot annos vellet, plures paucióréſve, ad annum tamen Jubilæi duntaxat, quando de heri potestate exibat, & ad suos unà cum suis liberis revertebatur: qua de re aperta lex exstat Lev. 25. 39. & qui sequuntur. Illic enim in Levit. de eo agitur qui ab se quidem væniret, sed necessitate, quæ nullâ astringitur lege, compulsus tamen: hîc autem de furti reo, qui quòd pœnam pecuniariam pendere non posset ab Senatu vendebatur (Exod. 22. 3.) in sex annos, quibus exactis cùm libertatem si voluisset adipisci posset nolebat. Dico ego hîc quod sentio, non quod Hebræi fortasse, certè omnes. Expendit porrò Abarbanel illud, *Tunc adducet eum dominus ejus*, אל אלהים *ad Judices*, sive, ut ipse vult, *ad Deum*, i. ad locum ubi Dei exercentur judicia; quo modo Deut. 19. 17. *Stabunt ambo quorum causa* seu *lis est*, לפני יהוה *ante Dominum, ante Sacerdotes & Judices qui fuerint in diebus illis*: negat enim Abarbanel אלהים *Judices* significare. Ad rem redeo. Expendens Abarbanel notata verba, *Hoc*, inquit, *tenebatur ipse herus facere, quò purgaret se apud judices de eare, palámque faceret se nec dolo nec fraude istum hominem adversùs legem Divinam retinere quominus liber exiret.* Sic habet Hebraicè, הנה או והגישו אדוניו אל האלהים רוצה לומר שיתנצל מזה לפני בית דין ויפרסם שאינו רוצה האיש הזה ואינו מחזיק בו בהניפה ורמאות כנגד המשפט האלהי: Paulò aliter Rasi; צריך שימלך במיכריו שמכרוהו לו, *Necesse fuit eos consuleret* de retinendo servo, *à quibus ipsum emerat*. Neq; verò herus servum Judicibus sistebat modò, sed ipse etiam suâ manu aurem ei ad januam Senatûs vel postem applicato affixóque subulâ perforabat. Dicitur enim *perforabitque (dominus ejus* supple) *aurem ejus subulâ*; & Deut. 15. 17. *Assumes subulam, & pones in aure ejus, & in porta.* Cujus rei hæc forsan causa est, ut qui repudiatâ libertate, re adeò charâ, servitutem quam omnes homines sic tanquam mortem jure ac meritò horrent præoptaret, aliúmque dominum præter æternum illum Dominum sibi quæreret, ab ipsomet quem dominum vellet ac tam impensè diligeret, plecteretur, ac sic major efficeretur pœna. Legisse mihi videor, nisi me memoria fallit, ex Hebræis quosdam, qui sic ferme sentiunt, institutum lege Divinâ uti ipse herus servi sui aurem terebraret, ut quia uterq; in culpa esset, hic alium sibi dominum præter Dominum quærendo, ille in servum, qui unius Domini servus esset, admittendo, uterque etiam plecteretur, servus pœnam ferendo, herus inferendo; quia scilicet hoc herum parùm deceret, præsertim in talem servum, ità ut illi non servi tantùm sed heri etiam videretur pœna, idémque pateretur qui supplicii exactor esset. Nam præterquam quòd herus gravatè id amanti servo faceret, tum contumelioſum ei accidebat tam indignam rem publicè agere carnificísq; fungi officio. Ab hac, credo, sententia non longè abest Bechai, qui cavisse Legem scribit, ut ab hero iste servus pœnas ferret, כדי שיתכאר מזה כי הוא והאדון שלו שניהם יחדו כעבד כאדוניו מיוחדים בעבודת האדון העליון יתכרך אשר לו כל המשל והארנית לא לבשר ודם, *ut inde manifestum fieret, tam hunc quàm illum, simul ambos, servum & herum, admoneri serviendum esse supremo Domino, cujus est omne imperium ac dominium, non cujusquam mortalium.* Cur januæ vel postii auris perforanda admoveretur in promptu causa est, quòd utrumque auri perfodiendæ esset commodum. Nimis enim longè petitum quod Allegorici isti putant, in hoc id factum ut postes & superliminare quibus olim in Ægypto agni Paschalis sanguis, futuræ libertatis signum, illitus fuerat, testes essent ac veluti ejus pœnæ spectatores, quam qui libertatem repudiasset sustineret: & ut qui libertatem neglexerat, fuso in postem aut januam, quæ libertatis signum quondam gesserant, sanguine, criminis pœnas lueret. Cur subula porrò forandæ auri adhiberetur, nihil necesse, opinor, quærere. Nam quod aptius, quæso, ad id adhiberi potuisset instrumentum? Somniant tamen Allegorici, sed somniant, vocabulum מרצע, quod *subulam* significat, valere 400. quot annos scilicet Israelitæ apud Ægyptios servitutem servierunt, ideóque eo innui, saltem subobscurè, eum qui ad 400. illos Ægyptiacæ servitutis annos aliquid sponte ac volens (nisi fortè coactus necessitate, cui nulla posita lex) adjecisset, subulâ esse perfodiendum. De hoc ità scribit Baal Hatturim; במרצע עולה כמין ת" שהשם נאלנו אחר ת" שנה משעבוד מצרים והוא הלך ונשתעבד אחר כך לפיכך ירצע במרצע: Sed quæ tandem istorum vocabulorum sententia, *& erit ei servus in seculum?* Cùm enim quivis servus, volens nolens, Jubilæi recurrente anno, manumitteretur, atque in libertatem assereretur, quemadmodum Hebræorum plerique omnes judicant, quî fieri potuit ut ille servus, de quo loquimur, abdicatâ semel libertate, in seculum seu perpetuum postea servitutem colere teneretur? Abarbanel explicat hoc loco לעלם *in seculum*, pro עד היובל קרוב יהיה בשנים או רחוק שמפני שחמשים שנה הוא ומנו של דור אחד נקרא היובל שנת החמשים בשם עולם, *usque ad Jubilæum, sive propè sive longè abesset: quoniam enim ætatem* (seu *generationem*) *conficiunt anni quinquaginta, Jubilæus, qui annus quinquagesimus est*, seculi *vocabulo appellatur.* Eodem ferme modo Rasi, Bechai veteres laudans, aliíque: & Bechai quidem interpretatur לעולם *in seculum* pro לעולמו של יובל *in seculum Jubilæi*; ac testis est in hunc modum exposuisse Talmudistas in Tractatu Kidduschin. Ezra putat עולם significare longum tempus, explicátque לעולם, pro לזמנו של יובל *in tempus Jubilæi*, שאין זמן מיעדי ישראל ארוך ממנו *quo in festis* (sive *solennitatibus*) *Israelitarum nullum longius tempus.* Isaacus Arama accipit לעולם *in seculum* sive *in perpetuum*, ut sonat: כי מהגאי והחיתות לא יצא ביובל, *siquidem* ejusmodi servus *ob ignominiam & infamiam*, quâ notatus esset, *Jubilæi tempore de heri potestate non exiret.* Næ iste cum paucis sentit. Nam plerique omnes existimant servos omnes, cujuscunque conditionis essent, vellent nollent, Jubilæi anno recurrente, libertate donatos atque manumissos fuisse. Sed dicendi hac de re alter erit fortasse commodior locus.

VARIA

VARIA SACRA
EX LEVITICO.

Locus è Levit. cap. 10. breviter declaratus.

VErsus 6. cap. 10. Levit. sic habet, *Locutúsq; est Moyses ad Aaron, & Eleazar & Ithamar filios ejus, Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere; nè fortè moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio*, &c.

Quæritur, cur si quid secùs quàm oporteret fecissent Aaron, Eleazarus & Ithamarus, ille Pontifex, hi verò sacerdotes, iccirco in reliquam multitudinem animadversurum Deum aiebat Moyses. Baal Hatturim breviter respondet, & satìs acutè, ut videtur, לפי שהיו שלוחי צבור ושליח שמשה סימן רע לשולחין, *Quòd legati essent ipsius cœtûs* (seu *Ecclesiæ:*) *legatus autem alicujus cœtûs* (seu *universitatis*) *qui erravit, malum signum est* (sive *omen*) *iis à quibus mittitur.* Si peccet legatus, nec legatione probè fungatur, legati peccatum utique iis nocet pro quibus legationem obit. Ità quoque Abrahamus Seba. Aliter Ezra; *& non moriemini, neque super omnem cœtum orietur indignatio:* כי אתם תכפרו בעדם, *siquidem pro iis* (seu *ex cœtu*) *expiabitis* supplicabitísque *vos*, si non moriamini scilicet.

Vestis lanea sive linea quæ lepram habuerit in stamine aut subtegmine, aut certè pellis, vel quicquid ex pelle confectum est, &c. Lev. 13. 47, 48.

Cùm ingressi fueritis terram Chanaan, quam ego dabo vobis in possessionem, & posuero plagam lepræ in domo terræ possessionis vestræ, &c. Lev. 14. 34.

QUÆ qualísve vestium aliarúmque rerum sensûs expertium lepra fuerit, meritò inter Hebræos est controversum. Cùm enim lepra morbus sit sensum afficiens, [Sic definit lepram Abarbanel,] vestis autem, pellis ac domus sensûs sint expertes, quî fieri potest ut vestis, pellis ac domus laborent leprâ? Quî in vestem aut pellem convenit, quod notati cap. versu 51. dicitur, צרעת ממארת הנגע טמא הוא, *lepra corrodens*, seu *pungens, est plaga illa, immunda est*, sub. *vestis illa? Corrodendi* enim seu *pungendi* vocabulum dolorem notat: quo sensu Ezech. 28. 24. *Et non erit ultrà domui Israel* ממאיר *pungens, & spina dolorem inferens*, &c. quicquid autem non sentit, ut vestis, ut pellis, ut domus, doloris quoque expers sit necesse est. Scribit Ralbag rerum quæ non sentiunt lepram esse, cùm in iis prævalet humidum extraneum, calórque extraneus, debilitato calore elementari, cujus beneficio earum rerum humores conservantur; ità ut pereat ac destruatur compositio propter resolutionem humorum, per quos res illæ subsistiunt: aspectu autem percipi ejusmodi putrefactionem, dum nimirum viride aut rufum quid cernitur; quale videre est in locis putribus, putà iis quæ stercora recipiunt, & aliis ejusmodi. Quoniam autem res eæ nullâ arte medicâ curari à putrefactione seu mucore possunt, sicuti homo quamdiu vivit, voluisse Deum res istas igni cremari. Multi, quorum Abrahamus Seba, negant lepram vestium fuisse בחק הטבע *naturalem*, seu *modo naturali*, sed בחק היכולת האלהי, *ex decreto potentiæ Divinæ:* כי מרוב אהבתו אל עמו ישלח להם סימני וכירה בראות הנגע בביתו או בבגדו ישוב אל ה", *siquidem Deus præ amore quo suum populum complecteretur, ea immitteret signa quibus admonerentur singuli quid facto opus esset, ut si videret plagam domui aut vesti impressam, tum ad Deum se converteret.* In eadem sententia sunt Ramban, Bechai, Isaacus Arama, & alii. Et quidem certè Isaacus Arama censet vestibus à Deo impressam lepram, cùm quìs perversos mores pravis ex dispositionibus contraxisset: domibus verò, cùm perversas opiniones seu sensa ex usu & consuetudine aliorum. *Vestibus* autem tam pravos quàm rectos mores designari in S. literis idem observat, ut cùm Zach. 3. 4. dicitur, *Auferte vestimenta sordida ab eo:* & Eccles. 9. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* Addit vicinâ, imò eâdem voce, nempe מרורת, *mores* ac *vestes* significari. Existimo ego cum Abarbanele lepram vestium, pellium atque utensilium pelliceorum esse, quam vestes, pelles aut utensilia pellicea, putà calcei, ex contactu leprosi contrahunt: fieri autem solùm mentionem vestium ex lana aut lino confectarum, non autem ex serico aut gossipio, quòd, ut censet Ezra, cui lubens subscribo, ex lana & lino plurimùm vestes conficerentur; ideóq; *lanæ & lini* vocabulo synecdochicè intelligenda sit quævis materia; sicuti cùm dicitur, Exod. 23. 5. *Si videris asinum odientis te jacere sub onere*, &c. *asini* vocabulo accipiendi quoque equus & mulus: aut quòd, ut ille idem censet, lanæ & lino tantùm (utpote forsan mollioris materiæ) possit lepra accidere. Sed cur tam solicitè caveatur de istiusmodi lepra dignoscenda si quis quærat, ità ut vestis quæ putaretur leprâ affecta ostendenda Sacerdoti esset, posteáque, si ità judicaret Sacerdos, concludenda in septem dies, ac rursum, si necesse esset, in septem dies, dum de lepra certius ferri judicium posset: respondeo, nè quis, curato lepræ morbo, ex contactu vestis lepram denuo contraheret. At promptius fuisset ejusmodi vestem à se dimittere, aut statim igni cremare. Respondeo cum Abarbanele videri hic Legem sumptus & impensas minuere voluisse.

Sed quid sentiendum de lepra domorum & parietum? Nam ut ex contactu leprosi vestis aut simile quid, quod propiùs leproso adhæreat, lepræ veneno infici possit, utì mox à nobis dictum, non item sanè lapides, solum, ac parietes.

Ex eo quod speciatim ait Deus cap. Levit. 14. versu notato, Israelitarum se ædibus, cùm in Chananæam perveniissent, lepræ plagam inflicturum, his verbis, *& posuero plagam lepræ in domo*, &c. indè colligunt Hebræi שאין הדבר בטבע כי אם בהשגחתו שנחתו ורצונו יתברך, *rem illam non naturæ, sed Dei providentiæ & voluntati tribuendam*, volúntque non alio fine incussam à Deo Israelitarum ædibus parietibúsque lepram, quàm ut illi gravioris culpæ rei eo signo à lapidibus & parietibus veluti admonerentur, ut resipiscerent ad Deúmque se converterent; alioquin fore, ut paterfamilias totáque familia lepræ morbo afficeretur. Sic sentiunt Hebræi ferme de lepra ædium, ac plerique etiam, ut à me paulò est antè dictum, de lepra vestium pelliúmve. Verùm haud judico ego absurdum lapides, solum parietésque potuisse ex contactu quoque, aut halitu etiam sputóve, itidem ut vestes ac pelles, si minùs leprosi scabie, at certè veneno ac maculis quibusdam ità affici, ut ex iis crearì periculum hominibus haud mediocre posset. Quòd autem se inducturum ædibus lepram illam Deus minatur, id non admodum Hebræis favet, quasi haud naturaliter, sed Divinitus tantùm ea contigerit, sed solùm ostendit ejusmodi rem, ut omnia quæ homini accidunt mala, non sine Dei nutu plerumque evenire.

Ritûs purificandi leproſi, qui 14. cap. Levit. præſcribitur, quæ ratio?

LEproſo, quanquam curatâ leprâ, non antè fas erat caſtra ingredi, cúmque cæteris hominibus verſari, quàm certo ritu, qui 14. cap. Levitici præſcribitur, eſſet purificatus, i. purus ac mundus palàm declaratus. Is autem ferme erat ejuſmodi; Ante Sacerdotem extra caſtra progreſſum conſtituebatur leproſus, quem ſi Sacerdos a lepra curatum eſſe animadverteret, tunc jubebat ſumi à quopiam, ac forſan ab eo qui purificandus venerat, paſſeres, ſeu cujus generis cumque aves duas vivas ac mundas, virgam cedrinam, coccúmque vermiculi, atque hyſſopum, earúmque avium unam mactari in vaſe teſtaceo, & aqua viva, quæ nimirum nulli adhuc uſui fuiſſet, [Abarb.] ſive quæ è ſcatente vena hauſta eſſet, [Ezra.] Tum ipſe Sacerdos alteram avem, ut erat viva, unà cum virga cedrina coccóque vermiculi & hyſſopo immergebat in ſanguinem jugulatæ aviculæ, ex eóque ſanguine purificandum aſpergebat ſepties, vivámque aviculam in agros liberam dimittebat. Quo facto, purificandus lavabat veſtes, radebat quicquid erat pilorum, ſéque abluebat aquâ: ac tum demum finebatur in caſtra ingredi; ſed eâ tamen lege, ut dies ſeptem ab domo ſeu tabernaculo abeſſet ſuo, nè quid ſordium ſcilicet illuc inveheret, ac nuptialem fortè thalamum inficeret. Hujus ritûs ratio quæ ſit, jure ac meritò quæri poteſt. Primus Hebræorum occurrit Iſaacus Karus, qui iſtius ritûs rationem ità ferme explicat in libro cui de ſuo nomine titulum fecit, *Toledhoth Iſaac*, h. e. *Generationes Iſaac:* Lepra בעון דבור רע, *propter peccatum maledicentiæ* accidit. Maledicentiæ autem genera ſunt tria, 1. לשון הרע *maledicentia* ſimplex; 2. רכילות *Delatio*; 3. מוצא דבה *Calumnia*; cùm quis cui intentat fictum crimen: ſic autem appellatur, quòd Prov. 10. 18. dictum ſit, ומוציא דבה הוא כסיל. Maledicentia enim eſt cùm quis alieno quidem detrahit nomini, ſed veré: maledicus quippe tantùm quod malum eſt arripit, ferme uti facit muſca, quæ ei corporis parti ubi plaga aut vulnus eſt ſeſe applicare ſolet. Delatio verò, cùm quod quis uno in loco audivit apud alios refert, verum tamen eſt quod refert. Ea cauſa eſt quamobrem juſſerit Deus à leproſo, qui eſſet purificandus, offerri paſſeres ſeu aves duas, unam ſcilicet pro calumnia, alteram pro maledicentia; coccum verò vermiculi pro delatione: delator enim non ſecùs ac vermiculus carnem hominis comedit. Indè etiam eſt quòd voluerit Deus eam avem quæ pro maledicentia offerretur jugulari, ut eo doceretur ritu purificandus jugulandam mactandámve eſſe concupiſcentiam ac linguam malam, ſi gratam eſſe pœnitentiam cuperet. Quod calumniatorem attinet, ejus anima dæmonibus permittenda devovendáq; eſt: ac propterea dicitur cit. cap. Levit. verſu 7. *& dimittet paſſerem* (ſeu *avem*) *vivam* על פני השדה, id quod Veteres Rabbinorum (allegoricè ſcilicet) explicant, לפורחות שבשדה פירוש לשדים שפורחים בשדה, *Dæmonibus qui volant in agris.* Ac nihilominus calumniatoris ſalus minimè deplorata eſt, ſi ſatìs eum delicti pœniteat: ideóq; avis illa demergenda antè erat in jugulatæ avis ſanguinem, quò admoneretur calumniator (ità enim interpretor ipſe) licere illi adhuc reſipiſcere à calumnia, eam mactando ſcilicet, ſicuti mox de maledicentia dictum. Coccus autem vermiculi qui delatorem obumbrabat, ſignificabat שחטאיו ארומים ונכתמים לפני הקבה, *rubra eſſe & inſignita ejus peccata apud Deum*, juxta illud Eſa. 1. 18. *ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum*, &c. Quòd autem ferè minores majoribus detrahant, idcirco ad hunc ritum voluit Deus adhiberi cedrum, quæ arborum maxima eſt, & hyſſopum, quæ eſt minima. Ità ferme quem nominavi Karo, cujus ſententiam magìs ſtuduimus reddere quàm verba. Satìs verò hic friget, nec per omnia ſatisfacit. Raſi idcirco aves ad iſtum ritum eſſe adhibitas obſervat, לפי שהנגעים באין על לשון הרע שהוא מעשה פטפוטי דברים, *quòd plagæ veniant ob maledicentiam, quæ in garrulitate poſita eſt:* aves autem מפטפטין תמיד בצפצוף קול, *garrulæ ſint ſemper* [*garriant ac pipiant ſemper.*] Virgam quoque cedrinam, quòd plagæ veniant etiam על גסות הרוח *ob ſuperbiam*, quæ cedro arborum maximâ optimè adumbratur. Coccum denique vermiculi & hyſſopum, quò innueretur non eſſe aliud ſuperbiæ remedium quàm abjectionem, quæ per ea deſignabatur. Probant autem Hebræi plagas maláque incuti Divinitus ob maledicentiam ex illo Prov. 18.20. *Mors & vita in manu linguæ:* & Eccleſ. 5. 5. *Nè dederis os tuum, ut peccare faciat carnem tuam.* Ac leprâ quidem caſtigatam maledicentiam probant ex eo quòd leproſus Hebraicè מצורע dicatur, quaſi מוציא שם רע *educens nomen malum*, i. alieno nomini detrahens. Quàm bonum hoc ſit etymon, atque adeò ſolidum argumentum quod ex eo ducitur, facilè judicabunt qui in arte Grammatica verſati ſunt. Non ineptæ nec inſulſæ porrò Abarbanelis, viri ſemper ingenioſi, de toto illo purificandi leproſi ritu conjecturæ. Sic autem ille ferme; neq; enim verba, nè nimis longus ſim, ſed ſententiam tantùm referre eſt animus. Lepra, inquit, quatuor rebus potiſſimùm dignoſcitur, ſenſûs privatione, humorum putrefactione, oris ac vultûs pallore ac deteriore colore propter corruptum ſanguinem, tetro denique odore ob vitiatos humores. Qui autem leprâ laborabat, jubebatur cæterorum hominum conſortio abſtinere, ſolúſque degere extra caſtra, ac vetabatur etiam ingredi Sanctuarium: ideóque duplici ei opus erat purificatione: unâ, quâ palàm declararetur ſanus, atque adeò ei poteſtas fieret verſandi ſuis cum civibus; alterâ, quâ poſt oblatum Deo gratitudinis ergô ob recuperatam valetudinem ſacrificium, dignus fieret qui ſacra omnia contingeret, Sanctuariúmque intraret. Igitur lege ſanciit Deus, ut primæ purificationis *(de hac enim ſolum nobis nunc ſermo eſt)* die quatuor illa quæ recitantur in S. codice, leproſus exhiberet offerrétve, ex quibus ſcilicet daretur intelligi, quatuor illa quibus antea laborabat vitia curata eſſe. Certè enim quidem paſſeres ſeu aves duæ vivæ ſignificabant reſtitutum priſtinum ſenſum: cedrus, quem naturalium rerum Scriptores tradunt, & verò experientiâ compertum eſt nunquam putreſcere, diúque durare, humorum putrefactionem curatam: coccus verò vermiculi, qui rubei eſt coloris, purgatum ſanguinem, unde rediturus eſſet verus faciei color: hyſſopo denique tetrum abiiſſe odorem. Hæc itaq; quatuor ſignificabant curatum omnino eſſe illum à pravis lepræ affectionibus. Quòd autem juſſit Deus duarum illarum avium alteram mactari in vaſe fictili & aqua viva, alteram verò ſimul cum virga cedrina dibaphóque coccineo ac hyſſopo immergi in mactatæ ſanguinem, eo ritu innui voluit, ut iſtarum quidem avium quæ ambæ antea vivebant, altera nunc Dei juſſu erat mortua; ità quòd duorum hominum unus morbo corripiatur, aut etiam moriatur, alter verò bellè habeat, id totum Dei voluntati ac providentiæ eſſe adſcribendum. Atq; hæc quoq; cauſa eſt, cur eam avem voluerit mactari in vaſe fictili, quò innueretur, eſſe hominem inſtar vaſis fictilis opus manuum figuli, Dei nimirũ, coram quo omnia ſunt perinde ut lutum in manu figuli. Mactabatur autem ſuper aquam vivam quæ erat in vaſe, quo Lex innueretur, quæ in corde hominis eſt. Namq; ob violatam (ab homine ſcilicet) Legem avis illa mactabatur: (lepræ enim morbum infligebat Deus in pœnam ſcelerum.) Itidem juſſerat Deus avem vivam unà cum cæteris rebus immergi in ſanguinem avis mactatæ, quò ſignificaretur, lepram non tam ex contactu contrahi, ſicuti ſentiunt Medici, quàm Divinitus incuti ob peccata. Idcirco enim ſimul cum avicula intingebãtur virga cedrina, coccus vermiculi atq; hyſſopus, ut indè daretur intelligi membra, humores, colorem odorémque, quæ rebus prædictis deſignabantur, nihil pati detrimenti, nedum corrumpi, ex contactu: ſiquidem res eæ ſanguine avis mactatæ, quæ leproſum deſignabat, intinctæ non corrumperentur. Ideo voluit etiam Deus eum qui purificabatur conſpergi ſepties iſto ſanguine, quò innueretur, ſepties cadere hominem, aſt reſurgere. Sed quòd ad extremum jubebatur avem vivam dimitti in agros liberam; eo certè ritu innuebatur, ei qui purificaretur dari veniam utì rediret in caſtra, eíque poteſtatem fieri eundi quocunque

cunque libuisset. Propterea quòd autem aves ex non habuerunt rationem hostiæ seu sacrificii, idcirco avis mactata non cremabatur, sicuti hostiæ solebant. *'Mox paucis interjectis*, Jubebatur autem leprosus vestes suas lavare, quòd essent leprâ infectæ, ideóque repurgandæ: tum autem ad procul eliminandam omnem lepræ cogitationem, pilos quoque radere, nè quod lepræ quæ pilos demetit cerneretur vestigium, sed novi omnino succrescerent pili, prorsus resectis prioribus. Haud dubium est tamen quin vestium ablutione pilorúmq; resectione innuere, subobscurè saltem, Lex voluerit priſinos mores, propter quos incussus ei fuisset Divinitus lepræ morbus, esse corrigendos resecandósq;. Jubebatur quoq; aquâ sese abluere, quò intelligeret nihil se opus habere unguentis ac medicamentis, sed solâ aquâ frigidâ. Hoc sensu dicebat Elisæus Propheta Naamani copiarum Regis Assyriorum imperatori, qui ipsum de lepræ quâ laborabat remedio consultum venerat, *Vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua*, &c. 2 Reg. 5. 10. Atque istud forsan hinc mutuatus fuerat ille Propheta; ex hócque ritu ac lotione ista, certè subobscurè ac tacitè, admonebatur qui purificabatur, ut Legi adhæresceret, eâque ceu aquâ crimina elueret. Jubebatur deniq; suum extra tabernaculum manere dies septem, nè antè uxorem attingeret quàm confirmata planè valetudo esset: tum ut peractis omnibus quæ ad primam purificationem, per quam scilicet dignus fiebat ingredi castra, interim dum ad aditum Tabernaculi aliis quibusdam ritibus, qui septimo pòst die incipiebant, compararetur, purus esset mundúsq; omnino ac delicti expers. Hæc ferè excerpta sunt ex Abarbanele.

Sed & alius quidam ex Abarbanele erat ritus, quo ad aditum ipsius Tabernaculi præparabatur qui recèns à lepra curatus fuerat. Inter cætera hoc Lege erat præceptum, ut à prima purificatione die octavo sumeret recèns curatus à lepra agnos integros duos, & agnam anniculam unam, itidem integram, oleíq; sextarium unum: Sacerdos verò agnorum alterum pro delicto noxáve offerret, & olei sextarium, ac deinde sumeret de noxæ sanguine; eóq; auriculam infimam dextram, pollicem item dextrum, tum manûs tum pedis purificandi conspergeret; tum autem de olei sextario in volam suam sinistram infunderet, eóq; oleo easdem illas partes necnon caput inungeret.

Hîc quæritur præsertim, cur aurem dextram, pollicem item dextrum, tum manûs tum pedis, necnon caput, sanguine & oleo conspergi Deus voluerit. Respondet Abarbanel, quòd iis in membris lepra primùm efflorescat: illa enim statim eam produnt, ut quæ adipis & carnis minus quidem habeant. Deinde ostendere voluisse Deum isto ritu Divinitus tantùm curari lepram, nihílq; opus esse arte medicâ ad eam curandam. Cùm enim lepram missione sanguinis levari artis Medicæ leges jubeant: jussisse contrà Deum aurem infimam dextram, utpote præcipuam, pollicem indè dextrum tam manûs quàm pedis purificandi sanguine conspergi; quò scilicet innueretur adeò non missione sanguinis curari lepram, ut potiùs sanguis ad illas partes quæ caput, brachium, pedem, unde mitti sanguis solet, repræsentabant, addendus esset. Quod oleum attinet quo perungi easdem illas partes Deus sanciit, censet etiam idem Abarbanel ejusmodi perunctione innui voluisse Deum neque humorum egestione, sicuti Medicorum leges decernunt, procurandam lepram. Sed quòd lepræ principium aut à cerebro sit, aut à corde, aut à jecore, idcirco voluisse Deum aurem, manum, pedem, שרם בגוף משפכות אל האברים הראשיים הרם, *quæ in corpore emissaria sunt præcipuorum illorum membrorum*, tum sanguine tum oleo conspergi, eas ob causas quæ recitatæ sunt. Ut oleo quoq; purificandi caput inungeretur aspergerétúrve sanciisse Deum observat Abarbanel, quò admoneretur ille ità se deinceps gerere, ut intellectûs & sapientiæ oleum nunquam illi defuturum esset. Hæc atque alia in hanc ferme sententiam Abarbanel, satìs subtiliter sanè ac suo more, edisserit. Isaacus Karo jam initio laudatus aliam hujus ritûs, quem tamen cum priore confundit, adfert rationem, vúltq; sanguine aspersa, quæ dicta sunt, membra, quòd iis peccet maledicus, (ob maledicentiam autem putat Divinitus incussam lepram) de quo dicitur Prov. 6. 13. *Annuit oculis, loquitur pede, docet digitis.* Sed & idem auribus peccat, dum detrahenti calumniantíque, quod lubenter maledici faciunt, aures præbet. Ig tur, inquit, oportebat partes eas quibus peccasset sanguine notari, quò sic pœnâ veluti afficeretur. Rursùm autem quoniam expiato scelere necesse erat ejusmodi hominem ampliùs non peccare illis partibus, idcirco, inquit, jusserat Deus easdem illas partes statim oleo inungi, quò doceretur post datas pœnas actámq; pœnitentiam membris istis oleum intelligentiæ deesse debere nunquam, i.e. iis membris ipsum prudenter imposterum uti debere. Eodèm etiam pertinere vult quod de capite oleo inungendo præcipitur.

Reliqua est una difficultas, quæ etiam spectat ad Lev. 14. Cur ad expiandam ac purificandam quampiam domum, quæ à lepra esset curata, idem ferme adhiberetur ritus qui ad purificandum leprosum ipsum: ex. gr. cur sumerentur duæ aviculæ, virga cedrina, coccus vermiculi & hyssopus, cæteráque ferme peragerentur, itidem ut in purificando leproso. Nam ejus ritûs suprà allatæ rationes domui, quæ peccare non potest, ideóq; expiatione nihil opus habet, nec sensûs aut vitæ est particeps, convenire nequaquam possunt. Respondeo, idcirco eundem ritum ad expiandam domum atque ad expiandum leprosum ipsum fuisse præscriptum, quò intelligeret paterfamilias ad se pertinere præsertim illud domûs à lepra curatæ beneficium, sive quia ipsum inficere potuerat malè affecta domus, sive quia domui incussa Divinitus erat lepra, quæ ipsius peccatis debebatur, ideóq; se potiùs curatum quàm domum, aut conservatum saltem: plariq; enim Hebræorum domorum lepram haud fuisse naturalem censent, sed Divinam, quæ patresfamilias admoneret peccatorum, quæ tam grande malum in domum invexissent. Hujus ferè responsi admonuit me Abarbanel.

De hircis duobus, de quibus Levit. 16. Déq; Sorte.

LEvit. 16. jubetur Aaron ab Israelitarum Republica hircos duos sumere ad piaculare sacrificium: deinde eos ante Dominum in ipso Tabernaculi conventûs aditu constituere, déq; iis uter Domino cederet, uter verò in solitudinem mitteretur, sorte decernere.

Sed quid tandem designarunt hirci illi duo? Placet Abarbaneli Israelitarum congregationem, quà bonam quà malam, quà præmio quáque pœnâ dignam, hircis illis duobus designatam: & quà bonam quidem, illo qui Domino cessit in piaculare sacrificium; quà verò malam, eo qui in desertum est amandatus, dictúsque Azazel. Probat suam sententiam Abarbanel ex textûs serie, ubi de hircis illis agitur, ad hunc ferme modum. Primùm, ex eo quod dicitur citati cap. Levit. v. 5. *A cœtu filiorum Israel accipiet* Aaron *duos hircos caprarum in hostiam pro peccato*, videre est, hircos illos duos designasse Israelitarum universitatem, tum quà bonam tum quà malam. Deinde quod subjicitur v. 7. *Duos hircos statuet coram Domino, in ostio Tabernaculi conventûs*, significavit ad illam Israelitarum universitatem pertinuisse sacrum illum locum quamdiu se illo dignam præberet, sin minùs, indè eam ejiciendam. Eodèm spectabat hoc quoq; versûs 8. *Mittétq; super utrumq; sortes, unam Domino, & alteram* לעזאזל *pro Azazel*: par quippe & eadem amborum ratio fuit, quoniam ambo Israeliticam gentem designabant, nisi quòd uni sors Domini contingeret, quæ Dei sore Israelitas quamdiu rectè ac piè viverent significabat, alteri verò sors contraria, quæ portendebat gentẽ illam in exsiliũ longè à Dei domo solóq; abducendam, si quando à Deo deficeret. Huc quoq; pertinet quod dicitur postea, v. 9. *Offeret autem Aaron hircum, super quem ceciderit sors Domini, & faciet illum pro peccato*: iste enim ritus significabat populum, quem hircus ille designabat, cum Deo versaturum semper, ínq; ejus Sanctuario. Quod autem sequitur, ver. 10. *Hircum verò, super quem ceciderit sors pro Azazel, statuet*

vivum coram Domino, ad emundandum per illum, ad emittendum, vel *emittendo illum* לעזאזל *pro Azazel in desertum*, seu *solitudinem*, innuebat populum Israeliticum non consumendum in exsilio, sed vivum permansurum in Dei cultu, dum advenisset finis captivitatis, quò fieret emundatio scelerúmque abstersio, *per illum*, h. e. propter dura & acerba quæ ipse in exsilio tulisset. Pergit in hanc ferme sententiam quem laudavi Abarbanel: Probat etiam quod dixi de hirco Azazel iste versus, (est 23.) *Imponétque Aaron utramque manum super caput hirci vivi, & confitebitur super illud omnes iniquitates filiorum Israel, & universas prævaricationes atque peccata eorum.* Cur enim manus imposuisset hirco isti supérque eo confessus esset Israelitarum peccata, nisi designasset ille Israelitas, uti est à me expositum? Subjicitur idcirco mox eodem in versu, *& ponet illa* peccata *super caput hirci, & emittet per manum viri* [Vulgò interpretantur *opportuni*, seu *tempestivi*] עתי *in desertum*: quo quidem ritu innuebatur Israelitas peccata secum ablaturos in captivitatem è terra Sancta. Hoc autem peragendum fuit per manum איש עתי, i. e. איש גדול המעלה בזמנו, ועתו, *Viri magnæ dignitatis suâ ætate ac tempore*: per quem quidem designabatur Babyloniorum Rex Nabudonosorus, qui Israelitas in exsilium abduxit. Sed enim captivitas Israelitarum omnino innuitur per id quod dicitur v. 22. *Et portabit hircus ille super se omnes iniquitates eorum* אל ארץ גזרה *in terram decreti, in desertum*: quâ quidem terrâ designabatur illa de qua latum decretum esset, Israelitas captivos in illam esse abducendos, quæque vasti deserti instar haberet ad terram unde migraturi Israelitæ erant collata. Hæc ferè ex Abarbanelis mente edisseruimus, etsi ejus verba certè haud reddidimus. Censet autem citatus Abarbanel עזאזל *Azazel* dici quasi עז שאול i. עז עם ישראל שנעשה *impudentem* seu perfrictæ frontis *qui abit in captivitatem, populum Israeliticum scilicet, factum impudentem.* Alii putant *Azazel* nomen fuisse montis cujusdam Sinæ monti vicini, quò ablegaretur hircus alter. Aliud hoc loco præterea quæri potest, Cur ad deligendum ex hircis illis duobus quis Domini quis verò Azazelis esset, sortitio adhiberetur, ac non potiùs Sacerdos eos pro arbitrio deligeret: cur res committebatur sorti. Respondent Hebræi, nè quid ejus rei casui fortunæve adscripti posset, sed totum Dei providentiæ, quæ sortem regit ac gubernat, tribueretur: לפי שהדבר הנחלק על ידי גורל הוא החלק הבא מאת ה" *quod enim sortitu distribuitur, à Deo est*, inquit Bechai, qui ad confirmationem illud citat è Proverb. 16. 33. *Sors mittitur in sinum, & à Domino omne judicium ejus*: quem locum interpretatur Chaldæus, בעובא דעצתא נפלה פצתא ומן אלהא נפק דינוהי, *In sinum consilii* (videtur intelligere Divinam providentiam) *cadit sors, & à Deo exit judicium ejus.*

Ejus autem sortitionis quis fuerit ritus si quis quærat, respondet Bechai, מעמיד אחד לימין ואחד לשמאל ונתן שתי ידיו בקלפי ונוטל גורל בימין וחבירו בשמאל וגותנן עליהם את שכתוב בו לשם לשם ואת שכתוב בו לעזאזל משתלח לעזאזל, Hircorum *unum constituebat* Sacerdos *ad dexteram, alterum verò ad lævam: utramque autem manum mittebat in pyxidem*, in quem scilicet conjectæ sortes erant, *sortem unam educens dexterâ, sinistrâ alteram, hircísque eas imponens, ut cui obtingeret sors illa quæ scriptum haberet*, Domini, *Domini foret, cui verò* Azazelis, *in Azazel* montem (pro monte enim hoc nomen accipit Rasi) *ablegaretur.*

Unusquisque matrem suam & patrem suum timeat, & Sabbata mea custodiat: Ego Dominus Deus vester, Lev. 19. 3.

EXstat Lev. 19. 3. ejusmodi lex, à Deo non quidem tum primùm lata, sed è Decalogo repetita potiùs, quæ sic habet, *Unusquisque matrem suam & patrem suum timeat, & Sabbata mea custodiat: Ego Dominus Deus vester.* Istius legis, quod ad observantiam & reverentiam parentibus exhibendam attinet, haud diu investiganda causa est. Etsi enim nunquam esset à Deo lata ista lex, jubebat ratio naturáque ipsa ut eos propter quos hanc suavissimam lucem aspicimus quibúsque secundùm Deum vitam debemus omni studio omníque ope coleremus ac veneraremur.

At cur hîc patri præponatur mater jure quis quæsierit, præsertim cùm in Decalogo secùs fiat, *Honora patrem tuum & matrem tuam*, Exo. 20. 12. Ezra censet idcirco patri matrem præmitti, כי הקטן איננו מכיר בתחלה כי אם אמו ואחר כן אביו, *quòd priùs matrem infans agnoscat quàm patrem*, ideóque illam priùs quàm hunc vereri ac metuere teneatur. Eodem ferè modo Abarbanel, וכי האם קודם לאב מפני שהנער בילדותו הקדים לה היראה ראשונה ומאביו אחכ" *priùs matris meminit quàm patris, quòd puer primùm timorem matri impertiatur, deinde patri.* Bechai causam aliam adfert; שמנהג הבנים שיקלו ביראה אמותם ואין בן המנהג באב לכן הקדים בענין היראה האם לאב, אבל אצל הכבוד הקדים האב לאם *quòd matres minùs vereri ac metuere soliti sint liberi quàm patres, idcireo de metuenda matre priore loco præcipiendum fuit. Secùs ubi de honore parentibus habendo agitur: ibi enim priore loco pater nominatur.* Rasi sic quoque scribit, נאן הקדים אם לאב לפי שגלוי לפניו שהבן ירא את אביו יותר מאמו ובכבוד הקדים אב לאם לפי שגלוי לפניו שהבן מכבר את אמו יותר מאביו מפני שמשרלתו ברברי, *Hîc nominat matrem, deinde patrem, quòd sciret patrem à filiis metui magìs quàm matrem: ubi verò de colendis parentibus ageretur patrem priùs nominavit, deinde matrem, quòd sciret procliviores esse filios ad colendam matrem quàm patrem, siquidem illa suis blanditiis liberorum erga se amorem magìs alliciat.* Deinde ad hoc. *& Sabbata mea custodiat*, habet, קמן שבת למורא אב לומר אף על פי שהוהרתיך על מורא אב אם יאמר לך חלל את השבת אל תשמע לו וכן בשאר כל המצות, *Adjunxit præcepto de metuendis parentibus statim præceptum de servando Sabbato, quasi hoc vellet significare, Etsi moneo atque edico ut vereatis parentes* [Habet *patrem*, & sic in hoc loco ubique;] *si tamen illi jubeant ut profanes Sabbatum, aut aliquod aliud mandatum transgrediaris, nequaquam audiendi sunt.* Expendit hæc quoque verba, *Ego Dominus Deus vester*, i. של כלכם *omnium vestrûm*, ex Bechai, i. tuus & parentum Deus, sícque habet, אתה ואביך חייבים בכבודי לפיכך לא תשמע לו לבטל את דברי, *Tu & parentes tui tenemini colere me. Idcireo non audies illos si tibi aliud præceperint atque ego.* Ità etiam Bechai, & Bal Hatturim. Ezra autem putat præcepto de metuendis parentibus subjici illud de Sabbato, quòd nisi post parentes puer Sabbatum non cognoscat, quod etiam servare dum puer est tenetur, non item alia festa. Deinde hoc, *Ego Dominus Deus vester*, sic cohærere cum præcepto de Sabbato vult, ut dicat Deus, Vobis idem est faciendum quod ego feci, qui cessavi ab omni opere in Sabbato. Quòd porrò mox sequatur, *Nolite converti ad idola*, indè eliciunt Rabbini, qui non servat Sabbatum proximum esse idololatræ: quia qui non observat Sabbatū negare videtur mundum esse conditum: כי מצות השבת עדות ומופת על חדוש העולם, *Præceptum quippe Sabbati argumentum est & signum creationis mundi*: והכופר בחדוש כעובד עו" *qui autem negat mundi creationem* (æternum esse statuens,) *perinde est ac idololatra.* Huc pertinet certè illud quod in Talmude legitur, lib. Cholin, cap. 1. שקולים הם מנסך יין לעו" ומחלל שבת, *Perinde sunt qui libat vinum idolis, & qui violat Sabbatum.*

Hæ

Hæc ſunt decreta, atque judicia, & leges, quas dedit Dominus inter ſe & inter filios Iſrael, in monte Sinai per manum Moyſi, Lev. 26. 46.

CUM multa paſſim in Hebræorum Magiſtrorum monumentis legere eſt quæ antiquum Eccleſiæ Traditionum jam indè à Chriſto ad nos tranſmiſſarum dogma adversùs Novatorum ſcita confirment, tum illud obſervatione digniſſimum, quod ad mox notatum è Levitici cap. 26. verſiculum annotat Raſi, explicans cur in poſteriore numero dicatur *Leges:* אחת בכתב ואחת על פה מניד שכלם נתנו למשה בסיני, *Una,* inquit, *ſcripta, altera verò ore accepta. Docet hic verſus omnia illa tradita eſſe Moyſi in Sina.* Multò antiquiores porrò è Talmudicis Doctoribus (nam circa annum Chriſti Mcduntaxat creditur vixiſſe Raſi, ſingulari eruditione celebris apud ſuos) duplicem legem ſtatuerunt, videlicet תורה שבכתב *legem ſcriptam,* & תורה שבעל פה *legem ore traditam.* Addi huc poſſent, quæ pridem noſtris in Pſalmorum librum Commentariis ad illud verſûs 8. Pſalmi 19. *Teſtimonium Domini fidele,* ex Ezra & Davide Kimhio obſervavimus.

Ratio legis cujuſdam è Levit. cap. 27.

LEx eſt Lev. 27. ut ſi quis voviſſet hominem Deo, ſe vel alium, filium filiámve, aut è propinquis aliquem, non hominem quidem mactare Deo, ſed eum pretio redimere teneretur, & marem quidem à vicenario ad ſexagenarium 50. argenti ſiclis ſacris, feminam 30. à quinquenni autem ad vicenarium, marem ſiclis 20. feminam 10. ab ætate autem unius menſis ad 5. annorum, marem 5. ſiclis, feminam 3. aſt ejus qui annos 60. natus eſſet, aut plus eo, maris pretium eſſet ſiclorum 15. feminæ 10. Hæc lex perſcribitur Lev. 27. primis 7. commatibus.

Quæritur non injuriâ cur non eodem marem & feminam pretio Lex æſtimârit, præſertim cùm Exo. 21. 32. ſcribatur, *Si ſervum ancillámve cornupetierit bos, triginta ſiclos argenti domino dabit,* &c. ubi maris & feminæ nullum diſcrimen. Cur aliter hîc fit?

Item quæritur, cur non perpetuò æquale ſit maris & feminæ diſcrimen. A 20. quippe annis ad 60. cùm feminæ pretium tribus quintis pretii maris conſtet, à quinque annis ad 20. pretium feminæ altera tantum pars eſt pretii maris: & ſic in aliis ætatibus, utì mox obſervatum.

In hunc ferme modum reſpondet Abarbanel; *Non idem ac par pretium Lex ſtatuit maris & feminæ, propterea quòd magnum inter illos natura poſuit diſcrimen:* והיה הזכר בסדרגת הצורה והנקבה בסדרגת החומר, mas quippe gradum formæ, femina verò materiæ obtinet. *Ac licèt par ratio habita ſit ſervi & ancillæ quos bos petiiſſet, hoc idcirco fuit, quòd caſu, ob quem oportebat dominum bovis qui damnum intuliſſet mulctari, non exigebat ut plus illi mulctæ propter ſervum quàm propter ancillam irrogaretur: ac ſatis fuit ſi illatum damnum ſarciret argenti ſiclis* 30. Exo. 21. 32. *ſi quidem in eo culpæ nihil eſſet, niſi duntaxat levioris negligentia. Verùm votum aliquod cùm quis prudens ac ſciens nuncupaſſet, nominatimque voviſſet filium aut filiam, eum conveniebat pretium ſolvere cujuſque illorum, prout talis ac talis eſſet.* Et poſt pauca; *Pretium feminæ minus pretio maris conſtitutum ab Lege, propterea quòd illa hoc imperfectior creatura eſt. Vidit,* inquit, *ſapiens Deus feminam perfectionem, juſtè ac verè rem æſtimando ſive calculum ponendo, plurimùm non attingere niſi dimidiam partem perfectionis maris. Compertum eſt nobis quippe* 40. *dierum ſpatio peragi maris procreationem: ſiquidem in mare uſque adeò valeat natura, ut per iſtud ſpatium abſolvatur ejus procreatio, cùm feminæ niſi* 80. *diebus ob naturæ debilitatem non perficiatur: id quod argumento eſt feminæ pretium viri pretio alterâ parte vilius eſſe per omnia. Neque verò par eſt maris pretium per omnem ætatem: quamdiu enim incrementum recipit, nondum perfectionem adeptus eſt, nimirum ante* 20. *annos: à* 60. *autem annis ſenſim minuitur ac conſumitur. Ea cauſa eſt quamobrem maris pretium ab ætate* 20. *annorum ad* 60. *quo tempore univerſam animi & corporis vim obtinet, æſtimatur ſiclis* 50. *qui* 25. *valent uncias; feminæ autem tum ætatis ſiclis* 30. *quia etſi quà femina eſt ejus pretium alterâ parte minus eſſe debeat maris pretio, ſiquidem ut plurimùm duæ feminæ non plus habeant virium ad laborandum ac ferendum onus quàm vir unus, qui ſatis valens ac robuſtus ſit, hócque reſpectu femina tantùm* 25. *ſiclis æſtimari debeat, nihilominus tamen, propterea quòd id ætatis apta eſt atque utilis procreandis liberis, auxit ejus pretium Lex* 5. *ſiclis, ut jam fiat* 30 *ſiclorum. Cùm autem mas ab annis* 5. *ad* 20. *nondum roboris ac cognitionis perfectionem adeptus ſit, ſed per eos annos ſubindè ac in dies robur acquirat, diſcátque quid malum quidque bonum ſit, ejus pretium id ætatis* 20. *eſt ſiclorum, quod pretium excedit pretium ſenis ſexagenarii aut eo majoris, qui vergit ad interitum. Et quoniam femina per eos annos, à* 5. *ſcilicet ad* 20. *nondum (ità) apta eſt & utilis generationi, ejus pretium id ætatis* 10. *eſt ſiclorum, quæ eſt dimidia pars pretii maris pro ratione pretii ac diſcriminis quod inter illos poſuit natura. Aſt ab ætate unius menſis ad annos* 5. *maris pretium æſtimavit Lex* 5. *ſiclis, h. e. decimâ parte ſiclorum* 50. *quod maris pretium eſt ab annis* 20. *ad* 60. *quòd in prima illa ætate decimam duntaxat partem obtineat ſuæ perfectionis, cùm animi tum corporis: femina autem tribus ſiclis, quod debuit duntaxat æſtimari duobus & dimidio ex inſtituta proportione: ſed Lex ab ejuſmodi numerorum medietatibus ac ſectionibus abſtinere voluit. Antequam porrò menſem attigiſſet parvulus, nullum prorſus illius pretium conſtitutum eſt, quia ante illud tempus nondum eſt maturus fœtus, dubiáque adhuc ejus vita eſt. A* 60. *anno & ſuprà ob ætatis debilitatem mas tantùm æſtimatur ſiclis* 15. *femina verò præter rationem dictæ proportionis* 10. *propterea quòd tum ætatis mulier domi plus operis faciat quàm vir, húcque pertinet quod ait Raſi.* Ità ferme Abarbanel, niſi quòd de induſtria reſecuimus nonnulla, quæ parùm videbantur ad rem, paucula etiam inſeruimus perſpicuitatis ergò. Quid eſt autem quod ait Raſi de ſene ſexagenaria eâque majore? כשמניע ליומי הזקנה האשה קרובה להחשב כאיש ראמרי אינשי סבא בביתא פחא בביתא סבתא בביתא סימא בביתא וסימנא טבא בביתא, *Cùm perventum ad dies ſenectutis, propiùs abeſt femina ab æſtimatione viri: vulgò enim dici ſolet, Senex vir in domo laqueus in domo, ſenex femina in domo theſaurus* (ſeu *argentum*) *in domo ſignúmque bonum in domo.* Iſaacus Arama aliter legem illam edifſerit. Sed operæ pretium eſt audire ejus verba; הזכיר ראשונה, inquit, דחלק אשר מבן עשרים ועד בן ששים כי הוא עקר חיי האדם אשר בו בא לכלל אנשים ועובר על הפקודים לצאת ולבא לכל דבר ושיער שיהיה ערך הזכר השלם הודה חמשים שקלים והנקבה בודה חומן עצמו שלשים ולמרך שערך הנקבה סתם הוא שלשה חומשי ערך הזכר ולוה בה ותם מבן חדש ועד בן חמש שנים לפי שאז לא ישוו כלום באשר הם שם רק מצר שיקויה מהם בעתיד לזה היה אז ערכם זה לזה הערך העתיד הזה עצמו השלם והיה ערך הזכר חמשה וערך הנקבה שלשה אמנם אחרי עברם מהששים כבר ירד הזכר משוויו לפחות משלישו עד שעמד בתמשה עשר שקלים אמנם הנקבה לא פחתה רק עד השליש לבד ועמדה על עשרה כי הוא מבואר כי בהיותם על הומן ההוא תועיל האשה לפי ענינה ושימשה יותר ממה שיועיל הזכר לפי מה שהוא וכמו שאמרו חול' סבא בביתא פחי בביתא סבתא בביתא סימא טבא בביתא אמנם מה שיקשה מאד בסדר הערכים האלו הוא בערכם מחמש שנים ועד עשרים שהעריך

argumento eſt feminæ pretium viri pretio alterâ parte vilius eſſe per omnia. Neque verò par eſt maris pretium per omnem ætatem: quamdiu enim incrementum recipit, nondum perfectionem adeptus eſt, nimirum ante 20. *annos: à* 60. *autem annis ſenſim minuitur ac conſumitur. Ea cauſa eſt quamobrem maris pretium ab ætate* 20. *annorum ad* 60. *quo tempore univerſam animi & corporis vim obtinet, æſtimatur ſiclis* 50. *qui* 25. *valent uncias; feminæ autem tum ætatis ſiclis* 30 *quia etſi quà femina eſt ejus pretium alterâ parte minus eſſe debeat maris pretio, ſiquidem ut plurimùm duæ feminæ non plus habeant virium ad laborandum ac ferendum onus quàm vir unus, qui ſatis valens ac robuſtus ſit, hócque reſpectu femina tantùm* 25. *ſiclis æſtimari debeat, nihilominus tamen, propterea quòd id ætatis apta eſt atque utilis procreandis liberis, auxit ejus pretium Lex* 5. *ſiclis, ut jam fiat* 30 *ſiclorum. Cùm autem mas ab annis* 5. *ad* 20. *nondum roboris ac cognitionis perfectionem adeptus ſit, ſed per eos annos ſubindè ac in dies robur acquirat, diſcátque quid malum quidque bonum ſit, ejus pretium id ætatis* 20. *eſt ſiclorum, quod pretium excedit pretium ſenis ſexagenarii aut eo majoris, qui vergit ad interitum. Et quoniam femina per eos annos, à* 5. *ſcilicet ad* 20. *nondum (ità) apta eſt & utilis generationi, ejus pretium id ætatis* 10. *eſt ſiclorum, quæ eſt dimidia pars pretii maris pro ratione pretii ac diſcriminis quod inter illos poſuit natura. Aſt ab ætate unius menſis ad annos* 5. *maris pretium æſtimavit Lex* 5. *ſiclis, h. e. decimâ parte ſiclorum* 50. *quod maris pretium eſt ab annis* 20. *ad* 60. *quòd in prima illa ætate decimam duntaxat partem obtineat ſuæ perfectionis, cùm animi tum corporis: femina autem tribus ſiclis, quod debuit duntaxat æſtimari duobus & dimidio ex inſtituta proportione: ſed Lex ab ejuſmodi numerorum medietatibus ac ſectionibus abſtinere voluit. Antequam porrò menſem attigiſſet parvulus, nullum prorſus illius pretium conſtitutum eſt, quia ante illud tempus nondum eſt maturus fœtus, dubiáque adhuc ejus vita eſt. A* 60. *anno & ſuprà ob ætatis debilitatem mas tantùm æſtimatur ſiclis* 15. *femina verò præter rationem dictæ proportionis* 10. *propterea quòd tum ætatis mulier domi plus operis faciat quàm vir, húcque pertinet quod ait Raſi.* Ità ferme Abarbanel, niſi quòd de induſtria reſecuimus nonnulla, quæ parùm videbantur ad rem, paucula etiam inſeruimus perſpicuitatis ergò. Quid eſt autem quod ait Raſi de ſene ſexagenaria eâque majore? כשמניע ליומי הזקנה האשה קרובה להחשב כאיש ראמרי אינשי סבא בביתא פחא בביתא סבתא בביתא סימא בביתא וסימנא טבא בביתא, *Cùm perventum ad dies ſenectutis, propiùs abeſt femina ab æſtimatione viri: vulgò enim dici ſolet, Senex vir in domo laqueus in domo, ſenex femina in domo theſaurus* (ſeu *argentum*) *in domo ſignúmque bonum in domo.* Iſaacus Arama aliter legem illam edifſerit. Sed operæ pretium eſt audire ejus verba; הזכיר ראשונה, inquit, דחלק אשר מבן עשרים ועד בן ששים כי הוא עקר חיי האדם אשר בו בא לכלל אנשים ועובר על הפקודים לצאת ולבא לכל דבר ושיער שיהיה ערך הזכר השלם הודה חמשים שקלים והנקבה בודה חומן עצמו שלשים ולמרך שערך הנקבה סתם הוא שלשה חומשי ערך הזכר ולוה בה ותם מבן חדש ועד בן חמש שנים לפי שאז לא ישוו כלום באשר הם שם רק מצר שיקויה מהם בעתיד לזה היה אז ערכם זה לזה הערך העתיד הזה עצמו השלם והיה ערך הזכר חמשה וערך הנקבה שלשה אמנם אחרי עברם מהששים כבר ירד הזכר משוויו לפחות משלישו עד שעמד בתמשה עשר שקלים אמנם הנקבה לא פחתה רק עד השליש לבד ועמדה על עשרה כי הוא מבואר כי בהיותם על הומן ההוא תועיל האשה לפי ענינה ושימשה יותר ממה שיועיל הזכר לפי מה שהוא וכמו שאמרו חול' סבא בביתא פחי בביתא סבתא בביתא סימא טבא בביתא אמנם מה שיקשה מאד בסדר הערכים האלו הוא בערכם מחמש שנים ועד עשרים שהעריך*

שהעריך הזכר בעשרים שקלים שהוא יותר משליש
ערכו השלם שלשה שקלים ושליש והנקבה בעשרה
שקלים שהוא השליש לבד עם מה שהוא ידוע
מעצמו שהנקבה מבת שבע ועד בת עשרים היא
יותר שלמה במינה מהאיש למינהו והיה ראוי
שבומן ההוא יהיה ערכה יותר קריב אל ערכה
השלם מערך הזכר אל ערכו השלם כל שכן שלא
תגרע אלא שיש להשיב ולומר כי לפי שהומן
ההוא בנקבה יכלול עקר השניים אשר וכתוב
התורה לאב בה במעשה ידיה וכל שבח נעוריה
גם כי יכול למוכרה ולאכול את כספה עד שתגדיל
יתבא לכלל גדלות הנה אם כן כבר היתה דוגמת
הבירת או השדה שיש עליו משא שים מס או
חכירות שאין דמיו שוין אל אשר הוא נקי וחפשי
אשר לא יעבור עליו לכל דבר ובבחינה זו כבר
תהיה עמידתה על שליש שוויה ערך גדול אליה
ממה שיהיה לזכר הנקי והחפשי מה שעבר מעט
משלישו. Quorum verborum ſententiam utcunque ad hunc modum expreſſimus; *Mentio ſit primo loco vicenarii ad ſexagenariam, ſiquidem ea præcipua eſt pars vitæ humanæ, in qua quis cœtus hominum ingreditur, rebuſq; agendis præſertim idoneus eſt. Conſtituitur autem pretium maris perfectum id ætatis* 50. *ſicli, feminæ verò* 30. *id quod arguit pretium feminæ præciſè tres quintas eſſe pretii maris. Eamobrem ab ætate unius menſis ad* 5. *annorum, quoniam tunc nullius ſunt pretii, prout tunc ſunt, ſed tantùm quâ ſui dant in poſterum tempus exſpectationem, pretium illorum tunc ætatis reſpondet ad futurum pretium perfectum, unum ad alterum, ità ut maris pretium quinque ſit ſiclorum, feminæ verò trium. Verùm ſupra annum ſexagenarium jam mas plus tertiâ parte pretio minuitur, adeò ut* 15. *duntaxat ſiclis æſtimetur, femina verò tertiâ ſolummodo parte & decem ſiclis æſtimatur: palàm enim eſt id ætatis feminam plus utilitatis in iis quæ ejus ſunt muneris afferre quàm marem: quo ſenſu dictum à Sapientibus eſt*, Senex vir in domo laquei in domo, ſenex femina in domo theſaurus bonus in domo. *Sed non parùm difficultatis objicit in æſtimatione (ſive proportione) ejuſmodi pretiorum, quòd à* 5. *annis ad* 20. *æſtimatur mas* 20. *ſiclis, qua quidem æſtimatio pretii perfecti* (nimirum 50. ſiclorum) *tertiam excedit tribus ſiclis & tertiâ; femina verò decem ſiclis, quæ eſt tertia pars tantùm*, nimirum 30. ſiclorum, quot illa à 20. annis ad 60. æſtimatur. *Accedit, quòd per ſe conſtat feminam à ſeptenni ad vicenariam viro perfectiorem eſſe in genere ſuo, ideóque debuiſſe ejus pretium id ætatis propiùs accedere ad pretium ejuſdem perfectum, quàm maris pretium ad pretium ejuſdem perfectum, tantum abeſſe ut feminæ quicquam detrahi debuerit. Reſpondendum ac dicendum, Propterea quòd id tempus in femina complectitur præcipuos annos, quibus obligat eam Lex inſervire patri officio manuum, (qui ſolus honor eſt iſtius ætatis) dum creſcat, inque magnis cenſeatur, ità ut poſſit etiam pater illam vendere, eâq; pecuniâ uti; idcirco eâ ætate feminam haud abſimilem domui eſſe aut agro certo vectigali aut penſioni obligato, cujus par non eſt pretium at q; fundi immunis ac tributo ſoluti; hâncque eſſe cauſam cur femina tum tertiâ parte ſummi pretii, ad quod pervenire poteſt, tantummodo æſtimetur, cùm mas, ut liber & immunis, paululùm ultra tertiam.* Ità ferme Iſaacus Arama, acutè, ſuo more.

Sed obiter obſerva quod ad illa verba dictæ legis, *A quinto autem anno uſque ad viceſimum maſculus dabit viginti ſiclos*, &c. habet Raſi, לא שיהא והנודר קטן שאין ברברי קטן כלום אלא גדול שאמר ערך קטן זה שהוא בן חמש שנים עלי, *Non quòd qui vovet ſit parvus, nihil enim quicquam in verbis parvuli, ſed magnus, qui dicit, Pretium parvuli hujus annos quinque nati ſoluturum me recipio.*

Animal autem quod immolari poteſt Domino, ſi quis voverit, Domino ſanctum erit. Non mutabit illud, neque commutabit illud, melius malo, aut deterius bono: quòd ſi commutaverit animal animali, & ipſum quod mutatum eſt & illud pro quo mutatum eſt, ſanctum erit, Ibid. v. 9, & 10.

SI quis pecus aliquod Deo voviſſet, ex eorum genere ſcilicet quæ Deo offerri ſolerent lege Moſaicâ, quæ in Levit. cap. 27. ac poſtremo ſcribitur, cautum fuit nè aliud ſummitteretur, néve bonum deteriore, aut etiam malum potiore ac meliore commutaretur. Cur iſtud? Nam quidni licuit ſaltem malum meliore commutari? Reſpondet Abarbanel, כי הדבר שהוא קדש אין ראוי להשתמש ממנו לחולין, *Quia re* Deo *ſacrâ haud abuti convenit ad uſus profanos.* Bechai aliter; שאם יתיר לו להחליף רע בטוב יבא להחליף הטוב ברע ויאמר טוב הוא, *Quia ſi ſemel liceat permutare malum bono, futurum eſt ut quis permutet bonum malo, ac dicat, Hoc bonum eſt.* Addit, *Ac ſi commutaverit quiſpiam, mulctat eum Scriptura, (dum ait, &* ipſum quod mutatum eſt, & illud pro quo mutatum eſt ſanctum erit.) *Hincque eſt*, inquit, *quòd qui domum ſuam Deo conſecravit, vúltque eam redimere, eum lex cogat æſtimationis argenti, quanti eſt ſcilicet iſta domus, quintam ſuperaddere*, ver. 15. Perpendit Abarbanel hæc לא יחליפנו, *Non mutabit illud* pecore ſeu animali generis alterius, ולא ימיר אתו *neque mutabit illud* animali generis ejuſdem: hoc enim diſcrimen inter חליף & תמורה ſtatuit.

Similis difficultas, quæ Lev. 21. *occurrit, explicatur, aliúdque præterea.*

TAnta olim in Veteri lege minorum etiam Sacerdotum ſanctitas fuit, fas ut illis non eſſet quorumvis funeribus contaminari, ſed uxoris tantùm, utriuſque parentis, liberorum, fratrum, ac denique ſororum, virginum innuptarum. Pontificis verò, i. Summi ſacerdotis, longè major ſanctitas exſtitit, ut nè illi quidem parentum funeribus liceret pollui. De minoribus quidem ſacerdotibus exſtat præſcripta lex Lev. cap. 21. initio; *Nè contaminetur ſacerdos in mortibus civium ſuorum:* (Hebr. *Super animam*, i. cadaver, ſeu mortuum, *nè contaminetur* quiſquam veſtrûm *in populis ſuis*) *Niſi ſuper carne ſua, propinqua ſibi,* (ità enim verto ex Hebræorum mente) *ſuper matre & patre, & filio & filia, & fratre & ſorore virgine propinqua ſibi, quæ non eſt nupta viro.* De Pontifice verò hæc recitatur lex, eodem cap. verſ. 11. *Et ad omnem mortuum non ingredietur omnino: ſuper patre quoque ſuo & matre non contaminabitur.*

Multa quidem circa hos verſus naſci dubia poſſunt; ſed illud nunc commodùm ſe offert, ejuſdem ferme generis cum eo quod proximè explicatum eſt, quid eſt cur in illa de minoribus Sacerdotibus lege mater patri, in ea verò quæ ad Summum ſacerdotem ſpectat, pater matri præponatur. De hac re non uno modo ab Hebræis reſpondetur. Alii, quorum Bechai, illic patri matrem anteponi volunt idcirco quòd factâ proximè uxoris mentione, quam voce שאר, i. *carnis*, intelligunt, commodiùs videtur ſubjungi nomen matris quàm patris, quò feminarum ſeorſim fiat mentio: quia ſi diceretur *ſuper carne* (i. uxore) *ſua, ſuper patre & matre*, יבא הלשון בלתי מסודר להכניס הזכר בין הנקבות, *non ſatis bene ordinata videri poſſet oratio, duas inter feminas mare nominato.* Alii, in quibus etiam mox laudatus Bechai, idcirco forſan hoc cenſent factum, quòd cùm de matre ſemper certò conſtet, de patre non item, illic mater patri, nempe id quod majus eſt ei quod minus eſt, præmittitur, ut ſenſus ſit, Sacerdos non matris modò ſed patris etiam, etſi incertus eſt, licet funere contaminari: hîc verò pater matri præponitur, ut hæc ſit ſententia, Non fas eſt Pontifici patris, ac nè matris quidem, funere pollui. Dicerem & pro *vel, etiam* eſſe uſurpatum, ad iſtum modum, Sacerdoti matris vel patris

patris funere fas est pollui; Pontifici verò patris vel matris nefas. Ezra non mihi videtur malè conjecisse, qui idcirco docet, ubi de justis exsequiarum mortalitate functis parentibus à filiis Sacerdotibus persolvendis agitur, priùs matrem nominari quàm patrem, כי הזכר חי יותר מהנקבה ברוב, *quòd ut plurimùm mas diutiùs vivat quàm femina*, ideóque priùs moriatur mater quàm pater. Non injuriâ etiam quis quærat, quid illud sibi velit, *in populis suis*, ubi dicitur, *Super animam*, i. mortuum, *nè contaminetur* sacerdos *in populis suis*. Ezra existimat idem esse ac בכל ישראל שהם עמיו, *in ullo Israelitarum popularium suorum*. Eodem quoque modo Abarbanel, qui sic habet, *in populis suis*, q. d. באיזה שיהיה מבני עמיו, *in quocunq; suorum popularium*. Idem sensit & Lat. Interpres, qui vertit *in mortibus civium suorum*. Abarbanel tamen & hoc perinde esse vult q. diceretur, Nè contaminetur Sacerdos funere cujusquam mortui, dum ille mortuus est inter populares suos, adsúntque qui funus adjuvent. Nam, inquit, si mortuus ille non reperiretur inter populares suos, ità ut deessent qui funus curarent, justáque exsequiarum persolverent, tunc teneretur Sacerdos honorem sepulturæ mortuo impertiri: כי בצלם אלהים עשה את האדם ואין כבודו ית' שיהיה האדם בצלמו כדומן על פני האדמה, *quia cùm ad Dei imaginem homo sit conditus, injuria Deo fieret, si homo, qui ejus est imago, quasi stercus turpiter jaceret in terra*. Alioquin mortuus si exsistat inter populares suos, ad Sacerdotem haud pertinet eum sepelire. Hactenus ferè ille. Postremo quoque modo Rasi, sed breviùs, suo more; *Nè contaminetur in populis suis*, בעוד שהמת בעמיו יצא מה מצוה, *quamdiu est ille mortuus in popularibus suis: sin minùs, tenetur contaminari*, ac sepelire mortuum.

Bos, ovis & capra, cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ: à die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino, Lev. 22. 27.

VEtat lex Lev. 22. 27. nisi octavo ab ortu die ullum Deo animal offerri. Verba legis hæc sunt, *Bos, ovis & capra, cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ: à die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino.*

Quæritur, quæ istius legis causa sit. Non alia videtur fuisse quàm quia recèns natum animal haud integrum & perfectum est, neque adeò satis idoneum quod offeratur Deo. Igitur lege cautum fuit ut animal septem dierum intervallo maneret sub matre, dum confirmaretur perficerétúrque, aptúmque evaderet rei Divinæ faciendæ: siquidem ante septem dies ab ortu perinde sit animal ac si vitio esset affectum, aut membro aliquo defectum: nihil autem vitiosum mutilatúmve aut redundans ad rem Divinam faciendam adhiberi debeat, ex lege quæ eodem legitur in capite, proximè ante hanc de qua nunc agitur, & quæ ab illa proculdubio dependet. Sed cur septem definitè dies confirmando absolvendóque animali decrevit lex, nec plures nec pauciores? Nempe, utì opinor, quia septenarius dierum numerus, ut qui statim à primordiis nascentis mundi exstiterit, perfectionis est, & quadamtenus כל ימות עולם *omnes dies mundi* in se continet: vel quia, ut aliis placet, iste numerus רביע הלבנה *lunarem quadrantem* efficit, qui ad addendam recèns edito animali legitimam & congruentem perfectionem satis sit. Indéque factum etiam putatur, ut nisi octavo à partu die infantem non liceret circumcidere. Alii existimant idcirco legem cavisse ut, nisi expletis septem diebus à partu, nullum animal Deo offerretur, עד שתעבור השבת עליו, *donec* scilicet *Sabbatum super illud transisset*. Eandem quoque causam fuisse aiunt, cur octavo tantùm die ab infantis exortu Circumcisio celebraretur, quemadmodum jam observatum, ut dici soleat, אין שבוע בלא שבת ואין מילה בלא שבת, *Non est septimana absque Sabbato, neque Circumcisio absque Sabbato*. Abrahamus Seba in Fasciculo myrrhæ latiùs rem explicat; שור או כשב או עז כי יולד והיה שבעת ימים תחת אמו בענין שיעבור עליו שבת א" ויתן לו חוזק וקיום להיות מוכן למזבח לפי שהשבת נתן קיום לכל דברי העולם ולכן צותה התורה בילד היולד לנו ביום הח" ימול בשר ערלתו בענין שהשבת יתן לו חוזק וקיום לסבול המילה וכן אמר בכאן ומיום הח" והלאה ירצה לקרבן אשה ולא קודם לכן לפי שנראה אכזריות ולכן סמך ואמר ושור ושה אותו ואת בנו לא תשחטו ביום א" כי זה אכזריות נדולה, *Bos, vel agnus, vel capra, cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub matre sua, eam ob causam ut transeat super eo* animali *Sabbatum unum, dèque ei robur & firmitatem, quò aptum sit altari: Sabbatum quippe rebus omnibus quæ in mundo exsistunt stabilitatem tribuit. Ac propterea de infante nobis nato Lex præcepit*, ut die octavo circumcidatur caro præputii ejus, (Exod. 12. 3.) *quò ei Sabbatum det robur ac firmitatem, ut par sit ferendæ Circumcisioni: sicque hîc dicitur*, à die autem octavo & deinceps erunt grata in oblationem igniti sacrificii; *non autem antè: siquidem crudelitas videretur; idcircóq; mox subjungitur*, Sive bos, sive agnus, non immolabuntur unâ die cum fœtibus suis: *hæc enim esset non parva crudelitas.* Baal Hatturim longiùs accersit notatæ legis causam, nempe quia si primo à nativitate die animal mactaretur, id videri posset factum לשם שמים וארץ *in gratiam (honorémve) cœli & terræ*, quæ primo die sunt creata: si verò secundo, id videri posset factum לרקיע *in honorem firmamenti*, quod secundo die est conditum: si tertio, לים וליבשה *in gratiam maris & aridæ*: si quarto, לשם מאורות *in gratiam luminarium*: si quinto, לשם שרצים *in gratiam piscium reptiliúmve*: si sexto, לשם אדם *in honorem hominis*. Nec denique die septimo mactandum animal est; siquidem, inquit, orbe sex dierum spatio condito, tandem septimo quievit Deus; sed octavo, quò palàm sit omnibus in honorem Dei id fieri. Nugæ ridiculæ, suóque dignæ autore, qui semper est nugator nugacissimus.

Explicantur nonnulla è cap. 25. Lev. Qua servi Israelitica gentis apud Israelitas conditio. Unde Israelitis servi ad vilia officia.

LOngè melior mitiórque apud Israelitas eorum conditio fuit qui Israelitici generis cùm essent, væniissent, quàm qui peregrinæ gentis. Si quis Israelitici generis alteri ejusdem generis, urgente egestate, sponte væniisset, eo tamen tanquam servo uti haud licebat. Qua de re exstat lex ejusmodi Lev. 25. 39. *Si paupertate compulsus vendiderit se tibi frater tuus, non uteris eo* עבדת עבד *ministerio servi*, seu, servilem in modum. Sed quid tandem est hoc, *ministerio servi*? Rasi interpretatur, עבודה של גנאי שיהא ניכר בה כעבד שלא יוליך כליו אחריו לבית המרחץ ולא ינעיל לו מנעלו: *turpi ac vili ministerio, quo agnoscatur servus: non enim deferet post illum cui venierit instrumenta (apparátúmve) in balneum, nec calceos illi induet.* Sequitur mox in dicto cap. Levit. *Quasi mercenarius, quasi advena erit tecum.* Ad quod habet idem Rasi, עבודת קרקע ומלאכת אומנות כשאר שכירים התנהג בו, *colendis agris, & operi ruri faciundo, artiq; exercendæ, non aliter ac mercenarios & conductitios operarios, illum adhibeto.* Eodem pertinet quod eodem legitur in capite v. 42. *non vaneant venditione servili*, i. ut exponit Rasi. בהכרוא כאן יש עבד למכוד ולא יעמידנו על אבן הלקח, *voce præconis, qui clamat, Hic vanum exponitur servus: nec super lapide exponantur* (seu *statuantur.*) Quid significet אבן הלקח, & cur ità dicatur, non satis mihi liquet. Certè lapis videtur fuisse in quo vænum exponerentur servi. Insigne porrò illud, nec silentio transeundum, quod ex Magistris suis observat Isaacus Arama, הקונה עבד עברי קונה אדון לעצמו לפי שהוא עמו במאכל ובמשקה וכו" *Quisquis Hebræum servum acquirit, sibi dominum acquirit: illum siquidem suæ adhibebit mensæ*, &c. Unde igitur Israelitæ servos, qui vilia officia

officia præstare possent, quando ad illa Israelitici generis hominibus uti non licuit, emere & comparare potuerunt? E finitimis populis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Syris, Ægyptiis & aliis, juxta illud ejusdem cap. v. 44, & 45. *Servus & ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro: ex eis emetis servum & ancillam. Et de advenis*, seu *filiis advenarum, peregrinantibus apud vos, vel qui ex his nati fuerint, emetis*, &c. Ubi notat Rasi dici אשר סביבתיכם, *quæ in circuitu vestro*, non autem שבתוך גבול ארצכם, *quæ in medio termini terræ vestræ*; quòd jussi Israelitæ essent omnes ad unum internecioni dare qui in terra illis promissa reperirentur, ac nemini parcere. *De civitatibus autem populorum istorum quos Dominus Deus tuus dat tibi hereditatem, nullum omnino permittes vivere: Sed interficies in ore gladii, Hethæum videlicet & Amorrhæum, Chananæum & Pherezæum, Hevæum & Jebusæum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*, Deut. 20. 16, 17. Alia porrò reliquorum populorum erat ratio, quos interficere adeò non cogebantur Israelitæ, ut eos potiùs suis in urbibus obsessos, si pacem vellent & deditionem facerent, servare tenerentur, cum his tamen conditionibus, uti tributa penderent, jussáq; se facturos pollicerentur: qua de re legendum caput Deuter. mox citatum.

Explicatur aliud eodem ex cap. Levit.

EXstat lex Lev. 25. v. 47. & qui sequuntur, quæ sancit ac decernit ut si quis fortè Israelitici generis, urgente egestate, peregrino cuipiam degenti inter Israelitas aut indigenæ, è peregrino tamen orto genere, vænierit, à fratre, patruo, aut patruele, aut aliquo alio è consanguineis redimatur, quamprimum fieri possit, non exspectato scilicet Jubilæi anni tempore, quando gratis in libertatẽ asseratur.

Quæritur, cur ibi sileatur pater. Respondet Abarbanel, הנה לא זכר אביו כי רחוק הוא שהאב יניח למכור את בנו להיות לאל ידו לגאלו כי ירחם על בנו: *Patris nulla mentio, quòd vix fieri possit ut patiatur pater vænire filium, si possit eum redimere:* (antequam scilicet væneat, i. si possit ejus inopiæ statim subvenire) *siquidem patrem misereat filii.* Non est cogendus lege qui sponte facturus est. Sed quid si inscio parente filius væniisset? Respondeo ego, vix etiam fieri posse ut tantam rem inconsulto patre agat filius. Ideo nihil de ejusmodi re Lex cavit: non secùs atq; sive Lycurgus sive Solon in parricidas nullam statuit pœnam, quòd, ut ipse diceret, nullum unquam futurum parricidam crederet.

Nonnulla è cap. Levitici 26. explicata.

IN capite Lev. 26. Israelitis peccantibus à Divináq; Lege deficientibus acerbissimas pœnas minatur Deus, & quidem, si ter castigati non resipuerint, nec quantumvis gravibus pœnis quò minùs contra leges admittant deduci potuerint, in illos se hostes armatos immissurum, qui violatum Dei fedus ulciscantur, tandémq; in oppida compulsis obsessísq; funestam pestem ac diram famem inflicturum. Verba S. textûs hæc sunt, v. 25. & qui sequitur; *Inducam super vos gladium ultorem federis mei: cúmq; confugeritis in urbes, mittam pestilentiam in medium vestri, & trademini in manibus hostium.* Hujus quidem versûs sententia perspicua est, nimirum Israelitas peste coactos ultro deditionem hostibus facturos. Non tamen prætereundum silentio est quod ad hæc verba, *& trademini in manibus hostium*, habet Rasi, etsi subtilius est; על ידי הדבר ונתתם ביד האויבים הצרים עליכם לפי שהם מלינים את המת בירושלים וכשהם מוציאים את המת לקברו נתנים ביד אויב, *Faciet pestis ut veniatis in potestatem hostium obsidentium vos: non enim mortui corpus sinebatur pernoctare Hierosolymæ. Cùm igitur extra urbem funus educerent sepulturæ mandandam, in potestatem hostium veniebant.* Sequitur illo in textu, *Postquam confregero vobis baculum panis, ità ut decem mulieres in uno clibano coquant panem vestrum, & reddant eum ad pondus: & comedetis, & non saturabimini.* Cur hoc, *ità ut decem mulieres in uno clibano coquant panem vestrum?* מחוסר עצים, *Propter lignorum penuriam*, inquit Rasi. Abarbanel sensum esse ait, quasi minetur Deus tantam rei frumentariæ inopiam, ut cùm aliàs quæq; mulier uni furno implendo sufficiat, tunc decem simul mulieres eodem in furno coquant. Eodem ferè modo Ezra, qui *decem* annotat esse סך חשבון *summam numeri*, i. numerum certum pro incerto: ac præterea morem obtinere apud Israelitas ut quisq; sibi coquat quod satìs sit in totam hebdomadam; id quod probare ritum seu ritualem Sabbati affirmat. Quid istud verò, *& reddant eum ad pondus?* בעבור שהיא מעט, *propter paucitatem panis*, inquit Ezra. Rasi subtiliùs, שתהא התבואה נרקבת ונעשית פרת נפולת ומשחכרת בתנור והן יושבות ושוקלות את השברים לחלקם ביניהם, *Quia agrorum fructus* (triticum nempe & cætera ejusmodi) *computrescent; dúmq; coquuntur in furno, frustillatim ac minutatim disilient, adeò ut necesse habeant illæ fœminæ frusta ad trutinam exigere, quò cuiq; sua pars distribuatur.* Aliter Abarbanel; ליוקר הלחם יקפידו הנשים כל כך על לחמם שישיבו להם לחמם במשקל, *Propter annonæ caritatem adeò solicitè panem curabunt, ut illum pari pondere, quibus oportebit, restituant.* Adfert aliam quoq; interpretationem, quæ cum Rasi interpretatione conveniat: והשיבו לחמכם במשקל שיתפזר הלחם בתנור פתות פתות אותו פתים ולפי שלא יוכלו הנשים להכיר כל אחת מהן העוזה שלה יצטרכו שתשיב כל אחת מהן לביתה משקל פירורי הלחם כמשקל הבצק, *Et reddant eum ad pondus: quia panis ille minutatim dispergetur, concidetúrq; in furno: & quoniam non poterunt istæ mulieres suam cujusq; coctúram secernere, necesse habebit unaquæq; illarum frusta panis domum referre ad pondus farinæ.* Ralbag alio modo; *& reddant eum ad pondus*; ואותו משקל שהיה כאשר הכניסותו בתנור כי לא יניחוהו לאפות כל מה שראוי כדי שיאכלו ממנו מעט, i. *pari pondere atque erat cùm in furnum conjectus est: non enim exspectabunt dum coquatur satìs, quò parciùs edatur*, ut sit in difficultate annonæ. Quid hoc tandem, *& comedetis, & non saturabimini*; contrà atq; piis Divinarúmq; legum observantibus dicitur, ejusdem cap. v. 5. *& comedetis panem vestrum ad saturitatem?* והוא מארה בתוך המעים בלחם, *Est hæc maledictio in medio viscerum, quod ad panem attinet*, seu, Misera hæc est viscerum conditio, pane non expleri, ait Rasi. יש רעב וישבע האוכל ממעט ועתה מאוכל הרבה לא ישבע, *Est fames ubi pauxillũ cibi satìs fit: nunc verò multũ cibi haud sufficiet*, inquit Ezra. Isaacus Aramæ filius in Akkedath Isaac dicti versûs diversã prorsus adfert interpretationem, ut dicat illis Deus, vim panis ità se imminuturum debilitaturúmque, ut etsi ob annonæ copiam cogantur decem mulieres in unoquoq; furno coquere, itáq; asservetur diligenter ab iis panis uti pari pondere restituant ac fuerat farina, nunquam tamen satiandi sint: siquidem ipse facturus sit ut panis alendi vim minimè habeat, sícq; cogantur obsessi sponte se hostibus dedere.

VARIA SACRA
EX NUMER.

He ſunt autem generationes Aaron & Moyſis, in die quâ locutus eſt Dominus ad Moyſem in monte Sinai, Num. 3. 1.

HÆ *ſunt autem generationes Aaron & Moyſis.* Qui Moyſis, cùm ibi filiorum Moyſis mentio fiat nulla, ſed tantùm quatuor filiorum Aaronis? Raſi, etſi filiorum Moyſis nulla ibi fiat mentio, ſed tantùm filiorum Aaronis, tamen hos quoque vult *generationes*, ſeu *progeniem*, *Moyſis* rectè dici, לפי שלמדם תורה, *quòd eos Legem docuiſſet.* Pergit; מלמד שכל מלמד בן חברו תורה מעלה עליו הכתוב כאלו ילדו, *Ex quo datur intelligi, quicunque alienum filium Legem docet perinde habere eum Scripturam ac ſi genuiſſet.* Deinde explicans idem reliquam versûs partem, *in die quâ locutus eſt Dominus ad Moyſem in monte Sinai*, ſic ſcribit; נעשו אלו תולדות שלו שלמדן מה שלמד מפי הגבורה, *Facta eſt illius iſta progenies, quòd eam docuiſſet id quod ex ore ipſius Dei acceperat.* Bechai eodem quoque modo, ſed prolixiùs, הזכיר משה לפי שלמדם תורה כי תלמידיו של אדם הן הן תולדותיו העקריות והיו תולדות אהרון בהולדה ותולדות משה בלמוד התורה ולזה הזכיר הר שיני שבו נתנה תורה ואמר ביום דבר יהוה את משה בהר סיני, *Meminit Moyſis, propterea quòd docuiſſet eos* (nempe Aaronis filios) *Legem: diſcipuli enim alicujus præcipua ſunt ejus progenies. Fuerunt autem progenies Aaronis naturâ ſeu generatione, Moyſis verò doctrinâ atque eruditione in Lege; ideóque mox mentio fit Sinæ montis, ubi data Lex eſt, his verbis,* IN DIE QUA LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEM IN MONTE SINAI. Paucis interjectis; ואחרי בן הזכיר ואלה שמות בני אהרון לבאר שהיו בנים לאהרון לבדו ולזה הזכיר ארבעתם בשמותם ואחרי כן הזכיר שלישית ואלה שמות בני אהרון הכהנים המשוחים אשר מלא וגומר, *Poſtea verò additur*, Et hæc ſunt nomina filiorum Aaron, v. 2. *ad docendum, eos ſolius Aaronis fuiſſe* naturâ *filios: ideóque eorum quatuor nomina recenſentur: ac denique tertiò ſubjicitur*, v. 3. Hæc nomina filiorum Aaron ſacerdotum, qui uncti ſunt, *&c.* Non eſt novum in conſuetudine Hebraici ſermonis *filios* pro diſcipulis appellari. Sic Prophetarum diſcipuli vocantur eorundem *filii*, 2 Reg. 2. 5. Atque hoc ſenſu Eliſæus ad Eliam, cùm hic turbine raperetur in cœlum, vociferans dicebat, ibid. v. 12. *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & equites ejus.* Probarem equidem Raſi & Bechai expoſitionem niſi eſſet allegorica. Mihi ergò ſic videtur, incipere quidem, ſive Moyſem, ſive quis alius eſt Pentateuchi autor (non enim libet nunc nec tempus eſt hac de re diſputare) quaſi ſigillatim deſcripturus eſſet & Aaronis & Moyſis progeniem, ut omnibus conſtaret Moyſi quoque non defuiſſe liberos, ſed tamen non agere nominatim de filiis Moyſis, Gerſomo & Eliezere, לחסרון מעלתם, *quòd minor illorum dignitas eſſet*, ut Abarbaneli placet, i. utì ego quidem interpretor, quòd non eum obtinerent dignitatis gradum quem Aaronis filii, qui ipſi erant Sacerdotalis ordinis, ſed duntaxat ad Leviticum ſtatum pertinerent; ideóque ſat fuerit Levitarum numero accenſeri, ídq; minimè particulatim ſed in ſolidum, ut cæteri, in Amramitica nimirum familia, cap. 3. Num. v. 27. Amrami enim filius erat Moyſes. Abarbanel obſervat dici etiam poſſe, nullam factam mentionem filiorum Moyſis, לפי שגרשום ואליעזר עדין היו קטנים ולא הגיעו עדין לכלל עשרים להיות מן המנין, *quòd Gerſomus & Eliezerus tum adhuc pueri eſſent, necdum attigiſſent annum viceſimũ, ut cenſeri deberent*: eorum quippe tantùm qui annos viginti nati aut ampliùs arma ferre poſſent cenſum Deus indixerat, ejuſdem lib. cap. 1. initio. Verùm haud ſatis mihi hæc poſtrema ratio placet. Levitarum enim, qui ſacri erant & immunes à militia, cenſum uſque ab iis qui unius menſis eſſent duci ac repeti idem Deus voluit, ejuſdem cap. Num. v. 15. Quod ad ultimam verò partem, *in die quâ locutus eſt Dominus ad Moyſem in monte Sinai*, attinet, nihil iſtis verbis aliud ſignificari puto quàm fuiſſe quidem Aaroni, quo tempore in Sina monte data Moyſi Lex eſt, quatuor filios, quorum nomina mox recenſentur, ſed duos non multò pòſt deſideratos, Nadabum videlicet & Abium natu grandiores, qui cùm ignem externum in altare intuliſſent conſumpti ac devorati ab eo ſunt, ut ſtatim v. 4. ſubjicitur. Hiſtoria hæc autem Lev. 10. plenè deſcribitur.

Omnes Levita quos numeraverunt Moyſes & Aaron juxta præceptum Domini per familias eorum in genere maſculino à menſe uno & ſuprà, fuerunt viginti duo millia, Num. 3. 39.

QUòd pro Iſraelitarum primogenitis, quos poſteaquam Ægyptiorum primogenitos interfeciſſet peculiari jure ſuos fecerat, Leviticam tribum ſibi conſecrari vellet Deus, mandavit Moſi, ut Levitarum, qui menſem exceſſiſſent, mares omnes, ac deinde reliquorum Iſraelitarum ætatis ejuſdem primogenitos itidem mares, recenſeret; utì ſcilicet, ubi id eſſet factum, Levitæ pro Iſraelitarum primogenitis omnibus Deo cederent, i. Divino cultui peculiariter addicerentur, eorúmque in vicem ſacrorum curæ deſtinarentur. Moſes igitur cùm, ſicut erat à Domino juſſus, utroſque recenſuiſſet, Levitarum quidem marium qui menſem exceſſiſſent, ſi ratio ſingulas per familias exactè ſubducatur, ínque unum conferatur, numerus ad 22300. conſcendebat, cæterorum autem Iſraelitarum primogenitorum ad 22273.

Quid eſt ergò cur in verſu illo è libri Numer. cap. 3. Levitæ mares fuiſſe tantummodo dicantur 22000, ac trecenti in numerum haud procedunt? Reſpondent Hebræorum Magiſtri in Tract. בכורות, teſte Raſi, trecentos illos Levitas qui omittuntur fuiſſe primogenitos, qui, quia jam ut primogeniti peculiari jure Dei erant, haudquaquam potuerunt alios Iſraelitarum primogenitos redimere; ideóque de ſumma fuerunt ſubtrahendi. Satis enim illis fuiſſe ſi, quòd in ſacrorum ipſi cura manerent, qui horum ſiclorum, quos pro cæterorum Iſraelitarum primogenitis 273. qui ultra numerum Levitarum excurrebant, redimendis in ſingula capita Aaroni ejúſq; liberis pendi Deus voluit; ut è Num. 3. 46. & qui ſequuntur conſtat, immunes eſſent. Breviùs illi, ac ſuo quidem more, ſed tamen in hanc ſententiam, אותן שלש מאות ליום בכורות היו ודיים שיפקיעו עצמם מן הפדיון, *Iſti*, inquiunt, *trecenti Levita fuerunt primogeniti, quibus ſatis fuit ſi ipſi ſe liberarent à pretio redemptionis.* Quod explicans Elias Orientalis, Interpres Raſi, *id eſt*, ait, *à pretio redemptionis quinorum ſiclorum per capita.* Idem Elias autor eſt ſic reſpondiſſe Doctorem quendam Joannem Zachæi filium, Contarico ſive Contaricani Epiſcopo. Sed & ſubſcribit Ezra, cujus hæc ſunt; והאמת דברי הקבלה אין בכור מפקיע

בכור ויהיה פי הפסוק כל פקודי הלוים חוץ מהבכורים, *Verum eſt quod ait Cabbala, Primogenitus non redimit primogenitum: hæque verba,* Omnes Levitæ quos numeraverunt, &c. *intelligenda ſunt, demptis primogenitis.* Satis verò probabilis hæc ſententia eſt, ſi trecentorum primogenitorum numerus ſat ſit ex juſtæ proportionis norma ad mares Levitas 22000, qui ſuperſunt. Oporteret ſanè tum, ſi rectè & ex æquo rationem ineas, unaquaque in domo præter feminas, quarum ſemper ingens proventus, virilis ſtirpis capita ad 74. fuiſſe, id quod primâ fronte fidem ſuperat omnem: niſi quòd non multò æquior eſſe videtur 22273 primogenitorum proportio ad 603550. Iſraelitas qui annis 20. majores arma ferre poſſent, abſq; iis qui infra ætatem illam eſſent; tot enim cenſi ſunt ex duodecim aliis Tribubus, Num. 1. 46.

Abſurdum eſſet reſpondere cum Hebræorum quibuſdam, autore Ezrâ, minorem illum numerum trecentorum brevitatis ergò, ut fit, omiſſum. Nam ſi ità eſſet, cur igitur pro 273. Iſraelitarum primogenitis, qui Levitarum marium numerum exſuperabant, redimendis quinos in ſingulos homines ſiclos ſolvi Deus jubet, ut jam eſt paulò antè obſervatum, poſtquam primogenitorum numerus Levitarum numero minor eſſet, adeò ut illis redimendis hi ſatis ſupérque ſufficere poſſent? Si enim Levitæ mares 22300. fuere, Iſraelitarum autem primogeniti 22273. duntaxat, adeò primogenitorum numerus Levitarum numerum non exſuperabat, ut ſeptem & viginti minor eſſet. Quid tandem de hac re dicam, quídve ſit ſententiæ ſi quis me roget, videor mihi aptè cum Critone Terentiano reſponſurus,

Ego ampliùs deliberandum cenſeo:
Res magna eſt. ——

In re quippe tanta nec parùm implicata non audeo pronunciare. Nam cur trecenti illi in ſingularum Leviticarum familiarum cenſum venerunt, poſtea, cùm univerſa ſumma colligitur, omiſſi ſunt? Cur cùm Deus juſſit Levitas mares omnes recenſeri, primogenitos non excepit, ſi hi non poterant alios primogenitos redimere? Quid enim neceſſe fuit recenſeri?

In pretium autem ducentorum ſeptuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum, de primogenitis filiorum Iſrael, Accipies quinos ſiclos per ſingula capita ad menſuram Sanctuarii, &c. Num. 3. 46, 47.

LEvitarum marium, atque Iſraelitarum primogenitorum itidem marium cenſu habito, quo invicem ut antè dictum, permutari poſſent, quòd illos hi ducentis ſeptuaginta tribus excederent, juſſus eſt Moſes pro iis qui exſuperabant quinos in ſingula capita ſiclos ſacros ſumere, ídque argentum Aaroni & ejus filiis dare pretium redemptionis.

Quæritur quí id facere Moſes potuit, & à quibuſnam potiſſimùm quinos illos ſiclos accepit. Non enim hic potiùs quàm iſte ſolvere debuit.

Divinant Raſi & Abarbanel in arculam ſive pyxidem conjectas à Moſe 22000 ſchedulas his verbis inſcriptas, *Filius Levi*, ducentas verò ſeptuaginta tres iſtis, *Quinque ſicli:* quibus permixtis confuſiſque invicem nè fraus eſſet, juſſos 22273 Iſraelitarum primogenitos ſortiri ſibi quemque ſchedulam, ut cui ſchedula obtingeret cum hoc titulo, *Filius Levi*, is redemptus cenſeretur; cui verò cum iſto, *Quinque ſicli*, eos ille Aaroni pendere teneretur.

Cur Aaroni? Reſpondet Abarbanel, Quia כשם שניתנו הלוים לאהרון כך יהיה כסף פדיונם לאהרן, *Sicuti erant dati Levitæ Aaroni, ſic argentum redemptionis illorum* (non quo redimebantur Levitæ, ſed Iſraelitarum 273. primogeniti) *ad Aaronem pertinebat.* Non eſt vana mehercule conjectura de ſortitione ſchedularum: ſortitio enim apud Hebræorum gentem crebro in uſu fuit, ut quam Divinâ manu regi exiſtimarent.

Quæritur item cur primogenitis maribus qui menſem excederent redimendis quinque ſiclorum pretium conſtituit Deus.

Reſpondet Abarbanel, לפי שכן היה ערך הנער מבן חדש ועד בן חמש שנים, *Quòd iſtud fuerit pretium* (ſeu *æſtimatio*) *pueri ab ætate unius menſis ad quinque annorum*, ut legere eſt Lev. 27. 6. Allegorici ſuo more ſubtiliùs, *Deus*, inquiunt, *dixit, Vendidiſtis vos Joſephum Rachelis primogenitum* 20. *argenteis, qui valent ſiclos decem. Idcirco veſtrûm quiſque ſuum redimito primogenitum quinque ſiclis.*

Sequentibus aliquot capitibus explicabuntur nonnulla è cap. 5. lib. Numer. quæ ad legem de muliere adulterii ſuſpecta pertinent; ac primùm, Quid illud ſit, Vir, vir, *verſ. 12.*

LIbri Numer. cap. 5. dicta lex eſt de muliere probri ſive adulterii ſuſpecta, quí illa convincenda eſſet aut abſolvenda. Etenim nemo eſt qui adulterii ſuſpicionem in uxore lentè ac negligenter ferat. Ejus legis eſt hoc initium, איש איש כי תשטה אשתו, *Vir cujus uxor erraverit*, ad verb. *Vir, vir, cùm diverterit uxor ejus*, &c.

Quæritur cur repetatur, *Vir, vir?* ſatis enim erat ſemel dici, *vir.*

Reſpondet Iſaacus Karus ex veteribus Magiſtris, quòd iſthæc mulier in Deum peccaſſet, qui איש מלחמה *vir belli*, Exod. 15. 3. appellatur, & in maritum. Sed dices, Quicunque in alterum peccat, itidem in Deum peccat, nec tamen in aliis peccatis repetitur *viri* vocabulum. Reſpondet idem Iſaacus, Quiſquis in alterum peccat rapinâ aut fraude, ſi cui facta injuria eſt damnúmve, is remittit, אבל באשת איש אף על פי שמחל הבעל לא ימחול לו הקבה" כלל, *partem* etiam *ejus criminis* Deus remittit. *Verùm quod ad mulierem adulteram attinet, etſi maritus crimen remiſerit, nihil tamen quicquam illi Deus remittit.* Eodem modo Raſi; איש איש ללמוד שמעלת בשתים באיש מלחמה שלמעלה ואישה מלמטה, Vir, vir; *ad docendum te, bis prævaricari* ac peccare *illam, in virum belli, qui ſuprà*, Deum ſcilicet, *ac virum ſuum infrà*, in terris exiſtentem. Hoc ad amplificandum quidem adulterii crimen, quod nunquam ſatis pro ſua turpitudine ac deformitate amplificari poteſt, pertinet, ſed eſt allegoricum duntaxat non literale, ut loquuntur. Mihi ergò videtur, *Vir, vir*, hoc loco nihil aliud eſſe quàm *Quicunque*, ut & Lev. 20. 2. Cur quæram myſteria ubi nulla prorſus apparent? Quòd porrò lex de muliere adulterii ſuſpecta, ei quæ cujuſque res conſecratæ ut Sacerdotis ſint præſcribit, mox ſubnectatur, (nam verſu 10. notati cap. Num. legitur, *Et cujuſque ſanctificata, illius*, ſup. *Sacerdotis, ſunto*, &c.) hanc putat eſſe cauſam Raſi, quoniam אם אתה מעכב מתנות הכהן חייך תצטרך לבוא אצלו להביא לו את השוטה, *ſi tu detineas quæ Sacerdoti debentur dona, futurum eſt profectò ut tibi neceſſe ſit aliquando ad illum adducere uxorem ut mœcham.* Ridiculum. Quaſi verò ſi vir quiſpiam negaſſet Sacerdoti munus debitum, illico propterea futura eſſet uxor ejus mœcha, ſtatímque neceſſe eſſet illam conjugii fidem violare. Somnia iſta ſunt febricitantis.

Vir cujus uxor erraverit, ſeu *diverterit.* Ibid.

SAtis conſtat quid hoc loco ſignificet תשטה *diverterit*, nempe מדרכי צניעות *à viis verecundiæ*, ut interpretatur Raſi, vel, quod eodèm redit, מהדרך הישרה *à via rectâ*, ut Ezra. Allegorici tamen, quò magis exaggerent adulterii crimen, ac meritò quidem, eſt enim turpiſſimum, conferunt liberiùs, more ſuo, illud verbũ, quanquam ſcriptum per ש ſiniſtrum cum שטות per ש dextrum, quod *amentiam inſaniámve* ſignificat apud Hebræorum Doctores; non eſt enim Biblica vox. Quoniam, inquiunt, adulterium niſi ab iis quos inſania ſpiritûs invaſerit nunquam perpetretur. Sunt hæc adeò illorum verba autore Raſi, אין מנאפים נואפים עד שתכנס בהם רוח שטות דכתיב כי תשטה וכתוב בו נואף אשה.

אשה חסר לב, *Adulteri non antè adulterii crimen committunt quàm eos invaserit ſpiritus inſania, quia ſcriptum eſt,* hic חשטה כי: *Atq; in hanc ſententiam dicitur* (Prov. 6, 32.) QUI ADULTERIUM COMMITTIT CUM MULIERE, CARET CORDE.

Adducet vir ille uxorem ſuam ad Sacerdotem. Ad ejuſdem cap. Num. v. 15.

EAdem illa lex habet hoc quoque, *Adducet vir ille*, qui adulterii nimirum ſuſpectam habuerit uxorem ac zelotypiâ laborarit, *uxorem ſuam ad Sacerdotem*, Numer. cit. cap. v. 15.

Quæritur cur ad Sacerdotem zelotypiæ cauſa delata ſit, non autem ad Senatum ſeu Synedrium; ſiquidem ejuſmodi cauſa ad Senatum potiùs quàm ad Sacerdotem, quà Sacerdotem, pertinuiſſe videatur. Reſpondet Iſaacus Karus, לפי שזה הוא לשים שלום בין איש לאשתו *Quòd Sacerdotis ſit pacem inter diſſidentes virum & uxorem conciliare.* Addit, ולפי שאהרון היה אוהב שלום ורודף שלום ומשים שלום בין איש לאשתו לפיכך נעשה על יד בני אהרון, *Ac propterea quòd Aaron paci & concordiæ fovendæ ſummè ſemper ſtuduit, dedítque operam, quacunque ratione potuit, concilianda gratia virum inter & uxorem, ubi quid rixæ ortum eſſet,* (quod nimiùm ſæpe muliebris ingenii vitio contingit) *idcirco ejuſmodi cauſa judicium poſteris ejus*, nimirum Sacerdotibus, *relictum eſt.* Ità ferme ille.

Et afferet oblationem ejus pro illa, decimam partem Ephæ farinæ hordeaceæ, Num. 5. 15.

AD Sacerdotem cùm adduceret quis uxorem probri ſuſpectam, afferre tunc etiam illum lex jubebat pro ea decimam partem Ephæ farinæ hordeaceæ. Textûs verba hæc ſunt, Num. 5. 15. *Adducet vir ille uxorem ſuam ad Sacerdotem, & afferet oblationem ejus pro illa, decimam partem Ephæ farinæ hordeaceæ.*

Quæritur cur hordeaceæ, non autem triticeæ. Reſpondet Raſi, היא עשתה מעשה בהמה וקרבנה מאכל בהמה, *Ipſa fecerat opus dignum beſtiâ: idcirco id quod pro cibo eſt beſtiis oblatio ejus fuit.* Abarbanel eodem ferme modo; וצוה שתהיה מנחתה קמח שעורים לנוכח ענינה שתעשה מעשה שאין יחוד לה עם בעלה, *Juſſit* Deus *ut ejuſmodi mulieris oblatio conſtaret ex farina hordeacea, ad demonſtrandum turpitudinem facti ejus, quæ egiſſet quod beſtiæ ſolent, quæ uni non ſunt alligatæ.* Addit Ezra; ומנחת הנרבה היא סולת חטים לוכרון לטוב ואת המנחה מזרת עון אם היה שם על כן היא גרועה להיותה שעורים בלא שמן ובלא לבונה, *Munus* ſeu *oblatio voluntaria ex ſimila conſtat triticea, éſtque in ſignum bonæ cujuſpiam rei: aſt hæc oblatio crimen arguebat, ſi quod ibi eſſet, ideóque imperfectior eſſe debuit, hordeacea videlicet, oleóque carere & thure.* Iſaacus Karus iſtius hordeaceæ oblationis alias quaſdam cauſas affert, quarum hæ præcipuæ mihi videntur, שהשעורים יש להם עזות פנים שהחטה מכוסה בבעלת ענוה והשעורה מגולה כעזות פנים. Quorum verborum hæc ferme mens, *Quoniam hordeo adulteræ mulieris impudentia deſignaretur: hordeum enim, utpote apertum ac nudum magis, impudentiæ, triticum verò, utpote magis tectum, modeſtæ ac pudentis mulieris eſt ſymbolum.* Deinde, quòd ut modico tempore hordeum eſt ſub terra, ſic mulier adultera minùs ſæpe domi agat, ſed foràs libenter prodeat & in plateas, (ut eſt Prov. 7.) amans ſpectaculum ſui corporis virorum oculis præbere. Tum autem hordeo, utpote frigido ac temperandi caloris vim habente, admonitam vult eam mulierem temperandum fuiſſe ardorem illum concupiſcentiæ quo incenſa peccaſſet in maritum. Ità ferme iſte Iſaacus, qui alias præterea adfert rationes, quæ nobis haud ſatis probantur.

Non fundet ſuper eam oblationem *oleum, nec imponet thus*, Ibid.

OBlatio illa quam vir zelotypiâ laborans ad uxoris adulterium explorandum adferebat, neq; oleo neq; thure perfundebatur. Cur? De oleo quidem reſpondet Raſi, שלא יהא קרבנה מהודר שהשמן קרוי אור והיא עשתה בחשך, *Ne quid honoris oblationi ejus* mulieri *eſſet: oleum enim lucem ſignificat: illa autem quod fecit, fecit in tenebris.* Eodem ferme modo in Tanchuma. Huc verò referatur illud Job. 24. 15. *Oculus adulteri obſervat caliginem, dicens, Non me videbit oculus: & (in) abſconſione faciem ponet*, ſup. *adulter.* Iſaacus Karus quoque cum Raſi ſentit, ſed addit; Poſſumus dicere præterea non affuſum oleum oblationi quam quis adduceret pro uxore adulterii ſuſpecta, quoniam oleum boni nominis ſymbolum eſt; quo ſenſu dicitur Eccl. 7. 2. *Melius eſt nomen quàm oleum bonum:* illa autem exciderat bono nomine. Ad hoc, Propterea quòd oleum nulli liquori permiſcetur; illa autem alieno viro ſeſe miſcuerat. Denique, quia oleum liquoribus omnibus ſupernatat, cùm illa adeò non ſuperet cæteras mulieres ut infra omnes ſit, niſi fortè illas quæ ſimiles ei ſunt.

De thure duo adfert Iſaacus Karus, quorum hoc mihi probatur potiſſimùm, Dici poſſe, nitro ſi ſe laverit ejuſmodi mulier, & quantumvis ſaponis adhibuerit, tamen non poſſe illam unquam abluere peccati ſordes, nec amiſſum candorem recipere, ac propterea haud affundendum prædictæ oblationi thus, שהיא רמז ללבון עונות, *quòd eſt ſymbolum dealbationis ſcelerum.* Et certè thus Hebræis appellatur לבונה à *candore*, quo præſertim laudatur.

De utroq; ego mihi videor hoc poſſe reſpondere, oleum gaudii & hilaritatis (unde illud apud Eſaiam cap. 6. v. 3. *oleum gaudii pro luctu*) thus verò boni odoris fuiſſe ſymbola; atque idcirco neutrum huic oblationi, quæ luctûs & triſtitiæ plena eſſet, ac nihil boni odoris haberet, quippe ad explorandum duntaxat adulterium inſtituta, fuiſſe adhibitum: quò pertinet quod notata è lib. Num. verba mox ſequitur, *quia oblatio zelotypiarum eſt, oblatio memoria revocans in memoriam iniquitatem.*

Aſſumétq; Sacerdos aquam ſanctam in vaſe fictili: de pulvere quoq; qui fuerit in pavimento tabernaculi mittet in eam, notati cap. v. 17.

HÆC quoq; explorandæ adulteræ ritûs pars fuit, ut ei ab Sacerdote bibenda daretur aqua è labro æneo hauſta, cui pulvis è Tabernaculi ſolo abraſus ac præterea Dei nomen inderetur.

Quæritur quid *aqua*, quid *pulvis*, quid *Dei nomen* ſignificarint. Reſpondent Baal Hatturim, qui citat Talmud Hieroſolymitanum, Iſaacus Karus & alii; Propterea quòd conveniebat ut iſti mulieri tria tum venirent in mentem, unde veniſſet, quò itura deniq; eſſet, & cui tandem rationem eſſet redditura, idcirco juſſam illam bibere aquam quæ טיפה סרוחה *guttam fœtidam* (ſic illud appellant unde in maternis viſceribus concipimur) notaret; pulverè verò aquæ admixtum, qui locum pulveris & vermis, in quem reverſura eſſet, ſignaret; abraſos etiam in aquâ verſus, eos ſcilicet qui in exſecrationum libello deſcribebantur, ut eſt v. 23. quibus in verſibus ſanctum illud nomen יהוה bis continebatur, quò admoneretur illa ſcilicet, Deo tandem reddendam eſſe rationem. Quòd in vaſe fictili recipienda erat illa aquæ, סימן שהיא תשבר ככלי חרס, *id ſignificabat confringendâ eam* mulierem *perinde ut vas teſtaceum*, inquit Abarbanel. Hæc omnia ſanè mihi videntur admodum coacta: multóq; ſatius eſſet de ejuſmodi rebus prorſus ſilere quàm ità nugari. Haud dubiè conditor harum legum Deus nihil temere ſtatuit, quanquam interdũ rationem mortalibus conſtare noluit, quò magis, ut videtur, illorũ obſequium probaret, ſi legibus obtemperarent quarum cauſas ignorarent. Accedit quòd ſummus atq; immortalis Deus voluit aliquod arcanũ ſuũ eſſe, quod nunquã cogitatio aſſequeretur humana, ut homines quantũ inter Deum ſéq; diſtaret meliùs intelligerẽt.

De Nazaræis, & cur à vino, & radendo crine abſtinere tenerentur, ad cap. 6. Num.

ERant in antiqua & Moſaica lege præter Levitas & Sacerdotes jam indè ab ortu, & ratione generis Divino cultui in totam vitam peculiariter addictos, qui ad tempus Deo ſe legíſque Divinæ ſtudio ſponte & voto, quantùm ipſi vellent, conſecrarent, ſanctiúſq; vivendi inſtitutum profiterentur. Nazaræi Hebraicè נזירים vocabantur, quaſi tu diceres *ſeparatos à quibuſdam rebus religionis ergô*. Iis ex ſectione quæ legitur Num. 6. 3, & qui ſequuntur, inter cætera præcipitur, vino ut abſtineant & radendo capite. Cur à vino juſſi ſint abſtinere promptum eſt divinare, quòd nempe vinum mentem facilè perturbet atq; evertat, ideóq; minùs iis quidem conveniat qui perpetuò Deo adhærere atque in ejus Lege toti verſari cupiunt. היין משחית הרעת ועבודת השם, *Vinum*, inquit Ezra, *mentem evertit, ipſiúſque Dei cultum*. כל הנמשך אחר היין נמשך אחר תאוות והוא מביא לידי חטאים ומכשולים רבים: *Quiſquis*, inquit Bechai, *vino delectatur, cupiditatibus obtemperet neceſſe eſt: vinúmque peccandi ac ruinæ (exitiíve) ſæpe cauſa eſt*. Neque verò tantummodo vino, ſed ſicerâ etiam, & quavis aliâ potione quæ ebrietatem induceret uti Lex prohibebat quos modò nominabam, neque vino & ſicerâ ſolùm, ſed etiam vini & ſiceræ aceto, uvarum liquore, ĩmò & uvis quoque ipſis, cùm recentibus tum ſiccis, acinis, folliculíſque, ברי לעשות נזר ושמירה ברבר, *ad faciendam*, ut loquitur Abarbanel, *ſæpem & cuſtodiam ipſi rei*, i. quò tantò magìs à vini & ſiceræ potu arcerentur, cautioréſque in eo quod præcipuum erat redderentur. Indéque illud dici ſolitum erat Nazaræo, סחור סחור לכרמא לא תקרב, *Circum vineam nè accedito*. Cur autem radere capitis crinem vetarentur non ità liquet. Abarbanel hanc quidem cauſam affert, להראות שכל הדעת אשר נתן לו אלהים על ראשו תמים יהיה בו לא יכשל ממנו לא מכח היין ולא בשום מלאכה מן המלאכות ואפילו לבטל שער אחד מהראש, *Ut oſtenderet* qui Nazaræatum ſeu perfectioris vitæ genus profeſſus eſſet, *totam vim mentis, quam ſuo capiti Deus indidiſſet, remanſuram, ejúſque nihil vino aut quacunque aliâ arte corrumpendum ac labefactandum, ſic ut nè pilus capitis abſcinderetur quidem*. Abrahamus Seba putat in capillo ſanctitatem Deóq; adhæſionem ineſſe quandam; לפי שהשער באיש הוא הודו והדרו בדוגמא של מעלה כדכתיב שעריה כתלג חיוור וכל וה חבין משער שמשון שהיה כחו והדרו ואחר שחטא סר כחו והדרו ושערו, *Quia capillus hominis eſt decor honórq;, ſicut & Dei, de quo ſcriptum*, CAPILLUS EJUS, QUASI NIX, CANDIDUS; [Dan. 7. 9. ſimile quid legitur.] *Totum autem hoc intelligere eſt ex Samſonis capillo, in quo ejus fuit poſitus decor gloriáq; : at poſteaquam peccaſſet, receſſit ejus decor gloriáque & capillus*. Alii in Midras putant vetitos Nazaræos caput radere, לפי שהנלוח מיפה בני אדם ובוה גם לבו עליו, *Quòd raſura majorem homini venuſtatem, unde ſuperbire poſſit, adferat*, apud quoſdam populos ſcilicet. Probat hoc, quòd Joſephus è carcere evocatus, antequam ſe Pharaoni ſiſteret, totondiſſe ſe ac veſtes mutaſſe ſcribitur, Gen. 41. 14. Bechai idcirco cenſet juſſum Nazaræum crines alere, לפי שנדול שער מוליד הדאנ' ויהיה לבו נכנע בעבודת השם יתברך בהיותו מנוול בשערו וכו' ויהיה נוהר מהטותרות המנולי' אותו וכו' *Quòd promiſſus capillus mœrorem (anxietatémve) inducat: ejúſque adeò*, Nazaræi ſcilicet, *animus demiſſiùs ſe in colendo Deo gereret, crinibus deturpato capite: admoneretúrque ille de excrementis quæ ipſum fœdarent*, &c. Sed aliud præterea Nazaræo fuit interdictum, itidem ut Pontifici, nè funeri vel parentum, fratrum aut ſororum intereſſet unquam, aut quo pacto illorum cadaveribus funeſtaretur. Cur? כי חי העולמים הוא חלקו לא המתים, *Quòd qui æternùm vivit*, nempe Deus, *illius pars eſſet, mortui verò non*, ait Abarbanel. Eodem fermè modo Iſaacus Arama; Quòd ex quo aliquis ad ſtudium Legis & ſapientiæ potiſſimùm ſe applicuit, לא ישחית עיניו הנפש עם עיניו הנוף ויגזור עליהם גזרה אחת אין יתרון לזה על זה וכמות זה כן מות זה, *non debet ille miſcere res ſpirituales cum corporalibus, ſed potiùs de his ſemel ſtatuere, non eſſe alind alio præſtantius; perindéq; hujus atq; illius habendam eſſe mortem*. Quæri item ſolet, Quid cauſæ ſit quamobrem hic de Nazaræis locus mox ſubjiciatur illi de muliere adulterii convicta ſuſpectáve. Reſpondent Raſi & Bechai ex veterum mente; לומר לך שכל הרואה שוטה בקלקולה יזיר עצמו מן היין שהוא מביא לידי ניאוף, *Ad docendum quòd quicunque ita interfuiſſet quæ circa ejuſmodi mulierem fierent, facilè adduceretur ut Nazaræatûs votum ederet, abſtinerétque ſpontè à vino, quod libidinem accendit & ad adulterium ſolicitat; ſicuti dicitur* (Oſeæ 4. 11.) FORNICATIO, ET VINUM, ET MUSTUM AUFERUNT COR. Sunt, autore Ezrâ, qui exiſtimant idcirco id factum, quia ſi ejuſmodi mulier, omnibus ritè peractis quæ Num. 5. præſcripta eſſent, innocens & munda probaretur, ei indè filius Nazaræus, i. qui fieret Nazaræus, naſcebatur. Tali feminæ quidem naſciturum prolem diſertè affirmat citati capitis verſus 28. De Nazaræo nullum verbum. Ezra aliter ſentit, nempe id factum, בעבור נזירת האשה שהיא הפך המעלת כי רובי העברות סבתם היין ואשה שלא תתקן שער ראשה איננה מבקשת להבעל, *propterea quòd Nazaræatum profeſſa mulier ei opponitur quæ aliens implicat ſe amoribus: pleriſque enim peccatis vinum cauſam dat; & mulier quæ ornandæ comæ minimè ſtudet, alienum ambire virum haud credenda eſt*. Expendit Bechai verbum יפלא quod habetur in lege Nazaræi, citato cap. Numer. v. 2. *Vir ſive mulier* כי יפלא *cùm mirandum fecerit, vovendo votum Nazaræi, ut ſeparet* (ſeu *conſecret*) *ſeſe Domino, mirandum* (ſeu *miram rem*) *fecerit*; ſiquidem, inquit, major pars hominum ſuas cupiditates ſequatur, iſte verò ab iis ſeſe abſtrahat ac ſeparet; húcq; ſpectat vox נזיר *Nazaræus*, quæ *ſeparatum* ſignificat: quanquam, inquit, hæc eſſe poteſt à nomine נזר quod eſt *corona, & diadema regium*, ut ſonet *regio diademate inſignitum*, על שם שהוא מלך מולך על התאוות הפך משאר בני העולם שהם עבדי התאוות, *Quòd rex ipſe ſit cupiditatibus imperans, præter morem reliquorum hominum, qui cupiditatum ſervi ſunt*. Unde illud ejuſdem capitis, v. 7. *quia* נזר *corona* (aliis tamen *conſecratio*) *Dei ſui ſuper caput ejus eſt*.

Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt, in cujus medio ego ſum: & tu dicis; Dabo eis eſum carnium menſe integro? Numquid ovium & boum multitudo cadetur, ut poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient? Num. 11. 21, 22.

CUM Iſraelitis in deſerta vaſtáque ſolitudine nihil quo corpora reficerent habentibus cœleſte manna, quo nullus ſuavior cibus eſſe poterat, ſingulari Dei Opt. Max. munere ac liberalitate affluenter ad victûs etiam delicias ſuppeteret, ii tamen, more humani ingenii, cui ut præſentia faſtidio, ſic negata magìs deſiderio ſunt, carnes, piſces, cucumeres, pepones, porros, cæteráſque viles, quibus in Ægypto aſſueverant, dapes, non ſine turpi ac nefario ingrati animi ſcelere impotentiùs deſiderabant. Contigit id anno altero quàm Ægypto exiſſent. Quod ubi reſcivit Moyſes, eò iræ proceſſit ut Deo haud diſſimulanter diceret, malle ſe ab illo ſubitò interfici, ſdque in ſummi beneficii loco habiturum, quàm tam pervicacis & contumacis populi curam ampliùs ſuſtinere. Quaſi verò, inquiebat, ex me natus ſit univerſus iſte populus, ut ſolus ferre debeã tãtũ onus. At juberet Deus ut ſeptuaginta ſeniores ac primores è populo ſeligeret, qui ut ſpiritûs quo erat præditus, ità oneris quod humeris incumbebat, partẽ acciperent; ſic enim illud levius fore: præterea; polliceri populo copias carniũ nõ defuturas, quibus nõ in unũ tantùm diem ſed in plures etiam, atq; integrum menſem, abunde atq; ad nauſeam uſq; veſceretur. Tum Moyſes, *Sexcenta*, inquit, *millia peditum hujus populi ſunt in cujus medio ego ſum: & tu dicis; Dabo eis eſum carnium menſe integro? Numquid*

ovium

ovium & boum multitudo cædetur, ut poßit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur ut eos ſatient, vel, *eis ſufficiant?* Num. 11, 21, 22. Quî id dicere Moyſes potuit, qui toties jam aliàs Dei præpotentis ſummam virtutem expertus fuerat, dum ſubitò grex coturnicum caſtra oppleverat, móxque manna cœlo delapſum ſupervenerat; dúmque ipſe petram virgâ feriens aquas copioſiſſimas ſimul ac limpidiſſimas elicuerat? Exod. 16, & 17. Mirum eſt quanto opere vexata ab Rabbinis ſit hæc difficultas, ut vix ullus jam ſupereſſe videatur novæ interpretationi locus. Abarbanel vult Moyſem de ſeipſo dicere, *Dabo eis eſum carnium menſe integro*, &c. non autem de Deo: ut hæc ſit ſententia, Quomodo tu dicis, quòd ego Moyſes *dabo eis eſum carnium?* &c. Sed quicquid in contrarium nitatur Abarbanel, refelli hæc interpretatio nullo negotio poteſt, ex eo quòd à Deo juſſus fuerat Moyſes populo inter cætera dicere, v. 8. *dabit enim Dominus vobis carnes, & comedetis.* Unde igitur venire potuiſſet Moyſi in mentem, ipſum fore qui daturus eſſet illam carnium copiam quam Deus daturum ſe promiſerat? Tum autem id quod Moyſi Deus mox reſpondet, v. 23. *Numquid manus Domini contracta eſt?* evidenter probat de Deo illa verba eſſe accipienda. Subtilior eſt hîc profectò Abarbanel quàm par eſt. Alii, in quibus quidam Simeon; autore Raſi, exiſtimant Moyſem non dubitare hîc de Dei potentia, ſed hoc velle, Cùm tanta ſit Iſraelitarum multitudo, quî ais daturum te illis eam carnium copiam unde non ſatientur modò ſed etiam enecentur? *Numquid ovium & boum multitudo cædetur*, ut tot hominum millia pereant? Non te dignum iſtud facere. חשב משה שהשם לא יעשה נס לתבליר רע, *Cogitabat Moyſes non facturum Deum miraculum malum ad finem*, ut videlicet illos enecaret, ait neſcio quis. Deus nempe, inquiunt, quæ facta eſt poſtea clades v. 33. eam Moyſi revelarat, ac ſignificarat his verbis verſûs 20. *donec exeat per nares veſtras, & vertatur in nauſeam.* Quod autem ſequitur, *Numquid manus Domini* תקצר *contrahetur?* (ſic enim ad horum mentem vertendum) in hanc ferme ſententiam interpretantur; Si nunc non exhibeam illis copiam carnium, contractam eſſe manû meam dicent. Numquid melius tibi videtur ut manus Domini contracta illis vel aliquantulo temporis ſpatio videatur quàm ut illi pereant? Huic ſententiæ obſtat quod dicitur v. 22. *Numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut poßit illis ſufficere ad cibum*, non autem, ut illi moriantur? Alii volunt non ità accipiendum quod aiebat Moyſes, quaſi dubitaret de Dei potentia; abſit; ſed quòd contumaci populo nihil ſufficere unquam poſſet, כי היתה שאלתם בלתי מוגבלת, *ut cujus cupiditas nullum haberet modum.* Nam ſi illi Deus daret ſolidam carnem, putà bovinam, delicatiorem poſtularet; ſi delicatam, tum ſolidiorem optaret; ſi ferinam aut aviariam, tum aquatilem aut quam aliam cuperet. Populus enim erat rixoſus & contumax, qui quodcunque inciderat in mentem volebat: neque id putabat, pravum an rectum eſſet quod peteret, ſemper quærens cauſas ad diſcordiam; מאחר שאינן מבקשים אלא עלילה inquit Gamaliel Judæ filius. Illud autem Dei ad Moyſem, *Numquid manus Domini contracta eſt?* non incommodè in hoc ſenſu mihi videtur exponi poſſe, ut dixerit Deus, Numquid ſi iſtius populi cupiditas nullum habet modum, propterea non poſſum illi cumulatè etiam ſatisfacere? Quaſi verò aliquis meæ potentiæ modus ſit conſtitutus. Verùm quod dicit Moyſes, *Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt*, non videtur admittere hunc ſenſum. Quorſum enim attineret populi numerum recenſere, ſi de cupiditate tantùm eſſet ſermo? Fuiſſet potiùs ipſius populi faſtidioſa contumacia atq; inſatiabilis cupiditas notanda. Niſi fortè dicas deſignatum numerum à Moyſe, quo ſignificaret in tanta multitudine, ubi adeò infinita ingeniorum diverſitas eſſet, fieri non poſſe ut omnibus animus & cupiditas expleretur. Accedit deinde Ramban qui, referente Bechai, aliter interpretatur, certè enim hîc dici poteſt, Quot homines, tot ſententiæ: חלילה שיסתפק משה ביכלתו של בורא בספוק צרכיהם אבל אמר ששׁ מאות אלף רגלי העם אשר אנכי בקרבו כלומר והן מחוסרי אמנה ואינן ראויים לנס ובזכות הטבע אין דבר שיספיק להם וכו׳ והנה דעתו של משה עה״כ שאלתם אינה ראויה להתפלאות לא בדרך הנס ולא בדרך חטבע לא בדרך הנס שאינן ראוין לכך שהרי מחוסרי אמונה היו ולא עשו כי אם לנסות וכן כתוב וינסו אל בלבבם לשאול אכל לנפשם ולא בדרך הטבע שבדרך הטבע לא יספיק להם והשיבו הקבה״ הוי ה״ תקצר לתת להם שאלתם ולהספיקם בשר אפילו בדרך הטבע והמקרה ושלא בדרך הנס כלל, *Abſit ut dubitaſſe dicamus Moyſem de potentia Creatoris, quaſi non poſſet ſufficere ac ſubminiſtrare res neceſſarias.* Verùm aiebat, Sexcenta millia peditum hujus populi ſunt. *Perinde ac ſi diceret; Ipſi porrò ad credendum malè ſunt affecti, indigniq; adeò miraculo: viâ autem naturæ nihil unquam ſatis illis eſſe poteſt.* Mox paucis interjectis, *Hac igitur mens Moyſis μαιευεται, Deſiderium eorum non eſſe ejuſmodi quod expleri debeat aut poßit, tum viâ miraculi tum naturæ: non viâ miraculi, quòd haud digni ſint, ut qui ad credendum malè ſint affecti, ac nihil aliud quàm experiri & tentare Deum velint, juxta illud* (Pſal. 78. 18.) Et tentaverunt Deum in cordibus ſuis, petendo eſcas animabus ſuis: *non viâ naturæ, quòd nihil ſic illis ſatis unquam eſſe poßit. Reſpondet autem Deus*, Numquid manus Domini contracta eſt, *ut non queam illis exhibere quod petunt, nec ſatis ſuppeditare carnium, etiam viâ naturæ & fortuiti cujuſdam caſûs, abſq; ullo prorſus miraculo?* Deinde probat is quem poſtremo loco laudavi, abſq; miraculo ſolâ viâ naturæ exhibitam tantæ multitudini carnium copiam, quòd ſcriptum ſit v. 31. *Ventus autem egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit*, &c. id quod haud factum præter naturam: שהוציאן מהים בשכבר היו שם ולא היו בריאה חדשה והוו לשון ויגו כי היו מקובצים בפאת ים והפריחם לשם, *tranſlatæ enim ſunt iſtæ coturnices è mari ubi erant antea, nec fuerunt de novo creatæ, id quod indicat verbum* ויגו *quod eo loco habetur*, & avulſit, *ſeu* avolare fecit, *nempe ex illo maris angulo ubi erant collectæ.* Idem porrò Ramban, teſte etiam Bechai, ex eo colligit intellexiſſe Moyſem non fuiſſe Dei conſilium præter naturam exhibere populo carnium copiam, quòd à Deo hoc mandatum accepiſſet v. 8. *Populo quoque dices, Sanctificamini cras, & comedetis carnes*, &c. non autem, Ego dabo vobis carnem cras, ſicuti dicere ſolitus erat in aliis miraculis, ex. gr. Exod. 16. 4. *Ecce ego pluam vobis panem è cœlo*; & cap. 17. 6. *En ego ſtabo ibi coram te ſupra petram*, &c. Verùm jejuna eſt admodum hæc conjectura. Nónne enim par illi videtur fuiſſe quod mox ſubjungitur? *dabit enim vobis Dominus carnes, & comedetis.* Ecce rurſum alius magni nominis & ſingularis doctrinæ vir, Iſaacus Arama in Akkedath Iſaac, qui ſymbolum quoque ſuum confert: ſic autem ferme interpretatur, ac ſatis ingenioſè quidem & acutè; Quomodo dicis, *Dabo eis eſum carnium menſe integro?* Etſi enim id quidem tibi facile eſt; tamen vide, obſecro, quò evadat res. Nam ſi ſemel iſte populus tuum animũ intellexerit, te omnibus ſuis petitionib⁹ indulgere, tam quî vivunt hodie quàm eorum filii ac nepotes, primâ quaq; occaſione, quod ſubitum fuerit à quovis gubernatorum petent. Quid tum iis faciant? *Numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut poßit ſufficere ad cibum, vel omnes piſces maris in unũ congregabuntur*, &c. ודאי יש לך להקפיד על זה ולא להתיר להם שלוח השאלות אשר כאלו, *Certè eſt tibi hujus rei habenda ratio, nec facilè quibuſcunq; eorũ petitionibus debes concedere.* Volebat nempe dehortari Moyſes Deum nè copiam carnium, ut ſtatuerat, populo ſuppeditaret, quòd res eſſet peſſimi exempli. Quod ſequitur poſtea, *Numquid manus Domini contrahetur?* idem hoc ſenſu accipi vult, וכי בשביל כבודך וכבוד רעיך הבאים אחריך אקל בעיניהם לחשבם שאין כח בידי למלאת תאות המפורסמת, *Quid? tuine honoris eorũmque qui tibi ſucceſſuri ſunt gratiâ vileſcam in oculis illorum, dum cogitabunt non eſſe in mea poteſtate ſuo pro libito facto deſiderio ſatisfacere?* Eodem ſenſu accipit Abrahamus Seba in Faſciculo myrrhæ. David Kimhi in Michlol, rad. מצא, verbis patris ſui ſic

ferme explicat, cùm Israelitæ flagrarunt desiderio carnium, piscium, peponum & cæterorum ejusmodi, tum ovium & boum non parùm habebant: verùm haud iis vesci licebat, donec ad ostium tabernaculi conventûs adducta essent, בעבור זריקת הדם והקטר חלבים ואברים, *quò spargeretur sanguis, adolerentúrque adipes & membra*, juxta illud Lev.17.3,4. *Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem, aut ovem, sive capram in castris, vel extra castra: Et non adduxerit ad ostium tabernaculi Ecclesiæ, ut offerat oblationem Domino*, &c. Tum autem, nisi qui mundi essent, [Ad verb. *si non essent ejus domestici mundi,*] iis minimè vescebantur juxta illud Levit.7.20. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.* Propterea igitur aiebat, *Numquid ovium & boum multitudo cædetur?* &c. q. d. Si possent illi ubique oves & boves jugulare, sufficeret iis profectò: at si illud non licet, quomodo tantum illis carnis ad vescendum suppetere potest quantum satis est? Respondet Deus, *Numquid manus Domini contracta est?* q.d. Dabo illis carnem quæ satis sit, præter oves, boves & pisces. Bechai hanc expositionem rectam fore observat, si satis illud, *vel omnes pisces maris in unum congregabuntur*, &c. ad eam quadraret. Mihi profectò non fit verisimile Israelitis tunc temporis ovium & boum copiam fuisse. Quorsum enim tanto carnium desiderio flagrassent, nisi quia illis deerant? Sunt denique ex Hebræis qui nihil circuitione utuntur, nec dissimulant peccasse Moysem, ac secùs quàm par fuit de Dei potentia sensisse. Ego, ut ingenuè fatear, subscriberem lubens horum sententiæ (id enim verba videntur sonare) nisi vererer nè viro sanctissimo juxtà & prudentissimo Moysi injuria fieret, imò Deo ipsi cujus est hoc de Moyse elogium, Num.12.7. *Non talis servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est.* Quærunt autem qui ità sentiunt, cur cùm Moyses, sive quòd à Deo admonitus petram virgâ ferire ut aquam educeret, per diffidentiam semel atque iterum percusserit, sive quòd alloqui duntaxat petram jussus eam percusserit, notatus à Domino referatur, Num. 20. ob ídque promissam sibi terram non ingressus sit; hoc, quod illo haud levius videtur peccatum, illi impunè cesserit? Respondent, quòd hoc secretum, illud verò publicum & palàm fuerit. Akiba, qui hunc locum, ut sonat, accipi vult, teste Rasi, sic habet; ואיזו קשה זו או שמעו נא המורים אלא לפי שלא אמר ברבים היסד לו הכתוב ולא נפרע ממנו וזו של מריבה היתה בגלוי לפיכך לא היסך לו הכתוב, *Utrum verò grævius, hoc an illud* (Num.20.) Audite, quæso, ô rebelles, *&c. nisi quia non dixit palàm*, (Sexcenta millia peditum, *&c.*) *ignotum fuit, cessit* q. *illi impunè*; *illud verò aquarum contradictionis fuit palàm, ac propterea non ignotum.* Miror Josephum, qui contra apertum Scripturæ textũ alteri quàm Moysi illa verba, *Sexcenta millia peditum hujus populi sunt*, &c. *tu dicis, Dabo eis esum*, &c. hæc verò, *Numquid manus Domini*, &c. Deo simul & Moysi tribuit: sic enim habet Josephus Antiq. Jud. l. 3. c. 12. *Illis verò credere nolentibus, quodam etiam rogante, unde tot hominum millibus providere posset; Deus, inquit, & ego, quantumvis malè apud vos audientes, nunquam tamen desinemus vestrî curam gerere: ídque brevî estis visuri.* Vix ullum reperiri posse versum in S. literis puto quem tam multi tam variè interpretati sint.

Aliud ex eodem cap. 6. Num. declaratum: & cur ורא *scribatur per* א.

DEus, cùm carnium desiderio flagrantibus Israelitis illarum copiam daturum se polliceretur, hoc aiebat præter cætera, *Non uno die comedetis, nec duobus, vel quinque, nec decem, nec viginti quidem: Sed usque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam*, &c. Num.11.19,20. Ità profectò accidit omnibus qui erga hujus vitæ delicias nimis sunt affecti: flent, ut pueri, non habentes quod optant, assecuti contemnunt ac vituperant; quóque impendiò magis quid optarunt, tantò vehementiùs, dum potiuntur, oderunt. Nihil tam suave in voluptatibus humanis quod vel exiguo usu non evadat amarum: ideóque apes pungunt, quia ubicunque dulce est ibi & acidum invenitur. Insigne hujus rei exemplum est in Amnone, qui potitus sorore quam efflictim deperibat, ejus statim odio supra modum ardere cœpit: juxta illud 2 Sam.13.15. *Et exosam eam habuit Amnon odio magno nimis; ità ut majus esset odium quo oderat eam amore quo antè dilexerat.* Et quando hujus vitæ voluptates haud absimiles sunt impudicæ mulieri, huc quoque congruet illud Regum sapientissimi, Prov.5.3,4. *Favus enim stillans labia extraneæ*, (meretricem intelligit) *& lenius est oleo palatum ejus: Novissimum autem illius amarum sicut absynthium, acutum quasi gladius biceps.* Atque hinc est, si credimus Bechai ad locum Num. notatum, quòd vox לורא, i. *in nauseam*, scribitur per א, להפלגת המאוס *ad majorem detestationem, majúsve odium exprimendum.* Ponit autem iste hanc regulam, כל תיבה שצריכה להכתב בהא" ונכתבה באלף" הכונה להפליג הדבר, *Omnis dictio scribenda per* ה, *si habeat* א, *majus quiddam notat.* Quam regulam probat ex Ruth 1.20. ubi Noemi, *vocate me* מרא *Mara*, (hæc vox autem erat scribenda per ה) q. d. nolite me vocare מרה cum ה, sicuti quævis mulier quæ amaro est animo solet appellari, sed vocate me מרא cum א, quò magis intelligant omnes quàm amaro sim animo: atque huc pertinet quod illic mox sequitur, *quia amaritudine affecit me Omnipotens valde.* Addit itidem aliud ex Dan. 11. 44. *egredietúrq.* בחמא גדלה *cum ira magna, ut perdat & interficiat plurimos*; ubi חמא, quod *iram* significat, scriptum est per א, ad augendam significationem, idcir óque additur *magna.* Subjungere mihi posse videor ex Psal. 127.2. שנא, quod illic non quemlibet *somnum*, sed *dulcissimum & suavissimum* significat. Baal Hatturim ad explicandam vocem לורא, quæ *in nauseam* sonat, magnificam illam interpretandi rationem quam Gematricam è Græco γεωμετρία corrupto vocabulo, appellant, adhibet, ac לורא idem esse vult, ac לחלי מעים *in morbum viscerum*, seu *dysenteriam* quòd ex illius & harum vocum literis (literis enim numeros Hebræi designant, ut Græci) conficiatur numerus 238. ut è subjecta descriptione perspici potest;

ל 30	ל 30
ז 7	ח 8
ר 200	ל 30
א 1	י 10
238	מ 40
	ע 70
	י 10
	ם 40
	238

ם clausum seu finale, quod alioquin valet 600. hîc & aliàs, quoties commodum est, pro 40. accipit, ac si esset מ apertum.

Istam profectò interpretandi rationem nequeo mirari satis. Est hercle inepta, fatua, insulsa, insipida, nè dicam dolosa atque absurda: & tamen isti autori quem nominavimus, & Cabbalistis Hebræorum vehementer placet. Eadem ex arte ille ad illud versûs 27. cap. 1. Gen. *masculum & feminam creavit eos*, vocem זָכָר quæ *masculum* significat, à זכר *memoria*, quòd nomen ac memoriam paternæ familiæ quæ in feminis exstinguitur mares conservent, *benedictionem* interpretatur, quòd illius nominis literis numerûs idem qui literis nominis ברכה, quod *benedictionem* sonat, exprimatur, nempe 227. Contrà נקבה, quod feminam, quâ se feminam probat, significat, à נקב, quod est *perforare*, per קללה, quod est *maledictio*, exponit, cùm tamen hîc numeri non consentiant: nisi si quod in numeris deest, res abunde compensat. Sic ex isto interpretum genere sunt, teste Rasi, qui ad illud ej° cantici, quod Anna cecinit, 1 Sam.2.5. *donec sterilis peperit septem*; שבעה, quod *septem* sonat, pro שמואל *Samuele*, qui unus instar septem fuit,

fuit, interpretantur; quòd horum duorum nominum literæ eundem numerum efficiant, nempe 377. Ars illa usitata etiam Græcis fuit. Est enim nescio quis Poeta Græcus, qui quodam in Epigrammate jocatur in flagitiosum quendam Damagoran, quòd ejus nomen cum *pestis*, quæ Græcè λοιμὸς dicitur, nomine planè ἰσόψηφον esset. Sed ut sic in profanis forsan ludere iis liceat quibus tantùm ab rebus suis otii supereſt, nobis sanè in sacris non licet. Si tamen interdum ejusmodi aliqua sponte se offerant, modò nè violenta & coacta, accipio ut me delectem; ast nunquam quæro, nedum curiosiùs consector, quod Hebræorum Cabbalistæ nimis stultè ineptéq; faciunt. Hæc obiter strictímq; & quasi per transennam.

Aliud ex eodem Num. cap. explicatum.

DEUS, ut promiserat, manna fastidientibus Israelitis carnium copiam subministravit. Vix enim dixerat, cùm subitò coortus ac Divinitus excitatus ventus ingentem vim coturnicum ex mari abreptarum castris intulit, quas cùm avidè Israelitæ arriperent, non enim altiùs duobus cubitis à terra volabant, primoribus labris admotis carnibus, miserè interibant. Textus quo istud explicatur sic habet; *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, antequam concisa essent, & ecce furor Domini concitatus*, seu *exardescens, in populum, percussit eum plagâ magnâ nimis*, Num. 11.33.

Quæri jure ac meritò potest, cur, cùm in integrum mensem carnium copiam Deus pollicitus fuisset, tam subitò qui carnes ederant exstincti legantur. Respondet Abarbanel, Non esse ità accipiendum illum Numer. versum, quasi omnes qui carnes appetierant statim ac primis labris coturnices attigerunt, interierint, sed eorum duntaxat aliqui, pessimi videlicet, reliqui verò subsequentibus diebus ad integrum usq; mensem. Sed si ità est, quî priorum exemplo, qui subitò ceu veneno sublati fuerant, non sapuere reliqui? Existimat Isaacus Arama in Akkedhath Isaac, *Videri miraculum fuisse, quòd iis caro illa ejusq; appetitus non fuerit odio, cùm cernerent eo cibo inter epulandum, & cùm adhuc manderetur, tot mortalium jam sublatos; hôcq; exardescenti ac sævienti in illos iræ Dei*, de qua eo in cap. agitur, v. 3,4. *esse adscribendum*. Sic habet Hebraicè; ויתכן שיראה שהיה דבר פלא שלא היה להם הבשר ותאותו לזרות אף על פי שיראו שימית אותם עוד אכלם בפיהם וזו היא אף יי" וחמתו שבערה בם: ואחשוב שענין ההסתה והפתוי לאכילתם הוא מה שאמר להם לא יום אחד תאכלו ולא יומים וגו" כי כשמתים קצתם ביום ראשון והנשארי אנם מרגישים בעצמם שום נזק חולשא או חולי הוי אומרים וראי ין שלו ממית וכן כאשר ימותו קצתם ביום השני הנשארים דנין על עצמם כדין הזה עצמו וכן לה" וכן לי" ובין כה וכה אכלו חדש ימים למלאת בהם דבר יי" אם להזורות שלא תקצר ידו ואם להמית בה חטאי עמו האומרים מצרים מצרים: *Ac puto, quod ait Deus*, Non uno die, nec duobus, vel quinque, nec viginti quidem, *&c.* v. 19. *illecebram fuisse, ne statim deterrerentur vesci concessis carnibus. Cùm enim illorũ quidam primo die exstincti fuissent, ac reliqui nihil detrimenti aut deterioris valetudinis sentirent, existimabant non esse illud coturnicum vitium, quòd quidam tam subitò enecti essent: atq; item cùm alii rursum secundo die interissent, similiter judicabant, ac sic deinceps post quinq; & decem dies interímq; toto mense carnibus illis libenter vescebantur: quo videlicet comprobaretur veritas Divini verbi, tum ad docendum non esse contractam Dei manum, tum ad perimendum eâ ratione sceleratos illos è populo, quibus nihil magis erat in votis quàm ut in Ægyptum regrederentur.* Observat verò Abarbanel à Deo selectas coturnices ad impotentis populi contumaciam castigandum, quòd perniciosus esset illarum esus, ut quæ ex Medicorum sententia veneno nescio quo vescantur. Etsi enim coturnices illæ quæ unà cum Manna cœlitus sunt delapsæ, Exod. 16,13. Israelitis innoxiæ fuissent, id factũ esse, quòd tũ parciùs sint datæ, ac semel tantùm, hæc verò liberaliùs largiúsq;, ità ut ad triginta dies suppeterẽt.

Hæc sunt nomina virorum quos misit Moyses ad considerandam terram: vocavitque Osee, filium Nun, Josue, Num. 13.17.

Cùm in Pharan solitudinem Israelitæ venissent, anno non plus altero quàm Ægyptum exiissent, quòd vicina esset terra cujus possessionem Deus majoribus promiserat, exploratores duodecim ex Domini mandato à Moyse missi, ex singulis tribubus singuli, & ii omnes primores, quâ terram antè lustrarent quàm propiùs accederetur; ut prout illi renunciarent, ità rationes belli deinceps accommodarentur. Singulorum nomina referuntur, addito semper tribûs & patris nomine. In iis numeratur Osee Nunis filius, ex Ephraimitica tribu: ac postquam singulorum nomina recensita sunt, ità habet S. textus, Num. 13.17. *Hæc sunt nomina virorum quos misit Moyses ad considerandam terram: vocavitque Oseen, filium Nun, Josuen.*

Quæritur quid hoc sit, cùm ante illud tempus Josue semper dictus esset Josue, paulò antè, Num. 11.28. necnon Exod. 17.14. & aliàs fortasse. Responderi potest, Pentateuchi autorem quo nomine esset Josue cùm scripsit duntaxat spectasse. Quoniam igitur tum Josue appellaretur cùm scriberet, ubiq; Josuen vocavit, nisi hoc in capite, ubi de mutato ac novato ejus nomine agitur. Isaacus Arama in Akkedhath Isaac in hac fuit sententia. Scribit enim Oseen à Moyse vocatum Josuen cùm ex Pharan mitterentur exploratores, & hoc fuisse illustrius ejus nomen, quo semper sit appellatus in historia Legis, priore verò nunquam. Sic habet Hebraicè: והוא היה השם המובהק שנתפרסם ונתקיים לו בכל ספורי התורה לא השם הנזכר ראשונה, *Et hoc fuit illustrius nomen quod in vulgus exiit, datúmque illi est perpetuò in universa Legis historia, non autem nomen antea commemoratum.* Bechai quoq; censet ante missos exploratores illi Oseæ nomen fuisse, etsi non semel antea Josue legatur appellatus: siquidem, quisquis autor est Pentateuchi, Moysis honori, qui ipsum vocaturus erat Josuen, consulens noluerit alio nomine illum appellare. Quòd autem in hoc capite dicatur, *De tribu Ephraim, Osee filius Nun*, eo consilio factum esse, ut doceretur primum ejus nomen, sive עקר שמו *radicem ejus nominis*, fuisse Oseen; at in ipsa exploratorum missione à Moyse vocatum Josuen. Observat porrò idem Bechai Magistros suos, cur Jod litera addita sit à Moyse ejus nomini, ut pro הושע *Osee* dicatur יהושע *Josue*, hanc causam afferre, quòd Josue & Calebus, quia ab exploranda terra reversi populum bonâ spe esse jussissent, cùm cæteri ea renunciarent quibus cunctus populus animo consternatus sit, mercedem tulerint: huic nempe Hebron data sit, ut legitur Jud. 1.20. illi verò, quæ aliis decem, si, ut par erat, se gessissent, merces debebatur, contigerit, id quod literâ illâ Jod, quæ decem in numeris notat, designari volunt. Probant autem isti Josuen & Calebum aliorum mercedem tulisse, ex eo quòd Num. 14.37. legatur, *Mortui sunt homines illi qui terræ detraxerant plagâ in conspectu Domini*; móxq; sequatur, *Josue autem filius Nun, & Caleb filius Jephone vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam terram*; q.d. אלו אבדו ואלו נשתיירו במקומם, *Illi perierunt, hi verò in illorum locum successerunt.* Sed hæc sunt allegorica. Deinde istorum sententiæ obstat, quòd Josue tum vocatus sit cùm missus est, non autem postquam rediisset. Abarbanel propositam quæstionem explicans aliter sentit: sic enim habet; המעם בוה לדעתי הוא ששמו המפירסם והידוע ממולדתו יהי הושע בן נון ומפני שכאן בזכרון שמות המרגלים נאמר למטה אפרים הושע בן נון רצתה התורה לבאר שהושע בן נון וה והו עצמו יהושע משרת משה מבחוריו ולכך אמר הכתוב ויקרא משה רועה לומר כך היה שמו הושע בן נון עם היות שמשה קרא שמו יהושע בי הוא עה" הוסיף על שמו אות היוד" מפני שהכיר בו שהיה ירא שמים וכאלו אמר הושע של יה לא שנקרא בן עתה אלא מפני שמעת שבא לשרתו היה קורא אותו בן *Causa hujus rei, meâ*

meâ quidem ſententiâ, eſt, quòd ejus nomen pervagatum ac pervulgatum jam indè ab ortu fuerit Oſee filius Nun. Propterea quòd autem hîc in recenſendis exploratorum nominibus dictum fuiſſet, De tribu Ephraim, Oſee filius Nun, v. 9. *voluit textus explicare hunc ipſum Oſeen filium Nun eundem illum fuiſſe Joſuen qui Moyſis famulus fuiſſet jam indè à primis annis. Dicit igitur Scriptura*, vocavítque (*vel potiùs* vocaverátque) Oſeen filium Nun, *&c. perinde quaſi diceret, illud fuit ejus nomen, etſi à Moyſe dictus fuiſſet Joſue, additâ ad prius ejus nomen Jod literâ, quòd cognoviſſet ipſum fuiſſe timentem Domini, ac ſi voluiſſet dicere,* הושע של יה Oſee (*ſeu* Hoſee) ipſius Dei: *non quòd nunc primùm cœperit ità appellari, ſed jam ab eo tempore quo ad famulandum Moyſi acceſſerat.*

Aliud ex eodem capite declaratum.

INter ea quæ exploratores à Moyſe miſſi de Chananæa renunciarunt hoc fuit, *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos*, Num. c. 13. v. 33. [Simile loquendi genus 2. Reg. 2. 19.] Iſtud autem interpretatur Ezra, שאויו שלה רע, *quia gravis eſt & inſalubris cœli* ſeu *aeris*. Onkelus, מקטלא יתבהא היא *interficit habitatores ſuos*: Raſi verò, בכל מקום שעברנו מצאנום קוברי מתים והקבה" עשה לטובה כדי לטרדם באבלם ולא יתנו לב לאלו, *Ubique inter tranſeundum offendimus qui cadavera ſepelirent. Id autem Deus fecerat, bono fine, ut in luctu occupatis non liceret ad illos advertere.* Simile obſervat Bechai ex Magiſtris ſuis, Deum eo tempore Chananæorum regioni peſtem inflixiſſe, ut ii humandis corporibus occupati ad exploratores non adverterent, qui interea terram prout vellent obire ac luſtrare liberè & commodè poſſent: eos autem miracula quæ ipſorum causâ facta eſſent, aliorſum accepiſſe quàm par eſſet, perverſéque fuiſſe interpretatos. Abarbanel ſimpliciùs illud accipit, ut dixerint exploratores expertos ſe inter obeundum terram, infeſtam illam eſſe vel indigenis, ideóque multò magis advenis fore. Nam qui ſub aliquo cœlo nati ſunt, ejus incommoda faciliùs tolerare ſolent quàm qui aliunde adveniunt: difficile eſt enim aſſueſcere alieno ſolo & cœlo, ubi vel parùm habent incommodi. Addit Abarbanel ſubjeciſſe ſtatim exploratores; ולא תחשבו שלהיות אנשיה שטופים במאכל ובמשתה יסותו שמה כי הנה כל העם אשר ראינו בתוכה אנשי מדות רוצה לומר מסודרים בהנהגה טובה בכל ענייניהם ותאוותיהם אלא שטבע הארץ הוא משכל אותם, *Neque eſt cur exiſtimetis quòd cibis & compotationibus ſe ingurgitent, ejus terræ homines citò exſtingui. Namque* omnis populus, quem vidimus in medio ejus, viri menſurarum ſunt, *i. optimum tenentes modum in omnibus, atque adeò in cupiditatibus victúſque ratione: ſed quòd moriantur terræ vitio eſt adſcribendum.* Iſaacus Arama hoc poſtremum alio quodam interpretatur modo; ואין לומר ששכח הארץ יחייב כן לפי שאינה קולטת רשעים כי כל העם אשר ראינו אנשי מדות חשובות, *Neque dicendum, ut quemque illa regio invexit, ità illum condemnare,* [*in quemque, ut meretur ac pœnâ dignus eſt, ſævire illam terram,*] *ſiquidem ſceleratos diu ferre non poſſit: quoſcunque enim illic videre contigit*, viri *ſunt* morum *probatorum.* Hic nimirum מדות pro *moribus* accipit; quam ſignificationem ut habeat hæc vox apud Hebræorum Doctores, non tamen in S. literarum conſuetudine. Utraque profectò hæc interpretatio inſulſa prorſus & inepta. Igitur *viros menſurarum* vulgò ac bene exponunt pro viris proceræ ſtaturæ. Ità Ezra, qui ſic ad hoc, *viri menſurarum*, habet, כל איש הוא איש מדה רק טעמו מדות גדולות יותר מהכל וכן אנשי לבב ורבים כמו הם, *Quilibet certa eſt menſura: ſed ſenſus eſt, maximarum menſurarum: ac ſic* viri cordis (Job. 34.) *& alia ſimilia multa.* Raſi eodem ferme modo; אנשי מדות גדולים וגבהים וצריך לתת להם מדה: כנון גלית גבהו שש אמות יכן איש מדון איש מדה: *Viri menſurarum, i. magni & alti, quibus neceſſe eſt dare menſuram* (ſeu *quorum menſura, ut eximia, notatur*) *ſicuti ipſius Goliathi, de quo ſcribitur* (1 Sam. 17. 4.) altitudo ejus erat ſex cubitorum & palmi. *Simile illud* (2 Sam. 21. 20.) erat autem ibi vir menſuræ, מדון pro מדה.

Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repentè diſperdam, Num. 16. 21.

ISraelitarum in Moyſem & Aaronem non una orta ſeditio eſt. Nam ut erat populus rixoſus & contumax, nunquam illi deerant cauſæ ad diſcordiam. Inſignis ad exemplum ille tumultus qui Core, Dathane & Abirome autoribus libertatis prætextu concitatus eſt, & ob quem illi unà cum domibus & familiis vaſto terræ hiatu abſorpti, eorum verò ſectatores 250. cœleſtium flammarum incendio hauſti, ſuæ temeritatis pœnas dederunt. Sed in ejus hiſtoriæ deſcriptione hoc habetur inter cætera; Deum priuſquam ab ſceleratis iſtis pœnas, ut volebat, exigeret, Moyſi & Aaroni, imò & quotquot ab eorum partibus ſtabant, imperaſſe, ab impia conſpiratorum multitudine ut faceſſerent: velle enim ſe citò eam perdere. Verſus quo hoc explicatur ſic eſt, *Separamini* (ſeu, *Separate*) *vos de medio congregationis hujus, ut eos repentè diſperdam*, vel, *& eos repentè diſperdam*, ſeu *conficiam*, Num. 16. 21.

Quæritur cur ità jufſerit Deus. Nónne enim facilè ipſe poterat ſecernere quos vellet perdere, atque inter multos vel unum aliquem ſervare? Vulgatum illud Hebræorum, שנים ושלשה יהיו מתכסין בטליתי אחד השנים מתים והאמצעי נצל, *Duorum triúmve quos unum pallium tegit duo moriuntur, medius verò ſalvus emergit.* Accedit illud Pſal. 91. 7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis: ad te* (autem) *non appropinquabit.* Si ità eſt, cur quos Deus volebat ſervare, eos jubet ſecedere? Reſpondet Bechai, כדי שלא ידבק בהם האויר הרע שבמכרת הדבר כענין האמור באשתו של לוט ותבט אשתו מאחריו ותה" נציב מלח או מטעם שאמרו רול" כשמדת הדין מתוחה אינו מבחין בין צדיק לרשע או אפשר לומר שאמר כן לכבוד הצדיקים שהקבה" לא ישלח ידו בהם בעוד שהצדיקים ביניהם, *Nè aeris peſte infecti contagio illis adhæreſceret, ſicuti dicitur de Lothi uxore*, (Gen. 19. 26.) Reſpiciénſque uxor ejus poſt eum verſa eſt in ſtatuam ſalis: *aut quia dictum à Veteribus Magiſtris*, Quando ſemel Deus ad pœnas ſumendas ſe accinxit, [ad verb. *Quando menſura judicii extenſa eſt*] juſtum inter & improbum non ſecernit. *Aut dici poteſt ità locutus Deus, quò juſtorum honori conſuleret, quaſi non animadverſurus eſſet in ſceleratos dum inter illos juſti verſarentur.* Poſteriore modo Abrahamus Seba. Putat Abarbanel Deum, cùm juſſit ab impia multitudine Moyſem & Aaronem faceſſere, nihil aliud voluiſſe quàm nè cum impiis illis, ut ſtatuerant, de ſacerdotio contenderent. Moyſes enim Coræ & ſectatoribus, qui inter cætera ſummum Aaroni ſacerdotium præter jus datum querebantur, ſatisfacere cupiens, iis propoſuerat, ídque approbaverant, utì inſequente die cum ſua quiſque acerra, igne & odoramentis pro Tabernaculi foribus adeſſent, exſpectaturi Dei calculum, ut cujus ſacrificium Deo acceptius foret, is ſummo ſacerdotio fungeretur. Cùm igitur utrique, ut convenerat, pro foribus Tabernaculi conventûs adeſſent, nec placeret Deo id conſilii; Quid opus eſt vobis, inquiebat Deus Moyſi & Aaroni, periculum facere? Quid ultrà neceſſe eſt vos experimento probari? Faceſſite ab iſtis, & conficiam eos citó. Sic ferme Abarbanel, qui per *congregationem* in hoc verſu univerſum Iſraelitarum cœtum intelligi vult, qui cùm facilè poſſent illi conjurationi obſiſtere, nec obſtiterunt tamen, graviter peccaverint. Tam qui ſcelus admittit quàm qui ſceleri non obſiſtit cùm poſſit, in culpa eſt, מי שיש לו למחות ואינו מוחה הוא נתפש באותו עון, inquit Abarbanel. Vult igitur pro univerſis Iſraelitis, quòd ſentirent omnes peccaſſe, deprecatos Moyſen & Aaronem, cùm prolapſi in

faciem

faciem dixerunt, v. 22. *Deus, Deus ſpirituum univerſæ carnis, num uno peccante contra omnes ira tua deſæviet?* Alii exiſtimant, & quidem probabiliter, non ſatis initio Moyſen & Aaronem Dei mentem cepiſſe, qui ad ſe pertinere duntaxat putarent mandatum illud à conjuratis ſecedendi, ideóque pro reliqua multitudine deprecatos: Deum verò tum magis ſe aperuiſſe. Sed ut hæc intelligantur magis, adeundus locus à v. 22. ad 27.

Aliud ex eodem cap. explicatum.

ALia quæſtio circa cap. 16. Numer. oriri poteſt, Cur, cùm præter Coren, Dathanem & Abiromem, On quoque inter conjuratos dicatur fuiſſe, Numer. citati capitis v. 1. nulla poſtea in toto capite hujus fiat mentio, ſed illorum trium duntaxat. Reſpondet Bechai ex veterum Magiſtrorum mente, reſipuiſſe Onem, ac deſciviſſe à conjuratis, & quidem, ut legitur in Midras, uxoris conſilio admonitum: ideóque initio tantùm inter conjuratos nominatum. Quòd reſipuerit On, ideóque ſemel tantùm inter conjuratos recenſeatur, non abs re eſt: ſed quòd admonitus ab uxore, id verò nimis argutum & Rabbinicum, nec facilè credet qui mulierum ingenium noverit, quàm ſit à ſanis & ſalubribus conſiliis alienum. Oportet ſanè validiſſimum eſſe argumentum quod convincat mulierem inſigne aliquid ad laudem edidiſſe: hîc autem quod? Neq; verò probabilius eſt quod ex iiſdem obſervat Bechai, Coren ad ſeditionem ab uxore impulſum: ut non immeritò tam in hanc quàm in illam illud Salomonis Prov. 14. 1. conveniat, *Sapiens mulier ædificat domum ſuam: inſipiens exſtructam quoque manibus deſtruet.*

De ritu vaccæ rufæ, ad Num. 19.

NUM. 19. præſcribitur à Deo Moſi & Aaroni ritus mactandæ cremandæque vaccæ rufæ ad aquæ luſtralis confectionem, in hunc modum. Dicitur Iſraelitis ut adducant ad Moſem & Aaronem vaccam rufam, integram, vitii expertem, jugum nondum expertam, quam tradant Eleazaro ſacerdoti, qui eductam extra caſtra curet in oculis ſuis mactandam, dein ejus ſanguine digitum intingat, ex eóque ſanguine ſepties contra Tabernaculum conventûs aſpergat: vaccam ipſam totam coram ſe jubeat cremari, mediúmque in rogum lignum ipſum cedrinum, hyſſopum ac dibaphum coccineum injiciat. Deinde tandem præſcribitur, ut quiſpiam qui ſit mundus, ejus vaccæ cinerem collectum extra caſtra in loco mundo reponat ad aquæ luſtralis conſecrationem. Mitto cætera quæ Numer. cap. notato legi poſſunt.

Hujus ritûs quæ cauſa ſit cúrve inſtitutus, jure quæri poſſit. Moſes Haddarſan, autore Raſi, quod de vacca rufa hîc ſtatuitur, aureo vitulo quem Aaron conflaverat vult opponi, ut quemadmodum ſi ancillæ cujuſpiam filius Regis palatium ſtercore conſpurcarit, jubetur mater auferre ſtercus, ſic vaccâ vituli crimen ac ſcelus expiari neceſſe ſit. Illud igitur v. 2. *Alloquere filios Iſrael, ut adducant ad te vaccam rufam*, ſic explicat, *adducant de ſuo*: & quemadmodum ad conflandum vitulum aureas inaures ſuas Iſraelitæ contulerunt, ſic ad expiationem vaccam de ſuo teneantur adducere. *Vaccam rufam* juberi adduci obſervat, quòd peccatum, quod *rufum* appellatur, deſignaretur: húcque refert illud Eſa. 1. 18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana erunt. Integram*, ſive *perfectam*; quò deſignaretur Iſraelitas, quibus integris ſive perfectis crimen illud turpem aſperſerat maculam, per eam ſic expiandos, ut illi denuo evaderent integri ac perfecti. *Jugum nondum expertam*, ſive quæ non ſubiiſſet jugum, non ſecùs atque Iſraelitæ Dei jugum excuſſerant. Obſervat præterea juberi adduci vaccam illam ad Eleazarum ſacerdotem, v. 3. non ſecùs atque conflandi vituli ergò ad Aaronem ſacerdotem Iſraelitæ confluxerant: propterea quòd autem Aaron vitulum conflârat, non illi commitii hoc negotium, שאין קטיגור נעשה סניגור *quia accuſator non ſit patronus. Cremandam* fuiſſe illam vaccam, ſicuti vitulum cremarat Moyſes, Exod. 32. 20. *Lignum cedrinum, hyſſopum & dibaphum coccineum medium in rogum fuiſſe injiciendum*, v. 6. ut tribus his generibus virorum tria millia, qui ob conflatum vitulum cæſi ſunt, adumbrarentur: ac cedro, quæ arborum eſt maxima, hyſſopo verò, quæ minima eſt, ſicuti & cocco, deſignari; illâ magnum aliquem qui ſuperbiat, his peccatorem qui ſeipſum abjiciendo inſtar hyſſopi ac fruticis, unde coccum naſcitur, expiatur. *Ejus vaccæ cinerem fuiſſe aſſervandum*, quemadmodum vituli peccatum ſervatum in omnes ætates, לפורענות ואין לך פקודה שאין בה אפקודת העגל *adultionem* & pœnam: *nullâque pœna animadverſio in qua non ſit aliquid de pœna peccato vituli debita*; quòd dictum ſit Exo. 32. 33. וביום פקדי ופקדתי עליהם חטאתם, *Ego autem in die ultionis viſitabo in eis peccatum illorum.* Tandem notat ſicuti vitulo inquinati ſunt quotquot ei ſtuduerant, ſic quicunque vaccæ illi quoquo pacto operam dediſſet manúmve admoviſſet, pollutum evaſiſſe, (ut è Num. cap. notato patet;) & quemadmodum vituli cinere expiati purgatíque ſunt Iſraelitæ, juxta illud Exod. 32. 20. *& contrivit* Moyſes vitulum *uſque ad pulverem, quem ſparſit in ſuperficiem aquarum, & potavit filios Iſrael*, ſic & cinerem crematæ vaccæ aquâ mixtum vim expiandi habuiſſe, ſicuti ſcribitur in Numer. cap. notato v. 17. *Tollentque pro immundo de pulvere combuſtiones pro peccato, & mittent aquam vivam ſuper eum in vas.* Hæc ferè ex Raſi citante Moſem Haddarſan. Hanc autem interpretationem Raſi, Bechai & Abarbanel laudant duntaxat pro allegorica. Neque ſanè allegoria prorſus abſurda eſt, ac ſatis multa non ineptè quadrant, non tamen omnia; neque neceſſe eſt omnia in allegoriis convenire. Alii Hebræorum hîc quæ comminiſcuntur, nihil ſapiunt: neque etiam hoc multùm ſapit, ut tutius ac melius ſit fateri (& verò fatentur ipſi Hebræi) iſtius ſtatuti cauſam prorſus ignorari, neque ſciri in hac vita poſſe, ut quæ Moyſi ſoli à Deo prodita ſit. Quaſi verò omnium quæ abs immortali & ſapiente Deo conſtituta ſunt, ratio reddi ac quæri etiam ſatis religiosè poſſit. Quàm multa ille pro ſua ſapientia fecit aut ſtatuit, quorum cauſæ vel ſapientiſſimos mortalium latent? Illius Hebræorum proverbii perpetuò meminerimus, במופלח ממך אל תדרוש, *Difficilium quàm prote nè quarito*, vel, ut aliis placet vertere, *Occultum à te nè quarito*: quo proverbio admonemur, non debere nos anxiè perſcrutari quæ Deus nobis occulta eſſe voluit. Quid, quæſo, magis eſſet ridiculum ac temerarium quàm, cùm humana ac noſtra multa planè neſciamus, Divina omnia velle cognoſcere? Verè Lactantius, *Nihil inter Deum hominémque diſtaret, ſi conſilia & diſpoſitiones illius majeſtatis æterna cogitatio aſſequeretur humana.*

Et locutus eſt Dominus ad Moyſem, Fac tibi ignitum ſerpentem, & pone eum ſuper vexillum: qui percuſſus aſpexerit eum, vivet. Fecit ergò Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum ſuper vexillum: quem cùm percuſſi (ſeu morſi) aſpicerent, ſanabantur, Num. 21. 8, 9.

QUòd Iſraelitæ in ſolitudine, quam jam nimis diu pro ſua libidine pererrabant, ab Hore monte profecti, tædio longi itineris cum Deo & Moyſe de panis & aquæ penuria (manna enim faſtidio erat) vehementiùs expoſtulaſſent, in eos Divinitus immiſſi preſteres igneive ſerpentes, quorum venenatis morſibus mortales oppidò multi periere. Ibi tum Iſraelitæ malo admoniti adire Moyſem, & culpam humiliter deprecari, atque opere orare maximo uti ſibi à Deo veniam impetraret, quò iſtis liberari ſerpentibus poſſent. Annuere Moyſes ac Deum orare atque obteſtari ſerpentes ut averteret. Averteret Deus, ac præterea jubere Moyſi uti preſterem faceret, ſublatúmque militari perticæ imponeret: ità fore ut quicunque morſibus ſerpentum læſi eum aſpicerent, ſtatim

curarentur.

curarentur. Moyſes igitur ſerpentem æneum conflat, perticæ imponit, quem quicunque morſu ſerpentum læſus aſpiceret, confeſtim ſanaretur. Hæc hiſtoria deſcribitur Num. 21. ubi hi verſus inter cæteros, *Et locutus eſt Dominus ad Moyſem, Fac tibi ignitum ſerpentem, & pone eum ſuper vexillum: qui percuſſus* (ſeu *morſus*) *aſpexerit eum, vivet. Fecit ergò Moyſes ſerpentem aneum, & poſuit eum ſuper vexillum: quem cùm percuſſi* (ſeu *morſi*) *aſpicerent, ſanabantur.*

Quæritur, quid ſpectaverit Deus in ejuſmodi curandi ratione præſcribenda. Dubia admodum hæc res variéque ab Hebræis explicata. Sunt, in quibus Ramban, autore Abarbanele, & Menachem Rakanatenſis, qui reſpondeant id à Deo factum, כדי שיכירו וידעו שחליהם ורפואתם הכל היה כפי הנס לא בדרך טבעי, *ut agnoſcerent ſciréntque* Iſraelitæ *tam morbos ſuos quàm eorum curationem miraculo eſſe adſcribendam, non naturæ*; ſive, ut alter loquitur, להודיעם כי הש"ית ממית ומחיה, *ad docendum eos, Deum eſſe qui ipſos morte vitâque afficeret:* cùm nimirum intelligerent ſibi meliùs factum במזיק הממית בטבע, *per id quod noxium eſſet, naturæque lethiferum.* Aiunt enim ſi quem fortè veneno infecta beſtia morſu appetierit, illi adeò non eſſe utile ut potiùs noxium omnino ſit & infeſtum beſtiæ quæ momorderit figuram intueri. Voluiſſe igitur Deum aiunt curare tum Iſraelitas eâ re, quæ potiùs morbum augere debebat, nè fortè alteri quàm Deo ſuam ipſi curationem tribuerent. Quem, inquiunt, alium curationis autorem agnoſcerent quàm Deum, cernentes qui ſerpens vivus læſerat, eundem mortuum ipſos curare? Non eſt inepta profectò hæc ratio, ſi utiq; verum eſſe conſtaret quod ab iis pro certo ponitur: de quo viderint Medici & rerum phyſicarum inveſtigatores. Addunt ſerpentem illum conflatum eſſe à Moyſe ex ære polito lævigatóve, etſi Deus nihil de hoc ediviſſet, quò magis preſteris colorem, nempe rufum, referret. Ad eundem modum curatum aiunt Ezechiam cataplaſmate ſeu paſtillo è ficubus ſiccis ulceri impoſito, 2 Reg. 20. 7. Eſa. 38. 21. quod cataplaſma nihil haberet virtutis ad illud ulcus ſanandum. Obſervant quoque aquas amaras Exod. 15. 25. injecto quodam ligno amaro dulces evaſiſſe: ſícque ab Eliſæo, quæ antea fuerant vitioſæ, ſale injecto ſalubres redditas 2 Reg. 2. Ecce autem, inquiunt, ut iſtud omne miraculum in miraculo fuit, ità & quòd Iſraelitæ intuendo in figuram ſerpentis curati ſunt, נס בתוך נס, *miraculum in miraculo fuit:* ſiquidem ex naturali Philoſophia conſtet, ſi morſi à cane rabioſo in aquam intueantur, illis apparere canis imaginem, eóſq; illico exſtingui, quod & docere ſuis in libris Medicos affirmant. Huc quoq; referunt quod legitur in codice Talmudico, in Tract. Joma, cap. Jom haccipurim, כל נשוך מכלב כל תריסר ירחי שתא לא שתי מיא אלא בגובתא דנחשא דלמא חזי ליה לכלבא ומסתכן, *Quiſquis morſus eſt à cane, totis duodecim anni menſibus aquam, niſi in æneo vaſe* (ſeu *ciſterna*) *non bibat, nè fortè appareat illi canis imago, indéque adducatur in periculum.* Aiunt etiam docere Medicos cavendum eſſe nè coram ejuſmodi hominibus nomen uſquam proferatur ejus à quo ſint morſi; quandoquidē in ea cogitatione perpetuò ſit mens illorum, neq; ab ea unquam avelli queat, ità ut in eorum etiam urina, ſi vitreo vaſe recipiatur, appareant catuli. Concludunt ſic ferme tandem; Quandoquidem ità res habet, éſtq; hoc ex naturæ mirandis, non oportebat Iſraelitas, qui morſi eſſent à ſerpentibus, intueri ſerpentem. Nam ſi tum vel ſerpentis nomen audire periculoſum iis erat, quantò plus damni in aſpectu? Igitur miraculum in miraculo fuit quòd venenum idem qui inſpiraſſet curavit: nempe ut ex eo daretur intelligi, ſolum Deum eſſe qui curaſſet. Affert tamen Bechai, ex quo ſuperiora ferè omnia exſcripſimus, aliam cauſam, nempe ut ex eo docerentur omnes, non tam ſe à ſerpente quàm à peccato percuſſos, ſicut vulgò dicunt, אין ערוד ממית אלא החטא, *Non ſerpens* (hoc enim videtur ſignificare hoc loco ערוד) *interficit, ſed peccatum.* Non deſunt ex Hebræis qui opinentur ſerpentis figuram à Moyſe erectam ejuſmodi fuiſſe quæ vim ac virtutem à ſuperioribus corporibus acceperit. Sed illos ex eo refellit Ezra, כי הדבר נעשה בצווי השם, *quòdea res Dei juſſu ſit facta.* Omnium Hebræorū prudentiſſimè rectiſſiméq; à nobis mox laudatus autor, qui ejuſmodi rerum cauſas inveſtigandas negat, quòd ſupra nos Dei mens atque conſilium ſit. Nihil ſanè mirum hìc adeò perplexos atque impeditos errare Judæos, cæcutientes quaſi in illuni nocte. Eorum enim ſenſus jamdiu obtuſi ſunt, *& uſque in hodiernum diem idipſum velamen in lectione veteris Teſtamenti manet non revelatum*, quoniam *in Chriſto evacuatur*, 2 Cor. 3. quem adhuc neſciunt.

Quid cauſæ eſſe poſſit quamobrem loqui Balaami aſinam neceſſe fuerit. Quid eâ factum ſit poſtquam locuta eſt. Ad Num. 22.

BAlaamus ab Rege Moabitarum Balaco Iſraelitarum copiis, quæ ſanè ingentes erant, vehementer territo, per legatos, qui & ipſi Moabitarum principes erant, ſemel atque iterum evocatus, amplíſque muneribus invitatus ut veniret illis malè imprecatum, (erat enim ejus memoriæ vates ſive hariolus Joſ. 13. 22.) factâ tandem à Deo eundi cum legatis poteſtate, interpoſitâ conditione tamen, itineri ſe unà cum illis commiſerat. Ipſe autem, ſive ex more Gentis ſive qua alia de cauſa, equitabat in aſina, quæ Dei Angelum ſtrictum gladium manu tenentem conſpicata pauliſper deflexit de via in agrum. Tunc igitur Balaamus aſinam, ut fit, fuſtuario loróve excipere, quò in viam reduceret, cùm Angelo in calle quodam vinearum anguſto, quem utrinque ſepiebat maceries, iterum obſtante, aſina metu aut reverentiâ ità ſe in murum ſive maceriem ſubitò adegit, ut non leviter inſidentis pedem attereret. Ac rurſum ab Angelo anguſtiore obſeſſo loco ubi nulla ad divertendum via, cùm verberandi finem non faceret Balaamus, tandem aſina ſuccubuit. Hìc ardere irâ Balaamus, nec parcere aſinæ, quin fuſte ſtringeret ejus latera, quæ ad extremum voce humanâ inaudito prodigio editâ increpabat heri ſævitiam, cui ſemper aliàs fuiſſet morigera: ille autem gladium ſibi dari nimis cupiebat quo eam interimeret, quando Angelus, cùm ſe tandem Balaamo videndum præbuiſſet, ſuave illud aſinæ cum Balaamo colloquium diremit. Hæc hiſtoria copioſè deſcribitur Num. 22.

Quæritur, cùm Angelus ipſe mox cum Balaamo egerit, quid neceſſe fuerit aſinam talem ac tantam beſtiam humanâ loqui voce. Nam ſatius fuiſſet rem totam ab Angelo confici: כי השבע יקר בעיני יי", *eſt enim natura*, ut Iſaaci Kari verba uſurpem, *pretioſa in oculis Domini*; nec facilè quicquam præter naturam Deus aggreditur.

Sic ferme quæſtioni reſpondet Iſaacus Karus, idcirco illud factum ut Balaami imbecillitas, qui ità cum aſina ageret utì illi de ſævitia conquerenti diceret, enſem cupere ſibi in manus dari quo eam confoderet, ab legatis deprehenderetur, qui ſtatim mirarentur, cur qui ſolis exſecrationibus numeroſam adeò Iſraelitarum Gentem confecturum ſe inſolentiùs forſan jactaret, ei opus eſſet gladio ad occidendā aſinam. Idcirco, inquit, loqui aſinam neceſſe fuit, ut Balaamo illud reſponſum extorqueretur, ex quo apud legatos veniret in contemptum. Raſi in hac eſt ſententia, qui ad hoc, *utinam haberem gladium ut te percuterem*, ſic habet, עוית גדולה היא לו דבר זה בעיני השרים זה הולך להתרוג אומה שלימה בפיו ולאתון זו צריך לכלי זין, *Magno probro fuit illi iſthuc verbum in oculis principum*, ſeu oratorum: ſic enim tum apud ſe, *Venit hic ad occidendum* (ſeu *perdendum*) *Gentem integram ore ſuo, qui adverſus aſinam armis opus habet.* Addit Iſaacus, Tum ut doceretur Balaamus non eſſe rectam illam viam à qua ità declinaret ac tantopere abhorreret aſina, alioquin quadrupedum ſtolidiſſima, ut etiam loqui humanam linguam haberet neceſſe. Poſteriore modo Bechai. Magis mihi probatur quod habet præterea laudatus Iſaacus, locutam ideo aſinam, mutum animal rationíſque expers ſi quod aliud, ut indè intelligerent, qui tanto támque ſtupendo miraculo præſentes aderant, legati, poſtquam Deus aperuiſſet os aſinæ ut articulatè loqueretur, vocéſque ac ſonos ederet

oris

oris humani, posse eumdem os Balaamo nullo negotio occludere, nè posset etiamsi maximè vellet Israelitas diris, sicut illorum Rex postulabat, devovere. His verbis explicat hoc laudatus Isaacus, פתח פי האתון לפי שיותר דבר גדול הוא לבנות הבית מלסותרו וכיון שהשוי" פותח פי האתון כל שכן שיאלם פי בלעם לפי שימנע מלקללם, *Aperuit Dominus os asinæ, propterea quòd majus est exstruere quàm destruere. Ac postquam aperuisset Deus os asinæ, quantò magis occludere potuit os Balaami, ut nè posset Israelitas exsecrari unquam?*

Sed pulcrum est quod somniant Cabbalici, שכיון שדברה מתה שלא יהו האומות אומרות וו היה שדברה ועושין אותה ירא, *asinam statim atque locuta est mortuam, nè Gentes dicerent, ipsam esse qua locuta esset,* vi suâ scilicet, *eámque idco pro idolo colerent.* Si ità esset, digna res erat certè quæ scriberetur. At nihil hac de re in textu. Philosophatur hic Abarbanel more suo, consentaneum rationi fuisse ut asina moreretur postquam locuta esset: siquidem ut loqueretur, necesse fuerit mutari ejus temperamentum, & asininam naturam corrumpi, novámq; prorsus effici naturam. Verùm hanc philosophationem frustrà esse palàm est.

Nonnihil è Talmude, quod ad Balaami asinam pertinet, explicatum.

Quid est hoc quod in Talmudis codice, Tract. אבות scribitur, עשרה דברים נבראו בין השמשות, והאחד מהם פי האתון, *Res decem creata sunt inter soles, quarum una os asinæ?* Quid enim? Potéstne Balaami asina, quæ humanam linguam locuta est, in illo sex dierum quo conditæ à Deo res omnes sunt spatio dici creata? Nam si jam tum fuit creata, quî potuit ad Balaami ætatem pervenire? Oporteret vixisse annos plus 2400. Observat Isaacus Karus esse qui dicant, rerum omnium alias creatas esse בפועל *in actu* & reapse, ex. gr. התבע *naturam ipsam*, eáque omnia quæ spatio dierum sex à Deo sunt elaborata; alias בכח *in potentia*, putà הנסים *miracula*, unum autem ex iis esse asinæ cum Balaamo sermonem seu colloquium. Sic porrò hoc explicant; Deus cùm creavit animalia die sextâ, in iísque asinorum genus, התנה עמהם שבכל זמן שירצה הקבה' שידברו וידברו, *pactum cum iis est, ut quandocunque ea loqui vellet, loquerentur.* Addunt; Res autem quæ est in potentia, quatenus aliquo & certo tempore exitura in actum, diei similis est, qui est quid actu, lux videlicet: quatenus verò & quamdiu in actu non est sed tantummodo in potentia, privationi, atque ità nocti, similis est. Atque hoc illud est quod dicitur, *Os asinæ*, i. *sermo*, seu *locutio, asinæ*: asina enim ipsa quæ locuta est non fuit initio mundi creata, sed Balaami temporibus solùm nata: ast sermo quem locuta est creatus fuit potentiâ, vespere Sabbati, die nimirum sexto, inter soles, i. eo tempore שהוא ספק יום ספק לילה *quo tempore dubium est dies, dubiáque nox*: siquidem scilicet haberet illa res aliquid utriusque, sicuti mox explicatum est. Sic ferme explicant illi, quam *potentiam obedientalem* vocant nostri Theologi.

Quid moverit Moabitarum Regem Balacum ut Balaamum accerseret, qui Gentis Hebræa imprecaretur. Nam ex quo conditus orbis est, nemini mortalium unquam legitur datum, ut cæteris quidem hominibus potuerit bene precari, aut secùs, efficaciter saltem. Ad idem caput Numer.

Existimat, vel potiùs conjectat, Ezra astronomiæ valde peritum fuisse Balaamum, qui cùm ex cujuspiam natalis seu exortûs momento quid fausti infaustíve ei esset eventurum facilè divinaret, ex sua arte captans lucrum, cui artis Astronomicæ peritiâ sciebat fausta omnia esse eventura ei bene precabatur, cui contrà, imprecabatur: qua tandem ex re magni cujusdam vatis, qui utramque mortalium fortunam in manu haberet, apud homines famam sibi vulgò confecerit. Quæ causa fuit, cur Balacus ad eum accersendum legatos miserit qui dicerent, *Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ sedens contra me. Veni igitur & maledic mihi populo huic, quia fortior me est; si quo modo possim percutere & ejicere eum: novi enim quòd benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris*, Num. cit. cap. v. 5. 6. Mea est sic ratio & sic animum inducam, celeberrimum vatem vulgò habitum eâ ætate Balaamum. Et certè cum Deo illum agere solitum evidenter ex eo constat, quòd oratoribus Balaci, postquam legationem exposuissent, dixerit sibi esse necesse de illorum postulatis Deum, quid facto opus esset, consulere, ac profectò ei responderit Deus, quemadmodum legere est Num. 5.7, & qui sequuntur. Igitur nihil mirum videri debet, quòd ad Balaamum à Balaco missi sint legati ea de causa quæ antea explicata est, utpote quem ipse parùm gnarus Divini ingenii, & ineptâ superstitione ethnicâ, vel plurimùm gratiâ & autoritate valere apud Deum, vel fortasse etiam ipsum per se, inconsulto Deo, quod mihi probabilius fit, posse cui vellet bene precari aut secùs, sibi persuaderet.

Manete hic nocte, & responsum dabo quicquid mihi dixerit Dominus, Num. cit. cap. v. 8.

Legati cùm ad Balaamum venissent, eos his verbis allocutus est, *Manete hîc nocte, & responsum dabo quicquid mihi dixerit Dominus*, Num. cit. cap. v. 8. Ad quæ verba sic scribit Rasi; אין רוח הקדש שורה עליו אלא בלילה וכן לכל נביאי אומות העולם שנאמר ויאמר וי" אל לבן הארמי בחלום הלילה כאדם ההולך אצל פילגשו בהחבא, *Non habitabat Spiritus sanctus super eo nisi nocte: atque omnium Prophetarum Gentium mundi eadem est ratio: dicitur enim* (Gen. 31. 24.) Venit autem Deus ad Laban in somnio nocte, &c. *non secùs atque aliquis clàm ac furtim it ad concubinam.* Sentit hîc igitur etiam Ethnicis non defuisse Prophetas, quod judicavi esse observandum. Sed hoc explicat Bechai ad ista verba v. 9. *Et venit Deus ad Balaam, & ait*, &c. נלוו וה לכבוד ישראל היה כי כן מצינו שהשכינה נגלית להדיוטות בשביל הצדיקים כענין שנאמר ויבא אלהים אל הארמי בחלום הלילה וכן ויבא אלהים אל אבימלך, *Visio* (seu *revelatio*) *ista hac ad gloriam Israelitarum fuit: invenimus enim Deum apparuisse vulgaribus hominibus propter justos: quemadmodum dicitur* (Gen. cap. mox cit. v. 24.) *Venit autem Deus ad Laban in somnio, nocte, &* (propter Jacobum) *similiter* (Gen. 20. 3.) *Venit autem Deus ad Abimelech per somnium nocte, propter Abrahamum*, &c. Ex his sic concludo, Si Ethnicis fuerunt Prophetæ, in Israelitarum utilitatem gloriámque id semper tessit. Leve est quod annotat idem Bechai, Balaamum, cùm dixisset prioribus legatis, לינו פה הלילה, *Manete (Pernoctate) hâc nocte*, לינה בעלמא, *Pernoctate simpliciter*, posterioribus, qui plures & nobiliores venerant, dixisse; ועתה שבו נא בזה גם אתם הלילה, *Nunc ergò sedete, obsecro, hîc etiam vos hâc nocte.* Scilicet ad posteriores usus est voce שבו *sedendi*, עכוב שהוא לשון quæ moram significat, addiditque particulam obsecrandi נא: erat enim homo superbus, qui posteriores legatos pluris faceret, quia plures & nobiliores. Ego in istis & ejusmodi nihil aliud quàm variatam phrasin agnosco.

Mansérúntque principes Moab cum Balaam; Num. cit. cap. ver. 8.

Numer. cit. cap. v. 7. leguntur venisse ad Balaamum non Moabitarum modò sed unà etiam Madianitarum legati. At mox v. 8. cùm illos jussisset Balaamus opperiri nocte, quò Deum ipse de illorum postulatis consuleret, soli Moabitæ dicuntur mansisse apud Balaamum. Quid ergo Madianitæ? An haud exspectato Dei responso abierunt? Ità censent Rasi, & post eum Ramban & Isaacus Arama, qui divinant Madianitarum legatos, cùm audissent Balaamum velle Deum consulere, noluisse diutius opperiri,

opperiri, quòd tum de legationis ſucceſſu cœperint planè deſperare, exiſtimantes ſcilicet Deum conſenſurum nunquam in perniciem Gentis quam adeò charam haberet, & in cujus gratiam tot miracula prodigiáq; hactenus edidiſſet. Neq; enim, inquit Ramban ſive Nachmanides, latere eos potuerunt quæ Moſes ejuſmodi de rebus Jethroni ſocero, Madianiticæ Gentis Principi, dubio procul diſſeruiſſet expoſuiſſétq; prolixé. Sed nimis arguta eſt conjectura nec admodum rationi conſentanea. Oportuiſſet enim illos Madianitarum oratores parùm prudentes & ſapientes fuiſſe, valdéq; rudes legationis obeundæ, niſi unâ ſaltem nocte ſibi manendum eſſe decreviſſent. Ego, ut rem quæ haud magni momenti eſt, verbo abſolvam, puto ſolos Moabitarum legatos loco notato nominatos quidem; at in iis, ut qui legationis principes eſſent, Madianitas etiam intelligendos. Video Ezram in hac eſſe ſententia, qui non nominari Madianitarum legatos ait, כי בלק הוא העיקר והוא השולח אליו, *Quòd Balacus princeps legationis eſſet, ipſéque eſſet qui legaſſet ad Balaamum.*

Surrexit Balaam manè, & ſtratâ aſinâ ſuâ profectus eſt cum eis. Et iratus eſt Deus, quòd ipſe iret, &c. Num.22.21,22.

BAlaamo cùm eundi ſanè unà cum Moabitarum Regis Balaci oratoribus poteſtas abs Deo facta eſſet, Deus enim Numer.cap.notato,v.20. legitur Balaamo dixiſſe in hæc verba, *Si vocatum te venerint homines iſti, ſurge & vade cum eis: ità duntaxat ut quod tibi præcepero faciás*; cùm, inquam, res ità habeat, quid eſt cur mox de ejus profectione dicatur Deus iratus fuiſſe vehementer?

Reſpondet Iſaacus Karus, Deum idcirco iratum Balaamo, quòd ſimul ut illi poteſtas abeundi facta eſt, priuſquam mandata quæ apud Moabitarum Regem eſſet peracturus accepiſſet, itineri ſe, cupiens nimiùm legatis gratificari, commiſiſſet. Haud inmeritò igitur iratum fuiſſe Deum, qui hâc lege abeundi poteſtatem ei fecerat, ut antè mandata acciperet quàm proficiſceretur, his verbis, *vade cum eis: ità duntaxat ut quod tibi præcepero*, antequam ſcilicet iter ingrediaris, *faciás*. Iratum ergò illi fuiſſe Deum, quòd non exſpectatis mandatis viam iniiſſet. Parùm placet quod ait Joſephus, Antiq. Jud.l.4. c.6. (etſi ejus ſententiæ non paucos ex Hebræis ac noſtris etiam video accedere) non ſeriò juſſiſſe Deum Balaamo iis verbis quæ mox è Numer. citato cap.notata ſunt, utè cum Balaci legatis iret. Nam quî divinare, quæſo, potuit Balaamus, ſerióne ageret Deus nécne? Ea quippe verba ludificantis haud videntur. Nachmanides aliter nititur ſeſe expedire à propoſita difficultate, ad iſtum ferme modum; Iratus fuit Deus Balaamo quòd itineri ſe commiſiſſet כרוצה להשלים חפצם *tanquam cupiens legatorum voluntati obſequi*: quia iis ſi dixiſſet, ſibi à Deo fieri abeundi poteſtatem hâc ſolùm lege, ut quodcunq; illi lubitum eſſet apud Regem perageret, ac ſi ſe populo Iſraelitico Deus vellet bene precari, id non poſſet non facere, tantum abeſſe ut ei imprecari poſſet, nunquam certè paſſuri illum fuiſſent legati ſecum venire. Tum autem magnam injuriam fecit Balaamus Deo, qui legatis proficiſci ſe diceret cum bona ejus venia, celarétq; eos conditionem à Deo adhibitam, modò ut tantùm faceret quod ipſi viſum eſſet, ità ut ſi juberetur fauſta omnia precari populo cui malè volebant, id facere ſe oporteret. Nam qui Balaamum nunc demum proficiſci videbant cum bona Dei venia, quam negârat antea, cœperunt apud ſe cogitare Deo non diſplicere ampliùs ut Iſraeliticus populus diris devoveretur, quaſi mutatâ ſententiâ aliud nunc vellet quàm antea. Sed & cùm ventum eſſet ad Regem Balacum, Balaamúſq; exſecrationes vertiſſet in fauſtas precationes, tunc rurſum conſilium ac ſententiam quaſi hominem Deum mutaſſe, aut certè ſibi illudere dicebant, non ſine contumelia Divini nominis. Ità ferme ſeſe extricare conatur quem paulò antè nominabam Nachmanides, qui præterea expendit iſta verba, *Si vocatum te venerint homines iſti, ſurge & vade cum eis*, quaſi hoc vellet Deus, Si te ſolummodo accerſitum venerunt iſti, ito ſanè unà cum iis, tamen ut nè impreceris Iſraelitis; quin bene preceris potiùs ſi ipſe juſſero, nihil tibi à Balaco metuens.

Cúmque vidiſſet aſina Angelum Domini, ſuccubuit ſub Balaam, qui iratus vehementiùs percuſſit aſinam baculo, Num.cit.cap.v.27.

BAlaamus ſemel atq; iterùm aſinam quâ vehebatur, cùm è via divertiſſet, percuſſiſſe ac verberaſſe dicitur, toties cit.cap.Num.v.23, & 25. ſed quo inſtrumento non exprimitur. Aſt cùm tandem ſeſſori ſuccubuiſſet, dicitur ille eam cecidiſſe בַּמַּקֵּל *baculo*, v. notato. Cur hoc? Scribit Ezra, טעם במקל כי בתחלה ובשנית הכה אותה בעץ קטן או בעור, *Baculo ait textus, quia primò & ſecundò eam parvo ligno aut loro percuſſiſſet.* Idem ferme ſentit Iſaacus Arama, qui ſanè antea ביד או ברצועה *manu aut loro* verberaſſe illum aſinam vult. Certè poſtremo loco non videtur temere additum *baculo*, ſed eâ voce ſignificari, aſinam tum Balaamum vehementi incenſum irâ percuſſiſſe baculo, quem ex alterius è ſervis duobus, qui eum pedites comitabantur, manu fortè arripuiſſet. Sed nimium eſt fortaſſe nimíſq; Rabbinicum ità omnia ſuperſtitioſè rimari atq; aucupari.

Nónne aſina tua ſum, cui ſemper ſedere conſueviſti, &c. Num. cit. cap.v.30.

INter alia quæ Balaamo locuta aſina eſt, hoc fuit, *Nónne aſina tua ſum, cui ſemper ſedere conſueviſti*, ſeu *in qua vehi ſolitus es?* &c. Quorum quidem verborum plana ſententia. Nihilominus iſte Baal Hatturim, nugator ſemper inſignis, רכבת עלי, quod eſt *equitaſti* (ſeu *vectus fuiſti*) *ſuper me*, per רבעתני, quod rem fœdam ſonat, quoniam utraq; vox eundem ſuis literis numerum, nimirum 732. exhibet, interpretatur, Gematricè ſcilicet quòd vocant, ſeu Arithmeticè, hoc volens ſignificare, abuſum Balaamum aſinâ illâ ad nefandam libidinem. Verùm hoc eſt non dico nugari & aniliter deſipere, ſed inſanire ſine modo.

At illi propè accedentes dixerunt, Caulas pecudum ædificabimus pecori noſtro hîc, & urbes parvulis noſtris, &c. Num.32.16.

RUbenitæ & Gaditæ, quòd gregibus & armentis abundarent, neſcio quas trans Jordanem terras alendo pecori idoneas à Moyſe de communi conſilio poſtulabant. Ibi cùm Moyſes convitio illos excepiſſet, ignavos eſſe increpans, qui prælium contra Chananæos metu detrectarent; tum verò illi Moyſi dicere, paratos eſſe ſe reliquum exercitum quocunque opus ſit ſequi, nec prius reverti quàm omnia ex ſententia confecta fuerint; tantummodo petere ut antè liceat caulas gregibus, urbes verò parvulis exſtruere. Verba quibus hoc explicatur ſic habent; *At illi propè accedentes dixerunt, Caulas pecudum ædificabimus pecori noſtro hîc, & urbes parvulis noſtris: Nos autem ipſi armati & accincti pergemus ante filios Iſrael, donec introducamus eos ad loca ſua*, &c. Num. 32.16, & qui ſequuntur. Ad quæ verba habet ſic Raſi; חסים היו על ממונם יותר מבניהם ובנותיהם שהקדימו מקניהם לטפם אמר להם משה לא כן עשו העיקר עיקר והטפל טפל בנו לכם תחילת ערים לטפכם ואחר כן גדרות לצאנכם, *De pecoribus ſoliciti erant magis quàm de liberis; his enim illa præponebant. At Moyſes, Non ità vobis eſt faciendum, inquiebat, ſed quod caput eſt pro capite vobis ducendum, quod verò acceſſio tantùm pro acceſſione.* ÆDIFICATE, *aiebat*, URBES PARVULIS VESTRIS, ET CAULAS OVIBUS, ejuſdem cap. v. 24. Nempe Moyſes, comprobatâ Rubenitarum & Gaditarum voluntate ac ſententiâ, corrigit

corrigit tamen illorum verba, admonens potiorem habendam esse rationem liberorum quàm divitiarum.

Quæritur, Cur *propiùs* ad Moysem *accessisse* dicantur: neque enim ab eo discesserant. Abrahamus Seba paucis rem absolvit, ad istum modum, ואת ההנשה היא הנשה לפיוס על שחרה אפו בהם בדברים קשים, *Appropinquatio ista fuit ad placandum* Moysem, *à quo graviter offenso asperioribus verbis fuerant excepti.* Abarbanel id feciſſe illos putat honoris ergò, ut Moysi ſecretò in aurem dicerent, non bene illum accepiſſe quod dixerint, *nè facias nos transire Jordanem*, quaſi recuſent unà cum cæteris tribubus terram ultra Jordanem armis ſubigendam adire; ſed ſolùm rogare uti nè ultra Jordanem hereditatem ſortiantur. Simile eſſe obſervat illud Gen. 44. 18. *Accedens autem propiùs Judas confidenter ait, Oro, domine mi, loquatur ſervus tuus verbum in auribus domini mei*, &c. Cenſet enim in aurem tunc locutum Joſepho ipſum Judam, cùm ſe pro Benjamino furti reo, ut putabat, ad pœnam obtulit. Sic enim dixiſſe apud ſe Judam, Iſte Joſephus qui clavum Reip. tenet nihil hac in re injuſti facturus eſt, præſertim cùm ſe Dei timentem audientibus nobis profeſſus ſit. Non ergò palàm à me interpellandus, ut pro Benjamino pœnæ me dedat, ſive in ſervum accipiat: eſſet quippe illud palàm injuſtum ſontem abſolvere, inſontem verò damnare. Tum autem nunc nunc, cùm illi nos ultro ſervos offerremus, memini ipſum dicere, *Abſit à me ut ſic agam: qui furatus eſt ſcyphum ipſe ſit mihi ſervus; vos autem abite liberi ad patrem veſtrum.* Eam ob rem exiſtimavit ſibi eſſe faciendum Judas, ut ageret cum Joſepho ſecretò in aurem, non autem palàm, nè quis extraneorum, qui tum fortè aderant, exaudiret, non ſecùs ac qui pecuniâ judicem tentat id clàm facit. Atque huc pertinere vult idem Abarbanel quod mox ſubjicit Judas, *& nè iraſcaris famulo tuo: tu es enim poſt Pharaonem*; q. d. ac nè, quæſo, mihi ſuccenſeas quòd ego vilis atque ignobilis homuncio audeam ſic tibi, qui ſecundus es à rege, in aurem loqui. Latini dicunt, *alicui ad aurem accedere.*

Sed quid eſt quòd in illo è cap. 32. Numer. verſu rogant Rubenitæ & Gaditæ, ſibi ut liceat *ædificare urbes parvulis* antequam Jordanem trajiciant? Quaſi verò urbes tam ſubitò excitari exſtruíve poſſent. Reſpondeo *ædificare* idem hîc eſſe ac reparare, ità ut hoc tantùm rogent, ut ſibi per Moyſem liceat urbes in bello adverſùs Madianitas nuper dirutas reſtituere, diſturbatáſque domos excitare.

In urbe refugii ſui reſidebit uſque ad mortem Pontificis, ſeu *Sacerdotis magni: poſtquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram ſuam*, Num. 35. 28.

SEX omnino perfugii urbes apud Iſraelitas erant, quò recipere ſe, quiſquis Iſraelitici ſive extranei generis alterum per imprudentiam occiderat, poſſet ubique tutus ab interfecti cognatis, quibus vindicandi ſanguinis jus competebat, degeret; ſed eâ lege ut nè oppidum perfugii antè exiret quàm Pontifex ſub quo cædes acciderat naturæ conceſſiſſet. Tum enim interfectori ſeu homicidæ in patrium ſolum licuit reverti, ibíque ſecuro eſſe. Sacri textûs verba hæc ſunt Num. 35. 28. *In urbe refugii ſui reſidebit uſque ad mortem Pontificis*, ſeu *Sacerdotis magni: poſtquam autem ille obierit, homicida revertetur in terram ſuam.*

Quæritur, cur iſtud demum tempus homicidæ præſtitutum ſit ad quod in urbe perfugii maneret. Res eſt omnino in incerto, ità variant ſententiæ. Reſpondet Abarbanel, quòd Pontificis morte, ut qui inter Iſraelitas principatum obtinebat, ad Deúmque peculiari quadam ratione pertinebat, nemo non vehementer perterreretur, admoneretúrque humanæ conditionis, quámque brevis eſſet ac fragilis mortalium vita: ideóque tum ille ardor alienæ cædis ulciſcendæ reſtingueretur, dum quiſque ſecum reputaret quàm nihil eſſet hominum vita, fieríque poſſe ut ipſemet cras moreretur. Ità ferme Abarbanel, quocum & alii, quorum Rambam, in More nebochim cap. 40. part. 3. necnon Levi Ben Gerſom, ſentiunt: מיחתו של כהן גדול נחמה לקרובו של נצרת שלא יחם לבבו עוד ולא יראנו עליו כל כך, *Mors*, inquiunt, *ſummi Sacerdotis conſolatio eſt propinquis occiſi, ut non amplius illis ardeat animus, nec ità doleat* quin ad ulciſcendam injuriam incitatus tum ſubitò reflectatur. Sunt qui exiſtiment שמיתת אדם גדול כזה היא מכפרת על הדור ובחבורתו ירפא לשונג ההוא, *morte talis ac tanti hominis expiatos qui tum viverent, ejuſque livore* (ſeu *vibice*) [Imitatum hoc ex Eſa. 53. 5.] *illi qui imprudens alterum interfeciſſet medicinam factam.* Alii, in iis Meir, idcirco putant debuiſſe qui alterum etiam imprudens occidiſſet in oppidum perfugii aliquod ſe recipere ibíque exſulare, nec priùs indè recedere quàm Pontifex ſub quo cædes acciderat diem obiiſſet ſuum, לפי שהכהן הגדול הוא סבה להשרות שכינה בישראל להאריך ימיהם והרוצח סבה לסלק השכינה מישראל ולקצר את ימיהם ואינו כדי שיעמוד לפני הכהן גדול, *Propterea quòd Sacerdos magnus facit ut Deus habitet inter Iſraelitas, eorúmque producatur vita: interfector contrà, ut deſerat Deus Iſraelitas, vitáque eorum contrahatur; idcircóque haud dignus eſt qui coram ſummo Sacerdote compareat.* Iſaacus Arama, ut ſemper ſubtilis eſt & acutus, poſtquam non unam ſententiam retulit, ſibi ait videri, cùm perfugii urbes in ditione Pontificis eſſent, utpote de numero earum quæ ad Leviticam tribum pertinerent: Levitæ enim ei ad Templi miniſterium dati erant; præterquam quòd Pontifex princeps erat iſtius tribûs; interfectorem, qui in illorum aliquam ſe recepiſſet, factum tributarium urbis domino proinde quaſi alium quemlibet civem, debuiſſéque pendere quicquid ad urbis neceſſitatem, vectigalia, cæteróſque uſus pertineret: ideóque noluiſſe Deum pro ſua ſapientia illum *(quòd eſſet extra culpam)* niſi unius tantùm Pontificis ceu Regis imperio ſubjacere; ac propterea mortuo Pontifice, qui *veluti* Levitarum rex erat, ſive diu ſive haud diu ille fuiſſet, licuiſſe ei ſuam in patriam reverti. Ejus Rabbini hæc verba ſunt, quæ quivis jam modò nè rudis omnino Hebraicæ linguæ facilè intelliget; והנכון בעיני יותר מפני שעיד מקלטו היא תחת ממשלת הכהן הגדול כבלל כל ערי הלויים יהם נתונים לו לכל עבודת הבירת נוסף על מה שהוא ראש בית אבותם וכשבא הרוצח לשם הרי וכה בו אדוני הארץ להיות כאחד מבני העיר לכל צרכי העיר מסיה ועבודותיה וראתה החכמה האלדית שלא ימשול בו רק ימי מלך אחר ולזה במות הכהן הגדול שהוא מלך עליהם הן לומן קרוב או רחוק ישוב אל ארץ אחוזתו: Sunt, in iis Raſi, Ezra, Abrahamus Seba, qui volunt quòd Pontificis eſſet ſuis apud Deum precibus efficere, שלא תארע תקלה וו לישראל, *ut nè quid ejuſmodi offenſionis ac triſtis caſûs Iſraelitis contingeret*, idcirco in Pontificis, ut qui negligentiâ peccaſſet miniméque Deum exoraſſet, morte iſtius delicti piaculum fuiſſe poſitum; ità ut poſt Pontificis demum mortem, non antè, interfectori ab exſilio liceret reverti, quaſi Pontifex ejus cædis cauſa eſſet, eámque priùs morte deberet luere quàm interfector ab exſilio reverteretur: ut rata lex eſſet quæ *animam pro anima*, vitam ſcilicet pro vita, pendi jubet, Exod. 21. 23. Nimiùm autem argutus eſt Abrahamus Seba, qui huc quoque pertinere vult quod lex Deut. 21. ſanciit, ut Sacerdotes intereſſent vitulæ decollationi, quæ certo præſcriptóque fiebat ritu, ſiquis fortè reperiretur occiſus jacens in agro, ignoraretúrq; cædis reus. Quorſum? לרמז שראוי שיעמדו בכאן הכהנים אחר שנהרג זה בזמנם ויקבלו בשת ובלימה מואת התקלה שבאה על ידם אחר שלא נתכוונו בקרבנותיהם ובתפלתם, *Ad ſignificandum*, inquit, *juſtum eſſe ut ibi adeſſent Sacerdotes, ſub quibus occiſus eſſet iſte, pudoréque ſuffunderentur ob acerbum illum caſum qui per eos contigiſſet; quòd ſacrificiis & orationi non ſatis attentionis adhibuiſſent*, ideóque Deum, quod illorum munus erat, non exoraſſent. Pergit; Hócque eſt quod dicitur, loco ſcilicet mox notato, *Accedéntque Sacerdotes filii Levi; eos enim elegit Dominus Deus tuus ut miniſtrent ſibi, & benedicant in nomine Domini*, oratione videlicet ac ſacerdotali benedictione.

dictione. ואחר שלא נתכוונו בתפלתם הם עשו ואת התקלה, *Postquam igitur*, inquit, *non satis adverterunt animum inter precandum, ipsi autores sunt tam tristis eventûs* tantíve mali. תקלה propriè *offensionem* significat. Pergit; Atque hoc ipsum est quod mox sequitur, ועל פיהם יהיה כל ריב וכל נגע, quod sonat ad verbum, *& super ore eorum erit omnis lis, atque omnis plaga*, non super ore alterius, ipsíque sunt interfectores: ideóque convenit illos ibi interesse pudoréque suffundi. Hanc sanè è Deut. citati loci interpretationem coactam & contortam esse nemo non facilè videre potest.

VARIA SACRA
EX DEUTER.

Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in monte illo, & obviàm veniens persecutus est vos, sicut solent apes facere: & cecîdit vos in Seir usque Horma, [Aliis *ad internecionem.*] Deut. 1. 44.

SPeculatores qui Moysis jussu Chananæam, cùm jam propè abesset, lustratum iverant, ea retulerunt quæ horribili formidine universæ multitudinis animos oppleverint, parùm ut abfuerit quin illico Israelitæ spreto Moysis imperio ducem crearint, cujus ductu in Ægyptum retro unde venerant reverterentur. Quâ quidem re incensus Deus, licèt Moysis & Aaronis precibus placatior atque æquior factus, pronunciavit, præter Josuen & Calebum, qui populum bono animo esse jusserant, ex omni illorum numero qui viginti annis majores censi in solitudine essent, ad destinatam illam beatam atque uberem regionem perventurum neminem, sed sine lare & urbe annos 40. per desertum erraturos, quoad omnes omnino suo quisque fato consumpti essent, ut scilicet ex eo posteri discerent quid sit in Deum esse contumacem. Quod ubi audivere Israelitæ ex Moyse, statim vim lacrymarum profundere, manéque facto promissam à Deo sedem velle invadere, jámque tum armis cum Amalecitis & Chananæis experiri, nec auscultare Moysi admonenti nihil esse in jussu Numinis, præsertim irati, tentandum, neque enim successurum. Igitur gens indomita ac salubri consilio, ut semper, renitens, obfirmato in sententia animo, nescio cujus montis verticem superare contendebat, cùm ecce ab occurrentibus subitò incolis partim cæditur, partim longè latéque fugatur. Historia hæc quidem fusè describitur in libro Numer. cap. 14. sed summatim ac breviter tangitur in Deuter. cap. 1. ubi inter cætera hoc exstat v. 44. *Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in monte illo, & obviàm veniens persecutus est vos, sicut solent apes facere: & cecîdit vos in Seir usque Horma.*

Quæritur in quo posita sit præsertim vis illius comparationis ab apibus ductæ. Putat Ezra idcirco conferri hîc Amorrhæum cum apibus, quòd ut apes statim ac quis alvearia contigerit in eum toto feruntur impetu morsúque infesto appetunt, ità Amorhæi Israelitas statim ut in suam ditionem irruerunt consecuti sint confecerintque. Rasi, quòd sicuti apes postquam hominem morsu appetierunt subitò moriuntur, ità & Amorrhæi post confectos à se Israelitas. Non longè hoc ab Aristotelis mente, qui alicubi docet aculeo amisso mori apiculam, sin minùs, desinere exercere mellificiũ. Nec id obscurè cecinit Maro in Georgicis,

> *Illis* [apibus] *ira modum supra est, laseq; venenum*
> *Morsibus inspirant, & spicula cæca relinquunt*
> *Affixa venis, animásque in vulnere ponunt.*

Bechai utramq; causam affert, ac sic habet; כאשר תעשינה הדבורים שמנהגם לרדוף אחר הנוגע בבתים שלהם והוא משתכן עמהם ויש ברמז הכתוב עוד כי היו מן הרודפים מתים ברדפתם כי כן מנהג הדבורים יוצי אדם וימותו מיד, *sicut solent apes facere, qua solent illum insectari qui tetigerit sua alvearia, ità ut periculum ab iis sit. Subindicatur quoque eâ comparatione, ex iis qui persecuti sunt, mortuos nonnullos in ipso persequendi impetu: solent enim apes inspirato veneno citò exstingui.*

Quæri item potest, Cur in hoc Deut. versu Amorrhæus nominetur, in libro verò Numer. cap. antea notato, Amalecites & Chananæus. Apparet autem hoc factum, quòd conjunctis viribus & copiis tres illi populi Israelitas adorti sint. Præterire silentio non possum, ex Hebræis alios חרמה pro loci nomine accipere, alios pro appellativo, atque exponere, *internecionem.*

Explicatur aliquod verbum ex versu 23. cap. 3. Deuter.

AVerbo חנן quod in S. literis *gratiam facere, ex gratia largiri*, seu *misereri* significat, fit in conjugatione Hithpael התחנן, quod est *precari, orare*; hæcque vox Deut. 3. 23. legitur, ubi sic Moyses, ואתחנן *Precatúsque sum Dominum in tempore illo*, &c. Cujus vim vocis explicans Rasi habet, quod observatu, ut opinor, haud est indignum, אע"ש שיש להם לצדיקים לתלות במעשיהם שהם מבקשים מאת המקום אלא מתנת חנם הם שואלים לו יחננתי את אשר אחן אמר לו בלשון ואתחנן, *Etsi*, inquit, *justis est, cur nitantur bonis operibus* (seu *meritis*,) *nihil petunt tamẽ à Deo nisi per modũ gratuiti doni. Propterea quòd Deum audiverat Moyses sibi dicenti*, וחנתי את אשר אחן, & miserebor cujus miserebor, (Exo. 33. 19.) *ad illum usum est quoque verbo* ואתחנן quod idem sonat atque *misericordiam*, seu *gratiam, implorávi*, ex notato themate seu radice, etsi vulgò redditur, *Precatúsque sum*, aut alio simili vocabulo. Non vidi profectò qui meliùs ac breviùs Hebraici vocabuli vim explicarit. Est autem isthæc interpretatio D. Apostoli menti consentanea, cujus illud est ad Rom. 9. *Moysi enim dicit, Miserebor cujus miserebor, & misericordiam præstabo, cujus misserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Cùm genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis in terra illa, corruperitis autem vos, &c. Deut. 4. 25.

MOses Deut. 4. paulò antequam destinatas sibi sedes adirent Israelitæ, iis denunciavit fore, si nepotes ac posteri Deum aliquo crimine irritarent, brevì ut terram illam amitterent, indéque varias in regiones dispergerentur. Hoc ait igitur, v. 25, 26. *Cùm genueritis filios ac nepotes, & morati fueritis* (Hebr. *senueritis*) *in terra illa, corruperitis autem vos*, &c. *Testes invoco hodie cœlum & terram, citò perituros vos esse è terra, quam transito Jordane possessuri estis*, &c. Ubi voce ונושנתם & *senueritis* subindicatum scribit Rasi post 852 annos, qui scilicet numerus istius vocis literis notatur, ex illa terra in exilium Israelitas abducendos; nisi quòd Deus tempus illud biennio prævertit: captivitatem enim post 850 annum ab occupata terra contigisse, adeò ut eâ voce designatum

signatum tempus minimè expletum sit, atque illud esse quod dixit Daniel cap.9.v.14. *Et festinavit Dominus super malum, & adduxit illud super nos: justus enim Dominus Deus noster in omnibus operibus suis quæ fecit: non enim audivimus vocem ejus:* quasi illic diceret Daniel, pro sua justitia Deum fecisse ut biennio citiùs comminatum malum induceret. Eodem modo & Bechai laudans doctores suos, nisi quòd hic præterea istorum annorum calculum subducit ad istum modum: 1 Reg. 6. 1. legitur, *Factum est autem quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel è terra Ægypti,* &c. *ædificavit* Salomon *domum Domino.* Stetit autem domus, seu templum, 410 annos. Jam detrahe de summa annos illos 40 per quos erraverunt Israelitæ in deserto, remanebunt sanè quidem anni 850. Talibus interdum argutiis seriò ludunt Hebræi, quæ quàm nihil habeant solidi quivis videt. Quod enim de temporis spatio quo templum fuit statuit Bechai, id verò nullo argumento confirmat. Et certè de eo non omnino compertum, dum alii plures, pauciores alii annos templum durasse volunt. *Incensum esse templum* Flavius Josephus scribit, Antiq. Jud. l.10.c.11. *annis ex quo exstructum fuerat elapsis* 470. *mensibus sex & diebus decem additis, exactis à transmigratione ex Ægypto annis* 1062. *mensibus sex, diebus decem:* quo ex postremo numero si demas 40. quot annos per solitudinem vagati Israelitæ sunt, reliqui adhuc erunt anni 1022. & quod excedit; si 470. quot annos facit durasse templum à migratione ex Ægypto ad exstructam ædem, anni 592. & ampliùs supererunt: cui planè calculo textus 1 Reg.6.1. antea allatus, qui 480. solùm numerat, palàm adversatur. Id quod obiter tantùm observatum velim, nè cui fortè Josephus imponat, qui nimis sæpe à S. literis desciscit, ideóque cautè legendus est.

Neque verò me latet bonos & idoneos autores, qui plures annos ab egressu ex Ægypto ad exædificatum templum computant, illum libri Regum locum interpretari. Qua de re nunc disputandi nec otium est nec voluntas. Sed quanquam de tempore quo Chananæam Israelitæ obtinuerunt constaret, ac numerus annorum quem Hebræi ponunt certus esset, proptereáne statim verum est, de eo numero literis exprimendo, cùm ונושנחם scripsit, Moysen cogitasse, an potiùs fortuitò contigit ut ab eo usurpata vox numerum illum contineret?

Non habebis deos alios in conspectu meo, Deut. 5.7.

HOC unum est è Decalogi præceptis, *Non habebis deos alios,* seu, *Non erunt tibi dii alii, in conspectu meo.* Quid hoc על־פני *in conspectu meo?* Non minùs solidè quàm breviter explicat Rasi ad istum modum, בכל מקום אשר אני שם והוא כל העולם רבר אחר כל זמן שאני קיים, *Ubicunque locorum existo, id est, ullibi in mundo:* (Deus enim est ubique.) *Exponi potest, quamdiu ero.* Ad hoc autem idem addit ad cap. 20. Exod. vers. 3. שלא תאמר לא נצטוו על "עו אלא אותו הדור, *nè diceres, nisi tum temporis non fuisse prohibitam idololatriam.* על־פני *in conspectu alicujus,* seu *coram aliquo,* idem esse ac *superstite aliquo,* probat cap.11. Gen. versus 28. *Mortuus q, est Aran coram Thare patre suo,* h.e. superstite ac vivo adhuc Thare. Simile quid occurret Num. 3.4. Sic Psal.72.5, & 17. *coram luna, coram sole,* pro, quamdiu erit luna, quamdiu erit sol: & in Misna, בפני הבית *coram domo,* i. stante domo, seu templo. Vide ad vers. 5. illius Psalmi.

Custodi ergò præcepta & statuta atque judicia, quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias ea, Deut.7.11.

AD hoc, *quæ ego præcipio tibi hodie, ut facias ea,* subtilius hoc commentum ponunt Rabbini, autore Bechai, היום לעשותם ולא היום ליטול שכרם היום, *hodie, ut facias ea, non autem hodie, ut accipias mercedem iis debitam; hodie, ut facias ea, cras verò non.* Hæc autem illorum mens est, Mundum hunc seu seculum hoc tempus esse operis non mercedis, seculum verò venturum tempus mercedis non operis. Atq; huc pertinere volunt illud Ecclesiastis 9.v.10. *Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec cogitatio, nec scientia, nec sapientia erunt in sepulcro, quò tu pergis,* seu *properas.* Neq; verò absurdè iidem comparant hujus vitæ tempus cum vespera seu vigilia sabbati, alterius verò cum ipso sabbato. מי שטרח בערב שבת יאכל בשבת מי שלא טרח מהיכן הוא אוכל *Qui,* inquiunt, *laboravit vesperà sabbati, comedet sabbato: qui non laboravit, unde ipse comedet?* Nihil enim operis sabbato facere licet. Ità autem rem explicant; נשם שיום השבת הוא יום מניחה לא יום המעשה והטורח כן העולם הבא עולם המנוחה והגמול לא עולם המעשה ומזה אמרו אם לא טרח מהיכן אובל והוא ושאל בקציר ואין, *Sicuti dies sabbati dies est quietis, non operis & laboris, sic seculum venturum seculum est quietis & mercedis, non autem operis. Unde dici solet,* Si non laboravit, unde comedet? *Hucque spectat illud* (Prov.20.4.) *Propter frigus* (seu *hiemem*) *piger arare noluit: mendicabit ergò æstate, & non erit.*

Non propter justitiam tuam, & æquitatem (seu *rectitudinem*) *cordis tui ingrederis, ut possideas terras earum gentium; sed propter impietatem gentium istarum Dominus Deus tuus expellit eas à facie tua, & ut compleat verbum quod sub juramento pollicitus est Patribus tuis, Abraham, Isaac & Jacob,* Deut.9.5.

APparet ex hoc versu, si rectè ac laudabiliter vitam egissent, nunquam suis è sedibus expellendas eas Gentes de quibus illic agit Moyses. Quod si fuisset, quid? quid ergò futurum erat illo fœdere cum Patriarchis olim à Deo inito de earum Gentium terris illorum nepotibus concedendis? Respondet Bechai sensum hujus versûs esse, כי הגוים הרשעים ראוים שיתגרשו משם ואף אם היו צדיקים לא ישארו בארץ כי הארץ בקדון בידם מזמן הבשחת האבות והקבה יוכל להטיב עמהם לתת להם ארץ אחרת כי ליי" הארץ ומלואה אבל ואת אי אפשר להם שישארו שם למען הקים את הדבר, *Sceleratas illas Gentes dignas quidem fuisse quæ è suis sedibus extruderentur: nihilominus, etiamsi probitatem ac justitiam coluissent, non mansuras in illis terris quæ datâ Patribus fide depositum duntaxat apud eas essent: potuisse quidem Deum, cujus est orbis terrarum & quicquid eo continetur, bene de illis mereri, datis aliis terris; sed ut ea gentes suis in terris perpetuò hærerent, siquidem præstare Deus teneretur quod promisisset, id verò fieri nunquam potuisse.* Mea est sic ratio, & sic animum induco meum, utrumque in versu notato simul conjungi, & impietatem gentium, & pactum à Deo cum Patribus initum; nè si pacti duntaxat fieret mentio, in iis Gentibus expellendis iniqui aliquid Deus videretur egisse; ac rursum nè si notata solùm Gentium impietas esset, Israelitæ forsan aliquando ità possent dicere, Si non ob aliud quàm impietatem expulsæ suis è sedibus gentes illæ sunt, quid? an aliud igitur causæ esse potest cur nobis earum terræ relictæ sint quàm pietas nostra? Nè igitur alterutrum venire in mentem Israelitis aut cuiquam alii posset, Nolitote, ajebat Israelitis Moyses, cum animis vestris cogitare justitiæ aè pietatis merito dignos vos esse qui illarum gentium terras obtineatis. Nam etsi hæ planè dignæ sunt quibus ob vitia adimantur suæ terræ, non tamen vestræ probitatis, sed sõlius fœderis cum Patriarchis olim initi merito vobis scitote concedendas. Neque verò conjungit Moyses impietatem gentium simul cum justitia aut pietate Israelitarum quæ nulla erat, toti enim ex sceleribus conflati erant, sed illam tantùm cum toties jam laudato Dei fœdere. Atque huc pertinet etiam quod mox subjungit, *Scito ergò quòd non propter justitiam tuam Dominus Deus tuus dat tibi terram hanc optimam in possessionem, cùm durissimæ cervicis sis populus.* Perinde enim est ac si diceret, Illud verò certum est argumentum & evidens, non tuæ pietatis eo in negotio habendam rationem, quòd obfirmato

in sceleribus animo sis. A me faciunt Abarbanel & Isaacus Arama, quos hac de re adibunt qui volent.

Observa mensem novarum frugum (sive Abib) & fac Phase Domino Deo tuo; quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto, nocte, Deut. 16.1.

VIdetur hic locus cum versu 3. cap. 33. libri Num. pugnare, ubi dicitur ממחרת פסח, i. *posterâ die Phase egressi sunt filii Israel,* &c. necnon cum v. 22. c. 12. Exod. *nullus vestrûm egrediatur ostium domûs suæ usq; mane.* Nam si de die Israelitæ exierunt Ægypto, qui noctu illinc à Deo educti dici possunt? Hanc, quæ primâ specie videri potest, repugnantiam conciliat Rasi, dum noctu eductos dici Israelitas ex Ægypto ait, לפי שבלילה נתן להם פרעה רשות לצאת שנאמר ויקרא למשה ולאהרון לילה וגו', *Quòd iis abeundi potestatem noctu fecerit Pharao: dicitur enim (Exod. 12. 31.) Vocatisq; Moyse & Aaron nocte, ait, Surgite, egredimini de populo meo,* &c. Cum hoc sentit & Bechai, qui scribit dici exisse sive eductos esse Israelitas, ex quo de exitu securi certioréq; noctu sunt facti. Hæc ejus verba sunt, משעה מהורשו לצאת בלילה תקרא הוצאה. Addit, Atq; idcireo Onkelus Paraphrastes datâ operâ post *ex Ægypto,* interpretatus est, ועבד לך נסין בלליא, *& fecit tibi signa nocte:* כדי שלא תבין כי ההוצאה היתה בלילה, *Nè,* inquit, *existimares migrationem* (sive *eductionem*) *illam factam esse de nocte.* Rasi refellitur abs Abarbanele, quòd Israelitæ non solùm hîc dicantur potestatem habuisse migrandi ex Ægypto, sed migrâsse etiam: educti enim scribuntur. Nodum igitur hunc aliter dissolvit Abarbanel, docens *noctis* vocabulum non ad migrationem pertinere, quasi illa de nocte fuerit, sed לוביחת הפסח *ad mactationem Paschatis,* cujus mox facta mentio, quæque de nocte erat celebranda: ità ut hujus versûs ista sententia sit, *Observa mensem Abib, & fac Phase Domino Deo tuo nocte; quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto:* sacrificium autem quod facies, erit noctu, ac si diceretur, *& fac Phase Domino Deo tuo nocte, quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus ex Ægypto.* Ità me Deus amet, ut hic satis mihi se probaret si doceret, quî noctu mactari oportuit Pascha, nisi fortè quia vesperâ. Abarbanelem certè juvat, quòd vox ממצרים *ex Ægypto* accentu Tarcha distinguente notata sit, per quem à sequente voce divulsa sensu videtur. Præterire silentio non possum nec debeo mensem אביב *Abib,* cujus hoc in versu fit mentio, esse Martium, aut ferè respondere nostro Martio, quem ניסן voce Chaldaicâ aut Assyriacâ Hebræi vulgò indigitant. אביב dictus est, שאז התבואה עומדת באיביה *quia tunc,* seu eo mense, in Palæstina *fructus virescebant:* אב enim *virorem* significat. Alii tamen censent ità vocatum quòd primus mensium sit, ואב לכלם *ac veluti cæterorum pater:* sic ut אביב his ex duabus dictionibus, אב ליב", i. *pater duodecim,* scilicet mensium, sit compositum: aut eo innuatur nomine arietis signum, quod illo mense solem obtinet, primum ac veluti patrem esse duodecim signorum. Hæc sunt valde coacta.

Immolabisq; Phase Domino Deo tuo de ovibus & bobus, &c. Deut. 16. 2.

PAschali sacrificio, lege quæ est Exod. cap. 12. vers. 5. addictus erat שה מן הכבשים ומן העזים, *agnus ove aut caprâ genitus.* Cur ergò hîc dicitur, Deut. 16. 2. *Immolabisq; Phase Domino Deo tuo,* צאן ובקר *oves & boves,* sive *de ovibus & bobus?* &c. & cur boum mentio fit? Breviter Ezra, צאן לחיוב הפסח ובקר לשלמים, *oves* (sive *de ovibus*) *ad necessitatem Paschæ, boves verò pro sacrificiis Eucharisticis.* Huic rei argumento esse notat quod 2 Paral. 35. 7. dicitur, *& boum tria millia,* postquam jam præcessit de ovibus, agnis & filiis caprarum, seu hœdis, הכל לפסחים, *hæc omnia pro victimis Paschalibus.* Locus sic habet, *Dedit præterea Josias filiis populi oves, agnos, & filios caprarum, omnia hæc pro victimis Paschalibus, omni qui reperta est, ad numerum triginta millium, & boum tria millia.* Observat quoque dici ibidem v. 9. data esse Levitis ad Paschæ victimas 5000, boves verò 500, ubi priùs Paschæ quàm boum fit mentio. En locus, *Chanenias autem & Semeias,* &c. *dederunt Levitis pro victimis Paschalibus quinq; millia,* tam ovium, quàm agnorum & caprarum, seu hœdorum, *& boves quingentos.* Ità etiam sentiunt Rasi & Bechai, qui boves in Paschate לשלמי תגיגה *pro sacrificiis Eucharisticis festo congruis,* sive quod eodèm recidit, לחגיגה i. *pro sacrificio digno ipso festo,* non tamen festi proprio, oblatos volunt: שאם נמנו על הפסח חבורה מרובה מביאים עמו חגיגה כדי שיהא נאכל על השבע *Quia si,* inquit Rasi, *ad Pascha celebrandum plures convenissent, præter illud offerebant* חגיגה *aliquid quod festum deceret, ut esset quod ederent ad satietatem.* Scilicet hi secuti sunt Onkelum Paraphrastem, qui interpretatus est, ותכוס פסחא קדם יי אלהך מן בני ענא ונכסת קדשיא מן תורי, *Immolabisque Phase* (seu *Pascha*) *coram Domino Deo tuo de filiis ovium, & victimam sanctam* (seu *sanctitatem*) *de bobus.* Abarbaneli, cui ipse quoque accedo, magìs probatur sententia Rambam, qui deesse ו *&* hoc loco putat brevitatis gratiâ, ut aliàs interdum, pro eo quod erat dicendum, *Immolabisque Phase Domino Deo tuo,* (&) *oves & boves:* ità ut de Phase seu Paschate hîc breviter agatur, nec quod victimæ genus ad ipsum pertineat exprimatur, quia de ea re antea satìs ac ex professo quidem dictum fuit, hísque vocibus, *& oves & boves,* significetur, præter Pascha ipsum oves quoque & boves debere offerri: siquidem tenerentur Israelitæ, cùm in solennibus tribus festis, quorum Pascha, coram Domino comparerent, liberales se præbere, próque facultatum modo, quicquid sacrificiorum Eucharisticorum possent, offerre, non boves tantùm, sed etiam oves, quibus unà cum familiis, Levitis ac peregrinis comiter jucundéq; vescerentur. Vult nimirum Rambam, cui etiam Abarbanel subscribit, vocabulum צאן, i. *oves,* non ad Paschæ victimam, sed ad Eucharisticas illas, de quibus diximus, hoc loco pertinere; neq; enim has solis ex bobus constare. Non est profectò aliena ista sententia. Sunt qui dicant, teste Ezrâ, Israelitas, cùm adhuc in Ægypto essent, jussos facere Pascha ex ove aut capra, nunc verò ex bove, si fieri possit. Hôc certè videtur absurdum, neq; probat Ezra.

Non inclinabis judicium, non agnosces personam, nec accipies munus, &c. *Non plantabis tibi lucum,* &c. *Non eriges tibi statuam,* &c. *Non sacrificabis Domino Deo tuo bovem aut agnum in quo fuerit macula, aut quidpiam vitii,* &c. Deut. cap. 16. in fine, & cap. 17. initio.

AD hos versus annotat Bechai ex Midras libro, cui titulus, ויקרא רבא *Leviticus magnus,* sex fuisse gradus throno sive solio Salomonis, quòd scriptum sit 1 Reg. 10. 19. *Sex gradus erant solio:* in quod Salomon cùm ascenderet, stetisse è regione præconem, qui idem in primo gradu cùm esset diceret clamarétve, *Non inclinabis judicium;* cùm in secundo, *Non agnosces personam;* cùm in tertio, *Nec accipies munus;* cùm in quarto, *Non plantabis tibi lucum,* &c. cùm in quinto, *Non eriges tibi statuam,* &c. cùm in sexto, *Non sacrificabis Domino Deo tuo bovem aut agnum in quo fuerit macula,* &c.

Constituendo constitues super te Regem, quem Dominus Deus tuus elegerit è medio fratrum tuorum, Deut. 17. 15.

LEve est ac nullius planè ponderis, sed haud tacendum tamen, quia argutè satìs excogitatum, quod annotat supputator ille literarum perpetuus Baal Haturim, voces has, מקרב אחיך, quæ sonant *è medio fratrum tuorum,* numero cum istis משבט יהודה, *è tribu Judæ,* convenire, adeò ut illæ per has Gematricâ, quam vocant, arte explicari debeant. Utræque certè efficiunt 381. nec plus, nec minus.

Sed

Sed aliquando quid de ejusmodi supputationibus sentirem, abunde memini me dicere. Scilicet hæc ejusdémque generis interpretationes tam veræ ac solidæ sunt, saltem quæ è numeris elicitæ, quàm eæ laudes plerumque falsæ quas è literis nominis alicujus variè ac variè transpositis (anagrammata vocant) summo aliquando labore quis extorquet, invitis interdum literis, quæ sæpe vituperium potiùs quàm laudem objiciunt.

Ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus in medio Israel, Deut. 17. 20.

REgi pio atque in Divinum cultum probè affecto longum ac diuturnum regnum promittitur, non ipsi modò sed etiam ejus posteris, Deut. cap. 17. versu postremo. Verba textûs hæc sunt, *ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus in medio Israel.* Ubi ad hoc, *ipse & filii ejus*, habet Rasi, מגיד שאם הגון למלכות היא קידם לכל אדם, *Docet* hic locus, *si Regis filius aptus est regno, omnibus eum debere præferri.* Sed Bechai plus dicit, ac verè & solidè, למדך הכתוב שהמלכות ירושה, *Docet te Scriptura hæc, regnum esse hereditatem.* Pergit; ואין צריך למשוח מלך בן מלך כי אם הראשון בלבד אבל אם נפלה מחלוקת בישראל ואינן מסכימים מי ימלוך אותו שהכל מסכימים להמליכו צריך משיחה, *Neque necesse est ungi regem regis filium*, (nempe in gente Israelitica) *sed eum tantùm qui primus regnum nactus sit. Verùm concertatio si inciderit inter Israelitas, nec inter illos conveniat quis regnare debeat, is quem communi consensu omnes regem voluerint ungendus erit.* Indè esse docent Rabbini quòd Salomon etsi Regis filius unctus sit, מפני מחלוקתו של אדניה בן חגית, *propter seditionem ab Adonai Hagitthæ filio concitatam*, qui nempe, cùm Davidem patrem videret senio jam confectum, regnum affectarat, amicis fretus qui partibus ejus favebant. Hæc breviter annotare visum est, quibus hereditaria regnorum successio quadamtenus confirmatur, etsi parùm interest eam probent Rabbini nécne. Nobis enim hoc sat est, quod gravis & cordatus autor dixit, *Minore discrimine sumi principem quàm quæri.* Alii fortasse non ferent Regem nisi elegerint, illúdque vulgò decantatum occinent, *Imperaturum omnibus eligi debere ex omnibus.* At nos sanè, qui nec quòd nobis nascatur Rex, nec quòd Regi nos nascamur subditi, fortuitum credimus, sed planè Divinum, majore multò obsequio Regem colimus quia Deus nobis dedit quàm si nobis ipsi dedissemus. Quantò enim æternæ mentis consilium humanâ electione, quæ plerumque fallitur, certius est, tantò magis Regem Divinitus datum & constitutum, quàm si incertis & fallacibus hominum suffragiis contigisset, veneramur, & secundùm Deum, cui uni ipsum deberi putamus, sanctè religioséque, ceu alterum in terris numen, quòd possumus, adoramus. Verùm hæc tantùm obiter & quasi per transennam.

Hoc erit jus Sacerdotum à populo ab his qui offerunt victimas, sive bovem, sive ovem: dabunt Sacerdoti armum, maxillas ac ventriculum, Deut. 18. 3.

QUæritur cur istas potissimùm partes, armum, maxillas & ventriculum Sacerdotibus dari ab iis qui immolarent victimas voluerit Deus.

Aiunt Mystici seu Allegorici propter Phineis meritum eas partes destinatas Sacerdotibus; armum videlicet, quòd Phinees spiculum lanceámve, quâ Zambri Simeonis tribûs principem & Cozbi Madianitiden rem fœdam in tabernaculo agentes eodem ictu transverberavit, brachio seu manu corripuerit; ventriculum, quòd feminam illam per ventrem percusserit, Num. 25. maxillas verò, ut quibus interjacet lingua, vel, sicuti volunt Rasi & alii, unà cum lingua, quòd tunc, ut est Psal. 106. 30. *stetit Phinees, & oravit*, ità enim in istorum sententia post Chaldæum vertendum ויפלל, quasi esset ויתפלל: merum est hoc somnium. Alii ex Mysticis, auctore Ezrâ, armum datum aiunt quòd Sacerdos brachio mactaret pacificas hostias; maxillas ob benedictionem, quam promebat linguâ; ventriculum propter explorationem animalis, quæ ab eo fiebat ante mactationem. Sic enim Hebræa ista, quæ habet, interpretor, דרך דרש כי הכהן הוא שוחט השלמים הזרוע שכר זרועו בשחטה והלחיים שכר הברכה והקיבה שכר הבדיקה. Ralbag sibi videri ait armum Sacerdotibus datum, quòd cæterorum Israelitarum hi veluti brachium ac robur essent, Legem illos docendo; maxillas etiam ac ventriculum, quòd ut hæc cibum cordi hepatíque præparant, illæ molendo, hic coquendo, ità Sacerdotum merito Israelitis cibus ab Deo contingat. Ità nos è Ralbag ferme in *Documentis* (התועלות *utilitates* vocat) ad Sect. Judices, Document. 29 Maiemonides in More Nevochim, referentibus Rambam & Bechai, aliam quandam rationem affert, quòd maxillæ principium sint corporis; armus ראשית האברים המשתרגים בגוף *principium membrorum instar ramorum prodeuntium in corpore*; ventriculus verò principium intestinorum: prima autem in omni genere danda sint Dei ministris in honorem ipsius. Non malè hic profectó. Meliùs tamen ac simpliciùs Ezra, meo quidem judicio, על דרך הפשט כי אלה טובים משאר הבשר, *Juxta literam*, inquit, *quòd hæc reliquâ carne meliora sint*, nempe Sacerdotibus à Deo destinata sunt.

Ad hoc notati versûs, *à populo*, annotat Rasi, non item à Sacerdotibus. Ubi ejus interpres Elias Orientalis addit, שהכהנים פטורין מלתת המתנות הללו לכהן, *Siquidem immunes sunt Sacerdotes à dandis istis donis Sacerdoti.* Pergit; והלויים הן כספק אם הם בכלל העם אם לא ולפיכך פטורים מלתת המתנות לכהן שהמוציא מחבירו עליו הראיה לפיכך אין הכהנים נוטלין מהם ואם נטלו לא יחזירו, *In dubio est autem an vox* POPULI *Levitas contineat nécne, propterea que immunes sint à dandis istis donis Sacerdoti, siquidem actori incumbat probatio. Idcirco non ab iis accipiunt Sacerdotes; sed si acceperint, non tenentur reponere.*

Cur qui alterum imprudens occidisset, eum extra civitates perfugii repertum occisi propinquis interficiendi jus esset: ad Deut. c. 19.

QUI per imprudentiam alterum occiderat, eum Lex jubebat confugere in aliquam civitatem refugii, ibíque assiduè manere, nè fortè aliubi inventum occisi cognatus quispiam jure vindiciarum secundùm sanguinem interficeret. Lex hæc describitur Deut. 19. initio, circa quam quæritur, Cùm ab Senatu qui sic alterum interemisset, quòd esset extra culpam, condemnari ad mortem non posset, cur eum extra civitates perfugii repertum occisi cognatis liceret interficere.

Respondet Abarbanel occisori hostes seu adversarios duos fuisse: Senatum; quòd qui alterum interficeret, peccaret in Senatum violando ejus autoritatem, ac præter Legem faciendo: alterum verò hostem seu adversarium fuisse occisi propinquos, quibus ob damnum acceptum vindicandi sanguinis jus esset: qui autem insciens atque imprudens alterum occidisset, omnino tutum fuisse à priore adversario, nempe Senatu, siquidem præter voluntatem feciſſet quod fecisset, atque ideo non peccasset; ast reliquos fuisse occisi cognatos, quorum damnum duraret, & ad quorum sedandam iram Lex jusserat interfectorem exsulare ac secedere in urbem refugii, unde si emigraret, nihil injuriæ quidem Senatui faceret, sed occisi propinquis duntaxat, quos videretur contemnere; idcóque iis extra urbes refugii repertum occisorem jus fuisse interficiendi, Senatui verò non, in quem non peccasset.

Hæc erit lex homicida fugientis, cujus vita ſervanda eſt: qui percuſſerit proximum ſuum neſciens, & qui heri & nudiuſtertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobabitur.

Quí q3 abierit cum proximo ſuo in ſilvam ad ligna cædenda, &c. Ibid. com. 4, 5, 6.

DEclaratur hoc commate quis alterum inſciens peremiſſe dicendus ſit, nempe is qui eum peremerit quem non odiſſet antea. Verba Sacri textûs hæc ſunt, *Qui percuſſerit proximum ſuum* (בבלי דעת *abſq3 ſcientia*) *neſciens, & qui heri & nudiuſtertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobabitur.* Ubi Abarbanel explicans hoc, *abſq3 ſcientia*, ità annotat, לפי שהדעת הוא בלב האדם ועקוב הלב מכל ואנוש הוא מי ידענו לכן נתן עליו האות המורה על אמתתו והוא אמרו והוא לא שונא לו מתמול שלשום: כי בהיות שאינו שונא ידענו שהכהו בבלי דעת, *Propterea quòd ſcientia (conſiliúmve) in corde hominis eſt; cor autem omnium malitioſiſſimum & ſæviſſimũ eſt, ac nemo illud cognoſcit, (Jer. 17. 9.) idcirco hoc ſigni eſſe voluit Lex, imprudénſne occidiſſet quiſpiam alterum, ſi quem occidiſſet antea minimè odiſſet, quia ſi non odiſſet antea, palàm erat non id feciſſe ſcientem ac prudentem.*

Sed quæri poteſt cur ſubjiciatur mox, *Quiq3 abierit cum proximo ſuo in ſilvam, ad ligna cædenda, & impulſa fuerit manus ejus in ſecurim ad cædendum lignum, ferrúmq3 lapſũ de manubrio invenerit proximum ejus, & moriatur,* &c. Supervacaneum enim hoc videtur, quia in illo priore, *qui percuſſerit proximum ſuum neſciens*, continetur. Reſpondet idem Abarbanel dici poſſe, hâc quidem re doceri, licèt odium fuiſſet antea, genus mortis interdum involuntarium factum manifeſtò arguere. Nam ſi quis v. g. in ſilvam lignatum cum altero iverit, ac dum fortè ſecurim impingit in arborem, ferrum è capulo exſilierit in alterum, cúmq; peremerit, palàm eſt caſum eſſe fortuitum nullóq; modo voluntarium. Mitto alia quæ ait præterea. Eodem modo Iſaacus Arama.

Quod ſequitur deinde, *Hic ad unam ſupradictarum urbium confugiet, & vivet. Nè forſitan proximus ejus cujus effuſus eſt ſanguis*, (Hebr. *redemptor ſanguinis*) *dolore ſtimulatus* (Hebr. *cùm incalnerit cor ejus,*) *homicidam illum perſequatur*, &c. iſtud, inquit Abarbanel, arguit haud juſſum exſulare qui alterum imprudens interfeciſſet, quò puniretur: ſiquidẽ is nullâ dignus eſſet pœnâ qui præter voluntatem iſtud mali admiſiſſet. Laudat in hanc rem Philoſophũ, qui ſcribit non eſſe rationi conſentaneum, ut in eum qui imprudens peccat animadvertatur: quandoquidem eò tantùm peccanti irrogetur pœna ut nè ampliùs peccet, aut certè ut admoneantur cæteri nè peccent. Certum eſt autem nullis pœnis effici poſſe ut non peccetur per imprudentiam, neq; id humanarũ virium eſſe: ideóque in eo qui ſic peccat exemplum haud ſtatui oportet, præſertim cùm illud exemplum profuturum ſit nihili; quia cæteri nihilo minùs per imprudentiam peccabunt. Ea cauſa eſt, quamobrẽ Lex dicat non idcirco debere exſulare qui alterum per imprudentiam interemit, quò pœnâ afficiatur, ſed quò è propinquorum occiſi manibus evadat. Ità ferme Abarbanel.

Et alloquentur præfecti populum, dicendo, Quis eſt vir qui ædificavit domum novam, & non dedicavit eam? vadat, & revertatur in domum ſuam, nè fortè moriatur in bello, & aliquis alius dedicet eam.

Et quis eſt vir qui plantavit vineam, & necdũ fecit eam eſſe communem? vadat, & revertatur in domum ſuam, nè fortè moriatur in bello, & aliquis alius communem faciat eam.

Et quis eſt vir qui deſponsit uxorem & non accepit eam? vadat, & revertatur in domum ſuam, nè fortè moriatur in prælio, & aliquis alius accipiat eam, Deut. 20. 5, 6, 7.

LEX erat olim, eáque præſcripta in Deuter. codice, c. 20. ut antequam Iſraelitæ prælio congrederentur cum hoſtibus, juberent præfecti citò remigrare domum quotquot novam domum ædificaſſent neque dedicaſſent; item quotquot vineam conſeviſſent neque profanaſſent; item quotquot uxorem ſibi deſponſiſſent neque domum duxiſſent. Continetur lex iſta verſibus qui è Deut. libro mox notati ſunt. Ratio hujus legis quæ ſit quæritur. Reſpondet Iſaacus Carus, שהאנשים האלו לא ילחמו כראוי בזוכרם בתיהם החדשים וכרמיהם וארוסותיהם, *Quòd ejuſmodi homines non eſſent pugnaturi* alacriter, animoſéque & *ut par erat quoties illis veniret in mentem novarum ædium, vinearum, ſponſarúmq3.* Eodem ferme modo Ramban; וזוה על הג" האלה לשוב כי לבו עֹל ביתו וכרמו ועל אשתו וינוס, *Jubebantur iſti tres domum reverti, ſiquidem ille de domo, iſte de vinea, hic de uxore* (ſeu *ſponſa*) *perpetuò cogitarent, ideóque verendum eſſet nè forſan è caſtris fugerent.* Ezra eodem quoque modo; והטעם כי לבו וכל תאותו לחנוך ביתו והנה לבו לביתו לא למלחמה על כן ינוס וניס אחרים, *Ratio* cur ſcilicet redire domum juberetur quiſquis novam ædem exſtruxiſſet, necdum dedicaſſet, *eſt, quoniam animo iſte totóq3 deſiderio ad dedicationem domûs ferretur, atque idcirco de domo magìs quàm de bello eſſet ſollicitus, ut periculum eſſet nè forſan fugeret, ipſéque aliis ſuo exemplo autor eſſet ut fugerent.* Hanc rationem in aliis duobus locum habere palàm fit.

Sed cur tria hæc, domum, vineam, ſponſam lex ponat, ſi quis quærit, reſpondebit Bechai, הנה הדברים האלה הבית והכרם והאשה הם חמדת בני אדם והם סבה למשוך הלב ולהיות המחשבה טרודה בהם, *Res hæ, domus, vinea, uxor, hominum deſideria potiſſimùm accendunt, cordáque ità alliciunt, ut mens cogitatióque in iis aſſiduè verſetur.* Cætera ferme, ut alii.

Si quando acceſſeris ad oppugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem, Deut. 20. 10.

Solicitandam eſſe pacem omnibus modis, nec ſuſcipiendum bellum, aut obſidendam urbem, intentatâ pace.

DAnda opera, quoad fieri poteſt, ut tranquillè vivatur, fugiendúmque à contentione omni. Solicitanda pax eſt modis omnibus, nec, niſi tentatâ pace, bellum ſuſcipiendum. Thraſonis eſt, aſt verum tamen, illud verbum, in Eun.

Omnia priùs experiri verbis, quàm armis, ſapientem decet.

Gravius eſt ac ſtabilius multò quod perſuadetur quàm quod vi extorquetur. Prohibebantur idcirco Iſraelitæ priùs oppido cuipiam bellum inferre quàm oblata pacis conditio fuiſſet. Id autem fiebat ob cauſas potiſſimùm tres, quas ità ferme percenſet Abarbanel.

Prima cauſa eſt, Quòd eos qui adipiſcendæ perfectioni ſtudent, deceat viis Dei Opt. Max. inſiſtere, juxta illud Deut. 28. 9. *cùm cuſtodieris mandata Domini Dei tui & ambulaveris in viis ejus:* palàm eſt autem nolle Deum mortem impii neque mundi exitium, ſed magìs cupere ut convertatur à viis ſuis, & vivat, Ezech. 18. 23. Pſal. 130. 4. apud eum eſt propitiatio, extenſáque dextera ejus eſt ad ſuſcipiendos quotquot reſipiſcunt. Idem Reges terræ mortaléſque omnes decet facere, lites videlicet & contentiones averſari, injurias ac peccata facilè condonare, pacíſque fœdus inire cum iis qui pacem expetunt. Hoc illud eſt quod ſervi Ben-hadad Syriæ Regis dicebant 1 Sam. 20. *Ecce audivimus quòd Reges domûs Iſrael clementes ſint*; nempe quia eos decebat Dei ſui exemplo clementiâ uti erga omnes.

Secunda cauſa eſt, Quòd urbium ſubactio, quæ cum bona gratia fit, & inito cum civibus fœdere, arguit potentiam ſimul & bonum Regis aut cujuſcunq; alius oppugnatoris ingenium. Subactio ipſa quippe arguit celſitudinem potentiæ ac virtutis, poſteaquam qui hoſtes antea fuerant, ceu victi cedunt, præque metu ſeſe invicti ſubjiciunt. Quòd verò Rex aut quiſpiam alius amicè fœdus init pacis, id profectò bonum ejus ac commodum declarat ingenium. At ſubactio urbium vi armorum, ut potentiam arguat, certè crudelitatem ac malum ingenium manifeſtò docet, id

id quod tuendis regnis maximè est contrarium. Huc pertinet quod ait Esaias Propheta, c.16.v.5. *Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate, in tabernaculo* (h.e. in regia) *David, judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod justum est.* Seneca Philosophus scripsit, cùm apes naturâ suâ habeant aculeum, maximam tamen, quæ (instar Regis) reliquis præest, habere nullum, quòd noluerit natura ei quæ virtute inter cæteras pollet, exserendæ iræ concedere instrumentum: *Zelum detraxit, & iram ejus inermem reliquit,* [Seneca l.1. de Clem.cap.19.] Documentum Regibus, non debere illos quantum possunt sævire, sed potiùs erga omnes uti clementiâ, perpetuóq; sine aculeo esse. In hunc sensum aiebat David, Psal. 72. *Floreat in diebus ejus justus, & abundantia pacis, donec auferatur luna. Et dominetur à mari usq; ad mare,* &c. *& adorent eum omnes Reges,* &c. Unde liquet nihil ad subigendos populos utilius ac melius esse pace.

Tertia ac postrema causa est, Quòd in bellis incerta & anceps admodum res sit victoria. Quàm sæpe hîc fefellit proportio, vidimúsq; à paucioribus plures, ab imbecillioribus fortiores fuisse superatos; vicisse qui pacem ambiebant, victos qui securi & absq; metu agebant, victos victores subito terrore perculsos, vicisse interdum quorum justa erat causa, interdum contrà? Nónne legimus in libro Judicum, ca.19, & 20. ubi de concubina in Gabaa agitur, Israelitas, etsi rectum ac pium illorum consilium esset, atq; ad Dei gloriam spectans, nihilominus bis fugatos à Benjamitis, quorum & minor multò numerus erat, & pessima causa, ex iisq; cecidisse quadraginta hominum millia? Quæ omnia probant victoriam in bello rem esse valde incertam. Ac propterea melius tutiúsq; est eligere veram ac certam pacem quàm incertam persequi victoriam. Accedit quòd qui obsessi tenentur, desperatâ pace, nihil præter mortem exspectantes, omnia tentabunt quò, priusquam moriantur, ulciscantur sese. Eamobrem quodam in libro, qui קבלה inscribitur, initio cap. משיח מלחמה legitur in hæc verba, כאשר יצורו על העיר לא יקיפוה מד" רוחותיה אבל וניחו רוח וצר אחד מן העיר בלתי מוקף שיוכלו לברוח בו: Quorum verborum hæc ferme sententia est, *Qui urbem aliquam obsessum ibunt, eam omni ex parte nè cingant, sed aliquâ parte relinquant liberam, quò obsessis pateat exitus.* Quorsum hoc? Nè desperatis crescat audacia, animúsq; audendi experiendíq; quæ suadebit extrema necessitas. Igitur semper tutius pacem eligere quàm belli discrimen subire. Primùm, justum rogant obsessi, cùm pacem rogant. Deinde ex bello ad victores etiam multa redit calamitas, éxq; victoribus multos semper vinci & cadere oportet. Ea causa est quamobrem jusserit Deus, antequam obsideatur urbs quæpiam, ei deferri conditiones pacis. Ità nos post Abarbanelem ferme.

Cúmque tradiderit Dominus Deus tuus illam civitatem *in manum tuam, percuties omne quod in ea generis masculini est in ore gladii.*

Tantùm mulieres & infantes, jumenta & cætera quæ in civitate sunt, omne spolium ejus prædaberis tibi, &c. Deut.20.13,14.

Parcendum esse sequiori sexui, parvulísq; in bello, & abstinendum ab utrorumq; cæde.

EXstat lex Deut.20. quâ jubentur Israelitæ, priusquam oppidum urbémve aliquam bello adoriantur, pacem ei offerre, quæ si recuset ad pacis conditiones accedere, malítq; armis se defendere, ac tandem, Deo volente, expugnata veniat in obsessorum potestatem, tum quotquot illic virilis sexûs invenientur, ferro trucidare, mulieres autem parvulósque, & quicquid erit pecoris, prædæ habere.

Quæritur cur non idem mulieribus & parvulis tum facere liceat quod viris.

Hujus rei causas duas esse vult Abarbanel, ac rectè.

1. Quòd neutrorum manu aut consilio bellum geratur, ideóq; rationi minimè consentaneum sit ut pereant in bello. Hinc esse annotat idem Abarbanel, quòd cùm propter Sebam Bochri filium Abelam urbem obsideret, instructóq; aggere fortiter oppugnaret Davidis copiarum imperator Joabus, ausa sit sapiens & cordata quædam mulier è mœnibus se militibus ostendere, Joabúmq; ad pacem evocare. Scilicet sive illa, sive qui eam mittebant cives, probè intelligebant nihil ex ea re feminæ fore periculi.

2. Deinde quòd viri strenui non sit cum imbecilliore pugnam committere: ideóq; mulieribus ac parvulis, qui præ virium (ac plerumq; etiam animi) imbecillitate vitam defendere non possunt, vir fortis manus adferre debeat nunquam. Observat Abarbanel ex Tract. Talmudico תמיד, quod hanc rem confirmet, nempe Alexandrum Macedonem, cùm, toto propemodum orbe ad Orientem superato, ad Amazonum regnum advenisset, noluisse cum iis decertare manúsq; conserere. Dicebat enim Non esse æquum virum sui similem cum feminis dimicare; quia etsi vinceret, major victarum foret gloria quàm sua. Istius historiæ fides penès autores esto. De mulieribus parvulísq; eorum oppidorum, quæ Israelitis sese daturum in hereditatem Deus promiserat, quæq; septem populorum, nempe Hettæorum, Amorrhæorum, Chananæorum, Pherezæorum, Hevæorum, Jebusæorum, & Gergesæorum erant, secùs res habet quàm diximus. Nam nisi horum populorum civitates deditionem subitò fecissent, nemini, capto oppido, parci Deus voluit. Mulieres ac parvulos jussit ad internecionem omnes deleri, nullo sexûs aut ætatis discrimine. Quod nè crudele & inhumanum videri cuipiam posset, statim subjicitur ratio v.18. *Nè doceant vos facere secundùm cunctas abominationes suas, quas ipsi faciunt diis suis, & peccetis in Dominum Deum vestrum;* Ubi quæri potest, Cur potiùs septem illorum populorum mulieres ac parvuli essent perimendi quàm aliorum. Anne quia plus periculi ab illis quàm ab his? Sic censet Abarbanel, qui scribit istos populos idololatriæ addictiores cæteris fuisse magísq; obnoxios: ideóq; ab illorum mulieribus ac parvulis qui remansissent plus fuisse periculi, nè Israelitas suo exemplo aut quoquo modo ad suum cultum errorésq; pertraherent. Verùm si ità est, Cur igitur ubi iidem hi populi suarum civitatum deditionem fecissent, neminem licebat interimere? Nihílne tum ab iis periculi? Respondet idem Abarbanel, quia tunc jus esset illos cogere ad recipienda septem mandata Noachi liberis data, ejurandúmq; falsum deorum cultum. De septem illis mandatis, quæ sint, alter erit fortasse dicendi commodior locus.

Ritus decollandæ juvencæ, qui primis novem commatibus cap.21. Deut. describitur, causæ explicantur ex Judæorum magistrorum mente.

DEuter.21. exstat lex, quæ Israelitis præscribit, si interfecti cujuspiam hominis cadaver alicubi in promissa Chananæorum regione, postquam adepta esset, reperiretur jacens in agro, ignoraretúrq; cædis autor, ut vicinorum oppidorum emensâ, si opus esset résq; exigeret, à majoribus natu Judicibúsq; distantiâ, ejus oppidi quod esset occiso proximum, majores natu juvencam sumerent nunquam antea agricolationi aut vehendo jugo adhibitam, ageréntq; ad vehementem aliquem torrentem, eíq; inibi cervicibus caput abscinderent: ac vallis denique, ubi torrens esset, nusquam exinde coleretur consereretúrque. Hæc lex, quia prioribus commatibus novem cap.21. Deut. perquam accuratè describitur, indidem petenda est: nisi fortè visum fuerit postea commata quibus describitur subjicere.

Totius hujus ritûs causa quæ sit, jure ac meritò quæri potest. Ezra rationem adfert cur urbis occiso proximæ cives eum ritum tenerentur peragere, potissimùm כי לולי שעשו עבירה כדומה לה לא נזרמן להם שיהרג אדם קרוב מהם, *quòd nisi huic simile crimen aliquando admisissent, nunquam* tam dirus *illis* casus

contigisset, ut in vicinia interficeretur homo. Ast subjicit mox; ומחשבות השם עמקו וגבהו לאין קץ אצלנו, *Porrò autem Dei cogitationes profundæ atque excelsæ sunt ultra modum omnem, ut ad illas nentiquam possimus attingere.* Quibus verbis videtur profectò significare, cætera ejus ritûs capita mutæ potiùs ac tacitæ admirationi quàm sedulæ nimis disquisitioni esse relicta: multa quippe in Divinis legibus esse quorum causæ apud ipsum legum conditorem Deum positæ reconditæq; sunt. Rambam, sive Maiemon. in More Nevokim, partis 3. c. 40. censet quicquid istius ritûs est factũ, ut de cædis autore constaret esse factum: nàm eum ob ritum multos passim ultro citróque inter mortales serendos sermones, ex quibus tandem de cædis autore constare posset. Non malè hic quidem, sed non excutit neque edisserit satìs singula ejus ritûs capita. Igitur Abarbanel ejusmodi rerum subtilis ac diligens indagator, si quisquam alius, rem aggreditur, nec omnino infeliciter. Nam si minùs forsan vera sunt: (quis enim præstet vera esse?) quæ tradit, certè ingeniosa sunt, & acutè excogitata. Altero itaque horum duûm modorum qui subjicientur, aut utroque simul, ritum illum universum explicari posse censet. Atque ut à primo incipiam, *juvencâ* designatum vult Israelitam: siquidem Israelitæ *juvenca* appellentur Oseæ 10. 11. *Ephraim vitula* (seu *juvenca*) *docta, diligens triturare.* E viciniore oppido adducendam fuisse juvencam illam, ad significandum indè exisse qui occisus esset. Eam esse debuisse quæ nec terram arasset, nec jugum traxisset, bimulam scilicet non ampliùs, quæ ענלה dici posset, ad significandum innuendúmque hominem illum immeritò ac nullâ suâ culpâ occisum, nihílque fecisse dignum illâ morte. Adhæc ducendam fuisse in vehementem quempiam torrentem, atque inibi decollandam, quò significaretur ea in urbe ubi Lex justitiáque vigeret occisum esse eum quem juvenca designabat: *aquâ* enim seu *torrente* Legem designatam, cùm ex illo Esa. cap. 55. 1. *Omnes sitientes venite ad aquas*, &c. tum ex Talmudicorum mente, Tract. de Idololatria, cap. 1. ubi dicunt אין מים אלא תורה, *Non est aqua aliud quàm Lex.* Huc autem pertinere Ecclesiastis illud, cap. 3. v. 16. *in loco judicii, ibi impietas, & in loco justitiæ, ibi impietas.* Decollatam autem fuisse illam juvencam observat, ut decollatione, quæ ab tergo fit, innueretur sceleratâ conspiratione occisum eum hominem, pérque insidias, non apertâ vi, commissísque frontibus pugnando, uti paulò qui generosiores sunt hostes suos interficere solent. Vallem denique ubi peragebatur ritus iste nunquam fuisse postea colendam & conserendam ut, quemadmodum sentit Rambam loco notato, ejus vallis dominus, ubi quis occisus fuisset repertus, omnia moliretur quò de cædis autore constaret, nè scilicet ex damnato agro damnum ipse pateretur. Sed quorsum tandem ista omnia? Ut, inquit, ejus oppidi cives, qui cædis suspecti essent, ad omnia quæ tum fierent advertentes, aliquo pacto cædis reum detegere possent: ac si v. gr. quis diceret exisse ex alio oppido qui interfectus esset, noscendi rei copia daretur aliqua: item si quis diceret non fuisse interfectum sine causa, sed quamobrem fuisset interfectus doceret: denique si quis diceret non fuisse ejus urbis civem, sed aliunde. Concludit in hanc ferme sententiam; Quoniam autem universus iste ritus eò tendebat ut ejus urbis cives cædis suspecti efficerentur, ritu illo peracto purgabant se majores natu, sive Senàtores, his verbis quæ habentur v. 7. *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt:* amolientes à se videlicet diri facinoris suspicionem quæ in ipsos jaciebatur. Alius est modus, & multò commodior, meo judicio, quo etiam prædicti ritûs capita singula posse explicari docet Abarbanel. Quòd urbis occiso proximæ cives, ut qui cædis magis essent suspecti, jubebantur juvencæ cervices præcidere; eum ritum innuisse vult, universum illorum pecus in ultionem cædis perpetratæ esse moriturum. Quòd ea debebat esse juvenca quæ agricolationi nunquam trahendóque jugo fuisset adhibita, illorum pecus in primore ætate moriturum. Quòd apud torrentem illi juvencæ cervices essent præcidendæ, aquæ vel penuriâ vel nimiâ copiâ moriturum. At quòd exinde vallis, ubi scilicet torrens, aranda esset & conserenda nunquam, id innuisse vult agriculturam etiam desituram. Necesse autem fuisse sic admoneri cives illos pœnæ quæ immineret, ut pœnæ metu conterriti nihil non facerent quò cædis autor deprehenderetur, ad amoliendam à se cladem. Porrò autem intellectâ pœnâ, ejus urbis cives, seniores videlicet omnium nomine, observat purgasse se Deo, ab eodémque Sacerdotes (pro suo nimirum officio) veniam petiisse, comminatam pœnam ut averterent, his verbis, *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: Propitius esto populo tuo Israel*, &c. Ità ferme laudatus Abarbanel, cujus sententiam magìs quàm verba, quàm brevissimè fieri potuit, retulimus. In hujus sententia vertendus notati cap. Deut. vers. 4. *Et ducent eam* juvencam *ad torrentem fortem, in quo* (h. e. *juxta quem*) *nunquam arabitur, nec sementis fiet*, &c. Igitur נחל איתן hic (sicut & Amos 5. consentiente etiam Latino interprete, præter Græcum) *torrentem fortem* significat. Hoc eò visum est admonere, quia Græcus & Latinus hìc reddidere, φάραγγα τραχεῖαν ille, hic *vallem asperam & saxosam.* Atque ab his faciunt non pauci Hebræorum etiam, ac præsertim Rasi, qui *vallem* exponit *quæ propter duritiem coli non queat*, קשה שלא נעבר, & Chaldæus Targumista, qui, נחל ביר *vallem inculiam.* Ambiguitas vocis נחל, quæ modò *vallem* modò *torrentem* in vallem decurrentem significat, Interpretibus facilè potuit imponere. Equidem ego, si mihi liceat quod sentio dicere, *vallem* simul *cum torrente* prædictam vocem in loco Deut. notato significare existimo, quòd sequatur, *in quo nunquam arabitur, nec sementis fiet.*

Quæri potest, cur hic decollandæ juvencæ ritus ob repertum in agro interfecti hominis cadaver, belli legibus inferatur. In promptu ratio est, quam affert Baal Hatturim, שבשעת מלחמה דרך למצוא חללים, *quia belli tempore solent in agris inveniri hominum occisorum corpora.* Quæri item possit, cur à culpa cædis istius si abessent ejus urbis cives, rogabant veniam Sacerdotes his verbis, v. 8. *Propitius esto populo tuo Israel quem redemisti, & nè reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel.* Hæc enim non jam Seniorum, sed Sacerdotum esse existimant Hebræorum magistri. Responderi potest ex Baal Hatturim & Elia Mizrachi, משום דכל ישראל ערבים זה בזה וכלם נתבשים במיתתו, *Propterea quòd Israelitæ omnes sibi mutuò sponsores essent, omnésque adeò rei tenerentur illius cædis.* Vel, *Quod simile crimen aliquando suis à civibus admissum intelligerent, alioqui futurum fuisse nunquam ut in illorum vicinia cædes perpetraretur*, sicuti initio ex Ezra à nobis observatum. Populi peccatum rectoribus esse attribuendum, qui non satìs illum in Legis observatione contineant, nihil ut criminis admittatur, nec satìs severè judicia exerceant, ut severitatis exemplo à cæde perpetranda abstineant homines: deinde illorum etiam culpam esse aliquam si cujus cædis autor ignoretur, ac sic inultus abeat: ideóque postquam peractis omnibus quæ ad explicatum ritum pertinerent, non constaret de cædis reo, ut quod Seniorum ac Judicum munus erat, in eum ex legibus vindicaretur, Sacerdotes Deo pro iis supplicasse his verbis, *Propitius esto populo tuo Israel*, &c. non quòd cædis admissæ, cujus adhuc ignorabatur autor, veniam postularent, sed aliorum peccatorum quæ dicta sunt, Judicibúsque erant imputanda. Addit subjici indè, *& nè pones sanguinem innocentem in medio populi tui Israel*, perinde quasi dicerent, nè patere ut deinceps innocens quisquam interficiatur in hac vicinia. Præterea, *& auferetur ab eis*, Senioribus nimirum ac Judicibus, *reatus sanguinis*, qui illis ob causas suprà dictas, negligentiam præsertim in Reipublicæ administratione, parúmque severitatis in exsequendis judiciis, adscribendus fuit. Huc denique pertinere vult versum qui mox sequitur, *Tu autem auferes sanguinem innocentem è medio tui, cùm feceris quod rectum est in oculis Domini*; ut sensus sit, amovebunt illi

illi ſanguinem innocentem è medio ſui, prohibebúntque cædes cæteráque turpia facinora, cùm quod Deo placebit facient, ſtudebúntque rectè adminiſtrando populo, judiciíſque, ut par eſt, exſequendis. Ità ferme Abarbanel, qui tamen poſterioris verſûs aliam quoque affert ſententiam, ut hoc dicatur, Nè putato ſatis eſſe ſi decollata fuerit juvenca, niſi etiam, ô quiſquis es, omni aliâ ratione annitaris ut deprehendatur cædis autor, quò ejus morte vindicetur ſanguis innocens: tum demum enim præſtiteris quod Deo placeat. Sic ferè Abarbanel. Sed pace illius dictum ſit, latiùs patere videntur hæc verba, *Propitius eſto populo tuo Iſrael quem redemiſti, Domine*, quàm ut ad Seniores & Judices reſtringi debeant. Ego ſentio iſtis verbis non tam culpæ quàm comminatæ pœnæ, aut certè aliorum delictorum veniam peti. Hoc ſimplicius eſt.

Quæritur quid illud ſit verſu 5. *Sacerdotes filii Levi.* Cur additum *filii Levi*? Explicat Ezra, שהם בבירור מבני לוי, h. e. *quia manifeſtò ſint è poſteris Levi.*

Non abs re nunc erit, ut opinor, ſi verſus quibus decollandæ juvencæ ritus Deut. 21. deſcribitur, integri ſubjiciantur, quò res tota intelligatur planiùs. Hi ſunt igitur,

1. *Quando inventum fuerit in terra, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi ut poſſideas eam, hominis cadaver occiſi, proſtratum in agro, & ignorabitur cædis reus,*
2. *Egredientur majores natu & Judices tui, & metientur à loco cadaveris ſingularum per circuitum ſpatia civitatum:*
3. *Et quam viciniorem ceteris eſſe perſpexerint, Seniores civitatis illius tollent vitulum de armento, quæ non traxit jugum, nec terram ſcidit vomere:*
4. *Et ducent eam ad torrentem fortem, in quo* (ſeu *juxta quem*) *nunquam arabitur, nec ſementis fiet; & cædent in eo cervices vitulæ.*
5. *Accedéntque Sacerdotes filii Levi,* (*eos enim elegit Dominus Deus ut miniſtrent ſibi, & benedicant in nomine Domini: & ad verbum eorum omne negotium* [*omnis lis*] *& omnis plaga judicetur*)
6. *Et omnes majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabunt manus ſuas ſuper vitulam in torrente decollatam:*
7. *Et teſtificabuntur ac dicent, Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc, nec oculi viderunt.*
8. *Propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti, Domine, & nè reputes* (ſeu *ponas*) *ſanguinem innocentem in medio populi tui Iſrael: & auferetur ab eis reatus ſanguinis. Tu autem auferes ſanguinem innocentem è medio tui, cùm feceris* [vel *quia facies*] *quod rectum eſt in oculis Domini.*

Dabítque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia, Deut. 21. 17.

EX textu Deut. cap. 21. v. 17. perſpicuè patet primò, liberorum פי שנים *portionem duorum*, ſeu *duplicem*, in dividunda inter fratres hereditate olim ceſſiſſe. Textus ſic habet; *dabítque vir ille*, ſcilicet *pater*, *ei* primogenito *de his quæ habuerit cuncta duplicia.*

Quæritur quid ità, & cur unus duorum partem acciperet, cùm liberi omnes ex æquo ad patrem pertineant.

Sed enim ex eo quòd illo in loco ſcribitur, בכל אשר ימצא לו, *de his quæ habuerit* vir ille, ſeu pater, ad verb. *de omni quod invenietur ei*, viro ſeu patri, לו enim, non לה dicitur, ex eo, inquam, veteres Hebræorum Doctores in cap. יש נוחלין, concludunt ex paternis tantùm bonis duplicem primogenito portionem contigiſſe, non item ex maternis. Hîc quæritur, quid ità quoque, והנה הבן הבכור יחסו עם האב ועם האם יחס אחד, *cùm æquè ad patrem & matrem primogeniti origo pertineat.*

Utrique quæſtioni ſic mihi videor poſſe ſatisfacere ferme ex Abarbanele. Propterea quòd liberorum primogenitus patris locum obtinebat, ejúſque erat præſertim patris memoriam nominémve ad poſteros propagare, familiæque decus tueri, idcirco duplicem ei datam portionem ex paternis facultatibus, non item ex maternis, quia non magìs ille matris nomen quàm cæteri quidem fratres propagabat.

Non arabis in bove ſimul & aſino, Deut. 22. 10.

HUjus legis hanc cauſam eſſe vult Ezra, quòd cùm bovis & aſini non ſit idem ac par robur, haud conveniat ſanè illos ſimul jungi & copulari ad laborem, nè nimiùm fatigetur aſinus. Ezræ verba ſunt, השם חמל על כל מעשיו כי אין כח החמור ככח השור, *Deus omnium quæ condidit miſeretur*, nihílque rerum quæ in mundo ſunt non reſpicit: *non enim idem eſt robur aſini ac bovis*, ut ambos ſimul ad agricolationem adhiberi æquum ſit. Satìs verò placet hæc ſententia, quæ confirmari ex eo poteſt quod ait David, Pſal. 45. 9. *Bonus Dominus univerſis, & miſerationes ejus ſuper* (*erga*) *omnia opera ejus*; ὅτι πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ, ſicuti habet Græcus Interpres. Vide noſtros ad hunc verſum Comment. Addi etiam poteſt quod legitur Sap. cap. 11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti; nec enim odiens aliquid conſtituiſti aut feciſti.* Dei Opt. Max. exemplum imitari homines deceret, nec ſævire in beſtias, quod quidam nimis libenter atque inhumanè faciunt. Semper hoc mihi perſuaſi, qui nulla de cauſa ſæviat in beſtias, eum etiam facilè ſæviturum in homines. Si non ob aliud, certè ob hoc, quòd à Deo conditæ ſunt, ſi non amari (nullum quippe nobis jus nec vinculum ſocietatis cum beſtiis) certè non ità crudeliter accipi beſtiæ debent, imò humanè potiùs, ex præſertim quæ utilitatis aut voluptatis aliquid afferre ſolent, ut canes, amicum homini animal, ut equi, ut aliæ generis ejuſdem. Baal Hatturim aliam cauſam legis affert: *Non arabis in bove ſimul & aſino*, immundo nempe & mundo animali. רמז שלא ישתתף צדיק עם רשע, *Innuitur*, inquit, *nihil juſto cum improbo debere eſſe commercii.* Alii, in queis Raſi & Bechai, putant latiùs patere hoc præceptum, eſſéque accipiendum de quovis diſſimili animalium genere, ità ut vetetur duo animalium genera vehendo plauſtro aut cuivis oneri ferendo ſimul adhiberi. Sic autem habet Raſi ad hoc, *Non arabis in bove ſimul & aſino*, הוא הדין לכל שני מינין שבעולם הוא הדין להנהינם יחד קשורים וונין בהולכת שום משא, *Idem judicium eſſe debet de quovis diverſo animalis genere. Idem* quoque *judicium* eſt, ſi *ad onus aliquod portandum par animalium adjungas.* Ezra initio laudatus ad bovem & aſinum legem videtur reſtringere. Veteres Hebræorum Doctores, autore Bechai, cenſent prædictæ legis hanc potiſſimùm eſſe cauſam, nè fortè diverſa animalium genera יבאו להרבעה *coirent.* Cùm enim ſoleat agricola jugum in idem ſtabulum cogere, ſi illud diſſimili ex animalium genere conſtaret, fieri poſſe ut coirent diverſa genera, atque adeò pullos diſſimilis ac variæ naturæ producerent, itáque labefactarent opus creationis, de quo dicitur Gen. 1. 25. *& fecit Deus beſtias terræ* למינה *juxta ſpecies ſuas*, &c. Juvat hanc ſententiam profectò quòd in verſu præcedente, & qui mox ſequitur, כלאים i. *diverſarum ſpecierum*, ſive heterogeneorum fiat mentio: ac in præcedente quidē prohibeatur vineam conſeri diverſis è ſeminibus, itidem in ſequente veſtem contexi diſſimili è ſpecie, lanâ ſcilicet & lino. Nimirum cautum erat Iſraelitis diverſas ſimul commiſcere ſpecies tribus in rebus, in ſolo, in jumentis, in veſtibus, quæ hîc tribus in verſibus ſeorſim ponuntur; aſt Levit. 19. 19. uno continentur, ad hunc modum, *Statuta mea cuſtodite: jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus: agrum tuum non ſeres diverſo ſemine: veſte, quæ ex duobus, lanâ & lino, texta eſt, non indueris.* Legem igitur è Deuteronomio notatam Hebræorum nonnulli ex illa altera quæ exſtat Levit. cap. citato, his verbis concepta, *jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus*, interpretandam putant. Neque non iis ſanè videntur favere eædem connexæ utrobique leges. Sunt, teſte

teſte Abrahamo Sebâ, qui non aliam legis è Deuteronomii libro depromptæ cauſam eſſe exiſtiment, quàm nè ſi unà cum bove jugo alligetur aſinus, hic doleat quoties ruminabit bos, putans illum edere. הוא משום צער בעלי חיים. Perinde quaſi dicerent, *Conſultum eſt hâc lege, nè dolerent animalia.* Ineptè inſulſéque ac ridiculé. Eſt quoque in hac ſententia Baal Hatturim, quem antè citavi. Miniméque de hoc adeò mirum, qui ſi non interdum ineptit, magis mirum eſt. Ego, concludenda enim tandem res eſt, nec tamen pronuncio, nec meum eſt, arbitror vetuiſſe Deum bovem ſimul cum aſino ſub jugum mitti, quòd aſinus oneribus ferendis aptior fit quàm trahendo aratro: eſt enim animal contumax & parùm tractabile. Mihi hoc omnium placet maximè, ſimplicius enim videtur magiſque in promptu. Neque verò tam rudis rerum ſum, ut ignorem apud quoſdam ad agricolationem aſinos adhiberi, ſed ubi fortè boum aut equorum non eſt copia, aut eſt ſolum coli facile.

Non intrabit Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro, Eccleſiam (ſeu *congregationem*) *Domini.*

Non ingreditur mamzer (h.e. *de ſcorto natus*) *in Eccleſiam* (ſeu *congregationem*) *Domini: etiam generatione decimâ non ingredietur congregationem Domini.*

Ammonites & Moabites etiam generatione decimâ non intrabunt congregationes Domini in æternum, Deut. 23. 1, 2, 3.

ISTorum verborum, *Non intrabit*, (ſeu *ingredietur*) *Eccleſiam*, ſeu *congregationem*, *Domini*, hanc ſententiam eſſe vult Ezra, שלא יחשב כאחד מקהל יי׳ שיקח בת ישראל, *Non cenſendum tanquam unum è cœtu Domini*, (quiſquis ſcilicet teſtes comminutus, aut exſectus, ſpurius, Ammonita aut Moabita eſt) *ità ut Iſraelitidem ducere uxorem poſſit.* Eodem ſenſu accipiunt Raſi, Elias Mizrachi, Bechai, Abarbanel, quorum hic ad notatos verſus ità ferme habet; *Nunc de iis agit, qui haud digni ſunt Iſraeliticas ducere uxores:* congregatio *enim* Domini *vocantur viri conjugati, ſicuti tradunt Doctores in cap.* 8. *Jebamoth. Ac primo loco quidem meminit eorum qui haud digni ſunt inire matrimonium, quibus ſcilicet membra ad generandum neceſſaria malè affecta ſunt, ità ut liberos progignere non poſſint. Sunt autem hi, quicunque teſtes comminuti aut exſecti ſunt. Quando enim liberis procreandis ineptiſunt, fruſtrà uxores ducerent. Sed enim periculum eſſet maximum, nè talium hominum uxores* (ut pleræque ſanè mulieres inſaniunt in libidinem) *ad alios viros diverterent, ac nimis libenter ſui corporis copiam facerent. Ac de hoc perſcripta exſtat lex in ſectione* קדושים, *his ferè verbis*, Nè proſtituas (polluas) filiam tuam, faciendo ut ipſa ſcortetur, *&c.* (Lev.19.29.) *Secundum genus eorum qui nuptiis minimè apti ſunt, eſt ſpuriorum, de quibus hic dicitur*, Non ingredietur ſpurius in congregationem Domini, *&c. perinde q. diceretur, Sicuti Deo non placet ut vir ineptus liberorum procreationi Iſraelitidem ducat uxorem, ità virum cujus ortus eſt illegitimus, ſpurium ſeu nothum videlicet, qui extra matrimonium natus eſt, indignum eſſe qui in congregationem Domini admittatur, Iſraelitidem è genere ſancto ducendo uxorem*; לפי שהנולד מהם יתדמה לטבע הזר הנפסד, *quia qui ex ejuſmodi naſceretur, ſimilis eſſet naturæ extraneæ corruptæ, indéque orirentur in populo Domini viri improbi ac pravi: at par eſt Iſraelitas omnes* מהשתל שלות ישר *ex honeſta rectáque ſtirpe, ſcilicet è virorum proborum genere, è filiis Iſraelitarum natis in legitimo matrimonio, nec ſine inſtrumento dotali, originem ducere.* Paucis interjectis pergit Abarbanel; *Tertium genus eorum qui indigni judicantur qui admittantur in cœtum Domini Iſraeliticaſque ducant uxores, eſt Ammonitarum & Moabitarum, etſi Judaiſmum profeſſi fuerint. Statim autem adjicitur cauſa*, (verſu 4.) *Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aqua in via, &c. & quia mercede conduxit* (Moab) *contra te Balaam, &c.* Ezra, quòd dicatur עמוני *Ammonita*, in gen. maſc. non autem עמונית in gen. fem. & ſimiliter מואבי *Moabita*, non autem מואבית, exiſtimat virginem, ſeu mulierem, Ammonitidem & Moabitidem viro Iſraelitæ nubere potuiſſe: ídque evidenter probari ait exemplo Ruth, quam, cùm tamen eſſet Moabitis, accepere in matrimonio viri Iſraelitæ, ut videre eſt ex hiſtoria Ruth, Mahalon ſcilicet, Elimelecki filius, ac poſtea, univerſo approbante populo ac Senatu, Boozus Davidis proavus. Nam Booz natus eſt ex Ruth Obed, Obedi Iſæus, Iſæo David, cujus è ſtirpe Chriſtus. Volunt autem Hebræorum nonnulli, myſtici præſertim, autore Bechai, legem idcirco excipere mulieres, quòd eæ haud peccaſſent non procedendo obviàm Iſraelitis Ægypto egreſſis, ſiquidem id mulierum virginúmve officium non eſſet, ſed virorum tantúm. Colligit Bechai ex eo quòd dicatur, *congregationem Domini*, videri licuiſſe teſtes comminuto, exſectóque & ſpurio uxorem ducere quæ non eſſet è cœtu Domini, ex. gr. גיורת ומשחוררת *peregrinam*, (ſeu *proſelytam*) *aut libertate donatam. Non enim*, inquit, *Scriptura ait*, Eunuchus attritis vel amputatis teſticulis & abſciſſo veretro non ducet uxorem: *quia ſi ità dixiſſet, indè fuiſſet intelligere illicitum eſſe concubitum, niſi procreandorum liberorum gratiâ, ad conſervandámque ſpeciem. Aſt nunc, ſiquidem Scriptura prohibet tantùm ducere quæ ſit in cœtu Domini, permittit verò quæ non ſit, indè palàm ſit licitum eſſe concubitum* אפילו שלא לקיום המין *etiam non conſervandi propagandíq; generis ac ſpeciei gratiâ.* Ità ferme laudatus Bechai. Baal Hatturim & Abrahamus Seba, quòd Ammon unde Ammonitæ, & Moab unde Moabitæ, eſſent ממזרים i. *ſpurii*, ex inceſtu quippe Loti cum filiabus nati ſunt, idcirco volunt ſpuriorum mentioni Ammonitarum & Moabitarum mentionem mox ſubjici. Idcirco autem hi cenſent viros duntaxat, non mulieres, verſu ſcilicet 3. nominari, ità ut ſcilicet Ammonitidi & Moabitidi liceat nubere Iſraelitæ, quòd Loti filiæ concubitum patris appetendo, ותנונו לשם מצה ולוט גתכוון לשם עבירה (Sebæ verba ſunt) i. *præceptum* de propagando genere *ſpectarint*, exiſtimantes tum ſcilicet univerſum hominum genus, in illa ſaltem terra, utì ego quidem exiſtimo, interiiſſe, *cùm Lot* (etſi ebrius, tamen) *libidinis rationem habuerit, peccaritque.*

Hebræorum opiniones retulimus. Ego, ut dicam quod ſentio, his verbis, *non ingredietur in congregationem Domini*, aliud nihil puto ſignificari quàm nullam ſacræ ac divinæ reipublicæ ſive politiæ partem attinget, nullum publicum munus in populo Dei geret: addi etiam fortaſſe poſſit ex Hebræorum mente, ac nè uxorem quidem poterit ducere ex eo populo: i. ut verbo abſolvam, nunquam poterit civitate illâ, quæ Dei eſt, donari, nunquam ejus cœtûs ſive reipublicæ, quæ à Deo conſtituta eſt, civis effici: eum autem Hebræorum civem definio qui ad eorum matrimonia muneráque civilia admitteretur. Rectè profectò mihi videor, ità, ut dixi, interpretari poſſe. Nam quicunque teſtes comminuti aut exſecti ſunt, ignavi ferè & fracto animo eſſe ſolent, quales homines adminiſtrandæ reip. haud pares ſunt: ſpurii item & quotquot ex iis uſquam naſcentur, utpote infames natalium dedecore ac depravatos animos ex turpi fœdóque ortu trahentes, à publicis muneribus arcendi; ut & Ammonitæ & Moabitæ, quippe adverſum Iſraelitas Ægypto egreſſos malè affecti atque ingrati, uti Textus docet. Hæc porrò verba, *non ingredi in congregationem Domini*, non eſſe ità accipienda ut ſonent ſacrorum interdictionem, ſatìs evincunt leges Exod. 12.48. Lev.22. 18. Num.9.14. ex quibus conſtat idem peregrinorum atque indigenarum, quod ad ſacra attinet, jus ac ritum, eandémque utrorumque conditionem fuiſſe. Unde tandem colligere eſt his in verſibus, *non ingredi in congregationem Domini*, aliud eſſe quàm ſacris interdici: ſiquidem ex locis mox notatis conſtet, peregrinis, ideóque Ammonitis & Moabitis, ſi modò legibus Moſis & ceremoniis eſſent initiati, ſacra non fuiſſe interdicta.

Reſtat nobis vox ממזר, quam *ſpurium* reddidimus, explicanda. Bechai autem ſic eam explicat, ישון ממזר

ממזר הוא מי שנולד מן העריות שיש בהן כרת או מיתת בית דין. *Vox* ממזר *eum significat qui natus est ex nefando aliquo concubitu, digno exterminio* (h. e. morte præmaturâ, Divinitus scilicet inflictâ) *aut damnatione mortis à Senatu.* Abarbanel, ut jam annotatum, sic; הנולד מאשה בלא קדושין, *qui è muliere natus est absq; nuptiis*, sive qui extra matrimonium nat⁹ est. Talmud. ממזר dictum volunt quasi מום זר *maculam extraneam.*

Non offeres mercedem prostibuli (seu *meretricis*) *nec pretium canis in domo Domini Dei tui, pro quocunque voto: quia abominatio est etiam utrumq; apud Dominum Deum tuum*, Deut. 23. 18.

AD illud אתנן זונה *mercedem meretricis*, sic habet Rasi, נתן לה טלה באתננה פסול להקרבה *Dedit quis illi agnum in mercedem, indignus est qui offeratur Deo.* Deinde ad hoc, ומחיר כלב, *nec pretium canis*, sic, החליף שה בכלב, *Permutavit quis pecudem cane*, indigna est quoque quæ offeratur: כי הוא דרך בזיון Ezra, על כן אמר כי תועבת יי׳ *contemptus idcirco subjungitur, quia abominatio est etiam utrumque apud Dominum Deum tuum.* Ego post Abarbanelem per *canem* hoc loco cinædum, seu meritorium puerum, cujus in mox præcedente versu simul cum meretrice facta mentio, intelligendum puto, qui *canis* ex contemptu, vel quòd impudici canis instar se turpiter præbeat, appelletur. Ut sic sentiam suadet quod subjungitur, *quia abominatio est etiam utrumq;*, h.e. non meretrix modò sed etiam ejus merces, nec cinædus modò sed etiam ejus pretium, *apud Dominum Deum tuum.* Cur enim hoc de pecude cane permutata diceretur? Fl. Josephus Antiq. Jud. l. 4. c. 8. *pretium canis* interpretatur mercedem quam quis pro admissura canis venatici aut pastoralis accepisset. Sed neque hoc valde sapit palato meo. Nam cur ea res adeò detestabilis Deo esset?

Si habuerint inter se jurgium viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit; volénsque uxor alterius eruere virum suum de manu fortioris, miserit manum, & apprehenderit verenda ejus: Abscindes manum illius, nec flectêris super eam ullâ misericordiâ, Deut. 25. 11, 12.

IN hanc ferme sententiam explicat Abarbanel hanc legem; Duo aliqui altercantur ac pugnis decertant, citra vitæ tamen discrimen: intervenit alterius uxor, cui non satis jurgium dirimere, sed ipsa nimis ferox ac parùm pudoris memor altercantis cum marito verendis manum injicit: non in capillum involat, qui mulierum mos est, non brachium aut pedem ei prehendit, sed rem indecoram fœdámque prorsus ac indignam muliere Israelitide agit, & quæ majoris est momenti quavis rixâ. Ei jubet lex manum abscindi quæ rem adeò indignam inter Israelitas patravit, ubi mariti vita haud periclitaretur. Censet quoque Abarbanel istius legis hanc esse posse mentem, ut si cujuspiam uxor aliquem altercantem cum marito ac non vitam appetentem eâ parte prehenderit unde sit periculum, illam, quasi quæ alterũ persequatur ejúsque vitæ vim intentet, repellere oporteat, etiamsi manum fortè amputare, etiam cum vitæ discrimine, necesse sit; quò pertinet hoc, *non flectêris super eam ullâ misericordiâ*, ad verb. *non parcet oculus tuus.* Hoc postremo modo Isaacus Arama. Uterque autem observat, quod dicitur איש ואחיו *vir & frater ejus*, quod vulgò reddunt, *alter cum altero*, seu *unus contra alterum*, arguere sermonem esse de iis qui pares sint, ità ut neuter alterum persequi insectarive dici possit, nec sit vitæ periculum. Ezra quod hic legitur de amputanda manu accipi vult quomodo illud, *Oculum pro oculo*, &c. Exod. 21. 24. nisi videlicet mulier manum redemerit. In eadem sunt sententia Rasi & Bechai, quorum hic hanc esse veterum Cabbalam docet, שאין הענין אלא דמים, *istud non esse nisi de pretio intelligendum*, כי אינה ראויה לקציצת ידה כיון שלא עשתה כן אלא להציל את אישה מיד מכהו ומכל מקום ראויה היא לשלם דמי ידה כיון שהעיזה פניה ושלחה ידה להחזיק במקום הערוה, *Siquidem isthæc mulier indigna sit cui abscindatur manus, quia quicquid fecit, fecit mariti ab eo, abs quo pulsaretur, defendendi ergò. Nihilominus tamen digna est quæ pretium manus sua solvat, postquam adeò perfricuit frontem ut injectâ manu prehenderit verenda.* Baal Hatturim ità etiam censet, ac distinguit, & optimè quidem, si במזיד, i. e. *datâ operâ sciénsque*, ejusmodi mulier id fecerit, tum pœnâ teneri, sin minùs, ואם שגגה פטורה *ac imprudens fecerit, non teneri.*

Explicatur difficultas è Deut. 25.

IN Deuteronomii libro lex est, ut si fratrum eodem utentium contubernio unus decessisset absque liberis, defuncti uxor non migraret in aliam familiam, sed eam levir duceret in matrimonium; qui si hoc recusasset, illa judicibus palàm exponeret, nolle se levirum suum uxorem ducere: tunc autem levirum judices evocarent, cui, si rursum negaret velle se eam ducere, vestigio detraheret illa de pede è calceis alterum, ejúsque os publicè conspueret, seu in ejus ore ignominiæ ergò in terram, sic enim sentiunt Hebræi, exspueret. Describitur ea lex versibus sex in Deut. codice: *Quando habitaverint fratres simul, & unus ex eis absque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri, levir ejus ingredietur ad eam, & accipiet eam sibi in uxorem leviri jure: & primogenitum ex ea filium fratris sui defuncti nomine appellabit, ut non deleatur nomen ejus ex Israel. Sin autem noluerit accipere uxorem fratris sui, quæ ei lege debetur, perget mulier ad portam civitatis, & interpellabit majores natu* seu *Seniores* dicétque, *Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, nec me in conjugium sumere. Statímque accersiri eum facient Séniores urbis illius, & interrogabunt: si respónderit, Nolo eam uxorem accipere, accedet mulier ad eum coram Senioribus, & tollet calceamentum de pede ejus, spuétque in faciem* (seu *facie*) *illius, & dicet, Sic fiet homini* (*viro*) *qui non ædificaverit domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel, Domus discalceati.*

Quæritur quid ità jussa sit facere ista mulier, ac præsertim cur calceum leviro exuere. Respondet Bechai; טעם החליצה כי כל זמן שהיבם רוצה ליבם הנה הוא מקיים ורע לאחיו ונראה כאלו אחיו חי וכשאינו מיבם ואינו מקיים ורע לאחין נראה שאחיו מת וצריך הוא שיחאבל עליו ולכך היבמה תחלוץ המנעל שהוא סימן אבלות כאלו מחאבל על אחיו המת. Quorum verborum hæc ferme sententia est, neque enim nobis curæ fuit, neque necesse est verbum è verbo exprimere; *Ratio discalceationis, quia qui fratris defuncti uxorem ducit in matrimonium, suscitátque fratri sobolem, facit quod in se est ut frater videatur adhuc vivere: ast qui renuit fratris uxorem ducere fratríque suscitare sobolem, omnino facit ut verè tum frater habeatur pro mortuo, sicuti est; ac proinde necesse habet lugere: hacque causa, cur glos mariti defuncti fratri nolenti ipsam uxorem ducere calceum è pede detrahere lege juberetur, ut ille fratri verè tum mortuo debitum lessum persolveret: est enim discalceatio signum luctûs.* Abarbanel ejusmodi discalceationis quatuor causas affert, quarum hæc mihi magis probatur, institutum lege fuisse ut mulier quam levir mortuo fratre tenueret accipere uxorem, ei calceum publicè in Senatu exueret, quò extractione calcei, quod humile ac vile prorsus est officium, significaret nihil non obsequii illi exhibituram fuisse si se uxorem duxisset, omniáque officia præstituram, non secùs ac summo cuidam in terris principi, quasíque ipsa una inter infimas ancillas esset, non ut stultæ ac superbæ mulieres facere solent. Scilicet hoc lex instituerat, quò viro illi magis ægre fieret. Verùm tandem mulierẽ illam, quòd à leviro esset despecta, vicissim per contemptum & ignominiam os ejus conspuere lex volebat: sed ut ostenderet tamen se non tam sui, quæ fortasse alteri multò feliciùs esset nuptura, quàm honoris defuncti fratris gratiâ illius nuptias ambire, tum dicere eadẽ illa lex jubebat,

jubebat, *Sic fiet viro qui non ædificaverit domum fratris sui*, non autem, *qui non accepit talem in uxorem*: quasi nimirum hoc ipsa vellet, Non tam mei quàm ejus fratris, qui decessit absque liberis, solicita sum causâ. Ità nos ex Abarbanele ferme, qui censet etiam discalceatione forsan viro illi ignominiam factam. Alii Rabbinorum quæ hîc nugantur, non sunt nauci. Ego existimarem ritu illo extrahendi calcei nihil aliud quàm juris, quod ad ducendam fratris mortui uxorem leviro competebat, cessionem legem designare voluisse. Ut sic verò sentiam suadet vers. 7. c. 4. Ruth, *Hic autem erat mos antiquitus in Israel in redemptione & commutatione ad confirmandum quodvis negotium, solvebat homo calceamentum suum, & dabat proximo suo: hoc erat testimonium* (supple ex Latino *cessionis*) *in Israel*: ubi pro *calceamento* interpretatus est Chaldæus נרתק יד ימיניה *chirothecam manûs dextræ suæ*. Scio, ejúsque me admonet præsertim Ezra, aliud esse leviratum, aliud redemptionem, de qua Ruth cap. citato duntaxat agitur. At tandem calceus in redemptione signum erat cessionis. Quidni & in leviratu? Cur verò calcei potiùs quàm alterius instrumenti extractione juris cessionem designari lex voluerit non est facile conjicere, nisi quia nihil promptius fuit quàm calceum detrahere, nec satis honestum fuisset indusium aut femoralia exuere. Ità docet Ezra, qui ad caput Ruth notatum sic scribit, וטעם נעל בעבור שהוא נמצא תמיד ולא יתכן להסיר חלוק או מכנסים שלא ישאר ערום. Baal Hatturim pulcram dignámq; nugatore perpetuo excogitat causam, cur qui nollet suo fratri suscitare semen sobolémve lege exspuere teneretur in os sive in ore leviri, sicuti est dictum, dicetúrq; postea fortasse copiosiús. Sic ille habet, וירקה לפניו לפי שהרוק דומה לשכבת זרע כלומר שאינו חפץ להקים זרע, quæ profectò puderet vertere.

Spuétque in faciem illius, &c. Ibid.

LAtinus vertit *spuétque in faciem illius*: Græcus καὶ ἐμπτύσει εἰς τὸ πρόσωπον αὐτῆς quasi mulier leviri renuentis suo ipsius fratri nomen inter Israelitas suscitare os conspuere juberetur. Eam quoque legem ad eundem modum accepit Fl. Josephus, qui inter cætera καὶ πτύσασα αὐτῷ εἰς τὸ πρόσωπον ait, Antiq. Jud. l. 4. c. 8. Hebræus textus habet וירקה בפניו ער גבי קרקע, quæ ad verba breviter Rasi, suo more, *in superficiem soli*, ut sensus sit, spuet illa mulier in facie ejus, seu coram eo, in solum. Elias Mizrachi eodem modo accipi vult, sed addit præterea ופי' בפניו כנגד פניו לא בפניו ממש והא דלא כתיב לפניו עם למר' הוא משום דרוקה כנגד פניו חשוב כאילו ירקה בפניו ממש לא שטעו בין בית' ללמר' וחשבו שפירוש בפניו כמו לפניו. Quorum verborum hæc ferme sententia est, בפניו, *id est, coram eo, seu coram facie ejus, non in faciem ejus omnino. Ecce autem ideo non est scriptum* לפניו *cum Lamed, quod sonaret*, in facie ejus, *quia spuendo coram eo perinde haberetur ac si faciem ejus conspuisset omnino; non quia usurpatum sit* ב *pro* ל, *ac* בפניו *sit pro* לפניו. Ezra ad notata Sacri textûs verba scribit ad hunc modum; מפורש ברברי הקבלה שהוא כמו לפניו ודרך הפשט לפני חנעל כמן והיא כתובה פנים ואחור, *Explicatum est apud Cabbalistas, quòd illud est pro* לפניו, *i.* in facie illius. *Sensus autem literalis est, in facie calcei, seu coram calceo*: ità ut פנים *faciei* vocabulum usurpetur hîc *quemadmodum* (Ezech. 2. 10.) *& erat scriptum volumen* פנים ואחור *antè & retro*. Similia exempla passim reperire est, ubi *faciei* vocabulum tribuatur rebus inanimatis. Sic על פני האדמה *super faciem terræ*. Abarbanel בפניו explicat, בפני הנעל מהצד העליון לא מהצד התחתון אשר בו נוגע בארץ, *in faciem calcei, ex parte superiori, non inferiori, quâ terram tangit*. Addit, Postquam autem spuerit in calceum, *Sic*, inquiet, *fiet viro*, &c. perinde ac si diceret, Par est ut eodem probro afficiatur vir ille qui non ædificaverit domum fratris sui, quo ego hunc afficio calceum, ut scilicet os ejus conspuatur. Nescio an & quí in usu sit ritus, de quo agimus, apud Judæos: hoc scio certè, בפניו significare *in faciem ejus*: itáque interpretatus est Josephus, sicuti nobis observatum suprá.

Et sicut antè lætatus est Dominus super vos, bene vobis faciens, vósque multiplicans: sic lætabitur Dominus super vos, disperdens vos atque subvertens, &c. Deut. 28. 63.

UBi *lætabitur* Hebraicè est ישיש, vox fut. Hiphil, cùm שש præcesserit, quod verbum est præt. Kal, significátque *lætatus est*. Ad illud igitur sic, autore Isaaco Karo, habent veteres Hebræorum Doctores, ישוש לא נאמר אלא ישיש פי' שהבה" לא ישמח לעשות רעה אלא ישיש לאחרים, *Non* ישוש, i. *lætabitur, sed* ישיש, i. *lætari faciet*, (sic enim vertendum in illorum sententia) *ut sensus sit, Deum haud lætaturum faciendo malè, sed facturum ut alii lætentur*. Rasi verbum ישיש etiam activè accepit pro natura conjug. Hiphil: ità enim habet, כן ישיש יי" את אויביכם עליכם להאביד וגו', *Sic lætari faciet Dominus hostes vestros de vobis disperdens vos*, &c. Quem Rasi locum commentans Elias Mizrachi notat interpretatum Rasi ex Veterum, quos dixi, mente, sed non ad mentem Davidis Kimhi aliorúmque Grammaticorum, qui verbum ישיש volunt hoc loco esse intransitivum, etsi conjug. Hiphil, sicut & Esa. 66. 10. & Psal. 40. 17. ità autem accepisse Rasi, quia si fuisset verbum intransitivum, conveniebat hîc quoque scribi ישוש, sicut initio versûs, *Et sicut antè* שש *lætatus est*, ex Kal, לא שהיה מקצתו הדבור מבנין הקל ומקצתו מבנין הכבד, *non autem partim esse è conjug. Kal, partim è conjug. gravi*, seu Hiphil. Non malè profectò iste Elias Mizrachi. Atque hoc certè valet ad summam Dei Opt. Max. clementiam & φιλανθρωπίαν extollendam, qui ut lætetur hominibus faciendo bene, non tamen lætari potest iis faciendo malè, quamvis justé.

Mortuúsque est ibi Moyses servus Domini in terra Moab, jubente Domino, Deut. 34. 5.

QUid hoc, *jubente Domino*? Hebraicè על פי יהוה; Chaldaicè apud Onkelum, על מימרא דיי, i. *juxta sermonem, seu verbum Domini*; in Targum verò Hierosolymitano, על פום גזירת מימרא דיי, *juxta decretum Domini, seu verbi Domini*; Græcè διὰ ῥήματος Κυρίου. Nempe hoc significat Moysem non morbis aut doloribus nec senio confectum mortem obiisse, sed solo Dei, ceu Imperatoris, jussu de præsidio & statione vitæ decessisse. Huc verò pertinet, quod mox versu 7. dicitur, *Moyses centum & viginti annorum erat quando mortuus est: non caligavit oculus ejus, nec aufugit vires ejus*. Haud abs re huc quoque referunt Ezra & Bechai illud Dei ad Moysem paulò antequam debitum solveret, Deut. cap. 32. sub finem, *Ascende in montem istum Abarim*, &c. *Et mare in monte ad quem ascendis*, &c. Allegoricum est quod Rasi & alii docent, designari istis verbis, מיתת נשיקה השכליית מתעלה להדבק בשם הנכבד, *mortem oculi spiritalis elevantis se ad adhærendum Deo*. In horum sententia vertendum esset, *super os Domini*. Sed enim præterire non possum id quod habet Bechai ad illud *servus Domini*, לא נקרא עבד עד והנה בחייו קראו הכתוב בתחלת הפרשה איש האלהים ועכשו בסוף הפרשה אחר מיתו קראו עבד ה' מה שלא תמצא כן בכל חומשי התורה והענין למעלתו וגודל השנתו כי רגיל אצל אדניו ונכנס עמו בחדרי חדרים ומשמש לפניו תדיר ומפורש אמרו גדולים צקיצים במיתתן יותר מבחייהם וכן מצינו שהאדם אינו נקרא קדוש עד שמת והוא שכתוב לקדושים אשר בארץ המה ורול" דרשוהו על האבות שמתו שכן אמרו במדרש תלים אין הקדוש ברוך הוא קורא לצדיקים קדושים עד שניתנו בארץ לפי שיצר הרע נצר לאדם בעולם הזה ואין הקדוש בארוך הוא מאמין בו עד שמת ואפילו אבות העולם לא נקראו קדושים עד שניתנו בארץ עכ" וסוה תקנו

תקנו בתפלה וקדושים בכל יום יהללוך סלה ונשמת הצדיקים היא המהללת כענין כל הנשמה תהלל יה, *Non priùs vocatus est* servus Domini, *quàm vitâ cessâsset. Dum viveret certè, vocatus est* vir Dei, *initio hujus sectionis, nunc verò in fine ejusdem, postquam diem obiisset suum,* servus Domini *appellatur, quod nusquam aliàs factum in Pentateucho reperias. Quâ quidem appellatione summa ejus dignitas adeptique statûs excellentia designatur. Servus enim cum hero assiduò versatur, secretiora conclavia ingreditur, eique ad nutum semper præsto est. Liquidò dixerunt,* Majores sunt justi in morte quàm in vita. *Deinde invenimus hominem haud sanctum appellari donec naturæ concessit, juxta illud* (Psal. 16. 3.) SANCTIS QUI SUNT IN TERRA: *id quod Magistri exposuerunt de mortuis patribus. Sic enim aiunt in Midras* (seu *Allegorica expositione*) *Psalmorum, Ipsos justos non vocat Deus Opt. Max. sanctos, donec conditi in terra sint; siquidem mali fomes hominem, dum in iis terris degit, perpetuò obsidet: nec priùs Deus homini credit fidítve quàm mortem obierit. Quinetiam veteres illi Patriarchæ sancti non sunt appellati, donec sub terra fuerunt conditi. Hactenus illi. Indè est, quod in precibus est positum,* Et sancti quotidie laudabunt te, Sela. *Anima autem justorum ipsa est quæ laudat, juxta illud* (Psal. 150. 6.) OMNIS SPIRITUS LAUDET DOMINUM. Hactenus Bechai. Abarbanel illud Veterum Magistrorum in libro cui titulus Siphre, משה לא מת אלא עומד ומשמש ברקיע, *Moyses non mortuus est, sed stat ministrátque in firmamento,* citans, eos ait hoc dicto voluisse significare, שלא היה מיתתו הערר ולא חסרון חי אם שלמות גדול אצלו לפי שבהויתו בגוף לא היה יכול לשמש ליוצרו בעולם הנשמות אמנם בהפרד נפשו מגופו עלה לשמש למרום ולכן נקרא או עבר יי" בבחינת שכר העולם הבא שקנה כעבד נאמן, *mortem ejus non fuisse privationem & defectum, at magnam perfectionem: siquidem dum esset in corpore, non potuerit ministrare creatori in mundo animarum,* i. ubi degunt animæ beatæ; *verùm separatâ animâ à corpore, ascenderit ad ministrandum Excelso: ac propterea tunc vocatus est* servus Domini *rationem mercedis seculi venturi, quam acquisivit tanquam servus fidelis.* Breviùs ac meliùs, ut puto, Ezra; *servus Domini,* שאפילו במותו עשה מה שצוהו כעבד, *Quia etiam moriens fecit quod jussus erat, non secùs ac servus:* dixerat quippe illi Deus, *Ascende & morere,* quemadmodum antea observatum. Quærunt ex Hebræis multi, quomodo Moyses, per cujus manum Lex data est, רבן של נביאים *Magister,* & princeps *Prophetarum,* qui familiariter cum Deo egerat ut cum amico, scribatur mortem obiisse: Nam si quisquam alius, inquiunt, immortalitate dignus fuit, is certè fuit cui *similis non surrexit ultrà propheta in Israel, quem nosset Dominus facie ad faciem,* ut est hujus cap. versu 10. cujus nomen משה, inversum est השם, i. *Deus,* juxtà illud Exod. 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaoni:* [Abrah. Seba in fasciculo Myrrhæ] cujus nominis tres literæ, ceu compendium scribendi aliquod, totidem voces signant, מטטרון שר הנגדול, i. *Mittatron* (nomen esse aiunt primarii Angeli, idem Gematricè sive Arithmeticè cum שדי Dei præpotentis nomine, juxta illud Exod. 23. 21. *est enim nomen meum in medio ejus Mittatron,* inquam) *princeps magnus*; [Elias Levita in Thesbite] hæc enim & similia nimis subtiliter profectò, sed tamen piè, de Moyse honoris ergò Rabbini excogitant. Ac si, inquiunt, aliqui quàm Moyses longè inferiore in dignitatis meritíque gradu mortis expertes fuerunt, vivúntque adhuc, ut Enochus & Elias, (hunc enim ex 2 Reg. 2. 11. constat igneo curru igneis equis juncto per turbinem raptum in cœlum; illum verò Sacer textus Gen. 5. 24. ait non comparuisse ampliùs à Deo sublatum) quidni & Moyses? Respondet Bechai, אבל העניין לומר כי לפי שחטא במי מריבה נענש במיתה והיה בכלל גורת אדם שכן חנוך ואליהו שלא חטאו לא היו בכלל גורת אדם והם חיים חיים נצחיים, *Sed dicendum quòd peccasset in aquis jurgii* (seu *contradictionis*) ut est Num. 20. 12. & Deut. 32. in calce, *idcirco morti fuisse additum, comprehensúmq; edicto illo moriendi in homines lato: non enim sic Enochus & Elias, qui nunquam peccarant, edicto illi fuerunt obnoxii, sed vivunt æternam vitam.* Respondeo ego, Quòd mortuus sit Moyses, hi verò non, non indè effici Moysen minorem illis inferiorémve esse. Namque si illi à morte immunes adhuc fuerunt, id factum certo Dei consilio est, in quod velle penetrare impiæ temeritatis esset: nec quid illis futurum tandem sit conjicere, nedum certò scire, quisquam potest. Probabile certè naturæ debitum aliquando soluturos, ad quod tenentur omnes qui nati sunt, בגזירת מלך מכח הגזירה הראשונה של אדם הראשון, *ex edicto regio, vi prioris edicti lati in primum hominem,* propter peccatum videlicet. Atque hoc fortasse est, quod hìc dicitur, diem suum obiisse Moysen *juxta os* (seu *verbum*) *Domini.* Negat Fl. Josephus Antiq. Jud. l. 4. c. 8. mortuum unquam Moysem, sed cùm post mutuos complexus Eleazaro ac Jesu ultimum vale diceret, inter loquendum repentinâ nube circumdatum in vallem quandam esse ablatum. *In sacris voluminibus,* inquit, *scripsit se mortuum, veritus nè propter excellentem ejus virtutem à Deo raptum prædicarent.* Hoc quidem est contra apertum Scripturæ textum. Neque verò non è Rabbinis sunt, Mysticis præsertim, uti jam paulò antè subindicatum, qui Angelum non hominem mortalémve fuisse Moysen saltem conjiciunt; quòd dictum sit Num. 20. 16. *misítque Angelum, qui éduxit nos ex Ægypto.* In fasciculo Myrrhæ ad h. l. Suam autem illi sententiam ex eo potissimùm confirmant quòd Deut. 34. 7. scribatur decessisse Moyses 120 annos natus, cùm neque oculis caligaret, neque viriditatem amisisset. Etenim, inquiunt, homo si fuit, virium dispendia aliáque senectutis incommoda, quæ cæteri mortales experiuntur, sentire debuit. Deinde addunt id quod ipse dicebat Deut. 31. 2. *Centum viginti annorum sum hodie, non possum ultrà egredi & ingredi, cùm Dominus dixerit mihi,* &c. Hoc enim, aiunt, perinde est ac si dixisset; שאם לא בשביל מאמרו וגזרתו ככהי או כחי עתה, *Absque enim ejus verbo decretóque esset, idem nunc mihi robur esset atque olim.* Eodèm etiam pertinere volunt quod dicitur Deut. 34. 8. *Fleverúntque filii Israel Moysen triginta diebus.* Nam sanè, inquiunt, non fleverunt eum pro mortuo, sed quòd non compareret ampliùs. Si enim pro mortuo habuissent, non sat iis fuisset triginta eum diebus lugere, qui Jacobum diebus septuaginta luxissent: sed æternum tam qui eâ memoriâ vivebant quàm illorum nepotes ac posteri in hanc usque diem lessum tanto viro facere debuissent. Cur igitur, aiunt, scripsit se mortuum? Respondent, ut qui saltem specie tenus homo fuerat, sensuúmque officio juxtà atque homines cæteri usus erat, more hominum è vita etiam migrasse, communíque mortalium fato functus, crederetur: essétque quod iis responderetur qui de sancti ac pii alicujus viri morte queri aliquando possent. Hæc sunt argumenta quibus nihil aliud quàm suam in sapientissimum ducem atque eximium Prophetam pietatem, sed profectò stultam nimiúmque ineptam, probant. Quàm inania ac frivola sint, nihil attinet admonere; cùm nemo per se id non satis videat.

VARIA SACRA

EX SAMUELE ET CHRONIC.

Filius anni erat Saul cùm regnavit (seu *postquam regnaret*) *duobus autem annis regnavit super Israel. Et elegit sibi Saul tria millia de Israel*, &c. 1 Sam. 13. initio.

DUO hic valde à ratione aliena dici videntur. Unum, quòd Saul annum solummodo natus (id enim primâ fronte videtur sonare hoc, *Filius anni erat Saul cùm regnavit*) regnum inierit; alterum, quòd biennium regnarit duntaxat, qui tot res, tot bella gessisse legitur. Adde quòd statim atque ab Samuele inunctus est, regnum adiit, uti è contextu historiæ constat.

Hebræi veteres, testibus Rasi & Kimhi, *Filius anni* interpretantur כבן שנה שלא טעם טעם חטא, *Sicut filius anni, qui non gustavit gustum peccati.* Sic quoque Jonathan Chaldæus, כבר שנא דליח ביה חוביז כן שאול כד מלך, *Sicut filius anni in quo non sunt peccata, ità Saul quando regnavit.* Observat præterea Kimhi hoc ex Deras, seu Allegorica expositione, *Cùm enim regnavit, condonatæ sunt iniquitates ejus ad illum usque diem. Ac dicere soliti sunt, Tres sunt quibus condonantur iniquitates, Sponsus, Sapiens, Princeps. Princeps, unde? Quia scriptum est*, Filius anni erat Saul cùm regnavit. וכי בן שנה היה אלא מה תינוק בן יומו נקי שעון כך היה שאול במלכו נקי מעונותיו ביום מלך. *Quî verò* filius anni *fuit? Sicut lactens unius diei expers est peccati, ità fuit Saul, quo die occepit regnare, expers peccatorum.* Ipse Kimhi exponit, *Filius anni erat Saul, cùm regnavit ipse*, sic, inquam, exponit: Tunc cùm contigerunt eâ quæ refert Samuel de innovatione seu confirmatione regni Saulis, annus præterierat ab initio regni illius: duobus autem annis regnavit postea, aut inter ista omnia non regnavit nisi duobus annis, secundùm sententiam Autoris Seder Olam, i. Chronici. Rasi putat hæc verba, 1 Sam. 11. 14. *Filius anni erat Saul, cùm*, sive *postquam, regnaret*, sive *in regno suo*, במלכו hunc in modum esse accipienda, Anno primo quo Rex inauguratus est, ipse autem annis duobus Israelitis imperavit; anno, inquam, primo statim *Elegit sibi Saul tria millia*, &c. Verùm hi non satisfaciunt. Nam rursum quæro, Quî intra bienniũ tot res quas gessisse legitur perficere potuit Saul? Meliùs igitur, meo judicio, Ralbag, qui hujus quidem loci hanc veram sententiam esse vult, ex quo Saul inunctus à Samuele Rex fuisset, ad illud tempus quo tempore à populo Galgalis regiâ ei potestate renovatâ ac confirmatâ regnum adiit, annum intercessisse; postquam autem biennio regnasset, contigisse quæ postea recitantur, nempe delegisse Saulem tria Israelitarum millia, & cætera, quæ scribuntur notato capite. Ad hujus ergò mentem, *Filius anni erat Saul cùm regnavit*, i. jam annus illi elapsus fuerat ab inunctione, quando regnum iniit, regiâ ei potestate Galgalis à populo confirmatâ, ut est 1 Sam. 11. in fine. Vox *filii* quot Hebraismos faciat, in promptu est omnibus qui vel leviter Hebræas literas norunt. Sanè verò satis commoda hæc interpretatio est, nec implicata. Sed ecce tibi denique Rabbenu, sive *Magister noster*, Esaias, qui ad hunc versum sic ferme scribit: *Filius anni erat Saul, cùm* seu *postquam regnaret*, i. primo regni sui anno delegit sibi tria millia virorum: (refert nimirum hæc verba ad mox subsequentem versum) *duobus autem annis regnavit*, &c. Itáne dici potest, cùm scriptum sit (1 Sam. 14. 47.) *Et Saul confirmato regno super Israel, pugnavit per circuitum adversùm omnes inimicos ejus, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & Reges Seba, & Philistæos: & quocunquè se verteret, superabat?* Quando igitur tot bella gessit? Quando persecutus est Davidem, cùm hic vel in Philistæorum regione annum egerit mensésque quatuor? הלכ" יש לפרש ששתי שנים עד שנמשח דוד שמשעה שנמשח דוד כאלו בשלה מלכותו ומה שמלך לאחר כן מלכותא בלא חגא הוא, *Explicandum est duos illos annos numerari ad illud tempus quando clàm ab Samuele inunctus est David: ab illa enim hora quâ inunctus est David, perinde fuit ac si desiisset ejus regnum: totóque illo tempore quo exinde regnavit, regnum absque corona fuit.* Nec malè hic profectó.

Difficultas è 2 Sam. 5. explicata.

PAlæstini semel jam à Davide in valle Raphaim, sive Gigantum, devicti, cùm iterum coactis copiis inibi convenissent, legitur David consuluisse Dominum, abs quo jussus est non statim congredi cum hoste, sed insequi à tergo, ad cúmque, quà mori in frontem pæbant, adire, nec priùs ad pugnam exercitum educere quàm in mororum cacumine gressuum sonitum audisset. Tum demum enim ei, non antè, ad concidenda Palæstinorum castra sese præiturum pollicebatur Deus. Id quod observatum feliciter Davidi successit, hostibus à Gabaa ad Gezer usque longè lacéque fusis. Hæc historia describitur 2 Sam. 5. in calce, his ferme verbis comm. 22, 23, 24, 25.

Et addiderunt adhuc Philisthiim ut ascenderent, & diffusi sunt in valle Raphaim. Consuluit autem David Dominum, qui respondit, Non ascendas, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex adverso mororum. Et cùm audieris sonitum gressûs in cacumine mororum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, ut percutiat castra Philisthiim. Fecit itaque David sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philistiim de Gabaa, usque dum venias Gezer.

Quæritur quid & quorsum id omne. Nónne enim potuit Deus citò & uno momento hostes conficere? Quid opus fuit tam longo circuitu? Ralbag ait respondisse Deum Davidi, nè copias in hostes educeret nisi callidè & astutè, ac sic ut non præsentiscerent illarum adventum. Idcirco jussisse Deum ut ab eorum tergo circuiret, viâ quæ è regione quarundam mororum esset, quæ sunt scilicet arbores densarum frondium, ideóque adventantium copiarum aspectum hostibus facilè possent eripere. Voluisse etiam ut inibi præstolarentur copiæ, dum ventus ità perflaret mororum cacumina, ut ceu gradientium sonitus in iis exaudiretur, quò Philisthæi incedentium Davidis copiarum sonitum commotarum mororum sonitum esse existimantes, minimè sibi caverent, sícque subitò opprimerentur. Subjicit autem mox Abarbanel existimare se ità jussisse Deum, quòd videret actum esse de Davidis copiis, prout res erant, nisi id artis ac stratagematis adhiberetur. Quamvis enim nullo negotio Deus, si uti miraculo voluisset, Philisthæos debellare potuisset, non tamen, nisi ubi urget necessitas, edere illum miracula. אף על פי, inquit in Documentis, התועלות vocat, שהשי" שליט בכל אשר יחפוץ הנה יבקש במה שיעשהו הסבות

הסבות הנאותות כשאפשר לו וה ולא יחדש המיפתים אם לא כשיביא לוה הכרח. Quorum verborum hæc ferme ſententia, *Etſi poteſt Deus quæcunque vult, tamen quidquid agit, cauſas idoneas, quantum fieri poteſt, adhibet, nec, niſi cùm neceſſitas cogit, edit miracula.* Non malè hic profectò. Raſi, Kimhi, Eſaias & alii cenſent ſonitu in mororum cacumine voluiſſe Deum Iſraelitis priùs quàm pugnam inirent animos addere, eóſque admonere miſſos Angelos qui Philiſtæos cæderent. Quo ſenſu Baraco aiebat Debora, Jud. 4. 14. *Surge, hæc eſt enim dies quâ tradidit Dominus Siſaram in manus tuas: nónne Dominus egreſſus eſt ante te?* Húcque pertinet quod hîc dicitur, *quia tunc egredietur Dominus* (Jonathani *Angelus Domini*) *ante faciem tuam, ut percutiat caſtra Philiſthiim.* R. Eſaias quidem ad hæc verba, *Et cùm audieris ſonitum greſſûs in cacumine mororum* (Jonathani *arborum*) &c. ſic habet, כשת שמע קול הצעדה שם תדע כי הם המלאכים שאני שולח לעזרתך, *Cùm audieris illic ſonitum inceſſûs, ſcito eſſe Angelos quos ego miſerim in tuam opem.* Sed cur antè circuire voluit Deus Iſraelitas quàm hoſtes adorirentur? Reſpondet Kimhi, כי לא הגיע עדיין עת הישועה *Quòd nondum advenisſet tempus ſalutis.* Interea igitur voluit Deus Iſraelitas circuire abs tergo hoſtium, hóſque adoriri quà in frontem patebant mori, ſed non antè quàm ſonitus auditus eſſet in mororum cacumine. Sic quoque Ralbag, qui in Documentis ſcribit, ואפשר גם כן שתחובר בזה הענין סברה אחרת והיה כי אולי או יגיע עת תמוט בו רגלם כי השי"ת נמצאהו גם כן שימתין לפעמים כאומרו לי נקם ושלם לעת תמוט רגלם ואמר וגם רשע ליום רעה, *Fieri poteſt ut ſimul etiam hujus rei alia cauſa ſit,* (præter iſtam ſcilicet quæ paulò antè ex illo obſervata eſt) *nempe hæc, quòd tunc eorum,* ſcilicet Palæſtinorum, *ruina ac ſubverſionis tempus futurum eſſet,* non antè: *comperimus ſiquidem Deum tempora ac momenta exſpectare, ſicuti ipſe dicit* (Exod. 32.35.) *Mea eſt ultio & retributio, tempore quo labetur pes eorum,* &c. *Accedit illud* (Prov. 16. 4.) *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus: impium quoque ad diem malum.*

Loci duo, unus è libro Samuelis 2 cap. 5. alter è 1 Paral. 3. conciliantur.

IN libro 2 Sam. c. 5. v. 14, 15, 16. recenſentur Davidis filii undecim nati Hieroſolymæ, nempe Samna, Sobab, Nathan, Salomon, Jebahar, Eliſua, Nepheg, Japhia, Eliſama, Eliada, & Eliphelet: at 1 Paral. ſive Chron. 3. v. 5, 6, 7, 8. tredecim numerantur, nempe Simmaa, (paululùm hujus immutato nomine, ut pro ratione & temporum & locorum proclive eſt corrumpi nomina propria) Sobab, Nathan, Salomon, Jebahar, Eliſama, (hic in lib. Sam. & 1 Chron. 14. 7. vocatur Eliſua) Eliphelet, Noge, Nepheg, Japhia, Eliſama, Eliada, & Eliphelet.

Unde hæc diverſitas, & cur Eliphelet bis nominatur in Chronicon libro, ſemel verò duntaxat in Samuelis? Item cur ſiletur Noge in libro Samuelis? Reſpondet Kimhi in Samuelis libro priorem Eliphelet non recenſeri, neque Nogem, quòd אולי לא היו בחיים או *fortè tunc non eſſent in vivis*, mortémque oppetiiſſent: in libro verò Chronicon numerari licèt non eſſent in vivis, quòd autori hujus libri propoſitum fuerit recenſere Davidis filios omnes Hieroſolymæ natos: hîncque eſſe quòd recenſioni iſti mox ſubjiciat comm. 9. *Omnes hi ſunt filii David.* Neque verò Chronicon autorem nominare Eliphelet ſecundum, quòd tunc fortè prior vitâ ceſſiſſet, cùm ſecundus eo nomine appellatus eſt. Ità ferme Kimhi ad locum Chronicon notatum. Eodem etiam modo ad locum Samuelis; אפשר כי שנים אלו מתו בלא זכר לפיכך לא וכר אותם, *Fieri*, inquit, *poteſt ut hi duo*, Eliphelet & Noge, *obiiſſent abſq; memoria*, h. e. nullâ re præclarè geſtâ, nullis relictis liberis: *eamobrem nulla illorum mentio hîc facta.* Item annotat ibidem Kimhi priorem Eliſamam in Chronicon libro eundem eſſe qui in Sam. codice vocatur *Eliſua.* Qui cùm apud Samuelem loco citato, tum 1 Chron. 3. 8. vocatur *Eliada*, idem 1 Chronic. 14. 7. vocatur *Baal-jada.* Prior Eliphelet 1 Chron. 14. 5. nominatur אלישלט, aliàs אליפלט. Iſta nominum diverſitas nihil nos movere debet, neque hîc, neque alibi, qui ſciamus qui vulgò Clodoveus Rex dictus eſt eundem Luduinum & Ludovicum apud Caſſiodorum lib. 2. & 3. Epiſt. in 1, 2. & 3, & 4. epiſtolis, necnon Hludovicum apud Hincmarum in 3. epiſt. excuſa Moguntiæ appellari. Infinita propemodum exempla hujus rei afferre poſſem. Verùm, ut eò unde egreſſus eſt revertatur ſermo, non eſt mehercule, ut mihi quidem videtur, inepta illa conciliandi ratio quam è Kimhi obſervavimus. Quamlibet potiùs propoſitæ in parallelis textibus differentiæ cauſam ſuſpicari velim quàm libellionum vitium aut incogitantiam. Quid enim? Si ab aliquo primorum librariorum in Chronicon libro deſcribendo illic, ut ſibi nonnemo perſuadet, peccatum eſſet, additis perperàm duobus nominibus, Eliphelet & Noge, an neceſſe erit idcirco ab omnibus peccari? An unius peccatum, ceu peſtem quandam, alia exemplaria, quæ jam deſcripta erant ac deſcribenda erant, inficere oportuit? Sed dices fortaſſe, Unus quiſpiam ex αὐτογράφῳ malè deſcripſit, unde poſtea ad omnes alios ſerpſit malum. Itáne unus deſcripſit? Unius ergò hoc fuit ſingulare privilegium? Non mihi profectò fit veriſimile. At ſi illud uni tantùm licuit, is debuerat ſanè plus diligentiæ & accurationis adhibere, exſcriptúmque à ſe codicem, ut facere ſolent paulò qui diligentiores ſunt, ad archetypi fidem exigendo corrigere. Itáne porrò rudes & indiligentes Hebræi veteres fuere, ut illam locorum diſcrepantiam non deprehenderint, ac deprehenſam ex fide archetypi non correxerint? Nemo, opinor, mihi negabit conceſſum fuiſſe omnibus, ubi ſuſpectus falſi quiſpiam eſſet locus, conſulere archetypon: nec tanquam in adytum uni ſoli ac ſemel in anno ad illud patebat aditus. Deinde verò ex archetypo plurima exempla fuiſſe exſcripta omnino probabile eſt. At vix ac nè vix quidem credibile ſimul omnia & iiſdem in locis fuiſſe vitiata. Verùm fac nihil iſtorum eſſe, certè 1 Chron. 14. quod itidem tredecim Davidis filios Hieroſolymæ natos eodem ordine atque iiſdem ferme nominibus recenſet, probat librariorum peccatum non eſſe quòd Eliphelet bis numeretur ac ſemel Noge: alioquin bis idem peccatum, ac ſatis quidem grave, per incogitantiam peccaſſent librarii, quod abſurdum videtur cogitare. Accedit quòd 1 Chron. 3. nominibus priorum quatuor è Bath-ſua (ea eſt quæ alibi *Beth-ſabee* vocatur) ſuſceptorum adduntur hæc verba, *quatuor de Bath-ſua*, &c. aliorum verò ex aliis uxoribus hæc vox *novem*. Unde liquidò patet nihil eſſe perperàm additum hîc à libellionibus: alioquin numerus novem non conſtaret. Agnoſceret forſitan aliquis leves quoſdam eſſe errores, qui, ut fit, è præcipuo quopiam exemplari, in hodierna omnia fluxerint derivatíque ſint: ſed ut quicquid non intelligitur vitioſum ſtatim & contaminatum exiſtimetur, aſſentiri non poſſum. Si quibuſlibet conjecturis in reſtituendo Hebræo textu locus ſit, valde verear nè pro Divina Scriptura humana tandem nobis obtrudatur.

Cúmque tranſcendiſſent (ſeu *progreſſi eſſent*) *qui portabant Arcam Domini ſex paſſus, immolabat bovem & arietem* (ſeu *bubalum,*) &c. 2 Sam. 6. 13.

POſtquam David Rex Obed-edomi res omnes Divinitus mirum in modum auctas atque amplificatas eſſe accepiſſet, ex quo videlicet ſacroſancta Dei Omnipotentis

Arca in ejus ædes fuisset invecta (tres autem menses duntaxat ibi erat) statim profectus illinc ad se Arcam lætus transfert, 1 Paral. 15. 15. Sed cùm qui Arcam in humeris portabant, Levitæ senos passus processissent, boves opimósque arietes mactasse, totísque viribus, lineo amictum ephodo, ante Dominum, Domini Arcam scilicet, saltasse, tum quidem in illa pompa Davidem meminit Sacer textus his ferè verbis, *Cúmque transcendissent* (seu *progressi essent*) *qui portabant Arcam Domini sex passus, immolabat* David *bovem & arietem* (seu *bubalum.*) *David autem saltabat totis viribus ante Dominum: porrò David erat accinctus Ephod lineo.*

Quæri non immeritò possit, cur, postquam senos passus promovissent qui Arcam ferebant, non item antè, boves aliáque generis ejusdem mactavit David. D. Kimhi ad hæc verba, *sex passus, immolabat bovem & arietem*, sic habet, *In libro Paralip. 1. cap. 15.* (ubi hæc eadem copiosiùs retexitur historia) *scriptum est*, Cúmque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant Arcam fœderis Domini, immolabant septem boves & septem arietes. *Cùm processissent, qui portabant Arcam, senos passus, cognoverunt se à Deo adjuvari in ferendâ Arca: Siquidem non corruissent, sicuti corruerat Oza. Quod autem senos passus attinet, hac videtur esse causa, quòd circiter illud spatium processisset Oza cùm percussus à Deo est, quòd* boum exorbitatione nutanti *Arcæ manum admovisset. Postquam igitur viderunt qui Arcam ferebant, sex passus sese progressos, neque sibi mali quicquam adhuc accidisse, ibi lati, depositâ Arcâ, obtulere sacrificia.* Ità ferme laudatus Kimhi. Quid per ששה צעדים porrò, quod vulgò *sex passus* reddunt, sit intelligendum, non satis explicat. Certè enim, cùm Oza percussus est, apparet ex historiæ contextu, 2 Sam. 6. longius Arcam confecisse spatium quàm sex passuum, quo modo vulgò passus accipi solent. Chaldæus igitur שתא זוגין *sex jugera* interpretatur.

Item quæritur quod qualéve ephod illud lineum fuerit quod induit David celebrandæ ejus pompæ gratiâ.

Sibi videri ait Kimhi genus vestis ephod illud fuisse, quod honoris ergò induerent; quò pertinere vult illud 2 Sam. 22. 18. *Interfecitq; die illâ octoginta quinq; viros vestitos ephod lineo.* Non fuit, inquit, vestis sacerdotalis: ideóque eam induere quisq; potuit etsi non esset Sacerdos. Chaldæus interpretatur ודוד אסיר כרדוט דבוץ, *David autem erat accinctus pallio byssino.* Rasi quoque *Ephod lineum* exponit מעיל בוץ *pallium byssinum.* Rabbenu Esaias horum verborum, *porrò David erat accinctus Ephod lineo*, istam mentem esse vult; Non fuit indutus more regum, sed ephod lineo, non secùs atque unus aliquis sacerdotum coram Arca ministrantium.

Loci duo, unus è 2 Sam. 23. alter è 1 Chron. 2. conciliantur.

IN lib. 2 Sam. cap. 23. 11, 12. Samma Ages filius, Hararita, unus è Davidis fortissimis ducibus, cùm à Palæstinis, qui quendam ad pagum convenerant, in fugam versi Israelitæ cæteri essent, ipse dicitur constitisse in medio cujusdam agri lentibus pleni, eúmque fortiter & animosè defendisse, cæsísque Palæstinis ingentem victoriam Dei munere reportasse. Sed eadem historia 1 Chron. 11. 12, 13, 14. his ferme verbis describitur, *Et post eum Eleazar filius Dodo, Ahohites: ipse inter tres potentes. Iste fuit cum David in Phas-dammim, ubi Philistiim congregati erant in prælium: eratque portio* (seu *possessio*) *agri plena hordeo, & fugerat populus à facie Philistinorum. Et constiterunt in medio agri & defenderunt eum, & percusserunt Philistæos, & dedit Dominus salutem magnam populo suo.*

Ex his difficultas oritur, cur in loco Sam. notato Sammæ, in Chronicis verò Eleazaro adscribatur victoria. Kimhi hoc duntaxat, *ipse inter tres potentes*, de Eleazaro dici vult, cæteras autem ejus virtutes fileri: quod autem sequitur, *Iste fuit cum David in Phas-dammim*, &c. non de Eleazaro, sed de Samma esse accipiendum: dici autem, *Iste*, non *Samma*, quia posteaquam mox mentio facta est fortium seu potentum trium, Sammam autem constat esse tertium, perinde est ac si Samma dicatur nominatim. Addit Kimhi, fieri posse ut etiam unà cum Samma fuerit Eleazar, siquidem dicatur in Chronicis, *Et constiterunt*, nempe Eleazar & Samma, *in medio agri, & defenderunt eum*, &c. (Vulg. hîc habet, *ii steterunt*, &c.) אבל שמה עקר אותה החלחמה, *verùm Sammam præcipuam laudem tulisse in isto conflictu*; sicuti deinde quæritur, Cur in Sam. libro lentibus ager ille plenus dicatur fuisse, in Chronicis verò hordeo.

Respondet Kimhi, fieri posse ut in agrum illum jam demessum undeunde vicinis ex agris comportati fuissent manipuli cùm lenticularum tum hordei: indéque esse quòd uno in loco lentium, in altero hordei plenus dicatur fuisse. Ità ferme Kimhi ad utrumque locum. Cave dicas utrisque simul, hordeo & lente, consitum fuisse illum agrum. Namque Lex vetabat diversis permixtísque seminibus eundem agrum conseri, Levit. 19. 19. nisi excipias, peramplum fortasse fuisse illum fundum ubi plurima adeò variorúmque generum sata fuissent semina. In hac sententia fuit Rasi, qui ad hoc, *plenus hordeo*, voluisse Philisthæos annotat demetere aut exurere illum agrum. Ergò credidit nondum fuisse demessum.

VARIA SACRA
EX LIBRO JUDIC.

Quibus respondit olea, Nũquid possum deserere pinguedinem meã, quâ per me honorificant Deũ & homines? &c. Jud. 9. *Quibus respondit vitis, Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines?* &c. Ibid. ver. 13.

VITA functo Gedeone, eximio Hebræorum duce, Abimelechus ejus è concubina filius, patri longè dissimilis, legitimis fratribus numero ad Lxx. interfectis, tyrannidem occupavit. Solus Jothamus fratrum natu minimus citò & cautè latendo evasit, cui cùm de Abimelechi tyrannide esset nunciatum, evestigio consenso Garizeo monte, ipse stans in vertice, sublatâ voce Sichemitarum principes, qui Abimelecho maximè navarant operam, inclamat, ac nescio quo arborum inter se apologo, quænam arborum potissimùm cæteris imperitaret, disceptantium, excipit, apologo, inquam, in re præsenti acutè & commodè conficto, ut quàm inconsultè fecissent, Abimelechum regem creando, per fabulam, verè tamen, admoneret. Eo in apologo alias inter arbores olea & vitis loquentes inducuntur: ac illa quidem detrectatâ

tractatâ quæ sibi deferebatur imperandi potestate, inducitur loquens his verbis, *Numquid possum deserere pinguedinem meam, quâ per me honorificant Deum & homines, & vadam ut super arbores promovear?* hæc verò ad istum modum, *Numquid possum deserere vinum* (seu *mustum*) *meum, quod lætificat Deum & homines, & vadam ut super arbores promoveat?*

Quæritur quid illud sit quod Olea ait, per ipsam Deum honore affici: quid autem quod Vitis, vino Deum recreari? Nam neque illa ad Dei honorem neque hæc ad ejusdem oblectationem ullo pacto videtur pertinere.

Levi Ben Gersom verbo difficultatem expedit; החדלתי ארז דשני אשר בי יכבדו אלהים ואנשים אמר זה כי מהשמן היוצא ממנו היו מדליקין במקדש את המנורת ואמר על היין המשמח אלהים ואנשים בעבור נסוך היין שהיה במקדש, *Numquid possum deserere pinguedinem meam, quâ per me honore afficiunt Deum & homines? Hoc ait, quia oleo, quod ex olea profluit, accendebatúrque candelabrum in Sanctuario* divini honoris ergò. *De vino autem inquit*, quod lætificat Deum & homines, *propter libamentum vini, quod fiebat in Sanctuario.* Kimhi quod de olea dicitur, de lucerna vult accipi, quæ accendatur oleo olivæ coram Deo & hominibus: aut de oleo quod ad מנחות certa quæ Deo offerrentur adhibebatur. Illud autem de vino, *lætificat Deum*, &c. ex Jonathane, Paraphraste Chaldæo, explicat, qui interpretatur, "והא חמרי דמניה מנסכין קדם יי האשבוק ית ובזה חדו רבריא וכו, *Num deseram vinum meum, de quo libant coram Domino, & per quod lætantur magnates*, &c. ac circa hanc interpretationem quidem istud observat notatu dignum, pro *hominibus* reddidisse Jonathanem *magnates*, ad significandum, vino quidem recreari magnatum animos, atque ad hilaritatem converti, juxta illud vetus dictum, חמרא וריחני פקחין, *Vinum & odorata aperiunt*, cor ac mentem scilicet: eodem verò plebeiorum atque abjectorum hominum, qui totos dies potant miserè se ingurgitantes, capita mentésque obrui. Rasi dicit vinum lætificare Deum notat, שאין אומרים הלוים שיר הקרבן אלא על הנסכים, *Quòd non dicerent Levitæ canticum oblationis, nisi super libamina:* vino autem constabant libamina. Rem ego in pauca confero & concludo, per oleam dici Deum & homines honore affici, quòd oleum ad sacrificia & lucernas, ad unctionem Regum, Sacerdotum & Prophetarum, ac denique humanorum corporum adhiberetur: ex eo etiam fortasse, ut quod esset in Palæstina optimum, munera principibus adornarentur: vino autem Deum recreari in libaminibus, fortè quòd, ut sentiunt Hebræi, móxque è Rasi observatum, super iis tantummodo ederetur canticum.

NOTÆ & OBSERVATIONES

In loca aliquot S. Scripturæ

Per JOH. GREGORIUM.

Ex ANGLICANO idiomate in LATINUM trad.

Per RICHARDUM STOKES.

Reverendissimo in Deo Patri

BRIANO

D. Episc. Sarisburiensi, Illustrissimo CAROLO Walliæ Principi

Nobilissimóque JACOBO Eboraci Duci

à Studiis,

Honoratissimo Domino meo ac Patrono.

Reverendissime in Deo Pater,

SAepissime me provocavit Dominatio Vestra ut in publicum prodirem, & ostenderem populo transgressiones suas, & domui Jacob peccata sua. Fateor equidem me Dominationi tuæ adeò devinctum, ut post conscientiam meam Tibi necesse sit ut satisfaciam. Verùm degenerem intractabilémque populum ut irritarem, neq; Tu velis, ego certè nolim. Non dico, *Non sum eloquens, mitte quem missurus es:* cùm fuero revera ad hæc idoneus, non dubito illum *fore cum ore meo.* Nunquam gravior loquendi causa fuit quàm nunc est, cùm quicquid mali alia secula cogitabant tantùm, jam leges ipsæ jubent, dum *muti asini* docentur *prohibere Prophetarum insipientiam. Messis quidem* proculdubio *multa, operarii autem* haud *pauci.* Et si dum tot se ad reliquas ædificii partes ornandas,

cum laude applicant, unus aliquis ea quæ ad fundamenta pertinent curat, certè tolerandus esse videatur. Spes eorum omnium quæ superædificantur ipsius fundamenti stabilitati innititur. Concedo libens illos *columnas* esse: sed scio hunc esse *lapidem angularem*, eúmque nimis ab *ædificantibus reprobatum*. Si Ecclesia *Arca* sit, ille cui pyxidis cura commissa est, licèt loco se non moveat, non minùs utilis est quàm reliqui qui maximum in nave strepitum cient. Similitudo arrogantiâ vacat, quia quid velimus intelligitur, non quid præstiterimus. Quod hîc suscepimus & *Labor* est, & in *Vinea*. Et confido rationem horum laborum in cœlo habitum iri; qui licèt haud adeò populares sint, tamen ædificationi Ecclesiæ revera inserviunt. Operam potissimam dedi ut ab ea molestia Lectorem redimerem cui ipse diu subditus fui, dum quod semel à me dictum est nè iterum dicatur caveo. Hoc mihi certissimum est, nihil à me scribi quod ipse non credo. Si quid aliquando quod minùs intelligo, socios habeo non paucos: & mihi facilius est errorem agnoscere quàm in eum incidere. Ut hæc Dominationi Tuæ dedicarem rationi maximè consentaneum est. Quid enim habeo **quod à Te non** accepi? Et quicquid est quod habeo, in se spectatum nihil est. Radii in terram incidentes nihil caloris generant, nisi ad Solem tanquam ad originem suam reflectantur. Ut aliquando *filii prophetarum dixerunt ad virum Dei*, *Ecce locus in quo habitamus coram te angustus est nobis.* Humiliter exspectamus illius *judicii* extrema, quod *incepit à domo Dei. In arido ligno quid fiet*, aut *ubi peccator parebit*, illi relinquendum *qui dixit*, *Mihi vindicta.* Magnus hujus Loci Genius aliquandiu sub terra tanquam Olibianæ Lampades ardebit. *Videbimus eum, sed non modò; intuebimur illum, sed non propè.*

Have, Salve, sit tibi terra Levis.
Abite hinc pessimi fures;
Quid vestris vultis cum oculis Emissitiis?

Dominationis vestræ fidelissimus
Servus & Capellanus

JOHANNES GREGORIUS.

Ad Lectorem.

INter Mahumetanos obtinet *primum omnium à Deo creatum fuisse Calamum Scriptorium.* [Chronicon de vitis Mahumet & Successor. Ben Sidi Aali De dogmat. Musellman. & v. Maronit. De Moribus Oriental. c. 14.] Tota certè Creatio nihil aliud quàm transcriptum quoddam est ex illo exemplari quod ab omni æternitate habuit in mente Divina. Mundi minores, sive homines, majorum transcripta sunt, ut & illorum, Liberi Libríque. De cæteris autem libris jampridem sententiam dixit Sapiens, *Nullum* nempe *esse illorum componendorum finem, lectionémque* (plerorumque præsertim) *tædium esse carni.* Verùm si omnium finem audire lubeat, est unus Liber præter magnum illud Mundi volumen ex ipso Deo descriptus, ejusmodi in quo indefessâ meditatione noctu diúque desudare possimus. Hunc quidem solum Textum habemus, reliqui omnes Libri, Artes, Homines, quin & ipse Mundus Commentaria quædam in illum sunt. Adeò indigni videntur ii qui vel sigilla hujusce libri solvant aut in eum introspiciant, qui temere & vanè interpretationis spiritum sibi arrogant, *Ephraimi qui ventos depascunt.* Hic verè *spiritus* est qui *quocunque lubet flat, nec quisquam scit unde veniat, aut quò iturus sit.* Dicant mihi velim hujus Spiritûs afflatu quod genus Horologium fuerit illud Ahazi, aut quomodo Sol retrocedere potuerit decem gradus? Quod ad genus, non fuisse hisce nostris simile quæ jam apud nos in usu sunt pro certo habeo; & si retrocessio de umbra intelligenda sit, (& sunt nonnulli qui nihil ultrà quærunt) idem quotidie fieri possit ut in quovis Horologio eveniat, idque (quicquid contrà dixerit insignis Mathematicus Pet. Nonius) etiam in situ & positione sphæræ extra Tropicos. De ipso igitur sole retrocessio intelligenda est. Dicant mihi eodem Spiritu afflati quomodo *tenebræ super faciem totius Terræ* esse potuerint cùm passus esset Salvator noster, ut nemo tamen totius Orientis Astronomorum, nec quivis alius in toto illo Hemisphærio animadverteret (exceptis Hierosolymitanis.) Probatum dent si possint vel ex ore duorum saltem testium: qui enim Phlegon & Apollophanes? aut si prior admittendus sit, narratio adeò singularis est ut in dubium trahendo, non probando miraculo sufficiat. Quantum ad totum Mundum Sol non est passus Eclipsin totalem. Alterum corporis solaris Hemisphærium adhuc lucebat, & *facies totius Terræ* pro terra Judæa (ut alibi) accipienda est. Respondeat idem spiritus unde tam vasta illa Græcæ & Hebraicæ scripturæ in computationibus differentia, aut quomodo Cainan ille δεύτερος in Euangelium S. Lucæ irrepserit, contra omnem originum fidem (nè quid cum Jos. Scal. ulteriùs dixerim.) Verùm hujus à me postea forsan ostendetur ratio, Judæósque non abscidisse (ut catenæ Arabicæ placet) quin *Helleniſtas* sive *Græcistas* (ità enim pro *Græcis* legi debet, Act. 6. 1.) quicquid præter numerum est hisce Epilogismis addidisse; & Cainan etiam per hanc posticam introductum, alio tempore ostendam,

oſtendam, idque tenui ratione Helleniſticorum Chiliaſtarum. Quòd ſi aut hic aut alius quivis ſpiritus (præter Divinum) Melchizedechi generationem exponere poterit, hunc nimis probatum putavero. Dicere enim eum Sem Magnum, quod unus præſertim (Hugo Broughtonus) in magna farragine ut faceret deſudavit, minus eſt quàm ut deſpiciam, nimis quàm ut reſpondeam. Hanc quidem opinionem ejuſdem eſſe farinæ cum eorum exiſtimo qui Spiritum S. fuiſſe aſſerunt: cujus quidem mentionem minimè feciſſem niſi ut faciliùs me expedirem admiratione quam in me excitaverat vir gravis & doctus, (Cunæus lib. de Repub. Hebr.) qui eouſque progreſſus eſt Hæreſeos ut eum pro Chriſto ipſo (idque magno cum judicio) venditaret. Quanquam integram veritatem dicturum me recipere non poſſim, habeo tamen de viro hoc Magno aliquid quod proferam novi. In Cat. Arab. ad verba Gen. 10.25. *Nomen unius erat Phaleg*, hæc annotantur in margine, והרה הו אבו ארקאלים אבו מלשיסארק *& hic* (i. Phaleg) *erat pater Heraclim, pater Melchizedeck.* Cat. Arab. cap. 31. fol. 67. Vide Epiphanium. At in cap. præcedente declaratur ejus generatio ex inſtituto, ſolenni genealogiâ, מלשיצארק הו אבן ארקלים אבן פאלג אבן עאבר, *Melchizedeck erat filius Heraclim, filius Phaleg, filius Eber: & nomen matris ejus erat* שלתאיל והרה כאנת בנת גאמר אבן יאפת אבן נוח, *Salathiel filia Gomer, filii Japhet, filii Noæ.* פנכח ארקלאים אבן עאבר לשלתאיל וונתו פחבלת וילד אבנה ואסמתה מלכסדק אעני מלך אלסלאם והי מלשיצארק, *Et Heraclim filius Eber duxit uxorem Salathiel, & illa concepit, & peperit filium, & vocavit nomen ejus Melchiſedeck, h. e. Rex juſtitiæ,* qui vocatur etiam *Rex Pacis.* Poſtea deinde fuſiùs exponitur Genealogia, *Melchiſedeck filius Heraclim, qui erat filius Phaleg, qui erat filius Eber, qui erat filius Arphaxat,* & uſque ad אבן אדם עליה אלסלאם *qui erat filius Adæ, Pax ei.* Cat. Arab. c. 30. fol. 66. a. Sahid Aben Batricius ponit Melchizedeck אבן פאלג *filium Phaleg,* & hoc modo interpretatur (& rectè quidem) illud ἀγενεαλόγητος. ad Heb. 7.3. non ut nos, *ſine genealogia. Non ideo dicitur* (inquit ille) *eſſe ſine patre ac matre, ac ſi nullos habuiſſet, aut ſaltem non cognitos, ſed* כי לא ידכר לה אב ואלאם פי סיר אלקבאיל, *Quia nullum habet patrem aut matrem nominatum inter cæteros in Genealogia.* Et ità Arab. excuſ. ut & Syriac. locum tranſfert, &c. Jámne apparet cujuſmodi ſit hic ſpiritus? Turcæ Alcorano ſuo inſcribunt לא ימסה אלא אלמטהר, *Nemo tangat hunc librum niſi purus ſit.* Alcor. Arab. Ms. in Arch. Bodl. Nulli velim noſtrûm tractent (non eſt cur à verbo metuatis; nihil enim quàm *Scripturam* ſonat) niſi qui tales revera ſint quales alii ſe eſſe exiſtimant. Si convenirem Prophetam aut filium Prophetæ qui hunc ſpiritum præ ſe ferret, ſimilis mihi videretur puero illi qui habitu Epiſcopali in Eccleſia Cathedrali Sarisburienſi ſepultus jacet. Certè crediderim Deum plus virium ordinaſſe *ex ore infantium* horum Epiſcopalium, idque propter inimicos ſuos, Pſal. 8.2. quàm ex alteris *Infantibus dierum, & pueris* 100 *annorum,* Eſ. 65.20. Quæſivit aliquando à me vir doctus & prudens, an eſſet aliquid in Alcorano quantum ad ſeipſum quod ab homine judicii ſani aliquid impetraret. Reſpondi ità eſſe: hoc tantùm poſtulavi, ut ſub iſtius libri religione educaretur. Hoc quod ubique Religionis nomine ſonatur plus fortaſſe debet utilitati & viribus educationis quàm quis facilè animadvertat. Aliàs, quod ad ipſum librum, maximam partem ex Scripturis deſumitur, nec tam malè omnino audiret, ſi vel in proprio textu, vel per fidelem tranſlationem inſpiceretur. Sed (non ut hinc aliquid lucremur) Alcoranus vix adhuc transfertur. Optima certè illius, quæ proximè accedit veræ tralationi, eſt illa Joan. Andreæ Mauri, in lingua Arragonenſi, integrum autem exemplar non facilè occurrit. Scriptura noſtra ad æternam ſuam gloriam omnibus ferme totius confuſionis linguis redditur. Peregrini Romæ, Parthi, Medi & Elamitæ, Cretes, Arabes miracula Dei legant in vernaculis ſuis linguis quas à nutricibus didicerunt. Hic liber noſter (maxima ſaltem illius pars) Græcâ, Samaritanâ (vulgari etiam Græcâ) Chaldaicâ, Syriacâ, Arabicâ, Hieroſolymitanâ, Perſicâ, Armenâ, Æthiopicâ, Copticâ ſive Ægyptiacâ, Gothicâ, Ruſſicâ, Saxonicâ, &c. legi poteſt, ut nobis notiores illas linguas Italicam, Hiſpanicam, Gallicam, Belgicam, &c. omittam. Et quamvìs non occurrat adhuc aliqua Scripturæ pars Chinenſi linguâ reddita, exſtat tamen vel in ea plena Euangelii noſtri traditio, ut lapidi rectangulari apud Sanxuen muro ædificando effoſſo inſcripta inventa eſt anno 1625. Titulus hujuſce lapidis inſcribitur novem characteribus, linguâ Chinenſi, quorum hic ſenſus, *Lapis in laudem & memoriam æternam Legis, Lucis & Veritatis portatæ de Judæa, & in China promulgatæ, erectus.* Vide Prodr. Copt. Ait inſuper quòd *Servator noſter in Cœlos aſcenderit circa meridiem, & relinquens ſeptem viginti tomos doctrinæ ad portam magnæ converſionis mundi aperiendum, Baptiſmum inſtituit ex aqua & ſpiritu ad abluenda peccata, &c. Excitat omnes voce Charitatis, reverentiam exhibere jubens verſus Orientem, ut pergant in via vitæ glorioſæ.* Si vera hic Lapis memorat, æquiore animo ferenda erunt quæ de hac Ceremonia poſthac dicentur. Utcunque auſim affirmare hac de cauſa Servatorem noſtrum toties Montem Olivetum (qui eſt Hieroſolymis ab Oriente) privatis ſuis precibus præ cæteris elegiſſe. Et quandoquidem huc deventum ſit, ſatisfaciam obiter objectioni mihi propoſitæ contra Adorationem verſùs Orientem, Quî teneat in omnibus ſphæræ poſitionibus. Supponantur Hieroſolymæ centrum eſſe, idémque illarum Æquinoctialis Oriens ac totius mundi, quia reſpondeat loco ſpecialis præſentiæ Servatoris noſtri in Cœlo Cœlorum. Poſtulatur ut dicam quò verſùm adorabunt illi qui quadrante Æquatoris diſtent ab Horizonte Hieroſolymitano verſùs Orientem. Reſponſio in promptu eſt. Adorent reſpectu ortûs Solaris verſùs Occidentem; neque enim illud in hac re ullius eſt momenti, cùm mihi reddenda ſit verbi ratio ſolùm reſpectu habito Hemiſphærii Borealis, cujus centrum ſupponenda eſt civitas Hieroſolymitana, & illius Oriens Æquinoctialis pro centro adorationis & cultûs ab omnibus totius circuli gradibus habendus. Quòd ad Lapidem cujus facta eſt mentio, non ità commodè originalis

ginalis ille transferri potuit; visitur tamen huic similis Romæ in Bibliotheca Domûs professæ. Exstat brevis & admirabilis totius Creationis Traditio in scriptura Hieroglyphica, in qua Mundum majorem minore typo quàm sit homo expressum videre est. In inferiore Limbo & Schemate secundo Tabulæ Laudinæ Hieroglyphicæ, datæ Bibliothecæ publicæ unà cum Tabula Geographica Arabica, & aliis monumentis antiquæ & inusitatæ literaturæ, à magno illo & eminentiæ & fatalis vicissitudinis exemplo Reverendissimo cum Christo Patre Guilielmo Laud Archiepiscopo Cantuarienſi, & Academiæ Cancellario semper honorando, (quæ eadem est cum illa Cardinalis Bembi) expressa est figura Scarabæi pro trunco, capite tamen & facie humanâ, tenet autem tabellam cum hac inscriptione Coptica ΦΥΛΟ circa Collum. Multi sunt circuli concentrici referentes Orbes & motus Cœlorum, in vertice Capitis facies est Lunæ crescentis ad ostendendam illius annuam revolutionem, & intrà Crux denotans quatuor Elementa, prope hæc Sphæra alata duobus Serpentibus implicita. Vid. Ath. Kirch. reconditissimæ eruditionis virum in Prodr. Copt. cap. ult. Postremi hujus Hieroglyphici expositio redditur à Barachia Albenephi in libro de Antiqua Ægyptiorum doctrina in ea parte ubi differit, פי מסאלת פרעון ואלדור מנח מחלק מניאת הו עלאמת נפס ורוח אלעאלם *de obeliscis Pharaonis, Sphæra alata* (inquit ille) *serpentibus implicita Hieroglyphicũ est animæ & spiritûs mundi. Facies humana de sole & ejus cursibus intelligitur.* Quòd ad Sacrum Scarabæum (quem veteribus Ægyptiis calcare pro piaculo fuit) Horus Apollo per eum significari vult Figuram Mundi, & hanc addit rationẽ & arcanum, *Scarabæus cùm parere vult* (inquit ille) βοὸς ἀφόδευμα λαβὼν σφαιροειδῆ ἀπεργάζεται τὸ κόσμῳ ὅμοιον, ὃ ὅταν τὸ ὀπίσθιον μέρος κυλίσας ἀπὸ ἀνατολῆς εἰς δύσιν αὐτὸς πρὸς ἀνατολὴν βλέπει, *Capiens excrementum bovinum in globulos redigit atque ab Oriente in Occidentem volvit partibus suis posterioribus, ipse interim Orientem spectans* (acsi Magnam Naturam partui invocaret.) Verbum Ægyptiacum ΦΥΛΟ in Tabula idem sonat ac Græcum φιλία, ostenditque totam rerum machinam verè magnetico amore contineri, invisibili nempe Harmoniâ & concordi partium discordiâ. Non satis bene elocasse operam mihi videntur ii qui in probanda Scripturæ integritate, & illius distinctione in Canonicam & Apocrypham laborarunt. In Alcorano Apocrypha non sunt. Legitur in Synodico Pappi, Syn. 34. Concilium Nicenum miraculosum scrutinium instituisse quo nothos libros à genuinis dignoscerent. Ἐν γὰρ τῷ οἴκῳ τοῦ Θεοῦ κάτω παρὰ τὴν θείαν τράπεζαν αὐτὰς ἀποθεμένη, προσηύξατο ὡς εὑρεθῆναι τὰς ἀψευδεῖς ἐπάνω, τὸν Κύριον ἐξαιτησαμένη, καὶ τὰς κιβδήλους, ὃ καὶ γέγονε, ὑπακάτωθεν, *Posuerunt omnes libros* (Scripturæ) *in Ecclesia paulò infra Mensam sacram, Deúmque precati sunt ut qui Divinâ inspiratione scripti essent superiùs invenirentur, nothi autem infrà; quod factum est.* Credendáne hæc? Canon Scripturæ qui Concilio Laodicensi subjungitur magni momenti fit ad hanc distinctionem. Verùm nec hic Canon exstat in aliquibus antiquissimis MSS. deest in uno Græco Synodico apud nos (MS. in Arch. Baroc.) nec invenitur in codice Arabico Josephi Ægyptii (MS. in Arch. Roan. Bibl. Bod.) Et cui non verisimilius videatur Canonem hunc in exemplaria aliquot surrepsisse quàm in ullo fuisse prætermissum? Canon quidẽ Hebræus certum est fundamentũ: nec tamẽ existimandum est omnes, imò nec ullum librũ Apocryphum Græcè scriptum fuisse originaliter. Hebræa editio Judæorũ Constantinopolitanorũ indubitatus est textus Libri Tobit, (S. Hieronymus idem de libro Judith affirmat) *Libelli verè aurei*, ut de eo non immeritò Munsterus. De Siracide idem præfatio confitetur, ubi obiter notandũ hunc olim inter Hagiographa habitum. Nescio quid aliud velit illud in Baba Kama c. 8. fol. 92. ubi Talmudistæ citant hoc proverbium è Cetubim, h. e. *Hagiographis*, כל עוף, &c. *Omnis avis adjungit se avibus ejusdem speciei, & homo homini.* Aiunt Tosephoth שמא &c. *esse forsan in libro Ben-Syræ* (an & ille Canonicus?) verùm certum in illo nihil tale reperiri. In Syracide quidem occurrit, cap. 13. 10. Πᾶν ζῷον ἀγαπᾷ τὸ ὅμοιον αὐτοῦ, καὶ πᾶς ἄνθρωπος τὸν πλησίον αὐτοῦ. *Sapientiam Salomonis* (Liber est eo nomine dignus, & cum ullo quocunque scripto humano comparandus) Chaldaicè scriptam constat ex R. Mose Ben Nachman; ità enim citat ex cap. 7. v. 5, &c. & v. 17, &c. in Præfatione ad commentar. in Pentateuchum; Unum è libris Macchabæorum Hebraicè scriptum fuisse patet: & omnium pessimus, (quem ipse Bellarminus excipit, licèt in nostris Ecclesiis legendus ordinetur) quartus nimirum Esdræ, aliam longè fidem & dignitatem merebitur si legatur Arabicé. (MS. Arab. in arch. Bibl. Bodl.) Historia feminæ in adulterio captæ à multis exagitatur. S. Hieronymus in multis sui temporis exemplaribus deesse animadvertit. Paraphrasta Nonnus de ea nè verbum quidem, nec ad eam quidquam annotavit Theophylactus. Armeni (ut à quodam illorum sacerdote mihi narratum est) illi in Euangelio locum non concedunt, sed ad finem rejiciunt ut dubiæ fidei: à Paraphrasta Syriaco typis excuso penitus omittitur, in aliquibus tamen manuscriptis codicibus invenitur, sed Asterismo hoc notata דלא איתוהי בפשיטא *quòd non sit textus.* Habet versio Arabica, & in Græcis manuscriptis legitur, excepto tantùm uno de septemdecem. *Sed ità* (inquit Beza) *ut mira sit sectionis varietas*, quæ mihi satis est *ut* (cum illo) *de totius istius narrationis fide dubitem.* Verùm Eusebius Eccles. hist. l. 3. fol. 32. olim notavit antiquum Papiam fuisse hujusce historiæ editorem, ἣν τὸ καθ' Ἑβραίους εὐαγγέλιον προσέχει· *et haberi eam in Euangelio secundum Hebræos. Et suspicari meritò quis possit* (inquit Drusius) *ex Euangelio illo ad nostra exemplaria dimanasse*, licèt hinc (cum illo) *nihil affirmo.* Ut taceam hîc Psalterium Salomonis nuper à Cerda editum, nos Psalmos Davidis 150 numeramus, Arabica & aliæ aliquot versiones unum insuper adjiciunt. Josephus Hypomnesticus (Gr. Ms.) asserit Davidem composuisse ψαλμοὺς ἀπείρους, *Psalmos infinitos numero.* Athanasius in Synop. assignat 3000, inter quos & hunc numerat, πρὸς τὸ Γολιαθ ὁ γρά-

In

In Psalteriis Græcis MS. non rarò occurrit: exstat in plùs quàm tribus Bibliothecæ nostræ publicæ. Habet unum exemplar Coll. Magdalen. alterum Coll. Trinitatis, tertium etiam Coll. Corporis Christi ei datum à Claimundo primo illius præside. In recenter excusis libris non est exspectandus, in antiquioribus invenitur, præsertim illo Aldi: & Justinus Decaduus, qui Epistolam ad Lectorem scripsit, ait se talem adjutorem nactum ac revera fuit Aldus in animo habuisse (erat ars Typographica tum recens inventa) τὸ Δεύτερον βίβλον τῶν Θείων ψαλμῶν *Librum Psalmorum divinâ inspiratione scriptum* primum edere, nec tamen supernumerarium hunc omisere. Inter Idioticos Psalmos à Canone Laodicensi expunctus cuiquam forsan videatur: verùm Scholia Arabica in istum Canonem aliam sententiam præ se ferunt. לא תנוז אן יקרי פי אלכנסה מזמור ניר מואימר דאוור אלנבי לאנה וקע אלי אלנאעת אלמקדסה אן קומא מן אלראסס עמלוא איצא מואמיר אחרי נור מואור דאוור אלנבי ויקרונהא וועמוא אנהם נאס מחקין מתל דאוור אלנבי ואנהם תנכוא מתלה ואחתניא פי חדא בכתאב אלאברכסים למא קאל עז אויול אלנבי תנבוא בניבם ובנאחכם וירון אשואחכם אחלאמא וכאנוא יקבלוא תלך אלמואמיר אלמעמולה פמנעת אלנאעה: i. e. *Nemo leget in Ecclesia ullos alios Psalmos præter illos Davidis; nam relatum est ad sacram Synodum quosdam Hæreticos alios Psalmos sibi composuisse præter illos quos composuit Davides Prophcta, & illos in Ecclesia lectitasse, arroganter pro scipsis affirmantes, se viros bonos & honestos esse æquè ac Davides Propheta fuit, & posse se æquè ac illum Prophetare; allegantes illud ex libro Actorum & Joele propheta*, Filii & filiæ vestræ prophetabunt, & senes vestri videbunt visiones, *&c. Et erant qui reciperent hos nuper compositos Psalmos, sed Concilium hîc interdicit nè recipiantur.* Joseph. Ægypt. cod. Concil. Arab. MS. in Arch. Roan. Bibl. Bod. Sed habeo quod parùm faciet ad æstimationem hujusce Psalmi. In editione Maronitarum invenies numerum in capite illius: & quod pejus est illic dicitur *Davidem occidisse gigantem tribus lapidibus quos emisit in viribus Domini.* Utrumvis horum non facilè invenies in MS. codicibus. Exstant hîc diversi, & unum habeo de meo, in quo nulla mentio facta est aut numeri aut hujusce circumstantiæ. De Apocalypsi Divi Joannis quid ipse Erasmus dixerit notum est, quantulum etiam ad illud Beza. Quid si desiit in nonnullis exemplaribus Syriacis? exstat in aliis. Deest in versione Arabica MS. Coll. Reginalis; legitur in Arabica typis excusa, ut & in Coptica, Armena, &c. Canon Laodicensis non agnoscit: quid demum? nónne magìs mirum est inveniri eam in Apostolico? Non dico in Græca, verùm in Arabica versione ejus mentio facta est ad hunc modum, אלסארסה נליאן יוחני אלמסמי לאלבוכאלבסים, *sextus est Revelatio Divi Johannis dicta Apocalypsis.* Calvinus quid de Apocalypsi sentiret cùm ab eo aliquando quæreretur, respondit, *se penitus ignorare quid velit tam obscurus Scriptor; qui qualisque fuerit nondum constat inter eruditos.* Bodinus method. Histor. cap. 7. sub initium capitis. Quod ad primam responsionis partem, concedi potest: rectè Cajetanus, *Exponat qui potest.* Posterior (si quidem illius fuit) nec scriptorem Apocalypseos decet, nec Autorem suum. Kerstenius in Annotationibus ad vitas Euangelistarum Arabicè scriptas, *Observandum quoque est* (inquit) *hunc Autorem nè verbo quidem uno mentionem facere* Ἀποκαλύψεως *D. Joannis, quam quidem hunc Euangelistam in Pathmo scripsisse asserunt, quâ autoritate ipsi videant, atque ideo semper iste liber inter Apocrypha reputatus est.* Palmarium tamen illius argumentum est quòd autor hic Arabicus istius mentionem non fecerit; verùm hîc lapsum esse virum doctum facilè apparebit. Non est illi mos textum Arabicum plenè & verbatim reddere, sed sensum solum (ut sibi videtur) maximè genuinum. Idem & hîc præstat; *Jam itaque verba Arabica* (inquit ille) *ad locos hos tres pertinentia adscribere tempestivum est. Quorum periodum ultimam doctioribus hujus linguæ relinquimns.* Non me numero inter Doctiores, nec dubito tamen quin verba rectè legam, & tum locus iste non erit intellectu difficilis. Periodus cujus ille interpretationem veretur in se suscipere hæc est, וקיל אן יוחנא אמלי אבוגלמסים עלי פוניר אבוגלבסים, *Abogalmasis* quidem nihil significat, verùm legi debuit *Abogalubsis*, & tum hic est sensus, *Et Joannes dicitur tradidisse Apocalypsin Pheugir.* Hic Pheugir erat illius discipulus, ut idem autor Arabicus antea testatus est. Omissio hujus libri in aliquibus exemplaribus contra illum nihil facit, idem (nec injuriâ) contra Epistolas Canonicas æquè urgeri possit, & omnium eadem est ratio. Hæ quidem ut seriùs scriptæ seriùs etiam in Canonem receptæ sunt. Videtur mihi singulari cum reverentia ab omnibus excipienda Clementis Romani ad Corinthios Epistola; non tamen adducar ut credam hanc vel cætera quæ in illo libro continentur ipsius Teclæ manu scripta magìs quàm Joannem Fox Euangelia Saxonica in Anglicanum sermonem transtulisse. Vidi & tertiam D. Pauli Epistolam ad Corinthios in lingua Armena, cujus initium, *Paulus servus Jesu Christi*, &c. necnon & Epistolam Corinthiorum ad D. Paulum, cujus initium *Stephanus*, &c. *fratri Paulo salutem.* (Lib. MS. Armenicè cum versione Ital. apud ingeniosissimum virum Gilbertum North.) Kerstenius autor est multas exstare Epistolas D. Pauli Arabicè nobis adhuc incognitas. Sacerdos Armenus, cujus modò feci mentionem, plures exstare apud illos libros Mosis quàm nos habeamus mihi narravit. Nunc autem ut de omnibus quæ dicta sunt sententiam meam sobriè & fideliter exponam, Quis demum cujuscunque sit nationis, modò non laboret præjudicio, non facilè concedat per totum hunc Librum elucere arcanam & incomprehensibilem vim quæ quoscunque valeat efficere *sapientes ad salutem*; & istum ejus canonem qui ab omnibus recipitur esse satìs integrum? Quod si quis huic detraxerit minimum punctum aut iota, nisi manifestè appareat esse heterogeneum & dissonans (nec etiam sic temere audendum) *Illi Deus auferet partem suam in Libro vitæ.* Qui autem illi aliquid addiderit novam licèt D. Pauli Epistolam (ut ad Senecam vel Laodicenses) licèt æquè bonam ac

illas

illas quas habemus) *Deus illi addet omnes plagas ſcriptas in hoc Libro.* Scriptura non eſt ex volumine æſtimanda. Maximus eſſet omnium liber licèt minor foret quàm ſit; & ideo hanc magnitudinem ſibi præfixam habuit ut nobis proportione reſponderet. Si omnia ſcripta volumus quæ *Salomon diſputavit à Cedro in Libano ad Hyſſopum qui creſcit ſuper pariete*; aut omnia quæ dicta & facta ſunt ab eo *qui illo major erat, & locutus eſt ut nunquam homo locutus eſt*; *Mundus non ſufficeret continere libros qui ſcriberentur. Amen:* h. e. *Dominus velit ut ità ſit ac eſt.* ¶ Non erit argumentum adeò validum ſi hîc pro hoc Libro afferam miraculoſam textûs conſervationem & puritatem. In hoc, Alcorano meliùs ſucceſſit. Utcunque Teſtamento veteri per Maſora proviſum videatur, non omnimodo, (licèt mirè) integrum reperio. Teſtamento autem novo nullus vel profanus autor (cæteris paribus) magìs ſenſit temporis injurias. Et quid demum? certè in hoc magìs apparet Divina providentia quàm in abſoluta præſervatione potuiſſet. Paſſus eſt Deus hæc zizania (nobis dormientibus) ſeri in Genealogiis & locis minoris momenti, nè avidè nimis ſectaremur iſta משנרות שאלות, *extracta quæſtionum*, ut hæc ab ipſis Judæis appellantur & ſervantur (vid. Ben. Bar Jonah in Itinerario). Invictum eſt argumentum pro Scriptura errata hujuſmodi innumera penè & de induſtria eſſe prætermiſſa, nec tamen aliquid eſſentiale & ad ſalutem neceſſarium unquam loco moveri. Revera iſtæ varietates Lectionum idem præſtant reſpectu Scripturæ ac chalybocliſis reſpectu Magnetis Terræ, dum indè docetur navita quò certiùs navim dirigat. ¶ Quod ad ſtylum Scripturæ ſacræ, ultrà quàm dici poſſit bonus eſt, nec tamen admirabilis, ut quidam volunt, quòd phraſi utatur minùs uſitatâ. Præſtantiori Solio iſtius libri Majeſtas inſidet. Non eodem charactere uſus eſt qui erat inter bubulcos Tekoæ ac qui inter ſacerdotes Anathoth. Lege Ben Syra & Centurias Arabicas Proverbiorum. Legatur ipſe Alcoranus. Etſi dictum illud Salvatoris, *Facilius eſt*, &c. ſecundùm originem fuerit, *Facilius eſt pro Elephante*, &c. Mahometes tamen eodem modo ac Salvator noſter expreſſit, *Non intrabunt* (inquit ille) *in Paradiſum*, חתי ילג אלנמל פי סם אלחיאט *donec Camelus tranſeat per foramen acûs.* Alcor. in Surat אלחראב in Azoar. 17. Plura in hoc libro ad eandem rem quæ faciant invenire quis poterit, ſi illo, ut decet, utatur. Cavendum etiam eſt: nam autores confuſæ hujus farraginis alibi ſatìs temere ſeſe exprimunt. Aiunt in alio Surat אן אללהי ומלאיכתה יצלו עלי אלנבי *Angelos & Deum etiam ipſum orare pro propheta ſuo*, h. e. Deum orare pro Mahometa. Abſurdum quidem dictum, ut videtur, nec tamen multùm differt ab illo noſtro, ubi dicitur *Spiritum facere interceſſionem pro nobis*, &c. ſed nos hunc illius uſum faciamus. Hinc eſt quòd Mahometani exprimant memoriam mortuorum in Deo (præſertim ipſius Prophetæ) hiſce verbis, *Pax & preces Dei ſint ſuper iis.* Quòd ſi Scripturæ gloriam ſtruis tui ſimilem, & ſecundùm proportiones humanas, ab exoticis quærenda eſt. Bene eſt quod Aben Rois in commentariis ad Ariſtotelis Moralia Latinè redditis vocet maximum illum totius Orientis Virum, *Beatum Job*, & proponat exemplum Fortitudinis, Auguſtin. Steuch. in Job. ult. Galenus in libro De uſu Partium, de pilis palpebrarum quid diceret dubitans, nec potens rationem reddere cur non ut alii creſcerent, hinc arreptâ occaſione Philoſophiam Moſaicam traducit, & de ipſo Deo affirmat, *Neque ſi lapidem repentè velit facere hominem, efficere id poterit*, &c. (imò *poterit etiam ex his Lapidibus.*) Verùm Antiquus Orpheus dicit Virum ex aqua natum (ità quidem in Ægyptiaca vocandus eſt Moſes) bene feciſſe, & Dionyſius Longinus (nõ vulgaris dicendi artifex) cùm primùm Homerum ſuum notaſſet, ſubjungit, τὸ Ἰουδαίων θεσμοθέτης, quòd *Judæorum Legiſlator* οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ (*vir non de vulgo*) rectè fecit, cùm introduxit Deum ſuum dicentem γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο, *Fiat Lux, & erat Lux*, &c. Si cui videre libeat quid ad hoc dixerint Strabo, Tacitus, Juſtinus, Diodorus Siculus, Ptolemæus, &c. (vide tranſlationem Abu Maaſciar, aut Albumazar Introductor. l. 5. c. 9.) nullam indè (Fidei) jacturam faciet. Hoc reſtat quod optem huic Libro, (& me rectè facere confido) ut legatur (quantum fieri poteſt) in plena & certa verſione, idque cum commentario dilucido & ab omni præjudicio libero. Hoc ut fiat non eſt totus liber ab uno quopiam homine aggrediendus, nec magna aliqua illius pars, etiam ſi integram ætatem vivere poſſet. Quàm parùm profecimus, quàm multùm autem amiſimus per eos qui à Deo precati ſunt ut tamdiu viverent donec integrum Commentarium in ſacra Biblia ad umbilicum perducerent quis non videt? Non eſt intuendum verbum Divinum ut vitrum illud Rogerii Baconi, Ubi unus homo videbitur plures. Nihil minus; frange vitrum & unuſquiſque faciem ſeorſim videat. Qui hoc modo ædificare inceperit inter eos forſan numerabitur qui perficere inceptum opus poterint. Judæis, cùm domum ædificaverint, partem illius aliquam imperfectam relinquere in more eſt, in memoriam deſtructionis Hieroſolymitanæ. Leo Moden. Di gli riti Hebraici, Part. 1. Optimus quiſque artifex qui hoc opus aggredietur idem coactus faciet. Verùm ſi illi qui totum ſunt aggreſſi, partem perfeciſſent, jampridem hæc domus Dei & Tabernaculum bonorum omnium fuiſſet conſummatum. Qui cum aliquo partium ſtudio hoc ſuſceperit, licèt aliàs ad miraculum faciat, nihil aliud quàm Angelum lucis in Diabolum transformat. Nollem vel minimam Scripturæ ſacræ particulam reddere vel interpretari in commodum meum, utcunque totius Gentis meæ amorem mihi ità conciliarem, ſi totum terrarum orbem indè lucrari poſſem. Hi qui torquent hunc Librum inſtabiles ſunt, ſi minùs ignari homines, & neceſſariò ſequetur facere illos *ad deſtructionem ſuam.* Cùm hæc omnia aptè & cum judicio componentur, commodum erit has etiam res maximi momenti ad trutinam expendere, ut habeamus tandem cui confidere & in quo hærere poſſimus. Aſſerunt nonnulli cœlos moveri non poſſe niſi Terra ſtet: hoc quidem certus ſum, ex quo Terra rotari cœperit, *Regnum cælorum paſſum eſſe violentiam* quietis, & non videri *patere cunctis credentibus*, ut antea. Doleo quidem quòd habeam de quo accuſare

cusare nostros possim, errasse scilicet illos huc usque à temporibus Henrici VIII in labyrintho Reformationis, nec dum scire quomodo vel nos vel seipsos expediant. Non multum tribuo nugis Astrologicis, ideóque non hîc referam quid de nobis [*Giafar Abu Maaſciar Belchita*, vulgò nominatus *Albumazar Abalachi*, religionem nostram collocat sub ☿. *Inde*, inquit Rogerus Bacon, *intricatioribus & profundis maximè momentis laborat propter impeditos illos* ☿ *motus & Eccentrum Eccentri.* Hoc quidem sensu ☿ similis est: bonis bona est, malis mala. *Facit homines ancipitis naturæ & semper nova excogitantes, qui non quiescunt & non adeò manifestè sua agentes.* Ranzovius. Alchindus tradit nos Planetâ femineo significari, *unde Oratoria figuris & picturis decorari solent.* An quia Turcæ nullas habent? Utinam Religio nostra nihil aliud cum illo Planeta commune haberet. Alii Soli nos assignant: ego potiùs reor omnes cui assignari debeamus nescire. Silenus tradit nos Lunâ gubernari, Scotos verò ♄. Quod si verum sit, ♄ non est adeò hebes Planeta ac putavit R. Baconus, qui hanc rationem tradidit cur Judæi Saturni diem otio transegere. Quod autem ad priorem opinionem attinet Eshwidus noster Astrologum laudat idem affirmantem, indéq; colligentem quòd *Angli vagi sint & instabiles, nunc ad summum, nunc ad imum delati.* Dist. 8. c. 1. f. 42. *a.* Ptolemæus nos collocat sub ♈ & ♂, *unde impatientes regni*, &c. inquit ille. Cardanus addit nos esse rebellem & infelicem Nationem, *semper novos ritus legis & Divini cultûs fabricantes, aliquando quidem in melius*, plerumque verò in deterius. In Tetrab. c. 3. ter. 12. Hali Aben Ragel affirmat se in libro quodam veteri Andilareprosu nominato reperisse se signum Mundi esse Arietem. Idem igitur cum nostro est. Ac bene quidem esset si facies universi non minùs præteriisset quàm nostrûm, quos appellant *Divisos orbe Britannos.* Rectè nos nominarunt populum à reliquis *divisum*, nulli enim alii populo similes sumus.] Ptolemæus, Cardanus, Silenus, Alchindus, Eshwidus, Rogerius Baconus, &c. dicant. Tamen Guidonem Bonatum (Ephemeristarum Zoroastrum) silere non possum. Gymnosophista hic in cap. 13. Primæ partis Christum ipsum Astrologum, & Electionibus usum fuisse asserit. Idem Tertiæ partis cap. 3. exponere satagit sub qua Cœli figura ungues radere optimum fuerit. Quod autem dicere in animo habui ità habet; In Tabulis Geographicis nihil invenire Maginum potuisse reperio cui Scotiam assimularet. Angliam Trianguli figuram referre quidam imaginantur: certè longè abest à quadrata, aut honesto illo apud Aristotelem viro qui quocunque modo caderet semper pedibus suis insistebat. Arabicus Nubiensis Geographus struthio-camelo assimilat (certè ferri satis jam concoximus) quæ *derelinquit ova sua in terra: tu forsitan in pulvere calefacies ea. Obliviscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, frustrà laboravit nullo timore cogente.* Quamobrem autem? *Privavit enim eam Deus sapientiâ, nec dedit illi intelligentiam. Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum & ascensorem ejus.* Si quis unquam populus præ scientiæ inopia periit, nos certè is sumus.

JOH. GREGORII
NOTÆ
In loca aliquot S. Scripturæ.

CAP. 1. *Et præcepit ut docerent filios Judæ arcum, sicut scriptum est in Libro justorum*, 2 Sam. 1. 18.

MIra omnino Parenthesis, præsertim quod ad illud *arcûs*. Verùm ità Targum legit & Rabbini constanter exponunt. Ità Rabbi Solomon, *Et Davides dixit, Abhinc, quoniam fortes in Israele ceciderunt, necesse erit ut viri Judæ discant arma tractare & arcum flectere.* Levi Ben Gerson inquit, *quòd in quantum Davides animadvertit metum sagittariorum causam fuisse mortis Saul, & quòd nulli essent in Israele in illo armorum genere exercitati, jussit ut viri Judæ* (utpote optimi quos habuit milites) *docerentur uti arcu.* Ità etiam R. David & alii citati in Celi Jakar fol. 264. *a* & *b*. Tamen R. Isay inquit *Saulem & Jonathanem docuisse filios Judæ arcum, quoniam filii Judæ erant viri fortes, & apti ad flectendum arcum ex benedictione Jacobi*, Gen. 49. 8. ubi prædicitur quòd *manus Judæ erit in cervice hostium suorum*, h. e. (inquit Chimhi, *ut quidam è doctoribus nostris exponunt*) *arcûs*: ideóque existimant *Librum Jashar* esse primum illum Mosis Genesim dictum, in quo recensentur acta Jesharim, Abrami, Isaaci, Jacobi: quin plerique hunc Librum accipiunt pro Beracoth, sive *benedictionibus*, Jacobi. Ità Judæi. Etsi habemus Doctores nostros quos sequamur in interpretatione *Arcûs*, tamen apparebunt æquè vani in hoc ac in opinione de *Libro*. An putandum est viros Judæ tum docendos usum arcûs? vulgare erat tunc temporis exercitium militare. Hebraismus *arcûs* similis est illi *panis*: usurpatur pro omni armorum genere: & quomodo sequitur quòd quoniam Saul & Jonathas (& ipsi sagittarii præstantes: nam *arcus Jonathæ non versus est retro*) ceciderunt coram sagittis Philisthæorum, ideo viri Judæ discerent usum arcûs? Autor libri introducit Davidem exorsum Epicedium in mortem Saulis & Jonathæ, & statim abruptè transfert ad mandatum frivolum filiis Judæ datum ut discerent tractare arcum. Sed ubi, aut cur hæc *scripta sunt in libro Jashar?* Prudenter itaque à communi interpretatione deflexit Mariana, & secum reputavit *arcum* hîc sumi posse pro titulo Cantici: quod mirum non videbitur si quis hunc cum notis Psalmorum Davidicorum,

titulis

titulis comparare velit; ut Psal. 60. *Magistro Symphoniæ super Shoshannim*, Psal. 67. *super Neginoth*, Psal. 59. *Magistro Symphoniæ Altaschith*, &c. Eodem modo hîc *Magistro Symphoniæ Keseth* sive *arcûs*. Sic enim legendus est hic textus. *Et jussit eos*, h. e. magistros Symphoniæ, Heman, Ethan, & Jeduthan, *ut docerent populum*, quomodo caneret Threnum Davidis in morte Saulis & Jonathæ, 1 Sam. 31. 3. Inscribebatur *Keseth* sive *Arcûs* quòd illi causam dederint sagittarii Philistæorum, præcipuè tamen respectu habito ad *arcum Jonathæ qui non reversus est à sanguine occisorum*, ut in ipso cantico dicitur. Nec poterat Davides non meminisse arcûs Jonathæ ex quo *sagitta jacta erat trans puerum* 1 Sam. 20. 36. quo tempore ictum est fedus istud, & iste amor pactus inter eos *qui superavit amorem mulierum*. Eodem in capite legimus quòd *fleverunt pariter*, *David autem amplius*. Petiitque ibidem Jonathas ut hæc misericordia Domini fieret sibi, non viventi solùm sed etiam mortuo. *Si vixero facies mihi misericordiam Domini: si verò mortuus fuero non auferes misericordiam tuam à domo mea in sempiternum*, &c. v. 14, 15. Septuaginta hanc interpretationem confirmant. Illorum versio ità habet, Καὶ ἐθρήνησε Δαυὶδ τὸ θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Σαὺλ καὶ ἐπὶ Ἰωνάθαν τὸν υἱὸν αὐτοῦ, καὶ εἶπε τοῦ διδάξαι τοὺς υἱοὺς Ἰούδα. Ἰδοὺ γέγραπται ἐπὶ βίβλου τῶν εὐθῶν, h. e. *Et planxit David hunc planctum in Saul & Jonathan filium ejus, & jussit ut docerent eum filios Judæ. Ecce scriptum est in libro Justi.* Ità vulgaris, *Planxit autem David planctum hujusmodi super Saul & super Jonathan filium ejus; & præcepit ut docerent filios Judah planctum, sicut scriptum est in libro Justorum.* Et hîc planius adhuc est præcepisse Davidem ut docerent filios Judæ hunc planctum. Verum quidem est editiones recentiores hujus versionis pro verbo *Arcum*, *planctum* inseruisse, sed vetusti libri manuscripti ità legunt ut modò citavi, & in antiquioribus excusis exemplaribus legimus *Arcum*, & non nisi in margine illud quòd postea in textum irrepsit, si modò versio pro textu habenda sit. Ex hisce duobus allatis testimoniis pater, illud quod filiis Judæ discendum erat fuisse non *usum arcûs* sed *arcum*, ut in textu originali apparet, h. e. Canticum Davidis ità dictum sive planctum hunc super Saul & Jonathan. Et hoc est quod *scriptum erat in libro Jasher*. Cur hic liber ità dictus sit, aut quis istius autor fuerit, mihi nondum constat. Fuisse illum primum Mosis (ut Rabbinis placet) arbitrari ridiculum est. Josephus docet fuisse Commentarium in Templo repositum, & si ad manus nostras adhuc non pervenerit non adeò mirum videri debet; sed de hoc postea pleniùs. Bis citatur in S. Scriptura hîc, & Josh. 10. & si locum utrumque consideremus liquebit nihil in eo contineri præter hujuscemodi monumenta, &, quod ultra notandum venit, metrica. Locus Josuæ huic collatus rem claram reddit. Illic citatur ex hoc libro Solem stetisse contra Gabaon, & Lunam contra vallem Ajalon. Quod hîc citat merum est canticum. Kimhi ità propè rem conficit ut solùm dubitet. Sed res plana est. Numeratur inter decem cantica à Mechilta vetere commentario in Exodum ad cap. 15. Quartum est illud Mosis ante obitum, sextum illud Deboræ & Barak, & hoc Josuæ quintum est. De hoc plura dicerem, sed doctissimus Masius me prævenit in locum Jos. 10. 12. Hoc satis est ad ostendendum Canticum arcûs potuisse, usum non potuisse exprimi in libro Jashar. Certum est hoc Davidis mandatum ad filios Judæ non metricè traditum esse: certè res istiusmodi non est idonea Cantici materia. Et jam res iterum ad Tyndallum rediit, nam nova per veterem ejus versionem castiganda est. Ille ità reddit, *Et Davides cecinit hoc canticum Lamentationis super Saul & Jonathan filium ejus, & præcepit ut docerent filios Israel strophas istius.* Hîc aliud notandum venit quod etiam mihi mirum videtur. Vulgata Editio versiculum unum insuper habet in Cantico arcûs, *Considera Israel pro his qui mortui sunt, super excelsa tua vulnerati.* Videtur transferre primum cantici versiculum: sed hoc factum est, & meliùs, statim in sequenti. *Inclyti Israel super montes tuos vulnerati sunt. Quomodo ceciderunt fortes?* Ità inveni in aliquibus tam manuscriptis quàm excusis exemplaribus, & tamen arbitror Ariam Montanum rectiùs omisisse quàm alios postea retinuisse. Omnino supra numerum est, & error isti versioni non imputandus.

CAP. 2. *Cur Salvator noster in gravi illo statu derelictionis non dixerit* Jehovah Jehovah *sed* Eli Eli *(secundùm S. Matthæum) vel* Eloi Eloi *(secundùm S. Marcum.)*

QUod ad varias Lectiones, non necessum erit actum agere. Secundùm versionem Psalmorum Syriacam eodem jure S. Marcus dicere potuit *Eloi Eloi*, ac S. Matthæus *Eli Eli* secundùm textum Davidis Hebræum: idem sonat, *Deus mi*, &c. Jampridem scimus præcipuas Dei cum hominibus interlocutiones fieri præcipuè per attributa hæc duo, *Misericordiæ* scilicet & *Justitiæ*: ubi etiam non erit abs re observare quomodo *Misericordia latetur contra Judicium.* Notant Hebræi, *Quando egreditur sententia ad clementiam, præfert vocari per magnum illud nomen* JEHOVÆ, *ut cùm Mosem è rupe alloquitur.* Verùm ut iidem Doctores observant, *Quando egreditur vox ad justitiam, vocat se* ELOAH *vel* ELOHIM. In hoc igitur cardo versatur ut distinguamus de usu & dignitate horum nominum quoad rem præsentem. JEHOVA est proprium nomen sibi à seipso impositum, & incommunicabile creaturis cujuscunque generis, nomen apud antiquos Judæos tantæ reverentiæ, ut vetitum sit rectè scribi, aut omnino pronunciari in hoc mundo, nisi à summo sacerdote, idque solùm in sancto sanctorum, & die Expiationis, Et (quod magìs ad rem facit) tantum in uno casu, nimirum benedictionis, quando benedictio & bonitas Dei per Sacerdotem ad populum erat derivanda. Alio quocunq; loco aut tempore cuicunque Israelitæ nomen hoc proferre nefas erat plusquam capitale ex lege, ut ex Talmude liquet in causa filii Teradionis. Et ut ex Judæis videri potest, ipse Salvator noster non debuit uti hoc nomine in specie: nam secundùm malevolas eorum traditiones tenent illum omn[illegible] sua miracula peregisse per paraphrasticum Tetragrammaton vel Shem hamphoras; & quòd hic modus enunciationis incisus erat pedibus ejus, & pro data occasione productus, ut ad ejiciendos dæmonas per dæmonem principem, (notum Magiæ refugium:) & ad Legendam hanc complendam asserunt matrem illius (quæ nobis est beata Virgo, & cujus in Alcorano cum honore fit mentio) sagam fuisse, & in Ægypto didicisse. *Elohim* (inquit quidam in ea Lingua egregiè doctus) *nomen Divinum à judicio, quasi Deus Judex:* quanquam putarim eum traxisse hunc sensum potiùs ab usu quàm potentia & origine verbi, quæ cùm manserit in Arabica licèt non in Hebræa, hunc sensum indirectè (quanquam non ineptè) infert: significat enim primariò *vim & potentiam*; & nulla verba meliùs exprimunt Judicem totius mundi quàm quæ Omnipotentiam implicant. Nec hisce repugnat S. Scriptura. Jam verò nomen *Elohim* non est Deo proprium, sed ei cum creaturis commune. Angeli ità dicuntur, Psal. 86. 8. Homines etiam (præsertim Judices) Exod. 21. 6. 1 Sam. 2. 25. etiam & Dii falsi Josh. 23. 16. Ad summam, Nomen *Jehova* majoris erat momenti & æstimationis quàm *Elohim*. Præterea in sententiis Misericordiæ placuit Deo priore nomine vocari; Judicii, posteriore. Salvator igitur noster (statu quo tunc erat) non dixit *Jehova Jehova* (multò minùs *Pater*, ut aliàs) sed *Eli Eli*, vel *Eloi Eloi*, *Deus mi*, *Deus mi*, ut Judicem totius mundi invocans summam justitiam in Filium suum exercentem, & solum torcular prementem vice totius humani generis.

CAP. 3.

Cap.3. בית עליון *sive* ὑπερῷον. *Ipse vobis demonstrabit* Cœnaculum. *Marc.* 14. 15. *Et cùm introissent ascenderunt in* Cœnaculum. *Act.*1. 13. *Quam cùm lavassent posuerunt eam in* Cœnaculo. *Act.*9.37. *Exsurgens autem Petrus venit cum illis, & cùm advenissent duxerunt eum in* Cœnaculum. *v.* 39. *Erant autem lampades copiosæ in* Cœnaculo *ubi erant congregati. Act.* 20. 8. *Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus, &c. v.* 9.

INterp. Lat. vertit *Cœnaculum*, Mar. 14. 15. quòd nempe mos esset cœnare vel prandere in superiore ædis parte. Sed mos iste Romano ũ erat (imò nec eorũ:) Judæi nullam hîc cœnam celebrabant præter Paschalem (ut Christiani postea Dominicam eodem in loco.) Erat illic eorum *Beth Taphillah* vel *Domus oratoria* in summitate ædium. Discipuli igitur à monte Oliveto reversi Hierosolymas *ascenderunt in superiorem ædis partem*, ubi *perseveraverunt unanimiter in oratione*, Act. 1. 13, 14. Paraphrasta Syriacus Ms. in Act. Apost. in Arch. Bibl. Bodl. in locum inquit, eundem locum fuisse in quo Pascham celebrassent. Erat adeò verè Domus Orationis ut ab aliquibus ipsius Templi superior pars putetur. (Lud. de Dieu Animad. in Act. 1. 13.) Ità enim ex tractatu præcedenti videri potest: ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ, Cap. 24. 53. *& erant assiduè in Templo*, &c. Geographus Arabicus Nubiensis clim. 3. par. 5. p. 113. locat hanc partem ædis superiorem in Templo Sionis, *ubi adhuc*, inquit, *est mensa illa super quam Dominus noster edit cum Discipulis suis, & solenniter visitur die Jovis:* illum, uti opinor, intelligit qui proximè præcedit festum Paschæ. Huic observationi Domini de Dieu hoc addidi quòd illius opinionem primâ facie confirmare videatur, licèt postea nihil minùs facturum sit. Secundum æquè ac primum Templum habuit sua ὑπερῷα (1 Chron. 28. 11.) eáque sacri usûs, quanquam non hujus generis. De cæteris ex una eáque præcipua, nihil tamen ad rem, facile est judicium. Codex Middoth meminit ὑπερῷου in secundo Templo, *cujus paries Occidentalis prominebat in Sanctum Sanctorum foraminibus quibusdam pervius*, &c. Sequitur in Mishna *horum usum fuisse ut cùm opus esset* (ut ibi Glossa) *per ea in Sanctum Sanctorum dimitterentur artifices per funes in cistis ad illud reparandum*, &c. כרי שלא יזנו עיניהם *nè oculos pascerent* (ità textus exprimit) *visione præsentiæ quæ illic erat.* Talmud in Middoth c. 4. fol. 37. 2. Ut more nostro loquamur, Profanis & plebeiis hujusmodi hominibus non permissum est intrare per fores, aut plus videre sancti illius loci quàm quod ab illis erat reparandum. Superstitionem huic mori nec denegabo nec imputabo: sed cùm illorum extrema cum nostris confero, doleo recordari nos vice *Sanctitatis* in thorace Aaronis *spurcitiem Domino* inscripturos esse. Sed ad rem; cùm considerandum venerit cujusmodi ὑπερῷον fit de quo agimus, non erit exspectandum ut tale in Templo inveniatur. Non obstante igitur conjecturâ D. de Dieu certum erit hoc ὑπερῷον in quod Apostoli ascenderunt (Act. 1. 13.) fuisse in domo privata: quanquam sive illa fuerit S. Joannis Euangelistæ, ut Euodius tradit, sive Mariæ matris Joannis Marci, non constet. Erant certè discipuli διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ *assiduè* (h. e. quotidie) *in Templo*, Act. 2. 46. Non per totum diem sed horâ orationis, ὥρα τῆς προσευχῆς Act. 3. 1. Aliis temporibus, præsertim *Frangendi panis*, h. e. *Eucharistiæ* (ut Syriac.) vel *distributionis corporis Christi* (ut Arabic.) convenerunt ἐν ὑπερῴοις Act. 20. 7. quæ in Templo esse non potuerunt; non enim erant Hierosolymis. *Mansserunt assiduè in Templo uno animo* (sed) *Frangentes panem per domos* κατ' οἶκον, vel, ut margo, *Domi*, Act. 2. 46. Et nunc ad interpretationem verbi, hoc oportet meminisse, Judæos nempe teneri in Templo adorare versûs Arcam; extra Templum verò versûs illud, vel saltem versûs locum ubi esset situm qualiscunque esset distantia. Observatur hoc à Caso Effendo Commentariis in Alcoranum (Arab. Ms. in Archiv. Laudinis Bibl. Bod.) ad *Sura tol bacara* (quod est Caput secundum) ubi inquit *Nazaritas* (ità appellat Christianos) *adorare versûs Orientem, Judæos verò versûs patriam suam.* Canones pro hoc ex 2 Chron. 6. citantur à Talmudistis in Beracoth, cap. 4. fol. 30. à Maimon. in Halaca Tephilla cap. 5. fol. 42. Orach chajim Num. 94. Shulthan Aruch num. eod. fol. 40. Et regula stricta admodum est: nam Mishna ait quòd *Si quis horâ orationis vehatur Asino, debuerit descendere si poterit, sin minùs, utcunq; faciem suam vertere versûs Sanctuarium. Eodem modo qui curru aut navi vehitur: quòd si faciem non poterit, cor vertere debuerit versûs Sanctuarium.* Talm. in Berac. c. 4. fol. 28. Maim. Halac. Tephil. c. 5. num. 3. Monendus est itaque Lector illius quod in viro docto Schickardo De Jure Reg. Heb. occurrit, ubi ait *se, quanquam nesciat utrùm Judæi* (ut nos Christiani) *mortuos suos sepeliant versûs Orientem, tamen certum esse eos illuc versum orare.* Ità quidem, sed de illis intelligere debemus qui habitant Hierosolymis ab Occidente. Ità etiam Rabbinus eorum Leo Modena De gli Riti Heb. di questi tempi Part. 1. c. 10. num. 3. intelligendus, ubi ait, *Dalla parte di Oriente è posto un arca*, &c. Judæos arcam collocasse in parte Orientali Synagogarum. Tractat de modernis Judæorum ritibus secundùm quos habere tenentur cistam parvam referentem, ut maximè potest, formam Arcæ veteris, in quam reponunt libros Legis, & versûs quam orant. Hanc in illa parte Synagogæ locant quæ Judæam respicit, ideóque in Italia, & Occidentalibus hisce regionibus, Orientali. Quod ad Joh. Baptist. Bellum De Templo Augurali c. 9. pag. 164. qui asserit Judæos intra Templum Salomonis adorasse versûs Occidentem, extrà verò versûs Orientem, memini legisse proverbium in Centuriis Arabicis, *Errores sapientum esse versûs Occidentem*; si concedam doctè, tamen fatendum est etiam eum satis errasse. Scio Templum Salomonis situm fuisse ad Occidentem, & quare. Scio adorantes in Templo eò se vertisse, non ad Occidentem sed ad Arcam quæ collocata fuit parte Sanctuarii Occidentali. Extrà adorabant versûs Templum ipsum, & pro distantia habitationum versûs sanctam Civitatem vel Terram sanctam. Et de hac re quodcunque, ubicunque, dixerint ad hanc regulam examinandum erit. Jam ut hunc ritum religiosum meliùs observarent, privata Oratoria in superioribus tabulatis constituerunt, ideo illis עליות dicta ab עלה *ascendere*, quod Græci optimè reddiderunt (& ab illis autores N. Testamenti) ὑπερῷα. Ità Syrus & Arabs transtulerunt, vel potiùs expresserunt; nam faciunt plerumque per idem verbum. Ità verti debuit Originale Dan. 6. 10. Jer. 22. 13, 14, & alibi; non simpliciter *cubicula* (ut nos) sed *cubicula superiora.* Hic (ut posthac) omnem cum doctis istius libri Interpretibus litem interdico. Est opus: illud *usq; ad invidiam aliarum gentium elaborata versio*, ut dixit Drusius, acris judicii vir. Verùm ut ostenderet quàm inutiles simus nos homines etiam cùm omnia quæ possumus fecerimus, tradunt Judæi Deum cùm Mundum conderet partem unam de industria imperfectam reliquisse. Eleazaris est traditio in Zohar, פנה צפון לא גמרה *reliquit foramen in Septentrione.* Jam, quod ad verbi Notationem, ὑπερῷον, inquit Eustathius Il. σ'. venit à Lacedæmonio ὦρα, ità enim vocant τὰ μετέωρα τῆ οἰκιῆ μάτων *partes domuum supremas.* ὑπερῷον (inquit Moschopulus περὶ χαλῶν pag. 138.) οἴκημα τὸ ὑφ' ἑτέρῳ ᾠκοδομημένον ὃ παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς Διῆρες λέγεται, *cubiculum cubiculo superstructum*, &c. & ὑπερῷον interpretatur per Διῆρες, ut Hesychius Διῆρες per ὑπερῷον, κλίμαξ & ὑπερῷον per ἀνάγαιον, ut hæc domus superior dicitur Marc. 14. 15. Luc. 22. 12. Ità Græci eandem rationem reddunt hujus verbi quam Hebræi Grammatici עלית *Alijoth*; *ità dicuntur*, inquit Kimhi, *quia per ascensus adeuntur, utpote in superiore ædium parte.* Ἀνάγαιον in Euangeliis idem est ac ὑπερῷον Act. c. 1. eadem domus superior (si modò rectè observaverit Scholiastes citatus). Utcunque, diversa verba idem significant, & Arabicè, & Syriacè per Hebræum *Alijah* redduntur utroque in loco. Jam quomodo hæc teneant videbitis. Propheta Daniel (Dan. 6. 10.) *post signatum*

edictum ingressus est domum suam, & apertis fenestris in cubiculo suo (verti debuit *in cubiculo superiore*) *contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo*, &c. Græca, Καὶ ἀνοιχθείσης ἀνεῳγμένων αὐτῷ ἐν τοῖς ὑπερῴοις κατέναντι Ἰερουσαλήμ. Huic mori Danielis innititur Canon ille Talmudistarum in Beracoth, *Ut nemo oret nisi in tali cubiculo, Shejesh bo Challonoth, quod habeat fenestras apertas versùs Civitatem Sanctam.* Et Benjamin Bar Jona ait *Judæos sui temporis in Babylone oravisse* בכנסיות ועלייה דניאל, *non solùm in Synagogis sed in ipso hoc Danielis superiore cubiculo. Erat vetus domus saxea* (pergit ille) *ab ipso Propheta ædificata*, &c. Obiit Bar Jona anno 933 computationis Judaicæ, (Juchasan fol. 131. Tsemach David fol. 55.) h. e. nostræ 1173. Clariora fient omnia ex hac traditione in Tobit. Sara filia Raguelis cùm adversis urgeretur Ecbatanis dicitur ascendisse אל עלייה אביה, *in superius cubiculum patris sui* (ità Hebraica aliquot exemplaria hujus libri (Tobiæ versio Arab. MS. in Arch. Bodl.) *& ibi orasse*, &c. Versio quædam Arabica quam legi ità reddit, מצת אלי כצנע ביתהא ולמתכל, *ascendebat in cubiculum domûs suæ, & non edit*, &c. Videtur autor non satìs locum intellexisse. Verùm exemplar originale Hebræum (ità editio Judæorum Constantinopolitana, iterum postea excusa, & à Paulo Fagio translata, ut creditur) ità reddit, *Quòd ascendit in superiorem partem ædis, & vertens se* נגד החלון *versùs fenestras adoravit, & dixit*, &c. Græcè rectè vertitur ἐπὶ τῇ θυέλῃ· & quamvìs ibi non dicitur illam *ascendisse*, tamen expressè dicitur illam *descendisse* ἐκ τοῦ ὑπερῴου *ex superiore cubiculo patris sui*, inquit editio Hebræa Munsteri. Græca ed. habet ἐκ τῆς ὑπερῴας αὐτῆς, *suo*. Original. Hebr. *è cubiculo superiore patris sui in quo orasset*. Notandum hìc quòd vice phraseos ἐπὶ τῇ θυέλῃ editio Hebr. Munsteri legit, *oravit* לפני השם *coram facie Domini*, h. e. versùs Sanctuarium illius quod erat Hierosolymis, ubi Shechina sedebat: ideóque hæc, vel hoc in pariete foramen (erat enim plerumque unum tantùm) à Jeremia propheta dicitur *Fenestra Dei*, cap. 22. 14. *Væ qui dicit, Ædificabo mihi domum latam, & cubicula spatiosa* (ὑπερῷα, ità & v. 13.) *qui aperit sibi fenestras* (legendum *fenestras meas*, ut rectè observatum in margine) *& facit laquearia cedrina, pingítque sinopide.* Sensus est, Siquis (de Rege dictum) struxerit sibi ædificium vastum & magnificum & dedicaverit ὑπερῷον honori & cultui meo, *& fecerit fenestram apertam versùs Sanctuarium meum, & laquearia cedrina, pinxerítque sinopide, tamen si per injustitiam & oppressionem fecerit, Væ* illi & magnificentiæ suæ. Hìc Petronio lucem afferre & ab illo vicissìm mutuari possumus. Ille has *fenestras*, vel hæc *foramina in pariete* vocat *summas Cœli auriculas*, ut ante me vir doctus Petitus, Variar. lect. l. 2. c. 1. observavit.

Judæus licèt & porcinum Numen adoret,
Et Cœli summas advocet auriculas.

Intelligit præcipuè Petronius illorum Proseuchas, quarum parietes hujusmodi foraminibus versùs Hierosolymas erant aperti. Verùm eodèm res redit. Sed ut omnia reddamus certiora, & quæ fuerint ὑπερῷα, & quis eorum usus, ipsius S. Lucæ temporibus, accipite hanc seniorum traditionem è Codice Beracoth c. 5. fol. 34. b. שחלה בנו של ר' גמ' *tradunt seniores, filium Gamalielis* (illius nimirum ad cujus pedes educatus est S. Paulus) *ægrotasse, & misisse duos è Discipulis suis ad R. Hanina Ben Dosa petituros ut pro se Deum oraret:* quamprimùm illos vidit עלה לעלייה (ἀνέβη εἰς τὸ ὑπερῷον) *ascendit in suum Alijah*, sive ὑπερῷον, *& ibi precatus est Deum ut ægroti misereretur: cúmque iterum descendisset, inquit Discipulis, Abite, febris enim cessavit*, &c. Adhuc argumentum est separationis & sanctitatis horum ὑπερῴων, quòd maximè idonei visi sunt istorum parietes quibus Phases Lunæ inscriberentur, דמות צורות לבנה *Idem Rabban Gamaliel habuit imagines, vel similitudines, Solis & Lunæ in tabulis, & super parietibus sui Alijah*, vel ὑπερῴου, *quas plebeiis ostendit, & quasivit utrùm appareret ità vel ità. Ex. gr. Duo affirmarunt se vidisse Lunam*, &c. Mishna Talm. in Ros. Hassan, fol. 24. a. Gemara Tal. in Avoda Zara, fol. 48. a. *A Luna* (inquit Syracides) *est signum festorum.* Civilis etiam, præcipuè verò pars Religiosa Calendarii Judaici ab his Apparitionibus Novæ Lunæ pendebat, quarum relationes factæ erant à plebeiis. (Leon. Modena De gli Riti Hebraici di questi tempi part. 3. c. 2. Num. 2.) De his Sanhedrin judicabant, præsertim Præses concilii, qui tunc erat Gamaliel. Ille diversas Apparitiones Novæ Lunæ Agricolis ostendit in parietibus ὑπερῴου sui pictas, & interrogavit num ità essent nécne. Horum responsa ille ad Tabulas examinavit quæ illi suppeditabant locum Lunæ, & aspectum illius ad Solem, ad Tempus datum; & sic de Neomeniis judicabant in Beth Jaazak, sive magnâ curiâ, Hierosolymis, Rosh. Hashan, f. 23. b. Ideóque ut religiosum & solennem testarentur hunc morem, tabulæ in parte totius ædis Rabbani sanctissimâ, seu ὑπερῴῳ, erant dispositæ. Non erit mihi forsan abs re ad ea quæ postea suo loco dicentur, si hìc addam Mahumetanos eundem modum tenere Calculationis Lunaris. Albategnius inquit *observationem Phaseos Lunæ principium esse sui Tarick*, vel *Calendarii*; cujus regulæ & observationes petendæ sunt ab Alphragano, Tabulis Astronomicis Marocc. & Alkasii Cyriaci Arabicè MS. in Arch. Bibl. Bodl. Olim à Doctissimo Scaligero observatum est hanc causam fuisse cur illi pinnacidiis Mosquorum figuram Lunæ crescentis, ut nos Templorum nostrorum Galli figuram, imponant. Navibus etiam addunt, ut Ethnici Castorem & Pollucem. Revera insigne est Imperatoris Turcici, sed illi cum Persis commune. Sed (ut ad ὑπερῷον redeamus) unum insuper notandum est. Hebræi doctores sapientes suos vocant בני עלייה *Filios Cœnaculi*, ut in vetere quodam dicto illorum in Succah, fol. 45. b. R. Jeremias dixit ex traditione R. Simeonis Ben Jochai ראיתי בני עלייה והן מועטין, *Vidi Filios Cœnaculi, & ecce pauci erant:* ubi Glossa שבני עלייה כת המקבלין פני שכינה, *Filii Cœnaculi sunt illi qui sistunt se coram Shechina*, sive speciali Dei præsentia *in Sanctuario:* h. e. illi qui prospiciunt ex fenestra Dei in ὑπερῴοις versùs Hierosolymas pauci sunt. Doctus Maimon in More Nevoch. part. 1. c. 34. fol. 22. b. Aben Tybb. Heb. Transl. hoc proverbium intelligit de paucitate sapientum. *Hinc dicitur* (inquit ille) *expressè, Non multi sapientes sunt: & huc pertinet illud Rabbinorum nostrorum, Vidi filios Cœnaculi, & erant pauci. Nam plurima sunt quæ nos à perfectione arcent & detinent*, &c. Et facili negotio hæc cum Glossa conciliabimus: neque enim adeò distant vera Sapientia & Precationes. Certè *Principium* hujus *sapientiæ* necesse *est* ut sit iste *Timor Domini.* Et jam satìs probatum est ὑπερῷα in Scriptura sumi non posse sensu Romano, ut ab Ulpiano in Lege ff. De his qui effud. vel dejec. L. Prætor. ait, Si fil. fam. De offic. Præfect. Vigil. L. Nam Salut. Ut curam. Ubi inquilinis mandatũ est ut ab incendiis caveant nè eorum negligentiâ contingant; *præterea ut aquam unusquisque in Cœnaculo habeat.* Hìc quidem ὑπερῷα sunt vilissima pars ædium ——

——*Et rarus venit in Cœnacula miles,*

sed non *Apostolis ut peregrinis & tenuis fortunæ tributa*, &c. Heinsius in Act. Quod ampliùs à doctis non est observandum. Notari potest ex Varrone & Vitruvio antiquorum Romanorum domus unam tantùm habuisse contignationem. *In ea autem majestate urbis & civium infinita frequentia* (inquit Vitruvius Architectus, l. 2. c. 8.) *coacti sunt exstruere altitudines crebris contignationibus coassatas* (ità legendum, non *coaxatas*, ut Philander edidit) *& cœnaculorum summas utilitates.* Et postea meliùs convenire magnificentiæ suæ civibus visum est si superiore domûs parte cœnarent (quod adhuc obtinet) potiùs quàm *Areâ planâ*, ut à Vitruvio dicitur. Jam verò Varro ultrà observavit quòd ex quo hic mos receptus

ceptus sit *omnia superiora domûs dicebantur Cœnacula*, etsi verbum hoc primariò pertineat ad secundam contignationem ubi cœnare consueverint. Hoc probat illam versionem vulgatam Act. 20. 9. quæ ἔπεσεν ἀπὸ τῦ τριστέγυ reddit *Decidit è tertio cœnaculo*. Sic & infima domus dici potuit Cœnaculum. Verùm Cœnaculum apud Romanos sensu recentiore & magis usitato sumitur pro ista parte domûs quæ nobis dicitur **the Garret** vel **Cockloft**, quæ quidem erat vilissima & plebeiis hominibus elocata. Nec erant nisi tenuis fortunæ viri qui elocabant: nam Conductor in Lege dicitur *Cœnaculariam exercere*. Sed ad rem. Cœnaculum in hoc sensu in Scriptura nunquam dicitur ὑπερῶον (vix etiam alibi.) Ità certè dicitur in Jure Orientali: nam in Glossis ad Basilica ὑπερῶον exponitur τὸ ἄνωθεν κατασκευασθὲν τῆ μισωδίνι & εὐάερος οἴκημα. Itaque Cœnaculum in sensu posteriore non omnino refertur ad Cœnam vel Prandium, nec per illud potest reddi τὸ ὑπερῶον in Scriptura. Hæc cœnacula Romana non erant apta recipere centum & viginti homines. Act. 1, 15. Si hæc minùs concordant cum Novis Annotationibus ipse non sum incusandus, nolim etiam nimiùm suas putent. Ad ἀνάγαιον, Marc. 14. 15. (quod ut priùs dixi idem sonat ac ὑπερῶον in Actis) hæc annotant; *Verbum Græcum significat istam partem domûs quæ est à solo remotissima* (huc usque rectè) *cuicunque usui destinata sit; & quoniam sæpe in ea domûs parte cœnabant vocarunt Cœnaculum.* Sed quia non solebant cœnare in ista parte domûs, ideo hæc non est ratio. Ad Luc. 22. 12. Ἀνάγαιον] Nota eorundem est, *quod habere solebant ut pro receptione peregrinorum, ità præcipuè pro Paschate.* Illud (*præcipuè*) bene inseritur. Errorem non miror, utcunque magnum: nam sensu τῦ ὑπερῶν non rectè intellecto fieri vix potuit quin errarent; sed pessimè factum quòd eundem locum utrique usui destinaverint, nè dicam profanè. Neque enim est idem peregrinos hospitio excipere, & communicare in Sacramento. Verùm (nè ulteriùs deviemus) ὑπερῶα in Scripturis ejusmodi erant ac dixi, loca nimirum in ea parte domûs quæ erat à solo remotissima, à Judæis ad preces privatas separata, versùs Salomonis Templum spectantia aut locum illius; quibus ob Consecrationem & convenientem recessum Apostoli utebantur more Christiano. Huic contrarium, ut videri possit, dicitur Petrus *Ascendisse*, non εἰς τὸ ὑπερῶον, sed, ἐπὶ τὸ δῶμα ἀναβῆναι, Act. 10. 9. Hîc si Hieronymum sequi vellem Dan. 6. 10. & Erasmum Marc. 14. 15. res esset extra dubium: nam illis δῶμα & ὑπερῶον idem significat: his assentitur Doctiss. Mead, & ait significationem esse ex usu Helleniſtarum. Ità revera esse vix crediderim. Scriptura certè distinguit inter δῶμα & οἶκος 2 Sam. 11. 13. & οἰκία Mat. 24. 17. & ὑπερῶον 2 Reg. 23. 12. ubi dicitur καὶ τὰ θυσιαστήρια τὰ ὄντα ἐπὶ τῦ δώματος τῦ ὑπερῴου Ἄχαζ, *Altaria quoq; destruxit quæ erant super tecta cœnaculi Ahaz.* Dicitur autem Petrus *ascendisse* ἐπὶ τὸ δῶμα. Non propriè dicemus eum ascendisse in superius cubiculum; dixisset enim εἰς vel ἐν δῶμα· sed Petrus *ascendit super tectum.* Saxon. þæne hpop *Tectum Domûs.* Ità Syrus; Arab. *Tectum planum*; plana enim erant eorum tecta. Petrus tunc temporis divertebat Joppæ in domo Simonis Coriarii, quæ, ut videtur, non erat adeò magnifica ut haberet hujusmodi ὑπερῶον religiosum, ideóque ejus vice usus est tecto domûs. Si fuisset ὑπερῶον in illud ascendisset, ut S. Paulus Troade Act. 20. 8. & S. Petrus etiam in eadem civitate Joppæ, sed in domo viri melioris notæ, Act. 9. 37, 39. nam utraque hæc ὑπερῶα probabo ejus generis fuisse de quo nunc sermo. Et quod ad illud Troade patet; erant enim ἐν ὑπερῴῳ multæ lucernæ, discipuli illic erant congregati, & Paulus ibi concionatus est. Ulteriùs etiam notandum Juvenem sedisse in fenestra Dei ἐπὶ θυείδος, & indè decidisse (ut olim Ahaziah 2 Reg. 1. 2.) Fuerat antea Dei, sed erat jam extra cultum Judaicum. Quòd autem ad illud Joppæ sic arguo, Tabitha *ægrotavit & mortua est*, & *cùm lavissent posuerunt eam in cœnaculo*, ἐν ὑπερῴῳ. Mahometani ad hunc usque diem simul ac laverunt mortuos reponunt in ejusmodi loco ut facies & pedes directè vertantur versùs Alkibla, sive Templum Mecchæ, ut Sharach Almenhag & Hali Ben Moses in Rituali Rhythmico, MSS. in Arch. Laudin. Bibl. Bodl. Qui tantum scit quantum quivis facilè possit de eorum moribus, non ibit inficias partem illorum religionis Ceremonialem totam descriptam fuisse ex exemplari Judaico. Hoc brevissimè demonstrabit (ut omittam Lunares Calculationes de quibus antea) illorum Kibla. Verbum apud illos (ut & apud Hebræos) significat τὸ ἀντικείμενον *quicquid adversùm vel è regione sit*, & ideo locum versùs quem orabant dixerunt *Alkibla. Primò adorabant* (inquit Ibn el Sahan Hist. Arab. MS. Arab. in Arch. Laudin.) *versùs Templum Hierosolymitanum, postea* (ut nunc) *versùs Templum Mecchæ.* Et hoc idem Autor vocat *Mutationem Kiblæ.* Jam hoc ipsum est casus Kiblæ & spectandum non modò in omni adoratione externa, sed & in situ Templorum, & positione mortuorum. Sed de hoc plenius in alio tractatu cui ultimam brevi imposuero. Cùm igitur illi & Judæi olim habuerint communem Kiblam, & jam eandem habeant per imitationem, facilè sequetur quod volumus. Hinc assumo veterē fuisse morem funebrem Judæorum corpora mortuorum lota eò deferre ubi optimè componi possent situ hoc religioso, nempe ut facies & pedes dirigerentur versùs Hierosolymam. Ideóque cœnaculum in quod delata est Tabitha erat ὑπερῶον. Non sum intelligendus ac si dixerim eam eò delatam ut componeretur versùs Hierusalem. Ritus funebres illius jam futuri erant Christiani. Ideo factum ut componeretur facie & pedibus Orientem versùs, quod commodè fieri potuit in isto ὑπερῴῳ, erant enim Hierosolymæ Joppæ ab Oriente. Quòd hoc probationis genere usus sim impræsentiarum coactus feci, quòd mihi non satisfeci de Ritu Judaico positionis mortuorum. Schickardus fatetur se illum nescire quanquam cum illis vixerit. Et [Leo Mod. De gli Riti Hebr. part. 5. c. 1.] quidam è Rabbinis eorum, nihil plus dicit quàm quòd corpus componant *co' piedi verso la porta dalla camera, è una candela da capo posta in una pignatta di cenere, Pedibus versùs cubiculi fores versis, candelâ cereâ ad caput locatâ, impositâ urna cineribus plena.* Sed quicunque sit mos hodiernus, antiquus sit necessum est sepelire versùs Hierosolymas; etsi aliam autoritatem quàm imitationem Mahometanam afferre non potero, verum esse nihilominus patebit à Kibla; nam omnes eò versùs mortuos sepeliunt quò adorant, ut in tractatu modò citato demonstrabitur. Act. 18. 22. legitur, *Et Paulus descendens Cæsaream ascendit, & salutavit ecclesiam, & descendit Antiochiam.* Doctissimus Mead hîc colligit à verbo ἀναβὰς Paulū ascendisse in ὑπερῷον, idq; potiùs quia (ut De Dieu observat) Æthiop. reddat, *Et descendit Cæsareā, & ascendit in domū Christianorū, & salutavit eos, & abiit Antiochiam.* Hanc observationem multum habere confiteor solitæ illius felicitatis & judicii in exponendis Scripturis, sed contextus alium sensum flagitat. Paulus modò discesserat Epheso, ubi *Rogantibus eis ut ampliori tempore maneret, non consensit, sed valefaciens, & dicens, Iterū revertar ad vos, profectus est Ephesum, & descendit Cæsaream*, Stratonis scilicet, quæ via erat Hierosolymas tutissima: brevius fuisset iter per Joppam. Hæc Jaso sive Joppa à Geographo Arabico Nubiensi Clim. 2. part. 5. dicitur *Portus Jerusalem*; sed erat admodum periculosus, quæ causa esse poterit cur Herodes veterem portum Cæsareæ refecerit magnis sumptibus, & tantâ vi quantam Ars inferre Naturæ possit maximam. Josephus De bello Jud. lib. 1. cap. 6. Paulus itaque cùm Cæsaream appulisset, ascendit, ità Arabs & Syrus Græcam exponunt h. e. ascendit Hierosolymas, quod verbum ἀναβὰς innuit: nam in tali circumstantia nihil ampliùs dicere quàm eum *ascendisse* idem est ac dicere eum *ascendisse Hierosolymas.* Quædam Syriacæ versiones ità legunt. Quid aliud sibi velit Tremelius nescio, cùm ait, *Quadam exemplaria non habent nomen Urishelem:* nónne hoc est dicere aliqua exemplaria habere? Non invenio in excusis nec in quibusdam bonæ notæ Mss. exemplaribus: utcunque non omnino inveniretur necessariò ad sensum loci suppleri aut subintelligi debet: non enim est dubium quin Apostolus hoc tempore

aſcenderet Hieroſolymas; dixit enim Epheſiis, omnino *oportere ſe aſcendere*, nec aliter fieri potuit quàm à Cæſarea: nam Cæſareâ Antiochiam iviſſe idem eſſet ac ſi rediiſſet Epheſum, & indè petiiſſet Hieroſolymas, quò ſe reverſurum ab Hieroſolymis Deo volente promiſerat. Sunt adhuc quædam Scripturæ loca quæ hîc veniunt conſideranda; 1 Reg. 10. 4. 2 Paral. 9. 4. quibus utriſque locis vertimus *Aſcenſum Salomonis*, quanquam in poſteriore debet eſſe ὑπερῷον. Notatur illic (ut illa in Jeremia) pro parte totius domûs regiæ artificioſiſſima, & inter ea numeratur quæ tantopere admirata eſt Regina Shebæ, etſi non ſolùm ob ſtructuram erat notabile hoc ὑπερῷον, ſed & ob aſcenſum magnificum quo indè in domum Domini aſcendebat. Pſal. 104. 3. dicitur *Deus ponere nubem aſcenſum ſuum* (ὑπερῷον.) Interpres Saxon. rectè þæ uplacen. Judic. 3. 20. *Sedebat Eglon in triclinio ſuo æſtivo*, vel *triclinio refrigerii*, ut margo in Bibl. Angl. Verbum Hebr. eſt *Baalijah in Cœnaculo refrigerii*, ut alii meliùs. 2 Sam. 18. 33. *Contriſtatus autem Rex aſcendit cœnaculum portæ.* Dicitur Sunamitis feciſſe Eliſæo Cœnaculum parvum, & poſuiſſe in eo lectulum & menſam & ſellam & candelabrum, &c. 2 Reg. 4. 10. Hujuſmodi cœnaculum vidua Sareptæ paravit pro altero illo viro Dei in quo *poſuit puerum ſuper lectulum, & clamavit ad Dominum, & dixit, Domine Deus meus*, &c. Dicitur inſuper Hezekiah cùm ægrotaret in lecto vertiſſe faciem ſuam ad parietem, & oraſſe. Ad has Lectiones notandum, Verbum *Alijah* non ſemper ſumi ſenſu principali & religioſo, ſed tum cùm ponitur abſolutè; aliter ponitur cum nota diſtinctionis in alio ſignificatu, ut *Cœnaculum portæ* 2 Sam. 18. 33. *Cœnaculum refrigerii* Jud. 3. 20. *Cœnaculum parietis* 2 Reg. 4. 10. Patet inſuper præter ὑπερῷον domûs, etiam cubicula Prophetarum, quæ erant ejuſdem naturæ, aperta fuiſſe verſûs Jeruſalem. Morbi etiam, præter alia, his neceſſitatem orationum impoſuerunt, ideóque & hæc ſpectabant civitatem ſanctam: quòd ſi hoc fieri non potuit, habendus erat reſpectus parietis qui erat ex illa parte cubiculi. Quare *Hezekias vertit ſe ad parietem, & oravit.* Targum Jonathæ reddit *ad parietem Sanctuarii*, intelligens (inquit Abrabaniel in Eſai. 38. 2.) *parietem Occidentalem ubi Arca ſtetit.* Hæc quidem vera ſunt, ſed ſenſus proximus eſt quòd Rex vertit ſe ad parietem cubiculi qui Arcam ſpectabat, quæ ſtetit ſub Occidentali pariete Sanctuarii. Fieri poteſt ut hic paries inſcriptum haberet titulum aliquem Reverentiæ ſeu Memorativum; Nam Judæi hodie parietibus inſcribunt Orientem, Occidentem, Septentrionem, Meridiem, pro ſitu regionis in qua ſunt ab Hieroſolymis, ut ſciant quò verſùm debeant orare. Judæi in Occidente, ut Italiâ, Germaniâ, &c. inſcribunt מזרח h. e. *Oriens*, quia Hieroſolymæ ſitæ ſunt illis ad Orientem, ut obſervavit Schickardus, & mihi per literas reſpondit Menaſſe Ben Iſrael. Annon hoc genus cœnaculum dicatur hac de cauſa Cœnaculum קיר vel *Parietis?* Nihil ſtatuo; quanquam hunc ſenſum recepto præferendum ſciam. Iterum, Herodotus refert quòd cùm Sennacherib Rex Aſſyriæ exiret contra Ægyptum, Sethon (antea ſacerdos Vulcani, tunc Rex) ad incitas redactus, tranſfugientibus ſuis, receperit ſe in *Cœnaculum* (ità interpres) & ibi doluerit vicem ſuam coram Diis. Hic ſucceſſus ſequebatur: Copiæ Aſſyriorum ab exercitu murium erant diſſipatæ, & ſtatua Sennacherib poſita erat in Templo Vulcani Murem in manu tenens, & hæc dicens, ὡς ἐμέ τις ὁρέων ἐυσεβὴς ἔσω, *Qui me viderit, pius eſto.* Hinc mihi ſubiit cogitare annon inter Ægyptios aliquo modo in uſu eſſe poſſet ὑπερῷον Hebræorum. Sed nihil obſervavi præter errorem in verſione. Græcè eſt ſacerdotem iviſſe εἰς τὸ μέγαρον. Scholiaſtæ Homeri & Heſiodi, ut & Phavorinus, aiunt verbum primò ſignificaſſe ὑπερῷον *Ædificium magnificum*, vel *Domum Magnatis:* acceptum eſt poſtea pro *quavis domo.* Certè ea eſt verbi latitudo ut tam *ſtabulum* quàm *palatium* ſignificet; hoc enim ſenſu legitur. Sed Julius Pollux ponit hoc verbum inter Loca ſacra, ideóque ibi reddi non debuit *Magalia.* A Suida Μέγαρον citatur pro loco ſatìs ſancto, nempe Adyto in quod ſolus ſacerdos intravit. Et hoc voluit Herodotus, nempe quòd Sethon intravit εἰς μέγαρον *in Adytum* templi Vulcani, & ibi ſtatum rerum ſuarum expoſuit θεὶς τὸ χρηλάμενον *coram ſimulacro.* Herodot. Euterp. Talmudiſtæ aliter utuntur verbo Alijah in Nidda fol. 17. b. pro utero mulieris. Locus citatur ab Aruc, & indè à Druſio Adag. Hebr. fol. 106. qui hoc proverbium habet *Ovis cecidit ſupina, & ſanguis exiit è Cœnaculo.* Sed valdè errat; nihil enim ibi eſt aut Ovis aut Proverbii, ut D. Buxtorfius monet in Addendis ad Lex. Talm. Col. 2676.

CAP. 4. *Et morebunt atq; lugebunt porta ejus, & deſolata in terra ſedebit*, Iſai. 3. 26.

DEſolatio in Scripturis exprimitur etiâ per *Silentium*, & *Seſſionem in terra:* per primâ, quia Triſtitia magna ſilet; & ſeſſio in terra non videtur tam à more luctûs Judaici quàm à Natura derivata. Ità Ezech. 8. 14. *Mulieres ſedebant plangentes Adonidem.* Amos 8. 3. *Et ſtridebunt cardines Templi in illa die, dicit Dominus Deus: multi morientur: in omni loco projicietur ſilentium.* Ut ipſæ res Seſſio & Silentium vix ſeparatim accidunt, ità ut plurimùm conjunctæ ponuntur. Job. 2. 13. *Et ſedebant cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Ità Iſai. 47. 5. Lament. 2. 10, &c. Hoc ex contrario magìs elucefcet. Sed primùm omnium notandum quòd in Judiciis capitalibus ut Suſpenſionis, Lapidationis, &c. omnes ploratus vetiti fuerunt Lege Romanâ & Judaicâ. Romanâ, De his qui not. inf. L. Liberorum. § Non ſolum. Judaicâ, ſub titulo Sanhedrin, C. 6. fol. 46 b. in Miſhna, לא היו מתאבלין אבל איננין שאין אבלין אלא בלב אינורת, *Hi non ſunt lugendi luctu lugentium ſed ſolùm in corde:* h. e. (inquit Gloſſa) *non lugendi ſumptuoſo & ſolenni funere* אלא בלב, ſed obſcuriſſimo, &c. Col. 2. Funus illis negligenter ordinatur, & relinquuntur in ſtatu non multò Aſinis meliore, fol. 46 a. Hinc ratio patet cur Beata Virgo & reliquæ mulieres quæ ſteterunt è longinquo, (ut alia Euangelia) vel propè (h. e. tam propè ac milites permitterent) non fecerint ſolennem aut ſolitam planctûs oſtentationem. Mater Jeſu extremum dolorem ſenſit neceſſe eſt. Si ipſum ſpectaculum parùm eſſet, tamen ad hæc verba, *Mulier, ecce filius tuus*, non potuit non *converſum fuiſſe in ea cor ejus* (ut de ſe Deus dixit Oſ. 11. 8.) Et nihilominus quanquam *non fuit dolor ullus ſicut illius*, Lament. 1. 12. terribilis eſſe voluit in his laudibus. Hæc cauſa erat cur illa & cæteræ mulieres ſteterunt: ſed de cæteris non eſt adeò mirum. Illa ſtetit firmâ & penè impoſſibili Legis obſervandâ. Non putandum eſt illas ſtetiſſe de more; neceſſarium fuit: nec ſedere tum licuit, quanquam ſedentes ab aliquibus ignaris pingantur. Stare debuerunt ut omnem ſuſpicionem lugendi pro malefico amolirentur. Legimus quidem Mariam Magdalenam & aliam Mariam ſediſſe ex adverſo ſepulcri lugentes, ſed hoc erat poſt impetratam veniam ſepeliendi corporis: hâc veniâ conceſsâ, & cùm Legi ſatisfactum fuit, ſedere potuerunt, & lugere ſuper ſepulcrum ſolenni & uſitato more. Jam ab hac ſeſſione & ſilentio lugentium Judæorum eadem verba uſurpantur de Civitate aut regione, Iſai. 47. 5. *Sede tacens, & intra in tenebras, filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultrà domina regnorum.* Lament. 2. 10. *Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filia Sion*, &c. hic, *Deſolata ſedebit in terra.* Verba dicta ſunt de filia Sion parte præcipuâ Jeruſalem, & de tota civitate & regione intelligenda. Prophetia proximiorem deſolationem denotavit, ſed reſpectum etiam forſan habere potuit ad ultimam illam deletionem à Veſpaſiano. Certè ac ſi ità fuiſſet, reverſæ nummorum tum patris tum filii in hujus victoriæ memoriam pleniſſimo in hæc verba commentario imprimuntur. Vice filiæ Sionis, Mulier ſilens, in terra ſedens, dorſum in Palmam reclinans, cum hac inſcriptione, *Judæa Capta.* Notandum

hic

hîc Reversas mandandis memoriæ victoriis factas, in impressionibus semper habuisse peculiarem respectum ad locum devictum, ut in antiquo numismate æreo Augusti Cæsaris. Facies est gemina, Inscriptio *Imp. Divi F.* hoc non est *Imperatores Divi fratres*, ut Antiquarius Nemausensis (Jean. Poldo De l'Antiquite de la cite de Nismes) vult (*Imperatores* in numismatibus scribitur duplici P.) sed *Imperator Divi Filius*. Augustus enim præcipuè designatur, licèt Julius etiam adsit. In Reversa est Crocodilus ad Palmam catenatus, Inscriptio *Col. Nem.* h. e. *Colonia Nemausensium* vulgò hodie dicta *Nismes* in Languedocia, ad celebrandam victoriam Augusti Actiacam. Palma communis est Ægypto cum Judæa, Crocodilus penè proprius. Et observatu dignum est in utraque devictum Palmæ esse alligatum, quæ est insigne victoriæ. Sed observandum insuper nullam devictam civitatem aut regionem (præsertim ante Titum, quod observare potui) designari in numismatibus per Mulierem sedentem in terra. Non me latet hunc morem sedendi etiam apud Romanos in luctibus obtinuisse. Sed florentem urbem dicere *Dominam regnorum* Isa. 47 6. vel *Principem provinciarum*, Lam. 1. 1. & devictam urbem exprimere per *mulierem sedentem in terra*, merè Judaicum est, vel saltem ab illis derivatum. Ideóque Reversam hanc Imperatoris arbitrarer ex hac Prophetia desumptam. Et cùm mecùm reputo quem locum tenuerit Josephus Judæus in Aula Imperatoris, eúmque interfuisse huic actioni memorabili ad Hierosolymas, facilè suspicor quis contulerit huic Reversæ designandæ. Ut sarta tecta conservetur Versio, confiteor invenire me in Reversis Vespasiani Argenteis Mulierem stantem, & se in palmam reclinantem, cum inscriptione *Judæa Capta*. Hoc primò mirabar: sed cùm observavi manus illius vinctas, intellexi Reversam exprimere voluisse non Deletionem urbis, sed Captivitatem populi.

CAP. 5. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, Mat. 11. 12.

PHrasis duriuscula, si ad nostrum loquendi morem expendatur. Græcum verbum est βιάζεται, & non est reddendum passivè, ut Bezæ placet, sed activè, ut rectè Erasmus & Anglicana versio: ita & Syriaca & Arabica intelligendæ. Modus loquendi referendus est ad hanc Traditionem seniorum. Duo inter se divisum habuerunt hereditamentum sorte æquali, & de uno illorum dicitur שנטל חלקו וחלק חבירו והיו קורין אותו בן חסצן עד יום מותו *quòd abstulerit partem suam & socii etiam, idcóque vocarunt eum Ben Hamtsen Filium violentiæ usque in diem mortis ejus*, &c. Talmud in Joma c. 4. fol. 30. a. Omnino intelligitur per *Regnum cœlorum*, Hereditamentum Sanctorum & medium per quod ad illud perveniunt, *Euangelium Regni* ut ideo ità dicitur Mat. 9. 35. Compara hunc locum cum Luc. 10. 10. Hoc Hereditamentum legatum & divisum fuit inter Judæos & Gentes Christiano quodam **Gavealkin**: primò oblatum fuit Judæo ut suam partem acciperet; illo autem recusante Apostoli excutiebant pulverem de calceamentis & versi sunt ad Gentiles, & Gentilis, instar boni Ben Hamtsen vel *Filii violentiæ*, auferebat & suam partem & illam Judæorum.

CAP. 6. *Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus*, Gen. 7. 12.

DUrante hoc tempore *Noah & Filii ejus* (ità invenio in traditionibus Orientalibus) *solenne jejunium observarunt, non sumendo cibum nisi semel in die*, ונוח אול מן צאם אלארבעין יום אלמקדסה באל ספינה, h. e. *Et Noah primus erat qui sanctificavit* 40 *dies* (vel instituit jejunium Quadragesimale) *in Arca*; Caten. Arab. cap. 24. Quod si ità sit, institutio Quadragesimæ antiquior est quàm videbatur.

CAP. 7. *Cæci & Claudi.*

Dictúmque est David ab eis, Jebusæis, *Non ingredietur huc nisi abstuleris cæcos & claudos, dicentes, Non ingredietur David huc. Proposuerat enim David in die illa præmium, qui percussisset Jebusæum, & tetigisset domatum fistulas, & abstulisset cæcos & claudos odientes animam David: idcirco dicitur in proverbio, Cæcus & Claudus non intrabunt in Templum*, 2 Sam. 5. 6, 8.

UT viam struam interpretationi horũ verborũ quam in me suscipio, inhærebo paululùm non observatis aliquot superstitionibus Antiquorũ in fundationibus & tutelis Urbium & munimentorũ, &c. Certa erat apud timidos Ethnicos regula nihil ordiri inauspicató: quicquid dicamus, illi non sine ratione & experientiâ attestante; fecerunt, semper optato potiti vi arcanæ cujusdam cooperationis, modis æquè ipsis ac nobis incognitis. Ad rem præsentem, primus erat mos iste propitium sibi locum reddendi, conciliando Genium peculiari sacrificio, ἐπὶ δὲ θυσίας τοῦ ἐγχωρίου ἐξιλεώσαντο δαίμονας, &c. inquit Hesychius Milesius de Fundatione Byzantii. Similes ritus usurpavit Alexander cùm Alexandriam conderet, teste Arriano Expeditionis lib. 3. Hujusmodi rituum sæpe meminit Joannes Antiochenus, & post illum Fasti Siculi, Georgius Cedrenus, & alii. Sed potiùs mihi videtur referre aliquid minùs cognitum ex Abdilphakeri Hist. Arab. Fundationis Antiochiæ. Cùm fundamenta hujus civitatis jacerentur ab Antiocho Rege, accidit ut quicquid die effoderent, noctu refunderetur, & artifices phantasmate quodam horrendo ab opere abterrerentur. Rex convocavit Astrologos & sapientes, qui peractis sacrificiis apparitionem Almarick sive *Martis* observarunt. Conclusum est igitur אנדם יבנון עלי אסמה הנכאל עטיבא עלי ויצנעון עליה צורתה ותעלוז אלמריגה טאלעד, *Templum magnificum illius nomini exstruendum, & statuam illius illic ponendam, & fundamenta civitatis jacienda sub illius Ascendente*, &c. *Et festum annuum trium dierum illi consecrarunt*, &c. Et addit Autor (Abdilphaker Arab. MS. in Arch. Laudin.) *hæc observata fuisse* חתי טהר עיסי אבן מרים צלי אללה עליה וסלם *usque ad manifestationem Jesu filii Mariæ. Pax & Preces Dei sint illi.* Hæc Traditio Arabica alium modum innuit jaciendorum fundamentorum, nempe sub peculiari Cœlorũ configuratione maximè propitia pro tempore dato. Muazzus Fatimæ familiæ princeps civitatem Gran Cairo sub eodem Ascendente condi voluit, nempe Almarick והו קאהר אלפלך ut sicut Mars coercuit orbem superiorem, ità hæc civitas foret Coactrix Orbis inferioris; ideóque dicta est *Alchahira*, ut notæ in Elmacinum in Tarich Mulsliminorum, lib. 3. p. 227. *Ascendens civitatis* (inquit Haly ad Carpum Ptol. ad verb. 15.) *est istud signum cujus ascensione quis incipit collocare primarium lapidem.* Ars hæc petenda est ex prima parte Apotelesmaticæ constructionis, Ptolemæo dicta *Catholicen*, Tetrabibl. 1. Ubi in proferendo judicio de accidentibus civitatis vult Astrologum suum observare locum Solis & Lunæ in Zodiaco quem tenuerunt ὁτὲ τῶν καταρχῶν ἢ πλίσεων cùm facta essent fundamenta ἢ ἐπὶ κέντρων μάλιστα τὸ ἀφέσκοντων. Ptolem. Tetrab. l. 5. 6. 4. & 5. Secundùm hæs regulas Tarucius Firmicus erexit schema Romæ & Vectius Valens Astrologus Antiochenus Constantinopoleos, quod adhuc exstat in MS. Bibl. Vaticanæ. Horoscopus erat Cancer, & indè judicavit Astrologus per apparentias Urbem hanc duraturam 702 annos, ut liber Vaticanus, vel, ut Cedrenus & alii (Zonaras Annal. tom. 3. in Constant. Mag. p. 7.) 696. quod si intelligatur de illis annis, ὃν οἷς τὰ ἢ πολιτείας ἐτηρεῖτο ἢ κατάσασις, Astrologus non multùm erravit, ut Glycas putat. Insuper, ante captam civitatem à Mahomete secundo magna conjunctio sub Horoscopo observata est. Sed in assignando hujus civitatis Ascendente Græci & Arabes non

consentiunt, nec Arabes inter se. In tabulis Alkasi Cyriac. Tab. Astron. (MS. in Arch. Laudin.) Constantinopolis ponitur sub אלמיזאן *Libra*, in Geographica Ben Isaac (Arab. MS. ibid.) sub אלתור *Tauro*; & quamvis idem locus diversos possit habere Horoscopos, tamen in tanta varietate difficilis est conciliatio. Hæc superstitio æquè vulgò & nuper obtinuit in Occidente. Cùm Romam instauraret Paulus tertius Gauricus cœlo figuram erexit, Vincentius Campanatius tempus observavit Astrolabio, quo instante, exclamavit, *Ecce adest hora præcisa decima sexta ferè completa*, & statim Ennius Verulanus Cardinalis primum lapidem posuit. Curiosi multas nativitates Civitatum, munimentorum & Castrorum cum Judiciis in eas videant apud Gauricum, Junctinum, Garcæum, &c. Schema veterum Ædificiorum in Coll. Mertonensi adhuc visitur in fenestra quadam Præsidis; mitto hîc apponere, quia jam pridem factum est à Joanne Chamberio in libro contra Judiciariam Astrologiam scripto. Nativitatibus hisce Catholicis tantum tribuebatur ab antiquis Regibus (inquit Hali) ut inquirerent in genituras omnium præcipuorum Natorum in territoriis suis, in quibus si Planetæ observabantur Nativitati regni malevoli, *Interficiebant illum puerum quòd ejus Regnum erat contra Regnum ipsorum.* Videatur etiam quid Zonaras retulerit de Tiberio & Domitiano, Tom. 2. Annal. p. 174, & 198. Jam quia in Nativitatibus civitatum ὡς ὅλη τῆς γενέσεως *ut in genituris hominum* (inquit Ptolemæus) eadem est Astrologia, ideo post consideratam vitam & durationem Civitatis, proxima cura erat κλῆρος τῆς τύχης *Portio Fortunæ*, quæ & *secunda Ascendens* in Geneturis hominum dicitur vel *Horoscopus Athlorum.* Portio fortunæ inventa mysticè includebatur statuæ æreæ τελεστικῶς præparatæ. Ritus hi erant, *Virgo pura offerebatur in sacrificium, & statua virginis erecta novo & secreto nomine inscripta: huic sacrificabant.* Joh. Antioch. Et hæc omnia peracta erant δι' ἀρχιερέως καὶ τελεστῶ εἰς τύχλω καὶ ἐπικαθαερισμὸν τῆς πόλεως. Dicta enim erat hæc statua *Fortuna Civitatis.* Ità Seleucus cùm Antiochiam conderet, θυσίαν ποιήσας κόρλω ὀνόμαλι Αἰμάθλωςήσας ἀνδειάντῳ σήλλω χαλκλῶ τῆς Ζραγιδώσης κόρης τύχλω τῇ πόλῃ, ἐυθέως ποιήσας αὐτῇ τῇ τύχῃ θυσίαν, &c. Joh. Antioch. in Arch. Baroccian. Fortuna Byzantii veteris dicta erat κηρὰν *Ceroe.* Cùm hoc in Constantinopolim mutaretur, posuerunt Imperatoris statuam βασάζουσαν τῇδεξιᾷ αὐτῆ χνεὶ τλῶ Τύχλω τῆς αὐτῆς πόλεως λῶ ἐκάλεῦ Ἀνθυσᾶ, *tenentem dextrâ manu Fortunam civitatis quam vocarunt Anthusam.* Sed sacrificium non erat ut prius. Obtulit Imperator ἀναίμακτον θυσίαν, *sacrificium incruentum*, & τῷ Θιῷ, non Fortunæ Civitatis sed *ipsi Deo.* Ut breviter dicam, Fundatores olim in condendis urbibus, castris, &c. jubebant Astrologos suos exquirere figuram cœlorum fortunatam sub qua primum lapidem ponerent. Portionem Fortunæ inventam in schemate faciebant Ascendentem secundi. Primum de duratione, secundum de externa gloria & Fortuna urbis judicabat. Sub hujus influentiis statuam æream erigebant in quam arte alliciebant Fortunam & Genium civitatis. Hanc loco aliquo eminenti & conspicuo collocabant, & eam Fatum civitatis regere arbitrabantur. Hujusmodi erat Trojanorum Palladium, non διοπετὲς, inquit Joannes Antiochenus, sed ξόανον τετελεσμένον, vel, ut Joannes Tzetzes locum citat ad Lycophronem, ὠρόσκοπλα καλλίστη, *statua teleſmaticè consecrata aut sub bono Horoscopo* ab Asio Philosopho, & Troo fundatori oblata εἰς νίκλω καὶ φυλάτλονλα τ πόλιν ἔνδα ἔχει) ἀπαρλήπτον, *ut quæ esset arte potens reddita civitatem in qua custodiretur incolumem & victricem præstare.* Olympiodorus à Valerio Thraciæ sub Imperatore Constantio Præfecto acceptum refert περὶ ἀνδειάντων ἀργυρῶν τετελεσμένων εἰς βαρβάρων ἀποκάλυσιν, *de statuis argenteis Teleſmaticè consecratis contra Barbarorum incursiones*, quæ jussu Valerii fuerunt effossæ, μεθ' ὀλίγας ἡμέρας τὸ πρῶτον Γότθων μέρος πᾶσαν ἐπῆλθε Θρᾴκλν, *post paucos dies Gothi Thraciam pergrarunt.* Phot. Cod. 80. Dico itaque de Claudis & Cæcis, fuisse nihil aliud quàm τὰ πάλαι φιλόμφα στοιχειῶδη τῆς πόλεως φυλακτήρια, *Statuas illas Teleſmaticas olim decantatas* (ut Nicetas) *quæ nisi civitatem custodiissent frustrà custodes vigilassent.* Locabantur hæ in secreto quodam Arcis loco, & proculdubio locum defendissent contra copias Davidis nisi quòd, ut Balaam de se confitetur, *Non erat augurium in Jacob, nec divinatio in Israel*, Num. 23. 23. Vulgaris loci interpretatio est (& quidem malarum optima) Jebusitas munitionibus arcis suæ, ut sibi videbatur inexpugnabilibus, fidentes adduxisse Claudos & Cæcos homines in contemptum oppugnationum Davidis. Ideóque exosa est illos anima ejus. Satis me perpendisse hanc interpretationem arbitror, & tamen æquè frivolam judico ac illam Chaldæorum qui pro *Claudis & Cæcis* Paraphrasticè substituunt, *peccatores & impios Jebusitas.* Hos quidem sequuntur Judæorum nonnulli, sed à longé. Nec desunt ex eis qui nostræ sententiæ succenturientur. In Celi Jakar invenies *Claudos & Cæcos* sumi pro statuis. R. Solomon apertè dicit הם הצרמים ità fuisse. R. David in locum affirmat fuisse צלמי הנחשה *Statuas æreas.* R. Isay, R. David & Levi ben Gerson in locum aiunt insuper *Claudos & Cæcos fuisse statuas quibus inscriptum erat juramentum Abrami & Isaaci ad Abimelechum factum*, & dictas fuisse *has statuas* Claudos & Cæcos *quoniam oculos habebant & non videbant, pedes & non ambulabant*, &c. De juramento nihil affirmo: solùm hinc assumo fuisse statuas æreas, rationémque cur *Claudi & Cæci* dicebantur, quæ si ab eis indicata non fuisset, tamen est ipsa Scripturæ phrasis. Erant Stoichiodæ vel statuæ æreæ constellatæ, in recessu Arcis positæ, in contemptum dictæ *Claudi & Cæci.* Iis tamen adeò commissa est tutela Arcis ut, si minùs eam defenderent, minitati sint Jebusitæ illos nunquam reversuros in domum, h. e. se nunquam iterum commissuros tutelam Arcis ejusmodi Palladiis. Ideo illi dixerunt (h. e. Jebusitæ) *Claudi & Cæci*, &c.

CAP. 8. *Facietísque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam: si fortè relevet manum suam à vobis, & à diis vestris, & à terra vestra*, 1 Sam. 6. 5.

CUM capta erat arca Dei & à profanis Philisthæis detenta *aggravata erat super eos manus Domini, & percussit Hæmorrhoidibus, & ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magna in Civitate*, ut addit vulg. interpres. Græca exemplaria vetusta non habent, recentiora non consentiunt; *Hebræa aliqua non agnoscunt* (inquit Mendoza) ac si quædam agnoscerent. Legitur quidem hæc additio in Dras, ut à Chimhi est observatum, nec negari Romanistis potest quin deesse videatur, & nullo modo supplenda. Præstat Arcam adhuc casuram esse quàm ut Uzzah ipsam sustineat. Utcunque verum est fuisse Plagam Murium æquè ac Hæmorrhoidum: quâ de re consulti Astrologi consilium dederunt ut facerent quinque simulacra aurea Murium, & totidem Morbi *in gloriam Dei Israel.* Numerus erat secundùm numerum Dominorum, sed quod ad rem ipsam interpretes quicunque leviter prætereunt, vel cum mysterio sensui literali tenebras offundunt, nihil aliud fuisse arbitrati quàm oblationem pro peccatis, mirati tamen quæ indè gloria accederet Deo Israel ex tam vili oblato ac Muris simulacro, aut quod turpius, rei quam Sp. Sanctus non dignatus est appellare proprio nomine: nam Keri est TEHORECEM, *Anorum Vestrorum.* Sed sensus simulacrorum est stoichioticus & ex Traditionibus Teleſmaticis petendus. Τὰ ἐπὶ τῇ ῥιζώσει καὶ φθορᾷ ὄδη (inquit Ptolemæus Centiloq. verb. 9. in Καρπὸς) πάσχει ὑπὸ τῶν ἀρχόντων ὠδῶν, διὰ τοῦτο χρῶνται τύποις οἱ στοιχειωμαλικοὶ, τὰς ἐπιβάσεις τῶν ἀστέρων σκοποῦντες ἐπ' αὐτά· *Formæ generabiles & corruptibiles afficiuntur à cœlestibus, quibus ideo Teleſmatici utuntur observantes astrorum in eas introitum.* Sensus est (inquit Hali Aben Rodoan, vel, ut versio Hebræa, Abu Giafar)

Giafar) quòd formæ rerum inferiorum respondent similibus configurationibus cœlestibus, & formæ cœlestes habeant influentiam in sublunares; ex.g. Scorpio & Serpens cœlestis in terrestres. Ideo *sapientes imaginum inspiciebant quando planeta de subradiis Solis egrediebatur, & ingrediebatur hos vultus, eúmq; in ascendente ponebant, & Vultum quem intrabant sculpebant in lapide, & miscebant cum eo alia ad hac necessaria, faciebántq; cum eo ex aptatione vel destructione quod volebant.* Hæc à Græcis σοιχειώσεις & τελέσματα dicebantur, unde Arabicum *Talismath*; Chaldæis à verbo in textu TSALMANIJA, *imagines*. Horum vim tradit Hali experientiâ comprobatam in servo cujusdam Saraceni in diebus Camorchæ Regis. Servus ictus à Scorpione ab hero sanatus est hujusmodi lapide cui Scorpionis figura insculpebatur: & affirmabat herus insculptam fuisse lapidi hanc figuram Lunâ exsistente in Scorpione, & signo hoc in uno quatuor angulorum. Qui plurimùm in hoc genere potuit Apollonius erat Tyaneus; vir tanti apud Ethnicos nominis, ut eum Hierocles Stoicus cũ Christo comparârit, imò ipsi prætulerit, quẽ abunde refutavit Euseb. Pamp. l. cõt. Hieroclẽ. Atqui quidem quæ ab eo facta sunt tantam præ se miraculosæ operationis speciem ferebant ut hanc quæstionem etiam ab ipsis Orthodoxis extorquerent, Εἰ θεός ὅτι δυνατὸς ὁ κύριος, πῶς τὰ Ἀπολλωνίου τελέσματα ἐν τοῖς μέρεσι τῆς κτίσεως δύναται; ὁ δὲ θαυμάσιος ὁμῶς, ὁ ἀνέμων φορεύς, ὁ μυῶν ὁ θηρίων ὀπλοδέσμας, ὡς ὁρῶμεν, κωλύσιν, &c. *Si Deus sit Creator & Dominus Mundi, quî fit ut Apollonii Telesmata tantum possint in res creatas? videmus enim quòd & fluctus Maris, & Ventorum Impetus sedaverint, & Muscarum Ferarúmq; incursiones represserint.* Justin. Mart. Resp. ad Orthod. Quæst. 24. 245. Et licèt nulla de his mentio facta sit à Philostrato in ampla & fabulosissima illa vitæ Apollonii historia, recensent tamen Codinus, Cedrenus, Hesychius, Olympiodorus, MS. Græcus citatus à Leunclavio, Chronicon Alexandrinum & Joannes Tzetzes Cent. 60 tertiæ Chiliados, *quod omnino legendum* (inquit Scaliger Epist. 180.) *si quidem horum σοιχείων notitiam habere placet, & sanè lectio non injucunda. Nam in illo capite Apollonius sculpturâ Culicum & Ciconiarum, culices Antiochiam, Ciconias Byzantium ingredi prohibuit.* Sed plura de hac re hîc addam ex Domnino, citato à Joanne Antiocheno Melala in 10 lib. Chronographiæ, Ἦν δὲ τοῖς χρόνοις τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοῦ Δομετιανοῦ ὁ σοφιστὴς & Ἀπολλώνιος ὁ Τυανεὺς, ὃς ἐπιδημίας θεσπεσίων καὶ παντοίων ποιῶν τελέσματα εἰς τὰς πόλεις καὶ εἰς τὰς χώρας, ὅσις ὑπὸ τῆς Ῥώμης ἐξελθὼν κατέλαβε τὸ Βυζάντιον, καὶ εἰσελθὼν εἰς Βυζάντιον, τὴν νῦν λεγομένην εὐτυχῶς Κωνσταντινούπολιν, ἐποίησε καὶ ἐκεῖ πολλὰ τελέσματα περιελθὼν ὑπὲρ τῆς Βυζαντίων, τό τε τῆς Πελαγῶν, καὶ τὸ τοῦ Λύκου ποταμοῦ τοῦ κατὰ μέσου τῆς πόλεως παρερχομένου, καὶ τὸ τῆς χαλκῆς, καὶ τὸ τῆς ἵππων, καὶ ἄλλα τινὰ θαυμαστά. καὶ λοιπὸν ὑπὸ τὸ Βυζαντίων ἐξελθὼν ἐποίει εἰς τὰς ἄλλας πόλεις ὁ αὐτὸς Ἀπολλώνιος τελέσματα· καὶ ἦλθεν ὅτε τὴν Σνείαν ὑπὸ Τυάνων, καὶ εἰσῆλθεν εἰς Ἀντιόχειαν τὴν μεγάλην. καὶ ἤτησε αὐτὸν οἱ Ἀντιοχεῖς κτίτορες ποιῆσαι κἀκεῖ τελέσματα περὶ ὧν ἐβέοντο, καὶ ἐποίησεν οἷς ἦν Βορρᾶν ἄνεμον, θήσας τὸ αὐτὸ τέλεσμα κατὰ τὴν ἀνατολικὴν πόρταν. *Regnante eodem Domitiano floruit Doctissimus Apollonius Tyaneus, qui magnum nomen consequebatur peregrinando & Telesmata faciendo pro civitatibus & Regionibus: Româ Byzantium venit, & ingressus in Byzi urbem, quæ nunc feliciter Constantinopolis appellatur, fecit ibi rogatu civium multa Telesmata, viz. contra Ciconias, contra Lycum amnem qui mediam urbem praefluit, contra Testudines, contra Equos, & alia mirabilia. Deinde Byzantio discedens pro aliis civitatibus fecit Telesmata Apollonius. A Tyanis in Syriam, & Antiochiam magnam venit: & rogaverunt eum principes civitatis ut faceret Telesmata quibus illis esset opus; & fecit Telesma contra Boream quod posuit ad Portam Civitatis Orientalem.* Pergit Autor & copiosè describit Apollonii Telesmata contra Culices & Scorpiones; addendo insuper Apollonium cùm fortè obambularet cum principibus civitatis ad observandum loci situm incidisse in columnam quandam ruinosam, quæ cur erecta fuisset cùm ab illis rationem exigeret, retulisse illos quòd temporibus Caii Cæsaris cùm urbs à Terræ motu passa fuisset, Δεξάμενός τις φιλόσοφος τελεστὴς ἐπόησε τὸ τέλεσμα τοῦτο, ὅτε δυναμένην τὴν πόλιν ὑπὸ σεισμῶν μὴ πίπτειν, σήσας τὸν κίονα ἐν ὑπερόπτῳ αὐτῆς συνθέτειον μαρμάρινον, καὶ ἐπὶ τῷ σήθει αὐτῆς ἔχαλκεν Ἄσσα, Ἄπλωτα. καὶ τυφωνικῶν πνευμάτων ὑπὸ τὴν ἀσφαλῆ γενομένην καυδὴν τὸ ἐπάνω τοῦ κίονος συνθάριον ἔπεσε, *Deborium quidam Teleste hoc Telesma fecit nè urbs iterum concussa Terræ motu corrueret, columnam erigens, posito in ejus summitate Pectorali hac verba inscripta habente* Ἄσσα, Ἄπλωτα. *Columnâ autem fulmine deturbatâ, &c.* Johan. Antioch. MS. Cives igitur vehementer ab eo efflagitabant ut novum Telesma erigeret. Apollonius verò ingemiscens graviter ἀνεζάλλετο τὸ ποιῆσαι ἄλλο τέλεσμα θεὶ σεισμῷ, *recusavit facere aliud Telesma contra Terræ motum.* Cùm autem illi instarent, sumptis tabulis hanc prædictionem signavit, Καὶ σὺ τάλαινα Ἀντιόχεια δὶς πάθοις. ἀλλὰ καὶ πάλιν ἐλεύσεταί σοι καιρὸς, ὅτε δὶς δὴ πήμασι καὶ σεισμοῖς, δὶς δ' αὖθ' πυρὶ κάυσῃ ὁ παρ' αἰγιαλοῖς Ὀρόντησι, εἰ μὴ πάλιν πάθοις. *Et tu misera Antiochia bis patiêre, sed & tertiò terræ motibus affligêre: bis etiam igne consumpta eris apud litora Orontis, si non & iterum patiare.* Hæc cùm scripsisset, Tabulas civibus tradidit, & in Seleuciam discessit, indè in Ægyptum, Καθὼς Δομίνος ὁ σοφιστὴς συνεχεχάφατο ταῦτα. Telesma autem maximi momenti ad rem præsentem est illud contra Scorpiones, Ὁμοίως δὲ ἐποίησε τέλεσμα ἐν αὐτῇ τῇ πόλει (Ἀντιοχείᾳ τῇ μεγάλῃ) καὶ διὰ τοὺς Σκορπίους, ὄντος τοῦ μὴ τολμᾶν αὐτοὺς πλησιάζειν τῇ χώρᾳ. καὶ ἔθηκε τὸ αὐτὸ Τέλεσμα ἐν μέσῳ τῆς πόλεως, ποιήσας χαλκοῦν Σκόρπιον, καὶ χώσας αὐτὸν πῆχυ ἐπάνω κίονα μικρὸν, καὶ ἐγένοντο ἀφανεῖς οἱ Σκόρπιοι ἐκ τῆς ὁσοειᾶς Ἀντιοχείας πάσης. *Apollonius fundi curavit simulacrum Scorpionis æreum, quod columnæ parvæ superimpositum in medio civitatis Antiochiæ erexit, & Scorpiones in illa regione disparuerunt.* Huic simile Telesma erectum erat apud Hempts civitatem Syriæ Apameæ, quæ Ptolemæo Ἐμισσα. *In medio hujus,* inquit Geographus Nubiensis Arabicus Clim. 3. part. 3. *saxum est in muro cui insculpta est figura Scorpionis, quam quis à Scorpione ictus luto indè expressam loco affecto applicando statim sanatur.* In inferiore regione Gran Cairo Crocodili nullum damnum inferebant, in superiore graviter vexabant incolas. Huic malo remedium Telestæ fuderunt Crocodilum plumbeum, quem sepelierunt ad Templi cujusdam fundamenta. Hoc Telesma diu incolas tutatum est ab injuriis Crocodilorum; verùm cùm jussu Achmet Ben Tolon fusum fuit hoc simulacrum plumbeum Crocodili antiquum obtinuerunt. Cardan. De subtilit. l. 9. Scalig. Exercit. 196. num. 6. Bodin. Mag. Dæmonoman. l. 3. c. 6. Τύχη τῆς πόλεως, vel *Fortuna Byzantii* uno pede navi æreæ insistebat; Statua ad Genium totius civitatis pertinebat. Navis Telesma erat contra pericula tempestuosi Maris erectum; hujus cùm aliquando pars quædam fracta esset atque ablata (incertum quo pacto) illico maria turbari iterum cœperunt. Causâ autem solicitè & diligenter investigatâ, & parte amissâ inventâ & restitutâ, venti & maria obtemperarunt. Ἵνα δὲ γνῶσιν ἀκριβῶς εἰ τοῦτο ὡς ἀληθῶς τῆς πλοίων ἄπαλε κώλυμα ἦν, ἀφῄρηντο ξυδὶς τὰ μέρη τῆς νηὸς ἐκείνης, καὶ ὅσαι τῶν νεῶν ἔτυχον τότε εἰσπλεύσαι πυδίματος ξυδὶς βίᾳ γεγόνασιν ὀπισθόρμητοι· ὀπισθεν ἐκομίσαντο ἐκ τῆς θεωθῆναι τὴν χηλὴν τῆς ἐκείνην τὴν κωλύμην γίνεσθαι τῇ εἰς τὴν πόλιν ἄπαλε τῆς πλοῖον τῆς φορτηγῶν, καὶ τὴν ναῦν ἐκείνην ὑπομελήσας ἀξιώσαντες ἀνεκαλνίζ. *Et ut certò constaret an hoc revera in causa esset quòd minùs naves tutò appellerent, partes illas æreæ navis iterum abstulerunt, & quacunq; naves tum litori appropinquabant violentiâ ventorum retro actæ sunt: quod certam illis fidem fecit naves suas onerarias appellere non potuisse ob fractam navem æream, quocirca illam diligenter instaurandam curaverunt.* Zonaras Annal. Tom. 3. in Anastasio. Hæ Consecrationes (ità enim etiam dictæ sunt) frequenter magis, sed non solùm, in Oriente obtinuerunt. Refert enim Gregorius Turonensis quòd cùm pontem Parisiis instaurarent inventa sunt simulacra Serpentis & gliris ærea,

& quòd his ablatis Serpentes & Mures abundarunt. Addere his poſſem Serpentinam Columnam, & Statuam Equeſtrem aheneam contra Peſtem Conſtantinopoli erectam, quâ ſublatâ morbus iſte fatali quaſi periodo graſſavit. Leunclav. Pandect. Hiſt. Turc. Num. 130. Sed hæc dicta ſufficiant. Videantur Mizaldus Cent. MS. & Gaffarellus nuperus Autor Curioſitatum. Ut ſummatim dicam, omnia hæc referenda ſunt ad priſtinum Averruncationis Ritûm. Nempe ſi Civitas vel Regio aliqua Peſtilentiali morbo, vel Animali noxio vexaretur, Teleſtas conſulebant, illóſque rogabant ut illius ſimulacrum facerent ſub certa Cœlorum Configuratione. Et hanc dico cauſam fuiſſe cur Aſtrologi Philiſtæi conſilium darent conficienda eſſe ſimulacra aurea Hæmorrhoidum & Murium qui terram infeſtârunt *in gloriam Dei Iſrael.* Teleſma contra Mures hujuſmodi, ſecundùm Paracelſum, conſecrationem habet, Fac Murem ferreum ſub Conjunctione Saturni & Martis in domo ♑, hujus ventri imprime Albamatatox, &c. deinde loca Teleſma in medio domûs, & mures illico aufugient à loco iſto. Archidox. mag. l. 3. p. 135. edit. Lat. Germanicæ, p. 102. Ultrà promittit quòd ſi vivus mus ſimulacro ferreo alligetur ſtatim morietur. Sed non arbitror mures aureos tantis cum ceremoniis fuiſſe conſecratos: habuerunt tamen Teleſmaticam quandam præparationem primordiis vel mediocritati iſtius artis reſpondentem: hoc mihi perſuadent ut credam, & ratio mea & verba Maimonidis, More Nevoch. Part. 1. c. 1. *Dico* (inquit ille) *ad illud Samuelis de ſimulacris Hæmorrhoidum, ità dicta fuiſſe, non tam ob formam ſuam externam, quàm ob ſecretam quandam influentiam quâ morbo iſto mederentur.* Viderunt Aſtrologi ſerpentem æreum quem Moſes Teleſtes (ut illis videbatur) in eremo erexiſſet huic Deo placuiſſe, Num. 21. 8. Nec eſt cur dubitem affirmare ſerpentem hunc primam fuiſſe occaſionem arreptam (non dico datam) omnium horum Teleſmatum. Hinc etiam ſcire licet (vide Plin. lib. 10. c. 27. *Cyrenaici Acorum Deum muſcarum multitudine peſtilentiam inferente invocant*) cur Deus Ekron dictus ſit *Baal-zebub*, h. e. βάαλ μύιας (ut Lxx) vel *Deus muſcarum.* Græca exemplaria Euangeliſtarum ut plurimùm legunt βεελζεβὰλ *Beelzeboul, Deus* vel *Belus Stercoreus.* Ità Arab. excuſ. & verſio Hebræa S. Matthæi, ſed non, ut mihi videtur, originalis. Nec hoc Hieronymum latuit: nam cum *Zebul* ſit idioma Syriacum, non fuiſſet exſpectandum ut in illa Paraphraſi legeretur ut jam legitur, & dubio procul legi debuit, *Beelzebub.* Hujus nominis ratio ſi à quopiam aſſignari potuiſſet is videri poteſt Scaliger; ſed ille hoc nomen à Scriptura Deo Ekron imponi ſcribit in contemptum, *quòd in Templo Hieroſolymitano Muſcæ carnes victimarum non liguriebant, cùm tamen Gentium fana à muſcis infeſtarentur propter nidorem victimarum.* Verum quidem eſt ex Pirke Avoth, *Muſcam nunquam viſam fuiſſe in lanena Templi*, & erat privilegium ſacrificiorum Judaicorum præ illis Ethnicorum. Sed Deum Ekron ideo dictum fuiſſe *Deum muſcarum*, non ſapit illius ingenium. Propriè ità dicebatur, ut doctiſſimus Seldenus, Syntag. 2. c. 6. qui de cauſa nominis liberè fatetur, *Nequeo dicere, nec quis alius, opinor, ſatis poteſt.* Verùm Ekronitæ à Muſcis infeſtabantur: Aſtrologi ut hoc malum averterent ſimulacrum Muſcæ fecerunt Teleſmaticum. Vulgus hujus Ἀπομύιος beneficio liberatum Deum fecerunt, ut & ipſi Iſraelitæ ſerpentem æreum. Non erit abs re ſi hîc addam non diſſimilem hiſtoriam ex Scholiaſte Ariſtoph. in Ἀχαρνῆς ad hæc verba,

Ὁ ξανθίας ϗ φαλλόν——

Phallus (inquit ille) eſt ξύλον ὀπίμηκες, ἔχον ἐν τῷ ἄκρῳ σκύτινον αἰδοῖον ὑφηρτημένον, ἵσατο δὲ ὁ φαλλὸς τῷ Διονύσῳ, *Haſta oblonga cui affixum erat coriaceum virile pudendum, erigebatur autem in honorem Bacchi.* Erat *Priapi* genus, cujus figuram mallem in marmoribus videatis quàm hîc. *Accidit* (pergit ille) *ut hujuſmodi aliqua ſimulacra ab Eleuthera Bœotiæ civitate Athenas eſſent allata,* Οἱ δὲ Ἀθηναῖοι οὐκ ἐδέξαντο μὲν τιμῆς ϗ θεὸν, ἀλλ' οὐκ ἀμιδῆ γε ἀνδράσι ταῦτα βουλευομένοις ἀπῆσαν, *Athenienſes verò non recipiebant Deum cum debito honore & reverentia, ſed hoc non inultum tulerunt.* Μηνίσαντος δὲ τοῦ θεοῦ, νόσον κατέσκηψεν εἰς τὰ αἰδοῖα τοῖς ἀνθρώποις, ϗ τὸ δεινὸν ἀνήκεστον ἦν. ὡς δὲ ἀπῶπτον πρὸς τὸ νόσον κρέπτω γενομένην πάσης μηχανῆς ϗ τέχνης ἀπεσβληκὸς θεωρεῖ μὲν ἀκεῖσθαι. οἱ δὲ ἐπανελθόντες ἔφασαν ἰᾶσθαι μόνην ταύτην, εἰ διὰ πάσης τιμῆς ἄγοιεν τὸν θεόν. πεῖθονται οὖν τοῖς ἠγγελμένοις οἱ Ἀθηναῖοι, φαλλὸς ἱδρύσατο τε ϗ δημοσίᾳ κατεσκεύασαν, ϗ τούτοις ἐχρήσαντο τὸν θεὸν, κατάμομα ποιούμενοι τὸ πάθος. *Deus enim iratus immiſit iis morbum incurabilem in pudendis, cui cùm nullâ arte aut induſtriâ ſuccurri potuit, miſerunt conſultum Oraculum: à quo reſponſum tulerunt, ſe non priùs ſanatos iri quàm Deum cum reverentia recepiſſent. Hoc perſuaſi Athenienſes privatim & publicè ſibi phallos pararunt, & his Deum honorabant in memoriam morbi.* Schol. Ariſtoph. ed. Froben. p. 272.

Cap. 9. Γραμματεύς, *Act.* 19. 35.

Κατασείλας ϗ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, φησὶν, Ἄνδρες Ἐφέσιοι, τίς γάρ ἐστιν ἀνθρώπων ὃς οὐ γινώσκει τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον οὖσαν τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, ϗ τοῦ Διοπετοῦς. Hîc Γραμματεὺς falsò, Νεωκόρος non plenè redditur. Verſio noſtra eſt, **And when the Town-clerk had appeaſed the people,** &c. Sed tum potiùs fuiſſet, ut in Thucydide, γραμματεὺς τῆς πόλεως, h. e. ὁ εἰωθὼς ἐν τῷ κοινῷ τὰ τοῦ δήμου γράμματα ἀναγινώσκειν, *qui publicè decreta populi legere ſolebat*, ut Scholiaſtes ibi. Sed hujuſmodi vir, ὅλεθρος γραμματεὺς, (ut Orator Græcus de Æſchine) non erat idoneus qui plebem tumultuantem compeſceret. Syriacæ igitur & Arabicæ verſiones verunt *Principem civitatis.* Æthiop. ut Vulg. *Scribam*; ſatis probè ad literam, ſed non ad ſenſum ſupplendum, nec ipſi quid ſibi velint ſatis gnari. De Dieu ex Gloſſario Γραμματεὺς, *Scriba, Teſſerarius.* Itaque (inquit ille) *cùm hic in urbe Epheſo deſignatur aliquis qui abſolutè vocatur* ὁ γραμματεὺς, *meritò intelligitur præfectus, qui militibus Symbola & munia præſcribit.* Sed nondum genuinus verbi ſenſus redditur. Ità ſe res habet; Eo tempore Aſiarchæ (ità vocantur ver. 31.) qui Paulo ſuaſerunt nè ſe daret in Theatrum, exhibuerunt Olympica Epheſi in honorem Dianæ, quæ mihi videtur ratio fuiſſe cur Paulus, licèt propoſuerat ſibi in ſpiritu ire Hieroſolymas, remanſerit nihilominus aliquo tempore in Aſia, ut ex ſolenni illo Ethnicorum confluxu qui tum convenerant ἐκ πάσης τῆς Ἀσίας aliquos Euangelio lucraretur. His ludis ſacris tres præcipuè præfidebant, Ἀλυτάρχης, Γραμματεὺς, & Ἀμφιθέμης. Ut antiquus autor docet, citatus à Joanne Antiocheno Melala in lib. 2. Chronographiæ, Καὶ ἐγένετο ἐν αὐτῇ Ἀντιοχείᾳ Ἀλυτάρχης ἐν τῇ αὐλῇ θείᾳ καλούσῃ ὀνομαζεῖς πρῶτος Ἀφρόνιος, ὁ ἀπὸ ἐπάρχων πολίτης Ἀντιοχεύς, ὅστις φορέσας τὸ ῥοῦμα τοῦ Ἀλυτάρχου τὰς μὲν ἡμέρας ἐτιμᾶτο ϗ προσεκυνεῖτο ὡς αὐλὸς ὁ Ζεύς. μὴ ἀνιὼν δὲ εἰς δεῖπνον τὰς αὐλὰς ἡμέρας, ὥστε δὲ εἰς κλίνην ἀναπίπτων, ἀλλ' εἰσερχόμενος εἰς ἐξέδραν ἔνδοξον ὑπερῴου λίθων ϗ καδαρῶν ϗ ψηφίδων ϗ ἀλάβαστρον. ἐφόρει δὲ στολὴν διάχρυσον ἀσπρὴν ὡσεὶ χιὼν, ϗ σάρικα ἀπὸ λυχνιθίου, ϗ μαργαριτῶν, ϗ ἄλλων πολλῶν. ϗ κατεῖχε βάδδα ἐλεφάντινα, φορῶν εἰς τοὺ ἰδίους πόδας σανδάλια ἀσπρὰ, &c. Ὁ δὲ Γραμματεὺς σεμνοπρεπὴς πρῶτος ἀπὸ τῆς βουλῆς ϗ τοῦ δήμου, ὀνόματι Πομπηιανὸς Κοιαίσωρ, ὃς ἐκ γένους συγκλητικῶν Ῥώμης ὑπάρχων, φορέσας ϗ αὐλὸς στολὴν ἀσπρὴν, ϗ σάρικα ὁλόχρυσον, τύπῳ φυλλοδάφρων, ὄντινα ἐτίμων ϗ προσεκύνουν ὡς πνα, φησὶν, Ἀπόλλωνα. Ἡ δὲ τε βουλὴ ϗ ὁ δῆμος πάλιν προσεκάλουντο Ἀμφιθέμην ὀνόματι Κάσιον Ἰουλάσειον, φορῶντα ὡσάυτως στολὴν ἀσπρὸν ὁλοσηρικὸν, ϗ σάρικον πεπλεγμένον ἀπὸ δαφνίνων φύλλων, ϗ ἐν τῷ μέσῳ σηθάσιον χρυσῶν ἔχον ϗ Διόντινα Ἀμφιθέμην ἐτίμων ϗ προσεκύνουν ὡς ϗ Ἑρμῆν. καθὼς ὁ σοφὸς Δομνῖνος ὁ χρονογράφος πάντα ταῦτα συνεγράψατο, &c. *Poſt reſtitutos ludos (edicto Commodi Imperatoris) in eadem ſacra ſanctione Aphronius Antiochenus Exprafectorum unus primus nominatus fuit Alytarches, ſub qua perſona quotidie pro Jove ipſe honorabatur & adorabatur. Durante feſto nunquam domum intravit, nec in lecto dormivit,*

mivit, in ſolo, ſub dio in pavimentum procumbens ſtragulis puris & ſtoreâ junceâ tectum. Stolam gerebat auro intertextam albam inſtar nivis, coronam capite carbunculis, margaritis & aliis lapidibus pretioſis diſtinctam; manu ferebat ſceptrum eburneum, pedibus ſandalia alba induebatur. Grammateus tunc primum à Senatu & populo electus erat Pompeianus Quæſtor & Senatoriâ familiâ oriundus, hic etiam gerebat ſtolam albam, coronam auream laureæ figurâ; illum ſub Apollinis titulo adorabant. Idem Senatus Populúſque elegerunt Caſſium Illuſtrium Amphithalem: ille etiam ſtolâ albâ ſericâ veſtitus coronam capite geſtabat ex lauro contextam, in medio autem Pectorale aureum cui inſculpta erat Jovis figura: adorabatur autem ſub nomine Mercurii. Ut ſcripta hæc ſunt à doctiſſimo Domnino in Chronographia ſua. Ità Joannes Antiochenus (MS. in Arch. Barocc. Bibl. Bodl. lib. 12.) Officium Grammateus videtur mihi fuiſſe ut Victorum nomina, & præmia ſcriptis conſignaret, quæ idcirco dicta fuere τὰ γεγραμμένα τῇ ἱερονίκῃ, ut teſtantur marmora Farneſiana, & locus ubi reponebantur γραμματεῖον ſimiliter dicebatur. Vid. Fabri Agoniſt. l. 3. c. 23, & 27. Hujuſmodi ſcriba erat κατασείλας ὁ γραμματεὺς, qui cùm ſedaſſet turbas dixit, *Viri Epheſii*, &c. quod quàm congruenter ſuo officio fecerit facilè conſitebitur qui recolliget ex ſupradictis Alytarcham ab Imperatore fuiſſe nominatum, Grammatea & Amphithalem ab ipſo populo fuiſſe electos; Grammatea verò primum ordine.

CAP. 10. *Quis enim eſt hominum qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ?* Act. 19. 35.

VErſio noſtra ut Vulgata transfert *Cultricem Dianæ*. Paraphraſta Arabicus (Quatuor Euangel. Epiſt. Apoſtol. & Apoſtolor. Act. MS. Arab. in Arch. Biblioth. Reginenſ.) non videtur intellexiſſe. Junii hæc eſt verſio, *Viri Epheſii, quis neſcit Civitatem Epheſiorum eſſe Artemidos Magnæ*. Nota ejus in margine eſt, *Græcum* Νεωκόρον *non eſt hic*: per errorem omiſſum in excuſo exemplari putaſſem, niſi quòd etiam in pulcrè punctato MS. Coll. Reginalis non inveni. Verbum Græcum Etymologicon ſic explicat, Νεωκόρος παρὰ τὸ νοσῶ, τὸ καθαίρω, καὶ τὸ ναὸς Ἀττικῶς *qui Templum purgat & mundat*. Νεωκόρος, inquit Phavorinus, ὁ τὴν Ἐκκλησίαν κοσμῶν· νοσῶν γὰρ τὸ σαρῶν, *qui verrit Templum*. Sed Suidas, ὁ τὸν ναὸν κοσμῶν καὶ ἐντρυφῶν ἀλλ' οὐχ ὁ σαρῶν, *non qui verrit Templum ſed qui adornat*, νοσεῖν γὰρ καλλωπίζειν, ὅθεν καὶ Νεωκόρος, ut Scholiaſt. Ariſtoph. ad Νεφελ. p. 61. Verbum etiam aliquando Latinum legitur, alibi etiam quàm in inſcriptione citata à Grutero: nam Julius Firmicus Aſtronom. l. 4. c. 7. inquit, *Defluens autem & Luna ſi plena lumine feratur ad ♄ facit magnos*, &c. *Neocoros quoque aut prophetas, vel ſacerdotum principes*, & idem autor alio in loco, *Serapis in Ægypto colitur: hic adoratur* (i. e. Alexandriæ.) *Hujus ſimulacrum Neocororum turba cuſtodit, & ad memoriam vetuſtatis errans populus ordinem ſacrorum in honorem integerrimi ac prudentiſſimi hominis conſtitutum contentioſâ hodie animoſitate cuſtodit*, &c. Ubi inſuper obſervare licet, quòd in magnis & frequentatis Templis multi erant Neocori qui in gradus & ordines diſtinguebantur, ut patet ex illo in corpore inſcriptionum, Ὁ πρωτοβύτης καὶ ἅμα Νεωκόρων τῆς μεγάλης Σεβαστῆς, & *Vetere expoſitione totius orbis* à Jo. Gotofredo edit. c. 18. in Deſcriptione Alexandriæ. Verbum (ab iis qui propriè maximè transferunt) redditur per *Ædituam*, ità Syriac. Nec ultra adhuc in illius ſenſum penetrarunt Interpretes. Reddere poſſumus ut Italica verſio Deodati *Sagreſtano, Sacriſtam magnæ deæ Dianæ*. Sed ut hoc ſenſu Collectivè adeò pro tota civitate ſumatur nullibi in libris occurrit, ſi viris in eorum lectione maximè verſatis fides habeatur. In Marmoribus (licèt minùs frequenter quàm in numiſmatis Græcis) invenitur à primordiis imperii uſq; ad Gallienum. Inſcriptiones ſunt in illis Auguſti, Καισαρέων φιλοπολειτων Νεωκόρων· Tiberii, Περγαμηνῶν Νεωκόρων· Περγαμίων δὶς Νεωκόρων· in aliis, χρυσάνθινα Σαρδιάνων τεὶς Νεωκόρων· Ἀχαΐα Πύθια Πειανθίων Νεωκόρων· Ἐφεσίων Δ Νεωκόρων· Ἐφεσίων δὶς Νεωκόρων, καὶ τῆς Ἀρτέμιδος. Antonius Auguſtinus ad verbum ſic annotat, *Queſta parola per entender la dia molto d'a fare a quelli che veggono le Medaglie con qualche diligenza, Multos eorum torſiſſe etiam qui maximâ diligentiâ numiſmata examinarunt.* Caſaubonus Animadv. in Sueton. p. 131. ad monumentum Ancyranum in hac eſt ſententia, nempe quòd cùm Cæſar Auguſtus & illius exemplo ducti ſucceſſores ejus municipiis fecerint poteſtatem erigendi altaria & Olympica exhibendi, &c. ut publico commodo, & honori & divinitati Imperatorum conſultum eſſet, civitates quibus hoc indultum erat maximi honoris loco ducebant dici Νεωκόρεσι, ſeu *Sacriſtæ* Solennitatum. Si quis alia monumenta deſideret ad hujus verbi explicationem facientia, videatur Seldenus ad quartum Marmor Arundelianum, ubi omnia dicta arbitror quæ ex nota antiquitate colligi poſſunt: Vide & Petit. illo poſteriorem Var. Lect. lib. 4. c. 10. Sed & addere aliquid libet ex vetuſto more quod huic ipſi ſenſui verbum conciliabit. Vocabulum hoc ad ſacra referri, præcipuè ad hæc certamina, ex marmore citato ſatìs patet, ἀγῶνες, ἄγωνα Συγκλήτου, καθ' ὃ δὶς Νεωκόρεσι γεγόναμεν ἀγῶνα ἱερὸν, &c. *Sacrum certamen*, &c. Et tam immodica quidem erat reverentia hæc ut non ſolùm ipſa ſolennitas ſacra ſed & populus pro tempore, & Victores ſemper poſtea ſacri haberentur. Nam Εἴ τις ἐξ αὐτῶν, εἴτε γυνὴ εἴτε νέος, τῷ ἱερῷ, φησὶ, ἤμην κεκόσμηται ἐστέφθη, ὁ στεφανώσας, ὡς νικήσας, σώφρων ἦμεν ἕως τῆς τελευτῆς αὐτῷ· ἐσφαγίζετο γὰρ εὐθέως μὴ ἀγῶνα ἢ ἐφίλο ἱερεύς· ὡσαύτως καὶ παρθένοι φιλόσοφοι αἱ στεφανώμεναι ἐγίνοντο μὴ ἀγῶνα ἱερᾶς, *Si quis eorum, ſive femina ſive juvenis, acclamante Populo ſacro coronabatur, coronatus quod reliquum erat vitæ ſuæ caſtè egit, & peractis certaminibus ſtatim conſecratus fuit Sacerdos: ſimiliter & virgines coronatæ ſacerdotes factæ ſunt.* Joh. Antioch. ubi ſuprà. Imò magìs adhuc ſacri habebantur hi ludi, adeò ut ipſi Imperatores non putarent infra dignitatem ſuam eſſe, Alytarchæ officium gerere, & Pſeudo-Regem vel Pſeudo-Jovem agere. Ἐφόρεσε τὸ σχῆμα τῆς Ἀλυτάρχου ὁ βασιλεὺς Διοκλητιανὸς· ἡ δὲ στολὴ ὁ Ἀλυτάρχης ἀσπρὸν ὁλοσηρικὸν ἐφόρει, ὁ δὲ βασιλεὺς αὐτὴ τῆς ἀσπρῆς ἐφόρεσε πορφυρῆν. Τὰ δὲ ἄλλα πάντα, ὡς ἦν ἐσθὴς τοῦ Ἀλυτάρχου φορεῖν, κρατῶν τε ἱερὸν ῥάβδον, καὶ στεφανωθεὶς τε ἄμπελον, *Imperator Diocletianus* (ut idem ex Domnino) *in ſe ſuſcepit perſonam Alytarchæ, hâc ſolùm differentiâ, quòd Alytarcha ſtolam ſericam albam induxus erat, ille verò purpuream: cætera omnia ut Alytarcha veſtitus erat, tenens Sceptrum ſacrum, & populum veneratus.* Et ac ſi major fuiſſet hujus ſtolæ dignitas quàm Imperialis, μὴ τὸ πληθῦσαι τὰ Ὀλύμπια, οὐχ εἵλετο βασιλεῦσαι, λέγων, ὅτι ἀποθέμαι τὴν βασιλείαν, καὶ ἐφόρεσα σχῆμα τοῦ ἀθανάτου Διός· καὶ ἔλοιτο ἄμφιον ἔτως, *Finitis Indis noluit diutiùs imperare, inquiens, Depoſui Imperium cùm habitum induerem immortalis Jovis, & exinde ità manſit.* Idem factum eſt & à Maximiniano, ut idem Autor in illius vita. Si hæc omnia conferantur, hinc colligere licebit, Celebrationem horum Ludorum in hac vel illa civitate, opinione vulgi omnino ſanctam habitam fuiſſe, ut inſtitutum ſummæ religionis erga Deos & Imperatores, quod ſine ſacerdotio Miniſtrorum peragi non potuit. Et ad illum ſenſum Aſiarchæ reddi debuerunt non *Principes*, ut Vulgatus, vel *Primores*, ut Syriaca & Arabica verſio, h. e. **the chief of Aſia**, ut nos; ſed *ſummi ſacerdotes ſolennitatis*, cujus religio non potuit non movere civitatem ità ut valde admodum affectaret Dignitatem & Titulum Νεωκόρου, & ejuſmodi divinum officium adminiſtraret ubi tot Dii per vices ſuas gerentes præſentes eſſent, ubi non ſolùm ipſi Ludi, ſed & omnis turba pro tempore ſacra habebatur, & nonnulli ſemper poſtea. Quotieſcunque hæc gratia huic vel illi civitati conceſſa fuerat (ut aliquando quater) toties ſtylus exprimebatur in numiſmatis Imperatorum. Ad rem præſentem maximè facit illud Valeriani. In Reverſa ſunt 3.

Templa,

Templa, in medio Altare habens ignem accensum, & Serpente implicatum (per quem Hieroglyphicè exprimebant mysteria & religionem) cum hac inscriptione Νικομηδέων τρὶς Νεωκόρων. In Facie, tria capita tribus templis respondentia, nempe ipsius Imperatoris, Gallieni Valerianíque filiorum. Du Choul Discours. de la Religion des anciens Romains, p. 117. Numeri signati seu vicis, δὶς, τρὶς, &c. aliquando cum, & sæpe sine mentione numinis, ratio difficilis est & lubrica; data, quod sciam, ultima hæc est, Quòd probabile sit Matrem Deorum communem fuisse omnibus Asiæ civitatibus, & quòd cùm Νεωκόρος scribitur tantùm cum nota vicis, ut in illis Gallieni Σμυρναίων δὶς Νεωκόρων, in illis Caii, Σελευκίων Νεωκόρων, & ità ut plurimùm, Mater Deûm intelligenda sit: aliter si peculiaris numinis loci sit mentio, ut Μαγνήτων δὶς Νεωκόρων Ἀρτέμιδος, in illis Maximini, & Ἐφεσίων δὶς Νεωκόρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος, solus Deus loci intelligendus est. Ludi certè non potuerunt tantum recedere à pristino suo instituto quin primariò respectum ad aliquem Deorum quibus primò debebantur, haberent, licèt adulatio Imperatores Deos terrestres introduxerit. Antiqui Ludorum Dii erant Jupiter primò, deinde Apollo: & respectum ad eos habitum fuisse ultra Claudii tempora ex antè notatis patet; ubi Grammateus posteriorem retulisse observatur, priorem Alytarcha. Et sic non dubito quin constet de Reversis in quibus Νεωκόροι ponuntur non expresso numine: ubi aliter se res habet (& hoc non sæpe occurrit, si Petiti nota teneat. Víxque aliter usurpatum præter tria, quòd sciam, exempla reperias) specialis est Dei loci veneratio, ut Ἐφεσίων δὶς Νεωκόρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος, Magna Diana Ephesiorum cujus Νεωκόροις civitas Ephesus tunc erat. Non est Νεωκόρων εἶ) sed ἴσαν, *nunc sacristam Dianæ.* Et cur toties mentio facta sit Dianæ hujus non erit adeò mirum si memoriâ repetamus illam non solùm fuisse Magnam Ephesiorum sed etiam totius Asiæ; & plures religiosos inter Ethnicos invisendo *ejus Templum* coluisse quàm ullam aliam Terram Sanctam quamcunque. Hic est sensus τῷ Νεωκόρος, & hoc voluit autor Actorum.

CAP. II. Ναοὶ ἀργυροῖ, Act. 19. 24. *Demetrius enim quidam nomine argentarius, faciens ædes argenteas Dianæ,* &c.

PAraphrasta Syriacus Græcum Ναὸς intactum præterit. Arab. & Æthiop. vertunt *Simulacra Argentea*, Beza *Templa Argentea*, intelligens numismata quædam figuram Templi Dianæ sibi impressam habentia. Hujusmodi certè occurrunt, etiam Argentea inter illa Claudii. Et probabile magìs est, quòd antiqua aliqua numismata figurarum impressarum nomina mutuaverint. Numisma quoddam inter Athenienses valuit (inquit Pollux Onomastic. l. 9. c. 6.) ᾧ ἐκαλεῖτο βοῦς, ὅτι βοῦν εἶχεν ἐντετυπωμένον *à figura Bovis impressa.* Ità & inter Peloponnesenses numisma quoddam χελιδὼν (ut Suidas) vel χελώνη (ut Hesych.) dicebatur à figura vel *Hirundinis* vel *Testudinis* quam impressam habuit. Erat & apud Judæos numisma antiquum admodum ab impressa figura *Agnus* dictum, quo significabatur (ut mihi videtur) *ille qui ab initio mundi occisus est.* Legimus in c. 42. Jobi quòd unusquisque amicorum Jobi dederit ei **a piece of Money**, Syriac. vertit *Pecudem unam*, ità & vulg. Græca & Chaldaica *Agnum.* Originale verbum est *Kesita*, quod non nisi bis invenitur in S. Scriptura Jos. 24. 32. ubi repetitur illud Gen. 33. 19. quo in loco dicitur Jacob emisse agrum **for a hundred pieces of Money**, ità nos. Margo, **or Lambs.** Hoc est, ut Talmudistæ exponunt, numis quibus impressa erat figura Agni. R. Akiva dixit Talm. in Rosh Hassanah fol. 26. a. &c. כשהלכתי לאפריקי *Cùm peregrinarer in Africa audivi eos vocantes numisma Kesita, vel* Agnum: *sed cui hoc usui inserviet? nempe ad expositionem illius ubi in Lege dicitur*, CENTUM AGNIS, *h. e. centum nummis*, Gen. 33. 19. Nec aliter se res habere potest: nam si pretium agri in Agnis solvebatur (nec dubitandum tamen quin istud sit vetustissimum emptionis genus per commutationem) quid dicemus ad Traditionem S. Stephani agrum emptum fuisse τιμῆς τοῦ ἀργυρίου; eundem agrum; etsi *Abrahamus* illic pro *Jacobo* ponatur, corruptè satìs (quicquid Broughtonus contrà dixerit) tamen adhuc retinetur, & irreconciliabiliter, salvâ libri dignitate. Si eadem semper valeat Reverentia, Liber major erit & Scriptura minor. Dicunt etiam Ethnici primum numum ab Ove impresso *Pecuniam* dictum; Varro à pastoribus hoc acceptum refert. Potuerunt pastores Romani hoc ab Hebræis accepisse quibus hoc vivendi genus magìs peculiare fuit. Verissima interpretatio est illa Erasmi, nempe quòd Ναοὶ ἀργυροῖ *sint sacella parva argentea Templum Ephesinum referentia cum simulacro Dianæ.* Huic adstipulantur ritus Ethnicî: nam Asclepiades Philosophus Deæ cœlestis argenteum breve figmentum quocunquè ibat solitus secum afferre. Ammian. Marcellin. in Juliano l. 22. num. 12. & Dion in Ῥωμαϊκῶ lib. 40. fol. 82. de Insigni Romano inquit, ἔστι δὲ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἵδρυται, *quòd sit Templum parvum, & in illo Aquila aurea.* Verùm hoc Lipsio, De militia Romana lib. 4. Dialog. 5. videtur *intricatum aliquid: ubi enim in Numis usquam talis effigies? quin nuda ea conspiciuntur* (& centenæ aliquot exstant) *sine tegmine ullo sacelli. In columna tantùm Trajani nescio quid in alis Aquilarum imponitur, quod figuram sacelli refert*, &c. Verum est quòd in numismatis rarò exprimatur, quanquam certè invenitur in reversa Maxentii argentea. Du Choul, p. 187. Aquila & Templum in Columna Trajani (quod ab aliquibus factum) non ità rectè in hunc sensum traduci possunt: Utcunque, quis ferat Dionem non sciviisse quid pertineret ad Aquilam Romanam? Sed res non est magni momenti: magìs ad rem facit quod meminit idem Autor Ῥωμαϊκῶ. lib. 39. p. 62. Ἔν τε γὰρ τῷ Ἀλβανῷ νεὼς Ἥρας βραχὺς, ὅσὸν περίζης τινὸς πρὸς ἀνατολῶν ἱδρυμένος, *In Albano est Templum Junonis mensæ impositum & ad Orientem versum.* Hoc quidem satìs declarat usum parvorum horum Templorum in religione Ethnica, sed non satìs supplet præcipuum defectum similis acceptationis verbi Ναὸς vel νεὼς sumpti (ut hîc) in sensu diminutivo pro Ναΐδιον vel Ναΐσκος sine adjectione τοῦ μικροῦ vel βραχέος aut ejusmodi. Vix alibi occurrit in eo sensu, ideóque pluris faciendus locus iste veteris Scholiastæ in Aristotelis Rhetoricam, l. 1. c. 15. Inquit Aristoteles ὁ Μελανίππου Καλλίστρατος κατηγόρει ὅτι παρελογίσατο τὰ ἡμιωβέλια ἱερὰ τοῖς Ναοποιοῖς, *Callistratum accusasse Melanippum quòd fraudasset* Ναοποιοὺς *tribus Hemiobeliis sacris.* Ναοποιοὶ à Latinis interpretibus redduntur *fabri ædiles* vel *Templorum constructores*; ac si constructio Templi unius hominis opus esset. Vetus Scholiast. Ναοποιοὶ δὲ τοὺς ναοὺς ποιοῦσι. Sed hoc est (inquit ille) ἤτοι εἰκονοστάσιά τινα μικρὰ ξύλινα ἃ πωλοῦσι, *Templa quædam parva lignea in quibus locabantur simulacra quæ vendebant.* Similem sensum τῷ εἰκονοστάσια, vide in Codino De Officiis Aulæ Constantinopol. Hujusmodi Templa (nisi quoad materiem) erant Ναοὶ ἀργυροῦ τῆς Ἀρτέμιδος *Templa argentea Dianæ*, quæ à Demetrio & reliquis artificibus facta erant & venundata: quod causa fuit hujus dissidii. Prætextui quidem erat præcipuè magna Dea, sed solennis erat tunc temporis confluxus totius Asiæ minoris ad ἱερὸν ἀγῶνα sive *Ludos sacros* qui Ephesi celebrabantur in honorem aliorum etiam Deorum, sed Dianæ maximè, & non potuit non plurimùm obesse artificibus si populo persuaderi potuisset (quod conatus est Paulus) simulacra Dianæ quæ in templis erant & à superstitiosis emebantur non fuisse Deos quia erant manu facta. Ejusdem generis erat Σκηνὴ τοῦ Μολὸχ, c. 7. v. 43. ut rectè Lxx vertunt illud Amos Prophetæ c. 5. [illegible]. Textus Originalis est סכות מלככם *Siccuth* vel *Succoth Malcecem*: h. e. non Idolum ità dictũ, ut vulg. & alii, sed *Tabernacula Regis*, seu *Moloch, vestri.* Rex eorum erat Saturnus quem Persæ & Arabes vocarunt *Civan* vel *Cavian*, ut Aben Ezra rectè observavit,

vavit, & Glossaria Persica testantur. Ægyptii eum Ῥαφὰν dixerunt, ut in Tabulis Copticis Planetarum videre est, Prodrom. Copt. c. 5. p. 147. Judæi Idololatræ Deum Ethnicum eodem quo Incolæ nomine appellarunt *Ciun* vel *Civan*: erant autem illi Arabes in quorum desertis tunc degebant. Ideóque Propheta verbum retinuit. Sed Lxx, utpote Ptolemæi gratiâ reddentes, vertunt *Rephan*, quos secutus est S. Stephanus. In hisce parvis tabernaculis (ut Ephesii ἐν τοῖς ναοῖς Dianam) τὸς τύπους posuerunt, Figuras ad cultum factas (erant Figuræ Planetarum) Figuras Saturni vel Stellas Dei sui Rephan.

CAP. 12. Job. 26. 6, 7. *Nudus est infernus coram illo, & nullum est operimentum perditioni. Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.*

QUanquam *nudus* sit *infernus coram illo* qui fecit, (nec tamen *Mortem fecit*) quantum ad nos *perditio* habet *operimentum*. Sæpe multúmque miratus sum curiosam multorum (utcunque docti fuerint) vanitatem, qui subterraneam hujusce loci Geographiam se daturos promittunt, & confidenter adeò designant, ac si jampridem ibi fuissent, non Portas solùm & cameras Mortis, sed & plagas in illa Regione & umbra, & quot animæ acûs cuspidi insidere possunt. Rusca De Infern. &c. Ego his solùm in memoriam revocabo lectionem Syriacam in versu ultimo, ubi pro his verbis *vix parvam stillam sermonis ejus audierimus*, versio ista habet, *Et qualis sermo malus auditus est de eo?* quæ verba fateri videntur optima nostra operum Dei elogia esse quasi in Conditorem contumelias. Quod si ità sit, tum illis de inferno loqui acsi coram nobis etiam apertus esset, idem est ac Deum mendacem dicere. Sed mihi propositum est, quis verborum Jobi sequentium sensus sit explicare, *Extendit Aquilonem*, &c. *Aquilo* hîc non accipitur pro Globo terrestri, quomodo capiunt Judæi; nam falluntur qui posteriorem partem repetitionem prioris esse existimant. *Aquilonem* de Expanso Cœlorum intelligi verbum *extendit* satìs innuit, & licèt *Aquilonem* tantùm dixerit, totam sphæram voluit; nec tamen hac solùm de causa (ut omnes adhuc arbitrati sunt) quòd Hemisphærium Septentrionale respectu Jobi & Arabiæ fuit principale, sed quia absolutè ità sit respectu ad totam sphæram: nam ut Cœli & Terra ab Æquatore dividuntur, pars Septentrionalis longè plus excellentiæ sibi vendicat. Plus enim Terræ habemus, plus Hominum, plus Stellarum, plus etiam Diei; & quod magis adhuc est, polus Septentrionalis Magneticus magis est quàm Australis: nam *Semper observavi* (inquit vir doctus in hujusmodi experimentis, Ridleius De Magneticis corporibus & mot.) *Polum Magnetis Septentrionalem magis activum & fortem esse ad omnia.* Hunc *Aquilonem* (i. totum firmamentum) *extendit super vacuum*, hoc non est *Aera*, ut exponi solet. Verbum est תהו *Tohu*, & significat *Nihil*. Ità & simulacra Is. 11. 29. dicuntur esse רוח ותהו *Ventus & Tohu*, h. e. **Confusion**, ut nos, vel *Ventus & Nihil*. Nam indè est quòd S. Paulus dixerit, *Idolum esse Nihil in mundo*. Sed præcipuè innuit illud Nihil in nil Chaos, antequam Aer & Terra fierent; ut Gen. 1. *Terra erat Tohu*, h. e. *Nihil*, vel ut Lxx ἀόρατος *invisibilis*, vel ut (Saxonica versio) ydæl *otiosa*. Super hoc *Tohu*, vel *Nihil*, erat quòd *extendit Aquilonem*, sive *Firmamentum*, & *super* eodem *nihilo appendit Terram*. Sed de hujus appensionis modo plura dicenda sunt. Deus in principio centrum fixit (ut fingit Mercator) in *Tohu* sive *inani*, cui talem vim indidit ut partes Chaos congeneres attraheret, quæ statim in hunc Globum confluxerunt. Quod innuit machinam rerum consistere in æquilibratione partium versùs centrum gravitatis, ut adhuc erratum est in vulgari Philosophia. Sed jam tempus est ut sciamus quòd Terra non pendeat

Ponderibus librata suis———

sed magneticâ vi toti machinæ à Creatore impressâ, at præcipuè communicatâ à Centro utrisque polis per projectionem Meridionalem; quo fœdere & conjunctûrâ partium adeò firmiter consistit Universum ut si impulsione staticâ (quod Archimedes in se recepit) vel superiori aliquâ vi ab hoc situ moveretur, in suum statim locum rediret. Res clara est ex conformitate acûs magneticæ ad Axim terræ in omnibus terræ partibus; ex Rationibus Variationis (& hujus etiam variationis diversitate) quæ provenit ab inæquali proportione virtutis Magneticæ in diversis Globi partibus; ex experimentis factis in Terrella Magnetis, cujus polis inventis, si acus partibus Æquinoctialibus applicetur, locabit se in Meridiano, & indè mota faciet acutum angulum ad Axim. 34 circiter grad. ab Æquinoct. facit angulum rectum, deinde majorem recto, donec ad Polum perveniat & perpendicularis stet, Globus itaque Terræ consistit Magneticâ vi, quâ partes continentur nec decidere possunt: utcunque tamen ità firmiter innitatur Centro & Polis suis, dicitur tamen *appendi super Nihilum*, quoniam Creator in principio ità locaverit in Tohu, ut nunc etiam aere appenditur, qui ipse Nihil est, nimirum ut tanquam Basis sustineat.

CAP. 13. Κόκκ& συνάπεως. Lucæ 13. 19. *Simile est grano sinapis, quem acceptum homo misit in hortum suum, & crevit, & factum est in arborem magnam, & volucres cœli requieverunt in eo.*

DIxit Pythagoras, *Sinapi principatum habet ex his quorum in sublime vis feratur*: quibus verbis hujus grani in altum crescendi vis innui videretur, nisi quòd hunc sensum improbaverit Plinius (Nat. hist. l. 20. c. 22.) de operandi vi intelligens, *quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetret.* Hoc Granum, præsertim illud genus quod rapiciam frondem exprimit, sub quocunque climate, modò non sit immoderatè frigidum, in solo hortensi ad altitudinem valde insignem crescere aptum natum est; & ex illorum numero est in quibus experiri nos voluit magnus apud nos Naturæ Mysta nostrâs annon cresceret è Cornu Cervino. Cent. 6. 550. Sed tam prodigiosam altitudinem, qualem describere videtur Euangelista, à nullo adhuc observatam memini herbarum exoticarum observatore. Imputandum forsan hoc fertilitati terræ Hebrææ, de qua ut & de civitate Hebræorum magna legimus. In Talmud. Babylon. inquit R. Joseph. Ketub. fol. 3. b. מעשה בשיחין באחד שחניח לו אביו שלשה בדי חרדל ונפשח אחד מהן ונמצאו בו תשעה קבין חרדל ועציו פככו בו סוכה יוצרין. *Vir quidam è Sichem legavit patri suo ramos tres sinapis, quorum unus à reliquis divulsus reddidit seminis 9 Kabos, & lignum sufficiebat in tegumentum domûs Figuli.* Ejusdem Traditionis meminit Talmud Hierosolymitanum citante Tremelio in Matt. 13. 31. Ex secundo (scribi debuit *septimo*) capite Peah, sive *de angulo agri*, *Angulum agri pauperibus relinquendum*, &c. & hic ramus reddidit שלשה בדי חרדל, non *novem*, sed *tres Kabbos sinapis*. In eodem loco Talm. Hieros. (à Tremelio etiam citat.) Simon filius Calaphtæ inquit, קלח אחד של חרדל הייתי לו בתיך וגגן שלי וחייתי עולה בו כעילה בראש הטאינה: *Habui caulem sinapis in horto meo in quem ascendi sicut ascendere quis solet in summitatem ficûs.* Non dubito quin magna nimis referant Doctores; hinc tamen arguitur altitudo talis istius herbæ in ista terra feraci, qualis verba Salvatoris ab absurdo & inusitato vindicet. Ità cùm dicit *semen sinapis esse minimum omnium seminum*, etsi non sit absolutè verum respectu minorum, Papaveris, Rutæ, &c. habito tamen respectu ad Judæum, qui cùm componit magna parvis, ut plurimum facit per granum sinapis, proniè satis dicitur. Sic Maimon in More Nevoch. p. 1. c. 56. fol. 37. b. comparat Firmamentum grano sinapis. *Comparantur*, inquit ille, *in tribus dimensionibus, licèt magnitudo unius sit maxima, alterius verò minima.*

CAP. 14.

CAP. 14. Mat. 6.1. Προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, &c.

EXemplaria admodum vetusta habent Προσέχετε τὴν δικαιοσύνην. Vulgaris, *Attendite nè justitiam vestram faciatis*; & per hanc Orientales Eleemosynas exprimunt. Illud Salomonis Prov.10.2. *Nil proderunt thesauri impietatis: justitia verò liberabit à morte*, in libro Tobit redditur ἡ ἐλεημοσύνη ῥύεται, *Eleemosyna liberant à morte*. Ità Lxx Psal.24.5. Hebræorum seniores referunt Davidem eleemosynas fecisse quotidie, & præterea quoties iret in Synagogam, dixisse, *Videbo faciem tuam in justitia*, &c. ut Perush Ben Syræ, 10. Alph. 1. Psal. 17. ubi etiam Cista pauperum dicitur קפא של צדקה *Cista justitiæ*. Pauperes certè in Scriptura *Domini honorum nostrorum*. Prov.3.27. *Noli detinere bonum ab iis quibus debetur. Mibhahalu à Dominis*. Ideóq; pauperibus dare est suum cuique tribuere. Justitia Aristotelica. Formula mendicandi Hebræa idem innuit. Dicunt eorum mendici זכון בי *puta me dignum*, vel *justum est ut accipiam*. Vajikra Rabba §. 34. Imò תן לי מצוה *Da mihi præceptum*: nam ità dicuntur eleemosynæ in lingua Hierosolym. in Gloss. ad Semoth Rabba, §. 36. quæ ratio est cur Salvator noster dixerit divitias injustè detentas Μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας Luc. 16. 9. Targum in Hos.5.11. vocat ממון דשקר, *Mammona mendacii*. Ità *Shakar* propriè significat, sed sæpe redditur per verbum ἀδικία à Lxx. quod idcirco idem hic significare potest Hellenisticè, & opponi τῷ ἀληθινῷ seu *vero Mammoni* in versu sequenti: nam ἀδικία utrumque significat. Syriaca & Arabica versio reddunt *Mammona iniquitatis*, qui proprius est sensus verbi ἀδικία, & ad quem præcipuè respexit Salvator noster, h. e. Opes injustè eis denegatæ quibus debebantur; vel (ut *Shakar* Arabicè sumatur) *Mammon pauperum*. Ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, *coram hominibus*. R. Jannai cùm videret quendam pauperi dantem Luzum (quandrantem Sicli) nonnullis præsentibus, dixit, ei melius fuisse non omnino dedisse. Talmud in Chagig, fol.5.a. *Imò* (inquiunt illi) *ille qui facit justitiam suam in secreto* יותר ממשה רבנו *vir melior est quàm Moses magister noster*.

CAP. 15. Οὗ τρόπον δὲ Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς ἀντέστησαν Μωϋσεῖ, &c. 2 Tim.3.8.

SI reputemus quid alibi ex Arato, Epimenide, &c. citaverit D. Paulus, & hoc desumptum videri possit ex Numenio Apamensi Pythagoricæ sectæ Philosopho, qui citatur ab Aristobulo in libro inscripto Ptolemæo Philometori. Sic Philosophus, Τὰ δὲ ἐξῆς Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἐπαγγελλόμενοί τινες, ἄνδρες ὄντως τὴν μαγικὴν κεκτημένοι δύναμιν, ὅτε Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου, Μωσεῖ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, &c. Vide Euseb. Pamph. Euangel. Præpar.l.9.p.241. Edit. Steph.1544. Summa hujus traditionis hæc est, nempe quòd Jannes & Jambres celebres apud Ægyptios magi digni habiti sint qui cum Mose contenderent, & illi non multùm cedere putarentur in plagis infligendis. Vel forsan hoc didicit Apostolus ad pedes Gamalielis. Nam Targum Jonathæ legit Exod.7.11. *Vocavit etiam Pharao sapientes & maleficos. Et fecerunt etiam ipsi Jannes & Jambres magi Ægyptiorum incantationibus divinationum suarum sic. Pharao vocavit eos* (inquit Geographus Arabs) *ex Ansana antiqua & amœna Ægypti civitate ad Nilum sita. Urbs antiqua, ædificio, Viridariis, & locis amœnis ad animum relaxandum aptis perpulcra, plurima fructibus & fertilitate atq; frugibus abundantissima*, והוי אל מדינת אל משחורה במדינת אלם חדה ומנהא נל בהם פרעון פי יום אל מועד ללקא מוסי אלנבי עליה אל כלאם *Et hac est vulgò dicta civitas Magorum, & hinc constitutis diebus eos evocavit Pharao ut cum Moyse Propheta contenderent, cui sit pax.* Geogr. Nubiens. p.4. clim.2. Hujus contentionis modus describitur in Menacoth. cap.col. Haccorbonoth Hatsibbur. אמרו ליה יוחני וממרא &c. i. *Johannes & Mamre dixerunt Moysi, Tu fers stramen ad Aphraim: & ille dixit iis, Solent homines ferre herbas ad Jarak.* Sensus hic est (ut Glossa ibi, & Sherirah in Baal Aruch) Aphraim erat locus in Ægypto frumento abundans, & stramen illuc ferre idem erat ac Noctuam Athenas. Ità & pro Moyse Magicam in Ægypto ostentare ubi nota erat adeò ac culta. Moyses par pari retulit. *Jarak locus erat herbarum feracissimus, & tamen omnes herbas suas illuc asportarunt.* Vide Buxtorf. Lex. Tir. in יחן. Nec hoc penitus Plinium latuit (Nat. hist. lib. 30.c.1.) à quo Contentio hæc dicitur *Magices factio à Mose & Janne & Jotape, Judæis pendens*. Apuleius etiam meminit Joannis Magi eximii quem Pius falsò accipit pro Divo Joanne. In Dibre Hajamim Mosis, sive Vita Mosis fol.5,6. vocantur *Jane & Mamre*, & dicuntur fuisse *filii Balaam*. Sic Targum Jonathæ Num. 22.22. & liber Zohar in eundem locum, fol.90. col.2. ubi vocantur *Jones & Jambres*, ut in Tanhuma fol.40. sed Gedaliah in Shalshelet dicit, quòd nomina eorum erant Joannes & Ambrosius, fol.13.col.2. Palladius in vita Macarii refert κηποτάφιον τῶν Ἰαννῆ καὶ Ἰαμβρῆ τῶν μάγων ὅτι τῶν Φαραὼ, &c. de *horto incantato in Ægypto ubi Jannes & Jambres Magi Pharaonis sepulti jacent*. & Macarius vidit locum, *Puteum, catenam ferream, & Hydriam æream*, &c. Hunc sibi Paradisum sperabant Magi post mortem; sed spe excidebant: nam receptum erat inter antiquos illos in mari Rubro demersos fuisse, אמרו חכמים זל בשעה שטבעו המצרים הם היו בם שני מכשפים ושמם יוחני וממרא h. e. *referunt beatæ memoriæ sapientes veteres* (inquit vetus Midras in Exod.15.20.) *quod quo tempore Ægyptii mari obruerentur, perierunt etiam Magi Joannes & Mamre demersi*. Eadem Traditio occurrit in Catena Arabica MS. in Pentat. in locum Exodi אלאשר אחת בני אפראיל ביד קויה ודראע מנוע ושרק ברעון וגנודה פי אלבחר אלאחמר אלמערוף בחר סוף והי בחר אלקלזום: והדה אסמא אלסחרה אלדין כנוא יקאומוא מוסי והארון וכנוא יצאדוהם פי עמל אלליאת קדאם פרעון מלך מצר אלאיל רעס יסבארום סאירודם הואל הם אטעוא פרעון ואהלהם אל לח פי בחר אל אחמר מע פרעון וגנודה, i. *Decima* Plaga *eduxit filios Israel forti & potenti brachio, sed Pharao & exercitus ejus demersi erant in mari rubro, dicto etiam Mare Suph, & Mare Calzum*. Vide Geograph. Nubiens. p.5. Clim. 3. *Et hæc sunt nomina Magorum qui steterunt contra Mosem & Aaronem, & resistebant operibus Dei coram Pharaone Rege Ægypti, Dejannes, Jambarus, & Sarudas. Hi Pharaonem & populum suum peccare fecerunt, & Deus obruit eos cum Pharaone & exercitu ejus in Mari Rubro, &c.* Erat illa Maris Rubri pars quæ Jethran alluit, mare periculosum admodum & tempestuosum, inquit Geographus Nubiensis p.3. Clim.3. ואל אן פי הדה אלמוצע ערק פרעון לענה אל לה, i. *Et hoc in loco dicitur Pharao (à Deo maledictus) demersus fuisse.*

CAP. 16. Gen.41.45. *Et Pharao vocavit nomen Josephi Tsophnat Paaneah.*

QUod hic quæritur primò est, an impositum nomen sit ex lingua Regis Ægyptiaca an vernacula Josephi. *Si ex Ægyptiaca* (inquit Aben Ezra) *tum quid sibi velit nescio; si ex Chaldæa, tum nomen Josephi nescio, &c.* Primum verbum Tsophnat videatur reduci posse ad Hebraicum צפן *occultare*: alterum אין לו חבר במקרא *Non est ei socius in Scriptura*, inquit R. Bechai in Pentat. fol.56.a.col.1. אבל מצינו, *Sed invenio* (pergit idem) *in quadam precatione* המפענח נעלמים Hampaaneah Neelamim, *Secretorum revelator*. Sed quicunque hoc nomen ab Hebr. conantur deducere (melius Calvinus dixerit quàm ego) *argutè sunt ridiculi*. Impositio novorum

vorum nominum in Ægyptiaca aula ut & in Perſica ולכבוד ולתפארת *pro honore & gloria* habebatur, inquit Don Joſeph. Jacchiad. Paraphr. in Dan. c. 1. 7. & non parvi momenti circumſtantia ſit neceſſe eſt ad hunc honorem ut ex ipſa Principis lingua darentur nomina. *Putatur eſſe vocabulum Ægyptiacum*, inquit Buxtorf. imò certum eſt: nam præter autoritatem Philonis, Rambani & aliorum, addere licet Pentateuchum Copticum, qui legit expreſsè, *& Pharao mutavit nomen Joſephi in* ΨΟΝΘΟΝ ΦΑΝΗΚ, Samarit. legit ut Hebr. Lxx ut Copt. ϕοντομ φανηχ. Ità & qui illam verſionem ſequuntur: vidi tamen verſionem Arabicam Pentateuchi Græci literis Syriacis ſcriptam, quæ legit non ut Lxx ſed ut Hebr. *Tſophnat Paaneah*; quam differentiam cum conſenſu communi qui contrà facit reconciliare non potui: quanquam occurrit etiam altera Græci verſio Arabica quæ eodem ferè modo reddit, ubi tamen verbum in margine rectè apponitur, & in characteribus Copticis ΨΟΝΘΟΝ ΦΑΝΗΚ *Pſonthon Phanek* cum hac nota Arabica, ומעני הדה אלאסם פי לעד אלקום עאלם אלחמאיא i. *& interpretatio hujus nominis in lingua iſtius loci* (Ægyptiaca) *eſt, Qui ſcit ſecreta*; Pentat. Arab. MS. in Arch. Laudinis. Verſio Armena reddit, *Et Pharao vocavit Joſephum Feſunt.* Sed quid ſignificet hoc verbum doctiſſimi ſe neſcire fatentur. Hæc eſt lectionis variatio omnis quam obſervare potui. Quod ad interpretationem, Procopius dicit ſignificare *Fertilitatem ſive commodam aeris temperiem.* Hieronymus aliter verbis potiùs quàm ſenſu reddit, *Salvatorem Mundi.* Vulgaris, *Vertítque nomen ejus, & vocavit eum linguâ Ægyptiacâ Salvatorem Mundi.* Autor Lexici ad Biblia Complutenſia exponit פענח *Paaneah, Orbis, Mundus*; ſed optimè addit *ſecundùm tranſlationem noſtram.* Verùm ut ſua Vulgari conſervetur reverentia Romaniſtæ Expoſitores ubique huic ſenſui innituntur. Et ratio hæc datur, eò quòd orbem ab imminentis famis exitio liberaſſet: ſed hæc ratio aſſignari potiùs debuit cur idem Joſephus dictus ſit שור *Bos* Gen. 49. 6. ut Jarhi & Targum Hieroſolymitanum ibi. Nam ſeptem Boves pulcræ in ſomnio Pharaonis cum ſeptem ſpicis in culmo uno junctim præſagiebant Fertilitatem. Effigies Bovis in antiquis Numiſmatis Romanis idem ſignificat. Et Bos olim (ut teſtatur Varro De re Ruſt. l. 2. c. 5.) homini æquivalere cenſebatur: nam lege iſtius temporis *capite ſanxerint ſiquis occidiſſet.* In vetuſto Marmore Romano Agricola deſcribitur Bovem ore tenens manu, & tergori illius genu ſiniſtrum imponens. Camerarius ex Hieroglyphicis exponit ænigma; ubi Bos pro Terra ponitur, ut Autor eſt Macrob. Saturnalibus. Parabola erat Mahometis Mundum ſuſtentari à bove, cujus caput erat in Oriente: utrùm reſpexerit hujus animalis robur, an ad priorem ſenſum alluſerit, (ut fieri poteſt) non diſtinguo. Ἄλλοι δὲ τὸν Ἰωσὴφ ſunt qui putent (inquit Suidas) magnum Deum Ægypti Serapin non alium fuiſſe quàm Joſephum. Et hiſtoriæ ſunt parallelæ: nam Apim fuiſſe dicunt ἄνθρωπόν τινα ἄνδρωπον *divitem quendam*, &c. *qui durante fame Alexandria populi neceſſitates ſublevabat propriis ſumptibus*, τετελευτηκότι δὲ αὐτῷ ναὸν ἀνέστησε, ἐν ᾧ βοῦς ἐτρέφετο, σύμβολον φέρων τῆ γεωργῆ, *cujus mortui memoriæ templum erexerunt, in quo bos alebatur, Hieroglyphicum Agricolæ.* Quicunque S. Hieronymo hanc gloſſam hujus nominis revelavit, *Salvator Mundi*, ſatis illi impoſuit. Moſes Ægyptius affirmat ſe poſt diligentem operam navatam hanc notationem verborum horum ab ipſis Ægyptiis habuiſſe, המגלה נסתרים *Hammegulleh Niſtarim, revelator ſecretorum*; quam confirmat Coptica, ubi ΦΑΝΗΚ ſign. *Vatem*, ΨΟΝΘΟΝ *Futura.* Sic Græci interpretes, Τίνα ἑρμηνέα ἔχει τὸ Ψονθομφανήχ; *Quam interpretationem habet Pſonthomphanec*, inquit Theodoretus, ἐφ. ἐρ. Τῶν ἀποῤῥήτων ἑρμηνευτὴν, ὡς τὸν ὀνείρους διασαφήσαντα, *ſecretorum interpretem, ut qui ſomnia exponit, ſignificat.* Sic Zonaras, Philo, Joſephus, &c. *Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat* (inquit Juſtinus ex Trogo Pompeio) *& ſomniorum primus intelligentiam condidit.* Sic etiam Scholiaſtes Arab. MS. in Pentat. in Arch. Bodl. in ſuprà citatam verſionem Arabicam Græci Pentateuchi, תפסיר הדה אלכם מטלע אלחפיא, i. *Hoc interpretatum eſt nomen interpretis ſecretorum.* Targum Babylonicum & Onceli nomen omittunt, ſed reddunt ut antea, *& Pharao vocavit Joſephum hominem qui interpretatur ſecreta*, ut alterum; vel *hominem cui ſecreta erant revelata*, ut alterum. Sic Rabbini uno conſenſu. Judæus quidam commentaria ſua in Pentateuchum inſcribit *Tſophnat Paaneah.* Alius librum ſuum vocat *Paaneah Razzah*, quod idem ſonat, *interpretem ſecretorum.* Syriaca verſio nomen ponit, & ſimiliter reddit: ſic Onomaſticon Syriacum citatum in Prodromo Coptico. Sic Paraphraſium Arab. tam Vaticana exemplaria quàm Erpenii editio. Diversè expiimunt, ſed interpretatio eadem eſt. Autor Chronici Alexandrini hunc verbi ſenſum tenuit, ὁ ἑρμηνεύσ, ᾧ ἀποκαλύφθη μέλλον, *quod interpretatur, cui futura revelantur*: & tradit inſuper τὸν Μωσῆν μὴ τὸ ἐπαγαγῶν αὐτὸν τὰς πληγὰς, οἱ Αἰγύπτιοι Ψονθομφάνχθη κεκοσμηκότες, *Ægyptios poſtquam plagas ſuper eos introduxiſſet vocaſſe Moſem Pſonthomphanche*, vel *futurorum interpretem.*

CAP. 17. Gen. 4 15. *Poſuítque Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum ſiquis inveniſſet.*

QUidam perſuadere conatur aliqua exemplaria ità legere, *& poſuit Deus Cain in ſignum.* Si ſciat aliqua exemplaria Hebræa vel Samaritana quæ ità legant plus ſcit quàm quiſquam alius; ſi alia, nihil ad rem ſcit: nam impoſſibile eſt ut ſenſus iſte ab origine extorqueatur: itaque nulla ferè eſt lectionis varietas. Solùm *Taric* ſive *Chronologia* Perſica pro *Cayn* habet *Kabel*, qua ex Traditione aut corruptione neſcio, niſi ut homicidam fratris nomine abſorberet. Ideo Verſiones univerſæ conſentiunt, exceptâ unâ aut alterâ Arabicâ & Lxx, quæ transferunt *vachukka & Dominus impreſſit*, &c. ac ſi ſignum factum fuiſſet *ſtylo ferreo, aut adamante.* Unum tantùm obſervo Criticiſmum in textum, illúmque Moſis Gerundenſis; éſtque quòd non dicit יתן vel עשה *ſignum dedit*, vel *ſignum fecit*, ſed וישם *ſignum poſuit, ut oſtenderet* (inquit ille) *ejuſmodi ſignum eſſe quod adhæreret & duraret.* Addere hîc poſſem quòd cùm nos reddimus *& Dominus ſignum poſuit*, reddi potuit, *Dominus literam poſuit*; nam אות *Oth* utrumque ſignificat, & nomen dat omnibus literis Alphabeti illorum. Secundùm Magos naturales & Cabaliſtas, primus homo Adam, & omnes homines illius jure ſigna divina originalia ſibi impreſſa habuerunt digito Dei. Signa (ut ab illis receptum eſt) erant פחד *Pachad* & חסד *Cheſed*; primum erat ad Beſtias in ſubjectione tenendas, alterum ad amorem mutuum conciliandum. Primum aliter dicebatur *manus ſiniſtra*, & *gladius*, alterum *dextera* & *ſceptrum Dei.* Hi characteres primò fortes erant & magnarum virium, ſed poſt prævaricationem, inquiunt hi Traditionum venatores, debiles evaſerunt & obſcuri, vix apparentes vel homini vel beſtiæ; non omnino deleti, ſed partim remanentes, eóque magis aut minùs obſcuri quò homo magis aut minùs in ſe Dei imaginem obſcuraverit. *Quod ſentiens Cain* (inquit Cornelius Agrippa) *timebat, inquiens ad Deum, omnis qui inveniet me*, &c. Si hæc vera, neceſſe eſt ut novũ ſignum Cain impreſſum habuerit: nam de veteri multum relinqui nõ potuit. Rabbi Menahem dicit *eum fuiſſe extractionis Diabolicæ, genitum ex ſemine à Diabolo in mulierem delato ac immiſſo.* Dicitur certè fuiſſe *ex maligno*, 1 Joan. 3. 12. Sed certum eſt, & hoc ſatis, eum terram ſanguinis reã feciſſe, ſanguinis innocentis, *ſanguinis juſti* (ità dicitur) ſanguinis fratris etiam, tam citò, & primum omnium, & in tanta hominum paucitate. Sed Cabaliſtica hæc, & pro talibus æſtimanda. Quod ad ſignum ipſum, inter Græcos & Latinos non eſt multa ſententiarum diverſitas: plurimi & graviſſimi in hoc errore cum Lxx conſentiunt, qui, ubi transferri debuit *vagus & inſtabilis*, transferunt στένων καὶ τρέμων, hinc concludentes

ſignum nihil aliud fuiſſe quàm tremorem continuum & conſternationem totius corporis, præcipuè Capitis (mirum unde hoc ſcirent!) quæ eum ſatis indigitarent cuicunque obviàm facto in via. Hæc opinio citatur & à Don Iſaack Abarbinel ex Sapientibus ſuis. Sed præterquam quòd hæc ſententia in fundamento erret, ſignum debuit eſſe magis exemplare. Aben Ezra autor eſt quoſdam affirmare datum fuiſſe Caino cor forte ut omnibus formidabilis redderetur, & hoc fuiſſe ſignum: *ſed mea fert opinio*, inquit ille, *ſignum fuiſſe reale, licèt Scriptura quid fuerit non declaret.* R. Salomon dicit ſignum fronti impreſſum. Theodoretus aſſerit ejuſmodi fuiſſe ut redderet eum Θαυμαστον. Ità Barabbas in Euangelio vocatur Νομικὸν θαυμαστὸν, *captivus notabilis*, vel potiùs *notorius*, vel ut Saxon. ȝꝑnaȝne þeoꝼman *validus fur*. Hic modus loquendi certè deſumptus fuit à viſibili aliquo ſigno primùm impreſſo, nec illius occaſio oblata erat ante Cain; nam ille primus ſignum (certè hujuſmodi ſignum) in ſe poſitum habuit. Autor Catenæ Arabicæ tutum vult ab hominibus, beſtiis, & omnibus elementis: dicit ejuſmodi ſignum impreſſum ei fuiſſe ut ſecurus ambularet inter ferociſſimas beſtias, אלסיף מא כאן יקטע פיה ואלנאר מא כאן יעמאל פיה ואלמא מא כאן יגרקה ואלהוא מא כאן יהבבה ואלחר ואלברד מא כאן יקדר עליה, *Gladius non potuit penetrare, non ignis urere, non aqua mergere, non aer ladere, non fulmen aut fulgur percutere*, &c. Catena Arab. MS. in Arch. Bodl. c. 8. In Beriſheth Rabba, ſeu *Magna Geneſi*, Rabbi Judah inquit ſignum fuiſſe circulum ſolis orientis ſuper eum. R. Aba dicit fuiſſe Canem illi traditum: & ex illis Iſaack Abarbinel refert Canem fuiſſe Habelis cum quo oves cuſtodire ſolitus fuit, ſed nunc illi datum à Deo benedicto in cuſtodiam corporis ſui. R. Joſeph affirmat Cornu fuiſſe ex illo creſcens. Alii literam unam Tetragrammati fuiſſe opinantur. Vide R. Iſaack Ben Arama Comment. in Pentat. fol. 30. a. col. 1. Ole Tamid, fol. 43. a. col. 1. Hæ traditiones vagæ ſunt & diſcrepantes, nec fidem faciunt. Sed in Viſione Ezechielis, Ezech. 9. 3, 4, &c. dixit Dominus viro qui *atramentarium Scriptoris habebat in lumbis ſuis*, *Tranſi per mediam civitatem*, &c. *& ſigna ſignum ſuper frontes gementium & dolentium*, &c. *interficere* omnino debuit *ſenem, adoleſcentulum & virginem, parvulos & mulieres; omnem verò ſuper quem videret ſignum, occidere non debuit.* Si quodnam hoc ſignum fuerit dici poteſt, ſimiliter & quodnam in Cain poſitum fuerit dici poteſt, *nè quis inveniens occideret eum.* Margo ibi eſt *ſigna ſignum.* Theodotion & Vulg. *ſigna Thau*, quæ eſt ultima litera Alphabeti Hebraici. Originale ità ſe habere eſt extra controverſiam, ut probat Junius in locum. Vid. Sixtum Senenſ. lib. 2. p. 115, 116. Bibliothecæ ſanctæ. Non illorum rem ago qui literam hanc in ſignum Crucis (ſignum aliàs reverendæ æſtimationis) contorquere conantur: litera hæc in Alphabeto Hebraico aut Samaritano nullam cum eo ſimilitudinem habet; in Æthiopico ſatis refert, ſed hoc nihil ad rem præſentem facit. Citantur quidem Hieronymus, Origenes, &c. Sed idem eſt ac jubere ut oculis non credamus. Niſi Alphabetum manuſcriptum in Vaticano à Bellarmino & Villalpando tranſcriptum cæteris omnibus præferre volumus. In hoc quidem Alphabeto Samaritanum Tau, tantùm crucem refert ✕, & non ampliùs. Sufficit ultimam fuiſſe Alphabeti Hebraici literam, quod & aſſerunt Doctores Hebræi antiqui (in Shabba Talmudis fol. 55. col 1.) ut R. David in locum "רבותינו ז"ל פי" תיו האות הנקראת תיו *Doctores noſtri*, inquit ille, *beatæ memoriæ interpretantur vocabulum Thau eſſe literam Thau*, &c. Sequitur hæc Traditio, *Benedictus Deus dixit Gabrieli, Signa literam Thau atramento ſuper frontes juſtorũ, ſed ſuper frontes impiorũ ſigna eandem literã ſanguine*, &c. Iidem Doctores alibi tradunt ſignum in Cain poſitum fuiſſe primam literam verbi תשובה *Teſhuba*, quo ſignificatur *Pœnitentia.* Si ità ſit (& verisimile admodum eſt ità eſſe) tum pœnitentes hi in Viſione & Cain unum idémque ſignum habuerunt; primam literam verbi ſignificantis *pœnitentiam* & ultimam alphabeti, ſed charactere Samaritano exprimendam, quoniam viſio erat ante Captivitatem. Forma characteris hæc erat N. Th. vel ut MSS. Z. Erat ſignum Homicidii cujus autorem pœnituiſſet, & juſtitiam Dei ſatis indigitavit, ſed magis miſericordiam. Vindicta videtur mortem ejus violentam innuiſſe, ſed exſpectatam diu, & manu fortuitâ illatam. Myſterium ſigni facilè traduci potuit ab uno ad alium: neque enim Mundus erat tum adeò populoſus. Sententia data erat ſatis ſevera, ſed tota non exſequenda. Adjudicatus erat ut vagus eſſet & inſtabilis, ſed verſu ſequenti invenies liberos procreantem & condentem civitates. Et à maximo totius Orientis ſui temporis viro colligi poſſe videtur morem fuiſſe illarum regionum ut caput familiæ pro liberis ſuis ſolenne ſacrificium offerret: nam Jobus dixit, Job. 1. 5. *Nè fortè peccaverint filii mei & benedixerint Deo in cordibus ſuis.* Ideóque arbitror probabile eſſe Adamum ſummum tunc Mundi Pontificem omnia feciſſe ut hunc ſanguinem expiaret. Joſephus ipſe inquit liberatum eum ab homicidio ſacrificio; ſed addit, quod nemo adhuc credidit, ſuo. Non poſſum putare vitam longam merum ſupplicium fuiſſe, ſed indultam miſericordiâ Dei, & ad propagationum humani generis neceſſariam. Ut antea Macrocoſmus ſic nunc microcoſmi Chaos erant, uſque dum anima ſocietatis infundebatur, & tum evaſerunt animal politicum. Cain primus civitatem condidit, & vocavit à nomine filii ſui Henoch. Illius inventionem artium non poſſum maledictioni imputare: etſi ſimplicitas novum Mundum deceret & primordia rerum, tamen cùm adoleſceret in Rempublicam par erat ut primæva ruditas inventione artium & myſteriorum excoleretur. Non videtur id mihi magni momenti, Cain *exiiſſe à facie Domini*, ſic & Adam & Heva; ſed *Cain exiit, & habitavit in terra Nod.* Et Abarbinel inquit ſe inveniſſe in libris noſtris Latinis quòd Cain habitavit Hodu (ità Geographi Orientales Indiam vocant) & fieri poteſt locum ità dictum fuiſſe à Nod in ſenſu errandi, &c. ſed quomodo Errare & Habitare conveniant dicat qui poteſt. Maxima pars maledictionis Cain in hoc conſiſtebat, quòd facta erat ſeparatio inter eum & eccleſiam Sanctorũ in familia Sethi tunc comprehenſam. Said Aben Batric (Chryſoſtomus etiam & Epiphanius, ut citantur in Catena Arabica) inquit Adamum poſt lapſum ſe recepiſſe in montem Indiæ dictum *Montem Sanctum*, & prædixiſſe quòd ab hoc Monte unus aſcenderet alter deſcenderet. Per priorem intellexit Henochum, per alterum Cain, qui dixit fratri (ſecundùm Samarit. &c.) *Deſcendamus in campum*, &c. & in his campis patratum fuit parricidium: ex quo tempore familia Sethi ſe in monte continuit, vitam ſanctam inſtituens. Sed Cainitæ ut creverunt numero, pergebant planitiem habitare ac colere, vitam agentes adeò deperditam ut Jacobus Epiſc. Sarug in Meſopot. (in Cat. Arab. MS. c. 15.) dixerit ולא כאנוא אלאולאד יפרכון אבאהם ולא באנוא יערפוא בנוהם *Nec liberi patres ſuos norunt, nec patres liberos.* Ideo Cainitæ dicti ſunt *Filii hominum.* Et huc uſque *exiit à facie Domini.*

CAP. 18. *Ecce Vir, Oriens nomen ejus*, Zach. 6. 12. *Adducam ego ſervum meum Orientem*, Zach. 3. 8.

UT locum hunc (& alios nonnullos) à ſenſu recepto vindicem, neceſſum habeo novum hoc aſſumere fundamentum, nempe, Deum ſpecialiter præſentem ſemper fuiſſe & eſſe in ea parte Cœli Cœlorum quæ reſpondet Orienti Æquinoctiali Terræ Sanctæ. Nequis mihi hîc obſiciat Deum ubique eſſe. Novi: aut ubique eſſe æquè. Hoc etiam novi. Sed aliter præſentem eſſe in Cœlo ac in Inferno, aliter in una cœli parte ac in alia, pro certo habeo. Nec ità putandum eſt ac ſi eſſet aliquod punctum Orientis aut Occidentis in illo loco, cui non eſt opus Sole aut Lunâ ut illic fulgeant. Nihilominus poſtulo impræſentiarum ut illa pars cœli altiſſimi quæ reſpondet Æquinoctiali Orienti Terræ Sanctæ ità dicatur, & poſtea ità jampridem dici in Scriptura probabo. Jam ut aſſumptum probemus, quid veteres dicant audiamus.

Quii

θεοῖς μὲν τὰ ἀνατολικὰ οἰκεῖα, *Orientalia diis propria*, inquit Porphyrius de Nympharum antro: & partes Orientales dicuntur à Varrone in Festo, *Sedes Deorum*: nam Cincius & Cinnius Capito hanc ratione assignarunt cur omnia sinistra, h.e. Orientalia, essent dextris magis prospera. Sed luculenter magis & eximiè ipse Philosophus, Phys.l.8.text.84. *Primum motorem* (inquit ille) ἀνάγκη ἢ ἐν μέσῳ ἢ ἐν κύκλῳ εἶναι, &c. *necesse est vel in Centro vel in Circumferentia esse sui orbis*, ἀλλὰ τάχιστα κινεῖται τὰ ἐγγύτατα τοῦ κινοῦντος, &c. ἔχει δὲ τὸ κινοῦν, *sed motus velocissimi sunt motori proprior*, &c. *Ibi igitur motor.* Sed ea sphæræ pars rapidissimè movetur quæ est à Polis remotior, ergò locus motoris est in Æquatore. Et hanc esse rationem puto cur in Astrologia tantum tribuatur Æquinoctiis, nam *ex illis judicatur* (inquit Ptolemæus) *de rebus divinis*, καὶ περὶ τοῦ θείους οἴκους ὑπολαμβάνειν, &c. Sed non est mens Philosophi, Motorem se æqualiter toti circumferentiæ communicare, sed præcipuè assistere illi parti ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κατὰ τόπον κινήσεως *unde locomotio incipit*, h. e. Orienti, ut rectè Aben-Rois, quæ ratio est, ait ille, unde *quædam Leges adorant Deum versùs Orientem.* Sed Oriens Æquinoctialis transit per totum Circulum. Necessariò igitur intelligitur de certa positione; nec possibile est ut intelligatur nisi de segmento Horizontali Mundi tunc habitati, cujus extremos limites à sole ad solem vocarunt absolutè *Orientem & Occidentem.* Temporibus Philosophi circulus hujus Horizontis transivit per Columnas Herculis in Occidente & Aras Alexandri in Oriente. Columnæ Herculis (ut receptum & probabilius est) & quas ipse vidi, inquit Aben Rois, si sint Calpe & Abyla ad introitum Maris erectæ, sunt ubi Arabes figunt magnum Meridianum in honorem Alexandri (non, ut alii, Herculis) cui hunc laborem adscribunt. Quod ad Aras Alexandri, ut & ipse & Geometræ ejus Beton & Diognetus tradunt, fluvius Hypasis, Ptolemæo Bipasis, erat terminus itinerum Alexandri, quem tamen transiit, & Aras in adversa ripa consecravit circiter ubi nunc inveniuntur in Charta Provinciali Imperatorum cum hac nota, *Hic Alexander responsum accepit, Usq; quò, Alexander?* Tab. Peutingerian. Segment. 7. Meridianus Arabicus transit per decimum gradum longitudinis 3b illo Ptolemæi; sic Princeps Abulfeda (Arab. MS. in arch. Bibl. pub. Cantabrig.) in principio Geometriæ. Fluvium Hypasin locat Ptolemæus in 131. 35. Differentia Longitudinis est circiter grad. 120. cujus dimidium 60. & quia Meridianus Hierosolymitanus est grad. 70. ab illo Ptolemæi, h. e. 60. ab Arabico, Civitas sancta erat, ut olim dicta est, Umbilicus terræ, exactè medio locata inter Orientem & Occidentem Mundi Habitabilis. Itaq; Oriens Æquinoctialis Hierosolymarũ est Oriens Æquinoctialis totius mundi, & respõdet loco Primi Motoris, qui idcirco dicitur esse in Oriente Æquinoctiali. Et hoc pro Ethnicis satis; ut Christiani credant longè major ratio est, & tamen minùs credunt. Recentiorum sugillationes non sunt magni faciendæ: Non hæc sola veritas tempori & privatis utilitatibus cessit. Sunt qui de industria sibi persuaderi non patiuntur illa quæ audita non placent. Omnium pessima est hæc incredulitas, huic aut illi seculo accommodata, & pro tempore sapientiæ opinionem arrogans sibi præ filiis lucis. Est quædam stultitia Dei quæ hâc longè est sapientior. Quod ad rem, vetustissimis & optimis temporibus de hoc articulo constitit: nam solidæ illorum fidei accenseri potest. Paradisus acceptione Christianâ erat illa Cœli pars ubi *Thronus erat Dei & Agni.* Etiam antiquior hæc est sententia. Dictum erat Zoroastris Magi in Oraculis Chaldæis, Ζήτησον Παράδεισον *Quære Paradisum*, h.e. ut Pletho Scholiastes, ἀμφιφανῆ ψυχῆς χῶρον, *lucidum animarum receptaculum.* Sapienter magis Psellus Scholiastes. Παράδεισός ἐστι Χαλδαϊκὸς τὰς ὅλας τοῦ πατρὸς χορεὸς τῶν θείων δυνάμεων, *Paradisus Chaldaicus* (inquit ille) *est omnis chorus Potestatum divinarum quæ sunt circa Patrem.* Hoc Zoroastris dictum sapiens cum Irenæi traditione apprimè consentit. Tradit ille adv. Hæres.l.5.c.5. Receptaculum Justorum & Perfectorum hominum esse Paradisum in Orientali parte tertii cœli, & addit se hanc traditionem habuisse à senioribus, h. e. (ut ipse se interpretatur) ab Apostolorum discipulis. Vide S. Basilium De Sp. Sanct. 6.27. Gregorium Nyssen. in orat. Dom. Euseb. Hist. Eccl. lib. 9. c. 17. vel Græc. fol. 97. b. Gregentium in Bibliotheca Patr. Anastas. Sinait. in Hexaemeron, c. 7. & c. Omnes eodèm faciunt, sed & Scriptura confirmat. *Dixit Filius auroræ, Ascendam in cœlum, & sedebo ad latera Septentrionis*, h.e. (ut exponit Hieronymus Magius) ad latus sinistrum Septentrionis, sive Orientalem Cœli partem ubi Thronus Dei esse putatur: & expositionem hanc confirmat ex horribili illa Esdræ Visione quæ ex Oriente apparuit. Verùm Visio Esdræ non habet autoritatem nisi Latinæ versionis, quæ ad nullum exemplar originale est examinata; & interpolari quædam possunt cùm liber non sit Canonicus sed Apocryphus. Sed hoc non est adeò libro imputandum. Exemplar originale scimus, quodcunque fuerit, pro deperdito concedi: sed versio Arabica exstat. Codex manuscriptus Arab. quem vidi in arch. Bodl. duos libros adscribit Ezræ Legis veteris scriptori. Secundus continet Canonicum & receptum Ezram, sive Nehemiam, Primus est quartus Apocryphus, sed à locis suspectis liber. Nulla hîc mentio bestiarum Henoch & Leviathan, aut divisionis ætatis in duodecim partes, &c. Habeo cur credam hoc exemplar hujus libri esse maximè omnium authenticum quæ supersunt. Terribilis visio pro me nihil facit, nam incipit à cap. 3 Latinæ versionis & finitur cap. 14. non imperfectè, sed nihil ultrà agnoscens. In visionibus Templi, *Gloria Dei Israel ingressa est per portam Orientalem, ideo porta illa clausa erat, nec amplius aperiri debuit nisi Principi*, Ezech. 44.2. Apud omnes ferè in confesso est repræsentationes illas referri non posse ad Templum ullum quod aut fuisset aut futurum esset Hierosolymis, imò intelligendas de Hierosolymis superis. Et sic Porta Orientalis dici potest esse *Extra terminos hujus mundi*, ut D. Hieronymus concludit. Verùm quicquid Visio describat, sive Templum manibus factum, sive non factum, hoc patet, Gloriam Dei Israel visam venire per viam Orientis. Sed hoc nihil moror. Illud Apocalypseos c. 7. 2. nisi huc spectet, quid aliud sibi velit nescio. Verba sunt hæc, *Vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei vivi*, &c. Nonnulli ex antiquorum præcipuis non dubitant hîc pro *Angelo Christum* ponere, (ut Primasius, &c.) & tum ipse erat qui ascendit ab ortu solis. At quoniam hic liber Scripturæ pars quædam est quam pauci admodum (& quò pauciores eò meliùs) ausi sunt intelligere, allegabo autoritatem ex se sufficientem. Psal. 68. 32, 33. Davides inquit, *Regna terræ cantate Domino, psallite Domino. Selah. Psallite Deo qui ascendit super cœlos cœlorum*, qui erant *ab antiquo*, sic nos transferimus, vel *ab initio.* Hoc planè in contrarium abit illi interpretationi Gen. 2. 8. quæ est Chaldæi, Theodotionis, Hieronymi & aliorum nonnullorum, *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum à principio.* Hæc pro Cabalistis facit, qui asserunt Deum septem fecisse ante creationem, in quorum numero Paradisum ponunt. Sed ex illo tempore interpretes rem penitiùs introspexerunt, & pleriq; transferunt, ut olim Lxx, *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum ad Orientem.* Hic etiam legi debuit, *qui ascendit super cœlum cœli ab Oriente* (idem verbum *Kadem* est in utroque loco) sic vetus Saxonic. ꝼnam eaſtdæle. Lxx κατ' ἀνατολάς, sic Syriacæ, Arabicæ & Æthiopicæ versiones. Certè Syr. & Arab. Maronitarum editio reddunt cum aliqua differentia & transpositione Originalis, &c. אשמע *audiri fecit vocem suam ab Oriente, vocem fortem*, quomodo inveni quoque in MS. Arab. de præcept. Relig. infrà citato. Verùm habeo penès me Versionem Arabicam Psalmorum (pro qua inter cætera quantum doctissimo Seldeno debeam hîc teneor agnoscere) quæ locum reddit magis ad textum Originalem, hoc modo, *Psallite Domino equitanti*, seu *sedenti*, עלי סמא אלסמא באלמשארק *super cœlum cœli in Oriente.* Qui aliter esse volunt, videntur meliùs intellexisse quàm Apostolici

viri, (nam autores Constitutionum multùm infra illos putare non possum.) Tum surgentes (inquiunt Constitut. Apost. l. 2. c. 61.) ἐν ἐπ' ἀνατολὰς καθαιροῦσαν τὰς προσδοξάζωσι τὸν θεὸν τὸν ἐπικεκυφότι ἐπὶ τὸν ὑψηλὸν τῷ ὑψηλῷ καὶ ἐπ' ἀνατολὰς, *Et versus Orientem versi orent Deum qui ascendit super cœlum cœli in Oriente.* Atque hoc est fundamentum quod jaciendum constitui. Quæ adstruam, tam fundamentum stabilient quàm ab illo stabilientur. Hæc est ratio cur Deus plantaverit Paradisum in Eden ab Oriente. Sensus simplicissimus & receptissimus est Mosen descripsisse respectu Judææ. Sed tum Geographiæ fuisset satisfactum dicendo, *Beeden:* nam *ab Oriente* nihil addit situi. Alii itaque propiùs ad verba reddunt *ab Oriente Edenis*, referentes ad regionem Edenis. Et Hortus plantatus est *ab Oriente*, h. e. in parte Edenis Orientali. Sed si verbum pensitemus inveniemus *Mikkedem ab Oriente* respectum habuisse ad Paradisum non ad Edenem. Idéoque Mercerus, *Nil obstat* (inquit) *generaliter accipere in parte mundi Orientali constitum fuisse tunc Paradisum, Orientem Solem versùs.* Verùm nè plus operæ illius perdamus quæ jampridem impensa est in curiosis Paradisi delineationibus, nota solùm quid Damascenus & Episcopus Bethramanus tradunt; *Solem initio Martii oriri directè super Paradisum.* Moses Bar-Cepha de Parad. li. 31. cap. 13. Hoc voluit Moses, Hortum Edenis fuisse plantatum ad Orientem Æquinoctialem terræ Sanctæ: & hoc innuit Sanctum Sanctorum Ecclesiæ hujus Metropolitanæ eam cœli partem respexisse in qua Sol oritur mense Nisan. Sanctuarium Paradisi erat ille horti recessus ubi sita erat Arbor Vitæ. Dicitur certè Arbor Vitæ plantata *Betoch haggan*, h.e. (ut nos reddimus) *in medio Horti.* Et videtur D. Johannes in Apocalypsi hanc sententiam confirmare: sed novit Tremelius hoc fuisse non nisi Hebraismum in Veteri, & Hellenismum in Novo Testamento. Idéoque responsum mulieris in illius versione ità se habet, *Sed de fructu arboris quæ est in horto hoc*, &c. Atqui quoniam conjunctio hîc est discretiva, infert quidam necessariò intelligi de medio Horti, Hebr. autem est וּמִפְּרִי הָעֵץ non *Sed*, verùm *Et de arbore.* Novi sumi posse pro *sed*, ut alibi; detur: τὸ *Ille* tamen emphaticum est tum arboris tum Horti respectu, & sic verba sunt, *sed de arbore quæ est in horto hoc dixit Deus*, &c. An putandum est Deum locutum fuisse ad Mosem è centro Rubi, aut Servatorem nostrum voluisse ut homo & mola asinaria jacerentur in ipsissimum medium maris? Arbor stetit in parte horti Orientali: aliter cur ad eam partem locati sunt Cherubini & gladius flammeus ad custodiendam viam ligni vitæ? Et quâ nisi hâc viâ *exivit Cain & habitavit in terra Nod ad Orientem Edenis?* Gen. 4. 16. Imò ipse Homo cùm ejiceretur jussus est habitare ἀπέναντι Παραδείσου è *regione horti*, ut addit versio Græca, h.e. *ad Orientem Paradisi*, ut versio Arab. MS. Lxx in Archiv. Bodl. Gen. 3. 24. Certum est (ut ut vulgo sapiat) Adamum in Paradiso adorasse Deum versùs Orientem, quod & omnes fecerunt ante Abrahami tempora. Tradunt Hebræi Deum creasse Adamum facie versùs Orientem versâ. Hoc quidem statuere non ausim, sed probabile admodum est recèns ex terra formatum in eandem statim procidisse, & Creatorem suum eò versum adorasse. Præterea præter vulgò usurpata 4 punctorum Cardinalium nomina, occurrunt in lingua sancta totidem alia specialis & sacræ magis impositionis à mensura hominis desumpta. Oriens aliàs Mizrach, i. *ortus*; Occidens Maarab, i. *descensus*, dicitur, &c. Sed in via sancta Oriens dicitur *Kedem*, h.e. *facies*, seu *pars anterior*; Occidens, *Achor*, i. *posterior*; Septentrio, *Smol*, i. *sinistra*; Meridies *Teman*, i. *dextra.* Sed Cœlum dici non potuit habere dexteram aut sinistram, aut si potuit, tum si Oriens fuerit Kedem seu *facies*, Septentrio fuisset dextera, non autem Meridies. Certè Kedem propriè significat non *faciem*, sed *quod ante faciem est*, & idem est quod *Kibla* Arabicé. Patet itaque has impositiones nominum respectum habuisse vel ad formationem Primi hominis Orientem versùs, vel ad situm religiosum istius temporis, & Adamum vocasse Septentrionem *sinistram*, Meridiem *dexteram*, quòd adoraret versùs Orientem. Non me latet esse qui dicant rationem Impositionis fuisse *Shecina bammaarab* seu *situm præsentiæ Divinæ* super Arcam facie versùs Orientem in Occidentali parte Tabernaculi seu Templi, ac si hæc nomina non fuissent imposita diu antequam Arca fuit, vel in cogitatione hominum. Imò *antequam Abrahamus fuit, hæc erant*, & tamen Criticismus hic magni à quibusdam fit. Verùm, non Adamum solum, sed & totum mundum hominum adorasse Orientem versùs, usque ad Abrahami tempora, mihi autores sunt Maimon in More, S. Ephrem & alii in Catena Arabica (MS. c. 35. in Genes.) Traditio illic sic legitur, מן אדם אלי אברהים והי מדה תלאתיה אלאף ותלאתמאיה ותמאניה ועשרין סנה כאנו יסגדון נגד אלמשרק: i. *Ab Adamo ad Abrahami tempora spatio nempe* 3328 *annorum adorarunt versùs Orientem.* Eodem nititur fundamento quo ritus ille Judaicus maximè solennis, Expiationem magnam intelligo quæ à summo & sanctissimo vîro in loco item sanctissimo quotannis facta est versùs Orientem, contrario planè modo quàm omnes aliæ supplicationes religiosæ. Ità interpretor locum illum Levit. 16. 14, 15. Præceptum ibi est ut summus sacerdos eodem modo faceret cum sanguine Hirci ac fecerat cum sanguine vituli, & ut tolleret de sanguine vituli, *& aspergeret digito septies contra Propitiatorium ad Orientem.* Mirum quàm sudarunt Commentatores in hoc loco vindicando. Anxiè satagunt scire quomodo Sacerdos dici possit *sanguinem aspergere ad Orientem*; nec immeritò: nam supponunt eum stetisse facie ad Occidentem. Tawos Paraphrasta Persicus reddit *super faciem propitiatorii in Oriente*, intelligens, arbitror, ut Arabica versio ex Græca, Partem Orientalem. Græca ipsa habet κατ' ἀνατολὰς, *ad Orientem*, Eastward, ut Angl. sic Chald. Syr. & Arab. Saadiah Gaonis, &c. omnes ad verbum: nam certè textus planior esse non potuit, sanguinem scilicet aspergendum versùs Orientem. Hunc sensum habet; Notum est aspersionem sanguinis, hujus præsertim, præfiguràsse illum qui *per proprium sanguinem introivit in sancta, æternâ redemptione inventâ*, Heb. 9. 12. Aaron igitur etsi aliis temporibus faciem verteret ad Occidentem, Mishna Talm. in Tamid c. 4. fol. 35. B. & non suam solùm, sed & hujus ipsius Hirci & Vituli, dum occideret, ut Mishna Talmud in Joma, c. 3. fol. 35. b. Maim. in Jom. Haccippurim; tamen cùm exsequeretur maximum hujus mysterii ritum locavit se ex altera parte Arcæ, & à tergo habens *vilissima hujus Mundi rudimenta* sanguinem hunc aspersit ad Orientem. Isychius Hierosolymitanus satìs intellexit quid sibi vellet, *Fecit* (inquit ille) *in repræsentationem viri cui* ORIENS *nomen ejus*, in Levit. cap. 16. Patet etiam Scripturam nobis significare Hominem Christum ad nos descendisse ab eadem parte Orientali. Fundamentum certè positum similem significationem locis Scripturæ valet conciliare. Περίβλεψον (inquit Baruch) πρὸς ἀνατολὰς, &c. *Circumspice, Jerusalem, ad Orientem, & vide jucunditatem à Deo tibi venientem*, Baruch 4. 36. Scio esse qui prophetiam hanc referant ad Captivitatem: non certus sum quin Cyrus per literam innui videatur, sed Redemptorem nostrum occultari in Mysterio mihi persuadeo. Sensit hoc Olympiodorus, *Circumspice, Jerusalem, ad Orientem*, &c. h. e. (inquit ille) πρὸς τὸ τὸ δικαιοσύνης ἥλιον τὸ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, *ad Solem Justitiæ Dominum nostrum Jesum Christum*, &c. Messiam intelligi facilè constabit prophetiam attentè consideranti: quis enim alius dici potuit *Æternum Salvator*, v. 22? sed qui dicit *Circumspice ad Orientem*, certum locum ponit, non propè; sed cur *ad Orientem?* Manifestum est intelligi de ea parte unde Salvator dicitur *descendisse de cœlo, & homo factus fuisse.* Ideo Pater dicitur excitasse ממורח צדק *ab Oriente Justitiam*, Isa. 41. 2. h.e. ut Procopius, Hieronymus, Cyrillus, *Christum Justitiam nostram.* Plurimi eorum quos novi torquent Prophetiam ad Patriarcham Abrahamum. Vocatur quidem ille à Sapientia Apocrypha 10. 6. *Justus*, sed frequentiùs *Fidelis Abrahamus*, Gal. 3. 9. Verùm *Justitia* ipsa magnum & abstractum

abſtractum nimis nomen eſt. Capite 46. *Vocat ab Oriente avem*, v. 11. Vetuſta aliqua exemplaria legunt, *Juſtum ab Oriente*: Cyrus certè per literam intelligitur (ut rectè Judæi interpretes.) Si Salvator noſter includatur, ut ab Hieronymo & Cyrillo præſumitur, inſolentiam Metaphoræ tollet Malachias: ubi promittitur quòd *Orietur ſol Juſtitiæ, & ſanitas in pennis ejus.* Nota Tindalli (ut opinor) ad locum illum Iſaiæ veriſſima eſt; *Vult propheta* (inquit ille) *Cyrum Regem qui veniret celeriter ut Avis volat, & deſtrueret Babylonem, & Iſraelitas liberaret. Qui impleret quod Dominus decreverat. In eo figuratur Chriſtus, qui lumine verbi ſui purgat totum mundum ab errore & Idololatria, & liberat conſcientias. Volat velociter* EX ORIENTE, *h. e. è Cœlo, unde dicitur* ORIENS EX ALTO, Luc. 1. 78. Adhuc dilucidior eſt Michaiæ Prophetia Mic. 5. 2. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te egredietur mihi qui ſit dominator in Iſrael*, &c. ומוצאתיו מקדם מימי עולם, quæ verba (non veritus ſine exemplo facere) ſic reddo. *Et egreſſus ejus ſunt ex Oriente ab antiquo.* Et hæc eſt una ratio (nam & alia eſt) cur Salvator noſter dicitur *Vir cui Oriens nomen ejus.* Altera ratio ſic habet: Dictum eſt antea quòd ab Adamo ad Abrahami tempora Mundus adoraverit versùs Orientem. Originalis hic, Principalis & (ut eſſe debuit) Æternus ritus, ex errore Perſarum & Chaldæorum in cultum Solis Idololatricum degeneravit, ideóque *Abrahamus* (ut inquit Doctiſſimus Maimon) *inſtinctu Dei Occidentem Hebræis ſuis deſignavit quò adorarent.* Ideo Tabernaculum & Templum ad illam cœli plagam locabantur: Deo interea locum ſuum in Oriente quaſi deſerente & ad populum hunc obdurum deſcendente. Erat hæc gens ſenſûs literalis tenaciſſima & (ut cum myſterio ſecreto quod intendebatur facerent) hoc modo cum illis agendum erat. Adorarunt, & non adorarunt versùs Occidentem. Verum eſt quòd omnia ſacrificia hàc versùm offerebantur. In ritibus Azazell hirci duo frontibus huc verſis ſtabant. Maim. in Jom. Hakkip. c. 3. §. 2. Moles prò *Phara Adumma* ſeu *Vacca rufa* erecta feneſtras habuit ad Occidentem apertas. Talmud in Phara, fol. 96. a. Sex lampades in Candelabris aureis ardebant verſùs ſeptimam quæ media erat, & hæc (ut Maimon tradit) versùs locũ Sanctiſſimum, & dicebatur *lampas Occidentalis.* Beth Habbech. c. 3. §. 8. Nec tamen interea adorabant magìs ad Occidentem quàm Septentrionem. Adorabant versùs Arcam (ut antea dictum) vel ejus locum. Idem adhuc faciunt: debebant & debent ità facere, quia ſol Juſtitiæ erat occaſurus in Horizonte eorum: ideo debebant & debent ità facere, quia *Vir cujus nomen Oriens* (quantum ad illos) nondum natus eſt. Si rei Oeconomia & diſpoſitio penitus obſervetur, nihilo ampliùs opus erit ad ſtabiliendum Fundamentum. Hunc Virum vocatum fuiſſe *Orientem* patebit ex Zach. c. 6. 12. c. 3. 8. *Ecce Vir*, &c. *& educam ſervum meum*, &c. In textu ſacro eſt *Ecce Vir cujus nomen eſt* צמח *Tſemech*, h. e. ut docti reddunt, *Germen.* Notandum eſt quòd ut Græcum ἀνατέλλω ſignificat etiam *germinare*, ſic Hebraicum *Tſemech* ſignificat etiam *lucere* & *oriri*: quod enim nos reddimus *ſplendorem* Syr. reddit *Tſemech gloriæ ſuæ.* Heb. 1. 12. Et in Aſtrologia Judaica Horoſcopus ſive Angulus Orientalis vulgò ſic dicitur. Prophetia legenda eſt ſecundùm Lxx, ἰδὲ ἀνὴρ ἀνατολὴ ὄνομα αὐτῷ, i. *Ecce Vir Oriens nomen ejus.* Ità urgebatur Tryphoni Judæo (Dialog. πρὸς Τρυφ. p. 105.) in antiquiſſimis Juſtini Martyris temporibus, ut & Jacobo Judæo in ſimili colloquio in Cetab ol borhan c. 6. In hunc finem ſcriptus eſt iſte liber ut probet ex omnibus Prophetis, &c. Salvatorem noſtrum fuiſſe Chriſtum, &c. Juſtus inter cæteros hunc locum citat, קאל אלרב אלקוי הרה רגל אסמהו מסרק, *Deus fortiſſimus dixit* (per Zachariam Prophetam) *Ecce Vir Oriens nomen ejus.* (Cetab ol borhan Arab. MS. in Biblioth. Baliol.) S. Lucas verò rem extra dubium ponit, ubi alius Zacharias priorem ſecutus de Salvatore noſtro dicit quòd ſit ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, ut nos reddimus, *diluculum* the Day-ſpring, ut Eraſmus & Vulgaris, *Oriens:* quam interpretationem Beza improbare non valens, & tamen ſecum reputans aut veterem Prophetiam ità reddendam, aut non novam, reddidit *Germen ex alto*; ſed iſta redditio nemini ſapit. *Tſemech* Zachariæ idem eſſe cum ἀνατολὴ Lucæ rectè judicavit Beza. Sed quòd ἀνατολὴ non poſſit reddi *Germen* evincitur ex verbis ſequentibus, *Illuminare his qui in tenebris*, &c. *Ideóque qui Germen vertunt* (inquit Scaliger de *Tſemech* Zachariæ) *imperitè faciunt, audeo dicere, nec mentiar, contra verbũ Dei.* Locus Zach. ità legendus, *Ecce vir Oriens nomen ejus, & ſubter eum orietur*, h. e. *ſubter Deum Patrem.* Jeremias Propheta aliter intelligi nequit, c. 23. 5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo David* צמח צדיק *Tſemach Tſaddick*, Ἀνατολὴν δικαίαν, *Juſtum Orientem*, ut Lxx, h. e. τὸν χειρὸν τὸν ἀ δικαιοσύνης ἥλιον, inquit Severus, *Chriſtum ſolem Juſtitiæ, ἀ ᾧ ὃν ἑτέρωσε φῶς τῷ κόσμῳ καὶ πᾶσι ἐθνῶν ἀναγορδόμενον, qui alibi* (inquit Euſebius) *lux Mundi & Gentium dicitur.* Tacitus nihil tale cogitans aliquid hujuſmodi tradit, Hiſt. lib. 5. Excidium Hieroſolymitanum narrans refert quomodo *expaſſæ repentè delubri fores, & audita major humanâ vox, Excedere Deos.* Hæc, inquit ille, aliqui referebant ad veterem prophetiam quæ inventa eſt in *antiquis Sacerdotum literis* quæ prædixit *eo ipſo tempore fore ut valeſceret Oriens.* Non dubito quin propheta quiſquis fuerit *virum* intellexerit *cui Oriens nomen ejus*, Zach. 6. 12. Reſpectu ad hoc Chriſti nomen, Chriſtiani ab aliquibus dicti ſunt *Orientales.* Morale eſt Gregorii Magni in hæc verba Jobi c. 1. *erat vir ille magnus inter omnes orientales.* Beata Virgo etiam dicta aliquibus *Porta Orientalis*, ac ſi hoc vellet Viſio Ezechielis, c. 44. Sic. S. Ephrem in illa verba Jacobi, *Hæc eſt domus Dei & hæc eſt Porta Cœli*; *Hoc dictum* (inquit ille) *neceſſariò intelligendum eſt de Virgine Maria, quæ facta eſt quaſi alterum cœlum, verè dicenda domus Dei, utpote in qua Filius Dei Verbum immortale habitaret*; *aquè verè etiam dicenda Porta Cœli, nam Dominus Cœli & Terræ per eam intravit, & ſecundò non aperietur*, ſecundùm illud Ezechielis prophetæ, *Et vidi* (inquit ille) *Portam ad Orientem, & Dominus glorioſus intravit per eam, ex tunc clauſa erat nec ampliùs aperietur.* Cat. Arab. C. 58. Non eſt hîc prætereundum ſilentio Stellam ejus apparuiſſe in Oriente, & Magos indè veniſſe. Quod verò magìs obſervandum eſt, Angeli à Deo miſſi cum Euangelio Nativitatis illius venerunt etiam ab Oriente; nam Templum illorum viſitur ad Orientem Bethlem, ut teſtatur Geographus Nubienſis. Natus eſt etiam in partibus Mundi Orientalibus. Imò natus eſt in Orientali angulo civitatis Bethlem, ut Venerabilis Beda (Eccleſ. Hiſt. lib. 5, c. 17.) ex Adamanno. Cœli etiam Terræ occurrebant hoc tempore: nam Autumnalis interſectio (aliter Oriens Æquinoctialis) erat Aſcendens Nativitatis illius. Sed de hoc plura poſtea. Inter pios Hieroſolymis à Majoribus receptum eſt ſepultum quoque fuiſſe facie & pedibus ad Orientem. Geographi Terræ Sanctæ hoc confirmant. Verùm aſcendiſſe in orientalem Cœli partem vetus eſt univerſæ Eccleſiæ conſenſus. Ἀναλαμβανόμενον πρὸς ἀνατολὰς ἀνεφέρετο, inquit Damaſcenus, *Sublatus in cœlum ad Orientem ferebatur.* Hæc eſt ratio cur legant iſtum locum Pſalmiſtæ, *Qui aſcendit ſuper Cœlum Cœli ad Orientem: utpote* (inquit Origenes) *à mortuis poſt paſſionem reſurgens, & in Cœlum poſt reſurrectionem ad Orientem aſcendens.* Eodem modo Syriacæ & Arabicæ verſiones. Sed tum in Græca legi debuit τῷ ἀναβεβηκότι, ut in 18 ejuſdem Pſalmi Ἀνέβης εἰς ὕψος, *aſcendiſti in altum.* Ὁ ἐπιβαίνων non propriè dicitur de eo qui aſcendit equum aut aſinum, cui ὁ ἐπιβεβηκὼς dicitur *inſidere: Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit* ἐπιβεβηκὼς ἐπὶ ὄνον *ſedens ſuper aſinum*, Mat. 21. 5. Plenè reſpondet vocabulo *Laroceu* Prophetæ, quod vetuſtior Tranſlatio appoſitè ad literam reddit, *Qui equitat* (vel *ſedet*) *ſuper cœlum quaſi ſuper equum*, v. 4. Sic Oraculum,

Κόσμων ἀμφιδρόμων ἐποχήματα ——

i. *qui ſedes* aut *equitas ſuper cœlos.* Apertè pro Aſcenſione Propheta Iſaias ut citatum invenio in Cetab. alborhan, cap. 4. col. 1. (Arab. MS. in Arch. Bibl. Bodl. Lenſi) Jacobus Judæus urget, כמא קאל אישעיא אלנבי יתעאלי אלרב וחדה ירתפע פוק אלמשרק והתעאלי אלרב אלקוי באלעדל, i. *ut Propheta Iſaias dicit, Dominus ſolus exaltatur & elevatur ſuper Orientem, Dominus fortis exaltabitur in Juſtitia.* Ità legit verſum 16. capitis 5. Exemplar verò Originale nunc receptum nullam facit mentionem *orientis* aut *exaltationis.* Si tum non feciſſet, certè Judæus noſſet; & tum non video quâ fronte urgeri potuit in hoc colloquio; ſed ſubit credere quod Juſtinus Martyr huic populo imputavit Κἀγὼ (εἶπον) ὑμῖν, &c. probat contra Tryphonem Judæos etiam Scripturam ſuam circumcidiſſe p. 83. dialogi. Si Salvator noſter aſcenderit in cœlum per partem Orientalem non eſt cur dubitemus quin per eandem revertetur. Angeli idem ſignificare videntur. Incidi in autorem qui affirmat ipſum de ſeipſo idem teſtatum eſſe (MS. Arab. de præcept. Relig. part. 1. c. 14. de Oratione. Liber exſtat in Bibl. D. Henrici King. Epiſc. Ciceſtrenſis) איצא אלתונה כאלובה אלי אלשרק לאנה אלנהה אלרי קאל אלמסיח ולה אלמגד לנה ישהר מנהא פי מנה אלתאני. Porrò (inquit ille) *debemus faciem ad Orientem convertere* (tempore precationis) *quoniam illa eſt plaga de qua dixit Chriſtus, cui ſit gloria, quòd indè apparebit cùm ſecundò advenerit:* & eum reſpexiſſe arbitror ad illa verba Salvatoris Mat. 24. 27. *ſicut exit fulgur,* &c. Audiamus igitur quid S. Damaſcenus tradit tanquam ab Apoſtolis, καὶ ὅτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσατο αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανὸν, ὡς αὐτὸς Κύριος ἔφησεν, Ὥσπερ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν, ὅτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου· αὐτὸν γὰρ ἐυδοκόμουσι δεῖ ἀνατολὰς προσκυνεῖμν. Ἀγραφος δέ ἐστιν ἡ παράδοσις αὕτη τῶν Ἀποστόλων. *Et hoc modo iterum veniet, quo vidiſtis eum aſcendentem in Cœlos, ut ipſe dixit. Nam ſicut fulgur exit ab Oriente & fulget uſque ad Occidentem, ſic erit adventus filii hominis. Igitur adoramus eum versùs Orientem ut indè exſpectantes. Et hæc eſt non-ſcripta traditio Apoſtolorum.* Canonem invenio ſub eorum nomine qui huc facit in Codice Arabico (Concil. MS. in Arch. Roanis Bibl. Bodl.) אן תכון מצלאיהם נחו אלמשרק וקבאלתה ואסתש הדוא פי רלך בקול סידנא אלמסיח אן מגיה מן אלמגא פי אחר אלאיאם כאלברק אלדי ילמע פי אלמשרק ויצי אלי אלמערב וברלך אסתרלינא עלי מגיה אנה יכון מן אלמשרק, *Cùm oratis,* inquiunt illi, *vertite vos ad Orientem; Nam hoc volunt verba Domini qui prædixit adventum ſuum in die ultimo futurum ut fulgur quod exiens ab Oriente fulget ad Occidentem: hoc innuens ſcilicet, ut exſpectemus adventum ejus ab Oriente.* Satis mihi in promptu erat putare mentionem fulguris hîc factam innuere repentinum ejus & inexſpectatum adventum, ſed non valens rationem reddere cur fulgur exiret potiùs ab Oriente quàm ab Occidente minus habui quod Traditioni huic opponerem. Paulus de Palatio inquit mentem hanc horum verborum conſenſu omnium Chriſtianorum probari, *Credentium quòd in Oriente Humanitas Chriſti ſedeat: Ab eo ergò loco veniet ubi nunc eſt.* Exſpectandum itaque eſt ut ſignum illud Filii hominis, alius ille quaſi Baptiſta ſecundi adventûs, appareat in Oriente; quod fore ſignum crucis Patres Chryſoſtomus & S. Ephrem promittunt, Et Eccleſia Æthiopica de hoc adeò certa eſt, ut, (quod Zabo refert) inter articulos fidei profiteatur. Quòd in Oriente apparebit probare nititur Hippolytus, τὸ γὰρ σημεῖον τοῦ σωτῆρος ἀπὸ ἀνατολῶν ἕως δυσμῶν ἀνατελεῖ ἐστὶν ἡ λαμπρότης τοῦ ἡλίου, καὶ μηνύσει τὴν κατ' ἐλθοῦσαν, *Signum enim crucis orietur & fulgebit ſole ſplendidiùs ab Oriente ad Occidentem, ut ſignificet adventum Judicis.* Hiſce omnibus collatis, juxtà cum iis ſentio qui credunt ſedem & tribunal ultimi judicii locatum iri in aere ex adverſo Montis Oliveti. Joel Propheta idem prædixiſſe creditur cùm dicit cap. 2. quòd omnes gentes congregabuntur in Valle Jehoſaphat, & pedes ejus ſtabunt in eo die ſuper montem Oliveti qui eſt Hieroſolymis ad Orientem. Non poſſum (inquit quidam) excogitare cur Propheta noſcentibus tam bene ità particulatim deſcriberet: & *certum eſt* (inquit alius) *ſpectare hæc ad diem judicii.* Et ſi Clementi fides habeatur ipſi Apoſtoli idem crediderunt. Majores noſtri hâc ſpe vixerunt & mortui ſunt. **Lete us thinke** (ità ſacerdos concionari ſolitus eſt diebus Feſtis) **that Chriſt aped in the Eſte, and thereſore let us pray beſely into the Eſte, that we may be of the nombre that he aped for. Alſo let us thinke that he ſhall come out of the Eſte to the doome. Wherefore let us pray heretily to him and beſely that wee may have grace of contrition in our hearts of our miſdeeds with Chriſt and ſatisfaction, that wee may ſtonde that day on the right honde of our Lord Jeſu Chriſt,** &c. Lib. feſtivalis in dedicatione Eccleſiæ. Dicitur quidem, *ſed de illa hora*; non dicitur, ſed de illo loco, *nemo ſcit.* Verùm, ut non adeò particularibus inhæreamus ut aſſignemus ipſum montem aut vallem, aut ſolicitiſimus cùm Doctore in Talmude Hieroſolymitano quo pacto ſapientum oſſa ſub terra volventur in Terram Sanctam, manifeſtiſſimum eſt in terra Sancta futurum magnum hoc judicium: hîc Mundus creari dici poteſt & hîc redimi; hîc ſol primò oriebatur & hîc ſol Juſtitiæ; hîc *mortuus eſt,* & *ſepultus,* & *tertio die reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum hinc, & huc venturus eſt judicare vivos & mortuos.* Et ideo, *Quid non ſtatis viri Galilæi? Hic Jeſus qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum,* Act. 1. 11. Jam dictis ſuccenturiabitur antiqua Orientalis Eccleſiæ profeſſio (Commentar. Arab. MS. in Pentateuch. c. 5. in Arch. Bodl.) אמרנא אן נצלי אליה לאן רבנא אלמסיח ענד צעורה אלי אלסמא מנה צער ועלי סמא אלסמא פוקה גלס סמא יקול דוד אלנבי פי תדחילה סבחוא אלאלה אלדי רכב עלי סמא אלסמא פי אלמשרק וחקקה לנא אן אלמסיח גאלס בנאסותה עלי פי אלמשרק וונה אלי אלעאלם נטר לכי יכון כל מן יצלי אלי אלשרק או יסגר בין ידיה יצלי ויסגד עדשה, *Oramus* (inquiunt illi) *versùs Orientem, quoniam Dominus noſter Chriſtus cùm aſcendit in Cœlum hâc ivit, & ſedet in Cœlo Cœli ſuper Orientem, ſecundùm quod dicitur à Davide Propheta in Pſalterio, Pſallite Dominum qui ſedet in Cœlo Cœli in Oriente: & revera non dubitamus quin Chriſtus Dominus noſter quantum ad humanam naturam ſedeat in Orientali parte Cœli Cœlorum facie ad hunc mundum versâ: adorare igitur versùs Orientem eſt adorare versùs Salvatorem noſtrum.* Et hæc omnia intelligenda eſſe de Oriente Æquinoctiali (quod etiam conſiderandum venit) fiet manifeſtum à Moſe Epiſcopo Bethramanenſi in tractatu de Paradiſo l. 1. c. 3. Dicit ibi quod locus versùs quem orabant is eſt ſuper quem ſol oritur menſe Niſan, h. e. in Æquinoctio Verno.

Cap. 19. Exod. 23. 19. 34. 26. Deut. 14. 21. *Non coques hœdum in lacte Matris ſuæ.*

CHaldæa verſio reddit *non comedes Carnem cum lacte.* Ità editio Arabica Erpenii: illa Saadiæ Gaonis non longè aliter, *Non aſſabis,* aut *coques, carnem cum lacte.* Targum Hieroſolymitanum, *Non licet vobis, ô populus meus, domus Iſrael, coquere aut edere carnem & lac ſimul.* Videatur hic ſenſus fundari in ſimili prohibitione veſtium ex duobus textarum & agri ſerendi diverſo ſemine, Levit. 19. 19. ut taceam præſentem morem Judæorum qui ſenſum hunc textûs praxi ſuâ ultra memoriam, quantum nos ſcimus, confirmarunt. Et videtur hoc eſſe validum argumentum pro hac lectione: nec enim temere ſuſpicandum eſt quin illud quod & jam obtinet & tamdiu inter illos obtinuit ab indubitata Traditione receptum ſit:

sit: neque enim promptum est putare totam sectam Cultorum opinionem aliquam amplexari velle sine pleno & universali consensu Majorum. Culina Judæorum (acsi sexus etiam esset in cibis & patinis) dividitur ut Synagogæ ubi mulieres seorsim orant; sunt quidem ejusdem Congregationis non verò Societatis. Et hoc quidem ità esse debet; sed vasa pro lacte sejungere à vasis pro carnibus, alteram patinam habere pro carnibus, alteram pro lacticiniis, & cultrum etiam peculiarem pro Caseo & Butyro (neque enim eodem uti licet) & pro hisce omnibus allegare locum de quo agitur, *Non coques Hœdum*, &c. quid aliud est quàm *rescindere verbũ Dei per traditionẽ suã*? Mar. 7. 13. Non opus habeo superstitionem hanc particulatim describere, vel omnes quas faciunt distantias inter Carnem & Lac. Vide Maim. in Halaca de cibis vetitis, c. 9. Sect. 1. Shulcan Aruc. in Halac. Basher Vechelet Num. 87. Nuperum Rabinum Leon. Mode. lib. de modernis ritibus Heb. part. 1. c. 3. n. 3. & part. 2. c. 6. n. 12. D. Buxtorf. Synag. Jud. c. 26. Summa omnium est quòd lege hâc vetitum sit *Coquere aut edere carnem & lac simul*. Verùm nónne Pater illorum Abrahamus, cùm Angelos pro hominibus hospitio exciperet sub quercu Mamre, *Tulit butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis, & comederunt?* &c. Gen. 18. 8. Si mos hic Judæorum fundetur in falsa textûs interpretatione, tum quò antiquior & universalior sit eò majus est erratum. Textum verò falsò eos interpretari patet, & statim clariùs patebit. Et quomodo hi homines soleant transgredi præcepta Dei suis traditionibus manifestum est. Mat. 15. 3. Unam solummodo hîc apponam instantiam. Psal. 17. 14. Nos rectè reddimus *De absconditis tuis adimpletus est venter eorum*. Illi legunt, *Et Septentrio implebit ventres eorum*, malè applicantes ad res spectantes ad generationem, &c. כל הנותן מטתו. *Quicunq;*, inquiunt Doctores in Beracoth fol. 5. b. c. 1. *locabit lectum suum ad Septentrionem & Meridiem mares generabit*, &c. ideóque Judæi hunc Collocationis ritum colunt (etiam ex his verbis Psalmistæ) ad hunc usque diem: ideo etiam in celebrandis nuptiis sponsa stare jubetur facie ad Septentrionem vel Meridiem, in felix omen procreationis, tam pro Numero quàm Sexu liberorum. Narrant etiam de lyra Davidis lecto appensa, quæ *mediâ nocte semper vento Septentrionali afflata sponte sonuerit*. Talmud. in Berac. fol. 3. b. acsi lectus Davidis fuisset hoc modo collocatus. Et tamen hæc (quicquid dixerint) non est vera ratio cur Judæi posuerunt lectos suos ad Septentrionem & Meridiem. In eodem situ etiam *Beth Hacciſſe* vel *foricam* suam ponere tenentur, ut ille *qui pedes tegit faciem suam vertat ad Septentrionem vel Meridiem, nullo autem modo ad Orientem*, Talmud in Bera. fol. 62. a. Utcunque Doctores Alphesi & alii multa exquisiverint, ratio consuetudinis prioris eadem est quæ posterioris, quæ assignatur in glossa ad Beracoth, c. 1. fol. 5. b. & hæc est, *ut indecentes Naturæ* (aut Matrimonii) *necessitates non caderent in viam Dei, cujus Shecina, vel locus præsentiæ, est ab Oriente ad Occidentem*, &c. Lxx, *Non coques Agnum in lacte matris suæ*. Sic & Arab. illius versio, *Non coques* חרופא בלבן אטר *agnum in lacte Matris suæ*. Paraphrasis Persica est נה נושתני בצה דר שיור מדריאו, Na Koshtani Bashbache der shier madreau, *Non occides Hœdum in lacte matris suæ*. Hæc lectio videtur fundamentum suggerere eorum interpretationi qui hoc modo intelligendum esse volunt, viz. ut nemo Israelita coqueret hœdum, vel agnum, vel cujusvis generis tenellum *in lacte matris*, h. e. ut quidam, tenellum cum matre, ut in præcepto de nido avium. Alii respicere volunt ad sacrificia, nè quis afferret hœdum vel agnum, &c. ad domum Domini ante diem octavum, nam septem diebus cum matre esse debuit, & tum licuit afferre. Aliàs dicunt quod utcunque licuerit offerre tenellum in lacte (nam Samuel obtulit Agnum lactentem vel in lacte) ob rei religionem, tamen in mensis non licuit edere Hœdum, quamdiu esset cum matre vel sugeret. Observetur hîc Lxx & Arab. eorum versionem non multùm errasse cum *Agnum* reddederent: nam *Gedi* & *Hœdum*, & *Agnum* significat. Et in Exodo leges *Agnum de Hircis* æquè ac de Ovibus, cap. 12. 5. itaque huic non est insistendum. Nec sensus esse hic potest ut non sacrificetur Agnus vel Hœdus ante diem Octavum: nam hoc antè, & verbis clarioribus vetatur, *Septem diebus sit cum matre*, Exod. 22. 30. Ad mensas autem referre ut crudelitas & deliciæ prohibeantur, magìs adhuc absurdè Legi imponit. Isaac ben Solomon (filius adoptatus cujusdam Regis Arabiæ, & Medicus sui temporis celebris) De esu carnis Hircinæ, hæc habet in libro de Diætis ex Arab. verso, part. 4. c. De carne hircina; *Sunt enim Lactentes, sunt & vicini suæ nativitati, sunt quoq; juvenes & decrepiti. Lactentes verò sunt cæteris animalibus in sapore & nutrimento præstantiores. Lac enim naturalem eis præstat humiditatem, eorum complexio temperata est in calore & humiditate absq; sui corruptione. Facilem ergò & subtilem dant dietam. Et quò diutiùs lacte nutriuntur, eò meliores ac teneriores erunt*. Idem autor ait, Nullam carnem exactiùs nutrire quàm hœdi lactentis, & porrò, quò diutiùs matrem comitatur, eò magìs saporatus fiet cibus. Idem autor inquit de Agnis lactentibus, *pessimum dant sanguinem*; nec meliorem quàm Hirci annosi. Et hoc experientia verum docet. An verò verisimile est Legislatorem populo suo interdicere velle pessimis cibis ad frangendas delicias, aut optimo nutrimento ad vitandam crudelitatem? Verùm hoc ex textu sequi videtur. Sed ut viam struam ei sensui quem Prohibitio revera intendit, hæc ponam fundamenta; & ejusmodi sunt quæ ab eis qui expositionem Legis Mosaicæ postea aggredientur observari mereantur. Sciamus igitur ab illo qui optimè & primus novit, (D. Maimonide) præcepta in Lege, hujus præsertim generis, respicere ad Ritus Ethnicos non solùm Idololatricos sed præcipuè Magicos & Superstitiosos contra rationem. Nec tamen hic Respectus tam est latus & indistinctus ut omnes in genere Ethnicos includat, sed de industria refertur ad gentes vicinas, Ægyptios, Canaanitas, Chaldæos & Amoritas. Hæ superstitiones dictæ sunt ab antiquis Rabbinis *Viæ Amorhæorum*, h. e. viæ quas Judæi pro Hæreticis habere tenentur. Aliter dicebantur *Zabiorum*, vel *Zabaistarum cultus*, i. Orientalis Idololatria. Hos Ritus Zabii multis libris conscriptos habuerunt, quorum pars magna in Arabicam translata est, quibus usus est Maimon, ut Sepher Hatteleſmaoth vel *Liber Teleſmatum*, Sepher Hasharab, Sepher Tamtam, Sepher Maaloth haggalgal, Sepher Isaaci. Liber Isaaci Zabiistæ de omnibus Ritibus & Moribus Legis eorum. Sed liber maximi momenti, inquit Maimon, est Sepher Henbattith vel *liber De Agricultura Ægyptiorum*. Ex hoc libro de reliquis judicare licet, & de hoc ex eis quæ indè citantur in Sepher Haccozri או כמו ספרי העבודה הנבטית שזוכרים שם שמות ינבושאר וצגריח וראני ואמרים כי הם קורם אדם ושינבושאר היה רבי של אדם. i. *Vel ut libri Avoda Henbattith, qui mentionem faciunt nominum quorundam, Janboshar, Tsagarith, & Roani, quos dicunt fuisse ante Adamum, & quòd Janboshar fuit magister Adami*, &c. Cozri lib. 1. Ex his libris Zabaisticis, præsertim proximè citato, Maimon maximam partem Legis Ceremonialis defendit, & quod magìs est, familiarem reddit, & præcepta illius cujusvis hominis rationi ac fidei accommodat. Solùm cur Deus uti vino in sacrificiis illos voluerit cùm & Zabii idem facerent, se solicitum fatetur, nec quò referat scire. Verùm ab aliis quibusdam mutuatam rationem reddit, nempe Deum respectu habito ad partes tres principales hominis, Cor, Jecur & Cerebrum, voluisse sacrificia consistere tribus hisce respondentibus *Carne*, *Vino*, *Musicâ*, More part. 3. c. 46. Sed in aliis casibus prohibitio in lege (maximam partem) opponitur alicui ritui magicæ Idololatriæ. Sic ab hac prohibitione in Lege Levit. 19. 19. *Agrum tuum non seres diverso semine, nec vineam* Deut. 22. 9. Doctores Hebræi legitimè concludunt omnes arborum species perinde intelligi, ut germen unius speciei trunco alterius haud liceat inserere. Et Maimon hoc refert ad vias Amoritarum.

Nam *Zabii*, inquit ille, *ità facere consueverunt: Observabant talem locum Lunæ, talem fecerunt suffumigationem, talia vel talia verba dixerunt dum arborem arbori insererent, persuadentes sibi hos ritus fuisse ad fructificationem necessarios.* More part. 3. cap. 37. Huc respexisse crediderim D. Paulum cùm dicit Amoritæ seu Gentili suo, *Tu ex naturali excisus es oleastro, & præter naturam* (hoc est morem Judæorum) *insitus es in bonam oleam*, Rom. 11. 24. Ut res antea steterunt, germen adeò heterogeneum non debuit inseri; sed jam D. Paulus, ut antea D. Petrus, non debuit vocare aliquid Commune aut Immundum. Repetit ibi Maimon alium eorum morem, sed ob nimiam obscœnitatẽ verbis nostris non reddendum. Verùm appositissima in hunc finem instantia est à Legibus sanguinis. Vetitum est ut quis Israelita sanguinem ederet. Mandatum est etiam ut sanguis altari inspergatur, & insuper ut pulvere obtegatur vel in terram effundatur ut aqua. Aliqui è Zabiis sanguinem edere solebant; alii, quibus hoc visum inhumanius, interfectæ bestiæ sanguinem reservabant & in vas vel fossam colligebant, & circulo circumsedentes carnem comedebant, hac opinione sibi placentes, Dæmonas suos sanguinem depasci, persuasi hunc morem quasi cum diis accumbendi familiares sibi illos & propitios reddere, promittentes sibi velle hos spiritus in somniis se insinuare & capaces reddere divinationis & cognitionis futurorum. Respectu ad has vias Amoritarum, Deus expresè vetuit populum suum sanguinem edere, hoc enim è Zabiis nonnulli fecerunt; & quia alii colligebant in vas, jussit ut sanguis effunderetur in terram. Et quia illi comederunt sacrificia circulo circum sanguinem sedentes, jussit ut sanguis inspergeretur (non circum) sed super altare. Sic hic cautum est nè quis Israelita coqueret hœdum in lacte matris suæ. Certum est hoc referri ad ritum aliquem idololatricum Ethnicorum: qui aliter sentiunt, locum non interpretantur, sed eludunt. Spe inveniendi moris hujusmodi inter Ethnicos jamdudum satis operæ & olei deperditum est. Si verum esset quod dicit Tostatus (sed nec ipse credidit) Ethnicos solitos fuisse sacrificare Hœdum in lacte matris suæ coctum Deo agrorum, aliquid huc faceret. Verum quidem est Sylvanum fuisse Deum Sylvarum & agrorum, & quòd lac præcipuè illi offerebatur, ut Hœdus Fauno. Lac etiam erat inter sacrificia Panis Dei Pastorum, & in Ambarvaliis Cereri offerebatur. Est etiam ratio cur Capra & Lac Caprinum magni fieret in cultu Ethnico; nam ipse Jupiter aliud ab illo non suxit. Exprimitur in Reversa numismatis Argentei Valeriani, Parvulus Deus super Capella cornu tenens cum inscriptione *Jovi Crescenti*. Nec negandum est quin & Hœdus & Lac offerrentur in sacrificiis Bacchi, sed Hœdum coctum in lacte matris in usu fuisse in Ritibus cultûs Ethnici recentioris non constat. Notat Simlerus quidam, Hebræorum aliquos dicere Ismaelitas solitos coquere Hœdum in lacte. Verum quidem est Abarbinelem ità dicere, & quòd ità faciant עד היום *in hunc usq; diem*. Sed videatur quid Abenezra de ea re dixit in locum Exod. 23, &c. Per *Ismaelitas* intelligere debemus Arabas, h. e. Saracenos antea, nunc Turcas. In quorum tamen Ritualistis ut Ben Casem, Side Ben Hali, Abdalla, &c. si tale quid inveniatur, plus est quàm ab illis exspectari potuit qui in exquirendo diligentem operam navarunt. Novi illos edere Lac & Carnem Caprinam; sic & nos etiam: sed quid demum? Si quid ad textum facerent, deberent coquere Hœdum in lacte; quod plus est quàm quisquam culinæ peritissimus in se (utì arbitror) suscipiat רד בומן רב *nisi longo tempore* (ut inquit Aben Ezra.) Sed nec hoc sufficit. Hœdus conquendus est in lacte Caprino, & quod amplius etiam est, *in lacte matris suæ*. Prima verba sensum intricatum præ se ferunt, posteriora planè adeò magica sunt ut omni alii interpretationi viam occludant. Ideóque Abarbinel Ritum esse Ethnicorum Idololatricum arbitratus est coquendi Hœdi in Lacte tempore fructuum colligendorum, (perantium nimirum ut hoc modo Deos sibi propitiarentur. Et pro hoc sensu allegat Hispanicum *Mesta* festum Rusticũ quod Pastores bis in anno celebrant cum Hœdis & Lacte. Sed Hœdum edere, vel lac, vel utrumque, nihil est ad rem. Verba ipsa Magicam præparationem innuunt. Ideóque Doctissimus Maimon, etsi locum cum cæteris Judæis eodem modo interpretetur, non dubitat tamen referre ad vias Amoritarum, ídque hac de ratione, quoniam bis junctum invenit cum tribus vicibus annuis, Exod. 23.19. 34.26. *Tribus vicibus conspicietur omnis masculus tuus.* Et *hac ratio* (inquit ille) *magnum pondus apud me habet, licèt in libris Zabiorum nondum viderim.* Videtur Karraitæ (citato à D. Cudworth alterius Academiæ viro docto) hanc traditionem occurrisse, *Mos erat inter veteres Ethnicos* (inquit ille) *cùm fructus colligerent coquere Hœdum in lacte matris suæ, & deinde* דרך מכשף *magicè aspergere arbores, agros, hortos, & pomaria, fore credentes ut hoc modo fertilitatem illis inducerent in annum sequentem.* Sic Karraita. Notandum etiam Zabios hos Hœdo, nisi magicè, uti non debuisse. Sacrificabant Seirim sive Dæmonibus suis sub forma Hirci, ideo caro Hircina illis vetita erat. More Nev. p. 3. c. 46. Nihilominus, imò hac de causa, usus Magicus Hircorum facer erat & religiosus. Magicam Hœdi præparationem manifestum est respectum habuisse ad Hirco-diabolos: ratio autem modi nullo modo assignari potest; nam tum non esset magica. Satis est talo quid in usu fuisse in viis Amoritarum, ideóque vetitum populo Dei. Probabile etiam est populum Dei (aliquos saltem) ab exemplo Zabiorum idem usu usurpasse: cur non æquè ac sacrificia in honorem Seirim vel Hirco-diabolorum, Levit. 17.7? si populus Dei ità fecit, h. e. coxit hœdum in lacte matris, ad accelerandam fructuum maturationem, tum hæc erat ratio cur ista prohibitio toties in Lege repeteretur. Maimon citat similem huic morem Zabiorum ex Avoda Henbattith. *Purificabant quædam* (quæ liber enumerat) *observato Sole in hoc vel illo gradu. Magica quædam peragebant, persuadentes sibi arbore hoc modo aspersâ fructus citius maturescere.* Hoc probabiliorem reddit Karraitæ Traditionem coquendi hœdi, &c. Hoc etiam inveniri potuit in libris Zabiorum, licèt D. Maimonidem latuerit.

CAP. 20. Jacob. 4. 13, 14, 15. *Ecce nunc qui dicitis, Crastino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicum apparens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis, Si Dominus voluerit, si vixerimus, faciemus hoc aut illud.* 1 Cor. 4. 19. 1 Pet. 3. 17.

MOS erat inter Judæos, præcipuè & primò à Deo omnia auspicari: nihil aggrediebantur sine sacra hac & religiosa Parenthesi, אם יחפיץ האל *Si Deus voluerit*, vel אם ירצה השם, *Si Nomini placuerit*, aut אם ינזור השם *Si Nomen ità decreverit.* Et per *Nomen* intelligebant magnum illud JEHOVAH. Formula erat loquendi usu adeò vulgari trita, ut etiam suo modo abbreviarent pro quovis verbo literam ejus primam substituendo. איה Formula est non solùm Judæorum & Scripturæ, sed & omnium populorum Orientalium. Vix invenies librum Arabicè scriptum quin incipiat *Bismillahi In nomine Dei*, præsertim Alcoranum, aut librum alium Theologicum, imò Alcorani quodvis Surat vel *Caput* hoc modo incipit. Nec hoc solùm sed in frequenti usu est hæc formula etiam in colloquiis, *Si Deus voluerit.* Verba sunt (& iisdem Persæ utuntur) אן שא אללה, *Si Deus voluerit*, vel אן שא אללה העלי, *Si Deus Omnipotens voluerit*, ut Nassyr Eddyn Præfat. ad 10 Euclidis, & alibi. Geographus Nubiensis Arab. librum suum incipit, *In nomine Dei misericordis à quo est salus.* Et in fine Præfationis idem dicit pluribus verbis; *Quapropter potentissimi ac summi Dei, quem unum & solum esse fateor, qui sufficientissimus atque optimus Protector est, auxilium exposco.* Ab Oriente in universos terræ incolas derivata est hæc formula. Græci reddunt σὺν Θεῷ, Latini *Deo volente.*

Vide

Vide plura apud Brissonium De Formulis, &c. Lib. 1. p. 68, 69. Profectò absonum esset, si nos cujuscunque nationis homines aliquid aggrederemur sine hac conditione Divini auxilii. Si *vivamus, moveamur & simus* (ut D. Paulus ex Arato) & Theo Scholiastes intelligi vult de Deo, qui est

—— πατὴς ἀνδρῶν τε θεῶν τε,

certè nihil conari debemus nisi

A Jove principium. ——

Ut in omnibus cogitationibus nostris esse debet, ità præcipuè in iis quæ ad opus aliquod tendunt sive maximi sive minimi momenti: hominum præsertim (crediderim & Angelos idem facere;) nam etsi Euangelium dicat providentiam Dei extendi etiam ad *pretium passeris* (& nónne *duo divenditi sunt pro quadrante?*) tamen Maimon dicit *Deum non curam habere boum*, sed sepositis rebus aliis omnibus, rebus humani generis providere. Vid. Tractatum ejus excellentissimum de Providentia Dei, More Nevoch. Par. 3. c. 17. Consideranti vel Providentiam Dei vel necessitates nostras videatur hæc formula æquè naturalis esse toti humano generi; verùm (ut antea dixi) Judæi primum exemplum dederunt, & ipsi usu usurpari fecerunt, idque hâc occasione: Refertur ad dictum sapiens Ben Siræ Sapientis veteris, & pro cognato Jeremiæ Prophetæ habiti. Dictum sic se habet כלתא עלתה לגיננא ולא ידעה מה מטי לה, i. *Sponsa ascendit in cubiculum, nec novit quid sibi eventurum esset.* Ad hæc verba sic Perush; לעולם אל יאמר אדם שום דבר אלא בגוזר השם ההוא אדם שהיה אומר למחר אשב עם ארוסתי בחופה ואדבק עמה אמרו לו אמור אם גוזר השם אמר להם אם יגוזר אם לא יגוזר אני אשב עם ארוסתי למחר בחופתי וכן עשה נבנס עם ארוסתו לחופה וישב עמה כל היום ובלילה עלו שניהם למטה וקודם שיוקק עם ארוסתו מתו שנידם למחר מצאו אותם מתים וה בזה אמרו קושטא אמר בן סירא כלתא עלתה לגיננא ולא ידעה מה מטי לה מכאן אמרו כל הרוצה לעשות שום דבר יאמר אם גוזר השם ואם אינו אומר לא יפלח לעולם, i. *Nè quis dicat* (faciam) *aliquid sine hac conditione, Si Deus voluerit. Erat quidam qui dixit, Cras sedebo cum sponsa mea in cubiculo & ibi eam cognoscam. Dixerunt illi, Dic, Si Deus voluerit: ille verò dixit iis, Si Deus voluerit nécne, cras sedebo cum sponsa mea in Cubiculo meo. Fecit ità; intravit cum sponsa in cubiculum, & sedebat ibi cum illa per totum diem. Nocte lectum utrique iverunt, sed mortui sunt antequam illam cognoverat. Manè cùm mortui inventi sunt, dixerunt dictum Ben Siræ verum esse: Sponsa ascendit in cubiculum, & non novit quid sibi esset eventurum: ideóque dixerunt, Quicunque sibi proponit aliquid faciendum debet dicere, Si Deus voluerit, aliter non succedet.* Verba D. Jacobi referenda sunt ad hanc Traditionem, quod facilè patebit si hæc verba observentur, *Crastino ibimus*, &c. præcipuè hæc, *Vivemus & faciemus hoc vel illud.*

Cap. 21. *Væ qui opulenti estis in Zion*, &c. *Qui separati estis in diem malum*, &c. *Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti*, Amos 6. 1, 3, 4.

NON tam ut locũ explicem, quàm ut loci interpretationem, & insuper ut verbũ difficile in Lege exponam, hæc annoto. Nota in Midbar Rabba fol. 238. edit. Cracov. Venetæ 158. est, בוא וראה כל שבט ושבט היה לו מיום בפני עצמו כיון שהיה מבקש לילך למיום שלו מעבור כל המרעה לפניו והיה נוטל השמן שבהם ועומר עליו ושחטו, i. *Descende & videas quæque Tribus habet Majuma suum, & cùm aliquis vult ire ad Majuma suum facit omnem gregem præterire & eligit pinguissimum & occidit.* Verùm, inquit Autor glossæ, גם לא מצאתי ולא שמעתי פירושו, *non inveni nec audivi quid verbum significet.* David de Pomis inquit esse אליל שם *Nomen Idoli.* Aruch in מיומם Philippus Aquinas arbitratur respondere מרבק *Marbeck* in textu; & reddi debere *Saginarium.* Munsterus exponit per *socium, comitem.* Aruch in מיומם verbum citat ex Megillath Ecah. ומכנוסין את המיומם לתיאטרון שלהן וראשו מגולה, i. *Et introducunt Majumas in Theatrum aperto ejus capite.* Sensum verbi *Majumas* tam hîc quàm in Midbar interpretes dubium relinquunt. Mihi forsan (licèt eorum ingenium non arrogo) meliùs succedet in exponendis hîsce verbis. Etsi verbum in Aruch & Midbar idem sit, tamen idem utrumque significare non posse ex sensu locorum diverso satis patet. Verbum in Aruch (ut mihi videtur) desumitur à Græco Μίμος, ut & sequens תיאטרון θέατρον, nec aliter significat. Verbum idem in Midbar aliter construendum est: Et si minùs hunc sensum habet quem assignabimus, difficile certè erit exponere quid significet. Autor Glossæ citatus conjicit à sensu intelligendum de יום טוב *Die Festo.* Hoc Midbar voluit, & intelligendus est de illo Majuma in Justinianeis & Theodosianis codicibus, C. de Majuma L. unic. cod. Theod. lib. 15. tit. 6. Erat autem (si rectè novit Suidas) Παιήγυεις ἐν τῇ Ῥώμῃ, &c. *Festum Romanum* Mense Maio celebratum, cùm præcipui Civitatis Ostiam ire consueverunt, & ibi ludendo se invicem in aquam detrudere. Glossa ad Basilica non dicit cujusmodi, sed esse asserit Festum Romanum Romæ celebratum, εἰς τιμὴν τῆς Μαΐας *in honorem Maiæ.* Et in Æthico Cosmographo invenio Populum Romanum cum Consule Ostiam iviisse, *Castorum celebrandorum causâ solennitate jucundâ.* Tacitus etiam meminit sacrificii Ostiâ oblati in Templo Castorum, sed *ventorum marisque causâ factum*, inquit Ammianus Marcellinus Lib. 19. Lipsio ad lib. Annal. 11. omnia hæc nihil præter Majuma in lege videntur. Si nihil amplius sit, rectè Hotomannus ex Vandulpho inter ludos innocentes numeravit: sed nescio quâ autoritate fretus dicat quòd fuerit *Armorum ludicra exercitatio, cùm aliquot adolescentes Mense Maio oppidum in aqua positum dimissi in aqua ludibundi oppugnabant.* Scriptores Juris Civilis alii minùs, nulli plus ad rem præsentem dicunt. Bartolus, est *Ludus quidam.* Cujacius, Alciatus, Gothofredus, Suidam sequuntur. Gothofredus remittit ad Gregorii Cosmographiam, Cujacius correctiùs ad Chronographiam. Sed legi debet non *Gregorii*, sed *Georgii Chronographia*; nec intelligendus est Georgius Cedrenus, ut Cujacio placet, sed Georgius Theophanes. Verba sunt, Ὁ δὲ βασιλεὺς ποιήσας Μαιουμᾶν ἐν Σοφιανοῖς ἐκάθισεν ὅτι σὺν υἱῷ τῷ ἰδίῳ αὐτοῦ. Anastasius Bibliothecarius sic reddit, *Præterea Maiuma factâ Imperator in Sophianis sedit cum filio suo*, &c. Hist. Miscell. lib. 23. Gyraldus Floralia arbitratus est esse cum quibus certè pro obscœnitate comparari potest. Sed adhuc nondum constat quid sit Majuma: Erat Festum Orientale (ut rectè observavit Baronius) sed cujus generis solus Joannes Antiochenus (MS. in arch. Baroc. Bibl. Bodleianæ) detexit. Retulerat antea ex Pausania Sosibium Antiochenum legasse civitati Antiochiæ reditum annuum 15 talentorum auri ad ludos publicos, quæ vitio eorum quibus hoc curæ demandatum erat aliàs erogabantur. Cives itaque Augusto supplicabant ut pristino usui redderentur: quod quidem illis ab eo concessum fuit; sed censu rursum abalienato idem à Commodo petierunt, & obtinuerunt ut pars in Olympicos, pars in Circenses ludos erogaretur. Εἰς λόγον ἱπποδρομίας ἀμάξας ἑπτελαμβόν καὶ ἅλλα ἁμάξαν, τετάρτι, καὶ κυνηγικῶν, &c. Ὁμοίως ὃ καὶ εἰς λόγον σκηνικῆς ἑορτῆς πυκλικῆς ἑπτελαμβόν καὶ ἕτερ γ' καὶ λεγομένων Ὀργίων, ὅσῳ δεῖ, μυστηρίων Διονύσου καὶ Ἀφροδίτης, τετάρτι, τῇ λεγομένῃ Μαιουμᾶ, διὰ τὸ ἐν τῷ Μαΐῳ τὸ καὶ Ἀρτεμισίῳ μὴν ἑπτελεῖσθαι τὸν αὐτὸν ἑορτὸν, ἀφώρισε φανερὸν χρυσὸν ποσότητα λόγῳ λαμπάδων καὶ καυδήλων, καὶ καὶ ἄλλων καὶ σκηνοχωρήλων ὅτι τὸν παιήγυειν καὶ Α ἡμερῶν τερπνῶν παννυχίδων. i. *Etiam in ludos Triesterícos qui nocte celebrabantur (Orgia velim Mysteria Bacchi*

Bacchi & Veneris, Maiuma dicta quia menſe Maio peragebantur) pars auri iſtius non contemnenda ſeponebatur, eroganda in lampadas & candelas & alia ad ſolennitatem iſtam neceſſaria, in qua triginta noctium ſpatio voluptatibus indulgebant. Non me hic propalare oportet μαχλῶνλα Veneris Ὄργια, ut Clemens Alexandrinus vocat in Protrep. *neque enim inter nos ſemel nominanda ſunt quæ hi in tenebris perpetrarunt*; Ἀπόρρητον, ὦ Ἱεροφάνλα, τὸ πῦρ, αἰδέσθητι, δᾳδοῦχε, τὰς λαμπάδας· ἐλίγχῃ σε ἡ Ἰακχὸν τὸ φῶς, &c. ut idem Autor. *Illud verò* (inquit Imperator Arcadius) *quod ſibi nomen procax licentia vindicavit, Maiumam, fœdum atque indecorum ſpectaculum, denegamus.* Cod. Theodoſ. lib. 15. tit. 6. Vetabatur (ut Meurſio videtur) Canone LXII Synodi Trullenſis, Καλάνδας, ἢ βοτὰ, ἢ βρυμάλια, ἢ ἐν τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου πανήγυεις, &c. Sed non legitur ibi ἢ τῇ πρώτῃ τοῦ Μαΐου, verùm τοῦ Μαρτίου μηνὸς, *menſis Martii.* Sic codex Arab. (Concil. MS. in arch. Bibl. Bodl.) ואליום אלאול מן רוום אלכהר *& primus dies primi Menſis*, i. Niſan, vel Martii. In promptu eſſet verbi etymologia ſi probari poſſet fuiſſe iſtiuſmodi luſum in aquis cujus Suidas meminit, nempe à מיים *majim*, vel ſi pateret hæc Orgia primò & præcipuè celebrata fuiſſe Maiumæ (ad litus Gazæ,) à loco denominari eſſet probabile; ídque eò magis quòd in Tetramphodo illius civitatis, altari lapideo inſiſtebat ſtatua Veneris marmorea, referens figuram γυναικὸς γυμνῆς ἐχούσης ὅλα ἄχνια αὐτῆς φανερώτατα nudæ feminæ, &c. ut Marcus Diaconus Metaphr. in vita Porphyrii Gazæorum Epiſcopi (MS. in arch. Baroc. Feb. 25.) Aliàs ſententia autoris non eſt repudianda. Si Propheta ſenſu Midbar intelligendus ſit, non multùm diſſonant quæ Julianus Antiochenis narrat in Miſopog. Ὑμῶν ἥκιστα ἰδίᾳ μὲν εἰς τὰ δεῖπνα καὶ τὰς ἑορτὰς χαίρει δαπανάμενα, ἢ οὐ οἶδα πολλὰς ὑμῶν πλοῦσα εἰς τὰ δεῖπνα τοῦ Μαϊουμᾶ χρήματα ἀπολέσασα, ὑπὲρ ἧς ὑμῶν ἀωτῶν καὶ τῆς σωτηρίας τῆς πόλεως εὐδοκεῖ θύειν, ὅτε ἰδίᾳ μὴ πολιτῶν, ὅτε ἡ πόλις κοινῇ, *Nemo veſtrûm eſt qui non libenter in epulas & feſta impendat pecuniam, & ſatis novi quàm multi veſtrûm in Maiuma ſitis prodigi, ſed pro veſtra & civitatis ſalute neq; civitas neque privatus quiſquam quicquam offert.* Verba Amos ſic ſe habent, *Væ qui opulenti eſtis in Sion*, &c. *Qui laſcivitis in ſtratis veſtris, & comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem Pſalterii*, &c. *bibentes vinum in Phialis*, &c. *Et nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph.*

CAP. 22. *De ſignificatione & conſideratione* lucis *in S. Scriptura.*

DEus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ, 1 Joan. 1. 6. Reflectione hujus gloriæ originalis pulverem illuminante pulvis factus eſt Lux, i. Homo: ità enim antiqui hominem dixerunt, φῶς γὰρ τὸν ἄνθρωπον *Hominem lucem dicimus*, inquit Phavorinus: verùm corpus opacum peccati ſe interponens inter lucem hanc mutuatam & fontem lucis, umbram projecit, umbram mortis. Tenebræque adeò craſſæ exſtiterunt ut, ſi Magiſtro Sententiarum credamus, ipſe Sol ſepties clariùs ſplenduerit ante lapſum quàm unquam poſtea. Mundus ut educeretur ex hiſce tenebris in miram hanc lucem Oriens ab alto nos erat viſitaturus. In adventum hujus diei apparuit ardens ac ſplendens Lux (Baptiſta) Joan. 1. *Sed ille non erat Lux iſta, ſed miſſus eſt antè ut teſtimonium Luci præberet.* Statim poſtea Jeſus, h. e. (ut in lingua Chinenſi ſignificat, vid. Julii Schiller. præfat. in Uranograph. Chriſt. p. 6. col. 2.) *ſol Oriens, ſol juſtitiæ ipſe oriebatur cum ſalute in pennis ſuis*, Malac. 3. Erat tum nox totius anni longiſſima, & illa media; tamen ubi ille erat, dies erat, nam clara & præſaga lux Sanctum Puerum undique circumluçebat. Sic traditum eſt, & hoc modo Magiſtri Nativitatem Chriſti deſcribunt. In Transfiguratione illius major Lux circa illum fulgebat; *Facies erat ſole ſplendidior, & veſtimenta luce candidiora.* Hucuſque ipſe pater luminum in tenebris habitavit, nunquam ſeſe oſtendens niſi in nube: ſed *in his ultimis diebus Deus eſt manifeſtatus*, 1 Tim. 3. 16. & *in ſplendore gloriæ ſuæ*, Heb. 1. Non invenio (inquit Venerabilis Beda) inter tot angelos qui ante Legem datam viſi ſunt, ullum apparuiſſe cum lumine circa ſe fulgente. Jam verò lux effulget circa Petrum in carcere, circa Paulum φῶς ἱκανὸν *lux valde magna*, imò circa paſtores etiam lux apparuit, & licèt media nox eſſet nuncium allatum eſt ab angelis *Hodie natus eſt*, &c. Ideóque cùm Sol hic occideret, qui occaſus alterà pars erat Myſterii, tenebræ ceciderunt in terram, & Sol naturalis paſſus eſt eclipſin in medio cœli, ideóque Lunâ plus quàm mediam noctem efficiente poſitione ſubterraneâ, omnia erant coloris Saturni ſignificatoris nigredinis, qui ſurgens ab Horoſcopo Eclipſes has duas quadrato maligno aſpectu intuitus eſt. Nec hoc tantùm, eo ipſo die (quod fortè tibi non innotuit) accidit naturalis Lunæ defectio in 11. Libræ, incipiens Hieroſolymis horâ 6. veſpertinâ, adeò ut non priùs Sol occidiſſet quàm Luna apparuit in Oriente plus dimidiâ parte obſcurata. Adeò ut ſicut Lux diei ablata fuit, ità tenebræ additæ fuerunt nocti, & intra ſpatium 6 horarum Sol ſemel præter naturam, Luna bis eclipſim paſſa eſt. Figura & calculatio hujus eclipſis Lunaris exſtat in Chronolog. Catholica Buntingii fol. 237. b. & 238. a. videatur etiam Sethus Calviſius in Tiberio Cæſare ad an. poſt Ch. natum 33. April. 3. Ut ipſe Dominus noſter ità Euangelium illius *Lux* dicitur, ideóque antiquitus nunquam legebatur ſine accenſo lumine *etiam ſole rutilante* (ut Hieronymus.) Suppoſito igitur ex Albumazare unamquamque religionem ab aliquo planeta gubernari, Mahometanam à Venere, à Saturno Judaicam, &c. non incommodè Aſtrologi quidam Chriſtianam Soli tribuunt. Non Euangelium ſolùm ſed & prædicatores Euangelii *Lux* dicuntur, *Vos eſtis lux Mundi*: & primus pœnitentiæ prædicator dicitur *Lucerna ardens*, &c. Provida Eccleſia gratum eſſe Deo animadvertens hoc externum lucis ſymbolum in ceremonia perſtitit. Itaque dies Nativitatis Domini dictus eſt Ἐπιφάνεια vel *Apparitio lucis*, & tot lucernæ accendendæ erant nocte præcedente ut indè nomen compararet Vigilia, *Vigilia luminum*: & rectè fecerunt majores quòd olim candelas invicem mitterent, quicquid de candela illa jam quidam exiſtimant quam nos vocamus **a Chriſtmas Candle.** Receptio hujus Lucis in Baptiſmo vulgò non ità dicebatur, ſed φωτισμὸς *illuminatio.* Moris erat celebrare hoc ſacramentum ἁπλουμένων πάντων τὴν χεῖρα, &c. *accenſis omnibus lucernis* (Ἀκολουθία τῆς ἁγίας βαπτίσμ. Euchol. fol. ξα'. A.) Neophytus lucernam accepit à Myſtagogo accenſam & ſibi traditam, quam 7. diebus continuis tempore precationum publicarum manu tenebat ſedens in Baptiſterio. Quis non videt hâc viâ rectâ introductas fuiſſe in Templum lucernas, myſticè poſitas ſuper Altari cum Euangelio ut emblemata lucis verioris? Idem innuebant veſtes albæ quas acceperunt eodem Baptiſmi tempore, ut Imperatores exponunt in codice Theodoſiano; *Cœleſtis Lumen lavacri imitantis novam Sancti Baptiſmatis Lucem veſtimenta teſtantur.* Cod. Theod. de ſpectac. Sic Sacerdos in præcepto Severi, אפיו לבושיכון וחורו איך חלנא ונהדו ויוכן בדמורת מלאכא, *mutate* (inquit ille, recèns converſos allocutus) *veſtimenta veſtra, & eſtote albi ut Nix, & lux veſtra fulgeat ut lux Angelorum.* Hujus rei adhuc nobis reliquum eſt vocabulum quod **Chriſome** dicimus (ab *unctione*, ut Manuale) quo mulieres infantes ad funus involvunt, modò intra menſem mortuos: aliàs ad Eccleſiam ferunt die Purificationis. Sed ritu Baptiſmi conſtituto in Liturgia Edwardi VI. anno 1549. infanti imponendum erat ad Lavacrum: nam Rubrica eſt, *Tum Compatres & Commatres accipient, & manus infanti imponent, & Sacerdos induet ei veſtem albam, vulgò dictam* **Chriſome**, *& dicet, Accipe hanc veſtem in ſignum*, &c. Nec immeritò: nam φωτιζοῖς ἀρμόττοις καταλλήλον τὸ λευκὸν, *albæ veſtes optimè decent filios lucis*, inquit Clem. Alexandr. Apoſtoli in Alcorano dicuntur *Elhavariuna Viri albi*, vel *Viri veſtibus albis induti* (ut Robertus Redingenſis.) Sic etiam dicuntur in præfatione Arab. ad 4 Euangeliſtas, & eadem de cauſa,

ut viri doctiſſimi putant, inquit Kerſtenius in Vit. 4. Euangel. p. 16. Novi quoſdam commentatores in Alcoranum aliunde derivare verbum, ſed non faciunt ad hunc locum. Color eſt veſtimentorum angelorum Apoc. 4. 4. Imò Antiqui dierum veſtimentũ candidum fuit, Dan. 7. 9. Quòd veſtes noſtræ ſacræ hujus coloris ſint non ſine ratione fit, & reſpicit Euangelii Lucem. Lucernæ funebres (quicquid de illis nonnulli judicaverint) idem innocuè innuunt. Significant animas ſeparatas non exſtinctas eſſe penitus, ſed cùm hîc ambulaverint ut filii Lucis, jam ambulare coram Deo in Luce Viventium. Sol nunquam oriebatur apud antiquos, imò lucerna nunquam accendebatur, ſine hac ſignificatione. Introductis lucernis exclamabant, *Vincamus*, φῶς χθτὼ νίκω, *Lux enim victoriam ſignificat* (inquit Phavorinus.) Hoc oſtendebat, ſe Lumini fidere *in quo plùs quàm victores ſumus*. Nos idem volumus cùm allatâ candelâ Lucem cœleſtem in memoriam revocamus, quem morem qui *ſuperſtitionem* vocant, *involvunt ſententias ſermonibus imperitis*, Job. 38. 2. Verùm ortus Solis ſolenni magis oratione obſervabatur. Nam non priùs lux hæc apparuit quin (ut Rituale Syriacum) אמתי דרנח שמשא מהפכין אפיהון למדנחא וסגדין לאלהא ואמרין בנוהרך חוינן נהרא ישוע מלא נוהרא דאנת הו נוהרא שרירה דמנהר לכל ברין אנהר לן בנוהרך נאיא צפחה ראבא שמיא, *unuſquiſque ſe ad Orientem convertere debuit & Deum adorare, hanc precationem dicens, Jeſu plene Lucis, in tuo lumine videamus lumen, tu enim lux es quæ illuminat omnes qui veniunt in hunc Mundum. Illumina nos ſplendidiſſimâ luce Patris tui cœleſtis.*

CAP. 23. Gen. 1. 7. תהום רבה, *Tehom Rabba. Et fecit Deus firmamentum, diviſitq; aquas quæ erant ſub firmamento ab his quæ erant ſupra firmamentum.*

OMnia ad explicationem loci hujus conatus non video quomodo non concedenda ſit abyſſus aquarum ultra Orbem ſupremum. Deus quidem *ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum*, Job. 26. 8. Etiam aer ipſe non eſt adeò aquæ diſſimilis quin demonſtrari poſſit eſſe navigabilis, (ſunt qui promittant, Albert. de Saxon. lib. 3. Phyſ. Q. 6. art. 62. concluſ. 3. Mendoz. virid. lib. 4. probl. 47.) & navem poſſe velificare ſuper convexum illius eâdem ratione quâ in Oceano vehitur. Verùm per has *aquas* Nubes intelligendas eſſe ex textu aſſeri non poteſt. Nam רקיע *Rakia expanſum* de tota machina ſumendum eſt, quippe *Vocavit firmamentum Cœlum*, & aquæ extra hoc eſſe debent: cùm מעל *meal* aliter reddi non poſſit, quicquid dixerint Paræus, Junius, & alii. Et temere nimis ſtatuerunt, qui *aquas ſupra cœlos*, quas Pſalmiſta & tres pueri in Cantico convocant ad celebrandum Dominum, de regione aeris humida intelligi poſſe arbitrantur: nam in eodem Cantico expreſsè enumerantur iſtius regionis meteora, & ad ſimilem celebrationem invitantur; *Pluviæ & rores benedicite Domino*, &c. *Ignis, Grando, Nix & Vapor, Procellæ obedientes verbo illius*, &c. Secundùm primam Creationis ideam immenſæ hujus molis partes non ut jam ſunt diſponebantur. *Terra erat inanis & vacua*, i. (ut quibuſdam placet, ſed ſenſum loci antè explicui) ſine ſplendido iſto apparatu quem nunc habet, aquis undique tecta, ut oſtenderet Creator *terram ſuam fuiſſe antequam eam daret filiis hominum*, Pſal. 115. 16. Poterat hîc ſubſtitiſſe Omnipotentiam ſuam contemplatus, quæ talem maſſam ſuper ſeipſam fundare potuerat. Sed ut oſtenderet quòd *non in vanum*, ſed *ut habitaretur, formaret eam*, Iſai. 45. 18. *Diviſit aquas ab aquis Firmamento* ſeu *Cœlo*. Aquas ſub Firmamento juſſit ut congregarent ſe, & Maria fecerunt; *Et apparuit arida*: non jam ut antea adeò præciſè ſphærica, ſed collium & montium protuberantiis receptacula aquarum compenſans: In ſpatio ſupra firmamentum, *ponens in theſauris abyſſos*, Pſal. 33. 7. unde *voce ſuâ* (ut in diluvio) *dat multitudinem aquarum in Cœlo*, Jer. 10. 13. Et quicunque ſine præjudicio reſpexerit ad immane illud & (niſi Scriptura affirmaſſet) incredibile diluvium, vix poſſibile inveniet quo alio modo tanta aquarum vis congregari potuerit. Nam effectum hunc ad aſtra referre aut conjunctionem aliquam corporum ſuperiorum, quod fecerunt Abraham & Albumazar, non eſt nodum ſolvere, ſed magis intricatum reddere. Nam præterquam quòd iſtis Luminibus non concedatur potentia adeò abſoluta, imò nè in fortiſſimis radiorum influentiis, Aſtrologi conjunctionem ad falſum tempus referebant, ut (licèt nec ipſe ad verum) manifeſtè ſatis probavit D. Mirandula. Accidit quidem ante diluvium conjunctio ♄ & ♃, ſed tamdiu, ut parùm valere potuerit ad hunc effectum producendum. Et profectò quicquid Aſtra ad hoc facere potuerint ejuſdem momenti eſt ac reſponſum Aſtrologorum Arabicorum ad Calipham Ægypti. Reſponderunt cauſam diluvii Noæ fuiſſe, שהיו כל השבעה נוכבים במול דגים, *quòd eo tempore accidiſſet conjunctio omnium planetarũ in Piſcibus*. Vide Sepher Juchaſin, fol. 148. b. Iidem tamen Aſtrologi aliud particulare diluvium futurum prædixerunt in Deſertis Arabiæ, quod (niſi fallat Hiſtoria) ità evênit. Nam Peregrini Meccam proficiſcentes in eis arenis demerſi ſunt, quibus alii olim aquarum inopiâ periiſſent. Et dicere, cum vulgo Philoſophorum, immenſas haſce aquas ſuppleti potuiſſe *ex utribus Cœli* nubibus, vel aere condenſato, in natura abſurdum & ridiculum eſt, nec miraculum decet; cùm è contrario hoc modo interventu unius actûs Omnipotentiæ aquæ hæ deſcendere cogerentur manu forti, quæ aliàs in motu futuræ fuiſſent ſpatio 100. annorum ſecundùm receptam naturam. Quid ſi pluerit 40 diebus & 40 noctibus? quid ſi totidem annis? nihil hæ pluviæ feciſſent ad tantum aquarum cumulum qui emineret *ſupra altiſſimos montes* 15 *Cubitos*, utcunque eorum altitudo perpendicularis æſtimetur. Adeò ut cum ratione concludere poſſimus, fluctus hos decumanos niſi ex magna abyſſo prodire non potuiſſe; & niſi *una abyſſus alteram vocaſſet*. Fatetur ipſa Scriptura *fontes Tehom Rabba*, h.e. *magnæ abyſſi*, vel (ut angelus apud Eſdram) *fontes ſupra firmamentum, fuiſſe raptos*, Gen. 7. 11. ejuſdem Abyſſi *ſuper cujus faciem tenebræ erant*, Gen. 1. 2. nam *ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Cùm imminuebantur hæ aquæ, & *recordatus eſt Deus Noæ*, ũdè *fontes hujus Abyſſi clauſi ſunt*, Gen. 8. 2. quæ verba alium, præter miraculoſum, ſenſum non admittunt: nam de abyſſo aliqua ſubterranea, niſi principiis Naturæ valedicamus, non poſſumus intelligere. Ideóque neceſſe eſt inter Cœlos & Cœlum Cœli eſſe *Tehom Rabba abyſſum magnam*. Hinc dicitur *poſuiſſe trabes cubiculorum ejus in aquis*, Pſal. 104. 3. vel *cubiculorum ſuperiorum* (ut rectiùs Saxon.) & multum ad rem facit; nam ſequetur hæc cubicula eſſe Cœlum Cœli, ubi *Dominus eſt ſuper aquas multas*, Pſal. 29. 3. & *aderat ſapientia cùm hoc gyro vallabat Abyſſum*, Prov. 8. 27. Dicitur *rigaſſe montes de cubiculis his*, Pſal. 104. 13. non de media regione aeris: nam & montium nonnullorum juga (*quorum altitudines ipſius ſunt*, Pſal. 95. 4.) ſupra nubes eminent. Sed ille rigavit montes ex hac abyſſo cùm in diluvio apertæ ſunt cataractæ Cœli. Sint licèt ejuſmodi montes qui *ſtillent dulcedinem, & fluant lacte*, Joel. 3. 18. etiam hos rigat de ſuperioribus ſuis. Conciliatores ex altera parte ad magis abſurdas conſtructiones confugere coguntur. Sed ſumantur *cubicula* ut ſuprà v. 3. ſaltem per conſequentiam ex his montes rigavit quoſcunque, & *terram ſatiavit fructu operum ejus*, v. 13. Facilè crediderim quòd *ad Noæ uſq; tempora non pluerat Dominus ſuper terram, ſed fons aſcendebat è terra irrigans univerſam ſuperficiem terræ*, Gen. 2. 6. *Et fluvius egrediebatur ex Eden ad irrigandum Paradiſum*, ver. 10. ſed in anno 600 vitæ Noæ, menſe ſecundo, Gen. 7. 11. *facta eſt pluvia ſuper terram*, &c. Non eſt magis mirum totam Terram ad illud tempus quàm Ægyptum huc uſque, pluviâ caruiſſe, vel montes illos qui (niſi diebus Noæ) nunquam adhuc *rigati ſunt rore Cœli*. Adhuc ſi minùs ità

sit, quomodo tum primùm arcum in nubibus posuisse dici potest, cùm antea ibi sit necessum erit, ut dicit Porphyrius? Dico igitur, si perpendicularis altitudo montium cum semidiametro terræ comparetur, nihil impedire quin ista aquarum copia è fontibus supra firmamentum effusa recondi posset in cavernas terræ, unde pro occasione datâ calore & influentiis cœlestis agminis evocetur. Et ut Calor & Frigus, Æstas & Hiems, Dies & Nox non cessaverunt, sic ex illo tempore nec prior & posterior pluvia. Videatur Salvator noster hos fontes supra firmamentum indigitasse cùm introducit Abrahamum dicentem Diviti, *Praterea inter te & nos Chaos magnum firmatum est*, &c. Luc. 16.26. Confirmatur hoc quod dictum est ex hoc nomine Hebr. *Shammajim*, שמים שמים *ab aquis quæ ibi sunt*, ut R. Jose in Chagiga, fol. 12.a. Si cui absurdum videatur corruptibile aliquid supra cœlos locari, animadvertat cœlos ipsos etiam corrumpi, & eorum formas, utcunque Philosophorum nonnullis incorruptibiles habitas, idem pati cum his inferioribus, ut satis demonstravit Tycho Brahæus in observationibus de Stella nova. De transitu Beatorum per hanc Abyssum feminea est incredulitas: ut enim taceam Israelitas transiisse per medium Rubri maris in sicco; hæ ipsæ aquæ ignem illum patientur, *cui reservati sunt Cœli qui nunc sunt, & Terra eodem verbo reposita est*, 2 Pet. 3.7. Suspensionem harum aquarum in situ (si tamen ità sit) violento non magis miror quàm crassas nubes aquis fœtas pendere in aere, nec erumpere deorsum; minùs certè quàm *extensionem Aquilonis super vacuum*, aut *appensionem Terræ super Nihilum*. In dictis aliquid esse Paradoxicum fateor (in quo tamen alii magis laborarunt: vide Scheineri Ros. Ursin.) & ità inpræsentiarum accipi velim, sed usque dum videam quomodo aliàs Textus dilucidè interpretari possit.

CAP. 24. Deut. 22. 3. אבן טועין *Lapis errantium*. *Similiter facies de omni re fratris tui quæ perierit, si inveneris eam*.

IN hunc finem erat lapis iste Hierosolymis cujus Gemara in Talmud Baba Metzia, fol. 28. meminit, אבן טועין היתה בירושלים כל מי שאבדא לו אבידה נפנה לשם וכל מי שמוצא אבידה נפנה לשם וזה עומד ומכריז וזה עומד ונותן וימנין ונוטלה, *Hierosolymis erat Lapis Errantium: qui amiserat aut invenerat aliquid, huc se contulit; qui invenerat, ut redderet; qui amiserat, ut signis notisque relatis suum probaret.* כל מי שמצא, *qui invenerat aliquid quod amissum fuisset, ter proclamavit, & denno post septem dies semel iterum*, &c. Ibid. Vide Misne Torah, Part. 4. Halac. גולה ואבדה cap. 23. sect. 3. Hujus instituti nos fructum nullum habemus: nam per regulas in Baba Kama (& consentiunt omnes Canonistæ) Judæus non tenetur solùm sed vetatur amissum reddere homini Christiano. Tamen per Talmud Hierosol. tenetur reddere *pro sanctificatione nominis Domini*, ut Tseror Hammor observavit.

CAP. 25. *Sanguis Abel. Et sanguinem aspersionis, qui meliora loquitur quàm ille Abelis*, Heb. 12.24.

ALiqua exemplaria (Regia Biblia) legunt κρείττονα λαλοῦντα παρὰ τὸν Ἄβελ, *melius loquentem quàm Abel*. Sic Fabricius Syriac. reddidit, sed parùm fideliter: nam ibi est ut nos legimus, *Meliora quàm ille Abelis*. Ità Hebr. Arab. adhuc magis expressè, *Loquentem plus quàm sanguis Abelis*. Τὸ δὲ παρὰ Ἄβελ ἐλάλησε; *An igitur sanguis Abel locutus est*, inquit Theophylactus? Imò clamavit ad Deum pro Justitia, ut ille Aspersionis pro Propitiatione & Misericordia. Quæ etiam est Cyrilli & maximè recepta interpretatio. Verùm Theophylactus (Oecumenius etiam) libentiùs putat vocem hujus sanguinis eam esse per quam *Abel quamvis mortuus adhuc loquitur*. Hoc est, inquit Photius, ἀειμνηστὸν ὄντα, *memoriâ celebratur* ob testimonium sibi datum à Deo qui per ignem loquitur. Theodotion, Ἐπέβλεψεν ὁ θεὸς τὴν θυσίαν Ἄβελ, καὶ ἐνέπρησε, *Respexit hostiam Abel, & incendit. Per quam testimonium consecutus est esse Justus, Testimonium perhibente muneribus ejus Deo*, Heb. 11. 4. Ideo dictus est *Justus Abel*. Et hic sanguis dictus est *justus sanguis*, & ab eo numeratur, Mat. 23.35. Luc. 11. 50. Et sanguis Abel res erat adeò sancta & veneranda (ut aiunt) opinione apud Mundum veterem, ut illius temporis homines per illum jurarent. D. Seldenus idem observavit ex Sahid Aben Batric, Sethianos solenne juramentum fecisse per sanguinem Abelis nolle se descendere à monte suo sacro in planitiem Cainitarum. Eadem Traditio exstat in Cat. Arab. ubi ultrà observo solere illos orare in nomine sanguinis illius, ut in Litania brevi quæ à Noa concepta dicitur, & quotidie in Arca recitata ante corpus Adami: הדא צלאה נוח אללהם בחקך עליך ולא שיא אעצם מנך אנטר אלינא בעין אלרחמה ואלאפה וננגא מן הדא אלוחר ואנהצנא מן הדא אלסוטה בחסרה אדם חליקתך אלאולה בדם האביל צפיך בחסן שית אלדי רצאך לא תעדנא מע אלדי חאלפונא וצך אלא תנפרנא מן רחמתך לאנך ננגא ולך אלמגד מן כל עמלא ידיך אברא ובאנא אולאדה יקולונא אמין יא רב Cat. Arab. cap. 24. Arab. exemplar quo utor scribitur characteribus Syriacis: ibi quidem verbum est אלונר *Alzaghar*, sed, ut arbitror, falsò positum pro illo quod substitui.

Oratio Noæ.

O Domine, Tu excellens es in veritate, & nihil est magnum in comparatione ad te. Aspice nos oculo misericordiæ. Libera nos ab hoc diluvio aquarum. Per dolores Adam protoplasta tui, per sanguinem Abel sancti tui, per Justitiam Seth in quo complaces, Ne numeres nos inter eos qui transgressi sunt statuta tua, sed sume nos in curam tuam misericordem; quia tu es Liberator noster, & tua est laus ab omnibus operibus manuum tuarum ab æterno. Et filii Noæ dixerunt, Amen, Domine.

Hîc opus est ut ad hanc orationem pauca annotem. Miremini forsan cur oratio hæc quotidie adeò recitaretur ante corpus Adami. Sciendum est in confesso esse apud populos Orientales (& S. Ephremi præcipua est autoritas) Adamum à Deo jussum (& posteris idem in mandatis reliquisse) ut corpus ejus insepultum servaretur usque dum plenitudo temporis veniret quando inhumari posset בין חם וסט אלארץ *in medio terræ* à Sacerdote Dei Altissimi. Cujus hanc rationem prædixit Adam ipse לאן חם יכון חאלצי וחאלץ כל אולאדי *ibi venturum Redemptorem suum & posteritatis suæ*. Said. Patriarch. Alexandr. Arab. MS. in Archiv. Bibl. Publ. Cantabr. Sacerdos à quo hæc justa erant peragenda erat, ut ferunt, Melchisedec, qui corpus hoc sepelivit in Salem, qui locus tunc temporis medium orbis habitabilis esse potuit, & quòd postea fuerit, suprà dictum est. Itaque (ut aiunt) corpus hoc Adami aromatibus conditum à patre filio tradebatur non sine reverentia & religioso consignationis modo, donec tandem in Noæ manus Lamech deponeret, qui satis gnarus morem fuisse veteris Mundi Deum adorare versùs certum locum, & secum reputans versùs locum constitutum (Orientem) fieri jam non posse ampliùs in Arca ob motûs inconstantiam, medium Arcæ locum orationis constituit, & quantum potuit sanctum effecit præsentiâ corporis Adami. Versùs hunc igitur locum orabat, nè minimum quidem cultûs Divini corpori tribuens (hoc quidem putatu absurdum) sed (ut debuit, & omnes cultores vel faciunt, vel facere debent) Deo ipsi & soli, ut Traditio clarè evincit, פלמא כאן יצבח אלצבאח כאן נוח יקף קדאם נסר אדם וקראם אללה הו ובניה סאם וחאם ויאפת ובאן נוח יצלי ואולדה ונסאהם מן נובי אלספינה יקולון אמין יא רב : Cat. Arab.

c. 25.

c. 25. fol. 56. *Et quàm primùm diesceret, Noa astitit versùs corpus Adami, ille & filii ejus Sem, Ham & Japhet coram Domino, & Noa oravit,* &c. *& filii ejus & feminæ responderunt ex altera parte Areæ, Amen, Domine.* Ubi notare est (si sana sit Traditio) antiquitatem moris illius decori (qui adhuc in Oriente obtinet) nempe separationis sexuum, seu ut feminæ seorsim à viris sederent in domo Dei: qui certè non parvi momenti habebatur si in tantis angustiis negligi aut omitti non potuit. Hunc morem inter Primitivos Christianos usurpatum fuisse nemini dubium arbitror. Ad hunc sensum D. Gothofredus (inusitatâ sagacitate) solvit dicam an intricatum reddit nescio, difficillimum illum locum S. Pauli 1 Cor. 11. 10. *Ideo debet mulier potestatem habere supra caput propter angelos.* Ità nos exemplar receptum Græcum secuti. Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους. Gothofredus legi vult, Διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξυβίαν (*exuvium*) ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς διὰ τοὺς ἀγγέλους· & tum verba sic reddenda erunt, *Ideo debet mulier exuvium (tegumentum) habere supra caput propter adolescentes.* Non est omnino negandum tegumentum hîc intelligi, & Vulgaris quidem ità vertit. Et Ἀγγέλους pro Ἀγέλας scribi facilis & obvius est lapsus. Quanquam lectionem hanc veram esse suscipere in me non ausim, hoc ultrà addam; In versione Arab. MS. Coll. Reginalis Oxon. locum ità redditum invenio, ולדלך אלאסראת מחקוקת אן יכון ראסהא סלטאן סן אנל אלמלאיכת, i. *Hac de causa mandatum est ut sit sultaan,* seu *potestas, supra caput ejus propter Angelos.* Verùm in versione Arab. typis excusa ab Erpenio edita legitur אן יכון עלי ראסהא וראן, *Zadaan*; debuit esse, ut arbitror, *Radaan*, (error est solùm in puncto) & tum verba sic sonant, *Hac de causa mandatum est ut sit velamen super caput ejus.* Libenter contulissem Æthiopicam, Armenam & Copticam versionem, sed hîc haberi non potuerunt, saltem quòd ego sciam. Alterum quod annotare operæpretium duxi est ad verba illa Orationis *per dolores Adami.* Traditiones Orientales per hos intelligunt perpetuam mœstitiam & contristationem cordis in Adamo ob jacturam Paradisi & pristini statûs. Hoc de illo observatur à Jacobo Episc. Sarugensi in Cat. Arab. c. 14. his verbis, וכאן אדם ינטר פרדום אלהדני בעינה ויתחצל בקלבהי, *& Adamus vertit faciem versùs Paradisum, & ex corde ploravit* lapsum suum. Traditionarii iidem hanc ipsam rationem assignant translationis Enochi, ינקול אן אחנוך גלם תלאת מאית סנה ובבי עלי חטיה אדם פלדלך רפעהו אללה אליה, i. *& sedebat Enoch spatio 300 annorum plorans transgressionem Adami; & ideo Deus eum sustulit,* Caten. Arab. c. 20. fol. 47.

Cap. 26. *Ossa vestra quasi herba germinabunt,* Isa. 66. 14.

INterrupta animæ immortalitas à momento mortis (neque enim discessus ampliùs dicendus est) insidiosum est hujus seculi argumentum, nec aptius huic monstro producendo tempus (licèt non sint vires ad parturiendum) unquam Providentiæ extorquere conata est summa Satanæ subtilitas. Spiritus quidam Patris Cardani familiaris narravit ei etiam Spiritus & Dæmonas mori. Mirum ni & hoc quoque credere æquum sit. Verùm si bestiis & nobis idem sit spiritus, cur non & eorum spiritus revertuntur ad Deum datorem? si incorruptio induit corruptionem, edamus & bibamus, quod facimus, cras enim revera moriemur. Ethnici majore cum spe arabant. In Hieroglyphicis Ægyptii per Axim Pyramidis Animam exprimebant, ideòque sepulcra ædificabant figurâ Pyramidicâ. Mysterium est Geometricum; quòd ut per Pyramidis conversionem, axe eodem manente, generatur novum solidum, nempe Conus; sic revoluto tempore circa animam (illâ immotâ manente in constanti statu immortalitatis) novum corpus emerget & reunietur. Profectò qui evolvet libros Augustin. Steuch. Eugub. De perenni Philosophia, inveniet Ethnicos hos non de hoc solùm sed & de maxima parte nostræ Theologiæ plus credidisse quàm ipsi nos credimus. Inducor ut credam, sine ulla disputationis subtilitate & arrogantia, secretò impressum esse animæ ipsi invincibile hujus rei argumentum, quia ut omnes boni sperant sic omnes mali è contrà ità futurum timent; & quòd statim particularis saltem sententia de vaga anima sua pronuncietur. Utcunque hic Scripturæ locus non mihi imponit necessitatem aliquam hujuscemodi alicujus controversiæ. Certè adeò securus de Immortalitate Animæ credi velim, ut etiam ipsi corpori statum quendam incorruptionis concessurus sim. Nec video cur minùs congruat cum Immoderationibus hujus seculi Immortalitatem corporis asserere, cùm otiosa hominum ingenia etiam illam animæ in dubium vocant. Judæi ut plurimùm Resurrectionem per regerminationem instar Plantæ exprimunt. Ità faciunt Traditione suâ de Luz, parvulo osse immortali in extremitate spinæ dorsi, quod etsi Anatomici nostri in extremitate spinæ dorsi, quod etsi Anatomici nostri explodunt ut terram incognitam in Microcosmo; illorum tamen Anatomici (qui nec ossa norunt nisi ex traditione) inveniri asserunt, & à Deo creatum fuisse in statu immutabili incorruptionis, esse lubricæ naturæ, & cætero corpori imponere, dum illi persuadet se unà crescere & nutriri: cùm revera Luz sit immortale os, cujus semper vivendi potentiâ rore quodam cœlesti fermentatâ arida ossa reünientur & rearticulabuntur, & totum genus humanum restaurabitur. Sanum magis est temperamentum, & quod huic rei meliùs respondet, in ritu quodam eorum veteri, quem adhuc in justis funebribus retinent. Sic describitur à nupero eorum Rabbino Leone Modena; *Nel ritorno dalla fossa, ogn' uno spiante dell' herba dalla terra due ò tre volte, e se la getta dietro, dicendo quelle parole del Salmo, Espuntarano dalla città come l'herba della terra, per segno della resurrettione.* h. e. *Dum redeunt à sepulcro unusquisque bis aut ter gramen de terra vellit, & post tergum jacit, dicens hac verba Psalmi, Florebunt è civitate instar graminis terræ, in signum resurrectionis,* &c. De gli riti Hebraici di questi tempi Part. 5. Cap. 7. num. 4. In quibusdam locis dicunt hæc ipsa verba Prophetæ, *Et ossa vestra,* &c. Ritus admodum appositus est, & ostendit mortuos non penitus revulsos esse, sed solùm abscissos instar floris qui recursu temporis regerminabit. Verùm si ossa nostra instar herbæ regerminabunt certius habemus hujus argumentum ab experientia. Si vegetabile è cineribus suis revocari potest, quantò magis corpora nostra! Fundamenta Chymicæ Philosophiæ hæc sunt. Omnia resolvuntur in Salem, Sulphurem, & Mercurium, ut in principia. Et humor radicalis per quem principium salis consistit non potest consumi per calcinationem, sed fortes rerum tincturæ & impressiones, ut Color, Sapor, Odor, imò & formæ ipsæ, conservantur invisibiles in firmo hoc & vitali principio. Ut hoc experimento pateat, Rosam capiunt, Caryophyllum, vel quamvis plantam aliam Vere colligunt cùm maximum suum vigorem & consistentiam obtinet. Radicem, caules, flores, folia simul in mortario tundunt usque dum fiat confusa massa: deinde post *Macerationem, Fermentationem, Separationem,* & alias operationes artis prodit cinis vel sal has formas continens & tincturas in Potentia sua & Chaos: hos cineres in vitris reponunt, quibus inscribitur nomen Plantæ, Hermeticè sigillatis; h. e. collum vitri in igne calefactum contorquent, & comprimunt, & hoc vocant sigillum Hermetis Magistri. Quando iterum videre libet aliquam ex hisce plantis applicant vitrum Candelæ seu lento igni, & statim surgit planta sensim in propriam formam regerminans, ut in agro, (sed breviore tempore) remoto igne iterum statim in suum chaos relabitur. Et licèt hoc vivente Quercetano magnum arcanum habebatur, Gaffarellus inquit (Curiositez innoyes L. 5. N. 9.) *A present ce secret n'est plus si rare; car Monsieur de Claves, un des excellent Chimistes de nostre temps, le fait voir tous les jours; Quòd jam non sit adeò rarum; quippe M. de Claves quotidiè videndum proponit. Itaque, arida*

ossa, audite verbum Domini: A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant, Ezek. 37. *O Terra, Terra, Terra, audi verbum Domini: Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini & laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus, & terra reddet mortuos,* Isa. 26. 19.

CAP. 27. *Insipiens, tu quod seminas non vivificatur nisi priùs moriatur,* 1 Cor 15. 36.

ADmirabilis hæc instantia de grano tritici ex eorum numero est quæ S. Paulus didicit ad pedes Gamalielis. In disputatione de Resurrectione coram Julio Cæsare habita, & cui præsens adfuit Rabban Gamaliel, שאלה קליאפטרא מלכתא את רבי מאיר אמרה ירענא דחיי שכבי דכתיב ויציצו מעיר כעשב הארץ אלא כשהן עומדין עומדין ערומים או בלבושיהן עומדין אמר לה קל וחומר מחיטה: חיטה שנקברה ערומה יוצאה בכמה לבושין צדיקים שנקברים בלבושין על אחת כמה וכמא אמר ליה קיסר לרבן גמליאל, i. e. *Cleopatra Regina interrogavit R. Meir, & dixit, Scimus quòd qui cubant (mortui) vivent, quia scriptum est, Et germinabunt è civitate instar herba terræ: sed cùm surrexerint (à mortuis) resurgent nudi an vestiti? Respondit ei, Kal Vechomer* (h.e. argumentum à minori ad majus) *à tritico. Si triticum quod sepultum est nudum resurgat bene vestitum, quantò magis justi qui vestiti sepeliuntur? Cæsar dixit Raban Gamalieli,* &c. Talmud in Sanhedrin, c. 11. fol. 90. b. Operæpretium erit observare ritum Ecclesiæ Græcæ qui adhuc apud eos in usu est, & ad hanc tritici instantiam refertur. Ἐν τῇ ἱερᾷ τῶν κεκοιμημένων ὀν χειρῷ τελετῇ πυρὸς ἑψηθέντος ὕδατι ὡς ὄψιν τῶν τοῖς μνημοσύνοις ἱεραῖς τελεταῖς, *Moris est triticum aquâ coctum apponere iis qui in commemorationibus mortuorum in Christo sacros hymnos canunt.* Et hoc ritu innuitur Resurrectio corporis. Et quòd rei propositæ emblema sit satìs commodum, probat autor quem citavi (Matt. Blastares Hieromonachis, Gr. MS. in Arch. Bodlei. Barocian. Biol. Bod.) magìs eleganter quidem quàm exspectabam. Titulus est, Τί βούλεται ὁ ἐφθὸς σῖτος ἔν τε τοῖς μνημοσύνοις τῶν ὀν χειρῷ κεκοιμημένων καὶ ὀν ταῖς τῶν ἁγίων ἱεραῖς τελεταῖς; *Quid significat Triticum coctum in commemorationibus mortuorum in Christo & in sacris mysteriis sanctorum?* Cùm jam homines comparasset cum minutiis omnibus spicæ Tritici, pergit tamen, Καὶ γίνεται μήτηρ ζωῆς τοῖς κόκκοις ἡ νέκρωσις, καὶ θάνατος τόκος πατρὸς ἀναδείκνυται. Καινὸς ὥσπερ τῇ γῇ τῶν ὡδίνων ὁ νόμος· ἂν μὴ γένηται νεκρὸν, τὸ βρέφος οὐ πλάττεται· ἂν ζῇ, οὐ μορφοῦται. Καὶ ζκόπει μοι τῆς ὠδῖνος τὸ θαῦμα. λαβοῦσα μόνον τὸν κόκκον, φθορᾷ παραδίδωσι, φθαρέντα δὲ κρείττονος, εἰς ποικίλα τὸν κόκκον σχηματίζουσα μέλη. ἆρ' οὐκ ἐναργὴς ταῦτα εἰκὼν τῆς μυστικῆς τῆς ἡμῶν ἀναπλάσεως; *Et mors vitæ parens manifestò ostenditur. Novâ hâc lege terra parturit; nisi moriatur fœtus non vivificatur, si vivat non formatur. Et perpendite unà mecum hunc partum miraculosum. Terra granum solum accipit, corrumpendo restituit, corruptum meliori figura reddit in varias partes distinctum. An igitur apposita magìs similitudo nostra restaurationis assignari potest?* & ampliùs, Πῶς οὖν ἅπασι τούτοις ἐξ ἑνὸς κόκκου φθαρέντος ἡ γένεσις; τοῦτο τῆς ἀναστάσεως παρὰ πολὺ θαυμασώτερον. τότε μὲν γὰρ ἡ κτίσις νεκρὸν ἀναδίδωσι, τοῦτο δὲ πολλοὺς ἀνθ' ἑνὸς νεκρωθέντος εἰς ἀναζώπυσιν κόκκους σωβάλλεται. ὃ τῆς περὶ ἀτίσεων ἀνηκέστου φρενοβλαβείας. βλέπουσι τὸν γλῶ γεωργῶ ἀποδιδοῦσαν ἃ μὴ παρέλαβε· τῇ κτίσῃ δὲ ταὐτὸν ἀποδόσιν ἣς αὐτῇ παρέθετο, περὶ ἀδωκάτων εἴη διατείνουσι· *quomodo igitur ex uno grano tritici corrupto tot nascerentur? hoc resurrectione longè mirabilius: tunc enim terra reddet mortuos quos accepit, triticum verò pro uno grano mortuo multa viva rependit. O infidelium insanabilem insaniam! Vident terram reddere agricolæ quod depositum non fuit; ut Creatori reddat depositum impossibile esse contendunt.* Ταῦτα μὲν, &c. Hic (etsi oblata videatur occasio) non allegabo in argumentum nostræ Resurrectionis illam crurum & brachiorum quæ quotannis visitur die passionis Domini & illius vigiliis non longè à Gran Cairo Egypti. Verum quidem est (si & vera narratio) hoc etiam respectu ossa nostra germinare instar herbæ: nam istæ resurrectiones parvæ non visæ sunt resurgere, sed resurrexisse. Et sic instar membrorum immortalitatis germinant è terra, ut olim ex utero matris germinabant. Nos ipsi etiam instar graminis crescimus; neque enim augeri nos sed auctos percipimus. Idem evenit his partibus præcursoribus; si appropinquas & tangas caput aut crus, nihil amplius de resurrectione percipies eo tempore, verùm si post paululum temporis revertaris, auctæ facilè apparebunt. Quoniam non aliàs usurus sim hâc relatione quàm antea dixi, descriptionibus accuratis non immorabor. Refert historiam Camerar. Hist. Medit. c. 73. Cent. 1. Et Simon Goulartius (Histor. admirab. T. 1. fol. 32, 34, &c.) à Stephano Duplais teste oculari & probæ fidei viro. *Il me disoit d' avantage avoir (comme aussi firent les autres) touché divers membres de ces resuscitans. Et comme il vouloit se saisir d' une teste chevelue d' enfant, un homme du Caire s' escria tout haut, KALI, KALI, ANTE MATERASDE, c'est à dire, Laisse, Laisse, tu ne scais que c'est de cela,* i. *Dixit mihi insuper se (ut & multos alios) aliqua ex hisce membris resurgentibus tetigisse, & sibi caput infantis crinitum tacturo Cairensem quendam inclamasse, KALI, KALI, ANTE MATERASDE,* i. *Abstine, abstine, quid hoc est quod facis?* Quod deesse videtur autoritati hujus tam mirabilis historiæ est, quòd non legatur (quantum scire potui) in eorum libris. Quod occurrit in Græcis Liturgiis in Lectione pro die illa non est magni momenti ad rem propositam; in cæteris eorum libris quibuscunque (& aliquibus certè in quibus aliquid tale inveniri posse verisimile fuit) nulla ejus mentio. Sed huic objectioni ipse respondere possum, Non exspectandum fuisse ut res ità vulgò credita literis à seipsis ut rarum quid mandaretur, & nobis incredulis transmitteretur: quæ ratio etsi sufficiat cur non ità frequenter legeretur, inducor tamen ut credam ejus mentionem particularem alicubi factam esse in historiis Arabicis aut Copticis: quod si apparebit, & miraculum referri ad magni alicujus momenti originem, historiam hanc ab impostura suspicione meliùs defendet. Profectò resurrectio horum crurum & brachiorum tenue admodum argumentum est pro resurrectione corporum nostrorum: nam hæc creditu facilior est quàm illa. Arab. Nubiensis Geogr. Clim. 3. part. 3. narrat de loco quodam in Ægypto dicto *Rand Altisinem* vel *Arenas Tsinem*, ובהא אות מן אית אלה סבחאנה ודלך אנה יוחד אלעטם פירפן פי הדה רמאל סבעת איאם פיעוד חנוא צלבא באדן אללה: i. *Ubi magnum est miraculum Dei gloriosissimi. Et hoc est, si os sepelias in his arenis spatio septem dierum, Dei permissu lapidescet,* &c. Si omnia ossa nostra in his arenis sepelirentur, quid demum? potens est Deus etiam *ex his lapidibus filios suscitare Abrahamo.* Si Phœnix Arabiæ avis probetur merè Utopiana, (quod post tam amplam Autoritatis Apostolicæ mensuram & probatæ fidei suffragia nec suspicari ausim) sufficit nobis Hirundines nosse tempus suum æquè ac Ciconias, ídque ità acti (saltem nos nosse vellent) nostrum etiam nossent. Hz appropinquante Hyeme coacervatim decidunt in pulverem aut aquas, & dormientes redeunt in suum chaos, donec Vere ad vocem Naturæ redeuntis ex hoc somno mortis excitantur & reviviscunt. Commentator quidam (Georgius Major) ad hoc cap. 15. 1 Cor. affirmat ipsum se inveniſse aliquando Hirundines multas mortuas sub mensa veteri in Ecclesia quas calore artificiali vitæ restituerunt.

CAP. 28. *Ipse autem Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem erat locusta, & mel sylvestre,* Mat. 3. 4.

CÆtera satis clara sunt, de locustis verò Critici multùm laborant; sed verbum magìs obscurum relin-

quunt

quunt quàm erat antea. Verbum est, Ἀκρίδες, & nihil hîc aliud significare potest quàm *Locustas*; & dubium non est an hæ comedi possint, certè lege Mosaicâ non vetabantur, Lev. 11. 12. & Mathiolus ad Dioscoridem lib. 2. c. 46. hanc esse rationem asserit cur Joannes Baptista ut strictus Legis observator iis usus sit in cibum. Sed jam comedi in Oriente & alibi patet ex nota Kerstenii ad Arabicam versionem Euangelii secundùm S. Matthæum, & Joan. Leone in descriptione Africæ. Ad rem facit nota Agatharchidis in tractatu De Mari Rubro, ubi loquitur de Acridophagis: sunt, inquit ille, βραχύτεροι τὰ λοιπῶν, ἰσχνοὶ δὲ τοῖς σώμασι, μίκκοι δ' ὑπερβολῇ, *Habitu corporis graciles*, &c. Sic & quæ Clenardus annotavit de rusticis Fesæ in Africa huc faciunt. Habentur in Epistola ultima ad Latomum Præceptorem prope finem Epistolæ; *Nova de Bellis, nihil ad Brabantinos: neque enim strepitum armorum audietis, alius est exercitus quem Deus his regionibus immisit; paucis antè diebus Fesæ vidisses Cœlum obductum locustarum agminibus, quæ hîc non solùm saltant, sed avium ritu volitant. Jam coràm video minas priorum prophetarum, multis in locis nocte unâ sata perdunt universa, bellum strenuè cum iis gerunt rustici. Nam plaustra plena Locustis advehunt Fesam, nam hos hostes vulgò hîc comedunt. Ego tamen sum tam delicatus, ut malim perdicem unam quàm locustas viginti, quòd totam hanc regionem gens locustica devoravit.* Vide Eustath. in Hexaem. Et hoc quidem erat de quo dicendum fuit: nam ut vilitas vestimentorum, ità diætæ tenuitas ad austeram vivendi rationem facit. Et ad hunc sensum pauca nova annotabo ex Commentario Arab. ad Alcoranum. (נחאב אלכשאף Com. Arab. MS. in Alcoranum à Wernero citatus) Traditio est hujusmodi, אנה מר וחו טפל בצביאן פרעוה אלי אללעב פקאל מא ללעב חלקתי *Petierunt à Joanne Baptista puero socii item pueri cur cum iis nollet ludere: respondit, Se non creatum fuisse propter lusum.*

CAP. 29. *Et feræ ululabunt in domibus desolatis, & Dracones in Palatiis*, &c. Is. 13.22.

DIcta erat de Babylone Prophetia & impleta est. *Unius diei ab hinc itinere* (inquit Benjamin Bar Jona in Itinerario) *est Babylon*, הוא בבל הקדמונה החרבה והוי מהלך שלשים מילין ברחובותיה ועירן ארמון נבוכדנצר שם חרב וירא֯ם בני אדם ליכנס בו מפני הנחשים ועקרבים שיש בתוכו: *Hæc est illa Babylon antiqua, lata 30 miliaria. Jam desolata est. Visuntur adhuc ruinæ Palatii Nabuchadnezzaris, sed filii hominum non audent eas intrare præ metu serpentum & scorpionum qui locum tenent.* Jam legamus quod reliquum est Prophetiæ: Ver. 19. *Et erit Babylon illa gloriosa in regnis, inclyta in superbia Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam & Gomorram.* Ver. 20. *Non habitabitur usque ad finem, non fundabitur usque ad generationem & generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi.* Ver. 21. *Sed requiescent ibi Bestiæ, & replebuntur domus eorum Draconibus; & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.*

CAP. 30. *Item dico vobis, gaudium erit coram Angelis super uno peccatore pœnitentiam agente*, Luc. 15.10.

MInùs hærebimus ad hæc verba Salvatoris, si formulam loquendi huic contrariam & in Oriente usitatam afferam. An putandum quòd in ipso Cœlo, quò cùm venimus *omnes lacrymæ abstergebuntur ab oculis nostris, jam sit luctus pro mortuis in peccato, quia non sunt?* hoc tamen Judæi tradunt & ab ipsis Mahometani. In vetusto MS. Arabico (lib. quæst. à Gaul. cit.) legitur hoc responsum Dei ad Mosem, יא מוסי *O Moses*, &c. *etiam circa hunc thronum meum stant, & multi sunt* יבכון עלי אלמרנבין מן דריה אדם *qui lacrymas fundunt ob peccata hominum.* Si lacrymæ & luctus sint in Cœlo ob unum qui erravit, quantò magis debet esse gaudium super uno peccatore pœnitentiam agente? Nec Salvator noster hoc primus dixit. Verba respiciunt antiquam Thesin in Theologia Judaica; גדולים בעלי תשובה מצדיקים גמורים, i. *Peccatorem respiscentem plurus æstimari in conspectu Dei quàm qui nunquam lapsus est*, R. Chimhi in Isai. 57.19. Hic est sensus illius sententiæ, *plùs quàm nonaginta novem justi qui pœnitentiâ non egent.* Illorum seniores magnificentiùs adhuc loquuntur de præstantissima hac virtute. Sanctus Augustinus aliter respondisse poterat interroganti *Quid Deus faceret ante Mundum creatum: Creavit infernum?* Nihil tale. Doctores Talmudici aiunt, *Quòd creavit Pœnitentiam, & excogitavit modos quibus misericors esset homini cujus memor est, & filiis hominum quos tanti facit*; Talmud in Joma fol. 86. Dicunt insuper, *Diem unum in pœnitentia actum pluris æstimandum quàm Æternitatem ipsam vel dies Cœli in altero Mundo.*

CAP. 31. *Quia hæc dicit Excelsus & Sublimis habitans æternitatem, & sanctum nomen ejus in excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum*, Isa. 57.15.

SED an Deus habitabit super Terram? Cœlum Cœlorum illum non capit; quantò minùs hæc domus quam ædificavimus? Omnia plena sunt Deo. Dicitur ideo linguâ sanctâ המקום *Hammakom*, *Locus*; vel Plenitudo illa quæ implet *omnia in omnibus. Deus* (ut magnus ille Hermes) *Circulus est, cujus centrum est ubique, circumferentia nusquam. Si ascendam in cœlum, tu ibi es; si descendam in infernum, tu etiam ibi es.* Nec præsens solùm est in spatiis realibus Terræ & Cœli, sed & in imaginariis illis incomprehensibilis & infinitæ capacitatis & extensionis. Ibi est ubi nihil est, & nihil est ubi ille non est. Sed an putandum illius præsentiam eandem esse nobiscum, & cum Diabolis, ut tremeremus? neutiquam. Illic vox est, *Quid tibi & nobis, fili Altissimi?* non hîc item, sed, *Ut quid, Domine, recessisti longè?* Ps. 10.1. *Digitus Dei* hîc, ut in plagis Ægypti, Exod. 8. 19. sed *dextera ejus* est hîc, Psal. 20.6. Illi habent Deum Omnipotentem, nos *Omni-sufficientem.* Ibi est *Ignis consumens*; hîc *Immanuel, Deus* non contra nos, sed *nobiscum.* Hinc est quòd etsi antea hîc fuerit, dicatur tamen ad occasiones nostras *inflectere cœlos & descendere.* Visus est Moriæ: Apud Peniel *facie ad faciem*, Gen. 32. 30. Patriarcha Abraham ad prandium invitavit: pernoctavit in domo Lothi. Jacob cum eo luctatus est apud Mahanaim, & vicit, nec dimittere voluit nisi priùs benediceret. Transivit juxta Mosem semel in rupe, sæpius eum convenit ad ostium Tabernaculi. Peregrinavit cum populo suo in deserto. Cum Arca stetit, cum Arca processit: illum etiam alloquebantur ut surgeret, *Surge Domine, & dissipentur inimici tui* (dixit ductor) Num. 10. 35. Ut hæc omnia concedantur attendendæ sunt rationes quædam secundùm quas consistat cum immensitate Divina æquè diversè præsens esse in aliquibus locis ac eodem modo in omnibus. Optima est vetus illa Scholarum distinctio, nec video cui meliùs innitamur. *Deus* (inquit Magister Sententiarum) *incommunicabiliter semper in se existens præsentialiter, potentialiter, essentialiter est in omni natura sive essentia sine sui definitione & circumscriptione: & præterea in sanctis spiritibus & animabus est excellentiùs, scilicet per gratiam inhabitans. Et in homine Christo, per unionem* hypostaticam, *excellentissimè, in quo plenitudo Divinitatis corporaliter inhabitat*, &c. lib. 1. Dist. 37. His Molina quartum & quintum modum præsentiæ superaddit; alterum, per peculiaria signa, & instat in scala Jacobi; alterum quo præsens est *cum Conciliis & Summis Pontificibus.* Sed has differentias supra numerum esse notant Na-

zarius, Gonzales, &c. & profectò hi duo unus tantùm sunt modus, ísque non alius à secundo quo Deus præsens est per gratiam suam & S. Spiritum. Per Præsentiam, Potentiam & Essentiam intelligunt Doctores; per primam, appropinquitatem Visionis, omnia coram illo aperta esse & nuda; per secundam, Approximationem Potentiæ, quâ operatur in omnibus, & regit omnia; per tertiam denique, Indistantiam Essentiæ ab omnibus entibus tam actu quàm potentiâ. Hoc modo Deus intimè & indivisibiliter præsens est omnibus & singulis rebus; imò nihilo (ità vocare liceat spatium illud infinitum extra-mundanum) quod cùm opus non sit ut probetur ab actuali operatione, aut causalitate conservante, sequitur naturam immensitatis. Implicaret contradictionem dicere eum posse actualiter præsentem esse ei quod non est, aut ei quod futurum est antequam est. Tamen non dicere eum ibi esse ubi nihil aliud est aut erit præter ipsum idem est ac dicere eum non esse infinitum. Nec aliter respondent Doctores contrariæ sententiæ: nam etsi non concedunt Deum esse præsentem extra, tamen fatentur non posse comprehendi intra Universum, omnia salvantes Negativo extra & exsistentiâ potentiali, ut frustrà videantur in 1. Thom. q. 8. & 1 Sent. dist. 37. Gonzal. disp. 17. num. eod. Bonavent. in 1. Th. q. 8. d. 2. Alex. Hal. p. q. 9. memb. 5. Capreol. n. 1. d. 37. Secundùm hunc primum respectum Præsentiæ, Essentiæ & Potentiæ Deus æqualiter præsens est omnibus rebus & hominibus, nec potest magìs esse in uno loco quàm in alio. Sed modus Gratiæ & Spiritûs superinducit specialem influentiam & immediationem benedictionum, & imprimit naturæ seu Enti cuicunque intimam magìs & excellentiorem relationem. Ità Deus dicitur propior huic vel illi, magìs in uno loco quàm in alio. Ità dicitur discedere ab hoc & venire ad illum, relinquere hunc locum & habitare in alio, non per Essentialem applicationem sui ipsius (multò minùs per motum localem) sed per impressionem Effecti. De omnibus locis dici potest, *Deus hîc est*, sed de aliquibus, ut Jacob de Bethel, *Verè Deus hîc est*. *Verè* h. e. inquit Bernardus, *Certiùs, evidentiùs*. Cum justis, inquit ille, Deus præsens est *in Veritate*, cum impiis *in Dissimulatione*, (Verba ipsius sunt.) Ut præsens est omnibus & in omnibus locis dicitur linguâ Sanctâ JEHOVAH, *qui est*, vel *Essentia*, ut in locis sanctis SHECHINAH, *qui habitat* vel *Præsentia*. Shechinah à Rabb. nonnullis sumitur pro præsentia Messiæ (ut R. Menahem) ab aliis pro *Ruach hakkados*, vel præsentiâ S. Spiritûs, Chald. Paraph. in Gen. 45. 27. Sic Schola Hebr. cum nostra consentit: nam Jehovah implicat primam partem distinctionis, Præsentiam, Potentiam, Essentiam; Messiah ultimam, Hypostaticam unionem; & S. Spiritus secundam. Certè sensus verbi *Shechinah* apud Judæos usitatissimus innuit intimam magìs præsentiæ Divinæ applicationem huic personæ aut loco quàm illam communem & æqualem habitationem. *Dicitur ibi habitare* (inquit Maimon More part. 1. C. 25.) *ubi ponit notas & signa suæ majestatis & præsentiæ, & hoc facit per gratiam & spiritum*. Ideò Templa dicuntur *domus Dei* & pii homines *Templa Spiritûs Sancti*. Hæc ratio est cur Michael Archangelus dicitur שר הפנים *princeps facierum*, vel *Princeps præsentiæ*, in libro Zorobabel. Nam, ut Judæi volunt, ità propè est Regi Cœlorum ut etiam juxta eum sedeat, bona opera Israelitarum in tabellas referens. Penès ipsum item est pro data occasione iterum delere, Talmud. in Chagigah, fol. 15. a. Quod ad sensum applicationis Divinæ præsentiæ ad aliquem vetus est inter illos diverbium, השכינה שורה עם העניים והשפלים וברוחת מנאים ומכעסנים *Shechinah habitabit cum mansuetis & humilibus, sed fugiet à superbis & iracundis*: unde lucem mutuari posse videor hisce verbis Jacobi, c. 4. 6. *Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam*. Græcè legitur ἀντιτάσσεται ordinavit se ut exercitum contra superbos. Verba citantur ex Pro. 3. 34. ubi Syr. *deturbabit*, Chald. *illusores propellet*, h. e. Deturbabit vel propellet illusores à conspectu suo; *humilibus autem dat gratiam*, h. e. illis appropinquat, & cum illis habitat per Gratiam & Spiritum. Hinc etiam clariùs patet sensus verbi κατῴκησεν versu præcedenti, ubi *Spiritus qui habitat in nobis* dicitur *ad invidiam concupiscere*, Jac. 4. 5. Dictum est Ben Syræ נתן לחמך, &c. *Mitte panem tuum super faciem aquarum, & super aridam, & invenies eum in fine dierum*. Ad hoc Perush לעולם, &c. *Sit* (inquit) *mensa tua semper parata & libera cuicunque advenienti, ut dignus habeatur super quem maneat Shechinah*. Nimirum Deus, secundùm illos, cum iis habitabit quorum mensa lauta est & libera. Dicunt etiam Shechinah nolle manere super tristes & mœstos, sed super sapientes fortes & divites: & hujusmodi multa habent, quæ sanam interpretationem admittunt. Ad alterum sensum applicationis Divinæ præsentiæ ad locum aliquem, sic filius Halapthæ, (Pirke Avoth, c. 3.) *Ubicunq; duo aut tres simul sedeant ac conferant de Lege, ibi erit Shechinah cum iis*. Mens est Servatoris nostri cùm dicit, *Ubicunque duo vel tres congregantur in nomine meo, ibi ego sum in medio eorum*: acsi dixisset, Shechinah ibi erit; vel, ego ibi ero per præsentiam habitantem, sive specialem dispensationem mei ipsius in signis Benedictionis & Gratiæ. In aliis locis solùm *esse* dicitur, in locis sacris verò *esse mirabilis*, Psal. 68. 35. Facies Dei ubique est. *Quò fugerem à facie tua?* inquit Psalmista: non dixit, *Quò fugerem* à posterioribus tuis? hæc enim magìs visibilia sunt in uno loco quàm in alio. Ibi est, ut ubique, DOMINUS. Hîc *Dominus misericors & gratiosus, lentus ad iram, abundans in bonitate & veritate*. Ideo etiam *Altissimus* hoc modo *habitat in templis manu factis*, & licèt *Cœlum sit thronus, Terra scabellum pedum ejus*, nos homines ei Domum ædificare possumus; *domum Orationis* (ut dicitur) *omnibus Gentibus*. Et hic locus est ubi *Honor illius habitat*. Iterum dico, non hîc magìs per Essentiam, sed per Gratiam quàm alibi; διὰ χάριν τῆς ἁγίας πνεύματος, *per gratiam sancti sui spiritûs*, ὃν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ ἀοράτως ἀεὶ παρόντα, *in sancta Dei Ecclesia invisibiliter semper præsentem*. S. Maximus Mystagog. c. 24. Sic forma Consecrationis Apostolicæ (ut à Metaphrasta accipimus,) *Placeat Deo Misericordi ut spiritus suus sanctissimus habitet in domo hac quam ædificavimus in nomine ejus*, Præsentia hujus S. Spiritûs loco huic consecrato applicata modo quodam incubationis secreto & invisibili liberat illum ab omnibus impedimentis quæ aliter obtruderet Princeps aeris, & reducit sub umbra Altissimi, & in statum reverendæ *Sanctitatis* & *Divinitatis*, quæ cum illo spatio & situ mixta, non crassâ adhærentiâ, sed energeticâ communione, superinducit ei naturam & conditionem aptam excitare & confirmare orationes nostras, & disponit quæ ibi agimus ad magìs glorioſos & infallibiles effectus successûs & benedictionis. Respectu hujus magnæ & gloriosæ præsentiæ, moveor consideratione Perversitatis aliquorum hominum, & Irreverentiæ penè omnium. Perversitatis eorum qui Horreum Ecclesiæ præferunt, acsi Deus magìs domi esset in *Horreis* eorum, quàm in *Domo mansionis suæ*. Audit quidem quascunque preces sibi oblatas, sed aures ejus arrectæ & intentæ dicuntur his solis quæ hoc in loco fiunt. Scio Patrem nostrum orandum esse etiam in secreto, verùm hoc innuit non orandum esse in angulis platearum ubi Portæ sunt, ut rectè Æthiop. Nam mos erat istarum Gentium ut quævis platea portas haberet, ideóque anguli platearum loci erant maximè conspicui, & eorum precibus idonei qui ideo *erabant ut ab hominibus conspicerentur*. Oravit Hezechias super lecto & auditus est: sed quid oravit? nónne ut iterum Templum ingrederetur? 2 Chron. 20. 5. Imò in tantis difficultatibus cùm non potuit ascendere in domum Dei, saltem vertit se eò versùm in cubiculo, quod corpore non potuit eò mente delatus. Sed maximè peccatum est ab iis qui in Templum veniunt: nam ità se plerique illic gerunt, ut melius sit vel illos vel Deum alibi esse. Quàm irreverenter huc intramus & discedimus, & *quàm verendus est hic locus!* sed in ipsis loci negotiis quàm remissi (nè quid pejus dicam) sumus! Constitutionibus dictis Apostolicis

licis Decano curandum datur, ὅπως μήτις ἢ ψιθυείσῃ, ἢ νυσάξῃ, ἢ γελάσῃ, ἢ νεύσῃ, nequis sibilaret, connîveret, rideret, vel nueret. *Tu verò* (inquit Ambrosius ad Virginem) *in ministerio Dei tusses, exscreatus abstine.* Hujus severi gestûs vice sedemus ad eorum instar in Chrysostomo, κυάμωνοι, χασμώμενοι, ναχοῦντες, *scalpentes caput, hiantes, stupidi.* Vellem hoc tantùm dici potuisset. Per omnia adeò perditè profani sumus, ut si Infidelis apud Paulum intraret, non modò non *caderet in faciem & adoraret*, sed & pronunciaret quòd *verè Deus non sit in nobis*, 1 Cor. 14. 25. Nonnulli è Christianis magìs reverentur externos Templi parietes quàm nos præsentiam Divinam quæ intra ipsum est. Inter Habassinos si in itinere (quanquam celeritate opus sit) juxta Templum aliquod transeundum sit, nemo adeò obliviscitur reverentiæ illi loco debitæ ut equo insideat; *ma dismonta fin che passe a piede la chiesa & el cimiterio per un grand pezzo, sed descendens ambulat* (inquit Alvarez) *usque dum & Templum & cœmeterium longè à tergo reliquerit.* Vin' exemplum sumamus à Turcis *dum adhuc hodie est, & priusquam surgant in judicium contra nos?* Hoc (alio) modo se in Templis gerunt. Convocati ad preces per *Illah Illahi*, vel vocem ejus qui ità clamat (neque enim eis in usu sunt campanæ) primò lavant, deinde exutis calceamentis ad limen Mosqui, *summo cum silentio discalceati ad instratum pavimentum accedunt. Emamus sive Antesignanus Orationem incipit, omnes sequuntur, & dum flectit genua alii idem præstant, & illo erecto, cæteri se erigunt & ipsum, vocem attollentem, vel deprimentem, adstantes imitantur; ubi neminem tussientem, oscitantem, deambulantem aut confabulantem invenias, sed summo silentio oratione peractâ resumptísque calceis recedunt*, Maronitæ de moribus Oriental. c. 10. Imò Turca (Turca inquam) si vel digito scalpat caput, periisse sibi precationis fructum arbitraretur. *Sic verò stabant in mesquidis suis immobiles, ut in illo solo defixi, aut ibidem succrevisse viderentur, nulla tussis, nullus screatus, nulla vox, nullus circumacti corporis aut respicientis motus*, &c. Busbeq. Epist. §. 3. Johan. Cottovic. Itiner. c. 4. Sed ipsi Ethnici *anteibunt nos in Regnum Cœlorum.* Narrat Saxo Grammaticus (Hist. Dan. lib. 14. f. 158. edit. Bas.) de Sacerdote Arcon, quòd adeò reveritus sit domum Idoli sui ut non putaret licitum in ea halitum trahere, *Quo quoties capessendo vel emittendo opus habebat, toties ad januam procurrebat, nè videlicet Dei præsentiam mortalis halitûs contagio pollueret.* Quoties hæc mecum reputo non possum non recordari verba Salvatoris citata ex Moralibus horum deperditorum (ut nobis videtur) hominũ. *Omnia igitur quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, sic & vos facite illis*; sed hoc esse *Legem & Prophetas* —— alia illius verba alibi, *Tolerabilius erit pro Sodoma & pro Gomorra in die Judicii*, &c. me dubitare faciunt: quid mihi nomen Christianum jactamini? priùs Ethnici esse discite. Commentator Arabicus MS. ad Alcoranum, à Weernero citatus, מן אחב אן יוחוז עון אלנאר וידחל אלגנת והו יומן באללה ואליום אלאחר ויאתי אלי אלנאס מא יחב אן יותי אליה i. *Qui velit evadere ignem Gehennæ & intrare in Paradisum, credat in Deum, & diem judicii, & faciat aliis quod sibi fieri vult.* Et quos tandem hos Ethnicos esse vultis? aliqui ex eorum Prophetis dixerunt *Deum esse centrum omnium rerum, præsertim omnium hominum*; etiam respectu Meriti universalis Christi. Certus sum omnes lineas ductas esse æquales, & differentia sola erit in applicatione & tendentia ad hoc punctum. Christianus (meritò) se huc moveri sentit fortiori & magìs propriâ inclinatione: sed & nonnullis visum est adeò bene sentire de moralitate Ethnicorum, & vivendi ratione, ut arbitrentur conditionem eorum non malè assimilari experimento statico duorum corporum deorsum moventium, quæ utcunque inæqualis magnitudinis & ponderis, tamen si ejusdem figuræ & materiæ sint, unum alterum non præveniet, sed eodem momento temporis concurrent in centro. Sed quid mihi cum servo alieno? nihil de his pejus dici potest quàm quòd Christum non norint; nos nosse affirmamus, & nobismet ipsis contradicimus, dum *facimus opera patris Diaboli.* Cæci certè sunt, nobis pejus evenit quòd videmus. Utrum enim præstat Christum non nosse, an negandi illius nullum prætextum habuisse? Nostis quis dixerit Christianam Religionem causam fuisse omnium dissidiorum in hisce mundi partibus: certè prætextus fuit: & quomodo ad privatum cujusque emolumentum semper torta fuerit, & in aliis rebus publ. manifestum est, & nostra jam sentit. Ut nos eâ utimur, religio non aliud est quàm instrumentum Politicum, tam ad defendendum quàm ad oppugnandum, tam ruinæ quàm conservationi reipub. inserviens; ad mutandas rerum vices necessaria, & nullius aliàs momenti huic Mundo. Si quid aliud sit quàm dixi, cur omnes eam profitentur propter commodum suum tanquam finem, nec Deum nisi obiter admittunt? cur quotidie inimicis Dei novi scandali occasionẽ damus? cur huc venimus ut facies nostras in speculo verbi contemplemur, & statim obliviscimur cujusmodi homines simus? Denique cur vivimus sine timore, sine sapientia morimur? Multa sunt alia etiam horribilia vitæ nostræ accidentia quæ conscientiis probare nostris possint nos revera ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ, solos ferè *in mundo Atheos esse*: verùm tam turpis lapsus in eo etiam ipso à quo solo bonitas nostra pendet, vel nobis opinantibus, & in quo canes extranei (ut nobis videntur) nos semper excelluerunt, non potest non exponere nos contemptui & derisioni illius qui habitat in cœlo. Salvator noster cùm ascenderet Hierosolymas, τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε, Luc. 9. 51. i. ut quidam reddit, *induit novum vultum*, utpote iturus in templum: quicquid de illo templo videatur, vobis certè *hîc est major quam Salomon.* Quomodo fundamentum pro Ethnicis meliùs, pro nobis pejùs ponere possimus quàm neglectu hujus præcipuæ partis cultûs Divini, cùm confidenter ad Sacramenta indignè accedimus; non dicam me non posse, sibi unusquisque dicat. Hoc audere nos coram Angelo, Eccles. 5. Non fieri potest quin tales preces vertantur in peccatum, *sic iniquitas est etiam solennis conventus.* Sed caveamus seriò nè Deum hîc fuisse per secessum ipsius sentiamus, & audiatur vox illa è Templis nostris quæ olim è Judaico audita est, Μεταβαίνομεν ἐντεῦθεν *Migremus hinc.*

CAP. 32. *Sed per nomen meum Jehovah non cognoverunt me.* Exod. 6. 2.

DE pronunciatione Tetragrammati, quando, à quo, & in quibus circumstantiis proferri possit, à D. Buxtorfio, Drusio, & aliis dictum. Addi potest hoc etiam Ethnicis notum fuisse, ut Chronographus Antiochenus citat ex antiquo eorum Theologo, ἣ ὄνομα αὐτὸς ὁ Ὀρφεὺς ἀκούσας ἐκ τῆς μαντείας, ἀῤῥητον, μή τινα φῶναι τὰ Ἑβραίων, ὅσῳ ἐρμηνεύεται τῇ κοινῇ γλώσσῃ, Βυλὴ, Φῶς, Ζωοδοτὴς, *Orphea* dicit *audisse ex oracvlo Ineffabile nomen Dei, Hericepeo. Et quòd interpretatio illius in lingua vulgari sit, Consilium, Lux, Dator Vitæ*, &c. Joan. Antiochenus Melala, lib. 3. Chron. Vocabulum hoc Græcum esse, præter interpretationem, sonus negat: prodit se esse Notationis Orientalis, & præcipuè Hebraicæ; tamen referre ad unum aut plura verba in ea lingua sibi similia, præsertim interpretationi respondentia, planè non possum. Obvium erat hoc primo aspectu suspicari, sed solutio ultima quæ verisimiliter fieri potest petenda est à doctrina Cabalistica. Inter Traditiones Arithmeticas hunc numerum habent Nominis Jehova, קפו *Kepo* sive *Kepeo*, quem deducunt.

יהוה

י פעמים י. ק. ה פעמים ה כה. הרי קכה. ו פעמים ו. לו. הרי קסא. ה פעמים ה. כה. הרי קפו h. e. *decies* 10. *facit* 100. *quinquies* 5. 25. *ecce* 125. *sexies* 6. 36. *ecce* 161. *quinquies* 5. 25. *Hare* vel *Heri, Ecce Kepeo* vel 186. numerale Hamphoraſh, sive expressio nominis Dei, & sensus Oraculi per, τὰ ἰεμίνου.

CAP. 33. Καὶ ἀποστέλλουσιν αὐτῷ τοὺς μαθητὰς αὐτῶν μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν, &c. Matth. 22. 16.

Et mittunt ei Discipulos suos cum Herodianis.

SErarius in Herode suo enumerat (si satìs distinguit) decem diversas opiniones de Herodianis, nec scit tandem cui assentiatur. Drusius existimavit hos fuisse Græcos quosdam ab Herode è deserto in terram habitabilem eductos, & in sectam constitutos, ab autore suo dictos *Herodianos*, & à loco unde educti fuere dictos *Dorsianos*: nam sic reddit Baal Aruch in יון, *Herodes Rex adduxit secum Græcos ex deserto, & educavit eos in terra habitata, & fecerunt sectam, vocatíq; sunt de nomine ejus* Herodiani, & Dorsiani *à loco unde abducti fuerunt*. Præteritor. ad Matth. 22, 16. Comment. ad voc. N. Test. poster. cap. 23. D. Casaubonus, Beza, & alii de fide ejus recipiunt. Sed (ut in hac doctrina Princeps (Buxtorf. in Lex. Talm.) notavit) Aruch ibi citat Traditionem seniorum in Cholin fol. 138. b. cap. cui titulus *Siluach hakken* sive *Demissio Nidi*; nam tractat de præcepto Mosis, Deut. 22. 6. *Non tenebis matrem cum filiis*, de quo Mishna ibi inquit, אינו נוהג &c. *Legem extendi ad aves tantùm, & eas solas* שאינו מזומין כגון אווין ותרנגולין *quæ non præparantur*, שקננו בפרדס אבל אם קננו בבית וכן יוני הדרסיות פטר משילוח, *ut Anseres & Gallinas quæ in hortis nidificant, sed si nidificent in domo, ut columbæ Herodianæ, homo non tenetur matrem dimittere.* Aruch Perush sive *expositio* Columbarum Herodianarum hæc est, המלך הורודוס הביא יונים מן המדבר ונדל אותם בישב ונעשו תרבות ונקראו על שמו הורדוסיות ומאן דתני דורסיות על שם המקום שהביאם משם *Herodes Rex adduxit secum Columbas ex deserto, & educavit eas in terra habitata, & fecerunt fœtum, vocatæq; sunt de nomine ejus* Herodianæ, & Dorsianæ *à loco unde abductæ fuerunt.* Sic Bartenora & Glossa R. Salomonis; & Ramban dicit quòd *vocatæ sunt de nomine Herodis, quia ille primus educavit* יונים בבתים *columbas in domo.* Sic & Gemara exponit Mishna, fol. 139. b. Iterum Herodianæ recensentur inter Anseres & Gallinas in Shabba, fol. 155. b. ubi Mishna inquit, אין נותן, &c. *Non posuerunt aquam coram apibus, aut coram Columbis columbarii, sed coram Anseribus Gallinis, & Columbis Herodianis posuerunt aquam.* Et Glossa exponit ut antea. Columbæ Herodianæ erant genus magìs cicur quàm illæ columbarii, & verisimile est etiam magìs raras, & ab exteris allatas fuisse, præsertim quia Josephus De Bello Judaic. l. 6. c. 13. dum describit Palatium Herodis, inter cætera magnificentiæ illius monumenta, dicit quòd erant illi πολλοὶ πύργοι καὶ πελειάδων ἤμερων, *Turres multæ in quibus cicures columbas aluit.* Hoc nobis nihil magnificum sonat, nec revera est nisi reputemus ejusmodi columbas tunc temporis admodum raras fuisse in Judæa, & ab Herode adductas, utpote viro magni & curiosi animi. Sed cujusmodi fuerint Herodiani scire licet ex vetere Scholiasta Persii, ad hæc verba Poetæ, Sat. 5.

——— *at cùm*
Herodis venêre dies, unctâque fenestrâ
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrúmque amplexa catinum
Cauda natat Thynnis, tumet alba fidelia vino,
Labra moves tacitus, recutitáque Sabbata palles.

Herodes apud Judæos regnavit temporibus Augusti in partibus Syriæ. Herodiani ergò diem Natalem Herodis observant, ut etiam Sabbata, quo die lucernas accensas & violis coronatas in fenestris ponunt. Ratio cur hic honos habitus sit Herodi erat quòd Judæi isti ipsum Christum fuisse arbitrabantur, malè intelligentes prophetiam Jacobi, *Non deficiet Sceptrum*, &c. sub cujus hæreseos titulo ponuntur ab Epiphanio inter sectas Judaicas: Sed sectam retulisse debuit Epiphanius ad Herodem Magnum. Tertullianus ante illum idem tradidit, Lib. De præscript. adv. Hær. c. 46. Victor. Antiochen. &c. *Et nihil* (inquit Casaubon.) *mihi de Herodianis his videtur probabiliùs scriptum*; verùm citatio ejus ex Drusio est corrigenda ut suprà.

CAP. 34. *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis*, Isai. 9. 6.

ET meritò quidem, non solùm ob rationes vulgò allatas, sed & ob aliud quoddam quod forsan recèns annotabitur. Scio sufficere ad implendam mensuram magni hujus nominis, *Deum fuisse*, quod Gemma citata à D. Antiquario Fulvio Ursino breviter & appositè exprimit. Repræsentat effigiem Salvatoris nostri juvenis, tum cùm *crevit in sapientia, statura & favore cum Deo & hominibus*, cum Inscriptione hac T. K. Θ. h. e. Τὸν Κοίρανον Θεὸς, ut Antiquario videbatur, juvenis summæ spei in bello Macedonico. Verùm Criticus optimæ notæ (Jan. Rutgers. Variar. lect. l. 1. c. 1.) qui opportunitatem habuit (& eâ uti novit) videndæ ejusdem generis Gemmæ in archivis Regis Galliæ, unà cum aliis, rectiùs judicavit legendum I. X. Θ. Ἰησοῦς Χριστὸς Θεὸς *Jesus Christus Deus.* Non mihi propositum illius generationem hoc modo exponere, quis enim potest? ostendam quàm admirabilis fuit Filius hominis, & quid illi accidit ut factus est similis uni nostrûm. Et erit istiusmodi quod admirationem nostram aut moveat aut movere debeat. Erat accidens (si non amplius dicendum sit) in illius nativitate, & tale (si rectè metior) quod jungi, & consignificare possit *cum illo opere Dei, illo admirando opere, illo actu illius, illo miro actu, quo effecit ut Virgo conciperet & pareret filium, & Mulier Virum includeret.* Fallitur quidem qui hìc me putat de ullis accidentibus vitæ Salvatoris nostri ex influentiis Astrorum aut Planetarum judicaturum. Stella quæ Sapientes duxit (vel ut Saxon. Junzal Whitezan Astrologos sive Prophetas Astrologicos) ipsa satìs est ad quemvis ab his impertinentiis absterrendum. Ut ostenderet quàm parùm ad eum facerent Stellæ Firmamenti, seu inferioris Cœli, habuit Stellam propriam in alia Sphæra positam, alio motu procedentem ab iis in cursibus suis, ab ipso, & propter ipsum creatam, quæ in aere quasi ambulabat, & æquali passu cum Magis procedebat. Debuit esse in aere, aliter non potuisset Magos ad locum deducere, ut præclarè observavit Nobilissimus Tycho Brahæus Danus. Stella erat, quia Astrologi erant qui ab illa ducendi erant. Erat nova, quia hoc à vetere quapiam præstari non potuit: nam verticalis non potuit esse, & *stare supra locum ubi puer erat.* Hæc extra ordinem apparens Persicam Astrologiam vanam reddidit, & Astrologis ostendit esse Stellam Jacobi (Num. 24. 17.) ortam quæ non erat invenienda in Sphæra Barbarica. Nihilominus, & licèt mihi propositum sit, ut dixi, facere, liceat mihi hìc apponere figuram Nativitatis Salvatoris nostri, h. e. faciem Cœli ut terram aspexit eo tempore in Horizonte Bethlehem. In Sphæra Persica (inquit Aben Ezra ex Μυριογενέσει) surgit in facie signi Virginis pulcra Virgo duas spicas frumenti manu, infantem ulnis, tenens; quem pascit & lactat, &c. Hanc virginem (inquit Albumazar) dicimus עדרא נטיפה *Adre nedefa, Puram Virginem.* Puerum educat in loco qui dicitur *Abrie* (terra Hebræa) nomen pueri vocatur עיסי *Eisi* (Jesus) Introductor. l. 6. c. 1. Hoc satìs erat Alberto Magno ut crederet Salvatorem nostrum Christum natum in Virgine; ideóque Cardinalis Alliac. erigens figuram Nativitatis Domini ex illius descriptione hoc signum ponit in Horoscopo. Ideo (inquit Rog. Baconus) *quòd beata Virgo nata fuit quando Sol erat in Virgine, & ità habetur signatum in Calendario, & quòd nutriit Filium suum in terra Hebræorum.* At Salvator noster secundùm receptam Traditionem Ecclesiæ natus est 25 Decembris mediâ nocte, Anno Mundi 3967. Circulus Solis erat 9. Lunæ 1. &c. Itaque Ascendens in Nativitate illius non erat ♍ Virgo, sed ♎ Libra, & hæc erat figura Cœli;

Non



Non hoc facio ac si Stellam Jacobi Firmamento suo subjectam esse arbitrarer. Horreo dicere cum Cardano Jovem in Ascendente causam fuisse cur tam citò disputaret cum Doctoribus; aut quòd toties de loco in locum iter fecerit, quia Luna erat cum Marte in signo Terreno; aut quòd altitudines Saturni in causa fuere quòd Salvator noster toties flere visus sit, nunquam ridere; multò minùs Saturnum cum Venere nævum in facie ejus fixisse. Josephum citat pro ultimis duobus accidentibus, sed nihil tale apud ipsum invenies. Autor ille præstantissimus grave & honorificum testimonium præbet de Jesu Christo, Antiq. lib. 18. 4. sed de his nè verbum. Sed vos suspensos teneo. Quæ sine crimine & innocenter in hoc Schemate Domini observo hæc sunt; Primò ☉ Justitiæ aptissimè natus est in Libra, signo & constellatione Justitiæ. Horoscopus deinde Redemptoris Horoscopo Mundi contrarius fuit. Nam Aries erat Ascendens Creationis; Mundus namque creabatur vere, quantum ad situm Judææ. Non hîc probationi immorari possum; alibi feci. Supra hæc omnia accidit hoc tempore Conjunctio Sphærarum 8. & 9. in Capite Arietis (maxima quæ esse potest.) Unde sequetur quòd ut in Principio Mundi omnia erant extra locos suos proprios, ità in Restitutione Mundi omnia inventa sunt in propriis locis. Est ejusmodi Phænomenon quod Natura non nisi semel Mundo possit ostendere. Eadem Cœli figura nunquam antea potuit aut postea poterit accidere, nisi mundus præter exspectationem omnium Christianorum duret: nam si consideres tardam revolutionem hujus Periodi, vix hos aut ullos alios, dies ultimos dixeris. Periodus est (secundùm aliquos) 30000 si non 40000 annorum. Magnus hic annus incepit à Nativitate Salvatoris, sed exspectare illius finem, quantum ad nos & Mundum hunc, nisi Athei & absurdi esse velimus, non possumus. Fateor hanc figuram erectam fuisse secundùm computum Dionysianum, qui vocari solet *Vulgare initium annorum Domini*, sed falsus demonstratur (ut ipsi quidem non dubitant) à Mercatore, Christmanno, Josepho Scaligero, Setho Calvisio, Suslyga Polono, & aliis Magistris in Chronologia Mathematica; alii demonstrant hanc Æram errare uno anno, alii duobus, alii tribus, Polonus quatuor, & nonnulli quinque annis. Sed cùm viderem non esse posse tot computos veros, optimum videbatur sequi veterem falsum, tam ob Traditionem Ecclesiæ, quàm ob insignia illa quæ in Schemate ipso inveni, quæ sufficiunt ad probandum hoc fuisse tempus & anni & diei, etsi ratio & Traditio contrà nitantur. Et quia sunt (aliqui etiam qui cur faciant ignorant) qui pergunt in dubium revocare Antiquitatem & Veritatem hujus diei, addam nonnihil ponderis illorum lanci qui rem jam pridem stabiliverunt, & traditionibus Historicis & Demonstrationibus Mathematicis. Quod superaddam, primò est Canon Apostolicus, ut in codice Arabico Josephi Ægyptii (MS. concil. in Arch. Roanis Bibl. Bod.) ואן תנעלוא עיד מילאד אלסיד אלמסיח פי כל סנה פי אליום אלדי פיה ולד והו אליום אלחאמס ואלעשרון מן שהר כאנון אלאול לאנה ראס אלאעיאד כלהא ואן תנעלוא עיד אלחמים מעמודיה סידנא אלמסיח פי כל סנה פי אליום אלדי אעתמד פיה מן יוחנא אלאבדודומס והו אליום אלסאדס מן כאנון אלתאני, i. *Præterea ut constituatis festum annuum nativitatis Domini Christi in die quo natus est, qui est* 25. *primi Canun; hoc enim est præcipuum omnium festorum* (μητρόπολις πασῶν ἑορτῶν Chrysost.) *Item ut quotannis celebretis festum Alchamim seu Baptismi Domini Christi in die quo baptizatus erat à Joanne præcursore, & hic erat sextus dies secundi Canun.* Ephemeris quædam Persica (MS) ad eundem diem ejusdem Canun ponit מלאד עיסי *Nativitas Eisi* (Jesu.) Sic Alcas Cyriacus in Calendario ejusdem generis (Tab. Astronom. Arab. MS. in Arch. Laudin. Bibl. Bod.) מולד עיסי אלמסיח *Nativitas Jesu Christi.* Idem autem autor ad sextum diem posterioris Canun (*Januarii*) sic עיד אלדנח ואלברך אלמא. i. *Festum Epiphaniæ seu Benedictionis aquarum.* Ecclesia Syriaca idem observat, & de benedictione aquarum tempore Epiphaniæ videatur quod Mar. Michael Chindis (ex Jacobo (*) Episcopo Urhoiæ) dicit, ut citatur à Marsilio de Columna in Hydragiologia, p. 506. (*) h.e. Jacobus Orrohaita ut citatur à Mose Bar Cepha Episc. Bethramanensi in Comment. de Paradiso, & sæpius in Cat. Arab. nomine Jacobi Alrohavi, quod idem est. D. Seldenus in interserendis ad Eutychium bene notat ex eodem autore

tore de Helena, educatam fuisse, & instructam in lectione Scripturarum à Barsica Episc. Rheæ in Gezirat, *& ductam uxorem à Constantio Imperatore cum consensu parentum*, &c. Quod ad Algezira, rectè. Eadem est cum Mesopotamia: sed de Rhea dicit, *Ubinam hac Rhea me nescire fateor.* Vide Ortel. in *Edessa*, & Leuncl. Onomast. in *Roha.* Civitas erat & sedes Episc. in Mesopotamia. Et sic ponitur à Geographo Nubiensi Arab. in principio sextæ partis quarti Climatis. *Verùm Algezira est quod includitur inter Tigrim & Euphratem, ejusque urbes sunt Racca*, &c. *Roha, Harran, Sarug*, &c. Chrysostomus attribuit magnum miraculum hisce aquis consecratis. Ait (ut & Severus Patriarcha in Rituali Syriaco) Salvatorem Christum cùm baptizaretur sanctificasse naturam aquarum. Hac de causa, inquit Chrysostomus, moris est populo in die Epiphaniæ aquas petere & penès se servare, ὁ διαφθειρόμενος τῆς πρὸ ὑδάτων φύσεως τῷ μήκει τοῦ χρόνου, ἀλλ' οὐς ἐνιαυτὸν ὁλόκληρον καὶ δύο καὶ τρία πολλάκις ἔτη, τῇ ζήμερον ἀνληθείᾳ ὕδατος ἀκεραίᾳ καὶ νεαρᾷ μένοντος, *Aqua eo die hausta longo tempore non corrumpitur, non anni spatio, imò duorum sæpe aut trium, sed pura & incorrupta manet ut recèns hausta.* Verùm de die Nativitatis Domini notavit in Historia Aben Batric natum fuisse 25 Decembris, ut pridem observavit D. Seldenus, & ut arbitror è Vita Augusti. De anno Civili veterum Jud. cap. 8. Idem autor in vita Constantini iterum dicit, & conatur probare in tractatu De Celebratione Paschatis. Summa eorum quæ dicit quantum ad rem præsentem hæc est, פולד סירנא ומחלצנא יסוע אלמסיח פי חסעה ועסרין יומא מן כיהך ופי חמסה ועסרין יומא מן כאנון אלאול *Dominus & Redemptor noster Jesus Christus natus fuit 29 die Coiac & 25. primi Canun.* De Epiphania seu Baptismo Christi ait (Saïdus Batricides Arab. MS. in Constantino Magno. Liber penès est Illustrissimum Seldenum: exstat etiam in Arch. Bibl. publ. Cantabrig.) fuisse פי חד עסר יומא מן טובי ופי סתה איאם מן כאנון אלתאנו *die undecimo Tibi, & sexto secundi Canun.* Sic Copticum & Ægyptiacum Calendarium; Athan. Kirckerus de Comput. Eccles. Copt. c. 3. Eadem Traditio & de Nativitate & de Epiphania. Habetur quoq; in Joanne Antiocheno Melala Chronograph. lib. 10. in Arch. Barocian. Ait Christum natum fuisse μηνὶ Δεκεμβρίῳ κέ', *25 mensis Decembris.* ἐβαπτίσθη δὲ ἐν Ἰορδάνῃ ποταμῷ τῆς Παλαιστίνης μηνὶ Αὐσιναίῳ τῇ ιβ' Ἰαννουαρίῳ ἕκτῳ, *Baptizatus verò fuit in Jordane fluvio Palæstinæ sexto Januarii.* Libenter hæc annotavi de utroque Festo, quia Orientales nonnulli (pauci respectu totius illius Ecclesiæ) è S. Luca se colligere arbitrati Christum eodem die & natum & baptizatum, utrumque festum eodem die sexto Januarii celebrant: quod ipse à Sacerdote Haleb, seu Aleppensi, factitatum vidi. Rubricam quidem Celebrationis mihi ostendit in Calendario suo Armeno, & præcipua autoritas cui innitebatur erat Traditio S. Jacobi, in eorum libris (ut mihi dixit) inveniенda, sed nobis adhuc incognita. Vetus Calendarium Runicum non solùm agnoscit 25 Decembris pro die Nativitatis Domini, sed ob eam rationem illum diem facit anni principium; & noctem præcedentem (quæ revera tempus erat) vocant *Modranect* Noctem matrem (ut & Saxones nostri) & dies ipse exprimitur in Calendariis Danicis ligneis per infantem fasciis involutum. Videatur Olaus Wormius de Fast. Danic. l. 1. c. 12. & l. 2. c. 9.

CAP. 35. *Optarim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Rom. 9. 3.

FIlius Israel cùm exprimere vellet vehementiam fraterni affectûs erga unum aut plures è filiis populi sui, devotionis quodam genere optabat sibi omnia infortunia quæ fratri imminerent. In hoc affectu exprimendo hisce plerumque formulis utebantur, אני כפרתו *sim ego expiatio ejus*, vel הריני כפרת *ecce me in expiationem*; h. e. (inquit Aruch in כר) הריני במקום לסבל עוונותיו *Ecce ego hîc in ejus loco sum ut feram iniquitates ejus.* Sic populus ad summum Pontificem in Cohen Gadol, Sanhedrin c. 2. fol. 18. a. אני כפרתך *simus nos expiatio tua*, h. e. inquit glossa, אנחנו תחתיך לכל הראוי לבא *simus nos tui vice quicquid tibi accidere mali.* Rabbi Samuel dixit, בני ישראל אני כפרתן *filii Israel, sim ego eorum expiatio*, h. e. redemptio, inquit Ramban; & formula loquendi in usu est ad exprimendum לרוב אהבותו *magnitudinem amoris.* His positis minùs mira videbitur ista Mosis ejaculatio cùm pro eodem populo optaret deleri è libro Dei. Huc etiam referenda sunt hæc verba Apostoli, cùm optat ut ipse in se recipiat infelicem statum fratrum suorum, & fiat ἀνάθεμα ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ. Ἀνάθεμα, ἀπόβλητος, ἀκοινώνητος, Hesych. & Phavorinus, *Maledictus, cum quo nulla habenda sit communio.* Photius ἀφωρισμένος *separatus.* Arabica versio est אן יכון בדני מחרמא *corpus meum esse Moharrama, rem impuram*, aut *vetitam à Christo.* Verbum ipsum & sensus respectum habet ad *Harem*, secundum gradum excommunicationis Judaicæ, cujus primus erat *Nidui*, tertius *Shammatha*; & ubicunque in N. T. innuitur secundus gradus, Anathema tantùm ponitur; ubi tertius, additur Maranatha, quod nihil aliud est quàm interpretatio Syriaca verbi *Shammatha, Dominus venit*, & ideo vocatur à Talmudistis *anathema* seu *excommunicatio Dei Israel.* Non omittenda sunt quæ de hoc verbo *Maranatha* tradit Stephanus Περὶ πόλεων. Κεχρισθαι γάρ τις ποιμὴν ἔλεγε, Ῥαμάνθας, τυτέσιν ἀφ' ὕψους ὁ θεός. Ῥάμαν γὰρ τὸ ὕψος· ἄθας δὲ ὁ θεός. ὅτω φίλον. *Pastor quidam fulmine percussus dixit, Ramanthas, h. e. Deus ab excelso. Raman enim altitudinem, Athas Deum significat. Sic Philo.* Phavorinus quidem dicit Ῥαμὰ significare ὑψηλά. Ità certè & in Syriaca etiam. Ait insuper quòd Ῥαμὰς sit ὁ ὕψιστος θεός, *Deus altissimus*: ità ferè est; & tum *Ramanthas* vel *Ramas Atha* sonat *Deus altissimus venit.* Quidam (Heinsius in N. Test.) acutiùs conjiciunt *Ramanthas* fuisse non nisi rusticam pronunciationem Syriaci *Maranatha.* Sic dicere voluit *Dominus venit.* Ità imprecatio magìs familiaris erat inter Syros quàm nobis antea videbatur. De tribus his ἀναθεμάτων generibus videatur inter alios præcipuè Doctissimus Buxtorfius in Lexico Talmudico. Status hominis sub hac censura Hærem traditur à Doctoribus in Moed katon, in Talmude, fol. 15. Rabbi Joseph inquit Jore deah num. 334. Sect. 2. נדוה שונין ושונין לו, i. *excommunicatus per Nidui docere potest vel doceri, conducere vel conduci, sed Muchram* sive *excommunicatus per Hærem, nec docere possit nec doceri, nec conducere nec conduci, sed solus studere potest nè obliviscatur doctrinæ suæ: & licet huic casam sibi ædificare pro necessariis.* Maimon dicit non permitti huic conversationem cum ullo homine nisi ut emat sibi cibum, Madda. c. 7. sed nemini licet cum illo edere aut bibere, Shulcan Aruc in Jore deah num. 334. §. 5. Unde illud Apostoli, τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν, *Cum ejusmodi ne cibum sumere*, 1 Cor. 5. 11.

CAP. 36. Χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τοὺς μαθητὰς Χριστιανούς.

Et cognominabantur primùm Discipuli Christiani Antiochiæ, Act. 11. 26.

VOcabantur antea (& adhuc à Mahometanis vocantur) *Nazaritæ* à Jesu *Nazareno*, ut nunc *Christiani* à *Christo.* Quis illis hoc nomen imposuerit dicet Joannes Antiochenus (& jam patet unde Suidas desumpserit) Ἐν ᾧ τοῖς ἀρχαῖς τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοῦ Κλαυδίου Καίσαρος, μετὰ τὸ ἀνληφθῆναι τὸν κύριον ἡμῶν καὶ θεὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, μετ' ἔτη ἑπτὰ περῶντος μετὰ τὸν ἅγιον Πάσχα ὁ ἀπόστολος ὁ χειροτονίας ὁ Ἐπισκοπῆς ὁ Ἀντιοχέων μεγάλης πόλεως ὁ Συρίας ἔλαβεν εὐοδῶς, φυόμενος παῤῥησίᾳ. Καὶ ὅτι αὐτοῦ Χριστιανοὶ ὠνομάσθησαν, τῷ αὐτοῦ Ἐπισκόπῳ Εὐοδίῳ περιγρα-

σεσαμιλήσατ& ἀυτοῖς, κ) ἐπιθήσατ& ἀυτοῖς τὸ ὄνομα τῦτο· πρώτω μ) Ναζωραῖοι ἐκλήγθτο κ) Γαλιλαῖοι ἐκλήγθτο οἱ Χριστιανοί· i. *Sub initio Imperii ejusdem Claudii Cæsaris decem annis post assumptum in cœlum Dominum & Deum nostrum Jesum Christum, Euodus Episcopali manuum impositione factus est Patriarcha magnæ civitatis Antiochiæ in Syria, & immediatè successit Sancto Petro Apostolo, sub quo Episcopo Christiani ità primùm dicti sunt, ipso illis hoc nomen imponente: antea enim Nazaræi & Galilæi vocabantur.* Sed quod præcipuè hîc attendo est vocabulum χρηματίσαι. Videtur expressio infra momenta & circumstantias rei. Jam nec minimo infanti nomen damus sine (quantum in nobis est) plena testium congregatione, & putandum est totam sectam nomen impositum habuisse sine ullo ceremoniarum & solennitatum apparatu? Vocabulum ipsum aliud probabit: & hujus sensum optimè explicabit Joannes Antiochenus. Cùm Provinciæ se submitterent Imperio Romano, moris erat ut Imperatorum publicarent θέσπισμα seu Edictum, cujus tenore primò sibi vendicant omnem dominationem & potestatem in eum populum, deinde de suo jure remittunt factâ insinuatione sanctitatis & Libertatis populi subditi. Hoc postremum quidem erat *ad faciendum*, &c. sed hi fidem præstiterunt. Exemplum hujusce nuncupationis (quid aliud dicam nescio) à dicto autore, Chron. lib. 9. accipite; Καὶ ἐγενήθη ἐν Ἀντιοχείᾳ ἡ ἐλευθερία αὐτῆς ὅτ' ἐχρύσετο ὑπὸ Ῥωμαίων τῇ ἐνάδι Ἀρτεμισίᾳ μηνὶ πεμφθεῖσα παρὰ τῦ αὐτῦ Καίσαρ& Ἰυλίυ. Τὸ δὲ ψήφισμα περιέχθ, θεσπίζον ἔτως, Ἐν Ἀντιοχείᾳ τῇ μητροπόλει ἱερᾷ κ) ἀσύλῳ κ) αὐτονόμῳ, κ) ἀρχούσῃ κ) περικαθηδύῃ τῆς Ἀνατολῆς, Ἰύλιος Γάϊος Καίσαρ, κ) τὰ λοιπά. *Cùm civitas Antiochiæ dedidisset se imperio Romano vigesimo die Maii publicata est libertas illius, missa à Caio Julio Cæsare. Edictum erat hujusmodi, In Antiochia metropoli sacra & libera civitate, præside Orientis & Regina, Caius Julius Cæsar*, &c. Provinciæ horum privilegiorum honorem Imperatoribus reddere solebant hujusmodi agnitionibus. In perpetuam gratiæ ab Imperatoribus factæ memoriam omnia acta publica ab illo tempore computabant; χρηματίζει ἓν ἡ μεγάλη Ἀντιόχεια χ) τιμῶ ἔτ& πρῶτον ὑπὸ τῦ αὐτῦ Καίσαρ& Γαΐυ Ἰυλίυ, *Ideo* (inquit idem Autor) *Antiochia magna computat in illius honorem à Caio Julio Cæsare, & hunc annum Æræ suæ primum statuit.* Hæc itaque Æra peculiariter dicta erat χρηματισμὸς τ' Ἀντιοχέων, quoniam in hac publicatione Imperator ἐχρημάτισεν ἑαυτὸν, *adscripsit se Dominationis Juri*, ἐχρημάτισεν αὐτὸς, *adscripsit eos Privilegiis & Immunitatibus.* Ab hoc usu verbi Antiocheno, & hoc sensu Politico intelligendus est S. Lucas. Erat S. Lucas Medicus Antiochiæ. In Catalogis Græcis mentio fit Ἀλαλίκ, sive *recipe*, cujusdam D. Lucæ, sed non adhuc vidi. Sed ad rem facit quòd Antiochenus fuerit, & cùm Theophilo referre vellet quando Discipuli primò cognominarentur Christiani, ídque Antiochiæ factum, usus est proprio eorum verbo χρηματίσαι, ut innueret novum hoc nomen publicè & solenniter impositum. S. Paulus verbo utitur in eodem sensu, Rom. 7. 3. *Igitur vivente viro vocabitur* (χρηματίσει) *adultera si fuerit cum alio viro, publicè vocabitur*, vel *nota erit.* Hîc quidem passivè sumitur (nec dubium quin possit) sed S. Lucas utitur verbo in prima & originali acceptatione illius: nam licèt nos vertimus *cognominabantur*, ut Arab. & pleræque aliæ versiones, tamen ἑαυτὸς subintelligitur. Et tum erit, *Et discipuli tum primùm se Christianos cognominabant*, &c. Patebit ex Joanne Antiocheno de Augusto Cæsare, Ἐγένετο βασιλεὺς Ῥωμαίων πρῶτ&, κ) μόν&, κ) ὁμογενὴς ὁ ἀνὴρ θεότατ& Ἄυγυς&, κ) ἐχρημάτισεν ἑαυτὸν ἔτως, Ἄυγυς& Καῖσαρ Ὀκτάβιαν&, ηροπαῖχ&, Σεβαστὸς, κραταιὸς, Ἰμπεράτωρ, ὅντερ ἐστὶν αὐτοκράτωρ, κ) ἐξασιλεῦσεν, &c. *Erat autem Rex Romanorum primus & solus, & Antistes sacrorum Divinissimus Augustus, & ità se cognominavit, Augustus, Cæsar, Octavianus, Triumphator, Invictus, Imperator, & regnavit*, &c. Hinc corrigere licet (& sæpius correctione indiget) Chronicon Alexandrinum; πρῶτ& ἐγένετο βασιλεὺς Ῥωμαίων κ) μονάρχης ὁ Ἄυγυς& ὅτις ἐχρημάτιζεν, ἔτως, (Lego ἔτη inquit Editor) Ἄυγυς& Καῖσαρ, ὁ γλυκὺς& ηροπαῖχ&, Σεβαστὸς, κραταιὸς, ὁ πρεπάτωρ, ὅ& ἐστὶν αὐτοκράτωρ. Satis perspexit Raderus Editor quid esse debuit ὁ πρεπάτωρ· pro γλυκὺς& legendum ὀκτάβιαν&, & ἐχρημάτιζεν (non ἔτη sed) ἑαυτὸν, ἔτως. Quod præcipuè notandum quantum ad activam & primam verbi significationem. Aliàs Raderus non adeò culpandus pro textu ac pro versione aliquando. Vertit, fateor, Τελεῖα *tributa* seu *vectigalia*: etsi verò falsus sit in hoc, non ità graviter tamen ut in aliis peccat. Magna est differentia inter *tributa* & *telesmata* (ità enim verbum reddi debuit) tamen facilius erat illi tum errare, quàm jam aliis sit errata corrigere.

CAP. 37. *Videte Fratres nè forte sit in aliquo vestrûm cor malum incredulitatis discedendi à Deo vivo*, Heb. 3. 12.

ARab. קלב קאס לא יומן ויתנאער מן אללה אלהי *Cor obdurum & incredulum quod longè*, vel *penitus, recedit à Deo vivente. Miserum est excidere è manibus Dei. Imaginationes cordis hominum omnino & perpetuò malæ sunt, ideóque Spiritus Dei luctatur cum eis; si ità, Labasceret spiritus noster sub eo, & animæ quas fecit. Si homo resiliat* (ut frequenter fit) *instar arcûs fracti*, Deus citò reponit & sibi annectit. *Et hoc faciet Deus* (inquit S. Jobus) *semel & bis*, h. e. sæpius, *pro homine. Hodie, si audietis vocem ejus. Hodie*, h. e. *quandocunque peccator*, &c. *Convertetur & pœnitebit eum, conversum erit in eo cor ejus, & conturbata erit pœnitudo ejus*, Hos. 11. 8. Et hæc omnia, *ne indurentur corda nostra per dolos peccati.* Unusquisque hunc longum diem sibi indultum habet: *Et ô si nosses etiam in hoc die tuo! sed jam absconditur ab oculis tuis.* Hoc est *cor malum incredulitatis*, à quo hîc jubemur *cavere*: hoc penitus *abalienat nos à vita Dei*, & relinquit *sine ipso in mundo.* Aliæ nostræ tergiversationes & deviationes ab illo, utcunque magnæ sint, videri possunt ut illæ acus magneticæ, majores vel minores prout interpositio cogitationum terrenarum major vel minor sit: hæ autem ipsi magneti similes sunt, qui cum in minerali petræ unitus latet, componit se ad naturam & verticitatem Terræ, sed indè separatus & liberiorem in aere nactus motum, pristini & publici instinctûs oblitus ad alium cardinem deflectit. Ità quamdiu homo unitus est petræ Christo, & illam tenet, semper magis aut minùs respiciet *autorem & perfectorem Fidei suæ*; sed indè divulsus & in aere aperto sub Principe ejus, statim *discedit à Deo vivente*, & deflectit ad Polum suum.

CAP. 38. *Nam tuum est Regnum*, &c.

Gloria Patri, &c. Mat. 6. 2.

CONcludam hunc librum annotationibus nonnullis ad has duas Doxologias. Quod ad primam, de ea usque adeò crevit controversia, ut in dubio sit utrùm pars Scripturæ fuerit nécne. Beza fatetur esse *magnificam illam quidem & sanctificam, sed irrepsisse in contextum, & quæ in vetustissimis aliquot codicibus desit*, Deesse in aliis aliquibus minùs mirandum cùm desit in vetustissimo ab illo ipso dato Bibliothecæ publicæ Academiæ Cantabrigiensis. Non est integrum novum Testamentum, sed continet tantùm quatuor Euangelia & Acta Apostolorum. Liber tam Græcè quàm Latinè scribitur eodémque charactere Græco, cóque Capitali, quod summæ antiquitatis indicium, secundùm eos qui de hujusmodi judicare solent. In hoc codice clausula hæc nec Græcè nec Latinè legitur (quantum assequi memoriâ possum.) Idem affirmandi coram Reverendissimo Doctissimóque D. Primate Armachano, & Dignissimo D. Doctore Cathedræ nostræ, postea Episcopo Vigornensi, mihi aliquando incidit

cidit occasio. Sed hoc solo responso tantæ præsentiæ cedere coactus sum, hoc etiam exemplar ab Hæreticis esse corruptum. Quin ità esse potuerit, & sit, non nego, in Genealogiis aut ejusmodi; sed quid contra Hæreticos faceret hæc Clausula (novi Antitrinitarios) non facilè video, ut eam expungi vellent. Habet versio Syriaca, sed quid demum? Arab. etiam habet, non illa solùm ab Erpenio edita, sed & MSS. bonæ notæ in Bibl. Coll. Reginalis Oxon. Verùm in exemplari Medicæo non occurrit. In illo quo usus est Kirstenius exstat, sed non in textu. Adscribitur quidem cum hac nota marginali, *Non hæc in Ægyptiaco, & sunt in Romano & Syriaco:* ut nihil hinc lucremur nisi quòd Clausula hæc sit in Syriaco & Romano (h.e. Græco hîc, nam אלרומי *alrumi* etiam ità significat) quod plus nō est quàm quod pro adversa parte antea novimus, imò aliquantò minus, quòd hinc constat non inveniri in forma Coptica sive Ægyptiaca, quæ ità esse apparet per specimen istud in Athanasio Kirchero. Mahometani aliam habent Orationem Dominicam, quæ ab illis dicitur *Oratio Jesu filii Mariæ*, sed illa sic desinit, ולא תסלט עלי מן לא ירחמני ברחמתך יא ארחם אלרחמין *Et nè regnet supèr me qui misericors esse nolit, pro misericordia tua, ô qui maximè misericors es.* Vide Seldenum in Eutych. Sed hoc non sufficit. Certè formulæ orationis Mahometanæ magis huc quàm contrà faciunt. Verùm alicujus, nec minimi, momenti est quòd hæc clausula non exstet in Euangelio Nazaritarum, seu secundùm Hebræos, (ut vulgò dicitur.) Hoc Euangelium temporibus Divi Hieronymi *ipsius Matthæi Authenticum* habebatur. Utcunque vetustissimum est. Et Orationem ipsam ibi fuisse certus sum. Nam D. Hieronymus ad hæc verba, *Panem nostrum quotidianum* &c. [De quorum verborum sensu vide Salmas. l. 3. De fœnore Trapezit.] notat verbum Hebræum in hoc Euangelio esse מהר *Mahar*, *panem crastini da nobis hodie*, qui quoniam hujus clausulæ non meminit, tacitè innuit eam ibi non fuisse: neque enim verisimile est varietatem tanti ad ipsum momenti annotationem istius effugere potuisse si ibi inveniisset. Consensum Ecclesiæ Latinæ contra hanc clausulam etsi plurimùm valeat, omitto. Plus contra nos facit, Græcam eâ usam fuisse quàm Latinam omisisse. Illa æquè subjungit huic & aliis precationibus, ut illi quæ incipit, Ὁ Θεὸς, ὁ Θεὸς ἡμῶν, &c. Euchолog. fol. σιγ. B. illi, Ἐκ πυκλῶ ὁρῶντες, &c. Euchol. fol. ια. B. illi, Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, &c. Euch. ρμη. A. illi quæ inscribitur Εὐχὴ τῆς Μεσονυκτίου, Euchol. μγ. A. & quæ Εὐχὴ ὅτε θυμιᾷ οἶκον, Euch. ρμα. A. Subjungunt etiam Hymnis suis, ut illi cui titulus Τῆς ἀγίου, Typic. fol. ξη. B. col. 1. Adhuc magis manifestum est: nam invenimus aliquando Ὅτι σοῦ ἐστιν, ubi non est Πάτερ ἡμῶν, ut in Typic. ξη. B. col. 1. & Euchol. fol. κ. B. ubi Rubrica scribit suprà, ἐκφώνησις, ut infrà, ὅτι πρέπει σοι, &c. eod. A. unde colligere est illos non aliter usurpasse quàm aliud aliquod clarum Responsum, quod ἐκφώνησις mihi videtur innuere. Alibi invenimus Πάτερ ἡμῶν, ubi non est ὅτι σοῦ ἐστιν, ut Typic. fol. ξζ. A. col. 1. κθ. A. col. 1. λδ. A. col. 1, & 2. Insuper quandocunque immediatè, semper tamen distinctè recitata invenimus, & Πάτερ ἡμῶν populi est; ὅτι σοῦ ἐστιν Sacerdotis ubique est repetitio. Μετὰ τὸ, Πάτερ ἡμῶν, &c. ἐκφωνεῖ ὁ ἱερεύς, Ὅτι σοῦ ἐστιν, &c. Euchol. fol. 1. B. ξξ. B. σκ. A. ρση. A. & B. Typic. fol. 1. λδ. A. col. 2. & B. col. 1. ξς. A. & B. col. 2. ξζ. A. & B. col. 1. & 2. & aliis locis infinitis. Hisce omnibus concessis (& hisce pluribus, quæ adscribere possem) non dicam cum Erasmo, *magis taxanda fuerat illorum temeritas qui non veriti sunt tam divinæ precationi suas nugas assuere.* Imò cum Kirstenio (licèt minus dixerit) dicere vereor, *Quæ certè à pio quodam fidei imbecillis tanquam nova precatio addita fuit.* De Scriptura nihil nisi modestè admodum dictum velim. Ideo duo hîc annotabo quæ mihi præcipua sunt pro Antiquitate & Autoritate hujus Clausulæ. Lucianus in Philopatri, ὥσε ἔσον τύτυς, (inquit Triephon ad Critiam) τὴν εὐχὴν ἀπὸ Πατερὸς ἀρξέμενον, καὶ πολυώνυμον φῶνὴν εἰς τέλος ὑπάδεις, *Precationem recita quæ incipit à Patre, & ad finem ejus adde Hymnum decantatum.* Rigaltius ad Tertullianum ait Ethnicum per εὐχὴν ἀπὸ τῆς Πατερὸς Orationem Dominicam intelligere, quidni igitur πολυώνυμον φῶνὴν sit hæc Doxologia? quæ si ità sint, testimonium est omni exceptione majus: quippe tum hæc clausula erat de precatione tempore Trajani, aut M. Antonini Philosophi, decentis minùs ab illius compositione annis. Et hoc voluisse Lucianum verisimilius fiet, quoniam Interlocutores in Dialogo id agunt ut Christianis convicientur & religioni eorum. Primò sanctam Trinitatem aggrediuntur; *Deum alitè regnantem, magnum, athereum, atque æternum Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus & ex uno tria,* quæ verba utut bene sonent, mera sunt convicia. S. Paulus illis dicitur Γαλιλαῖον ἀνδραπόδιον, ὀπίθιον, εἰς τρίτον οὐρανὸν ἀναβεβηκότα, καὶ τὰ κάλλιστα ὁμιμαθηκότα, *Galilæus calvus, naso aquilo, in tertium cœlum per aerem vectus, & ibi mirabilia edoctus.* Demum quicquid libuit de Oratione Dominica, & in contemptum nostræ religionis locuti, applicant se ἀγωνάρχῃ τῷ Ἀθήναις (ut ejusmodi homines decet.) Vide finem Dialogi. Sed aliam rationem promisi. Sic se habet. Notandum Dominum nostrum formam hanc Orationis ex Traditionibus Seniorum collegisse. Nec mirum hoc videri debet. Attentè consideranti nihil magis de industria factum patebit. Factum autem esse ex eorum Euchologiis hâc recollectione manifestum fiet. *Pater noster qui es in cœlis, fac nobis Gratiam; Nomen tuum, Domine Deus noster, sanctificetur, & memoria tua glorificetur in cœlo desuper, & super terram infernè,* Sepher Tephillim Lusitan. p. 115. *Regnum tuum regnet super nos in seculum, & in æternum,* Sepher Hammussar. 49. 1. *Pii priores dicebant, Remitte & condona omnibus iis qui vexant me,* Com. in Pirk. Avoth. fol. 24. *Nè inducas nos in manus tentationis, sed libera nos ab occursu malo,* Sepher Hammussar. 9. 12. כי המלכות שלך היא ולעולמים עד תמלוך בכבוד *Quia tuum est regnum, & regnabis gloriosè in secula seculorum.* Ideóque eadem est ratio pro hac clausula quæ pro tota oratione; eáque hinc firma & manifesta. Hujusmodi Doxologiam invenies ad finem Orationis Noæ, & omnium ferme formularum Precationis vulgarium inter Orientales populos.

CAP. 39. *Ite & docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti,* Matt. 28. 19.

QUOD ad *Gloria Patri*; Vulgò creditur hunc Hymnum compositum fuisse à Concilio Niceno. Cardinalis Baronius antiquiorem arbitratur, & à Primitivis temporibus ab ipsis Apostolis institutum, qui caneretur à recèns conversis in Baptismo. S. Basilius videtur ipsi idem affirmare: sed præsumendum est eum non fuisse antiquiorem causâ suâ, & illa erat Arriana Hæresis, etsi aliàs verum sit antiquitatem illius deduci ab antiquissima forma Baptismi. Hucusque rectè Cardinalis; quod illi deest nos jam supplere conabimur. Forma Baptismi à Domino ipso instituta hæc est, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Hæc pura mansit usque dum erupit illa Hæresis quæ ausa est dicere de secunda persona, ὡς ὅταν οὐκ ὢν, *erat quando non erat*; tum addebatur ab Ecclesia, *sicut erat in principio,* &c. Sic ordo in Euchолog. Βαπτίζει ἀυτὸν ὁ ἱερεὺς ὄρθιον ἀυτὸν καθίζων, καὶ βλέπουσα καθ' ἀναλολὰς, λέγων, Βαπτίζεται ὁ δοῦλος τοῦ Θεοῦ ὁ δεῖνα εἰς ὄνομα τοῦ Πατρὸς, Ἀμήν, καὶ τοῦ υἱοῦ, Ἀμήν, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, Ἀμήν· νυνὶ καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν. *Tum sacerdos manu tenens N. erectum, & ad Orientem versum, inquit, Servus Dei N. baptizatur in nomine Patris, Amen: & Filii, Amen: & Spiritûs Sancti, Amen: Nunc & semper & in secula seculorum, Amen.* Idem agnoscere & confiteri debuit N. in propria sua persona: nam in ordine Syriaco, ומודא אנא ומהימן אנא, vertens se ad Orientem inquit, *Ego N. confiteor & credo & baptizor in te, & in Patre, & in Spiritu sancto, nunc & in secula seculorum, Amen.* Patriarch. Alexandr. in ordine Baptismi Syriaco. De confessione

feſſione citò tranſiit in Hymnum hujuſmodi, Καὶ Σοὶ τῷ δόξαν ἀναπέμποντι τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν. *Damus gloriam tibi Patri, Filio, & Spiritui ſancto, nunc & ſemper in ſecula ſeculorum, Amen.* Et hoc modo primò recitabatur à recèns converſis & aliis qui baptiſmo eorum præſentes affuerunt: deinde Antiphoniis addebatur, hinc & Hymnis & Pſalmis omnibus, ſi *Te Deum* excipias, ídque peculiari de cauſa. Gregorius Magnus addidit etiam verſiculo, *Domine, ad adjuvandum nos feſtina*, &c. ut in Leiturgia noſtra, ubi & in Litania inveniemus. In Leiturgiis Græcis ſæpiſſime occurrit, ſexies aut ſepties ad minimum in Baptiſmo; adeò videtur Eccleſia omnem arripuiſſe occaſionem inculcandi filiis ſuis incomprehenſibilem illum de Trinitate articulum. *Gloria Patri* primum ortum habuit ab illis verbis Salvatoris noſtri, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Et quia cùm hæc recitarent ſtabant ſacerdos & N. ad Orientem verſi, ideo & Hymnum etiam eò verſi canebant: quod & nos obſervamus. In Litania (noſtram volo) videmur aliquantulum tranſgredi: nam nemo ſurgit cùm *Gloria Patri* recitatur: verùm conſiderandum eſt hanc Doxologiam inſertam fuiſſe cùm Litania, quod jam eſt, dicebatur tantùm *proceſſio* à *procedendo*, & tum exceptio nulla erat. In aliquibus locis *Gloria patri*, &c. ſolùm dicebatur ad Orientem, *ſicut erat in principio* ad Occidentem. Utrùm ad diſtinguendum inter partem divinam & humanam hujus hymni, an ob aliam rationem, non neceſſe habeo rimari. Dicebatur vel canebatur ad Orientem ex uſu Græcorum, καθ' ἀνατολὰς, ut Pentecoſtarium fol. 4. b. col. 1. Sacerdos in Typico Sabæ dicit Ἱσταμένου τοῦ ἁγίου τραπέζης *ante menſam ſacram*: ſed & hæc eſt πρὸς ἀνατολὰς *ad Orientem*, ut in Leiturgia Montis ſancti, Euchologio fol. 15. B. Dicam hîc (quidquid in contrarium ſcriptum ſit) quod in omnibus Antiquitatibus Eccleſiæ Græcæ, Latinæ, Arabicæ ſive cujuſcunque, nulla mentio facta eſt Adorationis verſùs altare. Nimium forſan cuipiam videar promittere, ſed non niſi vera eſſe quæ dixi facilè apparebit; & ubicunque aliquid tale occurrat de Oriente intelligendum eſt, niſi lubens errare velis. Hujus rei ignorantiæ debetur quòd tot tractatus de hac re fruſtrà nuperrimè prodierunt in lucem.

Καὶ Σοὶ τῷ δόξαν ἀναπέμποντι τῷ Πατρὶ, καὶ τῷ Υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

PAULI FAGII
TRANSLATIONUM
PRÆCIPUARUM VETERIS TESTAMENTI
Inter ſe variantium COLLATIO.

PRÆFATIO ad LECTOREM.

QUantum inter ſe variant hominum etiam doctorum judicia non tam de rebus profanis quàm ſacris vel hinc facilè cognoſcere potes, candide Lector, quòd tanta eſt diſſimilitudo & varietas Tranſlationum quæ exſtant in S. Biblia, quæ vel olim à Viris doctis editæ ſunt, vel adhuc hodie in lucem eduntur, ut multos audias conqueri ſe, tanta eſt Interpretum diverſitas, in intelligendis S. literis non tam juvari quàm impediri, dum non certò ſciunt quid tutò ſequi debeant & poſſint. Qua de re nonnihil & D. Auguſtinus diſſerit De Doctr. Chriſt. lib. 2. cap. 12. Sed quia non minùs utile quàm jucundum rerum cognoſcere cauſas, utiliſſimum & jucundiſſimum erit cauſam poſſe videre quæ S. Bibliorum interpretibus anſam in multis locis variandi dederit. Qui enim hoc videre non poteſt, ſæpe hallucinatur, impingit, quod falſum eſt approbat, quod verum eſt improbat, hominum doctorum labores & ſtudia temere ſugillat, iniquè damnat. Arbitratus igitur ſum me operæ pretium non pœnitendum facturum, neque rem ingratam omnibus S. literarum ſtudioſis, ſi præcipuos S. Scripturæ locos, quibus cùm interpretandis tum exponendis variant tranſlatores, in peculiarem librum congererem, atque ex veritate Hebraica cauſas variationis oſtenderem. Quod ſanè præſtare non poteſt qui linguæ Hebraicæ ignarus eſt: nam ex lingua Hebræa tanquam ex fonte omnes manare Tranſlationes nemo inficiare poteſt. Jam cui fontem adire non eſt datum, quomodo obſecro de Tranſlationibus interpretum judicabit quiſnam ſcopum veritatis magis attigerit? Imò qui linguarum ſunt expertes, maximè Hebraicæ, ſæpe amplecti coguntur de quo tamen non ſunt certi, & adhuc dubitant: ſemper alienis auribus audiunt, alienis oculis vident, alienis pedibus ingrediuntur. Et ſæpe profitentur, cujus interrogati certam rationem reddere non poſſunt. Quare ſi nulla alia cauſa eſſet quæ S. Theologiæ ſtudioſos incitet, vel hæc ſola moneat, ut linguarum beneficio eò meliùs & exactiùs cùm de Tranſlationibus tum Enarrationibus quæ in S. literas vel ſcripta ſunt vel adhuc hodie ſcribuntur judicare poſſint: & ut hominum doctorum labores & lucubrationes contra maledicorum detractationes eò fortiùs defendere queant. Non enim ſatisfeceris calumniatori ſi dixeris, Ego ſic teneo, Iſtud ſequor, Huic adſtipulor, niſi & tuam vel alterius ſententiam ex veritate linguarum convincere poſſis, atque indè contradi-

centi

centi os obturare valeas. Sunt multi qui Septuaginta translationem (si modò illorum est quæ hodie illorum nomine circumfertur) tam mordicus defendunt ut nolint eos vel in quoquam à veritatis tramite deviasse: alii secùs sentiunt. Est qui Latinam Vulgatam editionem à veritate Hebraica multùm dissentire clamitat. Est alius qui illi tantam fidem & autoritatem tribuit ut post eam nullam aliam desiderandam censeat: unde igitur vel nimis superstitiosum vel nimis temerarium Judicem reprimes, si illi, ubi erratum sit vel secùs ex primis linguis in quibus divina eloquia primùm omnium tradita fuere monstrare non potes. Ego certè hoc de Latina Vulgata Editione pronunciare ausim, eam primo Autori suo, quisquis fuerit, non temere excidisse, ut plerique existimant. Hic enim, si diligenter excusseris, deprehendes, si alicubi non secutus Hebræum, vel Thargum, (h. e. Paraphrasim Chaldaicam) vel Septuaginta, vel aliquem Hebræum Commentatorem secutum fuisse: quod qui videre non possunt, sæpe temere & imprudenter rejiciunt & damnant. Quod igitur ad dijudicationem Translationum & Enarrationum S. literarum attinet, imprimis linguarum, maximè Hebrææ, cognitio est necessaria, sine qua certè judicium tuum de illis erit tanquam cæci de colore, ut est Germanis in proverbio. Admoneo igitur, quotquot ad S. literas adspirant, sibi Hebraicæ linguæ peritiam concilient. Sic fiet ut fastidium, quod ex diversitate Translationum suboritur, pulcrè tollatur, judicium exactiùs formetur & conformetur, omniáque sint certiora & planiora: multa enim fugiunt linguarum imperitos; & etiam turpe est Theologum sæpe tractare & profiteri, in quo non est certus & apud se etiamnum dubitat. Verùm quantum conferat ad intelligendas S. literas Hebræa, omnium facilè princeps & regina, in alio libro pleniùs & copiosiùs ostendam, nempe in Annotationibus meis Hebraicis in S. Biblia, quas, volente Deo, brevi in lucem dabo; ubi singulariter imprudentibus Hebraicæ linguæ contemptoribus respondere statui. Quòd verò sancta lingua à multis etiam plerisque Theologis spreta & contempta jacet hæ mihi videntur esse potissimùm causæ; prima, ignorantia utilitatis, *Ignoti* enim *nulla cupido*; altera, librorum Hebraicorum penuria; postrema, raritas idoneorum Professorum, per quos certè multos à studio sanctæ linguæ potiùs absterreri quàm allici crediderim, dum perpetuò in crepundiis linguæ, h. e. primis rudimentis, & tricis Grammaticis inhærent, nec penitus in ipsam linguam ingrediuntur nec altiùs assurgunt, ut discipulos suos etiam ad legenda Commentaria instituerent, atque ex illis quæ ad linguæ peritiam & intelligenda Biblia faciunt cum judicio eruere docerent: Nam etsi in Hebræorum scriptis multa sunt Judaica cavilla, frivola & impia, tamen insunt & multa bona, sine quibus nunquam rectè, verè & solidè Sanctam disces linguam. Licèt enim Christum unicum Servatorem nostrum, qui S. Scripturæ unicus scopus est, nucleus & medulla, pernegent, ideóque multos, sæpe clarissimos, locos de illo scriptos datâ operâ obscurent, violenter torqueant & falsò interpretentur; interim tamen, quod ad vim & significationem vocum attinet, schemata & idiotismos, &c. sine quibus non rectè discitur lingua, multum afferunt illorum scripta, ut certè non sunt penitus, ut quidam putant, explodenda. Rectè ergò monet D. Augustinus De Doct. Christ. lib. 2. cap. 14. *Quæ ex alienis linguis veniunt, ab earum linguarum hominibus quærenda esse.* Quotus autem quisque est Hebraicorum qui eò usque progrediuntur ut etiam in Commentariis Hebræorum versari inoffensè possint, atque indè proferre quæ piè, cùm pro Commentatione, tum rectæ linguæ perceptione, facerent. Ego multos novi (absit invidia dicto) qui multis annis operam dederunt linguæ Sanctæ, nec tamen vix unam atque alteram lineam rectè legere nedum intelligere possunt; atque hi sæpe sunt qui omnium maximè Hebræorum scripta exsibilant: alii in spinetis Grammaticorum omnem ætatem terunt, nec ampliùs progrediuntur, quò fit ut multos à vero studio linguæ Sanctæ, utì dixi, absterreant, qui nolunt istiusmodi tœdia perpetuò devorare, & putant nihil utilius, nihil præstantius, Sanctam habere linguam. Ego itaque quo modo huic malo occurri possit cogito, nempe eo pacto ut idonei libri in lucem edantur; unde Hebraicæ linguæ utilitas, fructus verúsque usus, quantúmque ea ad intelligendas S. literas conducat, luculenter perspici possit; si vel istâ ratione ad ejus studium plures accenderentur. Et quia Hebræa lingua potissimùm S. literarum intelligentiæ servit, ità ut ad hanc rem & nullam aliam sola nata, & à Deo Opt. Max. tradita esse videatur, nemo sanè ejus usum rectè tradet, aliísque dignè commendabilem faciet, qui non etiam in Divinis literis judicio valet, ut indè quatenus ea ad S. Scripturam applicanda sit demonstrare possit. Quæ propterea dico, non quòd ego hac in re mihi nonnihil arrogantiùs vendicem, sed ut tantùm umbellam aliquam ostendam, aliísque doctoribus, qui judicio ingeniíque acrimoniâ plus valent, occasionem præbeam, ut linguæ Hebraicæ scientiâ instructi longè majora & solidiora præstent. Indigna siquidem mihi res videtur homine Theologo, eam ignorare linguam quæ fons est sincerioris Theologiæ, ut à qua quotquot exstant in S. Scripturam Translationes originem trahunt. Ut igitur mearum lucubrationum quibus linguæ Sanctæ studium utcunque promovere cupio interim specimen habeas, amice lector, placuit hoc opusculum, in quo quædam translationes præcipuæ ad veritatem Hebraicam examinantur, in apricum proferre: Ex quo nimirum vel mediocriter doctus facilè videbit quid Hebræa lingua ad intelligendas S. literas pensi habeat. Quod si hunc meum laborem doctis non displicere intellexero, operam dabo, vitâ comite, Deo juvante, ut istiusmodi Translationum collationem in reliquos quoque Scripturæ libros habeant. Tu interim, quisquis es Sanctæ linguæ amator, feliciter vale, & istis meis lucubrationibus utere & fruere ad tuum commodum atque Christi unici redemptoris gloriam, quem, ut conatibus meis benigniter adspiret, ardenter pro me ora. Vale ex Isna oppido Algoiæ Imperiali, Anno Salutis 1542.

P. FAGII

P. FAGII
TRANSLATIONUM
PRÆCIPUARUM VETERIS TESTAMENTI
Inter ſe variantium COLLATIO.

EX GENESI.

בראשית ברא אלהים את השמים ואת הארץ
In principio creavit Deus cœlum & terram, Cap. 1. 1.

LIcèt in vocum redditione non ſit hîc magna, aut ferè nulla interpretum diſcrepantia, tamen quia in ſenſu & intellectu eſt apud Commentatores nonnihil variationis, volui quoque & hunc locum annotare. Et primùm variant in voce בראשית, quam licèt omnes ferè *in principio* vertant, tamen alii ordinis eſſe volunt, h. e. per eam ſignificari, hæc ſcilicet, cœlum & terram ante omnia primo loco fuiſſe condita. Alii ſecùs judicant, non ordinis ſed temporis notam eſſe. Et in genere ibi ſignificari, omnia accepiſſe initium, cœleſtia & terreſtria, quæ veniunt appellatione *cœli & terræ*. Mihi probatur ſententia R. D. Kimhi, qui in libro Radicum hunc locum paucis ſic explicat, בראשית ברא אלהים פירוש בתחלה ברא אלהים את השמים ואת הארץ ואחר כן תוצאותיהם ואחר כן ספר כי בתחלת בריאת הארץ היתה תהו ובהו i. IN PRINCIPIO CREAVIT DEUS, &c. *h. e. Primùm creavit Deus cœlum & terram, dein ea quæ ex illis prodierunt; poſt quæ enarratur, quòd in principio creationis terræ, ipſa fuerit inanis & vacua.* Hæc Kimhi. Ex quibus facilè animadvertis, Kimhi in ea eſſe ſententia, quòd ordo rerum creatarum (quod tamen quidam impugnant) mox à Moſe in primo verſu ſignificetur. Nempe quòd Deus primùm omnium cœlum ac terram ex nihilo creaverit, dein reliqua ex illis tanquam ex præjacente materia. Habet quidem ſancta lingua & alias voces, quæ principium, initium & exordium ſignificant, ſed hâc uti Moſes magis voluit quòd ad multa myſteria quæ hinc erui poſſunt magis ſit appoſita, magis emphatica, & ad præſens inſtitutum valde accommoda. ראש enim Hebræis *caput* ſignificat, hinc ראשית nomen abſtractum, i. *principium, initium, exordium*: ſed non ſimplex ibi principium ſignificat, ſed primum illud capitale & admirandum omnium rerum principium, quo cuncta quæ ſunt in rerum natura ex nihilo exiſtere omnipotentiâ Dei primùm omnium cœperunt. Unde & Aquila (teſte Hieronymo) בראשית interpretatus eſt, *in capitulo*. Cùm ergò Moſes de primo & principali illo omnium rerum creatarum exordio loqui vellet, appoſitè, in loco, & non citra magnam emphaſim, uſus eſt vocabulo ראשית. Hinc & Scriptura in aliis locis, ubi de conditione rerum creatarum loquitur, libenter vocem בראשית uſurpat, ut Prov. 8. ubi de æterna Dei ſapientia quæ illi ab æterno adfuit, quæque in condendis creaturis præſtò fuit, mentio fit, dicitur, יהוה קנני ראשית דרכו קדם מפעליו מאז מעולם נסכתי מראש מקדמי ארץ, i. *Dominus poſſedit me in initio viæ ſuæ, ante opera, ab antiquo. Ab olim conſtituta ſum, ab initio, ante primordia terræ*, &c. Nec deſunt inter Hebræos qui ראשית pro *ſapientia* exponunt: ità enim habet paraph. Chaldaica Hieroſolymitana, בחוכמא ברא ה' i. *In ſapientia creavit Dominus*, &c. Atque huc nimirum reſpexerunt qui ex noſtris, *in principio*, exponunt, *In filio creavit Deus cœlum & terram*: Filius enim Dei *ſapientia Dei* non rarò in Scripturis dicitur. Et quod hîc per *principium* Filius Dei, qui eſt Jeſus Chriſtus Dominus & Servator noſter, poſſit intelligi, non omninò eludit etiam D. Hieronymus, qui in Quæſt. ſuis Hebraicis ſuper Gen. ſic ſcribit, *Magis itaque ſecundùm ſenſum quàm ſecundùm verbi tranſlationem de Chriſto accipi poteſt, qui tam in ipſa fronte Geneſeos, quæ caput librorum omnium eſt, quàm etiam in principio Johannis Euangeliſtæ, cœli & terræ conditor approbatur. Unde & in Pſalterio de ſe ait, In capite libri ſcriptum eſt de me, i. in principio Geneſeos: Et in Euangelio, Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Hæc Hieronymus. Sed placet etiam huc referre, quomodo admirandæ eruditionis vir, Picus Mirandulanus, olim in hac voce בראשית piè philoſophatus fuerit; ſic enim ſcribit, *Ex hac voce בראשית ſi tertiam literam primæ conjungamus, fit dictio* אב. *Si geminatæ primæ ſecundam addamus, fit* בבר. *Si præter primam omnes legamus, fit* ראשית. *Si quartam primæ & ultimæ connectamus, fit* שבת. *Si tres primas quo jacent ordine ſtatuamus, fit* ברא. *Si primâ omiſſâ tres ſequentes, fit* ראש. *Si omiſſis primâ & ſecundâ duas ſequentes, fit* אש. *Si tribus primis omiſſis quartam ultimæ copulemus, fit* שת. *Rurſus ſi ſecundam primæ, fit* רב. *Si poſt tertiam quintam tum quartam ſtatuamus, fit* איש. *Si primas duas duabus ultimis coagmentemus, fit* ברית. *Si ultimam primæ, fit ultima dictio & duodecima, quæ eſt* תב, *verſo, quod frequentiſſimum apud Hebræos eſt, Thau in Thet elementum. Videamus autem quid primo hæc Latinè ſignificent. Tum quæ per ea non ignaris Philoſophiæ de tota naturæ myſteria revelentur.* אב patrem *ſignificat.* בבר in filio *& per filium (utrumque enim ſignificat Beth præpoſitio)* ראשית principium. שבת quietem *&* finem. ברא creavit. ראש caput. אש ignem. שת fundamentum. רב magni. איש hominis. ברית federe. טוב, bono. *Et totam ſi ordine conſequenti orationem texamus erit hujuſmodi; Pater in filio, & per filium principium, & finem, ſive quietem, creavit, caput, ignem, & fundamentum magni hominis federe bono. Hæc tota oratio ex prima illius dictionis reſolutione & compoſitione diſſultat.* Hæc Mirandula. Secundò, Variatio eſt in verbo ברא *creavit*. Quidam enim volunt ſignificare productionem ex nihilo, quod Hebræi vocant להוציא יש מאין. Alii tamen reclamant, & non volunt hoc eſſe perpetuum, eò quòd Scriptura ubi loquitur de cetorum & hominis conditione quoque uſurpat *creandi* verbum, qui tamen ex præjacente materia facti ſunt, ceti ex aquis, homo ex luto. Sed tu ſcias duplicem uſum eſſe *creandi* verbi in Scripturis. Primò enim ſignificat aliquid ex puro nihilo creare ac producere, qua in ſignificatione hoc in loco accipiendum eſſe docent etiam doctiores Hebræorum. Ità enim ſcribit Commentator Hebræus Nehemanides, אין אצלינו בלשון הקודש בהוצאת היש מן האין אלא לשון ברא, i. *Non exſtat apud nos in lingua ſancta* vocabulum *quo productionem rei ex nihilo ſignificamus, niſi*

ברא. Similiter & R. D. Kimhi, כל לשון בריאה, הוא התחדש הדבר ויצאתו מאין ליש, i. *Omnis significatio creationis est innovatio rei, & progressio ejus à non esse ad esse.* Secundò, usurpat etiam Scriptura *creandi* verbum ubi aliquid non ex mero nihilo sed ex præjacente materia, sed quod magnum, eximium, præclarum, & novum quiddam sit, singulari Dei virtute ac potentiâ in lucem profertur. Atque hinc est quòd eo utitur, ubi cetorum & hominis conditionem proponit. Sunt enim ceti vastæ & portentosæ quodammodo magnitudinis. Homo ob eximias dotes omnibus creaturis præstat, imò omnium creaturarum quasi caput & princeps est. Hanc quoque vim significandi *creandi* verbum in Numeris habet cap. 16. ubi de absorptione Corah, Dathan & Abiram agitur. Ibi enim Moses sic loquitur, ואם בריאה יברא יהוה ופצתה האדמה את פיה ובלע אותם, &c. i. *Sin recens quicquam creaverit Dominus, aperueritque terra os suum, & devoraverit eos,* &c. h. e. si novum, insolitum & magnificum quiddam fecerit Dominus, ut erat diruptio terræ, & devoratio hominum. Porrò scias Hebræos inter hæc tria verba, ברא *creavit*, יצר *formavit*, & עשה *fecit*, ità distinguere, ut *Creare*, sit ex nihilo aliquid facere; *Formare*, enti creato figuram inducere; *Facere*, singula membra ordinare, perficere, absolvere, & ad certum suum usum adaptare. Extat locus Esa. 43. ubi tria hæc verba in uno versu discriminatim leguntur, כל הנקרא בשמי ולכבודי בראתיו יצרתיו אף עשיתיו, i. *Omnis qui vocatur nomine meo, pro gloria mea creavi eum, formavi eum, atque feci eum.* Quem locum Kimhi sic explicat, תחלה בראתיו הוצאתי אותו מאין ליש ואחר כן יצרתיו שהעמדתיו על תכונת הצורה ואחר כן עשיתיו שפירושו תקנתיו כי לשון מעשה הוא תיקון הדבר והשלמתו לפיכך אמר אף עשיתיו, i. *Primùm creavi eum, h. e. produxi eum à non esse ad esse. Dein formavi eum, h. e. exsistere eum feci aptâ formâ. Exinde feci eum, h. e. disposui, seu ordinavi eum. Nam vox* מעשה, *dispositionem rei & perfectionem ejus significat. Ideo dicit,* ETIAM FECI EUM. Hæc Kimhi. Postremò variatur quoque in nomine Dei אלהים. Hoc nomen, quod formam attinet, pluralis numeri est, cujus singulare est אל, vel אלה, i. *Deus*, hinc *Elohim*, i. *dii*. Et quia multitudinis numero Deo uni in Divinis literis tribuitur, hinc nostri scriptores Trinitatis mysterium non malè colligunt. Trinitatem enim personarum in Divinis nomine ELOHIM, unitatem verò substantiæ ex adjuncto verbo singulari, innui asserunt. Nam ubicunque in Sacris Vet. Instrumenti literis unius Dei essentia insinuatur, semper ferè ibidem & trium personarum pluralitas innuitur. Et è contrà, Quocunque in loco personarum trinitas exprimitur, semper penè eodem quoque in loco & Divinæ substantiæ unitas explicatur: nè aut propter singularis Dei unitatem, personarum trinitas à Divina natura excludatur, aut propter personarum trinitatem plures dii esse credantur: sed sic in altero tres ipsæ Divinæ hypostases absque confusione abinvicem distinctæ credantur, ut in altero ipsius Dei unitas omnino salvetur. Perfidi & excæcati Judæi, nè sacrosanctam Trinitatem fateri & concedere cogantur, triplici ferè expositione vocem ELOHIM obscurare conantur. Quidam enim dicunt tam voce quàm significatione esse singularis numeri, unde pro *Deo* & non pro *diis* exponunt. Quos multi etiam ex nostris secuti sunt; sed eò magis tolerabiliter, & minori veritatis periculo, quòd propterea sacram Trinitatem non, ut impii Judæi faciunt, pernegant, qui hâc impiâ expositione suæ impietati & perfidiæ patrocinium quærunt. Falsò enim & contra linguæ sanctæ naturam loquitur, quisquis est, qui dicit vocem ELOHIM singularem esse, & singulariter exponendam: cùm ejus usitatum singulare sit אל vel אלה ELOHAH, unde formatur plurale ELOHIM. Quodcunque enim nomen terminatione multitudinis suum singulare habet usitatum à quo formatur, id pro singulari re nunquam accipitur nisi figuratè. Alii ELOHIM tam voce quàm significatione multitudinis esse dicunt. Verùm non significare Dei personam, naturam ac substantiam, sed potiùs Dei virtutes ac qualitates, quæ quia multæ sunt, ob id venire appellatione ELOHIM pluraliter elato. In qua sententia fuisse videtur R. Nachmanni, qui ELOHIM dici putat, quasi אל הם, i. *robur*, seu *fortitudo, eorum*, quòd scilicet Deus sit כח הכוחות, i. *virtus virtutum*. Idem sentit & post illum R. Bachai, sic scribens, אלהים על דרך הפשט לשון אלהות ופירושו בעל הכוחות כלם ומזה השעם לא אמר אל ולא אלה כי אם אלהים בלשון רבים, i. ELOHIM *juxta simplicem sensum Divinitatem significat, cujus expositio est, Dominus omnium virtutum. Quæ etiam causa est cur non dixerit* אל, *neque* אלה, *sed* אלהים *in plurali*. Hæc quidem suo in loco de Deo non impiè dicuntur & prædicantur. Quis enim inficiabitur illum omnium virtutum supremam esse, h. e. ab eo solo & non aliunde vim suam habere quicquid validum, robustum & forte est, sive in cœlo sive in terra? Sed quòd hoc sibi velit nomen ELOHIM ob id pluraliter elatum ut plures in Deo virtutes significet, non minùs falsò dicitur quàm quòd alii voce & significatione singulare esse contendunt. Si enim cujusque rei vocabulum ob plures ejus virtutes quas in se continet pluraliter efferre velles, quæ, obsecro, erit confusio sermonis? quod hinc prodibit portentosum genus loquendi? Quòd si perfidus Judæus dicit, hoc tantùm valere in voce ELOHIM, hoc ipsum violenter ex se dicit & fingit, cujus causam convenientem & solidam nullam ex Divinis literis ostendere potest. Postremò, sunt qui ELOHIM על דרך הכבוד *honoris causâ* בלשון בני אדם de Deo pluraliter dici aiunt; idque *humano more*, quo fit ut inferior superiorem autoritate pollentem plurali numero alloquatur, vel Rex & Princeps aliquis, propter sui eminentiam & existimationem, de se ipso pluraliter loquatur. Pro qua sententia confirmanda citant hos Scripturæ locos; Gen. 42. דבר האיש אדני הארץ, *locutus est vir ille domini terræ*, pro, *domino terræ*. Et iterum, ויאמר אלינו האיש אדני הארץ, *Et dixit ad nos vir ille domini terræ*. Item Esaiæ 19. וסגרתי את מצרים ביד אדנים קשה, *Et tradam Ægyptios in manum dominorum duri*, pro, *domini duri*. In quibus locis אדני & אדנים non sunt singularis sed pluralis numeri, & tamen singulariter significant. Hanc sententiam maximè tenet Aben Ezra, quam etiam confirmare conatur consuetudine linguæ Ismaeliticæ, apud quos dicit, homines existimatione eximiâ; ut sunt Reges, &c. de se loqui numero multitudinis. Verùm tu noveris, Christiane Lector, hanc expositionem, utcunque Judæis plausibilis est, maximè Aben Ezræ, æquè incertam & infirmam esse, ut priores duas. Quòd enim Scriptura vocem ELOHIM perpetuò de Deo pluraliter honoris causâ usurpet, hoc ipsi quidem Judæi dicunt, sed ex Scripturis probare non possunt. Et ut ità in usu sit numerus multitudinis apud exteras linguas, quid ad sanctam linguam Barbarorum barbaries, cui puritas & simplicitas peculiaris est, & fucus omnis displicet? Idem quoque Aben Ezra ELOHIM de Deo plurali numero dici sentit propter Angelos, qui & ipsi in Divinis literis veniunt aliquando appellatione ELOHIM: eò quòd Deus illorum ministerio opera sua exsequatur. Sed & istud pari autoritate quâ dicitur refutatur. Nos igitur Christiani, quod res est & fundamentum veritatis, quódque nullis argumentorum Judaicorum arietibus concuti potest, firmiter tenemus, ELOHIM nomen rei esse, non rei adhærentis, h. e. personam, naturam & substantiam Dei eo significari. Et semper multitudinis, ad ostendendum tres personas in una Divinitate, Patrem, Filium, & Spiritum S. Verbo autem adjuncto singulari Divinæ naturæ atque essentiæ unitatem indicari.

הארץ

והארץ היתה תהו ובהו, *Terra autem erat informis & inanis*, Gen. 1. 2.

VAriatio eſt non in ſenſu, ſed tantùm in redditione vocum *Thohu* & *Bohu*: nam quod ad ſenſum attinet, omnes tranſlationes in idem recidunt. Porrò voces תהו & בהו, licèt (teſte Aben Ezrâ) ferè idem ſignificent, tamen quidam eas ſic diſtinguunt, ut בהו ſit res omni formâ carens, ut eſt materia prima, & תהו aptitudo habendi, ſive deſiderium quod movet materiam ad omnem formam naturalem. Unde R. Nachmanni בהו compoſitam dictionem eſſe ſentit, ex בו & הוא, q. d. בו הוא, *in eo eſt aliquid*. R. D. Kimhi in libro Radicum hæc duo vocabula ſic explicat, תהו בהו ענין שממון ורקות ואמרו חכמי המחקר כי תהו הוא הדבר שאין לו דמות וצורה והוא מוזמן ומעותד לקבל כל דמות וכל צורה וקורין לו בלשון יוני היולי ובהו הוא הצורה והוא הדבר שיש לו כח וגבורה להלביש את היולי דמות ותמונה ובהתחברם ברצון האל היתה בריאת העולם, *Thohu & Bohu deſolationem & vacuitatem ſignificant. Atque ſapientes qui ſcrutantur rerum naturas, dixerunt, Thohu eſſe rem cui non eſt ſimilitudo ac forma, ſic tamen aptam ac diſpoſitam, ut recipere poſſit quamvis ſimilitudinem ac formam, quod Græci* ὕλην *vocant. Cæterùm Bohu eſſe ipſam formam, h.e. rem cui ineſt vis & potentia ipſum Thohu inſuendi ſimilitudine & formâ: ex quibus duobus Divinâ voluntate conjunctis mundi exſtiterit creatio.* Hactenus Kimhi. Alii, quos & R. Schlomo ſequitur, Thohu à תהא quod *admirari, attonitum eſſe, & obſtupeſcere* ſignificat, deducunt. q. d. Terra erat res quædam ſtupenda & horribilis, ut eſt materia illa prima, dum eſt denudata formarum affectibus. Cui accedit & Onkelus ſuâ Paraphraſi, *Et terra erat vaſta* (ſive *deſolata*) *& vacua*: horrore enim animi percelluntur qui vaſta & deſerta loca ſubeunt. Lxx, qui Thohu & Bohu per *inviſibilis & incompoſita* reddiderunt, reſpexerunt ad id quòd terra aquis adhuc undique circumfuſa erat, nullis dum plantulis, herbis & arboribus adornata, neque ad inhabitandum accommoda. Quam lectionem ſequitur & F. Joſephus Antiq. Jud. lib. 1. ſic inquiens, *Sed dum terra ad aſpectum non veniret, & profunditate ac tenebris celaretur*, &c. Paraphraſis Hieroſolymitana hunc locum ità tranſtulit, וארעא הוות תהיא ובהיא וצדו מן בני אנשא וריקניא מכל בעיר, *Et terra erat inanis & vacua. Deſerta ſcilicet à filiis hominum, & vacua omni pecore.*

ורוח אלהים מרחפת על פני המים, *Et ſpiritus Dei movebat ſe ſuper facies aquarum*, Ibid.

VAriatur hîc ab Interpretibus in voce רוח, propterea quòd ea ambigua & anceps ſit, cùm ad S. Dei Spiritum, qui tertiam in Divinis conſtituit perſonam, tum ad ventum elementalem. Unde fit quòd in utramque partem cùm à noſtris tum Hebræorum commentatoribus & redditur & exponitur. Qui inter Hebræos pro vento elementali accipiunt, ſentiunt ventum validum, vehementem ac impetuoſum fuiſſe, in hoc ut exſiccaret aquas à Deo miſſum, ideóque dici *Dei ventum*, ſeu *ſpiritum*. Quæ enim magnifica, valida & exinſia ſunt, in Divinis literis ſæpe appellatione *Dei* venire ſolent. Ut, *Cedri Dei*, ob proceritatem; *Montes Dei*, ob altitudinem; *Nineve civitas Dei*, ob magnitudinem, &c. Id quod & R. D. Kimhi in libro Radicum Hebraicè ſic tradit, כל דבר שרוצה להגדילו סומך אותו אל השם כמו הררי אל: עיר גדולה אלהים: ותהי לחרדת אלהים: נפתולי אלהים: גבור ציד לפני יהוה, i. *Quamcunq; rem* Scriptura *vult amplificare, eam conjungit cum nomine Dei, ut Montes Dei*, Pſal. 36. *Civitas magna Dei*, Jonæ 1. *Fuiſque terror Dei*, 1 Sam. 14. *Luctationibus Dei*, Gen. 30. *Robuſtus venator coram Domino*, Gen. 10. &c. Similem ob cauſam & *ventum*, ſeu *ſpiritum, Dei* dici volunt. R. Nehemanides non malus autor apud Hebræos, ſentit *ventum*, ſeu *ſpiritum, Dei* dici, ab eo ſcilicet quòd & ſubtilior & ſuperior ſit reliquis elementis. Quod enim proximè aquas ſpirat, hoc dicit non eſſe ex ſui natura, ſed ex verbo Dei. Alteram ſententiam ferè noſtri ſequuntur Commentatores, qui per *ſpiritum Dei*, S. Dei Spiritum, ornatorem & perfectorem inchoatæ materiæ, intelligunt. Eſt porrò & variatio in voce מרחפת. Alii enim pro ſimplici venti agitatione & commotione eâque impetuoſiore, ut etiamnum fit in magna tempeſtate, exponunt. Alii per eam effectoriam ac totricem vim Divini Spiritûs ex ruditate miro Divinóque conſilio ac ſapientiâ omnia formantem intelligunt. Nam licèt verbum רחף *agitationem, commotionem, & ſuperlationem* ſignificat, tamen non ſimplicem ſignificat, ſed ejuſmodi qualem milvus aut alia avis peragit, pendens in aere cùm furtim deſcendendo cupit prædæ incumbere, vel qualem columba perficit cùm ovis ad excludendum pullos incubat. Vel, qualem aquila facit dum ad volandum pullos ſues provocat, ut de ejus natura Sacra meminit Scriptura Deut. 32. כנשר יעיר קנו על גוזליו ירחף יפרוש כנפיו יקחהו ישאהו על אברתו, *Sicut aquila excitat nidum ſuum ſuper pullos ſuos, volitans & expandens alas ſuas, tollit illum, & ponit eum ſuper alas ſuas*, &c. Quem locum & Rakenatenſis pro explicatione præſentis loci citat. Pro majori hujus loci intellectu adferre etiam licet quæ D. Auguſtinus habet, cujus hæc ſunt verba, *Materiæ*, inquit, *ſpiritus artificis ſuperferebatur. Non ità ſuperferebatur ut oleum aquæ, vel aqua terræ, i. quaſi contineretur. Sed ſi ad hoc de viſibilibus exempla capienda ſunt, ſicut ſuperfertur lux iſta Solis aut Lunæ, his corporibus quæ illuminat in terrâ, non enim continetur illis, ſed cùm cœlo contineatur iſtis ſuperfertur. Item cavendum, nè quaſi locorum ſpatiis Dei Spiritum ſuperferri materiæ putemus, ſed vi quadam effectoria & fabricatoria, ut illud cui ſuperfertur efficiatur & fabricetur, ſicut ſuperfertur voluntas artificis ligno, vel cuiq; rei aliæ ſubjecta ad operandum, vel etiam ipſis membris corporis ſui, quæ ad operandum movet. Et hæc ſimilitudo cùm ſit omni corpore excellentior, parva eſt tamen, & propè nihil ad intelligendum ſuperlationem Spiritûs Dei ſubjecta ſibi ad operandum mundi materia.* Hæc Auguſtinus. Porrò ſi quem fortè etiam audire delectat pias & ſanctas cogitationes in hunc locum, incomparabilis eruditionis viri, D. Wolfgangi Capitonis Fabritii (piæ memoriæ) præceptoris mei fideliſſimi nunquam obliviſcendi, cujus certè obitûs ſine maximo dolore nunquam recordor, dum cogito quantum ille adhuc mihi tum omnibus Sanctæ linguæ ſtudioſis, imò univerſæ reipub. Chriſtianæ, prodeſſe potuiſſet, (Sed ſit נפשו צרורה בצרור החיים) illas tibi depromo ex Hexamero ſuo, ubi ſic ſcribit, *Hebraï duas voces flatum vel ventum ſignificantes habent*, נשמה ורוח: *Prior illa flatum leniorem, poſterior autem ventum cum impetu latum. Tranſfertur utraque ad hominem & ad Deum. In homine quidem ſæpenumero iracundiæ commotionem ſignificat, interdum autem animam immortalem, ut*, Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, נשמת חיים Gen. 3. *Et*, Spiritus redit ad Dominum qui dedit eum. *Mortalem autem quæ in ſanguine & ſpiritibus ſedem habet, quæ quidem cum corpore interit, eam* נפש *vocant; quam vocem* Animam *plerumque vertunt, & pro homine ipſo & vita corporis accipitur. Utraque vox Deo, ratione nonnihil commutatâ, tribuitur interdum. Nam aut iracundiæ aut ſubſtantiæ vim repræſentat. Ira quidem eſt, ut* 2 Sam. 22. Detecta ſunt fundamenta terræ ex increpatione Domini, מנשמת רוח אפו, propter flatum ſpiritûs iræ ejus. *Vocabulum autem* רוח *ſubſtantiam notat dupliciter; quia interdum naturam ſignificat, ut*, Deus ſpiritus eſt, *h.e. naturam habet ſpiritualem tribus perſonis communem: interdum verò perſonam, à Patre & Filio diverſam. Quando autem perſona ſit Spiritus, ex adjuncta Patris & Filii perſona ferè intelligitur, quod quidem ſit ſæpenumero explicatè, ut*, Paracletus ſpiritus S. quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia. *Quo in loco Patrem audis in nomine Filii mittentem Spiritum S. ad docendum omnia quæ humanis vi-*

ribus & universa creatura captu majora sunt, ut quæ ad Resurrectionem mortuorum & futuram illam Corporum immortalitatem pertineant. Igitur Spiritus Deus est, cùm creaturam omnem excedat; & à Patre, & à Verbo illum abmandantibus, quia mittitur, alius est. Interdum sit occulta mentio aliarum personarum, expressa Spiritûs, ut, Oportet ut adimpleatur illa Scriptura quam prædixit Spiritus S. per os Davidis. *Hæc de varia vocabuli* Spiritus *acceptione, nunc applicabimus quæ dicta sunt ad nostrum institutum. Spiritus Dei qui ferebatur super aquas non est subtilis flatus, quod* elementum aeris *vocant, quia nusquam aer dictus est* Spiritus Dei, *& natura vocum ei cogitationi repugnat. Spiritus enim non quivis flatus est, sed ventus validus atque impetuosus, si vox propriè usurpatur: & adjunctio genitivi* DEI, *vim ejus vocis amplificat, ut intelligas ventum, siquidem libet cogitatione naturalibus inhærere, ventum excellenter impetuosum. Qui quidem nullus fuerat in principio, quia neque aer neque spatium, quod aerem validè agitatum exciperet, neque adeò luminare Solis tum erat quod vaporibus in altum sublatis materiam & generationem venti illius absolveret. Non igitur appellatio* Spiritûs *in significatu naturali manet, sed transfertur ad Deum, quam translationem appositio vocis* DEI *declarat. Atque creatura esse non potest ea res quæ principium rerum antevertit, propterea quòd pugnet creaturam esse & esse extra principium creaturarum, cùm* in principio nihil *erat,* i. *ante principium nihil exstitit aliud quàm unus Deus in se sempiternus, & solus omnium creaturarum initio superior.* Hactenus beati Capitonis verba recitavimus.

יהי רקיע בתוך המים, *Fiat firmamentum in medio aquarum*, Gen. 1. 6.

TAmetsi nulla ferè in vocum redditione apud Interpretes sit varietas, tamen adducere libuit hunc locum propter vocem Hebraicam רקיע, quam cùm omnes Interpretes *firmamentum* transferant, *extensionem*, sive *expansionem*, tamen propriè significat: q. d. *Sit extensio* (sive *expansio*) *in medio aquarum.* רקע enim Hebræis *expandere, extendere* significat, vel, ut aulæa sive tentoria extenduntur atque expanduntur; vel, ut lamina malleo diducitur ac extenuatur. Et ad hujus vocis naturam alludit Scriptura in multis locis, ut Esa. 40. הנוטה כדק שמים ויפתחם כאהל לשבת, *Qui extendit veluti pellem cœlos, & expandit illud sicut tabernaculum ut inhabitetur.* Habet ergò cœlum apud Hebræos duo nomina; vocatur enim רקיע ab *expansione*, quòd scilicet extensum sive expansum sit super universam terram, unde Judæi vulgò ein ausſpreitung exponunt: & vocatur שמים, vel, quòd sit aquea quædam materia, consolidata tamen; vel, quòd ibi sint aquæ. שמים enim conflatam dictionem esse dicunt ex ש litera, & מים, q. d. שמים i. *quia*, vel *quòd, sunt aqua.* Vel ex שם & מים Majim, *ibi sunt aquæ.* Vel ex אש *ignis* & מים *aqua*, q. d. אשמים *ibi est ignis & aqua.* Vel ex שא *sustine* & מים, quòd scilicet cœlum aquas sustineat. Quod vocem Græcam στερέωμα attinet, quam Lat. interpres *firmamentum* reddidit, sunt qui arbitrantur eam esse novam, & primùm inventam à Lxx, formatam scilicet à verbo στερέω, quod *firmare* significat. Hinc cœlum à stabilitate, firmitate & soliditate στερέωμα appellasse, idque κατ' ἐξοχὴν *per excellentiam*: quòd cœlum suâ stabilitate & soliditate omnia alia stabilia, firma & solida quodammodo vincere videatur; ideóque præ aliis mereri hoc nomen στερέωμα. Non desunt tamen qui putant cœlum στερέωμα non à στερέω quod *firmare* est nuncupatum, sed potiùs à στερέομαι, quod *privare* significat. Latinè *separamentum* sive *tabulatum*, Germanicè ein underſchlacht, quòd scilicet separet superiora & cœlestia illa ab inferioribus & terrestribus. Sed judicium esto penès pium lectorem. Mihi tamen magis probatur quòd Græci voce στερέωμα ad stabilitatem & firmitatem respexerint. Quandoquidem videmus & profanos autores cœlo soliditatem & stabilitatem tribuere. Homerus in suis rhapsodiis cœlum sæpe appellat χάλκεον οὐρανὸν æreum cœlum, h. e. solidissimum; & χαλκοβατῆ δώματα æneas domos, aut *ære stratas*; quandoque Σιδήρεον οὐρανὸν ferreum cœlum. Plato quoque in Legibus Astrologiam versari dicit circa στερεῶ φορὰν *solidi motum*, per *solidum* cœlum intelligens. Cœlum quoque etiam solidum videtur Aristoteles sentire: primo enim Meteororum scribit, *à corporis solidi motu scindi aerem*, &c. Porrò quod dicitur *in medio aquarum*, quidam Hebræorum ità intelligendum esse docent, ut scias firmamentum, cœlum sive expansum illud ità constitutum esse ut aquas ab invicem separaverit, partem supra se, partem infra se retinendo, ídque æquali distantiâ: ità ut quantum aquæ terrestres à firmamento distent, tantum quoque ab eo distent quæ supra illud sint, nec sine magna Dei virtute, potentia ac miraculo quodam pendulas esse. Et huic sententiæ adstipulari videtur Onkelus suâ Paraphrasi. Quòd si fortè hæc rationi contraria, & maximè sententiis Mathematicorum & Astronomorum adversari videntur, meminerimus S. Scripturam multa hujusmodi habere quæ superant rationem humanam, & à quibus meritò stupere & ignorantiam suam fateri cogitur. Disputatur quoque hîc de usu istarum aquarum cœlestium, inter quæ istud quod adfertur plus probabilitatis habere videtur, quòd dicunt supercœlestes illas aquas à Deo ibi asservatas esse, hominibus in terrorem, ut sciant Deum ibi habere quo homines punire possit si mereantur illorum peccata. Sicut factum est, inquiunt, tempore Diluvii, ubi cœli cataractis sive fenestris apertis aquæ magnâ vi & impetu distillarunt, ad delendum homines propter peccata sua. Eandem ob causam & ignem ibi asservari dicunt, ad exurendum & repurgandum mundum in novissimo die, juxta illud Petri Apostoli, *Veniet autem dies Domini sicut fur in nocte, quo cœli procella in morem transibunt, elementa verò æstuantia solventur, terráque & quæ in eo sunt opera exurentur*, &c. Sed finamus illa otiosis ingeniis cogitanda; nos enim hoc in libro aliud tractare instituimus. Placet tamen adhuc hoc addere, quòd quidam hunc nodum sic solvunt, dicentes, per רקיע, quod *firmamentum* redditur, hîc intelligi aerem. Et duplices esse aquas; alias marinas & fluviatiles, alias in media regione aeris, quæ sunt nubes, aquæ potentiâ, quas dividi dicunt ab istis inferioribus per aerem. Convertit enim Deus aquas illas quæ circumdabant terram in corpus illud extensum quod est inter cœlum & terram, i. vertit in aerem. Et cum illis sentit & Commentator Hebræus Aben Ezra, qui ob insignem eruditionem sapiens Aben Ezra dici meruit.

נעשה אדם בצלמינו כדמותנו, *Faciamus hominem in imagine nostra, secundùm similitudinem nostram*, Gen. 1. 26.

VOlui & hunc locum annotare, non quòd magna adeò apud Interpretes in redditione ejus sit variatio (nisi quòd LXX omissum est pronomen in altera parte כדמותנו, *juxta similitudinem nostram*, quod illi legunt *ad similitudinem*. Quod tamen incuriâ scriptoris potiùs omissum crediderim) sed quòd videam Commentatores Hebræos hunc locum multis nominibus impiè in suum sensum detorquere, nè sacrosanctum Trinitatis mysterium, quod nostri scriptores hinc rectè, verè & piè colligunt, fateri cogantur. Primùm, quidam dicunt verbum נעשה *faciamus* non esse futurum sed participium præteritum: q. d. *fiat* (seu *factus esto*) *homo*, &c. Sed ridet, impugnat & eludit hanc interpretationem ipsorum Commentator Aben Ezra: sicut & illud quòd quidam dicunt hæc verba, *in imagine nostra, secundùm similitudinem nostram*, non esse Dei verba sed Mosis. Alii Scripturam hîc sequi putant morem humanum, quo fit ut magnates, principes, reges, & qui in eminentia constituti sunt summíssque funguntur officiis, de se ipsis pluraliter loquantur. Alii Scripturam hîc pluraliter de Deo loqui sentiunt,

ſentiunt, propter angelos, quos Deum allocutum dicunt cùm formaturus eſſet hominem. Et ad exprimendam hominis dignitatem ac præſtantiam, quòd non ut reliquæ creaturæ ex ſola terra vel aquis productus ſit, ſed ſingulari Dei angelorúmque operâ: q. d. Deus, Non terra nec aquæ in condendo homine ſint occupatæ, verùm nos ipſi. Alii fieri putant propter quatuor elementa, ex quibus corpus humanum fictum eſt; quæ Deus quodammodo alloqui & exhortari voluerit, ut exhiberent materiam pro fingendo corpore humano. Eáque etiam de cauſa dici, *ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, non *ad imaginem & ſimilitudinem meam*: quòd ſcilicet duobus participet homo, Deo ſecundùm animam immortalem, & elementis ſecundùm corpus. Hactenus Judæorum opiniones recenſui. Verùm longè rectiùs & veriùs ſentiunt noſtri Commentatores. *Faciamus* non *faciam* dictum, ad exprimendam Divinam naturam in perſonarum proprietate. Dein, ut agnoſcamus quoque noſtram nobilitatem ac dignitatem. Nam tametſi ex terra factus ſit homo, tamen Deus fecit eum ſuâ manu, ut videamus quantum Deus dignatus ſit hominem, ut ſoli Creatori homo ſerviat, hunc unum colat, huic uni fidat ac hæreat, non terræ, non Soli, non aquæ, &c. Non minùs quoque variant Judæi in exponenda imagine & ſimilitudine juxta quam homo creatus eſt. Alii enim dicunt hanc imaginem eſſe animam immortalem, quâ homo Deum quodammodo repræſentet. Alii ad unitatem referunt, quòd ſicut Deus unus eſt in cœleſtibus, ità & hominem unum primùm in terris fecerit. Alii de effigie hominis accipiunt, quòd ſicut Deus nullum ſibi ſimilem habet, ità & hominem condiderit, ut inter tot mille nè unus quidem inveniatur qui alterum effigie habitúque corporis per omnia exprimat. Alii, quòd maſculus & femella factus ſit, quò repræſentet cœleſtium imaginem, angelorum ſcilicet; quòd ſicut angeli à Deo ſupremâ virtute, per gradus quoſdam tanquam per modum generationis, quæ ipſorum officii ſunt accipiunt, ità & feminam prolificandi vim à viro accipere. Alii de dominio quod ſuper creaturas homo habet exponunt, quòd homo cunctis rebus veluti Deus quiſpiam præſit. Et pro ſtabilienda hac ſententia citant quod mox ſequitur, *Et dominentur in piſcem maris, & in volucrem cœli, & in jumentum, & in omnem terram, & in omne reptile quod reptat ſuper terram*. Vide quàm nihil ſapiat cæca gens Judaica de illa vera imagine & ſimilitudine quæ eſt, quòd in ſumma ſapientia, juſtitia & innocentia homo primùm à Deo conditus fuit, quam per inobedientiam & tranſgreſſionem amiſſam Chriſtus, qui eſt imago paternæ ſubſtantiæ, per ſuam obedientiam nobis iterum recuperavit. Ad quam per fidem in Chriſtum regenerati & juſtificati, indies magis atque magis accedimus. Sic certè Apoſtoli nobis imaginem Dei ad quam homo conditus eſt explicant. Eph. 5. ſcribit D. Paulus, *Vos autem non ſic didiciſtis Chriſtum, ſiquidem illum audiſtis, & in eo docti eſtis, quemadmodum eſt veritas in Jeſu: deponere juxta priorem converſationem veterem hominem, qui corrumpitur juxta concupiſcentias erroris; renovari verò ſpiritu mentis veſtræ, & induere novum hominem, qui juxta Deum conditus eſt, per juſtitiam & ſanctitatem veritatis*, &c. Et ad Coloſ. 3. *Nè mentiamini alii adverſus alium, poſteaquam exuiſtis veterem hominem cum factis ſuis, & induiſtis novum, qui renovatur ad agnitionem & imaginem ejus qui condidit illum*, &c. Eadem habes & 1 Cor. 15. Hæc confirmant etiam aliquo modo quæ de natura & proprietate ſignificandi vocis צלם, quæ *imaginem* ſignificat, R. D. Kimhi ſcribit in libro Radicum, ubi ſic inquit, ענין צלם בענין דמות והוא פעמים נופל על הצורה מורגשת ופעמים על הצורה שאינה מורגשת אלא צורה מחשבית דל"ל ערך ודמיון במעלה והוא בצלם אלהים בצלמנו כדמותנו, ZÆLÆM *ſimilitudinem ſignificat, & interdum corpoream & ſenſibilem, interdum verò incorpoream & inſenſibilem, quæ mente & cogitatione tantùm percipitur*; h. e. *æſtimationem & ſimilitudinem, quâ aliquid alicui in præſtantia & dignitate ſimile eſt, ſignificat. Et hoc quidem hoc in loco, Faciamus hominem in imagine noſtra, juxta ſimilitudinem noſtram.* Item *in imagine Dei creavit eum.* Ab his quoque non multùm abludunt quæ ſcribit R. Moſes צלם *imaginem* hîc ſignificare *ſubſtantialem*, quam Philoſophi ἀσῶ aut ὕλην appellent, non illam quæ lineamentis atque coloribus exprimitur; eam enim appellari תאר, i. corporis qualitatem.

אלה תולדות השמים והארץ בהבראם ביום עשות יהוה אלהים ארץ ושמים וכל שיח השדה טרם יהיה בארץ וכל עשב השדה טרם יצמח.

Iſta ſunt generationes cœlorum & terræ, cùm crearentur, in die cùm faceret Dominus Deus terram & cœlos, Et omnem plantulam agri antequam eſſet in terra, & omnem herbam agri antequam germinaret, Gen. 2. 4.

LOcus iſte nonnihil obſcuritatis & difficultatis habere videtur, quæ nata eſſe videtur ex voce טרם, quam alii per *priuſquam, antequam* exponunt. Alii per *nondum*, ut Chaldæus Paraph. reddidit, exponendum eſſe contendunt. Ideóque pro diverſa ejus lectione cùm noſtri tum Hebræorum ſcriptores in explicando eo deſudant. Noſtri ſic legunt & exponunt, ut illa, *Et omne virgultum agri*, &c. cohæreant cum præcedentibus, *iſtæ ſunt generationes cœli & terræ*, &c. hoc ſenſu, Quòd Moſes jam rurſum quaſi per recapitulationem indicet Deum autorem eſſe omnium rerum, non tantùm cœli & terræ, ſed & omnium terræ creſcentium, quæ primùm omnium non cœleſtium imbrium virtute, cùm nulli adhuc fuerant, nec hominis operâ, cùm is nondum conditus erat, ſed ſolius Dei operatione ac virtute producta fuere. Quidam Hebræorum interpretum ſic legunt quaſi hîc nova ſententia incipiat, *Et omne virgultum agri nondum erat in terra*, &c. Sentientes Moſen his verbis ſignificare, nullam adhuc arborem, herbam, terræque fructum ſubnatum fuiſſe; cauſa, quia nondum pluerat Dominus Deus ſuper terram, neque homo erat qui coleret terram. Quòd ſi fortè objicias, quomodo cum hac ſententia conveniat quòd cap. 1. tertio die terræ creſcentia producta fuiſſe commemoratur: reſpondet R. Salomo, Arbores & herbas tertio quidem die ad juſſum & verbum Domini ad pavimentum terræ ut effloreſcerent conſtitiſſe, ſed nihil adauctas fuiſſe, neque ad juſtam magnitudinem ſuccreviſſe donec pluvia fieret, & homo exiſteret qui terram excoleret, ad cujus preces pluvia demum fieri & concedi debebat. R. Nehemanides hunc nodum ſic ſolvit, Quòd Moſes hîc non loquatur de terræ creſcentiis tertio die ad præceptum Domini ſuâ ſponte enatis, ſed de iis quæ pluviæ cœleſtis virtute atque hominis operâ egerminarunt, atque iſtiuſmodi arbores & herbas nondum ex terra ſuccreviſſe. Et hunc ſenſum colligit ex voce שדה, quam dicit propriè *cultum agrum* ſignificare. Mihi probatur eorum ſententia qui volunt hunc locum generalem epilogum eſſe, quo rerum natura exponatur, qualiſnam à principio fuerit adeóque nunc exiſtat.

ואד יעלה מן הארץ והשקה את כל פני האדמה

Et vapor aſcendebat de terra, & irrigabat univerſam faciem humi, Gen. 2. 6.

HAllucinati ſunt Lxx & Autor Lat. Vulg. editionis in voce Hebraica אד, quòd eam pro *fonte* interpretati ſunt, cùm revera *vaporem*, ſive *nubem*, ut Onkelus reddidit, non *fontem* ſignificet. R. D. Kimhi in Radicibus ſuis hunc locum pulcrè ſic explicat, ואד יעלה מן הארץ פירושו ענן כלומר על ידי נשם שהשקה את כל פני האדמה הצמיח הקב"ה העשבים והעצים כי כאשר יעלה אותו האיד מן הארץ ויפגע בעבים ירדו הגשמים: משל לעשן העולה מן הקדירה כשיעלה למכסה יולו מיד מים: ופירש רבינו סעדיה ז"ל ואיד יעלה ולא איד ואין עומד במקום שנים וכן

וכן פירש כי לא הירה בתחלת העולם לא אדם שיורע ולא איד שיעלה אלא בראי הקב"ה בעורתי הכל מתוקן ונכון הוא וזה הפירוש מכל אשר מפרשים בן, ET VAPOR ASCENDEBAT DE TERRA, h.e. *nubes. q.d. Operâ pluviæ quæ irrigabat universam superficiem terræ, egerminare fecit Deus herbas & arbores. Cùm enim ascendit vapor ille de terra, & pertingit usque ad nubes, tum descendunt imbres; quod manifestum fit exemplo fumi, qui cùm ex olla ad cooperculum usque ascendit, statim defluunt aquæ. Cæterùm Rabbi noster Saadiah (piæ memoriæ) sic exponit,* ET VAPOR ASCENDEBAT, &c. *id est,* NEQUE VAPOR ASCENDEBAT, *sic, ut negativa quæ antecedit cùm dicitur, Nec homo erat qui coleret terram], ad duo referatur, ad hominem scilicet & ad vaporem,* &c. *Unde sic explicat, Quòd non fuerit in principio mundi, neque homo qui seminaret, neque vapor qui ascenderet, sed Deus præcipiendo tantùm omnia absoluta condidit. Atqui hæc expositio magis quadrat quàm omnium aliorum expositiones.* Hæc Kimhi. Qui ergò Lxx & Vulg. edit. sequentes אד pro *fonte* accipiunt, sic intelligunt, non quasi unus aliquis fons fuerit qui universam terram irrigarit, sed quòd multi fontes variíque fluvii fuerint qui terram humectarint, ut sit genus pro numero, & singularis numerus pro plurali. Sed ut dixi, אד Hebræis nequaquam *fontem*, quin potiùs *vaporem*, *exhalationem*, *fumum*, seu *nubem* significat. Quare is est genuinus hujus loci sensus, quòd Moses postquam paulò antè scripsit, nec pluviam exstitisse quâ terra irrigaretur, nedum hominem qui eam excoleret; jam paucis describit, quomodo Deus naturaliter pluviam fecerit: nempe vapore luminarium virtute atque operatione è terra educto, qui ubi in mediam aeris regionem ascendit, à circumstante frigore in nubem condensatus, mox in pluviam resolutus fuit. Cujus physicæ rationis & Job meminit cap. 36. כי יגרע נטפי מים יזקו מטר לאידו אשר יולו שחקים ירעפו עלי אדם רב, *Ipse quidem subtrahit stillas aquæ, & rursum stillant in pluviam, propter nubem ejus. Resolvuntur enim nubes, & rorant super homines copiosè*, &c. Quòd verò Onkelus Chaldæus אד *nubem* reddidit, posterius pro priore posuit, quia nubes tandem fit ex terræ vaporibus, ut modò dixi. Omnino autem hæc causa modò pluviæ fuisse videtur, non tantùm ut eâ terra fœcundaretur, sed & ut eâ humectata eò habilior esset ad fingendum indè hominem. Proponit siquidem Moses Deum ut humanum artificem, h.e. figulum, qui primùm de materia cogitat, quam comparatam humectat, ut conveniat ollæ fingendæ. Ità & Deus Opt. Max. primùm pulverem congerit, quem mox imbre cœlesti humectat, ut istâ ratione habilis fiat ad fingendum ex ea corpus humanum. Propterea dicit Moses, *Et vapor ascendebat*, &c.

ויטע יהוה אלהים גן בערן מקדם, *Et plantavit Dominus Deus hortum in Eden, ab oriente*, Gen. 2. 8.

VAriatio est hîc in vocibus מקדם & בעדן, eò quòd ambiguæ significationis sunt. Nam ערן vel *voluptatem*, vel *locum* sic à *voluptate & amœnitate denominatum*, significare potest. Quòd autem pro nomine loci hîc potiùs accipiendum sit, colligitur ex translatione Chaldaica & Lxx, item ex phrasi Hebraica. Nam si legendum esset, *Hortum voluptatis*, ut habet autor Lat. Vulg. editionis, dicendum erat, גן ערן, vel גן הערן. Sed dicitur, גן בערן, *hortum in Eden*. Præpositio ergò *in* arguit *Eden* hîc locum significare. Sic quoque & מקדם vocabulum ambiguum est, quod modò ad locum, i. orientalem plagam, refertur, modò ad tempus, *principium*, vel *antea*, *olim*, *antiquitus* significans, ut reddidit Paraph. Chaldæus, מלקדמים *ab antea*, vel *à principio*, quem fortè secutus est Vulg. Lat. Interpres. Eorum autem qui ad tempus referunt duplex est sensus. Quidam enim sic intelligunt quasi hortus ille ante mundi constitutionem exstiterit. Alii verò, quòd mox ab exordio & ante ipsum hominem plantatus fuerit. Unde & ויטע legunt in præterito plusquamperfecto, q.d. *Et jam antea plantaverat Dominus Deus*, &c. Mihi tamen magis probatur eorum lectio qui מקדם pro *plag. Orientali*, ut & Lxx, accipiunt: quam lectionem confirmat illud infrà cap. 4. *Egressúsque Cain à facie Domini, habitavit profugus in terra, ad orientalem plagam Eden.* Porrò quia de Paradiso variæ sunt autorum opiniones; placet & meas hac de re cogitationes obiter hîc in medium adferre. Primùm, Paradisum locum in terris, non extra terram esse, ex Scripturis sic colligo; Adam ex pulvere terræ formatus in Paradisum transpositus commemoratur: ergò in terris erat, aliàs Adam extra terram translatus fuisset. At non erat conditus ut extra terram, sed in ipsa terra quàm jucundissimè viveret. Patet id quoque ex eo quòd hortum illum colere & custodire jubetur, nimirum ab incursu noxiarum bestiarum; sed quid opus erat custodire, si eo loco fuit quo certè nullæ bestiæ poterant pervenire? Adam præterea pulsus Paradiso ad terram priorem unde factus erat revertitur. Sed quomodo in terras nostras perveniisset si extra nostrum orbem is esset? Cherubim quoq; ad custodiendum Paradisum collocati id ipsum docent. Ideo enim custodiunt nè homini indè ejecto illuc rursum aditus pateret: ergò Paradisus & via ad illum hominibus nota fuit, quemadmodum & alicubi D. Chrysostomus scribit, *ante Diluvium & Paradisum & viam quæ duceret ad ipsum notam hominibus fuisse; post Diluvium penitus ignoratam.* Cain quoque profligatus ad orientalem plagam Eden habitasse narratur, ergò non procul à patre suo, qui propè Paradisum morabatur. Quatuor denique fluvii argumento sunt Paradisum in terris esse. Jam quâ regione terræ sit Paradisus, & quam cœli partem spectet, nec hoc tacet Scriptura, sed manifestissimè indicat, præsertim hoc in loco, ubi dicit, *Et plantavit Dominus Deus hortum in Eden ab oriente*, &c. En regionem Eden. En cœli plagam, Ortum scilicet. Modò ubi terrarum sit Eden regio vel ex 27. cap. Ezech. facilè colligere licebit: ubi Propheta mentionem facit nationum & populorum qui merces suas in Hierusalem importabant, inter quos numerat Eden & Charan, sic inquiens, *Negotiatores tui Eden & Charan*, nomina videlicet locorum pro ipsis incolis ponens. Et quoniam ibi per ordinem loci & populi numerantur, clarissimè patet, cùm simul Charan, & Chemna, & Eden recenseantur, illum Eden propè Charan atque ei vicinum fuisse. Charan verò scimus locum esse in Chaldæa, vel certè Judææ propinquum, i. Mesopotamiam, de quo Gen. 12. sic habetur, *Eduxitque Dominus de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan, venerúntque usque Charan.* Ibi ergò apparet fuisse decantatissimum illum Paradisum. Cui rei & fidem faciunt profani scriptores, præsertim Græci, qui istum locum prædicant à nobilissimis Paradisis: Vocabulum item *Paradisus*, quod ab aliis Persicum esse prohibetur. Quòd verò hodie ignoratur, ratio est, quòd proculdubio locus ille, sicut & reliqua loca, per Diluvii inundationem devastatus fuit, sicut & Chrysostomus tenet, ut suprà memini. Nec est quòd mireris hunc amœnissimum locum nunc planè inculcum jacere, cùm constet & alia loca, in quibus longè Diviniora opera perpetrata à Deo sunt, quàm in Eden creatio Adæ fuerit, temporis diuturnitate abolita esse. Hinc & Hierusalem civitas Dei eversa est, & Sion mons Dei, necnon & arca Dei tandem vetustate cŏcabuit, ità & Paradisus tandem peccatis hominum hoc ipsum demerentibus planè dissipatus fuit. Hæc brevia sunt &, ut puto, S. Scripturæ conformia. Vana ergò sunt quòd quidam Paradisum extra orbem ponunt. Alii sub Æquinoctiali esse, & ad sidera usque pertingere somniant. Quòdque nonnulli etiam hortum Paradisi totam terram faciunt: contra quod est, quòd hortus ille à Deo peculiariter plantatus dicitur, quòd in illum translatus Adam, & quòd indè rursum ejectus ad priorem redit terram, quam multis laboribus & exercitio ad ferendas fruges habilem facere cogitur. Verùm quicquid sit tandem quòd de

Paradiso dici potest, nunquam non memores simus illius dicti Augustini, *Semper plus referre, ut sic inculpatè vivamus, quò tandem mereamur audire & vocem illam Christi,* HODIE MECUM ERIS IN PARADISO, *quàm ut de illo ubi sit, & quid sit, curiosiùs disputemus.*

אעשה לו עזר כנגדו, *Faciam illi adjutorium quod sit coram eo,* Gen. 2.18.

SEptuaginta & Latina vulgata editio dissentiunt à veritate Hebraica in verbo *faciamus*, quod Hebræis est singularis numeri, sicut & Onkelus Chaldæus reddidit. Et Lat. vulg. editionis autor non satis expressisse videtur vim & energiam vocis Hebraicæ כנגדו, quam per *simile sibi* reddidit, cùm ea potiùs mutuum & vicarium auxilium quàm formæ similitudinem significet. Nam si ad verbum interpreteris sonat, *secundùm, coram eo*, vel *penès & proximè juxta eum*, mutui scilicet auxilii ferendi gratiâ, sicut & Lxx rectiùs traduxere, κατὰ αὐτὸν *secundùm eum*. Verùm quia hunc locum prolixiùs tractavi in Annotationibus meis super Biblia Chaldaica, quæ evulgavi, ideo te illuc remitto, quæ videre & legere quæso te non pigeat.

ויאמר אל האשה אף כי אמר אלהים לא תאכלו מכל עץ הגן, *Et dixit ad mulierem, Etiam si dixit Deus, Non comedetis de omni ligno horti?* &c. Gen. 3.1.

VAriatio est in vocibus אף כי, quas Græcus & Vulg. Lat. interpres per interrogativum causam rei inquirentem reddiderunt. Verùm tu noveris כי אף Hebræis potiùs Asseverantis esse, per amplificationem, quàm interrogantis. Cùm enim apud Hebræos vocula אף sequitur particula כי, idem valet quod כל שכן, i. *quantò magis*. Unde Hebræi dicunt כי אף hoc in loco non initium orationis serpentis, sed finem fuisse. Ut scilicet sit truncata oratio, cujusmodi non raræ exstant in S. Scriptura, ità ut post multa alia quæ serpens ad mulierem dixerit, tandem & illud adjecerit, *Etiam quod dixit Deus*, vel, *Quantò magis quod dixit Deus, Non comedatis de omni ligno horti*, &c. Sed audi R. D. Kimhi in Radicibus suis hunc locum meo quidem judicio non ineptè sic explicantem, ופירוש הפסוק אמר לאשה דברים אחרים ודומה שאמר לה כי המקום שונא אתכם אף על פי שאתם גדולים משאר היצורים שלא יעשה לכם מעלת כך וכך וכל שכן שאמר אליכם אל תאכלו מכל עץ הגן לזה תכירו כי שונא אתכם ואל יקשה עליך התוספת הזה כי לא יתכן לפרשו לשום פירוש בעולם מבלי תוספת אחר לפי שאמר אף ואף לעולם מוסיף עיל אשר אמר ועוד כי דרך הכתוב לאחוז תכלית הדברים ומתכליתם תכין ראשיתם וכן בדברי המרגלים ששלח יהושע שאמרו כי נתן י"י בידינו את כל הארץ ולא יתכן שזה היה תחלת דבריהם כי מלת כי נוחנת פעם לאשר אמר אלא אחז הכתוב תכלית דבריהם ומהם תוכל לדבין הראשית, i. *Sensus est hujus versûs*, DIXIT SERPENS AD MULIEREM, *& alia verba: Et verisimile est quòd ità dixerit ad eam, Utique Deus odit vos, tametsi præstantiores sitis reliquis creaturis, eò quòd non facit vobis dignitatem talem & talem. Quantò magis quòd dixit ad vos,* NON COMEDATIS DE OMNI LIGNO HORTI, *indè cognoscitis quòd odit vos. Neque durum videatur tibi hæc interpretandi additio, quoniam nulla alia magis commodior est: idque propter vocalem* אף, *nam* אף *semper addit aliquid præcedentibus. Tum quia mos Scripturæ est complecti finem sermonis, ut indè intelligas principium ejus. Id quod liquet ex verbis exploratorum quos amandaverat Jehoschuah, qui* reversi *dixerunt,* QUIA DEDIT DOMINUS IN MANUM NOSTRAM OMNEM TERRAM. *Nec convenit hoc fuisse principium sermonis eorum; nam dictio* כי i. quia, *rationem reddit ejus quod antè dictum est. Verùm comprehendit Scriptura finem sermonis eorum, ut indè principium ejus intelligere possis.* Hactenus Kimhi.

וישמעו את קול יהוה אלהים מתהלך בגן לרוח היום
Et audiverunt vocem Domini Dei deambulantis in horto, ad ventum diei, Gen. 3.8.

IN Translatione Septuaginta & in Vulg. edit. redundat illud, *in meridie*, sive, *post meridiem:* nam textus Hebraicus non habet, sed tantùm לרוח היום, i. *ad ventum diei*. Estque sensus, Sub vesperam, quando dies inclinatur, atque ventus sese attollere solet. Cui sententiæ adstipulatur & Onkelus suâ Paraphrasi, qui habet, למנח יומא, *ad quietem diei*, i. postquam efferbuisset æstus diei.

ואיבה אשית בינך ובין האישה ובין זרעך ובין זרעה הוא ישופך ראש ואתה תשופנו עקב:
Et inimicitias ponam inter te & inter ipsam mulierem, inter semen tuum & inter semen illius: ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ejus calcaneum, Gen. 3.15.

AUtor Latinæ Vulg. ed. hallucinatus est in pronomine relativo הוא, quod in feminino genere reddidit, referendo ipsum ad *mulierem*, *ipsa conteret*, &c. Cùm tamen Hebræis sit masc. generis, & referat זרע, i. *semen*, quod est Christus, qui solus nemóque alius contrivit & adhuc conteret in electis suis caput serpentis: quare rectiùs verterunt Lxx, qui legunt αὐτὸς, *ipse*, Christum nimirum intelligentes. Leviculum fortè hoc alicui esse videri potest, sed expendat interim pius lector quantum derogetur gloriæ Christi si in feminino genere, *ipsa conteret*, legas. Aut ergò præposterâ quadam religione in honorem Mariæ virginis, pro *ipse* vel *ipsum*, *ipsa* positum est, aut vitio & incuriâ scriptoris irrepsit. Vide quæ in h. l. annotavi in Bibliis meis Chaldaicis.

ארורה האדמה בעבורך, *Maledicta est humus propter te,* Gen. 3. 17.

GRæci & Vulg. Lat. interpres impegerunt in dictione בעבורך, decepti nimirum similitudine literarum, Res pro Daleth inspicientes, ac si scriptum esset, בעבודך i. *in operando te*, vel *dum operatus fueris*, deductum à verbo עבד quod *operari terrámque colere* significat. Sed בעבורך præpositio est cum affixo pronominali, i. *propter te*, sicut & Onkelus rectè transtulit בדילך.

הן האדם היה כאחד ממנו לדעת טוב ורע:
Ecce ille homo fuit quasi unus ex nobis, ut sciret bonum & malum, Gen. 3. 22.

VAriatio est in voce ממנו, quæ cùm anceps sit ad tertiam personam sing. *ex eo* significans, & ad primam personam plur. i. *ex nobis*, ideo variandi occasionem Interpretibus dedit. Nostri interpretes omnes *ex nobis* legunt, & per ironiam exponunt, quâ Deus ad considerandum damnum quod peccatum dedit, hominem commovere voluit: q. d. Vide quàm vera promiserit serpens, quàm factus sis par Deo, sciens bonum & malum, imò nihil minùs es. Onkelus Chald. singulariter transtulit מיניה, i. *ab eo*, vel *ex se*, ut habet Complutensis. Cujus versionis duplex sensus esse potest. Prior, Ecce Adam solus est in mundo ab eo, scilicet Deo, factus, ut sciat bonum & malum: quem sensum sequitur R. Schlomo, sic explicans, *Ecce quemadmodum ego solus sum in cœlestibus, sciens bonum & malum, sic & homo in terris solus simili cognitione præditus est; nè tamen eâ ad majorem sui perniciem abutatur, consultum est ut Paradiso expellatur.* Eandem sententiam habet & autor Paraphrasis Hierosolymitanæ, qui hunc locum ità transtulit, ואמר מימרא דה' אלהים הא אדם דבריה יחידי בנו עלמי הוך מה דאנא יחידי בשמי מרומא עתידין

אומין סנאין למקם מיניה תקום אומה דידעא למפרשא בין טב ליכדין טב דנטרוד יתיה מן גנתא דעדן קדם עד דלא יפשוט ידיה ויסב לחוד מן פירי אלנא חייא וייכול ויחי לעלם, i. *Et dixit verbum Domini Dei, Ecce homo quem creavi unicum in mundo meo, quemadmodum & ego unicus sum in cœlis excelsis; futurum est ut populi multi ex ipso proveniant. Ex ipso prodibit populus qui novit discernere quid bonum sit. Nunc itaque bonum est ut ejiciamus eum ex horto Eden, antequam extendat manum suam, & accipiat etiam de arbore vitæ & comedat, ac vivat in æternum.* Hæc ille. Alter, *ex se*, vel, *ex eo*, scilicet *Adam*, vel *homine* est, *ut sciat bonum & malum*, &c. Atque hinc colligunt & statuunt Hebræi liberum arbitrium, sed minùs feliciter: nam si peccato liberum arbitrium accessisset, sequeretur prævaricationem bono illi fuisse, quod est contra naturam hujus loci. Mihi probatur sententia nostrorum, qui hunc locum sic legunt, intelligunt & exponunt, ut sit Ironia cum insultatione quadam, quâ Deus Adæ ferit conscientiam, atque illi stultitiam & temeritatem suam ob oculos ponit. Ironiæ enim vehementes sunt.

ויגרש את האדם וישכן מקדם לגן עדן את הכרובים ואת להט החרב המתהפכת לשמור את דרך עץ החיים, *Itaque expulit illum hominem, & collocavit à plaga orientali horti Eden Cherubim, & laminam gladii versatilis, ad custodiendum iter arboris vitæ*, Gen. 3. 24.

TRanslatio Græca abundat in eo quod habet, *Et collocavit eum ante paradisum voluptatis*, quasi Adam ad plagam Orientalem ejectus fuerit, quod non disertè dicit Scriptura, neque habet textus Hebraicus, tametsi indè etiam colligi possit. Dein variatio est in voce מקדם, ob ejus ambiguitatem, unde autor Lat. editionis per *ante* reddidit. Alii *plagam Orientalem* exponunt, quibus accedit Thargum edit. Complutensis, quod habet, ממדנה לגינתא דעדן *ab orientali plaga horti Eden*. Thargum exemplaris Venetiani transtulit מלקדמין: quod & ipsum bifariàm redditur, vel, *à principio horti*, i. mox à principio cum ipso horto Eden Cherubim constitutos fuisse (sentiunt enim quidam Hebræorum hortum Eden ante mundum exstitisse) vel, priusquam hortus Eden exsisteret: מלקדמין enim alii pro *antequam*, *priusquam* exponunt, ut sit sensus, Cherubim conditos & ordinatos fuisse ante hortum constitutum. Nam quorundam veterum Hebræorum sententiâ Angeli secundo die conditi sunt, hortus autem in Eden tertio die. Porrò להט Hebræis *flammam & laminam politam, quæ flammam ejicere videtur*, significat: hinc Græc. & Lat. vulg. interpres per *flammeum gladium* verterunt, Onkelus *gladium acutum*. Porrò cùm audis Hebræos dicere Paradisum ante mundum exstitisse, non est ut istud crassè juxta literam dictum sentias, sicut quidam ex recentioribus Judæis stultè faciunt; sed cùm per Paradisum æterna felicitas ac beatitudo, cujus ille typus erat, intelligatur, voluerunt veteres illi Hebræi hâc sententiâ innuere vitam æternam, quæ in Divinis literis venit appellatione *Paradisi*, ab æterno Dei consilio, antequam mundus exsisteret, pro justis & electis præparatam fuisse. Quod convenit cum eo quod scribit Apostolus Eph. 1. *Benedictus Deus, & pater Domini nostri Jesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione in cœlestibus Christo: quemadmodum elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram ipso per charitatem, qui prædestinavit nos ut adoptaret in filios per Jesum Christum*, &c. Item cum dicto Christi Matt. 25. *Venite, benedicti patris mei, possidete regnum quod paratum est vobis ab exordio mundi*, &c. Hæc ideo ex Hebræis referre placuit, ut sciamus veteres illos Hebræorum sapientes multa sub ænigmatibus mysteria proposuisse, quod quia multi ignorant, sæpe illorum dicta & scripta temere rident atque exsibilant. Sunt ergò cum judicio quæ illi hoc modo scripserunt legenda. Tempus erat tum umbrarum, typorum & figurarum, ænigmaticos ergò & obscurâ occultâque quadam ratione multa altissima mysteria tradiderunt.

קניתי איש את יהוה, *Acquisivi virum à Domino*, Gen. 4. 1.

VAriatur ab Interpretibus & expositoribus in vocula את, quòd ea Hebræis æquivoca sit ad multa significata. Potest enim significare *per*, *à*, *cum*, vel *coram*. Hinc quidam *per* vertunt, ut Lxx & Vulg. Lat. interpres, hoc sensu, *per Dominum*, i. favente Domino, Dei dono & munere. Alii, *à Domino*, ut idem valeat quod מן, ut Thargum Onkeli habet, מן קדם יי, i. *à coram*, *à præsentia*, vel *à conspectu*, *Domini*. Alii, *cum Domino*, i. auxiliante Domino: q.d. Eva, Me & maritum meum Dominus solus creavit, verùm in condendo Cain & nos sibi cooperatores adhibuit. Ità exponit R. Schlomo. Alii, ut Gerundenses, legunt, *coram Domino*: ut sit sensus, Filius iste erit mihi possessio Dei, ut cùm nos moriamur, ipse loco nostrî colat creatorem suum. Et hoc sibi voluisse suâ paraphrasi Onkelum Chaldæum dicit. Nam in quibusdam exempl. Chaldaicis legitur קדם יי *coram Domino*, ut habet etiam Complutensis editio. Et quia quisque suo abundat sensu, abundabo quoque & ego meo sensu, voculam את simplicissimè accipiendo, ut sit non tam articuli quàm demonstrationis ipsissimam rei cui jungitur substantiam denotans, emphatica nota, hoc sensu, *Possedi virum*, nempe *ipsum Adonai*: q. d. Eva, Acquisivi & possedi non vulgarem virum sed illum ipsum qui est Adonai, i. Deum, quem scilicet pollicitus est mihi *Dominus* cùm dixit, *Semen tuum conteret caput serpentis*. Quia enim Eva credidit promissioni de semine mulieris, sine dubio existimavit hunc illud esse semen per quod caput serpentis conculcandum esset. Nec video quid obstet & vetet quò minùs hoc sensu accipiamus, cùm nulla fiat Scripturæ injuria, nec sit violenta longéque petita expositio. Omnia enim manent in simplici & naturali sua significatione. Quòd si hoc sensu accipiamus, elucet Christi de quo hîc mentio fit Divinitas ex nomine יהוה, quod soli Deo competit. Estque validum argumentum contra perfidiam Judæorum Christi Divinitatem negantium. Nec obstat etiam quod dicit Eva, *possedi virum*, cùm איש non vulgarem, sed *nobilem*, *insignem & præclarum* Hebræis significet. Unde & in alio loco Scriptura Deum *virum bellatorem* vocat, ut est in Cantico Mosis, Ex. 15.

הלא אם תיטיב שאת ואם לא תיטיב לפתח חטאת רבץ ואליך תשוקתו ואתה תמשול בו *Nónne si bene egeris, erit sublevatio, & si non bene egeris, ad fores peccatum cubat? & ad te appetitus illius, & tu dominaberis ei*, Gen. 4. 7.

LOcus iste variè & legitur & exponitur cùm à nostris tum Hebræorum Interpretibus ac Commentatoribus. Diversæ verò lectioni & expositioni occasionem dedit, quòd in Hebræo omnia concisè & vocibus etiam ambiguis efferuntur. Nam verbum שאת æquivocum est ad multa significata. Modò enim significat *auferre præmium*, quo sensu accipit Lat. vulg. editio, *Nónne si bene egeris, recipies*, subaudi, *mercedem*. Modò *condonare & remittere peccata*, hoc sensu, *Si bene egeris, condonabitur*, seu *remittetur tibi peccatum tuum*; quem sensum sequitur Paraph. Chaldæus, & etiam R. D. Kimhi in Radicibus, ubi sic scribit, אם תיטיב מעשיך יהיה לך כפרה, i. *Si emendaveris opera tua, erit tibi expiatio*. Aliquando *offerre*, *sacrificare*, & *in sacris operari* significat, quo significato & hîc quidam accipiunt, q. d. *Si bene egeris, erit sacrificium*, &c. Interdum *attollere & elevare* significat, ut sit sensus, *Nónne si bene egeris, attolles*, subaudi *vultum*, h. e. recto vultu incedes, vivésque in gaudio & lætitia. Et hanc sententiam amplectitur Aben Ezra, ut sit antithesis illius,

illius, *Cur concidit facies tua?* Nonnunquam *exaltari & superiorem esse* significat, qua in significatione hîc maximè accipiendum mihi probatur. In simili enim forma & significatione infrà quoque in prophetia Jacob accipitur, ubi de superioritate, prælatura & dignitate Ruben, quæ illi ex jure primogenituræ debebatur, mentio fit, cap. 49. ראובן בכרי אתה כחי וראשית אוני יתר שאת ויתר עז, i. *Ruben primogenitus meus, tu virtus mea, & principium roboris mei, excellentia dignitatis, & excellentia fortitudinis*, &c. Ubi certè Patriarcha Jacob per שאת dignitatem sacerdotii, quâ Ruben ut primogenitus alios excellere debebat, intelligit, sicut & Onkelus Chaldæus hunc sensum in sua Paraphrasi reddidit, ראובן בוכרי אתת חילי ורישׁ תוקפי לך הוה חוי למסב תלתא חולקין בכירותא כהונתא ומלכותא: על דאולת לקבל אפך הא כמיא בדם לא אהניתא חולק יתיר לא חיסב ארי סליקתא בית משכבי אביך בכין אחילתא לשוויי ברי סליקתא, i. *Ruben primogenitus meus es tu, robur meum & principium fortitudinis mea; tuum erat accipere tres partes, primogenituram, sacerdotium, & regnum. Sed quia secutus es voluntatem tuam, sicut aqua effusa non proficies. Præcipuam partem non accipies, eò quòd ascendisti cubile patris tui: tunc violasti stratum meum, mi fili, quando ascendisti.* Hactenus Onkelus. Ex quo facilè liquet quæ sit vis, sensus & genuina significatio vocis שאת hoc in loco. Quod item jus prærogativæ quod penès primogenitum erat. Jam quia & Cain primogenitus erat, confisus jure primogenituræ putabat munus suum gratius fore Domino munere fratris sui. Sed quia diversum fieri videt, se videlicet rejici & fratrem acceptari, iratus ac dolens, nè prærogativa ad fratrem transferretur, mox de fratre necando cogitat, ut sic sublato fratre penès sese tanquam primogenitum superioritas rerúmque potestas remaneret. Quod hostile odium adversùs fratrem Abelem conceptum ubi in eo animadvertit Dominus, mox adest, avocans eum à malo proposito, proponénsque præmium si vitam emendet, pœnam si malus esse pergat. Dicit ergò, *Nónne si vitam emendaveris, superior eris?* nec est quòd tibi aliquid derogatum iri timeas. Si verò impius esse pergas, nec vitam emendaveris, non impunè abibis, quin gravissimas dabis pœnas. Lxx interpretes, quia omnino alienam à veritate Hebraica lectionem habent, placet huc referre quomodo D. Chrysostomus eam explicet. QUARE TRISTIS FACTUS ES? QUARE CONCIDIT VULTUS TUUS? *quia & in facie mœroris magnitudinem ostendis; quare ità te invasit? quare non à te ipso quod oportebat fieri non considerasti? Num homini sacrificium obtulisti, qui falli possit? Ignoras quod mihi non est opus ut aliquid offeratur, sed sanam offerentium mentem volo?* QUARE CONCIDIT VULTUS TUUS? NONNE SI RECTE OBTULISTI, NON AUTEM RECTE DIVIDAS. *Hoc quidem quod in animum accepisti esse offerendum laude dignum est; quòd verò non rectè dividis, oblati repudiationem operatum est. Oportet enim offerentem Deo, in discernendo magnam adhibere diligentiam. Et quantum differunt qui offert & qui accipit, tanta & in discretione diversitas facienda est: at horum nihil tu cogitasti, sed ut fortuitò contigit obtulisti, atque idcirco non potuerunt esse accepta. Nam sicut intentio tua cum qua oblationem fecisti, nihil distare existimans, rejectanea fecit quæ à te sunt oblata, sic fratris tui animus qui rectus fuit, dignúmq; in discernendo studium habuit, accepta ejus dona fecit. Veruntamen neque sic pœnam delicti repeto, sed ostendo duntaxat delictum, & consilium affero; quod si accipere volueris, & peccatum emendabis, & te ipsum gravioribus malis non involves. Quomodo peccasti & graviter peccasti? sed non punio propter delictum, misericors enim sum, &* NOLO MORTEM PECCATORIS, SED UT CONVERTATUR ET VIVAT. *Igitur quia peccasti, quiesce, tranquillitatem fac tuarum cogitationum, & libera mentem à procellis fluctuum inundantium. Cohibe tumultus illos tuos, nè addas priori peccato gravius aliud, nè consilium accipias, ut medicina posthac nihil prosit, nè teipsum maligno dæmoni captivum trades.* PECCASTI, QUIESCE. *Sciebat ab initio quòd fratrem hic adoriturus esset, & ideo antea verbis reprimit. Deus enim, cui etiam arcana sunt cognita, quia sciebat cordis ejus motus, multùm admonendo, & verba ejus infirmitati accommoda proferendo, congruam ei narrationem protulit, sua omnia faciens, tametsi ille repulso medicamento in fratricidii profundum se præcipitarit.* PECCASTI, QUIESCE. *Ne putes, inquit, licet tuum aversatus sim sacrificium ob pravam mentem, fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem, quòd ideo primatu te destituam, & primogenituræ dignitatem à te auferam. Nam licèt honore ego illum prosecutus fuerim, acceptáque fuerint ejus dona;* VERUNTAMEN AD TE CONVERSIO EJUS, ET TU IPSIUS DOMINABERIS. *Atque post peccatum hoc permitto ut primogenituræ privilegiis gaudeas, illúmque sub tua potestate & dominio esse jubeo.* Hactenus D. Chrysost. Variatur quoque in illo לפתח חטאת רבץ, *ad ostium peccatum cubat.* Quidam enim sic interpretantur, quasi hâc formulâ loquendi significetur, fore ut Cain mox post perpetratum fratricidium pœnas luat, sicut & factum est: nam statim à Domino in exsilium relegatus fuit. Et hunc sensum secutus est autor Lat. Vulg. editionis, *statim in foribus peccatum aderit*, i. pœna peccati, sive punitio in foribus est, & te manet. Alii sic intelligunt, Etiamsi nemo sit qui pœnam à te sumat si fratrem occideris, (nam nondum erat usus gladii) non tamen ob id impunè abibis, erit tempus quo pœnas exsolves, nempe in die judicii, quo peccatum tuum, etiamsi hîc aliquamdiu occultum maneat, revelabitur. Et hanc sententiam amplectitur Onkelus in sua Paraphrasi. Variant & circa illa, ואליך תשוקתו ואתה תמשול בו *Et ad te appetitus ejus, & tu dominaberis illi*, &c. Quæ quidam ad *peccatum* referunt: alii ad *Abelem*. Quam diversam lectionem & interpretationem pepererunt pronomina relativa *ejus* & *illi*, quæ cùm sint masc. generis, putant quidam referre *Abelem*, non *peccatum*, quod femineum est Hebræis. Qui igitur ad *peccatum* referunt sic explicant, q. d. Dominus ad Cain, Peccatum quidem sollicitat & instigat te ad occidendum fratrem tuum; tu verò cave illi des locum, quin potiùs omnibus modis resiste nè ab illo vincaris, imò tu magis opprime illud, vince & dominare. Qui ad Abelem referunt sic enodant, ídque duplici sensu. Prior, ut sit sermo objurgationis, q. d. Deus ad Cain, Num Abelis desiderium & suspectio ad te esse debet, quemadmodum mulieris ad maritum? Num tu Dominus ejus? caput ejus es? minimé. Alter, Non est, mi Cain, quòd timeas tuæ prærogativæ, quæ tibi debetur ex jure primogenituræ. Nam etsi munus fratris tui susceperim, tuum autem excluserim, nihilominus tamen penès te tanquam primogenitum erit rerum potestas, *ad te appetitus ejus*, i. sub tua potestate Abel erit, *& tu eris illius Dominus.* Non est ergò cur fratri tantopere irascaris, depone hostilem animum, & cave quicquam illi noceas. Videtur ergò omnino hujus loci simplex sensus is esse, *Nónne si bene egeris*, h.e. si vitam & mores emendaveris, pietatíque operam dederis, (nam verbum תיטיב transitivum est; quare alii ad vitæ innocentiam, alii ad sacrificium referunt) superior, excellentior & dominus eris? nec est quòd tibi tantillum decessurum formides. *Quòd si non bene egeris*, & malus esse perges, etiamsi superior futurus sis, eò quod primogenitus es, non tamen propterea impunè evades, erit aliquando tempus quo crudelissimè punieris. Da ergò operam ut pravæ illi affectioni ad peccandum te usq; sollicitanti fortiter resistas & vincas, nec ullo modo permittas ut erumpat & grassetur. Quòd si postremam clausulam ad Abelem potiùs referre libet, sensus erit quem indicavi, ut ità tria sint quibus Deus iratum Cain mitigare, & ab hostili in fratrem odio avocare voluerit, pollicitatio præmii, comminatio pœnæ, & fratris subjectio.

ויאמר קין אל הבל אחיו, *Et dixit Cain ad Habel fratrem ſuum*, Gen.4.8.

SEptuaginta & Lat. Vulg. editio in hoc diſcrepant à veritate Hebraica & Chaldaica quòd plus habent, nempe illud, *Egrediamur in agrum*, ſeu *foràs*, quod non exſtat in Hebræo & Chaldæo, & adjectum ab illis videtur ad abſolvendam ſententiam, quæ aliàs conciſa & imperfecta eſſe videtur, cùm non exprimatur quid Cain locutus fuerit cum fratre ſuo; unde nonnulli ſic explicant, quòd Cain Abeli narraverit omnia quæ dixerat ad eum Deus, ut ſe reſipuiſſe ſignificaret. Alii putant quòd duris verbis eum laceſſiverit, ut inſurgendi contra eum atque occidendi occaſionem haberet. Alii ſentiunt, quòd amica verba dixerit ad fratrem, quibus parricidalem animum contexerit, ut ſibi minùs caveret Abel, atque ità incautus opprimeretur. Thargum Hieroſ. conſentit cum Lat. Vulg. editione; ſic enim habet, ואמר קין להבל אחוי איתא ונפיק לאפי ברא וגו׳, *Et dixit Cain ad Hebel fratrem ſuum, Veni, egrediamur foràs*, ſive *in agrum*, &c. Quod propterea huc adfero nè quis temere & imprudenter Vulg. edit. Latinam rideat, exſibilet, explodat atque planè condemnet, ſicubi illam à veritate Hebraica fortè diſſentire invenerit. Hoc enim ferè deprehendo, quòd ubi ea veritatem Hebraicam non ſequitur, aut Lxx, aut Thargum Onkeli, vel Jonathæ, aut Hieroſolymitanum, aut aliquem ex Commentatoribus Hebræorum ſequitur. Adeò ut ejus tranſlationis autor, quiſquis fuerit, non temere ex ſuo capite finxerit, ſi qua in re à textu Hebraico diſcrepare videtur.

לכן כל הרג קין שבעתים יקם, *Imò quicunque occiderit Cain, ſeptuplùm vindicabitur*, Gen.4.15.

VAriatio eſt in voce לכן, quàm Græci & Latinus interpres negativè reddiderunt, pro, *non ſic*, & *nequaquam*, perinde ac ſi duæ dictiones eſſent, לא כן, *non ſic*, vel compoſita ex corrupto & integro, לכן, pro לא כן: ſed ſecundùm Hebræos compoſita dictio eſt ex Lamed litera ſervili, & כן, q. d. *propter ſic*, & exponunt per *ideo*, *propterea*, ut idem valeat quod בעבור זה *propter hoc*. Dein variatur in vocabulo שבעתים, quod Lxx & Lat. Vulg. editio per *ſeptuplum* vertunt, hoc ſenſu, *Quicunque occiderit Cain, ſeptuplum punietur*, i. graviſſimas dabit pœnas: accipitur enim numerus certus pro incerto, q. d. ſepties graviorem pœnam luet quàm ſi aliquem alium interficeret. Ad quem modum & R.D. Kimhi in libro Radicum exponit; נקמות רבות יקח ממי שיהרגהו, *vindictas multas ſumet*, ſcilicet Deus, *ab eo qui Cain occiderit*. Secùs verò intelligunt veteres Hebræi, qui שבעתים pro *ſeptima generatione* exponunt, ut ſit ſenſus, Septimâ demùm generatione ad ultionem vocabitur Cain. Septimâ enim generatione plerique Hebræorum Cain à Lamech jaculo occiſum eſſe affirmant. Et huic ſententiæ adſtipulari volunt Onkelum ſuâ paraphraſi. Quòd ſi שבעתים adverbialiter accipias, pro *ſeptuplùm*, vel *ſeptupliciter*, gravitas pœnæ homicidio debitæ exprimitur. Si verò pro *ſeptima generatione*, ætate & ſeculo, longanimitas Dei erga parricidam oſtenditur. Mihi prima lectio & expoſitio magis probatur.

כי איש הרגתי לפצעי וילד לחבורתי כי שבעתים יקם קין ולמך שבעים ושבעה:

Si virum occidi in vulnus meum, & puerum in livorem meum: Si ſeptuplùm vindicabitur Cain, certè Lamech ſeptuagies & ſepties, Gen.4.23,24.

HIC locus cùm Interpretibus tum Expoſitoribus primùm hinc occaſionem variandi dedit, propterea quòd omnia conciſè & breviter dicuntur, neque ſignanter exprimitur quemnam Lemech occiderit. Dein quòd vocula כי, non ubique conjunctionem cauſalem vel rationalem conſtituit, ſed aliquando & negativam per interrogationem valet, quo in ſenſu Onkelus accepiſſe videtur, qui negativè ſic tranſtulit, *Non occîdi virum*, &c. Sed volo hic referre quàm variè etiam Hebræi hunc locum exponunt. Quidam uxores Lamech ab ejus commercio abſtinuiſſe dicunt ob interfectum Cain, quem in ſilvis reptantem, & ob fratris cædem pœnitentem, à Lamech pro fera à caſu & ignoranter jaculo occiſum, plerique Judæorum credunt. Lamech ergò, ut uxores ſuas placaret, ſibíque denuo jungeret, exponit illis homicidium ſuum, quatenus factum ſit, non ſcilicet ſtudio datâque operâ, ſed caſu; non ergò magnum eſſe timendum periculum. Si enim impio Cain crudelíque homicidæ pœna ſua in multos annos ſuſpenſa ſit, fore ut & ſibi pœna ſua in multò plures annos ſuſpendatur. Alii uxores Lamech conſuetudinem ejus devitaſſe arbitrantur, quòd jamjam ſeptima inſtaret generatio, ætas ſeu ſeculum quo ſemen ac poſteritatem ipſius ob fratris necem prorſus delendam eſſe credebant: quod ubi animadvertit Lamech, conatus eſt illis hunc metum eximere, dicens, ſe nec virum nec adoleſcentem ſicut Cain interfeciſſe; non ergò eſſe cur ſibi tantopere timeant. Quòd ſi omnino propter Cain proavum ſuum aliquid mali ferendum ſit, tamen illud in multos adhuc annos prorogatum iri, cùm ipſi Cain fratricidæ ſua pœna in ſeptimam uſque generationem protracta fuerit. Et hanc ſententiam habere volunt Onkelum Chaldæum in ſua paraphraſi. Alii verbum *occîdi*, quod præteritum eſt, ex more linguæ, pro futuro poſitum eſſe contendunt, hoc modo, *Sanè interficerem hominem in vulnere meo, etiam adoleſcentem in livore meo*, &c. Hoc eſt, ſi à quoquam, etiam viro fortiſſimo, vel ab adoleſcente qui viribus valet, vulnus acciperem, illum interficerem; valeo enim viribus. Non eſt ergò quòd mihi aut liberis veſtris timeatis, ô vos uxores meæ: videbat enim uxores ſuas triſtes. Et quod ſequitur, *Septuplùm ultio ſumetur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties*, ſic intelligunt, Scitote, inquam, quòd ſeptuplùm vindicabitur Cain, at Lamech ſeptuagies ſepties. i. Scitote quòd graviſſimè punietur à Domino ille qui Cain interfecerit, multò autem graviùs qui me occiderit. q.d. Si Deus affirmavit ſe graviter puniturum eum qui occiderit Cain, quantò magis illum qui me interfecerit, cùm ipſe neminem planè occiderim, ſed nè vulneraverim quidem? Gerundenſis, autor Hebræus, ſentit uxores Lamech ideo ſeſe ab ipſo ſeparaſſe quòd primus inveniſſet inſtrumenta bellica, gladios, lanceas, &c. Unde trepidabant nè ob id à Deo puniretur, quòd occaſionem ad cædes & homicidia præbuiſſet: quo metu ut illas liberaret, hoc pacto ſeſe excuſat; Quòd eſſ armorum uſum primus adinvenerit, minimè tamen ob id puniendum, cùm neminem interfecerit, ſicut Cain fecerit. Hactenus Judæorum expoſitiones recitavimus. Ego tamen adſtipulor noſtris Interpretibus & Commentatoribus, qui ſic intelligunt, quòd Lamech revera homicida fuerit, quos autem occiderit Scripturam id non clarè exprimere. Suâque ſponte illud ſuis uxorculis confiteri, conſcientiâ videlicet ipſum ad hoc adigente, quæ certè incorruptus judex eſt, quem nobiſcum circumferimus quocunque terrarum vagamur; nec enim deſtituit nos, ſimus utcunque duri, feroces, opulenti, voluptuoſi, ſed adeſt tandem, accuſat, terret, damnat, & ad deſperationem nos adigit. Et quod dicit, *ſeptuplùm vindicabitur Cain*, certus numerus pro incerto ponitur, more Hebræorum. Sic Matth. 18. *Non dico tibi uſque ſepties, ſed uſque ſeptuagies ſepties*. Magnitudinem autem peccati, necnon & pœnæ, cui longè majori quàm tritavus ſuus Cain obnoxius factus ſit, hoc ſermone ſignificare voluit, quòd exemplo Cain ſibi non caverit à cæde & homicidio. Poſteriorum enim peccata ſemper graviora ſunt. Atque hæc poſtrema lectio, quam noſtri ſequuntur, proximè accedit ad textum Hebraicum.

ויקרא את שמו אנוש אז הוחל לקרא בשם יהוה

Et vocavit nomen ejus Enoſch: tunc cœptum eſt ad invocandum in nomine Domini, Gen. 4.

GRæca & Lat. Vulg. editio diſſentiunt à veritate Hebraica in vocula אז, quam pro demonſtrativo pronomine maſc. generis, *hic*, *iſte*, reddiderunt; cùm ea Hebræis potiùs ſit adverbium temporis, idem valens quod עת ההיא *illo tempore*, *tunc*. Præterea verbum Hebraicum הוחל paſſivum eſt, non activum, *cœptum eſt*, non *cœpit*, ſignificans, ut ſit vera juxta Hebraicam veritatem lectio, *Tunc cœptum eſt invocari nomen Domini*, quomodo & Capnio (piæ memoriæ, primus in Germania S. linguæ inſtaurator) hunc locum in Rudimentis ſuis emendavit, circa radicem חל. Eſt autem hujus loci duplex lectio & expoſitio, etiam ſecundùm Hebræos. Quidam enim ſic intelligunt, quòd Dei cultus, qui per impiam Cain ſobolem collapſus fuerat, per Seth, nato Enoſch, iterum reſtauratus fuerit. Nam Adam cum paucis ſuis Deum quidem colere nunquam intermiſit, ſed jam profertur prædicatio verbi etiam ad alios, ut impii illud ad judicium audiant. Atque huic ſententiæ accedit Paraphraſis Chaldaica, quæ exſtat in exemplari Complutenſi, וקרא ית שמיה אנוש בכן שריאו בני אנשא לצלאה בשמא דיי *Et vocavit nomen ejus Enoſch: Tunc inceperunt filii hominum orare in nomine Domini.* Et quidam Hebræorum arbitrantur ipſum Seth filio ſuo nomen Enoſch, quod *hominem* ſignificat, indidiſſe: quòd ante illum natum homines tanquam bruta animantia ſine Deo, h. e. ſine vero Dei cultu, vixerint. Nunc autem cùm operâ Seth & Enoſch cultus Dei in publicum uſum rurſum redierit, homines ENOSCH appellationem commeruiſſe. Alii præſentem locum ſic explicant, quòd nato Enoſch verus Dei cultus jam ferè conciderat, ac pietas inter homines laborare cœperat, impiâ ſcilicet Cainâ ſtirpe cæde & rapinas omnia adimplente: atque hac de cauſa Seth, propter exulceratum, deploratum & calamitoſum illud ſeculum, filium ſuum ENOSCH, quod non ſimpliciter *hominem*, ſed *miſerum*, *afflictum*, *damnatum* & *calamitoſum* ſignificat, appellaſſe. Et qui hanc ſententiam amplectuntur, verbum הוחל per *profanatum eſt*, exponunt, ut ſit ſenſus, Tunc cœpit cultus Dei profanari & proſtitui, eò videlicet quòd nomen Dei ſacrum ad homines & idola quæ colebant tranſtulerunt, ut exponit etiam R. Schlomo. Atqui huic ſententiæ patrocinatur paraphraſis Chaldaica Onkeli, ut ea habetur in magnis Bibliis Venetianis, quam & R. D. Kimhi ſequitur, qui in libro Radicum in præſentem locum ſic ſcribit, כי בימי אנוש טעו אחר עבודה זרה וקריאה בשם יי"ו הוחלה ויש מפרשין אותו מענין התחלה ופירושו כי אז הוחלו בני אדם לקרא שמות הגלולים והעצבים בשם יהוה *Quoniam in diebus Enoſch erraverunt poſt idololatriam, & invocatio in nomine Domini tunc profanata fuit. Sunt item qui per Incipere exponunt, hoc ſenſu, Tunc inceperunt homines vocare nomina ſimulacrorum & idolorum nomine Dei.* Hactenus Kimhi. Vides jam diverſam hujus loci lectionem & expoſitionem natam eſſe ex ambiguitate verbi הוחל, eò quòd æquivocum eſt ad *incipere*, *profanare*, ſeu *violare*.

ויתהלך חנוך את האלהים ואיננו כי לקח אותו אלהים, *Et ambulavit Hænoch cum Deo, & non ipſe: quia tulit eum Deus*, Gen. 5. 24.

AMbulare coram Deo Hebraiſmus eſt pro, Divinam vitam vivere, ad nutum & voluntatem Dei, veræ pietati & unius Dei cultui vacare. Hunc ſenſum expreſſit Onkelus Chald. ſuâ Paraphraſi, *Et ambulavit Hanoch in timore Dei*, &c. Item Lxx qui legunt, *Et placuit Enoch Deo*, &c. Dein variatio eſt in voce ואיננו & *non ipſe*, & in לקח *tulit*. Hebræorum Commentatores ferè omnes ſic intelligunt; *Hanoch non diu vixiſſe inter mortales, ſed præmaturâ morte fuiſſe præventum, nè malitia mundi mutaret intellectum ejus.* Pro qua ſententia confirmanda citant locos Scripturæ, in quibus verbum לקח *accepit*, pro *mori* uſurpatur, ut ועתה יהוה קח את נפשי ממני כי טוב מותי מחיי, *Nunc itaque, Domine, tolle quæſo animam meam à me, quoniam melior eſt mors mea quàm vita mea*, Jonæ 4. Item הנני לוקח ממך את מחמד עיניך במגפה, *Ecce ego tollo à te deſiderium oculorum tuorum in ipſa plaga*, Ezech. 24. Ubi per *deſiderium oculorum* uxor Prophetæ intelligitur, quam Dominus per mortem è medio tulit, ut mox ſequitur, *& mortua eſt uxor mea*, &c. R. Salomo ſcribit, *Scripturam celarem è vivis emigrationem ſignificare per iſtiuſmodi repetitionem*, ET NON IPSE, QUIA TULIT EUM DEUS. Noſtri Commentatores hunc locum ſic intelligunt, non quòd revera mortuus fuerit Enoch, ſed quòd è terris ad aſtra inſtar Heliæ prophetæ tranſlatus fuerit; ut habet Epiſtola ad Hebræos cap. 11. *Per fidem Enoch fuit tranſlatus, nè videret mortem, nec fuit inventus, propterea quòd tranſtulerat illum Deus: priuſquam enim transferretur, teſtimonium meruerat, quòd placuiſſet Deo*, &c. Atque huic ſententiæ accedit & Onkelus Chaldæus ſuâ verſione, qui legit, *quia non occidit*, ſeu *mori fecit*, *eum Dominus.* Mihi videtur Scripturam hunc modum loquendi uſurpare, cùm non conſtat de morte alicujus, ignoratur quò quis pervenerit, dubitatur an adhuc in vita ſit nécne, ut infrà cap. 42. de Joſeph dicunt ipſius fratres, שנים עשר עבדיך אחים אנחנו בני איש אחד בארץ כנען והנה הקטן את אבינו היום והאחד איננו, *Duodecim fratres ſervi tui ſumus, filii unius viri in terra Chanaan, & ecce junior eſt hodie cum patre noſtro, atque unus non ipſe exſtat.* Et rurſum eodem cap. ויאמר אליהם יעקב אביהם אתי שכלתם יוסף איננו ושמעון איננו *Et dixit ad eos Jacob pater eorum, orbum me feciſtis: Joſeph non exſtat, nec Simeon adeſt*, &c.

ויראו בני האלהים את בנות האדם כי טובות הנה

Viderúntque filii Dei filias hominum quòd elegantes eſſent, Gen. 6. 2.

IN redditione vocum nihil ferè variationis eſt, niſi quòd Onkelus Chaldæus illud בני האלהים, *Filii Dei*, reddidit, בני רברביא, *filii magnatum, potentum.* Qui verò hi *filii Dei* ſint, variant Commentatores hujus loci. Quidam enim per *filios Dei* intelligunt homines juſtos ac pios, qui videlicet à parentibus ſuis in religione ac cultu unius ac veri Dei probè educati erant, quique ex linea ac gente illa erant unde promiſſum ac benedictum ſemen illud futurum erat. Sicut è contrà, *filios hominum*, eos qui de parricida Cain geniti erant intelligunt. Et hos, inquam, filios Dei quoque exorbitaſſe ſentiunt, ità ut adfectibus dediti, violantes matrimonia, promiſcuam libidinem cum filiabus hominum exercuerint. Quem ſenſum ſequitur & R. D. Kimhi in Radicibus ſuis, ubi ſic ſcribit, בני אלהים החסידים והם בנים לשם שהוא אוהב אותם כמו האב את הבן, FILII DEI *ſunt ſancti, ſeu pii, & ipſi ſunt filii Dei, quia ipſe diligit eos ſicut pater diligit filium.* Alii *filios Dei*, Judices, Magiſtratus & Principes exponunt: nam appellatione ELOHIM non rarò in Divinis literis, Judices, Principes & Magiſtratus veniunt, ut ſit ſenſus, in tantum hominum increviſſe malitiam ut omnis juſtitia, æquitas atque honeſtas, apud judices ac magiſtratus, quorum officii erat animadvertere in flagitia hominum, quoque interierit, qui & ipſi facti ſunt ſcortatores, adulteri, raptores, &c. Et hanc ſententiam ſecutus videtur Paraph. Chaldæus. Alii de Angelis exponunt, quos à Deo ad tutelam ac cultum hominum miſſos, illorum conſuetudine atque Satanæ inſidiis, paulatim ad vitia pertractos, mulierúmque congreſſibus inquinatos fuiſſe dicunt: de quo vide apud Lactant. Firmianum lib. 2. cap. 15. A qua ſententia nec quidam Hebræorum abhorruerunt, ſicut apparet ex R. Salomonis

commen-

commentariis, ubi inter cætera sic scribit, בני אלהים הם השרים ההולכים בשליחותו של מקום אף הם היו מתעדבין בהם *Filii Dei sunt principes, qui fungebantur legatione Dei, qui & ipsi commiscuerunt se cum filiabus hominum.* Verùm quia Scriptura in usu habet ut quæ magna, ingentia & valida sunt, conjungat cum nomine Dei, ut, *montes Dei, cedri Dei*, &c. sicut suprà quoque capite primo in hunc locum, *Et spiritus Dei ferebatur super aquas*, annotavi, idcirco per *filios Dei* hîc quoque intelligi possunt gigantes illi robusti qui hoc tempore vivebant, quique in hoc capite propter vastam corporis proceritatem *filii Dei* dicuntur, ut infrà. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis:* postquam enim *ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaque genuerunt; isti sunt potentes à seculo, viri famosi.* Porrò variandi occasionem Expositoribus dedit vocabulum ELOHIM, quod æquivocum est ad Deum, Judices & Angelos.

לא ידון רוחי באדם לעולם בשגם הוא בשר והיו ימיו מאה ועשרים שנה *Non rixabitur spiritus meus in homine in perpetuum, eò quòd ipse caro est, erúntque dies illius centum & viginti anni*, Gen. 6. 3.

VAriatio hîc potissimùm est in verbo ידון, quod Lxx & autor Lat. Vulg. editionis per *permanebit* reddiderunt, cùm propriè Hebræis hoc verbum *judicare, contendere, disceptare, litigare* & *rixari* significat. Unde lectio genuina sic est, *Non contendet* (seu *disceptabit*) *spiritus meus*, &c. Variè autem explicatur hic locus: qui enim Lxx & Vulg. editionis lectionem sequuntur, hunc tenent sensum, *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum*, i. non diu vivet. *Spiritum suum* vocat Deus quem dedit homini, juxta illud Ecclesiast. 12. *Et spiritus redibit ad Deum qui dedit illum.* Unde & illud quod mox sequitur, *Erúntque dies illius centum viginti annorum*, &c. non ad pœnitentiæ, sed ad vitæ humanæ annos referunt, quasi posthac nullus hominum diutiùs 120 annis supervicturus sit. Et in hanc sententiam inclinat & Josephus Historiographus, apud quem lib. 1. Antiq. c. 5. in Latina versione sic legitur, *Condemnavit autem non solùm illorum malitiam, sed & omne genus humanum. Quod dum ei dispergere placuisset, & aliud constituere genus malignitate privatum, & minuere hominum vitam, annísque non tantis quantis priùs vixerant, sed usque ad centum viginti esse mensuram, tunc aridam convertit in maria, & sic universi inundatione perierunt.* Hæc ille. Alii non ad hominis spiritum illum immortalem quo spoliandus sit referunt, sed ad S. Divinum Spiritum, quo Deus *mundum arguit de peccato*: q. d. Deus, Non perpetuò digladiabitur cum homine spiritus meus docendo, admonendo & castigando illum verbo meo, cujus tamen video illum contemptorem esse, sed semel funditus perdam eum, idque brevi; satis diu patienter eum tuli, sed frustrà; video quòd totus carnalis est, malus, perversus, & totus adfectibus deditus. Atqui hæc omnino videtur esse vera & germana hujus loci sententia, cui & Hebræi ferè adstipulantur: R. Salomo enim sic exponit, לא יתרעם ויריב רוחי עלי בשביל האדם לאורך ימים: הנה רוחי נדון בקרבי אם להשחית ואם לרחם לא יהיה מדון זה ברוחי לעולם כלומר לאורך ימים, *Non tumultuabitur & contendet spiritus meus intra me propter hominem diu. Ecce spiritus meus disceptat intra me, num perdam eum, aut illius miserear. Non erit contentio hæc cum spiritu meo in æternum*, q. d. *multis diebus*, &c. Hactenus ille. R. Joseph. Kimhi, ut R. D. K. in libro Radicum annotat, sic explicat, לא יהיה רוחי העליוני שנפחתי באדם במריבה עוד לעולם עם הגוף כי הוא אינו נהנה בתאות הגוף והגוף נמשך לתאות הבהמות וזה באשר הוא בשר ובתולדת הבשר שקועות וקבועות התאוות אעריך קכ" שנה אם יחזרו בתשובה ואם לאו אכלה אותם מן העולם, *Non erit spiritus meus, qui è supernis est, quem spiravi in hominem, in perpetua illa contentione quam habet cum corpore. Quoniam ipse non delectatur concupiscentiâ corporis; corpus enim sequitur adfectus brutales, quod indè provenit, quòd caro est. Et in nativitate illa carnali immersi ac infixi quodammodo sunt adfectus illi: differam ergò adhuc 120 annis, si fortè pœnitentiam agerent; quòd si non, tollam eos de mundo.* Hactenus R. Joseph. Porrò nec desunt apud Hebræos qui verbum ידון à nomine נדן quod *vaginam* significat, deducunt: q. d. *Non vaginabit spiritus meus in homine*, i. non erit tanquam in vagina detentus spiritus meus in homine, *corpus* enim (inquiunt) *est veluti vagina spiritûs.* Et huc nimirum respexerunt Lxx cum sua versione, quam & Lat. Vulg. editio sequitur, qui legunt, *Non permanebit spiritus meus in homine*, &c. D. Hieronymus in Quæst. suis Hebraicis hunc locum sic tractat, *In Hebræo ità scriptum est*, Non judicabit spiritus meus homines istos in æternum: quia carnes sunt, *h. e. quia fragilis est in homine conditio, non eos ad æternos servabo cruciatus; sed hîc illis restituam quod merentur. Ergò non severitatem, ut in nostris codicibus legitur, sed clementiam Dei sonat, dum peccator pro suo scelere visitatur, unde & iratus Deus loquitur ad quosdam*, Non visitabo filias earum cùm fuerint fornicatæ, & sponsas earum cùm adulteraverint. *Et in alio loco*, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in flagellis peccata eorum; veruntamen misericordiam meam non auferam ab eis. *Porrò nè videretur in eo crudelis esse, quòd peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adjecit*, sed erunt dies eorum centum viginti anni, *h. e. habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta est; sed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati sunt. Siquidem invenimus quòd post Diluvium Abraham vixerit annos 175, & cæteri amplius 230 annis. Quia verò pœnitentiam agere contempserunt, noluit Deus tempus exspectare decretum, sed 20 annorum spatiis amputatis, induxit Diluvium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.* Hactenus D. Hieronymus, Capnio (piæ memoriæ) in Rudimentis suis Hebraicis hunc locum in Latinis Bibliis ad veritatem Hebraicam emendans, sic scribit, *Hebraica veritas habet secundùm R. Salomonem & Lyram, Non disceptabit spiritus meus in æternum, quod ex Chaldaica expositione licet intelligere, Non erigetur generatio putrida contendere coram me in æternum.* Hæc propterea ex Capnione huc referre libuit, ut scias illum hallucinatum in citatione textûs Chaldaici, idque in voce הדין, quam verbaliter pro *contendere* vertit, cùm ea sit pronomen demonstrativum, respondens antecedenti vocabulo דרא, i. *generationi*, hoc modo, *Non consistet, durabit* (seu *permanebit*) *generatio mala hæc coram me in æternum*, &c. Attende postremò (etsi fortè leviculum hoc sit) variari quoque in vocabulo באדם, quod alii singulariter, *in*, vel *cum*, *homine*, alii pluraliter, *in*, vel *cum*, *hominibus* vertunt: cujus causa est, quòd אדם Hebræis sub eadem forma utriusque numeri est. Singulariter tamen hîc potiùs accipiendum esse, argumentum est illud quod mox sequitur, *Eò quòd ipse est caro.* Item, *Et erunt dies ejus centum*, &c.

תחתים שנים ושלשים תעשהו *Cum interstitiis inferioribus, mediis, & tertiis facies eam*, Gen. 6. 16.

LAtinus Vulg. Interpres minus habet quàm Hebræa: sic enim reddidit, quasi Arca duo tantùm habitacula habuerit, cùm tamen tria fuerint, solum, medium, & supremum. Sicut Onkelus & Lxx rectè intellexerunt.

ויסגור יהוה בעדו *Et clausit Dominus circa ipsum*, Gen. 7. 16.

VAriatio est in voce בעדו, quæ non propriè *foris*, ut Septuaginta & Autor Lat. Vulg. editionis transtulerunt, significat, sed potiùs *circa eum*, *pro eo*, *ante eum*, ut

Capnio

Capnio legit in Rudimentis suis Hebraicis. Ut sit sensus, Dominum undique Arcam communivisse, nè ingrederentur aquæ & suffocarent Noah, unà cum omnibus quæ in Arca erant. Unde & Onkelus, sensum magis quàm verba reddens, legit, *Et protexit Dominus*, &c.

וישלח את העורב ויצא יצוא ושוב עד יבושת המים מעל הארץ

Et emisit corvum: qui egressus est egrediendo & redeundo, donec siccarentur aquæ super terram, Gen. 8. 7.

SEptuaginta dissentiunt à veritate Hebraica ac Chaldaica, quòd hunc locum negativè habent, quasi nunquam in Arcam reversus fuerit corvus. Cùm tamen omnes codices Hebræi non habeant negativam. Autor ergò Lat. Vulg. editionis, aut Lxx imitatus esse videtur, aut à sciolo quodam vel à librariis negativa in textum irrepsit, cujus conjectura est, quòd in scriptis vetustis cod. ea non legitur, neque etiam in Complutensi editione. Et licèt ea quoque habeatur apud Hieronymum in Quæst. Hebraicis, tamen & apud illum locus depravatus esse videtur; id quod facilè apparet ex ipsius Hieronymi verbis ibidem sic scribentis, *Post quadraginta dies aperuit Noe ostium Arcæ quod fecit, & emisit corvum: & egressus non rediit ad eum, donec siccaretur aqua de terra; pro Ostio Fenestra scripta est in Hebræo. Et de corvo aliter dicitur, Emisit corvum & egressus est, exiens & non revertens, donec siccarentur aquæ de terra.* Hæc Hieron. Sed quomodo *aliter*, ut ille inquit, *in Hebræo dicitur*, si relinquis negationem quam Hebr. non habet? Quare & hîc apud Hier. in secunda hujus loci lectione perperàm adjecta videtur. Minùs ergò firma est communis illa Expositorum opinio, quæ cùm apud Græcos tum Latinos ferè obtinuit; Corvum scilicet in aliquo cadavere devorando detentum fuisse, quod postea allegoricos ad homines mundanos, qui ventris causâ fide & ecclesiâ excidunt, trahunt. Quæ certè opinio ex malesida interpretatione nata est. Juxta veritatem ergò Hebraicam simplex hujus loci sensus is est, Corvum emissum egressum fuisse, ultróque citróque volando toties reversum fuisse, donec siccatæ fuerint aquæ super terram. Quam sententiam commentator Hebræus Aben Ezra Hebraicè sic tradit, שלח את העורב ותמיד היה הולך ושוב עד שיצא נח כי כן אמר עד יבושת המים וביום שיבשה הארץ יצא נח וכל אשר אתו: *Emisit corvum, qui jugiter ibat & revertebatur, donec egrederetur Noah, sic enim dicit,* DONEC SICCARENTUR AQUÆ. *Et in die quo exsiccata est terra, egressus est Noah, & omnes qui cum eo erant.* Hæc ille.

והנה עלה זית טרף בפיה

Et ecce folium olivæ decerptum in ore ejus, Gen. 8. 11.

AUtor Latinæ Editionis variat à veritate Hebraica & reliquis Interpretibus, quòd pro עלה, quod *folium* propriè significat, *ramum* legit, & טרף, quod *decerptum* significat, sicut & Chaldæus paraphrastes רביר, i. *fractum* reddidit, *virentibus foliis* vertit. Ad sensum igitur magis quàm ad verba respexit. Capnio quoque in Lexico suo Hebraico hunc locum in Vulg. editione ad veritatem Hebraicam sic emendat, *Et ecce folium olivæ raptum in ore suo.*

אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו: ואך את דמכם לנפשותיכם אדרש מיד כל חיה אדרשנו ומיד האדם מיד איש אחיו אדרש את נפש האדם: שפך דם האדם באדם דמו ישפך כי בצלם אלהים עשה את האדם

Veruntamen carnem cum anima suâ, sanguine suo, non comedatis. Insuper & sanguinem vestrum animarum vestrarum requiram, de manu omnis bestiæ requiram eum, & de manu hominis, de manu viri fratris sui requiram animam hominis. Fundens sanguinem hominis, per homines sanguis ejus fundetur, quia in imagine Dei fecit hominem, Gen. 9. 4, 5.

MUltùm variatur circa hunc locum ab omnibus Interpretibus ac Commentatoribus, non tam in verborum redditione quàm & in ipso sensu. Primùm ergò ostendam ubi sit variatio, dein, quis mihi videatur hujus loci verus ac genuinus sensus esse. Primùm variatio est in illo, אך בשר בנפשו דמו. Quidam enim legunt, *carnem in anima suâ, & in sanguine suo.* Alii, *carnem cum anima suâ, & cum sanguine suo.* Cui diversæ lectioni occasionem dedit ב litera, quæ vel *in*, vel *cum*, significare potest. Sic autem explicant, quasi duo hîc prohibeat Deus; Alterum, nè quis membrum de vivo animali abscissum edat; alterum, nè & pecudum sanguis edatur. Alii verò sic legunt, quasi tantùm sanguinis esus prohibeatur, ità ut unum & idem per *animam* & *sanguinem* significetur, ídque per appositionem schema, frequens admodum Hebræis. Dein quod mox sequitur, *Insuper & sanguinem animarum vestrarum*, &c. quidam sic legunt, *Sanguinem vestrum & animas vestras requiram*, &c. quo duo quoque vetari putant. Primum, nè quis vel suum proprium sanguinem mortem sibi consciscendo fundat; alterum, nè quis vel seipsum strangulet, aut laqueo vitam suffocet, putans hoc ipsum sibi impunè licere, cùm fiat citra sanguinis effusionem. Præterea variatur circa hæc, *Et de manu hominis, de manu viri fratris sui*, &c. Quidam enim sic explicant ut prius sit intelligendum de eo qui temere datâque operâ aliquem interficit; posterius verò de eo qui à casu aliquem opprimit, atque ità occidit. Nec desunt qui eandem rem innui volunt hâc locutione, ità ut posterius sit explicatio antecedentis, nec aliud vetari quàm nè âlter alterum interficiat. Postremò variatio est circa hoc באדם. Quidam enim legunt, *per hominem*, sive *homines*, (nam אדם vox Hebræis sub una forma utrique numero servit) & intelligunt magistratum, per quem puniri debeat homicida: quem sensum sequitur Paraph. Chaldæus. Alii, *propter hominem* interfectum, sive *pro homine* interfecto: quam lectionem Lxx habent. Alii, *coram hominibus*, i. palàm, ut sit exemplum ac terror aliis. Alii, *cum hominibus*, i. cum testibus. Hanc diversam lectionem peperit ב litera, præserviens voci באדם, quæ, *per*, *pro*, *propter*, *coram* & *cum*, juxta sententiæ convenientiam, significare potest. Cæterùm Lat. Vulg. interpres hanc vocem penitus non expressit, tantùm enim legit, *Quicunque enim effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius.* Jam quid ipse sentiam paucis dicam. Quatuor hîc potissimùm aguntur; Primùm interdicitur esu sanguinis pecuini, ut hinc discant homines eò magis abstinere à fusione sanguinis humani: nam si non licet pecudis sanguinem edere, multò minùs licet humanum sanguinem fundere. Alterum, in tantum execratur Deus homicidium, quòd nè bestiæ hominem interficienti parcere velit nedum homini; unde est quòd postea in Lege taurus cornupeta occîdi præcipitur. Tertium, lex talionis ponitur, & datur gladius magistratui in manum tanquam Dei ministro, per quem homicida publicè, aliis in exemplum ac terrorem, puniri debet, sicut eleganter hunc sensum expressit Chaldæus suâ Paraphrasi. Quartum, causa redditur cur tantopere Deus homicîdium detestetur, quia excellens creatura est homo, ad imaginem Dei conditus. Sed quò hæc tibi magis clarescant, Hebraismos qui hoc in loco sunt obiter quoque enarrabo. *Animam* animantium sanguinem vocat, quòd ea sanguine & halitu potissimùm contineatur. Sicut & clarus Hebræorum commentator Aben Ezra hunc in modum explicat, אך בשר בנפשו דמו כן טעמו אך בשר עם נפשו שהוא דמו לא תאכלו כטעם לא תאכל הנפש עם הבשר כי נפש כל בשר דמו בנפשו הוא ואת הנפש המתנועעת והמרגשת היא נוף, Quorum hæc sententia est, *Veruntamen carnem cum anima suâ, sanguine suo*, &c. i. *Veruntamen carnem cum anima suâ,*

quæ est sanguis ejus, non comedatis. q.d. Non comedas animam cum carne: nam anima omnis carnis sanguis ejus in anima ejus est, atque hæc est anima vegetativa & sensitiva, nempe ipsum corpus. Hæc ille. Asserit igitur hîc præcipi, nè animantes ipsas cum sanguine vorarent homines, propterea quòd cujusque animantis anima sanguine continetur. Quod & Chrysostomus sentit, hoc loco scribens, Ὁ λόγος αἰνίσσεται, ὅτι τὸ αἷμα ἦν ἄλλων ζώων, ἡ ψυχὴ ἀυτῶν ὄυτι, *Innuitur*, inquit, *his verbis, sanguinem cæterarum animantium esse earum animam.* Deuteronomii quoque cap. 12. idem apertè significatur, ubi de sanguine dicitur, כי הדם הוא הנפש, *quia sanguis est anima*; deinde dicitur, Atque ideo *non comedes animam cum carne.* Porrò *sanguinem hominis requirere de manu hominis* est Extremo supplicio afficere eum qui hominem occiderit sanguinémque ejus fuderit. *De manu viri fratris sui*, i. de manu uniuscujusque proximum ejus requiram: vel, de manu uniuscujusque qui frater & proximus erat ei quem interfecit. Frequentissimum enim est apud Hebræos *fratrem* pro proximo & *virum* pro unoquoque accipi.

ארור כנען עבד עבדים יהיה לאחיו׃

Maledictus Chanaan, servus servorum erit fratribus suis, Gen. 9.25.

QUOD ad verborum redditionem attinet, parùm vel nihil est discriminis, omnia siquidem in idem recidunt. In sensu verò hujus loci diversitas est. Pleriq; sic exponunt quasi Chanaan etiam inter servos servus esse debeat, h. e. servilissimus servus. Et ut Hebræi dicunt, עבד העולם, *servus mundi*, ut quisquis in eum incidat pro servo abutatur. Ut *servus servorum* ejusmodi locutio sit quales illæ sunt, *Cantica canticorum*, *Rex regum*, *Dominus dominantium*, &c. quibus excellentia denotatur. Quò nimirùm & Lxx respexerunt, qui legunt, *Servus domesticus erit fratribus suis, cujus videlicet opera ad vilissima quæque trahatur.* Ab his tamen dissentit Aben Ezra, qui sic intelligit, non quòd Chanaan *servus servorum* esse debeat, i. servus inter servos, vel, servis serviens, h.e. omnium vilissimus servus; sed quòd unus ex servis esse debeat, i. unus ex illis qui servituti subjici debeant. Atque similem locutionem esse dicit & illam, קדש קדשים *sanctum sanctorum*, i. unum ex sanctis.

הוא היה גבור ציד לפני יהוה׃

Ipse fuit fortis venator coram Domino, Gen. 10.9.

IN sensu potiùs quàm in vocabulorum interpretatione circa hunc locum variant Commentatores. Nostri omnes hanc de Nimrod historiam in malam partem interpretantur, quòd scilicet primus omnium fuerit qui post Diluvium tyrannidem exercere inceperit: violentiâ enim suâ quodque invadens, ad tutanda quæ rapto & latrocinio occupaverat, munitas urbes pro sui defensione exstruxit, tantæque audaciæ fuit, quòd nec Deum ob scelera sua veritus est; id quod significari volunt per istam locutionem לפני יהוה *coram Domino*. Huic sententiæ apud Hebræos adstipulantur Gerundensis & R. Schlomo, qui illi à *rebellando* nomen inditum sentit. Nam מרד Hebræis *rebellare* significat. Simulatque *venator* dictus est, quòd scilicet verborum suorum illecebris homines venatus sit, quos ubi in sententiam suam pertraxit, Deo quoque rebelles esse effecit. Cæterùm Aben Ezra & post illum R. D. Kimhi illud, *coram Domino*, in bonam partem accipiunt; nempe quòd Nimrod altaria exstruxerit, in quibus feras quas venatus erat Domino, se ità gratum ostendere volens, obtulerit. Idem quoque Kimhi per amplificationem dictum esse putat illud לפני יהוה *coram Domino*, ad indicandum quòd tum sub cœlo nemo in potentia illi æqualis fuerit. Porrò diversæ hujus expositionis causa fuit schematismus Hebraicus, *coram Domino*, qui in utramque partem, bonam & malam, aliquando in Scripturis accipitur. In bonam, Gen. 27. ואברככה לפני יהוה לפני מותי, *Et benedicam tibi coram Domino ante mortem meam.* In malam, Gen. 6. ותשחת הארץ לפני האלהים, *Et corrupta est terra coram Deo.* Mihi nostrorum sententia magis probatur.

עד אלון מורה׃

Usque ad planiciem Moreh, Gen. 12.6.

VAriatio est in voce אלון, quam omnes Hebræi pro *planicie*, sicut & Onkelus reddidit, exponunt. Excepto uno Aben Ezrâ, qui utramque lectionem probat, ut vel pro עצים *arboribus*, quod Lxx sequuntur, *quercum* vertentes, vel pro שדה, i. *agro, campo* seu *planicie* exponatur. Tu verò scias אלון Hebræis *quercum* potiùs quàm אלון significare. Facile est autem *Allon* pro *Ellon* legere, præsertim si vocabula non sunt punctata, quæ res nimirum & Lxx imposuit. Cæterùm *Moreh* nomen viri est, teste Gerundensi, sicut & alius locus *planicies Mamre* à viro sic denominato vocatur. Hallucinantur ergò Lxx & Vulgatus interpres, quòd מורה pro nomine appellativo exponunt, quasi sit nomen verbale, à verbo ראה *aspexit*, ut quidam autumant, deductum: quasi dicas, *aspectus*, aut *spectabile & perspicuum*. Alii putant hunc locum sic appellatum, quòd is sit in quo apparuerit Deus Abrahæ, eique præceperit ut iret in terram visionis, quæ & causa sit cur Lxx verterint *excelsam*, ad prospectum scilicet & visionem aspicientes.

ומלכי־צדק מלך שלם הוציא לחם ויין והוא כהן לאל עליון׃

Et Malkizedec rex Salem protulit panem & vinum: quippe qui erat sacerdos Dei altissimi, Gen. 14.18.

PLacuit hunc locum huc quoque referre, non quòd controversia aliqua sit in translationibus (omnes enim pulcrè conveniunt) sed ob id maximè quòd quidam ex Commentatoribus verbum הוציא per *sacrificare* & *offerre* exponunt, quasi Melchisedec ea de causa panem & vinum protulerit ut ea Deo sacrificaret, cùm tamen הוציא non *sacrificare* propriè, sed *proferre, efferre* & *depromere* significat, quâ significatione & hîc quoque accipiendum est. Fuit enim olim celebris mos è bello redeuntibus ac victoriâ potitis, pane & vino refocillandi causâ, obviàm ire, atque ità excipere: Sicut patet etiam ex 8. cap. Judicum, ubi Gideon Madianitas insequens ad viros Succoth dicit, *Date quæso populo qui me comitatur massæ panum, quoniam fatigati sunt, & ego persequor Zaba & Zalmunna reges Midian. Et respondérunt principes Succoth, Numquid manus Zaba & Zalmunna jam est in manu tua, ut tradamus exercitui tuo panes?* &c. Eadem invenies & apud F. Josephum lib. Antiq. 1. cap. 11. ubi sic scribit, *Ministravit autem iste Melchisedec Abraham exercitui xenia, & multam abundantiam rerum opportunarum simul exhibuit, & super epulas eum collaudare cœpit, & benedicere Deum, qui ei subdiderat inimicos.* Similia & R. Schlomo Hebræus commentator in h. l. scribit, כן עשים לניעי מלחמה והראה לו שאין בלבו עליו על שהרג את בניו, *Sic faciebant his qui bello defatigati erant. Simulatque ostendit ei, quòd nihil haberet in corde suo adversus eum, quòd occidisset filios suos.*

ובן משק ביתי הוא דמשק אליעזר׃ *Et filius dispensationis mea sit iste Damascenus Eleezer?* Gen. 15.2.

OMnis variatio circa hunc locum ex schemate Hebraico בן משק non probè intellecto nata est. Lx. Vulg. interpres sic intellexisse videtur quasi procurator domûs Abrahæ filium habeat, quem Abraham suorum bonorum heredem futurum dicat, posteaquam sibi non fit proprius filius. Atque ità etiam Theodotio intellexit, ut est videre apud D. Hier. in Quæst. Hebraicis, ubi sic legitur,

τυρ, ὁ υἱὸς τῆς οἰκίας μου, *filius ejus qui super domum meam est.* Verùm tu noveris hunc esse hujus loci sensum germanum. Duo conqueritur Abraham; Alterum, quòd sibi non sit proprius & germanus filius cui domûs suæ curam demandet. Alterum, quòd nec habeat verum suorum bonorum heredem; sed necesse sibi esse ut per servum alienigenam Eleazarum Damascenum domum suam procuret, eundémque tandem omnium suorum bonorum heredem futurum. Ad priorem sententiam pertinet quod dicit, ובן משק ביתי הוא דמשק אליעזר, *Et filius dispensationis domûs meæ, ipse est Damascenus Eliezer.* Ad secundam pertinet quod mox sequitur, *Ecce filius domûs meæ heres meus est.* Nota Hebraismum, *filius dispensationis* (seu *procurationis*) pro, dispensator, procurator, œconomus. Sicut dicitur, *filius mendacii, veritatis, doli, iniquitatis*, &c. pro, mendax, verax, dolosus, iniquus, &c. Eadem locutio est, *filius domûs meæ*, pro, qui præest domui meæ. Atque hunc sensum habet & Onkelus in sua Paraphrasi, בר פרנסא הדין *filius cibationis (vel gubernationis) iste:* utrumque enim פרנס & *cibare & gubernare* significat. Vult ergò sic dicere Abraham, tota domus mea alitur, regitur & gubernatur per alienigenam servum meum: quòd si mihi filius esset, illi omnem domûs meæ curam committerem, qui denique verus ac legitimus mearum facultatum heres futurus esset. Ad hunc modum quoque hunc locum R. Salomo commentator Hebræus exponit. Porrò Hebræi in ostendenda vocis משק origine variant. Quidam enim, ut R. D. Kimhi, deducunt à verbo שוק, quod *discurrere* significat: hinc משק, est הליכה התחתרה *frequens discursus*, ut solent ultro citróque cursitare œconomi, quibus omnia domi agenda commissa sunt. Alii, præsertim R. Joseph Kimhi, משק à משק, quod *relinquere* significat, deducunt: unde בן משק *filius relictionis* exponit. Quasi dixerit Abraham, בן שאשוב כל אשר לי בידו והוא דמשק אליעזר *Filius in cujus manu relinquam omnia quæ mihi sunt, ipse est Damascenus Eliezer.* Hinc fortassis moti fuere qui ex junioribus Interpretibus משק pro *sterili & relicta* exposuere, remotissimo meo judicio hujus loci sensu. Græca translatio משק vocabulum sic reddidit quasi proprium nomen mulieris sit. Id quod sæpe facit & in aliis locis ubi Hebræa illi non satis manifesta fuere.

והאמין ביהוה ויחשבה לו צדקה, *Et credidit Domino, & reputavit hoc illi in justitiam*, Gen. 15. 6.

Quod verum sensum hujus loci attinet, omnia probè & eleganter ab Interpretibus reddita sunt. Tantùm in verbo ויחשבה discrepantia est, sed quæ sensui planè nihil officit: impersonaliter enim reddidere interpretes, cùm apud Hebræos activum verbum sit, ad verbum sic reddendum, *Et reputavit ei illam ad justitiam*; illam scilicet fiduciam, i. ob eam credulitatem quia credidit Deo liberos promittenti justus apud ipsum Deum habitus est. Sicut & R. Salomo Hebræus commentator hunc locum redè sic explicat, הקב"ה חשבה לאברהם לזכות ולצדקה על האמנה שהאמין בו *Deus benedictus reputavit ipsi Abrahamo pro merito & justitia fiduciam quam in eo habuit.* R. D. Kimhi in libro Radicum verbum האמין *credidit*, deducit ab אמונה, quod *veritatem, soliditatem, constantiam & firmitatem* significat, eò quòd qui alicui credit omnémque suam fiduciam in illo collocat, tribuit illi veritatem, constantiam & firmitatem, quòd minimè fallere possit. Quæ propterea ex Kimhi huc refero, quòd videntur aliquo modo facere ad enucleationem præsentis loci. Unde enim est quòd tantopere fidem & nihil prius illâ à nobis requirit Deus, nisi quòd fides illi summum bonum, veritatem tribuit?

כי לא שלם עון האמורי עד הנה, *Quia nondum est impleta iniquitas Æmorræi usque nunc*, Gen. 15. 16.

Nulla ferè hîc variatio est, nisi quòd verbum Hebraicum שלם alii singulariter alii pluraliter reddunt. In voce עון exponenda Hebræorum commentatores nonnihil variant: quidam enim simpliciter pro *peccato & iniquitate* accipiunt, hoc sensu, Nondum perpetraverunt Amorræi ea scelera quæ perpetrari oportet, priusquam expellantur suâ terrâ. Alii pro *pœna peccati* interpretantur, sicut *peccati* vocabulum sæpe hanc vim significandi habet. Sæpe dicitur in Lege, *Portabit peccatum suum*, pro, pœnam peccati sui. Sic quidam accipiunt illud infrà de Cain, גדול עני מנשא *Major est iniquitas mea quàm ut veniam merear*, pro, Major est pœna iniquitatis meæ quàm ut portare, ferre & sustinere queam. Hujus generis est & illud de Christo, *Hic est agnus Dei, qui portat peccata mundi.* Item, *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis fecit peccatum*, 2 Cor. 5. R. D. Kimhi hunc locum Hebraicè sic explicat, ר"ל לא הגיע זמן עונש האמורי להורישם מארצם עד כלות ארבע מאות שנה על דרך שאמר כי ברשעת הגוים האלה י"י אלוהיך מוריש אותם מפניך והוכיר האמורי כי הוא הגדול שבשבעה אומות כמו שאמר הנביא ואנכי השמדתי את האמורי מפניהם אשר כגבה ארזים וחסין כאלונים, *Nondum appropinquavit tempus pœnæ Amorræi, ad ejiciendum eos de terra sua, donec consummentur 400 anni, juxta illud quod alibi dicitur, Sed propter impietatem gentium istarum Dominus Deus tuus deturbat eos à conspectu tuo. Meminit autem Amorræi eò quòd ipse maximus fuit inter septem populos, sicut dicit Propheta, Et ego delevi Amorræum à facie eorum, cujus altitudo erat quasi proceritas cedrorum, erátque tam fortis sicut sunt quercus.* Hactenus Kimhi.

ותאמר שרי אל אברם חמסי עליך

Et dixit Sarai ad Abram, Injuria mea super te est; Gen. 16. 5.

Variatio est circa hæc חמסי עליך. Et quanquam verba nonnihil varient, tamen sententia eadem est: Hoc enim vult dicere Sarah, Injuria quæ mihi infertur super te est, i. tibi imputanda est, justè possum de te conqueri.

ועל פני כל אחיו ישכון

Et in facie omnium fratrum suorum habitabit; Gen. 16. 12.

Quod ad redditionem verborum attinet, nulla ferè est dissonantia, tantùm in sensu reddendo apud Expositores est diversitas. Quidam sic hunc locum intelligunt; Quòd Ismael, tametsi agrestis, ferus ac bellicosus homo futurus sit, qui omnibus facturus sit negotium, cum fratribus tamen suis, filiis scilicet Keturæ, pacem ipsum habiturum. Verùm hic sensus mihi planè alienissimus videtur: nihil enim quod Ismaelis humanitatem morúmque suavitatem commendet, hîc tractatur; sed omnia nihil quàm ejus feritatem ac crudelitatem ostendunt. Quare illorum sententia mihi magis probatur qui præsentem locum sic explicant, Tantam nempe fore Ismaelis feritatem, inhumanitatem ac crudelitatem, ut eam quoque in fratres suos quoslibet sit declaraturus. Omnis vis sita est in schemate Hebraico על פני, quod ad verbum sonat *super faciem*, vel *contra faciem*, vel *coram.* Gen. 11. idem schema Hebraicè sic legitur, וימת חרן על פני תרח אביו, *Et mortuus est Haran super faciem Tarah patris sui.* Quo significatur Haran coram patre suo, h. e. vivente adhuc & vidente patre suo, mortuum fuisse. Hanc vim hîc quoque habet, ועל פני כל אחיו ישכון, q. d. Er wirt für seinen brüderen wol bleiben, sie werden im miessen zusehen, aber nit weren kunden.

ותקרא שם יהוה הדבר אליה אתה אל ראי כי אמרה הגם הלם ראותי אחרי ראי, *Et illa vocavit nomen Domini loquentis cum ea, Tu Deus vides me: dixit enim, Nónne etiam hîc vidi post videntem me?* Gen. 16. 13.

VAriatio hîc potissimùm circa hæc est, הגם הלם ראיתי אחרי ראי, quæ ad verbum sic redduntur, *Nónne etiam hîc vidi posteriora videntis me?* Primùm ergò recensebo quàm variè hunc locum exponant autores; dein & meam sententiam adjiciam. R. Salomo sic explicat quasi admirabunda dixerit Agar, Quis putasset, quòd etiam hic in deserto vidissem Dei nuncium, putà angelum, quem in domo Abrahæ videre consueta sum? Et juxta hanc R. Salomonis sententiam, illud, אחרי ראי vertendum erit, *post videre meum*, i. postquam vidi, scilicet in ædibus Abrahami. Aben Ezra ità exponit, *Nónne etiam hîc vidi angelum Dei, postquam Deus vidit afflictionem meam?* ipse enim est qui me semper videt. R. D. Kimhi aliam adfert expositionem, nempe hanc, *Numquid hîc vidi postquam fui videns? h. e. cùm loqueretur, non cognovi illum esse angelum Dei, sed ut lapsu est subitò ab oculis meis, jam cognovi quòd sit angelus Dei. Vidi igitur aliud postquam evanuit ab oculis meis quàm cùm loqueretur mecum.* Alii ad hunc modum explicant, *Num etiam hîc vidi post videntem me?* Interrogatio est, quæ responsionem negativam postulat, q.d. Vidíne illum abeuntem qui me vidit, sive apparuit mihi? non vidi; unde cognovi esse angelum Domini: nam quamdiu colloquebatur mecum, videbam illum: mox ità disparuit ut videre non potuerim, quem abeuntem videre potuissem si homo fuisset. Verè igitur cognovi Dominum misisse mihi angelum suum qui me consolaretur. A subita disparitione collegit angelum esse Domini. Jam ut meam sententiam dicam, mihi certè Lat. Vulg. editio in hunc locum omnium maximè probatur, quæ sic habet, *Profectò hîc vidi posteriora videntis me.* Nam omnino Hebræa hunc sensum habere videntur, quòd Agar cum admiratione quadam, animum gratum præ se ferente, Deíque beneficium agnoscente, laudibus quodammodo extulerit apparitionem illam Divinam sibi in deserto factam, quod minimè speraverat. Unde & ab illo beneficio insperatóque eventu, Dominum Deum visionis appellat, quòd scilicet omnia videat, maximè sanctos suos, cósque afflictos. Dicit autem, *Vidi posteriora videntis me*, eò quòd ipsum Dominum, seu angelum ejus, similitudine humanâ viderat. Sic enim in Scripturis quibus aliquâ formâ aliquando Deus apparuit, *posteriora*, non faciem, *Dei vidisse* dicuntur, ut Exod. 33. dicebat Dominus ad Mosen, וראית את אחרי ופני לא יראו, *Et videbis posteriora mea: facies autem mea non videbuntur.*

ובן שמנת ימים ימל לכם כל זכר לדרותיכם יליד בית ומקנת כסף מכל בן נכר אשר לא מזרעך הוא: המול ימול יליד ביתך ומקנת כספך

Et filius octo dierum circumcidetur in vobis, omnis scilicet masculus in generationibus vestris, filius familiâs, & qui pecuniâ emptus est à quocunque extraneo filio, qui non est de semine tuo. Circumcidendo circumcidetur filius domûs tuæ, & qui acquisitus est pecuniâ, Gen. 17. 12.

LAtina Vulg. editio minus habet quàm veritas Hebraïca. Omissa enim in illa est hæc clausula, המול ימול יליד ביתך ומקנת כספך, *Circumcidendo circumcidetur nativus domûs tuæ, & possessio argenti tui.* Quæ fortè propterea omissa sunt quòd videbantur otiosè repeti: sunt enim hujusmodi repetitiones crebræ in Hebraïsmo.

וברכתי אותה וגם נתתי ממנה לך בן וברכתיה והיתה לגוים מלכי עמים ממנה יהיו

Et benedicam ei: dedi quoque ex ea tibi filium, benedicam eum, erítque in gentes, & reges populorum ex ea nascentur, Gen. 17. 16.

SEptuaginta & Lat. Vulg. editio in hoc dissentiunt à veritate Hebraica, quòd benedictionem illam ad filium referunt, reddentes pronomina relativa in masc. genere, cùm tamen ea omnia in Hebræo feminini generis sint, & ipsam Saram referant, hoc modo, *Et benedicam eam, dabóque ex ea tibi filium, & reges populorum ex ea nascentur.* Levicula quidem hæc fortè alicui videbuntur, sed quæ revera obscurant promissionem quam hîc Deus Ecclesiæ suæ promittit, cujus typum gerit Sarah.

ושרה שמעת פתח האהל והוא אחריו

Sarah verò hoc audiebat in ostio tabernaculi, quod erat post illum, Gen. 18. 10.

VAriatio est circa hæc, והוא אחריו, &c. quod variè cùm redditur tum exponitur. Quidam sic legunt, *Et Sara audiens ad ostium tabernaculi, & ipsum* (scilicet *ostium*) *post eum* (scilicet *Abrahamum*) *erat.* Aben Ezra sentit angelum fuisse post tabernaculum, in cujus ostio sedebat Abraham. Alii dicunt ostium tabernaculi ipsius Saræ fuisse post tabernaculum Abrahami. R. Salomo sic explicat, הפתח היה אחר המלאך, *ostium erat post angelum.* Atqui hæc omnino apparet hujus loci esse vera & genuina lectio, ut intelligas tabernaculum in cujus ostio Sara audiebat verba angeli cum Abrahamo loquentis illi à tergo fuisse, sic ut angelus aversâ facie ab ostio tabernaculi in quo Sara erat cùm Abrahamo collocutus fuerit, quod propterea refert Scriptura, ut videas angelum non ignorasse quòd Sara risit, tametsi steterit à tergo ejus, nec viderit eam ridentem. Hujus loci lectio nata est ex ambiguitate vocum והוא & אחריו, quæ vel ad *angelum*, vel ad *ostium*, vel ad *tabernaculum* referri possunt.

חדל להיות לשרה ארח כנשים

Et cessaverat fieri Sara via secundùm mulieres, Gen. 18. 11.

SEptuaginta & Lat. Vulg. editio ad sensum potiùs quàm ad verba respexere. Est autem *cessare viam secundùm mulieres* Hebraïsmus, quo circumloquuntur mulierem effœtam, quæ propter senium non ampliùs patitur menses. Quidam ad mores referunt, quasi desierit esse moribus ineptis ac juvenilibus. Alii de coitu exponunt, quòd ejus ampliùs minimè adpetens fuerit. Verùm prima sententia simplicissima est.

שוב אשוב אליך כעת חיה והנה בן לשרה אשתך

Revertendo revertar ad te, juxta tempus vitæ, & ecce filius erit Saræ uxori tuæ, Gen. 18. 14.

OMNIS variatio hîc est circa hæc כעת חיה, quæ ad verbum si reddas, sonant, *juxta tempus vitæ*, seu, *viventis.* Quæ quidam, quod ad sensum attinet, ad *fœtum* referunt: q. d. angelus, Revertar anno revoluto, circa tempus quo natus erit filius. Alii ad *Parentes* referunt, hoc sensu, Revertar ad te tempore isto sequentis anni, quo vos omnes eritis vivi & incolumes: quam sententiam habet Onkelus Chald. in sua paraphrasi; quem sequitur & R. Salomo, & post illum Gerundensis. Nonnulli de Sara dictum putant, ut Aben Ezra, qui sic explicat, כעת הזאת בשנה האחרת ושרה חיה, *Juxta tempus hoc, in anno altero, & Sara viva erit atque incolumis.* Alii ad *Angelum* referunt, qui hæc de se ipso

ipso ἀναστρεφομένῳ dixerit, hoc sensu, Revertar ad te anno revoluto, hoc ipso tempore, si vixero. Quem sensum secutum putant autorem Lat. editionis suâ hâc versione, *vitâ comite*. R. D. Kimhi refert ad ipsum Abrahamum: in Radicibus enim suis hunc locum breviter sic explicat, כעת הזאת לשנה הבאה שתהיה חיה, *Juxta tempus istud sequentis anni, quo tu*, Abraham, *eris vivens*. Mihi prima sententia omnium maximè probatur, ut scilicet ad *Fœtum* referatur, de quo dicit angelus se rursum ad futurum posteaquam ille jam in lucem editus erit. Eadem enim loquendi formula in eodem sensu habetur 2 Reg. 4. ubi propheta Elisæus ad mulierem Sunnammitem sic dicit, למועד הזה כעת חיה אתי חבקת בן, *Tempore isto, & juxta tempus vitæ tu amplexaberis filium*: h. e. ut Hebræi exponunt, post certum tempus, quo fœtus in utero tuo vivificabitur, & ad justum membrorum robur pervenerit, atque cùm in lucem editus fuerit, tu amplexaberis filium. Et mox iterum sequitur in textu, ותהר האשה ותלד בן למועד הזה כעת חיה אשר דבר אליה אלישע, *Et concepit mulier, & peperit filium in tempore illo, juxta tempus vitæ, sicut prædixerat ei Elisæa*. Lxx, more suo, non solùm nihil evidens attulerunt, verùm etiam majores addiderunt tenebras, legentes εἰς ὥρας, quasi singulis horis adesse velit angelus. Fortassis dixerunt εἰς ὥραν τοῦτον, quod fieri potest ut depravatum sit, vel à librariis, vel à sciolo quodam.

כי ידעתיו למען אשר יצוה את בניו ואחריו

Hoc quoque scio, quòd præcepturus sit filiis suis & domui suæ post se, &c. Gen. 18. 19.

TAmetsi magna est hîc Interpretum, uti vides, concordia; tamen meo judicio non satis expresserunt vim verbi Hebraici ידעתיו: neglexerunt enim affixum pronominale *eum*: ad verbum enim sonat, *novi eum quòd præcepturus sit*, &c. q.d. novi eum virum pium ac justum esse, qui præcepturus sit domui suæ ac posteris suis, quò à turpibus abstineant, justitiam colant; nè scilicet eodem pœnæ genere ut Sodomitæ mulctentur. Alii verbum ידעתיו, non absolutè pro *novi*, vel *scio*, sed transitivè, per *notum facere* & *manifestare*, accipiunt, hoc sensu; Non tacebo hanc rem quam facturus sum Abrahamo, sed notam faciam, manifestabo & aperiam: idque duabus ex causis, (ut ea quæ mox sequuntur sint ἀναπόδοτος, cur Abrahæ hanc rem non velit celare:) Prima, ut ipse hoc factum suis posteris & liberis annunciet; ut à pessimis sceleribus sibi temperent, justitiam & judicium servent. Secunda, ut Abraham & posteri ejus discant, Deum esse veracem: & quòd servaturus sit Abrahamo & semini ejus quæcunque promisit. Nihil periculi est utram sententiam secutus fueris; in eundem enim finem tendunt.

ארדה נא ואראה הכצעקתה הבאה אלי עשו כלה ואם לא אדעה, *Descendam nunc & videbo, utrùm secundùm clamorem qui venit ad me fecerint consummationem; & si non, ut sciam*, Gen. 18. 21.

VAriatio est primùm in voce הכצעקתה, quod ad verbum redditum sonat, *num juxta clamorem ejus* (subaudi *urbis*,) ubi Lxx relativum ה *ejus*, feminini generis, pluraliter & masculinè reddiderunt, *eorum*, fortè secuti Chaldæum paraph. qui quoque habet *clamorem eorum*. Vulg. Lat. editio relativum pronomen plane non expressit, sed simpliciter & absolutè legit, *Utrùm clamorem qui venit ad me*, &c. Dein variatur in vocabulo כלה, quod alii ad Sodomitas ac Gomorræos, alii ad Dominum referunt, unde duplex emergit sensus. Prior is est; Descendam & videbo num Sodomitæ & Gomorræi, juxta famam quæ ad aures meas delata est, omnia verè fecerint nécne, ut כלה idem sit quod כל, i. *omne, totum*. Atque hanc sententiam sequuntur Lxx & Lat. Vulg. editio; quibus adstipulatur & Hebræus commentator Aben Ezra, qui sic explicat, אראה אם עשו כולם ברעה הזאת, i. *Videbo an fecerint omnes malum istud*. Aliorum sensus qui כלה ad Deum referunt, is est; *Descendam & videbo utrùm secundùm clamorem qui ad me pervenit omnino fecerint*: quòd si ità est, nec resipiscere voluerint, *consummationem faciam*, i. penitus & funditus delebo eos; *Sin, cognoscam*, h. e. videbo, quomodo misericorditer eos castigem. Hanc sententiam habet Chaldæus in sua paraphrasi, quam & R. Salomo sequitur. Nec desunt qui sic legunt, *Descendam & videbo num juxta clamorem qui venit ad me fecerint consummationem*, h. e. talia perpetraverint scelera quæ extrema merentur supplicia; ut *facere consummationem* Hebraismus sit pro eo quod est tale quippiam designare quod extremâ punitione dignum sit.

השפט כל הארץ לא יעשה משפט, *Numquid judicans universam terram, non faciet judicium?* Gen. 18. 25.

SEptuaginta & Vulg. ed. Latina in hoc dissentiunt à veritate Hebraica, quòd ex ה Admirativo, quod præfervit voci שפט, faciunt relativum *qui*. Et quòd verba שפט & יעשה in secunda persona legunt, *judicas* & *fasies*, cùm ea tertiæ personæ sint Hebræis. Civiliter enim sermonem suum temperat Abraham, & mutat juxta Rhetorum præcepta personam; tametsi præsens cum Deo loquatur. Non enim dicit, *qui judicas*, ut nostri ferè omnes legunt, sed, *num judicans omnem terram non faciet judicium?* sic etenim Hebræa sonant. Durius enim fuisset vel coram terreno judice sic loqui, Num tu non justè judicabis? multò magis cum cœlesti.

ויאמרו האחד בא לגור וישפוט שפוט; *Et dixerunt, Ille unus venit ad peregrinandum, & decernit judicia*, Gen. 19. 9.

SEptuaginta & Lat. interpres sensum quidem aliquo modo expressérunt, non autem verba ut veritas Hebraica habet reddiderunt. Omiserunt enim vocem אחד *unus*. Dein in secunda persona extulere quod illi in tertia personâ loquuntur ad præsentem, quod durius est. Dicitur enim ἀδικῶς, quòd impuri ac libidine subantes sic inter se tumultuarentur, *Nónne solus venit ad peregrinandum*, h. e. ad accolendum, *& judicando judicabit?* Er ist daher khomen als ein frembdling allein, und will uns regieren, &c. Sic in Euangelio, *Salvos fecit alios, seipsum non potest salvum facere*. Non dicunt, Tu salvos fecisti: nam hoc excusationem ei præbet in quem facimus impetum. Quasi dicerent, Magistratum habemus, is nos punire debet, non advena ille: sic loquitur impietas. Putant enim impii sibi impune esse dum peccant, eò quòd magistratus corruptus dissimulat.

וידבר אל חתניו לקחי בנתיו, *Locutúsque est ad generos suos qui accipiebant filios suos*, Gen. 19. 14.

VArietas est in voce לקחי, quæ licèt præsentis temporis sit Hebræis, Lxx tamen in præterito, & Autor Lat. Vulg. editionis in futuro reddidere. Est autem duplex hujus loci sensus apud Hebræos. Quidam referunt ad generos quibus desponsatæ fuerint duæ filiæ virgines, quas adhuc domi secum Loth alebat. Alii verò, quibus adstipulatur & Aben Ezra, sentiunt Loth adhuc alias filias maritatas habuisse, quæ incendio perierint, ad quarum maritos Loth accesserit. D. Hieronymus in Quæst. Hebraicis super hunc locum sic scribit, ET LOCUTUS EST AD GENEROS SUOS QUI ACCEPERANT FILIAS SUAS. *Quia postea duæ filiæ Loth virgines fuisse dicuntur, de quibus & ipse dudum ad Sodomæos dixerat*, Ecce duæ filiæ meæ quæ non cognoverunt virum, *& nunc Scriptu-*

ra commemorat eum habuisse generos. Nonnulli arbitrantur illas quæ viros habuerunt in Sodomis remansisse, & eas exisse cum patre quæ virgines fuerunt. Quod cùm Scriptura non dicat, Hebræa veritas exponenda est, in qua scribitur, Egressus est Loth, & locutus est ad sponsos, qui accepturi erant filias ejus. *Necdum igitur virgines filiæ matrimonio fuerant copulatæ.* Hæc ille.

קום קח את אשתך ואת שתי בנותיך הנמצאות *Surge, tolle uxorem tuam & filias tuas præsentes,* Gen. 19. 15.

VArietas est in voce הנמצאות, quæ ad verbum sonat, *quæ inventæ sunt,* h. e. quæ coràm sive præsentes sunt. Intelligit autem eas quas Loth secum adhuc domi habebat. Nam quod præsens est & coràm versatur Hebræi הנמצא, i. *inventum,* vocant. Unde adhuc hodie mos est apud Judæos, ut ad salutationem ejus qui aliquem peregre adventantem Hebraicè sic excipit, ברוך הבא, *benedictus qui venit,* vicissim Hebraicè responderi solitum sit, ברוך הנמצא, i. *benedictus qui inventus est,* h. e. qui adhuc præsens, salvus & incolumis est. Hinc est quòd & Hebræorum Grammatici secundam personam הנמצא appellant. Aben Ezra Hebræus commentator hinc colligit, & meo quidem judicio non malè, ipsum Loth adhuc plures habuisse filias, sed quæ in incendio unà cum maritis perierint, quòd paternam admonitionem ad illorum exemplum simul quoque floccipenderint; ut hinc certè animadvertere liceat quantum referat cum quibus vitæ habeas consuetudinem, atque quibus filios & filias nostras elocemus. Huc quoque Chaldæus paraph. respexisse videtur, qui habet, *Quæ inventa sunt fideles tecum:* Innuens nimirum illis paternam conversationem occasionem dedisse ut eandem fidem ac pietatem secutæ fuerint, reliquas verò maritorum conversatione ad similem impietatem pertractas fuisse.

ותביט אשתו מאחריו ותהי נציב מלח , *Uxor verò ejus respexit post illum, & facta est statua salis,* Gen. 19. 26.

VAriatio est in voce מאחריו, quam si ad verbum reddas, sonat, *de,* vel *à, post eum,* ut scilicet intelligas uxorem Loth sequentem maritum, aversam à tergo illius respexisse: quam certè sententiam nemo Interpretum satìs luculenter exprimit. Sive enim *post illum,* vel *post se,* vel *retrorsum* legas, ut Interpretes reddidere, nondum constat an ea maritum vel antecesserit vel secuta fuerit, id quod exprimitur voce Hebraicâ מאחריו, nempe quòd uxor Loth sequendo maritum, aversa à tergo ejus, respexit post se. Atque ità etiam rectè explicat R. D. Kimhi in Radicibus suis, אשתו שהיתה מאחריו הביטה אחריה, i. *uxor ejus quæ fuit post illum,* h. e. quæ sequebatur illum, *respexit post se.* Dein quod sequitur, *Et facta est statua salis,* idem R. D. Kimhi exponit תל מלח, i. *acervus salis.* Aben Ezra sic explicat, nempe quòd ossa ejus exusta fuerint sulphure qui admixtum salem habuit, & quòd sic in statuam, sive salis acervum, redacta fuerit. Et pro confirmatione hujus suæ sententiæ citat locum qui extat Deut. 29. ubi commemorat Moses quomodo Sodoma sulphure & sale perdita fuerit, quo genere mali & uxorem Lothis punitam volunt.

ויהי כאשר התעו אותי אלהים מבית אבי , *Factúmque est cùm me exsulare fecisset Deus de domo patris mei,* Gen. 20. 13.

VArietas est in his כאשר התעו אותי אלהים, i. *cùm fecissent errare me Dii.* Quæ Lxx & Vulg. edit. Lat. autor singulariter extulere, veriti fortassis nè si pluraliter reddidissent, occasionem plùres adserendi deos dedissent. Porrò nec satìs faciunt verbo Hebraico התעו, quod per *educere* reddiderunt; cùm hoc verbum non simpliciter *educere* significat, sed sic ut nescias quò pergas, quò divertas, cúmque nusquam habeas certam & fixam domum, sed incertis oberres sedibus. Respicit enim Abraham ad hoc quod dixerat ad eum Dominus, suprà cap. 12. *Egredere de terra, & de cognatione tua, & de domo patris tui,* &c. ubi non dicit, vade in hanc vel in illam terram, sed in terram incognitam, quam monstraturus est Deus, &c. ideo dicit hic, *Cùm oberrare* (sive *exsulare*) *me fecisset Deus,* &c. Onkelus Chaldæus planè aliam habet sententiam, cui nimirum occasionem præbuit, quòd verbum התעו alicubi & *post deos alienos atque idola errare* significat.

הנה נתתי אלף כסף לאחיך הנה הוא לך כסות עינים לכל אשר אתך ואת כל ונכחת

Ecce dedi mille argenteos fratri tuo, ecce est tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum sunt: & sic cum omnibus reprehensa est, Gen. 20. 16.

MAGNA est varietas circa hunc locum, non tam in verborum redditione quàm & in ipso sensu. Primùm, variatur in pronomine relativo והוא, quod cùm masc. generis sit, alii ad Abrahamum, alii ad argentum, quod & ipsum Hebræis masculinum est, referunt: unde sic legunt, *Et ipse,* scilicet Abraham, *erit tibi velamen oculorum.* Alii, *Et ipsum,* scilicet argentum, &c. *Velamen* autem *oculorum* intelligunt, quòd nemo audebit oculos suos attollere contra Saram ac vilipendere eam, eò quòd fuerit cum rege Abimelech, cùm viderit quàm magnificè ea dotata fuerit à Rege. Nec desunt apud Hebræos qui per כסות עינים dici putant vestem pretiosam & honorificam, quam omnes appetunt. Dein variatio est circa illud ואת כל. Quidam enim legunt, *apud omnes,* scilicet *mortales,* non tantùm domesticos sed & extraneos. Alii reddunt, *ubique,* sive *in omni loco,* quod sequitur Lat. Vulg. editio; *Et quocunque perrexeris,* &c. Postremò, dissonantia est in voce ונכחת. Quidam enim nominaliter, alii verbaliter legunt. Nominaliter sic, *Et argumentum, probatio,* seu *evidentia,* erit pecunia quam dedi tibi, quòd nihil tecum rei habuerim, te non fœdarim. Verbaliter sic, *Et reprehensa est,* scilicet Sarah, quòd dixerit Abrahamum fratrem suum esse, admonita videlicet, castigata & erudita, ut posthac sibi ejusmodi dicere temperaret, nec ampliùs diceret se sororem Abrahami esse. Cui sententiæ adstipulantur Lxx, qui legunt, *Et omnia verè loquuta,* Mihi certè Lat. Vulg. translatio in hunc locum præ aliis omnibus probatur, ut quæ ad veritatem Hebraicam proximè omnium accessisse videtur.

מי מלל לאברהם ריניקה בנים שרה כי ילדתי בן לזקניו

Quis unquam dixit Abrahæ, Lactavit Sara filios? siquidem genui filium in senectute illius, Gen. 21. 7.

VAriatio est circa hæc, מי מלל לאברהם, *Quis dixit Abrahamo,* &c. Quæ autor Lat. Vulg. editionis sic intellexisse videtur quasi Sara dicere voluerit, Quis vel ipsi etiam Abrahamo crederet dicenti Saram peperisse? q. d. Nè Abrahamo quidem hoc crederetur, nedum aliis. Alii sic legunt, *Quis dicet Abrahamo, Lactat Sara filios, & quòd genuerim filium in senectute ejus?* q. d. Quis current ad Abrahamum, & nunciabit ei quòd peperim ei filium? Wer will das dotten bzot gewinnen an Abzaham, &c. Hebræi aliter intelligunt, referentes, *Quis dixit,* ad Deum; hoc sensu, Quantus & quàm magnus est ille qui & spem affert & complet speratum, qui scilicet promittit secundùm naturam impossibilia, & præstat etiam, nempe Deus! ut hæc verba Saræ sint admiratio, collaudatio ac deprecatio Dei benedicti, qui ipsi & promiserit ac dederit etiam filium jam senio confectæ, & ad pariendum minimè idoneæ. Atque huic sententiæ adstipulatur etiam Onkelus Chaldæus sub

versione.

versione. Huic lectioni occasionem dedit particula מי, quæ Hebræis non simplicem interrogationem significat, sed interrogationem cum laude vel vituperio conjunctam, secundùm subjectam materiam de qua agitur. Hîc verò laudem importat, teste etiam Capnione in suis Rudimentis Hebraicis, quem vide in h. l. Etsi hæc Hebræorum expositio mihi non displiceat, tamen hanc hujus loci simplicem lectionem esse judico, quòd Sara dicere velit, Quis unquam dixisset Abrahamo fore ut in illius senectute parerem filios atque lactarem? q. d. non fuisset illi facilè habita fides. Qui verò ex recentioribus Interpretibus hunc locum sic transtulerunt, *Quis ausit de Abrahamo dicere, quòd Sara lactet filios, & quòd pepererit ei filium in ejus senectute*, &c. hos movit litera Lamed, quæ præfervit לאברהם, quæ non rarò vim habet præpositionis narrativæ, *de*, sicut & infrà cap. 26. וישאלו אנשי המקום לאשתו, *Et interrogaverunt viri loci istius de uxore sua*, ubi quoque Lamed in לאשתו habet vim præpositionis *de*, *super*, *propter*, &c. Cæterùm observa quòd cùm Lxx & Vulg. Lat. editio singulariter legunt illud, quòd *Sara lactaret filium*, veritas Hebraica pluraliter habet *filios*: ex quo colligunt Hebræi, Saram in illo convivio, quod propter ablactationem filii instituerat, etiam aliarum mulierculârum filios quos secum apportaverant lactavisse, in argumentum quòd verè peperisset, neque Isaac suppositicius puer esset, ut quidam de eo suspicabantur. Dissentiunt quoque Lxx interpretes à veritate Hebraica, in eo quòd *senium* non ad Abraham, sicut veritas habet Hebraica, sed ipsam Saram referunt: nam legunt, *Quia peperi filium in senectute mea*, cùm Hebraicè sit, *Peperi filium senectuti illius*, i. marito meo jam seni.

ותרא שרה את בן חגר המצרית אשר ילדה לאברהם מצחק,

Et vidit Sara filium Hagar Ægyptiæ, quem illa genuit ipsi Abrahamo, esse derisorem, Gen. 21. 9.

ILlud, cum Isaac Filio suo, redundat in translatione Septuaginta & Latina: nam in textu Hebraico non habetur. Et additum apparet ad absolvendam sententiam, quæ aliàs concisa quodammodo & imperfecta videbatur. Porrò vocem מצחק, quam *ludentem* reddunt, Hebræorum quidam sic explicant. Quòd Sarah animadverterit Ismaelem proclivem ad idololatriam, ad homicidia & ad scortationem, propterea quòd in certis Scripturæ locis hujus verbi usus est ubi de his rebus mentio fit. Verùm tu noveris hujus vocabuli hoc in loco simplicem sensum hunc esse, quòd scilicet Sara animadvertebat Ismaelem subsannantem ac deridentem, se scilicet & filium suum Isaac; hinc nimirum, quòd confisus prærogativâ primogenituræ se verum heredem Abrahami futurum jactaret. Atque hoc facile est colligere ex verbis ipsius Saræ ad Abrahamum dicentis, *Ejice ancillam istam & filium ejus; non enim erit hæres filius istius ancillæ cum filio meo*, nempe cum Isaac. Atqui hæc erat persecutio quâ Ismael persequebatur ipsum Isaacum, de qua Apostolus Paulus scribit Gal. 4. *Sed quemadmodum tunc is qui secundùm carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundùm spiritum, ità & nunc*, &c.

השבעה לי באלהים הנה אם תשקר לי ולניני ולנכדי,

Et nunc igitur jura mihi hîc per Deum, ut non iniquè agas mecum, & cum prole mea, atque nepote, Gen. 21. 23.

LAtinus Vulg. interpres, etsi verba Hebraica non per omnia traduxerit, sensum tamen non malè expressit. Lxx planè deviant, quòd pro ולנכדי, *& nepoti meo*, legunt *nomini meo*. Non video quid moverit eos, nisi fortassis huc respexerunt, quòd in posteris quodammodo vivit & conservatur nomen parentum, juxta illud dictum Hebræorum, מי שאין לו בנים חשוב כמת; *Cui non sunt filii, reputatur tanquam mortuus*. Mihi tamen omnino verisimile sit vitio scriptoris pro *nepoti meo* irrepsisse *nomini meo*, quod facilè fieri potuit.

ולך לך אל ארץ מוריה,

Et vade ad terram Morija, Gen. 22. 2.

VAriatio est in voce המוריה, quam Lxx *excelsam* verterunt, quasi scilicet hic locus ab eminentia ac perspicuitate sic fuerit denominatus, deductâ voce à verbo ראה *videre*, quòd ob eminentiam procul potuit videri. Lat. Vulg. translatio *terram visionis* habet; sic dictam quòd ibi se Abrahæ ostenderit Deus. De loco isto inter omnes ferè Judæos convenit, quòd sit locus in quo Cain, Habel, & postea Noah sacrificia obtulerunt; ubi & Salomonicum templum exstructum fuit. De ratione verò nominis apud illos quoque dissonantia est. Quidam enim putant מוריה idem esse quod מורא, *pavor*, *timor*, quòd tempore Abrahami futurus esset illic Deus colendus & in timore habendus. Unde Paraph. Chaldæus reddidit ארעא פולחנא, *terram cultûs Divini*. Alii sentiunt montem illum sic dictum à מור, *myrrha*, q. d. terra Myrrhæa, de quo monte habetur Cant. 4. *Ibo ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*: creverunt enim in monte illo myrrha, aloe & cinnamomum. Veteres Hebræi, teste R. Salomone, locum istum *Moriah* dictum tradiderunt, שמשם הוראה יוצאה לישראל, *Quòd indè egressura esset doctrina pro Israel*, quasi vocabulum מוריה derivatum sit à verbo ירה, quod *docere*, *informare*, *erudire* & *instruere* significat.

ויקח האיש נום זהב בקע משקלו,

Tulit vir ille inaurem auream, cujus pondus erat dimidium sicli, Gen. 24. 22.

SEptuaginta & Latinus interpres in hoc dissentiunt à veritate Hebraica, quòd נזם pluraliter reddidere, quod singulare est Hebræis, & teste Aben Ezrâ, *ornamentum vultûs*, *seu aurium est*, *suspensum per vittam in fronte*. Dein quòd Lxx addunt *duas*, quod textus Hebraicus non habet. Et quòd בקע, quod *dimidium sicli* significat, vertunt *drachmam*, cùm ingens sit inter utrumque discrimen. Nam Siclus, teste etiam Hieronymo super Ezechiel. cap. 4. stater est, h. e. drachmæ quatuor, sicut & Josephus scribit Antiq. Jud. l. 3. *Siclus*, inquit, *Hebræorum numisma quatuor drachmas Atticas valet*. Erravit & Lat. Vulg. editio, quæ pro בקע *duos siclos* legit, cùm בקע propriè מחצית השקל, *dimidium sicli* significet, sic dictus משנבקע מהשקל, *quòd sit divisus siclus*, ut inquit R. D. Kimhi in Radicibus suis.

חשב הנערה אתנו ימים או עשור אחר תלך,

Maneat puella nobiscum per dies saltem decem, & postea ibit, Gen. 24. 55.

IN verborum redditione nulla est varietas, sed in sensu. Nostri enim ferè sic intelligunt, quòd per aliquot dies, vel saltem decem, si non plures, adhuc manere debeat puella. Hebræi verò per *dies* annum, & per *decem* decem menses intelligunt, siquidem *dies* pro anno apud eos non semel accipitur, quòd annus est velut orbis & circulus dierum. Et R. Salomo annotat tantum temporis, h. e. integrum annum, vel decem menses, datum fuisse virgini desponsatæ, ut interea temporis sese ad nuptias pararet atque adornaret. Et hunc sensum sequitur etiam Paraph. Chaldæus in sua versione.

ויצא יצחק לשוח בשדה לפנות ערב

Et egressus est Isaac ad orandum in campo tempore vespertino, Gen. 24. 63.

VArietas est in verbo לשוח, quod cùm æquivocum sit, *loqui, disserere, meditari, mussitare, & orare* significans, ideo diversæ interpretationis causa fuit. Hebræi commentatores imitati Chaldæum Paraphr. ferè omnes pro *orare* hîc accipiunt, præter Aben Ezram, qui pro *deambulare* exponit: sic enim inquit, ללכת בין השיחים, i. *ut deambularet inter arbores*; quasi שוח verbum deductum sit à nomine שיח, quod *fruticem, virgultum, & arborem* significat. Vox Hebræa שוח propriè significat *submissâ voce loqui & murmurare*: ut orantes, vel meditantes, vel apud nos de re aliqua mirantes, facimus. Mihi probatur eorum lectio qui pro *orare* accipiunt, sicut & R. D. Kimhi in Radicibus suis exponit. Quod & D. Hieronymo probatur, ut est videre in ejus Quæst. Hebraicis, ubi sic scribit, *Quod autem ait*, Et egressus est ut exerceretur in campo, *quod Græcè dicitur ἐδολεχῆσαι, in Heb. legitur*, Et egressus est Isaac ut loqueretur in agro, declinante jam vesperâ. *Significat autem secundùm illud quòd Dominus solus orabat in monte, etiam Isaac, qui in typo Domini fuit, ad orationem, quasi virum justum, domo egressum: & vel nonâ horâ, vel ante Solis occasum, spirituales Deo victimas obtulisse.* Hæc ille.

על פני כל אחיו נפל

Coram facie omnium fratrum suorum corruit, Gen. 25. 18.

VArietas est in voce נפל, quæ licèt propriè *cadere & corruere* Hebræis significet, tamen vario modo accipitur. Quidam pro *corruere in mortem*, i. occumbere, accipiunt, ut sit sensus, quòd Ismael viventibus adhuc ac etiam præsentibus omnibus fratribus suis diem obierit. Quem sensum sequitur & D. Hieron. in Quæst. Hebr. super Genesim, ubi sic scribit, *Quod autem in extremo hujus capituli juxta Septuaginta legimus*, contra faciem omnium fratrum suorum habitavit, *verius est illud quod nos posuimus*, coram omnibus fratribus suis occubuit, *i. in manibus omnium filiorum suorum mortuus est, superstitibus liberis, & nullo priùs morte præcepto.* FRATRES *autem pro filiis appellari Jacob quoque ad Laban demonstrat, dicens*, Quod est peccatum meum? quia persecutus es post me; & quia scrutatus es omnia vasa mea. Quid invenisti de universis vasis domûs tuæ? Ponatur coram fratribus meis & fratribus tuis; & dijudicent inter nos. *Nec enim possumus credere, ut Scriptura commemorat, quòd Jacob exceptis liberis secum fratres aliquos habuerit.* Hæc Hier. Alii per שכן *habitavit, quievit*, sive *mansit*, exponunt: intelligentes Ismaelem invitis omnibus fratribus suis habitationem ac sedem suam fixisse, ut sit idem iste locus cum illo superiori cap. 16. ועל פני כל אחיו ישכון, i. *& in facie omnium fratrum suorum habitabit*, &c. Et hanc lectionem sequitur Chald. Paraphrastes, item Lxx, & R. Salomo, qui hunc locum sic explicat, quòd Ismael vivente adhuc Abrahamo paulatim cœperit sibi sedem ac habitationem parare, quam mortuo illo penitus firmam ac fixam fecerit. Et pro confirmatione hujus suæ sententiæ allegat locum qui exstat Judic. 7. ומדין ועמלק וכל בני קדם נופלים בעמק כארבה לרוב, *Et Midian & Amalek, atque omnes filii orientales, jacebant in valle quasi multitudo locustarum*, &c. Alii duriùs exponunt verbum נפל, quasi irruptionem violentam & impetum fecerit in omnes fratres suos. Exstant porrò qui sic legunt, *Coram cunctis fratribus suis cecidit*, subaudi *sors ejus*, i. non procul habitavit à fratribus: sors illius propinqua erat hereditati fratrum suorum. Nec desunt qui verbum נפל hoc in loco pro *deficere* interpretantur, sicut accipitur in isto loco Hieremiæ, אל הכשרים אתה נופל, i. *ad Chaldæum corruis*, seu *deficis*. Quòd scilicet multi filiorum ad diversas regiones concesserint, habitationes sibi quærentes, qui quodammodo in facie fratrum suorum cadere visi fuerunt, cùm alias habitationes quærere cogerentur. Mihi probatur Lat. vulg. editio, & lectio D. Hieronymi, quibus & Hebræus commentator Aben Ezra adstipulatur, qui sentit Ismaelem casu quodam præventum, (quem tamen Scriptura non exprimat) superstitibus adhuc omnibus fratribus suis mortuum fuisse.

ויעתר יצחק ליהוה לנוכח אשתו כי עקרה היא

Et oravit Isaac dominum præsente uxore suâ: nam illa erat sterilis, Gen. 25. 21.

VAriatio est in voce לנוכח: quidam enim reddunt ut idem valeat quod בעבורה, *pro ea*, seu *propter eam*; ut sit sensus, quòd Isaac Dominum rogaverit quò auferret uxoris sterilitatem. Et hanc lectionem sequuntur Lxx & Lat. vulg. editio. Alii verò לנוכח in naturali sua significatione accipiendum esse contendunt, unde pro *coram* exponunt, hoc sensu, quòd Isaac præsente uxore, quò efficacior oratio esset, Dominum rogaverit. Atque huic sententiæ adstipulatur Onkelus suâ Paraphrasi, quem & Munsterus secutus est suâ interpretatione. R. D. Kimhi in Radicibus suis utramque lectionem ponit. Sic etenim hunc locum explicat, לנוכח אשתו: פירוש לעומת אשתו כלומר בעבורה: ויש מפרשים לנוכח אשתו בהתפללו היה: נוכח אשתו כדי שיכוין לבו בתפלה עליה, i. PRO UXORE SUA, *sensu ejs, propter uxorem suam. Alii verò sic exponunt*, לנוכח אשתו, *quòd videlicet præsente illâ preces suas ad Dominum instituerit, quò ardentiùs oraret.* R. Salomo ità explicat hunc locum quasi uterque è regione alterius Dominum orando steterit: sic enim scribit, זה עומד בזוית זו ומתפלל וזו עומדת בזוית זו ומתפללת, *Hic stabat in angulo isto, & orabat: & hæc stabat in angulo ista, & similiter orabat.*

ותאמר אם כן למה זה אנכי

Et dixit, Si sic, ut quid ego? Gen. 25. 22.

IN Lat. vulg. editione redundat *concipiendi* verbum, quod textus Hebraicus non habet; explicandi gratiâ igitur additum est. Et R. Salomo quoque in hunc sensum accipit, אם כן נדול צער עבור למה זה אנכי מתאוה ומתפללת על הריון, *Si tam magnus dolor & gravidam fieri, cur ego istud desidero, atque orationem facio pro conceptione?*

ויהי עשו איש יודע ציד איש שדה

Et fuit Esau gnarus venandi, & vir campi, Gen. 25. 27.

LAtinus vulgatus Interpres non satis expressit vim schematis Hebraici איש שדה, *vir campi*, quod pro *agricola* reddidit. Qui tamen Hebræis verius איש אדמה, ut suprà Cain cap. 4. dicitur: vel האדמה איש, ut Noah cap. 9. Sed איש שדה potiùs *virum agri*, seu *campi*, h. e. hominem campestrem, silvestrem, qui scilicet per arva, montes & silvas vagando feras sectatur, significat: quales sunt venatores, & hodie nostri nobiles. Atque talis fuit Esau, Ein iunckher, spacierer, , vnd mussig genger. Et in hunc quoque sensum interpretatur R. Schlomo, בטל וצודה בקשתו חיות ועופות, i. *Otiosus erat, & arcu suo venabatur feras & aves.* Huic sententiæ accedunt Onkelus Chaldæus, ac Lxx. Atque hunc esse hujus loci genuinum sensum clarescit etiam ex Antithesi, qua de Jacob dicitur, quòd *fuerit vir simplex, sive integer, habitans in tabernaculis.* Quod quidam Hebræorum sic explicant, non quòd Jacob iners ac piger domi desidens otio indulserit, sed quòd legi Divinæ addiscendæ pietatique

pletatíque operam impendendo tabernacula, i. ſcholas Rabinorum, qui tum ſacris præerant verúmque Dei cultum docebant, frequentarit. Quem ſenſum habet & Onkelus ſuâ paraphraſi, ויעקב גבר שלים משמש בית אולפנא, *Jacob autem erat vir integer; miniſter domûs doctrinæ.* Locum & ſcholam ubi legi Divinæ bonísque ſtudiis opera dabatur vocat *domum doctrinæ.*

מכרה כיום את בכורתך לי,

Vende juxta hunc diem primogenituram tuam mihi, Gen. 25. 31.

LAtina Vulg. editio minus habet quàm textus Hebraicus: omiſit enim illud כיום, quod Lxx verterunt *hodie*, ad tempus referentes. Ad verbum ſonat, *juxta*, vel *ſecundùm*, *hunc diem*, q. d. העת הזאת, *hoc tempore*, ſicut explicat Kimhi in Radicibus ſuis: ut ſit ſenſus, Jam jam, in præſenti tempore, abſque ulla dilatione. Alii verò ſic intelligunt ut Caph, quod præſervit vocabulo יום, non Tempus, ſed Certitudinem potiùs ac Confirmationem rei ſignificet, quod officium Caph Hebræorum Grammatici vocant כף האמתי, *Caph verificativum*, quòd videlicet veritatem, certitudinem ac confirmationem rei importat: quo ſenſu accipit R. Salomo, q. d. Jacob, Tam certò ac liquidò vende mihi primogenituram tuam quàm certus, liquidus ac clarus eſt dies iſte. Et hoc quoque ſuâ paraphraſi Onkelum velle putat. Idem quoque vocabulum כיום deſideratur in Latina editione, ubi mox in ſequenti contextu dicitur, השבעה לי כיום, *Jura mihi juxta hunc diem.*

ואבימלך הלך אליו מגרר ואחות מרעהו,

Venit autem Abimelech ad eum de Gerar, & Ahuſath amicus ejus, Gen. 26. 26.

VAriatio eſt in voce אחוזת, quam alii pro nomine proprio legunt, ut Lxx & Lat. vulg. editio: quibus adſtipulatur & R. D. K. in Radicibus. Alii verò, ut Onkelus Chald. & poſt illum R. Salomo, ſubſtantivè, pro *ſocietate & comitiva virorum qui regem ſtiparunt*, accipiunt. Vocatur autem comitiva virorum Hebraicè quoque אחוזה teſte R. D. Kimhi, לפי שנאחזים בו ולא יפרדו ממנו בצאתו ובבאו, *ſic quòd ſemper circa regem detinentur, nec ab eo ſeparantur, ſive egrediatur, ſive ingrediatur.* Mirum quid Lxx in mentem venerit quòd מרעהו *pronubum* verterint. Qui אחוזת pro nomine proprio accipiunt, illos nimirum movit ſequens vox מרעהו, quæ ſing. numeri eſt, & ſignificat *amicus ejus*, ſive *amicator*, aut *ſociator ejus*; habet enim formam verbi: ſed non rarum eſt Hebræis ſingularia pluraliter uſurpare.

תהי נא אלה בינותינו ובינך,

Sit nunc juramentum inter nos, inter nos inquam & inter te, Gen. 26. 28.

SEptuaginta & Lat. vulg. editio minus habent quàm Hebraica. Illud enim *inter nos*, quod in Hebræo bis ponitur, ſemel tantùm poſuerunt. R. Salomo poſt Onkelum Chald. hunc locum ſic explicat, *Sit, quæſo, juramentum quod fuit inter nos à diebus patris tui, & nunc quoque inter nos & inter te*, ut ſcilicet primum בינותינו *inter nos* referatur ad patres; alterum verò בינינו *inter nos* ad ipſos, Iſaac ſcilicet & Abimelecum. Aben Ezra dicit eſſe רבוי אחר רבוי, *plurale poſt plurale*: quæ repetitio non caret emphaſi in Hebraiſmo.

והיה כאשר תריד ופרקת עלו מעל צוארך,

Eritque quando dominaberis, rumpes jugum ejus de collo tuo, Gen. 27. 40.

VAriatio eſt in verbo תריד, quod alii *dominari*, alii *deponere & excutere*, alii *querulari* exponunt. Qui pro *dominari* accipiunt, deducunt à themate רדה. Qui pro *deponere & excutere*, à verbo ירד derivant. Qui pro *querulari*, à רוד trahunt. R. D. K. in libro Radicum poſt Onkelum Chaldæum & R. Salomonem ſic exponit hunc locum, כאשר תמשול כלומר כשיבא עת הממשלה לך שישראל יעברו על התורה ויפרקו מעליהם עול המצות ופרקת עול מצוארך, ET ERIT QUANDO DOMINABERIS, *q. d. Cùm venerit tempus dominii tui, quo Iſraelita tranſgredientur Legem, & excutient à ſe jugum præceptorum, tum videlicet rumpes jugum à collo tuo.* R. Salomo verbum תריד pro *quiritari* exponit, q. d. Cùm Iſrael prævaricabitur Legem; tum erit tibi occaſio quiritandi ſuper amiſſa benedictione.

ועיני לאה רכות,

Porrò oculi Leah erant teneri, Gen. 29. 17.

VAriant Interpretes circa vocem רכות. Noſtri ferè pro *infirmo & debili* exponunt. רך Hebræis propriè *tenerum* ſignificat. *Tenerum* autem & Latini pro Debili quoque uſurpant, Germanis item zart pro blod dicitur. Quidam Hebræorum, ut Aben Ezra meminit, putant deficere literam Aleph, & dici רכות pro ארוכות, quod *longum* ſignificat, quaſi ſcilicet Lea longos & deformes oculos habuerit. Onkelus Chaldæus omnino diverſam ſequitur ſententiam; fortaſſis hinc motus quòd רך etiam aliquando pro *pulcro, eleganti & formoſo* uſurpatur, ſicut & Germani zart pro *formoſo* accipiunt.

מלא שבוע זאת ונתנה גם זאת,

Imple ſeptenarium iſtius, & dabitur tibi quoque iſta, Gen. 29. 27.

HUnc locum propterea apponere quoque placuit; tametſi non adeò magna diverſitas Interpretum ſit in redditione vocum, quòd ſunt qui ſic intelligunt quaſi Jacob adhuc ſeptem annos alios implere debeat pro Rachel, & tum eâ demum pro uxore potiri. Referentes demonſtrativum זאת ad *hebdomadam*, hoc ſenſu, *Imple ſeptenarium iſtud, annorum* ſcilicet, &c. Cùm tamen potiùs referendum ſit ad *Leam*, hoc modo, *Imple ſeptenarium iſtius*, ſubaudi *Lea*, ſive *tranſeant ſeptem dies feſti iſtius Lea, & dabitur tibi quoque Rachel junior filia.* Atque ità explicant etiam Hebræi, præſertim Aben Ezra, & R. D. Kimhi. Hunc ſenſum ſequitur & D. Hieron. in Quæſtionibus ſuis Hebraicis, ubi ſic ſcribit, *Comple ergò hebdomadam iſtius; & dabo etiam hanc tibi. Poſtquam Liam Jacob fraude deceptus pro Rachel uxorem acceperat, dicitur ei à ſocero Laban ut ſeptem dies poſt nuptias ſororis prioris expleat; & ſic accipiat Rachel, pro qua iterum ſeptem annis aliis ſerviturus ſit. Non igitur, ut quidam malè exiſtimant, poſt ſeptem annos alios Rachel accepit uxorem; ſed poſt ſeptem dies nuptiarum uxoris primæ. Nam ſequitur, Et ingreſſus eſt ad Rachel; & dilexit Rachel magis quàm Liam; & ſervivit ei ſeptem annis aliis.* Hæc ille.

וחאמר רחל נפתולי אלהים נפתלתי עם אחותי גם יכולתי

Et dixit Rachel, Luctationibus Divinis luctata ſum cum ſorore mea, & prævalui, &c. Gen. 30. 8.

VAriatio eſt circa hæc, נפתולי אלהים נפתלתי. Quæ Vulg. Lat. interpres per, *Comparavit me Dominus cum ſorore mea*, reddidit. Cùm tamen פתל verbum Hebræis non propriè *comparare*, ſed *convertere*, *pervertere*, vel *addere*, *conjungere*, item *conari*, *luctari*, & *obliquare* ſignificat. Quomodo enim comparanda erat Rachel cum ſorore ſua Lea, quæ ex ſe peperit tres filios, & ipſa tantùm duos, eóſque non ex ſe ſed ex ſerva? Rectiùs ergò ſentiunt qui legunt, *Converſionibus Dei*, vel *viciſſitudinibus Dei*, *converſa ſum*. Nam פתל Hebræis & *verſionem* quandam ſignificat. Indè נפתולי *converſiones*, ſive *viciſſitudines*: ubicunque enim verſio fit, ibi eſt viciſſitudo. q. d. Rachel, Quemadmodum ſoror mea primùm fœcunda fuit, ego verò ſterilis, ità nunc vice versâ ego fœcunda ſum, & ipſa ſterilis. Hunc ſenſum viderunt aliquo modo & Lxx, qui verterunt, *auxiliatus eſt mihi Deus*: ubicunque enim labor eſt & afflictio, & quiſpiam onus tollit, viciſſitudo eſt. Nam cùm tollo onus tuum ac levo, jam vicem tuam ſuppleo, adeóque tibi auxilior & ſubſidium fero. Quaſi diceret Rachel, Ecce Dominus vices meas doluit & adjuvit. Levavit onus contumeliarum & opprobrii quod à viro & ſorore patior. Sicut priùs ſororem juvit, ità nunc vice versâ me adjuvat & valida ſum. Quidam Hebræorum, ut eſt videre apud R. Salomonem, legunt, *additione*, ſive *conjunctione*, *Dei conjuncta ſum cum ſorore mea*. Nam פתל verbum aliquando *addere* & *conjungere* ſignificat; unde eſt פתיל, *filum* & *ligamen* quo aliquid conjungitur, ut ſit ſenſus, *conjuncta ſum per Deum ſorori meæ*, imò excellui eam. R. D. K. in Radicibus ſuis poſt Aben Ezram verbum פתל per עוה, אבק, & השתדל, התחבך, i. *converti*, *conari*, *luctari*, & *obliquare* exponit, ut faciunt luctatores atque certatores, qui corpus in luctamine variis ſubvertunt & obliquant modis. Idem quoque nomen *Dei* augendi gratiâ additum eſſe putat, ut ſit ſenſus, luctationibus, ſive conatibus maximis, vel vehementiſſimis, luctata, ſive conata, ſum cum ſorore mea ut ſuperarem eam, atque prævalui. Qualis autem fuerit iſthæc luctatio atque conatus pulcrè explicat Paraph. Chaldæus, nempe quòd precibus apud Dominum contenderit, atque ità prolem efflagitarit.

וחאמר לאה בגד ותקרא שמו גד

Et ait Lea, Cum fortuna: & vocavit nomen ejus Gad, Gen. 30. 10.

PLerique Hebræorum in exponenda voce בגד ſequuntur Paraph. Chaldæum, quaſi ex duabus dictionibus בא גד, i. *venit fortuna*, ut ille reddidit, una dictio facta ſit בגד, quieſcente ſcilicet Aleph in voce magna camez ſub Beth. Exclamatio ergò eſt, qualem fieri videmus in ſubito aliquo proſpero eventu, Das iſt gluck und heil. R. D. Kimhi tamen, poſt Aben Ezram, in libro Radicum hanc vocalem בגד à גד, quod *exercitum* & *turmam* ſignificat, deducit. Unde ſic explicat, בא גד כלומר גודד, הגדוד כי בהולדו היה לה גדוד בנים, VENIT GAD, *q. d. congregans exercitum, ſive turmam, nato ſiquidem eo fuit ei turma filiorum.* D. Hieronymus in Quæſt. ſuis ſuper h. l. ſic ſcribit, *Ubi nos poſuimus, In fortuna, & Græcè dicitur ἐν τύχῃ, quod poteſt eventus dici, in Hebræo habetur* בגד, *quod Aquila interpretatur*, VENIT ACCINCTIO. *Nos autem dicere poſſemus* IN PROCINCTU. Ba *enim poteſt præpoſitionem ſonare*, in, & venit. *Ab eventu ergò ſive procinctu, qui Gad dicitur, Zelpha filius Gad vocatus eſt.* Hæc ille.

וימצא דודאים בשדה

Et invenit mandragoras in agro, Gen. 30. 13.

VAriatio eſt in voce דודאים. R. Salomo dicit eſſe radices herbæ quæ apud Iſmahelitas יסמין vocatur, Aben Ezra ſequitur Paraph. Chaldæum, qui יברוחין, quod *violas* exponunt, reddidit; juxta illud in Canticis, חדודאים נתנו ריה, *mandragoræ dederunt odorem*. R. D. Kimhi ſcribit דודאים eſſe radicem herbæ quæ præ ſe ferat ſimilitudinem hominis, maſculi ſcilicet & femellæ, & quæ vulgò *mandragora* vocatur. Gerundenſis commentator Hebræus in h. l. ſic ſcribit, *Attulit Ruben ramos aut fructum qui ſimilis eſt pomis, habétque odorem optimum. Radix verò habet figuram capitis & manuum.* Huic ſententiæ accedunt Lxx cum ſua verſione, qui legunt, μῆλα μανδραγόρου, i. *mala mandragoræ*, referentes ad partem quod de toto frutice dicitur. Et teſte Dioſcoride, mala mandragoris inter folia ſita ſunt. Sunt & ipſa folia: radices quoque, ternæ vel binæ cujuſcunque caulis, eæque mutuis complexibus conjunguntur, non puero diſſimiles. Proditum quoque à Medicis eſt, hanc herbam menſtrua ciere, vulvámque muliebrem ad conceptum mirificè accommodare: quod mirum tamen videtur Aben Ezræ, cùm frigidæ qualitatis ſint mandragoræ.

אעביר בכל צאנך היום חסר משם כל שה נקוד וטלוא וכל שה חום בכשבים וטלוא ונקוד בעזים והיה שכרי &c.

Tranſibo hodie per omnes greges tuos, auferendo indè omne pecus punctis notatum & maculoſum, & omne pecus nigrum in ovibus, & maculoſum atque punctatum in capris: iſtúdque erit merces mea, &c. Gen. 30. 32-42.

VOlui totum hunc locum annotare, quòd apud Lxx & Vulg. interpretem in quibuſdam tanta ſit confuſio ut difficulter certum ſenſum elicere poſſis. Primùm ergò oſtendam ubi ſit variatio, dein voces quaſdam difficiliores & phraſes explicabo. Primùm variatio eſt circa illa, *Tranſibo hodie per omnes greges tuos*, pro quo Lxx & Vulgata tranſlatio ſenſum magìs quàm verba reddidere. Lxx enim quod in Hebræo in prima perſona dicitur, *Tranſibo*, &c. in tertia perſona legunt, *Tranſeant omnes oves tuæ hodie*, &c. Vulgata editio in ſecunda perſona, *Gyra omnes greges tuos*, &c. Secundò variatur ibi, *Amovit igitur illâ die hircos notis & maculis reſperſos*, &c. quæ admodum perturbato ordine habet Vulgata tranſlatio, ſicut facilè patet ſi conferas ad textum Hebraicum. Diſſentit quoque & illud, *Cunctum autem gregem unicoloris*, i. *albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum*, &c. ut habet Vulg. editio. Non enim hoc vult Scriptura, quòd ea quæ unius coloris erant tradiderit in manum filiorum ſuorum, putà tota alba, aut tota nigra, ſed quæ diverſi coloris erant punctata & maculoſa. Et ità habet textus Hebraicus, *Omnia in quibus erat aliquid albi, & omnia nigra in ovibus*, &c. Tertiò variatur ibi, *Et ſeparavit Jacob agnos, poſuítque facies ovium ut reſpicerent verſus agnos notis reſperſos, atque verſus omne nigrum quod erat in ovibus Laban, ponendo ſcilicet ſuos greges ſeorſum, & non ponendo eos cum ovibus Laban*, &c. ità habet Hebraiſmus, quem infeliciter reddidit Vulgata tranſlatio, ſicut patet ex collatione. Cæterùm quis ſit totius iſtius loci ſenſus genuinus, quomodóque Jacob & Laban inter ſe convenerint, ſic accipe; Conditionem ipſi Laban Jacob talem proponit, Nempe quòd velit cum eo luſtrare univerſum gregem, in quo quicquid aliquo modo punctatum, maculoſum, ſtigmatizatum, fuſcum, pullum, aut quoquo modo variegatum inventum fuerit, ſive in ovibus, ſive in capris, ſibi pro mercede ſeparetur: quicquid verò omnino album fuerit, ipſius Laban eſſe debeat. Hanc conditionem accipit Laban, quòd ſcilicet oves maculoſæ & varicolores pauciores eſſent, plures verò quæ penitus alba

albæ erant. Jam quò pauciores maculis respersæ quoque nascerentur, atque Jacob suâ mercede ità fraudaretur, semovit Laban omnes quoque mares variegatos, unà cum cæteris punctaris ovibus & capris, dirimens eas ab albis itinere trium dierum: nè scilicet Jacob locum haberet commiscendi greges, putans nimirum istâ ratione fieri ut nulla posthac grex pareret maculosa. Quæ igitur maculosa diversique coloris erant, filiis suis custodienda tradidit: reliquum verò gregem, putà quæ planè alba erant, ipsi Jacob pascenda reliquit. Porrò perfidiam, dolum & astum soceri sui triplici arte ac industriâ Jacob propulsat, ità nimirum disponente ac providente Deo. Prima industria fuit, quòd virgas decorticatas ante oves in canalibus posuit, ut ex earum aspectu conciperent, atque ità diversicolores parerent. Altera, quòd maculosos agnos jam natos in unum redegit gregem, quem antecedere fecit gregem ovium Laban, ut sequentes oves contemplatione præcedentium maculosorum agnorum alios parerent maculosos. Tertia industria Jacob fuit, quòd virgas in canales posuit eo tempore quando robustiores oves conceptui operam darent, aut quando procliviores ad coitum erant, ut sic robustiorem ederent fœturam, quod scilicet fit in mense Nisan. Jam verò voces & phrases quasdam explicabimus. חסר vel Imperativus, vel Infinitivus esse potest, *auferendo*, vel *aufer*. נקוד *punctatum* vel *punctuosum* dicitur, cujus vellus habet multas maculas parvas. טליא *quod habet magnas maculas diversi coloris.* חום R. D. Kimhi exponit שחור, i. *nigrum*: nigredinem autem generat calor, quem חום Hebræis propriè significat: alii interpretantur *subrufum*. Neque enim sunt ovium vellera omnino nigra, sed nigredo illa nonnihil in rubedinem degenerat. *Et respondebit pro me justitia mea in die crastino, quando veneris super mercede mea, coram te.* Sensus est, Si fortè tu Laban posthac dubitare velles de fide mea, testimonium mihi feret justitia mea, cùm scilicet tu venies ad mercedem meam: h.e. Tunc deprehendes me justum esse, cùm venies ad videndas oves quæ mihi mercedis loco cedent, & videris me nihil habere quod tuum sit. Sunt tamen qui verbum תבא in tertia persona legunt, & referunt ad *justitiam*. Sed prior lectio mihi magis probatur, quam & Aben Ezra approbat. רהטים sunt *decursus aquarum*. Aben Ezra exponit, מקום חבור המים *locum collectionis aquarum*, in quem Jacob virgas illas posuit ut oves ex earum aspectu *conciperent*, sive, ut Hebraismus habet, *incalescerent*, scilicet ad coitum. *Et agnos separavit Jacob, dedítque* (seu *posuit*) *facies ovium versùs agnos*, &c. Hæc erat secunda industria Jacob, ut antea indicatum est. Vulgata translatio hunc sensum non tantùm non expressit, sed etiam adjecit quæ textus Hebraicus non habet, nempe illa, *Et posuit virgas in canalibus ante oculos arietum.* Lxx hunc locum sic legunt, *At agnos separavit Jacob, & posuit coram ovibus arietem subalbum.* Decepit illos præpositio אל, i. *ad*, vel *versùs*, pro qua legerunt איל, quod *arietem* significat. עקד accipitur pro *agno habente crura maculis respersa*. Deducta vox est à verbo עקר, quod *ligare* significat: ligatio autem ovium fit in cruribus. מקשרות, sic vocat hîc Scriptura oves robustiores, i. *conspirantes*, seu *quæ conspirationem inierunt libidine excitatâ*. Vel, ut alii putant, quòd membra illorum robustiùs fuerint colligata vel consolidata: atque ità exponit Gerundensis post R. Menahem. Cæteri sequuntur Paraph. Chald. qui vertit בכיריא *primitiva*, ficut & עטפים reddit לקשיא, *serotina*, quæ scilicet in mense Tisri, h.e Septembri, nascuntur. Gerundensis verò exponit חלושים *debiliores oves*, à verbo עטף, quod *mœrore desicere* significat.

ויתנב רחל את התרפים אשר לאביה,

Furatáq; est Rachel imagines patris sui, Gen. 31.19.

VAriatio est in voce תרפים, quam Lxx & Lat. vulg. editio *idola*, Onkelus verò Chaldæus *imagines* vertit. Quales autem imagines fuerint non certò constat. Quidam putant instrumenta ærea fuisse quibus partes horarum cognoverint. Alii sentiunt imagines fuisse quas astrologi sub certis constellationibus eâ arte ac industriâ fecerint ut loqui potuerint, quarúmque inspectione res futuras cognoverint, sicut & R. D. Kimhi scribit in libro Radicum; תרפים הם צלמים יראו בהם העתידות, i. *Thraphim sunt imagines per quas futura cognoscunt.* Quòd autem loqui valuerint, citant illud propheticum, כי התרפים דברו און, *Quoniam simulacra locuta sunt vanitatem*, Zach. 10. Aben Ezra scribit humanâ formâ factas fuisse, ità ut capaces fuerint influentiæ cœlestis, in cujus argumentum citat imagines quas Michol pro liberando Davide in lecto posuit. Ex nostris quidam putant aureas imagines fuisse, i. patrios deos & penates. Quales quales imagines fuerint, hoc ex textu satis appareret, Laban illis Divinum honorem tribuisse atque coluisse; nam idololatra erat; ideo vocat eos *deos suos*, dicens, למה גנבת את אלהי, *cur furatus es deos meos?* Et Jacob respondet, עם אשר תמצא את אלהיך, *cum quo inveneris deos tuos.* Porrò causas cur eas Rachel patri abstulerit has assignant; Prima, quòd eas Rachel pro mercede quâ pater maritum suum fraudaverat acceperit. Altera, nè pater earum inspectione per quod iter abiissent cognosceret: quæ opinio placet Aben Ezræ. Postrema, ut sic patrem ab idololatria avocaret, in qua sententia est R. Salomo.

השמר לך פן תדבר עם יעקב מטוב עד רע

Cave nè loquaris ad Jacob à bono usque ad malum, Gen. 31. 24.

SEnsum potiùs quàm verba Lxx & Vulg. Lat. interpres reddere conati sunt. Ad verbum enim Hebraica sic habent, *Cave tibi nè fortè loquaris cum Jacob à bono usque ad malum.* Quod schema nostri bifariàm explicant. Primò, ut hic sensus sit, Neque bonum neque malum cum eo loquaris, h. e. omnino nihil. Secundò, ut tantum valeat q. d. Nihil mali loquaris cum eo sed tantùm bonum. Sive, præter bonum nihil loquaris cum eo, ut sit Synecdocha: utramque enim partem exprimit, sed alteram tantùm comprehendit. Vult enim verbis & verberibus ei interdicere. Nam si non vult eum lædi malis verbis, multò minùs verberibus aut factis: q. d. Nihil omnino mali ei facias. Verùm schematismus Hebraicus hunc sensum habet, Cave vel blanditiis vel minis eum reverti facias. Quo sensu & Aben Ezra explicat.

ויגע בכף ירכו ותקע כף ירך יעקב בהאבקו עמו

Tetigit nervum femoris ejus, & amotus est nervus femoris Jacob, dum illi luctaretur cum eo, Gen. 32. 25.

VOX Hebræa, pro qua interpres Latinus vertit *nervum*, Hebræis propriè *interiorem partem manûs*, i. volam, & *plantam pedis* significat. Hic autem significat *vertebram & cotylen*, i. ossis cavitatem illam in qua absconditur summa pars femoris, quod *ischium* Græcis dicitur: & etiam caput illud femoris quod in ischium inseritur. His adstipulatur & R. D. Kimhi in Radicibus suis, ubi super hunc locum sic scribit, לפי שהעצם הנכנס בו עצם הירך נפוץ ויש מפרשים כי נקרא כן לפי שהבשר אשר סביב עצם הקוליה העליונה עשויה בתין כף, Sensus est, *Os illud in quod os femoris ingreditur* כף *vocatur, eò quòd recurvatum est. Alii verò sentiunt sic vocari eò quòd caro quæ est circa os cotylæ superioris, formam habeat manûs recurvatæ.* Paraph. Chaldæus פחי vertit, quod quidam *latitudinem* exponunt, quam lectionem sequuntur Lxx. Porrò verbum תקע quod post Lxx Lat. interpres *emarcuit* reddidit, potiùs *amotum est, recessit, transtulit se, & eluxatum est*, significat. Est enim sensus, quòd vir ille manum curvam impressit coxæ Jacob, ex quo contactu amotus est nervus femoris. Verti ergò potest, *Tetigit coxendicem, & luxata est coxendix.*

כי

כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל

Quoniam ut princeps conflixisti cum Deo & cum hominibus, & prævaluisti, Gen. 32.28.

HUnc locum quidam ex nostris sic explicant, q. d. angelus, *Nequaquam posthac Jacob* (i. *supplantator*) *sed Israel* (i. *Dei princeps*) *vocaberis*. Non enim insidiis, non malis artibus, non supplantatione, mecum egisti, ut solent luctantes, sed aperto & æquo Marte. Ut sit occulta confortatio ipsius Jacob nè fratrem metuat, cùm sit tam fortis pugil: q. d. angelus, Quandoquidem cum Deo conflixisti & prævaluisti, etiam hominum facilè victor ac dominus eris. Quia ergò Jacob fratrem Esau valde metuebat, voluit eum Deus hâc monomachiâ & quasi velitari pugnâ exercere, victorémque abire, nè fratris metu posthac teneretur, sed forti, infracto lætóque animo illi obviàm iret. Cæterùm observabis hic hallucinari qui vocem Hebraicam ישראל *virum* aut *mentem videntem Deum* interpretantur, ſdecepti videlicet vocum similitudine, quasi conflatum sit ex nomine איש, quod *virum* significat, & verbo ראה, quod *videre*, & אל, quod *Deum* significat; cùm potiùs deducatur à verbo שרה, quod *dominari*, *principari*, & *superiorem esse* significat, & אל, i. *Deus*: hinc ישראל, i. *dominator Dei*, vel *superans Deum*, vel *princeps cùm Deo*, sicut & angelus interpretatur. Fallitur quoque Lyranus, qui idem nomen asserit *directum cum Deo* interpretari posse, quasi derivatum sit à verbo ישר, quod *rectum esse* significat; quod tamen errorem esse coarguunt puncta Smol & Jamin. ישראל enim cum Sin exili, ישר verò cum Sin crasso scribitur. Cæterùm Jod à principio litera est præpositiva, quæ adjecta verbis futurum tempus constituit. Et est una quoque ex literis Tetragrammaton, unde non carent mysterio quæ per hanc literam formantur nomina, ut sunt יצחק, יעקב, ישראל, יהושע, & similia: adumbratum enim eo fuit tandem ex illorum semine proditurum qui verus Deus & salvator futurus esset, nempe Jesus Christus Dominus ac Redemptor noster, cujus isti omnes typi fuerunt. Tandem & hoc notabis, non haberi in textu Hebraico istud quod legitur in quibusdam Latinis exemplaribus, *Quod est mirabile*, quod ex 13. cap. Judicum huc à sciolo quodam adjectum videtur, quòd ibi atque hîc admodum similia dicuntur. Quod idem & in multis aliis locis simili de causa accidisse apparet.

על כן לא יאכלו בני ישראל את גיד הנשה אשר על כף הירך עד היום הזה

Et hinc est quòd filii Israel non comedunt nervum dissipatum, qui est in loco femoris, usque in præsentem diem, Gen. 32. 32.

VAriatio est circa hæc, גיד הנשה. Quidam enim interpretantur *nervum latum*, alii *nervum contractionis*, & alii rursum *nervum qui obstupuit, obstupuit, emarcuit & quasi inutilis effectus est*. Inter Hebræos quoque non convenit de etymo hujus vocabuli נשה. Aliqui exponunt שכח *oblivionem*, nempe quòd fuerit nervus oblivionis, h. e. quòd locum suum deseruerit, & contractus in superiorem locum resederit; sicut & R. D. Kimhi in Radicibus suis in hunc modum scribit, ארז"ל כי נקרא כן שנשה ממקומו ועלה בלומר כאילו שכח מקומו וסר לו ממנו, *Dixerunt magistri nostri pia memoria, sic vocatum esse quòd oblitus loci sui sursum ascenderit, & quasi recesserit de loco suo*. Alii נשה idem esse volunt quod נשת *dissipatum est, periit*: cui opinioni subscribit R. D. K. sic enim ait in Radicibus, והיה נכון לפרש גיד הנשה גיד הנפסק מן נשתה גבורתם, *Conveniens est* GID HANASCHEH *exponere* NERVUM DISSIPATUM, *juxta illud quod dicitur*, DISSIPATA EST POTENTIA EORUM, Hier. 51. Quidam ex nostris vertunt, die hol'e ader, quasi veniat à verbo נשא, quod *elevare & exaltare* significat: sed reclamat punctatio. Judæi vulgò exponunt, die ſpringendig ader. Nec desunt inter illos qui per גיד הנשה stultè intellexerunt membrum virile, quos meritò ridet & eludit Aben Ezra. Quidam nostrorum hunc locum sic legunt & explicant, *Non comedunt filii Israel musculum contractionis, qui est super acetabulum ossis femoris, usque ad hoc tempus, quia tetigit* (sub. *angelus*) *acetabulum femoris*, (vel *coxendicem*) *Jacob, quod est juxta musculum contractionis*: i. Non comedunt musculum contrahentem sese, & moventem femur, qui musculus est juxta acetabulum ossis femoris; quia angelus Dei tetigit acetabulum femoris, quod est juxta musculum moventem femur.

ויבא יעקב שלם עיר שכם אשר בארץ כנען

Venítque Jacob Salem civitatem Sichem, quæ est in terra Chnaan, Gen. 33.18.

VAriatur in vocabulo שלם. Nostri expositores ferè omnes pro nomine proprio civitatis accipiunt, ut eadem sit Schalem quæ & Sichem, binominis scilicet. Hebræi verò omnes adjectivè interpretantur, pro *salvo & incolumi*, ut sit sensus, quòd salvus, incolumis & sanus venerit ad urbem Sichem, sic ut nihil infidelitatis, nihil superstitionis falsæque religionis contraxerit in domo Laban, ut scribit R. Salomo. Et quòd nihil etiam sinistri ei hactenus acciderit, ut inquit Ezra: sed salvus, integer & pacificus Sichimam usque venit, ubi primùm expertus est malum quod accidit ei cum Dina filia sua, quod in sequentibus Moses describere incipit.

וקן את חלקת השדה אשר נטה שם אהלו מיד בני חמור אבי שכם במאה קשיטה

Emit quoque partem agri, ubi tetendit tabernaculum suum, de manu filiorum Hemor patris Sichem pro centum numis, Gen. 33.19.

VAriatio est in voce קשיטה: quam cùm omnes Hebræi מעה, i. *numum*, seu *obolum*, exponunt, unus Onkelus Chaldæus חורפא, i. *agnum* interpretatur, quem secuti sunt Lxx, & illos Lat. vulg. interpres. Tametsi quidam putant Septuaginta editionem vel incuriâ librariorum vel vetustate corruptam fuisse, sic ut pro μνᾶν, quod illos vertisse eis verisimile est, ἀμνᾶν irrepserit. Meminit R. D. Kimhi in Radicibus ex R. Akiba in Arabia quoque numum קשיטה vocari. Sic enim scribit, ובתענ וז"ל אמר רבי עקיבא כשהלכתי לערביא שמעתי שהוו קורין למעה קשיטה, *Apud Rabinos nostros pia memoriæ legitur, Rabi Akibam dixisse, Cùm irem in Arabiam, audivi quòd vocarent numum* קשיטה. Huic Hebræorum lectioni adstipulatur D. Stephanus in Act. Apost. cap. 7. ubi de isto agro sic ait, *Positi sunt in sepulcro quod emit Jacob pretio argenti à filiis Hemor patris Sichem*: ubi vides Stephanum *pretii argenti*, non *agnorum* mentionem facere.

ויהי עוד כברת הארץ לבא אפרתה

Fuit adhuc quasi stadium terræ ad locum Ephratha. Gen. 35. 16.

VAriant Interpretes in reddenda voce Hebraica כברת, quam quidam Hebræorum pro כמו מהלך, i. *multo ac spatioso itinere* exponunt, deducentes à כביר, quod *multum* & *magnum* significat; q. d. multum itineris, sive spatii, adhuc erat ad Ephratam. Alii, ut meminit etiam R. Salomo, pro tempore quo terra in morem cribri scissa atq; excavata apparet, accipiunt: quod ferè fit post hiemem gliscente vere. Atq; hi derivant à כברה, quod *cribrum* significat, quòd videlicet tum terra ob multiplices rimulas, scissuras & cavernas cribri formam habere videatur. Et hanc lectionẽ sequitur Lat. Vulg. editio, quæ habet, *verno tempore*. Alii, ut Aben Ezra & R. Salomo, pro כמרחק מהלך

certo

certa mensura & spatio itineris interpretantur, h. e. pro miliari. Quibus accedit & R. D. Kimhi, qui בברח dicit esse iter quod à manè usque ad prandii tempus confici potest, ut Caph sit adverbii Similitudinis nota, relicto quam deductum à ברח, quod prandium significat. Sic enim scribit in libro Radicum, הכף כף דמיון ואיננה שרשית ופרושו שיעור מהלך ארץ מן הבקר עד עת האכילה כי בן משערין הולכי הדרכים Caph quod præfixit dictioni כברח non est radicale sed servile, constituunt similitudinis adverbium, & ברח spatium terræ significat quod eundo confici potest à manè usque ad tempus prandii. Sic enim viam dimetiri solent qui iter faciunt. Et rursum in alio loco dicit, פירשו בו מיל כי אומרים שכן מהלך מקבורת רחל לאפרת interpretantur pro miliari: dicunt enim tantum itineris esse à sepulcro Rachelis usque ad Ephratam. Hæc ille. Lxx velut ignorantes quid hæc vox significet, & tanquam alicujus loci nomen esset, intactam reliquerunt, quod sæpe fit & in aliis locis, quæ res mihi fidem facit non esse Septuaginta versionem quæ illorum nomine circumfertur. Qui enim fieri potuisset ut tam periti Hebraicæ linguæ viri, ut de eis opinio est, ità impingerent in linguam sanctam.

הוא ענה אשר מצא את הימים במדבר ברעותו
את החמורים לצבעון אביו

Iste est Anah qui invenit mulos in deserto, cùm pasceret asinos Zibeon patris sui, Gen. 36. 24.

VAriatur in voce ימים, quam Autor Lat. Vulg. editionis *calidas aquas* transtulit, per oscitantiam nimirum מים, quod *aquas*, vel ימים, quod *maria* significat, pro יימים legens. Sed nondum liquet unde *calidas* adjecerit, cùm nihil ad rem faciat. Vox Hebræa sive ימים *Jemim*, sive מים, sive יממים *Jammim* legas. Noveris ergò ימים *Jemim* Hebræis propriè פרדים, i. *mulos* qui ex asina & equo nascuntur, significare. Quos Ana non quidem fortuitò in deserto aberrantes reperit, sed suâ industriâ adinvenit. Cùm enim pasceret asinos patris sui, subiit in cor illius ut applicaret equum asinæ, & ex illa cõpula, nova illa & quodammodo innaturalis mulorum species primùm in mundum prodiit. Scribunt quoque Hebræi Anah fuisse ממזר, i. *spurium* ex damnato coitu natum: nam fuit filius fratris sui Zibeonis, qui scilicet dormivit cum matre sua, & hunc genuit filium simúlque fratrem. Quod Hebræi ex textu haberi contendunt. Ut ergò, inquiunt, ipse fuit פסול, *inutilis* atque degener, ità quoque conatus est in natura producere creaturas quæ essent præter naturam. Hujusmodi & Kimhi habet in Radicibus suis, ubi sic scribit, הימים הם מהרכבות שני מינים השוס והחמור הפרדים כי הם מהרכבות שני מינים השוס והחמור ובאמרו אשר מצא בידעתו שיתכן השוס על החמורה והוא הוצא וה והמין בעולם ואמרו רבותינו ז"ל ענה פסול היה והביא פסולין בעולם כי בן צבעון אחיו היה שבא על אמו והוליד ממנה ענה, Jemim *sunt muli, compositum quiddam ex duabus speciebus, equo scilicet & asinâ. Cùmque dicit Scriptura, quòd* invenerit, *innuit quòd industriâ suâ fratrio ascendere equum super asinam, atque ità produxit hanc speciem in mundum. Cæterùm Rabbini nostri benedictæ memoriæ dicunt Anam hominem fuisse vitiosum, idèoque & in mundum quæ non carebant vitio introduxisse. Filium siquidem Zibeonis fratris sui fuit, quo coivit cum matre sua, & genuit ex ea Anah.* Hæc Kimhi. Onkelus Chaldæus Jemim גבריא vertit, i. *fortes*, animalia scilicet robustissima, quale est mulorum genus. Dicti ergò sunt ימים *Jemim*, vel ab אים, quod *robur & fortitudinem* significat; vel, ab איומה, quod *metum & terrorem* significat. Sed placet etiam hic referre quæ D. Hieronymus habet in Quæst. suis super h. l. *Multa & varia apud Hebræos super hoc capitulo disputantur. Apud Græcos quippe & nostros super hoc silentium est. Alii putant* Jamim *maria appellata. Iisdem enim literis scribuntur* MARIA *quibus & nunc hîc scriptum descriptum est. Et volunt illum dum pascit asinos patris sui in deserto, aquarum congregationes reperisse, cujus rei inventio difficilis est. Nonnulli putant aquas calidas juxta Punica lingua vicinam, qua Hebræa confinia est, hoc vocabulo signari. Sunt qui arbitrentur onagros ad hoc admissos esse ad asinas: & ipsum istiusmodi reperisse concubitum; ut velocissimi ex his asini nascerentur, qui vocantur* Jamim. *Plerique putant quòd equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, ut mularum indè nova contra naturam animalia nascerentur.* Hactenus Hieronymus.

כי ארד אל בני אבל לשאלה

Quoniam lugens descendam ad filium meum in fossam, Gen. 37. 35.

VOcem Hebraicam שאול, nostri interpretes ferè omnes *infernum* interpretantur. *Infernum* autem jam pro Gehenna, i. loco damnatorum, jam verò pro Limbo patrum, ut ipsi loquuntur, h. e. pro eo loco ad quem fideles ante Christi adventum descenderint, accipiunt. Verùm tu noveris שאול Hebræis propriè *fossam* significare, & pro *sepulcro* usurpari, quòd Hebræis שאול *Scheol* à שאל *Schaal*, i. *petendo*, dicitur; quòd semper petit, & nunquam satiatur, juxta illud Salomonis, Prov. 30. *Tria sunt quæ non saturantur, Nempe sepulcrum*, &c. quod non saturatur cadaveribus. Item cap. 27. *Infernus & perditio non saturantur*: ubi habetur vox שאול. Intelligit ergò Scriptura per שאול communem statum omnium defunctorum tam piorum quàm impiorum. Id quod ex multis locis Scripturæ manifestum est. Ex quo facile est intelligere quid sibi velit articulus fidei nostræ, *Descendit ad Inferos*; nempe Christi mortem non fuisse fictitiam, sed revera mortuum ac sepultum, communem illum statum defunctorum pro nobis degustasse. Christus ut verus homo fuit, ità tribus illis, corpore, animâ & spiritu revera constitit. Jam moriturus *spiritum*, h. e. animam illam immortalem, *commendavit in manus Patris*: is ergò non descendit ad inferos: corpus emortuum sepultum fuit. Anima *descendit ad inferos*, h. e. ad triduum privatus fuit vitâ illâ naturali quæ Hebræis נפש dicitur, unde & David de illo dicit Psal. 16. כי לא תעזב נפשי לשאול לא תתן חסידך לראות שחת, *Quoniam non derelinques animam meam*, h. e. vitam sensitivam & naturalem quâ privatus fuit Christus, *in inferno*, i. in fovea, vel sepulcro: *neque dabis pium tuum videre corruptionem*. Nam licèt corpus Christi revera mortuum & sepultum fuit, non tamen putrefactum & corruptum fuit, ut cæterorum mortalium cadavera corrumpuntur, sed illico post triduum ex sepulcro resurrexit. Innuit ergò patriarcha Jacob istâ formulâ loquendi, *Descendam lugens*, &c. se non posse amplius vivere, sed malle mori, postquam non amplius superstes sit filius suus Joseph. Vide quæ in hunc locum copiosiùs annotavi in Bibliis meis Chaldaicis.

והמדנים מכרו אותו אל מצרים לפוטיפר סריס
פרעה שר הטבחים

Verò Midianitæ vendiderunt eum in Ægyptum Potiphar eunucho Pharaonis principi lanionum, Gen. 37. 36.

VAriatur in voce חטבחים. Cùm enim verbum טבח unde deducitur ambiguum sit ad *occisionem*, *mactationem* & *coctionem*, sicut & Aben Ezra in commentario suo scribit, ומצא זה הלשון על הרג ועל בישול, *Invenitur hoc vocabulum usurpatum tam de occisione quàm de coctione*; idcirco diversa hîc lectio oritur, cùm apud Hebræos tum apud nostros interpretes. Quidam ergò המטבחים pro *lanio*, *coquis*, & *pecorum mactatoribus* exponunt, intelligentes Putipharem præfectum fuisse coquis & pecorum mactatoribus, quos Pharao in aula sua

habuit: in qua sententia est & R. Salomo, qui exponit שוחטי בהמות המלך, i. *mactatores jumentorum regis*. Huic lectioni accedunt cum sua versione Lxx, qui ἀρχιμάγειρον reddiderunt, h. e. *coquorum principem*, sive *eum qui coquis præfectus sit*. Et nostrates Judæi vulgò kuchenmeister exponunt. Alii ad carnificinam atque militiam referunt, quòd scilicet princeps fuerit sicariorum ac militum regiorum. Et hanc lectionem habet Paraph. Chaldæus, quem secuta est Lat. vulgata editio. Et quia inferiùs habetur Putipharem carceris custodiam quoque habuisse, hinc quidam שר הטבחים appellatum fuisse sentiunt, quòd damnatorum plectendorum curam haberet, quem vulgò profos appellant. Sed quia סריס פרעה *eunuchus Pharaonis* simul dicitur, mirantur quidam quomodo vel princeps coquorum, vel laniorum, vel militum ac sicariorum, vel custodiæ carceris esse potuerit, cùm ad omnia ista munia eunuchorum hominum genus ut vile & effeminatum minùs aptum & idoneum esse videatur. Ad hæc respondeo, סריס Hebræis non semper significare *castratum*, & cui planè exsecti sunt testiculi, sed & aliquando שר ומנוה, *principem & præfectum*; qua in significatione hîc accipitur. Unde Paraph. Chaldæus per רבא, quod *magistrum* & *principem* significat, transtulit. Et infrà cap. 41. memoratur Joseph pro uxore habuisse Asnath filiam Putiphari sacerdotis On; ex quo manifestum est, non revera eunuchum fuisse, quomodo enim liberos procreasset? Quòd si iterum rogas, quid principi coquorum vel militum cum sacerdote conveniat? Respondeo nec כהן vocem Hebraicam *sacerdotem* semper significare, sed aliquando *dominum* & *principem*; ità & hoc loco, quemadmodum & Onkelus per רבא vertit.

והיה בכזיב בלדתה

Et fuit ipse in Chesib cùm illa hunc pareret, Gen. 38. 5.

VAriatio est in voce בכזיב, quam alii verbaliter pro *fallere, mentiri* & *cessare* exponunt, quos sequitur Lat. Vulg. interpres; alii verò nominaliter pro nomine proprio loci & urbis quæ fuit in Palæstina, ut omnes Hebræorum commentatores, quos secuti sunt Lxx. R. Salomo tamen putat huic loco impositum nomen כזיב, quòd ibi parere cessaverit: quam sententiam habet Vulg. ed. Latina. Quidam ex nostris sic legunt, *Nam fuit in fallendo dum ipsa pareret eum*, h. e. parùm abfuisset ut partus fefellisset, aut periclitata esset mater in partu ejus. Es het schier gefalt an der geburt. Mentiebatur enim puer, aut fallebat, i. e. non consueto more venit, sed obliquo, quod valde periculosum est. Verba Hebraica כזב & שלא nonnihil alludunt ad istam sententiam quæ *mentiri* & *fallere* significant: sed Hebræorum sententia qui pro nomine proprio loci accipiunt probabilior est. Lxx discrepant à veritate Hebraica, quòd verbum masculinum והיה *Et fuit*, scilicet Jehuda, &c. femininè reddiderunt, *Hæc autem erat*, &c. Dein quòd pronomen relativum singularis numeri אותו pluraliter extulerunt, *eos*.

וחשב בפתח עינים אשר על דרך תמנתה

Et sedit in publico loco, qui est juxta iter quod ducit in Thimnath, Gen. 38. 14.

VAriatur circa illa בפתח עינים, quòd quidam pro nomine proprio loci accipiunt, alii verò appellativè exponunt. Qui nomen proprium esse putant, sic legunt, *In porta Enaim*; quam lectionem Lxx habent, & quam etiam Aben Ezra Hebræus commentator approbat, qui scribit עינים שם מקום esse, *nomen loci, quod à duobus fontibus qui ibi fuerunt, quique portarum similitudinem habuerunt, nomen accepit*. Onkelus Chaldæus vertit, *in divisione fontium*. Nam עין Hebræis & *fontem* & *oculum* significat, cujus dualis numerus est עינים. R. Salomo exponit בפרשות דרכים, *in divisione viarum*; quam sententiam secutus est Vulg. interpres Latinus. Hebræa ad verbum sonant, *in ostio oculorum*: per *ostium* autem Hebræi principium, introitum & ingressum alicujus rei intelligunt; per *oculos* verò, quod patet & publicum est. Est ergò sensus, *in ostio oculorum*, i. ut R. D. Kimhi exponit, *in loco publico*, seu *in propatulo, ubi scilicet frequens erat ultro citróque eorum transitus*. Consedit, inquam, in ostio, sive in ingressu qui respiciebat publicam viam quæ in Thimnath ducebat. Verba Kimhi Hebraica sunt hæc, בפתח שהוא בגלוי ובפרהסיא שהיו עוברים ושבים דרך שם כמו שאמר על הדרך. Quia verò vox Hebræa לעינים alicubi & pro eo *qui viam monstrat & alicui dux est* accipitur, ut Num. 10. *dicebat Moses ad socerum suum, Nè quæso derelinquas nos: tu enim nosti mansiones nostras in deserto, & fuisti nobis pro oculis*, i. *dux & monstrator viæ*, ut habet Vulg. editio; nequaquam absurdum & alienum erit עינים pro Mercuriali statua, vel tali aliquo signo quod viam monstrabat, accipere: quæ ferè in locis ubi multæ viæ concurrunt poni solent: ut ibi consederit Thamar. Hieronymus in Quæst. Hebr. in h. l. sic scribit, *Sermo Hebraicus* עינים *transfertur in* oculos: *Non est igitur nomen loci; sed est sensus, Sedit in bivio, sive in compito, ubi diligentiùs debet viator aspicere quod iter gradiendi capiat*.

חתמך ופתילך ומטך אשר בידך

Annulum tuum, amictum tuum, & baculum tuum, qui est in manu tua, Gen. 38. 18.

VAriatur in vocabulo פתילך, quod Lxx & Lat. Vulg. editio pro *armilla* acceperunt, quod est humerorum ornamentum. Nam ὦμος Græcis *humerus* est, unde diminutivum ὠμίλιον. Rectiùs ergò fortassis *humilla* quam *armilla* diceretur. Sed sic ferè immutari solent literæ in dictionibus quæ ex Græcis Latinæ fiunt. Paraph. Chaldæus שושיפך vertit, quod autor Complutensis editionis *sudarium* transfert, R. Salomo *vestem qua se tegebat* exponit. R. D. K. in lib. Radicum, pro *limo capitis & palliolo* accipit. Et citat locos Scripturæ ubi in hac significatione usurpatur. Est autem פתיל nomen deductum à פתל, quod *conjungere* & *ligare* significat. Judæi vulgò dein gewant exponunt. Quidam ex nostris *fasciam* esse dicunt.

ולא ידע אתו מאומה כי אם הלחם אשר הוא אוכל
ויהי יוסף יפה תאר ויפה מראה

Nec cognoscebat cum eo quicquam, nisi panem quem ipse comedebat: & erat Joseph eleganti formâ atque pulcro aspectu, Gen. 39. 6.

SEptuaginta & Vulg. interpres Lat. sensum potiùs quam verba reddere studuerunt. Hebræa enim ad verbum sic habent, *Et non cognovit quicquam cum eo, nisi panis quem edebat*, &c. Diversimodè autem hæc explicantur etiam ab Hebræorum expositoribus. Quidam ità intelligunt, quòd scilicet herus Joseph nullius rei curam habuerit sed omnia Josepho ut fideli ministro commiserit, qui omnia solus accuratissimè providit atque curavit, excepto solo pane, quem non curabat, eò quòd Hebræus esset: cum Hebræis autem non sumebant cibum Ægyptii, ut infrà habes cap. 43. *Quia non possunt Ægyptii comedere panem cum Hebræis: siquidem id abominatio est Hebræis*, &c. Atque hæc omnino hujus loci genuina sententia esse appareret, quæ & Aben Ezræ probatur. Alii sic exponunt, *Non cognovit cum eo quicquam*, i. Putiphar nullam prorsus rerum à Josepho gestarum rationem exegit, sed illi bene fidit, ideóque omnia in manum ejus tradidit. Alii, quòd omnia habuerit cum eo communia *præter panem*, h. e. cibum. Alii, quòd Putiphar planè nihil curaverit, nullíusque rei curam habuerit, quàm ut ederet & biberet: q. d. Sedebat ad mensam, egrediebatur & ingrediebatur domum, de nulla re quicquã solicitus. Sunt deniq; qui istha;c, *Non cognovit cum eo quicquam*, &c. ad Josephũ referunt hoc sensu, Quòd scilicet Joseph ipse ex omnibus cibis heri sui Putipharis *nihil cognoverit*, i. nihil comederit, *præter panem* siccum quem vescebatur;

vescebatur; & nihilominus tamen eleganti formâ fuisse. Sicut & Daniel abstinens à regiis cibis vescebatur leguminibus, & interim corpulentior ac pulcrior erat aliis qui regiis nutriebantur cibis. Ad hunc sensum occasionem dedit, quod textus mox subjungit, *Et Joseph erat pulcrâ formâ*, &c. Sunt & inter nostros qui huic sententiæ accedunt, unde ex Hebræo in Germanicum sic transtulere, Und er hatt nichs darvon, dann allein das brott das er asse. R. Salomo per *panem* putat innui uxorem quam sibi solus Putiphar reservarit, reliqua verò omnia cum Josepho communia habuerit. Sed non probatur hæc expositio Aben Ezræ.

והנה שלשה סלי חורי על ראשי,

Ecce erant *tria canistra candida super caput meum*, Gen. 40.16.

VAriatur in vocabulo חורי, quod quia πολύσημον est, i. *multa habens significata*, ideo diversò modo exponitur. Primò *album* significat; hinc quidam ad *canistra* referunt, quòd ea scilicet alba ac candida fuerint. Alii verò ad *farinam* retulere, ut Lxx: quos sequitur & Lat. Vulg. editio. Nonnulli pro candido pane qui in canistris fuerit accipiunt. Secundò, חורי etiam *foramen* significat; unde quidam interpretantur *canistra foraminata*, seu *perforata*. Aliquando חורי quod *nobile*, *insigne ac præcipuum est*, significat: hinc quidam pro pane nobiliore qui reliquo ferè candidior est exponunt; sicut Complutensis vertit Paraph. Chaldæum, *Et ecce tria canistra plena pane principali super caput meum*. R. D. Kimhi in Radicibus suis hunc locum sic explicat, ושוב חו שיהיה סלי חורי לבן כלימר סלים עשוים מן המקלות המקולפות והם לבנים אחר הקילוף, *Bene quadrat ut per* סלי חורי *intelligantur* canistra alba, q. d. *facta ex viminibus decorticatis, quæ post decorticationem albicant.*

בעוד שלשת ימים ישא פרעה את ראשך

Adhuc tres dies sunt, & elevabit Pharao caput tuum, Gen.40.19.

SEptuaginta & Vulg. interpres, imitati Paraph. Chaldæum, sensum probè expresserunt. Nam schema Hebraicum, *elevare caput*, quod hîc usurpat Scriptura, *recensere, mentionem alicujus facere, recordari & reminisci alicujus non sine honore* significat. Quemadmodum & R. Salomo in hunc sensum præsentem explicat locum. Cùm numerabit Pharao servos suos ut sibi ministrent in convivio, tui memor te quoque cum illis numerabit, pristinóque muneri tuo te rursum restituet.

בלעדי אלהים יענה את שלום פרעה,

Non ego, sed Deus respondebit *quæ ad pacem sunt Pharaonis*, Gen.41.16.

TAmetsi in redditione vocis בלעדי diversitas appareat, tamen sententia apud omnes eadem est. Sive enim legas *præter me*, vel *sine me*, ut vox Hebræa propriè significat, & Vulg. interpres rectè transtulit; sive *non ex sapientia mea*, &c. ut Chaldæus transtulit; sive, *Sine Deo non* respondebitur, ut Lxx habent; omnia in eundem recidunt sensum. Quia enim dixerat Pharao ad Joseph, *Ego audivi de te loqui, quòd tu audiens somnium possis exponere illud.* Respondet Joseph, id se non ex seipso, sed ex dono Dei habere, cujus solius sit interpretari somnia. Nihil ergò sibi, sed Deo omnia adscribit, ut vel istâ ratione Pharaonem ad cultum veri & unius Dei pertrahat.

וחמש את ארץ מצרים בשבע שני השבע,

Et accipiat quintam partem de terra Ægypti, per septem annos saturitatis, Gen.41.34.

VAriat tantùm Onkelus cum sua Paraphrasi circa verbum וחמש, quod cùm *quintare*, ut etiam Lxx reddiderunt, significat, h. e. *quintam partem emere*, ut Aben Ezra exponit, vel *quintam partem accipere*, ut R.D. Kimhi interpretatur, ipse per וירו, quod *armare* significat, transtulit. *Armare* autem metaphoricôs accipit, pro, prospicere, providere: cùm enim terræ frugibus providetur, quodammodo armatur. Est & ubi in Hebræo verbum חמש pro *armare* usurpatur, ut infrà in Exodo cap. 13. וחמשים עלו בני ישראל, *& armati ascenderunt filii Israel.* Quò nimirum etiam respexit Onkelus suâ versione.

ועל פיך ישק כל עמי,

Et ad tuum imperium totus meus populus armabitur, Gen.41.40.

VAriatio est in verbo ישק, quod cùm æquivocum sit ad multa significata, nempe *osculari*, *armare*, *cibare*, & *gubernare*, variè ab Expositoribus redditur. Quidam ergò sic explicant, *Populus meus armabitur*, i. quando principes præparabuntur ad bellum, tu eris magister militum: q.d. Constituo te secundum à me tempore pacis & belli. Et hanc lectionem habet Ezra in suo Commentario, quem & Munsterus secutus est suâ versione. R. Salomo secutus Onkelum per *cibare* & *gubernare* expohit, hoc modo, omnia quæ opus erunt populo meo per te fient. R.D. Kimhi per *osculari* exponit, hoc sensu, *Os tuum exosculabitur omnis populus meus*, h.e. te suspiciet, venerabitur, colet, atque te dominum esse agnoscet: quam sententiam secuti sunt Lxx & Lat. Vulg. editio.

ויקראו לפניו אברך

Et clamaverunt ante ipsum, Genu flectite, Gen.41.43.

VAriatio est in voce אברך. Onkelus traduxit *pater regis*, quasi אברך composita dictio sit ex אב, quod *patrem*, & רך, quod *regem* significat. Nam ריכא Syris, teste Salomone, idem est quod מלך, i. *rex*. Hinc Joseph אברך appellatum sentiunt, quòd regem Pharaonem suis consiliis tanquam pater fideliter juverit. Alii אברך proclamatum putant, ad innuendum quòd sapientiâ & consiliis pater & senex fuerit, annis verò tener. Nonnulli putant אברך idem esse quod *pater*, sive *dominus tener*. Sicut in Austria dicunt, Mein schoner zarter herr. R. D. Kimhi in libro Radicum radicem hujus verbi ברך, quod *genuflectere* significat, statuit. Et dicit Aleph positum esse loco He constituentis imperativum in tertia conjugatione activa Hiphil, ut sit אברך pro הברך, i. *genuflecte*; quòd scilicet præco quemvis genuflectere ante Joseph jusserit. Vel, ut Aleph sit litera futuri, constituens primam personam, *genuflectam*, quòd quivis scilicet clamaverit coram eo, *genuflectam*. Quidam ex nostris אברך vertunt *patrem patriæ*, quod olim Romanis in usu erat. D. Hieronymus in Quæst. Hebr. ità scribit, ET CLAMAVIT ANTE EUM PRÆCO, ET CONSTITUIT EUM SUPER OMNEM TERRAM ÆGYPTI, *pro quo Aquila transtulit*; Et clamavit in conspectu ejus adgeniculationem. *Symmachus ipsum Hebraicum sermonem interpretans ait*, Et clamavit ante eum אברך. *Unde mihi videtur non tam* præco *sive* adgeniculatio, *quæ in salutando vel adorando Joseph accipi potest, intelligenda, quàm id quod Hebræi tradunt, dicentes* patrem tenerum *ex hoc sermone transferri.* אב AB, *quippe dicitur* pater, רך RECH delicatus *sive* tenerrimus: *significante Scripturâ, quòd juxta prudentiam quidem pater omnium fuerit, sed juxta ætatem tenerrimus adolescens & puer.* Hæc Hieronymus.

ויקרא פרעה שם יוסף צפנת פענח

Vocavitque Pharao nomen Joseph Zaphnath Paaneah, Gen.41.45.

QUI צפנת פענח pro dictionibus Hebraicis habent, exponunt eas, ut idem significent quod הצפונות מגלה, i. *arcanorum interpres*, seu *revelator*,

lator, ſicut ſcribit R. D. Kimhi in Radicibus, ut צפנת deductum ſit a verbo צפן, quod *abſcondere* ſignificat, & פענח ſit nomen verbale, *revelator*, vel præteritum in ſecunda conjugatione daggeſſata, i. *revelavit*. Atqui hoc ſenſu tranſtulit Paraph. Chaldæus, *Vir cui abſcondita revelata ſunt*: quem omnes ferè ſequuntur Hebræorum expoſitores. Aben Ezra tamen ſcribit, quòd ſi iſtæ dictiones vel Ægyptiacæ, vel Chaldaicæ ſint, ignorari quid propriè ſignificent. D. Hieronymus in quæſtionibus ſuis pro dictionibus Ægyptiacis habet, ſic enim ſcribit; *Licet hoc nomen Hebraicè* abſconditorum repertorem *ſonet: tamen quia ab Ægyptio ponitur, ipſius linguæ debet habere rationem. Interpretatur ergo ſermone Ægyptio*, צפנת פענח, *ſive ut Lxx transferre voluerunt*, Σωτὴρ κόσμου, ſalvator mundi, *eò quòd orbem terræ ab imminente famis excidio liberarit*. Hæc ille. Lxx quoque vim & naturam harum dictionum ignoraſſe videntur, ideo intactas reliquerunt.

ויאמר יעקוב לבניו למה תתראו

Et dixit Jacob ad filios ſuos, Quare vos mutuò aſpicitis, Gen. 42. 1.

VAriatio eſt in verbo תתראו, quod cùm ſit verbum retranſitivum, ſeu reciprocum, Conjugationis Hithpael, variè etiam ab Hebræorum expoſitoribus explicatur. Quidam ad verbum ſic interpretantur, *Quare aſpicitis vosmetipſos?* ut ſit ſenſus, Quid differtis? quid ceſſatis & moram trahitis? Solent enim ſe mutuò aſpicere qui moras nectunt in aliqua re. Et Germani hoc ſchema quoque uſurpant, Was ſehen ir einandern an? pro quid differtis? cur non maturatis? Atq; hunc ſenſum ſecuti ſunt Lxx, qui verterunt, *Quid pigri eſtis?* Et Lat. Vulg. interpres, *Quid negligitis?* Alii ſic legunt, *Quare conſideratis vos ipſos?* i. Quare non conſulitis aliis ut vobis? Quare proſpicitis vobis tantummodo? Quare non conſideratis quoquo modo poſſitis alere totam veſtram familiam? R. Salomo, Aben Ezra & R. D. K. in Radicibus ſuis ſic exponunt, Quare oſtenditis vos coram hominibus quaſi ſaturi ſitis & nihil vobis deficiat? Verba Kimhi ſunt hæc, למה תראו עצמכם שאתם שבעים ויש עמכם אובל כי כל שאר העולם חולבים לשבור שבר ואתם יושבים, *Cur oſtenditis vos quaſi ſaturi ſitis, ac ſit vobis eſca? omnis ſiquidem mundus proficiſcitur ut emat frumenta, & vos ceſſatis?* Nonnulli vertunt, *Quid contenditis*, eò quòd iſtud verbum in conjugatione Hithpael pro *contendere*, *pugnare* & *præliari* alicubi uſurpatur, ut 2 Reg. 14. לבה ונתראה פנים, *Veni & videamus nos facie tenus*; pro, Videamus quis altero ſuperior eſſe poſſit in pugna. Et nos Germanicè quoque ſic loquimur, Laſs ſehen was kanſtu, ubi quis cum aliquo in arenam deſcendere atque vires ſuas experiri conatur. Annotavit quoque R. Salomo eſſe qui per verbum כחש, quod *celare*, *negare*, item *tabeſcere* & *fame perire* ſignificat, interpretantur hoc modo, למה תהיו כחושים ברעב, *Cur negatis* ſive *celatis, famem?* vel, *cur tabeſcitis fame?* Sed quamcunque lectionem ſecutus fueris, omnia in eundem recidunt ſenſum: Voluit enim Jacob iſto ſermone eos adhortari ut ſibi de frumentis ut cæteri homines in Ægypto proſpicerent.

ואני כאשר שכלתי שכלתי

Et ego quemadmodum orbatus ſum, orbatus ſum, Gen. 43. 14.

APud noſtros Interpretes parùm vel nihil eſt diverſitatis. Verùm Hebræi duplici modo exponunt hunc locum. Prior, *quemadmodum orbatus ſum Joſepho & Schimeone, ſic modò orbabor Benjamin.* Poſterior, quem habet Aben Ezra, *Mortuo Joſeph puto me omnibus privatum eſſe.*

והוא נחש ינחש בו

Et pro quo augurando auguratur, Gen. 44. 5.

VAriatio eſt in verbo נחש. Quidam enim etiam Hebræorum pro *augurari*, alii *augures conſulere*, alii *tentare & probare*, alii pro *malo omine habere* accipiunt. Qui *augurari* exponunt, ſic intelligunt, *Nónne iſte eſt calix in quo bibit herus meus, & per quem augurari ſolet?* Non quòd auguriis more Gentilium Joſeph uſus fuerit, ſed quòd ea quæ ad præſentem rem faciebant locutus fuerit. Vel, *Nónne iſte calix eſt in quo bibit herus meus, & pro quo augurando auguratus eſt?* i. Nónne iſte calix quem furati eſtis eſt ille in quo bibere ſolet dominus meus, pro quo divinos conſuluit, ut ſciret quis eum ſurripuiſſet? Aben Ezra pro *tentare & probare* accipit; hoc ſenſu, *Per hunc ſcyphum dominus meus vos tentavit, ut ſciret num fures eſſetis.* R. Jona ſic explicat, *Cogitat herus meus amiſſionem ſcyphi ex quo bibit, ſibi eſſe malum omen & augurium.* Has ſententias ferè omnes habet R. D. K. in libro Radicum, ubi ſic ſcribit, נחש ינחש בו ישאל מנחשים בעבורו וים' שחוא עצמו ינחש בו כלומר יחשב אברת הגביע לנחש רע לעצמו שאבד ממנו וגלי שהיה שותה בו

ועינכם אל תחוס עיל כליכם

Sed & oculus veſter non parcat vaſis veſtris, Gen. 45. 20.

HUnc locum propterea appoſui quòd videam Expoſitores bifariàm eum explicare. Quidam ſic, quaſi Pharao fratres Joſeph monere voluerit ut omnem ſupellectilem ſecum in Ægyptum adducerent, nihil de vaſis tam majoribus quàm minoribus in terra Chanaan relinquendo. Et hanc ſententiam ſequitur Lat. Vulg. editio. Alii verò ſic, quaſi non debeant curare etiamſi non poſſint ſecum omnem ſupellectilem accipere: ut *parcere* hîc accipiatur ſicut Latinis, *parcere ira*, *parcere ſumptui*. Sic *parcere oculis*, i. ſatisfacere oculis: q.d. Pharao, Noſtræ ſatisfacere velle deſiderio oculorum, ut ſolent qui aliò migrant, qui omnia volunt ſecum vehere & nihil poſt ſe relinquere: Vos non ſic; ſatìs vaſorum, ſatìs ſupellectilis eſt in Ægypto.

ולאביו שלח כואת

Et patri ſuo miſit in hunc modum, Gen. 45. 23.

VAriatio eſt in vocula כואת, quam Lxx & Vulg. editio ſic intellexere quaſi ad præcedentia pertineat, hoc ſenſu, quòd Joſeph patri ſuo eadem dona miſerit quæ fratribus dederat; putà pecuniam, viaticum & veſtes, &c. Quam ſententiam habet & Aben Ezra in ſuo Commentario. Alii verò particulam כואת ad ſequentia referunt, nempe quòd Joſeph patri ſuo miſerit ea quæ ſequuntur in textu. Scilicet decem aſinos ferentes de bonis Ægypti, & decem aſinas ferentes frumentum, panem & cibum, &c. Valet igitur כואת idem quod כמשכון הזה *juxta hunc numerum*. Atqui hæc poſterior hujus loci genuina ſententia eſſe videtur.

ויפג לבו כי לא האמין להם

Diſſolutúmque eſt cor ejus, non enim credebat illis, Gen. 45. 25.

QUaſi de gravi ſomno evigilans, &c. Hæc omnia addita ſunt à Vulg. interprete, explicandæ rei gratiâ; nam textus Hebraicus non habet. Variant autem autores in verbo ויפג. Quidam enim legunt, *immutatum & diſſolutum eſt cor ejus*; alii, *elanguit*, ſive *debilitatum eſt cor ejus*; alii, *vacillavit cor ejus, ut non plenam fidem illis adhiberet*: quam ſententiam habet Paraph. Chaldæus, quæ ſimplicior & verior eſſe videtur. Lxx ad ſtuporem referunt, quaſi Jacob auditis quæ à filiis de Joſeph narrabantur ecſtaſi correptus fuerit. Patet autem, non ad

ad ſtuporem ſed incredulitatem referendum. Additur enim, *quia non credebat eis.* Quòd ſi obſtupuiſſet, utique etiam credidiſſet. Siquidem ſtupor eſt rerum vehementiſſimè impreſſarum, & quarum eſt maxima repræſentatio; quæ autem non creduntur, nullum efficiunt in animo veſtigium.

ומקצה אחיו לקח חמשה אנשים

Et de extremis fratrum ſuorum tulit quinque viros, Gen. 47. 2.

VAriatio eſt in vocabulo מקצה. Quidam enim legunt, *de extremitate fratrum ſuorum accepit quinque viros*, i. de extremis & abjectioribus, qui ſcilicet abjectiori erant aſpectu & perſonâ, nè ſi robuſtiores adduxiſſet, Pharao illos in militiam traxiſſet. Ità explicat R. Salomo, quam ſententiam habet Vulg. editio. Quia verò קצה Hebræis *extremitatem* & *finem* ſignificat ideo alii per Metalepſim pro *ſummâ* accipiunt, ut ſit ſenſus; quòd Joſeph de tota ſumma fratrum ſuorum quinque aſſumpſerit, quos ſtatuit ante Pharaonem, ut מקצה partem de toto ſignificet, q. d. partem fratrum ſuorum accepit, nempe quinque, &c. Atque hunc ſenſum ſecuti ſunt Lxx. Hunc locum quia copioſiùs tractavi in Annotationibus meis ſuper Biblia Chaldaica, ad eas te remitto.

ויכלכל יוסף את אביו ואת אחיו ואת כל בית אביו לחם לפי הטף

Cibavit quoque Joſeph patrem ſuum, & fratres ſuos, & totam domum patris ſui panibus juxta morem puerorum, Gen. 47. 12.

VAriatio eſt circa illa לפי הטף, quæ ſi ad verbum transferas, ſonant, *ad os parvulorum.* Quæ quidam hunc ſenſum habere volunt, q. d. ſicut parvulos, ut לפי idem valeat quod כפי, *juxta*, *ſicut*: ut ſit ſenſus, Joſephum tanto ſtudio aluiſſe patrem ſuum cum tota domo ſua, quanto ſtudio pueri infantes ali ſolent. Alii ſic intelligunt, quòd unicuique dederit ſuam portiunculam cibi, tam pueris quàm adultis. Kimhi ad hunc modum explicat, לפי שיעור הטף, *ſecundùm menſuram*, ſeu *numerum, parvulorum*: ut ſit ſenſus, Unicuique ex fratribus ſuis cibum, alii plus alii minus, prout liberos & familiam habebat, ſuppediraſſe. Atqui hunc ſenſum, qui genuinus eſt, ſecuti ſunt Lxx & Vulg. editio. Eſt ergò לפי הטף *ad os parvulorum* Hebraiſmus pro, Ratione parvulorum & juxta numerum eorum.

&c. ותהו הארץ לפרעה : ואת העם העביר

Factáque eſt terra Pharaonis. Populum verò ipſum, &c. Gen. 47. 20, 21.

LIcèt Lxx & autor Lat. Vulg. editionis ſenſum aliquo modo expreſſerint, tamen Hebræa ſunt clariora & magis emphatica: non enim ſimpliciter ſubjectionis quâ populus Pharaoni ſubditus fuit mentionem faciunt, ſed & rationem, modum atque ceremoniam quâ ipſe Joſeph in ſubjicendo populo Pharaoni uſus fuit, exprimunt. Quæ nempe fuit, quòd populum per univerſam terram Ægypti de civitatibus in civitates tranſtulit, ità ut unuſquiſque ſedem ſuam ubi priùs habitaverat mutare atque aliò migrare cogeretur. Quod eam ob cauſam à Joſeph potiſſimùm factum eſſe adſerunt Hebræorum commentatores, maximè R. Salomo, ut non tantùm oſtenderet Ægyptios nihil proprii ampliùs in terra habere, ſed ut iſtâ ratione opprobrium quoque à fratribus ſuis, quos Ægyptii tanquam peregrinos exſules aſpernabantur, tolleret; cùm jam univerſus populus Ægypti exſul factus eſſet, nihílque proprii in terra haberet. Quidam ex noſtris verbum העביר, *fecit tranſire*, forenſe faciunt, pro, in poteſtatem venire ſive redigere, q. d. Non ſolùm tellus ipſa facta eſt Pharaonis, ſed & populum ipſum oppidatim proprium fecit Pharaoni, de ſuo jure in jus Pharaonis fecit tranſire: Nec deſunt qui putant fortè in vetuſtioribus exemplaribus ſcriptum העביד, i. *ſervire fecit*; ex quo factum ſit העביר, quod facilè fieri potuit, mutato Daleth in Res. Cui adſtipulari videntur Lxx ſuâ verſione, qui per κατεδουλώσω, quod *in ſervitutem redigere* ſignificat, tranſtulere. Sed manifeſta ſunt Hebræa, quæ ſatis etiam luculenter Paraph. Chaldæus expreſſit: nec eſt ut nodum in ſcirpo faciamus.

וישתחו ישראל על ראש המטה

Adoravítque Iſrael verſus caput lectuli, Gen. 47. 31.

VAriatur ab expoſitoribus in verbo וישתחו, eò quòd ambiguum eſt ad *incurvationem* & *adorationem*. Dein & in voce מטה, quæ juxta diverſitatem punctorum diverſa ſignificata habet. Nam ſi legas מטה *Mittah*, *lectum* ſignificat; nomen deductum à verbo נטה, i. *inclinavit*; hinc מטה *lectus* dictus, quòd quietis gratiâ in eo fit reclinatio: ſicut & Græcis κλίνη ſimilem ob cauſam dicitur. Quòd ſi מטה *Matteh* legas, *virgam*, *baculum* ſive *ſceptrum* ſignificat. In priore ſignificatione omnes Hebræi hîc accipiunt, ſicut & Lat. Vulg. editio. Variè autem hæc Jacob Patriarchæ incurvatio ſeu adoratio, quæ ad caput lectuli facta eſt, etiam ab Hebræis intelligitur. Quidam enim putant eam in honorem Joſeph factam eſſe, quòd Jacob illum, eò quòd magiſtratus ac princeps Ægypti eſſet, eâ honorare voluerit. Alii ſentiunt factam in reverentiam שכינה, i. *præſentiæ Divinitatis*, quam ad caput ægroti aſſiſtere Judæorum tenet opinio. Alii quòd pro beneficio quod à Joſeph impetraverat, de conſepeliendo ſe cum fratribus ſuis, Deum laudaverit atque gratias egerit. *Adorandi* enim verbum pro Collaudare, ac Gratias agere non rarò in Scripturis uſurpatur. Et huic ſententiæ accedit D. Hieronymus in Quæſt. ſuis Hebr. ubi ſic ſcribit, *Et dixit ei, Jura ergò mihi, & juravit ei: & adoravit Iſrael contra ſummitatem virgæ ejus. Et in hoc loco quidam fruſtrà ſimulant adoraſſe Jacob ſummitatem ſceptri Joſeph, quòd videlicet honorans filium petéſtatem ejus adoraverit; cùm in Hebræo multò aliter legatur*; Et adoravit, *inquit*, Iſrael ad caput lectuli: *quod ſcilicet, poſtquam ei juraverat filius, ſecurus de petitione quam rogaverat, adoraret Deum contra caput lectuli. Sanctus quippe & Deo deditus vir, oppreſſus ſenectute, ſic habebat lectulum poſitum ut ipſe jacens abſque difficultate ulla ad orationem eſſet paratus.* Simile quiddam & de Davide legimus, quomodo jam mortis tempore inſtante, ſuper lecto ſuo quo decumbebat, Deum adoraverit atque illi gratias egerit pro filio ſuo Salomone, quòd ille ſe adhuc vivente in regnum inauguratus eſſet: ſic enim habet Scriptura, 1 Reg. 1. וישתחו מלך על המשכב : ונם ככה אמר המלך ברוך יהוה אלהי ישראל אשר נתן היום יושב על כסאי ועיני רואות, *Adoravitq; rex ſuper lectum. Rex verò ſic dixit, Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui dedit hodie ſedentem ſuper ſolium meum, videntibus oculis meis.* Nonnulli iſtam adorationem ob religionem juramenti à Joſeph præſtiti, in quo Dei contestatio ac invocatio fiebat, à Jacob Patriarcha factam arbitrantur. Certè mihi duæ iſtæ poſtremæ expoſitiones omnium maximè probantur, ut vel iſtæc adoratio, collaudatio Dei ac gratiarum actio fuerit pro impetrato à filio ſepulturæ officio, vel juramenti Divini præſtandi religio quædam. Utràm ſecutus fueris nihil erit periculi. Tametſi prior mihi magis genuina eſſe videatur. Nec deſunt porrò qui verbum וישתחו ſimpliciter hic pro *incurvari* & *inclinari* accipiunt. Quòd ſcilicet Jacob ſenex ac decrepitus pater, jam longâ oratione cum Joſeph habitâ, feſſus morbóque degravatus ſe rurſum ad caput lectuli requiem captaturus reclinarit. Lxx decepti vocum ſimilitudine מטה *Matteh* pro מטה *Mittah* legêre. Quæ res etiam argumentum præbet, ætate illorum Biblia Hebræa non fuiſſe, ut nunc ſunt, punctata. Quî enim aliàs in pleriſque locis tam fœdè labi potuiſſent? Lectionem Lxx ſequitur Epiſtola ad Hebræos, cap. 11. Nam ut

ſcribit Hieronymus, Sancti apoſtoli, aut apoſtolici viri, ubicunque ad populos loquuntur, his plerumque teſtimoniis abutuntur quæ jam fuerant in gentibus divulgata: Neque etiam idem ac concors verſionis Lxx apud omnes intellectus eſt. Quidam enim ſic intelligunt, quaſi Jacob non virgam Joſeph, ſed regnum Chriſti, quod intelligebat eo ſceptro ſignari, adoraverit. Alii ſentiunt ſenem ſuo baculo innixum Dominum adoraſſe. Quæ ſententia placet D. Auguſtino, qui pro ἀυτῦ, ἀυτῦ, vel ἑαυτῦ, legendum putat.

שכל את ידיו כי מנשה הבכור

Prudenter dirigens manus ſuas (ſciens) quòd Menaſſe eſſet primogenitus, Gen. 48. 14.

VAriatio eſt in verbo שכל, quod Lxx & Autor Lat. editionis per *commutare* tranſtulere; cùm Hebræis propriè *intelligere* vel *ſapienter ac prudenter aliquid agere* ſignificat: q. d. prudens, ſciens & de induſtria fecit, quòd ſcilicet dextram manum ſuper juniorem, ſiniſtram verò ſuper primogenitum poſuit. Nam niſi hoc diceret Moſes, errore cæcutientis contigiſſe alicui videri potuiſſet. Sapiens Aben Ezra ſic exponit, כאילו ידיו השכילו מה שהוא רוצה לעשות *Perinde ac ſi manus ejus intelligerent quod ipſe facere volebat.* R. D. Kimhi hunc locum doctè ſic explicat, פירש רבי יונה הבין יעקב מידיו רוצה לומר מידי יוסף כי מנשה הבכור לפי שהרגיש כי הביא אליו מנשה מימינו שכל וידע כי מנשה הבכור: והנכון שיהיה פירוש שכל את ידיו פועל יוצא והידים פעולות כלומר נתן שכל לידיו כאילו עשו בהשכל ובחכמה מה שעשו כי מנשה היה הבכור וראה בנביאה כי היה קטן בברכה ווהוא השכל כי אם היה נותן ימינו על ראש מנשה שכל היה בזה כן הוא דרך העולם וזה דעת המתרגם שאמר אחכמינון לידוהי *R. Jonah ſic exponit, Intellexit Jacob ex manibus ejus, h. e. ex manibus Joſephi, quòd Menaſſe primogenitus eſſet; eò quòd ſentiret Menaſſe è regione dexteræ ſuæ ſibi adduci, hinc intellexit ac cognovit quòd Menaſſe primogenitus eſſet. Sed magis convenit hunc eſſe ſenſum, ut* שכל *ſit verbum activum, & Manus id in quod agitur: q. d. dedit prudentiam (ſeu* intellectum) *manibus ſuis, quaſi prudenter ac ſapienter fecerint quod fecerunt: quoniam Menaſſe fuit primogenitus, viditque ſpiritu prophetico quòd minor futurus eſſet in benedictione. Atqui hæc fuit quam exhibuit prudentia. Nam ſi dexteram ſuper caput Menaſſe collocaſſet, quæ fuiſſet ſapientia? cùm iſtud ipſum ex communi more fieri ſoleat. Atque hæc eſt ſententia Chaldæi interpretis, qui reddidit* אחכמינון לידוהי *ſapientificavit manus ſuas.* Hactenus Kimhi. Alii ſic legunt, *Intelligere fecit manus ſuas, quamvis Menaſſe eſſet primogenitus*; i. ſcitè & doctè impoſuit manus ſuas, quemadmodum poſtea eventus probavit: tanquam manus illæ eſſent conſciæ rerum futurarum. Poteſt etiam ſic legi, *Et prudenter egit cum manibus ſuis*, ut vocula את idem valeat quod עם *cum*, quod ſæpe fit in Hebraiſmo.

ואני נתתי לך שכם אחד על אחיך אשר לקחתי מיד האמורי בחרבי ובקשתי

Et ego dedi tibi partem unam ſupra fratres tuos, quam tuli de manu Æmorrai in gladio meo atque in arcu meo, Gen. 48. 22.

VAriatio eſt in voce שכם, quæ cùm æquivoca eſt ad locum, urbem ſcilicet *Sichimam*, & ad *humerum*, ſeu *partem*, idcirco ab aliis pro nomine proprio urbis Sichimæ exponitur, ut à Lxx, ab aliis verò pro nomine appellativo, quod *humerum*, ſeu *partem* ſignificat, accipitur: ſicut Chaldæus Paraph. tranſtulit; & poſt illum autor Vulgatæ editionis. Nam ſi pro loco accipias, non convenit addi *unam*, quaſi non una tantùm urbs Sichem, ſed duæ vel plures fuerint. Convenientior igitur lectio eſt, *Dedi tibi partem unam ſupra fratres tuos*, &c. tametſi per illam partem Sichem urbem intellexerit Jacob; unde ſubjungit, *quam tuli de manu Amorrai gladio meo & arcu meo.* Sed quomodo dicit ſe eam cepiſſe, cùm filii hoc fecerant? Simeon enim & Levi hoc facinus patrarunt. Reſpondetur; Licèt hoc factum ipſi Jacob primùm diſplicuerit, tamen ubi deinceps Dei providentiâ hoc factum eſſe intellexit, ſibi aſcribit quod fecerant filii. Jure belli Sichem Jacob obtinuerat, laceſſitus à Sichimitis injuriâ, quòd præter fas & pactum amicitiæ Sichem violaſſet & ſtupraſſet filiam ſuam. Nota Hebraiſmum, *in gladio & arcu meo*, pro Jure bellico. Porrò ſunt etiam inter Hebræos qui hæc, *Quam accepi de manu Amorrai*, &c. per anticipationem dicta eſſe putant, pro, Quam accipiam, h. e. quam nepotes & poſteri mei accepturi ſunt jure bellico. Alii intelligunt de Joſeph, cujus filii duas partes acceperunt: atque ità partem unam ultra fratres ſuos videtur accepiſſe Joſeph. Sed non dubium eſt quin Jacob non ad hoc quod adhuc futurum erat, ſed quod jam factum erat, reſpexerit, ad facinus ſcilicet filiorum qui Sichimam vi occupaverant. Cujus rei nota eſt hiſtoria ex cap. 34. Quòd ſi miraris quid ſibi Paraph. Chaldæus velit, qui illud, *In gladio meo & arcu meo*, reddidit, *in oratione mea & deprecatione mea*; ſcias illum auxilium Dei, quod ipſi Jacob & filiis ejus in expugnanda urbe Sichima præſtò fuit, reſpexiſſe. Niſi enim Dominus adſpiraſſet, non facilè Sichimam utcunque debellatam retinere potuiſſet. Unde & dicebat ad filios ſuos, *Turbaſtis me & odioſum feciſtis me Chananæis & Pherizeis habitatoribus terræ hujus. Nos pauci ſumus, illi congregati percutient me; & delebor ego & domus mea.* Quòd enim terror totam viciniam invaſit, ut habet ſequens cap. 35. ità ut *nemo auſus fuerit perſequi Jacob*, à Deo fuit. Unde & Scriptura *Dei terrorem* vocat, quòd à Deo ſcilicet profectus fuit. Et quis dubitabit hoc ipſum Jacob, qui ſibi ab hoſte timebat, anxiis precibus à Domino impetraſſe? Nuſquam certè legimus quòd Jacob armis atque externâ vi contra hoſtes ſuos pugnarit: fugit enim à conſpectu fratris Eſau & Laban, & hîc ſibi valde timet ab hoſte per filios laceſſito. Non ineptè ergò Chaldæus Paraph. per *gladium* & *arcum Jacob*, fidem atque orationes ejus intelligit. Hæc enim ſemper arma ejus fuerunt quibus hoſtes ſuos proſtravit. Egregium certè exemplum non tam armis quàm precibus cum hoſtibus contendendum, victoriámque piis cœlitus non externâ armorum vi contingere.

ראובן בכורי אתה כוחי וראשית אוני יתר שאת ויתר עז: פחז כמים אל תותר כי עלית משכבי אביך או חללת יצועי עלה

Ruben primogenitus meus: tu virtus mea, & principium roboris mei, excellentia dignitatis & excellentia fortitudinis. Levis ut aqua non excelles: quia aſcendiſti ad lectulum patris tui: tunc violaſti, & ſtratum meum eſt deſiit, Gen. 49. 3, 4.

PRimùm indicabo ubi varient Interpretes, dein germanum ſenſum hujus loci ex veritate Hebraica oſtendam. Ubi Lat. Vulg. editio legit, *principium doloris mei*, Hebraica veritas habet, *principium roboris, fortitudinis*, ſive *virtutis meæ.* Nam licèt און aliquando *dolorem* quoque ſignificet, tamen hoc in loco pro *robore* ſeu *fortitudine* accipiendum eſſe patet ex circumſtantiis, ex verſione Onkeli & Lxx, necnon & aliis concordantibus Scripturæ locis ubi de primogenito mentio fit, ut Deut. 21. *Iſte eſt enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita*, &c. Ibi Hebraicè exſtat, כי הוא ראשית אני לו משפט הבכורה *Quia ipſe eſt principium virtutis ejus, ei* debetur *jus primogenituræ.* Vocatur autem primogenitus *principium virtutis*, eò quòd in illo pater primùm oſtendit ſe virum eſſe, utpote in quo exſerit maſculam ſuam virtutem. Vel, ut alii ſentiunt, quòd naſcitur dum adhuc pater fortis & in florenti ſua ætate eſt. Qui Vulgatam editionem amplectuntur, ſic intelligunt quaſi per *dolorem* hîc partûs dolor ſignificetur. Sed non video quid

vir

vir hic doloris sentiat, & magis in primogenito quàm in aliis. Vel, quòd Jacob per *dolorem* istum miserias intelligat quas perpessus sit in Ruben, maximè verò quòd cubile ipsius commaculaverit. Sed quomodo iste *principium dolorum ejus* erit, cùm ante istud facinus non parvum dolorem concepisset ex constupratione Dinæ, & depopulatione urbis Sichimæ, quam Simeon & Levi designaverant? Quare infirma hæc videntur. Secundò, ubi Vulg. editio habet, *Prior in donis, major in imperio*, Hebraicè est, *excellentia dignitatis*, vel *sacerdotii, & excellentia fortitudinis*; vel, *excellens in dignitate, prælatura*, vel *sacerdotio, & excellens in fortitudine*: potest enim יתר substantivè & adjectivè reddi. Cæterùm voce שאת, quæ venit à verbo נשא, quod *tollere, auferre, elevare* & *offerre* significat, intelligitur primogenituræ jus & sacerdotium. Nam primogenitus duplicem partem bonorum paternorum præripiebat. Dein penès illum erat dignitas sacerdotii, quod venit appellatione שאת, ab offerendis scilicet sacrificiis, & elevatione sive expansione manuum, quæ Hebræis נשיאת כפים dicebatur, quâ populum Sacerdotes benedicebant atque peccata remittebant. Nam hæc duo præcipua munia erant officii Sacerdotalis, putà, oblatio sacrificiorum, & peccatorum expiatio. Postremò, & magistratus, sive regnum, primogenito debebatur, quod hic per *fortitudinem* intelligitur. Tria ergò notat Jacob quæ Ruben tanquam primogenito jure debebantur, nempe, Primogenitura, Sacerdotium, & Regnum. Sed his privatus fuit ob perpetratum scelus, & aliò translata fuere. Primogenitura, i. duplex hereditatis portio, ad Joseph, Sacerdotium ad Levi, Regnum ad Judam translatum fuit. Atque hunc sensum pulcrè etiam reddidit Paraph. Chaldæus. Mirum quid Græcos moverit, qui legunt, *Durus ad ferendum, & durus contumax*: quæ certè alienissima sententia est à veritate Hebraica. Tertiò variatur ibi, *Effusus es sicut aqua, non crescas*, &c. quibus sensus potiùs expressus est quàm verba Hebraica, quæ sic habent, *Festinatio, levitas, velocitas*, sive *motus, tanquam aquarum, non excelles*, &c. quâ formulâ loquendi taxat Jacob fœdam libidinem quâ diffluxerat Ruben, quam comparat aquis quæ ruptis aggeribus erumpunt atque celeriter labuntur, ità diffluentes ut nemo eas cohibere possit: q.d. primogenitus eras Ruben, ideóque fortis esse debuisti, sed pessimè abusus es tuâ fortitudine, indulgendo pravis affectibus tuis ad fœdam libidinem te solicitantibus, quibus quia non restitisti, sed te ab illis vinci passus es, atque ità turpiter diffluxisti, ob id *non excelles*, h. e. non pertinebit ad te neque jus Primogenituræ, neque Sacerdotii, neque Regni. Postremò, variatio est circa illa, אז חללת יצוע עלה, i. *tunc violasti stratum meum ascendendo*; ubi Vulg. interpres neglexit *ascendendi* verbum suâ translatione, tantùm enim legit, *Et maculasti stratum ejus*. Est autem diversa lectio ac expositio verbi עלה etiam apud Hebræos hoc in loco. Quidam enim simpliciter pro *ascendere* exponunt, intelligentes Ruben tum patris cubile commaculasse quando illud ascendit, atque cum Bilha concubina ejus rem habuit. Alii verò, quia עלה formam præteriti habet, *ascendit* legunt, sic tamen ut idem valeat quod abiit, recessit, desiit, sive defecit, ut sit sensus, Ex quo contaminasti stratum meum, *ascendit*, h.e. desiit esse stratum meum, abstinui siquidem posthac à congressu cum Bilha. R. Salomon refert ad Deum quasi ille offensus scelere Ruben recesserit à cubili Jacob: sed judaizat hoc. Jam sensum totius loci hujus paucis sic accipe; *Ruben, primogenitus meus es tu, robur meum, & principium virtutis meæ*, &c. i. in te primùm apparuit atq; visa est masculæ virtus mea; propterea dignum erat te reliquos fratres tuos excellere prærogativâ potioris Hereditatis, Sacerdotii, & Regni. Sed quia habenas laxasti fœdæ libidini, atque diffluxisti, non aliter atque erumpentes aquæ diffluunt (tum scilicet quando victus obscœno amore turpiter constupraſti concubinam meam, atque ità commaculasti thorum meum) idcirco non eris excellentior atque superior fratribus tuis, imò inferior, simulatque privaberis dignitate ac jure tuo. Exstant tamen apud Hebræos qui concubinam Jacob Bilham nequaquam à Ruben constupratam volunt; sed tenent tantùm lectum patris in illius tabernaculum post obitum Rachelis, cujus Bilha ancilla fuerat, translatum, ab illo destructum ac depopulatum fuisse: quæ res indè nata est, quòd videret matrem suam Leam non usque adeò etiam à morte Rachelis à patre amari. Cujus certum argumentum esse putabat, quòd lectus conjugalis mortuâ Rachele, non in matris suæ Leæ, sed Bilhæ tabernaculum translatus fuisset; hinc motus præpostero zelo, quo pro matre zelavit, lectum patris corrupit atque destruxit. Sic tenet quorundam Judæorum opinio, qui ad hunc modum facinus Ruben præposterâ quadam religione palliare conantur. Atqui huic sententiæ nonnihil patrocinari videtur Onkelus suâ paraphrasi, qui illud פחז כמים אל תותר, *velociter sicut aqua diffluxisti*, &c. sic transtulit, על דאולת לקביל אפך, *eò quòd abiisti juxta*, vel *secundùm, iram tuam*; h. e. quia indulsisti & obtemperasti furori tuo, &c. Tametsi Complutensis editio Paraph. Chaldæum sic verterit, *Sed quia secutus es voluntatem tuam*, &c. Cæterùm historia de stupro Ruben nota est ex 35. cap. ubi Scriptura manifestò dicit, *Et abiit Ruben, & dormivit*, seu *concubuit, cum Bilha concubina patris sui*, &c.

&c. שמעון ולוי אחים כלי חמס מכרותיהם

Simeon & Levi fratres, vasa violentiæ in habitaculis eorum, &c. Gen. 49. 5, &c.

VAriatio est in voce מכרותיהם, quam alii ità exponunt ut idem sit quod מגורותיהם, i. *peregrinationes eorum*, mutato scilicet Gimel in Caph; sunt enim de eadem prolatione, & ideo literæ permutabiles. Est autem sensus juxta hanc lectionem, Simeonem & Levi violentum facinus designasse in loco peregrinationis suæ, cùm ut peregrini reverterentur ex Charan. Et hunc sensum secutus est Paraph. Chald. qui legit, *in terrâ peregrinationis suæ fecerunt fortitudinem*. Alii volunt מכרות *gladios* significare, ut idem sit quod Græcis μάχαιρα, quod vocabulum illos ab Hebræis accepisse putant, q. d. *vasa rapinæ, machæræ*, seu *gladii, eorum*. Et in hanc sententiam inclinat Vulg. edit. Latina, quæ habet, *vasa iniquitatis bellantia*. Aben Ezra legit, *vasa rapinæ habitacula eorum*, sive *in habitaculis eorum*, deficiente scilicet Beth servili, quod *in* valet, id quod sæpe in Hebraismo fieri solet. Tunc sensus erit, Simeonem & Levi secum habere in habitaculis suis prædam, quam iniquè & violenter rapuerint. Nam כלי Hebræis generale nomen est ad omnia vasa, instrumenta & supellectilia. Erit ergò כלי חמס hoc in loco *supellex violenter rapta*. Et historia etiam hujus facinoris habet quòd diripuerint civitatem, cunctáq; quæ in civitate & in campo erant abstulerint. Cæterùm dictionem מכרות *habitationem* significare, etiam ex aliis Scripturæ locis patet, ut Ezech. 16. מכורותיך ומולדותיך מארץ הכנעני, *Habitationes tuæ & nativitates tuæ de terra Chananæi*. Item cap. 21. בארץ מכורתיך אשפוט אותך, *in terra habitationum tuarum judicabo te*. Et rursum cap. 29. על ארץ מכורתם, *in terram incolatûs eorum*. Quòd si pro *machæris & gladiis* accipere mavis, sensus erit, Jacob conqueri de filiis suis, Simeone scilicet & Levi, quòd armis suis temere ad rapinam & violentiam abusi fuerint, quódque illis arma sua fuerint non defensiva, sed offensiva. Sed utram lectionem secutus fueris, nihil erit periculi. Lxx relictis verbis sermonem metaphoricum in ἰχνδν, h. e. *simplicem & planum*, transtulerunt: sic enim reddiderunt, *Consummaverunt iniquitatem propositi sui*. Secundò, variatio est circa illa, בסודם אל תבא נפשי, *In secretum eorum non veniat anima mea*: sic ferè omnes reddunt. Quidam tamen in secunda persona sic legunt, *In arcanum eorum nè venias, ô anima mea: Nè sis unà in cœtu eorum, ô gloria mea*: i. fuge cœtum eorum. Diversam hanc lectionem facit verbum תבא, quod & secundæ & tertiæ personæ esse potest:

Jam quod ad sensum horum verborum attinet; Quidam ad præteritum referunt, quasi Jacob indicare velit se non consensisse in consilium Schimeonis & Levi quando Sichimitas perdiderunt, præter suam voluntatem & consilium hoc facinus perpetratum esse. Et huic sententiæ patrocinatur Onkelus suâ Paraphrasi, qui transtulit, *in secreto*, h. e. in consilio, *eorum non fuit anima mea.* Alii de futuro dictum intelligunt, quòd scilicet Jacob videns quàm pessimè abusi fuissent consiliis suis in perniciem aliorum, isto sermone significare voluerit quantum ipsius mens abhorreat à cœtu & consiliis ipsorum, adeò ut posthac nihil velit cum eis habere commune. Sed nota etiam proprietatem verborum Hebraicorum. סוד, i. *arcanum, secretum*, pro consilio, קהל *cœtus*, pro communione, נפש *anima*, pro animo & voluntate accipitur, sicut & כבוד, quod idem valet quod נפש. Est enim, ut Hebræi dicunt, כפל ענין במלות השונות, *repetitio ejusdem rei, aliis tamen verbis:* quod admodum crebrum est in Prophetiis. Alii per antonomasiam sic explicant, *In consilium eorum non veniat anima mea, & cœtui eorum non uniatur gloria mea:* h. e. Ego non intrabo in cœtum eorum. Lxx qui legunt, *Et in cœtu illorum non contendant jecora mea*, decepti fuere vocum similitudine. Nam כבוד *Cafod*, i. *gloria*, pro כבד *Cafed*, quod *jecur* significat. Et pro תחד, i. *uniatur*, תחר legerunt, Daleth pro Res aspicientes, cujusmodi errata multa apud illos invenies. Cæterùm Paraphraseôs Onkeli, *Non descendi de gloria mea*, is videtur esse sensus, Non perdidi sive amisi dignitatem, gloriam, laudem ac bonam famam meam pessimo isto scelere. Tertiò variatur in voce שור, quam quidam *taurum* vertentes, per illum, vel Sichem principem Sichimitarum, qui cum Dina filia Jacob dormierat, vel Joseph, quo tellus Ægypti rectè proscissa & arata fuit, intelligunt. Et Judæi vulgò interpretantur illud, עקרו שור Sie wolten außreiſſen den ochſen; intelligentes de Joseph dictum, quem ex reliquis fratribus isti duo Simeon & Levi maximè interficere conabantur. Nam Ruben & Judas laborabant eum è manibus eorum liberare, post quos isti duo erant præcipui. Alii שור *murum* interpretantur, intelligentes mœnia urbis Sichimitarum quæ devastarunt. Atqui hæc videtur esse lectio germanior, quam & Onkelus secutus est. Cui adstipulatur & D. Hieronymus, qui in Quæst. Hebr. sic scribit, *Necessitate compellimur juxta propositum operis longiùs ea repetere quæ ab Hebræa veritate discordant. Legitur enim ibi*, Simeon & Levi fratres, vasa iniquitatis arma eorum. In arcanum eorum nè intret anima mea, & in conventu eorum nè dissolvatur gloria mea: quia in furore suo interfecerunt virum, & in libidine sua suffoderunt murum. *Significat autem non sui consilii fuisse quòd Sichem & Emor federatos viros interfecerint, contráque jus pacis & amicitiarum sanguinem fuderint innocentem, & quasi quodam furore, sic crudelitate rapti, muros hospitæ urbis everterint, Unde sequitur & dicit*, MALEDICTUS FUROR EORUM, QUIA PROCAX, &c. Hæc Hieronymus.

יהודה אתה יודוך אחיך ידך בערף איביך ישתחוו לך בני אביך &c.

Jehudah, tu es qui confitebuntur fratres tui: manus tua in cervice inimicorum tuorum: incurvabuntur coram te filii patris tui, &c. Gen. 49. 8, &c.

PRimùm variatio est in illo יהודה אתה: quod Hebræorum quidam sic explicant, quasi Judah, ubi vidit patrem fratres Ruben Simeonem & Levi durius alloqui, & infausta potiùs quàm multa bona illis prædicere, timens sibi nè & ipse quid finistri à patre audiret, cœpit retrocedere, volens declinare patris conspectum. Quod ubi in ipso pater animadvertit, blandè compellavit eum, dicens, *Jehudah, tu*, &c. q. d. Non est Jehudah ut tu tibi timeas sicut cæteri, לא אתה כמיתם, i. *tu non es similis eis.* Aben Ezra sic exponit, *Jehudah, tu*, h. e. tu revera id es quod præ se fert nomen tuum. Tu eris laus & gloria fratrum tuorum. Tu ille ex quo laudem & gloriam omnes fratres consequentur. Nam à Judah omnes Judæi appellati sunt. Et de tribu illa natus est Christus. Unde & Christus ipse dicit Joh. 4. *Salus ex Judæis est*, &c. Secundò variatur ibi מטרף בני עליתּ, i. *à præda, mi fili, ascendisti.* Quod quidam Hebræorum sic intelligunt, quasi Jacob istâ locutione commendare voluerit Jehudam, quòd sibi caverit à præda Joseph & Thamar h. e. quòd suo studio effecerit nè occisus fuerit Joseph à fratribus, in quorum manus inciderat, dicebat enim, *Quid prodest nobis si occiderimus fratrem nostrum?* Dein quòd non negaverit à se gravidam factam Thamar, quæ ejus rei gratiâ jam de vita periclitabatur. Nostri verò sic accipiunt, quòd Jacob isto sermone innuere voluerit Jehudam cæteris fratribus superiorem futurum. Ideo comparat eum leoni. Atqui tribus Juda semper fuit superior, constantissima & fortissima, ut nulla alia tribus ausa fuerit eam irritare aut excitare. Nam tametsi & ipsa tribus Juda aliquando ob peccatum concidit, tamen non fuit derelicta sicut cæteræ tribus, duravit etiam diutiùs antequam aboleretur. Lxx טרף pro *germine & surculo* exponunt: legunt enim, *Ex germine, fili mi, ascendisti.* Sentientes ipsum Jehudam paulatim superiorem futurum, instar germinis quod sensim ac paulatim altiùs succrescit. Et in hanc sententiam inclinat Onkelus Chaldæus suâ paraphrasi, quæ habet, *Dominium erit ei in principia, & in fine magnificabitur regnum de domo Jehudah.* Tertiò, ubi Lxx & Vulg. editio legunt, *Et dux de femore ejus*, &c. Hebraicè est ומחקק מבין רגלו, *& scriba*, sive *legislator, de medio pedum ejus.* חקק enim Hebræis *condere leges, ordinare, præcipere* & *instituere* significat. Hinc מחקק *præceptor, scriba, legislator*, vel *rerum agendarum descriptor.* Quod autem dicit, *de medio pedum ejus*, respexit, ut inquit Aben Ezra, ad morem quo scribæ seu legumlatores ad pedes principum sedere solebant. Duo ergò hîc innuit patriarcha Jacob, quæ regnum efficiunt, sceptrum & legum condendarum potestatem. Nec desint qui רגליו pro exercitu pedestri exponunt, hoc sensu, *Non auferetur dux de exercitu ejus.* Sed Hebræorum lectio verior est. Quartò, variatio est in voce שילה, quæ variis modis ab Hebræis, Græcis & Latinis redditur. Vulg. Lat. editionis autor reddidit, *Qui mittendus est*, q. scriptum esset, שלח *Schiloach*, vel שליח *Schaliach*, quod *missum* Hebræis significat, à verbo שלח, quod est *mittere.* Et invenias qui planè in ea opinione sunt, pro שילה, quod modò legitur in Hebraicis Bibliis, olim fuisse שילח, quod Judæorum perfidiâ corruptum fuerit, quòd שילח viderent plùs juvare nostram religionem, שילה verò commodiorem vocem esse detorquendi eam ad sua mala placita. Lxx legunt, *Donec veniant reposita ei*, quasi שילה compositum sit ex ש, *quod*, vel *quæ*, & לו, *ei*, posito He pro Vau; sunt enim literæ מתחלפות, *permutabiles.* Mirè quoque Hebræi variant. Quidam enim per שילה Messiam intelligentes, sic eum dictum putant, שלו המלוכה, quòd *ipsius esset regnum*, & ad ipsum verè spectaret ac pertineret. Quam sententiam ponit R. Salomo; עד כי יבא שילה מלך המשיח שהמלוכה שלו וכן תרגמו אונקלוס, *Donec veniat Schilo, i. rex Messias, cujus est regnum, sicut & Onkelus interpretatus est.* Alii שילה dictum autumant à muneribus quæ illi offerentur, q. d. שי לו, i. *munera ei*, scilicet adferent: juxta illud Psalmographi, יובלו שי למורא, *Deferte munera terribili*, Psal. 76. Alii שילו idem velere putant quod בנו, *filius ejus.* Et per hunc *filium* intelligunt David, qui fuit de tribu Juda. Nonnulli per שילה civitatem Silo intelligunt, hoc sensu, *Non auferetur sceptrum*, &c. *donec veniat finis Silo*, h. e. donec pereat & devastetur Silo. Verùm eorum sententia omnium simplicissima simul atq; verissima est qui שילה à verbo שלה quod *prospere & feliciter agere* significat, deducunt. Hinc Messias שילה dictus est, quòd veram salutem ac prosperitatem attulit populo Israelitico. Postremò, variatio est in illo, ולו יקהת עמים. Quidam enim legunt, & *ei erit obedientia*, sive *auscultatio, populorum*, h. e. populi auscultabunt, obedient & obtemperabunt ei. sicut etiam Onkelus transtulit, ולוי ישתמעון אמיא: & pos-

eum Kimhi in Radicibus, אליו ישמעון העמים לקבל עלידם מה שיצום, *Ei auscultabunt populi, ut recipiant quod præcipiet illis.* Alii vertunt, *Et ei collectio*, sive *aggregatio*, populorum. Vulg. editio secuta Septuaginta legit, *Et ipse erit exspectatio gentium*, Sed hæc omnia, quod sensum attinet, ferè eodèm tendunt. Nec desunt porrò qui יקהת à verbo קהה, quod *obstupescere* & *contundere* significat, deducentes, pro confractione, debilitatione, & devastatione exponunt. Cui sententiæ ex junioribus Hebræorum accedit Gerundensis, qui sic explicat hunc locum, *Non recedet virga exactoris de Jehuda, donec veniat filius ejus, ad quem erit debilitatio gentium*, h. e. quas ille debilitabit, subjugabítque sibi gladio. Nec porrò feliciter expressit Vulgata editio sensum veritatis Hebraicæ, ubi dicit, *Pulchriores sunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Nam litera Hebraica sic sonat, *Rubicundos habet oculos à vino, & albos dentes à lacte.* Quibus verbis innuitur vini & lactis copia & abundantia: homines scilicet tam largè bibituros vinum ut oculi illorum sint rubicaturi, & præ nimio lactis esu dentes eorum sint albicaturi. Copiosiorem hujus loci tractationem simulátque Judaicarum variarum in hunc locum expositionum confutationem invenies in Annotationibus meis super Biblia Chaldaica à me Latinè versa, ubi vide.

גד גדוד יגודנו והוא יגד עקב,
Gad cuneus devincet eum, ipse devincet tandem,
Gen. 49. 19.

Hic locus nonnihil obscurus esse videtur, propterea quòd omnia concisè & vocibus etiam ambiguis efferuntur. Video tamen plerosque, cùm nostros tum Hebræorum interpretes, in hanc ferè propendere sententiam, quasi Jacob significare voluerit, fore ut exercitus quidam ipsam tribum Gad invadat, quem tamen ipse tandem sit expugnaturus ac devicturus: quam sententiam Aben Ezra in suo super h. l. Commentario Hebraicè sic tradit, התנבא שיבא עליו גדוד והוא ינצחנו, *Prophetavit venturum super ipsum exercitum, quem ipse tamen tandem sit devicturus.* Atque huic sententiæ accedunt & Lxx suâ versione. R. Nachmanni refert ad crebras illas incursiones ac irruptiones quas à vicinis suis Ammonitis & Moabitis perpessi fuere. Mihi præ omnibus probatur Paraphrasis Chaldaica Onkeli, qui germanum istius loci sensum egregiè expressisse videtur. Alludit enim Jacob patriarcha ad nomen Gad, cui cùm ab expeditione nomen sit, vaticinatur fore quomodo ipse armatus & expeditus reliquas tribus antecedat, donec & unaquæque sortem suam in terra promissa occupet. Quod impletum legimus Jos. 1. quando, ad hortationem ducis Jehosua, unà cum Rubenitis & dimidia tribu Menasse armati, cæteras tribus antecedere & juvare juberetur, donec tota terra Israel ab eis occuparetur: quo facto postea reversi sunt ad sortem suam ac tabernacula sua cum substantia multa ac divitiis, ut patet ex cap. 22. Josuæ. Potest ergò hic locus ex veritate Hebraica ad verbum sic reddi, *Gad cuneatus cuneabit eum*, scilicet Israel, *at q, ipse cuneabit tandem:* h.e. Gad cum turmis & copiis suis præcedet reliquas tribus donec terram possideant, quo facto ipse cum copiis suis rursum ad sua redibit. Vel sic, *Gad cuneum cuneabit ipse*, &c. h. e. ipse ducet exercitum ac copias Israel. Fuit enim hæc tribus cæteris bellicosior. Nec desunt qui sic reddunt, *Gad, exercitus succidet eum, at q, ipse succidet calcaneũ*, עקב vel *demũ* sive *tandem*: quæ lectio convenit cum prima quam retulimus sententia, Sed posterior sententia simplicior est, cui adstipulatur & Vulgata editio. Placet porrò & huc referre quæ D. Hieronymus habet in Quæst. suis super h. l. Cujus verba sunt hæc, GAD LATRUNCULUS LATROCINABITUR EUM, ET IPSE LATROCINABITUR PLANTAM. *Juxta Hebraeum interpretati sumus: Sed ubi nos* latrunculum *posuimus, ibi scriptum est* גדוד Gedud, *ut ad Gad nomen alluderet, qui significantiùs* ἀνζωνος, i. accinctus *sive* expeditus, *exprimi potest. Totum autem illud, quòd ante Ruben dimidiam tribum Manasse ad filios quos trans Jordanem in possessionem dimiserat, post* 14. *annos revertens prælium adversùm eos gentium vicinarum grande repererit; & victis hastibus fortiter dimicarit. Lege librum Jesu Nave & Paralipomenon.* Hæc ille.

בן פרת יוסף בן פרת עלי עין בנות צעדה
&c. עלי שור

Filius fructificationis Joseph, filius ubertatis juxta fontem: filiæ discurrerunt super murum, &c. Gen. 49.22,23, &c.

PRimùm in quibus variatio sit, dein quis hujus loci simplex, literalis ac historicus sensus sit, ostendam. Primùm variatur circa hæc, בן פרת יוסף בן פרת עלי עין. Quæ quidam sic vertunt, *Filius fructificationis*, seu *fructificans, Joseph, filius fructificationis juxta fontem.* Intelligunt autem per *filium fructificationis* ramum seu plantam fructificantem, seu fructiferam, quæ juxta fontes aquarum plantata cæteris viridior ac fructuosior est. Huic Josephum à Jacob assimilari dicunt, propter copiosam sobolem quæ ex illo provenit. Duæ siquidem tribus populosissimæ Manasse & Ephraim ex illo prodiere, quas duas tribus repetito schemate בן פרת innui sentiunt. Et hanc sententiam secutus est Onkelus suâ Paraphrasi. Alii sic legunt, *Filius decoris Joseph, filius decoris super oculum.* Deducunt enim פרת à verbo פאר, quod *decorare* significat, quiescente scilicet Aleph in Holem. Ut sint hæc verba Jacob periphrasis & commendatio elegantiæ, venustatis & formæ quâ pollebat Joseph: q. d. Filius elegans & formosus Joseph, cui tanta inest gratia, ut ea videndo magis atque magis crescat & augeatur, quantò magis enim videtur tantò formosior ac dignior apparet. Unde etiam quod mox subditur, בנות צעדה עלי שור, bifariàm quoque reddunt. Qui enim priorem sententiam sequuntur, sic legunt, *Filiæ gradiuntur super murum.* Vel, *unaquæq, filiarum graditur super murum.* Crebrò enim fit in lingua Hebræa ut singulare verbum ad plurale nomen adstruatur ad includendum distributivum. Per *filias* autem palmites, surculos, seu frondes arboris intelligunt, quos in tantam altitudinem surrecturas dicit ut murum excedant. Quemadmodum & R. D.K. in Radicibus suis præsentem locum in hunc sensum explicat. Sic enim inquit, כל אחת מהבנות גבהה עד שצעדה על החומה והבנות הם הפארות i. *Quælibet filiarum sublimatur, donec excedat murum: sunt autem filiæ rami*, seu *palmites.* Qui verò posteriorem sententiam amplectuntur, ad hunc modum interpretantur, *Filiæ discurrerunt super murum*, ut habet Vulg. editio. Quod eò referunt, quòd filiæ Ægyptiorum muros conscenderint, ut indè Josephi pulcritudinem contemplarentur. Nonnulli ex nostris per *filias* civitates & urbes quæ in tribu Joseph fuerunt intelligunt, quorum insignis ac præclara politia fuit. Quod insinuari dicunt per istam locutionem בנות צעדה עלי שור, *filiæ gradiuntur* (sive *incedunt*) *juxta ordinem.* Nam שור Hebræis etiam *lineam, ordinem & dispositionem* significat: q. d. ordinata benéque instituta politia in urbibus Manasse & Ephraim erit. Secundò, variatio est in verbo ורבו, quod alii à verbo רוב, quod *contendere* significat, derivantes, *contenderunt* seu *jurgati sunt* reddiderunt. Alii verò radicem ejus רבב statuentes, *jaculati sunt*, exposuere: Quod etiam juxta grammaticam rationem magis quadrat: nam Beth daggessatum defectum alterius Beth indicat, & magis etiam *jaculandi* significatio convenit cùm de sagittariis mentio fiat. Tertiò variatur in illo, ויפזו זרעי ידיו, quod Lat. Vulg. interpres reddidit, *Et dissoluta sunt vincula brachiorum*, &c. Cùm tamen יפזו non *dissolutionem*, sed *corroborationem* & *fortificationem* potiùs significet, hoc modo, *Roborata sunt brachia manuum ejus*, &c. Et hanc germanam esse lectionem facilè liquet ex antecedenti & consequenti. Commendat siquidem Jacob ipsum Joseph à robore, fortitudine & constantia. Ideo dicit, *Mansit in fortitudine arcus ejus, & corroborata fuerunt brachia manuum ejus, per manus* Dei *magnifici Jacob*, &c. Quartò, variatio est ibi, משם רעה אבן ישראל, quod

Vulg.

Vulg. editio legit, *Indè paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael.* Alii legunt, *Indè paſtor & lapis Iſrael.* Alii, *Indè paſtor lapidis Iſraelis.* Per *paſtorem* autem & *lapidem* quidam ipſum Deum intelligunt, quem ſic dici ſentiunt quòd ſit fortitudo & virtus illorum. Alii ipſum Jacob intelligunt, quòd fuerit lapis & baſis, h. e. pater omnium Iſraelitarum. Alii ad ipſum Joſephum referunt, quem *paſtorem & lapidem*, h. e. baſim Iſraelis dici volunt, eò quòd patrem & fratres in Ægypto nutriverit, atque ità in vita conſervarit, juxta illud, *Cibavit quoque Joſeph patrem ſuum & fratres ſuos, & totam domum patris ſui panibus, juxta morem puerorum.* R. D. Kimhi legit, *Indè paſtor lapidis Iſraelis, h. e. univerſi Iſraelis,* qui per *lapidem* intelligitur. Sic enim exponit hunc locum in Radicibus, משם רעה אבן ישראל רל כל ישראל ולפי שהאבן גוף אחד כשלומר כל ישראל כאחד אומר אבן ושראל או לפי שישראל עקר בנין העולם קראם אבן על דרך משל, *Inde paſtor lapidis Iſraelis, h. e. univerſi Iſraelis. Quia enim lapis corpus unum eſt, cùm voluit complecti univerſum Iſraelem, fecit id appellatione LAPIDIS. Vel, quia Iſrael fundamentum eſt mundi conditi, ob id vocavit eos LAPIDEM parabolicos.* Nonnulli ſic enodant hunc locum; Poſtquam multa perpeſſus fuerat Joſeph, & variis petitus jaculis à fratribus & uxore domini ſui in Ægypto, manſit animus ejus conſtans & immobilis: quo factum eſt ut poteſtas illi traderetur à magnifico Deo Jacob, fierétque paſtor & pater totius Ægypti, lapis ille immobilis Iſrael. Mihi certè valde probatur noſtrorum quorundam ſententia, qui per *paſtorem & lapidem* prophetas, doctores & rectores populi intelligunt, quos ſemper inſignes & præclaros habuit Iſrael, quorum plerique ex tribu Joſeph fuerunt. Nec te moveat, quòd ſingulariter dicitur *paſtor & lapis.* Nam frequens admodum eſt in lingua ſancta ſingularibus pro pluralibus uti. Quintò, variatur circa hæc, ברכות אביך גברו על ברכות הורי עד תאות גבעות עולם תהיין לראש יוסף ולקדקוד נזיר אחיו, Quæ ad verbum ex Hebræo ſic transferuntur, *Benedictiones patris tui fortiores fuerunt benedictionibus genitorum meorum, uſque ad extremitatem collium mundi erunt ſuper caput Joſeph, & in vertice Nazarei fratrum ſuorum.* Hallucinatus eſt Vulg. interpres in voce הורי, quam *patrum ejus* reddidit, cùm pronomen affixum non tertiæ ſed primæ perſonæ ſit; & ſignificat *majorum parentum,* ſive *genitorum, meorum:* Vult enim innuere Jacob ampliores futuras benedictiones Joſeph benedictionibus quibus benedixerunt eum majores ſui: q. d. *eris me multò felicior.* Et quod ſequitur, עד תאות גבעת עולם, quidam ad amplitudinem, alii ad perpetuam durationem benedictionum referunt: quam diverſam lectionem peperit vocum ambiguitas. Nam תאות & *deſiderium*, & *terminum* ſive *extremitatem*, עולם *mundum* & *æternitatem* ſignificare poteſt. Qui ad magnitudinem & amplitudinem referunt, legunt, *uſque ad extremitatem*, ſive *terminum, collium mundi*; ſub. *pertingent iſtæ benedictiones:* quo ſignificat maximas & ampliſſimas benedictiones futuras. Qui verò ad durationem referunt, ſic legunt, *Donec deſiderium*, ſive *terminus & conſtitutio, collium mundi durabit, durabunt & hæ benedictiones.* Quem ſenſum habet D. Kimhi in Radicibus, ubi ſic inquit, כל זמן שיהיה קיים גבול גבעות עולם תהיינה הברכות לראש יוסף, *Omni tempore quo ſteterit terminus collium mundi, erunt hæ benedictiones in capite Joſeph.* Jam quod ſequitur, *Et in vertice Nazarei fratrum ſuorum*, quidam vocem נזיר pro *coronato* ac *principe* exponunt, hoc ſenſu, *Eruntque benedictiones ſuper caput Joſeph, & ſuper verticem coronati fratrum ſuorum:* i. ſuper verticem ejus qui eſt princeps inter fratres ſuos. Alii vertunt, *ſuper verticem ejus qui fuit ſeparatus à fratribus ſuis.* Eſt autem *ſuper caput Joſeph, & ſuper verticem Nazarei*, repetitio verbis immutatis, more Hebræorum, qui gaudent hujuſmodi repetitionibus. Separatus autem fuit Joſeph quando venditus fuit. Sed jam ſimplicem ac nativum totius iſtius loci ſenſum paucis ſic accipe, Prædidicit Patriarcha Jacob, ídque ſpiritu Prophetico, Primò, populoſiſſimam fore tribum Joſeph, ideo comparat eum plantulæ frondoſæ & frugiferæ ad fontes plantatæ; Dein, inſignem fore ejus populi politiam; Tertiò, non tamen cariturum & hoſtibus ſuis: nam felicitatis comes eſt invidia. Superiorem tamen futurum, non propriis quidem viribus, ſed Dei favore & auxilio. Quartò, claram fore tribum Joſeph ob inſignes prophetas, doctores & rectores populi, quos ſit habitura. Quintò, ſortem ejus futuram in terra fertiliſſima ob frequentes pluvias & rores de cœlo, agros irriguos, & copioſos frugum proventus, felicem quoque gregum & liberorum copiam futuram. Sextò, non tantùm amplas & magnas fore ejus tribûs benedictiones, majoréſque benedictionibus anteceſſorum ſuorum, ſed & diuturnas. Sunt ergò hæc, ut ſemel dicam, quæ continet hæc prophetia Jacob de Joſeph filio ſuo; Multitudo populi, Optimus regiminis ſtatus, Victoria hoſtium, Claritas principum & doctorum, Terræ fertilitas, Gregum & liberorum felicitas. Denique hæc omnia non illico rurſum evanitura, ſed diu duratura, ídque Dei favore & beneficio.

אל תיראו כי התחת אלהים אני

Ne timueritis: num pro Deo ego ſum? Gen. 50. 19.

VAriè hic locus & legitur & exponitur. *Nolite timere, quia numquid pro Deo*, vel *loco*, ſeu *vice, Dei, ego ſum?* q. d. Tam abeſt ut vobis nocere cupiam ut hactenus vobis loco Dei fuerim, h. e. benefactor, auxiliator & liberator veſter. Id quod ex eo manifeſtum eſt, quòd malum veſtrum quod contra me cogitaſtis Dei beneficio ceſſit vobis in magnum bonum. Alii ſic legunt, *Num pro Deo ego ſum*, vel *vice Dei*, aut *loco Dei?* h. e. Num Deus ego ſum, ut poſſim vobis detrimentum aut emolumentum afferre? penès illum non penès me eſt ſupplicia de hominibus ſumere. Alii, *Num pro Deo ego ſum?* Vel, *Num Deus ego ſum?* ſub. *ut ſic fecerim:* q. d. Hoc non factum eſt conſilio meo, ſed Divino, cujus voluntati non licet reſiſtere: & hunc ſenſum expreſſit Lat. Vulg. interpres. Alii putant hoc ab eo dictum eſſe propterea quòd à fratribus adoraretur: q. d. Hic honos Deo, non mihi haberi debet. Lxx videntur ſecuti eſſe Chaldaicam Paraphraſim quæ habet, *Nè timeatis, quoniam timens Dei ego ſum:* q. d. Tametſi in idololatrica impiáque gente hactenus verſatus fuerim, licèt magnus factus ſim dominus, ità ut facilè ſi vellem illatam mihi à vobis injuriam ulciſci poſſem, tamen ob id non abjeci timorem Dei è pectore meo; adhuc illum timeo & veneror, non ignarus illius voluntate quod factum eſt accidiſſe; abſit ergò à me quàm longiſſimè ut vindicare velim, quod Domini conſilio, nutu & arbitrio, utrique nocùi in magnum bonum ceſſit. Timeo Deum; ſcio me non impunè abiturum, & ob id vobis malum rependere conabor.

P. FAGII
TRANSLATIONUM
PRÆCIPUARUM VETERIS TESTAMENTI
Inter se variantium COLLATIO.

EX EXODO.

הבה נתחכמה לו פן ירבה׃
Ejà callidè agamus contra eum nè multiplicetur, Cap. I. 10.

QUOD sensum attinet, omnia eodèm tendunt. Quòd si verbum Hebraicum נתחכמה לו ad verbum reddas, sonat, *Sapientes nos ipsos faciamus propter ipsum*, vel *ejus gratiâ*. Est enim verbum in conjugatione Hithpael, quæ reciprocam significationem habet. Estque sensus, sapienter consilium capiamus, sive consultemus de ipso. Lxx dixerunt, κατασοφισώμεθα αὐτὸν, *callidè*, vel *astutè*, *circumveniamus* eos, utamur sophisticatione contra eos. Germanicè Hebræa significantiùs exprimimus, Wir wollen uns irent halben beraten, h. e. *prudens aliquod consilium de ipsis perdendis excogitabimus*. Et ità etiam explicat R. Schlomo, נתחכמה מה לעשות לו, *sapienter consultabimus quid faciendum sit ei*, vel *quid agendum sit cum eo*. Quòd si rogas, quodnam prudens illud consilium fuerit de quo inter sese consultarint Ægyptii, respondent veteres Hebræorum, hoc fuisse consilium quod dixerunt, *Si gladio eos perdiderimus, gladio & nos quoque peribimus; si igni, similiter & in nos ignis deflagrabit. Atque ità quocunque genere mali eos perdere conati fuerimus, eodem & nos peribimus.* Solet enim Deus, ut Hebræi loquuntur, מדה בנגר מדה *mensuram mensurâ compensare*, juxta illud Christi, *Quâ mensurâ metiemini, eâdem metientur vobis & alii.* Callidè ergò adinvenerunt se aquis pueros Hebræorum perdituros; ità enim fore ut non & ipsi aquis perdantur, quandoquidem Deus dixerit se non ampliùs homines aquis perdituros. En causam habes cur aquis potiùs Ægyptii liberos Hebræorum suffocare voluerint, si modò Judæis in hoc credere placet.

וישימו עליו שרי מסים למען ענותו בסבלותם
Constituerunt igitur super illum principes tributa exigentes, ut affligerent illum cum oneribus suis, Cap. I. 11.

HEbraica vox מסים non propriè *opera*, qua in significatione omnes fere interpretes nostri hîc accipiunt, sed *census* & *tributa* potiùs significat. Plurale enim est à singulari מס, i. *tributum*, *census*; unde שרי מסים, secundùm Hebræos vocantur, non qui ad labores & opera servilia filios Israel adigebant, sed qui tributa & census ab eis exigebant. Sicut & R. Salomo exponit, שרים שגובים מהם המס, *Principes qui colligebant ab eis tributum.* Est ergò sensus quòd non tantùm labore ferendisque oneribus sed & solvendis tributis opprimebantur filii Israel. Huc enim spectabat Regis consilium, ut neque numero neque divitiis augerentur.

ויבן ערי מסכנות לפרעה את פתם ואת רעמסס
Exstruxerúntque urbes pro opibus reponendis Pharaoni, Pithom & Raamses, Ibid.

OMnes Hebræi מסכנות hoc in loco sicut & Paraph. Chaldæus pro אוצרות *thesauris* accipiunt. Inter thesauros autem numerantur etiam frumenta. Exstruxit ergò rex Ægypti *urbes thesaurarias*, h.e. urbes pro thecis & granariis frumenti. Per מסכנות ergò intelliguntur *loca in quibus reponuntur triticum, vina & hujusmodi*: Sicut etiam patet ex his locis Scripturæ, ומסכנות לתבואת דגן ותירוש ויצהר, *Et thecas pro proventu frumenti, pro vino & oleo*, &c. 2 Par. 32. ויבן ביהודה בירניות וערי מסכנות, *Et ædificavit in Jehudah arces & civitates thesaurarias* 2 Par. 17. Alii מסכנות pro *arcibus, præsidiis & munitionibus* exponunt, quam sententiam secuti sunt Lxx. Intelligentes Hebræos non simpliciter ad labores & onera coactos fuisse, sed sic ut arces munitissimas tutissimáque præsidia Pharaoni ædificarint. Quem morem etiam hodie servant principes, rusticos ad construenda mœnia ac propugnacula cogentes. Non video quid Vulgato interpreti in mentem venerit quòd *urbes tabernaculorum* vertit: est enim obscurum quid per *urbes tabernacularum* velit. Sed deceptus videtur vocum similitudine, & מסכנות pro סכות quod *tabernacula* significat, legisse. Mihi lectio Hebræorum omnium maximè probatur. Et מסכנות ab *utilitate* nomen habet. Nam verbum unde deductum, est סכן, quod *prodesse* & *utile esse* significat; sunt enim hujusmodi repositoria valde necessaria & utilia regnis. Libet quoque & hoc monere, quòd verbum Hebraicum ויבן, quod omnes pluraliter reddunt, singulare est, *Et ædificavit*, &c. Et potest non tam ad populum Israeliticum quàm ad ipsum regem Pharaonem referri. *Et ædificavit civitates thesaurarias Pharaoni*, h.e. Rex sibi ipsi exstruxit.

בילדכן את העבריות וראיתן על האבנים
Quando facitis parere Hebræas, & videritis in ipsis sellis, Exod. I. 16.

VAriatio est in voce האבנים, quam alii pro *sede in qua* vel *recipitur fœtus*, vel, *in qua sedet mulier quæ parit*, accipiunt; quam & alio nomine משבר vocant: quo usus est Onkelus Chaldæus in sua super hunc locum Paraphrasi. Alii vulvam אבנים vocari sentiunt, & per *vulvam* significari fœtum: q. d. cùm videritis fœtum qui egredietur ex utero matris. Quidam ex nostris אבנים ab אבן, quod *lapidem* significat, deducentes, pro *ponderé* exponunt, hoc sensu, Cùm tempus partûs venerit, i.dum in propinquo est, in propendendo scilicet, im uberwagen, ut fit in librando, utpote cùm puer exire & mulier parere cogitur: quem sensum secutus est Vulgatus interpres. Verùm quia R. D. Kimhi in suis Radicibus hunc locum prolixè & non indoctè explicat, placet ipsius verba huc apponere; וראיתן על האבנים: מקום נפילת הולד מכתן אמו ויקרא משנך אבל המלדה הואת נגודה מן בן ובנים תהלף נוספת: ולפי דעתי כי וראיתן על האבנים הוא הרחם עצמו ונקרא אבנים על שם הבנים וכן נקרא משבר על שבר האשה היולדה וחבלידה כי אם היה אבנים מקום נפילת הולד אחר

אחר יציאתן מבטן אמו למה אמר וראיתן על האבנים והלא קדם יציאת כולו מהרחם יראו בו אם זכר אם נקיבה כי הזכר פניו למטה והנקבה פניה למעלה ועוד למה יקרא משבר מקום נפילת הולד ועוד שאמר הכתוב האני אשביר ולא אוליד נמצא שהמשכיר קודם ללידה וקראו אבנים בלשון שנים לענין הצירים שהם בפתח הרחם שהם שנים כמו שני צירי הדלת וכן אמרו רבותינו תניא ר' אליעזר אמר נשים שצירים לכירת כך צירים לאשת שנאמר ותכרע ותלד כי נחפכו עליה צירה: ומה שאמר רניאל נהפכו צירי עלי דמה ציריו לצירי יולדה והצירים הם לאשה בצירי הרחם כי צרים שם משוחף יאמר לצירי הדלת ויאמר לחבלים, ET VIDERITIS SUPER IPSAS SELLAS: *locus est, in quem cadit fœtus ex utero matris sua, qui & aliàs* Maschber *vocatur. Verùm derivatur hæc dictio à* בן *seu* בנים (quod *filium* sive *filios* significat) *cum superaddito Aleph. Et juxta meam sententiam* אבנים *hoc in loco* vulvam *ipsam significat, qua sic vocatur propter* בנים, i. *fœtum. Quemadmodum &* משבר *vocatur ob fracturam mulieris parientis & dolores ejus. Nam si* אבנים *locum esset in quem fœtus recipitur postquam egressus est ex utero matris, quid opus erat dicere,* Et videritis in ipsis sellis, &c. *Cùm certè antequam totus egrediatur ex utero, conspiciant obstetrices masculus sit an femella. Nam masculus faciem suam deorsum versam habet, femella verò sursum. Nec porrò ratio exstat cur locus ille in quem fœtus cadit* משבר *vocetur, quod patet etiam ex isto loco Scripturæ,* Numquid ego frangam & non faciam gignere? *Esa.66. ex quo manifestum est fracturam antecedere partum. Habet autem* אבנים *formam dualis numeri propter cardines qui sunt in ostio vulvæ, quorum duo sunt, sicut sunt duo cardines januæ, quemadmodum tradiderunt Rabini nostri, præsertim Rabi Eliezer, qui sic inquit,* Sicut janua cardines habet, ità & mulier. *Unde est quod dicitur* 1 Sam.4. Et incurvavit se & peperit; nam versi fuerunt in ea cardines ejus. *Quod verò dicitur apud Danielem* cap.10. Inversi sunt dolores mei super me, &c. *comparatio est ad dolores parturientis quos sentit mulier in cardinibus vulvæ: nam* צירים *nomen est æquivocum tam ad cardines ostii quàm ad dolores.* Hactenus Kimhi.

כי לא כנשים המצריות העבריות כי חיות חנה

Quoniam non sunt Hebrææ sicut mulieres Ægyptiæ, sunt enim vivaces, Exod.1.10.

VAriatio est in voce חיות, quam alii à חיה, quod *vivere* significat, *vivaces* exponunt: q. d. Mulieres Hebræorum non sunt ità teneræ, declinatæ, imbecilles & infirmæ, ut Ægyptiorum, sed *vivaces sunt*, h.e. validæ, robustæ, vigorosæ, patientes laborum & dolorum. Atque ità exponit etiam Aben Ezra; כי העבריות אינן כמצריות כי כוח חיים הרבה יש להם, *Quia Hebrææ non sunt sicut Ægyptiæ: nam robur vitæ multum est eis:* q. d. mulieres vivacissimæ ac robustissimæ sunt, præveniunt nos, neque nostrâ ope indigent. Alii חיות à singulari חיה, quod *animal* & *bestiam* significat, deducunt; hoc sensu, Mulieres Hebræorum non sunt sicut mulieres Ægyptiorum, sed similes sunt bestiis, quæ dum pariunt non indigent obstetricibus. Nonnulli חיה hîc pro *obstetrice* exponunt, ut idem valeat quod מילדת: Et Chaldæis atq; Rabbinis obstetrix à vivificando חיה dicitur, sicut Hebræis מילדת, ab eo quòd adest mulieri parturienti & juvat eam in partu. Erit autem sensus secundùm hanc lectionem, Hebræorum mulieres non sunt similes Ægyptiis, sed ipsæmet sunt obstetrices omnes, atque obstetricandi scientiam norunt, non opus habent aliis obstetricibus, ut Ægyptiorum mulieres. Et hanc sententiam Onkelus habet sua in paraphrasi, quam secutus est & Autor Lat. Vulg. editionis.

ויהי כי ירא המילדות את האלהים ויעש להם בתים

Et factum est quoniam timuerunt obstetrices Deum, fecit eis domos, Exod.1.21.

VAriatio est in illo ויעש להם בתים, *Et fecit eis domos*: non quidem in vocum redditione, sed in sensu. Quidam enim referunt ad populum Israeliticum, quòd ipse scilicet obstetricibus suis Hebræis domos munitas exstruxerit, in quibus si non exsequerentur infanticidium juxta mandatum Regis, tutæ essent ab incursu Ægyptiorum. Alii ad Pharaonem referunt, quòd is proprias & peculiares illis domos exstrui curaverit, unde exire illis non licebat, sed exspectare ibi cogebantur mulieres Hebræas parturientes, quæ ad ipsas ex præcepto Regis adducebantur, ut istâ ratione Ægyptii unà cum illis cognoscerent, num filius an filia nasceretur. Alii ad Deum referunt, & id quidem multiplici sensu; Vel quòd is *fecerit eis*, i. obstetricibus, *domos*, h.e. protexerit ac defenderit eas. Quæ sententia probatur R.D.K. ut est videre in Radicibus ejus, ubi sic scribit, ותאמר בעיני כי ויעש להם בתים שהסתירם מפרעה שלא יתן להם ברך שנאמר בירמיהו ובריך ויסתירם יי *Videtur mihi quòd expositio istius*, ET FECIT EIS DOMOS, &c. *hæc sit, Nempe quòd absconderit eas à Pharaone, ut nihil mali eis fecerit. Juxta illud quod dicitur de Hieremia & Baruch,* ET ABSCONDIT EOS DOMINUS, *Hier.36.* Vel, quòd Deus ob beneficium quod contulerunt in filios Hebræorum remuneraverit eos bonorum ubertate concessâ, *Et domos illis construxerit*, h.e. adauxerit rem eorum familiarem, sic ut omnium rerum quæ ad familiam gubernandam exigebantur copiam habuerint. Nam *domum facere*, Hebræis etiam rem domesticam curare & rei augendæ operam dare significat. Sic patet ex Gen.30. ubi Jacob ad Laban dicit, ועתה מתי אעשה גם אניכי לביתי, *Et nunc quando faciam etiam ego domum meam*, pro, quando curabo domum meam &c. Vel, quòd *fecerit eis domos*, scilicet Sacerdotii & Regni. Dicunt enim Hebræi duas illas obstetrices fuisse Miriam & Jochæbed filiam Levi, è qua natus fuit Aaron, Moses & Miriam, penès quos Sacerdotium & Regnum fuit. Ergo hunc sensum amplectuntur, hos movit, quòd in Scripturis aliquando *domûs* appellatione Sacerdotium & Regnum veniunt. Vel quòd Deus *fecerit eis domos*, i. auxerit & multiplicaverit eorum familias, scilicet filiorum Levi. Nam pronomen relativum להם masculinum est, unde commodè ad universum populum referri potest. Et *domum* pro familia accipi frequentissimum est in divinis literis. Atqui hæc postrema lectio omnino videtur de vera & genuina hujus loci, quam & R. D.K. in Radicibus suis habet, ubi בתים *domos*, exponit per בתי, *fabros, domesticos, familiares* sive *familias*. Est ergò sensus, Quòd timore obstetricum, quòd scilicet Deum timuerint & non interfecerint pueros Hebræorum, factum est quòd familiæ eorum in immensum creverint, auctæ ac multiplicatæ fuerint, juxta illud, *Quantò autem magis affligebant eum, tantò magis crescebat & augebatur.*

ותשלח את אמתה ותקחנה

Misit famulam suam ut tolleret illam, Exod. 2.5.

VAriatio est in voce אמתה, quam alii pro *ancilla* exponunt, quam lectionem sequuntur omnes nostri Interpretes & plerique Hebræorum. Alii, ut R. Salomon etiam in commentario suo indicat, pro *cubito* seu *brachio* interpretantur: quod Onkelus secutus est suâ Paraphrasi. Diversæ hujus interpretationis causa est, quòd vocabulum אמה æquivocum est ad *ancillam* & ad *cubitum* seu *brachium*. Tu tamen noveris quod quando *cubitum* significat, tunc Mem litera debet esse dagessata, hoc modo, אמה, & *mensuram* etiam, h. e. cubitalem longitudinem verius quàm *brachium* significat. Unde quia hîc in אמתה Mem

Mem raphata est carens punctulo dagges, ideo doctiores Hebræorum pro שפחה *ancilla & servula* potiùs exponendum ducunt. Quod ex verbis sapientissimi Hebræorum Commentatoris animadvertere licet, qui in præsentem locum in suo Commentario sic scribit, אין מדרך הדקדוק להיות ורועה כי הטם רפה ומם אמה ארכו דגוש ועוד כי אמה ארכו מדה לא זרוע, i. *Non convenit juxta rationem grammaticam ut* אמה *hîc* brachium *significet, eò quòd Mem est raphatum, quod, quando* brachium *significat, daggessatum est. Dein quòd* cubiti mensuram *potius quàm* brachium *significat.*

ויבאו הרעים ויגרשום ויקם משה וישען וישק את צאנם

Et venerunt pastores atque repulerunt eas: & consurgens Moses auxiliatus est eis, potavitque oves illarum, Exod. 2. 17.

PLacuit hunc locum hîc quoque referre, non quòd sit multa Interpretum varietas, sed quòd quidam laborant & torquent se in pronominibus relativis quæ adhærent vocibus וינרשם & צאנם, quæ cùm in Hebræo masculini generis sunt, vertendum erat, *Et expulerunt eos, & potavit oves eorum.* Unde quidam moti ad צאן, h. e. *gregem*, potiùs quàm ad בנות, *filias* sacerdotis Midian, referendum esse ducunt. Sed tu noveris ex proprietate linguæ Hebrææ esse ut Nun relativum femininum, masculos, & Mem relativum masculinum, feminas aliquando contra naturam referat. Præterea sapiens Aben Ezra in suo commentario hunc nodum sic solvit, מ'ם וינרשום כמו נון שלא תתערב המלה עם הנ'ון הנוסף לעתיד, וכנה צאנם במ'ם שלא להיתחבר שני נונין, *Mem relativum in verbo* וינרשום *idem valet quod Nun. Non enim conjungitur hæc dictio cum Nun superaddito in futuro. Sic quoque se habet Mem in* צאנם: *non enim convenit duo Nun conjungi.* Hæc ille.

ויואל משה לשבת את האיש

Et consensit Moses habitare cum viro illo, Exod. 2. 21.

VAriatio est in verbo ויואל, eò quòd ambiguum est Hebræis, significans vel *jurare*, vel *velle*, *consentire*, *desiderare.* Hinc quidam legunt, *Et juravit Moses habitare cum viro illo*, h. e. juramento se obstrinxit non discessurum citra illius consensum: quam lectionem sequitur Lat. Vulg. editio. Alii legunt, *Et voluit, complacuit* sive *consensit, Moses habitare cum viro*, &c. quod secutus est Paraph. Chaldæus. Nec desunt porrò qui ויואל ibi pro *cæpit* exponunt, hoc sensu, *Et cæpit Moses habitare.* Sunt qui in Græco mendum esse putant, & κατωκίσθη *habitavit* positum esse pro κατωρκίσθη *adjuratus est.* Sed quodcunque ex his omnibus interpretationibus secutus fueris, nihil erit periculi.

Τὸ δὲ ὄνομα τοῦ δευτέρου ἐκάλεσεν Ἐλιέζερ, ὁ δὲ Θεὸς τοῦ πατρός μου βοηθός μου, καὶ ἐῤῥύσατό με ἐκ χειρὸς Φαραώ, Lxx.

Alterum verò peperit, quem vocavit Eliezer, dicens, Deus enim patris mei adjutor meus, & eripuit me de manu Pharaonis, &c. Vulg. Exod. 2. 23.

HÆC omnia non leguntur hoc loco in codicibus Hebraicis; neque etiam in quibusdam exemplaribus Latinis scriptis; quare à sciolo quodam aliunde in hunc locum translata esse videntur.

וירא מלאך יהוה אליו

Visúsque est illi Angelus Domini, Exod. 3. 2.

HUnc locum propterea annotare libuit, ut videas omnes interpretes ex Hebræo transtulisse, ut est, *Angelus Domini*, præter unum Vulg. interpretem, qui vertit pro מלאך יהוה *Angelus Domini, Dominus.* Et B. Stephanus Act. 9. Angelum Moysi apparuisse asserit. Sed videtur Lat. interpres *Dominum* legisse, quòd in posterioribus Scriptura Deum locutum ait; & familiares admodum Hebræis sunt allœôses personarum: Sensum ergò magis quàm verba secuta est Lat. editio.

אהיה אשר אהיה

Sum qui sum, Exo. 3. 14.

TAmetsi Lxx, & post illos Lat. Vulg. interpres, sensum hujus loci non malè expresserint, quòd per præsens vertunt, *sum qui sum*; tamen Hebraica in futuro pronunciantur, *ero qui ero*; licèt non infrequens sit in Hebraismo futurum pro præsenti poni, & tenent communiter Commentatores, cùm nostri tum Hebræi, hâc locutione Deum Moysi æternitatem voluisse indicare: Futurum nempe tria tempora comprehendit, sicut & Talmudistæ explicant, verbum אהיה trium temporum differentias in se continere, præteriti, præsentis ac futuri, *fui, sum & ero*; & eo insinuari dicunt summam, omnimodam & sempiternam Dei stabilitatem, qui semper fuit, est, & erit. R. Nehemanides sic interpretatur הוא המצאת או הקיום אשר לא עבר ולא יעבור, *Deus est illa exsistentia* (vel *subsistentia*) *quæ nec præterit, nec præteribit*, h. e. est Deus semper, qui nunquam cœpit, nec unquam desinit, sed transcendit omnem rationem temporis, & qui solus dicere potest *Sum* vel *ero.* Est enim ipse omnis essentiæ ac vitæ fons & plenitudo. R. Hizcuni, ex recentioribus Hebræorum Commentatoribus, hunc locum sic explicat, ut primum אהיה sit nomen Dei, alterum verò אשר אהיה sit ejus expositio, q. d. Moses, *Nomen meum est* ERO; ratio, quia ero in secula seculorum, absque fine: deinde, quòd ero etiam vobiscum, ut redimam vos à tyrannide Ægyptiorum. Sunt enim plerique Hebræorum in ea sententia quòd Deus hâc locutione non tantùm æternitatem indicare voluit, sed simul indicare se populo suo præsentem fore; non suâ ope Divinâ tantùm in hac præsenti tribulatione, sed & in omnibus aliis adhuc futuris calamitatibus & afflictionibus, ideóque repeti unum אהיה, unde & R. Salomo sic exponit, אהיה עמם בצרה זו אשר אהיה עמם בשעבוד שאר מלכיות, *Ero cum eis in præsenti afflictione, qui ero cum eis in servitute reliquorum regnorum.* Referunt quoque Hebræi cabalam apud illos exstitisse, tum illis adfuturam liberationem cùm qui illam ipsis annunciaturus esset, hoc ipsum facturus esset per verba פקד & היה *fuit* & *visitavit.* Quod innuisse dicunt quodammodo Jacobum Patriarcham ad filium Josephum cùm dixit, אנכי מת והיה אלהים עמכם, והשיב אתכם אל ארץ אבותיכם, *Ecce ego morior, & erit Deus vobiscum, reducétque vos ad terram patrum vestrorum:* similiter & ipsum Josephum, quando dixit ad fratres suos, פקוד יפקוד אלהים אתכם, *visitando visitabit Deus vos*, Gen. 50.

ואני ידעתי כי לא יתן אתכם מלך מצרים להלך ולא ביד חזקה

Et ego cognovi, quod non concedet vobis Rex Ægypti ut abeatis, neque in manu valida, Exod. 3. 19.

VAriatio est circa illa ולא ביד חזקה, *neque in manu valida.* Quidam enim negativè sic interpretantur; etiamsi viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit digitum Dei esse, nequaquam tamen ob id vobis abitum concedet: atque hunc sensum sequitur R. Hizcuni qui præsentem locum, meo judicio, non indoctè Hebraicè ad hunc modum elucidat, אף על פי שאני מראה לו התשע מפות שנקראו יד חזקה כנ'ת ולכל היו"ד ואמרינן אלוט מכות עדיין לא יתן אתכם לצאת אבל כשאש לך ידי והפיתי את מצרים במכת בכורים אחריכן ישלח אתכם, *Tametsi ego ostendam ei novem plagas, quæ vocantur* manus fortis, *fi-cut scribitur*, sed & secundùm cunctam manum robu-

ſtam, Deut. 34. *ubi intelliguntur novem plagæ Ægypti: adhuc tamen non dimittet vos exire: verùm ubi extendero manum meam, & percuſſero Ægyptum plagâ primogenitorum, tum demum dimittet vos.* Hactenus ille. Alii ולא conjunctionaliter legunt, hoc modo, *Non dimittet vos, niſi viderit manum meam fortem*; h. e. donec extendero manum meam fortem, atque vos etiam invito eo potenter eduxero. Accipitur enim *manus fortis* pro cæde & plaga forti, eò quòd virtus & potentia, ut inquit R. D. Kimchi, manu perficitur: & hunc ſenſum ſecuti ſunt Lxx & Vulg. editio. Exſtant præterea inter Hebræos qui hæc ולא ביד חוקה ad Pharaonem, i. potentiam, fortitudinem ac robur ipſius, referunt, ſic ut Beth litera in ביד vim habeat præpoſitionis בעבור i. *propter*, q. d. novì quòd Rex Ægypti non ſit vos dimiſſurus, ídque propter potentiam ſuam: eſt enim Rex fortis & potens. Et huic ſententiæ adſtipulari videtur Onkelus ſuâ Paraphraſi, quam & Aben Ezra ſequitur. Cæterùm non deſunt inter noſtros, qui ad hunc modum exponunt, *Neque in manu forti*, aut *armata manu, exibitis*; *Nam ego educam vos*. Verùm enarratio Hizcuni mihi omnium maximè probatur.

ויאמר בי אדני שלח נא ביד תשלח

Qui ait, Obſecro Domine, mitte nunc per manum quem miſſurus es, Exod. 4. 13.

LAtini Commentatores hunc locum ferè omnes ſic intelligunt, quaſi Moſes iſto ſermone reſpexerit ad promiſſum Meſſiam, quem ſuo loco mitti à Deo voluerit: q. d. Quandoquidem (quod ſcio Domine) miſſurus es quem promiſiſti, benedictum ſcilicet ſemen, jam eundem mitte, in illius manu rem perfice; is idoneus eſt, & ſatis potens erit. Et hunc ſenſum ſequitur Lat. Vulg. editio. Cæterùm Hebræi omnes, maximè recentiores, ſic explanant, ut Moſes non de futuro Meſſia hîc locutus ſit, ſed potiùs de Aarone fratre ſuo, aut de Jehoſhua vel de quovis alio in genere, q. d. Mitte per manum ejus quem ſoles mittere, h. e. Aaronem fratrem meum, qui Propheta eſt in Iſrael, me eloquentior, & per omnia ad hoc munus magìs idoneus quàm ego. Et in confirmationem hujus ſententiæ adducunt ex Ezechiele quòd Deus Prophetam in Iſrael miſerit, antequam venerit Moyſes, quod de Aarone intelligunt. Item illud quod mox infrà Dominus ad Aaronem dicit, *Vade in occurſum Moyſi in deſerto*, &c. R. Salomo etiam de Jehoſhua duce populi Iſraelitici accipi poſſe autumat, hoc modo, Quandoquidem ſcio me populum non introducturum in terram promiſſam ſed alium, nempe Jehoſhuam, ad hoc electum, fac illum, non me, mittas. R. Nehemanidi hæc placet lectio, Mitte quemcunque voles, nemo ſiquidem in mundo eſt qui non ſit magìs aptus & idoneus ad iſtam functionem. Atque hæc ſummâ animi humilitate à Moyſe prolata ſentit, quâ virtute omnibus præſtitit mortalibus, teſte etiam S. Scripturâ. Idem quoque R. Onkeli verſionem ad hunc modum explicat, Mitte quæſo aliquem qui ſit politæ linguæ, quíque dignus eſt ut hanc ſubeat functionem. Hebræorum ſententiam ſecuti ſunt etiam Lxx ſuâ verſione.

הוא יהיה לך לפה ואתה תהיה לו לאלהים

Eritque ipſe quaſi os tibi, & tu eris illi in Deum, Exod. 4. 16.

SEptuaginta & Vulg. editio Latina non videntur ſatis expreſſiſſe vim Hebraiſmi ואתה תהיה לו לאלהים *Et tu eris ei in Deum*: nam ſenſus eſt, Tametſi Aharon fungetur officio Oratoris, erit interpres tuus, loquetur pro te ad populum, tamen non illum tibi, ſed te illi præficiam, ut tu ſis princeps, judex & magiſtratus ejus. In S. literis enim principes, judices & magiſtratus appellatione ELOHIM veniunt, eò quòd Dei judicium, ut Hebræi dicunt, in terris exercent. Penès Aharonem ergò Verbi miniſterium & Sacerdotium, penès Moyſen verò Poteſtas gladii eſſe debebat. Atque hunc ſenſum habet Paraph. Chaldæus. Quidam Septuaginta modeſtiæ causâ vertiſſe putant, *Tu autem eris ei qua ad Deum pertinent*, quòd durum videbatur Hebræa ad verbum reddere, quod tamen aliis in locis facere non horruerunt.

ויהי בדרך במלון ויפגשהו יהוה ויבקש המיתו

&c. *Factum verò eſt in itinere, in ipſo hoſpitio, ut occurreret illi Dominus, & quæreret occidere eum*, &c. Exod. 4. 24. &c.

PRimùm, ubi ſit variatio oſtendam; dein, quomodo Hebræi hunc locum & exponant & intelligant. Primùm ergò variatur ibi, ויפגשהו יהוה *& occurrit ei Dominus*, pro quo quidam legunt *& occurrit ei Angelus Domini*, ut Onkelus Chaldæus & Lxx. Qui nimirum eò reſpexerunt, quòd hoc negotium per Angelum miniſtrum Dei tranſactum fuit: Nam licèt Deus ubique præſens ſit, & virtute ſuâ omnia operetur, utitur tamen Angelis cæteriſque creaturis, ut in omnibus ipſum agnoſcamus. Hinc eſt quòd familiares ſunt allœôſes in Divinis literis ut nunc à Dei perſona ad Angelum deſiliat oratio, & è contrà. Simili modo infrà, nunc Dominus ipſe Deus, nunc Angelus populum ſuum præcedere dicitur: hoc & Aben Ezra in præſenti loco obſervavit. Secundò, variatio eſt ibi, ויבקש המיתו *& quæſivit occidere eum*, quod alii ad *Moſen*, alii verò ad puerum ſuum *Eleazarum* referunt, quem Deus occidere voluerit eò quòd non eſſet circumciſus. Tertiò, variant in illo ותגע לרגליו *& applicuit ad pedes ſuos*, ſcilicet vel Moſis, vel Angeli, vel pueri. Quartò, varietas eſt וותאמר כי חתן דמים אתה לי, *& dixit quia ſponſus ſanguinum tu es mihi*. Aliis videlicet ad *Moſen*, aliis ad *puerum* à Sippora hæc dicta referentibus, ſicut & illud quod mox ſequitur, *& ceſſavit ab eo* ויחדל ממנו (vel Moſe, vel puero ſcilicet) morbus, vel Angelus. Jam quo ſenſu Hebræi hunc locum explicent, obiter indicabo. Quidam indignum putant dicere quòd Dominus Moſen occidere voluerit, quem in ducem & liberatorem populi ſui elegerat. Unde quæ hîc dicuntur, *Et occurrit ei Dominus & quæſivit occidere eum*, &c. de puero ipſius Eleazaro dicta eſſe volunt. Alii verò ad ipſum *Moſen* referunt, eò quòd moram traheret in itinere, quam fibi unam injicere ſuſtineret, quódque illi indulgens filium non circumcidiſſet. Tametſi Hebræi impeditæ negligentiæ circumciſionis hanc potiſſimùm aſſignant cauſam, quòd Moſes timuerit nè fortè puer ob iter ex circumciſione periclitaretur: Cabalam enim apud eos fuiſſe traditam, ut quis cum puero iter faciens atque legatione fungens puerum circumcideret. Sed placet ordine referre Hebræorum in præſentem locum expoſitionem. *Et factum eſt in itinere, in diverſorio*, &c. h. e. Accidit cùm moram traheret in itinere atque in ipſo diverſorio, ob * continuam videlicet uxoris & liberorum, *& occurrit ei Dominus, ac quæſivit eum occidere*, h. e. ſubitaneo, inſperato graviſſimóque morbo, quo ad mortem uſque periclitaretur, compuit eum; quod cùm primùm animadvertit Zippora hoc malum hinc eſſe quòd infantem circumcidi non ſuſtinuiſſet, mox arrepto acutiſſimo ſaxo præputium pueri ſui reſcavit. Quòd videlicet Moſes ob membrorum tremorem, qui eum ex gravi morbo invaſerat, officium circumciſionis in filio ſuo præſtare minùs poſſet, reſectum verò præputium mox pedibus mariti applicuit, dicens, Si hinc morbus ille lethalis te corripuit quòd filium non circumciſiſti, ſitque medium ſanguinum, ſcilicet circumciſionis; quo facto libitò relinquit eum morbus, & ab hoc eventu vocavit eum *ſponſum ſanguinis*, quòd ſanguine circumciſi filii illum redemiſſet, atque in vita conſervaſſet. Alii verò volunt quòd amputatam cuticulam ad Angeli pedes devolverit, quo conſpecto deſiſteret à necando marito, ſicut & infrà cap. 12. Angelus devaſtator ab occidendis Hebræorum primogenitis ſibi caviſſe commemoratur, quòd in poſtibus & ſuperliminari ædium illorum ſanguinem reſperſum aſpiceret. Nec deſunt qui reſectum præputium ad infantis pedes

pedes projectum sentiunt, ad quem etiam sequentia verba referunt, *Quoniam sponsus sanguinis tu es mihi*, quasi his verbis Zippora filiolo jam circumciso applauserit, ac complexans eum dixerit, *Tu mihi es sponsus sanguinum*. Scribit enim Aben Ezra matres pueros circumcisos *sponsos sanguinum* vocare solitas. Quòd si te delectat audire quo modo R. D. Kimhi hunc locum in Radicibus suis ad verbum explicat, sic accipe ejus verba, נראה מסברא כי כמו שהיו קוראים לאדם ביום חופתו חתן כך היו קוראים לתינוק ביום המולו חתן כי עקר מלת חתן הוא ענין התחדש בשמחה וכמו שתתחדש השמחה ביום החופה כן תתחדש השמחה ביום המילה ופירוש כי חתן דמים אתה לי אמר בתחלה ויהי בדרך במלון ויבקש המיתו כלומר שבקש המלאך להמית את משה מפני שלא מל אליעזר בנו הרגיש משה כי בעונש המילה היה וצוה את צפורה למול אותו כי הוא לא היה יכול מפני החולו שהיה כבד עליו ותקח צפורה צר ותכרות את ערלת בנה ותגע לרגליו פירוש לרגלי משה כלומר אם מפני העונש הזה נחלית הנה דם המילה ותאמר כי חתן דמים אתה לי כלומר נעשית לי היום חתן לדמים ולהריגת בעלי ונשהגיעה מדם המילה לרגלי משה ורפה החולי ממנו או הכירה ואמרה חתן דמים לסולות כלומר אתה שקראתך חתן דמים אינך חתן לדמי ההריגה כי אם לדמי המולות, *Verisimile videtur quòd sicut vocabant hominem in die nuptiarum suarum* חתן, *sic nominabant & puerum in die circumcisionis suæ* חתן. *Etymon enim vocabuli* חתן *est, quòd significat novum quoddam gaudium: & quemadmodum renovatur gaudium in die nuptiarum, sic quoque renovatur in die circumcisionis. Porrò sensus istius*, quoniam sponsus sanguinum tu es mihi, *talis est, primùm dicit*, Et factum est in itinere, in ipso hospitio quæsivit occidere eum, *q.d. quæsivit Angelus occidere Mosen eò quòd non circumcidisset Eleazarum filium suum; quòd ubi intellexit Moses propter culpam circumcisionis istius fieri, præcepit Zipporæ ut circumcideret eum; ipse enim non potuit præ ægritudine quæ admodum gravis erat super eum. Accepit itaque Zippora petram, & abscidit præputium filii sui, applicuítque ad pedes ejus, h.e. ad pedes Mosis, q.d. Si ob hanc culpam ægrotus factus es, en habes sanguinem circumcisionis, dixítque*, Quoniam sponsus sanguinum tu mihi es, *q.d. Factus es mihi hodie sponsus sanguinum & interfectionis mariti mei. Postquam autem applicuisset de sanguine circumcisionis ad pedes Mosis, & reliquisset eum morbus, tunc cognovit & dixit*, Sponsus sanguinum circumcisionis, *q. d. Tu, quem vocavi sponsum sanguinis, non es sponsus sanguinis interfectionis sed circumcisionis.* Hactenus Kimhi. Cæterùm juxta literam & historiam is videtur esse hujus loci sensus germanus, Irascitur Dominus Mosi quòd filium ex gentili uxore susceptum in illius gratiam non circumcidisset, dein, quòd uxori & puero nimiùm indulgendo in itinere, quod ex jussu Domini susceperat, atque adeò in ipso diversorio, moras traxit, haud strenuè injunctum sibi à Domino officium exsequendo: Hinc tantopere Dominus illi indignatur ut eum è medio tollere cogitet. Quod ubi intellexit uxor ejus Zippora, mox accepto saxo præputium filioli amputavit, non ignara indè malum istud impendere; quod etiam resectum statim ad pedes mariti advolvit, dicens, *Quoniam sponsus sanguinum tu es mihi*, q. d. sanguine te redimere & retinere cogor, nempe sanguine filioli mei, quem nisi circumcidisses & sanguinem ejus fudissem actum erat de salute tua, atque jam mihi ereptus esses. Quo facto illico mortis periculo, quod illi Dominus intentabat, liberatus fuit. Alii hæc, *quoniam sponsus sanguinum mihi es*, sic enodant, Video me multa tecum passuram, intelligo te mihi multorum incommodorum ac periculorum occasionem fore. Non dubitemus Dominum isto facto declarare voluisse, ut nullis amicis utcunque nobis charis sic indulgeamus ut ipsorum gratiâ ejus jussa intermittamus, ac prorsus negligamus; quin potiùs strenuè à Deo nobis commissa exsequamur. Dein, quàm iniquè ferat moram, ignaviam, negligentiam, in rebus suis, maximè autem in illis qui aliis ad regundum præpositi sunt, ut tum erat Moses, dux & liberator populi Israelitici à Domino electus & constitutus. Nam cùm omnis mora & ignavia periculosa est, periculosissima est quam in rebus Divinis nectimus.

והנה עבדיך מכים וחטאת עמך

Cùm & servi tui percutiuntur, & peccatur in populum tuum, Exod. 5. 16.

VAriatio est circa illa וחטאת עמך Ad verbum sonat, *Et peccatum populi tui.* Variè autem intelligitur. Nostri Commentatores sic intelligunt, Nos quidem præfecti cædimur, at peccatum, i. culpa, est populi. Tametsi populus opus absolvere non potest, nos nihilominus cædimur. Vel sic, Injustè sanè nobiscum agitur: nam nos cædimur immeritò: dein, populus iniquè opprimitur eò quòd tantum numerum laterum conficere cogitur, cùm non habeat paleas ut antea. Et hunc sensum secuta est Vulg. editio. Diverso quoque modo Hebræi exponunt. R. Salomo sic explicat, *Et peccatur in populum tuum*, h.e. hæc res, quòd ità in nos sævitur, malè cedit populo tuo. Populus tuus dabit pœnas hujus tyrannidis quæ in nos exercetur. Aben Ezra dicit וחטאת esse præteritum loco futuri. Refert autem על דרך מוסר, ut ille inquit, i. civiliter ad populum ut ad subditos, quod de Pharaone propriè vult intelligi: Quasi dicant, Tu es causa hujus mali atque peccati; posses enim facilè cavere nè ità sæviretur in nos populum tuum; tua culpa sit, quicquid sit. Mihi probatur prima expositio.

ואֵרָא אל אברהם אל יצחק ואל יעקב באל שדי ישמי יהוה לא נודעתי להם

Ego apparui Abraham, Isahac & Jacob in Deo Omnipotente, & in Nomine meo Jehova non sum cognitus illis, Exod. 6. 3.

QUod vocum redditionem attinet, non est multa Interpretum dissonantia; nisi quòd Lxx & Vulg. Interpres Latinus verbum Hebraicum נודעתי, quod passivæ significationis est *notus factus sum*, activè reddiderunt. Lxx item nomen Dei Tetragrammaton per Κύριος & *Dominus* reddidere. Latinus verò interpres per *Adonai* extulit, secutus nimirum Hebræos, qui religione quadam יהוה non *Jehova* juxta puncta, sed *Adonai* sonant. Cæterùm cùm in sensu hujus loci apud Commentatores varietas sit, placet etiam hîc obiter eam indicare. Sunt qui sentiunt (*Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Jacob in Deo Omnipotente, & nomen meum* Adonai *non indicavi eis*) significari quòd Deus revelaverit quidem Patribus generalem quandam cognitionem sui, sed non tam claram ac perspicuam quàm revelata est per Mosen. Et inter Patriarchas obscurè adhuc de Deo prædicatum, per Mosen autem manifestiorem prædicationem de Deo vulgatam esse. Alii dicunt quòd hoc vocabulum יהוה manifestum quidem & usitatum fuerit Patriarchis secundùm vocem, sed non secundùm significatum mysterium aut virtutem ejus, videlicet quòd Patriarchæ sciverint quidem Deum satis fortem & potentem esse ad edenda miracula & portenta; sed non sciverunt nomen Tetragrammaton יהוה nomen illud esse quo possit homo tanquam cooperator & delegatus à Deo miracula edere; quemadmodum Mosen putant virtute hujus nominis miracula edidisse. Mihi omnium maximè probantur qui ad hunc modum exponunt, quasi hoc sensu dixerit Deus ad Mosen, Omnipotentem quidem me esse patribus declaravi, & mihi abunde esse divitiarum ut illos divites redderem; & *in nomine meo Adonai non fui notus illis*, i. verùm opere non complevi quod illis sum pollicitus: h.e. promittentem quidem me illis terram Chanaanæorum audiverunt & crediderunt, sed opere promissa complentem non viderunt, quemadmodum tu visurus es.

Tibi igitur in nomine meo Adonai cognitus ero, i. videbis me id facere quod nomen meum ſonat, nempe, veracem eſſe, &c. Vides hîc tria Dei commemorari nomina. Primum eſt אל, quod *robur* & *potentiam* Dei notat, unde & אלוהים *ELOHIM* formatur. Alterum eſt שדי, quod *copiam* & *ſufficientiam* ſignificat, q. d. שדי vel אשר די, *cui ſufficit* & *ſatis eſt* vel, ut quidam volunt, *vim, fortitudinem* & *potentiam* illam Dei *ultricem* quâ cunctos hoſtes ſuos dicto citiùs in nihilum redigere poteſt, deſignat. Deductum à verbo שדד, quod *devaſtare* & *contundere* ſignificat; indè *SCHADDAI* dictus Deus quaſi fortis *devaſtator*, ſeu *depopulator*. Poſtremum eſt ſacrum Dei nomen Tetragrammaton, quod juxta elementa & puncta quidem *JEHOVA* ſonat, Judæis verò veteri quadam religione, ut dixi, *ADONAI* profertur. Hoc nomine propriè naturam ac ſubſtantiam Dei ineffabilem ſignificari volunt, atque deducunt à verbo היה quod *eſſe* & *exiſtere* ſignificat: hinc Deum יהוה dictum ſentiunt quòd non tam à ſeipſo æternus exiſtat quàm quòd omnibus creaturis ſuum eſſe largitus ſit; juxta illud in Actis, *In ipſo ſumus, vivimus, & movemur*. Imò non tam Divinæ eſſentiæ quàm Divinarum promiſſionum, quas ſuis infallibiliter præſtat, veritatem & firmitudinem hoc nomine ſignificari contendunt, atque huc reſpexiſſe hoc in loco quando dixit ad Moſen, *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac & Jacob in Deo Omnipotente, & nomen Adonai non indicavi eis*: h.e. Promiſi quidem Patribus terram Chanaan, non tamen implevi temporibus Patrum; tunc autem reipſa impleturus ſum, ut confirmetur veritas nominis mei quo dicor יהוה *ADONAI*, h. e. conſiſtens, conſtans, firmus & verax in promiſſionibus meis. Atque hanc ſententiam confirmant quæ mox ſequuntur in Textu, *Pepigi q; fœdus cum eis, ut darem illis terram Chanaan*, &c. Huic expoſitioni adſtipulatur etiam Hebræus Commentator R. Salomo, qui in Commentario ſuo hunc locum ſic explicat, הבטחתים הבטחות יכלן אמרתי להם אני אל שדי ושמי יהוה לא נודעתי להם לא הודעתי אין כתיב כאן אלא לא נודעתי לא יכרתי להם בברית אמיתית שלי שעליה נקרא שמי יהוה נאמן לאמת דברי שהרי הבטחתים ולא קיימתי, *Promiſi eis promiſſiones, & in omnibus dixi ad eos*, EGO SUM DEUS OMNIPOTENS, ET IN NOMINE MEO ADONAI NON SUM NOTUS FACTUS EIS. Non notum feci *non ſcribitur hîc, ſed* non notus factus ſum, *i. non cognitus factus ſum eis in proprietate veritatis meæ, propter quam vocatur nomen meum ADONAI*, i.e. *verax, fidelis, conſtans, propter veritatem verborum meorum, quam ecce promiſi eis & nondum præſtiti, ſeu confirmavi*. Hactenus ille.

וחלד לו את אהרון ואת משה

Genuitque illa ei Aharon & Moſen, Exod. 6. 19.

LXX & Vulg. Interpres diſſentiunt à veritate Hebraica & Chaldaica, quòd plus habent, nempe illud, *& Mariam ſororem eorum*: hæc enim non ſunt neque in Hebræo, neque in Chaldæo, imò nec in quibuſdam Latinis ſcriptis codicibus: videntur ergò adjecta eſſe à ſciolo quodam, qui putabat commodè hîc poſſe addi, cùm aliàs meminerit Scriptura nativitatis Mariæ ſororis Moſis & Aharonis.

התפאר עלי למתי אעתיר לך

Gloriare ſuper me, & dic, quando orem pro te, Exod. 8. 9.

LXX & Vulg. Interpres ſenſum quidem hujus loci non adeò malè expreſſerunt; attamen Hebræa ſunt magis emphatica, *Gloriare ſuper me*, &c. q. d. Moſes ad Pharaonem, Tu ſuſpicaris quaſi artibus magicis, aut virtute alicujus determinatæ conſtellationis ranas produxerim, nec poſſim rurſus eas auferre quandocunque voluerim; verùm ut diverſum videas, nihil hîc magicum eſſe, ſed omnia Divinitus geri. Penès te eſt tempus quodcunque volueris mihi præſcribere ut auferantur rarè. Quod ſi non fiat, tunc poteris contra me gloriari, quòd Magiâ utar. Fuſiùs hunc locum tractavi in Annotationibus ſuper Biblia Chaldaica, ad quæ te remitto.

והכבד את לבו ולא שמע אלהם כאשר דבר יהוה

Aggravavitque cor ſuum, & non audivit eos, ſicut locutus erat Dominus, Exod. 8. 15.

HAllucinatus eſt Vulg. Interpres in eo quod vertit, *ſicut præceperat Dominus*, pro, *ſicut locutus erat Dominus*. Eſtque ſenſus, Quòd Pharao aggravaverit cor ſuum, & non obſecundarit Moſi & Aharoni, ſicut hoc futurum antea illis prædixerat Dominus, fore ſcilicet ut Pharao induraret cor ſuum. Non eſt ergò referendum ad præceptum Domini, de educendis filiis Iſrael, quod Dominus Moſi & Aharoni dederat, & Vulg. Interpres intellexit. Rectiùs ergò Lxx verterunt. Idem error & infeſt eſt in eodem capite in Vulg. editione, quæ ſimiliter emendari debet.

והיה לכנים בכל ארץ מצרים

Ut ſit in pediculos per totam terram Ægypti, Exod. 8. 16.

HUnc locum annotare libuit propter dictionem *cinifes*, quam quidam deductam putant à voce Hebraica כנים, additis tamen quibuſdam literis. *Chinnim* autem ſignificare dicunt genera quædam *exiguarum beſtiolarum quæ infenſiſſimæ eſſe ſolent, ladentes cutem, & penetrantes per nares atque aures*. Quidam dicunt ſignificare *vermiculos alatos ſimiles culicibus*. Veteres tamen Hebræi ſignificare dicunt *pediculos*. Sed vide de hoc latiùs, ſi placet, Annotationes in Biblia Chaldaica.

הנני משלים בך ובעבדך ובעמך ובבתיך את הערב

Ecce ego mitto in te, & in ſervos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, Exod. 8. 21.

VAriatio eſt in voce ערב, quam Lxx *muſcam caninam*, Vulg. interpres *omne genus muſcarum* tranſtulit. Significat autem ערב Hebræis mixturam colluvian ex variis & multis ſpeciebus animalium, puta leonum, pardorum, luporum, ſerpentum, ſcorpionum, & ſimilium beſtiarum noxiarum. Eſtque vox deducta à verbo ערב, quod *miſcere* ſignificat: hinc *Arof* nomen, i. *turba*, ſive *mixtura variorum animantium*. Quia ergò & varia genera Muſcarum ſunt, hinc ideo pro *muſcis* Vulg. interpres reddidit, ſecutus nimirum verſionem Septuaginta. Tametſi errorem eſſe putem in illorum verſione ut hodie exſtat, ut κυνόμυιαν quod *muſcam caninam* ſignificat, pro κυνόμυιαν, quod *generalem muſcam* ſignificat, poſitum ſit, quod facilè fieri potuit vocum affinitate, ut à ſcriptoribus alterum in alterum depravaretur. Vide Annotationes in Biblia Chaldaica.

ושמתי פדות בין עמי ובין עמך

Et ponam redemptionem inter populum meum, & inter populum tuum, Exod. 8. 23.

VOX Hebræa פדות non *diviſionem*, ut Lxx & Vulg. interpres tranſtulerunt, ſignificat, ſed *redemptionem* ſive *liberationem*, &c. h. e. faciam ut populus tuus lædatur à feris noxiis, & populus meus non lædatur. Sicut hunc ſenſum expreſſit Chaldæus.

יאמר

ויאמר משה לא נכון לעשות כן כי תועבת מצרים נזבח ליהוה אלהינו הן נזבח את תועבת מצרים לעיניהם ולא יסקלנו

Et respondit Moses, Non convenit ut sic agamus, quoniam abominationem Ægyptiorum sacrificaremus Domino Deo nostro. Sed etsi sacrificaremus abominationem Ægyptiorum in oculis eorum, nonne lapidarent nos? Ex. 8. 26.

HUnc locum quoque adduxi, non quòd sit magna discrepantia; nam, quod sensum attinet, omnia bene conveniunt. Et noster Vulg. interpres Latinus suâ versione magis Paraph. Chaldæum secutus esse videtur. Porrò pecus quod Ægyptii colebant Aries erat.

כי בפעם הזאת אני שלח את כל מגפותי &c. אל לבך

Alioquin hâc vice ego mitto omnes plagas meas in cor tuum, &c. Ex. 9. 14, 15, 16.

LXX & Vulg. interpres Latinus quíque illos sequuntur hallucinantur in isto loco, eò quòd ista, *Nunc extendens manum meam percutiam te & populum tuum peste, peribísque de terra*, &c. per futurum reddiderunt, cùm potiùs per præteritum vertere debebant. Est enim sensus hujus loci is, Comminatur Deus per Mosen Pharaoni novam plagam post plagam pestis quæ transierat, nempe grandinem & tonitrua, quæ vocat *omnes plagas suas*, eò quòd, ut Hebræi dicunt, multæ plagæ simul fuerint, grando scilicet, tonitrua, fulgura, ignis & pluvia; unde Pharao & servi ejus ab ista plaga sibi plùs timuerint quàm ab omnibus aliis quæ antecesserant, quare & erumpebat in istam vocem, *Dominus justus est, ego verò & populi mei impii sumus*; quod etiam innuere volebat Dominus, quando dixit, *Hâc vice ego mittam omnes plagas meas in cor tuum*, i. Ego cor tuum tangam plagis meis, ut potentiam meam & sentias & agnoscas, quam & ferre cogêris, quantumvis resistas; Ego talibus plagis vos percutiam ut etiam in corda vestra penetrent, ut summo dolore & timore adficiant corda vestra. Et nè putarent Ægyptii quòd tantùm minis secum ageret, quòd ideo coacervaret tot plagas, ut ità terrorem ipsis incuteret quò & faciliùs populum Israeliticum dimitterent, nec in potestate ejus esse ut ipsis mortem inferret; ideo subdit Dominus, *Quoniam nunc extendissem manum meam ut percuterem te*, vel, *si nunc extendissem manum meam & percussissem te & populum tuum peste illâ, deletus esses de terra*: q. d. facillimè potuissem te peste perdere, quâ perdidi animantia, & jam actum esset de te & populo tuo. Et mox subdit causam quare eum hactenus in omnibus plagis conservaverit, diutiúsque superstitem eum esse voluerit, dicens, *Veruntamen ob id conservavi te*, vel, ut Hebraismus habet, *stare, sive manere, te feci, ut ostenderem tibi potentiam meam, ùtque narretur nomen meum in universa terra*, &c. Erraverunt ergò Lxx & alii quòd hæc כי אתה שלחתי את ידי ואך אותך ואת עמך בדבר ותכחד מן הארץ per futura transtulerunt, cùm potiùs per præterita reddenda essent, ut paulo suprà explicui.

עדך מסתולל בעמי לבלתי שלחם

Adhuc tu te elevas in populum meum ut non dimittas eos? Exod. 9. 17.

SEnsus quidem non malè expressus est à nostris, nisi quòd verbum Hebraicum מסתולל magis emphaticum est quàm ut illi satisfaciat *retinendi* vocabulum: significat enim non simpliciter *retinere*, sed *elevatione*, sive *calcatione* quadam. q. d Adhuc tu te elevas contra populum meum, vel adhuc calcatorem agis populi mei. Quod secutus est Paraph. Chaldæus, qui per נבש, quod *cogere* vel *violenter subjicere* significat. Sunt & qui sic legunt, *Adhuc tu aggeres ponis populo meo*, ùt sit Metaphora sumpta ab his qui erumpentium aquarum excursionem ac impetum oppositio aggere cohibent nè latiùs evagentur.

העתירו אל יהוה ורב מהית קלת אלהים וברד

Orate ad Dominum, multum enim est, ut fuerint tonitrua Dei & grando, Exod. 9. 28.

HUnc locum adduxi propter Paraphrasim Chaldaicam, quæ nonnihil variat à veritate Hebraica, & vario etiam modo redditur & intelligitur. Primùm hoc sensu, q. d. Pharao, Intercedite pro me & populo meo apud Dominum; nam licèt magna, vehemens & terribilis est hæc plaga, tamen Deus facilè potest efficere ut desinat, quò dilatationem & respirationem habeamus, vel, & sufficiat coram eo lucrum: nam רוח aliquando & *lucrum* significat; quo sensu ab Hebræis commentatoribus sæpe usurpatur: q. d. satis lucratus est Dominus plagis istis suis, maximè hâc plagâ grandinis; satis sumus humiliati, agnovimus ejus potentiam quid possit & valeat; fatemur nos impios & injustos esse, illum verò pium & justum. Alii sic interpretantur, Magnum coram me est lucrum quòd non sint supra nos voces illæ, &c. q. d. Satis lucratus sum si effeceris precibus tuis apud Dominum ut desinat grando & tonitrua. Sed præpositio Chaldaica קדמהי *coram eo*, non *coram me* significat.

ולמען תספר באזני בנך ובן בנך את אשר התעללתי

Et ut narrares in auribus filii tui atque nepotis tui, quæ feci in Ægypto, Exod. 10. 2.

HUnc locum annotare libuit propter verbum illud התעללתי, quod cùm Lxx per *illudere*, Vulgatus verò interpres per *conterere* transtulit, Hebræis *facere, agere*, & *operari* significat, sicut & Paraph. Chaldæus reddidit. R. D. Kimhi in libro Radicum ità exponit; שהראיתי בהם מעשי הנוראים והגדולים, *quibus ostendi opera mea terribilia atque magna.*

הטרם תדע כי אבדה מצרים

Nondum scis quod perierit Ægyptus? Exod. 10. 7.

HEbræi vocem הטרם duobus modis interpretantur, vel per *nondum*, vel per *prinsquam, antequam*: Est ergò & duplex lectio hujus loci; potest enim sensus esse *an nondum scis quòd perierit Ægyptus?* vel, priusquam experiri vis ut pereat Ægyptus quàm ut dimittas populum?

ויאמר אלהם יהי כן יהוה עמכם כאשר אשלח אתכם ואת טפכם ראו כי רעה נגד פניכם

Et ait ad eos, Sit ità Dominus vobiscum cùm emisero vos & parvulos vestros, videte quia malum est coram vobis, Exod. 10. 10.

VAriatio est primùm in his, *Sic Dominus sit vobiscum*, &c. non quidem quod verborum redditionem sed quod sensum attinet. Primùm enim hic sensus esse potest, *sic sit Dominus vobiscum; quemadmodum ego vos dimisero*; q. d. sicut ego non dimittam vos, ità nec Dominus erit vobiscum: vel potest esse Ironia, seu μυκτηρισμὸς, *Sic sit Dominus vobiscum*, &c. Quidam Hebræorum sic legunt quasi primùm eis abitum innuerit quando dixit, *sit ità Dominus vobiscum*; sed intuens postea Mosen & Aharonem suspicatus est dolum subesse, ideo subjecit, *videte, malum ex facie vestra dignoscitur*, & idcirco non fiet juxtà postulationem vestram; nam fugam meditamini. Dein varietio est in illo, *videte quòd malum est coram vobis*. Quidam enim hunc putant habere sensum, Videtis quòd malitia quam cogitatis revertetur in vos; quam lectionem sequitur Chaldæus: vel, Videtis quòd malum est vobis proximum;

proximum; vel, videtis quòd malum est vobis propositum. q. d. Nemo non videre potest quòd aliquid mali moliamini, ex vultu vestro hoc ipsum apparet. Et hanc sententiam habent Lxx & Vulg. Interpres. Error porrò est quòd Lxx vocem Hebraicam טפכם *Supellectilem vestram* reddiderunt, cùm propriè *parvulos* significet. Cùm enim parvulos suos se quoque secum ducturos diceret, hinc aliquid mali suspicatus est Pharao, quòd si aliam rem se asportaturos dixissent, non usque adeò dubitassent.

וידוה נהג רוח קדים בארץ

Et Dominus adduxit ventum Orientalem super terram, Exod. 10. 13.

VAriatio est in voce קדים, quæ *ventum qui flat ab Oriente* significat; Græci *Apheliotem* appellant, quòd à Sole spirat, unde & à Latinis eâdem ratione *Subsolanus* appellatur: sed Subsolanus est ab Oriente Æquinoctiali, ad Septentrionem Vulturnus, ad Meridiem Eurus. Hi sunt calidi & sicci, quia sub Sole diu morantur; & in ortu diei salubres sunt, quia veniunt ab aere temperato. Isti tres venti Orientales vocantur קדים in S. Literis, addito plerumque vocabulo רוח quod *ventum* significat. Vulg. interpres *ventum Orientalem* vertit, eò quòd ventus Orientalis est calidus. Lxx ἄνεμον νότον reddiderunt, qui idem & *Auster* dicitur, ventus calidissimus, & à Zona torrida profectus, ac propterea imperfectis animalibus generandis aptissimus propter caliditatẽ & humiditatem, quæ in rebus omnibus eo flante solet contingere. Hinc ergò & locustæ causantur; quæ postea flante Borea rursum omnes extinctæ sunt & in mare Rubrum conjectæ. Et porrò omissum in Lat. Vulg. editione illud, *super terram*, quod culpâ scriptoris fieri potuit.

אחרי כן ישלח אתכם סוה כשלחו כלה גרש יגרש אתכם מזה

Postea dimittet vos hinc perfectâ dimissione, repellendo repellet vos hinc, Exod. 11. 1.

VUlgatus interpres minus habet quàm reliqui; non enim expressit illa כשלחי כלה *perfectâ dimissione*, h. e. penitus, sine ullis conditionibus, & in universum dimittet vos omnes. Non partem aliquam duntaxat dimittet, pecora vel parvulos vestros retinendo, sed vos omnes & omnia vestra dimittet.

ולכל בני ישראל לא יחרץ כלב לשונו

Apud cunctos autem filios Israel non movebit canis linguam suam, Exod. 11. 7.

SEptuaginta & Vulg. interpres non usque adeò malè reddiderunt verbum Hebraicum יחרץ, licèt Hebræorum alii per *acuere*, ut R. Salomo; alii per *movere*, ut Kimhi; alii per *latrare*, ut Aben Ezra; alii per *nocere*, ut Paraph. Chaldæus, exponant.

מן הכבשים ומן העזים תקחו

Quem ex ovibus, aut ex capris, tolletis, Exod. 12. 5.

VUlgatus interpres malè reddidit hunc locum, quasi scilicet cum agno hædus simul mactari debeat, cùm alter tantùm per singulas familias occidi & manducari jubetur: Cùm enim præscripsisset qualisnam esse debet Agnus, nempe integer, masculus & anniculus, mox subjungit unde accipiendus sit, מן הכבשים ומן העזים *de agnis & de caprâ tolletis*, h. e. sive de ovibus sive de capris. Nam conjunctio copulativa & apud Hebræos non rarò pro *aut* accipitur.

ושחטו אותו כל קהל עדת ישראל בין הערבים

Mactabitque eum omnis cœtus Israel inter vesperas, Exod. 12. 6.

VAriatio est in voce Hebraica הערבים quam Lxx & Vulg. interpres singulariter *vesperam* reddiderunt. Sed Hebræis est pluralis seu potiùs dualis numeri, & significat *vesperas*. Quæ verò istæ duæ vesperæ sint etiam Hebræi variant. Quidam enim unam vesperam faciunt quando Sol declinat in puncto meridiei, alteram verò quando jam planè occidit; ut sit *inter vesperas* idem quasi dicat inter Meridiem & Occidentem. Alii unam vesperam faciunt quando Sol transit Horizontem, alteram luminis, cùm non apparet lumen Solis post occasum: & ità sit immolandum esse agnum inter occasum Solis & principium noctis. Posteriorem sententiam sequuntur ferè doctiores Hebræorum, quæ & mihi magis probatur. Sed vide Annotationes meas in Biblia Chaldaica, ubi fusiùs hunc locum tracto.

ומצות על מררים יאכלהו

Atque cum azymis panibus, & amaris herbis comedent eam, Exod. 12. 8.

VUlgatus interpres ab aliis dissentit, quòd vocem Hebraicam מררים, quæ *herbas amaras* significat, ut & Lxx transtulere, per *lactucas* reddidit. Lactucas autem non volunt esse amaras, quæ à Medicis propter nutrimentum edi præcipiuntur. Amara autem non nutriunt.

ולקחתם אגודת אזוב וטבלתם בדם אשר בסף

Accipite quoque fasciculum hyssopi, & tingite in sanguine qui est in pelvi, Exod. 12. 22.

MAnifestus error est in translatione cùm Septuaginta tum Vulg. interpretis; quòd illi vocem Hebraicam בסף *apud jannam*, hic verò *in limine* transtulit, cùm ea vox, testibus omnibus Hebræis *pelvim* sive *catinum* significat. Et hoc convincit etiam circumstantia textûs. Quomodo enim sanguis de limine sumi poterat in quo etiam nondum erat? Sed in hunc errorem eos induxisse videtur multiplex hujus vocis significatio, quæ aliquibi & *limen* significet, pro eo & hoc in loco verterunt, non habitâ ratione circumstantiæ. Et Latinus interpres secutus esse videtur Lxx. Sunt tamen qui hunc errorem non autoris vitio sed temporum injuriâ accidisse putant.

ושא העם את בצקו טרם יחמץ משארתם צררת בשמלתם על שכמם

Et tulit populus pastam suam priusquam fermentaretur, cibos suos ligatos in vestibus super humerum suum, Exod. 12. 34.

VAriatio est in voce Hebraica משארת, quam alii *massam* vertunt, ut Lxx, alii, *reliquias ciborum*, alii *panaria*, h. e. vasa in quibus servatur massa. R. D. K. in libro Radicum exponit pro *massa*, sive *farina*, *subacta*.

ומושב בני ישראל אשר ישבו במצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה

Habitatio autem filiorum Israel, quâ manserunt in Ægypto, triginta fuerunt anni & quadringenti anni, Exod. 12. 40.

HUnc locum annotavi propter versionem Septuaginta, quæ plus habet quàm veritas Hebraica, præsertim illud *& in terra Chanaan*, quod ab illis adjectum videtur ex interpretatione Hebræorum, qui istos quadringentos & triginta annos numerare incipiunt ab eo tempore quo Deus dixit ad Abrahamum, *Peregrinum erit semen tuum in terra*

terra non sua, Gen. 15. Non enim tot continuos annos filii Israel in Ægypto fuerunt, sed tantùm 210 annos, ut Hebræi supputant: Quare isti anni non tantùm referendi sunt ad istud tempus quo in terra Chanaan & Philistorum peregrini fuerunt, quò omnino respexisse videntur Septuaginta suâ versione. Sed plura de his vide in Bibliis meis Chaldaicis.

וְהָיָה לְךָ לְאוֹת עַל יָדְךָ לְטוֹטָפוֹת

Erit itaque in signum super manum tuam, & in monumentum inter oculos tuos, Exod. 13.16.

VAriatio est in voce Hebraica טוטפות, quam Lxx quasi non habentes vocem Græcam, quæ ei respondeat, per ἀσάλευτον, i. *immobile*, sive inconcussum & firmum reddiderunt. Quid autem *Totaphoth* Hebræis significet, & quid sit verum ejus Etymon, nec ipsis sanè constat: nisi quòd R. Salomo vocem compositam esse dicit ex duabus linguis, ex his duo significare. Unde postea colligunt quatuor tantùm receptacula esse debere in quibus quatuor locos Scripturæ descriptos habent, quæ quotidie capiti & brachio adhuc hodie alligant Judæi. Vulgò *Thephillim* appellant, quâ voce & Paraph. Chaldæus usus est. *Thephillim* autem dicta esse putant vel à תפר, quod *conjungere*, *alligare* & *appendere* significat, quam interpretationem secutus videtur interpres Latinus; vel à תפלה quod *preces* & *orationem* significat, q. d. *Oratoria*, sic appellata quòd Judæi istis signis in precibus & orationibus suis quotidie utantur. Quantâ superstitione Judæi in parandis istis signis etiamnum hodie utuntur prolixè tractavi in Annotationibus meis super Biblia Chaldaica, ad quas te remitto.

וַיָּסֶב אֱלֹהִים אֶת הָעָם דֶּרֶךְ הַמִּדְבָּר יַם סוּף

Sed circumduxit Deus populum per viam deserti maris Rubri, Exod. 13.18.

HUnc locum annotare libuit propter vocem Hebraicam יַם סוּף, quam Lxx & Vulg. Interpres ubique *mare rubrum* interpretantur, cùm tamen סוּף Hebræis non *rubrum* sed *caricem* seu *papyrum* sonat. Hinc Hebræi יַם סוּף *mare caricosum* vel *papyrosum* appellari dicunt, eò quòd ad ejus litora copiosissima sint carecta sive papyriones. Aben Ezra de hac voce in suo Comment. sic annotavit, וי"ש אומרים שנקרא כן בעבור שיש סביביו סוף ואקרים שאמרו שמו מגודרת סוף שהוא סוף העולם והוא יַם אוקיינוס, *Dicunt nonnulli vocari mare eo nomine quòd per ejus circuitum nascuntur papyri; alii autem existimarunt ideo vocari* MARE SOPH, *quia* SOPH *etiam finem sonat; dicúntque hoc mare terminum esse mundi, h.e. ipsum Oceanum.* Hæc Ille. Refellítque hanc ultimam opinionem. Non enim sinus Arabicus est mare Oceanus, ut satis compertum est. R. quoque Salomo hoc idem sentit, וסוף הוא לשון אגם שגדלים בו קנים, *SOPH* Juncum *significat, quo nomine mare illud appellatur, quòd calamorum & papyrorum copia in eo nascatur.* Non ergò ex eadem causa à nobis & Hebræis ei mari inditum est nomen: nam *rubrum* à Græcis appellatum est, Plinio teste, quòd arena ejus rubra sit, & aquæ quasi rubere videantur; sicut omnes propè asserunt.

וַחֲמֻשִׁים עָלוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל מֵאֶרֶץ מִצְרָיִם

Armati ascenderunt filii Israel de terra Ægypti, Ibid.

SEptuaginta dissentiunt ab aliis, quòd pro *armati ascenderunt*, verterunt, *quintâ generatione ascenderunt*, h.e. quinto seculo, quòd scilicet jam super 400 annos, quibus Deus semen Abrahæ in terra aliena peregrinum futurum prædixerat, 30 anni effluxissent, ut jam quintum seculum agi videretur. Sed ad hanc suam versionem moviſse eos potissimùm videtur ambiguitas vocis Hebraicæ חֲמֻשִׁים, quæ à חמש deducta *quinque* significat; pro *accingi* tamen & *armari* quoque accipitur, à חומש, quod *quintam costam* significat, quòd videlicet circa eam arma quibus se homines muniunt ferè adhiberi solent. Et istam posteriorem sententiam sequuntur omnes Hebræi, similiter & Vulg. interpres: vult enim innuere Scriptura, quòd filii Israel non ut servi fugitivi clàm ex Ægypto egressi fuerint, sed palàm & armatâ manu.

וַיְהִי הֶעָנָן וְהַחֹשֶׁךְ וַיָּאֶר אֶת הַלָּיְלָה

Et fuit nubes illa atq; tenebra, illuminans noctem, Ex. 14.20.

LXX in hoc dissentiunt à veritate Hebraica, quòd *caliginis & tenebrarum* tantùm mentionem faciunt, non autem *nubis illustrantis noctem*, pro quo posuerunt illud; *& venit nox*, ubi textus Hebræus habet וַיָּאֶר אֶת הַלָּיְלָה, *& illuminabit noctem*, scilicet nubes illa ignea. Volunt autem quidam illam nubem sic dispositam esse ut quâ parte respiceret castra Ægyptiorum, caliginosa esset, quâ verò castra Israelitarum, lucida esset. Quam sententiam etiam secutus est Vulg. Interpres Latinus, qui legit, *Et erat nubes tenebrosa & illuminans noctem.* Hebraicè ad v. est, *Et erat nubes & tenebra*; quod alii sic explicant, non quòd eadem nubes & tenebrosa & lucida fuerit, sed quòd tenebræ fuerint Ægyptiis, nubes verò Hebræis.

וַיָּבֹאוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל בְּתוֹךְ הַיָּם בִּיבָּשָׁה

Et ingressi sunt filii Israel in medium maris in siccum, Exod. 14.22.

HUnc locum quoque adducere placuit, non quòd in redditione verborum sit dissensio Interpretum, sed quòd in sensu hujus loci sit apud autores diversitas. Nostri Scriptores hunc & similes locos ità ferè intelligunt, quasi filii Israel totum mare transiverint, atque ab uno litore ad alterum quod è regione erat pervenerint. Quam sententiam stabilire videntur & alii loci Scripturæ, in quibus istius transitûs quoque mentio fit, ut quod mox infrà dicitur, *filii autem Israel perrexerunt per medium sicci maris*, &c. item illud in Numeris cap. 33. *Profectíque de Phihahiroth transierunt per medium maris in solitudinem*, &c. Illud quoque Psal. 77. *Interrupit mare & perduxit eos*, &c. Et quod Apostolus scribit 1 Cor. 10. *Patres nostri omnes sub nube erant, & omnes per mare transierunt.* & ad Hebr. cap. 11. *Per fidem transierunt mare rubrum veluti per siccam terram.* Præterea locus qui est Josuæ cap. 4. *Quando interrogaverint filii vestri cras patres suos, & dixerint eis, Quid sibi volunt lapides isti? Docebitis eos, atque dicetis, Per arentem alveum transivit Israel Jordanem istum, siccante Domino Deo nostro aquas ejus in conspectu nostro, donec transiretis, sicut fecerat priùs in mari Rubro, quod siccavit donec transiremus.* Hebræi verò omnes ferè hanc tenent sententiam, non quòd filii Israel totum mare rubrum transiverint, ab uno litore ad alterum litus oppositum, sed quòd aliquò usque mare ingressi fuerint, pergendo per longitudinem non per latitudinem maris, donec sequeretur exercitus Pharaonis ut suffocaretur, & quasi semicirculo facto reversi sint ad idem litus unde ingressi fuerint. Ad istam sententiam maximè movit eos quod Exod. 13. legitur, quòd *profecti de Succoth manserint in Etham.* Et in Num. 33. ubi hæc historia repetitur, rursum legitur, Quòd *postquam transierant mare venerant in desertum Etham.* Utraque sententia probabilis est, licèt nostri magis inclinent ad priorem, Hebræi verò in posteriorem. Vide de hoc loco latiùs, si placet, in Bibliis meis Chaldaicis.

וַיָּסַר אֶת אֹפַן מַרְכְּבֹתָיו וַיְנַהֲגֵהוּ בִכְבֵדֻת

Et sustulit rotas quadrigarum ejus, atque violenter duxit eum, Exod. 14.25.

LXX dissentiunt ab aliis, quòd pro verbo *abstulit* legunt *colligavit*, & pro *deduxit*, *fregit*. Bisariàm autem

hunc locum interpretantur. Prior ſenſus is eſt, Quòd ſcil. Deus rotas à curribus deturbarit, atque in profundum maris præcipitaverit, ut per בכבדת *in gravitatem*, intelligantur aquæ graviores & profundiores. Et hoc ſecutus eſt Vulg. interpres Latinus. Alter ſenſus eſt, Quòd Deus rotas à curribus abſtulerit, ità ut graviter & nonniſi cum maximâ difficultate eos ducere potuerint. Atque hunc ſenſum Hebræi ferè amplectuntur, ut qui veritati Hebraicæ proprior, quem Chaldæus ſecutus eſt. Notes præterea quòd illud quod præcedit hunc locum, ויהם את מחנה מצרים, *& conturbavit caſtra Ægyptiorum*, Vulg. interpres reddidit, *& interfecit exercitum eorum*, poſterius ſcilicet pro priori ponendo: priùs enim conturbavit ac terrorem immiſit, poſtea interfecit. Et verbum Hebraicum ויהם propriè *conturbare & terrorem incutere* ſignificat, unde & Lxx rectiùs verterunt per *συνετάραξε τὴν παρεμβολὴν αὐτῶν conturbavit aciem eorum.*

וישב הים לפנות בוקר לאיתנו

Et reverſum eſt mare, cùm lux matutina juxta vim ſuam luceret, Exod. 14. 27.

VAriatio eſt in voce Hebraica לאיתנו, quam noſtri Interpretes pro loco alvei exponunt; Hebræis autem *robur* & *fortitudinem* ſignificat. Et innuitur quòd Mare cùm aurora jam potenter emergeret tum reverſum eſt ad robur ſuum, vim ſeu vehementiam ſuam, h. e. rurſum magnâ vi fluere cœpit atque involvit Ægyptios & ſuffocavit eos. Et quod ſequitur, *fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ*, ut habet Vulg. editio, Hebraicè ad verbum eſt, *& Ægyptii fugerunt in occurſum illius*, ſcilicet maris; quo innuitur Ægyptios adeò attonitos fuiſſe ut in ipſas aquas occurrentes fugerent. Hunc ſenſum viderunt & Lxx, unde legunt, Οἱ δὲ Αἰγύπτιοι ἔφυγον ὅτι τὸ ὕδωρ, *& Ægyptii fugerunt ad aquam.*

זה אלי ואנוהו

Iſte eſt Deus meus, & decorabo eum, Exod. 15. 2.

VAriatio eſt in voce Hebraica ואנוהו, quod alii deducentes à verbo נוה *glorificare*, ſeu *decorare* exponunt, quod ſequuntur noſtri Interpretes; alii verò, maximè Hebræi, deducentes à nomine נוה quod *habitaculum* ſignificat, pro *hoſpitio ſuſcipere* ſeu *habitaculum facere* exponunt. Aben Ezra enim ſic explicat, אושיבהו, i. *collocabo eum in habitaculo*. R. D. Kimhi אעשה בנוה ולו נוה ומשכן, *faciam ei habitaculum & tabernaculum.* Quam ſententiam quoque ſecutus eſt Chaldæus ſuâ Paraphraſi.

נצבו כמו נד נוזלים

Steterunt quaſi cumulus fluidæ aquæ, Exod. 15. 8.

HUnc locum annotavi propter vocem Hebraicam נד, quam Latinus interpres non expreſſit: ſignificat autem ea propriè *cumulum, acervum*, ſeu *murum*, ut & Lxx hîc non malè tranſtulerunt. Eſt enim ſenſus quòd aquæ ſteterunt inſtar cumuli ſive muri. Hallucinatus eſt quoque Vulg. interpres in hac dictione & in aliis locis: ut Pſal. 33. ubi veritas Hebraica ità habet כנס כנד מי הים, *congregans quaſi in cumulum aquas maris*, ille vertit, *congregans ſicut in utre aquas maris*, deceptus videlicet vocum Hebraicarum ſimilitudine נאד, & נד. Nam נאד *utrem* ſive *lagenam* ſignificat, נד verò *cumulum, acervum, molem.* Jam admodum proclive eſt alterum in alterum depravare, quod Latino interpreti accidit, qui idem fecit & Pſal. 28. ubi namque textus Hebraicus habet, *fecítque aquas ſtare veluti acervum*, ibi ille tranſtulit, *ſtatuit aquas quaſi in utre.* Rurſum *Ned* pro *Nod* legens.

שמעו עמים ירגזון

Audiverunt populi & contremuerunt, Exod. 15. 14.

ERror eſt in Lat. Vulg. tranſlatione, quòd pro *audiverunt* legitur *aſcenderunt*, quod tamen magis ſcriptoris quàm autoris vitio factum eſſe videtur. Dein quòd legit *& irati ſunt*, ſecutus eſt Lxx. Eſt enim verbum Hebraicum רגז ambiguum ad *iraſci* & ad *contremiſcere, expaveſcere* ſive *timere*: Atque hîc magis quadrare videtur *timendi* quàm *iraſcendi* verbum, *Audiverunt populi & tremuerunt* ſive *timuerunt.* Sunt tamen qui hunc locum in futuro potiùs legendum eſſe dicunt, *Audient populi & contremiſcent.*

והעל שכבת הטל והנה על פני המדבר דק מחספס דק ככפר על הארץ

Cúmque aſcenderet ſitus roris, ecce in ſuperficie deſerti tenue quiddam & orbiculare exiguum quaſi pruina jacens ſuper terram, Exod. 16. 14.

VAriatio in iſto loco potiſſimùm eſt in voce Hebraica דק מחספס, quod Lxx reddiderunt *ſubtile ut coriandrum album*, cùm tamen *Mechuſſpas* non ſit nomen ſignificans *coriandrum*, pro quo aliud vocabulum habent Hebræi, nempe גד, quod mox infrà ponitur, ubi dicitur *& erat quaſi ſemen coriandri album*, Hebraicè זרע גד לבן, ſed participium eſt, quod alii per ענול *rotundum*, exponunt, ut Aben Ezra & Kimhi; quorum ſententiam nonnihil roborare videtur, quòd *Man* dicitur habuiſſe formam ſive figuram ſeminis Coriandri. Alii *decorticatum* ſive *denudatum*, interpretantur; & illi radicem ſive thema ſtatuunt verbum חשף, poſito ſcil. ס loco ש (ſunt enim literæ, ut Hebræorum Grammatici loquuntur, מתחפות permutabiles) quod verbi habetur Gen. 30. ubi dicitur quomodo Jacob decorticaverit virgas ut apparent album, ibi Hebraicè eſt מחשף הלבן *denudans albitudinem.* Et hanc expoſitionem ſequitur apud Hebræos R. Salomo; ſimiliter Paraph. Chaldæus. Alii porrò *minutum* ſive *contuſum* reddunt, quos ſecutus eſt Lat. Vulg. interpres, cui & Lxx accedunt, qui *ſubtile* verterunt. Sequatur pius Lector quod ſibi magis probabile videtur.

ויאמרו איש אל אחיו מן הוא כי לא ידעו מה הוא

Dixerunt quiſq; ad proximum ſuum, Eſt Man; neſciebant enim quid eſſet, Exod. 16. 15.

SEptuaginta interpretes, quos & Lat. interpres ſecutus eſt, vocem Hebraicam מן הוא interpretati ſunt per *quid eſt hoc?* quaſi ſcriptum eſſet מה הוא: Nam מה Hebræis interrogantis vocula eſt, *Quid*, & הוא demonſtrantis eſt, i. *hoc.* Verùm quia non legitur *ma hu* ſed *Man hu*, idcirco doctiores Hebræorum dictionem *Man* hîc non pro interrogatione, ſed pro *dono, munere* & *parte* accipiunt: quòd ſcilicet filii Iſrael cùm ignorarent quinam eſſet, ideóque certum nomen indere non poſſent, illi à מנה *donum* appellarunt, quaſi dicerent, donum & portio eſt à Domino. Alii ſic appellatum autumant à מנה i. *præparando*, quòd ſcilicet cibus eſſet paratus ità ut non opus haberet ulteriore præparatione, per ſe enim bonus & ad veſcendum commodus erat. Sed vide de his ampliùs Biblia mea Chaldaica.

ויבן משה מזבח ויקרא שמו יהוה נסי &c.

Et ædificavit Moſes altare, vocavítque nomen ejus DOMINUS MIRACULUM MEUM, &c. Exod. 17. 15, 16.

VAriatio prima eſt in voce נסי, quæ propter ambiguitatem diverſimodè redditur: à Septuaginta *reſpe-*

gens

gium meum, qui deduxerunt à verbo נוס, quod *fugere & evadere* significat. Vulg. interpres *exaltatio mea* transtulit: nam נסה Hebræis & *exaltare* significat, non simpliciter tamen, sed *sicut vexillum exaltatur:* qua in significatione accipit & R. D. Kimhi, qui legit *Dominus vexillum meum*, sive, *exaltatio mea*. Alii *miraculum* exponunt, quòd vocabulum נס Hebræis aliquando etiam *miraculum* significat; quam sententiam secutus est Paraph. Chaldæus, qui vertit, *& coluit super ipsum altare Dominum, qui fecit ei mirabilia:* q. d. Moses, per miraculum & misericordiam Dei & non nostro merito factum est illud. Dein variatio est in illo כי יד על כס יה *quoniam manus super solium Dei*. Quæ verba periphrasis juramenti divini, q. d. Moyses, quia juravit Dominus per solium suum, &c. quare etiam illud quod antecedit, *Et vocavit nomen ejus*, scil. altaris, יהוה נסי ADONAI NISI, *Dominus exaltatio mea*, potest etiam ad juramentum referri, q. d. Moyses, Dominus est qui exaltavit manum suam, h. e. quòd jurejurando se obstrinxit quòd vellet delere memoriam Amalec sub cœlo. Non insolens est enim hoc S. Scripturæ ut modus juramenti, h. e. ipsa manûs exaltatio vel elevatio pro re ipsa ponatur, *Levare*, scil. manum, pro Jurare, ut Gen. 14. dicit Abraham ad Melchisedec, *Levo manum meam ad Dominum Deum*, &c. Hoc juro, seu jusjurandum facio. Porrò impletum fuit hoc juramentum Dei sive promissio tempore Saulis Regis jussi à Domino exstirpare Amalekitas 1 Sam. 15. & etiam, ut Hebræi volunt, tempore Mardochæi delentis Haman, quem volunt ex stirpe & familia Amalekitarum fuisse, de quo vide Biblia mea Chaldaica. Lxx a modum obscurè transtulerunt hunc locũ qui legunt *quoniam manus occultâ pugnat Dominus contra Amalec*, &c. Sed non conveniunt hæc cum Hebræis: decepti ergò mirum sunt voce כס, quam pro נסה, quod *tegere* & *occultare* aliquando significat, legisse videntur: sed non quadrat huc hoc significatum. Propiùs ergò accessit ad veritatem Hebraicam Lat. Vulg. interpres, qui vertit, *manus solii Domini*, &c. tametsi defectiva locutio est. Nam deest præpositio *super* quam habet Hebraismus, *quia manus super solium Domini*, &c. Sed ea scriptoris quàm autoris culpâ potiùs omissa esse videtur.

ויקח יתרו חתן משה את צפרה אשת
משה אחר שלוחיה

Tulit igitur Jithro socer Mosi Zipporam uxorem Mosi, postquam dimiserat eam, Exod. 18. 2.

VUlgatus Interpres omisit illud *Socer Mosis*: deinde variatio est apud Commentatores in illo אחר שלוחיה, *postquam remiserat eam*. Sentiunt enim etiam quidam Hebræorum remisisse eam unà cum liberis ex diversorio, in quo Dominus illi in Ægyptum proficiscenti occurrerat, volens eum interficere. Quod alii factum autumant propter infantem circumcisum. Alii quòd uxorem & liberos ad iter secum accepisset, qui sibi in sua vocatione impedimento esse poterant: Vide suprà cap. 4. & Biblia quoque Chaldaica. Sunt propterea qui אחר שלוחיה *post munera ejus* exponunt, h. e. postquam misisset ei munera. Nam vox Hebræa שלוחים aliquando & *munera* significat. Atque hi putant Mosen, postquam populum ex Ægypto eduxit & jam in deserto esset, uxori & liberis suis misisse munera, quò socer suus Jethro eos sibi rursum eò facilius remitteret. Sed prior sententia verisimilior esse videtur.

כי בדבר אשר זדו עליהם.

Quoniam in re quâ insolenter egerunt contra illos (perierunt) Exod. 18. 11.

LOcus iste in Hebræo admodum concisè dicitur, & non videtur integra esse sententia nisi aliquid addatur: sic enim ad verbum legitur, *quoniam re, quâ superbè (sive temere) egerunt contra eos*, sub. *perdidit eos*, h. e. ut Hebræi explicant, quemadmodum ipsi pueros Hebræorum aquis submerserunt, sic quoque & ipsi aquis submersi & suffocati sunt; Deo scilicet eâdem mensurâ illis remetiente quâ ipsi mensi fuerant filiis Israel.

נבל תבל גם אתה גם העם הזה

Lassitudine fatigaberis, tam tu, quàm populus iste, Exod. 18. 18.

VAriatio est in verbo Hebraico נבול, quod Vulg. interpres pro *stulto labore consumi* transtulit, quasi sit verbum deductum à nomine נבל quod *stultum* significat, & verbaliter *stultè agere*. Hujus verbi in hac significatione usus est: primò, Sam. 25. ubi Abigail dicit ad David, *Nè ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quia secundùm nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo*; ubi Hebraicè est כי כשמו כן הוא נבל שמו ונבלה עמו. Aliquando significat hoc verbum Hebræis *marcescere, langu scere, deficere*, sive *pallescere, instar arborum cùm amittunt virorem*, affectæ videlicet vel nimio frigore vel æstu, ut Psal. 1. *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet*, &c. ibi Hebraicè est, ועלהו לא יבול *& folium ejus non marcescet*. Et in hac significatione ferè omnes Hebræorum interpretes hîc accipiunt; innuit enim Jethro, quòd si istâ ratione Moses pergere velit, futurum ut non diu agat, sed langueſcat, concidat ac planè deficiat. Paraph. Chaldæus per *defatigari* reddidit, sed quacunque significatione accipias, sensus quadrat, & omnia ferè in idem recidunt.

ואתה תחזה מכל העם אנשי חיל

Providebis quoque ex omni populo viros potentes, &c. Exod. 18. 21.

HUnc locum adducere placuit propter vocem Hebraicam חיל, quæ quia Hebræis æquivoca est ad multa significata, diversimodè à Commentatoribus exponitur: significat enim, *robur, potentiam, exercitum, divitias, constantiam*, & *strenuitatem*. Hinc est quòd אנשי חיל ferè vertunt *viros potentes:* potentiam autem illam alii referunt ad robur corporis, intelligentes viros robustos & patientes laborum. Alii ad robur & fortitudinem animi, quia scilicet non sint ignavi sed strenui in expediendis rebus; vel qui sint constantes ut non facilè finant se moveri & terreri ut deflectant à vero & tramite justitiæ. Alii ad opulentiam, h. e. qui sunt divites, quíque propter paupertatem, in judicio nec minis nec muneribus à recto deflectuntur. Alii ad prudentiam & sapientiam referunt, ut scilicet quis ità sapientiâ, consiliis & dono gubernandi alios valeat; ut exercitui, quem *Chail* etiam significat, h. e. hominum multitudini, prudenter præire possit.

אם את הדבר הזה תעשה וצוך אלהים
ויכלת עמד

Si verbum hoc feceris & præceperit tibi Deus, poteris sustinere, Exod. 18. 23.

VAriatio est in illo *& præceperit tibi Deus*, &c. Hoc est, idque volente Deo, *poteris sufficerè* huic labori. Vel, *& imperabit tibi Dominus*, h. e. tum tibi Deus præcipiet quæ populo relaturus sis. Alium sensum secuti sunt Lxx & Vulg. interpres.

ואתם תהיו לי ממלכת כהנים וגוי קדוש

Et vos eritis mihi in regnum, ſacerdotium, atq; in gentem ſanctam, Exod. 19. 6.

HUnc locum propterea adducere volui, non quòd ſit in redditione apud Interpretes magna diſcrepantia, ſed quòd in ſenſu videtur eſſe diverſitas. Lxx enim ità intellexiſſe videntur quaſi innuat hoc ſacerdotium futurum præclariſſimum & penè regale; atque ideo verterunt ipſi *regale ſacerdotium*. *Regale* enim dici ſolet quod præclarum, eximium & magnificum eſt. Alii verò ſic accipiunt, quaſi innuat illud ex Sacerdotibus & rebus ſacris ac Divinis eſſe conflandum, ut differat ab eis regnis quæ opibus & armis conſtabant; at hoc ſacrum erat futurum: & hunc ſenſum Vulg. interpres ſuâ verſione expreſſit. Sunt qui tria hæc faciunt hoc modo, *Et vos eritis mihi regnum, (ſive reges) ſacerdotes, & gens ſancta*. Sed vide de hoc ampliùs in Bibliis meis Chaldaicis.

במשך היבל המה יעלו בהר

Cùm prolixiùs buccina inſonuerit, tunc poterunt aſcendere montem, Exod. 19. 13.

VAriatio eſt in verbo Hebraico במשך היבל, i. *cùm traxerit buccina*, ſub. *vocem ſuam*: prolixior enim ſonus ſignum erat Dominum Majeſtatis montem deſeruiſſe. Lxx ſenſum potiùs quàm verba exprimere voluerunt, & Vulg. interpres ad principium ſoni refert, quod alii ad finem referunt; niſi fortè & ille per *clangorem* fortiorem & prolixiorem ſonum intelligere quoque voluerit. Videtur enim משך *trahendi* verbum ambiguum eſſe & ad principium & ad finem ſoni ſive clangoris. Poteſt & hujus loci is eſſe ſenſus, Quòd indicat Dominus per Moſen populo, quo tempore ex caſtris progredi debeant, & aſcendere in montem, h. e. ad eum locum quem Dominus Moſen illis conſtituere juſſerat, juxta illud quod dicitur, *Conſtituéſque terminos populo per circuitum*, &c. Item, *ſteterunt ad radices montis*, nempe cùm audirent vocem ſive ſonitum tubæ, unde habetur in Textu, *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangórque buccinæ vehementiùs perſtrepebat, & timuit populus qui erat in caſtris; Cúmque eduxit eos Moſes de loco caſtrorum, ſteterunt ad radices montis*, &c. Et rurſum, *Et ſonitus buccinæ paulatim creſcebat*, in majus & prolixius tendebatur. Ergò vox & ſonitus tubæ ſignum erat præſentiæ Dei, ad cujus ſonitum populus è caſtris prodire debebat, & ſtare in loco præſcripto. Atqui hæc ſententia poſtrema mihi magis probatur, ut quæ Textui proprior ſit, quam & Vulg. interpres Latinus ſecutus eſſe videtur.

לא יהיה לך אלהים אחרים על פני

Non erunt tibi dii alieni coram facie mea, Exod. 20. 3.

VAriatio eſt in illo על פני, quod ad verb. ſignificat *ſuper faciem meam*, vel *coram facie mea*. Lxx imitati Paraph. Chaldæum tranſtulerunt *præter me*. Alii legunt *coram me*. Cæterùm doctiores Hebræorum hanc locutionem על פני eam vim habere dicunt ac ſi diceret, *præſente* vel *vivente me*, q. d. Quamdiu ego ſum & vivo, non quæres tibi deos alios præter me. Et pro confirmatione hujus expoſitionis & ſententiæ citant ſimiles locos, ut Gen. 11. *Et mortuus eſt Haran ſuper faciem Tharach patris ſui in terra nativitatis ſuæ*; ità habet ad literam veritas Hebraica; h. e. Mortuus eſt Haran, vivente adhuc & præſente patre ſuo Thærach. Notat ergò *ſuper faciem*, vel *coram facie*, ſecundùm Hebræos præſentiam vitæque exiſtentiam. R. D. K. in libro Radicum bifariàm hunc explicat; Primùm hoc modo, *Non erunt tibi dii alieni coram facie mea*, בעוד שאני קיים והוא לעולם i. *quamdiu ego vivo*, ſive *duro, h. e. in æternum*. *Vel* על פני *idem eſt quod* לפני i. *coram me*, אפילו בסתר לפניו הוא, i. *etiam quod in abſcondito ſit coram eo eſt*. Hactenus ille.

בכל המקום אשר אזכיר את שמי אבוא אליך וברכתיך

In quocumque loco ubi memoriam fecero nomini meo, Exod. 20. 24.

VAriatio eſt in verbo Hebraico אזכיר, in quo omnis vis hujus loci ſita eſt. Eſt autem primitiva radix hujus verbi זכר, i. *meminit*, & in tertia conjugatione activa, quæ *Hiphil* Hebræis dicitur הזכיר i. *fecit meminiſſe*, & in futuro, אזכיר *faciam meminiſſe*, ſive *faciam memoriam*, & hoc futurum in præſenti loco ponitur. Latinus ergò Vulg. interpres non ſatis expreſſit vim & energiam hujus verbi quando tranſtulit, *in omni loco in quo memoria fuerit nominis mei*, &c. Non enim conſilium Dei erat, quòd ubicunque quiſque pro ſua voluntate Deo cultum inſtitueret, ibi eum exaudire atque propitius eſſe vellet; ſed hoc potiùs innuebat, quòd ubicunque locorum ipſe coli & adorari vellet, in eo, inquam, ſi ipſum eſſent invocaturi, ſe illis adfore pollicetur. Atque hunc pulcrè expreſſit Paraph. Chaldæus, *in omni loco in quo habitare fecero majeſtatem meam*, &c. intelligit enim locum ubi erat habitaculum & arca Domini; ibi enim Deus tanquam princeps in regia ſua & palatio habitat. Unde Hebræi locum illum præſentiæ Divinæ, à *habitando* & *quieſcendo* שכינה i. *quietem* appellant: nos ferè *majeſtatem* vertere ſolemus. Hebræa veriùs quoque Lxx extulere; legunt enim, *in omni loco ubi nuncupavero nomen meum*, h. e. ubi invocari fecero nomen meum. Sed vide hunc locum quoque in Bibliis Chaldaicis.

אם בגפו יבא בגפו יצא

Si cum corpore ſuo venerit, cum corpore ſuo egrediatur, Exod. 21. 3.

SUnt qui ſugillant Vulg. interpretem, quaſi hallucinatus ſit in eo, quòd ubi alii legunt, *ſi in corpore ſuo ſit venerit* &c. ipſe legat, *cum quali veſte intraverit*, &c. Verùm illi neſciunt vocem Hebraicam גף non tam *corpus* ſive *perſonam* quàm & *alam veſtimenti* ſignificare, teſte R. D. Kimhi, q. d. *ſi in ala ſua venit*, &c. h. e. ſi ſolus venit cum ala ſui veſtimenti tantùm, &c. Et Lyranus legit *ſi in panno ſuo venit, in panno ſuo exeat*, h. e. ut ipſe quoque exponit, *ſi ſolus venit, ſive ſine uxore, ſolus exibit*. Similem locutionem dicit eſſe hanc, *in baculo meo tranſivi Jordanem iſtum*, h. e. *ſolus tranſivi*. Et hunc ſenſum expreſſit quoque Paraph. Chaldæus; ſimiliter & Lxx. Alii tamen magis placet ut גף pro *corpore* ſive *perſona* exponatur hoc modo, *ſi in ſolo corpore ſuo*, ſive *ſola perſona ſua*, venerit, *abſque uxore*, &c. Sed non eſt quòd de verbis contendamus ubi de ſenſu conſtat; ſive enim גף *Gaph* pro *corpore* ſive pro *veſte* accipias idem tamen ſenſus reſultat.

&c. אם רעה בעיני אדניה אשר לא יעדה והפדה

Si diſpliceuerit oculis Domini ſui, & non deſponderit eam, redimet eam, &c. Exod. 21. 8, 9, 10, 11.

IN quibus Lxx & Vulg. interpres diſſentiunt à veritate Hebraica facile eſt videre illorum verſiones cum illa conferenti: quia verò noſtri Commentatores verum hujus loci ſenſum non aſſecuti eſſe videntur, cujus cauſâ diſſonæ ab Hebraica veritate tranſlationes eſſe videntur, idcirco ex Hebræis obiter oſtendam quis ſit hujus loci ſenſus ſimplex & genuinus. Primùm ſic habet Textus, *Si quispiam vendideris filiam ſuam*, ſub. *paupertate aut neceſſitate aliqua coactus, non egrediatur ſicut egrediuntur ſervi*: ſervis enim ante ſeptimum annum exire non licebat: ſeptimo præterea anno ſi exire ſervus nolebat, eò quòd diligeret dominum ſuum, uſque ad annum Jubilæi poſtea ſervitute domino ſuo obſtrictus erat. Secùs verò cùm puella erat; ea enim ſemper

semper redimere sese poterat, præsertim si minorennis vendita jam nubilis esse inciperet. Quod sequitur in Textu, *si displicuerit domino suo, & non desponderit eam*, &c. noveris eâ conditione puellas Hebræas à parentibus suis venditas fuisse, ut domini qui eas emerent sibi eisdem desponsarent matrimonióque copularent; quòd si temporis successu domino displiceret, quò minùs cum ea connubia jungeret, potestatem redimendi sese illi facere cogebatur: ista autem redemptio ad hunc modum fiebat, Si puella pro sex libris empta erat, discessura à domino suo, tot de ista summa decedebant libræ quot annis servierat; quot verò anni adhuc usque ad septimum annum reliqui erant, tot libras pro redemptione sui domino numerare cogebatur. Alieno verò viro etiam Israelitæ (nam Gentibus nullo modo puellam Hebræam vendere licebat) non habebat potestatem, si videlicet displiceret ei, & ob id ipse putaret hoc sibi licere quòd prior emisset, indéque in eam nonnihil juris & potestatis haberet. Hoc tamen illi permissum erat ut filio suo eam desponsaret si ipse eam ducere nollet; eâ tamen lege ut *juxta morem filiarum Israel* cum ea ageret, h. e. ut dotem illi daret prout moris erat in Israel, nihil scilicet causans quòd serva esset emptitia, quódque filio suo eam traderet: imò si adhuc aliam superinduceret quam simpliciter filio suo matrimonio copularet, illa non propterea eò viliùs tractari debet; quin operam dare debet ut in alimento, vestitu, debito denique conjugali nihil illi decedat: quòd si tria ista non fecerit, h. e. si dominus non desponsaverit eam sibi, si non fecerit ei redimendi sese potestatem, si denique filio suo non desponsaverit eam, egredietur libera *sine argento*, h. e. nihil omnino pecuniæ tum domino suo pro sui redemptione numerare tenetur. Hactenus sensum hujus loci ex Hebraïs eruimus; jam in quibus nostræ Translationes à veritate Hebraica dissentiant quoque ostendam. Primùm variatio est ibi, *cui tradita fuit*, Hebraicè, *qui non desponsit eam*. Secundò, *dimittet eam*, Hebraicè, *faciat redimere eam*, h. e. redimendi sese potestatem illi faciet. Tertiò, *providebit puellæ nuptias, & vestimenta, & pretium pudicitiæ non negabit*, Hebraicè, *victum ejus, vestimentum ejus, & conjugale debitum ejus non imminuet*: שארה Hebræis non *nuptias* significat, ut Vulg. interpres transtulit, sed *cibum* quemvis. Dein עונתה non *pretium pudicitiæ*, sed *debitum conjugale* sive *tempus coitûs* determinatum, ut Hebræi exponunt, significat.

ויצאו ילדיה ולא יהיה אסון

Ut egrediantur nati ejus & non fuerit exitium, Exod. 21. 22.

VAriatio est in illo ולא יהיה אסון, *& non fuerit exitium*, sive *mors*, ut Chaldæus vertit. Hoc autem alii ad *fœtum* sive *abortivum* referunt, ut Lxx, hoc sensu, quòd si puer qui ex percussa matre egredietur, non fuerit perfectus & effigiatus, non sit is qui percusserit culpæ obnoxius. Alii verò ad *matrem* referunt, quòd si ipsa supervixerit & non morietur percussa, subjacebit pœnæ juxta petitionem mariti & sententiam arbitrorum. Et hanc posteriorem sententiam sequuntur Hebræi.

אם זרחה השמש עליו דמים לו שלם ישלם

Si autem sol ortus fuerit super ipsum, sanguis ei (imputabitur,) reddendo reddet (fur,) Exod. 22. 3.

LOcus iste nodum habere videtur in eo quòd ad restitutionem adigi jubetur fur occisus orto jam sole: quomodo enim restituere potest si occisus est? Nodum ergò hunc ità solvunt Hebræi, qui dicunt istam particulam, *reddendo reddet*, non cohærere cum proximè antecedente, scilicet דמים לו *sanguis ei* imputabitur, sed cum his quæ in initio capitis ponuntur, ubi de restitutione furti agitur, nempe cum illis, *quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove*. Jam dicunt subjiciendum illud, שלם ישלם, i. *restituendo restituet*. Similem locum dicunt esse hunc, qui est Psal. 51. *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm judicaris*, quæ dicunt non cohærere cum mox præcedentibus, *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*; sed cum principio Psalmi, *Miserére mei, Deus, secundùm magnam misericordiam tuam, & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam; ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me*: jam addendum dicunt, *ut justificeris in sermonibus tuis*, &c. vel dicunt cohærere posse cum illis, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum contra me est semper*, ut scilicet *justificeris in sermonibus tuis*. Verùm omnes illi videntur mihi nodum in scirpo facere: nam omnino simplex & genuinus sensus hujus loci is esse videtur, Quòd Scriptura hîc prohibet nè fur orto jam sole, h. e. clarâ die, apprehensus occidatur, sed ad restitutionem adigatur; et si non habet unde restituat, venundetur; quòd si occidetur, teneri homicidii qui illum interficeret. Et hunc sensum expresserunt quoque Lxx qui legunt, *si autem ortus fuerit sol, reus est*, scilicet occisor, *simul morietur*. Paraph. Chaldæus huc respexit, quòd orto sole potuit accersere homines & adhibere tanquam in testes, ideo transtulit, *si oculus testium ceciderit super eum*.

על כל אבדה אשר יאמר כי הוא זה

Propter omnem rem perditam, de qua quis dixerit quod apud illum sit, Exod. 22. 9.

VAriatio est in illo כי הוא זה, *quòd hoc sit*, h. e. quòd ea res sit quæ perdita est. Alii vertunt *quòd hoc sit, quia ipse est*, h. e. si dixerit testis eum esse reum, poterítque id probare coram judicibus, dabit reus duplum. Aliud secuti sunt Lxx & Vulg. Interpres.

אם טרוף יטרף יבאהו עד הטרפה לא ישלם

Si lacerando laceratum fuerit (à bestia,) adducat ille bestiam, & raptum non restituet, Exod. 22. 13.

SEptuaginta & Vulg. Interpres dissentiunt à veritate Hebraica, quòd illud יבאהו עד, *adducat ille testem*, sic intellexerunt quasi dilaniatum à bestia adducere debet in testimonium: sed quomodo adducere potuit quod bestia sine reliquiis totum asportavit? Non ergò hoc vult textus Hebraicus, sed quòd is cui commissum animal à fera discerptum est testem ejus rei adduceret. Et hunc sensum quoque habet Paraph. Chaldæus. Lxx translatio corrupta esse videtur: variant enim exemplaria. Quædam habent ἄξει αὐτὸν ὅπου τὸν θῆρα, *ducet ipsum ad prædam*, pro quo quidam fortè positum fuisse putant ἄξει πρὸς αὐλὸν τὸν θῆρα, h. e. *ducet*, aut *apportabit, ad eum prædam*. Alia exemplaria habent ἄξει αὐτὸ ὅπου τὸν θῆρα, *ducet illud ad ostium*; quod obscurum est quid sibi velit; nisi intelligas ostium judicii, h. e. publicum locum in quo judicia exercebantur; quòd scilicet ad eum locum ducere debeat in conspectum judicis. Sed alium sensum habet veritas Hebraica, ut indicavi.

אם שכיר הוא בא בשכרו

Præsertim cùm conductitium sit, & venerit pro mercede sua, Exod. 22. 15.

SEnsus hujus loci secundùm veritatem is est, Si conductitium est animal, putà equus, asinus vel quodcunque aliud animal, & casu aliquo perierit præsente domino, nihil ampliùs pro eo solvere tenetur quàm mercedem pro qua conduxit.

מכשפה לא תחיה

Maleficam non patieris vivere, Exod. 22. 18.

NOstri Interpretes sensum hujus loci non malè reddiderunt, nisi quòd pluraliter, & in masculino genere

genere extulerunt *maleficos*, quod in Hebræo singulariter & in feminino genere effertur *maleficam*. Sed frequens est in Scripturis ut id quod communius est, & plerumque accidit, intelligatur reliquis simul quoque subintellectis; id quod Hebræi sic efferunt, דבר הכתוב על הווה, *exprimit Scriptura id quod ferè exsistit*. Quia enim veneficium plerumque exercent mulieres, ideo mulierum hîc mentio fit potiùs quàm virorum, tametsi viros veneficos præceptum hoc quoque includat. Quare masculinè reddiderunt nostri Interpretes.

אם חבל תחבל שלמת רעך עד בא השמש תשיבנו לו

Si in pignus acceperis vestimentum proximi tui, in solis occasu restitues illud ei, Exod. 22. 26.

VAriatio est in illo עד בא השמש, quod ad verbum sonat *donec occidit sol*, vel *usquedum occidit sol*. Bifariàm autem intelligunt, vel ut sit sensus, Quòd si quis in pignus accipit vestimentum à proximo suo, ad occasũ solis ei restituat, quò noctu eo uti possit. Et hanc sententiam sequuntur Lxx & Vulg. Interpres, qui legunt *ante solis occasum reddes ei*. Vel quòd creditor debitori oppignoratam vestem interdum relinquere debeat, quò se tegat, præsertim cùm aliam non habeat; noctu verò rursum recipere possit usque manè: quam sententiam sequitur R. Salomo; unde sic legit, *Cùm abstuleris vestimentum proximi tui in pignus, restitues illi ipsum usque ad occasum solis, præsertim si aliud non habeat quo interdum cutem tegat. Serò verò licebit auferre usque manè, si nocte illâ non opus habuerit; sin nocte quoque loco tegumenti utatur, túmque licebit auferre.* Hæc ille. Verùm quia mox sequitur in textu, *Est enim operimentum suum unicum, est vestimentum suum pro cute sua in quo dormit*, &c. idcirco mihi magìs probatur sententia nostrorum quàm R. Salomonis. Loquitur enim disertè textus de ea veste in qua dormit.

מלאתך ודמעך לא תאחר

Plenitudinem tuam & lacrymam tuam non differes, Exod. 22. 29.

SEptuaginta & Vulg. interpres sensum potiùs quàm verba exprimere conati sunt: ad verbum enim in Hebræis sic legitur, *plenitudinem tuam & lacrymam tuam non differes*. Est autem duplex intellectus: Quidam enim per *plenitudinem* intelligunt primitias frugum, & per *lacrymam* intelligunt liquamina, h. e. vinum & oleum; q. d. Cùm imple æ fuerint fruges tuæ, sive cùm ad maturitatem pervenerint, dabis *primitias*, & deinde cùm collectæ fuerint intra domum, dabis quoque *lacrymam*, h. e. vinum & oleum in vindemia quæ messem sequitur. Et hanc sententiam habet quoque R. D. Kimhi, quam etiam nostri interpretes secuti sunt, unà cum Paraph. Chaldæo. Alii *plenitudinem* mustum dici sentiunt, sic dictum quòd magnâ copiâ à torcularibus defluere soleat, *lacrymam* verò oleum quòd guttatim defluat cùm fit in lacu. Cæteri per *lacrymam* utrumque & vinum & oleum dici sentiunt.

כי תראה חמר שנאך רבץ תחת משאו וחדלת מעזב לו עזב תעזב עמו

Si videris asinum odientis te decumbentem sub onere suo, cessabis dimittere eum, relinquendo relinques cum eo, Exod. 23. 5.

NOstri interpretes non omnia verba appendere, ut Hebraismus habet, sategerunt; sed sensum exprimere contenti fuere. Et licèt Hebræa nonnihil obscuritatis habere videntur, tamen Paraph. Chaldæus eam removet, qui luculentiùs transtulit. Et infrà Deut. 22. clariùs repetitus est hic locus. Sed placet annotare quàm diversa fit lectio hujus loci etiam apud Hebræos. Quidam sic legunt, *Si videris asinum odientis te jacentem sub onere suo, cavebis nè deseras illi*, scilicet soli onus sublevandum, *verùm sublevando sublevabis eum illo*, ut scilicet solutis undique vinculis, animal faciliùs sese erigat in pedes. Atque ità exponit hunc locum Aben Ezra. Cæterùm R. Salomo sic legit, *Si fortè videris asinum inimici tui jacentem sub onere suo, num desines juvare eum?* q. d. minimè. *Sed adjuvando adjuvabis eum*, scilicet asinum, *cum illo*, scil. inimico tuo. Ubi nota quòd verbum Hebraicum עזב *relinquere*, pro עזר i. *auxiliari* accipit. Similem adducit locum ubi verbum *Asaf* eandem habere significationem contendit, ut Neh. 3. ויעזבו ירושלים עד החומה הרחבה, *& roboraverunt Hierusalem usque ad murum latiorem*.

ושם אלהים אחרים לא תזכירו לא ישמע על פיך

Et nomen deorum alienorum non recordabimini, nec audiatur ex ore tuo, Exod. 23. 13.

VAriatio est in voce Hebraica תזכירו, quam Vulg. interpres Lat. per *jurabitis* transtulit, Lxx magis propriè *memorabitis* verterunt. Est enim sensus quòd deos allenos non tantùm non colere debeant, sed nè ullam quidem eorum mentionem facere. Atque hinc est quòd cæci & impii Judæi non legunt nec sonant nec pronunciant salvificum & verè Divinum nomen Salvatoris nostri ישוע *Jesus*, sed loco ejus per ignominiam dicunt ישו, quod impiè exponunt ימח שמו וזכרונו, *deleatur nomen ejus & memoria ejus*; digni revera qui ob hoc scelus ex libro viventium deleantur. Quòd si fortè contingat ut Judæus aliquis hoc sacrosanctum nomen *Jesus* sicut sonat per oscitantiam aut imprudentiam incautus vel legit vel pronunciat, putans se magnum admisisse peccatum, suomet ori colaphum impingit, atque ità seipsum verberat acsi expiaturus peccatum.

ולא יראו פני ריקם

Et non videbuntur facies meæ inanes, Exod. 23. 15.

HUnc locum annotare placuit propter duplicem sensum quem quidam hinc eliciunt. Prior, ut hæc consolationis loco à Deo dicta fuerit filiis Israel; q. d. Non pigeat vos toties ire Hierosolymam, mihíque festivitatem celebrare; nunquam frustrà venietis, semper aliquid gratiæ reportabitis; Ego cùm in præsentiam meam venientis, non dimittam vos vacuos; non quæretis me sine fructu; nemo me invocans repulsam patietur. Alter sensus, *Non videbuntur facies meæ vacuæ*, h. e. Non venietis vacui in conspectum meum sine muneribus, semper aliquid adferetis & offeretis ad testandam fidem vestram, animíque vestri gratitudinem. Ex mea enim benedictione habetis quibuscunque fruimini, &c. Atqui hæc posterior omnino hujus loci sententia esse videtur.

לא תבשל גדי בחלב אמו

Non coques hœdum in lacte matris suæ, Exod. 23. 19.

IN redditione verborum non est magna diversitas, tametsi Paraph. Chaldæus à reliquis interpretibus dissentiat; sed in sensu est diversitas. Quidam namque sic intelligunt, *in lacte matris suæ*, i. quamdiu sugit lac: h. e. nè offeras mihi hœdum postea coquendum ministerio Sacerdotum, nè offeras, inquam, eum dum lac matris sugit. Alii vertunt, *cum matre lactante*, q. d. Satìs tibi sit comedere hœdum, abstineas à matre; hoc enim præ se fert crudelitatem quandam. Sic præcepit pullos avium comprehendere in nido dimissâ matre. Judæi verò omnes sequuntur Paraph. Chaldæum, *non esse comedendas carnes cum lacte*. Hinc eò superstitionis venerunt ut carnes & lac in eadem olla non coquant; lac vel caseum post carnes non edant, nisi os antea abluerint; carnes & lac cum eodem cultro non scindunt, sed diversos habent. Sed de hoc vide in Annotationibus meis super Chaldaica Biblia, ubi hunc locum prolixiùs tractavi.

ואל אצילי בני ישראל לא שלח ידו ויחזו את האלהים ויאכלו וישתו

Ad principes autem filiorum Iſrael non miſit manum ſuam: viderúntque Deum, & comederunt atque biberunt, Exod. 24. 11.

HIC locus cùm à Lxx tum à Vulg. interprete admodum obſcurè verſus eſt ex veritate Hebraica: ubi enim Lxx legunt, *Et electorum Iſrael non diſſonuit neque unus*, Hebraicè eſt, *Et ad principes filiorum Iſrael non miſit manum ſuam*, h. e. Deus non læſit principes Iſrael qui illum viderant; *biberunt enim & comederunt*, --- poſtea, quod argumentum fuit non fuiſſe à Deo occiſos; cùm tamen ſcriptum ſit, *Non videbit me homo & vivet*. Eſt igitur *mittere manum ſuper aliquem* Hebraiſmus pro *ladere*, punire & damnum inferre; ſicut & Chald. Paraph. hunc Hebraiſmum expreſſit, *Principibus autem Iſrael nullum incommodum*, ſive *damnum*, fuit. Mirum ergò quid Lxx ſuâ verſione voluerint, *Et electorum Iſrael non diſſonuit neque unus*. Dein quod legunt, *Et apparuerunt in loco Dei*, &c. cùm Hebraicè ſit, *& viderunt Deum*. Sunt tamen qui per *miſſionem manûs* intelligũt afflatus Spiritûs Prophetici; quaſi ſcilicet Dominus principes Iſrael non tam largiter afflaverit ſicut ipſum Moſen, qui ex conſpectu Dei tantum confortatus ut per 40 dies & noctes nihil ederet aut biberet; illi verò conſpectâ gloriâ Dei mox rurſum *ederunt & biberunt*. Et hanc hujus Hebraiſmi expoſitionem ſecutus eſt Vulg. interpres Latinus, *Nec non ſuper eos qui procul receſſerant à filiis Iſrael miſit manum ſuam*: q. d. Non tantum Moſen afflavit, illíque gloriam ſuam oſtendit, ſed & aliquam partem gloriæ ſuæ pervenire paſſus eſt ad principes & ſeniores, qui non tam propè ut Moſes acceſſerant, ſed remotiùs ſtabant. Sed prima ſententia quam annotavimus eſt omnium ſimpliciſſima; nempe quòd iſtâ gloriæ Dei conſpectione planè nihil fuerint læſi, ſed ſummo gaudio affecti fuerunt, quod gaudium mox inſtituto convivio repræſentarunt. Paraph. tamen Chaldæus per illud, *comederunt & biberunt*, ſpirituales delitias & gaudia intelligit; quaſi ſcilicet ex iſta Divina viſione tantopere exhilarati fuerint acſi lautiſſimo aliquo convivio refecti fuiſſent. Vox Hebraica אצילי, *dominos, principes & magnates* ſignificat, deducta à verbo אצל, quod *ſeparare & ſegregare* ſignificat: hinc אצילים *principes & magiſtratus* dicti, quaſi ſeparati & ſegregati à reliqua turba hominum, q.d. egregii, ſelecti: quod ſecuti ſunt Lxx, qui *electos* verterunt. Aliam ſignificationem ſecutus eſt Vulg. interpres, qui legit *eos qui procul receſſerant*.

ועזת תחשים ועצי שטים

Et pelles Thaſorum atque ligna Sittim, Exod. 25. 5.

VAriatio eſt in voce Hebraica תחשים, quâ ſecundùm Lxx & Vulg. interpretem *hyacinthinus color* ſignificatur. Hebræi *animal* eſſe dicunt *mundum & varii coloris*, ut Paraph. Chaldæus סמגונא vertit, i. *gaudens coloribus*, vel à *ſex coloribus*, ut alii volunt; alii *violacei coloris* vertunt. Aben Ezra ſentit eſſe *animal perpingue ſimile bovi*. Alii propter incertitudinem Hebræam vocem relinquunt, ſcribentes *thaſorum* ſive *taxorum*. Sic quoq; variatur de voce שטים. Alii *cedrum*, alii *piceam*, alii *buxum* eſſe dicunt. R. D. Kimhi optimam ſpeciem Cedri eſſe ſentit. Aben Ezra circa montem Sinai creviſſe credit, fuiſſe genus ligni leve & pulcrum, unde etiam filii Iſrael tabernacula ſua confecerunt, juxta illud Num. 25. *Habitavit verò Iſrael in Sittim*. Alii ex Ægypto à filiis Iſrael hoc lignum aſportatum eſſe dicunt: ſed hoc non certum eſt. Lxx ξύλα ἄσηπτα *ligna imputribilia* ſive *incorrupta* tranſtulere.

ואבני מלאים לאפוד ולחשן

Et lapides qui includantur in Ephod & in Pectorali, Exod. 25. 7.

HUnc locum annotavi propter vocem Hebraicam חושן, quæ veſtis erat quadrata & duplicata ex ſerico, auro & pretioſis lapidibus facta, quam ſummus ſacerdos in pectore ſuo & ſuper cor ſuum portabat, in qua etiam erant ornamenta Urim & Thummim: atque hinc quidam *pectorale* vocant, Vulg. interpres *rationale* nominat; quòd hinc ſcilicet filiis Iſrael cognoſcere liceret quid factu rationabile eſſet. Et Hebraicè quidam חושן nuncupatum autumant à חוש, i. *ſentiendo, intelligendo*, quòd indè ſummus Pontifex ſentiebat & intelligebat quid reſpondendum eſſet filiis Iſrael voluntatem Domini ex iſto ornamento ſciſcitantibus. Indè חושן המשפט *pectorale judicii* appellatum fuit ſecundùm R. D. Kimhi, לפי שהיו עליו האורים והתומים שהיו מודיעים משפט האדם כשהיו שואלים פהם, *eò quòd erat ſuper Urim & Thummim quæ indicabunt judicia hominum per illa interrogantium*. Lxx non bene vertiſſe videntur per τὸν ποδήρη, quod *talarem* ad talos uſque pertigentem ſignificat, cùm brevis & quadrata veſtis fuerit, quæ pectus Sacerdotis tantùm contegebat.

ועשית כפורת זהב טהור

Facies quoque propitiatorium de auro mundo, Exod. 25. 17.

VAriationis nonnihil eſt in voce Hebraica כפורת, quæ propriè *tegmen, coopertorium, operimentum, velamen & velum* ſignificat; erátque tabula quæ ſuperponebatur Arcæ. Vox deducta eſt à verbo כפר, quod *tegere, velare & cooperire* ſignificat, quod verbi μεταφορικῶς pro *tegere peccata*, i. expiare, placare & propitiare accipitur. Atque hinc eſt quòd Lxx & Vulg. interpres כפרת per *propitiatorium* magis quàm per *coopertorium* tranſferunt, rationem potiùs habentes verbi metaphoricè ſumpti quàm ipſius rei. Vulg. interpres aliquando *oraculum* vertit, ab eventu, quòd ibi oracula Dei reſonabant.

ועשית שנים כרובים זהב מקשה תעשה אתם

Facies etiam duos Cherubim aureos, integro opere facies eos, Exod. 25. 18.

VAriatio eſt in מקשה, quam alii pro *opere ductili* accipiunt, cùm ſcilicet aurum attenuando in longum quodammodo diducitur; quem ſenſum noſtri ferè interprètes ſequuntur, quibus adſtipulatur & Paraph. Chaldæus cum ſua verſione: נגיד enim *tractum* ſive *protractum* ſignificat, quia percuſſione mallei trahebant aut protrahebant membra ſive partes has & illas. Alii vocem Hebraicam מקשה pro *opere integro & ſolido* accipiunt, ut ſcilicet tam operculum quàm Cherubim fuerint corpus unum abſque ulla compoſitione factum. Idem ſentiendum dicunt de Candelabro.

ועשית לו זר זהב סביב ועשית לו מסגרת טפח סביב ועשית זר זהב למסגרתו סביב

Faciésq; ei coronam auream per circuitum, ſed & clauſuram facies ei palmarem per circuitum, & facies coronam auream clauſulæ illi per circuitum, Exod. 25. 24. 25.

LXX & Vulg. interpres hunc locum obſcurè verterunt: quod enim Lxx *vertibiles undulas*, & iſte *labium* vertit, Hebraicè eſt זר, i. *corona*; quódque illi *coronam pugilis*, & iſte *coronam interraſilem* reddidit, Hebraicè eſt מסגרת *clauſura*. Eſt autem hic ſenſus, quòd ſuper menſam coronam ſive ſertum quoddam quod tabulam menſæ ambiret facere debebat, & infra tabulam alium ambitum, veluti fimbriam quandam, quam Hebraiſmus *clauſuram* appellat. Et ſub illa in quatuor pedibus menſæ erunt quatuor circuli.

ועשית קערתיו וכפתיו וקשותיו ומנקיתיו אשר יסך בהן

Facies quoque scutellas ejus & cochlearia ejus, dimidiatas fistulas ejus, & cyathos ejus quibus libabitur, Ex. 25. 29.

VAriatio est in nominibus vasorum: ex Hebraica tamen veritate ità licet dignoscere, ut קערות sint *scutellæ magnæ & amplæ*, unde fortè est quòd in Germania in quibusdam locis amplior patina Kaar nominatur. Et Lxx *catinos* verterunt. כפורת sunt *cochlearia*, sic dicta quòd formam manûs concavæ habent: כף enim Hebræis *volam manûs* significat: in illis aromata offerebantur. Lxx *mortariola* reddiderunt, quasi fuerint vasa in quibus aromata conterebantur. Vulg. editio *phialas* habet, nec desunt qui *scyphos* exponunt. קשות alii *crateres* sive *opercula* esse volunt quibus thus tegebatur, & מנקיות quibus panes propositionum tegebantur, sic dicta à *mundando*, ut conservarent panes nè fierent immundi. Incertus tamen est ordo vasorum istorum, an *Reschoth* thuris, & *Menakioth* panum propositionis opercula fuerint, vel è contrà. Quidam enim sentiunt *Reschoth* fuisse calamos vacuos quos ponebant in summitate uniuscujusque panis ut ingrederetur ventus sive aer in ipsos panes nè immundi efficerentur, erántque veluti operimentum ipsis panibus. R. Salomo, & post illum R. D. Kimhi, *Reschioth* pro *dimidiatis fistulis* exponunt, quarum officium erat sustentare panes propositionum, & conservare eos à putrefactione; & quia longè erant mensam excedentes, consurgebant è terra *Menakioth* quæ erant quasi ferculæ quædam & fulcra quæ dictas fistulas sustinebant. Alii tamen pro *vasis libatoriis* exponunt, quam sententiam sequuntur Lxx, & *lib toria* & *cyathos* verterunt; quam sententiam roborare magis videtur quod mox consequitur in Textu, *quibus libabitur*. Etiamsi quidam Hebræorum verbum יסך non à נסך, quod *libare* significat, deducunt, sed à סכך, quod *tegere* & *cooperire* significat, q. d. quibus contegatur sive thus sive panis propositionis.

ונתת על השלחן לחם פנים לפני תמיד

Et pones super mensam panes facierum coram me semper, Exod. 25. 30.

VAriatio est in illo לחם פנים, quod alii *panes facierum*, alii *panes propositionis* vertunt. Cur autem sic dicti sint isti panes diversæ sunt sententiæ. Nonnulli Hebræorũ *panem facierum* appellatum sentiunt, quòd quatuor angulis esset expressus; quos illi *facies* vocant. Alii aliter exponunt. Nam cùm Hebraicè פנים *faciem* significet, non solùm autem ipsam humanam, faciem sed & omnem præsentiam & assistentiam & anteriorem partem, propterea appellari *panes facierum* existimant, h. e. panes assistentiæ, panes propositos, qui semper coram Deo reperiuntur; quod certè videtur esse certissimum. Mox enim ubi dixisset *panem facierum*, intulit לפני *coram me*, vel *faciei meæ* vel *præsentiæ meæ*: atque indè videntur appellari, quòd semper coram Domino starent positi. Hoc idem sentiunt & Lxx, qui hos panes appellarunt ἐνωπίους, quasi dixeris *præsentes* sive *expositos*.

ונתת אל חשן המשפט את האורים ואת התומים והיו על לב אהרון

Pones quoque in pectorali judicii Urim & Thummim, eruntque super cor Aharon, Exod. 28. 30.

VAriatio est in vocibus Hebraicis *Urim* & *Thummim*, quas Chaldæus Paraph. integras reliquit: significant autem istæ voces Hebræis propriè *illuminationes* & *perfectiones*. Quid autem sit *Urim & Thummim* quidam Hebræorum ingenuè fatentur se ignorare. R. Salomo, & ante illum alii dicunt fuisse scripturam quandam juxta pectorale quæ complectebatur nomen Dei Tetragrammaton יהוה *Jehova*, sive *Adonai*. Alii gemmas esse dicunt quibus nomina filiorum Israel inscripta erant. Dicunt præterea quidam Hebræorum fuisse opus artificiosum, non ab ipso Mose factum, sed illi à Deo in monte Sinai traditum; ideóque in textu non dici ad Mosen *facias Urim & Thummim*, sicut de aliis rebus dicitur, sed *ponesve dabis, Urim & Thummim*, &c. tanquam aliquid quod acceperat à Deo. Cæterùm quòd Lxx verterunt *manifestationem & veritatem*, Vulg. Interpres *doctrinam & veritatem*, ad Mysterium quod istâ re significatum & adumbratum fuit respexerunt; nempe ut admoneretur Summus sacerdos oportere eum esse summâ doctrinâ præditum, qui *lumen* & *illuminatio* sæpe in Scripturis dicitur, & mox summâ integritate. Locum hunc copiosissimè tractavi in Annotationibus super Chaldaica Biblia, ad quæ te remitto.

בר בבר יהיה

In æquali pondere erunt, Exod. 30. 34.

VOx Hebraica בר, quia æquivoca ad multa significata, ideo diverso modo hic ab interpretibus accipitur. Primò, quia בר idem significare potest quod לבד vel בדד, i. *solum*. Idcirco quidam sic legunt *solum cum solo erit*, h. e. singula seorsim in pulverem contundentur; sicut exponit R. D. Kimhi; vel ut alii accipiunt, singula seorsim pondera sua habebunt. Alii בר pro *æqualite* interpretantur, quam lectionem secuti sunt Lxx, *æquale æquali erit*. Alii *pondus* exponunt, & legunt, *pondus in pondere erit*, sicut Paraph. Chaldæus transtulit; i. pondus istius erit sicut pondus hujus, h. e. æqualis ponderis erunt: quam sententiam Vulg. interpres Lat. expressit, quæ & mihi probatur, & videtur hujus loci esse genuina. Eundem Hebraismum & suprà habes cap. 27. ubi de spatio atrii sic loquitur Scriptura, *longitudo atrii erit centum cubitorum, & latitudo quinquaginta in quinquaginta*, i. latitudo erit per omnia æqualis in utroque latere.

וירא העם כי בשש משה לרדת מן ההר

Et videns populus quòd moram faceret Moses descendendi de monte, Exod. 32. 1.

VOx Hebraica בשש propriè *confusionem* significat, q. d. *videns autem populus quòd confusionem faceret Moses*. Hæc autem confusio erat, quòd populus destitutus erat duce & gubernatore. Tum enim maximè confunditur populus, quando non habet rectorem & gubernatorem. Hebræorum interpretes communiter per *tardare* & *moram facere* exponunt, quos & nostri secuti sunt interpretes.

ויצר אותו בחרט ויעשהו עגל מסכה

Figuravit illud (aurum) stylo, & fecit ex ipso vitulum conflatilem, Exod. 32. 4.

VAriatio est in illo, ויצר אתו בחרט *formavit illud*, scil. aurum, *cum stylo*; h. e. conflarunt totum aurum in fornace per ignem in totam massam, & eam rudem materiam scalpello postea formarunt, expresserúntque vituli imaginem, quod fit ab his qui sigilla & aurea vasa exsculpunt. Et R. Salomo scribit חרט *instrumentum est artificum deaurantium, quo deaurant & exsculpunt, sicut scribunt literas in tabulis*, scalpellum scilicet innuendo. Et hunc sensum expresserunt Lxx & Paraph. Chaldæus. Vulg. interpres aliud spectavit, qui vertit, *formavit opere fusorio*: quasi scilicet formula quædam seu typus fuerit, in quem projiceret Aaron aurum, quod fusum expresserit vituli similitudinem: cui sententiæ adstipulantur & quidam Hebræorum, qui sentiunt aurum in ignem conjectum, ibi suâ sponte mox in imaginem vituli coaluisse; quod factum dicitur magicâ arte ariolorum Ægyptiacorum quæ inter

inter filios Israel erant. Et ad confirmandam istam sententiam citant, quod postea ab Aarone ad Mosen dicitur, *& projeci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus.* Unde colligunt quasi è seipso vitulus iste ex igne prodiret. Potest quoque & locus iste sic intelligi, quasi Aaron vituli imaginem priùs stylo depinxerit ac figuraverit, quàm formam ubi populo non displicere sensit, postea igne fundendo aurum expressit. Sed prima sententia videtur omnium simplicissima.

וישב העם לאכל ושתו ויקמו לצחק

Sedítque populus ut manducaret & biberet, & surrexerunt ut luderent, Exod. 32. 6.

HUnc locum adduxi propter verbum Hebraicum לצחק, quod licèt Interpretes communiter omnes per *ludere* exponunt, tamen quis fuerit iste ludus variant inter se Hebræi: quidam enim ad idololatriam referunt, alii ad scortationem, alii ad sanguinis effusionem, eò quòd illud verbum צחק ad omnia ista alicubi in Scriptura refertur. Sentiunt ergò omnia ista mala simul designasse, vitulum adoravisse, scortatos fuisse & sanguinem fudisse, occidendo scilicet hunc qui eos ab idololatria revocare conatus fuerit. Sic tenet Judæorum opinio, tametsi textus hoc non exprimat. Alii verò referunt ad choreas, cantilenas, & ad alias res ludicras, quas exercuerunt: atque hæc videtur omnino genuina hujus loci esse sententia. Nam & postea dicitur, *& audiens Jehova vocem jubilantis, dixit*, &c. *Et respondit, Non est vox fortium præliantium in bello*, &c. *vocem ludentium ego audio.* Et verbum etiam Chaldaicum חייך *ridere, jocari* & *ludere* significat.

ושני לחת העדות בידו לחת כתבים משני עבריהם מזה ומזה

Erántque duæ tabulæ testimonii in manu ejus, & fuerunt tabulæ illæ scriptæ in duabus superficiebus suis hinc & hinc, Exod. 32. 15.

QUod versionem attinet omnia pulcrè correspondent; sed quod sensum attinet dissensio est. Nostri enim commentatores sic intelligunt quasi istæ tabulæ in una tantùm parte, h. e. in superficie intrinseca, scriptæ fuerint, & quòd altera tabula tria tantùm præcepta habuerit, altera verò septem. Verùm Hebræi sentiunt, nempe in utraque superficie tabularum scripturam fuisse, & utramque tabulam quina præcepta habuisse. Sed de hac re vide Chaldaica Biblia mea, ubi copiosiùs hunc locum tractavi. Mihi probatur sententia Hebræorum: videtur enim magìs concordare cum Textu.

אין קול ענית גבורה ואין קול ענות חלושה קול ענות אנכי שמע

Non est vox quæ resonet fortitudinem, nec est vox quæ resonet debilitatem, sed vocem cantantium ego audio, Exod. 32. 18.

INterpretes sensum potiùs quàm verba ex Hebræo reddere contenti fuerunt. Nam Hebraicè ad verbum legitur, *Non est vox respondentium*, sive *clamantium*, aut *vociferantium*, *fortitudinem*; *neque vox est clamantium debilitatem*; *vocem cantantium ego audio*: h. e. ut R. D. Kimhi exponit, Non est clamor eorum qui vincunt in prælio, neque clamor eorum qui vincuntur; sed vocem cantantium ego audio. Atque hunc etiam sensum expressit Paraph. Chaldæus.

וירא משה את העם כי פרע הוא כי פרעה אהרן לשמצה בקמיהם

Vidit ergò Moses populum, quòd denudatus esset, quódque denudasset eum Aaron in ignominiam inter hostes eorum, Exod. 32. 25.

VAriatio est in voce פרע, quæ propriè *denudationem* significat, sicut & Vulg. interpres transtulit: referunt autem *denudationem* ad duo; vel quòd denudata & deleta esset malitia populi ipsius ad ignominiam ejus apud adversarios; (Erat enim magnum dedecus & magna confusio Israelitis coram hominibus ut deserto Deo cœli, qui tot & tanta miracula fecerat in oculis eorum & pro utilitate eorum, eligerent alium Deum) vel ad denudationem ornamentorum quibus sese spoliaverant ut indè conflaretur vitulus. Denudavit igitur Aaron populum illum, primùm, quòd innotescere fecerat universo mundo qualem haberent animum, cùm illis fabricavit vitulum; dein denudavit eum ornamentis suis aureis. Lxx suâ versione ad sensum magìs quàm ad verba respexerunt, ὅτι διεσκέδασται *quòd dispersus erat*; h. e. quòd ubique diffamatus erat, & malè audiret, ludibrióque esset hostibus suis.

ולא שתו איש עדיו עליו

Nec posuit ullus ornamentum suum supra se, Ex. 33. 4.

VAriatio est in voce Hebraica עדיו, quam alii ad ornatum vestium referunt, quasi scil. filii Israel suâ sponte deposuerint vestes cultiores atque induerint vestes lugubres, in signum animi verè dolentis ac resipiscentis de admisso peccato. Atque hunc sensum secutus est & Vulg. interpres. Lxx planè omiserunt: legunt enim tantùm κατεπλύνοντο ἐν τοῖς ἄδοις, *luxerunt in luctibus.* Alii ad ornatum armorum retulere, nempe Paraph. Chaldæus, ut scilicet his denudati in quemcunq; hostilem impetum præcipites ferantur, non formidantes etiam mortem, modò crimen perfidiæ diluant. Alii aliud quiddam intelligunt, de quo vide Biblia mea Chaldaica, ubi copiosiùs hunc locum tractavi.

רגע אחד אעלה בקרבך וכליתיך

Uno momento ascendam in medium tui, & perdam te, Exod. 33. 5.

HUnc locum annotare libuit, maximè propter Lxx, qui planè aliam à veritate Hebraica sententiam habent. Videntur autem illi pro רגע, quod *momentum* significat, נגע, i. *plagam* legisse, & pro אחד, i. *unum*, אחר, i. *aliud* legisse decepti literarum similitudine; & quod mox sequitur, *Jam nunc depone ornatum tuum*, &c. illi legunt, *Nunc igitur deponite vestes gloriarum vestrarum & ornatum*, &c. Et rursum, *deposuerunt ergò filii Israel ornatum suum à monte Oreb*, illi legunt, *Et deposuerunt filii Israel ornatum suum & vestem à monte Oreb.*

הודיעני נא את דרכך

Ostende mihi quæso viam tuam, Exod. 33. 13.

HAllucinati sunt Lxx & Vulg. interpres, quòd pro *viam tuam* transtulerunt *faciem tuam*, sive *teipsum.* Non enim postulat Moses videre faciem Dei, aut substantiam illius, sed ut ostenderet viam quâ iturí essent, nè in aliquem miserabilem errorem inciderent.

אני אעביר כל טובי על פניך וקראתי בשם יהוה לפניך

Ego transire faciam omne bonum meum in conspectu tuo, & vocabo in nomine Domini coram te, Exod.33.19.

NEC Lxx nec Vulg.editio veritatem satis expresserunt; est enim sensus, *Ego transire faciam omne bonum meum*, id est,ostendam tibi vestigia aliqua bonorum meorum quæ infinita sunt: h. e. tantùm ostendam tibi de bonis meis quantum mens humana capere & cognoscere potest. *Et vocabo in nomine Domini coram te*, &c. i. vocabo sive clamabo coram te nominatim, Dominus est qui præterit, idque faciam pro misericordia mea quâ utor erga eos qui mihi placent. Alii tamen sic intelligunt, q. d. *Clamabo etiam, Ego miserebor cui miserebor.*

ויקרא בשם יהוה

Vocavítque in nomine Domini, Exod. 34. 5.

HAllucinatus est Latinus interpres, qui sic transtulit quasi Moses invocaverit nomen Domini, cùm hoc ipsum referendum sit ad Deum, qui scilicet clamavit nominatim, *Dominus est*, h. e. clamavit Dominus ad Mosen, altâ voce enunciavit ei hanc vocem *Dominus est*, & cap. præcedenti dixerat *vocabo in nomine Domini coram te*, sic nomen suum magnificum exprimens, hîc dicit, *Dominus est*. Omnia autem quæ sequuntur Dei sunt verba non Moysis: ut enim suprà dixerat, *clamabo* nominatim, *Dominus est, miserebor*, &c. ità & hîc idem dicit *Deus misericors*, quem tu rogasti pro populo. Ambigua est versio Septuaginta: potest enim ad utrum referre. Quòd scilicet Deus vocaverit, vel ipse Moses.

ונקה לא ינקה

Et nocentem innocentem non facies, Exod.34. 7.

HIC locus diverso modo tum à nostris tum ab Hebræis interpretibus redditur & intelligitur. Occasio diversitatis fuit, quòd Hebræa concisè admodum efferuntur. Hebræi bifariàm ferè explicant. Primùm hoc modo, לא ינקה את האדם מן העון מכל וכל עף על פי שהוא נושא עון אלא יעניש את האדם מעט כדי ליסרו ולהשיבו לדרך טובה, i. *non absolvit hominem ab iniquitate in universum tametsi remittat iniquitatem. Sed punit hominem paululùm ut castiget eum, ac reducat eum in viam bonam.* Secundò hoc modo, מנקה הוא לשבים ואינו מנקה לשאינו שבים, i. *absolvit eos qui convertuntur*,&c. Atqui hanc sententiam secutus est Paraph. Chaldæus, & ante illum veteres Hebræi: & hi priorem particulam referunt ad absolutionem, alteram verò ad condemnationem. Alii ex Hebræo sic reddunt, *& absolvendo non absolvit*, i. nocentem non pronunciat innocentem sed punit. Atqui hunc sensum expresserunt Lxx. Sed Vulg. interpres propiùs accessisse videtur, quod sensum attinet, ad veritatem Hebraicam, qui sic transtulit, *Nullúsque apud te per se innocens est.* Omnino enim hoc Hebraismus velle videtur, ונקה לא ינקה, i. *& mundando non mundabit*, q. d. neminem per se pro mundo & innocente habet, sed quos mundat, absolvit & justificat, ex sola sua gratia & misericordia justificat. Est ergò נקה infinitivus *mundare, purificare, absolvere, innocentem facere*, non nomen. Tametsi rarò infinitivus Hebræis nominaliter capiatur; quod fortè respexerunt qui נקה nominaliter verterunt. Porrò repititio verbi emphasim & auxesim habet. Sunt enim frequentes hujusmodi repetitiones in Hebræo. Idem Hebraismus exstat Jer. 30. ubi Dominus per Prophetam sic loquitur ad populum suum, כי אתך אני נאם יהוה להושיעך כי אעשה כלה בכל הגוים אשר הפיצותיך שם אך אותך לא אעשה כלה ויסרתיך למשפט ונקה לא אנקך *Quoniam ego tecum sum, dicit Dominus, ut salvem te, quoniam faciam consummationem in omnibus gentibus ad quas dispersi te; verumtamen te non faciam in consummationem, sed castigabo te in judicio & innocentando innocentabo te:* h. e. non planè te pro innocente habebo, sed castigabo te, tolerabiliter tamen.

ששת ימים תעבד וביום השביעי תשבות בחריש ובקציר

Sex diebus operaberis, & in die septimo quiesces, tam ab agricultura quàm à messe quiesces, Exod.34.21.

NOstri interpretes hunc locum ferè sic intellexisse videntur, quasi præcipiat die Sabbati ab arando & metendo abstinendum, & sic ab omnibus aliis operibus, ut sit denominatio à principaliori: si tamen ab eo opere, quod tamen necessitas vitæ maximè requirere videtur, abstinendum est, quantò magìs ab aliis? Verùm Hebræa hoc maximè innuere videntur, non tantùm istis temporibus, quo non multùm laboris & operis est observandum esse diem Sabbati, sed & istis temporibus quo necessitas & utilitas maximè labores hominum requirere videtur, ut est tempus arationis, sementis & messis: q. d. etiam tempore quo arandum, seminandum, & quo segetes demetendæ sunt, volo diligenter omnia observari sabbata mea, tametsi vos alia docet privata utilitas vel arandi vel segetes demetendi. Atque hunc sensum ex Chaldæo vertit Autor Complutensis editionis, qui legit, *in seminationis tempore & messis quiesces.*

ומשה לא ידע כי קרן עור פניו בדברו אתו

Et Moses nesciebat quòd in modum Cornu radiaret cutis faciei suæ, dum ipse loqueretur coram eo, Exod. 34.29.

VUlgatus Interpres Latinus hallucinatus est in voce Hebraica קָרַן, quæ cùm ambigua est ad *cornu*, quod significat קֶרֶן, & ad *radiare, splendere, fulgere*, & *in modum cornu radios emittere.* Cùm enim homo intentè solem aut lucidum aliquid intuetur, inquit R.D.Kimhi, jam videtur illi quodammodo radios קַרְנַיִם istos emittere: ille pro *cornutum esse* reddidit, quasi verbum *karan* quod hic ponitur deductum sic à nomine קֶרֶן, cùm *radiare* & *splendere* hîc potiùs significet. Non est ergò putandum quasi cornua ex facie Mosis egressa fuerint, sed quòd frons, nasus, os & mentum radiaverunt. Rectiùs ergò transtulerunt Lxx per *glorificatus fuerat aspectus cutis faciei sua*, &c. Et in officio transfigurationis Salvatoris canitur, *Glorificata est facies Moysi*, quod ex editione Lxx sumptum est, quæ olim apud Ecclesias in usu fuit antequam Vulgata illa editio recepta fuit, quæ Hieronymi esse dicitur. Ex versione error ille natus esse videtur, quòd Moses in templis nostris cornutâ facie depingitur. Quòd autem verbum Hebraicum קָרַן non *cornutum esse* sed *radiare* sive *splendere* significat,etiam colligitur ex verbis Apostoli, qui 2 Cor. 4. ad præsentem locum alludens sic inquit, *Quòd si administratio mortis in literis deformata in saxu fuit in gloria, adeò ut non possent oculos intendere filii Israel in faciem Moysi propter gloriam vultûs ejus quæ aboletur, cur non potiùs administratio vitæ in gloria?*

והשיב משה את המסוה על פניו עד באו לדבר אתו

Et reduxit Moses velamen super faciem suam donec ingrederetur ad loquendum cum eo, Exod. 34. 35.

HAllucinatus est interpres Vulg. quòd istud *donec ingrederetur ad loquendum cum eo*, transtulit, *si quando loquebatur ad eos.* Est enim sensus hujus loci, quòd Moses obvelaverit faciem suam quando loquebatur populo; rursùm verò amoverit velamen quando ingressus est Tabernaculum ut loqueretur cum Deo: quòd indignum esset loqui cum Rege facie coopertâ, ut inquiunt Hebræi.

MELLIFICIUM HEBRAICUM, SEU OBSERVATIONES DIVERSIMODÆ EX HEBRÆORUM, præsertim antiquiorum, monumentis desumptæ, unde plurima cùm Veteris, tum Novi Testamenti loca vel explicantur, vel illustrantur, & alia multa notatu non indigna in lucem proferuntur.

Autore CHRISTOPHORO CARTWRIGHTO.

LECTORI S.

CHristophorus Cartwrightus Eboracensis quo judicio fuerit, quâ peritiâ, in scriptis Hebræorum ad Sacrarum literarum interpretationem adhibendis & accommodandis, ex editis ejus in Genesin & Exodum Annotationibus Lectori constare potest. In eo quod hîc edimus opere, quas recitat Magistrorum sententias, quibus illustrandis Scripturæ locis serviant, intento quasi digito demonstrare contentus, rem studiosis Scripturarum gratissimam instituit. Quod cùm haud diu ante obitum Londinum ad amicos misisset, ut oblatâ commoditate ederetur, visum est hujus Syntagmatis instituto ità congruere, ut opportuniùs alibi edi non posset. Neque enim vel viri de Sacris literis bene merendi studiosi laboribus melius consuli potuit, quàm si inter eos quibus idem institutum fuerat reponerentur; neque studiosorum commoditati, quàm si hîc legerentur, quæ alibi non exstarent.

CHRISTOPH. CARTWRIGHTI MELLIFICIUM HEBRAICUM.

LIBER I.

CAP. I. *In quo loca quædam Geneseos enarrantur.*

GEN. 2. 17.

QUO *die comederis ex ea, moriendo morieris*] Jachiades in Dan. 7. 25. hæc habet; אלף שנים הם עת א' ויום א' לפני ה' וכאומרן אלף שנים בעיניך כיום אתמול ואח"ו כי ביום אכלך ממנו מות תמות שהוא יומשל הק"בה ולכן לא השלים יומו אדם הראשון כי חסרו מימו ע' שנה, *Mille anni sunt tempus unum, & dies unus coram Deo sancto benedicto; quemadmodum ait,* (Psal. 94.) *Nam mille anni in oculis tuis sunt ut dies hesternus. Et Sapientes nostri b. m. dixerunt,* illud (Gen. 2. 17.) *Quo die comederis ex ea, moriendo morieris, de die Dei sancti benedicti esse intelligendum: atque ideo primum hominem non compleviſſe diem suum;* (i. ad mille annos non perveniſſe) *diei enim ejus* (i. mille annis, quibus victurus erat) *70 annos defuisse.*

Gen. 3. 14. *Et dixit Dominus serpenti, Quia feciſti hoc,* &c.] In Bereshith Rabba sect. 20. observant Deum aliter cum serpente quàm cum Adamo & Eva egisse: עם אדם נשא ונתן עם חוה נשא ונתן ועם נחש לא נשא ונתן אלא אמר הק"בה נחש זה רשע בעל תשובות ואם אני אומר לו עכשיו הוא אומר לי אותה צויתי אותם ואני צויתי אותם מפני מה הניחו צויך והלכו לדם אחרי צווי אלא קפץ עליו ופסק לו את דינו, *Cum Adamo* (Deus) *disceptavit, & cum Eva disceptavit; sed cum serpente non disceptavit. Dixit enim Deus ſ. b. Serpens iſte improbus eſt reſponſator: etſi ego eum examinavero,* (ad verb. *ſi ego ei dixero,* nempe quare sic feciſti?) *ſtatim mihi dicet, Tu mandatum eis dediſti, & ego eis mandatum dedi: quare reliquerunt mandatum tuum, & ſecuti ſunt mandatum meum? Sed* (omissâ omni disceptatione) *protinus de eo ſententiam tulit:*

Gen. 4. 7. לפתח חטאת רובץ *ad ostium peccatum cubat*] חטאת *peccatum* est fem. generis, רובץ autem *cubat*, est masc. hinc in Bereshith Rabba sect. 22. arguta est observatio; חטאת רובצת אין כתיב כאן אלא חטאת רובץ בתחלה הוא חש כנקבה ואחר כך הוא מתגבר כזכר, *Non scribitur hîc, Chataath robetseth (peccatum cubat*, in fem.) *sed Chataath robets, (peccatum cubat*, in masc.) *In principio infirmum est* (peccatum) *sicut femina; sed postea ut masculus invalescit.*

Gen. 4. 19. *Lamech autem accepit sibi duas uxores*] In Bereshith Rabba sect. 23. R. Azariah nomine R. Judæ filii Simonis dixisse fertur, כך היו אנשי דור המבול עושים היה אחד מהם לוקח לו שתים אחת לפריה ורביה ואחת לתשמיש וו שהיתה לפריה ורביה היתה כאלו אלמנה בחייה וו שהיתה לתשמיש היה משקה כוס של עיקרים שלא תלד והוחדה יושבת אצלו מקושטת כוונה, *Sic illi qui Diluvii seculo erant facere solebant: unus ex eis duas sibi sumpsit uxores; unam ad procreandam sobolem & alteram ad coitum*, (ad explendam duntaxat libidinem.) *Quæ procreandi causâ adhibita erat, sedebat quasi vidua quamdiu vixit; quæ autem coitûs gratiâ assumebatur, poculum quoddam sibi datum habuit, quo epoto sterilis facta est, & juxta virum tanquam meretrix ornata sedebat.* Deinde citatur illud Jobi 24. 21. *Affligit* (vel, juxta istum Hebræorum sensum, *Pascit*, רועה) *sterilem, quæ non parit*, &c. quasi ad consuetudinem istam ibi allusum esset. R. S. ad istum Jobi locum eadem penè habet cum eis quæ ex Bereshith Rabba sunt citata, atque indè proculdubio ista desumpsit, etiamsi Mercerus dicat ex Talmudicis ea citasse.

Gen. 4. 26. או הוחל לקרוא בשם ה' *Tunc* (scilicet in diebus Enosh) *cœptum est invocare nomen Domini*] Verba ista variè ab Hebræis exponi, ante plures annos ad locum annotavi: nunc pauca quæ inter legendum sese obtulerunt addam. In Midras Tillim ad Psal. 1. 1. אשרי האיש וגו' *Beatus vir*, &c. מדבר בנח איש צדיק שלא הלך בעצת שלשה דורות דור אנוש ודור המבול ודור הפלגה על דעתיה דר' יהודה ראמר בעצת רשעי וה דור אנוש וברדך חטאים וה דור המבול ובמושב לצים וה דור הפלגה שהיו כולם ליצנים, *Loquitur de Noa viro sancto, qui non ambulavit in consilio trium seculorum; juxta nimirum sententiam R. Jehudæ, qui dixit, IN CONSILIO IMPIORUM, istud est seculum Enosh; & IN VIA PECCATORUM, istud est seculum Diluvii; & IN CATHEDRA DERISORUM, id est, seculum Divisionis*, (cùm homines in varias linguas erant divisi) *cùm omnes essent derisores.* Sic passim in antiquis Hebræorum Comment. דור אנוש *Seculum Enosh* tanquam impium memoratur: unde apparet, eos verba Geneseos, quæ jam præ manibus habemus, ità intellexisse ac si sensus esset, tunc cùm natus est Enosh, homines profanasse (uti verbum הוחל à nonnullis exponitur) nomen Domini, invocando nomen ejus super creaturas, h. e. creaturis nomen ac gloriam ejus tribuisse: vel, quod eodèm redit, homines cœpisse invocare nomen Domini, scilicet super creaturas. Abrabaneel in Perush Hattorah fol. 37. col. 4. ait, פי' חול" הוחל מלשון חולין שהתחילו לקרא שמות בני אדם ואת שמות העצבים בשמו של הק"בה לעשותם אע" ולקראן אלוהות, *Sapientes nostri b. m. exposuerunt* הוחל huchal *à voce Cholin*, i. *Profana: homines nempe tunc cœpisse appellare filios hominum, & herbas*, (in Abrabaneele mendosè legitur עצבים *idola*, pro עשבים *herbas*, uti est in R. Salomone cujus singula verba hîc recitat Abrabaneel) *nomine Dei sancti benedicti, ut idola ex eis constituerent, & divinitatem eis affingerent.* Ipse quidem Abrabaneel expositionem Aben Ezræ simpliciorem magisque genuinam putat, nec me sanè repugnantem habet; nempe sensum esse, שבימים ההלו בני אדם להזכיר את יוצרן ולכוין מעשיהם ותפלותיהם לשמו, *Quòd in diebus illis cœperunt filii hominum commemorare Creatorem suum, & ad nomen* (seu *gloriam*) *ejus opera ac orationes suas dirigere.*

Gen. 6. 8. *Noah autem invenit gratiam in oculis Domini*] Pulcrè observatur in Bereshith Rabba sect. 29. אפילו נח שנשתייר מהן לא היה כראי אלא שמצא חן בעיני יי', *Etiam Noab, qui ex eis relictus est, non erat ut oportuit*, (non usquequaque perfectus, & à peccato immunis) *nisi quòd invenit gratiam in oculis Domini.*

Gen. 6. 9. *Noah fuit justus, & perfectus in generatione sua*] R. Juda (uti est in Bereshith Rabba sect. 30.) dixit, בדורותיו היה צדיק הא אלו היה בדורו של משה או בדורו של שמואל לא היה צדיק, *In generatione sua* (vel *generationibus suis*) *fuit justus: sed si fuisset in generatione Mosis, vel in generatione Samuelis, non fuisset justus:* quasi scilicet comparatè ad homines sui seculi justus esset, non autem comparatè ad homines istius seculi in quo vel Moses vel Samuel vixit. Sed multò rectiùs R. Nehemiah, (ut istic sequitur) ומה אם בדורותיו היה אלו היה בדורן של משה או בדורו של שמואל על אחת כמה וכמה, *Si in generationibus suis fuit* (justus,) *si fuisset in generatione Mosis, vel in generatione Samuelis, quantò magis* fuisset justus?

Gen. 6. 16. צוהר תעשה לתיבה *Fenestram facies arcæ*] In Bereshith Rabba sect. 31. tradunt R. Abbam vocem צוהר interpretari חלון i. *fenestram*; R. Levi autem מרגולית *margaritam*; & R. Phinea in nomine R. Levi dixisse, כל יב" חודש שהיה נח בתיבה לא צריך לו לאור החמה בים ולא לאור הלבנה בלילה אלא קרגלית היתה לו והיה תולה אותה ובשעה שהיא כהה היה יודע שהוא יום ובשעה שהיתה מבהקת היה יודע שהוא לילה, *Totis duodecim mensibus quibus Noah erat in arca, non opus ei erat vel luce Solis interdiu, vel luce Lunæ noctu; sed erat ei margarita, quam suspendebat: & cùm caligabat, novit esse diem; cùm autem splendebat, novit esse noctem.*

Gen. 19. 14. *Et locutus est ad generos suos*, &c.] Veteres Hebræi (ut patet ex Bereshith Rabba sect. 48.) dixerunt, ארבע בנות היו לו שתים ארוסות ושתים נשואות, *Quatuor filias habuit* (Lot,) *duas desponsatas, & duas maritatas*, seu *maritis traditas.*

Gen 31. 47. *Et vocavit eum Laban* יגר שהדותא *i. acervum testimonii*] Voces istæ יגר שהדותא sunt Chaldaicæ, vel Syriacæ; unde in Bereshith Rabba sect. 74. R. Samuel filius Nachmanis dixisse traditur, אל יהא לשון סורסי הוה קלבעיניך שבתורה בנביאים ובכתובים מצינו שה"קבה חלק לו כבוד *Ne sit lingua Syriaca* (mendosè legitur פרסי *Persica*, pro סורסי *Syriaca*, uti habet Buxtorfius in Lexico Magno, in radice סרס) *vilis in oculis tuis: nam invenimus in Lege, in Prophetis, & in Hagiographis, Deum sanctum benedictum ei honorem tribuisse.* Deinde ex Lege hic locus citatur; ex Prophetis Jer. 10. 11. כדה תאמרון להום וגו' *Sic dicetis eis*, &c. Ex Hagiographis autem Dan. 2. 4. וידברו הכשדים למלך ארמית, *Et locuti sunt Chaldæi ad Regem Syriacè*, &c.

Gen. 49. 3. *Excellentia dignitatis, & excellentia roboris.*] Hebræi triplicem excellentiam ei assignant, à qua per peccatum decidit. Sic enim scribunt in Bereshith Rabba sect. 98. והגדולה היתה שלך והכהונה היתה שלך והמלכות היתה שלך ועכשיו שחטאת נתנה הבכורה ליוסף והכהונה ללוי והמלכות ליהודה, *Jus primogeniti* (duplex portio) *ad te pertinebat, & sacerdotium ad te pertinebat, & regnum ad te pertinebat. Nunc autem quia peccasti, jus primogeniti datum est Josepho, sacerdotium Levi, & regnum Jehudæ.*

Gen. 49. 8. *Juda, laudabunt te fratres tui*] R. Simeon Ben Jochai (uti traditur in Bereshith Rabba sect. 98.) sic explicat; יהיו כל אחיך נקראין על שמך, *Omnes fratres tui juxta nomen tuum vocabuntur.* Deinde sequitur, אין אדם אומר ראובני אנא שמעוני אנא אלא יהודי אנא *Non dicit homo, Ego sum Rubenita vel ego sum Simeonita; sed ego sum Judæus.* Non ab ulla alia tribu, sed duntaxat à tribu Judæ denominantur.

Ibid. *Filii patris tui se tibi incurvabunt*] Non incongruum

cinnum est quod ad hæc verba annotatur in Bereshith Rabba sect. 98. הכא הוא אומר לשתחוו לך בני אביך ולהלן הוא אומר וישתחוו לך בני אמך אלא יצחק על ידי שלא נשל אלא אשה אחת הוא אומר וישתחוו לך בני אמך אבל יעקב על ידי שנטל ארבע נשים כתיב וישתחוו לך בני אביך: *Hic ait,* Et incurvabunt se tibi filii patris tui; *illic autem,* (Gen. 27. 29.) *ait,* Et incurvabunt se tibi filii matris tuæ. *Quia nimirum Isaac non nisi unam habuit uxorem, ideo dixit,* Et incurvabunt se tibi filii matris tuæ; *Jacob autem propterea quòd quatuor uxores habuit, dixit,* Et incurvabunt se tibi filii patris tui.

CAP. 2. *In quo loca quædam Exodi enarrantur.*

Exod. 3. 2.

ET ecce rubus ardebat igne, & non consumebatur.] Mysterium hujus visionis rectè explicatur in Elle Shemoth Rabba sect. 3. ולמה הראה לו הק"בה למשה בענין הזה לפי שהיה מחשב בלבו ואומר שמא יהיו המצריים מכלין את ישר' לפיכך הראהו הק"בה אש בוערת ואיננו אוכל א"ל כשם הסנה בוער באש ואיננו אוכל כך המצריים אינן יכולין לכלות את ישראל, *Quare rem istam Mosi ostendit Deus sanctus benedictus? Quia Moses in corde suo cogitavit, Fortè Ægyptii funditus perdent Israelitas; propterea Deus s. b. ostendit ei ignem ardentem, & non consumentem; dixitq; ei, Quemadmodum rubus iste in igne ardet, & non consumitur, sic Ægyptii Israelitas consumere non possunt.*

Exod. 4. 25. *Accepit autem Zipporah cultrum,* &c.] Agnoscunt Hebræi Mosen ob neglectam circumcisionem pueri sui fuisse percussum, etiamsi more suo rem fabulosè explicent. Sic enim scribunt in Elle Shemoth Rabba sect. 5. וכי מנין ידעה צפורה שעקי מילה נסתכן משה אלא בא המלאך ובלע למשה מראשו ועד המילה כיון שראתה צפורה שלא בלע אותו אלא עד המילה הכירה שעל עסקי המילה הוא ניזוק וידעה כמה גדול כח המילה שלא היה יכול לבלעו מיד ויכרת וגו', *Unde novit Zipporah Mosen ob circumcisionem fuisse periclitatum? Nempe venit Angelus, & Mosen à capite usque ad circumcisionem* (locum circumcisionis) *devoravit. Et cùm Zipporah vidisset eum non nisi ad circumcisionem fuisse devoratum, cognovit eum ob circumcisionem lasum fuisse; quin & intellexit quanta esset vis circumcisionis, quòd ultra eam partem qua circumcisa erat Angelus eum devorare non potuit. Statim igitur excîdit præputium filii sui, & ad pedes ejus projecit, inquiens, Certè sponsus sanguinum tu es mihi.* אמרה חתני תהיה אתה נתון לי בזכות רמים הללו של מילה שהרי קיימתי הכתוב מיד וירף המלאך ממנו או אמרה חתן דמים למולות אמרה כמה גדול כח המילה שחתני היה חייב מיתה שנתעצל במצות המילה לעשותה ולולי היא לא ניצל, *Dixit, Eris mihi sponsus meus, datus mihi ob meritum sanguinis hujus Circumcisionis: ecce enim perfecì mandatum. Tunc statim reliquit eum Angelus; unde dixit, Sponsus sanguinum es ob circumcisionem. Dixit etiam, Quanta est vis Circumcisionis? quandoquidem sponsus reus mortis erat, propterea quòd in mandato Circumcisionis exsequendo se segniter gessit; & absque ea non fuisset liberatus.*

Exod. 6. 6, 7. *Et educam vos,* &c.] In Elle Shemoth Rabba sect. 6. observatur, quatuor hîc esse vocabula redemptionem designantia, nempe והוצאתי *& educam,* והצלתי *& liberabo,* וגאלתי *& redimam,* ולקחתי *& accipiam,* idque factum dicitur, כנגד ארבע גזירות שגזר עליהם פרעה, *respectu quatuor decretorum qua adversus eos decrevit Pharaoh.* Glossator Hebræus ait quatuor ista decreta fuisse, 1. עבודת פרך *rigidam servitutem.* 2. השלכת זכרים ליאור *projectionem masculorum in fluvium.* 3. שחיטת הילדים לרחוץ פרעה ברמים, *interfectionem puerorum, ità ut Pharaoh sanguine sese lavaret.* 4. תבן לא ינתן *Stramen non dabitur,* &c. Id autem ad primum videtur pertinere. Sequitur deinde in Rabba, וכנגדן תקנו חכמים ארבע כוסות בליל הפסח לקיים מה שנא כוס ישועות אשא וגו', *Et horum respectu sapientes ordinarunt quatuor pocula in nocte Pasthatis, ad confirmandum id quod dicitur,* Psal. 116. 13. *Accipiam poculum salvationum,* &c.

Exod. 7. 21. *Et Ægyptii non potuerunt bibere de aqua fluvii*] In eodem Commentario sect. 9. aiunt ex plaga sanguinis Israelitas esse dictos: id quod sic explicant; *Ægyptius,* inquiunt, *& Israelita in una domo fuerunt, in qua erat dolium* (גיגית) *aquâ plenum: & cùm Ægyptius indè calicem* (vel *cyathum*, unde fortassis vox Hebræa קיתון *Kithon* formata est) *impleverit, invenit eum refertum sanguine; Israelita autem è dolio isto aquam bibit. Ægyptius igitur dixit Israelitæ, Da mihi manu tuâ paululum aquæ, cùmque ei dedisset, factum est sanguis. Tunc Ægyptius, Bibamus, inquit, tu & ego ex una & eadem scutella;* (נשתה אני ואתה מן קערה אחת) *Israelita autem bibit aquam, & Ægyptius sanguinem. Sed cùm ab Israelita pretio* (ברמים) *accepisset, tunc aquam bibit: atque indè* (Ægyptii) *ditabant Israelitas.*

Exod. 9. 17. עוד מסתולל בעמי, *An adhuc te effers in populum meum?*] Vis verbi מסתולל sic istic sect. 12. explicatur, שהיה עושה אותם כמסלה שהכל רשין עליה כמה דאת אמר אשר אמרו לנפשך שחי ונעבורה ותשימי בארץ גך, *Nempe faciebat eos quasi aggerem,* (vel *viam elevatam, seu stratam*) *super quem omnes calcant: quemadmodum dicitur* Isai. 51. 23. *Qui dixerunt animæ tuæ, Incurvare ut transeamus, & posuisti corpus tuum tanquam terram.*

Exod. 9. 19. *Et nunc mitte, collige pecus tuum,* &c.] Ibidem ad hæc verba non ineptè annotatur, בא וראה רחמיו של הק"בה אפילו בשעת כעסו ריחם על הרשעים ועל בהמתם לפי שקנת הברד לא היה משלחה עליהם אלא על יבול הארץ והיה מוהירין שישמרו עצמן ואת בהמתם כדי שלא ילקו ברד: *Veni & vide,* (i. diligenter observa) *misericordiam Dei s. b. Etiam cùm irascitur misericordiam exhibet impiis, & ipsorum bestiis. Nam plagam grandinis non misit super eos, sed super proventum terræ: & monuit eos,* (mendosè legitur מוהירין *monuerunt,* pro מוהירין *monuit eos*) *ut se ac bestias suas conservarent, nè grandine percuterentur.*

Exod. 10. 1. *Nam ego obduravi cor ejus.*] R. Jochanan (utì sect. 13. istius Commentarii habetur) dixit, cavillandi ansam (ad verb. *apertionem oris,* פתחון פה) hîc datam esse hæreticis, ut dicant, לא היתה ממנו שיעשה תשובה, *Penès ipsum non erat ut resipisceret, quia dictum est, Nam ego obduravi cor ejus.* Sed respondit ei R. Simeon Ben Lachish, illud obturaturum os hæreticis, (Prov. 3. 34.) שהק"בה מתרה בו באדם פעם ראשונה שניה ושלישית ואיננו חוזר בו והוא נועל לבו מן התשובה כדי לפרוע ממנו מה שחטא אף כך פרעה הרשע כיון ששיגר הק"בה חמשה פעמים ולא השגיח על דבריו אמר לו הק"בה אתה חקשית ערפן והכבדת את לבך הריני מוסיף לך טומאה על טומאתך, *Cùm Deus s. b. semel, iterum; ac tertiò hominem monet, nec ille tamen convertitur, tum cor ejus* (Deus s. b.) *obserat,* nè resipiscat, (præcludit ei aditum ad resipiscentiam) *ut peccata ejus puniat: ità etiam Pharaoh ille impius, cùm Deus s. b. quinquies eum disertè allocutus esset, verba ejus non curavit; propterea dixit ei Deus s. b. Tu obdurasti cervicem tuam, & obfirmasti cor tuum; ecce ego addam immunditiam super immunditiam tuam.*

Exod. 12. 2. *Mensis hic erit vobis initium mensium,* &c.] Dignum notatu est quod occurrit in Elle Shemoth Rabba sect. 15. fol. 130. col. 3. משכחר הק"בה ביעולמו נבע בו ראשי חרשים ושנים וכבחר ביעקב ובניו קבע בו ראש חרש של גאולה שבו נגאלו ישראל ממצרים ובו עתידין ליגאל שנ', כימי צאתך מארץ מצרים אראנו נפלאות, *Ex quo Deus s. b. mundum sunum elegit, constituit in eo principia mensium & annorum; & cùm elegit Jacobum & filios ejus, constituit inter eos principium* (mensium) *mensem redemptionis, quòd in eo redempti fuerunt Israelitæ*

ex Ægypto, & in eo poſtea redimendi eſſent, (nempe à Meſſia) *ſicuti dictum eſt,* (Mic. 7. 15.) *Secundùm dies exitûs tui è terra Ægypti, oſtendam ei mirabilia.*

Exod. 13. 19. *Et aſſumpſit ſecum Moſes oſſa Joſephi,* &c.] In Elle haddebarim Rabba ſect. ואת הברכה longa de hac re narratur fabula, ad hunc nempe modum; *Quid meruit Moſes ut Deus ſ. b. eum ipſo commercium haberet?* (שהקב"ה נתעסק עמו) *Cùm deſcendiſſet in Ægyptum, & tempus redemptionis Iſraelis advenisſet, omnes Iſraelitæ circa aurum & argentum occupati erant; Moſes autem circuibat urbem, & tribus diebus tribúſque noctibus laborabat ut loculum Joſephi* (in quo nempe oſſa Joſephi recondita erant) *inveniret, quia non poterat abſq; Joſepho exire ex Ægypto, propterea quòd juramento eos aſtrinxerat,* &c. (Vide Gen. 50. 25.) *Cùm plurimùm ſeſe fatigaſſet, certa quadam mulier* (סנולה) *ei occurrit, & videns eum fatigatum dixit, Domine Moſes, Quare es fatigatus? Reſpondit Moſes, Tribus diebus & tribus noctibus circuivi urbem ut Joſephi loculum invenirem, nec poſſum invenire. At, inquit illa, Vade mecum, & oſtendam tibi ubi eſt. Duxit eum ad flumen, & dixit, Hîc fecerunt loculum quingentorum talentorum,* (ארון של ת"ק ככרים) *& projecerunt eum magi & præſtigiatores in flumen, & dixerunt Pharaoni, Veliſne gentem iſtam nunquam hinc exituram? Niſi Joſephi oſſa invenerint, nunquam exire poterunt. Protinus Moſes ſuper ripam fluminis ſtans dixit, Joſeph, Joſeph, Tu noſti quemadmodum adjuraſti Iſraelitas, inquiens, Certè viſitabit vos Deus,* &c. (Gen. 50. 24, 25.) *Dagloriam Deo Iſraelis, nec morare Iſraelis redemptionem. Sunt tibi opera* (i. ut Gloſſator exponit, מעשי' טובי' ישלך והקב"ה לא ישיב פניך אם תתפלל אליו, *Sunt tibi opera bona, & Deus ſ. b. non avertet faciem tuam,* non repulſam patieris, *ſi eum oraveris*) *Pete miſericordiam à Creatore tuo, & aſcende è profundo. Tunc ſtatim loculus Joſephi cœpit apparere,* (קתחיל מפעפע) *& è profundo aſcendere: eum Moſes arundine quadam* (בקנה אחד) *accepit, & humero ſuo impoſuit,* &c. Vide, ſi libet, quæ antehac annotavi ad Exod. 13. 19.

Exod. 16. 20. *Sed ex eo nonnulli* (ad verbum, *viri,* אנשים) *reliquerunt,* &c.] Rectè dicitur in Elle Shemoth Rabba ſect. 25. אלו מחוסרי אמנה שהיו בהם, *Iſti fuerunt ὀλιγόπιστοι, qui inter eos fuerunt.* Quod autem pòſt ex ſententia R. Simeonis Ben Lachiſh dicitur eos fuiſſe Dathanem & Abiramum, frivolum eſt & inani nixum fundamento, nempe quòd hîc dicitur אנשים *viri,* atque ità Num. 16. 26. ubi de Dathane & Abiramo ſermo habetur.

Exod. 16. 22. *Et venerunt principes congregationis, & narrarunt Moſi.*] In loco proximè citato dicitur, Moſen præ ira (de qua v. 20.) oblitum fuiſſe Iſraelitis præcipere ut die ſexto duplex Omer unicuique colligerent; atque ideo cùm die iſto ſe tantum collegiſſe invenisſent, principes ad Moſen veniſſe, ac ei rem narraſſe: quin & Moſen ideo dixiſſe, *Hoc eſt quod dixit Dominus,* non autem, *quod dixi ego,* nempe quia ejus oblitus fuerat. Sed iſtud minùs ſanum videtur.

Exod. 16. 29. *Videte quia Dominus dedit vobis ſabbatum.* In Midras Tillim, ad Pſal. 72. dicitur, *Quid eſt* ראו *videte? Dicit R. Joſi,* מרגניתא *Margaritam, quam dedi vobis.* In Elle Shemoth Rabba autem, ubi ſuprà, obſervatur, non dictum eſſe רעו *Scitote,* ſed ראו *Videte;* quaſi dixiſſet, *Si nationes mundi vobis dixerint, Quare vos die ſeptimo requieſcitis? dicite eis,* ראו שאיו המן יורד בשבת, *Videte quòd Manna in Sabbato non deſcendit.* Quod autem ſtatim ſequitur perquam mihi mirum videtur: ומהו נתן לכם לכם נתנה ולא לאומות העולם מכאן אמרו אם יבאו מבני נח וישמרו את השבת לא היים שאין מקבלם שכר אלא שחייבים מיתה *Quid eſt,* DEDIT VOBIS? *Vobis datum eſt, non autem nationibus mundi. Hinc dixerunt, Si aliqui ex filiis Noæ venerint, & cuſtodierint Sabbatum, non ſolùm non recipiunt mercedem, verùm etiam morti ſunt obnoxii.* Sic Seldenus De Jure Naturali & Gentium juxta diſciplinam Ebræorum l. 3. c. 12. ait Proſelytos domicilii, ſeu eos qui Judaiſmo nondum nomina dederant, pœnis gravi ſſimis obnoxios fuiſſe ſi ſabbatum obſervarent. Atque addit juxta Ebræorum mentem illud in Decalogo *ſervus tuus,* &c. *& proſelytus,* &c. ſic intelligi debere; ſcilicet fas non fuiſſe Judæo ſervi incircumciſi domino, Sabbato in cauſa eſſe ut ſervus ejus ejuſmodi opus aliquod tunc faceret, nec fas Judæo fuiſſe tunc in cauſa eſſe ut proſelytus domicilii præſtaret opus aliquod: i. fas ei non fuiſſe, aut per ſe, aut per alios, aut per jumenta operari. At nec verba Decalogi iſtam interpretationem pati, nec cum patri Nehemiæ, Neh. 13. 20, 21. ea interpretatio conſiſtere poſſe videtur.

Exod. 18. 6. *Ego ſocer tuus Jethro venio ad te, & uxor tua,* &c.] R. Joſhua (utì refertur in Elle Shemoth Rabba ſect. 27.) ait, שלח לו ביד שליח, *Miſit ei per manum nuntii.* R. Eliezer ait eum epiſtolam (אגרת) Moſi miſiſſe, ac dixiſſe, עשה בניני ואם אין אתה עושה עשה בניני עשה בגין אשתך ואם אין אתה עושה בגינה עשה בגין בניך, *Fac meâ causâ; & ſi non facies meâ causâ, uxoris tuæ causâ facito; quod ſi nec ejus causâ feceris, filiorum tuorum causâ facito.* Similia habet Jonathan in Paraphraſi ſua, ut alibi annotavi. Ibidem in Rabba dicitur, לא בא אלא להתגייר, *Non venit* Jethro *niſi ut proſelytus fieret.*

Exod. 20. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus,* &c.] R. Simeon Ben Jochai (ut in eodem Commentario, ſect. 29. memoratur) ait, אמר להם הקב"ה לישר' אלוה אני על כל באי עולם אבל לא יחדתי שמי אלא עליכם אני נקרא אלהי אומות העולם אלא אלהי ישראל: *Dixit Deus ſ. b. Iſraelitis, Ego ſum Deus ſuper omnes, qui in mundum veniunt, ſed non appropriavi nomen meum niſi ſuper vos: non ſum vocatus Deus nationum mundi, ſed Deus Iſraelis.*

Exod. 23. 17. *Tribus vicibus in anno comparebunt omnes maſculi tui coram Domino Deo.*] In tractu Talmudico Chagiga cap. 1. ſect. 1. dicitur, הכל חייבין בראיה חוץ מחרש ושוטה וקטן וטומטום ואנדרוגינוס ונשים ועבדים שאינם משוחררי' והחגר והסומא והחולה והזקן ומי שאינו יכול לעלות ברגליו *Omnes tenebantur comparere præter ſurdum, & ſtultum, & puerulum, obſtructum genitalibus, & androgynum,* (ſeu hermaphroditum) *& mulieres, & ſervos nondum manumiſſos, & claudum, & cæcum, & ægrotum, & ſenem, & qui pedibus ſuis aſcendere non potuit.*

Exod. 32. 10. *Et nunc dimitte me,* &c.] Pulcrè in hæc verba commentantur in Elle Shemoth rabba, ſect. 41. ויבקש משה היה תופס בהקב"ה שהוא אומר הניחה לי, *Numquid Moſes apprehendebat Deum ſ. b. quod ille ait,* DIMITTE ME? Deinde parabolâ ſeu ſimilitudine quadam res illuſtratur. *Sed cui res iſta ſimilis eſt? Rei, qui filio ſuo ſuccenſuit, & cùm in cubiculum* (לקשון) *introduxiſſet, incepit ità ſe gerere ac ſi eum verberaret, & clamavit è cubiculo, Dimitte* (vel *ſine*) *me, ut eum percutiam. Padagogus autem foris ſtabat, & dixit, Rex & filius ejus intus ſunt in cubiculo, & quare rex clamat, Sine me, niſi quòd cupit ut eam, & ipſum erga filium ſuum placatum reddam? Propterea ille clamat,* Sine me. *Sic Deus ſ. b. Moſi dixit,* SINE ME. *Hinc Moſes, Quia, inquit, Deus ſ. b. vult ut eum erga Iſraelem placatum reddam, ideo ait,* ET NUNC SINE ME. *Protinus igitur Moſes miſericordiam pro eis implorare cœpit; ità nimirum dicitur,* ET ORAVIT MOSES FACIEM DOMINI DEI SUI, &c. In Beracoth fol. 32. 1. aiunt Moſen, cùm Deus dixiſſet, *Sine me,* &c. dixiſſe, דבר זה תלוי בי, *Verbum iſtud* (ſeu *Res iſta*) *ad me pertinet;* ac ſtatim ſe ad orandum ſtrenuè accinxiſſe, & miſericordiam imploraſſe. Deinde affertur parabola de Rege, qui filio iraſcens graviter eum percuſſit (vel percuſſurus erat, והיה מכהו מכה גדולה) cúmque amicus ejus ante eum ſederet, nec quicquam loqui auderet, dixit Rex, אלמלא אוהבי זה שיושב לפני הרגתיך *Abſque hoc amico meo, qui ante me ſedet, fuiſſet, te occidiſſem:* unde amicus, דבר זה תלוי בי, *Hoc ad me pertinet,* (vel *à me*

me pendet) statimque Regis filium liberavit. Idem etiam mox sequitur, מלמד שתפסו משה להק'בה כאדם שהוא תופס את חבירו בבגדו ואמר לפניו רבונו של עולם אין אני מניחך עד שתחמול ותסלח להם: *Docet* (Scriptura) *Mosen apprehendisse Deum ſ. b. quemadmodum homo apprehendit ſocium veſte, & coram eo dixiſſe, Domine mundi, Non dimittam te donec pepercerìs, & propitius fueris eis.*

Exod. 32. 13. *Memento Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, ſervorum tuorum*, אשר נשבעת להם בך, *quibus juraſti per temetipſum.*] In eodem tractatu Beracoth, loco citato aiunt, מאי בך *Quid eſt illud*, PER TEMETIPSUM? Deinde verbis R. Eleazari reſpondetur: אמר משה לפני הק'בה רבונו של עולם אלמלא נשבעת להם בשמים ובארץ היית אומר כשם ששמים וארץ בטלים כך שבועתך בטלה ועכשיו נשבעת להם בשמך הגדול מה שמך הגדול חי וקיים לעולם ולעולמי עולמים כך שבועתך קימת לעולם ולעולמי עולמים, *Dixit Moſes coram Deo ſ. b. Domine mundi, ſi juraſſes eis per cœlum & terram, dicturus eſſem, Quemadmodum cœlum & terra evaneſcunt, ità & juramentum tuum evaneſcit; nunc autem juraſti eis per nomen tuum magnum. Quid nomen tuum magnum? Vivit & permanet in ſeculum, & in ſecula ſeculorum: ſic etiam juramentum tuum permanet in ſeculum, & in ſecula ſeculorum.*

Exod. 32. 34. *Quo autem die viſitavero viſitabo ſuper eos peccatum ipſorum.*] In Sanhedrin fol. 102. 1. R. Iſaac dixiſſe fertur, אין לך כל פורענות ופורענות שבאה לעולם שאין בא אחומעשרי' וארבעה בהכרע ליטרא של עגל הראשון שנ' וביום פקדי ופקדתי עליהם חטאתם, *Non eſt ulla ultio* (ſeu *pœna*) *quæ venit in mundum in qua non ſit vigeſima quarta pars in depreſſione libræ de vitulo primo; quia dicitur, in die autem quo viſitavero, viſitabo ſuper eos peccatum ipſorum.* R. Moſes Nachmanides, ſeu Gerundenſis in Biur al hattorah, ſeu *Commentario ſuper Legem* fol. 75. col. 4. refert Rabbinos hinc dixiſſe, שאין לך פירעונות שאין בה אוקיא (Sic mendosè ſcribitur pro אונקיא) מעון העגל *Non eſt pœna in qua non eſt uncia de iniquitate Vituli.*

Exod. 33. 7. *Et accepit Moſes tabernaculum, & tetendit illud extra caſtra.*] Seitè R. Jochanan, ut eſt in Elle Shemeth rabba ſect. 44. כך דרש משה מנודה לרב מנודה לתלמיד, *Sic concionatus eſt Moſes, Excommunicatus Magiſtro, excommunicatus diſcipulo.* Quia Iſraelitæ idololatriâ ſuâ Deum ſibi infenſum reddiderant, ideo & Moſes eis ſe infenſum oſtendit.

CAP. 3. *Quod locorum quorundam Levitici, Numerorum, & Deuteronomii enarrationem continet.*

Levit. 10. 1.

NAdab autem & Abihu filii Aharonis, &c.] In Vajikra rabba ſect. 12. ex ſententia R. Simeonis dicitur, לא מתו בניו של וגו' *Non moriebantur filii Aharonis niſi quòd vino ebrii tabernaculum conventûs ingrediebantur.* Idem etiam R. Salomon ad locum: iſtud autem colligunt ex v. 9. *Vinum & ſiceram ne bibas*, &c. Hinc in Rabba ſequitur, אין אנו יודעים מפני וגו' *Nobis non innoteſcit quare moriebantur, niſi ex eo quòd præcipit Aharoni, & dixit ei,* VINUM ET SICERAM (i. quemvis potum inebriantem) NON BIBES: *indè noviſmus non niſi propter vinum* (nempe immoderatè ſumptum, unde eò audaciæ provecti ſunt ut in offerendo incenſo igne extraneo uterentur) *eos eſſe mortuos.* Sic Jonathan Paraph. 9. חמר וכל מרעם מדיו וגו' *Vinum & quicquid inebriat non bibes tu, nec filii tui tecum, tunc cùm ingredimini in tabernaculum conventûs, quemadmodum fecerunt filii tui* (nempe Nadab & Abihu) *qui igne combuſti perierunt.*

Levit. 19. 32. *Coram canitie aſſurges, & faciem ſenis honorabis.*] In Kidduſhin fol. 32. 2. locus iſte ſic enarratur; תנן מפני שיבה תקום וגו' *Tradiderunt Rabbini, Coram* CANITIE ASSURGES: *fortè etiam coram ſene inſipiente diſces dicere, Senex non eſt ſenex, (non eſt honorandus ut ſenex) niſi ſapiens; quemadmodum dicitur* Num. 11. *Congrega mihi ſeptuaginta viros è ſenibus Iſraelis. R. Joſi Galilæus dixit, Non eſt ſenex niſi qui poſſidet ſapientiam; ità dicitur,* Prov. 8. *Dominus poſſedit me in principio viæ ſuæ.* Onkelos ſic παραφραζει, מן קדם דסבר באורייתא תקום, *Coram eo qui prudens eſt in Lege, aſſurges.* Similiter Jonathan, מן קדם סבירין באורייתא תקומין ותייקר אפי חכימא: *Coram ſenibus, qui prudentes ſunt in Lege aſſurges, & honorem habebis faciei ſapientis.* R. Solomon etiam ad locum ſic commentatur, מפני שיבה תקום יכול זקן אשמאי ת'ל זקן אין זקן אלא שקנה חכמה: CORAM CANITIE ASSURGES; *fortè coram ſene inſipiente diſces dicere, Senex non eſt ſenex niſi poſſidet ſapientiam,* Eadem etiam habet Gerundenſis in explicatione Legis fol. 97. col. 2. Ubi etiam ea citat quæ ſuprà adduximus è tractatu Talmudico Kidduſhin: addit autem ועם כלה העולה מן הגמרא לפי פסק ההלכה אשק וגו' *Nihilo tamen minùs id quod ex Gemara exſurgit, juxta deciſionem Conſtitutionis non ità ſe habet. Aiunt enim Iſi filium Judæ dixiſſe, vocem* SEBA (i. CANITIES) *ſemper ità ut ſonat eſſe intelligendam: & R. Jochanan ait, Conſtitutionem eſſe juxta Iſi filium Judæ. Ecce igitur præcipit de omni Canitie, etiam de inſipiente, & rurſus præcipit de ſene qui poſſidet ſapientiam, etiam de puero, qui eſt ſapiens.* Sed id parùm videtur veriſimile ut in eodem verſu שיבה *Canities* ſimpliciter accipiatur, & זקן *Senex* de ſapiente duntaxat intelligatur. R. Levi Ben Gerſom in Expoſitione Legis fol. 163. col. 3. per *ſenem* intelligit ſapientem atque ait, החכם יקרא זקן אע'פ שהוא צעיר לימים *Sapiens, appellatur ſenex, etiam ſi diebus ſit exiguus.* In Commentario, cui titulus *Iſſeror hammor*, ſeu *Faſciculus myrrhæ*, fol. 101. col. 1. alia quædam habetur hujus loci expoſitio, ad hunc nempe modum; לפי שר'ת וחקיותיה ומשפטיה הם דברי' עמוקים וגו' *Quia verba Legis & ſtatuta ac judicia ejus ſunt res profundæ, adeò ut etiamſi homo bis mille annos vixerit, non unum è mille de ſecretis Legis aſſequatur, propterea ait,* ANTE CANITIEM SURGES; *h. e. ut myſticè exponitur in Zohar,* ANTE CANITIEM, *dum adhuc puer es,* SURGES *ut in lege te exerceas, atque ità vir fias; & indè etiam* HONORABIS FACIEM SENIS, *ſicuti ſcriptum eſt,* Prov. 22. 6. ETIAM CÙM SENUERIT, *non recedet ab ea; quia nimirum aſſiduo legis ſtudio myſteria & arcana ejus aſſequetur.* Sed hoc à ſimplici & genuino verborum ſenſu eſt longè alienum.

Num. 3. 46. *De illis autem qui redimendi ſunt, ducentis ſeptuaginta tribus, qui redundant ſupra Levitas ex primogenitis*, &c.] Quemadmodum R. Salomon & Aben Ezra hunc locum (admodum ſanè difficilem & à noſtris ſæpe in Commentariis & Annotationibus ſuis prætermiſſum) exponunt, ante plures annos oſtendi in Præfatione Annotationum in Geneſin. Abrabaneel etiam in Expoſitione Legis fol. 278. col. 1. eandem expoſitionem, & tanquam à majoribus traditam, ſequitur. Sic enim ſcribit; איך אמר הכתוב מבן וגו' *Quomodo dicit Scriptura, Levitas à nato uno menſe & deinceps fuiſſe viginti duo millia, cùm ex particulari eorum enumeratione conſtet eos viginti duo millia & trecentos fuiſſe? In hujus quæſtionis reſponſione aiunt in Midras, propterea quòd non numerati erant niſi ad redimendos primogenitos Iſraelis, & inter Levitas trecenti erant primogeniti, nec primogenitus potuit redimere primogenitum, ideo è generali ſumma totidem* (nempe trecentos) *defuiſſe, & Scripturam viginti duo millia duntaxat memoraſſe.* Sed in Bammidbar Rabba ſect. 4. fol. 216. col. 4. res iſta fuſiùs explicatur, in hunc nempe ſenſum; *Dixerunt doctores noſtri, Numquid primogeniti redundabant ſupra Levitas? quia dicit,* QUI REDUNDANT SUPRA LEVITAS. *Ecce autem ex computatione apparet Levitas redundaſſe ſupra primogenitos. Ex tribu enim Levi particulariter recenſita* (בפרט) *invenitur fuiſſe* 22300. *quatuor enim familiæ erant, Gerſhom, Kohath, Merari,*

Merari, & Moſes (Quomodo Moſes diſtinctam conſtituit familiam, non intelligo:) *& ſi unamquamque familiam ſeorſim legeris, & ſupputaveris, invenies* 22300 *ex quatuor iſtis familiis exſurgere. Ex primogenitis autem inventi ſunt duntaxat* 22273. *Ecce igitur Levita* 27 *plures habuerunt quàm primogeniti; & tamen de primogenitis dicitur, eos ſupra Levitas redundaſſe. Sed quia primogenitorum erant* 22273. *qui omnes erant primogeniti; inter Levitas autem erant* 300 *primogeniti; qui propterea ex particularibus ſummis, quæ efficiunt* 22300, *eximendi ſunt, ideo in generali ſumma ſunt* 22000. *& non plures. Dices numero non redundaſſe primogenitos ſupra Levitas, ſed primogeniturâ ſupra eos redundaſſe. Eximе igitur ex eis primogenitos, quia primogenitus non redimit primogenitum; & cùm trecenti* (Levitarum) *eſſent primogeniti, primogenitorum Iſraelis inveniuntur* 273. *qui ſupra Levitas redundabant.* Deinde hiſtoria, ſeu fabula quædam narratur, quæ ſic habet; *Et hanc quæſtionem Hongetim Prafectus* (הוננטים הגמון) *propoſuit R. Jochanan filio Zachai, inquiens, Magiſter veſter Moſes, vel fur erat, vel ſupputare non novit. Quare, inquit R. Jochanan? Quia, inquit alter, erant* 22000 *primogenitorum, & præterea* 273; *& præcepit Deus ut Levitæ primogeniti redimerentur. Da* 22000 *Levitarum pro* 22000 *primogenitorum, & adhuc inveniuntur relicti ex Levitis* 300 *qui: madmodum ipſe* (Moſes) *ſupputat, cùm primò eos numerat, & ad particulares ſummas revocat.* (כמו שהוא מחשב במנין ראשון בפרטן) *Quare igitur iſti* 300 *Levitæ qui relicti ſunt, non redemerunt* 273 *primogenitos, qui ſupra* 22000 *redundabant? Invenimus enim iſtorum* 273 *primogenitorum unumquemque pro ſe quinque ſiclos dediſſe. Præterea cùm generalem Levitarum ſummam poſtea exhibet, quare trecentos è prima numeratione detrahit? Non furatus eſt eos è ſupputatione niſi ut primogenitorũ* 273 *quiſq; ſiclos quinq; Aharoni fratri ſuo daret: aut fortè ſupputandi erat imperitus. Tunc R. Jochanan, Nec, inquit, fur erat,* (Moſes) *nec ſupputandi imperitus: ſed velim tibi quiddam in aurem dicere.* (ורבר אחד לחש לי לומר לך) *Dicito, inquit ille. Cui R. Jochanan, Noſti, inquit. legere, ſed peritè explicare non noſti.* יודע אתה לקרות אבל אין יודע את לדרוש *Iſti* 22000 *Levitæ totidem primogenitos redimebant; relicti erant adhuc ex Levitis* 300, *& ex primogenitis* 273. *iſti autem* 300 *Levitæ erant primogeniti, & primogenitus non redimit primogenitum; propterea cùm eos numeravit, abſtrahebat* (ad verb. *furabatur*, גנבן) *eos quia erant primogeniti. Tunc* (Hongetim) *ab eo diſceſſit.* In tractatu Talmudico Becoroth fol. 5. 1. fertur etiam Princeps quidam rogaſſe R. Jochanan filium Zachai, quare in particulari Levitarum enumeratione ſint 22300, in generali autem ſumma tantùm 22000; ac dixiſſe, שלוש מאות להיכן הלכו, *Trecenti quò abierunt?* quin & addidiſſe, אילו אותן שלוש מאות בכורות היו ואין בכור מפקיע בכור מ"ט, *Si iſti trecenti erant primogeniti, & primogenitus non eximit primogenitum, quænam ejus eſt ratio?* Sequitur R. Abii dixiſſe, דיו לבכור שיפקיע קדושת עצמו, *Satis eſt primogenito ut ſuam ipſius ſanctificationem diſſolvat.* Plura iſthic de hac re non reperio, etiamſi Manaſſeh Ben Iſrael in Conciliat. quæſt. 30. in Num. alia multa indè citet, ſed aliunde ſunt petita.

Num. 3. 47. *Et accipies quinque ſiclos pro unoquoque capite,* &c.] In Sanhedrin fol. 17. 1. de hac re ità ſcribitur, אמר משה כיצד אעשה להם לישראל אם אומר לו תן לי פדיונך וצא יאמר לי כבר פרעני בן לוי מה עשה הביא עשרים ושנים אלפים פתקין וכתב עליהן בן לוי ועל שלשה ישבעים ומאתים כתב עליהן חמשת שקלים בללן ונתנן בקלפי אמר להן טלו פתקיכם מי שעלה בידו בן לוי אמר לו כבר פרעך בן לוי מי שעלה בידו חמשת שקלים אמר לו תן פדיונך, *Dixit Moſes, Quomodo faciam Iſraelitis? Si alicui dixero, Da mihi redemptionem tuam,* (ſeu *pretium redemptionis tuæ*) *& exeas; dicet mihi, Filius Levi me jam redemit. Quid fecit? Attulit* 22000 *ſchedulas, atque eis inſcripſit, FILIUS LEVI; & ducentis præterea ſeptuaginta & tribus inſcripſit, QUINQUE SICLI: commiſcuit eas inter ſe, & in urna poſuit, dicens eis, Tollite ſchedulas veſtras: ſi quis extulit ſchedulam cui inſcriptum erat, FILIUS LEVI, dixit ei, Filius Levi jam te redemit; ſi quis autem extulit ſchedulam cui inſcriptum erat, QUINQUE SICLI, dixit ei, Des redemptionem tuam, & exeas.* Simile etiam habet R. Salomon ad locum.

Num. 5. 3. *Et non contaminabunt caſtra ſua*] In Bammidbar Rabba ſect. 7. fol. 224. col. 3. aiunt in Deſerto tria fuiſſe caſtra, nempe מחנה שכינה מחנה לויה ומחנה ישראל, *Caſtra majeſtatis Divinæ, caſtra Levitarum, & caſtra Iſraelis*; atque ità etiam Hieroſolymit. *Nempe ab oſtio* (vel *introitu* מבתח) *Hieroſolymorum uſque ad oſtium montis domûs* (montis in quo ſitum erat Templum) *fuiſſe caſtra Iſraelis; ab oſtio montis domûs uſque ad portas Nicanoris* (ועד שערי ניקנור) *fuiſſe caſtra Levitarum; à portis denique Nicanoris & interiùs* (ולפנים) *fuiſſe caſtra Divinæ Majeſtatis.* Ibidem col. 2. dicitur, *ab oſtio montis domûs uſque ad atrium* (ועד העזרה) *fuiſſe caſtra Levitarum; & ab oſtio atrii & interiùs caſtra Majeſtatis Divinæ.* Quemadmodum autem tria illa caſtra in deſerto diſtinguebantur illic non explicatur: ſed R. Salomon ad Num. 5. 2. diſtinctionem eorum ſic explicat, שלוש מחנות היו שם בשערת וכו' *Tria caſtra illic* (ſcilicet in deſerto) *erant cùm caſtra metabantur. Spatium intra cortinas* (nempe Tabernaculi) *erant caſtra Divinæ Majeſtatis; caſtrametatio Levitarum circumquaque, ità eſt expoſitum in Sectione In deſerto Sinai, ea erant caſtra Levitarum; & indè uſque ad finem caſtrorum vexillorum ad omnes quatuor plagas, erant caſtra Iſraelis.* E quibus autem caſtris ex Talmudicorum ſententia emittendi erant immundi, vide, ſi placet, Seldenum De Synedriis veterum Ebræorum lib. 2. cap. 1. §. 5.

Num. 11. 16. *Congrega mihi ſeptuaginta viros è ſenioribus Iſraelis*] In Sanhedrim fol. 17. 1. locus iſte ſic explicatur, אמר משה כיצד אעשה אברור ששה וכו' *Dixit Moſes, Quâ ratione* (hoc) *faciam? Si ex ſingulis tribubus elegero ſex, duo ſupererunt; ſi ex unaquaque tribu elegero quinque, decem deerunt; ſi ex una tribu ſex, ex alia quinque elegero, invidiam inter tribus excitabo. Quid fecit? Elegit ſex ex ſingulis tribubus, & allatis ſeptuaginta & duabus ſchedulis, ſeptuaginta earum inſcripſit, SENIOR; duas autem planas* (ſeu *omni inſcriptione vacuas*) *reliquit: deinde eas inter ſe commiſtas in urnam conjecit, & dixit eis, Venite & tollite ſchedulas veſtras. Sicut contigerit ſchedula cui inſcriptum erat, SENIOR, dixit, Deus te jam ſanctificavit: Si cui autem contigerit ſchedula plana, dixit, Deus te non delectatur;* (ſeu, *te non vult*, nempe in numerum ſeptuaginta Seniorum recipere) *Ego quid tibi faciam?*

Num. 11. 25. *Et ſeposuit de ſpiritu, qui erat ſuper ipſum, & poſuit ſuper ſeptuaginta illos viros,* &c.] Hebræi non ineptè monent, Moſen nihilo adhuc minus de Spiritu habuiſſe; & rem non incommodè illuſtrant ſimilitudine deſumptâ à lucerna, unde aliæ lucernæ accenduntur. Ità in Bammidbar Rabba ſect. 15. fol. 265. col. 2. אם תאמר הזקנים שהיתה נבואתן וכו' *Quòd ſi dixeris, Cùm Seniores iſti prophetiam ſuam* (i. ſpiritum ſuum propheticum) *à Spiritu Moſis acceperunt, nónne de ſpiritu Moſis aliquid fuit diminutum? Nequaquam. Cui res iſta ſimilis eſt? Lucernæ accenſæ, ex qua multæ lucernæ accenduntur; nec tamen de lumine ejus quicquam eſt detractum: ità & hîc Moſes de ſuo nihil deperdidit.* Similiter Jonathan in ſua Paraphraſi, וייתן נבואה דעלוי ומשה לא חסיר מרעם, *Et accepit de prophetia* (ſeu ſpiritu prophetico) *quæ erat ſuper ipſum; nec Moſi tamen quicquam defecit. Sunt ſcientia ſicut & lumina. Qui de ſuo lumine accendit, & ſibi retinet lucem, & accipienti tenebras anfert.*

Æneas Sylvius epiſt. ad Gregorium de Heimburg.

Num. 15. 33. *Et qui inveniebant eum colligentem ligna, addixerunt eum Moſi,* &c.] Hebræi aiunt virum iſtum primò fuiſſe admonitum ut ab illicito opere ſuo deſiſteret, & tamen in eo perſtitiſſe. In Sanhedrin fol. 41. col. 1.

col. 1. שהתרו בו ועריין הוא מקושש, *Admonuerunt eum, & tamen ligna colligit.* Sic Jonathan Paraph. וקריבו יתיה בתר דאתרו ביה, *Et adduxerunt eum postquam eum admonnissent.* Et R. Salomon ad locum; שהתרו בו ולא הניח מלקושש, *Nempe admonuerant eum, nec tamen à colligendis lignis abstinebat.* Aben Ezra etiam ait, יתכן שעשה המקושש ביד רמה והוזירוהו ולא הועיל, *Fieri potest ut iste ligna colligens manu excelsa* (datâ operâ) *id fecerit, & admonitus fuisse, nec admonitionem quicquam apud eum valuisse.* Sic Abrabaneel secutus Aben Ezram, quem laudat, ait (fol. 298. col. 4. in Legem) ideo hanc historiam hic esse subjunctam, cùm paulò antè de eo qui manu elatâ peccatum perpetraret sermo fuisset, כי עשה ביד רמה לחלל היום המקודש ההוא, *Quia fecit* (nimirum iste lignorum collector) *manu elatâ, ut diem istum sanctificatum profanaret.*

Num. 25. 4. *Et dixit Dominus Mosi, Sume nunc omnes principes populi, & suspende eos Domino coram sole,* &c.] Onkelos vertit, *Et dixit Dominus Mosi, Accipe omnes principes populi,* ודון וקטול דחייב קדם יי לקביל שמשא, *Et judica, & occide eum qui reus est ut occidatur, coram Domino contra solem.* Et Hierosolymitanus Paraph. *Et dixit verbum Domini Mosi, Tolle omnia capita* (seu *omnes principes*) *populi,* ואוקים אותם סנהדרין קדם יי" ויהון צלובין כל מן דמחייב למתקטלא ועם מעלי שמשא יהוון מחתין נבלתיה וקברין, *Et constitue eos Sanhedrim coram Domino, & suspendantur omnes qui rei sunt occisionis; & ad occasum solis deponat eadvera, & sepeliant.* Hinc Fagius ad locum ait, verba Hebræa non ità esse intelligenda, ac si principes essent suspendendi; sed eos convocandos fuisse, ut judicium ferrent contra transgressores. Pronomen igitur *eos* referendum, non ad *principes*, sed ad *populum*, h.e. ad eos qui ex populo deliquerant. Atque in istum sensum exponit R. Salomon; *Accipe nunc omnes principes populi,* לשפוט את העובדים לפעור, *nempe ad judicandum eos qui colebant* (idolum) *Peor.* [*Et suspende eos*] את העוברים, *nempe istius idoli cultores.* Hinc Lyra, *TOLLE CUNCTOS PRINCIPES POPULI. Dicunt expositores nostri, quòd punitio primò facta est in principibus per suspensionem, quia aliqui erant culpabiles per transgressionem, idololatrando; & alii subditos reprimere negligendo. Sed R. Sal. aliter exponit, dicens, Tolle cunctos principes populi; i. congrega eos ut judicent & puniant transgressionem praedictam. ET SUSPENDE EOS, sc. qui inveniuntur culpabiles; & hoc ultimum non refertur ad principes.* Ad istum etiam modum ab aliis Hebræis locus iste exponitur. Paraphrasis enim Jonathani adscripta sic habet; *Et dixit Dominus Mosi, Accipe omnes principes populi,* ומני יתהון דיינין וידונון דינין דקטולין ית עמא דטעו בתר פעור ותצליב יתהון קדם מסרא דיי על קיסא קבל שמשא בקריצתא ועם מטמטע שמשא תחית יתהון ותקברינין, *Et constitue eos judices, & judicent judicia eorum qui morte sunt plectendi, nempe populi qui erravit post Peor; & suspende eos coram Verbo Domini, super lignum contra solem in aurora: & cùm sol occiderit, depones eos, & sepelies.* Et R. Levi Ben Gerson in Pentat. fol. 197. col. 4. והרצון בזה קח את כל ראשי העם והם השופטים שהיו שרי אלפים ושרי מאות שרי חמשים ושרי עשרות שיעשו אלו המשפטים מהעוברים והוקע את החוטאים לי", לעיני חקהל כדי שיוסרו השאר, *Sensus hujus loci est, Accipe omnes principes populi, nempe Judices, qui erant Tribuni, & Centuriones, & praefecti quinquagenis, & Decuriones, ut isti judicia exercant in idololatras; & suspende peccatores Domino in oculis Congregationis, ut reliqui erudiantur.* Abrabaneel etiam in Piruſh hattorah, fol. 310. col. 3. refert Karaitas (חכמי הקראים) sic exponere, שיקח עמו הראשים כדי לעשות משפט בנצמרים, *Ut assumeret secum* (Moses) *principes ad exercendam judicium in eos qui adjuncti erant* idolo Peor. Atque addit, ופרשו והוקע אותם מוסב לנצמרים, *Et exponunt illud, ET SUSPENDE EOS, ità ut referatur ad eos qui* (idolo Peor) *adjuncti erant.* Suam autem ipsius sententiam sic explicat; והנכון בעיני הוא שהאל יתברך בראותו הפשע הגדול הזה שנעשה בישר' בפרהסיא ושהשרי העם ושיטריו לא היו מיחים בדבר ולא מניחים ומענישים את החטאים בנפשותם אמר למשה ראוי הוא לעשות על זה משפט גדול לא לבד לנצמרים לבעל פעור אבל על כל שרי ישר' שנעשה" בתוכם ולעיניהם ואין שם איש על לב, *Mihi verò sic exponendum videtur, quòd Deus benedictus cùm videret hanc magnam prævaricationem, quæ in Israele palàm est perpetrata, & principes populi, & præfectos rem non inhibuisse, nec increpasse, nec punisse eos qui in animas suas peccabant, dixit Mosi, oportere ob id grave judicium exerceri, non solùm in eos qui cum Baal Peor adjuncti erant, verùm etiam in omnes principes Israelis, inter quos, & in quorum oculis flagitium est admissum, nec quisquam tamen id cordi apposuit.* Addit autem paucis interjectis, וכאשר הבין משה כוונת וכו' *Cùm autem Moses intelligeret Dei intentionem fuisse ut interficeret principes populi, non quòd cum Baal Peor adjuncti essent, sed quòd non exercuissent judicium in eos qui peccabant, & rebelles erant, dixit principibus istis, Occidite quisque viros suos, nempe ex sua cujusque familia, & reliquos ipsis ministrantes, qui cum Baal Peor adjuncti erant; nec amplius estote in exercendo judicio segnes, nè adversus vos sit indignatio.* Mihi verò duriusculum videtur, cùm ut illud, *Suspende eos*, aliò referatur quàm ad principes, tum ut Moses judicium à Deo mandatum in principes exsequi supersederet. Fagius putat liquere ex v. 5. *Et dixit Moses Judicibus, Occidite quisque,* &c. sensum à Chaldæo expressum esse genuinum; atque indè etiam colligit Abrabaneel Mosen non suspendisse principes, sed tantùm eos monuisse, ut ad puniendos transgressores sese accingerent. Sed quid vetat quò minùs ità intelligatur, Mosen primò, uti Deus præcepit, principes suspendisse, ac postea Judices de ipsorum in vindicando isto scelere officio admonuisse, atque ad id excitasse?

Deut. 14. 29. & 16. 15.

UT Dominus Deus benedicat tibi in omni opere manûs tuæ quod facis] Non inconcinnum est quod in Midras Tillim ad Psal. 23. occurrit, ubi R. Eliezer filius Jacobi dixisse fertur, כי ברכך יכול אפילו יושב ובטל הל" בכל מעשה ידיך אם עשה הרי הוא מתברך ואם לאו אינו מתברך, *Quia benedicet tibi. Fortasse etiamsi otiosus sederis. Minimè verò: nam expressè dictum est,* (ad verb. *disces dicere*; sic loqui solent cùm notant aliquid diserte in Scriptura dictum esse) *IN OMNI OPERE MANUS TUÆ. Si operam suam navaverit, erit benedictus; sin minùs, non erit benedictus.* Locus Scripturæ de quo in hîc agitur est Deut. 16. 15. Confer versum 4. capitis 10. Proverb. cum v. 22. ejusdem capitis.

Deut. 33. 1. *Hæc est benedictio quâ benedixit Mases,* &c.] In Midras Tillim ad Psal. 90. dicitur, Mosen reliquis tribubus hîc benedixisse, non autem Simeoni; שהיה בלבו עליו על מה שעשה בשטים, *quia de ejus peccato, quod perpetravit in Shittim, cogitabat.* Vide Num. 25. 14. Nonnulli autem ex Hebræis existimant in benedictione Judæ comprehensam fuisse benedictionem Simeonis, cujus portio intra portionem Judæ cecidit. Jonathan Paraph. Deut. 33. 7. וזא ברכתא לשבטא דיהודה ווון בחולקיה ובברכתיה לשמעון אחוי, *Et hæc est benedictio tribûs Judæ, qui conjunctus est in portione & benedictione sua Simeoni fratri suo.* Et R. Salomon in Deut. 33. 7. ad ista verba, שמע ה" קול יהודה, *Audi, Domine, vocem Judæ,* ait, ראין רמז ברכה לשמעון מתוך ברכותיו של יהודה ואף כשחלקו ארץ ישר' נטל שמעון מתוך גורלו של יהודה שנ' מחבל בני יהודה נחלת בני שמעון, *Hîc innuit benedictionem Simeonis è medio benedictionum Judæ: atque etiam cùm dividebant terram Israelis, Simeon portionem accepit è medio sortis Judæ; quemadmodum dicitur,* Jos. 19. 9. *E portione filiorum Judæ fuit hereditas filiorum Simeonis.* Sic Fasciculus Myrrhæ fol. 160. col. 4. משה לא ברך לשמעון אבל סמכו להודה

ליהודה שנ" שמע ה" קול יהודה ואין שמע אלא שמעון רמז שבני יהודה יתנו לו מחלקם הדא הוא דאמרינן מחבל בני יהודה נחלת בני שמעון: *Moses non benedixit Simeoni, sed conjunxit eum Judæ, uti dictum est*, Deut. 33. 7. *Audi, Domine, vocem Judæ. Illud* שמע audi *non nisi Simeonem indicat. Innuit fore, ut filii Judæ dent ei* (Simeoni) *è portione ipsorum. Hoc est quod dicimus*, Jos. 19. 9. *E portione filiorum Judæ fuit hereditas filiorum Simeonis.* Abrabaneel etiam in Legem fol. 413. col. 4. ait se putare, benedictionem Simeonis contineri hisce verbis, *Audi, Domine, vocem Judæ*, quia scilicet Simeon ità appellatus est "בשכיל ששמע יי בקול לאה, *quia Dominus audivit vocem Leæ.* Sed id nimis frivolum est, quia Simeon ab *audiendo* nomen habuit (שמע à שמעון) ideo verba ista, *Audi, Domine, vocem Judæ*, benedictionem Simeonis in se continere. Ea multò potior est ratio quòd Simeon intra portionem Judæ portionem suam habuit, atque ideo in benedictione Judæ Simeonis etiam benedictio continetur.

CAP. 4. *Quod aliorum quorundam Veteris Testamenti locorum enarrationem continet.*

Jos. 7. 25.

ET comburebant eos igne, postquam obruissent eos lapidibus] In Bammidbar Rabba sect. 23. fol. 284. col. 3. ratio redditur quare lapidati pariter ac combusti fuerunt. מלמד שהודה עכן שבשבת גנב והוציא מיריחו והטקין בתיך אהלו ונסקל על חלול שבת ונשרף על שמעל בחרם, *Docet* (scriptum) *Achanem confessum esse, se in sabbato furtum fecisse, &* (res furto ablatas) *è Jericho eduxisse, ac in tentorio suo abscondisse: ob profanationem igitur sabbati lapidatus, & quia in anathemate transgrediebatur, combustus est.* Et mox citato Jos. 6. 2, 3. &c. ללמדך שבשבת נכבשה חומת העיר, *Ut discas* (nempe ex eo quod in isto Josuæ loco habetur) *murum urbis* (Jericho) *in sabbato fuisse subjugatum.* Ita etiam antiquiores Rabbinos exponere refert Kimhi ad locum, atque ait, ומנין שבשבת נלכדה יריחו שנ' ויהי ביום השביעי וקבלו רז"ל שביעי ליומי השבוע: *Unde autem constat urbem Jericho captam fuisse in sabbato? Quia dicitur, ET FUIT DIE SEPTIMO: traditione siquidem acceperunt Rabbini b. m. fuisse septimum diem hebdomadis.* R. Salomon illud, וירגמו אותו כל ישראל אבן, *Et universi Israelitæ eum lapidibus obruebant*, exponit de Achane solo, שחלל את השבת *quia profanavit Sabbatum:* illud autem, וישרפו אותם *& comburebant eos*, vel potiùs ex ejus mente, *ea*, de tentorio & rebus mobilibus, האהל והמטלטלין: illud denique, ויסקלו אותם *& obruebant eos lapidibus*, exponit de bobus & bestiis, השור והבהמות. R. Levi Ben Gersom etiam ait, ומ"ש וישרפו אותם באש ויסקלו וגו' *Quod autem dicit, ET COMBUREBANT EOS* (vel *EA*) *IGNE, ET OBRUEBANT EOS* (vel *EA*) *lapidibus, id refertur ad animalia, nempe Achanis boves, asinos & oves. Et refert animalia ista igne combusta fuisse postquam lapidibus fuissent obruta. Non autem simul comprehendit lapidationem animalium istorum cum lapidatione Achanis, quia id manifestum est, in hoc negotio hominem & animalia ista non fuisse simul comprehensa.* Kimchi autem refert patrem suum aliter adhuc exposuisse, nempe pœnam præscriptam fuisse Combustionem, כי רינם היה בשריפה: ישרף באש אותו, uti dicitur, וכל אשר לו, *comburetur igne is, & quicquid est ei*, Jos. 7. 15. Cùm igitur dicitur, וירגמו אותו *& obruebant eum lapidibus*, sensum esse, כשהיו מוליכין אותו לשרפה היו רונמין ומשליכין עליו אבנים מרוב כעסם עליו, *Cùm ducerent eum ad comburendum, pra vehementi ipsorum in eum indignatione lapides in eum conjiciebant.* Quod autem sequitur de comburendo, & lapidibus obruendo, ità intelligendum, nempe Achanem, & quicquid ei erat, combustum fuisse, ac postea lapidibus obrutum, nempe magnum lapidum acervũ in signum fuisse congestum. Sed prima expositio maximè concinna videtur, cui similem vide in Annotat. Tremelii & Junii ad Jos. 7. 15.

Judic. 11. 30.

ET Jephthah vovit votum, &c.] In Bereshith Rabba sect. 60. in hunc modum scribunt; *Quatuor fuerunt qui quærebant quod non idoneum erat,* (שלא כהונן) *& tribus eorum dabatur quod erat idoneum, uni autem quod non erat idoneum. Fuerunt autem isti, Eliezer* (Abrahami servus,) *Caleb, Saul, & Jephthah. Eliezer dixit, Et sit puella quæ, &c.* Gen. 24. 14. *Si exiisset ancilla quæpiam, & potum dedisset, numquid eam filio heri sui uxorem accipisset? Mirum id fuisset.* (אתמהא) *Paravit autem ei Deus ſ. b. ut erat idoneum. Evenit enim ut antequam absolvisset loqui, ecce Rebecca adveniret, &c. Caleb dixit, Qui percusserit Kiriath Sepher, &c.* Jos. 15. 16. *Quid? si servus aliquis urbem istam cepisset, an filiam suam ei daturus fuisset? Paravit autem ei Deus ſ. b. quod erat idoneum; uti dictum est, Et cepit eum Othniel, &c. Saul dixit, Erit autem ut qui percusserit illum, &c.* 1 Sam. 17. 61 *Æthiops quispiam,* (כושי אחד) *vel gentilis, vel servus egressus eum percussisset, an dedisset ei filiam suam? Sed Deus ſ. b. ei quod idoneum fuit paravit; quemadmodum scriptum est, David autem filius viri Ephrathei, &c. Jephthah dixit, Et erit ut quod exibit è foribus domûs meæ, &c. Ecce si exiisset asinus, aut canis aliquis, aut felis,* (חתול) *num in holocaustum obtulisset? Et Deus ſ. b. paravit ei id quod idoneum non erat;* (nempe ad offerendum, שלא כהוגן) *hoc est quod dicitur, Et venit Jephthah Mitspam ad domum suam, & ejus filia egressa est ei obviàm, &c.* Et mox, *Nónne autem illic erat Phinees, qui voto eum solveret? Sed Phinees dixit, Illi me opus est, & ego ad eum vadam?* (הוא צריך לי ואני אלך אצלו) *Et Jephthah dixit, Ego sum primarius dux Israelis,* (אני ראש קציני ישראל) *& ego ibo ad Phineam? Inter hunc & illum periit puella* (בין דין לדין אבדה הנערה) *Hoc est quod homines dicunt,* (quod vulgò dicitur) בין חיותא למחבלתא אול ברא דעלובתא, *Inter obstetricem & parturientem perit filius afflicta.*

1 Sam. 1. 11.

ET vovit votum, & dixit, צבאות ה", *Domine exercituum, &c.*] In Beracoth fol. 31. col. 2. R. Eleazar dixisse traditur, מיום שברא הק"בה את עולמו לא היה אדם שקראו להק"בה צבאות עד שבאת" חנה וקראתו צבאות, *A die quo Deus ſ. b. mundum suum creavit, nemo fuit qui Deum ſ. b. appellavit Dominum exercituum, donec Hannah venit, & eum ità appellavit.* Deinde sequitur, אמרה חנה לפני הק"בה רבש"ע מכל צבאי צבאות שברא" בעולמך קשה בעיניך שתתן לי בן, *Dixit Hannah, Domine mundi, cùm tot exercitus creaveris, an difficile est in oculis tuis ut des mihi filium?* Quin & parabolâ quadam res sic illustratur; *Cui est res similis? Regi mortali* (ad verb. *carni & sanguini,* בשר ודם) *qui fecit convivium servis suis: venit autem pauper quidam, & ad ostium stans dixit, Da te mihi frustum aliquod;* (תני לי פרוסה אחת) *cùmque nemo eum curaret, abiit ad Regem, atque ei dixit, Domine Rex, è toto isto convivio quod feci ti, num durum tibi videtur unum mihi frustulum dare?*

1 Sam. 1. 17. *Et respondit Eli, Vade in pace, & Deus Israelis det tibi petitionem tuam,* &c.] In loco proximè citato idem etiam R. Eleazar dixisse fertur; מאן לחושר את חברו בדבר שאין בו שצריך לפייסו ולא עוד אלא שצריך לברכו שנ" ואלהי ישראל יתן את שלתך, *Hinc apparet, eum qui socium suum immeriti suspectum habet, debere eum placare; neque id solum, verùm etiam ei benedicere; uti dictum est, Et Deus Israelis det tibi petitionem tuam.*

Psal. 25. 11.

Propter nomen tuum, Domine, remitte iniquitatem meam; nam magna est] Elegans est illud Hebræorum in Vajikra Rabba sect. 5. אמר הוד לפני הק'בה רבונו של עולם את אלוה רב ואנא חובי רבבין יאי לאלוה רב דשביק לחובין רבבין, *Dixit David coram Deo s. b. Domine mundi, tu es Deus magnus, & quod ad me attinet, peccata mea magna sunt: convenit Deo magno ut magna peccata remittat.*

Psal. 29. 4. *Vox Domini est cum potentia*] Non indignum notatu est, quod de hisce verbis occurrit in Elle Shemoth Rabba sect. 29. statim ab initio; אלו היה כתוב קול ה' בכח לא היה העולם יכול לעמוד אלא קול ה' בכח בכח של כל א' וא' דברחורים לפי כחן והוקנים לפי כחן והקטנים לפי כחן, *Si scriptum fuisset, Vox Domini est cum potentia sua, mundus non posset subsistere. Sed vox Domini est cum potentia, nempe uniuscujusque potentia* (uniuscujusque potentiæ attemperata) *juvenibus juxta ipsorum potentiam, & senibus juxta ipsorum potentiam, & parvulis juxta ipsorum potentiam.*

Psal. 49. 12. *Homo in honore* בל ילין *non pernoctavit*] Ità primariò vox Hebræa significat. Hinc in Bereshith Rabba sect. 12. R. Jose narratur dixisse, אדם דראשון לא לן כבודו עמו, *Gloria primi hominis cum eo non pernoctavit.* Ad id confirmandum affertur illud Psalmi, *Homo in honore non pernoctavit.* Additur ibidem Rabbinos dixisse, במוצאי שבת ניטל זיו ממנו וטרדו מן עדן, *In principio sabbati* (ad verbum *in egressum Sabbati*, i. cùm primùm sabbatum quasi egressum est è cubiculo, & mundo apparuit; sic sol *egredi* dicitur cùm oritur) *ejus* (nempe Adami) *splendor ei ablatus erat, & expellebatur è horto Edenis.* Quod autem istic de R. Jose, sectione præcedente de R. Ami memoratur.

Psal. 92. in titulo. *Psalmus* (&) *Canticum in diem sabbati.*] In Bereshith Rabba sect. 22. in fine nonnihil quod hunc locum spectat reperitur, התחיל אדם הראשון מטפח על פניו אמר כך היא כחה של תשובה ואני לא הייתי יולע מיד עמד אדם הראשון ואמר מזמור שיר ליום השבת, *Cœpit homo primus se in faciem percutere, & dixit, Tanta est vis respiscentiæ, & ego nesciebam. Protinus stetit homo primus, & dixit, Psalmus* (&) *Canticum in diem sabbati*, &c. Deinde sequitur, *R. Levi dixit,* המזמור הזה אדם הראשון אמר ונשתכח מדורו ובא משה וחדשו על שמו מזמור שיר ליום השבת, *Psalmum hunc homo primus composuit, & à seculo ipsum oblivioni fuit traditus: venit autem Moses, & renovavit eum juxta nomen suum,* (vel *ejus*, scil. Adami) *Psalmus* (&) *Canticum in diem sabbati.* Sed quid istud, על שמו *juxta nomen suum*, vel *ejus*, sibi velit, haud satis assequor. Glossator ait in istis vocibus, מזמור שיר ליום השבת initiales literas efficere nomen משה *Moses*, & literam ל esse interpositam, (nempe in voce ליום) ob majorem humilitatem; quin & literâ istâ eum innui qui legem docuit (למד *Lamad* in Piel *Limmed* significat *docuit*) Israelem. Hebræa sic se habent, נוטריקון משה ידעתיל למ'ד בניהם מפני ענוה יתירה ואת למ'ד רמז על מי שלמד תורה לישראל. Sed ista Cabbalistica sunt, & inania. Chald. Paraph. Psalmi hujus titulum sic exhibet; שבחא ושירא די אמר אדם קדמאה על יומא דשבתא, *Laudatio* (seu *Hymnus*) *& Canticum, quod homo primus dixit de die Sabbati.* Kimchi in Comment. suo super istum Psalmum ait, in Dras (sic appellant Expositionem minùs literalem) dici, Adamum primum hominem eum dixisse cùm in vespera Sabbati creatus fuisset, & peccasset, & maledictionem subiisset, & horâ duodecimâ diei sexti ex horto Edenis ejectus fuisset, Veniisse siquidem tunc Deum ut pœnam mortis ei infligeret, (ליתן איפוסין, i. ut Kimchi exponit, גזר דין שתשות) intrante autem Sabbato sententiam judicialem fuisse amotam; (ונכנס שבת ופנה אותו) tunc Adamum hymnum in Sabbatum dixisse, quia ejus gratiâ judicialem istam sententiam evasisset. R. Salomon rationem inscriptionis Psalmi sic reddit, שאומרים אותו בשבתות וחוא מדבר בענין העולם הבא שכלו שבת, *Quia dicebant* (cantabant) *eum in sabbatis; & loquitur de futuro seculo, quod totum est sabbatum.* Ità etiam quod posteriorem horum verborum partem spectat, à Rabbinis antiquioribus titulum istum exponi refert Kimchi. Sed prior pars verborum R. Salomonis simplicissimam maximéque genuinam expositionem in se continere videtur. Ità ipse Kimchi, ביום השבת היו אומרים זה המזמור בבית המקדש, *In die sabbati recitabant hunc Psalmum in domo Sanctuarii.* Similiter Aben Ezra, ושם ליום השבת שיאמרו בו זה המזמור, *Sensus istorum verborum,* IN DIEM SABBATI, *est, quòd in eo hunc Psalm recitabant.*

Psal. 99. 6. *Moses & Aaron* בכהניו *inter sacerdotes ejus.*] In Vajikra Rabba sect. 11. de sacerdotali Mosis functione Hebræi loquuntur, & ad eam astruendam hæc verba citant: R. Jodam nomine R. Josis filii Judæ, & R. Berechiah nomine R. Josuæ filii Kirchæ, dixisse narrantur, כל ס' שנה שהיו ישר' במדבר לא נמנע משה מלשמש בכהונה גדולה הדהי דכתיב משה ואהרון בכהניו, *Totis quadraginta annis quibus Israelitæ erant in deserto, non prohibitus fuit Moses nè officio Pontificali fungeretur. Hoc est quod scribitur, Moses & Aharon inter sacerdotes ejus.* Mox etiam ibidem sequitur, R. Eliezerum filium Josis dixisse, פשוט הוא לן שבחילוק לבן שימש משה כל שבעה ימי המלואים, *Apertum est nobis, Mosen omnibus septem diebus Consecrationis* (nempe Aharonis) *indusio albo ministrasse.*

Psal. 100. 4. *Venite intra portas ejus* בתודה *cum gratiarum actione.*] In Midras Tillim ad Ps. 56. R. Phineas nomine R. Levi dixisse traditur, כל הקרבנות בטלים וקרבן תודה אינו בטל לעולם, *Omnes oblationes cessant, sed oblatio gratiarum nunquam cessat.* Kimchi ad locum refert R. Jochanan nomine R. Menachem dixisse, כל תפילות בטלות לעתיד לבה והודיה אינה בטלה כל הקרבנות בטלים לעתיד לבא וקרבן תודה אינה בטל, *Omnes orationes cessabunt in seculo futuro, sed gratiarũ actio non cessabit. Omnes oblationes cessabunt in seculo futuro, sed oblatio gratiarum actionis non cessabit.* Addit Kimchi explicandi gratiâ, רצה לומר כי התפלות בטלות שלא יצטרכו לשאול צרכי העולם הזה כי בעובה גדולה יהיו כל הימים ואין להם אלא שבח והודאה לאל: *Vult dicere, quòd omnes orationes cessabunt, quia non opus erit petere ea quæ in hoc seculo sunt necessaria; quia omnibus diebus magnâ bonorum copiâ fruentur, nec quicquam eis restabit, nisi ut Deum laudent, eique gratias agant.* Videtur autem Kimchi ista antiquorum dicta de diebus Messiæ intellexisse; istos enim Hebræi interdum appellant *seculum futurum*: sed omnes orationes tunc cessare falsum est. De vita in cœlo futuro verè dicitur, omnes orationes omnésque alias oblationes cessaturas, Laudationem tamen & gratiarum actionem etiam illic in æternum permansuram.

Psal. 101. 1. *Misericordiam & judicium cantabo, tibi Domine psallam.*] R. Judah filius Shilæ (uti est in Midras Tillim) dixit, נתן ויי' לקח בין לקח בין נתן יהי שם יי' מבורך בין כך בין כך לך יי' אומרה, *Dominus dedit, & Dominus abstulit: Sive auferat, sive det, sit nomen Domini benedictum: sive hoc, sive illo modo fuerit, tibi Domine psallam.* R. Berechiah nomine R. Levi dixit, על הטובה אומר ברוך הטוב והמטיב ועל הרעה אומר ברוך דיין האמת, *De bono dicet, Benedictus sit is qui bonus est & benefacit; de malo autem dicet, Benedictus sit Judex justus*, ad verb. *Judex veritatis*; R. Tanchuma apud R. Jodan dixit, *Una scriptura ait*, באלהים אהלל דבר, *In Deo laudabo verbum* (sive *rem*;) *& alia scriptura ait, In Domino laudabo verbum* (sive *rem:*) אם בא עלי בדין אהלל דבר אם בא עלי ברחמים אהלל דבר בין כך בין כך אהלל דבר, *Si in judicio ad me venerit, laudabo verbum* (sive *rem*); *si in proprietate misericordiæ ad me venerit, laudabo*

laudabo verbum (five *rem:*) *sive hoc, sive illud fecerit, verbum* (seu *rem*) *laudabo:* id est, Deum utcunque, quicquid mihi fecerit, laudandum censeo.

Psal. 112. 1. *In mandatis ejus delectatur valde.*] Maimonides in Comment. in Sanhedrin fol. 119. 1. refert R. Eliezerem observasse, dictum esse, במצותיו ולא בשכר מצותיו, *in mandatis ejus, non autem in præmio mandatorum ejus.* In Midras Tillim dicitur ולמה אשריו שלא עשה את המצות באנגריא אלא בשמחה במצותיו חפץ מאד, *Quare autē beatus est? Quia fecit mandata non coactè, sed cum gaudio;* (utì sequitur) *& in mandatis ejus delectatur valde.* Deinde ad rem illustrandam pariter ac confirmandam affertur exemplum Abrahami, qui, cùm Deus ei mandasset ut è terra sua exiret, non coactè (seu invitus, באנגריא) fecit, sed statim nullâ interpositâ morâ (מיד) accepit uxorem suam, &c. Et cùm ei à Deo mandatum esset ut se suósque circumcideret, non cunctatus est, sed statim eo ipso die mandatum præstitit. Cùm denique filium suum unicum Isaacum in holocaustum offerre jussus esset, non coactè, sed statim ad id præstandum se accinxit. Illud obiter notandum, vocem hîc in Midras aliquoties usurpatam, nempe אנגריא *angaria*, ejusdem originis ac notionis esse cum verbo ἀγγαρεύειν, quod occurrit Mat. 5. 41. & 27. 32. & Mar. 15. 21. Ex Herodoto autem patet vocem esse Persicam; nam lib. 8. de cursoribus apud Persas usitatis agens ait, hanc equorum cursitationem à Persis *angarion* appellari.

Prov. 10. 7.

זכר צדיק לברכה *Memoria justi est benedicta.*] Ad verb. *in benedictionem.* Verba ista Hebræi usurpare solent cùm de defunctis, quorum memoriæ favent, loquuntur. Plerumque autem abbreviatè scribunt, per ראשי תיבות seu *capita dictionum*, vel initiales vocum literas, ז'צ'ל, vel ז'ל, pro וזכרונם vel וזכרו לברכה, *Memoria ejus*, vel *memoria eorum, est benedicta.* Et in Midras Samuel circa initium traditur R. Isaac dixisse, כל מי שהוא מזכיר צדיק ואינו מברכו עובר בעשה דכתיב זכר צדיק לברכה, *Quisquis mentionem facit justi, & ei non benedicit, transgreditur præceptum affirmativum, quia scriptum est, Memoria justi est* (vel *sit*) *benedicta.* Addit autem istîc ille Rabbinus, וכל מי שהוא מזכיר רשע ואינו מקללו עובר בעשה דכתיב ושם רשעים ירקב, *Et quisquis mentionem facit impii, & ei non maledicit, transgreditur præceptum affirmativum; quia scriptum est, Et nomen impiorum putrescet.* Eadem etiam habentur in Bereshith Rabba sect. 47.

Prov. 16. 4. *Dominus fecit omnia propter se*] i. Propter laudem & gloriam suam, ut in Midras Tillim ad Psal. 89. parabolâ quadam explicatur. *Cui similis est mundus, & gloria Dei s. b.? Regi qui habet thesauros omnibus bonis refertos, & dicit, Quorsum sunt ista? Ego sumam servos, & eis cibum ac potum præbebo, atque illi me laudibus prosequentur. Sic mundus erat inanis & informis:* (תהו ובהו) *Stetit* (Deus) *& creavit mundum; creavit etiam hominem, & in omnia bona dominium ei dedit, ut ipsum laudibus prosequeretur.*

Prov. 31. 6. *Date siceram pereunti, & vinum,* &c.] In Bammidbar Rabba sect. 10. fol. 238. col. 2. R. Chanan dixisse memoratur, לא נברא יין בעולם הזה וכו' *Non creatum est vinum in hoc mundo, nisi ut in hoc mundo merces persolvatur impiis, qui perditi sunt in mundo futuro, & ad consolandum eos qui lugent. Hoc illud est quod dicitur, Et vinum eis qui animo sunt amaro. Hinc dixerunt, Omnibus qui in domo judicii* (seu à Judicibus) *capitali supplicio affecti sunt, datum fuisse vinum merum* (ad verb. *vivum*, aquâ minimè dilutum) *quod biberent; ut nimirum mens eorum turbata esset,* (nè scilicet dolorem suum sentirent) *ad stabiliendum illud quod dicitur, Date vinum pereunti.* In Sanhedrin fol. 43. 1. aiunt, היוצא ליהרג משקין אותו קורט של לבונה בכוס של יין כדי שתטרף דעתו שנ' תנו שכר לאובד ויין למרי נפש, *Qui ad pœnam capitis subeundam egrediebatur, ei bibendum dabant granū thuris in poculo vini, ut mens ejus turbaretur; quia dictum est, Date siceram pereunti, & vinum eis qui amaro sunt animo.* Sunt qui huc referunt illud Mar. 15. 23. *Et dederunt illi vinum myrrhâ conditum,* &c.

Isai. 48. 11.

Propter memetipsum, propter memetipsum faciam, &c.] Hic Prophetæ locus in Midras Tillim ad Ps. 107. 1. sic enarratur; *Non dicit* למעני *propter memetipsum, semel, sed bis,* למעני למעני *propter memetipsum, propter memetipsum. Dicit Deus s. b. Non facio nisi propter nomen meum, nè profanetur.* Et quare bis dicit, למעני, *Propter meipsum, Propter meipsum?* Dicit Deus *s. b. Cùm fuistis in Ægypto, redemi vos propter nomen meum: atque ità etiam de Edom faciam propter nomen meum. Et quemadmodum redemi vos in hoc seculo, ità redimam vos in seculo futuro.* Ibidem additur R. Hona nomine R. Abbin dixisse, *Hoc est quod Moses redarguendo dixit Israeli, Et scies quòd non propter justitiam tuam, nec propter rectitudinem cordis tui,* &c. Deut. 9. 5. *Ecce non facit nisi propter nomen suum.*

Isa. 58. 9. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet,* &c.] Non incommodè explicatur locus iste in eodem Midras ad Psal. 116. 1. *Dicit Deus s. b. Israeli, Vos desideratis,* (in Hebræo duntaxat est מתאוים, sed deesse videtur pronomen אתם) *ut preces vestras exaudiam; & ego postulo* (ואני מבקש) *ut vos mihi auscultetis. Et erit, si omnino audieris vocem Domini Dei tui,* &c. Deut. 28. 1, &c. *Si audieris eris exauditus;* (אם שמעת תהיה נשמעת: est autem נשמעת fem. generis, relatum, opinor, ad כנסת ישראל *Synagogam,* seu *congregationem, Israelis*) *sicut dictum est,* או תקרא ויי' יענה, *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet,* seu *respondebit.*

Isa. 66. ult. *Et egredientur, & aspicient cadavera virorum* הפשעים בי, *qui prævaricantur contra me.*] R. Huna nomine R. Simeonis, utì est in Midras Tillim ad Psal. 1. ult. non ineptè observat, non dictum esse שפשעו *qui prævaricati sunt,* sed הפושעים *qui prævaricantur,* שעדיין הולכין ופושעין, *quòd adhuc magis magisque prævaricantur.* Similia etiam habentur in Erubin fol. 19. 1.

Ezech. 9. 4.

והתויתו על מצחות האנשים וגו', *Et signabis signum super frontes virorum,* &c.] Locus iste multorum ingenia exercuit, & multis multa dicendi occasionem præbuit, vel indè saltem multi multa dicendi occasionem sumpserunt. *Quia* תו *Thau* est nomen literæ Hebraicæ, ultimæ scilicet literæ Alphabeti, ideo ex Hebræis pariter ac nostris nonnulli ità hunc locum intelligunt ac si litera THAU quorundam frontibus impressa esset. In Zohar in Gen. fol. 5. col. 4. litera THAU à Deo petiisse dicitur, (quemadmodum de aliis etiam Alphabeti literis auctor istius libri nugatur) ut per ipsam crearet mundum, seu ut in ipso statim Scripturæ initio, ubi de creatione mundi agitur, litera THAU poneretur: additur autem Deum respondisse, לית את כדאי למברי בך עלמא הואיל ואת וסנא למהוי רשים על מצחין דגוברין מחסנין דקיימו אורייתא מאלף ועל תיו וברשימו דילך יתותון, *Non es tu idonea ut per te mundus creetur, quandoquidem in id parata es ut imprimaris frontibus virorum fidelium, qui legem observarunt ab Aleph usque ad Thau,* (à prima litera usque ad ultimam) *& notâ tuâ morientur.* Kimchi etiam ad locum sic scribit; ורבותינו ז'ל פירשו תיו האותיות הנקראת תי'ו אמר וכ'ו *Rabbini nostri b. m. exposuerunt* THAU *de litera quæ appellatur Thau. Dixit Deus s. b.*

Gabriēli

Gabrieli (ex Rabbinorum istorum sententia loquitur, & illorum verba recitat) *Scribe super frontes justorum* Thau (literam) *atramento*, *& super frontes impiorum sanguine. Præterea quæritur quid* THAU (litera) *dicat: Rab dixit,* THAU (valet) *Thicjeh* (i. *vives*) *&* THAU (valet) *Thamuth* (i. *morieris.*) *Samuel autem dixit* (Thau idem valet quod) *Thammah* (i. *consumptum est*) *meritum Patrum.* Quæ Kimchi istic refert, ea habentur in tractatu Talmudico Shabbath, fol. 55. pag. 1. ubi etiam præterea ex sententia R. Samuelis filii Nachmanis dicitur, אלו בני אדם שקיימו את התורה כלה מאלף ועד תיו, *Isti sunt filii hominum qui universam Legem ab Aleph usque ad Thau observarunt.* Ex Græcis Vet. Test. Interpretibus unus aut alter Hebræam vocem THAU in versione sua reliquit. *Theodotio* (inquit Hieronymus ad locum) *ipsum verbum Hebraicum posuit* THAU, *qua extrema est apud Hebræos viginti & duarum literarum.* Græcus Scholiastes, & post eum Nobilius, ex Origene hæc citat, licèt in Origenis super Ezechielem homiliis ista nunc non reperiantur; *Aquila & Theodotio,* σημάνατε τὸ θαῦ ὅπι τὰ μέτωπα, *Signum Thau super frontes.* Videtur potiùs legendum, σημάνατε τὸ, vel τῷ θαῦ, *Signabis literam*, vel *literâ, Thau.* Sed de Aquila contrarium refert Hieronymus; unde Nobilius quod hîc de eo narratur, in alia fortasse editione factum ait. Sequitur autem tanquam ab Origene etiam dictum, *Hebræus autem quidam, ex iis qui in Servatorem crediderunt, dicebat in antiquis elementis ipsum Thau similitudinem habuisse characteris Crucis; & prophetiam esse de signo quod inter Christianos sit in fronte, quod quidem faciunt omnes qui crediderunt, quamcunque rem ordiantur, & præsertim preces, vel sacras lectiones.* Si ista scripsit Origenes, indè fortasse desumpta sunt illa Hieronymi, loco suprà citato, *Et ut ad nostra veniamus, antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thau litera crucis habet similitudinem, qua in Christianorum frontibus pingitur, & frequenti manûs inscriptione signatur.* Sed ut ista Hieronymi sententia obtineat, necessariò dicendum est, non solùm Hebræorum, sed & Samaritanorum Characteres esse mutatos, cùm extrema eorum litera, nempe THAU, ut hodie in libris pingitur, crucis figuram non habeat, id quod etiam observavit Casaubonus Exercit. 16. §. 78. *Notissimum* (inquit) *est, Thau in Samaritanorum Alphabeto à forma crucis longissimè recedere.* In homilia de Epiphania Domini, quæ inter Origenis opera habetur, hujusmodi verba reperiuntur; *Deniq; in Ezechiele Propheta, cùm omnes qui missus fuerat angelus occidisset, & interfectio cæpisset à sanctis, illi tantummodo sospites reservantur quos* T, *Tau litera, i. crucis pictura signaverat.* Sed Merlinus monet homiliam istam non redolere stylum Origenis, etiamsi ejus esse multi putent. Quin & Bellarminus De Scriptor. Eccles. de omnibus istis homiliis, quarum illa est octava, an Origenis sint dubitat. Notat siquidem in homil. 5. autorem se inter Latinos numerare. *Et si* (inquit) *tractatu quintus Latini autoris est, non parva suspicio est reliquos etiam tractatus ejusdem operis Latini autoris esse.* Ad hæc, autor iste, quisquis fuerit, non Hebræam literam THAU, sed Græcam TAU, & quæ ejusdem formæ est, Latinam T se intelligere indicat. Id disertè de Isidoro Hispalensi refert Sixtus Senensis Bibl. S. lib. 2. in verbo *Thau*; sic enim scribit, *Isidorus Hispalensis Episcopus arbitratus est per* THAU *significari literam Græcam* T, *taf, quia figuram Dominicæ crucis repræsentet.* Idem etiam ante multos annos observavi sensisse Tertullianum, qui primus, opinor, illum Ezechielis locum de figura crucis intellexit. Lib. 3. Contra Marcion. cap. 22. cùm verba Ezechielis in hunc modum citasset, *Dicit Dominus ad me, Pertransi in medio porta mediam Jerusalem, & da signum Tau in frontibus virorum*; statim addit, *Ipsa est enim litera Græcorum Tau, nostra autem* T, *species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris*, &c. Pessimâ igitur fide nobiscum agunt Duacenses, (seu potiùs Angli in Vet. Testamento Anglicè Duaci edito) qui ad istum Ezechielis locum in hanc sententiam scribunt; *Tertullianus adversùs Marcionem testatur, Apostolos & omnes Christi fideles signatos in frontibus suis signo Thau, extrema Hebræorum litera, crucis figuram habentis.* Hæc illi: cùm Tertullianus disertè loquatur de litera Græcorum *Tau*, & nostra litera *T*, de Hebræorum autem litera *Thau* prorsus nullam mentionem faciat. Ità igitur res sese habere videtur; cùm in Græca aliqua versione reperta esset Hebræa vox ταῦ, (sic enim nonnulli pronunciant, ut alii aspiratè θαῦ) Tertullianus, Hebrææ linguæ ignarus, existimans Græcam literam sic appellatam intelligi, cùm apertum sit literam istam crucem repræsentare, (etiamsi non istiusmodi crucem in qua passus est Christus) indè mysterium crucis à Propheta innui existimavit. Tertullianum secutus est Cyprianus (qui eum Magistrum appellare solebat) etiamsi hîc aliâ usus sit translatione: lib. 2. Testimoniorum adversùs Judæos, §. 22. *Quòd in hoc signo crucis* (inquit) *salus sit omnibus qui in frontibus notentur, apud Ezechielem dicit Deus, Transi mediam Jerusalem, & notabis signum super frontes virorum qui ingemiscunt*, &c. Similia etiam habet in libello ad Demetrianum. Cùm autem Hieronymus, vir Hebraicè doctus, perquam absurdum esse intelligeret, Ezechielis *Thau*, vel *Tau* de litera Græca interpretari, atque indè mysterium petere, & tamen ipsi commentum de cruce (admodum sanè, illis præsertim temporibus, plausibile) placeret, aliâ viâ aggrediendum censuit, ut nimirum Hebræam literam *Thau* intelligi debere, eâmque olim, ante mutatos scilicet ab Ezra characteres, crucis formam habuisse assereret. At utroque pede claudicat Hieronymi opinio: Neque enim Hebræa litera *Thau*, utì apud Samaritanos, ad quos provocat Hieronymus, exaratur, crucem ullatenus repræsentat, quod libri Samaritanorum characteribus scripti manifestè ostendunt; nec per *Thau* apud Ezechielem Hebræa litera sic dicta est intelligenda. Vox enim ista תו *Thau* apud Hebræos idem valet quod *Signum*: formatur nempe à verbo תוה *Thavah*, quod est *signare*; & in eodem Prophetæ loco alteri præponitur, והתויתתו, i. *& signabis signum.* Ità Lxx (quos vocant) Interpretes, καὶ δὸς σημεῖον ὅπι τὰ μέτωπα, &c. *Et da signum super frontes*, &c. Eodem etiam modo Aquilam (cui tamen & altera tribuitur interpretatio) & Symmachum transtulisse testatur Hieronymus. Atque isto sensu vocem *Thau* omnes Hebræi acceperunt, iis duntaxat exceptis, qui minùs literales expositiones sequi solent, quod Cabbalistis & Talmudicis est familiare. R. D. Kimchi, etiamsi non dissimulet aliter à nonnullis exponi, (istiusmodi nempe quos dixi) ipse tamen literali verborum sensui more suo adhærens, in hunc modum exponit; ענין סימן וכתיבה אמר שיתוה בדיו על מצחות האנשים הנאנחי' והנאנקים לסימן שלא יגעו בהם המשחיתים וזה הענין כענין דם הפסח במצרים לאות ולסימן אלא שזה היה במראה הנבואה: *Significat* (nempe vox THAU) *Signum & scriptionem*, (sive *notam inscriptam*) *atramento factam*, (id addit, quia hîc thecæ atramentariæ mentio fit) *super frontes virorum qui suspirabant & gemebant, in signum nempe vastatores eos non tacturos. Et hoc simile est ei quod narratur de sanguine Paschatis*, Exod. 12. *in Ægypto, quod pro signo etiam adhibitum erat*; *nisi quòd hoc* (apud Ezechielem) *in visione* (duntaxat) *Prophetica facta fuit.* Ità etiam Abrabaneel in locum, vocem תו *Thau* explicans ait, שהוא סימן וכתיבה. *Idem valet quod signum & scriptio*, vel *characteris impressio.* R. Nathan etiam in Concordantiis Hebr. תו *Thau* interpretatur סימן, quod est à Gr. σημεῖον *signum*; או גבול *vel terminum*, seu *limitem*: quia nimirum verbum תוה *Thavah* Psal. 78. 41. significat *limitare*; unde & תו *Thau limitem*, seu *signum limitaneum* quandoque poterit denotare. Sed & R. Salomon, cùm Talmudicos & minùs literales Expositores non rarò sequi soleat, hîc והתויתתו simpliciter exponit, ורשמת רושם, *Et signabis signum*, vel, *Et imprimes characterem.* Anglo-Duacenses aiunt Chald. Paraphrasten vertere eo modo quo Hieronymus, *Signa*

Thau; at hîc etiam eos ratio fugit. Nam Chaldæus habet, ותרשום תוא, *Et signabis Theva*, i. *signum*. Ut enim Hebræum תו *Thau*, ità etiam Chaldæum תוא *Theva* ab Hebræo formatum significat *signum*, utì vocem istam interpretatur Buxtorfius in Lexico magno; atque ità Latinè redditur in nota editione Bibliorum πολυγλώττων· nec dubito quin ità in Edit. Parisiensi & Antuerpiensi (etiamsi neutram mihi nunc inspiciendi copia suppetat) reddita sit. Præterea Syrus Interpres atque Arabicus (utì in memorata editione videre est) vocem תו *Thau* vocibus *signum* denotantibus reddunt. Hîc me continere non possum quin in Genebrardum æstum atque indignationem meam effundam. Fuit ille, fateor, Hebraicarum literarum valde peritus; sed quò peritior eò nequior atque impudentior, cùm in Psal. 78. 41. (vel juxta alios 77. 47.) ità scribat; *Exacerbaverunt*] *In Hebræo attingitur ratio hujus exacerbationis*, Sanctum, *inquit*, Israel limitaverunt, *signaverunt, ut quidem R. David & R. Abraham exponunt. At rectiùs vertatur, quod nullum adhuc observasse miror*, Crucifixerunt, *alluſione ad genus mortis quo Dominum tandem affecerunt. Nam* תו *Thau non tantùm* limitem, *verùm etiam* crucem *significat, à quo verbum* התוה: (sic legendum, non, ut mendosè scribitur, סתוה.) *Unde Origenes, Hieronymus, Tertullianus & Cyprianus apertè ostendunt, Tau Hebræorum crucis gessisse effigiem, ut apud Græcos & omnes ferè linguas. Hodie figura immutata est, improbitate Masorethorum & Judæorum, ut mysteria crucis obrunerent*, &c. Hæc ille; quæ istiusmodi sanè sunt, ut frontem insigniter perfricuerit necesse est cùm ista scriberet; imò vix sui compos fuisse videtur Genebrardus cùm adeò monstrosa & absurda effutiverit. Ubinam, quæso, reperitur תו *crucem* significare? Cujus loci indicio, aut cujus autoris testimonio id comprobatur? Nonnulli quidem volunt literam *Thau* crucis formam antiquitus habuisse; at vocem רו *crucem* significare nemo, opinor, unquam, vel ante, vel post Genebrardum somniavit. Deinde, quod de Origene, Tertulliano & Cypriano refert, quàm falsum sit, ex iis quæ antea diximus est manifestum. Illud verò pro merito satis exagitari non potest, quòd asserit Masorethas & Judæos figuram literæ *THAU* immutasse. Quot parasangis hoc ab eo distat quod de mutatis Hebræorum literis dicit Hieronymus? Hic siquidem hodiernas Hebræorum literas ab Ezra inventas putat, antiquas autem literas fuisse eas quæ apud Samaritanos habentur, atque inter eas ultimam Alphabeti literam *THAU* crucem repræsentare, etiamsi in hodierna Hebræorum litera *THAU* istiusmodi figura non appareat. Ea Hieronymi est opinio, non illa quidem satis sana, cùm nè Samaritanorum quidem litera *THAU* crucis effigiem habeat; sed tamen ab eo quod de Masorethorum improbitate improbè mentitur Genebrardus, opinio ista est maximè aliena. Sed & quàm pulcrè sibi constat ipse Genebrardus? Arbitratur enim Masorethas Hieronymo fuisse posteriores: at si litera *Thau* figuram crucis unquam habuit, figura ejus ante Hieronymi ætatem immutata est, ut ex verbis Hieronymi antè citatis patet; ac propterea juxta Genebrardum à Masorethis litera ista immutari non potuit. Quid? quòd ipse Genebrardus (in Psal. 21, 19. vel 22. 16.) fatetur Masorethas literas nusquam attigisse, sed in punctis duntaxat atque aliis notulis suum judicium & inventa secutos. Quoniam autem de Crucis figura non pauca dicta sunt, antequam finem faciam, Capnionis ea de re verba adscribam. Is igitur de Cabbala lib. 3. sub finem sic ait, *Certè hanc figuram Crucis sapientiores Cabbalistæ ad lignum æri serpentis in Deserto erectum referre volunt, licèt valde silenter, & occultè; idque* גמטריא, *i. per æqualitatem numeri. Horum namque* צלם, *i.* Crucis, *&* עץ, *i.* Ligni, *characteres utrinque centum & quinquaginta symboliſſant; quare facilis de altero ad alterum fit transitus, de cruce ad lignum, & de ligno ad crucem. Sed*

——*digito compesco labellum.*

At quid ista sibi velint, ego haud satis intelligo. Nam צלם non significat *crucem*, sed *imaginem*: nec istius vocis literæ, si numericè capiantur, efficiunt centum & quinquaginta, sed centum & sexaginta; cùm ץ denotet 90. ל 30. & ם 40. atque ità etiam vox עץ, nam ע valet 70. & ץ 90. In Capnione igitur pro *centum & quinquaginta* omnino scribendum *centum & sexaginta*.

Ezech. 21. 21.

NAm *rex Babylon stetit in bivio, in capite duarum viarum ad divinandum divinationem*, &c.] In Midras Tillim ad Psal. 79. 1. fertur R. Levi dixisse, in domo Nebucadnezaris octodecim annis fuisse vocem è cœlo, (בת קול) ut ascenderet, & destrueret Jerusalem; illum autem, cùm intelligeret quid Senacheribo accidit in diebus Ezechiæ, ascendere timuisse, nec credidisse Deum voluisse destruere Jerusalem; utì dicitur, (Lament. 4. 12.) *Non crediderunt reges terræ*, &c. Adstitisse igitur hariolum, ut intelligeret, utrùm ascenderet nécne; quemadmodum dicitur, (nempe in hoc Ezechielis loco) *Nam stetit in bivio*, &c. Cúmque projecisset sagittam propter Antiochiam (לשם אנטוכיא) aut propter Tyrum, aut propter Laodiceam (לשם לודכיא) eam fractam fuisse; non autem ità conigisse cùm projecerit propter Jerusalem; atque indè Nebucadnezzarem intellexisse se destructurum Jerusalem.

Hab. 2. 4.

Justus autem fide suâ vivet] In tractatu Talmudico Maccoth fol. 23. 2. & 24. 1. R. Samlai sic differuisse traditur; שש מאות ושלוש עשרה מצות נאמרו לו למשה שלש מאות ששים וחמשה לאין למנין יסת החמה ומאתים וארבעים ושמונה עשה כנגד איבריו של אדם, *Sexcenta & tredecim mandata dicta sunt Mosi*; (Coch in Excerptis addit, סיני *in Sinai*; sed in nupera editione Amstelodamensi vox ista non habetur) *trecenta sexaginta & quinque negativa, juxta numerum dierum solis*, (i. anni solaris) *& ducenta quadraginta & octo affirmativa, respectu* (eorundem) *membrorum hominis*. Coch verba ista, לאין & עשרה omittit; at absque eis distinctionis hîc facta ratio non apparet. Deinde additur, Rab Hammemnam dixisse, מאי קרא תורה צוה לנו משה מורשה קהלה שית מאה וחד סרי הוין אנכי ולא יהיה לך מפי הגבורה שמעינן, *Quid legitur?* (vel, *Quid Scriptura* scilicet ait?) *Legem præcepit nobis Moses, hereditatem*, &c. (Deut. 33. 4.) *vox Thorah* (i. Lex) *valet sexcenta & undecim*; (iste scilicet numerus ex literis vocis תורה exsurgit: nam ת est 400. ו 6. ר 200. & ה 5.) *ista autem, Ego* (scilicet, *sum Dominus Deus tuus*, &c.) *Et, Non erit tibi* (scilicet, *Deus alius*, &c.) *ex ore Dei audivimus*. Obiter nota, Hebræorum nonnullos illud, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te*, &c. primum præceptum, & quod sequitur, *Non erit tibi Deus alius coram me*; *non facies tibi sculptile*, &c. secundum constituere. Coch autem hîc paulò aliter Hebræa citat, idque, ut videtur, mendosè, licèt in eandem sententiam; תורה צוה לנו משה בגימטריא הוי הכי תורה שית מאה וחד סרי. Sed male vertit, *Thorah eum numerum efficit*, nempe 613. Nam ejus numeri duntaxat antè facta est mentio; verba autem Hebræa clarè dicunt *Thorah* efficere 611. atque ideo ut numerus 613. compleatur, additur duo præcepta ex ore Dei fuisse audita. Quare autem de duobus tantùm id affirmetur, causam non video. Ineptum certè est quod R. Salomon in Glossa ait, id colligi ex illo Psal. 62. 11. *Semel locutus est Deus; bis id audivi*. Sequitur autem in Gemara

mara, בא דוד והעמידן על אחת עשרה דכתיב מזמור לדוד מי יגור באהליך וגו' ea (nempe 613 præcepta) *ad undecim redegit; quemadmodum scribitur, Psalmus Davidis, Quis commorabitur in tabernaculo tuo,* &c. (Psal. 15. ubi undecim præcepta tradi observant, seu totidem proprietates viri, qui in Dei tabernaculo commorabitur.) Deinde nonnullis interjectis, בא ישעיה והעמידן על שש דכתיב הולך צדקות וגו' *Venit Isaias, & ea ad sex redegit, ut scribitur, Qui ambulat justè,* &c. (Isai. 33. 15.) Et paulò pòst, בא מיכה והעמידן על שלש דכתיב הגיד לך אדם מה טוב וגו' *Venit Micah, & redegit ea ad tria; prout scriptum est, Ostendit tibi, ô homo, quid sit bonum,* &c. (Mic. 6.8.) Et mox, חזר ישעיה והעמידן על שתים שנא' כה אמר ה' שמרו משפט ועשו צדקה *Rediit Isaias, & ad duo ea redegit; sicuti dictum est, Sic dicit Dominus, Custodite judicium, & facite justitiam.* (Isai. 56. 1.) Sequitur ibidem, בא עמוס והעמידן על אחת שנא' כה אמר ה' לבית ישראל דרשוני וחיו *Venit Amos, & redegit ea ad unum; quemadmodum dicitur,* (Amos 5. 6.) *Sic dicit Dominus domui Israelis, Quærite me, & vivite,* i. *& vivetis,* ut apud Virgilium,

Nos te marmoreum pro tempore fecimus; at tu
Cùm fœtura gregem suppleverit, aureus esto,

i. *eris.* Sed hoc ultimum exemplum parùm quadrat, atque ideo additur, מתקיף ליה רב נחמן בר יצחק אימא דרשוני בכל התורה כולה אלא בא חבקוק והעמידן על אחת שנא' וצדיק באמונתו יחיה: *Objecit ei Rab Nachman filius Isaaci, Illud Quærite me, de universa Lege dictum esse;* (i. totius Legis observationem in se comprehendere) *sed venit* (inquit) *Habakuk, & ea ad unum redegit; cùm dictum sit, Justus autem fide suâ vivet.* Gerardus Veltvykus in libello Hebraicè scripto ex Mechilta hæc affert, אתה מוצא שלא יירש אברהם אבינו העולם הזה והעולם הבא אלא בוכות האמונה שנא' האמין ביי' *Tu invenis Abrahamum patrem nostrum non hereditario jure possedisse mundum hunc & mundum futurum, nisi beneficio fidei; uti dictum est,* (Gen. 15. 6.) *Credidit Domino,* &c. In Elle Shemoth Rabba sect. 23. citatis istis de fide Abrahami verbis, additur, היא האמונה שישר נוחלין בה הכתוב אומר וצדיק באמונתו יחיה, *Ista est fides, per quam Israel hereditatem obtinet; & de ea Scriptura dicit, Justus autem fide suâ vivet.*

CAP. 5. *In quo multa V. Testamenti loca afferuntur, quæ non solùm à nostris, verùm etiam ab ipsis Judæis, præsertim antiquioribus, de Messia seu Christo exponuntur.*

ILlud Num. 24. 17. *Procedet stella ex Jacobo, & exsurget sceptrum ex Israele,* Chald. Paraph. Onkelos sic מתפרקן כד יקום מלכא מיעקב ויתרבא משיחא מישראל, *Cùm exsurrexerit rex è Jacobo, & exaltatus fuerit Messias ex Israele.* Similiter etiam Jonathan, כד ימלוך מליך תקיף מדבית יעקב ויתרבי משיחא ושבט תקיף מישראל; *Cùm regnaverit rex fortis è domo Jacobi, & exaltatus fuerit Messias, & sceptrum validum ex Israele.* Aben Ezra quoque ad locum ait, ורבים פירשוהו על המשיח *Multi interpretantur istud de Messia.*

Psalmum secundum R. Salomon fatetur veteres Rabbinos de Messiah exposuisse; sic enim disertè ait, רבותינו דרשו את הענין על מלך המשיח, *Rabbini nostri exposuerunt hanc rem* (de qua nempe agitur in Psal. 2.) *de rege Messia.* Sic & Kimchi in fine Commentarii super hunc Psalmum testatur nonnullos Expositores per משיח מלך המשיח *Messiam,* cujus mentio fit v. 2. hîc intelligere *regem Messiam*; atque addit, וכן פירשו ז"ל, *Et sic exposuerunt Rabbini nostri beatæ memoriæ.* Nec ab ista expositione abhorret Aben Ezra, cujus hæc sunt verba, והנכון בעיני כי זה המזמור חבלו אחד המשוררים על דוד ביום המשחו על כן כתוב אני היום ילדתיך או על המשיח, *Rectum autem est in oculis meis,* (seu *mihi videtur*) *hunc Psalmum à quodam ex Cantoribus fuisse compositum de Davide, cùm unctus esset; ac propterea scriptum est, Ego hodie te genui: vel de Messia.* Fidentior autē hîc est R. Obadiah HAGGAEN, seu *illustris,* qui pro argumento hujus Psalmi hæc habet, בזה המזמור ספר המחבר ענין ימות המשיח: *In hoc Psalmo recensèt autor res dierum Messiæ.* In tractatu Talmudico Succah fol. 52. 1. hæc occurrunt, ת"ר משיח בן דוד שעתיד להגלות במהרה בימינו אומר לו הק"בה שאל ממני, *Tradiderunt Rabbini, Messia filio Davidis, qui revelandus est citò in diebus nostris,* (sic vanâ spe sese lactant) *Deus ſ. b. dixit, Postula à me,* &c. Ibidem etiam & illud de Messia exponitur, *Filius meus es tu, ego hodie te genui.* Et in Midras Tillim ad illa verba, שאל ממני *Postula à me,* fertur R. Jochanan observasse, Deum dixisse שאל *Postula,* Salomoni; 1 Reg. 3. 5. Ahazo, Isai. 7. 11. & Messiæ, hoc in loco. Eadem etiam habentur in Bereshith Rabba sect. 43. Quin R. Moses Maimonides in Præfatione ad Perek Chelek, seu cap. 10. tractatûs Sanhedrim, uti à Clarissimo viro D. Pocockio est editus, pag. 160. illud, *Tu es Filius meus,* Messiæ dictum esse asserit.

Illud Psal. 21. 3. *Impones capiti ejus coronam auri purissimi,* in Midras Tillim ad locum, de Messia exponitur; מלך בשר ודם אין לובשין עטרת שלו והק"בה נתנה למלך המשיח שנא" תשית לראשו עטרת פז: *Regis mortalis coronam nemo sibi imponit; sed Deus ſ. b. coronam suam dat regi Messiæ; dictum enim est, Imponis capiti ejus coronam auri purissimi.* (Hornbeckius contra Judæos lib. 6. cap. 1. ait ex Midras Tillim ostendi Psal. 22. de Messia intelligi; sed ego valde mihi persuasum habeo, in Midras isto id non haberi, cùm multa indè in Psalmum istum annotaverim, sed hujusmodi nihil, quod sanè si occurrisset, nullo modo omisissem.) Similiter & in Ellè Shemoth Rabba verba ista de Messia exponuntur.

Illud Psal. 45. 2. *Pulcrior es quàm filii hominum,* Chaldæus sic reddit, שופרך מלכא משיחא עדיף מבני נשא, *Pulcritudo tua, ô rex Messia, excellentior est quàm* (pulcritudo) *filiorum hominum.* Kimchi etiam agnoscit Psalmum istum de Messia esse compositum. זה המזמור נאמר על מלך המשיח ונקרא שיר ידידות כלומר אהבת ה' למשיחו, *Hic Psalmus dictus est de rege Messia; & vocatur* CANTICUM AMORUM, *q. d. amoris Domini erga Messiam suum.* Aben Ezra quoque, cùm primò dixisset, זה המזמור נאמר על דוד, *Psalmus iste dictus est de Davide,* addit, או על המשיח בנו, *vel de Messia filio ejus.* Et R. Obadiah illud v. 1. *Dicam ego quæ feci de rege,* sic explicat, שהוא מלך השכלי וכמו כן יהיו דברי על מלך המשיח: *Rex iste est facultas intellectiva: atque ità etiam verba mea erunt de rege Messia.*

Illud Psal. 68. 29. *Reges munera tibi afferent,* in Midras Esther ad cap. 1. v. 1. de Messia exponitur. Ità & Obadiah Haggæon ad locum, הנה מלכי האומות ע"ע יובילו שי ומנחה לך המשיח, *Ecce reges nationum, qui colunt idola, afferent tibi, ô Messia, donum & oblationem.* Et quod sequitur ver. 32. *Regna terræ cantate,* &c. sic explicat, על מלכות המשיח שהקים, *ob regnum Messiæ, quod excitavit* (nempe Dominus.)

Psalmum 72. R. Obadiah ait compositum esse על ביאת המשיח *de adventu Messiæ.* Et Aben Ezra ait Psalmum istum esse נבואת דוד או אחד המשוררים על שלמה או על המשיח *prophetiam Davidis; vel ali-*

cujus ex Cantoribus, de Salomone, vel de Messia. Kimchi etiam ait, יש מפרשים זה המזמור על מלך המשיח *Sunt qui exponunt hunc Psalmum de rege Messia.* Certè veteres Hebræos ità expositisse apparet ex Midras Tillim, ubi ad ista verba, משפטיך למלך תן *Judicia tua da regi*, dicitur, זה מלך המשיח שנא' ויצא חוטר מגזע ישי, *Iste est rex Messias; sicuti dictum est, Et egredietur surculus è radice Isai.* Et in eodem Midras, ad illud Psal. 93. 2. נכון כסאך מאז *Parata est sedes tua ab antiquo*, ad verb. *à tunc*, inter alia quæ in Dei cogitationem ascendisse dicuntur ante creationem mundi, numeratur Messias; atque ad id confirmandum affertur illud ex hoc Psalmo, לפני שמש ינון שמו, *ante solem permanebit nomen ejus*; vel *permansit*, juxta id quod in Midras dicitur. Quin & Talmudici hinc statuerunt nomen Messiæ esse ינון *Jinnon*. In Sanhedrim cap. Chelek, fol. 98. 2. de nomine Messiæ quæritur, & inter alia ad quæstionem istam sic respondetur; רבי ר' ינאי אמרי ינון שמו שנ' יהי שמו לעולם לפני שמש ינון שמו, *Qui sunt de domo* (seu *familia*) *R. Jannai dicunt, Jinnon est nomen ejus; quemadmodum dicitur, Erit nomen ejus in seculum; ante solem Jinnon (permanebit) nomen ejus.* R. Salomon etiam ad illud v. 16. יהי פסת בר וגו' רבותינו פירשוהו לשון גלוסקיאות ליטות המשיח וכל המזמור במלך המשיח, *Rabbini nostri exposuerunt de placentis in diebus Messiæ; & totum Psalmum de Messia* exposuerunt. Chald. Paraph. etiam versum primum sic exhibet; אלהא הלכת דינך למלכא משיחא הב וצדקתך לבריה דדוד מלכא, *Deus, sententiam judiciorum tuorum da regi Messiæ, & justitiam tuam filio Davidis regis.*

Psalmum 110. Veteres Hebræos de Messia exposuisse apparet ex iis quæ à Velvyko in Hebraico suo libello citata sunt, אמר ר' אחא בר חנינה לעתיד מושיב הק"בה למלך המשיח לימינו ואברהם לשמאולו, *Dixit R. Acha filius Chaninæ, Futurum est ut Deus S. b. faciat regem Messiam sedere ad dexteram suam, & Abrahamum ad sinistram suam.* Sic in Midras Tillim ad illud Psal. 2. אספרה אל חוק *Narrabo statutum*, (seu *decretum*) dicitur ista narrata esse in Lege, nempe Exod. 4. 22. בני בכורי ישראל *Filius meus, primogenitus meus* (est) *Israel*; & in Prophetis, nempe Isai. 52. 13. הנה ישכיל עבדי ירום ונשא, *Ecce prosperè aget servus meus, exaltabitur, & elevatus erit*: & in Hagiographis, nempe Psal. 110. 1. נאם ה' לאדני שב לימיני, *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam.* Et ibidem ad Psal. 18. 35. ותתן לי מגן ישעך וימינך תסעדני, *Et dabis mihi scutum salutis tuæ; & dextera tua me suffulciet*, fertur R. Jodan nomine R. Chijæ dixisse, לעתיד לבא הק"בה מושיב למלך המשיח לימינו שנ' נאם ה' לאדני שב לימיני, *Futurum est ut Deus S. b. sedere faciat regem Messiam ad dexteram suam, cùm dictum sit, Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam.* Nec illud insuper habendum est, quòd in isto Midras ad hunc ipsum Psalmum, etiamsi primò de Abrahamo exponatur, הק"בה אמר לו שב לימיני שב ואני עושה לך מלחמה, *Deus S. b. dixit ei*, (nempe Abrahamo) *Sede ad dexteram meam; sede, & ego pro te bellum geram*, statim tamen sequitur, quod autor Decaplorum prætermisit, וכן הוא אומר למשיח, *& sic dicit Messiæ.* Inter recentiores etiam nonnulli Hebræorum similiter de Messia Psalmum istum intelligunt. R. Obadiah ad locum ait, זה המזמור חבר המשורר על המשיח, *Hunc Psalmum composuit Psaltes de MESSIA*: Et mox, לא תגלה עדיין אלא תשב לימיני ומלאכי השרה על שמאלי, *Non revelaberis adhuc, sed sedebis ad dexteram meam, & angeli ministratorii ad sinistram meam.* Sic nimirum explicat illud, *Dixit Dominus Domino meo, Sede ad dexteram meam*: Ubi etiam notandum est, Messiam ab hoc Rabbino Angelis esse prælatum. Autor etiam libri cui titulus אבקת רוכל *Pulvis aromatarii*, pag. 80. utì ab Hulsio est editus, loquens de Messia, & de Antichristo) adversùs Messiam pugnaturo, ait, בזמן הק"בה אינו מצריכו למלחמה אלא אומר לו שב לימיני, *Tunc Deus S. b. non adiget eum* (scilicet Messiam) *ut bellum gerat, sed dicet ei, Sede ad dexteram meam.* Et Munsterus in hunc Psalmum citat R. Aramam in Genesin scribentem; לא מצינו אדם ונביא שיתחנבא ולידתו וכו', *Non invenimus hominem, aut prophetam, cujus nativitas prædicta est ante nativitatem patris & matris ipsius, nisi Messiam justitiam nostram; & hoc innuit illud, Ab utero, ab aurora tibi est ros nativitatis tuæ; h. e. Antequam veniat uterus ejus quæ te pariat, prædicta est nativitas tua. Et hoc etiam innuit illud,* (Psal. 72.) *Ante Solem permanebit* (vel *permansit*) *nomen tuum. Nam ante creationem Solis validum & stabile erat nomen Messiæ nostri; & sedebat ad dexteram Dei: hoc nimirum est quod ait, Sede ad dexteram meam.* Etiamsi exempla Josiæ & Cyri observatiunculæ isti refragentur, id tamen observatu dignum est, tum hujus, tum 72. Psalmi verba à Rabbino isto, etiamsi recentiore, de Messia exponi.

Illud Psal. 118. 22. *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, factus est caput anguli.* R. Salomon etiamsi ad locum aliò trahit, tamen ad Mic. 5. 2. de Messia interpretatur. Sic enim locum istum explicat; אף היית לזעיר בשפחות יהודה מפני פסולת רות המואבידה שבך מסך יצא לי משיח בן דוד וכן הוא אומר אבן מאסו הבונים, *Æquum est ut sis parvula inter familias Judæ, ob impuritatem Ruth Mubitidis, quæ in te est: sed ex te egredietur mihi Messias filius Davidis: sic enim ait, Lapis quem reprobaverunt ædificantes*, &c.

Illud Cant. 2. 8. *Vox dilecti mei, ecce venit*, ex veteribus Hebræis nonnulli de Messia exposuerunt. Nam in Shir hasshirim rabba fol. 16. col. 3. R. Eleazar filius Jacobi dixisse fertur, קול דודי הנה זה בא זה מלך המשיח, *Vox dilecti mei, Ecce is venit; iste est rex Messias.* Et fol. 17. col. 2. ad illud, *Vox tumultus audita est*, &c. dicitur, זה קולו של מלך המשיח *Ista est vox regis Messiæ.* Quod occurrit Isai. 2. 3. 4. Kimchi ad locum interpretatur de Messia. Ad illud, *Et erit in novissimo dierum*, seu *in novissimis diebus, ait*, כל מקום שנאמר באחרית הימים הוא ימות המשיח, *Ubicunque dicitur, IN NOVISSIMO DIERUM, dies Messiæ intelliguntur.* Et ad illud, *Et docebit nos*, &c. והמורה הוא מלך משיח, *Doctor iste est rex Messias.* Atque addit, וליו אמר ושפט *Et de eo dicit, Et judicabit*, &c. Abrabaneel etiam, licèt in diversum abeat, tamen ait, אמרו ושפט בין העמים חשבו המפרשים שה שופט והסוכיח יהיה מלך המשיח, *Quod ait, Et judicabit inter gentes, expositores putant judicem & increpatorem istum futurum Messiam.*

Illud Isai. 4. 2. *In tempore illo erit germen Domini*, &c. Chaldæus vertit, בעדנא ההוא יהי משיחא דיי לחדוא וליקר ולפארות, *In tempore illo erit Messias Domini in gaudium & gloriam.* Et Kimchi ad locum ait, צמח ה' משיח בן דוד כמו שנא' והקימותי לדוד צמח צדיק, *Istorum verborum, GERMEN DOMINI, expositio est, Messias filius Davidis: quemadmodum dicitur,* (Jer. 23. 5.) *Et excitabo Davidi germen istum.* Atque addit, ופרי הארץ הוא אומר גם כן על המשיח, *Et fructus terræ etiam de Messia intelligitur.* Abrabaneel etiam varias recensens expositiones ait, ואחרים פירשו אותם על משיח צדקנו במהרה יגלה, *Alii autem exponunt de Messia, justitiâ nostrâ; citò revertetur.*

Illud Isai. 9. 6. *Puer natus est nobis, filius datus est nobis*, &c. Chald. Paraph. de Messia intelligit, etiamsi nomina ista, quibus puer, de quo fit sermo, ad Deum referat. Verba ejus hæc sunt; אמר נביא לבית דוד ארי רבי אתילד לנא וגו', *Dixit propheta domui Davidis, Puer natus est nobis, filius datus est nobis; & suscipiet in se legem ad servandam eam; & vocabitur nomen ejus à conspectu mirabilis consilio, Dei, fortis, permanentis*

ventis in seculo, *Messias, in cujus diebus pax multiplicabitur nobis.* Galatinus lib.3.cap.19. perperàm vertit, *min Kodam*, i. *ex parte, vel, de ante, Mirabilis consilio, Deus fortis, permanens*, &c. Quemadmodum מן קדם significare possit *ex parte*, fateor me nescire: significat *ab ante*, vel *à coram*, seu *à conspectu*; sed nomina quæ sequuntur, ab illo מן קדם reguntur, nec sunt nominativa, uti ea accepit Galatinus. Nec probanda mihi videtur ea Latina horum verborum interpretatio, quæ in Bibliis nostris θαυμαστῶς habetur, *Et vocabitur nomen ejus à facie Admirabilis consilii Deus, vir permanens in æternum, Christus*, &c. Ut illud מפליא *mirabilis* est genitivi casûs, ità etiam & אלהא *Dei*, & quæ sequuntur usque ad משיחא *Messias* sive *Christus*. Abrabaneel ad locum rectè ait, כפי דעת יונתן ור"שי ושאר המפרשי' כל אלה"ד הם תוארים להק"בה"ו מלבד שר שלום: *Juxta sententiam Jonathanis* (i. Chald. Paraphrastæ) *& R. Salomonis Jarchi, & reliquorum Interpretum, omnia hæc nomina sunt epitheta Dei s.b. præter illud, Princeps pacis.* Ipse autem Abrabaneel ad puerum isthic memoratum ea refert, etiamsi, ut reliqui ferè Judæi, ineptè per *puerum* istum Ezechiam intelligat. Ex Hebræis antiquioribus alii etiam nonnulli à Galatino (ubi suprà) citantur, qui locum istum de Messia intelligunt; sed quoniam autores ipsos mihi nunc inspicere non licet, eorum testimonia recensere supersedeo.

Illud Isai.11.1. *Et egredietur virga de stirpe Isai, & surculus de radicibus ejus*, Chaldæus sic reddit, ויפוק מלכא מבנוהי דישי ומשיחא מבני בנוהי יתרבי *Et egredietur rex de filiis Isai, & Messias de filiis filiorum ejus germinabit.* In Bibliis πολυγλώττοις est *Ungetur*, cujus interpretationis rationem non assequor; fortè locus est mendosus. Abrabaneel etiam tractans illa verba, *Exibit virga de stirpe Isai*, ait, שהוא משיח בן דוד, *Is est Messias filius Davidis:* atque ità etiam R. Salomon & Kimchi locum istum interpretantur.

Illud Isai.28.16. *Ecce ego fundo* (vel *fundavi*) *in Sion lapidem*, &c. Galatinus lib.3.cap.21. ait à Chald. Paraph. de Messia exponi, ejúsque verba sic recitat, הא אנא ממני בציון מלכא משיחא מלכא תקיף ניבר ואשתן, *Ecce ego constituo in Sion regem Messiam, regem potentem, robustum, & fortem.* Sed nec in editione Bibliorum Basilienfi, nec in Bibliis πολυγλώττοις vox משיחא *Messiam* reperitur. R. Salomon autem locum istum disertè exponit de Messia. Sic enim ait, כן צריך לפותרו הנני הוא אשר יסד כבר בציון אבן כבר נגורה גזרה לפני והעמדתי מלך המשיח שיהא בציון לאבן בוחן, *Sic necesse est interpretari, Ecce ego is sum qui jam in Sion fundavi Lapidem: jam decretum coram me factum est, & unctum regem Messiam, ut sit in Sion Lapis probatus*; vel, ex mente R. Salomonis, *firmus & validus.* Asserit enim לשון מואזר וחבק esse בוחן *vocem quæ Munitionem & Fortitudinem significat:* ut Isai.32.14. שאפל ובחן *arx & turris*; & Isai. 23.3. הקימו בחוניו *erexerunt turres ejus.* Sic R. Nathan in Concordantiis suis notat verbum בחן interdum denotare מבצר או חזק *Munitionem, vel Fortitudinem.*

Illud Isai. 42.1. *Ecce servus meus, sustinebo eum*, &c. Chald. Paraph. sic transfert, הא עבדי משיחא, *Ecce servus meus Messias*, &c. Kimchi etiam ad locum ait, וזה מלך המשיח *Iste est rex Messias.* Ità etiam Abrabaneel, qui gravi censurâ notat R. Saadiam & Aben Ezram, quòd ille de Cyro, hic autem de ipso Isaia interpretetur; similiter & alios nescio quos, quòd de justis Israelis exposuerint: Ait enim, ונראה שכל אלה החכמים חזקו בסנורים, *Videntur omnes hi sapientes perenssi fuisse cæcitate*, quia nimirum non viderunt Scripturam hanc non posse rectè exponi, כי אם על מלך ישראל מבית דוד, *nisi de rege Israelis ex domo Davidis*; id quod ex textûs serie probat; atque addit, וזהו משיח, *Et iste est Messias.* Galatinus lib.2.cap.6. refert Kimchium in libro SHORASHIM (seu *Radicum*) dicere, Prophetam in persona Messiæ dixisse, רוח אדני יהוה עלי יען משח ה"אוי, *Spiritus Domini Dei super me; propterea unxit me Dominus*, &c. Istum Kimchii librum mihi nunc integrum non est inspicere, cùm ad manum non sit; sed in Comment. ad locum planè diversus est. Ait enim, אלה"ד הם דברי הנביא על עצמו, *Ista sunt verba Prophetæ de seipso.* Atque ità reliqui, quos mihi hactenus videre contigit, Hebræi, licèt alienè, exposuerunt.

Illud Jer.23.5. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Davidi germen justum*, Chaldæus (ità etiam Chaldæus & Kimchi exponunt illud Jer.33.15. *germinare faciam Davidi germen justitiæ*) sic interpretatur; הא יומיא אתין אמר יי' ואקים לדוד משיח דצדיקיא *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & suscitabo Davidi Messiam justorum.* Sic Kimchi ad locum de germine isto justo loquens, ait, וזהו המשיח, *Iste est Messias.* Abrabaneel etiam agnoscit sermonem esse de Messia, etiamsi, Judæorum more, promissionem istam nondum impletam censeat, quia (scilicet) sub Templo secundo non erat rex de domo Davidis: sic regnum Messiæ non nisi carnale & terrenum esse somniant.

Illud Jer.30.9. *Sed* (ו hîc in Hebræo valet *sed,*) *servient Domino Deo suo, & Davidi regi suo*, &c. Chaldæus sic reddit, וישתמעון למשיחא בר דוד, *Sed obedient Messiæ filio Davidis.* Kimchi primò satis ineptè ait, אפשר שאמר וזה על דוד המלך שיקימנו מעפרו בעת תחית המתים, *Fortasse hoc dicit de Davide rege, quem suscitabit è pulvere suo in resurrectione mortuorum.* Sed statim saniùs sapiens addit, ואפשר שיאמר ע"ד המשיח בנו ויקרא שמו דוד, *Fortasse autem id dicit de Messia filio ejus, atque illum appellat Davidem.* Sic Abrabaneel ad locum ait, היא מלך המשיח שימלוך מבית דוד ויוחס אליו, *Iste* (scilicet David, cujus hîc fit mentio) *est rex Messias, qui regnabit è domo Davidis, & ab illo est orinndus.*

Illud Ezech. 37.24. *Et servus meus David erit rex super eos*, Kimchi ad locum de Messia exponit, המלך המשיח יקרא שמו דוד לפי שיהיה מזרע דוד קראו דוד *Rex Messias appellatur David: quia erit ex semine Davidis, appellat eum Davidem.*

Illud Dan.7.13. *Et ecce cum nubibus cœli sicut filius hominis venit*, &c. R. Saadiah ad locum de Messia dictum agnoscit, וזהו משיח צדקנו, *Iste est Messias justitia nostra.* Deinde objectionem proponit inquiens, והלא כתוב על המשיח עני ורוכב על חמור, *Nónne autem scriptum est de Messia*, (Zach. 9. 9.) *pauper, & sedens super asinum:* respondet, ità scriptum esse, quia Messias veniet, בענוה כי לא יבא בסוסים בנאות *in mansuetudine, nec veniet cum equis in magnificentia:* quod autem hîc dictum est, quòd *veniet cum nubibus cœli*, הוא רוב הגדולה שיתן הבורא למשיח, *id significat ingentem illam dignitatem quam Creator dabit Messiæ.* R. Salomon etiam ait, הוא מלך המשיח, *Iste est rex Messias.* Et Aben Ezra, ויאמר ר"י ישועה אמר כי זה כבר אנש הוא המשיח ונבון דבר, *Dixit R. Jeshua, quòd iste* SICUT FILIUS HOMINIS, *est Messias, & rectè dixit.*

Mic.5.2. *Et tu Bethlehem Ephrata*, &c. pro eo quod in Hebræo est, ממך לי יצא להיות מושל בישראל *Ex te mihi egredietur qui erit dominator in Israele.* Chald. Paraph. habet, ממך קדמי יפוק משיחא למהוי עביד שולטן על ישראל, *Ex te coram me egredietur Messias, ut sit exercens dominium super Israelem.* Sic etiam R. Salomon explicat, ממך לי יצא משיח בן דוד, *Ex te mihi egredietur Messias filius Davidis.* Similiter & Kimchi אעפי שהיית צעיר באלפי יהודה ממך לי יצא שופט להיות מושל בישראל וזהו המלך המשיח, *Etiamsi sis parvula in millibus Judæ, ex te mihi egredietur Judex, ut sit dominator in Israele: & iste est rex Messias.* Eadem etiam est Abrabaneelis ad hunc locum expositio, הוא מלך המשיח *Is est rex Messias.* In Pirke Eliezer cap.3. inter alia quæ condita fuisse dicuntur antequam mundus crearetur, recensetur nomen Messiæ, quia nempe dicitur Psal. 72.17. *Ante solem* ינון שמו *permansit nomen ejus:* & alibi Scriptura ait, *Et tu Bethlehem*, &c. *Et exitus ejus ab initio;*

vel *ab antè*, מקדם, cùm nondum creatus erat mundus. Etiamsi Rabbinicam insulsitatem ista redoleant, id tamen ex eis apparet, ex istius Rabbini sententia cùm illum in Psalmis, tum hunc Prophetæ locum de Messia esse intelligendum.

Zach. 6.12. הנה איש צמח שמו, *Ecce vir, Germen nomen ejus:* Chaldæus habet, הא גברא משיחא שמיה *Ecce vir, Messias est nomen ejus.* R. Salomon exponit de Zerubbabele, sed alios de Messia interpretari non dissimulat. ויש פותרים אותו במלך המשיח, *Sunt autem qui de rege Messia interpretantur.*

Illud Zach. 9.9. *Ecce rex tuus tibi venit,* &c. R. Saadiah ad Messiam refert, ut suprà notatum ad Dan. 7.13. Atq; ità exponitur in Bereshith Rabba sect. 75. Veltvykus in libello antea memorato ex veteribus Hebræis hæc citat, חולם חמור חולם גאולה כי משיח ירכב על חמור: *Qui somniat de asino, somniat de redemptione. Nam Messias sedebit super asinum.* Aben Ezra ad locum refert nonnullos de Messia filio Davidis intelligere, licèt ipse de Juda Maccabæo interpretetur: quo nomine multis eum refellit Abrabaneel, asserens totam sectionem ejus sententiæ quàm maximè refragari ושאר דברי פרשה כולם מכחישים דעתו תכלית ההכחשה, & disertè de Messia exponit. Quin & R. Salomon negat de alio posse exponi: אי אפשר לפותרו אלא על מלך המשיח שנא' בו ומשל מים ועד ים ולא מצינו מושל לישר' כזה בימי בית שני, *Impossibile est exponere aliter quàm de rege Messia, de quo dictum est, Et dominabitur à mari ad mare*, Psal. 72.8. *Nec invenimus talem dominatorem in diebus Templi secundi.* Vide suprà quod annotatum est ad Jer. 23.5.

Illud Zach. 11.12,13. *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos: Et dixit mihi Dominus, Proice illud ad figulum,* &c. illud, inquam, in Bereshith Rabba 98. fol. 110. col. 3. de Messia exponitur. Locum notavi, verba non notavi, nec id nunc facere licet, cùm liber, quem ab æterna memoria dignissimo Armachano aliquantisper utendum accepi, ad manum non sit.

Illud Zach. 12.10. *Et respicient ad me, quem confixerunt, & lugebunt,* &c. in Succa fol. 52.1. de Messia filio Josephi, (sic Judæi, insulsè solent duplicem fingere Messiam, nempe Messiam filium Davidis, cui nihil non magnificum & gloriosum assignant, & Messiam filium Josephi, cujus deteriorem conditionem esse volunt) cùm occisus esset, exponitur. Sic Kimchi ad locum ait ורו'ל פי'ע על משיח בן יוסף שיהרג במלחמה, *Rabbini nostri b. m. exposuerunt de Messia filio Josephi, qui in bello occidetur.*

Verba Malachiæ, quæ occurrunt cap. 3. v. 1. nempe ista, *Et subitò ad templum suum veniet Dominus, quem vos quæritis, & angelus federis, in quo vos delectamini,* &c. Kimchi ad locum de Messia exponit; sic enim ait, האדון הוא מלך המשיח והוא מלאך חבריתכם, DOMINUS, *is est rex Messias: & iste est* ANGELUS FEDERIS. Addit quidem, או אמר מלאך הברית על אליהו, *vel dixit,* ANGELUS (seu NUNTIUS) FEDERIS *de Elia.* Sed secundæ cogitationes hîc non sunt sapientiores.

CAP. 6. *Ubi de Isaia cap. 53. agitur, idque à veteribus Hebræis de Messia expositum fuisse ostenditur.*

LOcum illum Isaiæ πολυθρύλλητον, nempe cap. 53. antea de industria prætermisi, atque ejus nunc peculiarem rationem habendam censeo. Abrabaneel in Præfat. sua in Isaiam ait hunc prophetam reliquis esse præpositum, cùm ob alia, tunc quòd altiorem gradum, & clariorem formam prophetiæ, quàm reliqui, habuerit. Atque observat de Jeremia, Ezechiele & aliis sæpe dictum esse, *Et fuit verbum Domini ad Jeremiam,* vel, *ad Ezechielem,* &c. de Isaia autem non nisi semel reperiri, nempe Isai. 38.4. quòd ei non in somno, ut alils, sed in visione Prophetia obvenerit: atque ideo in initio dictum esse, *Visio Isaiæ,* &c. Videri autem Isaiam ob mortem Ezechiæ adeò pavidum ac solicitum fuisse, ut sopor eum opprimeret, atque ità dormienti tunc temporis Prophetia ei obtingeret. Quàm solida ista sint, non discutio; illud certè extra dubium est, Isaiam cùm alibi sæpe, tum potissimùm capite 53. & versùs finem cap. 52. clarissimè luculentissimèque de Christo prophetasse; ut hujus præsertim capitis ratione illud Hieronymi (Præfat. in Isaiam) verissimum esse comprobetur, *quòd non tam Propheta dicendus sit quàm Evangelista. Ità enim universa Christi Ecclesiaque mysteria ad liquidum prosecutus est, ut non putes eum de futuro vaticinari, sed de præterito historiam texere.* Certè Joannes Isaacus, ex Judæo factus Christianus, (contra Lindan. lib. 2.) testatur, hoc ipsum caput ad fidem Christianam ipsum perduxisse. Refert etiam se Comitiis Franckfordiensibus cum quinque Rabbinis congressum, ex isto capite in eas angustias illos redegisse ut nè verbum quidem adversùs argumenta & rationes ipsius respondere potuerint. Hulsius (De Judæorum Messia lib. 1. part. 2. pag. 318.) hoc Isaiæ caput vocat *carnificinam Rabbinorum*; & refert aliquos Judæos ipsi confessos esse, *Rabbinos suos ex propheticis scripturis facilè se extricare potuisse, modò Isaias tacuisset.* Utcunque autem recentiores Judæi reclament, atque in alia potiùs omnia eundum censeant, antiquiores tamen Hebræi hoc caput, & partem præcedentis, nempe à versu 13. de Messia intellexerunt. Illud Isa. 52.13. הנה ישכיל עבדי, *Ecce servus meus prosperè aget*, Chaldæus vertit הא יצליח עבדי משיחא *Ecce prosperè aget servus meus Messias.* Et ex verbis immediatè sequentibus, ירום ונשא ונבה מאד, *Exaltabitur, & elevatus erit, & excelsus erit valde*, prisci Judæorum sapientes Messiæ supra Abrahamum, Mosen, ipsósque Angelos eminentiam collegerunt, dicentes (utì ipse refert Abrabaneel, licèt in alienum sensum detorquere conetur) ירום מאברהם ונשא ממשה ונבה ממלאכי השרת, *Exaltabitur supra Abrahamum, & elevabitur supra Mosen, & excelsior erit angelis ministratoriis.* (Vide Joh. 8.56, 58. Heb. 3.3 & 1.13, 14.) In Sanhedrin cap. Chelek fol. 98. 2. illud Isai. 53.4. אכן חלינו נשא ומכאובנו סבלם אנחנו חשבנוהו נגוע מוכה אלהים ומעונה, *Veruntamen* (vel *Certè*) *infirmitates nostras ipse tulit, & dolores nostros portavit: nos autem existimavimus eum plagâ affectum, percussum à Deo & afflictum*; illud, inquam, ad Messiam refertur, atque indè inter alia Messiæ nomina Rabbini dixerunt, חוורתא דבי ר' שמו, *Leprosus de domo Rabbi est nomen ejus.* Quin & Abrabaneel (ad Isa. 52.13, &c. quæst. 1.) fatetur דעת חכמים ו'ל בהרבה ממדרשותיהם, *sententiam Sapientum b. m. in multis ipsorum commentariis* esse, totam hanc sectionem ab Isa. 52.13. ad Isa. 54. de Messia esse intelligendam. Addit etiam, וכן ראיתי ב'ששה הרמ'בן על הנבואה הזאת שפירשה על מלך המשיח, *Et vide expositionem, quam fecit R. Moses filius Nachmanis,* (magni nominis Rabbinus inter recentiores) *quæ eam* (Isaiæ Prophetiam) *exponit de rege Messia.* Luculentius etiam testimonium de veteribus Hebræorum Magistris præbet R. Moses Alschec, (cujus in hanc Isaiæ portionem commentarios unà cum commentariis Abrabaneelis in eandem edidit Constantinus L'Empereur) inquiens, הנה ר'ל פה אחד קיימו וקבלו כי על מלך המשיח ידבר *Ecce Rabbini nostri b. m. uno ore statuerunt, & à Majoribus acceperunt, de rege Messia* (Prophetam) *esse locutum.* Et addit, ואחריהם ו'ל נמשוך *& eorum, quorum in benedictione sit memoria, vestigiis insistemus.* Sed ineptè per *Messiam* intelligit Davidem, cùm in Judæorum scriptis Messias בן דוד filius *Davidis* passim appelletur. Cùm autem totum hoc Isaiæ caput de afflictionibus Christi, quas ob populi sui peccata perpessus est, loquatur, operæ pretium erit etiam hîc annotare quid Talmudici de hac re dicant, utì eorum verba Veltvykus in libro aliquoties laudato recitat. דתניאל הק'בה מתנה עמו וכו', *Incepit Deus s. b. pacisci cum illo,* (nempe Messia) *cùm eum creaverit. Dixit ei, Horum, qui reconditi sunt juxta te, peccata jugum ferreum te subire facient, & te similem reddent vitulo huic, cujus oculi colligant, & suffocabunt* (seu *angustiâ afficient*) *spiritum tuum*

jugo;

jugo; & ab iniquitatibus eorum lingua tua adhærebit palato tuo. *Num hanc conditionem amplecti velis?* Dixit Messias coram Deo ſ. b. *Domine mundi, Forſan afflictio iſta multos annos durabit.* Dixit ei Deus ſ. b. *Per vitam tuam, & vitam capitis tui, Septimanam* (vel *Juramentum*) *de te decrevi, ſi animam tuam jam ab hoc tempore dolore affeceris.* Dixit coram ei, *Domine mundi, exſultatione cordis mei & gaudio cordis mei in me ſuſcipio, eâ conditione, ut nè unus quidem pereat ex Iſraele; & non ſolùm illi ſalventur qui in diebus meis vivunt, verùm etiam mortui, qui mortui ſunt à diebus primi hominis ad hunc uſque diem: neq; ii ſolùm, ſed etiam abortivi ſalventur, nec ſolùm abortivi, ſed etiam ii quos creare cogiteaſti, neq tamen creati ſunt. Hâc conditione libens rem in me ſuſcipio.* Multa quidem hîc (ut in Judæorum ſcriptis uſu venit) inepta ſunt & futilia, nonnihil tamen quod uſui eſſe poſſit, & notatu non ſit indignum. Auctor etiam libri qui inſcribitur אבהת רוכל *Patris aromatarii*, uti eſt apud Hulſium de Judæorum Meſſia pag. 309. de afflictionibus Meſſiæ ſimilia citat ex Peſikta, antiquo apud Hebræos libro, quem mihi nondum videre licuit, ubi etiam verba Iſaiæ, quæ hoc capite 53. habentur, ad Meſſiam referuntur. בשברא הקב"ה ית' עורמו פשש ידו ונו', *Quando Deus creavit mundum ſuum, extendit manum ſuam ſub ſolio gloriæ, & produxit animam Meſſiæ, ejuſq; cæterarum, & dixit ei, Viſne tu creari,* (ità certè להבראות ſignificat; Hulſius vertit, *Viſne tu ſanare?* בריא quidem eſt *Pinguis, Sanus,* & הבריא *pinguem* ſeu *ſanum reddere*; ſed להבראות eſt Infinitivus in Niphal, frequens apud Rabbinos pro *creari*, à ברא in Kal *creavit*) *& redimere filios meos poſt ſex* (annorum) *millia? Reſpondit ei, Etiam. Dixit ei, Si ità ſit, ſuſtinebis caſtigationes* (Hulſius vertit, *An etiam ſuſtinebis caſtigationes*) *ad abſtergendam iniquitatem eorum, juxta id quod ſcriptum eſt,* Iſai. 53. 4. *Certè morbos noſtros ipſe tulit. Reſpondit ei, Suſtinebo eas cum gaudio. Dixit ei, Juſti vivent in adventu tuo. Reſpondit ei, Sit beneplacitum tuum, ut omnes vivant etiam abortivi.* Hulſius in Annotationibus monet, illud de anima Meſſiæ, communi Judæorum fundamento, de animarum omnium creatione eodem creationis univerſi tempore peractâ, niti. Vide, ſi libet, Hornbeckium contra Judæos lib. 4. cap. 1. pag. 321, &c. Nec tamen ideo, opinor, verbum להבראות perperàm à me verſum eſt, *creari*; nam *creari* ibi idem valere videtur quod *in corpus infundi*, ſi ad animam jam (ut ipſi volunt) creatam ſermo fiat: etiamſi cum perſona Meſſiæ licèt nondum exiſtente per proſopopœiam colloquium iſtud fingi poſſit. Ut huic capiti, atque primo etiam huic libro colophonem addam, id hîc notabo quod antea ſuo loco omiſſum eſt, nempe Kimchium ad illud Iſa. 40. 1. *Conſolamini, Conſolamini,* &c. dicere כל אלה הנחמות עתידות לימות המשיח, *Omnes iſta conſolationes futuræ ſunt in diebus Meſſiæ.*

CHRISTOPH. CARTWRIGHTI
MELLIFICIUM HEBRAICUM:
LIBER II.

שׁ

CAP. I. *In quo loca aliquot Euangelii ſecundum Matthæum illuſtrantur.*

Mat. 1. 1.

Liber generationis Jeſu Chriſti, filii Davidis, &c.] De genealogia Chriſti nonnulli obſervant, ideo non Mariæ, ſed Joſephi progenitores recenſeri, quòd Judæi non à matribus, ſed à patribus ſolerent genealogias texere. Vide Aug. contra Fauſtum lib. 3. cap. 2. & lib. 23. cap. 7. Huc illud facit quod in Bereſhith Rabba ſect. 7. occurrit, uti etiam in Baba Bathra fol. 110. 2. משפחת אב קרויה משפחה משפחת אם אינה קרויה משפחה, *Familia patris vocatur familia: familia matris non vocatur familia.*

Mat. 3. 9. *Nè exiſtimetis intra voſmet dicere, Patrem habemus Abrahamum,* &c.] Simile præceptum habent Hebræi in Midras Tillim ad Pſal. 146. אל תבטח אדם במעשה אבותיו לא יאמר ישר' אברהם אבי יש לי מחלקו והיא מצילני לא יאמר עשו יעקב הרג צדיק והוא מציל ושל, *Nè confidat homo in operibus patrum ſuorum. Nè dicat Iſrael, Abraham eſt pater meus; deſimile mihi ſuppeditabit, & is me eripiet. Nec dicat Eſau, Jacob fuit juſtus, & ille eripiet,* &c.

Mat. 4. 5. *Tunc aſſumit eum diabolus in urbem ſanctam,* &c.] De terræ Iſraeliticæ præ aliis terris ſanctitate, deque variis variorum in iſta terra locorum ſanctitatis gradibus, ſic ſcribunt Hebræi in Bammidbar Rabba ſect. 7. *Terra Iſraelis ſanctificata eſt præ aliis terris; & quanam eſt ejus ſanctitas? Quòd ex ea afferunt manipulum, & primitias, & duos panes, quod ex nulla alia terra faciunt. Terra Canaan ſanctificata eſt præ regione trans Jordanem. Terra Canaan idonea fuit ut in ea eſſet domus Divinæ majeſtatis;* (כשרה לבית השכינה) *non ſic regio trans Jordanem. Urbs mœnibus cincta ſanctificata eſt præ aliis terræ locis;* (עיר חומה מקודשת מן הארץ) *quia leproſi per totam terram ambulant, ſed in urbem mœnibus cinctam non ingrediuntur. Jeruſalem ſanctificata eſt præ aliis urbibus munitis, quòd ſancta leviora* (קדשים קלים) *& decimæ ſecundæ comederentur in Jeruſalem, non autem in aliis urbibus. Mons domûs* (i. mons in quo ædificatum eſt Templum) *ſanctificatus eſt præ Jeruſalem, quòd viri & mulieres profluvio laborantes* (זבים זבות) *ingrederentur Jeruſalem, ſed non montem domûs. Intermurale* (החיל, *Locus muro cinctus inter montem domûs & atrium mulierum*, ut ex Aruch explicat Buxtorfius in Lexico magno) *ſanctificatum eſt præ monte domûs, quòd gentiles & polluti ex contactu mortui* (ארמאים וטמא מרת): Vox iſta ארמאים *Aramæi* ſeu *Syri* in Syriaca N. T. verſione pro quibuſvis gentilibus ſæpe uſurpatur) *ingrederentur montem domûs, ſed non intermurale. Atrium mulierum ſanctificatum eſt præ intermurali, quòd illuc non ingrederetur is qui ità erat pollutus ut eo ſtatim die lavari deberet* (טבול יום). *Atrium Iſraelis ſanctificatum eſt præ atrio mulierum, quòd qui ſacrificium expietorium non obtulit,* (מחוסר כפורים) *ingrederetur atrium mulierum ſed non atrium Iſraelis. Iſraelita* מעורבי שמש (quid illud ſit, me adhuc neſcire fateor) *ingrediuntur atrium ſacerdotum latitudine* 11 *cubitorum ad longitudinem* 135. (ברוחב יא' אמה על אורך קלה) *ſed non ſtant ſuper ſuggeſtum* (עזרה) הדוכן. Buxtorfius in Lexico magno ait ſignificare *locum excelſum*

excelsum in Templo, aut Synagoga, vel Schola, unde peroratur, legitur, aut publica sacra & solemnia peraguntur) Levitæ stant super suggestum, sed ulteriùs in locum interiorem (מכן ולפנים pro מכאן ni fallor) *non intrabant. Sacerdotes maculati, & nudato capite, & vino ebrii,* (בעלי מומין ופרועי ראש ושתויי יין) *ulteriùs intrabant, sed non inter porticum & altare, nec in porticum, nec in Templum, nec intra ambitum altaris* (לסביבות המובח) *quatuor cubitos. Reliqui sacerdotes ingrediebantur porticum, & Templum, sed non ingrediebantur Sanctum sanctorum, quo ingrediebatur Summus sacerdos semel in die expiationum.* In tractatu Talmudico Celim cap. 1. in Misna, hi varii sanctitatis locorum gradus paulò aliter recensentur, nempe ad hunc modum; *Decem sunt sanctitates,* (seu sanctitatis gradus: in nupera editione Talmudis mendosè legitur עשרה pro עשר uti est in Misnaioth Amstelodami editis) *Terra Israelitica sanctificata est præ aliis terris,* &c. ut antea. *Urbes mœnibus cinctæ sanctificatæ sunt præ illa, quòd ex eis ejiciant leprosos, & in se recipiant mortuum,* (nempe ad sepeliendum, ut Maimonides explicat) *quoad voluerint, sed si mortuus indè exierit, eum non reducunt. Locus intra murum* (לפנים מן החומה de Jerusalem exponitur à Maimonide, & R. Salomone) *sanctificatus est præ illis, quia illic sancta leviora, & decimas secundas comedunt. Mons domûs sanctificatus est præ eo, quòd illuc viri & mulieres profluvio laborantes, menstruatæ & puerperæ* (נדות ויולדות) *non ingrediuntur. Intermurale sanctificatum est præ eo, quia idololatræ* (ע"א in Talmude Amstelodamensi est נכרים *peregrini*) *& pollutus contactu mortui eo non ingrediuntur. Atrium mulieris præ eo est sanctificatum, quòd qui ità pollutus est ut eo statim die lavari debeat, eò non ingreditur, nec propterea homines peccato sunt obnoxii.* (אין חייבין עליה חטאת) *Atrium Israelis sanctificatum est præ eo, quòd qui sacrificium expiatorium non obtulit, eò non ingreditur; & propterea homines peccato sunt obnoxii.* (h. e. ut explicat Maimonides, שהטמא כאשר בכנס לעזרת ישראל ובמה שאחריו בשגגה הוא חייב חטאת, *quòd cùm immundus quispiam ingreditur in atrium Israelis, & quod ei à tergo est, etiamsi per ignorantiam id fecerit, reus est peccati.) Atrium sacerdotum præ eo est sanctificatum, quia Israelitæ eò non ingrediuntur, nisi cùm ipsorum necessariæ occasiones postulaverint, nempe ob impositionem manuum* (super caput victimæ,) *ob jugulationem, & ob agitationem.* (אלא בשעת צרכיהם לסמיכה לשחיטה ולהנופה) *Spatium inter porticum & altare sanctificatum est præ eo, quia maculâ infecti, & capite nudati* (sacerdotes) *eò non ingrediuntur. Templum* (היכל) *sanctificatum est præ eo, quia eò non ingreditur nisi qui manus & pedes laverat. Sanctum sanctorum præ hisce* (omnibus) *est sanctificatum, quia eò non ingreditur nisi Summus sacerdos in die Expiationis, eo tempore quo cultus exhibetur,* בשעת עבודה.

Mat. 5. 7. *Beati misericordes; nam & ipsi misericordiam consequentur*] In Bereshith Rabba sect. 33. הכריות מתרחמין אלו על אלו והק"בה מתמלא עליהם רחמים, *Homines alii aliis se misericordes exhibent, & Deus s. b. misericordiâ erga eos implebitur.* Deinde historia quædam narratur; ביומוי דר' תנחומא וכו', *In diebus R. Tanchumæ Israelitis opus erat jejunio;* (nempe ob inopiam pluviæ) *venerunt igitur ad eum, & dixerunt, Decerne jejunium. Decrevit jejunium, nec tamen die primo, secundo, tertio descendit pluvia. Intravit ad eos, & concionatus est, inquiens, Filii mei, impleamini alii erga alios misericordiâ, & Deus s. b. erga vos implebitur misericordiâ.*

Mat. 3. 12. *Et congregabit triticum suum in horreum*] In Bammidbar Rabba sect. 1. citatur illud Cant. 7. 2. בטנך ערימת חטים, *Venter tuus est acervus tritici;* atque illico subjungitur, נמשלו ישראל בערימה של חטים מה החטים הללו נכוסות לאוצר במעין כך אמר הק"בה שיהו ישר' נמנים כל שעה לכך נא' בטנך ערימת חטים, *Israel comparatur acervo tritici. Quid sit hujus tritici? Colligitur numeratò in horreum: sic Deus s. b. præcepit ut Israel subindè numeretur. Propterea dicitur, Venter tuus acervus tritici.*

Mat. 5. 18. *Iota unum, & unus apex nequaquam præteribit de Lege.* &c.] In Elle Shemoth Rabba sect. 6. אין אות בטלה מן התורה לעולם, *In æternum litera ex Lege non erit irrita.* Et in Vajikra Rabba sect. 19. אם מתכנסין כל וכו', *Si omnes nationes mundi sese congregaverint, ut unam corvi alam albam reddant, id efficere non possunt: sic si omnes nationes mundi sese congregaverint, ut unum verbum è Lege evellant, hanquaquam possunt.*

Mat. 5. 19. *Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis,* &c.] In Elle Haddebarim Rabba sect. כיתצא אמר הק"בה אל תהי יושב ומשקל במצותיו של תורה, *Dixit Deus s. b. Ne sedeas, & ponderes præcepta Legis;* nempe ut graviora observes, & leviora negligas; uti mox ibidem sequitur, לא תהא אומר הואיל והמצוה וכו', *Ne dicas, Quandoquidem hoc præceptum est magnum, ego id faciam, quia ejus merces est magna: cùm autem istud præceptum sit leve, ego id non faciam. Quid enim fecit Deus sanctus benedictus? Non revelavit hominibus quænam sit merces uniuscujusque præcepti, ut omnia integrè observarem.* Et in Vajikra Rabba sect. 16. R. Jochanan traditur dixisse, למה כסמכה פרשת חלה וכו', *Quare conjungitur Sectio De Placenta sectioni De Idololatria? Ad indicandum tibi, quòd qui præceptum De Placenta observat, idololatriam destruit: & qui præceptum de Placenta negligit, is quasi idololatriam erigit.* Sic in *PIRKE ABOTH* seu *Capitulis Patrum*, cap. 2. §. 1. dicitur, רבי והוי בקצוה קלה כבחמורה שאין אתה יודע מתן שכרן של מצות, *Esto cautus in præcepto levi perinde ac in gravi: non enim nosti mercedem præceptorum.* Eadem etiam habentur in tractatu Talmudico Nedarim, fol. 39. 2. Et ibidem cap. 4. §. 2. הוי רץ למצוה קלה כלחמורה וכו', *Curre ad præceptum leve sicut ad grave; & fuge à transgressione* (levi sicut à gravi.) *Nam præceptum trahit præceptum, & transgressio trahit transgressionem. Merces enim præcepti est præceptum; & merces transgressionis est transgressio.*

Mat. 5. 24. *Primùm reconciliare fratri tuo* &c.] In tractatu Talmudico Joma cap. 8. §. 9. in Misna dicitur, עבירות שבין אדם לחברו אין יום הכפורים מכפר עד שירצה חברו, *Transgressiones hominis adversus proximum suum dies expiationum non expiat, usque dum proximum suum placatum reddit.* Et in Gemara fol. 87. 1. R. Isaac dixisse memoratur, כל המקניט את חברו אפילו ברברים צריך לפייסו, *Quisquis verbis offendit proximum suum, se ei reconciliet necesse est.* Quin & ibidem traditur, עם מת מביא עשרה בני אדם ומעמידן על קברו ואומר חטאתי לה' אלהי ישראל ולפלוני שחבלתי בו, *Quòd si mortuus fuerit* (proximus,) *afferet decem homines, & constituet eos juxta sepulcrum ejus, & dicet, Peccavi in Dominum Deum Israelis, & in istum quem læsi.*

Mat. 5. 25. *Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via*] Eadem planè admonitio habetur in Sanhedrin, uti refert Buxtorfius in Florilegio Hebraico pag. 335. אגב אורחא לבעל דבבך אשתמע, *Dum adhuc es in via, reconciliare adversario tuo.* Apud Buxtorfium, Typographi fortassis errore, vertitur, *fratri tuo.*

Mat. 5. 28. *Quicunque aspicit mulierem, ut eam concupiscat,* &c.] Buxtorfius in Lexico magno, in radice שכל notat à Talmudicis dictum esse, כל המסתכל באשה בכוונה כאילו בא עליה, *Quicunque aspicit mulierem cum intentione, perinde est ac si cum ea rem habuisset.* Huc etiam spectat id quod habetur in Erubin fol. 18. 2. ת"ר המרצה מעות לאשה מידו לידה וכו', *Tradiderunt Rabbini, quòd qui numerat pecuniam mulieri in manu sua in manum ejus, vel è manu ejus in manum suam, ut eam aspiciat, etiamsi similis sit Mosi magistro nostro, qui Legem è monte Sinai accepit, non evadet judicium gehennæ.* Similia etiam sunt in Beracoth fol. 61.

Mat. 5.

Mat. 5. 34. *Nè juretis omnino*] In Bammidbar Rabba sect. 22. citatur illud Jer. 4. 2. *Jurabis, Vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in justitia*: deinde additur, אמר להם הק"בה לישר' לא תחזיו וכו' *Dixit Deus ſ. b. Israeli, Nè putetis licitum esse vobis jurare per nomen meum etiam in veritate; non permissum est tibi jurare per nomen meum, nisi omnes istas conditiones* (in veritate, in judicio, & in justitia) *observaveris.*

Mat. 5. 39. *Quisquis te percusserit in dexteram maxillam, verte ei etiam alteram*] In Baba Kama fol. 92. 2. dictum occurrit quod huic Christi dicto affine esse observat Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 248. Et idem etiam notatur in Lexico magno in radice חברך אנף · קרייך חמרא אוכפא לגביך מש, *Socius tuus si vocet te asinum, stratum etiam tibi ipsi* (vel dorso tuo) *imponito.*

Mat. 5. 43. *Audivistis dictum esse, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*] Antiquos Doctores posterius membrum adjecisse contra legem Dei, Constantinus L' Empereur in Baba Kama cap. 10. §. 10. ait indicio nobis esse codicem Joma cap. 2. fol. 22. p. 2. (& fol. 23. p. 1.) ubi hæc leguntur verba; מפני מה נענש שאול מפני שמחל וכו' *Quare punitus fuit Saul? Quia honorem ſunm violantibus pepercit. Nam legitur* (1 Sam. 10. 27.) *At homines nequam* (ad verb. *filii Belial*) *dicebant, Quid servaret nos iste? & contemnebant eum, nec munus ei afferebant: ille autem tacebat. Et scriptum est, Et ascendit Nachas Ammonita, & castrametatus est contra Jabesh Gilead, &c. Dixit igitur R. Jochanan nomine R. Simeonis filii Josedeci, Omnis discipulus Sapientis* (seu *sapientiæ studiosus*) *qui sese non ulciscitur, & servat* (inimicitiam) *instar serpentis, non est discipulus sapientis.* Hinc non immeritò colligit Constantinus L' Empereur, meritò Servatorem nostrum istos Doctores carpsisse, ut qui vindictam & iram & inimicitias permitterent, (imò exigerent) si quis verbis vel factis honori detraheret. Illud insuper addendum censeo quod in isto Talmudis loco sequitur, nempe illud Levit. 19. 18. *Non ulciscēris, nec servabis* (inimicitiam) &c. intelligendum esse בממון *de opibus*, non de honore, cujus violationem scilicet omnino vindicandam sentiunt. Jac. Capellus in Observat. in N. Test. ad Matt. 5. 43. citat R. Mosen de Kotsi mand. neg. 5. sic scribentem; *Non silentio premes altum corde dolorem, ut Absolon, qui nihil dicebat Ammoni, sed dices illi, Quare sic feciſti mihi? Quòd si sapius corripueris, & non admiserit correptionem tuam, tum tibi licebit illum odisse.* Deinde autem non inconcinnè explicant, quid sit *ulcisci*, quid *inimicitiam servare*, etiamsi discrimen quod assignant subtilius fortè quàm solidius esse videatur. אוי היא נקימה ואיזו היא וכו' *Quanam est Ultio? & quanam Servatio inimicitiæ? Ultio hæc est; Dicit quis alteri, Commoda mihi falcem tuam; respondet alter, Minimè: postridie autem* (vel *postea aliquando*) *hic ait alteri, Commoda mihi securim tuam; ille autem respondet, Non commodabo tibi, quemadmodum tu mihi non commodasti: ista est ultio. Quanam autem est Servatio inimicitiæ? Dicit quis alteri, Commoda mihi securim tuam; respondet alter, Minimè. Postea hic ille ait, Commoda mihi indusium tuum; respondet ille, Ecce tibi,* (In Talmude Amstel. mendosè legitur היולך pro הא לך *ecce tibi*, uti est in R. Salomone ad Levit. 19. 18.) *non sum sicut tu, qui mihi non commodasti: ista est Servatio inimicitiæ.* Similia habet R. Salomon ad istum Levitici locum, ubi majoris perspicuitatis gratiâ post ista verba, הא היא נטירה ו *ista est servatio inimicitiæ*, addit, שנוטר האיבה בלבו אע"פי שאינו נוקם, *quia servat inimicitiam in corde suo, etiamsi non ulciscatur*, nempe par pari referendo.

Mat. 6. 1, 2, 3. *Cavete nè eleemosynam vestram faciatis coram hominibus*, &c.] Buxtorfius in Lexico magno col. 1891. ex Hebræis citat, גדול העושה צדקה בסתר יותר, (Istud יותר non est in Buxtorfii Florilegio, & videtur superfluum.) ממשה רבינו *Qui dat eleemosynam in occulto, major est Mose Doctore nostro.* Refert etiam in Chagiga fol. 5. 2. de R. Janneo scriptum esse, quòd cùm vidisset quendam eleemosynam pauperi dantem בפרהסיא *in propatulo*, dixit ei, מוטב רלא יהבת ליה, *Satius fuisset si ei non dedisses.* Eadem etiam habet Buxtorfius F. in Florileg. pag. 88, & 89. Ubi etiam citat Aben Ezram ad Exod. 2. 3. sic scribentem, אדם נותן צדקה לעני לא יתננה בעבור כבוד הנבאי ולא בעבור שישבחוהו בני אדם, *Homo daturus eleemosynam pauperi, non dabit eam propter honorem collectoris, neque ut homines ipsum laudent*, &c. Sed nec ista in Aben Ezra, nec altera illa in Chagigah locis citatis possum reperire. Illud de R. Janneo reperio in Chagigah, fol. 5. 1.

Mat. 6. 10. *Fiat voluntas tua sicut in cœlo, sic etiam in terra*] In Pirke Aboth cap. 5. §. 20. R. Jehuda filius Temæ traditur dixisse, הוי עז כנמר וקל כנשר ורץ כצבי וגבור כארי לעשות רצון אביך שבשמים, *Esto robustus ut pardus, & levis ut aquila, & celer ut hinnulus, & fortis ut leo, ut facias voluntatem patris tui qui est in cœlis.*

Mat. 6. v. ult. *Nè igitur soliciti sitis de crastino*, &c.] In Sanhedrin fol. 100. 2. inter alia Ben Syræ dicta hoc recensetur, אל תצר צרת מחר כי לא תדע מה ילד יום שמא למחר איננו ונמצא נצטער על עולם שאיננו שלו, *Ne affligas te ob crastinum, nescis enim quid dies pariet. Fortasse* (homo) *cras non erit, & invenitur sese affligere ob mundum, qui ad ipsum non pertinet.* Vide etiam pag. 108.

CAP. 2. *In quo aliorum quorundam ejusdem Evangelii locorum illustratio continetur.*

Mat. 7. 2.

QUA mensurâ mensuratis, vobis vicissim mensurabitur] Apud Rabbinos (ut olim notavi Præfat. in Gen.) frequenter illud occurrit, מדה כנגד מדה *Mensura pro mensura.* Et quod Drusius (ut ibidem monui) ex Sanhedrin citat, ego invenio in Sotah cap. 1. §. 7. in Misna; במדה שאדם מודד מודדין לו, *Quâ mensurâ homo* (aliis) *metitur, eâdem ei* (alii) *remetientur.* Eadem etiam, sed aliâ dialecto & paulò auctiùs habet Paraphrasis quæ dicitur Jonathanis, Gen. 38. 26. במכילא דאינש מכיל בה מתכיל ליה בין מכילא טבא בין מכילא בישא, *Quâ mensurâ quis mensurat, eâ ipsi mensurabitur, sive sit mensura bona, sive mala.* Et ibidem mox sequitur, מכילא לקביל מכילא סדרין לקביל סדרין, *Mensura ex adverso mensuræ, ordines ex adverso ordinum.* Vel, *dispositiones ex adverso dispositionum.*

Mat. 7. 5. *Ejice primùm trabem ex oculo tuo*, &c.] In Eracin fol. 16. (mendosè legitur Erubin apud Buxtorf. in Lexico magno ad radicem קסם, & in Florileg. Hebr. pag. 295.) simile dictum reperitur; טול קיסם מבין עיניך אמר לו טול קורה מבין עיניך, *Qui dicit alteri, Tolle festucam ex oculo tuo, is audit, Tolle trabem ex oculo tuo.* Huc etiam & illud facit quod in Midras Tillim legitur ad Psal. 53. אם תרצה לקשט את אחרים קשט עצמך תחלה ואחר כך קשט אחרים, *Si velis ornare alios, orna teipsum primò, & postea orna alios.* Istud antiquorum dictum citat etiam Kimchi in Zeph. 2. 1. uti & aliud in eandem sententiam; נקשט נרמין עד לא נקשט אחרין, *Ornemus nosmetipsos antequam ornamus alios.*

Mat. 7. 11. *Si vos, cùm mali sitis, nostis dona bona dare*, &c.] In Bereshith Rabba sect. 33. hujusmodi narratur historia: *Quidam numulos* (מעות) *dedit mulieri quam repudiaverat* (לנרושתו) *Dixit ei R. Tanchuma; Quid est ista tibi?* (vel, *Quid ista ad te pertinet?* מה היא לך ו) *Respondit, Est mulier à me repudiata. Quare, inquit ille, dedisti ei numulos? Respondit, Rabbi, vidi eam esse afflictam, & impletus sum erga eam misericordiâ. Statim R. Tanchuma elevavit faciem suam, & dixit,* רבון כל העולמים מה אם זה וכו' *Domine, omnium mundorum* (Vide Cameron. Myroth. ad Heb. 1. 2. ubi Hebræos triplicem mundum facere observatur), (*five sæculorum*);

Si

Si iſte à quo mulieris hujus ſuſtentatio non dependet (vel, *ad quē non pertinet*) *videns eam afflictā, miſericordiâ erga eā impletus eſt, quantò magis tu erga nos impleberis, cùm de te ſcriptum ſit, Gratioſus & Miſericors; & nos ſimus filii dilectorum tuorum, filii Abrahami, Iſaaci & Jacobi? Statim deſcenderunt pluviæ, & irrigatus eſt mundus.* In Vajikra Rabba ſect. 34. R. Tanchuma ex iſtiuſmodi occaſione dixiſſe fertur; רבונו של עולם מה. אם וה שהוא בשר ודם ואנוכי ללא היו עליו מזונותיה נתמלא עליה רחמים ונתן לה וכו׳, *Domine mundi, ſi iſte, qui eſt caro & ſanguis, & crudelis, impletus eſt miſericordiâ erga eam, & tribuit ei, cujus ſuſtentatio ab illo non dependebat,* (vel, *ad illum non pertinebat*) *quantò magis miſericordiâ tu erga nos impleberis, cùm ſimus filii filiorum tuorum, filii Abrahami, Iſaaci & Jacobi, & noſtra ſuſtentatio à te dependeat,* vel *ad te pertineat?*

Matt. 7. 12. *Quæcunque velitis vt faciant vobis homines, ſimiliter & vos eis facite: hoc enim eſt Lex & Prophetæ.*] Buxtorfius in Lexico magno col. 1508. teſtatur apud Talmudicos haberi, gentilem quendam ad Hillelem ſenem veniſſe, ac ab eo petiiſſe, ut quàm compendioſiſſimè ipſum doceret totam Legem, Hillelem autem reſpondiſſe, דעליך סני לחברך לא תעביד זו היא כל התורה כולה ואידך פירושה הוא, *Quod odioſum eſt tibi, alteri nè facias. Hæc eſt Lex tota, cætera nil ſunt niſi ejus explicatio.* Sed in Codice Talmudico Shabbath fol. 31. 1. fuſiùs ſic narratur; *Hiſtoria de gentili quodam, qui venit coram Shammai, eique dixit, Fac me Proſelytum, eâ conditione ut doceas me totam Legem,* כשאני עומד על רגל אחת *dum ſto ſuper unum pedem*; (i. quàm citiſſimè) *ille autem eum repulit virgâ menſoriâ* (באמת הבנין) *quam in manu habebat. Venit tunc ad Hillelem, qui Proſelytum eum fecit,* (נייריה) *eique dixit, Quod tibi eſt odioſum, proximo tuo nè facias: hæc eſt tota Lex, & alia non ſunt niſi ejus explicatio: abi perfectus, ſeu plenè inſtructus,* ויל נמור.

Matt. 7. 6. *Neque projicite margaritas veſtras coram porcis,* &c.] Buxtorfius in Florileg. pag. 306. ex Hebraico quodam libro, quem mihi nondum videre contigit, nempe Miſchar happeninin, iſta citat, אל תשליבו הפניני׳ לפני החזירים ואל תמסרו החכמה למי שאין יודע מעלתה, *Nè projiciatis margaritas coram porcis, nec tradatis ſapientiam ei qui ignorat ejus excellentiam.*

Matt. 7. 24, 25, 26, 27. *Quiſquis audit hoſce ſermones meos, & facit eos,* &c.] In R. Nathane de Patribus cap. 24. iſtiuſmodi etiam ſimilitudines adhibentur. Eliſha filius Abuiæ dixiſſe traditur; *Homo qui habet opera bona, & Legem copiosè didicit, cui ſimilis eſt?* לאדם שבונה אבנים מלמטה ואח״כ לבנים אפי׳ לו באים מים הרבה ועומדין בצדן אין מחין אותן ממקומם: *Homini qui ædificat lapidibus inferiùs,* (qui ſolidum ac firmum jacit fundamentum) *& poſtea lateribus: etiamſi multæ aquæ veniant, & in ædificium iſtud irruant, id tamen evertere non poſſunt.* Deinde ſequitur, *Homo autem qui non habet opera bona, & Legem didicit, cui ſimilis eſt? Homini qui ædificat lateribus primò,* (i. debile ponit fundamentum) *& poſtea lapidibus: etiamſi modicæ aquæ veniant, & in ædificium iſtud incidant, id tamen ſtatim evertunt.* Additur etiam ibidem eundem dixiſſe, *Homo qui habet opera bona, & Legem copiosè didicit, cui ſimilis eſt?* לסיד שטוח על נבי אבנים אפילו יורדין עליו גשמים אין מזיזין אותו ממקומו, *Calci, qui lapidibus* (in Talmude nuper edito mendosè legitur לבנים *lateribus* pro אבנים *lapidibus*) *illinitur, etiamſi in eum imbres deſcendant, eum tamen è loco ſuo non movent. Qui autem bona opera non habet, & Legem copiosè didicit, ſimilis eſt calci qui illinitur lateribus: etiamſi modici imbres in eum deſcendunt, ſtatim tamen diſſolvitur, & cadit,* מיד נימוק ונופל.

Mat. 7. 28. *Docebat ut habens autoritatem, & non ut Scribæ.*] Scribæ nimirum *docebant, ſed non faciebant,* Matt. 23. 3. non ſic Chriſtus; ſed *fecit pariter ac docuit,* Act. 1. 1. In Midras Ruth fol. 41. col. 2. affertur illud Eccleſ. 9. 16. וחכמת המסכן בזויה, *Sapientia autem pauperis contempta eſt*; deinde additur, וכי חכמת וכו׳ *Numquid contempta fuit ſapientia R. Akiba, qui pauper erat? Nequaquam; ſed per Pauperem is intelligitur qui in verbis ſuis eſt contemptibilis: ut nimirum Presbyter, qui ſedet & concionatur, inquiens, Non pervertes judicium, & ipſe pervertit judicium; Non agnoſces perſonas, & ipſe agnoſcit perſonas; Non accipies munus, & ipſe accipit munus; Nullam viduam aut orphanum affliges, & ipſe eos afflixit.* Hîc unam & alteram annotationem ad cap. 6. pertinentem, ſed antea prætermiſſam, non abs re erit adjicere.

Mat. 6. v. ult. *Nè igitur ſoliciti ſitis de craſtino,* &c.] Nonnihil ad hunc locum antea eſt annotatum, cui hoc addendum. In Sotah fol. 48. 2. in fine paginæ, R. Elezar ille magnus (הגדול) dixiſſe memoratur, למי שיש לו פת בסלו ואומר מה אוכל למחר אינו אלא מקטני אמנה, *Quicunque habet panem in canistro ſuo, & dicit, Quid edam cras? is eſt exiguâ fide præditus.* Buxtorfius in Lexico magno, in radice קטן, iſta etiam citat, ſed omiſſa eſt vox למחר, etiamſi in Latina verborum interpretatione vox *cras* reperiatur. Addit ibidem Buxtorfius ex Tanchuma (libro mihi nondum viſo) למי שיש לו מה יאכל היום ואומר מה אוכל למחר הרי זה מחוסר אמנה, *Quiſquis habet quod edat hodie, & dicit, Quid edam cras? is fide caret,* vel *fide deficit*: nam (ut ibidem dicitur præcedere) *Qui creavit diem, creavit alimentum ejus.*

Mat. 6. 19, 20. *Nè recondatis vobis theſauros in terra,* &c.] In Baba Bathra fol. 11. 1. narratur hiſtoria de rege Monbazo, vel Monabaſo, ut à Joſepho appellatur. Is dicitur tempore famis (בשני בצורות) theſauros ſuos & theſauros patrum ſuorum pauperibus diſperſiſſe, & cùm fratres & cognati ejus ad ipſum venientes dixiſſent, *Patres tui recondiderunt theſauros, & divitias à patribus ipſorum relictas auxerunt, tu autem eas prodigè conſumis,* reſpondiſſe, אבותי גנזו למטה אני גנזתי למעלה, *Patres mei recondiderunt theſauros infrà,* (in terra,) *ego recondidi theſauros ſuprà* (in cœlo;) *ut dictum eſt,* (Pſal. 85. 11.) *Veritas è terra germinabit, & juſtitia è cœlo proſpiciet.* אבותי גנזו במקום שהיד שולטה בו ואני גנזתי במקום שאין היד שולטה בו, *Patres mei recondiderunt theſauros in loco in quem manus habet poteſtatem; ego autem recondidi in loco ubi manus non habet dominium: quemadmodum dicitur* (Pſal. 89. 14.) *Juſtitia & judicium eſt habitatio* (vel *ſtabilimentum* מכון) *throni tui.* אבותי גנזו דבר שאין עושה פירות ואני גנזתי דבר שעושה פירות, *Patres mei recondiderunt id quod fructum non fert; ego verò id recondidi, quod fructum fert: dictum enim eſt* (Iſai. 3. 10.) *Dicite juſto, quòd bonum ei eveniet; nam fructum operum ſuorum comederit. Patres mei recondiderunt* ממון *Mammonam* (ſeu *divitias*;) *ego autem recondidi* אוצרות נפשות *theſauros animarum: prout dicitur,* (Prov. 11. 30.) *Fructus juſti eſt arbor vitæ; & qui capit animas, ſapiens eſt. Patres mei recondiderunt aliis; ſed ego recondidi mihimet ipſi: ſicut dictum eſt* (Deut. 24. 13.) *& erit tibi juſtitia. Patres mei recondiderunt in hoc ſeculum* (לעולם הזה) *ſed ego recondidi in ſeculum futurum: ut dictum eſt,* (Iſai. 58.) *Et ibit ante te juſtitia tua, & gloria Domini te colliget,* ſeu *extremum agmen tuum aget.* Hanc hiſtoriam adducit Buxtorfius in Lexico Talmudico col. 1224. & 1225. ſed contracte, omiſſis nempe Hebraicis, & locis Scripturæ, quæ ad ſingula dicta confirmanda adhibentur.

Mat. 10. 3. *Matthæus ille Publicanus*] Obſervatu dignum eſt, Marcum & Lucam, cùm Apoſtolorum nomina recenſent, Matthæo ſtigma iſtud non inurere. Huc illud ſpectat quod in Baba Metſia fol. 58. 2. legitur, אם הוה בעל תשובה לא יאמר לו זכור מעשיך הראשונים הוא בן גרים לא יאמר לו זכור מעשה אבותיך: *Si reſipuerit, non dicat ei quiſpiam, Memento operum priorum: & ſi filius Proſelytorum fuerit, nè dicat ei quiſpiam, Memento operum patrum tuorum.* Id volunt, Peccatori reſipiſcenti vitam antè actam non eſſe objiciendam.

dam. Eadem, sed leviter immutata, habet Buxtorfius in Florileg. pag. 272. & Fagius ad Exod. 22. 21.

Mat. 10. 16. *Estote prudentes ut serpentes, & innocentes ut columbæ.*] Non absimile est illud quod occurrit in Shir hasshirim rabba, ad cap. 2. 14. *Columba mea, &c.* אמר הקב"ה לישראל אצלי הם תמימי' כיונים אבל באומות העולם הם ערומים כנחשים: *Dixit Deus S.b. Israeli,* (vel *de Israele*) *Apud me sunt innocentes ut columba; sed inter nationes mundi sunt callidi ut serpentes.*

Mat. 10. 29. *Nónne duo passerculi assario venduntur, & unus ex eis non cadet in terram sine Patre vestro?*] In Bereshith Rabba sect. 79. fertur R. Simeonem filium Jochai & filium ejus R. Eliezerum tempore persecutionis (ביומא דשמדא) fuisse in spelunca quadam 13 annos; tandem autem R. Simeonem abiisse ad ostium spelunce, & vidisse aucupem venantem aves; (sive passeres, צפורין) cúmque audiisset vocem è cœlo (ad verb. *filiam vocis*, בת קלא) dicentem דימום *Liberatio*, aviculam aufugisse; cùm autem audiisset dicentem מפקולא *Spiculatio*, tum aviculam fuisse captam. Hinc igitur dixisse R. Simeonem, (verbum אמר *dixit*, ad eam potiùs referri videtur quàm ad vocem è cœlo, uti à Buxtorfio intelligitur in Lexico Talmudico col. 553. & à Ludovico Capello in Spicilegio ad locum) צפור מבלעדי שמיא לא מצדא על אחת כמה וכמה נפש דבר נש, *Avicula sine cœlo* (i. Deo, vel divinâ providentiâ) *capta non est; quantò minùs anima* (seu *vita*) *filii hominis?* Ludovicus Capellus perperàm citat, מבלעדי שמיא לא מצתדא על אחת קל וחומר כמה וכמה נפש בר נש, *Sine cœlis* (i. sine Deo) *nè una quidem capta est aucupio; quantò minùs tot & tot anima filiorum hominis?*

Mat. 10. 25. *Satis est servo ut sit sicut dominus suus.*] Sic in Bereshith Rabba sect. 47. דיו לעבד שיהא כרבו quod idem planè valet; uti & illud Aben Ezræ ad Hos. 1. 2. (quod olim in Præfat. Annotat. in Gen. observavi) דיו לעבד להיות נרמז.

Mat. 11. 17. *Tibiis cecinimus vobis, & non saltastis; Lamentati sumus vobis, & non ploraſtis.*] In Sanhedrin fol. 103. 1. affertur illud Salomonis Prov. 29. 9. איש חכם נשפט את איש אויל ורגז ושחק ואין נחת: *Vir sapiens disceptat cum viro stulto; sive irascatur, sive rideat, non est requies:* deinde sequitur, אמר הקב"ה כעסתי על אחז ונתתיו ביד מלכי וגו' *Dixit Deus S.b. Iratus fui Achazo, & tradidi eum in manum regum Damasci: ille* (autem) *sacrificavit, & incensum adolevit dis Damasci qui ipsum percusserant, inquiens, Dii regum Syria opitulantur eis; illis ego sacrificabo, &c.* 2 Chron. 28. 23. *Lusi cum Amatsia, & tradidi reges Edom in manum ejus; is* (tamen) *addaxit deos eorum, & incurvavit se eis; uti dictum est,* 2 Chron. 25. 14. *Et fuit posteaquam Amatsia venisset à cæde, &c. Dixit Rab Papa, Hoc est quod vulgò dicunt, Ploramt ei,* (ad verb. *ei Domino*) *qui non novit; arrident ei, qui non novit: Væ ei qui non discernit inter bonum & malum.* Coch in Excerpis sect. 50. quâ ratione nescio, longiùs certè ab Hebræis recedens, vertit, *Ploravi tibi, sed animum non advertisti; risi tibi, sed non eruasti.* Buxtorfius in Lex. Talm. in voce מר proverbium istud citat, & à Drusio notatum, sed non intellectum asserit.

Mat. 11. 25. *Gratias tibi ago, Pater, &c. quòd abscondisti hæc à sapientibus & intelligentibus, & revelasti ea infantibus,* vel *insipientibus,* νηπίοις] Huic consonat illud Hebræorum à Buxtorfio citatum in Florileg. Hebr. pag. 285. משחרב בית המקדש נסתלקה הנבואה מן הנביאים ונתנה בשוטים ובחינוקות, *Ex quo vastata est domus Sanctuarii, ablata est prophetia à prophetis, & data est stultis, & pueruli, vel infantibus.*

Mat. 12. 25. *Omne regnum contra se divisum, desolatur,* &c.] Sic Hebræi aiunt (referente Buxtorfio in Lexico magno col. 819.) כל בית שיש בו מחלקת סופו ליחרב, *Omnis domus in qua est dissensio, tandem destruetur.*

Mat. 12. 35. *Vir bonus è bono thesauro cordis sui profert bona,* &c.] In Pirke Aboth cap. 2. sect. 9. Abba Saul dixisse fertur, צאו וראו איזהו היא דרך ישרה שידבק בה האדם, *Exite, & videte quanam sit via recta* (Buxtorfius in Florig. Heb. p. 372. legit דרך טובה *via bona*; sed in editione Tayleri, & in Misnaioth, & Talmude Amstelodami editis priori modo legitur) *cui homo adhæreat.* Cúmque R. Eliezer respondisset, עין טוב *Oculus bonus*; R. Joshua, חבר טוב *Socius bonus*; R. Jose, שכן טוב *Vicinus bonus*; (apud Buxtorfium mendosè legitur שב pro שכן) R. Simeon, הרואה את הנולד, *Qui prævidet futurum*; R. Eleazar, לב טוב *Cor bonum*; Abba Saul dixisse traditur, רואה אני את דברי ר' אלעזר בן ערך שבכלל דבריו דבריכם, *Video ego verba R. Eleazari filii Eraci comprehendere in se verba vestra.* Atque ità etiam ibidem dixisse memoratur, cùm ex adverso interrogasset, *Quænam est via mala, à qua homo se elongare debet?* & R. Eliezer respondisset, *Oculus malus*; R. Joshua, *Socius malus*; R. Jose, *Vicinus malus*; R. Simeon, *Mutuò accipiens, & non reddens*; הלווה ואינו משלם, citato illo Psal. 37. 21. *Mutuò accipit impius, & non reddit*; R. Eleazar autem, *Cor malum.* Id nimirum voluit, cor bonum omnia bona, & è contrà cor malum omnia mala in se complecti.

CAP. 3. *Quod in alia insuper ejusdem Euangelii loca annotationes continet.*

Mat. 10. 35, 36.

VEni enim discordem reddere hominem adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam, &c.] In Sotah cap. ult. sub finem dicitur, בעקבות משיחא חוצפא יסגא, *In calcaneis Messiæ* (seu extremis Messiæ temporibus) *impudentia multiplicabitur.* (In Misnaioth Amstelod. mendosè legitur יספא pro יסגא) Deinde mox additur, נערים פני זקנים ילבינו וקני' יעמדו מפני קטני' בן מנוול אב בת קמה באמה כלה בחמותה אויבי איש אנשי ביתו, *Juvenes pallidas reddent* (i. pudore afficient) *facies senum; senes stabunt coram junioribus: filius ignominiâ afficiet patrem; filia consurget adversùs matrem suam, & nurus adversùs socrum suam; & inimici hominis erunt domestici ejus.* Quin & ibidem sequitur, פני הדור כפני הכלב הבן אינו מתבייש מאביו ועל מה יש לנו להשען על אבינו שבשמים, *Facies seculi istius erit sicut facies canis;* (i. summè impudens; κυνὸς ὄμμα' ἔχων, Homer. Iliad. 1.) *filius non reverebitur patrem suum: & cui nobis innitendum erit? Patri nostro, qui est in cœlis.*

Mat. 10. 41. *Qui recipit prophetam nomine prophetæ,* &c.] In Vajikra Rabba sect. 34. R. Abin traditur dixisse, כל המארח תלמיד חכם בביתו מכתיר מעלה עליו כאלו הקריב בכורים, *Quicunque domi suæ excipit discipulum Sapientis, Scriptura eum perinde habet ac si primitias obtulisset.* Et in Bammidbar Rabba sect. 4. ità scribitur; *Si Obed Edom benedictus fuit ob arcam, quæ non edit nec bibit, nec honorata fuit nisi ob duas tabulas* (Legis,) *quæ in ea erant,* מי שקבל חכמים ותלמידים במאכל ובמשתה ועל מטות כבודות על אחת כמה וכמה שישלם לו הקב"ה שכרו, *Qui excipit Sapientes, & discipulos cibo & potu & lectis honorabilibus, quanto magis à Deo S.b. mercedem suam accipiet?*

Mat. 11. 23. *Et tu Capernaum,* &c.] Capernaitas pro malis ac improbis habitos fuisse, apparet ex eo quod in Midras Coheleth habetur ad illud Eccles. 7. 26. וחוטא יילכד בה, *Peccator autem capietur ab ea;* אלו בני נפרנחום *Isti sunt filii* (incolæ) *Capernaum.*

Mat. 12. 36. *De omni otioso verbo quod homines locuti fuerint, rationem reddent in die judicii.*] Huic affine est illud quod in Vajikra Rabba sect. 28. habetur: אפילו דברים שאין בהן מששאפילו שיחה קלה שאדם משיח עם אשתו הן נכתבו על פנקסו של אדם וקוראין לפניו בשעת מיתתו *Etiam verba quæ nihil solidi in se habent, etiam sermo levis;*

levis, quem quis cum uxore ſua habet, ſcripta ſunt in hominis pugillaribus, & legentur coram eo in hora mortis ſuæ.

Mat. 13. 31, 32. *Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapis*, &c.] Vide quæ Tremellius ad h. l. annotavit; atque eadem Hebraicè pariter ac Latinè habet Buxtorfius in Lex. Talm. radice חרד col. 823.

Mat. 13. 43. *Tunc juſti fulgebunt ut ſol*, &c.] In Vajikra Rab. ſect. 28. hoc Rabbinorum dictum memoratur; כל מה שהצדיקי' מגרלי' במצות ומעשים טובים בעולם הזה דיין שק'בה מחדש פניהם כגלגל חמה שנא' ואוהביו כצאת שמש בגבורתו: *Quantumcunque progreſſum fecerint juſti in mandatis, & operibus bonis, hoc eis ſufficit, quòd Deus ſ. b. renovabit facies eorum inſtar ſphæræ ſolis; quemadmodum dicitur*, Jud. 5. ult. *Et diligentes eum ſicut cùm egreditur ſol in robore ſuo.*

Mat. 13. 44, 45, 46. *Simile eſt* REGNUM CŒLORUM THESAURO, &c.] In Vajikra Rabba hujuſmodi narratur hiſtoria; *R. Chija incepit flere; unde R. Jochanan, Quare, inquit, tu fles? Reſpondit ille,* על דלא שבקת לסיבוחך כלום, *Quia nihil ſenectuti tuæ reliquiſti. Tum R. Jochanan,* קלה הוא בעיניך מה שעשיתי שמכרתי דבר שגבוא לששה ימים וקניתי דבר שניתן לם' יום שנ' ויהי שם עם ה' ם' יום, *An hoc leve tibi videtur quod feci? quòd nimirũ vendidi rem quæ 6. dierum ſpatio creata erat, & acquiſivi rem quæ 40. dierum ſpatio dabatur; utì dicitur, Et fuit ibi cum Domino 40. dies*, &c. Intelligit ſe relictis terrenis facultatibus Legi operam dediſſe.

Mat. 16. 28. *Qui non guſtabunt mortem,*] Phraſis iſta, *guſtare mortem*, ab Hebræis uſurpatur. In Bereſhith Rabba ſect. 9. R. Chama filius Chaninæ narratur dixiſſe, ראוי היה אדם הראשון שלא יטעום טעם מיתה: *Dignus* (ſeu *idoneus in eo ſtatu*) *fuit primus homo ut non guſtaret guſtum*, ſeu *ſaporem, mortis.*

Mat. 17. 20. *Si habueritis fidem tanquam granum ſinapis*, &c.] Hebræi (ut obſervat Buxtorfius in Lexico ſæpe laudato col. 822.) proverbialiter uſurpant *Granum ſinapis* pro re minima. Maimonides in More Nebochim parte 1. cap. 56. *Similitudo* (inquit) *eſt inter granum ſinapis, & ſphæram ſtellarum fixarum, in tribus ſcilicet dimenſionibus, licèt illud ſit extremè parvum, hæc verò extremæ magnitudinis.*

Mat. 18. 6. Ἐν τῷ πελάγει τ θαλάσσης, *in profundo maris.*] Sic Chaldæus Paraph. Pſal. 46. 2. pro eo quod in Hebræo eſt, בלב ימים *in cor* (ſeu *medium*) *marium*, habet בפילגוס דימא רבא *in pelagus maris magni.*

Mat. 18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum*, &c.] Similia ſunt quæ Buxtorfius in Florilegio pag. 297. citat ex Miſchar happeninim (ſic in iſto codice ſcribi ſolet, ſed mendosè pro Mibchar happeninim, ut eſt in Lud. de Dieu ad Luc. 2. 44. מבחר הפנינים, i. *libro ſelectarum gemmarum*) אמר החכם אם יחטוס לך חברך תפוס עליו בינו לבינך בלבד אם ישמע לך כבר רוחת ואם לא ישמע לך אמור לו בפני אחד אובפני שנים שישמעו הדברים ואם לא חשוב אותו חבר פחות, *Dicit Sapiens, Si injuriam fecerit tibi proximus tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: quòd ſi audiverit te, jam lucratus es; ſi verò non audiverit te, dicas ei coram uno aut duobus, qui id audiant. Si nè ſic quidem audiverit, vilem eum reputa.* In Beracoth fol. 43. 2. R. Simeon Ben Iochai dixiſſe fertur, נוח לו לאדם שיפול עצמו תוך כבשן האש ולא ילבין פני חברו ברבים, *Satius eſt homini ut ſe conjiciat in fornacem ignis, quàm ut proximum ſuum publicè pudefaciat.* Eadem penè verba habentur etiam in Cethuboth fol. 67. 2.

Mat. 18. 20. *Ubi enim duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.*] In Elle haddebarim Rabba ſect. כי תבא nonnulla ſunt quæ hîc meritò notanda videantur. אמר הק'בה מי הוא זה שבא לבית הכנסת ולא מצא כבודי שם, *Dixit Deus ſ. b. Quis eſt qui venit in Synagogam*, (ad verb. *in domum congregationis*) *& gloriam meam ibi non invenit?* Eriidem, אשה עומד בבית הכנסת והק'בה עומד עליך *Tu ſtas in domo congregationis, & Deus ſ. b. ſtat juxta te.* Atque iterum ibidem, אמר הק'בה לא דייך שאתה מקבל פני השכינה בבית הכנסת אלא שאתה יוצא משם שעון ברכות, *Dixit Deus ſ. b. Non ſufficit tibi quòd in domo congregationis ſuſcipis faciem Divinæ Majeſtatis*, (vel *particeps es præſentiæ divinæ Majeſtatis*) *verùm etiam indè egrederis omniſtus benedictionibus.*

Mat. 15. 26. *Non eſt bonum accipere panem filiorum, & projicere canibus*, vel *catellis*, τοῖς κυναρίοις] Judæi appellantur τέκνα *filii*, ſeu *liberi*, gentes autem κυνάρια *canes*, vel *catelli*. Sic in Midras Tillim in Pſal. 4. אמות העולם נמשלו לכלבים, *Nationes mundi aſſimulantur canibus.* Et R. Salomon illud Exod. 22. 31. *Canibus projicietis*, de gentilibus exponit, ut ante aliquot annos ad locum iſtum annotavi.

Mat. 19. 24. *Facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire*, &c.] In Beracoth fol. 55. 2. *Dixit Rabba,* תנן לא מחוו ליה לאנט לא דקלא דדהבא ולא פילא דעייל בקופא דמחטא, *Scias non vidiſſe quenquam vel palmam auream, vel Elephantem qui ingrederetur in foramen acûs.* Et in Baba Metſia fol. 38. 2. דלמא מסובדיתא את דמעיילין פילא בקופא דמחטא: *Fortè ex Pumbeditha tu es, ubi elephantem introducunt in foramen acûs.* Hæc olim annotavi in Præfat. Annotat. in Gen. ſed ex aliena fide.

Mat. 20. 1. *Simile eſt regnum cœlorum patrifamilias, qui cum primùm luceſceret, exiit ut conduceret operarios*, &c.] In Midras Koheleth ſect. מתוקה שנת, eſt quædam parabola, quæ nonnullam cum hac habet ſimilitudinem. *Cui ſimilis eſt R. Bun filius R. Chijæ? Regi quidam habuit vineam & conduxit operarios ut eam colerent. Inter eos fuit unus operarius, qui probè ſe geſſit in opere ſuo plùs quàm reliqui omnes, & plùs quàm neceſſe erat laboravit.* (מתשר במלאכתו יותר מן הכל יותר מדאי) *Quid fecit Rex? Apprehendit eum manu, & huc illuc cum eo ambulavit.* (והיה משייל עמו ארוכות וקצרות) *Vesperi venerunt operarii ut mercedem ſuam acciperent; & inter eos venit iſte operarius, cui Rex integram dedit mercedem. Operarii id agre tulerunt, dicentes,* אנו יגענו כל היום והוה יגע בשתי שעות ונתן לו המלך שברו משלם, *Nos laboravimus totum diem, & iſte non niſi duas horas laboravit, Rex tamen integram ei dat mercedem. Dixit eis rex, Cur hoc agre fertis?* יגע זה בשתי שעות בכשרות מה שלא יגעתם אתם כל היום: *Iſte meliùs laboravit per duas horas quàm vos laboraſtis per totum diem. Sic R. Bun filius Chijæ ſingulis anni menſibus* (לכ'ח שנה) *legem plùs didicit quàm diſcipulus probus* (תלמיד ווותיק) *poteſt diſcere centum annis.*

Mat. 21. 1. *Cùm veniſſent Bethphage*, &c.] Loci iſtius *Bethphage* frequens eſt mentio apud Hebræos, ut oſtendit Buxtorfius in Lex. Talm. col. 1691, & 1692. ubi inter alia notat Bartenorum dicere, Rambam (ſive Maimonidem) ſcribere, Bethphage fuiſſe locum vicinum monti Templi extrinſecus, ubi ſoliti erant coquere oblationes veſpertinas cibarias.

Mat. 21. 25. *E cœlo, an ex hominibus?*] Apud Hebræos nihil frequentius quàm ut שמים *cælum* pro Deo ponatur. In *Pirke Aboth* cap. 1. יהי מורא שמים עליכם, *Sit timor cœli* (i. Dei) *ſuper vos:* Et ibidem, ונמצא שם שמים מתחלל, *& nomen cœli* (i. Dei) *profanatum reperiatur.* Elias Levita in Thisbi ait, קרא להק'בה שמים לפי שהם מכוון שברצו *Vocarunt Deum ſ. b. cœlum, quia id eſt ejus habitaculum.*

Mat. 22. 30. *In reſurrectione enim neque uxores ducunt, neque nuptum dantur.*] In Beracoth fol. 17. 1. Rab ob hoc dictum celebratur, (מרגלא בפומיה דרב, מלמ הבא אין בו לא אכילה ולא שתייה ולא פריה ולא רביה ולא וכו' *Margarita in ore Rab.*) *In mundo futuro neque edunt, neque bibunt, neque liberis procreandis operam dant, nec negotiantur; nec eſt ibi invidia, nec contentio: ſed juſti ſedent coronis*

is capitibus suis habentes, & fruuntur splendore Majestatis divinæ. Citat etiam ista Buxtorfius in Florileg. pag. 223.

Matt. 22. 31, 32. *De resurrectione verò mortuorum nónne legistis quod dictum est à Deo dicente, Ego sum Deus Abrahami, &c.*] Hebræi etiam videntur vim hujus argumenti percepisse: sic enim scribunt in Elle Shemoth Rabba sect. 44. אמר לו משה אם אין המתים חיים לעתיד לבא יפה אתה עושה להם כל מה שתבקש אבל אם מתי חיים מה יש לך לומר לאבות וכו': *Dixit ei* (nempe Deo) *Moses, Si mortui non sunt revicturi, pulcrè tu eis facies quicquid facere quæsieris; sed si futurum est ut mortui reviviscant, quid dicturus es olim patribus, cùm patres horum steterint, & postulaverint id quod eis promisisti? Nónne promisisti te multiplicaturum filios eorum ut astra cœli? & nunc id agis ut eos prorsus consumas.* Sed ad argumentum à Domino Christo usurpatum propiùs accedere videtur id quod in Midras *Koheleth* seu *Ecclesiastis* legitur, nempe ad cap. 9. 5. הרשעים בחייהם קרוים מתים הצדיקים קרוים חיים במיתתן שנ' לארץ אשר נשבעתי לאברהם ליצחק וליעקב וגו *Impii dum vivunt, vocantur mortui; justi etiam in morte ipsorum appellantur vivi; quemadmodum dicitur,* Exod. 33. 1. *ad terram quam juravi* (i. juramento promisi) *Abrahamo, Isaaco & Jacobo,* &c.

Mat. 22. 37, & 38. *Diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo,* &c.] Aben Ezra in Exod. 31. v. ult. ait antiquos dixisse, רחמנא לבא בעי *Misericors,* (i. Deus) *cor quærit.* Atque addit, ושרש כל המצות עד שיאהב את השם בכל נפשו וידבק בו *Et radix omnium mandatorum est, ut quis diligat Deum totâ animâ suâ, iique adhæreat.*

Mat. 23. 2. *In cathedra Mosis sedent,* &c.] In Echa Rabba seu antiquo Commentario in Lamentationes, sect. בכל מקום שהיה אחד מבני רבתי בנים ירושלם הולך למדינה היו מציעין לו קתדרה לישב עליה בשביל לשמע חכמתו *In omni loco quo quis ex filiis Jerusalem proficiscebatur ad urbem,* (vel *provinciam*) *sternebant ei cathedram, in qua sederet, ut audirent ejus sapientiam.*

Mat. 23. 3. *Dicunt enim, sed non faciunt.*] In Pirke Avoth cap. 1. sect. 15. Shammai dixisse traditur, אמור מעט ועשה הרבה, *Dic parùm, & fac multum.* Ibidem sect. 17. Simeonis filii Gamalielis dictum memoratur, אין המדרש עיקר אלא מעשה, *Sermo* (seu *doctrina*) *non est radix* (vel *fundamentum*) *sed opus.*

Mat. 23. 7. *Ut vocentur ab hominibus Rabbi, Rabbi.*] Judæorum doctores titulum istum ambitiosè affectasse, apparet ex eo quod R. Gedaliah in Shalsheleth fol. 30. 2. è Talmude refert, nempe R. Honam anathema denunciasse ei qui R. Ananum non simpliciter appellaret Ananum, propterea quòd R. Ananus omisso titulo RAB illum appellasset HONAM; והוא בנאותו השיב לו בשמחא יהא מאן דלא יימר ליה ענן ענן וכל זה לפי שלא קראו רב הונא, *Is superbè ei respondit, Anathema sit ei qui non illi dixerit, Ananus, Ananus; atque hoc ideo fuit, quia eum non appellaverat Rab Honam.*

Mat. 23. 15. *Circumitis mare & aridam ut unum Proselytum faciatis,* &c.] Quanti æstimant Judæi Proselytum facere, ex eo videre est quod in Bereshith Rabba occurrit sect. 39. הנפש אשר עשו אלו הגרים שגיירו ואם כך שגיירו למה אמר עשו אלא ללמד שכל מי שהוא מקרב את הנכרי ומגיירו מאילו בראו, *Et animas quas fecerant,* (i. acquisiverant, Gen. 12. 4.) *hi sunt Proselyti quos fecerant. Si autem Proselytos eos fecerunt, quare simpliciter dicit, fecerunt? Nempe ut intelligas, eum qui peregrinum affert, & Proselytum facit, eum quasi creare.* Eadem penè verba habentur etiam ibidem sect. 84.

Mat. 23. 16. *Qui juraverit per templum,* &c.] Judæos solitos fuisse jurare per Templum, apparet ex eo quod in Kiddushin fol. 71. 1. legitur, nempe R. Jochanan dixisse, הילכא בידינו היא *Per Templum in manibus nostris res est.* Ubi Glossa ait, הילכא שבועה בהיכל של מקום, *Illud* הילכא *Templum est juramentum per Templum Dei.*

Mat. 23. 32. *Implete mensuram patrum vestrorum.*] Chaldæus Paraph. illud Jobi 20. 22. במלאות ספקו יצר לו, *Cùm plena est sufficientia ejus, angustia erit ei,* sic reddit, תחמלי סאתיה יתפרע מיניה, *Cùm impleta fuerit mensura ejus, ultio de eo sumetur.* Et R. Salomon ad Gen. 14. 16. (ut olim ad locum istum annotavi) ait; אין הק"בה נפרע מאומה עד שיתמלא סאתה: *Deus s. b. non sumit vindictam de gente aliqua donec completa est mensura ejus.*

Mat. 23. 33. *Quomodo potestis effugere judicium* (seu *condemnationem*) *gehennæ?*] In Bammidbar Rabba sect. 11. dicitur, תהא מפחד מדינה של גיהנם *Esto metuens judicium gehennæ.* Sic in Hebræorum scriptis sæpe occurrit דינה של גיהנם *judicium gehennæ.*

Mat. 23. 34, &c. *Ecce ego mitto ad vos prophetas,* &c.] Judæi fatentur homicidium fuisse causam eversionis Templi & captivitatis populi. Sic enim scriptum est in Bammidbar Rabba sect. 7. מגיד הכתוב ששפיכות דמי מטמא את הארץ ומסתלקה השכינה ומפני שפיכות דמים חרב בית המקדש וגלו ישראל מארצם והדברים הללו היו במקדש ראשון לכך גלו וחרב בית המקדש, *Scriptura indicat effusionem sanguinis contaminare terram, ità ut Majestas Divina indè se transferat. Et propter effusionem sanguinis destructa est domus Sanctuarii, & in captivitatem abductus est Israel è terra sua. Ista autem fuerunt in Sanctuario primo, & propterea in captivitatem abierunt, & destructa est domus Sanctuarii.*

Mat. 23. 35. *Usque ad sanguinem Zachariæ,* &c.] Judæi sentiunt sanguinem Zachariæ Deum vehementer ad iram & vindictam provocasse. Ità enim scribunt in Midras Koheleth, sect. ועוד ראיתי *Et rursus vidi,* seu *consideravi,* לא נדגו בדמו לא כדם צבי ולא כרם איל בדם איל וצבי כתיב בהם בתורה ושפך את דמו וכסהו בעפר אבל זכריה הצדיק לא נהגו בדמו לא כדם איל וצבי אלא וכו': *Non fecerunt sanguine ejus* (scilicet Zachariæ) *ut facere solebant sanguine capreæ & arietis. De sanguine enim arietis & capreæ scriptum est in Lege, & effundet sanguinem ejus, & operiet eum pulvere,* Levit. 17. 13. *sanguine autem Zachariæ non ità fecerunt, sed super saxa eum effuderunt, ut scriptum est,* Ezech. 24. 7. *Nam sanguis ejus in medio ejus fuit, in summitate petræ posuit eum,* &c. *Quare autem istud? ut nimirum ascenderet excandescentia & vindicta sumeretur.* Et ibidem ad cap. 12. 7. מזכיר עון להתפש זה דמו של זכריה *In memoriam revocabit iniquitatem, ut capiantur:* (Ezech. 21. 23.) *Iste est sanguis Zachariæ.*

Mat. 23. 35. *Quem occidistis inter Templum & Altare.*] In eodem Midras sect. כי ה' הונה, R. Jodan fertur interrogasse R. Acham, היכן הרגו את זכריה בעזרת ישראל או בעזרת נשים *Ubinam occiderunt Zachariam? in atrio Israelis? an in atrio mulierum?* Cui alter respondisse dicitur, לא בעזרת ישראל ולא בעזרת נשים אלא בעזרת כהנים, *Non in atrio Israelis, nec in atrio mulierum, sed in atrio sacerdotum.* Eadem etiam istic habentur sectione ועוד ראיתי.

Mat. 24. 22. *Propter electos decurtabuntur dies isti.*] Judæi rectè sentiunt, mundum propter populum Dei subsistere, etiamsi se populum istum esse non rectè existiment. In Bereshith Rabba sect. 66. ubi explicatur illud Cant. 6. 13. *Revertere, revertere, ô Shulamith,* &c. sic scribitur, השולמית אומרת שעשת שלום ביני ובין עולמי שאלולי חיא היתי מחריב את עולמי, *Shulamith est natio quæ facit Shalom* (i. *pacem*) *inter me & mundum meum. Nisi enim ea esset, mundum meum statim essem destructurus.* Et ibidem, אומה שהיא משלמת אישטטיונו של עולם: *Natio quæ perficit stationem* (sive *consistentiam*) *mundi.* Sic in Midras Tillim ad Psal. 136. R. Eliezer fertur

fertur dixisse, Mundum super unam columnam stare, nempe Justum. Mendosè istîc legitur, על עומד, pro א' עמוד על עמוד א' *Super unam columnam stat.* In Rabba autem ubi suprà, אומה שכל טובה שהיא באה לעולם אינה באה אלא בזכותה הגשמי' אינם יורדין אלא בזכותה הטללים אינם יורדין אלא בזכותה שנ'יתן לך אלהים מטל השמים לך בזכותך ובן הדבר תלוי: *Natio, cujus gratiâ omne bonum in mundum venit. Pluvia non descendit nisi ejus gratiâ; ros non descendit nisi ejus gratiâ; uti dicitur,* Gen. 27.28. *Et dabit tibi Deus de rore cœli: tibi, tuî gratiâ; & à te res pendet.* Similia etiam sunt in Shir hasshirim Rabba, fol. 33. col. 4.

Mat. 25. 1. *Tunc assimilabitur regnum cœlorum decem virginibus,* &c.] In Midras Koheleth ad cap. 2.9. est parabola quædam, quæ partim huic, partim illi quæ habetur Matt. 22. 2, &c. partim etiam ei quæ occurrit Luc. 14. 16, &c. convenit. *Cui res similis est? Regi qui fecit convivium, & vocavit viatores, dicens, Venite, lavate vestimenta vestra, & parate vosmet ad convivium; tempus autem eis non præfinivit quando ad convivium accederent. Qui prudentes erant,* (הפיקחין) *deambulabant juxta ostium regii palatii, dicentes, Num regio palatio quicquam deest?* (כלום פלטין של מלך חסר) *Qui autem fatui erant,* (הטיפשין שבהן,כלום) *nihil curabant verbum regis, sed alii alio abierunt. Subitò dixit Rex, Veniant omnes ad convivium. Venerunt alii splendidè ornati;* (ad verb. *in gloria ipsorum,* בכבודם) *alii autem sordidè amicti;* (ad verb. *in fœditate ipsorum,* בניוולם) *Rex gavisus est de prudentibus, qui verbum Regis observabant, & palatium ejus honorabant; indignatus autem est insipientibus, qui verbum Regis negligebant, & palatium ejus ignominiâ afficiebant. Dixit igitur Rex, Hi qui sese pararunt ad convivium, veniant, & comedant de convivio Regis; qui autem sese non pararunt, de eo non comedent.*

Mat. 25. 35. *Esurivi enim, & dedistis mihi edere,* &c.] In Vajikra Rabba sect. 34. R. Benjamin nomine R. Josuæ dixisse traditur, לעולם אל תהי מצות עני קלה בעיניך שהפסדה כ"ד קללות ומתן שכרה כ"ד ברכות הפסדה כ"ד קללות כתוב הפקד עליו רשע בהשפטו וגו' וכולה ענינא דמומרא כל כך למה יען לא זכר עשות וגו' מתן שכרו כ"ד ברכות כתוב הלא פרש לרעב לחמך: *Nunquam leve sit in oculis tuis præceptum de paupere; quia damnum ejus* (si omittatur) *continet* 24. *maledictiones; & merces ejus* (si observetur) 24. *benedictiones. Damnum ejus continet* 24. *maledictiones. Scriptum enim est,* Psal. 109. 6, &c. *Constitue super eum improbum, cùm judicatus fuerit,* &c. *& totum argumentum Psalmi huc spectat. Quare autem totum istud? Propterea quòd non est recordatus exhibere misericordiam,* &c. *Merces etiam ejus continet* 24. *benedictiones: nam scriptum est,* Isai. 58. 7, &c. *Nónne est frangere esurienti panem tuum,* &c.

Mat. 25. 36. *Ægrotus fui, & visitastis me.*] Visitationi ægrotorum Hebræi multùm tribuunt. Nam in Nedarim fol. 39. 2. aiunt ביקור חולים אין לה שיעור, *Visitatio ægrotorum non habet mensuram,* vel *æstimationem:* h.e. (ut exponit Buxtorfius in Florileg. pa. 380.) infinitam & inæstimabilem habet retributionem. Atque ità quidem intellexisse dicitur Rab Joseph, אין שיעור למתן שכרן, *Non est mensura* (seu *æstimatio*) *retributionis ejus.* Sed R. Abii objecisse fertur, id de omnibus mandatis verum esse, nempe eorum observationem habere infinitam & inæstimabilem retributionem: ac propterea sic exposuisse, אפילו גדול אצל קטן שלא יאמר לא אבקר אלה גדול כמוני, *magnum pariter ac parvum esse visitandum, Ne quis dicat* (inquit R. Salomon ad locum) *Non visitabo nisi magnum, ut ipse sum.* Additur Rabba dicere, אפילו מאה פעמים ביום, *etiam centies in die ægrotos esse visitandos.* Ibidem fol. 40. 1. R. Akiba dixisse memoratur, כל מי שאין מבקר חולים כאלו שופך דמים, *Quisquis non visitat ægrotos, perinde est ac si effunderet sanguinem.* Et ibidem Rab dixisse traditur, כל המבקר את החולים ניצל מדינה של גיהנם, *Quicunque visitat ægrotos, liberatur à judicio gehennæ.* Et in Shabbath fol. 127. 1. הנסת אורחין *Susceptio peregrinantium,* & ביקור חולים *visitatio ægrotorum,* inter ea recensentur, quorum fructus homo comedit in hoc seculo, & sors capitalis ei permanet in seculum futurum.

Mat. 26. 67. *Tunc exspuebant in facicm ejus, & colaphos ei impingebant, alii autem alapas ei dabant,* ἐῤῥάπισαν] In Baba Kama, cap. 8. §. 6. in Misna sic statuunt Hebræorum Doctores, החוקע בחבירו ניתן לו סלע ר יהודה אימר משום ר' יוסי הגלילי מנה סטרו ניתן לו מאתים זוז לאחר ידי נותן לו ארבע מאות זוז, *Qui impingit colaphum socio suo, ei siclum solvit. R. Jehudah nomine R. Josis Galilæi ait, minam. Si alapam ei dederit, dat ei* 200 *drachmas: quod si inversâ manu fecerit,* 400 *ei drachmas pendit.* Et mox ibidem, רקק והניע בו רוקו נותן ארבע מאות זוז, *Si exscreans eum conspuat dat* 40 *drachmas.* Additur etiam ibidem, הכל לפי כבודו א"ר עקיבא אפילו עניים שבישראל רואים אותם כאלו הם בני חורין שירדו מנכסיהם שהם בני אברהם יצחק ויעקב, *Omnia pro ipsius dignitate. R. Ahika ait, Etiam pauperes in Israele spectantur ut nobiles, qui facultatibus suis exciderunt, cùm sint filii Abrahami, Isaaci & Jacobi.* In Hebraico Matthæi textu pro ἐκολάφισαν αὐτὸν est ויכהו *& percusserunt eum pugno;* pro ἐῤῥάπισαν autem, שלחו את ידים על פניו, *immiserunt manus in faciem ejus.* Syrus ἐκολάφισαν αὐτὸν vertit, מקפחין הוו pugnis eum cædebant; & ἐῤῥάπισαν, סחין הוו לה percutiebant eum; quod nimis generale est: sed Mat. 14. 65. מחין הוו לה על פכוחי, *percutiebant eum super maxillas ejus.* Atque id hisce in locis esse *pugnis cædere* asserit Lud. de Dieu, & Vulgatum longè melius sensum expressisse, *palmas in faciem ejus dederunt,* quàm Beza, *bacillis eum cecîderunt.*

CAP. 4. *In quo locus Mat. 16. 18. antea prætermissus, & loca quædam Evangelii juxta Marcum enarrantur.*

Matth. 16. 18.

Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non prævalebunt adversùs eam.] In Midras Koheleth ad illud Eccles. 1. 4. *Generatio abit, & generatio venit; terra autem manet in æternum,* R. Isaac dixisse fertur, מלכות נכנסת ומלכות זו יוצאה, וישראל עומד לעולם, *Regnum hoc* (in Hebræo videtur deesse זו *hoc*) *ingreditur, & regnum hoc exit; Israel autem stat* (seu *manet*) *in æternum.* In Midras Tillim ad illud Psal. 36. 10. *Protrahe* (seu *extende* משוך) *bonitatem tuam eis qui te norunt.* R. Isaaci verba ad hunc modum recitantur; דור הולך ודור בא אומה נכנסת ואומה יוצאת והארץ לעולם תאמרת אלו ישראל שהם עומדים לעולם: *Generatio abit, & generatio venit; gens ingreditur, & gens egreditur; terra autem in æternum stat: isti sunt Israelitæ, qui stant in æternum.* Eodèm spectat illud in Bereshith Rabba sect. 40. כל אומות העולם בטלים והם קיימים, *Omnes nationes mundi abolentur, isti autem* (scilicet Israelitæ) *permanent.* Verissima sunt ista, si de vero Dei Israele intelligantur.

Mar. 1. 7. *Cujus calceorum non sum idoneus qui incurvatus solvam corrigiam.*] Solutio calcei apud Judæos vilissimum fuisse videtur ministerium. Unde R. Joshua filius Levi, ut est in tractatu Cethuboth fol. 96. pag. 1. dixit, כל מלאכות שהעבר עושה לרבו חלמיד עושה לרבו חוץ מהתרת לו מנעל, *Omnia opera,* (seu *ministeria*) *quæ servus præstat hero*

hero ſuo, etiam diſcipulus præſtat præceptori ſuo, præter ſolutionem calcei ejus; vel, *præterquam quòd ei calceum non ſolvit.*

Mar. 3. 4. *Et dicit eis, Licétne in ſabbatis benefacere, an malè facere? vitam ſervare, an interficere? Illi autem tacebant*] Hebræi apertè docent, ea quæ ad conſervandam vitam ſunt neceſſaria, in ſabbato licitè poſſe fieri. Sic enim ſcribitur in Elle haddebarim Rabba ſect. האזינו כך שנו חכמים כל ספק *Auſcultate*; נפשות דוחה את השבת, *Sic docuerunt Sapientes, Omne dubium animarum* (i. periculum vitæ) *pellit ſabbatum.* Et in tractatu Joma in Miſna cap. 8. §. 6. ex ſententia R. Chraſhi dicitur, החושש בגרונו מטילין סם בתוך פיו בשבת מפני שהוא ספק נפשות, וכל ספק נפשות דוחה את השבת, *Si cui guttur doleat, pharmacum ori ejus indunt in ſabbato; quia eſt periculum vitæ; & omne periculum vitæ pellit ſabbatum.*

Mar. 7. 1. *Phariſæi, & quidam ex Scribis, qui venerunt Hieroſolymis*] Scribæ Hieroſolymitani aliis eruditiores habebantur, ut colligere eſt ex Echa Rabba ſect. רבתי בגוים, ubi R. Hona nomine R. Joſis dixiſſe fertur, בכל מקום שהיה אחד בני ירושלם הולך למדינה מציעין לו קתדרה לישב עליה בשביל לשמוע חכמתו, *In omni loco, quo quis ex filiis Jeruſalem ibat in provinciam, ſternebant ei cathedram in qua ſederet, ut audirent ejus ſapientiam.* Et ibidem illud Lam. 1. 1. רבתי בגוים *magna inter nationes* ſic exponitur, רבתי בריעות שהיו בני ירושלם גדולים בידיעה ובינה והשכל לעיני העמים, *Magna ſcientia; quia filii Jeruſalem erant magni* (ſeu *præſtantes*) *ſcientiâ & intelligentiâ & prudentiâ inter populos.*

Mar. 7. 21. *Intrinſecùs enim è corde proficiſcuntur cogitationes malæ*, &c. In Vajikra Rabba ſect. 7. non abſurdè dicitur, אין העולה באה אלא על הרהור הלב, *Iniquitas non niſi ex cogitatione cordis oritur.* Kimchi etiam ad illud Zach. 7. 10. ורעת איש אחיו אל תחשבו בלבבכם, *Nec in corde veſtro cogitate malum alii erga alios*, non malè obſervat, המחשבה מביאה ליתי מעשה, *Cogitatio ad factum ducit.* Sed ut ibidem monet, אפילו המחשבה אסורה כל שכן המעשה, *Etiam cogitatio* (ſcilicet lædendi proximum) *eſt prohibita; quantò magis ipſum factum?* Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 39. & 40. ex Hebræis citat, כשתקוץ משנתך אל יפנה לבך בהרהורים רעים, *Quando expergiſceris à ſomno tuo, ne convertatur cor tuum ad cogitationes malas.* Illud hîc addam, quod in Midras Tillim ad Pſal. 45. 1. obſervatur, nempe 1 Chron. 28. 9. non dictum eſſe, וכל מחשבות *& omnes cogitationes*, ſed וכל יצר מחשבות *& omne figmentum cogitationum*; deinde ratio iſtius locutionis ſic redditur, עד שאין האדם צר את המחשבה בלבו הק"בה מבין, *Priuſquam homo fingit* (vel *formet*) *cogitationem in corde ſuo, Deus ſ. b.* (eam) *intelligit.*

Mar. 10. 30. *Et in ſeculo futuro vitam æternam*] Eleganter Hebræi, עולם הבא הוא עולם השכר, *Seculum futurum eſt ſeculum præmii*, ſeu *mercedis*, i. ſeculum in quo præmium vel merces tribuitur. Sunt verba R. Davidis Kimchi ad Hoſ. 14. 10. Sic in Pirke Aboth cap. 2. in fine dicitur, מתן שכרן של צדיקים לעתיד לבא, *Præmium juſtorum in futurum eſt repoſitum.* In Bammidbar Rabba ſect. 3. affertur illud Pſal. 92. 12. צדיק כתמר יפרח, *Juſtus ut palma florebit*; deinde additur, התמר הזה צלה רחוק כך מתן שכרן של צדיקים רחוק מהם עד לעולם הבא, *Palma umbram longè à ſe projicit: ità præmium juſtorum longè ab eis remotum eſt, ad ſeculum uſque futurum reſervatum.*

Mar. 12. 30. *Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua,* (ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου) *& ex toto robore tuo*] Sic etiam Luc. 10. 27. niſi quòd mutato verborum ordine ſit, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, *ex toto robore tuo, & ex tota mente* (vel *cogitatione*) *tua.* In Matthæo autem cap. 22. ver. 27. tantùm eſt, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου, *toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, & totâ mente* (vel *cogitatione*) *tuâ.* In iſto tamen Matthæi loco Syrus interpres habet, מן כלה לבך ומן כלה נפשך ומן כלה חילך ומן כלה רעינך, *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex toto robore tuo, & ex tota cogitatione tua.* Ad eundem etiam modum Æthiopica & Perſica verſio, utì in Bibliis πολυγλώττοις recèns editis videre eſt. Deut. 6. 5. unde iſta apud Euangeliſtas deſumpta ſunt, in Hebræo ſic legitur, ואהבת את ה' אלהיך בכל לבב ובכל נפשך ובכל מאדך: *Et diliges Dominum Deum tuum toto corde tuo, & totâ animâ tuâ, & toto robore tuo.* Syrus iſtîc habet; רחם למריא אלהך מן כלה לבך ומן כלה נפשך ומן כלה קנינך, *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota poſſeſſione tua.* Sic Chaldæus Paraph. Onkelos pro eo quod in Hebræo eſt ובכל מאדך *& toto robore tuo*, vel *& totâ vehementiâ tuâ*, habet ובכל נכסך *& totâ ſubſtantiâ tuâ.* Et Paraphraſis quæ Jonathani tribuitur, ובכל ממונין *& totâ mammonâ veſtrâ*, vel *& omnibus divitiis veſtris.* Atque ità R. Salomon exponit, בכל ממונך *omnibus divitiis tuis.* Atque addit, יש לך אדם שמטונו חביב עליו מגופו לכך נאמר ובכל מאדך, *Invenias hominem qui divitias ſuas plùs quam corpus ſuum diligit; atque ideo dictum eſt*, ובכל מאדך (i. ut ipſe interpretatur) *& omnibus divitiis tuis.* Addit autem & aliam expoſitionem, בכל מדה ומדה שמודד לך בין במדה טובה בין במדה פורענות, *In omni menſura quam* (Deus) *tibi menſurabit, ſive bona fuerit menſura, ſive menſura ſupplicii.* In Sanhedrin fol. 74. 1. priore modo exponitur; אם יש לך אדם שמטונו חביב עליו מגופו לכך נא' בכל מאדך, *Si inveneris virum qui divitias ſuas plùs quam corpus ſuum diligit, propterea dicitur* בכל מאדך *omnibus divitiis tuis.* Eadem etiam ſunt in Joma fol. 82. 1. & in Peſachim fol. 25. 1. Poſterior etiam illa R. Salomonis expoſitio reperitur in Beracoth fol. 54. ubi tamen בכל מאדך primò exponitur, בכל ממונך *omnibus divitiis tuis.* Iſtum ſenſum innuit Baal Turim, cujus hæc eſt gloſſa, בכל לבב *toto corde tuo*; *Sicut Abraham de quo dicitur, Et inveniſti cor ejus integrum*, &c. Nehem. 9. 8. ובכל נפשך *& totâ animâ tuâ*; *Sicut Iſaac,* שמסר נפשו להק"בה *qui tradidit animam* (vel *vitam*) *ſuam Deo ſancto benedicto,* ובכל מאדך *& omnibus divitiis tuis*; (ſic ex ejus mente interpretandum eſt) *Sicut Jacob, de quo ſcriptum eſt* Gen. 28. 22. *& omnium quæ mihi dederis, decimas certò tibi dabo.* Hebræum autem מאד *Meod*, plerumque adverbialiter uſurpatur, & ſignificat *valde*, vel *vehementer*: ſed in iſto Deuteronomii loco pro nomine adhibetur, atque idem valet quod ἰσχὺς *robur.* Aben Ezra igitur ait ſenſum eſſe, אהוב אותו בכל מה שתוכל ותהיה אהבה גמורה בלב, *Dilige eum quantum potes, & ſit dilectio in corde perfecta.* Lxx Interpretes illa Deuteronomii verba ſic reddunt, καὶ ἀγαπήσεις Κύριον τὸν Θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου, καὶ ἐξ ὅλης τῆς δυνάμεώς σου, *Et diliges Dominum Deum tuum ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* At codex Alexandrinus (ut in Bibliis πολυγλώττοις antea memoratis notatur) pro ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, *ex tota mente tua*, habet ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου, *ex toto corde tuo*, quod Hebræo planiùs pleniùſque reſpondet. Ex iſtiuſmodi autem lectionis varietate quatuor iſta habentur quæ in Marco & Luca; necnon in Syro Matthæi Interprete, memorantur.

Mar. 12. 44. *Hæc verò è penuria ſua injecit omnia quæ habuit, totum* (nempe) *victum ſuum.*] Ad verba

totam vitam ſuam; i. totum id quod ad vitam conſervandam ei ſuppetebat. Syrus vertit, כלה קנינה *omnem poſſeſſionem ſuam*; vel (ut Tremellius) *totam ſubſtantiam ſuam*. In Midras Tillim ad illud Pſal. 22. 24. *Non ſprevit, neque abominatus eſt afflictionem afflicti*, inter alia quædam iſtiuſmodi exempla affertur hoc de muliere, quæ pugillum ſimilæ ad offerendum attulit; cúmque ſacerdos eam ſpreviſſet inquiens, *Videte quid iſta affert. Quid hîc eſt quod offeratur? Quid hîc eſt quod adoleatur?* (מה בורה להקטיר) dictum eſt ei in ſomnio, *Nè ſpernas eam*; *nam* כאלו נפשה הקריבה *quaſi animam ſuam obtulit.*

Mar. 10. 4. *Illi autem dixerunt, Moſes permiſit ſcribere libellum repudii, & dimittere*] Formula libelli repudii habetur in tractatu Talmudico Gittin in Miſna cap. 9. §. 3. גופושל נט הרי את מותרת לכל אדם, *Subſtantia libelli repudii hæc eſt, Ecce licita es cuivis homini.* Sequitur autem, ר' יהודה אומר ודין דיהוי ליכי מינאי ספר תירוכין ואגרת שבוקין וגט פטורין למהך להתנסבא לכל גבר ותצביין, *R. Jehudah ait, Atque hic eſto tibi à me libellus rejectionum, & epiſtola relictionum, & inſtrumentum dimiſſionum, ut vadas, & nubas ulli viro, quem velis.* Ampliorem autem formulam videre eſt apud Seldenum in Uxore Ebraica lib. 3. cap. 24. & apud Buxtorfium De Sponſalibus & Divortiis pag. 164, & 165. Et apud Skikardum de Jure Regio, cap. 3. pag. 73.

Mar. 14. 62. *Videbitis filium hominis ſedentem à dextera potentiæ*] Luc. 22. 69. eſt, *à dextera potentiæ Dei*; unde nonnulli exiſtimant locutionem illam apud Marcum eſſe elleipticam: nec id quidem eſt improbabile: ſed uſitatum eſt Hebræis Deum appellare הגבורה *Potentiam.* In Shabbath fol. 87. pag. 1. ומה השיב משה לפני הגבורה, *Et quid reſpondit Moſes coram Potentia*, i. coram Deo. Et Kimchi in Joſ. 7. 25. antiquiorum Rabbinorum de pœna Achanis ſententiam referens, שכך נאמר לו מפי הגבורה, *Quia ſic ei* (nempe Joſuæ) *dictum fuit ex ore Potentiæ*, i. Dei.

Mar. 16. 15. *Pradicate Euangelium omni creaturæ*] i. Omni homini. Hebræi pro *homine* frequenter utuntur voce בריה, quæ ſignificat *creaturam.* In Peſachim fol. 118. 1. הק"בה יושב ברומו של עולם ומחלק מזונות לכל בריה, *Deus ſ. b. ſedet in celſitudine mundi, & diſtribuit alimenta unicuique creaturæ*, i. unicuique homini. Vide infrà ad Rom. 3. 19. utì mox ibidem pro בריה *creatura* ponitur אדם *homo.* קשין מזונותיו של אדם יותר מן הגאולה, *Difficiliora ſunt alimenta hominis quàm redemptio.* Et, קשין מזונותיו של אדם כקריעת ים סוף, *Alimenta hominis æque difficilia ſunt ac ſciſſio maris rubri.* Ibidem etiam dicitur, הק"בה אינו מקפח שכר כל בריה, *Deus ſ. b. non amputat mercedem cujuſvis creaturæ*, i. cujuſvis hominis.

CAP. 5. *Quod nonnullorum in Euangelio ſecundùm Matthæum antè omiſſorum, necnon aliquot in Euangelio ſecundum Lucam locorum illuſtrationem continet.*

Matt. 6. v. ult.

Sufficit diei malitia ipſius] Vel *afflictio*, κακία. In Beracoth fol. 9. 2. ſimilis eſt ſententia, דיה לצרה בשעתה, *Sufficiens eſt afflictio in hora ſua*, vel *in tempore ſuo.* Q. d. Sat gravis eſt afflictio quando venit, ut non oporteat quenquam ejus exſpectatione aut metu ſeſe cruciare. Buxtorfius in Florilegio pag. 12. vertit, *Sufficit diei vexatio ſua.* Sed Hebræa ità ſonant ut reddidi; vel potiùs, *Sufficit afflictioni in hora ſua*, quod eodèm redit, nempe ut ſenſus ſit, Sufficit afflictioni ut cùm venerit ſit moleſta.

Mat. 7. 15. *Cavete à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ovium, ſed intus ſunt lupi rapaces*] Buxtorfius in Florileg. pag. 119. ex Abarbenele in Nachalath Aboth notat Judæorum Sapientes ſæpe humilitatem vocare ענית ואבית *humilitatem lupinam.*

Matt. 24. 1. *Acceſſerunt diſcipuli ejus, ut oſtenderent ei ædificia templi*] Vide etiam Mar. 13. 1. & Luc. 21. 5. In tractatu Talmudico Succah fol. 51. 2. Rabbini aiunt, מי שלא ראה בית המקדש בבנינו לא ראה בנין מפואר מעולם, *Qui non vidit domum Sanctuarii in ædificio ſuo, nunquam vidit gloriоſum ædificium.*

Mat. 25. 34. *Hereditario jure poſſidete regnum vobis paratum à jacto mundi fundamento*] In Bereſhith Rabba ſect. 67. dicitur, יעקב נטל את הברכות שמעיקר העולם חרוצות לו, *Jacob accepit benedictiones quæ à jacto mundi fundamento ei deciſæ* (ſeu *decretæ*) *fuerunt.*

Luc. 2. 29.

Nunc dimittis ſervum tuum in pace] In Bammidbar Rabba ſect. 11. R. Meir dixiſſe traditur, גדול הוא השלום שלא ברא וכו', *Magna res eſt pax, quia Deus ſ. b. non creavit conditionem pulcriorem* (ſeu *præſtantiorem*) *pace, quæ data eſt juſtis. Cùm enim* (juſtus quiſpiam) *è mundo excedit, tres ordines angelorum miniſtratoriorum ei occurrunt in pace*, (vel *cum pace*, vel *ſalutione*) *quorum primus dicit, Ingredietur pacem*; *ſecundus verò, Requieſcent ſuper cubilia ſua, & tertius, Qui ambulat in integritate ſua*, (Iſai. 57. 2.) Ibidem mox ſequitur, גדול השלום שלא ברא וכו', *Magna res eſt pax, quia Deus ſ. b. non creavit conditionem æquè pulcram ac eſt pax, quam cohibuit ab impiis. Nam cùm illi è mundo exeunt, tres ordines angelorum corrumpentium ei occurrunt, quorum primus ait, Non eſt pax*; *ſecundus autem, Ait Dominus impiis*; *tertius denique, In dolore cubabitis.* (Iſai. 48. 22. & 50. 11.) Eadem etiam habentur in Midras Tillim ad Pſal. 116.

Luc. 6. 35. *Ille benignus eſt erga ingratos & improbos*] In Elle Shemoth Rabba ſect. 12. hoc pulcrè obſervatur ex eo quod legitur, Exod. 9. 19. *Et nunc mitte, colligat pecus tuum*, &c. Vide ſuprà quæ ad locum iſtum ſunt annotata.

Luc. 6. 36. *Eſtote igitur miſericordes, ut & Pater veſter eſt miſericors*] In Sotah fol. 14. 1. R. Chama filius Chaninæ dixiſſe memoratur, מאי דכתיב אחרי ה' אלהיכם תלכו וכו', *Quid ſcriptum eſt? Poſt Dominum Deum veſtrum ambulabitis. Numquid autem poſſibile eſt ut homo ambulet poſt divinam Majeſtatem? Nam jam dictum eſt, Nam Dominus Deus tuus eſt ignis conſumens?* Deut. 4. 24. *Sed ſenſus eſt, proprietates Dei ſ. b. eſſe ſequendas. Quid ille fecit? veſtivit nudos*; *prout ſcriptum eſt*, Gen. 3. & *fecit Dominus Deus Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas, & veſtivit eos. Etiam & tu nudos veſtias. Deus ſ. b. viſitavit ægrotos*; *uti ſcriptum eſt*, Gen. 18. 1. *Et apparuit ei Dominus in planitie Mamre.* (Hebræi aiunt, id factum tertio die poſtquam Abrahamus fuiſſet circumciſus, atque ideo Deum tunc ei apparuiſſe, ut eum ex vulnere ægrotantem viſitaret. Vide ſi libet R. Sal. ad locum.) *Tu quoque viſita ægrotos. Deus ſ. b. conſolatus eſt lugentes*; *uti ſcriptum eſt*, Gen. 35. 11. *Et factum eſt poſt mortem Abrahami ut Deus benediceret Iſaaco filio ejus. Ità & tu lugentes conſolare. Deus ſ. b. ſepelivit mortuos*; *quemadmodum ſcriptum eſt*, Deut. 34. 6. *Et ſepelivit eum Dominus in valle. Similiter & tu ſepelias mortuos.*

Luc. 6. 38. *Menſuram bonam, preſſam, agitatam & ſuperefluentem dabunt*, &c.] Phraſis iſta ab Hebræis uſurpatur: nam in Jebamoth fol. 107. 2. dicitur, במדה כפושה מדד לפיכך מדדו לו במדה כפושה, *Menſuravit menſurâ depreſſâ*; *propterea & menſurâ depreſſâ ei menſuraverunt.* Poſteriorem horum verborum partem adducit Buxtorfius in Lex. Talm. ſub radice כפש, ubi etiam notat ea adduci à R. Salomone Thren. 3. 16. ubi expli-

explicationem vocis הכפישו (debet esse הכפישני.) Verba autem R. Salomonis istic ità se habent, ויש דומה במשנה פישון הנמל במדה כפושה מדד: *Et est simile in Misna, Pishon Camelarius mensurâ prosâ mensuravit*; vel ut Taylerus vertit, *mensurâ coopertâ*. Ità enim R. Salomon ibi הכפישני interpretatur כפדה אותי *cooperuit me*: Et ad locum Talmudis citatum pro מדד כפושה habet מדד כפוידה *mensurâ coopertâ*. Taylerus autem ad Thren. 3. 16. in margine hæc habet; *i. mensurâ superfluente, quæ marginem tegit*, Luc. 6. 38. *E novo enim Testamento parabolas multas accipiunt Talmudici*. Quod verò hic de Talmudicis ait, id mihi minùs videtur verisimile. Non enim adeò candidè affecti sunt erga Nov. Testamentum, ut indè quicquam mutuari velle videantur. Ego potiùs arbitror, parabolas ac locutiones in N. Testamento repertas fuisse apud Judæos usitatas, atque ideo in eorum scriptis ejusmodi etiam reperiri.

Luc. 6. 39. *An potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foveam cadent?* In Baba Kama fol. 52. 1. כד רגין רעיא על ענא עביר לנגדא סמוא, *Quando pastor gregi irascitur, infert duci cæcitatem*; nempe (ut explicat R. Salomon) ut dux unà cum grege in foveam incidat. Buxtorfius paulò aliter legit in Lexico memorato col. 1294. nempe sic, כד רגין רעיא על ענא עביר נגודא סמיא, *Quando pastor iratus est gregi, facit ducem* (gregis) *cæcum*. Sensus utrobique idem est, sed verba ità ut citavi se habent in Talmude nuper Amstelodami edito; atque ità etiam habentur in Glossa R. Salomonis, nisi quòd pro לנגדא sit לנגדה *duci ejus*.

Luc. 11. 27. *Benedictus sit venter qui te gestavit, & ubera quæ te lactarunt.*] Istiusmodi ex adverso maledictionis formula occurrit in Bereshith Rabba sect. 5. יהון לייטין ביזיא דהדין מניק, *Maledicta sint ubera quæ hunc lactarunt*.

Luc. 12. 4, 5. *Nè metuatis ab eis qui occidunt corpus, sed postea nihil amplius habent quod faciant. Sed ostendam vobis quem metuatis: metuite eum qui postquam occiderit, potestatem habet dejiciendi in gehennam: etiam dico vobis, hunc metuite.*] R. Nathan in tractatu de Patribus cap. 25. refert R. Jochanan (seu Joannem) filium Zaccai, cùm moriturus esset, (בשעת פטירתו) flevisse, cúmque discipuli ejus interrogassent dicentes, ר' עמוד הגבוה נר עולם פטיש החזק מפני מה אתה בוכה, *Rabbi, columna excelsa, lucerna mundi, malleus robustus, quare tu fles?* respondisse, *Numquid vado ut coram rege mortali apparem, qui si mihi irascatur, ira ejus non est nisi in hoc mundo; & si me in vincula conjiciat, non nisi in hoc mundo me vinctum detinebit; et si me morte afficiat, non est mihi nisi in hoc mundo moriendum? Ad hæc vel verbis eum placare, vel pecuniâ corrumpere possem. Ecce autem non vado nisi ut appaream coram rege omnium regum, Deo s. b. qui si mihi irascatur, ira ejus manet & in hoc mundo & in futuro. Et præterea nec verbis eum placare, nec pecuniâ corrumpere potero.* Taylerus noster, vir alioquin eruditus, à sensu istorum verborum, ר' העמוד הגבוה נר עולם aberravit, quippe qui ità vertit, *R. Consiste superne, lux æterna est*; cùm vertendum sit, ut suprà, *R. columna excelsa, lucerna mundi*. Nam verba ista tituli sunt æquè ac illud פטיש החזק *malleus robustus*, quibus iste R. Jochanan à discipulis suis est insignitus. Sic Buxtorfius in Florilegio pag. 151. ex Talmudicis notat, doctos viros honoris gratiâ appellari נר ישראל *Lucernam Israelis*, & נרו של עולם *Lucernam mundi*. Item עמוד הימני *Columnam dextram*; & פטיש החזק *malleum robustum*. Ibidem etiam Buxtorfius pag. 364. citat Aben Ezram in Exod. 20. 3. sic scribentem, אדם פחד מהמלך שימות מחר שלא ישנישהו ולא פחד ממלך ואמרת שנפשו בידו בעולם הזה ובעולם הבא, *Homo timet à rege, qui cras* (fortè) *morietur, nè ipsum puniat; & non timet à vero rege, in cujus manu est anima ipsius in seculo hoc & futuro.* Sed istic loci ejusmodi verba in Aben Ezra non reperio.

Luc. 12. 47. *Iste autem servus, qui novit voluntatem domini sui, & non paravit se, nec fecit juxta voluntatem ejus, vapulabit multis* (plagis.)] In Elle haddebarim Rabba sect. כי חבא, R. Simeon filius Chilpethæ dixisse narratur, כל מי שלמד דברי תורה ואינו מקיים עונשו חמור ממי שלא למד כל עיקר, *Quisquis didicit verba Legis, & non observat, ejus pœna gravior erit quàm ejus qui non omnino didicit.* Et in Elle Shemoth Rabba sect. 39. R. Jochanan dixisse fertur, מי שהוא יודע תורה ואינו עושה מושב לו שלא יצא לעולם אלא נהפכה השליה על פניו לכך נא' ויאמר לאדם הן יראת ה' וגו': *Qui novit Legem & non observat, bene ei fuisset si in mundum non venisset, sed secundina super faciem ejus conversa fuisset. Propterea dictum est*, Job. 28. 28. *Et dixit homini, Ecce timor Domini*, &c.

Luc. 14. 8, &c. *Cùm invitatus fueris ab aliquo ad nuptias, nè discumbas primo loco*, &c.] In Vajikra Rabba sect. 1. ad eundem modum præcipitur; רחק ממקומך שנים ושלשה מושבות ושב עד שיאמרו לך עלה ואל תעלה שיאמרו לך רד מטב שיאמרו לך עלה עלה ולא יאמרו לך רד רד: *Procul è loco tuo* (i. à loco tibi debito) *duabus aut tribus sedibus te dimoveas, donec tibi dixerint, Ascende: nè autem ascendas, dum dicant tibi, Descende. Melius est ut dicant tibi, Ascende, ascende, quàm ut dicant, Descende, descende.* Et ibidem dictum filii Hillelis memoratur, השפלתי היא הגבהתי והגבהתי היא השפלתי, *Humiliatio mea est exaltatio mea; & exaltatio mea est humiliatio mea.* Similia etiam habentur in Elle Shemoth Rabba sect. 45. In Sotah fol. 5. 1. (ut etiam notavit Buxtorfius in Florileg. pag. 352.) dicitur, כל אדם שיש בו גסות הרוח סופו מתמעט, *Omnis homo in quo est elatio spiritûs, tandem diminuetur.*

Luc. 14. 16. *Homo quidam fecit cœnam magnam*, &c.] In Vajikra Rabba sect. 13. R. Berechiah nomine R. Isaaci dixisse legitur, אריסטון עתיד הק"בה לעשות לעבדיו הצדיקים לעתיד לבא, *Deus s. b. faciet servis suis, justis* (nempe) *convivium in seculo futuro.* Vox ista אריסטון est Græcum ἄριστον *prandium*; sed (ut notat Buxtorfius) ab Hebræis pro quovis *convivio*, sive *prandio*, sive *cœna* usurpatur. Buxtorfius autem hæc verba citans post אריסטון addit גדול *magnum*, sed ego vocem istam loco citato non invenio. In Midras Esther sect. בשנת שלש etiam hæc occurrunt, סעודת אלהינו שעתיד לעשות לצדיקים לעתיד לבא אין לה קצבה: *Convivium Dei nostri, quod facturus est justis in seculo futuro, non habet tempus* (nempe durationis suæ) *constitutum.*

Luc. 15. 8. *Quænam mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam*, &c.] Istiusmodi est parabola in Shir hasshirim Rabba (seu Commentario in Canticum Canticorum) non longè ab initio, משל לאדם אם מאבד סלע או בילרין בתוך ביתו הוא מדליק נמה נרות וכמה פתילות עד שיעמוד עליהם, *Parabola de homine, qui si perdiderit in domo sua siclum, vel monile,* (Glossator ait בילרין esse מין תכשיט *speciem ornamenti*) *accendit multas lucernas, & multas candelas, donec invenerit.*

Luc. 15. 18. *Peccavi in Cœlum*, &c.] i. In Deum. Hebræi enim Deum appellant שמים *Cœlum*. Vide quæ suprà sunt annotata ad Mat. 21. 25. Unum aut alterum istius locutionis exemplum hîc adjiciam. In Midras Koheleth (antiquo in Ecclesiasten Commentario) ad cap. 5. 6. (vel, ut alii distinguunt, 7.) ità legitur, אדם שהולך לבקר את החולה אומר לו מן השמים ירחמו עליך, *Homo qui vadit ad visitandum ægrotum, dicit ei, E cœlo misereantur tui.* Ità quidem in codice scriptum inveni; sed illud מין expungendum est, & le-

gendum, השמים ירחמו עליך, *Cœlum tui misereatur*, i. Deus: atque ità citat Buxtorfius in Lexico magno ad vocem שמים. In eodem Midras ad cap. 9. 12. מי שאומר לשון הרע חיטא בשמים ובארץ, *Qui loquitur linguâ malâ*, (i. Detractor) *peccat in cœlum & in terram*, i. in Deum & in homines. Probationis ergò affertur illud Psal. 73. 9. *Posuerunt os suum in cœlum*, &c.

Luc. 16.9. *De mammona iniquitatis*] Et v.11. *in mammonâ iniquâ*, vel *injustâ*. Chaldæus Paraph. Hos. 5. 11. vocat ממון דשקר *Mammonam falsitatis* seu *mendacii*. Et hìc apud Lucam opponitur mammonæ veræ. Vide ad 1 Cor. 13. 6.

Luc. 16. 22. *Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahæ*] In Kiddushin fol. 72. 2. de quodam dicitur היום יושב בחיקו של אברהם, *Hodie jacet in sinu Abrahami*. Glossator ait, י"א מת היום, *Sunt qui exponunt, Mortuus est hodie*. Addit autem, ונראה דהא יושב בחיקו של אברהם אבינו שנכנס לברית מילה, *Videtur autem illud, Jacet* (seu *sedet*) *in sinu Abrahami patris nostri, sic intelligendum, quòd in fœdus circumcisionis ingressus est*.

Luc. 16.25. *Memento te recepisse bona tua in vita tua, & Lazarum similiter mala; nunc autem ille solatio fruitur & tu dolore afficeris.*] In Hebræorum scriptis multa occurrunt quæ ad hunc locum illustrandum faciant. R. Nathan De Patribus cap. 24. ייסורין של צדיקים בעולם הזה ושלותן של רשעים בעולם הזה מתן שכרן של צדיקי' לעתיד לבא ופורענתן של רשעים בגיהנם, *Castigationes justorum sunt in hoc seculo, & tranquillitas* (seu *prosperitas*) *impiorum est in hoc seculo. Præmium justorum est in seculo futuro, & supplicia impiorum sunt in gehenna.* In Elle Shemoth Rabba sect. 31. בעולם הזה היו הרשעים וכו' *In hoc seculo impii fuerunt divites, & in tranquillitate ac quiete constituti, justi autem pauperes: sed in futuro seculo cùm Deus s. b. aperuerit justis thesauros horti Edenis, impii, qui comederunt usuram & incrementum, carnem suam dentibus suis mordebunt.* Et in Bereshith Rabba sect. 66. R. Isaac filius R. Chijæ dixisse memoratur, הרשעים על ידי וכו' *Quia impii in principio habent tranquillitatem, in fine autem afflictiones, ideo incipiunt à benedictione, & desinunt in maledictione. Qui benedicit tibi*, (verba sunt Balaami Num. 24. 9) *est benedictus; & qui maledicit tibi, est maledictus. Sed quia justi in principio habent afflictiones, & in fine tranquillitatem, ideo incipiunt à maledictione, & desinunt in benedictione. Qui maledicit tibi*, (inquit Isaac Jacobo Gen. 27. 29) *est maledictus; & qui benedicit tibi, est benedictus.* Hinc fortasse illud Fagii Pirke Aboth cap. 4. *Hebræi dicunt*, הצדיקים תחלתן ייסורין וסופן שלוה והרשעי' תחלתן שליה וסופן ייסורין: *Justorum principium sunt castigationes*, (seu *afflictiones*) *finis verò eorum est prosperitas: impiorum autem principium est prosperitas, & finis eorum sunt afflictiones.* Eadem etiam ex Hebræis citat Buxtorfius in Florileg. p.264. Huc etiam facit quod in Midras Koheleth ad cap. 8. 14. habetur; אשריהן הצדיקי' שמגיע אליהם כמעשה הרשעים בעולם הזה ואוי ואללי לרשעים שמגיע אליהם כמעשה הצדיקים, *Beati sunt justi, quòd eis in hoc mundo evenit juxta opus impiorum:* (i. perinde cum eis agitur ac si essent impii; multis nimirum ac gravibus afflictionibus sunt expositi) *væ autem impiis, quòd eis evenit juxta opus justorum*; ità scilicet prosperè hìc agunt ac si essent justi.

Luc. 16.29. *Habent Mosen & Prophetas*] In Elle Haddebarim Rabba sect. והיה עקב, Moses appellatur אב לכל הנביאים, *Pater omnium Prophetarum*. Autor etiam libri, cui titulus HALICOTH OLAM, in Præfatione appellat Mosen ארון הנביאים *dominum Prophetarum*.

Luc. 17. 10. *Cùm feceritis omnia quæ vobis sunt mandata, dicite, Servi inutiles sumus*, &c.] In Pirke Aboth cap. 2. sect. 8. habetur simile præceptum, cujus autor R. Jochanan filius Zaccai fuisse perhibetur, אם למדת תורה הרבה אל תחזיק טובה כי לכך נוצרת, *Si didicisti legem copiosè, nè laudem tibi tribuas: propterea enim creatus es.* Taylerus vertit, *Si legem copiosè didiceris, nè apprehende bonum tibi ipsi, quia ideo formatus fuisti.* Hebraica autem in ejus codice sic se habent, אם עשית תורתך קבע, quæ ad verbum Latinè sic sonant, *Si fecisti legem tuam fixam*; ut cap. 1. sect. 15. Shammai dixit, עשה תורתך קבע, *Fac legem tuam fixam*: vel *Legem tibi infixam reddito.* Sed in Talmude Amstelodamensi, & in Misnaioth istìc etiam editis, modo suprà citato legitur. Huc & illud spectat quod R. Samueli tribuitur in Vajikra Rabba sect. 3. מה שסינל אדם מצות ומעשים טובים אינו מספק להבל היוצא מפיו, *Quantumcunque homo in thesaurum collegerit præcepta & opera bona, non sufficit vanitati*, (non est sufficiens compensatio pro vanitate) *quæ egreditur ex ore ejus.*

Luc. 18. 1. &c. *Dixit autem parabolam eis* (ad docendum) *quòd oporteat semper precari, & non deficere*, vel *defatigari*, &c.] Similis etiam est parabola Luc. 11. 5. &c. Sententias quasdam parabolis istis affines recitat Buxtorfius in Lexico Talmudico col. 814. תצפא נצח לבישא כל שכן לטובו של עולם, *Impudens* (seu *importunus*) *vincit malum, quantò magis* (Deum), *qui est bonitas mundi?* Et, חצפא אפילי כלפי שמיא מהניא *Impudentia etiam contra Deum est fructuosa.* Hoc posterius dictum tribuitur Rab. Nachmani in Sanhedrin fol. 105. 1. Istis etiam addi possunt ea quæ apud Buxtorfium in Florilegio pag. 281. habentur. כל המרבה תפלתו נענה, *Quicunque multiplicat orationem suam exauditur.* Et כל המאריך בתפלתו אין תפלתו חוזר ריקם, *Quicunque prolongat orationem suam*, (in oratione perseverat) *ejus oratio non redit vacua.*

Luc. 19. 8. *Et si quid cuipiam fraudulenter* (vel per calumniam ἐσυκοφάντησα) *extorsi, reddo quadruplum*] Dignum notatu est, quod de restitutione rei injustè ablatæ tradunt Hebræi. R. David Kimchi in Jon. 3. 10. sic scribit; אמרו ל"ל מי שגזל מריש ובנאו בבירה גדולה מקעקע כל הבירה כולה ומחזיר מריש לבעליו, *Dicunt Rabbini nostri b. m. Qui rapuerit tignum, & illud ædificando magno palatio adhibuerit, diruet totum palatium, & restituet tignum domino suo.*

CAP. 6. *In quo locus quidam in Euangelio secundùm Matthæum antea intactus expenditur, & multa Euangelii secundùm Joannem loca illustrantur.*

Mat. 27. 5.

ET *abiens sese strangulavit.*] Græcè ἀπήγξατο. Heinsius putat Judam interiisse morbo qui dicitur ἀγχόνη vel ἀπαγχόνη *Angina*, vulgò *Squinantia*; atque eò etiam inclinare videtur Ludovicus de Dieu. Quin & Buxtorfius in radice סכר refert nonnullos dicere, Achitophelem ità periisse, de quo Lxx Interpretes eodem verbo ἀπήγξατο utuntur 2 Sam. 17. 23. In Midras Koheleth ad cap. 9. 12. isto morbo interiisse dicuntur exploratores terræ Canaan, qui malam de terra ista famam protulerunt. מה הומתו רבנן אמרין אסכרה עלתה בגרונם ונחנקו ומתו, *Quomodo morte sunt affecti? Rabbini dicunt, anginam guttur eorum pervasisse, atque ità eos suffocatos ac mortuos esse.* Mihi tamen, fateor, probabilius multo videtur, Judam pariter ac Achitophelem sibi ipsis necem intulisse: atque ità Kimchi & R. Levi Ben Gersom locum 2 Sam. 17. 23. exponunt. Ità etiam Syrus Mat. 27. 5. חנק נפשה *strangulavit ipsum.* In Hebraico Matthæi Euangelio est, ותלה בפח *& suspendit se laqueo.*

Joh. 1. 9.

ERat *lux illa vera, &c.*] In Bereshith Rabba sect. 1. citatur illud Dan. 2. 22. ונהורא עמיה שרא, *Et lux cum illo habitat*, ac statim additur, ה"ד המשיח

Iste est rex Messias: & affertur statim illud Isai. 60. 1. *Surge, illuminare; nam lux tua venit.*

Ibid. *Quæ illuminat omnem hominem venientem,* &c.] Sic in Vajikra Rabba sect. 31. Deo dicitur, אתה מאיר לכל באי עולם, *Tu illuminas omnes venientes in mundum.*

Joh. 1. 17. *Lex enim per Mosen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum.*] Gratiam per Messiam seu Christum conferri etiam Judæi agnovisse videntur. Sic enim in Elle Shemoth Rabba sect. 41. in fine sectionis scribunt, אמר הק'כה למשה בעולם הזה עלידי שהיה בהם יצר הרע עושין ע'ז אבל לעתיד לבא אני עוקר מהם יצר הרע ונותן להם בשר כד'א והסירותי את לב האבן מבשרכם ונתתי לכם לב בשר, *Dixit Deus ſ. b. Mosi, In hoc seculo, quia eis inest figmentum malum,* (seu *concupiscentia prava*) *in idololatriam incidunt; sed in seculo futuro* (sic interdum Hebræi appellant tempus Messiæ) *exstirpabo ex eis figmentum malum, & indam eis cor carneum. Hoc est quod dicit,* Ezek. 36. 26. *Et auferam cor lapideum è carne vestra, & dabo vobis cor carneum.* Sic in Midras Tillim ad Psal. 14 7. dicitur illud Deut. 5. 29. מי יתן והיה לבבם זה לרם, *Quis dabit ut sit cor eorum istiusmodi?* stabilitum iri לעולם הבא, *in seculo futuro*; quia nimirum dicitur, (Ezek. 36. 26.) *Et dabo eis cor novum.*

Joh. 3. 13. *Nemo ascendit in cœlum,* &c.] Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 4. refert ab Hebræis dici, פלוני עלה לרקיע, *N.* (Quidam non nominatus) *ascendit in cœlum*; quando quis res sublimes & cœlestes tractat & meditatur.

Joh. 3. 34. *Non enim ex mensura* (ἐκ μέτρου, vel *ad certam mensuram*) *Deus* (ei) *dat Spiritum*] Prophetis ad mensuram datum fuisse Spiritum notant Hebræi. Ità enim in Vajikra Rabba sect. 15. R. Acham dixisse ferunt, אפילו רוח הקדש ששורה על הנביאים אינו שורה אלא במשקל, *Etiam Spiritus S. qui manet super prophetas, non manet nisi in mensura.* Illud במשקל quod propriè est *in pondere*, idem valet quod *in mensura*; utì ibidem sequitur, אפילו דברי תורה שניתנו מלמעלה לא ניתנו אלא במדה: *Etiam verba legis, quæ data erant supernè,* (è cœlo) *non data erant nisi in mensura.*

Joh. 4. 9. *Nam Judæi non habent commercium cum Samaritanis.*] Samaritanos ac Judæos admodum sibi invicem exosos fuisse, ex eo apparet quòd in Capitulis R. Eliezer cap. 38. habetur. *Quid* (inquit) *fecit Ezra, Zerubbabel filius Shealtiel, & Josua filius Josedec? Congregarunt totum cœtum in templo Dei, & adduxerunt trecentos sacerdotes, trecentos infantes,* (Sic Vorstius reddit; Hebraicè est תינוקות, *pueros*, i. discipulos minores, ut interpretatur Seldenus De Jure Naturali, &c. lib. 4. cap. 7.) *trecentas buccinas, & trecentos libros legis in manibus suis. Clangebant buccinis, & cantillabant Levitæ, atque anathemate devovebant Cutheos* (i. Samaritanos) *mysterio nominis Hammephoraſh,* (i. יהוה) *& scripturâ exaratâ in tabulis, & anathemate domûs judicii superioris,* (seu cœlestis) *atque anathemate curiæ inferioris,* (vel terrestris) *Ne quis unquam ex Israele comedat fructum vel buccellam Cuthei. Hinc dicunt, Quicunque comedit carnem Cuthei, is vescitur quasi carne porcinâ. Cutheus quoque nè fieret proselytus, neque haberet partem in resurrectione mortuorum, juxta illud,* Ezr. 4 3. *Non vobis, sed nobis convenit* (in Vorstio mendosè legitur, *Non vobis, nec nobis,* &c.) *ædificare domum Dei nostri, non in hoc seculo nec in futuro. Præterea quoque nè haberet partem in Jerusalem. Hinc dicitur,* Neh. 2. 20. *Vobis non est pars,* &c. *Transmiserunt autem anathema hoc ad Israelitas qui erant in Babylonia. Addiderunt hi contra illos anathema super anathema. Adjecit insuper rex Cyrus, atque æternum anathema contra illos fixit.* Hinc illud, Ezr. 6. 12. *Deus verò, cujus nomen habitat illic,* &c. Ibidem etiam dicitur, *Cuthei non recensentur pro gente inter septuaginta populos.* In tot nempe populos Hebræi aiunt mundum fuisse divisum post confusionem linguarum. Huic consonat illud Siracidis Ecclesiast. 50. 27, 28. *Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens; Qui sedent in monte Seir, Philistiim, & stultus populus qui habitat in Sicimis,* i. Sichem urbe Samariæ. Malè in Vulg. Lat. versione, saltem in nonnullis codicibus, post illa verba, *tertia autem non est gens,* additur, *quam oderim:* quæ verba in Græco non habentur, & sensum prorsus destruunt. Sic enim autor iste, Judæorum more, quàm contemptissimè, de Samaritanis loquitur ac si gentis nomine prorsus indigni essent, atque ideo mox eos appellat *stultum populum.* Sed & in Vaticano exemplari edit. Paris. perperàm legitur ὁ ὄρει Σαμαρείας, *in monte Samariæ*, pro ὁ ὄρει Σηείρ, *in monte Seir.* Elias Levita in Thisbi sub radice כות citat Rabbinorum dictum, quod summum Judæorum erga Samaritanos odium demonstrat; אין עונין אמן אחר כותי המברך, *Non respondent Amen post Cuthei,* seu *Samaritani, benedictionem.*

Joh. 4 25. *Cùm iste* (Messias) *venerit, docebit nos omnia.*] Magnum quiddam, etiam quod ad doctrinam attinet, Judæi à Messia exspectant, ut videre est ex eo quod in Midras Coheleth ad cap. 11. 8. occurrit, תורה שארם למד בעולם הזה הבל היא לפני תורתו של משיח: *Lex quam quis discit in hoc seculo, vanitas est præ lege Messiæ.* Nota autem antithesin inter hoc seculum & illud cùm Messias venerit.

Joh. 4. 27. *Et mirati sunt quòd cum muliere loquebatur.*] In Pirke Aboth, cap. 1. sect. 5. R. Joses filius Jochanan (seu Joannis) dixisse traditur, אל תרבה שיחה עם האשה, *Ne multiplices sermonem cum muliere.* Additur etiam ibidem Sapientes dixisse, כל זמן שהאדם מרבה שיחה עם האשה גורם רעה לעצמו ובוטל מדברי תורה וסופו יורד לגיהנם, *Quamdiu quis sermonem multiplicat cum muliere, malum sibi accersit, & cessat à verbis legis, & tandem descendit in gehennam.* Buxtorfius in Lexico magno col. 1146. inter ea quæ Hebræi vituperant in discipulo Sapientum, ait hoc recenseri, *Si confabuletur* (loquatur) *cum muliere*; atque addit, hac de causa discipulos Christi miratos esse, cùm viderent eum cum muliere Samaritana loquentem, quòd cum muliere loqueretur. Sed in Beracoth fol. 43. 2. verba, ad quæ respexit Buxtorfius, ità habent, אל יספר עם אשה בשוק, *Ne loquatur* (scilicet תלמיד חכם *discipulus Sapientis*) *cum muliere in platea,* in loco publico. Ità autem nihilo minùs, imò magìs verba ista ad hunc locum spectant. Additur ibidem, אפילו היא אשתו ואפילו היא בתו ואפילו היא אחותו, *Etiamsi uxor ejus fuerit, & etiamsi filia ejus fuerit, & etiamsi soror ejus fuerit.* Rationem reddunt, לפי שאין הכל בקיאין בקרובותיו *quia propinquitates ejus omnibus non sunt perspectæ.*

Joh. 4. 32. *Habeo cibum comedere, quem vos non nostis.*] In Elle Shemoth Rabba sect. 47. de Mose 40 dies totidémque noctes sine cibo & potu agente, dum in monte erat, Hebræi sic scribunt, לחם לא אכל אבל וכו' *Non comedebat panem, sed ex pane legis comedebat; nec bibebat aquam, sed aquas legis bibebat. Discebat nempe legem interdiu, & noctu de ea secum meditabatur. Quare autem ità faciebat, nisi ut doceret Israelitas ut die noctéque Legi operam darent?*

Joh. 5. 17. *Pater meus operatur adhuc,* &c.] In Bammidbar Rabba sect. 3. historia quædam (quæ & alibi sæpe in Rabboth occurrit) narratur de matrona quadam, quæ interrogavit R. Josen filium Chilpethæ, inquiens, *Omnes fatentur Deum sex diebus creasse mundum,* ששה ולכאן מה הוא עושה, *Ab istis sex diebus huc usque quid agit?* Respondit ei Rabbinus, מעלה סולמות ומוריד סולמות פלני שהיה עשיר יעני ופלני שהיה עני יעשיר שנא' ה' מוריש ומעשיר ונו' *Erigit scalas, & deprimit* (seu *dejicit*) *scalas: hunc, qui dives erat, pauperem reddit; & illum, qui erat pauper, facit divitem: quemadmodum dicitur,* 1 Sam. 2. 7. *Dominus pauperem facit, & divitem facit.* Additur autem ex sententia R. Berechiæ aliter responsum fuisse, nempe ad hunc modum, בזוג בעולמו צווגים ואומר פלני ישא פלנית ופלנית תנשא לפלני ומושיבן בבתיהן, *Conjuges in mundo suo*

suo inter se conjungit, & dicit, Iste in uxorem accipiet illam, & ista nubet illi, eósq; in domibus suis habitare facit. Dixit ei matrona, וכולה אני לווג אלף ביום אחד, *Possum ego connubio jungere mille uno die. Siluit R. Joses, & abiit. Quid fecit matrona? Adduxit mille servos, & mille ancillas, & inter se connubio junxit, inquiens, Iste illam ducet uxorem, & ista illi nubet. Cùm autem inter se convenissent, nocte inter eos orta est contentio, ità ut alii in alios sævirent. Manè matronam adierunt, hic capite confracto, ille manu vulneratâ. Accersivit R. Josen, & rem ei narravit, qui dixit,* אם הדבר הזה קל היא בעיניך קשה לפני המקום כקריעת ים סוף: *Si res ista levis sit in oculis tuis,* (si res ista facilis tibi videatur) *difficilis est coram Deo æquè ac scissio maris rubri,* seu potiùs *algoris.*

Joh. 5. 31. *Si ego de meipso testimonium perhibeam, testimonium meum non est verum*] i. Non est firmum & validum. Sic Hebræi aiunt (in Halicoth Olam cap. 1.) אין אדם נאמן על פי עצמו, *Nemo est de seipso testis idoneus:* ad verb. *Non est homo fidelis juxta os suum ipsius.* Nota radicem אמן unde נאמן *fidelis*, & אמת *veritas*, propriè *firmitatem* denotare, 2 Sam. 7. 16. ונאמן ביתך *Et fidelis erit domus*, utì Vulg. Interpres vertit, i. ut Chaldæus Paraph. interpretatur, וקיים ביתך *& firma* (sive *stabilis*) *erit domus tua.* In Hebræo statim sequitur, וכסאך יהיה נכון, *stabilietur thronus tuus.* Kimchi ad locum exponit נאמן *fidelis* per יתקים *stabilietur*; & notat ità vocem istam usurpari Isai. 22. 23. ותקעתיו יתד במקום נאמן, *Et figam illum paxillum in loco fideli*; sic Vulg. Versio, i. in loco firmo & stabili. R. Nathan in Concordantiis ait אמן significare קיום וכיוון *stabilitatem & firmitatem.*

Joh. 5. 45. *Est qui vos accusat, Moses, in quo vos speraſtis*] In Vajikra Rabba sect. 30. verè simul ac eleganter dicitur, אוי לזה שנעשה סניגורו קטיגורו, *Va ei, cujus συνήγορος & patronus* (vel *advocatus*) *factus est κατήγορος & accusator.*

Joh. 7. 24. *Nè judicetis secundùm aspectum*, &c.] Elegans est illud Hebræorum dictum quod in Pirke Avoth cap. 4. §. 20. memoratur, אל תסתכל בקנקן אלא במה שיש בו, *Ne inspicias cantharum, sed id quod in eo est.* Ratio ibi subjungitur, יש קנקן חדש מלא ישן וישן אפילו חדש אין בו, *Est cantharus novus, qui plenus est vino veteri; & est cantharus vetus, qui nè novum quidem vinum in se habet.*

Joh. 8. 5. *In lege autem Moses nobis præcepit, ut istiusmodi* (nempe *adulteræ*) *lapidarentur*] Lev. 20. 10. dicitur, adulterum & adulteram morte plectendos, sed quo genere mortis plecti deberent non exprimitur. Atque ità Deut. 22. 22. Ibi autem sequitur, Si quis cum virgine alicui desponsata concubuerit, utrumque lapidandum; unde meritò colligendum videtur, isto supplicii genere adulterum fuisse puniendum. In Sanhedrin autem cap. 10. §. 1. in Misna, inter eos qui erant strangulandi, recensetur, הבא על אשת איש, *qui cum alterius uxore concumbit.* Coch in Annotat. ad locum ait Kimchium ad Ezec. 16. 40. agnoscere, supplicium adulterii esse lapidationem, atque id ab Amama notatum in Antibarb. Bibl. lib. 3. pag. 961. Equidem Kimchi ad illud Ezech. 16. 40. *Et adducent super te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus*, alt, כמשפט חנואפות שרוגות אותם באבנים, *Juxta morem adulterarum, quæ lapidibus obruunt.* Sed vereor ut Kimchii mentem viri isti eruditi sat rectè perceperint. Non enim capitalem pœnam per *lapidationem* istic intelligere videtur, cùm immediatè addat, לא שימיתוה, *non quòd morte eam afficient;* Atque ità intelligendum vult illud de Achane, Jos. 7. 25. *Et obruerunt eum universi Israelitæ lapidibus & combusserunt eos igne*, &c. nempe Israelitas præ odio ac indignatione lapides in Achanem, cùm ad supplicium duceretur, conjecisse, etiamsi non lapidatione sed combustione exstinctus fuerit. Vide suprà quæ ad istum Josuæ locum sunt annotata. Chaldæus Paraph. sive verè, sive falsò dictus Jonathan, Judaicarum opinionum sequacissimus, Levit. 20. 10. disertè ait adulterum fuisse strangulandum, Ità enim מתעסק, ובר דיגור ית איתת נבר וכו' *Vir autem qui adulterium perpetrabit cum uxore viri desponsata, vel cum uxore viri maritata, occidendo occidetur, Ob maritatam nempe* (occidetur) *strangulatione per sudarium durum intra molle; pro desponsata autem projectione lapidum; adulter pariter ac adultera.* Idem Paraphrastes Deut. 22. 22. תקטלונון בשינוקא דסודרא *interficietis eos* (nempe adulterum & adulteram) *strangulatione sudarii.* In Sanhedrin etiam fol. 54. 2. disertè dicitur, adulteram, quæ erat lapidanda ארוסה ולא נשואה, *desponsatam, sed non maritatam.* Et ibid. fol. 52. 2. Lex ista Levit. 20. 10. de interficiendis adulteris exponitur בחנק *strangulatione.* Et verbis R. Josuæ dicitur, כל מקום שנא' מיתה בחירה סתם אין אחר רשאי למשכה להחמיר עליה אלא להקל עליה, *Ubicunque in Lege mors (infligenda) simpliciter memoratur, non de graviori, sed de leviori mortis genere est interpretanda.* Additur autem R. Nathanem dixisse, לא שהיא קלה אלא כל מיתה האמורה בתורה סתם אינה אלא חנק, *Non ob pœnæ levitatem* (est illud de strangulatione intelligendum) *sed quotiescunque mors simpliciter in Lege memoratur, non est nisi strangulatio.* Posteriorem istorum verborum partem habet R. Salomon ad Levit. 20. 10. Et Abrabaneel in Pirush Hatorah, seu *Expositione Legis*, fol. 158. col. 2. ait, הנה מאלה ערויות מה שנאמר בהם מות יומת מיתתו בחנק, *Ecce autem de hisce turpitudinibus illud est observandum, quòd cùm dicitur OMNINO MORTE AFFICIETUR, de strangulatione intelligitur.* Idem etiam notat R. Levi Ben Gersom ob rationem à R. Josua allatam, nempe pœnæ levitatem. Sic enim in Explicatione Legis fol. 164. scribit; לפי שלא ביארה התורה באיזה מיתה יומתו הנה יחויב שיומתו במיתה יותר קלה, *Quia lex non declaravit quo mortis genere afficerentur, necesse est ità intelligi, ut morte levissimâ afficiantur,* Et mox ibidem, לפי שהקלה באלו המיתות הוא חנק הנה יומתו בחנק, *Cùm autem inter hasce mortes levissima sit Strangulatio, ecce strangulatione interficientur.* Cùm de Strangulatione, ut levissimo mortis genere, loquuntur Hebræi, illud considerandum est quod in Sanhedrin, cap. 7. sect. 1. habetur; ארבע מיתות נמסרו לבית דין סקילה שריפה הרג וחנק: *Quatuor supplicia capitalia tradita sunt Judicibus, nempe Lapidatio, Combustio, Occisio quæ fit gladio, & Strangulatio.* Inter hæc supplicia levissimum erat Strangulatio. Istis adde R. Levi Barzelonitam, qui (ut est apud Hottingerum de Jure Hebræorum, lege 35. pag. 49.) ait, שם בסנהדרין מתבאר שהנואף עם אשת איש שזה בחנק שניהם והנואף עם נערה מאורשה שניהם בסקילה, *Et ibi in Sanhedrin explicatur, si quis adulterium admittat cum cujuspiam uxore completa, utrumque esse strangulandum; cum puella autem desponsata, utrumque esse lapidandum.* Hottingerus vertit, *Et ibi in Sanhedrin explicatur, adulterum* (i. maritum) *cum alterius uxore congredientem, utrumque suspendi; virum cum virgine desponsata rem habentem, lapidibus utrumque obrui.* Præterquam autem quòd aliàs autoris mentem minùs clarè exprimit, haud rectè חנק, i. *strangulationem*, interpretatur *suspendium*, quod tamen alibi etiam ab eo factum video. Nam etiamsi apud nos qui strangulantur suspendi solent; non ità tamen apud Judæos moris erat, utì discimus ex tractatu Sanhedrin cap. 7. §. 3. ubi Strangulationis supplicium sic describitur; בית החנקין היו משקעין אותו בובל על ארכיבותיו ונותנים סודר קשה לתוך הרכה וכורך על צווארו ומושך אצלו תה ומושך אצלו עד שנפשו יוצאה: *Institutum de strangulandis tale est:* (Ista etiam postea citat Hottingerus lege 45. sed mendosè legitur, Sanhedr. cap. 17. pro cap. 7.) *Damnatus fimo usque ad genua immergitur, tum collo ejus circumdatum linteum* (seu *sudarium*) *durum molli involutum, hinc indè diversi trahunt, donec exspiret*; ad verb. *anima exeat.* Ex hisce autem quæ adduximus, apparet unanimem Hebræorum sen-

ſententiam eſſe, Adulterii ſupplicium, niſi quis cum muliere tantùm deſponſata rem haberet, fuiſſe Strangulationem. Omnino igitur dicendum eſt, vel Scribas & Phariſæos apud Joannem de deſponſata quapiam locutos eſſe; vel poſteriores Judæos legem aliter intellexiſſe quàm Chriſti tempore intellecta fuit. Et profectò minùs veriſimile videtur, adulterium cum muliere deſponſata uno mortis genere, cum nupta autem alio, & eo quidem leviore, fuiſſe plectendum.

Joh. 9. 34. *Et tu nos doces?*] Pulcrè Ben Zoma, uti eſt in Pirke Aboth cap. 4. ſect. 1. איזהו חכם הלומד מכל אדם, *Quis eſt Sapiens? Qui à quovis homine diſcit.*

Joh. 10, 4. *Ante eas vadit* (Paſtor,) *& oves ſequuntur eum*] Paſtorem ſolitum fuiſſe oves præcedere ex eo etiam diſci poteſt, quod in Bammidbar Rabba ſect. 23. legitur; נחית כצאן מה הצאן כל היכן שהרועה מנהיגה היא נמשכת אחריו כך ישראל כל מקום שהיו משה ואהרון מסיעי' אותם היו נוסעים אחריהם: *Duxiſti ſicut oves*, Pſal. 77. 20. *Quid* (faciunt) *oves? Quocunque Paſtor eas ducit, eum ſequuntur. Sic Iſraelitæ ſecuti ſunt Moſen & Aharonem, quocunque eos duxerunt.*

Joh. 11. 9. *Nónne duodecim horæ ſunt diei?*] Sic in Beteſhith Rabba ſect. ult. יב שעות ביום, *Duodecim horæ ſunt in die.* Et in Elle haddebarim Rabba ſect. ואתחנן dicitur, היום יב" שעות, *dies duodecim horas* in ſe continet. Horæ nempe apud Judæos erant inæquales, aliquando longiores, aliquando breviores. Unde illud R. Joſuæ filii Babæ in Jebamoth cap. 16. §. 3. in Miſna, לא כל האדם ולא כל המקומות ולא כל השעות שוין, *Non omnes homines, nec omnes loci, nec omnes horæ ſunt æquales.* In Talmude Amſtelodamenſi in Jebamoth fol. 120. 1. dictum iſtud tribuitur R. Judæ filio Babæ; ſed in Miſnaioth Amſtelodamenſibus eſt רבי יהושע *R. Joſua.*

Joh. 11. 49. *Unus autem ex eis Caiaphas, cùm eſſet Pontifex iſtius anni, &c.*] Sub templo ſecundo Pontificatum pecuniâ fuiſſe redemptum, & factum annuum, Hebræi docent in Joma fol. 8. 2. ubi R. Judah rationem reddens quare לשכת בלווטי *Conclave βελδτικὸν* ſeu *ſenatorium*, poſtea dictum ſit, לשכת פרהדרין, *Conclave πρεσβέων præſidum*, vel *παρέδρων aſſeſſorum*, בתחלה היו קורין אותה לשכת בלווטי ומתוך שנותנין עליו מטן להכונה ומחליפין אותה כל שנים עשר חדש בפרדרין הללו שמחליפין אותם כל שנים עשר חדש לפיכך היו קורין אותו לשכת פרדרין, *Primò vocabant illud Conclave βελδτικὸν, ſed poſtquam ſacerdotium pecuniâ eſt redemptum, & ſingulis duodecim menſibus mutatum, quemadmodum πρεσβέων* (vel *παρέδρων*) *hi ſingulis duodecim menſibus mutantur, tunc vocarunt illud Conclave πρεσβέων*, vel *παρέδρων*, quod Hebræorum *Parhedrin* propiùs attingere videtur. Quod autem de Parhedrin hiſce ſingulis duodecim menſibus mutatis dicitur, R. Salomon exponit, כפרדרין הללו שהמלך מחלפן בכל שנה ושנה, *Inſtar horum παρέδρων quos Rex ſingulis annis mutat.* Unde per *Parhedrin* ſeu *παρέδρους* intelligere videtur Magiſtratus quoſdam annuos à Rege conſtitutos.

Jo. 14. 2, 3. *In domo Patris mei ſunt multa manſiones, &c.*] In Vajikra Rabba ſect. 27. ſuper illud Cant. 1. 4. ſic commentantur, להיכן אנו נמשכי וכו', *Quò nos trahimur poſt te? In hortum Edenis. Hoc eſt quod ſcriptum eſt*, Pſal. 36. 8. *Inebriabuntur* (h. e. abunde ſatiati erunt) *pinguedine domûs tuæ, & torrente* (vel *fluvio*) *voluptatum tuarum eos potabis. Dixit R. Eliezer apud R. Menachem, VOLUPTATIS TUÆ hîc non ſcribitur, ſed VOLUPTATUM TUARUM; docet nimirum unumquemque juſtum ſibi propriam ac peculiarem habere voluptatem*; nempe peculiarem in Paradiſo manſionem. Ità Aug. De ſancta Virgin. cap. 26. hunc locum exponit: ſed hoc à genuino loci ſenſu alienum arbitror. In Midraſh Tillim ad Pſal. 11. dicitur ſeptem eſſe manſiones juſtorum in horto Eden, & totidem impiorum in gehenna. לכל אחד ואחד לפי מעשיהן בתי דיורם *Unicuique juxta opera ſua paratur manſio.*

Joh. 14. 30. *Princeps hujus mundi venit, &c.*] In Bammidbar Rabba ſect. 16. מה עשה הק'בה במתן תורה הביא מלאך המות אמר לו העולם כולו ברשותך חוץ מאומה זו שבחרתי לי, *Cùm Lex data erat, quid fecit Deus ſ. b. Adduxit angelum mortis*, (i. Satanam) *& dixit ei, Totus mundus eſt in poteſtate tua præter hanc gentem, quam elegi mihi.*

Joh. 15. 14, 15. *Vos eſtis amici mei, &c. Vocavi vos amicos, &c.*] Sic in Elle haddebarim Rabba, Seder והיה עקב dicitur ישראל נקראו רעים להק"בה, *Iſraelitæ vocantur amici Dei ſ. b.* Ad id probandum affertur illud Pſal. 122. 8. למען אחי ורעי וגו', *Propter fratres meos & amicos meos, &c.* Sed iſtud ad rem non facit, cùm David in ſua, non in Dei perſona iſtic loquatur.

Joh. 16. 7. *Niſi enim abiero, paracletus non veniet.*] Beza vertit, *advocatus.* Et ad Joh. 14. 16. notat Spiritum Sanctum dici *παράκλητον*, quòd interpellet pro nobis, ut eſt Rom. 8. 26. Advocatos enim, Græcè *παρακλήτους*, dictos fuiſſe eos qui pro reis deprecabantur. Hoc Camero (ut eſt in ejus Myrothecio) impugnat, ac contendit Spiritum S. vocari *παράκλητον* (unde Syrus Interpres habet פרקליטא *Paraclita*; quæ vox etiam in Hebræorum ſcriptis eſt uſitata) quia eſt Doctor noſter, & Conſolator, non autem deprecationem quandam & interceſſionem Spiritûs S. voce illâ denotari. Sed immeritò hîc ſe Camero opponit Bezæ, quem Ludovicus de Dieu ad Jo. 14. 16. laudandum cenſet, quòd *παράκλητον* hîc non *Conſolatorem*, ſed *Advocatum* vertit. Addit etiam vir iſte eruditus vocem פרקליטא & פרקליט (perperàm in codice Ludovici de Dieu ſcribitur פרקליתא cum ת loco ט) Rabbinis & Talmudicis eſſe uſitatiſſimam, ſed nonniſi *patroni* atque *advocati* ſignificatione: atque id à Druſio in Præteritis doctè probatum aſſerit. Druſii Præterita mihi nunc non ſunt ad manum, ſed ad refutandum Cameronem in Hebræorum monumentis ſat multa accurrunt. In Vajikra Rabba ſect. 6. אמר ר' אחא הדא רוח הקדש סניגוריא היא, *Dixit R. Acha, Iſte Spiritus Sanctus eſt συνήγορος, patronus*, ſeu *advocatus.* Vox Hebræa סניגוריא *συνηγορία* proprè denotat *defenſionem* ſeu *patrocinium*; ſed hîc pro *defenſore* vel *patrono* uſurpatur: ac fortaſſe pro סניגוריא legi debet סניגורא. Gloſſator Hebræus legit סניגורין, quod eſt plurale, niſi ibi etiam ſit mendum Typographicum; & exponit, מליץ טוב על ישראל, *Interpres bonus pro Iſraele*, i. qui cauſam agit Iſraelis; vel qui interpellat pro Iſraele. סניגור *συνήγορος*, & קטיגור *κατήγορος*, i. *Advocatus* & *Accuſator*, inter ſe opponuntur. Vide ſuprà ad Joh. 5. 45. Sic etiam פרקליטא & פרקליט (quod à Græco *παράκλητος* factum eſt) opponitur לקטיגור *κατηγόρῳ Accuſatori.* In Pirke Aboth cap. 4. §. 11. R. Eliezer filius Jacobi dixiſſe fertur, העושה מצוה אחת קנה לו פרקליט והעובר עבירה אחת קנה לו קטיגור אחד: *Qui mandatum unum obſervat acquirit ſibi Paraclit* (i. *advocatum*) *unum; & qui in unam incidit tranſgreſſionem, acquirit ſibi Catigor* (i. *Accuſatorem*) *unum.* Maimonides ad locum iſtum ait, פרקליט הוא המליץ טוב על האדם למלך קטיגור הפך זה והוא המלשין אדם למלך ומשתדל להמיתו, *Paraclit eſt qui Regi de homine bonum loquitur. Catigor ei eſt contrarius, nempe is qui hominem apud Regem accuſat, & eum interimere conatur.*

Joh. 16. 22. *Et gaudium veſtrum nemo vobis aufert*] In Bammidbar Rabba ſect. 15. hoc inter juſtos & impios diſcrimen notatur; מעלתן של צדיקים מעלה שאין לה ירידה מעלתו של עשו מעלה שכולה ירידה היא, *Aſcenſus juſtorum eſt aſcenſus qui non habet deſcenſum; ſed deſcenſus Eſavi eſt aſcenſus qui totus eſt deſcenſus.*

Joh. 17. 17. *Verbum tuum eſt veritas*] In Elle Shemoth Rabba §. 33. in initio, affertur illud Pſal. 119 89. לעולם ה' דברך נצב בשמים, *In æternum, Domine, verbum tuum in cœlo eſt conſtitutum.* Deinde additur, אמר דוד כשם שאתה אמת שנ' ויי' אלהים אמת הוא דברך אמת, *Dixit David, Quemadmodum tu* (Domine) *es veritas; uti dicitur*, (Jer. 10. 10.) *Dominus autem*

autem Deus veritas est: (Alii interpretantur, *Dominus est Deus veritatis*, i. Deus verus; ut אלהים אמת positum sit pro אלהי אמת) *sic verbum tuum est veritas.*

Joh. 18. 31. *Nobis non licet interficere quenquam.*] In Aboda Zara fol. 8. 2. dicitur, מ' שנה עד לא חרב הבית גלתה סנהדרין וישבה לה בחנות, *Quadraginta annis ante destructionem domûs* (i. Templi secundi) *Sanhedrin migravit, & habitavit in tabernis.* Et mox sequitur R. Nachmanem filium Isaaci dixisse, לא תימא דיני קנסות אלא שלא דנו דיני נפשות: *Nè dicas judicia pecuniaria* (tunc cessasse,) *sed non exercebant judicia capitalia.* Quia nempe, ut istic statim additur, istiusmodi judicia à Synedrio magno non nisi in loco ubi sedere solebat (nempe לשכת הגזית *conclavi easi lapidis*) exerceri debebant. Similia etiam habentur in Shabbath fol. 15. 1. Et in Sanhedrin fol. 41. 1. In hanc rem etiam alia citat Buxtorfius in Lex. Talm. col. 514. atque addit; *Hoc est illud ipsum quod Judæi Pilato, Christum ipsis tradere volenti ad condemnandum, responderunt, Nobis non licet occidere quenquam*, &c. Jos. Scaliger lib. 1. Epist. 12. ait istud Joh. 18. 31. *à consilio Hierosolymitano dictum esse, quia jus gladii eis ademptum erat*, &c. Galatinus etiam lib. 4. cap. 6. ex hujusmodi Hebræorum dictis colligit 40 annis ante eversionem Templi Judæos potestate exercendi judicia capitalia caruisse. *At verò* (inquit Seldenus De Synedriis veterum Ebræorum lib. 2. cap. 15. §. 11.) *hallucinatio videtur manifesta, judicia capitalia eis sic tunc ablata asserere, ut jus ea exercendi eis remaneret nullum. Aliud est jus omnino adimi, seu judices potestate legitimâ judicandi ità privari, ut nec judicare debeant, aut jure possint; aliud ipsum duntaxat judiciorum exercitium sic præpediri, seu ad tempus minui, ut judices ipsi, cum tutò officio suo fungi nequeant, eo quidem abstineant ipsi, nec tamen potestate legitimâ seu jure pristino exuantur.* Multa in hanc sententiam habet vir ille πολυμαθέστατος, ut ei prorsus assentiendum esse existimem. Nam in Thosiphtha ad Aboda Zara fol. 8. 2. disertè dicitur, וי"ל מ"מ כשהיו רואין צורך שעה היו חוזרין אל הלשכה ודנין שם, *Licet autem dicere, quòd nihilo minùs, cùm viderent opus esse,* (vel *tempus esse opportunum*) *redibant in istud conclave, & ibi judicabant.* Et istiusmodi etiam habentur in Tosiphtha ad Sanhedrin fol. 37. 2. Ibidem etiam dicitur, ideo in Gemara dictum esse, משחרב בית המקדש, *postquam vastata est domus Sanctuarii*, nempe cessasse Synedrium & supplicia capitalia, משום ראו בטלו דיני נפשות לגמרי, *quia tunc judicia capitalia omnino cessarunt*, seu *prorsus abolita fuerunt.* Quod innuit, ante destructionem Templi non ità cessasse ista judicia ut prorsus abolerentur. Atque hoc etiam ex eo colligi posse videtur, quòd in Aboda Zara fol. 8. 2. in fine paginæ, hæc ratio redditur, quare 40. annis ante excidium Templi Synedrium magnum è loco suo migravit, & judicia capitalia cessarunt, כיון דרחוו דנפשי לאו רוצחין ולא יכלו לסרוך אמרו מושב גנלי ממקום למקום, *Cùm viderent multos esse homicidas, nec se posse* (tutò) *exercere judicia, dixerunt, Satius est migrare è loco in locum*, i. Præstat deserere locum istum ubi judicia capitalia exerceri solent, quàm ibi manere, nec tamen judicia ista liberè ac tutò posse exercere. Verba ista prorsus innuere videntur, non jus exercendi judicia capitalia fuisse ablatum, sed exercitium duntaxat præpeditum. Illud hîc omittendum non est, in Tosiphtha ad Sanhedrin fol. 37. 2. cùm dictum fuisset, וי"ל מ"מ כשהיו רואין צורך שעה היו חוזרין ללשכת הגזית: *Dicendum est, quòd nihilominus cùm viderent tempus opportunum, redibant in conclave lapidis politi*, statim addi, כי עובדא דישו וכיוצא בו, *ut in causa Jesu, & similibus.* Et in Sanhedrin fol. 43. 1. de Domino nostro Jesu Christo, (eum enim, opinor, intelligunt, seu potiès res certa est eum intelligi) impiè quidem ac falsò, sed scribunt tamen ad hunc modum; בערב הפסח תלאוהו לישו והכרוז יוצא לפניו מ" יום יוצא ליסקל על שכישף והיסית והידיח את ישראל כל מי שיודע לו זכות יבא וילמד עליו ולא מצאו לו זכות ותלאוהו בערב פסח, *In vespera Paschatis suspenderunt Jesum; & præco eum anteibat quadraginta dies*, (clamitans) *Exit ut lapidetur, propterea quòd præstigiis usus est, & sedaxit, & impulit Israelem. Quisquis aliquid novit quod eum innocentem probet, veniat & ostendat. Sed non invenerunt eum innocentem; unde suspenderunt eum in vespera Paschatis.* Si literaturæ hujus callentissimus Seldenus eò usque vixisset ut librum tertium de Synedriis perficere potuisset, multa proculdubio huc spectantia exhibuisset, ut in libro isto posthumo & incompleto, quin & in libro secundo interdum pollicitus est.

Joh. 19. 17. *Et portans crucem suam exiit*, &c.] Hebræi aiunt Isaacum crucem suam portasse, cùm ligna, quibus in holocaustum erat comburendus, ei imposita essent. Sic enim in Bereshith Rabba sect. 56. ad illud Gen. 22. 6. *Et imposuit Isaaco*, &c. dicitur, וה שהוא טוען צלובו בכתפו, *Hîc ostenditur eum crucem suam humero portasse. Sicut Dominus crucem suam, sic & Isaac sibi, quibus suæ imponendus, ligna portabat.* Aug. contra Maximin. l. 3. c. 26.

Joh. 20. 25. *Nisi videro*, &c. *haudquaquam credam.*] In Sanhedrin fol. 100. 1. fertur R. Jochanan quidam dixisse, ריקא אם לא ראית לא האמנת, *Inepte, nisi vidisses, non credidisses.* Obiter nota vocem Hebræam ריקא *Reca*, unde illud ῥακὰ *Raca* Mat. 5. 22. Sed & in Elle Shemoth Rabba sect. 46. cùm Deus dixisset Mosi *Abi, descende, populus tuus se corrupit*, aiunt Mosen apprehendisse tabulas Legis, nec credidisse Israelem peccasse, sed dixisse, אם אני רואה איני מאמין, *Nisi videro, non credam.*

CAP. 7. *In quo nonnulla apud Evangelistas, & multa in Actis Apostolorum loca illustrantur.*

Mat. 8. 30.

Erat autem longè ab eis grex porcorum, &c.] Non solùm Lege Mosaicâ vetitum erat porcis vesci, verùm etiam eos alere atque educare Hebræorum Doctores vetuere. In Baba Kama cap. 7. §. 7. aiunt, לא ינהל ישראל חזירים בכל מקום, *Non educet Israelita porcos ullo loco.* In Talmude Amstelod. legitur, אין מגדלים חזירים בכל מקום, *Non educant porcos ullo loco.* Sed in Misnaioth Amstelod. & in codice Constantini l'Empereur (qui tractatum istum Hebraicè pariter ac Latinè unà cum Annotationibus edidit) prior lectio habetur. In Gemara etiam fol. 82. 2. dicitur, tempore Hyrcani & Aristobuli pronunciatũ fuisse, ארור האיש שינהל חזירין, *Maledictus sit vir qui educat porcos.* Quærit igitur non immeritò Constantinus L'Empereur, Unde essent porci quorum hîc fit mentio cùm pascere eos Magistrorum saltem autoritas vetaret. Respondet autem alienigenas imprimis Transjordanenses regiones incoluisse, atque ibi inter alios Gadarenos & Gergesenos fuisse, qui porcos pascebant. Addit insuper, Judæos etiam nonnullos istis in locis inter gentiles commoratos esse, qui Magistrorum placitis se astringi passi non sunt. Sed Judæos adeò insuper habuisse Magistrorum suorum placita, mihi minùs videtur verisimile.

Luc. 1. 5. *Ex classe Abia.*] De istis sacerdotum classibus, prout instauratæ fuerunt post reditum è Captivitate Babylonica, Hebræorum traditio in tractatu Eracin fol. 12. 2. & 13. 1. sic habet; ארבע משמרות עלו מן הגולה וכו' ידעיה וחרים, *Quatuor classes è captivitate ascenderunt, Jedaiah & Harim, Pashur & Immer: stetit propheta qui inter eos fuerunt, & distribuerunt classi in viginti quatuor. Miscebant eas, & ponebant in urna: venit Jedaiah, & eduxit partem suam, & partem sociorum suorum, sex. Venit Harim, & eduxit partem suam, & partem sociorum suorum, sex: atque ità Pashur & Immer. Constituerunt deinde prophetæ qui inter eos fuerunt, quòd etiamsi Jehoiarib princeps classium è captivitate ascenderet, non pelleret Jedaiam è loco suo, sed Jedaias esset principale, & Jehoiarib ei accessorium.* Eadem etiam habentur in tractatu Taanith fol. 27. 1, & 2.

nisi quòd (ut notat Seldenus De Succeſſione in Pontificatum cap. 1.) pro *Harim* perperàm ponitur *Jehoiarib*, quòd nec cæteris de Jehoiarib ibi adjectis eſt omnino conſonum. Sed & bene iſtic monet Seldenus, hæc ab eis perpendi deberi qui Abiæ apud Lucam memorati Ephemeriam octavam fuiſſe, quemadmodum in Paralipomenis habetur, fidenter admittunt, cùm juxta Talmudicos ità novata ſit diſtributio, ut quemnam in ea locum jam teneret ephemeria ſive Abiæ, ſive aliûs cujuſcunque familiis iſtis quatuor ſacerdotalibus, in claſſes viginti quatuor diſtributis, poſtmodum immiſta adjunctáque, non omnino conſtet.

Luc. 15. 7. *Sic erit gaudium in cœlo*, &c.] Kimchi in Iſai. 57. 19. teſtatur Rabbinos dicere, גדולי בעלי תשובה מצדיקים גמורים, *Reſipiſcentes ſunt majores quàm perfectè juſti.*

Luc. 18. 1. *Quòd oportet ſemper precari, & non defatigari.*] In Beracoth fol. 32. 2. ejuſmodi eſt præceptum, אם ראה אדם שיתפלל ולא נענה יחזור ויתפלל שנ" קוה אל ה" ויאמץ לבך וקו אל ה", *Si videat homo, quòd cùm precatus fuerit non exauditur, iterum precetur; quia dictum eſt*, Pſal. 27. v. ult. *Exſpectta Dominum, & confortabit cor tuum: exſpecta igitur Dominum.*

Luc. 13. 7. *Ecce tribus annis venio quærens fructum*, &c.] In Midras Tillim ad Pſal. 10. 1. R. Jochanan dixiſſe fertur, שלש שנים ומחצה היתה שכינה עומדת בהר הזיתים ומכרזת דרשו יי" בהמצאו ולא היו משניחין, *Tribus annis & dimidio Divina Majeſtas ſtetit in monte olivarum, & clamabat, Quærite Dominum dum inveniri poteſt; & animum non adverterunt.*

Joh. 7. 49.

Sed populus iſte, (vel *turba iſta*, ὁ ὄχλος οὗτος) *qui non novit legem, eſt exſecrabilis.*] In Midras Tillim ad Pſal. 7. בן תורה, *filius Legis*, qui in Lege ſcilicet eſt erudirus, & עם הארץ, *populus terra* (ſic Hebræi plebeios & ineruditos appellant) inter ſe opponuntur.

Joh. 20. 19. *Et foribus clauſis*, &c. *venit Jeſus*, &c.] Nonnulli ex Hebræis (uti refert doctiſſimus vir D. Pocockius in notis miſcellaneis cap. 6.) inter proprietates corporis in mundum futurum admiſſi hanc recenſent הוא נכנס בכל מקום אע"פ שהוא סגור כמו שנכנס הרוח, *Quòd quemlibet locum, etiam occluſum, ingrediatur non ſecùs ac ſpiritus.* Sed hoc cum grano ſalis eſt accipiendum. Etiamſi enim corpus glorificatum ſit *ſpirituale*, 1 Cor. 15. 44. non tamen in Spiritum mutatur, ſed corpus etiamnum manet, atque ideo aliud corpus penetrare non poteſt, quicquid Pontificii in adverſum dixerint.

Act. 2. 16, &c.

Sed hoc eſt quod dictum eſt per prophetam Joelem, &c.] Huc non ineptè quadrat illud in Bammidbar Rabba ſect. 15. אמר הק"בה בעולם הזה נתנבאו יחידים ולעולם הבא כל ישראל נעשין נביאים שנא' והיה אחרי כן אשפוך את רוחי על כל בשר וגו', *Dixit Deus ſ. b. In hoc mundo prophetabunt ſingulares quædam perſonæ*, (pauci quidam erunt prophetæ) *ſed in mundo futuro* (poſt adventum Meſſiæ) *omnes Iſraelitæ fient prophetæ; ità dictum eſt*, Joel. 2. 28. *Et poſtea erit, ut effundam Spiritum meum in omnem carnem*, &c.

Act. 3. 25. *Vos eſtis filii prophetarum, & federis*, &c.] Sic in Baba Kama cap. 1. ſect. 2, & 3. nonnulli vocantur בני ברית *filii federis*, ſeu federati, quibus opponuntur peregrini, vel alienigenæ, qui à federe alieni, לאפוקי נכרי, *ad excludendum alienigenam*, ſeu *extraneum*, inquit R. Salomon ad locum.

Act. 5. 28. *Et vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius*, &c.] Buxtorfius in Lexico magno col. 76. refert Rabbinos cùm de Chriſto, quem nè nominare quidem dignantur, loquuntur, ſæpe iſta verba ad eum indicandum uſurpare, אותו האיש, *iſte vir.* Sic in Commentario quodam libri precum ad hæc verba, דורש את המת, *Conſulens mortuum*, notari ait, אותו האיש שמת כאשר כל אדם, *Iſtum nempe virum, qui mortuus eſt, ut cæteri homines univerſi.* Digitum etiam intendit Buxtorfius ad Aben Ezram in Gen. 27. 40. ubi hæc reperio; והיו אנשי' מתי מספר שהאמינו באיש ששמוהו אלוה וכאשר האמינה רומי ביתי קוסטנטין שחדש כל הרוח ושם על דגלו צורת האיש ההוא, *Et fuerunt viri pauci qui crediderunt in virum illum, quem conſtituerunt Deum; quemadmodum etiam credidit Roma tempore Conſtantini, qui univerſam religionem innovavit, & effigiem viri iſtius in vexillo ſuo poſuit.* Odioſa nimium ſunt iſta, & ejuſmodi, ut hereditariam Judæorum in Chriſtum & Chriſtianam religionem malitiam nimis clarè demonſtrent.

Act. 5. 38, & 39. *Si ex hominibus ſit hoc conſilium, aut hoc opus, diſſolvetur; ſed ſi ex Deo ſit*, &c.] Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 46. ex Jalkut in Pſal. 1. citat, כל עצה שהיא לשם שמים סופה להתקיים, *Omne conſilium quod eſt ad gloriam Dei, tandem ſtabilietur:* Vide lib. 5. cap. 12. pag. 546.

Act. 6. 1. *Erat murmuratio Helleniſtarum* (ſive *Græcienſium*) *adversùs Hebræos.*] Viri docti per *Helleniſtas* intelligunt Judæos qui, inter gentes diſperſi, Græcâ linguâ utebantur, ſed quæ multis Hebraiſmis mixta eſſet. Beza expoſitione iſtâ improbatâ aliter explicat; ſed Ludovicus de Dieu ait propterea meritò à Druſio eſſe rejectum. Ego id annotabo quod in Elle haddebarim Rabba ſect. אלה הדברים, ſeu ſect. 1. occurrit. *R. Gamaliel dixit*, הספרים לא התירו שיכתבו אלא יונית, *Non permiſerunt libros* (ſacros) *ſcribi* (ullâ peregrinâ linguâ) *niſi Græcè.* Additur autem, *Et quare dixit*, מותר לכתוב ספר תורה יונית, *Licitum eſt ſcribere librum legis Græcè? Bar Kaphra ait, Quia ſcriptum eſt, Perſuadebit Deus Japheto*, (vel, *Dilatabit Deus Japhetum.* Vide Annotationes meas ad Gen. 9. 27) *& habitabit in tentoriis Shemi*, שיהיו דבריו של שם נאמרי' בלשונותיו, של יפת לכך התירו שיכתבו בלשון יונית, *Quia verba Shemi dicta erunt linguâ Japheti, propterea permiſerunt ſcribere* (libros ſacros) *linguâ Græcâ.*

Act. 7. 16. *Et tranſlati ſunt in Sichem*, &c.] In Bereſhith Rabba ſect. 100. hoc colligitur ex eo quod ſcriptum eſt Gen. 50. 24, 25. *Et Deus certò vos viſitabit*, &c. ומניין אף עצמות של שבטים העלו עמו שנא' אתכם: *Atque hinc colligitur etiam* (mendosè legitur עף pro אף *etiam*) *oſſa tribuum* (i. fratrum Joſephi) *una cùm Joſephi oſſibus* (ex Ægypto) *deportata fuiſſe; quia dicitur, VOS.* i. Quia Joſeph fratribus ſuis dixit, *Deus certò vos viſitabit, & educet vos è terra hac*, &c.

Act. 7. 19. *Is calliditate uſus* (κατασοφισάμενος) *adversùs genus noſtrum*, &c.] Hebræi Ægyptios, ob aſtutiam & calliditatem quâ uſi ſunt adversùs Iſraelitas, vulpibus comparant, atque ità intelligi volunt illud Cant. 2. 15. *Capite nobis vulpeculas.* Nam in Shir haſhirim Rabba ad locum iſtum R. Eleazar fertur dixiſſe, ערומים, והן המצריים לפיכך הוא משלן בשועלים, *Callidi fuerunt Ægyptii; ac propterea vulpibus aſſimulantur.*

Act. 7. 23. *Cùm autem impletum ei eſſet quadraginta annorum tempus*, &c.] In Elle Shemoth Rabba ſect. 1. ad illud Exod. 2. 11. *Et factum eſt in diebus illis cùm Moſes creviſſet*, dicitur, בן עשרים שנה היה משה באותה שעה וי"א בן ס', *Annos 20. tunc temporis natus fuit Moſes: & ſunt qui dicunt eum tunc 40 annos natum fuiſſe.* Hæc poſterior ſententia rem acu (quod aiunt) tetigit.

Act. 10. 15. *Quæ Deus mundavit, tu nè polluas*] i. Pro pollutis nè habeas. In Midras Tillim ad illud Pſal. 146. 7. מתיר אסורים, *ſolvit vinctos*, fertur nonnullos dixiſſe, שכל הבהמה שנטמאת בעולם הזה מטהר אותה הק"בה לעתיד לבוא, *Quacunque beſtia in hoc ſeculo immunda eſt, eam Deus ſanctus benedictus mundabit in ſeculo futuro.* Ità tempus poſt adventum

Messiæ Hebræi solent appellare, ut antea est observatum.

Act. 10 35. *Sed in omni gente qui timet Deum, & operatur justitiam, ei acceptus est.*] Digna mihi notatu videntur quæ in Bammidbar Rabba sect. 8. scripta sunt. אם מבקש אדם להיות כהן אינו יכול להיות וכו' *Si quis cupit esse sacerdos, non potest esse; vel Levita, non potest esse. Quare? Quia pater ejus nec sacerdos fuit nec Levita. Sed si quis cupit esse justus, potest esse, etiamsi sit gentilis; quia non est domus patris.* (i. Justus ex certa aliqua familia ortum suum non habet) *Propterea ait*, Psal. 135. 20. *Qui timetis Dominum, benedicite Domino. Domus* (seu *familia*) *timentium Dominum non dicitur*, (ut *Benedic Domino domus Israelis; benedic Domino domus Aharonis; benedic Domino domus Levi.*) *sed, qui timetis Dominum. Non est domus patris*, (seu certa aliqua familia) *sed* (justi) *suâ sponte se Deo offerunt, & eum diligunt: atque ideo etiam Deus eos diligit. Propterea dicitur, Dominus diligit justos*, &c. Psal. 11. ult.

Act 10. 43. *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent*, &c.] In Sanhedrin fol. 99. R. Jochanan dixisse memoratur, כל הנביאים כולן לא נתנבאו אלא לימות המשיח, *Omnes Prophetæ non nisi de diebus Messiæ prophetarunt.*

Act. 11. 3. *Ingressus es ad homines incircumcisos, & cum eis comedisti.*] In Pirke (sive *Capitulis*) *R. Eliezer cap.* 29. præceptum est, *Cum nullo præputiato comedat, neque perveniat in Sanctuarium.* Deinde sequitur, *Qui se à præputiato separat, veluti à sepulcro se separat.* Et ibidem dicitur, *Quicunque comedit cum præputiato, is veluti cum cane edit. ---Quisquis accedit ad præputiatum, is veluti mortuum contrectat. Quicunque lavat se cum illo, is quasi cum leproso se lavat. Sunt enim in vita sua tanquam mortui; & in morte sua veluti cadaver agri.*

Act. 12. 22, & 23. *Populus autem clamavit, Vox Dei*, &c.] In Elle Shemoth Rabba sect. 8. afferuntur exempla quorundam qui (instar Herodis) divinitatem quandam sibi arrogarunt, atq; indè exitium sibi accersiverunt. ארבעה בני אדם עשו עצמן אלהות והרעו לנפשם, *Quatuor filii hominum se Deos fecerunt, & sibi ipsis malum intulerunt.* Quatuor autem isti erant Hiram, Nebucadnetsar, Pharaoh, & Joash rex Judæ. De Hiramo probatur ex Ezech. 28. de Nebucadnetsare ex Isai. 14. & Dan. 4. de Pharaone ex Ezech. 29. & de Joasho ex 2 Chron. 24.

Act. 13. 21. *Et dedit eis Deus Saul filium Kis, virum ex tribu Benjamin, quadraginta annos.*] Quod de *quadraginta annis* hîc dicitur, Interpretes ità intelligunt, ut in eis etiam comprehensum sit tempus, quo Samuel Israelem judicavit. In Seder Olam Rabba cap. 13. undecim tantùm anni Samueli & duo Sauli tribuuntur: י"א לשמואל בעצמו וב' לשמואל ושאול, *Undecim anni ad Samuelem solum pertinent, & duo ad Samuelem & Saulem*, unà nempe regnum administrantes. At in Midras Tillim ad Psal. 25. ut in multis aliis, ità in hoc etiam Moses & Samuel inter se comparantur, quòd utriusque regimen 40 fuit annorum. וה מלך על ישראל תה מלך עליו ישראל וה מלך ארבעי' שנה: וזה מלך ארבעי' שנה: *Hic* (Moses) *regnavit super Israelem; & iste* (Samuel) *regnavit super Israelem: hic regnavit 40 annos; & iste regnavit 40 annos.* Hîc anni regni Saulis in annis regni, seu gubernationis, Samuelis comprehendi videntur.

Act. 14. 16. *Qui in præteritis generationibus permisit omnes gentes viis suis incedere.*] In Vajikra Rabba sect. 13. in hanc rem elegans similitudo adhibetur, de medico nimirum, qui duos ægrotos visitans, quorum alter est visturus, alter moriturus, de priore dicit, אכול וזה תאכל לא תאכל, *Hoc comedes, illud autem non comedes.* Sed de altero, כל דבעי הבו ליה, *Quicquid petierit, ei date. Sic Deus Israeli* (populo suo) *certa quasdam leges præscripsit, sed gentes ab eis immunes esse jussit.*

Act. 14. 17. *Quanquam non reliquit se absque testimonio, bona tribuens, dans nobis è cœlo pluvias*, &c.] In Bereshith Rabba sect. 13. Gentilis quidam narrasse dixisse R. Josuæ filio Korchæ, *Vos habetis solennitates, & nos habemus solennitates: cùm vos lætamini*, (festum diem agitis) *nos non lætamur; & cùm nos lætamur, vos non lætamini.* אמתי אנו ואתם שמחים בירידת גשמים, *Quando autem nos unà vobiscum lætamur? Cùm descendunt pluviæ.* Ad hoc probandum affertur illud Psal. 65. 13. *Vestiuntur pascua ovibus*, &c. Et in Elle haddebarim Rabba sect. כי תבא R. Jonathan dixisse traditur, במפתחות בידו של הק"בה ואין בריה שולטת עליהן לא מלאך ולא שרף, *Tres claves sunt in manu Dei s.b. & nulla creatura, nec Angelus, nec Seraph, in eas potestatem habet.* Claves autem istæ sunt clavis Resurrectionis mortuorum, & clavis Sterilitatis, (מפתח של עקרות nempe clavis quâ mulieris sterilis uterus aperitur) & clavis pluviæ. Deinde ex variis Scripturæ locis singula probantur. Nempe clavis Resurrectionis mortuorum ex Ezech. 37. 12. *Aperiam sepulcra vestra*, &c. Clavis Sterilitatis ex Gen. 30. 22. ubi Deus dicitur *aperuisse vulvam Rachelis.* Clavis denique Pluviæ ex Deut. 28. 12. *Dominus aperiet tibi bonum thesaurum suum, cælum ut det pluviam*, &c. Similia etiam sunt in tractatu Talmudico Taanith fol. 2. 1. In Targum Hierosolymitano, Gen. 30. 22. præter tres claves antea memoratas additur etiam quarta, nempe מפתח פרנסה, *Clavis cibationis* vel *sustentationis*; ad quam probandam affertur illud Psal. 104. 28. *Aperis tu manum tuam*, &c.

Act. 17. 11. *Hi autem erant εὐγενέστεροι generosiores*, vel *nobiliores*, &c.] Huic congruit illud in Bammidbar Rabba sect. 10. נתב אשריך ארץ שמלכך בן חורין אימתי הארץ באשרי בומן שמלכה עוסק בתורה שאין לך בן חורין אלא מי שהוא עוסק בתלמוד תורה, *Scriptum est*, Eccles. 10. 17. *Beata es, ô terra, cujus Rex est filius nobilium* (i. nobilis.) *Quando est terra* (ità) *beata? Cùm Rex tuus operam dat Legi. Quia non est nobilis*, (ad verb. *filius nobilium*) *nisi qui in doctrina Legis se exeret.* Sic in Pirke Aboth cap. 6. sect. 2. R. Josua filius Levi dixisse memoratur, אין לך חורין אלא מי שעוסק בתורה, *Non est nobilis nisi qui in lege versatur.* In Misnaioth Amstelodami impressis, & in Talmude ibidem edito est, בתלמוד תורה, *in doctrina Legis*; sed in editione Tayleri est בתורה *in Lege*; atque ità citatur à Buxtorfio in Lexico magno col. 836. & in Florileg. Hebr. pag. 232. Additur autem ibidem, ול מי שעוסק בתורה הרי זה מתעלה, *Et quicunque operam dat Legi, ecce is exaltatur.* Taylerus legit, והלמד בתלמוד תורה, *Quicunque verò in lege discenda laborat*, uti ille interpretatur. Fortasse Typographi error ità Hebraicè legitur: nam Latina versio alteri potiùs lectioni congruit, quæ in Talmude & Misnaioth modò memoratis, & in Buxtorfii Florilegio reperitur.

Act. 20. 35. *Beatius est dare quàm accipere.*] Nam ut dicitur in Midras Ruth fol. 44. col. 4. ודכן של עליונים ליתן אין דרכן ליטול, *Mos est superorum dare; non est mos eorum accipere.*

CHRISTOPH. CARTWRIGHTI
MELLIFICIUM HEBRAICUM.
LIBER III.

CAP. 1. *In quo loca aliquot Epistola ad Romanos illustrantur.*

Rom. 2. 21, & 22.

Qui doces alterum, teipsum non doces? Qui praedicas non esse furandum, tu furaris? Qui dicis non esse mœchandum, tu mœcharis?] Insignes aliquot in hanc rem sententias ex Hebræis depromptas habet Buxtorfius in Florileg. Hebr. p. 74, & 75. המורה בני אדם בדבר שהוא לא יעשה כסומא שיש בידו נר ומאיר לאחרים והוא הולך באפילה: *Qui alios docet quod ipse non facit, similis est caco, qui lucernam in manu habet, & praelucet aliis, ipse autem in tenebris ambulat.* ר' עזאי נאה דורש ולא נאה מקיים *R. Azzai pulcrè concionatur, sed non pulcrè observat quæ dicit.* Hoc posterius dictum habetur in Bereshith Rabba sect. 34. & ibidem immediatè præcedit ista sententia à R. Eliezere filio Azariæ (ut fertur) prolata, quæ à Buxtorfio etiam est citata, נאים דברים היוצאים מפי עושיהן *Pulcra sunt verba quæ ex ore eorum qui faciunt ea procedunt.* Apud Buxtorfium omissa est vox ista, היוצאים *quæ procedunt*, vel *exeunt*. Huc etiam spectat illud quod in Elle haddebarim Rabba sect. ואתחנן scriptum reperitur, אמר ר' שמלאי כתיב כי ונתה אשם הובישה וגו' *Dixit R. Shamlai, Scriptum est*, Hos. 2. 5. *Nam mater eorum fornicata est; quæ concepit eos probrosè egit. Quia dedecore afficiunt* (vel *confundunt*, *Non confundant opera tua sermonem tuum*, Hieron. ad Nepotian. de vita Clericorum) *verba sua coram populo terræ*, (sic plebeios & illiteratos appellant, ut antea alicubi observatum) *Quomodo? Sapiens concionatur in Congregatione, Non mutuò dabis ob usuram; & ipse mutuò dat ob usuram. Dicit, Non facies rapinam; & ipse facit rapinam. Dicit etiam, Non furaberis; & ipse furatur.* Vide suprà ad Mat. 7. 28. ubi ex Midras Ruth similia sunt citata.

Rom. 2. 28, & 29. *Neque ea est circumcisio quæ in præputio est*, (nempe) *in carne.*] Argutè (ut solent) in hanc sententiam scribunt Hebræi in Elle Shemoth Rabba sect. 19. שאין המהולים יורדין לגיהנם אמר ר' ברכיה כדי שלא יהו המינים והמשומדים ושאר ישראל אומרים הואיל ואנו מהולין אין אנו יורדין לגיהנם מה הק"בה עושה משלח מלאך ומשך ערלתן והם יורדים לגיהנם, *Quia circumcisi non descendunt in gehennam, dixit R. Berachia, Nè hæretici & apostatæ & impii Israelitæ dicerent, Quandoquidem circumcisi sumus, non descendemus in gehennam; quid facit Deus sanctus benedictus? Mittit angelum, & attrahit præputium eorum*, (i. eos perinde habet ac si incircumcisi essent) *& sic descendunt in gehennam.*

Rom. 3. 2. *Primùm quod eis credita sunt eloquia Dei.*] In Pirke Aboth cap. 3. §. 14. inter Akibæ dicta hoc recensetur, חביבין ישראל שנתן להם כלי חמדה שבו נברא העולם, *Dilecti sunt Israelitæ quia illis datum est vas desiderii*, (i. verbum Dei) *quo creatus est mundus.* In Elle Shemoth Rabba sect. 30. hujusmodi narratur historia. Aquila dixit Imperatori Adriano, רוצה אני להתגייר ולהעשות ישראל, *Volo ego Proselytus esse, & Israelita fieri.* Cui Adrianus, *Num* (inquit) *genti isti te adjungere velis quam ego adeò contempsi, & de qua ego tot occidi? Infimæ genti te admiscere cupis.* לירודה שבאומות מבקש להתערב *Quid in eis vidisti quòd Proselytum te velis facere?* Respondit Aquila, הקטן שבהם יודע היאך ברא הק"בה את העולם, *Minimus inter eos novit quemadmodum Deus s. b. creavit mundum: quid creatum fuit die primo, quid die secundo; & quot anni sunt ex quo mundus est creatus; & quare mundus subsistit,* ועל מה חעולם עומד: *Et lex eorum est veritas.* Tunc Adrianus, *Vade*, inquit, *& disce Legem eorum; sed nè sis circumcisus. Imò*, inquit Aquila, *etiam sapientissimus in regno tuo, licèt centum annorum sit, non potest discere Legem eorum nisi fuerit circumcisus. Ità enim scriptum est*, Psal. 147. 19, 20. *Indicat verba sua Jacobo, statuta ac judicia sua Israeli: Non ità fecit ulli nationi*, &c.

Rom. 3. 19. *Ut omne os obturetur, & obnoxius* (ὑπόδικος) *sit totus mundus Deo.*] In Elle Shemoth Rabba sect. 31. verè simul ac eleganter dicitur, אין בריה שאינה חייבת לאלהים אלא שהוא חנון ורחום, *Non est homo* (ad verb. *creatura*. Vide suprà ad Mar. 16. 15.) *qui non est obnoxius Deo*, (qui non justè à Deo condemnari possit) *nisi quòd est clemens & misericors.*

Rom. 4. 11. *Et accepit signum circumcisionis, sigillum justitiæ fidei*, &c.] Abrabaneel in Isai. 52. 13, &c. de Abrahamo loquens ait, קבל חותם ברית קדש לאמור ליי' אני, *Accepit sigillum fœderis sancti*, (nempe Circumcisionem) *inquiens, Ego sum Domini.* Nec absurdum est illud, si sano sensu accipiatur, quod habetur in Bereshith Rabba sect. 47. ubi R. Aijebu dixisse fertur, *Cùm Abrahamus circumcidit vernas suos*, (ילידי ביתו) *collem fecit ex præputiis eorum, & oriente super ea sole, vermes procrearunt*, (התלועו) *& ascendit odor eorum coram Deo s. b. instar suffitûs aromatum, & instar holocausti quod totum igne absumitur. Dixit porrò Deus s. b. Cùm hujus* (scilicet *Abrahami*) *filii in transgressiones inciderint, & opera mala perpetraverint, ego eorum gratiâ memor ero hujus odoris, & copiosam eis misericordiam exhibebo.*

Rom. 4. 17. *Deo vivificante mortuos, & vocante ea quæ non sunt, tanquam sint.*] Elegans est illud Hebræorum dictum, in Midras Tillim ad Psal. 107. מאמרו של הק"בה מעשה, *Dei sancti benedicti dicere est facere.* ἄμα ἔπος, ἄμα ἔργον, *Dictum factum.* Illud hîc non abs re fortasse erit annotare, Xenophontem de expeditione Cyri lib. 4. verba hisce Apostoli similia, sed diversò planè sensu, usurpare. De Democrate enim loquens sic ait, ἔδοξεν γὰρ εἰδέναι καὶ πρότερον πολλὰ ὧν ἀληθεύειν τοιαῦτα, τὰ ὄντα τε οἷς ὄντα, καὶ τὰ μὴ ὄντα οἷς οὐκ ὄντα, *Iste enim visus est & antea multa ejusmodi verè narrasse, ea nempe quæ erant prout erant, & ea quæ non erant prout non erant.* Interpres longiùs à verbis recedens vertit, *Atque huic quidem meritò fidem habebant; sæpe enim antea verissimè, quæ compererat, omnia detulerat.*

Rom. 5. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*, &c.] In Bereshith Rabba sect. 14. R. Taphrai nomine R. Achæ dixisse traditur, אמר הק"בה אם אני בוראו מן העליונים הוא חי ואינו מת מן התחתונים הוא מת ואינו חי אלא

הריני בוראו סאלו ומאלו אם יחטא ימות ואם לא יחיה, *Dixit Deus ſ. b. Si creavero eum* (nempe hominem) *ex ſuperioribus, tunc vivet, & non morietur:* (immortalis erit, & incorruptibilis) *Si autem creavero eum ex inferioribus, tunc morietur, & non vivet:* (morti & corruptioni omnino erit obnoxius.) *Ecce igitur creabo eum ex utriſq;,* (ex ſuperioribus quoad animam, ex inferioribus quoad corpus.) *Si peccaverit, morietur; ſi non peccaverit, vivet.* Et in Midras Koheleth ad cap. 3. 14. R. Judah apud R. Simonem (בר' סימון) fertur dixiſſe, ראוי היה אדם הראשון שיהיה חי וקיים לעולם ומפני מה נקנסה עליו מיתה והאלהים עשה שיראו מלפניו, *Idoneus fuit homo primus* (nempe ut primitus fuit creatus) *ut viveret, & maneret in æternum. Quare igitur mors ei inflicta erat? Nimirum id fecit Deus ut* (homines) *coram eo timerent.* Ut à peccato ſcilicet abſtinerent, cùm viderent mortem ob peccatum eſſe inflictam. Et in Vajikra Rabba ſect. 27. R. Judah etiam dixiſſe memoratur, אלו לא חטא אדם הראשון ואכל מן אותו העץ היה חי וקיים לעולם, *Si homo primus non peccaſſet, & ex arbore iſta* (vetitâ) *comediſſet, vixiſſet, & manſiſſet in æternum.* Nec ipſi ſolùm Adamo ex comeſtione fructûs vetiti, verùm etiam omnibus in univerſum hominibus mortem obveniſſe docent Hebræi. Sic enim in Targum ſeu Chaldaica Paraphraſi libelli Ruth cap. 4. in fine hæc occurrunt; ארכר קדם יי' עיטא דיהב חויא לחוה אתת אדם למיכל מן האילנא דאכלין פרוי חכימין לידע בין טב לבישׁ ועל דהוא עמא אתחייבו מותא כל דיורי ארעא: *Venit in memoriam coram Domino conſilium quod ſerpens dedit Evæ uxori Adami, ad comedendum de arbore, cujus fructum edunt Sapientes,* (ità ſerpens mulieri ſuggeſſit) *ut diſcernant inter bonum & malum: & ex iſto conſilio mortis rei facti ſunt omnes habitatores terræ.* Similiter Chaldaica Paraphraſis Eccleſ. 7. v. ult. לחוד חזי דין אשכחית די עבד יי' אדם קדמאה תקין קדמוי וזכי וכו': *Tantummodo vide, hoc inveni, quòd Dominus fecit primum hominem rectum coram ſe & purum; ſerpens autem & Eva eum ſeduxerunt, ut comederet de fructu arboris, cujus fructum comedunt ſapientes, ut dignoſcant bonum à malo, & fecerunt ut irrueret in eum dies mortis, & in omnes habitatores terræ.*

Rom. 6. 12. *Nè regnet igitur peccatum in corpore veſtro mortali,* &c.] Verè ab Hebræis dicitur in Bereſhith Rabba ſect. 9. כל זמן שהצדיקים חיים הם נלחמים עם יצרן כיון שהם מתים הם נחין, *Quamdiu juſti vivunt, pugnant cum innata ſua concupiſcentia; cùm mortui ſunt, tunc quieſcunt. Quamdiu vivimus, pugnamus.* Aug. de verb. Dom. ſer. 43.

Rom. 6. 22. *Habetis fructum veſtrum ad ſanctificationem, finem autem vitam æternam.*] In Elle haddebarim Rabba ſect. וחיה עקב aiunt Deum dixiſſe Iſraeli, מצות שאתם עושים מפי רותיהן אתם אוכלים עכשיו אבל שכרו בעקב אני נותן לכם, *Mandatorum quæ vos obſervatis fructus nunc comeditis, ſed in fine mercedem* (plenam) *vobis tribuam.* Et in Shabbath fol. 127. 1. de bonis quibuſdam operibus loquentes aiunt, אדם אוכל פירותיהן בעולם הזה והקרן קיימת לו לעולם הבא, *Homo comedit fructus eorum in hoc ſeculo, & ſors capitalis ei manet in ſeculo futuro.*

Rom. 8. 9. *Si quis ſpiritum Chriſti non habet,* &c.] In Bereſhith Rabba ſect. 2. & ſect. 8. interpretantes illud, *Et ſpiritus Dei incubabat ſuper faciem aquarum,* aiunt, זו רוח של מלך המשיח היך מה דאת אמר ונחה עליו רוח יי' וגו', *Iſte eſt Spiritus regis Meſſiæ, ut dicitur,* Iſai. 11. 2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini,* &c.

Rom. 8. 13. *Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autem ſpiritu mortificaveritis actiones corporis, vivetis.*] Scitum eſt illud Hebræorum à Buxtorfio citatum in Florilegio pag. 382. מה יעביד אדם ויחיה ימית עצמו מה יעביד אינש ויתות יחיה את עצמו, *Quid faciet homo ut vivat? Mortificabit ſeipſum. Quid faciet homo ut moriatur? Vivificabit ſeipſum.*

Rom. 8. 28. *Novimus enim quòd omnia cooperantur in bonum eis qui diligunt Deum,* &c.] Elias Levita in Thisbi refert quendam appellatum fuiſſe גמזו *Gamzo,* quia quicquid ei accideret, dicere ſolebat, גם זו לטובה, i. *Etiam hoc in bonum eſt.* Reſpexit fortè Elias ad id quod habetur in tractatu Taanith fol. 21. 1. ואמאי קרו ליה גמזו איש גם זו רגיל מילתא דהוה סלקא ליה אמר גם זו לטובה, *Quare autem vocarunt eum Nahum virum GAMZO? Quia quicquid ei accidit, dixit, Gamzo letobah,* i. *Etiam hoc in bonum eſt.* De eadem etiam mentio fit in Sanhedrin, fol. 108. 2. in fine, איש גם זו היה רגיל דכל דהוה סלקא ליה אמר גם זו לטובה, *Vir Gamzo, quicquid ei accidebat, ſoltbat dicere, Etiam hoc in bonum eſt.* Sunt autem qui virum iſtum dictum velint *Gamzo,* vel *Gimzo,* ab urbe ſic appellata, cujus fit mentio in 2 Chron. 28. 18. Vide Lexicon Talmudicum in radice גמז.

Rom. 8. 35, &c. *Quis nos ſeparabit ab amore Chriſti?* &c.] Non abludunt ab his Apoſtoli verbis illa Hebræorum, quæ in Elle Shemoth Rabba ſect. 49. in initio ſcripta ſunt; סם רבים לא יוכלו לכבות את האהבה סם רבים אלו אומות העולם שנא' כחמות ימים ירויון ואם יחכנשו כל האומות לבטל את האהבה שבין הב"ה לישראל אינם יכולין: *Aqua multæ non poſſunt exſtinguere amorem,* Cant. &c. *Aqua multæ ſunt nationes mundi, ſicut dictum eſt,* Iſa. 17. 12. *Qui ſonitum edunt inſtar ſonitûs maris.* &c. *omnes nationes ſeſe in unum congregaverint, ut irritum faciant amorem Dei ſ. b. erga Iſraelem, id efficere non poſſunt.* Similia etiam habentur in Shir haſſhirim Rabba (ſeu Commentario antiquo in Canticum Canticorum) ad cap. 8. 7.

Rom. 11. 7. *Reliqui autem excæcati ſunt.*] Vel, *obdurati;* ἐπωρώθησαν. Ipſi Judæi adverſùs ſeipſos teſtimonium dicunt. In tractatu enim Nidda fol. 20. 2. Cum quidam diſſiſſet, תא חזי כמא חכימי יהודאי, *Veni, vide quàm ſapientes ſint Judæi;* alter reſpondit, ולמא כסומא בארובה, *Fortè quantum cæcus* (videt) *in ſcirpea.* Citat etiam iſta Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 309.

Rom. 11. 10. *Obſcurentur oculi eorum nè videant, & dorſum eorum ſemper incurva.*] Miſeri Judæi ſeſe incurvatos ſentiunt, ſed id alio prorſus ſenſu intelligunt. Sic enim loquuntur in Midras Tillim ad illud Pſal. 146. *Dominus erigit incurvatos;* ש"ן הכפופים אלו ישראל שהלו בחוצה לארץ שמיום שגלו מירושלם לא קמו קומתם אלא הן כפופים לעיני שונאיהם, *Quinam autem ſunt iſti* INCURVATI? *Iſti ſunt Iſraelitæ, qui exſulârunt è terra* (ſua.) *Nam à die quo exſulârunt ab Hieroſolymis, non erexerunt ſtaturam ſuam, ſed incurvati ſunt coram inimicis ſuis, qui ſuper iſtos incedunt.*

Rom. 11. 29. *Dona enim & vocatio Dei ſunt ἀμεταμέλητα abſque pœnitentia.*] In Taanith fol. 25. 1. dicitur, מהב יהבי משקל לא שקלי, *Dando dant,* (nempe de cœlo) *auferendo non auferunt.* Iſtud etiam à Buxtorfio citatum in Florileg. pag. 57. ubi etiam ex Coſri (libro mihi nondum viſo) additur, אחר שנתן יי' המתנה לא יקחנה מן המקבל, *Deus benedictus poſtquam largitus eſt donum, non aufert illud iterum ab eo qui accepit.* De dono ſpecialis gratiæ, prout intelligit Apoſtolus, id verè dicitur.

Rom. 11. 33. *Quàm inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & viæ ejus imperveſtigabiles!*] Rectè Aben Ezra ad Exod. 2. 3. מחשבות השם עמקו ומי יוכל לעמוד בסודו, *Cogitationes Dei profundæ ſunt: & quis ſtare poteſt in ſecreto ejus conſilio?*

Rom. 11. 36. *Quia ex ipſo, & per ipſum, & ad ipſum ſunt omnia; ipſi ſit gloria in ſecula. Amen.*] Pulcrè huic convenit illud in Midras Tillim ad Pſal. 144. 1. *Salomon ait, In omnibus viis tuis agnoſce eum.* Prov. 3. 6. Ità fecit David. Fuit rex, & dixit, אני מלך הוא מלך והוא המליכני, *Non ſum ego rex, ille eſt rex, & ille me regem fecit. Fuit fortis, & dixit, Non ego fortis: fuit dives, & dixit, Non ego dives: & ſic proclamavit,* (הכריז) &

dixit, לך יי הגדולה והגבורה, *Tibi, Domine, eſt magnitudo, & potentia*, &c. 1 Chron. 29. 11. *Deſcendit in prælium, & victoriam conſecutus eſt*; dixit autem, לא סגבורתי נצחתי אלא הוא עזרני והוא הנצחני: *Non potentiâ* (vel *fortitudine*) *meâ conſecutus ſum victoriam, ſed ille mihi auxiliatus eſt, & ille me victorem fecit: quemadmodum ait*, Pſal. 18. 32. *Deus eſt qui accingit me robore.*

Rom. 12. 14. *Benedicite eis qui vos perſequuntur; benedicite, & nè maledicatis.*] Ità etiam Hebræi præcipiunt in Sanhedrin fol. 49. 1. in initio; חדא לטבא ולא תדא לאבא, *Sis maledictus, & nè ſis maledictus.* Affertur autem iſtud quaſi proverbiale dictum eſſet; היינו דאמרי אנשי, *Hoc eſt quod homines dicunt*, quod vulgò dici ſolet. R. Salomon ad locum ſic explicat; נוח לך להיות מן המקוללי' ולא מן המקללי לפי שסוף קללת חנם לשוב אל המקלל, *Satius eſt ut ſis ex eis qui ſunt maledicti, quàm ex eis qui maledicunt*; (mendoſè legitur המקלל in ſingulari pro המקללים in plurali) *quia maledictio injuſta tandem revertitur ad eum qui maledicit.*

Rom. 13. 1. *Non enim eſt poteſtas niſi à Deo*] Similiter & Hebræi aiunt, uti refert Buxtorfius in Florileg. pag. 178. אין אדם נמנה פרנס מלמטה אא"כ מכריזין עליו מלמעלה, *Non conſtituitur homo gubernator hîc inferiùs*, (in terra) *niſi proclamaverint ſuper eo ſuperiùs*, i. niſi à Deo ad id ordinatus fuerit.

Rom. 13. 2. *Quare qui reſiſtit poteſtati, ordinationi Dei reſiſtit.*] Sic in Midras Koheleth ad cap. 9. v. ult. כל המעיז פניו במלך כאילו מעיז פניו בשכינה, *Quicunque obfirmat faciem ſuam contra Regem, quaſi obfirmat faciem ſuam contra Divinam Majeſtatem.* Huic conſonat illud Hebræorum à Jachiade in Dan. 1. 4. uſurpatum; מלכותא דארעא כעין מלכותא דרקיעא, *Regnum terræ eſt inſtar regni cœli.*

Rom. 13. 12. *Abjiciamus igitur opera tenebrarum, & induamus arma lucis.*] Hebræi opera impiorum tenebris, opera autem juſtorum luci comparant. Sic enim ſcribunt in Bereſhith Rabba ſect. 3. ויקרא אלהים לאור יום אלו מעשיהן של צדיקי' ולחושך קרא לילה אלו מעשיהן של רשעים, *ET VOCAVIT DEUS LUCEM, DIEM; iſta ſunt opera juſtorum: ET TENEBRAS VOCAVIT NOCTEM; iſta ſunt opera impiorum. ET FUIT VESPERA; iſta ſunt opera impiorum: ET FUIT MANE; iſta ſunt opera juſtorum.* Et ſimilia etiam ſunt ſect. 2.

Rom. 14. 13. *Sed hoc potiùs judicate, ut nè quis ponat fratri ſuo offendiculum*, vel *ſcandalum.*] Conſtantinus L' Empereur in Baba Kama cap. 4. §. 8. ex Hebræis citat, כל מי שבאה תקלה על ידו מריחק ונמאס עם אלהים ועם אנשים ואפילו שינג כמו הבהמה שאין לה דעת וכל שכן מי, *Cujuſcunque operâ ſcandalum datur, is abominandus ac rejectaneus eſt coram Deo & coram hominibus; etiamſi per imprudentiam id fecerit, ut beſtia, qua ratione caret: quantò magis ſi dedità operâ id ab eo factum fuerit?*

Rom. 14. 14. *Novi & perſuaſum habeo per Dominum Jeſum, nihil eſſe per ſe*, &c.] Vide ſuprà ad Act. 10. 15.

Rom. 14. v. ult. *Qui verò dubitat, ſi ederit, condemnatus eſt*, &c.] In Pirke Aboth cap. 1. §. 16. hoc Gamalielis inter alia dictum memoratur, הסתלק מן הספק, *Abſtine à re dubia. Quod dubitas, nè feceris.*

Rom. 13. 12. *Nox proceſſit, dies autem appropinquat*] Hebræi hunc mundum Noctem, mundum autem futurum Diem eſſe dicunt. In Midras Ruth ad cap. 3. 13. עולם הזה כולו לילה, *Mundus hic eſt totus nox.* Et è contrà in Bereſhith Rabba ſect. 91. עולם הבא כולו יום, *mundus futurus eſt totus dies.* Et in tractatu Talmudico Chagiga fol. 12. 2. Riſh Lachiſh dixiſſe fertur, כל העוסק בתורה בעולם הזה שהוא רומה ללילה הקב"ה מושך עליו חוט של חסד לעולם הבא שהוא רומה ליום, *Quiſquis operam dat Legi*, (vel *Legis ſtudio incumbit*) *in hoc mundo, qui ſimilis eſt nocti, Deus ſ. b. ſuper eum protrahit* (vel *extendit*) *funem miſericordiæ in mundo futuro, qui ſimilis eſt diei.*

CAP. 2. *Quod locorum quorundam in priore ad Corinthios Epiſtola illuſtrationem continet.*

1 Cor. 2. 3.

ET *fui ego in infirmitate, & timore & tremore multo apud vos*] Buxtorfius in Florileg. Heb. p. 328. ex Chaſkuni refert, R. Akibam, cùm aliquando à Miniſtro ſynagogæ vocaretur ad legendam & interpretandam Legem, renuiſſe venire; & cùm à diſcipulis interrogatus eſſet, cur præter morem ſuum ſic feciſſet, reſpondiſſe, *Non aliam ob cauſam detrectavi aſcendere*, אלא שלא מררתי הפרשה ביני לבין עצמי ב" או ג" פעמים, *niſi quòd non ordinaveram ſectionem illam apud me bis aut ter.* שאין אדם רשאי לומר דבר לפני הצבור עד שיפשוט אותו ביניו לבין עצמו ב' או ג' פעמים, *Non enim debet homo ullum verbum loqui coram Eccleſia antequam illud bis aut ter apud ſe ruminaverit & conſideraverit.* Huc ſpectat proverbiale illud Hebræorum dictum, הדיוט קופץ בראש, *Idiota proſilit in initio.* Id eſt quod Græci dicunt, Ἀμαθὲς ἅλμα· & nos vernaculè, *Who ſo bold as blinde bayard?*

1 Cor. 6. 1. *Audet aliquis veſtrûm, negotium habens adverſùs alterum, judicio experiri coram injuſtis?* &c.] Buxtorfius in Lexico magno col. 1666. citat Maimonidem ſic ſcribentem, כל הדן בדייני כותיים וכול', *Quicunque cauſam agit coram judicibus Cuthæorum*, (Gentilium Chriſtianorum) *& coram tribunalibus ipſorum, licèt judicia ipſorum fuerint ut judicia Iſraelitarum, ecce talis habetur pro impio, & pro eo ac ſi blaſphemaſſet, & contumeliâ affeciſſet, maximumque ſuſtuliſſet contra Legem Moſis*, &c. Refert etiam R. Bechai in Kad hakkemah de hac re prolixè agere, atque inter alia hæc habere, מי שהולך ודן בערכאות של גוים הרי זה מחלל את השם יתי' ומיקר שם עו"ג, *Qui it & diſceptat coram tribunalibus gentilium, ecce is profanat nomen Dei benedicti; & honorat nomen idoli.* Quin & mox dicere, hoc gravius eſſe peccatum quàm homicidium. Et rapinam, & profanationem nominis Dei comprehendi ſub hoc peccato.

1 Cor. 3. 17. *Quod templum vos eſtis*] Chaldæus Paraph. Cant. 1. 17. אמר שלמה נביא כמה וכו' *Dixit Salomon propheta, Quàm pulcra eſt domus ſanctuarii Domini, qua meâ operâ ædificata eſt ex lignis cedrinis? Sed pulcrior erit domus ſanctuarii quæ ædificabitur à diebus regis Meſſiæ, cujus trabes erunt ex cedris quæ ſunt in horto Edenis; & tigna ejus erunt ex abietibus variis, & pinis.* Conſtantinus L' Empereur in tractatum Middoth in Præf. refert R. Alſhecum in Hag. 2. ſcribere, Templum ſpirituale exſpectandum, & כותלים רוחניים *parietes ſpirituales*; & homines pios eſſe præcipuum Templum. Et ad cap. 3. §. 8. pag. 132. *Aliquoties*, inquit, *R. Alſhec Iſraelitas eſſe & dici Templum obſervavit.*

1 Cor. 7. 1. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*] Verbum *tangere* etiam iſto ſenſu uſurpatur Prov. 6. 29. Hebræi autem in verbo iſto emphaſin ponunt. Sic enim ſcribunt in Elle Shemoth Rabba ſect. 16. אמר הק"בה אל תאמר וכו', *Dixit Deus ſ. b. Nè dicas, Quandoquidem prohibitum eſt mihi rem habere cum muliere, licitum eſt eam apprehendere, & ampletti, & oſculari, nec propterea iniquè agam. Dixit Deus ſ. b. Quemadmodum ſi Nazireus voverit ſe non bibiturum vinum, prohibitum eſt ei comedere uvas, vel humidas vel ſiccas: ſic vetitum eſt tibi tangere mulierem quæ ad te non pertinet. Hoc ex eo conſtat quod Salomon ait*, Pro. 6. 27, 28, 29. *An accipiet vir ignem*, &c.

1 Cor. 7. 9. *Si autem continentes non ſunt* (εἰ δὲ οὐκ ἐγκρατεύονται, *ſi ſe continere non poſſunt*) *matrimonium contrahant: nam melius eſt matrimonium contrahere quàm uri*] Hottingerus De Jure Hebræorum pag. 7, & 8. citat R. Levi Barzelonitam ex Hebræorum ſententia dicentem eum qui in Legis ſtudio ſe exercet, poſſe conjugium differre, modò

concupiscentia ei non prævaleat: אבל אם היה יצרו מתגבר עליו חייב לישא אשה ואפילו הין לו בנים שמא יבא לידי הרהור, *Sed si prævaleat ei concupiscentia sua, tenetur ducere uxorem, etiamsi filios habeat: fortasse enim incidet in pravas cogitationes.* Eadem etiam ex Shulcan Aruch desumpta habet Buxtorfius de Sponsalibus & Divortiis pag. 9.

1 Cor. 8. 2. *Si quis existimat se scire aliquid, nondum quicquam scit ut oportet scire.*] Buxtorfius in Florilegio pag. 314. atque iterum pag. 349. elegantem habet sententiam, nescio unde petitam; neque enim autorem, vel librum citat; מי שסבל וחשב שידע סכלתו כפולה, *Qui nihil scit, & putat se aliquid scire, illius ignorantia dupla est.* Vel, *Qui stultus est, & ducit se sapientem, ejus stultitia dupla est.*

1 Cor. 8. 4. *Novimus idolum nihil esse in mundo*] In Echa Rabbethi seu antiquo Commentario in Lamentationes, in Præfatione fol. 56. col. 1. Rachel introducitur Deum alloquens, & dicens, מפני מה קנאת לע"ו שאין בה ממש, *Quare invidas idolo, quod nihil solidi in se habet?* Buxtorfius in Lexico magno ad radicem ממש ista etiam citat, sed pro מפני מה legit למה quod idem valet, *Quare?* Similiter & in Elle Shemoth Rabba sect. 30. אין בע"ו ממש, *Nihil solidi est in idolo.*

1 Cor. 9. 17. *Si volens facio, habeo mercedem*] Vide quæ suprà sunt annotata ad Psal. 112. 1. Istis autem hîc illud adjiciatur quod habetur in Pirke Aboth cap. 2. §. 4. ubi inter Gamalielis dicta hoc memoratur, עשה רצונו כרצונך כדי שיעשה רצונך כרצונו בטל רצונך מפני רצונו כדי שיבטל רצון אחרים מפני רצונך, *Fac voluntatem ejus* (nempe Dei) *sicut voluntatem tuam*, (promptè & alacriter) *ut & ille faciat voluntatem tuam sicut suam:* (ut promptè votis tuis annuat, tibíque benefaciat) *Cessare facito voluntatem tuam propter ejus voluntatem, ut & ille aliorum voluntatem propter voluntatem tuam cessare faciat.*

1 Cor. 10. 6, 11. *Ista autem typi* (seu *exempla*) *nobis fuerunt. Hæc autem omnia typicè* (seu *exemplariter*) *acciderunt illis*] Hisce consonat illud R. Mosis filii Nachmanis (contractè dicitur RAMBAN) à Buxtorfio citatum in Florileg. Hebr. pag. 5. כל מה שאירע לאבות סימן לבנים, *Quicquid accidit patribus signum est filiis.*

1 Cor. 10. 7. *Populus sedebat edere*, &c.] In Bammidbar Rabba sect. 20. istiusmodi de vocibus *Populus*, & *Israel* est observatio. כל מקום שנאמר העם לשון נאי הוא וכל מקום שנאמר ישראל לשון שבח הוא, *Ubicunque dicitur*, POPULUS, (vox ista *Populus* simpliciter & absolutè usurpatur) *in vituperio ponitur*; *& ubicunque dicitur* ISRAEL, *in laude ponitur.* Ad illud de voce *Populus* confirmandum affertur illud Num. 11. *Populus murmurabat*; & illud Num. 21. *Populus loquebatur contra Dominum*; & illud Num. 14. *Populus flevit istâ nocte*; & quod ibidem legitur, *Quamdiu populus iste*, &c. Item illud Exod. 32. *Et vidit Moses quòd populus erat nudatus*, &c. Et illud ibidem, *Et congregavit se populus ad Aharonem*, &c. Et illud Num. 25. *Et incepit populus scortari.* At observationi de voce *Israel* repugnat illud Jos. 7. 11. *Israel peccavit*, &c.

1 Cor. 10. 31. *Omnia facite ad gloriam Dei*] Ità etiam monuit R. Joses, ut est in Pirke Aboth cap. 2. §. 12. כל מעשיך יהיו לשם שמים, *Omnia opera tua fiant propter Deum.* Vel, *ad gloriam Dei.*

1 Cor. 10. 33. *Non quærens meumipsius commodum, sed* (commodum) *multorum, ut salventur.*] Ita in Elle haddebarim Rabba sect. האזינו de Mose dicitur, שאינו חובע צורך עצמו אלא צרכן של ישראל: *Quòd non quærebat commodum suum, sed commodum Israelis.*

1 Cor. 7. 18. *Circumcisus quis vocatus est? μὴ ἐπισπάσθω, ne attrahat* [scilicet præputium.] Hebræi etiam appellant eum משוך *Attractum*, qui fuit circumcisus, & pòst fit præputiatus. R. Salomon ad tractatum Jobamoth cap. 8. fol. 72. 1. vocem istam sic explicat, משוך מהול שנמשכה ערלתו וכסתה את העטרה, *Attractus circumcisus, cujus præputium est attractum, & coronam seu glandem operit.* Ibidem in Gemara dicitur, Rabbines decrevisse ut משוך *Attractus* denuo circumcidatur. מפני שהוא נראה כערל, *Quia videtur esse præputiatus, vel incircumcisus.* Additur R. Jehudam dixisse, לא יטול מפני שסכנה היא לו, *Non circumcidetur, quia id esset periculosum:* sed responsum illi fuisse, והלא הרבה מלו בימי בן כחיבא והוליכו בניהם ובנות שנא' וסל יסול אפילו מאה פעמים ואומר את בריתי הפר לרבות את המשוך, *Nónne autem in diebus Ben Cozibæ* (Pseudo-Messiæ) *multi* (attracti) *fuerunt circumcisi, & tamen procrearunt filios & filias?* (nihil ex iterata circumcisione incommodi senserunt) *Dictum semper est*, Gen. 17. *Circumcidendo circumcidetur*, vel *omnino circumcidetur, etiam* (si opus fuerit) *centies. Dicit etiam* (ibidem Dominus,) *fœdus meum irritum fecit, ut comprehendat etiam attractum.* In Sanhedrin fol. 44. 1. R. Alia (ר' אילעא) nomine R. Jehudæ filii Misparthæ dixisse traditur, עכן משך בערלתו היה, *Achan attrahebat præputium suum.* Sed id frivolo fundamento nititur, quia nempe Deus dixit, Jos. 7. ויעברו את בריתי, *Atque etiam fœdus meum violarunt.* Sed ad locum istum R. Salomon modum attrahendi præputii plenius explicat. משך בערלתו משך את מטתו תמיד עד שתרגיבה וכסתה את ראש הגיד כדי שלא יראה מהול, *Attractus præputio suo*, vel *Cui præputium suum est attractum, is est qui membrum suum virile assidùe attraxit, usque dum crevit* (pellicula membri istius) *& operuit summitatem membri, nè appareat esse circumcisus.* Multa de hac re notat Buxtorfius in Lexico Magno sub radice משך, ubi inter alia refert Maimonidem inter eos qui partem non habent in seculo futuro, recensere משך ערלתו *eum qui attrahit præputium suum.* Josephus (ut istic etiam observat Buxtorfius) Antiq. lib. 12. cap. 6. hujus rei meminit. Refert enim Menalaum & Tobiam, cùm à Judaica religione ad Ethnicismum descivissent, adduxisse sibi præputia, ut nudi quoque non essent Græcis dissimiles.

1 Cor. 11. 6. *Si autem turpe est mulieri ut tondeatur vel radatur*, &c.] In Jebamoth fol. 48. 1. disputatur de sensu istius loci Deut. 21. 12. וגלחה את ראשה ועשתה את צפרניה, *& radet caput suum, & ungues suos faciet crescere*, vel (ut alii exponunt) *præsecabit.* R. Eliezer (ut istic traditur) exponit תקץ *præsecabit*, vel *præcidet*; at R. Akiba, תגדיל *crescere faciet.* Illius ratio est, quod ut crines, ità etiam ungues erant auferendi, מהלהלן העברה אף כאן העברה, *Quemadmodum illic* (ubi de capite seu crinibus sermo habetur) *ablatio intelligitur*; *ità & hîc* (ubi de unguibus verba fiunt) *ablatio intelligitur.* R. Akiba autem sic argumentatur, quòd quemadmodum id quod de capite dicitur, denotat fœditatem, ità etiam & illud quod dicitur de unguibus fœditatem denotat: מה להלן גיוול אף כאן גיוול, *Quemadmodum in illo* (de capite) *fœditas, ità in hoc de unguibus fœditas denotatur.* Atque ità R. Salomon ad locum (nempe Deut. 21. 12.) תגלם כדי שתתגוול, *Faciet eos* (sc. ungues suos) *crescere, ut sese fœdam reddat.* Et Aben Ezra ad verbum וגלחה, *& radet*, ר' שמא בעבור שערה חשק בה על כן תגלח, *Sunt qui dicunt, Fortè ob crines ejus eum concupivit*; *propterea radetur*; ut nimirum visâ ejus deformitate eam amare desinat. Illud etiam עשתה exponit תגדיל *faciet crescere*; & rationem hanc reddit, כדי להיותה מאוסה בעיניו, *ut sit rejectanea* (seu *vilis*) *in oculis ejus.* Onkelos etiam exponit, ותרבי ית טופרהא, *Et crescere facit ungues suos.* Nonnulli autem cum R. Eliezere in contrarium sensum accipiunt, ut nimirum de præcidendis unguibus intelligatur. Et ad astruendam istam expositionem in Gemaræ loco citato affertur illud de Mephibosthetho 2 Sam. 19. 24. לא עשה רגליו ולא עשה שפמו, *Non fecerat* (seu *curaverat*) *pedes suos*; *nec fecerat* (seu *curaverat*) *mystacem suum.* Chaldæus

dæus Paraph. vertit, לא שטף רגלוהי ולא ספר שפמיה, *Non lavarat pedes suos, nec texonderat labrum suum.* Sed R. Salomon ad locum istum, illud ולא עשה רגליו, *Et non fecerat* (seu *curraverat*) *pedes suos*, ait significare העברת השער שבין הרגלים, *ablationem pilorum qui sunt in pedibus.* In Glossa autem super Jebamoth exponit, לא קצץ צפרני רגליו, *Non præciderat ungues pedum suorum.* Quod autem Deuteronomii locum spectat, R. Akibæ expositio germanior videtur, ut nimirum de alendis unguibus præceptum intelligatur, idq; ob rationem allatam, nempe ut utrobique fœditas denotetur. Ut ut autem se habet illud de unguibus, in eo omnes (quod sciam) consentiunt, mulieris rasurâ fœditatem denotari.

1 Cor. 11. 11. *Verumtamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino.*] Sic Hebræi in Bereshith Rabba sect. 22. לא איש בלא אשה ולא אשה בלא איש ולא שניהם בלא שכינה, *Non est vir sine muliere, nec mulier sine viro, nec uterque sine Divina Majestate.* Mendosè legitur, ולא אשה בלא אשה pro ולא אשה בלא איש. Eadem autem & alibi in isto Rabba nempe sect. 8. inveniuntur.

1 Cor. 13. 2. *Et si habeam omnem fidem, adeò ut montes transferam, &c.*] Phrasis ista, *Transferre montes*, (ut observat Buxtorfius in Lex. Talmud. sub radice עקר) apud Hebræos proverbialiter usurpatur, de eo scilicet qui in re aliqua magna & incredibilia præstat. In Beracoth fol. 64. 1. ורבה עוקר הרים, *Et Rabba transfert montes*, R. Salomon in Glossa ait id de eo dictum, שהיה סחודר יותר בפלפול, *quòd in subtili disputatione erat valde acutus.* Buxtorfius sic citat, רב סיני ורבה עוקר הרים, *Rab Sinai & Rabbah transferens montes:* sed in codice meo non ità legitur; nec videtur illud, עוקר הרים, *transferens montes*, de utroque dici, ut existimavit Buxtorfius, sed tantùm de Rabba, ut ex ipsa Gemara pariter ac R. Salomonis glossa apparet. Eadem etiam in Horaioth fol. 14. sub finem tractatûs habentur. Et R. Salomon in Glossa super Erubin fol. 29. 1. de R. Azai loquens ait, ולא היה בימיו עוקר הרים כמותו, *Nec fuit in diebus ejus transferens montes sicut iste:* h. e. (ut explicat Buxtorfius) ejus tempore nullus erat qui tanta ac ipse præstaret. Vide lib. 5. cap. 11. pag. 531.

1 Cor. 13. 5. *Non quærit quæ sua sunt.*] In Pirke Aboth cap. 5. §. 10. dicitur, ארבע מדות באדם, *Quatuor sunt hominum proprietates.* האומר שלי שלך ושלך, שלי עם הארץ, *Sunt qui dicunt, Meum est tuum, & tuum est meum. Isti sunt populus terræ*; rude & profanum vulgus. שלי שלי ושלך שלך זו מדה בינונית, וי"א זו מדת סדום, *Meum est meum, & tuum est tuum. Ista est mediocris proprietas; & nonnulli dicunt, eam fuisse Sodoma proprietatem.* שלי שלך ושלך שלך חסיד, *Meum est tuum, & tuum est suum. Pius est qui ità loquitur.* שלי שלי ושלך שלי רשע, *Meum est meum, & tuum est meum. Iste impius est*, nempe qui ista dicit.

1 Cor. 13. 6. *Non gaudet injustitia, &c.*] Injustitia opponitur veritati. שקר *Mendacium* vel *falsitatem* Lxx Interpretes vertunt *adikian injustitiam*, Psal. 119. 29. & 104. vide ad Luc. 16. 9.

1 Cor. 14. 16. *Qui implet locum idiota, quomodo dicet Amen? &c.*] Buxtorfius in Lexico magno col. 2001. ait Hebræos hâc phrasi frequenter uti, מלא מקום אבותיו, *Implevit* (seu *implet*) *locum patrum suorum*, nempe in eruditione, pietate, &c. i. eruditione, pietate, &c. illos æquat. Sic ab Apostolo ait eum dici *implere locum idiota* qui idiota, seu plebeius & indoctus est. *Si quis autem ignorat, ignoret.*] Istiusmodi loquendi formula usurpatur in Bereshith Rabba sect. 8. ad illud Gen. 1. 26. *Faciamus hominem*, &c. Aiunt Mosen Deo dixisse, רבון העולם מה אתה נותן פתחון פה למינים אתמהא: *Domine mundi, Numquid tu ansam loquendi* (ad verb. *aperiendum oris*) *dabis hæreticis? Id mirum est.* Deinde addunt Deum respondisse, כתוב והרוצה למעות ישעות *Scriptum est, Qui vult errare, erret.* Sed ubi istud, scriptum sit, nec ego scio, nec in margine, ut fieri solet, locus ullus notatur.

1 Cor. 15. 33. *Corrumpunt mores bonos commercia mala.*] Inter sententias Ben Syræ hæc habetur, ווי ליה לבישא וי להון לדבקוהי, *Væ malo*, (&) *væ illis qui ei adhærent.* Bene igitur præcepit Nittai Arbelita, (ut est in Pirke Aboth cap. 1. sect. 7.) הרחק משכן רע ואל תתחבר לרשע, *Remotus sis à vicino malo, nec impio te associes.*

1 Cor. 15. 37. *Quod seminas, non seminas id corpus quod futurum est, sed nudum granum, &c.*] In Midras Koheleth ad cap. 5. 11. ista etiam similitudo de resurrectione mortuorum usurpatur. Cuthæus (seu Gentilis) fertur interrogasse R. Meir, *An mortui essent victuri?* Et cùm Rabbinus iste respondisset, *Etiam*, Cuthæus rursus interrogasse dicitur, איך אינון אתיין שליחין או לבושין, *Quomodo isti* (scilicet qui mortui sunt) *veniunt? nudi, an vestiti?* (sensus, opinor, est, sine corpore, an cum corpore? Hebræi enim vocant corpus לבושא דאדם *vestitum hominis*, ut notat Manasses Ben Israel in Conciliat. quæst. 19. in Gen. & Drusius ad Mar. 10. 8. Vide etiam 2 Cor. 5. 3, 4.) Cui Rabbinus respondit, לבושין *vestiti.* Atque id in hunc modum firmavit; Nunquámne, inquit, *seminasti pisa? Etiam*, inquit Cuthæus. *Quomodo*, inquit Rabbinus, *seminasti? Nuda, an vestita? Nuda*, inquit Cuthæus. *Quomodo autem*, inquit Rabbinus, *veniunt?* (i. è terra exsurgunt) *vestita, an nuda?* Cúmque Cuthæus respondisset, *vestita*, R. Meir dixit, ולא שמעין אזנך מה פומך מלל, *Nónne autem audiunt aures tua id quod os tuum loquitur?* ומה אם אפונין כד זרע להון שליחין עלון להון לבושין המת שהוא הולך בלבוש לא כל שכן שיבא בלבוש, *Si enim pisa, cùm seminantur nuda, ascendunt vestita, nónne multò magis mortuus, qui abit vestitus, rursus veniet vestitus?* Similia, etiam sunt in Sanhedrin, cap. 11. fol. 92. 2. in fine.

1 Cor. 15. 54. *Absorpta est mors in victoriam.*] In Elle Shemoth Rabba sect. 30. dicitur, בימיו של משיח הק"ב מבליע המות שנא' בלע המות לנצח, *In diebus Messiæ Deus s. b. absorbebit mortem, uti dicitur*, Isai. 25. 8. *Absorpta est mors in victoriam.*

1 Cor. 16. 20. *Salutate alii alios osculo sancto.*] Hebræi in Bereshith Rabba sect. 70. de osculo sic differunt. כל נשיקה לתפלות בר מן חלת נשיקה של גדולה: נשיקה של פרקים ונשיקה של פרישות: *Omne osculum est fatuum præter tria, nempe osculum dignitatis*, (seu *honoris*) *osculum compitorum*, (seu occursûs) *& osculum separationis.* De osculo primo citatur illud 1 Sam. 10. 2. ubi Samuel osculatus esse dicitur Saulem, cùm eum in Regem unxisset. De secundo illud Exod. 4. 27. ubi de Aharone legitur, quòd osculatus est Mosen, cùm ei in monte Dei occurrisset. De tertio affertur illud Ruth 1. 14. ubi Orpah cùm à socru sua Naomi se separasset, eam osculata esse memoratur. Additur autem R. Tanchumum excepisse etiam נשיקה של קריבות, *Osculum propinquitatis*, de quo citatur illud Gen. 29. 11. ubi Jacob Rachelem osculatus esse legitur. Eadem etiam reperiuntur in Midras Ruth ad cap. 1. 14.

CAP. 3. *In quo loca quædam posteriora ad Corinthios Epistola illustrantur.*

2 Cor. 1. 3.

PAter misericordiarum.] רחמנא *Misericors* pro Dei nomine ab Hebræis usurpatur; ut in eo quod antea alicubi citatum est. רחמנא לבא בעי *Misericors* (i. Deus) *cor quærit*, & in Beracoth fol. 47. 1. אמר רחמנא, *Dixit misericors*, nempe Deus. Et liber qui inscribitur בחינת העולם. *Examen Mundi*, hisce verbis concluditur, בריך רחמנא *Benedictus sit Misericors*, i. Deus.

2 Cor. 1. 3. *Deus omnis consolationis.*] Hebræi (referente Buxtorfio in Florileg. Hebr. pag. 48.) eos qui in luctu & mœrore sunt alloquentes, sic eos consolari solent, תנוחמו מן השמים, *Consolationem accipiatis à cœlo*, i. à Deo.

2 Cor. 1. 17, & 18. *Ut sit apud me Etiam, Etiam, & Non, Non. ——Sermo noster apud vos non fuit Etiam, & Non.*] Insignis est illa Hebræorum sententia, quæ citatur à Mercero ad Gen. 30. 34. & à Buxtorfio in Lexico Talmudico col. 622. & in Florilegio Hebraico pag. 329. הצדיקים הן שלהן הן ולאו שלהן לאו יש הן שהוא כלאו יש לאו שהוא כהן, *Justorum Etiam est Etiam; & eorum Non est Non.* Id est, Quicquid justi vel affirmant, vel negant, id ratum ac firmum habetur. Sententia ista habetur in Midrash Ruth fol. 48. col. 3. Ibidem etiam in Florilegio ex Baba Kama cap. 8. in fine ista citantur, אם אמר ליה: לאו בחמיה הוי כהן ואם א"ל הן בחמיה הוי כלאו, *Si quis alteri dicat, Non, cum admiratione* (vel *interrogativè*, vel *ironicè*) *est sicut Etiam: & si quis alteri dicat Etiam, cum admiratione, est sicut Non.* In tractatu etiam Gittin cap. 7. in Misna, de homine loquentes qui certo casu jubet libellum repudii uxori suæ scribi, & rursus id prohibet, aiunt, בודקין אותו שלשה פעמים אם אמר על לאו לאו ועל הן הן: *Explorant eum tribus vicibus, an de Non dicat Non, & de Etiam, Etiam:* i. an in sententia sua firmus maneat, ità ut id quod antea vel affirmavit vel negavit, adhuc affirmet vel neget. Refert autem Buxtorfius in Florileg. loco citato, R. Josen de se dixisse, מימי לא אמרתי דבר וחזרתי לאחור, *A diebus meis* (seu *per totam vitam meam*) *non dixi verbum, & recessi retrorsum*; h. e. quod revocarim. Item de Rabbino quodam dictum esse, ראוי הוו יהבי ליה כל חללא רעלמא לא הוה קא משנה בדבוריה, *Si dedissent ei totam concavitatem mundi, non mutasset verba*, vel *sententiam suam.*

2 Cor. 2. 16. *Odor mortis.---odor vitæ.*] In Elle haddebarim Rabba sect. 1. quia דברים i. *verba*, & דבורה i. *apis*, ex eadem orta sunt radice, ideo sic argutantur; מה הדבורה הוו דובשה לבעלה ועוקצה לאחרים כן הן דברי תורה סם חיים לישראל וסם המות לאומות העולם, *Quid facit apis? Mel præbet domino suo, alios autem pungit. Sic verba legis Israeli sunt aroma vitæ, nationibus autem mundi aroma mortis.* Buxtorfius etiam in voce סם ex Jalkut citat, כל העוסק בתורה לשמה תורתו נעשית לו סם חיים, *Quicunque operam dat legi propter ipsam legem, lex ejus ei fit aroma vitæ.* E contrà autem, וכל העוסק בתורה שלא לשמה נעשית לו סם המות: *Et quicunque dat operam legi, non propter ipsam, fit ei aroma mortis.* Notat etiam ibidem Buxtorfius, Apostoli hîc similem esse locutionem, & convenire inter se ὀσμὴ & סמא. Similiter & Ludovicus Capellus in Spicilegio suo observat, phrasin illam ὀσμὴ ζωῆς, *odor vitæ*, & ὀσμὴ θανάτου, *odor mortis*, esse Rabbinicam. Nam ὀσμὴ θανάτου illud esse quod Rabbini dicunt סם המות, & Syri atque Chaldæi, סמא דמותא, Jer. 11. 19. & Esth. 2. 21. Esse autem illis סם המות *lethale pharmacum*, sive *venenum.* Et ex adverso סם החיים, *salubre & salutiferum pharmacum.* Paulum verò reddere סם ὀσμῇ non φάρμακον, (etsi cum additione vocis מות *mortis*, & חיים *vitæ*, φάρμακον potiùs designet quàm ὀσμῶ) quia respicit ad primariam & propriam vocis Hebraicæ סמים significationem; nam סמים significare *aromata*: tum etiam fortè, quia vox Græca ὀσμὴ videtur ab Hebræo סם deducta; aut eò saltem alludere voluit Apostolus. Denique quia sunt venena quædam quæ solo odore necant; tum ut perstaret in allegoria sua de Suffituum, libaminum, & incensorum ἐυωδία, de qua versibus præcedentibus.

2 Cor. 5. 10, 11. *Oportet enim nos omnes comparere coram tribunali Christi, &c. Cùm igitur sciamus terrorem illum Domini, hominibus suademus.*] In Pirke Aboth cap. 3. sect. 1. Akiba filius Mahaleelis dixisse memoratur, והסתכל בשלשה דברים ואין אתה בא לידי עבירה, *Tria consideranto, & in transgressionem* (ad verb. *in manus transgressionis*) *non incides.* (vide infrà lib. 5. cap. 12.) *Scias unde veneris, & quò abeas, & coram quo judicandus es, & rationem redditurus. Unde veneris? è gutta fœtida.* (Sic Hebræi appellant semen humanum טפה סרוחה *guttam fœtidam*, ut notat Buxtorfius in radice טפף, ubi etiam hæc ex Pirke Aboth deprompta habet) *Et quò abeas? in locum pulveris & vermium. Et coram quo judicandus es, & rationem redditurus? coram rege maximorum regum, nempe Deo sancto benedicto.* Eadem etiam habentur in Koheleth Rabba ad cap. 12. 1. In Bereshith Rabba sect. 94. ultimi judicii tenor sic exprimitur; ר' אליעזר בן עזריה אמר וכו', *R. Eliezer filius Azaria dixit, Va nobis ob diem judicii: va nobis ob diem increpationis. Si enim cùm justus Joseph, qui fuit caro & sanguis,* (i. homo mortalis & corruptibilis) *increpaverit fratres suos, ut ab eo consistere non potuerint; quantò minus consistere poterit quisquam mortalis coram Deo s. b. qui est Judex, & judicium exercet sedens super thronum judicii, & unumquemque judicabit?*

2 Cor. 5. 10. *Ut unusquisque reportet ea quæ in corpore* (vel *per corpus* τὰ διὰ τοῦ σώματος) *fecit, secundum ea quæ fecit, sive bonum sit, sive malum.*] In Sanhedrin fol. 91. 1. & 2. ferunt Antoninum dixisse R. Judæ sancto, qui ab ἐξοχὴν appellatur Rabbi, נוף ונשמה יכולין לפטור מכל הדין כיצד נוף אומר נשמה חטאת שמים שגירשה ממני הריני מוטל כאבן בקבר ונשמה אומרת נוף חטא שמים שפירשתי ממנו הריני פורחת באויר כצפור, *Corpus & Anima possunt se liberare à judicio. Quomodo? Corpus dicet, Anima peccavit, nam ex quo à me separata est, ecce ego instar lapidis in sepulcro jaceo. Anima autem dicet, Corpus peccavit; nam ex quo ab eo separata sum, ecce ego sicut avis in aere volo.* Additur autem R. Judam respondisse, אם של לך משל למה הדבר דומה וכו', *Dicam tibi parabolam. Cui res similis est? Regi terreno,* (seu *mortali*, ad verb. *carni & sanguini*) *qui pulcrum habuit pomarium, in quo pulcri erant fructus;* (vox Hebræa בכורות propriè significat *primitias*) *& in eo posuit duos custodes, quorum unus fuit claudus, alter cæcus. Claudus autem cæco dixit, Pulcros in pomario fructus video in pomario; fac ut ego super humeros tuos equitem, & eos ad comedendum afferemus. Claudus igitur super humeros cæci equitavit, & fructus decerptos comederunt. Post aliquot autem dies venit dominus pomarii, & dixit illis, ubinam sunt pulcri isti fructus? Claudus verò respondit, An mihi sunt pedes quibus ambulem? Similiter & cæcus, An mihi sunt oculi ad videndum? Quid fecit* (dominus pomarii)? *Imposuit claudum super cæcum, & eos tanquam unum judicavit.* Deinde sequitur applicatio parabolæ; קוב"ה מביא נשמה וזורקה בגוף ודן אותם כאחד, *Etiam Deus s. b. afferet Animam, eamque corpori infundet, & ea tanquam unum* (vel *utrumque simul*) *judicabit.*

2 Cor. 6. 17, 18. & 7. 1. *Quare exite è medio eorum, & separati estote, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos. Et ero vobis in patrem, &c. Habentes igitur promissiones habentes, emundemus nosmetipsos, &c.*] In Bammidbar Rabba sect. 9. super illud Deut. 23. 14. istîc citatum, *Nam Dominus Deus tuus ambulat in medio castrorum tuorum, &c. propterea sancta erunt castra tua, ut nihil immundi in te videat, & à te se avertat*, sic commentantur, מהו כי יי' אלהיך אמר וכו', *Quid hoc sibi vult,* Nam Dominus Deus tuus, &c. *Dixit Magister Israeli, Scitote quòd Deus s. b. non appropriat nomen suum Israeli, ut dicatur Deus tuus, nisi tunc cùm castra tua sancta sunt; eo autem ipso temporis momento præsentiam suam inter vos habitare facit, & liberat vos è manu inimicorum vestrorum, & eos qui vos odio habent in manus vestras tradet. Hoc est quod ait,* Ambulat in medio castrorum tuorum, ut te eripiat, &c. Et mox additur, בזמן שהם קדושים הוא להם לאלוה, *Cùm sancti sunt, tunc est Deus eorum.*

2 Cor.

2 Cor. 7. 10. *Nam triſtitia, quæ eſt ſecundùm Deum,* &c.] Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 194. ex MISCHAR (in Buxtorfiii codice ſemper mendosè ſcribitur MISCHAR) HAPPENINIM hæc citat, quæ cum verbis Apoſtoli pulcrè conveniunt; חכם אחד ראה אדם אחד רואה אשר לואם דאנתך על העולם הוה יניח לך אלהים ממנו ואם דאנתך על העולם הבא יוסיף לך האלהים דאנתך, *Sapiens quidam vidit hominem quendam triſtem, dixitque ei, Si triſtitia tua eſt propter hunc mundum, Deus tibi eum minuat:* (vel *auferat*; ad verb. *te ab ea quieſcere faciat*) *ſed ſi triſtitia tua eſt propter mundum futurum, Deus tibi triſtitiam augeat.*

2 Cor. 8. 12. *Si enim prompta adſit voluntas, ſecundùm id quod quis habet acceptus eſt, & non ſecundùm id quod non habet.*] Multa in hanc ſententiam apud Hebræos inveniuntur. In Bammidbar Rabba ſect. 12. אמר הק'בה איני מבקש לפי כוחי אלא לפי כוחן, *Dixit Deus ſ. b. Non poſtulo* (ab eis) *ſecundùm potentiam meam, ſed ſecundùm potentiam ipſorum*, i. ut homines pro virili, & prout facultas ipſorum fert, agant. Et in Midras Tillim ad titulum Pſalmi 30. *Canticum in dedicationem domûs Davidis*, quod Hebræi intelligunt de domo Sanctuarii, quam David ædificare cogitavit, & quam revera ædificaſſet niſi à Deo impeditus fuiſſet, Deus ſic loquens introducitur; מי שחשב בלבו לעשות מצוה ולא עשאה אני מעלה עליו כאילו עשאה, *Qui cogitavit in corde ſuo mandatum facere, & non fecit*, (faciendi nempe facultate deſtitutus) *ego ei imputo ac ſi feciſſet.* Deinde ſequitur, שהרי דוד חשב לבנות בית המקדש ונקרא על שמו שנא' מזמור שיר חנוכת הבית לדוד, *Ecce enim David cogitavit ædificare domum Sanctuarii, & nomine ejus appellatur. Dicitur nimirum, Pſalmus*, (&) *Canticum dedicationis domûs Davidis.* Kimchi in fine Commentarii ſui ſuper iſtum Pſalmum *Midras* ſic citat, ובמדרש מי שחשב לעשות טובה הק'בה כותבה כאילו עשאה תרע לך שכן הוא שהרי דוד כיון שחשב לבנות בית המקדש נכתב בשמו שנא' מזמור ונו', *In Midras autem dicitur, Qui cogitavit facere bonum, Deus ſ. b. ei adſcribit ac ſi id feciſſet. Scias ità eſſe. Nam ecce poſteaquam David cogitaſſet ædificare domum Sanctuarii, nomini ejus adſcriptum eſt*, (vel *nomine ejus inſcriptum eſt*) *prout dicitur, Pſalmus* (&) *Canticum dedicationis domûs Davidis.* In Kidduſhin cap. 1. fol. 40. 1. dicitur, מחשבה טובה מצרפה למעשה, *Cogitationem bonam* (Deus) *operi aſſociat*, i. pro opere habet. Et mox ibidem, אפילו חשב אדם לעשות מצוה ואנס ולא עשאה מעלה עליו הפסוק כאילו עשאה, *Si quis tantummodo cogitavit facere mandatum, & impeditus illud non fecit, Scriptura eum perinde habet ac ſi id feciſſet.* Scitum etiam eſt illud Hebræorum à Buxtorfio citatum in Lexico magno col. 691. מורו למצוה כעושה המצוה, *Actinctus ad præceptum eſt quaſi faciens præceptum.* Scudium bonorum operum perinde Deo gratum ut opera ipſa.

2 Cor. 9. 7. *Hilarem enim datorem diligit Deus.*] Hebræi in Vajikra Rabba ſect. 34. ſic præcipiunt, עושה מצוה יהא עושה אותה בלב שמח, *Qui facit præceptum, faciat illud corde hilari.* Buxtorfius in Florilegio pag. 88. vertit, *Quando facturus eſt homo eleemoſynam*, &c. Sed cùm vox מצוה ſignificet *præceptum*, (ſeu *mandatum*) non video quare ad eleemoſynam reſtringi debeat; etiamſi (fateor) peculiaris ratio ſit cur eleemoſyna ità ſit facienda.

2 Cor. 11. 1. *Utinam tolleraretis paululùm ſtultitiam meam.*] Et ſic ſæpius in ſequentibus; nempe quia (ut aiunt)

— *Laus proprio ſordeſcit in ore.*

In Midras Tillim ad Pſal. 48. affertur משל הרויח *proverbium vulgare*, atque indè etiam ad Pſalmum iſtum id habet Kimchi, לא כמו דאמרת אמך אלא כמו דאמרין מניוא, *Non quemadmodum* (de te) *dicit mater tua*, (multò minùs quemadmodum tu de teipſo dicis) *ſed quemadmodum dicunt peregrini.*

2 Cor. 12. 20, & 21. *Metuo enim nè cùm venero, non quales velim vos inveniam*, &c. *Nè cùm rurſus venero, Deus metus me apud vos humiliet*, &c.] In Elle Shemoth Rabba ad illud Exod. 32. 7. *Abi, deſcende*, argutè quidem, & præter Scripturæ mentem, (ut in iſtis Rabboth & Midraſhim ferè ſolent) ſed non inſulsè, ſi res ipſa in ſe ſpectetur, ſcribunt; *Dixit Moſes Deo ſ. b. Domine mundi, dudum dixiſti mihi, Et aſcendes tu, & Aharon tecum; & ſic, & Moſi dixit, Aſcende ad Dominum; & hîc tu dicis, Abi, deſcende. Dixit ei* (nempe Moſi Deus ſ. b.) לא בשביל כבודך, *Non ob gloriam tuam tu huc aſcendis, ſed ob honorem filiorum meorum. Dixi avo eorum* (לוקן שלהם) *Et ecce angeli Dei aſcendunt, & deſcendunt in ea* (nempe ſcala, de qua Gen. 28.) *Quid eſt illud* IN EA? *Nempe ſic ei dixi, Cùm filii tui juſti fuerint, iſti exaltati erunt in mundo, & aſcendent: Et ſic etiam nuncii eorum* (ſeu *miniſtri, qui ad eos miſſi ſunt*, שלוחיהם) *unà cùm eis in honore erunt. Cùm autem illi lapſi fuerint, ipſi pariter ac nuncii* (vel *miniſtri*) *in deſcenſu erunt*, (וכשהם יוררים הם ושלוחיהם בירידה) *Abi, deſcende. Quare? Nam populus tuus ſe corrupit. Dixit ei*, (nempe Deus Moſi) הואיל וחטאו אתה והם בירידה, *Quandoquidem peccaverunt, tu & illi eſtis in deſcenſu*, de honore veſtro decidiſtis. Sic in Sanhedrin fol. 32. 1. מאי לך רד, *Quid eſt illud, Abi, deſcende? Dixit R. Eleazar, Dixit ei Deus ſ. b.* משה רד מגדולתך, *Moſes, deſcende à dignitate tua. An dedi tibi honorem niſi propter Iſraelem? Nunc cùm Iſrael peccaverit*, אתה למה לי, *quorſum tu mihi? Statim debilitata ſunt vires Moſis, nec loqui valuit.* Eadem etiam ſunt in Beracoth fol. 32. 1.

CAP. 4. *Quod in locum Actorum Apoſtolicorum antea prætermiſſum, & loca aliquot epiſtolæ ad Galatas nec non Epiſtolæ ad Epheſios obſervationes quaſdam continet.*

Act. 8. 4.

QUI igitur diſperſi erant, pertranſibant evangelizantes verbum.] Sic divinâ providentiâ factum eſt ut ipſa Eccleſiæ perſecutio ad dilatandam Eccleſiam conduceret. Atque huc ſpectat illud R. Eleazari, quod à Kimchio memoratur ad Hoſ. 2. 14. לא הגלה הק'בה את ישראל לבין האומות אלא כדי שיתוספו עליהם גרים שנא' וזרעתיה לי בארץ כלום אדם וורע סאה חטין אלא כדי לכנס כמה כורין, *Deus ſ. b. non fecit Iſraelitas exſulare inter gentes niſi ut proſelyti eis adderentur; dictum quippe eſt*, Hoſ. 2. 14. *Et ſeminabo eam* (Congregationem nempe Iſraelis) *in terra. Numquid homo ſeminat ſatum tritici, niſi ut multos modios* (coros) *colligat*, vel *reportet?*

Gal. 1. 16.

Non contuli cum carne & ſanguine] i. Cum homine. Sic Hebræi pro homine ſolent dicere, בשר ודם, *Caro & ſanguis.* Vide ſuprà ad 2 Cor. 5. 10, 11. & ad 2 Cor. 5. 10. Et infrà ad 2 Pet. 2. 5, &c.

Gal. 4. 14. *Ut angelum Dei ſuſcepiſtis me, ut Chriſtum Jeſum*] In Elle Shemoth Rabba, ſect. 3. ad illud Exod. 4. 16. *Et tu eris illi loco Dei*, מכאן אמרו מורא רבך כמורא שמים, *Hinc dixerunt, Sit timor* (ſeu *reverentia*) *Doctoris tui ſicut metus* (vel *reverentia*) *Dei.*

Gal. 4, 19. *Filioli mei, quos iterum parturio*, &c.] In Bereſhith Rabba affertur illud Iſa. 8. 18. אנכי והילדי אשר נתן לי ה', *Ego & liberi quos Deus mihi dedit*; deinde ſequitur, וכי ילדיו היו והלא תלמידיו היו אלא מלמד שהיו חביבים עליו כבניו, *Numquid erant liberi ejus? Annon diſcipuli ejus erant? Sed hoc docet, eos ità illi charos fuiſſe ac ſi liberi ejus fuiſſent.* Sic 2 Reg. 2. 3, 5, & 15. pro בני הנביאים, *filii prophetarum*, Chaldæus

Chald. Paraph. habet, תלמידי נבייא *discipuli prophetarum*; atque istam expositionem citat ac probat Kimchi ad locum; בני הנביאים כתרגומו תלמידי נבייא, *Filii prophetarum, i. juxta expositionem Chaldæi Paraph. discipuli prophetarum.*

Gal. 4. 26. *Jerusalem quæ sursum est*, &c.] Ità in Midras Tillim ad Psal. 122. mentio fit duplicis Jerusalem, nempe ירושלם של מעלה *Jerusalem quæ est sursum*, & ירושלם של מטה *Jerusalem quæ est deorsum.*

Gal. 5. 9. *Modicum fermentum totam massam fermentat*] Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 43. notat, Rabbinos appellare concupiscentiam malam, seu ingenitam hominis vitiositatem שאור שבעסה *fermentum quod est in massa*: & ex libro cui titulus נוה שלום rationem istius appellationis sic reddit, שכאשר שאר מחמיץ ומפסידה עסה גדולה, *Quòd sicut paululum fermenti magnam massam fermentat & corrumpit, sic figmentum malum* (יצר הרע, ità appellant naturæ nostræ pravitatem) *corrumpit totum hominem.*

Gal. 5. 17. *Caro concupiscit adversùs spiritum*] Vide quæ annotata sunt ad Rom. 6. 12.

Ibid. *Spiritus autem contra carnem*] Scilicet *concupiscit*. R. Simeon Ben Lakish, ut de eo fertur in Beracoth fol. 5. 1. dixit, לעולם ירגיז אדם יצר טוב על יצר הרע, *Semper homo excitet concupiscentiam bonam contra concupiscentiam malam.* ירגיז יצר טוב שיעשה מלחמה עם יצר הרע, inquit R. Salomon ad locum, *excitet concupiscentiam bonam, ut bellum gerat cum concupiscentia mala.*

Ibid. *Ut quæ velitis, ea non faciatis*] In Beracoth fol. 17. 1. ferunt R. Alexandrum, postquam precatus esset, (בתר דמצלי) sic dixisse, רבון העולמים גלוי וידוע וכו', *Domine seculorum, manifestum & cognitum est coram te, quòd voluntas nostra est ut voluntatem tuam faciamus. Quis autem impedit? Fermentum quod est in massa*, (concupiscentia mala) *& servitus regnorum. Sit voluntas tua*, (vel *placeat tibi*) *ut ante pariter ac post nos ea subjuges; tunc revertemur, & statuta voluntatis tuæ corde integro faciemus.*

Gal. 6. 3. *Si quis enim existimet se aliquid esse, cùm nihil sit, seipsum decipit.*] Duriùs de re istâ loquuntur Hebræi, ut videre est in Midras Koheleth ad cap. 9. 10. מאן הוא דכלום ודבר בגרמיה כלום נוח לו אם לא נברא, *Qui nihil est, & putat se esse aliquid, melius ei esset si natus non fuisset.* Buxtorfius in Florilegio pag. 352. legit, מאן דהוה כלום, eodem quidem sensu, sed verbis nonnihil immutatis. Sic enim, ut citavi, in Midras legitur, atque ità etiam locus iste citatur à Buxtorfio in Lexico magno col. 1316. Quin & Hebræus Scholiastes ità legit, atque exponit, מי שאינו כלום בתורה ונוהג עצמו כאילו הוא מדה כלומר כאילו הוא חכם בתורה, *Qui non est aliquid in Lege, atque ità se gerit ac si esset aliquid, h. e. ac si esset sapiens in Lege*, vel *Legis peritus*, seu *in Lege eruditus.* Deinde addit, וכלום השני פירושו מאומה דבר מה יקן רבים, *Vox autem* כלום CELUM *secundo loco posita idem valet quod* Aliquid, Res aliqua: *& sic sæpe usurpatur.* Ego autem miror quid sibi velit ista annotatio, cùm ea sit usitata istius vocis (כלום) significatio: id potiùs notandum erat in priore istorum verborum parte vocem כלום contrario sensu accipi, nempe ut significet *Nihil*, quam significationem alibi nusquam ei tributam reperio.

Ephes. 1. 11.

Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ] Rectè igitur R. Ami expositit illud Gen. 1. 26. *Faciamus hominem*, uti refertur in Bereshith Rabba sect. 8. במי נמלך ר' אמי אמר בלבו נמלך, *Cum quo consultavit? R. Ami ait, Cum corde suo consultavit.* Iste solus sapuit; nam (ut ibidem traditur) alii cum cœlo & terra, alii cum angelis Deum consultasse dixerunt.

Ephes. 2. 17. *Et veniens prædicavit pacem*, &c.] In Vajikra Rabba sect. 9. in fine dicitur, רבנן אמרו גדול שלום שכשמלך המשיח בא אינו פותח אלא בשלום שנא' מה נאוו על ההרים רגלי מבשר משמיע שלום, *Rabbini dixerunt, Magna res est pax; nam cùm rex Messias venerit, non incipiet nisi à pace: sicut dictum est*, Isai. 52. 7. *Quàm pulcri sunt pedes ejus qui evangelizat*, (vel *latum nuncium affert*) *qui proclamat pacem!*

Ephes. 4. 26. *Irascamini, & nè peccetis.*] Proverbialis apud Hebræos sermo est, בכוס בכיס בכעס, *In poculo, in loculo, in ira*, nempe *homo dignoscitur.* Sic Drusius citat ad Apoc. 18. 8. Sed in tractatu Erubin (ut notat Buxtorfius in Lex. Talm. col. 1032.) pleniùs sic habetur, בשלשה דברים אדם ניכר בכוסו ובכיסו ובכעסו, *Tribus rebus homo dignoscitur, nempe poculo suo, loculo suo, & irâ suâ.* R. Salomon in glossa sua sic explicat, בכוסו אם רעתו מיושבת עליו ביינו בכיסו כשנושא ונותן עם בני אדם אם באמונה הוא עושה בכעסו שאינו קפדן יותר מדאי, *IN POCULO SUO, si nimirum mens ejus in vino firma manet: IN LOCULO* (seu *MARSUPIO*) *SUO, si in commerciis & negotiationibus suis, quas cum hominibus exercet, fideliter se gerat: IN IRA SUA, cùm non plus æquo ad iram est propensus.* Illud Hebræorum in Beracoth fol. 29. 2. לא תרתח ולא תחטי, *Nè excandescas, & non peccabis*, de immoderata & inordinata ira est intelligendum; id quod ipsa vox Hebræa רתח *effervescere* indicat.

Ibid. *Sol nè occidat super indignationem vestram*] In Pirke Aboth cap. 5. §. 11. de hominibus quod ad iram attinet sic distinguunt, ארבע מדות בדעות, *Quatuor sunt proprietates animorum*; עז לכעוס ונוח לרצות, יצא שכרו בהפסדו, *Est qui facilè irascitur, & facilè placatur: ejus præmium* (seu *lucrum*) *in damnum exit*; i. quod ex una parte lucratur, id ex altera parte amittit, קשה לכעוס ונוח לרצות חסיד, *Est qui non facilè irascitur, sed nec facilè placatur: ejus damnum in lucrum exit*; i. quod ex una parte amittit, id ex altera parte lucratur. In Tayleri verbione (Typographi, opinor, oscitantiâ) est, *in damnum hujus lucrum exit*; cùm sic potiùs legendum sit, *in lucrum hujus damnum exit*: (At sanè censura quæ de hoc secundo hominum genere fertur, primo potiùs; & quæ de primo fertur, huic convenire videtur.) קשה לכעוס ונוח לרצות חסיד, *Est qui non facilè irascitur, & facilè placatur: is est pius.* נוח לכעוס וקשה לרצות רשע, *Est qui facilè irascitur, sed difficulter placatur: is est impius.*

Ibid. *Neque detis locum diabolo.*] Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 135. ex libro cui titulus, *MOREH CHATTAIM BADDEREC* (i. *Docens peccatores in via*) ista citat, לעולם יהי אדם וזהיר שלא יכעוס שכל הכועס כל מיני גיהנם שולטין בו, *Semper homo monitus sit nè irascatur: nam quisquis irascitur, omnes species gehennæ ei dominantur.*

Ephes. 4. 28. *Qui furatus est, nè furetur amplius, sed potiùs laboret, operando manibus id quod bonum est*, &c.] R. Juda (ut de eo ferunt in tractatu Kiddushin fol. 29. 1.) dixit, כל שאינו מלמד את בנו אומנות מלמדו ליסטות, *Quisquis non docet filium suum aliquod opificium*, (vel *artem aliquam*) *is docet eum latrocinari.* Deinde sequitur, ליסטות ס"ד אלא כאילו מלמדו ליסטות, *An verò putas quenquam docere filium suum latrocinari? Sed sensus est, perinde esse ac si eum latrocinari doceret.* Quia nimirum, ut explicat R. Salomon, כיון דאין לו אומנות ויחסור לחמו ילך בפרשת דרכים וילסטם את הבריות, *Cùm nullam norit artem*, (vel *nullam habeat opificium*) *& panè* (i. rebus ad sustentandam vitam necessariis) *sit destitutus, in compita ibit, & homines depredabitur.* Ex adverso Rabba, utì tradunt in Sanhedrin fol. 29. 1. dixit, עב שני הוה כפנא ואבבא אומנא לא חליף, *Septem annis si sit fames, tamen ad opus artificis* (vel *opificii*) *non pertingit.* R. Salomon in Glossa ait esse משל הדיוט *proverbium vulgare*, & sic explicat, פתח מי שיודע אומנות ובעל מלאכה לא עבר הרעב, *Fames non transit per ostium ejus qui artem*

navit, & opificium exercet. Homini ſedulo & induſtrio fames non eſt formidanda. R. Levi Ben Gerſom dictum iſtud citat in Commentario ſuo ad Pro. 22. v. ult. ſed mendoſè in editione Baſileenſi pro כפנא legitur כפיא, & pro שב שני *ſeptem annis* habet שית שנין *ſex annis:* atque ita etiam habet Buxtorfius in Florilegio pag. 23. ſed in Lexico magno legitur שב שני *ſeptem annis.*

Ibid. *Ut habeat impertiri* (ſeu *quod impertiatur*) *indigenti.*] Nempe de eo quod juſto ſuo labore conſecutus eſt. Sic monent Hebræi in Vajikra Rabba ſect. 3. טוב מי שהולך ופועל ועושה צדקה משלו ממי שהולך וגוזל וחומס ונותן צדקה משל אחרים במחלא אמרין גיפא בחרונין ומפלנא לבישא, *Melior eſt ille qui vadit, & operatur, & facit eleemoſynam de ſuo, quàm qui vadit, & rapit, & opprimit, & dat eleemoſynam de alieno. Proverbialiter dicunt, Scortatur pro pomis; & diſtribuit ea agrotis,* vel *afflictis & malè habentibus.* Eſt proverbium in eleemoſynas injuſtas, ut notat Buxtorfius in Lex. Talmud. col. 734. Idem etiam proverbium, ſed aliis verbis enunciatum, habetur in Elle Shemoth Rabba ſect. 31. ubi alia ſunt quæ huc pertinent. ואיזהו חונן דלים זה עשו וכו', *Quis iſte eſt qui miſeretur pauperum? Iſte eſt Eſau.* (Hebræi, ut poſtea Deo volente annotabitur, per *Eſau*, ſeu *Edom*, ſæpe intelligunt Romam, & Romanum imperium, & omnes in univerſum Chriſtianos) *Numquid verò Eſau miſeretur pauperum? Nònne pauperes opprimit? Verùm ut præfecti, & duces, & provinciarum præſides exeunt ad urbes, & eas diripiunt & deprædantur, cúmque reverſi ſunt dicunt, Afferte nobis pauperes, & eos ſuſtentabimus. Proverbium vulgare ait, Adulteram agit pro pomis, & dividit ea agrotis.* Homines fraudibus & rapinis opes acquirunt, & indè erogant eleemoſynas.

Epheſ. 4. 29. *Nullus ſermo putris ex ore veſtro exeat,* &c.] Similiter & Hebræi præcipiunt in tractatu Peſachim fol. 3. 1. אל יוציא אדם דבר מגונה מפיו, *Ne proferat homo verbum turpe* (ſeu *obſcœnum*) *ex ore ſuo.* Et ibidem, לעולם יספר אדם בלשון נקייה, *Semper homo linguâ purâ loquatur,* vel *ſermone puro utatur.* Et in tractatu Shabbath fol. 33. 1. בעון נבלות פה צרות רבות ונזירות קשות מתחדשות, *Propter iniquitatem obſcœnitatis oris multæ afflictiones & graves calamitates oriuntur.* Et ibidem, כל המנבל פיו אפילו חותמין עליו נור דין של ע' שנה לטובה הופכין עליו לרעה: *Quiſquis os ſuum fœdo ſermone deturpat, etiamſi 70 anni ei in bonum decreti eſſent, tamen converterentur ei in malum.* Ibidem etiam R. Chaſda dixiſſe memoratur, כל המנבל את פיו מעמיקין לו גיהנם, *Quicunque os ſuum obſcœnitate polluit, ei gehenna ſit profunda.* Ex Hebræis etiam citatur à Buxorfio in Lex. Talm. col. 1288. & in Florileg. Hebr. pag. 326. כל המנבל פיו כאילו מכנים חזיר לבית קדשי הקדשים, *Qui obſcœnè loquitur, perinde facit ac ſi porcum in Sanctum ſanctorum introduceret.*

Ibid. *Sed qui bonus ſit, ad ædificandum utilis, & qui gratiam ſuppeditet audientibus.*] In Beracoth fol. 31. 1. præclarè etiam monent Hebræi, לא יפטר אדם מחברו לא מתוך שיחה ולא מתוך קלות ראש ולא מתוך דברים בטלים אלא מתוך דבר הלכה, *Non diſcedet homo à ſocio ſuo, neque cum inani confabulatione, neque cum riſu, neque cum levitate capitis,* (levi corporis geſtu) *neque cum verbis otioſis, ſed cum verbo aliquo quo erudiatur.*

Epheſ. 4. 25. *Quare depoſito mendacio, loquamini veritatem.* &c.] R. Levi Barzelonita (ut eſt apud Hottingerum De Jure Hebræorum, Lege 80.) obſervat emphaſin iſtorum verborum, Exod. 23. 7. מדבר שקר תרחק, *A verbo mendacii longè te removeas.* והנה הזכירה בו לשון ריחוק לריב מיאוסו מה שלא הזכירה כן בגזל שאר האזהרות, *Ecce verò utitur verbo LONGE REMOVENDI, nempe ad ſummam deteſtationem* (mendacii) *indicandum, cùm in aliis admonitionibus vox iſta non aſſumatur.*

Epheſ. 2. 19. *Non igitur ampliùs eſtis peregrini,* &c.] In Midras Eſther ad cap. 3. 9. inter Iſraelitas & reliquas mundi nationes hoc diſcrimen ponitur, כל האומות נקראו נכרים לפני הק"בה וישראל נקראו קרובים: *Omnes nationes vocantur Extranei coram Deo ſ. b. Iſraelita autem vocantur Propinqui.* Citatur 1 Reg. 8. 41. & Pſal. 148. ult.

Epheſ. 5. 11. *Et nè conſortium habeatis cum infructuoſis operibus tenebrarum,* &c.] In Midras Tillim ad Pſal. 62. R. Juda fertur dixiſſe, העבירה עקרה ואינה עושה פירות, *Peccatum ſterile eſt, nec ullum facit fructum.*

Ibid. *Sed potiùs redarguite*] In Beracoth fol. 31. 2. aiunt R. Eleazarum, ex eo quòd Eli, cùm putaſſet Hannam eſſe ebriam, eam redarguit & increpavit, dixiſſe, הרואה בחבירו דבר שאינו הגון צריך להוכיחו: *Qui in ſocio rem indecoram videt, eum redarguat neceſſe eſt.*

Epheſ. 5. 12. *Quæ enim occultè ab eis fiunt, turpe eſt vel dicere*] Buxtorfius in Florileg. Heb. pag. 366, & 367. iſta ex Hebræis citat, העושה עבירה בסתר ענשו גדול כי הוא מורה שאינו מאמין בהשגחה, *Qui peccatum perpetrat in occulto, ejus pœna magna eſt: nam oſtendit ſe non credere providentiam.* כל העובר עבירה בסתר כאילו דוחק רגלי שכינה, *Quicunque facit tranſgreſſionem in occulto, perinde eſt ac ſi depelleret pedes Majeſtatis Divinæ.* Hæc poſteriora ſunt in Kidduſhin fol. 31. 1.

Epheſ. 5. 18. *Nè inebriemini vino, in quo eſt luxuria.*] In Beracoth fol. 29. 2. aiunt, לא תרוי ולא תחטי, *Nè ſis inebriatus, & non peccabis.* Et in Bammidbar Rabba ſect. 10. hæc ratio redditur, quare cum Num. 5. de adultera actum ſit, Num. 6. de Naziræo ſtatim agatur, היין גורם לזונות לכך כתב הק"בה פרשת נזיר אחר פרשת סוטה, *Vinum* (nempe immodicè ſumptum) *cauſa eſt ſcortationis; atque ideo poſt ſectionem de adultera Deus ſ. b. ſcripſit ſectionem de Naziræo.* Et ibidem, כל מקום שיש יין יש ערוה ולכן כתב הק"בה פרשת נזיר אחר פרשת סוטה לפי שהיין גורם ערוה, *Ubicunque eſt vinum* (vel *vinolentia,*) *ibi eſt impudicitia; atque ideo Deus ſ. b. ſectionem de Nazirao ſcripſit poſt ſectionem de adultera, quia vinum eſt cauſa impudicitiæ.* In Joma fol. 74. 2. & 75. 1. dicitur, כל הנותן עינו בכוסו עריות כולו דומות עליו כמישור, *Quiſquis oculum ſuum poculo affigit, ei omnes impudicitiæ inſtar planitiei ſimiles eſſe videntur:* ad quodvis impudicitiæ genus ex æquo proclivis eſt. Ibidem ſtatim ſequitur, כל הנותן עינו בכוסו כל העולם כולו דומה עליו כמישור, *Quiſquis oculum ſuum poculo affigit, ei univerſus mundus inſtar planitiei ſimilis* (ſeu *æqualis*) *eſſe videtur.* In Margine ſic explicatur, ממון אחרים דומה לו היתר, *Opes aliorum ei licitæ eſſe videntur.* Ebrii quidvis ſibi licitum eſſe exiſtimant.

Epheſ. 5. 27. *Ut exhiberet eam ſibi glorioſam eccleſiam,* &c.] In Midras Shir haſhirim ad illud Cant. 1. 5. *Nigra ſum, ſed decora,* Synagoga Iſraelis ſic loquens introducitur; שחורה אני בעולם הזה ונאוה אני לעולם הבא; *Nigra ſum in hoc ſeculo, ſed decora* (ſeu *pulcra*) *ero in ſeculo futuro.*

Epheſ. 6. 1. *Filii, obedite parentibus veſtris in Domino*] Non, *ut Domino,* ac ſi ſimpliciter in omnibus æquè ac Deo eis obediendum eſſet. Cautè igitur eſt illud intelligendum quod in Kidduſhin fol. 30. 2. habetur, השוה הכתוב כבוד אב ואם לכבוד המקום, *Scriptura æquiparavit honorem patris & matris honori Dei.*

Epheſ. 6. 12. Πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, *adverſus mundi principes* (ſeu *rectores,*) *nempe tenebrarum hujus ſeculi*] Hebræi etiam voce iſtâ κοσμοκράτωρ utuntur, atque iſto nomine Satanam appellant. In Vajikra Rabba ſect. 18. קרא הק"בה למלאך המות ואמר לו אע"פי שעשיתי אותך קיומקרטור על הבריות אין לך עסק באומה זו למה שהן בני: *Vocavit Deus ſ. b. angelum mortis, & dixit ei, Etiamſi te feci κοσμοκράτορα ſuper homines, nihil tamen tibi negotii erit cum iſta gente* (ſcilicet Iſraelitica.) *Quare? Quia*

ſunt

sunt filii mei. Et mox ibidem sequitur, זה מלאך המות שקרוי חושך, *Iste est angelus mortis, qui appellatur Tenebræ.*

Ephes.6.ult. *Gratia sit cum omnibus qui diligunt Dominum nostrum Jesum Christum ἐν ἀφθαρσίᾳ in incorruptione*, seu *incorrupté.*] In Pirke Avoth cap.5. 16. de amore seu dilectione sic distinguitur; כל אהבה שהיא תלויה בדבר בטל דבר בטלה אהבה, ושאינה תלויה בדבר אינה בטלה לעולם, *Omnis amor qui à re aliqua dependet, re istâ cessante cessat; qui verò non à re aliqua pendet, nunquam cessat.* Deinde amor Amnonis erga Thamaram in exemplum affertur amoris à re aliqua pendentis; & in exemplum amoris à re aliqua non pendentis affertur amor Davidis & Jonathanis erga se invicem.

CAP. 5. *In quo loca quædam Epistolæ ad Philippenses, & Epistolæ ad Colossenses, item utriusque Epistolæ ad Thessalonicenses, & utriusque Epistolæ ad Timotheum illustrantur.*

Phil. 1.15.

NOnnulli quidem ex invidia, &c.] Proverbium est apud Hebræos, כל אומן שונא את בני אומנותו *Omnis artifex* (vel *opifex*) *odit eos qui ejusdem sunt artificii*, vel *opificii.* Extat istud proverbium apud R. Salomonem in Gen.3.5. Ità nimirum vult serpentem Evam esse allocutum, quasi Deus homini esum arboris vetitæ invidisset, nè indè Deo similis redderetur.

Phil.2.15. *Inter quos splendetis ut luminaria in mundo.*] Sic in Midras Tillim ad Psal.72. justi luminaribus comparantur. כשם שהחמה והלבנה מאירים העולם הזה כך הצדיקים עתידים להאיר לעולם הבא: *Quemadmodum Sol & Luna illuminant hoc seculum, ità futurum est ut justi illuminent seculum futurum.* Et ad istud confirmandum affertur illud Isai.60.3. *Et gentes venient ad lucem tuam*, &c. Et in Elle Shemoth Rabba sect.36. hæc ratio redditur, quare Israel Olivæ comparatur Jer.11.16. *Dominus vocavit te olivam virentem.* לכך נקראו ישראל זית רענן שהם מאירים לכל, *Propterea Israelitæ appellantur oliva virens, quia illis omnibus prælucent.*

Phil.4.4. *Gaudete in Domino semper*, &c.] Hebræi aiunt, Spiritum S. non quiescere nisi super hominem lætum. In Midras Tillim ad Psal. 24. אין השכינה שורה לא מתוך עצבות ולא מתוך קלות ראש ולא מתוך דברי בטלים אלא מתוך דבר שמחה שנא' ועתה קחו לי מנגן ונו': *Divina Majestas non quiescit in tristitia*, (vel *ubi est tristitia*; ad verb. *è medio tristitiæ*, & sic in sequentibus) *nec in pigritia, nec in levitate capitis, nec in verbis otiosis, sed in re læta; quemadmodum dicitur*, 2 Reg.3.15. *Nunc autem afferte mihi fidicinem*, &c. Kimchi ad illum Scripturæ locum qui citatur, sic scribit, *Dicunt ex quo ab eo ablatus est Eliah magister ejus, non requievisse super eum Spiritum prophetæ, quòd in luctu esset:* ורוח הקדש אינה שורה אלא מתוך שמחה, *Et Spiritus S. non requiescit nisi ubi est lætitia. Sunt autem qui dicunt, præ ira quâ erga regem Israelis affectus est, eum fuisse tristem.* Atque ità ibi R. Salomon, *Afferte mihi fidicinem*, מפני הכעס שנסתלק שכינה ממנו, *ob iram*, (seu *indignationem*, nempe ei opus erat fidicine ad animum ejus exhilarandum) *quia Divina Majestas ab eo recesserat.* Similiter & R. Levi Ben Gersom, מאד לפי שכעס אלישע על יהורם מפני שרבק בחטאת ירבעם הוצרך לדבר שיסיר כעסו וירחיב לבו ואז שרתה עליו רוח הקדש, *Quia Elisha vehementer iratus erat Jehoramo, quòd adhærebat peccato Jeroboami, ei re aliquâ opus erat quæ iram ejus auferret, & cor ejus dilataret; & tunc Spiritus S. super eum requievit.* Vide, si libet, quæ olim annotavi ad Gen.45.27. R. Moses Nachmanides in Legem fol.91.col.1. אין רוח הקדש שורה מתוך עצבות, *Spiritus S. non quiescit in tristitia*, vel *super tristem.*

Col. 1. 12.

Gratias agentes Patri, qui nos idoneos fecit, ut participes simus hereditatis sanctorum in luce.] In Elle Shemoth Rabba sect.35. de luce primo die creata loquentes sic aiunt; כיון שנסתכל הק"בה בדורו של וכו' *Cùm Deus s.b. intuitus est seculum Enoshi*, (Hebræi de isto seculo tanquam impio loqui solent) *& seculum Diluvii, & seculum Divisionis*, (i. seculum quo linguæ confusæ erant & terra divisa) *quia opera eorum erant corrupta, stetit, & abscondidit eam* (nempe lucem primo die creatam) *ab illis*; *ità dicitur* Job.38.15. *Et ab impiis lux ipsorum inhibebitur. Quibus autem eam recondidit? Nempe justis in seculo futuro*; *quemadmodum dicitur* Gen. 1.4. *Et vidit Deus lucem, quòd esset bona. Quid hoc est, quòd esset bona? Nempe quòd lux illa erat mundo conveniens, & quòd non erat noxia, ut lux Solis est. Ubi verò eam recondidit? In horto Edenis*; *ità dictum est* Psal.97.11. *Lux seminatur justo.* Et in Midras Koheleth ad illud Eccles. 11.7. *Dulcis est Lux*, R. Akiba dixisse fertur, מתוק אור העולם הבא אשריו שיזכה לראות האור ההוא, *Dulcis est lux mundi futuri: beatus est qui dignus habebitur ut lucem istam videat.*

Col.1.13. *Qui eripuit nos è potestate tenebrarum*, &c.] i. è potestate Satanæ, ità exprimitur Act. 26. 18. Hebræi (ut antea observatum ad Ephes. 6.12.) aiunt, מלאך המות קרוי חושך, *Angelus mortis appellatur Tenebræ.*

Col.1.16. *Per illum creata sunt omnia*, &c.] Creandi potentiam Deo duntaxat competere docent Hebræi. Sic enim in Bereshith Rabba sect.84. R. Eliezer nomine R. Josis filii Zimræ dixisse traditur, אם מתכנסין כל בני עולם לברואת אפילו יתוש אחד אינם יכולין: *Si omnes qui in mundum veniunt sese congregaverint, ut vel unum pulicem creent, id efficere non poterunt.* Ibid. sect.39. sic exprimitur, אין יכולין לזרוק בו נשמה *Non poterunt ei infundere spiritum.* Hîc obiter observa, vocem נשמה de bruto & vilissimo animalculo usurpari, cùm nonnulli ex Hebræis pariter ac nostris animam hominis peculiariter voce istâ denotari existiment. Vide Annotationes in Genesin, nempe ad cap.2.v.7. In eodem autem Rabba sect.3. variis opinionibus de tempore quo creati erant angeli recitatis, nempe quòd R. Jochanan dixit eos creatos fuisse die secundo, R. Chanina autem die quinto; (rationes eorum, cùm ineptæ sint, nihil attinet commemorare) concluditur, omnes in eo consentire, non fuisse creatos die primo, nempe שלא ואסר היה מיכאל מיתח בדרומו של רקיע וגבריאל מפונו והק"בה ממרד באמצעותו אלא אנכי ה' עשה כל נטה שמים לבדי רוקע הארץ מאתי מי אתי, מחיב מי היה שותף עמי בבריית של עולם, *Ne dicerent, Michael meridionalem partem firmamenti extendebat, & Gabriel partem septentrionalem, & Deus s.b. mensurabat medium: sed ego Dominus facio omnia; ego solus extendo cœlum, & expando terram à meipso. Scriptum est*, מי אתי (h. e. *Quis mecum?* legitur autem מאתי i. *à meipso*) *Quis mecum conjunctus fuit in mundi creatione?* Eadem etiam habentur sect.1. Et ex Bereshith Rabba Kimchi ista citat ad Isai.44.24.

Col.1.18. *Primogenitus ex mortuis.*] R. Nathan, ut de eo memoratur in Elle Shemoth Rabba sect.19. dixit, אמ' הק"בה למשה כשם ששיתי יעקב בכור שנא' בני בכורי ישראל כך אני עושה למלך המשיח בכור שנא' אף אני בכור אתנהו: *Deus s. b. Mosi dixit, Quemadmodum Jacobum feci primogenitum, ità dicitur* Exod.4. 22. *Israel est filius meus, primogenitus meus*; *ità etiam regem Messiam faciam primogenitum, quemadmodum dictum est* Psal. 89.27. *Ego etiam ponam eum primogenitum.*

1

1 Theſſ. 4. 13.

De iis verò qui obdormierunt, &c.] Ità etiam Hebræi de mortuis loqui ſolent, ut eos *dormire* dicant: nec utuntur verbo שכב quod in V. T. uſurpatur, & propriè ſignificat *cubare*, ſed verbo רמך, quod propriè eſt *dormire*, In Vajikra Rabba ſect. 30. כך רמך ר' יוחנן, *Quando obdormivit* (i. mortuus eſt) *R. Jochanan.* כך רמך ר' הושעיא, *Quando obdormivit R. Hoſhaia.* Verbum רמך *obdormivit* ibi idem valet quod מת *mortuus eſt*, ut Hebræus Scholiaſtes exponit.

1 Theſſ. 5. 4 *Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris, ut dies iſte ſicut fur vobis ſuperveniat.*] In Bereſhith Rabba ſect. 50. ad illud Gen. 19. 1. *Et duo angeli venerunt Sodomam veſpere*, ſic commentantur; בא ערבה של סדום ושקעה שמשה ונחתם נור דינה אמר ר' לוי אין הק"בה דן את אומית העולם אלא בלילה בשעה שהן ישנים ואינו דן את ישראל אלא ביום בשעה שהם עוסקים במצות *Veſpera Sodoma jam venerat, & Sol ejus occiderat; & obſignatum erat decretum judicii ejus. R. Levi ait, Deus ſ. b. non judicat nationes mundi niſi nocte, tunc cùm ſomno ſunt oppreſſi; Iſraelem autem non judicat niſi in die, tunc cùm in mandatis exercentur.* In Midras Tillim ad Pſal. 9 verba R. Levi ſic citantur בשעה שהק"בה דן את האומות הוא דן אותם בלילה בשעה שהם ישנים מן העבירות ובשעה שהוא דן את ישראל הוא דן אותם בשעה שעוסקין בתורה *Cùm Deus ſanctus benedictus judicat nationes, judicat eos nocte, cùm ex tranſgreſſionibus ſomno ſunt oppreſſa; cùm autem judicat Iſraelem, judicat eos cùm in Lege ſunt occupati.*

1 *Theſſ.* 5. 22. *Ab omni ſpecie mali abſtinete.*] Sic in Bammidbar Rabba ſect. 10 Hebræi præcipiunt, הרחק מן הכי עור ומן הדומה לכיעור, *Longè ſis à fœditate & ab eo quod ſimile eſt fœditati.*

2 Theſſ. 3. 10.

Si quis nolit operari, nè comedat.] In Bereſhith Rabba ſect. 2. R. Abhu parabolam dixiſſe fertur, nempe de Rege qui duos ſervos emit eodem tempore atque eodem pretio: (באוני אחת ובשימי אחרת, ad verbum, *eâdem emptione & eodem pretio*, ſeu potiùs, *unâ emptione, & uno pretio*) & de uno eorum edixit, ut è publico (משתין) aleretur; de altero verò, ut labore victum quæreret, (שיהא יגע ואכל) Hic igitur ſedens mœſtus & attonitus (vel ſquallidus & incultus, יושב לו תוהא ובוהא) dixit, *Nos ambo ſimul & eodem pretio empti fuimus; iſte tamen è publico alitur, & ego, niſi laboravero, non habebo quod comedam.* Deinde ſequitur explicatio parabolæ; *Sic terra ſedens inanis & inculta* (תוהא ובוהא) *dixit, Superiora & inferiora ſimul* (בבת אחת) *creata ſunt: Superiora tamen aluntur ſplendore Divinæ Majeſtatis;* והתחתונים אם אם אינם יגעים אינם אוכלים *Inferiora autem, ſi non laborant, non comedunt.* Et ibid. ſect. 14. R. Hona diciſſe traditur, עשאו עבד מחורר בפני עצמו דאי לא לעי לא ניים, *Fecit (Deus) eum* (nempe Adamum) *ſervum ſibi addictum, ut ſi non laboraret, non comederet.* Buxtorfius in Lexico magno col. 1298. pro מחורר legit מכורן, atque ità legi debere probat ex Midras Koheleth ad cap. 2. 17. & Echa Rabbathi ad cap. 1. 14. (vel potiùs 15.) In iſtis ſanè locis eſt מכורן, & pro ניים eſt אכל, quod idem valet.

1 Tim. 2. 2.

Pro regibus, &c.] In Pirke Aboth cap. 3. ſect. 2. iſtud R. Chaninæ dictum memoratur, הוי מתפלל בשלומה של מלכות שאלמלא מוראה של מלכות איש את רעהו חיים בלעו, *Ora pro pace regni*; (Taylerus vertit, *pro incolumitate regis*) *niſi enim eſſet timor regni*, (i. Magiſtratûs) *unuſquiſque proximum ſuum vivum devoraret.* Et in B ba Bathra fol. 91. 1, & 2. Rab dixiſſe fertur, איתו היום שנפטר אברהם אבינו מן העולם עמדו כל גדולי אומות העולם בשורה ואמרו אוי לו לעולם שאבד מנהיגו ואוי לה לספינה שאבד קברינטא, *Eo die quo Abraham pater noſter è mundo exceſſit omnes magnates nationum ordine ſteterunt, & dixerunt, Væ mundo cujus rector periit, & væ navi cujus periit gubernator.* Hebræum קברינטא, ut & Latinum *Gubernator*, à Græco κυβερνήτης formatum eſt. R. Salomon exponit, המוליך את הספינה *Qui navis curſum dirigit*; ad verb. *Qui navem ire facit.*

1 Tim. 2. 8 *Levantes manus puras*] Vel *ſanctas.* In Elle Shemoth Rabba ſect. 22. ſimiliter monent Hebræi; כשם שהם טהרו לבם ואמרו שירה שכן כתוב וירא העם את ה' ויאמינו ואחר כך או ישיר כך צריך אדם לטהר לבו קודם שיתפלל, *Quemadmodum illi* (nempe Iſraelitæ) *mundabant corda ſua, & tunc dixerunt canticum; nam ſic ſcriptum eſt, Et timebat populus Dominum, & credebat*, &c. Exod. 14. ult. *& poſtea, Tunc cecinit*, &c. Exod. 15. 1. *Sic neceſſe eſt ut homo cor ſuum mundum faciat antequam orat.*

1 Tim. 2. 14. *Et Adam non fuit ſeductus, ſed mulier ſeducta fuit in tranſgreſſione.*] Iſta nimirum fuit aſtutia Serpentis, (an iqui Serpentis, diaboli) ut mulierem potiùs quàm virum adoriretur. Sic in Pi ke R. Eliezer cap. 13. Serpens dicitur ſecum cogitaſſe, *Si alloquar Adamum, ſcio illum mihi non obtemperaturum; quia vir ſemper difficilior eſt quàm ut avellatur à ſententia ſua: ſed verò mulierem affabor, cujus levis* (vel *inſtabilis*) *eſt ſententia; novi illam mihi obedituram: quia f minæ obediunt omnibus creaturis, juxta illud*, Prov. 9 13. *Plena illecebris, & nihil novit.* Id etiam obſervandum cenſet Maimonides in More Nebochim part. 2. cap. 30. *Attendendum tibi quoque eſt*, inquit, *quòd Serpens non primò venit ad Adamum, & cum ipſo locutus fuit, verùm aggreſſus & adortus eſt Evam, &, illâ mediante, damno Adamus à Serpente affectus mortéque multatus fuit.*

1 Tim. 4. 4. *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abjiciendum, ſi cum gratiarum actione ſumatur.* Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 107. ex Hebræis hanc citat ſententiam; כל הטועם ואינו מברך נקרא גולן, *Quiſquis aliquid guſtat*, (quantulumcunque cibi vel potûs ſumit) *& non gratias agit, vocatur Raptor; juxta illud*, Pſal. 24. 1. *Domini eſt terra & plenitudo ejus.* In Sanhedrin autem fol. 102. 1. iſta reperio; אמר ר' חנינא בר פפא כל הנהנה מן העולם הזה בלא ברכה כאילו גוזל להק"בה, *Quiſquis commodum capit ex hoc mundo*, (re aliquâ mundanâ commodo ſuo utitur) *ſine benedictione* (vel *gratiarum actione*) *perinde facit ac ſi Deum ſ. b. diriperet.*

1 Tim. 4. 8. *Pietas autem ad omnia utilis eſt, habens promiſſionem vitæ hujus & futuræ*] Similiter Hebræi in Pirke Aboth cap. 6. ſect. 7. גדולה תורה שהיא נותנת חיים לעושיה בעולם הזה ובעולם הבא *Magna eſt Lex, quæ ipſam obſervantibus dat vitam in hoc mundo & in futuro.*

1 Tim. 4. 15. *Hæc meditare, in his eſto.*] Ben Bagbag, utì de eo narratur in Pi ke Aboth cap. 5. ſect. 22. iſtiuſmodi præceptum dedit, inquiens, הפוך בה והפוך בה דכולה בה ובה ותחזי וסיב ובלה בה ומינה לא תזוע שאין לך מדה טובה הימנה, *Verſare in ea*, (ſcilicet Lege) *& verſare in ea:* (i. Aſſiduè & conſtanter in ea verſare. Taylerus vertit, *Evolve eam, & evolve eam*) *quia in ea totum eſt; & in eam reſpicias*; (in Tayleri libello eſt, ובה תהוי *& in ea ſis*; ſed in Talmude & Miſnaioth Amſtelodamenſibus altera habetur lectio) *& in ea penitus conſeneſcas*, (iſtud in verſione Tayleri eſt prætermiſſum) *neque ab ea dimovearis: non enim iſtâ ulla tibi melior erit conditio.*

1 Tim. 5. 1. *Seniorem nè aſperè obiurges*, &c.] Hebræi notant, honorem ſenibus ſæpe à Deo tribui. R. Simeon Ben Jochai, ut eſt in Vajikra Rabba ſect. 11. dixi, לא במקום אחד ולא בשני מקומות מצינו שחלק כבוד לזקנים אלא בכמה מקומות, Ante vocem כבוד deeſt הק"בה, *Non in uno & altero loco* (ad verb. *Non in uno loco, nec in duobus locis*) *ſed in multis locis invenimus, Deum ſanctum benedictum honorem ſenibus tribuere.* Nempe Exod. 3. 16. *Et congregabis ſeniores Iſraelis.* Et ibid. verſ. 18. *Et venies tu, & ſeniores Iſraelis*, &c. Et Exod. 24. 1. *Aſcende tu ad Dominum*, &c. *& ſeptuaginta ex ſenioribus Iſraelis.* Et Num. 11. 16. *Congrega mihi ſeptuaginta viros ex ſenioribus*, &c. Deinde additur, אף לעתיד לבא הק"בה הולך כבוד לזקנים ההי"ד וחפרה הלבנה ובושה החמה וכתיב ונגד זקניו כבוד, *Etiam tempore futuro* (ſeu *in ſeculo futuro*) *Deus ſ. b. honorem tribuet ſenibus. Hoc nimirum eſt quod dicit*, Iſai. 24. ult. *Et luna confundetur, & Sol pudefiet, & ſcriptum eſt*, (nempe ſtatim ibidem) *Et ante ſeniores ejus gloria.*

Ibid. *Sed admone*, ſeu *hortare*, παρακάλει, *ut patrem.*] Quemadmodum filius in reprehendendo patre ſuo ſe gerere debeat, Hebræi docent in Kidduſhin fol. 32. 1. הרי שהיה אביו עובר על דברי תורה אל יאמר לו אבא עברת על דברי תורה אלא אומר לו אבא כך כתוב בתורה, *Si alicujus pater tranſgreſſus fuerit verba Legis, nè dicat ei, Pater, tranſgreſſus es verba Legis; ſed dicat ei, Pater, Sic ſcriptum eſt in Lege.*

1 Tim. 6. 6. *Magnus autem quæſtus eſt pietas, cum animo ſuâ ſorte contento.*] Pulcrè Ben Zoma, ut eſt in Pirke Aboth cap. 4. ſect. 1. איזהו עשיר השומח בחלקו, *Quis eſt Dives? Qui in portione ſua acquieſcit.* E contrà in Mibchar happeninim (citante Buxtorfio in Florileg. Hebr. pag. 253.) אין רש יותר ממי שאינו שומח בחלקו ולא תשבע עינו, *Non eſt pauperior eo qui non acquieſcit in portione ſua, cujuſque oculus non exſatiatur.* Vide infrà ad Heb. 13. 5.

1 Tim. 6. 7. *Nihil enim attulimus in mundum; & manifeſtum eſt nos nihil poſſe efferre.*] In Midras Koheleth ad Eccleſ. 5. 15. ubi idem à Salomone obſervatur, ſic aiunt; כשאדם בא לעולם ידיו הן קפוצות כלומר העולם כולו שלי הוא אני נוחלו וכשהוא נפטר מן העולם ידיו הן פשוטות כלומר לא נחלתי מן העולם הזה כלום, *Cùm homo venit in mundum, manus ejus ſunt clauſæ, quaſi diceret, Totus mundus meus eſt, ego eum poſſideo. Cùm autem è mundo egreditur, manus ejus ſunt apertæ, quaſi diceret, De hoc mundo nihil poſſideo.* Sed ad Apoſtoli pariter ac Salomonis verba propiùs accedit illud in Bereſhith Rabba ſect. 41. כמה דאתא בחליטין כן הוא אול בחליטין, *Sicut* (homo in mundum) *venit ſimpliciter*, (i. nudus nullâ re inſtructus) *ità etiam abit ſimpliciter.*

1 Tim. 6. 8. *Habentes autem alimenta & tegumenta, iis ſimus contenti.*] In Elle Shemoth Rabba ſect. 19. ferunt Aquilam proſelytum rogaſſe Rabbinos, quid illud eſſet quod ſcribitur, Deut. 10. 18. *Et diligit peregrinum, ut det ei panem & veſtitum. An*, inquit, *hoc totum eſt quod promiſit peregrino*, (ſive *proſelyto*) *quòd dabit ei victum & veſtitum?* Reſponſum autem ei fuiſſe aiunt ad hunc modum; *Jacob, cujus nomen Iſrael, ſic petiit coram Deo ſancto benedicto*, (Gen. 28. 20) *Et dederis mihi panem ad comedendum, & veſtes ad induendum.* ואתה שבארת אצלנו לא דייך שאתה כמותינו אלא דייך שתהא כיעקב בכורו של הק"בה: *Et cùm tu apud nos advena ſis, ſi non ſufficit tibi ut ſis ſicut nos, ſufficiat tibi quòd eris ſicut Iſrael, qui fuit Dei ſancti benedicti primogenitus.* Nec indignum notatu eſt quod occurrit in Beracoth fol. 58. 1. כמה יגיעות יגע אדם הראשון ובו', *Quot labores ſuſtinuit homo primus antequam inveniret buccellam ad edendum? Aravit, ſeminavit, meſſuit, manipulos collegit, ventilavit, purgavit, cribravit, depſuit, coxit; & tunc demum edit. Ego verò manè ſurgo, & hæc omnia mihi parata invenio. Quot etiam labores ſuſtinuit homo primus antequam veſtem ad induendum inveniret? Totondit, mundavit, pexit, nevit, texuit; & tunc demum veſtem quâ indueretur invenit. Ego verò manè ſurgens hæc omnia mihi parata invenio.*

1 Tim. 6. 16. *Quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt.*] De iſtis verbis Exod. 33. 20. *Non videbit me homo, & vivet*, Rabbini ſic diſſeruerunt, uti traditur in Bammidbar Rabba ſect. 14. in fine. R. Doſe dixit, בחייהם אינם רואים אבל רואים הם בשעת מיתתן: *Dum vivunt, non vident* (Deum); *ſed cùm moriuntur, tunc vident.* R. Akiba autem dixit, אף חיות הנושאות את הכבוד אינן רואות את הכבוד, *Etiam animalia quæ portant thronum non vident gloriam.* Denique R. Simeon Ben Azai dixit, אף מלאכי השרת שחייהם חיי עולם אינם רואים את הכבוד, *Etiam angeli miniſterii* (ſeu *miniſtratorii*, qui Deo peculiariter miniſtrant) *quorum vita eſt æterna, gloriam* (Dei) *non vident.* Id de viſione comprehenſiva verè dicitur.

1 Tim. 6. 17. *Præcipe eis qui in hoc ſeculo ſunt divites, ut nè elatò ſint animo.*] Nam ut ex Hebræis citat Buxtorfius in Florilegio pag. 74. אין ענוית במקום עשירות, *Non eſt humilitas*, (perquam rarò invenitur) *ubi ſunt divitiæ.*

1 Tim. 6. 18, 19. *Ut bonum operentur*, ſive *benefici ſint, ut divites ſint in operibus bonis*, &c.] In Cethuboth fol. 66. 2. hoc tanquam proverbium Hieroſolymis uſurpatum (מתלין מתלא ירושלם) memoratur, מלח ממון חסר, *Sal divitiarum eſt beneficentia.* R. Salomon ſic explicat, הרוצה למלוח ממינו כלום' לגרום לו שיתקיים יחסרנו לצדקה תמיר ויחסרונו זה קיומו: *Qui vult ſalire divitias ſuas, i. efficere ut ſtabiliantur, dandâ eleemoſynâ eas aſſiduè diminuat; iſta diminutio eas ſtabiles reddit.* Ità etiam in Elle Shemoth Rabba ſect. 31. אין בריה שאין הק"בה מנסה אותה העשיר מנסהו אם תהא ידו פתוחה לעניים, *Non eſt homo*, (ad verb. *creatura*) *quem Deus ſ. b. non tentat: divitem tentat, an manus ejus pauperibus erit aperta.* Et mox, ואם עמד העשיר בנסיונו ועשה צדקה הרי הוא אוכל ממונו בעולם הזה והקרן קיימת לו לעולם הבא, *Et ſi dives ſteterit in tentatione ſua*, (in tentationem ſuam ſuperaverit) *& eleemoſynam fecerit, ecce tunc comedet divitias ſuas*, (fruetur opibus ſuis) *in hoc mundo, & ſors capitalis ei manet in mundo futuro.*

2 Tim. 1. 12.

Et perſuaſum habeo, quòd potens eſt ſervare depoſitum meum, &c.] In Elle haddebarim Rabba ſect. והוד עקב, Bar Kaphrah obſervat, Animam & Legem comparari Lucernæ Prov. 20. 27. & Prov. 6. 23. atque Deum ſic hominem alloqui ait, נרי ביד ונרך בידי נרי ביד זו התורה ונרך בידי זו הנפש אם שמרת את נרי אני משמר את נרך ואם כיבית את נרי אני מכבה את נרך, *Lucerna mea eſt in manu tua, & Lucerna tua eſt in manu mea. Lucerna mea eſt in manu tua; iſta eſt Lex: & Lucerna tua eſt in manu mea; iſta eſt Anima. Si cuſtodieris lucernam meam, cuſtodiam lucernam tuam: ſed ſi exſtinxeris lucernam meam, exſtinguam lucernam tuam.*

2 Tim. 2. 20. *In magna autem domo ſunt non ſolùm vaſa aurea & argentea, ſed etiam lignea & teſtacea.*] In Elle Shemoth Rabba ſect. 7. alia parabola, ſed in eandem ſententiam, adhibetur. *Parabola de rege cui erat viridarium* (פרדס) *in quo plantavit arbores ſteriles pariter ac fructiferas: cúmque ſervi ejus dixerint, Quid commodi capis ex arboribus hiſce ſterilibus? reſpondit eis, Quemadmodum opus eſt mihi arboribus fructiferis, ità etiam & ſterilibus. Niſi enim arbores ſteriles habuero, unde mihi erunt balnea,* (מרחצאות) *& furni?* (ובכשנות) *Propterea dictum eſt*, Exod. 6. 13. *ad filios Iſrael & ad Pharaonem*, שכשם שקילוסו של הק"בה מגן עדן כך הצדיקים עולה מגיהנם מפי הרשעים: *Quia ut laus Dei ex horto Edenis aſcendit ex ore juſtorum, ſic & ex gehenna aſcendit ex ore impiorum.* Vide Prov. 16. 4.

2 Tim.2.21. *Si quis igitur ſeſe ab his expurgaverit, erit vas ad honorem*, &c.] In Beracoth, fol.58.1. eleganter dicitur, חצבי לנהרא כנני ליוא, *Hydriæ ad fluvium; vaſa autem fracta quò?* Pii ſunt vaſa quidem fragilia, ſed quæ uſum ſuum habent: impiũ autem ſunt vaſa fracta, quæ nulli ſunt uſui.

2 Tim.2.25. *Si quando det eis Deus reſipiſcentiam.*] Reſipiſcentiam eſſe Dei donum agnoſcunt Hebræi. Sic enim in Joma cap.8. §.9. aiunt, האומר אחטא ואשוב אין מספיקין בידו לעשות תשובה: אחטא ואשוב אין מספיקין בידו לעשות תשובה: *Qui dicit, Peccabo, & reſipiſcam; peccabo, & reſipiſcam; non conceditur ei ut reſipiſcat.* Clarius eſt etiam illud apud Buxtorfium in Florileg. Heb. 273. התשובה צריכה סיוע מלמעלה, *Reſipiſcentia opus habet auxilio ſuperno.*

Ibid. *Cum manſuetudine erudientem*, &c.] Rectè Hillel (ut eſt in Pirke Aboth cap.2.§.5.) וביישן לא למד והקפדן לא מלמד, *Verecundus non diſcit, nec iracundus docet.* Nec ille ad diſcendum, nec hic ad docendum eſt idoneus.

2 Tim.3.1. *Illud autem ſcito, quòd in noviſſimis diebus*, &c.] Kimchi ad Iſai. 2. 2. ait, כל מקום שנאמר באחרית הימים הוא ימות המשיח, *Ubicunque dicitur, in noviſſimis diebus, dies Meſſiæ intelliguntur.* Sic R. Moſes Gerundenſis (ſeu Nachmanides) in Explanatione Legis fol.41.col.1. באחרית הימים הם ימות המשיח, *In noviſſimis diebus; iſti ſunt dies Meſſiæ.*

De Jannes & Jambres, v.8. Vide Præfationem noſtram ante Annotationes in Geneſin.

2 Tim.4.8. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, &c.] In Bereſhith Rabba ſect.62. de juſtorum præmio ſic aiunt, כל מתן שכרן של צדיקים מתוקן להם לעתיד לבא ומראה להם הקב"ה עד שהם בעולם הזה מתן שכרן שהוא עתיד ליתן להם לעתיד לבא ונפשן שבעה והם ישנים, *Omne præmium juſtorum repoſitum eſt eis in futurum: & dum adhuc ſunt in hoc mundo, Deus ſ. b. oſtendit eis præmium quod daturus eſt eis in ſeculo futuro; atque ità anima eorum ſatiatur, & obdormiunt*, i. placidè moriuntur.

CAP. 6. *Quod loci cujuſdam in poſteriore ad Corinthios Epiſtola antea prætermiſſi, & loci cujuſdam in Epiſtola ad Titum, necnon locorum plurimum in Epiſtola ad Hebræos illuſtrationem continet.*

2 Cor. 11.24.

A *Judæis quinquies quadraginta plagas unâ minus accepi.*] Conſtat ex Hebræorum monumentis, illud Deut.25. 2, 3. de quadraginta plagis delinquenti infligendis, eos ſic interpretatos eſſe, ut triginta novem plagas infligendas cenſuerint. In tractatu Maccoth in Miſna cap.3.§.10. ſic aiunt; כמה מלקין אותו ארבעים חסר אחת שנא' במספר ארבעים מנין שהוא מסך בארבעים, *Quot plagas ei infligunt? Quadraginta unâ minus; quia dicitur*, Deut.25.2,3. NUMERO QUADRAGENARII, *i. numero qui proximus eſt quadragenario.* Hic, ut ſæpe ſolent, ad acumen ſuum oſtentandum à ſimplicitate Scripturæ recedunt, ut cuivis locum inſpicienti patet. Nam illud במספר *numero* in fine verſûs ſecundi ponitur, ad indicandum, delinquentem non ultra modum, ſed certo plagarum numero fuiſſe verberandum. Deinde v.3. iſte plagarum numerus exprimitur ultra quem progredi non liceret, ארבעים יכנו לא יוסיף, *Quadraginta plagas ei infliget, non addet*, &c. Illi autem ſic acceperunt ac ſi vox במספר *numero* cum voce ארבעים *quadraginta* cohæreret, ac indè ſenſum ſuprà memoratum elicuerunt. In Gemara Maccoth fol.22.2. ratio iſtius expoſitionis ſic redditur, מאי טעמא אי כתיב ארבעי במספר הוה אמינא ארבעים במניינא השתא דכתיב במספר ארבעים מניין שהוא מוכם את ארבעים: *Quanam eſt ratio?* (nempe quòd quadraginta plagæ unâ minus ſint intelligendæ) *Si ſcriptum eſſet, QUADRAGINTA NUMERO* (vox ארבעים *quadraginta* in Talmudis editione Amſtelodamenſi omiſſa eſt.) *dicerem præciſè quadraginta* (plagas) *debere intelligi: Nunc verò cùm ſcriptum ſit, NUMERO QUADRAGINTA, numerus iſte intelligendus eſt qui numerat quadraginta*, i. qui proximè accedit ad quadraginta, ſeu quem numerus quadragenarius proximè ſequitur. In Miſna autem, ubi ſuprà, aiunt, ר' יהודה אומר ארבעים שלימות הוא לוקה והיכן הוא לוקה את היתירה בין נתפיו: *R. Jehuda dicit, quadraginta plagas plenè numeratas ei eſſe infligendas. Ubinam autem plaga illa redundans* (i. illa quadrageſima plaga) *eſt recipienda? Inter humeros.* Maimonides in Commentariolo ſuo ſuper Miſnaioth ad locum iſtum ait, *R. Jehudam non ità ſenſiſſe, nec utcunque conſtitutionem juxta eum eſſe factam.* ור' יהודה אין דעתו כן ואין הלכה כרבי יהודה. Cur autem triginta novem duntaxat plagæ infligerentur, præter rationem ſuperiùs allatam, (quæ violenta ſanè eſt Scripturæ detorſio) aliam eámque commodiorem affert: nempe ità conſtitutum eſſe ob cautelam, nè alioqui numerus quadragenarius excederetur. דרך שמירה כמו שבאר שהשמירה בסיעוט הכאה. Quacunque autem ratione moti fuerunt, patet eos locum iſtum Deuteronomii ità intellexiſſe, vel intelligi voluiſſe, ut non ultra triginta novem plagæ infligerentur. Sic Jonathan locum iſtum παραφράζει, ארבעין יצליף וחיסר חד ילקיניה, *Quadragies elevabit manum*, (quaſi toties percuſſurus) *& unâ plagâ minus eum percutiet.* De verbo צלף quod à Jonathane iſtîc uſurpatur & de iſta etiam Jonathanis Paraphraſi vide, ſi placet, Buxtorfii Lexicon magnum, col.1919.

Tit.2.5. οἰκουρὸς *domi manentes*, vel *domûs cuſtodes*] In Bereſhith Rabba ſect.80. ſub finem dicitur, כל אשה שיוצאה לשוק סופה הכשל, *Omnis mulier quæ in plateas egreditur*, (quæ foràs vagatur, nec ſe domi continebit) *tandem corruet.* Deinde affertur exemplum Dinæ, de qua Gen.34. ad quem locum jamdudum annotavi, meretricem Chaldaicè appellari נפקת ברא *egredientem foràs.* Hebræi ferè Dinam eo nomine reprehendunt quòd domi non maneret, ſed cùm nulla idonea ſubeſſet cauſa foràs egrederetur; atque indè id infortunii ei accidiſſe cenſent. In Faſciculo Myrrhæ fol.45.col.3. hæc de ea cenſura fertur; ואמר ותצא דינה בת לאה להורות כי לא שלו ולא שקט ובהיותו שלו ושלם מיד והנה אשה לקראתו יוצאת שלא כמנהג בנות ישראל וכו': *Porrò dicit* (Scriptura) *ET EXIIT DINAH FILIA LEÆ, ut doceat* (Jacobum) *non fuiſſe tranquillum & quietum. Nam cùm tranquillus & incolumis eſſet, ecce ſtatim mulier adverſùs eum egreditur, contra morem filiarum Iſraelis, quæ verecundæ erant; ea autem erat filia Leæ, non filia Jacobi. Etiamſi enim Jacobo nata eſſet, vias ac inſtituta ejus non didicit. Ideo autem egreſſa eſt ut videret filias terræ iſtius, & juxta opera earum faceret. Propterea cum ea* (Schechem) *concubuit: quemadmodum in textu*, Gen.30.16. *dicitur, ET EXIIT EI OBVIAM LEAH, &c. ET CONCUBUIT CUM EA NOCTE ISTA.* R. Levi Ben Gerſom in Expoſitione Legis fol.42.col.3. de Dina loquens ait, ולפי שעשתה שלא כהוגן השיגה זה המקרה הרע, *Et quia contrà quàm oportuit fecit*, (nempe foris vagando) *ideo infortunium iſtud ei accidit*, nimirum, ut ibidem ſequitur, ut Schechem eam videret, & amore ejus inflammatus eam comprimeret. R. Salomon etiam ad locum ſic ſcribit; בת לאה ולא בת יעקב אלא עלשם יציאתה נקראת בת לאה שאף היא יצאנית היתה שנא' ותצא לאה לקראתו, *Filia Lea, non autem filia Jacobi; ſed propter egreſſionem ſuam appellatur filia Lea, quòd & illa vagabunda eſſet*; (ſeu *foràs egredi ſoleret*) *quemadmodum dicitur* Gen.30.16. *Et egreſſa eſt Lea in occurſum ejus.* Sed contra hanc R. Salomonis cenſuram, (quam autor Faſciculi Myrrhæ etiam ſecutus eſt) Abrabanel in *PIRUSH TORAH* ſeu *Expoſitione Legis* fol.98.col.2. cauſam Leæ tuetur, atque ait, הנה לאה צנועה היתה עד שלצניעותה לא הכירה יעקב כשבא אליה: *Ecce Leah erat verecunda, adeò ut ejus verecundia ejus Jacob eam non dignoſceret cùm ad eam intraverit.*

Respicit id quod scriptum est Gen. 29. 16. & rectè quidem de Lea sensisse videtur; frustrà autem, opinor, est cùm & Dinam excusare conetur, ac si ab omni prorsus culpa immunis esset. Nam ut verum sit quod ait, שלא קרה לה וה להיותה יצאנית בטבעה, *istud ei non accidisse quòd naturaliter ad vagandum propensa erat*; & quod præterea observat, לא אמר באנשי העיר וגם בבני העיר אלא בבנות העיר, *non diti, eam exisse ad videndum viros civitatis, vel filios civitatis, sed ad videndum filias civitatis*; cùm tamen hoc ipsum ex inani quadam curiositate factum sit, à culpa penitus excusari non potest. Ipse Abrabaneel dum eam defendere nititur, eam prægravat: sic enim ait, ר"ל לראות בבנות העיר במלבושיהן ותכשיטיהן יען לא היה בבית יעקב שום נערה בלתה והיא רצתה ללמוד מנערות העיר, *Sensus est, eam exiisse ut videret filias civitatis, quemadmodum vestita ac ornata essent; propterea quòd in domo Jacobi nulla erat adolescentula præter ipsam, ideo illa ex adolescentulis civitatis discere voluit.* At domi habuit unde discere, nec ab istiusmodi, quales erant Schechemitæ, discendum fuit. Sed dignum notatu est quod in Midras Tillim habetur ad illud Psal. 128. 3. *Uxor tua erit sicut vitis in lateribus domûs tuæ*; אימתי אשתך כגפן פוריה כשהיא צנועה בירכתי ביתך או בנך כשתילי זיתים: *Quando erit uxor tua sicut vitis fructuosa? Quando est modesta, (manens) in lateribus domûs tuæ; tunc filii tui erunt sicut plantæ olivarum.* Affertur deinde exemplum de Sara, de qua Abraham dixit, Gen. 18. 9. *Ecce est in tentorio*; (domi se continebat) & tunc statim Dominus dixit, *Omnino ad te revertar juxta tempus vitæ, & ecce filius erit Saræ uxori tuæ.*

Tit. 2. 10.] Vide lib. 5. cap. 12.

Heb. 1. ult.

Nónne sunt omnes spiritus ministratorii, &c.] Sic passim in Hebræorum scriptis (ut in Observationibus hisce videre est) angeli appellantur מלאכי השרת, *angeli ministerii*, i. ministratorii.

Heb. 2. 1. *Propterea oportet nos diligentiùs attendere eis quæ audivimus, nè quando perfluamus.*] In Pirke Aboth cap. 5. §. 12. quatuor dicuntur esse discentium conditiones. מהר לשמוע ומהר לאבד יצא שכרו בהפסדו, *Est qui citò intelligit*, (ad verb. *audit*: sic *audire* pro *intelligere* ponitur 1 Cor. 14. 2.) *& citò perdit: Lucrum ejus in damnum exit.* Quod ex una parte lucratur, ex altera amittit. קשה לשמוע וקשה לאבד יצא הפסדו בשכרו *Est qui difficulter intelligit, & difficulter perdit. Damnum ejus in lucrum exit.* Quod ex una parte amittit, ex altera lucratur. מהר לשמוע וקשה לאבד וו חלק טוב, *Est qui facilè intelligit, & difficulter amittit. Ista est portio bona.* Ità legit Taylerus, qui tamen monet R. Joseph & Misn. Amstel. habere, *Sapiens est.* Atque ità etiam in Talmude Amstelodamensi pro וו חלק טוב, *Ista est portio bona*, legitur חכם *Sapiens*, nempe is est. Atque ità Maimonidem etiam legisse apparet ex ejus Commentario. Sic enim ait, המתכל איך לא קרא הנבון חזכרן חסיד מפני שהיא מעלה שכלית וקראו חכם: *Considera, quòd qui firmiter in memoria retinet id quod intelligit, non appellatur Pius, sed appellatur Sapiens; quia est excellentia intellectualis.* קשה לשמוע ומהר לאבד וה חלק רע *Est qui difficulter intelligit, & citò amittit.* (Sic Misn. & Talm. Amst. Taylerus autem habet וו) *Ista portio mala est.* Hîc etiam Maimonides observat, ולא קרא הקשה להבין העניינים ורב השכחה רשע מפני שאינו בידו ואינו מן המעלות אשר אפשר לקנותה, *Non vocatur Improbus qui tardè res intelligit, & citò earum obliviscitur, quia in potestate ejus res ista non est; nec est istiusmodi excellentia ut acquiri possit.* In eodem etiam capite §. 15. aiunt (vide Amesium in Cas. Consc. lib. 4. cap. 11. §. 6.) quatuor esse genera eorum qui sedent coram Sapientibus, nempe ut ab iis erudiantur. ספוג שהוא סופג את הכל, *Spongia, quæ fugit omnia.* משפך שמכנים וו ומוציא בזו, *Clepsydra, quæ ab una parte intromittit, & ab altera parte emittit.* Istiusmodi est auditor, qui quæ audivit citò obliviscitur. Taylerus pro בזו habet ובזה, & in ejus codice verba ista שמכנים & ומוציא sunt perperàm collocata. משמרת שמוציאה את היין וקולטת את השמרים: *Saccus facinarosus qui emittit vinum, & retinet faces.* נפה שמוציאה את הקמח וקולטת את הסולת: *Cribrum quod emittit aceres*, (sic vertit Taylerus, & istam interpretationem sensus loci exigit, cùm alioqui vox קמח non *aceres*, sed *farinam* significet,) *& retinet similam*, i. ut Taylerus ex R. Joseph explicat, triticum optimum, ex quo fit simila. Buxtorfius in verbo משקך sic habet, *Cribrum pollinarium emittit farinam tenuiorem, & retinet similam sive meliorem.* (*Sic discipulus mala dimittens, & meliora retinens.*) Secutus est Maimonidem, qui ità etiam in Commentario suo exponit; sed sensum istius expositionis haud assequor, cùm quemadmodum crassior farina sit præstantior tenuiori non intelligam.

Heb. 2. 5. *Non enim angelis subjecit mundum futurum, &c.*] Tempus post adventum Messiæ ab Hebræis sæpe appellari *Mundum futurum* (עולם הבא) aliquoties antea est observatum. Vide suprà ad Act. 2. 16, &c. & ad Act. 10. 15. Et vide infrà ad Apoc. 19. 7.

Heb. 2. 14. *Ut per mortem aboleret eum qui mortis imperium habet, hoc est, diabolum.*] Ut diabolus hîc dicitur *habere imperium mortis*, ità ab Hebræis solet appellari מלאך המות *Angelus mortis*, ut cùm ex antea annotatis, tum ex eis quæ hîc sequuntur, perspici potest. In Elle Shemoth Rabba sect. 30. observant, ubicunque in Scriptura reperitur vox תולדות *Generationes*, defectivè scribi, (nempe hoc modo, תולדת) exceptis duobus locis, nempe Gen. 2. 4. אלה תולדות השמים והארץ, *Ista sunt generationes cœli & terræ*; & Ruth 4. 18. ואלה תולדות פרץ, *Et ista sunt generationes Pharets.* Ratio hujus diversæ scriptionis sic redditur; מפני שברא הק"בה את עולמו ולא היה מלאך המות בעולם ובשביל כך הוא מלא וכיון שחטא אדם וחוה חסר הק"בה וכו', *Quia creavit Deus s. b. mundum suum, & non erat angelus mortis in mundo*, (i. diabolus nondum hominem in peccatum, & per peccatum in mortem adduxerat) *propterea istud* (nempe vocabulum תולדות Gen. 2. 4.) *est plenum. Cùm autem peccassent Adam & Eva, Deus s. b. fecit ut vox Toldoth ubique in Scriptura esset defectiva. Sed cùm stetisset* (seu exortus esset,) *Pharets, tunc vox ista Toledoth dees usurpata plenè scribitur, quia nimirum Messias ab eo oritur, & in ejus diebus Deus s. b. mortem absorbet*; *quemadmodum dicitur*, Isai. 25. 8. *Absorpsit mortem in victoriam, vel in perpetuum.* Vide, si libet, Annotationes nostras ad Gen. 2. 4.

Heb. 3. 7. *Propterea quemadmodum dicit Spiritus sanctus, &c.*] Sic in Vajikra Rabba sect. 27. ורוח הקדש אומרתמי הקדמני ואשלם, *Et spiritus sanctus dicit*, Job. 41. 11. vel ut R. Nathan in Concordantiis citat, (Job. 41. 3.) *Quis me prævenit, (seu Quis mihi prior dedit) ut rependam?*

Ibid. & ver. 13. *Hodie si vocem ejus audiveritis, &c. — dum vocatur hodie, &c.*] In Erubin fol. 22. 1. R. Levi filius Josuæ observat scriptum esse, (Deut. 7. 11.) אשר אנכי מצוך היום לעשותם, *Quæ ego tibi præcipio, hodie ut facias ea*; atque indè infert, היום לעשותם ולא למחר לעשותם היום לעשותם למחר לקבל שכרם, *Hodie ea sunt facienda, non cras: hodie sunt faciendæ, & cras merces eorum est accipienda.* Celebre est illud Hillelis dictum, (ut traditur in Pirke Aboth c. 1. sect. 14.) אם לא עכשיו אימתי, *Si non nunc, quando?* Eadem verba habet R. Salomon ad Psal. 119. 19. & ad Gen. 19. 31. Sic est illud R. Tarphonis, (seu Tryphonis) quod etiam in Pirke Aboth cap. 2. sect. 15. memoratur; היום קצר והמלאכה מרובה והפועלים עצלים והשכר הרבה ובעל הבית דוחק, *Dies brevis, & opus multum, & operarii pigri, & merces copiosa, & paterfamilias urget.* Necnon & illud R. Eliezeris (Ibid. sect. 10.) שוב יום אחד לפני מיתתך, *Respisce uno die ante mortem tuam.*

In

In Midras Tillim dictum istud tribuitur R. Josuæ filio Levi, atque additur, discipulos ei dixisse, וכי אדם יודע אימתי הוא ימות, *Numquid homo novit quando morietur?* eum autem respondisse, כל שכן שהוא עושה תשובה ואשר שמא למחר אני מת ונמצא כל ימיו הם בתשובה, *Quantò minùs* (novit homo) *fore ut resipiscat?* (vel, *Quanto magis* id homini curæ esse debet, *ut resipiscat?*) *Dicet igitur, Fortè cras moriar, ut sic omnibus vita sua diebus resipiscat.*

Heb. 4. 9. *Relinquitur igitur sabbatismus populo Dei.*] In Zohar in Gen. fol. 5. col. 2. dicitur, יום שבת איהו דוגמת ארץ החיים שהוא עולם הבא עולם הנשמות עולם הנחמות, *Dies sabbati quid est? Figura terræ viventium, nempe seculi futuri, seculi animarum, seculi consolationum.* Buxtorfius etiam in Florileg. Heb. pag. 299. illud Hebræorum citat, לא נתנה שבת אלא דוגמא של העולם הבא, *Non datum est sabbatum nisi ut esset typus vitæ æternæ,* seu *quietis æternæ*; ad verb. *mundi,* vel *seculi futuri.* Cùm dicunt, *Non datum est nisi ut,* &c. id tantùm volunt, in eum finem datum esse, &c.

Heb. 6. 13. *Deus enim, promissione Abrahamo factâ, cùm non posset per majorem jurare, juravit per semetipsum*] Istud non ineptè expenditur, in Elle Shemoth Rabba sect. 44. מהו בי נשבעתי אמר הק"בה לאברהם כשם שאני חי וקיים לעולם ולעולמי עולמים כך שבועתי קיימת לעולם ולעולמי עולמים, *Quid hoc est,* PER MEMETIPSUM JURAVI? *Dixit Deus s. b. Abrahamo, quemadmodum ego vivo, & maneo in seculum, & in secula seculorum; sic juramentum meum manet in seculum, & in secula seculorum.*

Heb. 6. 17, 18. *Deus volens abundantiùs ostendere hæredibus promissionis immutabilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum,* &c.] Sic Hebræi in Elle Shemoth Rabba sect. 6. נשבע הק"בה שיגאלם שלא יירא משה שמא מדת הדין יעכב גאולתן, *Juravit Deus s. b. se eos redempturum, nè Moses metu perculsus diceret, Fortè proprietas judicii* (vel *attributum justitiæ,* nempe Dei) *impediet redemptionem.*

Heb. 8. 2. *Minister sanctuarii, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo.*] In Midras Tillim ad Psal. 90. vers. ult. habentur nonnulla, quæ hic adscribam, אמר הק"בה לשעבר על ידי שנבנה בית המקדש על ידי בו"ר לפיכך חרב וסילקת שכינתי אבל לעתיד לבא אני אבנה אותו ומשרה שכינתי בתוכו ואינו חרב לעולם, *Dixit Deus s. b. Antehac quia domus Sanctuarii ædificata erat manibus hominum, ideo destructa est, & Præsentiam meam indè abstuli: sed posthac ego eam ædificabo, & in ea Præsentiam meam collocabo, nec unquam destruetur.* Videtur autem istud intelligendum de Ecclesia, atque ità ad locum Mat. 16. 18. vel 2 Cor. 6. 16. illustrandum facit.

Heb. 9. 12. *Nec per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem intravit semel, æternam redemptionem* (pro nobis) *consecutus.*] In Midras Tillim ad Psal. 31. introducitur Deus sic loquens Israeli; *Antea redempti fuistis per carnem & sanguinem,* seu *hominem, qui hodie hîc est, & cras in sepulcro; atque ideo redemptio vestra fuit redemptio temporalis:* (גאולת שעה) *sed nunc ego redimam vos per memetipsum, qui vivo & maneo in æternum; atque ideo redemptio vestra erit æterna;* ità dicitur, Isai. 45. 17. *Israel salvabitur in Domino* (vel *per Dominum*) *æternâ salute.*

Heb. 9. 22. *Sine sanguinis effusione nulla est remissio*] Sic in Joma fol. 5. 1. אין כפרה אלא בדם, *Non est propitiatio nisi per sanguinem.* Confirmatur ex illo Levit. 17. 11. *Sanguis propitiationem facit pro anima.*

Heb. 9. 27. *Statutum est hominibus semel mori*] Non inconcinna est illa observatio quæ in Elle haddebarin Rabba sect. וילך reperitur, כל ימיו של דוד נקרא מלך שנא' והמלך דוד זקן כיון שהגיע למיתתו אין כתוב מלכות מניין ויקרבו ימי דוד למות, *David per omnes vitæ suæ dies appellatus est Rex; quemadmodum dicitur,* 1 Reg. 1. 1. *Et rex David consenuit: sed cùm ad mortem suam pervenit, Regis titulus est prætermissus. Unde id constat? Ex eo quod dictum est* 1 Reg. 2. 1. *Et appropinquabant dies Davidis ut moreretur.*

Ibid. *Post mortem autem judicium*] Huic loco illustrando inserviunt ista quæ habentur in Midras Ruth fol. 44. col. 2. יש מהרשעי' שמזדווגים זה וכו', *Sunt ex impiis qui consociantur in* (hoc) *mundo, quorum unus ante mortem resipiscit, alter autem non resipiscit. Iste invenitur stans in cœtibus justorum, hic in cœtibus impiorum. Cùmque hic illum aspicit, ait, Hei mihi! Nónne hîc est acceptio personarum? Ego & iste furati sumus; ego & iste homicidium unà perpetravimus: iste tamen manet in cœtibus justorum, & ego maneo in cœtibus impiorum.* Et cùm responsum ei fuisset, alterum ante mortem resipuisse, ipsum autem in peccatis suis perstitisse, dixisse narratur, הניחובי שאלך לעשות תשובה, *Sinite me, ut eam & resipiscam.* Denuo autem ei responsum, שוטה שבעולם אין וכו', *Stultissime hominum, nónne nosti hunc mundum* (i. mundum animarum, in quem jam transierat) *similem esse sabbato,* (in quo cibos parare non licuit; sic Hebræi sentiunt) *mundum autem ex quo venisti, similem esse vesperiis sabbati? Si homo non parat in vesperiis sabbati, quid comedet in sabbato? Præterea mundus hic similis est mari; mundus autem ex quo venisti est similis aridæ. Si quis non parat in aridâ, quid comedet in mari? Adhuc, mundus hic similis est deserto; & mundus ex quo venisti similis est τῇ οἰκουμένῃ terræ quæ habitatur. Si quis non parat in terra quæ habitatur, quid comedet in deserto?*

Heb. 11. 9. *Fide Noa,* &c. *paravit arcam,* &c.] In Bereshith Rabba sect. 30. nonnulla habentur quæ ad hujus loci illustrationem faciant, כל ק"כ שנה היה נח נוטע וכו', *Toto centum & vigiti annorum spatio Noa plantabat cedros, & excidebat eas: cúmque ei dicerent* (istius seculi homines) *Cur ità facis? respondit eis, Dominus mundi dixit, se diluvium super mundum allaturum. Illi autem dixerunt, Non afferet diluvium, nec veniet nisi super domum hujus viri. Cúmque mortuus esset Methushelách,* (rursus) *ei dixerunt, Ecce non venit diluvium nisi super domum hujus viri.* Et mox ibidem sequitur, היו מבזים עליו וקרו ביויא סבא, *Contemnebant eum, & vocabant Contemptibilem Senem.*

Heb. 11. 13. *Et confessi* (vel *professi* ὁμολογήσαντες) *sunt se peregrinos & advenas esse in terra*] Scitum est illud in Joma fol. 47. 1. יציבא בארעא ונוירא בשמי שמיא, *Indigena in terra, & peregrinus in cœlo cœlorum.* E contra, *Peregrinus in terra, & indigena in cœlo cœlorum.* In Vajikra Rabba sect. 34. Hillel senex moribundus dixisse fertur, cùm discipuli eum interrogassent quò vaderet, לגמול חסד עם הדין אכסנייא בנו ביתא, *ut misericordiam exhibeam huic peregrino qui est in domo.* Cúmque discipuli dixissent, כל יום אית לך אכסני, *Quotidie tibi sunt peregrini* (vel *hospites,* ξένοι, unde Hebræorum אכסניי formatur) respondisse fertur, והדין נפשא דאכסניי הוא עלובתא לאו אכסניי הוא בנו גופא, *Ista verò anima afflicta nónne est peregrina* (seu *hospes*) *in corpore?* Sic Kimchi ad illud Psal. 19. 9. משובת נפש *restituens* (vel *reducens*) *animam,* ait, הנפש בגוף כמו הגר בארץ נכריה שאין לו עזרים וסומכים כך הנפש בגוף: *Anima in corpore est sicut peregrinus in terra aliena, cui non sunt adjutores & sustentatores: ità est anima* (vel *ea est conditio animæ*) *in corpore.*

Heb. 11. 17. *Fide Abraham cùm tentatus esset, obtulit Isaacum,* &c.] In Pirke Aboth cap. 5. §. 3. dicunt, עשרה נסיונות נתנסה אברהם אבינו ועמד בכל להודיע כמה חבתו של אברהם אבינו, *Decem tentationibus tentatus fuit Abraham pater noster, & in omnibus stetit, ut ostenderetur quanta fuit dilectio* (fides, quæ per dilectionem operabatur) *patris nostri Abrahami.* Et in Bereshith Rabba §. 56. hæc tentatio de offerendo Isaaco dicitur esse decima, & reliquis omnibus coronidem imposuisse, נסיון עשירי הוא ואתה אומר כיון אשר עשית את הדבר הזה אלא זה נסיון האחרון שהוא שקול כנגד הכל שאלולי לא קבלו עליו אבד את הכל, *Ista erat decima tentatio, & tu dicis,* Gen. 22. 16. *Propterea quòd hanc rem fecisti: sed hæc ultima erat tentatio, quæ erat instar omnium. Nam si eam*

eam nôn ſuſtinuiſſet, omnia perdidiſſet. Vel, ut in alio exemplari ſcriptum fertur, כל מה שעשה, *Omnia quæ fecerat perdidiſſet.*

Heb. 12. 9. *Nónne multò magis ſubjecti erimus Patri ſpirituum,* &c.] In Midras Koheleth ad cap. 5. 11. de hominis formatione loquentes ſic aiunt; *Cùm infans in utero matris ſuæ formatur, tres in eo opere concurrunt, nempe Deus ſanctus benedictus, Pater & Mater. Pater ejus ſeminat in eo ſemen album;* (מוריע בו לובן) *unde albæ partes fiunt,* (שמסנו הלובנים) *nempe Cerebrum, ungues, albedo oculi, oſſa & nervi. Mater ejus ſeminat rubicundum ſemen;* (מוריע אודם) *unde fit ſanguis, cutis, caro, pili, & nigredo oculi. Et Deus ſ.b. (cujus nomen exaltetur, cujuſque memoria in honore habeatur) decem ei tribuit, nempe Spiritum & animam,* (רוח ונשמה) *& formam faciei,* (וקלסתר פנים) *& aſpectum oculorum, & auditum aurium, & locutionem labiorum, & elevationem manuum, & ambulationem pedum, & ſapientiam, intelligentiam, conſilium, & ſcientiam, & fortitudinem. Et cùm venit tempus diſſolutionis ejus,* (ſeu *mortis ejus,* פטירתו) *Deus ſ.b. tollit partem ſuam, & relinquit partem patris & matris ejus ante eos. Unde pater & mater ejus flent: dicit autem eis Deus ſ.b. Quare fletis? Numquid veſtrum abſtuli? Non abſtuli niſi quod meum erat. Tum illi, Domine mundi, Quamdiu pars tua mixta fuit parte noſtrâ,* (כל זמן שהיה חלקך מעורב בחלקנו) *pars noſtra à vermibus fuit conſervata: nunc autem cùm partem tuam è parte noſtra abſtuliſti, pars noſtra abjecta eſt, & data vermibus.* Hoc paulò pòſt ſic explicatur, כל זמן שהנשמה באדם שמור הוא כיון שמת הרי לרימה ולתולעה, *Quamdiu anima eſt in homine, is conſervatur; cùm autem moritur, tum vermibus datur.*

Heb. 12. 22. *Sed veniſtis ad montem Sion,* &c.] In Vajikra Rabba ſect. 24. R Levi dixiſſe fertur, כל טובות וברכות ונחמות שהקב"ה עתיד ליתן לישראל אינן אלא מציון, *Omnia bona, & benedictiones, & conſolationes, quæ Deus ſ.b. daturus eſt Iſraeli, non ſunt niſi ex Sione.* Denique ſequitur, *Salus indè. Quis dabit ex Sione ſalutem Iſraelis?* Pſal. 14. ult. *Robur indè. Virgam roboris tui mittet Deus è Sione,* Pſal. 110. 2. *Benedictio indè. Dominus tibi benedicet è Sione,* Pſal. 128. 5. *Buccina indè. Clangite buccinâ in Sione,* Pſal. 81. 3. *Benedictio & vita indè. Sicut ros Hermon,* &c. *Nam ibi Dominus mandavit benedictionem ſuam, vitam in æternum,* Pſ. 133. 3. *Auxilium indè. Mittat tibi auxilium è Sanctuario, & ſuſtentet te è Sione,* Pſal. 20. 2. *Lex indè. Nam è Sione exibit Lex,* &c. Iſa. 2. 3. Similia etiam reperiuntur in Midras Tillim ad Pſal. 14. ult.

Heb. 13. 2. *Hoſpitalitatis nè ſitis immemores,* &c.] Hieroſolymitani valdè erant hoſpitales, ſi verum ſit quod traditur in Baba Bathra fol. 93. 2. מנהג גדול היה בירושלם מפה פרוסה על גבי הפתח כלומן שמפה פרוסה אורחין נכנסין נסתלקה המפה אין האורחין נכנסין, *Mos laudabilis erat Hieroſolymis; Mappa ſcilicet expanſa erat juxta oſtium:* (ità in Edit. Amſtelodamenſi legitur; nec improbanda videtur lectio. Buxtorfius autem in Florileg. Heb. pag. 116. legit, על גבי הפקר *in loco publico*) *quamdiu mappa iſta erat expanſa, viatoribus licebat ingredi, ſublatâ autem mappâ eis ingredi non licebat.*

Heb. 13. 4. *Scortatores autem & adulteros Deus judicabit*] In Bereſhith Rabba §. 26. R. Shamlai dixiſſe narratur, בכל מקום שאתה מוצא זנות אנדרולומוסיא באה לעולם והורגת טובים ורעים, *Ubicunque invenitur ſcortatio* (ad verb. *tu invenis ſcortationem*) *ibi peſtis in mundum venit, & bonos juxta ac malos perimit.* Et mox ibidem, על הכל הקב"ה מאריך אפו חוץ מן הזנות מה טעמיה ויראו בני האלהים וגו' ומא כתיב בתריה ויאמר יי' אמחה את האדם, *Propter omnia Deus ſ.b. differt iram ſuam, exceptâ ſcortatione. Quenam hujus* (dicti) *ratio?* (i. unde id probatur?) *Et viderunt filii Dei,* &c. Gen. 6. 2. *Quid poſtea ſcriptum eſt? Et dixit Deus, Delebo hominem,* &c.

Heb. 13. 5. *Contenti eſtote eis quæ* (vobis) *adſunt.*] Verum eſt illud Hebræorum à Buxtorfio citatum in Florileg. Heb. pag. 30. אין לך נחת רוח גדול מהשמח בחלקו, *Non eſt tranquillitas major quàm ſi quis ſorte ſuâ contentus ſit.* Vide ſuprà ad 1 Tim. 6. 6.

Heb. 13. 16. *Benefacere autem & communicare nè obliviſcamini*] Hebræi de ſublevando paupere & egeno loquentes (uti eſt apud Hottingerum De Jure Hebræorum, lege. 66.) aiunt, שהאדם מרוחק ונמאס ונתעב ונאלח ומשוקץ עד שקרוב להיות מיאוסו כמאוס ע"ז אם יש לו ומושך ידו ממצוה זו, *Quòd homo eſt abjectus, & contemptus, & abominabilis, & fœtidus, & ità deteſtabilis ut propemodum aquè rejectaneus ſit ac idololatra, ſi cùm ei ſuppetat unde det, manum ab hoc præcepto cohibeat.* In Hottingero mendoſè legitur תשוקץ pro משוקץ. In Gittin fol. 7. 1. Hebræi ſic præcipiunt, אם רואה אדם שמוונותיו מצומצמים יעשה מהן צדקה וכלשכן כשהן מרובין, *Si homo videat facultates ſuas eſſe exiguas, dabit ex eis eleemoſynas; quantò magis cùm ſint amplæ?* Et ibidem paginâ ſequente Mar Zutra dixiſſe fertur, אפילו עני המתפרנס מן הצדקה יעשה צדקה, *Etiam pauper, qui eleemoſynâ ſuſtentatur, dabit eleemoſynam.*

Heb. 13. 15. *Per ipſum igitur offeramus ſacrificium laudis,* &c.] In Vajikra Rabba ſect. 27. לעתיד לבא כל הקרבנות בטלים וקרבן תודה אינו בטל לעולם, *In futuro ſeculo omnes oblationes ceſſabunt, ſed oblatio Laudis* (vel *gratiarum actionis*) *nunquam ceſſabit.* Similia ſunt in Midras Tillim ad Pſal. 56. & in R. Davide ad Pſal. 100. Vide ſupra ad Pſal. 100. 4.

CAP. 7. *In quo loca aliquot Epiſtolæ Jacobi, utriuſque Epiſtolæ Petri, primæ Epiſtolæ Joannis, & Epiſtolæ Judæ illuſtrantur.*

Jac. 1. 12.

BEatus eſt vir qui perfert tentationem, &c.] Sic Hebræi in Elle Shemoth Rabba ſect. 31. אשרי אדם שהוא עומד בנסיונו שאין ברייה שאין הק"בה מנסה אותה העשיר מנסהו וכו', *Beatus eſt vir qui ſtat in tentatione ſua:* (i. qui tentationi ſuæ non ſuccumbit, nec ab ea ſuperatur) *nemo enim eſt quem Deus ſ.b. non tentat. Divitem tentat, an manum ſuam pauperibus aperiet. Tentat etiam pauperem, an poſſit afflictiones patienter ferre.* Et mox, *Quòd ſi dives ſteterit in tentatione ſua, & eleemoſynas dederit, ecce comedit ex iis* (fructum) *in hoc ſeculo, & ſors capitalis ei manebit in ſeculo futuro; & Deus ſ.b. eum liberabit à judicio gehennæ; quemadmodum dicitur* Pſal. 41. 1. *Beatus eſt qui conſiderat tenuem,* &c. *Et ſi pauper ſteterit in tentatione ſua, nec recalcitraverit,* (ואין מבעט, i. nec impatienter ſe geſſerit) *ecce is accipiet duplicia* (הוא נוטל כפלים) *in ſeculo futuro;* uti dictum eſt Pſal. 18. 27. *Et tu populum pauperem ſervabis.*

Jac. 1. 19. *Sit omnis homo velox ad audiendum*] In Chagigah fol. 3. 2. hoc præceptum datur, עשה אזנך כארפכסת וקנה לך לב מבין לשמוע, *Fac autem tuam tanquam infundibulum; & compara tibi cor intelligens ad audiendum.* Buxtorfius in Florilegio pag. 30. omittit vocem מבין *intelligens*, quam reperio in Talmude Amſtelodamenſi, atque etiam in Lexico Talmudico ſub radice ארף, & pro לשמוע *ad audiendum* habet שומע *audiens*, vel, ut ipſe vertit, *obſequens.*

Ibid. *Tardus ad loquendum.*] In Pirke Aboth cap. 3. §. 13. inter alia Akibæ dicta hoc recenſetur, סיג לחכמה שתיקה, *Sepes ſapientiæ eſt ſilentium.* Et ibidem cap. 1. §. 17. Simeon filius Gamalielis dixiſſe traditur, כל ימי גדלתי בין החכמים ולא מצאתי לגוף טוב משתיקה, *Omnibus diebus meis* (ſeu totâ vitâ meâ) *educatus fui inter Sapientes, nec inveni quicquam homini* (ad verb. *corpori*) *melius ſilentio.* Simeon iſte appellatur בנו *Beno*, i. ut Taylerus vertit, *filius ejus*, nempe Gamalielis, de quo proximè ſermo factus eſt. Atq; in Vajikra Rabba ſect. 33. fol. 203. col. 2. memoratur ר' שמעון בן גמליאל, *R. Simeon filius Gamalielis.* Sed cùm in Midras

Midras Koheleth ad cap. 5,6. iſta verba de beneficio ſilentii citentur, & dicatur, שמעון בנו אומר, *Simeon Beno dicit*, cùm nulla Gamalielis mentio præceſſerit, videtur vox בנו *Beno* non appellativè ſumi, ſed potiùs iſtius Simeonis eſſe cognomen. In iſto autem Midras incuriâ typothetarum pro כל ימי ſcriptum eſt, כלי מי. In eodem etiam Midras ibidem dicitur, מילא בסלע משתוקא בתרין באבן טובא, *Si verbum valet ſiclum, ſilentium duos* (ſiclos) *valebit*, (imò) *lapidem pretioſum*. Buxtorfius in Florilegio pag. 334. citat iſtud ex Megilla abſque iſtis verbis, באבן טובא, quæ loco iſtius בתרין in Aruch haberi obſervat. Qui autem commentatur in Midras Koheleth videtur legiſſe, כאבן טובה *ſicut lapis pretioſus*: ſic enim ſcribit, כאבן טוב שדמיו יקרים כך יהיו דבריך יקרים, *ſicut lapis pretioſus, qui magni æſtimatur, ſic ſint verba tua pretioſa*, i. *rara*; ut 1 Sam. 3.1. יקר *pretioſum* pro *raro* uſurpatur, quia (ut dici ſolet) *Rara cara*. Elegans etiam eſt iſta ſententia, quam ex Mibchar hapenimim citat Buxtorfius in Florileg. Heb. pag. 318. מי שלבו צר לשונו רחב, *Cujus cor eſt anguſtum, ejus lingua eſt lata*.

Ibid. *Tardus ad iram.*] Sic R. Eliezer monet, ut eſt in Pirke Aboth cap. 2. §. 10. אל תהי נוח לכעוס, *Ne ſis facilis ad iraſcendum*, utì rectè interpretatur Buxtorfius in Florilegio pag. 133. Nam Taylerus minùs commodè vertit, *Neque iræ acquieſcas*, & pro *acquieſcas* in margine habet, *quietus ſis*. At etiamſi in Bibliis verbum נוח *quieſcendi* notionem habeat, apud Rabbinos tamen *facilitatem & proclivitatem ad rem quampiam* denotat; atque ità ipſe Taylerus vocem iſtam interpretatur in Pirke Aboth cap. 5. §. 11. ubi de ira etiam ſermo habetur. Vide ſuprà ad Epheſ. 4. 26. *Sol nè occidat*, &c. Maimonides in הלכות דעות, ſeu *Canonibus Ethicis*, cap. 2. ſect. 3. refert Sapientes dixiſſe, שכל הכועס אם חכם הוא חכמתו מסתלקה ממנו ואם נביא הוא נבואתו מסתלקה ממנו ובעלי כעס אין חייהם חיים: *Quiſquis iraſcitur, ſi ſapiens eſt, ſapientia ejus ab eo recedit; & ſi propheta eſt, prophetia ejus ab eo recedit: & vita iracundorum non eſt vita.*

Jac. 1.14. *Unuſquiſque autem tentatur à propria concupiſcentia abſtractus, & inescatus.*] R. Levi Barzelonita (referente Hottingero de Jure Hebræorum, Lege 188.) ait, היצר בתחלה חלש מאד והולך ומתחזק על האדם הרבה ואתה בני הזהר הרבה על זה מאד ואל יבטיחך יצרך ואם אלף ערבים יתן לך: *Concupiſcentia in initio eſt debilis admodum, poſtea autem magis magiſque adverſus hominem corroboratur. Valde igitur, mi fili, de hac re cautus ſis, nec te pelliciat concupiſcentia tua, nè ſi mille obſides tibi dederit.* In Succa fol. 52.1. R. Aſi dixiſſe fertur, יצר הרע בתחלה דומה לחוט של בוביא ולבסוף דומה כעבתות העגלה: *Concupiſcentia prava in principio ſimilis eſt filo aranei*; (vox בוביא in Gloſſa marginali exponitur עכביש שקורין איר"ניא *acbyſh qua appellatur aranea*) *in fine verò ſimilis eſt funibus plauſtrariis.* Ibidem pag. ſeq. Rabba traditur dixiſſe, בתחלה קראו הילך ולבסוף קראו אורח ולבסוף קראו איש, *Primò vocatur Ambulator, deinde Viator, & poſtremò Vir.* Reſpicit id quod dicitur in parabola 2 Sam. 12.4. & de concupiſcentia exponit, innuens eam progreſſu temporis magis magiſque invaleſcere. Illud etiam Pſal. 37.32,33. *Impius obſervat* (vel *ſpeculatur* צופה) *juſtum*, &c. R. Simeon Ben Lachiſh (ut ibidem fertur) ad pravam hominis concupiſcentiam referens dixit, יצרו של אדם מתגבר עליו בכל יום ומבקש המיתו ואילמלא הק"בה שעוזר לו איני יכול לו, *Hominis concupiſcentia quotidie adverſùs eum invaleſcit, & occidere eum quærit, nec poteſt homo ei reſiſtere, niſi Deus ſ. b. ipſi auxilietur.* Ibidem R. Jochanan dixiſſe memoratur, יצר הרע מסיתו לאדם בעולם הזה, ומעיד עליו לעולם הבא, *Concupiſcentia prava illecebris ſuis ſeducit hominem in hoc mundo, & contra eum teſtatur in mundo futuro.* Ibidem etiam domus R. Iſmaelis præcepiſſe narratur, אם פגע בך מנוול זה משכהו לבית המדרש אם אבן הוא ניטוח אם ברזל הוא מתפוצץ: *Si fœda iſta* (concupiſcentia) *tibi occurrerit, trahe eam in ſcholam*; (vel *templum*; ad verb. *in domum ſtudii*, ſeu *doctrinæ*) *ſi lapis eſt, liqueſcet; ſi ferrum, confringetur.*

Jac. 2.5. *Nónne elegit Deus pauperes*, &c.] In Baba Kama c. 8. §. 6. R. Akiba dixiſſe traditur, אפילו עניים שבישראל רואין אותם כאלו הם בני חורין שיהדו מנכסיהם שהם בני אברהם יצחק ויעקב, *Etiam pauperrimi Iſraelita ſpectantur ut nobiles, qui facultatibus ſuis exciderunt; quia ſunt poſteri Abrahami, Iſaaci & Jacobi.*

Jac. 2.8. *Si legem impleatis regiam, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, bene facitis.*] In Bereſhith Rabba ſect. 24. R. Akiba fertur dixiſſe, ואהבת לרעך כמוך זה כלל גדול בתורה שלא תאמר הואיל ונתבויתי יתבוה חבירי עמי הואיל ונתקללתי יתקלל עמי חבירי, *Et diliges proximum tuum ſicut teipſum: iſta eſt regula magna in Lege, nè dicas, quandoquidem ego ſum contemptus, contemnatur mecum ſocius meus: quandoquidem vili æſtimor, vili æſtimetur ſocius meus mecum*; vel, *quandoquidem imprecantur mihi, imprecentur mecum ſocio meo.* Additur ibidem R. Tanchumam dixiſſe, אם עתידה את מבוה בדמות אלהים עשה אותו, לאי אתה מבוה, *Si ità feceris, ſcias quem contemnis: ad ſimilitudinem Dei fecit hominem.*

Jac. 2.13. *Judicium enim abſque miſericordia erit ei qui non exhibuit miſericordiam.*] Sic Hebræi, (teſte Hottingero De Jure Hebræorum, Lege 68.) כל שאינו מרחם אין מרחמין עליו מן השמים, *Quicunq; non exhibet miſericordiam, ei miſericordia à cœlo non exhibetur.*

Ibid. *Et miſericordia adversùs judicium gloriatur.*] In Bammidbar Rabba ſect. 16. fol. 167. col. 3. Moſes interpellans pro Iſraelitis dixiſſe fertur, רבון כל העולמים עשה בשבילך יגדל נא כח ה' תנצח מדת רחמים למדת הדין, *Domine omnium ſeculorum*, (vel *omnium mundorũ*; de triplici mundo, juxta Hebræos, vide Cameron. Myroth. ad Heb. 1.2.) *fac propter temetipſum: magnificetur nunc potentia Domini, vincat proprietas miſericordiæ proprietatem judicii.* In Sanhedrin fol. 100.2. in principio dicitur, מדת טובה מרובה ממדת פורענות, *Proprietas bonitatis exſuperat proprietatẽ ultionis.* Eadẽ etiã habentur in Midras Tillim ad Pſal. 15. In Sanhedrin autẽ dictũ iſtud ex eo confirmatur, quòd de bonitate Dei dictum ſit Pſal. 78. *Et mandavit nubibus ſupernè, & aperuit oſtia cœli, & pluit ſuper eos Mannam ad comedendum*: de ultione autem, Gen. 7. 11. *Et feneſtra cœli apertæ ſunt.* In Gloſſa ſic explicatur, הגי מדה טובה מרובה ממדת פורענות דבמדה טובה כתיב דלתות ובמדת פורענות כתיב ארובות, וודלת גדול מארובה דד' ארובות יש בדלת, *Proprietas bonitatis* (ſeu *miſericordiæ*) *exſuperat proprietatem ultionis; quia de proprietate bonitatis ſcribitur, OSTIA; de proprietate autem ultionis ſcribitur, FENESTRÆ: oſtium autem majus eſt feneſtrâ; cùm quatuor feneſtræ ſint in oſtio.* Sed unde id conſtet neſcio.

Jac. 3. 2. *Si quis ſermone non impingit*, (vel *labitur*, πταίει) *is perfectus eſt vir*, &c.] In Baba Bathra fol. 164.2. in fine, Rab dixiſſe memoratur, שלש עבירות אין אדם ניצל מהן בכל יום הרהור עבירה ועיון תפלה ולשון הרע, *Tres ſunt tranſgreſſiones à quibus homo nullo die immunis eſt; nempe cogitationes pravæ, aberratio attentionis in oratione, & lingua mala.* Illud עיון תפלה ad verbum ſonat Latinè, *Attentio orationis*; atque ità reddit Buxtorfius in Lex. Talm. col. 1602. ubi etiam notat, quoſdam intelligere *Præſumptionem meriti*, quòd homo devotè orans ſemper ſibi imaginetur ſe exauditionem à Deo mereri. Reſpexit nimirum illam R. Salomonis gloſſam, יש מפרשי' שלאחר שהתפלל דן בלבו שישלם לו הק"בה שכרו ויעשה הק"בה צרכיו וישמע תפלתו לפי שהתפלל בכוונה, *Sunt qui exponant, quòd poſteaquam oravit, ſecum reputat*, (ad verb. *judicat in corde ſuo*) *Deum ſ. b. retributurum ipſi mercedem ſuam, & quæ ipſi opus ſunt facturum, & orationem ipſius exauditurum, propterea quòd cum intentione oravit.* Sed malim ſequi Buxtorfium in Florileg. Heb. pag. 366. ubi hæc verba citans vertit, *aberratio attentionis in oratione*, vagæ cogitationes in oratione. Quod autem linguæ tranſgreſſionem

attinet rectè R. Levi Barzelonita apud Hottingerum de Jure Hebr. Lege 121. אין ספק כי חטא הלשון קרוב וחמידי יותר מחטא המעשה, *Non dubium est quin peccatum linguæ magis familiare & assiduum sit quàm peccatum operis.*

Jac. 3. 3. *Ecce frena in equorum ora immittimus &c.*] In Bammidbar Rabba sect. 20. fol. 179. col. 2. ista etiam similitudo de frænanda lingua usurpatur, כאדם שנותן בלינוס בפי בהמה ופוקמה להיכן שירצה כך הק"בה פוקם את פיו כיון שאמר לו שוב אל בלק וברכם: *Quemadmodum homo imponit frænum ori bestiæ, & frænat* (seu *frænando agit*) *quò voluerit, sic Deus s. b. frænat linguam ejus,* (nempe Balaami) *cùm ei dixerit, Revertere ad Balakum, & benedic eis.* Vox בלינוס *Balinos* est à Græco χαλινὸς *frænum.* Idem planè cum Græco esset, si cum כ loco ב scriberetur: atque ità quidem scribitur in Lexico magno sub radice כלן, ubi etiam Buxtorfius ait in loco citato perperàm per ב scribi. Ità autem in Glossa ad locum istum scribitur, & sic exponitur, בלינוס לפי ענין הוא רשן, BALINOS, *prout loci sensus exigit, idem valet quod* RESHEN, i. *Frænum.*

Jac. 3. 8. *Linguam autem nemo domare potest; malum quod coerceri nequit.*] In Eracin fol. 15. 2. introducunt Deum linguam sic alloquentem, כל איבריו של אדם זקופין וכו', *Omnia membra hominis sunt erecta, tu autem jaces;* (seu *projecta es*) *omnia membra hominis sunt extra, tu autem intra es. Neque id solùm, verùm etiam duos muros tibi circumdedi, unum ossium, alterum carnis. Quid dabitur tibi, aut quid porrò fiet tibi, ô Lingua fraudulenta?* (Psal. 120. 3) quando scilicet nullâ ratione coerceri poteris.

Jac. 3 9. *Per ipsam benedicimus Deo, & Patri; & per eam maledicimus hominibus &c.*] Notũ est illud de Æsopo quod à Planude in ejus vita refertur, eum nempe cùm ab hero jussus esset optimum opsonium emere, emisse Linguas; ac rursus cùm jussus esset pessimum emere, emisse Linguas. Eadem planè sive historia sive fabula narratur in Vajikra Rabba sect. 33. de servo R. Simeonis filii Gamalielis, qui cùm herus dixisset, פוק זבון לי צרו טבא מן שוקא נפק זבן ליה לישן, *Abi, & eme mihi escam bonam è foro: abiit, & emit ei Linguam.* Et hero rursus dicente, פיק זבון לי צרו בישא מן שוקא נפק זבן ליה לישן: *Abi, & eme mihi escam malam è foro: abiit, & emit Linguam.* Cúmque herus eum increpasset, inquiens, *Quid hoc rei est? Cùm dixi, Eme escam bonam emisti Linguam; & cùm dixi, Eme escam malam, emisti Linguam;* respondit, מניה טבתא ומניה בישתא כר הוה טב ליה טב מניה וכר הוה ביש ליה ביש מניה: *Ex ea* (nempe Lingua) *procedit bonum, & ex ea procedit malum:* (Sic Scholiastes explicat, ממנה באה הטובה ומסנה באה הרעה, alioqui interpretarer, & fortassè rectiùs, *Est quadam* (Lingua) *bona, quadam mala) Quando est bona, nihil eâ est melius; quando est mala, nihil eâ est pejus.*

Jac. 4. 11. *Nè loquamini alii contra alios.*] Quam pernicioſa sit obtrectatio Hebræi sæpe observant. In Vajikra Rabba sect. 76. בעל הלשון יתיב ברומי וקטיל בסוריא בסוריא וקטיל ברומי, *Vir linguæ* (i. Maledicus vel Detractor) *sedet Romæ, & interficit in Syria;* (sedet) *in Syria, & interficit Romæ.* Deinde additur, ולמה קורהו שלישי שהוא הורג שלשה האומרו והמקבלו והנאמר עליו, *Et quare vocatur* (Lingua) *tertia? Quia tres interficit, nempe loquentem, & audientem,* (qui nempe detractori fidem habet) *& eum de quo fit sermo.* In Midras Tillim ad Psal. 52. observatur, de idololatria & adulterio, & homicidio usurpari nomen singulare גדולה & גדול *Magnum;* sed de Lingua mala plurale גדולות *Magna.* Exod. 32. 31. *Peccavit populus iste,* חטאה גדולה *peccatum magnum,* Gen. 39. 9. *Quomodo faciam* הרעה הגדולה הזאת, *hoc magnum malum?* &c. Gen. 4. 13. גדול עוני מנשוא, *Major est iniquitas mea quàm ut remittatur.* Vel, *Major est iniquitatis meæ pœna quàm ut perferatur.* At Psal. 12. 3. ubi de lingua mala sermo habetur, לשון מדברת גדולות, *Linguam loquentem magna,* vel *grandia.* Indè infertur, Linguam malam multò pejorem ac perniciosiorem esse idololatriâ, adulterio & homicidio. Ibidem additur, הקורג את הנפש אינו הורג אלא נפש אחת והאומר לשון הרע הורג שלשה המספרו והמקבלו והנאמר עליו, *Qui hominem interficit, non nisi unum interficit: sed qui malâ linguâ loquitur,* (qui alteri detrahit) *tres interficit, nempe eum qui detrahit, & eum qui detrahenti fidem habet, & eum cui detrahitur.* Hæc pariter ac præcedentia, etsi non eisdem planè verbis, habentur in tractatu Eracin fol. 15. 2. ubi etiam alia sunt notatu non indigna. R. Jochanan nomine R. Josis filii Zimræ dixisse traditur, כל המספר לשון הרע כאלו כפר בעיקר שנא' אשר אמרו ללשוננו נגביר שפתינו אתנו מי אדון לנו, *Quicunque loquitur linguâ malâ, is quasi negat fundamentum:* (est tanquam atheus, qui Deum abnegat) *dicitur enim,* Psal. 12. 4. *Linguâ nostrâ prævalebimus; labia nostra sunt nobiscum, quis nobis* (vel *in nos*) *est dominus?* Et ibidem, כל המספר לשון הרע וכו' *Quisquis loquitur linguâ malâ* (seu *alteri detrahit*) *dicit Deus sanctus benedictus, Ego & iste non possumus* (unà) *habitare in mundo. Sic nimirum dicitur,* Psal. 101. 5. *Qui in occulto detrahit proximo suo, eum exscindam; qui elatos habet oculos, & cor tumidum,* (ad verb. *latum*) *eum non sustinebo. Nè legas,* אותי לא אוכל *eum non sustinebo, sed* אתו לא אוכל, *cum eo non sustinebo,* nempe simul in mundo habitare. Ista loquendi formula, *Nè legas sic, sed sic,* à Talmudicis sæpe usurpatur, non quòd Sacrum textum aliter legi velint, sed ut in exponenda Scriptura acumen suum ostentent, & sensum non quibusvis obvium è Scripturæ verbis eliciant. Et in tractatu Pesachim fol. 118. 1. R. Shesheth nomine R. Eleazari filii Azariæ dixisse fertur, כל המספר לשון הרע וכל המכבל לשון הרע יכל המעיד עדות שקר בחבירו ראוי להשליכו לכלבים שנא' לכלב תשליכון אותו וכתיב בתריה לא תשא שמע שוא, *Quisquis alteri detrahit, & quisquis detrahenti fidē habet, & quisquis falsum testimonium de socio suo dicit, dignus est qui canibus projiciatur. Dictum est enim,* Exod. 22. ult. *cani illud projicietis:* & (statim) *postea scriptum est,* Exod. 23. 1. *Rumorem falsum non efferes;* vel *non recipies,* &c.

Jac. 4. 14. *Qui non nostis quid futurum sit cras. Qualis enim est vita vestra? Est vapor, qui ad exiguum tempus apparet, ac deinde evanescit.* Scitum est illud ejusdam Sapientis, qui (ut citat Buxtorfius ex Mibchar happeninim in Florileg. Heb. pag. 303.) cùm quidam ei dixisset, מת פלוני שהיה בחזק בריאותו, *N. N. mortuus est, cùm esset in firmissima sanitate,* respondit הישנו בריא מי שהמות תלוי בצוארו, *An is est sanus à cujus collo mors est suspensa?* Nec inconcinnum istud ex eodem libro petitum, pag. 383. חשוב לעולמך כאלו תחיה לעולם ולאחריתך כאלו תמות למחר, *Sic æstimato seculum tuum,* (Buxtorfius explicandi gratiâ addit, *in negotiis scilicet tuis*; sensus esse videtur, Ità sedulò & gnaviter res tuas age) *ac si perpetuò esses victurus; sed finem tuum, ac si cras sis moriturus.*

Jac. 4. 15. *Pro eo quod diceretis, Si Deus voluerit, &c.*] Inter sententias Ben Syræ undecima (tot sunt quot literæ apud Hebræos) hæc est, כלתא עלתה לגיננא ולא ידעה מה מטי לה, *Sponsa ascendit in thalamum, & non novit quid eventurum esset sibi.* Scholiastes ait quendam dixisse, למחר אשב עם ארוסתי בחופה ואדבק עמה, *Cras sedebo cum sponsa mea in thalamo, & ei adhærebo;* (ejus fruar consortio. Fagius vertit, *jungámque cum ea connubia*) cúmque monitus fuisset dicere, אם ינזור השם, *Si Deus voluerit,* respondisse, אם ינזור אם לא ינזור אני אשב עם ארוסתי למחר בחופתי, *Sive voluerit, sive noluerit, ego cras cum sponsa mea in thalamo sedebo;* deinde sedisse cum ea toto die: nocte verò cùm cubitum irent, priusquam rem cum ea habuisset ambos esse mortuos. מכאן אמרו כל הרוצה לעשות שום דבר אמר אם ינזור השם ואם אינו אומר לא יצלח לעולם, *Hinc dixerunt, Quicunque vult aliquid facere, dicat, Si Deus voluerit: quòd si ità non dixerit,*

dixerit, nullum unquam prosperum successum habebis. In Fagiana editione hîc legitur, נזר, sed legendum videtur ינזר, ut antea; atque ità legit Buxtorfius, qui hæc postrema citat in Florilegio suo pag. 4. In Beracoth fol. 29. 2. hujusmodi datur præceptum; כשאתה יוצא לדרך המלך בקונך וצא, *Cùm aliquò profecturus es, consule Creatorem tuum, & tunc proficiscere.* Mox explicandi gratiâ additur, hominem iter aliquod facturum debere sic precari, (vocatur תפלת דרך *Precatio viæ*, vel *itineris*, i. Precatio ei idonea qui iter est facturus) ירם"ה אלהי שתוליכני לשלום ותעמידני לשלום ותסמכני לשלום ותצילני מכף כל האויב ואורב בדרך, ותשלח ברכה במעשה ידי ותתננני לחן ולחסד ולרחמים בעיניך ובעיני כל רואי, *Placeat tibi, Domine Deus meus, deducere me in pace, & me stabilire in pace, & me sustentare in pace; meque eripere è manu inimici, & ejus qui in via insidiatur, & benedictionem tuam mittere in opus manûm mearum; & mihi gratiam, benignitatem ac misericordiam concedere in oculis tuis, & in oculis omnium qui me viderint.*

Jac. 5. 4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt agros vestros, à vobis intercepta clamat,* &c.] In Baba Metsia fol. 59. 1. R. Eleazar dixisse traditur, מיום שנחרב בית המקדש וכו' *Ex quo vastata est domus Sanctuarii, portæ orationis occlusæ sunt; ut dicitur,* Thren. 3. 8. *Etiam cùm clamo & vociferor, excludit orationem meam. Etiamsi autem portæ orationis occlusæ sunt, tamen portæ lacrymarum* (quæ nimirum ab eis qui oppressi sunt fundi solent) *non sunt occlusæ; dictum enim est,* Psal. 39. 12. *Exaudi, Domine, orationem meam, & attende vociferationi meæ; & ad lacrymas meas ne sis surdus,* vel *mutus:* nam verbum Hebræum utrumque significat. Et mox ibidem R. Chasda dixisse memoratur, כל השערים ננעלים חוץ משערי אונאת, *Omnes portæ occlusæ sunt præter portam oppressionis.* In Glossa sic explicatur; כל השערים של תפלה ננעלו חוץ משערי אונאה הצועק על אונאת דברים אין השער ננעל בפניו, *Omnes portæ orationis clausæ sunt præter portam oppressionis. Qui clamat ob oppressionem verborum,* (quia verbis contumeliosis proscinditur, nedum quia facultatibus suis spoliatur) *coram eo porta clausa non est.* Ibidem etiam R. Abhu fertur dixisse, שלשה אין הפרגוד ננעל בפניהם אונאה וגזל וע"ז *Tria sunt ante quæ aulæum non claudituri, Oppressio,* (seu *Defraudatio*) *Rapina, & Idololatria.* Illud פרגוד in Glossa exponitur, מחיצה שבין שכינה לצבא מרום, *Interstitium quod est inter Divinam majestatem, & exercitum excelsum,* seu *cœlestem.* Sensus est, (ut explicat Buxtorfius in Lex. Talm. col. 1798.) ista tria nunquam occultari, vel abscondi à Dei conspectu, sed perpetuò in oculis ejus esse, ut ea ulciscatur.

Jac. 5. 12. *Ne juretis neq; per cœlum, neq; per terrã,* &c.] Nonnullorum inter Judæos ea erat opinio, juramenta per cœlum & terram, & ejusmodi, in quibus nomen Dei non exprimitur, irrita esse & inania. Sic enim in Elle Shemoth Rabba sect. 44. prope finem aiunt; כשם שהשמים והארץ בטלים אף השבועה שלום עומדת, *Quemadmodum cœlum & terra cessabunt, sic & juramentum per ea conceptum transit*; pro nihilo habetur.

Jac. 5. 14. *Ægrotat aliquis inter vos? accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent pro eo,* &c.] Sic in Baba Batra fol. 116. 1. R. Phineas filius Chamæ docuisse & hortatus esse dicitur, כל שיש לו חולה בתוך ביתו ילך אצל חכם ויבקש עליו רחמי' שנ' חסת סלך מלאני מות ואיש חכם יכפרנה, *Quisquis domi suæ habet ægrotum, adeat sapientem, ut misericordiam pro eo imploret; juxta id quod dicitur,* Prov. 16. 14. *Ira Regis est multiplex nuncius* (ad verb. *nuncii*) *mortis; sed vir sapiens eam expiabit.* Ista etiam citat Buxtorfius in Florileg. pag. 197. & cum verbis Jacobi confert.

Jac. 5. 16. *Multùm valet oratio justi efficax.*] In Bamidbar Rabba sect. 10. fol. 239. col. 2. citatur illud Judic. 13. 8. ויעתר מנוח אל ה' וגו', *Et oravit Manoah ad Dominum*; deinde additur, R. Simeonem filium Lachish dixisse, למה נמשלה תפלת הצדיקים וכו' *Quare assimilatur oratio justorum palæ?* (Sic apud Rabbinos vox עתר significat, ut in Sacro textu verbum in Niphal נעתר est *orare*, vel *supplicare*) *Ad instituendum te. Nam quid facit pala? Vertit frumentum in area à loco ad locum: sic orationes justorum proprietatem severitatis* (ad verb. *crudelitatis*) *vertunt in proprietatem misericordiæ.* Eadem verbis quibusdam immutatis habet Buxtorfius in radice עתר. In Midras Tillim ad illud Psal. 108. נכון לבי, *Cor meum paratum est*, nonnulla occurrunt de oratione memoratu non indigna. ת"ר אין עומדין להתפלל אלא מתוך כובד ראש לא מתוך שחוק ולא מתוך דברים בטלים כדי שתשמע תפלתו: *Rabbini nostri tradiderunt, quòd non stant ad orandum, nisi cum gravitate capitis,* (i. mente seriâ & bene compositâ) *non cum risu, nec cum verbis otiosis, ut oratio audiatur. Et iste est sensus ejus quod dicitur,* 2 Sam. 7. 18. *Venit autem rex David, & sedit coram Domino. Numquid est sessio coram Deo? Numquid erat quispiam nisi stans? uti dicitur,* Psal. 106. 30. *Stetit autem Phineas, & oravit.* (Sic istîc & alibi exponitur verbum ויפלל, quod potiùs est *exercuit judicium*; uti Kimchi ad locum interpretatur, עשה משפט בנואפים, *judicium exsecutus est in adulteros.*) *Sed quid est,* ET SEDIT? שישב לו בתפלה, וכיון תפלתו, *Quòd fixus fuit in oratione, & paravit* (vel *intendit*) *orationem suam.* Et mox ibidem, *Dicit R. Samuel filius Nachmanis,* אם כיונת לבך בתפלתך תהא מבושר שנשמעה תפלתך שנא' תכין לבם וגו' *Si paraveris cor tuum in oratione tua, nunciabitur tibi orationem tuam esse exauditam; uti dicitur,* Psal. 10. 17. *Parabis cor eorum; aurem tuam attendere facies.* Similia etiam sunt in tractatu Beracoth fol. 31. 1.

1 Pet. 2. 2.

Ut infantes recèns nati desiderate illud lac sermonis nullo dolo vitiatum, ut eo augescatis.] Istiusmodi similitudine usus est R. Eliezer, ut de eo fertur in Midras Samuel in initio; מה התינוק הזה מבקש לאכול בכל שעות היום כך אדם צריך להיות יגיע בתורה בכל שעות היום, *Ut parvulus omnibus horis diei cupit edere, ita hominem omnibus horis diei legi incumbere necesse est.*

1 Pet. 3. 20. *Cùm semel exspectavit Dei longanimitas in diebus Noæ.*] In Pirke Aboth cap. 5. sect. 2. longanimitas etiam Dei in diebus Noæ, ut & antea pariter ac postea, observatur. עשרה דורות מאדם ועד נח להודיע כמה ארך אפים לפניו שכל הדורות היו מכעיסין ובאין עד שהביא עליהם את מי המבול: *Decem generationes erant ab Adam ad Noam; ut appareat quanta sit apud eum* (nempe Deum) *longanimitas. Nam omnes istæ generationes magis magisque* (Deum) *provocabant, donec aquas Diluvii super eas adduxerit.* Deinde sequitur, עשרה דורות מנח ועד וכו' *Decem generationes erant à Noa ad Abrahamum; ut ostendatur quanta sit apud eum longanimitas. Nam omnes istæ generationes* (Deum) *provocabant; donec venit Abraham, pater noster, & mercedem eorum omnium accepit.* Taylerus notat Preces Germanicas habere, *in se suscepit.* Atque ità etiam legitur in Talmude Amstelodamensi, וקבל עליו; *& in se suscepit:* sed Misnaioth Amst. cum Tayleri editione consentiunt.

1 Pet. 4. 3. *Cùm ambulavimus in lasciviis, cupiditatibus, violentiis, comessationibus, compotationibus,* &c.] In Bereshith Rabba sect. 38. בכל מקום שאתה מוצא אכילה ושתייה השטן מקטרג, *In omni loco ubi invenitur comessatio & compotatio, ibi Satan accusat.* Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 54. ex Aruch citat, ארכילסטים מקטרג, *archilatro accusat:* sed monet, in Bereshith Rabba, unde autor *Aruch* citat, ità esse ut citavi. Aben Ezra etiam in Eccles. 7. circa initium ait, (uti etiam à Buxtorfio istîc observatur) המתעסק באכילה ושתייה לא יחכם לעולם, *Qui comessationibus & compotationibus deditus est, nunquam erit sapiens.* Nam ut Græci aiunt,

Παχεῖα

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.
Craſſus venter ſubtilem non parit animum.

1 Pet. 4. 17. *Nam tempus eſt ut judicium incipiat à domo Dei*, &c.] In Baba Kama fol. 60. 1. R. Samuel filius Nachmanis refert R. Jonathanem dixiſſe, אין פורענות באה לעולם אלא בזמן שהרשעים בעולם ואינה מתחלת אלא מן הצדיקים תחלה, *Supplicium non venit in mundum niſi cùm impii ſunt in mundo; nec incipit niſi à juſtis.* Buxtorfius hæc verba citans (in Florilegio pag. 168.) addit, לטובתן *in bonum ipſorum:* ſed in Talmude Amſtelodamenſi vox iſta non apparet. Totum autem iſtud probatur ex eo quod legitur Exod. 22. 6. כי תצא אש ומצאה קוצים ונאכל גדיש, *Si eruperit* (ad verb. *exierit*) *ignis, & corripuerit ſpinas, & abſumpta fuerit meta frumenti*, &c. Hinc nempe infertur, אימתי אש יוצאת בזמן שקוצים מצויין לה *Quando exit ignis? Tunc cùm ſpinæ ei paratæ ſunt.* Et mox additur, ואכל גדיש לא נאמר אלא ונאכל גדיש שנאכל גדיש ככר: *Non dicitur, Et abſumpſerit metam frumenti, ſed abſumpta fuerit meta frumenti; quia jam* (primò) *abſumpta eſt.* Ibidem traditur R. Joſeph ex illo Exod. 12. 22. *Nec quiſquam veſtrûm egrediatur ex oſtio domûs ſuæ uſque ad auroram*, hanc obſervationem deduxiſſe, כיון שניתן רשות למשחית אינו מבחין בין צדיקים לרשעים ולא עוד אלא שמתחיל מן צדיקים תחלה, *Cùm poteſtas data eſt Deſtructori, nullum diſcrimen facit inter juſtos & impios:* (ad id probandum affertur illud Ezech. 21. 3. *Et exſcindam ex te juſtum & impium*) *neque id ſolùm, verùm etiam primò incipit à juſtis.*

2 Pet. 2. 5, &c. *Et antiquo mundo non pepercit, ſed octavum Noam præconem juſtitiæ ſervavit*, &c.] In Bammidbar Rabba ſect. 5. fol. 220. col. 2. hoc inter Deum & hominem diſcrimen obſervatur, אין מדותיו של הק"בה כמדת בשר ודם, *Proprietas Dei ſ. b. non eſt ſicut carnis & ſanguinis. Rex mortalis, cùm provincia* (vel *urbs*; מדינה utrumque denotat) *adversùs ipſum rebellat, bellum contra eam gerit*, (עושה בה אנדרולומוסיא) *& bonos pariter ac malos interficit. Sed Deus ſ. b. non ità facit*, בשעה שהדור מכעיס לפניו הוא ממלט לצדיקים ומאבד לרשעים, *Cùm generatio aliqua eum provocat, ille eripit juſtos, & perdit impios. Seculum Enoſhi peccavit; perdidit eos; ſed liberavit Enochum.* —— *Seculum Diluvii provocarunt eum, & perdidit eos; ſed liberavit Noachum.* —— *Sodomita eum provocabant, & perdidit eos; ſed liberavit Lotum*, &c.

2 Pet. 2. ult. *Canis reverſus ad proprium vomitum.*] Sic in Vaiikra Rabba ſect. 16. R. Abba filius Cahanæ dixiſſe fertur, חור תוביה לתוביה כד"א ככלב שב על קיאו, *Reverſus eſt Tobias ad Tobiam*; (ad ingenium rediit) *quemadmodum dicitur, Canis revertitur ad vomitum ſuum.* Deinde additur, R. Joſuam filium Levi dixiſſe, חור שטיא לאורח שטותיה כד"א כסיל שונה באולתו, *Reverſus eſt ſtultus ad viam ſtultitiæ ſuæ; ità dicitur*, Pro. 26. 11. *Stultus iterat ſtultitiam ſuam.*

Jud. v. 9.

Michael autem archangelus, quando cum diabolo contendens diſceptabat de corpore Moſis, &c.] In Elle haddebarim Rabba, ſect. וזאת הברכה, narratur altercatio quædam quæ fuit inter Samaelem, (qui appellatur ראש כל השטנים *caput*, ſeu *princeps omnium Satanim* ſeu *diabolorum*) & Michaelem de morte Moſis; ſed altercatio iſta hujuſmodi fuiſſe traditur; *Samael ſingulis horis de morte Moſis narrabat, inquiens, Quando veniet tempus præfinitum, vel momentum,* (קץ או רגע) *ut Moſes moriatur, ut deſcendam & ſpiritum ei auferam?* & mox, *Ità Samael ille impius ſpiritum Moſis ſpeculabatur,* (מצפה נשמתו של משה) *dicens, Quando flebit Michael, & os meum riſu implebo? Unde Michael, Quid, inquit, improbe, an ego flebo, & tu ridebis? Nè lætere, ô inimica mea*, &c. Mich. 7. 8. *Etiamſi eadem morte Moſis, ſurgam gubernatione Joſuæ,* (כי נפלתי מפטירתו של משה קסתי מפרנסתו של יהושע) *cùm 31. reges proſtraverit. Quamvis in tenebris ſedebo cùm Templum prius & poſterius dirutum fuerit, Dominus tamen mihi lux erit in diebus Meſſiæ.*

Jud. v. 13. *Quibus reſervata eſt caligo tenebrarum in æternum*] In Bereſhith Rabba ſect. 33. citatur illud Ezech. 31. 15. *Sic dicit Dominus Deus, In die quo deſcendit in infernum*, האבלתי כסיתי עליו את תהום *lugere feci, operui ſuper eum abyſſum*; deinde additur, R. Judam dixiſſe, הובלתי כתיב, *Scriptum eſt HOBALTI*, i. *adduxi.* (Sed in Bibliis ſcriptum eſt האבלתי *bebalti*, i. *lugere feci*; nec alterius ſcriptionis ullam apud Rabbinos ad locum mentionem reperio.) Et mox ſequitur, רשעים חושך ניהנם חושך תהום חושך הובלתי רשעי לגיהנם וכסיתי עליהם את התהום חושך יכסה חושך, *Impii ſunt tenebræ, Gehenna etiam & Abyſſus ſunt tenebræ. Adduxi impios in gehennam, & operui ſuper eos abyſſum: tenebræ operient tenebras.*

1 Joh. 1. 8, 9.

Si dixerimus nos non habere peccatum, &c.] Verè ſimul ac eleganter Hebræi (ut citat Druſius in Adag. decur. 1. adag. 7.) כפירת העון שתי עונות, *Negatio iniquitatis duplex eſt iniquitas.* Et in Sanhedrin cap. 6. §. 2. in Miſna aiunt, כל מיתין מתורין שכל המתודה יש לו חלק לעולם הבא, *Solent omnes qui capitali ſupplicio afficiuntur, confiteri: omnibus enim qui confitentur eſt pars in futuro ſeculo.*

CAP. 8. *Quod locorum aliquot in Apocalypſi illuſtrationem continet.*

Apoc. 1. 4.

Ἀπὸ τοῦ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *Ab eo qui eſt, & qui erat, & qui futurus eſt.*] In Elle Shemoth Rabba ſect. 3. R. Iſaac dixiſſe traditur, אמר הק"בה למשה אמור להם אני שהייתי ואני הוא עכשיו ואני הוא לעתיד לבא לכך כתוב אהיה שלשה פעמים, *Dixit Deus ſ. b. Moſi, Dic eis, Ego fui, & ego nunc ſum, & ego futurus ſum. Propterea* EHIEH (i. *Sum*, vel *Ero*) *ter ſcriptum eſt.*

Apoc. 1. 5. *Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis noſtris ſanguine ſuo.*] In Midras Shir hasſhirim ad illud Cant. 1. 5. *Nigra ſum, ſed decora*, introducitur Synagoga Iſraelis ſic loquens; *Nigra fui in Ægypto, ità dicitur*, Ezech. 20. 8. *Rebellabant adversùs me, & noluerunt mihi auſcultare: ſed & decora fui in Ægypto*, בדם הפסח וביום הכפורים, *ſanguine Paſchatis, & in die Expiationum.* Ità quidem ſanguine Chriſti, *qui eſt Paſcha noſtrum, & propitiatio pro peccatis noſtris.*

Apoc. 2. 40. ἀλλ' ἔχω κατὰ σοῦ, *Sed habeo nonnihil contra te.* Et v. 14. ἀλλὰ ἔχω κατὰ σοῦ ὀλίγα, *ſed habeo adversùs te pauca.*] Phraſis iſta uſurpatur in Midras Koheleth ad cap. 4. 3. ubi etiam verba digna ſunt notatu. *Dixit Deus ſ. b. Moſi*, אמות העולם מה יש להם עלי אם באתי לדקדק אחריהם אני יש לי עליהם אדם יש לי עליו שאמר במה ארע כי אירשנה וגו' *Patriarchæ* (ad verb. *Patres mundi*) *quid adversùs me habuerunt? Sed ſi ego ſtrictè cum eis egiſſem, nonnihil adversùs eos habuiſſem. Adversùs Abrahamum aliquid habuiſſem, quia dixit*, Gen. 15. 8. *Unde ſciam me eam poſſeſſurum? Adversùs Iſaacum aliquid habuiſſem; nam dilexit Eſau*, Gen. 25. 28. *quem ego odi*, Mal. 1. 3. *Adversùs Jacobum aliquid habuiſſem, propterea quòd dixit*, Iſai. 40. 27. *Via mea abſcondita eſt à Domino.* Sed iſtud parùm concinnè ad Jacobum Patriarcham refertur, cùm de ejus poſteritate, ipſius nomine, ut moris eſt Scripturæ, appellata, intelligatur.

Apoc. 2. 14. *Qui tenent doctrinam Balaam, qui docuit Balak ponere offendiculum coram filiis Iſraelis*, &c.] R. Nathan in tractatu de Patribus cap. 1. ait Balaamum dixiſſe Balako, *Populus iſte, quem tu odiſti,* העם הזה שאתה שונא

לאכילה וצמא הוא לשתייה, *famelicus eſt & ſitibundus*; (rebus ad edendum & bibendum neceſſariis eſt deſtitutus) *nec habent quod comedant & bibant, niſi ex iis duntaxat quæ ad te pertinent. Para igitur eis tabernacula,* (vel *lupanaria*, ותקן להם קיבות, Taylerus iſta in Verſione ſua omiſit) *& relinque illis cibum & potum; & inter eos collocato feminas pulcras, Regum filias, ut populus iſte ſcortetur cum Baal Peor, & manu Dei cadant.* Deinde additur, מיד הלך ועשה בלק כל מה שאמר לו בלעם הרשע, *Statim abiit Balak, & fecit omne id quod Balaam ille impius ei dixerat.* R. Salomon etiam ad Num. 21. 16. ait Balaamum Moabitis dixiſſe, אפילו אתם מכניסים וכו', *Etiamſi vos congregaretis omnes populos qui ſunt in mundo, non poſſetis eis prævalere. Numquid numeroſiores eſtis Ægyptiis, qui ſexcentos currus ſelectos habuerunt? Venite, & dabo vobis conſilium; Deus iſtorum odit flagitium,* &c. Deinde remittit lectorem ad Chelek, (caput 11. tractatûs Sanhedrin) & librum Siphri, ubi iſta pleniùs explicantur. Libri Siphri mihi nondum facta eſt copia; ſed in Sanhedrin cap. Chelek fol. 106. 1. aiunt Balaamum dixiſſe, אלהיהן של אלו שונא ומה ודם מתאוין לכלי פשתן, *Deus eorum odit flagitium; illi autem deſiderant veſtem lineam. Veni, & conſilium tibi dabo. Fac eis tentoria, (קלעים) & collocato in eis vetulam extrinſecus, & juvenculam intrinſecus; & vendant eis veſtem lineam.* Deinde ſequitur, *Fecit eis tentoria à monte nivis* (מהר שלג) *ad Bethjeſhimon, & collocavit in eis meretrices, vetulam foris, & juvenculam intus. Et cùm Iſraelitæ edebant & bibebant & lætabantur, & exibant ad deambulandum in plateis, Vetula dicebat alicui eorum, Num velis veſtem lineam? Et vetula quidem juſtum pretium poſtulabat;* (וקנה אומרת לו בשוה) *juvencula autem duplo aut triplo minus petebat, & dicebat ei, Ecce tanquam filius familiàs ſede, & elige tibiipſi. Vas vini Ammonitici apud ipſam poſitum erat; (nondum prohibitum erat vinum Ammoniticum, vel vinum aliarum gentium) dixitque ei, Viſne poculum vini bibere? Cùm bibiſſet, eo* (nempe vino) *exarſit,* (בער בו) *ac dixit, Auſcultа mihi.* (q. d. *Concumbe mecum.* Similia habet R. Salomon ad Num. 25. 2.) *Eduxit illa idolum ſuum* (ad verb. *timorem ſuum*, יראתה) *è ſinu, & dixit, Cole hoc. Reſpondit ille, Nónne ego ſum Judæus? Quid refert, inquit illa? an aliud à te poſtulatur quàm denudatio?* (nempe poſteriorum; quæ dicitur fuiſſe cultus Baal Peor. Sic Buxtorfius in radice פער. Coch autem in Excerptis Gemaræ Sanhedrin §. 60. vertit, *Numquid aliud à te poſtulatur quàm crepitus ventris?* R. Salomon ad Num. 25. 3. ait Baal Peor ſic dictum, על שם שפורעין לפניו פי הטבעת ומוציאין רעי וזו היא עבודתו, *Quia aperiebant coram eo foramen podicis, & egerebant ſtercus: iſte erat cultus ejus.* Seldenus De diis Syris Syntag. 1. cap. 5. legit לפני pro לפניו, & minùs rectè vertit, *eò quòd diſtendebant coram ore illius foramen podicis, & ſtercus offerebant.* Verba Gloſſæ ad iſtum locum Gemaræ utrumvis ſenſum ferunt; כך היתה עבודתו של פעור שמתריזים לפניו, *Sic fuit cultus* (idoli) *Peor, quòd coram eo ſolebant pedere,* vel *egerere*; nam vox מתריזים utrumque ſignificat.) *Nec hoc ſolum facies,* (ſic meretrix Iſraelitam alloquitur,) *ſed non dimittam te, donec abnegaveris Legem Moſis magiſtri tui.* Ante hæc ultima verba Coch interſerit, והוא אינו יודע שעבודתה בכך, *Is autem ignorabat, ità iſtud* (idolum) *coli:* ſed in editione Amſtelodamenſi iſta non reperio.

Apoc. 3. 18. *Et collyrio inunge oculos tuos, ut videas.*] In Vajikra Rabba ſect. 12. inter alia legis elogia dicitur eſſe קילוריט לעינים *Collyrium oculorum*, vel *oculis*. Vox קילוריט *Killorith* à Græco κολλύριον eſt deformata.

Apoc. 3. 19. *Quem enim diligo, increpo & caſtigo*] Deum ex amore populum ſuum caſtigare Hebræi etiam obſervant. In Elle Shemoth Rabba ſect. 1. אתה מוצא שלש מתנות טובות נתן הק"בה לישראל וכולם לא נתן להם אלא על ידי יסורין התורה וארץ ישראל וחיי העולם הבא, *Reperiuntur tria dona eximia quæ Deus ſ. b. dedit Iſraeli; nec ullum eorum dedit niſi per caſtigationes. Iſta autem ſunt Lex, Terra Iſraelitica, & Vita mundi futuri.* De Lege citatur illud Pſal. 94. 12. *Beatus eſt vir quem tu caſtigas, & erudis è Lege tua.* De terra Iſraelitica illud Deut. 8. 5. *Et conſiderabis in corde tuo, quòd ſicut homo caſtigat filium ſuum, ſic Dominus Deus tuus te caſtigat.* Et illud v. 7. *Nam Dominus Deus tuus te introducit in terram bonam,* &c. De vita ſeculi futuri illud Prov. 6. 23. *Nam mandatum eſt lucerna, & Lex lux, & correctiones erudientes ſunt via vitæ.* Eadem etiam habentur in Beracoth fol. 5. pag. 1. in fine. Et in Kidduſhin fol. 40. 2. quare Deus caſtiget & affligat juſtos ratio hæc redditur, הק"בה מביא יסורין על הצדיקים בעולם הזה כדי שיירשו העולם הבא: *Deus ſ. b. affert caſtigationes ſuper juſtos in hoc mundo, ut poſſideant mundum futurum*, vel, *ut heredes ſint mundi futuri.* Et mox ibidem ſequitur, הק"בה משפיע להן טובה לרשעים בעולם הזה כדי לטורדן ולהורישן למדרגה התחתונה, *Deus ſ. b. largitur bona impiis in hoc mundo, ut eos detrudat & dejiciat in infimum gradum inferni.* Neſcio an in Hebræo deſint duo verba, nempe של שאול *inferni*, vel של גיהנם *gegennæ*; ſed ſic ſcriptum reperio. Kimchi ad illud Pſal. 9. 17. ישובו רשעים לשאולה, *Impii convertentur in infernum*, notat in Midras hanc rationem reddi quare לשאולה habet ל in initio, & ה in fine, cùm alterutra litera ſufficeret, ut ità nimirum oſtendatur, impios deſcenſuros למדרגה התחתונה של שאול, *in infimum gradum inferni.* In Midras Tillim ad locum iſtum eſt, לדיוטי התחתונה שבשאול, *in conclave infimum quod eſt in inferno.* In Bereſhith Rabba ſect. 68. eſt לאמבטה התחתונה שבשאול *in infimam cellam quæ eſt in inferno.*

Apoc. 4. ult. *Dignus es, Domine, qui accipias gloriam; quia tu creaſti omnia, & ob voluntatem tuam ſunt.* &c.] Sic in Vajikra Rabba ſect. 3. in fine, gloria hoc nomine Deo datur: בריך מי שאומר והיה העולם, *Benedictus ſit qui dixit, & fuit mundus*, i. qui verbo ſuo mundum fecit.

Apoc. 6. 1. *Veni, & vide*] Iſta loquendi formula frequens eſt apud Hebræos. In Beracoth fol. 5. 1. בא וראה שלא כמדת הק"בה מדת בשר ודם, *Veni, & vide, quòd proprietas carnis & ſanguinis* (i. hominis) *non eſt ſicut proprietas Dei ſ. b.* Sic in Commentariis iſtis quos appellant RABBOTH & MIDRASHIM ſæpe uſurpatur.

Apoch. 7. 9. *Et palmæ in manibus eorum*] Hebræi obſervant iſtud victoriæ ſignum eſſe. In Vajikra Rabba ſect. 30. ישראל ואומות העולם באין וכו', *Iſraelitæ & nationes mundi veniunt & diſceptant* (ad verb. *accuſant*, nempe alii alios) *coram Deo ſ. b. in principio anni; & nos neſcimus quinam ſint victores. Sed ex eo quòd Iſraelitæ exeunt palmas & poma citrea in manibus geſtantes, Iſraelitas victores eſſe novimus.*

Apoc. 8. 3. *Et ecce angelus venit, & ſtetit ad altare, habens thuribulum aureum; & dati ſunt ei ſuffitus multi, ut afferret* (eos) *cum precibus ſanctorum,* &c.] De angelo ſanctorum preces Deo offerente Hebræi in Elle Shemoth Rabba ſect. 21. loquuntur in hunc modum, *Cùm Iſraelitæ precantur, non inveniuntur omnes ſimul precari, ſed unaquæque ſynagoga* (ſeu *congregatio* כנסת) *ſeorſim precatur, primùm hæc ſynagoga, deinde alia: & cùm omnes ſynagogæ omnes preces ſuas conſummaverint,* המלאך הממונה על התפלות נוטל כל התפלות שהתפללו בכל הכנסיות כולן ועושה אותן עטרות ונותנין בראשו של הק"בה שנא' עדיך כל בשר יבואו ואין עדיך אלא עטרה שנא' כי כלם כעדי תלבשי, *Angelus qui precibus præficitur portat omnes preces quas precati ſunt in omnibus ſynagogis, & facit eas coronas, & imponit eas* (pro נותנין legendum cenſeo נותנן) *capiti Dei ſ. b. ſicut dictum eſt* Pſal. 65. 2. *Omnis caro veniet corona tua:* (Sic ibi exponitur עדיך, ut ex ſequentibus clariùs eluceſcit; cùm revera exponi debeat, *ad te*) *vox autem* עדיך *non niſi coronam denotat; quemadmodum*

dum dicitur, Isa. 49. 18. *Et indues te eis omnibus tanquam coronâ.*

Apoc. 9. 11. *Nomen ejus Hebraicè est Abaddon, & in lingua Graca nomen habet Apollyon.*] Is esse videtur quem Hebræi appellant מלאך מחבלא *Angelum destructorem*. Jonathan Paraph. Exod. 12. 23. pro eo quod in Hebræo est, ולא יתן המשחית לבוא אל בתיכם לנגוף, *Et non sinet destructorem venire in domos vestras ad percutiendum*, habet, ולא ישבוק מלאך מחבלא למיעול לבתיכון למחי, *Et non permittet Angelum destructorem ingredi domos vestras ad percutiendum.* Onkelus ibi simpliciter habet מחבלא *destructorem.*

Apoc. 12. 10. *Quia dejectus est Accusator fratrum, qui accusat eos*, &c. Hebræi etiam de Satana Israelem accusante loqui solent. In Elle Shemoth Rabba sect. 43. בשעה שעשה ישראל את העגל היה שטן עומד ומקטרג בפנים ומשה עמד מבחוץ מה עשה משה עמד ודחף את השטן והוציאו לחוץ ועמד במקומו שנא' עמד בפרץ לפניו, *Cùm Israel fecisset Vitulum, Satan stetit, & accusavit intus; Moses autem stetit foris. Quid fecit Moses? Stetit, & expulit Satanam, & eduxit eum foràs, & in ejus loco stetit; quemadmodum dicitur* Psal. 106. 23. *Stetit coram eo in ruptura.* Et in Vajikra Rabba sect. 21. כל ימות שנה השטן מקטרג להם הכפורים אינו מקטרג, *Omnibus diebus anni Satan accusat; sed in die Expiationum non accusat.* Et in Elle Shemoth Rabba sect. 18. fol. 135. col. 1. Samael (i. Satan) appellatur קטיגור κατήγορος *accusator*, ut ex adverso Michael appellatur סניגור συνήγορος *advocatus*: ille contra Israelem, hic pro Israele loqui dicitur.

Apoc. 12. 3. *Et ecce Draco magnus, rubicundus*, &c.] *Rubicundus* dicitur ad sanguinolentiam ejus denotandam. Sic in Bereshith Rabba sect. 63. Esau dicitur fuisse *rubicundus* כאילו שופך דמים *quasi fundens sanguinem*, seu *sanguinolentus.* Atque ità R. Salomon ad Gen. 25. 25. אדמוני סימן הוא שיהא שופך דמים, *Rubicundus id indicat, quòd futurus erat sanguinolentus.*

Apoc. 14. 13. *Et opera ipsorum sequuntur eos.*] In Midras Koheleth ad Eccles. 5. 18. R. Tanchuma dixisse fertur, כל אכילה ושתייה שנאמרה במגלה הזאת בתורה ובמעשים טובים נאמרה, *Omnis comessatio & compotatio quæ in hoc Volumine memoratur, de Lege & operibus bonis intelligitur.* Deinde additur R. Jonam dixisse, ואב שיבכלין והוא ילונו בעמלו וכי אכילה ושתייה מלוין את האדם לקבר ומה מלוהו תורה ומעשים טובים, *Et inter ea omnia illud est principale*, Eccles. 8. 15. *Hoc enim adhærebit ei de labore suo*, (vel *comitabitur eum*, seu *deducet eum*: ילונו est à לוה, quod in Bibliis est *adhærere*, vel *associari*; sed apud Rabbinos est *comitari*, vel *deducere*; atque eo sensu hic in Midras sumitur, atque ità etiam Chaldæus Paraph. interpretatur.) *Numquid comessatio & compotatio hominem ad sepulcrum comitantur? Quid verò eum comitatur? Lex, vel bona opera.* Eadem ferè verba habentur etiam ad cap. 2. 24. & 8. 15. Similiter in Pirke Aboth cap. 6. §. 10 dicitur, בשעת פטירתו של אדם אין מלוין לו לאדם לא כסף ולא זהב ולא אבנים טובות ומרגליות אלא תורה ומעשים טובים בלבד, *Cùm homo moritur, non comitatur eum argentum, vel aurum, vel lapides pretiosi & margaritæ; sed duntaxat Lex & opera bona.* In Tayleri libello (qui etiam verborum ordinem hîc confundit) omissa est vox בלבד *duntaxat*, quæ cùm in Talmude tum in Misnaioth Amstelodamensibus reperitur.

Apoc. 14. 20. *Et exiit sanguis è torculari usque ad frena equorum.*] Ingens hominum clades ità etiam exprimitur in Echa Rabbathi ad Lament. 1. 9. ubi de Pseudo-Messia Ben Chozba sermo habetur & de sociis ejus ab Adriano occisis. אם לא כי צורם מכרם היו הורגים בהם עד ששקע הסוס בדם עד חוטמו, *Nisi Rupes eorum eos vendidissent, occidissent ex eis* (nempe Ben Chozba & socii ejus occidissent ex Adriani copiis) *ità ut equus sanguine ad frænum usque demersus fuisset.* Eadem etiam verba sunt in eodem Comment. ad cap. 2. 2. unde ea citat Skikardus de Jure Regio cap. 6. pag. 189. ità tamen ut omittat ista verba, אם לא כי צורם מכרם *Nisi rupes ipsorum eos vendidissent*: unde de Romanis Judæos occidentibus perperàm intelligit.

Apoc. 17. 15. *Aquæ quas vidisti sunt populi & turbæ, & gentes, & linguæ.*] Sic Hebræi per *aquas* populorum multitudinem designari autumant. In Bammidbar Rabba sect. 2 fol. 212. col. 4. אם יתכנשו כל אומית העולם ליטול את האהבה שביני לבין ישראל אינן יכולין שנא' מים רבים לא יכלו לכבות את האהבה ואין מים רבים אלא אומות העולם שנא' הוי המון עמים רבים וגו', *Si omnes nationes mundi congregatæ fuerint ut auferant amorem qui est inter eum* (nempe Deum) *& Israelem, eum auferre non poterunt, quemadmodum dicitur* Cant. 8. 7 *Aquæ multæ non possunt extinguere amorem. Non sunt autem aquæ multæ* (i. Non aliud per *aquas multas* designatur) *nisi nationes mundi; juxta id quod dictum est* Isai. 17. 12. *Væ multitudini multorum populorum, quæ strepit instar strepitûs marium, & tumultuantur quasi tumultuatione aquarum validarum.*

Apoc. 18. 10. *Urbs illa magna Babylon, urbs illa valida.*] Potentiam urbis Romæ (quam hîc *Babylonem* indigetari apertum est) sic exaggerant Hebræi in Midras Esther circa initium: עשרה חלקי' של עשירות בעולם תשעה ברומי ואחד בכל העולם, *Decem partes divitiarum sunt in mundo* (i. Si omnes totius mundi divitiæ in decem partes divisæ fuerint) *novem ad Romam pertinent; una autem ad universum* (præterea) *mundum.*

Apoc. 19. 1. *Hallelujah.*] Sic v. 3, & 4. & 6. In Midras Tillim ad Psal. 104. v. ult. R. Samuel filius Abbæ dixisse traditur, *Ab initio Libri hucusque sunt* 103 *Psalmi, nec in eis scriptum est* HALLELUJAH: *sed cùm impii sunt consumpti quid scribitur?* ורשעים עוד אינם ברכי נפשי את יי' הללויה. *Nec sint amplius impii. Benedic anima mea Domino. Halleluiah*, seu *Benedicite Domino.* Additur ibidem, ולמה באבוד רשעים רנה, *Et quare? Cùm impii pereunt est exsultatio.* Prov. 11. 10. In Beracoth fol. 9. 2. in fine, R. Juda filius R. Simeonis filii P.zzi dixisse fertur, ק"נ פרשיות אמר דוד ולא אמר הללויה עד שראה במפלתן של רשע' שנא' יתמו חטאים מן הארץ ורשעים עוד אינם ברכי נפשי את ה' הללויה, *Centum & tres Sectiones* (i Psalmos) *dixit David, nec tamen dixit* HALLELUJAH, *donec vidit ruinam impiorum; quemadmodum dicitur* Psal. 104 v. ult. *Consumantur peccatores è terra & impii amplius non sint. Benedic anima mea Domino, Halleluiah.* Sequitur autem ibidem, תנ ק"נ ק"ד הרין אלא ש"מ אשרי האיש ולמה רנשו גוים חדא פרשה היא: *Istæ centum & tres* (Sectiones) *sunt centum & quatuor: sed Beatus est vir*, (Psalmus primus) *&, Quare fremuerunt gentes?* (Psalmus secundus) *pro una Sectione habentur.* Atque additur R. Jochananem, referente R. Samuele filio Nachmanis, dixisse, כל פרשה שהיתה חביבה על דוד פתח בה באשרי וסיים בה באשרי פתח באשרי דכתיב אשרי האיש וסיים באשרי דכתיב אשרי כל חוסי בו, *Omnem Sectionem quæ Davidi* (præcipuè) *dilecta fuit, incepit voce* ASHRE (i. *Beatus*, vel *Beati*) *& clausit voce* ASHRE. *Incepit voce* ASHRE, *nam scriptum est*, ASHRE HAISH; (i. *Beatus est vir*) *& clausit voce* ASHRE, *scriptum namque est*, ASHRE COL CHOSE BO, i. *Beati sunt omnes qui sperant* (vel *confidunt*) *in eo.* Sed cùm nulla præterea Sectio voce istâ inchoetur pariter ac finiatur, ideo in *TOSEPHOTH* seu *Additionibus* dicitur, *non simpliciter* vel *præcisè* (לאו דוקא) intelligendum esse de ista voce ASHRE, seu *beatus*, אלא חתימה מעין פתיחה, *sed quòd clausula* (seu *finis*) *respondeat principio.* Ut cùm Sectio à laude incipiat, & in laudem desinat. וכן הרבה פרשיות מתחילות בהללויה ומסיימות בהללויה: *Et sic multæ sunt Sectiones quæ voce* HALLELUJAH *inchoantur, & eâdem voce finiuntur.*

Apoc. 19. 7. *Nam venerunt nuptiæ Agni*, &c.] In Elle Shemoth Rabba sect. 15. in fine, res sic illustratur, *Parabola de rege, qui desponsavit uxorem, & scripto dotali dedit* (ורתב)

(וכחב לה) *donec exigua: cùm autem eam duxisset, scripto dotali dedit ei dona ingentia tanquam maritus.* Deinde sequitur applicatio parabolæ; כך העולם הזה אירוסין היו, *Sic in hoc mundo fient sponsalia, ut dicitur,* Hos. 2. 19. *Et desponsabo te mihi in æternum; nec dedit eis nisi Lunam, prout dictum est,* Exod. 12. 2. *Mensis iste erit vobis,* &c. אבל לימות המשיח יהיו נישואין, *Sed temporibus Messiæ erunt nuptiæ,* (obiter observa, *hunc mundum,* seu *hoc seculum,* & *tempora Messiæ* inter se opponi) *juxta id quod dicitur,* Isai. 54. 5. *Nam qui fecit te, est maritus tuus. Tunc tradet eis omnia, quemadmodum dicitur,* Dan. 12. 3. *Et qui sapientes sunt,* (vel *sapientes reddunt,* nempe alios, המשכילים) *fulgebunt instar fulgoris firmamenti; & qui multos reddunt justos, sicut stella in æternum.*

Apoc. 20. 2. *Et apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas,* &c.] In Pirke Eliezer cap. 13. dicitur Sammaelem (i. Satanam) inequitasse Serpenti. Et ibidem, *Serpens quæcunque opera patrabat, & verba loquebatur, ea non, nisi ex suggestu Sammaelis egit ac profatus est.* Sic etiam Maimonides in More Nebochim part. 2. cap. 30. refert Doctores dicere, *Cùm venit Serpens ad decipiendam Evam, Sammael equitabat super illum,* &c.

Apoc. 20. 14. *Ista est Mors secunda.*] Illud Deut. 33. 6. *Vivat Ruben, & nè moriatur,* Onkelos sic paraphrasin, יחי ראובן בחיי עלמא ומיתא תניינא לא ימות, *Vivat Ruben vitâ æternâ, & morte secundâ nè moriatur.* Paraphrasis Hieros. sic habet, יחי ראובן בעלמא הדין ולא ימות במותנא תניינא רבה מיתין רשיעא בעלמא דאתי, *Vivat Ruben in hoc seculo; & nè moriatur morte secundâ, quâ moriuntur impii in seculo futuro.* Et pro eo quod in Hebræo habetur Isai. 22. 14. *Si expiabitur vobis hac iniquitas donec moriemini,* Jonathan Paraph. habet, אם ישתבק חובא הדין לכון עד די תמותון מותא תנינא, *Si remittetur vobis hoc peccatum, donec moriemini morte secundâ.*

Apoc. 21. 23. *Et urbs ista non indiget sole, neque lunâ, ut in ea luceant: nam gloria Dei eam illuminat,* &c.] In Bammidbar Rabba sect. 15. fol. 164. col. 1. dicitur, גדול אורו של הק"בה החמה והלבנה מאירים לעולם ימהיכן הן מאירים מזיקוקי אור של מעלן הן חוטפין: *Magna est lux Dei sancti benedicti. Sol & Luna mundum illuminant. Et unde illuminant? Ex scintillis lucis superna arripiunt,* &c.

Apoc. 21. 25. *Nox enim ibi non erit.*] Sic in Bereshith Rabba sect. 91. עולם הבא כולו יום *Mundus futurus est totus dies.*

Apoc. 22. 15. *Et quisquis amat & loquitur mendacium.*] Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 190. ex Mibchar happeninim ista citat, הרגיל לדבר כובים הוא מן הכתות שאינן מקבלות פני שכינה, *Qui consuevit dicere mendacia, is ex eis est qui non videbunt faciem Divina Majestatis.*

CHRISTOPH. CARTWRIGHTI

MELLIFICIUM HEBRAICUM.

LIBER IV.

CAP. I. *In quo loca quædam in Libris qui appellantur Apocryphi, ex Hebræorum Scriptis illustrantur.*

Dan. 14.

IN Vulg. edit. Dan. 14. narratur historia, seu potiùs fabula, de Dracone quem Babylonii ut Deum colebant, Daniel autem interficiebat. Res autem ista in Bereshith Rabba sect. 68. sic refertur; והנה מלאכי אלהים וה דניאל עולים ויורדים בו שעלה והוציא את בולעו מתוך פיו הה"ד ופקדתי על בל בבבל והוצאתי את בלעו מפיו שהיה חנין אחד לנבוכדנצר והיה בולע כל מה שהיו משליכין לפניו אמר ליה נבוכדנצר לדניאל כמה כחו גדול שבולע כל מה שמשליכין לפניו אמר לו דניאל תן לי רשות ואני מתישו נתן לו רשות מה עשה נטל תבן וטמין לתוכו מסמרים השליך לפניו ונקבו מסמרים את בני מעיו הדא הוא דכתיב והוצאתי את בלעו מפיו *Et ecce angeli Dei, iste est Daniel, ascendentes & descendentes in ea;* (nempe scala, de qua Gen. 28.) *Nimirum* (Daniel) *ascendit, & eduxit id quod* (Draco) *devoraverat ex ore ejus. Hoc est quod ait,* Isai. 51. 44. *Et visitabo super Bel in Babel, & educam id quod devoravit ex ore ejus. Nebuchadnezzar enim habuit draconem quendam qui devoravit quicquid ei objectum erat. Unde Nebuchadnezzar Danieli, Quantum,* inquit, *est robur ejus, qui quicquid ante ipsum objectum est devorat? Respondit ei Daniel, Fac mihi potestatem, & ego eum exscindam. Fecit ei potestatem: tum Daniel accepit paleam, & intra eam abscondit clavos, & coram Dracone projecit; unde factum est ut clavi intestina ejus perforarent. Hoc illud est quod scribitur,* Isai. 51. 44. *Et educam id quod devoravit ex ore ejus.*

Esth. 14, & 15.

In Additionibus ad librum Esther cap. 14. est oratio Esther, & cap. 15. sunt alia quædam quæ non absre erit conferre cum iis quæ in Midras Esther ad cap. 4. 15. & ad cap. 5. 1. inveniuntur. Priore loco hæc occurrunt; בעת ההיא היתה אסתר נפחדת מאד מפני הרעה אשר צמחה בישראל ותפשוט בגדי מלכותה ואת תפארתה ותלבוש שק וכו' *Tempore isto Esther valde metuebat ob malum quod oriebatur in Israele, & exuebat vestes regiales & ornamenta sua, & induebat saccum, & implebat caput suum pulvere & cinere, & affligebat animam suam jejunio, & procidebat in faciem suam, & orabat, dicens, Domine Deus Israelis, qui dominatus es à diebus antiquis & creasti mundum, fer opem ancillæ tuæ, quæ relicta sum orphana, sine patre & matre, similis pauperculæ quæ domatim* (ad verb. *à domo ad domum*) *victum quæritat: sic ego à fenestra ad fenestram domûs Ahasueros misericordiam tuam peto. Et nunc, Domine, da prosperum successum huic pauperi tuæ ancillæ, & libera oves pascui tui, ab inimicis hisce qui contra nos surrexerunt: non enim tibi quicquam obstat quò minùs serves vel multis vel*

paucis. Et nunc, Pater orphanorum, adsta dextera hujus orphanæ, quæ in bonitate tua confidit, & concede mihi ut misericordiam inveniam coram viro isto; (scilicet Ahashueroshi) nam metuo eum: & deprime eum coram me; nam tu deprimis elatos. In altero quem citavi loco hæc habentur; ויהי ביום השלישי ותלבש וכו' *Et factum est die tertio, (nempe postquam se jejunio afflixisset) ut indueret Esther vestes suas pulcras & ornamenta gloriosa, & acciperet secum duas ancillas, quarum uni dexteram suam imposuit, & more Reginarum ei innixa est; altera autem ancilla dominam secuta, splendidam ejus vestem supportavit, nè aurum, quo induta erat, terram contingeret. Quin & faciem suam splendere fecit, & occultavit metum quem in corde suo habuit: & venit in atrium interius ex adverso Regis, & ante eum stetit. Rex autem super solium suum regale sedit, veste auro & lapidibus pretiosis ornatâ indutus; & elevatis oculis cùm vidisset Esther ex adverso stantem, irâ æstuavit, quòd illa legem ipsius violasset, & minimè accersita in conspectum ejus venisset. Esther verò sublatis oculis vidit vultum Regis, & ecce oculi ejus instar ignis ardebant præ magnitudine iræ quæ in corde ejus erat: & cognovit Regina indignationem Regis; unde admodum perturbata est, & liquefactus spiritus ejus, & caput suum reclinavit in ancillam quæ dexteram ejus sustentavit. Vidit autem Deus noster, & misertus est populi sui, & respexit ad afflictionem orphanæ, quæ in eo speravit, & dedit ei gratiam coram Rege, &c.*

Sap. 14. 20, & 21.

In libro qui inscribitur SAPIENTIA SALOMONIS, cap. 14. 20, 21. de Manna dicitur, quòd omnigenos in se sapores habuit, ità ut cujusvis gustui conveniret. Sic Hebræi in Elle Shemoth Rabba sect. 25. ואומר פותח אתה ידיך וגו', *Dicit autem* (Scriptura Psal. 145, 16.) *Aperis tu manus tuas, & satias desiderium omnis viventis. Non hîc scribitur, Saturas omne vivens cibo, sed satias desiderium omnis viventis: quia unicuique dat quod desiderat. Ità in seculo futuro Deus s. b. unicuique dabit id quod desiderat. Et si hoc tibi mirum videatur, considera quid Israeli fecit in hoc seculo, quemadmodum vempe demisit illis Mannam, quæ omnigenos sapores in se habuit, ut* (in ea) *unusquisque Israelita gustaret quod voluit. Sic enim scriptum est,* Deut. 2. 7. *Quadraginta hosce annos Dominus Deus tuus tecum fuit, nec defuit tibi quicquam. Quid sibi vult illud,* QUICQUAM? *Cùm quis quicquam desideraret comedere, & ore suo diceret, Utinam mihi esset aliquod altile,* (Glossator vocem פטמא exponit מפוטם עוף, i. *avis altilis,* vel *saginata*) *quod comederem, statim* (Manna) *in ore ejus habuit saporem altilis. Verbum loquebantur, & Deus s. b. desiderium eorum implevit.* Additur ibidem R. Abbam dixisse, אף דבר לא היה אומר בפיו אלא חושב בלבו לומר מה שנפשו מתאוה היה הק'בה עושה רציני והיה טועם טעם מה שהיה מתאוה, *Etiamsi verbum non loqueretur ore suo, sed tantùm in corde suo cogitaret dicere id quod anima ipsius desideravit, Deus s. b. desiderio ejus satisfecit, & desideratum saporem gustavit.* Et mox ibidem sequitur, כהיב אוד אומר הנני וגו' *Una Scriptura ait,* Exod. 16. 4. *Ecce ego pluam vobis panem è cœlo; & alia Scriptura,* Exod. 16. 31. *ait, Et sapor ejus quasi placenta mellita. Quin & ait* (Scriptura Num. 11. 8.) *Et fuit Sapor ejus quasi recentis olei. Quomodo hæ tres Scripturæ possunt consistere? Nempe juvenes saporem panis gustabant, senes saporem mellis, & pueri saporem olei.* Sectione etiam quintâ istius Commentarii R. Josi filius Chaninæ in hunc modum disseruisse traditur; המן לא היה יורד לישראל אלא לפי כח של כל אחד ואחד מישראל הבחורים היו אוכלי' אותו כלחם והזקנים כצפיחית ברבש ויונקים כחלב משדי אמו והחולים כסולת מעורב בדבש והגויים טועמין אותו מר ונד *venes eam tanquam panem edebant, & senes tanquâ placentam mellitam, & infantes tanquâ lac ex matris uberibus, & ægroti tanquâ similam melle temperatam: gentiles autem eam amaram, & instar Coriandri gustabant.* Illud de ægrotis ex Ezech. 16. 19. Et illud de gentilibus ex Exod. 16. 31. reliqua tria ex tribus locis antea citatis confirmantur. Libet hîc annectere illud Augustini in Retract. lib. 2. cap. 20. *In primo igitur* (nempe libro ad inquisitiones Januarii) *quod de manna dixi, quia unicuique secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat, non mihi occurrit unde possit probari, nisi ex libro Sapientiæ, quem Judæi non recipiunt in auctoritatem Canonicam; quod tamen fidelibus potuit provenire, non illis adversùs Deum murmuratoribus, qui profectò alias escas non desiderarent si hoc eis saperet Manna quod vellent.*

Ecclesiastic. 3. 22, &c.

In libro cui titulus ECCLESIASTICUS, vel SAPIENTIA JESU FILII SIRACH, cap. 3. vers. 22, 23, 24. hæc occurrunt; *Altiora te nè quæseris, & fortiora te nè scrutatus fueris: Sed quæ præcepit tibi Deus, illa semper cogita; & in pluribus operibus ejus nè sis curiosus. Non est tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre oculis tuis. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter,* &c. Similia etiam habentur in Beteshith Rabba sect. 8. ר' אליעזר בשם בן סירא אמר בגדול ממך אל תדרוש בחוק ממך בל תחקור במופלא ממך בל תדע במכוסה ממך אל תשאל במה שהורשית התבונן ואין לך עסק בנסתרות: *R. Eliezer nomine Ben Siræ dixit, In id quod captum tuum superat nè inquiras; quod te fortius est nè scruteris; quod mirabile est nè studeas scire; quod à te absconditum est nè investiges; quod licitum est, id intelliges,* (vel, *in eo contemplando te exerceas*) *nec in eis quæ occulta sunt operam tuam colloces.* Ista habet Nachmanides in Pentateuchum fol. 2. col. 4. sed nullum Ben Siræ mentionem facit. In tractatu Talmudico Chagiga fol. 13. 1. dicitur ista scripta esse in libro Ben Siræ; sed duæ primæ sententiæ sunt omissæ, & duæ sequentes sic citantur, במופלא ממך אל תדרוש ובמכוסה ממך אל תחקור, *Quod præ te mirabile est nè inquiras; & quod à te absconditum est nè investiges.*

In eodem libro, cap. 14. 11, 12. dicitur, *Fili, si habes, benefac tibi ipsi.* ——*Memor esto, quòd mors non tardat.* Quibus consona sunt quæ reperiuntur in tractatu Erubin fol. 54. 1. בני אם יש לך היטב לך שאין בשאול תענוג ואין למות התמהמה, *Fili mi, si tibi suppetit, benefac tibi: nam in sepulcro non est voluptas, nec in morte cunctatio.* David Cans in Tsemach David pag. 65, & 66. editionis Vorstianæ, Ben Siram eundem facit cum Siracide autore libri Ecclesiastici; sed Vorstius in observationibus suis pag. 254. rationibus quibusdam opinionem istam convellit. Vide infrà lib. 5. cap. 13.

1 Mac. 7. 26, &c.

In libro Maccabæorum primo, cap. 7. v. 26, &c. longa est narratio de Nicanore, qui à rege Demetrio missus est ad evertendos Judæos, cùm eos alioqui hostili animo prosequeretur, tandem autem à Judæis interfectus est, & caput ejus & dextera amputata, & suspensa contra Jerusalem. Historia ista in tractatu Taanith fol. 18. 2. sic narratur; ניקנור אחד מאפרכי יוונים היה ובכל יום היה מניף ידו על יהודה וירושלם ואומר אימתי תפול בידי וארמסנה ובשגבר מלכות בית חשמונאי ונצחים קצצו בהונות ידיו ורגליו ותלאום בשערי ירושלם ואמרו פה שהיה מדבר בגאות וידיו שהיו מניפות על ירושלם תעשה בהם נקמה: *Nicanor unus ex præfectis* (vel *ducibus*, in Glossa exponitur רוכום *dux*) *Græcorum fuit, & quotidie manum suam adversùs Judam & Jerusalem agitavit, inquiens, Quando*

Quando manu meâ cadet, & à me conculcabitur? Cùm autem regnum domûs Hasmonæorum invaluerit, eum devicerunt, & manus pedésq; ejus præciſos ſuſpenderunt in portis Jeruſalem, & dixerunt, De ore quod ſuperbè loquitur & de manibus quæ moventur contra Jeruſalem ultio ſumetur.

CAP. 2. *In quo loca quædam Joſephi cum eis quæ in Hebræorum ſcriptis occurrunt, ſunt collata.*

QUÆ de famoſo illo fluvio, *Sabbatico* dicto, à Joſepho pariter ac Rabbinis traduntur, ficta ac fabuloſa meritò cenſentur. Buxtorfius in Lexico magno ſub radice סבט teſtatur ità dicere Fagium ad Deut. 31. Paraph. Chald. & Galatinum de Arcan. lib. 11. cap. 9. At apud Fagium loco citato de fluvio iſto nulla fit mentio. Galatinus autem fatetur olim iſtiuſmodi fluvium exſtitiſſe, etiamſi nunc exſtare inficietur. Fullerus Miſcell. lib. 1. c. 9. commentum iſtud ſalsè ridet, nec tamen de re iſta accuratè (ut ſolet) tractare ſtudio ſuo indignum judicavit. Non eſt igitur, opinor, mihi vitio vertendum, ſi de fluvio iſto ex Joſepho & Rabbinis pauca annotavero. Joſephus De bello Jud. lib. 7. cap. 24. de iſto fluvio loquens ait, *Habet autem quoddam peculiare miraculum. Nam cùm ſit, quando fluit, plurimus, neq; meatu ſegnis, tamen interpoſitu ſex diebus à fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum videre. Deinde quaſi nullâ mutatione factâ, ſeptimo die ſimilis exoritur: atque hunc ordinem ſemper eum obſervare pro certo compertum eſt. Unde etiam SABBATICUS appellatus eſt, à ſacro Judæorum ſeptimo die ſic denominatus.* Verba iſta ejuſmodi ſunt, ut quid ſibi velint haud ſatis liqueat: eorum tamen ſenſus eſſe videtur, fluvium illum ſex diebus ſiccum eſſe, ſeptimo autem die pleno alveo fluere. Sed cur tunc *Sabbaticus* diceretur, cùm die ſeptimo minimè requieſcat? Fullerus igitur poſt Caſaubonum non immeritò ſuſpicatur, iſtum Joſephi locum eſſe depravatum, atque in hunc modum reſtituendum; *Nam cùm ſit largus quando fluit, & meatu haud ſegnis ſex dierum ſpatio, mox totus ab ipſis uſque fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum videndum die ſeptimo. Deinde, quaſi nullâ mutatione factâ, perinde erumpit.* Alioqui enim Joſephus non ſolùm Rabbinis, (ut & Plinio, qui Nat. Hiſt. lib. 31. cap. 2. ait, *In Judæa rivus ſabbatis omnibus ſiccatur*) verùm etiam ſibiipſi repugnaret. In Bereſhith Rabba ſect. 11. hiſtoria, vel potiùs fabula, narratur in hunc modum, *Turnus Rufus, vir impius, rogavit R. Akibam inquiens,* מה יום מיומים, *Quid differt dies à die:* (vel *Dies diei quid præſtat?*) *Reſpondit ille,* ומה גבר מן גובריא, *Et quid vir à viro differt?* (vel, *Et quid vir viro præſtat?*) *Tunc Rufus, Quid, inquit, ego dixi tibi? & quid tu dixiſti mihi? Cui alter, Dixiſti, inquit, mihi, Quid differt dies à die?* (vel, *Quid præſtat dies diei?*) מאי שנא יומא דשבתא מכל יומיא, *Quid differt dies Sabbati ab omnibus* (aliis) *diebus? Et ego dixi tibi, Quid differt vir à viro?* מאי שנא רופוס מכל גוברין, *Quid differt Turnus Rufus ab omnibus* (aliis) *viris? Imò, ait ille, quia Regi me honore aſſicere placuit. Ità, inquit alter, & Deo ſ. b. hunc diem honorare placuit. At, inquit Rufus, unde id mihi demonſtras? Tum Akiba,* חרי נהר סמבטיון יוכיח שמושך אבנים כל ימות השבת ובשבת הוא נח: *Ecce fluvius Sambation,* vel *Sabbation,* (vide Fullerum loco antè citato) *id ità eſſe arguit. Nam omnibus diebus hebdomadis* (שבת *Sabbatum* interdum Hebdomadem deſignat, ut Luc. 18. 12. νηϛεύω δὶς τοῦ σαββάτου, *Jejuno bis in ſabbato*, i. bis in hebdomade) *lapides trahit,* (i. adeò rapido curſu fertur ut ingentes ſecum lapides trahat) *in ſabbato autem quieſcit.* Galatinus (ubi ſuprà) ex Bereſhith Ketannah (libro mihi nondum viſo) eadem, paucis quibuſdam variatis, citat. In Sanhedrin autem fol. 65. 2. colloquium iſtud inter Turnum Rufum & R. Akibam ſic refertur; *Impius ille Turnus Rufus hanc quæſtionem propoſuit R. Akiba, Quid differt dies à die? Reſpondit alter, Quid differt vir à viro? Quia, inquit ille, Dominus ità eſſe vult,* (vel, *Quia Domino ità viſum eſt*; nempe ut inter homines ſit diſcrimen, דמרי צבי) *Ità, inquit Akiba, etiam de ſabbato res habet, quia ità Domino viſum eſt. Quomodo verò, inquit Rufus, tibi credam?* (הכי קאמינא לך) *Quis dicet hodie ſabbatum eſſe? Reſpondit ei Akiba* נהר סבטיון יוכיח, *Fluvius Sabbation id arguit.* Gloſſa ait, fluvium Sabbationem eſſe נהר אחד של אבנים ובכל ימות השבת שוטף והולך וביום השבת שוקט ונח, *fluvium quendam lapidum,* (ſeu *lapidibus refertum*) *qui cunctis ſeptimanæ diebus perpetuò* (vel *magis magiſque*) *exundat, ſed in die Sabbati tranquillus eſt, & quieſcit.* Illud autem, מי יימר דהאידנא שבתא, etiamſi Buxtorfius in Lex. Talmud. col. 1418. vertat, *Quis dicet hodie ſabbatum eſſe?* ſic tamen mihi potiùs vertendum videtur, *Quis dicet hoc eſſe ſabbatum?* unde conſtat diem iſtum quem vos obſervatis eſſe ſabbatum? האידנא enim *hoc* potiùs ſignificat quàm *hodie.* Atque ità verba iſta explicat R. Salomon; nam verbis illis recitatis addit explicandi gratiâ, ורילמא אחד משאר ימים הוא שבתא, *Fortaſſe unus ex reliquis diebus eſt ſabbatum.* Quod ſupponit ſabbatum eſſe, ſed in dubio ponit quinam dies ſit ſabbatum. Iſtud autem dubium R. Akiba ex fluvio Sabbatione (quippe qui die ſabbati quieſcebat, aliis autem diebus exundabat) tolli aſſeruit. In eo autem Joſephus prorſus à Rabbinis diſſentit, quòd ille (ut & Plinius) in Judæa fluvium iſtum collocat, hi autem in alia longè remota orbis parte, ubi decem tribus detineri aiunt, ſitum volunt. Sed de fluvio iſto ſatis.

Joſephus Antiq. lib. 11. cap. 8. refert Alexandrum Magnum hoſtili animo Hieroſolyma petentem, Pontificem Jadduam, Pontificali habitu ornatum, atque ei unà cum aliis occurrentem, contra omnium exſpectationem ſalutaſſe, ac Dei nomen, quod in lamina aurea capiti impoſita geſtabat, adoraſſe: cúmque Parmenio eum rogaſſet, cur ipſe, qui ab omnibus adorabatur, nunc Judæorum Pontificem adorabat, reſpondiſſe, ſe non Pontifici, ſed Deo, cujus Pontifex erat, honorem iſtum exhibuiſſe. *Hunc enim,* inquit, *vidi & antea hoc ipſo habitu, cùm adhuc eſſem in Dio Macedoniæ, qui me deliberantem quomodo Aſiam poſſem ſubigere hortatus eſt forti eſſe animo, & ſine mora exercitum trajicere; nam ſuo ductu potiturum me Perſarum imperio.* Hujuſmodi quiddam, etiamſi in nonnullis, ut fit, diverſum, de Alexandro Magno narratur in Vajikra Rabba ſect. 13. אלכסנדוס כד חזי חמי לשמעון הצדיק היה קאים על רגליה אמרין ליה מינאי מן קדם יהודאי אותה קאים אמר להם בשעה שאני יוצא לסלחמה דמותו אני רואה ונוצח, *Cùm Alexander vidiſſet Simeonem Juſtum, ſuper pedes ſuos ſtetiſſe:* (i. ei aſſurrexit) *dixerunt autem ei hæretici, An coram Judæo tu ſtas? Reſpondit eis, Cùm egreſſus ſum ad bellum gerendum, effigiem ejus vidi, & victoriam conſecutus ſum.* In tractatu Joma fol. 69. 1. res iſta ſuſius memoratur, nempe ad hunc modum; *Quærebant Cuthæi* (i. Samaritani) *ab Alexandro Magno domum Dei noſtri, ut eam deſtruerent; & eam ille iis conceſſit. Simeon autem Juſtus, cùm res ei nunciata eſſet, quid fecit? Induit ſe veſtibus Pontificalibus, & ex nobilibus Iſraelis* (מיקירי ישראל) *ſecum aſſumpſit. Faces ardentes* (אבוקות של אור) *in manibus habebant, & totâ nocte hi ex uno, illi ex altero latere ibant, uſque dum columna aurora aſcenderat. Cùm columna aurora aſcendiſſet, rogavit Alexander quinam eſſent; & reſponſum eſt, eos eſſe Judæos qui adverſùs ipſum rebellaſſent. Cùm veniſſent Antipatrida oriebatur ſol, & ſibi mutuò occurrebant. Cùm autem*

Alexander Simeonem Justum vidisset, descendit è curru suo, & coram eo adoravit: cùmq; ei dixissent, מלך גדול כמותך ישתחוה ליהודי זה, *Numquid Rex Magnus, qualis tu es, adorabit hunc Judæum? respondit, Similitudo vultûs hujus vincebat coram me in domo mea bellica.* (Ità Hebræa Latinè sonant, דמות היוקנו של זה מנצחת לפני בבית מלחמתי, Sensus esse videtur, effigiem Simeonis Justi Alexandro in tentorio suo, sive in somno, sive vigilanti apparuisse, & de adversariis victoriam reportasse: nisi fortè illud, מנצחת לפני vertendum sit, *fecit vincere coram me*, cùm sit in Piel; i. fecit ut victoria mihi obveniret.) *Deinde rogavit eos, inquiens, Quorsum venitis? Illi responderunt, Ne domus, in qua pro te oratur, destruatur: nam fraudulenter tibi persuaserunt Gentiles ut eam destruas. Quinam, inquit ille, sunt isti quos dicitis? Responderunt, Cuthæi hi qui coram te stant. Tunc Alexander, Ecce, inquit, traditi sunt in manu vestra.* (In vestra sunt potestate, ut pro libitu eos tractetis.) *Illi igitur statim, perforatis eorum pedibus, equorum suorum caudis eos alligabant,* (מיד נקבום בעקביהם וחלאום בזנבי סוסיהם) *& trahebant eos per spinas & tribulos, donec pervenissent ad montem Garizim, quem arabant & seminabant, ut Cuthæi domui Dei nostri facere studuerant, & istum diem festum celebrabant.* (ואותו יום עשאוהו יום טוב) Sheringamius noster in Codicem Joma pag. 155. asserit tradi in Gemara, sacerdotes sacris amictos Alexandro Magno ex urbe obviàm processisse: at ego sacerdotum mentionem non reperio, nisi fortè per יקירי ישראל, *Nobiles Israelis*, sacerdotes intelligantur: & maximè quidem probabile videtur, Sacerdotem summum alios sacerdotes, in istiusmodi præsertim negotio, secum comites assumpsisse. Ibidem etiam vir ille eruditus ait, Josephum referre Simeonem Justum, sive Jaddum (plura enim, inquit, habuit nomina) à Deo in somnis monitum hoc ipsis consilium suggessisse. At Seldenus De Successione in Pontificatum lib. 1. cap. 6. recensens Pontifices qui erant à Templi primi excidio ad Antiochi Epiphanis tempora, inter Jaddum sive Jadduam & Simeonem Justum (vide Junium in Ecclesiastic. 50. 1.) ponit Oniam; & ibidem sic ait, *Jaddus sive Jaddua is erat qui Alexandrum Magnum excepit, ut Josephus, cujus sequaces sunt Paulus Diaconus, Freculphus, plerique alii. Id verò alii Simeoni I. seu Justo tribuunt.* Mox autem addit, *Certè Simeonem illum etiam Iddo, & Jaddum interdum apud Hebræos dici legimus.* David Ganz in Tsemach David ad annum 3448. ait, *Simeon Justus fuit ex sodalitio virorum Synagogæ Magnæ; & nomen ejus fuit Jaddua filius Josua filii Jehozedec*, &c. At paulò pòst cùm ostendisset ex Neh. 12. 10, 11. inter Josuam & Jadduam plures interveniisse, addit, *Traditione verò receptum est ab illis, Jadduam genuisse Oniam, & Oniam genuisse Simeonem Justum.*

Josephus Antiquit. lib. 15. cap. ult. De Templo ab Herode ædificato loquens ait, *Fertur toto tempore quo Templum struebatur, nunquam interdiu pluisse, noctu tantùm imbribus descendentibus, nè interrumperetur ædificatio; eáque fama quasi per manus tradita ad nos pervenit à majoribus: nec est vero absimile, si quis Divinam providentiam respiciat.* Idem etiam, sed minùs distinctè, habetur in Vajikra Rabba sect. 35. בימי הורודוס המלך היו גשמים יורדים בלילה בשחרית נשבה הרוח נתפזרו העבים ורחה החמה נתגנבה הארץ והיו הפועלי' יוצאי' ועוסקי' במלאכתן ויודעי' שרצון אביהם שבשמים במעשיהם, *In diebus Herodis regis imbres noctu descendebant. Manè flabat ventus, dissipabantur nubes, oriebatur sol, exsiccabatur terra, & exibant & exercebant se in opere suo, & sciebant Patri ipsorum cœlesti opera sua placuisse.* Illud proculdubio non de toto Herodis tempore, sed eo duntaxat quo Templum ædificabatur, est intelligendum.

Josephus Antiq. lib. 2. cap. 5. refert Pharaonem Ægypti regem Mosi adhuc puerulo, quem ejus filia sibi adoptaverat, diadema suum imposuisse, Mosen verò pueriliter id capiti detraxisse, atque ad humum prolabi passum pedibus conculcasse. Istiusmodi quiddam fabulantur etiam Hebræi in Elle Shemoth Rabba sect. 11. ad illud Exod. 9. 11. *Et Magi non potuerunt stare coram Mose.* למה לא יכלו לעמוד לפני משה לפי שהם השיאו עצה לפרעה להשליך ליאור כל הבן הילוד כדי שימות משה ועוד שהיו מחייבין אותו הריגה בערת שהסיר העטרה מראש פרעה לראשו, *Quare non potuerunt stare coram Mose? Quia consilium Pharaoni dederunt, ut in rivum unumquemque filium qui nasceretur projicerent,* (id ex Magorum consilio profectum refert etiam Josephus) *ut ità Moses moreretur. Quin & propterea quòd eum* (nempe Mosen) *morti adjudicaverunt* (id quoque tradit Josephus) *eo tempore quo coronam à capite Pharaonis ablatam capiti suo imposuit.* In ultima illa clausula à Josephi narratione nonnihil receditur.

Cap. 3. *De LXX Interpretibus.*

De Septuaginta, [*Ea* (versio) *vulgò dicitur Lxx seniorum, sed tropicè, quòd scilicet facta sit à legatis Lxx-viralis, quod Hierosolymis erat, Synedrii. Hos verò legatos fuisse, non Lxx. sed quinque discimus ex Talmudis tractatu de Scribis cap. 1. §. 7.* Jac. Cappellus Observ. in Nov. Test. ad Heb. 3. 8. Et sanè in loco quem citat appellantur חמשה זקנים *quinque Senes:* & tamen illico §. 8. שבעים ושנים זקנים, *Septuaginta & duo Senes.* Quid hoc sibi velit, me nescire fateor.] quos vocant, Interpretibus multi multa dixerunt; & non ità pridem Vir nunquam sine summi honoris præfatione nominandus, Usserius Armachanus, eruditissimum Syntagma de eis edidit: ego nonnulla, quæ in antiquis Hebræorum monumentis de Interpretibus istis reperi, in lucem proferam. In tractatu Talmudico Megillah fol. 9. 1. hæc occurrunt, מעשה בתלמי המלך שבנס שבעים ושנים זקני' והכניסן בשבעים ושנים בתים ולא גלה להם על מה כינסן ונכנס אצל כל אחד ואחד ואמר להם כתבו לי תורת משה רבכם נתן הק"בה מלב כל אחד ואחד עצה והסכימו כולן לדעת אחת, *Exemplum* (seu *historia*, ad verb. *factum*) *de rege Ptolemæo, qui congregavit 72. seniores,* (tot fuerunt, nempe ex unaquaque duodecim tribuum sex, sed ob rotunditatem numeri solent appellari 70.) *& in 72. domibus* (seu *cellis*) *eos collocavit, nec indicavit eis quare eos congregasset. Ad unumquemque autem eorum ingressus dixit, Scribite mihi Legem Mosis Magistri vestri. Tunc Deus s. b. in uniuscujusque corde consilium indidit, & in unam sententiam conseserunt.* Eadem penè verba sunt etiam in tractatu Sopherim, cap. 1. §. 8. Nec mirum profectò est, Judæis, & præsertim Talmudicis, ad fabulas valde propensis, commentum istud de 72. cellulis seu domunculis placuisse, cùm inter Christianos non pauci mordicus ei adhæserint: sed illud meritò ridet Hieronymus, ut ut eum propterea indignissimè exagitet Morinus Exercit. Bibl. lib. 1. exercit. 8. cap. 1. §. 7. Hìc autem observandum ex Talmudicorum horum sententia, (quod etiam ex Aristea & Josepho liquet, reclamante licèt Morino) 70. Interpretes à Ptolemæo accersitos non nisi Legem sive Pentateuchum vertisse: etiamsi enim nomen *Legis* (ut postea fortè observabitur) latiori interdum sensu acceptum totam V. T. scripturam comprehendat, cùm tamen *Lex Mosis* (ut in verbis è Talmude allatis) appellatur, non nisi de libris à Mose scriptis est intelligenda. Sic Luc. 24. 44. Legem Mosis à Prophetarũ libris, & Psalmis distingui videmus. In loco autem Talmudis memorato post verba superiùs citata afferuntur loca quædam quæ 70.

Interpretes

Interpretes ità verterunt ut de industria ab Hebræo textu eos discessisse appareat. Ego loca ista distinctè recensebo, unà cum rationibus à Glossatore Hebræo redditis (etiamsi frigidæ sint plerumque & inanes) quare 70. Interpretes in istis locis textum variaverint.

I. Gen. 1. 1. Pro ברשית ברא אלהים, *In principio creavit Deus*, aiunt Lxx vertisse quasi esset אלהים ברא ברשית, *Deus creavit in principio*; atque hæc Versionis istius ratio redditur, nè alioqui dici posset, רשתי רשויות הן והתיבה הראשונה בורא אחד ואלהים הוי שני, *quòd duo sunt principia; vel quòd dictio prima unum Creatorem, & vox ELOHIM alterum denotat.* Sed hoc nimiùm est ineptum: in *TOSEPHOTH* autem seu *Additionibus* (quæ in margine positæ sunt) istud habetur. R. Salomonis glossa æquè est insipida, שלא יאמר ברשית שם הוא ושני רשויות הן וראשון ברא את השני, *Nè quis diceret, BERESHITH est unus Deus; & duo sunt principia, quorum primum creavit secundum.*

II. Gen. 1. 26. Illud נעשה אדם בצלמנו כדמותנו, *Faciamus hominem ad imaginem nostram, juxta similitudinem nostram*, Lxx Interpretes vertisse dicuntur ac si scriptum esset, אעשה אדם בצלם ובדמות, *Faciam hominem ad imaginem & similitudinem*; quia nimirum ex eo quod in Hebræo legitur dici posset, שני רשויות הן, *Duo sunt principia.*

III. Gen. 2. 2. Pro eo quod Hebræus textus habet, ויכל ביום השביעי וגו', *Et consummavit* (vel *consummaverat*) *Deus die septimo*, &c. aiunt istos interpretes in hanc sententiam vertisse, ויכל ביום הששי וגו', *Et consummavit die sexto*, &c. Nempe שלא יאמר א"כ עשה מלאכה בשבת, *Nè quis diceret, si ità se res habet*, (prout scilicet in Hebræo habetur) *tunc* (Deus) *opus fecit in sabbato.*

IV. Gen. 1. 27. Pro זכר ונקבה ברא אותם, *Masculum & feminam creavit eos*, ferunt Lxx Interpretes vertisse ac si esset זכר ונקבה בראו, *Masculum & feminam creavit eum.* Ubi Glossa, ולא כתבו בראם דמשמ' ב' נופין ברא כל א' זכר ונקבה שני פרצופים לכך כתבו בראו שכך נברא אדם בשני פרצופים, *Non scripserunt, CREAVIT EOS, quòd ejus simplex sensus videatur, Duo corpora creavit, utrumque marem & feminam, duas personas: propterea scripserunt, CREAVIT EUM; quia sic creatus est homo in duabus personis.* Verba hæc sunt subobscura. Morinus (ubi suprà sect. 4.) ità intelligit ac si sensus esset, eos ità vertisse, nè alioqui, si vertissent *creavit eos*, Ptolemæus existimaret Deum initio duas personas creasse. At ego potiùs arbitror eos versione suâ significare voluisse, duas à Deo personas creatas fuisse; (utì revera fuerunt, etiamsi non simul, nec eodem modo) atque Hebraicam lectionem sequi noluisse, nè indè existimaretur unum eundémque hominem tam marem quàm feminam fuisse creatum; id quod nonnulli minùs literales expositores apud Hebræos tradiderunt. In Midras Tillim ad Psal. 139. R. Eliezer ex hoc Geneseos loco collegisse dicitur, hominem creatum fuisse אנדרוגינוס *androgynum*, ità nempe ut mas simul esset ac femina. In Bereshith Rabba sect. 8. circa initium istud tribuitur R. Jeremiæ filio Eliezeris.

V. Gen. 11. 7. Pro הבה נרדה ונבלה שם שפתם, *Age, descendamus, & confundamus ibi labium eorum*, horum interpretum Versionem sic sonare aiunt, ac si Hebraicè esset, הבה ארדה ואבלה שם שפתם, *Age, descendam, & confundam ibi labium eorum.*

VI. Gen 18. 12. Cùm in Hebræo scriptum sit, ותצחק שרה בקרבה, *Et risit Sarah intra se*, aiunt eos in hunc sensum vertisse, ותצחק שרה בקרוביה, *Et risit Sarah inter propinquos* (vel *vicinos*) *suos*; nempe (ut vult Glossator) שלא יאמר על אברהם לא הפקיד דכתיב ויצחק ועל שרה הפקיד לפיכך כתבו בקרוביה לומר אברהם בלבו והיא אמרה בקרוביה, *Nè quis diceret, De Abrahamo non fuit solicitus, etiamsi & is risisse dicatur*; *de Sarah autem solicitus fuit*; (i. Sarah ob risum reprehensa erat, non autem Abraham) *propterea scripserunt, Inter propinquos* (seu *vicinos*) *suos. Quasi dixerint, Abraham in corde suo risit*; *sed illa inter propinquos* (vel *vicinos*) *suos locuta est.*

VII. Gen. 49. 6. Hebræa lectio sic habet, כי באפם הרגו איש וברצונם עקרו שור, *Nam in ira sua occiderunt virum, & in pervicacia sua effoderunt murum*; vel *eradicarunt bovem.* Lxx autem Interpretes ità vertisse aiunt ac si legeretur, באפם הרגו שור וברצונם עקרו אבוס, *Nam in ira sua occiderunt bovem, & in pervicacia sua eradicarunt præsepe.* In Glossa hæc ratio redditur, שלא יאמר רוצחנים היו אבותיכם, *Nè quis diceret, Patres vestri fuerunt homicidæ.*

VIII. Exod. 4. 20. pro istis, *Et accepit Moses uxorem suam, & filios suos, & fecit eos equitare* על החמור *super asinum*, Lxx Interpretum versionem ità habere tradunt ac si scriptum esset, על נושא בני אדם *super portans filios hominum*, seu *jumentum*, nempe, ut in Additionibus Marginalibus ratio redditur, פן יאמר להם וכי לא היה לו למשה רבנם סוס או גמל, *Nè quis* (vel *Nè Rex Ptolemæus*, & sic in reliquis) *diceret, An Moses Magister vester non habuit equum, vel camelum?*

IX. Exod. 12. 40. Pro eo quod scriptum est, *Et habitatio filiorum Israel* במצרים *in Ægypto fuit*, &c. isti vertisse dicuntur quasi scriptum esset, במצרים ובשאר ארצות *in Ægypto, & in reliquis terris*, &c. nempe (ut in Glossa dicitur) nè alioqui Scriptura falsa esse videretur. Vide si placet Annotationes meas in Exodum ad cap. 12. 40.

X. Exod. 24. 5. Cùm in Hebræo sit, וישלח את נערים וגו' ואל אצילי בני ישראל וגו', *Et misit juvenes*, &c. & v. 11. *Et super principes*, vel *selectos*, *filiorum Israel non misit manum suam*; istorum interpretatio istiusmodi esse traditur, וישלח את ואטוטי בני ישראל, *Et misit magnates filiorum Israel*, &c. & ver. 11. ואל ואטוטי בני ישראל וגו', *Et in magnates filiorum Israel non misit manum suam.* Morinus loco antè citato sect. 2. vertit, *Et misit minimos*, &c. *Et ad minimos filiorum Israel non misit manum suam.* Buxtorfius etiam in Lex. Talmud. sub radice ועט (quod mendosè scribitur עוש) etiamsi exponat ועשוטים *magnates*, ac notat in tractatu Talmudico Sopherim, & in Megilla scribi per א, addit tamen, *Quid si vertas*, Minores, Plebeios, *ex significatione* ווט *de quo suprà?* At R. Salomon in Glossa sua ait, ואטוטי לשון השיבות ונערי לשון קטנות, *Vox* ואטוטי *denotat Dignitatem*; *& vox* נערי *denotat Parvitatem*: atque ideo pro נערי *juvenes* poni ואטוטי *magnates*, nè alioqui dici posset, גדולים שלכם שלחתם לקבל פני שכינה, *Insimos vestros misistis, ut intuerentur faciem Divinæ majestatis.* Addit etiam Interpretes istos v. 11. eâdem voce ואטוטי *magnates* usos esse, quia antea v. 4. eâ usi fuerant.

XI. Num. 16. 15. In Hebræo est, לא חמור אחד מהם נשאתי, *Non asinum aliquem* (vel *unum*) *eis abstuli*: sed eorum interpretationem sic exhibent, לא חמר אחר מהם נשאתי, *Non desiderabile quicquam eis abstuli.* Nè scilicet diceretur, חמור לא לקח אבל חפץ אחר לקח, *Asinum non abstulit, sed abstulit aliquid aliud quod ei arrisit.*

XII. Deut. 4. 19. Pro Hebraicis istis, אשר חלק ה' אלהיך אותם לכל העמים, *Quæ Dominus Deus tuus divisit omnibus populis*, tradunt eos scripsisse in hanc sententiam, אשר חלק ה' אלהיך אותם להאר לכל העמים, *quæ Dominus Deus tuus divisit, ut omnes populos illuminent.* Ratio istius mutationis (si mutatio sit dicenda) esse dicitur, nè alioqui dici posset, בן נח מותר בע"ז, *filio Noæ licita est idololatria*; quasi scilicet luminaria cœli omnibus popolis ad colendum data essent.

XIII. Deut. 17. 3. Pro וילך ויעבד אלהים אחרים, *Et ivit, & colnit deos alienos*, aiunt istos habere,

bere, וילך ויעבד אלהי' אחרי' אשר לא צויתי לעובדם, *Et ivit, & coluit deos alienos, quos non præcepi ut colerent.* Atque illud לעובדם *ut colerent eos*, additum dicitur, nè alioqui Sacer textus sic intelligi posset, *de quibus ego non præcepi ut essent, & sic divinitas eorum astrueretur,* שעל כורחו נבראו *quia illo invito creata erant.*

XIV. Pro ארנבת *lepore*, Levit. 11. 6. & Deut. 14. 7. asserunt eos habere צעירת הרגלים, *parvam pedibus*; & in ipsa Gemara ratio redditur, שאשתו של תלמי ארנבת שמה שלא יאמר שחקו בי היהודים והטילו שם אשתי בתורה, *Quia uxoris Ptolemæi nomen erat Arnebeth,* (vel *Lepus,*) *nè diceret* (Ptolemæus) *Judæi me derisérunt, & nomen uxoris meæ in Lege posuerunt.* In Vajikra Rabba sect. 13. nulla quidem in Versione Lxx Interpretum mutatio notatur, ut alibi sæpe fit, sed ad verba ista, ואת ארנבת *& leporem*, sic scribitur, זו יון אמו של תלמי ארנבת שמה *Iste est Græcus*; (Volunt nempe per *Leporem* ibi intelligi Græcum; ut mox dicunt *Porcum* esse Persam) *Ptolemæi matris nomen erat Lepus.* Sed ista frivola sunt, atque indè forsan nata, quòd pater Ptolemæi Senioris, nempe ejus qui fuit pater Ptolemæi Philadelphi, dictus est *Lagus*, quâ voce apud Græcos *Lepus* significatur: indè Judæi historiarum rudes, vel uxorem, vel matrem Ptolemæi Philadelphi sic appellatam existimarunt. Cùm autem ex distincta locorum enumeratione quatuordecim esse appareat, miror quomodo in tractatu Sopherim cap. 1. §. 8. dicatur fuisse tredecim. Verba illic posita sic habent, וכתבו לו תורה בפני עצמה ושלשה עשר דבר שינו בה: *Et scripserunt ei* (nempe Lxx. Interpretes Ptolemæo) *legem pro se*; (vel *separatim*, nempe à reliquis Vet. Test. libris; quod etiamsi apertum sit testimonium Lxx. Interpretes non nisi Legem Mosis seu Pentateuchum vertisse, indè tamen Morinus Exercit. Bibl. lib. 1. exerc. 8. cap. 2. §. 7. argumentatur, ex horum Talmudicorum sententia etiam reliquos Scripturæ libros ab eis fuisse translatos) *& tredecim res in ea mutarunt.* Deinde omnia loca antè memorata, quæ Interpretes isti mutasse feruntur, recensentur; quæ revera quatuordecim esse comperiuntur. Morinus etiam (ibid. cap. 1. sect. 5.) etiamsi singula Scripturæ loca in quibus istiusmodi mutatio facta dicitur notet, tamen tredecim esse ait. Sic præstantissimus Usserius in Syntagmate de Lxx Interpretibus cap. 2. pag. 11. *Hebræis*, inquit, *in Bereshith Rabba sect. 8. & in utroque Talmude, tractatu Megillah cap. 1. tredecim tantùm loca Mosis fuisse dicuntur à 70. Senioribus certo quodam consilio aliter quàm in Hebræo erant conversa.* In Megillah quidem mutationes ab Interpretibus istis (uti ferunt) factæ recensentur, sed (quantum video) non illic, sed in *Sopherim*, tredecim fuisse dicuntur. Nec in Bereshith Rabba sect. 8. tot loca fuisse mutata reperio; sed illud duntaxat, locum istum Gen. 1. 27. fuisse mutatum; ut & alia quædam loca, quæ speciatim non memorantur. Sic enim istic aiunt, וכר ונקבה בראם זה אחד מן הדברים ששינו לתלמי המלך, *Masculum & feminam fecit eos*; *Istud unum est ex iis qua mutarunt in gratiam regis Ptolemæi.* Deinde sequitur, וכר ונקבה בראם, *Masculum & feminam creavit eos:* quod absque dubio mendosum est, & legi debet, וכר ונקבה בראו, *Masculum & feminam creavit eum.* Ità enim volunt Lxx Interpretes locum istum mutasse, ut antea è Talmude vidimus; cùm alioqui si legatur בראם *creavit eos*, nulla omnino facta sit mutatio. Sed quod admirationem adhuc auget, in Elle Shemoth Rabba sect. 5. fol. 123. col. 1. ad illa uerba, וירכיבם על החמור, *& fecit eos equitare super asinum*, Exod. 4. 20. dicitur, זה אחד מי"ח הדברים ששינו החכמים לתלמי המלך, *Iste unus est ex octodecim locis quos Sapientes Ptolemæi regis gratiâ mutarunt*, Unde hoc sit nescio, nisi fortè Typographi incuriâ י"ח *octodecim* positum sit pro י"ג *tredecim.* Quicquid sit, video etiam à Morino observatum, (loco proximè citato sect. 3.) Shemoth Rabba parashâ 5. ac librum quoque Juchasin (quem ego hactenus non vidi) octodecim scribere mutationes. In Versione autem Lxx Interpretum, quam nunc habemus, hujusmodi mutationes non inveniuntur nisi tribus duntaxat in locis, nempe Gen. 2. 2. Exod. 12. 40. & Num. 16. 15. nisi fortè addi debeat Exod. 4. 20; ubi pro Hebræo חמור *asino* in Græco est τὰ ὑποζύγια *subjugalia.* In Levit. 11. 6. & Deut. 14. pro ארנבת *lepore* Græci habent δασύποδα, quod Latinè sonat *hirsutum pedibus*, & cuniculo pariter ac lepori convenit. Morinus (ubi suprà sect. 6.) ait, Aristotelem De hist. animal. lib. 3. cap. 12. & post eum Plinium docere, id cuniculi proprium esse. At in isto ipso Aristotelis loco Theodorus Gaza, homo Græcus, & Græcarum juxta ac Latinarum literarum calentissimus, δασύποδα vertit *leporem*, non *cuniculum.* De Leporibus autem & Cuniculis conjunctim agit Plinius Nat. hist. lib. 8. cap. 55. & disertè ait, *Leporum genera esse & quos Hispania Cuniculos appellat*; sed de hirsutis pedibus nihil habet. Dalecampius quidem in Annotationibus ad istum locum ait, Cuniculos appellari δασύποδα, quoniam, ut ait *Pollux*, δασεῖς οἱσι τὸν βλίχωνα, ὑ μόνον τὰ πρανῆ, ἀλλὰ καὶ τὰ ὕπτια τῶν ποδῶν, *quia hirsutos habent pilos, non solùm in pronis, verùm etiam in supinis pedum partibus:* atque addit, hoc *Lagopodi avi commune esse, sed nulli præterea quadrupedi, ut inquit Aristoteles.* At certè ipsa vox *Lagopus* indicat Leporem nomine *Dasypodis* esse comprehensum; etiamsi, fateor, interdum apud Aristotelem, nempe De hist. animal. lib. 1. cap. 1. sub finem, λαγῶς *Lepus* & δασύπους *hirsutus pedibus* seu *Cuniculus* distinguantur. Sed ut ad Talmudicos redeam, nescio an suspicari liceat, in verbis antea citatis pro צעירת רגלים *parvus pedibus* legendum esse שעירת רגלים *pilosus* vel *hirsutus pedibus.* Certè voces צעירת & שעירת admodum, ut patet, inter se sunt similes, ut una in alteram facilè mutaretur; posterior autem vox unà cum voce רגלים Græcam vocem δασύποδα planè plenéque exprimit. Sed præter loca à Talmudicis notata, sunt alia propè innumera, in ipso quidem Pentateucho, etiamsi in aliis Scripturæ locis multò plura, in quibus Lxx Interpretum Versio, qualis nunc exstat, ab Hebraica lectione discordat, ut cuivis alteram cum altera conferenti apparet.

CAP. 4. *De Salomone, ejúsque libris, Ecclesiaste & Cantico Canticorum.*

SAlomonis salutem à multis in dubio positam, imò pro deplorata habitam, notum est. Vide Bellarm. de Justificat. lib. 3. cap. 14. §. *Quintò*, & Bertium De Apostasia Sanctorum pag. 29. Non sic autem de eo senserunt Hebræi, uti ex iis apparet quæ in Shir Hasshirim Rabba fol. 2. col. 4. scripta sunt. Ibi enim David & Salomon, cùm in aliis, tum in hoc inter se collati sunt, quòd hujus pariter ac illius peccata remissa fuerunt, מה אביו נמחל לו על כל עינותיו שנא' גם ה' העביר חטאתך לא תמות אף זה כיוצא בו ולא עוד אלא ששרתה עליו רוח הקדש ואמר שלשה ספרים משלי קהלת ושיר השירים, *Quid de patre ejus?* (nempe Salomonis) *Omnia ejus peccata ei sunt remissa; quemadmodum dicitur,* 2 Sam. 12. 13. *Dominus etiam transtulit* (ad verb. *præterire fecit*) *peccatum tuum; non morieris. Etiam iste* (Salomon) *ei* (Davidi) *hac in re similis est. Neque id solùm, verùm etiam requievit super eum Spiritus S. & tres libros composuit, nempe Proverbia, Ecclesiasten, & Canticum Canticorum.* Ibidem etiam col. 3. observant studium ac diligentiam Salomonis in ædificanda domo Dei ex eo quod scriptum est 1 Reg. 6. ult. nempe Salomonem septem annis ædificasse domum Dei, cùm in domo sua ædificanda tredecim annos consumpserit, uti dicitur 1 Reg. 7. 1. Hinc Hebræi loco jam citato, בבנין ביתו נתעצל בבנין בית המקדש היה זריז ולא נתעצל: *In ædificanda domo sua cunctatus est*, vel *tardè processit; in ædificanda autem domo Sanctuarii fuit diligens, & non cunctatus est.* Similiter R. Salomon ad 1 Reg. 7. 1. ואת ביתו בנה שלמה שלש עשרה שנה שבמלאכת גבוה נזדרז ובשלו נתעצל ובשבחו סיפר הכתוב,

הכתוב, *Domum autem ſuam ædificavit Salomon tredecim annis: quia nimirum in opere Excelſi diligentem, in ſuo autem pigrum ſe exhibuit: atq; in laudem ejus hoc commemorat Scriptura.* Ità etiam ad eundem Scripturæ locum R. Levi Ben Gerſhom, וזה מורה על עוצם וריוחו בבנין בית המקדש, *Atque hoc indicat magnam ejus diligentiam quam in ædificanda domo Sanctuarii adhibuit.* Ad confirmandam etiam eorum ſententiam qui dicunt Salomonem, ad reſipiſcentiam ſuam teſtandam, extremo vitæ tempore, cùm vanitatem mundi plùs ſatìs expertus eſſet, librum *ECCLESIASTEN* compoſuiſſe, illud notandum cenſeo quod in Shir haſſhirim Rabba circa initium habetur. *Tres libros ſcripſit* (Salomon;) *Miſle (Proverbia,) Koheleth (Eccleſiaſten,) & Shir haſſhirim (Canticum Canticorum)* איזה מהם נכתב תחלה *Quem eorum primò ſcripſit? R. Chija Rabba ait, Primò ſcripſit Miſle,* ſeu *Proverbia; deinde Shir haſſhirim,* ſeu *Canticum Canticorum; & poſtremò Koheleth,* ſeu *Eccleſiaſten. R. Jonathan dixit, Canticum Canticorum primò ſcripſit, deinde Proverbia, & poſtremò Eccleſiaſten. R. Janai ſocer R. Ami ait,* כל מודים שהקהלת בסוף אמרה, *Omnes fatentur Eccleſiaſten poſtremò fuiſſe compoſitum.* Hieronymus ſub finem Commentarii ſui in Eccleſiaſten ſic ſcribit, *Aiunt Hebræi, cùm inter cætera ſcripta Salomonis, quæ antiquata ſunt, nec in memoria duraverunt, & hic liber ebliterandus videretur, eò quòd vana aſſerat Dei creaturas, & totum putaret eſſe pro nihilo, & cibum & potum & delicias tranſeuntes præferret omnibus, ex hoc uno capitulo meruiſſe autoritatem, ut in Divinorum voluminum numero poneretur, quòd totam diſputationem ſuam & omnem catalogum ſuum hâc quaſi ἀναλεφαλαιώσει coarctaverit, & dixerit finem ſermonum ſuorum auditu eſſe promptiſſimum, nec aliquid habere difficile, ut ſcilicet Deum timeamus, & ejus præcepta faciamus. Ad hoc enim natum eſſe hominem,* &c. Iſtud Hieronymi de Hebræis teſtimonium ex eo confirmatur quod in tractatu Talmudico Shabbath fol 30. 2. legitur. בקשו חכמים לגנוז ספר קהלת מפני שדבריו סותרין זה את זה ומפני מה לא גנוזוהו מפני וכו': *Sapientes conati ſunt occultare* (ſeu *apocryphum facere*) *librum KOHELETH,* (vel *Eccleſiaſten*) *quia verba ejus ſibi invicem repugnant. Et quare eum non occultabant? Quia principium ejus verba Legis, & finis ejus verba Legis. Principium ejus verba Legis: ſcriptum enim eſt,* (in principio Eccleſiaſtis) *Quid commodi habet homo in omni labore ſuo quo laborat ſub Sole? Et dicunt ii qui ſunt è domo R. Janai, SUB SOLE ait, quia ſi quis in eo laborat quod eſt ante ſolem, tunc commodum indè capiet.* (Ità R. Salomon verba Gemaræ exponit, אם יעמול בתורה שקדמה לשמש יש יתרון, *Si* (homo) *laboraverit in Lege, quæ fuit ante ſolem,* i. ſi Legi diſcendæ obſervandæque operam dederit, *erit ei commodum*) *Finis ejus verba Legis: ſcriptum enim eſt,* (in fine Eccleſiaſtis) *Finem totius ſermonis audiamus, Deum metue, & mandata ejus obſerva; nam hoc eſt totus homo. Quid illud eſt. Nam hoc eſt totus homo?* (vel *omnis homo*) *Dixit R. Eleazar, Mundus univerſus non niſi propter hoc creatus eſt. R. Abba filius Cahana dixit, Hoc tantundem valet ac totus mundus.* Deinde adducuntur loca quædam in ſpeciem ſibi mutuò repugnantia, quæ tamen pulcrè inter ſe conſentire demonſtrantur. Afferunt illud Eccleſ. 7.3. טוב כעס משחוק, *Ira melior eſt riſu,* & iſtud tanquam ei contrarium, Eccleſ. 2.2. אמרתי לשחוק מהולל, *Dixi riſui, Laudabilis es,* vel, *Dixi de riſu, Laudabilis eſt.* Ità hîc intelligunt vocem מהולל, quam alii rectiùs interpretantur, *inſanus es,* vel *eſt.* Hæc autem ità inter ſe conciliant, טוב כעס שכעס הק"בה על הצדיקי' בעולם הזה משחוק שמשחק הק"בה על הרשעים בעולם הזה, *Melior eſt ira quâ Deus ſ. b. irascitur juſtis in hoc ſeculo, quàm riſus quo Deus ſ. b. in hoc ſeculo impiis arridet,* dum eis nempe omnia ex animi ſententia facit ſuccedere. Cùm autem ait, *Dixi de riſu, Laudabilis eſt,* וזה שחוק שמשחק הק"בה עם הצדיקים בעולם הבא, *Iſte eſt riſus quo Deus ſ. b. arridet juſtis in ſeculo futuro.* Afferunt etiam illud Eccleſ. 8.15. *Et laudavi ego lætitiam,* & tanquam ei adverſum iſtud Eccleſ. 2.2. *Et de lætitia* (dixi,) *Quid facis?* Ea autem ſic in concordiam redigunt; Cùm ait, *Et laudavi ego lætitiam,* זו שמחה של מצוה, *Iſta eſt lætitia præcepti.* Cùm verò ait, *Et de lætitia* (dixi,) *Quid facis?* זו שמחה שאינה של מצוה *Iſta eſt lætitia quæ non eſt præcepti.* Deinde additur, ללמדך שאין שכינה שורה לא מתוך עצבות ולא מתוך עצלות ולא מתוך שחוק ולא מתוך וכו': *Ut diſcas Majeſtatem Divinam* (ſeu *Divinam Præſentiam* vel Spiritum S.) *non requieſcere neque in triſtitia, neque in pigritia, neque in levitate capitis, neque in confabulatione, neque in verbis otioſis, ſed in lætitia præcepti; quemadmodum dicitur* 2 Reg. 3.15. *Nunc autem date mihi fidicinem: & factum eſt ut cùm fidicen caneret, manus Domini ſuper ipſum eſſet.* In Midras Koheleth ad cap. 1.3. R. Benjamin dixiſſe fertur, בקשו חכמים לגנוז ספר קהלת מפני שמצאו בו דברים סתין לצד וכו': *Quærebant ſapientes occultare librum Eccleſiaſten, quia inveniebant in eo verba inclinantia ad hæreſin. Dicebant, Ecce omnis ſapientia Salomonis hæc eſt, ut dicat, Quænam eſt utilitas homini in omni labore ſuo? Numquid etiam in labore Legis?* (i. labore qui circa Legem impenditur.) *Converſi dixerunt, Non dixit, in omni labore, ſed in labore ſuo. In labore ſuo non laborat, ſed in labore Legis,* ſcilicet cùm Legis cognitioni atque obſervationi laborem impendit. Deinde ſequitur, *Dixit R. Samuel apud R. Iſaacum,* (בר' יצחק) *Quærebant Sapientes occultare librum Eccleſiaſten, quia in eo inveniebant verba quæ inclinant ad hæreſin. Dicebant, Omnis ſapientia Salomonis in eo conſiſtit, quòd dixit, Lætare, juvenis, in juventute tua,* &c. *Moſes dixit,* Num. 15.39. *Et non quæretis poſt cor veſtrum, & poſt oculos veſtros. Salomon autem ait, Ambula in viis cordis tui, & ad aſpectum oculorum tuorum.* הותרה הרצועה ליתדין וליתדיין, *Solutum eſt lorum;* (vinculum eſt diruptum) *non eſt judicium, non eſt judex. Sed cùm dixit, Scias autem quòd ob hæc omnia Deus te adducet in judicium, dicebant,* יפה אמר שלמה, *Pulcrè dixit Salomon.* Aben Ezra etiam in Eccleſ. 7. circa initium ait, בקשו חכמים לגנוז ספר קהלת מפני שדבריו סותרין זה את זה, *Quærebant Sapientes occultare* (vel *inter apocryphos libros rejicere*) *librum Eccleſiaſten, quia verba ejus ſe mutuò deſtruunt.* Deinde exempla quædam affert; *Ait, Ira eſt melior riſu; & quod huic eſt contrarium, Nam ira in ſinu ſtultorum quieſcit. Et, In multitudine ſapientiæ eſt multitudo iræ;* (vel *indignationis,* aut *doloris,* כעס) *& quod ei adverſatur, Auferas à corde tuo iram,* vel *indignationem,* aut *dolorem. Et, Optimum eſt edere & bibere; & è contrà, Melius eſt ire ad domum luctûs,* &c. *Sic, Laudavi ego lætitiam; è contrario autem, De lætitia* (dixi,) *Quid facis? Ità etiam, Quid ampliùs habet ſapiens quàm ſtultus? & quod ei adverſum eſt, Eſt utilitas in ſapientia. Sic, Laudavi ego mortuos; & ex adverſo, Vivus canis præſtat mortuo leoni: atque alia ejuſmodi.* Et refert ibidem Aben Ezra quendam Expoſitorem interpretatum eſſe קהלת *Koheleth* quaſi *Congregationem* ſignificaret; ac dixiſſe Salomonis diſcipulos Librum hunc compoſuiſſe, & unumquemque animi ſui ſenſum expreſſiſſe. Id verò multis refellit, præcipuè ex eo quòd dictum ſit, *Ego Koheleth* (ſeu *Eccleſiaſtes*) *fui rex in Jeruſalem.* Tandem concludit, אחד שהעיד הכתוב על שלמה שאחריו לא יקום חכם כמוהו ידענו שאין בדבריו הפך רק הם כלם נכוחים למבין וישרים למוצאי דעת: *Quandoquidem Scriptura de Salomone teſtata eſt, neminem fore ſapientem inſtar ejus, novimus in verbis ejus nullam eſſe repugnantiam, ſed ea omnia plana eſſe intelligenti, & recta eis qui inveniunt ſcientiam.* De excellentia autem libri Salomonis qui dicitur *Canticum Canticorum,* multa apud Hebræos reperiuntur. In tractatu Talmudico Jadaim cap. 4. §. 5. R. Akiba dixiſſe traditur, אין כל העולם כולו ראוי ביום שניתן בו שיר השירים לישראל שכל הכתובים קדש ושיר השירים קדש קדשים, *Univerſus mundus non æqui-*

parat diem illum quo Canticum Canticorum datum est Israeli. Cùm enim tota Scriptura (vox כתובים Cethubim Hebræis ferè denotat eam Scripturæ partem quæ à Lege & Prophetis est distincta) sit sancta, (vel sanctum, i. instar istius partis Templi quæ dicta est Sanctum) Canticum Canticorum est Sanctum Sanctorum. Eadem etiam habentur in Shir Hashirim Rabba fol. 4. col. 3. ubi præterea in hujus libelli laudem dicitur, כל חכמתיה דשלמה לא סילת אלא שיר השירים לישראל שיר השירים המשובח שבשירים המעולה שבשירים המסולסל שבשירים, Universa Salomonis sapientia Israeli non selegit tanquam similam nisi Canticum Canticorum. Canticum canticorum, i. laudatissimum canticorum, excellentissimum canticorum, eminentissimum Canticorum. Ezech. 16. 7. עדי עדיים, Ornamentum ornamentorum. Kimchi exponit טוב ויפה שבעדיים, optimum & pulcerrimum ornamentum. Lxx πόλεις πόλεων, urbes urbium; quasi legissent, ערי ערים. Miror Lud. Cappellum in Critica sua locum istum inter varias lectiones non posuisse. Ibidem etiam ad illud Cant. 2. 4. הביאני אל ביה היין, Introduxit me in cellam vinariam, (ad verb. in domum vini) R. Meir sic exposuisse dicitur, אמרה כנסת ישראל הושלט בי יצר הרע כיין ואמרתי לעגל אלהיך ישראל הדין חמרא כך עלל לבר נשא הוה מערבב ליה, Dixit synagoga Israelis, Dominata est mihi concupiscentia mala sicut vinum; & dixi Vitulo, (vel de Vitulo) Hi sunt dii tui, ô Israel. Vinum istud cùm in hominem (ad verb. filium hominis) intrat, confundit eum. Additur autem R. Judam ei dixisse, דייך מאיר אין דורשין שיר השירים לגנאי אלא לשבח שלא נתן שיר השירים אלא לשבחן של ישראל, Sufficiat tibi Meir. Non exponunt Canticum canticorum in vituperium, sed in laudem. Neque enim Canticum Canticorum datum est nisi in laudem Israelis. R. Salomon in Cant. 1. 1. illud שיר השירים Canticum Canticorum exponit שיר שהוא על כל השירים, Canticum quod est super omnia cantica. Et refert R. Eleazarum filium Azariæ dixisse, למה הדבר דומה למלך שנטל סאת חטים ונתנה לנחתום אמר לו הוצא לי קב וכך סולת כך וכך סובין כך וכך מורסין וסליח לי מחוכה גלוסקיא אחת מנופה ומעולה כך כל הכתובים קדש ושיר השירים קדש קדשים שכולו יראת שמים וקבול עול מלכותו: Cui est res similis? Regi qui accepit seam (seu satum) tritici, & dedit pistori, inquiens, Educito mihi tantum simila, tantum furfuris subtilioris, & tantum furfuris crassioris: & indè seligas placentam unam cribratam & excellentem. Ità universa Scriptura est sancta, sed Canticum canticorum est Sanctum sanctorum, cùm in timore Dei & subjectione regno ejus exhibenda (ad verb. & acceptione jugi regni ejus) totum versetur. Dictum autem Canticum canticorum, eò quòd omnibus canticis præferatur, quæ in Scripturis sacris habentur, sicut quadam in lege dicuntur Sancta quibus majora sunt Sancta sanctorum. Isidor. Etymol. lib. 6. cap. 2. Aben Ezra in Præfatione sua multis encomiis hunc libellum ornat, inquiens, וזה הספר נכבד וכולו מחמדים ואין בכל שירי שלמה המלך חמשה ואלף כמוהו על כן כתוב שיר השירים אשר לשלמה כי זה השיר מעולה מכל השירים אשר לשלמה ובו סוד סתום וחתום, Hic Liber est pretiosus, & totus desiderabilis, nec erat inter omnia mille & quinque Salomonis cantica huic simile. Unde inscribitur Canticum canticorum Salomonis. Hoc enim canticum excellit omnia cantica Salomonis; & in eo arcanum est absconditum & obsignatum. Et mox, וחלילה חלילה להיות שיר השירים בדברי חשק כי אם על דרך משל ולולי גודל מעלתו לא נכתב בסוד כתבי הקדש: Absit autem, absit, ut Canticum canticorum sit de amore carnali nisi parabolicè: & nisi magna ejus esset præstantia, inter libros S. Scripturæ (ad verb. in arcano S. Scripturarum) locum non haberet. Chaldæus Paraph. in initio hujus libelli ait, עשרתי שירתא אתאמרו בעלמא הדין שירא דין משכח מן כולהון, Decem cantica dicta sunt in hoc mundo; & hoc Canticum iis omnibus est præstantius, seu laudabilius; vel illorum omnium est præstantissimum, seu laudatissimum. Nam inter ista decē cantica hoc recensetur, Decem autem Cantica à Paraphraste memorata hæc sunt, I. Canticum Adami, nempe Psalmus 92. II. Canticum Mosis & Israelitarum Exodi 15. III. Canticum Israelitarum cùm puteus aquæ eis datus est. IV. Canticum Mosis Deut. 32. V. Canticum Josuæ cùm Sol & Luna steterint. VI. Canticum Baraki & Deboræ. VII. Canticum Hannæ cùm peperierit Samuelem. VIII. Canticum Davidis pro omnibus miraculis quæ fecit ei Dominus. IX Canticum Salomonis. X. Canticum quod dicturi sunt Israelitæ cùm è captivitate egressi fuerint; ad quod confirmandum citatur Isai. 30. 29. Syrus Int. huic libro titulum istum præfigit, חכמת חכמתא דילה דשלימון, Sapientia sapientiarum Salomonis. Illud addam, etiamsi mihi minimè arrideat, R. Salomonem in Cant. 1. 1. ità scribere, שנו רבותינו כל שלמה האמירים בשיר השירים קדש מלך שהשלום שלו: Tradiderunt Rabbini nostri nomen Salomonis, ubicunque occurrit in Cantico canticorum, esse sanctum, nempe designare regem cujus est Shalom, i. pax. Atque ideo illud, Canticum Canticorum, quod est Salomonis, ex Rabbinorum istorum sententia sic exponit, Canticum quod est super omnia cantica, quod dictum fuit Deo S. b. à congregatione & populo ipsius, nempe cœtu Israelis.

CAP. 5. *Judæi & Pontificii inter se collati. Et quòd hæretici ex Scriptura refelli possint, etiam cùm maximè pro eis facere videatur.*

DUplex verbum Dei à Pontificiis statui notum est; nempe ἔγγραφον sive *scriptum*, & ἄγραφον sive *non scriptum*. Ità etiam Judæi asserunt duplicem Legem Divinitus esse datam, nimirum תורה שבכתב, *Legem scriptam*, seu *quæ scripto continetur*, & תורה שבעל פה, *Legem oralem*, vel *quæ ore tradita est*. In Elle Shemoth Rabba sect. 47. in initio, de duplici hac Lege ità traduntur, בשעה שנגלה הק"בה וכו', *Cùm Deus S. b. apparuit in Sinai, ut Legem Israeli daret, dixit eam Mosi juxta ordinem Scripturæ, & Misnæ, & Talmudis*, (i. Gemaræ) *& Haggadæ*; (sic appellant historicam seu potiùs fabulosam quandam narrationem) *utì dicitur*, Exod. 20. 1. *Et locutus est Deus omnia hæc verba: etiam id quod discipulus à præceptore quærit. Tunc Deus S. b. Mosi dixit, cùm ex ore Dei S. b. Legem didicisset, Doce eam Israelem. Cui Moses, Domine, inquit, mundi, eam ego illis scribam. Imò, inquit Deus S. b. non postulo ut detur in scripta: nam revelatum est coram me, fore ut nationes mundi eis dominentur, & Legem eis auferant, ùtque inter nationes sint contemptibiles: sed Biblia illis scripta dabo, Misnam autem, & Talmudem, & Haggadam ore illis tradam, ut si nationes mundi venerint, atque eos in servitutem redegerint, ab eis sint separati. Dixit Propheta,* Hos. 8. 12. *Si scripsero eis ingentia Legis meæ, quasi extraneum quiddam reputabuntur. Quid igitur eis faciam? Biblia eis scripta, Misnam autem, & Talmudem, & Haggadam ore tradam. Nescit habere præter Scripturas legitimas & propheticas Judæos quasdam traditiones suas quas non scriptas habent, sed memoriter tenent, & alter in alterum loquendo transfundit, quam* DEUTEROSIN *vocant*, Aug. Contra adversar. legis, & Prophet. lib. 2. cap. 1. Et Hieron. ad illud 1 Tim. 1. *Neque intenderent fabulis, ait, quas* DEUTEROSES *appellant. Unde in Euangelio docentes doctrinas hominum condemnantur.* Vox *Deuteroses* directè respondet Hebrææ voci משנה *Misna*, quâ prima & præcipua pars Talmudis denotatur. Eos qui Scripturæ adhærent ejúsque solius autoritate in rebus fidei nituntur Pontificii convitiis proscindunt, & per contemptum appellant *Scripturarios*; imò eo ipso nomine illos inter hæreticos recensent, ut videre est apud Prateolum in Elencho suo lib. 17. cap. 16. Ità etiam Judæorum plerique eos qui, Lege orali rejectâ, Legem duntaxat scriptam amplectuntur, ignominioso, ut putant, vocabulo

appellant

appellant, קראים *Karaitas*, q. d. *Biblicos*, vel *Scripturarios*, eósque pro hæreticis habent. R. Salomon in Gloſſa ad Megillah, fol. 242. חרי זו דרן הקראים שמבזין מדרש חכמים והולכין אחר המשמע *Ecce iſte eſt mos Karaitarum, quòd ſpernunt expoſitionem Sapientum,* (vox Hebræa מדרש *Midraſh expoſitionem minùs literalem* deſignat) *& ſimplicem Scripturæ ſenſum ſequuntur.* Præterea Pontificii Pontifici ſuo tantum tribuunt, ut non puderit Bellarminum (de Pontif. Rom. lib. 4. cap. 5.) ſcribere, *Si Papa erraret præcipiendo vitia & prohibendo virtutes, teneretur Eccleſia credere vitia eſſe bona & virtutes malas, niſi vellet contra conſcientiam peccare.* Hîc etiam Judæis ſeſe ſimiles oſtendunt. Illud enim Deut. 17. 11. לא תסור מן הדבר אשר יגידו לך ימין ושמאל, *Non recedes ab eo quod tibi narrabunt, ad dexteram aut ad ſiniſtram*, illud, inquam, in Shir Haſhirim Rabba ad cap. 1. 2. ſic exponunt, ואפילו שיאמרו לך על הימין שהוא שמאל ועל השמאל שהוא ימין: *Etiamſi tibi dixerint dexteram eſſe ſiniſtram, vel ſiniſtram eſſe dexteram.* Eadem etiam verba habet R. Salomon ad iſtum Deuteronomii locum. Sed antidoti loco adversùs Pontificios adjungam verba Maldonati in Mat. 23. 3. *Cùm jubet ſervare ac facere quæ Scribæ & Phariſæi, dum in cathedra Moſis ſedent, dicunt, non de ipſorum, ſed de Legis ac Moſis doctrina loquitur. Perinde enim eſt ac ſi dicat, Omnia quæ Lex & Moſes vobis dixerint, Scribis & Phariſæis recitantibus, ſervate.* Idem ſanè & de Pontifice Romano è cathedra quippiam decernente dicendum eſt, cùm Bellarminus (De Verbo Dei lib. 3. cap. 5.) iſtum ipſum locum torqueat, & quod Dominus de cathedra Moſis dicit, intelligi à fortiori de cathedra Petri aſſerat. Vide ſi libet Chamierum tom. 1. lib. 2. cap. 2. ſect. 6, & 7. Sed & inter Judæos quoſdam, quod hanc rem ſpectat, rectè ſentientes reperio. In Chagigah fol. 15. 2. R. Meir obſervat, non dictum eſſe Prov. 22. 17. *Et adverte cor tuum* לדעתם *ad ſcientiam eorum*, nempe Sapientum, ſed לדעתי *ad ſcientiam meam*, nempe Dei in Scriptura loquentis. Et R. Jochanan citans verba Malachiæ cap. 2. v. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & ex ore ejus requirent legem; nam eſt angelus* (ſeu *nuncius*) *Domini exercituum*, ait, אם דומה הרב ללמלאך ה' צבאות יבקשו תורה מפיהו ואם לאו אל יבקשו תורה מפיהו: *Si Magiſter ſit ſimilis angelo Domini exercituum, tunc requirent Legem ex ore ejus: ſin minùs, nè requirant Legem ex ore ejus.* Et Kimchi in Comment. ad iſtum Malachiæ locum notat Prophetam de officio Sacerdotis loqui; כי כן יאות לכל כהן שישמרו שפתיו תות המצות וחקים להורותם בשפתיו לישראל, *Ità enim oportet omnes ſacerdotes labiis ſuis cuſtodire ſcientiam mandatorum & ſtatutorum, ut ea doceant Iſraelem.* Sed & ipſe Ribera ad locum illud *cuſtodient* exponit *cuſtodire debent.* Nimis igitur ineptè Bellarminus (De verbo Dei lib. 3. cap. 4.) ex iſto loco colligit, privatorum hominum non eſſe judicare de ſententia Legis Domini, ſed in ſacerdotis explicatione (qualiſcunq; tandem fuerit) acquieſcere debere.

Illam Hebræorum obſervationem hîc adjungendam cenſeo, nempe hæreticos ex eis ipſis Scripturæ locis quæ iis favere videntur, aut ſaltem ex locis non adeò remotis poſſe refelli. In Bereſhith Rabba ſect. 8. ferunt hæreticos (המינים) interrogaſſe R. Shamlai, כמה אלהות בראו את העולם. *Quot dii crearunt mundum?* Illum verò reſpondiſſe, אני ואתם נשאל ליומים ראשונים שהיו קודם לכן מה הי"ד שאל נא ליומים ראשונים שהיו קודם לכן אשר ברא אלהים אדם אשר בראו אין כתיב כאן אלא אשר ברא, *Ego & vos interrogabimus* (vel *interrogemus*) *dies antiquos: quemadmodum dicitur*, Deut. 4. 32. *Interroga nunc dies antiquos, à die quo Deus creavit hominem. Quo* CREARUNT (dii) *non eſt hîc ſcriptum, ſed quo* CREAVIT (Deus.) *Sequitur*, hæreticos denuo interrogaſſe, *Quid ſibi vult id quod ſcriptum eſt*, Gen. 1. 1. ברא אלהים *Creavit dii?* (Obſticiunt nomen אלהים eſſe pluralis numeri, & plures deos denotare.) R. Shamlai autem reſpondiſſe, בראו אלהים אין כתיב כאן אלא ברא אלהים: CREARUNT ELOHIM, vel *dii, hîc ſcriptum non eſt, ſed* CREAVIT ELOHIM, ſeu *Deus.* Etiamſi nomen *Elohim* ſit plurale, tamen verbum *Bara* eſt ſingulare, quod arguit unum duntaxat Deum deſignari. Deinde additur, אמר ר' שמלאי בכל מקום שאתה מוצא פתחון פה למינים אתה מוצא תשובתם בצדה, *Dixit R. Shamlai, In omni loco* (Scripturæ) *ubi invenis anſam* (ad verb. *apertionem oris*) *datam hæreticis*, (i. ubi aliquid occurrit in Scriptura quod arripere poſſunt hæretici ac ſi pro eis faceret) *invenis reſponſionem eis juxtà poſitam*: i. aliquid ibi adjunctum eſt quo objectionibus eorum reſpondeatur. Cúmque hæretici eum iterum interrogabant dicentes, מה הוא דין דכתיב נעשה אדם בצלמינו כדמותינו, *Quid illud eſt quod ſcribitur, Faciamus hominem ad imaginem noſtram, juxta ſimilitudinem noſtram?* reſpondiſſe fertur, קראון מה דכתיב ויבראו אלהים את האדם בצלמיהם לא נאמר אלא ויברא אלהים את האדם בצלמו: *Legite id quod poſtea additur*, (nempe verſu proximè ſeq. Gen. 1. 27.) *Et creavunt dii hominem ad imaginem ſuam non dicitur, ſed, Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.* Verbum ויברא *& creavit*, & nomen cum affixo pronomine בצלמו, cùm ſint ſing. numeri, de uno tantùm Deo Scripturam loqui indicant. Similia etiam ſunt in Sanhedrin fol. 38. 2. ubi R. Jochanan dixiſſe traditur, כל מקום שפקרו המינים תשובתן בצדן, *Ubicunque hæretici errant*, (nempe ex Scriptura malè intellecta) *reſponſio eorum eſt juxta eos.* Buxtorfius in Lexico Talmudico ſub radice פקר pro מינים *hæretici* habet צדוקים *Sadducæi*, monétque in Talmude Hieroſolymitano, libro ברכות *Beracoth* cap. 9. eſſe המינים *hæretici*: atque ità ſanè eſt in Talmude Babylonio Amſtelodami edito. Deinde in exemplum loca quædam aſferuntur: nempe Gen. 1. 26. ubi in plurali dicitur, נעשה אדם בצלמינו, *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*: ſed mox v. 27. ויברא אלהים את האדם בצלמו, *Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam.* Et Gen. 11. 7. הבה נרדה ונבלה שם שפתם, *Age, deſcendamus, & confundamus ibi labium* (vel *ſermonem*) *eorum.* Statim autem ſequitur, וירד ה' לראות את העיר ואת המגדל, *Et deſcendit Dominus, ut videret urbem, & turrem.* Et Gen. 35. 7. כי שם נגלו אליו האלהים, *Nam ibi apparuerunt* (eſt verbum plurale) *ei Elohim, Deus*; (quod eſt etiam nomen plurale) Sed ibidem v. 3. לאל העונה אותי ביום צרתי, *Deo, qui reſpondit* (Nomen pariter ac Verbum eſt ſingulare) *mihi in die afflictionis meæ.* Et Deut. 4. 7. כי מי גוי גדול אשר לו אלהים קרובים אליו כה' אלהינו בכל קראינו אליו, *Nam quæ gens eſt adeò magna, cui Deus adeò propinquus*, (vel *dii adeò propinqui*: in Hebræo enim nomina ſunt pluralia) *ut Dominus Deus noſter eſt* (nobis,) *de quacunque re eum invocaverimus?* Iſtud אליו *eum* eſt ſingulare, & unicum verum Deum intelligendum eſſe oſtendit. Et 2 Sam. 7. 23. ומי כעמך ישראל גוי אחד בארץ אשר הלכו אלהים לפדות לו לעם: *Et quæ una gens eſt in terra ſicut populus tuus Iſrael, ad quam redimendam ſibi in populum Deus ivit?* ſeu *dii iverunt*, in plurali utì eſt in Hebræo; ſed pronomen לו *ſibi* (ut in Gloſſa notat R. Salomon) eſt יחיד *ſingulare.* Et Dan. 7. 9. עד די כרסון רמיו ועתיק יומין יתיב, *uſque dum throni poſiti eſſent, & antiquus dierum ſederet.* Alii interpretantur, *uſquè dum throni* (nempe regum terrenorum) *dejecti eſſent*: ſed aliter vertendum eſt ex mente horum Talmudicorum, qui de throno Dei intelligunt; atque ideo notant hunc locum, quòd indè nonnulli errorîs anſam capere poſſunt, quia in plurali dicitur, *throni poſiti ſunt*, quaſi plurium deorum throni eſſent: ſed hunc ipſum locum errori iſti occurrere volunt, quia in ſingulari dicitur *antiquus dierum ſedit.* Ad iſtum modum in Gloſſa ſua explicat R. Salomon, qui pro כרסון רמיו habet נתישבו דמשמע הכסאות, *Conſtituti ſunt throni*; atque addit, שנים כתיב ביה ועתיק יומין יתיב יחידי, *quibus verbis*

verbis duo (saltem throni) *intelliguntur: sed ibidem scribitur, Et antiquus dierum sedit, in singulari*, ità nimirum ut unus tantùm Deus intelligatur.

CAP. 6. *De lectione & studio S. Scripturæ. De Fontibus etiam, & de Vulgata Versione.*

DRusius (in *Hebraicis Quæstionibus*, quæst. 44.) notat Hebræos S. Scripturam appellare *Cara* & *Micra*, nempe à *legendo*, quòd in ea legenda operæ non parùm ac temporis ponendum sit: atque ideo etiam Hebræos præcipere ut homo annos ætatis suæ in tres partes dividat, quarum tertiam lectioni tribuat S. literarum. Hebræi sanè in hanc sententiam multa habent scitu non indigna. Elias Levita in Thisbi, sub radice קרא, refert mortuo R. Eliezero, inter cæteras ejus laudes, quas de eo prædicabant, eum vocatum esse קראי, h. e. (ut Elias explicat) בעל פסוק *exercitatum in Scriptura*. In Pirke Aboth cap. 6. sect. 2. R. Meir dixisse memoratur, אין לך בן חורין אלא מי שעוסק בתורה והלומד בתלמוד תורה זה מתעלה, *Non est nobilis habendus nisi qui in Lege se exercet. Qui autem discit doctrinam Legis, is se celebrem reddit.* Buxtorfius in Abbreviaturis Rabbinicis, abbrev. ת"ת i. תלמוד תורה, *doctrina Legis*, hoc Hebræorum dictum citat, כל אדם חייב בת"ת, *Omnis homo obligatus est ad studium Legis.* Item, כל מי שאינו עוסק בת"ת נקרא נוף, *Quicunque non dat operam Legi, vocatur reprobus*, vel *culpabilis*, ut vertit Buxtorfius in Lexico magno ad radicem נוף. Istud autem dictum (ut ibidem notat Buxtorfius) habetur in Pirke Aboth cap. 6. ubi vir doctissimus Fr. Taylerus interpretatur, *increpandus dicitur*. Verbum נוף à Buxtorfio exponitur, *increpare, objurgare, reprehendere*. Quin & in Abbreviaturis istis illud Maimonidis à Buxtorfio citatur, אין לך מצוה בכל המצות כולן שהיא שקולה כנגד למוד תורה אלא ת"ת כנגד כל המצות והתלמוד מביא לידי מעשה, *Non est mandatum ullum inter omnia mandata quod tantum sit quantum est studium Legis, sed studium Legis æquiparatur omnibus mandatis, & doctrina ducit ad opus.* In Elle Shemoth Rabba sect. 7. aiunt, כל הדברים שאדם נשא ונותן בהם דברי תורה הוא נוטל עליהם שכר, *Omnia verba quibus homo se exercet in verbis Legis*, (ad verb. *quibus homo accipit & dat verba Legis*; *Accipere & dare* Hebræâ phrasi idem valet quod *Negotiari, occupari, exerceri*) *mercedem ei afferunt.* In Pirke Aboth cap. 5. sect. 21. inter dicta Jehudæ filii Temæ istud recensetur, בן חמש שנים למקרא, *Filius quinque annorum* (Puer quinquennis) *ad Biblia* seu *Scripturam.* Et R. Salomon ad illud Deut. 11. 19. ולמדתם אותם את בניכם לדבר בם וגו', *Et docebitis ea* (verba Legis) *filios vestros, de eis loquendo*, &c. vel *ad loquendum de eis*, &c. sic scribit, מכאן אמרו כשהתינוק מתחיל לדבר אביו משיח עמו בלשון הקדש ומלמדו תורה ואם לא עשה כן הרי הוא כאלו קוברו שנא' ולמדתם אותם את בניכם לדבר בם וגו', *Hinc dixerunt, Cùm puer fari incipit, pater ejus cum eo confabulari debet sermone sancto*, (vel *linguâ sanctâ*, sive *Hebreâ*) *& docere eum Legem. Si id non fecerit, certè eum sepelire videtur, cùm dictum sit, Et docebitis ea filios vestros, ad loquendum de eis*, &c. In Midras Tillim ad illud Psal. 1. ובתורתו יהגה יומם ולילה, *& in lege ejus meditabitur die ac nocte*, dicitur R. Jehoshuam interrogatum quando homo disceret sapientiam Græcam, (חכמה יונית) respondisse, צאו וראו שעה שאינה לא מן היום ולא מן הלילה ומתורים אתם משום שנא' והגית בו יומם ולילה, *Ite & videte* (Scribitur וראה *& vide*, sed procul dubio mendosè, pro וראו *& videte*) *horam quæ nec ad diem nec ad noctem pertinet, & liberi estis*, (scilicet ad Græcam sapientiam discendam:) *dicitur enim*, Jos. 1. 8. *Et meditaberis* (vel, *& exercebis te*) *in eo* (nempe libro Legis) *die ac nocte.* Similia ex Talmude utroque, nimirum Babylonio & Hierosolymitano, ad istum Josuæ locum citat Serarius. Sed nè rigidè nimis ista sumantur, non abs re erit ex Augustino & Hieronymo antidoti loco quædam adjicere. Sic igitur Augustinus De doct. Christ. lib. 2. cap. 40. *Philosophi si vera & nostræ fidei accommoda dixerunt, non solùm modo formidanda non sunt; sed ab eis tanquam injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Sicut enim Ægyptii non solùm idola habebant, quæ populus Israeliticus detestaretur, sed & vasa, ornamenta & vestimenta, quæ populus ille Ægypto exiens, non autoritate propriâ, sed Dei præcepto, tanquam ad usum meliorem, sibi clanculum vindicavit, ipsis Ægyptiis nescienter commodantibus ea quibus non bene utebantur; sic doctrinæ omnes gentilium, non solùm simulata & superstitiosa figmenta, quæ fugere & detestari debemus, sed & liberales disciplinas, veritatis usui aptiores, & quædam morum præcepta utilissima continent, quæ tanquam aurum & argentum, quæ non ipsi instituerunt, sed tanquam de quibusdam veritatis Divina metallis, quæ ubique infusa est, eruerunt, & perversè abutuntur, ad usum justum prædicandi Deum auferre ab eis Christianus debet.* Similiter Hieronymus in Epist. ad Magnum oratorem Romanum; *In Deuteronomio Domini voce præceptum, mulieris captivæ radendum caput, supercilia, omnes pilos & ungues corporis amputandos, & sic eam habendam in conjugio. Quid ergò mirum si & ego sapientiam secularem, propter eloquii venustatem & membrorum pulcritudinem, de ancilla aut captiva Israelitidem facere cupio? Et si quicquid in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinis, vel pracidi, vel rado?* Sed illud præcipuè ante oculos habendum, quod ad Paulinum ait Hieronymus, *Discamus in terris, quorum cognitio perseveret in cœlis.* Drusius in Adagiis Hebraicis, decur. 1. adag. 5. refert Hebræorum Sapientes dicere, עוד אבן זומא בחוץ, *Adhuc Aben Zoma est foris:* quod quadrare ait in Christianos, qui ætatem terunt in studiis profanis. Antequam huic Capiti finem imponam, facere non possum quin Serarii vel insciti am, vel proterviam & impudentiam, castigem, qui frustrà ac immeritò Pontificios à nostris (quos suo more hæreticos appellat) incusari contendit, quod S. Scripturæ lectionem non omnibus liberam esse permittunt. Asserit enim à S. literarum lectione nè unum quidem vel Christianum vel homunculum quemcunque minimum arceri, sed à vernaculis tantummodo Bibliorum Versionibus, quas nostri (si ei credere libeat) testantur non esse S. literas. *Volunt enim* (inquit) *solos fontes, i. solum in V. Testamento Hebræum, solum in Novo Græcum esse Sacras literas.* At vide hic vel acumen vel candorem Jesuiticum. Nostri enim id solùm tuentur, Versiones ex fontibus esse judicandas, nec pro S. Scriptura habendas nisi quatenus cum fontibus conveniunt; id autem longè diversum est ab eo quod illis affingit Serarius. Whitakerus noster De Scrip. quæst. 2. cap. 1. *Quanquam adversarii Hebræum & Græcum fontem non omnino damnant, tamen non hos fontes, sed Editionem Vulgatam Latinam esse authenticam Scripturam concludunt. Nostræ contrà Ecclesiæ hanc Latinam esse passim & miserè corruptam, esse falsam, non esse authenticam; Hebraicam verò Veteris, & Græcam Novi Testamenti, esse sinceram & authenticam Dei Scripturam. Statuunt, itaque omnia esse ex eis fontibus definenda, & Versiones* (N. B.) *sic esse probandas ut cum his fontibus conveniunt.* Similiter Chamierus tom. 1. lib. 12. cap. 2. §. 5. *Catholici* (ità nostros, & meritò quidem, appellare solet) *sic sentiunt: Solum Hebraicum contextum esse authenticum in Veteri Testamento, in Novo Græcum; h. e. ad fidem faciendam in rebus controversis per se satis habere virium, ejusque autoritatem esse omni exceptione majorem. Quod attinet ad Versiones, eas omnes cujuscunque sint aut temporis, aut nominis, aut dignitatis, quantâlibet diligentiâ, sinceritate, doctrinâ factæ sint, eò tantùm certas esse, quòd cum primo contextu conveniant, quatenus, inquam* (N. B.) *eum sensum exprimunt, quem certò constat esse Hebraicorum & Græcorum vocabulorum. Quòd si indè discedant vel tantillum, tum quem illæ sensum reddunt, esse non divinum, non authenticum, non Canonicum, sed mere humanum.*

humanum. Nec desunt inter Pontificios viri eruditissimi, qui Vulgatam Versionem sæpiuscule redarguant, nec propterea tamen eam pro S. Scriptura habendam simpliciter & absolutè negare censendi sunt, etiamsi ejus errores ex Originali textu corrigendos censeant. *Nota obiter* (inquit Simeon de Muis ad Psal. 22. 11.) *corrigendam videri Vulgatam Versionem in loco Esaiæ citato,* (Isai. 46. 3.) *ac pro,* à meo utero, & à mea vulva, *legendum,* à me ab utero, à me à vulva, *&c. Ejusmodi adhuc multa in Vulgata Versione restant corrigenda post Sixti summi Pontificis correctionem,* &c. Ipse Bellarminus (De Verbo Dei lib. 1. cap. 11.) concedit Latinos codices ex Hebræis & Græcis non rarò esse emendandos. Masius autem non tantùm librariorum, de quibus Bellarminus loquitur, & fortasse etiam Muisius, sed ipsius Interpretis errores sæpe perstringit. *Non rectè* (inquit ad Jos. 14. 4.) *à Latino dictum est, filios Josephi in Levitarum successisse locum; neque enim Levita desierunt esse una tribus, neque Josephæi Levitarum, sed Rubenis alterâ unciâ, cùm ei ut natu maximo deberentur duæ, sunt donati:* & ad versum ultimum istius capitis, *Quin præsentem locum sciens, ut videtur, in aliam sententiam interpretatus est* (Hieronymus) *quàm Hebræa verba præ se ferant, si modò ipse est Latinæ interpretationis autor; ut illam suam opinionem de Adami sepulcro affirmaret.* Sed & Mariana Jesuita in tractatu pro Editione Vulgata cap. 21. ex Lindano De optimo genere interpretandi l. 3. c. 10. hæc habet; *Quas modò aggrediemur S. Scriptura classes, clariùs necessarium linguarum Hebræa atque Græca commonstrant usum. Ut enim emendata, pura puta, atque certa tibi constet Scriptura lectio, at sensum tamen nondum habet semper apertum ac cuivis obvium; & si obvium aliquando, non tamen certum & indubitatum. Proinde hunc ex fontibus esse hauriendum aut illustriorem, aut pleniorem, aut denique* (N. B.) *veriorem ipsa nos sæpenumero res cogit.* Et ex cap. 2. hæc refert, *Versio Latina Vulgaris locis non paucis est obscurata. Item alibi impedita nè liberè fluat, rursùm aliàs duriusculè cohærens, perplexa etiam, nè dicam contaminata, aut interpretis si non ignorantiâ,* (N. B.) *certè oscitantiâ à plano sensu ac genuino deturbata.* Deinde addit, *Vides Latinam Editionem falsi nonnunquam à Lindano insimulari, cujus testimonium eò majoris ponderis est, quòd is autor studio defendendi nostra Hebraicis Græcisque codicibus parùm æquus à quibusdam judicatur.* Et cap. 22. *Quòd si recipitur, ut est verisimile, interpretem non fuisse Vatem, fateri oportet, quod superiùs est tactum, labi eum fallique potuisse, nempe humano ingenio nixum, ac omnino lapsum esse. Quis enim in tanta rerum multitudine & silva non aliquando falleretur, non offenderet aliquando?* Et cap. 23. eorum argumenta solvit qui contendunt Editionem Vulgatam certæ fidei ac autoritatis esse etiam in minimis, ac interpretem non humano ingenio, sed Deo dictante Scripturas Latinè reddidisse. *Quod* (inquit) *utinam dictum adversariis persuadere potuissent, magnâ nos molestiâ liberassent.* Et ibidem, *Cùm objicitur codices Latinos Divinam Scripturam esse, distinctione adhibitâ facilè dissolvitur. Scripturam sacram pro fontibus sumi Græcis atque Hebraicis, tum etiam pro interpretatione, quæcunque ex illis manavit. Latinis ergò codicibus Divina Scriptura continetur, non quasi in fontibus: id enim datum non est, ut Divini libri Latinè primùm scriberentur: Dei consilia curiosiùs perscrutari non convenit. Sed divina Scriptura in illis continetur quasi in interpretatione, non minoris certè autoritatis, quando* (N. B.) *cum illis consentit, quando discrepat incuriâ, aut errore interpretis, excusanda est; atque in iis divina Scriptura, h. e. divina Scriptura interpretatio vitiosa certè dici potest; & modò in re conveniamus, de nominibus magnopere laborandum non est. Ac nè illud quidem efficitur, nostram religionem nutare, quando in Editione Vulgata contra mores aut fidem mendacium aliquod contineri negavimus. Neque nostra fides interpretatione nititur, nisi* (N. B.) *cum fontibus comparata, atque ex illis, ubi opus erit, præsertim Ecclesiæ Catholicæ judicio, castigata; quod diligenter censeo considerandum.* Hæc paulò fusiùs exscribere placuit, quia ad retundendam Serarii adversùs nostros calumniam nihil aptius, nihil efficacius esse potest. Ibidem tamen Mariana cap. 24. crassos ac palpabiles errores, qui in Vulgata Editione librariorum incuriâ irrepserunt, si in vitiosam lectionem omnes codices conspiraverint, privatâ autoritate emendari non vult. Ut Gen. 13. 5. *Lot, qui erat cum Abram,* ubi legendum *ierat,* uti in Hebræis & Græcis habetur. Et Gen. 38. 12. *Mortua est Sua uxor Juda,* pro *Mortua est filia Sua, uxor Juda.* Et Psal. 35. 26. (vel Psal. 34. 30.) *qui maligna loquuntur super me,* pro *magna.* Hæc atque alia istiusmodi à Lindano De optimo genere interpretandi lib. 3. cap. 9. animadversa, ait immutari non debere. *Antiquis enim* (inquit) *& consuetis homines stare malunt, etiam ubi vitium constat.* Atque iniquo animo fert, istiusmodi errata in Complutensi editione esse correcta. Hoc verò est, quod Seneca epist. 123. inter causas malorum notavit, *Recti apud nos locum tenet error ubi publicus factus est.* Sed ut scitè Cyprianus epist. 73. *Non quia aliquando erratum est, ideo semper errandum est.* Nam ut idem ait Epist. 74. *Consuetudo sine veritate vetustas erroris est.*

Cap. 7. *De Legis, sive Scripturæ excellentia & utilitate.*

NOmen *Legis* varias habet acceptiones. *Lex* strictè sumpta eam verbi Dei partem denotat quæ mandata in se continet: unde *Lex* & *Mandatum* conjunctim & quasi ἐν παρελλήλῳ posita reperiuntur. *Nam mandatum lucerna est, & Lex lumen.* Pro. 6. 23. *Lex sancta est, & mandatum sanctum,* &c. Rom. 7. 12. Latiori autem acceptione Pentateuchus, seu quinque libri Mosis voce *Legis* intelliguntur. *Hæc sunt verba quæ locutus sum vobis dum adhuc eram vobiscum, nempe omnia impleri debere quæ scripta sunt in Lege Mosis, & in Prophetis, & in Psalmis de me.* Luc. 24. 44. Sic Judæi Vet. Testamentum in tres partes dividunt, nempe תורה *Legem,* נביאים *Prophetas,* & כתובים ἁγιόγραφα seu reliqua *Sacra scripta:* ubi per *Legem* eos Pentateuchum intelligere apertum est. Sed & latiùs adhuc *Lex* sumitur, ità ut totum Dei verbum, & universam Scripturam, seu quamcunque ejus partem, ambitu suo comprehendat. *Hoc factum est, ut impleretur verbum quod scriptum est in Lege eorum, Sine causa me oderunt,* Joh. 15. 25. Quod istic in Lege scriptum dicitur, in Psalmis, nempe Psal. 35. 19. reperitur, *In Lege scriptum est, Per diversa lingua homines, & aliena labia loquar populo huic,* &c. 1 Cor. 14. 21. Quod ibi tanquam è Lege citatur, habetur in Prophetis, nempe Isai. 28. 11. Sic *Lex & Verbum Dei* tanquam ἰσοδυναμοῦντα usurpantur Isa. 2. 3. & *Lex & Testimonium* Isai. 8. 20. Atque ità Hebræi in Scriptis suis nomen *Legis* pro tota Scriptura, vel quavis ejus parte interdum usurpant. In Midras Tillim ad Psal. 78 1. disertè dicitur, מזמורים תורה והנביאים תורה, *Psalmi sunt Lex, & Prophetæ sunt Lex.* Quod perinde est ac si dicerent, Tota Scriptura *Legis* nomine designatur. Atque hâc latissimâ vocis acceptione *Legem* intelligunt, cùm adeò magnificis eam ornent elogiis. In Pirke Aboth cap. 3. sect. 14. R. Akiba hoc inter alia dixisse traditur, חביבין ישראל שנתן להם כלי חמדה שבו נברא העולם חבה יתרה נודעת שנתן להם כלי חמדה שנאמר כי לקח טוב נתתי לכם תורתי אל תעזובו, *Dilecti sunt Israelitæ, quòd illis* (Deus) *dedit vas desiderabile, quo creatus est mundus. Dilectio abundantiòr* (eis) *innotuit, quòd dedit eis vas desiderabile; sicut dictum est,* Pro. 4. 2. *Nam doctrinam bonam vobis dedi: legem meam nè derelinquatis.* Fagius ad istum locum notat Judæos vocare Legem כלי חמדה *vas,* seu *instrumentum, desiderabile,* quia nihil eâ magis expetendum. Pro *Lege* autem Taylerus noster in Versione sua habet *verbum Dei;* & כלי חמדה interpretatur *instrumentum delectabile,* notátque in margine Hebraicè esse *instrumentum delectationis,* sed Typographi incuriâ pro *delectationis,* scribitur *delectionis.* Ibidem cap. 4. §. 5. istud R. Sadoki dictum memoratur, אל תעש עתרה להתגדל

להתגדל בה ולא קדום לאכול ממנה: *Nè facias coronam, ut magnus fias* (vel *ut te magnifices*) *per eam; neque securim, ut indè comedas*, seu *victum compares*. Fagius etiam istîc ait Hebræos per *Coronam* intelligere *Legem*. Et Drusius in Adagiis Hebraicis decur. 10. adag. 10. vocem עטרה *coronam* interpretatur *Legem*, atque asserit Hebræos dicere, אל תעש עטרה קרדום, *Nè facias coronam securim*; id autem velle, Legem propter se, non quæstûs aut commodi causâ esse tractandam. Si Drusius ista hinc habuerit, (ut verisimile videtur) verba saltem, si non & sensum, immutavit. Non enim ex verbis R. Sadoki apparet Legem vocari *Coronam* (sed in Pirke Aboth cap. 1. §. 13. per *Coronam* intelligitur Lex. Dicitur ibidem, ראשתמש בתגא חלף, *Qui abutitur Coronâ*, (vel Lege ad quæstum abutitur) *peribit*. Eadem etiam habentur, cap. 4. §. 5.) magis quàm *securim*: id tantùm præcipitur, nè quis Legem vel Coronam, vel securim faciat, h.e. nè quis Lege vel ad ostentationem & inanem gloriam, vel ad quæstum & commodum abutatur. Sic Taylerus vertit, *Neque coronam effice Legem, ut indè magnus fias; neque securim, ut indè victum compares*. Inseruit quidem vocem istam, *Legem*, quæ in Hebræo non est, sed omnino intelligi videtur: nam mox ibidem sequitur, הא כל הנהנה מדברי תורה נוטל חייו מן העולם, *Ecce quisquis quæstum facit ex verbis Legis, is vitam suam è mundo tollit*. In Misnaioth autem Amstelodamensibus paulò aliter legitur, nempe sic, ר' צדוק אומר אל תעשם עטרה להתגדל בהם ולא קרדום לחפור בהם, *R. Sadok dixit, Nè facias ea* (nempe verba Legis) *coronam, ut per ea te magnifices; nec securim*, (seu potiùs *ligonem*) *ut eis fodias*. Atque ità etiam in Talmude Amstelodami edito legitur. In Bereshith Rabba sect. 10. dicitur, לכל יש סיקוסים שמים יש להם סיקוסים חוץ מדבר אחד שאין לו סיקוסי' ואיזו זו התורה שנא' ארוכה מארץ מדה ורחבה מני ים, *Omnibus rebus sunt termini; cœlo & terræ sunt termini: una autem res excipitur, cui non sunt termini. Quanam ista est? Lex, sicut dicitur*, Job. 11. 9. *Mensura ejus est longior terrâ, & latior mari*. Ista etiam citat Buxtorfius in Lexico magno sub radice סקס; & monet in isto Jobi loco sermonem esse de Sapientia Dei verbo ejus descripta. In eodem Comment. sect. 16. אשר שם הזהב אלו דברי תורה שהן נחמדים מזהב ומפז רב וזהב הארץ טוב מלמד שאין תורה כתורה ארץ ישראל ולא חכמה כחכמת ארץ ישר': *Ubi est aurum? Ista sunt verba Legis, quæ sunt magis desiderabilia quàm aurum, imò quàm auri purgatissimi abundantia. Et aurum terræ istius bonum. Docet non esse Legem instar Legis terræ Israelis, nec sapientiam instar sapientiæ terræ Israelis*. Quantum Hebræi Legi tribuant, ex isto eorum dicto quod à Simeone de Muis refertur in Castigatione Animadversionum Morini, perspici potest, אין בתורה אפילו אות אחת שאין הרים גדולים תלוים בה, *Non est in Lege vel una litera ex qua non montes magni pendeant*. Et Ludovicus Cappellus in Spicilegio ad Mat. 5. 18. refert Talmudicorum dictum esse, אות מהתורה לא חסרה ולא יתרה, *Litera ex Lege nec deficit nec redundat*. Ità ait eos significare velle omnimodam Legis perfectionem, nihil omnino in ea deesse, nihil superfluum esse. Kimchi in Psal. 19. notat post mentionem Solis, fieri mentionem Legis, quia nimirum, *Ut mundus subsistit per Solem, sic & anima subsistit per Legem*. וקיום הנפש בה כמו שקיום העולם בשמש Refert autem nonnullos rationem reddere quare sermoni de Sole subjunctus sit sermo de Lege, nempe להגדיל תועלתה על תועלת השמש; *ut ostendatur majorem esse utilitatem Legis quàm est utilitas Solis*. Sol nimirum interdum nocet, Lex autem semper prodest. Propterea ait, *Lex Domini* תמימה *perfecta*. Sol nimio suo calore interdum hominem lethali ægritudine afficit; ut Jon. 4. 8. at Lex animam stabilit & confirmat; משיבת נפש *restituit animam*. Sol hominem nonnunquam insanum reddit; cùm Lex è contrà מחכימת פתי *sapientem reddat simplicem*. Sol hominem interdum dolore afficit; præcepta autem Domini משמחי לב *lætificant cor*. Sol oculos caligare facit; sed Lex מאירת עינים *illuminat oculos*. Sol aliquoties occultatur nubibus; Lex autem semper pura est; יראת ה' טהורה, *Timor Domini est purus*. Sol die, non nocte lucet; at Lex semper lucet & viget; עומדת לעד *permanet in æternum*. Sol non ex æquo per totum diem lucet & calet; sed Lex æqualiter se semper habet. משפטי ה' צדקו יחדו, *Judicia Domini sunt pariter justa*. In Midras Tillim ad illud Psal. 119. 133. פעמי הכן באמרתך וגו' *Gressus meos dirige in verbo tuo*, &c. dicitur, אין יצר הרע נכנס לבית המדרש הולך עמו כל הדרך כיון שמניע לבית המדרש אין לו רשות לכנוס שמי: *Concupiscentia non intrat in domum doctrinæ*, (locum ubi Legi opera navatur) *Vadit cum homine totâ viâ, sed cùm venit ad domum doctrinæ, non potest eò intrare*. Et mox sequitur, מי שהוא עוסק בתורה אין יצר הרע שולט בו, *Qui operam dat Legi, ei concupiscentia mala non dominatur*. Autor Decaplorum ista nec plenè nec fideliter satìs refert: sic enim habet, *Dispone semitas meas*] *ut pedes ambulent ad Sanctuarium, ubi imaginatio mala non intrat, sed ad ostium jacet*; Gen. 4. Hæc ille. At certè locus ille Gen. 4. 7. hîc est planè ἀπροσώπως, nec cum verbis Midras quicquam affine habet. In Pirke Aboth cap. 2. §. 7. inter Hillelis dicta hoc refertur, המרבה תורה מרבה חיים, *Qui multiplicat Legem* (Qui multus est in discenda Lege; vel, *Qui multum operæ Legi impendit*) *multiplicat vitam*. Et istud, קנה לו דברי תורה קנה לו חיי העולם הבא, *Qui acquirit sibi verba Legis, acquirit sibi vitam seculi futuri*. Ibidem §. 16. R. Tarphon dixisse fertur, אם למדת תורה הרבה נותנין לך שכר הרבה *Si Legem copiosè didiceris, merces copiosa tibi dabitur*. In eadem libro cap. 3. §. 2. R. Chanina filius Therodionis dixisse traditur, שנים שיושבין ואין ביניהם דברי תורה הרי זה מושב לצים, *Si duo consideant, & non sint inter eos verba Legis, ecce iste est consessus derisorum*. Mox sequitur, אבל שנים שיושבין ויש ביניהם דברי תורה שכינה שרויה ביניהם, *Sed si duo consideant, & inter eos sint verba Legis, Divina majestas inter eos residet*. Ibidem §. 3. hoc R. Simeonis dictum memoratur; שלשה שאכלו על שלחן אחד ולא אמרו עליו דברי תורה כאלו אכלו מובחי מתים, *Si tres super mensam unam comedant, & verba Legis super eam non recitent, perinde est acsi de sacrificiis mortuorum comederent*. Deinde additur, אבל שלשה שאכלו על שולחן אחד ואמרו עליו דברי תורה כאלו אכלו משולחנו של מקום, *Sed si tres super mensam unam comedant, & verba Legis super eam recitent, perinde est quasi de mensa Dei comederent*. Ibidem cap. 4. §. 10. R. Meir dixisse fertur, הוי ממעט בעסק ועסוק בתורה *Minue negotia, & Legi operam impendito*. Ibidem cap. 6. §. 10. est narratiuncula de R. Jose filio Kismæ, qui, cùm quidam ei obtulisset millies mille aureos numos (אלפי דינרי זהב) si secum commoraretur, respondit, אם אתה נותן לי כל כסף וזהב שבעולם איני דר אלא במקום תורה, *Si dederis mihi omne argentum & aurum quod est in mundo, non habitabo nisi in loco ubi est Lex*. Deinde adduxit illud Psal. 119. 72. *Lex oris tui mihi melior est quàm millia auri & argenti*. Ibidem cap. 4. sect. 6. R. Joses dixisse traditur, כל המכבד את התורה גופו מכבד על הבריות וכל המחלל את התורה גופו מחלל על הבריות, *Quisquis honorat Legem, ipse inter homines honorabitur: quisquis autem Legem violat, ipse inter homines violabitur*, vel *ignominiâ afficietur*. Et ibidem sect. 9. R. Jochanan fertur dixisse, כל המקיים את התורה מעוני סופו לקיימה מעושר וכל המבטל את התורה מעושר סופו לבטלה מעוני, *Quisquis pauper Legem observat, tandem eam dives observabit: & quisquis dives Legem negligit, tandem eam pauper negliget*. R. Nathan De Patribus cap. 40. ait, *Quatuor res sunt quas homo faciens fructus earum in hoc mundo comedit, & sors capitalis ei manet in mundo futuro. Ha sunt, Honor patris & matris, &*

Bene-

Beneficentia (גמילות חסדים, Taylerus vertit, *& diſtributio eleemoſynarum*, quod paulò anguſtius videtur quàm ut Hebræis plenè reſpondeat) *& Reductio pacis inter hominem & ſocium ejus*, ות"ת כנגד כלם, *& ſtudium Legis, quod eſt inſtar eorum omnium.* In Elle Shemoth Rabba ſect. 34. R. Simeon Ben Jochai dixiſſe fertur, *Tres ſunt coronæ; Corona regni, corona ſacerdotii, & corona Legis.* Et mox, כתר תורה מעולה יותר מכולן וכה אדם לתורה כאלו וכה לכולן, *Corona Legis eſt omnium excellentiſſima. Qui Lege dignus eſt, is dignus eſt omnibus.* Vel, *Qui Legem obtinet, omnes* (iſtas coronas) *obtinet.* In Pirke Aboth cap. 3. ſect. 5. R. Nechuma filius Hakkanæ dixiſſe traditur, כל המקבל עליו עול תורה מעבירין ממנו עול מלכות ועול דרך ארץ וכל הפורק ממנו עול תורה נותנין עליו עול מלכות ועול דרך ארץ, *Quicunque in ſe recipit jugum Legis, ab eo removetur jugum regni, & jugum viæ terræ. Et quicunque à ſe excutit* (vel *effringit*) *jugum Legis, ſuper eum decernitur jugum regni, & jugum viæ terræ.* Et ibid. cap. 6. ſect. 2. fertur R. Joſhua filius Levi dixiſſe, בכל יום בת קול יוצאת מהר חורב ואומרת אוי להם לבריות מעלבונה של תורה, *Quotidie oraculum cœleſte* (ad v. *filia vocis*) *exit è monte Horeb, & ait, Væ hominibus ob neglectum Legis.* In eodem capite ſect. 1. R. Meir dixiſſe memoratur, כל העוסק בתורה לשמה זוכה לדברים הרבה ולא עוד אלא שכל העולם כלו כדי הוא לו, *Quicunque operam dat Legi propter ipſam, res multas obtinet, imò prout opus eſt, totus mundus ad eum pertinet.* In tractatu Sanhedrin fol. 99. 2. R. Alexander dixiſſe fertur, כל העוסק בתורה לשמה משים שלום בפמליא של מעלה ובפמליא של מטה, *Quicunque operam dat Legi propter ipſam, pacem conſtituit in familia ſuperna, & in familia inferna*; in cœlo pariter ac in terra pacem conſtituit. Additur ibidem Riſh Lachiſh dixiſſe, אף מנין על כל העולם, *Etiam protegit totum mundum.* Et R. Levi dixiſſe, אף מקרב את הגאולה, *Etiam appropinquare facit redemptionem.* In Pirke Aboth cap. 2. ſect. 14. R. Eleazar fertur dixiſſe, הוי שקוד ללמוד תורה ודע מה שתשיב לאפיקורוס, *Eſto vigilans* (ſeu *diligens*) *ut diſcas Legem, atque ità ſcias quemadmodum Epicuro reſpondeas.* Ibidem ſect. 4. inter Rabban Gamalielis filii R. Jehudæ *Hannaſi* ſeu *principis* dicta hoc recenſetur, אל תאמר כשאפנה אשנה שמא לא תפנה, *Ne dicas, Cùm mihi otium fuerit, Legem diſcam; fortè nunquam tibi erit otium.* In Sanhedrin fol. 100. 1. R. Jehudah apud R. Simeonem dixiſſe fertur, כל המשחיר פניו על דברי תורה בעולם הזה הק"בה מבהיק זיוו לעולם הבא, *Quiſquis ob verba Legis vultum ſuum nigrum reddit in hoc ſeculo, Deus ſ. b. illuſtrem reddet ſplendorem ejus in ſeculo futuro.* Et ſtatim ibidem additur R. Tanchum apud R. Chamlai dixiſſe, כל המרעיב עצמו על דברי תורה בעולם הזה הק"בה משביעו לעולם הבא, *Quiſquis ob verba Legis ſe fame affligit in hoc ſeculo, Deus ſ. b. eum ſaturabit in ſeculo futuro.* In Baba Metſia fol. 85. 2. R. Jeremiah fertur dixiſſe, כל המקטין עצמו על דברי תורה בעולם הזה נעשה גדול לעולם הבא וכל המשים עצמו כעבד על דברי תורה בעולם הזה נעשה חפשי לעולם הבא *Quiſquis ob verba Legis ſe diminuit in hoc ſeculo, fiet magnus in ſeculo futuro: & quiſquis ſe ob verba Legis quaſi ſervum facit in hoc ſeculo, fiet liber in ſeculo futuro.* In Beracoth fol. 63. 1. R. Joſiah dixiſſe traditur, כל המרפה עצמו מדברי תורה אין בו כח לעמוד ביום צרה, *Quicunque ſe laxat à verbis Legis*, (Qui in ſtudio Legis remiſſus eſt) *ei ad ſubſiſtendum in die afflictionis robur deerit.* Monent igitur Hebræi, ut etiamſi quis afflictiſſimâ & maximè calamitoſâ ſit conditione, tamen Legi operam impendat. In Kidduſhin fol. 29. 2. fertur R. Jochanan dixiſſe, ריחים בצווארו ויעסוק בתורה, *Etiamſi lapis molaris circa collum alicujus ſuſpenſus fuerit, in Lege tamen ſe exerceat.* Et in Pirke Aboth cap. 6. ſect. 4. dicitur, פת במלח תאכל ומים וכו *aquam in menſura bibas, & ſuper terram dormias, & vitam ærumnoſam degas, tamen Legi laborem impendas: quod ſi feceris, beatus eris, & bene tibi erit; beatus eris in hoc ſeculo, & bene tibi erit in ſeculo futuro.*

CAP. 8. *De Legis obſervatione, ejuſque tranſgreſſione.*

IN Pirke Aboth cap. 1. ſect. 3. Antigonus vir Sochæus (איש סוכו, Taylerus legit איש סובו, & vertit, *vir Sabæus*; ſed in margine notat alios legere *Sochæus*: ità ſanè legitur in Talmude, & Miſnaioth Amſtelodamenſibus, & in R. Nathane De Patribus, cap. 5. & in Halicoth Olam cap. 2.) dixiſſe fertur, אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעבדים המשמשין את הרב על מנת שלא לקבל פרס ויהי מורא שמים עליכם, *Nè ſitis ſicut ſervi qui domino ſerviunt eâ conditione ut mercedem recipiant; ſed eſtote ſicut ſervi qui domino ſerviunt ac ſi nullam acciperent mercedem: & ſit timor Dei ſuper vos.* In poſteriori verborum parte pro על מנת שלא לקבל פרס, Manaſſes Ben Iſrael in Miſnaioth à ſe editis monet nonnullos codices habere שלא על מנת לקבל פרס, atque ità in Talmude ab iſto Manaſſe edito, utì etiam in Pirke Aboth à Taylero unà cum Verſione Latina editis, legitur. Atque iſta etiam lectio in R. Nathane De Patribus cap. 5. habetur. Ex iſto autem Antigoni dicto malè intellecto ſecta Sadducæorum à Sadoco Antigoni diſcipulo originem ſumpſiſſe dicitur. Vide ſi libet Cameron. Myroth. ad Mat. 22. 23. & Godwin. in Moſe & Aarone lib. 1. cap. 11. Elias Levita in Thisbi ſub voce צדוק *Sadok*, ait Antigono Sochæo duos fuiſſe diſcipulos, quorum alteri fuit nomen Sadok, alteri Baiethus; hoſce autem ſectam conſtituiſſe, negaſſe ſcilicet Legem ore traditam, ac Legi ſcriptæ tantùm adhæſiſſe: aliud præterea de eis non memorat. Maimonides autem in Comment. ſuper librum Pirke Aboth ait, Sadocum & Baiethoſum diſcipulos Antigoni ità eum intellexiſſe ac ſi nec præmium nec pœna futura eſſet; atque ità ſectam conſtituiſſe, & rejectis traditionibus Scripturam pro libitu expoſuiſſe. R. Nathan De Patribus cap. 5. ait Antigono duos fuiſſe diſcipulos, (nempe Sadocum & Baiethoſum, utì eos poſtea nominat) eóſque verba Antigoni docuiſſe, (שהיו שונין בדבריו, Taylerus vertit, *qui verba ejus legebant*) ea nempe docuiſſe diſcipulos ſuos, & ipſorum diſcipulos eadem etiam alios docuiſſe. Refert autem eos dixiſſe, מה ראו אבותינו לומר אפשר שיעשה פועל מלאכה כל היום ולא יטול שכרו ערבית אלא אילו יודעין אבותינו שיש העולם הבא ויש תחיית המתים לא היו אומרים כך, *Quid viderunt patres noſtri dicendo, Fieri poteſt ut operarius toto die opus faciat, & veſperi mercedem non recipiat? ſed ſi patres noſtri cognoviſſent quòd eſt mundus futurus, & reſurrectio mortuorum, non ità locuti fuiſſent.* In Hebræo tantùm eſt העולם *mundus*, deeſt vox הבא *futurus*, ſed eam addidi, cùm prorſus ſit neceſſaria: vocem autem iſtam nec Taylerus in codice quo uſus eſt legiſſe videtur, etiamſi eam etiam addendam cenſuerit, quippe qui in Latina ſua verſione habet, *At ſi noviſſent patres noſtri mundum futurum*, &c. ſed vocem *futurum* diſtincto ſcribit charactere, ut eam à ſe additam fuiſſe intelligatur. Miror autem eum verba antecedentia ſic vertiſſe, *Quid viderunt patres noſtri dicendo, Num poſſibile eſt ut operarius toto die operetur, & non auferat mercedem veſperi?* Iſta ſanè interpretatio autoris ſenſum prorſus deſtruere videtur: id enim vult R. Nathan, Antigoni diſcipulos ex ejus verbis antea memoratis collegiſſe, ex patrum ſententia hominem poſſe per totam vitam Deo ſervire, & nullam poſtea mercedem recipere; & conſequenter exiſtimaſſe, patres mundum futurum & reſurrectionem futuram non credidiſſe. Ibidem autem R. Nathan Antigoni verbis antea citatis etiam iſta tanquam ab Antigono dicta adjungit, ברי שיהיה שכרכם נפול לעתיד לבא, *Ut merces veſtra ſit dupla in tempore* (vel *ſeculo*) *futuro.* Indè perſpicuum eſt, nihil minus

Antigono in animo fuisse quàm ut nullam pietatis atque obedientiæ mercedem fore doceret; sed id duntaxat discipulos suos monuisse, nè ad mercedem ità respicerent ut ob eam solùm vel potissimùm in mandatis Dei exsequendis sese exercerent. Sadducæi autem (à Sadoco Antigoni discipulo sic appellati) genio suo indulgebant, & pro libitu omnia faciebant, quòd post hanc vitam nec bonorum nec malorum operum retributionem fore credebant. Unde & Pharisæos saniùs de hac re sentientes derisisse dicuntur, & dixisse, uti istic refert R. Nathan, מסורה בית פרושים שהן מצערין עצמן בעולם הזה ובעולם הבא אין להם כלום, *Prodita* (vel *Tradita*, nempe exitio) *est domus Pharisæorum; quia affligunt se in hoc seculo, & in seculo futuro eis nihil suppetit.* Legis autem observationem integram & minimè partialem esse debere, ità nimirum ut ad omnia Dei præcepta respectus habeatur, Hebræi docent. In Pirke Aboth cap. 4. sect. 2. Ben Azai dixisse memoratur, הוי רץ למצוה קלה כלחמורה ובורח מן העבירה שמצוה גוררת מצוה ועבירה גוררת עבירה ששכר מצוה מצוה ושכר עבירה עבירה, *Curre ad præceptum leve aquè ac ad præceptum grave: & fuge à transgressione* (levi pariter ac à gravi:) *nam præceptum trahit præceptum, & transgressio trahit transgressionem. Merces etenim præcepti est præceptum, & transgressio est merces transgressionis.* Drusius ad Jac. 2. 10. refert Ebræos dicere, *Qui dicit, Totam legem in me recipio præter unum verbum, hic sermonem Domini sprevit, & præcepta ejus irrita fecit.* Et Seldenus De Jure Naturali, &c. lib. 2. cap. 2. ait Ebræos professionem integram & perfectam totius Judaismi, & uniuscujusque Legis Mosaicæ capitis, ab eo qui proselytus fieri vellet requisivisse. *Nam si*, inquit, *unicum aliquod observare renueret, fœdere sacro arcebatur.* Et ex Gemara Babylonia ad titulum Beracoth cap. 4. ista citat, גוי שבא לקבל דברי תורה חוץ מדבר אחד אין מקבלין אותו, *Si gentilis adveniret, & in se susciperet verba Legis, uno aliquo excepto, eum non admittebant*, nempe ut proselytus justitiæ fieret. Sinceritatem etiam in obeundis Dei mandatis ab Hebræis requisitam illud indicat, quod ibidem habet Seldenus, citatum nempe ex Gemara ista ad titulum Sanhedrin cap. 10. לא קבלו גרים לא בימי דוד ולא בימי שלמה, *Non recipiebant proselytos nec diebus Davidis, nec diebus Salomonis.* Explicationis gratiâ addit ex Maimonide, halacha Isuri bia, cap. 13. כל החוזר מן הגוים בשביל דבר מהבלי העולם אינו מגרי צדק, *Quisquis è gentilismo transit ob vanitatem seculi*, (ob seculare aliquod commodum) *inter proselytos justitiæ non est habendus.* Mutationem siquidem religionis inire debuit מאהבה ומלב שלם, *ex amore & corde integro.* Ait autem Maimonides, timoris causâ complures è gentibus Davidis tempore, uti & causâ honoris & opulentiæ Salomonis tempore, Judaismum esse professos. Monent insuper Ebræi in observanda Dei Lege perseverantiam esse necessariam. Sic enim aiunt in Midras Tillim ad Psal. 119. 33. אדם שהוא עסוק בתורה כל ימיו ומניחה מה בידו כאלו לא עסק בה וכן לכל דבר, *Qui omnibus diebus suis in Lege se exercet, & tandem eam deserit, quid lucratur?* (ad verb. *quid in manu ejus?*) *Perinde est ac si in ea se non exercuisset. Atque in omni negotio ità res habet.* Deinde additur similitudo. *Quemadmodum si quis Regi facit Lucernam,* (vel *perspicillum*, עששית) *& dum affert, frangitur, quid lucri habet? Perinde enim est ac si in opere isto non fuisset occupatus. Et quemadmodum si quis vas pulcrum fecerit, idque in manu ejus fractum fuerit, quid lucratur? Perinde enim est ac si id non fecisset: Sic si quis in lege sese exerceat, atque ei incumbat omnibus diebus suis, ità tamen ut postea eam deserat, quid ei proderit?* De Hebræorum autem disciplina, quâ prompto atque alacri animo Dei præceptis obtemperandum esse docent, vide suprà ad Psal. 112. 1. Sed quod studium atque observationem Divinæ Legis spectat, illud notatu dignum est quod in Midras Tillim ad Psal. 119. 27. habetur, מהו הבינני א"ל אמר דוד רבוני אל תאמר לי הרי הם לפניך התבונן אתה לעצמך אם אין אחר מבינני איני יודע כלום: *Quid est istud, Fac me intelligere? Dicit ei* (nempe Deo) *David, Domine mi, Nè mihi dicas, Ecce* (præcepta) *sunt coram te; tu per teipsum intellige. Nam nisi tu me intelligere feceris, nihil quicquam sciam.* Et illud ibidem ad v. 33. מהו הורני אמר דוד אל תאמר לי הרי הם לפניך למוד מעצמך אלא אתה הורני, *Quid est illud, Doce me? Dicit David,* (est quasi diceret) *Nè dicas mihi, Ecce* (mandata) *sunt coram te, disce ex teipso: sed tu doce me.*

CAP. 9. *Regula quædam, unde varia Scripturæ loca possint intelligi.*

AD varia Scripturæ loca intelligenda regulæ quædam non inutiles, nec contemnendæ, in Hebræorum scriptis reperiuntur. In libro nuper edito, cui titulus Specimen Theologiæ Talmudicæ pag. 35. ex Jalkut (libro apud Hebræos sic appellato cujus inspiciendi copia mihi nondum facta est) affertur hæc regula, דבר שהוא בכלל ויצא מן הכלל ללמד על עצמו ששקול כנגד כולם, *Cùm res aliqua in generali summa continetur, & è generali summa egreditur*, (hoc est, & tamen speciatim exprimitur) *id indicat rem istam esse instar omnium*, eorum nimirum quæ istic memorantur. Exemplis aliquot regula ista illustratur. Jos. 2. 1. ראו את הארץ ואת יריחו יריחו היתה בכלל ולמה יצאת ללמד ששקולה כנגד כלם, *Inspicite terram & Jericho: Jericho in generali summa continebatur*; (erat nempe pars terræ de qua sermo habetur) *quare igitur egreditur?* (seu speciatim memoratur) *Id indicat, eam instar totius terræ fuisse*; i. urbem Jericho præcipuè fuisse explorandam. Pro כלם videtur potiùs legendum כלה. Num. 31. 6. וישלח אותם משה, ואת פנחס, *Et misit illos Moses, & Phineasum.* פנחס היה בכלל למה יצא ללמד ששקול כנגד כלם, *Phineas in generali summa comprehensus est; quare igitur egreditur?* (quare peculiaris de eo facta est mentio?) *Id nimirum arguit, eum instar omnium fuisse*; i. inter omnes istic memoratos fuisse præcipuum. Sed locus iste parùm appositè citatus videtur; cùm ex unaquaque tribu mille præter Phineasum fuisse appareat. 2 Sam. 2. 30. תשעה עשר איש ועשהאל, *Novemdecim viri, & Asahel.* ועשהאל בכלל ולמה יצא לפי שהיה שקול כנגד כלם, *Nónne autem Asahel in generali summa continebatur? Quare igitur speciatim memoratur? Id nempe docet, eum fuisse instar omnium.* 1 Reg. 11. 1. והמלך שלמה אהב נשים נכריות, ואת בת פרעה, *Rex autem Salomon dilexit mulieres peregrinas, & filiam Pharaonis.* בת פרעה היתה בכלל ולמה יצאת ללמד שהיה מחבבה יותר מכלן ולפיכך החטיאה אותו יותר מכלן, *Filia Pharaonis in generali summa comprehendebatur: quare igitur egreditur? Hoc nimirum docet Salomonem eam plus cæteris omnibus amasse; ac propterea eam plus cæteris omnibus illum ad peccandum adduxisse.* 2 Sam. 22. 1. מכף כל אויביו ומכף שאול, *è manu omnium inimicorum ejus, & è manu Saulis.* שאול בכלל היה ולמה יצא אלא שהיה שקול כנגד כלם, *Saul in generali summa* (inimicorum Davidis) *comprehensus est: quare igitur seorsim memoratur? Ità nimirum factum est, quia is instar omnium* (Davidis inimicorum præcipuus) *fuit.* Ex ista regula intelligi etiam possunt loca quædam N. Testamenti. Act. 26. 22. *Quæ locuti sunt prophetæ & Moses.* Propheta etiam fuit Moses, sed specialis ejus fit mentio quia inter prophetas fuit præcipuus. Act. 1. 14. *Cum mulieribus, & Maria matre Jesu.* Quia Maria mater Jesu cæteris fuit præstantior, ideo præ cæteris speciatim nominatur. Mar. 16. 7. *Dicite discipulis ejus, & Petro.* Fruströ sunt qui hinc colligunt, Petrum reliquis Apostolis autoritate præcellentiorem fuisse, etiamsi aliquâ ratione inter Apostolos eminuisse non immeritò fortasse hinc colligatur. Sed & ideo videtur speciatim memorari, quòd

quòd ejus tunc præcipuè habenda erat ratio, nè ob negatum Christum à Christo fuisse rejectus, & ab Apostolatûs honore cecidisse videretur. Sic Theophylactus ad locum; Τὸν Πέτρον χωρίζει ἀπὸ τῶν μαθητῶν, ὡς κορυφαῖον καὶ ἐξοχὴν ἀντὶ ὀνόματος ὀνομάζων ἐκεῖνον. ἢ ἐπειδὴ ἠρνήσατο ὁ Πέτρος, ἵνα μὴ λάβοι τις ἄπιστον αἰ γυναῖκες, ὅτι ἀποστάσιον ἀπῶν τῶν μαθητῶν, ἅπερ ἂν ὁ Πέτρος, Ἐγὼ ἠρνησάμην, λοιπὸν μαθητὰς ἀντὶ αὐτοῦ ἀπέλαβεν ἐν ἐμοί. ἀπέλαβεν ἐν ἐμοὶ, ἐξελεξάμην με. Τότε δὲ ἔφασαν ἀγγέλοις τὸ, ἐγήγερται ὁ Κύριος, ἵνα μὴ σκανδαλισθῇ ὁ Πέτρος, ὡς ἀνὴρ μὲν λόγου ἀξιωθεὶς, ὅτι ἀρνησάμενος, διὰ τοῦτο μηδὲ συναπτόμενος τοῖς μαθηταῖς ἄξιος ὤν. *Petrum à discipulis separat* (de eo separatim loquitur) *tanquam coryphæum, atq; ejus præcipuè seorsim à reliquis mentionem facit. Vel quia Petrum Christum negaverat, si mulieres venissent, & dixissent, mandatum sibi fuisse ut dicerent discipulis, dixisset fortè Petrus, Ego Christum negavi, deinceps discipulus ejus non sum; ideo enim me abjecit, & abominatus est: Propterea addit illud, ET PETRO, nè Petrus offenderetur, ac si ipsius nulla ratio haberetur, quia Christum negaverat, atque ideo indignus erat qui inter discipulos numeraretur.* In eodem Specimine pag. 36. ex Beracoth cap. 1. hæc affertur regula, הזהר בהפרש המקראות כי יש בהם עיקר ויש טפל, *Adverte differentiam Scripturarum: nam est in eis principale, & est accessorium.* Ista quidem in opere Talmudico Amstelodami excuso non reperio; sed quæ sequuntur ad regulam istam illustrandam, occurrunt fol. 12. 2. & fol. 13. 1. תניא אמר להם בן זומא לחכמי' וכי מוכירים יציאת מצרים לימות המשיח והלא כבר נאמר הנה ימים באים נאם יי' ולא יאמרו עוד חי יי' אשר העלה את בני ישראל מארץ מצרים כי אם חי יי' אשר העלה וגו': *Traditio. Ben Zoma dixit Sapientibus, Numquid in diebus Messiæ memorabunt exitum ex Ægypto? Nónne jam dictum est* Jer. 23. 7, 8. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, cùm non amplius dicent, Vivit Dominus qui evexit filios Israelis è terra Ægypti, sed Vivit Dominus qui evexit & qui deduxit semen domûs Israelis è terra septentrionali, & ex omnibus terris in quas eos expulerat. Dixerunt ei,* (nempe Sapientes) *Non est id ità intelligendum ac si exitus ex Ægypto è loco suo eradicaretur,* (ac si nulla ejus deinceps futura esset commemoratio) *sed quòd servitus regnorum* (liberatio è servitute regnorum) *erit principale, & exitus ex Ægypto ei accessorium.* Deinde aliud istiusmodi exemplum affertur ex Gen. 32. 28. כיוצא בו אתה אומר לא יקרא שמך עוד יעקב כי אם ישראל יהיה שמך לא שיעקר יעקב ממקומו אלא ישראל עיקר ויעקב טפל לו: *Similiter dictum est,* (ad verb. *tu dicis*) *Non amplius vocabitur nomen tuum Jacob, sed Israel erit nomen tuum. Non quòd nomen Jacob è loco suo sit exstirpandum, sed quòd nomen Israel foret principale, & nomen Jacob ei accessorium.* R. David Kimchi in Præfatione Comment. suorum in 12 minores Prophetas refert Hebræorum Doctores dicere, כל ששמו ושם אביו בנבואות בידוע שהוא נביא בן נביא שמו ולא שם אביו בידוע שהוא נביא ולא בן נביא שמו ושם עירו בידוע שהוא נביא מאותו העיר שמו ולא שם עירו בידוע שהוא נביא מירושלם: *Cujuscunque nomen ponitur in Prophetiis, & nomen patris ejus, notum est eum esse Prophetam, filium Prophetæ: cujus autem nomen ponitur, & non nomen patris ejus, notum est eum esse Prophetam, non autem filium Prophetæ: cujus verò nomen ponitur, & nomen civitatis ejus, notum est eum ex ista civitate esse Prophetam: si autem nomen ejus ponitur, & non nomen civitatis ejus, notum est eum esse Prophetam ex Hierosolymis.* Eadem penè verba ex Jalkut in Zeph. 1. 1. citata sunt in Specimine memorato pag. 35. Sequuntur autem in Kimchi, quæ in Specimine illo non habentur: אמרו מי שנזכר אביו ואבי אביו הוא לגדולת אבותיו שהיו גדולים ממי שנזכר אבידם לבד, *Dixerunt, Si cujus fiam memoretur pater, & patris pater, id ob patrum ejus dignitatem factum est. Ii nempe honoratiores erant patribus ejus cujus pater duntaxat memoratur.* Et in Zeph. 1. 1. idem Kimchi ait, י"א כי חזקיה זה חזקיה מלך יהודה ואפשר אלא שאין בזה ראיה אבל באמת גדולים היו אבותיו לפיכך נזכרו, *Sunt qui dicunt Ezechiam hunc* (cujus in isto Zephaniæ loco fit mentio) *esse Ezechiam regem Juda: & fortasse ità est, etiamsi nullâ id ratione nitatur: revera autem patres ejus erant magnates, atque ideo memorantur.* Ad multa etiam Prophetarum loca intelligenda facit illa Hebræorum observatio, nempe Prophetas, ad certitudinem rei de qua loquuntur indicandum, præterito pro futuro subindè uti. *Istáne non intelligis, in prophetia esse prædictum tanquam fuerit factum quod erat futurum?* Aug. contra Maximin. lib. 3. cap. 16. *Dixit autem, UNXIT, non dixit, UNCTURUS EST, quia in prædestinatione jam factum erat, quod suo tempore futurum erat.* Ibid. R. Salomon ad Isai. 42. 16. כן לשון נבואה לדבר על העתיד כאלו עשוי: *Ità se habet sermo prophetiæus, ut de re futura tanquam jam facta verba fiant.* Ut in isto Esaiæ loco est, עשיתים *feci eis*, pro אעשם *faciam eis.* Sic Kimchi ad locum, עשיתים עבר במקום עתיד וכמוהו רבים וברברי הנבואות ברוב העתידות כאלו נעשו, *Feci eis; Præteritum loco futuri: & multa sunt ejusmodi: in prophetiis nempe* (ad verb. *Et in verbis prophetiarum*) *futura plerumque tanquam facta memorantur.* Ista etiam in Theologiæ Talmudicæ Specimine pag. 35. citata sunt, sed Hebraicè solùm, ut in isto libro ubique fieri solet, Latinâ interpretatione nusquam additâ; unde fit ut liber, alioqui non inutilis, paucioribus usui esse possit. Sed alia quædam Hebræorum in hanc sententiam dicta addam. Kimchi ad Amos 9. 7. דברי הנביאה הם במקומות רבים עבר במקום עתיד ישהרי הוא כאלו נעשה כי דברי האל יתברך אמת, *Verba prophetiæ in multis locis ità se habent ut præteritum positum sit pro futuro; quia res futura* (à Prophetis memorata) *est quasi facta: nam verba Dei benedicti sunt veritas.* Idem etiam ad Mic. 7. 8. notat præteritum קמתי *Surrexi* usurpari pro futuro כדרך הנבואות *juxta morem prophetiarum.* Atque addit, כי מה שאמר האל יתברך שיהיה הוא קיים כאלו היה: *Nam quod Deus benedictus dicit fore, aquè certum est ac si jam fuerit.* Similiter Aben Ezra in Jon. 2. 2. דבר שנגזר להיות ידבר בלשון עבר, *Quod decretum est ut sit, de eo in præterito* (quasi scilicet jam esset) *sermo haberi solet.* Et R. Levi Ben Gersom ad 1 Reg. 13. 2. notat נולד *natus est* dictum esse pro יהיה נולד *natus erit*; atque addit, אך הנביאי' רואים הדברים העתידים כאלו הם הווים, *Sed prophetæ vident ea quæ sunt futura ac si jam exsisterent.* In Specimine, de quo antea pag. 44. regula seu observatio ista ponitur, מנהג המקרא לדלג בתי אבות, *Mos est Scripturæ* (in recensendis Genealogiis) *transilire domos patrum.* Deinde afferuntur verba R. Davidis Kimchi in 1 Paral. 6. 1. ubi notat in Genealogia quæ recensetur Ezr. 7. חמשה בתי אבות *quinque domos patrum*, quæ recensentur 1 Par. 6. transiliri. Id brevitatis causâ factum monet; ולקצר דלג אותם בתי אבות *Et brevitatis causâ istas domos patrum transilivit.* Sed revera (ut notat Junius ad Ezr. 7. 3.) sex omittuntur, nempe Johanan, Azariah, Ahimaaz, Zadok, Ahitub, & Amaziah. Hinc autem minùs mirum videatur in genealogia Christi Matt. 1. quòsdam esse omissos, nempe Ahaziam, Joashum, & Amaziam, qui inter Joramum filium Jehoshaphati, & Oziam sive Uzziam fuerunt, ut ex Regum & Chronicorum libris est manifestum. Istam etiam Hebræorum observationem, etiamsi apud omnes ferè sit pervulgata, non insuper habendam censeo, דברת תורה כלשון בני אדם, *Loquitur Lex,* (sive *Scriptura*) *juxta linguam* (seu *sermonem*) *filiorum hominum.* Ità monet Aben Ezra ad Jer. 3. 10. & ad Gen. 6. 6. in quibus locis pœnitentia Deo tribuitur. In laudato Specimine pag. 47. ex libro mihi ignoto in exemplum affertur illud Dan. 7. 10. דינא יתיב וספרין פתיחו

Judicium ſedit, & libri aperti ſunt: deinde additur, והוא אין צריך ספר כי יודע המחשבות עד שלא נוצרו אלא כמנהגנו דברה תורה בלשון אדם: *Non opus eſt ei libro; Novit enim cogitationes antequam formentur: ſed more noſtro Lex loquitur linguâ filiorum hominum.*

CAP. 10. *Quàm utilis & neceſſaria ad Scripturam rectè intelligendam ſit Linguarum Originalium cognitio, exemplis aliquot oſtenditur.*

MUlta ſunt Scripturæ loca quæ in Verſionibus vel depravata ſunt, vel ambigua; unde fit ut qui Originales linguas conſulere nequeunt, à vero Scripturæ ſenſu non rarò multùm aberrent: id quod exemplis aliquot demonſtrabo. Pſal. 92. 12. in Hebræo eſt, צדיק כתמר יפרח, *Juſtus ut palma florebit.* Lxx habent, Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, quod cum Hebræo convenit. Sed Tertullianus Hebrææ linguæ ignarus, & Græcæ vocis φοῖνιξ ambiguitate deceptus, de Phœnice ave intellexit. Sic enim de Reſurrect. cap. 13. ſcribit; *Accipe pleniſſimum atque firmiſſimum hujus ſpei ſpecimen. Siquidem animalis eſt res, & vitæ obnoxia & morti, illum dico alitem orientis peculiarem, de ſingularitate famoſum, de poſteritate monſtruoſum, qui ſemetipſum libenter funerans renovat, natali ſine decedens, atq; ſuccedens iterum Phœnix: ubi jam nemo, iterum ipſe, quia non jam alius, idem. Quid expreſſius atque ſignatius in hanc cauſam? aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam Scripturis ſuis, Et florebit enim, inquit, velut Phœnix, i. de morte, de funere: utì credas de ignibus quoque ſubſtantiam corporis exigi poſſe.* Quantum in iſto Scripturæ loco ex Hebrææ linguæ imperitia hallucinatus eſt vir alioquin acutiſſimus cuivis vel tantillùm Hebraicè docto eſt perſpicuum. Quin & inſcitiam ſuam prodidit Pamelius, qui in Annotationibus ait, illud Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει, quod quidam Interpretes verterunt, *Juſtus ut palma florebit*, verti etiam poſſe, *Velut Phœnix florebit*; quia ſcilicet vox Græca φοῖνιξ & *Palmam*, & avem quam vocant *Phœnicem* ſignificat. At cùm iſtîc vox φοῖνιξ voci Hebrææ תמר reſpondeat, non avem, ſed *palmam* duntaxat ſignificet neceſſe eſt.

Pſal. 17. 14. Hebr. ישבעו בנים *ſaturantur filiis*; & Vulg. Lat. Interpres, qui ex Græco vertit, Hebræo eſt conformis, *Saturati ſunt filiis.* In multis autem Græcis codicibus legitur, ἐχορτάσθησαν υἱῶν *Saturati ſunt porcinâ*: ità Græcè pariter ac Latinè legitur in edit. Romana. In Bibliis Londinenſibus πολυγλώττοις in Græco eſt ἐχορτάσθησαν ὑῶν· Latina etiam verſio ei reſpondens eſt, *Saturati ſunt porcinâ.* Apollinarius iſtâ Lectione deceptus ſic reddit,

Πλησθέντες σιάλων,

Repleti carnibus porcinis. Paulinus etiam inter alia ab Auguſtino quæſivit, quemadmodum iſtud intelligi debeat, *Saturati ſunt porcinâ*, epiſt. 58. inter Epiſtolas Auguſtini. Et Auguſtinus epiſt. 59. & in Comment. ſuper Pſalmos utriuſque lectionis meminit, nec quæ præferenda ſatis novit. Æthiopicus etiam Interpres, ut & Arabicus, quippe qui ex Græco Pſalterio, eóque mendoſo, interpretati ſunt, depravatam iſtam lectionem ſecuti ſunt.

Pſal. 119. 109. Hebr. נפשי בכפי תמיד, *Anima mea in manibus meis ſemper*, i. in magno ſemper eſt periculo; utì patet ex Jud. 12. 3. & 1 Sam. 19. 5. & 28. 21. ubi eadem phraſis uſurpatur. Ità etiam Vulgata Verſio, *Anima mea in manibus meis ſemper.* At plerique (ut videtur) Græci codices pro μου habent σου, *Anima mea* ὁ ἐν τῇ χειρί σου διαπαντὸς, *in manibus tuis ſemper*; quæ lectio multis impoſuit. Genebrardus ad locum citat Hieronymum verba prout in Hebræo textu ſe habent ſic explicantem in Epiſt. ad Suniam; *Eſt breviter hic ſenſus, Quotidie periclitor, & quaſi in manibus meis ſanguinem meum porto; & tamen legem tuam non obliviſcor.* Deinde notat mendoſos codices legere σου, atque Auguſtinum de eo ſic ſcribere, *Nonnulli codices habent* in manibus meis, *ſed plures* tuis. *Et hoc quidem planum eſt. Juſtorum enim animæ in manu providentiæ, cuſtodia Dei ſunt.* Anima verò mea in manibus meis, *quomodo intelligatur ignoro.* Deinde addit Genebrardus, *Quod explicat D. Hieronymus, ignorat D. Auguſtinus. Nempe multa ignorantur à linguarum imperitis, quæ periti liquidò intelligunt.* Certè non ſolùm Auguſtinus, Caſſiodorus & Theodoretus, quos refert Genebrardus, verùm etiam Hilarius, Baſilius & Proſper in Commentariis, Apollinarius in Metaphraſi, Æthiopicus & Arab. in Verſ. falsâ iſtâ lectione in errorem perducti ſunt.

Neſcio an huc etiam referri debeat illud Pſal. 104. 24. vel 103. 26. ubi Hebraicè legitur, מלאה הארץ קנינך, *Repleta eſt terra poſſeſſione tuâ*, vel *opibus tuis*: atque ità Vulg. Lat. editio, *Plena eſt terra poſſeſſione tuâ*; unde veriſimile videtur Græcos vertiſſe, ἐπληρώθη ἡ γῆ τῆς κτήσεώς σου. At in Græcis codicibus, quos vidi, legitur τῆς κτίσεώς σου, & Latinè vertitur, *creaturâ tuâ.* Ità Auguſtinum atque alios legiſſe notat Nobilius. Baſilium etiam, & Proſperum, Æthiopicum & Arabicum, lectionem iſtam ſecutos eſſe apparet. Nec aliud dicendum videtur de Apollinario, cujus Metaphraſis ſic habet,

χθὼν ἱερὴ βέβαθεν ἀμοιρήτων σέθεν ἔργων,

Tellus ſacra onuſta eſt immenſis tuis operibus. Etiamſi autem vox κλῆσις *poſſeſſio* voci Hebrææ exactè reſpondeat, & facili lapſu pro ea legi potuerit κτίσις *creatura*, haud tamen ſcio an Græci hîc verterint κτήσεως, cùm videam eos alibi Hebræum קנה *poſſidere*, unde קנין poſſeſſio, κτίζειν *creare*, unde κτίσις *creatura*, interpretari. Gen. 14. 19. pro eo quod in Hebræo eſt, קונה שמים וארץ *poſſidens cœlum & terram*, Græci habent ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, *qui creavit cœlum & terram.* Et Prov. 8. 22. quod Hebraicè legitur, ה' קנני *Dominus poſſedit me*, Græcè ſic habetur, Κύριος ἔκτισέ με, *Dominus creavit me*; & Chaldæus etiam ſimiliter habet, אלהא בראני *Deus creavit me.* Non eſt igitur quòd lectionem mendoſam ſuſpicemur in iſto Proverbiorum loco, utì nec fortaſſe in illo Pſalmorum, etiamſi Genebrardus ad Pſal. 103. 26. non dubitet aſſerere, ἔκτισε *creavit* mendoſè legi pro ἔκτησε *poſſedit*; atque eò etiam inclinet Bellarminus de Chriſto lib. 1. cap. 18. Sed ut omittam ea quæ jam dicta ſunt, utì & illud, quòd non ſolùm Vigilius ità legit, lib. 5. contra Eutychen, ubi de Chriſto ſecundùm humanitatis naturam dictum aſſerit, verùm etiam autor antiquiſſimus Juſtinus Martyr in dialogo cum Tryphone ſæpius ſic citat, *Dominus creavit me initio*; ut omittam, inquam, iſta, miror homines eruditos non animadvertiſſe iſtud ἔκτισε prorſus nihili eſſe, cùm non κτάω, ſed duntaxat κτάομαι, unde legendum eſſet ἐκτήσατο, in uſu ſit.

Deut. 17. 12. Heb. ſic habetur, *Et vir qui ſuperbè fecerit*, לבלתי שמע אל הכהן, *nec voluerit audire ſacerdotem*, &c. או אל השופט, *vel judicem, morietur*, &c. Similiter habent Græci, & reliqui Interpretes præter Vulgatum Latinum, qui vertit, *Nolens obedire ſacerdotis imperio*, &c. *ex decreto judicis morietur.* Sed optimè Seldenus de Syned. lib. 3. cap. 2. §. 1. *Rejicienda planè eſt lectio illa depravatiſſima*, &c. *Quaſi ex ſacerdotis imperio, velut Executoris munus, tantùm indè præſtaret Judex qualiſcunque, illic memoratus, ſeu ut miniſtrum ei ſe gereret. Sed nihil in origine ſic de ſacerdotis imperio, nec quid de decreto judicis habetur, nedum quod* ex decreto Judicis *reſpondeat.* Addit Vulgatam verſionem à Clemente 8. approbatam ex optimis codicibus ſic corrigi, *& decreto judicis*; atq; ità quidem in Bibliis Magnis Londini editis legitur: ſed Sixtus V. (ut notat etiam Seldenus) in Vulgata ſua retineri voluit, *ex decreto judicis*, quod ſenſum haud parùm mutat. Vide plura iſtîc, ſi libet, apud Seldenum, ubi prodigioſa ſimul ac ridicula ex lectione illa peſſima perniciosiſſimâque, etiam antiquitus (ſi tamen Epiſtolæ illæ Decretales adeò ſint antiquæ) orta eſſe oſtendit. De Anteri Epiſtola, unde nonnulla in hanc rem citat Seldenus, videndus eſt Blondellus in Pſeudo-Iſidoro, ſeu Cenſurâ Epiſtolarũ Pontificalium. Id tantùm moneo, in Seldeno mendũ eſſe videri, idq; ex incuria vel Librarii vel Typographi, cùm dicat Anterũ iſtũ fuiſſe

circa

circa annos abhinc 1200. cum multò antiquior fuerit, nempe circa 238 à Chriſto annum. Gen. 11. 13. mira eſt Verſionum quarundam cùm inter ſe tùm ab Hebræo textu diſcrepantia. Nam ut Græcos Interpretes miſſos faciam, qui hîc omnia confundunt, pro eo quod Hebraicè legitur, ויחי ארפכשד אחר הולידו את שלח שלש שנים וארבע מאות שנה, *Et vixit Arphacſhad poſtquam genuiſſet Shelachum tribus annis, & quadringentis annis*, Vulg. Lat. Interpres habet, *trecentis tribus annis*; ſed in margine editionis quam habeo ponitur *quadringentis*. Syrus & Arabs cum Hebræa lectione conſentiunt: at Onkelos in ſua Paraphraſi ab omnibus variat: ſic enim habet, וחיא ארפכשד בתר דאוליד ית שלח ארבע מאות וחלתין שנין, *Et vixit Arphacſhad poſtquam genuiſſet Shelachum quadringentis & triginta annis.* Ità in Bibliis Baſilienſibus, & in Londinenſibus πολυγλώτ-τοις legitur: ſed & Fagius ità legit, nec in Annotationibus, quod miror, de inſigni iſta variatione mentionem facit. At aliam lectionem nobis exhibet Joannes de Gara, qui Pentateuchum Hebraicè cum triplici Targum & Commentariis R. Salomonis edidit, nempe hanc, quæ Hebraicæ veritati prorſus conſonat, וחיא ארפכשד בתר דאוליד ית שלח ארבע מאה וחלת שנין, *Et vixit Arphacſhad poſtquam genuiſſet Shelachum quadringentis & tribus annis.* Et tamen in iſta Gariana editione (quod mirum videatur) Jonathanis Paraphraſis habet, ארבע מאה וחלתין שנין, *quadringentis & triginta annis.* Vera procul dubio lectio in utraque Paraphraſi eſt חלת *tribus*, unde quorundam hallucinatione factum eſt חלתין *triginta*. Biblia Londinenſia vocem *triginta* minore charactere ſcriptam habent, quod innuere videtur aliquid de loco iſto eſſe annotandum; ſed quid iſtud tandem futurum ſit, cùm Annot. nondum prodierint, divinare nequeo.

Locus iſte Johan. 21. 22. eſt πολυθρύλλητος, *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Ità in Vulgata Verſione legitur pro, *Si eum volo manere*, &c. cùm in Græco ſit, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, &c. Atque in Pariſienſi editione Græco-Latina in folio legitur, *Si eum volo manere*, &c. Et Biblia Latinè edita Lugduni in octavo pro *Sic* in margine ponunt *Si*; ſed in pleriſque codicibus vitioſa lectio, *Sic*, invenitur. Maldonatus ad locum de iſta lectione loquens ait, *Eſt maximè vulgaris, quæ in omnes fere Latinos codices pervaſit, eóſque incredibili ſcriptorum negligentiâ contaminavit*, Sic eum volo manere, *&c. nullâ prorſus ſpecie probabilitatis. Nam & ſententia particulam conditionalem* Si *neceſſariò requirit; & nulla inter* ἐὰν, *quæ in omnibus Græcis legitur libris, &* οὕτω *eſt ſimilitudo*, (vox *ſimilitudo* in Maldonati codice eſt omiſſa) *ut ſuſpicio ulla eſſe poſſit, Interpretem noſtrum unam pro altera legiſſe. Tamen* Sic *hoc loco legit Auguſtinus; ſic Sermone de Tempore* 149. *Sic Euſebius Emiſenus homil. de Joanne Baptiſta: ſic Ambroſius in enarratione Pſal.* 45. *& ſerm.* 20. *in Pſal.* 118. *Sic Beda & Rupertus hunc locum interpretantes. Vera lectio eſt, ut ex Græcis codicibus apparet*, Si eum volo manere, &c. *Sed aut incuriâ, ut fit, notariorum pro* Si *cœptum eſt ſcribi* Sic; *aut ab aliquo fortaſſe, qui nolebat Joannem eſſe mortuum, ſtudioſe per ſpeciem correctionis locus corruptus eſt.* Janſenius etiam in Concord. cap. 148. ait, *Legendum eſſe* Si, *& non* Sic, *ut multi tamen libri corruptè habent, meritò adeò certum eſſe debet, ut de eo contendere protervi eſſe videatur, qui inveteratum errorem agnoſcere nolit, aut agnitum corrigere.* Vide iſtic plura. Valla etiam & Eraſmus in Annotationibus ſuis ad hunc locum monent, lectionem non Interpretis vitio, ſed vel librarii negligentiâ, vel correctoris temeritate, eſſe depravatam.

Unum duntaxat præterea in hoc genere exemplum addere mihi viſum, quod illuſtre admodum eſt & meritò memorandum. Apoſtolus 2 Cor. 4. 16. ait, *Etiamſi exterior noſter homo corrumpatur, interior tamen renovatur* ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ *die & die*, (ſic ad verb. redditur) ſeu *de die in diem*. Eraſmus, vir Græcè Latinéque doctiſſimus, notat illud, *de die in diem*, Græcè non eſſe κατ' ἡμέραν, ſed novè ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ. Cajetanus autem, etiamſi in ſuo literarum genere nulli ſecundus, nullâ tamen linguarum cognitione imbutus, cùm in iſtam Eraſmi annotationem incidiſſet, iſtiuſmodi erravit errorem, ut miranda pariter ac miſeranda ejus videatur ignorantia. Ità enim Eraſmum intellexit, ac ſi dixiſſet, Græca iſta ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ ſignificare *novè*; atque hinc mirificè philoſophatur. In Commentario ſiquidem ad locum ſic ſcribit; *RENOVATUR DE DIE IN DIEM, pro NOVE.* Et mox, *Dicit autem hominem ſecundùm internas animi conditiones renovari*, &c. *Et adjungit adverbium NOVE, ad ſignificandum ſtatum novitatis ſpiritualis*, &c. *Ità quòd dicendo, RENOVATUR NOVE, ſignificatur quòd renovatur proportionaliter ſecundùm ſtatum novitatis.* Quid eſt, ſi hoc non eſt, *cum ratione* (ut dicitur) *inſanire?* Hanc Cajetani ἀβλεψίαν notat Eſtius ad 2 Cor. 4. 16. & verba ejus memoratu ſanè ſunt digniſſima. *Non eſt*, inquit, *hîc diſſimulandus inſignis lapſus Cajetani, viri alioqui egregiè docti, qui ex Eraſmo malè intellecto, credit Apoſtolum pro*, de die in diem, *ſcripſiſſe* novè, *ac in ea voce ſubtiliter philoſophatur, cùm Eraſmus tantùm dicat, novè ſcriptum ab Apoſtolo,* ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ, *pro* κατ' ἡμέραν. *Id admonendum duxi, ut intelligat Lector quàm facilè aberret in Scripturis interpretandis qui lingua originalis ignarus tantùm ex aliis autoribus venatur quid Græca, quid Hebræa habeant.*

Huc etiã referri poſſunt eorum hallucinationes qui voces quaſdam, vel Heb. vel Syr. ità interpretati ſunt ac ſi Græcæ eſſent. *Cephas* apud Gratianum diſt. 22. cap. *Sacroſancta*, ab Anacleto (ſi credere libeat) dicitur ſignificare *caput*, & *principium*; quaſi ſcilicet *Cephas* eſſet à κεφαλὴ *caput*, cùm כיפא *Cepha* apud Syros *petram* ſeu *lapidem* denotet. In errorem iſtum incidit Optatus, ut ex verbis ejus lib. 2. contra Parmen. apparet; *Omnium Apoſtolorum caput Petrus, unde & Cephas appellatus eſt.* Sed rectè Spalatenſis De repub. Eccleſ. lib. 1. cap. 14. ſect. 18. *Cephas verò ut Caput ſignificet, non patitur Joannes quenquam interpretari.* Vide Joh. 1. 42. Ità etiam nomen *Paſcha* nonnulli à verbo πάσχειν, h. e. *pati*, derivarunt, cùm ſit ab Hebræo פסח, & *tranſitum*, vel *tranſitionem* ſignificet. Caſaubonus quidem Exercit 15. ſect. 11. antiquos in hujuſmodi erroribus deprehenſos excuſare nititur, quaſi non ex veritatis ignoratione, ſed ex pia quadam curioſitate iſtiuſmodi vocum ſignificationes amplexi eſſent. Sed cùm apertum ſit, veteres etiamſi aliàs valde eruditos, præ linguarum tamen imperitia, in aliis plurimùm à vero aberraſſe, non video cur in hiſce quæ jam dicta ſunt excuſari debeant. Auguſtinus Contra Fauſtum lib. 22. cap. 52. ait nomen *Rachel* dici ſignificare *viſum principium, ſive verbum ex quo videtur principium*; cùm revera רחל *Rachel* ſignificet *ovem*, atque in ea ſignificatione Iſai. 53. 7. atque alibi in Scriptura uſurpetur. Sic ibidem cap. 84. ait *Thamar* interpretari *amaritudinem*; & cap. 87. *David* interpretari *manu fortis*, ſive *deſiderabilis*; cùm *Thamar palmam*, & *David dilectionem* vel *dilectum* deſignet. Illud duntaxat addam, quod apud Sarisberienſem (autorem pro ſeculo quo vixit multiplici eruditione refertum) De nugis Curialium lib. 8. cap. 22. *Gedeon interpretatur circumiens inutile, vel tentatio iniquitatis eorum*; at certè *Gedeon*, ſi etymologiam ſpectes, *ſciſſionem* vel *abſciſſionem* denotat, a גדע *Gada*, quod eſt *ſcindere*, vel *abſcindere*.

CHRISTOPH. CARTWRIGHTI
MELLIFICIUM HEBRAICUM.
LIBER V.

CAP. 1. *Autor Decaplorum in Psalmos interdum Hebræorum scripta minùs rectè explicasse notatur.*

THeodorum Gazam non immeritò magni fecit Politianus, (Miscell. cap. 9.) eúmque doctorum etiam judicio eruditissimum esse agnovit, alicubi tamen in vertendo Aristotele eum errasse ostendit. Ipsum etiam Politianum etiamsi multis magnísque encomiis evehat Henricus Stephanus, Præfat. in Herodian. in ejus tamen Latina Herodiani Versione nonnulla animadversione digna existimavit. Non est igitur mihi vitio vertendum, si in Autore Decaplorum in Psalmos, viro alioquin Hebraicarum literarum egregiè perito, quædam nigro (quod aiunt) carbone notanda censuero. Cùm vetustum illum in Psalmos Commentarium, qui MIDRASH TILLIM appellatur, evolverem, & Hebraici codicis cum Versione ista quæ in Decaplis habetur collationem subindè facerem, non potui non animadvertere, autorem Decaplorum Hebraica aliquoties vel minùs sincerè, vel obscurè, vel mutilatè reddidisse, ut quid sibi Commentator voluerit, Lector vix, ac nè vix quidem intelligat. Loca aliquot mihi inter legendum observata hîc annotabo. Psal. 2.4. ad illud, יושב בשמים ישחק, *Qui sedet in cœlis ridebit*, in Midrash fertur R. Acha nomine R. Samuelis filii Nachmanis dixisse, ארבע שחיקות הן אחד יושב בשמים ישחק ב' אתה יי' תשחק למו ג' יי' ישחק לו ד' גם אני אשחק, *Quatuor sunt derisiones*, (h. e. Quatuor sunt loca Scripturæ, in quibus Deus dicitur deridere impios) 1. *Sedens in cœlo ridebit.* 2. Psal. 59. 8. *Tu, ô Domine, deridebis eos.* 3. Psal. 37. 13. *Dominus eum deridebit.* 4. Prov. 1. 26. *Ego etiam in calamitate vestra ridebo.* In Decaplis hæc ità sunt reddita, *Quatuor vicibus dicitur Deus deridere impios, sicut sunt quatuor monarchiæ.* Loca Scripturæ, quæ maximè ad rem faciunt, sunt omissa; & quatuor monarchiæ, de quibus hîc in Midrash nihil reperio, memorantur. Ibid. ver. 6. ad verbum נסכתי *constitui*, in Midrash dicitur, מהו נסכתי משחתיה כמה דאמר וסוך לא סכתי ד"א איתבתיה כמה דאמר עגל מסכה ד"א גדלתיו כמה דאמר ושמונה נסיכי אדם וכתיב שמה נסיכי צפון והיכן גדלתיו על ציון הר קדשי, *Quid est illud NASACTI? Unxi eum; juxta id quod dicitur*, Dan. 10. 3. *Et ungendo non unxi.* (Sed istic radix non est נסך, sed סוך.) *Alia interpretatio, Collocavi eum; quemadmodum dicitur, Vitulus fusilis*, (ità significat מסכה *Massecah*, cùm Vituli est epitheton; sed autor Midrash aliter accepisse videtur nempe pro *collocatus.*) *Alia interpretatio, Magnificavi eum; juxta id quod dicitur*, Mic. 5. 4.) *Et octo principes hominum*, vel *principales homines. Et scriptum est*, Ezec. 32. 30. *Ibi principes Aquilonis. Ubi autem magnificavi eum? Super Sion, montem meum sanctum.* Pro istis Autor Decaplorum hæc habet, *TEXI, quasi in tabernaculo Davidis lapso*, Amos 9. *à* סוכה. Sed unde ista petita sint nescio; eorum nec vola nec vestigium in Midrash reperitur. Psal. 5. 5. לא יתיצבו הוללים לנגד עיניך, *Non stabunt holelim (stulti) ante oculos tuos.* In Midrash vox הוללים variè exponitur. 1. אלו הם שלבם מלא הוללות, *Isti sunt quorum cor plenum est stultitiâ*, vel *insaniâ.* 2. הוללים אלו שמביאים יללה לעולם, *Holelim sunt isti qui afferunt jelalah (ejulatum) in mundum.* הוללי ערביא כמה דאמר לשחוק אמרתי מהולל, *Holelim sunt turba miscellanea* (seu *confusa*, i. homines vani & ludicri) *secundùm id quod dicitur*, Eccles. 2. 2. *Dixi de risu stultus*, seu *insanus, est.* Postrema hæc in Decaplis sic redduntur, *Vel homines mixti, non sinceri, & ἀνυπόκριτοι, à* מהל *mixtum aquis*, Isai. 1. quæ cum Hebraicis parùm conveniunt. Psal. 22. 6. ואנכי תולעת, *Sed ego vermis.* Midrash ad hunc locum sic habet, כך הק"בה נותן גדולה לצדיקים הם מתמעטים עצמם, *Quando Deus s. b. evehit justos, illi seipsos dejiciunt.* Exemplum deinde affertur Abrahami, qui dixit, *Ego sum pulvis, & cinis.* Et Gedeonis, qui dixit, *Præfectura mea tenuissima est in Manasse*, &c. Sequitur in Midrash, אבל הרשעים כשהק"בה נותן להם גדולה מחרפים ומגדפים כלפי מעלה: *Sed impii, cùm Deus s. b. eos evehit, ob dignitatem suam insolentes & blasphemi fiunt. Ut Pharaoh dixit, Quis est Dominus? Et Goliath, Ego exprobravi. Et Senacherib, Quis est ille Deus, qui eripiet è manu mea?* In Decaplis prætermissa sunt exempla Gedeonis, Goliathi & Senacheribi; & post Abrahamum ponitur Moses, qui dixit, *Et nos quid sumus?* Sed exemplum istud in Midrash non habetur. Sicco etiam pede præteritur id quod Midrash habet de Belshazzaro, *Et contra Dominum cœli te extulisti*; & de rege Tyri, *& posuisti cor tuum, ut cor Dei.* In Midrash additur, ד"א *alia interpretatio*, nempe hæc; *Vermis non nisi os suum habet, quod tenerum est, & tamen eo percutit cedros, quæ duræ sunt & robustæ. Sic Israel nil præter os suum & orationem habet, quâ percutit nationes mundi, quæ comparantur cedrò; uti dicitur, Ecce Assur, cedrus in Lebanon.* Ista autem primo statim loco posita sunt in Decaplis, sed truncata, ad hunc modum, *VERMIS, habens vim in ore solùm, i. prece.* Deniq; sequitur, *Justi humiliant animam suam*, &c. Psal. 23. 1. ה' רועי *Dominus est pastor meus.* In Midrash ad hunc locum sic commentantur; *Hoc est quod dicit Scriptura, Dilectus meus mihi, & ego illi. Dixit congregatio Israelis coram Deo s. b. Dominus mundi est mihi Deus, & ego illi sum populus.* Et mox, *Is est pater, uti dicitur, Et ero Israeli pater: & ego ei sum filius; dictum quippe est, Filius meus primogenitus est Israel. Is mihi est pastor, quemadmodum dicitur, Dominus est pastor meus: & ego ei sum pecus, juxta id quod dicitur, Et ponam pecus meum pecus pascui mei. Is mihi est frater, uti dicitur, Utinam mihi quasi frater esses: & ego ei sum soror, uti dicitur, Aperi mihi, soror mea.* Autor Decaplorum hæc more suo decurtat; *Ecclesia*, inquit, *est pecus Domini; ut in Psal.* 100. *Nos oves pascui sui: Ipse est Deus noster, nos sumus populus ejus.* Ubi citat verba ex Psal. 100. quæ in Midrash non habentur, & verba ex Ezechiele citata prætermittit. Psal. 69. 14. הצילני מטיט *Eripe me à luto*, in Midrash explicatur, מדינה של גיהנם, quod Autor Decaplorum vertit, *civitate gehennæ*; quasi scilicet litera מ in מדינה esset radicalis, cùm revera sit servilis, & verti debeat, *à judicio*, seu *damnatione gehennæ.* Vide suprà ad Matt. 23. 33. Iis autem quæ ibi notata sunt adde illud in Midrash ad Psal. 92. 1. כל מי שמידה על הפשעים ועוב ניצל מדינה של גיהנם:

Quisquis

Quisquis confitetur prævaricationes suas & derelinquit, liberatur à judicio gehennæ. Et mox ibidem sequitur, יגידו ויאמרו אמונתו וחסדו שעשה עמי והצילני מדינה של גיהנם, *Narrent & prædicent fidem ejus, & misericordiam ejus quam mihi præstitit; & eripuit me è judicio gehennæ.* Similiter Chaldæus Paraph. Eccles. 9.15. וישיזב יתּ גופא מן דינא דגיהנם, *Et eripuit corpus è judicio gehennæ.* In iis quidem verbis omnis errandi ansa præciditur, cùm non solùm דינא cum א scribitur, verùm etiam præpositio מן integrè, & seorsim à nomine דינא, posita sit, ut nulla possit esse suspicio *civitatem* vocibus istis, ut voce מדינה, significari. Psal. 88.4. *Sicut vir robore destitutus*; in Midrash ità exponitur, דלית ליה פטרון, *Cui non est patronus.* In Decaplis vertitur, *Orphanus, qui patre destituitur.* At פטרון non *patrem* sed *patronum* denotat. Psal. 134.2. שאו ידיכם קדש וברכו את ה', *Elevate manus vestras in sanctuario* (vel *in sanctitate*) *& benedicite Domino.* In Midrash ad hunc locum hæc habentur; *Dicit R. Simeon filius Pizzi,* כל כהן שלא נטל ידיו אסור לישא את כפיו שנא' שאו ידיכם וגו', *Si quis sacerdos non lavat manus suas, illicitum est ei elevare manus suas: quia dicitur, Elevate manus in sanctitate.* Deinde additur, שלש תכיפות הן תכף לסמיכה שחיטה וסמך ושחט תכף לנטילת ידים ברכה שנא' שאו ידיכם קדש תנף לגאולה תפלה יהיו לרצון אמרי פי וגו' מה כתיב בתריה יענך ה' ביום צרה, *Tres sunt connexiones: Connexio mactationis cum impositione manuum; Et imponet manus, & mactabit. Connexio benedictionis cum lotione manuum; uti dicitur, Elevate manus vestras in sanctitate, & benedicite Domino. Connexio precationis cum redemptione; Sint in beneplacitum verba oris mei,* &c. *Quid postea sequitur? Dominus exaudiat te in die afflictionis.* Ibidem etiam sequitur, *R. Josi filius Bun ait,* כל מי שתוכף לסמיכה שחיטה אין הפיגול נוגע באותו קרבן וכל מי שתוכף לנטילת ידים ברכה אין השטן מקטרג באותו סעודה וכל מי שתוכף לגאולה תפלה אין השטן מקטרג באותו היום, *Quicunque connectit manuum impositioni mactationem, nihil profani incidit in istam oblationem. Et quicunque lotioni manuum connectit benedictionem, Satan non accusat in isto convivio. Et quisquis redemptioni connectit precationem, Satan isto die non accusat.* In Decaplis pro hisce omnibus ista tantùm habentur; *Qui benedictionem cum elevatione conjungit, non est Satan in illo festo calumniator.* Ubi pro *elevatione* potiùs dicendum erat *lotione.* Etiamsi enim נטל primò significet *elevare,* & נטילה *elevationem*; apud Rabbinos tamen נטל est *lavare,* & נטילה *lotio*: atque ità in verbis citatis vox ista sumitur, ut cuivis harum literarum non imperito facilè patebit: & si opus sit, vide etiam id firmàtum autoritate viri in hisce literis versatissimi, nempe Buxtorfii in Lexico Talmudico sub radicibus נטל & תכף. Psal. 136.1. הודו לה', *Confitemini,* seu *Gratias agite, Domino.* In Midrash fertur R. Jochanan dixisse, *Quare dicitur* הלל גדול *Hallel* sive *Hymnus magnus?* מפני שיושב הקב"ה ברומו של עולם ומחלק מזונות לכל בריה, *Quia Deus ſ. b. sedet in summitate mundi, & distribuit escas omni creaturæ.* Deinde sequitur, *Unde incipit Hymnus magnus? Rab Jehuda ait,* מהודו ועד נהרות בבל, *à* GRATIAS AGITE, *usq; ad* FLUMINA BABYLONIS. Autor Decaplorum vertit, *abhinc ad Psal.* 137. Sed Buxtorfius in Lexico magno ad radicem הלל exponit de הודו *Gratias agite* Psal. 118.1. Atque id rectum esse apparet ex eo quòd Maimonides (uti istîc refert Buxtorfius) ait, *Hallel haggadol,* seu *Hymnus magnus, est ab* הודו ליו' *Gratias agite Domino,* Psal. 118.1. *usque ad* שיר המעלות *Canticum graduum,* Psal. 120. In Midrash autem sequitur, *R. Jochanan ait,* משיר המעלות ועד על נהרות בבל, *à Cantico graduum* (i. à Psalmo 120.) *usque ad illud, Juxta flumina Babylonis,* Psal. 137. *R. Acha apud R. Jacobum* (ברבי יעקב, Buxtorfius vertit, *F. R. Jacob*) *ait,* מכי יעקב בחר לו יה ער על נהרות בבל, *à, Quia Jacobum elegit sibi Dominus,* Psal. 135.4. *usque ad, Juxta flumina Babylonis,* Psal. 137.1. Hæc postrema opinio in Decaplis est prætermissa. Unum duntaxat præterea locum addam, nempe illum Psal. 14.7. מי יתן מציון ישועות ישראל, *Quis dabit è Sione salutem Israeli,* vel *Israelis?* In Midrash ad locum istum R. Levi dixisse fertur, *Omnes benedictiones, & consolationes, & bona, quæ Deus ſ. b. dat Israeli, sunt ex Sione. Lex ex Sione; E Sione exibit Lex,* Isai. 2. 3. *Benedictio ex Sione; Benedicet tibi Dominus è Sione,* Psal. 128.5. *Illuminatio* (הופעה) *ex Sione; E Sione, perfectione pulcritudinis,* אלהים הופיע, *Deus illuxit,* Psal. 50.2. *Sustentatio* (סעידה) *ex Sione; E Sione te sustentabit,* Psal. 20.2. *Vita ex Sione; Ibi Dominus mandavit benedictionem, vitam in æternum,* Psal. 133.2. *Magnitudo è Sione; Dominus magnus in Sione,* Psal. 99.2. Ista nec integrè, nec suo ordine, in Decaplis habentur: sed in iis quæ sequuntur Autorem Decaplorum maximè sum miratus; imò non potui non stomachari atque iniquo animo ferre, locum perquam elegantem adeò vel præignorantia, vel præ oscitantia, fœdè esse tractatum, ut non solùm à genuino loci sensu longè aberretur, verùm etiam omni prorsus sensu locus destitutus esse videatur. Midrash sic habet, *Bis scriptum est in libro Psalmorum,* מי יתן, *Quis dabit? Semel in libro primo, & semel in libro secundo.* (Liber enim Psalmorum ab Hebræis in quinque libros est divisus.) *Et quare? Dicit R. Levi, Magister dixit semel, & discipulus dixit semel,* (i. Semel Deus, & semel Moses verba ista, מי יתן, *Quis dabit,* vel *utinam,* usurpavit.) *Magister dixit semel,* (nempe Deut. 5.29.) מי יתן והיה לבבם זה להם, *Quis dabit ut sit* (vel *utinam esset*) *cor eorum istiusmodi? Et discipulus dixit semel,* (nempe Num. 11.29.) ומי יתן את כל עם יי' נביאים, *Et quis dabit ut totus populus Domini sint prophetæ?* לא דברי הרב ולא דברי תלמיד מתקיימין בעולם הזה אבל לעולם הבא שניהם מתקיימין: *Nec verba Magistri, nec verba discipuli in hoc seculo stabilita sunt, sed in seculo futuro* (sic, ut antea notatum, tempus post adventum Messiæ ab Hebræis interdum denotatur) *utraque* (vel *utriusque verba,* nempe & Magistri & Discipuli) *stabilita erunt. Quomodo* (stabilita erunt) *verba Magistri? Quia dicitur,* Ezech. 36. 26. *Et dabo eis cor novum. Quomodo* (vel *Unde,* מנין, stabilita erunt) *verba discipuli? Quia dictum est,* Joel 2.28. *Et erit postea, ut effundam Spiritum meum in omnem carnem,* &c. Autor Decaplorum vel hæc parùm intellexit, vel certè ità reddidit ut nemo intelligat. Sic enim habet, *Quis dabit? Bis hîc & in secundo libro: quia Rab pronunciat unum, discipulus verbum alterum. Sic Deut.* 27. *Omnis populus dixit Amen.* Quid ista sibi velint nè ipse quidem Oedipus divinare potuit, præterquam quòd ab eis quæ in Midrash habentur tam aliena sunt quàm quæ maximè. Alia quædam istiusmodi παρεσματα de industria prætermisi; hæc autem annotanda censui, non obtrectandi studio, sed ut Lector perspiciat, quanti interfit ipsos autorum fontes (si liceat) consulere, nec Versionum rivulis esse contentum, cùm Interpretes etiam doctissimi res vel minùs fideliter, vel minùs clarè, non rarò exhibeant.

CAP. 2. *De* 12 *minoribus Prophetis; & de voce* Chemarim; *item de nomine* Jerusalem; *& quid phrasi istâ,* Stare coram aliquo, *denotetur.*

RAb. David Kimchi in Præfat. sua ante Commentarios in 12 minores Prophetas, refert Rabbinos dixisse 12 istos Prophetas in unum conjunctos esse, שלא יאבד ספר מהם מפני קטנותו אם היה כל אחד מיוחד בפני עצמו, *Ne liber aliquis ex eis periret, si singuli per se separatim exstitissent.* Atque hinc observare licet, etiamsi libri V. T. variè ab Hebræis numerentur, duodecim tamen prophetas non nisi pro uno libro ab eis haberi. Interdum (ut notat Sixtus Senensis in Biblioth. S. lib. 1.) Hebræi libros Vet. Test. numerant 22 juxta numerum literarum Hebraicarũ, adjicientes librum Ruth,

libro Judicum, & librum Lamentationum libro Jeremiæ, & duos libros Samuelis, ut & duos libros Regum, & duos libros Chronicorum pro uno habentes. Interdum autem libros iſtos numerant 24. juxta numerum etiam literarum Hebraicarum, ſed literâ Jod ter repetitâ ob reverentiam Divini nominis, quòd nomen Tetragrammaton יהוה Judæi triplici Jod more Chaldaico ſoleant conſcribere, hoc modo, יִיְי (In Senenſi mendosè legitur hoc modo יהוה. Sed & illud notandum, uſitatè ſcribi, expeditionis fortè causâ, duplici Jod hoc modo יי) ità ut Ruth & Lamentationes pro diſtinctis libris habeantur. Interdum denique 27 libros numerant, quòd ex Hebraicis literis quinque, nempe Caph, Mem, Nun, Phe, Tſade, cùm finales ſunt, diverſam habeant figuram; atque ità libri Samuelis duo numerantur, utì etiam Regum & Chronicorum. Sed utcunque S. librorum numerus varietur, ex duodecim tamen iſtis Prophetis unus duntaxat liber efficitur. Sic Hieronymus in Præfat. in 12. Prophetas, *Hoc tantùm vos, ô Paula & Euſtochium, admonitas volo, unum librum eſſe duodecim prophetarum*, &c. *Duodecim Prophetarum libri, quia ſibi pro brevitate adjuncti ſunt, pro uno accipiuntur.* Iſidor. Etymol. lib. 6. cap. 1. & cap. 2. *Liber 12 Prophetarum auctorum ſuorum nominibus prænotatur; qui propterea dicuntur Minores, quia ſermones eorum breves ſunt. Unde & connexi ſibimet invicem in uno volumine continentur.* Quin & ex verbis Protomartyris Stephani Act. 7. 42. apparet ſcripta horum 12 Prophetarum pro uno duntaxat libro habita fuiſſe: ſic enim ait, Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς καὶ παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ, καθὼς γέγραπται ἐν βίβλῳ τῶν προφητῶν, *Convertit autem Deus, & tradidit eos ſervire exercitui cœli, quemadmodum ſcriptum eſt in libro Prophetarum:* deinde ſtatim citatur locus ex propheta Amos, qui inter duodecim iſtos numeratur. Non dicitur autem, *in libro Amos*, vel *prophetæ Amos*, ut Luc. 4. 17. *Traditus eſt ei liber prophetæ Iſaiæ*, ſed, *in libro prophetarum*, quòd omnes iſti 12 prophetæ uno libro ſint comprehenſi.

Doctiſſimi viri ex Hebræis pariter ac noſtris vocem כמרים, *ſacerdotes idolorum* duntaxat deſignare volunt. Atque in Hebræo quidem textu nuſquam opinor niſi de iſtiuſmodi ſacerdotibus vox iſta uſurpatur. Vide 2 Reg. 23. 5. Hoſ. 10. 5. Zeph. 1. 4. Unde R. Nathan in Concordantiis nomen כמר ait eſſe שם הכהן לע"א, *nomen ſacerdotis idololatrici.* Et Kimchi ad Zeph. 1. 4. הכמרים הם לובשי שחורים לשם ע"ז, *Chemarim ſunt* ſacerdotes *nigris veſtibus induti in honorem idolorum*, Et ad 2 Reg. 23. 5. ait, האנשים העובדים לפני הבעל נקראו כמרים וכן תרגור הכהנים שהם עובדי ע"ז כומריא, *Viri qui miniſtrant coram Baal vocantur Chemarim; & ſic Chaldæus Paraph. ſacerdotes qui ſerviunt idolis appellat Cumaraia.* Et cùm Zeph. 1. 4. הכהנים & הכמרים, ſimul tanquam ſynonyma ſint poſita, ſic inter ea diſtinguit, שניהם עובדי ע"ז אלא שמשתנים בלבושיהם כי הכמרים הם לובשים שחורים לפיכך נקראו עורנו כתנור נכמרו, *Ambo ſunt cultores idolorum* (in iſto ſcilicet loco Zephaniæ) *ſed veſtitu differunt. Nam* כמרים *atris veſtibus induti ſunt; ac propterea dicti ſunt* CEMARIM *à verbo* CAMAR, *quod* nigrum eſſe *ſignificat, ut* Lam. 5. 10. *Cutis noſtra ut clibanus nigrefacta eſt.* Buxtorfius in Lexico magno Chaldaicum כומר, vel כומרא, quod ab Hebræo כמר ortum eſt, exponit, *Sacerdos gentilis & idololatricus, idolorum ſacrificus & miniſter.* Et obſervat quando nomen כהן *ſacerdos* de ſacerdotibus veris Iſraeliticis dicitur, tum à Chaldæo Paraph. transferri כהן; quando autem de ſacerdotibus gentilibus & idololatricis, tum reddi כומרא. Sic etiam Buxtorfius Junior in Lexico Syro-Chaldaico ait כומרא Syriacè & Chaldaicè ſignificare *ſacerdotem, ſacrificulum, gentilem ſcilicet, & idololatricum.* At cautiùs locutus videtur Shindlerus in Pentaglotto, כמרים (inquit) *Chald. ſacerdotes, præſertim idolorum.* Ex Syriaca certè cùm V. tum N. Teſtamenti Verſione apparet, vocem iſtam non ſolùm de idololatricis, verùm etiam de veri Dei ſacerdotibus uſurpari. Nam Iſa. 61. 6. ubi in Hebræo eſt ואתם כהני ה' תקראו, *Et vos ſacerdotes Domini vocabimini*, Syrus Interpres habet, ואנתין כומרוהי דמריא תתקרון, quod idem ſonat, ſed pro Hebræo כהן Syriacè eſt כומר, etiam cùm de veri Dei ſacerdotibus, ut apertum eſt, agitur. Et ipſe Buxtorfius in Lexico Syro-Chaldaico obſervat Heb. 2. 17. ubi de Chriſto ſermo habetur, pro ἀρχιερεὺς *ſummus ſacerdos*, in Verſione Syriaca eſſe רב כומרא, *princeps ſacerdotum.* Hiſce certè locis ſacerdotes gentiles & idololatricos nefas eſt intelligere: ac propterea dicendum eſt, vocem Hebræam כמר, ut & Syram ac Chaldæam כומר *Cumar*, latiorem habere ſignificationem, nec adeò reſtrictè ſumi ut ad idololatricos duntaxat ſacerdotes ſignificandos adhibeatur, etiamſi non niſi iſto ſenſu in originali textu reperiatur.

In Midraſh Tillim ad Pſal. 76. ratio nominis *Jeruſalem* ſic redditur; אתה מוצא שנקרא בירת המקדש שלם שנא' ומלכי צדק מלך שלם, *Tu invenis domum ſanctuarii vocatam fuiſſe Salem; dictum enim eſt, Melchiſedec rex Salem.* Mox ſequitur, ואברהם קרא לבית המקדש יראה שנא' ויקרא שם המקום ההוא יי' יראה, *Et Abraham vocavit domum Sanctuarii Jireh;* (i. *videbit*) *utì dicitur, Et vocavit nomen loci iſtius* JEHOVAH JIREH, i. *Dominus videbit.* Deinde paucis interjectis, אמר הקב"ה אם אני קורא אותו כמו שאמר שם אני מבטל דברי אברהם אוהבי שקראו יראה ואם אני קורא אותו יראה אני מבטל דברי שם הצדיק מה עשה שיתף מה שקראו שניהם וקרא אותו ירושלם, *Dixit Deus ſ. b. Si ego locum iſtum vocavero ſicut eum vocavit* SHEM, (nempe *Salem*) *tunc ego irrita facio verba Abrahami amici mei. Et ſi eum vocavero* JIREH, (utì ſcilicet eum vocavit Abraham) *tunc ego irrita facio verba Shemi viri juſti. Quid fecit? Conjunxit nomina iſta, quibus ambo locum iſtum vocaverunt, & vocavit eum* JERUSALEM, nomine ſcilicet compoſito ex JIREH & SALEM. In Bereſhith Rabba ſect. 56. idem paulò aliter exprimitur, nempe ſic, אמר הקב"ה אם קורא אני אותו יראה כשם שקראו אותו אברהם שם אדם צדיק מתרעם ואם קורא אני אותו שלם אברהם אדם צדיק מתרעם אלא הריני קורא אותו ירושלם כמו שקראו שניהם, *Dixit Deus ſ. b. Si vocavero eum* JIREH, *ſicut eum vocavit Abraham, Shem homo juſtus indignabitur; & ſi eum vocavero* SALEM, *Abraham homo juſtus indignabitur. Ecce igitur vocabo eum* JERUSALEM, *quemadmodum ambo eum appellarunt:* nimirum, ut ibidem ſequitur, ex יראה שלם JIREH SALEM, compoſitum eſt ירושלם *Jeruſalem.* Mercerus ad Cant. 6. 13. ait Aben Ezram, putare à Salem poſtea dictam Jeruſalem terrifico nomine à Jebuſæis, quaſi יראו שלם, *Timete Salem.* Verba Aben Ezræ ad iſtum Canticorum locum ſunt, שלם היא ירושלם, ועניני יראו שלם, *Salem eſt Jeruſalem; & ſignificatio ejus eſt, Timete Salem.* Quanquam exponi etiam poteſt, *Videbunt Salem.* Nam יראו æquè ſignificat *videbunt*, à ראה *videre*, ac *timebunt*, à ירא *timuit.* De nominibus iſtis *Salem* & *Jeruſalem*, vide, ſi placet, Serarium in Joſ. 10. quæſt. 2. ubi poſt alias opiniones de ratione nominis *Jeruſalem*, id potiſſimùm amplectitur, omiſſo nomine Domini, *Jehova*, poſterius verbum *Jireh* cum antiquo nomine *Salem* junctum eſſe, factúmque *Jeruſalem.*

1 Reg. 17. 1. Eliah propheta dixit, חי יהוה אלהי ישראל אשר עמדתי לפניו, *Vivit Dominus Deus Iſrael, coram quo ſto.* Kimchi ad locum ſic explicat, שאני רגיל לעמוד לפניו בתפלה וכן אל המקום אשר עמד שם את פני יי', *Coram quo ego ſtare ſolco in oratione. Et ſic dicitur*, Gen. 19. 27. *Ad locum ubi ſtetit coram Domino.* At phraſis iſta, *Stare coram Domino*, latiùs patet quàm ut ad orationem reſtringatur. Rectè Chaldæus Paraph. דמשמשנא קדמוהי, *coram quo miniſtro:* atque ità habet Arabica verſio. Phraſeos iſtius explicatio habetur Deut. 18. 5. *Nam illum elegit Dominus Deus tuus ex omnibus tribubus tuis,* לעמד לשרת בשם יהוה, *ut ſtet ad miniſtrandum in nomine Domini,*

Et

Et apertiùs Num. 3. 6. *Affer* (ad verbum, *Fac appropinquare*) *tribum Levi*, והעמדת אותו לפני אהרון הכהן ושרתו אותו, *& constitues* (ad verb. *& stare facies*) *eos coram Aharone Sacerdote, & ministrabunt ei.* Ad quem locum Abrabaneel eruditè commentatur in hunc modum; צוה הק"בה למשה שבהיותו אהרון ושני וכו *Deus ſ. b. præcepit Moſi, ut propterea quòd Aharon & duo filii ejus duntaxat erant ſacerdotes Domino, nec poterant ſervire & portare omnia vaſa Tabernaculi, adduceret tribum Levi, & conſtitueret* (ad verb. *& ſtare faceret*) *eos coram Domino, ut univerſi appropriarentur* (ſeu *peculiariter deputarentur*) *ſervitio Tabernaculi, juxta mandatum Aharonis, Et ecce faciet eos ſtare tanquam miniſtros coram domino, exſequentes mandatum ejus. Nam Stare idem valet quòd Miniſtrare; quemadmodum ait,* Deut. 17. 12. *Qui ſtat ibi ad miniſtrandum coram Domino. Et miniſtratio vocatur Statio, quia Dominus ſedet, & miniſter ejus juxta eum ſtat, ut ei miniſtret; ſic nimirum ait,* Iſai. 6. 2. *Et ſupra illum* (nempe thronum) *ſtabant Seraphim.* Sic Dan. 7. 9. *Stare coram Deo & miniſtrare ei* ἐν παραλλάξ ponuntur. Jer. 15. 19. לפני תעמוד, *Coram me ſtabis.* Chald, קדמי תשמש, *coram me miniſtrabis.* Et ſic Piſcator ad locum, *Coram me ſtes*, i. *Mihi miniſtres.*

CAP. 3. *Deum non ob hominum merita, ſed ex miſericordia ſua, & propter nominis ſui gloriam, bona largiri. Item de nominibus Dei.*

IN Midraſh Tillim ad Pſal. 17. introducitur David Deum ſic alloquens, אלו באים מכח התורה ומכח מעשים טובים אבל אני איני בא לפניך אלא כעני המבקש צדקה, *Iſti veniunt virtute Legis, & virtute operum bonorum;* (Legis obſervatione & bonis operibus freti) *ſed ego coram te non venio niſi ut pauper petens eleemoſynam.* Ibidem ad Pſal. 31. hæc habentur, *Cùm Iſraelitæ ingrediuntur ſynagogas, & dicunt Deo ſ. b. Redime nos, dicit eis, Eſtne inter vos vir juſtus, & qui timet Deum? Reſpondent, Olim in diebus patrum noſtrorum, nempe Moſis & Aharonis, Saulis, Davidis & Salomonis fuerunt juſti; ſed nunc propter iniquitates defecerunt,* &c. *Dicit eis Deus ſ. b. Confidite in nomine meo, quod à vobis ſtat,* (בטחו בשמי והוא עומד עליכם) *ut dicitur,* Iſa. 50. 10. *Confidit in nomine Domini,* &c. *Quiſquis enim confidit in nomine meo, ego eum liberabo.* Ibid. ad Pſal. 44. 1. מכאן אתה למד שלא הורד ביד ישראל כשיצאו ממצרים מעשים שיגאלו בהם ולא מעשה אבותם ולא בזכותם נקרע הים אלא לעשות לו שם, *Hinc diſcis, Iſraelitas, cùm egreſſi ſunt ex Ægypto, operibus non fuiſſe inſtructos, ut ob ea redimerentur, nec ob ſua vel patrum ſuorum merita id aſſecutos, ut mare eſſet diviſum; ſed Deum id feciſſe, ut nomen ſibi compararet.* Et in Pſal. 67. אין הק"בה מושיע לישר' במעשים אלא להודיע גבורתו ולהודיע שמו: *Deus ſ. b. non ſalvat Iſraelem propter* (ipſorum) *opera, ſed ut notam faciat potentiam ſuam; & ut nomen ſuum gloriоſum reddat.* Ibid. ad illud Pſal. 107. 1. *Gratias agite Domino, quia bonus eſt,* &c. *Hoc eſt quod dicit Scriptura,* Iſai. 48. 11. למעני למעני אעשה כי איך יחל שמי, *Propter me, propter me faciam; nam quomodo profanatum eſſet nomen meum?* &c. *Non dicit,* למעני *Propter me, ſemel, ſed bis,* למעני למעני *propter me, propter me. Dicit Deus ſ. b. Non facio niſi propter nomen meum, nè profanetur. Et quare bis, propter me, propter me? Dicit Deus ſ. b. Cùm fuiſtis in Ægypto, redemi vos propter nomen meum: atq; ità de Edom faciam* (i. de manu Edom vos redimam) *propter nomen meum.* Et ad illud Pſal. 119. 124. *Age cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam,* זכות מעשים אם אין בנו עשה עמנו חסד שנא' עשה עם וגו' הראשונים אשר גאלת לא במעשיהם גאלתם אלא עשית עמהם חסד וגאלתם וכן הוא אומר נחית בחסדך וגו' כשם ששית עם הראשונים כך עשה עמנו, *Si meritum operum nobis non ineſt, exhibe nobis miſericordiam; ut dicitur, Age cum ſervo tuo ſecundùm miſericordiam tuam. Antiquos, quos redemiſti, non propter opera ipſorum redemiſti, ſed exhibuiſti eis miſericordiam, & redemiſti eos. Ità enim ille ait,* (nempe Moſes, Exod. 15. 13.) *In miſericordia tua duxiſti,* &c. *Quemadmodum feciſti antiquis, ità & nobis facias.*

In Elle Shemoth Rabba ſect. 3. cùm Moſes de nomine Dei quæſiviſſet, aiunt Deum ſic ei reſpondiſſe, שמי אתה מבקש ליודע לפי מעשי אני נקרא פעמים שאני נקרא באל שדי בצבאות באלהים ביי' כשאני דן את הבריות אני נקרא אלהים וכשאני עושה מלחמה ברשעים אני נקרא צבאות וכשאני חולה על חטאיו של אדם אני נקרא אל שדי וכשאני מרחם על עולמי אני נקרא יי' שאין יי' אלא מדת רחמים שנא' יי' יי' אל רחום וחנון, *Tu cupis* (vel, *Tùne cupis?*) *nomen meum cognoſcere. Juxta opera mea ego appellor. Interdum vocor El Shaddai;* (i. Deus omnipotens) *interdum Tſebaoth;* (i. *exercitus.* Atque ità Hier. epiſt. 136. ad Marcellam, inter Dei nomina recenſet צבאות *Sabaoth*, ut ille Latinis characteribus exprimit; & ſic etiam exprimitur Rom. 9. 29. & Jac. 5. 4. ubi nonnulli pro *Sabaoth* perperàm vel legunt, vel intelligunt, *Sabbath.* Sed revera vox צבאות *Tſebaoth* vel *Sabaoth* per ſe ſola nunquam pro Dei nomine uſurpatur, ſed adjuncto nomine יהוה vel אלהי *Dominus* vel *Deus exercituum*) *interdum Elohim,* (i. *Deus* vel *Judex*) *interdum Jehovah* vel *Dominus.*) *Cùm judico homines, appellor Elohim;* & *cùm adversùs impios bellum gero, appellor Tſebaoth. Cùm pœnam denuncio adversùs peccata hominis,* (ad verb. *Cùm ſuſpendo*, ſcilicet exſecutionem judicii, priùs nempe denunciando, deinde, niſi homines reſipiſcant, exſequendo) *appellor El Shaddai; et cùm mundo meam miſericordiam impartior, appellor Jehovah. Nomen enim iſtud importat miſericordiam: quemadmodum dicitur,* Exod. 34. 6. *Jehovah, Jehovah, Deus miſericors, & gratioſus,* ſeu *benignus.* In Bereſhith Rabba ſect. 33. de duobus hiſce nominibus, *Elohim & Jehovah,* ferunt R. Samuelem filium Nachmanis dixiſſe, אוי להם לרשעי' שהם הופכים וכו' *Va impiis; nam illi vertunt proprietatem miſericordiæ in proprietatem judicii. Ubicunque dicitur Jehovah, proprietatem miſericordiæ deſignat. Jehovah, Jehovah, Deus miſericors & benignus,* Exod. 34. 6. *Scriptum autem eſt,* Gen. 6. 5, 6, 7. *Et vidit Jehovah quòd malitia hominis magna erat in terra; & pœnituit Jehovam quòd fecerat hominem,* &c. *Et dixit Jehovah, Delebo,* &c. *Beati autem ſunt juſti; ii enim proprietatem judicii in proprietatem miſericordiæ convertunt. Ubicunque dicitur Elohim, proprietas judicii deſignatur. Non maledices τοῖς Elohim,* ſeu *Judicibus,* Exod. 22. 28. *Ad τὰς Elohim,* vel *Judices, veniet,* Exod. 22. 9. *Scriptum tamen eſt,* Exod. 2. 24 *Et exaudivit Elohim* (ſeu *Deus*) *gemitum eorum. Et recordatus eſt Elohim,* &c. Gen. 8. 1. & 30. 22. In eodem Comment. in Gen. ſect. 46. alia quædam ratio nominis *Shaddai* redditur præter eam quæ antea eſt notata; אני אל שדי אני הוא שאמרתי לעולמי ולשמים די ולארץ די שאלולי שאמרתי להם די עד עכשיו היו נמוחים והולכים: *Ego ſum El Shaddai. Ego is ſum qui dixi mundo meo & cœlo, Dai,* (i. *ſufficit*) *& terræ, Dai* (vel *ſufficit.*) *Niſi enim dixiſſem, Dai* (vel *ſufficit,*) *ad hoc uſque tempus extenſa magis magíſque fuiſſent.* In Chagigah fol. 12. 1. habetur prior pars iſtorum verborum, niſi quòd pro לעולמי *mundo meo*, eſt abſq; affixo לעולם *mundo.* Atque hoc doctiſſimum virum, Buxtorfium, in errorem duxiſſe videtur. Is enim in Lexico Hebraico ſub radice די verba iſta citat, & Latinè ſic vertit, *Ego ſum Deus Shaddai: Ego ſum qui dixi, In æternum ſufficiens ſum.* Sed vertendum eſt, *Ego ſum qui dixi mundo, Sufficit.* Nec dubito quin vir iſte eruditiſſimus ità interpretatus fuiſſet, ſi ea quæ è Bereſhith Rabba citavi ante oculos habuiſſet. Nomen Tetragrammaton (ut appellant) nempe יהוה, hîc majoris perſpicuitatis cauſâ aliquoties ſcripſi *Jehovah*, etiamſi non ignorem Druſium, atque alios Hebraicè doctos, pronunciationem iſtam averſari; nec diffiteor eam mihi haud videri genuinam. Ve-

ram

ram istius nominis enunciationem Judæi etiam antiquiores sibi ignotam fatentur; quin & majores suos, stante adhuc Templo, rarò admodum, & occultè illud enunciasse tradunt. In Kiddushin fol. 71. 1. R. Jochanan seu Johannem dixisse ferunt, שם בן ארבע אותיות חכמים מוסרין אותו לתלמידיהן פעם אחת בשבוע: *Nomen Tetragrammaton Sapientes produnt discipulis suis semel in septimana.* Ibidem paulò pòst fertur R. Tarphon dixisse, פעם אחת עליתי אחר אחי אמי לדוכן והטיתי אוני אצל כהן גדול ושמעתי שהבליע שם בנעימת אחיו הכהנים, *Tempore quodam ascendi post avunculum meum in suggestum, & inclinavi aurem meam ad sacerdotem magnum; & audivi quòd absorbebat* (i. celeriter & raptim pronunciabat) *illud nomen inter modulationem fratrum ejus sacerdotum.* Videri autem potest ibi intelligi nomen 12 literarum, quod (uti etiam nomen 42 literarum) loco Tetragrammati adhibebatur. Nam verba immediatè præcedentia sic habent; תנו רבנן בראשונה שם בן י"ב אותיות היו מוסרין אותו לכל אדם משרבו הפריצים היו מוסרים אותו לצנועים שבכהונה והצנועים שבכהונה מבליעים אותו בנעימת אחיהם הכהנים, *Tradiderunt Rabbini nomen 12 literarum primò cuivis homini traditum fuisse: sed cùm homines protervi* (seu *audaces*, vel *impudentes*) *multiplicati sunt, traditum duntaxat modestis sacerdotibus, eósque inter fratrum suorum modulationem absorpsisse*, seu *raptim pronunciasse.* Sed nescio an השם *Nomen* absolutè positum, aliter quàm de Tetragrammato intelligatur. Buxtorfius in Lexico Hebr. pag. 160. citans ista verba reddit, *nomen tetragrammaton.* R. Salomon ad istum Talmudis locum fatetur se & ista nomina, nempe nomen 12. & nomen 42 literarum ignorare: sic enim ait, שם בן שתים עשרה ובן ארבעים ושתים לא פרשו לנו: *Nomen 12. & nomen 42. literarum nobis non exposuerunt.* Galatinus autem, ex suo, opinor, cerebro (etiamsi citet Librum נלי רויא seu *Revelator arcanorum*, quem nescio an quisquam alius præter ipsum unquam vidit, si tamen ipse viderit) quænam ista sint nomina exposuit: vide eum, si libet, de Arcan. lib. 2. cap. 11, & 12. Sed & vide Maimonidem in More Nebochim part. 1. cap. 62. ubi de nominibus hisce pariter ac de Tetragrammato disserit. Nomen autem tetragrammaton aliter legi quàm scribitur Hebræi docent in tractatu Pesachim fol. 50. 1. ubi R. Nachman filius Isaaci dixisse memoratur, לא כעולם הזה העולם הבא בעולם הזה נכתב בי"ד ה"י ונקרא בא"לף ד"לת אבל לעולם הבא נכתב בי"ד ה"י ונקרא בי"ד ה"י, *Non ut hoc seculum ità est seculum futurum. In hoc seculo scribitur* (nomen tetragrammaton) *per Jod He, & legitur per Aleph Daleth*; (per אדני *Adonai*) *sed in seculo futuro scribitur per Jod He, & legitur per Jod He.* Postrema verba in Talmude Amstelodami edito sunt transposita, priore scilicet loco positum est נקרא *legetur*, posteriore נכתב *scribetur*, cùm hoc priùs, illud autem posteriùs poni debebeat. Ibidem statim sequitur, אמר ה"קבה לא כשאני נכתב אני נקרא נכתב אני בי"ד ה"א ונקרא אני בא"לף ד"לת, *Dixit Deus ſ. b. Non quemadmodum scribor ità etiam legor: scribor per Jod He, sed legor per Aleph Daleth.* In Sota in Misna cap. 5. §. 7. aiunt sacerdotes benedixisse in Templo per nomen uti scribitur, in provincia autem per cognomen; i. ut in Glossa explicatur, in Templo per nomen Jod He, in provincia per Aleph Daleth. In Erubin fol. 18. 2. in fine, R. Jeremiah filius R. Eleazari dixisse fertur, מיום שחרב בית המקדש ויו לעולם שישתמש בשתי איתיות שנא' כל הנשמה תהלל יה הללויה, *A die quo vastata est domus Sanctuarii, sufficit mundo quòd utatur nomine duarum literarum*; (nempe יה *Jah*) *uti dicitur*, Psal. 150. ult. *Omnis spiritus laudet Jah. Halelujah.* R. Salomon sic explicat, כלומר וה השם שכל הנשמה כולה ראוי להשתמש בו מכלל דשם בן ד' איתיות ושם המפורש לא לכל הנשמה ניתן אלא לכהנים בלבד, *Quasi dicat, Istud est nomen quo omnem planè spiritum uti oportet. Nomen siquidem quatuor literarum, & nomen expositum non est omni spiritui datum, sed solis sacerdotibus*, nempe ut eo in benedicendo populo uterentur. Videtur autem hic R. Salomon SHEM HAMMEPHORASH seu *Nomen expositum* à Tetragrammato distinguere, cùm Maimonides in More Nebochim part. 1. cap. 61. ista non nisi unum idémque esse doceat. In Midrash Tillim ad Psal. 91. 15. R. Joshua filius Levi nomine R. Phineæ filii Jairis dixisse traditur, מפני מה מתפללין ישראל בעולם הזה ואינן נענין עכ"ל ירי שאינם יודעים שם המפורש אבל לעתיד לבא הק'בה מודיעם שנא' לכן ידע עמי שמי באותה שעה הם מתפללין ונענין שנא' יקראני ואענהו: *Quare Israelitæ in hoc seculo orant, & non exaudiuntur? Quia non norunt nomen expositum*; (seu Tetragrammaton; nam id procul dubio istîc intelligitur) *sed in seculo futuro* (i. post adventum Messiæ, ut antea aliquoties monui) *Deus ſ. b. notum eis faciet*; *quemadmodum dicitur*, Isai. 52. 6. *Propterea populus meus sciet nomen meum: tunc orabunt, & exaudientur*; *prout dictum est*, Psal. 91. 15. *Invocabit me, & exaudiam eum.* Eadem etiam ex Jalkut (libro hactenus mihi non nisi de nomine notо) citata sunt in Theologiæ Talmudicæ Specimine pag. 97. In Joma fol. 39. 2. (atque eadem etiam habentur in Mincoth fol. 109. 2.) de Simeone Justo, & de nomine Tetragrammato hæc sunt tradita; תנו רבנן אותה שנה שמת בה וכו', *Tradiderunt Rabbini, Simeonem Justum eo anno quo mortuus est quibusdam dixisse, se isto anno moriturum*; *cúmque interrogatus esset, unde id sciret, respondisse, Singulis diebus Expiationum Senex quidam mihi obveniebat, albis amictùs, & coopertus albis*; *qui ingrediebatur mecum, & egrediebatur mecum. Hodie autem obvenit mihi senex quidam nigris vestibus indutus, nigríque coopertus, qui ingrediebatur mecum, sed non egrediebatur mecum. Post festum verò ægrotavit septem diebus, & mortem obiit: tunc demum fratres ejus sacerdotes prohibiti sunt nè Nomine* (tetragrammato) *benedicerent.* Glossa sic explicat, מלמד ברכת כהנים את העם בשם המפורש שלא היו בראי *Ne benedicentes populo benedictione sacerdotali uterentur nomine expositо*; *quia non erant ut oportuit.*

CAP. 4. *Moses & Samuel, item Moses & David inter se collati. Tredecim etiam articuli Judæorum fidei breviter expositi.*

IN Midrash Tillim ad Psal. 25. Moses & Samuel sic inter se collati sunt, מצינו בשמואל שהיה שקול וכו' *Invenimus Samuelem exaquatum fuisse Mosi*; *quia dicitur*, Jer. 15. 1. *Si Moses & Samuel steterint*, &c. *Dicitur etiam*, Psal. 99. 6. *Moses & Aharon inter sacerdotes ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Et omnia sanè quæ scripta sunt de Mose, inveniuntur etiam scripta de Samuele. Ille Levita, & hic Levita. Ille dixit canticum, & hic dixit canticum.* (At ubinam istud de Samuele reperiatur nescio) *Ille regnavit super Israelem, & hic regnavit super Israelem. Ille regnavit 40 annos, & hic regnavit 40 annos.* (Vide suprà ad Act. 13. 21.) *Ille bella gessit, & hic bella gessit. Ille occîdit reges, & hic occîdit reges. Ille edificavit altaria, & hic edificavit altaria. Ille obtulit sacrificia, & hic obtulit sacrificia. Ille vocatus fuit, & hic vocatus fuit*, (nempe à Domino) *Ille oravit pro Israele, & hic oravit pro Israele. Ille ministravit in sacerdotio, & hic ministravit in sacerdotio.* Broughtonus in libello Hebraicè scripto De anno Jubileo hæc ex Midrash ad verbum recitat. Kimchi etiam ad Psal. 99. 6. ista citat, sed ità ut quædam addat, quædam detrahat. Post illa verba, וה בקריאה, *Ille vocatus fuit*, (ad verb. *in Vocatione*) addit, ויקרא ה' אל משה, *Et vocavit Dominus Mosen*, (vel *ad Mosen*) quod Autor Decaplorum refert ad id quòd legitur Levit. 1. 1. Sed verba Midrash aptiùs puto referri ad Exod. 3 4. ubi dicitur, ויקרא אליו אלהים מתוך הסנה ויאמר משה משה, *Et vocavit eum* (vel *ad eum*) *Deus è medio rubi*, &

& dixit, Moses, Moses. Similiter & Samuel à Deo vocatus fuit, ut videre est 1 Sam. 3. 4, 6, 10. Atque post illa verba, והוה בקריאה, *& hic* (nempe Samuel) *vocatus fuit*, Kimhi addit, ויקרא ה' לשמואל, *Et vocavit Dominus Samuelem.* Detrahit autem illa novissima, והוה שמש בכהונה והוה שמש בכהונה, *Iste ministravit in sacerdotio; & hic ministravit in sacerdotio.* In eodem Midrash ad Psal. 1. inter Mosen & Davidem facta est collatio ad hunc modum; אתה מוצא שכל מה שעשה משה וגו', *Invenitur David* (ad verb. *Tu invenis Davidem*) *omnia fecisse qua fecit Moses. Moses eduxit Israelem ex Ægypto: & David eduxit Israelem è servitute regnorum. Moses gessit bella cum Sihon & Og: & David bella Dei ſ. b. gessit; uti dictum est*, 1 Sam. 25. 28. *Quia dominus meus bella Domini gerit. Moses regnavit super Israelem & Judam, juxta id quod dicitur*, Deut. 33. 5. *Et fuit rex in Jesurun:* (Aben Ezra etiam id de Mose exponit, sed R. Salomon ad Deum refert) *David etiam regnavit super Israelem & Judam. Moses scidit illis mare: & David illis scidit flumina; dictum enim est*, Psal. 60. in titulo, *Cùm diviserit* (Sic Kimhi ad locum ait nonnullos exponere בהצתו cum ה, quasi idem valeret quod בחצתו cum ח, quod est *dividere*) *Aram Naharaim*, (sive *Aram duorum fluminum*, vel *interammem*, Mesopotamiam.) *Moses ædificavit altare: & David ædificavit altare. Ille obtulit sacrificium; & hic obtulit sacrificium. Moses dedit eis quinque libros Legis: & David eu dedit librum Psalmorum, qui quinque libros in se continet.* משה בירך את ישראל באשריך ודוד בירך באשרי, *Moses benedixit Israeli, inquiens, Beatus es tu*, Deuter. 33. 29. *Et David benedixit, inquiens, Beatus.*

Articulos fidei Judæorum fusiùs expositos recitat Maimonides in Comment. super Misnaioth ad titulum Sanhedrin fol. 120. 2, &c. Iidem etiam articuli, etiamsi non eisdem verbis, fusè expositi habentur in Specimine Theologiæ Talmudicæ pag. 16, &c. Sed ibidem pag. 20. brevis admodum est istorum articulorum expositio, quam unà cum Latina interpretatione, quæ istic desideratur, hic exhibebo. 1. אני מאמין באמונה שלמה שהבורא יתברך שמו הוא מנהיג ובורא לכל הברואים והוא לבדו עשה ועושה ויעשה לכל המעשים: *Ego credo fide perfectâ, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, gubernare ac creare omnes creaturas, atque ipsum solum omnia opera fecisse, facere, & facturum esse.* 2. אני מאמין באמונה שלמה שהבורא יתברך שמו הוא יחיד ואין יחידות כמוהו בשום פנים והוא לבדו אלהינו היה הוה ויהיה, *Ego credo fide perfectâ, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, unum duntaxat esse, nec ejus unitati ullam esse similem: quin & illum solum Deum nostrum fuisse, esse, & futurum esse.* 3. אמ"בש שי"ש אינו גוף ולא ישיגוהו משיני הגוף ואין לו דמיון כלל, *Ego credo fide perfectâ, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, non esse corpus, nec corporis accidentia ei competere; sed nec ullam prorsus similitudinem ei convenire.* 4. אמ"בש שי"ש הוא ראשון והוא אחרון, *Ego credo fide perfectâ, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, esse primum atque esse ultimum*, i. esse æternum. 5. אמ"בש שי"ש לו לבדו ראוי להתפלל ואין לזולתו ראוי להתפלל, *Ego credo fide perfectâ, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, solum esse invocandum, nec ullum alium idoneum esse qui invocetur.* 6. אמ"בש שי"ש שכל דברי נביאים אמת, *Ego credo fide perfectâ, Omnia verba Prophetarum esse vera.* 7. אמ"בש שנבואות משה רבינו עליו השלום היו אמתיות ושהוא היה אב לחכמים לקודמים לפניו ולבאים אחריו, *Ego credo fide perfectâ, Prophetias Mosis magistri nostri, super quem sit pax, veras esse, atque eum Sapientum patrem* (i. principem, vel præcipuum) *esse; tum eorum qui præcesserunt, tum eorum qui secuti sunt.* 8. אמ"בש שכל התורה המצויה עתה בידינו היא הנתונה למשה רבינו עליו השלום, *Ego credo fide perfectâ, Totam Legem, quæ nunc in manibus nostris est, datam fuisse Mosi magistro nostro, super quem sit pax.* 9. אמ"בש שזאת התורה לא תהא מוחלפת ולא תהא תורה אחרת מאת הבורא יתברך שמו, *Ego credo fide perfectâ, Hanc Legem non esse mutandam, nec aliam Legem dandam esse à Creatore, cujus nomen sit benedictum.* 10. אמ"בש שי"ש יודע כל מעשה בני אדם וכל מחשבותיו שנא' היוצר לבם מבין אל כל מעשיהם: *Ego credo fide perfectâ, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, nosse omne opus filiorum hominum, & omnes cogitationes eorum; quemadmodum dicitur*, Psal. 33. 15. *Qui format corda eorum, & omnia opera eorum intelligit.* 11. אמ"בש שי"ש גומל טוב למי ששמר מצותיו ויענוש למי שיעבור מצותיו, *Ego credo fide perfectâ, Creatorem, cujus nomen sit benedictum, remunerari velle eum qui mandata ejus observaverit; & punire eum velle qui mandata ejus transgressus fuerit.* 12. אמ"בש בביאת המשיח ואע"פ שיתמהמה אפילו הכי אחכה לו בכל יום שיבוא, *Ego credo fide perfectâ, Messiam adventurum: & etiamsi moram fecerit, adventum ejus quotidie exspectabo.* 13. אמ"בש שיהיה תחית המתים בעת שתעלה רצון מארת הבורא יתברך שמו ויתעלה זכרו לעד ולנצח, *Ego credo fide perfectâ, Fore resurrectionem mortuorum, eo tempore quo placuerit Creatori, cujus nomen sit benedictum, cujúsque memoria magnificetur in omnem æternitatem*; ad verb. *in æternum & in æternum.* Hulsius de Judæorum Messia pag. 9. &c. docet Judæorum nonnullos non tanti facere adventum Messiæ ut pro articulo seu fundamento fidei eum habeant. In hanc sententiam citat R. Josephum Albo in libro Ikkarim orat. 1, cap. 4. sic scribentem, ביאת המשיח הוה עיקר פרטי וכו', *Adventus Messia particulare fundamentum est Legis Mosaicæ juxta sententiam Maimonidis: at verò secundùm nostram sententiam adventus Messia non est fundamentum: & si esset, non esset tamen fundamentum Legis Mosaicæ; quia etiam Christiani exinde fundamentum faciunt ad subvertendam Legem Mosaicam: & est ipsis fundamentum particulare, quia ipsorum religio sine eo non subsistit.* Ex istius igitur Rabbini sententia Judæorum religio absque isto de adventu Messiæ articulo potest subsistere. Ità apertè ait orat. 4. cap. 42, uti de eo refert Hulsius, אין האמנת ביאת המשיח עיקר שתבטל התורה בכללה אם לא יאמינהו האדם, *Fides quâ creditur Messia adventus non est fundamentum tale ut Lex in universum concidat si quis fidem istam non habuerit.* Et orat. 1. cap. 1. ר' הלל לא היה מאמין בביאת המשיח כלל ואע"פ כן לא היה נמנה בכלל הכופרים לפי שאין ביאת המשיח עיקר לתורת משה כמו שכתב הרמ"ם כי כבר מצוייר מציאותו וולתו, *R. Hillel non credidit futurum Messiam, nec tamen ideo inter apostatas numeratur: quia adventus Messia non est fundamentum Legis Mosaicæ, uti scripsit Maimonides, quippe quia absque eo consistit.* Iste Hillel (ut ibidem ex Sanhedrin cap. חלק citat Hulsius) Messiam venturum negavit dicens, אין להם משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה מלך יהודה: *Non futurus est Israeli Messias; quia ipso modò potiti sunt in diebus Ezechiæ regis Juda.*

CAP. 5. *De Onia ejúsque templo: item de linguâ vaccinea, & de cinere sponsi & sponsæ capiti aspersо: de Onkelo etiam & Jonathane, eorúmque Chaldaicis Paraphrasibus.*

IN tractatu Mincoth fol. 109. 2. R. Meir de Simeone Justo loquens sic ait, בשעת פטירתו אמר להם וכו', *Cùm moriturus esset, dixit eis, Filius meus Onias loco meo ministrabit.* (i. Pontificali officio fungetur) *Invidit ei frater ejus Shimei, quòd duobus annis & dimidio senior illo esset. Dixit ei, Veni, & docebo te ordinem* (seu *modum*) *ministerii. Induit eum veste pelliceâ*, (Sic R. Salomon אונקלי interpretatur מלבוש של עור *vestem pelliceam*) *& cinxit eum cingulo; cúmque eum ità ad altare constituisset, dixit fratribus suis sacerdotibus, Vi-*

dite

dete quid iſte vovit dilecta ſua, (i. *uxori ſuæ,* ut exponit R. Salomon) *nempe eo die quo ſummo ſacerdotio fungeretur, ſe ejus veſtem pelliceam induturum, atque ejus cingulo cingendum. Cùm autem fratres ejus ſacerdotes eum occidere quærerent, ab eis aufugit; atque eis illum perſequentibus profectus eſt Alexandriam in Ægypto, atque altare ibi exſtruxit, ſuper quod idolis obtulit.* Additur autem ibidem, R. Jehudam dixiſſe, לא כן היה מעשה אלא לא קיבל עליו חוניו שהיה שמעי אחיו גדול וכו׳: *Non ità ſe res habuit, ſed* (Pontificatum) *in ſe non ſuſcepit Oniæ, quòd Shimei frater ejus duobus annis & dimidio natu major eſſet; nihilo tamen minùs invidiâ erga Shimei affectus eſt Onias, & dixit ei, Veni, & docebo te ordinem miniſterii,* (ſeu quemadmodum in miniſterio te gerere debeas.) *Veſtivit igitur eum veſte pelliceâ, & cingulo eum cinxit, juxtáque altare eum conſtituit, & fratribus ſuis ſacerdotibus dixit, Videte quid iſte dilecta* (ſeu uxori) *ſua vovit, nempe futurum ut eo die quo Pontificali munere fungeretur, veſtem ejus pelliceam indueret, & cingulo ejus ſeſe eingeret. Quærebant igitur fratres ejus ſacerdotes eum interficere; quilibet etiam obvius eis ſe adjunxit, & Oniam interficere quæſivit. Is autem ab eis ſe præripuit: & cùm eum perſequerentur, fugit in Regis palatium, eiſque illum adhuc perſequentibus, quiſquis eum vidit, dixit, Iſte eſt, Iſte eſt. Abiit igitur Alexandriam in Ægypto, ubi exſtruxit altare, & ſuper illud in honorem Dei obtulit; juxta id quod dicitur* Iſai.19.19. *In die illo erit altare Domino in terra Ægypti, & ſtatua juxta terminum ejus Domino.* Vocem אונקלי R. Salomon (ut antea notavi) interpretatur *veſtem pelliceam,* ſed R. Obadiah Bartenorius apud Seldenum De Succeſs. in Pontif. lib.1.c.8.hîc habet כתנת *tunicam,* & antea כתנת בד דקה שלובשות הנשים על בשרן, *tunicam lineam tenuem,* (Seldenus, neſcio quare, vertit *viliorem,*) *qualem mulieres ſuper carnem ſuam induere ſolent.* Verba Obadiæ, quæ eadem penè ſunt cum iſtis è Gemara citatis, Seldenus ſic Latinè reddit, *Fugit ille in palatium Regis, ubi quiſquis eum videret, dixit illum ipſum eſſe qui Alexandriam in Ægypto diſceſſerat.* Quaſi ſcilicet Onias antea profectus fuerat Alexandriam; quod ab Hebraicorum verborum ſenſu alienum videtur. R. Salomon ad Iſai. 19.de verbis indè jam citatis loquens ait, ויש מרבותינו שדרשוהו במסכת מנחות על מובח ביתך חוניו בנו של שמעון הצדיק שברח לו למצרים ועשה שם מובח, *Sunt autem ex Rabbinis noſtris qui expoſuerunt in tractatu Minchoth de altari Templi Onia, qui fugit in Ægyptum, atq; ibi altare exſtruxit.* Ejuſdem etiam verborum iſtorum expoſitionis meminit Abrabaneel in Iſaiæ prophetiam duodecimam, utì ipſe diſtinguit, quæſtione quartâ: addit autem, אבל כפי הפשט לא יתכן לפרשו כן, *Sed juxta ſimplicem & literalem ſenſum non poteſt ità exponi.* Joſephus Antiq.lib.13.ca.6. refert Oniam iſtâ prophetiâ Iſaiæ permotum in Ægypto, permiſſu Ptolemæi Philometoris, Templum ædificaſſe; ſed Oniam iſtum Oniæ filium appellat, & apud Leontopolin in Præfectura Heliopolitana Templum ab eo ædificatum aſſerit: atque eadem etiam habet Antiq.lib.20.cap.8. Idem autem Joſephus De Bello Jud.lib.7 cap.20. ait Oniam filium Simonis Hieroſolymis fugatum Alexandriam veniſſe, & à Ptolemæo impetraſſe ut Templum in tractu Heliopolitano ædificaret: quin & Iſaiam illius Templi exſtructionem prædixiſſe. Vide Seldenum, ſi libet, loco antè citato, ubi redarguit eos qui Templum ab Onia Simonis filio exſtructum, idem cum illo quod Onias Oniæ filius exſtruxit, fuiſſe exiſtimant.

In Midraſh Tillim ad illud Pſal.86. verſ. ult. עשה עמי אות לטוב, *Fac mecum* (vel *Exhibe mihi*) *ſignum in bonum,* inter alios expoſitiones hæc affertur, מדבר בישראל בשעה שהיתה לשון של זהורית נתלה על פתח ההיכל מתלבן היו יודעים שנשמעה תפלתם: *Loquitur de Iſraele; Cùm lingua coccinea ſuſpenſa ſuper oſtium Templi albeſcebat, ſciebat orationem ſuam eſſe exauditam.* Erat autem & lingua coccinea, (h. e. pannus coccineus inſtar linguæ) quæ capiti hirci emiſſarii affixa erat, & cùm albeſcebat, pro ſigno remiſſionis peccatorum habebatur. In Joma fol.39.1. aiunt, 40 annis, quibus miniſtravit (ſeu ſummo ſacerdotio functus eſt) Simeon Juſtus, היה לשון של זהורית מלבין מכאן ואילך פעמים מלבין פעמים אינו מלבין, *Lingua coccinea albeſcebat: ab illo autem tempore & deinceps interdum albeſcebat, interdum non albeſcebat.* R. Salomon in Gloſſa ait, לשון של זהורית צמר סרוק ומשוך כמין לשון וצבוע אדום וקושרין אותו בראש שעיר משתלח והיה מלבין מאליו והוא סימן שמחל הק״בה לישראל שנא׳ אם יהיו חטאיכם כשנים כשלג ילבינו, *Lingua coccinea erat lana* (i. pannus laneus) *pectinata, & protracta* (ſeu *oblonga*) *inſtar linguæ, rubróque colore tincta, quam alligabant capiti hirci qui emittebatur: & cùm ſuâ ſponte* (ad verb. *ex ſeipſa*) *albeſcebat, ſignum erat Deum ſ.b. Iſraeli condonaſſe; quemadmodum dicitur* Iſai.1.18. *Si peccata veſtra fuerint ut coccinum, inſtar nivis albeſcent.* In Gemara ibidem תנו רבנן ארבעים שנה קודם חורבן הבית לא היה לשון של זהורית מלבין, *Tradiderunt Rabbini 40 annis ante deſtructionem Templi lingua coccinea non albeſcebat.* Sic in Roſh haſſhanah fol. 31. 2. מ׳ שנה קודם שנחרב הבית לא היה לשון של זהורית מלבין אלא מאדים, *Quadraginta annis antequam vaſtatum eſt Templum lingua coccinea non albeſcebat, ſed rubicunda erat.* Et ibidem paulò antea dicitur, הלבין היו שמחין לא הלבין היו עצבין, *Quando albeſcebat, lætabantur; quando non albeſcebat, triſtes erant.*

In Midraſh Tillim ad illud Pſal.137. 6. על ראש שמחתי, *ſuper caput gaudii mei,* (h. e. ſuper ſummum gaudium meum) dicitur, זה אפר מקלה שבראש חתנים, *Iſte eſt cinis aduſtus, qui eſt in capite ſponſorum.* Et ibidem in Pſal.121. ubi alterius Pſalmi verba citata ſunt, זה אפר שנותנין בראש חתנים ובראש הכלה בראש שמחתם: *Iſte eſt cinis quem ponunt in capite ſponſorum & in caput ſponſæ, in capite* (ſeu *faſtigio & ſummitate*) *gaudii ipſorum.* In Baba Bathra fol.60. 2. ſub finem dicitur, מאי על ראש שמחתי. *Quid eſt illud, Super caput gaudii mei?* (Pſal.137.6.) Deinde ſequitur אמר יצחק זה אפר מקלה שבראש חתנים, *Dixit Rab Iſaac, Iſte eſt cinis aduſtionis,* (vel *aduſtus*) *qui eſt ſuper caput* (vel *in capite*) *ſponſorum.* Buxtorfius in Synagoga Judaica cap. 28. ait nonnullis in locis ſponſi capiti cineres in memoriam Templi combuſti eſſe inſperſos: ſed nec in Seldeni Uxore Ebraica, nec in Leone Mutinenſi De ritibus Ebræorum conſuetudo iſta memoratur.

In Megillah fol.3.1. R. Jeremiah, & R. Chija in Bar Abba dixiſſe feruntur, תרגם של תורה אונקלוס הגר אמרו מפי ר׳ אליעזר וד׳ יהושע תרגום של נביאים יונתן בן עוזיאל אמרו מפי חגי וכו׳: *Targum* (ſeu *Chaldaicam Paraphraſin*) *Legis* (vel Pentateuchi) *Onkelos Proſelytus compoſuit ex ore R. Eliezeris & R. Joſuæ; Targum Prophetarum Jonathan filius Uzielis compoſuit ex ore Haggai, Zachariæ & Malachiæ: & mota eſt terra Iſraelis quadringentis milliaribus ſuper quadringenta milliaria;* (de voce פרסה, vide, ſi placet, Buxtorfium in Lexico magno) *& egreſſa eſt filia vocis,* (i. vox è cœlo deſcendit) *inquiens, Quis eſt iſte qui arcana mea filiis hominum revelat? Jonathan filius Uzielis ſuper pedes ſuos ſtetit, & dixit, Ego ſum qui arcana tua filiis hominum revelavi. Manifeſtum ac notum tibi eſt, id non ob honorem meum me feciſſe, nec ob honorem patris mei, ſed ob honorem tuum, nè controverſiæ in Iſraele multiplicarentur. Cúmque præterea cuperes exhibere interpretationem Hagiographorum, exiit filia vocis, & dixit, Sufficiat tibi. Quamobrem? Quia ibi eſt finis Meſſiæ,* ſeu tempus præfinitum quo venturus ſit Meſſias; nempe (ut explicat R.Salomon) בספר דניאל *in libro Danielis,* qui à Judæis inter Hagiographa numeratur. Jonathanem etiam iſtum miris laudibus evehunt in tractatu Succah fol.28.1. ubi ſic aiunt, ת״ר שמונים חלמידים היו לו להלל הזקן שלשים מהן ראויין שתשרה עליהן שכינה כמשה רבינו ושלשים מהן ראויין שתעמוד להם חמה כיהושע בן נון עשרים בינונים גדול שבכולן יונתן בן עוזיאל קטן שבכולן רבן יוחנן בן זכאי: *Tradiderunt*

Tradiderunt Rabbini, octoginta discipulos fuisse Hilleli Seniori, quorum triginta digni (seu *idonei*) *erant super quos Divina majestas requiesceret, ut super Mosen Magistrum nostrum; & triginta digni in quorum gratiam Sol staret ut in gratiam Josuæ, & viginti erant mediocres. Omnium autem eorum maximus fuit Jonathan filius Uzielis, ac inter eos minimus fuit Rabban Jochanan* (seu *Johannes*) *filius Zaccai*, vel *Zacchei*. Deinde cùm in laudem hujus R. Johannis multa dixissent, addunt, וכי מאחר שקטון שבכולן כך גדול שבכולן על אחת כמה וכמה אמרו עליו על יונתן בן עוזיאל בשעה שיושב ועוסק בתורה כל עוף שפורח עליו נשרף, *Cùm omnium minimus adeò erat excellens, quantò magis is qui omnium erat maximus? De illo, nempe Jonathane filio Uzielis, dicunt, quòd cùm sederet & Legi operam daret, si volucris* (muscas & istiusmodi alata animalcula videntur intelligere) *super eum volitaret combusta est.* R. Salomon ad ultima ista verba ait, שהיו מלאכי השרת מתקבצין סביביו לשמוע דברי תורה מפיו: *Quia angeli ministratorii circa eum congregati erant, ut verba Legis ex ore ejus audirent.* Etiamsi ista fabulosa nimiùm sint, ex iis tamen videre est quantæ autoritatis apud Judæos sit Paraphrastes iste Jonathan qui multa Prophetarum loca (ut suprà ostensum est) de Messia interpretatur, quæ recentiores Judæi in alienum sensum detorquere nituntur.

CAP. 6. *De præceptis filiorum Noæ, & de Girgasæis. De Topheth etiam & Gehenna: item de Spectaculis.*

IN Bereshith Rabba sect. 34. de præceptis (quæ vocant) filiorum Noæ, i. quæ omnibus in universum hominibus data sunt, plura occurrunt quàm ullibi ferè aliàs reperiuntur, ע"ו דברים נצטוו בני נח על ע"ו ועל גלוי עריות ועל שפיכות דמים ועל ברכת השם ועל הדין ועל הגזל ועל אבר מן החי, *De septem rebus mandatum fuit filiis Noa; de Idololatria, & de Revelatione turpitudinum*, (seu de illicitis copulationibus) *& de Effusione sanguinis, & de Benedictione Divini nominis, & de Judicio, & de Rapina, & de Membro è vivo* (animante discerpto.) Atque ista quidem satis sunt vulgaria; sed non itidem, opinor, ea quæ sequuntur. ר' חנינה בן גמליאל אמר אף על הדם מן החי וכו *R. Chaninah filius Gamalielis dixit, Etiam de sanguine è vivo* (animali effluente.) *R. Eliezer ait, Etiam de diversis speciebus inter se permixtis. R. Simeon filius Jochai ait, Etiam de præstigiis* (seu magicis incantationibus.) *R Jochanan filius Bedoka ait, Etiam de castratione. Dixit R. Asi, Mandatum fuit filiis Noa de iis omnibus quæ dicta sunt in Parasha* (seu sectione) *Non invenietur apud te quisquam qui filium suum, vel filiam suam transire facit, &c.* (Deut. 18. 10, 11.) *Postea enim scriptum est*, (v. 12.) *Nam quicunque ista facit, abominationi est Domino.* Eadem etiam, licèt non eodem prorsus ordine, sunt in Sanhedrin fol. 56. 2. ubi tamen pro בן גמליאל *filium Gamalielis* (in edit. Amstelodamensi) est בן גמלא *filium Gamla*; & pro ר' יוחנן בן ברוקה *R. Jochanan filius Bedoka*, *est* ר' הדקא *R. Hidka*; & pro ר' אסי *R. Asi*, *est* ר' יוסי *R. Josi.*

In Annotationibus antehac editis in Exod. 3. 8. ostendi quid Aben Ezra sensit de Girgasæis, ubique ferè in Scriptura prætermissis, ubi reliqui populi terræ Canaan recensentur; item quæ R. Salomonis, & post eum Lyræ opinio de iis fuerit. Etiamsi autem rationem ab Aben Ezra redditam simplicem & genuinam censeam, libet tamen hic annotare quid veteres Hebræi (quos R. Salomon sequi solet, ut & R. Salomonem Lyra) fabulantur. In Vajikra Rabba sect. 17. R. Ismael filius Nachmanis dixisse fertur, ג' פרוו דינמאות שלח יהושע אצלם וגו' *Tres epistolas* (sic Glossator Hebræus ait in Aruch vocem פרוורינמא (In R. Mose Gerundensi super Legem fol. 144. col. 4. scribitur פרוסדיטנמא) exponi אגרת *i. epistolam.* Buxtorfius in Lexico magno putat esse à Græco παράγγελμα: sed propiùs accedit ad σύνταγμα: atque id etiam congruit cum דאמנמא, quæ planè est à Græco διάταγμα: ista autem vox in loco proximè citato usurpatur) *misit Josua ad eos*; (nempe Canaanæos) *Qui vult abire, abeat; qui vult pacem facere, faciat; qui vult bellum gerere, gerat. Girgasæus discessit:* (ità cogor interpretari illud עמד מאליו, quod ad verb. sonat, *stetit ab illo*, vel *ex se*) *propterea ei data est terra pulcra instar terræ suæ. Hoc illud est quod scribitur*, (Isai. 36. 17. qui locus aliò prorsus spectat; sed sic illi sæpe Scripturam in rem suam torquent) *Donec veniam, & assumam vos in terram instar terræ vestræ; ea est Africa. Gibeonita pacem fecerunt, ut dicitur*, Jos. 10. 1. *Pacem fecerunt habitatores Gibeon. Reges triginta & unus bellum gesserunt, & ceciderunt.* In Elle haddebarim Rabba (sect. שופטים) R. Samuel filius Nachmanis dixisse fertur, מה עשה יהושע וכו', *Quid fecit Josua? In omni loco ad quem subigendum proficiscebatur, proposuit edictum in quo scriptum fuit, Qui cupit abire, abeat; & qui cupit pacem facere, faciat; & qui cupit bellum gerere, gerat. Quid fecit Girgasæus? Vertit se, & à conspectu eorum* (scil. Israelitarum) *abiit. Dedit autem ei Deus s. b. terram pulcram, instar terræ ipsius, nempe Africam.* Deinde idem quod loco antè citato de Gibeonitis, & 31 regibus narratur. Illud moneo, in verbis è Vajikra Rabba citatis pro עמד מאליו, *stetit ab illo*, videri legendum, עמד וברח מאליו, *stetit, & fugit ab illo*: ut in Midrash Ruth fol. 42. col. 2. עמד וברח לו מפניהם, *stetit, & fugit à facie eorum.* Hebræi verbo עמד de eo uti solent qui ad aliquid agendum, quicquid sit, se accingit.

In Echa Rabba seu Comment. in Lamentationes ad cap. 1. 9. de Topheth ità scribunt; צלם חלול חיה וכו' *Imago concava ibi erat posita ante septem conclavia, & in manu ejus erat lamina anea, juxtáq; eam focus. Si quis offerebat similam, aperiebant ei unum* (nempe conclave;) *si turtures vel columbas, aperiebant ei duo; si agnum, aperiebant ei tria; si arietem, aperiebant ei quatuor; si vitulum, aperiebant ei quinque; si bovem, aperiebant ei sex. Si quis autem offerebat filium suum, aperiebant ei septem: & ponebant eum intra laminam aneam, & sub ea* (sc. lamina æneâ, vel *sub eo*, nempe filio) *incendebant focum, & acclamabant coram ea*, (sc. imagine) *dicentes, Gratum tibi sit, Jucundum tibi sit. Quorsum verò ista omnia? Nè scilicet* (parentes) *filiorum suorum ejulatum audirent, atque ità eos facti sui puniteret.* Pro eo autem quod interpretatus sum, *unum, duo, tria*, &c. licet interpretari, *primum, secundum, tertium*, &c. Atque ità Hebræorum de hac re verba (licèt aliunde petita, nempe ex libro Jalkut, utì ait Seldenus De diis Syris Syntag. 1. cap. 6.) interpretatur Paulus Fagius in Levit. 18. Similia etiam habet Kimchi in 2 Reg. 23. 10. ubi præterea ait, והיו פניו של ענל וידיו פשוטות כאדם שפותח ידיו לקבל מחבירו, *Et facies ejus* (nempe imaginis) *erat ut facies vituli; & manus ejus erant extensæ, quemadmodum homo manus suas ad accipiendum aliquid à socio suo aperit.* Addit etiam locum dictum fuisse *Topheth*, שהיו מנהמין בתופים שלא ישמע אביו קול תנוער וירחם עליו ויחזור בו, *Quia tympanis* (Tympanum Hebraicè est תוף *Toph*, unde adjectâ literâ ת *Thau* fit תופת *Topheth*) *strepitum faciebant, nè pater pueri vocem audiret, atque ità misericordiâ commotus eum revocaret.* Quin & *Hinnom* locum istum dictum ait, שהיה החינוק מנהם וקול נהמותיו עולה, *Quia puer ejulabat, & vox ejulationum ejus ascendebat:* vel שהיו הכומרים אומרים יהנה לך ישרב לך יתבסם לך, *Quia sacerdotes idololatrici dicebant, Prosit tibi, Gratum sit tibi, Jucundum sit tibi.* Quasi scilicet vox *Hinnom* derivata sit vel à נהם, h. e. *ejulare*, vel ab הנה, i. *prodesse*, cùm Scriptura indicet hominem quendam dictum fuisse *Hinnom*; atque ab eo, utpote ejus possessore, locum *Gehinnom*, i. *vallem Hinnom*, fuisse appellatum. Ab istius autem loci nomine

Gehinnom, Judæi locum illum ubi damnatorum animæ cruciantur eodem vocabulo appellant, unde γέεννα *Gehenna* vox ſæpiuſcule in N. T. uſurpata. Iſa. 30. v. ult. ubi in Hebræo eſt תֹּפֶתָה, quod idem eſt cum תּוֹפֶת, Chaldæus Paraph. habet גֵּיהִנֹּם *Gehenna*; atque ità etiam à R. Salomone & à R. Davide exponitur. R. Salomon autem (ſecutus, ut ſolet, Talmudicos; nam eadem verba reperio in Theologiæ Talmudicæ ſpecimine pag. 120.) ait Gehennam ideo appellatam תפתה *Tophthe*, שכל המתפתה ביצרו נופל שם, *Quia quiſquis concupiſcentiæ ſuæ illecebris ſe obſequentem præbet, in eam incidit.* In Bereſhith Rabba ſect. 4. quæritur, quare de opere ſecundi diei non ſit dictum, *Et fuit bonum.* Et R. Jochanan nomine R. Joſis filii Chilpethæ hanc rationem reddidiſſe fertur, שבו נבראת גיהנם, *Quòd in eo creata eſt gehenna.* Id probat (ſcilicet) ex Iſai. 30. v. ult. כי ערוך מאתמול תפתה, *Nam ab heſterno die* (ſic vox Hebræa propriè ſignificat) *paratus eſt Topheth*, vel excidii locus. יום שיש בו אתמול, *eo die ante quem fuit dies heſternus*, ואין בו שלשום, *ſed non nudiuſtertius.* Eadem habet R. Salomon ad Iſai. 30. v. ult. & ſimilia ſunt in Elle Shemoth Rabba ſect. 15. Sed Rabbinici ingenii vanitatem iſta nimis ſapiunt.

Quid Chriſtiani Doctores de ſpectaculis ſenſerunt, ſi quis fortè ignoret, conſulat Tertullianum Apolog. cap. 38. & libro De Spectaculis; Cyprian. epiſt. 2. ut ad Donatum, & lib. De Spectaculis, quem Bellarminus De ſcriptor. Eccleſiaſt. ait eſſe egregium, ſed ob diverſitatem ſtyli dubitat an ſit Cypriani. Ego verò ex Hebræis nonnulla quæ hanc rem ſpectant annotabo. In Midraſh Ruth ad cap. 1. 16. Naomi dixiſſe fertur Ruthæ, בתי אין דרכן של בנות ישראל לילך לבתי חיאטראות ולבתי קרקסיאות של גוים, *Filia mea, non eſt mos filiarũ Iſraelis ire ad theatra & ad circos gentium:* ad verb. *ad domus theatrorũ & ad domos circorum.* Vox תיאטראות eſt à Græco θέατρον, & vox קרקסיאות, à Latino *Circus.* Gloſſator exponit, בתים ששוחקים בהם שחוק של הוללות, *Domos*, ſeu *loca, in quibus ludunt luſum ſtultitiæ*, vel *amentiæ.* In Echa Rabbathi in Præfat. fol. 5. col. 4. Synagoga Iſraelis Deum ſic alloquens introducitur, רבון עולמים מימי לא נכנסתי בבתי תיאטראות ובתי קרקאות של אומות העולם, *Domine ſeculorum, A diebus meis*, (i. *ex quo fui*) *non intravi in theatra vel circos nationum mundi.* Et ibidem, fol. 52. col. 4. אמות העולם הן יושבין בבתי תרטיאות ובבתי קרקסיאות, *Nationes mundi ſedent in theatris & in circis.* In tractatu Talmudico Abodah Zarah fol. 18. 2. אין הולכין לטרטיאות ולקרקסאות מפני שמזבלין שם זבול לע"ז, *Non eunt* (non licet ire) *ad theatra & ad circos; quia ibi ſimum ſpargunt idolo*: vel, *ſtercorant* (quaſi ſtercore pinguefaciunt) *idololatriam.* Et ibidem in fine paginæ R. Simeon filius Pazzi illud Pſal. 1. 1. *Beatus eſt vir qui non ambulavit in conſilio impiorum*, ſic expoſuiſſe dicitur, אשרי האיש אשר לא הלך לטרטיאות ולקרקסאות של גוים, *Beatus eſt vir qui non ambulavit ad theatra & ad circos gentium.* Paraphraſis quæ dicitur Jonathanis, Deut. 28. 19. ſic habet; ליטין אתון במעלכון לבתי תיאטרונכון וקורקסתכון למבטלא פתגמי אורייתא וליטין אתון במיפקכון לפרנמטיכון, *Maledicti eritis cùm ingreſſi fueritis in theatra veſtra & in circos veſtros, ut irrita reddatis verba Legis: & maledicti eritis cùm egreſſi fueritis ad negotiationes veſtras.* In Midraſh Tillim ad Pſal. 18. 7. quæritur על מה הזיעות באות לעולם, *Quare terra motus in mundum veniunt?* Et inter alia reſpondetur, עקרו של רבר, *Principalis cauſa eſt, quòd Deus ſ. b. aſpicit mundum ſuum, & videt* בתי טרטיאות ובתי קרקסאות, *domos theatrorum & domos circorum, & nationes mundi quietè & ſecurè agentes; Templum autem deſtructum, & filios ſuos in angustia: ideo excandeſcit ira ejus adversùs mundum ſuum, ut eum deſtruat.*

CAP. 7. *De Sabbato, & de urbibus Refugii.*

IN Elle Shemoth Rabba ſect. 35. R. Eliezer filius Abinæ dixiſſe fertur, מצינו בתורה ובנביאים ובכתובים ששקולה שבת כנגד כל המצות, *Invenimus in Lege, & in Prophetis, & in Hagiographis, ſabbatum æquivalere omnibus mandatis.* E Lege citatur illud, Exod. 16. 28, 29. *Et dixit Dominus Moſi, Quouſque renuitis obſervare mandata mea & leges meas? Videte quòd Dominus dedit vobis Sabbatum*, &c. In genere ſermo habetur de mandatis & legibus, nec tamen ſpeciatim aliud præter Sabbatum memoratur, quaſi ſcilicet Sabbatum inſtar omnium eſſet. E Prophetis verò affertur illud Ezech. 20. 13. *Et rebellabant adversùs me in deſerto:* & mox, *Et Sabbata mea prophanabant.* Ex Hagiographis denique illud Neh. 9. 13. *Et ſuper montem Sionem deſcendiſti, & locutus es cùm eis è cœlo, & dediſti eis recta judicia & leges veritatis, bona ſtatuta & mandata:* deinde v. 14. *Et ſanctum tuum Sabbatum eis notum feciſti.* Iſtis ſtatim ſubjungitur, אמר להם הק'בה לישר' אם תזונו לשמור שבת מעלה אני עליכם כאלו שמרתם כל המצות שבתורה ואם חללתם אותה מעלה אני עליכם כאלו חללתם כל המצות, *Dixit Deus ſ. b. Iſraeli, Si dignè obſervaveritis Sabbatum, ego id vobis reputabo ac ſi omnia mandata quæ in Lege ſunt obſervaretis: & ſi profanaveritis Sabbatum, perinde erit ac ſi omnia præcepta violaretis.* Ibidem etiam fertur R. Levi dixiſſe, אם משמרים ישראל את השבת כראוי אפילו יום אחד בן דוד בא למה שהיא שקולה כנגד כל המצות, *Si Iſraelita vel uno die Sabbatum, ut oportet, obſervarent, filius Davidis* (i. Meſſias) *adveniret. Quare? Quia Sabbatum eſt inſtar omnium mandatorum.* In tractatu Shabbath fol. 119. 1. Senex quidam (סבא) dixiſſe traditur, מאן דיזוף, (Sic in edit. Amſtel. legitur: Buxtorfius autem in Lexico Talmudico ſub radice זוף legit דיווף, atque ità etiam Buxtorfius in Floril. Hebr. pag. 298.) שבתא פרעיה שבתא, *Qui mutuat Sabbato, ſolvit ei Sabbatum.* Ibidem fol. 19. 1. oſtenditur quantum Judæorum Magiſtri caverunt nè Sabbatum violaretur, ità tamen ut opera bellica interdum etiam in Sabbato facienda cenſerent. תנו רבנן אין צרין על עיירות של גוים פחות משלשה ימים קורם לשבת ואם התחילו אין מפסיקין, *Tradiderunt Magiſtri, non obſidendas eſſe urbes gentilium minùs quàm triduo ante Sabbatum; ſemel autem inchoatam obſidionem non deſituram*, nempe in Sabbato. Vide Skikardum De jure Regio cap. 5. pag. 146, & 147. Præceptum de non accendendo igne in Sabbato, quod habetur Exod. 35. 3. Hebræi perpetuum eſſe cenſuerunt, uti apparet ex iis quæ ſcripta ſunt in Midraſh Ruth fol. 44. col. 1. משה רבינו משעה שגזר עלינו לא תבערו אש בכל מושבותיכם ביום השבת לא מדליק יהודאי נר בשבתא מיומהי ועדיין לא נתבטלה גזירתו עד השתא, *Ex quo Moſes Magiſter noſter præcepit nobis, inquiens, Non accendetis ignem in omnibus habitationibus veſtris in die Sabbati, Judæus ad hodiernum uſque diem non accendit ignem in Sabbato, nec ad hanc uſque horam præceptum ejus violatur.* Sic in Midraſh Tillim ad Pſal. 92. aiunt Adamum in initio Sabbati columnâ igneâ colluſtratum dixiſſe, *Nunc ſcio diem ſacrum à profano eſſe ſeparatum*; שאין לבער אש בשבת, *Quia non licet accendere ignem in Sabbato.* In Midraſh Ruth illud Ruth 3. 3. *Et indues te veſtibus tuis*, de veſtibus Sabbatinis ab eis quas aliis diebus geſtare ſolebant diſtinctis, exponitur. וכי שרומה היתה אלא אלו בגדי שבאת, *Numquid verò nuda erat? Nequaquam, ſed veſtes de quibus hîc ſermo habetur, Sabbatina erant.* Sequitur ibidem, סמאן אמר ר' חנינא צריך אדם להיות לו שני עטפים אחד לחול ואחר לשבת וכך דרשה ר' שמלאי בציבורא בכון חבריא ואמרין כעטיפתינו בחול כך עטיפתינו בשבתא אמר להון צריכין אנו לשנות, *Hinc dixit R. Chanina, Neceſſe eſt ut homo habeat duas veſtes; unam ob dies profanos, & aliam ob Sabbatum. Atque ità R. Shamlai in congregatione concionatus eſt: unde diſcipuli ſapientum fleverunt*, (ſic Gloſſator explicat

explicat, בנו תלמידי חכמים) *dicentes, Ut ſunt veſtes noſtra in diebus profanis, ità etiam ſunt in Sabbato. Reſpondet eis, Neceſſe eſt ut* (veſtes) *mutemus.* Sic in tractatu Shabbath fol.113.1. לא יהא מלבושך של שבת כמלבושך של חול, *Nè ſit indumentum tuum Sabbatinum ſicut indumentum tuum in die profano.* Et ibidem ſequitur, לא יהא הילוכך של שבת כהילוכך של חול *Nè ſit inceſſus tuus Sabbatinus ſicut inceſſus tuus in die profano.* Et mox pag.2. לא יהא דיבורך של שבת כדיבורך של חול, *Nè ſit ſermo tuus Sabbatinus ſicut ſermo tuus in die profano.* In Gemara Amſtel. legitur כדיבור *ſicut ſermo*, ſed in Gloſſa כדיבורך *ſicut ſermo tuus*; atque ità etiam citat Buxtorfius in Florilegio pag.299. Ibidem autem in Gemara, paucis interjectis, affertur illud Ruth 3.3. *Et indues te veſtibus tuis*: & R. Eliezer dixiſſe traditur, אלו בגדים של שבת, *Iſtæ ſunt veſtes Sabbatinæ.*

In Bammidbar Rabba ſect.23.fol. 285.col.1. fingunt Moſen Deo dixiſſe, *Domine mundi, Is qui occidit hominem per ignorantiam,* (בשגגה) *in Septentrione, vel in Meridie, quomodo ſciet ubinam ſint urbes refugii ad quas confugiat?* Deum autem reſpondiſſe, *Parabis tibi viam, nè quis à via aberret, & à vindice ſanguinis inventus occidatur, cùm morti non fuerit adjudicatus,* (vel, *cùm mortis judicio non teneretur,* ולו אין משפט מות) Cúmque Moſes quæſiviſſet quomodo iſtud faceret, (א"ל היאך) Deum dixiſſe, העמד להם איסטליות מכוונות לערי מקלט שיהא יודע לילך לשם ובכל איסטלים רשום עליה רוצח לערי מקלט, *Statue eis columnas diſpoſitas verſus urbes Refugii, ut quâ iſtuc eatur intelligatur. Et in unaquaque columna inſculpe, Homicida ad urbes Refugii.* Gloſſator Hebræus ait vocem איסטליות in Aruch exponi כתבים *ſcripta.* Buxtorfius in Lexico magno interpretatur איסטולי *Epiſtola*, ſed אסטלא vel אסטלי *Stola, Chlamys*, &c. quod huic loco minùs convenit. Gloſſator monet in nonnullis codicibus legi איטלס, atque ait voce iſtâ *plateam* denotari, והם שווקים, quæ ſignificatio hîc aptior, nec tamen ſatis idonea videtur. Ego haud dubito quin Hebræum איסטל à Græco στάδιον ſit derivatum. Coch in Maccoth cap.2. vertit *Hermas*, h.e. *Mercuriales ſtatuas*, uti habet Skikardus De jure Regio cap.2. pag.59. In Midraſh Tillim ad illud Pſal.25. *Docebit peccatores in via.* R. Abin dixiſſe fertur, על כל מיל ומיל היה עומד בורגן ועל כל בורגן צלם והיתה ידו עקומה ומראה להיכן ערי מקלט, *Singulis milliaribus erat tugurium, & juxta unumquodque tugurium erat ſtatua, cujus manus erat inclinata, ità ut oſtenderet* (ſeu *viam monſtraret ad*) *urbes refugii.* In tractatu Maccoth cap.2. in Miſna aiunt, להיכן גולין לערי מקלט, *Quò eunt exſulatum? Ad urbes Refugii.* Et mox, ומכוונות להן דרכים מזו לזו, שנא' חכין לך הדרך ושלשת וגו' *Et parata eis erunt via ab una urbe ad aliam*; *quemadmodum dicitur* Deut.19.3. *Parabis tibi viam, & in tres partes dividet*, &c. In Gemara fol.10.2. ad iſta verba dicitur, מקלט היה כתוב על פרשת דרכים כדי שיכיר הרוצח ויפנה שם, *In diviſione viarum* (in biviis) *ſcriptum fuit Miklat*, i. *Refugium*, (q.d. Hâc itur ad urbem Refugii) *ut homo viam intelligens illuc ſe verteret.* R. Salomon in Gloſſa ait, בכל מקום שהיו ב' דרכים מפוצלים ואי פונה לעיר מקלט היה עץ תקוע באותו וכתוב בו מקלט, *Ubicunque dua via erant diviſa, quarum una ad urbem Refugii ducebat, lignum in iſta via fixum erat, in quo ſcriptum Miklat*, i. *Refugium.* Idem etiam R. Salomon in Comment. ſuper illud Deut.19.3. *Et parabis tibi viam*, ait, מקלט מקלט היה כתוב על פרשת דרכים *Refugium, Refugium* (id eſt, hâc vel illâc itur ad urbem Refugii) *in diviſione viarum ſcriptum fuit.* Sic R. Levi Ben Gerſom ad iſta verba (fol.226.col.2.) והיה בתוב מקלט בדרך אשר תביאהו שם, *Et ſcriptum erat Miklat* (i. *Refugium*) *in via, quæ homicidam ad urbem Refugii duceret.* Addit autem & alia, quæ notatu digna ſunt, והיתה עור הבנת הדרך שלא יהיה שם אבן נגף וצור מכשול ולא חל ולא נהר ואם היה שם היו עושים גשר עליו כדי שלא יכשל שם הרוצח ולא יצטרך להתעכב לעבור הנהר והיה עור מהבנת הדרך שיהיה רחב כדי שלא יכשל שם, *Erat præterea viæ præparatio, nè ſcilicet in ea eſſet lapis quo quis ſe læderet, vel rupes in quam impingeret, vel tumulus, vel fluvius. Quòd ſi fluvius ibi eſſet, pontem faciebant ſuper eum*; *nè homicida illic offenderet, vel neceſſe haberet tranſire fluvium* (tranſeundo fluvium moram facere.) *Ad viæ etiam præparationem pertinebat ut lata eſſet, nè* (homicida) *in ea offenderet.* Eadem penè verba habet Abrabaneel in Legem fol. 373.col.2.

CAP. 8. *De Homine, & de Mundo: item propter quos Mundus eſt creatus.*

IN Vajikra Rabba ſect.9. R. Simeonem filium Chilpethæ dixiſſe ferunt, *Magna eſt pax, quòd cum Deus ſ. b. creavit mundum, fecit pacem inter ſuperiora & inferiora. Die primo creavit ex ſuperioribus pariter ac ex inferioribus: ſic enim ſcriptum eſt, Creavit Deus cœlum & terram. Secundo die creavit ex ſuperioribus*; *ità ſcriptum eſt, Et dixit Deus, Sit firmamentum*, &c. *Tertio die creavit ex inferioribus*; *Et dixit Deus, Congregentur aqua*, &c. *Quarto die ex ſuperioribus*; *Sint Luminaria in firmamento*, &c. *Die quinto ex inferioribus*; *Et dixit Deus, Producant aqua*, &c. *Die ſexto venit ad creandum hominem*; *Dixit, Si creavero eum ex ſuperioribus, ecce ſuperiora plura erunt quàm inferiora: & ſi creavero eum ex inferioribus, ecce inferiora plura erunt quàm ſuperiora. Quid fecit? Creavit eum cùm ex ſuperioribus tum ex inferioribus. Ità ſcriptum eſt, Et formavit Dominus Deus hominem ex pulvere terræ, nempe ex inferioribus*; *& inſufflavit naribus ejus ſpiritum vitæ, ſcilicet ex ſuperioribus.* Ibidem §.14. de Hominis ſive præſtantia, ſive vilitate, ſic loquuntur; אם זכה אדם אומרים לו אתה קדמת לכל מעשה ברשית ואם לאו אומרים יתוש קדמך שלשול קדמך, *Si homo dignus ſit* (probè ſe geſſerit) *dicunt ei, Tu præcellis omne opus creationis: ſin minùs, dicunt, Pulex te præcellit*; *Limax te præcellit.* In Bereſhith Rabba §.8. ſic exprimitur; אם זכה אדם אומרים לו אתה קדמת למלאכי השרת ואם לאו אומרים לו זבוב קדמך יתוש קדמך שלשול וח קדמך, *Si homo dignus eſt, dicunt ei, Tu præſtantior es angelis miniſtratoriis: ſin minùs, dicunt ei, Muſca te præſtantior eſt*; *Pulex te præſtantior eſt*; *iſte Limax te præſtantior eſt.* In Midraſh Tillim ad Pſal.92. de hominis creatione, lapſu & ejectione è Paradiſo hæc habentur; בערב השבת נברא אדם הראשון וכו' *In veſperis Sabbati creatus eſt homo primus. Horâ primâ* (Deus) *de opere cogitavit*; *ſecundâ conſultavit cum angelis miniſtratoriis*; (vide ſuprà ad Epheſ.1.11.) *tertiâ collegit pulverem ejus*; *quartâ terminavit eum* (nempe pulverem); *quintâ fecit eum embryonem*; *ſextâ ei formam & figuram dedit*; *ſeptimâ inſufflavit ei animam*; *octavâ conſtituit eum ſuper pedes ſuos*; *nonâ mandatum ei dedit*; *decimâ peccavit*; *undecimâ judicatus eſt*; & *duodecimâ expulſus è* Paradiſo. Deinde mox ſequitur, והיו מלאכי השרת קוראין לו אדם ביקר בל ילין נימשל כבהמות נדמו שניהם, *Et angeli miniſtratorii ei clamabant, Homo in honore non pernoctabit*, (vel *pernoctavit*; futurum pro præterito) *ſed ſimilis factus eſt beſtiis: ambo perierunt.* Hæc etiamſi aliàs relatu indigna, indicant tamen ex Hebræorum veterum ſententia Adamum nè unum quidem diem in innocentia ſua permanſiſſe, ſed eodem quo creatus eſt die in peccatum incidiſſe. Sic in Bereſhith Rabba §.12. R. Joſes dixiſſe traditur, אדם הראשון לא לן כבודו עמו, *Gloria primi hominis cum eo non pernoctavit.* Et ad id confirmandum affertur illud Pſal. 49. *Homo in honore non pernoctavit.* Sic propriè verbum Hebræum ſignificat, etiamſi generaliter pro *permanere*, vel *commorari*, uſurpetur. Quod autem hîc de R. Joſe, §.11. de R. Ami memoratur.

In libro cui titulus בחינת העולם, *Examen Mundi*, c.4. pag.17. edit. Hebræo-Latinæ, vanitas hujus mundi elegantiſſimis verbis exprimitur. מחשכי' וכלי הנשקים שקים והפניני' צניני' והשושנים קמשוני' והרהבים להבים והוהובים ובובים, *Deſideria hæc* (mundana) *caliginè effundunt, & oſculorũ illecebra* (Sic interpres vertit, ad verb. ſonat, *et inſtrumẽta oſculorũ*) *cilicia ſunt lugubria: unciones hi ſentes ſunt, & lilia hac cardui aculeati: elationes ſunt,*

flammæ evanescentes; & auratæ gazæ ut musca avolantes. Hebræa plena sunt paronomasiis, quæ in versione conspici non possunt. Ibidem cap.9. in initio, האבטח על משעות קנה רצוץ לחשוב מלון שקר האשען עליו כזה מבצר נשגב וביח מקדש מלך אורחים אשר נגף פרעוש צפורן שמיר קורי עכביש ראמות ונביש: *Num confidam mendacio? num fulcro arundinis fractæ innitar? ut reputem hospitium peregrinantium, qualis est hic mundus, quasi munimentum excelsum & sanctuarium Regis? ut æstimem alas culicis quasi adamantis cuspidem? aranearum telas ut rhinocerotum* (vel *unicornium*) *cornua, aut margaritas?* Et mox, צל הקיקיון אתה רואה כהר ונבוה ותלול, *Umbram cucurbitæ vides, quam montem putas esse excelsum, aut terræ cumulum.* Et cap.12. in principio, ומה אחמוד אדמה כאדמה וצבא כצבואים שמורה עברתה בחברתה אמין קשרה בקשרה, *Quid desiderabo terram, quæ erit instar Adma, & exercitum, qui futurus est ut Tseboim? Servat enim hic mundus indignationem in socios sibi conjunctissimos; fortiter conspirat in eos qui cum ipso conspirant.* In Mibchar happeninim, referente Buxtorfio in Florileg.Hebr. p.224. טוב שבעולמך מזוג ולא תאכל ממנו דבש כי אם מעורב בארס, *Optimum quod in hoc mundo habes, mixtum est: non comedes in eo mel nisi veneno mixtum.* In Midrash Tillim ad Psal. 25.atq; etiam ad Psal.86. dicitur, העולם הזה יום של אומות העולם ולילה לישראל, *Mundus iste est dies nationibus mundi, & nox Israeli.* Convenit ei dicto cum verbis Christi Joh. 15. 19. & 17.14. & cum verbis Apostoli 1 Cor. 15.29. De mundi duratione R. Gedaliah in Shalsheleth fol.47.col.2.sic scribit, לסוף האלף ששי ישוב העולם תהו ובהו וכלו יהיה שבת, *In fine sexti millenarii mundus in chaos redigetur, & perpetuum erit sabbatum.* Similiter Jachiades Paraphr.in Dan. 8.14. בסוף החמשת אלפים וז' מאות שנה לבריאת העולם וגו': *Sub finem 5700 annorum à creatione mundi circiter, aut paulò antè, aut paulò pòst, Deo adjuvante, adveniet finis noster, ut filii Israel securè possint habitare in terra sua ad 300 circiter annos sexti millenarii.* Et mox, ואחר כך באלף השביעי יהפך העולם לתהו כאשר בתחלה כי שית שנין הוי עלמא וחד חריב והוא שנת השמיטה מהאלפים: *Et postea in septimo millenario mundus in chaos redigetur, ut fuit in initio. Nam sex annis consistit mundus, & in uno vastabitur, qui est annus intermissionis* (sic septimus annus apud Judæos vocabatur) *respectu millenariorum.* Ea autem veterum Hebræorum fuit opinio, ut patet ex Sanhedrin fol. 97.1. ubi R.Ketina dixisse memoratur, שית אלפי שני הוי עלמא וחד חריב והוא שנת השמיטה מהאלפים, *Sex millibus annorum mundus subsistit, & uno vastabitur.* (Mendosè in edit.Amstel. legitur הוו pro הוי) Sequitur ibidem, אביי אמר תרי חרוב *Abai dixit, Duobus* (nempe millenariis) mundus *vastabitur*; sed rejecta est ejus opinio. תניא כותיה דר' קטינא כשם שהשביעית משמטת שנה אחת לשבע שנים כך העולם משמט אלף שנים לשבעה אלפים שנה: *Traditio est juxta R.Ketinam, Ut è septem annis septimus est annus intermissionis; ità etiam è septem millibus annorum mundi septimus millenarius est millenarius intermissionis.* Et mox affertur illud decantatum R.Eliæ dictum, תנא דבי אליהו ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח, *Traditio est domûs Eliæ, Sex millibus annorum mundus durat; duobus millibus annorum Inane, duobus millibus annorum Lex, & duobus millibus annorum dies Messiæ.* Eandem de mundi duratione opinionem secutus est Irenæus lib.5. pag.613.edit.in octavo. Et Lactantius lib.7.cap.14. *Sententiam de sex millenario numero & septies millenario confirmant plerique Patrum, sed præcipuè Lactantius lib. 7.cap.14. & alii, quorum tu melius memineris quàm ego.* Scaliger Casaubono lib.1. epist.86. vide etiam epist. 87. Atque istam de mundo sex millibus annorum duraturo opinionem receptam fuisse apud Hebræos, Græcos & Latinos asserit vir in omni literarum genere versatissimus Usserius Armachanus in Dissertatione de Cainane annexa Syntagmati de Lxx Interpretibus pag.192.

In Shir hasshirim Rabba ad illud Cant. 7.2, *Venter tuus est sicut acervus tritici,* eleganti similitudine ostenditur propter quos mundus est creatus. משל למה הדבר דומה התבן והמוץ והקש היו מדיינים זה עם זה וזה וגו': *Parabola. Cui est res similis? Stramen & palea & stipula inter se disceptabant, & unum eorum dicebat, Propter me terra est seminata; alterum autem dicebat, Propter me ager est seminatus. Dixit verò eis triticum, Moramini donec veniat area, & tunc sciemus cujus gratiâ ager est seminatus. Venit area, & cùm in aream intrassent, exiit paterfamilias ad eam purgandam: abiit palea in ventum; accepit stramen, & ad terram projecit; accepit stipulam, & eam combussit: triticum autem accepit, & in acervos redegit.* Deinde sequitur explicatio parabolæ, אמר ר' הללי אומרים אני ישראל ובשבילינו נברא העולם והללו אומרין אני ישראל ובשבילינו נברא העולם אמרו להם ישראל המתינו עד שיבא יום הק"בה ואנו יודעין בשביל מי נברא העולם הה"ד כי הנה היום בא וגו': *Sic dixit Mundus, Hi dicunt, Nos sumus Israel, & propter nos mundus est creatus; & illi dicunt, Nos sumus Israel, & propter nos mundus est creatus. Dixerunt iis Israelitæ, Moramini donec veniat dies Dei ſ. b. & tunc sciemus propter quos mundus est creatus. Hoc illud est quod dicitur* Mal. 4.1. *Nam ecce dies ille venit, ardens ut clibanus,* &c. *Et scriptum etiam est* Isai. 41.16. *Ventilabis eos, & ventus eos auferet. Sed de Israele dictum est,* (Ibid.) *Tu autem gaudebis in Domino, & in sancto Israele gloriaberis.* Ibidem ad cap.2.2. העולם לא נברא אלא בשביל ישראל, *Mundus non est creatus nisi propter Israelem.* Et mox, אמר הק'בה בשביל שושנה זו ינצל הפרדס בזכות התורה ולומדיה ינצל העולם: *Dixit Deus ſ. b. Propter hoc lilium hortus liberabitur. Propter Legem & ejus studiosos mundus liberabitur.*

Cap. 9. *De Roma: item Romam & Romanum imperium à Judæis per* EDOM *designari.*

IN Shir hasshirim Rabba ad cap. 1. 6. longa narratur fabula, quam Buxtorfius in Lex. Talm. sub radice רם recitat: אמר ר' לוי יום שנתחתן שלמה לבת פרעה נכה ירד מיכאל וכו', *Dixit R. Levi, Eo die quo Salomon uxorem duxit filiam Pharaoh Necho, Michael princeps ille magnus è cœlo descendit, & fixit arundinem magnam in mari, & ascendit lutum hinc indè; atque illud fecerunt locum instar silvæ;* (Sic Glossator כחורש exponit כיער) *& iste fuit locus Roma. Eo die quo Jeroboam filius Nebat erexit duos vitulos aureos ædificata erant duo tuguria* (צריפין Glossator exponit בתים קטנים *domunculæ*) *Roma, cúmque ædificata erant, corruebant; & cùm rursus ædificata erant, corruebant. Erat autem ibi senex quidam, nomine Abba Kolon, qui eis dixit, Nisi attuleritis aquam è fluvio Euphrate, & eam cum hoc luto commiscueritis, atque eo ista* (tuguria) *ædificaveritis, haudquaquam consistent. Dixerunt ei, Quis ità faciet?* (nempe, ut explicat Glossator, שיביא לכאן מי פרת, *ut huc efferat aquam Euphratis*) *Respondit eis, Ego. Fecit se* (nescio an גרמי scriptum sit pro גרמיה, quòd certè est regulare; sed Talmudici literam gutturalem in fine interdum abjiciunt) *quasi vini venditorem, atque ibat ab urbe ad urbem, & à provincia ad provinciam, donec eò* (nempe ad Euphratem) *pervenerat. Cùm autem eò pervenisset, attulit aquam ex Euphrate, quam miscebant luto, & eo tuguria ædificabant, quæ tum firma ac stabilia fuerunt. Ab illo tempore dixerunt, Urbs,* (vel *Provincia*; nam מדינה utrumque significat) *in qua non est Abba Kolon, non vocabitur urbs. Et vocarunt locum istum Romam Babylonem.* Glossator postremum hoc sic explicat, והיו קורין אותן שני צריפין רומי בבלון על שם שרוב שלהם קיים על ידי בלילת מי פרת בשאר המים: *Et vocarunt duo ista tuguria Romæ Babylonem, quia altitudo eorum stabilita fuit per commixtionem aquarum Euphratis cum reliquis aquis.* Babylon *confusionem* seu *commixtionem*, & Roma (si Hebræam linguam spectes) *altitudinem* importat. Quid Judæi hâc fabulâ significarunt Buxtorfius non indicat, sed tantùm nè quis de alia nescio qua Roma eos intellexisse suspicetur, notat Glossatorem ad illa verba, והא הוד מקומה

מקומה של רומי, *Et iste fuit locus Romæ*, dicere, שעליה נבנה רומי המצירה לישראל, *quia super eum ædificata est Roma, quæ afflixit Israelem.* Haud dubitandum videtur, eos sub isto verborum involucro Romam, tanquam alteram Babylonem, perstringere voluisse, quòd nimirum quæ priùs à Babyloniis, eadem, atque etiam multò graviora, postea à Romanis passi fuerint. Quin & Romanam idololatriam in eo perstringi arbitror, quòd eodem die quo Jeroboam filius Nebat vitulos aureos constituit, Romæ (i. in loco, ubi postea condita est Roma) duo tuguria ædificata fuisse dicunt.

De Roma & Romano Imperio à Judæis per EDOM designato multa apud scriptores nostros occurrunt, atque inter alios fusè de hac re agit Buxtorfius in Lexico magno sub radice אדם. Ego nonnulla, quæ in Hebræorum scriptis reperi, annotabo. In Midrash Koheleth ad c. 5. 15. *Quemadmodum mundus incepit à quatuor regnis, sic in quatuor regnis desinet. Incepit à quatuor regnis: sic enim dicitur,* Gen. 14. *Chedarlaomer rex Elam, & Tidal rex gentium, & Amraphel rex Sinaar, & Arioch rex Ellasar. Desinet etiam in quatuor regnis, nempe Babylonio, Græco, Medico, & Edomæo.* Ubi *Edomæum* pro *Romano* apertè ponitur. Sic in Midrash Tillim ad Psal. 13. & ad Psal. 18. post Babylonios, Medos & Græcos ponitur *Edom*, nempe pro *Romanis*. In Bereshith Rabba sect. 67. fingunt Deum Isaaco sic de Esavo dixisse, עתיד הוא לפשוט ידו בבית המקדש *Futurum est ut extendat manum suam ad domum sanctuarii.* Nempe quia templum secundum à Romanis fuit eversum. Et mox ibidem, ויען יצחק ואמר הנה משמני הארץ יהיה מושיבך וז איטליאה, *Et respondit Isaac, & dixit* (nempe Esavo,) *Ecce de pinguedine terræ erit habitatio tua; ea est Italia.* Elias Levita in Thisbi sub verbo רומא *Roma*, refert Lam. 4. 21. pro eo quod in Hebræo est, שישי ושמחי בת אדום, *Gaude & lætare, filia Edom*, Chaldæum Paraph. habere רומא רשיעא *Roma impia*; sed in edit. Basil. est ברתא דאדום, *filia Edom.* Ità etiam Mic. 7. 10. ubi Elias testatur, pro *Tunc videbit inimica mea* Chaldæum habere ותחזי רומא *& videbit Roma*; in editione ista est ותחזי בעיל דבבותי, *& videbit inimica mea.* Hulsius de Judæor. Theolog. part. 1. pag. 136. immeritò litem movet Abrabaneeli, & suspicatur Judæos Paraphrases Chaldaicas corrupisse, cùm revera in Christianos quosdam faba ista cudi debeat. R. Salomon ad illud Lam. 4. 21. *Lætare, filia Edom*, ait, נתנבא ירמיהו על חרבן בית שני שיחריבוהו רומיים אבל סופך שנם עליך תעבור כוס הפורענות ותשכרי ממנו, *Vaticinatur Jeremiah de excidio Templi secundi, nempe Romanos eam destructuros. Tandem tamen* (inquit) *super te* (Roma) *transibit poculum vindictæ, & eo inebriaberis.* Et in Obad. v. 21. explicans illud, *Et regnum erit Domino*, ait, ליסרך שאין מלכותו שלימה עד שיפרע ממעשו הרשע, *Docet te, regnum ejus non esse completum, donec vindictam sumpserit de Esavo illo impio.* Deinde sequitur, הר עשו ית כרכא רבא דעשו היא רומי, *Montem Esavi; arcem magnam Esavi; ea est Roma.* Ultima illa verba, היא רומי *ea est Roma*, quæ in Roberti Stephani editione habentur, in Basil. edit. sunt omissa. Kimchi etiam ad ista verba, cùm dixisset Jonathanem vertere, למידן ית כרכא רבא דעשו, *ad judicandum arcem magnam Esavi*, addit, והיא כרך של רומי, *Ista est arx Romæ.* Ità editio R. Stephani, sed Basilienses ista non habet. Idem Kimchi ad Obad. v. 1. מלכות רומי היתה וכו' *Regnum Romanum in principio magna ex parte constabat ex filiis Edom. Et quicquid prophetæ dixerunt de excidio Edom in ultimis diebus, id de Roma dixerunt, quemadmodum exposui in Isaia, in sectione, Appropinquate gentes ad audiendũ*, Isai. 34. 1. *Nam cùm vastata fuerit Roma, tunc erit redemptio Israelis. Atque ità ait Jeremiah in volumine Lamentationum, Consummata est iniquitas tua*, (vel, *iniquitatis tua pœna*) *ô filia Sion; non amplius te captivam ducet: visitabit iniquitatem tuam, ô filia Edom*, &c. Ità ad verbum legitur in Edit. Stephaniana, sed in edit. Basilensi locus iste est fœdè mutilatus. Romani siquidem Correctores (seu potiùs corruptores) qui præerant edit. Venetæ, quam in Basilensi secutus est Buxtorfius, id egerunt, ut istiusmodi loca quæ Romam perstringunt, detruncarent, & in alienũ planè sensum permutarent. Vide Buxtorfium ubi suprà & Pocockium in Notis Miscell. c. 8. ubi multis exemplis id demonstrat, & cùm ex manuscriptis, tum ex antiquioribus editionibus loca integritati suæ eruditè restituit. Abrabaneel etiam in Obad. quæst. 2. hoc discutiendum proponit, quid in ista prophetia intelligatur per *Edom*, & *monte Esavi*, utrùm terra illa Edomæa, quæ vicina erat terræ Israeliticæ, vel intelligi debeat על רומי וארצות הנוצרים כמו שנהגו חכמים ז"ל לקראם אומת אדום ועל רומי עיר אדום: *de Roma, & terris Christianorum, quemadmodum Sapientes beatæ memoriæ soliti sunt eos appellare gentem Edomæam, & urbem Romam Edom*; vel *& Romam urbem Edom*; atque hoc posteriore modo in Commentario exponit. Et in Jer. 49. ubi propheta de Edom vaticinatur, rejicit opinionem Aben Ezræ, qui exponit de terra Edomæa à Nabucadnezzare vastata, & juxta R. Davidem intelligi vult אומת הנוצרים, *gentem Christianorum*, & prophetiam esse de excidio שתהיה ברומי ראש האומה, *quod eveniet Romæ, quæ est caput gentis.* Idem etiam ad Isai. 63. 1. ait Edom esse מלכות הנוצרים, *regnum Christianorum.* Et mox, בצרה היא רומי ראש מלכות אדום, *Botsrah est Roma, caput regni Edom.* Vide etiam, si libet, Abrabaneelem ad Isai. 34. fol. 53. col. 4. & fol. 54. col. 1. &c. ubi de hac re fusè agit. Aben Ezra in Gen. 27. 40. rationem, sed valde insulsam, reddit, quare imperium Romanum appellent *imperium Edom.* Cùm dixisset Romam tempore Constantini fidem Christianam suscepisse, addit, ולא היו בעולם שישמרו וכו' *Et non erant in mundo qui observarent legem istam novam præter paucos Edomæos; Propterea Roma* (seu *Romanum Imperium*) *appellatur Imperium Edom. Atque ità hodie Ægyptii, Sabæi & Elamitæ* (seu *Persæ*) *appellantur Ismaelitæ, cùm inter eos non nisi pauci de semine Ismaelitarum reperiantur.* Hanc Judæorum opinionem antiquam esse constat ex Hieronymo, qui ejus mentionem facit eámque refellit ad Obad. v. 1. & ad Joel 3. 19. & ad Isai. 21. 11.

CAP. 10. *Artis Cabbalisticæ specimen.*

CUM Cabbalistarum frequens apud autores fiat mentio, artis, sive potiùs vanitatis, eorum specimen exhibebo. In Elle Shemoth Rabba sect. 42. R. Tanchum filius Chanilai dixisse fertur, קכ"ה קנטרין של זהב היה בעגל מנין מס"כה מ' ארבעים ס' ששים כ' עשרים ה' חמשה, *Centum viginti quinque centenaria* (vel *centumpondia*) *auri fuerunt in Vitulo. Id colligitur ex voce Massecah* (i. *conflatilis*:) *nam litera Mem valet* 40. *litera Samech* 60. *litera Caph* 20. *& litera He* 5. Sequitur ibidem, *R. Levi nomine R. Chamæ filii Chaninæ ait*, ק"כ קונטרין מנין מס"ך שהוא מעביר חמשה, *Centum & viginti centenaria* (fuerunt in Vitulo:) *nam iste numerus assurgit ex voce Massec, quæ detrahit quinque:* quia nimirum deest litera He, quæ in numeris valet *quinq.* Ibid. §. 2. colligunt, Mosi in Rubo ostensum fuisse ipsum 120 annis victurum, quia vox Hebræa הסנה *Rubus* istum numerum efficit. מתוך הסנה רמז לו שיחיה ק"כ שנה כמנין הס'נה. *è medio Rubi istius subindicatum ei fuit fore ut* 120 *annis viveret, juxta numerum vocis Hasseneh.* Nam He valet 5. Samech 60. Nun 50. & He 5. In Bereshith Rabba, §. 69. tradunt R. Simeonem filium Jochai dixisse, אין בית המקדש של מעלן גבוה מבית המקדש של מטן אלא שמונה עשרה מיל מה"ט שמיה וזה שער השנים מנין ו"ה, *Domus sanctuarii superioris non est altior domo sanctuarii inferioris nisi octodecim milliaribus. Quanam ejus assertionis ratio est? Ità nimirum dicitur,* Gen. 38. 17. *Et ista est porta cœli. Vox ista* וזה *(& ista) efficit istum numerum*, scilicet 18. Ibidem sect. 53. ferunt R. Phineam nomine R. Ezechiæ observasse, non dictum esse, Gen. 21. 7. מי אמר vel מי דבר sed מי מלל (omnia ista idem significant, nempe *Quis dixit?* vel *dixisset?*) atque indè collegisse, occultè indicatum fuisse, Abrahamum genituũ fuisse cùm centum annos natus esset, quia

quia ſcilicet vox מלל literis ſuis numeralibus valet *centum*, רמז שהוא מוליד למאה שנה סנין מלל. Ibidem multa myſteria (ſcilicet) obſervant in nomine יצחק *Iſaac*, nempe primam literam Jod denotare decem præcepta, quia numericè valet *decem*: ſecundam literam *Tſadi*, quæ valet *nonaginta*, innuere Saram cùm totidem annorum eſſet parituram: tertiam literam Cheth, quæ valet *octo*, reſpectum habere ad circumciſionem Iſaaci octavò à nativitate die factam; & ultimam literam Koph, quæ valet *centum*, ſignificare Abrahamum cùm eſſet centenarius geniturum ſobolem. Unum duntaxat exemplum in hoc genere addam, nam ut ait Martialis,

Turpe eſt difficiles habere nugas;
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Sect. 78. iſtius Commentarii grande myſterium ex eo petitur quòd vox וישקהו *& oſculatus eſt eum*, (Gen. 33. 4.) punctum ſupernè poſitum habet. Nonnihil antehac in Annotat. in Gen. de re iſta dixi, ſed hîc rem fuſiùs expoſitam reperio. R. Jannai dixiſſe fertur, למה נקוד עליו אלא מלמד שלא בא לנשקו אלא לנשכו ונעשה צווארו של אבינו יעקב של שיש וקהו שיניו של אותו הרשע ומה תלמוד לומר ויבכו אלא וה בוכה על צאורו וזה בוכה על שיניו, *Quare punctatur ſuperné? Nimirum docet, non veniſſe* (Eſavum) *ad oſculandum eum, ſed ad mordendum eum*; (in verbis Hebræis eſt elegans paronomaſia) *& factum eſſe collum patris noſtri Jacobi marmoreum, indéque dentes iſtius impii* (ſcil. Eſavi) *obſtupuiſſe. Et quid docet illud, Et fleverunt? Nempe illum* (Jacobum) *pro collo ſuo, hunc verò* (Eſavum) *pro dentibus ſuis fleviſſe.* Eadem etiam habentur in Shir haſhirim Rabba ad cap. 7. 4. Ad hanc artem pertinet locorum Scripturæ explicatio per literarum permutationem, ut cùm ultima litera poſita ſit pro prima, penultima pro ſecunda, & ſic in reliquis. Ad hunc modum exponunt illud ששך *Sheſhac* Jer. 25. 26. quod poſitum volunt pro בבל *Babel*, nempe Shin pro Beth, Caph pro Lamed. R. Salomon ad locum ait, ששך הוא בבל בא"ת ב"ש, *Sheſhac eſt Babel per Eth Baſh*, ſeu literarum inverſionem, quâ pro Aleph ponitur Thau, & pro Beth ponitur Shin, &c. Similiter Kimchi, ששך היא בבל באלפא ביתא רא"ת ב"ש, *Sheſhac eſt Babel per Alphabetum inverſum, Thau nempe pro Aleph, & Shin pro Beth poſito.* Hoc Judæorum commentum Hieronymo arriſiſſe videtur, quippe qui comment. in Jer. lib. 5. ad hæc verba, *Et rex Seſach*, ſic ſcribit, *Quomodo autem Babylon, quæ Hebraicè dicitur* בבל (*Babel*) *intelligitur* ששך (*Seſach*) *non magnopere laborabit qui Hebraa linguæ parvam ſaltem habuerit ſcientiam. Sicut apud nos Græcum alphabetum uſque ad noviſſimam literam per ordinem legitur, h. e. α, β, & cætera uſque ad ω, rurſumque, propter memoriam parvulorum ſolemnis lectionis ordinem vertere, & primis extrema miſcere, ut dicamus α, ω, β, ψ: ſic apud Hebræos primum eſt* א (*Aleph*), *ſecundum* ב (*Beth*), *tertium* ג (*Gimel*) *uſque vigeſimam ſecundam & extremam literam* ת (*Thau*), *cui penultima eſt* ש (*Shin*). *Legimus itaque* את בש (*Aleph Thau Beth Shin*); *cúmque venerimus ad medium*, (ל (*Lamed*) *litera occurrit* כ (*Caph*), *& ut, ſi rectè legatur, legimus Babel, ità ordine commutato legimus Seſach.* Mox addit, *Arbitrórque à ſancto Propheta prudenter fuiſſe celatum, nè apertè eorum contra ſe inſaniam commoveret qui obſidebant Jeruſalem & jam jámque ejus potituri erant.* At parùm ſolida eſt iſta ratio, cùm ut alibi ſæpe in Prophetia ſua, ità in hoc ipſo capite, Jer. 25. 12, 13. Jeremiah Babyloni exitium apertè denunciet. Et vide Jer. 52. 41.

CAP. II. *De Titulis, & de Doctorum quorundam elogiis: item de honore à Diſcipulo Doctori exhibendo.*

IN Halicoth Olam part. 1. cap. 3. hoc Sapientum dictum memoratur, אמרו ז"ל גדול מרב רבי וגדול מרבי רבן וגדול מרבן שמו כמו שמעון הצדיק שמעיה ואבטליון שנקראו כן מרוב מעלתם כדרך הנביאים שאין מכנים אותם, *Dixerunt Sapientes beatæ memoriæ, Rabbi major eſt quàm Rab, & Rabban major quàm Rabbi: (Rab* idem valet quod *Magiſter*, vel *Dominus*; & *Rabbi* quod *Magiſter*, vel *Dominus meus*; & *Rabban* quod *Magiſter*, vel *Dominus noſter*: Luc. 8. 24. pro Ἐπιστάτα, Ἐπιστάτα, Syrus Interpres habet רבן רבן, *Rabban Rabban*) *& nomen proprium* (nempe abſolutè poſitum abſque ullius tituli adjectione) *majus quàm Rabban*; *ut Simeon Juſtus, Shemaiah, & Abtalion, qui ob magnam eorum excellentiam ſic appellati ſunt, quemadmodum Prophetæ, quibus cognomina addi non ſolent.* De titulis hiſce & ſimilibus vide Hulſium de Judæor. theolog. part. 1. pag. 311, 312. ubi monet titulum *Rab* majorem eſſe quàm *Rabbi*, cùm alicui *κατ' ἐξοχὴν* tribuitur, ut olim R. Jehudæ Sancto, & hodie Maimonidi. In Halicoth Olam ubi ſuprà dicitur, כל רב ומר מבבל וכל רבי בארץ ישראל לפי שבארץ ישראל היו סומכין לדון דיני קנסות, *Omnis Rab & Mar eſt ex Babylonia*; (ex iis qui in Babylonia gradum acceperunt) *& omnis Rabbi ex terra Iſraelis*; (ex iis qui in terra Iſraelis promoti ſunt) *quia in terra Iſraelis imponebant manus, quò quis idoneus factus eſt ad judicandum cauſas pœnales.* Additur ibidem, תחו שתמצא בגמרא בהרבה מקומות רב זירא ורבי זירא ומפרשים בכתובות שקורם שעלה בארץ ישראל היו קורין לו רב זירא ולאחר שעלה ונסמך נקרא רבי זירא, *Atque hinc eſt quòd in Gemara ſæpe invenias Rab Zira, & Rabbi Zira: quod ſic explicant in Cethuboth, eum antequam aſcendiſſet in terram Iſraelis dictum fuiſſe Rab Ziram; poſtea autem cùm eò aſcendiſſet, & manuum impoſitionem adeptus fuiſſet, appellatum Rabbi Ziram.* Ibidem parte 2. cap. 1. נל היכא דאיתמר ברבי כמו ר"ש ברבי וכיוצא בו לשון גדולה וחשיבות הוא, *Ubicunque dicitur Filius Rabbi* (ſeu *Magiſtri*) *ut R. Shimeon filius Rabbi, & ſimilia, excellentia & præſtantia denotatur.* Additur R. Salomonem in Kidduſhin ad verba, יודן ברבי, *Jodan filius Rabbi*, ſic explicari, יודן היה שמו ונדול בדורו וכל היכא דקרי ברבי לשון חכמה וחריפות הוא, *Jodan erat nomen ejus, erátque in generatione ſua magnus. Et ubicunque legitur Filius Rabbi, ſapientiam & acumen denotat.* Ibidem, נל היכא דאמרינן רבנן דבי רבי ר"ל בני חישיבה וכל היכא דאיתמר בי רב לאו רב ממש אלא בית המדרש הוא, *Ubicunque dicimus, Magiſtri domûs* (ſeu *familiæ*) *Rabbi, ſenſus eſt, qui in ſchola diſcunt: ubi autem dicitur, Domus Rab, non ſingularis aliquis Magiſter intelligitur, ſed ſchola, ſeu locus diſſerendi.* Ibidem parte 1. cap. 3. ſub finem, R. Eleazar filius Azariæ de R. Akiba, quem calvum fuiſſe ferunt, dixiſſe traditur, נל חכמי ישראל לפני בקליפת השום חוץ מן הקרח הזה, *Omnes Sapientes Iſraelis ſunt coram me* (meo judicio) *inſtar putaminis alii præter hunc calvum.* Iſtius libri autor cap. 1. de Moſe Maimonide loquens hujuſmodi elogio eum ornat, חמאור הנדול החכם השלם רבינו משה בר מימון, *Luminare magnum, Sapiens perfectus, Doctor noſter Moſes filius Maiemonis.* R. Gediliah in Shalſheleth fol. 44. col. 1. appellat Maimonidem, כבוד המורח ונר המערב, *Gloriam Orientis, & Lucernam Occidentis.* Kimchi etiam, qui ei erat æqualis, aut non multò ætate inferior, admodum honorificè de eo loquitur, ad Joel. 2. 28. & ad Zach. 5. 9. החכם הנדול הרב ר' משה בן מיימון ז"ל, *Sapiens ille magnus, Magiſter R. Moſes filius Maiemonis*, &c. Et notum eſt illud Hebræorum, quod ab Elia Levita memoratur in Præfat. Proſaica libri Thisbi, ממשה למשה לא היה כמשה, *A Moſe* (Propheta) *ad Moſen* (Maimonidem) *non fuit ſicut* (iſte) *Moſes.* Joſ. Scaliger lib. 1. Epiſt. 62. Maimonidem tanti ſe facere profitetur, ut *ſolum illum inter Judæos deſiſſe nugari dicat.* In Pirke Aboth cap. 2. §. 8. R. Eliezer filius Hyrcani vocatur, בור סיד שאינו מאבד טפה, *Ciſterna calce oblita, quæ nè guttam quidem perdit.* Ibidem R. Eliezer filius Arachi dicitur fuiſſe כמעין המתגבר *ſicut fons exſuperans.* Et de prio-

re

re, nempe R. Eliezero filio Hyrcani, præceptor ejus R. Jochanan filius Zacchai dixisse traditur, אם יהיו כל חכמי ישר' בכף מאונים ואליעזר בן הורקנוס בכף שנייה מכריע הוא את כלם, *Si omnes sapientes Israelis essent in una lance, & Eliezer filius Hyrcani in altera lance, ille iis omnibus præponderaret.* Sequitur ibidem ex sententia R. Saulis, אם יהיו כל חכמי ישראל בכף מאונים ואליעזר בן הורקנוס אף עמהם בכף שנייה מכריע את כלם, *Si omnes sapientes Israelis essent in una lance, & unà etiam cum illis Eliezer filius Hyrcani, Eliezer autem filius Araci in altera lance, is omnibus illis præponderaret.* In Halicoth Olam parte 5. cap. 1. R. Aha dixisse fertur, גלוי וידוע לפני מי שאמר והיה העולם שאין ברורו של ר' מאיר כמותו, *Manifestum ac notum est coram eo qui dixit, & mundus exstitit,* (qui verbo suo mundum fecit) *R. Meiris seculo neminem ei fuisse similem.* Ibidem dicitur, משנת ר' אליעזר בן יעקב קב ונקי, *Doctrina R. Eliezer filii Jacobi est parva quidem, sed pura, seu à dubiis immunis.* Ibidem cap. 2. רב יוסף סיני ורבה עיקר הרים פי' בעל פלפול וסכרא סיני, *Rab Joseph est ut Sinai, sed Rabbah eradicat montes, h. e. acutus est ac ingeniosus.* Vide suprà ad 1 Cor. 13. 2. In tractatu Gittin fol. 67. 1. Issi filius Jehudæ sapientum quorundam laudes ad hunc modum exposuisse dicitur; ר"מ חכם וסופר, *R. Meir sapiens & Scriba:* ר'יהודה חכם לכשירצה, *R. Jehudah Sapiens quando voluerit.* R. Salomon sic explicat, כשהיה מחזן ומתישב בדבריו, *Cùm moram fecerit, & animum ad id quod dixit seriò adverterit.* ר' טרפון גל של אגוזים, *R. Tarphon cumulus nucum:* i. uti exponit R. Salomon, Si discipulus aliquid ab eo quæreret, Scripturam, Midrash, Misnam, &c. omnia simul allegaret. ר' ישמעאל חנות מיוזנת, *R. Ishmael taberna armata,* vel *instructa,* ubi omnia ad manum sunt parata. Sic Rabbinus iste תלמודו ערוך בפיו, ut loquitur R. Solomon, *doctrinam suam in promptu habuit.* ר"ע אוצר בלוס, *R. Akiba thesaurus mixtus,* omnes res pretiosas in se reconditas habens. ר' יוחנן בן נורי קופת רוכלים, *R. Jochanan filius Nori Capsula aromatariorum.* ר' אלעזר בן עוריה קופה של בשמים, *R. Eleazar filius Azaria Capsula aromatum.* ר' יוסי נימוקו עמו, *R. Joses, Animadversio,* seu *ratio, ejus cum ipso.* Quicquid dixit, ratio ejus illi constitit.

In Theologiæ Talmudicæ Specimine è libro cui titulus כל החולק על רבו inter alia hæc citantur; כחולק על השכינה וכל העושה מריבה עם רבו כעושה עם השכינה וכל המתרעם עליו כאלו מתרעם על השכינה וכל המהרהר אחר רבו כמהרהר אחר השכינה, *Quisquis dissentit à Doctore suo, quasi dissentit à Divina majestate: & quisquis contentionem movet adversùs Doctorem suum, is quasi contentionem movet adversùs Divinam majestatem: & quisquis murmurat contra Doctorem suum, is quasi murmurat contra Divinam majestatem. Et quisquis sinistrè cogitat de Doctore suo, is quasi sinistrè cogitat de Divina majestate.* Ista etiam habentur in Sanhedrin, fol. 110. 1. In Specimine autem sequitur, איזהו חולק על רבו כל שקובע לו מדרש ויושב ודורש ומלמד שלא ברשות רבו ורבו קיים א"ף שהוא במדינה אחרת, *Quis est qui dissentit à Doctore suo? Qui constituit sibi scholam, & sedet, & disserit, & docet absque licentia Doctoris sui, cùm Doctor ipsius adhuc vivat, etiamsi in alia sit provincia.* Sed limitandi causâ additur, אבל מותר לחלוק עליו באיזה ספק או הוראה אם יש לו ראיות ותוכחות לדבריו שהדין עמו, *Sed licet dissentire ab eo in aliquo dubio, vel doctrina, si quis rationibus atque argumentis ostendere potest, se quod justum rectumq; est dicere.* Sequitur ibidem, אסור לאדם להורות לפני רבו לעולם וכל המורה לפניו חייב מיתה ואם הוא רחוק מרבו י"ב מיל ושאל לו דבר הלכה וכו': *Vetitum est homini in æternum docere coram Doctore suo: & quicunque coram eo docet, reus est mortis. Sed si à Doctore suo duodecim milliaribus remotus fuerit, & aliquis fortuitò eum de Constitutione interrogaverit, licet ei respondere: sese autem ad docendum figere, ità ut* (in Doctoris cathedra) *sedeat & doceat, id verò prohibitum est, donec mortuus fuerit Doctor ipsius, aut potestatem ei dederit.* Et paulò post, ענין הסמיכות שנהגו בזמן הזה כדי שידעו כל העם שהניע להוראה ומה שמורה הוא ברשות רבו הסומכו ולכן אם כבר מת רבו אין צריך לסמיכות וכן בתלמיד חבר בדרך במקום שאין צריך רשות אין צריך סמיכות, *Impositio manuum, quâ hodie utuntur,* (in creandis scilicet Doctoribus) *ideo adhibetur, ut omnes sciant aliquem doctrinâ esse præditum, nec docere nisi licentiâ Doctoris qui ei manus imposuit. Et propterea si Doctor ejus jam sit mortuus, non opus est impositione manuum; nec eâ indiget discipulus Collegæ,* (seu *Doctoris recèns creati*) *in itinere. Ubi non opus est licentiâ, nec impositione manuum opus est.* Ibidem sequitur, אסור לתלמיד לקרות לרבו בשמו לא בחייו ולא במותו: *Non licet discipulo Doctorem nomine suo appellare, sive vivus sit sive mortuus.* Et mox, לא יתן שלום לרבו ולא יחזיר לו שלום כדרך שאר העם אלא שוחה לפניו ואומר לו ביראה ובכבוד שלום שלום עליך מורי ורבי: *Non salutabit Doctorem suum, nec eum resalutabit, ut alii solent, sed incurvabit se coram eo, & dicet ei cum reverentia & honore, Pax sit super te, mi Doctor & Magister.* Et postea, כל תלמיד שמוזל דבר מכל כבוד רבו נורם לשכינה שחסתלק מישראל, *Omnis discipulus qui ulla ex parte diminuit honorem Doctoris sui, in causa est ut Divina majestas ab Israele recedat.* In tractatu Erubin fol. 99. 1. Risch Lachisch dixisse fertur, כיח בפני רבו חייב מיתה, *Qui exspuit in facie Doctoris sui, reus est mortis.* Buxtorfius in Florileg. Hebr. pag. 78. vertit, *Qui exspuit coram magistro suo,* &c. Et in Lexico magno vertitur, *Qui exscreat in facie, i. coram magistro suo,* &c. At sanè atrocitas sententiæ postulare videtur, ut intelligatur potiùs de exspuendo in facie, vel in faciem Doctoris, quâ ignominiâ Christus affectus est. In Beracoth fol. 27. col. 1. in fine, & col. 2. in principio aiunt, *Dixit R. Jehudah, Dixit Rab,* לעולם אל יתפלל אדם לא כנגד רבו ולא לאחורי רבו, *Nunquam homo oret è regione Doctoris sui, nec à tergo ejus.* Similia sunt in Specimine memorato, ubi etiam additur, אלא יצדד עצמו לצד אחר בין שיתפלל עמו בין שהולך עמו, *Sed sese in alteram partem flectat, sive oret, sive ambulet cum eo.* Sequitur in Gemara R. Eleazarũ dixisse, המתפלל אחורי רבו והנותן שלום לרבו והמחזיר שלום לרבו החולק על ישיבתו של רבו והאומר דבר שלא שמע מפי רבו גורם לשכינה שתסתלק מישראל, *Qui orat à tergo Doctoris sui, & qui dat, vel reddit, salutem Doctori suo,* (nempe minùs reverenter) *& qui contra scholam Doctoris sui contendit, & qui dicit aliquid quod ex ore Doctoris sui non audivit,* (qui ἀντιφθέγματα) *is facit ut Divina majestas ab Israele recedat.*

Cap. 12. *Proverbia & Apophthegmata.*

IN Bereshith Rabba sect. 24. מתלא אמרין שילו חטא ויוחנא משתלמה, *Proverbio dicunt, Shilo peccat, & Jochanna* (seu *Johannes*) *plectitur.* Glossator notat similiter dici, טוביה חטא ויגוד מנגיד, *Tobiah peccat, & Zigod flagellatur.*

In Midrash Koheleth ad cap. 4. 6 מתלא אמר טבא חדא ציפרא כפיתא מן מאה פרחיין, *Proverbium dicit, Melior est una avis ligata, quàm centum volantes.* Sic vernaculè dicimus, Better is one bird in the hand, then two in the bush, or wood.

In Elle Shemoth Rabba sect. 47. המשל אומר אולת לקרתא הלך בנימוסיה, *Proverbium ait, Intrâsti urbem? Ambula juxta ritum ejus.*

Cùm Romæ fueris, —&c.

Buxtorfius in radice נמס proverbium istud citat ex Bereshith Rabba §. 48. sed ego id istîc non reperio. In loco autẽ quem citavi additur exemplum Mosis & angelorum; למעלה שאין אכילה ושתיה עלה משה ונרמה להם לסטרה שיש אכילה ושתיה ירדו מלאכי השרת ואכלו ושתו, *Sursùm, ubi non editur nec bibitur, ascendit Moses, & sic est assimilatus. Deorsùm, ubi editur & bibitur, descenderunt angeli ministratorii, & edebant ac bibebant.*

In Vajikra Rabba sect. 1. מתלא אמר דעה קנית מה חסרת דעה חסרת מה קנית, *Proverbium dicit, Scientiam possides? quâ re indiges? Scientiâ indiges? quam rem possides?* Et ibidem sub finem sectionis, אמרו כל תלמיד חכם שאין בו דעת נבלה טובה הימנו: *Aiunt, Si quis discipulus Sapientis scientiâ careat, cadaver eo est præstantius.*

In Bereshith Rabba sect. 16. משל הדיוט אומר עבדא דמלכא מלכא ודבוק לשיחן וישחון לך, *Proverbium vulgare ait, Servus regis est rex, &, Adhære calido, & calesces.* Buxtorfius in radice שחן legit לשחין, quod rectius videtur.

Kimchi ad Ezech. 20.7. refert Doctores dicere, עינא ולבא סרסורי דחטאי נינהו, *Oculus & cor sunt proxenetæ peccatorum.*

Inter sententias Ben Sira prima hæc est, אוקיר לאסיא עד דלא תצטריך ליה, *Honora medicum, antequam eo tibi sit opus.* Scholiastes sic explicat, לעולם יקדים אדם תפלה לצרה, *Semper homo antevertat oratione suâ tribulationem.*

Idem Ben Sira hanc elegantem (numero duodecimam) habet sententiam לחכימא ברמיו ולשטיא בכורמיא, *Sapientem nutu, stultum verò fuste* (castigabis). Vide Prov. 17. 10.

Idem sent. 21. שיתין מליכין יהון לך ומליכות נפשך לא תשבוק, *Consiliarii sexaginta si tibi fuerint, consilium animi tui,* vel *tuum ipsius consilium, nè deseras.*

In Pirke Aboth cap. 1. sect. 4. יהי ביתך בית ועד לחכמים והוי מתאבק בעפר רגליהם והוי שותה בצמא את דבריהם, *Sit domus tua domus conventûs sapientibus; & in pulvere pedum te volvas, verbáque eorum sitibundus bibas.*

Ibid. sect. 6. הוי דן את כל האדם לכף זכות, *Unumquemque hominem æquâ lance judicato.*

Ibid. cap. 2. sect. ult. לא עליך המלאכה לגמור ולא אתה בן חורין ליבטל הימנה, *Non est in potestate tua opus perficere; nec tamen liber es ut ab eo cesses.*

Ibid. cap. 3. sect. 13. מעשרות סייג לעושר, *Decimæ sunt sepes divitiarum.* Sic in tractatu Shabbath fol. 119. 1. aiunt, עשר בשביל שתתעשר, *Decimas dato, ut dives fias.*

Ibid. cap. 4. sect. 1. איזהו חכם הלומד מכל אדם, *Quis est sapiens? Qui à quovis homine discit,* Et mox, איזהו גבור הכובש את יצרו, *Quis est fortis? Qui concupiscentiam suam subjugat.* Vide suprà ad 1 Tim. 6. 6.

Ibid. sect. 16. העולם הזה דומה לפרוזדור בפני העולם הבא תתקן עצמך בפרוזדור כדי שתכנס לטרקלין, *Mundus iste similis est vestibulo respectu mundi futuri: para te in vestibulo, ut in triclinium ingrediaris.*

Ibid. sect. 20. הלומד ילד למה הוא דומה לדיו כתובה על נייר חדש והלומד זקן למה הוא דומה לדיו כתובה על נייר מחוק, *Qui discit dum puer est, cui est similis? Atramento chartæ novæ inscripto. Qui autem senex* (i. non ante senectutem) *discit, cui est similis? Atramento chartæ bibulæ inscripto.*

Ibid. הלומד מן הקטנים למה הוא דומה לאוכל ענבים קיהות ושותה יין מגתו והלומד מן הזקנים למה הוא דומה לאוכל ענבים בשולות ושותה יין ישן, *Qui discit à juvenibus, cui similis est? Ei qui edit uvas immaturas & bibit vinum è torculari suo. Qui autem discit à senibus, cui est similis? Ei qui edit uvas maturas & bibit vinum vetus.* Rectè autem additur ut ab alio dictum, אל תסתנל בקנקן אלא במה שיש בו יש קנקן חדש מלא ישן וישן אפילו חדש אין בו: *Nè inspicias cantharum, sed id quod in eo est. Est cantharus novus, qui vino veteri repletur; & est cantharus vetus, qui nè novum quidem in se vinum habet.*

R. Salomon ad Erubin fol. 18. 2. hanc quasi proverbialem habet sententiam; אוי לרשע ואוי לשכינו, *Væ impio, & væ vicino ejus.* Ben Sira idem, licèt aliis verbis, dixit, ווי ליה לבישא וי להון לדבוקיהו, *Væ malo; & væ illis qui ei adhæscunt;* i. juxta eum habitant. Unde Scholiastes, לעולם אל תדור עם רשעים מפני שמרשיעין אותך, *Nunquam habites cum impiis: nam te impium reddent.*

Κακοῖς ὁμιλῶν αὐτὸς ἐκβύσῃ κακός.

In Bereshith Rabba sect. 94. מה טיבו של בדאי הוה אפילו אומר דברים של אמת אין מאמינים אותו, *Quid lucratur mendax? Nempe hoc, ut etiamsi vera loquatur, ei tamen fides non habeatur.*

In Beracoth fol. 7. 2. קשה תרבות רעה בתוך ביתו של אדם יותר ממלחמות נוג ומגוג, *Gravior est indoles mala in domo hominis, quàm bellum Gog & Magog.*

In Sanhedrin fol. 38. 1. נכנס יין יצא סוד, *Cùm vinum ingreditur, secretum egreditur.* In Bammidbar Rabba sect. 11. fol. 243. col. 1. pleniùs effertur, נכנס יין יצא סוד יצא יין נכנס סוד, *Cùm ingreditur vinum, egreditur secretum; & cùm egreditur vinum, ingreditur secretum.* Sed intelligitur *de secreto Dei revelato ei qui à vino abstinet.* Verba enim proximè præcedentia sunt ista, היא ניזר עצמו מן היין העולה מניינו ע' וזכה לסוד החכמה שהוא עולה ע', *Qui separat se à vino, quod numericè efficit Septuaginta, dignus habetur secreto sapientiæ, quod itidem efficit septuaginta.* Vox יין *vinum,* & vox סוד *secretum,* literis suis numeralibus utraque efficit septuaginta. Et mox affertur illud Prov. 3. 32, *Et secretum ejus est cum rectis.*

In Bereshith Rabba sect. 1. כל המתכבד בקלון חבירו אין לו חלק לעולם הבא, *Quicunque socii sui ignominiâ gloriam sibi acquirit, is in seculo futuro partem non habebit.*

Ibid. sect. 23. אסיא אסי חגירתך, *Medice, sana claudicationem tuam.* Vide Luc. 4. 23. Mendosè legitur, חיגרתך pro חגירתך, ut est in Glossa, ubi exponitur, מכתך *vulnus tuum.*

Ibidem, עשו אתם שלכם והק"בה עושה את שלו, *Facite vos quod vestrum est, & Deus s. b. quod suum est faciet.*

In Midrash Ruth fol. 48. col. 2. נפיל נסיב לנפילה מה הם מעמידים גבורי חיל, *Gigas uxorem duxit gigantem: quid producturi sunt? Viros fortes & robustos.*

Fortes creantur fortibus ——

Ibid. ad cap. 3. 10. אוהבת האשה בחור משכן מזקן עשיר, *Mulier diligit juvenem pauperem magis quàm divitem senem.*

In Echa Rabbathi in Præfat. fol. 50. col. 3. כל זמן שקולו של יעקב בבתי כנסיות ובבתי מדרשות אין הידים ידי עשו וכל זמן שאין קולו מצפצף בבתי כנסיות ובבתי מדרשות הידים ידי עשו, *Quamdiu vox Jacobi est in Synagogis, & in Scholis manus non sunt manus Esavi:* (Quamdiu viget oratio, adversariorum impetus non est metuendus) *quamdiu autem vox ejus in Synagogis, & in Scholis non pipit, manus sunt manus Esavi.*

In Beracoth fol. 14. 1. כל העושה חפציו קודם שיתפלל כאלו בנה במה קודש, *Quisquis expedit negotia sua antequam oret, is quasi ædificat excelsum.*

Ibid. כל המתפלל ואחר כך יוצא לדרך הק"בה עושה לו חפציו, *Quisquis orat, & postea* (ad negotia sua obeunda) *in viam exit, Deus s. b. ei negotia ipsius expedit.*

In Halicoth Olam in præfat. אין מסרבין לגדול יותר מראוי, *Non resistunt* (i. Non resistendum est) *viro magno magis quàm par est.* R. Salomo ad Gen. 19. 2. sic habet, מסרבין לקטן ואין מסרבין לגדול, *Denegant minori, non denegant majori.* In Bereshith Rabba sect. 48. paulò aliter, sed eodem sensu, אין ממאנין בקטן ואין ממאנין בגדול:

In Halicoth Olam ubi suprà, ומעשי רבי המנין הבנין,

הבנין, *Multi numero, & parvi ædificio.* q. d. Multi rem tractant, sed leviter & jejuné.

Ibidem, המהירות מביא לידי מעורת, *Festinatio ducit in errorem. Canis festinans cæcos parit catulos.*

Ibid. בלחי ספרים הידים אסורות והלבבות בלחי מיושבות והמחשבות מעורבבות, *Sine libris manus sunt ligatæ, & corda non sunt ritè disposita, cogitationes etiam conturbantur.*

Ibid. בענין הפשוט דבר שפתים אך למחסור, *In re plana verbum labiorum* (multiloquium) *tantùm ad defectum tendit.* Alludit ad verba Salomonis, Prov. 14. 23.

In Pirke Aboth cap. 4. sect. 15. אין בידינו משלות רשעים ואף לא מיסורי הצדיקים, *Non est penes nos rationem reddere vel de tranquillitate impiorum, vel de afflictionibus justorum.* Fagius in Annotat. ad ista verba refert etiam Hebræos dicere, אין להרהר אחרי מעשי השם שהכל עושה בחכמה אע"פ שנעלמת מעיני חכמים: *Non sunt curiosiùs investiganda opera Dei: nam omnia agit sapienter, etiamsi ratio abscondita sit ab oculis sapientum.* Illud etiam Hebræorum citat, אין לשאול טעם לסבות הבורא, *Non est inquirenda ratio cur Deus hoc vel illud faciat.*

Ibid. sect. 16. הוי מקדים בשלום כל אדם, *Quemvis hominem prior saluta.*

Ibid. הוי זנב לאריות ואל תהי ראש לשועלים, *Sis cauda leonum, & nè sis caput vulpium.* Præstat inter bonos & honorabiles vel infimum tenere locum, quàm summum inter malos & ignobiles.

In tractatu Nedarim fol. 20. 7. אל תרבה שיחה עם האשה שסופך לבא לידי ניאוף, *Nè multiplices sermonem cum muliere; nam tandem incides in adulterium.*

In Midrash Ruth fol. 40. col. 2. אוי לדור ששופט את שופטיו, *Væ sæculo quod judicat judices suos.* Et fol. 41. col. 2. אוי לדור ששופטין נשפטין, *Væ sæculo cujus judices judicantur.* Et ibidem col. 3. אוי לדור ששפטו את שופטיהם ואוי לדור ששופטיו צריכין להשפט, *Væ sæculo quod judices suos judicat: & væ sæculo cujus judices opus habent ut judicentur.*

In Theologiæ Talmudicæ specimine, pag. 7. אין אבידה כאבדת הומן שאין לה תמורה כלל, *Non est jactura sicut jactura temporis: quia nulla ejus fieri potest compensatio.*

In Baba Bathra fol. 21. 1. sub finem, קנאת סופרים תרבה חכמה, *Æmulatio Scribarum multiplicabit sapientiam.* In Vajikra Rabba sect. 3. מתלא אמר דאגר גינה אכל צפורין דאגר גינין צפרין אכלין ליה: *Proverbio dicitur, Qui conducit hortum, comedit aves; qui conducit hortos, aves comedunt ipsum.* Glossator posteriorem partem sic explicat, יחנק מרוב צרה ויאכלו אותו הצפרין, *Præ magnitudine afflictionis sese strangulabit, & aves eum comedent.*

——*Laudato ingentia rura,*
Exiguum colito——

In Shir Hashirim Rabba fol. 2. col. 3. סרטא דאקים תאניתא, *Ficus producit ficum*: h. e. ut ibidem dicitur, צדיק מוליד צדיק, *Justus generat justum.* Ibid. רשע מוליד רשע, *Impius generat impium.* Et mox, מה ילדת חיפושיתה קרוצי בישי מינה, *Quid gignit Scarabæum? Scarabæos se deteriores.* Glossator ait, חיפושיתא מין שרץ שקופין קרצי הוא שרץ רעה סמטה, *Chipushitha est species reptilis, quod vocant Scarabæum: & Karisi est reptile illo deterius.* Ibid. צדיק מוליד רשע, *Justus generat impium.* Et mox proverbii loco additur illud Jobi 31. ult. תחת חטה יצא חוח, *Pro tritico exit spina.* Ibid. רשע מוליד צדיק, *Impius generat justum.* Deinde adjungitur illud Isai. 55. ult. תחת הנעצוץ יעלה ברוש, *Pro spina orietur abies.* Atque alia istiusmodi proverbialis sententia, מן סניא נפק ורדא, *E rubo exit rosa.*

In Baba Metsia fol. 85. 2. אמרי אינשי אסתירא בלגינא קיש קיש קריא, *Vulgò dicunt, Stater in lagena magnum edit sonitum.* Vox אסתירא est à Græco στατὴρ *Stater.* R. Salomon interpretatur סלע *Siclum*; & ad pleniorem adagii intelligentiam addit, ואם היה מלא סלעים לא היה משמיע קול, *Si autem lagena plena esset siclis, nullum sonum ederet.* Hoc est quod apud nos dici solet, Empty barrels make the greatest sound.

In Shir Hashirim Rabba fol. 7. col. 2. ערבך צריך ערב, *Fidejussori suo opus est fidejussore.*

Jachiades Paraph. in Dan. 1. 3. הרגל על כל דבר שלטון ומנהג טבע שני, *Usus in qualibet re principatum gerit; & consuetudo est secunda natura.*

Aben Ezra in Eccles. in Præfat. שרש הרע מחסרון המקבל, *Radix mali est ex defectu recipientis.*

Idem in Eccles. 1. in initio, בעבור רע מעט אין ברוך החכמה העליונה למנוע טוב רב, *Non est suprema sapientia ob exiguum malum multum boni impedire.*

R. Gedaliah in Shalsheleth fol. 31. col. 1. תקלת החכמים תקנת ההמון, *Lapsus sapientum est correctio multitudinis,* seu *plebis.*

In Midrash Tillim ad Psal. 7. כל המרחם על אכזרי סופו להתאכזר על הרחמנים, *Quicunque misericordiam exercet erga crudeles, is tandem crudelitatem exercebit erga misericordes.*

Maimonides in Canonibus Ethicis cap. 2. sect. 6. אסור לנגוב דעת הבריות ואפילו דעת הכותי, *Non licet homines fallere,* (ad verb. *suffurari mentem hominum*) *nè quidem Samaritanum:* contrà quàm vulgò dicunt, *Cretizandum cum Cretensi*; &, *Fallere fallentem non est fraus.*

In Sanhedrin fol. 52. 1. in fine, אמרי אנשי כפישי גמלי סבי דטעיני משכי דהוגני, *Vulgò dicunt, Multi sunt cameli senes qui portant pelles camelorum juniorum.* R. Salomon idem clarioribus verbis exprimit, הרבה גמלי זקני שטוענין עורות גמלים יונקים שמתו: Juvenes sæpe moriuntur priùs quàm senes. Istius proverbii meminit Kimchi in radice בכר.

In Cethuboth cap. 5. in Misna, הבטלה מביאה לידי זימה, *Otium ducit ad flagitium.* Ibid. הבטלה מביאה לידי שיעמום, *Otium ducit ad stuporem.*

Elias Levita in Thisbi sub radice חוק refert Hebræos dicere, מעמידין את האדם על הוקתו, *Statuunt hominem super consuetudinem suam,* i. Judicant hominem secundùm ea quibus se assuefecit. *Una hirundo non facit ver.*

In Sanhedrin fol. 93. 1. in fine אמרי אינשי תרי אודי יבישי וחד רטיבא אוקדן יבישי לרטיבא, *Vulgò dicunt, Duo sunt ligna arida & unum viride; arida autem comburunt viride.* Sensus est, bonos ex malorum consortio mala pati. Non absimile est illud 1 Cor. 15. *Corrumpunt bonos mores commercia mala.*

Ibidem fol. 102. 2. אמרי אנישי דפרע קיניה מחריב ביתיה, *Vulgò dicunt, Qui exsequitur indignationem suam, destruit domum suam.*

Ibid. fol. 103. 1. אמרי אנישי באתרא דמריה תלא ליה ויניה חמן קולבאי רעיא קולתיה תלאה, *Vulgò dicunt, In loco ubi dominus ejus suspendit arma sua, ibi vilis pastor hydriam suam suspendit.* q. d. Splendida principum palatia in sordida pastorum tuguria commutantur.

Jam seges est, ubi Troia fuit.——

Pro מריה *dominus ejus*, ut in edit. Amstel. habetur, Coch legit מרי ביתא, *paterfamilias*; atque ità etiam Buxtorfius in radice קלב: sed & ità legitur in Baba Metsia fol. 84. 2. ubi idem proverbium occurrit, nisi quòd pro קולבאי legitur כולבא. In isto autem Gemaræ loco id volunt, uti R. Salomon notat, במקום שהיו חותכין הלכות בו דנין שרי בבל דינין שלהם, *In loco ubi* (Israelitarum Judices) *jura decidebant, ibi principes Babylonis judicia sua exercebant.* Ibidem R. Salomon קולתיה exponit כדו, *hydriam suam*; atque ità vocem istam à Chaldæo Paraph. usurpari ait: sed in Baba Metsia interpretatur תרמילו *peram suam.*

Ibid.

Ibid. fol. 105. 1. אמרי אנישי כרכושתא ושונרא עבדו הלולא סתרבא דביש גדא, *Vulgò dicunt, Muſtela & felis pararunt convivium ex adipe ejus, cujus malignum ſidus eſt.* Sic legit & interpretatur Coch in Excerptis ſect. 6. ut nimirum מ in מתרבא ſit pro מן & תרבא *adipem* ſignificet. Atque id congruit ei quod ſequitur, דביש גדא: nam litera ד idem valet quod אשר, *Qui, cujus*, &c. Ità etiam habet Editio Amſtel. Sed Buxtorfius in radice כרך legit ſine ד, & vertit, *Muſtela & felis quando faciunt nuptias*, (הלולא ſignificat *nuptias, nuptiale carmen, nuptiale convivium*) *augetur infortunium*: ut nimirum מתרבא ſit Participium in Hithpael à רבא. Senſus proverbii eſt, Cùm malis, qui alioqui diſſidere ſolent, inter ſe convenit, aliis grave indè naſci incommodum. R. Salomonis gloſſa ſic habet, כרכושתא ושונרא אין להם שלום לעולם, *Muſtela & felis nunquam inter ſe conſentire ſolent.*

Ibidem, חוצפא מלכותא בלא תאנה, *Impudentia eſt regnum ſine corona.* Impudentia magnam vim habet, ſed honore ac dignitate caret.

Ibid. pag. 2. לעולם יעסוק אדם בתורה ובמצוה אפילו שלא לשמה שמתוך שלא לשמה בא לשמה: *Semper homo operam det Legi, & Præcepto, etiamſi id propter ipſa non faciat: nam ex eo quòd non propter ipſa facit, fieri tandem poteſt ut propter ipſa faciat.*

Ibid. fol. 106. 1. in fine, אמרי אנישי נמלא אולא למבעי קרני אודני דהוו ליה נויין מיניה, *Vulgò dicunt, Camelus ibat ad quærendum cornua, & aures quas habuit ei præciderunt.* Ità aiunt Balaamum, cùm ad Midianitas quæſtûs cauſâ iviſſet, inter eos ab Iſraelitis fuiſſe occiſum.

Ibidem ſtatim ſequitur, אמרי אנישי מסגני ושילטי הואי אייתן לגברי נגרי, *Vulgò dicunt, Ex antiſtitibus & potentibus erat: ſed cùm ſcortata eſſet, ceſſit hominibus fabris.* Ità quidem interpretatur Coch, ſed meliùs Buxtorfius in radice סגן, *A principibus & dominatoribus fuit ſcortans cum viris opificibus.* Dictum ait de nobili quodam ſcorto, quod à magnatibus tranſiit ad opifices; & notat ſimiliter dici, *Ab equis ad aſinos.* Hebræi proverbium iſtud uſurpant de Balaamo, quem primò Prophetam fuiſſe aiunt, poſtea autem hariolum, cùm Iſraelitis maledicere ſtudniſſet. Ità iſtic R. Salomon, ולבסוף שנתן עיניו לקלל את ישראל נטלה נבואה ונעשה קוסם: *Tandem cùm cogitaſſet* (ad verb. *cùm poſuiſſet oculos ſuos*) *maledicere Iſraeli, ablata ei eſt prophetia, & factus eſt hariolus.*

Ibid. fol. 98. 1. אם בטלי יהירי בטלי אמגושי, *Si ceſſant ſuperbi, ceſſant magi.* Superbia in cauſa eſt ut curioſis & illicitis artibus ſint dediti. R. Salomon per יהירי *ſuperbos* intelligit גסי רוח מישראל *ſuperbos Iſraelitas*, & per אמגולי *magos*, פרסיים מכשפין שמצערין ישראל, *Perſas incantationibus deditos, qui afflixerunt Iſraelitas*: q. d. Si Iſraelitæ non fuerint ſuperbi, ab adverſariis ſuis non affligentur.

Ibid. fol. 99. 2. citatur illud Iſai. 5. 17. *Væ illis qui trahunt iniquitatem*, &c. deinde additur, מאי כעבות העגלה, *Quid eſt illud, quaſi reſtibus carrucariis?* Et R. Aſe reſpondiſſe fertur, יצר הרע בתחלה דומה לחוט של כויא ולבסוף דומה לעבות העגלה, *Concupiſcentia mala in principio ſimilis eſt filo aranea, tandem autem fit ſimilis reſti carrucario.* Eadem etiam verba ſunt in Succa fol. 52. 1. Simile eſt quod à Buxtorfio ex Hebræis affertur in Anti-critica part. 1. cap. 14. כך אומנותו של יצר הרע היום אומר לאדם עשה כך ומחר כך עד שאמר לו לך עבוד ע"ז והולך ועובד, *Artificium concupiſcentiæ mala hoc eſt, Hodie dicit homini, Fac ſic, & cras, Fac ità; donec tandem ei dicat, Abi, & cole idola, idque ei perſuadeat.*

In Shabbath fol. 145. 2. in fine, אמרי אנשי במתא שמאי בלא מתא תותבאי, *In urbe mea nomen meum; in urbe non meâ veſtimentum meum:* h. e. uti explicat R. Salomon, בעירי איני צריך להתכבד אלא בשמי שאני ניכר בה במקום שאינה עירי כבודי חלוי בשמלתי, *In urbe mea non opus eſt ut me glorioſum reddam niſi nomine meo; quia in ea probè ſum cognitus: ſed in loco extero* (ad verb. *qui non eſt urbs mea*) *gloria mea ex veſte mea dependet.*

In Pirke Aboth cap. 4. ſect. 3. אל תהי בו לכל אדם ואל תהי מפליג לכל דבר שאין לך אדם שאין לו שעה ואין לך דבר שאין לו מקום, *Ne deſpicias ullum hominem, neque rem ullam abjicias. Nemo enim eſt cui non ſit hora; nec ulla res eſt cui non ſit locus.* Omnis homo, omníſque res interdum uſui eſſe poteſt.

Ibidem ſect. 4. מאד מאד הוי שפל רוח שתקות אנוש רמה, *Eſto admodum admodum humilis ſpiritu: nam ſpes hominis eſt vermis.* Melchior Adam in vita Guilielmi Stuckii refert, eum hoc dictum frequenter in ore atque in animo habuiſſe. Miror autem Fagium Hebraicè legere שפל רוח בפני כל אדם, *Humilis ſpiritu coram omni homine*, & tamen in Verſione ſua verba iſta inſuper habere בפני כל אדם *coram omni homine*: & è contrà Taylerum Hebraica illa in libello ſuo non habere, & tamen Latinè interpretari, *Humillimus eſto ſpiritu coram homine quocunque.* Certè verba iſta בפני כל אדם *coram omni homine*, nec in Talmude nec in Miſnaioth Amſtelodamenſibus nec in Melchiore Adamo reperiuntur. In Pirke Aboth cap. 4. ſect. 10. dicitur, הוי שפל רוח בפני כל האדם, *Eſto humilis ſpiritu coram omni homine.*

In Megillah fol. 13. 2. אין הק"בה מכה את ישראל אלא אם כן בורא להם רפואה תחלה, *Deus ſ. b. non percutit Iſraelem, ſed priùs creat ei remedium quo ſanetur.*

In Baba Kama fol. 92. 2. hoc vulgare proverbium memoratur, חמרא למריה טיבותא לשקייה, *Vinum eſt domini, gratia autem pincernæ habetur.* Buxtorfius in radice חמר legit טיבותיה, & vertit, *Vinum eſt domini ſui, ſed bonitas ejus pincernæ.* Senſus autem proverbii eſſe videtur, Etiamſi vinum ſit domini, ob id tamen gratiam non domino, ſed pincernæ haberi. Atque ità explicat R. Salomon, היין של מלך הוא והשותים אותו מחזיקין טובה לשר המשקה ולא למלך, *Vinum eſt Regis; ſed qui illud bibunt, gratiam habent principi* (ſeu primario) *pincernæ, & non Regi.*

Ibid. כלבא בכפניה גללי מבלע, *Canis famelicus* (ad verb. *in fame ſua*) *excrementa devorat.* R. Salomon גללי interpretatur אבנים *lapides*: ſed altera interpretatio cùm uſitatior tum commodior eſt. Citatur autem in Gemara illud Prov. 27. 7. *Qui ſatur eſt, favum deſpicit: famelico autem quodvis amarum dulce eſt.*

Ibid. אמרי אינשי מטייל ואויל דיקלא בישא וגבי קינא דשרכי, *Vulgò dicunt, Ambulat & vadet palma mala ad arbores ſteriles.* Sic R. Sal. קינא דשרכי exponit אילנים בטלים ואין עושים פרי, *arbores otioſas* (vel *inanes*) *& infrugiferas.*

Ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον.

Similis gaudet ſimili. In Gemara additur, id quod proverbio hoc innuitur, ſcriptum eſſe in Lege, (Gen. 28. 9.) *Tunc profectus eſt Eſau ad Iſmaelem*, &c. & repetitum in Prophetis, (Judic. 11. 3.) *Et ad Jephtham ſeſe congregabant homines vani*, &c. & tertiò inculcatum (משולש) in Hagiographis, *Omnis avis cum ſpecie ſua habitabit; & filii hominum cum ſui ſimilibus.* In Gloſſa notatur, iſtud in Scriptura non haberi, ſed fortè in Ben Sira reperiri. In Tſemach David ad annum 4448. dicitur iſtud haberi Eccleſiaſtic. 13. & iſtic quidem v. 19, & 20. ſimiles ſententiæ occurrunt, ſed de ave nulla fit mentio.

Ibid. כל המחובר למטא טמא וכל המחובר לטהור טהור, *Quicunque aſſociatur immundo eſt immundus: & quicunque aſſociatur mundo eſt mundus.* Et mox, לא לחנם הלך ורויר אצל עורב אלא מפני שהוא מינו, *Non ſine cauſa Saturnus odit corvum, cum de ſpecie ejus ſit.*

In Chagigah fol. 5. 1. in fine, אמרי אינשי זוזא לעלא לא שכיחא לתליתא שכיח, *Vulgò dicunt, Zuza* (numus minutus) *ad comparandum frumentum non invenitur, ad perditionem autem invenitur.* Sic R. Salomon vocem להפסד ולאיבוד interpretatur לתליתא

ad

ad corruptionem & perditionem; i. ad corruptos & perditos usus multis suppetit pecunia, sed non ad usus necessarios. Vide, si libet Buxtorfium in radice זוז.

In Beracoth fol. 20. 1. מתון מתון ד' מאה זוזי שוה, *Morari, Morari quadringentis drachmis valet.* Hoc est quod dici solet, *Festina lentè.* Proverbium istud laudat Scaliger lib. 1. epist. 77. De eo autem consule Buxtorfium in radice מתן.

In Sotah fol. 21. 2. אין דברי תורה מתקיימין אלא במי שמשים עצמו כמי שאינו, *Non consistunt* (vel *permanent*) *verba Legis nisi in eo qui ponit seipsum ac si nihil esset.* Huc trahitur illud Job. 28. 12. החכמה מאין תמצא *Sapientia ubinam reperietur?* Ità istic מאין significat *ubi* vel *unde?* Sed in Gemara ità accipitur ac si ex usitata significatione vocis אין *non* sensus esset, *ex non*, vel *ex nihilo*; h. e. ut explicat R. Salomon, מן העשוי כאין, *ab eo qui factus est quasi non* (vel *nihil*) *esset.*

In Pirke Aboth cap. 5. sect. 20. עז פנים לגיהנם, ובושת פנים לגן עדן, *Qui impudens est, ad gehennam vadit; qui autem verecundus, ad hortum Edenis.* Taylori editio habet בוש פנים, sed in Talmude pariter ac Misnaioth Amstel. legitur בושת פנים, quod *verecundiam* propriè denotat, ut verti possit, *Verecundia autem* (ducit) *ad hortum Edenis.*

In Nedarim fol. 20. 1. in fine, סימן יפה באדם שהוא ביישן, *Signum bonum est in homine, si sit verecundus.*

Ibid. כל אדם המתבייש לא במהרה הוא חוטא ומי שאין לו בוש פנים בירוע שלא עמדו אבותיו על הר סיני, *Quisquis pudore afficitur, non citò peccat. Et qui pudore caret, certum est patres ejus ad montem Sinai non stetisse.* In Glossa ratio redditur, כי משם ירשו בושת, *Nam indè hereditarunt pudorem.*

In Vajikra Rabba sect. 3. statim ab initio, טוב מי שיש לו עשרה זהובים ונושא ונותן ומתפרנס בהן ממי שהולך ולווה בריבית בסתלא אמרין דיקוף ברביתיה מאבד דיליה ולא דיליה, *Melior est is qui habet decem aureos numos, iisque negotiatur & se sustentat, quàm qui vadit & fœnore mutuò accipit. Proverbialiter dicunt, Qui fœnore mutuò accipit, perdet quod suum est & quod non suum est.* Glossator exponit, של הלווה ושל המלוה, *Id quod est mutuò accipientis, & id quod est mutuò danti.* Buxtorfius in radice רבה vertit, *Melior est qui habet* 10 *florenos*, &c. *quàm qui mutuò dat pro usuris*, &c. At cùm ratio subjuncta arguit vertendum esse, *quàm is qui pro mutuo accipit*, &c. tum verbum לוה in Kal est *mutuò accipere*, in Hiphil autem *mutuò dare*, ut ipse Buxtorfius in Lexico magno docet. Ibidem autem Buxtorfius in radice נשך proverbium istud citans vertit, *Qui mutuò dat pro usuris, perdit quod suum est & quod non suum est*: cùm in radice רבה vertat, *Qui mutuò accipit*, &c. Alter Buxtorfius in Florileg. Heb. pag. 387. *Qui mutuò dat, vel accipit pro usuris, perdit quod suum est & quod alterius.* Et citat Vajikra Rabba sect. 3. in principio. At istic certè ea quæ præcedunt de mutuò accipiente, non de mutuò dante, intelligendum esse ostendunt. Glossator ibidem addit, כמו שאמרו חז"ל שבעון ריבית נגבי בעלי בתים יורדין לשמין, *Quemadmodum dicunt Sapientes nostri beatæ memoriæ, Propter iniquitatem usura facultates patrum familiàs descendunt in erarium*, seu, ut vulgò loquuntur, *confiscantur.*

In Baba Metsia fol. 71. 1. כל המלוה בריבית נכסיו מתמוטטין, *Quisquis mutuò dat pro usura, ejus facultates dimovemur*, i. vanescunt & pereunt.

In Midrash Tillim ad Psal. 86. דרכן של מנאפים היא נתונה בעמקה של שאול, *Via adulterorum posita est in profunditate inferni.*

In Bereshith Rabba sect. 32. אין לך אדם אוהב בן אומנותו, *Nemo est qui diligit eum qui eandem secum artem exercet.* R. Salomon in Gen. 3. 5. sic exprimit, כל אומן שונא את בני אומנותו, *Omnis artifex odit eos qui ejusdem sunt artificii.*

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ φθονεῖ, καὶ τέκτων τέκτονι,
Figulus figulum odit.

In Elle haddebarim Rabba sect. שופטים R. Simeon filius Gamalielis dixisse fertur, אל תהי סלגלג בדין וכו' *Nè jocosè* (seu *leviter*) *te geras in judicio; nam id est unus ex tribus mundi pedibus: quemadmodum Sapientes dixerunt, Propter tria mundus consistit; nempe propter Judicium, & propter Veritatem, & propter Pacem. Cogita tecum, quòd si pervertis judicium, commoves mundum; cùm id unus ex pedibus ejus sit.*

In Midrash Tillim ad Psal. 72. כל מקום שאין דין יש דין וכל מקום שיש דין אין דין, *Ubicunque non est judicium, ibi est judicium: & ubicunque est judicium, ibi non est judicium.* Id deinde sic explicatur; *Cùm judicium non exercetur in terra, exercetur in cœlo: Deus nempe sedet in judicio, & pœnas infligit: sed cùm judicium exercetur in terra, Deus non sedet in judicio, sed ait,* נטלתם אומנותי מה יש לי לעשות, *Artem meam* (vel *opificium meum*) *assumpsistis: quid mihi agendum restat?*

In Sanhedrin fol. 7. 1. אמר ר' יונתן כל דיין וכו' *Dixit R. Jonathan, Omnis judex qui judicat judicium veritatis secundùm veritatem ejus,* (i. qui juxta veritatem causæ veram justámque fert sententiam) *facit majestatem Divinam in Israele habitare* (vel *requiescere*;) *quemadmodum dicitur,* Psal. 82. 1. *Deus stat in cœtu*, &c. *Omnis autem judex qui non judicat judicium veritatis secundùm veritatem ejus, in causa est ut Divina majestas ab Israele recedat, ità dictum est,* Psal. 12. *Propter desolationem pauperum, propter gemitum egenorum, nunc exsurgam, dicit Dominus*, &c.

Ibid. לעולם יראה דיין עצמו כאלו חרב מונחת ללו בין ירכתיו וגיהנם פתוחה לו מתחתיו, *Judex semper videatur sibi videre quasi gladium inter femora sua positum, & gehennam sub se sibi apertam.* Seldenus, vir alioquin eruditissimus, De Syned. vet. Ebr. lib. 2. cap. 5. pag. 248. minùs rectè vertit, *Et dixit R. Samuel Bar Nachmani, dixisse R. Jonathanem, Judicem perpetuò sibi videri veluti qui habeat gladium circa latera*, &c. cùm R. Jonathan non de eo quod sibi visum est, sed de eo quod Judici videri velit, loquatur.

In Pirke Aboth cap. 1. sect. 1. Viri congregationis magnæ feruntur dixisse, הוו מתונים בדין, *Estote tardi in judicio.* Monent non temere ac præcipitanter, sed maturè ac deliberatè ferendam esse sententiam.

In Midrash Tillim ad Psal. 7. שקרא מוליד שקרא *Mendacium gignit mendacium.* Sic generaliter dicunt עבירה נורדת עבירה, *Trasgressio trahit transgressionem.* In Pirke Aboth cap. 3.

In Pirke Aboth cap. 1. sect. 14. inter Hillelis dicta hæc recensentur, אם אין אני לי מי לי וכשאני לעצמי מה אני, *Si non ego mihi, quis mihi? Et cùm ego mihi ipsi, quid ego?* Et ibidem, ואם לא עכשיו אימתי, *Et si non nunc, quando?*

Ibid. cap. 2. sect. 7. מרבה בשר מרבה רמה מרבה נכסים מרבה דאגה, *Qui multiplicat carnes, multiplicat vermes. Qui multiplicat opes, multiplicat solicitudinem.*

In Baba Kama fol. 92. 2. הא מילתא דאמרי אינשי ביוא דשתית מיניה לא תשדי ביה קלא, *Hoc est quod vulgò dicunt, Si bibisti ex puteo, glebam in eum nè projicias.* R. Salomon sic explicat, דבר הנצרך לך פעם אחת שוב לא תבזהו, *Quod tibi semel usui fuit, postea nè despicias.*

In Beracoth fol. 43. 2. אמרי אינשי תלה ליה קור לדבר אחר ואידו דידיה עביד, *Vulgò dicunt, Appende tenerum palmæ sui, & illa quod suum est faciet:* h. e. ut explicat R. Salomon, זגלגלנו באשפה"ר שוו היא אומנותו, *volutabit illud in sterquilinio; nam id ejus est opificium.* Unaquæque res juxta naturam ac consuetudinem suam agit. Nota hìc suem (Hebraicè חזיר) vocari דבר אחר, i. si propriè reddatur, *rem aliam.* Elias in Thisbi sub radice דבר putat ideò suem apud Rabbinos sic appellari, quòd nollent mentionem facere nominis ejus coram pueris, nè indè occasionem sumerent interrogandi de sue, ac tandem etiam de eâ comederent.

In Chagigah fol. 10.1. טבא חדא פילפלתא חריפתא ממלי צנא דקרי, *Melius est unum granum piperis acru, quàm canistrum plenum cucurbitis.* Eadem etiam sunt in Megillah fol. 7.1. nisi quòd (in edit. Amstel.) pro דקרי legitur קרי, sed illud rectiùs videtur. Unus sapiens multis imperitis est præstantior: sic proverbium istud explicat Buxtorfius in radice פול. Citat etiam in radice קרא, ubi mendosè legitur דחריפתא pro חריפתא.

In Pirke Aboth cap. 1. §. 10. אהוב את המלאכה ושנוא את הרבנות. *Diligito opus, & Rabbinatum* (seu *magisterium*) *odio habeto*: vide Mat. 23.8. Taylerus nescio quare vertit, *& provinciam odio habeto*: & in margine ait, *i. imperium in provinciam.*

Ibidem §. 15. אמור מעט ועשה הרבה, *Loquere parùm, & fac multum.*

Ibid. §. 17. לא המדרש הוא עיקר אלא המעשה, *Non est doctrina* (vel *scientia*, Taylerus vertit, *schola*; sed ea dicitur בית המדרש *domus doctrina*) *fundamentum, sed opus.*

Ibidem cap. 2. §. 1. הסתכל בשלשה דברים ואין אתה בא לידי עבירה דע מה למעלה ממך עין רואה ואזן שומעת וכל מעשיך בספר נכתבים: *Tria considerato, & in transgressionem non incides. Scito suprate esse oculum videntem, & aurem audientem, & omnia opera tua libro scripta.* Vide suprà ad 2 Cor. 5.10.

Ibid. §. 4. אל תפרוש מן הציבור, *Nè te separes à Congregatione.* Confer cum Heb. 10.25.

Ibid. אל תדין את חברך עד שתגיע למקומו *Nè judices socium tuum,* (Nè gravem de eo censuram feras) *donec in ejus locum pervenias.*

Ibid. אל תאמר כשאפנה אשנה שמא לא תפנה *Nè dicas, Cùm mihi vacaverit, Legi operam dabo: fortè tibi nunquam vacabit.*

Ibid. §. 14. דע לפני מי אתה עמל ומי הוא בעל מלאכתך שישלם לך שכר פעולתך, *Scias coram quo labores, & quis sit dominus actionis tuæ, qui mercedem operis tui tibi rependet.*

Ibid. §. 15. היום קצר והמלאכה מרובה והפועלים עצלים והשכר הרבה ובעל הבית דוחק, *Dies brevis, & opus multum est, & operarii pigri, & merces copiosa, & paterfamilias urget.*

Ibid. §. 7. מרבה עבדים מרבה גזל, *Qui multiplicat servos, multiplicat rapinam.* Servi olim ob furtum & rapinam infames fuerunt; unde & servi interdum *fures* sunt appellati,

Quid domini facient, audent cùm talia fures?

Virgil. Vide Tit. 2.10.

Ibid. cap. 4. §. 11. כל כנסיה שהיא לשם שמים סופה להתקיים ושאינה לשם שמים אין סופה להתקיים, *Omnis congregatio quæ in nomine* (vel *ad gloriam*) *Dei fit, tandem stabilietur: quæ verò in nomine* (vel *ad gloriam*) *Dei non fit, tandem non stabilietur.* Vide suprà lib. 2. cap. 7. ad Act. 5. 38, 39.

Cap. 13. *Quosnam Judæi intelligant per* מינים Minnim *sive* Hæreticos: *& de Ben Sira. Item de Messia juxta opinionem Judæorum.*

Buxtorfius in Lexico magno sub radice מין ait Judæos per מינים *Minnim* intelligere cùm generatim omnes Hæreticos, tum speciatim Christianos, quos illi pro Hæreticis habent. Ego locum quendam qui huc spectat proferam. In Sanhedrin fol. 100.2. ex Misna affertur, רבי עקיבא אומר אף הקורא בספר החיצונים, *R. Akiba ait, Etiam qui legit in libro exterorum*, scilicet *non habet partem in seculo futuro.* Deinde additur, חנא בספרי מינים, *Intelligit eos qui legunt in libris Hæreticorum.* Coch in Excerptis §. 42. vertit, *Id quidem præceptum pertinet ad libros atheorum.* At מינים propriè denotat *Hæreticos*, qui non idem sunt quod Athei. In Annotationibus autem Coch citat R. Salomonem dicentem מינים *Minnim* esse שכופרים באל חי, *qui abnegant Deum viventem.* At in codice meo ista non reperio: sed R. Salomonis glossa sic habet, מינים גלחים *Minnim sunt rasi*; intelligit sacerdotes Pontificios, quos Hebræi à rasis capitibus appellant גלחים *Gallachim*, i. *rasos.* Buxtorfius in radice גלח ait Judæos isto nomine etiam quosvis verbi Divini & Ecclesiæ Christianorum Ministros intelligere. Idem R. Salomon in Rosh hasshanah fol. 17.1. vocem מינים sic explicat, התלמידים אשר הפכו דברי אלהים חיים לרעה, *Minnim sunt discipuli, qui verba Dei viventis in malum perverterunt.* Buxtorfius in radice מין addit verba aliquot quæ in codice meo non apparent, nempe hæc, כמו צדוקים ובייתוסים, *ut Saducæi & Baithosæi.* Quin & refert se vidisse qui pro istis verbis citarunt, *Minnim sunt discipuli Jesu Nazareni, qui perverterunt verba Dei viventis in malum*: atque ità fortè ait fuisse in MSS. Seldenus De Syned. vet. Ebr. lib. 2. in Addend. pag. 744. ait alicubi in Maimonide & in Talmude expunctam esse vocem מינים, & ejus loco subtitutam vocem האפקורוסין *Epicuræi*; vocem enim מינים *Minnim* recentiores usurpare nolle, quia innotuit abunde eâ Christianos intelligi, ut observat Buxtorfius Lex. Tal. col. 194. (sub radice אפק.) At in Sanhedrin fol. 38.2. utraque vox habetur, & מינים *Minnim* sive *Hæretici*, & אפיקורוס *Epicurus*; ubi etiam אפיקורוס ישראל *Epicurus*, vel *Epicuræus Israelita*, & אפיקורוס נוי *Epicuræus gentilis*, (Buxtorfius & Seldenus locis proximè citatis legunt אפיקורוס נכרי *Epicuræus extraneus*) inter se distinguuntur.

In Sanhedrin ubi suprà, nempe fol. 100. 2. dicitur, רב יוסף אמר בספר בן סירא נמי אסור למקרי: *Magister Joseph ait, Etiam in libro Ben Sira prohibitum est legere.* In Glossa ratio redditur, שיש בו דברי הבאי ובא עליהם לידי ביטול, *Quia in eo sunt verba hyperbolica, unde fit ut quis incidat in neglectum Legis*, vel, *ut quis Legem irritam faciat.* Coch vertit, *Sunt enim in eo quædam ἀπόκρυφα καὶ ὑφορῶν, quæ neglectum Legis importare possint.* Legit autem ille ביטול תורה: & sanè vox תורה, i. *Legis*, ex Typographi incuria in editione quam habeo desiderari videtur. Multæ deinde sententiæ è libro Ben Siræ afferuntur, quarum plerisque in libro qui dicitur *Ecclesiasticus* similes reperiuntur. מח לאביה מטמונת שוא מפחדה לא ישן בלילה בקטנותה שמא תתפתה בנערותה שמא תונה בנדה שמא לא תינשא נישואת שמא לא יהיו לה בנים הזקינה שמא תעשה כשפים, *Filia patri thesaurus est inanis: pra formidine ejus nocte non dormit. Dum parvula est, metuit nè pelliciatur; cùm juvencula, nè scortetur; cùm ad maturitatem venit, nè maritum non inveniat; cùm nupta est, nè liberis careat; cùm vetula, nè fiat præstigiatrix.* Similia sunt quæ occurrunt Eccles. 42.9, 10. *Filia patri abscondita est vigilia*, (Jun. *occultus affert vigilias*) *& solicitudo ejus aufert somnum: in juventute ejus nè fortè fiat superadulta* (μήποτε παραμάσῃ, Jun. *ne flos ætatis prætereat*, scil. antequam maritum inveniat. Vulgat. *nè fortè in adolescentia sua adultera efficatur;*) *& cum viro commorata, nè fortè odio habeatur; in virginitate, nè fortè polluatur, & in paternis* (ædibus) *suis gravida fiat; cum viro manens, nè fortè transgrediatur; & cùm cohabitaverit, nè fortè sit sterilis.* Iterum ex Ben Sira, מנע רבים מתוך ביתך לא הכל תביא אל ביתך, *Prohibe multos à domo tua; & nè quemvis in domum tuam introducito.* Sic Eccles. 11.31. *Non omnem hominem inducas in domum tuam.* Illud etiam Ben Siræ tribuitur, אשה טובה מתנה טובה בחיק ירא אלהים תתנן אשר רעה צרעה לבעלה, *Uxor bona est donum bonum: in sinum ejus qui timet Deum dabitur. Uxor mala marito suo lepra est.* Priori sententiæ consonat illud Eccles. 26.3. *Uxor bona est portio bona; in portione eorum qui timent Dominum dabitur.* Coch non immeritò suspicatur pro בחיק *in sinu*, vel *in sinum*, lectum esse בחלק *in parte*, vel *portione.* Sequitur ex Ben Sira de uxore mala, מי תקנתיה יגרשנה מביתו ויתרפא מצרעתו: *Quodnam est ejus remedium? Expellat eam à domo sua, & à lepra sua sanabitur.* Non absimile est illud

Eccles.

Eccleſ. 25. v. ult. *Si non ambulaverit juxta voluntatem tuam, (ἐὰν μὴ πορεύηται κατὰ σάρκα σου, juxta manum tuam) à carne tua abſcinde illam.* Rurſus ex Ben Sira, אשה יפה אשרי בעלה מספר ימיו בכפלים, *Uxoris bonæ maritus eſt felix; numerat dies ſuos duplicatos.* Ità Eccleſ. 26. 1. *Mulieris bonæ vir beatus eſt; numerus dierum ejus duplicatur.* Vox Hebræa יפה propriè ſignificat *pulcer*, vel *formoſus*, ſed interdum idem valet quod טוב *bonus*, uti etiam apud Chaldæos & Syros vox שפיר, quæ primariò *pulcrum* denotat: & contrà, Hebræi interdum טוב *bonum* uſurpant pro יפה *pulcro*. Iſtud etiam Ben Siræ monitum memoratur, העלם עיניך מאשת חן בן תלכד במצודתה אל תט אצל בעלה למסך עמו יין ושכר כי בתואר אשתך יפה רבים הושחתו, ועצומים כל הרוגיה, *Abſconde oculos tuos à muliere gratioſa, nè reti ejus capiaris: nè divertas ad conjugem ejus, ut cum eo bibas* (ad verb. *miſceas*) *vinum vel ſiceram; nam formâ mulieris pulcræ multi ſunt perditi, & numeroſi ſunt omnes ab ea interfecti.* Iſtis ſimilia habenter Eccleſ. 9. 8, &c. *Averte oculum à muliere formoſa; & nè contempleris pulcritudinem alienam. Propter pulcritudinem mulieris multi aberraverunt; & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Cum muliere viro ſubdita* (μετ' ἀνδρὸς γυναικὸς) *nè ſedeas omnino, neque agites convivia cum illa in vino; nè fortè declinet cor tuum in illum, & ſpiritu tuo labaris in perditionem.* Et quod paulò fuſiùs dictum eſt Eccleſ. 26. v. ult. *Vix immunis erit mercator à peccato; nec à delicto eximetur caupo*, id breviùs exprimit Ben Sira, רבים היו פצעי רוכל, *Multa ſunt vulnera inſtitoris.* Illud autem Ben Siræ, רבים היו דורשי שלומך נלחם סודך לאחד מאלף: *Multi ſunt qui quærunt* (qui quærere præ ſe ferunt) *pacem tuam; arcanum tuum uni è mille revela:* illud, inquam, idem planè eſt cum eo quod legitur Eccleſ. 6. 6. *Multi ſint qui pacem tecum colunt, conſiliarii verò tui ſint unus è mille.* Vide ſuprà, cap. 12. pag. 539. David Ganz in Tſemach David ſeu Chronologia ad annum 4448. aſſerit hunc Ben Siram eſſe Jeſum filium Sirach, qui ſcripſit librum cui titulus eſt *Eccleſiaſticus.* Sed Voſſius in Annotationibus ſuis pag. 254. argumentis quibuſdam probat eos diſtinctos fuiſſe ſcriptores. R. Gedaliah in Shalſheleth fol. 46. col. 2. nonnulla de Meſſia ex veterum Rabbinorum opinione refert, quæ operæ pretium fortaſſe erit hîc annotare, אמר ליה אליהו לרב יהודה אין העולם פחות מפ"ה יובלות שהם ד"רן שנים וביובל אחרון בן דוד בא *Eliah Rab Jehudæ, Mundus non habet minus quàm octoginta quinque Jubilæos, qui ſunt quater mille ducenti quinquaginta anni; & in Jubilæo ultimo filius David* (ſic Meſſiam appellare ſolent) *venit.* Obiter obſerva, ex ſententia R. Eliæ, ſeu forſan potiùs Gedaliæ, Jubilæum quinquaginta annos continere. Vide, ſi libet, Serarium in Joſ. 13. quæſt. 14. Ibidem R. Gedaliah ex Talmude refert, traditionem eſſe domûs Eliæ mundum ſex millibus annorum duraturum; nempe bis mille annis fuiſſe inane, bis mille annis Legem, & poſt Meſſiam bis mille annos futuros. Id autem Gedalia ſic explicat, היה ראוי שיבא משיח אבל בשביל עוונותינו עריין מעוכב, *Opertuit Meſſiam venire, ſed propter peccata noſtra moratur.* Addit R. Aſe dixiſſe, עד הכ"א אל תצפה לו מכאן ואילך אסתכי ליה, *Uſque ad annum quinquies milleſimum viceſimum primum nè exſpectes eum; ſed ab illo tempore & deinceps eum exſpecta.* Subjungit R. Hanan dixiſſe, ſe inveniſſe hominem penès quem erat volumen repertum in Archivis Romæ, (בגנוי דר"צא שנה ובריאת רומה) in quo ſcriptum fuit, העולם יתמו המלחמות יהשאר יסות המשיח: *Poſt 4291 annos à mundi creatione finita erunt bella; & deinceps erunt dies Meſſiæ.* Citat etiam ex Zohar, כשישתלם שנת ה' אלפים ח"ח ליצירה יתי משיחא, *Cùm anni 5408 à creatione completi fuerint, veniet Meſſias.* R. Lipman in Nizzachon Num. 335. ad illud Dan. 12. 9. *Occluſa & obſignata ſunt verba*, &c. ait, ע"כ אין להרהר על אשר כלו מקצת הקיצים אשר חשבו קדמונים לפי פשטים דכתיב כי וודהי לפי סתימת וחתימת הפסוקים טעו בחשבונם ובתחילת מניינם, *Propterea id nos turbare non debet, ſi juxta ſimplicem Scripturæ ſenſum defecerunt* (vel *præterita ſunt*) *tempora nonnulla quæ antiqui computarunt: nam in confeſſo eſt eos ob occluſionem & obſignationem locorum Scripturæ in computatione ſua, ejuſque initio, erraſſe.* Et mox addit ולסך אר"ול בפרק חלק חיפח נשמתן בגיהנם מחשבי קיצים, *Atque ideo Rabbini noſtri b. m. in capite Chelek dixerunt, Exſpiret in gehennam anima eorum qui tempora computant.* Munſterus in Præfatione Bibliorum à ſe editorum Judæos Hebraicè alloquens ait eos בשנת רס"ב לפ"ק *anno* 1502. iſtiuſmodi pœnitentiam egiſſe qualem nunquam antea, in eum nempe finem ut Meſſias brevi adveniret; & citat dictum R. Eliezeris, אם ישראל עושין תשובה מיד נגאלין, *Si Iſraelita pœnitentiam egerint, ſtatim* (adventu Meſſiæ) *redimentur.*

NOTATIONES
IN
SACRA BIBLIA,

Quibus variantia discrepantibus exemplaribus loca summo studio discutiuntur;

AUCTORE

FRANCISCO LUCA BRUGENSI,
S. Theolog. Licentiato.

Illustrissimo S. R. E.

CARDINALI GULIELMO SIRLETO.

JAM demum prodeunt, Amplissime Præsul, secundâ Bibliorum editione, quæ à quinquennio primæ editioni jungendæ fuerant, promissæ Notationes. Meritò notandum me existiment aliqui non statim ab initio servati promissi, quòd Bibliorum illorum, nostrâ tunc operâ expolitorum, margines absque Notationibus his, ad quas etiam Lectorem remittunt, intelligi nequeant. Cæterùm facilè me culpâ exsoluturus est qui causas intellexerit. Etenim cùm primùm rem animo concepissem, trium mensium arbitrabar opus esse, trimestri à me in ea quæ tractanda acceperam loca scribi posse. At cùm rem cœpi & investigandis, penetrandis explicandísque locorum varietatibus me dedi, tantam inveni, etiam ubi minimè exspectaveram, rei difficultatem, quantam nemo, nisi qui ipse experientiâ didicerit, facilè autumet, ità ut triennium operi diligentissimè tributum, nedum trimestre, haudquaquam suffecerit, si exacti aliquid, cujusmodi sit oportet id quod hoc exulceratissimo quidem sed argutissimo seculo prodire audeat, ederetur. Verùm an exactum id sit quod à nobis editur, aliis judicandum relinquimus: nos certè laboribus nullis pepercimus, ità ut, si non res, at conatus laude dignus esse posse videatur. Accesserunt porrò ad operis difficultatem alia non rarò literaria negotia, quæ nunc à majoribus demandata, nunc ex officio incumbentia, cùm prætermitti non possent, operis hujus editionem tardarunt. Denique bellorum ortæ tempestates cùm nos Lovanio ejecissent, atque in patria nihilo jam magis tranquilla exsules esse compulissent, diu manus à tabulis prohibuerunt, servientium piorum consolationi, sacris concionibus, sacrâ excipiendâ exomologesi, aliisque sacris ministeriis, atque exspectantium interim si fortè pacatis Divinâ dignatione rebus Lovanium, ubi librorum copia suppetebat, liceret reverti. Verùm cùm longâ nos exspectatione falli & suavi spe frustrari miserè cerneremus, id quod reliquum erat aggressi, à medio prioris epistolæ B. Petri deinceps, quo modo potuimus, ad finem perduximus, atque ad editionem universa paravimus. Sed erunt, sat scio, qui hæc nostra ridebunt, atque ut frivola adspernabuntur, ii nempe qui, aut Scripturam ipsam sacram, aut illius præcipuè Vulgatam Latinè editionem, ob styli humilitatem atque incomptas ac nativas phrases parvipendunt; nec curæ ipsis sunt quæ occurrunt subindè codicum varietatulæ. At eorum ego nihil movebor sententiis qui & Scripturam ipsam sacram, & Vulgatam illius Latinorum versionem, antiquissimam illam, & SS. Tridentinæ Synodi declaratione præ cæteris universis authenticam, eo prosequor honore, ut longè faciam pluris unum hîc, etiam minimum, suæ integritati locum restituisse, quàm Ciceronis, Sallustii, Virgilii Horatii, aut cujuscunq; alterius hujus ordinis, quinquaginta. Et si qui laudi sibi ducunt horum editiones à mendis vindicasse; longè ego majori dignum laude censeo qui hîc id operæ collocarit. Non ità verò id operæ hîc desidero, quasi Scriptura sacra erroribus obnoxia sit, quæ à prima veritate profecta veritatis regula est, sed quòd in codices, sive apographa ipsa, Græca maximè & Latina, per frequentem exemplarium

exemplarium in exemplaria transfusionem, nunc librariorum, nunc lectorum, oscitantiâ, incuriâ, inscitiâ, temeritate, labeculæ, errata depravationésque subindè irrepserint, quæ aliorum codicum sive apographorum collatione mutari, corrigi, auferri debeant. Id cùm in ipso Scripturæ fonte acciderit (perspicuum est in N. Testamento Græco: nam de veteri Hebræo nihil dicere volumus) longè magis in translatione accidisse potuit. Quare, quod nobis objectant alii, cùm vetus editio Latina, à Tridentino concilio probata atque Authentica pronunciata sit, nullâ ampliùs opus esse castigatione, ridiculum prorsus est. Neque enim Concilium editionis hujus exemplaria erratorum expertia esse judicavit, neque etiam certum aliquod editionis exemplar sequendum omnibus proposuit; sed editionem ipsam cæteris quæcunque exstant Latinis editionibus prætulit, & authenticam definivit. Hanc qui voluerit ex Hebræo aut Græco mutare, aut suo pro judicio corrigere, correctámque pro ipsa Veteri editione emaculata proponere, is Synodi sententiæ proculdubio adversetur. Non enim veterem servat, sed suam obtrudit editionem. Cæterùm qui ex variis ipsius Veteris editionis exemplaribus illi emendandæ & primævæ lectioni germanæque Interpretis scripturæ restituendæ operam navet, tantum abest ut menti Synodi adversetur, ut, ipsâ ad hoc Synodo hortante, ex mente Synodi faciat. Statuit enim ut hæc ipsa Vetus & Vulgata editio quàm emendatissimè imprimatur; emendatè autem imprimi haud posse videtur nisi, collatis variis illius exemplaribus, menda deprehensa eliminentur, sincera lectio admittatur. Qua in re ut Synodi desiderio satisfaceret Theologica Facultas, & D. Hentenio olim, & pòst nobis, hoc operis demandavit: quanquam à nobis textus ut ab Hentenio est editus verbis neutiquam mutatus sit. Non enim ex Hebræo, Græco, Chaldæo aut Syro Vulgatam emendare studuimus versionem: sed cùm variare reperta essent Vulgatæ versionis exemplaria, adhibita sunt Hebræa & Græca, plerumque etiam Chaldæa & Syra, ut dignosci posset quæ exemplaria lectionem servarent germanam. Nam qui solam adfert Latinorum exemplarium variationem, nihil nisi scrupum injicit lectoris animo: hæret enim animi dubius quid amplectatur, donec aut ex fontibus, aut ex antiquis aliarum linguarum editionibus, aut ex Tractatorum commentariis, aut ex locorum circumstantiis, aut ex ipsa exemplarium spectata integritate, aut denique ex his simul omnibus, quod inter exemplaria ipsa discernat, adferatur. Hoc conati sumus cùm in marginibus Bibliorum, tum maximè his in Notationibus. Usque adeò verò à nobis abfuit animus vel minimùm recedendi ab ipsa Veteris Interpretis scriptura, ut is scopus noster fuerit ipsam quærere Interpretis scripturam, non tantùm in rebus majoris ponderis, verumetiam in minutis, &, quod amplius est, etiam ubi ipsa Interpretis scriptura minùs fortè commoda videri poterat: ità ut nihil perinde verear quàm ut nimiæ me anxietatis multi notent. At quare hæc? non aliam ob causam quàm ut pura puta haberi possit, quam Synodo visum est præscribere, Vetus editio: quæ si quid subindè minùs commodè fortasse vertat, non aliunde ipta emendetur, sed ex doctorum virorum id scriptis discatur. Quare & cùm in dubium de germana Interpretis scriptura quovis pacto veniremus, non ipsi sententiam diximus, sed iis quæ pro singulis facerent partibus in medium allatis, ferendam sententiam aliis reliquimus. Quin & aliàs, cùm re satis perspicuâ nostram ausi sumus sententiam explicare, in omnes æquè partes ità ut ferebat unaquæque disseruimus, ut si quem plus fortè alterius partis movere possint rationes, eam præ nostra liber amplectatur opinione. Cupimus enim melioribus subjecta sententiis quæ à nobis judicata sunt; nec tantùm, verumetiam quæcunque aut dicta aut scripta. Quamobrem olim decrevimus alicui Præsulum Ecclesiæ has nostras lucubrationes inscribere: non quòd iis dignas censeremus, sed quòd eorum propriè sit certum ejusmodi de rebus judicium ferre. Porrò ab ipso initio non alius occurrit cui meliori viderentur ratione offerri posse quàm V. D. Amplitudo, Cardinalis Illustrissime, quem pietatis junctæ eruditioni nota celebrem nobis, charum observatúmque reddiderat. Ut enim auctoritate polles, ità & eruditione præstas, & quod huc facit, linguarum cognitione excellis, quódque proximè urget, earum peritus & studiosus es rerum cujusmodi hîc tractare conati sumus. Id loquuntur doctissimæ vestræ in Græcum Psalterium observationes Regio Bibliorum operi junctæ, & quas præ manibus R.V. habet, quarum non exiguam ipsi vidimus & legimus partem, exactissimæ in librum Ecclesiastici Notationes, quibus alia consimilia plura D.V. industriam meditari intelleximus. Quare quidquid hoc est quod de lectionum S. Scripturæ varietate scripsimus, parùm utique, si respiciantur quæ & nobis ipsis & aliis adhuc relicta sunt, amplis. D. T. exhibemus ac dedicamus, ut sub tui nominis auspiciis editum, & à te benignè in tutelam acceptum, si quid erroris habeat, tuâ auctoritate corrigatur; si quid boni, tui nominis accommodatione adversùs æmulos defendatur; si quid lectu dignum, tuæ eruditionis celebritate commendetur. Universa enim quæ dicta à nobis sunt tuæ & sanctissimi Patris nostri Romani Pontificis atque Ecclesiæ Catholicæ censuræ perpetuò submissa volumus. In his porrò elaborandis adfuit præcipuè nobis Reverendus in Christo Pater, S. Theologiæ Licentiatus, P. Joannes Wilhelmi Harlemius, Collegii societatis Jesu Lovanii colendissimus Rector, ac per Belgium Viceprovincialis dignissimus, vir summâ eruditione, qui divino quo præcellebat ingenio, linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Chaldaicæ, Syriacæ atq; Arabicæ, difficultates superaverat, & Theologicorum mysteriorum intima penetraverat; eâ adhæc vitæ puritate, eâ morum suavitate ornatus, eâ animi ad juvandos quoscunque promptitudine, eâ denique in Deum perpetuò pergenti pietate præditus, ut homini bono voluptatis summæ loco esset ejus frui alloquio, sacrísque simul ac doctis sermonibus refici. Testari possum, qui eo præceptore, institutore, patre, quinetiam quæ ejus erat humanitas, familiari, septennio & eo ampliùs usus sum: nec quidquam ità deploro ut quod ignorabam ultimum id esse vale quod, Seo-

tis hæreticis Lovanium ingreſſis, turbatâque universâ ac ſuos dimittente Academiâ, triſtis dicebam. Flagrantis cœleſti amoris igne animæ corpuſculum lœmicus, Deo operante, ignis ſolvit, ut cùm à corporis miſeriis, tum à mundi, qui eâ dignus non erat, nunc certè, ſi unquam aliàs, totus in maligno poſitus, malis libera, ad cœleſtem dilecti thalamum admiſſa, tota ἀπεφαράτως in melliſluis ejus amplexibus verſaretur; ità ut non mors ipſius, ſed noſtra nobis deflenda ſit derelictio. Non grave tibi arbitror eſſe, Sereniſſime Cardinalis, bonorum virorum audire laudes, quinimo volupe, hujus præſertim, cujus fama non incognita, ſcio, D. V. fuit, qui hujus, quod A.V. exhibemus, operis ſcribendi ferè auctor nobis fuit, & conſilio perſæpe juvit, ac librorum, quibuſcunque opus habuimus, copiam ex inſtructiſſima ſocietatis Jeſu Lovanienſi Bibliotheca ſubminiſtravit, quin & legit hæc pleraque omnia, ſuum eis calculum additurus ſi vita comes fuiſſet; ut & delecti à Facultate Theologica Doctores, ii qui Bibliorum editioni ſubſcripſerunt, niſi jam à nobis mutuò ſejuncti, vix an in vita ſuperſtes ſit, alter de altero intelligere poſſemus. Adfuit porrò etiam ſingulariter ad hæc conficienda ſuâ nobis ope, qui ea ipſa excudit, Regis Architypographus, Chriſtophorus Plantinus: tulit enim ſumptus non mediocres, quibus & me ſcribentem minúſq; ſolida cum valetudine ferè colluctantem fovit, & aliis, qui aut aliunde MSS. codices advexerunt, aut ea quæ in Adverſaria jeceramus accuratè deſcripſerunt, aut alio quocunq; modo auxilio fuerunt, liberaliter ſatisfecit, emptis etiam à ſe nonnullis atque è propria officina miſſis libris. Quare, ſi quid his aut fructûs aut ornatûs Eccleſiæ Catholicæ allatum eſſe potuit, vel meriti quid boni ipſo conatu apud Deum comparatum, ad cujus ſanè gloriam animus reſpexit, ſuas ſibi hi vendicant partes, Harlemius & Plantinus, ipſi inter ſe conjunctiſſimi, & mihi pro beneficiis in me collatis ſuo ambo merito colendi. Te itaque, pietate atque eruditione Ornatiſſime Cardinalis, obnixè oro ut hæc, quæ Illuſtriſſimæ T. D. dicamus, qualiacunque ſcripta æqui boni conſulas, atque in tuam benignè tutelam accipias: ut intelligenti id quod primum ediderim tibi cæteríſque Eccleſiæ Præſulibus gratum eſſe, ad plura tentanda animus addatur. Meipſum porrò benevolentiæ humanitatis tuæ etiam atque etiam commendo, & tuorum à te numero adſcribi opto. Dominus Deus Eccleſiæ ſuæ diu Te incolumem ſervet. Brugis Flandrorum, die B. Laurentii martyrio celebri, IV. Idus Auguſti, Anni cIↃ. IↃ. LXXIX.

Ampliſſimæ D. V. obſervantiſſimus,

Franciſcus Lucas.

AUTORIS
AD CANDIDUM LECTOREM
PRÆFATIO.

CUM commiſſum mihi eſſet, eas quæ in Lovanienſium Bibliorum marginibus adnotatæ erant lectionum varietates ad fontes & veterum commentarios revocare, &, ſiquidem concinerent, marginalibus id notis ſignare, ut quoquo modo germana ab adulterina diſcerni poſſet lectio; animadverti ſæpenumero fieri haud poſſe ut notis id in margine indicaretur, quòd fontes vel ambigui vel obſcuri eſſent, aut ad dignoſcendam germanam lectionem quædam facerent, quæ cùm verbis exprimenda eſſent, tot exprimi non poſſent quot marginis anguſtia poſſet capere. Quamobrem conſilium ſubiit, ad calcem Bibliorum brevibus ejuſmodi annotari poſſe. Quod cùm ad R.P. Harlemium, qui hoc in negotio præerat, retuliſſem, probaſſétque ille, adſcripſi in Bibliorum margine, ad ea loca in quæ viſum erat aliquid annotare, ſignum Q. n. quod eſſet, *Quære notationes.* Cùm verò, eo quod in Bibliorum margine laborandum erat confecto, Bibliiſque ipſis ad Typographiam miſſis, me ad ſcribendas in ea loca notationes dediſſem; quia animum temperare haud potui quin exactè id conarer facere quod incumbebat; nec paucis, quemadmodum ſtatueram, abſolvere potui, ut ad calcem Bibliorum adjici poſſent, nec citò, utì ſperaveram, ut unà cum Bibliis prodirent: Quare nunc ſeorſum, ſecunda cum Bibliorum editione, prodeunt, neceſſariæ quidem ad intelligenda marginalia annotata Bibliorum illorum noſtrâ operâ adauctorum; quippe ad quas illa remittant, ſed quæ à marginalibus illis annotatis ipſæ non pendeant, quibuſcúnque Bibliorum editionibus atque exemplaribus adhibitis ſervientes. In his porrò textum, initio ſingularum notationum, ità fere propoſuimus ut in Lovanienſibus eſt Bibliis; quem deinde cum aliis Latinis exemplaribus, impreſſis & ſcriptis, contulimus. Habuimus impreſſa exemplaria ſemper octo aut novem; ſcripta XXXII aut XXXIII, ut minimùm, ſæpe plura; ea quæ ſtatim deſcripturi ſumus; propria dico, præter ea quæ ante nos Pariſienſes, Hentenius aliíque annotaverant. Sæpe enim in uno invenias quod non

non in multis aliis: & frequenter de genuina Interpretis scriptura plus ex Latinis codicibus quàm aliunde intelligere licet, dum, inter varia exemplaria, quem legendi modum vulgaria sequantur, in quem conspirent emendatiora, conspicitur. Dehinc, consuluimus commentaria, enarrationes, scholia, translationes, primæ, mediæ, postremæ ætatis, auctorum Græcorum & Latinorum, quoscunque habere potuimus; ut si quid usquam esset quod ad nostrum faceret institutum, quoad ejus à nobis fieri posset, in medium adferremus. Posthæc adhibuimus, in V. quidem Testamento, Hebraicum, Græcum & Chaldaicum, textus; in Novo, Græcum & Syriacum: &, nè fortè horum exemplaria sibi mutuò quandoque non constarent, lecta sunt Græci textûs antigrapha complura, cæterorum saltem duo. Postremò, si quid vel ex locorum circumstantiis, vel ex locis similibus, vel aliunde, de lectionis varietate intelligi posset, id omne perscrutari conati sumus; &, si non ipsi judicium ferre, certè aliis dare unde aut ferre possent, aut suo quamque momento lectionis varietatem æstimare. His autem sensum sæpenumero addidimus, aliquando singularum varietatum, maximè verò ejus quæ vero simillima erat, ut nè fortè, ob minùs perspicuum sensum, id quod ferè accidit, reprobaretur. Horum porrò occasione sæpe etiam antecedentia & subsequentia proximè tractavimus loca; &, si quæ Græcorum, Chaldaicorum aut Syriacorum apographorum occurreret variatio, etiam ea edissera est: quin & difficultates quæ vel ex his vel ex Hebraico oriuntur, pro virili nostra enodatæ sunt; nec prætermissum esse arbitror, id quod multi desiderant, quo modo Hebraicè Latinus & Græci Interpretes legerint, dum eorum translationes ab Hebraica scriptura, ut nunc punctis vocalibus adfecta exstat, discrepare videntur. Cæterùm non deterreant Lectorem, linguarum fortè imperitum, quæ frequenter his admiscentur Hebraici, Chaldaici, Græci, Syriaci, textuum verba: id enim fieri ità debuit, ut fides dictis haberetur, feréque ità interjecta sunt ut, salvo atq; integro loci sensu, transiliri ab eo qui non intelligat possint. Porrò varietates quæ in MSS exemplaribus, ejus varietatis quæ discutienda erat occasione, quippe loco vicinæ, repertæ sunt, cùm tractandæ non viderentur, ad marginem sunt notatæ, iis signis quæ in Bibliis frequentata & declarata sunt. Sunt verò notationes, juxta librorum S. Scripturæ capitum versuúmque ordinem, sese mutuò sequentes; ità ut nullo indice opus sit, nisi eorum locorum quæ occasione aliunde explicanda aliquando se obtulerunt; quem & ad calcem libri invenies. Quod reliquum est, Lectorem obsecro ut hæc mediocritatis nostræ scripta eo accipiat & legat animo quo scripta & data sunt, candido, & veritatis non contentionis studioso, qui insectari alios abhorreat, &, sicubi erret ipse, lubens monstratum errorem corrigat; si quid ignoret, discere gaudeat, nec suam velit usquam opinionem meliori sententiæ præjudicium ferre.

LUCÆ BRUGENSIS
NOTATIONES
IN GENESIN.

CAP. 3. ver. 15. *Ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.*] Latina exempl. pleraque scribunt *Ipsa conteret caput tuum.* S. Germani oblongum & Sorbonicum correctorium, à Parisiensibus notata, legunt *Ipse conteret caput tuum.* Harum lectionum posterior Hebræo conformior est: legitur enim הוּא יְשׁוּפְךָ רֹאשׁ וְאַתָּה תְּשׁוּפֶנּוּ עָקֵב. Eadem lectio Græcæ translationi similis est: sic enim habet, αὐτὸς σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν, *Ipse tuum conteret caput, & tu conteres ejus calcaneum.* Ità exempl. Complutense & Vaticanum. Germanicæ verò editiones, cum Aldina, αὐτός σου τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτοῦ πτέρναν, *Ipse tuum observabit caput, & tu observabis ejus calcaneum*; id quod à Patribus ferè lectum est, atque adeò Hieronymo, qui si in aliis codicibus τηρεῖν legi comperisset, ει nimirum primam syllabam formante, id proculdubio prætulisset. In Hebraicis namque super Gen. Quæst. productâ Interpretum LXXII translatione, *Ipse servabit caput tuum, & tu servabis ejus calcaneum*, annotat, *Melius habet in Hebræo*, Ipse conteret caput tuum, & tu conteres ejus calcaneum; *quia & nostri gressus præpediuntur à colubro, & Dominus conteret Satanam sub pedibus nostris velociter.* Quibus in verbis etiam conspicitur Hieronymum, lectioni prædictæ conformiter, *Ipse* vertere. Fortassis autem commodiùs neutro genere transferatur, *Ipsum conteret caput tuum.* Est enim Hebraicè pronomini הוּא cum præcedente nomine זֶרַע quod *semen* significat, debita convenientia, ut vocem quæ subaudiatur aliunde accersere necesse non sit. Hoc modo (neutro, inquam, genere) in Latinis quibusdam exemplaribus haberi, insuper ità D. Leonem legisse, Aloysius Lippomanus docere videtur. Dum enim Leonis magni in hunc locum verba Catenæ suæ copulaturus esset, præmisit, *Vel juxta alia exemplaria, Ipsum conteret caput tuum.* Tum ipsius verba ex Serm. 2. De nativitate Domini subjunxit; *Deus omnipotens & clemens*, &c. *statim ut nos diabolica malignitas veneno suæ mortificavit invidia, prædestinata mortalibus suæ pietatis remedia*, &c. *præsignavit; denuncians serpenti, futurum semen mulieris, quod noxii capitis elationem suâ virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum Deum hominémque signans, qui natus ex Virgine violatorem humanæ propaginis incorruptâ nativitate damnaret.* Quibus ex verbis à Leone hoc modo locum hunc lectum vero non est absimile. Isidorus Clarius hoc ipso modo sua Biblia emendavit, *Ipsum conteret*, &c. Minimè verò contemnenda est ea

Latinorum exemplarium lectio *Ipsa conteret caput tuum*, tum quod in omnibus penè Latinis codd. legatur (nos certè post D. Hentenium nullum Vulgatæ editionis codicem potuimus reperire qui diversum legeret: nam Parisiensium sunt quos pro *ipse* Hentenius adfert: neque constat de Sorbonico correctorio, qui alter est Parisiensium, an ex Hebræo, an ex Latinorum codicum auctoritate sic legendum doceat; ut neque de Aloysii exemplaribus, an nostræ sint editionis, cujus certè Clarii Biblia, quæ *ipsum* habent, non sunt) tum quòd à Veteribus, & iis qui vulgatâ ex Hebræo, &, quod magìs est admirandum (dissonant enim Græca exemplaria) iis qui vulgatâ ex Græco editione usi sunt, agnoscatur atque exponatur. Augustinus lib. 2. De Genesi contra Manichæos cap. 18. *Observat*, inquit, *ipse plantam mulieris, ut si quando illicita labitur delectatio, tunc illam capiat: & illa observat caput ejus, ut eum in ipso initio mala suasionis excludat.* Similis est Gregorii lib. 1. Moral. cap. 38. Eucherii, Bedæ ac Rabani lectio atque expositio. Neque verò hæc lectio Hebræo repugnat. In primis enim potuerit Interpres הוא femininum pronomen pro הוא masculino legisse, ut nonnulli conjiciunt. Deinde femininûm pronomen nonnunquam eo modo scriptum reperitur quo masculinum הוא, quanquam היא legatur: atque ità hoc loco accipiendum & legendum esse הוא nonnulli existimant. Hinc Guido Fabricius, Pici Mirandulani principis auctoritate nixus, in Hebraicis illis Bibliis Regio operi adjunctis, quibus Latina interpretatio inter contextûs lineas inserta est, excudi curavit הוא, quanquam errore propositum sit הוה. Nec rejicienda est ista lectio quòd masculini generis verbum pronomenque sequantur, verbum ישוף pronomen נו: nam & alibi phrases hujusmodi reperiuntur. Esth. 1. 10. וכל הנשים יחנו יקר לבעליהן, Eccles. 12. 4. וישחו כל בנות השיר. Potest autem hæc lectio, ad eum ferè sensum quo superiores exponuntur, de Christi matre intelligi, ut *serpentis caput contrivisse* dicatur, quia eum genuit qui contrivit, qui diabolum suâ morte devicit, & nos ex ejus tyrannide in libertatem asseruit.

Locus iste à Chaldæo Paraph. ad hunc modum redditus est, *Et inimicitiam ponam inter te & inter mulierem, & inter filium tuum & inter filium illius: ipse erit observans* [*memor* Exemplar Venetum] *tibi quod feciſti ei à principio, & tu eris observans ei in fine.* Atque in hac Paraphrasi observetur & illud, quòd, illi Græcæ lectioni conformiter, quæ & olim & hodie multorum est codicum, τηρεῖ, per η in prima syllaba, transferatur *observans*, nè cùm & hæc accedat ratio, à quoquam facilè rejiciatur. Porrò, etsi exemplar Venetum priore loco יהי דכיר habeat, posteriori tamen, Complutensi & Regio conformiter, יהי נטר legit; atque expositio esse videtur יהי דכיר, ejus quod in Complutensi & Regio est יהא נטר.

C. 4. v. 8. *Dixítque Cain ad Abel fratrem ſuum, Egrediamur foràs.*] Quod in Latinis codd. legitur, *Egrediamur foràs*, in Hebræis & Chaldæis non reperitur. In Græcis habetur διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον, *transeamus in campum.* Hieronymi in Hebr. Quæst. hæc notatio est; *Et dixit Cain ad Abel fratrem ſuum, ſubauditur, ea quæ locutus eſt Dominus. Superfluum ergò eſt quod in Samaritanorum & noſtro volumine reperitur, Tranſeamus in campum.* Hâc ut videtur Hieronymi notatione motus Rabanus prædicta verba omisit: & F. Magdalius Gaudensis, cujus exstat Bibliæ correctorium anno 1508. Coloniæ excusum, scripsit, *EGREDIAMUR FORAS non eſt de textu, nec habetur in Hebraico.*

C. 8. v. 7. Magna est de loci istius lectione contentio. Hebræi namque libri habent, *Et emiſit corvum, & exiit egrediendo & redeundo, donec areſcerent aquæ deſuper terram.* Græci verò codices legunt, *Et emiſit corvum ad videndum ſi ceſſavit aqua, & egreſſus non eſt reverſus uſque ſiccari aquam à facie terræ.*] Quæritur utri sequendi sint, Hebræi an Græci codices: videntur enim inter se pugnare. Multi exclamare nihil dubitant, Hebræos libros qui hodie sunt Judæorum perfidiâ vitiatos esse, Græcos autem integros; ideóque hos sequendos, illos minimè. Verùm, quid Judæos movisse potuerit ut hunc perverterent locum? ut corvum in Arcam reversum dicerent qui reversus non sit? an ulli Christianæ fidei mysterio suâ hâc corruptelâ illudere conati sunt? At dicet aliquis, Ut multis in locis Hebræus textus de industria corruptus est, ità contigit hoc loco corrumpi. Quid? an non præferendi codices Græci, quos omnes sequuntur Patres? [D. Melchior Canus lib. 2. cap. 13. multa congessit Patrum loca.] Sed hunc vicissim interrogatum volo, An rejiciendi codices Hebræi, quos nulli rejiciunt Patrum? Patres namque editionem Lxx Interpretum, quâ tunc omnes utebantur, secuti, Hebræa aut non consuluerunt, aut consulta non rejecerunt. Hieronymus qui in Dialogo contra Luciferianos circa medium, juxta Interpretes Lxx emissum de Arca corvum dicit non rediisse, in Hebr. Quæst. aliter in Hebræo de corvo dici notat. Procopius Gazæus, Græcus auctor, causis cur columba redierit expositis, *Sic etiam*, inquit, *ut habet Hebraicus textus, & corvus in arcam revolavit.* An id semper præferendum est quod Lxx transtulerunt, & translatione eorum Patres usi legerunt? Quòd si sic, cur SS. Synodus Tridentina Vulgatam Latinorum edit. quæ ab illa innumeris locis discrepat, & Hebræo longè conformior est, sequendam omnibus proposuit? Sed hoc nos confodere telo existimant, quòd & Latina editio, quæ à Catholica Ecclesia recepta est, de corvo legat, *Qui egrediebatur & non revertebatur.* Quid dicant ſi hujus editionis exemplaria, quæ inter se putant consonare qui quâ oportuit diligentiâ ea scrutati non sunt, varia esse ostendantur? Exemplaria S. Germani latum & oblongum, S. Dionysii oblongum, & Complutense cum Regio, *Qui egrediebatur & revertebatur* sine negatione legunt. At fortè ad Hebræos codd. hæc exemplaria mutata sunt. Minimè verò. Est nobis à M. N. Augustino Hunnæo antiquum Bibliorum correctorium mutuò datum, multis annis scriptum, & pluribus fortè compositum, quod & ad hunc modum legit, & hanc antiquorum codicum lectionem esse asserit. Verba ejus asscribemus: *Item* b. *Dimiſit corvum, qui egrediebatur & revertebatur, donec ſiccarentur aquæ ſuper terram. Certiſſimè tene, quòd nec Hebræi, ſicut dicit Hieronymus, nec antiqui Latini* (codices) *habent NON: ſed eſt ſenſus, quòd ibat & redibat extra Arcam circuiendo; & propter hoc utitur Interpres præterito, non perfecto, ſed imperfecto; licèt Græcus habeat, puto de Lxx, ſed ſequendi ſunt Hebræi, & antiqui, & Hieronymus.* Hæc ibi. Ad quæ quid dici possit? An quòd libro fidendum non sit? Non hoc dicet qui evolverit: quæ namque à nostri seculi scriptoribus ex MS. codicibus collectæ sunt variæ lectiones, omnes propemodum in eo comperimus, & ad fontes fideliter examinatas deprehendimus. Neque dici potest ejus libri auctorem ex iis esse qui ad Hebræos codices Latinos mutare studeant: non semel enim Hebræos sui temporis corruptos asserit, & sequendos Latinos antiquos docet, eósque qui ad Hebræa Latina mutarunt exemplaria arguit. Hæc sit libri, qui sæpe à nobis citandus erit, descriptio. In vetustissimo codice Abbatiæ Tosanæ juxta Brugas legi vidimus, *& non revertebatur*; sed recentiori manu scriptas voculas *& non*, ità ut altera omnino omissa ab initio fuisse videatur, vel *&*, vel *non*. In margine annotatum erat, *Hieronymus, Qui egrediebatur & revertebatur.* Porrò quod dicit Hunnæi correctorium, atque hujus codicis margo, ab Hieronymo negationem non legi, vero simile est ex Hebraicis super Gen. Quæst. sumptum: atque hinc colligere licet, locum illum aliquando absque negatione lectum, quam & ipsa Hieronymi verba rejiciunt, quamvis in eis quæ à nobis consulta sunt Hieronymi exemplaribus legatur. Similis est corruptela in Frobeniana Josephi Historiographi edit. Lat. nam & Josephi verbis ibi addita est negatio; *Qui* (de corvo est sermo) *cuncta reperiens inundantia, non regreſſus eſt ad Noe.* Omittendam negationem & proximè præcedens ratio loquitur, & aliæ editiones cum Græcis exemplaribus testantur. Sic enim habet Josephus, ὁ δὲ πᾶσαν εὑρὼν ἔτι κατα-

ζηλίλλω

ζαβλὼν, ὃς οὐκ ἦλθεν ἐπανελθεῖν. Onkelos, qui paulò post Christi tempora Chaldaicâ paraphrasi Pentateuchum illustravit, sine negatione reddidit, *Et misit corvum, & exivit exiens & revertens, donec siccarentur aquæ desuper terram.* Atque his ostensum sit, falsitatis non esse arguendos Hebræos codices: & inter varia Latinæ edit. exemplaria, nec ea contemnenda quæ negationem Græcis conformiter legunt, nec illa rejicienda quæ Hebræis similiter tollunt. Neque verò hæc, si rectè intelligantur, inter se pugnant: corvus enim dimissus in Arcam reversus non est, sed ad Arcæ tectum regressus, indè ad escam evolavit, eóque rediit, *donec siccarentur aquæ super terram.* Fortassis enim avis illa dimissa vidit hominum aut brutorum cadavera, præsertim cùm montium revelata essent cacumina, atque ad ea, uti est immunda, invento sibi congruo cibo, perrexit & rediit. Columba verò, cui extra Arcam non fuit esca conveniens (cadavera namque abominatur, & non nisi seminibus pascitur) in Arcam redire voluit, extendítque manum suam Noe, & apprehensam intulit in Arcam. Aliud enim de corvo, aliud de columba, Moysis narratio insinuat. Quod fortè Interpretes Lxx considerantes, ad eum modum quo dictum est transtulerunt.

C. 11. v. 12. Hoc loco interjicit editio Interpretum Lxx generationem unam, ídque ad hunc modum; *Et vixit Arphaxad annos* 135. *& genuit Cainam: & vixit Arphaxad, postquam genuit ipse Cainam, annos* 430. (aut, ut quidam legunt, 330.) *& genuit filios & filias, & mortuus est. Et vixit Cainam annos* 130. *& genuit Sala: & vixit Cainam, postquam genuit ipse Sala, annos* 330. *& genuit filios ac filias, & mortuus est. Et vixit Sala annos* 130, *& genuit Heber.* Hanc editionem S. Lucas, tertio Euangelii sui capite, v. 35, & 36. ubi Christi genealogiam scribit, sequitur, *Qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainam, qui fuit Arphaxad.* Hæc Cainam generatio in Hebræis, Chaldæis & Latinis V.T. cod. non invenitur, sed ab Arphaxad Sale, à Sale Heber genitus legitur: quibus Philonis & Josephi Judaicæ antiquitates consonant. Procopius Gazeus, *Hebraica,* inquit, *veritatē habet, Selam genitum esse ab Arphaxad: quæ enim in medio ponuntur, obeliſco signata visuntur.* Meritò autem existimandum est, generationem hanc nec sine causa à Lxxii Interpretibus additam, nec sine mysterio à Moyse prætermissam; utrumque verè, utrumque prudenter factum esse; alterum & verè & prudenter Lucam secutum esse. Recensetur conformiter ab omnibus, Gen. 5. 9. alius Cainam, filius Enos, pater Malaleel, quem & Lucas suo loco numeravit. Genuit autem Arphaxad, secundùm Hebræos, Chaldæos & Latinos cod. anno ætatis suæ 35, Sale: vixítque post genitum Sale 403 annis. Et Sale genuit, anno ætatis 30, Heber.

C. 23. v. 19. *Atque ità sepelivit Abraham Saram uxorem suam in spelunca agri duplici.*] Plerique Latinorum cod. legunt, *In spelunca agri duplici*; quidam, *In spelunca agri duplicis.* Priori lectioni Græca suffragantur, ἐν τῷ σπηλαίῳ τοῦ διπλοῦ. Utraque ex Hebræo verti potest אל מערת שדה המכפלה. Nam si שְׂדֵה legas, rectiùs *duplici* transferas; si verò שְׂדֵה, ut est in punctatis Bibliis, potiùs *duplicis* vertendum videtur. Cùm enim שדה, his insignitum punctis, vocem המכפלה regat, interpretandum est, *In spelunca agri duplicitatis,* id quod est, *agri duplicis.* Nec obstat quòd spelunca hujus capitis v. 9. & alibi *duplex* dicatur: nam & spelunca *duplex* dici potest, & ager; illa, quia duplex erat (fortè, quia duæ speluncæ sibi mutuò vicinæ erant, aut quia altera intra alteram, ut Procopius existimat) hic, quia speluncæ duplici adjacebat, erat enim in extrema agri parte. Certè Gen. 49. 29, 30. juxta Hebræa legitur, *Sepelite me cum patribus, in spelunca quæ in agro Ephron Hetthæi, in spelunca quæ* בשדה המכפלה *in agro duplicitatis* (seu *duplici*) *qui est contra Mambre.* Itaque neutra illarum lectionum Latinarum rejicienda est, quanquam à nostro & Lxxii Interpretibus penè semper *duplex spelunca* dici soleat, & Josephus libri 1. cap. 33. *sepulcrum duplex* vocet: *Sepulcrúmque ejus factum est duplex.* Quidam Interpretum retinent Hebræam vocem *Machpelah*, ut proprium loci nomen.

C. 24. v. 24. *Filia sum Bathuelis, filii Nachor, quem peperit ei Melcha.*] Alii legunt, *Filia sum Bathuelis, filii Melcha, quem peperit Nachor:* & quamvis utriusque lectionis idem sit sensus; hæc tamen hujus loci, illa verò versûs 47. esse cognoscitur, quando cum Hebræis, Græcis & Chaldæis Latina exemplaria conferuntur. Thare pater Abrahæ genuit Nachor, Gen. 11. 27, & 29. Nachor ex Melcha uxore sua genuit Bathuelem patrem Rebeccæ, Gen. 24. 15. Itaque quod dicitur, *Quem peperit Nachor,* intelligendum est *ipsi Nachor,* ut etiam Hebræa, Chaldæa & Græca expressè habent. Quia verò id paulò obscurius erat, quidam ad hunc modum mutarunt, *Filii Melchæ, quem peperit ex Nachor:* quidam hoc modo vitiarunt, *Filii Melcha, quem peperit ei Nachor.*

C. 36. v. 2. Quatuordecim ex scriptis nostris cod. habent, *Esau accepit uxores,* &c. *Ada,* &c. *& Oolibama filiam Anæ, filii Sebeon Hevei:* atque hi Regiorum Bibliorum Latino textui, Rabano & Græcis libris consentiunt. Alii quatuordecim, cum Parisiensium quinque, scribunt, *Filiam Ana filiæ Sebeon Hevei:* atque his Hebræa & Chaldæa suffragantur, quamvis vertendum potiùs videatur, *Filiam Ana filiam Sebeon Hevei.* Et sanè hoc modo, accusandi, inquam, casu, tria MSS. nostrorum legere comperimus; unum, quod Abbas S. Jacobi Leodiensis mutuò dedit; alterum, quod Collegium Trilingue annumeravit; tertium, quod D.M.N. Augustinus Hunnæus contribuit. Et quidem primum, Leodiense, nonnullam indicat factam mutationem: secundum verò & tertium omni exceptione majora sunt. Est aliud MS. quod Atrebatense collegium suppeditavit, id quod illis accedens *filia* legit. Videtur autem minùs probanda ea lectio *Filiam Ana filiæ Sebeon Hevei,* quòd sensum non habeat, nisi aut nugacem aut falsum. Vel enim significatur, Oolibama filiam fuisse Anæ & filiæ Sebeon Hevei, i. filii & nurûs Sebeon Hevei, quod est, Anæ & uxoris ejus (in quem sensum Hunnæi R. legit, *Filiam Ana filiam filiæ Sebeon Hevei*) id quod frivolum est: vel significatur, Oolibama filiam fuisse Anæ, & Anam filiam fuisse Sebeon Hevei, quod verum non est. Fuit enim Ana (ut ex 24. hujus capitis versu constat) filius Sebeon Hevei. Itaque præferenda videtur lectio ista, *Filiam Ana filiam Sebeon Hevei,* ut ad Oolibamam utrumque referatur, quæ & Anæ fuit filia, & Sebeonis; ac Sebeonis quidem, quia ex filio Ana neptis. Fortassis autem ad hanc tollendam obscuritatem Lxx, ut habet prima lectio, *Filiam Ana filii Sebeon Hevei* transtulerunt. Eadem est v. 14. lectionis diversitas: novemdecim enim nostrorum MSS. cum quinque Parisiensium, legunt *filiæ Sebeon*; duodecim *filii Sebeon. Filiam,* ut loco non convenit, ità nulla legunt: & illa quidem Hebræis & Chaldæis, hæc autem Græcis libris consonant.

C. 48. v. 15. Regia Biblia legunt, *Benedixítq; Jacob Joseph, & ait.* Novem scripta ab Hentenio notata, & viginti à nobis collecta, cum Rabano habent, *Benedixítq; Joseph filio suo, & ait:* & hanc germanam esse nostræ versionis lectionem vero simile est. Hebraicè & Chaldaicè est, *Et benedixit ipsi Joseph, & ait.* Quod autem in aliis Latinorum exemplaribus legitur, *Benedixítque Jacob filiis,* aut *filios Joseph, & ait,* ad Græca accedit (quæ habent, *& benedixit eos, & ait*) & sensum exprimit: ipsi enim Joseph in filiis benedixit.

NOTATIONES IN EXODUM.

Cap. 4. v. 18.

PRo eo quod multi codices habent, *Et reversus est ad Jethro socerum suum,* antiquiones ferè legunt, *Et re-*

versus est ad Jethro cognatum suum. Id quod non solùm à nobis nostris in scriptis deprehensum est, verùm etiam in illo quod antè descripsimus correctorio est annotatum, his verbis, *Item* d. *Antiqui, Et reversus est ad Jethro cognatum suum. Novi, pro cognatum, socerum posuerunt, quasi istud Hebræus non habeat; sed idem Hebræum quod est hîc, sumitur pro* cognato, *infrà* xviii. a. Hæc ibi. Septemdecim nostrorum Mss. legunt *socerum*, quatuordecim *cognatum*: atque ex quatuordecim lectionis diversitatem duo in margine indicant. Similis est locus Exodi 3. v. 1. ubi, etsi pleraque nostrorum exemplarium legant *soceri*; undecim, cum Rabano & Eugubino, habent *cognati*. Hebræis utrobique est חתן, quod Exodi 18, non solùm a sed etiam b, c, & d, similiter legitur, & constanter ab Interprete nostro *cognatus* redditur. Sed & Num. 10. 29. & Jud. 4. 11. ubi Hobab dicitur חתן משה, noster *cognatum Moysi* transtulit. Itaque Exo. 3. 1. & 4. 18. quibus in locis lectionis diversitas est, illa nostri Interpretis videtur scriptura, quæ Jethro *cognatum Moysis* vocat. Alii transtulerunt *socerum*; nec solùm neoterici, sed etiam veteres. Lxxii locis proximè recitatis πενθερὸν dixerunt, aliis γαμβρὸν, si emendatioribus exemplaribus, Vaticano & Complutensi, fides habenda est. Chaldæus ubique חמה reddidit, quod *socerum* denotat. Neque hæc Hebrææ vocis significatio Latinum latuit Interpretem: id enim vel ex cap. 19. Judicum manifestum est: si tamen idem fuerit Interpres libri Judicum & Pentateuchi. Videri autem possit ex his hæc ejus fuisse sententia, Raguelem patrem esse Jethro & Sephoræ, cæterarúmque filiarum quæ sacerdoti Madian fuisse dicuntur; & Raguelem quidem socerum Moysis, Jethro verò fratrem uxoris Moysis, quem *cognatum Moysi* dixerit; nisi per *cognatum* cum Ruperto socerum intelligas, quod est insuetum. Nonnulli existimant Raguelem fuisse patrem Jethro, Jethro autem patrem Sephoræ & cæterarum illarum puellarum; eundémque esse Hobab qui Jethro. Aliorum sententia est, binomium fuisse Raguelem, dictum & Raguelem & Jethro; hujus autem filium fuisse Hobab: quam & B. Hieronymi esse, in libro Adversùs Helvidium, maximè quoad priorem partem, comperio: *Disce*, ait, *Scriptura consuetudinem, eundem hominem diversis nominibus nuncupari. Raguel, socer Moysi, & Jethro dicitur.*

C. 4. v. 26. *Et dimisit eum postquam dixerat, Sponsus sanguinum tu mihi es, ob circumcisionem.* Quemadmodum hâc lectione totum repetitur quod præcedenti versu dictum legitur, *Sponsus sanguinum tu mihi es*, sic etiam nonnulli codices Græci totum repetunt hoc loco quod posuerant proximo, *Stetit sanguis circumcisionis filii mei*: quanquam Græcæ Germanorum editiones, cum Aldino exemplari, nihil repetant. Correctorium verò annotat, nostræ editionis veram posteriori loco esse lectionem, *Sponsus sanguinum, ob circumcisionem*, omissis videlicet illis verbis *tu mihi es*: quæ lectio ab octo nostrorum Mss emendatiorum ferè probatur, & Hebræo conformis est, atque Augustinianæ lectioni consimilis. Augustinus enim quæst. super Exod. 11. quanquam Lxxii interpretatione utatur, nec cum Græcis Germanorum libris nihil repetit, nec cum Græcis Vaticanæ Bibliothecæ & Hispanorum exemplaribus totum resumit; sed huic Latinorum atque Hebræorum lectioni similiter, partim quod priùs legerat repetit, *desiit sanguis circumcisionis.* Cùm angelus Domini Moysi divertenti mortem intentaret, ob intermissam filii circumcisionem, uxor ejus periculo exterrita, accepto cultro petrino circumcidit filium, *& sanguine circumcisionis pedes Moysis tetigit, dixítque, Sponsus sanguinum tu mihi es.* Sanguine te mihi jungo. Sanguine te mihi retinere cogor. Dimisit autem angelus Moysen postquam illa eum *Sponsum sanguinum* vocaverat; dimisit, inquam, ob circumcisionem. Potest autem, eodem ferè sensu, pars illa, *ob circumcisionem*, ad proxima referri: Liberatus est mortis periculo Moyses postquam Sephora eum, quòd filium pro ejus salute circumcidere coacta esset, *sponsum sanguinis* dixerat, i. postquam filium circumciderat. Chaldæus Paraph. locum istum ad hunc modum explicuit; *Tulítque Sephora petram, & circumcidit præputium filii sui, & obtulit coram angelo, & dixit, Propter sanguinem circumcisionis hujus, detur sponsus mihi. Et cùm quievisset ab eo, tunc dixit, Nisi sanguis circumcisionis hujus* (fusus fuisset,) *condemnatus erat sponsus ad mortem.*

C. 9. v. 9, 10, 11. Sextam Ægypti plagam alii nostrorum codicum *ulcera* vocant, alii *vulnera*. Hebraicè dicitur שחין, quam vocem hoc an illo modo hoc loco Interpres verterit, non satis constat, cùm quòd codices varient, tum quòd utroque modo aliis atque aliis locis transtulisse legatur. Deut. 28. 35. *ulcus*; Isaiæ 38. 21. *vulnus* reddidit. Adhæc, *ulcus* transtulit Lev. 13. 18, 19, 20, 23. (his enim jam commemoratis locis 35 consultis scriptis exemplaribus, lectionis nullam reperimus diversitatem.) Secundi autem capitis Job v. 7. si genuina est lectio quæ à Gregorio lecta est & Correctorio probata, *vulnus* interpretatus est. Itaque utra sit hoc Exodi loco Germana interpretis scriptura non facilè quis dixerit, Autor Correctorii *vulnera* legendum existimat: cujus sanè sententiam nostra scripta confirmare videntur. Nam tribus *ulcera* legentibus, septendecim *vulnera* legunt, cum sex ab Hentenio notatis: alia undecim, cum tribus Hentenii, uno loco hanc, alio illam habent lectionem; sed eo ferè ordine, ut primo loco *ulcera* scribant, posterioribus *vulnera*, id quod *vulnerum* lectionem non parùm stabilire videtur. Cæterùm, Isidorus Rabanus & Beda *ulcera* legunt: & Deut. 28. 27. ubi hanc Ægypti plagam transgressoribus Israelitis Moyses imprecatur, codicibus sibi consentientibus, vertit Interpres, *Percutiat te Dominus ulcere Ægypti.* Atque huic lectioni conforme est quod Lxxii interpretati sunt, ἕλκει, idque universis quæ jam recensita sunt locis, uno Isaiæ dempto, quo prætermiserunt, ut Hieronymus annotavit. Sed cùm ex scabie, ulceribus, apostematibus (quibus ferè modis Hebræam vocem reddunt) vulnera nasci, & ex vulneribus ulcera redire soleant, etsi *vulnera* nuncupetur, eadem intelligi potest plaga: quam ad hunc Josephus describit modum, διὰ τῶν αὐτοῖς ἐξηλκωμένων τὰ σώματα ἔξωθεν διαφθειρόμενον. Chaldæus ubique Hebræum verbum retinuit, de cujus significatione Hieronymus, productum Isaiæ locum enarrans, ex proposito agit.

C. 11. v. 10. *Moyses autem & Aaron fecerunt omnia signa & ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone.* Est quidem hæc lectio plerisque Græcis libris consentanea: sed correctiora exemplaria, cum Hebræis atque Chaldæis codicibus, & Græco Regiæ editionis textu, nonnihil superfluere docent. Quædam verò *& ostenta* demunt: at ea præferenda videntur, etiam Correctori, quæ *signa &* auferunt. Quanquam enim Hebræa vox מופת *signum* denotet, atque ad eum modum hujus capitis versi. 9, & 3. Regum 13. v. 3, ac 5. ab Interprete transferatur; tamen non qualecunque signum, sed *portentum* propriè designat, Quamobrem Exo. 4. 21. *ostentum*, Ezech. 12. 11. *portentum* reddidit. Lxxii τέρατα transtulerunt. Conjunctísque duobus his verbis אות & מופת, illud Interpres vulgatus vertit *signum*, hoc *portentum*, Exo. 7. 3. Deut. 13. 1. Lxxii similiter, σημεῖον καὶ τέρας. Chaldæus 3 Reg. 13. & Ezech. 12. מופת exposuit אתא: aliis autem locis eas ferè retinuit dictiones quæ in Hebræo leguntur.

C. 12. v. 24. *Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum.* Ità plerique codicum legunt. Quatuor autem Hentenii, cum uno nostro, *Custodite verbum istud legitimum vobis & filiis vestris usque in æternum.* Fortasse reddidit Interpres, *Custodite verbum istud legitimum tibi & filiis tuis usque in æternum.* Hoc enim Chaldæo, Græco, & (quod præcipuè spectandum est) Hebræo conforme est. Sex scriptorum nostrorum exemplarium hoc habent modo, *Custodi verbum istud: legitimum erit*

erit tibi & filiis tuis usque in æternum: quæ distinctio in aliis etiam exemplaribus *erit* omittentibus conspicitur; eáque lectioni Hebraicæ aptiùs convenire videtur.

C. 14. v. 19. *Tollénsque se Angelus Domini qui præcedebat castra Israel, abiit post eos.*] Quatuor Hentenii Mss. auferunt *se:* quod Græcis quidem codicibus similiter non additur, sed vel legendum est, vel subaudiendum: sensus enim est, Angelum Dei ex anteriori castrorum loco in postremum exercitûs agmen se transtulisse. Hebraicè est וַיִּסַּע מַלְאַךְ, *& profectus est Angelus.* Fortè Interpres noster cum Lxxii legit וַיִּסָּא, quod est, *& sustulit,* ἐξῆρε Ἀ· quanquam voces istæ nec significatis absimiles sint, scl. uti quod Chaldæus reddidit, נטל, & *levare & proficisci* significat.

C. 15. v. 19. *Ingressus est enim eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare.*] Sincera est (quod etiam Epanorthotes annotavit) aliorum codicum lectio, *equus Pharao:* ità enim Hebraicè est, ità Græcè, סוּס פַּרְעֹה, ἵππος φαραώ. Accipitur autem *equus* collectivè: quamobrem Chaldæus vertit, *Ingressa est* סוּסוֹת פַּרְעֹה, *multitudo equorum Pharaonis cum curribus suis & equitibus suis in mare.* F. Magdalius, in suo Bibliorum Correctorio, notat, Equus *legi debet, non* eques, *nisi* equitem *pro ipso jumento cui insidetur accipere velimus. Utrumque enim* eques *significat, ut refert Aulus Gellius lib. 18. c. 5.* Hæc ille rectè. Rabanus legit ex Græco (nam Græcam translationem quandoque intermiscet) *Intravit equitatus Pharao cum quadrigis & ascensoribus in mare:* ἵππος enim etiam *equitatum* significat.

Testatur insuper Epanorthotes (Auctorem illum ἀνόρθωτον intelligo, cujus Correctorium M.N. Hunnæus commodavit) in antiquis suis libris non legi pronomen *ejus,* ut in quibusdam nostris non legitur: & in Græco quidem id non additur; in Hebræo autem & Chaldæo etiam geminatur. Hebraicè est, *cum curru* (i. curribus) *ejus* (vel *suo*) *& cum equitibus ejus* (vel *suis*) *in mare.*

C. 16. v. 34. *Sicut præcepit Dominus Moysi.*] Hoc & ad præcedentia referri potest, ut sint Moysis ad Aaron loquentis verba, quomodo Quæst. super Exodum 61. Augustinus se referre significat; & ad sequentia. Alii libri habent, *Sicut præceperat Dominus Moysi:* id quod ad sequentia aptè refertur, sicut & Hebræorum codicum distinctio refert, ut sensus sit, *Sicut præcepit,* aut *præceperat,* (utrumvis enim legi & verti potest) *Dominus Moysi, ità posuit illud Aaron in Tabernaculo reservandum.* Phrasis est Hebræis familiaris ad hunc modum copulativam conjunctionem accipere, adverbio similitudinis præcedente.

C. 21. v. 16, & 17. Eo ordine multi codices Latini cum Græcis exemplaribus hos versus legunt, ut eum qui parentum percussorem interficiendum præcipit, is sequatur qui in parentes maledico mortem decernit, atque hunc is qui plagiarium condemnat: sic nimirum illæ conjunguntur leges quæ in eos qui injuriâ parentes afficiunt latæ sunt, quomodo Rabanus conjunxit explicandi gratiâ. Verùm monet Corrector versus hos, juxta antiquos codices, transponendos esse, nempe, ut decimus sextus sit qui est decimus septimus & è contrà, decimus septimus qui decimus sextus, ut, inter duas leges, quæ parentum contemptores judicant, media sit quæ plagiarium damnat. Hunc ordinem & in quibusdam nostrorum scriptorum atque in Regiis Bibliis vidimus: eundem insinuat Rabanus; éstque Hebraici textûs & Chaldaicæ paraphraseos.

C. 24. v. 11. *Nec super eos qui procul recesserant de filiis Israel misit manum suam, viderúntque Deum.*] Quidam legi mallet, *Nec super eos qui propiùs accesserant &c.* id enim est quod significatur, Deum nihil eos læsisse qui ex filiis Israel, conscenso monte, ei appropinquarant, eúmque viderant. Verùm cùm Latini codices, suffragante Rabani textu, constanter legant, *Nec super eos qui procul recesserant* (id enim quod nonnulli habent, *Nec non super eos,* error esse etiam Correctori videtur) hanc germanam Interpretis scripturam esse verosimillimum est. Atque huc facit quòd Hebræa vox quæ hoc loco legitur אֲצִילִים, *principes & nobiles* ideo significet, quòd à plebeis sint separati: ità ut videatur Interpres ipsam nominis etymologicam rationem transtulisse cùm dixit, *eos qui procul recesserant.* Simili serè ratione Lxx verterunt *electos.* Est autem is ipse sensus qui jam dictus est, Deum Principibus qui, conscenso monte, à filiis Israel procul recesserant, etsi ab eis visus esset, nihil nocuisse. Clarissimè locum istum explicat Chaldæa Paraph. ולרברבי בני ישר' לא הורח וקא וחזו יקרא דיי, *& magnatibus filiorum Israel nullum fuit nocumentum, & viderunt gloriam Domini.* Verumenimvero, si Hebraica dictio אֲצִילִים, ab אֵצֶל præpositione *apud* denotante deducta, *propinquos* possit significare (id quod Oleaster annotavit) id priorem illam conjecturam adjuvet.

C. 33. v. 19. *Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te.*] Legendum non esse *vocabor* docent auctor Correctorii & Dominus Hentenius; nec sine ratione, cùm exemplaria emendatiora *vocabo* legant, suffragantibus Hebræis, Chaldæis & Græcis codicibus. Docet autem D. Augustinus in quæst. super Exodum c. 154. *Vocabo, genere locutionis inusitato, pro Vocabor* positum, ad Dei gratiam commendandam: locum enim hunc hoc modo intelligit, Ego faciam ut omnes gentes Dominum me vocent atque agnoscant in conspectu tuo (h. e. Israelitici populi, cujus hæc audiens typum geris) dum per universum terrarum orbem dispersus erit. Quidam istius loci hunc sensum reddunt, *Ego, te audiente, recensebo nomina mea, ex quibus gloriam & bonitatem meam intelligere queas.*

NOTATIONES IN LEVITICUM.

CAP. 19. v. 16.

NON *eris criminator & susurro in populo.*] Multi codices habent *in populis,* quomodo & Radulphus Flaviacensis legit, qui ante annos 550. mysticos in Leviticum commentarios scripsit. Hebraicè est, *Non incedes detractor in populis tuis.* Unicam vocem רָכִיל Interpres duabus exposuit, *criminatore & susurrone.* Significat autem propriè *negotiatorem,* &, hinc ductâ similitudine, *detractorem,* quòd hinc indè rapiat quod aliis narret. Accipitur & pro *fraudulento,* quamobrem Lxxii reddiderunt, *Non ambulabis dolo in gente tua:* quomodo & noster vocem hanc interpretatus est, Prov. 11. 13. & alibi.

C. 19. v. 26. *Non comedetis carnem cum sanguine.*] Vox *carnem* ab antiquis Mss. (id quod etiam Epanorthotes testatur) & Bibliis Regiis non additur: in Hebræo, Chaldæo & Græco non legitur. Radulphi commentario adjunctus textus habet, sed Radulpho non lectam ipse commentarius loquitur. Subauditur autem à quibusdam, & rectè: quanquam non tantùm *carnem cum sanguine,* verumetiam cuicunque sanguis admixtus esset, comedere Judæis minimè licuerit. Sunt qui certum superstitionis genus hîc prohibitum putent. Lxxii verterunt, *Non comedetis in montibus.* Quod enim Hebraicè est עַל הֶהָרִם, ipsi עַל הֶהָרִם legerunt. Intellexerunt autem idololatriam prohibitam: in montibus enim idola colebantur, & idolothyta comedebantur. Quamobrem Ezech. 18. inter prima flagitia numeratur, *in montibus comedere. Commedere super montes,* ait Hesychius in hunc scribens locum, *quod Lxx posuerunt pro eo quod nostra editio habet,*

Non

Non comedetis cum sanguine, propter eos qui idolorum festivitatibus consueti sunt, prohibuit. Hoc enim & Osee, cap. 12. ver. 13. accusans populum Judaorum, dixit, Spiritu fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo. Super vertices montium incensum adolebant, & super colles sacrificabant.

C. 27. v. 27. *Quòd si immundum est animal, redimet qui obtulit juxta æstimationem suam, & addet quintam partem pretii.*] Duplex hoc loco est lectio; una, *Juxta æstimationem tuam.* Hæc duorum est Parisiensium exemplarium [& Ge. l. p.] probata Petro Serrano, respondétque Hebræo textui, in quo versus iste ad hunc legitur modum, *Quòd si immundum est animal, redimet juxta æstimationem tuam, addétque quintam partem ejus ultra eam: si verò non redimatur, vendetur juxta æstimationem tuam.* Alloquitur sacerdotem, cui jam antè sæpius rerum devotarum æstimationem commiserat. Altera est, *Juxta æstimationem suam.* Ista plerorumque est codicum, est & Radulphi, accedítque exemplaribus Chaldæis & Græcis, à quibus etiam superioribus hujus capitis versibus illa quæ in Hebræo est ad sacerdotem allocutio mutata est. Chaldæa sic hoc loco habent, *Quòd si immundum est animal, redimet juxta æstimationem ejus, addétq; quintam partem ejus ultra eam: si verò non redimatur, vendetur juxta æstimationem ejus.* Hanc lectionem ità Radulphus intelligit, ut juxta offerentis æstimationem redemptio fieri doceatur. Verùm quomodo probabile sit emptori commissam rei emendæ æstimationem? præsertim cùm (id quod ex versibus superioribus patet) sacerdoti æstimatio committi soleat? Conferantur cum hoc versus 11, 12, 13. Cúmque subjungit Interpres, *Si redimere noluerit, vendetur alteri quantumcunque fuerit antè æstimatum,* satìs indicat non intellexisse se offerenti æstimationem commissam fuisse. Proinde ità lectio ista intelligenda videtur, ut *suam* pro *ejus* positum accipiatur, hoc sensu, Redimet juxta æstimationem Sacerdotis, (quomodo Chaldæus intellexisse videtur) aut potiùs, Redimet animal illud juxta quod fuerit æstimatum, ab eo nimirum cujus est rebus hujusmodi pretium statuere: ad quem sensum LXXII verterunt, *Si autem quadrupedum immundorum, commutabit secundùm pretium illius.* Pia Radulphi enarratio (si fortè arrideat magìs) hæc est, *In superioribus sacerdos his quæ redimuntur statuit pretium; hìc autem juxta æstimationem offerentis redemptio fit: quia & sacerdotis est audienda sententia, cùm ad redimendam immunditiam nostræ pœnitentiæ nobis modus imponitur; & unusquisque convenire debet conscientiam suam, quæ sibi potissimùm cognita est, & secundùm æstimationem suam dignam Deo offerre satisfactionem.*

NOTATIONES IN NUMEROS.

CAP. I. V. 51.

CUM proficiscendum fuerit, deponent Levitæ tabernaculum; cùm castra metanda, erigent.] Quædam exemplaria legunt, *cùm castrametandum, erigent.* In Hebræo, Chaldæo & Græco *proficisci* & *castrametari* Tabernaculo tribuitur: *In proficiscendo Tabernaculum, deponent illud Levitæ; & in castrametando Tabernaculum,* &c. Verùm id cum eo quod in nostra est editione in idem redit: simul enim proficiscebantur & castrametabantur Tabernaculum atque exercitus, nube aut deferente Tabernaculum aut operiente, Num. 10. 4. Exod. 40. 34. Est autem loci istius sensus, Cùm Tabernaculum aliò transferendum erit, Levitæ illud in partes ex quibus componitur resolvent; cùm autem constiterit uno in loco, iidem illud construent atque erigent: quisquis autem qui de tribu Levi non sit, aut ad dissolvendum, aut ad construendum accesserit, judicum sententiâ interficietur. Quod nos habemus, *Quisquis externorum accesserit,* multa scripta legunt *exterorum*; Rabanus *extraneorum.* Annotavit autem & Rabanus, intelligi hoc loco etiam Israelitas qui de tribu Levi non sunt.

C. 4. v. 6, 8, 10, 11, 12, 14, 25. Frequens est hoc capite inter codices istæ diversitas quòd pelles, rerum sacrarum velamina, alii *ianthinas* dicant, alii *hyacinthinas.* Eadémque varietas aliis multis occurrit locis; Exodi 25. 5. & 26. 14. & 35. 7, 23. & 36. 19. & 39. 33. Utrum autem Interpres verterit, facilè dici non potest: tum quòd varient codices, tum quòd Hebræa vox תחש (quæ locis his omnibus legitur) admittat non minùs unum quàm alterum. Attamen videri potest *ianthinum* ab Interprete scriptum: Id indicant Clarius & Hentenius. Idipsum, in 25 Exodi caput, censet Eugubinus: & vel ex eo quòd minùs trita vox minùs intelligeretur, vulgari mutatâ; vel ex eo quòd LXX *hyacinthinum* transtulerunt, hoc modo etiam nostris scribendum codicibus judicatum; vel utraque ex causa *ianthinum* rejectum. Certè cum Hebraicè תכלת legitur, nostri codices *hyacinthum* aut *hyacinthinum* constanter habent [Exod. 26. 1, 31. & 35. 6, 23. & 36. 8, &c.] cùm תחש quidam *ianthinum* scribunt [Num. 4. 6, 7, 9, 11, &c.] Hoc cùm plurimis locis conspiciatur, conjici potest, illud *hyacinthinum,* hoc *ianthinum,* ab Interprete translatum. Quod si objiciat quis, non mirùm quòd utraque vox ab Interprete *hyacinthinum* translata sit, cùm à LXXII utraque eo modo sit versa: dicat unde in Ordinaria Glossa, & aliis quibusdam vetustis exemplaribus, *ianthinum* legatur. Sed quid opus est longiorem hac de re disputationem texere, cùm ianthinæ & hyacinthinæ pelles, eædem fortassis intelligi possint, utpote ab ejusdem coloris floribus nuncupatæ? Testatur enim Plinius l. 21. c. 6, & 8. *ianthinas vestes dictas à violis, Græco nomine ia vocatis, quæ sponte è apricis & macris locis proveniunt, purpureæ.* Hyacinthinas autem vestes ab Hyacinthis dici, & purpureos esse hyacinthos (quanquam & alterius coloris inveniantur) nemo est qui nesciat. Vestes igitur pellésque coloris purpurei & *ianthinæ* & *hyacinthinæ* dici possunt. Vel cæruleæ vestes ac pelles utroque hoc modo rectè appellentur. Scribit enim Hieronymus in Ezech. 16. 10. *utrumq;* & ianthinum & hyacinthinum, *aerii & xvanis coloris esse.* Tractat illa Ezechielis verba ca. 16. v. 10. *Calceavi te hyacintho,* sive, ut apud eum legitur, *ianthino:* docétque vocem תחש, quæ etiam ibi legitur, ab Aquila & Symmacho *ianthina,* à LXX & Theodotione *hyacinthina* translatam. Porrò recentiores Interpretes Hebræam vocem relinquunt, *thassum* sive *taxum* scribentes: docéntque nonnulli animal esse varii coloris, Chaldæo סמגונא nominatum, quia colorum suorum varietate delectetur. Nonnulli *bovem* esse existimant, alii aliud opinantur. Dubium autem non est quin pelles quæ super cætera velamina ponendæ fuerunt, ejusmodi fuerint quæ imbribus & quibuscunque aeris injuriis obsistere possent. Nec ambigendum est quin sacrarum rerum tegmina pretiosa fuerint, atque ornata, ac talia quæ eos qui portabant omnis reverentiæ admonerent.

C. 21. v. 18. *Profectíq; sunt de solitudine, Mathana.*] Superfluit *profectíq; sunt:* in compluribus enim nostræ editionis libris, Parisiensium sex, Hentenii sex, nostris undecim, Hebræo textu & Græco, & enarratore Ruperto, suffragantibus, non legitur. Hebraicè est, *Et è solitudine, in Mathana*; Græcè, *Et à puteo in Manthanein.* Superfluit autem textui, non sensui; id quod etiam Epanorthotes annotavit: describitur enim progressus itineris Israel, nimirum à puteo solitudinis in Mathana. Chaldæus ista ad puteum retulit, & propria nomina interpretatus hoc modo reddidit, *Ex deserto datus est eis.* Sequitur, *Et ex quo datus est eis, descendit cum eis ad valles; & ex vallibus ascendit cum eis ad collem; & de colle ad vallem quæ in agris Moab usque ad summitatem collis, quæ respicit versus Bethjesimoth.* Videtur autem ad id respexisse quod Hebræi dicunt, aquas ex petra manantes castra, quocunque proficiscerentur, subsecutas fuisse per canales sive ductus quos fecerunt principes baculis quos in terra post se trahebant. MSS. nostrorum quinque addunt *in,*

In Mathana, cum Græcis codicibus: id quod non parùm illustrat locum, tollítque erroris occasionem eorum qui scripserunt, *Profecti q; sunt in solitudinem Mathana*, & qui *Profecti q; sunt de solitudine Mathana in Nahaliel*, &c. Hujusmodi enim corruptelas in nonnullis scriptis exemplaribus deprehendimus.

C. 21. v. 20. *Bamoth, vallis est in regione Moab, in vertice Phasga, quod respicit contra desertum.*] Epanorthotes, ex antiquis codd. suis, addendam docet, quæ Hebraicè & Græcè additur, præpositionem *de*; *de Bamoth, vallis est in regione*, &c. Eadem legitur in manuscriptis, Hentenii septem, nostris novem, Parisiensium sex: & sensus est, vel, de Bamoth, quæ est vallis in regione Moab, venerunt in verticem Phasga, quem Oleaster probat; vel, de Bamoth, vallis est in regione Moab, ad quem venerunt, vel, quò pervenerunt. In quem sensum Hieronymus, explicans 39 mansionem, vertit, *Et de excelsis ad vallem quæ est in regione Moab.* Sed quomodo sit vallis in montis vertice? id enim sequitur, *In vertice Phasga.* Hieronymus mysticam quorundam expositionem refert. Fortassis autem literæ sensus est, *In vertice Phasga*, circa radices Phasga, qui montis Abarim vertex est: ut intelligantur in humilioribus locis montis Abarim castrametati, ante seu contra Phasga, quod fuit nomen verticis ejusdem montis. Infrà ver. 47. capitis 33, eadem mansio aliis nominibus describi videtur: *Egressique de Helmon Deblathaim, venerunt ad montes Abarim, contra Nabo.* Id quod deinceps sequitur, *Quod respicit contra desertum*, multi scriptorum codicum, & quidem emendatiorum plerique, legunt, *Et quod respicit contra desertum.* Sed alterum fortè redundat, aut *&*, aut *quod.* Hebraicè & tantùm legitur, ut in duobus Latinis scriptis; Græcè *quod*, τὸ βλέπον, ut in pluribus scriptis, quorum duo q̄ habent.

C. 24. v. 7. *Fluet aqua de situla ejus, & semen illius erit in aquas multas*] Vera hujus loci lectio hæc esse videtur, *Et semen illius erit in aquas multas*: hoc enim modo plerique librorum, tum calamis tum typis exaratorum, legunt, Rabano, Bedâ & Ruperto suffragantibus, textúque Hebræo consentiente. Quod autem habent codices quidam, *Et semen illius erit in gentes multas*, veræ lectionis expositio est. Frequenter enim per *aquas* gentes & populi significantur: unde & in Apocalypsi c. 17. v. 15. Joannem Angelus instruens, *Aquæ*, inquit, *quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & lingua.* Itaque Interpretes LXXII, &, qui eos fortè secutus est, Chaldæus, hujus loci non verba sed sensum transferentes, dixerunt, *Exibit homo ex semine ejus*, seu (quæ Chaldæi sunt verba) *crescet Rex qui ungetur de filiis ejus, & dominabitur populis multis.*

C. 33. v. 3. *Profecti igitur de Rameſſe mense primo, decimaquintâ die mensis primi, fecerunt alterâ die Phase filii Israel, in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis*, &c.] *Fecerunt alterâ die Phase*; sic pleraque exemplaria: nonnulla verò tantùm *Alterâ die phase* legunt, τὸ *fecerunt* auferunt tria Parisiensium, Basileense, Complutense, S. Germani parvum, sex nostra, unum quidem Lugduni excusum anno 1522, quinque autem manuscripta, quorum quatuor D. Hunnæi sunt, literis A. F. M. Q. signata, unum Plantini, quod Latum diximus. Conformis est Glossæ ordinariæ & Lyrani lectio. Exemplaria M. N. Hunnæi, D. F. K. cum Plantini medio & Bessarionis codice, indicant *fecerunt* superfluere. Atque his, his, inquam, codicibus qui *fecerunt* auferunt, aut auferendum judicant, volunt Hebræa, Chaldæa & Græca. Rabanus & Colonienſium Biblia anni 1529. omisso verbo *fecerunt*, legunt, *Alterâ die post phase*; quomodo etiam Isidorus exponit, cujus commentarium in tres Moysis libros scriptum contribuit Lovaniensis Bibliotheca Societatis Jesu. Beda habet, *Alterâ die Paschæ.* Itaque transfodienda videtur vox illa *fecerunt*, præsertim cùm etiam Textûs series eam rejicere videatur, & legenti falsum sensum offerat. Non enim, quod primò intelligitur, filii Israel fecerunt phase decimosexto die mensis primi, nec videntibus Ægyptiis & sepelientibus primogenitos; sed ad decimæquartæ diei vesperam, domi, priusquam Ægyptii, subitâ filiorum morte turbati, exire compellerent. Tostatus quidem *fecerunt* legit, & partem istam ut parenthesin additam intelligit, hoc sensu, *alterâ*, i. decimaquartâ, *die fecerant phase filii Israel*: sed ut orationis incommodum non evitatur, ità non id Hebraicè significatur. Legitur enim, *Et profecti sunt de Rameſſes, mense primo, decimaquintâ die mensis primi,* מִמָּחֳרָת הַפֶּסַח, *à crastino Pesach egressi sunt filii Israel, in manu*, &c. *A crastino Pesach*, i. alterâ die post pesach seu phase, postridie quàm immolatus fuerat agnus paschalis. Chaldæus vertit מִבָּתַר פִּסְחָא *à post Phase*, LXXII τῇ ἐπαύριον τῶ πάσχα *postridie paschæ.* Præferenda igitur ea lectio videtur quæ, omisso verbo *fecerunt*, habet, *Altera die phase*, quod est die sequente ipsum phase profecti sunt. Videri potest ab indocto quopiam adjectum, quòd neque facilè istud intelligeret, neque prolixioris sententiæ terminationem adverteret. Verumenimvero in antiquioribus & emendatioribus nostris exemplaribus *fecerunt* addi deprehendimus: id quod & Epanorthotes annotavit, cujus in hunc locum hæc sunt verba, XXXIII. 2. Profecti igitur de Rameſſe, *&c. ſuſpenſivè uſq;* in Socoth. *Item a.* mensis primi alterâ die phase. *Non video bene quomodo ſit ibi* fecerunt *(antiqui verò interponunt quod dicitur* fecerunt; *ibi*, fecerunt alterâ phase) *ſed & ipſe Strabus habet*, Alterâ die post phase profecti sunt de Rameſſe. Hæc Corrector. Lyranus suum hac de controversia judicium his reliquit verbis; *Aliqui libri habent, Alterâ die fecerunt phase: ſed li* fecerunt *non eſt in Hebræo, nec in libris correctis: nec mirum; quia non eſt de textu, ſed pervertit ſententiam, vel ſaltem obſcurat eam; quia videtur ſonare quòd filii Iſrael fecerunt phaſe poſt exitum de Rameſſe: quod non eſt verum.*

NOTATIONES IN DEUTERONOMIUM.

C. 2. v. 27, 28, 29.

QUÆ Latini libri, Rabano consentiente, ferè numero multitudinis scribunt, *Transibimus per terram tuam, publicâ gradiemur viâ, non declinabimus*, &c.] Exemplar S. Germani parvum singulari legit, *Transibo per terram tuam, publicâ gradiar viâ, non declinabo neque ad dexteram neque ad sinistram. Alimenta pretio vende mihi, ut vescar: aquam pecuniâ tribue, & sic bibam: tantùm est, mihi concedas transitum*, &c. *donec veniam ad Jordanem, & transeam ad terram quam Dominus Deus noster daturus est nobis*; conformiter codicibus Hebraicis & quibusdam Chaldaicis ac Græcis. Textus Regiorum Bibliorum Græcus & Chaldaicus, cùm reliqua singulari legant, ille primum numero plurali habet παρελεύσομεθ' (παρελεύσομαι Gq.) διὰ τῆς γῆς σου, *transibimus per terram tuam*, hic tertium וגו' אסטי (*Ven.*) לא נסטי *non declinabimus*, &c.

C. 10. v. 20. *Dominum Deum tuum timebis, & ei ſervies.*] D. Hentenio hujus loci germana esse lectio visa est, *Et ei ſervies:* nec sine ratione. Nam ut multorum insignium exemplarium est, ità Hebræo, Chaldæo & Græco consonat: quanquam Regiorum Bibliorum editio Græca, cum aliis Latinis libris, legat, *Et ei ſoli ſervies.* Deut. 6. 13. eadem est ejusdem sententiæ diversa lectio. Nonnulla enim exemplaria demunt *soli*, consimiliter Rabano, codici Græco Vaticano, atque Hebræis ac Chaldæis libris: pleraque addunt, consentaneè Græcis textibus, Regiorum, Aldinorum & Germanicorum Bibliorum. Epanorthotes sexto capite legendum docet *soli*; decimo tollendum: neque alia ex causa de locis his diversimodè censere videtur quàm ex probatiorum Latinorum exemplarium autoritate. Nam & nos invenimus, exemplaribus nostris correctioribus, atque etiam Tostato, sexto capite addi, decimo tolli, τὸ *soli*: ut Interpres hîc verba transtulisse, ibi sensum, videri possit. Sensum autem quem Dominus

minus reddidit, cùm Tentatori objecit, Mat. 4. 10. Luc. 4. 8. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Significatur enim ità serviendum Deo ut non alteri: h.e. soli ipsi Divinos honores, qui λατρεία nuncupatur, exhibendos.

C. 14. v. 23. *Decimam frumenti tui, &c. & primogenita de armentis & ovibus tuis offeres.*] Ità nonnulli Latinorum codicum: ac simile quid adjiciunt Græci, *Εὸ feres decimam frumenti tui, &c. & primogenita boum & ovium tuarum.* Verùm Latini codices emendatiores vocem *offeres* confodiunt, neque ullum verbum addunt, conformiter Rabano & Hebræo textui atque Chaldæo. Subaudiendum autem ex præcedentibus relinquunt *separabis, & comedes in conspectu Domini.* Qui enim priùs generatim dixerat, decimam partem cunctorum quæ ex terra nascuntur separandam, & in loco quem elegerit Dominus comedendam, jam illa enumerat, *decimam frumenti & vini & olei*, atque adjicit, *armentorum & gregum primogenita.*

C. 21. v. 6. Latina exemplaria pleraque omnia nobis visa legunt, *Et venient*, aut *veniant*, *majores* [*omnes 1 MS.] *natu civitatis illius ad interfectum, lavabúntq; manus*, &c. Exemplar autem quod nobis commodatò misit colendissimus Lobiensis cœnobii Abbas, scribit, *Et majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabúntque manus*, &c. non habet *venient*, seu *veniant*, nisi alterâ manu inter lineas scriptum. Hoc ipsum Rabanus prætermittit, ità ut ex præcedentibus sententia pendeat: *Accedéntque sacerdotes filii Levi (quos elegit Dominus*, &c. quæ parentheseos notis concludantur) *& omnes majores natu civitatis illius ad interfectum, lavabúntque manus*, &c. Hebraicè legitur, *Et omnes seniores civitatis illius, propinqui ad occisum, lavabunt manus*, &c. Ad eundem ferè modum Chaldaicè legitur & Græcè. Rabani lectio quod הקרובים *propinqui* respondeat nihil habet. Id autem in vulgata lectione *venient* esse videtur, ut intellexerit Interpres, *propinqui fient*, i. venient, *ad occisum:* sed commodiùs alii intelligunt, Seniores civitatis quæ propinquior est, vel qui propinquiores sunt, occiso lavabunt, &c. An autem etiam sacerdotibus manus super vitulum lavandæ fuerint, id quod Rabani lectione præcipi videtur, dubitari meritò potest. Quod nonnulla scripta legunt, *Et veniant majores*, sequentibus minùs congruit. Quod Ge.p. addit *omnes*, *Et venient omnes majores*, Rabani textui, Hebræo, Chaldæo & Græco convenit.

C. 28. v. 22. & seqq. Multa eorum quæ Latini codices ferè ut imprecantis verba hoc capite scribunt, *Percutiat te Dominus egestate, & persequatur donec pereas*, &c. Rabanus futuro tempore, ut prædicentis verba legit, *Percutiet te Dominus egestate, & persequetur donec pereas. Cœlum quod supra te est æneum, & terra quam calcas erit ferrea. Tradet te Dominus. Per unam viam egredieris, & per septem fugies & dispergeris. Percutiet te Dominus ulcere Ægypti. Filii tui & filiæ tradentur alteri populo.* Quibusdam partibus quædam scripta consentiunt. Hebraicè nedum hæc, verumetiam universa hujusmodi quæ hoc capite recensentur, tempore futuro aut præterito in futurum convertendo leguntur: sed & ut prædicentis, & ut optantis verba reddi possunt. Hinc Lxx quædam hoc, quædam illo modo transtulerunt. Neque à sanctorum mansuetudine alienum est, hoc modo optare transgressoribus quas merentur pœnas (id namque in Prophetarum libris non semel occurrit:) non enim, quamvis similibus fortè utantur verbis quibus maledicis uti consuetudo est, malè aut precantur aut volunt; sed prædicunt id quod certò eventurum prævident, simúlque ostendunt non displicere sibi cognitam Dei sententiam, quam fixam atque immobilem statuit. *Propheta cùm dicit*, inquit Augustinus, Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, *videt hoc certissimè peccatoribus imminere, & placet ei quod Deus statuit, nè Deo ipse displiceat.* Serm. 28. De diversis.

C. 32. v. 30. *Quomodo persequebatur unus mille, & duo fugarent decem millia?*] Huic lectioni id incommodi est, quòd partes non aptè sibi respondeant. Antiqui codices Correctoris legunt, *Quomodo persequatur unus mille, & duo fugent decem millia?* His nostrorum codicum unus duntaxat utrâque parte conformis est: plures priori parte conveniunt, posteriori voce discrepant, sensu consonant; nam *fugarent* legunt. Hebraicè & Chaldaicè futura leguntur, sed quæ variis modis reddi possint. Quidam transferunt, *Quomodo persequebatur unus mille, & duo fugabant decem millia?* Alii, inter quos Lxx, *Quomodo persequatur unus mille, & duo fugabunt decem millia?* Nonnulli, *Quomodo persequatur* (i. persequi possit) *unus mille, & duo fugent* (i. fugare possint) *decem millia?* Intelligunt autem hunc locum quidam de Israelitis inimicos expugnantibus; alii de inimicis Israelitas superantibus. Prima autem interpretatio accidisse significat; secunda futurum prænunciat; tertia anceps est, ut & factum intelligi possit & futurum.

NOTATIONES IN LIBRUM JOSUE.

Cap. 12. v. 7.

Hebraicè legitur ועד ההר החלק העלה שעירה *Et usque ad montem lævem ascendentem in Seir.* Vulg. Interpres reddidit, *Usque ad montem cujus pars ascendit in Seir:* quod enim alii legunt חֵלֶק, & *glabrum* sive *lævem* interpretantur, ipse legit חֶלֶק, & *partem* reddidit, non hoc tantùm loco, verumetiam superioris cap. v. 17. Chaldæus exposuit *montem divisum*, Lxx ipsam vocem Hebraicam retinuerunt, Αλδα, vel, ut Masii editio habet, Αλαδ sive Αλαδ. Quod autem in aliis Latinis exempl. additur *Libani (Usque ad montem Libani, cujus pars*, &c.) superfluere non sine ratione censetur. Primùm quòd in multis codicibus Latinis non reperiatur, quinque Parisiensium, quinq; Hentenii, octodecim nostris. Deinde quòd à libris Hebraicis, Græcis & Chaldaicis non agnoscatur; & Tostatus legisse non videatur. Demum quòd à manifesta veritate rejiciatur. Hîc enim Chananæa in Josue potestatem redacta narratur: & ad id demonstrandum termini longitudinis ejus (latitudine enim exigua est) describuntur; unus versùs Aquilonem, Baal-gad, qui fuit aut planicies in campestribus seu valle Libani, aut, quod verò similius putatur, pars montis Libani; alter versùs Austrum, *Mons glaber ascendens in Seir* (i. qui sursùm porrigitur versùs Seir) qui si & ipse ad Libanum pertinuit, id quod lectio illa significat, Libanus conjunctus aut vicinus fuit monti Seir: sed id fieri non potuit, nisi mediam vel secuerit, vel cinxerit, Chananæam: id quod verum non est. Jugulandum itaque videtur quod aliis libris additur, τὸ *Libani:* id quod sanè D. Hentenius & Parisienses Bibliorum suorum textibus expulerunt. Easdem ob causas transfodiendum videtur quod alii legunt *Hermon:* nam Trilinguis Collegii scriptum habet, *Usque ad montem Hermon, cujus pars ascendit in Seir.* Hermon enim pars est Libani, & quidem affinis Baal-gad, quod ex Jos. 11. 17. & 13. 5. perspicuum est. Verùm enimvero observatum à nobis est, in exemplaribus nostris antiquioribus & emendatioribus plerisque addi τὸ *Libani:* id quod & Epanorthotes in suis codicibus animadvertit: *Antiqui*, inquit, *bis habent* Libani. *Hebræus cum Græco tantùm habet illud quod primò positum est. In libro autem qui correctus dicitur, scriptor unum abstulit, & Corrector aliud de minio subtus lineavit.* Hæc Epanorthotes. Sunt tamen non contemnendæ fidei & antiquitatis exemplaria à quibus posterius istud *Libani* omittatur, inter quæ est præstantissimus Lobiensis Cœnobii codex, anno à Dominica incarnatione 1084 scriptus.

C. 21. v. 21, 27, 32, 36. Quod his locis multi codices numero multitudinis habent, *Urbes*, aut *civitates*, *confugii*, multi

multi numero singulari legunt; & quidem v. 21. novendecim ex Mss. nostris *urbs confugii Sichem* scribunt; v. 27. novendecim, *confugii civitatem Gaulum*; v. 32. vigintiquinque, *civitatem confugii Cedes*; v. 36. quatuor, *civitatem confugii Ramoth*. Omnibus his locis Alphonsus Tostatus singularem legit numerum (quanquam adjunctus textus habeat pluralem) & quidem v. 32. &, quò aptiùs conveniat, v. 36. nominandi casum *civitas*: atque hoc posteriori loco, tricesimo sexto inquam versu, etiam quatuor scripta nominandi casu *civitas* legunt. Hebræis & Chaldæis, universis his locis, numerus est singularis: sed Græci libri variant. Nam v. 27. plurali numero; 21, & 36. singulari; 32. Complutensis plurali, alii legunt singulari. Versibus igitur 21, & 36, necnon 32. Latinarum lectionum ex præferendæ videntur quibus singularis est numerus: quin & v. 27. lectio eadem meritò præferatur. Una enim horum quatuor locorum ratio est, quòd singulis singulæ confugii civitates recenseantur, nec numerus conveniat plurium, ubi scribatur unica. Versibus 13, & 37. ubi duo reliqua asyla, Hebron & Bosor, nominantur, idem militat argumentum; sed priori quidem numerus singularis constanter ab omnibus legitur; de posteriori verò proximâ notatione dicemus. Loca autem 1 Par. 6. 57, & 67. quæ, cùm simillima sint, numero leguntur plurali, & quidem Græco consentiente, atque, posteriori præsertim loco, Hebræo, commodè, si distinguantur, exponuntur: *Porrò filiis Aaron dederunt civitates ad confugiendum Hebron, & Lobna*, &c. & v. 67. *Dederunt ergò eis urbes, ad confugiendum, Sichem, cum suburbanis suis, in monte Ephraim, & Gaser*, &c. ità ut *civitates*, seu *urbes*, ad omnes sequentes referatur: *ad confugiendum* autem ad proximam tantùm. Sic Tostatus & Lyranus.

C. 21. v. 37. Magna hoc loco exemplarium, nec tantùm Latinorum, diversitas est. Quædam versum hunc 37. *De tribu Ruben ultra Jordanem, contra Jericho, civitates refugii, Bosor in solitudine Misor, & Jaser, & Jethson, & Mephaath, civitates quatuor, cum suburbanis suis*, omnino non legunt, Correctoris Latina exemplaria antiquiora; ex nostris, Brugense, quod est Cathedralis Ecclesiæ Divi Donatiani Brugensis, Lobiense, quod Lobiensis est monasterii; P. atque M. à Domino Hunnæo contributa (sunt enim D. M. N. Augustini Hunnæi, quæ alphabeti literis insigniuntur) & medium à Plantino transmissum. Leodiensis codex legit: sed facilè conspicitur ab initio omisisse. H. & I. in textu quidem prætereunt; adscribunt autem, H. in proximo margine, I. in supremo paginæ vertice. N. & latus Plantini codex prætermittunt cùm hunc versum, tum illum qui civitates filiis Merari ex Gadis hereditate assignatas enumerat: & illud quidem nobis servit hoc autem contra omnium est fidem. In Massoreth Judæorum, sanè vetusta, versus iste qui urbes à Rubenis tribu datas recenset non agnoscitur: ex quo in antiquissimis Bibliorum Hebraicorũ exemplaribus non extstare colligitur. Bibliorum Venetorũ textus Hebraicus & Chaldaicus non legunt: notátque Kamhius, se in antiquis exemplaribus, nisi quibusdam, non invenisse. Tostatus Hebræis sui temporis codicibus deesse asserit. Verùm quî fiat, cùm versu capitis istius septimo scriptum sit, *Et filiis Merari per cognationes suas, de tribubus Ruben & Gad & Zebulon, urbes duodecim*, hîc Zabulonitarum & Gaditarum urbes recenseantur, Rubenitarum verò prætermittantur? Quomodo verò filiorum Merari duodecim sint civitates & Levitarum quadraginta octo, nisi ex quas Rubenitæ contulerunt addantur? An id fortè hoc loco contingit quod 1 Par. 6. 60? ibi enim, enumeratis undecim duntaxat civitatibus, subjungitur, *Omnes civitates tredecim per cognationes suas*. An hîc fortè similiter, solis octo recensitis, subjungatur, *Omnes urbes filiorum Merari per familias & cognationes suas duodecim*? & iterum, *Itaque civitates universæ Levitarum*, &c. *fuerunt quadraginta-octo*? Sed undenam usque adeò & multis & diversis libris civitates Rubenitarum quatuor addantur? Græci enim libri, Chaldaici Complutenses, Syriacus A. Masii, & plurimi Hebraicorum & Latinorum, quatuor civitates filiis Merari ex Rubenis hereditate assignatas connumerant. An addititia sint quæ universis his leguntur libris? profectò non facilè id asserendum est: veruntamen, cùm sibi mutuò dissimilia sint, ità ut ex eadem profluxisse scaturigine non videantur, non temere omnino quis suspicetur. Quæ enim Hebraicè & Chaldaicè ponuntur ab eis quæ Græcè & Latinè leguntur non parùm discrepant. Nulla enim Hebraicè & Chaldaicè vel Jordanis, vel Jerichuntis, vel civitatis refugii, vel solitudinis Misor mentio est, ut Græcè atque Latinè. Sed si alicujus, civitatis refugii non debuit mentio prætermitti: quodcunque enim asylorum hoc capite commemoratur, *civitas refugii* cognominatur: ex quo etiam aliis istius capitis partibus hæc difformia ostenduntur. Latinorum codicum qui quidem legunt ea est inter se diversitas ut nec loco nec modo eodem habeant; id quod statim declaraturi sumus. Ex his autem adjectitia hæc esse colligas. Certè vir doctissimus Andreas Masius quæ nunc Hebraicè leguntur additicia existimare videtur: quæ Græcè LXXII Interpretes non de Hebræo transtulisse, sed de suo, explicandæ sententiæ causâ, addidisse docet; quæ Latinè, ex Græco, non ex Hebræo expressa; id quod non obscurè apparet; asserit. 1 Par. 6. 78, 79. urbes quatuor quas concessit Rubenitica tribus filiis Merari concorditer leguntur ab omnibus, hoc modo, *Trans Jordanem quoque, ex adverso Jericho, contra Orientem Jordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cum suburbanis suis, & Jassa cum suburbanis suis, Cademoth quoque & suburbana ejus, & Mephaath cum suburbanis suis*. Hoc fortè loco adjuti fuerunt interpretes Græci, si quæ in Josue ediderunt de suo addiderint. Nam ut partes reliquæ simillimæ sunt, ità parùm diversa sunt nomina. Eadem sunt autem cum eis quæ Hebræi codices hoc Josue loco habent. Verumenimvero si ista non leguntur, necesse est subaudiantur: neque enim alioqui summa confici possit. Nihil autem à nobis statuitur, nec legenda decernuntur, nec tollenda definiuntur. Corrector hac de re in hunc modum scripsit; *Item* F. *Nota, quòd illud quod dicitur*, De tribu Ruben ultra Jordanem, *quidam antiqui & Hebræi & Latini non habent hîc, videlicet de quatuor civitatibus quas tradiderunt Levitis. Alii, novi & Hebræi & Latini, sed & satis antiqui, habent. Veruntamen, quia invenio Græcum habere, constat mihi antiquos Hebræorum hoc habere: & postea agitur de tribu Gad. Et infrà, secundùm Hebræum & Græcum* fuerunt XLVIII. *quòd etsi omnes (non) nominarentur, propter illas, dico, de Ruben, vel alias, nihilominus tot fuerunt: simile primo Paralip.* VI Civitates tredecim, *nec nominantur nisi* X. *vel* XI. Hæc hunc in locum Epanorthotes.

Ea porrò exemplaria in quibus ista leguntur, in quibus versus iste qui datas à Rubenitis civitates enumerat habetur, multùm inter se discrepant: id quod paulò antè indicavimus. Nam versum hunc neque eodem loco neque eodem modo legunt. Pleraque Latinorum exemplarium tertio loco habent: primùm enim civitates quæ filiis Merari ex Zabulonis sorte datæ sunt enumerant, deinde eas quæ ex Gadis, tertiò quæ ex Rubenis. Sed decem nostrorum Mss. Zabulonitarum civitatibus Rubenitarum subjungunt, ac tertiò Gaditarum urbes ponunt, conformiter libris Græcis, Hebraicis & Chaldaicis. Eo etiam ordine Tostatus enarrat: atque hoc est quod Epanorthotes dicit, postquam de Rubenis tribu egerat, *Et postea agitur de tribu Gad*. Latinum exemplar Collegii Trilinguis, scriptum anno CIↃ IIIIC XXXII, hunc de Rubenitarum civitatibus versum versui 38 subjecit. Nam enumeratis Zabulonitarum & Gaditarum civitatibus subjungit, *Omnes urbes filiorum Merari per familias & cognationes suas, duodecim*: sequitur, *De tribu Rubèn ultrà Jordanem contra*, &c. Fortasse in eo ex quo istud descriptum est exemplari non fuit, sed ex altero huic additus est, cùm putaret scriptor verum alioquî non esse quod scripserat, filiis Merari urbes 12 datas, neque quod scri-

bendum sequebatur, Levitarum civitates simul 48 esse. Tantum de versûs istius ordine; nunc de verborum diversa lectione.

Communis lectio ea est quæ initio Notationis in hunc locum producta est. Bibliorum autem Complutensium & Regiorum Latinus textus tantùm, *De tribu Ruben civitates*, &c. legit verba hæc, *ultra Jordanem contra Jericho*, prætermittit. Alphonsus Tostatus, Interpres adeò sedulus ut vix quidquam prætereat, non attingit. Hebraicis & Chaldaicis libris omittuntur: ad hunc enim habent modum, *Et de tribu Ruben, Beser & suburbana ejus, & Jahasa & suburbana ejus, Cedemoth & suburbana ejus, & Mephaath & suburbana ejus, civitates quatuor.* Verùm Græci libri etsi aliter atque aliter legunt, Germanici cum Aldino habent, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, κατ' Ἰεριχὼ, ἐκ τῆς φυλῆς Ῥουβὴν, ἔδωκε τὴν πόλιν τὸ φυγαδευτήριον τοῦ φονεύσαντος τὴν Βοσὸρ, ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ Μισὼρ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Ἰαζὴρ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Γεδσὼν, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Μασφὰ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, πόλεις τέσσαρες. Regia editio scribit, καὶ πόλεις τοῦ Ἰορδάνου τὴν Ἰεριχὼ ἐκ τῆς φυλῆς Ῥουβὴν, τὴν πόλιν τὸ φυγαδευτήριον τοῦ φονεύσαντος τὴν, τὴν Βοσὸρ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Ἰαζὴρ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Κεδσὼν, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Μαφὰ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, τέσσαρες πόλεις. Prolixiùs recitantur, ut & alia advertantur. Masii editio è diversis correcta exemplaribus legit, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου τῆς Ἰεριχὼ, ἐκ τῆς φυλῆς Ῥουβὴν, τὴν πόλιν τὸ φυγαδευτήριον τοῦ φονεύσαντος τὴν, τὴν Βοσὸρ, ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Μισὼρ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Ἰασὰ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Γεδσὼν, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, καὶ τὴν Μαφὰ, καὶ τὰ προάστεια αὐτῆς, πόλεις τέσσαρες. Itaque, ut in omnibus penè Latinis, sic & in Græcis libris, verba illa *ultra Jordanem contra Jericho* leguntur. Quod sequitur *civitates refugii*, undecim nostrorum scriptorum numero singulari *civitatem refugii* legunt. Similiter Tostatus, sed, qui magis congruat, primo casu, *civitas refugii*. Suffragantur his Græci codices & manifesta ratio, quòd unica hîc recensetur refugii civitas, Bosor, in solitudine Misor sita. Non enim ante, sed post *Misor*, distinctio collocanda est, ut rectè quidam libri collocant. Neque enim Misor ex civitatibus est de sorte tribûs Ruben filiis Merari datis; nam sic quinque essent, cùm summa sit quatuor civitatum cum suburbanis suis: sed ut nomen vel ipsius solitudinis, vel potiùs regionis in qua est solitudo, positum est; atque id ex Græco perspicuum fit, ἐν τῇ ἐρήμῳ τῇ Μισὼρ, vel, ut emendatiora habent exemplaria, ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Μισὼρ. Notandum est autem, id quod Deut. 4. 43. Hebraicè de situ Bosor dicitur במדבר בארץ המישר, Lxxii vertisse, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐν τῇ γῇ τῇ πεδινῇ· Latinum similiter transtulisse, *in solitudine quæ sita est in terra campestri.* Rursum, quod Jos. 20. 8. de ejusdem situ legitur, במדבר המישר, illos reddidisse ἐν ἐρήμῳ ἐν τῷ πεδίῳ· hunc exposuisse, *quæ sita est in campestri solitudine.* Non videntur igitur existimasse *Misor* proprium esse nomen aut solitudinis aut regionis, sed appellativum, quod *campum* seu *planitiem* designet. Nam & aliis Scripturæ locis hâc significatione in usu est. Clarissimus est locus 3 Reg. 20. 23. ubi servi Regis Syriæ dixisse leguntur, *Dii montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos: sed melius est ut pugnemus contra eos* במישר *in campestribus* (seu, ut Lxx reddiderunt, καὶ' ὀνθὸ *in plano*) *& obtinebimus eos.* Quòd si non existimavit Lat. interpres proprium nomen esse *Misor*, qui factum sit quòd hoc loco, *Bosor in solitudine Misor* sitam, Latinâ versione legamus? nisi ipsi fortè quæ Græcè legebat exprimere visum fuerit. Sed cùm Græcorum Interpretum eadem fuisse sententia videatur, undenam hoc loco ut proprium nomen Græcè scribitur? Jos. 13. ubi Rubenis hereditas describitur, Græci Hebræam vocem *Misor*, quam Latinus nunc *campestria*, (v. 9 17, 21,) nunc *planities* (v. 16.) reddit, ut nomen proprium reliquerunt. Iterum Jer. 48. 22, 24. ubi legimus nos, *Et judicium venit ad terram campestrem, super Helon & Jasa*, &c. *& super Bosra, & super omnes civitates terræ Moab* (quo ex loco patet Bosra sive Bosor fuisse in campis Moabiticis) Græci transtulerunt, *Et judicium venit ad terram ipsius Misor* (τῆ Μισὼρ) *super Chelon*, &c. Itaque jam proprium, jam appellativum nomen intellexisse videntur. Verùm cùm superiora loca, quæ ex Deut. 4. & Jos. 20. producta sunt, & viciniora sint, & de situ Bosor expressiùs ac particulariùs agant, non omnis eximitur scrupulus, quî fiat hîc ut proprium nomen legi. Sed Græca Regis editio aufert *in solitudine Misor*, id quod etiam ab Hebræis & Chaldæis libris omittitur. Unum ex nostris Latinis antigraphis, O signatum, *Misor* duntaxat tollit, libro Paralipomenon consentaneé: atque hanc hujus versûs partem ità legit, *Civitatem confugii Bosor in solitudine, Jasa, & Cademoth, & Masphaath.* Civitates quas *Jasa* & *Cademoth* appellat, Hebræo, & Chaldæo, ac libro Paralipomenon, similiter, alia exemplaria *Jaser* & *Jethson*, sive *Gethson* nominant. Græca quomodo vocent, superiùs videre licuit. *Pro* Ἰασὴρ autem, *certum est*, inquit Masius, *scribi debere* Ἰασὰ, *ex libro Paralipomenon. Nam* Ἰασὴρ *mox dabitur ex tribu Gad.* Quam *Masphaath* nuncupat superiùs citatum exemplar, multi Latinorum codicum, consonantibus quibusdam Græcis, *Maspha* dicunt. Masius *Mapha* Græcè scribendum docet; atque ità scribit Latina Octateuchus, eximiæ vetustatis & integritatis, quam Patres Societatis Jesu cum multis aliis Mss. nuper à confractione redemerunt. Latina Lovaniensium editio, conformiter Hebræo atque Chaldæo & Paralipomenis, *Mephaath* legit. Tres istæ posteriores civitates, suprà 13. 18. inter possessiones tribûs Rubenis enumerantur. Tostato diversa planè est & mira istius partis lectio: *Bosor in solitudine, Tethson, Misor & Ocho, civitates quatuor cum suburbanis suis.* Nihil mirum quòd tres istas posteriores civitates ignotas dicat, nec cap. 13. recensitas: satis patet corruptam esse lectionem, præsertim quoad medias civitates. Hæc de versûs istius intricatissimi variis lectionibus notata sint.

NOTATIONES IN LIBRUM JUDICUM.

C. 14. v. 9.

NEC tamen voluit eis indicare quòd mel de corpore leonis assumpserat] Ità multi scripti Latini codices cum Hebraicis ac Chaldaicis libris legunt. Epanorthotes, secundùm alios Latinos codices, *Quòd mel de ore leonis assumpserat* legendum censet: mutationem ex Hebræo factam existimat. Sed cur magis ex Hebræo *ore* quàm ex versu præcedenti mutatum est *corpore*? Imò verò id potiùs videtur, Interpretem hoc loco vertisse *corpore*; scriptorem autem substituisse quod præcedenti versu legerat, *ore*, quòd corpus ab ore distingueret, ut fit nonnunquam, ac proinde, quòd de corpore assumpserit, verum esse non statim adverteret; videret etiam vocum affinitatem. Sanè manuscripta nostra, & antiquiora, & correctiora, cum plerisque impressis codicibus, superiori versu *ore*, isto *corpore* legunt. Tostatus etiam disertè annotat, libris nostris priùs *ore*, posteriùs legi *corpore*, cùm Hebræis idem utrobique sit nomen. Atque hac in parte noster Interpres fortè Græcam translationem secutus est: habet enim eodem penè modo, versu octavo, *Et ecce examen apum in ore leonis*; versu nono, *Quòd ex corpore leonis extraxerat mel.* Priori enim loco determinatam corporis partem, quam ænigmatis verba, *De comedente exivit cibus*, significare videntur, Interpretes indicandam censuerunt; [Eandem Josephus corporis partem intellexit,] posteriori, *corporis* seu *cadaveris* vocabulum, quòd conveniret aptiùs, retinendũ judicarunt. Quod Epanorthotes ait, Græcè legi *ore*, de versu præcedenti verum est; sed hoc versu non invenimus: quæ namque

namque consuluimus exemplaria, ὁι τῆς ἕξεως habent, vel, quæ Vaticani codicis lectio est, ὁι τῷ πτώματι. Porrò ἕξις pro *corpore* hoc loco accipitur, quâ significatione apud classicos scriptores reperitur. Duas ob causas videtur Samson, quòd de corpore leonis mel sumpserat, parentibus non indicasse; una fuit, nè mel ex cadavere sumptum abominarentur; altera, nè Thamnatæis, mel in ore leonis pridem filii manibus dilacerati enatum se comedisse narrarent, & explicandi ænigmatis quod proponere constituerat, rationem darent: quam causam postea insinuasse videtur, cùm uxori respondit, *Patri meo & matri nolui dicere; & tibi indicare potero?* Harum causarum utravis, si posteriùs *corpore* legatur, manifestiùs indicatur: & prior quidem, quia corporis sive cadaveris mentio continuò detestationem offert; posterior autem, quia significatur non tantùm non indicasse mel ex ore leonis sumptum, sed nec dixisse ex corpore acceptum. Germana igitur videtur noni versûs lectio; *Quòd mel de corpore leonis assumpserat.*

C.15.v.14. Pleraque exemplaria legunt, *Et sicut solent ad odorem ignis ligna consumi, ità vincula quibus ligatus erat dissipata sunt & soluta.* Duo autem Hentenii, & ex nostris octo, cum textibus qui Glossæ Ordinariæ & Tostato adjecti sunt, *Et sicut solent ad ardorem ignis ligna consumi, ità,* &c. Regium, *Et sicut solent ad ardorem ignis lina consumi, ità,* &c. Manuscriptum K notatum habet in margine *lina*; alterum S notatum ità in textu scribit, ut *una* legere possis, *ligna* non possis. Verisimile omnino est non *ligna* sed *lina* scribendum esse: nam & Hebræi codices & Græci atque Chaldæi ità habent; quibus nec ea est vocum *lina* & *ligna* similitudo, ex qua error irrepsisse videtur. Jos.2.6. legitur ותטמנם בפשתי העץ, *& abscondit eos in linis ligni*, id quod Interpres noster exposuit, *Operuitq; eos stipulâ lini.* Accedit, quòd ad odorem ignis ligna consumi non soleant, neque ad odorem, nisi sensim; id quod hujus loci similitudini non convenit. Itaque probandum videtur quod Complutensia & Clariana Biblia legunt, *lina:* sed an *ardorem* legendum sit, quomodo eadem Biblia cum aliis quibusdam habent, an *odorem*, non satis liquet. Hebraicè legitur, *Et fuerunt funes qui super brachiis ejus tanquam lina quæ arserunt in igne, & dissoluta sunt vincula ejus de manibus ejus.* Noster Interpres sensum eleganter reddidit. Quod autem dixit, *Sicut solent lina consumi*, ei respondere videtur quod Hebraicè est כפשתים אשר בערו, *sicut lina quæ arserunt:* quod addidit, *Ad ardorem*, aut *odorem, ignis*, illi באש *in igne.* Itaque quod Hebraicè dicitur *in igne*, exposuit *ad ardorem*, aut *odorem, ignis:* quapropter ex Hebræo vera lectio colligi non posse videtur. Verùm pro eo quod in Hebræo est כפשתים א׳ב באש, Græcis codicibus legitur ὡσεὶ συντιλον, aut συντιλὶς, ἵνικα ἂν ὀσφρανθῇ πυρὸς, *sicut stuppa quando olfecerit ignem.* An igitur בער *odorari* significet, ut hinc Latinis codicibus *odoris* sit mentio? an potiùs Græci codices, ex versu sequentis capitis nono aut aliunde, corrupti sint? positionem namq; בער hujus significationis esse non comperi. Sanè alter, ut minimùm, Vaticanorũ codicum, ad quos jussu Illustrissimi Domini Granvellani, S.R.E. Cardinalis, Græca Bibliorũ editio Argentoratensis collata est, legit, ὡσεὶ συντὶς ὁ ὀζεκαύθη ὀν πυεὶ, *sicut linũ quod incensum est in igne.* Sed quid ad Chaldæum Interpretem, qui convertit ככיתנא דארח ביה נורא, *sicut linum quod olfecit in se ignem?* ארח enim Aphel est, à ריח, quod *odorari* significat, deductum. Nam & proximo capite pro Hebræo הריח positũ est. Verùm aliis *inflammare* denotat; reddunt enim, *Sicut linum quod inflammavit in eo ignis:* atq; etiam proximo capite similiter. Non potest igitur statui Latinum Interpretem, propter positionem בער, *odorem* reddidisse: attamẽ pleraq; exemplaria nostra, & quidẽ præstantissima quæq;, *odorem* legunt: & certè *odoris* vocabulum hujus loci similitudini aptè cõgruit. Declaratur enim quàm facilè Samson funes novos confregerit, nimirum, sicut ignis linum cõtinuò devorat, si ei vel olfaciendum offeratur: non opus habet ardoris sui flammâ complectatur, atq; integris utatur viribus.

Proximo capite v.9. eadem diversitas est: at eo loci proculdubio *odorem* dixit Interpres. Nam præterquam quòd pleraque Latina exemplaria, & quidem universa nostra, sic legunt, etiam Hebræa & Græca sic habent. An ex eo loco hic mutatus sit, nescio. Abulensis Episcopus utroque loco *odorem* legit.

NOTATIONES IN PRIMUM LIBRUM REGUM.

Cap. 1. v. 24.

ET adduxit eum secum postquam ablactaverat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini.] *Et tribus modiis farinæ*, hæc communis est Latinorum codicum lectio, quam Autor quæstionum Hebr. in libros Regum scriptorum vitio depravatam asserit, legendúmque juxta Hebræa docet, *Et uno modio farinæ.* Sunt autem nonnulla Latina exemplaria in quibus ità legitur, S. Germani parvum, Societatis Jesu rubrum, Sorbonicum correctorium, Textus Glossæ Ord. conjunctus, & Clariana Biblia. Hebraicè est, *Et ephi uno farinæ. Ephi* autem, sive *Epha*, Lat. Interpres aliquando *modium*, aliquando *tres modios*, vertit. *Modium* reddidit Deut.25. 14,15. *Nec erit in domo tua modius major & minor. Modius æqualis & verus erit tibi.* Iterum Jud.6.19. *Coxit hœdum, & de farinæ modio azymos panes. Tres modios* interpretatus est Ruth 2. 17. *Invenit hordei quasi Ephi mensuram, id est, tres modios.* Verba ista, *id est, tres modios*, explicandi gratiâ Interpres adjecit. Chaldæus exposuit *tria sata.* Rursus, Isai. 5,10. *Et triginta modii sementis facient modios tres.* Hebraicè est, *Et semen homer*, sive *Cori, faciet Ephi:* itaque Corum triginta modiis, Ephi tribus definivit interpres. Corus enim, teste Ezechiele, c.45.11. decem Ephi continet, *Ephi* igitur nunc *tres modios*, nunc *modium*, interpretatus est. Sunt enim diversi modii. Atticum modium unum continet Ephi; nam, ut Josephus ait, l.15. Antiq. cap.11. *Corus decem modia Attica habet:* Tres verò modios valet Ephi eorum qui *Sata* dicuntur; Ephi enim trium Satorum mensura est. Satum autem sive מאה Interpreti nostro *modius* dicitur, 4 Reg.7.1. & alibi. Ergò, sive legamus tres farinæ modios Annam apportasse, sive unum, unum Ephi attulisse, ut Hebraicè est, intelligi potest. Non facilè igitur corruptelæ arguenda est lectio ista, *Et tribus modiis farinæ*; imò verò, major librorum consensus eam Interpretis scripturam esse docere videtur: cùm accedat etiam D. Gregorii, V. Bedæ & Angelomi autoritas. Patet autem locum non habere quod Hebraicarum quæstionum Autor dicit; *Si cum vitulis tribus tres modios farinæ obtulit, contra præceptum Legis fecit: nam in Lege præcipitur, non nisi tres decimas cum singulis vitulis offerre,* (Num. 29. 3, 9, 14.) *Unde datur intelligi quòd Elcana non obtulerit tres modios farinæ cum tribus vitulis, sed novem decimas, quibus, secundùm Hebraicam mensuram, unus efficitur Ephi.* Patet, inquam, istud locum non habere si Ephi, ut unius generis unum modium, ità alterius generis tres modios, complecti intelligatur. Et quid si Anna tres modios, h.e. tria Ephi, attulisset? non continuò obtulisset. Potuisset donare sacerdotibus, vel comedere cum familiaribus, quemadmodum tres vitulos adduxisse & unum obtulisse legitur. Autorem Hebraicarum quæst. sequitur Rupertus. Rabanus quoque, cujus in libros Regum commentaria, vetustissimâ manu scripta, Abbas S. Jacobi Leodiensis nobis commodavit. Græci, retento Hebræo vocabulo, transtulerunt hunc locum, *Et Ephi simila.* Chaldæus, *Et Mechilta una farinæ.* Quod hîc *Mechiltam* vertit, alibi *tria Sein*, sive *Sata*, reddidit.

C.3.v.2. Multa Hentenii scripta, multa Parisiensium & nostra pleraque legunt, *Heli jacebat in loco suo:* atque horum lectio genuina videtur, cùm sit etiam Autoris Hebraicarum quæstionum, Gregorii, Rabani, Angelomi, Eucherii, Bedæ, & Glossæ Ordinariæ; cúmque conformis sit Hebræo, Græco atque Chaldæo. Græci transtulerunt,

Et Heli dormiebat in loco ſuo; & Interpres noſter, quod hîc *jacebat*, verſu proximo dicit *dormiebat*. Intelligitur autem, cùm dicitur *in loco ſuo*, locus atrii penitior, in eo enim ſacerdotes dormiebant, quippe qui tabernaculo Domini propinquior eſſet: in poſteriori autem, Levitæ. Lectionem prædictam quidam emendare conati ſunt. Nonnulli ſcripſerunt, *Heli jacebat in lecto*, ſive *lectulo, ſuo:* id enim locus exigere videbatur. Fortaſſis autem marginis explicationem in textum retulerunt: Nam & ſcriptorum noſtrorum unum in textu *loco*, in margine habet *lecto*. Alii ſcripſerunt, *Heli jacebat in domo ſua*. Id quod Toſtatus edifferit, atque ex hoc & eo qui ſequitur loco *Samuel autem dormiebat, &c.* Samuelem Tabernaculo propinquiorem fuiſſe propter ſenium ipſius Heli exiſtimat.

C.3.v.3. *Nec poterat (Heli) videre lucernam Dei antequam exſtingueretur. Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei.* Hæc Latinorum codicum, id quod Epanorthotes teſtatum reliquit, lectio eſt. Eſt & Enarratorum, Rabani ac Toſtati. Exprimitur ſenis Heli miſeria, ut quantopere miniſtro indiguerit declaretur, & Samuelis diligentia commendetur. Significatur autem Heli uſqueadeo oculis caligaſſe, ut nocte ardentem in Tabernaculo Domini lucernam vix, aut non videret: id enim eſſe videtur *antequam exſtingueretur*, nocte cùm arderet. Hic & Rabani ſenſus eſſe videtur, cujus hæc ſunt verba; *Præ nimia enim ſenectute Heli caligaverant oculi, nec poterat videre lucernam Domini cùm arderet in Tabernaculo, antequam lux diurna fieret, quando eadem exſtinguenda erat lucerna.* Eadem habet Angelomus verba: ad ſimilem Eucherius explicat modum. Cajetanus intelligit, Non poterat videre lucernam Dei cùm eſſet prope exſtinctionem: q.d. videbat quidem plenè ardentem lucentémque lucernam Domini; ſed propinquam exſtinctioni minúſque ardentem videre non poterat: ut ſit iſtud dictum ad differentiam ejus quod cap.4.v.15. dicendum erat, Heli oculos finiviſſe, nec quidquam videre potuiſſe. Atque hoc modo non tantùm Latinam lectionem, verùm etiam Hebraicam intelligit, acceptâ ו conjunctione pro *etiam*, *Et poterat videre etiam lucernam*, &c. Quod ſequitur, *Samuel autem dormiebat in, &c.* non eſt intelligendum quòd Samuel dormierit in Sancto ſanctorum, ubi erat Arca Dei, ſed quòd non procul indè dormierit. Autor Hebraicarum quæſtionum, quæ in Hieronymi operibus exſtant, locum hunc legendum docet, *nec poterat videre:* ut hîc diſtinctio ſit, & poſtea inferatur, *Et antequam lucerna Dei exſtingueretur, Samuel autem dormiebat in templo Domini, ubi erat arca Dei. Intelligi autem hoc modo debet*, inquit, *Et antequam lucerna Dei exſtingueretur in templo Domini ubi erat arca Dei, Samuel dormiebat.* Nicolaus Lyranus etiam Latinorum codicum lectionem aliquorum correctorum imperitiâ corruptam putat, primo caſu in quartum mutato, & germanâ diſtinctione ſublatâ. Id quod ſuis conjecturis confirmari poteſt. Nam Gregorium magnum primo caſu legiſſe, *Nec poterat videre lucerna Dei antequam exſtingueretur*, Commentarius loquitur. In cujus rei fidem nonnulla verba adſcribemus. *Lucerna itaque Dei* (habet in Commentario Gregorius) *videre non poteſt, cùm is qui paſtorali dignitate præeminet tantâ ſpiſſitate ſecularis amoris premitur, ut ad interna claritatis intuitum nullâ gratia inſpiratione ſublevetur, &c. Cùm autem antequam exſtingueretur videre non poſſe dicitur, in iſto adhuc ſeculo vivens prædicator reprobus, damnato jam in æternum impio in cæcitate ſimilatur.* Hæc Gregorius, inter alia multa idipſum commonſtrantia. Exemplar D. M. N. Auguſtini Hunnæi H literâ inſignitum, legit, *Nec poterat videri lucerna Dei.* Ecce nominandi caſum *lucerna:* ſed is cùm activo verbo non congruere judicaretur, *videre* in *videri* mutatum eſt. Itaque ex Gregorio & uno MS. Bibliorum exemplari primus caſus habetur ſed cum ea diſtinctione quæ vulgò Latinorum eſt codicum. In exemplari Lovanienſi m litera in dictione *lucernam*, & vocula *autem*, eraſæ, & recentiori manu reſtitutæ cernuntur. Verùm longè facilius pro cujuſque arbitrio diſtinctio mutatur quàm caſus. Lyrano igitur germana noſtræ tranſlationis & lectio & diſtinctio videtur, *Et non poterat videre. Et* [Gregorius,] *lucerna Dei antequam exſtingueretur, Samuel dormiebat*, &c. Utramque lectionem Rupertus explicat. Nam quod Hebraicè legitur, vertas, *nec poterat videre. Et lucerna Dei antequam exſtingueretur, & Samuel dormiens in templo Domini ubi erat arca Dei. Et vocavit Dominus*, &c. Ad eum modum etiam Græci tranſtulerunt, Καὶ οὐκ ἐδύνατο (ἠδύναντο, Gq.) κλίπειν. καὶ ὁ λύχνος τοῦ θεοῦ πρὶν ἢ κατασβεσθῆναι (σβεσθῆναι Gq. cum Procopio Gazæo) καὶ Σαμουὴλ ἐκάθευδεν ἐν τῷ ναῷ Κυρίου, ὅπου Gq. ἦν ἡ κιβωτὸς τοῦ θεοῦ· καὶ ἐκάλεσε, (καλέσαι καὶ ἐλάλησε, Gq.) Κύριος, &c. Videtur autem nonnullis inverſus ordo eſſe, ad hunc conſtruendus modum, *Cùm lucerna quæ erant in templo Domini, ubi erat arca Dei, nec dum exſtincta eſſent, & Samuel adhuc dormiret: Et*, i.tunc, *vocavit*, &c. q.d. Antequam lux diurna fieret, ſeu nocturno tempore, cùm Samuel dormiret, vocavit, &c. Lucernas etenim in Tabernaculo teſtimonii veſperi accendi, & manè exſtingui, Deus juſſerat, ut eſt Exodi 27.21. & Levit. 24. 3. Partem iſtam, *In templo Domini ubi erat arca Dei* Auctor Hebraicarum quæſtionum & alii non ad Samuelem, ſed ad lucernas referunt, ut ſit ordo, ſicut diximus, inverſus. Et quidem ad Samuelem non referendam indicat fortè præcedens in Hebræo diſtinctio athnach, quæ Latinorum colo æquivalet. Chaldæus ad Domini vocem retulit: hæc enim ejus Paraphraſis eſt, *Et lucerna domûs ſanctuarii Domini necdum exſtinguebatur, & Samuel cubans in atrio Levitarum, & vox Domini (audita eſt* Venet.) *è templo Domini, ubi erat arca Domini. Et vocavit Dominus*, &c.

C. 4.v.1. Quod hujus capitis initio in multis exemplaribus legitur, *Et factum eſt in diebus illis, convenerunt Philiſtiim in pugnam*, à multis itidem præteritur. Nam S. Petri Lobienſe, S. Germani longum, Societatis Jeſu longum, Hunnæi O, & cum Complutenſi Regium, locum hunc ità ſcribunt, ut poſt id quod in ſuperioris capitis eſt fine, *Et evenit ſermo Samuelis univerſo Iſraeli*, continuò ſubjungatur, *Egreſſus eſt namque*, &c. (Brugenſi manuſcripto in margine, non in textu legitur,) Hanc antiquorum exemplarium eſſe lectionem Epanorthotes teſtatur, & in marginali Gloſſæ Ordinariæ ſpatio annotatur. Atque hæc antiquorum codicum lectio D. Gregorii & Angelomi autoritate probatur, & Hebraicorum ac Chaldaicorum librorum conſenſu ſtabilitur. Aſſutitium eſt igitur quod aliis exemplaribus addi diximus, *Et factum eſt*, &c. Id quod non obſcurè inſinuat, quam exemplaria conſtanter habent, conjunctio *namque*, *Egreſſus eſt namque*, &c. Quâ probare non voluit Interpres, Philiſtiim in pugnam convenìſſe, ſed proculdubio, quod eſt ſuperioris capitis finis, quæcunque prædixerat Samuel eveniſſe: quod animadvertens Gregorius ſcripſit, *Unde & ordinem quo idem ſermo in univerſo Iſraeli venerit latiùs exponens ait, Egreſſus namque eſt Iſrael*, &c. Aſſuta autem Latinis exemplaribus pars illa videtur ex Græcis: in iis enim ità legitur, *Et factum eſt in diebus illis, & conveniunt Philiſtiim contra Iſrael in pugnam, & egreſſus eſt Iſrael obviàm eis in prælium*, &c. Sed quàm imperitus fuerit ſutor, non tantùm ex eo quod de conjunctione diximus patet.

C. 5.v.6. Hanc ſexti verſûs partem, *Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati ſunt mures, & facta eſt confuſio mortis magna in civitate*, multa Latinorum exemplarium tranſfodiunt, Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis unum, Hentenii duo, Hunnæi duo, Pariſienſium tria, cum Complutenſi, ex quo Regium eſt expreſſum. Lyranus etiam in antiquis non eſſe codicibus teſtatum facit: id ipſum Ordinariæ Gloſſæ margo inculcat. Cardinalis Beſſarionis codex, in margine, non addendam monet. Proinde Epanorthotes inter *Et percuſſit in ſecretiori parte natium Azotum & fines ejus*, & *Videntes autem viri Azoti*, nihil interponendum docet. Profectò neque Hebræa quidquam inter-

interjiciunt, ut nec Chaldæa. Græcus etiam Regiorum Bibliorum textus nihil admittit. Sed alii codices Græci interserunt, *Et per medium regionis eorum pullularunt mures, & facta est confusio mortis magna in civitate.* Hinc fortè desumptum est illud quod multis hodie Latinis codicibus additur, *Et ebullierunt villæ*, &c. & primùm quidem, commentarii loco, margini adscriptum; postea verò textui mixtum, ut Lyranus & Tostatus existimant. Similia enim cùm innumeris locis acciderint, hoc ipso loco meridianâ luce manifestius est de eo quod in exemplaris Collegii Trilinguis & medii codicis Plantini textibus legitur, *Percussit eos Dominus passione quam Græci Sirinnium (Fratigium*, Tr.) *vocant.* Et quidem Plantini codex bis id habet; in fine quinti, & iterum in fine sexti versûs, Trilinguis, posteriori duntaxat loco.

Proximè seq. capitis v. 5. legitur, *Facietísque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium qui demoliti sunt terram:* hujus, & eorum quæ de murium figuris hîc dicuntur, occasione, existimatum videri potest superiùs, ubi sedis vitiis percussi Azotii commemorantur (is est cap. 5. v. 6.) eam desiderari plagam quæ muribus è terra productis terram perdidit, h. e. gignendis frugibus ineptam fecit. Porrò id quod Latinis libris additum est, non eodem ab omnibus loco legitur. Plerique ei plagæ quæ secretiores natium partes afflixisse narratur subjiciunt; octo præponunt, hoc modo, *Aggravata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos. Et ebullierunt villæ & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis in civitate. Et percussit in secretiori parte natium Azotum & fines ejus. Videntes autem viri Azotii*, &c. quomodo & apud Rupertum legitur. Longum autem Societatis Jesu manuscriptum collocat ante *Aggravata est:* ità ut vel hinc liceat conjicere adjectitium istud esse. Primus autem ordo Græcis libris conformior est. Legunt pleraque nostra manuscripta *confusio mortis magna*, conformiter libris Græcis: Nonnulla verò *magnæ* habent; quædam neutrum; tantùm *confusio mortis* scribunt.

C. 9. v. 25. *Et locutus est cum Saule in solario. Cúmq; manè surrexissent.*] Ità legendum est. Nam quod interjicitur, *Stravitque Saul in solario, & dormivit*, non solùm non habent Hebræi codices & Chaldæi, sed nec Latini. D. Donatiani unus, S. Germani duo, Hentenii duo, Hunnæi quatuor, Plantini unus, Regius ex Complutensi, Textus adjunctus Glossæ Ordinariæ. Bessarionici codicis margo prætermittendum monet. Denique Corrector in antiquis libris non haberi testatur: & V. Beda, hunc locum edisserens, non legit. Cæterùm Interpretes Græci, pro eo quod Latinus transtulit, *Et locutus est cum Saule in solario. Cúmq; manè surrexissent*, reddiderunt, *& stravit* (vel, ut habent Græca exemplaria, *straverunt*) *Sauli in solario, & dormivit*; fortè quòd paulò aliter legerint. Nam verbo רבד, quod *loqui* significat, non est figurâ absimile רפד, quod *sternere* denotat. רבץ etiam, conjugatione quintâ, *sternere* est. Itaque qui quod Græcè legitur Latinis libris addiderunt, duas ejusdem sententiæ translationes conjunxerunt. Quidam autem acceptam duntaxat partem addiderunt. Nam B. & I. legunt, *Et locutus est cum Saul in solario, & dormivit.* Nisi id factum sit quòd scriptores inter easdem voces media, errore præterierint. D. Gregorius legit, *Stravítq; Saul* (*sibi* subaudit) *& dormivit.* Sed fortasse, cum nonnullis exemplaribus Bibliorum *in solario* subjungendum est. De solario scribit Suniæ & Fretelæ Hieronymus circa Psal. 101. *In Palæstina & Ægypto, ubi vel scripti sunt Divini libri vel interpretati sunt, non habent in tectis culmina, sed domata, quæ Romæ vel* solaria *vel* mœniana *vocant, i. plana tecta, quæ transversis trabibus sustentantur.*

C. 10. v. 2. *Cùm abieris hodie à me, invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel, in finibus Benjamin, in meridie: dicéntque tibi, Inventæ sunt asinæ.*] *(In) meridie, dicéntq; tibi*, ità legunt scripta M.N. Hunnæi tria, Cathedralis Ecclesiæ Brugensis unum, Societatis Jesu unum, Cœnobii Lobiensis unum, Atrebatensis Collegii alterum, & typis excusi libri plurimi. Eam correctiorum exemplarium esse lectionem, Nicolaum scripsisse Tostatus refert. Sic Beda legit: atque ità legendum Epanorthotes docet. Multi autem libri addunt nonnihil; *In finibus Benjamin, (in) meridie, salientes magnas foveas, dicéntque tibi.* Leodiensi codici conspicitur additum. K. quibusdam deesse indicat. Atque his vult S. Gregorius; & Græca Regis editio, ἐν τοῖς ὁρίοις Βενιαμὶν, μεσημβρίᾳ, ἀλλομένους μεγάλα. καὶ ἐροῦσί σοι. Germanorum verò editiones Græcæ, cum Aldina, legunt ἐν τῷ ὄρει Βενιαμὶν, ἐν Σηλὼ, ἐν Βακλαθ, ἀλλομένους μεγάλα· καὶ ἐροῦσί σοι. Hebraicè est בגבול בנימין בצלצח ואמרו אליך, quod est, *in termino Benjamin, in Selsach, & dicent ad te.* Eodem modo Chaldaicè legitur. Patet hinc in primis Græcè non, ἐν τῷ ὄρει, sed ἐν τοῖς ὁρίοις legendum esse. Patet deinde ἐν Σηλὼ, Germanicis editionibus superfluere. Porrò, legendúmne sit ἐν Βακλαθ, an potiùs μεσημβρίᾳ, non ità liquet. Fortassis neutrum legendum est: addita fortè sunt ista interpretationi ἐν ἱερουσαλὴμ ex aliis translationibus, Græcis Latinísve. Codex enim Vaticanus neutrum legit; tantùm ἐν τῷ ὄρει Βενιαμὶν, ἀλλομένους μεγάλα. καὶ ἐροῦσί σοι. Itaq; quod Hebraicè est בצלצח, LXXII reddidisse videntur ἀλλομένους μεγάλα *saltantes grandia*, vel, *saltantes magnopere.* Nam צלח (id quod perquam simile ei est quod Hebraicè legitur) *saltare* significat, ut & ipsi hujus capitis sexto & decimo versibus reddiderunt: μεγάλα autem explicationis gratiâ adjecerunt. Quod ergò Latinis quibusdam codicibus additur, *salientes magnas foveas*, ex Græca sumptum translatione videri potest, additâ *fovearum* mentione exponendæ sententiæ causâ. Latinus namque Interpres, quod LXXII vertisse dixi *saltantes magna*, transtulisse videtur *(in) meridie*: sed quâ ratione mihi non constat. Attamen, si conjecturis uti fas est, dicam id quod videtur. צל *umbram*, צח *clarum* denotat. Fortassis igitur voce צלצח *meridiem* significari intellexit Interpres, quòd meridie umbra parva sit, minúsque obscura, aut nulla, ità ut clarus sit aer & splendidus, qui manè ac vesperi est umbrosus. Eandem ob causam meridionalem plagam intellexisse potuit, quòd in plaga mundi meridionali minores minúsque obscuræ sint umbræ. Nam mediúmne diem, an meridionalem plagam intellexerit, non liquet satis. Quidam enim codices *meridie* legunt, conformiter Bedæ & Græcæ Regis editioni, quæ habet μεσημβρίᾳ, ut sensus sit, Circa diei istius medium invenies viros duos. Alii autem, similiter Gregorio, *in meridie* habent, quod Hebræo similius est: atque ejus sensus commodus est, Non procul à sepulcro Rachel, circa meridionalem partem finium Benjamin, viros duos invenies, &c. Nam sepulcrum Rachel erat in parte hereditatis Judæ aquilonari, non procul à sortis Benjamin parte australi. Porrò id quod noster Interpres *in meridie* transtulit, alii ut nomen proprium interpretantur, *in Selsach.* Atque hujusmodi interpretationem Græci codices referunt, quibus ἐν Βακλαθ legitur, corruptè, opinor.

C. 14. v. 41. *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel, Domine Deus Israel, da.*] Nonnulli codices omittunt Saulis nomen, sed minùs rectè, cùm & Hebraicis libris & Græcis & Chaldaicis addatur. Nonnulli prætermittunt *Deum Israel.* Alii transfigunt *Deum Israel, Domine.* Alii rursus confodiunt *Domine Deus Israel.* Harum lectionum posteriores duæ Hebræo & Chaldæo consonant: utrovis enim modo transferas licet. Verumenimvero parvi refert quo istorum trium modorum legas; sive, *Et dixit Saul ad Dominum, Domine Deus Israel, da*, quo modo Corrector legit; sive, *Et dixit Saul ad Dominum, Deus Israel, da*, quo modo in Cardinalis Bessarionis antigrapho legendum notatur; sive, *Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel, Da*, quæ D. Gregorii lectio est. Pluris referunt quæ sequuntur.

Deinceps quidam codices habent, *Da sanctitatem, & deprehensus est Jonathas:* sic Hentenii unus, Parisiensium duo, atque ea vetera exemplaria quæ Glossæ Ordinariæ

margo significat. Alii, *Da judicium* (vel *indicium*) *& deprehensus*, &c. sic Textus Regii operis Latinus, exemplar Societatis Jesu longum, manuscriptum insignis Ecclesiæ D. Donatiani Brugensis, aliud præclaræ Abbatiæ Lobiensis, & antiquiores Epanorthotæ codices. Sic & Græcus Regii operis textus, si *indicium*, cum Lobiensi, Brugensi & aliis multis exemplaribus legas: habet enim, καὶ ὅτε Σαὺλ, Κύριε ὁ Θεὸς Ἰσραὴλ, δὸς δήλως, καὶ καταλαμβάνεται, καὶ τὰ ἐξῆς. Videntur autem duæ istæ lectiones duæ esse translationes ejus quod in Hebræo est הבה תמים ויל' וגו', quod ad verbum reddas, *Da perfectionem, & deprehensus*, &c. Sensus est, Fac sortem provenire pro rei veritate. Chaldæus reddidit, *Fac venire eum in veritate*: q. d. Fac ut sors in eum qui peccavit cadat. Sic quod prior Latinorum codicum lectio habet, *Da sanctitatem*, significat, Ostendas, quæso, sorte hâc qui sint innocentes: Quod posterior, *Da judicium*, vel *indicium*, Manifestes, obsecro, nobis judicium tuum, cujus iniquitate offensus consulenti non respondendum judicaveris: vel, Prode eum quem iniquum judicas. Designet sontem sententia tua, quem interficiamus. Utra autem istarum lectionum Latini Interpretis translatio sit, statui non facilè potest. Posteriorem (*Da judicium, & deprehensus*) Bibliorum Bessarionis margo comprobat. Eandem Lyranus & Epanorthotes Latini textûs germanam esse lectionem docere videntur: sed prioris non meminerunt. Tertia est enim Latinorum codicum lectio, quam minùs probant, hæc nimirum, *Da judicium, quid est quòd non responderis servo tuo hodie? Si in me aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem. Aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus*, &c. [Adjecta sunt hæc in altero latere manuscripti Brugensis.] Lectio ista (quam D. Gregorius & habet & interpretatur) ex superioribus duabus, multísque præterea verbis rem explicantibus, conflata est. Verùm cùm in Hebraicis & Chaldaicis libris, quibusdam etiam Græcis & antiquis Latinis, non habeantur, meritò ad Interpretis nostri textum non pertinere judicantur. Sumpta autem ex Græca translatione, sive LXXII senum, sive aliorum, videntur. Nam in Græco quidem Regiæ editionis textu non habentur: sed in aliis editionibus hoc modo leguntur, *Et dixit Saul, Domine Deus Israel, quid, quòd non respondisti servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonathan filio meo, iniquitas, Domine Deus Israel, da manifestos. Et si hæc dicas, da igitur populo tuo Israel, da igitur sanctitatem. Et deprehensus*, &c. Notandum est autem, initio Græcæ istius lectionis, non haberi quod in Latinis codicibus habetur, *Da judicium*, vel *indicium*, ut eo verisimilius sit id à Latino Interprete translatum. Pars postrema productæ lectionis Græcæ non parùm ab ea discrepat quæ in Latinis codicibus legitur; *Aut si est in populo tuo hac iniquitas, da sanctitatem.* Sed sunt Latina quædam exemplaria quæ Græcam sententiam suâ hâc lectione redoleant; *Aut si ità est in populo tuo hac iniquitas, da sanctitatem.*

C. 21. v. 7. *Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul.*] Subjiciunt libri quidam, *hic pascebat mulas Saul.* Sed id, Alphonso Tostato & Nicolao Lyrano testibus, in libris correctis non est; Hentenii antigrapha quinque non legunt; Parisiensium sex omittunt; 14 nostra prætereunt; Regia editio non agnoscit; Ordinariæ Glossæ spatium marginale aliàs non haberi testatum facit; V. Beda Latinè se non legisse etiam in commentariis indicat; Hebræus textus confodit; Chaldæus transfigit. Rectè itaque censuit, post Abulensem Episcopum & nostrum Epanorthoten, Dominus Hentenius, Latinis codicibus non addendum. Et quomodo mulas pascere potentissimo seu principi pastorum Saul conveniat? Legitur in Græcis libris (nam ex ejus Latinis adjectum est) sed pro eo quod habemus nos, *potentissimus pastorum Saul*: quod enim, juxta Hebraicam veritatem, Interpres noster transtulit, *potentissimus pastorum Saul*, Græci dixerunt νόμων τὰς ἡμιόνους Σαὺλ. Itaque duplici de causa arguendi sunt qui quod Græcè legerunt, *Pascens mulas Saul*, Latinis codicibus adjecerunt. Una est quòd Latinam versionem, quæ ex Hebraico fonte hausta est, ex Græca interpretatione & emendare & mutare voluerint; altera, quòd imperitè diversas ejusdem sententiæ translationes conjunxerint. Hujusmodi autem ut frequenter accidisse videmus, ità ab initio accidisse verisimile est. Quæ enim ante nostri Interpretis ex Hebræo translationem animos omnium occupaverant Latina de Græcis expressa, quis dubitet, quâdam præjudicatâ confirmatâque opinione, hominibus qui nullum adhibere judicium ipsi possent, Hebraicæ linguæ prorsus rudes, integriora & sinceriora existimata? Et, si non in eorum quæ Interpres noster reddiderat locum passim suppositа, aut, cùm eum subterfugisse vel deesse quacunque ex causa putarentur, addita; at certè hîc illic margini adscripta: unde pòst, librariorum errore, magna sit nata scripturæ confusio? Quamobrem mirandum non est si etiam ab antiquis Patribus, Gregorio, Rabano, Beda & aliis genuina nostræ translationis scriptura aliquando lecta non sit. Semel admonitum fit, quod ignorare non debet qui germanam nostræ versionis lectionem velit dignoscere. Nunc ad eam lectionis diversitatem quam sumpseramus examinandam redeamus. Id quod Latinum & Græcos Interpretes diversis illis modis transtulisse diximus, hoc est quod Hebraicè legitur אביר הרעים אשר לשאול, *ABBIR, fortem, potentem, principem* significat. Itaque reddidit Interpres Lat. & post eum alii, *potentissimus pastorum Saul*: ut significetur, Doeg iis præfectum fuisse quibus pecudum greges atque armenta quæ Rex possidebat commissa erant. Ad eum modum & Chaldæus Paraph. interpretatus est: *Magister*, seu *præfectus*, *pastorum qui Sauli.* Significat autem *ABBIR* etiam *taurum*, à *foritudine* hîc appellatum. An eandem ob causam Græcis פרד, i. *mulum*, significarit, ut hinc interpretati sint *pascens mulas Saul*, equidem ignoro. Sed quàm indignum sit primario Regis ministro, aut mulas, aut pecora quæcunque, pascere. Nam versu proximi capitis nono primus inter Saulis servos Doeg fuisse dicitur. Verùm & ibi reddiderunt Græci, ὁ καθεστηκὼς ὀπὶ τὰς ἡμιόνους Σαὺλ, *qui constitutus erat super mulas Saul*, cùm mularum nulla Hebraicè mentio sit (non enim aliud habetur quàm ויהוא נצב על עברי שאול, *& ipse constitutus super servos Saul*) nisi quis per *servos*, aut (ut legi atque intelligi potest) *servientes*, mulas intelligat, quòd ferendis oneribus serviant. Hujusmodi quid illi fortassis voluerunt, eò quòd capite præcedenti transtulissent, *pascens mulas Saul.* Hos autem Josephus secutus est lib. 6. Antiq. cap. 13. Doech enim *Syrum*, & *pastorem mularum Regis*, vocat.

NOTATIONES IN SECUNDUM LIBRUM REGUM.

CAP. 4. V. 5.

INgressi sunt fervente die domum Isboseth, *qui dormiebat super stratum suum meridie.*] Subjungunt Latini libri plerique, *& ostiaria domûs, purgans triticum, obdormivit* [& Atreba.] id quod exemplaria, Complutense, & Regium, & S. Germani parvum, non habent. In margine Glossæ Ordinariæ obelo prænotatum est. In codice Cardinalis Bessarionis subductâ lineâ signatum. Annotat Episcopus Abulensis quibusdam Bibliis additum esse. Existimat enim interlinearem glossam fuisse, quæ ut declararetur quomodo patuerit Baanæ & Rechab ingressus in domum Isboseth, priùs fuerit adscripta, & postea, librariorum imperitiâ, textui commixta. Sanè nec in Chaldæo nec in Hebræo textu legitur. Sed in Græcis exemplaribus luculenter & constanter habetur. Ad hunc enim modum exempl. Græca legunt, *Et ipse dormiebat in cubili meridiei*, vel *meridie. Et ecce ostiaria domûs purgabat triticum, & dormiturivit, & dormiebat: & Rechab & Baana frater ejus præterierunt*, vel (ut legit, cum Vaticano codice,

codice, R. gius) *latuerunt*. Videtur idipsum hoc loco accidisse quod proximè præcedenti loco observavimus, nimirum Latinam Hieronymi & Græcam Septuagintaduorum interpretationes in Latinis libris imperitâ temeritate conjunctas. Nam quod Hieronymus reddidit, *Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici, & percusserunt eum in inguine Rechab & Baana frater ejus, & fugerunt*, id Lxxii transtulisse videntur, *Et ecce ostiaria domûs*, & deinceps, uti jam produximus. Non aliud enim Græcè legitur quod Hebræo versui, quem ad illum modum Latinus interpres transtulit, respondeat; nec aliud Hebraicè, quod Græcæ isti translationi conveniat. Videntur igitur ejusdem sententiæ diversæ translationes esse, Latina illa, & Græca ista: sed Latina quidem Hebraicorum verborum significationi optimè congruit, Græca autem mirum in modum discedere videtur. Hoc enim modo Hebraicè est, והנה באו עד תוך הבית לקחי חטים ויכהו אל החמש ורכב ובענה אחיו נמלטו, id quod ad verbum reddas, *Et ecce ingressi sunt usq; ad medium domûs, accipientes frumenta, & percusserunt eum in quinta*, (costa) *& Rechab & Baana frater ejus evaserunt*. An aliter Hebraicè legerint Lxxii Interpretes, nescio: veruntamen non usque adeò translatio eorum difformis est quin vestigia servet, quibus pateat satis, Hebræum illum versum ab ipsis hoc modo redditum, à Latino autem Interprete modo altero. Unde fit verisimile, non Latini interpretis, sed Græcorum translationem esse, quod plerisque Latinorum codicum additur, *Et ostiaria domûs purgans triticum obdormivit*.

Id quod sequitur, ab Interprete nostro translatum, *Ingressi sunt autem domum latenter assumentes spicas tritici*, undecim ex scriptis nostris, emendatissima quæque, inverso ordine legunt, *Assumentes autem spicas tritici latenter ingressi sunt (domum.)* Atque hoc ordine, juxta antiquos codices, legendum censet Epanorthotes: quanquam enim prior verborum series ei quæ Hebraicè est conformis sit, putat tamen Interpretem assumptas ab eis spicas maluisse dicere, antequam ingressos commemoraret, ut fraudulentam ingressûs occasionem priùs insinuaret. Nam spicas tritici assumpserant ut, cùm domum ingrederentur, nihil mali meditari, sed Regi, honoris causâ, benedictionem adferre putarentur. Sed alii intelligunt, quòd ingressi spicas assumpserint. Hebraicè tantùm est *sumentes frumenta*: quod, subauditâ similitudinis notâ, Chaldæus exposuit, *Ut emptores frumentorum*; q.d. habitu & specie mercatorũ frumenti penitiorem domûs partẽ ingressi sunt. Quinque ex undecim illis exemplaribus, Societatis Jesu longum, Hunnæi O, Brugense, Lobiense, & Leodiense, præstantissima certè, omittunt *domum*, quod & Epanorthotes confodisse videtur: quanquam & Hebræis codicibus & Chaldæis, necnon Græcis, *domûs* mentio fit. Unum antigraphum Parisiensium & duo Hentenii transfigunt *latenter*; nec in Hebræo expressè habetur: sed Interpres *domum* fortè subticuit, & *latenter* dixit, pro eo quod Hebraicè est, Et *ecce* ingressi sunt *usque ad medium domûs*, ut sensus sit; Observante nemine ingressi sunt. Certè nostri codices, cum Tostato & Epanorthote, *latenter* non omittunt.

Locum istum, Eucherii, Angelomi, & Rabani textus hoc ordine modóque legunt, *meridie. Ingressi sunt autem domum, & ostiaria domûs purgans triticum obdormivit. Assumentes spicas* [*autem* Atrebat.] *tritici latenter ingressi sunt, & percusserunt*, &c. similiter, exemplar Atrebatensis Collegii sericatum, scribit. Alterum verò habet, *meridie. Ingressi sunt autem domum assumentes spicas tritici: latenter ingressi sunt, & ostiaria domûs purgans triticum, & obdormivit, & percusserunt*, &c. Ecce, inter alia, aliis atque aliis locis collocari illam Septuagintaduorum translationem.

C. 6. v. 6. *Postquam autem venerunt ad aream Nachor.*] Sic, cum plerisque Latinis libris, quidam Græci. Hebraicè autem est *Nachon*, quo modo Hieronymus libro De locis Hebraicis legit; & Rabanus, in hujus loci commentariis, quanquam semel & iterum mutarit aliquis posteriorem syllabam. Angelomi commentarius, idem qui Rabani, *Nachon* habet. Inter codices Scripturæ, Latinos quidem, sic legunt S. Germani parvus, Romanum Breviarium ex decreto SS. Concilii Tridentini restitutum, & Glossæ Ordinariæ textus; Græcos, Regius ex Complutensi. Sic planè habuit in Hebræo Aquila: vertit enim, Hieronymo teste, *aream præparatam*. Sic & Chad. Paraphraseos autor: nam exposuit עד אתר מתקן, *usque ad locum paratum*. Non enim נכור *paratum* significat, sed נכון. Est verò facilis lapsus Latinis ex *n* in *r*, Græcis ex ν in γ; non ità Hebræis ex ר in נ. Accedit, quòd scribis notior fuerit *Nachor* quàm *Nachon*. Itaque Alphonsus Abulensis *Nachon* scribendum censet. Quæ autem hîc dicitur *area Nachon*, 1 Par. 13. 9. dicitur *area Chidon*.

Sequitur in S. Scripturæ textu, *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves.* Quod subjungunt plerique codices, *& declinaverunt*, vel *declinaverant, eam*, nonnulli jugulant. S. Dionysii oblongus, S. Germani parvus, D. Donatiani, Regius, Leodiensis etiam codex initio omiserat: videntur & Rabanus, Eucherius atque Angelomus non legisse. Et sanè non aliud Hebraicè est quàm כי שמטו הבקר, quod verti potest &, *Quoniam calcitrabant boves*, &, *Quoniam declinabant boves*. Itaque vel altera translatio Latini Interpretis translationi assuta est (id quod manuscriptum Collegii Trilinguis exemplar indicare videtur: nam ad hunc habet modum, *Quoniam calcitrabant boves, & tenuerunt eam, aliàs declinaverant eam*) vel Interpres, explicationis majoris gratiâ, utramque dedit; id quod Cajetanus annotat (quanquam parùm Latinè dictum sit *declinaverunt eam*, pro *inclinaverunt eam*) q. d. Quoniam calcitrando dejecturi videbantur Arcam in terram. Ad hunc ferè modum 1 Par. 13. 9. ubi eodem planè modo legitur, vertit, *Bos quippe lasciviens paululùm inclinaverat eam*. Lxx reddiderunt, *Quoniam circumflexit* [*inclinavit* 1 *Par.* 13.] *eam vitulus*. Targum habet, *Quoniam agitabant eam boves*. *TARGUM* autem idem est Chaldæis quod *PARAPHRASIS* Latinis.

C. 6. v. 12. *Dixitque David, Ibo & reducam Arcam cum benedictione in domum meam.*] Sententiam istam multi Latinorum codicum prætermittunt; nostri quatuor, Hentenii duo, Parisiensium quatuor, Epanorthotæ antiquiores & satis antiqui, ut loquitur. Margo Glossæ Ordinariæ obelo confodit. Margo codicis Bessarionis non addendam monet. In Hebraicis & Chaldaicis libris non legitur: in Græcis à me non reperitur. Sed Epanorthotes Græcum dicit habere, *Et dixit David, Convertam benedictionem in domum meam*. Verùm, juxta superiorum codicum autoritatem, nobis legendum docet, *& omnia ejus propter arcam Domini. Abiit ergò David*: nam quod solet interjici, ad textum minimè pertinere. Est proculdubio additum, & quod Latinè legitur, & quod Græcè Epanorthotæ lectum est, eò quòd hujusmodi quid à Davide, audito illo nuncio, dictum, vero non sit absimile; cogitatum autem, certum.

C. 6. v. 12, 13, & 14. Id quod in multis exemplaribus legitur, *Et erant cum David septem chori & victima vituli*, à multis itidem tollitur; duobus Hentenii, nostris quinque, quinque Parisiensium, quibus Complutense comprehenditur. K. indicat à quibusdam omitti. Lyranus dicit in correctis libris non exstare. Margo Glossæ Ordinariæ notat in antiquis codicibus non reperiri. Tostatus scribit communiter in Bibliis non haberi. Neque in Hebræo aut Chaldæo legitur ad hunc modum. Quamobrem censent Lyranus & Epanorthotes ad Interpretis nostri textum non pertinere. *Sumptum est de Græco*, inquit Epanorthotes. Græci namque codices hoc legunt modo, *Et erant cum eo, portantes arcam Domini, septem chori, & victima vituli & agni*. Id quod ex eo ipso fonte haustum videtur ex quo Latinus transtulit; *Cumque transcendissent* [*transissent* 1 *MS.*] *qui portabant arcam Domini,*

ſex paſſus, immolabat [*immolabant*, 17. MS. R.] *bovem & arietem.* Eſt autem hæc Latini tranſlatio fonti longè conformior: ſic enim habet, ויהי בי צערו נשאי ארון יהוה ששה צעדים ויזבח שור ומריא, i. ut verbum verbo reddamus, *Et fuit, cùm inceſſiſſent portantes arcam Domini ſex inceſſus, & immolavit bovem & pingue.* Itaque etiam hoc loco Græca interpretatio noſtræ, quaſi mutilæ, ab indoctis adjecta eſt.

מריא quidam *bubalum*, quidam omne *pecus pingue*, ſignificare exiſtimant. Santes Pagninus *bubalum* hoc loco interpretatus eſt. Chaldæus paraph. *pinguem* reddidit; *Et fuit cùm portaſſent arcam* [*portantes* Ven.] *Domini ſex paſſibus, & mactavit bovem & pecus pingue.* Sic & Lat. Interpres aliquando tranſtulit; aliquando etiam *ovem* interpres eſt (Iſaiæ 11. 6.) hoc loco *arietem* dixit: nam quod quidam addunt *& ovem (immolabat bovem & ovem & arietem)* cum Rabano, Angelomo atque Eucherio, plurimi codices auferunt, duo Hentenii, quatuor Pariſienſium, unus & viginti noſtri, antiqui Epanorthotæ. Lxx *agnum* hoc loco reddiderunt: Et fortaſſe verius nihil quàm *aries* hoc loco intelligatur. Nam in Paralipomenis diſertè habetur, *Cúmque adjuviſſet Deus Levitas qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur ſeptem tauri & ſeptem arietes.* Quo ex loco etiam id colligere licet, quod quidam annotant, hîc in libris Regum, ubi dicitur *bovem & arietem*, ſingularem numerum pro plurali accipiendum.

Sequitur in libris multis, *Et David percutiebat in organis armigatis, & ſaltabat totis viribus ante Dominum.* Rurſus alii libri transfodiunt iſta, *Percutiebat in organis armigatis, &*, legunt enim, *Et David ſaltabat totis viribus ante Dominum.* Sic Brugenſe manuſcriptum, Lobienſe, Societatis Jeſu exemplar unum, D. Hunnæi duo, D. Hentenii duo, Pariſienſium tria, antiqua Correctorii & marginis Gloſſæ Ord. Sic etiam codex Regius, & inter Enarratores Toſtatus. Sumptum eſt autem etiam iſtud ex Græca tralatione, & adjectum noſtræ, cùm minimè deſit. Nam quod Græci tranſtulerunt, *Et David pulſabat* in [*dicens* Gq.] *organis armigatis coram Domino*, id Latinus reddidit, *Et David ſaltabat totis viribus ante Dominum.* Chaldæus interpretatus eſt, *Et David laudabat omni fortitudine ante Dominum.* Verbum כרכר Chaldæus *laudare*, Latinus *ſaltare*, Græci *pulſare* reddiderunt, etiam verſu capitis iſtius decimo ſexto; interpretationibus diverſis quidem, ſed non adverſis. Simul enim & ſaltavit coram Domino David, & pulſavit, & laudavit: pede, manu, ore lætitiam cordis indicans, & gloriam Domini celebrans. Sed commiſcendæ non fuerunt diverſæ interpretationes. Ut autem diſcernantur quæ ſemel & iterum eodem hoc loco in Latinis libris mixtæ ſunt, Latini & Græcorum tranſlationes ſubjiciemus, ſeorſum quæ Græcorum, ſeorſum quæ Latini tranſlatio ſit. Græcorum igitur tranſlatio eſt, *Et abiit David, & reduxit arcam Domini ex domo Obededom in civitatem David in lætitia. Et erant cum eo portantes arcam Domini ſeptem chori, & victima vituli & agni. Et David percutiebat in* [*dicens* Gq.] *organis armigatis* [ἡρμοσμένοις] *coram Domino, & ipſe* [*David* Gq.] *induitus ſtolam eximiam.* Latini autem interpretatio eſt, *Abiit ergò David, & adduxit arcam Dei de domo Obededom in civitatem David cum gaudio. Cúmque tranſcendiſſent qui portabant arcam Domini, ſex paſſus, immolabat* [*immolabant* Brug. Lob. H. O.] *bovem & arietem, & David ſaltabat totis viribus ante Dominum. Porrò David erat accinctus ephod lineo* [*lineum*, Brugenſe. In Lob. utraque lectio indicatur.] Atque hoc planè modo legunt Brugenſe, Lobienſe, & M. N. Hunnæi exemplaria H. & O. Leodienſe, vix dubium eſt eodem legiſſe modo: ſed Corrector, aut corruptor potiùs aliquis, univerſam priorem hujus loci ſcripturam eraſit, & minutioribus atque arctioribus literis eam lectionem ſubſtituit quæ in vulgaribus eſt codicibus. Ità ſuſtulit pleriſque in locis ex hoc codice veram antiquorum codicum lectionem. Inter Latinos libros, quibus illud de organorum pulſatione ex Græco additum eſt, quidam (quatuor noſtri L. P. Atr. Col.) omittunt *armigatis*: ſed, niſi cum tota ſententia, omitti non debet. Reſpondet enim ei quod Græcè eſt ἡρμοσμένοις, i. *adaptatis, temperatis, conſonis.* Gloſſa Ord. & Lyranus *armigatis* exponunt, *ad armum ligatis, portatilibus.*

C. 7. v. 23. *Quæ eſt autem ut populus tuus Iſrael gens in terra, &c. quem redemiſti tibi ex Ægypto, gentem & Deum ejus?*] Hæc multorum codicum lectio eſt. Alii legunt, *Quem redemiſti tibi ex Ægypto, gente & Deo ejus?* Sic unus Plantini, duo Hentenii, quinque Hunnæi; ſic antiqui Epanorthotæ; ſic denique Gloſſa Ordinaria & Alphonſus Toſtatus. Duo Pariſienſium exemplaria habent, *Quem redemiſti tibi ex Ægypto, gentibus & diis ejus.* Manuſcriptum Hunnæi I. notatum in textu legit *gentem & Deum ejus*; in margine habet, vel *gente & Deo ejus*, vel *gentibus & diis eorum.* Itaque univerſas tres lectiones indicat, quanquam à tertia nonnihil diſcedat. Hebraicè eſt אשר פדית לך ממצרים גוים ואלהיו, id quod tribus ſuperioribus modis interpreteris licet, quanquam qui tertiæ lectionis eſt modus Hebraicis verbis proximè accedat, maximè propter illud *gentibus.*

Si ut prima habet lectio transferas, pluribus modis intelligi poterit. Uno, *Quem liberaſti ex Ægypto, percutiens gentem*, ſive *gentes, & Deum*, ſive *Deos, ejus*, Ægypti. Nam & in diis Regéque ac Principibus eorum exercuerat ultionem, Num. 33. 4. Hunc ſenſum in ipſo Scripturæ textu Collegii Atrebatenſis exemplar ſcriptum exprimit. Ità habet, *Quem redemiſti tibi ex Ægypto, percutiens gentem & domum ejus:* in quo duo vitia ſunt; unum, quòd cum textu mixtus ſit commentarius; alterum, quòd *Deum* mutatum ſit in *domum*, occaſione, ut veriſimile eſt, Græcæ tranſlationis. Miris modis locus iſte, quia non eſt intellectus, corruptus eſt. Altero modo intolligas, *Quem liberaſti ex Ægypto, gentem* Iſraeliticam *& ducem ejus* Moſen, vel, in plurali numero, *gentes* Iſraelis (erant enim plures tribus atque familiæ) *& judices*, ſive *primores, earum.* Tertio modo explices, *Gentem* Iſraeliticam, *&* te *Deum ejus.* Nam quaſi affligitur Deus cùm ii quos amat affliguntur. Quarto modo exponas, ſubaudito *ejiciendi* verbo, ex 1 Par. 17. *Ut ejiceres*, vel *ejiciendo, gentem & Deum ejus* (ſingularia pro pluralibus, gentes terræ Chanaan & deos earum) *à facie populi tui, quem redemiſti ex Ægypto.* Ad hunc modum Lxx11 tranſtulerunt, *Ut ejiceres tu à facie populi tui quos redemiſti tibi ipſi ex Ægypto, gentes & tabernacula.* Senſus eſſe videtur, *Ut ejiceres gentes* terræ Chanaan, *&* earum *tabernacula, à facie populi tui, quem redemiſti ex Ægypto.* Atque hic hujus loci ſenſus proximè Paralipomenis accedit, in quibus hæc ipſa Davidis verba ad hunc leguntur modum, 1 Par. 17. 21. *Quis autem eſt alius, ut populus tuus Iſrael, gens una in terra, ad quam perrexit Deus ut liberaret, & faceret populum ſibi, & magnitudine ſuâ atque terroribus ejiceret nationes à facie ejus, quem de Ægypto liberarat?* Lxx11 ſenes verterunt *tabernacula*, quod alii *deos* transferunt; quia non ואלהיו, ſed, duabus transpoſitis literis, ואהליו legerunt. Intelliguntur autem ejecta Chananæorum tabernacula, non tantùm quia illa diruta ſunt, ſed etiam quia ipſi tabernaculis expulſi ſunt. Quatuor igitur his modis prima Latinorum codicum lectio intelligi poſſe videtur.

Secundæ lectionis ſenſus eſt, *Quem liberaſti ex Ægypto*, h. e. ex gente & Deo Ægypti: oppreſſerant enim Dei populum Ægyptii, & Ægyptiorum dii, Dæmones. Hunc ſenſum exemplar M. N. Hunnæi, Q. notatum, apertè indicat: habet enim, *Quem redemiſti tibi ex Ægyptia gente & Deo ejus.*

Tertiæ lectionis idem ipſe eſt ſenſus. Itaque cùm lectionum iſtarum unaquæq; poſſit & ex Hebræo transferri, & commodè intelligi, quæ ipſius ſit Interpretis non facilè dignoſci poteſt. Cæterùm Epanorthotes eam Interpretis eſſe quam poſuimus ſecundam aſſerit: atque id, cùm ex antiquis

antiquis codicibus, tum ex Hebraicis quæstionibus quas interpreti nostro Hieronymo adscribit, colligere videtur; ex eo fortassis quòd ea interpretatio ibi præferatur cui ista Latinorum codicum lectio, quam secundam collocavimus, similior est (nam ea quam tertio loco produximus, ut rara est, ità non est agnita Epanorthotæ.) Sic ibi legitur, *A facie populi quem redemisti ex Ægypto gentem & Deum ejus. Hebræus habet, Gentibus & diis earum. Et est sensus, A facie populi tui quem redemisti ex Ægypto, de manu scilicet Ægyptiorum quos in mari Rubro peremisti, & diis eorum in quibus judicia fecisti.* (Hæc Rabanus Maurus in suum transtulit commentarium.) Hæc Autor Hebraicarum quæst. cujus interpretatio pronomen singulare, quod Hebraicè est, pro plurali capit. Eo modo etiam alii transferunt, & intelligunt, *Quem salvasti ex Ægypto, & ex Gentibus, & ex diis earum:* salvavit enim populum Judaicum Deus & ex Ægypto, & ex Gentibus quæ aut profectionem in terram Chanaan, aut habitationem impedire conabantur. Hoc sensu & ea quam inter nostræ translationis lectiones secundam posuimus intelligatur, si singularia pro pluralibus accipiantur. Atque iste intellectus libro Paralipomenon conformis est satis.

C. 8. v. 13. *Fecit quoque sibi David nomen, cùm reverteretur captâ Syriâ, in valle Salinarum cæsis duodecim millibus*] Ità plurimi codices legunt: sed vera atque germana lectio est (quæ & ipsa multorum est codicum, & Rabani atque Angelomi enarratorum) *cæsis decem & octo millibus:* hoc enim Hebræi codices habent, hoc Græci, hoc Chaldæi. Consentit Paralipomenon liber, cujus hæc de re hæc sunt verba, 1 Par. 18. 12. *Abisai verò filius Sarviæ percussit Edom in valle Salinarum decem & octo millia.* Sed ibi quidem Abisai, hîc verò Davidi victoria tribuitur. Davidi tribuitur ut Regi, ut supremo capiti; Abisai verò, ut ejus pugnæ duci. Error autem eorum codicum qui *cæsis duodecim millibus* legunt, ortus est ex Psalmi 59 titulo; id quod etiam Autor Hebraicarum quæstionum & Epanorthotes subindicant. Titulus Psalmi ad hunc modum habet, *Et convertit Joab, & percussit Idumæum in valle Salinarum, duodecim millia.* Ubi & duodecim millia cæsa dicuntur, & Joab victoria adscribitur. Nam, ut solvunt doctiores Hebræorum, primò Abisai, vicarius ipsius Joab, cum Idumæis congressus sex millia interfecit; deinde superveniens Joab, præfectus militiæ Davidis, duodecim adhuc millia dimicando peremit. Quanquam Chaldæus duodecim millia, quorum Psalmi titulus meminit, ad Davidis milites referat: hæc enim ejus Paraphrasis est, *Et post hæc reversus est Joab, & percussit Idumæos in planitie salis, & ceciderunt de exercitibus Davidis & Joab duodecim millia.*

C. 8. v. 13. Illi, *cæsis decem & octo millibus,* subjungunt libri plurimi, *& in Gebelem ad vigintitria millia.* Id quòd quædam exemplaria prætermittunt, Brugense, Lobiense, tria Hunnæi H. O. & R, duo Hentenii Bet. & Pet. quinque Parisiensium Di. o. Ge. o. p. Compl. S. denique Leodiense exemplar, si bene advertas. Hebraici & Chaldaici codices non agnoscunt. Porrò Septuagintaduorum esse videtur ex Hebræo translatio; sed omni ex parte corrupta. Lxxii, quod Latinus Interpres reddidit *In valle Salinarum cæsis decem & octo millibus,* transtulerunt, relictâ Hebraicâ voce, ἐν τεμελὲχ εἰς ὀκτωκαίδεκα χιλιάδας· sic Regium exemplar: corruptè autem in aliis multis ἐν τεβελὲμ legitur. Et sicut in his corruptè loci nomen legitur, *in Gebelem* pro *in Gemelech,* sic in aliis fortassis etiam cæsorum numerus corruptè lectus est, *vigintitria millia* pro *octodecim millibus.* Quia igitur locus alius Græcè significari ab indoctis putabatur, diversúsque numerus deprehendebatur, aliud esse prælium, quod Latinis in Libris desideraretur, judicarunt. Quemadmodum alii hanc ipsam historiam, quam Psalmi 59. titulus repetit, invenire non potuerunt, quòd Lxx hoc secundi Regum loco Hebræam vocem retinuerint, & in Psalmi titulo ἐν τῇ φάραγγι τῶν ἁλῶν verterint. Id quod testatur Hieronymus, in Psalmi 59. titulum scribens. *Quæritur,* inquit, *ubi hæc historia scripta sit. In Regnorum libris, quæ hîc manifestissimè legitur. Sed ibi pro* valle salinarum *Lxx Interpretes ipsa Hebræa verba posuerunt* גיא מלח, gemelach. *Sed quia interpretatum non est, ab his qui Hebræi sermonis non habent notitiam ignoratur.* Hæc Hieronymus. Ex hujusmodi igitur causis Latinis libris additum est quod suprà diximus, *Et in Gebelem ad vigintitria millia.* Sanè nec Paralipomenon liber, nec Historiographus Josephus, prælii in Gebelem initi, quo adversariorum Davidis vigintitria millia cæsa sint, meminerunt: cùm tamen ille cap. 18. prioris voluminis, hic Antiq. Jud. l. 7. c. 5. eorum quæ isto capite secundi Regum commemorantur nihil prætereant. Rectè igitur legendum censet Epanorthotes, *In valle salinarum cæsis decem & octo millibus. Et posuit in Idumæa custodes:* nec quidquam interponendum, nec XVIII in XII mutandum.

C. 15. v. 7. Manuscripta pleraque legunt, *Post quatuor autem annos dixit Absolom ad Regem.* Quædam scribunt, *Post quadraginta autem annos dixit Absolom ad Regem.* Illis Josephus adstipulatur: nam, lib. 7. De antiq. Jud. cap. 9. Absolomis historiam prosequens, *His itaque gestis,* inquit, *populo sibi placato, cùm jam devotionem cunctorum se obtinuisse consideret, post reconciliationem patris annis quatuor jam transactis, supplicavit ut eum pater in Hebron ire permitteret, quatenus promissa Deo sacrificia celebraret, qua fugiens devovisset.* Sic Josephus. His autem quæ *quadraginta* legunt Hebræi & Chaldæi codices suffragantur: consentiunt etiam Græci, quos quidem vidi [Reg. Ald. Bas. 2. Argent. ad Vaticana collatus] atque iis Latina pleraque Biblia typis excusa, adeóque Regia, &, quæ prima peperit Typographia, Moguntina, conformia sunt. In hac lectionum auctoritatúmque varietate, quid potiùs eligendum sit diversi diversimodè sentiunt. Auctor quæst. Heb. *Cave,* inquit, *lector, plerosque mendosos codices, in quibus scriptum invenitur* post quatuor *(non* post quadraginta*)* annos. *In veracioribus verò codicibus, & in Hebraica veritate, non* quatuor, *sed* quadraginta *scribuntur anni.* [Hujus verbis Rabanus & Angelomus utuntur.] Hunc Glossæ Ord. Autor & Lyranus secuti sunt: atque in horum sententiam eunt Thomas Cajetanus & Dionysius Richelius. Cardinalis Bessario, in margine Bibliorum quæ à Juliano, Cardinale S. Angeli, Florentini concilii Præside, dono acceperat, notavit, *Nil mutes:* XL *enim esse debent, non* IIII. Atqui Epanorthotes, juxta antiquos codices & Josephum & Lxx (*ut apparet,* ait, *tam in Græco, quàm translatione in Latinum de Græco*) *Post quatuor autem annos* legendum judicat. Hebræos codices faciliùs corrupti potuisse existimat, quòd sive per numerales notas, sive per dictiones, scribatur, Latinis inter 4 & 40 minor sit similitudo. [IIII. XL. 4. 40. quatuor. quadraginta. ד. מ. ארבע, ארבעים] In hujus sententiâ propendet Abulensis Episcopus: sed autoritate Hieronymi, h. e. autoris Hebraicarum quæst. motus, tutius censet eam sequi lectionem quæ *annos* dicit *quadraginta.* Texit hac de re disputationem longissimam. Ultra verior sit sententia, Lectori judicium relinquimus. Verumenimvero Epanorthotæ & autoritas multò est minor quàm illorum omnium celebrium Scriptorum, & rationes non videntur omni ex parte efficaces. In primis enim Hebræis, cur ארבע cum ארבעים mutarent, non fuit ratio: quia commodiùs ostendantur anni quatuor, post quos seditionem hanc Absolom excitaverit, quàm anni quadraginta. Porrò ea Latinis fuisse potuit mutandi ratio, mutandi, inquam, *quadraginta,* quòd quadraginta anni difficillimè commonstrentur; ità ut innumeræ & parùm commodæ sententiæ sint eorum qui explicare conati sunt. Cúmque videretur ad Absolonis vel fugam, vel reversionem, vel perfectam reconciliationem referendum, quidam *quadraginta* in *sex* mutarunt; sic enim Hugo Cardinalis in exemplaribus quibusdam legi testatur: quidam in *quinque*; ità namque duo [P. Q.] ex

correctioribus

correctioribus noſtris exemplaribus habent: alii in *quatuor*; quos moviſſe potuit non tantùm Abſolonis aut reverſio aut reconciliatio, verùm etiam quædam vocum affinitas, & quàm maximè Joſephi Hiſtoriographi autoritas. Quas ob cauſas lectio iſta pleroſque deinceps codices, & quidem emendatiſſimos, obtinuiſſe videri poteſt. Sed quod Joſephus habet, *poſt reconciliationem patris quatuor annis jam tranſactis*, fortè non ex S. Scripturæ hiſtoria dixit, ſed, ut alia multa, aliunde habuit: quódque de quadraginta annis in S. Scriptura legit, quia explicatu difficilius eſt, prætermiſit. His conjecturis ea lectio quæ *annos quadraginta* numerat, fortaſſe veriſimilior reddatur; ac multò magis ſi cum ea Hebræi, Chaldæi & Græci codices conſpirare advertantur: quanquam, ut diximus, explicatu multò fit difficilior. Nam ſi *anni quatuor* ſcribantur, conſtat ſatis initium eorum ducendum à reconciliatione patris, ut Joſephus dicit, h. e. ab admiſſione Abſolonis, aut ad intrandum Jeruſalem, aut (quod duobus annis poſterius eſt) ad videndam patris faciem. At ſi *quadraginta*, unde ſint numerandi inveniri vix poteſt. Hebræi ab eo tempore numerant quo Iſraelitæ regem petierunt. Autor Hebraicarum quæſt. intelligit ab eo tempore quo David in Nobe Achimelechem ſacerdotem fefellit. Toſtatus ab eo mavult quo David à Samuele Rex unctus eſt: id quod fortè vero propinquius eſt. Plures ſententias videre apud Cajetanum licet.

C. 15. v. 20. Quod Hebraicè legitur שוב והשב את אחיך עמך חסד ואמת, (quod eſt, ut verbum verbo reddatur, *Revertere & reverti fac fratres tuos tecum miſericordia & veritas*) Lxii tranſtulerunt, πορεύου [καὶ ἀναστρεψον Gq.] καὶ ἀνάστρεψον [ἀπόστρεψον Gq.] τοὺς ἀδελφούς σου μετά σου, καὶ Κύριος ποιήσει μετά σου ἔλεος καὶ ἀλήθειαν, *Vade & reduc fratres tuos tecum, & Dominus faciet tecum miſericordiam & veritatem.* Latinus autem Interpres reddidit, *Revertere & reduc tecum fratres tuos, oſtendiſti gratiam & fidem.* Ea eſt namque emendatiorum exemplarium lectio, Brugenſis, Lobienſis, unius Societatis Jeſu longi, duorum Hentenii Bet. Pet. duorum Hunnæi H. O.; antiquorum codicum Epanarthotæ. Quod ergò à plurimis Latinis codicibus legitur, *Revertere & reduc* [*educ* o.] *tecum fratres tuos, &* [1 *MS.*] *Dominus faciet* [*faciat* MS. multa.] *tecum miſericordiam & veritatem, quia* [MS. Atreb. E. I. L. P.] *oſtendiſti gratiam* [*enim* MS. Atreb. E. I.] *& fidem*, ex tranſlationibus duabus conſarcinatum eſt: id quod etiam Epanorthotes diſertè annotat, & novis codicibus adſcribit. Hoc etiam ex eo veriſimilitudinis non parùm accipit, quòd iſta diverſis modis diverſi libri connectant; quidam hâc conjunctione, *Oſtendiſti enim*; alii iſtâ, *Quia oſtendiſti*; nonnulli abſque conjunctione: ea quæ ſuperior margo demonſtrat. Animadverterunt autem & Complutenſes, aut quos illi ſecuti ſunt, addititiam eſſe partem alteram: ideóque alteram ſuſtulerunt; ſed eam quæ verè noſtri Interpretis tranſlatio eſt, *Oſtendiſti gratiam & fidem*; quòd iſta *Dominus faciet tecum miſericordiam & veritatem* Hebræis vocibus convenientior appareret.

C. 17. v. 3. *Et reducam univerſum populum, quomodo omnis reverti ſolet*] Sic Hunnæi exemplar K ſignatum quibuſdam legi notat; ſic Hentenii ſex codices legunt; denique ſic Epanorthotes legendum docet: atque iſta lectio Hebræo conformis eſt. Quia verò obſcurior eſt, ab aliis atque aliis aliter atque aliter mutata eſt. Nonnulli *omnis* cum *amnis* commutarunt, *Quomodo amnis reverti ſolet*: ut ſenſus ſit, Sicut reverti ſolet amnis, poſito quod alvei altitudinem excedat obſtaculo. Ea eſt Brugenſis, Lobienſis, & trium Hunnæi exemplarium H. L. O. lectio. Toſtatus etiam eo modo in antigraphis quibuſdam legit. Codex Societatis Jeſu longus *annis* ſcribit, in margine *amnis*. Quidam *omnis* in *unus* tranſmutarunt, *Quomodo unus reverti ſolet*. Sic enim Beſſarionis exemplar, quod in Collegio Theologorum majori adſervatur, habet. Huic ſcripturæ alii, id quod ſubaudiendum videbatur, addiderunt, *Quomodo unus homo reverti ſolet*. Quod quia perſpicuo eſt ſenſu, codices pleroſque invaſit. Neque ab Hebraicæ ſcripturæ ſenſu alienum eſt: nam quod ad verbum ex Hebræo rectè vertitur, *Secundùm redire omnem*, intelligi poteſt, Sicut unuſquiſque reverti ſolet; tam facilè quàm unus quilibet revertitur. Verùm prima Latinorum codicum lectio, *Quomodo omnis reverti ſolet*, ut cum Hebræo etiam voce conſentit, ità noſtro Interpreti meritò adſcribitur. Eam enim & ea exemplaria quæ *amnis* legunt manifeſtè confirmant. Quidam autem plurali numero legunt, *Quomodo omnes reverti ſolent*. Ità habet ſcriptum Collegii Atrebatenſis ſericatum, quanquam *quo* pro *quomodo* ſcribat. Autor etiam Hebraicarum quæſt. atque ex eo Rabanus & Angelomus, ad eum modum legit, addítque commentarium: ſcilicet, *ſicut reverti ſolent qui amiſſo in prælio Rege revertuntur, ſic univerſus populus Iſrael revertetur ad te.*

NOTATIONES IN TERTIUM LIBRUM REGUM.

C. 2. v. 2.

EGO *ingredior viam univerſa terræ: confortare & eſto vir fortis*] Sic plurima exemplaria legunt: atque ad eum modum Græcæ Germanorum editiones, cum Aldina, addunt καὶ ἰσχύσεις, καὶ ἔσῃ εἰς ἄνδρα τέλειον, *Et potens eris, & eris in virum perfectum.* Verùm alia non pauca Latinorum exemplarium omittunt *fortis*, Brugenſe, Lobienſe, unum Societatis Jeſu, quatuor Pariſienſium, quinque Hunnæi, multa Hentenii, quædam Beſſarionis: tantùm habent, *Confortare, & eſto vir*; ídque conformiter Hebræo textui, & Græcis exemplaribus Vaticano ac Regio; conſentiente etiam, inter Tractatores, Abulenſi Epiſcopo. Non igitur veriſimile eſt ab Interprete additum *fortis*, cùm etiam ſententiæ decorem tollat. Itaque Hentenius è textu ſuſtulit. Videtur alicujus fuiſſe commentarius: quemadmodum &, quod Græcis illis exemplaribus additur, τέλειον. Chaldæus porrò Paraph. addidit, *Et ſis vir peccata timens.*

Sequitur in Vulg. edit. ver. 3. *Et obſerva cuſtodias Domini Dei tui*: omnino enim ad eum legendum eſt modum: plurima namque noſtræ editionis exemplaria & Enarratores plerique, ſic legunt. Exemplaria Pariſienſium quinque, Hentenii octo, noſtra viginti; Enarratores, Toſtatus, Carenſis, Richelius, &, ſi introſpiciatur, Lyranus. Atque ità Hebraicè eſt, ושמרת את משמרת יי אלהיך, & Græcè καὶ φυλάξῃ [" φυλάξεις Gq.] τὰς φυλακὰς Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου. Imperitis autem aliquibus nonnihil deſiderari viſum fuit, quòd *cuſtodias* verbum eſſe exiſtimarent. Itaque quidam ſcripſerunt, *Et obſerva cuſtodias* [*cuſtodiens* 1 MS.] *mandata Domini Dei tui.* Sic enim duo librorum noſtrorum. Alii, *Et obſerva ut* [*&* 4 MS.] *cuſtodias mandata Domini Dei tui*: ſic enim habent ex codicibus noſtris ſex. Quidam fortaſſis, explicandi gratiâ, duntaxat adſcripſerant *mandata*: atque id in textum poſtea relatum eſt. Nam & aliud ſcriptorum noſtrorum habet, *Et obſerva cuſtodias ceremonias & mandata Domini Dei tui.* Aliud rurſus, *Et obſerva mandata & cuſtodias Domini Dei tui.* Sic & Chaldæus expoſuit; *Et cuſtodias cuſtodiam verbi Domini Dei tui.*

C. 2. v. 28. *Et venit fama uſque ad Joab, quia Joab declinaverat poſt Adoniam, & poſt Abſolonem non declinaverat: & fugit*] Ità codices Hebræi Chaldæique legunt. Ab his Græci & Latini libri diſſentiunt. Græci ſcribunt, *Et fama venit uſque ad Joab filium Sarviæ, quia Joab erat inclinatus poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaverat: & fugit.* Latini autem omnes propemodum habent, *Venit autem*, vel *ergò, nuncius ad Salomonem, quòd Joab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet. Fugit ergó.* In hac librorum diverſitate, quid potiùs ſequendum ſit, quæſtio eſt non contemnenda.

Alphonſus

Alphonſus Toſtatus, quod aliàs rarò, Hieronymum Interpretem hoc loco arguit, quòd Hebraicam literam non rectè mutaverit; quòd pro *Joab* & pro *Abſolom*, *Salomonem* ſcripſerit. Quomodo enim *nuncius ad Salomonem venit, quòd Joab declinaſſet poſt Adoniam, & poſt Salomonem non declinaſſet*, cùm id notorium eſſet, & Salomonem minimè lateret? & quæ cauſa fuit fugæ Joab, quòd ad Salomonem nuncius venerit? *Non accuſamus*, inquit, *nec excuſamus Hieronymum, ſed illi patenter Hebraicam veritatem præferimus.* Patiatur eam quam aliis tulit legem. Non mirum ſi quandoque erret, cùm Interpres, non Propheta ſit. Senſum autem Hebraicæ lectionis dat percommodum. Pervenit ad Joab fama interfecti Adoniæ & ejecti Abiathar: & quia ipſe Joab, qui initio Abſolonem ſibi eximiè dilectum ſecutus non fuerat, Adoniæ partes, in majus Salomonis præjudicium ſecutus erat, ideo timens fugit.

Porrò in marginali ſpatio commentariorum Toſtati annotatum eſt, errorem illum non Interpreti, ſed ſcriptoribus tribuendum: *Creditur quòd Hieronymus bene tranſtulit, & in litera tam clara non erraret: tamen corrupta eſt litera vitio ſcriptorum ſeu ſtampatorum; quod genus hominum ignorantiſſimum eſt, potiùs lucro quàm Scripturæ veritati advertens.* Ità ibi notatur: neque hoc à vero alienum eſt. Fit enim non parùm probabile, judicaſſe ſcriptores aut Lectores aliquos ipſi Joab ſuam ſatis notam fuiſſe perfidiam; itaque non Joab, ſed Salomoni nunciatum, *quòd Joab declinaſſet poſt Adoniam:* atque ideo *Joab* cum *Salomonis* nomine commutaſſe. Deinde, quia Abſolonis hiſtoria huc nihil ſpectare videbatur, præſertim cùm laudandus ſit Joab quòd *poſt Abſolonem non declinaverit*, arguendus autem quòd *poſt Salomonem non declinaverit*, etiam *Abſolonis* nomen in *Salomonis* mutandum cenſuerunt. Et quidem poſterioris hujus corruptelæ in MSS. ſigna non reperi, niſi fortè quòd MSS. noſtrorum duo pro *& poſt Salomonem* legant *& poſt ſe*; (quæ cur ſit facta mutatio, an ut convenientior eſſet oratio, quanquam parùm conveniat pronomen reciprocum; an ut Abſolonis nomen, quod Salomonis nomini non abſimile eſt, certiùs excluderetur; an utramque ob cauſam, diſpici poteſt) prioris autem non parva animadverſa ſunt. Sunt enim quibus legatur, *Venit autem nuncius ad Joab, quòd.* Sic exemplar S. Germani parvum, ſic antiqua exemplaria quæ Ordinariæ Gloſſæ margo commemorat, ſic Autor Hebraicarum quæſt. Cardinalis Beſſarionis exemplar habet, *Venit autem nuncius ad Joab, eò quòd:* ſed priùs aliter habuit, *Salomonem*, haud dubiè: poſtea verò, priori eraſo, ſcriptum eſt *Joab, eò*, atque in margine notatum à Beſſarione, ut videtur, rectè eſt. Eſt autem hæc exemplarium iſtorum lectio Græcorum codicum lectioni conformis: nam & illi priori loco *Joab*, poſteriori *Salomonem* ſcribunt. Atque hujus lectionis ſenſum Hebraicarum quæſt. Autor dat; *Venit ad Joab fama, quòd in domo Salomonis diceretur, illum ſecutum non fuiſſe Salomonem, ſed declinaſſe poſt Adoniam: ut ſcilicet antequam Adonias affectaſſet regnum, Salomonem non dilexiſſe, nec ei faviſſe, ſed ab eo declinaſſe, diceretur: quod tunc rei probavit eventus.* Fortaſſis autem non minùs eſt rectus ſenſus quem Beſſarionis exemplar indicat; *Perlatum eſt nuncium Joab de morte Adonia & ejectione Abiathar, eò quòd & ipſe Adoniam, non Salomonem, ſecutus fuiſſet. Fugit ergò*, &c. In hunc ferè modum Joſephus narrat; *Joab autem princeps militiæ peremptum audiens Adoniam, valde perterritus eſt: erat enim ejus amicus potiùs quàm Salomonis regis: & periculum ex hoc propter illius favorem non irrationaliter ſuſpicatus, fugit*, &c.

Qui communem Latinorum codicum lectionem ſequuntur, Hugo Carenſis & Dionyſius Richelius, nunciatum dicunt Salomoni, Joab, etiam poſt inaugurationem Salomonis, Adoniæ partibus voluiſſe, & conſilium de petenda ducendáque in uxorem Abiſag Sunamitide ſuggeſſiſſe; ideóque Joab cùm id Salomonem reſciſſe audiret, ad tabernaculum Domini fugiſſe. Atque ad hunc modum has diſcuſſiſſe varietates ſufficiat nobis; judicium relinquimus aliis.

Verùm quod quidam Latini codices addunt, *dicens (Dicens quòd Joab declinaſſet)* textui ſuperfluit: commentarius eſt, & quidem non omni ex parte probandus. *Nuncius* enim hoc loco non pro eo qui nunciat, ſed pro eo quod nunciatur, accipi debet: nam & Hebraicè eſt שמעה, & Græcè ἀκοή.

C. 7. v. 24. *Duo ordines ſculpturarum hiſtriatarum erant fuſiles.*] *Hiſtriatarum* aut *yſtriatarum* legunt plerique libri: quam, quia vox eſt ignota, multi corruptè ſcripſerunt. Quidam autem non *hiſtriatarum* ſed *ſtriatarum* legendum putat. Atque ità habet textus cum verſione & Notationibus Pagnini, anno 1557. excuſus: ad eundem modum legunt Biblia anno 1529. Coloniæ impreſſa, & Benedicti Biblia anno 1573. edita. *Striata* autem *ſculptura* ſunt quæ ſtriis exornatæ ſunt. Striæ ſunt quaſi canaliculæ, aut ſulci, per lignum aut æs aut lapidem ducti. *Hiſtriatas ſculpturas* Rupertus exponit *ſculpturas proſtantes ſive prominentes, ad ſpectandum videlicet*, inquit, *apo tou hiſtorin* (pro quo corruptè ſcriptum eſt *apotuyſtorin*) *quod Græcè Videre vel Cognoſcere dicitur.* Rabanus, Eucherius, Angelomus, Toſtatus, Carenſis, Magdalius, Richelius & Ordinariæ Gloſſæ Autor *Hiſtriatas ſculpturas* vocari dicunt eas quibus aliquæ exprimuntur hiſtoriæ: ità ut ſit *hiſtriatum*, per ſyncopen, pro *hiſtoriatum*. Hinc duo MSS. noſtrorum habent *ſculptarum hiſtoriarum*. Hunnæi unum eſt, Plantini alterum. Verùm ex 2 Par. 4. 3. videntur non hiſtoriarum, ſed boum ſculpturæ fuiſſe: *Similitudo quoque boum* (legimus ibi) *erat ſubter illud.* Id quod non ad duodecim illos boves, ſed ad ſculpturas iſtas ex Hebræo referendum videtur; quanquam Interpres noſter eò retuliſſe non videatur: ſubjunxit enim, *Et decem cubitis, quædam extrinſecus cœlatura, quaſi duobus verſibus, alvum maris circuibant. Boves autem erant fuſiles.* Utut autem ſe habeat iſtud, hoc tertii Regum loco pro *ſculpturarum hiſtriatarum* Hebraicè eſt פקעים יצקים. Ità enim Hebraicè ſententia iſta ſe habet, שני טורים הפקעים יצקים ביצקתו: פקעים, quod noſter *ſculpturas*, vel *ſcalpturas*, ut legunt antiqui multi codices, generali nomine reddidit, alii *eucurbitas* exponunt, & intelligunt tubercula cucurbitis ſimilia. Chaldæus interpretatus eſt *figuras ovorum.* In his boum formata fuiſſe capita ex illo loco Paralipomenon colligunt. יצקים, id quod noſter Interpres *hiſtriatas* aut *ſtriatas* vertiſſe videtur (nam פקעים hoc ipſo verſu *ſculpturam* ſimpliciter interpretatus eſt) alii conſtanter *fuſas* vertunt: eſt enim Paul à יצק, quod hoc ipſo capite & loco, etiam noſtro Interpreti, *fundere* ſignificat. Fuſæ autem ſculpturæ, & ſtriatæ eſſe poſſunt & hiſtriatæ: imò ſolent hiſtriatæ etiam eſſe ſtriatæ: ferè enim ſculptæ aut fuſæ hiſtoriæ ſtriis concluduntur. Id quod ſequitur ביצקתו, quod ad verbum eſt *in fuſione illius*, noſter interpretatus eſt *fuſiles erant*, (videtur enim intellexiſſe *in fuſione ſua*, pronomine ſingulari pro plurali accepto) niſi fortè *hiſtriatarum* addiderit, atque id totum יצקים ביצקתו *fuſarum in fuſione illius*, reddiderit *fuſiles erant*, ſicut 2 Paral. 4. 3. nam quod ibi Hebraicè ſimiliter eſt, יצוקים במצקתו, reddidit *erant fuſiles.* Hebraicè igitur ea quam tractamus, ex tertio Regum, ſententia ad verbum ſe habet, *Duo ordines ſculpturarum* (vel *cucurbitarum*) *fuſarum in fuſione illius*, ſub. *maris.* Senſus loci eſt, Sculpturæ quæ erat in circuitu maris duo erant ordines ſive verſus: nec erat ſculptura ſculpta aut appoſititia, ſed ſimul cum mari fuſa atque formata.

Sequitur in verſione Vulgata ver. 25. *Et ſtabat ſuper duodecim boves. Stabat* legendum eſt, juxta Hebræa & Chaldæa, non *ſtabant*: nec unum duntaxat Pariſienſium manuſcriptum *ſtabat* legit, verùm etiam octo noſtra, cùm Rabano Mauro, Eucherio Lugdunenſi & Alphonſo Abulenſi. Refertur autem ad *mare* (id quod Græci expreſſerunt, *Et duodecim boves ſub mari*: ſicut & noſter Interpres 2 Par. 4. *Et idipſum mare ſuper duodecim boves impoſitum*

situm erat. Eo enim modo illic Hebraicè est quo hoc tertii Regum loco:) nam duos illos sculpturarum ordines quidam in superiori maris parte aut medio fuisse existimant, non in inferiori, ut super boves stetisse videri possint.

C.7.v.26. *Duo millia batos capiebat* (sermo est de Salomonis æneo mari) *& tria millia metretas.* Viginti sex nostrorum MSS. cum Epanorthote nostro, prætereunt conjunctionem *&*: Duodecim, cum eodem Epanorthote, legunt *metreta.* Addo, quod discutiendum suscepi. Unum, K signatum, indicat quibusdam non legi, *& tria millia metretas.* Alterum, ex Lobiensi Abbatia, ad marginem duntaxat hæc adscripta habet. Tertium, O notatum, ista omnino non legit. Sed & Regia Biblia tollunt: Hentenii quoque exemplar unum & Parisiensium duo confodiunt. Epanorthotes ad hæc se in quibusdam non invenisse significat. Denique Lyranus, Tostatus & Richelius in libris correctis non haberi testatum faciunt. Sanè nec Eucherius, Rabanus atque Angelomus agnoscunt: nec in Græco, Chaldæo aut Hebræo leguntur. Et quidem in Græcis Aldi ac Germanorum editionibus de maris capacitate nihil legitur: at in Hispanorum editione habetur, δύο χιλιάδας χόες ἐχώρει *duo millia batorum* (sic enim ibi vertitur) *continebat:* atque id tantùm, ut in Hebræo & Chaldæo. Itaque Enarratores jam commemorati, Tostatus præsertim & Richelius, *Duo millia batorum capiebat* legendum nobis existimant; quæ sequuntur, *Et tria millia metretas*, omittenda. Conjiciunt alicujus fuisse commentarium, qui quantum duo millia batorum continerent exponere voluerit: nequaquam enim intelligendum est, mare duo batorum millia accepisse, & præterea tria metretarum millia. Epanorthotes autem ab ipso nostro Interprete exponendi gratiâ adjecta putat. Sed ut Epanorthotes proculdubio fallitur, ità illorum conjectura non solidè omnino fundata est. Non enim batus metretam sesquialteram continet, ità ut tantum capiant batorum duo quantum metretarum tria millia: sed metreta eadem est cum bato mensura. Id quod Roberti Cenalis, qui libro De mensuris & ponderibus accuratissimè scripto id testatum reliquit, autoritate probare non necesse est: hoc ipso loco, ut in Paralipomenis scriptus est, nostri ac LXXII Interpretum autoritate manifestè ostenditur. Nam quod 2 Par.4.5. Hebraicè de maris capacitate legitur, מחזיק בתים שלשת אלפים יכיל, LXXII transtulerunt χωροῦσα μετρητὰς τριχιλίους καὶ ὑξετέλεσεν - αὐτήν.' [Gq.H.] Noster reddidit, *Capiebátq; mensura tria millia metretas.* Non enim *mensura* prætermitti debet (quanquã in non paucis impressis præsertim libris, prætermittatur) quod & in MSS. multis legitur (nostra viginti sex, cum Tostato & Carensi Tractatoribus, habent, & quidem duo quarto casu *mensuram*) & habet cui in Græco atque Hebræo respondeat. Cùm igitur Latinus & Græci Interpretes in libro Paral. *tria millia batorum*, quod Hebraicè dicitur, reddiderint *tria millia metretarum*, metretam eandem cum bato mensuram esse crediderunt. Non ergò, cùm vertisset in tertio Regum *duo millia batorum capiebat*, addidit exponendi gratiâ Latinus Interpres, *tria millia metretas*; neque quisquam alius doctus id fecerit. Porrò ex illo loco Paralipomenon haud dubium est desumptum esse: & aut ab arcanarum literarum studioso, conferendi gratiâ, in margine adscriptum; aut ab imperito, sive quacunque aliâ, sive exponendi causâ, textui additum. Verumenimvero sic unum solvimus nodum ut fortiùs nectamus alium. Nam quod 3 Reg. dicitur, *mare accepisse duo millia batorum*, & 2. Paral. *tria millia metretarum*, conciliant suprà recensiti Enarratores, quòd batus metretam unam ac dimidiam contineat: ità que duo millia batorum tria millia sint metretarum. Nunc autem cùm ostenditur batum & metretam ejusdem rationis mensuras esse, imò Hebraicè utroque loco *batum* nominari, manet crescitque difficultas, quomodo duo illa Scripturæ loca conveniant. Respondetur autem propositum fuisse autori librorum Paralipomenon addere quæ in libris Regum prætermissa viderentur. Quod igitur de maris capacitate in libris Regum minùs dictum animadvertit, perfectè expressit: atque hunc, ut par erat, Josephus secutus, mare trium millium batorum capax fuisse describit. Cajetanus in libris Regum eam aquæ quantitatem exprimi dicit quæ pro communi sacerdotum usu in mare mitti solita sit, in Paralipomenis autem eam cujus mare capax fuerit si quis illud ad summum opplere voluisset: solutio plausibilior fortè quàm verior.

C.19.v.18. *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum quorum genua non sunt curvata ante Baal.*] Sic pleraque exemplaria: atque eo modo apud Paulum legitur Rom.11.4. *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua Baal.* Duo S.Germani exemplaria, parvum & latum, pro *virorum* habent *universorum*, [admodum sunt similia *virorum* & *usorum:*] id quod Hebræo conforme est; quanquam commodiùs vertatur, *Et derelinquam in Israel septem millia, universa genua quæ non curvaverunt se ipsi Baal*; sicut sequitur, *Et omne os quod non adoravit eum osculans manum*, quod Hebraicè est, *Et omne os quod non osculatum est eum.* Chaldaicè legitur, ut Hebraicè: Græcè autem utrumque habetur, *Et relinquam* [*relinques* o.] *ex* [*in* Gq.H.L.C.] *Israel septem millia* (ἀνδρῶν, πάντα - τὰ' γόνατα ἃ οὐκ) *virorum, omnia genua quæ non curvaverunt genu Baal, & omne os quod non adoravit eum.*

C.19.v.19. *Reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim jugis boum: & ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat.*] Exemplaria non pauca legunt, *Reperit*, &c. *& ipse in duodecim arantibus unus erat:* nempe prætermittunt *jugis boum*. Sic nonnulla Epanorthotæ, quinque Parisiensium Di. o. l. Ge. o. p. V. unum Lobiensis Monasterii, unum Hentenii, unum Plantini, tria Hunnæi I. K. P. verùm I. & K. tantùm quibusdam sic legi indicant. Sic etiam legunt inter Enarratores Eucherius & Tostatus. Hebraicè est, *Et reperit Elisæum filium Saphat; & ipse arans: duodecim paria ante eum, & ipse in duodecim:* atque ad eum modum verterunt LXXII, καὶ ἀνεύρισκε - ὀκεῖ' [Gq.H.L.C.] τὸν Ἐλισαὲ υἱὸν Σαφὰτ καὶ αὐτὸς ἦν ἀροτριῶν [ἠροτρία Gq.] ὁ βοσί. [καὶ Gq.] δώδεκα ζεύγη - βοῶν ἦν' [Gq.H. Additum est ab interpretibus Latino & Chaldæo; sed & paulo antè à Græcis] ἐναντίον αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς ὁν τοῖς δώδεκα. Quidam reddunt, partem puto postremam, *Et ipse in duodecimo*, i. ipse duodecimum jugum agebat: utroque enim modo verti potest; quòd Hebræis post decem ordinalis & cardinalis numerus non distinguantur. Referri autem potest quod vertitur, *Et ipse in duodecim*, vel ad *juga boum*, hoc sensu, *Et ipse erat in uno duodecim jugorum*, ipse è duodecim unum agebat, quomodo Chaldæus exposuit; vel, ad *arantes:* nam si erant duodecim juga boum, erant proculdubio duodecim à quibus agebantur: atque ità sensus est, & quidem idem, *Ipse inter duodecim arantes unus erat:* quo modo Cajetanus explicuit. Itaque quod legunt quidam Latini codices, *Et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat*, ejusdem loci duo esse videntur conjuncti commentarii. Verùm Epanorthotes hanc antiquorum codicum esse lectionem adstruit, atque ità omnino legendum contendit; hâc præsertim ratione, quòd ad *juga boum duodecim*, quorum mentio præcedit, referri debeat quod in Hebræo sequitur, *Et ipse in duodecim.* Sed Interpres noster ad *aratra ducentes viros*, quorum tacita antecedit mentio, retulisse se significare videtur, cùm addit *unus erat.* Cæterùm ut illâ Epanorthotæ ratione lectio ista, *Et ipse in duodecim arantibus unus erat*, non refellitur; ità hâc nostrâ non statuitur. Nam & ea lectio quam Epanorthotes probat ad *arantes*, si bene intelligatur, respicit: sensus enim est, *Et ipse inter duodecim arantes jugis boum unus erat*; vel, *Et ipse inter arantes boum duodecim jugis unus erat.* Sed altera & clarior est lectio & commodior: nec exiguæ vetustatis exemplaria sunt quæ ad eum modum cum Tostato habent: quanquam nostra vetustiora pleraque & correctiora

alteri

alteri velint. Interim judicium aliis relinquimus: nos enim in partem utramque disserimus.

NOTATIONES IN QUARTUM LIBRUM REGUM.

Cap. 9. v. 29.

Hebræi codices habent ובשנת אחת עשרה שנה ליורם בן אחאב מלך אחויה על יהודה ויבוא יהוא יורעאל׳, i. *Et in anno undecimo anno Joram filii Achab, regnavit Achasias super Judam, & venit Jehu in Jezrehel.* Chaldæus exposuit, *Et in anno undecimo annorum Joram filii Achab regis Israel, regnavit Achasias super domum Juda, & venit Jehu in Jezrehel.* Græci reddiderunt, καὶ ἐν ἕτει ἑνδεκάτῳ Ἰωρὰμ βασιλέως Ἰσραὴλ ἐβασίλευσεν Ὀχοσίας ὁ τοῦ Ἰούδα, καὶ ἦλθεν Ἰὲ εἰς Ἰεζραήλ. Editionis Lat. vulg. Biblia quæ Hentenius emendavit locum hunc ità legunt, *Anno undecimo Joram filii Achab, regnavit Ochosias super Judam, venitque Jehu in Jezrahel.* Tria scriptorum nostrorum habent, *Anno duodecimo Joram*; sed contra Hebræorum, Chaldaicorum & Græcorum librorum fidem. Corruptelæ occasio ex superiori capite v. 25 nata est: legitur enim ibi, nec mendosè, *Anno duodecimo Joram filii Achab regis Israel regnavit Ochosias filius Joram regis Juda.* Conciliant autem locum isti alii aliter; Tostatus, quòd hîc annus qui agebatur, illic annus transactus intelligatur.

Ei quod sequitur, *Filii Achab*, subjungunt multa exemplaria *Regis Israel*, quemadmodum cap. 8. legitur: & quidem etiam Chaldaico Regii operis textui & Græcis codicibus, quos vidimus, similiter additur: sed in Hebræis non habetur.

Sequitur, *Regnavit Ochosias.* Quem typis excusi libri ferè *Ochosiam* nominant, Græcis Interpretibus consentaneè, manuscriptorum plurima, etiam Epanorthote teste, & Hebraicarum quæstionum Autor, ac Rabanus & Angelomus, in libris Regum *Achasiam* appellant, Hebræis conformiter: sed & in Paralipomenis Hebraicarum quæst. Autor *Achasiam* vocat. *Regnavit* igitur *Achasias*, seu *Ochosias.*

Sed finito Achasiæ regno, initium repeti absurdum videtur. Et quidem respondent aliqui, id fieri ut eum propter scelera non diu regnasse intelligamus: atqui eam fortè ob causam Interpres Latinus, non hoc modo transtulit quo jam produximus. Videri autem id possit ex Mss. compluribus, quæ quod dicitur *anno undecimo Joram*, non tam ad Achasiæ regnum, quàm ad Jehu in Jezrahel adventum, referunt: sed diversimodè. Quædam habent, quæ quidem æqualiter ad utrumque referunt, quo etiam modo præcedens lectio intelligi possit, *Anno undecimo Joram filii Achab Regis Israel, regnavitque Ochosias super Judam, venitque Hieu in Jezrahel.* Sic exemplar Societatis Jesu rubrum; cui consimile est Collegii Atrebatensis exemplar. *Anno undecimo Joram filii Achab regis Israel regnavit Ochosias super Judam, & venit Hieu in Jezrahel.* Nonnulla autem legunt, *Anno undecimo Joram filii Ahab regis Israel, anno quoque Ahasiæ super Judam primo, venit Hyeu Jezrahel.* Sic H. & L. Doctoris Hunnæi, & Brugense manuscriptum, quanquam hoc priùs aliter legisse videatur. His non absimile est O, *Anno undecimo Joram filii Aab regis, & Ahasiæ super Judam primo, venit Jeu in Jezrael.* Alia scribunt, *Anno undecimo Joram filii Achab regis Israel* [*Ahab* Lob. nam quòd habet *Regis*, aliâ literâ suprà scriptum est] *regnante Achasia* [*Ahasia* Lob.] *super Judam, venit Hieu -in* [Lob.] *Jezrael.* Sic Hunnæi G. & Q. Plantini angustum, & Lobiense. V Hunnæi cum A. & M, & Societatis Jesu longus, ac Christophori Plantini latus codex, legunt, *Anno undecimo Joram filii Achab, & regis Achasiæ super Judam, venit Hieu in Jezrahel:* atque hanc (sed prætermissâ & conjunctione, quam nec Societatis Jesu emendatissimus codex, nec Hebræa habent) antiquorum codicum, ac proinde genuinam hujus loci lectionem esse Epanorthotes asserit. Et sanè possit ad hunc modum ex Hebræo verti, subtractis dictioni מלך, quæ nunc cametz & patah notatur, sex punctis: nam מֶלֶךְ quidem *regnavit* est, מֶלֶךְ verò *regem* denotat. Conjunctio porrò dictionis ויבוא *venitque*, vel tantùm Convertendi officium habere intelligenda esset, vel pro Adverbio temporis accipienda, *Tunc venit Jehu*, &c. Sed fortè quempiam moveat quòd nullus regis Achasiæ annus exprimatur. Atqui simile est superioris cap. v. 16. *Anno quinto Joram filii Achab regis Israel, & Josaphat regis Juda, regnavit Joram filius Josaphat rex Juda.* Quanquam & ille locus hâc occasione fuerit depravatus. Sed quomodo verũ est Jehu in Jezrahel venisse anno undecimo Joram, cùm occiso Joram qui 12 annis regnasse narratur, eò venerit? An quia duodecimus annus agebatur duntaxat, dicatur, *anno undecimo*, transacto videlicet? An quæ aliorũ sententia est, regni Joræ anni imperfecti, primus & duodecimus, pro uno numerentur? Hanc igitur quam diximus lectionem Epanorthotes probat; cujus verba, etsi incomposita, operæpretium fuerit adscribere: *Item F. Antiqui Latini & antiqui Hebræi*, Anno undecimo Joram filii Aab, regis Ahasiæ super Judam, venit Hyeu in Hyezrahel. *Texit chronicam, istum Hyeu inserens post annos Regum præcedentium quos exstinxerat, q. d. illis exstinctis iste regnare incepit, h. e. anno* XI *Joram Regis, & anno, videlicet finali, quotuscunque fuerit, Achasiæ venit Hyeu regnaturus. Talis autem associatio finalis conregnationis habetur in fine capitis præcedentis. In fine enim regnorum istorum duorum Regum hic regnare incepit. Sed sciendum quòd Mem & Lamed & Caph, si hæc tria puncta substernantur, sonat* melech, *& significat* rex *vel* regis; *si duo longa puncta vel parvæ lineæ supponantur, sonat* malach, *& interpretatur* regnavit: *quod quidam tam Latini quàm Græci habent sic*, Anno XI Joram filii Achab regnavit Ahasias super Judam. *Quid autem necesse erat de inchoatione regni istius hîc repetere quod jam finitum erat, cùm utrumque sufficienter suprà viij. g. dixisset? quia tamen ibi dicitur* duodecimo, *hîc oportet glossari*, undecimo, *i. post undecimum. Sunt autem & alii qui venam istarum literarum nescientes, utramque simul literam complicantes, & nomen* Israel *addiderunt, totum interponentes sic*, Regis Israel regnavit, &c. Hæc Epanorthotes.

C. 16. v. 6. Textus vulgatæ edit. Regius, ex Complutensi expressus, legit, *Et ejecit Judæos de Hayla, & Idumæi venerunt in Haylam.* Exemplar Domini Hunnæi Q. notatum habet, *Et ejecit Judæos de Hailam, & Syri venerunt in Hailam.* Illud exemplar Idumæos, hoc Syros in Hailam venisse commemorat. Chaldaica paraphrasis Regiæ editionis legit ארמאי, Venetæ ארמאי. Videtur autem varietas ista ex Hebræo nata. Hebræi enim hoc loco ארומים scribunt, אדומים legunt; quorum istud quidem *Idumæos* signat, illud autem *Syros* denotare videtur: quanquam Syrus ארם sine vau litera dici soleat. Certè Syros Josephus intellexit, cujus hæc est rei istius narratio l. 9. Antiq. Jud. c. 13. vel secundùm Græcum exemplar, c. 12. *Syrorum verò Rex capiens civitatem Ailath ad mare rubrum positam, & habitatores ejus occîdens, in ea Syros statuit: & aliis in circuitu civitatibus ità fecit, perimens ubique Judæos.* Sed & recentior quidam notat Syros à רום, ארומים appellatos, quòd *elati* essent. Est autem Hebraicè locus iste ad hunc modum scriptus, וינשל את היהודים מאלות ואדומים באו אילת [ק׳ וארומים] *Et exstirpavit Judæos de Eloth, & Aromim venerunt Elath.* An autem scribarum errore varietas ista nata sit, quam postea deprehensam in marginis spatio annotarint, an certo autoris consilio addita, equidem ignoro. Utut autem id se habeat, minimè dubitandum est cum Idumæis Syros ad Ailam habitandam venisse, & quidem Syros, utpote victores & dominos, Idumæis præfectos. Civitas erat Aila in Idumæorum regione sita, Regi Syriæ subjecta: quam pòst, à Regibus Judæorum occupatã, Rasin & Syrorum ditioni & Idumæorum mansioni restituit. Hinc plerique Latinorum librorum utrosque ad hunc modũ jungunt, *Et ejecit Judæos de Aila & Idumæi & Syri* [*Syri & Idumæi*, 1 MS.] *venerunt in Ailam.* Sunt autem nonnulla scriptorum nostrorum quæ primis quidem lectionibus accedant, sed

tertiam hanc redoleant. h. & l. legunt, *Et ejecit Judæos de Ahila Syria, & Idumæi venerunt in Ahilam.* Duo alia ſcribunt, *Et ejecit Judæos de Ahila & Idumæa, & Syri venerunt in Ahilam.* Quæ autem trium illarum lectionum noſtro interpreti attribuenda ſit (ſatis enim veriſimile eſt ipſius non eſſe duarum iſtarum maximè poſteriorem) pronunciare nolim: fortè diverſa quæ legit, quia non eſt improbabile utraque accidiſſe, conjunxit. Cæterùm Dominus Hentenius, eam probavit lectionem quæ ſolos nominat Idumæos: atque ea Græcæ interpretationi conſonat.

NOTATIONES IN PARALIPOMENON PRIOREM LIBRUM.

Cap. 1. v. 32.

CAtalogo filiorum Cethuræ codices quidam filios Dadan annumerant, his verbis, *Filii autem Dadan, Aſſurim, & Latuſim, & Laoummim:* ſic nimirum Geneſi c. 25. 3. Paralipomena reſpondent. Verùm libri plurimi filios Dadan prætereunt, Pariſienſium quatuor, Di. o. l. Ge. o. l. Hentenii quatuor, in quibus Atrebatenſis Collegii uterque, credo, numeratur, Hunnæi ſeptem, E.H. I. L. M. O. Q. Societatis Jeſu unus, ruber, Plantini duo, anguſtus & medius, Brugenſis Eccleſiæ unus, Abbatiæ Leodienſis S. Jacobi unus, quanquam conſueto more depravator egerit, Collegii Buſlidiani unus, denique, poſt Complutenſem, Regius. Sed & Abulenſis Interpres prætermittit. Hebræi codices etiam & Græci editionis Regiæ minimè legunt. Meritò igitur notavit legendum Epanorthotes, *Saba & Dadan. Filii autem Madian*, nec interponendum quidquam: quanquam, cum Aldino, Germanorum Græca antigrapha habeant, Σαβὰ καὶ Δαιδὰν, ἐ δύο καὶ υἱοὶ Δαιδὰν, Ῥαγουὴλ, καὶ Ναβδεὴλ, καὶ Ἀασυριὶμ, καὶ Λαταισιὶμ, καὶ Λοωμεὶμ, πάντε [Compl. R.] καὶ υἱοὶ Μαδιάν· ubi præterea duo filii Dadan recenſentur, quos cum Hebræis Latini non agnoſcunt: nam Græcorum iidem illi codices etiam in Geneſi addunt.

C. 4. v. 22. *Et qui reverſi ſunt in Lahem.*] Id quod alii habent maſculino genere, ut jam produximus, alii feminino ſcribunt, *Et quæ reverſæ ſunt.* Hoc modo Hebr. quæſt. Autor legit, & de Noemi ac Ruth exponit: illo Abulenſis Epiſcopus, & de Securo atque Incendente, i. de Mahalon & Chelion filiis Elimelech, qui in Noemi & Ruth reverſi in Bethlehem dicantur, interpretatur. Correctiores noſtri codices maſculinum genus habent: & Hentenius ac Pariſienſes hanc probatam ſibi lectionē in textum retulerunt. Ex Hebræo utra ſit germana noſtri Interpretis ſcriptura minimè liquet. וישבי לחם habetur. ישבי, ſi à שוב, quod *reverti* ſignificat, deducatur, quemadmodum noſter deduxit interpres, alii tempori non accedit propiùs quàm futuro. In futuro autem Jod in calce dictionis femininis ſervit; in capite autem maſculinis. Sed futurum non eſt niſi altero Jod mutato legas תשבי, quod loco non conveniret; aut ישבו, quod priori ſuffragaretur lectioni (quanquam maſculina verba quandoque feminis tribuantur) præſertim Vau in præteritum futurum convertente. Quidam à ישב formant, ut participium ſit numeri pluralis in regimine poſitum, ſitque ſenſus, *habitatores Lahem.* Alii proprium viri nomen eſſe intelligunt, *Jaſubi Lahem.* Ambigua certè & difficilis eſt verborum veterum explicatio. Abulenſis noſtri Interpretis tranſlationem minùs probat, quòd Mahalon & Chelion, de quibus intelligendum exiſtimat, non de ſtirpe Sela, ſed de progenie Phares fuiſſe, ex Ruth 4. colligi videatur. Notandum eſt autem, ſcripta noſtra univerſa, uno dempto, ſervare relativum *qui* aut *quæ*; Abulenſem verò omittere (quomodo & in Leodienſi exemplari lectum fuiſſe inſpicienti vix dubium eſſe poteſt) ità ut ad præcedentes Securum & Incendentem (non enim legendum eſt, ut multi legunt, *Incedens*) referatur. Sanè neque Hebræi relativum exprimunt, neque Græci addunt: καὶ ἀπέστρεψαν habent ἐις Λαιμ, *& reverſi ſunt in Lehem*, nimirum juxta Hiſpanicam editionem: nam Aldi & Germanorum exemplaria legunt, quæ planè alia eſt tranſlatio, καὶ ἐπέστρεψεν αὐτὰς, *& reduxit eos.* Illa verſio ejuſdem rationis eſt cum Latina, maſculinum ſervante genus: videtur enim utraque ex Hebræo ad hunc modum lecto וישבו לחם ſumpta; id enim transferas, *& reverſi ſunt Lehem:* hæc autem Græca verſio ex aliter lectis Hebraicis dictionibus profluxit, lectis ad hunc וישיב להם, aut iſtum וישבי להם, aut ſimilem modum; hæc enim interpreteris, *& reduxit eos.*

Quod nonnulli codices habent *Lahem*, quomodo addita ab Hebræis puncta ſonant, tredecim ſcriptorum noſtrorum, cum Textu Regio, *Lehem* ſcribunt: quo etiam modo LXXII legerunt, ſi tamen Regia editio germanam & incorruptam eorum tranſlationem ſervet. Duo & viginti habent *Bethlehem*: quam genuinæ lectionis explicationem fuiſſe eſt veriſimile. Nam, quod Magdalius habet in 1 Par. 20. ſicut quandoque dicimus *Solyma*, & quandoque *Jeroſolyma*; ità & *Lehem & Bethlehem.*

C. 11. v. 14. Manuſcriptorum plurima ſingulari numero legunt, *hic ſtetit in medio agri, & defendit eum: cúmque percuſſiſſet Philiſtæos, dedit Dominus ſalutem magnam populo ſuo*; Hentenii duodecim, noſtra vigintinovem, conformiter libris Græcis. Impreſſi autem codices, ſecuti, ut plerumque veriſimile eſt, primam Moguntinenſium editionem, ferè numero multitudinis ſcribunt, *hi ſteterunt in medio agri, & defenderunt eum; cúmque percuſſiſſent Philiſtæos.* Sic & Lyranus legit: duo quoque ſcripta noſtra (K. & Leodienſe Sancti Jacobi) eam habent lectionem, ſed non ſine prioris raſura. Eſt autem hæc lectio quæ, inquam, pluralem habet numerum, Hebræo conſentanea; intelligenda, ut videtur, ſi non etiam de Jeſbaam & Semma, certè de Davide & Eleazaro: quia dicitur, 2 Reg. 23. *Iſte fuit cum David in Phesdomim*; & paulò pòſt ſequitur, *hi ſteterunt*, &c. Videri autem poſſit pluralem numerum in ſingularem mutandi occaſio fuiſſe, quòd cùm præcedentia de uno Eleazaro expreſsè loquantur, præter opinionem pluralis numerus introducatur. Verùm nihil facilè ſtatuendum eſt.

C. 11. v. 22. Quædam exemplaria, Hentenii duo, Pariſienſium duo, noſtra ſeptem, habent, *Banaias filius Joiada vir robuſtiſſimus.* Pleraque autem, noſtra vigintiſex, legunt, *Banaias filius Joiadæ viri robuſtiſſimi:* atque hoc modo legendum eſſe Hebræa docent. בניה בן יהוידע בן איש חיל, quod ad verbum interpreteris, vel, *Benaiah filius Jehoiada filii viri fortitudinis*, vel, *Benaiah filius Jehoiada filius viri fortitudinis.* Poſteriori hoc modo LXXII tranſtulerunt: eodémque Latinus intellexit, atque idcirco *filii* nomen repetere noluit. Non enim ea eſt Latinis quæ Hebræis amphibologia, omiſſo *filii* nomine. Verùntamen emphaſim addit repetitum. 2 Reg. 23. 2. eodem modo ſe habentia Hebræa ſimiliter reddidit, *Et Banaias filius Joiada viri fortiſſimi.*

C. 20. v. 5. Duo Pariſienſium exemplaria Di. o. & Ge. o, cum textu Gloſſæ Ordinariæ, legunt, *In quo percuſſit Adeodatus filius Saltus Lehemites fratrem Goliath Gethæi.* Nimirum ſic ex Hebræo vertas את לחמי *ipſum lahmi*, ſive *lehemites.* את enim particula perſonam deſignat patientem. Atque eo modo LXX tranſtulerunt, καὶ ἐπάταξεν Ἐλιαναὰν υἱὸς Ἰαειρὶ τὸν Λαχμὶ ἀδελφὸν Γολιὰδ τοῦ Γεθθαίου. Verùm accipitur quandoque את pro præpoſitione. Atque ità hoc loco accipiendum Hebræi quidam exiſtimant, ut ſenſus ſit, את לחמי *de lahmi*, i. qui de genere erat Bethlehemitarum. Atque ea expoſitio alteri Latinorum lectioni adſtipulatur; huic, inquam, lectioni quæ omnium penè eſt codicum & enarratorum, *In quo percuſſit Adeodatus filius Saltus, Bethlehemites*, ſeu potiùs, quod Magdalii correctorium probat (quanquam idem ſignificetur) *Lehemites* (ut in Paralipomenis Hebraicarum quæſt. Autor legi notat) *fratrem Goliath Gethæi.* Suffragatur huic lectioni atque interpretationi liber

liber Regum ſecundus, cujus capite 21. 19. hoc ipſum ſtratagema ad hunc modum narratur, *In quo percuſſit Adeodatus filius Saltus polymitarius Bethlehemites Goliath Gethæum.* Utrobique autem interpretatus eſt propria nomina Latinus Interpres: fortè quòd nominibus his Davidem ſignificari exiſtimaret, ut multi noſtrorum Tractatorum cum Hebraicarum quæſt. Autore intelligunt. Cæterùm D. Alphonſus Toſtatus multis rationibus oſtendit non Davidis & Goliatis monomachiam quæ 1 Reg. 17. deſcribitur, hoc loco intelligendam, ſed Elchanæ ſeu Adeodati, quem Joſephus *Ephan cognatum Davidis* vocat, cum Goliatis illius fratre, quem *Philiſtinorum fortiſſimum* appellat: Ἐλχανὴς, inquit Joſephus, Ἐφαὴς ὁ συγγενὴς Δαυΐδ. μονομαχήσας γὰρ τῷ πάντων ἀνδρειοτάτῳ τῶν Παλαιστίνων, ἀπέκλεινεν αὐτὸν, καὶ τοῦ ἄλλους εἰς φυγὴν ἔτρεψε. Non ſic Latina Frobenii editio narrat. Iniquè autem ſuſtulerunt ex Paralipomenis quidam nomen *Saltus, In quo percuſſit Adeodatus filius Bethlehemitis fratrem Goliath Gethæi*, nequaquam enim prætermittendum eſt: ſed eo addito non incommodè legatur *Bethlehemitis* ſeu *Lehemitis*; tam enim ad patrem quàm ad filium referri Hebræum poteſt. Atque hoc modo Epanorthotes legendum docet: *Antiqui*, inquit, *& generaliter, antequam correxerunt inducentes quaſdam novitates, habent omnes Latini ſic*, In quo percuſſit Adeodatus Hebemitis fratrem Goliath Gethæi, &c. *quanquam in ſyllaba ſecunda erravit ſcriba: Helemitis* enim ſcribendum videtur fuiſſe, quomodo Brugenſium antiquiſſimum exemplar habet: ſed & Hunnæi correctiſſimus codex O *Helemites* legit. Verùm inverſas eſſe ſyllabas priores fit ex Hebræo veriſimile. Imitati verò ſunt Hebraici textûs cùm vocem tum ambiguitatem qui ſcripſerunt, *In quo percuſſit Adeodatus filius Saltus Lahami fratrem Goliath Geth*: ſic enim habent Biblia, & Dionyſii Carthuſ. Commentaria, in ædibus Quentelianis excuſa.

Fratrem Goliath Getthæi.] Noſtrorum MSS. tredecim cum Lyrano quarto caſu *Getthæum* legunt. Utroque autem modo reddi Hebræa poſſunt: patiuntur enim tam ad fratrem Goliatis quàm ad ipſum Goliatem referri: atque utrumque Getthæum fuiſſe Scriptura teſtatur. Non conſtat tamen verè fratres fuiſſe. Frater enim dici potuit prioris poſterior, duntaxat quòd fortitudine magnitudinéque ſimilis eſſet: & ob hoc fortaſſis etiam ipſo prioris nomine Goliath nuncupatus eſt: nam quem *fratrem Goliath Getthæi* Paralipomena nominant, *Goliath Getthæum* ſecundus Regum liber appellat.

C. 23. v. 29. Pro eo quod quidam codices habent, *Et ad torrendum*, alii habent *Et ad ferventem ſimilam*. Atque hanc lectionem Epanorthotes noſtræ editionis genuinam eſſe adſtruit; eſque facilè aſſentiar, quòd plerorumque MSS. etiam correctiſſimorum & antiquiſſimorum, eam ſcripturam eſſe comperiam. Noſtra unum & viginti, Hentenii decem, Pariſienſium quatuor cum Abulenſi Epiſcopo, *Et-ad* [MS. nonnulla.] *ferventem ſimilam* legunt. Altera lectio complurium eſt typis excuſorum codicum (illi enim ferè Moguntinæ editioni, primogenitæ artis typographicæ proli, conſimiles ſunt) ſed pauciſſimorum MSS. ex noſtris unum duntaxat (G) ità habet. Verùm non pauca utramque lectionem conjungunt; ſeptem ad hunc modum, *Et ad ferventem ſimilam, & ad torrendum* [*cavendum* o.]; quæ & Pariſienſium correctio eſt; duo ad iſtum, *Et ad torrendum* * *ſimilam* [* *ferventem* 1 MS.] quorum unum Antverpienſe eſt, Plantini ære redemptum, alterum Leodienſe, ex S. Jacobi Abbatia mutuò acceptum, in quo τὸ *ferventem* transfoſſum eſt. Lectio autem iſta, *Et ad torrendum*, ut & aliæ multæ, ex Hebraicis ſumpta eſt quæſtionibus, quas, quòd Hieronymo noſtræ editionis Autori adſcriberentur, nonnulli in primis ſequendas exiſtimarunt. Sunt autem earum quæſtionum in hunc locum verba iſta, *Quod verò in codicibus quibuſdam habetur* ad ferventem ſimilam, *& in quibuſdam* ad ferventem *tantummodo, error ineſt. In Hebræo non habet in hoc loco* ſimilam, *quia ſimila jam paulò ſuperiùs nominata eſt*: *ſed* ad torrendum *in Hebræo ponitur, ut ſubaudias* ſpicas. *Primitiæ enim ſpicarum quando deferebantur, torrebantur, & grana comedebantur: quod genus cibi vulgò* graneas *vocant*. Hæc ibi. Hebraicè eſt ולמרבכת, i. *& ad frixam*, ſive *toſtam*. Subaudit Hebraicus Scholiaſtes *ſimilam*. Inter ea quæ pro gratiarum actione offerenda erant, numeratur Levit. 7. 12. סלת מרבכת, i. *ſimila frixa*, ſeu, ut noſtra habet tranſlatio, *cocta*. Simila aquâ mixta in ſartagine, ferventi oleo, uſq; ad indurationem coquebatur; & poſtea in minutas fracta partes, iterúmque oleo conſperſa offerebatur. Erat autem aliud ſacrificium ſimilæ in craticula toſtæ; aliud rurſus in clibano coctæ; denique aliud crudæ ſimilæ: hæc enim quatuor genera & Levit. 2. deſcribuntur, & hoc loco Paralipomenon ferè indicantur. Atque his præfecti erant Sacerdotes & Levitæ, ſuo ſinguli modo. Videtur igitur germana noſtræ verſionis lectio, nec rejicienda, *& ad ferventem ſimilam*: veruntamen an ſimilæ nomen Interpres expreſſerit, an alius quiſpiam exponendi gratiâ addiderit (teſtatur enim Hebraicarum quæſt. Autor, ut in Hebræo, ità in Latinis quibuſdam non haberi) ſtatuere nequeo. Græci tranſtulerunt (ut etiam alibi) καὶ εἰς τὸ τηγανιζόμενον, [τὰ τηγανιζόμενα. G.] *& ad fermentatam*. Poteſt aut *ſimilam* ſubaudiri, aut, Hebraico more, femineum genus ſubſtantivè poſitum intelligi.

NOTATIONES IN LIBRUM EZRÆ.

CAP. 2. v. 69.

*SEcundùm vires ſuas dederunt * impenſas* [* *in* 7 MS. B. H. G.] *operis, auri ſolidos quadraginta millia & mille.*] Sic Latini codices habent; ſcripti quos conſuluimus omnes, impreſſi penè omnes. Penè, inquam: nam Complutenſia Biblia & Quenteliana (quibus adde, ſi placet, Clariana) legunt, *Secundùm vires ſuas dederunt*, &c. *auri ſolidos ſexaginta millia & mille.* Conſentiunt Bedæ commentariis adjunctus textus, & D. Richelius in Neh. 7. Lugdunenſia quoque Biblia anni 1522; aliàs *ſexaginta* legi in marginali ſpatio annotant. Hæc autem lectio cùm Hebræis tum Græcis codicibus conſona eſt: in iis enim ad hunc legitur modum, *Quemadmodum poteſtas eorum, dederunt in theſaurum operis, drachmarum auri ſex myriades & mille.*

Non poteſt autem huic Hebræorum Græcorúmque lectioni prior illa Latinorum conciliari, niſi ſolidus drachmæ ſeſquialter intelligatur. Tres autem enumerantur aurei ſolidi ſpecies, drachmalis, didrachmalis, ſextularis. Drachmalis reſpondet drachmæ; didrachmalis duplus eſt; ſextularis, ſeſquitertius. Itaque cùm non ſit ſolidus drachmæ ſeſquialter, is intelligendus eſt qui drachmæ reſpondet, præſertim cùm Hebraicus fons *drachmas* nominet; id enim nomen etiam Hebræis uſurpatur: *darcemon* eſt hoc loco, & Neh. 7. ubi etiam Interpres noſter *drachma* nomen reliquit. Videtur igitur ea Latinorum codicum vera lectio quæ ſolidorum auri unum & ſexaginta millia numerat. Quamobrem Epanorthotes notat, *Et infrà, juxta Hebræa, Auri ſolidos ſexaginta millia & mille*: ubi an ſubaudiat antiquos Latinorum codices, ut non rarò aliàs, neſcio: hoc tamen ſcio, quòd Hebræos codices conſtanter repugnantibus Latinis, ſequi non facilè ſoleat. Eſt autem Latinis ex LX in XL (hâc enim formâ in plurimis codicibus ſcribitur) facilis lapſus, ut videri hinc poſſit nata erroris occaſio.

Verùm Nehem. 7. ver. 70. & ſeqq. hoc ipſum diſtinctiùs enumeratum, ſi ad ſummam redigatur, duntaxat unum & quadraginta millia drachmarum auri efficit.

Dicat aliquis, Non hæc ipſa ſed alia eſſe quæ eo loco referuntur. Inprimis, quia præſente Nehemia contigit,

quod ibi refertur: ipse enim mille auri drachmas & alia non pauca contulisse narratur. Absente autem Nehemia, qui nondum in Judæam venerat, accidit quod liber Ezræ commemorat.

Deinde, Non tantùm auri atquè argenti pondus diversum utroq; recensetur loco, verùm etiam diversissimus est tunicarum sacerdotalium numerus.

Præterea, Diversi generis hominum munera sunt quæ commemorat Nehemias; sed à solis data principibus quæ refert Ezras.

Adhæc, In impensas Templi data sunt quæ habet Ezras; at in muri ædificationem quæ Nehemias.

Denique, Editionis vulgatæ Interpres in Nehemia, ante istius rei narrationem, annotavit, *Hucusque referatur quid in commentario scriptum fuerit: exin Nehemiæ historia texitur.*

Argumentis his non incommodè fortassis respondeatur. Et primo quidem, Nehemiam cum Zorobabele in Judæam ascendisse: nam inter illustriores qui cum Zorobabele venerant Nehemias numeratur Ezræ 2.2. Itaque absente eo non accidit quod ejusdem capitis ver. 69 commemoratur. Verùm quia incertum est an is Nehemias eo loco intelligendus sit quem Jerosolymam rediisse destructis muris liber Nehemiæ refert, responderi argumento potest, non constare universam collationem in Judæa factam: quin potiùs, pergentibus in Judæam, duce Zorobabele, Judæorum plurimis, Persas multos, magisque Judæos in Perside manentes, huc de facultatibus suis contribuisse, aut postquam illi in Judæam venerant transmisisse. Cyrus enim Rex omnes erat hortatus ut templi Jerosolymitani ædificationem opibus suis promoverent Ezr.1.4. atque id feciſse narrantur Ezr.1.6.

Ad secundum dici potest, In Nehemiæ volumine tunicas universas quæ sacerdotibus donatæ sunt enumerari; at in Ezræ preciosiores duntaxat.

Tertium argumentum non parùm accipit verisimilitudinis ex ipso Ezræ textu: *Et de principibus patrum, cùm ingrederentur templum Domini quod est in Jerusalem, sponte obtulerunt in domum Dei ad exstruendam eam in loco suo. Secundùm vires suas dederunt impensas operis auri solidos quadraginta [sexaginta] millia & mille, argenti minas quinque millia, & vestes sacerdotales centum.* Id enim videtur dicere, Principes patrum sive familiarum, cùm viserent locum in quo Templum Domini fuerat, contulisse, pro facultatibus suis, ad restituendum templum, solidorum auri mille & quadraginta aut sexaginta millia, minarum argenti quinq; millia, & vestes sacerdotales centum. Et, nè cui fortè id mirum videatur, tertius Ezræ liber, cap.5. mille auri minas præter supradictum argenti pondus & sacerdotalium vestium numerum à principibus voto promissas narrat. Adulterinæ namq; lectiones sunt quæ *auri minas novem millia*, aut *undecim millia*, aut *duodecim millia*, habent. 3 Ezræ 5.44,45. *Et de præpositis ipsis*, habet Ezras, aut quisquis est Autor, *per pagos, dum venirent in templum Dei quod erat in Jerusalem, voverunt [innovare & o.] suscitare templum in loco suo, secundùm suam virtutem, & dare [dari MS.] in templum thesaurarium [thesaurum] operum sacrum, auri minas mille [novem millia o. undecim millia o. duodecim millia o.] & argenti minas quinque millia, & stolas sacerdotales centum.* Sic enim locum, qui in multis codicibus multis modis corruptè legitur, ex emendatioribus restituimus (quanquam vitii nonnihil remanere videatur) accedente Græcorum exemplarium consensu, quæ ad hunc habent modum, καὶ ὅτι ἀφ' ἡγεμόνων κατ' πατριὰς, ὧν τῷ παραγίνεσθαι αὐτοὺς εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Θεοῦ τὸ ὂν Ἱερουσαλὴμ, ἠύξαντο ἐγεῖραι τὸν ὶκον ἐπὶ τῷ τόπῳ αὐτῶ, κατ' τὴν αὐτῶν δύναμιν, καὶ δοῦναι εἰς τὸ ἱερὸν γαζοφυλάκιον ἀφ' ἔργων, [& dare in sacrum erarium pro operibus vertunt quidam] χρυσίου μνᾶς χιλίας, καὶ ἀργυρίου μνᾶς πεντακισχιλίας, καὶ στολὰς ἱερατικὰς ἑκατόν. Reperimus autem exemplar Græcum tertii Ezræ in Aldina Bibliorum editione: in ea enim primus est Ezræ, qui Latinis dicitur tertius; & secundus, qui Latinis sunt primus & secundus. Sed in Regiis Bibliis, quibus nihil hujusmodi deesse videri poterat, tertius Ezræ Græcè non legitur: nec in Germanicis Græcorum Bibliorum exemplaribus Nehemiæ librum sequitur. Annotavit etiam Hebraicus Scholiastes, initio tertii Ezræ, *Hujus libri nè Græcum quidem codicem, nedum Hebraum, nemini (quod sciam) videre contigit: ideo præter solam interpretationem veterem aliud dare non potuimus.* Hujus testimonio & Regiorum Bibliorum integritate, atque in Germanicis consueto ordine, nixi, notavimus aliquando in marginali Bibliorum spatio, circa tertii Ezræ initium, *Hic & sequens Ezræ liber non alio exstant sermone quàm Latino.* Sed postea, Aldinam editionem nacti, invenimus etiam Græco sermone librum Ezræ tertium exstare. Consulto etiam eo Germanicorum Bibliorum tomo in quem illi congesti sunt libri quos Hebræorum canon non numerat, etiam in eo tertium Ezræ Græcum reperimus: sed & in Vaticano codice exstare diversæ ejus lectiones conferendo deprehensæ loquuntur. Sic curæ posteriores absolutius semper aliquid adferunt. Quartum tamen Ezræ Græcum non vidimus. Ut autem ad id à quo digressi sumus revertamur; Græca tertii Ezræ exemplaria eam quam produximus probant lectionem, quæ mille auri minas à principibus promissas refert. Sunt autem mille auri minæ Atticæ drachmarum auri centum millia: mille autem Hebraicæ minæ drachmarum ducenta & quadraginta millia. Quòd si drachmarum auri centum millia promiserint, facilè haud dubiè unum & sexaginta millia dare potuerunt. Respondemus in Ezræ libro, qui primus dicitur, eorum omnium quæ ad templi ædificationem tunc collata fuerant, quoad aurum maximè atque argentum, summam numerari; & intelligi tam gentium & vulgi Judaici quàm principum Judaicorum dona; sensúmque esse loci, quòd familiarum principes ad exstruendam Dei domum sponte obtulerint munera sua, nimirum unum & viginti millia drachmarum auri, & cætera quæ habet Nehemias: Simul autem eos, cum populo & aliis quibusdam ex regno Cyri, pro opibus suis dedisse auri unum & quadraginta aut sexaginta millia drachmarum. Nam præterquam quòd Ezram insignes quidam Enarratores sic intelligant; rationes quas ex iis quæ sequentur licebit colligere sic intelligendum docent. Tertius autem Ezræ non ejus est autoritatis ut extorqueat fidem: quanquam dici possit, principes suo & populi nomine centum millia drachmarum auri promisisse (quod satis significatur si legas *dari*) sed plura uno & sexaginta millibus corradi non potuisse. Josephus lib.11. Antiq. Jud. cap. 3, vel 4 secundùm exemplar Græcum, *Dux verò dinumerata multitudinis*, inquit, *Zorobabel fuit, filius Salathiel, ex nepotibus David genitus, de tribu Juda, & Jesus filius Josedec principis Sacerdotum, necnon & Mardochæus & Serebæus, qui à populo principes fuerant constituti, qui & contulerunt auri quidem minas centum, argenti autem quinque millia.* Ità Josephus.

Quartum argumentum Cajetanus profert, non probat; nec quî probari possit video, jam enim ædificatus erat murus: & portis clausis populóque congregato non collata sunt hæc munera, sed quæ nuper collata conscriptáque erant recitata sunt: id quod manifestum ex sequentibus evadet. Addunt autem MSS. non pauca iis quæ Nehemias habet vocem *Dei*, *Dederunt in opus Dei*, quod quanquam ad textum non pertineat, tamen quomodo intellectus sit locus indicat.

Quintum argumentum ut intelligatur observandum est, septimo Nehemiæ, penè toto capite eos recenseri qui in Judæam primùm ascenderant, ex libro quem Nehemias invenerat: sic enim capitis illius v.5. legitur, *Et inveni librum censûs eorum qui ascenderant primùm: & inventum est scriptum in eo, Isti filii provinciæ*, &c. Quæritur autem quis sit liber iste, & ubi sit finis eorum quæ ex hoc libro referuntur. Quidam librum Ezræ esse existimant quem primum Ezræ dicere solemus: sunt enim quæ hîc referuntur eadem penè cum iis quæ in Ezra leguntur. Quidam alium esse putant, post Ezræ

librum

librum annis aliquot ſcriptum, propterea quòd cum eo in quibuſdam filiorum particularibus numeris non conveniat, quòd temporis ſucceſſu alii aucti ſint liberis, alii orbati. Certè Nehemiæ recitatio ante 66 verſum ab Ezræ libro octies & decies in numeris diſcrepat: & tamen, juxta Hebræos & quoſdam Græcos, ac Latinos codices, Dionyſium etiam Carthuſianum, eadem eſt Ezræ atque Nehemiæ totius ſumma multitudinis, 42360. ſed quæ multò plures contineat quàm ſint antè expreſſè recenſiti. Quibus prior placuit ſententia, nimirum Ezræ librum eſſe quem citat Nehemias, cenſuerunt Ezræ verba ver. 69 finiri; illi nimirum qui hanc notam verſui 69 ſubjecerunt, *Hucuſque refertur quid in commentario ſcriptum fuerit: exin Nehemiæ hiſtoria texitur*, hâc, ut exiſtimo, adducti ratione, quòd quæ ſequuntur proximis tribus verſibus, de impenſarum contributione, magis à libro Ezræ diverſa ſunt quàm ulla præcedentia. Verùm ſi alium librum fuiſſe dicamus, quæ altera eſt opinio, nihil mirum ſi paululùm ab Ezræ libro diſcrepet: neque, cùm diſtinctiùs ſingulorum dona enumeret, mirum eſt non eundem exſurgere numerum. Nam qui diſtinctè enumerat, præcipuarum duntaxat perſonarum præcipua munera cenſet: qui autem omnium unam ſummam profert, omnia omnium dona commiſcet: quanquam Sacerdotales tunicas fortè tantùm pretioſiores Ezras enumeret. Sed fuerit Ezræ liber, cur non potuit ex eo Nehemias hæc paululùm mutata, explicatiùs nimirum propoſita, recitaſſe? idem námque eſt ordo, & eadem penè verba, cùm ante tum poſt donorum ſupputationem. Quocirca ambigere fortaſſis liceat an noſtri ſit Interpretis ſuperior illa notatio: aut ſi ejus, an eo loco collocata. Sanè MSS. noſtrorum plurima, viginti numero, & quidem pleraque antiquiſſima, notationem illam non habent: ſed initio ſequentis capitis pleraque eadem cum nonnullis impreſſis codicibus addunt, *Et venerat menſis ſeptimus SCENOPEGIÆ SUB EZRA ET NEHEMIA.* Quo additamento hîc ſequeſtrari ſignificantur Ezræ verba à Nehemiæ, ut ipſis Ezræ verbis ad ſuam Nehemias regrediatur hiſtoriam: nam & tunc menſis erat ſeptimus, in quo Scenopegia celebranda erant. Verùm multò eſt veriſimilius etiam hæc ad Ezræ verba pertinere: nam additamentum illud exemplaria Brugenſe & Lobienſe, antiquitate & integritate præſtantiſſima, cum multis aliis non agnoſcunt, Hebræa etiam & Græca non legunt, Epanorthotes omittendum cenſet, denique Lyranus & Carthuſianus rejiciunt. Finiri autem videtur Ezræ, ſive quiſquis recitati commentarii fuerit autor, verba paulò pòſt, hîc, *Filii autem Iſrael erant in civitatibus ſuis*; tum Nehemiæ ſequi hiſtoriam, *Congregatúſque eſt omnis populus*, &c. Iſtud enim cum eo loco in quo ſuam Nehemias reliquerat hiſtoriam (Ezræ ſcilicet verba inſerens) optimè hæret: *Dedit autem Deus*, habet Nehemias cap. 7. v. 5. *in corde meo, & congregavi optimates & magiſtratus & vulgus, ut recenſerem eos: & inveni librum cenſûs eorum qui aſcenderant primùm, & inventum eſt ſcriptum in eo, Iſti filii provinciæ*, &c. Subjecit autem recitatis illius libri verbis, *Congregatúſque eſt omnis populus, quaſi vir unus, ad plateam quæ eſt ante portam aquarum*, &c. repetens quòd priùs dixerat, *congregatum populum*, ut alia commodè adjiceret. Hanc ob cauſam, ut opinor, Hebraici libri octavum caput hoc loco inchoant, *Congregatúſque eſt omnis populus*, &c. quibus conformiter Latinum Lobienſis Cœnobii manuſcriptum nonum hîc caput auſpicatur librorum Ezræ & Nehemiæ. Et fortaſſe ante hæc verba annotatio illa, *Hucuſque refertur*, &c. ab Auctore collocata eſt: atqui aliter Lobienſis codex, nec hujuſmodi quid in aliis MSS. deprehendi. Epanorthotes autem ſententiæ iſti omnino refragatur: nam & legendam dicit annotationem, & eo loco legendam (poſt 69 verſum) & ipſi noſtro Interpreti adſcribendam; inſerta enim hæc ab eo hoc loco, quemadmodum in libro Eſther, plura. Sed Interpretis ſicèt ſit, & eo loco legenda, & vera agnoſcenda; fieri nihilominus poteſt idem eſſe quod Nehemias narrat cum eo quod Ezras habet: nam quod Ezras ſummatim ſcripſerat, Nehemias explicatiùs recenſere voluit: paulò autem pòſt, cùm id cauſæ non ſubeſſet, rurſus Ezræ verbis uti, uſque ad capitis octavi initium, *Congregatúſque eſt omnis populus*, &c. Sanè Lyranus idipſum eſſe quod Nehemias enumerat cum eo quod Ezras ſummatim dicit, agnoviſſe videtur: atque id omnino Richelius ſentit, ſeptimum Nehemiæ enarrans caput. Hâc autem ſententiâ non parùm ſtabiliri videtur ea manuſcriptorum Latinorum lectio quæ Ezræ cap. 2. unum & quadraginta millia drachmarum auri numerat. Nam ſi quæ Nehemias recenſet ſubductis calculis colligas, tantum, nec amplius, comperis.

Sed reſponderi poſſit, plus ab Ezra quàm à Nehemia recenſitum, quòd pluriſù dona Ezras complexus ſit, nempe eorum etiam omnium qui ex regno Cyri de opibus ſuis aliquid contulerunt; Nehemiam autem præcipua duntaxat Judæorum dona enumeraſſe: lectionem verò Latinorum in pleriſque Ezræ libris corruptam, tum ex cauſa ſuprà adducta, tum ex ipſo Nehemiæ loco, Nam & in quibuſdam Græcis libris Nehemias ex Ezra corruptus fuit. Ut enim conveniret Ezræ Nehemias, ſcripſerunt Græci quidam à populo quadraginta millia drachmarum auri contributa, id quod Epanorthotes teſtatur. Sic igitur habent aliquid lectiones ſingulæ quò probabiles reddantur: atque id proferre, & aliis judicium relinquere, propoſitum nobis fuit.

NOTATIO IN LIBRUM NEHEMIÆ.

C. 3. v. 32.

ARtifices & negotiatores] Sic plerique codices legunt. Biblia autem Complutenſia & Benedictina, addam Clariana, cum manuſcripto Hunnæi D. notato, *aurifices* habent. Hebraicè eſt צרפים, id quod propriè *fuſores* ſignificat, qui aurum aut argentum fundendo probant, purgant & conflant, quos, conſentientibus inter ſe exemplaribus, *aurifices* vocat Interpres noſter, hujus ipſius capitis v. 8, & 31. atque eo modo etiam alii transferunt.

NOTATIONES IN LIBRUM JOB.

C. 3. v. 4.

NON requirat eum Deus deſuper, non ſit in recordatione, & non illuſtretur lumine] Sic manuſcripta, Hentenii tredecim, noſtra vigintiquinque, legunt, cum Enarratoribus, Philippo Presbytero & D. Thoma. Impreſſi verò codices ſecuti, ut opinor, Moguntinam editionem, partem illam mediam, *non ſit in recordatione*, prætermittunt; quibus correctiora Lyrani & Epanorthotæ MSS. ſuffragantur: atque inter noſtra codex antiquiſſimus S. Petri Lobienſis, & alter Leodienſis (manifeſtè namque huic conſpicitur addita) & quatuor à D. Hunnæo connumerati, unus O ſignatus, alter I notatus, tertius literarum magnitudine conſpicuus, qui ante annos trecentos ex Caroli magni Bibliis undequaque collectis juſſu, ut præfatio habet, F. Jordani, Magiſtri ordinis Prædicatorum, & F. Hugonis Prioris provincialis in Francia, correctus fuit; quartus Eccleſiaſtici Breviarii pars eſſe videtur. Inter Latinos Tractatores D. Hieronymus (ſi tamen illorum commentariorum autor eſt) & Gregorius partem iſtam non agnoſcunt. Nec Hebraicis codicibus additur: & Græcis etiam & Chaldaicis omittitur. Videtur autem partis proximè præcedentis explicatio eſſe, primùm margini adſcripta, poſtea textui adjecta: cui conjecturæ non parùm addit momenti iſta Beſſarionici codicis lectio, *Non requirat eum deſuper, & non ſit in recordatione deſuper, nec illuſtretur lumine.* Expoſuit autem ad hunc modum Hieronymus; *Non requirat*, inquit, *eam Deus deſuper, h. e. ne fiat ejus memoria antè Deum in bonum*;

& prior, Origeni attributus, commentarius, *Non inquirat illum Dominus desuper, non recordetur, non reputet: non enim est dignus*, &c. Itáque Philippus Presbyter, *Non sit in recordatione*, inquit, *h. e. non requiretur desuper, nè fiat ejus memoria ante Dominum in bonum.*

C. 19. v. 24. *Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo & plumbi laminâ, vel certè sculpantur in silice.*] Sedecim noſtrorum MSS. legunt, *Vel celte sculpantur in silice*; Tredecim, *Vel certè sculpantur in silice.* Prior lectio eſt Richardi Pampolitani, Hugonis Carenſis & aliorum quorundam. Videtur & D. Gregorii fuiſſe: nam Eccleſiæ Jobis verba accommodans, *Quæ*, ait, *quia forti sententiâ, modò per pondus avaritiæ gravibus, modò autem duris cordibus loquitur, stylo ferreo in plumbi lamina, vel celte in silice scribit.* Dicunt autem *celtem* inſtrumentum eſſe cæmentariorum quo lapides ſculpantur: quod quidem claſſici plerique ſcriptores *cœlum* vocant; attamen *celtem* appellatum invenio in antiquo quodam epitaphio, quod ex vetuſto lapide in Aldi Orthographia recitatur: NAM. NEQUE. HIC. ATRAMENTUM. VEL. PAPYRUS. AUT. MEMBRANA. ULLA. ADHUC. SED. MALLEOLO. ET. CELTE. LITERATUS. SILEX. Poſterior lectio eſt Thomæ Aquinatis; nam quanquam *celte* impreſſum ſit in quibuſdam codicibus, *certè* legendum eſſe, ut Romana habet editio, adjuncta verba teſtantur, *Vel*, inquit, *ſi & hoc parvum videtur, certè ſculpantur ſtylo ferreo in ſilice.* Quid Hieronymus & Philippus legerint ex commentariis non liquet.

Ex his autem lectionibus omnes (quos quidem ego de hoc negotio ſententiam dicentes legi) poſteriorem præferunt. Epanorthotes, *Item e.* vel certè ſculpantur: *non eſt ibi* celte, *pro inſtrumento ferreo.* Biblia illa à Sancti Dominici Fratribus correcta, de quibus ſtatim diximus, nonnullas habent ſub finem notas, ad quas, ſigno aureo in textûs margine collocato, Lector mittitur: & quidem circa hunc locum hoc notant modo, *Quidam malè habent* celte, *i. cicello, quod eſt inſtrumentum cœlandi, i. ſculpendi lapides: quia antiqui habent* certè *adverbium affirmandi, & Hebræus habet* firmè *vel* firmiter. Magdalii correctorium habet, *Legi debet, Vel certè ſculpantur in ſilice:* & hoc magis concordat cum Hebræo. Franciſcus Titelmannus *celte* ut indoctam & barbaram lectionem rejicit, quæ Bonaventuræ, Thomæ, Lyrano, & qui iis ſuperiores ſunt, Enarratoribus, incognita fuerit: verſum autem ab Hieronymo aſſerit *certé.* D. Hentenius & Pariſienſes, in ſuorum ſinguli Bibliorum textus, expulſo *celte*, *certè* receperunt. Et ſanè, etiam noſtra, antiquiora & correctiora ſunt exemplaria quæ *certè* legunt: quibus accedunt Moguntina, Quenteliana & Complutenſia Biblia. Hebraicè eſt לעד בצור יחצבון. Dictione לעד, *cœlum* quidem ſive *celtis* aut *celtes* non ſignificatur, *certè* autem intelligi poſſe videtur: ſed alii, poſt Chaldæum, reddunt *in æternum.* Eo modo etiam Græci tranſtuliſſe videntur, quanquam non ſit ſuo loco poſitum εἰς τὸν αἰῶνα. Quidam productam ſententiam vertit, additis duabus his dictionibus, *aut certè, Aut certè in perpetuum in ſaxo ſculperentur.*

Franciſcus Raphlengius in exemplari quodam ſcriptum reperit, V. t. ſ. i. ſ. atque ex eo per *t* literam *teſtes* aut quid ſimile legendum conjicit: nam quod Hebraicè eſt לעד, *in teſtem* aut *in teſtimonium* vertas licet: & ſanè admodum ſimilis eſt vox *teſtes* ei quæ vulgò legitur *celte*; ſed in nullo manuſcriptorum eam reperi: tantùm in libro Annotationum in Job, eam Auguſtini lectionem eſſe deprehendi, *Aut in teſtimonium in petris ſculpantur.*

C. 30. v. 12. Triplicem potiſſimùm invenio hujus loci lectionem; unam, *Ad dexteram orientes calamitates meæ illico ſurrexerunt*; alteram, *Ad dexteram orientis* [*orientem* 1 MS.] *calamitatis meæ illico ſurrexerunt*; tertiam, *Ad dexteram orientis* [*morientis* o.] *calamitates meæ illico ſurrexerunt.* Primam Franciſcus Titelmannus habet & explicat: cui ſimile eſt quod in Auguſtini annotationibus legitur, *Et à dexteris germinantes conſurrexerunt.* Secundam ſequuntur undecim; Tertiam octodecim noſtrorum exemplarium. Hebraicè eſt על ימין פרחח יקומו. Difficultas eſt in voce פרחח, quæ à פרח, quod *oriri, germinare, florere* ſignificat, deducta eſt. Doctores Hebræi ferè *puerum* intelligunt, *Ad dexteram pueri ſurrexerunt.* Senſus eſt, Puerorum unuſquiſque mihi audet illudere. Scholiaſtes Hebræus reddidit, *in dexteram juventus inſurgunt*: quod eſt juvenes ætate florentes in me inſurgunt. Atque ad hunc modum Chaldæus Paraph. *Ad dexteram cum impudentia filii eorum ſurrexerunt.* Græci Interpretes פרחח *germen* tranſtulerunt, ὀπὶ δεξιῶν βλαστῦ ἐπαύξησ. Hos Lat. Interpres fortè ſecutus eſt, & *germinis* nomine, naſcentes ſeu orientes calamitates intellexit: nam Hebraicæ dictioni פרחח, & Græcæ βλαστῦ, in noſtra tralatione totum hoc *orientes calamitates meæ* reſpondere videtur. Hæc ſi vera eſt conjectura, germana noſtræ editionis agnoſcenda eſt vel prima vel ſecunda lectio. Eò autem ſecunda eſt probabilior, quòd libris Græcis (quos quidem vidimus) conformior, & MSS. Latinis ſit notior: nam primam in noſtris ſcriptis non invenimus; ſecundam verò in correctiſſimis, [Brug. Lob. H. K. O. P. &c.] & in pleriſque impreſſis codicibus. Poſſit autem ejus eſſe ſenſus, Statim ut orta eſt calamitas mea inſurrexerunt in me afflictores mei. Sed tertia lectio, *Ad dexteram orientis calamitates meæ illico ſurrexerunt*, ut plerorumque eſt manuſcriptorum, ità & Tractatorum, Richelii, Lyrani, Thomæ, Gregorii, Philippi, Hieronymi, aut ejus cujus ille eſt commentarius qui in Hieronymi operibus exſtat. Proinde an Interpres noſter nomine פרחח Deum qui *Oriens* appellatur, aut plagam mundi Orientalem, aut quid ſimile, intellexerit, & *calamitates meæ*, ut ſequentis verbi ſuppoſitum, addiderit, quærendum eſt. Epanorthotes circa hujus loci varietates non aliud habet quàm, *ad dexteram orientis, legendum.*

C. 33. v. 23. *Si fuerit pro eo angelus loquens unus de millibus.*] Plerique codices habent *de ſimilibus*: id quod D. Gregorius & legit & exponit. Similiter Hugo Cardinalis, & Gloſſæ Ordinariæ Autor, qui Gregorium ſequuntur. Atqui nonnulli legunt *de millibus*; ex noſtris ſcriptis quatuor, Brugenſe, Buſlidianũ, & duo ab Hunnæo commodata; & Pariſienſium tria ex Dionyſii utrumque & Germani parvum: quibus accedunt antiqui codices Epanorthotæ, & Typographicæ editiones, Complutenſis, Baſileenſis ante annos 74, Colonienſis, Lovanienſis, & Pariſienſis anni 1557. Horum exemplarium lectionem Hebraici, Græci & Chaldaici libri conſtanter concorditérque probant. Eandem tuentur Enarratores, Hieronymus, Philippus, Thomas, Lyranus. Et Hieronymi quidem ac Philippi (nam Thomæ & Lyrani commentaria luce ſunt clariora) quibus id monſtretur hæc verba ſunt, eadem utriuſque, *Si fuerit quiſpiam ſanctorum*, &c. *is pro hujuſcemodi*, &c. *poterit impetrare: ſi de multis operibus bonis quæ operari debuerat, ſaltem unum bonum opus ejus*, &c. *valuerit invenire.* Eandem lectionem Epanorthotes adſtruit verbis his, *Item F.* Loquens unus de millibus. *Hebræus & Græcus & antiqui Latini habent* millibus, *& habent* unus. Gregorius exponit *de ſimilibus*, tamen in Biblia qua uſus eſt vidi *de millibus.* Sed fieri facilè potuit quòd exemplar illud, cùm in Job commentaria ſcriberet, aut non habuerit, aut non conſuluerit, aut denique conſultum neglexerit.

C. 36. v. 27. *Qui aufert ſtillas pluviæ, & effundit imbres ad inſtar gurgitum.*] Rurſus codicis mendo deceptus Gregorius legit, *Qui aufert ſtellas pluviæ*: legendum eſt enim, *Qui aufert* [*affert* o.] *ſtillas pluviæ.* Sic antiqui codices Epanorthotæ, & F. Dominicanorum: ſic plerique noſtri libri cùm typis tum calamis exarati. Sic Hieronymus, Philippus, Thomas, Lyranus: ſic poſtremò Hebræa, Græca, Chaldæa. Quod autem in Auguſtini annotationibus legitur, *Et innumerabiles ſtellæ & pluviæ*, veriſimile eſt corruptè legi (ut plurima in hoc libro, ipſo Auguſtino teſte l. 1. Retract. c. 13.) legendum autem, ut habent libri Græci,

Et

Et numerabiles ei stilla pluviæ: sic namque exponens subjungit, *hoc enim quod homines prædicatores implevit, Evangelium numerabile est usque in consummationem seculi, donec auferatur scientia, qua ex parte est, ut veniat quod perfectum est facie ad faciem.*

C. 41. v. 14. *Membra carnium ejus cohærentia sibi: mittet contra eum flumina, & ad locum alium non ferentur.*] Quidam codices habent, *Mittet contra eum flumina.* Alii, *Mittet contra eum fulmina,* *[* & ibunt* o.] Ultra germana sit lectio ex Hebræo non facilè cognosci potest: non enim aliud legitur quàm יצוק עליו, id quod Hebraicus Scholiastes vertit, *Fortis in eo,* scilicet unaquæque partium carnis ejus, i. caro ejus, firma & solida est. Septuaginta reddiderunt κολλᾶται ἐπ' αὐτὸν *effundit super eum:* יצק enim & *fundere* & *roborare* significat. Græcos priori significatione vertentes noster secutus, interpretatus videtur, *Mittet contra eum* (nam futurum esse intellexit quod Hebraicus Scholiastes pro participio accipit) & addidisse quod subaudiendum putavit, *fulmina,* aut *flumina.* Quocirca non facilè genuina lectio colligi ex Hebræo potest, nisi quòd *fundi* magis propriè flumini quàm fulmini conveniat. Sed *fulmina* verisimiliorem reddunt lectionem & codices & Enarratores. Nostrorum enim MSS. 24 scribunt *fulmina*; septem duntaxat, eáque minùs correcta, *flumina.* Major quoque exemplarium nostrorum typis impressorum pars *fulmina* habet. Enarratores quos vidi omnes *fulmina* legunt; D. Hieronymus, Philippus Presbyter, (nam qui in V. Bedæ operibus est commentarius, idem est) Gregorius Papa, Thomas Aquinas, Ordinariæ Glossæ Autor, Nicolaus Lyranus, Hugo Cardinalis, Dionysius Richelius, Franciscus Titelmannus. Accedit quòd fulminibus magis convenire quàm fluminibus videatur id quod deinceps Interpres transtulit, *Et ad locum alium non ferentur.* Cæterùm Epanorthotes legendum dicit, *Et ad locum alium non fertur:* id quod tam *fluminum* quàm *fulminum* lectionem probat: nam ut non se movet loco Leviathan ejaculante in eum Deo fulmina, sic verisimile est non moveri loco mittente in eum Deo flumina, magno in mare impetu labentia. Sic habet Epanorthotes, *Item, emittet contra eum flumina, & ad locum alium non fertur.* An scriptum sit *flumina* pro *fulmina,* equidem ignoro: sed *fertur* rectè scriptum subjuncta testantur, *Juxta Hebræum & antiquos*; *sed Gregorius* feruntur. Hebraicè est בל־ימוט *non movebitur:* similiter Græcè, ἐ σαλευθήσεται. Ex nostris Latinis MSS. duo emendatissima, unum insignis Cathedralis Ecclesiæ S. Donatiani Brugensis, alterum D. Hunnæi O litera signatum legunt, cum Epanorthote, *fertur:* sed Enarratores recensiti concorditer *feruntur* aut *ferentur* exponunt.

NOTATIONES IN LIBRUM PSALMORUM.

PSAL. 2. v. 6.

PRædicans præceptum ejus] Sic MSS. nostra universa, uno dempto, legunt, cum impressis codicibus & Latinis enarratoribus, Arnobio, Augustino, Ruffino, Cassiodoro, Beda, Haymone, Remigio, & posterioribus. MS. nostrum Gothicis literis scriptum, Psalterium Romanum Tornacensis manuscripti, & Regius textus legunt, *Prædicans præceptum Domini,* suffragantibus Græcis exemplaribus, Tornacensi, Latinis literis scripto, Regio, Nebiensi, Aldino, Chevalloniano, Antverpiensi, Basileensi, Argentoratensi ad Vaticana collato, & Parisiensi ex S. Victoris codice emendato. Sic & in Hieronymi ac Theodoriti commentariis legitur. Cæterùm consideratis universis illa non hæc nostræ editionis lectio esse videtur. Est autem idem lectionis utriusque sensus, exprimente id unâ ad quod se refert altera: atque ex Hebræo ad eundem modum lecto utraque profluxisse videtur. Dictio namque quæ Hebraicè est אר duobus modis legi potest; aut eo puncto quod Hebræis dicitur *segol,* אַר, quomodo Biblia Hebræorum punctis insignita legunt; aut eo quod *seri* nuncupatur, אָר, quomodo superioribus lectionibus serviat: atque eâ ratione etiam Hieronymus & Chaldæus Paraph. legerunt. Verterunt namque, *Annunciabo Dei præceptum:* quanquam aliqua Chaldaicæ paraphraseos exemplaria omittant דאלהא, quod est *Dei.*

Psal. 5. v. 9. Latina antigrapha plurima cum multis Græcis legunt, *Dirige in conspectu tuo viam meam*; quomodo & Augustinus, Cassiodorus, Beda, Haymo, & qui in Græcum olim carmen Psalterium transtulit, Apollinaris, legunt. Augustinus, *In conspectu,* inquit, *tuo dirige iter meum,* i. *ubi nullus hominum videt, quibus credendum non est laudantibus aut vituperantibus: non enim ullo modo possunt de aliena conscientia judicare, in qua iter dirigitur ad Deum.* Apollinaris,

Ἡμετέρῳ ἴδυνον ἐπ' ὄμμασι σοῖσιν ἀταρπόν.

Antiqui autem Latini codices Epanorthotæ, quatuor Parisiensium, unus Hentenii, tres nostri (Brug. Lob. Torn.) habent, *Dirige in conspectu meo viam tuam*; quæ & Græcorum quorundam codicum, Theodorito teste, lectio est, ac nominatim Græci exemplaris Vaticanæ Bibliothecæ, id quod, cùm dignitate tum eruditione & pietate clarissimus, S. R. E. Cardinalis D. Gulielmus Sirletus in suis Variarum lectionum in Psalmos Annotationibus refert, & nostra ad Vaticana collatio notat. Est etiam Hebraicorum ac Chaldaicorum librorum scriptura: veterum quoque Tractatorum, Arnobii, Chrysostomi & Hieronymi, & Carthusianorum Brunonis ac Dionysii, denique sacrarum virginum Suniæ ac Fretelæ. D. Hieronymus lib. 3. Adversus Pelagianos, Remigius Antissiodorensis, Thomas Aquinas, & Ludolphus Carthusianus, utriusque lectionis meminerunt. Et sanè videri possit lectio ista, quòd minùs intelligeretur, commutata priori. Arnobii verba sunt, *Hunc deducet Dominus in sua justitia propter inimicos, ut dirigat in conspectu ejus viam suam. Quare propter inimicos? quia inimici alteram viam ostendunt qua ducit ad mortem. Et propter ipsos hîc dirigit viam qua ducit ad vitam.* Chrysostomi, *Dirige in conspectu tuo viam meam* (sic enim legitur) *h.e. Fac mihi eam claram, apertam, notam, ut ea sit apud me certa & recta.* Alius autem Interpres dixit, *Complana ante me viam tuam, h.e. redde planam ac facilem.* Hieronymi in commentariis verba sunt (adjuncti enim his autoribus textus aliter legunt.) *Propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam*] *h.e. viam tuam rectam fac propter inimicos meos qui insidiantur mihi, &c. h.e. ne in Scripturis tuis per quas ingredi cupio in Ecclesiam tuam, corruam. Omnis enim qui malè intelligit Scripturas, in via Dei corruit.* Quæ Euthymius Græcus autor in hunc locum scripsit, priori lectioni suffragantur. *Propter visibiles,* explanans ait, *atq; invisibiles inimicos meos, qui in semitis meis scandala seminant & laqueos tendunt, explana, quæso, Domine, viam meam ad te: ità enim Symmachus reddidit.* Sic Euthymius: sed aliud Symmacho tribuit Hieronymus. Ità namque in epistola quam de Psalterii emendatione ad Suniam & Fretelam scripsit, habet, *Dirige in conspectu meo viam tuam*] *pro quo in Græco legitur,* κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου, dirige in conspectu tuo viam meam, *quod nec Septuaginta habent, nec Aquila, nec Symmachus, nec Theodotio, sed sola κοινὴ editio. Denique & in Hebræo scriptum ità reperi,* הישר לפני דרכך, *quod omnes voce simili transtulerunt,* Dirige in conspectu meo viam tuam, &c. *Postulat autem Propheta ut via Domini, quæ per se recta est, etiam sibi recta fiat.* Hactenus Hieronymus. Cæterùm cùm via Domini nobis est recta, & via nostra Deo recta est.

Psal. 13. *Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant: venenũ aspidum sub labiis eorũ. Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum*

ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum; & viam pacis non cognoverunt: non est timor Dei ante oculos eorum. Tres isti versus an ad Psal. 13 pertineant, quæstio est omnimodè controversa. Aiunt hi, negant alii: partis igitur utriusque rationes atque argumenta proferemus.

Ad Psal. 13 pertinere videri ex eo in primis possint quòd ab Apostolo in Psalmi 13 exemplaribus lecti fuerint; quippe qui ad Romanos cap. 3. eos tanquam ex contextu unius Psalmi simul deinceps referat. *Causati enim sumus*, inquit, *Judæos & Græcos omnes sub peccato esse, sicut scriptum est, Quia non est justus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant*, &c. Deinde in vetusto Anglicanæ Ecclesiæ Hebraico Psalterio versus isti hoc decimitertii loco habentur. Recitantur à Reverendissimo Domino D. Lindano, libro De optimo genere interpretandi Scripturas. Adhæc in utraque Arabica interpretatione, Syra videlicet atque Ægyptia, omnino in 13 Psalmo leguntur. Autor est Augustinus Justinianus, Episcopus Nebiensis: atque hinc conjicit olim Græcè lectos fuisse; illas enim interpretationes ex Græco desumptas non dubitat. Et certè in vetustissimo Vaticanæ Bibliothecæ Græco codice legi Julius Eugubinus, in Nazianzeni Apologeticum scribens scholia, testatur. In Latinis autem codicibus, tam antiquis quàm novis, constanter scribuntur: & à Ruffino, Augustino, & posterioribus Psalmorum Latinis Enarratoribus, agnoscuntur atque exponuntur.

Altera sententia eorum qui tres illos versus non esse decimitertii Psalmi existimant, suis etiam argumentis probatur. Inprimis quòd tres isti versus non legantur in Psalmo 52, qui decimotertio simillimus & penè idem est. Verùm non est id efficax argumentum, imò verò alterum potiùs hinc effici videatur: nam si idem est cum 13 Psalmo, cur repetitus est? sed est discriminis nonnihil, penultimis versibus à se mutuò discrepantibus. Fieri autem potuit quòd, diversis occasionibus, eosdem ferè Psalmos David decantaverit. Altera succedit ratio, quòd in nullis Hebraicis codicibus versus isti Psalmo 13 legantur. Nam quæ in illo Anglicano Psalterio leguntur, ficticia & suppositicia esse non dubitant, nimirum quæ nec scitè juxta Hebraicam Grammaticen scripta sint. Quod cùm ostendere conati sint quidam, hoc tantùm nos addemus, illud ipsum Psalterium asserere hos versus in Hebræo non legi. Sunt enim Latinæ quædam annotationes in ejus margine adscriptæ, quæ circa hunc locum hoc habent modo: *Sepulcrum.*] *Tres isti versus in Hebræo non habentur. Apostolus autem de Deuteronomio, Psalterio, & cæteris Scripturarum locis hoc testimonium texuit.* Sunt ferè Hieronymi in Commentariis verba. Quid ampliùs desideres quàm testimonium illius exemplaris quod refragari existimabatur? Sed nè fortè dicas, annotationes illas ab indocto quopiam adjectas, qui quid hoc libro Hebraicè scriptum esset aut legere non potuerit, aut non intelligere; in altero margine Latinam is ipse scripsit explicationem, & quidem Hebraicis dictionibus qualitercunque accommodatam, ut præcedentium & subsequentium, ità & istorum versuum. Videtur igitur adeò parvi exemplar illud feciſse ut, quamvis in eo versus illos esse non ignoraret, non ideo negandum putarit in Hebræo non haberi. Neque verò ista ex relatu dico; ipse deprehendi: exemplar namque illud commodatò nobis misit, qui eo utitur, Franc. Raphlengius, Plantini gener. Ex quo id nequeo præterire, quòd, non ut Apostolus, habeat, *Venenum aspidum sub labiis eorum*, sed תחת לשונם, *sub lingua eorum*; neque, *Et amaritudine plenum est*, sed ומרמה מלא, *& dolo plenum est*: nisi dicas fortè Lxx 11 ex מרמה πτωσεις reddidisse, Psal. 10.7. Dominus Lindanus transcripsit ומרה מלא. Alterum nobis datum est Hebraicum Psalterium ex Societatis Jesu Bibliotheca, illo fortassis antiquius, id quod nullum horum versuum habet vestigium. Denique ipse Reverendissimus Dominus Lindanus, in antiquissimo Portugallicæ Synagogæ Psalterio, quod magnis ad se sumptibus adferendum curavit, versus istos 13 Psalmo non reperit. His adde, quòd in Chaldaica Paraphrasi non legantur. Insuper ab omnibus penè Græcis exemplaribus prætermittuntur; nec tantùm impressis, verumetiam manuscriptis, Parisiensi S. Victoris, Tornacensi S. Martini. Nec Serenissimus Dominus Cardinalis Sirletus in suis in Græcum Psalterium Annotationibus, Vaticanis codicibus legi notavit, cùm tamen id præsertim agat ut vulgatum Græcorum Psalterium ex Vaticanis exemplaribus corrigat. Similiter neque illi quidquam annotarunt qui, illustrissimi D. Cardinalis Granvellani jussu, Græca Argentoratensium Biblia ad Vaticana exemplaria duo contulerunt. Postremò, tres isti Psal. 13 versus ab antiquis Tractatoribus, Arnobio inter Latinos, Chrysostomo, Theodorito & Euthymio inter Græcos, non agnoscuntur: & quidem additus Arnobio textus legit; sed Arnobii commentarium ità præterit, ut nec vidisse nec novisse videatur: *In quo populo*, habet, *omnes declinaverunt, simul inutiles facti, devorabant plebem Dei velut escam panis.* Cætera quæ subsequuntur iis qui deinceps sunt versibus serviunt; præcedentia præcedentibus conveniunt. Apollinaris, cùm reliqua hujus Psalmi carmine reddiderit, hæc duntaxat prætermisit. Sub finem tamen editionis Parisiensis, ὁ δὲ διαφόρως γεγραῦς notatum invenimus, Ἐγγατίνης--μὴ τοῦτον δὲ σίχον ὁ ἄλλῳ ἀντιγράφῳ ἐνείσκεται ταῦτα, Λαιμαὶ αὐτῶν--καὶ τὰ λοιπὰ, *Post hunc versum* Ἐγγατίνης, *in alio exemplari inveniuntur hæc*, Λαιμαὶ αὐτῶν, &c. Sunt autem ea de quibus est controversia simili carmine reddita. Cassiodorus Romanus Senator & Haymo Halberstattensis Episcopus exponunt quidem ista, sed prænonent, non à Propheta esse addita. Cassiodorus, *Hi quinque versus*, ait, *usque ad divisionem secundam, in Hebræis exemplaribus non habentur: sed quoniam in usum Ecclesiæ consuetudine longâ recepti sunt, prout concessum fuerit, singulos exponemus.* Haymo, *Sciendum*, inquit, *quòd Propheta istos tres sequentes versus in hoc Psalmo non posuit: sed quia Apostolus, Judæorum fidem increpans, in epistola ad Romanos ità contexuit, Ecclesia autem ejus tanquam & David auctoritatem attendens, ejus contextionem non permutavit.* Hæc Haymo. Ad id igitur quod de Apostoli citatione adfertur, qui tanquam ex eodem Psalmo recitat, & eum versum *Omnes declinaverunt*, & eum *Sepulcrum patens* cum duobus sequentibus, respondent Apostolum ex diversis S. Scripturæ locis collegisse, & in unam congeriem composuisse ea quæ de hominum Christi gratiâ non renovatorum corruptione scripta fuerant. Itaque non ab Apostolo ex Psalmo 13 hæc desumpta, sed ex Apostolo in Psalmum 13 relata. Hujus autem sententiæ patronum atque autorem Hieronymum habent, qui cùm in hujus Psalmi commentariis tum in procœmio libri 16 commentariorum in Isaiam docet, Apostolum ex diversis Scripturarum locis testimonium hoc texuisse. Operæ pretium autem fuerit ejus verba ex procœmio illo adscribere. Eustochii quæstio erat, Quomodo verum esset, quod Hieronymus scripserat, Apostolos ea tantùm de Lxx interpretibus ponere testimonia quæ cum Hebræo consonarent, si qua autem ab aliis addita sunt, omnino negligere; *cùm 13 Psalmi octo versu, qui leguntur in Ecclesiis, & in Hebræo non habentur, Apostolus Paulus Romanis scribens usurparit?* Huic quæstioni Hieronymus his tandem respondet verbis, *Itaque omnem Scripturam mente perlustrans, animadverti, sicut omnis penè ad Romanos epistola de Veteri structa est Instrumento, sic & hoc testimonium de Psalmis & Esaia esse contextum. Nam duo primi versus*, Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant, *quinti Psalmi sunt; illud autem quod sequitur*, Venenum aspidum sub labiis eorum, *centesimi tricesimi noni Psalmi est. Rursùmque cùm dicitur*, Quorum os maledictione & amaritudine plenum est, *de nono Psalmo sumptum est. Tres autem versiculos qui sequuntur*, Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem:

nem: Contritio & infelicitas in viis eorum: Et viam pacis non cognoverunt, *in Esaia Propheta reperi, quos in 16 explanationis ejus libro, quem nunc dictare cupio, expositurus sum. Ultimus autem versus, i. octavus,* Non est timor Dei ante oculos eorum, *in tricesimiquinti Psalmi principio est. Nec in hoc cuiquam videatur esse diversum, si quod in suis locis numero dicitur singulari, ab Apostolo pluraliter dicatur, qui scribebat ad plurimos, & in unum sensum multa cogebat exempla. Arbitror solutam quæstionem tuam, & nostram regulam super translatione Veteris Instrumenti concussam magis esse quàm motam: Et non tam Apostolum de Psalmo tertiodecimo sumpsisse quod in Hebraico non habetur, quàm eos qui artem contexendarum inter se Scripturarum Apostoli nesciebant, quasi esse aptum locum ubi assumptum ab eo testimonium ponerent, quod absque autoritate in Scriptura positum non putabant. Denique, omnes Graciæ tractatores, qui nobis eruditionis suæ in Psalmos commentarios reliquerunt, hos versiculos verù annotant atque pratereunt, liquidò confitentes in Hebraico non haberi, nec esse in Lxx interpretibus, sed in editione vulgata, quæ Græcè κοινὴ dicitur, & in toto orbe diversa est.* Hactenus Hieronymus, qui eandem habet sententiam in caput Isaiæ 59. Hieronymum, præter alios, Beda sequitur, Actorum Apostolicorum primum caput edissérens: ubi & simile exemplum habet. Quia namque D. Petrus Act. 1. 20. junxerat locum centesimi octavi Psalmi cum altero sexagesimioctavi, ut & Judæ abjectionem & Matthiæ electionem Prophetæ testimonio adstrueret, imperitus emendator totum ex 108 Psalmo sumptum esse arbitratus, huic addidit quod illic amplius legit, *fiat habitatio ejus deserta*, &c. Hoc itaque se habent modo partis utriusque rationes. Prævalere autem ex videntur quæ posterioris sunt partis, asserentis scilicet versus illos non ad 13 Psalmum pertinere, sed ex Divinarum literarum variis locis ab Apostolo connexos, ac postea ex Apostolo Psalmo 13 adjectos, quòd præcedentes versus ad eum Psalmum pertinerent. Porrò ut Hebræis & Græcis codicibus non adjiciendos esse censeo, ità Latinis libris, quibus constanter leguntur, non subtrahendos judico. Lectionis enim antiquitas, quæ D D. Augustini & Hieronymi præcessit tempora, & perpetuus Ecclesiæ in templis usus, suo eos loco facilè moveri non sinunt. Expediat autem fortassis obelisco eos prænotari, quemadmodum in vetustissimis exemplaribus, uno Cathedralis Ecclesiæ Brugensis, altero insignis Abbatiæ Lobiensis, tertio Cœnobii S. Martini Tornacensis, & in D. Brunonis Herbipolensis Episcopi textu, notati cernuntur. Et verisimile est ex D. Hieronymi castigationi obelum in his exemplaribus relictum. Hoc autem prænotati signo si versus isti scribantur, & lectionis antiquitati & legentis eruditioni satisfiet. Unum propter vetustatem in Ecclesia decantandum est, alterum propter notitiam Scripturarum ab eruditis sciendum est.

Psal. 15. v. 3. *Sanctis qui sunt in terra ejus* [Lob.] *mirificavit*] Sic nostra pleraq; exemplaria legunt. Antiqui verò codices Epanorthotæ, cum Brugensi & altero P signato, futuro tempore *mirificabit* habent. Priori modo Græci codices scribunt, ἐθαυμάσωσεν. Similiter Arnobius, Hieronymus, Ruffinus, Cassiodorus, Theodoritus, Euthymius, Haymo, Thomas & Richardus Pampolitanus exponunt. Ad eundem modum Augustinus epist. 59 sed addit, *vel Mirificet.* In commentariis, præterito quidem tempore, sed primâ personâ, *mirificavi* legit: id quod & Beda præcipuè exponit, & Bruno Carthusianus sequitur. Hebraicè est ואדירי: quod non ut verbum, sed ut nomen alii omnes transferunt. Quidam autem, אדירי pro אדירים positum esse arbitrantur: alii regimen esse existimant, subaudiendúmque לב aut ארץ. Lxx legisse videntur יאדיר, in initio quidem dictionis י pro ו habuisse, in fine verò י ut paragogicum aut abundans accepisse. Sequitur in libris Græcis *Mirificavit Dominus*; quod & Euthymius agnoscit: sed Vaticanus codex Græcus, consentientibus Hebraicis libris & Latinis cùm libris tum commentariis, præterit. *Omnes voluntates meas in eis.* Hieronymus pro *meas* habet *suas*, quo modo etiam Arnobius, Euthymius & Græca antigrapha legunt: sic & Augustinus epist. jam citatâ: sed in proprio hujus loci commentario *meas* legit, & in eadem illa epistola, paulò pòst, emendatiores & electioris autoritatis libros *meas* habere affirmat, id quod Hebræo conforme est.

Romanum Psalterium *inter illos* legit, Gallicum *in eis.* Hæc Ruffini & nostrorum plerorumque exemplarium lectio est, illa Gotici nostri Psalterii, textûs Hieronymi enarrationibus adscripti, & Cassiodori. Utriusque meminit Augustinus, epistolâ cujus jam sæpe mentio habita est: præfert autem *in eis*; primùm quòd convenientius videatur, tum quòd in plerisque codicibus sit, demum quòd ità Græcè legatur, nempe ἐν αὐτοῖς, quanquam, *sæpe*, ut ait, *quod habet illa lingua* in illis, *nostri interpretentur* inter illos, *ubi videtur sententia convenire.* Hebraicè consimiliter est בם.

Reddidit autem Hieronymus versum istum ex Hebræo hoc modo, *Sanctis qui in terra sunt & magnificis, omnis voluntas mea in eis.* Ad similem modum Neoterici interpretantur.

Psal. 16. v. 3. *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas: ut non loquatur os meum*, &c.] Epanorthotes in hæc verba annotat, *Et non est inventa*] *Antiqui cum Hebræo & Hieronymus non subjungunt* in me: *satis antiqui habent cum Græco.* Ità reperio in omnibus Græcis libris οὐχ εὑρέθη ἐν ἐμοὶ ἀδικία. Similiter in nostris Latinis exemplaribus & apud Enarratores Latinos & Græcos, lego: nam & Hieronymi Chevallioniana editio *in me* habet: quanquam in D. Thomæ commentariis semel prætermittatur. Hebraicè est בל תמצא ומתי, id quod reddas, *Non invenietur iniquitas mea.* Hoc autem idem est ac si dicas, *Non est inventa in me iniquitas*: futurum enim pro præterito positum est. Itaque nec Hebræo deest *in me.* Simili modo neque deest Hieronymi ex Hebræo translationi: *Et non inveniſti*, habet, *cogitationes meas non transire os meum*: sic enim Regia Biblia legunt. [Manuscriptum O notatum legit, *Et non inveniſti cogitationes meas. Utinam non transisset os meum in opus Adam*: quam lectionem & Jacobus agnoscit.] Tria autem nostra manuscripta, 3. Jacobi Psalterium, & operum Hieronymi editio, posteriorem negationem prætermittunt, *Et non inveniſti cogitationes meas transire os meum*, sed habetur in Hebræo. Cæterùm si prior lectio interrogando pronuncianda sit, is est sensus quem habet posterior. Distinxit autem Hebræum Hieronymus paulò aliter quàm Lxx viri, & legit, non תִּמְצָא, sed תִּמְצָא. Intellexerunt autem utrique ומתי nomen esse; Lxx quidem singulare, ut legatur וּמַתִּי, Hieronymus plurale, ut וּמַתַּי legatur. ומתי, & *cogitationem* significat & *iniquitatem.* Hebraici nostri libri ומתי, ità ut verbum sit, scribunt (sic verisimile est Epanorthoten intellexisse) longéque aliter distinguunt, צרפתני בל תמצא ומתי בל יעבר פי. i. *Conflasti me, non invenies: cogitavi, non transibit os meum.* Futura pro præteritis accipiuntur, datúrque sensus iste, Examinasti me, sicut igni metalla probari solent, & iniquitatē in me non inveniſti: criminantur me inimici malitiosum & fallacem, ego verò nunquam aliud quàm quod corde senserim ore locutus sum. Chaldæus Paraph. reddidit, *Probasti me*, -& [Ven. Neb.] *non inveniſti corruptionem: cogitavi malum, non transivit os meum.*

Psal. 16. v. 13. *Eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manûs tuæ*] Omnes penè codices nostri *frameam tuam* legunt; quomodo etiam Græci libri ῥομφαίαν σου scribunt, & Apollinaris,

Φάσγανον ἄμμιχες ἀνδρὸν ἐξάνυσο χερός

reddidit. Intelligunt autem per *frameam* Joannes de Turrecremata, Bruno, Remigius, Haymo, Beda, Cassiodorus, Augustinus,

Augustinus, Ruffinus & Hieronymus (istorum enim ista est lectio) Christi animam, quam assumpsit æterna Dei virtus, ut per ipsam regna debellaret iniquitatis, & divideret justos ab impiis. *Animam* ergò *meam*, Christus loquitur, *eripe ab inimicis manûs tuæ*, ità ut sit sub verbis aliis præcedentis repetitio. Nonnulli, quorum eadem est lectio, *frameam* exponunt potestatem impiis à Deo permissam: q. d. Potestatem quam impiis in me concessisti jam tandem ab eis aufer, qui non pro te militare, sed potiùs tibi tuæque potentiæ resistere, proponunt. Hujusmodi ferè Jacobi de Valentia interpretatio est, qui orari intelligit ut sacerdotium, sceptrum omnémque principatum Deus à Judæis Christum persequentibus auferat. Adfert utramque expositionem D. Thomas. Romano Psalterio adscribitur lectio quæ nec Hebræo nec Græco convenit: *Frameam* [*Framea* Lob. Torn.] *inimicorum de manu tua:* veruntamen Arnobii fuisse videtur. *Eripe*, ait, *animam meam ab impio*, i. *à mortis jugo, & gladium inimicorum de manu tua evelle.* Alii libri non quarto casu *frameam tuam*, sed sexto *frameâ tuâ* legunt. Sic Correctoris antiqui codices: sic inter nostros, Brugensis D. Donatiani. Hoc modo, conciliatum Jacobi Psalterium habet: eodem Psalterium R^mi D. Lindani industriâ emendatum scribit. Atque huic lectioni Græcus autor Euthymius suffragatur: non enim ῥομφαίαν, ut nostra Græca exemplaria, sed ῥομφαίᾳ legit, quod & Interpres in margine notat, & Commentarius ipse loquitur; *Tuâ*, habet, *frameâ, h. e. tuo telo, libera animam meam ab impio Saul atque ejus sociis, qui electioni tuæ de me factæ tanquam inimici adversantur.* Hunc sensum & Theodoritus probat; *Me autem*, exponens ait, *ab illorum insidiis libera, tuo gladio contra eos utens. Sic enim Symmachus dixit, In gladio tuo.* Hæc ille. Possit autem etiam intelligi lectio ista ità ut Appositio sit, *ab impio, frameâ tuâ.* Utitur enim impiis hominibus Deus ut armis, ad improborum scelera punienda, & piorum virtutem exercendam. Hinc Assyriorum rex *virga furoris Dei* appellatur, Isai. 10.5. Huc facit quod testatur Corrector, Græcos quosdam codices genitivo legere: ita namque fit Appositio, Ἀπὸ ἀσεβοῦς ῥομφαίας σου. Similiter ex Hebræo Hieronymus & post eum alii vertunt, *Ab impio, qui est gladius tuus.* Porrò anceps est Hebræum, ità ut & Appositio intelligi possit, & ablativus instrumenti, & verti, quemadmodum prior habet lectio, *Frameam tuam.* Nonnulli quoque vertunt primo casu, *Gladius tuus*, seu *framea tua:* q. d. Propheta, Eripere tuum est, tuus quoque est gladius: mors & vita in tua sunt potestate. Chaldæi paraphrasis est, *Eripe animam meam ab impio, qui meretur interfici gladio tuo.* Quod sequitur, *Ab inimicis manûs tuæ*, Hebræi in sequentis versûs caput separant.

Psal. 16. v. 14. Quod Hebraicè est ישבעו בנים, ut variè ab interpretibus vertitur, ità variè in Vulgatæ editionis cod. Latinis legitur. Quidam interpretantur, *Saturati sunt filii*, ex neotericis quidem nonnulli, ex veteribus autem Symmachus, Theodorito teste. Itáque novem nostrorum Latinorum MSS. habent: & sensus est, Bonis thesauri tui ipsi implentur, filii saturantur, & nepotes eorum quæ parentum libidini superfuerunt hereditate ditantur. An & ipse Theodoritus ad hunc modum Græcè legerit, quamvis ità habeat textus, dubitari non immeritò possit. Cur enim Symmachi explanationem adferat? Alii transferunt, *Saturati sunt filiis*, Hieronymus, Pratensis, & alii: quo modo pleraque Vulgatæ editionis exemplaria scribunt, & Tractatores complures legunt: éstque Græcorum codicum lectio ἐχορτάσθησαν υἱῶν, id quod υἷῶν scribunt quidam. Olim nonnulli Græcorum librorum υἱῶν scripserunt, qui fuit & exemplarium quibus Euthymius usus est error. Hinc Apollinaris

Πλησθέντες σιάλων ——

carmine vertit; & Arnobius ac Cassiodorus, *saturati sunt porcinâ*, legunt atque exponunt: atq; ea est lectio Psalterii nostri Goticè scripti: quo ex loco, ut & aliis non paucis, conjicere licet, illud non Vulgatæ editionis sed alterius exemplar. esse. Hunc certè locum eo legit modo quo Romanum Psalterium, *Saturati sunt porcinâ, & reliquerunt quæ superfuerunt parvulis suis.* D. Hieronymus in commentariis utramque lectionem *porcinâ* & *filiis* adfert & explicat: *Judæi*, ait, *saturati sunt, quia multiplicati sunt in procreatione filiorum & in rebus seculi. Quando dicit* saturati sunt porcinâ, *hoc Judæorum immunditiam designat.* Meminit utriusque lectionis etiam Augustinus, non tantùm in proprio commentario, verumetiam epist. ad Paulinum 59. quo loco lectionem *filiis* præfert: in quam sententiam etiam Euthymius propendet. Dubitare autem non potest qui Hebræa consuluerit de sententiæ hujus veritate, non υἱῶν sed υἱῶν legendum. Cæterùm etiam ii codices qui υἱῶν seu *porcinâ* legerunt (ὗες enim *porci* ésque dicuntur) posteriori Latinorum lectioni, *Saturati sunt filiis*, adstipulantur. Quod pro altera lectione faciat, est antiquiores codices, ut Epanorthotes ait, *filii* legere: sed id nos in nostris codicibus observare, aut ex Tractatoribus colligere, non potuimus.

Psal. 17. v. 49. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me.*] Conjunctionem & prætermittunt antiqui codices Epanorthotæ, & inter nostros cùm antiquitate tum integritate præstantissimus D. Donatiani codex, cùm Regio textu, & Cassiodoro, atque Augustino, Romano quoque Psalterio Lobiensis & Tornacensis exemplarium. Gallicum autem Lobiensis exemplaris Psalterium & Brunonis Herbipolensis textus asteriſco notatam addunt. A Græcis exemplaribus præteritur; nec immeritò, ut videtur: pendet enim ex hoc versu præcedentis sententia, præsertim ut Latinè & Græcè legitur, *Deus, qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis iracundis, ab insurgentibus in me exaltabis me:* nisi intelligas, *Deus*, tu es *qui das vindictas mihi*, &c. tu es *liberator meus*, &c. *Et ab insurgentibus in me exaltabis me.* Hebraicè legitur אף, quod est *etiam: Etiam pra insurgentibus in me exaltabis me.*

Psal. 18. v. 14. *Et ab alienis parce servo tuo.*] *Alienis* an ad *dæmones*, *homines*, vel utrosque, an ad *peccata*, referendum sit, ut ex Latina voce constare non potest, ità neque ex Græca. Hebraicè est מזדים, quod Pagninus quidem *à superbiis* vertit, ut sit substantivi nominis forma, Hieronymus autem *à superbis*, ut sit adjectivi nominis זד pluralis numerus. Græci unâ literâ discrepante legerunt מזרים: est enim earum literarum similitudo maxima. Id autem omnino ad personas referendum videtur: quamobrem etiam id quod reddiderunt ἀπὸ ἀλλοτρίων, seu *ab alienis*, ad personas referendum, ut Theodoritus refert, fit verisimile. Latinus quoque Interpres eodèm se retulisse significat, dum quod Græcè sequitur, ἐὰν μή μου κατακυριεύσωσι, transtulit, *Si mei non fuerint dominati:* sic enim Latini codices legunt, ut sensus sit, Custodi, obsecro, servum tuum ab his qui per superbiam à te sunt alieni, nè pravis eorum suggestionibus in vitia pertrahar. Nam etsi oppugnare me non desistant, si, custode tuâ gratiâ, non expugnaverint, ità ut juxta eorum consilia vitiis serviam, *immaculatus*, h. e. à gravibus peccatis liber, *ero.* Porrò conjiciunt quidam *dominata* Latinè legendum esse: conjiciunt autem ex veterum commentariis. Non paucos enim veterum expositorum (quanquam eorum commentariis additi textus *dominati* ferè legant) cùm ad *peccata* manifestè referant, *dominata* legisse dubium esse vix potest. Arnobius ad hunc commentatur modum, *Et ab alienis peccatis, quibus adulando fomitem exhibemus, parce servo tuo, quia si in me per adulationem non fuerint dominati (dominata,) tunc immaculatus ero.* Ruffinus, *Non ait*, inquit, *si non fuerint in me delicta; sed, si mei, inquit, non fuerint dominati (dominata.) Impossibile est enim hominem esse sine peccato quamdiu mortaliter vivit*, &c. Clarior est Hieronymi commentarius, *Si ista peccata non fuerint mihi dominata, tunc ero immaculatus.* Nec minùs clarus

est

3195

est Augustini, *Si mei non fuerint dominata occulta mea & aliena peccata, tunc immaculatus ero.* Ad eundem modum in altera Psalmi expositione scripsit: ubi etiam qui profertur Scripturæ textus semel & iterum *dominata* servat. Græcus quoque enarrator Euthymius de peccatis intelligit: *Si hæc*, exponens ait, *peccata me non vicerint, tunc perfectionem assequar.* Id enim optimè Græci textûs verba patiuntur, quæ ex se planè ambigua sunt, tam hoc quàm præcedenti versiculo. Verùm si Græci Interpretes, quod Hebraicè legerunt מורים, ad personas, ut videri potest, retulerint; non solùm istud ὑπὸ ἀλλοτείαν, verumetiam quod sequitur, ἐὰν μή μου κατακυριεύσωσι, ad personas referendum erit, & Latinè transferendum, non *Si mei non fuerint dominata*, sed *Si mei non fuerint dominati.* Atque hoc modo vulgatæ editionis Psalterio conspirantia quæ quidem vidimus exemplaria legi volunt: quibus Beda consentiens, *Relatio*, inquit, *hic fit non ad voces, sed ad significatum. Si hostes isti, i. occulta vitia & aliena, non fuerint dominati mei*, &c. Augustino autem & qui eum præcesserunt Latinis Tractatoribus non eadem fuit Psalterii editio. Sed inveni etiam posteriores quosdam ad *peccata* seu *delicta* retulisse, neque sub affectuum, aut defectuum, aut hostium, expresso nomine. Quinimo Brunonis Carthusiani manifesta est lectio, *Si mei non fuerint dominata:* postea tamen addit, *vel sic, Si inimici mei, i. delicta quæ prædixi, non fuerint dominati mei.* Petrus Lombardus, Richardus Pampolitanus, Hugo Carensis, postquam exposuerunt *dominati*, subjungunt, *Vel dominata secundùm aliam literam, occulta scilicet, & aliena peccata vel delicta.*

Psal. 21. v. 20. *Tu autem, Domine, nè elongaveris auxilium tuum à me*] Sic in Latinis codicibus compluribus & Romano Psalterio legitur. Similiter in exemplaribus Græcis, Σὺ δὲ, Κύριε, μὴ μακρύνῃς τὴν βοήθειάν σου ἀπ' ἐμοῦ. Ad eundem modum in Euthymii commentariis. Manuscripta autem Parisiensium quatuor, Hentenii 7, nostra 6, & antiqua Epanorthotæ, transfodiunt *à me:* id quod nec legitur in Gallico Psalterio. In commentariis Hieronymi, ut Parisiis edita sunt, legitur: ut autem in Francisci de Puteo Catena citantur, omittitur. In Augustini in hunc Psalmum enarrationibus priori additur, posteriori tollitur. In ejusdem epistola 120, cap. 16, omittitur. In Hebræo non est. Itaque Parisiensibus, in Bibliis anno 1557 excusis, omittere visum fuit, ac scribere, *Tu autem, Domine, nè elongaveris auxilium tuum.* Atque hoc modo & Coloniensis editio anni 1479, quæ est in Collegii nostri Houterle Bibliotheca, scripta. Moguntina, quæ hanc annis septem præcessit, quam nobis Atrebatense Collegium subministravit, habet, *Tu autem, Domine, nè elongaveris auxilium meum.* Sic etiam Gallicum Lobiensis codicis Psalterium & Brunonis Herbipolensis Episcopi Textus legunt: ea quæ Hebræo planè conformis est lectio. Fortassis autem quod Interpres vertit *auxilium meum*, alii mutaverunt in *auxilium tuum*, alii in *auxilium à me* (sic enim in Jansenii commentariis lego) alii denique utrumque *tuum* & *à me* conjunxerunt, *Auxilium tuum à me. Dicitis*, scribit Suniæ & Fretelæ Hieronymus, *invenisse vos Meum* (recitaverat *Tu autem, Domine, nè elongaveris auxilium tuum*) *quod & verum est, & ità corrigendum. Neque enim si quid scriptorum est errore mutatum, stultâ debemus contentione defendere.*

Psal. 21. v. 32. *Et annunciabunt cœli justitiam ejus*] Plerisque in Latinis codicibus vox illa *cœli* additur. Similiter à plerisque Latinis Tractatoribus exponitur, Hieronymo, Ruffino, Augustino, Cassiodoro, Beda, Haymone, Remigio, Thoma, Brunone, & posterioribus proletariis. D. Augustinus, *Et annunciabunt*, habet, *cœli justitiam ejus: & annunciabunt Evangelistæ justitiam ejus.* S. Hieronymus, *Annunciabunt cœli justitiam ejus, h. e. Apostoli vel Doctores.* Hos reliqui sequuntur, aut saltem conformiter interpretantur. Porrò sunt nostræ editionis vetusta quædam exemplaria quæ τὰ *cœli* omittant, legántque duntaxat, *Et annunciabunt justitiam ejus.* Sic duo ex nostris, Brugense D. Donatiani, & Lobiense S. Petri, aliquot D. Lindani, quatuor Parisiensium, antiqua Epanorthotæ. His constanter volunt Hebraici, Græci, Chaldaici libri: Expositores etiam Euthymius & Theodoritus. Mirum itaque est in Græco Apollinaris Psalterio legi,

Οὐρανοὶ εὐθυτείλῳ ἀγαθῷ ἐρίσει θεοῖο
Λαῷ ἀξιμώρῳ.

sed additum ab eo esse οὐρανοὶ carminis gratiâ verisimile est, quòd existimaret id subaudiri posse, præsertim cùm Latinis quibusdam codicibus adderetur. Porrò ut in Latinis quibusdam codicibus non legitur, ità à quibusdam Latinis enarratoribus non agnoscitur. Inter hos Arnobius est, quod ejus verba clarum efficiant; non enim respondet commentario textus. *Semen verò nostrum*, inquit, *ipsi serviat in castificatione continentiæ, ut annunciemus Domino generationem venturam, i. futuram sanctorum gloriam cogitemus; & annunciemus justitiam Dei fratribus ac filiis ætate, & omni populo qui nascetur, quem fecit Dominus Deus noster.* D. Augustinus, quanquam in octavi tomi commentariis legere & exponere videatur, in secundi tomi enarratione nec legit nec exponit: nam epist. 120, quâ hunc Psalmum inter alia Honorato explicuit, cap. 30. *Illud autem*, habet, *quod sequitur*, Et annunciabunt justitiam ejus populo qui nascetur, quem fecit Dominus, *superioris sensûs est: nam quod ibi dictum est*, Annunciabitur Domino generatio ventura, *hic est dictum*, hæc annunciabit justitiam ejus, &c. Rursus cap. 35. similiter recitat. Itaque R^mus D. Lindanus, in eo quod à se correctum edidit Psalterio, & R^mus D. Jansenius, in textu quem paraphrasi suæ adscripsit, τὸ *cœli* prætermiserunt: cujus sententiæ est & Epanorthotes noster. *Item* g. habet, & annunciabunt justitiam ejus, *Hebræus & antiqui & Hieronymus non habent* cœli (Hieronymi intelligit ex Hebræo translationem) *neque Græcus. Notandum autem, quoniam si fuisset alibi de translatione, licèt superfluum, Hieronymus obelo prænotasset: & in antiquis nullum obelum inveni.* His subnectenda sunt quæ Jacobus annotat, *Ultimo versu, ubi passim legitur*, Et annunciabunt cœli justitiam ejus; cœli *neque ex Græco neque ex Hebræo invenitur: neque Gallici Psalterii particula est, ut intueri licet ex vetustis codicibus: & in Psalterio Romano Hieronymus obelo confodit.* Hæc ille. In Tornacensis scripti Gallico Psalterio obelo prænotatur. Videtur autem D. Jansenio vox illa adjecta ut verbum *annunciabunt* haberet suppositum, cùm suppositum ejus sit *generatio ventura.* Sumpta videri possit ex Psal. 49. 6. qui priore sui parte huic persimilis est, *Et annunciabunt cœli justitiam ejus, quoniam Deus judex est.* Psalmo item 96. 6. legitur, *Annunciaverunt cœli justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.*

Psal. 26. v. 4. *Ut* [*Et* o.] *videam voluntatem Domini*] Ad hunc modum legunt universa nostra Latina scripta, cum Latinis Tractatoribus, Arnobio, Hieronymo, Cassiodoro, Beda, Haymone, Remigio, Thoma Aq. Hugone de S. Victore, & aliis. Arnobius, *Unum*, inquit, *hoc est quod postulo Dominum, & hoc requiro, ut videam quid placeat Domino, sciam voluntatem ejus, & videam protegi templum ejus.* Hieronymus, *Ut videam voluntatem Domini, i. dilectionem* [nisi fortè legendum sit *delectationem*] *Dei, ut illud, Videbimus eum sicuti est, sed hîc per speculum.* Sunt verò alii quidam Latini codices qui unâ mutatâ literâ scribant, *Ut videam voluptatem Domini*, Suessonense exemplar (id quod ex Parisiensium fide in Bibliorum margine notatum est) & Psalterium R^mi D. Lindani operâ castigatum. Adstipulatur his Romanum Missale, quod jam recèns Pontificis maximi Pii quinti jussu est editum. Hoc enim ejus Graduale est in officio sextæ feriæ, Cineralia festa sequentis, *Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, ut videam voluptatem Domini*, [Lectio ista Romano & veteri Psalterio

3196

Psalterio propria est ex Græco corrupto, nisi fallor, deducta.] *& protegar à templo sancto ejus.* Huic scripturæ inter Latinos Patres S. Augustinus suffragatur: ejus enim lectio est, *ut contempler delectationem Domini*, expositio, *Ecce quod amo, ecce quare volo habitare in domo Domini per omnes dies vitæ meæ: habet ibi magnum, delectationem ipsius Domini contemplari.* Similia verba Ruffinus habet.

In hac Latinorum varietate si ex Græcis & Hebraicis libris ferenda sententia est, posterior scriptura probanda, prior erronea judicanda est. Est enim Græcè τῶ διαφεῖν με τὴν τερπνότητα * Κυρίε [* τῶ Gq.] τερπνότης, *voluptatem, delectationem, jucunditatem*, non *voluntatem* denotat. Psal. 15. 11. Interpres noster *delectationes* transtulit. Ejusdem significationis est τέρψις quo Apollinaris utitur. Hebraicè est לחזות בנעם יהוה. *NOAM, decorem, pulcritudinem, jucunditatem* designat. Hinc vertit Hieronymus, *Ut videam* [*delectationem* 1 MS.] *pulcritudinem Domini*; Felix, *jucunditatem*; nonnulli, *amœnitatem*; Chaldæus בסימותא, h. e. *dulcedinem*: quæ omnia aut cum *voluptate* idem signant, aut ad voluptatem spectant: quinetiam *voluptatem* transtulit quidam. Complures itaque ætatis nostræ scriptores *voluptatem*, non *voluntatem*, legendum censuerunt, Pagninus in Thesauro linguæ sanctæ, Jansenius, Bredembachius, Folengius, Eugubinus, Varlenius. Neque enim ea est Græcis & Hebræis quæ Latinis vocum vicinitas, ea quæ errori occasionem dedisse videtur, vel quòd scribæ *voluntatem* pro *voluptatem*, ut sua sæpe perfunctoriè agunt, legerint (nam & aliis quibusdam Scripturæ locis voces istæ varietatem efficiunt) vel quòd *voluntatem* emendandum judicarint, quia id convenientius videretur. Minimè verò aut probandus est error quia constans est, aut recipiendus quia antiquus.

Psal. 36. v. 21. *Mutuabitur peccator & non solvet: justus autem miseretur & tribuet.*] Exemplaria, Regium Goticum, & S. Germani argenteum, cum Psalterio Romano, legunt præsenti tempore *mutuatur*, conformiter Ambrosio & Cassiodoro, necnon Augustino, qui cum veteri Psalterio, *fœneratur* habet; & consentaneè Græco, Hebræo & Chaldæo. δανείζει est Græcè, לוה Hebraicè, מוקף Chaldaicè. Ad hunc proinde modum Psalteria sua emendarunt Jacobus, Lindanus & Jansenius. Sed Bruno Carthusiæ patriarcha urget premítque, *mutuabitur* dictum, non *mutuatur*: neque ego in nostræ editionis libris *mutuatur* inveni; nam qui jam nominati sunt, Vulgatæ editionis non sunt: quanquam ignotus mihi sit argenteus ille Parisiensium. *Mutuatur* igitur, vel *mutuabitur, peccator, & non solvet.* Psalteria vetus & Romanum, quódque Romani Psalterii exemplar esse videtur, Goticum, similiter Chaldæa paraphrasi scribunt *solvit*, quæ & Ambrosii atque Augustini lectio fuisse videtur: sed futurum est ut Gallico Psalterio & plerisque Bibliorum MSS. exemplaribus, ità & Græcis atque Hebraicis libris; illis ἀποδώσει, his ישלם legitur. Quamobrem D. Jansenio futurum non videtur mutandum esse; imò verò hujus futuri occasione reliqua istius versûs verba in futurum esse mutata. Nam & quod sequitur, *Justus autem miseretur & tribuet*, præsenti tempore legi mallet *tribuit*: sic enim, id quod testatur, in quibusdam nostris libris habetur. Nos sanè in Gallico Lobiensis exemplaris Psalterio invenimus. Sic D. Ambrosius, & à Jacobo castigatum Psalterium legunt: éstque Græcè & Hebraicè præsens tempus, δίδωσιν, נותן: & veteri Psalterio ac Romano, nostróque Goticis literis scripto, eodem tempore *commodat* legitur, quâ lectione Tractatores, Hieronymus, Augustinus & Cassiodorus, atque Origenis Interpres, utuntur. Chaldaicè est יהב, quod &, ità ut præsentis temporis sit, יהֵב scribi potest, & ità ut futuri, יהֵב MSS. nostrum H signatum legit *retribuit*, plurima *retribuet*; sed perperám. Legendum est enim vel *tribuit*, quod & Bredembachius probat, vel *tribuet*. *Tribuet* antiquorum codicum scripturam esse Epanorthotes affirmat.

Psal. 39. v. 6. *Multiplicati sunt super numerum.*] Ea est frequentior Latinorum codicum, & quidem omnium nostrorum MSS. lectio: est & Tractatorum, Arnobii, Hieronymi, Ruffini, Augustini, Cassiodori, Bedæ, Haymonis, Brunonis, Johannis de Turrecremata, Petri Lombardi Parisiensis Episcopi, Thomæ Aquinatis, & Richardi Pampolitani Eremitæ. Nobilis est expositio Augustini, *credentes electorum numerum superasse.* Quidam libri, D. Jansenio teste, legunt, *Multiplicatæ sunt* (nos id in Isidori Clarii Bibliis vidimus) ità ut ad Dei cogitationes referatur, de quibus antecedit, *Et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi*: q.d. Propheta, Mirabiles providentiæ tuæ cogitationes, quas prædicare & celebrare volui, numero majores esse deprehendi. D. Lindani Psalterium legit, *Multiplicata sunt*: id quod ad *mirabilia* referendum est, de quibus statim Propheta dixerat, *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* Eò referunt Chrysostomus, Theodoritus & Euthymius, Græci enarratores. *Numerum*, ait Chrysostomus in priori explanatione, *& omnem narrationem superant miracula quæ à tua potentia facta sunt*, &c. Sed & Apollinaris,

Ἀγγέλων κατέλιξα τάφῳ πλέον ἢν ἀριθμῷ.

Hoc modo Latinis codicibus legendum Lyranus & Jacobus conjiciunt. Vox Græca ὑπερδώδεκα, & Hebræa עצמו, ambiguæ sunt, nulli generi adstrictæ, ità ut prædictas tres lectiones ex æquo patiantur. Sed Interpretes ità ferè vertunt ut ad Dei mirabilia referantur. Hieronymus ex Hebræo, *Plura sunt quàm ut narrari queant.* Theodoriti interpres ex Græco, *Multiplicata sunt super numerum.* Quò etiam primam lectionem quidam referunt, subaudientes effectus mirabilium Dei, aut sermones & libros qui ad enarranda Dei mirabilia habiti & conscripti sunt.

Psal. 39. v. 9. *Et legem tuam in medio cordis mei.*] Latinorum librorum quidam legunt, *in medio ventris mei*; alii *in medio cordis mei.* Utriusque lectionis D. Ambrosius meminit. Prior Græcorum est codicum, & Græcorum Enarratorum, Chrysostomi, Theodoriti atque Euthymii; Posterior Tractatorum, Arnobii, Hieronymi, Ruffini, Augustini, Cassiodori, Haymonis, Remigii, & eorum qui ætate sunt inferiores: quam etiam in suis Latinis codicibus habuere Sunia & Fretela, quibus sic scripsit Hieronymus, *Legem tuam in medio cordis mei, pro quo in Græcos comperisse dicitis,* ὁ νόμος σου ἐν μέσῳ τῆς κοιλίας μου, *quod in Hebræo scriptum est* בתוך מעי, *sed propter euphoniam apud Latinos* in corde *transtatum est: & tamen non debemus subtrahere quod verum est.* Sic Hieronymus. Hanc proinde nostræ editionis genuinam existimem esse lectionem, *in medio cordis mei*: cùm etiam omnium penè sit exemplarium, eáque ferè in quibus altera habetur lectio, nostræ editionis vulgatæ non sint; nempe Hieronymi ex Hebræo translatio, Romanum Jacobi Psalterium, Latinus Regiorum Bibliorum textus (is enim est ex Complutensi expressus, qui in Psalmorum libro, inter Græci textûs lineas collocatus, ei planè fuit accommodatus) quanquam non satìs meminerim quod sit MSS. illud quod in Bibliis signatum est: sed ex illorum aliquo verisimile est descriptum aut mutatum esse. Adhæc Beda, illo expósito *in medio cordis mei, habet*, inquit, *alia translatio, In medio ventris mei. Juxta quod*, &c. Conjicit D. Jansenius pro κοιλίαν, καρδίας ab interprete nostro lectum: sive autem hoc, sive illo modo, sive *cordis*, sive *ventris* legas, eodem sensus redit: imò Euthymius *in medio ventris mei* positum intelligit, pro, *ex corde atq; ex tota anima mea*: ut sit sensus, Volui adimplere ex toto corde meo legem tuam. Cæterùm, D. Hieronymi jam producta verba *ventris* vocabulum magis Hebrææ voci respondere significant: atq; ità ipse transtulit, cùm hoc tum aliis in locis. Pagninus autem docet ex Cambio nomine מעי omnia membra comprehendi, etiam cor, ideóque nonnunquam pro *corde* accipi. Insigniter Apollinaris hunc locum suo carmine explicuit,

Καὶ σὸν μεσαζίῳ ἐθέμην ἐν κόλπῳ στέρνων,

Atque tuam medio ponebam in pectore legem.

Pſal. 40. v. 7. *Vana loquebatur*] Ea eſt Latinorum & codicum & Enarratorum vulgata lectio. Exemplar autem D. Donatiani, & alterum M. N. Hunnæi P. ſignatum, legunt, *Variè loquebatur:* quomodo & antiqui Epanorthotæ codices habent. Atque his conſonum eſt quod Græcè legitur, μάτλω ἐλάλει. Fortè igitur iſta noſtræ editionis lectio eſt, altera ex veteri aut Romano Pſalterio deſumpta. Utroque autem modo Hebræam vocem שוא liceat vertere; nam & שקר & חנם ſignificat. Quod ſequitur, *Cor ejus*, præcedentibus jungunt Hieronymus, Auguſtinus, Beda, quæ etiam non paucorum codicum diſtinctio eſt. Porrò Ambroſius Mediolanenſis, Ruffinus Aquileenſis, Remigius Antiſſiodorenſis, & alii, ſequentibus nectunt, *Cor ejus congregavit iniquitatem ſibi.* Neutra diſtinctio rejicienda eſt: ſed priorem Euthymius præfert. Coacti ſunt autem Hieronymus & Auguſtinus priorem amplecti, quòd numero multitudinis legant, *Et * ingrediebantur* [* *ſi* Hieron. L. Gq. H. C. Caſſiodorus ſimiliter legit] *ut viderent, vana locutum eſt cor eorum, congregaverunt iniquitatem ſibi. Egrediebantur foràs, & loquebantur in idipſum*; nempe cum veteri Pſalterio, cui Romanum & Goticum conſentiunt. Sed ſingulari hæc leguntur numero Hebræis, Græcis & Latinis noſtræ editionis codicibus, quos D. Ambroſius ſequitur.

Pſal. 41. v. 7. Plerique hodie Latini codices, ſuffragantibus libris Græcis & Tractatoribus, Ruffino, Bedâ, Haymone, Brunone, Hugone de S. Victore, & Joanne de Turre cremata, legunt, *Salutare vultûs mei & Deus meus.* Manuſcripta verò Brugenſe, Lobienſe & Tornacenſe, ac Moguntinenſis editio, conſentientibus Epanorthotæ codicibus, habent, *Salutare vultûs mei Deus meus*, prætermiſſâ nempe conjunctione; quæ etiam D. Auguſtini, Caſſiodori & veteris Pſalterii lectio eſt. Illam in Græcis, hanc in Latinis ſui temporis codicibus Sunia & Fretela repererunt, à quibus de varietate iſta conſultus Hieronymus, reſpondit, *Sciendum eſt hoc in iſto Pſalmo bis inveniri; & in primo poſitum eſſe*, Salutare vultûs mei Deus meus, *in ſecundo autem, i. in fine ipſius Pſalmi*, Salutare vultûs mei & Deus meus: ità duntaxat ut & conjunctio de Hebræo & Theodotione ſub aſteriſco addita ſit. Itaque Hieronymi ſententia eſt, verſu iſtius Pſalmi ſexto, ὑμῶν legendum, *Salutare vultûs mei Deus meus.* Verumenimvero cùm Græcis libris conjunctio conſtanter legatur, & *vultûs mei* concorditer ſcribatur, videri poſſit LXII viros hoc loco Hebraicè legiſſe, ut in Pſalmi fine, פני ואלהי, h. e. *vultûs mei & Deus meus.* Hieronymus cum Hebræis hoc loco legit פניו אלהי, in fine autem Pſalmi פני ואלהי, quorum illud ſignificat *vultûs ejus Deus meus*, hoc, *vultûs mei & Deus meus.* Illam verò prioris loci lectionem Hebræi ità dividunt ut prior dictio ſit ſexti verſûs finis, poſterior ſeptimi initium. Hinc vertit Hieronymus, *Quia adhuc confitebor ei ſalutaribus vultûs ejus. Deus meus in meipſo*, &c. Alii, *Quia adhuc confitebor ei propter ſalutes faciei ejus*; vel, *cùm ſalutes ſint in conſpectu ejus. Deus mi, in me*, &c. Sed non minùs veriſimiliter LXXII ſexto hoc verſu ità legunt diſtinguúntque ut ultimo, τὸ πρόσωπον μου ὁ Θεός μου, *vultûs mei & Deus meus* (quanquam ultimo verſu antiqui Latini codices conjunctionem aſteriſco notent, ut Hieronymus monuit: & exemplar Græcum Bibliothecæ Vaticanæ prætermittat, ut collator ſignavit.) Ultimus enim verſus ſexti repetitio eſt, verbis, non tantùm ſententiâ, omnino reſpondens, præterquam quòd מה, i. *quare*, repetat; quod tamen, contra alios codices, unus Anglicanus etiam ſexto verſu repetit, ומה, תהמי, conformiter quidem Græcis Latinſque libris: verùm ex Hebræo Hieronymus non reddidit, ſi emendatioribus codicibus fides habetur; & in Latinorum Pſalterio, ut Hebræis ſuperfluum obelo prænotavit, ſi Lobienſi exemplari creditur. Chaldæus etiam non addidit. Videtur autem Chaldæus Paraph. utrobique legiſſe פניו אלהי. Nam & ſexto & ultimo verſu ſimiliter reddidit בפורקנא דמן קדמוהי, *propter ſalutem quæ eſt à præſentia ejus*; addidítque ultimo verſu הוא [Ven. די, Neb. ד.] ארום אלהי, *quoniam ipſe Deus meus*; ſexto autem ſervavit, quam diximus, Hebræorum diſtinctionem. In ſequenti quoque Pſalmo, quem etiam iſte finit verſus, cùm omnes alii, Hebræi, Græci, Latini legant פני ואלהי, Chaldæus eo modo tranſtulit quo hoc in Pſalmo, בפרקנא דמן קדמוהי ארום [Ven. די Neb. ד] [בפורקניה Ven.] הוא אלהי, id quod eſſe videtur ex פניו אלהי.

Pſal. 43. v. 10. *Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris.*] Vocula *Deus* ab his legitur, ab his tollitur. Legitur à multis Latinis, multis Græcis codicibus, & Tractatoribus, Ambroſio, Auguſtino, Caſſiodoro, Lombardo, Brunone. Tollitur à tredecim Latinis exemplaribus in Bibliorum margine annotatis, quorum quædam ſunt D. Lindani, quædam Hentenii, quædam Pariſienſium, quædam Epanorthotæ: notat enim Epanorthotes antiquos ſuos codices non interponere *Deus.* His addo alia non pauca antigrapha, codicem Brugenſem Cathedralis Eccleſiæ D. Donatiani, exemplar Lovanienſe Societatis Jeſu, Hunnæi ſcriptum P. ro atum, Remigii & Richelii commentariis adjunctos textus, Bibliæ Collegii noſtri Houterle anno 1479 excuſa, Latinum Nebienſis Pſalterium, adhæc Gallicum Pſalterium, ac denique Brunonis Epiſcopi textum, à quo præfixo obelo jugulatur. Tollitur vox eadem ab emendatioribus Græcorum libris, doctiſſimo atque Illuſtriſſimo Cardinali Sirleto teſte, ac nominatim Vaticanæ Bibliothecæ exemplari, & tranſlatione Symmachi quam Euthymius profert, atque ea quam Chryſoſtomus recitat. Hebraicis etiam in libris minimè legitur. Ruffinus, Beda, Haymo, Enarratores, omittunt: Theodoriti textus quidem, ut impreſſus eſt, legit; commentarius autem prætermittit. Poſtremò Hieronymus inter Græcos Latinóſque Suniæ ac Fretelæ codices, quorum illi habebant, hi prætermittebant, judicium ferens, ſuperfluum eſſe τὸ *Deus* cenſet. Videri autem poſſit vocula illa ex Pſalmis 59, & 107. qui ſunt magna ex parte iidem, huc tranſlata: in illis enim eadem ipſa ſententia repetitur, & vox *Deus* conſtanter legitur: 59. 12. *Et non egredieris Deus in virtutibus noſtris*; 107. 12. *Et non exibis Deus in virtutibus noſtris.* Sed quamvis his addatur locis, non ideo 43 Pſalmo adjicienda eſt; id quod etiam feciſſe deprehenditur in Hebraico Pſalterio Angſicanus ſcriptor: ſcripſit enim verſum iſtum 43 Pſalmi ad hunc modum, אף ונחת ותכלימנו ולא תצא אלהים בצבאתנו, ſcilicet, ut alia taceam, puncto Seri ſignanda erat vocis אלהים capitalis litera, quanquam ità paſſim ſcribat. Verùm deeſt vox אלהים, non tantùm novitiis Hebræis, ſed etiam vetuſtiſſimis manuſcriptis; uni Bibliothecæ Societatis Jeſu, in quo verſus iſte ad hunc modum ſcribitur אף ונחת ותכלימנו ולא תצא בצבאותינו, alteri, Portugalliæ Synagogæ, quod Reverendiſſimus Dominus Lindanus perſcrutatus eſt. Præterea in Hebraicis non eſſe libris Epanorthotes teſtatur. Quid multa? ipſum Hieronymum, ante annos mille ducentos, in Hebræo non legiſſe epiſtola ad Suniam innuit, tranſlatio ex Hebræo loquitur, *Et non egredieris in exercitibus noſtris.* Chaldæus hanc dedit paraphraſin, *Et non collocabis majeſtatem tuam in exercitibus noſtris*: Apollinaris iſtam,

Οὐδὲ κορυσσομένοις μετὰ λαοῖσι σὸς πρὶν ἀγωγὸς,

Nec priùs ut ſolitus pugnantibus egrederis dux.

Pſal. 44. v. 6. *In corda inimicorum Regis*] Antiqui Epanorthotæ codices legunt *In corde.* Conſentiunt nonnulli Lindani, nonnulli noſtri: & noſtri quidem, Brugenſis D. Donatiani, Atrebatenſis Collegii alter, Brunonis Herbipolenſis Epiſcopi textus, & Quenteliana Bibliæ

In textu Catenæ Franciſci de puteo eſt *in corde :* in margine annotatur aliâ literâ *in corda.* Jacobi editio Pſalterio Gallico tribuit *in corda* ; Romano *in corde :* ſed contrà Lobienſis Cœnobii præſtantiſſimus codex, anno Domini 1084 ſcriptus, Romano Pſalterio *in corda*, Gallico adſcribit *in corde.* Tornacenſis S. Martini, anno 1105 ſcriptus, utrique *in corde* tribuit. *In corde* legunt Enarratores, Richelius, Ludolphus, Bruno, Remigius, Haymo, Beda, Caſſiodorus, Auguſtinus, Ruffinus, &, quod ex ejus commentariis Janſenius colligit, Hieronymus. Atque hoc modo eſt Græcè ἐν καρδίᾳ· quæ & Baſilii, Chryſoſtomi, Theodoriti atque Euthymii lectio eſt. Hebraicè quoque ſingulari numero legitur בלב, ſed quod tam *in cor* quàm *in corde* transferri poſſit. *Græcus quidam*, ut Epanorthotes ait, *habet in corda : eſt autem primis ſtandum*, inquit. Itaque ipſe *in corde* legendum putat : quæ & D. Lindani caſtigatio eſt. Verumenimvero non malè conveniat *in corda* diſtinctioni quæ complurium eſt autorum, Latinorum, Hebræorum, Græcorum, includentium parentheſi, aut *populi ſub te* [Lyr.] aut *populi ſub te cadent* [Baſil. Chryſoſt. Theod. Euthym.] ità ut ſenſus ſit, Sagittæ tuæ acutæ cadent vel immittentur in corda inimicorum tuorum : ſed, quanquam convenire poſſit, non ideo ab Interprete tranſlatum eſt *in corda.* Porrò D. Auguſtinus, Ruffinus & alii non pauci ità exponunt *in corde* ut *in corda* minùs aptè conveniat : nam parentheſin non agnoſcunt, ſed intelligunt ; *Populi ſub te cadent*, corde, quod priùs adverſum te inimicè erexerant, humiliter ſubmiſſo. Chaldæus Paraph. locum explicuit, *Sagittæ tuæ eductæ ad interimendas acies, populi ſub te cadent, & filii arcuum tuorum immittentur in cor odientium regem.*

Pſal. 44. v. 12. Latini codices plerique, cum V. Beda & Haymone, legunt *Quoniam ipſe eſt - Dominus* [1 MS.] *Deus tuus.* Porrò nonnulli Lugdunenſium libri (quod in Bibliis illi anno 1522. editis notarunt) & Brugenſe ac Lobienſe vetuſtiſſima noſtra lectiſſimáque MSS. demptâ voce *Deus*, ſcribunt, *Quoniam ipſe eſt Dominus tuus.* Quibus concorditer conſtantérque Græca, Hebraica & Chaldaica exemplaria volunt : ὅτι αὐτός ἐστι Κύριός σου Græca ; כי הוא אדניך Hebraica ; ארום הוא רביניך רבונך [Neb.] Chaldaica habent. Adſtipulatur D. Hieronymi ex Hebræo verſio, ut certè eſt in Lobienſi & tribus aliis antigraphis noſtris : quibuſdam enim additur nomen *Deus*, quæ Bredembachius eſt ſecutus. Conjicit Bredembachius ex vi nominis אדניך vertiſſe Hieronymum *Dominus Deus tuus* : ſed eâdem formâ eodémque modo hominibus, etiam ejuſmodi qui Deum repræſentaſſe non videntur, id tributum invenio, Gen. 39. 16. Exo. 21. 4. & alibi. Hieronymi ad Principiam explanatio, ſi quis rectè adverterit, tantùm *Quoniam ipſe eſt Dominus tuus* legit. Non ſolus legit Chryſoſtomus, Græcus enarrator : nec apud Juſtinum & Baſilium, ut Græcè excuſi ſunt, quidquam ampliùs additur. Euthymii commentarius non agnoſcit *Deus* (*Deſponſare illi*, inquit, *& adoptare ab eo. Dominus enim tuus eſt, veluti creator. O immenſam miſericordiam & benignitatem Dei!*) neq; Apollinaris carmen,

Αὐτὸς γὰρ σέθεν κρατέουσιν ἀνάσσων.

Lobienſe exemplar Romano Latinorum Pſalterio adſcribit *Deus :* Romanum autem ferè conſonat veteri, quod ſecuti D. Auguſtinus, & eorum commentariorum Autor quæ in Hieronymi operibus ſunt, expoſuerunt *Deus.* Et verè hîc rex ſponſúſque Deus eſt, cui paulò antè dicitur, *Sedes tua, Deus, in ſeculum ſeculi.* Verùm, hoc loco vulgatæ Latinorum editioni *Dei* nomen non additum Epanorthotes dócet : *Hebræus, antiqui* (Latini) *& Græcus*, Quoniam ipſe Dominus tuus ; *non habent* Deus.

Pſal. 44. v. 12, & 13. *Et adorabunt eum*] Hæc Latinorum codicum atque Enarratorum lectio eſt : eſt & quorundam Græcorum MSS. illuſtriſſimo Cardinali Guliel-mo Sirleto teſte, iíſque qui Argentoratenſium Græca Biblia ad Vaticana contulerunt. Inter Græcos etiam Tractatores Baſilius (cujus etiam Græcum exemplar conſuluimus) & Chryſoſtomus ad hunc legunt modum. Juſtinus quoque Philoſophus, in dialogo cum Tryphone, ad eum recitat modum. Et nè putetur vulgata Latinorum verſio, aut quæ ei ſit ſimilis, à Juſtini interprete aut correctore ſubſtituta, (id quod in autoribus ex Græco, in Latinum verſis ſæpenumero deprehendimus) nos in Græco Juſtini codice id vidimus, quod his etiam verbis annotavit Interpres Perionius, *In noſtris exemplaribus eſt* προσκυνήσει, *ſingulari numero tertiæ perſonæ, in Juſtiniano, numero multitudinis* προσκυνήσουσι, *quomodo etiam legimus in vulgata interpretatione.* Sed dicit, in codicibus noſtris eſſe προσκυνήσει· ego verò duntaxat προσκυνήσεις, ſecundâ perſonâ, invenio, ſive in codicibus ſive in autoribus qui quid Græcè legatur notant : imò Chryſoſtomus alterius verſionem eſſe *Et adorabis ipſum* notat, eam quam Euthymius legit exponítque, καὶ προσκυνήσεις αὐτῷ· ad quem modum Chaldaicè eſt ותסגדין לדה. Ait porrò Hieronymus in his quæ ad Principiam ſcripſit, *Septuaginta interpretes non dixerunt* & adorabis eum, *ſed* adorabunt eum, *ut ſit ſenſus, Iſte qui te amaturus eſt, qui tuam pulcritudinem dilecturus, Deus eſt & adorandus ab omnibus.* Hebraicè eſt והשתחוו לו, id quod rectè Aquila, Symmachus & Theodotion, Theodorito teſte, nec non Hieronymus, tranſtulerunt, *Et adora eum :* eſt enim à verbo שחה, ſeptimæ conjugationis imperativus, numeri ſingularis, generis feminini. *Adorabunt* fortaſſis eſt ex והשתחוו.

Quod ſequitur, *Et filiæ Tyri*, præcedentibus omiſſâ conjunctione jungunt Romanum Pſalterium & Vetus, Auguſtini, Hieronymi, atque Arnobii ; hoc pacto, *Et adorabunt eum filiæ Tyri*, quæ & illorum Græcorum D. Sirleti MSS. lectio eſt, προσκυνήσουσιν αὐτῷ θυγατέρες Τύρου, itáque LXXII Interpretes tranſtuliſſe Hieronymus ad Principiam ſatìs indicat : nam, præter ea quæ paulò antè ab eo dicta protulimus, conjunctionem omittit, quanquam dividat, ſententiæ iſtius partes. Theodoritus quoque, *Septuaginta*, inquit, *docent Reginam, non ipſum eſſe ſolum Dominum ſponſum, ſed etiam eos qui contradicere audent, cujuſmodi ſunt filiæ Tyri, dona allaturos & ſervitutem oſtenſuros.* Videtur & Apollinaris, qui Pſalterium Græco carmine reddit, hoc modo legiſſe : ſic enim canit,

Καὶ μιν γυνάιπολο Τύρου μυλίγμασι κῦδει,

Atque ipſum Tyriæ donis coluere puellæ.

Sed inprimis Hebraicè eſt conjunctio *& (& filiæ Tyri)* tum in impreſſis Græcorum exemplaribus, & Autoribus, Juſtino, Baſilio, Chryſoſtomo atque Euthymio, denique in noſtræ editionis Latinis codicibus ; quanquam Brunoni, obeliſco ; Brugenſi exemplari & Lobienſi, aſteriſco notetur. Atque ità ſeparatur pars iſta, *Et filiæ Tyri*, à præcedenti (quanquam Hieronymus ad Principiam & Caſſiodorus ſeparent, etiam non lectâ conjunctione) niſi præcedentis verbum ſubaudiendo repetas, aut, cum Beda, Remigio & Brunone, *&* pro *etiam* accipias.

Porrò autem non eſt in Hebraicis libris, ut nec in vulgatis Græcis, quos tuentur Juſtinus, Baſilius, Chryſoſtomus atque Euthymius, numero multitudinis *filia*, ſed *filia*, ובת צר καὶ θυγάτηρ Τύρου. [Manuſcriptum S. Martini *Cothigateres* habet.] Hoc modo qui Latinè legerat, nos quidem codicem nullum invenimus : nam Regium textum ex Græco, ut aliàs, mutatum margo loquitur ; & Iſidori Clarii Biblia ex Hebræo variata, ſcholia ſatis indicant : ſed Reverendiſſimus Dominus Janſenius ſuis pleriſque codicibus ità legi teſtatum facit : quamobrem ſic habet textus Paraphraſi ejus conjunctus. Cæterùm annotat Scholiaſtes Hebraicus, *filia* collectivum eſſe

esse nomen pro populo, ideóque jungi verbo plurali *deprecabuntur:* quanquam Chaldæus Paraph. &, cum Basilio, Chrysostomo ac Theodorito, Euthymius *deprecabuntur* à præcedenti separent, & ad *divites plebis* referant: subaudiunt autem Basilius, Euthymius & Chaldæus in priori *erit* aut *veniet*. *Et filia Tyri*, h.e. Tyrus, ait Euthymius, *erit in muneribus*. Basilius, *Et filia Tyri veniet aliquando cum muneribus*. Chaldæus interpretatus est, *Et habitatores arcis Tyri cum muneribus venient, & vultum tuum manè precabuntur ad domum sanctuarii tui divites populorum.*

Psal. 44. v. 14. *Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus.*] Hoc quidam ità intelligunt ut *filiæ* sit nominandi aut vocandi casûs. Cassiodorus, *Omnis gloria ejus filiæ regum ab intus. Vides quemadmodum in Ecclesia præconio perseverat? Gloria est siquidem Ecclesia quando filiæ principum sive justorum convertuntur ad Dominum, & secretâ se cupiunt cordis devotione offerre.* Richardus Pampolitanus, *Sed nè putetis ei placere ornatum exteriorem, videte quid concupiscat: nam* omnis gloria ejus, ô filiæ regis, *ab intus*, i. *in testimonio bonæ conscientiæ, ut interiùs situ decora in virtute*, &c. Fuit autem erroris occasio pronomen *ejus*, quod aliò referendum existimarunt quàm ad id quod sequitur, *filiæ regis:* quanquam Cassiodorus, depravato eâdem fortassis occasione codice, *regum* habeat, quo modo est in Romano Psalterio Tornacensis manuscripti. Hinc factum est quòd quidam, vitandæ obscuritatis ergò, *filiæ* cum *filia* commutaverint, *Omnis gloria ejus filia regis ab intus*, id quod Augustinus Steuchus legit ac redarguit. Quia igitur *ejus* orationem & orationis sensum interturbat, omittendum esse censet Jacobus. Et sanè in quibusdam libris tollitur, tribus nostris, uno scilicet ab Isidoro Clario castigato, duobus à Parisiensibus excusis, & plerisque D. Jansenii. Nec legitur Græcè, πᾶσα ἡ δόξα τῆς θυγατρὸς τοῦ βασιλέως ἔσωθεν. Videtur D. Jansenio, ex Augustino in nostros libros irrepsisse; Richardo Cenomano, ex Romana Psalmodia, vel aliis editionibus, additum esse. Verùm quia non tantùm Veteris, quo Augustinus est usus, aut Romani Psalterii, verumetiam nostri codicibus adeò constanter legitur, ut nullum sit nostrorum MSS. à quo prætermittatur; quinetiam posteriores Enarratores, qui nostro sunt usi Psalterio, Beda, Haymo, Bruno, Lombardus, Thomas & alii concorditer legant; non facilè adduci possum ut ab interprete non versum esse credam. Et quis, obsecro, id addidisset quod sententiam non tantùm non illustrat, ut etiam obscuret quàm maximè? Unum Lobiensis Abbatiæ exemplar in Gallici Psalterii descriptione obelo prænotat; qui, si ex Hieronymi castigatione remansit, *ejus* in Lxx translatoribus plus haberi significat. Sed nos neque in Græcis libris legimus (ut nec in Græcis Autoribus, Justino, Basilio, Theodorito, Euthymio) neque in Hebraicis exemplaribus penitus defideramus. Vertit quidem ex Hebræo Hieronymus (etiam in commentariis Principiæ scriptis, ubi primùm produxerat hanc lectionem, *Omnes gloria ejus, gloria filiæ regis, ab intus*) absque *ejus*, *Omnis gloria filiæ regis intrinsecùs:* sed si, quod Hebraicè est, כבודה legas כְּבוֹדָהּ, verborum translatio est, *Omnis gloria ejus filiæ regis intrinsecùs:* nam כבוד *gloriam*, כְּבוֹדָהּ *gloriam ejus*, feminæ videlicet, denotat. Hebraicis in libris punctatur כְּבוּדָה, id quod *inclytam* seu *gloriosam* interpretantur; *Tota inclyta est filia regis intrinsecùs.* Quidam reddunt, *Omnis gloria filiæ regis intui est.* Fortassis igitur ex כְּבוֹדָהּ versum est, quod plerisque Latinis codicibus legitur, pronomen *ejus*. In Hebraico ex Portugalliæ Psalterio exstat כבוד id quod D. Lindanus notavit. Cæterùm etsi textui non superfluat, certè sensui superfluum est (id quod & Angelicus Doctor annotavit;) ideóque commodè omittat translator: est enim sensus, *Omnis gloria ejus*, nempe *filia regis, ab intus.* Familiare id Hebræis est, pronomina quæ sensui superabundent addere. Exempla passim obvia sunt. Psal. 73. 2. *Mons Sion in quo habitasti in eo.* Psal. 104. 26. *Misit Moysen servum suum, Aaron quem elegit ipsum*, & cætera hujusmodi.

Psal. 44. v. 18. *Memores erunt nominis tui.*] Sic scribunt multi Latini codices: sic legitur in Veteri & Romano Psalteriis: sic habetur in Arnobii, Augustini, Cassiodori, Bedæ, Pampolitani, & Hieronymo adscriptis commentariis: sic denique scribitur in quibusdam Græcis antigraphis, Illustrissimo Cardinali Sirleto teste, & nominatim Vaticano. Alii verò Latini libri, isque integritate spectatiores, habent, *Memor ero nominis tui*; antiqui Epanorthotæ, 4 Parisiensium, 4 Hentenii, quinque nostri, cum Gallorum Psalterio & Brunonis textu. His volunt Enarratores, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, (nam Principiæ virgini Psalmi 44 expositionem scripsit) Ruffinus, Cassiodorus, Theodoritus, Remigius, Euthymius, Bruno, Ludolphus, Richelius, F. Pelbertus, P. Herentalensis. His adde Apollinarem, & Justinum martyrem cum Tryphone differentem. Suffragantur eisdem plerique codices Græci: adstipulantur Hebraici. Haymo, Lombardus & Johannes de Pastura utrumque exponunt. Chaldaicus textus Regiæ editionis par est Hebraico: qui autem in editione Venetorum est, hanc habet paraphrasin, *In tempore illo dicetis*, Memorabimus nominis tui in omni generatione & generatione: cui consonat Nebiense Psalterium, præterquam quòd אזכר, habeat pro נזכר *memorabo* pro *memorabimus.*

Quod deinceps à nonnullis subjungitur *Domine (Memor ero nominis tui, Domine,)* emendatioribus in libris non legitur; à Tractatoribus non additur; ab Hebraicis, Chaldaicis & Græcis exemplaribus non agnoscitur. Existimat Epanorthotes tum hoc tum illud, *Memores erunt*, ex cantu & versiculis Apostolorum sumptum esse; id quod maximè de isto *Domine* verum arbitrer: nam alterum ex veteri primùm Psalterio profluxisse videtur. Non igitur sine ratione D. Lindanus Psalterium emendavit, *Memor ero nominis tui in omni generatione & generationem.*

Psal. 46. v. 5. *Speciem Jacob quem dilexit.*] Alii codices legunt *quem* masculino genere, alii *quam* feminino: multi ità scribunt ut facilè utrovis modo possis legere, ex quo error natus videtur. Hieronymi, Bedæ, Brunonis, Pampolitani, Lyrani, Carensis, Turrecrematensis, Richelii & Valentiani commentaria exponunt *quem:* ad *Jacob* enim referunt. Cassiodori & Remigii enarrationes probant *quam*, nam *speciem* subaudiunt. Haymo & Lombardus utrumque explicant. Hebræis & Chaldæis anceps est sermo, ità ut utroque hoc modo transferre liceat. Plerique nostræ ætatis Interpretes *quem* vertunt: Hieronymus *quam* reddidit, *Gloriam Jacob quam dilexit.* Græci libri *quam* constanter habent, clarissimè consentiente Euthymio Græco Enarratore, τὴν καλλονὴν [καλλοσύνην, Nebiense Psalt.] Ἰακὼβ ἣν ἠγάπησεν. Atque hanc feminini generis lectionem, ut & nostræ editionis germanam, amplectuntur Epanorthotes, Titelmannus & alii nonnulli: in quorum sententiam Lindanus abiens emendavit, *Speciem Jacob quam dilexit.* Parisienses verò, ab his dissentientes, scripserunt, *Speciem Jacob quem dilexit.*

Psal. 46. v. 10. *Quoniam dii fortes terræ vehementer elevati sunt.*] *Dii* legunt Latini codices, exponunt Latini Tractatores, tam primæ ætatis quàm mediæ ac postremæ. Sunt verò hodie Latinæ quædam editiones castigatæ *Dei*, Regis nimirum, Clarii & Lindani: est enim Græcè θεῦ singularis numeri secundo casu, ὅτι τῷ θεῷ οἱ κραταιοὶ τῆς γῆς σφόδρα ἐτάρβησαν, quæ & Græcorum Enarratorum, ac Justini contra Tryphonem disputantis, est lectio. Quin etiam Apollinaris ad eum scripsit modum,

Ἄντα θεῦ ἐθρηχθεν ἐφ' ἁβρασὶν χθονὸς ἀρχοί

quod est, *Contra Deum superbiâ armati sunt principes terræ.* Conficiunt itaque Latinè versum *Dei*; intellectum

autem fuisse pluralis numeri primum casum, ac proinde *Dei* mutatum in *Dii*. Cui conjecturæ etiam Hebræa suffragantur, כי לאלהים מגני ארץ מאד נעלה. Nam adjuncta voci אלהים (quod est *Dei* nomen, ut notum est, quanquam *Deos* quoque, cùm pluralis sit numeri, significet) serviens litera ל ipsam non primo casu accipiendam docet. Vertunt igitur ex Hebræo, *Quoniam Dei*, aut *Deo*, *scuta terræ: vehementer elevatus est.* Chaldæus exposuit, ארום דיוי אנון תרסי ונו', *Quoniam Domini sunt clypei terræ, - & super illos omnes* [Ven. Neb.] *vehementer elevatus est.* Nebiense Psalterium cum Venetorum Bibliis habet, ארום קדם יוי תרסי ונו', *Quoniam coram Domino clypei*, &c. Non parùm igitur verisimilitudinis cùm ex Græcis tum ex Hebræis superiori conjecturæ accedit. Et certè in Latino Psalterio, quod in Hieronymi operibus Græco textui adjunctum exstat, *Dei* reperio, si non nostrâ ætate facta mutatio, sed aut ipsa translatio, aut Hieronymi emendatio est. Verùm quid prohibeat cur minùs scribere possimus *Dei*, etiam nullo adjuti codice, cùm id plurimum probabilitatis habeat, & à germana lectione, quæquæ illa sit, non discrepet? Cùm autem ex plerorumq; Latinorum Tractatorum commentariis *dii* eis aut lectum aut intellectum pateat, nescio quid ex Cassiodori commentario colligi possit. Sic habet, *Quia fortes terræ, qui erant populus Dei, nimiùm elevati sunt.* Hieronymi ex Hebræo translationem è nostra editione depravatam verisimile est. Pleraque exemplaria legunt, *Quoniam Dii scuta* [sculpta o.] *terræ vehementer elevati* [*elevata* 1 MS.] *sunt.* Hunnæi manuscriptum, O. scribit, *Quoniam Deus scuta terræ vehementer elevata sunt.* Regia editio variat, *Quoniam Deo scuta terræ, vehementer elevatus est.*

Psal. 47. v. 3. *Montes Sion, latera Aquilonis.*] Ea est antigraphorum quorundam lectio, Brugensis P. & antiquorum Epanorthotæ: quæ Græcis codicibus consentanea est, & autores habet Augustinum, Græcósque Commentatores, Theodoritum atque Euthymium. Plerique verò Latini codices singulari numero *Mons Sion* scribunt, conformiter Hebraicis & Chaldaicis exemplaribus. Atque hanc lectionem sequuntur Ambrosius, Hieronymus, Ruffinus, Arnobius, ut videtur, Cassiodorus, Beda, Haymo, Remigius, & posteriores. Admonet autem Ambrosius Græcè legi *montes*, h. e. ὄρη. *Et* montem *quidem*, inquit Euthymius, *plurali numero montes dicit.* Gallicum Psalterium codicis Lobiensis *montis* habet: qua de re Beda, *Habent*, inquit, *quidam libri* montis Sion, *quod fit construitur*, Civitas fundatur ab exsultatione universæ terræ, montis Sion, i. *ab his qui de Judæis conversi exsultant*, &c.

Psal. 48. v. 10. *Et laboravit in æternum.*] Sic quidam codices legunt, præterito tempore, *laboravit*; nonnulli Epanorthotæ, nonnulli Lindani, nonnulli nostri, cum Herbipolensis Psalterio: atque hoc modo est Græcè, καὶ ἐκοπίασεν εἰς τὸν αἰῶνα· id quod sequuntur Basilii, Chrysostomi, Theodoriti, Hieronymi commentaria, & Apollinaris carmina. Corruptum est autem quod habent exemplaria quædam, *liberavit.* Alii Latini codices futuro tempore habent, *Et laborabit in æternum:* quo modo Ruffinus, Augustinus, Beda, Haymo, Remigius, & alii Latini his posteriores legunt. Ambrosius utrum legerit non satìs liquet. Priora ejus verba præteritum, posteriora futurum adstruere videntur. *Qui solus*, ait de Christo, *patrem reconciliavit, & laboravit usq; in finem, quia nostrum laborem ipse suscepit, dicens*, &c. At paulo post, *Ergò homo non dabit jam propitiationem suam, nec redemptionem, quia semel ablutus est à peccato per sanguinem Christi. Laborabit tamen ut servet præcepta vivendi, & à mandatis cœlestibus non recedat. Dum vivit in labore sit, & perseveret in eo, ut vivat in finem.* Hebræis est quidem præteritum וחדל לעולם, sed quod Vau litera in futurum doceat convertendum: quapropter transferunt, Hieronymus, & post hunc alii, *Et quiescet*, seu *cessabit, in seculum.* Chaldæus, *Et cessabit malum ejus, punitio eorum*, vel (ut est in Nebiensi) *& punitio ejus*, [Venetum: cui similiter Nebiensi repetitur & conjunctio,] *in seculum.* Futuri temporis lectionem præferre videtur Epanorthotes, præteriti Lindanus. Non possum non mirari Euthymii in hunc locum commentarium, qui non exponat τὸ ἐκοπίασεν, sed nescio quid aliud adferat. Similia sunt admodum Græca verba κοπιάζω & κοπάζω, quorum illud *laborare*, hoc *quiescere* denotat. Itaque in suspicionem adducor, fortassis ἐκόπασεν aut κοπάσει, quomodo Hebraicè est, ab Euthymio lectum: huic enim lectioni aptiùs conveniant quæ ab eo dicuntur: veruntamen nec *quietis* meminit, sed *vitæ.* Cùm pugnaret, ait, *propheta eos qui pœnitentiam non egerunt in præsenti vita, nunc ad pœnitentes convertitur, & futurorum spe pœnitentia molestias consolatur. Et vivet*, inquit, *in seculum hoc præsens, ille nimirum qui pœnitentiam agit, & deinceps etiam vivet perpetuò: hoc enim significant verba illa, VIVET IN FINEM*, &c. κοπάζειν, quod est *cessare, quiescere*, si fortè verterint Lxx, genuinam vulgatámque verterunt vocis חדל significationem. Chrysostomus, *Alius*, inquit, *Interpres dixit, Et quievit in seculum, Alius, Sed cùm defierit huic seculo, vivet in æternum.* Hinc est quòd Jacobus legendum nobis censeat pro *laborabit, quiescet.* Ex Hebræo, inquit, non *laborabit*, sed *quiescet*, quod illi oppositum est, legendum est: id enim ad Christum redimentem respicit, & ad id quod sequitur, *& vivet adhuc in finem*, sive, *vivet ultrà in sempiternum*, conspirat: at non æquè, *laborabit.* Itaque Psalterium emendavit, *Et quiescet in æternum:* audacter nimis.

Ex eo quod sequitur, *Et vivet adhuc in finem*, Vetus Psalterium & Romanum tollunt *adhuc*, consentientibus primæ ætatis Scriptoribus (qui ferè veteri Psalterio, cui Romanum proximè accedit, usi sunt) Arnobio, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Cassiodoro. Neque enim lectum est olim, ut nec nunc legitur, in Græcis libris. Verùm addidit nostræ editioni Hieronymus ex Hebræo: id quod loquitur asteriscus qui ipsi *adhuc* in antiquis exemplaribus præponitur, Herbipolensi, Tornacensi, Lobiensi, Brugensi. Hinc omnibus nostræ editionis codicibus, quos quidem viderim, additur (Gothicum enim Romani Psalterii exemplar esse multis jam argumentis didicisse mihi videor) & à mediæ postremæque ætatis Latinis Tractatoribus legitur.

Psal. 48. v. 12. *Vocaverunt nomina sua in terris suis.*] Τὰ *suis* Latinorum exemplarium quædam, D. Jansenio teste, tollunt; pleraque, nostra universa, legunt. Græcorum librorum, sex nostri, cum Basilio, demunt; tres alii ex nostris, cum Theodorito & Euthymio, addunt. Latini plerique Patres agnoscunt: Hebraici & Chaldaici libri omittunt. Legunt autem nonnulli veterum, non *suis* sed *ipsorum.* Ambrosius, *Invocaverunt* [*Invocabunt*, Aug. Cass. Rom. Got.] *nomina eorum in terris ipsorum:* cujusmodi & Augustini & Cassiodori ac Romani Psalterii lectio est. Atque hoc etiam pacto verti ex Græco potest, ἐπεκαλέσαντο τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἐπὶ τῆς γαίων - αὐτῶν. Hebraicè ad verbum est, *Vocaverunt in nominibus suis, aut eorum, super terras.*

Psal. 48. v. 13. *Et homo cùm in honore esset, non intellexit.*] Conjunctionem & multa Latina exemplaria omittunt, Hentenii tredecim, nostra sedecim; sed minùs rectè; quippe quæ legatur in emendatissimis quibusque, nostris sedecim, & antiquis Epanorthotæ, suffragantibus Græcis, Hebraicis & Chaldaicis libris. Hac de re scripsit Suniæ & Fretelæ Hieronymus; *homo cùm in honore esset, pro quo in Græco vos invenisse dicitis, Et homo cùm in honore esset*, καὶ ἄνθρωπος ἐν τιμῇ ὤν· *sed sciendum quòd iste versiculus bis in hoc Psalmo sit, & in priori additam habeat & conjunctionem; in fine non habeat.* Hæc Hieronymus. In fine verò, ex nostris Latinis codicibus unus Goticus, cum Romano Psalterio & vulgatis exemplaribus Græcis, addit &: verùm contra fidem librorum nostræ editionis; Hebraicorum quoque

quoque exemplarium, nisi conjunctionem, quæ illis in media est sententia, in initium rejicias. אדם ביקר ולא יבין. Græcus quoque Vaticanæ Bibliothecæ codex (id quod testatum facit D. Sirletus) & inter Græcos expositores Basilius, inter Latinos Ruffinus, Augustinus, Beda, posteriori hoc loco conjunctionem omittunt. Sed hîc iterum occurrit Hebraicum illud ex Anglia Psalterium, legíque ואדם *Et homo*, posteriori, ut priori loco. Dolendum est non fuisse illud Hieronymo visum, ut finceram potuisset Sophronio dare interpretationem, & germanam Suniæ indicare lectionem. Sed addendum est quod majoris est ponderis. Hebraicis nostris codicibus priori loco legitur ואדם ביקר בל ילין, h. e. *& homo in honore non permanebit*; posteriori אדם ביקר ולא יבין *homo in honore, & non intelliget.* Illi autem Anglicano Psalterio posteriori loco, ut priori, ואדם ביקר בל ילין legitur. Quinetiam observatum est à R^mo D. Lindano, in antiquo illo Portugallicæ Synagogæ Psalterio, similiter utroque loco בל ילין scribi. Interpretes LXXII cùm utrobiq; *Cum non intellexit* reddiderint, utrobique יבין legisse fit verisimile; nisi fortè versum unum alteri similiter legendum, quòd intercalares versus conformes esse soleant, existimarint; vel eundem utriusque sensum esse judicarint. Certè priori loco בל ילין, posteriori ולא יבין, non tantùm habent nostræ ætatis Hebraici libri, verumetiam vetustissimus quidam qui est in præclarissima Societatis Jesu Lovaniensi Bibliotheca: nec hic tantùm, sed & ea exemplaria quibus olim usi sunt Chaldæus Paraph. & D. Hieronymus. Ille namque priori loco vertit חיבא ביקרא [Neb. Psalt. Ven. ובר נש [ונברא [Id. עסצריקוא] [* לא יבית *] *Et filius hominis* [Et vir Id.] *peccator in honore non permanebit* [*cum justis.* Id.] (significat enim בית Chaldæis quod Hebræis לון, h. e. *permittare, permanere*, &c.) posteriori בר נש [ונברא Ven. ונבר Neb.] חיבא בזמן דאיתוהי [Neb. דאיתיה] ולא יתבין [Neb. sen. ביקרא.] *Filius hominis* [*Vir.* Ven. *Et vir.* Neb.] *peccator, in tempore quo subsistit ipse* [*in honore* Neb. Ven.] *& non intelliget.* Hic (Hieronymum puto) priori loco transtulit, *Et homo in honore non commorabitur*; posteriori, *homo cùm in honore esset non* [& R.] *intellexit*: sic enim fidè dignissima exemplaria octo quæ apud nos habemus legunt. Nonum, ex M. N. Hunnæi Bibliotheca, O signatum, priori loco habet, *Ut homo in honore non commorabitur*, posteriori, *homo in honore non commorabitur.* Similem reddidit haud dubiè scriptor posteriorem locum priori: nam & quod sequitur ità scripsit posteriori ut est priori in loco, [Hebraicè similiter utroque legitur loco,] *Assimilatus est jumentis, exæquatus est*: cùm hæc in aliis codicibus prioris solius loci sit lectio; posterioris verò, *Comparavit se* [*Comparatus est* R. Arg. Torn.] *jumentis & silebitur* [*silebit* R. *similabitur* 1 MS.] Non semel adverti illum Hieronymiani Psalterii scriptorem in mutando liberiorem fuisse. Non est itaque mutandus, aut corruptelæ arguendus, Hebraicus textus, etsi non eodem modo utroque habeat loco. Nam neque in Canticis intercalares versus ità sibi mutuò respondent ut nullâ unquam voce discrepent; quinimo frequenter videmus eos nonnihil pro loci opportunitate mutari. Et si quis rectè consideret, optimè convenit prius ילין, posterius יבין. Cùm enim dixisset propheta, impium, famæ quæ ad posteros perveniret studio, suum terris indidisse nomen, convenienter subjecit, eum in honore non perduraturum, quinimo non pluris quàm bestiæ faciendum quibus se similem fecit. Hujus autem causam eadem penè repetita sententia eleganter in Psalmi fine expressit; Quia cùm in honore propter divitias esset, non fuit intelligens, sed pecudum vitam imitatus, sese similem illis fecit. Cæterùm non est mutandus Latinus textus, nimirum qui ex LXXII Interpretibus, quos eo modo transtulisse concors sententia est, redditus sit.

Psal. 51. v. 2. *Venit David in domum Abimelech.*] *Abimelech* scribunt Latina pleraque exemplaria, cum Arnobio, Cassiodoro, Beda, Haymone, Remigio, Thoma & Brunone, consentientibus nostris Græcis antigraphis, & Apollinaris Psalterio. Codicis verò Lobiensis Gallicum Psalterium & Romanum, Basileensia ante annos 74 excusa, item & Quenteliana Biblia, & antiqua Epanorthotæ exemplaria, legunt *Achimelech*, cum S. Hilario inter Latinos, & Theodorito atque Euthymio inter Græcos, conspirantibus Hebraicis Chaldaicisque libris. 1 Reg. 22. ubi historia & verba Doeg, quæ Psalmi titulus recitat, commemorantur, Hebraici, Chaldaici & Latini codices *Achimelech* concorditer legunt: atque eo capite quod præcedit similiter. Græci autem libri mirum in modum variant. Aldinum exemplar & Argentoratense cap. 21. legunt Ἀβιμέλεχ, cap. 22. Ἀχιμέλεχ. Basileense utroque capite habet Ἀβιμέλεχ, excepto cap. 22. v. 14. cui est Ἀχιμέλεχ. In Argentoratensi, capitis 22 primo loco, h. e. v. 9. ex Vaticano castigatum habemus Ἀχιμέλεχ, quo modo Theodoritus in hoc Historiæ Regum loco, ubi Doegis ad Saulem verba narrantur, esse monet. Regium ex Complutensi constanter scribit Ἀχιμέλεχ id quod genuinum magis esse videtur. Nam & Enarratores, Hilarius, Hieronymus, Augustinus, qui Græcis aut ex Græco versis libris usi sunt, in Regnorum libro *Achimelech* se legisse significant. Itáque Psalterium R^mi D. Lindani operâ castigatum legit, *Venit David in domum Achimelech.* Cæterùm D. Augustinus, quia in Psalmorum codicibus magis *Abimelech* quàm *Achimelech* invenit, *Abimelech* potius existimat scriptum, & in mysterio mutatum à prophetico spiritu germanum sacerdotis nomen, *nè tanquam res historiæ persequaris, & sacrata velà contemnas*: quam ob causam etiam in 33 Psalmi titulo *Abimelech* pro *Achis* positum arbitratur. Verùm non magis à mysterio alienum est *Achimelech* nomen quàm *Abimelech*: & quemadmodum Augustinus mysterium *Abimelech* nomine significatum prodit, ità Hilarius sacramentum *Achimelech* nomine tectum retegit: quanquam cùm ità ut historia habet scribitur, non usque adeò ad indaganda mysteria urgeamur. Sed parùm movet quòd plures codices *Abimelech* habeant, cùm quotidie comperiamus meliorem numerum à majore superari. Hæc dico, salvâ doctissimi juxta ac sanctissimi Augustini reverentiâ, qui agnoscit etiam non absurdè sentiri, propter nominis similitudinem & unius syllabæ differentiam titulos variatos. Porrò non accidit varietas ex vicinitate Hebraicarum literarum ב & כ, id quod Hieronymo adscriptus commentarius notat: *Venit*, habet, *David in domum Abimelech. In Regnorum libro, & in ipso Hebraico Psalterio, Achimelech* (hoc enim modo legendum esse etiam Ordinaria Glossa, in qua hæc referuntur, & Petri Lombardi collectanea comprobent) *scriptum est: sed quoniam Beth* ב *& Caph* כ *apud Hebræos litera modico apice distinguuntur, ideo error facilius obrepsit.* Crassus sanè hoc loco ejus qui errorem redarguit error, quem non facilè Hieronymo adscripserim. Non enim per כ, sed per ח, *Achimelech* scribitur. Existimant autem Theodoritus, Euthymius in Psal. 33. atque Epanorthotes binominem hunc fuisse, dictum & *Abimelech* & *Achimelech*. Theodoritus quidem, quia in 51 Psalmo vocetur *Achimelech*, in Regum verò prima historia Doïm apud Saulem *Abimelech* accusasse legatur. Epanorthotes autem, *quia*, ut inquit, *juxta Hebræum & Hieronymum*, 1 *Paralip.* XVIII. *g.* Abimelech *iste dicitur*, *i.* pater meus rex, *qui* II *Regum* VIII, Achimelech, *i.* frater meus rex, *appellatur.* Atqui non fuit iste Achimelech ille cujus meminit Psalmi titulus. Is enim cujus méminit titulus, regnante Saule Sacerdos maximus fuit, atque à Doege Saulis jussu interfectus est, antequam consequeretur regnum David: ille autem cujus mentio est 2 Reg. 8. & 1 Paral. 18. istius fuit nepos ex filio Abiathare, & pontifex adepto regnum Davide. Hieronymus, sive quisquis Autor est Quæstionum Hebr. in libros Paralipomenon, non aliud dicit quàm eum qui in Regum dicitur *Achimelech*, in Paralipomenon vocari *Abimelech.* Sed quemadmodum nepos & *Abimelech* dictus est & *Achimelech*;

leck, ſic potuit & avus utroque nomine vocatus fuiſſe. Verùm ad hoc non cogunt nos Hebraici libri; conſtanter enim *Achimelechem* vocant, niſi 33 Pſalmi titulus, ubi *Abimelech* legitur, de hoc, non de Achis Gethæorum rege, intelligendus ſit, ut interpretantur nonnulli.

Pſal. 53. v. 7. *Averte mala inimicis meis*] Sic cum Enarratoribus, Caſſiodoro, Beda, Haymone, Remigio & Brunone, multa manuſcripta. Sed correctiora, ſuffragantibus Hilario & Auguſtino (non enim textus ſequendi, ſed commentaria introſpicienda ſunt) *Avertet* habent, Brugenſe, Lobienſe, & antiqua Epanorthotæ. Atque hæc Græcorum codicum lectio eſt, Ἀποστρέψει τὰ κακὰ τοῖς ἐχθροῖς μου, quam exponens Euthymius, ait, *Illa nimirum mala quæ illi adverſùm me meditabantur, in eos convertet.* Apollinaris traduxit

Κάδεα δυσμενέεσσιν ἀποστρέψειε ἐμοῖσιν.

Hebraicè ſimiliter eſt, ישוב הרע וגו׳, i. *revertetur malum ad inimicos meos:* vel, ut legunt (nam illo modo ſcribunt) ישיב הרע לשוררי *reddet*, aut *convertet*, *malum in inimicos meos. Reddet*, non *redde*, Hieronymus vertit, ſi Epanorthotæ & caſtigatioribus exemplaribus fides habetur. Ad eundem modum Chaldaicè eſt יתיב ביש למעיקי *convertet malum in eos qui affligunt me:* vel ut in Veneta editione eſt, יתוב בישא *revertetur malum*, &c. Græca Regis editio, cum Complutenſi, pro Ἀποστρέψει habet ἀποστρέψῃ, id quod transferunt *avertes:* ſed rectiùs transferatur *avertat*, tam ſi Græcum quàm ſi Hebraicum attendatur. Verìſimilior igitur Latinorum codicum lectio eſt *avertet*. *Avertet* autem *mala inimicis meis*, h. e. detorquebit mala in inimicos meos. Exiſtimarim *avertet* in *averte* mutatum quòd ſequatur, *In veritate tua diſperde illos.* Sed non eſt infrequens Pſalmographo ſubita perſonæ mutatio. Hilarius, expoſito illo *Convertet mala inimicis meis*; *Dehinc*, ait, *rurſum ſit ad perſonam Dei, ad quem primùm deprecatio erat cœpta, converſio, In veritate tua diſperde illos.* Qua in parte non eſt addenda & conjunctio, quam Epanorthotes, cùm ex fontibus tum ex verioribus exemplaribus, omittendam admonet: nec cum Auguſtino legendum eſt *virtute*; haud dubiè enim codicis mendo falſus eſt: nec denique, quæ quorundam fuiſſe videtur lectio, ſcribendum eſt *diſperge.* Hebræa namque vox צמת & Græca ὀλοθρεύω *diſperdere* ſignificant.

Pſal. 54. v. 4. *Quoniam declinaverunt in me Iniquitates.*] Multi Latini codices, cum Beda & Remigio, plurali numero legunt *iniquitates*, quibus Græci quidam adſtipulantur. Epanorthotes, *Græcus*, inquit, *habet INIQUITATES.* Pſalterium Græcum manuſcriptum Tornacenſis exemplaris, item id quod Pariſiis excuſum eſt, atque ex S. Victoris codice emendatum, illud etiam quod eſt in Hieronymi operibus ex Chevallonii editione, denique id quod ſeparatum excudit Stelſius anno 43. plurali numero primóque caſu legunt ἀνομίαι, ὅτι ἐξέκλιναν ἐπ' ἐμὲ ἀνομίαι· quam lectionem & Euthymius agnovit; *Quædam*, ait, *exemplaria* iniquitates *habent, in recto caſu, & tunc expone, quòd* iniquitates, *h. e. iniqui homines moti ſunt contra me.* Alii Latini libri numero ſingulari ſcribunt *iniquitatem*, antiqui Epanorthotæ, duo Pariſienſium, unus Hentenii, unus noſter, cum Gallico Pſalterio ex Jacobi editione. Hoc modo ex commentariis legiſſe conjicias Hilarium, Hieronymum & Caſſiodorum. Huic lectioni conformiter habent complura exemplaria Græca ἀνομίαν, quæ & Euthymii prior eſt lectio. Huic conſonat quod Hebraicè eſt כי ימיטו עלי עון *quoniam volvent* (futurum pro præſenti aut præterito) *ſuper me iniquitatem:* item quod Chaldaicè, *Quoniam teſtificabuntur contra me* שקרא *mendacium.* Haymo utriuſque meminit lectionis. Vet. Su. Ge. ar. Brug. Non malè igitur D. Lindanus Pſalterium correxit, *Quoniam declinaverunt in me iniquitatem.* Sed etſi *iniquitates* legendum eſſet, exiſtimarem cum D. Janſenio non primo caſu intelligendum, quin potiùs Græcos codices quibus ἀνομίαι legitur, depravatos ex ἀνομίαν· ſunt enim ι & ν Græcæ literæ figurâ admodum ſimiles, præſertim ſi ipſius Iota inferior pars nonnihil, ut fit, elevetur. Apollinarius carmine reddidit,

Ὤωτεκεν ἀμπλακίας μοι ἐπικλίτιον ἀνιχάς.

Pſal. 54. v. 17. *Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus ſalvabit me*] Alii codices habent, *Et Dominus ſalvavit me*, ità ut præteritum præterito reſpondeat; antiqui Epanorthotæ, quatuor Pariſienſium, ſex Hentenii, novendecim noſtri. Atque hoc modo Haymo Alberſtattenſis & Remigius Antiſſiodorenſis legunt. Græcis etiam duplex eſt aoriſtus, Ἐγὼ πρὸς τὸν Θεὸν ἐκέκραξα, καὶ ὁ Κύριος ἔσωσέ με· ſic enim Vaticanum exemplar ſcribit: alia, Apollinari & Euthymio ſuffragantibus, habent καὶ ὁ Κύριος ἐσώσατό [*Epicuſen* Torn.] με. Hinc veteris Latinorum Pſalterii tranſlatio fuit, *Et Dominus exaudivit me*, quam Arnobius, Hilarius, Auguſtinus, Caſſiodorus & Romanum Pſalterium ſequuntur. Sed quid Arnobium, ut cæteris antiquiorem, ſtudioſè præpono, cùm non conſtet ſatis ilſius eſſe Arnobii commentaria qui Lactantii præceptor fuit? nam in Pſalmi 109 commentario Photinum nominatim confutat. Altera Græcorum lectio, ex qua fortaſſis noſtra fluxit verſio, Hebraicis & Chaldaicis conſonat libris: quibus tamen duplex eſt futurum, ſed quæ rectè pro præteritis accipiantur, ut etiam Hebraicus Scholiaſtes indicat.

Pſal. 55. v. 4. *Ab altitudine diei timebo*] Hæc Latinorum codicum noſtræ editionis conſtans ſcriptura eſt. Hoc tantùm invenio varietatis, quòd affirmando quidam, quidam interrogando ſcribant. Hâc inter veteres Ruffinus uſus eſt, & ut interrogationem interpretatus eſt. Eſt & Latinorum Tractatorum mediæ poſtremæque ætatis, eorum nempe qui noſtræ editionis Pſalterio uſi ſunt, lectio. Græci autem plerique libri, cum Euthymio Græco Tractatore, τὸ *ab altitudine* jungunt ſuperiori verſiculo, ὅτι πολλοί εἰσι πολεμοῦντές με ἀπὸ ὕψους, *quoniam multi bellantes adverſùm me ab altitudine.* Tum ei quod ſequitur negationem addunt, ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, h. e. *dies*, vel *die, non timebo.* Et quidem in omnibus Græcis libris quos vidimus negatio legitur, conſentientibus Græcis autoribus, Euthymio, Theodorito & Apollinari. De quo ad Suniam Hieronymus, *Quoniam multi bellantes adverſùm me, ab altitudine diei timebo. Et dicitis in Græco vos inveniſſe* ὅτι πολλοί πολεμοῦντές με, ἀπὸ ὕψους ἡμέρας οὐ φοβηθήσομαι, *i. non timebo; quod additum eſt. Et eſt ordo, Quoniam multi dimicant adverſùm me, idcirco ego ab altitudine diei timebo: h.t. non bellantes adverſùm me, ſed tuum excelſum timebo lumen.* Quibus verbis Hieronymus & rejicit negationem, & vulgatam noſtram exponit diſtinctionem, ea quæ etiam quorundam eſt Græcorum librorum atque Enarratoris Theodoriti. Hebraicis libris ut non eſt negatio, Latinis codicibus conformiter, iſta eſt diſtinctio, quam Euthymii & plerorumque exemplarium Græcorum eſſe diximus: ſed facilè diſtinctio variatur. Clariſſimè atque integerrimè locum hunc ex Hebræo Hieronymus reddidit, *Multi enim qui pugnant contra me, Altiſſime. Quacunque die territus fuero, ego in te confidam.* Simili modo Chaldæus, *Quia multi pugnant contra me, Deus altiſſime, cujus ſedes in excelſo, Die quo timuero, ego ſuper te confidam.* Quod Hieronymus & Chaldæus legerunt מרום, ut punctati ſunt noſtri libri, Lxxii מרום legerunt. Illud *altum*, hoc *ab altitudine* ſignificat. Veteris Latinorum Pſalterii lectionem fortaſſe non inutile fuerit addere, quanquam cùm à noſtra Latina editione & vulgatis Græcis exemplaribus tum ab Hebræo fonte longè recedat; à ſeipſa etiam non parùm diſſentiat: aliter enim Hilarius legit, aliter Auguſtinus, aliter Hieronymus, ſi tamen Hieronymi in Pſalmos commentarius eſt. Hilarius legit, *Conculcaverunt me* (hic enim paulò altiùs repetere cogimur Pſalmi verba) *inimici mei totâ die. Ab altitudine dierum non timebo. Quia multi qui debellant me timebunt: ego verò in te ſperabo.*

sperabo. Hieronymus, *Conculcaverunt me inimici mei totâ die: ab altitudine diei timebo. Quoniam multi bellantes adversùm me -ab altitudine diei timebunt: ego verò in te sperabo.* Augustinus, *Conculcaverunt me inimici mei totâ die ab altitudine diei. Quoniam multi qui debellant me timebunt: ego verò in te speravi* [*sperabo* Cas. Rom. G. H.] *Domine.* Quomodo etiam habent vetus Jacobi Psalterium (sed id ex Augustino desumptum suspicor) Cassiodorus Senator, & Romani Psalterii quæ habemus exemplaria, Goticum, Lobiense, Tornacense, Stapulense. Testatur Illustrissimus Dominus Sirletus non deesse Græcum codicem qui habeat, ὅτι πολλοὶ οἱ πολεμοῦντές με, φοβηθήσονται· ἐγὼ ἐπὶ σοὶ ἐλπιῶ. Hinc illa fortasse veteris Psalterii lectio, quam integriorem habuisse videtur Augustinus: sed nimis à prototypo dissonat.

Psal. 55. v. 13. *In me sunt, Deus, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.*] *Tua* in Græco non est, ut neque in Romano Psalterio: sed ex Hebræo additum est ab Hieronymo nostræ editionis castigatore: id quod indicat asteriscus qui est in antiquis libris, Brugensi, Lobiensi, Tornacensi, Herbipolensi. *Quæ* legitur Græcè, sed non est Hebraicè: ideóque ei obelum præfigit Brunonis Herbipolensis Episcopi textus. Hebraicè versus iste ad hunc legitur modum, *In me, Deus, vota tua, reddam laudes tibi.* Græcè ad istum, *In me, Deus, vota quæ reddam laudis tuæ.* Latina nostra lectio ex utroque accipit aliquid, ex quo facta est obscurior. Hinc etiam est, quod sit verisimile, Latinorum codicum ea diversitas, quòd alii *laudationes*, alii *laudationis* habeant, cujus Haymo, Lombardus & Glossa interlinearis meminerunt. Sex Hentenii & ipse Bibliorum Parisiensium textus scribunt *laudationis*; universi nostri editionis vulgatæ *laudationes*, cum V. Beda, Remigio Antissiodorensi Episcopo, Brunone Carthusianorum patriarcha, Jacobo Christopolitano Antistite, & Johanne præsule Sabinensi. Addo autem, editionis vulgatæ; nam Romana nostra Psalteria, Goticum, Lobiense, Tornacense, Stapulense, *laudationis* habent: quo modo & Hilarius, qui veteri Psalterio usus est, legisse videri potest; *Non extra se sunt*, inquit, *ista quæ sperat, nec laudationis vota quæ reddenda sunt extrinsecùs capessenda*, &c. Similia Cassiodorus quoque, *Dicit enim*, inquit, *in se esse vota laudationis, Dei tamen munere contributa, quæ in illa perpetuitate reddenda sunt, quando jam sancti indefessis vocibus persolvent laudis obsequium.* Existimarim igitur Veteris aut saltem Romani Psalterii lectionem esse *laudationis*; nostram verò editionem emendatam *laudationes*, cùm adderet Castigator *tua*, & transfigeret *quæ*. Sanè Jacobi editio, & antiquissima Lobiense & Tornacense manuscripta, concorditer Romano Psalterio *laudationis*, Gallico *laudationes* attribuunt. Sed cùm variè hac de re doctores judicent, nihil ego decerno. D. Lindanus correxit *laudationis*; D. Hentenius & Parisienses *laudationes*. Et quidem Hentenius: nam cùm Parisiensium Biblia in textu *laudationis*, in margine cum annotatis 4 exemplaribus legerent *laudationes*; ipse hoc in textum retulit, illud verò cum ὁ antigraphis in margine locavit. Parisienses autem posterioris editionis textum ex prioris margine, ut aliàs penè semper, mutarunt.

Psal. 56. v. 8. *Cantabo & psalmum dicam Domino.*] Sic quidam libri, cum Cassiodoro Romano Senatore & Remigio Antissiodorensi Episcopo: ad quem modum apud Hilarium legitur, *Cantabo & psalmum dicam tibi.* Alii verò libri nec *Domino* nec *tibi* agnoscunt; duntaxat, *Cantabo & psalmum dicam* legunt; tres Parisiensium, viginti octo nostri: quibus Ruffinus, Augustinus, Haymo, Bruno, Lombardus, Ludolphus, Pelbartus, Pastura, suffragantur. Suffragantur & Hebraici ac Chaldaici libri. Denique etiam Græci cum Græco enarratore Euthymio: sed aliud quiddam (quod ipsum aut simile etiam Apollinaris & Theodoritus legerunt, & quod mirum est, inter Latinos Richardus Pampolitanus) adjiciunt, ᾄσομαι καὶ ψαλῶ ὅτι τὴ δόξη μου, *cantabo & psalmum dicam in gloria mea*; id quod rectè à Vaticano exemplari omittitur: est enim ex 107 Psalmo huic adjectum; quemadmodum ἐξεγέρθητι ἡ δόξα μου, *exsurge gloria mea*, ex hoc illi adjectum, nobis, post D. Hieronymum ad Suniam, videtur; quanquam in Hebraico ex Anglia Psalterio utroque Psalmo legatur. Itaque & quod plerisque Græcorum libris additur, ὁ τῇ δόξῃ μου, transfodiendum est; & quod quibusdam Latinorum codicibus legitur *Domino*, jugulandum est. Sanè à Dominis Hentenio & Lindano rejectum est: & Lobiense, Tornacense, manuscripta, ac Jacobi editio, concorditer Romanæ Psalmodiæ *Domino* addunt; Gallicanæ, quæ nostræ est editionis, demunt.

Psal. 57. v. 7. *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.*] Antiqua Epanorthotæ exemplaria scribunt, *Molas leonum confregit Dominus*, quæ & Brugensis MS. lectio est, quanquam alteram quoque annotatam habeat. Lugdunensia etiam Biblia anni 1522, & Glossa Ordinaria anni 1540, in margine, aliàs *confregit* legi notant. Atque hæc Tractatoris Cassiodori dilucida est lectio. Videtur & Remigii Antissiodorensis fuisse; *Et molas leonum*, inquit, *i. violentas & apertas damnationes, ut, CRUCIFIGE, CRUCIFIGE, confringet Dominus quando resurrexit, & mors illi ultrà non dominata est.* Similis est Richelii commentarius. Est autem hæc lectio Græcis libris consentanea: iis enim priori versûs parte futurum σωτήρει, posteriori aoristus σωτήλασεν, legitur: quibus Euthymius Græcus autor consentiens scribit, *Illud etiam considera, quomodo aliquando Propheta in futuro tempore dicat* conteret, *& aliquando in præterito* confregit: hujusmodi enim est Prophetarum mos, ut sæpius diximus. Arnobius, Hieronymus & Beda duplex habent futurum. Hilarius & Augustinus duplex præteritum. Hebraicè utrumque imperandi modo legitur: *Deus, excute* [*contere*] *dentes eorum*] *ex* [*in*] *ore eorum: molares leonum* [*catulorum leonum*] *confringe Domine:* quæ Hieronymi & aliorum interpretatio est. Nota autem, Anglicano codici pro נתוץ scriptum נטש.

Psal. 61. v. 5. *Cucurri in siti* constanter scribunt Latini codices, unanimiter exponunt Latini Tractatores: hoc igitur modo Latinus Interpres reddidit. Est autem Græcè ἔδραμον ὁ δίψη [δίψει, Gq.] id quod totidem verbis in carmen transtulit Apollinaris. Id verò tam *cucurrerunt in siti*, quod textûs consequentia exigere videtur, quàm *cucurri in siti*, verti potest (quod etiam Ambrosius annotavit:) est enim aoristi secundi tertia pluralis par primæ singulari. Itaque Græci Enarratores, Basilius, Theodoritus atque Euthymius, *cucurrerunt in siti* intelligunt atque exponunt. Atque hoc modo intelligenda vertendâque Græca, Hebræa, ex quibus illa reddita sunt, docent: neque enim ambiguum est כוב ירצו. Id autem alii interpretantur, *Placuerunt sibi in mendacio* (quod Symmachi, Ambrosio teste, atque Hieronymi est) vel *diligunt*, seu *volunt*, *mendacium*: nam רצה plerumque *velle*, *placere*, significat; aliquando *ambulare*, *currere*. Aut fortasse legerunt LXXII ירצו à themate רוץ, quod propriè denotat *currere*. כוב veritatis defectum, i. *mendacium*, signat: LXX verò ad potûs defectum, i. *siti*, transtulerunt, subauditâ Beth præpositione *in*.

Psal. 61. v. 9. *Deus adjutor noster in æternum.*] Romana Psalteria omittunt τὸ *in æternum*: - *quia* [Gallic. Aug. Gq. H. C.] habent, *Deus adjutor noster - est*; [Gallic. Aug. G. H. C.] Goticum, Lobiense, Tornacense, Stapulense (Goticum est manuscriptum quod in Bibliorum margine notatum est) idque conformiter Psalterio Veteri quo Cassiodorus, Augustinus, Hilarius & Arnobius usi sunt (quanquam Vetetine an Romano Psalterio Cassiodorus fit usus, multùm ambigam) & consentaneè Græcis codicibus, quibus ferè non aliud legitur quàm - ὅτι [Gq.] ὁ θεὸς βοηθὸς ἡμῶν [ὑμῶν o.]

Noſtræ editionis Pſalteria addunt quidem *in æternum* (quemadmodum & apud Ruffinum ac mediæ poſtremæque ætatis Latinos Tractatores reperitur) ſed obelo confodiunt, quæ notis hujuſmodi ſignantur, Jacobo teſte. Nos id in uno Herbipolenſis Epiſcopi Pſalterio vidimus. Eſt autem obelus præfixus, ex Hieronymi ſententia, qui ad Suniam & Fretelam ſcripſit, *In* 61. *Quia Deus adjutor noſter in æternum: pro quo in Græco ſit* ὁ Θεὸς βοηθὸς ἡμῶν, *i.* quia Deus adjutor noſter: *ergò* in æternum *obelus eſt.* Hæc Hieronymus. Videtur autem ex eo additum quòd Hebraicè ſit *ſela.* אלהים מחסה לנו סלה, *Deus ſpes noſtra, Sela. Sela* quidam interpretantur *in æternum*; ex quibus Chaldæus Paraph. eſt (*Deus*, habet hoc loco, *ſpes noſtra in æternum*) Alii, quod idem unum eſt, reddunt *ſemper*; ex quibus ſunt Aquila & Hieronymus: ut ſignificetur ſempiterna eſſe quæ dicta ſunt. Lxx διάψαλμα transferunt: unde Græca antigrapha, Vaticanum & Nebienſe, & Latina exemplaria, Brugenſe, Lobienſe, Tornacenſe, Herbipolenſe, huic loco *Diapſalma* adjiciunt, quod & Hilarius ac Caſſiodorus agnoverunt. Græca Tornacenſis Ms. editio addit *is ton eona*, quod eſt, *in æternum*.

Pſal. 63. v. 6. *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio*] Hæc communior eſt lectio. Quædam verò exemplaria legunt, *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinia*, unum Pariſienſium, Moguntinum, tria Hentenii, tria noſtra, Lobienſis codicis Gallicum Pſalterium, Catenæ Franciſci de Puteo adjunctus textus, & Pſalmi Reverendiſſimi Domini Lindani; conſentientibus Enarratoribus, Bedâ, Remigio, Ludolpho, Richelio & Paſturâ. His accedit Romanum Pſalterium, quod, cum Caſſiodoro Senatore, ſingularis numeri quarto caſu habet, *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinium*; quo modo & Iatum Plantini antigraphum legit. Suffragatur eiſdem D. Auguſtini lectio, *Defecerunt ſcrutantes ſcrutationes.* Conſonant Græci libri, ἐξέλιπον ἐξερευνῶντες ἐξερευνήσεις· quibus Euthymius monachus adhæret, qui exponens ait, *h. e. Defatigati ſunt quærentes doloſas artes.* Utramque lectionem P. Lombardus agnoſcit. Apollinaris carmine in hunc modum reddidit,

Οἱ δ' ὀλιγοπειθήσιον ἀπείρητα μαστεύοντες,

Sed defecerunt intermina perquirentes.

Hebraicè eſt תמנו חפש מחפש: quod Felix interpretatus eſt, *Perfecerunt ſcrutinium inveſtigatum.* Alius, *Exſequuntur quod ſcrutando excogitatum eſt.* Hieronymus ut Lxxii tranſtulit, *Defecerunt ſcrutantes ſcrutinio* [*ſcrutinium* R. *ſcrutationes* o:] nam תמם, à quo deducunt תמנו, quandoque *deficere* ſignificat. Putant autem Nun, aut loco alterius Mem (תמו), aut loco Dageſch, quod ipſi Mem infigendum erat (תמו) poſitum, quemadmodum & in numeris, cap. 17. v. 13. Hebraica noſtra Mss. Pſalteria, Anglicanum, & alterum Societatis Jeſu, ſcribunt, תמנו ח׳מ׳ (quanquam illud Societatis videatur ח ſuprà ſcriptum habere) quod eſt, *occultaverunt ſcrutinium inveſtigatum*, præſertim ſi per Cametz legas טמנו: ſed punctum Cametz Anglicanus codex non agnoſcit. Atque hanc *tamenon*, per ט literam, ſcriptionem videtur & Felix Pratenſis obſervaſſe, cujus altera ad marginem verſio eſt, *Abſconderunt ſcrutinium inveſtigatum.* Imò D. Bredembachius hanc pro Hebraica lectione recitat atque interpretatur. Porrò ut ad Latinorum codicum varietatem redeamus, eodèm ferè recidit utriuſque lectionis, *ſcrutinio, ſcrutinia*, ſenſus. Significatur enim utrâque diligentiſſima perſcrutatio, perinde ac ſi diceretur, quod ſæpe aliàs occurrere ſolet, *defecerunt ſcrutando ſcrutantes.* Si verò referre placeat *ſcrutinio* non tam ad *ſcrutantes* quàm ad *defecerunt*, etiam hoc ex altera ſatis intelligitur lectione. *Defecerunt* enim *ſcrutantes ſcrutinia*, in ſcrutiniis utique. Defecerunt autem in ſcrutiniis, vel quia conſilium commodum invenire non potuerint, vel quia inventum commodè perficere non quiverint.

Pſal. 63. v. 7. *Accedet homo ad cor altum*] Ea frequentior eſt Latinorum codicum ſcriptura: quæ & eorum commentariorum eſſe videtur quæ Hieronymo adſcribuntur. *Si*, habent, *cum ſapientia Dei ad alti cordis intellectum quis accedens iſta diſcriminet, i. veritatem ac falſitatem diſcernat, tunc Deus exaltabitur.* Huic ſimilis eſt ea litera cujus Hugo Cardinalis meminit, *ad cognitionem altam.* Altera eſt non paucorum exemplarium ſcriptura, *Accedet homo & cor altum.* Sic enim antiqua Epanorthotæ, quatuor Pariſienſium, Vet. Di. o. M. Ge. L. ar. Duo Hentenii, quorum alterum, haud dubito, Atrebatenſis Collegii eſt; tria aut quatuor noſtra, Brugenſe, Gallicum codicum Tornacenſis & Stapulenſis, Romanum Lobienſis. Sic Lugdunenſia Biblia aliàs legi in margine notant. Sic denique in quibuſdam Benedictinorum Pſalteriis D. Janſenius reperit. Hæc eſſe videtur commentariorum Arnobio attributorum lectio. *Videntes*, habent, *ſe defeciſſe, & hominem accedere ad ſuperiorem gradum juſtitiæ, faciunt ei cor altum, ut per elationem cordis ejus exaltet ſe Deus ab eo.* Hanc ſecuti ſunt Bruno & Richelius: utramque exponunt Petrus Lombardus, Haymo & Remigius. D. Auguſtinus quid legerit difficulter ſtatui poſſet, *ad* conſtanter in commentariis ejus repetitur, *&* autem legendum, ex ipſa commentariorum enarratione, Reverendiſſimus Dominus Janſenius oſtendere adnititur. Certè V. Beda, dum eam quæ ex Auguſtino ſumpta eſſe videtur explicationem profert, diſertè *& cor altum* legit atque exponit, ſubjungítque, *Habet noſtra tranſlatio*, Ad cor altum, *quod ſatis congruè legi poteſt ſic*, &c. Theodoritus atque Euthymius Græci Tractatores *& cor altum* legunt. Sic & Græci codices habent, προσελεύσεται ἀνθρωπῷ καὶ καρδίᾳ βαθείᾳ. Notatum habemus Vaticano exemplari καρδίᾳ legi; id quod convenire non videtur, niſi legas προσελεύσεται ἀνθρωπῷ καρδίᾳ βαθείᾳ; aut προσελεύσεται ἀνθρωπῷ καὶ καρδίᾳ βαθείᾳ, ſc. προσελεύσεται· quibus modis lectioni, *ad cor altum*, ſuffragetur. Græcum Apollinaris carmen eſt,

Νειόθεν ἴδμονα μῆτιν ἔχων προσελεύσεται ἀνὴρ·

cujus ſenſus eſt, *Accedet vir prudenti conſilio ex imo* (petito) *inſtructus.* Hebraici codices habent, וקרב איש ולב עמק, quod eſt, *Et accedit homo & cor altum.* Lxxii legerunt וקרב, quod eſt *& accedet*, vel יקרב quod eſt, *accedet.* Noſtra Biblia וקרב punctata ſunt: itaque transfert Felix, *Et interius viri & cor profundum*; ſub, ex præcedentibus, *perfecerunt.* Alius, *Etiam intimum cujuſque & cor profundum*; ſc. *exquirunt.* Senſus eſt, inquiſierunt vel inquirunt quidquid humano ingenio humanâque diligentiâ inveniri poteſt. Ad ſimilem modum & Hieronymus interpretatus eſt, * *Cogitationibus* [*cogitatione* 1 * *& 2.*] *ſingulorum & corde profundo.* ſ. *defecerunt*: in perveſtigandis ſcilicet variis profundiſque conſiliis defecerunt. Inter hæc autem Hebræis conjunctio conſtanter legitur *(& cor)* non præpoſitio: quamobrem caſtigatores, D. Lindanus, Jacobus, Pariſienſes, Pſalterium emendarunt, *Accedet homo & cor altum.* Cujus ſenſus, Euthymio autore, eſt, *Ad pravos iſtos* perverſa hujuſmodi conſilia inveſtigantes, *accedet homo aliquis, illorum pravitati inſerviturus*: accedet, inquam, homo *qui ſit cor altum, h. e. magni & profundi conſilii.* Beda codicum quos conſuluit depravatione falſus, ut videtur, noſtræ tranſlationi, *ad cor altum*, tribuit. Porrò non abſimiliter ea lectio intelligi poſſit. *Accedet homo ad cor altum*, utetur alto profundóque conſilio. Id quod eodem planè modo priori lectione ſignificabitur, ſi verbum *accedet* ſubaudiendo repetas.

Pſal. 64. v. 1. Tanta eſt in hujus Pſalmi titulo codicum varietas, quanta vix alibi. In Latinis Lovanienſium Bibliis ad hunc modum ſe titulus habet, *In finem, pſalmus David, Canticum Aggæi, Jeremiæ, & Ezechiæ, populo tranſmigrationis, quando incipiebant proficiſci.* Quidquid igitur

igitur ab hoc titulo variè legi deprehenderimus, ex ordine proferemus. Latinum Ms. ſericatum Collegii Atrebatenſis omittit *In finem:* quod tamen Græcè, Hebraicè & Chaldaicè, & aliis pleriſque Latinis exemplaribus, Latiniſque & Græcis Tractatoribus, conſtanter legitur.

Pſalmus David] In Græcis quibuſdam exemplaribus eſt ψαλμὸς ᾠδῆς τῷ Δαυὶδ, *pſalmus cantici David*: ſed, ut exiſtimo, aut iſtud ᾠδῆς ſuperfluit (certè à S. Victoris Græco codice & aliis quibuſdam tollitur) aut illud ᾠδὴ quod ſtatim ſequitur: nam tam Hebraicè quàm Latinè ſemel duntaxat legitur. *Canticum* omittit exemplar Hunnæi C. ſed cùm ab aliis pleriſque non omittitur, tum Græcè, Hebraicè & Chaldaicè legitur.

Aggæum prætermittunt Lobienſis & Tornacenſis cœnobiorum manuſcripta, Atrebatenſis Collegii ſericatum exemplar, & Herbipolenſis Pſalterium, conformiter Græcis libris; ſimilitérque Hieronymo, Auguſtino, Caſſiodoro, Apollinari & Theodorito.

Alterum Atrebatenſis Collegii exemplar pro *Jeremia* nominat *Zachariam*, ab aliis omnibus diſſentiens, niſi quòd Ruffinus varietatem hanc inſinuaſſe videatur. Sericato rurſus, & quidem ſoli, additur *Jeremiæ prophetæ*. Quædam & *Zachariam* & *Jeremiam* nominant, Jacobo de Valentia teſte: ſed *Zachariæ* neque ab antiquis Tractatoribus, neque à Græcis codicibus agnoſcitur; poſſet tamen, quod Richelius ſentit, tam *Zachariæ* addi quàm *Aggæi* & *Jeremiæ*.

Brugenſe manuſcriptum, R. G. & F. Hunnæi, & latum Plantini, ſuffragantibus, ut apparet, Arnobio, Remigio Antiſſiodorenſi & Brunone, *Ezechielem* prætermittunt, cujus prætermiſſionem aliæ complura ſignificare videntur manuſcripta, quæ disjunctivâ conjunctione ſcribunt *vel Ezechielis:* qui tamen à D. Hieronymo, Auguſtino, Apollinari, Theodorito & Græcis codicibus concorditer additur. Ruffinus variâ agnovit lectionem; *Quidam*, inquit, *tituli loco* Aggæi *ponunt* Ezechiel. Similiter Beda; *Quidam libri non* Aggæum *habent ſed* Ezechiel: corruptè autem pro *Ezechiele Ezechiam* quidam nominant.

Populo tranſmigrationis] Sic & Lobienſis codex; Græcè eſt ſecundo caſu, τῷ λαῷ τῆς παροικίας. Nonnulla autem Græca antigrapha præponunt conjunctionem, ἐν τῷ λαῷ τῆς παροικίας, quomodo in Hieronymi commentariis legitur, *Et populi de captivitate.* Græca Baſileenſium editio anni 1550 habet ὑπὲρ τῆς τῷ λαῷ παροικίας: ad quem modum Herbipolenſe Pſalterium legit, *de populi tranſmigratione.* Alii quidam Latini codices, cum Caſſiodoro, habent, *de* [*ex* Aug. Torn.] *populo tranſmigrationis.* Alii verò non pauci, cum V. Beda, Remigio Antiſſiodorenſi, & Brunone Carthuſiano, ſcribunt, *De verbo peregrinationis* [*tranſmigrationis*, 1 MS.] Utriuſque lectionis Richelius meminit, & longè ante Richelium Ruffinus: *Ubi*, inquit, *hîc dicitur* de verbo peregrinationis, *quidam dicunt* ex populo tranſmigrationis, *ubi, etſi verba diſcrepant, ſententia non diſcordat.* Plurimi autem libri, cum Ordinaria Gloſſa & Hugone Cardinali, utramque jungunt, & ferè disjunctivâ conjunctione, *De verbo peregrinationis, vel de populo tranſmigrationis* [*& de populi tranſmigratione* Lind. *murmurationis* o.] Videtur autem illud *de verbo peregrinationis* altera eſſe ex Græco tranſlatio, ex eo originem habens quòd ſit Græcè pro λαῷ lectum λόγῳ. - ὑπὲρ τῷ λόγῳ τῆς παροικίας, h. e. *pro*, aut *de*, *verbo*, ſeu *negotio, peregrinationis.* Conjuncta eſt autem, ut videtur, utraque tranſlatio; alterâ quæ in margine aut inter lineas notata erat in textum aſſumptâ. Utra verò aſſumpta ſit dici non facilè poteſt: ſed hoc certum eſt, pleroſque eorum librorum qui utramque connectunt, Haymone ſuffragante, priorem habere *de verbo peregrinationis*, poſteriorem cum disjunctiva conjunctione, *de populo tranſmigrationis*; ità ut hæc videatur, quemadmodum ad marginem notata erat, in textum relata. Brugenſe etiam Ms. omnium facilè accuratiſſimum, cum reliquis quæ *Ezechielem* prætermittunt, & Beda, Remigius ac Bruno, id ſolum *de verbo peregrinationis* agnoſcunt: non id tamen præferendum affero,

Quando incipiebant proficiſci.] Alii libri, *cùm inciperent* [*inciperet* 2. MS.] Hier. *proficiſci.* Tornacenſis codex cum Auguſtino, *cùm inciperent exire.* Græcè eſt, ὅτε ἤμελλον ἐξιέναι, *quando erant exituri.*

Porrò hæc in Hebraicis & Chaldaicis codicibus non leguntur. Non aliud namque in titulo habent quàm, *In finem, pſalmus David, canticum.* Theodoritus Græcus autor, *In nonnullis*, inquit, *exemplaribus adjungitur*, canticum Jeremiæ, & Ezechielis, & populi peregrinantis, cùm profecturi eſſent. *Hæc non leguntur, neque in Hebraico, neque in aliis Interpretibus, neque apud Lxx in ſextuplici.* Teſtatur Card. Sirletus Vaticanæ Bibliothecæ Græco codici non aliud legi quàm ᾠδὴ τῷ τέλει, ψαλμὸς ᾠδῆς τῷ Δαβίδ. Quæ ultrà adduntur D. Hilarius Latinus enarrator non agnoſcit. Nos ea obelis confoſſa in Latinis Pſalteriis Lobienſi & Herbipolenſi vidimus. Videntur autem Nicolaus de Lyra & Jacobus de Valentia ſignificare, hæc Latinis quibuſdam exemplaribus deeſſe: imò Janſenius Latinorum ac Græcorum pleriſque codicibus omitti aſſerit: ac proindè addita ab expoſitoribus aliquibus putat, qui, ex quorum perſona pſalmus intelligendus eſſet, indicare voluerint: quæ & Lyrani ac Richelii Bredembachiíque ſententia eſt. Nonnulli ex eo opinantur hæc addita, quòd ii qui hîc nominantur hoc Davidis Pſalmo ſint uſi, hoc Davidis canticum & ipſi decantarint: cujus ſententiæ Arnobius eſſe videtur: *Heb.* inquit, *non habet, nec* Jeremiam, *nec* Aggæum, *niſi ſolùm* David. *Sed Eſdra habens* charitatem eorum, *voluit eos memorare, aſſerens, iſtum pſalmum David cecinisse eos in prophetationis ſuæ initio*, &c.

Pſal. 67. v. 23. Multorum librorum, & Ruffini ac poſteriorum Tractatorum, lectio eſt, *Convertam in profundum maris:* quam ut recitavit D. Auguſtinus, ſubjungit, *Si* convertam, *quare* in profundum maris? *In ſeipſam quippe convertit Dominus cùm ſalubriter convertit, & non eſt utique ipſe in profundo maris. An fallit fortè Latina locutio, & pro eo poſitum eſt* in profundum, *quod eſt* in profundo? Sic S. Auguſtinus. Fortaſſe autem fallit Latina lectio. Nonnulla MSS. antigrapha, cum Epanorthotæ libro, ſcribunt *in profund'*, id quod rectè *in profundis* legas. Codex Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis, cùm antiquitate tum integritate præſtantiſſimus, diſertè ſcribit, *In profundis maris*: quo modo Græcus quidam S. Auguſtini liber (quod ipſe paulò pòſt adfert) ἐν βυθοῖς legit, atque omnes noſtri, cum Euthymio Græco Enarratore, ſimiliter, ὑπερκείμενα ἐν βυθοῖς θαλάσσης. Interlinearis gloſſa quibuſdam *in profundo* legi annotat, id quod diſertè in Haymone reperio, atque idem unum eſt. Beda, *Convertam*, habet, *in profundo, ſive in profundum, maris.* Fuit olim librorum quorundam, alterius fortè editionis, lectio, *Convertar in profundum maris:* quam D. Hilarius ſecutus eſt, & Romanum Pſalterium retinuit; quam etiam Auguſtinus agnoſcit atque exponit. Huic bellè convenit *in profundum.* Hujus itaque occaſione mutatum eſt fortaſſe *in profundis* ſeu *in profundo*, quod alterius erat editionis, in *in profundum*: hoc autem, *Convertam in profundis*, ſeu *in profundo, maris*, intelligit Auguſtinus; *Convertam eos qui ſunt in profundo maris, qui in hujus ſeculi profundo jacent, demerſi pondere peccatorum.* Euthymius Monachus docet, *in profundis* exponi poſſe pro *ex profundis*; ut ſit præpoſitio pro præpoſitione. Hoc modo exponunt Arnobius & Hieronymus: quanquam quid legerint non conſtet, *in profundo* an *de profundo*: nam *in profundum*, etſi ſic adſcriptum ſit, non videntur legiſſe. Sub finem commentariorum in Michæam *de profundo* legit Hieronymus. Caſſiodorus, ut omnem evitaret quæſtionem, Hieronymi tranſlationem, utpote dilucidiorem, ſecutum ſe fatetur; *Convertam de profundis maris:* ſic enim eſt Hebraicè, & quidem ad verbum, *Convertam*, vel *reducam, de profundis maris.* Chaldæi paraphraſis eſt, *Reducam* juſtos *qui ſunt ſubmerſi, - & quos devoraverunt piſces* [Venet. Neb.] *in profundis maris.* Ad reſurrectionem reſpexiſſe videtur.

Pſal.

Pſal. 71. v. 15. *Alia exemplaria legunt, Et adorabunt de ipſo ſemper*] Alia, *Et orabunt de ipſo ſemper.* Priori modo quæ legant, ut ſunt pleraque, ità paſſim obvia: poſteriori autem modo Brugenſe MS. habet. Neque id tantùm, ſed & antiqui Epanorthotæ codices, quantum quidem à me colligi poteſt; nam erratum eſt à ſcriba nonnihil. Lugdunenſia quoque Biblia in margine annotant, *Aliàs, Orabunt.* Romanum Jacobi Pſalterium ad eundem modum *orabunt* legit: ſed MSS. noſtra Romani Pſalterii antigrapha, Lobienſe, Tornacenſe & Goticum, priori lectioni conformiter, *adorabunt* habent. D. Auguſtinus *orabunt* ſine controverſia legit. Remigius Antiſſiodorenſis ſic exponit ac ſi *orabunt* legiſſet. Bruno Carthuſianorum patriarcha utrumque explicat. Græcè eſt, καὶ προσδέξονται περὶ αὐτῆς διαπαντός. Προσεύχεσθαι, ſi Græcam velis compoſitionem reddere, *adorare* transferas: ſed rectiùs fortaſſis *adprecari*: nam *adorare* Latinis ferè venerari denotat; προσεύχεσθαι verò Græcis aut ſimpliciter, aut *cum quadam aſſiduitate orare* ſignificat. Atque ità Euthymius Græcus autor, in hujus loci commentariis, exponit. Hebraicæ quoque dictionis הִתְפַּלֵּל, & Chaldaicæ צְלָא, *orare* ſignificatio eſt. Latinè igitur *orabunt* vel legendum vel intelligendum eſt. *Quod* autem *habet Gracus* περὶ αὐτῆς, *aliqui*, Auguſtinus ait, *interpretati ſunt* de ipſo, *aliqui* pro ipſo *vel* pro eo. *Pro ipſo* exponit Euthymius. Et Hebraicum בְּעַדוֹ *pro ipſo* ferè transferunt Latini Interpretes. ויתפלל בעדו תמיד *& orabit pro eo ſemper* (Lxxii ſenes ſingularem numerum plurali commutarunt) quanquam Hieronymi pleraque exemplaria *de eo* legant; unicum ex noſtris *pro eo.* Eiſdem verbis legimus Gen. 20. 7. Abimelechi, qui uxorem Abrahæ acceperat, dixiſſe Dominum ויתפלל בעדך, quod procul dubio eſt, ut noſter reddidit, *& orabit pro te:* atq; id in Græcum ſimiliter atque hoc Pſalmo tranſlatum eſt, καὶ προσεύξεται περὶ σου.

Pſal. 71. v. 16. *Erit firmamentum in terra in ſummis montium*] Non eſt præmittenda & conjunctio, quæ ut ab omnibus penè MSS. noſtris tollitur, ità nec Græcè nec Hebraicè nec Chaldaicè legitur. Eſt autem Hebraicè יהי פסת בר בארץ בראש הרים, id quod Hieronymus tranſtulit, *Erit memorabile* [*memoriabile* 1 MS. *memoriale* 1 MS.] *triticum in terra in capite montium.* Alii quidam, *Erit multiplicatio*, ſeu *abundantia, frumenti in terra in vertice montium.* Alii iterum, *Erit particula*, aut *vola*, ſeu *palma, frumenti in terra in capite montium.* Alii rurſus, *Erit placenta frumenti in terra in capite montium.* Itaque conjicit Nicolaus à Lyra, & poſt eum alii nonnulli, corruptè in Vulg. Lat. editione ſcriptum eſſe *firmamentum*; ſcribendum verò *frumentum*: nempe, vocum ſimilitudinem erroris dediſſe occaſionem. Verùm cùm Græcè *firmamentum*, non *frumentum* legatur: non eſt doctis pleriſque ſcriptoribus ea conjectura veriſimilis. Non enim ex Hebræo, ſed ex Græco proximè educta eſt Latina noſtra tranſlatio. Igitur cùm conſtanter στήριγμα Græcè ſcribatur, conſentientibus Euthymio, Theodorito & Juſtino, Dial. con. Try. non eſt *frumentum* Latinè mutandum. Ut autem Græci tractatores Græcíque codices στήριγμα conſtanter legunt, ità Latini Enarratores Latiníque codices *firmamentum* concorditer habent, Tractatores, Arnobius, Hieronymus, Ruffinus, Auguſtinus, Caſſiodorus, Beda, Haymo, Remigius, & poſteriores codices, quos nos vidimus, poſt alios, omnes uno dempto, quem ex Trilingui collegio mutuò habemus, qui manifeſtè legit, *Erit frumentum in terra in ſummis montium.* Verùm cùm primùm is anno Domini 1432 ſcriptus ſit, ut in libri fine ſignatum eſt, vix dubium eſſe poteſt, ex Lyrani ſententia factam mutationem. Verterunt autem Lxxii στήριγμα, ſeu *firmamentum*, quòd vocem פְּסַת à פַּס, ut videtur, deduxerint; id quod Chaldæis, inter reliqua, *certum reddere, firmare, & fulcire*, ſignificat. Hinc & Chaldæus Paraph. (Joſephum Cæcum, ut aliàs ſemper, intelligo, ſeu R. Akilam, nam alii huic, alii illi, eam quæ exſtat Chaldaicam Pſalterii paraphraſim tribuunt) tranſtulit יהי מעיד לחסא בארעא בריש טוריא, *Erit fulciens*, ſeu *confortans, panis in terra in capite montium*: quod alii vertunt, *Erit ſubſtantificus panis*, &c. Cæterùm nec incommodè, nec præter modum loquendi Divinæ Scripturæ, *firmamentum*, quod habent Lxxii, pro *frumento*, quo nimirum ſuſtentatur hominis vita, & roborantur ac firmantur vires, accipiatur. Sic enim legimus Pſal. 104. 16. πᾶν στήριγμα [מטה] ἄρτου συνέτριψεν, *Omne firmamentum panis contrivit.* Rurſus Iſa. 3. 1. *Omne robur panis & omne robur aquæ*, ἰσχὺν ἄρτου καὶ ἰσχὺν [משען] ὕδατος. Non eſt igitur ab arcanis literis aliena interpretatio ſi *firmamentum* exponatur pro *frumento* ſeu *pane*: præſertim cùm ſit Hebraicè פסת בר *firmamentum frumenti.* Hoc autem modo Neotericorum complures exponunt: & ad Euchariſtiæ ter maximum ſacramentum referunt, non ſine magna veriſimilitudine. Nam & Judæorum antiqui Doctores de placenta quam Meſſias daturus, ejúſque ſacerdotes oblaturi eſſent, hunc interpretati ſunt locum. Sanè manifeſta eſt admodum in hanc ſententiam alterius Chaldæi Paraphraſtæ, Jonathæ filii Uzielis, tranſlatio, יהי קרבן דעבורא בארעא בריש טוריא בשכינתא, *Erit ſacrificium frumenti in terra in capite montium in Eccleſia.* Cùm hæc hujus, tum alia aliorum inter Hebræos veterum Magiſtrorum, verba Petrus Galatinus lib. 10. De arcanis Catholicæ veritatis capitibus 4, & 5. recitat, Veteres Chriſtianorum Tractatores, qui ſola ferè Lxx-duorum tralatione uſi ſunt, non mirum nihil hîc de ſacris myſteriis annotaſſe.

Pſal. 73. v. 19. *Nè tradas beſtiis animas confitentes tibi*] Exemplarium noſtrorum octodecim legunt, cum Romano Pſalterio & Joanne de Turre-cremata, *animas confitentes.* Quatuor, cum Romano Breviario & Ordinaria Gloſſa ac Brunone, *animas confitentium.* Duo, cum Remigio Antiſſiodorenſi, ut apparet, *animam confitentium.* Septem, cum Gallico Pſalterio, *animam confitentem.* His ſeptem conſentiunt nonnulli Lugdunenſium codices, quatuor Pariſienſium, quinque Hentenii, & antiqui Epanorthotæ. Suffragantur iſtis Græci libri, μὴ παραδῷς τοῖς θηρίοις ψυχὴν ἐξομολογουμένην σοι. Adſtipulantur Tractatores; Latini, Arnobius, Ruffinus, Auguſtinus, Richardus Pampolitanus, Hugo Cardinalis, & Dionyſius Carthuſianus; Græcus, Euthymius. Volunt Hebraica antigrapha אל תתן לחית נפש תורך. Vertunt autem Recentiores, *Nè tradas beſtiæ*, aut *cœtui*, hoſtium *animam turturis tuæ.* תור enim *turturem* ſignificat, ſicut Lev. 12. & aliis in locis. Et planè ab hac Hebraica Latina vox *Turtur* per congeminationem deducta videtur. Chaldæus Paraph. tranſtulit, *Nè tradas populis, qui ſimiles ſunt beſtiæ ſylveſtri, animam diſcentium legem tuam.* Similiter Hieronymus, *Nè tradas beſtiis animam eruditam - in* [8 MS.] *lege tua.* תורה namque, quod notum eſt, *legem* ſignificat: itaque תורך pro תורתך acceperunt. Græci תודך legerunt, Daleth literam pro Reſch. Eſt autem תודך futurum quintæ conjugationis, à themate ידה, quod *confiteri, gratias agere, laudare* denotat. תודך i. *confitebitur tibi.* אל תל'ג'תודך, ſubaudito relativo, *Nè tradas beſtiis animam quæ confitebitur tibi*: accepto autem futuro pro præſenti, ut aliàs ſit non rarò, eſt *animam confitentem tibi.* Faciunt itaque & Hebræa, ut diximus, pro quarta lectione: quanquam idem ſit omnium illarum lectionum ſenſus: ſingularia enim pro pluralibus poſita ſunt.

Pſal. 75. v. 12. *Omnes qui in circuitu ejus affertis munera*] Latinorum codicum plerique *affertis* legunt: cui ſimile eſt quod nonnulli, cum Caſſiodoro, habent *offertis.* Alii quidam *afferent* ſcribunt, antiqui Epanorthotæ, & Brugenſis ex noſtris, cum exemplarium Lobienſis & Stapulenſis Gallico Pſalterio. Gallicum, Tornacenſis & Brunonis Herbipolenſis textus *offerent* habent. Gloſſa interlinearis aliàs *afferent* vel *offerent* legi notat. D. Haymo, *Alia*, inquit, *litera habet, Qui in circuitu ejus ſunt, munera afferent.* Auguſtinus legit *offerent*; Beda, Remigius &

& Bruno *afferent*. Græcè eſt πάντες οἱ κύκλῳ αὐτοῦ οἴσουσι δῶρα, *Omnes qui in circuitu ejus, ferent munera*: quæ & Euthymii eſt lectio, & Theodoriti, ſi commentarius diſcutiatur. Hebraicè ſimiliter eſt, *Omnes circuitus ejus* יוֹבִילוּ *adducent munus*; quin & Chaldaicè, *Omnes qui habitant circum circa ſanctuarium ejus* יַיתוֹן *venire facient*, ſeu *adducent*, *ſacrificium*. Videtur itaque germana lectio, *afferent* vel *offerent*. Mutant quidem nonnulli ex Hebræo Interpretes perſonam tertiam cum ſecunda; ſed imperativi, non indicativi modi, ut ſit poſterior verſûs iſtius pars priori conſimilis: *Vovete & reddite Domino Deo veſtro: omnes qui in circuitu ejus eſtis, afferte munus*. Sententia eſt expoſitorum quorundam, ex Romano Pſalterio hanc accidiſſe corruptelam, perſonam nempe futuri tertiam in ſecundam præſentis tranſmutatam: & certè exemplaria, Lobienſe, Tornacenſe, Stapulenſe, concorditer Romano Pſalterio ſecundam præſentis, Gallico tertiam futuri attribuunt. Utrùm autem *offerendi* an *afferendi* vocabulum legamus, parùm quidem intereſt: veruntamen *afferendi* vocabulum præponendum videtur; tum quòd eo plerique omnes codices utantur, tum quòd voces, Græca atque Hebræa, hoc magìs ex ſe denotent; quanquam non malè, nec præter loci commoditatem, *offerre* tranſferantur. Patebit autem hujus quæ probanda videtur lectionis, *Omnes qui in circuitu ejus afferent munera*, ſenſus, ſi fiat poſt *ejus* commatis diſtinctio: ſubaudiendum eſt enim verbũ *ſunt*; id quod Antiſtitum Hipponenſis & Herbipolenſis lectio exprimit, *Omnes qui in circuitu ejus ſunt, offerent munus*. Sed & Goticum MS. id exprimit: verùm, quod tolerandum non eſt, cum ſecunda perſona *offertis*.

Pſal. 88. v. 40. *Avertiſti teſtamentum ſervi tui*] Multorum codicum lectio eſt *Avertiſti*: cui Caſſiodorus auxiliatur, *Avertiſti*, inquit, *teſtamentum*, *i. in aliam partem tranſtuliſti*, *ut quod Judæis fuerat promiſſum*, *ad utilitatem gentium utique perveniret*. Alii, *Evertiſti* legunt; quinque Hentenii, 3. Pariſienſium, 4. noſtri. Huic Auguſtinus, Beda, Haymo, Remigius & Bruno volunt. *Ubi eſt enim*, inquit Auguſtinus, *Teſtamentum vetus Judæorum? ubi eſt terra illa promiſſionis, in qua habitantes peccaverunt, quâ delictâ migraverunt? Regnum Judæorum quæris? non eſt. Altare Judæorum quæris? non eſt*, &c. *Evertiſti teſtamentum ſervi tui*. Græcè eſt, κατέσχεψας τὴν διαθήκην τοῦ δούλου σου· καταισχύνων *finem rei imponens*, & *vaſtare* ac *ſubvertere* denotat. Hinc Euthymius exponit locum, *Irritaſti promiſſionem quam ei feciſti*. Theodoritus explicat, *Evertiſti autem hujus regnum: nam teſtamentum regnum vocat. Sanè captivi abducti fuerunt bini Davidis poſteri Jechonias & Sedechias: in his verò Davidis regnum deſiit*. Hæc ille. Alia eſt vox paulò poſt, v. 44. ubi legitur, *Avertiſti adjutorium gladii ejus*. Hebraicam vocem נארתה [Ἀπέστρεψας. נארת 2 MS.] Symmachus vertit, *Exſecratus es*; S. Hieronymus, *Attenuaſti*; Felix, *Devaſtaſti*; quidam, *Aboleviſti*; Alius, *Abjeciſti*. Sequitur ברית עבדך *pactum ſervi tui*. Chaldæus tranſtulit אשנייחא *mutaſti pactum quod habebas cum ſervo tuo*. In Onomaſtico docet ex Camhio Pagninus, vocem נאר ſignificare, *à corde projicere*: vbi & locum hunc interpretatur, *Projeciſti à corde pactum ſervi tui*: id autem priori lectioni ſervire poſſit, *Avertiſti*, ab oculis, à corde, *teſtamentum ſervi tui*. Sed D. Lindanus & D. Janſenius emendandum judicarunt, *Evertiſti teſtamentum ſervi tui*.

Pſal. 93. v. 15. *Quoadusque juſtitia convertatur in judicium*] Sic noſtra legunt Latina MSS. cum Græcis codicibus, & Græcis Latiniſque Tractatoribus. Græci codices ad hunc habent modum, ἕως ἡ δικαιοσύνη ὑποστρέψει [ὑποστρέψῃ] εἰς κρίσιν. Antiqua verò Correctoris Latina exemplaria ſcribunt, *Quoadusque in juſtitiam convertatur judicium*. Quo modo & Lugdunenſia Biblia quibuſdam legi ſignant. Atque iſtam Hebræis libris conformem judicat Epanorthotes lectionem: eſt enim Hebraicè, כי עד צדק ישוב משפט, quod eſt, *Quia uſque ad juſtitiam convertetur judicium*. Ad eundem modum Chaldaicè legitur, ארום עד צדקתא יתוב דינא. Sed videri poſſit Lxxii כι עד pro ἕως ἧ ſeu *quoadusque* accepiſſe: & in voce משפט, quæ *judicium* denotat, præpoſitionem ſubaudiviſſe.

Quod ſequitur, *Et qui juxta illam, omnes qui recto ſunt corde*, rurſus notat Epanorthotes, ex antiquis codicibus, *Et qui juxta illa* legendum. Iterum Lugdunenſes ſic aliàs legi indicant. *ILLA autem*, *videlicet* (Corrector ait) *juſtitiam & judicium*. Porrò ut in Latinis noſtris antigraphis duntaxat *illam* invenimus, ità in Græcis, Hebraicis & Chaldaicis libris Latiniſque ac Græcis Enarratoribus, non niſi ſingularis numeri pronomen legimus. Arnobius legit, *Et qui tenent eam, omnes qui recto ſunt corde*: quæ & Caſſiodori ac noſtrorum Romani Pſalterii exemplarium lectio eſt. Auguſtinus habet, *Et qui habent eam: omnes recto ſunt corde*. In Græcis libris eſt, καὶ ἐγγὺς αὐτῆς, πάντες οἱ εὐθεῖς τῇ καρδίᾳ, *Et propinqui ejus* (ſive *judicii*, ſive *juſtitiæ*: nam utrumque Græcis feminei eſt generis) *omnes recti corde*. In Hebraicis ואחריו כל ישרי לב, quod eſt, *Et poſt ipſum* (vel *ipſam*) *omnes recti corde*: quæ & Aquilæ ac Theodotionis, Theodoreto teſte, tranſlatio eſt. In Chaldaicis ומתרוי יתפרקון כל חריצי לבא, *Et poſt ipſum redimentur omnes recti corde*. Ex illis autem fontium lectionibus liquet, quæ Latinè leguntur, potiùs abſque interrogatione legenda intelligendáque, quo modo in MSS. pleriſque ſcribuntur: unum verò, B. notatum, habet, *Et qui juxta illam, omnes recti corde*. At clariùs multò, utroque *qui* omiſſo, legatur, *Et juxta illam, omnes recti corde*.

Verſum iſtum 15 Pſalmi 93 Hieronymus ex Hebræo ad hunc modum tranſtulit, *Quoniam - uſque* [6 MSS.] *ad juſtitiam revertetur judicium: & ſequentur illud omnes recti corde*. Cujus hanc dedit Joannes Campenſis paraphraſim, *Futurum eſt enim ut juſtitia conjungatur cum judicio, & judices quod juſtum eſt judicent, ſequanturque illud univerſi qui integro ſunt animo*. Latinæ Græcæque lectionis iſtam D. Janſenius paraphraſim ſcripſit, *Quouſque tandem id eveniat, quod certò futurum eſt, nempe ut juſtitia Dei, poſt aliquam diſſimulationem, procedat ad judicandum pro populo ſuo, eúmque liberet impiis condemnatis? ac tum quidem omnes qui recto ſunt corde, propinqui erunt juſtitiæ Divinæ, eámque ſequentur, approbantes atque amplexantes eam: cùm e contrario impii Dei juſtitiam averſabuntur & exſecrabuntur*.

Pſal. 93. v. 20. *Qui fingis laborem in præcepto*] Duplex eſt hâc viceſimi verſûs parte varietas; Prior, quòd quidam *fingit* legant, quod alii *fingis* ſcribunt; poſterior, quòd alii codices *laborem*, alii *dolorem* habeant: *Fingis* legunt plerique libri; *fingit* verò habent manuſcriptum Societatis Jeſu rubrum, & D. Hieronymo adſcriptus commentarius. S. Auguſtinus, cum poſterioribus Enarratoribus, *fingis* legit: Arnobius autem *fingit* exponit. Græcis & Hebræis ſunt participia, πλάσσων, יצר (*fingens* ſeu *formans*) quæ exponi poſſunt utroque modo, & *qui fingis* & *qui fingit*. Græci autores, Apollinaris, Theodoritus atque Euthymius *qui fingit* intellexere. Hebraicus quidam Scholiaſtes *ut fingas* tranſtulit: plerique verò *qui fingit* intelligunt. Chaldaica paraphraſis eſt, בריית ליעות החעתד עלי קיים: ſic enim in Nebienſi editione ſcripta eſt, verſáque Latinè, *Qui creaſti laborem in præcepto*: id quod alii ſecuti ſunt. Sed ubi quæſo τὸ החעתד remanſit, ut Latinè non ſit redditum? Longè integriùs cùm ſcripta tum verſa eſt Chaldaica paraphraſis in Regia editione, בריח ליעות היתעתד עלי קים, *Figmentum pravitatis num ſtabit in ſtatuto?* Hieronymi verſio, ſicut fons ipſe, ambigua eſt, *Numquid particeps erit tui throni inſidiarum, fingens laborem* [*dolorem* 2 MS.] *in præcepto?* Videtur autem potius perſona tertia intelligenda, ità ut ad *ſedem*, ſeu *thronum*, *iniquitatis* referatur. Verùm *qui* maſc. generis relativum non facilè patitur *fingit* in editione noſtra legi, niſi iniquum judicem, qui per *iniquitatis ſedem* deſignatur,

designatur, subaudias. In scripto quodam textu invenimus, *& qui fingit*, additâ ad hujus incommodi evitationem conjunctione. Apud Haymonem depravatè legi existimo *figis* pro *fingis*. *Laborem* legunt complures libri; 22 ex nostris. *Dolorem* non pauci; novem nostri, quatuor Hentenii, tres Parisiensium, & antiqui Epanorthotæ. Utriusquè meminit P. Lombardus, & Bruno ac Ludolphus Carthusiani. Hebræa vox עמל magis *laborem* denotat: attamen utroque modo vertitur. D. Hieronymus, Psal.24.18. *laborem*, Psal.54.11. *dolorem* reddidit. Hoc autem loco etiam ipsius exemplaria variant. Lxxii hoc loco κόπον, Psal.7. v. 15, & 17. (quibus Latinè *doloris* vocabulum est) interpretati sunt πόνον. Πόνος & *laborem & dolorem* significat: κόπος verò *laborem* quidem magis propriè designat; sed tamen facilè utrumque admittit. Quamobrem ad statuendam hujus loci germanam lectionem, attendenda non postremo est loco probatiorum exemplarium Latinorum fides. De ea verò ex nostris exemplaribus id præsertim comperi, Brugensem & antiquos Epanorthotæ codices, quos maximi facio, *dolorem* legere. Parisienses ex suis MSS. Ge.1.ar. & Di.o. *dolorem* emendarunt. Verùm exemplaria nostra, Lobiense, Tornacense & Stapulense, *dolorem* Romano, *laborem* Gallico Psalterio attribuunt. Arnobii commentarius utrumque agnoscit. Augustini *dolorem* legit, & de labore non pauca disserit. Fortè quòd hæc conjuncta sint admodum. Hieronymus & Remigius *laborem* duntaxat habent: quæ & posteriorum ferè Enarratorum est lectio; quanquam Richardus Pampolitanus *dolorem* potiùs legisse videatur.

Psal.95.v.10. *Etenim correxit orbem terræ.*] Quidam codices *orbem terræ*, quidam *orbem* duntaxat legunt. Hebræis est תבל, Græcis οἰκουμένη, ea quæ vel *orbem*, vel *orbem terræ*, pro arbitrio, Interpretes transferunt: quanquam addatur eis nonnunquam vox *terræ*. Quapropter non tam ex prototypis quàm ex ipsius tralationis nostræ exemplaribus genuina lectio colligenda est. Et quidem plura sunt exemplaria quæ *orbem terræ* scribant: sed antiquiora & emendatiora tantummodo *orbem* habent, Brugense, Malmundariense, P. nonnulla Lugdunensium, & antiqua Epanorthotæ. Lobiense & Tornacense castigatissima manuscripta, in quorum illo triplex, hoc quadruplex distinctum est Psalterium, Gallico demunt, Romano addunt *terræ*. Fortè igitur ex Romano, aut veteri Psalterio cui Romanum est conforme, plerumque mutuatum est. A veteribus enim Tractatoribus ferè legitur, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Cassiodoro.

Psal.101.v.10. *Et potum meum cum fletu miscebam.*] Latinorum MSS. alia *potum*, alia *poculum* habent: 22 nostra illo; quatuor, cum multis impressis libris, hoc scribunt modo. D. Augustinus *potum*, S. Hieronymus *poculum*, legit. Hebraicis codicibus est עשקי, id quod *potum* constanter interpretantur. Græcis libris, ex quibus nostra ducta est versio, est πόμα· id quod ad *poculum* & *potum* ambiguum est. Utro igitur modo Interpres noster verterit, ex versionis ejus quærendum est exemplaribus. Superant autem numero quæ *potum* legunt; verùm an & integritate, est cur dubitem. Nam & Brunonis Herbipolensis Episcopi Psalterium & Wilhelmi Ruræmondensis *poculum* habent. Insuper Brugense antigraphum *populum* legit, quod haud dubiè *poculum* est. Subrepsit diligentissimo & fidelissimo scriptori quædam, ut fit, inconsideratio. Ad hæc exemplaria, Lobiense, Tornacense & Stapulense, quibus columnis pluribus diversa distincta sunt Psalteria, Romano *potum*, Gallico, quod nostræ est editionis, *poculum* adscribunt. Denique posteriores inter Latinos Enarratores, qui nostram secuti sunt editionem, ferè *poculum* legunt, Gregorius, Haymo, Remigius, Bruno, Ludolphus, Lyranus, Carensis, Pelbartus, Richelius, Pastura. Et quidem, sive *potum* legamus sive *poculum*, idem unum significatur: sed quærenda est ipsa nostri Interpretis scriptura.

Psal.101.v.19. *Scribantur hæc in generatione altera.*] Epanorthotæ antiqui codices singulari numero *scribatur* legunt: id quod Græcis, Hebraicis & Chaldaicis libris consentaneum est. Hoc autem Chaldæa paraphrasis, ut in Venetiana & Nebiensi est editione, ad orationem de qua antecedit, *Respexit in orationem humilium, & non sprevit precem eorum*, refert: sic enim habet Venetiana editio, תתכתיב צלותא דא לדר בתראי, id quod minùs rectè in Nebiensi scriptum est תתכתב צלותהון דין בדר בתראי, *Scribatur oratio* eorum *hæc in generationem ultimorum*. In Regiæ editionis Chaldaico textu nulli *orationis* est mentio; תתכתב דא לדר בתראי, *Scribatur hæc in generationem novissimam*. Eodèm, ad *orationem*, inquam, Euthymius, Græcus autor retulit. Existimarim ego cum aliis Hebraicè, atque ex Hebræo Græcè & Latinè, *Scribatur hæc* legi, pro *Scribatur hoc*. Solent enim Hebræi & Chaldæi feminino genere ad substantivandum uti, ut Græci & Latini neutro. Itaque *Scribatur hæc* nihil aut parùm differt à *Scribantur hæc*, quæ Latinorum codicum & Enarratorum, quos vidimus nos, lectio est (quanquam quid ex Cassiodoro atque Haymone colligi debeat ignorem.) Eam verò aliam esse literam Epanorthotes affirmat.

Rursus Epanorthotæ codices quarto casu *generationem alteram* scribunt: quibus conformes sunt duo nostri, unus ex D. Donatiani Brugensi Bibliotheca, alter ex D. Petri Lobiensi Abbatia. Consonant duo Parisiensium antigrapha (Ge.ar.Di.o.) nonnulla Lugdunensium, & D. Lindani Psalterium. Ad eundem modum, inter Tractatores, manifestè S. Augustinus & V. Beda habent. Est autem hæc horum lectio Græcæ lectioni consimilis εἰς γενεὰν ἑτέραν, & Hebraicæ bellè conveniens, לדר אחרון, id quod vertunt *Generationi novissimæ*, aut *In generationem novissimam*. Hujusmodi & Hieronymi translatio est, si emendatiora sequamur manuscripta, *Scribatur hoc in generationem novissimam*. Quanquam alteram lectionem, *in generatione altera*, non tam Hebraica verba quàm eorum sensus, quem præsens exigere videtur locus, improbet. Porrò & eam eodem nonnulli sensu interpretantur, ut sit pro casu casus positus, aut *in* pro *ad* vel *pro*.

Psal. 103. v. 15. *Ut* [*Et* o.] *educas panem de terra.*] Plerique codices scribunt secundâ personâ, *educas*; quidam tertiâ, *educat*, unus Parisiensium, unus Hentenii. Ex Hebræo & Græco utrumque legi potest. לְהוֹצִיא, τοῦ ἐξαγαγεῖν, ad verbum reddas *ad educendum*. Ex Latinis verò codicibus (Vet. Ge.ar.) & Tractatoribus genuina nostræ editionis lectio colligi haud difficulter potest. Romani namque Psalterii nostra exemplaria *educat* unanimiter scribunt, & præcedentia ferè, quæ Græcè atque Hebraicè ambigua sunt, si non ambiguè, tertiâ similiter personâ efferunt. Vulgatæ verò editionis quotquot habemus antigrapha, *educas* uno consensu legunt: & quæ præcedunt, vel ambiguè, vel ad eundem modum, in secunda persona (uno duntaxat atque altero uno in loco discrepante) ponunt. Priores inter Latinos Tractatores *educat*, & cætera in eadem explicant persona, Arnobius, Augustinus, Prosper, Cassiodorus. Posteriores *educas*, & alia ferè ad similem modum. Videtur igitur nostræ editionis germana lectio *educas*; altera verò Romani aut Veteris Psalterii scriptura. De hac varietate ad Suniam & Fretelam Hieronymus, *Ut educas panem de terra*] *Pro quo invenisse vos dicitis* ut educat. *Sed non potest aliud ad ipsum, aliud ad alium de seipso* [*ipso* 1 MS.] *dici. Aut omnia quasi ad Deum loquebatur propheta, aut omnia ad alium de se referebat. Cùm autem pleraque ad ipsum dirigantur, & ea quæ ambigua sunt ad ipsius personam dirigenda sunt.* Hæc Hieronymus. Mirum itaque est ab eodem ipso *educat* ex Hebræo versum: universa namque quæ habemus, cùm scripta tum excusa Hieronymianæ interpretationis exemplaria, *educat* legunt. Et unum quidem, quod ab aliis libenter dissentit, cùm hunc tum præcedentia loca tertiâ scribit personâ: reliqua verò, præcedentia secundâ personâ efferunt; hunc unum tertiâ.

Alium

Alium fortaſſe, cùm vertendis ex Hebræo Pſalmis occuparetur, vidit hujus loci Hieronymus ſenſum, qui tertiam exigeret perſonam. Atque ità nonnulli noſtræ ætatis Interpretes tranſtulerunt, nimirum cætera antecedentia ſecundâ perſonâ, hoc tertiâ; *Ut educat panem de terra.* Non enim ad Deum, ſed ad hominem iſtud referunt, de quo antecedit, *Et herbam ſervituti hominis.* Flaminii verſio eſt, *Tu producis gramen jumentis, & herbam homine cultum adhibente, ut educat panem è terra, & vinum* (quod) *lætificat cor hominis.* Sed & alii plerique, qui etiam ea quæ antecedunt perſonâ tertiâ interpretati ſunt, eodèm retuliſſe videntur, quòd hanc partem ferè præcedenti adjungant verſui. Nihil autem mirum Interpretes ad hunc modum in ambiguis variare, cùm in iis quæ certa ſunt frequens ſit perſonæ mutatio. Verſu 4. dicitur, *faciens* [*Qui facit.* Sic ex Latinis noſtræ editionis exemplaribus tria legunt (quod in hoc verſu eſt peculiare) & conſequenter eorum duo *ſuos* non *tuos*; quod quidem Hebræo præſertim conforme eſt: ſed Hieronymo, in his quæ ad Suniam ſcripſit, parùm placet.] *Angelos ſuos ſpiritus, miniſtros ſuos ignem urentem:* poſt paululum autem, v. 7. *Ab increpatione tua fugient: à voce tonitrui tui formidabunt.* Rurſus, v. 13. *Rigans montes de ſuperioribus ſuis* (ubi pro *ſuis* nonnulli corruptè ſcripſerunt *tuis*) *de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.* Iterum poſtea, v. 19, 20. *Fecit Lunam in tempora, Sol cognovit occaſum ſuum. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox.*

Pſal. 103. v. 25. *Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus,*] Nonnulli Latini codices, Græcis ſimiliter, omittunt *manibus:* ſed ii ferè editionis noſtræ non ſunt; Goticus & Regius, qui in Bibliorum margine notati ſunt. Goticus Romani Pſalterii exemplar eſt, ac proinde aliis ejuſdem Pſalterii exemplaribus, & Caſſiodoro, qui Romano Pſalterio videtur uſus, conforme. Regius Græco textui accommodatus eſt. Ex Gotico D. Lindani Pſalterium, veriſimile eſt, mutatum. Ut autem aliàs plerumque, ità & nunc, veteri, Proſperi, Auguſtini, Hilarii in Pſal. 51. atque Arnobii Pſalterio Romanum conſonat. Hujuſce generis haud dubium eſt fuiſſe exemplaria quæ Varlenius vidit. Noſtræ enim editionis, quotquot habemus libri, cum poſterioribus Enarratoribus quos hâc uſos conſtat editione, *manibus* addunt: & quatuor quidem antiqui libri aſteriſco *manibus* notant, qui indicio eſt hanc vocem ab Hieronymo ex Hebræo additam. Atque hoc ipſe teſtatur Hieronymus ad Suniam hunc in modum ſcribens, *Dicit in Græco* manibus *non haberi, & ego novi,* ἄυτη ἡ θάλασσα ἡ μεγάλη καὶ εὐρύχωρος, i. *hoc mare magnum & ſpatioſum. Sed ex Hebraica & Theodotionis editione, in 70 ſub aſteriſco additum eſt. Denique & in Hebræo ità ſcriptum eſt,* זה הים גדול ורחב ידים: *quod Aquila ſic interpretatus eſt,* εὐρύχωρος χερσὶν, *& omnes interpretes.* Hactenus Hieronymus. Quod eſt Hebraicè רחב ידים, Hieronymus tranſtulit *latum manibus,* Chaldæus *latum terminis,* nonnulli *latum ſpatiis,* alii *latum locis.* Hæc enim univerſa ידים ſignificat. Lxii ſenes tranſtulerunt εὐρύχωρος, quæ vox per ſe ſola plenè videtur exprimere quod duabus Hebraicè ſignificatur: eſt enim unum nomen è duobus, ex εὐρὺς, quod *latum*, & χώρα, quod *regionem* & *locum* denotat. Itaque εὐρύχωρος quaſi εὐρὺς χώρα *latus loco.* Atque ità etiam Latinè, non addito *manuum* vocabulo, plenè exprimitur quod eſt Hebraicè. *Spatioſum* enim eſt, amplum ſpatiis, ſeu latum locis. Sed Hieronymus, qui τὰ *manibus*, quod Hebræa vox ידים propriè ſignificat, Latinæ editioni addidit, & Aquila, qui εὐρύχωρος χερσὶν interpretatus eſt, Hebraicam quandam proprietatem, poeticæ fictioni ſimilem, ampliùs hoc loco intellexere; nempe mari manus attributas, eò quòd quaſi expanſas manus habeat, & in ſe cuncta ſuſcipiat. Corruptè autem, quod & Pelbartus annotavit, quidam pro *manibus, navibus* legunt.

Pſal. 104. v. 18. *Ferrum pertranſiit animam ejus*] Sic multi libri, cum multis Tractatoribus. Alii verò non pauci libri ſcribunt, *ferrum pertranſiit anima ejus*; novem noſtri, iſque ferè emendatiores, cum duobus Romani Pſalterii antigraphis, nonnulli Lugdunenſium, & antiqui Epanorthotæ. Atq; hæc Hieronymi fuiſſe videtur lectio, quantum quidem ex commentariis colligi poteſt. *Ferrum*, inquit, *ipſum dicit peccatum, quod occidit animam.* Utique autem non peccatum Joſephi animam, ſed Joſephi anima peccatum pertranſivit. Superavit enim heræ ſæpius ad concubitum invitantis blanditias. Caſſiodorus hoc (id quod textus habet) an illud legerit, colligere non ſatis poſſum. Utriuſque P. Lombardus, Hugo Cardinalis & Ordinaria Gloſſa meminerunt. Eſt autem poſterior Græcis codicibus conſentanea. σίδηρον, habent, διῆλθεν ἡ ψυχὴ αὐτῆς, quæ & Euthymii fuit lectio. Hebraicè eſt ברזל באה נפשו, id quod utroque modo interpretatum invenio. Chaldæa paraphraſis, ut in Regia eſt editione, eſt, בשיר דפרזלא עלת נפשה, *In catenam ferream intravit anima ejus.* Ut autè in Veneta & Nebienſi, שיר דפרזל עלת בנפשיה, *Catena ferrea intravit in animam ejus.* Felix Pratenſis pro textu interpretatus eſt, *In ferrum ingreſſa eſt anima ejus*; ad marginem autem poſuit, *Ferrum ingreſſum eſt in corpore, vel, in anima ejus.* Symmachus, Theodorito teſte, dixit, *In ferrum pertranſiit anima ejus.* Simili modo D. Hieronymus, & poſt eum Vatablus & Flaminius tranſtulerunt, *In ferrum venit anima ejus* (additur *in* præpoſitio.) Ità vertit Hieronymus, ſi octo noſtris exemplaribus, & Epanorthotæ, ac pleriſq; noſtræ ætatis ſcriptoribus creditur. Unum recentius MS. Hunnæi O, legit, *Ferrum venit in animam ejus.* Familiare huic exemplari eſt, in Pſalmis ab aliis omnibus diſcrepare. Alii, inter quos Pagninus, *Ferrum ingreſſum eſt animam ejus. Nam*, Pagninus ait, *anima affligitur afflicto corpore.* Et hæc quidem interpretatio verborum ſitui conveniens eſt: ſed feminei generis verbum BAAH, NEPHESCH potiùs, i. *anima*, optare videtur ſuppoſitū, quàm BARZEL, quod eſt *ferrum*. *Nephesch* enim feminei generis eſſe conſtat; *barzel* verò maſculino genere, non feminino, extra præſentem locum, invenio. Atque hac, quod veriſimile eſt, ratione moti Lxii, Hieronymus & alii, vertunt, *Ferrum pertranſiit anima ejus*, aut ſimilem ad modum, cujus ſenſus eſt, Ipſe in ferrea vincula conjectus eſt: vel Vitam egit in vinculis ferreis.

Pſal. 104. v. 30. M. N. Auguſtini Hunnæi duo manuſcripta, G & R, cum nonnullis aliorum libris, legunt, *Et dedit terram eorum ranas*: ea quæ D. Auguſtini eſt lectio, *Et dedit terrā eorum ranas in penetralibus Regum ipſorum. Tanquam diceret*, inquit, *terram eorum convertit in ranas: tanta enim erat ranarum multitudo, ut hoc per* ὑπερβολὴν *convenienter diceretur.* Auguſtinū Proſper ſecutus eſt. Alia noſtra complura manuſcripta cum Hentenii 13 habent, *Et dedit terra eorum ranas.* Rurſus alia non pauca, eáque integritate ſpectatiora, cum Joanne de Paſtura, *Edidit terra eorum ranas.* Atq; hæc Græcis & Hebraicis libris conveniunt. Non enim Græcè & Hebraicè (idē eſt de Chaldæo judicium) conjunctio legitur: ſed à verbo inchoatur oratio, eóque hujuſmodi, quod *edidit, ebullivit*, vel *produxit*, conſtanter interpretantur; ἐξήνεγκεν ἡ γῆ αὐτῶν βατράχους. שרץ ארצם צפרדעים. ἐξήνεγκεν non tántùm *edere*, ſed *reptilia edere* ſignificat, id quod reptili ranarum naturæ apprimè convenit. שרץ *in multitudine gignere* vel *producere* denotat: quod & ipſum loco aptiſſimè congruit. Hæc igitur poſtrema manuſcripta meritò ſequenda ſunt. Eandem lectionem clariſſimi noſtri Belgii Scriptores, Titelmannus, Lindanus & Janſenius, probant. Ejuſdem ſententiæ eſt Epanorthotes: *Non eſt ibi*, ait, & dedit, *ſed edidit, ſecundùm Hebraum, & antiquos, & Hieronymum, & Græcum.* Poſtremò Hieronymus, rem univerſam conficiens, in epiſtola de Pſalmorum correctione teſtatur hanc fuiſſe antiquam interpretationem, eámque à ſe relictam. *Edidit terra eorum ranas. Pro quo in Græco* ἐξήνεγκεν [ἐξήνεγκαν noſtra exemplaria cum Euthymio] ἡ γῆ αὐτῶν βατράχους *vos legiſſe dicitis, quod poteſt ità interpretari*, Ebullivit terra eorum ranas. *Sed & in hoc nulla eſt in ſenſu mutatio, & nos antiquam interpretationem ſequentes, quòd non oportebat, mutare noluimus.*

Psal. 105. v. 38. Latinorum codicum quidam habent, *Et infecta est terra in sanguinibus.* Alii, *Et interfecta est terra in sanguinibus.* Inter Expositores Nicolaus Lyranus & Petrus Herentalensis *infecta* legunt; Arnobius, Prosper & Cassiodorus *interfecta*: Augustinus, *Putaremus*, inquit, *hîc scriptoris errorem esse, atque eum diceremus pro eo quod est* infecta, *fecisse* interfecta, *nisi haberemus beneficium Dei, qui Scripturas suas in multis linguis esse voluit, atque ità esse scriptum,* Interfecta est terra in sanguinibus, *inspectis Græcis codicibus videremus.* Sic S. Doctor Augustinus. Καὶ ἐφονοκλονήθη ἡ γῆ ἐν τοῖς αἵμασι est Græcè, φονοκλονῶν *interficere* denotat, quamobrem verisimile est *interfecta* Interpretem transtulisse. Neque id videtur ab Hieronymo veteris editionis castigatore in *infecta* mutatum, cùm, ut plerique, ità & integerrimi quique eorum librorum quos ex Hieronymi emendatione habemus, *interfecta* legant. Nos id sanè in nostris exemplaribus animadvertimus. Sed & Epanorthotes & Reverendissimus Lindanus hoc ipsum in suis codicibus observasse videntur: hic enim legit, ille legendum docet *interfecta.* Complures etiam posteriorum Enarratorum ad hunc legunt modum; Haymo, Beda, Remigius, Turre-cremata, Ludolphus, Bruno, Pampolitanus, Carensis, Richelius, Pastura. Intelligunt autem istud, post Augustinum, per metonymiam, de terræ habitatoribus, qui interfecerunt trucidarúntque animas suas, effundendo idolísque offerendo sanguinem filiorum & filiarum suarum. Cæterùm & de terra ipsa non malè intelligatur: fit enim populi peccatis terra sterilis, & quasi est mortua, quæ non parit quos solita est fructus. Hæc igitur nostræ editionis germana videtur lectio, *Et interfecta est terra in sanguinibus.*

Porrò vox Græca ἐφονοκλονήθη non minùs rectè transferatur *infecta*: nam quanquam φονοκλονῶν *interficere* denotet, nonnunquam tamen pro *inficere*, ídque cæde præsertim, ponitur. Exemplum est Num. 35. 33. χὴ ὃ μὴ φονοκλονήσητε ὑμεῖς γῆν, ἐφ' ἧς ὑμεῖς κατοικεῖτε ἐπ' αὐτῆς· τὸ γὰρ αἷμα τοῦτο φονοκλονεῖ τὴν γῆν, *Et nè polluatis terram in qua habitatis: hic enim sanguis terram polluit.* Multi itaque ex Græco Interpretes vertunt, *Et infecta est terra in sanguinibus.* Quin & Euthymius Græcus Enarrator id notare videtur, ἐφονοκλονήθη hoc in loco idem esse quod *cæde infecta.* Videtur, inquam; nam ambigere nonnihil facit versio. Denique Græcus Poeta Apollinaris hoc istud modo accepisse videtur: sic namque canit,

Αἵματι δ' ἐλλυμένων ἐρυθαίνετο πάντοθεν αἶα,
Sanguine casorum rubefacta est undique terra.

Ex Hebræo nostræ ætatis Interpretes *infecta* seu *polluta* constanter transferunt. Chaldæus Paraph. similiter, ואטנפת ארעה בחובין דקטול, quod est, & *maculata est terra peccatis homicidii.* D. Hieronymi quædam exemplaria legunt, *Et polluta* [*contaminata* o.] *est terra* * *sanguinibus* [* *in.* 1 MS. R.] quædam, *Et adulterata est terra per sanguinem:* illo nostra pleraque, hoc modo, cum Epanorthote, Lobiensis cœnobii antigraphum, tametsi & alteram annotet lectionem. *Adulterata* autem potiùs ex תנאף esse videtur quàm ex eo quod nos habemus חנף: quanquam חנף etiam *impiè agere* significet: unde in Lexico Pagninus, *Et impiè egit terra in sanguinibus,* exponit. Illo Numerorum loco eadem est vox חנף, quam eo loci Latinus Interpres *polluere* & *maculare* transtulit; *Nè polluatis terram habitationis vestræ, qua insontium cruore maculatur:* sed & alibi similiter interpretatus est. Rectè igitur, & juxta Græcos, & juxta Hebraicos libros legatur, *Et infecta est terra in sanguinibus*; quomodo tria Romani Psalterii antigrapha concorditer legunt. Verùm, ut diximus, videtur (salvo judicio meliori: nam diversas legimus hac de re diversorum sententias) nostræ editionis genuina lectio, *Et interfecta est terra in sanguinibus.* Porrò ut Græca vox ἐφονοκλονήθη pro *cædibus infecta* potest accipi, sic & Latina, quæ ex ea translata est, pro *interfectionibus maculata* accipi possit.

Isaiæ 24. 5. eadem est in nostra editione lectionis varietas. Quidam typis excusorum codicum habent, *Et terra infecta est ab habitatoribus suis.* Quidam, cum plerisque omnibus MSS. nostris, *Et terra interfecta est ab habitatoribus suis*: atque est Hebraicè vox eadem חנף, quam eo loci Chaldæus & Lxxii reddiderunt *peccavit* seu *impiè egit.*

Psal. 106. v. 8, 15, 21, 31. Quater hoc Psalmo repetitur ἐυχαριστικὸν istud carmen, *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum:* & hoc quidem modo à plerisque nostris codicibus scribitur: sed antiquis Epanorthotæ, *Confiteantur* est *Domino misericordiæ ejus.* Similiter nonnulla Lugdunensium antigrapha legunt: & ex nostris, Brugense manuscriptum, in quo, posterioribus locis, monophthongus in diphthongum mutata conspicitur, *a* in *a.* D. Haymoni hæc primo semel loco lectio adscribitur, commentario non refragante, Lobiensis cœnobii codex *misericordia* legit in Romano Psalterio; Bessarionis, in Hieronymi tralatione. Monent autem Lugdunenses atque Epanorthotes sexti casûs esse *misericordiâ*, ut nimirum sensus sit, Laudes dicant & gratias Domino in, seu de, misericordia ejus. Et fortasse quia existimatum est *misericordia* primi casûs esse, mutatum est in *misericordia*, ut suppositum appositio responderet. Certè Hebraicè est singulari numero, *chasdo* יהוה חסדו ליהוה, id quod interpretari liceat vel sexto casu *misericordiâ, Gratias agant Domino* de *misericordia ejus*; vel quarto *misericordiam, Celebrent Domino misericordiam ejus.* Quidam, ut clarior fit sensus, præpositione additâ vertunt, *Confiteantur Domino propter misericordiam ejus.* Anglicanum Psalterium primo & tertio locis pro יודו, habet הודו, pro *confiteantur, confitemini*: sed id dissonat non tantùm ab aliis quæ habemus Hebraicis exemplaribus, verùm etiam ab Interpretibus tam primis quàm postremis. Sic ergo Hebraicè: sed Græcè, quod pro altera faciat lectione, multitudinis est numero, τὰ ἐλέη αὐτοῦ· ἐξομολογησάσθωσαν τῷ Κυρίῳ τὰ ἐλέη αὐτοῦ. Hoc autem transferre possimus & primo casu, *Confiteantur Domino misericordia ejus*, & quarto, *Confiteantur Domino misericordias ejus.* Quarto casu Euthymius Zygabonus intellexit, & quidam ex Græco Interpretes transtulerunt: atque is meliùs fortasse conveniat, quæ Jansenii est sententia: sed primum lego, ut in plerisque Latinis codicibus, ità & in plerisque Latinis tractatoribus. Quin etiam Augustinus in ambigua lectione primum amplexus est casum, *Confiteantur Domino miserationes ejus. Ubiq;*, ait, *omnino ubiq; confiteantur Domino, non merita nostra, non vires nostra, non sapientia nostra, sed miserationes ejus.* Sed & Apollinaris expressit carmine casum primum,

Οἰκτίρμοι βασιλῆϊ ἑλὼ ἀναμέλψαι ἐρεῖνα.

In altera hujus versûs parte manuscriptum Hunnæi, L literâ signatum, habet, primo præsertim loco, *filii*; *Et mirabilia ejus filii hominum.* Et placere sanè facilè possit iis qui fontes negligunt ea lectio: sed, *filiis* legendum esse, ut Latini plerique cùm codices tum Tractatores legunt, & Græca & Hebræa loquuntur. Subaudiendum est autem vel *exhibita*, vel *prædicta*, vel utrumque. Portugallicæ Synagogæ Psalterio deest tertio loco (quod observavit D. Lindanus) לבני אדם *filiis hominum*; nimirum id ex præcedentibus legendum reliquit scriptor: ad quem modum quibusdam Latinis scriptis initiales duntaxat dictionum literæ posterioribus locis habentur. Totius hujus versiculi insigniter expressit Chaldæa paraphrasis sensum; *Confiteantur coram Domino propter misericordiam ejus: & narrent mirabilia ejus filiis hominum.*

Psal. 117. v. 1, 2, 3, 4. Priores quatuor hujus Psalmi versus finit hos idem Dei encomium, *Quoniam in sæculum misericordia ejus*; atque ante hoc legitur, quod omnis Dei in nos misericordiæ origo est, *Quoniâ bonus*: sed id ab aliis quidem universis his quatuor versibus additur, ab aliis,

aliis tribus duntaxat, ab aliis solummodo duobus, denique ab aliis unico. Hac de varietate jam nobis differendum est.

Quatuor igitur simul his versibus addunt *Quoniam bonus* plerique omnes nostri Græci codices, cum Græcis autoribus, Chrysostomo, Apollinari, Theodorito atque Euthymio. His consonant Latina Romani Psalterii exemplaria, cum Cassiodoro Romano Senatore: sed & nonnulla Gallici, h.e. vulgatæ nostræ editionis, Atrebatensis Collegii unum, Hunnæi alterum (B), cum Tractatoribus, Remigio Antissiodorensi & Joanne Sabinensi.

Tribus versibus, primo, secundo, tertio addunt, & quarto omittunt, *quoniam bonus*, alii quidam Latinorum nostræ versionis codicum, unus Atrebatensis Collegii manuscriptus, & nonnulli typis excusi, Venetiis primus anno 1497. Basileæ alius, alius Antverpiæ, is qui ex D. Lindani est emendatione. Atque inter expositores his conformiter legunt Richardus Pampolitanus Eremita & Jacobus de Valentia Christopolitanus Episcopus.

Duobus duntaxat versibus, primo & secundo, habent *quoniam bonus* plerique Latinorum vulgatæ editionis librorum, tam eorum qui calamis quàm eorum qui typis scripti sunt, cum Enarratoribus, Haymone, Ludolpho, Pastura & Richelio. Et ii quidem scriptorum librorum qui asteriscis & obeliscis insigniti sunt, obelo id configunt quod in secundo est versu. Nam Hebraicis in libris unico eóque primo versu legitur *quoniam bonus*. Hebraicis autem libris Chaldaici sunt conformes.

In hac codicum & exemplarium diversitate genuinam quærimus vulgatæ Latinorum versionis scripturam: & pensitatis singulis ea nobis (meliori salvâ sententiâ) esse videtur quæ primo versu legit, secundo cum obelo addit, tertio & quarto omittit, *quoniam bonus*. Nam ut ad hunc modum legunt libri hujus editionis plerique, ità & probatissimi quique: alios autem nonnullos verosimillimum est depravatos, aut ex Græca lectione, aut ex Romana psalmodia, aut denique ex ipsorum inter se versiculorum similitudine, ea quæ omnis hac in parte varietatis primam proculdubio causam dedit. Quod autem secundo potiùs versu quàm vel tertio vel quarto Latini codices *quoniam bonus* adjiciant, ex eo fortassis est, quòd Græcus Interpretis liber hoc habuerit modo: & certè Græca Tornacensis exemplaris editio ità habet, tametsi ad quarti versûs marginem scriptum sit *ὅτι ἀγαθὸς*. Porrò subaudiendum videtur posterioribus locis *quoniam bonus*, quamvis non addatur.

Psal.117.v.10,11,& 12. eâdem terminantur sententiâ, *Et in nomine Domini quia ultus sum in eos*; in qua negotii nonnihil facessit *quia* conjunctio, quam Græci codices tollunt, Hebraici & Chaldaici addunt: sublata claram, addita obscuram reddit orationem. Latini veteris editionis libri, cum Græcis, sustulerunt; id enim ex Arnobii, Augustini & Cassiodori commentariis Romanisque Psalteriis patet: posteriori verò editioni ex Hebraicis addita est. Constanter enim in hujus editionis exemplaribus legitur, & in antiquis quidem cum asteriski nota. Atque hoc Hieronymus, ipse editionis istius emendator, comprobat: *Dicitis*, scribit Suniæ & Fretelæ, quia *in Græcis codicibus non inveniri*, καὶ τῷ ὀνόματι Κυρίου ἠμυνάμην αὐτῶν, i. in nomine Domini ultus sum eos: *sed in Latinis sub asterisco legendum est*. Quamobrem posteriores inter Latinos enarratores legunt; ú que explicent, laborant. Nullo igitur pacto è vulgata nostra editione conjunctio hæc omittenda est: nec (in quo Varlenius falsus est) in sua ad Hebraicam veritatem versione Hieronymus prætermisit, si probatioribus exemplaribus (Lob. Cheval. Reg.) fides habetur: quibusdam enim prioribus locis deest, tertio tantùm legitur; uni etiam posterioribus locis legitur, primo tantùm deest, cùm Hebræi tribus locis perinde legant. Existimant autem nonnulli conjunctionem hanc superfluere, cujus sententiæ & Lxx fuisse videntur. Quidam verò pro *utique* aut *certè* accipiunt. Alii plerique ecliptican volunt orationem esse, subauditis quibusdam perficiendam. Richelius, *In nomine Domini factum est quòd me ultus sum de eis.* Chaldæus, *In nomine verbi Domini confisus sum, quòd perdam eos.* Est enim Chaldæis & Hebræis futurum: nec est *in* præpositio, ut neque Græcis; sed, quòd eam Latinus sermo postularet, videtur addita. In exemplaribus Lobiensi & Herbipolensi obelo jugulatur.

Psal.117.v.23. *Et est mirabile in oculis nostris.*] Sic nonnulla Latina Psalteria, cum Psalteriis Græcis & Euangeliis Matthæi c.21.v.42. & Marci c.12.v.10. legunt. Epanorthotæ verò probata lectio est, *hoc est mirabile in oculis nostris.* Ad hunc modum ex nostris P, Stapulense, Tornacense, Lobiense, & Brugense, emendatissima exemplaria, scribunt. Atque hæc scriptura Hebræo conformior est: הוא נפלאות בעינינו, ad verbum reddas, *Hoc mirabile in oculis nostris:* nam feminina Hebræis substantivè ponuntur, ut neutra Græcis & Latinis, suo loquentibus idiomate: quandoquidem enim Hebraicum idioma retinent, ut hoc ipso loco Græci, παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὕτη, καὶ ἔστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. Lobiense manuscriptum *hoc* asterisco notat, tanquam quod ex Hebræo à Psalterii castigatore sumptum sit: & hanc quidem lectionem, *Hoc est mirabile in oculis nostris*, Gallico Psalterio attribuit; alteram verò, *Et est*, Romano: cui Tornacensis & Stapulensis editiones consentiunt. Nullius hæc momenti sunt iis qui, dum sensus est integer, de vera nostræ editionis lectione nihil soliciti sunt. Quod sequitur substantivum verbum *est*, Brunonis Herbipolensis Episcopi Psalterium veru signat, tanquam quod ex Græcò legatur, Hebraicè verò non exprimatur.

Psal.117.v.25. *O Domine, salvum me fac.*] Pronomen *me* à Latinis quibusdam MSS. omittitur, Brugensi & Lobiensi; quibus Jacobi & Lindani editiones consentiunt, & Bedæ commentarius suffragatur. Nec legitur hoc pronomen Græcè, ὦ Κύριε, σῶσον δὴ, *ô Domine, salva nunc*; nec habetur Hebraicè, אנא יהוה הושיעה נא, *obsecro, Domine, salva nunc*; neq; additur Chaldaicè, בבעו מנך יוי פרוק [כרון אמרו אורייכלוא, *nunc, dixerunt architecti.* Neb.] *obsecro te, Domine, serva.* Euthymius in hujus loci commentario *populum tuum* subaudit; Chrysostomus, Eos qui Christi beneficiis fruuntur. Jacobus itaque, Titelmannus & Varlenius *me* superesse judicant: Jansenius etiam sensui obesse pronunciat; intelligit enim populi esse vocem à Deo Regi suo salutem faustáque omnia precantis.

Sequitur, *O Domine, bene prosperare.*] *Bene* ab antiquis codicibus tolli Epanorthotes testatum reliquit: nósq; id vidimus in nostris exemplaribus, Brugensi, Lobiensi, Stapulensi. Neq; est aut Hebraicè aut Græcè. Sufficienter enim & Hebraicam vocem הצליחה, & Græcam εὐόδωσον, exprimat Latina *prosperare:* atque adeò ut &, sicut illæ, ambiguè intelligi possit, vel prosperè age, vel prosperitatem da: minimè verò arbitror *bene* aut Græco δὴ, aut Hebraico נא, respondere (est enim Hebraicè הצליחה נא, Græcè εὐόδωσον δή) quin potiùs hæc, cùm præcedenti tum hoc versiculo, ab Interprete nostro χιλιαστικῶς accepta, quorum interpretationem Latinus sermo non exprimat.

In eo qui sequitur versiculo, *Benè dictus qui venit in nomine Domini*, antiqua Epanorthotæ antigrapha pro *qui venit, qui venturus est* legunt, quibus Tornacense manuscriptum & quædam Lugdunensium exemplaria suffragantur, ac V. Bedæ commentarius adstipulatur. Herbipolensis Episcopi Psalterium habet *qui venturus es*, quo modo Antissiodorensis Antistes & Pelbartus monachus aut legerunt aut exposuerunt. Exemplaria nostra jam antè commemorata, Brug. Lob. Stap. *qui venturus* scribunt, nec quidquam amplius addunt, non *es*, non *est*. Hebraicè est הבא, quod est, *qui venit*, aut *qui veniens*. Græcè legitur ὁ ἐρχόμενος, id quod & *qui venturus*, & *qui venit*, transferri potest. In Euangeliis (Mat. 21.9. Mar. 11.9. Luc. 19.38. Joh. 12.13.) translatum est *qui venit*; id enim rei gestæ convenit: futurum autem prophetiæ non incongruum est. Rejicit in Psalmorum commentariis futurum Titelmannus; & quidem facilius assentiar, de *qui venturus es*,

es, id quod exprimit; at non æquè de *qui venturus*, aut *qui venturus est*: sunt enim hæ ſpectatiſſimæ fidei exemplarium lectiones: concorditérque Lobienſe ac Tornacenſe manuſcripta, & Stapulenſis editio Pſalterio Gallico *qui venturus*, Romano *qui venit*, adſcribunt. Non inquirimus quæ melior ſit verſio; ſed quæ ſit verior vulgatæ editionis lectio. Romano Pſalterio, Vetus, & Caſſiodori commentarius, ut plerumque aliàs, conſonant. Bruno, Carthuſiæ Patriarcha, expoſito illo, *Benedictus qui venturus eſt in nomine Domini*, addidit, *In aliis tranſlatoribus habetur, Benedictus qui venit in nomine Domini.*

Pſal. 118. v. 28. *Dormitavit anima mea pra tædio.*] Sic Latini codices habent, cum Latinis Enarratoribus, Arnobio, Hilario, Hieronymo, Auguſtino, Proſpero, Caſſiodoro, & poſterioribus. Sic habent & noſtri Græci codices, ἐνύσαξεν ἡ ψυχή μου ἀπὸ ἀκηδίας, cum Græcis tractatoribus Euthymio & Theodorito. Sacer autem Ambroſius, qui magnâ ſemper curâ genuinam Scripturæ lectionem inveſtigat, pro *dormitavit*, *ſtillavit* legit: &, *Aliqui*, inquit, *codices habent* dormitavit, *quia* ἐνύσαξεν *&* ἔσαξεν *duabus literis diſſonant. Potuit Interpres*, vel *antiquarius ſcriptor, hic falli.* νυσάζειν dormire *eſt*, σάζειν ſtillare, &c. *Qui facilioribus igitur laborum utuntur compendiis* dormitavit *accipiunt: ſed Origenes, qui multorum interpretationes diligenti diſcuſſit indagine*, ſtillavit *ſecutus eſt.* Hactenus Ambroſius. Collegit autem Origenes ἔσαξεν potiùs quàm ἐνύσαξεν legendum ex Hebraico fonte, דלפה נפשי מתוגה. *Dalaph* omnium ſententiâ σάζειν ſeu *ſtillare* ſignificat. Hinc legimus Prov. 27. 15. דלף טורד ביום סגיר וגו׳ *Stillatio aſſidua in die pluvia* & litigioſa mulier comparantur. Itaque ex Hebræo Hieronymus vertit, *diſtillavit anima mea pra ſtultitia*, vel (ut tria ex noſtris MSS. unum Beſſarionis, alterum Hunnæi, Plantini tertium, legunt, & alii transferunt) *pra triſtitia.* Leguntur & Lxxii hanc ipſam Hebraicam dictionem *Dalaph* ad hunc modum interpretati. Job. 16. 21. quod Hebraicè eſt דלפה עיני, & Latinus reddidit *ſtillat oculus meus*, illi tranſtulerunt σάξει [σάζει Gq.] μου ὁ ὀφθαλμός. Rurſus quod eſt Eccleſ. 10. 18. ידלף הבית, Latinus *perſtillabit domus*, Lxx ad eundem modum σάξει ὁ οἶκος interpretati ſunt. Videri igitur poſſint & hoc Pſalterii loco ex דלפה ἔσαξεν reddidiſſe: niſi fortè dicat quis, hos Lxxii Interpretes operas diviſiſſe, nec ab eis Job atque Eccleſiaſten tranſlatos à quibus Pſalmi converſi ſunt: quæ ſententia quibuſdam hodie viris doctis probatur. Sed ſit vera ea opinio; non poteſt tamen non probabile videri ἔσαξεν hoc loco ſcriptum eſſe. νυσάζει & νυσάξει legimus Pſal. 120. 3, 4. ſed ex נום, non ex דלף: iterum νυσταγμὸν, Pſal. 131. 4. ſed ex תנומה, non ex דלף. Utut autem ſit, ſive ἔσαξεν ſive ἐνύσαξεν Lxx reddiderint, noſter Lat. Interpres ἐνύσαξεν legit, vertítque *Dormitavit anima mea pra tædio:* quod tamen non adeò ab ἔσαξεν ſeu *ſtillavit* diſcrepat. Nam quæ *ſtillat anima*, h. e. cujus vires tanquam per aſſiduam ſtillationem defluunt, quaſi dormitat: ut præteream, non abſimilem eſſe ſtillationi dormitantium nictationem.

Pſal. 118. v. 59. *Et converti pedes meos in teſtimonia tua.*] Pleraque exemplaria *converti* ſcribunt; nonnulla *averti* (quod eſt, revocavi) Epanorthotæ quædam, Lugdunenſium quædam, atque ex noſtris Brugenſe. Epanorthotæ verba ſunt, *Et infrà, Et averti pedes meos*, i. *ab aliis verti in teſtimonia tua*; *aliàs, Converti.* Utramque lectionem admittunt & Hebraica vox אשיבה, & Græca ἐπέστρεψα, quanquam ex ἀπέστρεψα fortaſſe ſit *averti.* Inter Latinos Enarratores Ambroſius *averti* legit; id quod ex ipſa ejus enarratione fit veriſimile: ſimiliter Auguſtinus & Proſper, quorum explicatio eſt, *Averti, ſcilicet à viis meis, quæ diſplicuerunt mihi, ut irent in teſtimonia tua, atque ibi haberent viam.* Caſſiodorus autem, & ex poſterioribus multi, *converti* legerunt. Hieronymus ad Suniam & Fretelam, *In eodem*, Et converti [convertiſti 1 MS. avertiſti 1 MS.] pedes meos in teſtimonia tua. *In Græco legiſſe vos dicitis* καὶ ἐπέστρεψα, i. & averti. *Sed & hoc ſuperfluum eſt.* Neſcio an depravatus ſit hic Hieronymi locus: verùmenimvero magis depravatum reor in manuſcriptis quæ vidimus duobus, in quibus *convertiſti* ſeu *averſiſti* probatur, *averti* ſuperfluum judicatur: cùm non tantùm Græcis, ſed & Hebræis atque Chaldæis, prima legatur perſona, nec alia reperiatur in Hieronymianæ tranſlationis antigraphis; conſtanter enim habent, *Et converti pedes meos ad teſtimonia tua*, uno Tornacenſi excepto, in quo *convertiſti* eſt. Meminit lectionis hujus, *Et averſiſti pedes meos*, Auguſtinus: ſed non exiſtimaſſe ſe genuinam eſſe ſatis inſinuat.

Pſal. 118. v. 118. *Spreviſti omnes diſcedentes à judiciis tuis.*] Quinque Hentenii manuſcripta, duo Pariſienſium, & antiqua Epanorthotæ, pro *judiciis*, *juſtitiis* habent, quibus ſeptem ex noſtris exemplaribus, eáque emendatiora, conſentiunt: ſed & alia tria, in quæ diverſarum editionum congeſta ſunt Pſalteria, Lobienſe, Tornacenſe ac Stapulenſe, ſuffragantur. Bedæ, Brunonis, Richelii, Pelbarti, Paſturæ & Titelmanni, poſteriorum Enarratorum, eadem eſt lectio. Veterum, Arnobii, Hilarii & Hieronymi, commentariis inſerti textus ad eundem modum *juſtitiis* legunt: ſed ipſa Hilarii commentaria *juſtificationes* nominant. Hebraicè eſt חקיך. *Hukkim* ſeu *Hukketh* Latini ex Hebræo Interpretes *præcepta* vel *ſtatuta* tranſtulerunt: Græci Lxx δικαιώματα converterunt, cùm hoc tum pleriſque hujus Pſalmi locis. Δικαιώματα autem Latinus noſter ex Græco interpres eodem hoc Pſalmo, centies, ſi fieri poteſt, interpretatus eſt *juſtificationes.* Atque & hoc loco *à juſtificationibus* diſertè legunt Ambroſius, Auguſtinus, Proſper & Caſſiodorus: quibus conforme eſt Romanum Pſalterium. Gallici igitur Pſalterii potior lectio eſt *juſtitiis*, quippe quæ & Patrum lectioni vicinior, & conſuetæ tranſlationi ſimilior, & caſtigatioribus exemplaribus ſit conformior. Atque in hanc Reverendiſſimus D. Lindanus & Pariſienſes abeuntes ſententiam, *juſtitiis* emendarunt. Δικαιώματα *juſtitiæ* ab Interprete converſa & in 17 Pſalmo reperio, v. 23, ubi & Hebraicè eſt חקות. *Judicia*, κρίματα Græcè, Hebraicè משפטים dici ſolent; quanquam diverſis his nominibus eadem Dei lex ſignificetur; *judiciis*, quòd eam Dei ſententia obſervandam decreverit; *juſtitiis* vel *juſtificationibus*, quòd juſtitiæ conformis ſit, veram præſcribat juſtitiam, juſtóſque qui obſervant faciat.

Pſal. 118. v. 147. *Praveni in maturitate.*] Græcè eſt προέφθασα ἐν ὥρᾳ, quod eſt, *Praveni in immaturitate*, ſive, ut S. Ambroſius interpretatur, *ante horam, ante tempus.* Mirum itaque eſt Latinis codicibus, quorum eſt ex Græco verſio, legi, *Praveni in maturitate*: ſic enim legunt quotquot habemus manuſcripta, niſi quòd quædam ità ſcribant ut an *immaturitate* ſeu *immaturitate* legendum ſit, meritò dubites. Innumera alia R^mus D. Lindanus conſuluit, nec invenire potuit quod *in immaturitate*, ſicut Græcus habet, legeret, niſi tandem in Eccleſia Barlo, juxta Venloniam ſita, unum, id quod nos ex probatiſſimi Antiſtitis fide in Bibliorum margine annotavimus. Legit quidem & Regiorum Bibliorum Latinus textus *in immaturitate*: ſed is Græco textui accommodatus eſt, occaſione quam diximus aliquando. Iſtud ipſum de ſui temporis codicibus queſtus eſt Auguſtinus, cujus 29 concione hæc ſunt in hunc locum verba, *Quod ſequitur habet aliquid obſcuritatis, quod aliquantò diutiùs exponendum eſt*; Præveni intempeſtiva nocte & clamavi. *Plures codices non habent* intempeſtiva nocte, *ſed* immaturitate. *Vix autem unus inventus eſt qui haberet geminatam præpoſitionem*, i. in immaturitate. Immaturitas *itaq; in hoc loco nocturnum tempus eſt, quod non eſt maturum*, i. *opportunum, ut agatur aliquid vigilando, quod etiam vulgò dici ſolet* hora importuna. Nox quæ intempeſta, i. *media, quando quieſcendum eſt, hæc procul dubio nuncupata eſt, quia importuna eſt actionibus vigilantium*, &c. *Quod ergò Græcè dictum eſt* ὡς ἀνώ-

ras

non uno verbo, ſed duobus, i. præpoſitione & nomine, hoc interpretes noſtri quidam dixerunt intempeſtâ nocte. *Plures* immaturitate, *non duobus verbis, ſed uno, cujus vocabuli nominativus eſt* immaturitas. *Nonnulli verò in duobus verbis, ſicut Græcus poſuit,* in immaturitate: *ἀωείᾳ quippe* immaturitas *eſt, ἐν ἀωείᾳ* in immaturitate. Hæc D. Auguſtinus: in quibus, præterquam quòd conqueratur vix in ullis codicibus inveniri potuiſſe *in immaturitate*, id obſervandum eſt, non eum agnoviſſe eam lectionem quæ noſtrorum hodie eſt codicum, *in maturitate*; ſed has duntaxat tres, *intempeſtâ nocte, immaturitate, in immaturitate. In maturitate* ſi legiſſet, probaturus non fuiſſe videtur, utpote à cæteris interpretationibus & Græco textu alienum. Fortaſſis etiam legit, atque ob hanc cauſam nihili fecit. Si autem earum quarum meminit Auguſtinus aliquâ noſtri interpretis verſio eſt, aut *immaturitate* eſt, aut *in immaturitate*. Nam *intempeſtâ nocte*, quam Proſper ſecutus eſt, noſtrorum codicum ſcripturæ diſſimilior eſt. D. Bruno Herbipolenſis Antiſtes *immaturitate* Pſalterium caſtigavit: atque hoc certè modo non pauci ſcriptorum codicum legi patiuntur: quin & Ludolphus ad hunc legit modum, & ſubaudiendam monuit *in* præpoſitionem, i. *in immaturitate*. Hieronymus Varlenius *in immaturitate* Interpretem reliquiſſe opinatur. Opinionis ejuſdem & Ruræmundenſis Epiſcopus eſt qui, ſecutus, vix dubium, illud quòd juxta Venloniam reperit antigraphum, ad hunc modum Pſalterium emendavit, *Præveni in immaturitate*. Similiter Argentoratenſes, in eo quem cum tranſlationibus 4, & paraphraſibus duabus ediderunt Pſalmorum libro, *Præveni in immaturitate*. Atque hanc, aut eam certè quæ Herbipolenſis Epiſcopi eſt, caſtigationem comprobat Remigii Antiſſiodorenſis expoſitio, ea quæ hujuſmodi eſt, *Et meritò debes me clamantem & honeſta petentem exaudire, quia ego alios* præveni in maturitate, *i. in adoleſcentia, qua ætas eſt immatura & indomita ad cuſtodienda mandata tua*, &c. *Cùm ergò adhuc ætate viderer immaturus ad talia, tamen ad te clamavi, & præveni alios bene vivendo.* Adſtipulatur Haymonis Alberſtattenſis commentarius; *Et non tantùm clamavi, ſed etiam præveni alios in maturitate, quia cùm alii in perfectâ & matura ætate ad te venire ſoleant, ego puer & immaturus ad te feſtinavi. Vel* præveni in maturitate, *i. ante adventum tuum, ſcilicet ante tempus plenitudinis & gratiæ, ad te promerendum.* Suffragatur D. Ambroſii enarratio, ex qua interlinearis Gloſſa deſumpta eſt, *Præcurri*, Ambroſius ait, *ætatis maturitatem quiſquis in adoleſcentia poſitus ſenilem gravitatem induit, & juveniles annos veteranâ quadam continentiâ regit, fervorémque virentis corporis in cana morum maturitate componit.* Quibus ex verbis patet Ambroſium non, ut textus habet, *Anticipavi in maturitate*, legiſſe, ſed, *Anticipavi maturitatem*, vel *Anticipavi*, ſeu *præveni, in immaturitate*, aut, quod ad eundem modum intelligo, *immaturitate*. Hilariana commentaria de Hilario id ipſum loquuntur. Sic habent, *Addidit adhuc & meritum obtinenda ſalutis, dicens*, Præveni in maturitate & clamavi, in verba tua ſemper ſperavi. *Non exſpectavit infirmam à vitiis ſenectutem, neque deferveſcentibus longo uſu luxuriæ æſtibus, frigida ætatis tempus elegit: ſed maturitatem omnem fide & religionibus prævenit, vincens per continentiam laſcivientes annos, & ſenectutis maturitatem modeſta & caſta adoleſcentia tranquillitate præveniens.* Videntur Hilarius & Ambroſius *præveni maturitatem* legiſſe: ſed facilè habuiſſe potuerunt, *Præveni immaturitate* aut *in immaturitate*, & expoſuiſſe id quod hinc ſequitur atque idem unum eſt, *Prævenimaturitatem*: (nam & in Auguſtino id licet obſervare;) utique enim qui prævenit in immaturitate, prævenit maturitatem. Eſt autem ex his operæpretium animadvertere, ad quem modum Scripturæ textum, Patrum commentariis interjectum, quâ fuerunt indoctiſſimi ſcribæ audaciâ, ad vulgatam legendi rationem immutarint, cùm ipſa commentaria ſubjectâ reclament. Id & aliàs non rarò notavimus. Theodorito in Latinum verſo data eſt Vulgaris noſtræ editionis ſcriptura *in maturitate*, ſed commentarius *ἐν ἀωείᾳ* exponit. Nonnunquam etiam ipſa Patrum verba ei legendi modo quem ſubſtituerant accommodaſſe deprehendimus. In promptu eſt exemplum, hoc ipſo loco commentariorum Hilarii: ſequitur enim poſt paululum, recitato verſu proximo, *Prævenerunt oculi mei diluculum, ut meditarer eloquia tua: Qui in maturitate clamorem prævenerat, nunc ipſos dies meditationibus prævenit.* Quomodo hîc poſteriori prius reſpondeat, aut quid hoc eſſe poſſit, niſi legas, *Qui maturitatem clamore prævenerat?* Sic namque reſtituendus videtur locus. Quemadmodum autem in Patrum enarrationibus genuina lectio in eam quæ vulgi errore recepta eſt mutata conſpicitur; ſic proculdubio & in ipſis ſacrorum Bibliorum accidit libris. Emendatum licèt exemplar deſcribentibus propoſitum eſſet, errare id cenſuerunt ſi in pervulgatum errorem non conſpiraret: ità tandem factum eſt ut germana lectio oppreſſa exſtinctáque ſit, nec inveniri poſſit à poſteris, qui magnâ ſedulitate inveſtigant, quam olim exſtitiſſe argumentis certis colligunt. Primus autem error ſæpenumero ex re non intellecta commiſſus eſt: quod non intelligebant, perperàm ſcriptum judicabant, itáque corrigendum, ad ſimilem quempiam modum, quo poſſet & facilè intelligi & ab autore ſcriptum videri. Sic hoc opinor in loco, cùm ejus quod ſcriptum erat, *Præveni immaturitate* aut *immaturitate*, ſenſum non viderent, errorem eſſe judicarunt, emendandum, in duas unâ voce diſtractâ, *Præveni in maturitate*. Rurſus cùm in aliis legerent exemplaribus *Præveni in immaturitate*, quòd ſcirent immaturè nihil aut dicendum aut gerendum, ſcribendum potiùs exiſtimarunt ad eundem modum *Præveni in maturitate*, errorem, dum corrigere vellent, facientes. Aut fortaſſe movit quòd *in immaturitate* ſignificari arbitrati ſunt, poſt maturum tempus; itaque quandam verborum inter ſe repugnantiam eſſe, *præveni, in immaturitate*; eum enim qui prævenîſſet, maturè veniſſe dicerent. Porrò citra omnem aut corruptelam aut ambiguitatem, in Brunonis Carthuſiani elucidationibus hanc explicatam invenio lectionem, *Præveni in immaturitate*. Sic ibi legitur, *Et juſtum eſt ut me ſalvum facias & exaudias, propter hæc merita mea, quia ego adhuc poſitus* in immaturitate, *i. immaturâ ætate, ſcilicet in juventute, qua eſt ætas immatura, fervens, & prona ad omnia vitia magis quàm ſenectus,* præveni *in bonis operibus, i. anteveni cæteros fideles, qui tandem in ſenectute, quæ matura ætas eſt, cœperunt bene operari*, &c. Matura ætas *ſenectus* dicitur, *eò quòd in ſenectute ex natura maturiores mores homines habeant.* Immatura *verò* ætas dicitur *juventus, eò quòd in juventute contingat ex natura mores habere immaturiores*, &c. In Gloſſa Joannis de Turre-cremata hoc, & quidem ſolum, lego, *Ex magno orandi affectu præveni horam opportunam in qua ſolet fieri oratio: præoccupavi faciem tuam, ut lætus & vigilans tibi occurrerem.* Multùm igitur veriſimilis eſt hujus loci, aut hæc, *Præveni immaturitate*, aut iſta lectio, *Præveni in immaturitate*. Cæterùm nolo ego pronunciare adulterinam eſſe *Præveni in maturitate*, præſertim cùm eſſe videatur, non tantùm recentiorum Enarratorum, Lyrani, Richelii, verùm etiam veterum quorundam: id quod ex commentariis Arnobio & Hieronymo adſcriptis intelligi poſſit. In Arnobii commentario ad hunc habes modum, *Præveni in maturitate & exclamavi. Fui puer, poſtea adoleſcens, itémque juvenis, nunc ecce jam ſenui, & vita mea finem attendens, in hac maturitate poſitus clamo, & præveniunt oculi mei*, &c. In Hieronymi, *Vetera vitia pudicitiâ juvenili prævenit, qui per maturitatem vivacis animi ſpem ſuam nunquam à verbis Dei removit.* V. Beda utrumque inſigniter exponit, *Præveni in maturitate* & *Præveni immaturitate*. Hoc itaque modo, cùm ad Græcorum codices tum ad Latinorum enarrationes collatæ ſint propoſitæ varietates: reſtat nunc ut eaſdem ad Hebraicum fontem diſcutiamus. Hebraicè eſt קדמתי בנשף: id quod quidam *præveni in crepuſculo*, quidam *Præveni crepuſculum*, vertunt. Prior interpretatio ei lectioni non malè convenit quæ habet,

Præveni in maturitate. Est enim crepusculum maturum orationi tempus, sicut aurora, quæ continuò succedit crepusculo, studiis est amica. Posterior verò translatio alteram lectionem, *Præveni in immaturitate*, tutatur, atque eò ampliùs quòd septuagintaduorum versioni similis sit: quod enim crepusculum antecedit tempus, ἔστιν ἡ τῆς νυκτὸς ἀωσία. In eandem sententiam vertunt alii, *Præveni diluculum*; alii, *Præveni in nocte.* Hieronymus, *Surgebam adhuc in tenebris*, qui & aliis non paucis Scripturæ locis, cum Græcis translatoribus, נשף *tenebras* interpretatus est.

Psal. 120. v. 5. *Dominus custodit te*] Sic cum D D. Augustino & Haymone, plerique codices. At Ruræmundensis Episcopi Psalterium, cum S. Hilario, futuro tempore *custodiet* habet: atque hoc modo Chaldæa paraphrasis יִנטַר, & Græci plerique codices, consentientibus Chrysostomo atque Euthymio Græcis Enarratoribus, φυλάξει legunt. Græcæ verò Regii operis & Nebiensis Psalterii editiones, φυλάξοι, quod est *custodiat*, scribunt. Ad similem modum Parisiensis anni 59 editio, φυλάξαι. Hebraicè est יהוה שמרך, i. *Dominus custodiens te*, vel, formaliter accepto Benoni, *Dominus custos tuus*: id quod aptè convenit ei quod sequitur, *Dominus umbra*, seu *protectio, tua.*

Versu septimo ejusdem vocis eadem est varietas. Nam quod plerique codices præsenti tempore cum D. Haymone legunt, *Dominus custodit te ab omni malo*, Hunnæi manuscriptum P notatum, & Parisiensium Biblia anno 59 excusa, futuro *custodiet* scribunt. Est autem hoc loco, tam Hebraicis libris quàm Chaldaicis & Græcis plerisque, futurum, adstipulantibus non tantùm Hilario atque Euthymio, verumetiam Augustino: atque hoc bellè congruit ei quod præcessit, *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.*

Sequitur ver. 7. *Custodiet animam tuam Dominus*: & subjungitur octavo, *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum.* (Haymonis hæc apertè lectio est.) Quibus locis iterum *custodiendi* vox diversimodè scribitur. Priori R^mi D. Lindani Psalterium *custodiet* habet; posteriori apud Hilarium similiter *custodiet* legitur. Græcis plerisque & Chaldaicis in libris, Euthymio suffragante, ut præcedentibus locis, ità & his, futurum scribitur. Duobus his locis & Chrysostomi textus futurum legit, nec commentarius dissentit. Est & Hebraicis codicibus futurum, ישמר, sed quod tam optantis quàm prædicentis sensu, tam *custodiat* quàm *custodiet*, reddi possit. Græcæ editiones Complutensis & Nebiensis φυλάξοι habent, Parisiensis φυλάξαι, non solùm primo, sed & secundo & sequentibus duobus locis; quibus conformiter Goticum manuscriptum, universis his quatuor locis, *custodiat* refert. Sed videtur, Latinis nostræ editionis codicibus nec semper *custodiet*, nec semper *custodiat* scribendum: imò verò hinc ortam inter eos varietatem, quòd alio atque alio modo *custodiendi* vocabulum Interpres verterit. Primo loco bene quadrat *custodit*, secundo & tertio non malè convenit *custodiet*, quarto scribendum videtur *custodiat*. Quod prædixerat, precatur & optat, nè non velle ad quod à Spiritu actus fuerit putaretur. Hunc legendi his locis modum Francisci Titelmanni elucidatio secura videtur.

Psal. 124. v. 5. *Declinantes autem in obligationes*] *In nonnullis exemplaribus vetustioribus*, Titelmannus ait, *repertum est haberi pro Obligationes*, *Obliquationes*: nos nostris in MSS. nequaquam id reperire potuimus; tantùm in Bibliis à Parisiensibus emendatis atque excusis ad hunc invenimus modum, *Declinantes autem in obliquationes.* Sed iis in Bibliis quæ cum emendationum suarum comprobatione ediderunt, nullum, cujus hæc lectio esset, exemplar signatum vidimus. Nec antiquus noster Epanorthotes aliquorum codicum qui *obliquationes* legant, meminit; duntaxat multitudinis numero *obligationes* legendum esse, non *obligationem*, monet. Fuit itaque nostra hæc opinio, non ex codicibus, sed quorundam conjectura, *obligationes* cum *obliquationes* mutatum esse. Græcè est καὶ ἡ ἐκκλινοντας εἰς τὰς στρεβλιάς. Στρεβλιὰς Augustini versio *strangulationem* transfert: nam στρεβλοῦν *suffocare* & *strangulare* significat. Græca Onomastica *obligationem* exponunt, & στρεβλίδας, *nodos nexúsque intricatos.* Eundem ad modum Hieronymus explicat in Isa. 58. enarrans illud verbionis Septuagintaduorum διάλυε στρεβλίας βιαίων συναλλαγμάτων. Autor ejus versionis quæ in Græco Parisiensium Psalterio, ex S. Victoris codice emendato, exstat, *obliquationem* transtulit. Similiter is qui Græcis Bibliis, Basileæ anno 1550 impressis, Latinam addidit interpretationem: στρεβλαλίδας enim *obliquum* & *tortuosum* denotat. Eundem ad modum Euthymii Interpres *tortuositatem* reddidit, ipsum secutus Euthymium, qui εἰς τὰς στρεβλιάς *in perversa atque obliqua* interpretatur. Aquila *simultates* explanavit; *obliquitates* Symmachus, & Theodotion *perversa.* Autor est Theodoritus. Hâc autem potiùs ratione transferendum hoc loco videtur; primùm, quòd *declinandi* vocabulo aptiùs *obliquatio* seu *obliquitas* vel *tortuositas* congruat: tum quòd *rectis corde, in obliquitatem declinantes* à Propheta oppositi videantur: denique quòd Hebraica vox עקלקלותם, non *strangulationes*, neque *obligationes*, sed *obliquitates, tortuositates* & *perversitates* denotet. Itaque Latinis nostris codicibus pro *obligationes*, *obliquationes* scribendum esse nonnulli, haud vanis ducti argumentis, existimarunt. Verùm cùm legant constanter *obligationes*, & Latina manuscripta quæ quidem nos vidimus omnia, & Latini tractatores primæ, [Arnobius, Hilarius, Hieronymus, cùm in proprio loci commentario, tum manifestiùs in 58 Isaiæ cap.] mediæ, postremæque ætatis [Prosper, Cassiodorus, Haymo, Remigius, &c.] videtur ad eum modum Interpres ex Græco transtulisse. Neque hoc longè ab Hebræo recedit. Nam *pravitates perversitatésque*, quibus ferè modis Hebræam hoc loco vocem interpretantur, *obligationum* nomine meritò designentur, quòd in deplorandam servitutem autores suos redigant, neque facilè exsolvendo debito obnoxios reddant.

Psal. 125. v. 6. *Euntes ibant & flebant, mittentes semina sua*] Quod plerique hodie codices legunt, *Mittentes semina sua*, scribunt antiqui Epanorthotæ, & Brugensis ex nostris, cum emendatis à Parisiensibus Bibliis, *Portantes semina sua.* Priori lectioni Græca antigrapha volunt, βαλλοντες τὰ σπέρματα αὐτῶν, alteri Hebraica suffragantur, נשא משך הזרע, quod est, *Portans canistrum seminis*, ut quidam; vel, *Portans pretiosum semen*, ut alii interpretantur. Eadem est vox quæ proximo versu, quo Græci habent ἄροντες τὰ δράγματα αὐτῶν, Latini *Portantes manipulos suos.* Itáque pulcre sibi respondent sententiæ partes, Tristes portabant semina, læti manipulos portabunt. Doctor Hentenius ex *portantes*, *mittentes* castigavit, tanquam ea sit editionis nostræ lectio. Porrò, aliud Epanorthotes judicavit: *Nostra*, inquit, *translatio non habet* mittentes, *sed habet* portantes, *juxta Hieronymum & Hebraum, qui habent* portantes, *& respondet ei quod infrà dicitur*, PORTANTES MANIPULOS SUOS. Antiquitate & integritate præstantissima monasteriorum Lobiensis & Tornacensis manuscripta, & Jacobi editio, unanimiter, Gallico Psalterio *portantes*, Romano *mittentes*, attribuunt: annotátque Jacobus, *MITTENTES SEMINA SUA, ex translatione Romana id mutuamur: nam translatio nostra habet*, PORTANTES SEMINA SUA, *paulo vicinius ad Hebraicam*, &c. Est quidem & nostra editio, quam Gallicum Psalterium vocant, ex Græco deducta (nam Græco convenit, utì diximus, quod in Romana est editione *mittentes*) sed ex Hebræo multis mutata est locis. Cæterùm parùm sensu discriminis est, sive *portantes* sit, sive *mittentes*; imò verò hoc illius explicatio est. Nam portasse intelliguntur semina quæ in terram aut mittebant aut mittuntur

jam jam

jamjam erant. Conati hoc loco videntur Lxxii senes non tam verba reddere quàm sensum. Hinc enim etiam singularis numeri verba in pluralia commutarunt (nam de pluribus intelligendum est quod de uno pronunciatur) & רד משך, quod alii *canistrum*, alii *pretiosum* vertunt, interpretando prætermiserunt. Nisi fortè non מַשָּׁךְ sed מָשָׁךְ, aut ad alium similem modum, legerint, ità ut esset, נשא משך זורע, *Portans trahens semen*, id quod exposuerint, *Mittens*, seu *mittentes, semina sua:* quo ferè modo Latinus Interpres, Amos 19. 13. משך זורע exposuit *mittentem semen.*

Psal. 126. v. 2. Frequentior hoc loco Latinorum codicum scriptura est, *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis:* quam Græci plerique codices, cum Apollinaris Psalterio, probant, εἰς μάτην ὑμῖν ἐστι τὸ ὀρθρίζειν, ὀψὲ ἐγείρεσθε μετὰ τὸ καθῆσθαι, & multi veterum Patrum explicant, Hilarius, Hieronymus in Psalmorum commentariis, Augustinus, Prosper, Cassiodorus, Gregorius lib. 8. Moralium cap. 3. Haymo, Remigius, Bruno, quanquam simplex illa, quam Hieronymi commentarius addit, hujus loci intelligentia *surgite* non agnoscat. Sunt quidam editionis nostræ codices qui pro *surgite, surgere* repetant, *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgere postquam sederitis*; ex nostris Brugensis, Lobiensis, Stapulensis; ex Lugdunensium, quidam; & antiqui Epanorthotæ, cujus hunc in locum hæc notatio est, *Antiqui juxta Hebraum*, Vanum est vobis ante lucem surgere, surgere postquam sederitis. *Hieronymus*, Frustrà vobis est de manè surgere postquam sederitis. *Secundùm hoc non videtur huic sensui convenire litera qua habet* surgite, *quam habet Græcus minùs correctus. Nam correctores habent secundo loco* surgere. *Unde dicit glossa Theodorii*, Non imperativo, sed infinitivo est ibi *surgere*. Hactenus Corrector, qui quod dicit, correctiores Græcorum codices habere secundo loco *surgere* (sic enim videntur legenda intelligendáque ejus verba) nos à vero non alienum esse observavisse videmur; nam Græcum Vaticanæ Bibliothecæ codicem ὀρθρίζειν, non ὀρθρίζειν, legere comperimus. Euthymium etiam Græcum enarratorem ad eundem modum ὀρθρίζειν legisse, cùm ex Interpretis in margine annotatione, tum ex ipsis autoris commentariis, animadvertimus. Denique & Theodoritum, Euthymio longè antiquiorem, notasse invenimus, *SURGERE, & non SURGITE legendum est, ut infinitus sit modus, & non imperandi.* Insuper quod habet Corrector, Hebræo consonam esse hanc antiquorum codicum lectionem, verum id nobis esse videtur. Non est enim Hebraicè קומו, quod est *surgite*, sed קום: שוא לכם משכימי קום מאחרי שבת, id quod vertunt Neoterici Interpretes, *Vanum vobis est maturantibus*, seu *diluculo prævenientibus, surgere, tardantibus sedere.* Quin & Chrysostomus atteſtatur, alium transtulisse *tardantibus ad sedendum*, alium *differentibus sedere.* Lxxii paulò aliter distinxerunt. Priorem sententiæ istius partem, hanc intellexerunt, שוא לכם משכימי, *vanum est vobis maturantibus*, quam per infinitivum explicuerunt, εἰς μάτην ὑμῖν ἐστι τὸ ὀρθρίζειν, *in vanum vobis est maturare*, seu, ut circumlocutus Interpres transtulit, *ante lucem surgere.* Neque enim est Latinis vox una quæ Græcæ ὀρθρίζω, aut Hebraicæ השכים perfectè respondeat, nisi velis fortè *manicare* dicere, id quod Lucæ 21. 38. in Latinis plerisque codicibus legitur. Pro altera sententiæ parte acceperunt Lxx quod sequitur, קום מאחרי שבת: verùm non מְאַחֲרֵי, quod est tertiæ conjugationis participium, sed מֵאַחֲרֵי legerunt, quod est *à post* sive *post.* Itaque ad verbum converterunt ὀψὲ ἐγείρεσθε μετὰ τὸ καθῆσθαι, *Surgere post sedere*, nec convertisse potuerunt ἐγείρεσθε *surgite:* est enim קום infinitivus, non imperativus numeri pluralis. Ecce igitur ex Hebræo *surgere* pro *surgite:* id quod comprobat D. Hieronymi ad Marcellam explicatio, quæ hujusmodi est, *prophetice populus arguitur ad templum diluculo frustrà surgere, & post quietem ad sanctuarium festinare, cùm idola Dei honore venerentur.* Notant autem posterius *surgere* Lobiensis codex, Tornacensis & Herbipolensis obelo, tanquam quod Hebraicè non legatur: id quod occasionem accepisse existimo ex D. Hieronymi translatione, quâ *surgendi* vocabulū non repetitur; *Frustrà vobis est de manè surgere* [εὖ *surgere* 6 MS.] *postquam sederitis.* Hinc Jacobus annotavit, *Vanum est vobis ante lucē surgere, surgite postquā surgeritis. Hoc SURGITE ex translatione Romana mutuatum est, quòd etiam habeatur Græcè. At Gallica habet, Vanñ est vobis ante lucem surgere, surgere postquam sederitis. Sed & illud SURGITE, & secundo loco SURGERE, superfluum ex Hebræo videtur, unde habetur, Frustrà vobis est de mane surgere postquam sederitis.* Hucusque ille. Junxit Hieronymus קום cum משכימי, ut nostri; legit מאחרי ut Lxxii Interpretes, totúmque unam intellexit sententiam. Illud autem משכימי קום, quod ad verbum vertas, *de manè surgentibus surgere*, eodem sensu transtulit *de manè surgere*, omisso *surgentibus*, pro Latinæ linguæ decoro. Quamobrem non videtur ex Hebræo superfluum esse, aut obelo confodiendum, *surgere*, multóque minùs posterius quàm prius: posterius enim expressè, prius implicitè legitur, tum Græcè tum Hebraicè. Brugensi manuscripto nulla est obeli figura. Verumenimvero potuit Hieronymus vocem משכימי ut nomen, non ut participium, accepisse. משכים enim nomen designat *manè* vel *matutinum.* In Hoseæ Prophetia, quod semel atque iterum legitur כטל משכים הולך, Hieronymus ipse cap. 6. 4. *Quasi ros manè pertransiens*, & 13. 3. *Sicut ros matutinus prætereus*, interpretatus est. Facilè igitur quod hoc loco est, משכימי קום, potuit convertisse, *De manè surgere* vel *consurgere*, nec aliud quidquam intellexisse comprehensum. Hoc autem modo Hebraicis dictionibus acceptis, priùs indè *surgere* non habetur; verùm aliter videntur intellexisse Lxxii-viri, à quibus duo verba translata sunt; ὀρθρίζειν, quod exponat משכימי, ἐγείρεσθε, quod respondeat קום. Hujus autem lectionis quæ duobus infiniti modi verbis utitur, *Vanum est vobis ante lucem surgere, surgere postquam sederitis*, sensus commodus est; Frustrà bene manè surgitis, frustrà interdiu, modicâ refocillatione contenti, ad acceleranda negotia vestra reditis, sub. nisi Dominus vestris conatibus adspiret, vestra studia secundet.

Psal. 130. v. 2. *Sicut ablactatus est super matre sua.*] Quod plerique codices masc. genere habent *Sicut ablactatus*, id nonnulli neutro scribunt, *Sicut ablactatum*, Hunnæi duo, D, P, & qui Lovanii excusus est Prosperi textus. Atque ad hunc modum Græcè est, ὡς τὸ ἀπογεγαλακτισμένον. Ex Hebræo גמול utrumque translatum reperi. Lobiense exemplar, Tornacense & Stapulense *ablactatum* Gallico, *ablactatus* Romano Psalterio adscribunt. D. Hilarius legit, *Sicut ablactato*; jungítque cum eo quod in altera sententiæ parte habet, *ità retribues.* Malè Atrebatensis Collegii manuscripta legunt, unum *ablatum*, alterum *ablatus*: & quidem hoc habet Augustini lectio, at subnectit *à lacte.*

Quod sequitur, substantivum verbum *est* à multis MSS. tollitur, viginti nostris: neque Hebraicè legitur, aut Græcè additur. Hieronymi lectio addit, relativo antecedente, *Sicut qui ablactatus est*; similiter Augustini, *Quemadmodum qui ablatus est à lacte.* Quòd si verò absque relativo addatur, commodè referri potest ad id quod sequitur, *super matre sua*, vel, ut habent alii multi libri, *super matrem suam.*

Psal. 138. v. 16. *Dies formabuntur.*] *Dies* legunt plerique hodie codices, id quod exposuerunt Enarratores, Cassiodorus, Haymo, Remigius, & alii ex posterioribus. Huic legendi modo Græca Regis editio, quæ habet ἡμέραι πλασθήσονται, suffragatur. Nec refragatur quæ aliorum Græcorum exemplarium lectio est, ἡμέρας πλασθήσονται: potest enim *dies* quartus casus ex numero plurali esse, ut ἡμέρας, cui subaudiatur *per* præpositio, ut huic בְּ, ad quem modum DD. Augustinus & Prosper legunt *per diem*, *Per diem errabunt.* Cæterùm potest ἡμέρας secundo casu numeri singularis intelligi, quod Latinè vertas *die.* Atq; hoc pacto Latini quidā codices scribunt, *Die formabuntur*; Brugensis,

Buſcoducenſis, atque ex his D. Lindani Pſalterium. Lobienſe exemplar, in Gallici Pſalterii deſcriptione, *Dies* vel *Die* legi notat. Goticum Romani Pſalterii antigraphum *Die firmabuntur* habet. Inter veteres Tractatores D. Hilarius *Die replebuntur* legit. Idem ipſe, & poſt eum Proſper, *Die formabuntur*, in quibuſdam codicibus invenerunt. S. Hieronymi commentarius, *Tu omnes in die formas, tu cunctos vis eſſe filios Dei* [*diei*] exponit. Eſt autem de Brugenſi codice notandum, ità in eo *die* ſcribi ut non ſatìs queas diſcernere an ex *dii* factum ſit, adjecto retractóque ſemicirculo, *die*; an è contrà ex *die*, raſo ſemicirculo, *dii*. Fortaſſe Scriba, quod non eſt vero abſimile, vocem ex induſtria ſic pinxit, ut dubiam lectionem oſtenderet: certè enim Epanorthotes antiquioribus quibuſdam exemplaribus *dii* legi annotavit, atque ea eſt exemplaris noſtri P notati aperta lectio. Verùm ea nullam habet aut ex Græcis aut ex Hebraicis libris autoritatem. Hebraici libri habent [יוצרו 2 MS.] ימים . ימים יצרו *dies* ſignificat plurali numero, non *deos*. Verti autem poteſt & ἡμέραι ſeu *dies* primo caſu, & ἡμέρας ſeu *dies* quarto caſu. Redditur etiam aptè *diebus*, id quod vicinum eſt τῇ ἡμέρᾳ ſecundo caſu accepto, & ei quæ huic reſpondet Latinæ lectioni, *die*. Vox altera יוצרו vel præteritum eſt ex quarta conjugatione, vel futurum ex ſexta à themate יצר, quod *facere*, *fingere*, *formare* ſignificat. Patet igitur *formabuntur*, Latinè legendum eſſe; non *firmabuntur*, ut habent, cum Caſſiodoro, quædam Romani Pſalterii exemplaria. Manifeſtum etiam eſt πλασθήσονται Græcè ſcribendum eſſe, non πλησθήσονται, ut mutant nonnulla Græca antigrapha. Denique clarum eſt πλασθήσονται à πλάττομαι deducendum eſſe, non à πλήζομαι, ut S Auguſtini Interpres, qui vertit *Per diem errabunt*, deduxiſſe videtur. D. Hilarii Interpres ex ἡμέρας πλησθήσονται reddidit *Die replebuntur*. Euthymius Zygabonus, Græcanicus ſcholiaſtes, ἡμέρας πλασθήσονται legit, atque ut à πλάττομαι deductum exponit.

Pſal. 144 v. 7. Quædam manuſcripta legunt *Et juſtitiam tuam exſultabunt*, Pariſienſium Ge. ar. & V. cum Haymone, & Brunone Carthuſianorum inſtitutore: quo modo & in Hilarii commentariis, & in textu Proſperi expoſitionibus addito, legitur, & eſt ſenſus, Juſtitiam tuam exſultando celebrabunt, ſicut & in 50 Pſalmo dicitur, *Exſultabit lingua mea juſtitiam tuam*. Pleraque verò exemplaria cùm ſcripta tum excuſa, cum Ludolpho & aliis, ſcribunt, *Et juſtitiâ tuâ exſultabunt*, id quod Auguſtinianæ enarrationi conſentaneum, & Græcæ lectioni conforme eſt: καὶ τῇ δικαιοσύνῃ σου ἀγαλλιάσονται habent Græci codices. Senſus, præpoſitione additâ, patet; In juſtitia tua exſultabunt: quam præpoſitionem Latinum Hunnæi exemplar, V notatum, & Græcum Apollinaris Pſalterium, expreſſere. Ex Hebræo utrovis licet modo transferre וצדקתך ירננו; רנן & *exſultare*, & *laudare*, *cantare* atque *clamare*, ſignificat. Habent nonnulli libri, *Et judicia tua exſultabunt*: ſed id mendum eſſe vix eſſe dubium poteſt. Certè in adjuncto Euthymii commentariis textu vitium eſt manifeſtum. Quidam Coloniæ impreſſus codex, *Et juſtitiâ tuâ eructabunt*, ſcribit, verbo proximè antecedenti repetito; qui error eſt apertus. Goticum manuſcriptum legit, *Et juſtitiam tuam exaltabunt*. Verùm Græca vox ἀγαλλιόμαι, *exſulto*, non *exalto*, propriè denotat. Facilè ſcriptor mutandum judicavit *exultabunt* cum *exaltabunt*, tum quòd ſibi invicem ſimillimæ ſint voces, tum quòd nonnullum ſit orationis incommodum.

Pſal. 149. v. 9. Septimus, octavus & nonus hujus Pſalmi verſus, qui de exercenda in Dei adverſarios vindicta loquuntur, ambiguè cùm in Hebræo tum in Græco ſcripti ſunt, ità ut & ſingulari & plurali numero verti poſſint, ut vel ad Deum vel ad ſanctos Dei miniſtros referantur. לאסר לעשות נקמה τοῦ ποιῆσαι ἐκδίκησιν. מלכיהם לעשות בהם τοῦ δῆσαι τοὺς βασιλεῖς αὐτῶν. משפט τοῦ ποιῆσαι ἐν αὐτοῖς κῦμα. Chaldæus Paraph. eâdem ubique ambiguitate tranſtulit. Latinus noſter Interpres priores duos verſus dubio ſimiliter ſermone reddidit, *Ad faciendam vindictam. Ad alligandos reges eorum*. Tertium verò non ipſe quidem dubiè interpretatus eſt, ſed dubiè codices legunt. Quidam enim *ut faciat in eis judicium*, alii *ut faciant in eis judicium*, ſcribunt. Nos quidem nullum invenire potuimus codicem qui *ut faciat* ſcriberet: ſed Reverendiſſimum Dominum Lindanum veriſimile eſt reperiſſe: neque enim contra unanimem exemplarium conſenſum Pſalterium correxiſſet, *Ut faciat in eis judicium*. Hoc autem modo, numero inquam ſingulari, Euthymius Græcus Enarrator tum iſtud tum præcedentia intelligit. Sic ferè & Græcus poeta Apollinaris reddit carmine. Latini verò Tractatores, quotquot videre licuit, priora quidem exponunt, tertium autem planiùs & legunt & exponunt; plurali numero Arnobius, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper, Haymo, Remigius, & cæteri, quibus inter Græcos Chryſoſtomus & Theodoritus adſtipulari videntur. Plerique etiam Latini ex Hebræo interpretes eodem multitudinis numero tranſtulere, Hieronymus, Pratenſis, Campenſis, Flaminius, & alii. Pagninus dubia dubiè interpretatus eſt. Cæterùm eodèm redit ſive hoc ſive illo transferatur modo. Deus enim per ſanctos hoc exercere judicium intelligitur: & ſancti non niſi operante Deo, cujus exaltationes in gutture eorum, has referre victorias intelligendi ſunt. Quòd ſi ea in tranſlatione quæ ſingularem habet numerum *gladium* placent ſubaudire (eſt enim Hebraicè, *Et gladius anceps in manibus eorum*) nec illud aliter intelligendum erit quàm quòd per gladium hæc patraturi ſint ſancti. Græci & Latini multitudinis numero legunt, *Et gladii ancipites in manibus eorum*. Itaque *eorum* in ſequentibus verſibus, pluralis quidem numerus, ad *gladios* referri poteſt; ſingularis verò non commodè: ſed quocunque fiat modo, eodèm ſententia redit. Miratus ſum Caſſiodori commentarium exponentem, quòd bis acutus gladius reges compedibus liget, & vincula ferrea nobilibus injiciat. An, *Et gladius anceps in manibus eorum*, ſingulari numero legerit; an ex plurali ſingularem ſubaudiendo repetiverit; an quid aliud adſit, non ſatìs colligere poſſim: hoc ſaltem, quod maximè ad nos ſpectat, patet, *Ut faciant in eis judicium* ab ipſo lectum.

NOTATIONES IN LIB. PROVERBIORUM.

Prov. 3. 13.

Beatus homo qui invenit ſapientiam, & qui affluit prudentiâ] Quatuor vetera exemplaria, Ge. o. l. Di. o. l. legere à Pariſienſibus deprehenſa ſunt accuſandi caſu *prudentiam*: quibus nos unum Eccleſiæ D. Donatiani, & alterum Cardinalis Beſſarionis, obſervavimus eſſe conformia, quanquam litera *m* in illo raſa conſpiciatur, in hoc ſuperflua judicetur. Hinc ſumpta eſt conjectura, ſcriptores corruptè *affluit* per *a* primam vocalem, pro *effluit* per *e* ſecundam, ſcripſiſſe: nullo enim ſenſu dici poteſt *affluit prudentiam* (niſi fortè ſubaudias, quod ſæpe Græci, *ſecundùm*) ſed ſuum, qui tolerari poſſit, & loco conveniat, habet *effluit prudentiam*. Atque ex hac conjectura profluxiſſe exiſtimo quod ad Vulgatæ interpretationis marginem in Hebraicis Scholiis annotatur, *Legitur, & effluit prudentiam*. Poſt Pariſienſes Lovanienſis Doctor Hentenius quinque codices *effluit prudentiam* legere ſignavit, id quod in prima & poſterioribus editionibus conſpicere licet. An autem hos omnes ipſe repererit, & quidem *effluit prudentiam* ſcribentes, an verò quatuor illis Pariſienſium unum qui ſimiliter legeret adjecerit, eâ quam diximus probatâ conjecturâ, ignoro. Hoc ſcio, nullius noſtris 32 MSS. *effluit* legi. Porrò in ipſo quod à D. Hentenio impreſſioni paratum fuit prototypo invenio lectionem hanc abſque omni codicum numero ſcriptam. Unde dubitari fortaſſe poſſit, utrùm ab alio quinarius ille numerus adjectus ſit, ab ipſo autem fine numero ſcriptum, ut oſtenderet

ostenderet aut adulterinam, aut non tam ex codicibus quàm ex codicum corruptelis probabilem esse lectionem, *Effluit prudentiam*. Sed quidquid Hentenius invenerit, scripserit aut voluerit, dubium esse vix potest depravatam illorum codicum esse scripturam qui *affluit prudentiam* habent. Veruntamen cùm emendatissima sint exemplaria, non facilè sunt rejicienda: quin potiùs investigandum est, reservarisne germanæ scripturæ, quæ vulgò ignota sit, vestigium. Non parùm autem verisimilitudinis ex Hebraico fonte accipere possit τὸ *effluit prudentiam*. Nam יפיק ותבונה quod ibi legitur, Latini interpretes *educit*, seu *profert*, *intelligentiam* ferè transferunt: quibus Chaldæus consentiens, מביע ביונתא *eructat*, sive *profert*, *intelligentiam* interpretatus est. Cæterùm transferunt nonnulli, *hauriat intelligentiam*; id quod non parùm auxilietur vulgatæ lectioni, quæ plerorumque & codicum & enarratorum est, *affluit prudentiâ*. *Haurire* namque *prudentiam* est prudentiam abunde assequi. Atque ad hunc modum Hebraicam illam vocem יפיק & noster Interpres vertit c. 8. v. 35. *Et hauriet salutem à Domino*. Potuit igitur & hoc loco *haurire* intellexisse, ejúsque sensum expressisse, *affluere prudentiâ*: quod eò fiat verisimilius, quòd subjunxerit, *Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti*. Hinc enim intellexisse videtur, hominem hoc loco beatum prædicari ex eo duntaxat quòd sapientiam assecutus sit. Nam si ex utroque intellexisset beatum prædicari, quòd sapientiam & sibi sit assecutus & aliis effundat (id quod significari videtur si legas, *effluit prudentiam*) vertisset quod ad utrumque congrueret, *Melior est negotiatio ejus negotiatione argenti*: eadem enim vox סחר Hebraicè reperitur, quæ, sicut *negotiationis* vocabulum, & vendenti competit & ementi. Græca translatio huic nostræ accedit, *Beatus homo qui invenit sapientiam, & mortalis qui novit prudentiam. Melius enim est eam mercari quàm auri aut argenti thesauros*. D. Bernardus, sermone quem in hunc locum scripsit, *Sic invenies corde sapientiam*, inquit, *ore affines prudentiâ: sed affluere, non effluere vel evomere, cura*.

Cap. 3. v. 14. Quædam exemplaria ad hunc modum legunt, *Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, & auro primo fructus ejus*; quædam ad istum, *Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, & auri primi & purissimi fructus ejus*. Illo modo habent, cum uno Parisiensium, quinque Hentenii, Regísque & Clarii editio; isto quatuordecim nostra. Ex Hebræo utroque modo transferre liceat, כי טוב סחרה מסחר כסף ומחרוץ תבואתה, i. *Quia bona negotiatio ejus præ negotiatione argenti, & præ auro fructus ejus*; vel, *& præ* negotiatione *auri fructus ejus*. Noster interpres vocem חרוץ hoc loco non simpliciter *aurum*, sed *primum aurum*, vel *primum & purissimum aurum*, interpretatus est, quemadmodum Chaldæus Paraph. [o. יסניכא] דהבא " דנינא, i. *aurum purgatum*, reddidit. Potuit itaque transtulisse, vel, ut prior habet lectio, *Et auro primo fructus ejus* (sc. melior est) vel ut posterior, *Et auri primi & purissimi fructus ejus*. Ultra ejus germana sit versio nolim ego definire: sed hoc habeo, priorem in nostris MSS. non inveniri, posteriorem verò in emendatissimis quibusque esse, ut etiam in V. Bedæ commentario. Atqui malè nonnullis ità distinguitur, *ut primi & purissimi* ad *fructus* referatur, quasi *fructus* sit numeri pluralis primus casus, ejúsque attributa sint *primi & purissimi*, quæ & Richelii, Carensis ac Lyrani, nec non Bedæ, expositio est. Singularis enim numeri est *fructus*, & ad genitivum *auri* referenda sunt adjectiva *primi & purissimi*, subaudiendúmque *negotiatione melior est*; hâc nempe ratione, *Et auri primi & purissimi* negotiatione, melior est *fructus ejus*. Nec enim *fructus* cum eo quod sequitur jungendum est, *fructus ejus pretiosior est cunctis opibus*, quæ quorundam exemplarium distinctio est; præcedentibus enim nectunt cùm Hebraici & Chaldaici codices, tum Latini enarratores. Busslidiani Collegii antigraphum scribit, *Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, & auro primo & purissimo fructus ejus*, quod corruptè quidem scribit *argento*, sed quod deinceps, *auro primo & purissimo fructus ejus*, habet contemnendum non est: imò sincerius fortassis eo est quod in quibusdam codicibus haberi diximus, *Auro primo fructus ejus*. Nam neque in nostris MSS. libris, neque ab iis quos consulere licuit superioris ætatis Tractatoribus, *purissimo* prætermissum vidi. Indicat autem Busslidianum antigraphum, *i* literæ figuris *o* superpositis, eam lectionem quam cum secundo casu antè protulimus, quæ inter omnes sit verosimillima. Illa enim proculdubio notha est quam in plerisque codicibus, tum scriptis tum impressis, invenimus, *Melior est acquisitio ejus negotiationis auri, & argenti primi & purissimi fructus ejus*. Refert enim *primi & purissimi*, aut ad *fructus* aut ad *argenti*, quòd Interpres non retulit: turbatoque gradationis ordinem, quâ Sapiens hîc paulatim à pretiosis ad pretiosiora progreditur. Stabilit autem eam scripturam quæ nobis probabilior est, *Melior est acquisitio ejus negotiatione argenti, & auri primi & purissimi fructus ejus*.

Cap. 3. v. 25. *Ne paveas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum*] Quinque scripta *timore* habent: sed magis placet, quod pleraque servant, *terrore*. Est autem hîc *à* præpositio subaudienda, quæ Hebræis & Chaldæis exprimitur, *A repentino terrore*: vel subaudiendum participium *oborto*, aut simile. Busslidiani Collegii liber *repentinum terrorem* habet: ad similem modum emendatum est D. Hunnæi exemplar, I notatum, adjectis S literæ figuris, ità ut sit *repentinos terrores*. Atque hoc modo conformis sit prior hujus versûs pars posteriori, *Et irruentes tibi potentias impiorum*, quæ & Hebraicè consimiliter scribuntur: *nè paveas*, vel *non pavebis*, *à terrore repentino, & à desolatione impiorum cum venerit*.

Hâc posteriori versûs parte manuscriptum O prætermittit & conjunctionem: quasi sit totius versûs una sententia, Nè facilè terrearis ob irruentes in te potentias impiorum. Atqui non est ad hunc modum legendus locus: est enim & conjunctio, cùm in plerisque omnibus Latinis libris, tum in Hebraicis, Chaldaicis & Græcis. Rursus Busslidianum exemplar contra alia omnia *irrumpentes* scribit, pro *irruentes*, minùs rectè, ut opinor. Certum porrò est, adulterinum esse quod habet M, *intuentes*. Error ex eo admissus est, quòd codices antiquiores *inruentes* scribant, ut in plerisque compositis verbis integras præpositiones. Nonnulli typis excusi codices legunt, *Et irruentes tibi ruinas impiorum*. Complutensis, atque ex eo Regius & Parisiensis annì 1551, *ruinas* habent pro *potentias*: contra MSS. exemplaria universa, quæ, post Hentenium & Parisienses, nos consuluimus, contráque Enarratores, Bedam, Carensem, Richelium. Hebraica vox est שאה, quæ *desolationem, devastationem, tumultum* significat. Lxx transtulerunt ὁρμὴν, i. *impetum*; *Et non timebis terrorem supervenientem, neque impetus impiorum irruentes*. *Potentias*, generalius id est: *ruinas* ad desolationem, devastationem atque impetum propiùs accedit.

Cap. 4. v. 16. *Non enim dormiunt nisi malefecerint: & non rapitur somnus ab eis nisi supplantaverint.*] Manuscriptorum nostrorum quindecim, & quidem antiquiora atque emendatiora, cum Hugone Cardinali, absque negatione legunt, *Et rapitur somnus ab eis*; id quod Græco textui consonat, ἁρπάζεται * ὕπνος ἀπ' αὐτῶν, [* ὁ Gg.] *rapitur somnus ab eis*. Consonat & Chaldaico, ופרידה שנתהון *& dividitur somnus eorum*. Denique conforme est Hebraico ונגולה שנתם, quod est ad verb. *Et rapitur somnus eorum*. Quidam interpretantur, *Et fugit somnus ab eis*. Hoc itaque modo, absque negatione, inquam, *Et rapitur somnus ab eis*, legendum censet Epanorthotes, cujus judicium propterea semper facimus magni, quòd comperiamus eum antiquos, ut solet appellare, eósque integerrimos, codices secutum. Porrò quia existimatum est istud, *Et rapitur somnus ab eis*, priori versûs istius parti,

parti, *Non enim dormiunt*, repugnare, judicatum est à mendo vindicandum additâ negatione, *Et non rapitur somnus ab eis* (cujus meminit Cardinalis) quod quidam scripserunt, *Nec rapitur somnus ab eis*, quæ Richelii est lectio. Quia verò incommoda visa est hæc sententia, quòd inusitata appareat loquendi forma, *somnum rapere*, mutatum est *rapitur* cum *capitur*: id enim legunt nonnulli tum scripti tùm impressi libri. Ità errorem traxit error. Verumenimverò etsi erroris meritò arguenda videatur ista in Vulgata editione scriptura, *Et non rapitur somnus ab eis*, tamen Hebraico texui non refragatur: imò verò quidam ex Hebræo interpretes, & nominatim Santes Pagninus, hoc ipso modo transtulerunt (*Nec rapitur somnus eorum*, Pagninus habet.) Negationem enim, quæ est in priore versûs parte, in posteriori subaudiverunt, quod Hebræis non rarum est. Similis est huic locus Prov. 30. 3. *Non didici sapientiam, & novi scientiam sanctorum*: ubi etiam & codicum Vulgatæ editionis & Interpretum quidam cum negatione posteriorem partem scribunt, quidam sine negatione; id quod ibi annotatum est in margine Bibliorum. Sensus verò istius, *Et non rapitur somnus eorum*, seu *ab eis*, is est qui præcedentis partis, *Et non dormiunt*, mutato enim dicendi genere idem dicitur iterum. Amplius tamen aliquid hâc repetitione significatur, nimirum quòd cùm etiam prostraverint aut circumvenerint aliquem impii, somnum non tam capiant quàm rapiant. *Rapiunt* verò *somnum*, quia aut interdiu dormiunt, noctu insontibus perniciem machinati; aut brevem & quasi furtivum dormiunt somnum, ut quamprimum ad sua negotia redire possint. Non enim sibi somno vacandum putant quibus ea sunt assidua studia, quæ & dies facilè desiderent & noctes; dies ut consilia capiantur, noctes ut capta consilia perficiantur. Porrò quando sine negatione legitur, *Et rapitur somnus ab eis*, non tam significare videtur quòd ipsi somnum rapiant (nam id fortasse significari possit) quàm quòd somnus ipsis violenter abripiatur præ eo quo fervent malè agendi desiderio. Etsi autem ista lectio, *& non rapitur somnus ab eis*, commodè possit & intelligi & ex Hebræo transferri, non ideo tamen in Vulgatæ editionis textum recipienda est, quippe quæ, quod fide digniores loquuntur codices, non Vulgati Interpretis scriptura sit. Sed si cui omnino ea placeat, poterit istam quæ germana est, nostrâ sententiâ, vulgati Interpretis scriptura, *Et rapitur somnus ab eis*, Hebraicâ phrasi intelligere, subaudiendo in posteriore parte prioris negationem. Et idcirco fortassis Hebræo conformiter Interpres transtulit, ut sicuti ipsum pluribus potest modis intelligi, ità posset & translatio.

C. 10. Post versum hujus capitis quartum multi Latini libri hoc proverbium habent, *Qui* * *nititur*] * *autem* 6 MS. *innititur* 3 *MS.*] *mendacium, hic pascit ventos* [*ventum* 1 MS.] *idem autem ipse sequitur* [*persequitur* 1 MS.] *aves volantes*: id quod prætermittunt antiqui codices Hugonis Cardinalis, antiqui Epanorthotæ, antiqui F. Dominicanorum, qui ante annos 300, ex codicibus Caroli Magni jussu conscriptis, Biblia, aut Bibliorum partem, in Francia emendarunt; quidam Lugdunenſium, quidam Parisiensium, octo Hentenii, & novem nostri. Richelius cum Lyrano exponit: Beda presbyter, cujus esse nos cum multis doctis viris existimamus eum commentarium qui in D. Hieronymi operibus exstat, non agnoscit. Hugo Cardinalis aliis hujus loci parabolis similem non esse judicat. Græca pleraque antigrapha scribunt, non quidem hoc, sed superiori capite: Hebraica verò & Chaldaica & Græca Regiæ editionis neque hoc neque illo capite legunt. Habent autem Græca illa pleraque antigrapha hunc ad modum, ὃς ἐρείδεται ἐπὶ ψεύδεσιν, οὗτος ποιμαίνει ἀνέμους, ὁ δ' αὐτὸς διώξεται ὄρνεα πετόμενα· unde patet Latinè non legendum esse *spargit*, quo modo exemplar quoddam habuit, sed *pascit*; nec scribendum esse *id est*, quæ quorundam scriptura est, sed *idem*, ut quidam, vel *idem ipse*, ut alii, vel *idem autem ipse*, ut denique alii habent. Decimo capite legunt Græci libri, istius sententiæ loco, aliam (decimo enim capite constanter legitur: nono autem ab emendatoribus, Vaticano & Complutensi, omittitur) quæ hujusmodi est, ὁδὸς πενιχρὰ καὶ σοφὸς ἀνὴρ πρὸς ἣν ἀφεῖναι διανοῦν χρήσεται· quam Hebraica, Chaldaica & Latina exemplaria concorditer constantérque, cùm nono tum decimo capite, prætereunt. Porrò D. Augustinus, qui ex Græco versâ editione est usus, & hanc & priorem illam citat; hanc lib. 5. in Julianum cap. 10. & lib. 16. De civitate Dei cap. 2. *Filius eruditus sapiens erit: imprudente autem ministro utetur*; illam lib. 3. Contra Cresconium cap. 9. *Qui fidit in falsis, hic pascit ventos*.

C. 11. v. 13. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum*] Quidam codices *amici*, quidam *animi* legunt: illud qui legant, passim obvii sunt: hoc habent antiqui Epanorthotæ atque antiqui nostri, Brugensis, Lobiensis, Leodiensis (in hoc enim, quæ est posteriorum syllabarum mutatio, recens est) duóque præterea non contemnendæ antiquitatis integritatísque literis P & L notati. Manuscriptus liber, quem præceptori ac domino meo colendissimo D. Johanni Harlemio Christophorus Plantinus donavit, & alter ipsius Plantini quem medium appellamus, ac tertius Buslidiani Collegii, varietatem testantur. Dominicani illi ex Francia, in calce libri, hunc in modum adnotarunt, *Quidam dicunt*, Celat animi commissum; *alii*, Celat amici commissum. *Hebræus neutrum habet, sed simpliciter*, Celat commissum. Hæc ibi. Utramque lectionem nonnulli hoc modo conjunxerunt, *Qui autem fidelis est animi, celat amici commissum*: sic enim in Bibliis, & Dionysii Carthusiani commentariis Coloniæ excusis, legitur. Et quidem satis arbitror esse certum, non utrumque legendum esse: sed utrum, jam nobis est declarandum. Non obscurè autem ostendit correctissimorum illorum exemplarium consensus *animi* legendum, non *amici*: verùm ex prototypis commonstrandum id est. Hebraici codices habent ונאמן רוח מכסה דבר, quod est, *Et fidelis spiritu celat verbum*. Chaldaici scribunt, ומהימן ברוחה מכסי מלתא, h. e. *Et qui fidelis est in spiritu suo celat verbum*. Græci legunt, πιστὸς ἢ πνεῦμα κρύπτων πράγματα, i. *Fidelis autem spiritu celat res*. Quænam hic est *amici* mentio, & quæ non *animi* concors commemoratio? Sed in eo recedere videtur hæc latinorum lectio, quòd τὸ *animi* ad *commissum* referat (*Qui autem fidelis est, celat animi commissum*) quò nec Hebræa, nec Chaldæa, nec Græca referunt (eis enim, vel ad *fidelis* vel ad *celat*, respicit *spiritu*) nisi præter Grammatices regulas Hebræa intelligantur, id quod antiquis Interpretibus non infrequens fuit, dum rectam vocem regenti intellexerunt præpositam. Cæterùm huic incommodo facilè occurras si, dictionibus transpositis, eo ordine legas quo Hebræi, Græci & Chaldæi, *Qui autem fidelis est animi celat commissum*: sic enim *animi* ad *fidelis* referri possit, ità ut idem sit quod, *Qui fidelis est spiritu*. Ac sanè hoc ordine nonnulli Latini codices legunt, A. & Q. *Qui autem fidelis est amici celat commissum*. Lobiensis Abbatiæ antigraphum, atque alterum D. Hunnæi, L literâ insignitum, *Qui autem fidelis est animi celat commissum*; quanquam Lobiense ità distinguat ut *animi* ad sequentia referendum ostendat, quo modo intelligi possit.

C. 12. v. 11. Sententiam istam, *Qui suavis est vitis in moderationibus, in suis monitionibus relinquis contumeliam*, quam vulgares Latinorum codices post versum hujus capitis undecimum habent, emendatiores aut transfigunt, aut penitus tollunt; tredecim nostri, octo Hentenii, quatuor Parisiensium, quidam Lugdunenſium, antiqui Dominicanorum, & antiqui Epanorthotæ. Nec mirum: namque quam in Hebræo non habuit, Interpres non dedit. Quamobrem nec Chaldæus suâ Paraphrasi illustravit. Est autem ex Græcis libris sumpta, quibus multæ hujuscemodi γνῶμαι leguntur, quæ nec in Hebraicis, nec

nec in Chaldaicis, nec in Latinis, sinceriorib⁹ præsertim, reperiuntur. Ea verò de qua nunc agimus, quibus in reperitur Latinorum libris, tam est plerisque omnibus depravatè scripta quàm quæ depravatissimè. Quam ob causam operæpretium erit Græca verba in medium proferre, ut quæ ex Latinis codicibus paucioribus colligi potest germana lectio, Græci fontis testimonio firmetur. Habent igitur Græca hunc in modum, Ὃς δὲν ἡδὺς ὁ οἶνον διατιθεῖς, ὁ τοῖς ἴδιοις ὀχυρώμασι καταλείψει ἀτιμίαν. Hinc manifestum evadit *vivit in* corrigendum esse, ut habent tria ex nostris scriptis, & sex ex impressis exemplaribus, *in vini*. Dein clarum fit pro *moderationibus* scribendum esse, transpositis prioribus syllabis, *demorationibus*, id quod habent Quenteliana Biblia. Postremò, elucet *munitionibus* cum *munitionibus* mutandum, quod in uno scripto tribúsque impressis invenimus. Mirum est in tantâ mendorum frequentia nihil à Lyrano, Carensi aut Richelio animadversum. Est igitur, sublato omni mendo, integra sententia, *Qui suavis est in vini demorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam*: cujus sensus est, Quem delectat in vini potatione versari, is familiæ suæ pro hereditate ignominiam relinquit.

C. 12. v. 12. Hebraicè legitur חמד רשע מצוד רעים: quod neoterici Interpretes ferè transferunt, *Desideravit impius rete malorum*, h. e. rete quod in justorum exitium extendere solent mali, artes nempe quibus circumvenire solent justos, ut venatores feras, & aucupes aves. Noster Interpres vertit, *Desiderium* [חמד nomen est, ut חמר verbum.] *impii munimentum est pessimorum*: sic enim R^mus D. Jansenius legendum existimat, *munimentum* pro *monimentum*. מצוד enim *munitionem* seu *munimentum* denotat, si מ ut radicalis seu essentialis litera accipiatur. Nam si à צוד, quod *venari* est, deducatur, *rete* designat. Cæterùm non reperimus nos in manuscriptis nostræ editionis exemplaribus *munimentum*; duntaxat *monimentum*, vel, quod idem est, sed cùm emendatius tum frequentius, *monumentum*. Neque aliud Hentenius, Parisienses, Lugdunenses, aut S. Dominici fratres annotarunt. Epanorthotes habet, *Desiderium impii monumentum est pessimorum, vel secundùm eundem Bedam, Monumentum, vel secundùm Hebræum, Munimentum. Simile Isa.* 33. 16. *Munimenta saxorum*. Hæc Epanorthotes, in quibus primo loco legendum opinor *monimentum*. Advertit Corrector diligentissimus *munimentũ* ex Hebræo legendum esse; sed non se dicit id in aliquibus Latinis codicibus reperisse. Porrò sunt hodie impressi quidam libri, unus à Quentelio anno 29, alter, quod Jansenius habet, ab Euchario anno 30, qui *munimentum* disertè habeant: quorum si ex sinceris codicibus sumpta est lectio, omnino est amplectenda; si verò eorum qui correctioni præfuerunt arbitrio est substituta, nihilominus magni est facienda: fit enim vero simillimum ab Interprete quidem hoc modo conversum, à scribis autem affine nomen affini commutatum. Non enim vox Hebræa *munimentum* sed *munimentum* verè significat: atque hoc eam modo tum aliis locis tum Eccles. 9. 14 Interpres transtulit, *Exstruxítque munitiones per gyrum*. Græci ad eundem modum hoc Proverbiorum loco ὀχύρωμα reddiderunt: id quod Dominus Jansenius doctè animadvertit. Chaldæus Hebraicæ similem vocem dedit, מצודתא, similem non literis tantùm sed etiam significatione, quæ possit & *munimentum* & *rete* exponi. Non potest igitur non esse probabile, Interpretis genuinam scripturam esse, *Desiderium impii munimentum est pessimorum*: cujus sensus non obscurus est. Desiderat impius ut quos habet in impietate socios muniti sint ac tuti, ità ut prævalere nequeant eis justi, sed justis ipsi prævaleant. Verùm enimvero Beda, & posteriores Vulgatæ editionis expositores, Lyranus, Carensis, Richelius, *Desiderium impii monumentum est pessimorum*, manifestè legunt. Id autem non procul abscedat ab ea quam primùm adduximus Neotericorum ex Hebræo interpretatione, si ea intelligantur antecessorum monumenta quibus suæ malitiæ artes tradiderunt.

C. 14. v. 16. *Sapiens timet & declinat à malo: stultus transilit & confidit*] Conjicit D. Jansenius *transit*, vel *transivit*, pro *transilit* legendum esse, quòd Hebraica vox *transire* significare possit, non *transilire*. עבר in prima conjugatione, extra omnem controversiam, *transire* significat; in postrema, Hebræorum sententiâ, *irasci* denotat. Hunc itaque locum, quia participium postremæ conjugationis מתעבר legitur, vertunt, *Stultus irascitur* bene monentibus, *& confidit*. Sed noster Interpres eâ significatione quam in prima conjugatione radix habet interpretatus est, *Stultus transit, & confidit*: sic enim Doctoris Hunnæi manuscriptum, M notatum, scribit: ad eundem modum Rodolphus Baynus, insignis Enarrator, legit. *Transibit*, quod est in exemplari Societatis Jesu rubro, ac Dionysii Carthusiani commentariis, & *transivit*, quod in Lexico Pagninus habet, minùs congruunt cùm Hebraicæ dictioni tum iis quæ in hac sententia præcedunt & sequuntur. Cæterùm à plerisque omnibus codicibus, etiam emendatissimis, & Beda tractatore, *transilit* legitur: id quod à *transit* parùm discrepat: *transilire* enim est saliendo transire, quod verè stulti est, in re præsertim periculo plena.

* C. 14. v. 33. *In corde prudentis requiescit sapientia, & indoctos quoque erudiet*] Alii codices legunt, *Et indoctos quoque erudiet*. Utra germana sit lectio colligi haud facilè potest: parùm namque ex Hebræo patet, & est etiam inter correctissima exemplaria varietas. Cæterùm ex eo verisimilior fit prior, quòd Hebraicam sententiam pleniùs explicare videatur. Ad verbum Hebraicè est, *Et in medio stultorum cognoscetur*; illud *in medio stultorum* exposuisse Interpres videtur *indoctos quoque*: quòd si *quoque* legas, non est quod respondeat illi *in medio stultorum*. Porrò Parisienses ex suis codicibus correxerunt *quoque*; id quod significat, ità in prudentis corde sapientiam requiescere, ut eam opportunitate oblatâ ad indoctiorum instructionem effundat. Chald. paraphrasis est, *Et in medio stultorum stultitia cognoscetur*.

C. 15. v. 28. *Mens justi meditabitur* [*meditatur* 12 MS.] *obedientiam*] Pro *meditabitur* MSS. nostra emendatiora, cum duobus Parisiensium præstantissimis exemplaribus, & Dionysii Richelii commentariis, præsenti tempore *meditatur* legunt. Atque id congruit alteri hujus sententiæ parti, *Os impiorum redundat* [*redundabit* 1 MS.] *malis*. Futuri temporis verba, quæ Hebraicè leguntur, per præsens tempus aptissimè Interpres exposuit.

Est altera hoc loco varietas, quâ *sapientiam* alii scribunt, quod alii *obedientiam* legunt. Septem Hentenii manuscripta, & quatuordecim nostra, cum Regis & Quentelii editionibus, & Carensis enarratione, *sapientiam* habent: antiqui Epanorthotæ codices & ex nostris 14 *obedientiam* scribunt. Utramque lectionis varietatem alia quinque ex nostris antigraphis indicant. Hebraicè est לב צדיק יהגה לענות: quod plerique hodie interpretantur, *Cor justi meditabitur ad respondendum*. Cum hac interpretatione non malè convenit isti lectioni, *Mens justi meditabitur sapientiam*. Justus enim interrogatus meditatur quo modo sapienter respondeat. Hinc Parisienses, ex Complutensi editione, *sapientiam* emendarunt. Porrò autem non eam quæ Hebraicè est vocem interpretatus est, sed id solum quod subauditur Interpres reddidit, si ejus hæc germana est versio. Verùm aliud loquuntur spectatiora manuscripta: ea enim constanter scribunt, *Mens justi meditabitur obedientiam*. Atque hoc ipsi Hebraicæ voci respondet. ענה namque ut *respondere* significat, ità & *humiliari*, atque hinc *obedire*: unde illud, Eccles. 10. 19. *Pecunia obediunt omnia*. לענות igitur, quod ad verb. esset *ad obediendum*, dilucidiùs exposuit Interpres *obedientiam*, quæ & Lyrani, Richelii atque Arborei est lectio. Nam ex Beda nihil liquet. Est igitur loci incorrupta & genuina scriptura, *Mens justi meditatur obedientiam*. Depravationem contigisse existimaverim, ex illo huic simillimo

limo Psalmi 36 versiculo 30. *Os justi meditabitur sapientiam:* qui eò scriptoribus notior fuit, quòd in divino Catholicæ Ecclesiæ officio inter Sanctorum encomia frequentetur. Unum ex D. Hunnæi manuscriptis, G appellatum, legit, *Mens justi meditabitur justitiam*; nempe id scriba convenientius esse judicavit. Cæterùm non longè à Græca interpretatione recedit, quæ hujusmodi est, [Basil. anni 50.] καρδία [καρδίαι Vat. Ald. Arg.] δικαίων μελετήσει [μελετῶσι, Vat.] πίστιν, *Cor justorum meditabitur fidem*; vel, ut in Regia est editione, καρδίαι δικαίων μελετῶσι πίστεις. Similis est Chald. paraphrasis, לבא דצדיקא יאנא [דאני בחימנותא, *Cor justi meditabitur in fide.*

C.16.v.11. *Pondus & statera judicia Domini sunt, & [MS. H.] opera ejus * omnes [* & o.] lapides seculi.]* *Seculi* legunt, cum V. Beda & D. Salonio, omnes propemodum codices, quos cùm nos tum plerique alii ante nos videre. Porrò Parisienses tres adferunt qui *sacculi* habeant: hanc enim lectionem omnes desiderant, Lyranus, Epanorthotes, Dominicani, & alii complures: sed nulla sunt ab eis reperta exemplaria quibus illam comprobent. Illa autem Parisiensium exemplaria sunt, S. Germani oblongum, S. Dionysii oblongum, & Complutense. Additur & Sorbonicum correctorium; sed ejus sola fortassis est conjectura, ut nostrorum correctoriorum. Complutensi editioni respondet Regia, ut aliàs semper. Ex Christophori Plantini manuscriptis unum, quod latum diximus, *sacculi* habet, verùm recentiori scripturâ. Ex D. Hunnæi libris, qui K. vocatus est, in margine annotat, *vel, Sacculi.* Tantum nos invenimus. Cæterùm MSS. exemplarium pars maxima contractè scribit scli, quod quidem, ex communi scribendi qui nunc est usu, est *seculi*, sed ex vi literarum non minùs possit *sacculi* esse. Et fortasse priscis *sacculi* ad hunc modum scribi potuit, scriptúmque hoc loco est quod posteriores, suæ ætatis more (ut frequenter tempus hujuscemodi immutat) *seculi* legerunt, & vel *seculi* descripserunt, vel scli ad eum modum, sed pro *seculi* transsumpserunt. *Sacculi* autem scripsisse Interpretem verisimillimum, imò verò certum, ex Hebræo fit. (*Opus ejus omnes lapides sacculi*, est Hebraicé.) Nam quæ Hebraicè est vox, כיס, *sacculum, marsupium, crumenam*, nullo verò pacto *seculum*, denotat. *Sacculum*, consentientibus sibi codicibus, Interpres vertit Deut.25.13. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus & minus:* quod in Hebræo ad verb. est, *Non erit tibi in sacculo tuo lapis & lapis, magnus & parvus.* Similiter Interpres vertit Isai.26.6. *Saccellum* dixit Mich. 6.11. *Numquid justificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa?* *Marsupium* interpretatus est hujus ipsius libri c.1.14. *Marsupium unum sit omnium nostrûm.* Quomodo igitur qui aliis omnibus locis *sacculum, saccellum*, vel *marsupium*, transtulit, hîc *seculum* potuit transtulisse? (nam quantum indicant Hebraicæ Concordantiæ, non aliis locis vox ista legitur.) Quomodo non magis probabile fiat, etiam si nulli suffragarentur codices, *seculum* à Latinis pro *sæculo* scriptum? *Seculum* Hebraicè עולם dicitur, cui cum כיס nè literula quidem communis est, ut nequis fortè existimet Hebræis, ex dictionum similitudine, varietatem accidere potuisse. Quanta sit autem Latinarum dictionum similitudo atque affinitas, nemo est qui non videat. Ex hac igitur dubium esse non potest quin in Latinos codices error irrepserit. Vel enim, quod antè diximus, *sacculi* contractè scriptum est scli, ac postea lectum *seculi*: vel quod F. Dominicani annotarunt, in *sacculi* integrè scripto prius *c* pro *e* est lectum, ità ut putaretur *saeculi* cum diphthongo esse (ea est enim antiquis libris scribendi consuetudo vocales nimirum ex quibus diphthongus conflatur separare, ad quem modum Brugense MS. hoc loco habet *saeculi:*) vel denique inconsideratè, quia vicinæ sunt dictiones, pro *sacculi* lectum est *seculi*, præsertim cùm quidam unico *c*, *saculo* scribant. Potuit &, quod suâ probabilitate non caret, ex scribarum aut lectorum imperita temeritate depravatio contigisse, quòd nescirent qui essent *lapides sacculi*, & cur dicerentur *opera Domini*. Sunt autem *lapides sacculi* lapides ad ponderandum assumpti & sacculo conservati. Lapidibus enim ponderum genera prisci Judæi distinguebant, eósque in sacculis reponebant. *Lapides sacculi sunt opera Domini*, quia suum eis Dominus, sive per se, sive per Reipubl. gubernatores, statuit pondus, quod mutari non vult. Sensum Græci & Chaldæus reddidere; illi, *Opera autem ejus pondera justa*; hic, *Et opera ejus omnia pondera veritatis.*

C.17.v.16. Sententiam istam, *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam: & qui evitat discere* [*ducem*, o. *discedere*, o.] *incidet* [*incidit* 12 MS.] *in mala*, quam complures codices v.16. hujus capitis subjiciunt, multi prætermittunt, novem nostri, novem Hentenii, septem Parisiensium, quidam Lugdunensium, antiqui Dominicanorum, & antiqui Epanorthotæ. A Beda tractatore præteritur: in Hebraicis libris non legitur: Chaldaicis postremò exemplaribus non additur. Est autem ex Græcis antigraphis sumpta, quibus ad hunc legitur modum, ὁ ὑψηλὸν ποιῶν τὸν ἑαυτοῦ δίκιον, ζητῶν συντριβήν· ὁ δὲ σκολιάζων τῇ μαθεῖν, ἐμπεσεῖται εἰς κακά. Constat hinc, non *ducem*, nec *discedere*, Latinè legendum, quæ exemplarium quorundam est lectio, sed *discere*. Videtur autem versus iste ex aliis hujus capitis locis huc coactus. Prior enim pars, *Qui altam facit domum suam, quærit ruinam*, paulò pòst, v.19. habetur, cùm dicitur, *Et qui exaltat ostium suum, quærit ruinam* (sic enim legitur in Regiæ editionis textibus, ut Hebræo & Chaldæo, ità & Latino) id quod eo loci plerique Græcorum codices (Complutensis, atque ex eo Regius, Aldinus, Argentoratensis, Basileensis) tanquam prius lectum, prætermittunt: Sed Vaticanus his verbis habet, ὑψῶν θύραν ἑαυτῷ, ζητῶν συντριβήν· quanquam, ut nobis signatum est, ejus loco quod est in exemplaribus, Aldino, Argent. & Basil. ὅτι ὁ ἀπ' ἑαυτῷ χήλιον πῦρ ἀναπτέζει, h.e. ante istud φιλαμαρτήμων χαίρει μάχαις, *Qui meditatur discordias, diligit rixas*, cui in Hebræo, Chaldæo & Latino subjungitur. An autem primam illam Græcorum librorum sententiam (ὁ ὑψηλὸν ποιῶν ἢ τὰ ἐξῆς) Vaticanus omittat, ignoro: hoc indicatum habemus, quòd ζητῶν demat, id quod qui solum demi possit non facilè video. Posteriorem partem, *Et qui evitat discere, incidet in mala*, non invenio ipsam quidem alio hujus capitis loco; verùm non absimilem v.20. *Et qui vertit linguam, incidet in malum:* quanquam ea suo loco Græcis libris constanter legatur, hoc pacto, Ἀνὴρ ὁ μετάθεσιν γλώσσης ἐμπεσεῖται εἰς κακά.

C.20.v.25. Multiplex hoc loco varietas est, quam nobis indocta scribarum lectorúmque audacia peperit. Una est, *Ruina est homini* [*hominis* 1 MS.] *devovare sanctos.* Ità namq; ex scriptis nostris habent duo. Altera, *Ruina est homini* [*hominis* 2 MS.] *denotare sanctos*, sic tria nostrorum manuscriptorum. Tertia est, *Ruina est homini* [*hominis* 8 MS.] *devotare sanctos*, quæ complurium est librorum, tum scriptorum tum impressorum. Huc referenda est Busslidiani codicis lectio, *Ruina est hominum devovere sanctis.* Quarta varietas est, *Ruina est homini* [*hominis* 2 MS.] *devorare sanctos*, quæ reperta est in exemplaribus, nostris tredecim, Parisiensium quinque, & antiquis Epanorthotæ. Huic eam adjicimus quam quidam codices, Pagnino referente, habent, *devorare sancta.* Quadruplici isti varietati Latinarum vocum affinitas occasionem dedit: unicâ enim literâ à se mutuò discernuntur *devovare, devotare* & *devorare*; duabus literulis ab his differt *denotare.* Eam itaq; vocem substituit quisque quæ sibi loco convenientior videbatur. *Devocare sanctos* intellexisse videntur, sanctos in cœlo regnantes in auxilium orationibus & promissionibus vocare: id enim ruina est homini si promissa non solvat, quod habet altera versûs pars. *Denotare sanctos* exponunt, sanctos vitiis & contumeliis aspergere. *Devotare sanctos* Bedæ & Salonio est (hæc enim eorum videtur lectio) obstringere se voto ad persequendos sanctos; Lyrano

verò

verò & Carenſi, ſanctis vota nuncupare; Richelius addit, frequenter: Hoc enim laqueus eſt ei quem poſtea votorum pœnitet. *Devorare ſanctos* non incommodè accipias pro, ſanctos juſtóſque viros bonis exuere, aut vitâ ſpoliare: quòd ſi *ſancta* ſcribas, ſignificat rebus Deo conſecratis abuti. Ex variis quæ propoſitæ ſunt lectionibus reſtat ut eam quæ Interpretis genuina eſt ſcriptura, inquiramus. Prima, *devocare ſanctos*, nihil accipit, aut ex multis, aut ex emendatis codicibus, probabilitatis: proinde ut obſcura eſt, ità quæ obſcura maneat digna. Secunda, *denotare ſanctos*, non abſimilis eſt, ideóque meritò à Reverendiſſimo Domino Janſenio depravationis inſimulata. Tertia, *devotare ſanctos*, multis codicibus nota eſt, habétque ex quorundam de Hebræo tranſlationibus veriſimilitudinis nonnihil. Vertunt enim quidam, *Laqueus eſt homini cùm locutus fuerit* (לוּץ enim etiam *loqui* ſignificat) *ſanctificationem*, vel *ſanctificatio eſt*: quod eſt, cùm voverit quippiam: ad quem modum diſertè interpretatus eſt Paraph. Chaldæus, *Laqueus eſt viro qui vovit ſanctitatem*, vel, ut nonnulli expoſuunt, *ſanctuario*. Eodèm ſpectat Græcorum tranſlatio, *Laqueus eſt viro celeriter quippiam ſuorum conſecrare*. De voto verſiones iſtæ loquuntur, ac proinde aliquid conferre videntur tertiæ de qua agimus lectioni. Verùm non ea eſt ejus quæ verſionum illarum ſententia: ac planè barbarum eſt, & ſine ſenſu, *devotare ſanctos*. Dubium eſſe vix poteſt quin ex alio eóque ſimili mutatum ſit, quia putabatur ex altera verſûs parte de votis hîc eſſe ſermonem. Quòd ſi ſumas *devovere ſanctis*, quod unus Buſlidianus codex ſcribit, quis id non videat ad evitandam barbariem ſubſtitutum, quod ab ea quæ illarum lectionum eſt inter ſe affinitate recedit? Repudiatis igitur aliis, quarta quæ reſtat lectio, *devorare ſanctos*, veriſimillima eſſe probanda eſt. Eſt in exemplaribus non paucis, iſſque ſanè antiquioribus & emendatioribus, id quod vel ſolum ſufficere poſſit. In multis fuiſſe conſpicitur, ſed recentiori ſcripturâ mutatâ, *t* ex *r* formato. Erroris ſcioli quod non intellexerunt condemnarunt. Porrò Hebraicæ veritatis fons diſertè hanc adſtruit ſcripturam. לוּץ enim, à quo eſt quod hîc legitur futurum יִלַּע, *abſorbere, deglutire* & *devorare* ſignificat. Unde vertunt plerique, *Laqueus eſt homini devorare*, aut *deglutire, ſanctificatum*. *Sanctificatum* autem dicunt ſive *ſanctum*, neutro genere, quia קֹדֶשׁ, quod Hebraicè ſcribitur, *ſanctitatem*, & *rem ſanctam Deóque dicatam*, denotat. Atque in hunc modum Latinis quibuſdam codicibus *devorare ſancta* legi in לוּץ Pagninus dicit: ſed nos *ſancta* reperire minimè potuimus, duntaxat *ſanctos*, aut, quod in uno eſt, ſtis deprehendimus. Videtur itaque Interpres noſter קֹדֶשׁ legiſſe, quod eſt *ſanctus*, & ſingularem numerum plurali expoſuiſſe. Hoc ergò modo, quem inter hujus loci varietates quartum collocavimus, *Ruina eſt homini devorare ſanctos*, Epanorthotes legendum pronunciat. Hanc, ut germanam noſtræ editionis ſcripturam, in textum Pariſienſes receperunt. Hentenius quoque in textum tranſtulit, quod in eis quæ manu propriâ correxit Bibliis [aſſervantur Lovanii in Collegio Patrum Societatis Jeſu] licet videre, quamvis in editionum neque textu neque margine conſpiciatur. Eandem ipſam, ut genuinam Interpretis verſionem, doctiſſimus Gandavenſium Antiſtes probat.

Altera verſûs iſtius pars, *Et poſt vota tractare*, corruptorum evadere non potuit manus. Cùm enim hîc de votorum agi reſciſſione exiſtimarent, potiùs *retractare* quàm *tractare* congruere judicarunt. Sed bene eſt quòd integriores pleroſque libros, quos, poſt Epanorthotem, nos vidimus, temerare non potuerint. Quamvis enim ei quem ipſi viderunt ſenſui non malè conveniat *retractare*; aliis, qui fortaſſe præferendi ſunt, parùm congruit. Hebraicè non aliud eſt quàm, *Et poſt vota quærere*, ſeu *tractare*: quod non abſurdè intelligatur, ruinam etiam eſſe homini ſi poſt vota tractet quomodo à votis expediri queat (quod eſt, *vota retractare*) aut, utrùm quæ vovit reddere poſſit. Sed videtur Interpres noſter ità accepiſſe ut pendeat omnino ex priori parte, in hunc aut ſimilem ſenſum, Graviſſimæ ruinæ ſibi eſt occaſio qui, poſtquam ad ſe rapuit ſanctorum juſtorúmque bona, & devoravit innocuam Dei plebem, velut eſcam panis, ad vota convertitur. Sic enim ſolent ſub mortem fœneratores, & alii Rerumpub. devoratores, promittere atque aſſignare largam eleemoſynam, quæ aut pauperibus diſtribuatur, aut Monachorum familiis dividatur, aut in alios pios uſus vertatur: quibus in hujuſmodi votis fiducia perpetuæ frequenter ruinæ cauſam dat. Chaldæus hanc, ità ut priori parti reſpondeat, tranſtulit, *Et poſtea tangit eum anima ipſius*. Similiter Græci: Nam poſt voviſſe pœnitere contingit.

C. 23. v. 29. Quod legunt plerique codices, *Cui ſuffoſſio oculorum*, non pauci, plerique verò emendati, *Cui ſuffuſio oculorum*, ſcribunt; undecim noſtri, quinque Pariſienſium, & antiqui F. Dominicanorum, cum tractatore Beda. Atque hoc propiùs accedit ei quod, juxta Hebræorum Doctores, ex Hebræo transferunt, *Cui rubor oculorum?* לְמִי חַכְלִילוּת עֵינָיִם. Itaque, *Cui ſuffuſio oculorum*, S. Dominici fratres & Pariſienſes correctores, legendum cenſuere: quibus aſſentiuntur Janſenius, Hentenius & Epanorthotes. Suffunduntur ebrioſorum oculi naſúſque rubore, quem humorum ex vino ortorum calor efficit. Efficit quoque humorum vis oculorum aciem obtundi, & ſuffundi oculos caligine, quæ videndi imminuat facultatem. Trilinguis Collegii manuſcriptum *confuſio* habet, quod ſimiliter vel ad ruborem eſt relatum (habent enim potatores ruborem perpetuum, quem verecundi temporarium) vel ad humorem, quo perditorum viſus offunditur. Eſt autem apertum mendum quod habet Nurenbergenſis editio anni 1478, *confeſſio*, quamvis prodant & confiteantur oculi ebrietatis ſtudium. Chaldaica Paraph. in Regia editione Latinè verſa eſt, *Et cui extrema oculorum prominent?* id quod pro *ſuffoſſionis* lectione facere poſſit: nam quæ ſuffodiuntur, prominent, ſicut prominet terra quam talpa ſuffodit. Sed non ſatìs ſcio quid deſignet Paraphraſis, an oculos prominentes, an prominentes genas, quæ in rugas ebrioſis contrahuntur, an quid aliud. Porrò ſubminiſtrat continuè multus frequénſque vini potus calorem, qui oculorum humorem paulatim exhauriat, & videndi facultatem debilitet, tandémque arefactis organis exſtinguat, quod *ſuffoſſione oculorum* ſignificari poſſit: niſi fortè reſpectum ſit, ab iis, inquam, qui pro *ſuffuſio, ſuffoſſio* ſubſtituere (veriſimillima eſt enim *ſuffuſio* noſtri interpretis ſcriptura) ad potatorum pugnas, qui dum in prælia inermes truduntur, fortaſſe, quod mulieribus eſt conſuetudo, manibus ſibi invicem exarant genas, oculóſq; ſuffodiunt. Huc, ad pugnam dico, haud dubiè reſpexerunt Græci, cùm tranſtulerunt πλὴν πελιδνοὶ ὀι ὀφθαλμοί; *cujus lividi oculi?* Solent enim pugnis aut poculis cædere, & lividos mutuò ſibi oculos dare. Cæterùm graviora his non rarò & deſignant & perpetiuntur; eóque deveniunt, ut in crucem agantur, ubi eorum *oculos ſuffodiant corvi de torrentibus, & comedant filii aquilæ*.

C. 25. Viceſimo verſui plerique hodie Latini codices hunc ſubnectunt, *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno; ità triſtitia viri nocet cordi*: quem tollunt antiqui Epanorthotæ, antiqui Dominicanorum, quidam Lugdunenſium, nonnulli Pariſienſium, ſeptem Hentenii, tres noſtri [Brug. Leod. P. alii tres ex noſtris H. I. K. ſignificant ſupereſſe.] Quibus adſtipulantur enarratores, Beda & Richelius: ille namque ignotum præterit, hic agnitum textu pellit. Suffragantur eiſdem Hebraici libri; neq; ii tantùm qui nobis ſunt viſi, verumetiam qui ante nos Lyrano, Epanorthotæ, Dominicanis, iſſque qui ætate noſtrâ ſcripſere Autoribus. Porrò Græci codices ad eum modum quo Latinè ſcribitur conſtanter legunt, ὥσπερ σὴς * ἱματίῳ [* ὁ Gq.] καὶ σκώληξ ξύλῳ, οὕτως λύπη ἀνδρὸς βλάπτει καρδίαν. Auguſtinus quoque, lib. 21. De civ. Dei cap. 9. profert hunc in modum, *Sicut tinea veſtimentum, & vermis lignum, ſic mœror excruciat cor viri*:

viri: erat enim tunc in usu Græcorum translatio. Chaldaici postremò libri, id quod demiror, habent, quanquam parùm mutatâ sententiâ, omissâque tineæ ac vestimenti comparatione, יאיך ומלטיתא [בולטיתא] בקיסא היכנא בריותא מחרה לבה דובבא, *Et sicut putredo aut vermis in ligno, sic stoliditas incitat cor viri.*

C. 29. v. 20. *Vidisti hominẽ velocem ad loquendum? Stultitia magìs speranda est quàm illius correptio*] Manuscripta, Brugense, Lobiense & alia pleraque nostra insignia, cum iis quæ Parisienses annotarunt, Dionysii oblongo, lato, Germani oblongo, lato, *correptio*, non *correctio*, legunt, id quod, sicut produximus, in textũ Hentenius transtulit; cujus possit sensus esse, Ab homine ad loquendum veloci potiùs exspectandũ ut aduletur quàm corripiat, exasperet quàm emendet, delinquentes. Sed Hebraicè est תקוה לכסיל ממנו *spes stulto præ illo*: quod exponunt, *Spes est de stulto magìs quàm de illo.* Subaudiri autem possit, vel quòd delinquentes salutariter corripiet, vel quòd se ipse corriget: illud ei de qua diximus Latinorum codicum lectioni conveniat (isto sensu, Plus efficiat in corripiendo stultitia quàm loquacitas, h. e. stultus quàm loquax) hoc alteri, *Stultitia magìs speranda est quàm illius correctio*, quæ cùm plerorumque librorum est, tum Enarratorum, Bedæ, Carensis, Lyrani ac Richelii. Intelligentiam Beda hanc dedisse videtur, Majorem de se correctionis spem stultitia præbeat quàm loquacitas. *Grave quidem*, inquit, *vitium stultitiæ, sed non levius est verbositatis. Nam sæpe contingit ut idiota aliquis, & ipsarum quoque nescius literarum, citiùs verba salutiferæ correctionis accipiat quàm is qui affluentiâ præditus sermonis magìs sua quæ novit, vel quæ se nosse autumat, jactanter proferre, quàm dicta sapientium audire contendit.* Hæc Beda, qui ánne fortè *stulti* aut *stultitiæ* pro *stultitia* legerit, dispici possit. Hæc sanè & commentarius ejus & Scripturæ textus commodiùs admitterent. Nam citra omnem coactionem patêret sensus, Hebræo maximè consentaneus. Hinc Isidorus Clarius hunc ad modum emendavit, *Stulti magìs sperandа est quàm illius correctio.* Facilè certè potuit à scribis *stulti* aut *stultitiæ* cum *stultitia* mutari, maximè cùm id dimidius lectus locus exigere videretur. Vicesimo-sexto hujus libri capite v. 12. eadem similis sententiæ verba Interpres reddidit, *Magìs illo spem habebit insipiens*, quod quid aliud est quàm, *Stulti magìs sperandа est quàm illius correctio*, aut *correptio*? Cæterùm nolo ego quidquam pronunciare: tantùm suam do conjecturæ probabilitatem.

C. 30. v. 19. Plerique omnes Latini codices habent, *Et viam viri in adolescentia*, quibus Enarratores, Beda & Richelius, consentiunt, & Græca antigrapha adstipulantur, καὶ ὁδὸν ἀνδρὸς ἐν νεότητι est Græcè. Porrò Hebraicè est וררך גבר בעלמה, quod est, *& viam viri in adolescentula*: עלמות namque & עלומים, *adolescentiam* significant; עלמה verò *adolescentulam*. Hinc ex Hebræo vertunt nostræ ætatis Interpretes, *& viam*, aut *vestigium, viri in virgine, puella*, vel *adolescentula*. Ea enim est vox quæ Isa. 7. 14. legitur, ubi concorditer omnes transferunt, *Ecce virgo*, aut *adolescentula concipiet*: quem locum Hieronymus enarrans, Hebraicæ istius vocis significationem, contra Judæorum commentum, tractat. Itaque existimant complures *adolescentula* hoc loco, non *adolescentia*, in Latina nostra editione legendum. Lyranus hanc veram literam esse pronunciat, *Et viam viri in adolescentula*: Magdalius hunc ad modum legi debere affirmat: Parisienses hâc ratione legendum notant: Jansenius hanc probabiliorem esse lectionem judicat. Cæterùm pauci aut nulli sunt codices quibus lectio ista stabiliatur. Epanorthotes, *Antiqui*, inquit, *& novi, & Græci, viam viri in adolescentia, Hebræus adolescentula.* Ex nostris Latinis libris unus ex Parisiensium castigatione editus *adolescentula* legit: sed conjecturâ est mutatus, non codicum autoritate (idem opinor judicium esse de Clarii Bibliis.) Unus manuscriptus K signatus similiter *adolescentula* scribit, sed manifesta est ejus quod priùs fuit rasura. Plantini parvus, ut impressa Lugdunensium Biblia, in margine, *vel, adolescentula*: habet Hunnæi H inter textûs lineas idem ipsum indicat. Tertium D. Hunnæi scriptum, quod olim S. Dominici fratres in Francia emendarunt, *adolescentula* disertè legit: at sub finem notat, *Beda* adolescentia, *Hebræis* adolescentula *legi*, nullâ Latinorum codicum factâ mentione. Ita nihil certi ex codicibus liquet: juvatur tamen his non parùm verosimillima autorum conjectura, quam & illud firmare possit, quòd scriptorum librorum quidam non postremæ integritatis habent, *In adolescentia sua.* Hugo Cardinalis libros correctos habere dicit, *in adolescentula*; id quod de iis fortasse intelligit qui ex industria mutati sunt. Quid si vero similiter conjiciatur pro νεότητι Græcè *νέότις* scriptum fuisse? *νέότις* enim *adolescentulam*, ut *νεότης adolescentiam*, significat. De sensu hujus loci doctè doctissimus Gandavensium Antistes Jansenius scripsit.

C. 30. v. 30, & 31. Quatuor hoc loco recenset Sapiens quæ bene felicitérque incedunt: & tria quidem in editione nostra manifestè leguntur, quartum verò obscurè aut non conspicitur. D. Gregorius, lib. 30. Moralium cap. 5. quartum esse existimat eum qui stultus apparuit, postquam in sublime elevatus est (de quo in v. 32.) per quem Antichristum intelligit, qui *feliciter incedere* dictus fuerit, non ut tres præcedentes (Christus nimirum, sancti Prædicatores, sanctíque Sacerdotes) *bene*. Gregorium Beda, Salonius, aliíque secuti sunt. Atqui non aliud est Sapienti *feliciter* quàm *bene incedere*: eodem enim verbo מיטיבי utrumque dixit: & quod quarto tribuitur, congruit etiam tribus; ficut quod tribus adscribitur, quarto convenit. Illud verò, *Et qui stultus apparuit*, omnino à præcedentibus est separatum Hebræis, Græcis & Chaldæis; id quod proximè sequens notatio clarum faciet. Conspicuè autem in Hebraico fonte hoc quartum scribitur, ומלך אלקום עמו: quod quidem alii aliter vertunt; nonnulli, *Et rex Alcum cum eo*; complures, *Et rex cui non est qui resistat*; Græci, *Et rex concionans populo*; Chaldæus, *Et rex qui stat & loquitur in domo populi sui.* Interpretationum diversitas præcipuè ex voce אלקום orta est. Primi illi quorum attulimus versionem proprium esse nomen intelligunt. Ii quos secundo posuimus loco compositam esse vocem existimant, ex אל quod est *non*, & קום quod est *surgere*, aut *surgens*, ità ut ad verbum sit, *Et rex, non est surgere*, aut *surgens, cum eo.* Græci, & qui Græcos secutus videtur Chaldæus Paraph. intellexisse videntur אל non negationem esse, sed pronomen relativum, aut pro relativo antecedens. Arabes, quorum vicina est lingua Hebraicæ, syllabam hanc אל eo habent loco quo ה literam Hebræi, & א Chaldæi, videlicet ad emphasim exprimendam demonstrativi pronominis loco. Hinc אלשורקן, i. *ipsa salus*, Mahumetici Pseudangelii titulus est. קום, quod *surgere* & *stare* significat, Græci *concionari* exposuerunt; Chaldæus, qui verbi significationem expositionem junxit, similiter: quódque sequitur עמו, non עמו legerunt, quod est *cum eo*, quomodo nobis punctata sunt Biblia, sed עמו, quod *populum suum* denotat. Sic igitur quod Hebraicè est, alii ab aliis diversimodè transferunt: sed ità concorditer omnes, ut quartum esse eorum quæ optimi sunt inceptûs intelligi debeat. Quamobrem verisimile est & in nostra Vulgata versione quartum illud his verbis contineri, *Nec est rex qui resistat ei.* Verùm quia verba ista nullum per se animal designant, sed ei quod proximè antecedit jungi volunt (quapropter cum ariete, quod tertium proximè antecedit animal, Gregorius jungit) depravata esse Cornelius Jansenius opinatur; quippe quæ ab aliorum omnium interpretationibus aliena sint. Itaque, Nicolaum Lyranum secutus, restituendum docet locum, transpositis dictionibus, *Et rex, nec est qui resistat ei*; quæ & Clarii emendatio est: atq; ità nostræ editionis lectio ei conformis sit interpretationi quæ secunda suprà collocata est, atque inter omnes est probata maximè. Hoc autem modo Dionysius Richelius legit atque exponit, sed, quod ex ipsis ejus verbis conjicio,

Lyrani

Lyrani ex Hebræo correctionem secutus. In MSS. codicibus varie corruptum esse locum deprehendimus. Unus habet, *Nec est rex qui resistat eis*; alii quidam, *Nec est res qua resistat ei*; alii non pauci, *Nec est qui resistat ei*; unus, *Qui resistat ei*. Sicut autem ad has deventum est corruptelas ex eo quòd arieti non rectè attribui videretur, non esse regem qui resistere ei possit: ità fortè illa introducta est corruptela, *Nec est rex qui resistat ei*, quòd leoni, gallo & arieti, brutis animalibus, rex non aptè annumerari putaretur; qui idcirco potiùs adjunctus est, ut ei, quæ in illis rationis expertibus animalibus eximiæ sunt qualitates, imitandæ proponerentur. Cæterùm possit hæc lectio, *Nec est rex qui resistat ei*, quæ earum quæ in Latinis exemplaribus reperiuntur sinceriſſima est, ità intelligi ut ad arietem, de quo præcedit, non pertineat, sed quem Sapiens proposuerat, quaternarium numerum absolvat: nempe si τὸ *Rex* à casu absolutum (quo modo suis utuntur nominibus Hebræi) pro dativo *regi* positum accipiatur. Nam, *Nec est regi qui resistat ei*, quæ Hebraica est phrasis, passim in S. Bibliis obvia, idem fuerit ac si dixeris, *Et rex, nec est qui resistat ei.*

C. 30. v. 32. *Et qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime: si enim intellexisset, ori suo imposuisset manum.*] Hunc locum corrigendum docet Jansenius Episcopus ad modum vel hunc, *Qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime: si intellexisset*, &c. vel istum, *Est qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime: si enim intellexisset*, &c. Verisimillimum est enim corruptum ab iis esse locum qui arbitrabantur quartum, quod *feliciter incedere* Sapiens diserat, hâc parte contineri; ideóque vel addidisse & atque *enim* conjunctiones, vel pro *est*, & substituisse. *Est* in Leodiensi codice fuisse videri possit: corruptor enim nefarias injecit manus; eo quod priùs fuerat erasò *Et* substituit. Portò non erat pars ista præcedentibus copulanda; quod & Lyranus adnotavit; utpote quæ separata omnino sententia sit: id quod Hebræi, Chaldæi Græcique codices loquuntur. Hebræi habent, *Si stulti egisti, dum elevatus esses, & si cogitasti, manum ad os*; Chaldæi, *Non elevaberis, qui non stultè ages, neque extendes manum tuam ad os tuum*; Græci, *Si immiseris te in latitiam, & extenderis manum tuam cum pugna, inhonoraberis.* Sunt in MSS. nostris Latinis codicibus aliæ hoc loco varietatulæ. Quidam legunt, *& qui stultus apparuit*, plerique, *& qui stultus apparuerit*: prius Jansenii, Hentenii & Parisiensium censuris probatum est. Quinque *elatus* legunt, quod cæteri scribunt *elevatus*: Quinque emendatissimi tollunt *suo*, Hebræo conformiter; quod alii addunt, Chaldæo similiter.

NOTATIONES IN ECCLESIASTEN.

CAP. 10. V. 1.

PRetiosior est, &c.] Hujus loci plurimis modis depravati germana lectio est, *Pretiosior est sapientia & gloria, parva ad tempus stultitia*; in quam abeunt sententiam Hentenius, Titelmannus, Parisienses, Epanorthotes & Lyranus. Hæc enim & emendatiorum est codicum, & Hebraicæ conformis veritati: יקר מחכמה מכבוד סכלות מעט. Huic consimilis & consentanea est ea quæ in quibusdam libris est scripturæ, *Pretiosior est sapientia gloriâq; parva ad tempus stultitia.* Sunt autem, quod ex Hebræo patet, *sapientia & gloria* sexti casûs, *stultitia* primi: & adjectivum *parva* non ad *sapientia* aut *gloria*, sed ad *stultitia* referendum est. Quamobrem spuria est eorum librorum scriptura qui τὸ *parva*, aut distinctionis signo, aut verborum transpositione, ad *gloria* referunt. Multi enim codices (quos Richelius secutus est) hunc habent ordinem, *Pretiosior est sapientia parvâq; gloria ad tempus stultitia.* Quædam typis excusa exemplaria legunt, *Pretiosior est auro sapientia, parvâq; gloria ad tempus stultitia*, id quod Gerardus Moringus primùm adfert; in quo duplex peccatum est, quòd & rectus verborum situs mutatus sit, & quod incorrupta lectio non agnoscit, *auro* sit additum. Duo manuscripta habent, *Pretiosior est sapientia gloria parva, & gloria parva ad tempus stultitia.* Ità obscurus locus ut intelligi posset, modis omnibus est adulteratus. Alio etiam modo Busslidiani Collegii manuscriptum scribit, *Pretiosior est sapientia gloria parva ad tempus stultitia.* Similis est, cujus Titelmannus meminit, varietas, *Melior est sapientia parvâq; gloria ad tempus stultitia.* Et quidem accedunt hæc ad Græcam editionem (*Pretiosum paucum sapientiæ*, est Græcè, *super gloriam stultitiæ magnæ* (*magnam* Gq.) sed nostræ editionis intemeratæ non sunt. *Ad tempus*, quod omnes libri concorditer legunt, Interpres explicandi gratiâ addidisse videtur. Quidam ità ex Hebræo vertunt ut hanc sententiam præcedenti aptissimè copulent: *Sicut musca mortis fœtere faciunt & exhalare fœtorem unguentum aromatarii; sic hominem* pretiosum ob sapientiam & gloriam stultitia parva fœtere facit.

C. 12. v. 14. - *Et* [o.] *cuncta quæ fiunt* * [* *sub Sole* o.], *adducet - Deus* [o.] *in judicium, pro omni errato* [*creato* o.] *sive bonum sive malum sit*] Pro *errato* sex codices legunt *erratu*; duo *reatu*: Regius, ex Complutensi, cum Sorbonico Correctorio, *pro omni abscondito* scribit. D. Hieronymus, in proprio hujus loci commentario, posuisse se dicit *de omni abscondito*, pro eo quod Symmachus & Lxx interpretati sunt, *de omni contemptu*, vel certè *de omni ignoratu*: sic enim habet Parisiensis editio: Manuscriptus, quem ex Collegio Trilingui habemus, Hieronymi commentarius, *vel certè de omni ignorato*, legit. Mirum itaque est plerisque omnibus Latinis libris *errato* legi, vel *erratu* (*reatu* enim ex *erratu*, quod posteriora secula non admittunt, formatum videtur) nisi fortè non sit Vulgatæ versionis hujus libri Hieronymus autor, vel corruptè *errato* pro *celato*, legatur. Hebraicè est נעלם, participium passivum ab עלם, quod *latere, abscondere* atque *occultare* significat. Quocirca Chaldæus & Latini nostræ ætatis Interpretes, cum D. Hieronymo, *absconditum*, sive *occultum*, transtulere. *Errato*, quod non facilè ex nostra editione auferendum est, non omnino alienum est ab hac verbi significatione: non enim est error nisi circa occulta aùt abscondita: propiùs verò ad id accedit quod Lxii verterunt, ἐν παντὶ παρορισμῷ, *in omni neglecto, contempto*, vel *ignorato*, quo modo & Psal. 54. 2. ὑπερίδον Lxii *despicere* Hieronymus, & hoc ipso verbo reddidere. Cæterùm difficultas est, quomodo bonum esse possit quod erratum est: id enim sequitur, *sive bonum sive malum sit*. Respondent quidam, bonum & malum ex suo genere intelligi; quidam, ad caput referri sententiæ quod in calce est positum.

NOTATIONES IN CANTICUM CANTICORUM.

C. 2. v. 13.

SUrge, *amica mea, speciosa* [*sponsa* o.] *mea, & veni.*] Multa exemplaria, cum Hugone Cardinali, addunt *propera*, quod nonnulla perversè scribunt *prospera: Surge, propera, amica mea, speciosa mea, & veni*; ad quem modum Græcè legitur, ἔγειρε, ἐγγίζει ἡ πλησίον μου, ἡ καλή μου, ἐγειρέ μου, - πλῆσον, [Ri Vat.] ἡ ἐλθὲ σὺ [*ou* Vat.] Nam quod Hebraicè est לכי, verbum esse intellexerunt Græci, in principio, ut in fine sententiæ; קומי לכי רעיתי יפתי ולכי לך, *Surge, veni, amica mea, pulcra mea, & veni tibi.* Sic potuit & noster Interpres intellexisse, & pro *veni, propera* transtulisse, ut v 10. præcedenti, ubi eadem omnino verba Hebraicè repetuntur, præterquam quòd ibi in initio sententiæ לך scribatur, quod hîc לכי scribitur; propter quod hîc potiùs quàm ibi *propera* vertisse potuit. Nam לך masculinus, לכי femininus est imperativus. Atqui non esse hoc loco, ut superiori, ab Interprete aut versum aut addi-

tum *propera*, antiquissimi & emendatissimi quique codices probatum faciunt; quos secuti Correctores, Hentenius & Parisienses, è 13 versûs textu *propera* pepulere: quorum correctioni Gregorius, Justus, Beda, Bernardus, Thomas, Richelius, Enarratores, adstipulantur. Porrò illud לכי accepisse Interpres videtur pro redundante pronomine, quemadmodum postremam sententiæ vocalem לך proculdubio accepit. Nam quod ad verbum esset, *Et veni tibi*, reddidit, *Et veni*. Similiter accepisse potuit prius לך in versu decimo (nam de posteriori non est dubium) nempe non ut verbum, sed ut pronomen Latinis superfluum, & addidisse, non ex alio transtulisse, τὸ *propera*. Docent Hebræi pronomen esse, cùm לך versûs decimi, tum לכי decimitertii, servili literâ præpositâ: & scribunt quidam v. 13. לכי, sed legunt לך, signántque י superesse. Ad hunc modum accepit & Chaldæus Paraph. קומי לך, *Surge tibi congregatio Israel, dilecta mea, & formosa mea, vade hinc in terram quam stativi* [*juravi*] *patribus tuis*. Annotandum obiter est hoc loco, malè quibusdam libris, & Tractatoribus, Bedæ, Bernardo, Thomæ ac Richelio, hoc versu *sponsa* pro *speciosa* legi. Erroris occasio sumpta ex eo videtur quòd contractam scripturam *spõsa*, *sponsa* scriptores legerint, quæ *speciosa* legenda erat. Addendum & hoc uno verbo, τὸ *columba mea* postponendum esse τῇ *& veni*; *Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea, in foraminibus petræ*: quædam namque exemplaria, cum Hugone Carensi, iniquo ordine præponunt, *Surge amica mea, speciosa mea, columba mea, & veni in foraminibus petræ*. Græci codices & præponunt & postponunt, contra Hebræorũ Latinorúmq; fidẽ.

C. 7. v. 5. *Et coma capitis tui, sicut purpura regis vincta canalibus.*] Latinorum librorum quidam *vincta* habent, quidam *juncta*, quidam sic ut nescias *vincta* ne legendum sit an *juncta*; ex quo varietas nata esse videtur. *Vincta* ex antiquis suis codicibus Epanorthotes probat: quibus noster, ex Brugensis Dominici Bibliotheca præstantissimus codex, manifestè consentit, atque etiam Di. o. l. & Ge. l. In D. Thomæ commentario *tincta* legitur, *vincta* exponitur. Parisiensium exemplaria, quæ illi secuti, *juncta* cum *vincta* commutarunt. Hentenius quoque *vincta* in textum transtulit, *juncta* ut spurium in marginem rejecit. Horum correctioni Hebræa suffragantur, quod & ipsi haud dubiè animadverterunt. אסר enim *vincire* & *ligare* propriè significat, quanquam *jungere*, quod generale est, facilè etiam possit admittere. Simile est judicium de Græca voce δίαι, & Chaldaica נפתן. Franci Dominicani antiquis Latinorum libris & Hebraicis adscribunt *juncta*, nisi, quod mihi fit vero simile, error à descriptore aut posteriori emendatore commissus sit. Porrò אסור, quod Interpres noster ad *purpuram* retulit, Græci ad *regem* retulere, *Et coma capitis tui ut purpura*, βασιλεὺς δεδεμένος ἐν πεδήμασι, *Rex ligatus in transcursibus*. [Philonis Interpres vertit *Rex tremendus*, Theodoriti, *Rex indutus*, nempe quod pro δεδεμένος alias similes legerint voces, sed quæ ab Hebraicæ Latinæq; lectionis veritate recedant. Et exponit quidem Theodoritus, *indutus*, at tres patres, *ligatus*. Philo episcopus & *tremendus*, & *ligatus*, utrumque agnovisse atque exposuisse videtur.] Utrumque enim Hebraica ex se verba patiuntur: verùm ut nunc distincta sunt, talem translationem exigunt qualis Græcorum est. ארגמן, quod *purpuram* denotat, accentu athnæ, qui distinguendi vim habet cujusmodi apud nos colon, notatum est: quare *purpura* à *Rege* separatur; *regíque* vocabulum à *purpura* non regi ostenditur. Itaque Hebræi doctores, &, qui eos sequuntur, nostri sæculi translatores plerique vertunt, alii, *Rex ligatus in canalibus*, alii, *Rex ligatus in tignis*: præcedit, *Et coma capitis tui sicut purpura*. Legat de hoc loco qui velit Pagninum in רחט.

C. 8. v. 2. *Apprehendam te, & ducam* * *in* [* *te* 4 MS. H. C. G.] *domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ: ibi me docebis*] τὸ *& in cubiculum genitricis meæ* tollunt tres nostri codices, tres Parisiensium, quidam Lugdunensium, & antiqui Epanorthotæ. D. Gregorius, Justus, Beda & Lyranus, Enarratores, non videntur legisse. Hebraici & Chaldaici libri minimè agnoscunt. Hentenius castigator è textu in marginem transtulit. Epanorthotes huc ex cap. 3. 4. adjectum existimavit. Legitur enim ibi in hunc modum similis omnino sententia, *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Porrò ut multis Latinis, ità Græcis exemplaribus, octavo etiam capite additur, *Et in cubiculum genitricis meæ.* Sed potest & Græcis libris octavum caput ex tertio auctum esse, præsertim cùm eadem utroque loco verba legantur, κἀγὼ εἰς ταμιεῖον [ταμεῖον Gq.] τῆς συλλαβούσης μὲ, *& in cubiculum ejus quæ concepit me.* Atqui obstare videtur quòd Græca antigrapha emendatiora nihil, si non istud, habeant quod respondeat huic תלמדני *docebis me*. Nam Aldina quidem &, quæ Aldinis ferè consentiunt, Germanica Biblia illi κἀγὼ εἰς ταμιεῖον τῆς συλλαβούσης μὲ, subjungunt διδάξεις μὲ· at id nequaquam habent Vaticana, nec cum Complutensibus Regia, suffragantibus Græcis Enarratoribus, Philone, Theodorito, aliisque tribus Græcis Patribus, ex quibus collectam paraphrasim legere in Theodorito licet: quanquam addatur textui Theodoriti commentariis adjuncto. Quamobrem videri possit illud, διδάξεις μὲ, Septuaginta duorum translationi, aut ex Hebræo, aut Symmachi, Theodotionis, vel alterius versione, additum esse: hoc autem, κἀγὼ εἰς ταμιεῖον τῆς συλλαβούσης μὲ, à LXXII translatum, ejus loco quod alii converterunt, διδάξεις μὲ, Latinus, *Ibi me docebis.* Nam למד, quod *docere* significat, non dissimile est à ילד, quod est *parere*, ut hinc ejusmodi quid legerint aut efformaverint, propter quod totum repetendum judicarint quod cap. 3. verterant, κἀγὼ εἰς ταμιεῖον τῆς συλλαβούσης μὲ. Nihil statuo: tantùm quæ sagax lector indaget propono.

C. 8. v. 12. *Mille - tui* [o.] *pacifici, & ducenti his* [*ii* o. o.] *qui custodiunt fructus* [*fructum* 1 MS. H. G.] *ejus.*] Pro eo quod habemus nos, *Mille tui pacifici*, Hebræi legunt לך שלמה האלף, quod est, *Mille tibi Salmon.* Eundem ad modum Græci, οἱ χίλιοι τῷ Σολομῶντι, Regis editio habet, οἱ χίλιοι Σολομῶντι· in Vaticano autem codice integerrimè est, οἱ χίλιοί σοι Σαλομῶν, *Mille tibi Salomon.* Itaque existimant nonnulli perversè in Latinis libris legi *pacifici* pro *pacifice*: voluit enim Interpres proprii nominis interpretationem, quippe spirituali sensui accommodam, dare. Atque his Complutensis editio suffragatur, cujus in Latino textu aperta est lectio, *Mille tui pacifice.* Verum nullum alium codicem qui *pacifice* legat invenere Parisienses; nullum alium Hentenius; nullum verò penitus, qui diu ante hos hæc investigavit, Epanorthotes; nullum etiam omnino, qui ante 300 annos huic negotio operam dedere, Franci Dominicani. Inter nostros quoque libros nullus est qui *pacifice* legat. Duo sunt tamen MSS. quæ aliquid habeant quod eò facere videatur. Unum legit *pacifices*, id enim potiùs est quàm *pacifici*; alterum *pacificis*, aut, quod verisimilius apparet, *e* litera post *i* posita est, ad indicandam aliam lectionem, *pacifice.* Hic D. Hunnæi (*K.*) ille Atrebatensis Collegii est liber. Quod in Bibliorum margine est 1 MS, pro Complutensi codice positum est. Non enim erat operæpretium novam fingere notam ad designandos impressos codices, qui paucis in locis soli sine manuscriptis notandi fuerint. Nec poterat hoc loco *R* poni pro Complutensi, id quod alias observavimus; quòd Complutensis scriptura in Regiam editionem mendosè transfusa sit cum diphthongo, *pacifica.* Alii igitur eorum qui quid Hebraicè esset didicerant, quia in Latinis Bibliorum exemplaribus non aliud invenire potuerunt quàm *Mille tui pacifici*, annotarunt, voces *tui pacifici* secundo casu singularis numeri intelligendas esse, quas Hebraicæ veritatis ignari primo pluralis numeri casu exponunt. Et sanè id omnino videtur, gignendi casu intelligendas esse voces *tui pacifici*, si non vocandi casu legendum sit *pacifice*: vix enim dubium esse potest quin horum alterum voluerit Interpres, ei qui interpretationis fontem consideret. Quòd si servasset

proprium

proprium *Salomonis* nomen, ut ſecundo capite, ſemel, iterum & tertiò, ea non fuiſſet corrumpendi aut pravè intelligendi occaſio. Sed maluit hoc capite proprii nominis interpretationem convertere, cùm hoc tum præcedenti verſu, ut ſenſui myſtico ſeu ſpirituali facilior daretur locus, pateret via.

NOTATIONES IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

C. 1. v. 15, & 16.

Juſtitia enim perpetua eſt & immortalis] Conjunctionem *enim* prætermittunt octo ex noſtris MSS. & quidem pleraque inſignia, Brugenſe, Lobienſe, &c. quanquam Græcè legatur, Δικαιοσύνη γὰρ ἀθανάτου ἐστί, pro quo in Complutenſi eſt, Δικαιοσύνη ἢ ἀθανάτος ἐστι, quomodo & longus Plantini codex Latinè legit, *Juſtitia autem perpetua eſt & immortalis.* Confirmare Sapiens his verbis videtur quod dixerat, Deum non eſſe mortis autorem, nec fuiſſe in hominibus primùm à Deo creatis medicamentum exterminii, h. e. venenum ſive malum quod eis exitium ſeu mortem inferre poſſet. Juſtitia enim in qua creati fuerunt, non ſinit poſſeſſorem ſuum ſub mortis venire imperium, ſed eſt ei perpetuæ vitæ cauſa. Quod ſubjungitur multis in libris, *Injuſtitia* [*juſtitia* o.] *autem mortis eſt* [4 MS. R.] *acquiſitio*, antiquiores atque emendatiores non habent; ex noſtris ſeptem, ex Pariſienſium, tres; quibus Græca antigrapha conſtanter volunt: quocirca Hentenius in marginem è textu rejecit, meritò ſanè, nec enim convenit loco; nam quam exprimit cum præcedenti ſententia antitheſin, eam ſequenti verſu, ſi rectè intelligatur, ſuæ orationi accommodè Sapiens ſignificavit. Cùm enim dixiſſet in hominibus à Deo creatis nullam fuiſſe mortis neceſſariam cauſam, imò verò immortalitatis operatricem juſtitiam, declaravit deinde, quod quæri potuiſſet, unde mortem homines incurrerint: ex eo videlicet quod voluntate ſuâ à juſtitia in qua creati fuerant ad injuſtitiam abſceſſerint. *Impii autem*, inquit, *manibus* [*in manibus* o.] *& verbis acceſſerunt illam*, &c. Quod quidam habent *pedibus* pro *verbis*, nothum eſt; utpote à veris Latinorum codicibus, Græcorum exemplaribus, denique ab hominum conſuetudine, alienum: quis enim *pedibus accerſire* quenquam ſolet? *Illam*, ſupple *mortem*. Quidam *injuſtitiam* ſubaudiunt, quippe qui id legant, *Injuſtitia autem mortis eſt acquiſitio.* Et videri certè poſſit ab expoſitore aliquo hoc adjectum, qui cùm non videret quò referendum eſſet pronomen *illam*, (*mortis* enim vocabulum longè diſſitum eſt) deſiderari exiſtimarit verſu præcedenti membrum alterum (cujuſmodi frequentes, hoc etiam in libro, ſuperioribus ſententiis ſubjiciuntur quæ idem à contrario doceant clauſulæ) *Injuſtitia autem mortis eſt acquiſitio*, ad quod quæ ſequuntur referenda eſſent. Sed, uti diximus, ad *mortem* reſpiciunt: non enim quod Græcè eſt pronomen αὐτὸν, Δικαιοσύνην, id quod antecedit, aut ἀδικίαν, id quod nec legitur, refert; ſed θάνατον *mortem*, hoc ſenſu, Dum autem ſe impietati dederunt homines, mortem longè à ſe poſitam advocarunt: non enim eam præter omnem exſpectationem incurrerunt; ſed qui Divinum audierant decretum, Gen. 2, 17. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*, dum tranſgredi præceptum voluerunt, quid niſi mortem accerſiverunt? *Et æſtimantes illam amicam defluxerunt.* Unus ex libris noſtris *exiſtimantes* habet. Arbitrati ſunt non nocituram ſibi advocatam mortem; id enim promiſerat ſerpens, Gen. 3. 4. *Nequaquã morte moriemini:* verùm aliter accidit; continuò namque mortis ſtimulo puncti tabeſcere, atque in modum labentis undæ ad mortem properare cœperunt. Vel *defluxerunt*, i. ad fluxam inſtabilémque injuſtitiam à juſtitiæ ſtabilitate tranſierunt, Dei mandatum tranſgreſſi ſunt. *Et ſponſiones poſuerunt ad illam.* Veriùs alii libri, Græco conformiter, *ſponſionem* legunt. *Sponſionem ad mortem poſuerunt*, qui, ut eſſent ſicut dii, ſcirentque bonum & malum, à Deo receſſerunt, mortíque ut confederati ſe adjunxerunt. *Quoniam digni ſunt qui ſunt* [o.] *ex parte* [*patre* o.] *illius.* Pro poſteriori *ſunt*, *ſint* legendum videtur; quæ in Pagnini Bibliis emendatio eſt, editis anno 1542. In Græca namque editione legitur, ὅτι ἄξιοί εἰσι τῆς ἐκείνου μερίδος, *quoniam digni ſunt partis illius eſſe.* Atque ità ſcribunt MSS. multa, ut facilè poſſit tam *ſint* legi quàm *ſunt*, ſit: & quædam quidem prius *ſunt* expreſſè, poſterius contractè ſcribunt, ſt. Sic ſexto verſu ſuperiori multa MSS. *maledcm* pingunt, quod ex vi literarum non minùs *maledienm*, quomodo Græcè legitur, quàm *maledictum* eſſe poſſit. Cùm autem utrumque indicativo modo *ſunt* legeretur, exiſtimatum eſt imperfectam eſſe ſententiam, cui ad integritatem deeſſet aliquid: unde compluribus cùm ſcriptis tum impreſſis libris legitur, *Quoniam morte digni ſunt qui ſunt ex parte illius*; quod etiam Lyranus, Carenſis ac Richelius exponunt, Morte ſcilicet æternâ digno eſſe qui injuſtitiæ ſerviunt. Exponit & Robertus Holkot; ſed aliter. Atqui ut nullis Græcis libris additur *morte*, ità in ſincerioribus Latinis non invenitur: quamobrem à correctore Hentenio repudiatum eſt. Eſt itaque incorruptæ lectionis ſenſus, Qui mortem ad ſe accerſierunt, & cum ea fœdus inierunt, digni ſunt certè qui illius ſint participes, qui mortem moriantur.

C. 2. v. 2. *Quoniam fumus & flatus eſt in naribus* [*auribus* o.] *noſtris*] Hæc, multorum licèt codicum atque Enarratorum, autoris Gloſſæ Ordinariæ, Roberti Holkot & Hugonis Cardinalis, adulterina eſt ſcriptura: germana eſt, *Quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris*, vel potiùs; quod emendatiſſima loquuntur ſcripta, ſuffragante Dionyſio Richelio, *Quoniam fumus afflatus eſt in naribus noſtris:* cujus ſenſus eſt, afflatus, ſive ſpiritus, qui eſt in naribus noſtris, eſt veluti fumus: non enim participium eſt *afflatus*, quomodo Richelius intelligit, ſed, quod ex Græcis patet, nomen. *Et ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum.* Græcè eſt, καὶ ὁ λόγος σπινθὴρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν, *Et ſermo ſcintilla in motione cordis noſtri.* Unde conjiciunt quidam *ſcintilla* pro *ſcintilla* Latinè legendum eſſe. Poſſet in eundem ſenſum *ſcintilla* primo caſu ſingularis numeri intelligi, niſi id quod ſequitur obſtaret. Videtur quod ſignificatur, hoc eſſe, Et ſermo oris noſtri eſt quaſi ſcintilla ex moto corde excitata.

V. 3. *Quia exſtinctus cinis erit cor noſtrum*] Hæc una eſt hujus partis depravatio, eáque fœdiſſima. Alia eſt, *Quia exſtinctus cinis erit poſt corpus noſtrum.* Rurſus alia, *Quia exſtinctum cinis erit corpus noſtrum.* Eſt & quarta cæteris frequentior, *Quia exſtinctus cinis erit corpus noſtrum.* [Multi adulterarunt locum: quidam è medio ſuſtulit.] Quatuor Hentenii exemplaria, tria Pariſienſium & tria noſtra habent: *Quia exſtincta cinis erit corpus - noſtrum* [1 MS.] quæ & ipſa emendatiſſimorum cæteroqui codicum lectio ſpuria eſt; ejuſmodi tamen quæ proximè ad genuinam accedat. Expuncto enim *s* vocis *quia*, intemerata eſt loci ſcriptura, *Quâ exſtinctâ cinis erit corpus - noſtrum* [1 MS. G.] quam indicarunt nobis Franci Dominicani, cùm in Bibliis à ſe correctis, tum in additis notationibus. *Rabanus*, notant, *& antiqui* quâ exſtinctâ, *ſ. ſcintillâ, calore videlicet naturali.* Ex noſtris MSS. unum, quod ex Malmundario accepimus, hanc indicat lectionem, quam & Lyranus ſecutus videtur. Suffragantur huic legendi modo diſertè Græca, ἐὰν σβεσθέντος τάχος ἀναβήσεται τὸ σῶμα * [* ἡμῶν Gq.] *Quo exſtincto cinis evadet corpus.* * [* *noſtrum* Gq.] quod, eodem ſervato genere, eſt, *Quo exſtincto* referri poteſt vel ad *ſermonem* vel ad *ſcintillam:* utrumque enim Græcis maſculei eſt generis, tam σπινθὴρ quàm λόγος. Interpres ad *ſcintillam* retulit, ideóque femineo genere interpretatus eſt, *Quâ exſtinctâ cinis erit corpus noſtrum:* quod eſt, Ereptâ nobis loquendi facultate in cinerem redigendum eſt corpus noſtrum. Græcus Vaticanæ Bibliothecæ liber pro ὁ λόγος, quod & noſtro interpreti lectum eſt, ὁ λίγος habet, καὶ ὁ λίγος σπινθὴρ, καὶ τὰ ἐξῆς, *Et exigua ſcintilla in motu cordis noſtri.* Cujus lectionis ſenſus eſſe videtur, Id quo movetur ac vivit cor noſtrum, eſt vel-

uti exigua ſcintilla: quâ exſtinctâ, ut facilè poteſt igniculus opprimi, in cinerem redigetur corpus. Malmundarienſe exemplar, antiquiſſimum ſanè, non legit initio pronomen *noſtrum*, conformiter exemplaribus Græcis quæ vidimus nos: nam quidam cum hoc pronomine Græcè citat. Sunt autem hæc impiorum verba, ex vitæ fugacitate animæque cum corpore interitu ſe adhortantium ad voluptatum fruitionem ſimilia illis quæ Paulus refert 1 Cor. 15. 32. *Manducemus & bibamus; cras enim moriemur.* Breviter Apoſtolus complexus eſt impiorum ſententiam, quæ hîc latè deſcribitur.

C. 4. v. 3. *Et ſpuria vitulamina - non* [o.] *dabunt radices altas.*] Duodecim noſtra exemplaria *ſpuria vitulamina* legunt. Alia duodecim cum expoſitoribus, Lyrano, Carenſi & Richelio, illius loco *adulterina plantationes* [*palpationes*] habent. Tredecim utramque lectionem ſignant. Græcè eſt, ᾗ ἐκ νόθων μοχθμάτων ὁ ϑάλος ῥίζαν οὐ βαθῦ μοχύματα. Græcis dicuntur *ſtolones, vivi radices*, plantæ teneræ & novelli rami. Satis igitur Græcam exprimit vocem ea lectio quæ *plantationes* habet: ſed ea quæ *vitulamina* nominat, obſcurum eſt quid velit, niſi quòd *vitulamen* vox ficta videatur à *vitulus*, ſicut μόχθμα à μόχθ. Hanc tamen germanam noſtri Interpretis verſionem eſſe, *Spuria vitulamina*, antiquiores atque integriores codices probant. Unde colligitur alterius eſſe interpretationē quod in recentioribus eſt codicibus, *adulterina plantationes.* atque iis in libris quibus utrumque legitur, duas tranſlationes conjunctas. Ultra verò præferenda ſit tranſlatio, D. Auguſtini habemus ſententiam, lib. 2. De doct. Chriſt. cap. 12. *Quia* μόχθ *Græcè* vitulus *dicitur*, μοχθματα *quidam non intellexerunt eſſe* plantationes, *&* vitulamina *interpretati ſunt. Qui error tam multos codices præoccupavit, ut vix inveniatur aliter ſcriptum: & tamen ſententia manifeſtiſſima eſt, quia clareſcit conſequentibus verbis. Namque*, adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, *convenientiùs dicitur quàm* vitulamina, *quæ pedibus per terram gradiuntur & non hærent radicibus. Hanc tranſlationem in eo loco etiam cætera contexta cuſtodiunt.* Hactenus Auguſtinus. Non intellexiſſe verò Interpretem noſtrum μοχθύματα *plantationes* eſſe, qui Græcus magè fuerit quàm Latinus, aſſerere nolim. Quid ſi à ſtolida vituli vitulatione, ſtolidas plantas, quæ Latinè *ſtolones* dicuntur, *vitulamina* ad Græcæ vocis ſimilitudinem appellaverit? Aliud quid adferunt S. Dominici fratres, quorum annotationem pretium operæ fuerit ſubnectere. Eſt hujuſmodi, *Rabanus & antiqui habent*, Et ſpuria vitulamina non dabunt, *&c. Auguſtinus in libro De doct. Chriſt. dicit ſe neſcire quid ſit quod quidam libri habent*, Et ſpuria vitulamina: [Non hoc, quin potiùs contrarium, Auguſtinus dicit.] *unde dixit quòd meliùs diceretur*, adulterinæ plantationes. *Sed Ambroſius in quadam epiſtola dicit quibuſdam*, Vos eſtis nobilia vitulamina, *i. nobiles plantationes, & dicuntur à vite, quæ eſt generoſa plantatio: tamen iſta litera dimittitur propter autoritatem Auguſtini.* Hæc illi. A vite potiùs *vitulamen* diceretur, ſicut *vitiligo*. Significant verò μόχθ & μόχθμα quædam etiam ad vitem pertinentia *malleolos* in primis, h. e. novos vitis palmites, prioris anni flagello enatos, ſi ad eos fortè Interpres reſpexerit.

C. 6. v. 8. *Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam - Dominus* [o.] Multi codices *Dominus* legunt; quidam *Deus*; plerique, cum Roberto Alemano, *Dominus* vel *Deus qui eſt omnium dominator.* Prima lectio vera eſt Interpretis ſcriptura: id enim ex lectiſſimis exemplaribus liquet; quibus Lyranus Enarrator & Græcus fons adſtipulantur. Secunda erronea eſt, ut frequens eſt in his nominibus *Deus* & *Dñs* error, cùm quòd contracta ſibi mutuò vicina ſint, tum quòd facilè unum pro altero Deo attribuatur. Tertia lectio mixta eſt, vel ex textu & gloſſa, quod Dominicani ſenſerunt (*Rabanus*, inquiunt, *& antiqui non habent*, Qui eſt dominator omnium; *quia Gloſſa eſt hujus dictionis* DOMINUS) vel ex duabus tralationibus, vel utrimque. Fortè enim diverſa tranſlatio Gloſſæ occaſionem dedit, tandémque in textum gloſſa recepta eſt. Græca ſic habent, ὁ γὰρ ἀφελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης. Vulg. Interpres vertit, *Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Dominus.* Alius tranſtulit, *Non enim ſubtrahet perſonam omnium dominator.* Hîc πάντων, quod eſt *omnium*, ad δεσπότης *dominus* retulit: quò cogit referre articulus ὁ præpoſitus. Ille articulum videtur aut non legiſſe, aut poſtpoſitum reperiſſe; itaque πάντων ad πρόσωπον *perſonam* tetuliſſe, eo loquendi modo cujus iſte in Pſal. 142. 2. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens*; qui ſacris literis ex Hebraico idiomate non eſt infrequens. Niſi fortè *cujuſquam*, quod ſenſus requirit, his ut proximis verbis addiderit, & pro ὁ πάντων δεσπότης *Dominus* duntaxat dixerit. Porrò, *Non ſubtrahet perſonam cujuſquam*, i. non excipiet, non parcet cuipiam, aut cedet, ob gratiam, aut aliam quamcunque cauſam: *nec*, id quod ſequitur, *verebitur* [*reverebitur*] *magnitudinem cujuſquam* * [* *Deus.* Malm.o,] Duo manuſcripta *reverebitur* legunt: eadem addunt *Deus*, quod ut pleriſq; Latinis, ità Græcis antigraphis, non legitur.

C. 6. v. 11. *Qui enim cuſtodierint juſtitiam, juſtè judicabuntur*] Sic multi codices, & expoſitores, Richelius, Holkotius & Carenſis, legunt. Cæterùm antiquitate atque integritate præſtantes libri pro *judicabuntur*, *juſtificabuntur* habent; novem noſtri; quod Græco conforme eſt, οἱ γὰρ φυλάξοντες ὁσίως τὰ ὅσια ὁσιωθήσονται, *Qui enim cuſtodierint ſanctè ſancta ſanctificabuntur*, i. ſancti judicabuntur. Unde etiam manifeſtum evadit, diſtinguendam Latinæ editionis ſcripturam non poſt *juſtitiam*, ſed poſt *juſtè*, quæ manuſcripti L literâ ſignati diſtinctio eſt. Atque hæc Clarii calculis comprobata eſt emendatio, *Qui enim cuſtodierint juſtitiam juſtè, juſtificabuntur.* Porro addunt L & alia nonnulla manuſcripta, cum Roberto Holkotio, pronomen *ejus*; *Qui enim cuſtodierint juſtitiam *ejus* [* via 1 MS.] nempe ſapientiæ: quod ut Græca non habent, ità nec emendatiſſima Latina exemplaria. Explicationis ergò adſcriptum exiſtimarim.

C. 7. v. 17. *Ipſe enim dedit mihi horum quæ ſunt ſcientiam veram*] *Ipſe enim* Deus *dedit mihi horum quæ ſunt*, i. eorum quæ ſunt in natura, *ſcientiam veram*, cognitionem à mendacio atque errore remotam; *ut ſciam diſpoſitionem orbis terrarum.* Σύστασιν κόσμου *conſtitutionem mundi.* Minùs rectè legunt quidam multitudinis numero *diſpoſitiones. Et virtutes elementorum.* Græcis eſt, ᾗ ἐνέργειαν στοιχείων, quomodo & in multis Latinorum exemplaribus, *Et virtutem elementorum* ſcriptum eſt. Verùm non fuit opus eâ mutatione; quandoquidem pluralem, qui per ſingularem numerum Græcè ſignificatur, Interpres reddiderit: id quod ſpectatiora MSS. volunt.

V. 18. *Initium, & conſummationem* [*conſummationis*] *& medietatem temporum*; ἀρχὴν καὶ τέλος καὶ μεσότητα χρόνων] Continuatam obſervavit totius temporis ſeriem, à primordiis uſque ad finem: vidit etiam temporalium rerum initia, progreſſus atque exitus.

V. 19. *Viciſſitudinum permutationes*, [*Viciſſitudinem permutationes* o.] *& conſummationes temporum, morum mutationes, & diviſiones temporum*] Pro his legunt Græci libri τροπῶν [χρονῶν Gq.] ἀλλαγὰς καὶ μεταβολὰς καιρῶν, nec aliud addunt: quibus Origenes hom. in Luc. 21. ſuffragatur. Hinc mihi fit veriſimile, duas horum Græcorum verborum interpretationes in ea quam produxi Latinorum codicum vulgari lectione conjunctas eſſe. Una interpretatio videtur, *Viciſſitudinum permutationes, & conſummationes temporum*; altera, *Morum mutationes, & diviſiones temporum.* Nam τροπῶν & *viciſſitudinum* & *morum* verti poteſt: vel enim à τρέπω deduci poteſt, quod *verſionē* denotat; vel à τέλος. quod *morē* ſignificat: quanquā & τέλος *verſionem* ſive *mutationem* deſignare poſſit. Quidam de ſolſtitiis intelligunt, quæ ἡλίου τροπαὶ *Solis verſiones* Græcè nominantur. μεταβολὰς deinde & *conſummationes* & *diviſiones* transferri poſſit,

poſſit, quanquam magis propriè *mutationes* aut *varietates*: ad quem modũ pro *conſummationes* duo codices *commutationes* legunt, Hunnæi unus, Atrebatenſis Collegii alter; ſed hic in textu, ille in margine duntaxat. Itaque id omnino nobis videtur, Interpretis tranſlationi alteram in vulgaribus Latinorum libris annexam. Atque hanc noſtram ſententiam ſex noſtrorum MSS. [Pl.Ion.V.Atr.G.Pl.la,I.] confirmant: quorum quatuor hoc planè omittunt, *Morum mutationes & diviſiones temporum*; quintum in margine tantùm habet; ſextum ab aliquibus tolli ſignat. Confirmant etiam textus Gloſſæ Ordinariæ conjunctus, & Nicolai Lyrani ac Hugonis Carenſis commentaria: ſimiliter enim id non legunt, *Morum mutationes & diviſiones temporum*. His adſtipulari videtur Brugenſis D. Donatiani codex, quo non facilè alium emendatiorem invenias: ſed depravatus hoc loco eſt præpoſterâ alicujus diligentiâ, ità tamen ut facilè adverti poſſit infartum aliquid eſſe, poſt *viciſſitudinum permutationes & conſummationes temporum*. Nam poſt hæc verba eraſa ſunt quæ ſequebantur non pauca, eadémq; cum eo, *Morum mutationes & diviſiones temporum*, minori coactioríq; charactere ſubſtituta. Ex his ergò colligimus, id ſolum ab Interprete noſtro tranſlatum, *Viciſſitudinum permutationes & conſummationes* [*conſumptiones* 1 MS.] aut *commutationes temporum*; quod autem ſequitur multis in libris, *Morum mutationes & diviſiones temporum*, ex altera interpretatione additum, eò quòd aliud eſſe videretur ab iis quæ in noſtris erant libris, ideóq; deſiderari. At poſtquam additum eſt, viſum eſt aliis eadem aut ſimilia ſæpius hîc repeti; itaq; aut auferendum, aut commutandum aliquid: unde multæ ſecutæ ſunt varietates. Quidam ſcripſerunt, *Viciſſitudinum permutationes, & commutationes hominum, morũ mutationes & diviſiones temporum*, quomodo ſericatum Atrebatenſis Collegii exemplar legit; alii *Viciſſitudinũ permutationes & mutationem* [*mutationes* 1 MS. *munitionem* o.] *omnium morum, mutationes & diviſiones temporũ*. Sic duo Pariſienſium codices, & tres noſtri. Nonnulli, *Viciſſitudinum omnium permutationes & mutationes omnium morum, mutationes & conſummationes temporum*: Sic H. Doctoris Hunnæi. Malmundarii MS. habet, *Et meditationem omnium morum, mutationes & diviſiones temporum*. Quia verò *morum* mentio iis quæ hoc loco cùm præcedunt tum ſequuntur diſſimilis eſſe videbatur, ut certè minùs convenit ea verſio, mutarunt quidam *morum* in *horum*; *Et mutationes omnium horum*, vel *horum mutationum*: hoc Hunnæi (E) illud Plantini habet liber (Pl.M.) Cardinalis Beſſarionis exemplar omnia ferè quæ diverſis in libris leguntur addita coacervavit, *Viciſſitudinum permutationes & conſummationes temporum, morum mutationes, & meditationem omnium eorum, & diviſiones temporum*. Sic multas depravationes una peperit.

C.8.v.17. *Quoniam immortalis eſt in cogitatione ſapientiæ.*] Multi codices, cum Roberto Holcot, legunt, *Quoniam immortalis eſt in cogitatione ſapientia*; non bene, quod exiſtimo. Nec illi quidem bene qui, *Quoniam immortalis eſt in cogitatione ſapientiæ*, ſcribunt: propiùs tamen ad incorruptam accedunt lectionem. Pro *immortalis* tria Pariſienſium exemplaria, quatuor Hentenii, & undecim noſtra, *immortalitas* habent: quibus volunt Tractatores, Hugo Cardinalis & Dionyſius Richelius. Conſentiunt Græca antigrapha, quorum iſta eſt lectio, ὅτι ἀθανασία ἐστὶν [ἐστὶ ἀθανασία Gq.] ἐν συγγενείᾳ σοφίας, *Quòd immortalitas eſt in cognatione ſapientiæ*. Unde non tantùm *immortalitas* Latinè legendum patet, verumetiam conjectura ſuggeritur, erroneè *cogitatione* pro *cognatione* ſcriptum eſſe: certè enim συγγένεια non *cogitationem*, ſed *cognationem* & *affinitatem* denotat. Atque hanc conjecturam promovent nonnulla Latina MSS. quædam enim ſcribunt, *Quoniam immortalitas eſt in cognitione ſapientiæ*, quinque ex noſtris (Lob. A. L. M. Q.) quod pro *cognatione*, ut parùm ab eo differt, ſubſtitutum videtur: quædam ità pingunt ut diſcerni vix poſſit *cogitationéne* ſit an *cognatione*. Citatur locus iſte à B. Fulgentio lib. 3. ad Monimum cap. 16. ſed *cogitatione*, ut ibi ſcriptum eſt, an *cognatione* legerit, ex ejus verbis non liquet. Clario & Pariſienſibus caſtigatoribus certa res viſa fuit, *cognatione* ſcribendum legendúmq; eſſe: ad eum namque modum emendarunt. In quorum ſententiam qui iverit, non, opinor, erraverit. Eſt autem ſenſus correctionis hujus, *Quoniam immortalitas eſt in cognatione ſapientiæ*, immortalitatem cùm glorioſæ famæ tum beatæ vitæ eum conſequi qui cum ſapientia commoratur, eámque ut conſanguineam diligit, ſibi familiarem ſervat, conſulíque ac ſequitur in omnibus quæ agenda fuerint. In hoc cætera quæ ſequuntur conſpirant.

C. 10. v. 1. *Hæc illum qui primus formatus eſt*, &c.] Hæc, nempe ſapientia, de qua dixerat in ſuperioris capitis fine, *Nam per ſapientiam ſanati*, vel *ſalvati ſunt, quicunque placuerunt tibi, Domine, à principio*: quæ ſententia in antiquis ſcriptis caput hoc inchoat; quod eſt in antiquioribus viceſimumprimum; eò quòd ipſa exemplis hîc declaretur. Verùm quod ſecundùm Græcam edit. legitur, præcedenti capiti omnino jungendum eſt: non enim aliud Græcè legitur quàm ᾧ τῇ σοφίᾳ ἐσώθησ· cui conformiter antiquum Malmundarii manuſcriptum non aliud habet quàm, *Et per ſapientiam ſalvati ſint. Illum qui primus* [*primum* 1 MS.] *formatus* [*fornicatus* o.] *eſt*. Græcis una dictio eſt, *protoplaſtum*, αὐτη πρωτόπλαστον πλάσμα κόσμου μόνον κτισθέντα διεφύλαξε. Lobienſis codex ſcribit *fictum* pro *formatum*: ſimiliter Malmundarienſis habet *finctum*; quo modo legendum arbitror quod in D. Hunnæi manuſcripto, A notato, additum eſt, *fractum*. In D. Auguſtini 99 epiſtola, quâ hic locus profertur, *factum* legitur. Iidem codices, cum B. Auguſtino & Græcis exemplaribus, tollunt quod in pleriſque omnibus Latinis libris ſequitur, A *Deo* [*Domino* 3 MS.] quod & in A tranſfoſſum eſt. Exponentis additio fuiſſe videtur. *Pater orbis terrarum*. Græcè accuſandi caſu legitur, πατέρα κόσμου, quo modo & Malmundarii exemplar, atque Hunnæi O, *patrem orbis terrarum* habent: quanquam Malmundarienſe nominandi etiam caſu legi oſtendat. Sermo magis exigat accuſandi quàm nominandi caſum, niſi *pater* ad *formatus* referre velis, quod fons Græcus non patitur. Tria ſcripta auferendi caſu legunt *patre, A Deo patre orbis terrarum*: ſed ut pleriq; omnes Latini codices, ità Græci ad Adamum, de quo hîc ſermo eſt, referunt, qui primus fuit humani generis quod orbem terrarum incolit parens. Porrò ſcripturam *patrem*, ſtabiliat *patre*. *Cùm ſolus eſſet creatus* [*à Domino* o.] μόνον κτισθέντα ſolum creatum. Nam non ſimul cum eo creata, ſed poſtea ex coſta ejus ædificata eſt mulier. ¶ *Cuſtodivit.*] In rectitudine continuit, à lapſu præſervavit. Non enim ad juſtitiam retinendam ſufficiebat primo homini liberum arbitrium, niſi participatione immutabilis boni Divinum adjutorium præberetur. *Homo in paradiſo ad ſe occidendum relinquendo juſtitiam idoneus erat per voluntatem: ut autem ab eo teneretur vita juſtitiæ, parùm erat velle, niſi ille qui eum fecerat adjuvaret.* D. Auguſtini ſunt verba Enchiridii cap. 106.

V. 2. *Et eduxit illum à* [*de* 1 MS.] *delicto ſuo.*] Quidam Græcorũ codicũ habent, ᾧ ἐξέτεινεν [ἐξέτεινα o.] αὐτὸν ἐκ παραπτώματος αὐτοῦ, & *extendit eum è lapſu*, vel *delicto ſuo*. Regius & Vaticanus pro ἐξέτεινα legunt ἐξήλατο, *extraxit, extulit*: quæ Interpretis lectio fuiſſe videtur. Sapientia primum parentem ante Evæ productionem in juſtitia ſervavit, poſt Evæ productionem, cùm deliquiſſet, à lapſu aſſeruit: utrumq; enim Divinæ gratiæ eſt munus, & in juſtitia conſervari, & ab injuſtitia vindicari. Hoc Scripturæ loco Tatianus, Encratitarum princeps, qui primi hominis ſaluti contradixit, refelli poteſt. *De illo primo homine*, inquit Auguſtinus epiſt. ſuprà citatâ, *patre generis humani, quòd eum ibidem* (in inferno Chriſtus) *ſolverit, Eccleſia ferè tota conſentit: quod eum non inaniter credidiſſe credendum eſt, undecunque hoc traditum ſit, etiamſi canonicarum Scripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas: quanquam illud quod in libro Sapientiæ ſcriptum eſt*, Hæc illum qui primus factus eſt, patrem

orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit ei virtutem continendi omnia, *magis pro hac sententia quàm pro ullo alio intellectu facere videatur.* Hæc B. Augustinus ad Euodium.

Et eduxit de limo terra; id enim sequitur plerisque in libris, quod quia loco congruere non videtur, per hysteron proteron postpositum esse S. Dominici fratres annotarunt: quod etiam Lyranus, Carensis, Holkot & Richelius exponunt. Atqui non pauci Latini codices hoc, cum D. Augustino, non legunt, tres Parisiensium, octo nostri; sicut nec in Græcis exemplaribus legitur. Existimo pro illo, *Et eduxit illum à delicto suo*, hoc, *Et eduxit illum de limo terræ*, primùm substitutum fuisse ab eo qui illud hunc ad modum emendandum putarit, cùm *delicto* & *de limo* literis multùm conveniant. Quidam namque libri (P. long. G. H.) id solum legunt, *Et eduxit illum de limo terræ*; alterum, *Et eduxit illum à delicto suo*, prætermittunt, vel in margine duntaxat addunt, contra veriorum codicum Græcorúmque antigraphorum fidem. Pòst ab aliquibus utrumque in textum relatum copulatúmque est, quod plerique dein secuti sunt. Cæterùm Correctores, Hentenius, Clarius, Parisienses, textu expulerunt istud, *Et eduxit illum de limo terræ*, solo altero retento.

Sequitur, *Et dedit illi virtutem continendi omnia*, ἰσχὺν κρατῆσαι ἁπάντων, *fortitudinem*, sive *vim, tenendi omnia*, vel *dominandi omnibus*] Non voluit Dominus creaturam omnem continuò in lapsum hominem insurgere, eique ministerium & sui usum negare: sed, quâ est misericordiâ, adhuc ei dedit in omnia quale quale dominium, à quo suo merito jam planè deciderat. Vel potiùs, Primo parenti è delicto educto eam dedit Deus fortitudinem quâ continere posset omnes naturæ suæ vires, ac superare omnia malorum irritamenta, quibus iterum peccato subjici atque à salute præpediri potuisset.

C. 10. v. 3. *Ab hac ut* [*cùm* 2 MS.] *recessit injustus in ira sua*] *Ab* non *ad*, *hac* non *hoc*, *ut* vel *cùm*, non *non*, *recessit* non *præcessit*, legendum est: sunt enim hæ librorum quorundam corruptelæ. Hugo Cardinalis exponit, quod quidam legunt *Ab hac non recessit*: sed veriorem fatetur esse literam, *Ab hac ut recessit*. Verè sic est in verioribus libris; quibus Græca consonant, ἀποστὰς ἢ ἀπ' αὐτῆς ἄδικος ὃν ὀργῇ αὐτοῦ· *Ab hac*, sapientia videlicet, *ut recessit*, seu *defecit injustus*, impius Cain, *in ira sua*, per iram; *iratus est* enim *vehementer, & concidit vultus ejus*, Gen. 4. 5. quòd sua munera Dominus non respexisset, qui fratris munera respexerat. *Per iram homicidii fraternitas deperiit* [*deperit* o.] Plerique libri cum Expositoribus Lyrano, Holkot, Carensi & Richelio, nominandi casu *fraternitas* legunt: quidam verò gignendi casu *fraternitatis* habent; duo Parisiensium, duo Hentenii, octo nostri. Commodissimè *fraterni* legeretur: verùm si id non potest, *fraternitatis* amplectendum, & pro *fraterni* exponendum est. Loci sensum evertit *fraternitas*: non enim significare voluit Sapiens, quod penè ridiculum est, sublatam inter Cain & Abel fraternitatis relationem, nec fraternam amicitiam interemptam, nec denique Abelem periisse; sed Cain periisse, quòd fratrem occiderit. Sic enim habent disertè Græca, ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς, *Simul cum fratricidis periit iris*. Ejus igitur quod nos habemus, *Per iram homicidii fraternitatis deperiit*, sensus est, Per iram, quâ ad occidendum fratrem impulsus est, periit. Mira est hujus versûs in Buslidiano MS. depravatio, *Abel justus, cùm recessit injustus in ira sua, per iram odii fraternitatis deperiit*. Liquidus est sensus, liquidáque corruptio.

C. 10. v. 4. *Propter quod cùm aqua deleret terram.*] Latinorum librorum multi habent *propter quod*, multi *propter quem*. Eadem est in Græcis libris diversitas: quidam enim διὸ legunt, quidam δι' ὃν. Ex illis est Vaticanus, ex his Regius. Græcè quidam δι' ὃν legi mavult: id quod Interpretem nostrum legisse integriores plerique Latini codices, quandoquidem *propter quem* legant, affirmare videntur. Quare præferendum videtur *propter quem*: id quod ad *injustum* respicit. Commodè autem collectivè accipiatur numerus singularis pro plurali, *propter quem injustum* pro *propter injustos*. Quòd si cui magis placeat *propter quod* legi, quæ Lyrani, Carensis, Holcotii & Richelii est lectio, ad flagitium id referat (superiori enim versu narratum fuit flagitium Cain) & similiter collectivè accipiat. *Cùm "aqua deleret* ["aliqui delerent o.] *terram*. Non, *Cùm aquam deleret de terra*, ut quidam scripsit; sed, *Cùm aqua deleret terram*, i. terræ incolas, homines nimirum atque eas bestias quæ in terra & in aere terræ proximo versantur. Videns enim Deus multam hominum malitiam esse in terra, omnémque carnem corrupisse viam suam, diluvio in universam terram invecto, delevit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine usque ad pecus, tam reptile quàm volucres cœli: quod legitur Gen. 6. & 7. *Sanavit iterum sapientia*, sub *terram*: id enim ex Græco patet, in quo legitur, δι' ὃν καταλυσθὲν ὕδωρ γῆ πάλιν ἔσωσε [διέσωσεν Gq.] σοφία, *Propter quem demersam terram iterum servavit sapientia*. Ad quem modum Latinum Malmundarii MS. habet, *Propter quem aquâ deletam terrâ iterum salvavit sapientia*. Exemplar est miræ vetustatis; sed videtur ad Græca olim emendatum, cùm ex hoc tum ex aliis quæ observavimus locis, Pro *sanavit* Leodiensis codex & Atrebatensis *salvavit* habent. Magis credo Brugensi codici, Lobiensi, & aliis plerisque, *sanavit* Interpretem transtulisse, ut superioris capitis ultimo versu. Græcus fuisse videtur Latini sermonis parùm peritus. Modum quo sapientia conservavit & pristino statui restituerit terram, subdidit, * *Per* [* Εἰο.] *contemptibile lignum justum gubernans*; sic enim legendum est, non, quomodo in longo codice scriptum est, *Et contemptibile lignum justum gubernans*. *Gubernans justum*, i. pium Dei cultorem Noe, cum familia, brutísque animalibus quæ secum introduxerat, ab aquarum inundatione præservans, ídque per *contemptibile lignum*, δι' εὐτελοῦς ξύλου, *per vile simpléxque lignum*, quo sapientiæ potentia declarata est. Quidam putant *contemptibile lignum* vocari, quòd contemptus atque irrisus fuerit Noe cùm Arcam ædificaret.

C. 10. v. 5. *Hæc & in consensu superbiæ*] Multi codices, iísque emendatiores, *hæc & in consensu nequitiæ* habent: id quod Græco conforme est, αὕτη ἡ ἐν φρονήματι πονηρίας. *Superbiæ* existimo explicationem fuisse ex *nequitiæ*: intelligunt enim pleriq; locum de superbis post Diluvium hominibus, qui, ut nominis celebritatem sibi compararent, civitatem & turrem cujus culmen ad cœlum pertingeret ædificare voluerunt. *Cùm se nationes extulissent* [*exclusissent* o.] Qui *superbia* emendarant, *extulissent* [*tulissent* o.] subjunxerunt, quod sinceriores libri *contulissent* scribunt. Quid si verò *confudissent* scribendum esset? est enim Græcè ἐθνῶν συγχυθέντων, *nationibus confusis*. Sed id ità intelligi potest, nationibus congregatis conjunctísque, quod est, *Cùm se nationes contulissent*. *Scivit justum*. Quædam Græcorum exemplarium legunt εὗρε τὸν δίκαιον, *invenit justum*; quædam ἔγνω τὸν δίκαιον, *novit justum*. Posterior Regiæ editionis, Vaticani codicis nostríque Interpretis lectio est: sed eundem in sensum redit utraque. *Et conservavit sine querela Deo*. Lobiense MS. *servavit* habet. De Abrahamo intelligendus videtur locus, qui, conspirantibus ad coquendos lateres, ædificandam turrim nonénque celebrandum cæteris plerisque, dissensit, atque eam ob causam in succensum caminum injectus est, unde eum liberavit Deus illæsúmque eduxit; id quod Philo refert, eo qui De antiquitatibus Biblicis inscribitur libro. Porrò hunc Sapientiæ locum enarrans Robertus Alemanus, *Non est*, inquit, *imaginandum quòd Abraham fuit tempore divisionis linguarum; quæ quidem divisio facta fuit tempore Phaleg, qui fuit sextus ante Abraham*. Hæc ille. Gen. 10. 25. & 1 Par. 1. 19. legitur, *Natiq; sunt Heber filii duo: nomen uni Phaleg, quia in diebus ejus divisa est terra; & nomen fratris*

fratris ejus Jectan. Si Phaleg nomen acceperit à terrarum divisione quæ ipso nascente acciderit, non potuit, dubio procul, Abraham, cujus tritavi pater Phaleg fuit, divisionis illius tempore fuisse. Si verò, quod Hebræorum nonnulli sentiunt, Heber prophetans nomen filio indiderit à re quæ ejus tempore eventura erat, potuit Abraham eo quo divisio facta est tempore vixisse; & quidem, si sub finem vitæ Phalegis divisio contigerit, octavum aut nonum supra quadragesimum annum egisse. Nam anno à Phalegis ortu natus est, quem Thare anno ætatis suæ 70 genuit, Gen. 11. 26. & Phaleg 239 annis vixit, Gen. 11. 18, 19. quanquam intelligant quidam non septuagesimo ætatis Thare anno Abraham genitum. Est verò illi quam ex Philone protulimus similis historia, quæ hanc secum difficultatem non adfert, quam D. Hieronymus in Hebraicis super Gen. quæst. ex Hebræorum traditione narrat, & primùm quidem *fabulam* nuncupat, pòst autem veram affirmat; quam & Burgensis in Additionibus super Genesim verosimilem probat; Abrahamum in ignem missum fuisse, quia ignem adorare noluerit quem Chaldæi colebant, & Dei auxilio liberatum de idololatriæ igne profugisse. Ad hæc potiùs, aut quid simile, hoc Sapientiæ loco respectum existimarim, quàm ad id quod Gen. 14. de quatuor Regibus narratur, à quibus superatis Abraham nepotem Lot cum præda recuperavit. Hæc igitur esse possit loci paraphrasis, Cùm homines nequam, idolorum non Dei cultores, inter se conspirassent, unanimitérque in scelus ædificandæ turris consensissent (propter quod postea eorum linguas, ut merebantur, confudit Deus: vel, quod accidit cùm ab Oriente profecti in campum terræ Sennaar confluxissent consedisséntque) Sapientiam, in magna impiorum multitudine, non latuit justus, neque ejus protectione destitutus est, sed custoditus, nè, intentatâ licèt morte, impiis ausis consensum præberet, custoditus inculpatus Deo, qui ipsum sibi servum elegerat. Ad similem modum facilè accommodari possint verba alteri huic simili historiæ, si tamen altera est.

Et in filiis misericordiam fortem custodivit.] Alterum in Abrahamo præclarum sapientiæ opus: sed id intelligi ex nostra versione non potest, nisi sublatis quæ omnes penè codices occuparunt mendis. Omnes quos quidem viderim, codices legunt *filiis*; plerique omnes *misericordiam*; nonnulli *misericordia*. Hæ sunt mendæ à quibus vindicanda est Latina editio. Non enim *filiis* scribendum est, sed *filii*: nam Græcis non est pluralis numeri tertius casus, sed singularis secundus, τέκνου. Rursus, non est Græcè *misericordiam* aut *misericordia*, sed χ᾽ ὃν τέκνου ἀνάγκους ἰσχυὸν ἐφύλαξεν, *Et in filii visceribus fortem custodivit.* Unde patet *misericordiâ* sexto casu Latinè legendum: itáque legunt duo ex veteribus Parisiensium exemplaribus Di. I. & Ge. I. Est igitur incorrupta lectio, *Et in filii misericordia fortem custodivit*: cujus sensus est, Sapientia Abrahamo dedit cum amore erga filium Isaac animi fortitudinem, ut quem unicè diligebat, jubente Deo, non cunctaretur occidere. Paternus amor in Abrahamo non superavit fortitudinem quâ implendum erat quod Deus jusserat; nec fortitudo vicit amorem: id quod sapientia effecit. Quorundam sententiâ non aliud significetur quàm, Et eo affectu quo solet parens filium protegere, invictum custodivit. Lyranus, & qui post eum, Carensis, Holcotius & Richelius, vulgarem secuti sunt lectionem; intelligunt Sapientiam Abrahami posteris hostes fortiter expugnasse, & stabilem misericordiam exhibuisse.

C. 10. v. 6, & 7. *Hæc justum à pereuntibus impiis* [*filiis* o.] *liberavit*] Ineptum est quod quidam legunt *parentibus* pro *pereuntibus*. De Lot sermo est, quem à pereuntibus impiis Sodomæ habitatoribus Sapientia, nè cum eis periret, servavit. Porrò non est Græcè *à pereuntibus impiis*, sed duntaxat *pereuntibus impiis*, ἐξαπολλυμένων ἀσεβῶν· nisi fortè divisim legerit Interpres noster ἐξ ἀπολλυμένων. *Fugientem descendente igne in Pentapolim.* Græcè est, φυγόντα ᾽᾽ καταβάσιν πῦρ [᾽᾽ πῦρ καταβὰν Gq.] Πενταπόλεως [Πενταπόλεως Gq.] *cùm fugisset descendentem ignem Pentapolis.* Interpres rectè exposuit *in Pentapolim*, seu, ut antiqua quædam exemplaria scribunt, *in Pentapoli.* Hujusmodi namque constructio non rarò in antiquis nostræ editionis libris conspicitur. *Pentapolis* regio dicitur quinque civitatibus celebris. Quatuor hujus regionis civitates Deut. 29. 23. nominantur, *Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim*, quibus quintam, *Segor* dictam, Moses non addidit, quòd ad preces Lot servata fuerit. Gen. 14. 2. Simul omnes suis nominibus recensentur. Gen. 19. c. 21. Verumtamen quia ampliores celebriorésque civitates cum omni circà regione incendio perierint, soláque Segor urbs parvula Loti precibus evaserit, in Pentapolim ignis descendisse hîc dicitur. Porrò sentiunt quidam etiam Segor, egresso Loto, eversam esse: qua de re nolumus disputationem hîc texere. *Quibus in testimonium nequitiæ*, &c. Septem nostrorum MSS. *cujus* habent pro *quibus*: id quod Græco conforme est, ἧς ἔτι μαρτύριον ἡ κακία, *cujus adhuc testimonium nequitia. Cujus*, sc. Pentapolis, *fumigabunda constat* [*cùm stat* o.] *deserta terra.* Brugense MS. cum aliis duobus nostris & quibusdam Dominicanorum, omittit *deserta*; nec legitur Græcè nisi implicitè. Χέρσος enim, quæ hujus loci vox est, si propriam significationem discutias, *incultam terram, vastam desertámque* significat. Lobiensis Cœnobii exemplar *terra deserta* scribit, transpositis vocibus. H. Hunnæi, mediâ conjunctione, *terra & deserta* habet: quæ videri possint nonnulla additionis signa. Verè tamen deserta facta est Pentapoleos terra: víxque dubium quin hoc autor voce χέρσος indicare voluerit. Tria hîc profert nequitiei Pentapoleos quæ permanserint testimonia: quæ quidem primò Divinam testantur ultionem, deinde verò quam ulcisci solet Deus nequitiam. Primum testimonium est *terra deserta fumigans.* Fumum emittens terra judicii Dei in se acti index est. Secundum sunt *incerto tempore fructus habentes arbores.* Non *in certo*, ut quidam libri, sed *incerto* unâ voce, cum Expositoribus, Richelio, Holcotio & Carensi scribendum est: est enim Græcè ἀτελεῖον· ἢ ἀτελῆ ὥρας καρποφοροῦντα φυτά· quod est, *imperfectis horis fructum ferentes plantæ.* Ὧραι ἀτελεῖς dicuntur tempora frugum inchoata, nunquam perfecta. Plantæ terræ Pentapoleos ità se semper habent ac si nunquam esset certum tempestivúmque maturis frugibus tempus, i. ferunt fructus qui nunquam ad maturitatem perveniunt: terra enim à Deo maledicta maturandi vim non habet. Tertium testimonium est *incredibilis anima memoria stans figmentum salis*, ἄπιστος ψυχὴ μνημεῖον ἑστηκυῖα τῦλη ἁλός. Plerique Græci libri non addunt copulantem conjunctionem: sed Vaticanus, cum Latinis, habet; ἢ &. *Incredibilis* scribendum est, non *incredibiles*: éstque secundi casûs *incredibilis*, non primi: *anima* deinde minimè prætermittendum est: denique *figmentum* non *figmenta* legendum est: sunt enim hæc, codicum quorundam vitia, *figmentum*, i. statua, *salis, memoria*, h. e. memoriale seu monumentum, *anima incredibilis*, pro *incredula.* Corpus uxoris Lot in salis statuam conversum est, Gen. 19. 26. quòd ipsa Angelis non crediderit, sed præceptum eorum prævaricans ad ignem respexerit, quem in Pentapolim ejaculabatur Deus, vel de sui protectione diffisa, vel civitatis suæ habens curam. Hoc monumentum scribit in Itinerario suo Benjaminus Tudelensis, quod nobis jam pridem ex Hebræo Latinum dedit vir undequaque doctissimus B. Arias Montanus, suo adhuc tempore constitisse: *A mari*, inquit, *Sodomitico ad cumulum salis, in quem Loti uxor conversa est, duæ lenga sunt. Constat enim adhuc cumulus ille, qui à gregibus aliquando lambendo imminutus, denuo ad pristinam crescit molem.* Hæc Benjaminus scripsit ante annos duntaxat 400. circa 4930 annum ab orbe condito, ità ut nihil mirum sit, autoris libri Sapientiæ & Josephi historiographi temporibus (l. 1. Antiq. Jud. c. 19.) statuam sive cumulum hunc perstitisse. Quod enim nos *statuam*, alii *cumulum* sive *acervum*, ex Hebræo interpretantur.

C. 10.

C. 10. v. 15. *Hæc populum juſtum & ſemen ſine querela*, &c.] Quidam *ſanctum* ſcripſerunt pro *ſemen*, ſimilitudine opinor abbreviatarum vocum falſi. Græcè eſt καὶ σπέρμα ἄμεμπτον, *& ſemen irreprehenſibile*, ſeu *inculpatum*. Iſraeliticus populus, *populus juſtus*, ſive *ſanctus*, & *ſemen ſine querela*, h. e. irreprehenſibile, hîc dicitur, in primis quia erant in eo populo qui non facilè in alio, ſanctæ & inculpatæ vitæ homines; tum quia præ cæteris populis iſte ad Dei cultum & converſationis integritatem electus vocatúſque erat; tertiò, quia Deum colentium piorúmque majorum erat propago. *Si enim delibatio ſancta eſt, & maſſa; & ſi radix ſancta, & rami*, Rom. 11. 16. *Liberavit à nationibus quæ illum deprimebant.* Quidam codices *deprimebant* ſcribunt, quidam *comprimebant*, quidam *opprimebant*. Duo poſteriores ſcribendi modi inter ſe certant. Nam primus à ſpectatæ integritatis codicibus vix habet autoritatem: videtúrque decimiquarti verſûs occaſione, ubi ſimiliter legitur, *qui eum deprimebant*, huc aſſumptus. Prævalere autem illi libri cùm antiquitate tum integritate videntur qui *comprimebant* habent: cæterùm hujus ſenſus, i. quod alii legunt, *opprimebant*, Græca utrumque patiuntur, ἐξ ἔθνους θλιβόντων. Significatur, Iſraeliticum populum ab Ægyptiaca ſervitute, quæ duris eum luti & lateris operibus affligebat, ſapientiæ operâ liberatum.

C. 10. v. 17. *Et fuit illis in velamento diei*] Quod plerique omnes codices legunt *diei*, nonnulli *die* ſcribunt, ex impreſſis, Moguntinenſis; ex ſcriptis, R, &, qui eo modo correctus eſt *i* literâ eraſâ, Malmundarienſis. Ex Græco utroque licet modo transferre. Videtur autem Interpres noſter genitivum, qui eſt Græcè ἡμέρας, retinuiſſe, h. e. *diei* convertiſſe: id enim volunt, cum pleriſque codicibus, emendatiores. Quare *diei* ſervandum exiſtimo in Vulg. Interpretis verſione. Cæterùm non id neceſſe eſt, *diei* ad *velamentum* referri, ut *dies* pro æſtu diei poſita intelligatur; ſed poteſt, more Græco, accipi genitivus pro eo qui Latinis eſſet ablativo, *diei* pro *die*, quod congruit ſequenti parti, *Et in luce ſtellarum per noctem:* ubi octo aut novem MSS. noſtra *nocte* ſcribunt. Verùm alia, quibus magìs fido, *per noctem* legunt; atque hoc Græco conformius eſt, quod Interpres ad verbum ferè ſecutus videtur, τῇ νυκτὶ. Miror autem cur non etiam verterit, *in velamentum*, *in lucem*; cùm ſit ità Græcè, εἰς σκέπην, εἰς φάος. Exemplar G notatum *in lucem* habet. Significatur, Sapientiam juſto Iſraelitarum generi Ægyptum egredienti terrámque promiſſam petenti, & interdiu & noctu, ut commodè iter ageret, ſubveniſſe. Interdiu fuit eis integumenti loco; noctu pro ſplendore ſtellarum, Exod. 13. 21, 22. h. e. Interdiu dedit eis nubem, quæ umbraculum præberet adverſûs æſtus; noctu columnam ignis, quæ iter facientibus præluceret.

C. 11. v. 5, & 6. *Per quæ - enim* [o.] *pœnas paſſi ſunt inimici illorum à defectione potûs ſui, - &* [1 MS] *cùm* * *abundarent* [* *in eis* MS.] *filii Iſrael lætati ſunt* * [* *in eis* 1 MS.] *per hæc, cum illis deeſſent*, [*cùm his deeſſet* Malmundar.] *bene cum illis actum eſt.*] In hac Latinorum codicum atque Expoſitorum lectione, vero ſimile fit Interpretis tranſlationi multa, quæ ab eo tranſlata non ſint, admixta eſſe. Græcè namque hæc tantùm leguntur, δι' ὧν γὰρ ἐκολάσθησαν οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν, διὰ τούτων αὐτοὶ προσωπασθέντες εὐεργετήθησαν. Ea quæ Interpres hunc ad modum convertiſſe videtur, *Per quæ enim pœnas paſſi ſunt inimici illorum, per hæc, cùm illis deeſſent*, [*cum his deeſſet* Malm.] *bene cum illis actum eſt:* quæ interpretatio plenè explicat Græcorum codicum lectionem. Cætera quæ Latinis libris leguntur addita, *A defectione potûs ſui, - &* [MS.] * *cùm* [* *abundarent filii Iſrael lætati ſunt* * [* *in eis* 1 MS.] ſuperfluere non immeritò cenſeantur: nam & eadem ſunt cum illis, nec ſcitè illis cohærent. Videntur omnino ex ea quæ inter lineas aut ad marginem collocata fuerit gloſſa in textum relata, ſunt enim textûs expoſitio: *Per quæ enim pœnas paſſi ſunt inimici illorum*, ſcilicet *à defectione potûs ſui, per hæc* i. *in eis, cùm illis deeſſent*, ſcilicet, *& cùm abundarent filii Iſrael* (nam ad Ægyptios referunt gloſſatores multi τὸ *cùm illis deeſſent*) *bene cum illis actum eſt, lætati ſunt.* Videri autem poſſint adjectionis nonnulla indicia, quòd quidam codices omittant, quidam legant conjunctionem, *Et cùm abundarent.* Rurſus quòd alii libri demant, alii addant *in eis*, *In eis cùm abundarent*, vel, *Et in eis cùm abundarent*; atque inter illos qui addunt, hi *in eis* [*eos* 1 MS.] illi *in eo* habeant: neque nihil huc facit, quòd hoc ordine unus legat, *In eis & cùm habundarent.* Senſûs intemerati loci eſt non obſcurus: Per aquam enim, per quam pœnas dederunt Ægyptii, beneficium acceperunt, cùm inopiâ laborarent, Iſraelitæ. Afflicti fuerunt Ægyptii flumine in ſanguinem verſo, refecti Iſraelitæ aquâ de petra egreſſâ. Illi rurſus aquis maris fuerunt obruti, hi à petra refocillati.

C. 11. v. 15. *Non ſimiliter juſtis faciens*] Multæ ſunt hâc in parte varietates. Tres noſtri codices legunt, *Similiter injuſtis faciens*; decem, *Non ſimiliter injuſtis faciens*; duo, *Similiter non juſtis faciens*; duo & viginti, cum Expoſitoribus, Lyrano, Carenſi & Richelio, *Non* * *ſimiliter* [* *enim* 3 MS. *ſimilia*, Quentel. Bibl. ann. 29.] *juſtis faciens*; unus, *Non ſimiliter juſtis facientem.* Nullam harum veram eſſe exiſtimo lectionem: ſed ſcribendum opinor, ut eſt Græcè, *Non ſimiliter juſtis ſitientes.* Clarius arbitratur Interpretem non διψῶντες *ſitientes*, ſed ποιοῦντες, quod eſt *facientes*, Græcè legiſſe, ac proinde, *Non ſimiliter juſtis facientes*, tranſtuliſſe. Et quidem propiùs accedat iſtud ad ea quæ in hac verſûs parte à Latinis libris leguntur: verùm ut id quod nobis probatur haud procul abſcedit, ità ex eo quod in proximè præcedenti parte quibuſdam Latinis exemplaribus additur, roboris ſumit plurimum. Octo enim ex noſtris MSS. mediam verſûs partem hoc legunt modo, - *Iſti* [2 MS.] *ſitientes in finem eventûs mirati ſunt*; ſubdúntque, *Non* * *ſimiliter* [* *enim* 3 MS.] *juſtis* [*injuſtis* 1 MS.] *faciens.* Libri iſti in medio verſûs *ſitientes* habent. Unde, quæſo, niſi ex poſtrema verſûs parte? ibi enim Græcis antigraphis conſtanter legitur. Ex fine ad medium videntur id ſcriptores tranſtuliſſe, quòd non intelligerent quid ſibi vellet, *impios non ſimiliter juſtis ſitiviſſe:* in fine autem ſubſtituerunt, quam vel in aliis codicibus legerant, vel ipſi confinxerant, corruptelam. Nos igitur eâ corruptelâ ſublatâ in ejus aut ſuum potiùs locum ex verſûs medio referamus *ſitientes*, ut veram habeamus Interpretis ipſiúſque Sapientis ſcripturam. - *In finem* [o.] *eventûs* [*adventûs* o. *euntes* o.] *mirati ſunt, non ſimiliter juſtis ſitientes.* Quia verò locus, quòd non intelligeretur, corruptus fuit; neceſſarium eſt intelligentiam ejus ſubjicianus, quæ ut pateat clariùs, verſum ab initio repetemus; *Quem enim in expoſitione* [*exſpectatione* o.] - *prava* [*G.*] - * *projectum* [* *olim* 2 MS. *G.* - o.] *deriſerunt* [*deſierunt* o. *abnegarunt deridentes G.*] Moſen Sapiens ſignificat, quem, quod veriſimile eſt, cùm ad Pharaonem accederet, & populum dimitti peteret, irriſerunt Ægyptii, quòd à parentibus in aquas periturus olim projectus, & Ægyptiæ mulieris miſeratione extractus, atque in vivis ſervatus fuiſſet; deplorati hominis poſtulationibus cedendum non arbitrantes, nec quidquam eum Ægyptiis nocere poſſe, qui non niſi Ægyptiorum munere viveret. *In finem eventûs mirati ſunt*, ἐπὶ τέλει τῆς ἐκβάσεως, *in fine eventuum*, in exitu atque eventu rerum. *Non ſimiliter juſtis ſitientes*, i. dum laborarent ſiti quam reſtinguere non poterant. Juſti enim cùm ſiti laborarent, aquâ è petra acceptâ ſitim levaverunt Exod. 17. Hi verò, dum, in ſanguinem verſo flumine, aquam ſedandæ ſiti perquirerent, nec in rivis, nec in lacubus, nec in paludibus, nec in vaſis ſive ligneis ſive ſaxeis, quidquam præter ſanguinem quem bibere non poterant invenere Exod. 7. cùm etiam tunc nulla juſtis eſſet inopia. Hactenus, à quarto capitis verſu, inter ſe contulit Sapiens beneficium quod in aquis à Deo acceperunt Iſraelitæ & pœnam quam per aquas Deo dederunt Ægyptii, quæ prima fuit Ægypti plaga. Sequentibus proximè

tibè versibus de ea agit afflictione quam immissis à Deo bestiis Ægyptii passi sunt, cujusmodi fuerunt quatuor Ægypti plagæ, secunda, tertia, quarta & octava: secunda, ranarum fuit; tertia, ciniphum; quarta, muscarum; octava, locustarum.

C. 11. v. 16. *Pro cogitationibus autem insensatis iniquitates illorum*] Ità legunt plerique codices, *iniquitates* primo casu pluralis numeri: & unus quidem, ut sententia pateat, addit *prodeunt*, *Iniquitates illorum prodeunt*; alter *secuta sunt*, *Secuta sunt iniquitates illorum*. Illud subaudit interlinearis Glossa, hoc Hugo Cardinalis. Cæterùm non *iniquitates*, sed *iniquitatis* secundo casu singularis numeri, legendum videtur. Pendet enim ex sequentibus sententia: id quod ex Græcis libris manifestum est, quibus ad hunc legitur modum, *Pro cogitationibus autem stultis ἀϊδίων αὐτῶν iniquitatis ipsorum, in quibus errantes colebant muta reptilia & bestias viles, immisisti in eos multitudinem mutorum animalium ad vindictam*. Porrò non tantùm Græca antigrapha legunt secundo casu *iniquitatis*, verumetiam quinque ex nostris Latinis MSS. *Iniquitatis* itaque, non *iniquitates*, Latinis in libris scribendum videtur: & dilucidus erit hujus lectionis sensus si media versûs verba parentheseos notis, aut ex punctis pendentibus semicirculis includantur; *Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quòd quidam* [*quidem* 8 MS.] *errantes, colebant mutos* [*multos* o.] *serpentes & bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam*.

C. 12. v. 2. *Ideóq; [Propter quod* 2 MS.] *eos* [*hos* MS.] *qui exerrant* [*oberrant* o. *excitant* o. *exercuerant* o.] * *partibus* [* *à* o.] *corripis*] Nonnulli codices legunt, *Ideóque eos qui errant ex partibus, corripis*: nempe, transposita est *ex* præpositio, ut certior atque apertior esset loci sensus, eos qui extra limites à Deo constitutos errant, judicio Divino corripi. Quem etiam sensum ut indicarent, quidam *tuis* addiderunt (*hos qui exerrant partibus tuis*) [*suis* 1 MS.] quidam post *partibus* distinxerunt [in Quentelianis Bibliis, *Hos qui errant ex parte corripis* mutatum est.] Atqui non est hic loci sensus: *partibus* enim non cum *exerrant*, sed cum *corripis*, jungendum est, *Ideóque eos qui exerrant, partibus corripis*: sensúsque est, delinquentes paulatim sive sensim coarguis, leviter ac moderatè punis, ut ad pœnitentiam invitentur. Eò enim spectant quæ hîc dicuntur: unde & decimo postea versu legimus, *Sed partibus judicans dabas locum pœnitentiæ*. Decimo versu Græcè, pro *partibus* legitur κατὰ βραχὺ seu κατὰ βραχύ, secundo, κατ' ὀλίγον· quæ idem unum significant, *paulatim, sensim*: quare & Interpres eodem utrobique modo convertit. Ea autem quam probavimus interpungendi secundo versu ratio quorundam etiam manuscriptorum est: est & Enarratorum, Lyrani, Carensis ac Richelii; quinetiam Holcotii, etsi error in editione admissus sit. Sunt hoc versu alii quidam, & quidem in exemplaribus haud vulgaribus, crassissimi errores. In margine Ordinariæ Glossæ annotatur, pro *partibus* aliàs *patribus* legi, id quod & Carensis exponit. O. M. N. Hunnæi, cum aliis nonnullis MSS. & Holcotii textu, pro *corripis*, *corporis* habent (- *hos* [1 MS.] *qui exerrant* [*exeunt* 1 MS.] *partibus corporis*) quanquam addita sit emendatio. Ità pro scriptorum lectorúmque arbitrio mutata & corrupta sunt omnia.

C. 12. v. 5. τὸ *A medio sacramento tuo* multi codices sexto demum versu habent, *perdere voluisti* [*voluisti perdere*, 6 MS. G. *noluisti* o.] *à medio sacramento tuo*: sed correctiores, Græcis exemplaribus conformiter, quinto versu legunt, *Et devoratores sanguinis à medio sacramento tuo*. Relatum est è quinto versu in sextum, quòd non aliò pertinere existimaretur quàm ad *perdere voluisti*, quò Lyranus, Carensis, Holcotius & Richelius, immutatos secuti codices, concorditer referunt. Verùm alii nonnulli, qui in quinto id versu retinent, exponunt, *In sacrificio quod tibi debitum est*, vel *quod se tibi offerre putabant*: ut significetur, antiquos terræ sanctæ inhabitatores, Chananæos nempe, de quibus sermo est, solitos esse in sacrificiis suis filios necare, & necatorum viscera carnémque cum sanguine vorare, ut solent offerentes oblationis suæ participes esse; quod dilucidiùs significatur Malmundariensis codicis lectione, *In medio sacrificiorum*. Porrò Græca antigrapha, etsi unanimiter priori istud loco legant, maximè tamen variè scribunt. Basilensis anni 50. editio habet, θοίνας, ἐξ αἵματος ἐκ μύσους, μυσάλου θιασμοῦ· id quod ibi conversum est, *dapes* (præcedit ἀνθρωπίνων σαρκῶν, *humanarum carnium*) *& sanguinis ex fastidio, & fanaticos Sacerdotes*. ἐκ μύσους, quod est, *ex fastidio*, vel *ex scelere*, ad θοίνας *dapes* respicit: significantúrque abominabiles dapes, quæ fastidium & nauseam hominibus moveant, vel sceleste. θιασμὸς *divinum* denotat *furorem*, *furiosam inspirationem*, quâ qui occupantur *fanatici* appellantur. Vaticanum exemplar legit, θοίνας ἐξ αἵματος ἐκ μύσους μυσάλου θιάσου, *Sacerdotésque thiasi*. THIASUS *convivium* designat, *in Dei alicujus honorem celebratum*; *saltationem* item & *pompam Deo exhibitam*, *Baccho* proprié. Virgilius Ecl. 5.

Instituit Daphnis thiasos inducere Baccho.

Veneta impressio habet, θοίνας ἐξ αἵματος ἐκ μύσου μυσάλου θύας σου, *Sacerdotésque divini* sacrificii *tui*. Complutensis codex scribit, ἐξ θοίνας αἵματος ἐκ μύσου μύσας θύας σου· id quod ibi translatum est, *Et devoratorem* (*dapes*, sive *epulum*, magìs proprié) *sanguinis de medio sacramenti divini tui*. Prima, inter has Græcorum exemplarium lectiones Pagnino probatur: legit tamen, ἐξ θοίνας & ἐκ μύσου. Secunda, quoad postremam sui partem, Nannio videtur vera. Quarta Vulgati Interpretis est, vel proximè ad ejus lectionem accedit.

C. 12. v. 17. *Et horum qui te nesciunt audaciam traducis*] Variè nimis locum hunc exemplaria legunt. Alia scribunt *& hos*, alia *& horum*; quædam *qui sciunt*, quædam *qui nesciunt*; pleraque, cum Lyr. Car. & Rich. *qui te nesciunt*; multa *audaciam*, multa, cum eisdem glossematicis, *in audaciam*; vel *in audacia* [*mandata* o.] nonnulla *traduces*, cætera *traducis*. Ex singulis diversitatibus eam seligemus quæ verior videbitur: itaque ex veris partibus, hinc indè collectis, veram condemus lectionem: neque enim unum est exemplar quod omni ex parte incorruptè scribat. Ex prima varietate probatur nobis *& horum*; ex secunda, *qui sciunt*; ex tertia, *audaciam*; ex quarta, *traducis*. Quare vera nobis videtur lectio, *Et horum qui sciunt audaciam traducis*. Unus Cœnobii Malmundarii codex, alter Regii S. Theologiæ Professoris Augustini Hunnæi, tertius Regii Architypographi Christophori Plantini (Pl. ang.) ad hunc plane legunt modum, præterquam quòd *hos* habeant pro *horum*. Ex quo in suspicionem adducor, *in his* fortasse scribendum esse, *o* in *i* mutato, atque huc relatâ *in* præpositione, quam ante *audaciam* multi collocant: quanquam id nihil sensu differat. D. Augustinus, qui eâdem penè nobiscum editione videtur usus, quæstione 53. inter 83. legit, *Sed in his qui sciunt audaciam traducis*: quo modo & Græca antigrapha habent, ἐξ ὁ τοῖς εἰδόσι τὸ θεόν [θεός Compl. R.] ἐλέγχεις, *& in scientibus audaciam redarguis*: q. d. Sapiens, Iis qui non credunt omnipotentem te esse, commonstras; & eos qui id sciunt, nec curant, sed cultum tui mandatáque tua contemnunt, redarguis. Nannio videtur Interpres ἐξ ὁ μὴ εἰδόσιν legisse, quòd transtulerit, *Et hos qui te nesciunt in audacia traducis*. Ità sæpius vulgarium nostræ editionis codicum deceptus mendis, affinxit Interpreti Græcam lectionem quam ille nec agnoverit.

C. 12. v. 27. *In his enim quæ* [*qui* Quentel.] *patiebantur molestè ferebant* [*ferebantur* o.] *in quibus patientes indignabantur*] Harum sententiarum altera proculdubio redundat: est namque hîc duplex juncta translatio eorundem

rundem Græcorum verborum, ἐφ' οἷς δὲ αὐτοὶ πάσχοντες ἠγανάκλουν. Jungitur tamen utraque in omnibus quæ quidem vidi ſcriptis atque impreſſis editionis noſtræ exemplaribus; quin etiam in Expoſitorum noſtrorum gloſſis: tantùm in margine Ordinariæ Gloſſæ, Lugduni anno 1545 excuſæ, obelo hæc jugulantur, *Quæ patiebantur moleſtè ferebant.* Atque hæc certè, h.e. priorem ſententiam, auferendam putarem, ſi altera, id quod nobis videtur, auferenda ſit: poſterior enim verior eſt & meliùs iis quæ ſequuntur congruit. Veriſimile autem fit deletam ab iis qui utramque tranſlationem imperitè junxerunt, in poſteriori, *enim* conjunctionem. Germanam itaque exiſtimaverim, quæ & Clarii emendatio eſt, hujus loci lectionem, *In quibus enim patientes* [*impatientes* o.] *indignabantur*, priori omiſsâ ſententiâ. Sequitur poſthæc, *Per hæc quos* [*quæ* MS.q.] *putabant deos, in ipſis cùm exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant ſe* [*eſſe* o.] *noſſe* [*poſſe* o.] *verum Deum* [*Deum verum* MS.] *agnoverunt.* Locus eſt multum involutus, qui hunc ad modum explicari poſſe videtur, Cùm enim ſe viderent per ea exterminari ac perdi quæ pro diis coluerant (à quibus cùm paterentur indignabantur quòd ab eis affligerentur & perderentur, quibus honorem atq; obſequium omne detulerant) illum verum eſſe Deum agnoverunt quem ante ſe noſſe negaverant, nec tamen (quod ſubaudiendum eſt) ad ejus cultũ converſi ſunt, neq; ſicut Deum glorificaverunt. Senſui ſuperfluit τὸ *in ipſis*, quod præcedit *cùm exterminarentur*; niſi, cum quibuſdam, præcedentibus adjungas.

C.13.v.4. *Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt.*] *Virtutem*, i. agendi vim: eſt enim Græcè δύναμις. D. Cyprianus lib. De exhortatione martyrii cap.1. & lib.3. ad Quirinum c. 59. *virtutes* legit. *Et opera:* i. effectus. Græcè eſt ἐνέργεια, quod *efficacitatem* atque *operationem* propriè denotat. *Eorum.* Id ut Græcis codicibus non legitur, ità neque Latino ſcripto P literâ notato. Cæterùm ſi non legendum, ſubaudiendum eſt: ſermo eſt enim de eorum vi atque operatione quæ priùs enumerata ſunt, ignis, venti, luminum cœli, &c. *Intelligant ab illis.* Non *intelligunt, intelligebant*, aut *intelligent*, legendum eſt, quæ ſunt quorundam codicum vitia, ſed *intelligant*, ſive, quomodo antiqui codices ſcribunt, *intellegant*, νοησάτωσαν. Senſus eſt, Ex horum conſideratione colligere atque intelligere debuerunt. *Quoniam qui hæc fecit fortior eſt illis.* Malmundarienſe exemplar habet *quanto* pro *quoniam*: cæteráque pleraque omnia noſtra MSS. ſcribunt *qm̃*, quod & *quantum* legi poſſit, & *quoniam: quantum* vel *quanto* Græca exigunt. *Qui hæc fecit.* Septendecim noſtra exemplaria, & quidem antiquiora atque emendatiora, cum D. Cypriano & D. Richelio, habent, *Qui hæc conſtituit*; quod Græcanicæ dictioni aptè convenit, ὁ καταστήσας αὐτά. Malmundarii codex addit, *Qui hæc conſtituit fortia*, quod & Cyprianus utroque ſuprà citatorum locorum legit. Atqui nec ab aliis Latinis libris, nec à Græcis antigraphis quæ vidimus nos, agnoſcitur. Videtur explicationis gratiâ additum aut adſcriptum fuiſſe: nam ſenſus eſt, Qui illis eam quam habent virtutem atque efficacitatem dedit, ab eo enim à quo condita ſeu conſtituta ſunt, quidquid habent virium acceperunt. *Fortior eſt illis.* δυνατώτερός ἐστι, *potentior eſt*, majori vi operandi præditus. Convenit hic locus cum eo Apoſtoli, Rom.1.20. *Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ità ut ſint inexcuſabiles.*

C.13.v.11. *Diligenter fabricet vas utile in converſationem* [*converſatione* 6 MS.] *vitæ.*] Multi codices legunt *vas utile*, plures *vas inutile.* Hanc lectionem, poſteriorem dico, correctis codicibus Lyranus tribuit: & quidem etiam noſtra exemplaria, quibus adhiberi fides poſſit, *inutile* legunt; ſed non omnia. Lobienſe (tametſi alterum indicetur) Malmundarienſe, P, lectiſſima exemplaria, *utile* legunt; quod & de Leodienſi haud dubium mihi eſt: nam corruptor antiquum obtinuit. Græcè eſt, Εὐτρεπῶς κατασκεύασε χρήσιμον πρὸς διακονίαν ζωῆς, *Concinnè paravit utile vas in miniſterium vitæ.* πρὸς χρήσιμον, extra omnem controverſiam, ſignat *vas utile*, quod pro opere uſui accommodato accipitur: quomodo igitur *vas inutile* tranſtuliſſe Interpres potuit? An fortè *inutile* intellexerit *utile*? Sic ſanè exponunt Gloſſatores, *Inutile* pro *Valde utili.* [Richelius, alio etiam modo *inutile* interpretatur, nimirum, *intus utile, putà*, inquit, *ad uſus domeſticos.*] Ac certè ſi *inutile* legendum eſt, hunc aut ſimilem ad modum exponendum eſt: id enim cùm Græca editio tum locus ipſe volunt. At quis facilè credat, Interpretem voce notiſſimâ in contraria planè ſignificatione uſum, quâ nec doctis literarum nec indoctis uſitata ſit? Quamobrem non ſatis illud Lyrano placet: addit autem ipſe, aliter dici poſſe duas ibi dictiones eſſe, *in utile* (quo modo MS. unum, ex ejus fortè ſententia, legit) quod ſit, factum ad utilitatem humanam; quod aliquantò minùs abſurdum eſt. Richelius diſtractam vocem per præpoſitionis tranſpoſitionem exponit, *in vas utile*: id quod paulò quidem dexterius, ſed ſimilis farinæ eſt. Fit igitur verò ſimillimum, Interpretem *vas utile* voce ut aptiſſimâ ità celeberrimâ convertiſſe; *utile* autem cum *inutile* mutatum primò fuiſſe, quòd de idolo, de quo hoc capite diſputatio inſtituitur, ſermo eſſe putaretur, cujuſmodi etiam interpretationem dat Carenſis.

C.13.v.17, 18, 19. *Non* [*Si* o.] *erubeſcit loqui cum illo qui* [*quia* o.] *ſine anima eſt: - &* [o.] *pro ſanitate quidem infirmum* [*firmum* o.] *deprecatur.*] Ea quæ idolis Sapiens hîc exprobrat, quidam Latinorum codicum maſculino genere legunt; quidam partim maſculino partim neutro. Unus ex noſtris *quod ſine anima eſt* ſcribit; alter, *inutile invocat*; undecim, *quod ambulare non poteſt.* Cæterùm antiquiſſima & caſtigatiſſima quæque ſunt exemplaria quæ maſculino univerſa genere exprimunt (quanquam ambigua ex ſe maneant *infirmum & mortuum* [*mortuorum* o.]) *Qui ſine anima eſt*; *-inutilem* [o.] *qui ambulare non poteſt*; *qui in omnibus eſt inutilis:* quare ſic nobis legendum videtur. Porrò Græci libri omnes quos habeo ego variè legunt; hæc neutro, hæc maſculino genere. Facilis enim eſt error ex τὸ in τὸν, & è converſo, vocibus quæ ſubſequuntur utrumque admittentibus. Videntur autem neutrum genus Græci libri ubique deſiderare: nam, id quod ambiguum eſſe non poteſt, omnes concorditer τὸ ἀσθενὲς ſcribunt. Rurſus, quod ambiguum eſt, μὴ ᾖ βάσει χρῆσις δυνάμενον, omnes conformiter τὸ μὴ ᾖ βάσει χρῆσις δυνάμενον habent. Inſuper Regia, ex Complutenſi, emendatiſſima editio, omnia neutro legit genere, uno, quod poſtremum eſt, dempto, τὸ ἀδιαγνώστατον. Verùm etiam illud Vaticanum antigraphum τὸ ἀδιαγνώστατον ſcribit: atque omnia, non dubium eſt, eodem genere; ſed in uno τὸ νεκρὸν notatum non habemus. Græca quæ in Pagnini commentariis proferuntur, & Nannii verſio, neutrum ubiq; habent genus. Videtur itaq; Græcè neutro omnia genere legenda, quanquã ex ſe anceps maneat, primùm, τῷ ἀψύχῳ· Latinum verò Interpretem in maſculinum genus univerſa quæ neutro legerat mutaſſe: perinde namq; eſt ſive hoc ſive illo genere hæc proferantur: tametſi neutrum genus ad erubeſcentiam faciliùs idololatriæ deditos movere poſſit.

C.14.v.26. Inter mala ex idolorum cultura profluentia, quæ Sapiens hîc enumerat, unum eſt χάριτος ἀμνησία, ſeu, ut alii codices habent, ἀμνησία, quod eſt, *gratiæ oblivio.* Ingratitudo ſignificatur, quæ accepta beneficia oblivione delet. Interpres vertit, *Doni immemoratio:* nam *doni* legendum eſſe, non *Domini* aut *Dei*, ut vulgò legitur, Græca manifeſtè docent. Pleraque manuſcripta *dñi* ſcribunt, quod quidem, quantum ex literarum vi, *doni* legi poſſit: ſed probabilius arbitror, vel *dĩ* primùm ſcriptum fuiſſe, quod ab aliis *Domini*, ab aliis *Dei*, ſit lectum, nam *Dei* typis excuſi codices habent; vel *doni* diſertè poſitum fuiſſe, atque exiſtimatum ab indoctis ſcribis, lineam, quæ ſupra dictionem jacens *Domini* legendum indicaret, deſiderari; itaque *Dñi*, qui frequentior

eſt

est compendiosè scribendi modus, transscriptum, atque à quibusdam mutatum *Dei*. Infrà cap. 18. 2. iterum occurrit χάειν · ubi quidam Latini libri rectè scribunt *donum*, at plerique simili mendo *te Deum*. Lyranus, Carensis & Richelius *Dei immemoratio* legunt: tamen non omnino à vera hujus partis sententia abscedunt; adjungunt enim, quemadmodum & Robertus Holcot, *Bonorum Dei immemoratio*; quo etiam modo manuscriptorum quædam distinguunt, quædam conjunctione additâ referunt, *Et bonorum Domini immemoratio*. Atqui nec *bonorum* huc referendum est: ad id quod præcedit pertinet, *Tumultus bonorum*, θόρυβος ἀγαθῶν, h. e. *perturbatio bonorum*, vel, tumultus in bonos excitatus. Est igitur vera aptéque distincta lectio, *Tumultus bonorum, doni immemoratio*. Nannium, qui Latinos secutus codices vertit, *Tumultibus gratiæ bonorúmque Dei oblivione*, (sc. tenentur omnia) putarim non Interpretis translationem sed scribarum depravationem secutum. Sequitur, *Animarum inquinatio, nativitatis immutatio*, γενέσεως ἀναλλαγὴ [ὡ ἀλλαγὴ o.] *nativitatis*, vel *generationis immutatio*. Quidam id de concubitu intelligunt eo ex quo proles nasci non potest, qui aliis fit membris quàm à natura generationi statuta sint: quidam accipiunt de prolis adulteratione sive suppositione, *generatione* pro re genita, seu *nativitate* acceptâ pro re nata.

Subsequitur, *Nuptiarum inconstantia* [*instantia* o.] *inordinatio mœchia & impudicitia* [*pudicitia* o.] Codices Plantini duo (Pl.ang. Pl.m.) & Hunnæi unus (E.) legunt, *Nuptiarum inconstantia, mœchia & impudicitia*, multo, meo quidem judicio, veriùs: videtur enim τὸ *inordinatio* Vulgatæ ex altera translatione additum quæ in antiquissimo Malmundarii manuscripto exstet, hunc ad modum, *Nuptiarum inordinatio, mœchia & impudicitia*. Quod Græcè est γάμων ἀταξία, V. Interpres *nuptiarum inconstantia*; alius *nuptiarum inordinatio*, transtulit. Itaque ad illustrandum locum verisimile est scriptum primò fuisse, *inordinatio*, quod in altera erat versione, suprà *inconstantia*, & id simul postea in textum assumptum (nam & quidam codices legunt, *Nuptiarum inconstantia, inordinatio, mœchia & impudicitia*; duo Hentenii, duo Parisiensium, & quæ ex his duobus à Parisiensibus emendata est, anni 1557 editio) tandémq; mutatis nominandi casibus in gignendi, *mœchiæ & impudicitiæ* adjunctum. Restituenda est igitur in plerisq; exemplaribus vulgata versio, ut tria illa Plantini atque Hunnæi scripta habent, *Nuptiarum inconstantia, mœchia & impudicitia*. Nam Malmundarii liber, qui pro *inconstantia, inordinatio* scribit, videtur hîc à Vulgata editione recedere, ut aliàs nonnunquam; id quod in Clarii Bibliis creberrimum est. Sic ergò Græcæ editioni Latina consonat: habet enim Græca editio γάμων ἀταξία, μοιχεία, καὶ ἀσέλγεια. Tria hîc superioribus postrema subjunguntur mala; quorum primum, connubiorum confusionem mutuámque uxorum communicationem significat, secundum, adulterium; tertium, omne impudicitiæ & lasciviæ genus.

C. 15. v. 6. *malorum amatores digni sunt qui spem habent* [*ponunt* 1 MS.] *in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt*] Decem è nostris MSS. & quidem emendata pleraque, prætermittunt, Græcis codicibus consentaneè, substantivũ verbum *sunt*, legúntque hoc ordine, *Digni qui spem in talibus habent*. Lobiense addit *sunt*, sed alio loco, *Sunt digni qui in talibus spem habent*. Reliqua nostra exemplaria & *sunt* adjiciunt & *morte: Digni sunt morte qui*, &c. Expositoribus, Lyrano, Holcotio, Carensi & Richelio conformiter. At utrumq; dubio procul superfluit. Mirum est Glossematicos illos de iis quos sequendos sibi proponerent codicibus non magis fuisse solicitos. Verbum *habent* complura MSS. scribunt *hnt*: id quod huic convenientiùs loco *habeant* legatur quàm *habent*. Malmundariense antigraphum absque compendio *habeant* scribit. Græcè est ἄξιοί τε τοιούτων ἐλπίδων, *digníque talibus spebus*, i. digni qui tales spes habeant. Crassus hîc in Leodiensi scripto est error, *tabulis* pro *talibus*; tametsi ejusmodi sit qui à loci sententia non omnino recedat. Non absimilis est error in Græca Argentoratensium editione, quæ pro τοῖς, quod noster vertit *qui diligunt*, τοιοῦτος habet. Erroris occasio sumpta est ex Aldino, quem Argentoratenses secuti sunt, codice, in quo adverterunt vitiosè τοιοῦτος scriptum esse. Est & alius in hoc versu, licèt minor, quorundam Latinorũ codicum error, qui postremum *qui* omittunt, *Et colunt*. Citra errorem igitur hæc est loci scriptura, *Malorum amatores digni qui spem in talibus habeant, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt*. Cujus sensus est, Malitiæ omnis uberrimum fontem amant & ii qui faciunt idola, & ii qui fieri colíque desiderant, & ii qui colunt: ac proinde digni sunt qui vanas atque inanes spes in illis habeant. Vel hic sensus esse potest, Idolorum amatores digni sunt qui in idolis inanibus inanes spes collocent, & ii qui idola faciunt, nempe & ii qui, &c. cui sensui τε conjunctio, quæ Græcè additur, παρέλκει.

C. 16. v. 11. *In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, &* &c.] Legi non potest, quod Carensis & Richelius arbitrantur, unicâ voce *Immemoria*: nam Græcè duæ sunt fine controversia dictiones (εἰς γὰρ ὑπόμνησιν *in enim memoriam*) sicut & in Latinis ferè libris. Accusandi casu, inter Latinos, Malmundarii liber utitur, *In memoriam enim. Sermonum tuorum*. Quidam codices *servorum tuorum* legunt, quod & Carensis exponit: sed *sermonum*, quod habent veriores codices, scribendum legendúmque esse Græca loquuntur, ἦν λογίων σου. *Examinabantur*. Complura exemplaria, cum Glossematicis, Lyrano, Car. & Rich. scribunt *exterminabantur*: at melius emendatiora pleraque, *examinabantur*, quod & Hentenius ac Parisienses in hujus loci castigatione secuti sunt. Quid si verò *existimulabantur* legendum esset? id enim ἐσκυτρίζοντο, quæ Græci fontis vox est, significat: nam ἐσκυτρίζειν & ἐσκυτεύειν *existimulare* denotant. *Et velociter salvabantur*. Quidam fide digni codices *velociter* omittunt: alii, cum Græcis exemplaribus, addunt. Similis est in ea quæ sequitur voce varietatis ratio: correctiorum namque codicum nonnulli *sanabantur*, nonnulli *salvabantur* habent: sed hi ut numero superant, ità Græcæ editioni consonant, διεσώζοντο enim, h. e. *salvabantur*, cujus hoc loco expositio est *sanabantur*. Correctores Hentenius & Parisienses *salvabantur* in textum retulere, *Ne, in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio*. Perperàm libri quidam *alterã* legunt, vel *aliam*, pro *altam*. Vitiosè Nurenburgensis editio, cum uno ex nostris MSS. *incedentes* habet pro *incidentes*. Malè exemplar medium, *non non possunt* scribit, pro *nè non possent*: adeò vix una est vox quam non aliqui mendosè scripserunt; id quod non inutile est scire, licèt non utile semper fuerit singulos singulorum errores inculcare & refutare. Explicatio hujus loci esse possit hujusmodi, Ut enim præceptorum & promissorum tuorum memores essent, serpentum aculeis, quasi stimulis, admovebantur & probabantur: nè autem afflictionis vehementiâ in desperationẽ profundámq; tui oblivionem delapsi tuis non possent retrahi beneficiis, celeriter sanitati restituebantur. Sermo est de Israelitis serpentum morsu in eremo afflictis, Num. 21. 6.

C. 16. v. 19. *Et quodam tempore in aqua, supra virtutem ignis exardescebat undique, ut*, &c.] Græcè est ποτὲ δὲ καὶ μετὰξὺ ὕδατος, quod est, *Aliquando autem & inter aquam*. Grando & ignis mista pariter ferebantur, ut est Exod. 9. 24. de qua Ægypti plaga locum hunc Enarratores intelligunt. *Super*, aut *Supra, virtutem ignis*, ὑπὲρ τὴν τοῦ πυρὸς δύναμιν. *Exardescebat*, sc. flamma, vel ignis, de quo versu præcedenti. Impressi aliquot codices *exardescebat* legunt, scripti *exardebat*, plerique *ardebat*, spectatiores nonnulli, sex numero: neque aliud est Græcè quàm simplex φλέγω, *ardet, urit*, præsens pro præterito. *Undique*: sex manuscripta tollunt, Græcis antigraphis similiter. *Ut iniqua terra* [Ἵνα ἀδίκου γῆς] *nationem exterminaret*. Multi libri *iniquam* scribunt: sed correctiores, Græcæ lectioni consentaneè, *iniqua* habent. Quare id Hentenius & Parisienses probavere. Lobiensis monasterii

exemplar *nationes* multitudinis numero legit, quo modo & Græcè est γενήματα, id quod quidam *germina* sive *genimina* vel *proventus* interpretantur, quidam *progeniem*. Manifestum ex Exod. 9. est, tempestate illâ & homines perditos, & jumenta, & arbores atque herbas. Sericatus Atrebatensis Collegii codex *exterminares* habet: at *exterminaret*, quod in aliis est libris, Græco convenit; διαφθείρῃ, *corrumperet*, *vastaret*.

C. 16. v. 23. *Hoc autem iterum, ut nutrirentur justi, ignis etiam suæ virtutis oblitus est*] τὸ ignis sex & viginti nostrorum MSS. addunt: decem, cum antiquis Dominicanorum, nonnullis Lugdunensium, & quatuor Parisiensium, tollunt. His, quippe probatioribus, fides potiùs adhibenda est; cùm etiam Græci fontis exemplaribus consentiant. Ac certè in iis quibus legitur manuscriptis nonnulla advertere licet adjectionis indicia: quædam enim post *virtutis*, nonnulla post *etiam*, alia ante *etiam* scribunt. Hentenius itaque & Parisienses textu pepulere. Porrò & si non legendum, subaudiendum ex superiori versu est: unde factum existimo ut ex glossa inter lineas addita in textum irrepserit. Subaudienda est autem aut ipsa vox *ignis*, aut quæ ei Græcè respondet, *pyr*. Si *pyr*, scribendum videtur, *Hoc autem iterum*, &c. *oblitum est*; si *ignis*, *Hic autem iterum*, &c. *oblitus est*. Hæc enim ut suppositum & appositum jungenda sunt. Posteriori modo duo scripti codices habent, G & Malmundarienſis: sed rasura in utroque apparet. Verùm alii non pauci sic pronomen scribunt ut nescias utro modo legere debeas, *hic* an *hoc*: utrumque scriptura patitur, h'. Quare ut Græcis libris ipsíque loci sententiæ optimè convenit, ità à Latinis codicibus haud aliena est ista lectio, *hic autem iterum*, &c. *oblitus est*. Cæterùm si vulgò recepta, *hoc autem iterum*, &c. *oblitus est* [τοῦτο δὲ (τοῦς) πάλιν, &c. ἐπιλάθεται] retinenda est, quia in plerisque bonis codicibus diserte legatur, similem ad modum intelligenda est; *hoc* ad *pyr*, *oblitus* ad *ignis*, relatis. Commoda incommodæ versionis expositio est. Significare enim vult autor, ignem, qui, grandine pluviâque non obstantibus, impiorum Ægyptiorum fructus absumpserat, contrà, ut nutrirentur justi, virium suarum quasi oblitum, nihil obfuisse sive frugibus pecoribúsque Israelitarum in Ægypto, sive mannæ in eremo. Pro *nutrirentur* vulgares Græcorum codices τεφρῶσιν *verterentur* legunt: sed vera est lectio quæ in Regio est & Vaticano, τεφρῶσιν vel τεφρῶσι, quam secutus Interpres *nutrirentur* transtulit. ἐπιλάθεται. Quidam, ità ut infiniti modi sit, scribunt ἐπιλαθεῖς, *oblitum esse*; quidam, ità ut indicativi, ἐπιλάθεται, *oblitus*, vel *oblitum* est. Hæc de Græca lectione obiter adjecta sint.

C. 16. v. 25. *Propter hoc* [*Propterea* 2 MS.] *& tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebant*] Scriptura hæc in multis bonis codicibus reperitur, atque in plerisque eorum quos habemus integriores. Vulgares, cæteris haud mutatis, ferè *in* præpositionem omittunt, Carensi & Richelio adstipulantibus. Aliquot, quos non postremo ducimus loco, Pl. long. A, M, &, quod præstantissimum est exemplar, Q, legunt *in*, cæteráque ad eundem quo primi illi modum: sed *deserviebant* in *deserviebat*, pluralem numerum in singularem, mutant; quo modo & Franci Dominicani quibusdam legi indicarunt. Idem tres isti legendi modi significant, si in primo *creata*, vel quid simile, subaudias: sed tertius cæteris præferendus videtur. In primis enim aptissimè ei quæ præcedit sententiæ cohæret. Docet præcedens versus creaturam creatori subservire. Hîc subditur, *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata* (nempe *creatura*) *omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat*. Deinde Augustinianæ lectioni consonat, quam cap. 1. tertii De Trinitate hujusmodi invenimus, *Propter hoc & tunc in omnia se transfiguraus, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat*. Eodem planè modo Malmundarii codex scribit, ità ut videri possit veteris editionis exemplar esse. Nuper [cap. 13. 4.] Cypriano consensit, nunc Augustino: quanquã parùm Vetus editio à nostra discrepasse videatur, ut & istud exemplar parùm discrepat. Postremò, tertia illa manuscriptorum lectio, ut Augustini, ità Græcis consentit antigraphis, quorum hæc verba sunt, Διὰ τοῦτο καὶ τότε εἰς πάντα μεταλλαττομένη (*transformata*, *immutata*) τῇ παντοτρόφῳ σου δωρεᾷ ὑπηρέτει. Quare non sine ratione illam amplectamur: quam & Clarius ut sinceram, sed citra Latinorum codicum autoritatem, substituit.

Sequitur, *ad voluntatem* [*à voluntate* 1 MS.] *eorum* [*horum* MS.] *qui* [*quia* o.] *à te desiderati sunt*.] Plerique *à te* legunt; Dominicanorum scriptum *ad te*. Collegii Buslidiani exemplar supra lineas tantùm habet *à*. Græcè est πρὸς τὴν τῶν δεομένων βούλησιν, *ad egentium voluntatem*, vel *precantium*, aut *desiderantium*: hæc enim omnia δέομαι significat. Interpres quid intellexerit non satìs scio; an, Ad voluntatem eorum quos desiderasti, quos in peculiarem tibi populum eligere voluisti; an, Ad voluntatem eorum qui à te desideraverunt, à te rogaverunt, ut Deponentis more usus sit *desiderari*, sicut alibi *concertari* (Sap. 15. 9.) D. Augustinus legit, *Ad voluntatem horum qui te desiderabant*. Malmundarienſe exemplar paulò aliter, *Ad voluntatem horum qui à te* (vel *ad te*: nam erasum est *d*) *desiderabant*.

C. 16. v. 28. *Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire* [*praire* o.] *Solem ad benedictionem tuam*.] Ideo, inquit, voluisti, Domine, manna Solis radiis calefactum liquefieri & consumi, ut discerent cultores tui antevertendum Solem ad laudandum atque invocandum te, & tua munera consequenda. - *Et* [o.] *ad orientem lucis* [*Solis* o.] *te adorare* [*adorare te* Lob. G.] Quædam Latinorum exemplarium *orientem* legunt, quædam *ortum*: ex nostris tria & viginti hoc modo, quatuordecim illo. Græcè est, ἵνα πρὸς ἀνατολὴν φωτὸς εὐτυχήσωμέν σοι· ἀνατολὴ utrumque significat, & *orientem* & *ortum*, propriè *Solis*. Hoc loco pro *ortu* accipienda videtur, quo modo & transferunt plerique omnes. Significatur enim, non, Ad orientem Deum adorandum esse, id quod Judæis idololatriæ erat indicium, sed, quod ea quæ antecedunt loquuntur, ad ortum lucis, hoc est, ut lux oritur, primo crepusculo, Deum adeundum, salutandum atque adorandum. Opportunum orandi tempus designatur, non orantis situs præscribitur. Videtur itaque *ortum* legendum esse, quæ & Enarratorum, Rabani, Lyrani, Holcotii, Carensis ac Richelii lectio est, & Dominicanorum ac Parisiensium castigatio. Verùm antiquiores atque emendatiores nostrorum codicum *orientem* ferè scribunt, Brugensis, Leodiensis, Lobiensis, Malmundarienſis, O, P, & alii nonnulli: quin & Parisienses pro *ortum* non aliud adferunt exemplar quàm unum Basileæ excusum, quod etiam solum Hentenius annotavit. Quare si *orientem* legendum est, eundem tamen in sensum exponendum videtur, *ad orientem lucis* pro *ad orientem lucem*, aut simili ratione. Nihil enim hîc de adorandi agitur modo, eóque minimè qui divinæ pro Judæis ordinationi contrarius erat: id quod & Richelius docet. Porrò huc respexisse videntur qui ex hujus loci scriptura *te* sustulerunt; rursus qui *ibi* addiderunt. *Et ad orientem lucis adorare* tria habent manuscripta; *Et ad orientem lucis* * *te* [* *oportet* 1 MS.] *ibi adorare* [*adorari* 1 MS. alterum duorum.] duo. Atqui non ad orientem tantùm manna jacuit sed per castrorum circuitum (Exod. 16. 13, 14.) non ergò ad orientem magìs orandum docuit quàm ad quamcunque aliam mundi plagam. Neque quia ante ortum Solis colligendum fuit, cujus solius Sapiens hoc loco meminit, versâ ad orientem facie orandum significavit.

C. 17. v. 11. *Cùm sit enim timida nequitia, data est in omnium condemnationem*.] Plerique nostri codices legunt, *Data est in omnium condemnationem*, vel *condemnatione*; duo, *dat testimonium condemnationi*;

tionis; quatuor, *Dat testimonium condemnationi*, quibus quintus accedit, *Data testimonium condemnationi est*; sex, cum duobus Hentenii & duobus Parisiensium, *Dat testimonium condemnata*. Prima harum lectionum, etsi in quibusdam sit spectatæ integritatis codicibus, spuria merâque esse videtur corruptela, in qua vox una in tres aut quatuor distracta, cæteræque variatæ sint; Secunda ad veram propiùs accedere; Tertia & Quarta de veritate contendere. Tertia est in O & Q emaculatissimis MSS. atque in Moguntinensi & Colonienſi primis editionibus; illâ anni 1472. hâc anni 1479. cujus & post primam lectionem Robertus Holcotius meminit. Insuper in D. Gregorii Moralibus exstat, tum lib. 12. c. 20. tum lib. 17. c. 18. atque hoc modo apud Gregorium etiam Franci Dominicani ante trecentos annos legerunt: ad idem enim negotium in suis ad Biblia notis priorem Gregorii locum citarunt. Porrò iidem quartam lectionem antiquis codicibus & Rabano attribuunt. Rabani verba, cùm ea quæ ipsi proferunt, tum ea quæ in Glossa Ordinaria sunt, satis id loquuntur. Est in antiquis Parisiensium antigraphis, Germani Iato & Dionysii Iato, atque in eo quod ex Malmundario habemus vetustissimo scripto, aliisque nonnullis exemplaribus. Hanc & primam lectiones Richelius, Carensis & Interlinearis glossæ Autor proferunt. Est & Græcorum librorum varia hoc loco scriptura: duplex potissimùm; una δειλὸν γὰρ ἴδιον πονηρὰ μάρτυρι καταδικαζομένη, *Timida enim res malitia proprio*, aut *se, teste condemnata*, vel *condemnatur*. Nannius vertit, *Pavida quippe res malitia, idq; seipsâ teste comprobatur*. Altera, δειλὸν γὰρ ἴδιος πονηρὰ μαρτυρῶν [διαμαρτυρῶν Vatic.] καταδικαζομένη, *Timida enim propriè res malitia dat testimonium condemnata*, i. cùm condemnatur, cùm accusatur, cùm arguitur. Priori Græcorum Scripturæ probè congruit tertia Latinorum lectio: hoc est enim *dat testimonium condemnationi*, quod *se teste condemnatur*. Posteriori quarta consentanea est, præterquam quòd τὸ ἴδιος in ea expressum non videatur, ut nec in illa ἰδίῳ. Videri Interpres noster possit posteriori potiùs modo quàm priori Græcè legisse, quòd *dat testimonium* verterit, id quod est ex μαρτυρῶν vel διαμαρτυρῶν, non ex μάρτυρι: ac proinde etiam *condemnata* transtulisse: nisi dicas, sensum ab eo translatum prioris scripturæ, hoc modo, *Dat testimonium condemnationi*. Verumenimvero cùm sit idem penè sensus Græcæ utriusque & Latinæ utriusque lectionis, potuit & hæc, *Dat testimonium condemnationi*, ex posteriori Græcorum, & illa, *Dat testimonium condemnata*, ex priori conversa fuisse. Quare ex codicibus Græcis certi parùm liquere potest. Ex Latinis verò Dominicani *condemnata* scribendum collegerunt: sed video *condemnationi* suffragari cùm eos codices quorum est secunda, tum eos omnes quorum prima est lectio. Cæterùm nolo ego quidquam hac in re judicare, nè me aliis judicandum præbeam.

Sequitur, *Semper enim præsumit sæva*: cujus sensus est, Ideo timida est malitia quia semper præsagit, semper imminere metuit pœnas quas promerita est. Græcè est ἀεὶ γὰρ προσλήψεται τὰ χαλεπὰ, *semper autem assumit*, vel *suspicatur*, *gravia*, sive *mala*. Videri possit Interpres προσλήψεται legisse, à προλαμβάνειν, quod *præsumere*, seu, *anticipatâ opinione duci*, significat. *Perturbata conscientia*. Emendatiores codices legunt *turbata*, aut, quod in pluribus est, *conturbata*. Nequaquam verò *conturbata* cum *conscientia* jungendum est, ut appositum cum suppositio: est enim *conturbata* primi, *conscientia* sexti casûs; ac si dicas, *conturbata propter*, aut *per*, *conscientiam*; *nequitia* nempe, h.e. homo nequam, sive malus. Ex Græco autem manifestum illud est, συνεχομένη τῇ συνειδήσει, quod est, *cohærens conscientiæ*, vel *implicata conscientiâ*. Quidam legunt συναγομένη, i. *coacta*, *constricta*. *Compressa à conscientia* reddit quidam. Nannius legit, ut est in Argentoratensi editione, συνεχομένη, sed subscripto dativi casûs Iotâ; vertitque, *Semper enim præsagiendo anticipat mala, qua ipsius conscientiæ congruunt*. Hanc sententiam, quam transtulit Interpres Vulg. *Semper enim præsumit sæva conturbata conscientia*, alius aut vertit aut expositit, *Frequenter enim præoccupant pessima redarguente conscientiâ*. Coactum est autem simul istud in Vulg. Interpretis textum compluribus in libris ante illud, *Cùm sit enim timida*. Porrò decem Hentenii codices, septem nostri & quatuor Parisiensium omittunt. In Malmundariensi antigrapho confossum est: in P. margini duntaxat adscriptum. Alia non pauca exemplaria variè id legunt. Unum habet, *Frequenter enim præoccupavs*; aliud, *Frequenter enim præoccupabant*; tertium, *Frequenter præoccupabant*; quartum cum quinto, *Frequenter præoccupabantur*. Rursus unum, *redarguent*; alterum, *arguebant*. Hæc itaque sententia ut adjectitia repudianda est, nec in textum admittenda. Duo nostra manuscripta eam solam habent; alteram, *Semper enim præsumit*, &c. omittunt: sed illa, ut parvâ fide digna sunt, ità errare hoc in loco apparent: nam cùm & hanc sententiam, *Cùm sit enim timida*, &c. prætermittant, videntur scribæ inter easdem voces, *cõsci'a* & *conscientia*, media transiliisse.

C. 17. v. 13. *Et dum ab intus minor est exspectatio.*] *Ab intus*. Quidam codices tollunt *ab*; rectè, si sermonem spectes: sed emendatiores addunt, & *ab intro* [*utroq;* o.] plerique eorum scribunt. Leodiense manuscriptum post *exspectatio* addere videtur, quod est in Malmundariensi, *ejus*; id quod expositionis causâ adjectum putarim: nam nec Græcis legitur, nec Latinis pleriſq; libris. Dum in animo, inquit Sapiens, minor residet auxilii spes, oppressâ nimirum per desperationem fiduciâ, *Majorem computat scientiam ejus causa de qua tormentum præstat*. Veriorum librorum quidam *computat* legunt, quidam *putat*. In Græco Vaticanæ Bibliothecæ antigrapho est ἀναλογίζεται, in nostris λογίζεται. Pro *scientiam* duo MSS. *conscientiam* habent; duodecim, cum mukis impressis libris, *potentiam*, Carensi & Richelio adstipulantibus. Holcot *pœnam* legit, id quod nos alibi non reperimus. Meminit Carensis & *audaciam* legi; quod in uno quidem MS. substitutum deprehendimus, in aliquot verò typis excusorum codicum ad marginem notatum vidimus. Atqui integerrimi quique, cùm impressi tum scripti codices, *scientiam*, cujus etiam Holcotius meminit, servant: quamobrem illorum nulli commutandum id censeo. Porrò Græca hodie exemplaria concorditer, id quod contrarium est, ἄγνοιαν *ignorantiam* legunt: quod ex Græco textu in Latinum Vulg. editionis quidam ut genuinum transtulit, *Majorem computat ignorantiam*, πλείονα λογίζεται ἄγνοιαν· sed alii Interpretem & Græcè legisse & Latinè vertisse *scientiam* arbitrantur. Utut illud sit, in eundem mihi sensum videntur posse accipi *scientiæ* & *ignorantiæ* lectiones. Nam sive dixeris, Scientiam, quæ haberi potest ea de re cujus consideratio ei afflictionem parit, majorem existimat eâ scientiâ vel opinione quam sibi ipse formaverat; sive, Ignorantiam quam habeat ea de re cujus consideratio ei afflictionem parit, majorem existimat eâ opinione quam sibi formaverat; idem unum dixeris: idem enim est quod ignoratur, & quod sciri potest. Significatur, mentem malè sibi consciam, dum auxilio se videt destitutam, ea quæ in se ventura sunt mala longè quàm existimaverat priùs deteriora ominari. Petrus Nannius, quòd in eos inciderit libros qui *potentiam* Latinè legunt, existimat Veterem Interpretem pro ἄγνοιαν Græcè δύναμιν, aut quid simile, legisse: atque hoc ipse secutus transtulit, *Ea deterior rerum exspectatio, cùm intus animum obsederit, omnia in majus accipit, gravioráque* quàm revera sunt. *Suspicatur, de vicibus ejus causæ qua cruciatum suppeditat*: quod quidem eundem clariùs adfert sensum: sed non illa idcirco genuina est lectio. Regius textus, ex Complutensi, *ejus causâ* scribit: sed aliis libris, ut Græcis antigraphis, genitivus est, *causæ*. Cæterùm qui Græcè sunt genitivi, τῆς παρεχούσης τὸ βάσανον αἰτίας, *præbentis tormentum causæ*, ab aliis nonnullis absolutè positi intelliguntur, vertuntúrque per absolutè positos ablativos, *Præbente tormentum causâ*.

C.17.v.14. *Illi autem qui impotentem verè noctem*, &c.] Hæc genuina est hujus partis lectio, *Illi autem qui impotentem verè noctem:* eam enim habent, ut emendatiores Latinorum [undecim nostra, & quatuor Parisiensium MSS. hoc legunt modo] ità omnes Græcorum codices: eam etiam Hentenius ac Parisienses castigatores in textum transtulere. οἱ δὲ ἀδυνάτου ὄντως νύκτα Græcè est, *Illi autem* (vel, quod Pagninus vertit, *ergò*) *impotentem verè noctem.* Porrò quia obscurum istud est, iisque quæ sequuntur obscurè jungitur, multis mutatum depravatúmq; est modis. Nonnulli scripserunt, *Qui impotentem in verè noctem*; nonnulli, *Qui potentem verè noctem*; quidam, *Qui in potenti illa nocte*; quidam, *Qui impotentes venere noctem* [*nocte* 1 MS.] alii, *Qui in potentem venere noctem*; alii denique aliter: penè enim quot codices sunt, tot corruptelæ. Est autem inter eos quos recensuimus errores celebris maximè postremus, quem etiam Glossematici, Lyranus, Holcot & Richelius secuti sunt. Carensis eodem modo, sed *impotentem* unâ voce legit, sicut & MSS. quædam. Proximè verò ad veritatem accedere possint secundus error & tertius: nam & *invincibilem* ἀδύνατον significat; sícque *inexpugnabilem* hoc loco Nannius transfert. Annotatur in quorundam excusorum librorum marginibus pro *impotentem* aliàs *horrendam* haberi, quod in manuscriptis non inveni.

Sequitur, *Et ab infimis & ab altissimis inferis supervenientem*, s. noctem. Priorem & conjunctionem unum scriptum extra textûs seriem habet; alterum, E signatum, omnino non habet. Atqui cùm in plerisque omnibus sit libris, quinetiam Græcis addatur antigraphis, putarim legendum: sed eo quod Græcè legitur modo; non ut posteriori & respondeat accipiendum. Ineptè deinceps pro *infimis* quidam *infirmis* scripsere. Idem est autem *ab altissimis* quod *ab infimis*, ad profundissima inferni penetralia significanda repetitum. Glossematicorum vulgus *ab infimis* ad inferiora, *ab altissimis* ad superiora mundi principia ferè refert: omittit enim *inferis*, ut complures libri, octodecim nostri; sed injustè, nam integerrimi quique codices addunt, miniméque prætereunt. Græcè quoque hunc ad modum legitur, καὶ ἐξ ἀδυνάτου ἄδου μυχῶν ἐπαλυθῆς, *& ex impotentis inferni speluncis*, vel *recessibus, supervenientem.* Eleganter dixit autor *impotentem noctem ex impotenti inferno profectam*; quod mirum ab Interprete mutatum esse. Videtur *impotentem infernum, profundissimum* exposuisse; itaque ex inferni profundissimo egressam intellexisse noctem profundissimam, in qua nemo visu aliquid percipere, nemo operis quid facere poterat.

Eundem somnum dormientes] τὸν αὐτὸν ὕπνον κοιμώμενοι. Longè clarior Latinis esset locus si abesset, quod Græcis abest, *qui* in versûs principio, hoc pacto, *Illi autem, impotentem verè noctem* (*per* præpositionem subaudi) *& ab infimis & ab altissimis inferis supervenientem, eundem somnum dormientes.* Lecto autem *qui* (quod nostrorum codicum nulli deest) subaudiendum est participio *dormientes* substantivum verbum *erant.* Duo scripta, unum Abbatiæ Lobiensis, alterum Doctoris Hunnæi, L notatum, quorum ea est lectio quam suprà protulimus, *Qui in potenti illa nocte*, pro *dormientes*, *dormiebant* legunt: id quod aptissimè nostræ editioni, cui *qui* additum est, congruat. Verùm videntur exemplaria illa, etsi magnam fidem mereantur, mutata hoc loco esse, ut locus obscurus commodè posset intelligi; in primis quòd ab aliis exemplaribus, Græco conformibus, variè scribant, *in potenti nocte dormiebant:* deinde quòd pro *verè* substituant *illa*, contra Græcos cæterósque nostræ editionis Latinos libros: denique quòd accusativum *supervenientem* retineant, qui in ablativum simili ratione mutandus erat, non enim ad *somnum*, quod est ex Græco liquidum, referri potest. Multùm verò ad Malmundariensis codicis, qui veterum lectionem referre solet, horum codicum accedit scriptura: sic enim est in Malmundarii manuscripto, *Nam cùm omnes impotenti illâ nocte ab infimis & ab altissimis inferis supervenientem eodem somno conquiescerent.* Hujus versûs sententia proximo complectetur versu, *Aliquando monstrorum exagitabantur timore*, &c.

C.18.v.2. *Et quia non - &* [o.] *ipsi per eadem passi erant*, &c.] Quædam MSS. tollunt *per:* sed plerique, & castigatiora inter ea, addunt: qua ex causa Hentenius textui adjecit. Græcè nec est *per*, nec *eadem*, tantùm παθόνδασιν, *passi sunt*, quod Regio & Vaticano est ἐνεπόνθεσαν, *passi erant. Magnificabant te.* Græcè est ἐμακάριζον, quod est, *beatificabant:* neq; additur *te*, quod & emendatiora ferè Latinorum exemplaria rejiciunt. *Et qui* [*quia* o. *quia non* o.] *antè læsi erant*; προσδικηθέντες, i. *antè injuriâ affecti. Quia*, vel fideliùs, *Qm non ladebantur.* Græcis antigraphis est, *Quia non ladebant*, ὅτι οὐ βλάπτουσι. *Gratias agebant.* Complures *tibi* adjiciunt; non rectè: neque enim aut à Græcis libris aut à verioribus plerisque Latinis agnoscitur. Meritò Hentenius & Parisienses sustulerunt. Atrebatensis Collegii manuscriptum *cuiq;* addit: de quo eadem ferenda censura est. *Et ut esset differentia donum petebant.* Codices nostri plerique *donum* in *te Deum* mutant: verùm tres ex impressis & quatuor ex scriptis (Brug. O. E. C.) *donum* servant. Inter scriptos est Brugensis, antiquissimus ille ut integerrimus; O deinde & E præstantissima exemplaria: inter excusos Moguntinus & Colonienses, ex ipsa typographiæ infantia editi. Eadem in nonnullis libris lectio expuncta videtur, & quidem in lectissimis, Leodiensi, eóq; qui P signatur: in nonnullis margini est addita. Græci scribunt, καὶ τῶν διωκόντων χάριν ἠδύνατο. Multi id transferunt, *& inimicitiarum*, vel *odii, veniam precabantur.* Nulla hic *Dei* est mentio: sed χάριν, quod legitur, pro nomine acceptum *gratiam donúmque* significat. *Donum* & aliis hujus libri locis Interpres transtulit, bis eodem tertio capite, v. 9. & 14. Verisimile est hoc loco, quod & suprà in simili alterius loci varietate notavimus, c.14. v.26. Dñ scriptum fuisse, atque id ab aliis *Deum* lectum transscriptúmque, ac postea huic, ut superioribus partibus, *te* pronomen additum. *Te dm* manuscripta multa scribunt, duo *te dnm.* Errores plurimi ab iis ortum habent qui nois scripsere. Quidam adverbium esse intelligunt χάριν. Complutenses, qui vertunt, *Et differendi gratiâ orabant:* sed Interpres noster illud pro nomine accepisse videtur, adverbium autem subaudiisse. Sed cur dici non possit χάριν pro adverbio habuisse, *Deum* verò, vel *te Deum*, aut explicandi causâ addidisse, aut ex suo Græco codice transtulisse? Nam Parisienses adnotarunt, *Vet. Gr.* (quod legendum videtur, *Vetus Græcum*) *Basileense exemplar* Te Deum *legere.* Non, quia taceo, assentior.

Quæstio hîc est controversa, de quibus locus iste intelligendus sit, an de Hebræis, an de Ægyptiis; An significetur Hebræos, quòd non similiter Ægyptiis affligerentur, Deum laudavisse, &c. An Ægyptios, Hebræorum, quòd ejusmodi plagas haud sustinerent, felicitatem prædicasse, &c. De Hebræis Tractatores nostri exponunt, Lyranus, Holcotius, Carensis, Richelius, iíq; quoq; qui passim secundæ personæ pronomen adjecerunt, de eisdem acceperunt. De Ægyptiis intelligunt Neoterici ex Græco Interpretes. Atq; id nobis videtur Latinos codices de Ægyptiis, Græcos de Israelitis, nõ facilè posse interpretari; illos autẽ de his, & hos de illis, citra ejus quæ in Exodo est historiæ offensionem, explicari.

C.18.v.13. *De omnibus - enim* [o.] **credentes* [**non* o.] *propter beneficia*] *Beneficia* scribunt Latina pleraque exemplaria: quod exponunt Lyra & Richel. de beneficiis quæ ablatis per Moysi preces plagis Ægyptii acceperunt. Porrò duo manuscripta, Lobiense unum, L. alterum [Hæc MSS. nõdum videramus, cùm eas quæ in margine Bibliorum sunt notas scriberemus: ideò *veneficia* in priori edit. minoribus typis excusum fuit.] *veneficia* disertè, eâ *u* figurâ quæ ad *n* literam accedat, legunt: tria *beneficia* in *veneficia* emendando mutant: quædam ità habent ut satis nescias *beneficiáne* sit an *veneficia*; atque hinc orta varietas est: quædam enim *v* literæ figura figuræ *b* persimilis est. Idem character, si erectus stet aut propendeat, *b*; si supinus vel paululùm jaceat, *v* efficit. Græci codices habent, πάντα

πάντα δὲ ἀπίστους διὰ τὰς φαρμακείας. φαρμακεία, non *beneficium*, sed *venenum* & *veneficium* signat: quare dubium esse non potest *veneficia* veram esse Interpretis scripturam, ea quæ & Clarii fuit ac Parisiensium sententia: nisi dixeris *beneficia* eum pro *medicamenta* convertisse, quòd & *medicamentum* seu *medelam* φαρμακεία denotet. Quidam Latini libri *sua* addunt, *Veneficia sua*: quod, cum Græca editione, alii tollunt. *Tunc cùm primùm fuit exterminium primogenitorum.* Quatuor Parisiensium codices & tres nostri transfodiunt *primùm*, quibus suffragantur Græca exemplaria, quæ hoc tantùm habent, ὅτι ἦν πρωτότοκον ἀνθρώπου, *in primogenitorum clade.* Additum fuit *primùm*, expositionis gratiâ; *Tunc primùm cùm*, &c. *Spoponderunt*, vel, ut habent vetusta quædam MSS. *Sponderunt populum Dei se esse.* Pars ista omnino aut depravata est agnoscenda, aut contra Latinæ Grammatices regulas intelligenda: neque enim primogenitorum morte territi Ægyptii cultum Hebræorum Deo, quòd hîc propriè significatur, promiserant: dimittere Dei populum, jubente cogentéque Deo, non id est Dei populum esse. Græcè legitur, ὡμολόγησαν Θεῷ ὑὸν λαὸν εἶναι, *Confessi sunt Dei filium populum esse.* Latinè itaque aut substituendum est *filium* pro *se*; aut omittendum tantummodo est *se*; aut scribendum *nosse* pro *esse*; aut denique, cum Lyrano & aliis quibusdam, accipiendum *se* pro *illos*. Secundæ conjecturæ unum manuscriptum, G. notatum, adstipulatur: habet enim, *Spoponderunt populum Dei esse*, sub. *Hebræos.* Sensus loci est, Qui multis signis plagísque adducti nequaquam fuerant ut fidem Dei operibus adhiberent, nempe magicis incantationibus dementati, primogenitorum exanimati strage, Dei pro dilecto sibi populo pugnantis potentiam agnoverunt. De Ægyptiorum hoc maximè principibus intelligendum est: neque enim dubium quin plebeii, prioribus plagis moti, Dei ultricem manum agnoverint, Exod. 12. 31, 32, 33. Hinc, prædictâ septimâ grandinis plagâ, *Qui timuit*, inquit Moses Exod. 9. 20. *verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere servos suos & jumenta in domos.*

C. 19. v. 2. *Quoniam cùm ipsi permisissent, ut se educerent*, &c.] Octo nostri codices habent, *Quoniam cùm ipsi* [*ipsi cùm*] *permisissent, ut.* Alii octo illius loco, *Quoniam cùm ipsi* [*ipsi cùm*] *reversi essent, ut*; Sedecim, *Quoniam cùm ipsi reversi essent, & permisissent, ut.* Hi conjunxerunt quæ in aliis atque aliis reperta sunt; & quidem numero prioribus prævalent, sed antiquitate atque integritate non item. Vetustiores & emendatiores sunt libri qui alterum solummodo legunt, aut *reversi essent* tantùm, aut *permisissent* tantúm. Hæc autem varietas in Latinos codices ex Græcis permanavit: Græcorum enim exemplarium quædam, ὅτι αὐτοὶ ὑπῆρξαντες, quædam, unicâ demptâ literâ, ὅτι αὐτοὶ ὑπερῆλθαντες scribunt: ex illo translatum est, *Quoniam cùm ipsi reversi essent*; ex hoc, *Quoniam cùm ipsi permisissent.* Quare sciri difficulter potest utra Interpretis sit versio, cùm & Latinorum inter se librorum & Græcorum eadem una diversitas sit; quódque his amplius est, nec sinceriores Latini codices sibi mutuò consentiant, sed alii quidem *reversi essent*, alii verò *permisissent* legant, quasi æquali utrinque autoritatis pondere. Cæterùm plus aliquid iis tribuendùm puto qui *permisissent* habent, quibus accedunt cum Lyrani enarratione tria Parisiensium lectissima exemplaria, Di. o. Ge. o. l. quæ cum aliis, verisimilè est, nonnullis Hentenius secutus emendavit, *Quoniam cùm ipsi permisissent, ut.* Et sanè hæc in præstantioribus est codicibus Græcis lectio, Vaticano, Complutensi, Regio (ὑπερῆλθαντες namque habent) quibus plerumque, cùm Græcorum exemplarium varia est scriptura, versionem nostram respondere observasse mihi videor. Meliùs insuper loco convenit *permisissent* seu ὑπῆρξαντες quàm *reversi essent* sive ὑπερῆλθαντες: aptius tamen est quod est Græcè ὑπερῆλθαντες quàm quod Latinè *reversi essent*: potuisset enim, & rectiùs, ὑπερῆλθαντες transferri *conversi essent*; quinetiam verti posset *permisissent*: Itaque *permisissent* potiùs legendum videtur, *Quoniam cùm ipsi permisissent*; cui continuò subjungitur, *Ut se educerent*; quod quædam antigrapha *Ut se ducerent*, quædam *Ut se ducerent*, legunt. *Seducerent*, quanquã à Carensi & Holcotio exponatur, adulterinum est: vel *se educerent*, vel, quod frequentius est in manuscriptis, *se ducerent*, scribendum est. Græcè est, ἵνα ἀπέλθωσι seu ἀπῶσι, *ut abirent. Et cum magna solicitudine præmisissent illos.* A duobus scriptis omittuntur ista (quanquam in marginibus sint scripta) *Ut se ducerent, & cũ magna solicitudine præmisissent*, scribarum, quibus vocũ *permisissent* & *præmisissent* similitudo imposuit, proculdubio errore. *Consequebantur illos pœnitentia actus.* Quatuor exemplaria cum Richelio *consequebatur* habent: sed servandus est pluralis numerus, qui in plerisque & castigatioribus est. Videri autem possit legendum *Consequentur*, vel *Consequerentur*, *illos pœnitentiâ acti*: quòd Græcè sit διώξουσι μεταμεληθέντες, *Persequentur pœnitentes.* Huic conjecturæ duo manuscripta quoad posteriorem partem suffragantur; unũ Collegii Atrebatensis, quod habet, *Consequebatur [*Et o.] *illos pœnitentia acti*; alterum Cœnobii Malmundarienſis, *Consequebantur illos pœnitentiâ acti*, quod, etsi nonnunquã à nostra editione evariet, frequentiùs tamen convenit; ut in reliquis hujus loci partibus. Tres ex vulgaribus codicibus, Græcis libris conformiter, omittunt *illos*; *Consequerentur pœnitentiâ acti.* Loci sensus est, Præsciebat Deus pervicacem Ægyptiorum malitiam, quòd postquam Hebræis abire permisissent, imò festinanter egredi compulissent, pœnitentiâ ducti revocaturi persequerentur.

C. 19. v. 14. - *Et* [o.] *non solùm hac, sed & alius quidẽ respectus illorum erat*] Exemplaria nostra complura, & correctiora, cum Roberto Holcotio & Dionysio Richelio, legunt, *Et non solùm hoc*; quædam ità scribunt ut non satis scias an *hoc* sit an *hæc*, h'. Græcè nec *hoc* est nec *hæc*: tantùm οὐ μόνον, *& non solùm. Sed & alius.* Pleraq; emendationũ antigraphorum jugulant &, Græcis codicibus consentientibus: nam, ἀλλ' ἤτις, aut ἀλλ' ἥτις, vel ἀλλ' ἤτις, habent; quos ego quidem vidi Græci libri. Porrò Pagninus ἀλλὰ καὶ ἥτις citat. *Alius quidem.* Codices antiquissimi, Brugensis & Leodiensis, pro *quidem* legunt *quis*, quanquam in Leodiensi recèns additum videatur *s*: duo alii utrumque jungunt, *quidem quis*; C habet *qui*; O *quisq*; multi scribunt *quid*, id quod legi posset *quidam.* Malmundariense exemplar *adhuc* legit pro *quidem.* Videtur aut *quidam* aut *quis* corrigendum. Lobiensis monasterii liber horum nihil habet, omnino omittit *quidem.* Græcè est ἀλλ' ἤτις (sic enim scribendum videtur) quod vertunt, *Sed quædam, sive quidam. Respectus illorum erat.* Decem fide dignissima manuscripta pro *erat erit* legunt; & sex quidem hoc ordine, *Respectus erit illorum*: id quod Græcæ editioni consonat, ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτῶν, *Respectus*, aut *visitatio erit illorum.* Vulgarium expositorum ea est quæ vulgarium codicum lectio. Petrus Nannius hanc sententiam hunc ad modum interpretatus est, *Verùm si ulla unquam inquisitio in scelera fiet, ea adversùs hos ipsos futura est.*

C. 19. v. 17. *Unde æstimari ex ipso visu* [*usu* o.] *certò potest*] Tria manuscripta, Hunnæi E, Plantini angustum, & Atrebatensis Collegii fericatum, habent, *Unde est æstimare ex ipso certo visu*: quod Græcæ scripturæ conformius est, ὅπερ δεῖν εἰκάσαι ἐκ τοῦ γεγονότος ὄψεως ἀκριβῶς, *Quod est æstimare ex eorum quæ facta sunt visu perfectè.* Hanc lectionem & alia pleraque digniora manuscripta, immutata nonnihil, referunt. Unum habet, *Indè est æstimare & ex ipso certo visu*; Alterum, *Unde est æstimari & ex ipso certo visu*; Tertium, *Unde æstimari & ex ipso certo visu*; Tria alia, *Unde est æstimari* * *ex* [* &. unum MS. illorum trium,] *ipso certo visu potest*; Quatuor ab illis diversa, *Unde & æstimari ex ipso certo visu potest. Et* ex *est* mutatum videtur; *æstimari* & *potest* ex ea lectione desumpta quam initio proculimus, ea quæ sensum habet illius quam Interpretis germanam esse scripturam fit nobis verisimile. Pagnini translatio est, *Quod licet ex animadversione rerum actarum exactè conjicere.* Notandum hîc insuper uno verbo est, manuscriptis nostris codicibus, non

ut excusis, *ex ipso visu certo*, sed, *ex ipso certo visu* legi; cæterùm utrovis *certo* fit loco, non nomen, sed adverbium esse, respondens adverbio quod Græcè est ἀκριβῶς· nisi dixeris Interpretem factorum visum *certum visum* interpretatum.

NOTATIONES IN ECCLESIASTICUM.

C. 3. v. 28.

COR ingrediens duas vias non habebit successum, & pravum corde in illis scandalizabitur] Tres scripti codices quos facio plurimi, Brugensis, O. & P. pro *successum*, *requiem* legunt; quibus alii duo accedunt, A. & M. literis notati. Porrò cæteri *successus* retinent, suffragantibus Enarratoribus, Rabano, Lyrano, Carensi, Richelio. Unum Atrebatensis Collegii exemplar utrumque in textu conjungit *successum vel requiem*. Aliquot typis excusa in textu illud, hoc, *requiem* dico, in margine scribunt. Ex Græcis libris de lectionis varietate statui nihil potest, quòd in eis sententia ista haud inveniatur. In altera sententiæ parte pro *pravum corde* quidam *pravum cor*, quidam *pravi cor*, quidam *pravicors*, plerique *pravi cordis* vel *pravicordis* habent. Brugense exemplar cum H & G, & impressis nonnullis, *pravicordius* scribit, quod & Lobiensis codex asscripsit, & glossematicus Carensis exposuit. Atque id verum esse videri possit, tum quòd in emendatis sit libris, tum quòd ejus, quippe inusitatioris & alienioris, occasione varietas videatur nata: cui sanè proximè accedit quod habent plerique boni etiam libri, *pravicordis*, id quod in exemplari A signato correctum est *pravicordium*.

C. 6. v. 12. *Si humiliaveret se contra te*, &c.] Tria scripta exemplaria *contra* in *coram* mutant, *Si humiliaverit se coram te*. Verùm ut pleraque, ità & emendatiora, *contra* servant. Interlinearem expositionem fuisse verisimile est *coram* (sic enim exponunt hoc loco glossematicorum multi, *contra* pro *coram*) atque eâ postea occasione huic illud commutatum. Græcè est *contra te*, sed aliter præcedentia, ἐὰν ταπεινωθῇς, ἴσει κατὰ σου, quod est, *si humiliatus fueris, erit contra te:* ad quem planè modum & Latinus Malmundariensis Abbatiæ liber, quem veterum sæpe lectioni conformem in Sapientiæ libro animadvertimus, legit.

Et à facie tua absconderit se. Sic plerique Latini libri. Græca exemplaria, καὶ ἀπὸ προσώπου σου κρυβήσεται, *& à facie tua absondetur*, habent; quomodo Malmundarii scriptum, & alterum Hunnæi, L signatum, Latinè legunt, *Et à facie tua absondet se.* Malmundarii scriptum videtur omnino *abscondit* habuisse. L, id esse exemplar puto cujus R^mus Dominus Jansenius meminit: eisdem enim utimur quibus se in suarum Enarrationum præfatione usum testatur, Doctoris Hunnæi manuscriptis. Similiter legitur apud Hugonem Cardinalem. Vetustus Lobiensis monasterii codex, & is qui à S. Dominici fratribus olim in Francia correctus est, Rabano adstipulante, scribunt, *A facie tua absondes se*, prætermissâ, quam prætermittendam omnino Dominicani notant, & conjunctione, ità ut hâc parte sententia compleatur (*Si humiliaverit se contra te, à facie tua absondes se*) ac tum, quod per se sensum faciat, sequatur, *Unanimem habebis amicitiam bonam:* quam lectionem ei quæ vulgò recepta est, *Si humiliaverit se contra te, & à facie tua absonderit se, unanimem habebis amicitiam bonam*, Jansenius enarrator præfert, *Unanimem habebis amicitiam bonam.* Istud Græci codices non habent; Latini verò, cum Latinis expositoribus, omnes quos quidem viderim, etiam Malmundariensis. Cæterùm quatuor tertiâ personâ *habebit* legunt, *Unanimem habebit amicitiam bonam:* at imbecilliores illi quàm ut cæteris queant prævalere.

C. 6. v. 31. *Et vincula illius* (Sapientiæ) *alligatura salutaris*] Quidam codices, impressi maximè, *salutis* legunt pro *salutaris:* sed calamo exarati ferè *salutaris* habent; id quod Hentenius & Parisienses in textum transtulere. Græcè est, καὶ οἱ δεσμοὶ αὐτῆς κλῶσμα ὑακινθινον, quod vertunt, *Et vincula illius nexus hyacinthinus.* Latina exemplaria, Hunnæi tria, Q, M, A, atque alia tria antiquitate simul & integritate præstantia, Lobiense, Leodiense & Malmundariense, habent, *Et vincula illius fila iacinthina* [*iactantia* o.] *alligatura salutaris:* quanquam Malmundariense pro *alligatura, natura* scribat, quod esse opinor id quod Rabanus habet *nectura.* Hinc D. Jansenio fit verisimile, vertisse Interpretem juxta Græcum, *Et vincula illius fila hyacinthina:* atque huic adjectum postea commentarium, *alligatura* seu *nectura salutaris*, qui deinceps pro genuino textu substitutus sit. κλῶσμα ὑακινθινον Num. 15. 38. *vittam hyacinthinam* interpretantur: est ex Hebræo פתיל תכלת, quod alii *filum hyacinthinum*, alii *vittam hyacinthinam*, reddunt.

C. 10. v. 27. *Magnus est judex, & potens est in honore: & non est major illo qui timet Deum*] Locum depravatum esse codicum varietas loquitur. Unus legit, *Magnus est dives judex & potens in honore*; duo, *Magnus est dives & judex & potens in honore*; unus, *Magnus est judex & potens in honore ejus*; alius, *Magnus est judex, potens est in honore*; tres, *Magnus est judex & potens in honore*; quatuor, *Magnus est judex & potens est honore* [*honorare* 1 MS.] viginti, *Magnus est judex & potens est in honore.* D. Jansenius, Gandavensis Antistes præclarissimus, legendum arbitratur, *Magnus & judex & potens est in honore* (quod ab ea quæ frequentior est codicum lectione unius duntaxat literæ extritione differt) ut *magnus & potens*, sicut *judex*, substantivè accipiantur: quod quia plerique non intellexerint, variè locum corruptum existimat. Græcorum librorum plerique legunt, μεγιστὰν καὶ κριτὴς καὶ δυνάστης δοξαζόμενος [μεγιστάνες καὶ κρίται καὶ δυνάσται δοξαζόμενοι. R.] *Magistan & judex & dynasta honorabitur:* cui sanè probè convenit illa D. Jansenio probata lectio: sed ea meliùs feliciùsque, quam illustrissimus S. R. E. Cardinalis D. Sirletus in eruditissimis suis in Ecclesiasticum notationibus (quarum Regius Architypographus, cui excudendæ magna ex parte transmissæ sunt, nobis copiam fecit) dextrâ conjectatione assecutus est; *Magnas & judex & potens est in honore.* Vox enim μεγιστὰν *magnatem*, sive *primatem*, propriè denotat, atque Interpres, cùm frequentissimè hoc in libro occurrat, plurali præsertim numero, ferè *magnatem*, seu quod ei familiarius videtur, *magnatum*, interpretatur.

C. 11. v. 9. *De - ea* [o.] *re qua - te* [o.] *non molestia* [*immolestiat* 1 MS.] *nè certeris* [*conteris* o.] Manuscriptorum nostrorum exemplarium septem, cum impressis plerisque, *nè certeris* legunt; tria, *nè certes*; unum & viginti, *nè certaveris.* Dominus Jansenius *certes* aut *certaveris* legendum putat. Dominicani *certeris* legendum notant; quibus nostra pleraque emendatiora sunt quæ suffragantur exemplaria. Existimarim igitur Interpretem *certandi* vocabulo Deponenti genere usum, ut c. 38. v. 29. & Sap. 15. 9. *concertandi*; *Et in calore fornacis concertatur: sed concertatur aurificibus & argentariis.* Imò verò hujus libri cap. 4. v. 33. quo legitur, *Et usque ad mortem certa pro justitia*, tres ex antiquis nostris atque emendatis libris *certare pro justitia* habent. Nihil igitur mirum si *nè certeris* hoc loco legatur. Latinè haud dubiè dixisset Interpres, quod præsumpserunt Latini autores, *nè certaveris, nè certaris*, aut *nè certes*; sed condonandum est ei qui Latinus non fuerit. Græcè est, μὴ * μετέχεσθαι [* ϛ Gq.] ἐν ὄχλοις σου * μὴ [* χρόα Gq.] ἴδῃς, de re quæ non intereat tuâ, nè contendas.

C. 11. v. 15, & 16. *Sapientia & disciplina & scientia legis apud Deum: dilectio & via bonorum apud ipsum. Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exsultant in malis, consenescunt in malo*] Versus istos duos multa Latina MSS. legunt, multa tollunt. Inter Tractatores Carensis exponit; Rabanus, Lyranus & Richelius non agnoscunt. Ex Græcis libris Vaticanus posteriorem habet,

habet, πλάνη καὶ σκότος, *Error & tenebræ*, &c. Complutensis utrumque; Basileensis, Argentoratensis & Venetus neutrum. Quid igitur, addendíne sunt versus isti an tollendi? Græcis libris an addendi an auferendi sint, nolim ego decernere: sed Latinum Interpretem Græco codice cui defuerint usum fuisse, ac proinde nec transtulisse, advertisse mihi videor. Nostra enim lectissima manuscripta, & quæcunque vel mediocriter excellunt, quindecim simul numero (Malmundariensi antigrapho hujus loci pagina excisa est) minimè legunt: quibus accedunt alia duo, in quorum uno confodiuntur, in altero vacare notantur. His, D. Sirleto teste, vetustissima monasterii Cassinensis exemplaria & tria Vaticanæ Bibliothecæ suffragantur. Adstipulantur tredecim Hentenii codices, & quos suprà recensuimus Tractatores. Denique neq; in antiquis libris neq; in Rabano versus istos haberi, ac proinde nec legendos esse, olim S. Dominici fratres in Francia annotarunt. Ex his igitur nobis verisimile fit, non esse hos versus ab Interprete additos. D. Jansenius existimat studio sublatos ab aliquibus esse, quòd posterior patrocinari videretur errori Manichæorum & aliorum quorundam hæreticorum, asserentium Deum autorem esse malorum animi æquè ut bonorum. Sed cur prior sententia, quæ hujusmodi nihil habet, relicta non est? neque enim sic altera alteri cohæret ut commodè separari nequeant. Rursus cur posterior, in qua vis omnis ponitur, Græco Vaticanæ bibliothecæ codici sola legitur? Fuerint tamen Græcis è libris sublatæ sive hac sive alia quacunque de causa (id quod non facilè rejiciendum est) aliud porrò de se Latina exemplaria videntur loqui. Addendum hic est, ea Latina MSS. à quibus leguntur hi versus, postremam partem ferè, *Qui autem exsultant in malum, consenescunt in mala*, legere. Hæc lectio codici Græco Vaticano conformior est, *Eis autem qui exsultant in malitia, consenescunt mala*; altera, quæ impressorum fere librorum est, *Qui autem exsultant in malis, consenescunt in malo*, Græcæ Hispanorum editioni similior, *Eis autem qui exsultant in malis, consenescit malitia*.

C.11.v.20. *Et nescit quod tempus prætereat.*] Malè plerisque in libris excusum est *quòd*, accentûs gravis formâ notatum: quandoquidem non conjunctio, sed adjectivum nomen sit; quod ex Græcis evadit clarum, καὶ οὐκ οἶδε τὶς χρόνος παρέλευσεται. Ex quibus etiam conjici fortasse possit, *præterit* Latinè legendum: futurum scilicet indicativi, cujusmodi frequenter veteres utuntur interpretes, in præsens subjunctivi, quia *quod* conjunctio esse existimata est, mutatum. Subjungit codex Regius cum Vaticano ἀλλὰ, quod in Veneto & Germanicis non habetur: similiter Latinis antigraphis quibusdam additur, *Et nescit quid tempus prætereat illum*; quibusdam tollitur. Cæterùm in plerisque nostris integrioribus MSS. Latinè haud legitur, quibus Vaticanæ Bibliothecæ & Monasterii Cassinensis Latina exemplaria adstipulantur. Franci Dominicani prætereundum esse signant.

Sequitur multis in libris, *Et mors appropinquet*, vel *appropinquat*; id quod in Rabano & multis codicibus non haberi verè Dominicani annotarunt. Octo ex nostris scriptis, eáq; emendatiora, haud agnoscunt. In vetustissimo exemplari Basilicæ S. Pauli, & aliis plurimis Monasterii Cassinensis, Serenissimus Cardinalis Sirletus non invenit. In Græcis antigraphis nullis legitur. Quare, illo prætermisso, legatur deinceps, *Et relinquat omnia aliis, & moriétur* [*moriatur* o.] sed pro *relinquat* substituatur, quod habent meliores libri, *relinquet*: id quod Græco conforme est, καὶ καταλείψει ἄνθρωπος καὶ ἀποθανεῖται. Porrò quatuor ex nostris sincerioribus MSS. Lobiense, P, L, & medium Plantini, omittunt *& moriétur*; tantùm *& relinquet omnia* * *aliis* [* *solum* o.] habent. Brugense legit quidem *& moriétur*, sed coloris alterius ac minori coactioríque literâ, tum illud tum aliquot proximè sequentes voces, ità ut facilè postea additum appareat. Ex Leodiensi & Malmundariensi apographis nihil quoad hanc lectionem colligi potest, quòd huic hujus loci folium desit; illi jam inde à v.14. immutata sint ab adulteratore omnia. Dominicani notarunt in Rabano & multis, ut non illud, *Et mors appropinquet*, sic nec istud, *Et moriatur*, haberi: id quod ità etiam in Rabano comperi. Habeo quoq; unde suspicer Richelium non legisse. Hac igitur de re quid sentiendum sit, utrùm legendum sit *& moriétur* nécne, pronunciare non ausim. Illorum enim exemplarium integritas & Rabani autoritas minimè vili-pendenda est: plerosque verò qui illud addunt Latinos codices tuentur Græci. Ità dubius hæreo. Cæterùm videtur illud, *& moriétur*, incommodè satìs positum post *& relinquet omnia aliis*: priùs enim homo moritur quàm omnia aliis relinquat; priùs certè, si non tempore, naturâ. Atque hinc factum existimarim quòd in Cardinalis Bessarionis codice negatio sit addita, *& non moriétur*, ut ad animam respiciatur. Deinde ad sententiam id, *Et moriétur*, minimè requiritur: satìs enim significatur per hoc, *& relinquet omnia aliis*, imò elegantiùs gratiúsque ex eo intelligendum relinquitur. Fortassis igitur Interpres noster id Græcè non habuit καὶ ἀποθανεῖται: nihil verò asseverare velim. Porrò hujus versûs, de cujus emendatione hactenus scripsimus, sensum ex præclarissimorum Præsulum, Cardinalis Sirleti & Episcopi Jansenii, enarrationibus petendum relinquimus: cùm enim hi felicissimè id præstiterint, nos hoc in libro partim laboramus ut locorum quæ castiganda docuerimus sensum adferamus; id quod in compluribus aliorum librorum locis conati sumus.

C.12.v.4. *Et impiis & peccatoribus reddet vindictam.*] Non *redde* legendum est, sed, quod habent plerique codices, cum expositoribus, *reddet*: manifestè enim ad Deum referendum esse id quod sequitur docet, *Custodiens eos in diem*, vel, ut multa vetera exemplaria habent, *in die, vindicta*.

C.13.v.14,& 15. Quædam ex nostris correctioribus scriptis legunt, *Et subridens interrogabit te. De absconditis tuis* * *immittis* [* *si* 1 MS.] * *animo* [* *in* 1 MS.] *illius* - *&* [2 MS.] *conservabit* [*conservavit* 1 MS.] *verba tua*: quædam verò ex correctioribus itidem, *Et subridens interrogabit te de absconditis tuis. Immittis animus illius* * *conservabit* [* & 13 MS. *considerabit* o.] *verba tua.*] Priorem lectionem alia nonnulla inferiora MSS. referunt; posteriorem complura cum excusorum librorum plerisque diserté habent: quorum pars major & conjunctionem præmittit καὶ *conservabit*; quæ & apud Lyranum, Carensem ac Richelium legitur. Franci Dominicani, Rabani textum secuti, priorem legendi modum approbaverunt: nobis posterior germanus videtur. Cùm enim hîc ex vocum *immittis* & *immitis* affinitate varietas sit, non aliunde certiùs dignosci vera lectio potest quàm ex Græco fonte, in quo hæc verborum affinitas non occurrit. Legit autem Vaticanæ Bibliothecæ Græcus codex, id quod D. Sirletus testatum facit, καὶ ὡς περιγελῶν ἐξετάσει τὰ κρυπτά σου· ἀπολειμμένος δὲ συντρήσει λόγους σου, *Et quasi arridens exquiret occulta tua: immiti autem animo conservabit verba tua*: id quod posteriorem statuit, cum lectione, distinctionem. Alia Græca antigrapha aliter quidem legunt; sed nihil quod priori suffragetur lectioni habent; omnia posteriori auxiliantur: cæterùm eo quo Vaticanum legit modo, aut simili planè, Interpres Vetus legisse videtur. Scribit unus ex Latinis nostris codd. *Immittis animus illius non servabit verba tua*; id quod ei accidit quod Hispanorum Germanorúmque Græcæ editiones habent, ἀπολείμμενος δὲ συντρήσει λόγους, *Immitis*, seu *Immisericors, est dicta non servans*: sed proculdubio, ut est mendosissimus, *con* in *non* errore mutavit; nisi aliunde monstrare quis possit vertisse Interpretem, *Immittis animus illius non servabit verba*, quod ex nostris codicibus non invenimus. Quædam exemplaria posteriorem quam diximus lectionem eâ ratione distinguunt quâ priorem plerique, *De absconditis tuis immittis* [*inimicis* o.] *animus illius conservabit verba tua*: verùm in emendationibus altera est distinctio, quam Græca scriptura probat.

C. 14. v. 10. Prior versûs istius pars hunc ad modum Græcè legitur, Ὀφθαλμὸς πονηρὸς φθονερὸς ἐπ' ἄρτῳ, *Oculus malignus invidus in pane.* Latini plerique libri, cum Rabano Tractatore, habent, *Oculus malus ad mala, & non satiabitur pane.* Porrò Cardinalis Sirleti codices aliquot vetusti, & antiquum exemplar Basilicæ S. Pauli in urbe, scribunt, *Oculus nequam & invidus non satiabitur pane:* quibus quod ex Malmundario accepimus antigraphum conforme est. Hæc lectio ut commodior est, ità ad Græca propiùs manifestiúsque accedit, sed ab eo quod nostræ editionis codicibus ferè legitur longiùs recedit; & solet, quod etiam aliàs annotavimus, Malmundariense exemplar à nostra editione nonnunquam discrepare. Quare videri illa possit non esse germana editionis nostræ scriptura, ut neque altera germanam incorruptè servare. Quid si igitur divinatione agamus, atque hanc conjiciamus veram nostræ versionis lectionem esse, *Oculus malus non satiabitur pane?* Illud enim *ad mala*, ejus quod præcedit expositio fuisse videri possit (*oculus malus*, oculus ad mala, sc. respiciens) itaque ex glossa in textum relatum. Id autem est *non satiabitur pane* quod *invidus in pane*, quomodo est Græcè: avarus namque oculus, qui non se satiat pane, h. e. non concedit naturæ quantum satìs sit cibi, panem sive cibum sibi invidet. Nonnulli, quòd animadverterint imperfectam esse ut se habet vulgarem lectionem, *erigendi* vocabulum adjecerunt. Hinc unus codex habet, *Oculus malus ad mala erigitur, & non satiabitur pane*; duo, majori cum mutatione, *Oculos malus ad mala erigit, & non satiabitur pane.*

Altera hujus sententiæ pars Græcè est, καὶ ἐλλιπὴς ἐπὶ τῆς τραπέζης αὐτοῦ, *Et indigus in mensa sua.* Latini plerique libri habent, * *Indigens* [* *Et* 2 MS.] - *&* [1 MS.] *in tristitia erit super mensam suam.* In hac Latinorum codicum scriptura videntur Episcopo Jansenio junctæ interpretationes duæ, ex Græca lectione diversa profectæ. Nam ἐλλιπὴς, quod exemplaria legunt, *indigentem*; ἐν λύπῃ, quod vicinum est, *in tristitia* significat. Hanc conjecturam Rabanus Latinus Enarrator & scripta nonnulla Latina confirmant. Rabanus enim non aliud habet quàm, *Et indigens erit super mensam suam:* cui accedere possit Bessarionis codex. Malmundariense verò, Lobiense & medium Plantini scriptum legunt duntaxat, *Et in tristitia erit super mensam suam:* quanquam Lobiensi & medio Plantini alterâ manu sit additum *indigens.* Videtur igitur in vulgari Latinorum lectione superfluere vel *indigens*, vel *in tristitia:* sed utrum superfluat non facilè dixerim. Quod cum prioris partis verbo *saturabitur* junximus *pane*, quidam libri, cum Carensi & Richelio expositoribus, ad *indigens* distinguendo referunt: id quod Græca scriptura non admittit, sicut nec Latinæ Rabani & Lobiensis antigraphi lectiones.

C. 14. v. 12. *Memor esto quoniam mors non tardat.*] Librorum alii *tardat*, alii *tardabit*, legunt. Græcè est futuro tempore χρονιῶ, *tardabit:* sed Latini multi vetusti codices, quos Cardinalis, ut editionis vulgatæ testes probatissimos, sequitur, *tardat* præsenti tempore scribunt; quibus sanè antiquissimi quique atque emendatissimi nostri consentiunt.

Sequitur, *Et testamentum inferorum* "- *quia* [*quoniam* 1 MS. - 1 MS.] *demonstratum est tibi.* Quod quidam legunt, *Mors & testamentum inferorum*, ex glossemate textui additum suspicor. Est enim *testamentum inferorum* mors. Pro *quia* multa exemplaria scribunt *quód*; unum *jam:* sed vetustiora verioráque *quia* retinent, Brugense, Lobiense, Leodiense, Malmundariense, &c. Græca antigrapha *non* habent, καὶ διαθήκη ᾅδου οὐ κατενήχθη σοι, *Et testamentum inferni non ostensum est tibi.*

Subjungitur Latinis in libris, *Testamentum enim hujus* "-*mundi* [" *modi* o. - o.] - *morte* [o.] *morietur.* Libri nonnulli τὸ *morte morietur* huic, *mortem operatur*, mutant, contra castigatiorum codicum, expositorum item & Græcorum exemplarium fidem. Mutationi faciliorem fortasse locum dedit, quòd lectum fuerit *morte moriatur*, quo modo unum ex Hunnæi MSS. habet. Porrò Græca exemplaria sententiam hanc non hoc loco legunt, sed infrà v. 18. continuò post illud, *omnis caro sicut vestimentum*, seu, quod nos habemus, *sicut fœnum, veterascit:* ἡ γὰρ διαθήκη - ἡ [Gq.] ἀπ' αἰῶνος, θανάτῳ ἀποθανεῖται, quod est, *Testamentum enim quod à seculo, morte morietur:* alii transferunt, *morte morietur*; potiùs vox exigat, *moriatur.* Eodem quo Græci codices loco D. Augustinus sententiam hanc habuit, id quod ex 27 cap. libri 16 De civitate Dei, & duodecimo sexti in Julianum, amplissimus Cardinalis Sirletus, quâ est industriâ, observavit.

C. 15. v. 1. *Qui timet Deum, faciet bona*] Sic Latina MSS. cum impressis codicibus non pauca legunt. Porrò quatuor Parisiensium, duodecim nostra, & quatuordecim Hentenii exemplaria, *Qui timet Deum, faciet illud*, habent. Similis est in Græcis libris varietas. Basileensis anni 1550. & Argentoratensis anni 1526. ποιήσει ἀγαθὸν, *faciet bonum*, scribunt; Vaticanus & Aldinus, ποιήσει αὐτὸ, *faciet illud* (Argentoratensem ab Aldino, ex quo, ut existimo, expressus est, diserepare demiror;) Complutensis, & ex eo Regius, ποιήσει αὐτὰ, *faciet illa.* Cæterùm hoc perspicuum est, quæ integritate præcellunt Græca antigrapha posteriori suffragari lectioni, *Qui timet Deum, faciet illud:* cui etiam volunt præstantiora pleraque omnia quæ habemus Latina Vulgatæ editionis scripta; quorum quæ antiquissima sunt non hinc caput inchoant, quinimo in medio id legunt capitis quod 42 numerant (Rabanus eodem legit ejusdem capitis loco.) Eidem lectioni Tractatores adstipulantur, Rabanus, Lyranus, Carensis, Richelius, quanquam Carensis & alterius meminerit. Illam præterea Dominicani probant, quorum sunt hæc in notationibus verba, *Rabanus & antiqui*, faciet illud *subauditur, quod dixi superiùs, & sic adhæret præcedentibus. Sed quia in Ecclesia hic incipit lectio pro epistola* [Epistolæ in festo die S. Johannis Euangelistæ initium est, *Qui timet Deum faciat bona*] *mutatur verbum, & dicitur*, faciet bona: *sed propter usum Ecclesiæ non est mutandus textus Biblia.* Hactenus Dominicani, quorum sententiæ haud ægre subscripserim.

C. 15. v. 9. *Non est speciosa laus in ore peccatoris, quia non est à Domino missus* [*missa* habent exemplaria quædam Card. Sirleto teste] *quoniam à Deo profecta est sapientia*] Mediam versûs partem, *quia non est à Domino missus*, multa scripta exemplaria, cum Enarratoribus, Rabano, Lyrano, Carensi & Richelio, legunt. Multi verò impressi codices, atque inter eos Moguntinus anno 1472, & Colonienſis anno 1479 excusus, cum S. Augustini Speculo, demunt. His autem non universa refragantur manuscripta; quinimo lectissima, Parisiensium quatuor, atque octo nostra, cum aliis duobus minùs accuratis, eundem ad modum tollunt; duntaxat, *Non est speciosa laus in ore peccatoris, quoniam à Deo profecta est sapientia*, scribunt. In exemplari A notato transfixum est. Græcorum antigraphorum lectio est, οὐκ ἀφεῖται αὐτῷ ἐν σώματι ἁμαρτωλῷ, ὅτι οὐ παρὰ Κυρίου ἀπεστάλη * [* αὐτῷ R.] unde non obscurè colligitur Latinis libris alterum horum superfluere, vel, *Quia non est à Domino missus*, vel, *Quoniam à Deo profecta est sapientia.* Videntur enim hæc duæ posterioris partis interpretationes esse: & quidem si Græca spectes, ut nunc leguntur verba, id potiùs redundare censeas, *Quoniam à Deo profecta est sapientia:* est enim illorum interpretatio, *Non speciosa laus in ore peccatoris, quia non à Domino missus est*, aut *missa est.* Verùm si Latina respicias exemplaria, alterum judices transfodiendum, *Quia non est à Domino missus.* Hinc Hentenius & Parisienses textu id pepulere, quibus certè emendatiora nostra MSS. adstipulantur. Verisimile est igitur Interpretem Græcè paulò aliter legisse. Fortassis, negatione

negatione demptâ, habuit, ὅτι περὶ κυρίως ἀπιστάλη, & *sapientiam* subaudivit; cujus celebratio & prædicatio *laudis* nomine intelligitur.

C. 15. v. 16. *Si volueris mandata servare, conservabunt te*] Plerique, atque inter eos emendatiores codices, Rabani textu suffragante, *servare* scribunt, præpositione additâ, *conservare*: cui nonnulli subjungunt *& (& conservabunt te)* quod quidem pro *etiam* sumptum non malè convenit, sed in castigatioribus non exstat. In Malmundarii scripto & S. Augustini Speculo *conservare* prorsus tollitur, hunc in modum, *Si volueris mandata conservabunt te.* Græco Vaticanæ Bibliothecæ antigrapho legitur, prout notatum habemus, ἐὰν θέλῃς συντηρῆσαι ἐντολάς, *Si volueris conservare mandata.* Aliis Græcis exemplaribus est, ἐὰν θέλῃς συντηρήσεις ἐντολὰς, *Si volueris conservabis mandata*: ad quem modum D. Augustinus citat, lib. De gratia & libero arbitrio, cap. 2, 15, & 16.

Sequitur, *Et in perpetuum fidem placitam facere.* Complura exemplaria, tum scripta tum impressa, cum Hugone Carensi, *fidem placitam servare* habent: sed *facere* legendum esse Augustini Speculum, Rabani textus, & veriora MSS. docent. Parisienses quatuor nos quatuordecim observavimus. Consentiunt his Græci libri, quorum lectio est, καὶ πίστιν ποιῆσαι εὐδοκίας, *Et fidem facere beneplaciti.* Rectè igitur Franci Dominicani & Doctor Hentenius, etiam ipse S. Dominici, cujus hodie solennis agitur dies, frater, *facere* germanam Interpretis scripturam esse censuerunt. Hinc verò perspicuum evadit, erasse eos qui aut *fidem placitam servabunt*, aut *fidem placitam facient*, correxerunt. D. Augustinus, lib. De gratia & libero arbitrio cap. 2. non aliud legit quàm *& fidem bonam placiti.*

Ex proximi versûs initio obiter id notandum, perperàm nonnullis legi, *Appositi tibi aquam & ignem*, primâ videlicet præteriti personâ: cùm probatissimi quique codices, Enarratoribus Græcisque antigraphis conspirantibus, tertiâ constanter personâ scribant, *Appositit tibi aquam & ignem* [*ignem & aquam* 1 MS. G.]

C. 17. v. 26. *Non demoreris in errore impiorum*] Id quod sequitur, *Ante mortem confitere*, duo Hentenii & duo Parisiensium manuscripta tollunt; ex nostris quoque duo, Malmundariense & Plantini medium similiter auferunt: cætera autem universa addunt (Di. l. Ge. l.) Rabanus an agnoverit, dubitare possit qui commentarium ejus consideret: continuò namque ab eo, *Non demoreris in errore impiorum*, transit ad id, *A mortuo quasi nihil*, &c. Porrò Dionysius, Hugo & Nicolaus, inferiores Tractatores enarrant manifestè. Græci libri his verbis non legunt: habent verò quiddam quod sententiâ conveniat, nempe ὕψιστον, vel, ut est in Regio & Aldino, ὑψίστου τίς αἰνέσει ἐν ᾅδου; *Altissimum quis laudabit in inferno?* Subjungitur, ἀντὶ ζώντων καὶ διδόντων ἐξομολόγησιν· id quod nos versu proximè præcedenti habuimus, *In partes vade seculi sancti, cum vivis & dantibus confessionem Deo* [2 MS.] Multùm hoc loco Latini codices à Græcis discrepant.

Sequitur in 26 versu, *A mortuo - quasi* [o.] *nihil perit* [*periit* 1 MS.] *confessio* [*confiteri* 2 MS.] *Confessionis* vocabulum complura exemplaria, expositoribus Carensi & Richelio conformiter, addunt. Addunt & Græci codices, ὡσὶ νεκροῦ ὡς μὴ ἢ ὄντος ἀπόλλυται ἐξομολόγησις, *A mortuo tanquam non existente perit confessio.* Addit denique S. Augustinus, qui frequenter (in Psal. 113. rursum in Ps. 138. & aliis in locis) hunc locum his verbis citat, *A mortuo quasi* [*tanquam, velut*] *qui non sit perit confessio.* Cæterùm tria Parisiensium Latina antigrapha, novem Hentenii & undecim nostra, *confessio* omittunt; tantùm, *A mortuo*, legunt, *quasi nihil perit*: & ex nostris [Di. l. G. o. l.] quidem, quod verè dicere possumus, antiquitate atque integritate spectatiora. His Rabanus adstipulari videtur: nam etsi textus quem ex Colinæi editione habemus adjiciat, aliud commentarius docere videtur: subaudit enim imperfectæ sententiæ, quantum intelligo, *humanæ gloriæ pompam. Morari in errore impiorum certa est perditio hominum: quia post finem præsentis vitæ in nihilum deputabitur omnis pompa humanæ gloriæ.* Franci Dominicani, & Rabani simul & antiquorum codicum fide, eam de qua agimus *confessionis* vocem sustulerunt: id enim in suis ad calcem notationibus testatum reliquerunt verbis his, *Quasi nihil perit*] *intelligi debet Confessio, sed non est de textu, quia Rabanus & antiqui non habent: & subauditur ex verbo præcedenti, Ante mortem confitere, vel sequenti, Confiteberis vivens.* Hæc Dominicani, quorum est sententia, non quidem legendum, sed subaudiendum esse, *confessio.* Subaudit id etiam Lyranus, *A mortuo quasi nihil perit, scilicet Confessio*, inquit.

C. 18. v. 14. *Misereatur excipiens doctrinam miserationis, & qui festinant* [*festinat* 19. MS. R.] *in judiciis ejus* [*suis* 2 MS. *tuis* o.] Græcè versus iste longè aliter legitur, Τὸν ἐκδεχόμενον παιδείαν ἐλεεῖ, καὶ τοὺς καταπεύδοντας ἐπὶ τὰ κρίματα αὐτοῦ, quod est, *Excipientes disciplinam miseratur* Deus *& festinantes ad judicia sua.* Videri itaque possit Latinè scribendum, vel, *Miseratur excipientes doctrinam miserationis, & qui festinant in judiciis ejus*; vel *miseretur excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in judiciis ejus.* Priori modo suffragantur tria MSS. Latina cum impressis tribus, quæ *miserator*, atque alia tria, quæ *miseratur*, habent. Pro posteriori facit *miseretur*, quod in exemplaribus quatuor, & *festinat*, quod in multis bonis codicibus, invenimus. Imò verò in Isidori Clarii Bibliis, absque mutati textûs nota, ad eum planè modum reperimus, *Miseretur excipientis doctrinam miserationis, & qui festinat in judiciis ejus* [*suis* Rabani textus.] Quinetiam Rabani textus & quædam D. Jansenii scripta eo ipso legunt modo. Cæterùm an ità Rabanus legerit, meritò ambigat qui commentarium ejus consuluerit. *Hortatur*, ait, *eos qui doctrinam Euangelicam, in qua gratia prædicatur, accipiunt, ut ipsi misericordiam proximis suis impendant, & festinent judicii diem misericordiæ operibus prævenire*: ea quæ ei potiùs conveniunt lectioni quam ab initio produximus, *Misereatur excipiens doctrinam miserationis*, - & [Richelius] *qui festinant*, vel *festinat, in judiciis ejus*: quam, utpote vulgarem, etiam inferiores, Lyranus, Carensis & Richelius exponunt.

C. 21. v. 5. *Objurgatio & injuriæ annullabunt* [*adnihilabunt* MS q.] *substantiam.*] Hunc ad modum habent nostra pleraq; Vulgatæ editionis exemplaria, cum Expositoribus Lyrano, Carensi & Richelio. Cæterùm Malmundariense, Lobiense & Plantini medium legunt *Cataplectatio & injuriæ adnullabunt* [*adnihilabunt* Pl. m.] *substantiam.* Pro *objurgatio, cataplectatio* habent, Rabano similiter. *In alia editione*, inquit Rabanus, *legitur, Objurgatio & injuria adnullabunt substantiam.* Interlinearis glossæ autor, *Alia*, dicit, *translatio, cataplectatio, i. convitium.* Sed alii ex codicibus nostris utrumque scribunt; quatuor, hâc ratione, - "*Cataplectatio* [- 1 MS. "*Complectatio* o.] *& injuriæ objurgatio annullabunt substantiam.* Duo meliùs ista *Cataplectatio, objurgatio & injuriæ annullabunt substantiam.* Utrumque verò jungendum non esse satis est manifestum: sed utrum germanum nostræ versionis esse censendum sit, mihi obscurius est. Adferam quæ Dominicani annotarunt, tametsi non absque erroribus scripta esse existimem. *Rabanus*, aiunt, *& antiqui*, Cataplectatio & injuriæ objurgatio annullabunt substantiam: *& dicit Rabanus quòd* cataplectatio *interpretatur* convitium, *sicut est inter lineas librorum glossatorum: sed propter negligentiam legentium expositio pro litera remansit in textu.* Hæc illi, ut in nostro ea sunt codice. Verùm non jungit utrumque Rabanus, *Cataplectatio & objurgatio*, quod luce meridianâ clarius est: nec jungunt utrumque antiquiores nostri libri; ut neque illorum textus qui

ſuprà *objurgatio*, vel *cataplectatio*, notat. Adhæc pro *cataplectatio* in nullis exemplaribus *convitium* legi: quanquam facilè crediderim Rabanum ità eſſe interpretatum, & malè in Pariſienſi edit. junctum eſſe, *id eſt, convitium*, ſuperioris verſûs commentario. Videntur itaque id Dominicani ſignificare voluiſſe, Rabanum & antiquos codices *cataplectatio* legere; fuiſſe autem inter lineas, expoſitionis gratiâ, *objurgatio* ſcriptum, atque ità tandem pro *cataplectatio* ſubſtitutum. Inter Lobienſis codicis lineas eſt, *vel objurgatio*. Porrò rectè expoſitum fuit *cataplectatio*, ſive noſtræ ſive alterius ſit editionis, *objurgatio*: id enim vox à qua formatum fuit, καταπλήγμὸς, quæ eſt Græcè, ſignificat, tametſi malint quidam *concertationem* reddere.

Sequitur *Et domus* * *quæ* [* *victûs* o.] - *nimis* [o. *nimiè*, MS. antiquiora, *minimè* o.] *locuples* [*locuplex*: *multiplex*] *eſt, annullabitur* - *ſuperbia* * [*ſuperbi* Quentel. - o.] [* *ſua* o.] *ſic ſubſtantia ſuperbi* [*ſuperbiæ* o.] *eradicabitur*. Græcè horum loco non aliud eſt quàm, ἔτως οἴκῳ ὑπηφάνου [ὑπηφάνων R.] ἐρημωθήσεται, *Sic domus ſuperbi* [*ſuperborum* R.] *deſolabitur*. Quare D. Janſenio probabile eſt, duas partes, quæ ſunt in illa Latinorum codicum lectione, ex verſionibus diverſis connexas: id quod & nobis, non ex Græcis tantùm libris, fit veriſimile. Rabani textus ordine inverſo legit, *Sic ſubſtantia ſuperbia eradicabitur, & domus quæ nimis locuples eſt adnullabitur ſuperbiâ*: quo etiam ordine legendum, in codice A literâ inſignito notatum eſt. Rabani commentarius hoc tantùm explicare videtur, *Et domus quæ nimiè locuples eſt, annullabitur ſuperbiâ. Juxta hiſtoriam*, habet, *facilis eſt ſenſus, quia ubi contentiones & injuriæ excreſcunt, ibi minuetur & decreſcet ſubſtantia, & tota domûs poſſeſſio adnullata deficiet diſcordantium ſuperbiâ. Inter ſuperbos enim ſemper jurgia ſunt; ubi autem prævalet hominum diſſenſio, ibi continuò ſequetur rerum ſuarum defectio.* Malmundarii liber id ſolum habet, *Sic ſubſtantia ſuperbia eradicabitur.* Altera quidem pars in margine annotata eſt, ſed alio charactere, atque ità ut illi parti ſubjicienda ſignetur quæ textum occupat. Ex his veriſimile nobis fit, alterum duntaxat ab Interprete ſcriptum, vel, *Et domus quæ nimiè locuples eſt annullabitur ſuperbiâ*, vel, *Sic ſubſtantia ſuperbi eradicabitur*. Ultra verò ejus ſit tranſlatio, difficulter dixerim. Illa tamen, *& domus quæ*, &c. eò potiùs ejus eſſe videtur, quòd pleriſque in libris priorem occupet locum, quódque Græcam vocem ἐρημῶν *annullare* reddat, alteri verſûs parti, *Objurgatio & injuriæ annullabunt ſubſtantiam*, conformiter: nam & ibi eſt ἐρημώσουσι.

C. 22. v. 9. *Cum dormiente loquitur qui enarrat* [*narrat* 4 MS. *enumerat* 2 MS.] *ſtulto ſapientiam, & in fine narrationis dicit* [*dicet* 5 MS.] *Quis eſt hic?*] Tria Pariſienſium exemplaria Di. o. l. Ge. o., tria noſtra, Brug. Leod. O, ſéxque Hentenii, legunt tantummodo hoc, *Qui enumerat ſtulto, & in fine dicit, Quis eſt hic?* Græci codices habent διηγῆται [διηγήμῳ Gq.] νυσάζοντι ὁ διηγήμῳ μωρῷ, καὶ ὅτι ζωτελείᾳ ἐρεῖ, Τί ἐστιν; *Narrat dormitanti qui narrat ſtulto, & in fine dicet* [*dicit* fuerit, mutato accentu, ἔρῃ.] *Quid eſt?* Prior itaque lectio primâ ſui parte Græco conformis eſt: addit enim quod additur Græcè, *Cum dormiente loquitur.* Poſterior verò in cæteris ſimilior: omittit enim quæ omittuntur Græcè, *ſapientiam* & *narrationis*, ea quæ ejuſmodi ſunt ut ex commentario in textum irrepſiſſe videri poſſint. In pleriſque Latinis libris eſt prior legendi modus; in quibuſdam integritate præſtantibus poſterior. Priorem ſecuti ſunt Lyranus, Carenſis & Richelius; poſteriorem, his longè antiquior Rabanus. Hæc, poſterior inquam, ſi vera eſt ſcriptura, id quod Græcè eſt, *Cum dormiente loquitur*, aut ſimile aliquid, videtur ex ſuperiori verſu ſubaudiendum, aut hic verſus ſuperiori conjungendus. Habet ſuperior verſus, octavus numero, hunc in modum, *Qui enarrat verbum non audienti* [*attendenti* 7 MS. Rab.] *quaſi qui excitat dormientem de gravi ſomno*; cujus prior pars Græcè non legitur, niſi fortè his verbis quæ jam antè protulimus, eo quo in Græcis codicibus ſunt loco, διηγήμῳ & νυσάζοντι. Videri certè Interpres poſſit verba iſta, quæ ab alio tranſlata ſint, *Cum dormiente loquitur*, ipſe vertiſſe, *Qui narrat verbum non attendenti*, vel *non audienti* (per νυσάζοντα namque ſeu *dormitantem* haud malè *non attendens* intelligatur) atque eo ea loco habuiſſe quo nos id legimus, *Qui narrat verbum non attendenti*, h.e. ante ἐξεγείρων καθεύδοντα [ἢ ἐξεγείρει καθεύδοντα R.] ἐκ βαθέος ὕπνου, *Excitans dormientem* [& *excitat dormientes* R.] *è gravi ſomno*. Id quod Græci hodie codices ſeptimo ſubjungunt verſui, ordine, neſcio an aptiſſimo, Συγκολλῶν ὅσεχον ὁ διδάσκων μωρὸν, ἐξεγείρων, vel ἢ ἐξεγείρει, καθεύδοντα ἐκ βαθέος ὕπνου, ſequitur διηγήμῳ, vel διηγῆται, νυσάζοντι ὁ διηγήμῳ, & cætera ut ſuperiùs citata ſunt. Non mirum itaque fuerit, nihil aliud nono verſu dediſſe Interpretem quàm, *Qui enumerat ſtulto, & in fine dicit, Quis eſt hic?* qui nihil præterea habuerit.

C. 22. v. 10. *Supra* [*Super* 4 MS.] *mortuum plora, defecit* [*deficit* Veneta Biblia] *enim lux ejus* [*ei* Auguſtini Speculum] *& ſupra* [*ſuper* 7 MS.] *fatuum plora, deficit* [*defecit* Veneta] *enim ſenſus.*] Emendatiores codices legunt, non, unâ verſûs parte *defecit*, alterâ *deficit*; ſed aut utrâque *deficis*, aut utrâque *defecit*. Exemplaria Brugenſe, Leodienſe, Lobienſe, O, & P. quæ ſunt inter noſtra præcipua, utrobique, cum Auguſtini Speculo & Rabani textu, *deficis* habent. Græca verò antigrapha *defecit* ſcribunt; ἐλίπετε γὰρ φῶς· ἐλίπετε γὰρ ζωάσις [ζωάσιν Gq.]

Altera hoc loco varietas eſt, quòd quidam codices *ſenſu*, quidam *ſenſus*, quidam *ſenſus ejus* habeant. *Senſa* habent manuſcripta Brugenſe & P; *ſenſus* Leodienſe & H; *ſenſus ejus* [*ei* Auguſtini Specul.] cum Rabani textu, Lobienſe & O. Græcæ editiones Aldi & Germanorum ſcribunt ζωάσιν, id quod, χαὶ ſubaudito, primæ adſtipulatur lectioni; Hiſpanorum ζωάσις, quod ſecundæ conſonat. Tertiæ non eſt quæ conſentiat Græca lectio: Græcis enim, ut priori verſûs parte non eſt pronomen *ejus*, ità nec poſteriori. Hentenius & Pariſienſes tertiam lectionem primæ commutarunt: ego quoque etiam ſecundæ primam, quòd in pluribus ſit bonis libris, libenter prætulerim.

C. 22. v. 19. *Loramentum* [*ornamentum* o. *levamentum* o.] *ligneum colligatum fundamento ædificii non diſſolvetur* [*diſſolvitur* 8 MS.] Rectè confodit Hentenius adverbium quod multis libris additum eſt, *ſicut*, *Sicut loramentum*: nam legendum non eſſe, etſi ſubaudiendum ſit, caſtigatiſſimi codices, exemplaribus Græcis conſpirantibus, docent. Porrò *loramentum ligneum*, id eſt, *jugamentum ligneum* ſeu colligatio lignorum. Græcè eſt ἱμάντωσις [ἱμάρτωσις o.] ξυλίνη. Ei quod ſequitur quidam correctiorum librorum addunt *in* præpoſitionem, *Colligatum in fundamento ædificii*; quidam, quibus magis fido, demunt. Senſus idem eſſe poſſit, ſive adjecta ſive ſubtracta fuerit; *Colligatum in fundamento ædificii*, ſupra fundamentum ædificii, *Colligatum fundamento ædificii*, junctum fundamento ut baſi cui ſuperſtructum innitatur. Græcè eſt ἐνδεδεμένη εἰς οἰκοδομὴν, ἐν συσεισμῷ ὁ διαῤῥήσεται, *Illigatum in ædificium, in concuſſione non diſſolvetur.* Altera comparationis pars, *Sic & cor confirmatum in cogitatione conſilii*, totidem verbis Græcè legitur, ὕτως καρδία ἐσυεργμένη ἐν διανοήματι βυλῆς. Porrò ſequitur Græcè, ἐν - παντὶ [Gq.] καιρῷ φόβου ὐ δειλίασει, *In - omni* [Gq.] *tempore metu non formidabit*; id quod nos proximo verſu, duabus vocibus interjectis, hunc ad modum legimus, * "*Cogitatus* [* V. 20. " *cogitatio* 2 MS.] - *ſenſati* [o.] *in omni tempore vel metu* [*motu* o.] *non depravabitur*. Quidam libri *vel* conjunctionem, Græco conformiter, omittunt: verùm eam in lectiſſimis quibuſque exemplaribus reperi, quam Gloſſematici, Lyranus & Carenſis non malè pro *etiam* expoſuerunt. Duas illas

quæ

quas Latini interjiciunt voces Græci deinceps legunt, hoc modo atque hâc sententiâ, *καρδία ὑδρεσμένη ὅτι διανοίᾳ* [*διανοίαις* Gq.] *σωτῆρος, ὡς κόσμῳ ψαμμωτὸς - ὅτι* [Gq.] *τοίχου ξυστοῦ, Cor firmatum in cogitatu sensato, sicut ornatus arenosus in pariete polito* [*parietis politi* Gq.] sic enim distinguunt Græci codices emendatiores. Quidam sic interpungunt ut posteriorem partem ad sequentia referant, quod fit Latinis in libris. Porrò quidam Latinorum librorum, cum Nicolao Lyrano, posteriorem illàm partem è Græco ad verbum translatam scribunt continuò post *depravabitur*, ità ut versum 21 inchoet hunc in modum, *Sicut ornatus arenosus in pariete lympido, & sicut palea in excelsis & camenta sive impensa*, &c. quidam cum Carensi & Richelio versui 22. subjungunt, hoc pacto, *Sicut ornatus arenosus in pariete lympido, sic & cor trepidum:* quidam omnino non legunt. Sunt verò ii qui omnino non legunt inter nostros & Parisiensium codices integerrimi, Brug. Leod. O. P. Pl. M. Di. o. l. Ge. o. l. Mirum autem videri non debet verba ista, quæ Græcis exemplaribus constanter adduntur emendatissimis codicibus haud legi: Interpres enim, quod fit verisimile, non hæc ex Græco reddidit; sed quod verterunt alii, *Sicut ornatus arenosus in pariete lympido*, ipse transtulit, sensum quem intellexit potiùs quàm verba secutus, *Sicut camenta sive impensa*. Id quia non intellexerunt quidam, libris nostris deesse existimarunt quod Græcè legitur, *ὡς κόσμῳ ψαμμωτὸς ὅτι τοίχου ξυστοῦ*. Itaque addiderunt, quod verba illa Græca sonant, *Sicut ornatus arenosus in pariete lympido*. Cæterùm Doctor Hentenius, cùm Parisiensium tum suis, haud dubiè nixus veteribus exemplaribus, ex textu id in marginem, superfluum judicans, expulit. Parienses nec margine quidem dignati sunt. Horum igitur verosimillimâ sententiâ omittendum id est versu 21. nec addendum ver. 23. Incipit ergò 21 versus, *Sicut palea in excelsis* [*excelso* MS. G.] *& camenta sive impensa*, Clarius & Parisienses *palea* mutarunt in *pali*; & Parisienses quidem ex antiquis codicibus, Dionysii lato, Germani oblongo & lato. Inter nostra MSS. Plantini medium hoc modo legit; Lobiense legisse videtur. Cui legendi m'odo Græca suffragantur, *χάρρας ὅτι μυτώδους· χάρρας palos*, non *paleas* significat: *cannas* vertit quidam. *Et camenta, sive impensa:* constructio arenacea. Perperàm legunt, unus codex *camenta impensa*; alter *camenta immensa*. Observandum etiam hîc est, Interpretem alio id loco aut legisse aut posuisse, *ὡς κόσμῳ ψαμμωτὸς*, quàm Græci codices habeant.

Sequitur, *Posita contra faciem venti non permanebunt*] Scriptoris negligentiâ omissum est in Leodiensi scripto *venti* nomen. Subjungitur in duobus codicibus, Hunnæi uno, Plantini altero, *Et - cor (A)* [- Pl. ang.] *confirmatum in cogitationibus sensus non turbabitur:* id quod non est hujus loci. Altera est ejus quod præcessit verbio. Mirum in modum locus iste aliarum versionum admistione corruptus est. Illo itaque prætermisso legatur, * *Sic* [V. 22.] *& cor timidum* [*timidi* o.] *in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet*, vel, quod est in emendatis quibusdam codicibus, *resistit*. Addunt hîc codices illi duo Hunnæi & Plantini, cum aliis aliquot, *in omni tempore:* id quod omiserant, ex ea quam superiùs adjecerant versione.

Subsequitur continuò Græcis in libris, *Pungens oculum*, &c. In Latinis autem versus unus interponitur, qui hunc habet ad modum ver. 23. *Sicut* [*Sic &* MS. pleraque R. *Sic* 1 MS.] *cor trepidum* [*tepidum* o.] *in cogitatione fatui, omni tempore non metuet: sic & qui in præceptis Dei permanet semper.* His præponunt exemplaria quædam, quod antè notavimus, erratica illa verba, *Sicut ornatus arenosus in pariete lympido.* Atque hoc primùm loco, quo & à Rabano leguntur, & minùs versionem nostram turbant, existimarim fuisse addita; postea verò in alterum quem diximus locum translata, quòd ibi in Græcis scribantur libris. Atqui emendatioribus quos habemus Græcorum libris conformiùs illi juncta fuissent *cogitatus sensati; Cogitatus sensati, sicut ornatus arenosus in pariete lympido.* Porrò, ut ex altera translatione nostræ ea adjecta sunt; ità & quæ sequuntur ver. 23. quo primùm editioni nostræ adscripta fuisse arbitror, ex altera videntur versione sumpta. Illud enim in primis, *Sic & cor trepidum in cogitatione fatui*, idem unum cum eo est quod nobis præcessit, *Sic & cor timidum in cogitatione stulti.* Doleo Malmundarienſi codici, qui nos, vix dubito, plurimùm hoc in loco juvisset, hujus & aliquot sequentium capitum quaternionem deesse. Cæterùm in sericato Atrebatensis Collegii libro id invenio non legi, quod adjectitium esse arbitror, *Sic & cor trepidum in cogitatione fatui.* Probabile est id simul cum eo, *Sicut ornatus arenosus in pariete lympido*, ut ei responderet, adjectum fuisse. Quod subnectitur *Omni tempore - non* [2 MS. meminit Carensis.] *metuet*, id est quod antecessit, *In omni tempore vel metu non depravabitur:* sed hoc quidem ex ea videtur Græca lectione translatum quæ in Hispanicis Bibliis est, *ὁ παντὶ καιρῷ φόβῳ ὁ δειλιάσει·* illud autem ex ea quæ in Germanicis, *ὁ καιρῷ ὁ δειλιάσει.* Quod postremò additur, *Sic & qui* [*si* 1 MS. *si non* 1 MS.] *in præceptis Dei permanet semper*, quid aliud est quàm illius expositio, *Sic & cor confirmatum in cogitatione consilii*, vel hujus, *Cor firmatum in cogitatu sensato?* Itaque videntur hæc meritò jugulari & præteriri posse, utpote præcedentium ex translationibus aliis aut explicationibus repetitiones, quæ nec aptè quidem cohæreant. Istud enim, *omni tempore non metuet*, si ei junxeris quod præcedit, sententiam habebis illi quod proximè antecedit, quódque solidæ est lectionis, planè contrarium; aut si, quod nonnulli codices, negationem dempseris, omnino eandem. Ei verò quod sequitur non commodè hæret, propter τὸ *Sic &*, quod quidam legunt *Sed &*. Poterit tamen qualiter qualiter jungi, si *&* omiseris, quod nonnulli codices prætermittunt, *Sic*, vel *Sed, qui in præceptis*, &c. Sunt verò exemplaria nonnulla quæ interpungendo referendum eò notent, tametsi *sic &* legant; clarissimè Bessarionis Brugense. F. Sericatus Atrebatensis Collegii liber, qui omittit id, *Sic & cor trepidum in cogitatione fatui*, habet quod sequitur, *Et in omni tempore non metuet, qui in præceptis Dei permanet semper.* Hunc librum liceat sequi, si non omnia prætermittenda videantur. Rabanus legit, *Sed qui in præceptis Dei permanet semper, pungens oculum*, &c. illud sequentibus copulat, ut & post eum scripta quædam: præcedentia autem sibi mutuò, cui hac in parte Lyra, Caro & Richel. consentiunt, nectit.

C. 24. v. 40, & 41. *Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ* [*in mensa* MSS. antiqua, *universa* o.] *de fluvio, ego quasi - fluvius* [1 MS.] *Dorix*] Horum quæ Latinis libris leguntur locò Græci hoc solum habent, *Ἐγὼ* [*κἀγὼ* Gq.] *- ἡ σοφία* [Gq.] *ὡς διώρυξ ἀπὸ ποταμοῦ, Ego sapientia quasi Dioryx de fluvio.* Cujus sententiæ videntur, in illa Latinorum codicum lectione, duæ interpretationes connexæ; una, *Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio:* non enim scribendum est quod quidam, *in mense*; nec quod alii, *defluo. Dioryx* appellativum Græcis nomen est, quod *fossam, alveum & rivum* denotat: unde *trames aquæ* hîc redditum est. Altera interpretatio, *Ego quasi fluvius Doryx*, vel, quomodo legendum fortassis est, *Dioryx*. In hac *Dioryx* pro proprio nomine acceptum est, ideóque vox Græca relicta: perperàm enim *vorax* habent quidam, unus Parisiensium, & duo nostri codices Ge. l. Pl. m. E. Lobiense exemplar *Dorax* scribit. Hinc verisimile est factum *vorax*. Conjecisse videntur quidam legendum, *ego quasi dioryx à fluvio*: verùm probabile est eum qui proprium nomen esse *Dioryx* intellexit, vertisse, ut habent libri, *Ego quasi fluvius Doryx*, vel *Dioryx*. Itaque duæ hîc junctæ sunt ejusdem Græcæ sententiæ translationes, quas non est vero simile ab eodem nostro Interprete simul profectas; sed alteram ex alterius versione additam. Existimarim autem prioris, quæ melior est, potiùs quàm posterioris, Interpretem nostrum autorem esse: nam 43 versu proximo vo-

cem

cem διώρυξ *tramitem* reddit, ut hoc loco est reddita, *Et ecce factus est mihi trames abundans*, quod est Græcè καὶ ἰδοὺ ἐγένετό μοι ἡ διώρυξ εἰς ποταμόν, *Et ecce facta est mihi Dioryx*, sive *fossa, in fluvium*. Notandum hîc obiter duximus, sententias aliquot, quas in hujus capitis margine signavimus Græcè non legi, vix dubium quin Græca Interpretis exemplaria habuerint. Ex quarum numero eâne censenda sit quæ v.40. scribitur, *Ego sapientia effudi flumina*, aliis judicandum relinquimus.

C.27.v.7. *Sicut rusticatio de ligno* [*lignis* o.] *ostendit fructum* [*fructus* 1 MS.] *illius* [*illis* o.], *sic verbum ex cogitatu cordis hominis.*] Prius similitudinis membrum legunt Græci libri hunc in modum, *Sicut rusticationem de ligno ostendit fructus illius*, γεώργιον ξύλου [ξύλον Gq.] ἐκφαίνει ὁ καρπὸς αὐτοῦ· quod clariùs vertit quidam, *Cultum arboris indicat fructus ejus*. Nostram lectionem Carensis κατ' ἐπαγωγὴν intelligit.

In altero membro Latinorum exemplarium alia *cordis* habent, alia *cor*. Græcè est, ὕτως λόγος [λογισμὸς R.] ἐνθυμήματος καρδίας [ἐν καρδίᾳ R.] ἀνθρώπου, *ità animum hominis meditatus sermo declarat*. καρδίας & secundi casûs esse potest & quarti: sed hujus quidem, plurali; illius autem, singulari numero. Secundo casu intellexisse Interpretem veriores codices, adstipulantibus Nicolao Lyrano & Dionysio Richelio, credi volunt: quanquam dilucidior esset, quem Carensis explicat, quartus casus. Leodiense MS. habuisse videtur, *Sic verbum excogitatus cordis hominis*: id quod, ut Interprete non indignum est, ità Græcis verbis conformius. Possit certè in scriptis haud paucis, ut est multorum arcta scriptura, verbo unico *excogitatu* legi, quomodo in Moguntina & Colonienſi editionibus anni 1479. excusum est. Rabani textus legit, *Sic verbum excogitatum hominis cor*, nescio an sincerè æquè ut claré.

C.31.v.10. *Quis probatus est in illo, & perfectus - est?* [Rab.] *& erit illi gloria æterna.*] Quod multi codices legunt, *Qui probatus est*, meritò correxit Hentenius, *Quis probatus est*: sic enim scribunt complura venerandæ integritatis atque antiquitatis exemplaria, cum Augustini Speculo, Rabani textu, & Græcis libris, τίς ἐδοκιμάσθη ἐν αὐτῷ; Ei quod sequitur, *Et perfectus est*, codices haud pauci *inventus* addunt, *Et perfectus inventus est*. Id quod Hentenius eisdem de causis textu rectè pepulit. Septem nostra spectatissimæ fidei Latina scripta, cum Augustini Speculo & textu Rabani, omittunt. Græca exemplaria id tantùm habent, καὶ ἐτελειώθη, quod est, ut Latinè habemus, *& perfectus est*. Porrò ut Græcis verbum est, non nomen, ἐτελειώθη, sic & Latinis *perfectus est*: id autem per nomen commodè exponatur, *perfectus inventus est*. Postremæ parti, *Et erit illi gloria æterna*, MSS. lectissima, Brugense, Leodiense, & P, cum aliis quatuor vulgaribus, & primis Chalcographorum editionibus Moguntinâ & Colonienſi, *in* præpositionem adjiciunt, hoc pacto, *Et erit illi in gloria æterna*: id quod Malmundarii exemplar, cum aliis duobus ætate inferioribus, legit, *Et erit illi in gloriam æternam*. Græca Aldi & Germanorum Biblia habent, καὶ ἔσται εἰς καύχησιν, *Et sit in gloriam*, seu *gloriationem*; Hispanorum, καὶ ἔσται εἰς καύχημα, *Et erit in gloriationem*; Vaticanæ bibliothecæ, καὶ ἔσται αὐτῷ εἰς καύχησιν, *Et erit illi in gloriationem*. Græci itaq; libri, etsi variè nonnihil scribant, concorditer tamen *in* præpositionem legunt, quam proinde & Latinis libris qui careant adscribendam arbitror, sive subsequente sexto casu, *gloriâ æternâ*, sive, qui saltem intelligendus videtur, quarto, *gloriam æternam*.

C.31.v.15. *Ideo ab omni facie sua lacrymabitur.*] Pronomen *sua*, quod ferè addunt Latini codices, Græci haud legunt, διὰ τοῦτο ἀπὸ παντὸς προσώπου δακρύσει, *Ideo ab omni facie lacrymatur*. Unum ex nostris Latinis scriptis, P literâ notatum, in solo margine habet; alterum Atrebatensis Collegii sericatum omnino non habet. Hugo Cardinalis semel atq; iterum non legit, unúmq; adfert sensum qui nè patitur quidem: *Ab omni facie*, i. coram omnibus, *lacrymabitur* in die judicii. D. Jansenius lectum vero sensui ch- esse pronunciat, nisi cum *tua*, quod uno in libro reperit, commutetur.

Quod subsequitur, *cùm viderit*: Latina pleraq; exemplaria, cum Enarratoribus, Rabano, Lyrano, Carensi & Richelio, his verbis jungunt, *Ideo ab omni facie sua lacrymabitur*. Quædam verò hinc separant, sed ità dubiè ut nescias an ad sequentia referri velint. Porrò medium Plantini MS. & Malmundariense clarissimè sequentibus annectunt, proximam capitali literâ hinc exordientes sententiam, *Cùm viderit nè extendas manum tuam prior*: quæ distinctio Græcorum est codicum, præclarissimo enarratori Cornelio Jansenio probata.

C.32.v.4, & 5. *Loquere major natu, decet enim - te* [o.] *primum verbum diligenti scientiam.*] Quidam ex Græco corrigendum existimavit, *Loquere majori natu*: sic enim habet Græca Complutensis editio, λάλησον πρεσβυτέρῳ. At qui alii Græci codices scribunt, λάλησον, πρεσβύτερε, *Loquere, major natu*, quo modo Interpretem legisse ac vertisse Latini codices & Tractatores unanimiter testantur. Unum, Glossæ Ordinariæ adjunctum textum, vidi *majori* scribere; sed reclamantibus Interlinearis Glosâ & Lyrani commentario: Ordinaria enim Glossa nihil hac de re habet. Longè ad hæc meliùs loco convenit *major* quàm *majori*: hîc enim Siracides seniores instruit, ut paulò pòst juniores, quo modo in convivio se gerere debeant. *Loquere*, ait, *major natu*; *decet enim te*. Addidit Interpres, explicandæ sententiæ gratiâ, *primum verbum*. Sequitur, *diligenti scientiam*. Multi codices, cum Lyrano, Carensi & Richelio, gignendi casu legunt, *diligentis scientiam*: verùm integerrimi quique, cum Rabani textu, *diligenti* scribunt, id quod Dominicani propterea in textum se recepisse indicarunt. Est autem *diligenti* nomen non participium, id quod ex Græco luce meridianâ clarius est. Hispanorum Græca Biblia habent, ἐν ἀκριβείᾳ δὲ ὑπομονῆς, *In diligentia autem scientiæ*; Aldi & Germanorum quæ nostræ translationi hoc in loco similiora sunt, ἐν ἀκριβεῖ ὑπομονῆ, *In diligenti*, seu *exquisita, scientia*. ἀκριβεία *diligentiam* significat, non *dilectionem*; ἀκριβὴς *diligentem*, h. e. *exactum*, non *amantem*. Quare dubium esse vix potest quin verterit Interpres, non *diligenti scientiam*, sed, adjectivo & substantivo in eodem convenientibus casu, *diligenti scientiâ*. *Loquere, major natu (decet enim te primum verbum) diligenti scientiâ*. Eos autem qui *diligenti* participium esse sunt arbitrati (quomodo interpretantur Lyr. Car. & Richel. *diligentis*) ablativum *scientiâ* in accusativum quem participium regit mutavisse vero propinquissimum est. Porrò inter varias hujus loci distinctiones illa nobis probatur maximè quæ *primum verbum* jungit ei quod proximè antecedit, *decet enim te*, quam uno in scripto observavimus.

C.32.v.15. *Procurre autem - prior* [1 MS.G.] *in domum tuam, & illic avocare* [*vocare* o.] Non est legendum, quod multi codices, *& illic advoca te*, neque quod plures, *& illic advocare*, sed quod plerique emendatiores, cum Rabano enarratore, *& illic avocare*. Græcè est, ἀπόσχου ἐν οἴκῳ, καὶ μὴ βαδύμει, *Decurre domum, ac nè desideas*. *Ni desideas*, scilicet in domo convivii: nè pigriteris convivii domum exire. Itaq; sensum transtulit Interpres, dum vertit, *& illic avocare*, quod est, illinc avoca te, separa te, vel illuc, scilicet in domum tuam, te avoca.

C.34.v.10, & 11. *Qui non est expertus, pauca recognoscit.*] Melius *recognoscit* legitur quàm, quod nonnulli, *recognoscet*. ὃς οὐκ ἐπιστρέφει, est Græcè, ὀλίγα οἶδεν, [οἶδεν ὀλίγα R.] *Qui non est expertus, pauca novit*. *Qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam*. Multi codices, cum Hugone Cardinali, pro *factus*, *fatuus* legunt, *Qui autem in multis fatuus est*. Utriusq; lectionis Lyranus & Carthusianus meminerunt. Cæterùm emendatiora pleraq; omnia exemplaria *factus* scribunt, quibus Rabanus adstipulatur, quem secuti Dominicani in textum id retulere.

Græca

Græca autem antigrapha habent, ὁ δὲ πεπλανημένος, *qui autem erravit:* id quod exponi poteſt &, *Qui autem errore deceptus eſt*, quod pro *fatuus* facit; &, *Qui autem vagatus eſt*, i. in multis regionibus rebúſque verſatus eſt, quod pro *factus:* nam qui vagatus eſt, *in multis factus eſt.* Hæc autem, poſterior, inquam, expoſitio, meliùs loco convenit: ergò & ea lectio quæ conſonat illi, *Qui autem in multis factus eſt.* Quare retinenda ea eſt. Sequitur, *Multiplicat* [*multiplicavit* o.] *malitiam.* Caſtigatioribus MSS. eſt futuro tempore, *multiplicabit*, tametſi *recognoſcit* pleriſque præſſerit. Græci libri habent, quidam πληθυνει παρυγίαν, quidam πληθυνῶ παρυγίαν· illud præſentis eſt temporis, *multiplicat*, hoc futuri, *multiplicabit.* Porrò *malitia* pro calliditate accipienda eſt: id enim potiùs hoc in loco ſignificat Græca vox παρυγία. Quædam Latinorum, cum Rabani textu, exemplarium addunt pronomen *ſuam*, *Multiplicabit malitiam ſuam*; id quod alia, Græco ſimiliter, demunt, nominatim Brugenſe & P.

Verſum qui pleriſque in libris ſubjungitur, *Qui tentatus non eſt, - qualia ſcit? *qui* [* *Et* MS.] *implanatus eſt* [- 1 MS.] *abundabit* [*abundat.* 2 MS. *abundavit* 4 MS.] *nequitiâ*, tria Hentenii & quatuor Pariſienſium, vetera exemplaria, non legunt: in uno Janſenii ſcripto expunctus eſt: uni noſtro, Leodienſi, additus. Rabani enarratoris nec commentarius nec textus agnoſcunt. Mirum autem videri id non debet, cùm eadem omnino ſit hujus quæ præcedentis verſûs ſententia, cui neque aliud Græcè reſpondeat quàm quod illi reſpondet. Dubium eſſe non poteſt quin altera ſit ex Græco verſio noſtræ, quòd diſſimilis nonnihil ſit, adjecta; ὃς οὐκ ἐπειράθη ὀλίγα οἶδεν, quod nobis tranſlatum eſt, *Qui non eſt expertus pauca recognoſcit*, hîc redditum eſt, *Qui non eſt tentatus, qualia*, aut *quid, ſcit?* Rurſus alterum membrum, ὁ δὲ πεπλανημένος πληθυνῶ παρυγίαν, quod noſter interpretatus eſt, *Qui autem in multis factus eſt, multiplicabit malitiam*, ille convertit, *Et qui implanatus eſt, abundabit nequitiâ.* Notandum eſt autem circa priorem adjectitiæ iſtius tranſlationis partem, iterum eam v. 9. ad hunc modum legi, *Qui non eſt tentatus*, vel, *Qui non tentatus eſt, quid ſcit?* ubi nihil habet quod Græcè reſpondeat. Videri poſſit adſcripta illic fuiſſe, in margine fortaſſis primùm, cùm ſequentibus addita eſſet, ut per oppoſitum id clarum evaderet, *Vir in multis expertus, cogitabit multa.* In poſteriori parte eſt ficta, à Græca voce, Latina *implanatus*, quam plerique codices, cum gloſſematicis, Lyrano, Carenſi & Richelio, perperàm *implantatus* ſive *inplantatus* ſcribunt. Legitur vox eadem cap. 15. *Non dicas, Ille me implanavit*; quod eſt Græcè ἐπλάνησεν.

C. 35. v. 1. *Qui conſervat legem, multiplicat orationem.*] Duodecim Hentenii & totidem noſtra ſcripta exemplaria, cum Dionyſio Richelio, pro *legem*, *verbum* habent, *Qui conſervat verbum multiplicat orationem.* Nomos, quod Græcè legitur, *legem* quidem ſignificat, ſed vertit nonnunquam Interpres *verbum*, ut c. 34. v. 8. *Sine mendacio conſummabitur verbum:* tametſi legant ibi quidam *verbum legis*, quæ expoſitio eſt, non Interpretis verſio. Habent & hoc loco quidam *verbum legis*; at vel *verbum* ſolùm legendum eſt, vel *legem*, quorum modorum altero veriores codices ſcribunt. Brugenſis, Leodienſis, L, & P, habent *verbum:* quod pro *legem* non facilè crediderim ſubſtitutum. Faciliùs *legem* pro *verbum* poſitum mihi perſuadeam. Quærimus autem non tam quid clarius aut Græcis conformius ſit, quàm quid Interpres verterit.

C. 35. v. 12. *Da altiſſimo ſecundùm datum ejus* [*ſuum* 1 MS. Rab.] Codices haud pauci pro *datum*, *donatum* legunt: verùm correctiſſimi quique, cum Rabani textu, *datum* ſervant. *Et in bono oculo adinventionem facito* [*fac* 4 MS.] *manuum tuarum.* Græcè eſt, καὶ ἐν ἀγαθῷ ὀφθαλμῷ καθάρισμα χειρός, *Et in bono oculo adinventionem manûs:* ſubauditur ex eo quod præceſſit, δὸς *da.* Exiſtimat D. Janſenius non unîcâ dictione, ut codices habent, καθάρισμα ſcribendum, ſed duabus κατ' ἄνεσμα· κατ' εὕρεσμα χειρὸς *ſecundùm inventum manûs*; quod reſpondeat ei quod eſt in primo membro, κατὰ τὸν δόσιν αὐτοῦ, *ſecundùm donum ejus.* Similiter Latinè, unâ voce in duas divisâ, *ad inventionem* legendum arbitratur, quod ſit, ſecundùm inventionem. *Quid enim*, inquit, *eſt alioqui*, facito adinventionem manum, *niſi* facito *accipiatur pro* offeras? Latini libri complures ità ſcribunt ut facilè diviſim legi patiantur; imò verò nonnulli diſertè ſatis *ad inventionem* habent, Q. qui in Bibliorum margine ſignatus eſt, I, Plantini latus.

C. 36. v. 17. *Et ſuſcita precationes quas locuti ſunt in nomine tuo Prophetæ *priores* [* *tui* o.] Latini codices *precationes* habent, id quod exponunt gloſſematici, Lyranus, Carenſis & Richelius, de deprecatoriis Prophetarum prædictionibus. Græci plerique libri, quod convenientius videtur, *prophetias* legunt, καὶ ἔγειρον προφητείας ἐπ' ὀνόματί σου, *Et ſuſcita prophetias in nomine tuo* (cætera quæ Latinè leguntur, explicationis ergò Interpres reddidit) unde Reverendiſſimo Janſenio fit veriſimile, vertiſſe Interpretem non *precationes*, ſed *prædicationes*, vel *prædictiones.* Ex noſtris MSS. unum, quod à Malmundarienſi Archimandrita commodatò accepimus, legit *præ cationes:* mediam habuit ſyllabam inter *præ* (nam diphthongo ſcribit) & *ca*, ſed ea eraſa eſt, ità ut legi nequeat; attamen quantum potui ſpectans reſpectánſque colligere, *di* fuit, *prædicationes.* Rabanus enarrator exponit *promiſſiones: Hoc enim*, inquit, *precatur ſapientia, ut promiſſiones quas de vocatione gentium ad fidem Chriſti Prophetæ priores locuti ſunt, per adventum Chriſti impleantur.* Græca Complutenſis editio *prophetas* ſcribit, καὶ ἔγειρον προφήτας ἐπ' ὀνόματί σου, *Et ſuſcita prophetas in nomine tuo:* quam ſcripturam non videtur Interpres ſecutus; niſi fortè *prophetas ſuſcitare* explicuerit, *ſuſcitare precationes*, vel *prædicationes*, quas Prophetæ priores locuti ſunt.

C. 37. v. 7. *Noli conſiliari* [*conſolari* o.] *cum ſocero* [*ſocio* o.] *tuo, & à zelantibus - te* [o.] *abſconde conſilium.*] Verſum hunc, quem ſeptimum codices omnes legunt, h. e. continuò poſt illud, *Et non immemor ſis illius in operibus* [*opibus*] *tuis*, multi poſtea repetunt. Unus v. 11. ſtatim poſt illud, *Et ſtet è contrario videre quid tibi eveniat*; octo v. 12. poſt hoc, *Et cum injuſto, de juſtitia*; quatuor v. 14. poſt illud, *Non attendas his in omni conſilio.* Repetunt autem, non eiſdem planè verbis, ſed hunc ad modum, *Noli conſiliari cum eo qui ſuſpectum* [*reſpectum* 1 MS. *ſpretum* 1 MS.] *te habet, & ab æmulantibus - tibi* [o.] *abſconde conſilium.* Unde non obſcurè colligitur, alteram hanc eſſe ejuſdem ſententiæ verſionem, noſtræ editioni adjectam. Sed dicat aliquis, Interpreti eandem ſententiam bis in Græco lectam, ut in Græcis Hiſpanorum Bibliis bis legitur, verſibus 7, & 11. & priori quidem loco tranſlatam, *Noli conſiliari cum ſocero tuo, & à zelantibus te abſconde conſilium*; poſteriori verò, *Noli conſiliari cum eo qui ſuſpectum te habet, & ab æmulantibus tibi abſconde conſilium.* Atqui illa loci inconſtantia, quòd repetitam ſententiam quidam v. 11. quidam v. 12. quidam v. 14. legant, oſtendit ſatis additam eam eſſe: id quod clarius ex eo evadit, quòd K literâ notatum exemplar continuò eam alteri ſubjiciat, Inſtet fortaſſe quiſpiam, eam quæ poſteriùs legitur minimè addititiam judicandam; imprimis quòd Græcis libris Aldi & Germanorum ſemel duntaxat ſententia iſta, atq; id poſteriùs, ſcribatur, nimirum v. 11. poſt illud, *Et ſtet è contrario videre quid tibi eveniat:* Deinde quòd Græco conformior ſit poſterior iſta tranſlatio; quia non *cum ſocero tuo*, ſed μετὰ τοῦ ἐνβλεπομένου σε, quod eſt, *cum eo qui ſuſpectum te habet*, legatur. Reſpondeo, non ſatis conſtare quid Interpres ſecutus verterit, *cum ſocero tuo*; an pro eo quod generale eſt exemplum particulare poſuerit, an quid aliud Græcè habuerit: ſed liquidum id eſſe, hanc ejus interpretationem eſſe, *cum ſocero tuo*, ex codicibus, qui unanimiter omnes v. 7. eam legunt; patere etiam v. 7. ſententiam hanc ab Interprete Græcè

lectam [Pagnini ex Græco versio, septimo tantùm versu habet] nec postea vel aliis vel iisdem verbis repetitam, primùm quòd integriora MSS. (Brug. Leod. E, O, P, Domi. Pl. m.) uno septimo versu scribant; tum quòd impressi omnes libri, quos viderim quidem, eo tantùm loco habeant; denique quòd Enarratores (Rab. Lyr. Car. Rich.) ibi non alibi agnoscant. Malmundarii scriptum his adstipulatur, sed paulò aliam adfert translationem, *Noli consiliari cum eo qui tibi insidiatur, & à zelantibus te absconde consilium.*

C. 37. v. 9. *Et ipse enim animo suo cogitabit.*] Ex codicibus nostris octo legunt, *Et quid ipse animo tuo cogitabit*; decem, *Et quid* [*quam* o.] *ipse in animo suo cogitabit* [*cogitavit* o.] sed integritate inferiores illi. Ex emendatioribus tres, Lobiensis, Malmundariensis, L, cum Rabani textu scribunt, *Et* [*Aut* Rab.] *quid ipse animo suo cogitet*; septem, Brugensis, Leodiensis, E, O, P, Q, Pl. m. cum Moguntina, Colonienſi & Lovanienſi editionibus, *Et ipse enim* [*in* o.] *animo suo cogitabit.* Postrema hæc scriptura Græcis propinquissima est, καὶ γὰρ αὐτὸς ἑαυτῷ βουλεύσεται [συμβουλεύσεται R.] *Etenim ipse sibi ipsi consulet*: quam suo probatam calculo Jansenius in eum quem Græca referunt sensum, interpretatur. Porrò propinquior paulò est Græcis manuscripti M literâ signati lectio, *Etenim ipse animo suo cogitabit.*

C. 37. v. 12. *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum * injusto* [** viro* o.] *de justitia, - &* [5 MS .G.] *cum muliere de*] Hæc frequentior est codicum, cùm typis tum calamis exaratorum, lectio, quam Glossematici, Lyranus, Carensis & Richelius κατ' ἐφωνίαν interpretantur, ex eo quòd enumeratione finitâ subjungatur, *Non attendas his in omni consilio.* Quidam ità exponunt ut coram irreligioso doceamur laudibus evehere sanctitatem, coram injusto justitiam, coram muliere maritum, &c. Rabani Mauri textus legit, *Cum viro religioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitia noli consiliari, & cum muliere de:* cui commentarius adstipulatur. Notant Franci Dominicani etiam antiquis quibusdam exemplaribus addi τὸ *noli consiliari.* Nos in nostris antigraphis haud invenimus, nisi cum hac sententia, *Noli consiliari cum eo qui suspectum te habet, & ab æmulantibus tibi absconde consilium*, quam nec modo, nec loco hoc ab Interprete translatam superiùs paulò docuimus. Porrò octo scribunt, *Cum viro * religioso* [** enim*] *tracta de sanctitate, & cum injusto*, vel ut duo, *& cum justo, de justitia* [*injustitia*] quorum tria subjungunt sententiam quam diximus, *Noli consiliari cum eo*, &c. quinque verò reliqua, eáque illis meliora, subnectunt immediatè, *Et cum muliere, de.* Manuscripti Malmundariensis lectio est ista, *Cum viro inreligioso de sanctitate, & cum injusto de justitia, & cum muliere de.* Hunc ad modum se habent variæ Latinorum codicum lectiones. Græcis verò exemplaribus, quæ quidem nos vidimus, una est scriptura, μετὰ γυναικὸς - σοῦ [o.] Non legitur illud, *Cum viro irreligioso de sanctitate, & cum injusto de justitia:* non additur *tracta*, nec adscribitur *noli consiliari*; tantùm *cum muliere - de* [o.] præmittitur tamen sententia illa, *Noli consiliari cum eo cui tu suspectus es, & eis qui tibi invident consilium absconde.* Ex Latinis lectionibus, ea quæ Malmundariensis est codicis, Græcæ scripturæ persimilis & rationi maximè est consentanea. Græcæ scripturæ eo similis est, quòd nec *tracta* legat, nec *noli consiliari* addat; sed, quod locus exigit, subaudiendum relinquat. Rationi maximè consentanea est; quia id in primis parùm verisimile est, quæ est primæ lectionis communior expositio, ironicos præcipere autorem, tractandum *cum irreligioso de sanctitate, cum injusto de justitia*, &c. Dein, proposito non convenit, quæ altera est ejusdem lectionis expositio, intelligere, coram irreligioso laudandam sanctitatem, coram injusto justitiam, &c. id vel eo probari potest, quòd subnectitur, *Non attendas his in omni consilio.* Tertiò, quod ad alteram lectionem, quæ potissimùm est Rabani, spectat, congruere non videtur ut primum membrum dissimile sit sequentibus omnibus, & illi quidem addatur *tracta*, sequentibus autem *Noli consiliari.* Cùm id Sapiens manifestè velit, priùs docere cum quibus consilium capiendum non sit, postea verò tandem cum quibus capiendum sit. Videri autem possit τὸ *noli consiliari* acceptum ex hac sententia, *Noli consiliari cum eo qui te suspectum habet*, &c. quam eodem quidam legunt loco, ut paulò antè ostendimus. Est igitur rationi magis consentanea ea lectio, in qua illorum nihil offendit, *Cum viro irreligioso de sanctitate, & cum injusto de justitia, & cum muliere de*: quæ non ideo existimanda est Interpretis non esse versio, quòd in eo reperta sit codice qui à Vulgata editione nonnunquâ discrepet; nam plerisque locis convenit, & hoc quidem loco addit, Vulgatæ editioni conformiter, quod in Græco non reperitur, *Cum viro irreligioso de sanctitate, & cum injusto de justitia:* atq; omnino sic conjecerim vertisse Interpretem, si nullus ità legeret codex. Subaudiendum autem existimarim hac in lectione (sive placeat eam pro germana Interpretis accipere, sive non: nihil enim statuere velim) tum primo, tũ subsequentibus membris, quod Rabanus secundo addit, *Noli consiliari*; id quod Græcis in libris facilè subauditur ex eo quod eis antecedit, *Noli consiliari cum eo cui tu suspectus es, & eis qui tibi invident consilium absconde.*

C. 38. v. 17. *Propter delaturam autem amarum fer* [*differt* o.] *luctum illius uno die.*] Conjunctionem *autem* omittunt, cum S. Augustini Speculo & Rabani textu, septem nostra MSS. quam & Græci codices tollunt, & Dominicani ac Jansenius castigatores rejiciunt.

C. 38. v. 25. *Quia sapientiâ replebitur*] Illis quæ clarissimus Antistes Gandavensis, Jansenius, de horum verborum genuina tum copulatione tum lectione, optimè ac diligentissimè scribit, quod addam non habeo, nisi quòd in quibusdam incerti autoris annotationibus legi dicit, habere libros quosdam, *Quâ sapientiâ replebitur*, in Dominicanorum ex Francia annotationibus me reperisse, his verbis, *Quidam libri habent*, Quâ sapientiâ replebitur, *&c. & tunc est interrogatio usque* taurorum. *q. d. Qui sunt in otio sive occupatione percipiunt sapientiam: sed quâ sapientiâ potest repleri rusticus, qui semper occupatur circa opera agriculturæ, & carpentarius, & faber, & figulus, qui*, &c.

C. 38. v. 39. *Accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi*] Ultimam hanc hujus capitis partem MSS. exemplaria duo, Brugense & B, capitali exordiuntur literâ, tanquam periodum novam: id quod congruit quàm aptissimè, quandoquidem à sententia mox præcedente separanda omnino, ut Episcopus Jansenius ostendit, videatur. Unum scriptum codicem Jansenius reperit qui secundo singularis numeri casu, *Accommodantis animam suam*, legerit: nos duos invenimus ex Hunnæi Alphabeto M & Q. quorum alter, vix dubium, is est quem Jansenius vidit. Hinc conjici possit, scripsisse Interpretem, *Accommodantis animam suam, & conquirentis in lege Altissimi.* Certè Græcis libris hoc casu legitur, atque hoc numero; verùm præposito, quod eum casum regit, adverbio, πλὴν τῷ ἐπιδιδόντι [ἐπιδίδοντος Gq.] τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ διανοουμένῳ ἐν νόμῳ ὑψίστου, quod est, *Præter applicantem animum suum, & meditantem in lege Altissimi.* Porrò non est legendum, quod quidam, multitudinis numero, *animas suas*, cùm plerique, atque inter eos emendatiores, codices, Græco conformiter, singularem habeant numerum. Legantur in hunc locum Jansenii enarrationes.

C. 39. v. 17. *In voce dicit*] S. Augustini Speculum legit *dicito* pro *dicit*; Doctoris Hunnæi I literâ insignitum exemplar, *dicet*; alterum L signatum, *dixit*; Malmundariensis cœnobii liber, *dicens*; Atrebatensis Collegii sericatus codex, *dicam*, quomodo & in margine codicis Hunnæi A notati, correctum est. Rabani textus nec *dicit* scribit, quod plerique, nec *dicito*, nec *dicet*, nec *dixit*, nec *dicens*, nec *dicam*, deniq; nec aliud horum loco, tantùm *in voce* habet,

habet, id quod iis quæ præcedunt copulat, *Ut furore enim repletus sum in voce.* Lobiensis Monasterii manuscriptum non tantùm, ut Rabani textus, è medio aufert *dicit*, verùm etiam totum *In voce dicit*, quanquam in margine scriptum sit, *In voce dicit*, minori videlicet vividioríque literâ. Ex his lectionibus eam Græci codices probant quæ Lobiensis est manuscripti; id enim omnino non legunt *In voce dicit*, ut certè parùm loco convenit. Videri possit inter lineas primùm explicationis gratiâ scriptum fuisse in hunc sensum, Igitur plura meditatus eloquitur, scilicet Sapiens, *Obaudite me*, &c. vel istum, Itaque voce magnâ clamat, *Obaudite me*, &c. D. Jansenius ex eis quas agnovit Rabani lectionem prætulit: neque enim Lobiensis exemplaris lectionem agnovit. Inter eas verò quæ *dicendi* verbum addunt, tolerabiliorem censuit, *In voce dicam*: non tamen harum meminit, *dicens* & *dicet*. Carensis & Richelius *dicit* legunt, subaudiúntque *spiritus sanctus*. Lyrano *dixit* adscribitur, qui *spiritus meus interior* subaudit. *Et* conjunctionem, quam codices multi præmittunt, *Et in voce dicit*, correctissimi quique omittunt.

C.39.v.29. * *Quo* [* & o.] *modo convertit aquam* [*aquam* o.] *in* "*siccitatem* [" *siccitate* 2 MS.] *& siccata est terra.*] Duo nostra vetera exemplaria, Malmundariense & Lobiense, duo Parisiensium, Dionysii latum & Germani latum, tráque Hentenii, auferunt τὸ *in siccitatem*; quibus Rabani textus & emendatio codicis A signati suffragantur. Videtur certè alterum superfluere, vel *in siccitatem*, vel *& siccata est terra*, quod & reddunt Græci codices verisimile, quorum lectio est ὡς μετέστρεψεν ὕδατα εἰς ἅλμην, *Sicut convertit aquas in salsuginem.* ἅλμη *salsuginem* significat. Significat & *steriliorem terram* (cujusmodi est terra arida) quòd quasi perfusa salsugine non edat fructus.

C.40.v.13. *Substantiæ* [*Substantia* Mogunt.] *iniustorum* [*iniquorum* 2 MS. Rab. *justorum* o.] *sicut fluvius siccabuntur* [*exsiccabuntur* 1 MS.] Atrebatensis Collegii alterum MS. cum quorundam excusorum codicum marginibus, *siccabitur* pro *siccabuntur* habet: cui hac in parte MSS. lectissima, Brugense, Leodiense & P adstipulantur. Verùm ea etiam singulari numero *substantia* legunt, quem legendi modum Dominicani indicarunt. Græcè est χρήματα ἀδίκων ὡς ποταμὸς ξηρανθήσεται. Verbum ξηρανθήσεται singularis est numeri: potest autem vel ad ποταμὸς *fluvius* referri, itáque vertendum est *siccabitur*; vel ad χρήματα *substantiæ* (nam pluralis numeri est) sícque transferendum est *siccabuntur*: non enim ea est Latinis quæ Græcis consuetudo. In altero sententiæ membro, *Et sicut tonitruum magnum in pluvia personabunt*, similis est librorum varietas. Tres ex primis chalcographorum editionibus, Moguntina anni 1472. Nurenburgensis anni 1478. Colonensis anni 1479. scribunt *personabit*: quod posteriores editiones & nostra MSS. exemplaria, multitudinis numero, *personabunt* legunt. Et est simile ex Græco judicium, καὶ ὡς βροντὴ μεγάλη ἐν ὑετῷ [ὑετοῖς R.] ἐξηχήσει. Verbum ἐξηχήσει & ad βροντὴ *tonitru* referri potest, vertíque *personabit*; & ad χρήματα *substantiæ*, transferríque *personabunt*. Observandum est autem, illas chalcographorum editiones, etsi *personabit* legant, tamen *siccabuntur* habere (ad quem modum Pagninus ex Græco interpretatus est) & rursus, illa quæ nominavimus MSS. quamvis *siccabitur* scribant, nihilominus *personabunt* retinere (quòd si *substantia* legas, quo modo conveniat nisi ad *injustos* referas, haud video) nullos verò codices, quos quidem ego viderim, utrobique singularem habere numerum, quemadmodum pars major pluralem utrobique habet. Cæterùm Dominus Jansenius id probat, singularem utroque loco numerum legi. *Substantia injustorum sicut fluvius siccabitur*, & *sicut tonitruũ magnum in pluvia personabit.* Hinc indè licet sumere quod verum est: sed utrùm vera hæc Interpretis sit scriptura, nequeo ego discernere. Eis enim quæ jam indicavimus accedit quòd Rabani textus & quinque antigrapha, certè non infima, Hunnæi A & E, Plantini medium atque angustum, ac Malmundariense, *Et sicut tonitruum magnum in pluvia manabunt*, legant, quanquam *manebunt* pleraque eorum corruptè habeant. Itaque an *manandi* an *personandi* vocabulum verterit Interpres, dubito. Est autem *manabunt* ex altera Græcorum lectione translatum: quidam enim, quod Pagninus refert, ἐκχύσει *effundet* pro ἐξηχήσει legunt.

C.42.v.5. *De* [& o.] *corruptione emptionis.*] Decem nostri codices *de correptione* scribunt; sex & viginti *de corruptione*. Ab utraque parte sunt antiquitatis atque integritatis venerandæ exemplaria; ab illa Leodiense, Lobiense, E, L, Plantini medium, cum Dionysii lato & Germani lato, quæ apud Parisienses; ab hac Brugense, Malmundariense, O, P, cum Enarratoribus, Rabano, Lyrano, Carensi ac Richelio. Episcopus Jansenius illam lectionem *de correptione* loco commodiorem, hanc *de corruptione* verisimiliorem judicat; ad quem, quia diligenter id prosecutus est, lectorem remittimus. Legit Interpres noster περὶ διαφθορᾶς πράσεως, quod ille conjicit; aut περὶ διαφόρου πράσεως, quod alii reddunt, *de differente venditione*, interpretatus est *de corruptione emptionis*. Nam differentem venditionem ferè emptionis corruptio, sive emptoris deceptio, comitatur.

C.42.v.9. *Nè fortè in adolescentia sua adultera efficiatur.*] Quod legunt Latini, cùm codices tum Tractatores, *adultera*, Jansenius *adulta* ab Interprete scriptum arbitratur, quòd vox Græca παραμάζειν non *adulterum*, sed *adultum effici, ætatis florem excedere*, significet: quódque quæ nupta non sit, adultera non satìs aptè dicatur. * ὃν [* καὶ R.] νεότητι αὐτῆς, est Græcè μήποτε παραμάσῃ, quod est, * *In* [* *Et* R.] *juventute ejus* (scilicet, solicitus est pater) *nè fortè ætatis florem prætereat.* Porrò autem transferunt quidam, *& in juventute ejus, nè fortè abutatur flore ætatis*: quæ versio Græcis Complutensium & Basileensium Bibliis juncta pro constanti Latinorum lectione, si species pro genere, *adultera* pro *fornicaria* accipiatur, facere possit.

C.43.v.18. *Vox tonitrui ejus verberabit* [*percussit* Richel.] *terram.*] Manuscripta, Malmundariense, G & Plantini medium pro *verberabit*, cum Rabano, *exprobrabit* legunt, *Vox tonitrui ejus* * *exprobrabit* [* & Malmũd. Sericatus Atrebatensis Collegii codex utrumq; legit] *terram.* Orta est varietas ex varia Græcorum codicum scriptura. Quidam enim Græcorum codicum, Regius nominatim & Vaticanus, ὠδίνησε seu ὠδύνησε, quidam, Aldinus & Germanici, ὠνείδισεν scribunt: Ex illo translata est *verberandi* vox, nisi fortè ex σωφρονισεν, quod & ipsum in Vaticano exemplari exstat; ex hoc, *exprobrandi*. Porrò ut ὠδίνησε loco melius congruere videtur quàm ὠνείδισε, ità *verberandi* vox aptiùs convenire quàm *exprobrandi*. Rursus ut in emendatioribus exemplaribus Græcis ὠδύνησεν est, ità in plerisque omnibus Latinis libris *verberandi* vocabulum. Denique ut Græca antigrapha præteritum tempus habent, non futurum, ità ex electioribus Latinis plura *verberavit* quàm *verberabit* scribunt.

C.43.v.21. *Gelu sicut salem effundet* [*effundit* 1 MS. G.] *super terrã.*] Per *gelu* rectè pruinam intelligamus: *pruinam* enim significat Græca vox πάχνη. ἡ πάχνη ὡς ἅλας [ἅλα Gq.] ἐπὶ γῆν [γῆς Gq.] χεῖται Græcè est, *Et dum gelaverit, fiet* [*gelaverint, fient* Malmund.] *tanquam cacumina tribuli.* Multi codices, cum Enarratoribus, Rabano, Lyrano, Carensi & Richelio, pro *gelaverit*, *flaverit* legunt, *Et dum flaverit, fiet*, &c. Verùm non pauciores, atque optimi ferè quique, *gelaverit* servant, quibus Græci libri suffragantur, ἡ παγῶσα, i. *& concreta*, seu *congelata*. Altera hoc loco varietas est: pro eo quod pleraq; omnia exemplaria &

gloſſematici Lyranus ac Richelius, ſcribunt, *cacumina*, Lobienſe, Q & Dionyſii latum, cum Rabano tractatore, *acumina* habent, *Fiet tanquam acumina tribuli*; id quod Dominicani, ſecuti Rabanum, Pariſienſes, ſecuti ſodalium S. Dionyſii exemplar, in textum retulere. Atqui Græca lectio potiùs *cacumina* probat, ᾧ παγῶσα γίνεται σκολόπων ἄκρα, h.e. *& conglaciata fit tribulorum ſummitates.* Vox σκόλοψ inter reliqua & *acumen* denotat: verùm eam vertit Interpres *tribulum*. Proximæ voci ἄκρα *acumina* reſpondeat oportet, ſi verſum eſt; at illi *cacumina* potiùs convenire claro clarius eſt. Significat enim ἄκρον *ſummum rei.* Objicias, rem, non verbum, Interpretem reddidiſſe; quia tribulorum ſumma acuta ſunt; id quod hoc loco ſpectatur; *acumina* pro *cacumina* convertiſſe. Fateor id quidem facilè fieri potuiſſe; ſed factum non mihi perſuadeo: non enim pro *acumina* veriſimile eſt *cacumina* ſubſtitutum, cùm primâ fronte aptiùs congruere videatur *acumina*: imò quia non ſolet rebus adeò exilibus cacumen tribui, quod montibus propriè convenit, crediderim *acumina* emendatum. Porrò ſignificatur pruinam rebus adhærentem, dum fuerit congelata, aſperam inſtar ſummitatis tribuli effici. Interpres σκόλοπα *tribulum* vertit, & ſimilitudinis adverbium ſubaudivit: alii *palum* vertunt, nec quidquam ſubaudiunt, *Et congelata fiunt palorum ſumma:* quo ſignificatur, quod hieme videre licet, pruinam congelatam ſummis palis adhærere, eíſque quaſi apicem imponere.

C. 43. v. 32. *Glorificantes Dominum quantumcunq; potueritis, ſupervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus.*] Poſtrema verſûs iſtius pars, *Et admirabilis magnificentia ejus*, Græcis codicibus, non hoc, tantùm præcedenti verſu legitur, hunc ad modum, ᾧ θαυμασὸν ἡ δυναστεία αὐτῦ, ubi nobis repetitur, his verbis, *Et mirabilis potentia ipſius.* Nam δυναστεία & *potentiam* & *magnificentiam* ſignat. Quapropter exiſtimarim duas ejuſdem Græcæ pericopes in Latinis Vulg. editionis libris legi verſiones, quarum altera ex altera editione ſit addita. Hoc manifeſtè doceat antiquiſſimum Malmundarii manuſcriptum, quod eam quæ 31 verſu legitur omittit; alteram, quæ 32, ſolam ſcribit. Exiſtimarim autem additam noſtræ editioni eam quam 32 verſus complectitur. Illa enim quæ 31 eſt verſu, Græcanicis exemplaribus conformiter, eo legitur loco Latinis noſtræ editionis codicibus, quos quidem viderim, ſimiliter omnibus. Nam Malmundarii codex, quod obſervavimus atque annotavimus frequenter, ab editione noſtra ſæpenumero diſcrepat. Porrò diſſimiliter legunt noſtri libri eam quam 32 verſus habet, *Et admirabilis* [*mirabilis* 1 MS.] *magnificentia ejus.* Unus F literâ notatus, cum Rabani textu, aufert *&*; alter, O inſignitus, tollit *& admirabilis:* quæ adjectionis indicia eſſe poſſint. Eo autem faciliùs putarim editioni noſtræ additam, quòd ab altera non verbis tantùm verùm etiam loco diſſederit: ſic enim Malmundarienſi codici 32, non 31 verſu, legitur, *Terribilis Dominus, & magnus vehementer* [Hîc in noſtris Græcíſque libris ſubnectitur, *Et mirabilis potentia ipſius*] *glorificantes Dominum quantumcunq; potueritis, ſupervalebit & adhuc admirabilis magnificentia ejus.* Adverte inſuper & conjunctionem alio loco poſitam: quo etiam Græcè legitur. Hæc enim Græcorum librorum eſt lectio, δοξάζοντες Κύριον ὑψώσατε, καθόσον δύνασθε [ἂν δύνασθε Gq.] ὑπερέξει γὰρ ἔτι, *Glorificantes Dominum exaltate, quantum poteſtis, excedet enim & adhuc.* Huic Græcæ ſententiæ duæ in Latinis Eccleſiaſticæ editionis libris reſpondent, diverſæ verbis, eædem re. Una ea eſt quam initio protulimus, *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis, ſupervalebit adhuc*; Altera, quæ 33 v. ſequitur, *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis, major enim eſt omni laude.* Duæ ſunt, quod liquidè patet, ejuſdem illius Græcæ ſententiæ verſiones, quas non eſt veriſimile ſimul ab Interprete datas. Probabilius eſt, ex ea editione ex qua ſumptum eſt illud, *Et admirabilis magnificentia ejus*, ſimul & iſtud ſumptum cui illud adhæret, *Glorificantes Dominum quantumcunque* [*in quantum* 1 MS.] *potueritis* [*potueris* 1 MS.] *ſupervalebit - adhuc* [1 MS.] Sunt enim non exigua adjectionis ſigna: in primis quòd detractum ſit verbum *exaltate*, fortaſſis quia proximè expreſſum fuerat: dein quòd Rabani textus & Lobienſe MS. prætermittant τὸ *glorificantes Dominum.* Porrò alterum *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum poteſtis,* * *major* [* & 1 MS.] *- eſt* [1 MS.] *enim omni* [*in* 1 MS.] *laude*, habet, quod Græci libri, *exaltate:* & integre ac ſimiliter ab omnibus legitur. Quare dubitandum non videtur quin germana Interpretis noſtri ſit verſio: quanquam & in Malmundarienſi codice legatur.

C. 44. v. 3. *Nunciantes in prophetis dignitatem* * *Prophetarum* [* *perſonarum* & o.] Manuſcripta duo, O & Malmundarienſe, cum Rabani textu, omittunt *in Prophetis, Nunciantes dignitatem prophetarum* legunt. Alia MSS. tria, A, M & Q, tollunt non tantùm *in Prophetis*, ſed etiam *nunciantes:* ſcribúntque quod reliquum eſt, *In dignitate prophetarum.* Harum lectionum altera videtur vulgari, quæ in notationis hujus capite collocata eſt, præferenda: ex Græcis enim docemur ſatis, alterum ſuperfluere, vel *dignitatem prophetarum*, vel *in Prophetis.* ἀπαγγελίτες habent codices Græci, οἱ προφητείαις, *qui annunciarunt in prophetiis:* quod eſt, qui prophetias, divina oracula, annunciarunt. Utra autem præferenda ſit non facilè dixero. Prior, *Nunciantes dignitatem prophetarum*, Græco conformior eſt; poſterior, *In dignitatem prophetarum*, ab alterius editionis ſuſpicione alienior; cui ſi ſubaudias *conſtituti*, vel quid ſimile, id ſignificatur quod autor velle videtur, Prophetico ſpiritu excellentes. Poſſit in eundem ſenſum prior lectio accipi, ſi per *dignitatem prophetarum* intelligas prophetias ob quas Prophetæ ſunt in honore.

C. 44. v. 11, 12, & 13. *Cum ſemine eorum permanent* [*perſeverant* Rab.] *bona, hereditas ſancta nepotes* [*nepotum*] *eorum*, &c.] Exemplaria manuſcripta in primis conjunctionem præfigunt, *Et cum ſemine eorum.* Dein pro *permanent, perſeveravit* pleraque, *perſeverat* correctiora, ſcribunt. Adhæc, adjectivum *ſancta* quotquot vidimus omittunt, & *bona* cum *hereditas* jungunt. Itaque ex manuſcriptorum fide legendum eſt, ut Hugo Cardinalis legit, *Et cum ſemine ipſorum perſeverat* [*permanet*, Lugdunenſia Biblia, Lyra.] *bona hereditas*; quæ lectio Græcorum ſcripturæ, conjunctione exceptâ, per omnia conformis eſt, μετὰ τὸ σπέρμα αὐτῶν διαμένει [διαμενῶ Gq.] ἀγαθὴ κληρονομία.

Quod ſequitur, *nepotes eorum*, rurſus manuſcripta, ab impreſſis ferè antigraphis diſcrepantia, concorditer gignendi caſu legunt, *nepotum illorum*; quod quædam quidem præcedentibus jungunt, [Quæ præcedentibus jungunt manuſcripta legunt deinceps, ut impreſſi ferè libri, *Et in teſtamento ſtetit ſemen eorum*] major verò pars, cum Hugone Cardinali, quod veriſimilius eſt, ſequentibus, hoc modo, - *Et* [1 MS.] *nepotum illorum ſemen in teſtamento ſtetit.* Græcè eſt, ἔκγονα αὐτῶν ἐν ταῖς διαθήκαις ἔστη [ἐν διαθήκαις ἔσται R.] σπέρμα αὐτῶν, *nepotes eorum in teſtamentis ſtetit* [*in teſtamentis eſt* R.] *ſemen eorum:* hanc enim lectionem Interpres ſecutus videtur, atque intellexiſſe juxta Hebraicam phraſim, cujuſmodi eſt illud Pſal. 10. 4. Κύριος ἐν οὐρανῷ ὁ θρόνος αὐτῦ, *Dominus in cælo ſedes ejus.* Eſt autem potiùs *in teſtamentis* quàm *in teſtamento* ſcribendum, quæ Janſenii eſt ſententia, quòd multitudinis numerus, ut in ſpectatis quibuſdam Latinis, ità in omnibus Græcis codicibus, legatur. Quod ſubjungitur in compluribus excuſis libris, *Et filii eorum propter illos*, quædam ſcripta eundem ad modum legunt; ſed pleraque, *Et filiorum ipſorum propter illos.* Prior legendi modus Græcæ ſcripturæ conſonat, ᾧ τέκνα αὐτῶν δι' αὐτὸς [μετ' αὐτὸς R. *poſt eos*] Sequitur, ἕως αἰῶνος μένουσι [μενῶ Gq.] quod ſi præcedentibus junxeris, vertendum erit,

Ipſam

Usque in æternum manent; quæ ferè eorum codicum est scriptura qui *& filii eorum* habent, *Et filii eorum - propter illos* [o.] *usque in æternum manent* [*permanent* 1 MS. Rab. *manet* 1 MS.] Porrò Græci codices sequentibus id copulant, ἕως αἰῶνος & μένει σπέρμα αὐτῶν, quod est, *Usque in æternum manet* [*permanet* o.] *semen eorum*; quæ & Latini exemplaris Q literâ insigniti, atque alterius quod ex Dominicanorum correctione habemus, lectio & distinctio est manifesta. Est & exemplaris P notati, & aliorum aliquot, ac Richelii enarratoris. Verùm aliud P notatum exemplar hinc sententiam inchoat, *Propter illos usque in æternum manet semen eorum.* Multi libri distinguunt hunc ad modum, *Et filiorum ipsorum propter illos usque in æternum manet* (deinceps sequitur *Semen* [*generatio* 1 MS. Brugensis D. Donatiani codex hoc modo distinguit, *Et filiorum ipsorum propter illos usque in æternum manet semen eorum*; *& gloria eorum non derelinquetur.*] *eorum & gloria eorum non derelinquetur.*) Atque hæc quia imperfecta sententia est, addiderunt nonnulli, quod Carensis legit, *semen*; complures, quod Lyranus subaudit, *hereditas*, *Et filiorum ipsorum, hereditas* [*semen*, Biblia Lugd. anni 1522. Colon. anni 1529.] *propter illos usque in æternum manet.* Verùm jugulanda sunt hæc, locúsque aliter, id quod nobis videtur, distinguendus. Hæc totius loci commodior videtur distinctio & verior lectio, *Et cum semine ipsorum perseverat bona hereditas: & nepotum illorum semen in testamentis stetit, & filiorum ipsorum propter illos. Usque in æternum manet semen eorum: & gloria eorum non derelinquetur.*

C. 44 v. 22. *Ideo jurejurando dedit - illi* [o.] *(Abraha) gloriam in* [*de* 1 MS.] *gente sua, crescere illum quasi*, &c.] Pro eo quod legunt plerique codices *gloriam*, tres Parisiensium, quatuor Hentenii ac novem nostri, cum Rabano & Richelio enarratoribus, *semen* scribunt, *Ideo jurejurando dedit illi semen in gente sua.* Quædam ex nostris emendatioribus exemplaribus hanc, quædam illam tuentur lectionem. Lobiense, Malmundariense, E & O, *semen*; Brugense, Leodiense, L & P, *gloriam* habent. Porrò hæc ab extraneæ editionis admistione magìs putarim aliena. Parisienses, ex Di l. Ge. l. & o. correxerunt *semen*; Jansenius *gloriam* præfert. Græcè legitur, *Ideo in juramento statuit ei, benedici* [*benedicere* R.] *gentes in semine ejus.*

C. 45. v. 5. *Audivit enim eum & vocem ipsius*] Rabanus Maurus legit, *Auditam fecit illi vocem suam*, [De Mose est sermo:] quæ lectio Græco consentit; ἠκήτισεν αὐτὸν τῆς φωνῆς αὐτοῦ, i. *audire fecit illum vocem suam.* Nam ἀκητίζειν *audire facere* significat. Ex Latinis nostris codicibus nullus est qui ità ut Rabanus legat præter unum, quem olim Dominicani, Rabanum sæpe secuti, emendarunt, cujus hoc loco & Jansenius meminit. Quamobrem non facilè existimarim nostræ editionis lectionem esse, tametsi Dominicani in editionis nostræ textum retulerint. Annotarunt, *in Ecclesia aliter dici, propter aliam translationem.* Credo, *propter aliam translationem*, Vulgatam nempe, à qua Rabani editio non semel discrepat; id quod, quanquam non facilè pronunciandum duxerim, jam diu observasse mihi videor. Scribunt autem ferè exemplaria nostra, ut initio proposuimus, *Audivit enim eum & vocem ipsius*; cui si Vulg. editionis verba servare nolimus, meritò præferatur Rabani lectio. Porro omittunt MSS. Hentenii unum, Parisiensium duo [Di. l. Ge. l.] nostra tria [Malm. M. Q.] quæ loco non satis congruere videtur, conjunctionem *enim*, Rabani textui & Græcæ scripturæ conformiter. Missale Romanum, Pii quinti Pontificis jussu editum, [In communi Confess. non Pont. epistola pro Abbatibus] legit, *Audivit enim vocem ipsius*, omittit *eum &*: similiter scriptum M. N. Hunnæi C notatum, nisi quòd *eum* suprà in spatio scribat. Videri hinc possit, editionis nostræ lectionem ad Græca (etsi haud longè abscedat) propiùs accessisse quàm nunc comperiamus.

C. 47. v. 14. *Et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum*] Ità ferè nostri codices legunt. Unus R literâ insignitus, ex M. N. Hunnæi Bibliotheca, & Rabani Mauri textus, illius loco habent, *Et propter illum requievit in latitudine*; Salomon propter David: quibus, quod Jansenius comperit, duo Tongerlensis Monasterii exemplaria consonant, quanquam priorem lectionem in margine addant, ut impressi aliquot libri hanc posteriorem. Quatuor scripta, literis A, F, M & Q notata, utrumque in textu jungunt, hoc modo, *Et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum, & requievit* [*requiem* o.] *in latitudine* [*altitudine* o.] Sunt dubio procul duæ ex Græco versiones: καὶ δι' αὐτὸν κατέλυσεν ἐν πλατυσμῷ, quod Græcè est, vertere possis, *Et propter illum habitavit in latitudine*; possis etiam, *Et propter illum destruxit in latitudine.* Nam καταλύειν utrumque, *destruere* atque *habitare*, significat. Porrò hujus ad verbum versionis, *Et propter illum destruxit in latitudine*, sensus redditus est, *Et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum.* Non igitur in nostræ editionis textum referenda est utraque lectio, ut in quatuor illis scriptis factum est, nisi translationes duæ commiscendæ sint. Utra autem ut editionis nostræ germana versio amplectenda retinendáque sit, patet non obscuré. Plerique enim libri hanc solam habent, *Et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum*; nec vulgares tantùm, verùm etiam antiquitate atque integritate præstantissimi; quinetiam à Dominicanis castigatum exemplar, & Glossematici, Lyranus, Carensis ac Richelius. Videntur & Dominicani, cùm ex hoc tum ex aliis quibusdam locis, sensisse, Rabani textum à nostra editione discrepare quandoque, nisi fortè non ità ut nos apud Rabanum legerint.

C. 47. v. 15, & 16. *Quemadmodum - eruditus est* [o] *in juventute sua*] Partem hanc quidam codices, cum Lyrano & Richelio enarratoribus, præcedentibus nectunt, *Et pararet sanctitatem in sempiternum, quemadmodum eruditus est in juventute sua.* Quidam, decem ex scriptis nostris, hinc inchoant novam sententiam, quâ admiretur Siracides datam Salomoni sapientiam; *Quemadmodum eruditus est in juventute sua, & impletus est quasi flumen sapientiâ!* id quod Jansenio placet. Græca Regiæ editionis lectio utrumque, ut Latina illa, admittit, ὡς ἐσοφίσθη ἐν νεότητι αὐτοῦ, i. *Sicut instructus fuit*, vel, *Quia sapiens fuit, in juventute sua*; &, *Quàm sapiens factus est in juventute suâ!* Porrò Aldinæ & Germanicarum editionum scriptura iis quæ præcedunt copulari non potest. Apostrophe est ad ipsum Salomonem, ὡς ἐσοφίσθης ἐν νεότητί σου. *Quàm sapiens in juventute tua factus es!* Sequitur, καὶ ἐνεπλήσθης [ἐνεπλήσθη R.] ὡς ποταμὸς συνέσεως, *& repletus es* [*est* R.] *instar fluminis intelligentiâ*: quod etiam, ut Græca Regis editio, & Latini ferè libri, tertiâ personâ legunt, *Et impletus est quasi flumen* [*flumine* o.] * [* *aquis* 1 MS. Subaudiendum id est, non addendum.] *sapientiâ?* [*justitia* o. *sapientia* Quentel.] Cæterùm duo ex decem illis Latinis qui novam à *quemadmodum* exordiuntur sententiam, unus Lobiensis Abbatiæ anno Domini 1084 scriptus, alter Magistri nostri Hunnæi, L signatus, ut Græca Aldi & Germanorum antigrapha, secundâ personâ legunt, *Quem, admodum eruditus es in juventute tua, & impletus es quasi flumen sapientiâ*: quem legendi modum Jansenius præfert. Habet certè majorem gratiam hîc incepta ad Salomonem apostrophe, quæ subsequentibus verbis continuatur: sed eam interpretis esse scripturam non ausim asseverare.

Quod sequitur proximè, Græci omnes libri ut Salomonem alloquentis sermonem concorditer scribunt, γῆν ἐπεκάλυψεν ἡ ψυχή σου * [* πᾶσαν R.] *Terram operuit anima tua* * [* *omnem* R.] quibus Latini multi, Parisiensium duo, Hentenii tres, nostri decem (his L. & Lobiensis sunt annumerati) consentiunt. (*Et terram*, scribunt, *retexit anima tua*) sed non omnes. Major enim pars, cum glossematicis, Lyrano, Carensi & Richelio, habet,

Et terram retexit [*respexit* o.] *anima sua.* Porrò quod proximum est, & quæ sequuntur deinceps, tam Latini codices quàm Græci, ut ipsi Salomoni dicta unanimiter legunt. Habet quidem (id quod proximum est) Græca Regis editio, ex Complutensi, καὶ ἐνέπλησε *& replevit*, pro eo quod aliæ, cum Latinis exemplaribus, καὶ ἀνέπλησας *& replesti*; verùm id eodem sensu ad id quod præcessit, ἡ ψυχὴ σου *anima tua*, referri debet.

C. 47. v. 19. *Et in nomine Domini Dei cui* [*cujus* o.] *est cognomen* * - "*Deus* [* *nomen* - o." *Dei* Malm. "*in* o.] *Israel*] Hanc partem multi codices atq; Enarratores præcedentibus jungunt, ut subaudiatur *mirata sunt terræ*, vel, quod Carensi placet, *dilectus es.* Quidam iis quæ sequuntur copulant, ità ut sit novæ sententiæ initium, *Et in nomine Domini - Dei* [Lob.] *cui - est* [Q.] *cognomen Deus Israel, collegisti quasi aurichalcum aurum*, &c. Sic Rabani textus manifestè, & exemplaria, Lobiense, atque id quod Q literâ insignitum est. Utrumque distinguendi modum, ut Latina, Græca lectio patitur: priorem porrò exactissimus Jansenius probat. Obiter hìc annotandum est, multis atque emendatioribus ferè manuscriptis legi, *Et in nomine Domini, cui*, omitti *Dei*, tametsi Græcè addatur. ἐν ὀνόματι Κυρίου τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑπεραίροντος Θεοῦ Ἰσραὴλ scribunt Aldina & Germanica Biblia, nostræ versioni proxima. Regia paulò aliter, ἐν ὀνόματι Κυρίου τοῦ Θεοῦ πάσης τῆς γῆς, τοῦ ὑπεραίροντος σου Θεοῦ Ἰσραήλ.

C. 47. v. 22. *Et in* " *cæteris* * [" *terris* o. * *tuis* o.] *stultitiam tuam*] Ità ferè Latini codices atque Enarratores legunt. Atqui longè aliter Græci; καὶ κατανυγῆναι [κατανύγω Gq.] δὲ τῇ ἀφροσύνῃ [ἐυφροσύνῃ Gq.] σου, *Et compungi* [*compunctus fui* Gq.] *in stultitia* [*lætitia* Gq.] *tua.* Quamobrem videtur depravatus nobis locus: nihil enim simile est τῷ *in cæteris* cum verbo κατανυγῶσι. Episcopus Jansenius, diligens veræ lectionis investigator, unum reperit codicem Magistri nostri Augustini Hunnæi B notatum, qui habet, *Et in cæteris incitari stultitiam tuam*; ex quo legendum colligit, *Et incitari stultitiam tuam*; quòd bene conveniat Græco verbo κατανυγῶσι *incitari.* Existimat *incitari* à non intelligentibus in *in cæteris* fuisse mutatum (*Inducere iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris stultitiam tuam*) ac postea lectionem utramque hoc in libro conjunctam. Quam ejus conjecturam verisimiliorem reddit Lobiense MS. quod *Et in citharis stultitiam tuam* scribit (*in citharis*, quod certum est corruptelam esse, affine est admodum verbo *incitari*) certam verò facit Malmundariense exemplar, quod disertè *Et incitari stultitiam tuam* legit, neque aliud addit.

C. 48. v. 10. *Qui inscriptus - es* [1 MS.] - *in judiciis temporum* [2 MS. - Rabani textus.] *lenire* [*linire* o.] *iracundiam Domini*] Quinque exemplaria nostra, Rabani textu suffragante, legunt *scriptus* pro *inscriptus*; F, O, R, Malmundariense, & Plantini medium: sed pleraque, cum emendatissimis nostræque editionis studiosissimis, Brugensi, Leodiensi, P, Lobiensi, L & Q, *inscriptus* servant. Jansenius *scriptus* præfert, quod Græcanicæ voci καταγραφὴς, quæ est *conscriptus*, vel *descriptus*, magìs conveniat. Atqui parùm hinc *inscriptus* discrepet. Eadem illa quinque exemplaria, quæ *scriptus* legunt, *judiciis*, cum aliis multis habent, adstipulantibus Glossematicis, Lyrano & Carensi. Cæterùm his rursus Brug. Leod. P. Lob. L. & Q. adversantia, *judiciis* retinent, id quod Doctor Hentenius, Parisiensium [Di. o. l. Ge. o. l.] suósque secutus veteres codices, in textum retulit. Jansenius *judiciis* probat, quòd id Græca dictio ἐλεγμοῖς requirat magìs, quam septimo versu superiori ità Interpres transtulit. Significat ἐλέγχειν *corripere, reprehendere, redarguere:* quæ quia ad judicium spectant, transtulit Interpres v. 7. ἐλεγμὸν *judicium*, *Qui audis in Sina judicium:* verùm denotat ἐλέγχειν & *convincere, probare, ostendere:* quare hoc loco ἐλεγμὸν pro *ostensione* potuit accepisse, atque *judicium* vertisse, hoc sensu, Qui propheticis in libris scriptus es, Domini iracundiam in novissimorum temporum ostensione lenitums; vel, Qui adscriptus, qui destinatus, es ad leniendum, cùm manifestabuntur novissimi temporis signa, iracundiam Domini. De Elia est sermo.

C. 49. v. 1. *Memoria Josiæ* [*Josue* o.] *in* " *compositione odoris facta* [*completionem odoriferam* [1 MS. notatum M.] *opus pigmentarii*] *pigmentariis* o.] Multi codices addunt substantivum verbum *est*, *facta est*, quod Græco conformiter emendatissimi quique tollunt. Solùm namque aut *facta* legunt, ut Leodiensis, Malmundariensis, E, Q, Plantini medius, atque is qui à Dominicanis est castigatus; aut *factam*, ut Brugensis atque A; aut *factum*, ut L, O & P, aut denique *facti*, ut Lobiensis & Rabani textus: his enim modis hanc unam vocem correctiores libri variant, quorum quæ germana sit scriptura dictu difficile est. *Facta*, qui primus est modus, ísque celeberrimus, respicit vel ablativum *compositione*, vel nominativum *memoria*, *Facta* aut ad memoriam referendum est (sic enim *memoriam* quarto casu quinque exemplaria, Malmundariense, A, B, M & O, scribunt) aut ad *compositionem*, quomodo habent O, Rabani textus, & Græca. *Factum* cum *opus* jungendum est; *facti* cum *odoris. Facti* Græcè legendum conjicit Pagninus, μνημόσυνον Ἰωσίου εἰς σύνθεσιν θυμιάματος & ἐπιδεσμίδος ἔργου μυρέψου, *Memoria Josiæ in compositionem odoramenti confecti opere unguentarii:* cui conjecturæ suffragari possit Latina versio, Græcæ Basileensium editioni anni 1550. adjuncta, non herì illa nata. *Fabricati*, habet, *opere unguentarii.* Græca Complutensis editio legit ἐπιδεσμίῳ *confecto*, id quod ad ἔργῳ respicit, ut Latinè *factum* ad *opus.* Aldi & Germanorum editiones habent ἐπιδεσμίου (nam corruptè scriptum arbitror ἐπιδεδεσμένου) id quod ad μνημόσυνον refertur. Verti autem potest & nominandi casu *memoria facta*, subaudito *est*, & accusandi *memoriam factam*, subintellecto verbo *celebremus.* Porrò quocunque modo legendum sit, id est quod Autor vult significare, Josiæ regis memoriam similem esse mixturæ odoramentorum unguentarii artificio confectæ, h. e. suavissimum gratissimúmque posteris spirare odorem.

C. 49. v. 7. *Dederunt enim regnum suum alii*] Cardinalis Bessarionis scriptus codex, quem ex majori Lovaniensium Theologorum collegio, in quo adservatur, commodatò accepimus, omittit conjunctionem *enim*, *Dederunt regnum suum aliis*; cui Græca Hispanorum editio suffragatur, ἔδωκε τὸ κέρας αὐτῶν ἑτέροις, *Dedit cornu eorum aliis.* Porrò cætera quibus utimur Latina exemplaria constanter addunt, adstipulantibus Græcis Venetorum & Germanorum Bibliis: quæ eò sunt editioni nostræ propinquiora, quòd ἔδωκαν *dederunt* legant, ἔδωκαν γὰρ τὸ κέρας αὐτῶν ἑτέροις, *Dederunt enim cornu suum aliis.* D. Jansenius tollendum judicat, quòd non aptè præcedentia probet. Atqui non necesse est probandi vim habeat; sæpe Græcis abundat: possit tamen, in Græcis præsertim libris, id probare quod antecedit, *Reges Juda defecerunt.*

C. 49. v. 11. *Benefacere illis qui ostenderunt rectas vias*] Sex manuscripta, Malmundariense, Q, H, A, M, R, cum Rabano enarratore, præfigunt copulativam *Et*, *Et benefacere illis qui ostenderunt rectas vias:* quam addendam Jansenius censet, ut Græcis additur, καὶ ἀγαθῶσαι [καθὼς R. Basileens.] τοὺς εὐθύνοντας ὁδούς. *Et benefaciet* [*direxit* R. Basileens.] (subaudi ex præcedentibus, ἱμνήθη *commemoratus est*, seu *memini*) *rectas facientibus*, vel *corrigentibus, vias.* Verumenimvero notatum nobis est Græco Vaticanæ Bibliothecæ antigrapho deesse &: quod certè & Latinis plerisque, ac quidem editionis nostræ sincerissimis exemplaribus, suffragantibus Carensi & Richelio tractatoribus, deest. Subaudiri, si non legatur, potest.

C. 51. v. 25. *Manus meas extendi in altum, & in sapientia ejus luxit* [*eluxit* o.] *anima mea, & ignorantias meas illuminavit*]

minavit.] Hæc vulgarium codicum ferè est lectio, cujus postremam partem, *Et ignorantias meas illuminavit*, præstantiorum plerique jugulant, non agnoscunt; Brugensis, Malmundariensis, P. (quanquam in margine is legat) O, E, Plantini medius, cum aliis aliquot, A, M, Atrebatensis Collegii sericato. In exemplari V signato notatur superfluere. Franci Dominicani legendam non esse indicant: quibus planè assentior. Est enim ejusdem Græcæ pericopes altera versio, nostræ adjecta, καὶ τὰ ἀγνοήματα αὐτῶν ἐπέγνωσα, quod est ad verbum, *Et ignorantias ejus* (animæ meæ) *animadverti*; versum est secundùm sensum, *Et ignorantias meas illuminavit*, i. agnoscere me fecit, sapientia. Porrò id noster Interpres transtulit, *Et in sapientia ejus luxit anima mea*; verùm sublatis mendis: erronea enim est hæc plerorumq; scriptura. Duo manuscripta, Q & A, legunt, *Et insipientiam ejus luxit anima mea*; duo, P & M, *Et insipientia ejus luxit anima mea*; duo tertiò, Brugense & O, *Et in insipientia ejus luxit anima mea*; duo postremò, Lobiense & L, *Et insipientiam ejus luxi.* L tamen ante *insipientiam* addit *in* præpositionem. [Leodiensis codex posteriorē capitis partem à 21 versu haud agnoscit.] Harum lectionum postrema Græcæ scripturæ convenit maximé; primùm quòd habeat primâ personâ *luxi*, ut est Græcè eadem persona, vel ἐπέγνωσα (sic enim in correctioribus libris scribitur, pro eo quod in quibusdam est ἀνεγνώθησα) *animadverti* seu *intellexi*, vel (quod est in Vaticano codice) ἐπένθησα *luxi* seu *deflevi*; tum quòd non *anima mea* habeat, sed tantùm sequentibus conjunctum *animam meam*, *Et insipientiam ejus luxi. Animam meam direxi ad illam*: sic enim & Græcè legitur, καὶ τὰ ἀγνοήματα αὐτῶν ἐπέγνωσα, ἡ ψυχήν μου κατεύθυνα πρὸς αὐτόν. [Lyranus annotare videtur, *anima mea, & ignorantias meas illuminavit*, non esse in libris correctis.] Cæterùm magìs illis fido codicibus qui legunt, *Et in insipientia ejus luxit anima mea.* Nam & sunt hoc in loco aliis plerisq; conformiores. Videtur ex hac lectione primùm errore omissum alterum *in*, *Et insipientia ejus luxit anima mea*: dein à nonnullis quidem mutatum *insipientia* in *insipientiam*, *Et insipientiam ejus luxit anima mea*; à plerisq; verò vox una *insipientia* in duas distracta, *Et in sapientia ejus luxit anima mea.* Cùm enim arbitrarentur pronomen *ejus* ad *sapientiam*, aut *Deum*, respicere, judicabant *insipientiam* haud convenire. Accessit quòd *luxit* à *lucere* præteritum esse existimarent, quomodo interpretantur Lyranus & Richelius. Atqui à *lugeo* deductum est *luxit*, quemadmodum Hugo Cardinalis exponit: & ad *animam* referendum est pronomen *ejus*, pro cum pro reciproco, *Et in insipientia sua luxit anima mea.* Porrò *animam meam*, quod ante *direxi* ferè legitur, *Animam meam direxi ad illam*, manuscripta, quorum eam quæ nobis probatur esse diximus lectionem, omittunt; quibus P suffragatur. Verisimile est ex ea versione sumptum ex qua, *Et ignorantias meas illuminavit*: sed quia magìs requiri visum fuerit, constantiùs retentum. Hæc igitur, salvâ sententiâ meliori, genuina Vulg. editionis videtur scriptura, *Manus meas extendi in altum, & in insipientia ejus luxit anima mea. Direxi ad illam.* Itaque Interpres Græcè hoc modo habuerit, καὶ τὰ ἀγνοήματα αὐτῆς ἐπέγνων ἡ ψυχή μου κατεύθυνα πρὸς αὐτόν.

NOTATIONES IN ISAIÆ PROPHETIAM.

CAP. I. V. 11.

PLenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.] Ità pleriq; codices legunt. Porrò Parisiensium duo (Ge.p.o.) Hentenii duo, nostérq; unus (Tril.) cum textu Hieronymi Commentariis adjuncto, habent, *Plenus sum holocausto arietum & adipe pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* Alter ex nostris, E literâ insignitus, scribit; *Plenus sum holocaustis arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* Alius M. notatus, *Plenus sum holocausto arietum, & adipe pinguium, & sanguine vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* [*Holocaust.* Hebræis, Græcis & Chaldæis multitudinis numero legitur.] Quatuor his modis ut Latinè legitur, sic verti ex Hebræo potest. Quarto modo Chald. Paraph. transtulit; tertio Græci sunt interpretati; secundo Latinorum neotericorum nonnulli, Hebræorum distinctionem secuti, reddiderunt; primo alii Latinorum neotericorum [Pagninus, Forerius] convertêre, &, quod opinor, Vetus noster Interpres. Neq; enim pleriq; tantùm codices, verùm etiam castigatissimi ferè quique, ad eum scribunt modum: quibus adstipulantur Tractatores, Richelius, Carensis, Lyranus, Thomas, Haymo, atq; adeò, quem nostræ versionis autorem crediderim, Hieronymus. Etsi enim textus commentario adjunctus, sicut antè notavimus, legat; commentarius tamen, τὸ *plenus sum*, ut per se positum, exponit, *nullâ re indigeo.*

C. 1. v. 12. *Cùm veniretis ante conspectum meum.*] Quædam exemplaria, Parisiensium duo, (Vet. Ge. p. Compl.) Hentenii tria, nostra novem, *veneritis* pro *veniretis* legunt. Hebræa utramque lectionem patiuntur (quanquam ut ad verbum, *cùm venietis*) cæterùm ut pleraq; ità & integriora nostra, vulgatæ editionis manuscripta (Brug. Leod. Lob. P, O, L.) cum Haymone enarratore, *veneritis* probant. Hieronymi commentariis junctus textus *veneritis* legit, nectítque partem istam iis quæ præcedunt, *Nolui, cùm veneritis ante conspectum meum*; cui distinctioni meliùs *veniretis* cōveniat: indicat tamen suo scribendi modo alterā distinctionem, eam quæ sequentibus hanc partem copulat, ità ut sit duodecimi versûs initium, quæ celebrior est.

C. 5. v. 9. *In auribus meis sunt hæc, dicit* [*ait* 1 MS.] *Dominus exercituum.*] Hebraicè non est verbum *dicit*; tantùm באזני יהוה צבאות, *In auribus meis Adonai Sabaoth.* Quidam subaudiunt *dicit*: sic enim Pagninus vertit, *In auribus meis sunt, dicit Dominus exercituum.* Porrò Hieronymus transtulit, *In auribus meis sunt hæc Domini exercituum. Pro eo*, inquit, *quod nos juxta Hebraicum vertimus*, In auribus meis sunt hæc Domini exercituum, *i. verba quæ locutus est Dominus adhuc resonant in auribus meis, Lxx transtulerunt*, ἠκούσθη [Hieronymus non transfert] εἰς τὰ ὦτα Κυρίου σαβαὼθ ταῦτα, [Posset de Judæorum quæ præcedunt iniquis studiis intelligi LXII translatio, quo modo Cyrillus intelligit.] *i.* Audita sunt hæc in auribus Domini Sabaoth. *Non quòd Propheta verba Domini audierit, sed in auribus Domini audita sint quæ propheta dicturus est: cùm consequentius sit intelligere, audisse prophetam quæ Dominus sit locutus. Dominus autem locutus est quòd post captivitatem domus magna atque pulcerrima deserta futura sint, non habentes habitationem.* Hæc Hieronymus; quibus suam ipse indicat, explanat, probátque interpretationem. Hoc autem quo Hieronymus interpretatus est modo, *In auribus meis sunt hæc Domini exercituum*, [*Domini exercituum*, hæc sunt Pl.m.] legunt antiqui Epanorthotæ, codices. Habent similiter antiqui & probati nostri, Brugensis, Leodiensis, Lobiensis, P, O, L, cum aliis octo: quibus volunt Expositores, Haymo Halberstattensis & Hugo Carensis. Parisienses ex suis veteribus exemplaribus Di. o, l. Ge. o. l. v. p. hunc ad modum correxerunt. Ante hos eundem ad modum Dominicani in Francia castigarunt. Quare dubium esse non potest quin vera ea sit nostræ editionis lectio.

C. 6. v. 1. *Et plena - erat* [10 MS. G.] *domus à majestate ejus, & ea quæ sub ipso* [*eo* MS.] *erant replebant* [*implebant* MS. antiquiora, Hieron.] *templum.*] Priorem partem, *Et plena erat domus à majestate ejus*, spectatora exemplaria, Hieronymi & Haymonis commentariis suffragantibus, auferunt; decem nostra, quinque Parisiensium, correcta Lyrani, antiqua Dominicanorum. Lugdunenses & complures alii quibusdam haud legi notant. Nec mirum: est enim altera ex Hebræo interpretatio,

noſtræ adjecta. Quod eſt Hebraicè ושוליו מלאים את ההיכל, Hieronymus quidem Interpres noſter, Theodotioni & Symmacho ſimiliter, tranſtulit, *Et ea quæ ſub eo erant implebant templum*; Lxx verò interpretati ſunt, καὶ πλήρης ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ, *& plena domus gloriâ*, ſeu *majeſtate, ejus*. Meritò igitur prætermittendam Dominicani atque Epanorthotes docent; rectéque Hentenius textu expulit. Neque enim commiſcendæ ſunt variæ interpretationes. Quidam codices eorum qui utramque lectionem jungunt, legunt, *& plena erat terra*, ſeu, *omnis terra, majeſtate ejus*, id quod acceptum crediderim ex Reſponſorio, quod Eccleſia primum canit in officio matutino Dominicæ primæ Novembris, & ſolennitatis omnibus Sanctis ſacræ. Jonathæ Chaldæi paraphraſis perſimilis eſt Septuaginta duorum verſioni, ומלוי יקרה אתמלי היכלא *& de ſplendore gloriæ ejus replebatur templum*. Alii plerique reddunt, *Et fimbriæ ejus*, vel, *inferiores veſtis partes, replebant templum*.

C. 7. v. 14. *Et vocabitur nomen ejus Emmanuel.*] Sic plerique codices legunt. Tres Pariſienſium, ſex Hentenii & tres noſtri ſcribunt *vocabitis*. Rurſus ſeptem Hentenii & quatuor noſtri habent *vocabis*. Hebraicè eſt קראת, quod ſi legas, ut in punctatis ferè eſt libris, קָרְאַת, eſt vel *vocabis* (nam præcedens conjunctio præteritum convertit in futurum) in feminino genere, vel, accepto ת loco ה, *vocabit*, eodem genere. Si קָרְאָת legas, quod ſcribunt quidam in emendatioribus Hebræorum libris legi, eſt *vocabis* maſculino genere. *Vocabis* igitur, inter illas Latinorum codicum lectiones, Hebræo conformior eſt. Hieronymus, poſt Interpretes Lxxii & Aquilam, Symmachum ac Theodotionem, *vocabis* reddidit. *Quódque ſequitur*, habet in commentariis, Et vocabis nomen ejus Emmanuel, *& Lxx & tres reliqui ſimiliter tranſtulerunt*; *pro quo in Matthæo ſcriptum eſt* c. 1. v. 23. vocabunt, *quod in Hebræo non habetur. Ergò iſte puer qui naſcetur ex virgine, ô domus David, nunc à te appelletur* Emmanuel *i.* nobiſcum Deus, *quia rebus ipſis probabis, à duobus inimicis regibus liberata, Deum te habere præſentem: & qui poſtea vocabitur* Jesus, *i.* Salvator, *eò quòd hominum univerſum genus ſalvaturus ſit, nunc à te* Emanuelis *appelletur vocabulo. Verbum* קראת, *quod omnes interpretati ſunt* vocabis, *poteſt intelligi &* vocabit, *quòd ipſa ſcilicet virgo quæ concipiet & pariet hoc Chriſtum appellatura ſit nomine. In multis teſtimoniis quæ Euangeliſtæ vel Apoſtoli de libris veteribus aſſumpſerunt, curioſiùs attendendum eſt, non eos verborum ordinem ſecutos eſſe, ſed ſenſum. Unde & in præſenti loco pro* concipiet in utero *Matthæus poſuit* in utero habebit; *& pro* vocabis, vocabunt. Hæc Hieronymus, cujus hodie encomiis Catholicorum per orbem ſaciæ ædes reſonant. Hieronymus ut vertit, ſic ex præſtantiſſimis noſtris MSS. exemplaribus, Brugenſe, Lobienſe & O legunt: quibus antiqua Epanorthotæ & antiqua Dominicanorum conſonant. Itaque genuina eſt procul dubio noſtræ editionis ſcriptura, *Et vocabis nomen ejus Emmanuel*; non *vocabitis*, non *vocabitur*, nec, quod Carenſis legit, *vocabit*. [Santes Pagninus Paraphraſticè tranſtulit, *Et vocabis tu mater nomen ejus Himmanuel.*] Veriſimile eſt, quia dicit Hieronymus *vocabit* ex Hebræo intelligi poſſe, fuiſſe id in aliquorum primùm librorum marginibus annotatum, ac tandem in aliquorum textum relatum. Cæteroqui ego nullis in libris inveni, niſi in impreſſis duobus, quorum unum Pariſienſis typographus, alterum Clarius, ſuo ſæpe pro arbitrio, emendarunt. Notant quoque Dominicani & Interlinearis gloſſa, *Aliàs, Vocabit:* verùm an ex Latinis exemplaribus, an ex ambiguo Hebræo, addubito: attamen certum eſt non eſſe verſionis Vulgatæ. Porrò Hebræorum doctores, Pagnino teſte in Theſauro linguæ ſanctæ, Abraham, David & Selomoh, *vocabit* intelligunt: ſubaudiúntque *puella* (id enim, quâ ſunt impietate, malunt intelligere quàm *virgo*) vel *Spiritus ſanctus*; nam & Spiritûs ſancti nomen Hebræis eſt femininum. Poſſet fidelium congregatio ſubaudiri, in quem fortè ſenſum Euangeliſta accepit. Chaldæus Paraph. tranſtulit תקרי, quod quidem *vocabit* redditur, ſed anceps eſt ad tertiam femininam & ſecundam maſculinam perſonam.

C. 9. v. 14. * *Incurvantem* [* *Et* o.] *& refrænantem,*] Non pauci codices *depravantem* legunt pro *refrænantem*, quibus D. Hieronymi commentarius adſtipulatur: cæterùm vetuſtiſſimi atque emendatiſſimi quique *refrænantem* habent, nec noſtri tantùm, verùm & Pariſienſium atque Epanorthotæ. Duo, E. & Pl. m. utrumque connectunt: *Incurvantem* [*Non curvantem* Pl. m.] *& depravantem & refrænantem.* Notat Epanorthotes quoſdam pro *refrænantem, depravantem* poſuiſſe, propter Hieronymi retractationem; ſicut infrà, c. 19. v. 17. *in pavorem* pro *in feſtivitatem.* Hieronymus, hoc caput enarrans, non meminit hujus *refrænantem*; ſolummodo legit atque exponit *depravantem.* Cæterùm in 19. ſcribens caput l. 5. Commentariorum, ubi id ipſum legitur v. 15. annotat hunc in modum; *In eo quoque quod nos tranſtulimus*, Incurvantem & refrænantem, *poſſumus dicere* Incurvum & laſcivientem, *ut intelligamus ſenem & puerum. Nos autem verbum Hebraicum* אנמן, *dum celeriter quæ ſcripta ſunt vertimus, ambiguitate decepti,* refrænantem [referentem o.] *diximus, quod ſignificantius Aquila tranſtulit* ϛρεβλόντα, i. *qui nihil rectè agit, ſed omne perverſum, ut puerum ſignificaret.* Videtur igitur in commentariis 9. capitis, quod ibi ſimiliter verterat *refrænantem*, latenter correxiſſe, aut mutaviſſe in *depravantem.* Veruntamen, quod diximus, optimi quique libri *refrænantem* ſervarunt, ac cap. 19. non optimi tantùm, ſed etiam plerique omnes. Nullum ibi nos invenimus librum qui legat aliter; tantùm ab Epanorthote notatum, * *Propter quod quidam ponunt ibi* Incurvantem & depravantem: ſimiliter & ſuprà 9. Eodem 19. capite quod reddiderat Hieronymus *in feſtivitatem*, correxit dum commentaria ſcriberet *in pavorem*: & multi quidem codices ità legunt, ſed antiquiores & caſtigatiores *in feſtivitatem* retinuerunt. Poſtea igitur, dum in Hieronymi commentariis lecta hæc atque obſervata fuere, facta mutatio eſt, *refrænantem* in *depravantem, feſtivitatem* in *pavorem*: quam ſi ſequi voluerimus, quæ à ſe verſa editionis noſtræ autor caſtiganda duxit immutabimus. נפה ואנמין, quod eſt Hebraicè pro *incurvantem & depravantem*, plerique hodie quoad verba ipſa reddunt, *ramum & juncum.* Chaldæus interpretatus eſt שלטן ואטרין *dominatorem & principem*; Lxx nono quidem capite, μέγας καὶ μικρὸν *magnum & parvum*, 19 verò ἀρχὼν καὶ τέλος *principium & finem*: quos poſteriori loco Symmachus eſt ſecutus, teſte Hieronymo in 7 Commentariorum libro. *Pro* principio, *ait, &* fine, *quod Symmachus & Lxx tranſtulerunt* (ἀρχὼν καὶ τέλος) *Theodotio more ſuo ipſa verba Hebraica poſuit* כפה ואנמין, *quod Aquila interpretatus eſt* incurvum atque perverſum.

C. 17. v. 11. *In die* * *plantationis* [* *illo* o.] "*tua labruſca*, ["*ſua* o. *Lambruſ.*] Quædam exemplaria *labruſca*, quædam *labruſcas* legunt. Hebraicè eſt תשגשני, id quod verbum eſſe Hebræi docent. Lxx interpretes πλανηθήσῃ *errabis* tranſtulere; neoterici *creſces*, vel *creſcere facies*: nam שגה ſi punctum dextro cornu literæ ש inſideat, *errare, ignorare*; ſi ſiniſtro, *creſcere, multiplicare*, ſignificat: eſt autem illud verbum à שנה duplicatum. Nonnulli itaque exiſtimant corruptam eſſe noſtræ editionis lectionem, ac pro *labruſca* aliud quid legendum. Franciſcus Raphelengius legendum conjiciebat *labaſces*; certè dextré: id enim ut voci *labruſcas*, ità ſignificationi dictionis שגה perquam propinquum eſt, multúmque cum Lxxii interpretatione conveniat. Atqui dum Hieronymi commentarium lego, tum quinto tum ſeptimo libro, non aliud queo colligere quàm *labruſcam* ab eo tranſlatam. Suſpicatus primum fui, duntaxat explicationis ergô *labruſcæ* eum feciſſe mentionem: ſed non

non id ausim asserere. Fortè igitur sensum volens, non verbum ipsum, reddere, *labruscam* vertit: nam si cum LXXII verbum ipsum *errabis* transtulisset, sensus fuisset, Vitis tua optima in labruscam degenerabit; labruscam non uvam quam exspectaveras vindemiabis. Porrò si *labruscæ* nomen transtulerit, ambiguum, ob emendatiorum librorum varietatem, est, primòne singularis numeri casu *labrusca*, an quarto pluralis *labruscas* dixerit. Epanorthotes antiquis suis vulgatæ editionis codicibus *labruscas* attribuit: quibus ex integrioribus nostris Brugensis D. Donatiani & O Hunnæi consentiunt; sed plures, cum D. Hieronymi textu & Haymone atque Hugone, *labrusca* scribunt. Cæterùm sensus idem est, utrovis legas modo; si *labrusca*, subaudi *nascetur*, si *labruscas*, supple *plantabis*.

C. 18. v. 5. *Ante messem enim totus* [*ortus* o.] *effloruit*] Bibliorum editiones Moguntinensis & Colonienſis anni 1479. futuro tempore *efflorebit* legunt: cæteri autem nostri libri, & impressi & scripti, *effloruit* retinent; quibus Hebræa suffragantur: nam פרח, si ut verbum accipias, præteritum est, non futurum.

Quod sequitur, *Et immatura perfectio germinabit*; non pauci codices præterito tempore *germinavit* scribunt, ità ut ei quod præcedit tempore respondeat. Verùm emendatiores, Brugensis, Leodiensis, Lobiensis, O, P, L, & antiqui Epanorthotæ, *germinabit* habent; id quod Hebræo consonat, יהיה נצה *erit erumpens*. Quomodo nostra hujus loci versio Hebraicæ scripturæ conveniat, ostendit Franciscus Forerius.

C. 18. v. 2. - *Ad* [25 MS. H, G, C.] *gentem exspectantem & conculcatam* [*conculcantem* o.] Manuscripta Parisiensium quatuor (Di. o l. Ge. o l.) Hentenii quatuor, nostra octo (Brug. Leod. O, P, Q, &c.) repetunt *exspectantem*; *Gentẽ exspectantem* * *exspectantem* [* & o.] *& conculcatam*; qua in re eis Hieronymi & Haymonis commentaria adstipulantur. Adstipulantur & Hebraica: iterum enim eandem vocem legunt (נוי קו קו ובוסה) quam plerique quidem hodie *lineam*, noster verò interpres *exspectantem* reddidit, quòd קוה, à quo derivatur, *sperare*, *exspectare* significet. LXX transtulerunt ἔθνος ἀνέλπιστον καὶ καταπεπατημένον *gentem sine spe (desperatam) & conculcatam*. Videntur intellexisse, *Sperantem*, *sperantem nec consequentem*; multùm diúque exspectantem, nec accipientem.

Versu 7. quo eadem penè leguntur quæ secundo, plura exemplaria repetunt *exspectante*, *A gente exspectante exspectante, & conculcata* [*conculcante* o.] & quidem eadem omnia nostra quæ priori loco *exspectantem* repetunt, uno P excepto. Suffragantur hìc similiter Hebræa, Haymo & Hieronymus. *Septuaginta*, inquit Hieronymus, *pro eo quod nos diximus* exspectante exspectante, *& in Hebraico scriptum est* קו קו sperante sperante, *è contrario interpretati sunt* ἀνέλπιστον, *i.* non sperantem. Nostri hodie Græci libri, Græco autore Cyrillo adstipulante, priori solùm loco ἀνέλπιστον legunt: posteriori ἐλπίζον *sperans*, idque semel duntaxat, scribunt. Porrò nobis iterandum esse participium *exspectans*, & posteriori & priori loco, crissimo ea quæ attuli comprobare: atq; id censuit Adamus Sasbout, olímq; in Francia Dominicani judicarunt.

C. 20. v. 4. *Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, juvenem & senem, nudam & discalceatam.*] Perperàm scripserunt quidam *Babyloniæ* pro *Æthiopiæ*. Porrò quod sequitur, rectiùs id nonnulli *juvenum & senum* scripsere, quàm ut plerique, *juvenem & senem*. Primùm enim sunt concorditer Hebræis, Græcis & Chaldæis pluralis numeri nomina. Tum veriora Latinorum exemplaria *juvenum & senum* legunt, pluralis numeri secundo casu: id quod Epanorthotes quidem ex suis, nos ex nostris codicibus (Brug. Leod. Lob. O, P, A.) animadvertimus, quibus adstipulatur Hieronymi commentariis & quinti & septimi libri junctus textus. Quia verò illud in *juvenem & senem* mutatum fuit, hâc occasione & quod subsequitur, *nudam & discalceatam*, cum *nudum & discalceatum* est mutatum: sic enim, masculino inquam genere, habent unus Hentenii, duo nostri (Q, V.) & quatuor Parisiensium (Vet. Di. l. Ge. o. p. V.) codices. Cæterùm pleraque antigrapha, & quidem quæcunque *juvenum & senum* scribunt, *nudam & discalceatam* feminino genere retinent, quod ad *transmigrationem* & *captivitatem* referendum est. Atqui videntur eò Hebræa referri non posse. Nam ערום ויחף masculini sunt generis; גלות verò quod proximè antecedit, feminini. Hinc verunt plerique hodie, quod per se ponatur, *nudum & discalceatum*. Verùm non per se id posuisse Propheta videtur, quasi significarit inter eos qui ex Ægypto atque Æthiopia captivi ducendi essent, nudos quosdam & discalceatos fore: sed toti Ægyptiorum atque Æthiopum captæ multitudini attribuisse, *nudam & discalceatam* ab Assyriis abduci. Porrò autem adjectivum & substantivum non semper Hebræis genere conveniunt. Cæterùm etsi גלות, quod *transmigrationem* denotat, feminei generis sit, שבי, quod *captivitatem* significat, masculei est: quare Hebraicus Scholiastes *nudam & discalceatam* vertit, *& refert*, inquit, *captivitatem*. Chaldæus & Græci interpretes sensum magis quàm verba secuti transtulerunt, *Juvenes & senes nudos & discalceatos*.

C. 22. v. 8. - *Et* [o.] *videbitis in die illa armamentarium* [*armentarium* o.] *domûs saltûs.*] Moguntina & post eam aliæ haud paucæ typographorum editiones, cum Haymone enarratore, *videbitis* habent. Porrò MSS. pleraque omnia, cum Richelio, Carensi, Lyrano, &, quod ex 7 commentariorum libro perspicuum est, Hieronymo, singularis numeri lectionem, *videbis*, probant. Eandem Hebraica probant: legunt enim וחבט, quod est, *& videbis*, vel, *& vidisti*, masculino genere. Eam ipsam lectionem probarunt & castigatores, Dominicani, Parisienses, Hentenius.

C. 27. v. 6. *Qui ingrediuntur* * *impetu* [* *in* o.] *ad Jacob.*] Exemplarium quædam *ingrediuntur*, quædam *ingredientur*, quædam *egrediuntur*, quædam *egredientur*, legunt. Rursus quædam *ad Jacob*, quædam *ab Jacob*, quædam *à Jacob* scribunt. Genuina lectio discerni haud facilè potest, quòd præstantiora etiam exemplaria varient. Cæterùm tempus præsens in plerisque omnibus præstantibus exemplaribus lego: & quidem *egrediuntur*, cùm in quinque præstantibus exemplaribus, tum in textu Hieronymi commentariis juncto, reperio: atque apud Hebræos præsentis temporis participium באים, quod est, *venientes*, invenio. Deinde in quinque emendatis codicibus *ab Jacob* deprehendo, ut in Hieronymi textu *de*. Videri itaque possit vera esse lectio, *Qui egrediuntur impetu ab Jacob*, quam habent, eo undequaque modo, lectissima MS. E, Brugense & Plantini medium. Fortè primùm *ab* in *ad*, postea etiam *egrediuntur* in *ingrediuntur*, mutatum fuit. Verùm undenam τὸ *impetu* legitur, cùm Hieronymi textus habeat *radice*, *Qui egrediuntur de radice Jacob?* sic enim & Hieronymum scripsisse satìs loquitur commentarius, *Qui in excelsis*, vel, ut Sasbout legendum putat, *Qui egredientes fuerint de semine Jacob, & in Apostolicam pervenerint dignitatem.* An fortè, ut & aliàs nonnunquam, alio atque alio modo Hieronymus est interpretatus, primùm *impetu*, postea, dum scriberet commentaria, *radice?* [Richelius utrumque & legit & exponit. Uni codici *in impetu* cum *de radice* mutatum fuit.] Sed unde *impetu* verti potuit? שרש enim, unde est verbum ישרש, quod Hebraicè legitur, *radicem*, minimè verò *impetum* significat. Forerius existimat ישרש in secunda conjugatione acceptum, in qua *eradicare* denotat; ac pro *Egredientes eradicabitur Jacob*, dictum, *Qui egredientur impetu à Jacob.* Hebræa sic habent הבאים ישרש יעקב, id quod ad verbum reddas, *Venientes radicabit Jacob.*

Lxx transtulerunt οἱ ἐρχόμενοι τέκνα Ἰακώβ, *Venientes filii Jacob.*

C. 27. v. 8. *In mensura contra mensuram, cùm abjecta* [*adjecta* o.] *fueris* *, [**vinea mea* o.] *judicabis eam.*] Multùm hoc loco fallitur Adamus Sasbout, qui quod legitur, *cùm abjecta fuera*, non esse in Hebræo notat, & dubium an aliquis studiosus ex commentariis Hieronymi textui adjecerit. Nam quod est Hebraicè בשלחה, atque ad verbum vertas *in dimittendo eam*, reddidit Interpres noster Hieronymus, *Cùm abjecta fuerit*, quod omnes Enarratores agnoscunt, & codices omnes legunt. Existimavit vir bonus quod Hieronymus vertit, *Contra mensuram*, ei respondere in Hebræo quod alii vertunt, *in emissione ejus:* cùm hoc quidem ex eo translatum sit ex quo Hieronymus transtulit, *cùm abjecta fuerit*, nimirum ex בשלחה; illud verò cum eo quod præcedit, *In mensura contra mensuram*, ex hoc בסאסאה, quod alii tantùm *In mensura* interpretantur. Hinc error. Hieronymus dixit *In mensura contra mensuram*, vel quòd vox סאה, quæ *mensuram* significat, in illo verbo duplicetur, quasi esset, *In mensura mensura*, vel quòd sensum non verba solùm transferre voluerit. Pro *judicabis* multi libri, cum Hugone Carensi, *judicabit* legunt. Lobiense MS. cum Haymone Halberstattensi, *judicabunt* habet. Antiqui verò Epanorthotæ codices, atque ex nostris Brugensis, Leodiensis, P & Q, cum aliis aliquot, *judicabis* retinent: quibus Hieronymi textum adstipulari etiam Epanorthotes annotavit. Adstipulatur & Hebraicus textus: nam תריב secundæ personæ est, non tertiæ, nisi feminino genere, quod, cùm ad Deum respiciatur, loco non convenit. Existimarim *judicabis* in *judicabit* versum, cùm quòd compendiò scripta fuerit ultima syllaba, tum quòd mutata persona sequatur, *Meditatus est in spiritu suo*, &c.

C. 35. v. 4. *Dicite pusillanimis, Confortamini & nolite timere*] Manuscripta exemplaria pleraque, etiam integritate veneranda, *pusillanimes* legunt: & quædam quidem ei quod sequitur jungunt, *Dicite, Pusillanimes confortamini*; ea quæ Richelius & Carensis secuti sunt, ad quem modum Græca translatio habet, *Pusillanimes mente sitis robusti*, sine *dicite:* quædam ei quod præcedit copulant, *Dicite pusillanimes*, aut, quod in multis est, errore manifesto, *Discite pusillamines, Confortamini.* Hentenius & Parisienses *Pusillanimis* correxere: sic enim Hieronymus transtulit, dandi casu, non vocandi, *Dicite pusillanimis* (sive *meticulosis*) *Confortamini*; quo modo Hebraicè est אמרו לנמהרי לב חזקו: ea enim Hebræorum distinctio est, atque is primùm obvius sensus: possit tamen, ut altera habet lectio, verti, *Dicite, O pusillanimes, confortamini.* Porrò ut Hieronymus transtulit, *pusillanimis*, legunt codices manuscripti, S. Germani parvus & Lobienses, insignes illi; impressi, Moguntinus, Nurenburgensis, Colonensis, Quentelianus, Complutensis, atque ex hoc Regius. Inter Enarratores legit hunc ad modum Haymo. Carensis, *Andreas*, inquit, *dicit* pusillanimis. Crediderim *pusillanimis* in *pusillanimes* mutatum, quòd primus singularis numeri casus esse putaretur, itaque non convenire aut ei quod præit *dicite*, aut ei quod sequitur *confortamini.* Conjunctionem & quæ subjungitur, *& nolite timere*, decem nostri, quinque Hentenii, quatuor Parisiensium, & antiqui Epanorthotæ codices, Hebræo Græcóque conformiter, tollunt: quâ omissâ plus certè habet efficacitatis isthæc pusillanimorum confortatio.

Quod subsequitur, *Ecce Deus vester*, ac paulò pòst, *Et salvabit vos*, multi codices primâ personâ legunt, *Ecce Deus noster, Et salvabit nos.* Utramque lectionem exponit Hieronymus, maximè quoad posteriorem partem: sed hanc quidem, primæ, inquam, personæ, Lxxii tribuit, quæ & hodie Græcorum est antigraphorum, ἰδοὺ ὁ θεὸς ὑμῶν, καὶ σώσει ὑμᾶς, quomodo & apud Justinum legitur, dialogo cum Tryphone: illam verò, *vester, vos*, ipse ex Hebræo convertit (sic enim Hebraici, necnon Chaldaici, codices habent) quam retinent antiqui Epanorthotæ libri, vetustiores nostri, & inter posteriores Tractatores Haymo. Eam à se probatam Hentenius & Parisienses in textum recepere.

C. 38. v. 14. *Domine, vim patior, respondе pro me*] Duo Parisiensium codices, Vet. Ge. p. & Comp. legunt *sponde* pro *respondе.* Ad eum modum ex nostris codicibus nonnulli emendati sunt, nonnulli in margine scribunt. Ad eundem modum Lyranus in correctis esse libris docet: vitiosè enim excusum *respondе* pro *sponde* circumstantia testantur. In glosta Interlineari scriptum est, *Vel, sponde*, idem est. Annotant Dominicani & Epanorthotes, secundùm Haymonem & Hieronymum legendum *sponde.* Haymo utramque lectionem explicat: expositò primùm *sponde*, subnectit, *vel ità, ut quidam codices habent, Si quid erravi, ut convertar ad melius, tu* respondе pro me, *i. sis mihi quasi fideijussor, & accipe me in fide & protectione tua.* Apud Hieronymum non invenio *sponde*: tam in commentariis quàm in textu est *respondе:* & usque adeò non evincit Hieronymi commentarius *sponde* legendum esse, ut Haymo alteram explicaturus lectionem, *respondе*, Hieronymi commentario sit usus, qui hoc habet modo, *Sed & si quid erravi, convertar ad melius, tu respondе pro me.* Plerique omnes libri, tum scripti tum impressi, *respondе* habent. Hebraicè est verbum ערב, quod *fidejubere* seu *spondere* significat. Quare in retinendum est *respondе*, pro simplici *sponde* accipiendum est: id quod Epanorthotæ probatur, cujus hæc animadversio est; Sponde *secundùm Hebræum, & Hieronymum, & Haymonem*; *sed secundùm antiquos* respondе pro me, *quæ est litera communis: & videtur* respondе *accipi pro* sponde *juxta usum.* Eo autem verisimilius fit versum esse *respondе*, quòd huc respectans, probabile est, deincops verterit Interpretes, *Aut quid respondebit mihi cùm ipse fecerit?* quanquam non sit idem utrobique in Hebræo verbum.

C. 38. v. 15. *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit?*] Christophori Plantini MS. quod angustum nominamus, *Aut respondebit mihi* habet: omittit, tametsi in margine sit notatum, posterius *quid*, quod Hebraicè quidem non legitur; sed cùm in plerisque omnibus sit nostræ editionis exemplaribus, puto esse ab Interprete, ut clarior esset sententia, repetitum. Nonnulli scripsere, *Aut quis respondebit mihi*, quod Interpretis non est: corrigens enim, Interpretis sententiâ, Ezechias quod Deo dixerat, *Respondе pro me*, ait, *Quid respondebit pro me Deus, qui ipse fecit?* Codex unus habet, *Aut quis respondebit tibi*, duplici mendo. Complura exemplaria *fecerim* pro *fecerit* legunt, *cùm ipse fecerim*, 18 Hentenii, viginti octo nostra; quibus vult D. Bernardus sermone in Cant. 81. Porrò antiqua Dominicanorum antigrapha, antiqua Epanorthotæ, & nostra aliquot, *fecerit* tertiâ personâ servant: quibus S. Hieronymus adstipulatur, *Rursúmque*, ait, *in se revertitur; Quid dicam, quidve causabor contra te factorem meum? aut quid mihi respondebit qui fecit ipse quod voluit? Sustinenda ergò sunt quæcunque decreverit.* Consonant posteriores Enarratores, Haymo, Glossæ ordinariæ Autor, Thomas, Lyranus, Richelius. Carensis utrumque exponit. Suffragantur Hebraici libri, quibus legitur והוא עשה *& ipse fecit:* & Chaldaica paraphrasis אסגי וגו' [והוא] והוא *& ipse* [*& ecce* R.] *multiplicavit beneficia ad conferendum in me.* Consentit Lxxii translatio, quæ in Hieronymi quidem Latinè, in Bibliorum autem Complutensi & Regia editione Græcè & Latinè habet, καὶ αὐτὸς ἐποίησε *& ipse fecit.* Vaticanus codex, ut nobis quidem signatum est, scribit καὶ αὐτὸς ἐποίησας, *& ipse fecisti.* In Aldino, Argentoratensi & Basileensi exemplaribus pars ista desideratur.

C. 38. v. 15. *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*] Exemplar M. N. Hunnæi L. literâ notatum, habet *reputabo*, quæ Hieronymi commentantis scriptura

ſcriptura eſt. Haymo ad eundem modum exponit τὸ *Recogitabo.* Plurimi codices addunt pronomen *tibi, Recogitabo tibi omnes*, &c. quod quidem etiam Haymo legit: ſed Hieronymus haud agnoſcit. Antiqui Epanorthotæ libri, ſex Stephani, & ſedecim noſtri, jugulant: quibus Hebræa patrocinantur. Quare caſtigatores, Dominicani, Hentenius & Pariſienſes meritò textu expulere.

C. 38. v. 16. *Domine, ſi ſic vivitur*] Ità codices plerique legunt. Porrò quidam omittunt *ſi*, habent *Domine, ſic vivitur*, antiqui Epanorthotæ, duo Hentenii, tres Pariſienſium Vet. Ge. o. l. m. duo noſtri Pl. m. Leod. In patrum Hieronymi & Haymonis enarrationibus legitur *ſi ſic*; verùm niſi *ſi* tollatur, non ſatis aptè conſtant. Hæc Hieronymi enarratio eſt, *Et quia jam ſecutus eſt, nec patitur ipſa refert, de humano ſtatu philoſophatur, & dicit*, Domine (ſi) ſic vivitur, *& tali ſumus conditione generati*; corripuiſti me, ſed vivificaſti me. Ita Haymonis; *Nihil tamen novum, nihil accidit mihi contra naturam humanæ fragilitatis; quia* (ſi) ſic vivitur, *i. tam fragilis & caduca eſt humana fragilitas. Et in talibus eſt vita ſpiritûs mei*, i. tali ſum ego, atque omnes homines, conditione generatus: Et per tuam gratiam, delinquentem *corripies me*: quia, quis eſt filius quem non corripit pater? & per gratiam eandem *vivificabis me*, reddendo vitam cum ſanitate. Videtur & Dionyſius Richelius, quanquam recentior, ſolummodo *ſic* legiſſe. Carenſis hujus lectionis meminit. Hebraicè eſt אדני עליהם יחיו, quod hodie ferè vertunt, *Domine, ultra hos* (ſcilicet annos) *vivent*. Noſter Interpres intelleXiſſe videtur, *Domine, in his*, vel *cum his, vivent* (ſic enim vertas licet) i. In hujuſmodi afflictionibus & miſeriis hominis vita agitur: id quod ſit, non *Domine, ſi ſic vivitur*, ſed *Domine, ſic vivitur*, quem legendi modum probant Forerius, Janſenius, Pariſienſes & Epanorthotes. *Secundùm Hebraum*, notat Epanorthotes, *& antiquos*, Domine, ſic vivitur: *non eſt ibi*, ſic ſic, *vel*, ſi ſic. Domine, ſic ſic vivitur, cujus inſuper lectionis Epanorthotes meminit, legunt 4 ex noſtris codicibus, ſed minimè præſtantes illi.

C. 40. v. 2. *Quoniam completa eſt malitia ejus*] Pro *malitia* Hebraicè eſt צבא, quod *militiam* ſignificat. Ea vox eſt ex qua Job. 7. 1. legimus, *Militia eſt vita hominis ſuper terram*; rurſus, ex qua tot, quot numerari vix poſſint, locis tranſlatum eſt, *Dominus exercituum*. Quare exiſtimant ſcriptores ætatis hujus multi *militia* nobis, non *malitia*, legendum eſſe; Santes Pagninus in voce צבא, Iſidorus Clarius, Leo Caſtrenſis. Hector Pintus addit, ità nonnullos correctiores codices habere. Adamus Sasbout unum eſſe apud Latinos exemplar dicit quod pro *malitia, militia* habeat. Nos ex noſtris exemplaribus nullum quod *militia* legat invenimus; tantùm in uno, Cardinalis Beſſarionis quondam, *malitia* in *militia* mutatum, atque in margine, *Rectè eſt, militia*, ſcriptum obſervavimus. Ex Hieronymi commentariis nihil liquet. Poſteriores gloſſematici, Haymo, Gloſſæ Ordinariæ Autor, Thomas, Lyranus, Carenſis, Richelius, *malitia* legerunt. Videri poſſit *militia*, ſcribarum audaciâ, cum *malitia* mutatum fuiſſe, propter ea quæ ſequuntur, *dimiſſa eſt iniquitas illius, ſuſcepit* * *de* [* *enim* 3 MS. H. C. Gq. *Iſrael* o.] *manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.* Lxxii tranſtulerunt, ὅτι ἐπλήσθη ἡ ταπείνωσις αὐτῆς, *Quoniam repleta*, vel *completa, eſt humilitas*, ſeu *humiliatio ejus*: ſic enim eſt, cùm in Græcis antigraphis, tùm apud Patres, qui hunc ex Lxxii editione locum citant, Juſtinum martyrem Dialogo cum Tryphone, Ambroſium in Pſalmum 118 ſermonibus 10, & 18. Hieronymum, Cyrillum. Porrò ταπείνωσις *humiliatio*, i. abjectio, afflictio. Quid ſi igitur Septuaginta duos Interpres ſecutus *malitiam* pro *afflictione*, ut nonnulli exponunt, verterit?

C. 40. v. 9. *Qui euangelizas Sion*: & iterum, *Qui euangelizas Jeruſalem*] Ità legunt plerique noſtri codices, & Expoſitores, Lyranus, Carenſis ac Richelius, *qui* genere maſculino: quo modo & in Græcis Lxx duorum exemplaribus legitur, ὁ εὐαγγελιζόμενος Σιὼν, ὁ εὐαγγελιζόμενος Ἰερουσαλήμ· ad quem etiam modum apud veteres, qui Lxxii interpretationem proferunt, legitur; Juſtinum dialogo cum Tryphone, Tertullianum lib. 5 contra Marcionem, Hieronymum textu qui ex editione Septuaginta commentariis adjunctus eſt, Cyrillum in propria loci enarratione. Porrò Latini Epanorthotæ antiqui libri, Dominicanorum nonnulli, & noſtri duo, Lobienſis ac Leodienſis, atque impreſſi aliquot, feminino genere ſcribunt, *Quæ euangelizas Sion, Quæ euangelizas Jeruſalem*: quibus Hebræa volunt, quæ non tantùm hoc, *quæ euangelizas*, ſed etiam omnia verba quæ hoc nono verſu vel præcedunt vel ſequuntur, genere feminino habent. Nam, quod peritis notum eſt, etiam verbis Hebræorum ſunt genera maſculinum & femininum. Adſtipulatur Hieronymus, cujus & textus *qua* legit, & commentarius dicit, *Porrò Hebraicum & cæteri Interpretes* (Lxx videtur excipere) *ponunt genere feminino, ut dicant, Quæ euangelizas Sion, Qua euangelizas Jeruſalem.* Conſentit Haymo, qui expoſito *qua* ſubnectit, *Quidam codices habent*, qui euangelizas, *genere maſculino*; *ſed falſum eſt ſecundùm B. Hieronymum.* Conſpirat Andreas, cujus commentarium Carenſis recitat. Ergò *qui euangelizas* Græcæ Septuagintaduorum, *qua euangelizas* Latinæ Hieronymi editionis eſſe videtur.

C. 40. v. 24. *Equidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum*] Plura exemplaria *& quidem*, præſtantiſſima *equidem* ſcribunt. In iis quæ ſequuntur triplex eſt codicum varietas. Una ea eſt quam propoſuimus, *Neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum*: quam in tredecim noſtris MSS. invenimus. Altera eſt, *Neque plantato, neque ſato, neque radicato in terra trunco eorum*: quam in 17 MSS. nos, in 8 Hentenius comperit. Tertia, *Neque plantatos, neque ſatos, neque radicato in terra trunco eorum*; quæ in duobus eſt MSS. uno Pariſienſium, Ge. p. notato, altero noſtro, E ſignato, cohærens, ut & ſuperior, iis quæ ſequuntur, *Repentè flavit in eos, & aruerunt.* Prima Haymonis & Hieronymiani textûs lectio eſt; ſecunda Autoris gloſſæ Interlinearis, Carenſis & Richelii: tertia obſcurior eſt. Tertiam prætulit quidam, indubiè quòd Hebræo vicinior ſit. Sic enim Hebraicè eſt ad verbum, *Etiam non plantati ſunt, etiam non ſati ſunt, etiam non radicans in terra truncus eorum*: ad quem modum Hieronymi commentarius explicat, *Qui principes & judices terræ* (ſive, ut alii ſuſpicantur, *cœli*) *nec ſati ſunt, nec plantati, nec firmâ radice ſolidati.* Secundam, quæ vulgarior eſt, textu donarunt Dominicani. Primam Epanorthotes probavit, utpote Hieronymi, quod notat, & antiquorum codicum autoritate fulcitam: quam etiam nos in vetuſtiſſimis atque integerrimis antigraphis, Brugenſi, Lobienſi, Leodienſi, atque aliis quibuſdam, & in primis Typographorum editionibus Moguntina, Nurenburgenſi, Colonienſi, ante annum 1480 impreſſis, reperimus.

C. 44. v. 16. *Et de medio ejus carnes comedit: coxit pulmentum, & ſaturatus eſt*] Conjunctionem quæ in hujus partis capite eſt, auferunt antiqui libri: quam etiam Hebræa Chaldæque tranſfodiunt. Complures codices cum Hugone Carenſi addunt *coxit &*; *de medio ejus carnes coxit & comedit*: * *coxit* [* *&* o.] *pulmentum*, &c. Quidam, unus calamo, tres typis exarati, tranſponunt, *coxit* quod præponitur *pulmento*, & *comedit* quod poſtponitur *carnibus*, hoc modo, *de medio ejus carnes coxit, comedit pulmentum.* Hinc autem facta eſt, & illa additio, & hæc tranſpoſitio, quòd abſurdè dici videretur quenquam de ligno carnes comedere; rectè autem de ligno carnes coquere. Atqui emendatiora exemplaria, cùm noſtra, tum Hentenii, Pariſienſium, Epanorthotæ & Dominicanorum, ſcribunt, *De medio ejus carnes comedit: coxit pulmentum*, &c. quibus Hieronymi textus, Richelii commentarius, & Hebraici ac Chaldaici libri ſuffragantur.

Richelii

Richelii commentarius hunc ad modum habet, *Et de medio ejus carnes comedit, i. carnes coctas per ignem constructum ex media parte ligni. Vel, de medio cujus carnes comedit, i. unam partem ligni vendidit, & cum pecunia illa carnes emit, & comedit.* Porrò illud *coxit &*, quod multis codicibus additur, sumptum est ex versu hujus capitis 19, quo eis quæ hoc versu similia leguntur, inter quæ sunt hæc, *Et coxi super carbones ejus panes : coxi carnes & comedi.* Quo ex loco, longè plura Græcis antigraphis 16 versu adjecta sunt : sic enim habent, pleraq; 16 versu, καὶ ὅτι τῷ ἡμίσει αὐτῆ " - ἔπεμψεν ὸν τοῖς ἀνθρακιν ἄρτους, καὶ ἐπ' αὐτῆ [" ἔπεμψεν o. - R.] κρέα ἔφαγε ὀπήσας [ὀπήσας ἔφαγε Vatic.] ἕψησεν ὁπλὸν [ἑψηλὸν R.] καὶ ὀπτηλήθη, *Et super medio ejus - coxit in carbonibus panes, & super illo* [- R.] *carnem comedit postquam coxit,* [*postquam coxit, comedit,* Vatic.] *coxit coctum, & repletus est.* Adjectum est indè in primis illud, ἔπεμψεν ὸν τοῖς ἀνθρακιν ἄρτους, additúmque est καὶ ἐπ' αὐτῆ : ea quæ Complutensis & Regia editiones tollunt. Tum adjectum est indè ὀπτήσας, quod in Vaticano quidem codice ante ἔφαγε scribitur, ut 19 versu ; in aliis, póst. Complutensi & Regiæ editionibus ἐψήσας legitur pro ὀπτήσας. Utrumque significat *coquere*, sed in particulari illud quidem *lixare*, hoc autem *assare*. Quare quod sequitur, ἕψησεν ὀπλὸν, rectè vertas *assavit assatum :* quo modo recentiores ex Hebræo vertunt, pro eo quod noster dixit *coxit pulmentum.*

C.49.v.10. - *Et* [o.] *ad fontes aquarum potabit* [*potabis* o.] *eos.*] Frequentior codicum scriptura est *potabit*, quam sequuntur Glossematici, Lyra, Caro & Richel. Porrò quidam codices *portabit* habent, duo Parisienſium, S. Germani parvus & Complutensis ; tres nostri, Hunnæi M, Plantini angustus, atque is quem cœnobii S. Jacobi Leodii Abbas commodavit, ex quo erasa quidem est litera *r* (ut sunt pleraque omnia in eo, cætero-qui integerrimo, recentiori depravatoris manu immutata) sed satìs etiamnum apparet. In Card. Bessarionis libro addita est *r* litera, notatúmq; in margine rectè est *portabit*. Hebraicè est ינהלם, id quod Lxx 11 senes reddidere ἄξει αὐτὲς, S. Joannes Apoc.7.17. ὁδηγήσει αὐτὲς· similiter plerique hodie Interpretes, *ducet*, vel *deducet*, *eos* ; Chaldæus Paraph. ישרינון *habitare faciet*, vel *collocabit*, *eos :* quæ omnia *portabit* adstruunt. Adhæc Interpres noster vocem illam *portare* convertit, Exod.15.13. & Isai.40.11. Videri igitur possit & hoc loco ad eum modum convertisse : quibusdam tamen locis (Gen.47.17. Psal.22.2.) *sustentare* atque *enutrire* interpretatus est. Commentarius *potabit* habet : verùm ità ut non liqueat an ab eo scriptum, an verò ex *portabit* mutatum sit. *Et deducet*, ait, *ad fontes aquarum, sive, potabit illos ad fontes, de quibus scriptum est*, Benedicite Domino de fontibus Israel : *& in alio loco*, Haurite aquas de fontibus salvatoris. *Hi fontes in Veteri Testamento & Novo sunt.* Haymo, qui ejus ferè commentarium sequitur, *portabit* legit ; *Et cùm per se nihil possint, & ad fontes aquarum portabit eos. Ad illos utiq; fontes de quibus canitur*, Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris : *quibus aut Sacra Scriptura aut Spiritûs Sancti gratia intelligitur.*

C. 53. v. 11. *Justificabit ipse justus servus meus multos.*] Hanc hujus loci veram esse existimo lectionem. Non enim legendum esse præterito tempore, *justificavit*, emendatissimi quique libri & fons Hebraicus docent : quos Hentenius & Parisienses secuti *justificabit* emendarunt. Rursus non esse legendum *justos*, quod in duobus MSS. invenimus, plerique omnes codices, Hebræo conformiter, *justum* scribentes, probant. Chaldaica paraphrasis, יזכא זכאין, quod est, *justificabit justos*, habet : verùm non ex Chaldæo nostra profluxit editio. Tertiò, non legendum esse *servos meos*, quod in antigraphis est haud paucis, sed, quod ex aliis Hentenius & Parisienses in textum retulere, *servum meum*, Hebraica dijudicant exemplaria, יצדיק צדיק עברי לרבים i. *justificabit justus servus meus multos.* Scio punctis mutatis esse posse *servos meos*, hoc est עַבְדַי : verùm cùm proximè sequentem vocem לרבים Interpres verterit *multos*, puto eum non עַבְדַי legisse, non *servos meos* transtulisse. Nam ministra litera Lamed præfixa sequenti voci רבים, non præcedenti עברי, alio eam modo accipiendam significat quàm accipienda est præcedens, nempe non ut respondens adjectivum substantivo præcedenti conjungendam. Ergò, quod diximus, vera est hujus loci lectio quæ in 19 MSS. exemplaribus à nobis reperta est, *Justificabit ipse justus servus meus multos :* quàm, ut nè ullus supersit scrupulus, omni ex parte Hieronymi commentarius probat ; *IN SCIENTIA SUA, i. in doctrina, IPSE JUSTUS, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, & servus patris qui formam servi acceperat & Domini servierat voluntati, MULTOS JUSTIFICABIT de toto orbe credentes.* Non opus est addere cõsonantes Hugonis & Haymonis Enarrationes,

C.65.v.22, & 23. *Et opera manuum eorum inveterabunt electi mei. Non laborabunt frustrà.*] Octo MSS. codices, & post Moguntinam editionem impressi plerique, cum Dionysio Richelio, distinguunt hunc ad modum, *Et opera manuum eorum inveterabunt. Electi mei non laborabunt frustrà :* quam distinctionem Græcus autor Cyrillus sequitur, & Græca antigrapha, ea quæ nos vidimus, exigunt ; sic enim habent, *Opera-enim* [R.] *laborum suorum* [*manuum suarum* R.] *vetera facient. Electi autem mei non laborabunt in vacuum.* Porrò alteram distinctionem, *Et opera manuum eorum inveterabunt electi mei, Non laborabunt frustrà*, quæ D. Hentenio probata fuit, servant nostra decem manuscripta : quam & Hebraici libri, quos ego viderim, referunt, & translatio septuagintaduorum ut est in Hieronymi commentariis, *Opera laborum suorum inveterascere facient electi mei : non laborabunt in vacuum.* Sunt alia nostra manuscripta 13, quæ eundem ad modum distinguunt, sed paulò aliter legunt ; *Et opera manuum eorum inveterabunt electis meis. Non laborabunt frustrà :* quibus comprehensa sunt antiquiora atque integriora nostra, Brug.Leod.Lob.Pl.m.E, O,Q. His suffragantur vetera Parisiensium Di.o.l. Ge.o.l.p. & antiqua Epanorthotæ. Hugo Cardinalis de hac istorum lectione, *Hanc literam*, inquit, *habet Hieronymus, & libri correcti.* Habet eam disertè Hieronymi commentario adjunctus textus (quanquam pro *inveterabunt*, *veteraſcent* legat) nec parùm vult ei ipse Hieronymi commentarius, si diligenter discutiatur. Atque hoc etiam indicet transtulisse eum *electis meis* potiùs quàm *electi mei*, quòd *eorum*, non *suarum*, dixerit, *Et opera manuum eorum :* satìs enim commentaria docent & veriores codices, non eum sequentibùs copulasse, τὰ *elect. me.* Haymo utramq; lectionem explicat, *electi mei* & *electis meis*, eâdem distinctione ; Lyranus hanc, *electis meis :* cujus ad literam sensus est, Opera populi Dei ad ejus usum vetera fient, ità ut interim dum nova & recentia sunt, nec pereant, nec per mortem auferantur, nec ab hoste diripiantur : id quod Hebraicè & Chaldaicè ad verbum est, *Et opus manuum suarum ad vetustatem perducent electi mei.*

C.66.v.17. *Qui sanctificabantur & mundos* [*immundos* o.] *se putabant in hortis post januam intrinsecùs.*] Quidam codices pro *post januam* legunt *post unam*, Hentenii septem, Parisiensium quinque, Di.o.l. Ge.o.l.p. correcti Lyrani, antiqui Dominicanorum. Epanorthotes dicit antiquiores habere *post januam*, satìs antiquos *post unam :* id quod omnino se ità habere ex nostris deprehendimus exemplaribus, Vetustissima namque, Brugense, Leodiense, Lobiense (his enim non existimo alia ex nostris esse vetustiora) *post januam* scribunt : nonnulla verò, vetustate his inferiora, Plantini medium, Hunnæi L, M, & G, atque unicum Bessarionis, *post unam* legunt : quibus adde alia duo, quæ utrumque indicant modum. Dominicani Hieronymo attribuunt lectionem *post unam :* verùm non id liquet ex Hieronymi commentario, neque id habet textus commentario nunc additus. Haymonis enarrationibus

rationibus adscriptum est *januam*; Glossæ Ordinariæ *unam*; id quod Richelius manifestè interpretatur. Lyranus & Carensis utrumque exponunt. Hebraicè est, *sanctificantes se & purificantes se in hortis post* [אחת ק'] אחר *in medio*. אחר, quod scribunt Hebræi, *unum*, אחת, quod legunt, *unam* significat; nullo autem modo *januam*. Itaque vertunt complures, *Post unam*, vel, *post peculiarem*. Pagninus explicationis ergò nonnulla addidit, *Post piscinam peculiarem quæ est in medio horti*. Forerius reddidit, *Alienus unus in medio*. *Alienus* reddidit quod alii *post*, punctis vocis אחר mutatis. Chaldæus Paraph. transtulit סיעא בתר סיעא, quod est, *cœtus post cœtum*, seu, *societas post societatem*, quo modo & R. Salomon, si N. Lyrano credas, exponit. Non fit verisimilis, mihi quidem, Forerii annotatio, quæ in Chaldæo mendosè arbitratur legi, pro סיפא (quod *angulum* & *limen* significat) סיעא; repetitur enim סי' ב' סי'. Similem esse puto Chaldæi metaphrasin Symmachi & Theodotionis versioni, qui, D. Hieronymo teste, interpretati sunt, *Alter post alterum*. Quod sequitur בתוך *in medio*, sequentibus hi conjunxere, *Inter eos qui comedunt*, &c. in Chaldaico vel omissum est, vel in eo quod attulimus comprehensum. Potuit enim Chaldæus hoc, *post unam in medio*, intellexisse, primæ mediâ succedente, atque id, unam societatem alterâ sequente. Subaudierunt Interpretes Theodotio & Symmachus, ac fortasse etiam Chaldæus, alterum אחר: neque enim eis bis אחר lectum necesse est dicere. Horum autem omnium interpretationes ei suffragantur lectioni quæ *post unam* habet: quam existimant nonnulli amplectendam, Nicolaus à Lyra, Adamus Sasbout. Castigatores Parisienses & Dominicani in textum eam recepere. Et certè videri possit, quia obscurior est, scribarum lectorúmve temeritate mutata. Facilius enim adduci possim ut credam *post unam* variatum fuisse in *post januam*, quàm è converso, *post januam* in *post unam*. Verumenimvero putat Forerius *post januam* Hieronymum transtulisse, secutum LXXII senes, quorum versio est, *Qui sanctificantur & purificantur in hortis, καὶ ἐν τοῖς προθύροις*, i. *& in liminibus*, vel, *& in vestibulis*. Leo Castrensis arbitratur Hieronymum Hebraicæ lectioni *post unam* subaudiisse *januam*, sícque convertisse *post januam*. Sed neuter horum meminit variæ Latinorum codicum scripturæ: quam, etsi varia sit, Lyranus & Epanorthotes in eundem sensum interpretantur, eum quem Castrensis Hieronymo transferenti attribuit. POST UNAM, inquit Lyranus, *scilicet* portam *vel* clausuram; *& ideo aliqui libri habent* POST JANUAM.

NOTATIONES IN PROPHETIAM JEREMIÆ.

Cap. 4. v. 12.

ET *nunc ego, sed loquar judicia mea cum eis*] *Sed* conjunctionem prætermittunt Complutensis editio & textus Hieronymi ac Rabani commentariis adscripti. In Hebræo expressè non habetur: sic enim ad verbum est, *Nunc etiam ego loquar judicia cum eis*. Hentenius & Parisienses, illâ omissâ, emendarunt, *Et nunc ego loquar judicia mea cum eis*. Atqui plerique omnes libri, tum scripti tum impressi, addunt conjunctionem illam *sed*: ex universis nostris, præter Regium, qui ex Complutensi expressus est, nullus qui omittat est; duntaxat tres sunt, isque infimi ordinis, manuscripti, qui pro ea *ecce* legant. Agnoscunt etiam eam Expositores, Richelius, Carensis, Lyranus, Thomas, Glossæ Ordinariæ Autor: his adde Dominicanos, &, nè istorum consensum parvi quis faciat, Hieronymum. Ut enim illi notant aposiopesin hoc loco esse, ac subaudiendum aliquid; ità & Hieronymus, quem secuti haud dubiè sunt. *Aposiopesis*, inquit, *est, juxta illud Virgilianum*,

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

Dicturus itaque prospera retinet se, & tristibus jungit tristia. Hæc enim sunt judicia quæ cum populo suo quondam loquitur Deus, ut sciant se justè sustinere qua sustinent: quæ totidem verbis in suum commentarium Rabanus transtulit. Retinenda est igitur *sed* conjunctio, quòd Interpres sic locum intellexisse videatur, ut eam aut addiderit, aut pro גם; quod est *etiam*, explicando posuerit. Unus certè scriptus codex, Atrebatensis collegii sericatus, eo loco legit *sed*, quo Hebraicè legitur גם, *Et nunc, sed ego loquar judicia mea cum eis*; atque eodem loco tres illi libri quos paulò antè citavimus, habent *ecce*. Verùm non sunt ex præstantissimis codicibus quatuor hi.

C. 4. v. 16. *Concitate gentes* scribunt, Abbate Joachim, Thoma, Carensi & Richelio adstipulantibus, exemplaria manuscripta quotquot habemus: *Dicite gentibus* legunt sine commentariis excusa Biblia quotquot vidimus; iis exceptis quæ Parisiensium curâ & Hentenii diligentiâ emendata sunt. Hebraicè est הזכירו לגוים, quod est, *Commemorate*, vel *narrate, gentibus*, aut *in gentibus*. Huic manifestiùs consonat quod impressi codices legunt, *Dicite gentibus*: verùm quod est in manuscriptis, ad similem eúmque significantiorem intelligendum est modum, eum quem Hieronymi commentarius insinuat; *Vult omnes in circuitu nationes Dei nosse sententiam, & flagellatâ Jerusalem cunctos recipere disciplinam*. Textus huic Hieronymi commentario junctus habet *Dicite gentibus*: sed non eam lectionem commentarius ipse exigit. Hentenius, Parisienses, *Concitate gentes* castigarunt: similiter Dominicani hunc receperunt, alterum legendi modum rejecere, quem Richelius alii translationi tribuit; CONCITATE GENTES, *ut Dei*, inquit, *æquitatem in punitione Judæorum advertant. Unde alia translatio continet*; DICITE IN GENTIBUS. Verisimile fit mihi primùm explicationis ergò adscriptum fuisse, postea pro nostræ editionis lectione substitutum in manuscriptis codicibus; ex quorum uno in Moguntinum, atque ex hoc in sequentes plerosque Chalcographorum fœtus, transierit.

C. 5. v. 8. *Equi* [*Et qui* o.] *amatores in feminas & emissarii facti* [*effecti* 1 MS.] *sunt*] Sic nostri codices plerique omnes legunt: eodem apud Enarratores legitur modo. Quinque autem Parisiensium exemplaria Di. o. l. Ge. o. l. p. atque ex nostris tria Leod. Tril. V. auferunt τὸ *in feminas*: id quod nec Hebræa habent סוסים מזונים [מיזונים ק'] משכים חיו, מזונים τὸ, quod ab aliis *pasti* seu *saturati*, ab aliis *armati* vel *habenis phalerati* translatum est, deductum à יזן, aut à זון, noster *amatores* vertit, à זנה quod *fornicari* denotat. Cæterùm an addiderit pro sententiæ perspicuitate, *in feminas*, sum dubius. Hentenius & Parisienses transfodiendum id censuerunt: verùm suis Hieronymus commentariis videri possit agnoscere, *Equi amatores in feminas facti sunt*, ità in commentariis habet. Potuit LXXII viros secutus fuisse, qui hujusmodi interpretati sunt voce quæ *feminarū amatores* significat: θηλυμανεῖς enim dicuntur, quasi *feminarum amore insani*. Hæc, quamvis non evincant addidisse Interpretem Hieronymum *in feminas*, tamen cur dubitem faciunt, accedente vetustissimorum exemplarium suffragio. Sequitur in Hieronymi commentario, *Pro* emissariis *in Hebraico scriptum est* משכים, *quod omnes voce consonâ* ἁλοῦλες, *i.* trahentes, *transtulerunt, ut ostendatur magnitudo genitalium*. Si *omnes, voce consonâ*, משכים ἁλοῦλες transtulerunt; mirum est nihil aliud in LXXII libris quàm ἵπποι θηλυμανεῖς ἐγενήθησαν legi, *Equi feminarum amatores facti sunt*. Hieronymus, enarrans caput nonum prophetæ Zachariæ, & contra Helvidium disputans, citat locum hunc in modum, nimirum juxta 70, *Equi insanientes in feminis facti sunt - mihi*. Citat similiter in calce secundi Adversùs Jovinianū, *mihi* prætermisso. Porrò qui ἁλοῦλες reddidere, non מַשְׁכִּים legerunt, ut in Hieronymi commentario ex punctatis Bibliis scriptum est, sed מְשֻׁכִּים: hoc *trahentes* significat; illud, *manè*, juxta Hebræos, Pagninus interpretatur, *Ut equi saturati singulo manè erant*. Hieronymus,

illos qui *trahentes* dixere secutus, *emissarii* transtulit. Vir quidam doctus legendum arbitratur *admissarii*: & quidem aptiùs sic dicatur; sed dicuntur vulgari usu & *emissarii* qui admissarii, equi præsertim, gregúmque & armentorum mariti: atque ità, *emissarii* inquam, nec aliter, in vetustis editionis nostræ manuscriptis exemplaribus lego.

C. 9. v. 19. *Quoniam dejecta sunt tabernacula - nostra* [o.] Antiquorum codicum quidam *dejecta*, quidam *deserta* legunt. Hebraica vox השליכו, quæ *projecerunt* significat, utroque facilè intelligi potest modo. In Hieronymi cùm textu tum commentario *dejecta* legitur: verùm pòst paululùm *deserendi* vocabulo Hieronymus utitur; sed videtur ibi Lxxii respicere interpretationem, quæ est, *Et abjecimus tabernacula nostra*. Dominicani, Parisienses atq; Hentenius unanimiter in textum transtulere *dejecta*.

C. 20. v. 17. *Quia non me interfecit à vulva.*] Impressi codices ferè legunt *quia*: manuscripti ferè habent *qui*. Hebraicè est אשר quod & *qui*, & *quia*, interpreteris licet. Græci transtulerint ὅτι *quia*. Hieronymus *qui* convertisse videtur: nam præterquam quòd exemplaria scripta pleraque omnia, & quidem vetustissima atque emendatissima quæque nostra, id legant; ipse in hunc scribit locum, *Quod autem infert*, qui me non interfecit in vulva, *Deum significari putant*. Suam indicat versionem, etsi non approbet quam refert expositionem. Porrò eam secutus glossæ Interlinearis Autor, *qui* supplevit *Dominus*. Lyranus & Carensis *quia* exponunt: sed *qui* similiter legunt. Id igitur nobis servandum videtur, quamvis Parisiensis typographus cum *quia* mutaverit, Moguntinâ fretus editione.

C. 23. v. 14. *Vidi similitudinem adulterantium* [*adulterinam* o. & *adulterium* o.] *& iter mendacii.*] Nonnulla MSS. *adulterii* pro *adulterantium* legunt, sed vulgaria illa: eximia aut *adulterantium* habent, aut *adulterium*; quædam hoc, quædam illud scribunt. Typis excusi libri ferè *adulterantium* legunt. Hebræa dictio נאוף non est inprimis numeri pluralis participium: sed, si quidem נָאוּף legatur, nomen est singulare, *adulterium*; si נָאֹוף, ut est in Bibliis, verbi infinitivus, *adulterari*. Infinitivum Græci Interpretes in participium plurale mutarunt: verterunt enim, εἶδεν φρικτὰ, μοιχωμένους, καὶ πορευομένους ἐν ψεύδεσι, *vidi horribilia* [*turpitudinem* Chaldæus] *adulterantes, & ambulantes in mendaciis*. Nam & sequentem infinitivum הלך ad eundem mutarunt modum. Utrùm simili modo Hieronymus priorem infinitivum mutaverit, an potiùs priorem, sicuti posteriorem, in nomen verterit (ut est infinitivus verbi nomen) vel utrumq; ut nomen legerit, נאוף הלך, ob codicum meliorum discrepantiam fit incertum. Hunc enarrans locum, *In Prophetis quoque Jerusalem*, inquit, i. *Doctoribus Ecclesiæ, vidi similia, sive horribilia, adulterantium verbum Dei, & ingredientium per viam mendacii.* Ubi an usus sit voce *adulterantium*, quòd eam transtulerit; an quòd sensui explicando (quem mysticum esse præfatus est) congruere videretur, ut sequens *ingredientium*, ignoro. Textus additus *adulterium* legit: id quod Parisienses & Dominicani pro germana lectione receperunt. Autor glossæ Interlinearis, Lyranus & Carensis *adulterium* deprehenduntur exponere: tametsi adjuncti textus *adulterantium* lectori objiciant.

C. 26. v. 19. *Itaque non faciamus malum grande* [*grande malum* o.] * *contra* [* *hoc* o.] *animas nostras.*] Sic, cum glossematico Carensi, complures codices scribunt. Cum Lyrano autem antiqui Epanorthotæ, quatuor Parisiensium & 8 nostri legunt, *Itaque nos faciemus malum grande contra animas nostras*; quibus Græca auxiliantur, * ἡμεῖς [* καὶ R.] ἐποιήσαμεν, * *Nos* [* & R.] *fecimus* (sic enim pleraque exemplaria legunt;) Chaldaica suffragantur, ואנחנא גרמין *Et nos causam damus*; Hebraica adstipulantur, ואנחנו עשים *& nos facimus*; denique S. Hieronymi commentaria patrocinantur, *Simúlque frangunt accusatorum rabiem, & se miscent cum eis, dicentes*, Itaque nos facimus malum grande contra animas nostras. *Non quòd facere debeant, sed quia si fecerint, nequaquam noceant accusato, sed animabus suis, quas mutatione sententia potuerint liberare.* Quare rectè castigatores, Dominicani, Parisienses atque Hentenius, rejecto *non faciamus*, correxere, *Itaque nos faciemus malum grande contra animas nostras.* Mutatio hinc facta est, quòd non id mali faciant, nec in Jeremiæ necem consentiant, seniores terræ præsertim quorum hic sermo est. Qua etiam ex causa in Lobiensi antigrapho, *Itaque nos faciemus*, in Græco Vaticanæ Bibliothecæ exemplari, ὑμεῖς τετολμήκατε, *vos ausi estis*, scriptum fuit.

C. 31. v. 6. *Quia erit* [*erunt* o.] *dies in qua* [*quibus* o.] *clamabunt custodes, in monte Samaria - in monte* [* *& in monte Samaria*, & 2 MS. * *&* MS. multa. - 1 MS.] *Ephraim, Surgite.*] τὸ *in monte Samaria*, quod, cum expositore Richelio, multi codices legunt; nostri quatuordecim, Brug. Leod. Lob. O. Q. &c. Parisiensium octo, Di. o. l. Ge. o. l. p. &c. Epanorthotæ & Dominicanorum antiqui tollunt: quibus Hebraici libri volunt, Græcáque exemplaria suffragantur. Latini libri quibus id additur variant: quidam *&* conjunctione interpositâ, quidam omissâ, ei quod sequitur jungunt; nonnulli *in monte Samaria* repetunt; unus *Samaria* duntaxat habet: quæ, superiori margine demonstrata, adjectionis qualicunque indicia sunt. Quare veram nostræ editionis scripturam esse existimarim, quam Hentenius, Parisienses & Dominicani amplexi sunt, *Quia erit dies in qua clamabunt custodes in monte Ephraim, Surgite.* Verùm Hieronymi commentarius utrumque agnoscit atque exponit, tam illud *in monte Samaria*, quàm hoc *in monte Ephraim. Tunc fuit dies Domini*, habet, *in qua clamaverunt custodes, Apostoli videlicet & apostolici viri, in monte Samariæ & in monte Ephraim: quorum alterum* custodiam, *alterum* ubertatem *sonat. Quid verò dicunt custodes Samariæ? imò quid clamant in monte Ephraim?* SURGITE, &c. Hic profectò effecit cur minùs in Bibliorum margine nigro ausi fuerimus carbone notare τὸ *in monte Samaria.* Sed videri possit Hieronymum hoc quod in textu non posuerat (ut certè adscriptus ei textus non habet) in commentariis addidisse: tum quòd montium Samariæ versu proximè præcedente fit mentio, his verbis, *Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ:* tum quòd idem sit mons mons Samariæ & mons Ephraim, nempe, ut opinor, loca montosa quæ per illum tractum posita erant, quem decem tribus, de quibus Prophetæ hîc sermo est, post secessionem incolebant. Frequenter nomine *Ephraim* decem tribus significantur: quarum regio à metropoli *Samaria* dicta fuit. Crediderim itaque versioni Hieronymi ex commentario illud additum, *in monte Samaria.*

C. 31. v. 9. *Et in misericordia reducam eos.*] Codicum alii *in misericordia*, alii *in precibus* legunt. Hebræum בתחנונים, utrovis modo transferatur, rectè: ad illum modum Jonathan Chaldæus, ad hunc Santes Pagninus in Onomastico transtulit: in editione Bibliorum etiam Santes *cum misericordiis* vertit. S. Hieronymi commentarius *in misericordia* habet: id quod glossematici, Thomas, Lyranus, Carensis & Richelius secuti sunt; & castigatores, Hentenius, Parisienses ac Dominicani in textum retulere. Verùm in antiquissimis & emendatissimis exemplaribus *in precibus* reperio, Brugensi, Leodiensi, Lobiensi, E, O, Q, Plantini medio, & aliis: quibus primæ typographorum editiones consonant. Ità & Epanorthotes noster, exactissimus harum rerum scrutator, invenit. Hinc enim scripsit, *Item b.* in precibus deducam eos, *sicut habet translatio Hieronymi; communitum Hieronymi habet* in misericordia; *Lxx habent* in consolatione. *Et revera Hebraum*

Hebræum tahanunim *ad hæc tria se habet: sed magis propriè ad* preces, *cùm sit pluralis numeri: nam & ipse Hieronymus Zachariæ xij.* (v.10.Dan.9.17,18,23.) *vertit illud in* preces; *ibi,* spiritum gratiæ & precum. Hæc ille: quibus translationi Hieronymi *in precibus* attribuit: aliter enim vertisse nonnunquam Hieronymum dum commentaria scriberet quàm priùs verterat, nuper observatum annotavimus. Porrò animadvertendum est insuper pro *reducam* Epanorthoten legere *deducam:* id quod Dominicani probavere, & nos in melioribus libris vidimus, quamvis sensus idem sit utriusque.

C.31. v.39. *Et exibit ultrà norma mensura in conspectu ejus super collem Gareb* [*Cares* o. *Jares* o. *Gareth* o. *Gaber* o.] Plerique nostri libri, cum D.Gregorio 34 caput Job enarrante v.25. Moral.c.11. & D. Thomæ, Abbatis Joachim, atque Hugonis Carensis propriis commentariis, accusandi casu scribunt *normam:* quinque, cum Lyrano & Richelio, legunt nominandi casu *norma*, Lob. Atr.scripti, Mogunt. Nuren. Colon. (anni 1479.) impressi, quibus quatuor Parisiensium, Di. o. Ge. o. l.p. & quidam ex antiquis Dominicanorum,concinunt. His fons Hebraicus suffragatur, ויצא עוד קוה המדדה וגו׳, *Et exibit adhuc*, vel *ulteriùs, linea mensura*, &c. Dictio עוד significat *ultrà*, non pro præpositione, sed pro adverbio sumptum: quare non est transferendum *ultra lineam*, aut, *ultra normam.* Adhæc, verbum יצא *exibit* masculini generis est. Non est igitur subaudiendum feminini generis nomen עיר *civitas*, quod superiori versiculo legitur: sed suppositum ejus est קוה quod est *linea* seu *norma*, masculino genere. Ergò transferendum est, *Et exibit ultrà linea*, vel *norma, mensura:* atque ità neoterici Interpretes transtulerunt, quorum multas versiones in Hebraicis Scholiis licet videre. Nec alio modo veteres interpretati sunt: quanquam Chaldæi paraphrasis Hebraico fonti fit consimilis, quæ his verbis in Regio opere traducta est, *Et egredietur adhuc filum mensura ædificii.* Lxx convertêre, καὶ ἔξωθεν ἡ διαμέτρησις αὐτῆς, *& exibit dimensio ejus*; ubi non est additum τὸ *ultrà*, fortè quòd satis intelligatur. Similiter vertit Symmachus, ut statim liquebit. Hieronymum eundem ad modum reddidisse textus & commentarius conjuncti loquuntur: ille habet, *Et exibit ultrà norma (sive, juxta Symmachum, funiculus) mensuræ ejus contra eam super collem Gareb*; hic, *Exitque ultrà funiculus mensura contra eam, i. portam anguli, super collem Gareb, qui*, &c. Rectè igitur correctores, Hentenius, Parisienses, Dominicani, & alii quidam, emendarunt, *Et exibit ultrà norma mensura:* quanquam alterâ lectione idem intelligi possit, nempe, Jerusalem amplioribus quàm priùs terminis ædificandam.

C.33.v.16. *In diebus illis salvabitur Juda, & Jerusalem habitabit confidenter.*] Multi codices scribunt *Israel, Et Israel habitabit confidenter:* verùm optimi, Hebræo, Chaldæo Græcóque conformiter, *Jerusalem* legunt; id quod Epanorthotes noster & reliqui Correctores amplexi sunt.

Sequitur, *Et hoc est nomen quod* [*quo* 1 MS.] *vocabunt* [*vocabis* 3 MS.] *eum* [*eam* 1 MS.] *Dominus justus noster.*] Vocem *nomen* jugulant MSS. nostrorum præstantissima, Brugense, Leodiense & Lobiense: sed Lobiense quidem legit, *Et hoc est quod vocabunt eum*; Leodiense verò, *Et hoc est quod vocabit eum*; Brugense, *Et hoc est quod vocabit eam.* Brugensi MS. consonant quinque Parisiensium exemplaria, Di.o.l. Ge.o.l.p. & quinque Hentenii. Atque hunc legendi modum Epanorthotes probavit: eum autem qui Leodiensis est codicis Dominicani secuti sunt. Porrò quem Epanorthotes probavit, prototypo Hebraico is convenit, וזה אשר־יקרא־לה, i. *& hic qui vocabit eam*, vel, *& hoc quod vocabit eam* (sequitur, יהוה צדקנו *Dominus justitia nostra*, vel, *justus noster:*) quare ille genuinus videtur.

Fuit locus iste demutatus ex altero simili, qui est c.23. superiori: sic enim ibi legitur v. 6. ex nostra editione, *In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod* [*quo* Lob. Hier. Richel.] *vocabunt eum, Dominus justus noster.* Hebraicè ad similem est modum, וישראל ישכן לבטח וזה שמו אשר יקראו יהוה צדקנו, quod est, *& Israel habitabit in confidentia, & hoc nomen ejus quod* [vel *quo*] *vocabunt, Dominus justus noster*; aut, si legas יקראו ut in punctatis est Bibliis, utque Lxx legere (id quod ex Græcis antigraphis & Hieronymi commentariis liquet) *Et hoc nomen ejus quod* [vel *quo*, vel *qui*] *vocabit eum, Dominus justus noster.* Hieronymus commentariis suis testatum reliquit se יקראו legisse. Ex eo igitur loco hîc, in quibusdam Vulgatæ editionis codicibus, mutatum in primis est *Jerusalem* cum *Israel*; deinde addita est vox *nomen*; præterea *vocabit* in *vocabunt* est transformatum; denique *eum* pro *eam* substitutum: fuit enim vicesimi tertii capitis lectio scribis notior, quòd ea in sacro tempore, quod *Adventum* vocat Catholica Ecclesia, quotidie legatur canatúrque.

Porrò nonnulli Interpretes ità ferè tricesimo-tertio capite ut vicesimo-tertio est vertunt: & quidem recentiores nonnulli hoc modo, *Et hoc est nomen quo vocabit eum illi* (scilicet Jerusalem sive Ecclesiæ) qui in Hebraicis scholiis adfertur. Inter veteres Lxx (ut certè in Regia & Complutensi editione est) transtulerunt, καὶ τοῦτό ἐστι τὸ ὄνομα ὃ καλέσουσιν αὐτῇ, *Et hoc est nomen quod vocabunt ei.* In aliis editionibus, quas viderim, tricesimitertii capitis posteriorem partem invenire haud potui. Apud Theodoritum legitur, *Et hoc est nomen quo vocabitur.* Chaldæus Paraph. sic reddit, *Et hoc nomen ejus, quo ipsi vocantes eum:* sic enim in Regio opere legimus, וְדֵין שְׁמֵהּ דְיהוֹן קָרְיִן לֵהּ. Sed meliùs, nostrâ sanè sententiâ, in Venetis Bibliis punctatum est, שְׁמֵהּ לֵהּ, ità ut sit, *Et hoc nomen ejus quo ipsi vocantes eam*, Hebræo conformiter. Nam sequitur, *Fient nobis justitia à præsentia Domini in medio ejus:* quod nomen personæ non convenit, sed aptè loco quadrat, ipsi Jerusalem, cujus mentio proximè antecedit: quare & non בָּנוֹהִ sed בָּנוֹהּ scribendum est, ut mihi esse videtur, tam in Regia quàm in Veneta editione. Vicesimotertio capite dixit paraphrastes, *Fient nobis justitiæ à præsentia Domini in diebus ejus:* illi itaque loco masculini generis puncta congruant, ac verè congruunt. Hi igitur Interpretes ad eum ferè modum tricesimotertio capite transtulerunt quo vicesimotertio legitur: nimirum quòd existimarint tricesimitertii capitis locum ex eo qui in vicesimotertio similis est interpretandum. Cæterùm non ità & nostrum Interpretem Hieronymum convertisse tricesimotertio capite ut vicesimotertio, ex melioribus fidéq; dignioribus libris discimus.

C. 48. v. 34. ** "A * Et* o. *"Et* o.] *Segor usque ad* [*ab* o.] *Oronaim* [*Oronembrim* o.] *vitulam consternantem* [*vitulâ consternante* Brug. *vitulâ consternam te* Busl.] Sic legunt duo Parisiensium & novem nostri codices. Porrò antiqua Epanorthotæ exemplaria sexto casu habent *vitulâ consternante:* quibus Lobiensis Abbatiæ manuscriptum consonat. Aureus D. Donatiani Brugensis codex sexto etiam casu scribit. Leodiense antigraphum ad eum modum habuisse videtur: Buslidianum hunc refert. Ex Hebræo verti potest & quartus casus & sextus: cæterùm hunc potiùs quàm illum vertendum esse, etsi illum nonnulli hodie vertant, docet Isaiæ cap. 15. v. 5. quo similis legitur adversùs Moab Prophetia, & disertè, non Oronaim, sed Segor, *vitula consternans* seu *triennis* nominatur, his verbis, *Vectes ejus usque ad Segor vitulam consternantem.* Itaque legendum videtur, *A Segor usque ad Oronaim vitulâ consternante:* pro quo Neotericorum quidam, primo casu, *A Segor usque ad Horonaim vitula triennis.*

Multi codices & hoc Jeremiæ & illo Isaiæ loco, cum Nicolao Lyrano, *consternantem* habent, sine dubio perperàm. Non pauci, cùm nostri tum Hentenii & aliorum, *consternantem* utroque legunt loco: id quod Ordinariæ Glossæ Autor, Dominicani, Epanorthotes,

Parisienses, atque alii, utrobique probavere: quanquam Epanorthotes *conternante* posteriori loco scribat. Hebraicam vocem שלישיה, à שלש quod est *tres* dictam (utroque enim loco hæc eadem legitur) Græci olim Interpretes τριετῆ (tametsi posteriori loco servarint σαλισία [σιλισία R.]) Latini hodie *trimam* seu *triennem* transferunt. Noster, D. Hieronymus, in eundem sensum *conternantem* vertit, quasi tertium annum agentem: quod suis in Isaiam commentariis, quinti pariter & sexti libri, testatum fecit. Quinto autem libro hunc Jeremiæ locum cum illo Isaiæ jungit hoc pacto, *Vectes ejus usq; ad Segor vitulam conternantem. Et Jeremias, A Segor*, inquit, *usq; ad Oronaim vitulam conternantem.* Unde id colligo, eum non *vitulam conternantem* in Jeremia à se versum legisse, quamvis ità sit scriptum; sed auferendi casu, *vitulâ conternante.* Nam alioqui non erat hic locus cum illo Isaiæ, ut par, componendus, qui, quod ille Isaiæ tribuit Segor, ipse Oronaim adscriberet: nisi possit etiam quarto casu lectum, *vitulam conternantem*, ad *Segor* referri, id quod mihi commodè fieri non posse videtur.

C.51.v.6. - *Quoniam* [o.] *tempus ultionis ejus - est* [o.] *à Domino.*] Pronomen *eius* sustulerunt Castigatores, Hentenius, Parisienses & Dominicani, quòd multis & emendatioribus codicibus non addatur, id quod certè in nostris deprehendimus. Hebraicè quoque & Chaldaicè non legitur. Græcè est; vel quòd Interpretes pro נְקָמָה legerint נָקָם, vel quòd ob sententiam adjecerint, ut nonnulli hodie Latini translatores. Omittunt insuper *à* præpositionem Moguntina & Colonienſis editio, & manuscripta exemplaria pleraque, atque inter ea correctissima quæque cum Glossa Ordinariæ & Richelii textibus: id quod bene convenit Hebraico ליהוה. Græcè est παρὰ Κυρίου *à Domino*: sed non cum Græca nostra commiscenda translatio est. Ergò hujus loci vera est lectio, *Quoniam tempus ultionis est Domino*: quam Dominicani recepere, & Carensis secutus est.

C.51.v.58. *Murus Babylonis ille latissimus suffossione* [*suffusione* o.] *suffodietur.*] Quatuor Parisiensium codices, scripti duo Ge.p. Di.o. impressi totidem, B.Compl. & octo nostri, scripti quinque, impressi tres, habent *latissimus*: cæteri nostri legunt *altissimus*. Lyranus in correctis libris dicit esse *latissimus*. Apud Richelium hoc, apud Rabanum & Carensem alterum scriptum est. Castigatores, Dominicani, Parisienses atque Hentenius, *latissimus* in textum retulerunt. Id enim significat vox Hebraica רחבה, quam Lxx ἐπλατύνθη *dilatatus est* interpretati sunt. Ex emendationibus nostris MSS. unum, O notatum, *latissimus* habet: reliqua, Brug. Leod. Lob. Pl. m. E,L,Q, & primæ typographorum excusiones, Mogunt. Nuren. Colon. *altissimus* servant. Ac potuit fortè Interpres *altissimus* vertisse, si Hebraicè רחבה legeris, ה pro ח.

C.52.v.22. *Et capitella* * *super* [* *super capitella* o.] *utramque* [*utrumque* o.] *aream.*] Antiqui Epanorthotæ codices legunt *utraque*: quibus concinunt ex nostris Brugensis, Leodiensis, E, Q, Tril. Atr. s. & Complutensis editio. *Quod dicitur* utraque, inquit Epanorthotes, *est casûs ablativi.* Unde minùs ornatè, sed evidentiùs, ponunt novi, *super utramque.*

Sequitur, *Altitudo capitelli unius quinque cubitorum,* - & [o.] *retiacula, & malogranata* [*mala granata* MSS. multa] *super coronam in circuitu* [*circuitum* 2 MS.] *omnia area* [*ænea* Compl.] *Et fuerunt malogranata' nonaginta* * *sex* [* & MSS. multa H.] *dependentia: & omnia malogranata' centum, retiaculis circundabantur.* Hæc Moguntinæ, Complutensis, & aliarum quatuor, quas vidimus, typographicarum editionum lectio est: cui adjecerunt castigatores, Hentenius & Parisienses, ex codicibus nonnullis, *Similiter columna secunda & malogranata*; adjecerunt, inquam, post illud, *omnia area:* id enim Hebraicè est, Chaldaicè ac Græcè. Hebraicè sic locus iste legitur, *Et capitellum super eam aream, & altitudo capitelli unius quinque cubitorum: & retiaculam, & malogranata super capitellum circum omne as: & sicut hæc, in columna secunda, & malogranata. Et fuerunt malogranata nonaginta & sex ad latus: omnia malogranata centum super retiaculum per circuitum.* Porrò Epanorthotes superfluum, id quod Hentenius & Parisienses addiderunt, Latinis nostræ editionis libris censet; quod facilè mihi persuadeo: maximè enim variè variis exemplaribus legitur. Quædam habent, *Similiter erat columna secunda & malogranata*; quædam, *similiter* * *columnæ* [* & 1.] *alterius*, nec addunt *malogranata:* quædam duos legendi modos connectunt, sed interjectâ pericope quadam, de qua dicturi statim sumus, hoc modo, *Similiter erat columna secunda & malogranata, & erant super capitellum in circuitu omnia area, similiter columna alterius.* Sed quærat aliquis, cur id omisisset Interpres quod est apertè in Hebraico fonte. Respondet Epanorthotes, Interpretem in iis quæ præcedunt de utraque simul columna locutum; atque hinc pro eo quod Hebraicè est, *Et capitellum super eam aream*, vertisse, *Et capitella super utraque area*; ideóque non seorsum *alterius*, seu *secundæ, columnæ* mentionem fecisse. Quemadmodum quod Exod.25.35. Hebraicè legitur, *Et sphærula sub duobus calamis ex ipso, & sphærula sub duobus calamis ex ipso, & sphærula sub duobus calamis ex ipso*, ter inquam repetitum; non seorsum Interpres ter extulit, sed in unum hoc pacto contraxit, *Sphærula sub duobus calamis per tria loca.*

Cæterùm non hoc tantùm, *Similiter erat columna secunda & malogranata*, & quæ ejus loco in aliis exemplaribus reperiuntur, superflua Epanorthotes judicat; verùm etiam id quod præcedit, *Super coronam in circuitu omnia area:* tametsi & hoc Hebraicè legatur, sicut etiam Chaldaicè ac Græcè. Id autem probat cùm ex antiquorum codicum fide, tum ex eo quòd interpretationis modus ab eo qui nostri Interpretis est diversus sit. Nam עטרת, quod noster Interpres 3 Reg.7. & 4 Reg.25.17. & hoc Jeremiæ capite consuevit *capitellum* reddere, hìc *corona* redditum est. Verùm legunt ex nostris codicibus quidam illius loco, *Super capitellum in circuitu omnia area*, qui ferè omittunt *retiacula & malogranata* quæ antecedunt. Fortè ab alio id versum est, qui lacunam quam putabat cautiùs, ità ut animadverti nequaquam posset, opplere voluerit. Multi libri utramque versionem hoc modo conjungunt, - *Et* [MSS. meliora] *altitudo capitelli unius quinque cubitorum, & retiacula & malogranata - super 'coronam' in circuitu totum erat aneum. Similiter erat columna secunda & malogranata* ['columpnam 1 MS. - 1 MS.] - & [3 MS.] *erant super capitellum in circuitu omnia area, similiter columnæ alterius.* Ubi observa & alterius particulæ aliam translationem, *Totum erat aneum.* Dominicani hunc legendi modum probarunt, sublatâ posteriori parte, *Et erant super capitellum*, &c. Atqui posteriorem partem, excepto illo *& erant*, priori sublatâ, ab his verbis, *Et retiacula & malogranata super*, in melioribus longè antigraphis nos comperimus, Lob.E.L.Pl.m. & aliis. Porrò ideo & istud, *super coronam*, seu *capitellum, in circuitu, totum erat aneum*, quamvis Hebraicè legatur, Interpres, juxta Epanorthotæ vero similem sententiam, omiserit, quòd aliis hinc indè circumstantibus verbis satis significetur.

Hæc igitur est, quam genuinam pronunciat Epanorthotes, Interpretis scriptura, *Et capitella super utraque area; altitudo capitelli unius quinque cubitorum*; & *retiacula, & malagranata nonaginta & sex dependentia: & omnia malagranata centum, retiaculis circundabantur*; quam docet in antiquis & approbatis esse libris. Nos eam in duobus Humnæi lectissimis codicibus, literis O & Q signatis, & tertio, non contemnendo, A notato, vidimus; insuper in Plantini angusto ac longo, & Atrebatensis Collegii sericato, quanquam non hi omnes *utraque* legant. Brugensis D.Donatiani codex hoc tantùm ab illis discrepat, quòd repetat eo loco quo superiora adduntur, nullâ veri specie, *Et retiacula & malagranata centum retiaculis circundabant*

[circu-

3327

[*circumdabantur* Tril.] quod idem in Collegii Trilinguis manuscripto deprehendimus.

NOTATIONES IN THRENOS JEREMIÆ.

PRæfatiuncula quæ Threnis Jeremiæ in plerisque Latinis libris præmittitur, *Et factum est, postquam in captivitatem redactus* [*ductus* 16 MS.] *est Israel, & Jerusalem deserta* [*destructa* 16 MS.] *est, sedit Jeremias Propheta flens, & † planxit "lamentatione hac" in Jerusalem, & - amaro animo suspirans & ejulans* [- 2 MS. G. *"lamentationem hanc* 16 MS." *super* 1. - 3 MS. G. † *plangens desolationem populi sui & subversionem civitatis, dicens* 1 MS.] *dixit*, Hebraicè non exstat: sed in Græcis codicibus legitur. Latinorum exemplarium quædam superioris libri fini conjungunt, quædam hujus principio connectunt, quædam medio inter utrumque loco constituunt; optimè hæc: neque enim prophetæ ipsius, sed Græcorum vel Interpretum vel Tractatorum sunt verba, quibus ostendere voluerunt quomodo hic Lamentationum libellus cum superioris libri historia cohæreat. Quæ verba an Interpres noster suæ editioni ex Græco adjecerit, multùm dubito. Ex nostris aureus D. Donatiani Brugensis codex non legit. Lyranus in correctis libris haud esse testatur. Enarratores, Rabanus & Paschasius, non attingunt, ut nec Richelius. Castigatores Dominicani non agnoscunt. Denique Epanorthotes Noster, & alii quidam, redundare pronunciant.

C. 3. v. 23. *Novi diluculò*] Major cùm codicum tum Expositorum pars legit *novi*: Antiqua autem omnia Dominicanorum exemplaria, quatuor Hentenii, duo nostra, Brug. V. & unum Parisiensium Ge. 1. habent *novæ*. (In Leodiensi MS. corruptor scripsit *vi*, pro eo quod fuit priùs.) Hebræa vox חדשים verti non potest *novi*, si pro verbo *novi* accipias, quomodo glossematici, Paschasius, Autor Ordinariæ Glossæ, Autor Interlinearis, Thomas, Lyranus, Carensis & Richelius acceperunt: quare aliquando nos alteri lectioni *novæ* Hebræa, Chaldæa ac Græca suffragari scripsimus. Cæterùm si *novi* nomen esse intelligatur, reddi ex Hebræa illa voce potest. Potest autem & *novæ* transferri, ac quidem commodissimè, ut referatur ad רחמים *miserationes*, quod est in præcedenti versiculo, quò Ruperti Tuitiensis commentarius refert. Hinc Pagninus paraphrasticè interpretatus est, *Novæ sunt quolibet mane misericordiæ*. Atque hanc & nostri Interpretis versionem esse, *novæ*, inquam, non *novi*, vetera MSS. loquuntur: quæ Epanorthotes secutus, id approbavit, *Novæ diluculò*. Existimarim pro *novæ* minimè intellecto verbum *novi* substitutum fuisse. Lobiense antigraphum scribit, *"Novæ es* [*"Surge* 1 MS.] *diluculò*: id quod Dominicani S. Hieronymo attribuunt. Certè optimè convenit commentario qui est in Hieronymi operibus: sed non eum Hieronymi commentarium esse doctorum virorum opinio est, quòd multæ in eo inveniantur sententiæ ex Gregorio Papa decerptæ. Rabani potiùs esse creditur, cujus in Jeremiam commentariis Basileæ excusis junctus est. Porrò hoc legendi genus, *Nova es diluculò*, ex eo confictum arbitror, quòd sequatur *Multa est fides tua*. Græca Regis editio & Complutensis habent, τὰ καιναὶ ὁι τῇ πρωΐ, *nova in diluculo*. In aliis Græcis editionibus duplicem reperio translationem; unam, καιναὶ οἱς τὰς πρωΐας *vana in dilucula*, quæ cum illa eadem est; nam corruptè legi καιναὶ pro καιναὶ *vana* pro *nova* exemplar Vaticanum docet: alteram loco priorem, μῆνας, sive μῆναι, οἱς τὰς πρωΐας, *menses in dilucula*, quæ ex eadem Hebraica dictione, paulò aliter lecta, profluxit: posito enim puncto ר: loco ־:, ità ut sit חֳדָשִׁים *menses* significat, Latinum M. N. Augustini Hunnæi exemplar, O notatum, scribit *Renova illas diluculò*: id quod Græci Tractatoris Theodoriti lectioni accedit, qui deinde habet, *Propheta supplicationem offert eorum nomine*, Renova eos velut diluculum matutinum. *Quia calamitatem nominavit* tenebras, *mutationem ejus comparat* diluculo. Possit & hoc ex Hebraica illa dictione verti, si legas חֳדָשִׁים. Chaldæi paraphrasis est, *Miracula nova promit diluculò*.

3328

C. 3. v. 28. *Sedebit* [*sedit* o.] *solitarius & tacebit, quia levavit* [*levabit* o.] *super se*] Pronomen *se*, quod multi codices, cum Glossematicis, Lyrano, Carensi & Richelio, repetunt, hoc modo, *Quia levavit se super se*; antiqua Dominicanorum scripta, tria Parisiensium Di. 1. Ge. o. 1; tria nostra O. C. Bess. & Complutensis editio, cum Enarratoribus, Paschasio, & Autore Glossæ Ordinariæ qui Paschasium secutus est, haud agnoscunt. Hebraicè non additur, כי נטל עליו: nec Græcè legitur, ὅτι ἦρεν ἐφ' ἑαυτῷ. Itaque castigatores, Dominicani, Epanorthotes, Parisienses, Hentenius, emendarunt, *Quia levavit super se*. Additum fuisse videtur alterum illud *se* ex commentario qui id subaudierit. Porrò alii subaudiunt *jugum*, quod legitur in superiori versiculo; Paschasius, Dominicani, Scholiastes Hebraicus: id quod etiam in textum ab aliquibus relatum est: nam Theodoriti Græci textus habet, *Quia tollit super seipsum grave jugum*. τὸ *grave* Latinus Paschasius in superiori versiculo *jugo* junctum legit. Chaldæus *castigationes* subaudivit, cujus hæc paraphrasis est, *Sedebit solus, & tacebit, & sustinebit castigationes quæ eveniunt propter unitatem nominis Domini: quæ mittuntur, ut vindicet se de eo, propter peccatum leve, quod peccavit in seculo isto, usque dum parcet ei, & auferet eas ab eo, & recipiet mercedem perfectam in seculo venturo.*

NOTATIO IN EPIGRAPHEN EPISTOLÆ JEREMIÆ.

* "EXemplar" [* *Incipit* o. "*exemplum* MSS. pleraque] *epistola* * *quam* [*ejusdem* o.] *misit Jeremias ad abducendos - captivos*" [3 MS. G. Sed Gq. addunt,] *in Babyloniam*, &c.] Exemplaria Hentenii 14. pro *ad abducendos* legunt *ad abductos*: quibus suffragantur Carensis & Richelius, consentiúntque MSS. nostra universa, demptis aliquot, quæ vel epistolam, vel epigraphen epistolæ omittunt. Tantùm impressos aliquot codices, eósque non inter primos, vidimus, qui *ad abducendos* scribant. Cæterùm Græcè, quâ solâ linguâ hæc exstat epistola, est, πρὸς τὰς ἀχθησομένους *ad ducendos*. Præterea initio ipsius epistolæ legitur Latinè & Græcè concorditer, *Propter peccata quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captivi*. Videtur igitur in epistolæ epigraphe legendum *ad abducendos*: nisi dicas, quod Hugo Cardinalis, scriptam fuisse ad eos epistolam dum in itinere essent: quo tempore partim erant abducti, partim abducendi. Lyranus & Richelius dicunt epistolam scriptam quidem fuisse antequam abducerentur, missam verò postquam in captivitatem abducti essent: sed nullius historiographi autoritatem proferunt.

NOTATIONES IN EZECHIELIS PROPHETIAM.

C. 5. v. 7.

ET *juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt, estis operati*] Sic novem Hentenii, & nostra 5 manuscripta (Brug. Leod. &c.) legunt. Porrò alia nostra 22 manuscripta [Lob. E, L, Q, Pl. m. &c.] omnésque impressi libri addunt negationem, *Et juxta judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt, non estis operati*. Quibus suffragantur Hebraica, Chaldaica & Græca, quotquot vidimus, exemplaria. Adstipulantur Tractatores, Serranus, Richelius, Carensis, Lyranus, Autor Ordinariæ

Gloſſæ, denique Hieronymus. Videri poſſit dempta negatio, quòd judicatum fuerit, non argui Judæos quia Gentium judicia non ſint ſecuti, ſed potiùs quia ſint ſecuti, Dei judiciis, quod antecedit, ſpretis. Nam & hinc quidam *non* in *vos* mutavere: ſic enim tria ex ſcriptis noſtris legunt, *Vos eſtis operati:* quod miror Carenſem Hieronymo attribuere. Porrò autem, juxta Hieronymi enarrationem, reprehenduntur Judæi quòd non fecerint quæ Gentes, naturali lege ſcriptâ in cordibus ſuis, ſæpe fecerunt. Epanorthotes docet noſtram lectionem negatione additâ conſtare; ſed tamen in Hebræo negationem non eſſe, niſi, ut ait, zeugmaticè repetatur, ut infrà cap. 11. ver. 11. Idcóque, juxta alium transferendi modum aliámque literam, affirmando legi, *Eſtis operati.* Ego in codicibus Hebraicis, quoſcunque videre potui, huic parti expreſſè additam inveni negationem; ſimiliter in Chaldaicis & Græcis, & Vatabli ex Hebræo verſione. Cæterùm in Pagnini verſione, Lugduni anno 1527, item 1542, excuſa, ſine negatione reperi, *Et juxta judicia gentium quæ in circuitu veſtro ſunt feciſtis.* Rurſus cap. 11. ver. 12. quo eadem penè leguntur quæ hoc verſu quinti capitis, Hebraicè ac Chaldaicè negationem huic parti non additam deprehendi; quam nec Latinus Interpres, Hieronymus, eo loco dedit, qui vertit, *Sed juxta judicia gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt, eſtis operati.*

C. 11. v. 21. *Quorum autem* [*verò* 2 MS. Chaldæa Regiæ editionis legunt, ut Hebræa, *Vau*; Venetæ omittunt] *cor poſt offendicula.*] Quædam manuſcripta addunt, multa tollunt, *autem* conjunctionem. Hebraicè eſt *vau* conjunctio, quam Lxxii καὶ tranſtulerunt. Hieronymus *autem* vertiſſe potuit. Atque *autem* conjunctione mediâ Hieronymi enarratio hanc partem iis quæ præcedunt connectit; *Qui autem*, habet, *nequaquam pœnitentiâ priora peccata correxerint, ſed ambulaverint poſt abominationes ſuas, retribuam eis quod merentur.* Porrò caſtigatores, Hentenius, Pariſienſes & Epanorthotes, transfoſſo *autem* legendum cenſuerunt, *Quorum cor poſt offendicula*, nimirum quòd plura atque integriora pleraque manuſcripta ſic habeant, id quod in noſtris obſervavimus. Gloſſa Lugduni impreſſa addit *autem*, & exponit *ſed:* verùm ſcripta quam ex Leodienſi Abbatia D. Jacobi habemus, ignorat *autem*, ſubaudit *ſed.*

C. 12. v. 4, & 7. *Quaſi vaſa tranſmigrantis*] Quidam codices uno verſu legunt, *tranſmigrationis*, altero *tranſmigrantis*; quidam utroque *tranſmigrationis*; complures utroque *tranſmigrantis.* Hebraicè utrobique eſt גולה, quod ſi legas ut in punctatis eſt Bibliis, גוֹלָה, *tranſmigrationem*; ſi גוֹלֶה, *tranſmigrantem* ſignificat. גוֹלָה legerunt Græci & Chaldæus: verterunt enim, illi αἰχμαλωσίαν *captivitatem*; hîc גלותא *tranſmigrationem.* Latinus Interpres, ut etiam hi, verſu tertio legit גוֹלָה; nam tranſtulit, codicibus ſibi conſentientibus, *tranſmigrationis:* ſed quarto & ſeptimo verſibus utrum legerit, utrúmve converterit, codices diſſentientes incertum reddunt. Ex emendationibus noſtris, O & Q, *tranſmigrationis* utrobique habent; Brug. Lob. E. L. Pl. m. utrobique *tranſmigrantis.* Hieronymo adſcriptus textus priori loco *tranſmigrantis*, poſteriori *migrantis* ſcribit. In Commentario Hieronymi, pro prioris loci explanatione legitur, *Collige*, inquit, *ſarcinas tuas, hæc enim vaſa ſunt tranſmigrantis, videntibus eis.*

C. 16. v. 18. *Et ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illas*] Impreſſi libri plerique omnes legunt, *& operuiſti illas* [*illa* 2.] Manuſcripti, Epanorthotæ antiqui, Hentenii plurimi, noſtri omnes, numero unus & triginta, illius loco habent *& veſtita es* * *eis* [* *in* 3 MS.] quibus Gloſſematicorum, Lyrani, Carenſis & Richelii lectio conſonat. Hebræum ותכסים verti utroque modo poſſit. Camhius, in commentariis & in libro Radicum, Pagnino referente, in verbo כסה utroque modo exponit, *& operuiſti illas*, ac, *& operuiſti te illis.* D. Hieronymus, hunc enarrans locum, explicat *& operuiſti illas: Et operuiſti illas*] *ſubauditur, imagines maſculinas, ut omnium culpam quem acceperat ad mundum, verteret in blaſphemiam. Hieronymus*, inquit Epanorthotes, *in commento ponit iſtam plus ſecundùm Hebraum.* Et operuiſti illas, *nec per hoc intelligo primam damnatam.* Videtur hoc loco accidiſſe, quod & alibi quandoque. Hieronymum, dum commentaria ſcriberet, aliter vertiſſe quàm priùs verterat; itaque antiquiores libros primam ſervaſſe tranſlationem, poſteriores eſſe ex commentario mutatos. Etenim, Hieronymiani commentarii occaſione, ſcripſit Carenſis literam hanc, *& veſtita es eis*, non eſſe in Hebraica veritate nec in Lxx, ſed veram ſecundùm Hieronymum eſſe literam, *& operuiſti illas.* Porrò autem ſecutus videtur Hieronymus Lxxii, dum vertit commentaria texens, *Et operuiſti illas:* nam traduxerunt illi, καὶ περιέβαλες αὐτὰ, *& operuiſti illa:* ſic enim legunt hodie Græci codices, neutro genere, quo modo & quidam Latini ſcribunt; quod ad σκεύη *vaſa* referri opinor, ex quibus dixit propheta imagines factas. Aut certè ipſa Lxxii tranſlatio eſt, quam Hieronymus explicat: nonnunquam enim, ſuâ tranſlatione præteritâ, eam duntaxat quæ Lxxii eſt explanat.

C. 21. v. 19. *Et tu, fili hominis, pone tibi duas vias, ut veniat gladius regis Babylonis: de terra una egredientur ambo*] Sic codices plerique ſcribunt: nonnulli autem feminino genere legunt *ambæ*, quatuor manuſcripti E, H, L, Pl. m. duo impreſſi, Compluti unus, Coloniæ alter anno 1529. utrumque Hugo Carenſis exponit. Hebraicè eſt maſculino genere שניהם: verùm id plerique Latinè feminino genere reddunt *ambæ:* omnino enim ad *vias*, quæ Hebraicè genere maſculino vocantur דרכים, videtur reſpicere; ſiquidem nihil illud anteceſſit ad quod referri commodè poſſit. Certè D. Hieronymi enarratio, ſi conſideratè legatur, ad *vias* refert; eodèm Richelii, qui Hieronymum eſt ſecutus. Verba hujus ſunt, *De terra una egredientur ambæ*; *i. Duæ hæ viæ à capite uno incipient, ſeu, uno itinere Chaldæa.* Lyranus & Carenſis *ambo* ſubaudiunt, Rex Babylonius & ejus gladius vel exercitus.

C. 21. v. 30. *Revertere ad* [*in* 4 MS.] *vaginam tuam, in loco - in* [o.] *quo creatus es, in terra* [*terram* o.] *nativitatis tuæ judicabo te*] Ex emendationibus noſtris manuſcriptis, Brugenſe, Lobienſe, E, L, *in loco* ſcribunt; O. & Q. *in* [*ad* Q.] *locum.* Vulgaria & his & illis non pauca concinunt. *In loco* ſi legatur, rectè ſequentibus jungatur; *in locum* præcedentibus. Hebræa utrumque admittunt, præſertim ut Interpres ea legiſſe videtur. Hebræorum Magiſtri primam verſûs partem hunc ad modum punctaverunt, הָשֵׁב אל תערה, quod ad verbum Antverpienſes interpretatæ ſunt, *Reducendum ad vaginam ſuam:* Pagninus explicuit, *Nunquid reducam gladium in vaginam ſuam?* cui cùm id quod ſequitur, *in locum in quo creatus es*, commodè copulari nequeat, diſtinguente accentu Athnah ab eo ſeparatum, atque ad alteram verſûs partem relatum eſt. Porrò Interpres videtur, הָשֵׁב אל תערה legiſſe, verbum השב pro imperativo accepiſſe, literam ה dictionis תערה, non pronominis, ſed femininæ terminationis loco habuiſſe, denique pronomen *tuam* ſubaudiviſſe, itáque vertiſſe, *Revertere ad vaginam tuam:* quo planè modo & Lxxii ſenes tranſtulerunt, ἀπόστρεφε * σὺ [* μὴ o.] τὸν κόλεόν [κολεὸν Gq.] σου * [ἐὰν μὴ καταδύσῃς Gq.] Hoc igitur Hebræa accepta modo ambigua ſunt, ità ut במקום vel *in locum* verti poſſit, & præcedentibus copulari, vel *in loco*, & ſequentibus necti. Lxx *in loco* reddiderunt, & ſequentibus conjunxerunt, ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ ἧς γεγένησαι, ἐν τῇ γῇ τῇ ἰδίᾳ σου, κἀκεῖ σε· atque idem noſtri Interpretis verſioni Caſtigatores, Hentenius & Pariſienſes, attribuerunt. Atqui Gloſſematici, Carenſis & Richelius, *in locum* præcedentibus junctum legunt atque exponunt; quibus D. Hieronymi enarratio adſtipulatur, quæ hujuſmodi eſt, *Revertere ad vaginam tuam, i. in Babylonem,*

bylonem, ad locum in quo factus es & creatus: ut in terra nativitatis tuæ judicem te. Video & in multis exemplaribus, atque adeò emendatioribus, quæ *in loco* ſcribunt, præcedentibus id interpungendi modo connexum.

C. 22. v. 29. *Populi - terræ* [o.] *calumniabantur* [*calumniabatur* o.] *calumniam* [*calumniâ* 5 MS.] Sic noſtri codices plerique omnes legunt. Quatuor autem Hentenii & duo noſtri (Lob. H.) cum textu D. Hieronymi commentariis juncto, habent, *Populum terræ calumniabantur calumniâ.* Fons Hebraicus ambiguus eſt, ità ut intelligi utroque modo poſſit; עם הארץ עשקו עשק. Quidam tranſtulit, *Populus terræ opprimebant oppreſſione*; alter, *Populum terræ opprimebant oppreſſione.* Utro igitur illorum modorum legendum ſit, ex Hebræo colligi non poteſt: ſed ex Latinis codicibus, prior, *Populi terræ calumniabantur calumniam*, in quo ſingulare nomen *populus*, propter Latinam oratorum phraſim, in plurale mutatum eſt, mihi fit veriſimilior: cui etiam Gloſſematici, Autor Gloſſæ interlinearis, Lyranus, Carenſis, Richelius ac Serranus probabilitatem addunt: & ſuffragatur ipſe Hieronymi commentarius, qui hunc habet in modum, *Populus autem terræ, nequaquam Dei, ſed terrenorum operum, principum ac ſacerdotum æmulator exiſtens, per calumniam & potentiam cuncta faciebat.* Cæterùm an ſexto caſu *calumniâ* legendum ſit, ut in quinque legitur codicibus, adſtipulantibus diſertè Lyrano & Richelio; an quarto *calumniam*, ut in pluribus eſt libris, minùs liquet. Eſt autem & in Græcis antigraphis ſimilis ex varia verſione varietas. Regium & Complutenſe habent, τὸν λαὸν τῆς γῆς ἐκπιέζοντες ἀδικίαν, *Populum terræ opprimentes injuſtitiâ*, quo modo & apud Theodoritum legitur. Aldinum, Argentoratenſe, & Baſileenſe anni 1550, ſcribunt, λαὸς τῆς γῆς ἐκπιέζοντις [ἐκπιεζοῦντες o.] ἀδικίαν, *Populus terræ opprimentes injuſtitiâ.* In uno Latino ſcripto, B. literâ notato, legimus, *populo terræ calumniabantur calumniam:* erátque τῷ *populo terræ* præcedentibus junctum, *Cùm Dominus non ſit locutus populo terræ:* cujuſmodi quidem etiam verſionem Hebræa pati poſſint; ſed nullius eſt ponderis. Chaldæa, ut Hebræa, dubia ſunt.

C. 23. v. 24. *Et venient ſuper te inſtructi curru & rotâ, multitudo populorum, loricâ & clypeo & galeâ armabuntur contra te undique.*] Moguntina, Nurenburgenſis & Colonienſis, primæ typographorum, ante annum Domini 1480, editiones, ac Pariſienſis anni 1557. ex Moguntina mutata, addunt *&* conjunctionem ante *multitudo*, *Et multitudo populorum:* quibus ex MSS. noſtris unum, Societatis Jeſu rubrum, conſonat. Cætera omnia quæ habemus ſcripta atque impreſſa exemplaria, cum Hugone Cardinali, qui hanc partem ſolus exponit, conjunctionem illam haud agnoſcunt. Hebræa כָּל רֹכְבֵי transferas, *Et venient ſuper te rhedâ, curru & rotâ, & in congregatione populorum ſcutum & clypeum & galeam ponent contra te undique.* τὸ *&* in congregatione populorum, ſi iis quæ præcedunt Interpres junxerit, meritò cum conjunctione tranſtulerit, *Et multitudo populorum*, ſcilicet cum eis: ſi verò ad ſequentia retulit, rectè potuit omiſiſſe. Hebræi, ſuo interpungendi modo, præcedentibus junxerunt. Paraph. Chaldæus ſequentibus copulavit, hoc pacto, *Et venient ſuper te cum inſtrumentis armaturæ, cum curribus & rotis, & turmam populorum, qui armati ſunt ſcutis & galeis, conſtituent contra te in circuitu.*

C. 23. v. 33. *Ebrietate & dolore repleberis* [*repleveris* o.] *calice mœroris & triſtitiæ,* * *calice* [* & o.* *in* o.] *ſororis tuæ Samariæ.* 34. - *&* [o.] *bibes illum, & epotabis* [*potabis* MS. plurima] *uſq; ad fæces.*] Librorum quidam auferendi caſu legunt, *calice mœroris, calice ſororis*; quidam accuſandi, *calicem mœroris, calicem ſororis*; quidam prius auferendi, poſterius accuſandi caſu, *calice mœroris, calicem ſororis.* Germana Interpretis ſcriptura ex Hebræo ſtatui non poteſt: eſt enim ambiguum, & in varios poteſt caſus verti, verſúmque eſt, ut videre in Scholiis Hebraicis licet. Porrò ex ipſis Latinis exemplaribus id facilè mihi colligere videor, ſpurium eſſe tertium ſcribendi modum, germanum verò aut ſecundum aut primum. Nam ut pauciora ſunt exemplaria quæ priùs *calice*, poſteriùs *calicem* ſcribunt, ità & minùs emendata: longè autem & plura & correctiora ſunt quæ utrobique vel *calicem* vel *calice* habent. Hoc ſi legendum ſit, *calice* inquam utrobique, ſubaudiendum eſt præcedens verbum *repleberis*; ſi verò, quod veriſimilius apparet, illud, ſubaudi *bibes*, vel eò refer.

C. 25. v. 10. *Filiis Orientis cum* [*ſuper* 1 MS.] *filiis Ammon.*] Sic librorum pars major ſcribit; unus Hentenii, tres Pariſienſium, (Vet. Ge. o. p. B.) & quatuor noſtri (Leod. B. C. Pl. p.) *Filios Orientis* habent: alii octo ex noſtris *filiorum Orientis* legunt: eſt & unus in quo *Filii Orientis* conſpiciatur. Primam *Filiis Orientis* genuinam eſſe exiſtimo lectionem: illam enim non tantùm plures, verumetiam emendatiores plerique codices, exhibent; inter noſtros Brug. Lob. E. L. O. P. Q. Pl. m. Pl. ang. Accedunt gloſſematici Serranus, Richelius, Carenſis, Lyranus, Autor Gloſſæ; qui concorditer dativum *filiis* exponunt. Suffragatur D. Hieronymi commentarius, cujus hæc in hanc partem verba ſunt, *Traditúrq; & ipſa, cum filiis Ammon, filiis Orientis, Babyloniis videlicet,* &c. Hebræum לבני קדם commodiſſimè *filiis Orientis* transfertur; & jungitur ſuperioris verſûs verbo *aperiam*, aut ſubauditur *tradam* vel *tradetur Moab*, quod editioni noſtræ meliùs convenit, ipſéque Hieronymus velle videtur. Quidam transferunt *filios Orientis* (ſupplent, *vocabo ut veniant*) *contra filios Ammon.* In Græca editione ſimiliter legitur τοὺς υἱοὺς Κέδεμ ἐπὶ τοὺς υἱοὺς Ἀμμών, *filios Kedem ſuper filios Ammon:* ex qua fortaſſe illorum Latinorum codicum lectio, qui *filios* habent, originem traxit. Qui patrio caſu *filiorum* ſubſtituerunt, videntur ad civitates id, quarum præcedunt nomina, retuliſſe; haud rectè, cùm Moabitarum, non Babyloniorum, urbes fuerint quæ Babyloniis tradendæ prædicantur.

C. 29. v. 1. *In anno decimo,* * *decimo* [* *in* MS. pleraque omnia H. C. G.] *menſe, undecimâ - die* [7 MS. H. C. G.] *menſis.*] Multa manuſcriptorum noſtrorum legunt *in* [*&* o.] *duodecimo* [*undecimo* 1 MS.] *menſe*: ſed antiquiora atque integriora pleraque *in decimo menſe* ſcribunt; Brug. Leod. O. E. Pl. m. Q. A. & alia aliquot, adſtipulantibus Hebraicis & Chaldaicis libris. Græci, quos quidem viderim, ſimiliter ἐν τῷ δεκάτῳ μηνὶ habent. Porrò notatum nobis eſt, Vaticano antigrapho, ἐν τῷ δωδεκάτῳ μηνὶ, pro δεκάτῳ, legi, quo modo apud Theodoritum lego. Similis, imò major, proximi numeri eſt varietas. Manuſcripta quæ *in duodecimo menſe* legunt, ferè, ſuffragantibus Lyrano, Carenſi & Richelio, *unâ* aut *in una die menſis* ſubjungunt; pro quo unum habet *primâ die menſis*, aliud *unâ primâ die menſis:* verùm his iterum antiquiora atque integriora occurrentia ſcribunt *undecimâ die menſis*, id quod, *undecimâ* inquam, expulſo *unâ*, in textum Hentenius retulit. Cæterùm ut non illa, ità neque iſta prototypo Hebræo conſonant: eſt enim Hebraicè בשנים עשר לחדש *in duodecima menſis*; ſimiliter Chaldaicè. Porrò illa Græcæ editioni conveniunt, quæ habet μιᾷ τῶν μηνὸς *unâ menſis.* Epanorthotes annotat hunc in modum, *Hebræus*, In anno decimo, in decimo menſe, in duodecima menſis: *antiqui ſimiliter, niſi quod pro* duodecima *ponunt* undecima: *ſed potuit eſſe error, quia unum* i *in punctum ſcriptores breviaverunt. Novi malè ſic*, In anno decimo, in duodecimo menſe, in una menſis. Hujus ego ſententiæ lubens ſubſcripſerim, *in decimo menſe* legendum eſſe, & errore in vetuſtis codicibus, qui præ aliis nobis ſequèndi ſint, *undecima menſis* pro *duodecima menſis* ſcriptum, veriſimile eſſe. Sunt enim affines numeri *undecima & duodecima* nominum ſcripturâ, & arithmeticis, quibus deſignari ſolent, notis, [11. 12. xi. xij.] nec ità Hebræis ut Latinis. Biblia Compluti anno decimoſeptimo, &

Parisiis annis 57, & 73 excusa, *duodecima* legunt. In uno scripto XIIII invenimus.

Atqui sententiæ illi videtur D. Hieronymi commentarius refragari, qui, *Post Sidonem*, inquit, *quæ & ipsa in Phœnicis litore constituta est, sermo fit ad Prophetam, decimo anno captivitatis regis Joachim, in duodecimo mense, & una die mensis.* Ac nè putes corruptum esse locum, postea de *duodecimo mense*, déque *una die mensis*, disertè philosophatur. Quinetiam commentario adjunctus textus habet, *In anno decimo (sive, juxta Lxx, duodecimo) in decimo mense (sive, juxta Hebraicum, duodecimo) in prima (sive, una) mensis die.* Dixissem depravatum esse textum, quòd nec Græci codices, quos vidimus, *in anno duodecimo*, nec Hebræi *in duodecimo mense* scribant; restituendum verò hoc pacto, *In anno decimo, in decimo mense, sive, juxta Lxx, duodecimo, in prima, sive una, sive, juxta Hebraicum, duodecima, mensis die.* Nam & Hebraici libri *in duodecima die mensis*; & quidam Græci *in duodecimo mense*, habent. Verùm commentarius Hieronymi non id patitur facilè; minimè verò in mensis numero. Postquam enim de duodecimo mense egisset, subtexuit, *Porrò juxta Lxx, decimus mensis, qui Hebraicè appellatur* טבת, &c. Adhæc, apud Theodoritum *In anno duodecimo* invenio. Quid ergò dicendum? An Græcos & Hebraicos hodie libros corruptos esse? Græcos, quòd decimum annum, qui Hebraicè est; Hebraicos, quòd decimum mensem & duodecimam mensis diem, dicant? Atqui antiquiores & fide digniores Latinorum codices Hebraicis istis consentiunt, in *decimo* quidem *mense* disertè, in *duodecima* autem *mensis*, quòd *undecima* scribant, non omnino obscuré: ex quibus non leve argumentum sumitur, Hieronymum ità primùm vertisse, *In anno decimo, in decimo mense, duodecimâ mensis*; posteriores autem libros (quod alibi non uno loco observavimus) esse ex ejus commentario mutatos. Quid ergó? Hieronymus dum commentaria scriberet, memoriâ lapsus est, aut numerorum varietate atque affinitate turbatus? certè non temere dicendum id est.

C. 32. v. 8. Hanc pericopen, *Cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus*, quam, cum Richelio expositore, multi codices legunt post illud octavi versûs, *Dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus*, tria Parisiensium scripta Di. o. Ge. l. p. quatuor nostra Lob. anno 1084 scriptum, O. L. Pl. la. prætermittunt: quibus consonant Typographorum editiones, Moguntina, Colonienſis, Veneta anni 1497. & Complutensis. Hebraici, Græci & Chaldaici libri non agnoscunt. Hieronymi commentarius non attingit, ut neque textus habet. Castigatores, Hentenius & Parisienses, textu pepulere. Cæterùm Epanorthotes, *Malè*, inquit, *hunc versum*, Cùm ceciderint vulnerati tui in medio terræ, ait Dominus Deus (*quidam*) *resecavit, cùm & antiqui & novi habeant, & libri glossati, quia Hebræus eorum non habet.* Certè in antiquis libris, Brugensi, E, & Plantini medio, lego, qui, cum aliis octo nostris, eo planè modo habent quo produximus. Porrò duodecim omittunt *tui*, cum textu Glossæ Ordinariæ tam scriptæ quàm impressæ, *Cùm ceciderint vulnerati in:* novem legunt *in terram*, *Cùm ceciderint vulnerati* * *in* [* *tui* 1 MS.] *terram, ait:* unus (Pl. ang.) duntaxat, *Cùm ceciderint vulnerati*, habet, immiscétque præcedentibus verbis, *Et dabo tenebras super terram tuam, cùm ceciderint vulnerati, dicit Dominus Deus:* duo (Q. Buslid.) decimo versui adjiciunt, ad eum modum quo primùm pericope est adducta, post illud, *Horrore nimio formidabunt super te:* quæ varietates possint eam suspectam reddere. Leodiensis Abbatiæ manuscripto conspicitur addita. Videri fortasse possit commentarius esse ejus quod in fine decimi versûs legitur, *In die ruinæ tuæ (tuæ* enim, non *suæ*, habent Hebræi, Græci, D. Hieronymus, Lobiense manuscriptum, Atrebatensis collegii alterum, & Complutensis editio) nam & Chaldæus Paraph. id ità exposuit, *In die ruinæ occisorum tuorum.*

Cap. 32. v. 10. Quæ superiori notatione de hac pericope, *Cùm ceciderint vulnerati*, &c. dicta sunt; eadem penè nunc circa verba ista, *Propter iniquitates universas quas operatus es*, sunt repetenda. Ea enim, cum Richelio expositore, multi codices legunt post illud decimi versûs, *Horrore nimio formidabunt super te.* Parisiensium autem manuscripta Di. o. l. Ge. p. & nostra Lob. O. prætermittunt: quibus concinunt eædem editiones, Moguntina, Colonienſis, Veneta & Complutensis; duæque alix, Nurenburgensis ac Basileensis. Hebraici, Græci & Chaldaici libri non agnoscunt. Hieronymi commentarius non attingit, ut neque textus habet. Castigatores, Hentenius & Parisienses, textu pepulerunt. Epanorthota verò idem est de his quod de superioribus verbis judicium: quòd similiter & antiquis & novis libris legantur. In antiquis, Brugensi, E, Plantini medio, & plerisque aliis exemplaribus nostris, exstant; sed variè in quibusdam. Unum addit *tuas*; *Propter universas iniquitates* [*iniquitates universas* 2 MS.] *tuas quas operatus es.* Atrebatensis Collegii sericatum tollit *universas*; *Propter iniquitates quas operatus es.* Alterum Atrebatensis Collegii, *Propter universas iniquitates tuas*, habet, ídque solum: quomodo & apud Richelium legitur, atque in textu Glossæ Ordinariæ quam scriptam habemus. Christophori Plantini longum his verbis subjungit illa, *Cùm ceciderint*, &c. Q. & Buslidianum, ut illa, *Cùm ceciderint*, horum loco, decimo versu ponunt post, *Horrore nimio formidabunt super te*; ità hæc, *Propter universas*, illorum loco, octavo versu post, *Et dabo tenebras super terram tuam dicit Dominus Deus.* Leodiensi antigrapho hæc, sicut illa, conspiciuntur addita. Hugo Cardinalis, inter recentiores Enarratores, neque illa neque hæc legisse videtur.

C. 32. v. 32. Manuscriptorum nostrorum viginti, inter quæ numerantur Brugense, Lobiense, L, O, Q, & plerique impressi codices, inter quos sunt Moguntinus, Nurenburgensis, Colonienſis, legunt, *Quia* [*Qui* 1 MS. Q notatum] *dedit terrorem suum in terra viventium.* Duo nostra MSS. Bessarionis ac longum Plantini, & Quenteliana Biblia scribunt, *Quia dedi terrorem suum in terra viventium.* Tria nobis à D. Hunnæo commodata scripta, A, E, V, habent, *Quia dedi terrorem ejus in terra viventium.* Quinque alia, Leodiense, Plantini medium, Buslidianum, I, C, & Regia editio, ac D. Hieronymi commentariis adjunctus textus, *Quia dedi terrorem meum in terra viventium*: huic quarto legendi modo Hebræorum lectio adstipulatur, כי-נתתי את-חתיתי, i. *Quia dedi terrorem meum.* Tertio & secundo Hebræorum scriptio suffragatur (את חתיתו, i. *terrorem ejus:* hoc enim hoc loco est Cetib, illud Keri) & Græcorum interpretatio, ὅτι ἔδωκα τὸν φόβον αὐτοῦ, *Quia dedi formidinem ejus.* Verumenimvero apud Græcum Theodoritum lego, quod primo modo velit, *Quia dedit terrorem suum:* cui non contradicit enarratio, *Dabit tamen impietatis pœnas, quia, multo sibi subjectis incusso metu, ipse legem meam non admisit, sed animam reliquit incircumcisam.* Primo modo vult & B. Hieronymi commentarius, *Hi enim dederant terrorem suum in terra viventium: quod quintò dicitur, ut omnes istiusmodi nationes cavere & fugere debeamus, quæ cunctis nos sensibus deceperunt; & scire esse horribiles, nec facilè posse vitari, nisi omni custodiâ servaverimus cor nostrum. Quintò* ait hoc *dici*, quòd *terrorem suum dederint in terra viventium:* legit igitur, ut superioribus locis (v. 23, 24, 25, 26.) legitur, tertiâ personâ, *Dedit terrorem suum* (scilicet Pharao & omnis exercitus ejus) quanquam superioribus locis plurali numero sit *dederunt* seu *posuerunt.* Chaldæus etiam Paraph. ad eum modum hoc loco transtulit quo superioribus, *Quia traditi sunt in exitum fortes, eò quòd dominati sint in terram Israel.*

C. 39. v. 2. *Et circumagam te, & seducam -te* [o.] Tria Parisiensium (Vet. V. Di. l. Ge. p.) & 14 nostra MSS. (E. L. Pl. m. &c.) legunt *seducam.* Octo Hentenii,

tenii, & 14 noſtra (Brug. Lob. Q. &c.) cum textu Hieronymi commentariis juncto, habent *reducam*. Duo noſtra (O. & Pl. ang.) multíque impreſſi (Mog. Nuren. Col. Compl. &c.) cum Carenſi expoſitore, ſcribunt *educam*. Hebraicè eſt וששאתיך quod à שש, quod eſt *ſex*, deductum, ſimili verbo, *& ſextabo te*, reddunt; exponúntque quidam, *& ſextam partem relinquam ex te*, ſive, *ad ſextam partem redigam te*; quidam, *& ſex plagis afficiam te*, iis quæ ſuperioris capitis 22 verſu enumerantur. Lxx interpretati ſunt, καὶ καθοδηγήσω σε, *& ducam*, vel *deducam, te*; aut, ut in Regia editione eſt, καὶ καταξω σε, *& deducam*, vel *reducam, te*. Chaldæus tranſtulit, ואשגינך *& ſeducam te*, ſive, *errare faciam te*: quod primo legendi modo ſuffragetur, qui apud Epanorthoten eſt, & Hentenii ac Pariſienſium dono textu gaudet. Richelius eo modo legit: & Interlinearis gloſſæ Autor D. Hieronymi ferè verbis eum explanavit; ET SEDUCAM TE, *Spe inani ſcilicet lactabo te, quâ ſeductus ad prælium feſtines occidendus, victoria ſpe fruſtratus.* Hieronymi commentarius ad hunc modum, ut à Chevallonio excuſus eſt, habet, *Iſte educetur, ſive circumagetur, & palpabitur, ſive lactabitur: ut ſperans victoriam occidendus ducatur ad prælium.*

C. 40. v. 16. *Et ante frontes* [*fores* o.] *pictura palmarum*] Aureus D. Donatiani Brugenſis codex, E, Q, Plantini medius, & alii noſtri, ſcripti 19, impreſſi 6, cum expoſitore Lyrano, addunt *calata*, *Et ante frontes pictura palmarum calata.* Pariſienſium verò exemplaria quinque Di. o. l. Ge. p. v. Mog. & noſtra 8. Leod. Lob. O. L. H. Ge. Pl. la. Col. cum D. Gregorio & Hugone Carenſi, tollunt: quod neque Hebraicè, Chaldaicè aut Græcè legitur. Hebraicè eſt, ואל-איל תמרים, *& ad poſtem palmæ*; Chaldaicè, ועל אלא כותרתא, *& ſuper poſtem palmæ*, aut *capitella*; Græcè, καὶ ἐπὶ τῆς [τὸ Gq.] αἰλὰμ φοίνικες ἔνθεν καὶ ἔνθεν, *Et ſuper ailam palmæ hinc & indè.* Pariſienſes itaque & Hentenius textu illud indignum cenſuerunt, expulerúntque. Cæterùm noſter Epanorthotes, *Antiqui*, inquit, *Et ante frontes pictura palmarum calata: quod quidam delent, quia Hebræus non habet quod dicitur* CŒLATA. *Sed nec habet Hebræus quod dicitur* PICTURA: *ſic tantùm habet, Et ad frontem palmæ.* Hæc Epanorthotes. D. Hieronymi textus non legit *calata*: Commentarius habet, *Et ante frontes*, inquit, *porticuum, pictura, ſive calatura, palmarum*; & pòſt, *Denique poſt* 60 *&* 50 *cubitos, & thalamos, & porticus, & frontes porticuum, & feneſtras plurimas per circuitum, palmarum nobis calatura vel pictura monſtratur.* Hinc Gloſſa, ut in S. Jacobi Abbatia Leodii ea olim ſcripta fuit, non addit *calata*: ſed ſupra *pictura* ponit, *vel, calatura.* Inferiùs, verſibus 26, 34, & 37. abſque controverſia addidit Interpres, ſine *pictura, calata*; *Et calatæ palmæ erant, una hinc & altera indè, in fronte ejus: Et palmæ calatæ in fronte*, &c. *Et calatura palmarum in fronte*, &c.

C. 40. v. 49. *Et octo gradibus aſcendebatur ad eam*] Manuſcripta quotquot habemus (nam quod in Bibliorum margine ſignatum eſt, D. Hentenii eſt exemplar) legunt feminino genere *eam*. Similiter Enarratores legunt, Richelius, Carenſis, Autor Gloſſæ, ipſéque Hieronymus, cujus hæc verba ſunt, *Et octo gradibus aſcendebatur ad eam*] i. *ad portam interiorem*; & iſta, *Octo ſive decem gradibus, qui perfectus eſt numerus, aut undecim, de quo jam diximus, aſcenditur ad portam ſanctorum.* Porrò Regius textus ex Complutenſi, & quidam alii impreſſi libri, maſculino genere ſcribunt *eum*. Atqui quò referri id poſſit non video. Hebraicè eſt אליו eodem genere: ſed id vel ad אלם refertur, vel ad שער: hoc autem Latini feminino genere dicunt *portam*; illud neutro, *veſtibulum*. Græcis codicibus αὐτὸν quod legitur, ad οἶκον referri poteſt (καὶ εἰσήγαγέ με εἰς τὸ αἰλὰμ τῆς οἴκου, pro quo nos habemus, *Et introduxit me in veſtibulum templi*) quod & Hebræa permittunt. Quod hîc Lyranus notat, *li octo non eſſe de textu, quia non ſit in Hebræo*, ſuis D. Hieronymus commentariis refellit: Symmachum enim, qui *octo gradus* poſuit, hoc loco ſecutum ſe ait.

C. 46. v. 16. *Si dederit princeps donum alicui* [*alieni* o.] *de filiis* [*principibus* o.] *ſuis.*] Unum Pariſienſium manuſcriptum Ge. p. ſex noſtra Brug. Leod. Q. L. Pl. ang. F, ac typographorum editiones Mogunt. Nuren. Colon. Compl. & Quent. ſcribunt *donum*. Permulti verò libri illius loco *domum* habent. Hugo Cardinalis veram literam ſecundùm Hieronymum *donum* eſſe docet: ſic enim Hieronymi commentarius habet, *Hucuſque ſermo de principe: nunc de heredibus ejus præcepta tribuuntur, imò de donis, hereditate, atque legatis, quibus dare debent, & quorum ſit vel ad tempus vel æterna poſſeſſio. Si*, inquit, *filiis ſuis dederit, vel donum, vel hereditatem, ipſi poſſidebunt eam.* Græca vox δῶμα ad *donum* & *domum* ambigua eſt: ſed Hebraica מתנה, ex qua illa tranſlata eſt, *donum* ſignificat, non *domum*, derivata à נתן, quod eſt *dare* ſive *donare*. Eadem vox Chaldaicè eſt: quam verſu proximo Interpres *legatum* tranſtulit. Quare Hentenius & Pariſienſes rectè *donum* in textum tranſtulere.

NOTATIONES IN DANIELIS PROPHETIAM.

Cap. 2. v. 41.

PORRÒ quia vidiſti pedum & digitorum partem teſteam ſignli & partem ferream] Tria Pariſienſium (Di. o. l. Ge. o.) decem Hentenii, & duodecim noſtra manuſcripta, *teſtæ* habent pro *teſteam*. Sunt autem in illis duodecim noſtris pleraque noſtra integriora, Brugenſe, Leodienſe, Plantini medium, O, E, Q. Beati Hieronymi commentariis junctus textus *teſtam* ſcribit, ex Chevallonii editione: Carenſis verò *teſta* habere Hieronymum notat. Chaldaico fonti (eſt enim Danielis liber, ab hujus capitis 4 verſu uſque ad octavi capitis initium, Chaldaico ſermone conſcriptus) eſt חסף, quod ſubſtantivè *teſtam* denotat. Quare germana eſſe videtur Interpretis ſcriptura, quam Pariſienſes receperunt, *teſta*. Manifeſtus eſt autem ſenſus, ex 33 verſu, quo clarè legitur, *Pedum quadam pars erat ferrea, quædam fictilis.*

C. 4. v. 29. Tria noſtra manuſcripta, Brug. Lob. O. & Hentenii emendatio, ad hunc ſcribunt modum, *Et cum beſtiis feris erit habitatio tua*: qui Chaldaico fonti & Græcæ editioni conſonant. Ille habet, ועם חיות ברא מדרך, *Et cum beſtia agri habitatio tua*; hæc, καὶ μετὰ θηρίων ἀγελῶν ἡ κατοικία σου, *Et cum beſtiis agreſtibus habitatio tua.* Complures verò codices, cum Interlinearis Gloſſæ Autore, inter *beſtiis* & *feris* conjunctionem legunt; ſed varié. Undecim noſtri habent, *Et cum beſtiis & * feris* [* *cum* 1 MS.] Alii undecim noſtri, *Et cum beſtiis atque feris*; novem, *Et cum beſtiis feriſque*; unus, C notatus, *Et cum feris atque beſtiis.* Suprà, 22 verſu, ubi eadem leguntur verba, O. & Lobienſe ſimiliter abſque conjunctione ſcribunt, *Et cum beſtiis feris erit habitatio tua*, Chaldæo & Græco pari modo conſentientibus. Verùm ibi plerique omnes codices, & quidem uniformiter, *Et cum beſtiis feriſque*, habent, *erit* [*fiet* 1 MS.] *habitatio tua*: quam & Epanorthotes antiquorum librorum eſſe lectionem docet. Ergò, quantum deprehendere nos poſſimus, viceſimoſecundo verſu *cum beſtiis feriſque*, viceſimonono *cum beſtiis feris*, Interpres tranſtulit. Pariſienſis typographus verſu 29. ſimul cum conjunctione *feris* ſuſtulit: non rectè. Errore id factum crediderim, quòd in priori editione erroneè ſignarit - *& feris*, pro - *&* [- Vet. Di. l. Ge. o.] *feris.*

C. 6. v. 4. *Quærebant occaſionem ut invenirent Danieli ex latere regni.*] Malè in codicibus quibuſdam ſcriptum eſt,

est, *Quærebant ut invenirent occasionem Danieli:* rectus ejus ordo est qui in emendatioribus est, *Quærebant occasionem ut invenirent Danieli.*

Pro *ut invenirent Danieli* tria Hentenii exemplaria legunt, *ut auferrent Danielem*; unum ex nostris, *ut evellerent Danielem:* quæ substituta sunt, quòd ei quod sequitur, *ex latere regu*, aptiùs congruere viderentur; illud verò, *ut invenirent Danieli*, obscurius esset, minúsque intelligeretur. Nam & hinc quidam id omiserunt, quidam aliter immutarunt. Scriptum C notatum duntaxat, *Quærebant occasionem ex latere regis*, habet; H notatum, *Quærebant occasionem ut invenirent Danielem ex latere regis*; Busslidianum, *Quærebant occasionem ut veniret Danieli ex latere regis.* Atqui Chaldaicè להשכחה לדניאל est, *ad inveniendum Danieli*, vel, *contra Danielem*; & Græcè, ἀφεῦν κ᾽ τὸν Δανιὴλ, *invenire contra Danielem*; quemadmodum in plerisque integrisq; Latinis libris, *ut invenirent Danieli.*

Ex latere regni. Sic Complutensis editio, atque ex hac Regia, legit: sic ex Parisiensi Lovaniensis Hentenii habet: sic denique Parisiensis Nivellii, anno 73 impressa, scribit. Cui scribendi modo prototypum Chaldaicum suffragatur, מצד מלכותא, i. *ex latere*, sive *ex parte*, *regni.* Græcis libris qui exstant pars ista non legitur: sed Vaticanis est, ἐκ τῆς βασιλείας, &, ἐκ πλαγίων τῆς βασιλείας· illud *ex regno* significat; hoc, *ex lateribus regni.* Utriusque Theodoritus meminit: *EX REGNO, vel, ut quædam exemplaria habent, EX LATERIBUS REGNI: h. e. omnia moliebantur, cupientes eum invenire aliquid in regni leges deliquisse.* Porrò universa nostra Latina manuscripta pro *regni*, *regis* habent, (præter duo aut tria quæ *regẽ* scribunt, quod potiùs est *regnum* quàm *regis*) quibus consonant priores typographorum excusiones, Moguntina, Nuren. Colon. Veneta, & aliæ. Notavit quoque Hentenius 17 exemplaria quæ pro *regni*, *regis* legant. His Latini enarratores adstipulantur, Richelius, Carensis, Lyranus, Rupertus, Glossæ Ordinariæ Autor; atque adeò Hieronymus, cujus Commentarius habet, *Quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis. Et in hoc loco Hebræi tale nescio quid suspicantur.* Latus regis, *regina est, vel concubina ejus, cæteraque uxores quæ ex latere dormiunt. Quærebant ergò occasionem in rebus hujuscemodi*, &c. Nos interpretemur simpliciter, quòd nullam occasionem adversùs eum repererint in qua regi noxius fuerit, &c.

C. 8. v. 2. *Cùm essem in Susan castro, quod est in Ælam regione*] Manuscripti codices, priorésque typographorum editiones, non *Susan*, ut Hebraicè est, scribunt, sed *Susis*, voce ad Latinam normam flexâ: quo modo & Græci ἐν Σύσοις dixere. Pro *regione* aliàs legitur *civitate. Civitate* antiquis libris, *regione* novis, Epanorthotes tribuit: *Antiqui*, ait, Quod est in Elam civitate, *pro quo ponunt novi*, regione, *quia Hebraicè* Medina *est. Sed tale Hebraum pro civitate ponitur, infrà* XI. *d. ibi*; Et uberes urbes ingredietur, &c. Id planè & in nostris nos codicibus invenimus, antiquiores legere *civitate*, posteriores aliquot *regione.* D. Hieronymi commentarius habet, *In Elam regione, sive, ut Symmachus interpretatus est, civitate, à qua etiam regio nomen accepit; ut à Babylone Babylonii, & ab Elam Elamita.* Quare existimarim ex Hieronymi commentario sumptum quod habent libri posteriores, *regione*; reservatum autem ab antiquis, quod Hieronymus Symmachum secutus primùm verterit, *civitate.* Lxx transtulerunt *regione* (ἤ ὄζιν " ὸν χώρᾳ ["χώρα o.] αἰλὰμ Græcis codicibus legitur) quod & Hebræa vox מדינה frequentiùs significat *(interdum enim*, Pagninus ait, *capitur particulatim pro aliqua urbe)* & huic aptiùs loco congruere videtur. Nam Susi, Ælamitarum metropolis, *castrum* dicta, D. Hieronymo expositore, quòd tantâ firmitate sit ædificata ut castrum esse videatur (quanquam pro *castro* malint Neotericorum quidam *regia* vel *metropoli* vertere) quo modo *in Ælam civitate* esse dicatur, nisi vel in altera civitate potentissima Metropolis, vel in seipsa ipsa? quamobrem hìc mirum in modum Carensis se torquet. Parisienses, ex Basileensi ac Complutensi Bibliorum editionibus, & Hentenius, *regione* pro *civitate* substituerunt.

C. 8. v. 14. *Usque ad vesperam & manè duo millia trecenti*] Complures Latini libri addunt cum Græcis vocem *dies*, *Usque ad vesperam & manè dies duo millia trecenti*, adstipulante Glossematico Carensi. Verùm quinque Parisiensium exemplaria (Di. o. l. Ge. o. Mog. Bas.) novem nostra (Brug. Leod. Lob. O. Col. &c.) & quædam Carensis magine significata, tollunt, Hebraico fonti similiter. Hentenius & Parisienses textu expulerunt. Epanorthotes non esse hìc *dies* notat. Existimarim *dies* hâc parte significari *usque ad vesperam & manè.* Est enim hæc, *usque ad vesperam & manè*, diei naturalis periphrasis, qui constat vespere & manè, nocte & die, sibi succedentibus.

C. 12. v. 6. *Et dixi viro qui erat indutus lineis*, &c. *Usquequo finis horum mirabilium?*] Duo manuscripta, Plantini unum (medium) Collegii Trilinguis alterum, & Complutensis editio (quam Parisienses sunt secuti) legunt tertiâ personâ *dixit*, Hebræo conformiter, ויאמר, i. *& dixit*, scilicet alter eorum qui stabant super ripam fluminis. Cæterùm plerique omnes Latini libri, tum scripti tum impressi, primâ personâ scribunt *dixi*; quibus D. Hieronymi commentarius adstipulatur: sæpius enim repetit, Danielem interrogasse. Nisi dicas intellexisse Hieronymum, Danielem, mutatâ hìc personâ, de se in tertia persona locutum: id quod ego transferenti Hieronymo lubentiùs tribuerim, si non omisso Jod, ואמר legerit. Græcè est, καὶ ἄπων, quod verti potest, &, *& dixi*, &, *& dixerunt*, scilicet duo illi qui stabant super ripas fluminis. Posteriori modo Theodoritus Græcus autor intellexit.

C. 14. v. 12. *Contemnebant* [*Contemnebat* o. *Contendebant* o. *Despiciebant* Richel.] *autem* [*enim* o.] *quia fecerant sub mensa absconditum introitum*] Impressi codices, Moguntinam editionem secuti, ferè *confidebant* habent: sed manuscriptorum exemplarium plura *contemnebant* legunt. Ex emendatioribus nostris, Brugense, Lobiense, & L, cum Parisiensium Di. l. o. Ge. o. V. *contemnebant*; Leodiense, O. E. Q. Plantini medium, *confidebant* scribunt. Carensis legit *contemnebant*, & D. Hieronymo tribuit *confidebant.* Hentenius & Parisienses *contemnebant* in textum retulerunt: quod quidem Græca vox καταφρόνουν manifestè significat: possit tamen & alterum admittere.

C. 14. v. 37. *Et non dereliquisti* [*derelinquis* o.] *diligentes te*] Exemplar Dionysii latum, quod Parisienses secuti sunt, pro *diligentes*, *quærentes* scribit, Græcæ Hispanorum editioni conformiter, quæ καὶ οὐκ ἐγκατέλιπες habet, τοὺς ἐκζητοῦντάς σε. Scriptor parvi codicis inter Plantinianos cœperat *quærentes* scribere: sed medium dictionis expressum transfodit, & *diligentes* subtexuit. Occurrerat fortassis ei similis Psalmi versiculus (Psal. 9. 11.) *Quoniam non dereliquisti quærentes te, Domine.* Cætera nostra MSS. omnia & impressi libri, cum Richelio enarratore, *diligentes* habent, ídque solùm, Græco Vaticanæ Bibliothecæ antigrapho similiter, καὶ οὐκ ἐγκατέλιπες τοὺς ἀγαπῶντάς σε. Aldi & Germanorum Græca Biblia utrumque legunt, καὶ οὐκ ἐγκατέλιπες τοὺς ἐκζητοῦντάς σε καὶ ἀγαπῶντάς σε. Fortè ex Psalmo nono profectum est ἐκζητοῦντας *quærentes.*

NOTATIONES IN LIBRUM HOSEE PROPHETÆ.

Cap. 1. v. 9.

Quia vos non populus meus, & ego non ero vester] Multi codices, cum Richelio expositore, addunt *Deus*; quidam

quidam hoc ordine, *Et ego non ero Deus veſter*; plures ſic, *Et ego non ero veſter Deus.* Sex autem Pariſienſium, Di. o. l. Ge. o. p. V. Comp. & ſeptem noſtri, Leod. Lob. O. L. H. G. C. cum Carenſi, omittunt *Et ego non ero veſter.* Quibus adſtipulantur textus adjuncti Hieronymi commentariis & Gloſſæ Ordinariæ quam in 12 Prophetas ex Societatis Jeſu Collegio ſcriptam habemus. Carenſis notavit Gloſſam ſubaudire *Deus* (rectè) ſed Lombardum in textu habere *Dominus.* Hebraicè tantùm eſt, ואנכי לא אהיה לכם *Et ego non ero vobis:* id quod Chaldæus exponit, *Verbum meum non erit in auxilium veſtrum.* Itaque caſtigatores, Hentenius, Pariſienſes & Epanorthotes, ſine *Deus* & *Dominus*, *Et ego non ero veſter*, legendum eſſe judicarunt. Græca Germanorum exemplaria Baſil. & Argent. habent Θεὸς, καὶ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ Θεὸς ὑμῶν· ſed emendatiora, Venetum, Complutenſe & Vaticanum, tollunt καὶ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ὑμῶν.

C. 7. v. 5. *Dies regis noſtri*] Pariſienſis typographus, ex manuſcripto S. Germani parvo, pro *dies* ſcripſit *die*; *Die regis noſtri cœperunt - principes* [o.] * *furere* [* *noſtri* o.] *à vino* [*animo* o.] Id quod rectè quidem ex Hebræo transfertur: ſed alterum, *dies* inquam, noſtræ verſionis eſſe germanum (ſunt enim Hebræa ad utrumque ambigua) codicum & Enarratorum conſenſus loquitur. Codices noſtri omnes, & typis & calamis exarati, *dies* legunt. Enarratores, quotquot vidimus, *dies* exponunt, Montanus, Richelius, Carenſis, Lyranus, Autor Gloſſæ, Rupertus, Haymo, denique Hieronymus, cujus verba ſunt, *Paululum Iſrael & Samaria civitas conquievit, recepto in ſe erroris ardore, donec tota maſſa fermento ſimilis fieret, & creſcat atque erumperet: ac populus intumeſcens clamaret ad fores Hieroboam regis, & diceret, Hic eſt dies Hieroboam regis noſtri, hic eſt feſtus dies quem nobis inſtituit imperator noſter; hunc celebramus, hunc canimus, in hoc exſultamus & ludimus, in hoc vitulos aureos adoramus. Clamante populo, principes non irati ſunt, ut quidam putant, ſed & ipſi cœperunt furere à vino*, &c. ac poſtea; *Infelices*, ait, *populi*, &c. *qui ab hæreſeos principe & ab ejus ducibus ſolemnitates alias ſuſceperunt, relinquentes eccleſiam, & veritatem conculcantes fidei, ſolent clamare & dicere, Hæc eſt dies regis noſtri, verbi gratiâ, Valentini, Marcionis, Arii atque Eunomii. Quod audientes qui eis præpoſiti ſunt, non inebriantur vino, nè leve putetur eſſe peccatum, ſed inſaniant ex vino*, &c. Græci Interpretes primo ſimiliter caſu tranſtulerunt, ſed mutato ſingulari numero in pluralem, ἡμέρας τῶν βασιλέων ὑμῶν, vel ut, juxta Hebræum, habent Complutenſis & Baſileenſis editio anni 1550. ἀυτῶν. illud Theodoriti eſt. Theophylactus legit, ἡμέρας τῶν βασιλειῶν ὑμῶν, *dies regnorum veſtrorum*: videtur tamen & βασιλέων *regum* agnoſcere, id quod ſingulari numero Hebraicè eſt.

C. 9. v. 7. *Propter multitudinem iniquitatis tuæ & multitudo amentiæ*] Octodecim noſtra MSS. & *multitudo amentiæ* [*avaritiæ*] ſcribunt; undecim, & *multitudinem amentiæ.* Inter hæc, ex emendationibus, ſunt Brugenſe, Lobienſe, Leodienſe, E; inter illa, O. Q. L, quibus adde Pariſienſium Di. o. l. Ge. p. o. v, & primas typographorum editiones, Mogun. Nuren. Colon. Hebræum utroque verti poteſt modo. Priori, *Et multitudo amentiæ*, accedit Lxxii interpretatio, ὅτι [ὑπὸ Gq.] τῶν πλήθους τῶν ἀδικιῶν σου ἐπληθύνθησαν [ἐπληθύνθη Gq.] μανίαι * [* σου Gq.] *A multitudine iniquitatum tuarum multiplicata eſt amentia* * [* tua Gq.] quem Autores, Haymo, Autor Gloſſæ, Lyranus, Carenſis, Richelius, & Correctores Pariſienſes atque Hentenius, ſequuntur. Eum ipſum B. Hieronymus his verbis exponit, *Quorum veſania multiplex eſt, quia & iniquitates fuere quàm plurimæ:* niſi ea Græcæ, non ſuæ, verſionis occaſione ſcripſerit; quod ex iis quæ præcedunt veriſimile omnino fit. Quinetiam alia priora ſunt ejus verba, quibus poſteriorem modum, *Et multitudinem amentiæ*, quem Rupertus habet, videtur agnoſcere; *Igitur propter multitudinem iniquitatum tuarum; quibus in ſcelere diu debacchatus es, non prophetam meum, ſed te inſanum eſſe cognoſce.* Nonnulli codices addunt pronomen *tua*, *Et multitudinem amentiæ * tuæ* [* *viæ* o.] quod Hebraici libri & Græca Regis editio confodiunt.

C. 10. v. 12. *Seminate - vobis* [o.] *in juſtitia*, * *metite* [* & o.] *in ore* [*more* o. *honore* o. *horrea* o.] *miſericordiæ* [*miſericordiam* o.] Quatuordecim Hentenii exemplaria & noſtra viginti tria legunt, *Seminate vobis in veritate juſtitiam*; quod miror unde ſit ſumptum: non enim credo germanam eſſe lectionem. Illud, *Seminate vobis in juſtitia*, quod ferè eſt in impreſſis libris, & in ſcriptis, Lobienſi, O, Q, L, aliiſque quatuor noſtris, Græcæ interpretationi, Hebraico fonti & Hieronymianæ enarrationi conforme eſt. Græcè & Hebraicè eſt, σπείρατε ἑαυτοῖς εἰς δικαιοσύνην, זרעו לכם בצדקה *Seminate vobis in juſtitia*, vel *ad juſtitiam.* Hieronymi enarratio habet, *Nunc præcipit ut ſeminent ſibi per pœnitentiam, & ſeminent in juſtitia, i. in lege: mutántque in miſericordia, i. in gratia Euangelii:* & rurſum, *Cúmque ſeminaveritis in juſtitia, & meſſueritis in miſericordia*, &c. Hanc Hieronymi enarrationem poſteriores ſecuti ſunt, Haymo, Autor Gloſſæ, Carenſis. Pariſienſis typographus ex uno codice, Germani oblongo, emendavit, *Seminate vobis juſtitiam:* quam non veram lectionem, ſed veræ lectionis ſenſum eſſe exiſtimo, tametſi ex noſtris ſcriptis unum ſimiliter legat. Exemplar Plantini latum ſcribit, *Seminate vobis in juſtitiam.*

C. 10. v. 14. *Sicut vaſtatus eſt Salmana - " à* [-1 MS. H. *" de* o.] *domo ejus* * *" qui* [* *Jeroboal* 3 MS. ſed malè. *" quia* o.] *vindicavit Baal* (*Bala* o.] Quidam librorum *vindicavit*, quidam *judicavit* [*judicabit* o.] legunt. Pariſienſes ex codicibus V. B. & Hentenius, expulſo *judicavit*, *vindicabit* in textum receperunt. Atqui emendatiora noſtra manuſcripta *judicavit* habent, Brugenſe, Lobienſe, Leodienſe, O, E, Plantini medium, Q, quibus concinunt prima Chalcographorum Biblia, Mogun. Nuren. Colon. His adſtipulantur Expoſitores, Haymo, & qui Haymonem ſequuntur, Autor Gloſſæ & Carenſis: quanquam enim *vindicavit* ſit ſcriptum, expoſitio quæ eſt *damnavit*, ſatis indicat legendum *judicavit*, quo modo ſcripta Gloſſa quam habemus legit. Apud Richelium, cujus explicatio eſt *reprobavit atque damnavit*, ſimiliter ſcriptum eſt *vindicavit:* verùm is poſtea adfert textus aliquos habere, *Qui vindicavit Baal*, quod fit in Baal vindictam exercuit: cujuſmodi Lyrani eſt lectio atque explicatio; *Qui vindicavit Baal, i. vindictam accepit de eo.* Hebraicè eſt בית ארבאל, quod *domum Arbeel*, vel *Arbaal*, ſignificat. Interpres ſubaudivit præpoſitionem, *à domo*, & proprii nominis interpretationem dedit. Exiſtimavit autem *Arbaal*, ſeu *Arbeel*, Gedeonem eſſe, qui ex eo quòd deſtruxit fanum Baal lucúmque ſuccidit, & ille ſe vindicare non potuit, cognomentum *Jerobaal* ſortitus eſt, quod eſt, *ulciſcatur ſe Baal:* id quod refert Judicum hiſtoria Jud. 6. 32. idem enim credidit Interpres ſignificatum nomine *Arbaal* quod *Jerobaal.* *Sicut igitur*, in commentariis ait (non enim dubitamus quin Vulgatæ Prophetarum editionis Hieronymus ſit autor) *vaſtatus eſt Salmana ab Jerobaal (quem malè quidam arbitrantur Jeroboam filium Nabath, qui decem tribubus præfuit) & vaſtatus eſt, ut in Hebræo continetur, ab* ארבאל, *idipſum ſignificante quod & Jerobaal, ſed breviori diſertióque ſermone*; *ſic*, &c. Verùm huic obſtat, quòd *Jerobaal* ſcribatur penultimâ literâ ע, atque omnino nomen Baal ע habeat, non א, ſicut id quod hoc loco eſt, *Arbaal.* Attamen & Lxx, Gedeonem hoc loco intelligentes, *Jerobaal* tanquam idem nomen interpretando ſubſtituerunt. Perperàm enim, Græcis pleriſque in libris, Ἱεροβοὰμ pro Ἱερόβααλ legi, cùm ſuperiora Hieronymi verba tum Theophylacti commentaria docent. Theodoritus etiam locum de Gedeone exponit. Quare Hieronymus & Lxx ע penultimâ literâ ארבעל legiſſe videri poſſint. Id autem unde Hieronymus, qui Latinam ejus interpretationem dedit, quoad priorem

priorem partem deduxerit, an ab ארב, quod est *insidiari*, an ab ארר, quod *maledicere*, an à רוב, quæri potest. Verisimilius est, dum vertit, à רוב deduxisse, unde est ירבעל *Jerobaal*: neque enim ab ἱερὸς *Jerobaal* est dictus, quod Theophylactus putat. Significat autem רוב *litigare, judicare*. In libro Judicum cap. 6. v. 31, 32. vertitur *vindicare, ulcisci, Vindicet se de eo, Ulciscatur se de eo*, juxta nostram editionem: quò respexisse putarim Castigatores, qui hîc, *Qui vindicavit Baal*, emendarunt. Sed non satis id Interpretis hoc in loco translationi convenire videtur: quandoquidem non Gedeon vindictam sumpserit de Baal (id enim significatur si legas *vindicavit*) sed Baal irrisus sit quòd se vindicare de Gedeone, aræ lucíque demolitore, nequiverit. Ergò rectiùs legatur, *Qui judicavit Baal*, quod est, condemnavit, infirmum atque impotentem ostendit; nec deum esse, qui se de hoste haud potuerit ulcisci.

C. 11. v. 12. *Judas autem testis descendit, cum Deo, & cum sanctis fidelis.*] Complures libri scribunt *fidelibus, Et cum sanctis fidelibus*. Verùm optimi, cum Ruperto Tuitiensi, *fidelis* habent; Brugensis, Lobiensis, Leodiensis, O E. Q, A, ex nostris; Di.o.l.Ge.o.p. ex Parisiensium. His Hebraicus textus valt, ועם קדושים נאמן, i *Et cum sanctis fidelis*, scilicet *est*. Hebræus quidam interpretatur, *& cum sanctis fideli*: de quo Lyranus & Pagninus. Sed haud multùm id suffragari possit lectioni *fidelibus*. Castigatores, Hentenius & Parisienses, *fidelis* textu donarunt; meritó: nam & Hieronymi commentarius luculentissimè id adstruit: *JUDAS testis sermonum Dei, & adstipulator, & vindex, descendit cum Deo in mare, & inter sanctos fuit fidelissimus, ut verbis jubentis crederet Deo: &* postea juxta eam quam probat explanationem, *JUDAS AUTEM, h.e. duæ tribus, quæ habebant Templum, Legem, Prophetas, & servabant præcepta legalia, erant testes, gradientésque cum Deo, & cum sanctis fideles. Sanctos dicere possumus, vel Angelos, vel Patriarchas & Prophetas, & cæteros qui Dei imperio serviebant*: & rursus κατ' ἀναγωγὴν, *JUDAS AUTEM, h.e. vir ecclesiasticus, non superbit, non inflatur tumore hæretico; sed humiliatur cum Deo, & cum sanctorum choro fidelis est & robustus.* Lxx transtulerunt, καὶ λαὸς ἅγιος κληθήσεται [κεκλήσεται] Gq. - τοῦ [Gq.] Θεοῦ, *& populus sanctus vocabitur Dei*. Pro עם, quod est *cum*, עם *populus* legerunt: קדושים plurale singulari collectivo junctum intellexerunt: *vocabitur* addiderunt: denique נאמן *fidelis* gignendi casu acceperunt, ac *Dei* expositerunt.

C. 12. v. 11. *Si in Galaad idolum, tamen frustrà erant in Galgal bobus immolantes.*] Duodecim nostra manuscripta, Brugense, O, E, Q, Plantini medium, &c. & antiqua Epanorthotæ, cum Moguntina, Colonien., atque aliis quibusdam typographorum editionibus, *in* præpositionem, voci *Galaad* præpositam, Hebræo conformiter tollunt: quam neque Haymo, Autor Glossæ & Carensis legunt. Subaudita est autem à quibusdam, Chaldæo Paraph. D. Hieronymo, & aliis: hinc aliis libris videtur addita. Parisienses ex V. Bibliorum à se correctorum textui adjecerunt. Pro *Galaad* quidam codices, etiam insignes, *Galgal* habent: sed perperàm. Lobiense exemplar, E, Plantini medium, multáque alia, cum Epanorthote, *Galaad* scribunt: id quod Hebraicè ac Chaldaicè legitur; & ab Enarratoribus, D. Hieronymo. & posterioribus, exponitur. Græca Hispanorum editio Γαγγάλα scribit; Aldi & Germanorum, cum Theodorito. Γαλαὰδ· εἰ μὴ Γαλαάδ ἐστιν, *Si non Galaad est*. Videntur Lxx pro און, quod *idolum, mendacium*, & *iniquitatem* significat, אין, quod est *non*, legisse, אם גלעד אין *Si Galaad non*. Conjunctionem *tamen* duo Parisiensium antigrapha (Compl. Bas.) sex Hentenii, & 17 nostra (Lob. E. Pl.m. P. Nuren &c.) cum *ergò* mutant. Porrò *tamen* est in 19 nostris libris, Brug. O, Q, L, A, Mogunt. Colon. &c. Hebraica dictio אך utrumque admittit, & *tamen* & *ergó*. Haymo, Rupertus, Autor Glossæ & Richelius *tamen*, Lyranus & B. Hieronymus *ergò* explicant. B. Hieronymi verba sunt, *Quod ergò dicit, hoc est*, Si in Galaad, *de qua scriptum est* Hos. 6. 8. Galaad civitas operantium idolum, supplantata à sanguine, *falsi sunt dii & perversa religio* &c. ergò & (in) Galgal *de qua in hoc eodem Propheta legimus*, Hos. 9. 15. Omnis malitia eorum in Galgala, &c. *quicunque idola colunt, non boves diis immolant, sed bobus offerunt sacrificia, imitantes errorem Samariæ.* Epanorthotes scribit, *Ergò frustrà erant in Galgal.*

Restat quarta hoc in loco varietas. Magna MSS. nostrorum, & quidem emendatiorum, pars legit, *Frustrà errant in Galgal*, pro eo quod in aliis est *erant*. In quibusdam mutatum conspicitur *erant* in *errant*; errore. Hebraica enim vox היו, & quam Græci transtulerunt ἦσαν, non *errant* significant, sed *erant*, id quod servant Moguntina, multáque alia excusa Biblia.

NOTATIONES IN PROPHETIAM AMOS.

C. 1. v. 1.

Verba Amos qui fuit in pastoralibus Thecue.] Quidam codices *in pastoribus* scribunt, unus Parisiensium Compl.) 3 Hentenii, quatuor nostri scripti duo Pl. la.F. impressi totidem Lugd. Quent. manuscriptum A notatum *de pastoribus* habuit. Verùm longè plures libri *in pastoralibus* legunt; & quidem etiam antiquissimi & emendatissimi quique nostri: quibus adstipulantur disertè Carensis & Richelius. *Pastoralibus*. subaudiunt *locis*, apte nimirum ad pascendos greges. Subaudit id & Glossa quam ex Societatis Jesu Collegio scriptam habemus. Nam quæ Lugduni impressa est non tantum non id habet, verumetiam *pastoribus* legit. Subaudit idem Remigius Altissiodorensis: perperam enim legi existimo, *Qui fuit in pastoribus*, scilicet loci *Thecue* illius oppidi, pro, *Qui fuit in pastoralibus*, scilicet locis *Thecue* illius oppidi. D. Hieronymus notat, quod Hebraicè est בנקדים, Aquilam vertisse ἐν ποιμνοτρόφοις, quod sit, *in pastoralibus*; Symmachum verò & quintam editionem ἐν τοῖς ποιμέσιν *in pastoribus*. Utrum autem ipse, dum vertit, secutus sit non addit. Enarratio quam post paululum subjicit, utrumque attingit; *Sermones Amos, qui fuit de oppido Thecua, ut numero pastorum, quia pastoralis & ipsa est regio, hoc volumine continentur.* Lxx dixerunt, non, ut in plerisque est libris & Theodorito, ἐν Καιαδιαρείμ. sed, ut in Vaticano ἐν Ἀκχαρείμ, *in Accarim*; de quo D. Hieronymus; quod malè in Complutensi scriptum est ἐν Ἀκχαρεί. Proximæ voci *Thecue* fide digniora exemplaria Brug. Lob. Leod. O. Q Atr. s. cum D. Hieronymi textu, *de* præpositionem præponunt *Verba Amos qui fuit in pastoralibus de Thecua*; Hebræo, Græco & Chaldæo similiter.

C. 1. v. 6. *Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non convertam eum.*] Duo Parisiensium scripta Ge.o.p. & Hentenii unum, legunt feminino genere, *Non convertam eam*, ità ut respondeat pronomen præcedenti nomini *Gazæ*: quo modo videtur & ex nostris exemplar B notatum, quod M.N. Hunnæus inter cætera dedit, scripsisse. Similiter legunt versu nono proximo eadem Parisiensium scripta, quæ & castigando utrobique secuti sunt, *Super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non convertam eam*: quo modo ibi id habet ex nostris quod Collegii Trilinguis Præsidens commodavit. Consonant nono versu Græci libri, Regius & Vaticanus: habent enim οὐκ ἀποστρέψω αὐτὴν, pro quo alii scribunt αὐτὸν. Sexto versu concorditer omnes αὐτὸν legunt: ex quibus profluxisse opinor, quod ibi Hieronymi commentariis junctus textus legit, *eos*, Cæterùm Latini codices pleriq; omnes. & scripti & impressi, ac Rupertus Latinus enarrator, servant masculino genere *eum* 9 & 6, ut aliis similibus hujus & proximi capitis versibus. Quòd si Interpres sexto & nono verbibus, respectu ad nomina præcedentium civitatum *Gaza* & *Tyri*

Tyri habito, dixisset *eam*; eundem ad modum tertio versu dixisse debuisset, *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor, non convertam eam.* Atqui eo loco sine codicum varietate legitur *eum* (quanquam Lugdunensis anni 22 editio prætermittat) & Interpres ipse ibi, *Damasci populum*, sive *Syrum*, subaudit: hæc enim sunt Hieronymi eum in locum commentantis verba, *Quódque in principio dicitur*, Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor, non convertam eum, *&, secundùm Lxx*, non aversabor eum, *i Damasci populum, sive* ארם, *i.* Syrum, *hunc sensum juxta historiam habere potest, Si semel meum esset populum persecutus, aut secundò, darem veniam: nunc verò, cùm tertiò & quartò crudelis exstiterit*, &c. *nónne debeo eum plagis corripere; nónne clementia mea vultum averſare ab eo?* Videtur igitur & in aliis omnibus versibus, qui hoc capite sequuntur similes, *eum* masculino genere vertisse, atque ad eum modum intellexisse: sicuti Hebraicè semper est masculini generis affixum נו. Græci codices, Regius & Vaticanus, legunt tertio versu, & Hieronymus citat αὐτὸν, cùm alii αὐτὸς habeant.

C. 2. v. 13. *Ecce ego stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno*] Quædam exemplaria tertiâ conjugatione scribunt, *stridam, stridit:* sed antiquiora & præstantiora legunt secundâ, *stridebo, stridet.* Sedecim Hentenii, 19 nostra manuscripta, pro *subter* habent *super*: quanquam contractè quædam scribant sr̄. Alia novem nostra MSS. servant *subter*. Nominatim, Brugense, Leodiense, O, disertè *super*; Lobiense, E, L, *subter* habent. His Moguntinus & alii plerique impressi libri consonant. Hebraicè est תחתיכם, quod est, *sub vobis*, seu, *subter vos*; Græcè ὑποκάτω ὑμῶν, id quod idem est. Videtur igitur genuina esse lectio *subter vos*, cùm & ipsa faveat sententia: hoc est enim quod hoc loco per Prophetam Dominus ait, Sicut stridet plaustrum sub nimio fœni onere, ità stridebo ego sub pondere iniquitatum vestrarum. Cæterùm Epanorthotes antiquis codicibus adscribit *super*, his verbis, *Ecce ego stridebo super vos*] *secundùm antiquos codices, & antiquos originales; vel* subter *quoad Hebræum & Expositores: & fortè ponunt* super *ad oppressionem designandam. Require Exo. xxvii.* Exodi 27. v. 5. docet antiquos codices legere *super*, tametsi Hebraicè sit תחת, *Quos pones super arulam altaris:* id quod in Brugensi, Leodiensi & Lobiensi manuscriptis vidimus. *Super* itaque, si hoc Prophetæ loco legendum sit, pro *contra* accipi potest. B. Hieronymi explanatio est, *Idcirco sicut plaustrum stipula vel fœni onere prægravatum, stridore & sonitu longè exululat; sic ego peccata vestra ultrà non sustinens, & quasi stipulam tradens incendio, clamabo, & dicam*, PERIBIT FUGA A VELOCE, & cætera quæ in Propheta sequuntur.

C. 3. v. 12. *Sic eruentur filii Israel qui habitant in Samaria, in plaga lectuli, & in Damasci grabato.*] Plerique nostrorum codicum legunt, *Et in Damasci grabato* [*grabato Damasci* o.] quibus adstipulantur Glossematici, Richelius. Carensis, Lyranus, Rupertus & Altisiodorensis. Cæterùm antiqui Epanorthotæ codices, quinque Hentenii, 4 Parisiensium (Di. o. l. Ge. o. p.) & 5 nostri (Brug. o. E. Q. Pl. m.) scribunt, *Et in Damasco grabati* [*grabato* 1 MS.] quomodo & Leodiense exemplar, atque alterum I notatum, habuere. Hebraicè est ובדמשק ערש, quod ferè vertunt neoterici, *Et in angulo grabati*, ità ut idem sit, vel penè idem, cum eo quod præcedit, *In plaga*, sive *angulo, lectuli*. Non enim legunt דַּמֶּשֶׂק, quod est metropolis Syrorum nomen, *Damascus*; sed, ut ab Hebræis punctatum est, דִּמְשָׂק: id quod alibi non reperitur. Sensum autem tradunt hunc, Paucos Israelitarum servandos esse, eósque tantùm quos hostes contempserint, quòd eis dedecori essent si occiderentur, aut oneri si caperentur: quales qui ægroti decumbunt. Qui sensus Prophetæ similitudini optimè convenit. Noster Interpres דמשק pro *Damasco* accepit, ut & Chaldæus ac Lxx, vertítque, vel, *Et in Damasci grabato*, vel, *Et in Damasco grabati*, vel utrumque. Hoc, *Et in Damasco grabati*, quod Parisienses secuti sunt, Hebræo conformius (non enim solet Hebraicè regenti nomini rectum præponi) posítque & in eum sensum intelligi quem juxta aliorum translationem jam diximus, Hebraico nomine *Damasco* appellativè sumpto. Alterum tamen etiam, *Et in Damasci grabato*, admittere Hebræa possint. Quidam transfert, *Et in Damasco (in) grabato*: id exponi possit, *Et in Damasci grabato.* Porrò hoc, *Et in Damasci grabato*, D. Hieronymi commentarius explanat: id quod & Epanorthotes notavit; *Antiqui*, inquit, *Et in Damasco grabati*; *Hieronymus evidentiùs, In Damasci grabato.* Verba Hieronymi inter cætera hæc sunt, *Filii ergò Samariæ habitant* in *regione &* plaga lectuli, *requiescentes in Syrorum auxilio*, & in Damasci grabato *sibi victoriam pollicentes: ut, quomodo qui fessus est refocillatur in lectulo, sic illi fractas vires vicina gentis auxilio roborarent.* Hujusmodi sensum & Chaldæus Paraph. dedit; *Sic liberabuntur filii Israel qui habitant in Samaria, in fortitudine potestatis & in Damasco confidentes.*

Vocem ערש, quam, post Aquilam, Hieronymus *grabatum* traduxit, existimat Hieronymus Lxx Interpretes Hebraicam retinuisse (ἐν ὀν Δαμασκῷ ἱερεῖς) aliquos verò, qui eam non intellexerint, legisse ἱερεῖς, quod est *sacerdotes*; hinc esse Græcè, ἐν ὀν Δαμασκῷ ἱερεῦς: sic enim Hieronymus Græcè legit: itáque Regium exemplar & Vaticanum, cum autore Theodorito, scribunt. Quidam autem Græci libri, Aldi & Germanorum, habent, ἐν ὀν Δαμασκῷ κλινῶ, ἱερεῖς, quod est, *Et in Damasco inclinabit, Sacerdotes.* Τὸ κλινῶ, aut fortassis κλίνη, quod est *lecto* sive *grabato*, additum crediderim ex altera interpretatione; quòd septuagintaduorum interpretationi deesse putaretur quod Hebraico ערש respónderet.

C. 5. v. 17. *Et in omnibus vineis erit planctus*] Exemplaria, Hentenii sedecim, nostra viginti tria, legunt *viis, Et in omnibus viis erit planctus*: quibus auxiliantur codices Græci, ἐν ὁδοῖς πάσαις κοπετός· & adstipulantur Glossematici, Autor Glossæ ac Richelius. Porrò octo nostra manuscripta, Lob. O, Q. P, &c. impressáque aliquot, habent *vineis*: quibus suffragantur Hebraici & Chaldaici libri; ובכל כרמים מספד ובכל כרמיא מספדא, *Et in omnibus vineis planctus* (כרמים enim & כרמיא *vineas* significant, non *vias.*) Et patrocinantur Tractatores, Altisiodorensis ac B. Hieronymus. Hujus verba sunt, *Ut nequaquam in omnibus plateis, sicut suprà dictum est, sed in vineis sit planctus atque luctus: ut ubi quondam fuit materia lætitiæ, sit origo lacrymarum:* & postea juxta mysticum sensum, *In omnibus quoque vineis erit planctus, quia vineæ Sodomorum vineæ eorum*, (hæreticorum,) &c. Epanorthotes itaque legit *vineis*: *tametsi*, quod ait, *in multis antiquis sit* VIIS, ut certè est Brug. E, L. Pl. m. nostris. Errori occasionem dedisse potuerunt Græcorum librorum lectio, Latinarum vocum affinitas, eáque quæ præcedunt similia, quæ sic habent, *In omnibus plateis planctus; & in cunctis quæ foris sunt*, five, ut est Græcè, *& in cunctis viis, dicetur væ væ*: unde & Græci libri fortassis corrupti sunt, nisi דרכים Lxx pro כרמים legerint.

C. 7. v. 1. *Et ecce serotinus post tonsorem gregis.*] Remigius Altisiodorensis legit, *Et ecce bruchus:* ídque ei præfert quod alii codices habent, *Et ecce serotinus.* Verùm id, *bruchus* inquam, Græcæ Lxx II, non nostræ editionis est: לקש enim, quod Hieronymus *serotinum* est interpretatus, Lxx II βρῦχον intellexere. Porrò Hieronymus, in ea lectione quam pòst referemus, bruchum per *tonsorem regis* intellexit. Pro *tonsorem* quidam libri *tonsionem* legunt; MS. qui ex collegii trilinguis bibliotheca est, impressi Venetus (anni 1497.) Basil. Compl. Lugd. (anni 1522.) Quentel. (anni 1529.) Paris. cujus & Altisiodorensis (anni 1557. & 1573.) meminit. גז, quod Hebraicè est, Neoterici Interpretes *tonsiones* reddunt,

vel *detensa germina*. Porrò Hieronymus *tonsorem*, sive *tonsuram*, in commentario exponit. Quare servandum id nobis videtur, quod penè omnia scripta antigrapha & primæ typographorum editiones habent, *tonsorem*. Quod pleraque exemplaria scribunt *gregis*, certa res est scribendum *regis*, ut est in manuscriptis, Hunnæi B, & Plantini angusto, atque impressis, demptis Parisiensibus anni 1573, superioribus omnibus quæ *tonsionem* legunt, adstipulantibus enarratoribus Richelio & Altisiodorensi. Hebraica enim vox מלך, quod notum est, *regem* significat, non *gregem*. Quare & Lxx, & Chaldæus, & Aquila, quem Hieronymus citat, & denique neoterici translatores, *regem* convertêre. Ac nè quis de Hieronymo nostro Interprete dubitet, commentarius ejus ubique legit atque agnoscit *regis*. *Gregis* substitutum fuit (quod & Lyranus existimat) quòd sermo hic sit de rebus agrestibus, inter quas frequenter in sacris historiis gregis tonsio celebratur. Epanorthotes itaque legit, *Et ecce serotinus post tonsorem regis:* cujus sensus esse possit, descendisse imbrem serotinum post detonsam herbam regis; in quem sensum Chaldæus vertit, *Et ecce repullulatio tenuis postquam tonsa fuit herba regis*. Lobiensis Abbatiæ scriptum habet, *Et ecce post serotinum tonsor sive tonsura regis:* quod ex D. Hieronymi commentario est sumptum, quo id legitur atque explicatur. Mirum verò est, cùm Hebræa, Græco & Chaldæo suffragantibus, non hoc loco scribant præpositionem *post*, sed eo quo à plerisque omnibus Latinis libris, והנה לקש אחר גזי המלך, quod scholiastes Hebraicus traduxit, *Et ecce herba serotina* succreverat *post tonsiones ipsius regis*. Porrò, pro אחר, quod est *post*, Lxx אחד legêre, quod est *unus*; & pro גזי, quod est à גזז *tondere*, גזי quod Hieronymo videtur, aut גזן: transtulerunt enim, καὶ ἰδοὺ βρῦχος εἷς τοῦ ὀ βασιλεύς, *Et ecce bruchus unus Gog ille rex:* pro quo malè esse putarim in Complutensi, οἱς τοῦ τὸν βασιλέα *in Gog regem*. Nam & Hieronymus ità exponit ut *bruchus* Gog rex appelletur, & Gog genti sævissimæ comparetur: adstipulatúrque Theodoritus.

C. 7. v. 7. *Hæc ostendit mihi Dominus,*] Novemdecim nostrorum MSS. Pl. m. Q. L. &c. habent, *Hæc ostendit mihi Dominus Deus:* novem, Lob. O, E, &c. legunt, *Hæc ostendit mihi Dominus*: duo, I & Leodiense, cum uno Hentenii, tribus Parisiensium (Compl. Ge. o. Di. o.) & antiquis Epanorthotæ, scribunt, *Hæc ostendit mihi*; sublatis nimirum *Dominus* & *Deus*, id solum legunt. Primæ lectioni volunt quidam Græci codices, Venètus & Argentoratensis; habent enim, οὕτως ἔδειξέ μοι κύριος κύριος, *Sic ostendit mihi Dominus Dominus*. Secundæ suffragantur insigniores Græcorum libri, Basileensis anni 1550, Complutensis & Vaticanus, cum Theodoriti textu, qui alterum κύριος tollunt. Tertiæ adstipulantur Hebraica ac Chaldaica exemplaria, & textus D. Hieronymi commentariis junctus. Tertiam probarunt Parisienses & Epanorthotes: quorum hic annotavit, *Item b. Hæc ostendit mihi: & ecce Dominus stans super murum. Sic habent Hebræus, & antiqui, & Hieronymus.* Verosimile est hæc *Dominus* & *Deus* ex præcedentibus huic loco addita, aut ex glossa, quæ hunc locum juxta præcedentia exposuerit, in textum relata: bis namque hoc ipso capite præcessit, *Hæc ostendit mihi Dominus Deus* [*Dominus* Gq.] primo & quarto versibus: quæ est eorum locorum celebris ac vera lectio.

C. 8. v. 5. *Quando transibit messis *, [* Israel o.] & venundabimus merces? & sabbatum, & aperiemus frumentum?*] Latini codices plerique, cum Expositoribus, Altisiodorensi, Ruperto, Autore Glossæ, Lyrano, Carensi & Richelio, legunt *messis*. Unus scriptus Abbatiæ Lobiensis; ac impressi duo, Complutensis & Quentelianus, cum textu D. Hieronymi commentariis juncto, habent *mensis*. Hebraicè est חדש, Græcè μὴν, Chaldaicè ירח, quæ omnia *mensem* significant, non *messem*. Parisienses itaq; & Epanorthotes scribunt, *Quando transibit mensis? In Hebræo*, subdit Epanorthotes, *expressum est, quòd est ibi* mensis, *i. Kalendæ*; & sabbatum, *ut contractuum rediret tempus: licèt multi antiqui habeant* messis. Porrò intelligunt quidam de mense messis, quo pauperes reperiebant in agris quod comederent: quem, Hebraicus Scholiastes (Montanus) à Chaldæo Paraph. dictum putat *mensem frumenti*; id enim Chaldæus hoc loco dedit ירח עבורא *mensis frumenti*. Quare videri possit Interpretem, secutum hunc sensum, *messis* posuisse pro *mensis*. Cæterùm commentarius Hieronymi *kalendas* exponit; *Qui exspectatis*, inquit, *kalendas, ut negotiemini, & usuras augeatis de usuris; & sabbata, ut aperiatis horrea, detíque frumenta ampliùs recepturi*, & Dei solennitates, turpis lucri gratiâ, in vestra compendia vertitis. Unde constat eum *mensis* interpretatum esse. Non enim *messis* kalendas significat: sed *mensis* nomine, cujus principium sunt, apud Hebræos kalendæ exprimuntur. Porrò id in Hieronymi enarratione demiror, quòd istos *exspectare* dicat *kalendas ut negotientur, & sabbata ut aperiant horrea:* cùm potiùs id optare videantur, ut kalendæ, sabbata, cæteræque Dei solennitates quibus negotiatio prohibita erat, transierint, ut amato incumbere possint lucro. An fortè Hieronymus *transibit* acceperit pro *erit*? tempus enim, cùm est, transit; nec est, nisi transeat.

C. 8. v. 7. *Juravit Dominus in superbia Jacob*] Sic unum Parisiensium manuscriptum Ge. p. & 27 nostra Brug. Leod. Lob. E. L. Q. Pl. m. &c. legunt. Quædam *in superbiam* habent, O. A. Pl. ang. pluréque impressi libri, quanquam primi, Mog. Nuren. & Colon. ante annum 1480 excusi, illis consentiant. Hebraicum בגאון utroque modo verti potest. Priorem *in superbia*, quem Repertus sequitur, Hentenius & Parisienses amplexi sunt: qui propiùs ad id accedit quod alii vertunt, *Juravit Dominus per magnificentiam*, sive *celsitudinem, Jacob*. Porrò Richelii, Carensis, Lyrani, Auctoris Glossæ, Altisiodorensis & Hieronymi commentarii constanter *in superbiam* legunt, unanimitérque *contra superbiam* exponunt: quam tamen expositionem etiam illud, *in superbia*, admittere possit: quòd ejusmodi constructio in antiquis Bibliorum exemplaribus non rarò occurrat.

C. 9. v. 1. *Non erit fuga eis* [*ei, sed* o.] *fugiet, "& non salvabitur ex eis qui "fugerit* [*"& qui fugerit ex eis, non salvabitur* o. *"fugerint* o. *"fuerit* o.] Hanc hujus loci genuinam existimo lectionem, quam multa atque emendatissima nostra manuscripta (Brug. Leod. Lob. O, E, Q, Pl. m. &c.) ac prima Coloniæ excusa Biblia servant, & D. Hieronymi, in proximè sequentium versuum enarratione, citatio, ac Ruperti Tuitiensis explicatio probant. *Qui suprà dixerat*, inquit Hieronymus, *Non erit fuga eis: fugiet, & non salvabitur qui fugerit; nunc ipsam fugam in partes secat*, &c. Quidam codices, & scripti & impressi, auferunt τὸ *fugiet*; iniqué. Nam Hebraicè, Græcè & Chaldaicè legitur, quanquam non eâ formâ. Quidam plurali numero scribunt *fugient*; malé. Hebræis enim, Græcis & Chaldæis singularis est numerus. Nonnulli τὸ *fugiunt* præcedentibus hoc modo jungunt, *Non erit fuga eis qui fugient: & non salvabitur*, &c. Parisiensium duo Ge. o. p. Hentenii unus. Quæ quidem distinctio, Hebræorum, Græcorum & Neotericorum interpretū distinctioni convenit: sed non est nostri Interpretis, qui *fugiet* vertit, id quod iis quæ ab ipso versa præcedunt jungi nequit. Porrò Hebraicè est, לא ינוס להם נס, id quod Græci interpretati sunt, * ὃ [* καὶ R.] μὴ διαφύγῃ ἐξ αὐτῶν φεύγων* similiter Neoterici Latini, *Non fugiet ex eis fugiens*. Noster interpres maluit ל dictionis להם pro nudo dativi casûs signo accipere, ac *non erit fuga eis* vertere; & נס *fugiens* sequentibus jungere.

NOTA-

NOTATIONES IN MICHEÆ PROPHETIAM.

C. 4. v. 8.

ET tu turris [*turturis* o.] *gregis nebulosa-filia* [o.] *Sion.*] Quidam libri incisum collocant post *gregis*, *Et tu turris gregis, nebulosa filiæ Sion:* id quod eorum versioni convenit qui quod Hebraicè est עפל, *turrem* vel *aceem* interpretati sunt, *Et tu turris gregis, turris* [*arx*] *filiæ Sion*; sed non Hieronymi, qui *nebulosam* traduxit, perinde ac si esset אפל. Junxit enim עפל cum מגדל, *nebulosa* cum *turris:* sic namq; ipse suam versionem explicat, ut nihil de posterioribus Enarratoribus dicam. Deinceps multi libri habent, *filia Sion*; plures, *filiæ Sion:* ex emendatioribus nostris, Leod. O.Q. Pl. m. *filia*; Brug.Lob.E. *filia* scribunt. Similiter antiquorum Epanorthotæ quidam hoc, quidam illo modo legunt. Hebræa utrumque admittunt. Lxx, ut quidem libri habent, Symmachus, quod Hieronymus testatur, & inter Neotericos, Pagninus, *filia Sion* transtulerunt. Porrò Hieronymus se *filia Sion* transtulisse significat: *Et hæc*, inquit, *turris, filiæ est Sion, sive, ut Symmachus vertit in Græcum, ipsa est filia Sion.* Quæ Hieronymi verba in Glossam relata sunt. Parisienses & Hentenius castigatores *filiæ* textu donarunt.

C. 5. v. 5. *Et erit iste* [*ista* 1 MS. G.] *pax: Assyrius cùm venerit*, &c.] Sic pleraque nostra MSS. legunt, Brug. Leod, Lob. O.L.Pl.ang.&c. & prima Chalcographorum Biblia, Moguntina ac Colonienſia. Quinque Hentenii, & quatuor nostra manuscripta, cum aliquot impressis libris, scribunt, *Et erit iste pax Assyriis, cùm venerit.* Hebræa ex se ad utrumque sensum ambigua sunt; והיה זה שלום אשור כי־יבא, i. *Et erit iste pax Assur cùm venerit.* Cæterùm Hebræi ità distinxerunt ut *Assur*, à præcedentibus separatum, ad sequentia referatur, accentu athnah, qui distinguendi vim habet quam apud nos Colon, dictioni שלם *pax* subjecto. Itaque intelligunt locum omnes Enarratores, antiquiores & recentiores, quos vidi; nimirum ut ad sequentia *Assur* sive *Assyrius* spectet; uno Ruperto excepto, qui utrumque legendi modum agnoscit atque exponit, & posteriorem quidem, qui præcedentibus jungit Assyriis, tanquam ordinatiorem, præfert. Quidam codices, duabus transpositis vocibus ut major sit claritas, scribunt, *Cùm Assyrius* [*Cùm Assyriis* o.] *venerit:* verùm præstantiores eo ordine legunt qui Hebraicè est, *Assyrius cùm venerit.*

NOTATIONES IN PROPHETIAM NAHUM.

Cap. 1. v. 12.

SI perfecti [*persecuti* o.] *fuerint, & ità plures, sic quoque attondentur* [*attendentur* o. *attondetur* o. *tondetur* 1 MS.] *& pertransibit* [*transibit* o.]] Quidam postremum verbum *pertransibit*, ut prioribus esset conforme, in *pertransibunt* mutavere: nam *pertransibunt* habent 8 Hentenii & 6 nostri codices, cum Richelio expositore. Cæterùm longè plura nostra & emaculatiora exemplaria, Brug. Leod. Lob. O. E. L. P. &c. *pertransibit*, quod Hebraicè est, servant, adstipulantibus Tractatoribus, Carensi, Autore Glossæ, Ruperto, Haymone, sive Altisiodorensi (nam idem utrique adscribitur commentarius) & B. Hieronymo. *Et pertransibit*, inquit B. Hieronymus, *Assur, vel esse desistet, sive vastato exercitu suo revertetur ad patriam, te sospitem derelinquens:* quod alii ferè secuti sunt. Chaldæus Paraphrasi suæ accommodè, singularem numerum plurali commutavit.

C. 2. v. 4. *In itineribus conturbati - sunt* [o.] *quadriga *" collisa' sunt* [** ejus* o.*" convulsa* o. *avulsæ* o. *collisserunt* o.] ** in* [** ab eis* o.] *plateis.*] Quatuor manuscripta, Germani oblongum, Plantini medium, H, & Busslidianum, pro *conturbati sunt* habent *conturbatæ sunt*, feminino genere, quod ad *quadriga* referatur. Hebræa ambigua sunt ex se ad utrumque. Cæterùm Hebræi ità interpunxerunt ut cum יתהוללו, quod Interpres noster *conturbari* dixit, הרכב, quod *quadrigæ* transtulit, copuletur: quomodo & Chaldæus ac Lxx-viri distinxerunt. Porrò noster Interpres, ut facilè potuit, aliter videtur distinxisse; יתהוללו ab הרכב separasse, itáque transtulisse ut primùm protulimus, *In itineribus conturbati sunt: quadrigæ collisæ sunt*, &c. In primis enim sic pleraque exemplaria legunt, etiam præstantissima. Tum Enarratores id explicant, & disertissimè ipse B. Hieronymus, cujus verba sunt, *Rursùmq; ad descriptionis ordinem rediens, Tanta est, inquit, multitudo venientium, ut conjunctum agmen sit in itinere, & discerni nequeat. Ipsa quoque quadriga, dum viam non reperiunt, præ multitudine inter se colliduntur in plateis.*

C. 3. v. 2, & 3. *Vox flagelli, & - vox* [o.] *impetûs rotæ, & equi frementis, & quadrigæ ferventis* [*furentis* o.] *& equitis ascendentis, & micantis gladii, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & gravis ruinæ.* Sic plerique nostri codices legunt, Lobiensis, Leodiensis, Q, L, A, &c. Duo Brugensis & Plantini medius, habent, *Vox flagelli, & vox impetûs rotæ, & equi frementes* [*frementis* o.] *& quadrigæ ferventes* [*ferventis* o.]- & [Brug. O.Heb.] *equites ascendentes, & micantes gladii, & fulgurantes hastæ, & multitudines* [*multitudinis E.*] *interfectæ, & graves* [*gravis E.*] *ruinæ.* His Hunnæi, E, & O. literis signata, exemplaria ex parte consonant, id quod indicavimus. Notantur quinque Hentenii & duo Parisiensium antigrapha illo omnia modo legere, præter *equi frementes.* Prior autem lectio Hebræo conformior est: quanquam enim tam primo casu quàm secundo verti possit, omnia numero habet singulari. Et is quidem pro plurali accipitur: sed priori legendi modo manifestè Hieronymus, Autor Glossæ, Carensis ac Richelius suffragantur. Hieronymus, *Vox flagelli*, inquit, *crudelis semper & sævientis imperii: & vox impetûs rotæ.* Vocem *pro sonitu accipiamus; rotam ferventem, per diversa discursum. Et equi frementis, & quadrigæ ferventis, subauditur in omnibus*, vox, &c.

NOTATIO IN PROPHETIAM HABACUC.

Cap. 1. v. 3.

QUare respicis contemptores, & taces conculcante impio justiorem se? & facies homines quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem?] Hanc periodum, quam multi codices, suffragantibus Richelio, Carensi, Lyrano, & Autore Glossæ, tertio versui addunt, post illa verba, *videre prædam & injustitiam contra me*, sex Parisiensium, Di.o.l.Ge.o.p.Mogunt.Compl. septem Hentenii, & novem nostri, Brug. Lob.Leod.O.Q.A.I. Colon. Quent.Ruperto, Haymone, & D. Hieronymi textu adstipulantibus, tollunt. In Hebraicis libris, Græcis & Chaldaicis non legitur. Itaque è textu Parisienses sustulere, Epanorthotes quoq; ait, *Abacuc 1.ca. Et injustitiam contra me? & factum est judicium. Nihil est interponendum: sed, quod solet hîc poni, inferiùs habet locum.* Inferiùs, versibus 13, & 14, legitur ab omnibus, Latinis, Græcis, Hebræis, Chaldæis: & quidem Latinæ editionis hæc sunt verba, *Quare - non* [H, G, C.] *respicis super iniquè agentes, & taces devorante impio justiorem se? & facies homines* [*hominis* o.] *quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem?* D. Hieronymus, in initio commentariorum hujus capitis, postquam illud, *videre prædam & injustitiam contra me*, & quæ præcedunt, juxta literam & temporis historiam exposuisset; subjecit, *generaliter* etiam *accipi posse, quòd ex persona humanæ impatientiæ videns peccatores*

in ſeculo abundantes Propheta loquatur: ac tum ea recitavit Propheta verba, quia ejuſdem ſunt argumenti quæ inferiùs 13, & 14 verſibus leguntur. Hujus occaſione conjecerim ea ab aliquibus initio capitis repetita: nam & eo planè modo ſunt ſcripta quo Hieronymus, Lxx duorum majori ex parte editionem ſecutus, recitat.

NOTATIONES IN PROPHETIAM ZACHARIÆ.

Cap. 1. v. 12.

Iste jam ſeptuageſimus annus eſt.] Adverbium *jam* quidam codices auferunt, duo Pariſienſium (Di.l. Ge.p.) tres noſtri (O.E.I.) quatuor Hentenii. Brugenſe manuſcriptum ſupra textum minori ejuſdem manûs literâ habet; Atrebatenſe pronomini *iſte* præponit. Hieronymi & Richelii textus non legunt. Nec Græcè additur, aut Chaldaicè. Hebraicè quod legitur pronomen זה, *jam* verti poſſit, ut Pagninus vertit, *Jam ſeptuaginta annos:* ſed Interpres *iſte* reddidit. Cæterùm Epanorthotes ſententiæ causâ *jam* additum ab Interprete exiſtimat, ſicuti eſt pleriſque in libris.

C.2.v.8. *Qui enim tetigerit vos, tangit* [*tanget* 15 MS.] *pupillam* [*puellam* o.] *oculi mei.* Pro *mei*, pronomine primæ perſonæ, quædam exemplaria ſcribunt tertiæ perſonæ pronomen *ejus*; unum Hentenii, quatuor noſtra, Lob. P.V.C. In manuſcripto K literâ ſignato videtur *ejus* pro *mei* ſubſtitutum; porrò in Brugenſi antigrapho, omnium præſtantiſſimo, è contrâ, *mei* pro *ejus*. Complutenſis editio legit *ſui*. Hebraicè, Græcè & Chaldaicè tertiæ Perſonæ ſunt pronomina, quæ & *ſui* verti poſſint & *ejus*. Græcus autor Theodoritus *ejus* intellexit. Apud Hieronymum, Gloſſæ Ordinariæ autorem, ut ea nobis eſt ſcripta, & Dionyſium Richelium, legitur *ejus:* quod Richelius quidem exponit pro *ſui (Tanget pupillam oculi ejus, i.* inquit, *ſeipſum ladet:)* Hieronymus verò, & ex eo Gloſſematicus, ad Deum referunt, ſi tamen id certò legerint, non *mei*, quod & ipſum refertur ad Deum. *Qui enim ſanctos Domini tetigerit*, ait Hieronymus, *ſic eſt quaſi vexare cupiat pupillam oculi ejus, & illum nitatur clarâ luce privare.* Videri poſſit *ejus*, quòd minùs intelligeretur, rejecto, *mei* pleriſque in libris ſubſtitutum: cæterùm Epanorthotes ob literæ conſequentiam *ejus* in *mei* mutatum ab Interprete exiſtimat: quanquam mihi minimè id exigere literæ conſequentia aut commoditas videatur.

C.4.v.2. *Et ſeptem infuſoria* [*fuſoria* o.] *lucernis quæ erant - ſuper* [o.] *- caput* [o.] *ejus.*] Sic Latini plerique codices, Græcis pleriſque ſuffragantibus, legunt. Porrò unum Pariſienſium Latinum manuſcriptum Ge. p. unum noſtrum O, & quinque Hentenii, inſuper Hieronymi commentariis adjunctus textus, addunt alterum *ſeptem*, *Septem & ſeptem infuſoria lucernis*; conformiter Hebræo ac Chaldæo. Conjunctio quam repetunt Pariſienſes & Hentenius, *Et ſeptem & ſeptem infuſoria*, ut non eſt Hebraicè nec Chaldaicè, ità neque in his quæ nos vidimus Latinis exemplaribus, O, & Hieronymiano textu, nec in Cardinalis Beſſarionis libro, qui poſteriori hoc modo eſt caſtigatus. Hieronymianus commentarius non indicat certò quid legerit; *Septem autem infuſoria*, inquit, *in quibus oleum ſit quod mittatur in lucernas quæ ſuper candelabro luceant, hoc intelligi volunt (Hebræi) ſeptem iſtas gratias (Spiritûs ſancti) de cœlo ad homines per Legem deſcendere.* Ac rurſus, *Lucernas ſeptem & effuſoria earum, & ipſi (eccleſiaſtici viri) gratias Spiritûs ſancti intelligunt: per quas oleum miſericordiæ Dei cunctarúmque virtutum Eccleſia ſuſcipit.* Quidam intelligunt lucernis ſingulis fuiſſe ſingula infuſoria: ex quibus Scholiaſtes Hebraicus eſt, cujus hæc eſt verſio, *Septem*, inquam, ſunt (ſcilicet *lucernæ*) *& ſeptem infuſoria lucernis ipſis quæ* ſunt *ſuper caput illius.* Alii intelligunt ſingulis lucernis ſeptem infuſoria fuiſſe ad olei miniſterium deſtinata. Græca Complutenſis editio ſcribit, *Et ſeptem infuſoria - ſeptem* [Alia] *lucernis quæ ſuper illud.*

C.4.v.14. *Iſti - ſunt* [MS.H.C.] *duo filii olei ſplendoris, qui aſſiſtunt dominatori univerſæ terræ.*] Unum Pariſienſium exemplar (Compl.) quatuor Hentenii, undecim noſtra (Brug. Lob. Leod. L.H. &c.) ac nonnulla Epanorthotæ, demunt *ſplendoris:* id quod apud Tractatores ferè non legitur. Porrò annotavit Hieronymus Hebræam vocem יצהר, quam ipſe Symmachum ſecutus vertit *olei*, Aquilam interpretatum eſſe σιλπνότητος *ſplendoris*, Lxx-duos πιότητος *pinguedinis*, Theodotionem λαμπρότητος *claritatis.* Hinc igitur quidam, ad interpretationis varietatem indicandam, juxta textum ſcripſere *ſplendoris*, ut eſt in Haymonis commentario, & noſtra Gloſſa Ordinaria ſcripta: quod in textum tandem relatum eſt, & majorem nunc librorum partem occupavit. Pariſienſes textu expulere; rectè, noſtrâ ſanè ſententiâ.

C.5.v.4. *Et commorabitur* [*commincbitur* o.] *in medio domûs ejus, & conſumet eum, & ligna ejus, & lapides ejus.*] Multi libri ſcribunt, *& conſumet eam*, feminino genere, tres Pariſienſium (Compl.Di.l.B.) quinque Hentenii, duodecim noſtri (Lob. E. Q. Pl. m. Pl. ang. Ven. &c.) Plures maſculinum genus ſervant, *eum*, tres & viginti noſtri, Leod. O.L. P.Mog.Nuren.Colo.&c. In Brugenſi MS. ex *eum* factum conſpicitur *eam.* Ex Hebræo & Græco utrumque ad modum verti poteſt: quanquam enim maſculina ſint pronomina Hebræis & Græcis (non enim omittunt emendatiores Græcorum librorum, Regius & Vaticanus, αὐτὸν) tamen referri poſſunt ad *domum*, quandoquidem maſculino genere ab utriſque *domûs* (בית οἶκος) efferatur. Quin textûs circumſtantiæ id potiùs videntur exigere, ut *eam* Latinè transferatur, atque ad *domum* reſpiciatur: *conſumi* namque *domui* rectiùs videtur quàm *homini* tribui; & ligna lapidéſque aptiſſimè, ex quibus domus conſtructa eſt, intelligi. Itaque tum ex Græco tum ex Hebræo Latini Interpretes ferè *eam* transferunt. D. Hieronymi textus legit *eum*; commentarius multùm vult alteri, *eam*, *Et commoretur in ea (domo) & omnia ejus ligna lapidéſq; conſumat.* Epanorthotes legendum cenſet *eam*, his verbis, *Item d.* Et conſumet eam, *i. domum, ſecundùm Hebræos & antiquos.* Pariſienſes quoque eundem legendi modum amplexi ſunt.

C.9.v.9. *Ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinum & ſuper pullum filium aſinæ.*] Multi codices legunt *Aſcendens ſuper aſinam* feminino genere: quibus B. Hieronymi textus adſtipulatur, ac commentarius ſatis convenit; *Et aſcendens*, habet, *ſuper aſinam ſubjugalem, ſive, ſuper pullum novum, utrumq; videlicet populum, Circumciſionis & Præputii.* Porrò quatuor Pariſienſium & quinque noſtra lectiſſima MSS. Ge.o.p.Di.l.o.Brug.Lob.Leod.O.E. cum tribus aliis vulgaribus, inſuper antiqui Epanorthotæ libri, ſcribunt, *Aſcendens ſuper aſinum.* Hebræa vox חמור, quæ Chaldaicè eadem eſt חמרא, *aſinum* plerumque ſignificat. Aſina אתון dicitur, quæ vox eſt in fine hujus verſiculi, ubi dicitur *filium aſinæ.* Græci ex חמור hic ὑποζύγιον *ſubjugale* tranſtulerunt, id quod & *aſinum* & *aſinam* admittit. Caſtigatores, Hentenius & Pariſienſes, *aſinum* textu donarunt: quibus ſuffragatur Epanorthotes; *Item d.* Aſcendens ſuper aſinum & ſuper pullum. *Hebræus & antiqui habent* aſinum. *Require Judicum v.* (v. 10.) *& 1 Paralip. xxvij* (v. 30.) *ubi Jadiu dicitur eſſe* ſuper aſinos *regis, Hebræus habet* ſuper aſinas: *quia aliquando pro utroque ſexu accipitur* aſinus *etiam in vulgari.* Quibus verbis id inſuper docere videtur, tametſi legatur *Aſcendens ſuper aſinum, aſinam* poſſe intelligi; quemadmodum illis in locis quibus *aſinos* legitur, quamvis in Hebræo diſertè ſit *aſinas*, אתונות. Euthymius, Matthæi enarrans Euangelium, eundem intelligit *aſinum*, quem *pullum filium aſinæ*; ità ut ſenſus ſit, Aſcendens ſuper aſinum qui ætate pullus eſt.

Cui

Cui ſenſui multùm vult iſta D. Joannis citatio Joan. 12. 15. *Sedens ſuper pullum aſinæ.* Matth. 21. 5. ubi hæc prophetia etiam citatur, Latinè legitur *aſinam*, narratúrque cum pullo aſinam fuiſſe adductam; cujus loci occaſione poſſit hîc *aſinum* cum *aſinam* eſſe mutatum.

C. 11. v. 10. *Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus*] Sex noſtri codices pro *Decus* legunt *Decor*; eo nomine quo priùs virga hæc appellata eſt, ver. 7. *unam vocavi decorem.* Cæterùm ut plerique, ità & emendatiſſimi quique libri, cum Tractatorum textibus, poſteriori hoc loco *Decus* habent, tametſi idem utrobique in Hebræo ſit nomen, נעם: & quidem etiam נעם *decorem* potiùs quàm *decus* ſignificat, *pulcritudinem* enim notat; ſed Interpretem pro eodem hæc accepiſſe, ideóque, quam priùs *Decorem* vocaverat, poſtea *Decus* appellaſſe, Epanorthotes docet.

C. 12. v. 8. *Et domus David quaſi Dei, ſicut angelus Domini in conſpectu eorum*] Multi libri ſcribunt *in conſpectu eorum*; plures *in conſpectu ejus*: duo Pariſienſium (V. Compl.) & ſedecim noſtri (Lob. Leod. L. P. H. &c.) illo modo; duo & viginti noſtri (Brug. O, E, Q, Pl. m. Mog. Nuren. Colon. &c.) ac plerique Epanorthotæ, hoc. Rupertus, Carenſis & Richelius, Enarratores, exponunt *eorum*: id quod Hebraici ac Chaldaici codices legunt; Græci etiam integriores, Vaticanus, Regius, Baſileenſis anni 1550. cum Theodoriti textu: nam Aldinus & Argentoratenſis pro αὐτῶν, αὐτοῦ habent. Quare Hentenius & Pariſienſes caſtigatores in textum id, *eorum* inquam, retulerunt. Porrò Epanorthotes pluralem numerum ab Interprete mutatum, atque *ejus* ſcriptum exiſtimat. Atqui Hieronymi & textus legit, & commentarius exponit, *eorum. Et qui de domo regia erat*, habet commentarius, *ſit quaſi de domo Dei, i. quaſi nuncius Domini & angelica dignitatis, in conſpectu eorum qui eo tempore fuerint reſalvati.* Vertit igitur Interpres noſter Hieronymus, ut Hebraicè eſt, *eorum*: niſi dicas eum vel Græcæ editionis pronomen *eorum* expoſuiſſe (legit enim *eorum*, non *ejus*, & ea quæ D. Hieronymo adſcripta eſt eſt Lxx-virorum editio) vel priuſquam commentaria ſcriberet aliter tranſtuliſſe, *eorum* nempe, quod Hebraicè, cum *ejus* commutaſſe, ità ut ſubaudiretur *Domini.*

C. 14. v. 10. *Et exaltabitur & habitabit in loco ſuo*] Quod quidam codices, impreſſi præſertim, poſt primas illas quas ſæpe commemoravimus editiones, legunt *habitabitur*, admittere & hoc poſſit fons Hebraicus: ſed ut pleraque omnia, ità emendatiora manuſcripta, *habitabit* habent; nec noſtra tantùm, verumetiam Pariſienſium; neq; non Hentenii, qui cum Pariſienſibus in textum *habitabit* recepit: id quod D. Hieronymi, Aktiſiodorenſis & Ruperti commentaria probant.

NOTATIO IN PROPHETIAM MALACHIÆ.

C. 2. v. 10.

QUare ergò deſpicit unuſquiſque noſtrûm fratrem ſuum?] D. Hentenius correxit *unuſquiſque noſtrûm*: ſic enim multi codices legunt, & quidem emendatiores noſtri, Brug. Lob. Leod. O. L. Pl. m. atque antiqui Epanorthotæ. Alii multi ſcribunt *unuſquiſque veſtrûm*: quidam & *noſtrûm* omittunt & *veſtrûm*, *unuſquiſque fratrem ſuum?* Græcè eſt, *Quid quòd reliquiſtis unuſquiſque fratrem ſuum?* id quod iis adſtipulatur qui habent *veſtrûm*: cujus perſonæ pronomine cæteras omnes hujus verſûs partes Græci legunt, cùm Hebræi, Chaldæi melioréſque Latini, primæ. Hebraicè eſt pars iſta, מרעו נבגר איש באחיו quod ſi vertas, *Cur deſpicitur unuſquiſque à fratre ſuo?* nec *noſtrûm* continetur, nec *veſtrûm*; ſi verò, quod Chaldæus ſequitur, & Camhio probatur. *Cur deſpicimus unuſquiſque fratrem ſuum?* manifeſtè continetur *noſtrûm*, Latinéque exponatur, *Quare ergò deſpicit unuſquiſque noſtrûm fratrem ſuum?* Quam Hieronymi eſſe tranſlationem & commentarius diſertè loquitur; *Propheta ſe ipſis annumeravit qui deliquerant, ut correctionem eò faciliùs ſuſciperent.*

NOTATIONES IN PRIOREM MACHABÆORUM LIBRUM.

C. 1. v. 57.

DIE quintadecima [*viceſima* o. xv. o.] *menſis Caſleu, quinto & quadrageſimo & centeſimo* [*cent. & quadra. quinto* o.] *anno, ædificavit rex Antiochus abominandum idolum deſolationis ſuper altare Dei.*] Latinorum exemplarium alia legunt, alia omittunt, & *centeſimo*: ſeptem & viginti noſtra, Leod. Malmund. O. E. L. Mog. &c. legunt; novem, Lob. Q. Pl. med. Pl. ang. A. antiquum D. Hunnæi Breviarium, &c. cum decem Hentenii, omittunt. Brugenſi MS. poſtea additum eſſe videtur. Meminit hujus Latinorum librorum diverſitatis Hugo Cardinalis. Græcorum antigraphorum ſimilis eſt varietas. Regium & Complutenſe addunt, καὶ ἑκατοστῷ. Aldinum, Argent. & Baſileenſe tollunt. Porrò illud conſtat, ſive legendum ſit, ſive non, intelligendum eſſe. Ordine enim procedit ſacræ hujus hiſtoriæ autor (Quomodo enim oſtendat Annius, quod ait in Philonis de temporibus Breviarium, Machabæorum libris, cùm abſque temporibus ſcripti eſſent, Joſephum tempora adjeciſſe? Certè argumentum quo docet Joſephum his in temporibus erraſſe, infirmum eſt) ab anno centeſimo triceſimo ſeptimo regni Græcorum, quo regnum ſuum ſcribit inchoaſſe Antiochum illuſtrem, uſque ad hunc centeſimum quadrageſimum quintum, qui nonus erat regni Antiochi, quo magnâ clade affectam ab eo narrat Jeruſalem impoſitúmque Divino altari idolum deſolationis. Legantur hujus capitis verſus, undecimus præſertim, 21, & 30. ſequentibus etiam capitibus pergit ad ſequentes ordine annos. Non eſt verò inſolitus numerandi modus, quo minor duntaxat numerus, majori, quòd notior ſit, ſuppreſſo, exprimitur.

C. 12. v. 19. *Et hoc reſcriptum* epiſtolarum* [**eſt* o.] *quod miſerat Onias: Rex Spartiatarum Onias Jonathæ ſacerdoti magno ſalutem. Inventum eſt in ſcriptura, de Spartiatis & Judæis, quoniam ſunt fratres, & quòd ſunt de genere Abraham. Et nunc, ex quo hæc cognovimus, bene facietis ſcribentes nobis de pace veſtra. Sed & nos reſcripſimus vobis. Pecora noſtra* [*veſtra* Gr.] *& poſſeſſiones noſtra* [*veſtra* Gr.] *veſtra* [*noſtræ* Gr.] *ſunt, & veſtra noſtra* [*noſtra veſtra* Gr.] *Mandavimus itaque hæc nunciari vobis*] Arbitrantur Gloſſematici, Lyranus & Richelius, epiſtolam hanc reſponſionem eſſe Spartiatarum ad ſuperiores Jonathæ literas: nimirum quòd id producta jam verba ſignificare videantur. Verùm ſuſpicio mihi eſt, temerata ea verba ab iis eſſe quorûm hæc fuerit præoccupata opinio, reſponſionem eſſe ad literas Jonathæ, quæ literis Jonathæ ſubjiciatur. At quomodo ſit reſponſio ad literas Jonathæ, quæ ad eorum nihil quæ Jonathas ſcripſerat reſpondet? Scripſerat, miſſas jampridem literas à Dario Spartiatarum rege, quibus certiores Judæos fecerat, fratres Judæorum eſſe Spartiatas. Hîc verò ſcribunt Spartiatæ, repertum eſſe in monumentis ſcriptorum, fratres eſſe Judæos & Spartiatas, ac ex eodem Abrahæ genere originem ducere; ſubdúntque, *Et nunc ex quo hæc* [*hoc* 3 MS.] *cognovimus*, &c. tanquam qui jamprimùm id noverint, non monitu Judæorum, ſed ex monumentis quæ legi contigerat, ipſíque priores id Judæis ſcribant. Scripſerat, ſcriptas à Spartiatis literas de ineunda cum Judæis amicitia ac ſocietate. Hîc verò, quaſi nunquam antea, primùm cum Judæis ſocietatem inire videntur, qui poſteaquam cognoverint ex eodem ſecum genere Judæos eſſe, pecora & facultates ſuas omnes cum Judæis

communes esse statuant. Nam quod habemus, *Sed & nos rescripsimus vobis*, intelligendum est, his literis: & certè præsens est Græcè, ἀντιγεγράφαμεν *rescribimus*, quod est, vicissim scribimus, scribimus ipsi ut vos ad scribendum hortemur; non quòd respondeant literis à Judæis datis. Scripserat Jonathas de Judaicæ reip. statu. Hic verò Spartiatæ, tanquam qui nihil literarum acceperant, ad scribendum ea de re hortantur, quòd fratres fratribus de rerum suarum statu scribere congruat; *Et nunc ex quo hæc cognovimus, bene faciatis scribentes nobis de pace vestra:* sic enim Nurenburgensis editio anni 1478, & manuscriptum D literâ notatum, legunt, *benefaciatis*. Græcè est, καλῶς ποιήσετε *benefacietis*, id quod alius reddit, *existimavimus vos rectè facturos esse*. Quòd si *benefacitis* quis legendum contendat, atque ad superiores Jonathæ literas respici; animadvertat, quàm non de pace sua ac Judæorum Jonathas scripserit, sed de bellis potiùs quibus continuò appetebantur, quamvis tunc, ut sæpe aliàs, Divino ipsi auxilio liberati, hostésque ipsorum depressi essent. Observandúmque est, omnino nihil in hac Spartanorum ad Judæos epistola de bellis quibus multo jam tempore Judæi fuerant divexati mentionis esse. Utique si eis responderent literis quibus id scripserat Jonathas, haud prætermisissent quin fratribus congratulati de adepta sæpe victoria fuissent, atque ad agendum semper fortiter animum addidissent, ac auxilium, si opus esset, ad facultatum, quas communes esse volebant, defensionem promisissent, aut saltem aliquid hujuscemodi significassent. Quare non Spartiatarum ad Jonatham responsionem hanc esse existimo; sed eas ipsas literas quas scribit Jonathas à Dario Spartiatarum rege ad Oniam summum sacerdotem fuisse jampridem missas, quibus declaratum fuerit, fratres esse Judæorum Spartiatas, & de amicitia ac societate significatum: quarum exemplum, ut Jonathas suis subjecit literis, ità hîc subjectum legitur. Hæc sunt literarum Jonathæ verba, *Jampridem missa erant epistolæ ad Oniam summum sacerdotem à Dario qui regnabat apud vos, quoniam estis fratres nostri, sicut scriptum* (vel, quod est in plerisque emendatioribúsque manuscriptis, *rescriptum:* id enim Interpres posuit pro ἀντίγεγραπται sive *exemplum* hîc, ut inferiùs, ubi ante exempli hujus subjectionem præmittitur, *Et hoc rescriptum) continet quod subjectum est. Et suscepit Onias* [*Adonias* o.] *virum qui fuerat missus cum honore: & accepit epistolas -in* | 5 MS. *quibus significabatur de societate & amicitia.* Vides quàm omnia huic sententiæ respondeant. Accedit verò Josephi historia (lib. 12. Antiq. Jud. cap. 5.) quæ eo loco quo gesta sub Onia Pontifice narrat, literas recitat Lacedæmoniorum regis Ad Oniam, sensu réque ipsâ cum his quæ hîc recitantur per omnia convenientes. Verba hæc sunt, *Rex Lacedæmoniorum Arius Oniæ salutem. Legentes scripturam quandam, invenimus ex uno esse genere Judæos & Lacedæmones, ex ea quæ cum Abraham cognatione* [ἐκ τῆς πρὸς Ἀβραὰμ οἰκειότητος.] *Justum est ergò ut fratres existentes, transmittatis ad nos de quibuscunque velitis. Faciemus verò & nos idem: & ea quæ vestra sunt, propria ducemus; & ea quæ nostra ipsorum, communia vobiscum habebimus.* Suffragantur eidem sententiæ codices Græci, qui, non ut Latini, *Et hoc rescriptum epistolarum quod miserat Onias; Rex Spartiarum Oniæ Jonathæ*; sed, *quas miserat Oniares; Rex Spartiatarum Oniæ*, habent. Pagnini verò nova versio manifestiùs, *Quas Darius misit ad Oniam*; *Rex Spartiatarum Oniæ.* His ergò adductus, arbitror Latinum textum, ut vulgò legitur, & quidem in omnibus nostris tam scriptis quàm impressis libris, depravatum hîc corruptúmque esse: quòd, ut dixi, citra dubium aliquibus persuasum fuerit, responsionem esse ad Jonathæ literas, quæ Jonathæ literis subjiciatur. Priusquam verò quomodo restitui hâc parte textus possit videamus de quibusdam diversitatibus est differendum. Nonnulli libri, *Et hoc rescriptum epistolarum quod misit Onias*, legunt: sed manuscripti plerique atque emendatissimi quique *miserat* habent, id quod in textum Hentenius & Parisienses castigatores retulerunt. Aoristum ἀπέσταλεν Interpres plusquam perfecto *miserat* vertit; agnoscens eas has esse literas quarum, suarum literarum initio, Jonathas mentionem fecerat. Aliqui, ex eodem quem suprà diximus errore, *misit* substituere. Altera est varietas distinctionis. Quidam codices interpungunt, *Quod miserat "Onias - rex" ["Rex Onias o. - o.] Spartiatarum; Onias Jonathæ*; quidam, *Quod miserat Onias; Rex Spartiatarum Onias Jonathæ.* Huic secundo interpungendi modo adstipulantur Aldi præsertim & Germanorum Græca Biblia, καὶ τοῦτο τὸ ἀντίγραφον ἧς ἐπιστολῆν ἀπέστειλεν Ὀνιάρης Βασιλεὺς Σπαρτιατῶν Ὀνίᾳ ἱερεῖ μεγάλῳ χαίρειν, *Et hoc exemplum literarum quas miserat Oniares; Rex Spartiatarum Onia sacerdoti magno gaudere*, Regia editio ex Complutensi habet, ἣν ἀπέστειλεν. Ὀνιάρης βασιλεὺς Σπαρτιατῶν Ὀνίᾳ ἱερεῖ μεγάλῳ χαίρειν, *quas miserant; Oniares Rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno gaudere.* Tertia demum est diversitas in proprio regis Spartiatarum nomine. In Jonathæ epistola priùs Δαρεῖος sive *Darius* vocatur; postea, ubi subjicitur exemplum epistolæ ad Oniam, *Oniares:* nam *Onias* in Latino corruptè legi non dubitamus. Porrò Josephus Ἄρειον *Arium* appellat, & in Jonathæ ad Spartiatas & in Spartiatarum ad Oniam literis: quo nomine sextus Babyloniæ rex apud Berosum legitur nuncupatus. *Arius* & *Darius* satìs mihi manifestum videtur idem hujus esse nomen, sive alteri vel desit vel redundet *D*, sive utrumque in usu fuerit. *Oniares* verò & *Darius* sive *Arius*, an duo sint ejusdem nomina, an unum idémque, cujus principio nunc præponi, nunc auferri soleat *oni*; certè enim *Oniares* interpreteris *fortitudo mea Arius*, ℵR *On* siquidem *fortitudinem* signat (possit &, si id velis, *fortitudo mea Ares*, sive *Mars*, à quo ἀρῆς *Martius* dicitur) an verò *Oniares* mutatum sit ex *Ariaves* aut *Dariaves*, quomodo ab Hebræis nomen *Darius* effertur, ignoro. Utut sit, existimarim ab Interprete nostro lectum versúmque ante epistolam à Spartanis missam, *Oniares:* id quod depravatores mutarint cum *Onias*, addito nomine *Jonathæ.* Hanc enim conjecerim germanam esse Interpretis scripturam, *Et hoc rescriptum epistolarum quod miserat Oniares; Rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno salutem:* quæ ut cum Græcarum editionum Aldi & Germanorum scriptura omnino convenit, ità ad Latinorum codicum vulgatem lectionem proximè accedit.

NOTATIONES IN POSTERIOREM MACHABÆORUM LIBRUM.

C. 1. v. 18.

Facturi igitur quintâ & vicesimâ die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duximus significare vobis, ut & vos quoq; agatis diem scenopegiæ] Sedecim nostra MSS. Brug. Lob. Leod. Malm. Brevi. O. Q. L. V. &c. tollunt, Græcis libris similiter, *Die*; *Quintâ*, habent, *& vicesimâ mensis Casleu.* Quatuor ex illis, Malm. O. Q. V. tollunt insuper *&* quod est post *ut* conjunctionem (superfluit enim alterum, aut *&* aut *quoque*) *ut vos quoque agatis.* Brugense, quod minùs est verisimile, aufert *ut*; *Et vos quoque agatis.* Illud Græco consonat, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἄγητε, *ut & ipsi agatis.* Sequitur in Græco, ὡς σκηνοπηγίας instar *scenopegiæ*, vel, *ut scenopegiæ*, sub. *solennitatem agitis.* Græca Aldi & Germanorum Biblia legunt ἕως σκηνοπηγίας usque ad *scenopegiam*, ἕως pro ὡς: quod si verum est, petunt dedicationis solennitatem toto penè anno, à mense Casleu usque ad Tisri, à nono usque ad septimum, celebrari. Verius est igitur quod in Complutensibus, ὡς σκηνοπηγίας. Interpres addidit quod subaudiretur, *diem scenopegiæ:* non tamen addidisse opinor, quod est in quatuor Hentenii exemplaribus, nullis verò nostris, *Diem festum scenopegiæ.* Cùm verò addiderit quod subauditur, omiserítne quod exprimitur, adverbium similitudinis ὡς, præsertim cùm ad rem non parùm faciat? D. Jansenio in caput 93 Concordiæ Euangeliæ verisimile est

est, scriptorum vitio omissum esse, omninóque legendum: quòd non festum scenopegiæ sive tabernaculorum petant celebrari, id enim decimoquinto septimi mensis, qui Tisri dicitur, die celebrandum erat; sed Templi purificationem altarísque dedicationem, instar festivitatis tabernaculorum, octo nimirum diebus, & cum palmarum ramis. Possit igitur *ut*, id quod omittit Brugense manuscriptum, aut, quod alia, *&* in *ut* mutatum, hunc in locum transferri; *Ut vos quoque agatis ut diem scenopegiæ.* Cæterùm nono hujus capitis versu vocantur hi dedicationis festi dies, *dies scenopegiæ*; *Et nunc frequentate dies scenopegiæ mensis Casleu*; nempe quòd in modum solennitatis tabernaculorum agi eos voluerint: egerúntque in modum tabernaculorum, ut est decimo hujus libri capite, cum lætitia, dies octo, recordantes quo pacto, ante modicum temporis, solennem tabernaculorum diem in montibus & speluncis, bestiarum more, transegerant. Quare etiam rectè locus intelligatur, tametsi similitudinis adverbium *ut* non addatur.

C. 1. v. 34. *Considerans autem rex, & rem'* [*rem & o. tunc o.*] *diligenter examinans, fecit ei templum* [*exemplum o.*] - *ut probaret quod factum" erat* [- 1 MS. C literâ notatum: *"est* 3 MS.] Sic plerique, cùm scripti tum impressi, codices legunt; adstipulantibus Glossematicis, Lyrano & Richelio. Octo autem nostra, eáque antiquiora & emendatiora, manuscripta, quæ paulò pòst suis indicabimus nominibus, cum Hugonis Carensis antiquioribus libris, auferunt postremam hujus versûs partem, *ut probaret quod factum erat.* Græca Complutensis editio habet, ἀνεφρέξατο [ὅπως ἐξῇ R.] ἢ ὁ βασιλεὺς *ἰσχὺν [*ἢ τόπον* Gq.] ἐποίησε, *Circumspiens autem rex" *templum'* [**locum* Gq.*"* aut, *sacrum*] *fecit.* Interpres legisse videtur ἐρᾶσας, à ἐράζω *considero*, pro ἐράξας, quod est à ἐράσσω *scipio.* ✝ τόπον, quod addunt Aldi & Germanorum Biblia, non legit; ut in Regiis & Complutensibus non legitur: putarim expositionis gratiâ adjectum. Sequitur, atque in aliis editionibus simili modo, δοκιμάσας τὸ πρᾶγμα· id quod verti potest, & *explorans*, sive *examinans*, *rem*, &, quod idem est, *probans factum.* Quare nihil mirum in integrioribus libris id, *ut probaret quod factum erat*, non legi, cùm ex altera esse videatur ejusdem partis translatione.

Sequitur versus 35. qui in impressis codicibus est hunc in modum, *Et cùm probasset* [*probavit* 1 MS.] *sacerdotibus donavit* [*donaverat rex* 1 MS. *dedit* 1 MS.] *multa bona*, - *& alia* [20 MS.] *atque alia munera* [*innumera* 11 MS.] - *&* [5 MS.] *accipiens* [*accipiebat* 2 MS.] ** manu* [** munera* 1 MS.] *suâ tribuebat* [*retribuebat* 2 MS. *tradebat* 5 MS.] *eis.* Quæ & vulgarium ferè manuscriptorum, ac Glossematicorum, Lyrani & Richelii, lectio est; exceptis duntaxat varietatibus quibusdam in [] inclusis. Porrò vetustiora emaculatioráque manuscripta longè aliter habent; *Et si quibus donaverat rex multa bona accipiebat* [*excipiebat* o.] *ex hoc & tribuebat*, nec plus addunt. Sic Brugense, Lobiense, Leodiense, Malmundariense, Hunnæi Breviarium, O, L R: nisi quòd Brugense *dominaverat* pro *donaverat*, & L *sic* pro *si* habeat. Testatur & Hugo Cardinalis in antiquioribus libris esse, *Et si quibus priùs dominatus fuerat rex, multa bona accipiebat ex hoc tempore & tribuebat.* Verùm hîc addita sunt explicationis ergò *priùs* & *tempore.* Est hoc loco iterum duplex ejusdem Græcæ sententiæ interpretatio; in vulgaribus libris una, in eximiis altera lecta. ᾧ οἷς, est Græcè, ἐχαρίζετο ὁ βασιλεὺς πολλὰ διάφορα ἐλάμβανε ᾗ μετεδίδου, quod est ad verbum, *Et quibus donabat* [aut *gratificabatur*] *rex multa diversa accipiebat & tradebat.* Posterior, antiquiorum manuscriptorum lectio atque interpretatio multò huic quod Græcè legitur vicinior est: itaque & hoc nomine præferenda. Clarum est autem manifestum esse errorem quod est in quibusdam, *dominatus fuerat, dominabatur*, vel *dominaverat*, pro *donaverat*; hoc enim, non illud, χαρίζεσθαι notat. Hanc verò Interpretis conversionem, quòd obscura sit, ut & fons ipse, cum altera illa mutarunt, quæ clarior est, & paraphrasticâs rem explicat. Ejus autem prima particula, *& cùm probasset*, ex eodem illo est quod superior versus habet, δοκιμάσας τὸ πρᾶγμα, quam exemplar C notatum habet, omisso illo, *ut probaret quod factum erat.* Quinque nostra & 4 Hentenii exemplaria utramque interpretationem connectunt conjungúntque: & quædam quidem eorum eam quæ germana est nostri Interpretis præponunt, quædam postponunt alteri; ex illis C, ex his est Q. Sed hæc, quia & longa & spuria sunt, nolo hîc recitare: potiùs adscribam quomodo locus integer genuinè puréque legatur. Itaque hunc id in modum ex antiquis codicibus fieri arbitror, *Considerans autem rex, & rem diligenter examinans, fecit ei templum: & si quibus donaverat rex multa bona accipiebat ex hoc & tribuebat.* Cujus sensum existimarim dari posse hujusmodi, Cognitâ Rex perspectâque rei veritate, locum in quo Divinus ignis absconditus fuerat sacrum reddidit ac consecravit: & si in quos Judæorum antehac munificus fuerat, ut certè in multos fuerat, jam multa eis bona, suis accepta manibus, per se elargiebatur.

C. 2. v. 11. *Et dixit Moyses, Eò quod non sit comestum quod erat pro peccato, & consumptum est*] Pro *comestum*, quod, post Moguntinam, pleræque omnes typographorum editiones habent, manuscripta exemplaria ferè *mundatum* legunt, tam antiqua, quàm quæ ætate posteriora sunt. Duo, C & D literis notata, scribunt *mandatum:* quibus Nurenburgensis editio anni 1478 conformis est. Unum, Atrebatensis Collegii sericatum, *manducatum* habet, quanquam addat & *mandatum:* in altero, A signato, expuncto *mundatum* scriptum est *manducatum.* Richelius disertè legit atque interpretatur *manducatum.* Carensis hanc cum aliis manuscriptorum varietatibus exponit. Hanc autem, *manducatum* inquam, genuinam esse existimarim lectionem: quam mutarint scribæ, quòd minùs eis verosimile videretur, Divino igne exustum fuisse sacrificium, quia non sit manducatum; potiùs, quia non sit mundatum. Porrò hîc respicitur ad locum Levitici, cap. 10. v. 16, 17. quo Moyses, cùm hircum pro peccato oblatum exustum reperisset, increpat Aaronis filios, quòd eum non comederint. *Inter hæc*, est eo Levitici loco, *hircum qui oblatus fuerat pro peccato cùm quæreret Moyses, exustum reperit: iratúsque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron qui remanserant, ait, Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto*, &c. In Græco fonte apertè est *manducatum*, διὰ τὸ μὴ βεβρῶσθαι τὸ θεὶ τῆς ἁμαρτίας ἀναλῶσθη [ἀναλῶσθη Gq.] Quod in impressis codicibus legitur *comestum*, non minùs aptum est quàm *manducatum:* sed manuscripti *manducatum* potiùs Interpretis esse scripturam loquuntur, in quibus, à nobis quidem, nec inventum est *comestum.* Putarim *comestum* ex aliquorum esse correctione, qui viderint *mundatum* loco non convenire. Scriptor sericati manuscripti Collegii Atrebatensis, quod id esse arbitror quod Hentenius notavit, transtulit hunc in locum Levitici verba, conjunxítque varias hujus loci lectiones, hoc modo, *Et dixit Moyses, Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto? eò quòd non sit manducatum, mandatum quod erat pro peccato, in loco sancto, & quod non sit manducatum, mandatum quod erat pro peccato, consumptum est.* Ubi errore eadem verba repetita videntur. *Et*, quod est ante *consumptum* (*consumptum* enim legendum, non, ut nonnulli malè, *consummatum*) non pauci libri auferunt; & quidem etiam Græci auferunt: sed ut multi, ità emendatissimi quique Latini, addunt. Possit pro *etiam* accipi, nempe, *ut holocaustum.*

C. 2. v. 13. *Et qualiter constituens bibliothecam congregavit de regibus libros, & Prophetarum & David*] *Qualiter* quidam codices omittunt; malè: quidam ejus loco *ut* legunt; bene, sic namque & in emendatioribus est. *Constituens* servant uno consensu boni libri: quare in nonnullis viciosè scriptum est *constituens*, tametsi etiam hoc vox Græca

admittat. Pro *regibus* pleraque manuſcripta, cùm Hentenii tum noſtra, & priores typographorum editiones, Richelio ſuffragante, *regionibus* habent, Duo tantùm MSS. noſtra, Plantini latum & Hunnæi V, *regibus* ſcribunt, quod eſt in poſterioribus typographorum editionibus. Cæterùm hoc *regibus* Græco cum fonte convenit, qui hunc habet in modum, καὶ ὡς καταβαλλόμεθα βιβλιοθήκην, ἔθος συνήγαγε τὰ περὶ τῶν βασιλέων καὶ προφητῶν καὶ τὰ τοῦ Δαυίδ· id quod eſt, *Et ut conficiens bibliothecam, congregavit ea quæ de Regibus & Prophetis & ea quæ Davidis.* Unde vel ſolùm colligi non obſcurè poſſe videtur, Interpretem *regibus* non *regionibus* convertiſſe. Nam quod Græcè eſt, *ea quæ de regibus*, expoſuiſſe eum manifeſtum eſt, *libros de regibus*, Neque verò conjunxit *de regibus* cum *congregavit*; & *libros* aut ſine adjuncto poſuit, aut ad ſequentia retulit: cùm Græca nec vocem *libros* habeant, nec illam diſtinctionem ullo modo patiantur. Porrò quia præpoſuit τὰ *de regibus* τῆς *libros*, noſtri junxerunt illud *de regibus* cum *congregavit*, ſcripſerúntque *de regionibus*, quòd *congregare de regibus* non aptum eſſe videretur. Mutato autem *regibus* in *regionibus*, quoniam voces *Prophetarum* & *David* quæ ſequuntur, non ſatis commodè præcedentibus hærere videbantur, ſuſtulerunt quidam antecedens &, ità ut eſſet *Congregavit de regionibus libros Prophetarum & David*: verùm & illud, ut in pluribus adhuc codicibus, ità in antiquioribus conſpicitur. Germana igitur, ſalvâ ſententiâ meliori, hujus loci lectio eſt, *Et ut conſtruens Bibliothecam congregavit de regibus libros, & Prophetarum, & David.* Interpres huic καὶ προφητῶν ſubaudivit τὰ περὶ· itaque vertit, *& Prophetarum.* ſc. *libros*, cùm alioqui verti poſſit, *libros de regibus & Prophetis*; continent enim libri Regum, Regum & Prophetarum geſta.

C. 3. v. 1. *Propter Onia Pontificis pietatem & animos odio habentes mala*] Multi codices, Carenſi & Richelio adſtipulantibus, addunt *diſpoſitionem &*, hoc modo, *Propter Onia Pontificis diſpoſitionem & pietatem*: verùm illud tum in præſtantioribus codicibus non legitur, noſtris Brug. Lob. Leod. Malm. Brevi. O. E. L. & aliis tribus; tum Græcè non eſt. Quare meritò Hentenius caſtigator textu pepulit. Monet & Lyranus non eſſe in correctis libris, nec de textu eſſe. Quod ſequitur, *Et animos* [*animo* 2 MS. *animas* 1 MS.] *odio habentes mala*, manuſcripta tria, Q. Pl. ang. G. ſcribunt hunc in modum, *Et animam odio habentis mala.* Quem ſcribendi modum (quanquam magis conveniat, *animum*) illi præferri poſſe exiſtimarim, quòd certiùs commodiúſque ad Oniam ſe referat. De Onia enim, non de aliis qui Oniæ adhæſerint, de quibus Lyranus & Richelius, quorum ea eſt quæ vulgaris lectio, exponunt, intelligendum hoc eſſe, clarè ſatis Græca loquuntur, διὰ τὸν Ὀνίαν τῆς ἀρχιερέως εὐσέβειάν τε καὶ μισοπονηρίαν· id quod καθ' ὑδὰ transferas, *Propter ipſum Onia ſummi ſacerdotis pietatémque & averſationem* [*odium*] *malitiæ.* Hunc verò ſcribendi modum, qui nobis præferri poſſe videtur, alia quædam exemplaria ex parte referunt. Duo namque, O & C, habent, *Et animos odio habentis mala*; quinque, Malm. E, A, Tril. Mogunt. *Et animo odio habentis mala.*

C. 14. v. 21. *Et ſingulis ſellæ prolatæ ſunt & poſitæ*] Unum Pariſienſium manuſcriptum, Di. o. undecim Hentenii, quatuordecim noſtra, Brug. Lob. Leod. E, L, Q, Pl. m. &c. addunt *à* præpoſitionem, *Et à ſingulis ſellæ prolatæ ſunt & poſitæ*: quæ eam quæ Græcè eſt præpoſitionem παρὰ exprimit, παρ' ἑκάστου, i. *à ſingulis.* Non id tamen ità intelligendum eſt quaſi duces ipſi ſibi ſellas protulerint poſuerintque, propter quod ablatam à quibuſdam fuiſſe præpoſitionem autumo, ſed quòd ab utraque utriuſque ducis parte, per miniſtros nimirum, prolatæ ac poſitæ ſint. Græca Regis editio ex Complutenſi habet, καὶ προσῆλθε παρ' ἑκάστου διφρεύς· ἔθεσαν διφρεῖς, *Et acceſſit à ſingulis ſella: poſuerunt ſellas*: quæ potiùs fuit Interpretis noſtri lectio quàm ea quæ in Aldinis & Germanicis eſt Bibliis, καὶ προσῆλθε, καὶ παρ' ἑκάστου διαφόρους ἔθεσαν διφρεῖς, *Et proceſſit* (ſc. *dies conſtitutus*, vel, *dux utrique*) *& à ſingulis diverſas poſuerunt ſellas.*

NOTATIONES IN EUANGELIUM Secundùm MATTHÆUM.

Cap. 3. v. 16.

ET *vidit ſpiritum Dei deſcendentem ſicut columbam, & venientem* [*manentem* o.] *ſuper ipſum.*] Hæc unius MS. lectio, ejus quod à Pariſienſibus notatum eſt, S. Germani lati, minimè eſt contemnenda: ſic enim rectè & Græca vertuntur & Syra. Cæterùm altera, *Et venientem ſuper ſe*, quæ vulgò recepta eſt, éſtque in omnibus MSS. noſtris, numero 33. ac prioribus typographorum editionibus, germana Interpretis tranſlatio eſſe videtur: nam & eam Græca, necnon Syra, admittunt. Nicolaus Zegerus, in ſuis in Matthæi Euangelium ſcholiis, putare ſe ait, Interpretem vertiſſe *ipſum*, quia id fideliora habeant exemplaria: verùm pòſt, cùm ad caſtigandum textum ſe dedit, meliùs editionis noſtræ exemplaria perſcrutatus, ſcripſit, ſuper ſe *legendum juxta codices antiquos potiùs quàm* ſuper ipſum, *quemadmodum habent nonnulli codices novi.* Novi codices qui *ſuper ipſum* habeant, ſunt poſteriores aliquot Typographorum excuſiones, Quentelianorum duæ, & quædam aliæ. Quidam, quod dicitur, *Et vidit ſpiritum Dei*, ad Baptiſtam referunt, itaque malunt *ſuper ipſum* vertere: quidam ad Chriſtum referunt, probántque *ſuper ſe.* Utrumque intelligendi modum admittat fortaſſis Interpretis tranſlatio, *ſuper ſe*, quemadmodum id quod Marci primo tranſtulit, *in ipſo*, *Deſcendentem & manentem in ipſo*: neque enim perpetuò reciproci & non reciproci pronominis differentiam obſervare eſt ſolitus.

C. 4. v. 10. *Tunc dicit ei Jeſus, Vade Satana.*] Tres noſtri codices addunt *retro*, *Vade retro Satanas*; E. Pl. m. Atr. ſ. quibus tres Pariſienſium conſentiunt, Ge. l. Compl. Pau. quanquam Complutenſis *retro me* habeat. B. Auguſtinus, in Pſalmum ſcribens nonum, ad ſimilem profert modum, *Redi retro Satanas.* Beda utriuſque lectionis meminit; *Vade Satanas*] ſc. *in æternam damnationem. Si autem ſecundùm aliud exemplar quis voluerit legere*, Vade retro Satanas; *poteſt ità ſentire, quòd*, &c. Hentenius ſignavit quatuor codices *poſt me* addere; falſúsne Pariſienſium

sium signatione, multùm equidem ambigo. His Latinis codicibus Græci complures volunt, qui ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ [σατανᾶς citat quidam] legunt, quomodo & apud Græcum Theophylactum legitur. Porrò pleraque nostra Latina exemplaria, cùm excusa tum scripta, nihil adjiciunt hujusmodi; tantùm, *Vade Satanas*, aut *Satana*, habent; Brug. Lob. Leod. O, Q, L. Mog. & cætera viginti novem, quibus antiqua Epanorthotæ suffragantur. Suffragantur & Græca antigrapha non pauca, quæ ὕπαγε σατανᾶ duntaxat scribunt: nec in Syrico textu quidquam ejusmodi invenitur. ܐܙܠ ܠܟ ܐܒܠܝܣ *Abi tibi, adversarie.* Apud Chrysostomum hunc enarrantem locum nihil tale additur. Hieronymus, Druthmarus, Anselmus & Euthymius, in proprio loci commentario, denique Origenes tract. 1. in Matth. id se non legisse apertissimè docet. Translatum fortassis huc fuit à memori scriba ex Matth. 16. 23. aut Marci 8. 33. ubi Petro dicit Christus, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ, *vade post me*, sive *retro me*, aut *retro, Satana*. His enim modis Latinis in libris legitur. Notat his locis Epanorthotes in antiquis codicibus *Satanas* esse; id quod & nos, primo præsertim loco, observavimus.

C. 5. v. 23. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.*] In Græcis codd. εἰκῆ & Syris ܒܛܠ additur, *temere*, seu *sine causa*; quod etiam legunt inter Græcos Euthymius, Theophylactus, Auctor operis imperfecti, Chrysostomus; inter Latinos, Augustinus, hunc enarrantes locum. Verùm Hieronymus in cap. 5. Mat. & lib. 2. adv. Pel. etsi in quibusdam codicibus reperiri fateatur, radi vult, eò quòd in veris & antiquis plerisque non inveniatur. Augustinus quoque lib. 1. Retract. cap. 19. in Græcis libris non addi testatur; quibus hodie consentit Vaticanus, ad quem castigatus fuit codex, quondam doctissimi & pietate præstantissimi viri, D. Werneri Neomagi, S. Theologiæ Licentiati, & Atrebatensis collegii Præsidis; quo usi, & mirum in modum adjuti fuimus. D. Anselmus, SINE CAUSA, inquit, *addunt quidam codices: sed in Græco non additur, nec est opus.* Hodie in Latinis libris non, aut vix, legi videtur: ex nostris omnibus, tum scriptis tum impressis, tum antiquis tum novis, unicus est scriptus qui habeat [Pl. m.] hoc modo, *Omnis qui irascitur fratri suo sine causa reus erit judicio*; in quo & prætereundum signatur. Quamobrem demiror id quod Erasmus ait, *Quid hic adferent qui contendunt hanc translationem ab Hieronymo fuisse castigatam? Quod damnat, relictum est.* Imò verò hoc ex loco simul & aliis collegerim, fuisse eam ab Hieronymo castigatam, quòd non ità habeat ut olim lectum fuit: quanquam vetera inolitáque menda aliquando reversa sint, nováque postea nata. Istud de quo nunc agimus, *sine causa*, omnino verisimile est fuisse primùm ab aliquo explicationis gratiâ additum, aut ex adscripto commentario in textum relatum: id quod Laurentius Valla, quem Magdalius Jacobus Gaudensis secutus est, inconsultè, addi melius quàm omitti docet.

C. 5. v. 39. *Sed si quis te percusserit in dextram maxillam tuam, præbe illi & alteram.*] In multis Latinis codd. olim non fuisse *dextram*, testis est Augustinus, l. 1. c. 30. De sermone Domini in monte. Fuisse autem in exemplaribus Græcis quibus major fides adhibenda fuerit, ibidem testatur; sicut hodie & à Latinis & à Syriis, & à Græcis concorditer legitur: nullis enim abesse invenimus. Inter Græcos tractatores, Euthymius; inter Latinos, præter Augustinum, Hieronymus, cùm in proprio commentario, tum in fine lib. 12 in Ezech. Druthmarus & Anselmus disertè exposuerunt. Apud Autorem operis in Matthæum imperfecti omittitur, apud Chrysostomum legitur. Apud S. Lucam c. 6. v. 29. nulla fit *dextræ* mentio, sed tantùm *maxilla* & *altera* nominatur: id quod epist. 5. Augustinus notat.

C. 6. v. 4. *Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi*] Multa Latina exempl. teste Augustino in hunc Domini sermonem circa initium lib. 2. addunt *palàm*, *Et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi palàm.* Addit & unum eorum quæ hodie exstant, quod Parisienses S. Germani latum dixerunt, *in palàm.* Consentiunt Syra ܒܓܠܝ conformia sunt Græca, ὁ ἐν τῷ φανερῷ, non ea solùm quæ nunc passim exstant, sed & ea quibus usi sunt Interpretes Græci, Chrysostomus, Autor operis imperfecti, Theophylactus, Euthymius. Veruntamen in iis exemplaribus Græcis quæ olim consuluit Augustinus lectum non fuit: quamobrem non putasse se ait de eo aliquid differendum esse. Nunc etiam in Græco Vaticanæ Bibliothecæ codice haud additur: nec in ullis est Latinis libris eorum omnium quos nos vidimus. Neque Zegerus ac Hentenius quenquam observavere. Quin & eum quem Parisienses observaverunt, ad Græca suspicio mihi est immutatum: nam & in fine Dominicæ orationis adjicit, *Quia tuum est regnum & potentia & gloria in secula seculorum.* Sublatum fortassis est τὸ *palàm* à B. Hieronymo nostræ editionis castigatore.

C. 6. v. 6. *Et pater tuus qui videt* *[* *te* o.] *in abscondito, reddet tibi.*] Etiam hîc addunt, cum Syris, plerique codices Græci ὁ ἐν τῷ φανερῷ *in manifesto*, seu *in propatulo*: consentiúntque Interpretes Græci. Attamen exemplar Vaticanum iterum consonat Latinis libris; quorum hic nec Parisienses ullam notarunt varietatem.

C. 6. v. 11. *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.*] Undecim nostra MSS. exemp. habent *Panem nostrum quotidianum*: sed ut plura, sic antiquiora melioráque Vulgatæ editionis scripta, tum nostra tum Epanorthotæ, quod impressi libri, *supersubstantialem* [*substantialem* 2 MS.] servant: id quod, hunc edisserens locum, B. Hieronymus à se expressum testatur. In Euangelio Lucæ *quotidianum* legitur; in Matthæi quoque, ante Hieronymum, Latini *quotidianum* legerunt; id quod ex DD. Cypriano, Ambrosio l. 5. De Sacramentis c. 4. Augustino Enchir. cap. 115. & alibi, aliísque, manifestum est. Unde adhuc hodie orationem orantes Dominicam, quâ secundùm Matthæum utimur, dicimus *panem nostrum quotidianum*, ità nempe ut à primis Ecclesiæ fidelibus continuâ successione, parentes filios vivâ voce docuerunt. Græcè est τὸν ἐπιούσιον, quod ab ἐπὶ & οὐσία deduci potest (sicut à σὺν & οὐσία sacri scriptores συνούσιον formavere) quasi *super substantiam*, quod est, præcipuum ac peculiarem, aut, qui super omnes substantias est, & universas superat creaturas, ut Hieronymus intellexit secundum epistolæ ad Titum caput enarrans, *Unde & illud*, inquit, *quod in Euangelio secundùm Latinos Interpretes scriptum est*, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, *melius in Græco habetur* Panem nostrum ἐπούσιον, *i. Præcipuum*, &c. vel, quasi *ad substantiam*, ut eum panem, i. victum (*panis* enim appellatione cætera omnia nutriendo corpori nostro necessaria Hebræorum more comprehenduntur) significari intelligamus qui nostræ substantiæ, nostræ naturæ sustentandæ, sufficiat, h. e. ut Græci interpretantur, ὃν τῷ ὑμᾶς οὐσίαν καὶ ζωὴν ἐπαρκοῦντα, minimè scilicet delicatum, sed frugalem. Hunc panem significare voluisse videtur qui vertit *quotidianum*, i. cibarium, quo vesci & sustentari quotidie solemus: quem & Syrus dixit ܠܚܡܐ ܕܣܘܟܢܢ *panem indigentiæ*, seu *necessitatis, nostræ.*

C. 6. v. 13. *Et nè nos inducas in tentationem.*] Hæc nostræ editionis scriptura est. Augustinus lib. 2. De sermone Domini in monte cap. 14, & sermonibus De diversis decimo atque undecimo, rursus epist. ad Probam 121. cap. 11. legit, *Et nè nos inferas in tentationem*; quod ad vocem Græcam εἰσενέγκῃς magis accedit. Meminit autem libro illo 2. & nostræ lectionis, his verbis, *Nonnulli codices habent* inducas, *quod tantundem valere arbitror: nam*

nam ex uno Græco, quod dictum est ἀσυνέχυτος, *utrumque translatum est.* Subjungit, *Multi autem precando ità dicunt*, Nè nos patiaris induci in tentationem, *exponentes videlicet quomodo dictum sit* inducas. Hunc ad modum Cyprianus atque Ambrosius, ubi Dominicam orationem tractant, legunt: de quo optimè censet Augustinus.

C. 6. v. 18. *Et pater tuus qui vidit in abscondito reddet tibi*] Non pauci Græcè impressorum librorum tertiò hîc addunt ἐν τῷ φανερῷ, *in manifesto.* Verùm Latinis codicibus, qui id rursus constanter haud norunt (quanquam apud Bedam additum legatur *in propatulo*) non tantùm Græcum Vaticanæ Bibliothecæ exemplar hîc suffragatur, verumetiam ea universa, 16 numero, ad quæ Parisienses suam N. T. Græcam edit. contulere, inter quæ Complutense est. Quibus adde id quod anno 1534 Colinæus excudit, & Pagnini ex Græco translationem. Quinetiam Syricus textus hoc loco id ignorat: nec apud Græcos interpretes, Euthymium, quod ejus annotavit Interpres, & Theophylactum, quod ipsi in Græca editione vidimus, legitur. Chrysostomus tamen, commentario suo, ut suprà cùm de eleemosyna ageretur, videtur, agnoscere: & Origenes, Homil. 4. in diversos, legit exponítque his verbis, *Hæc ità omnia facite ut pater vester qui videt in occulto, reddat vobis in manifesto, in illa manifestatione de qua dicet Daniel,* (cap. 12. v. 3.) *Et tunc prudentes fulgebunt sicut luminaria cœli: & iterum, Justi atque alii plures sicut stellæ in æternum.*

C. 7. v. 12. *Omnia ergò quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*] Cyprianus, sermone De oratione Dominica, legit, *Quæcunque volueritis ut faciant vobis homines* bona, *ità & vos facite illis.* Similiter legit Augustinus, libro in hunc Domini sermonem posteriore, *Omnia ergò quæcunque vultis ut faciant vobis homines bona, ità*, &c. annotat autem hunc in modum, *In exemplaribus Græcis sic invenimus*, Omnia ergò quæcunque vultis ut faciant vobis homines, ità & vos facite illis. *Sed ad manifestationem sententiæ puto à Latinis additum* bona, &c. *Intelligendum est ergò, plenam esse sententiam, & omnino perfectam, etiamsi hoc verbum non adhibetur.* Hæc & alia in eandem rem Augustinus. Græci tractatores hoc verbum haud agnoverunt, Chrysostomus, Autor operis imperfecti, Theophylactus, Euthymius. Hodie nec in Latinis, nec in Syriacis, nec in Græcis codicibus additur. Quid hîc adferant qui editionem nostram à veteribus vitiis negant fuisse castigatam?

C. 10. v. 8. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite*] Exemplaria Parisiensium Græca, primum, quæ est Complutensis editio, secundum, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 11, 12 (numeri enim notis exemplaria ad quæ suam N. T. Græcam edit. contulerunt, distinxere) & Syriaca Imperatoris editio tollunt id quod dicitur de suscitandis mortuis, nempe τὸ *mortuos suscitate:* quod neque reperitur apud interpretes Græcos, Theophylactum & Euthymium. Hieronymus quoque in commentariis, cùm reliqua enumeret, hujus non meminit; *Nè hominibus*, inquit, *rusticanis, & absque eloquii venustate indoctis & illiteratis nemo crederet, pollicentibus regna cœlorum; dat potestatem infirmos curare, leprosos mundare, dæmones ejicere, ut magnitudinem promissorum probet magnitudo signorum.* In uno Latino scripto, H literâ signato, comperimus non legi; tantùm, *Infirmos curate, leprosos mundate, dæmones ejicite.* In cæteris verò omnibus libris nostris, Bedâ & Druthmaro suffragantibus, & in Græcis plerisque eorum quos typographi ediderunt, denique in Syriaca Regis editione, minimè deest. Sed in Syriaca quidem Regis editione & Græcis libris post *leprosos mundate*, in Latinis autem ante ponitur.

C. 10. v. 12. *Intrantes autem in domum, salutate eam, dicentes, Pax huic domui*] Verba ista, *dicentes, Pax huic domui*, ex Euangelio Lucæ huic esse translata suspicari licet. In vetustissimo enim quodam exemplari Latino Autor quidam adscriptum reperit, sed in margine, *Primùm dicite, Pax huic domui*; quomodo apud Lucam legitur cap. 10. v. 5. cùm Latinè tum Græcè, πρῶτον λέγετε, Εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. In emendatissimo scripto, quod eximius M. N. Hunnæus connumeravit, Q literâ signato, omnino horum nihil habetur; tantùm, *Intranies autem in domum salutate eam.* Simili planè modo B. Hieronymi commentario adjunctus textus habet; cui & commentarius ipse suffragatur. *Occultè*, ait, *salutationem Hebræi ac Syri sermonis expressit. Quod enim Græcè dicitur χαῖρε, & Latinè* Ave, *hoc Hebraico Syróque sermone appellatur* שלם לך Salom lach, *sive* שלם עמך, *i.* pax tecum. *Occultè* dicit *expressam Hebræi Syríque sermonis salutationem.* Atqui si addatur, *dicentes, Pax huic domui*, non occultè utique sed apertissimè disertissiméque exprimitur. *Occultè* autem dicit *expressam* in eo quod sequitur, *Et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam: si autem non fuerit digna, pax vestra revertetur ad vos:* quod quomodo illis, *dicentes, Pax huic domui*, omissis, præcedentibus hæreat, ex hoc Hieronymi commentario est manifestum. *Pax vestra*, nimirum quam salutando precabimini. Ac fortassis ejus loco quod Græcè Latinéque est, ἀσπάσασθε αὐτὴν *salutate eam*, scriptum fuit in Hebraico Matthæi prototypo, *pacem precamini illi:* ità enim id Hebræi exprimant. Certè in Syriaco Euangelio, quod viri docti existimant B. Matthæi esse prototypum, vulgari tunc Hebræorum linguâ scriptum est, ואו העלין אנתון לביתא שאלו שלמה דביתא *Et cùm ingredimini domum, postulate pacem ejus domûs:* quemadmodum & alibi in epistolis D. Pauli pro *salutare* Syriacè est משאל שלמא *pacem postulare.* A plerisque Græcis codd. ut à Syrico Euangelio, eadem illa verba, *dicentes, Pax huic domui*, tolluntur. Quidam in Græcis Chrysostomi commentariis non addi testatur. Nos in Euthymio non invenimus, cujus hæc est enarratio, *Ingredientes autem in domum, salutate illam.* SALUTATE, *h. e. pacem illi precamini: hæc enim postmodum septuaginta discipulis præcipiens dixit, In quamcunque domum intraveritis, primùm dicite, Pax huic domui.* Reperiuntur tamen verba illa in nonnullis libris Græcis, quinque Parisiensium, α, β, γ, ε, ιδ, ac Regis & Colinæi editionibus, textúque Theophylacti [λέγοντες, Εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ,] & in Latinis plurimis: atque à D. Hilario, Canone decimo, exponuntur.

C. 11. v. 23. *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum - exaltaberis* [o.]? * *usque* [* *an* o. * & o.] *in infernum descendes.*] Hieronymus in altero exemplari reperisse se scribit, *Et tu, Capharnaum, quæ usque in cœlum exaltata es, usque ad inferna descendes* [*descendisti* o.] Sícque legunt, cum Syris, Græci, & codices, & Interpretes, Euthymius, Theophylactus, Chrysostomus, ἕως τοῦ ᾅδου καταβιβασθήσῃ. Vaticanum tamen exemplar Græcum, ad quod D. Werneri codex collatus fuit, & Parisiensium Italicum conformiter nostro textui habent, μὲ ἕως τοῦ ᾅδου ὑψωθήσῃ; ἕως ᾅδου καταβήσῃ· quanquam nobis, ex Vaticano, καταβήσῃ notatum non sit. In uno manuscripto, E notato, utrumque legendi modum hoc pacto invenimus copulatum, *Et tu Capharnaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? & ἓ exaltata fueris, usque ad infernum descendes.* In Lucæ Euangelio Luc. 10. 15. uniformiter omnes, Latini, Græci & Syri legunt, *Et tu Capharnaum, usque ad cœlum exaltata, usque ad infernum demergêris*, ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ.

C. 12. v. 20. *Et linum* [*lignum* o.] *fumigans non extinguet, donec ejiciat - ad* [o.] *victoriam judicium: & in nomine ejus gentes sperabunt.*] D. Hieronymus, respondens secundæ quæstioni Algasiæ, videri sibi ait, ea quæ ex hoc Isaiæ testimonio omissa sunt, primi scriptoris vitio omissa esse, post id *ad victoriam judicium.* *Quod autem,* habet

habet, *de assumpto testimonio in Euangelio minus est; Splendebit, & non quassabitur, donec ponat super terram judicium* (Isa. 42. 4.) (pro quo ipse Hieronymus transtulit; illa est enim LXXII translatio; *Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terram judicium*) *videtur mihi accidisse primi scriptoris errore, qui legens superiorem sententiam in verbo* judicii *esse finitam, putavit inferioris sententiæ ultimum verbum esse* judicium, *& pauca verba quæ in medio, h. e. inter* judicium *&* judicium, *fuerant, præterisse.* Enarrans autem 42 Isaiæ caput ambiguus loquitur; *Quod autem sequitur, Splendebit, & non conteretur, donec ponat super terram judicium, Matthæus Euangelista non posuit: sive inter* judicium *&* judicium *media scriptoris errore sublata sunt.* Quidam id sentire malint, certo consilio à Matthæo Euangelista non posita ea esse quæ desunt. Euangelio Hebraico, quod superiori ætate à nonnullis est editum, nihil deest; sed locus integer eisdem quibus ab Isaia scriptus est verbis legitur: verùm ejus nulla jam apud viros doctos autoritas est. Syriacum, cui multò plus tribuendum meritò est, Græcis Latinísque libris consonat.

C. 16. v. 2, & 3. *Facto vespere, dicitis, Serenum erit, rubicundum est enim cœlum; & mane, Hodie tempestas, rutila enim triste cœlum. Faciem ergò* [*enim* o.] *cœli dijudicare nostis* [o.] *signa autem temporum non potestis scire*] Hos duos versus testatur Hieronymus in plerisque codicibus non haberi; quos Origenes, hoc Matthæi caput edisserens, non agnoscit. *Post hæc*, inquit, *consideremus quomodo, ut unum signum è cœlo ostenderet, postulantibus Pharisæis & Sadducæis responderit, dicens, Generatio prava & adultera*, &c. *Signum autem profectò Jonæ*, &c. Ab aliis verò omnibus Latinis & Græcis Tractatoribus, veteribus ac recentioribus (Hilario, Chrysostomo, Augustino 1 Quæst. Euang. cap. 20. Theophylacto, Druthmaro, Anselmo, &c.) quotquot vidimus, versus hos enarrari, & in Latinis, Græcis ac Syricis hodie libris constanter legi, denique ad quintum Euangeliorum Canonem, in quo cum Luca Matthæus convenit, ab Eusebio Cæsariensi olim referri observavimus. Nicolaus Zegerus scribit, B. Hieronymum admonere, *scire* in plerisque codicibus non haberi: falsus. Non enim Hieronymus ait verbum *scire* in plerisque codicibus non haberi: sed primùm primis capitis verbis, tum duobus superioribus versibus, quorum ultimum verbum juxta quod ibi legitur est *scire*, integrè recitatis, subjungit (*&c.* enim quod additum est, manifestum est superfluere) *Hoc* (apud Græcos D. Thomæ Catena,) *in plerisque codicibus non habetur: sensúsque manifestus est, quòd ex elementorum ordine atque constantia possint & sereni & pluviæ dies prænosci. Scriba autem & Pharisæi, qui videbantur Legis esse doctores, ex Prophetarum vaticinio non potuerunt* [*potuerint*] *intelligere Salvatoris adventum.* Ità Hieronymus. Fortassis ex superiori capite duodecimo ver. 38, 39. ubi similis narratur Pharisæorum petitio, & Domini, his duntaxat verbis exceptis, responsio factum est ut hoc in loco, scribarum audaciâ, omissa ea olim aliquando fuerint. Adhæc, Euangelium ex Marcum cap. 8. ver. 11, 12, 13. rem eandem, his præterminis, narrat. Porrò verbum *scire*, legendúmne sit in fine versuum, an non, variè codices judicant. Scripti plerique addunt; ex emendatioribus nostris, Brug. Soci. O. L. Q. Addit id & Epanorthotes: notat autem, *Quidam antiqui non habent* scire: quibus consonant ex nostris scriptis libris H. & Leod. impressíque Moguntinus & alii complures. E. & Lobiensis scripti pro *scire* legunt *cognoscere.* Plantini medius *judicare vel scire* habet. Unde videri possit, explicandæ sententiæ gratiâ, ut hæc, ità illud adjectum fuisse. Græca pleraque apographa transfodiunt; tantùm, τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε *signa autem temporum non potestis*, habent. Quatuor verò Parisiensium, δ. ε. ζ. D. pro οὐ δύνασθε, legunt οὐ συνίετε *non intelligitis* [Quod in uno Parisiensium exemplari π. pro οὐ δύνασθε, οὐ δοκιμάζετε legitur, ex Luca sumptum videtur.] Id quod pro eo facere possit, *non potestis scire*, nisi quòd vulgaris hîc Græcorum lectio reluceat. Magis verò faciat Syrorum lectio לא ידעין אנתון דתפרשון *non nostis discernere*, sive, ut est ad verbum, *non scientes vos qui discernatis.* Hanc autem partem interrogando alii, enunciando alii, efferunt. Apud Lucam c. 12. v. 56. interrogando legitur, *Hoc autem tempus quomodo non probatis?*

C. 19. v. 17. *Quid me interrogas de bono? unus est* * *bonus* [* *enim* o.] *Deus*] Græca & Syra, Græcíque Interpretes Euthymius & Theophylactus, habent, etiam in Matthæo, *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus, Deus:* quo modo & Hilarium legisse, tum ex proprio loci commentario, tum ex lib. 9. De Trinitate manifestum satis esse videtur. Cæterùm exemplaria quædam Græca, Vaticanum & Parisiensium cùm secundo, quod ex Italia acceperant, octavum, Latinis libris consonantia, legunt, τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθός· sed non addunt ὁ Θεός. Origenes, tract. 8 in Matth. utramque lectionem ponit atque exponit. Augustinus lib. 1. De Trinit. cap. 13. legit & explicat τὸ *Quid me interrogas de bono?* lib. 2. De consensu Euangelistarum cap. 63. Matthæi Euangelio tribuit, *Quid me interrogas de bono?* Marci & Lucæ, *Quid me dicis bonum?* id quod verosimillimum est. Rationi enim maximè est consentaneum, quod annotarunt quidam nostræ ætatis scriptores, lectorem aliquem minùs attentum judicasse id quod in Matthæo erat, *Quid me interrogas de bono?* τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; non perinde quadrare, quia reprehendat adolescentem Christus, quòd, cùm unus solúsque Deus sit bonus, ipsum *bonum* vocaverit; itaque substituisse, id quod in aliis est Euangelistis (Mar. 10. 18. Luc. 18. 19.) *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi unus, Deus.* τί με λέγεις ἀγαθόν; οὐδεὶς ἀγαθός, εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεός. Nam & in Luca est εἷς *unus*, tametsi nostra editio *solus* habeat.

C. 20. v. 22, 23. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Calicem quidem meum bibetis*] Græci & Syri codices, Græcis Interpretibus suffragantibus, versui 22 addunt, *Et baptismo quo ego baptizor baptizari?* ver. 23. *Et baptismo quo ego baptizor baptizabimini.* Libris nostris, qui istud in solo habent Marco (cap. 10. 38, 39.) adstipulantur BB. Hilarius, Ambrosius lib. 5. De fide cap. 3. Hieronymus, & exemplaria Græca Parisiensium duo, β, π.

C. 20. v. 23. *Sedere autem ad dexteram meam & sinistram non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à patre meo*] *Vobis* nec in Græcis reperitur nec in Syris, ut neque apud Græcos Interpretes, Chrysostomum, Theophylactum & Euthymium. Augustinus etiam lib. 1. De Trinitate cap. 12. omnino non legisse videtur, quamvis semel aut iterum addatur: nec satis, Hieronymo lectum fuisse, possum ex commentario ejus colligere. Existimant quidam fuisse additum propter id quod sequitur, *Sed quibus paratum est à patre meo.* Cæterùm Latini omnes libri, quotquot vidimus, servant in Matthæi Euangelio (nam in Marci (cap. 10. v. 40.) omittunt quidam) & Enarratores, Beda, Druthmarus, Remigius, Anselmus, Carensis, Albertus, Lyranus, Gorran, Richelius, inter alios exponunt. Ex veteribus quoque Hilarius sic locum interpretatur ut eum *vobis* legisse, neque intellexisse tantùm, vero simillimum fiat.

C. 21. v. 5. *Et sedens super asinam & pullum filium subjugalis*] Zacharias Propheta (cap. 9. v. 9.) cujus hoc est ab Euangelista citatum testimonium, pro *asinam*, חמור habet, id quod *asinum* plerumque significat: qua de re eo loco diximus, de varietate Latinorum codicum, quorum alii illîc *asinam*, alii *asinum* legunt, differentes. Dictio etiam ὄνος, in Græco Matthæi textu posita, *asinum* transferri potest; maximè cùm articulo careat: unde Græcanicus scholiastes Euthymius sic intellexit. Denique Syriaca dictio חמרא eadem cum illa quâ Propheta

utitur

utitur אתון, ejusdem est significationis; *asinum* plerumq; significat, quanquam semel & iterum hoc capite v. 2, & 7. pro *asina* ponatur. Verùm non sic legunt, *asinum* inquam, in Matthæo Latini codices: *asinam* habent, B. Hieronymo in proprio commentario, & B. Augustino l. 2 De Consensu Euang. c. 66. suffragantibus: fortè quia mandatum de asina cum pullo adducenda præcedit, & narratio de adducta cum pullo asina sequitur; Interpres similiter vertendum esse Prophetæ vaticinium existimavit, ità nimirum ut & *asinam* & *pullum* manifestè complecteretur. Velim hunc in locum ea legi quæ Tostatus Quæst. 17. in c. 21 Matt. & Jansenius in cap. 110 Concordiæ Euangelicæ, Episcopi, de hac quæstione, *An pullo duntaxat insederit Dominus*, scripta reliquerunt.

C. 22. v. 30. *At ille respondens ait, Eo, Domine, & non ivit.*] Varia est Græcorum codicum lectio pro eo, *Eo, Domine*. Quidam legunt ναὶ Κύριε, *Etiam Domine*; quidam, ἐγὼ, Κύριε, ἐγὼ ὑπάγω, *Ego, Domine, ego vado*; quæ duo in N. Testamenti à se anno 1563 editi margine Basileenses signarunt. Plerique, quotquot nos vidimus, ἐγὼ, Κύριε, *Ego, Domine*. Prima lectio apud Origenem reperitur; secunda Latinis exemplaribus accedit; tertia germana esse videtur, quippe cui, præter Græcorum exemplarium multitudinem, etiam Syri & Græci Interpretes, Theophylactus atque Euthymius, consentiant. Proinde dubitari fortè possit, Scriptorúmne vel errore, vel audaciâ, pro *ego*, positum sit in Latino textu *eo*: quanquam & in Græco vocum ἐγὼ & ὒω eadem sit affinitas & significatio. Quidam notat, in nonnullis Græcis se reperisse, pro ἐγὼ, ὑπάγω, sed, ut arbitratur, ad Latinorum exemplaria castigatis.

C. 23. v. 14. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes. Propter hoc amplius accipietis judicium.*] Quatuor nostra manuscripta exemplaria (Brug. Leod. H. M.) emendatiora Zegeri (nominatim Aureum & Corsendoncense) octo Hentenii, antiqua, tum Epanorthotæ, tum ea quæ in Ordinariæ Glossæ margine significantur, versum hunc decimum quartum è medio auferunt. Quibus volunt antiqui Euangeliorum canones: in octavo enim, in quo soli Marcus & Lucas conveniunt, sententia hæc posita est: nec ullus ei ab iis libris quibus legitur, sive Græcis sive Latinis, assignatur in Matthæo canon, nisi vitiosè à quibusdam decimus, qui 15i versûs est. B. Hieronymus & Christianus Druthmarus, in Matthæum scribentes, cùm reliquas increpationes explicent, hujus ne mentionem quidem faciunt. Similiter neque Origenes legisse videtur. Apud reliquos tamen Interpretes Græcos, Chrysostomum, Autorem operis imperfecti, Theophylactum, Euthymium, explicatam, & in codicibus Græcis ac Syricis lectam, reperimus; sed illi versui qui Pharisæorum ab ingressu regni cœlorum declinantium & prohibentium malitiam redarguit, præpositam, quamvis Græcorum codicum haud pauci postponant; quo ordine à D. Hilario, in Matthæum commentante, enarrari notavimus. Latini nostri codices complures servant; at vario & ordine & legendi modo. Quidam (Atr. G. Compl.) & ipsi præponunt illi versui qui Pharisæorum regnum cœlorum hominibus occludentium improbitatem deplorat. Multi, contra librorum Græcorum fidem, *quia* cum *qui* mutant: Duo legunt (Atr. f.) *devoratis domos viduarum*, quomodo in Marco c. 12. v. 40. & Luca c. 20. v. 47. tranflatum est, & quidem rectiùs; nam κατεσθίειν non *comedere* tantùm, sed *devorare* significat. Duo (Atr. C.) conjunctionem *& præmittunt ei quod sequitur, Græco similiter. Sex (Lob. Soci. &c.) habent, *Oratione longâ orantes*; duodecim (O, L, &c.) *In oratione longa orantes*; duo (P, S.) *In orationes longas orantes*; unus (Atr.) *Simulantes longam orationem*: quod postremum apud Lucam legitur, plenéque exprimit id quod est Græcè, περφάσει μακρᾷ προσεύχόμενοι, *Specie prolixa orantes*. Unus (C) addit ultimæ parti *autem*; Alter (Tril.) *enim*: quorum neutrum est in Græco. Tertius (Lob.) legit, *Propter hoc amplius accipiatis judicium*. Quartus (Atr.) denique est qui scribat, *Ideo accipietis damnationem majorem*, quæ est Euangelii κατὰ Lucam versio; nam Græcè idem fere est quod legitur apud tres Euangelistas; neque hæc pars tantùm, sed & reliquis hujus versûs. Videri ex his finem omnibus possit adjectitius esse hic versus, atque ex aliis Euangeliis huc assumptus, nonnullâ factâ mutatione, ut aliis hujus capitis in Scribas & Pharisæos comminationibus esset persimilis. Albertus magnus, non esse de veritate literæ, sed de Marco & Luca interpositum, docet. Nicolaus Gorran vacare ait. Epanorthotæ, & nostri, & Zegeri, Hieronymi, antiquorum codicum & canonum autoritate nixi, existimant superfluere.

C. 23. v. 35. *Usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ.*] Hieronymus in Euangelio quo utuntur Nazarni pro *Barachiæ, Joiadæ* scriptum reperit.

C. 24. v. 36. *De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi * solus pater* [* *pater solus* MS. C.] In quibusdam Latinis codicibus additum olim fuit, Hieronymo teste, *neque filius*: cùm in Græcis, & maximè in Adamantii & Pierii exemplaribus, quæ ipse viderat, non esset adscriptum. Cæterùm edisserit id Adamantius Tractatu in Matthæum 30. longè latéque (*Et seipsum, inquit, Salvator, secundùm hunc locum, conjungit ignorantibus diem illum & horam. Et rationabiliter est quærendum, quomodo qui*, &c.) & alii veteres hujus Euangelii tractatores, Hilarius, Chrysostomus, Autor operis imperfecti, Theophylactus, Druthmarus. Apud Chrysostomum verò, primùm, legitur, *neque filius hominis*; ut & apud Hieronymum sub finem capitis: id quod, *hominis* nempe, explicationis gratiâ ab aliquo est additum. Autor operis imperfecti diserte excludit. Urget non sic dictum à Christo fuisse, *neque filius hominis*. Legunt autem illud *neque filius*, etiam hodie, tria eorum quæ habemus Latinorum MSS. Lobiense, H, Plantini longum; *Neque angeli cœlorum, neque filius, nisi pater solus*, seu *solus pater*, habent. Quartum, Plantini medium, id adscribit in margine. Cætera verò haud agnoscunt: quibus Græci & Syrici libri, Græcanicúsque Scholiastes, ac Latini Glossematici, Remigius, Thomas, Carensis, Lyranus, Gorran, Richelius, suffragantur. Porrò in Marci Euangelio planè legitur, cap. 13. v. 32. Duo manuscripta, B, & So.au. quod addere debeo, pro *solus pater* habent *solus Deus*. Veniâ dignus error qui de odio hæreticorum & fidei pietate descendit.

C. 24. v. 41. Pars ista, *Duo in lecto, unus assumetur, & unus* [Al. *alius*] *relinquetur*, in multis Latinis codicibus prætermittitur: Parisiensium octo Di. o. l. Ge. o. l. au. T. Do. Const. nostris sex Leod. Pl. m. H. Pl. Par. I. Reg. versûs plerisque Zegeri, antiquis Epanorthotæ. Dein in Græcis plerisque omnibus & Syricis libris non habetur. Præterea à Tractatoribus, Hieronymo, Theophylacto, Druthmaro, Euthymio, & Autore operis in Matthæum imperfecti, non legitur. Hentenius Castigator textu expulit. Epanorthotes, *Quod moderni*, inquit, *addunt, Duo in lecto, unus assumetur, & alius relinquetur, tantùm est Lucæ xvij.* (v. 34.) Cæterùm ab Origene, Chrysostomo, Hilario, Beda & Anselmo, Matthæum enarrantibus, exponitur: & in Græco Parisiensium ex Italia exemplari reperitur, his verbis, δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς· εἷς παραλαμβάνεται, καὶ εἷς ἀφίεται, *Duo in lecto uno: unus assumitur, & unus relinquitur.*

Similis est apud Lucam varietas circa illud, c. 17. v. 35. *Duo in agro; unus assumetur, & alter relinquetur.* Nam in Syricis quidem legitur; in Latinis verò & Græcis codicibus, his legitur, aliis minimé. Græci multi legunt (α. β. γ. ε. ζ. & alii quidam· δύο ἔσονται, habent, ἐν τῷ ἀγρῷ· εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται) plures omittunt. Latini plerique legunt: duo Parisiensium (Ge. o. l.) unus noster (Pl. par.) omittunt. Alteri ex nostris, Pl. m. infar-

tum videtur. Tertius, D notatus, alio loco id habet, ſecundo nempe, h. e. poſt eos qui in uno lecto, cùm 3° ſenbi ſoleat. Inter Commentatores, Ambroſius, Auguſtinus lib. 2. Quæſt. Euang. c. 44. & Beda ediſſerunt: at Autor operis imperfecti & Euthymius in Matthæum ſcribentes, cum Theophylacto, non agnoſcunt. Autoris operis imperfecti verba ſunt, *Et Lucas quidem Euangeliſta exponit de duobus in lecto, & de duobus ad molam. Præſens autem Matthæus de duobus in agro, & de duobus ad molam. Ubi enim Lucas poſuit*, duo in lecto, *ibi Matthæus poſuit*, duo in agro. *Ex quo intelligere nobis datur, quoniam lectum & agrum ambo Euangeliſta id ipſum intelligere voluerunt.* Hactenus ille. Reverendiſſimus Janſenius exiſtimat utriuſque, Matthæi & Lucæ, Euangelio ex alterius ipſorum adjectam eſſe, quæ deeſſe putata eſt, tertiam partem; nec Lucam poſuiſſe eos qui in agro, cùm noctem dixerit; nec Matthæum expreſſiſſe eos qui in lecto, cùm diem præmiſerit.

C. 25. v. 1. *Exierunt obviàm ſponſo & ſponſæ.*] *Et ſponſæ*, ſicut in Latinis exemplaribus conſtanter legitur, quanquam in eo qui Joannis Arborei commentariis additus eſt textu ſit omiſſum; ità in Græcis concorditer non legitur. His volunt interpretes Græci, Euthymius, Theophylactus, Chryſoſtomus. Illis textus Syriacus, Tractatoréſque, D. Hilarius, imperfecti operis Autor, & B. Anſelmus, conſentiunt. Origenes habet unde videri poſſit legiſſe; *Et ſuggeſtionem quidem, oportere in obviàm ire ſponſo Verbo & Eccleſiæ immaculatæ, omnes quidem audierunt, & ſurrexerunt*, &c. Habet verò item unde videri poſſit non legiſſe; *Et veniunt in obviàm Salvatori, qui ſemper paratus eſt venire ad virgines eas, ut ſimul ingrediantur* [*ingrediatur*] *cum dignis eorum* [*earum*] *ad beatam ſponſam Eccleſiam*; & poſtea, *Et propterea non ingrediuntur cum Verbo ad ſponſam Eccleſiam, ut cum Chriſto ad eos qui ſimul in requie ſunt futuri, & in beatitudine regnaturi.* Quibus ſignificare videtur, obviàm iri ſponſo eunti ad ſponſam. Auguſtinus, epiſt. 120. cap. 32. & legit & exponit, *& ſponſæ:* at quæſt. 59 inter 83. nec legitur nec loco ſuo exponitur: verùm ſub quæſtionis finem ipſe ſe legiſſe ſignificat: *Quod verò*, ait, *ſponſo* [*ſponſa* legendum] *dixit obviàm venire virgines, ſic intelligendum puto, ut ex ipſis virginibus conſtet ea quæ dicitur ſponſa: tanquam ſi, omnibus Chriſtianis in Eccleſiam concurrentibus, filii ad matrem concurrere dicantur, cùm ex ipſis filiis congregatis conſtet ea quæ dicitur mater.* Idem ſermone De verbis Domini 22 accidit: eadem enim utroque leguntur loco.

C. 26. v. 28. *Hic eſt enim ſanguis-meus* [o.] Quædam Cypriani exemplaria, epiſt. ad Cæcilium, quæ eſt tertia libri ſecundi, legunt, Mar. 14. 24. *hoc eſt enim ſanguis*: & hoc etiam modo rectè vertuntur tum Græca tum Syra. Legi poſſunt de utroque vertendi modo Janſenii commentaria.

C. 26. v. 28. *Qui pro multis* [*vobis* o.] *effundetur* [*fundetur* o.] *in remiſſionem peccatorum.*] Græci cum Syris legunt *effunditur* [ἐκχυνόμενον מתאשר] cùm in Matthæo, tum in Marco & Luca: quemadmodum de corpore legunt, *datur & frangitur*, apud Lucam & Paulum, qui id addidere: quanquam per futurum exponere hæc liceat, ut nos ea legimus omnia, præter τὸ *datur* apud Lucam. *Effunditur*, in verbis conſecrationis, (Mar. 14. 24. Luc. 22. 20. & 22. 19. 1 Cor. 11. 24.) Ambroſius legiſſe videtur, lib. 4 De ſacramentis, cap. 6. *Si quotieſcunque*, ait, *effunditur ſanguis, in remiſſionem fundituri, debeo illum ſemper accipere, ut ſemper mihi peccata dimittantur.* Ex hac autem præſentis temporis lectione colligi poſſit, Servatorem corpus & ſanguinem ſuum in cœna obtuliſſe: qua de re legatur doctiſſimus Epiſcopi Janſenii commentarius.

C. 27. v. 8. *Propter hoc vocatus eſt ager ille, Haceldema, h. e. ager ſanguinis.*] Fortè vox *Haceldema*, ex primo Act. 19. ubi legitur, *Ità ut appellaretur ager ille linguâ eorum, Hacel-dema, h. e. ager ſanguinis*, deſumpta, & Matthæi narrationi inſerta eſt: quia neque in Græcis neque in Syriacis exemplaribus invenitur; tantùm, *Propter hoc vocatus eſt ager ille, ager ſanguinis.* Neque verò eſt Syriacè, pro *ager ſanguinu*, חקל דמא *hacaldemo*, ſed קריתא דדמא *Corito daddemo.* Quare hoc loco Euthymius ex libro Actorum adfert Judaicum agri nomen, *haceldema.* Certè ex Latinis noſtris MSS. id quod B literâ ſignatum eſt habet duntaxat; *Propter hoc vocatus eſt ager ſanguinis*; & id quod L notatum eſt, addit ſimul illud ex Actis *linguâ eorum*, *Propter hoc eſt ager ille linguâ eorum Acheldemach, hoc eſt, ager ſanguinis.*

C. 27. v. 9. *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Jeremiam Prophetam, dicentem, Et acceperunt triginta argenteos*, &c.] Quandoquidem hæc Prophetia in Jeremia non inveniatur, variæ hic doctorum & veterum & recentiorum ſunt opiniones. Una eſt, *Jeremiam* ſcriptorum errore pro *Zacharia* eſſe poſitum: eſt enim quædam vocum affinitas, legitúrque in Zacharia hoc oraculum ſenſu, ſi non verbis eiſdem, cap. 11. v. 12, & 13. Alia, quam probat maximè Janſenius, eſt, nec Jeremiam nec Zachariam ab Euangeliſta nominatum; ſed, abſque alicujus Prophetæ nomine, ab eo, ut aliàs plerumque, ſcriptum, *Tunc impletum eſt quod dictum eſt per Prophetam dicentem.* Pro hac ſententia facit, tum quòd olim quidam Euangeliorum codices hoc modo habuerint, teſte Auguſtino lib. 3 De conſenſu Euang. cap. 7. tum quòd Syriacus textus hoc pacto legat. Quin & vetuſtum Latinorum Euangeliorum exemplar, quod ex Bibliotheca Societatis Jeſu commodatum nobis eſt, album, hoc planè modo ſcribit; quod & Lyranus in quibuſdam libris legiſſe videtur. Legitur hunc in modum etiam apud Rupertum: verùm in commentariis, *Scriptorum*, ait, *incuriâ inoleviſſe, ut hîc pro Zacharia Jeremias nominaretur.* Tertia eſt ſententia quæ vulgatam tuetur lectionem, *per Jeremiam prophetam*, cui Græci, Latini codices, olim ac nunc, plerique conſentiunt: ſed diverſis propugnatur modis; quòd vel Judæorum invidâ malitiâ eraſa ſit ex 32 Jeremiæ capite, quo de agri emptione agitur, hæc Prophetia; vel in Apocryphis Jeremiæ ſcripta fuerit; vel inter ἀγεγραμμένα accepta; vel ea ſit cujus hiſtoria Jer. 32 deſcribitur; vel ex Jeremiæ & Zachariæ oraculis conflata ſit; vel, propter eundem Spiritum quo afflati Prophetæ ſcripſere, Jeremiæ ſit attributa quæ Zachariæ eſt; vel denique Zacharias binominis fuerit, altero nomine Jeremias dictus. Hæc enim ſingula autores ſuos habent. Variis conjecturis una latens quæritur veritas.

C. 27. v. 33. Mar. c. 15. v. 22. & Joh. c. 19. v. 17. Quidam, id quod Euthymii interpres Hentenius refert, pro *Golgotha*, quod interpretetur *Calvariæ locus*, *Golgoltha* legendum putat. Nam præterquam quòd hoc modo Chaldaica lingua Calvariam vocet, ſic ſcriptum in vetuſtis Latinis exemplaribus reperiſſe ſe dicit: itáque habet Hebraicum ejus Euangelium גלגלתא. Inter Latinos codices, quos vidimus nos, ſola Biblia quæ anno 1529 Coloniæ in ædibus Quentelianis excuſa ſunt, in Matthæi & Johannis Euangeliis, *Golgoltha* legunt, eáque, quod veriſimile eſt, ſtudio emendata; cæteri, cùm impreſſi tum ſcripti, aut *Golgotha* habent, aut *Golgatha*, ſive *ta* adſpiratione omiſsâ. *Golgotha* ubique ſervant manuſcripta lectiſſima, Bugenſe, E, & aureum Societatis. Hieronymus etiam, libris De locis & nominibus Hebraicis, *Golgotha* legit. Simíliter legunt Græci codices quos conſuluimus, omnes, Γολγοθᾶ, uno dempto, qui in Johannis Euangelio Γολγαθᾶ ſcribit. Epanorthotes in Matthæo notat; *Item d.* qui dicitur Golgotha. *Græcus, antiqui, Gloſſa & Hieronymus ſic habent.* Quare id *Golgatha* præferendum videtur: tametſi

Chaldæi & גולגלתא *gulgaltha* dicant. In Syriaco exemplari גגולתא *gogulto* legitur. Hebraicè גלגלת *gulgoleth* dicitur. *Caput* hæc & *calvariam* significant: translata ad significandum locum in quo mortis rei morti tradebantur; quòd multa in eo occisorum capita & calvariæ essent.

C. 27. v. 40. *Vah qui destruis templum Dei, & in triduo illud readificas: salva temetipsum.*] *Vah* omittit unus codicum Hentenii (nam de altero, qui Parisiensium est, Constantiensi, habeo cur dubitem) id quod vulgatis Græcis & Syricis exemplaribus conforme est, quibus adstipulatur Euthymius. Quare suspicantur quidam huc ex Marc. 15. 24. id nobis esse translatum. Cæterùm ut universi nostri Latini addunt *vah*; ità Græcus Parisiensium β, ex Italia transmissus, addit οὐαὶ, & Syriacus Colonià acceptus, cujus varias ab impressis codicibus lectiones Raphlengius jampridem edidit, præponit אוון quod in Marco pro Græco οὐὰ, Latinóque *vah*, ponitur. Quinque ex nostris Græcis exemplaribus in Marco οὐὰ legunt; id quod nobis *va* sonat, Syris אי.

Quæ sequuntur verba, *destruere & readificare*, complures libri secundâ personâ legunt, *destruis, readificas*; quidam tertiâ, *destruit, readificat*; *Vah qui destruit templum Dei, & in triduo illud readificat.* Ex nostris, O, E, L, Pl. m. Mog. & alii multi, secundâ; Brug. Lob. Leod. So. au. Q, H, M, A, R, Tril. tertiâ legunt. His vetusti aliquot cujusdam codices, nominatim Constantiensis & antiqui Epanorthotæ, consentiunt. Græca & Syra Participiis utuntur, quæ si, ut vulgò, non præmittunt *vah*, per secundam exponi personam magis exigunt. Itaque plerique omnes Interpretes transferunt. Si verò præponant *vah*, id quod Interpres legisse videtur, rectè tertiâ vertantur personâ: eáque acrior sit irrisio, mutatâ statim personâ. Apud B. Augustinum, lib. 3. De consensu Euang. cap. 15. secundâ personâ legitur, omisso *Dei* nomine. Porrò Hilarius, 33 canone, tertiâ personâ se legisse significat, dum ait, *Additur etiam illud opprobrium, quo se ipse Israel Infidelitatis arguere indicatur; Hic est qui destruebat templum Dei, & in triduum illud readificabat.*

NOTATIONES IN EUANGELIUM SECUNDUM MARCUM.

Cap. 1. v. 2.

*Sicut scriptum est * in Isaia* [** in lege Domini* 1 MS.o.] *- Propheta* [1 *MS.* o.] Græcorum codicum plerique, cum Theophylacto & Euthymio, *Sicut scriptum est in Prophetis* [ὡς τοῖς προφήταις] legunt. Verùm *in Isaia Propheta* germanam esse lectionem colligi posse videtur ex concordia Latinorum codicum, quibus inprimis Hieronymus, cùm in libro De optimo genere interpretandi, tum in enarratione tertii capitis Prophetæ Malachiæ; dein Autor quæstionum V. & N. Testamenti, quæst. 57. & posteriores Latini Tractatores, Beda, Albertus, Lyranus, Gorran, & alii; tum autor Homiliarum in Marcum, Chrysostomi titulum præferentium; adhæc Syriaci codices; denique Græcorum librorum nonnulli, noster videlicet ad Vaticanum collatus, Parisiensium cum 2 octavus, consonant. In 3 Irenæi libro, ante medium quidem undecimi capitis *in Prophetis* legitur; sub finem verò ejusdem capitis, *in Isaia Propheta.* Substitutum à Græculis fuisse videtur; quod quibusdam nostrûm, nominatim Hofmeistero, sequi placuit, *in Prophetis*, pro *in Isaia Propheta:* quòd animadverterint testimonium quod profert Marcus ex duorum Prophetarum, Isaiæ & Malachiæ, oraculis compositum esse, & quidem Malachiæ priorem partem esse. Quare & Porphyrius locum Christianis objecit, ut imperitiæ errorísque Euangelistam convinceret (testatur id autor Homiliarum in Marcum, Chrysostomo inscriptarum) de quo scribit B. Hieronymus in tertium Matthæi caput: cùm enim testimonium de Malachia Isaiáque contextum sit, quærit (Porphyrius) quomodo velut ab uno Isaia exemplum puterus assumptum. Cui Ecclesiastici viri plenissimè responderunt. Nos autem nomen *Isaiæ* putamus additum scriptorum vitio, quod & in aliis locis probare possumus; aut certè de diversis testimoniis Scripturarum unum corpus effectum. Lege tertiumdecimum Psalmum, & hoc idem reperies. Posterius hoc, de diversis testimoniis Scripturarum unum corpus effectum, ac sub unius Prophetæ nomine recitatum, ut fit probabilius, ità aliàs id, prioris nullà factâ mentione, Hieronymus est secutus. De vario qui hoc loco est interpungendi modo legatur D. Jansenius in initium capitis 13 Concordiæ Euangelicæ.

C. 3. v. 17. *Et imposuit eis "nomina, Boanerges, quod est, filii* ["*nomine Boanargen, quod est filium*, 1 MS.o.] *tonitrui.*] Duo ex MSS. nostris *Boarneges* scribunt; unum, H, *Bonerges*, quomodo, sive *Bonergem*, Philippum Hieronymi auditorem id efferre Zegerus ait; duo, L. C. *Bonarges.* Plerique verò Latini libri, scripti atque impressi, & Græci, concorditer, *Boanerges* [*Bunarges* 1 MS. *Bonaerghes* 1.] habent. D. Jansenio *Bonareges*, literis tranpositis, veriùs legi videtur: hoc enim ad Hebræam vocem בני רגש vel בני רעש, *Benreges*, & eam quæ indè formetur Chaldæis, eámque quæ Syris, propiùs accedit. *Benai-regheſi* est in Syrico Testamento. D. Hieronymus, primum Danielis caput enarrans, *Non*, inquit, *ut plerique putant*, Boaneges, *sed emendatiùs legitur* Bene-reem. *Bene-reem* בני רעם legere quàm *Benereges* maluit, eò quòd illud *filios tonitrui*, hoc *filios tumultûs* propriè denotet. Cæterùm posset hoc pro illo accipi: quare Syrus interpres, *Benai-regheſi* exposuit *Benai-raamo.* Nam *raam* Hebræi pronunciant. Quòd si exprimas *regem*, verisimilitudinis aliquid indè accipiat *Bonergem*; ut à *regis*, *Bonerges* & *Bonarges. Boanerges* indè originem habuisse potuit, quòd imperitis *boa* ad tonitru exprimendum visum fuerit conveniens: turpissimè enim passim Græci Latiníque peregrinarum linguarum vocabula falsi corruperunt.

C. 6. v. 14. *Et dicebat, Quia Johannes Baptista resurrexit à mortuis.*] V. Beda & S. Thomas, in hujus loci commentariis, clarissimè *dicebant* legunt. Hoc modo etiam Augustinus, lib. 2 De consensu Euang. cap. 43, non semel nec ambiguè, legit: lectióque ista, & narrationi Lucæ & ordini ipsius Marci optimè convenit, de qua Jansenius doctissimè disserit. Verùm codices Euangeliorum Græci, Latini, Syrici, conformiter *dicebat* habent.

C. 7. v. 31. *Et iterum exiens de finibus Tyri, vênit per Sidonem ad mare Galilææ.*] Syriaci Græcíque codices, & Græci interpretes, Euthymius ac Theophylactus, legunt, *Et iterum exiens de finibus Tyri & Sidonis, vênit ad mare Galilææ.* Nostrorum codicum etsi mira lectio Jansenio videatur, Græcos nonnullos sibi consentientes habet, Parisiensium secundum & octavum.

C. 8. v. 10. *Vênit in partes* [*parte* o.] *Dalmanutha.*] D. Augustinus, lib. 2 De consensu cap. 51. DALMANUTHA, inquit, *quod in quibusdam codicibus* (apud Marcum) *legitur, non dixit Matthæus, sed* MAGEDAN. *Non autem dubitandum est, eundem locum esse sub utroque nomine. Nam plerique codices non habent, etiam secundùm Marcum, nisi* MAGEDAN: quæ Augustini verba in commentarium suum Beda transtulit. Hieronymum quoque, & in Matthæo & in Marco, *Magedan* legisse ex libro De locis Hebraicis perspicuum est; *Magedan*, ait, *ad cujus fines Matthæus Euangelista scribit Dominum pervenisse.*

pervenisse. Sed & Marcus ejusdem nominis recordatur. Nunc autem regio dicitur Magedena, circa Gerasam. Horum lectioni accedit unus Græcus codex, qui legit μαγδαλὰ *Magdala*, quæ est vulgaris Græcorum codicum in Matthæo lectio; & Parisiensium secundus, qui habet εἰς τὰ ὅρια Μαδιγαδά. Atqui exemplaria pleraque Græca Δελμανουθά, Syrica etiam, & quæ nunc temporis exstant Latina, *Dalmanutha*, [*Dalmanucha* o. *Dalmananutha* 1 MS.] concorditer legunt, Theophylacti, Euthymii, Carensis, Lyrani, & posteriorum Enarratorum libris adstipulantibus.

C.13.v.14. *Cùm autem videritis abominationem desolationis.*] Syriaci codices & Græcorum plerique, cum Theophylacto & Euthymio, subjiciunt, *Quæ dicta est à Daniele Propheta.* Verùm sicut exemplaria Latina partem istam in Marco non legunt, ità nec quædam Græca, (Parisiensium duo, secundum atque octavum, nostráque ad Vaticanum collatio) nec Augustinus, epist. 80. & lib. 2 De consensu Evang. cap. 77. Porrò Matth. 24.15. legitur concorditer ab omnibus.

C.14.v.3. *Venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi.*] Unus Parisiensium Latinus codex Germani latus pro *spicato*, ut ferè conformis est Græcis libris, *pistici* habet; sic enim est Græcè, ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς. Legunt similiter Autor commentariorum in Marcum Hieronymo adscriptorum, Autor homiliarum in Marcum Chrysostomum mentientium, Theophylactus & Euthymius. Porrò Latina MSS. quotquot habemus, numero 34. *spicati* servant, duobus exceptis, quorum uni, L notato, id omissum est; alteri, quod Atrebatensis collegii est, *pisciti* scriptum est. Hoc illud forsan exemplar est quod, illi Parisiensium additum, signavit Hentenius *pistici* legere: nam & ipse Atrebatensis collegii exemplaribus est usus. Ad eundem modum impressi codices, quotquot vidimus, omnes *spicati* retinent, Moguntinus, Colonienſis, Nurenburgensis, quæ primæ sunt typographorum ante annum Domini 1480 editiones, & alii, uno, qui Coloniæ in ædibus Quentelianis anno 1529 excusus est, dempto, in quo est *pistica*, quo modo & in textibus Glossæ ordinariæ Lugduni editæ, & Catenæ D. Thomæ Romæ excusæ, ac Joannis Arborei commentariis, legitur: id quod ità Græco assimilatum est ut & genere conveniat, juxta quorundam Autorum monitionem; cùm id necesse non sit: nam & *nardum* neutro genere Plinius lib. 12. c. 12. dicit. *Spicati* legunt & Latini enarratores, Beda, Carensis, Albertus, Lyranus, Gorran, Richelius, aliíque posteriores: id quod Zegeri Epanorthotes, ex vetustorum exemplarium consensu, ut germanam nostræ editionis scripturam, meritò amplectitur. In Euangelio κατὰ Johannem c. 12. v. 3. idem legitur. Porrò ibi tam constanter Latina exemplaria *pistici* [*pestici* 1 MS. o.] scribunt, quàm apud Marcum *spicati*: *Maria ergò accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi.* Hoc tantùm varietatis invenimus, in antiquo Societatis Jesu manuscripto, quod discriminis gratiâ album diximus, *spiciti*, *spitici*, vel *spititi* (non enim satis legi potest) in Quentelianis Bibliis iterum *pistica*. Quin & Latini Tractatores, veteres & recentiores, *pistici* illic legunt; Augustinus, Alcuinus (quem D. Thomæ Catena citat) Beda, Rupertus, Thomas, Albertus, Carensis, Lyranus, Gorran, Richelius, & alii: quanquam apud Bedam, Gorran, & Neotericorum unum atque alterum, *pistica* scriptum sit. Græci codices, ut apud Marcum, ità apud Johannem constantissimè habent νάρδου πιστικῆς, *nardi pistica*: quibus Græci enarratores, Theophylactus & Euthymius, adstipulantur. Quidam in Latino, & Johannis & Marci, Euangelio *spicati* vertendum putant: existimant enim Euangelistas Latinam vocem in Græco posuisse, sed corruptè, πιστικῆς, pro σπικατῆς vel σπικάτης, vulgari Græcorum more; tum quòd nihil de pistica nardo in classicorum scriptorum libris reperiatur; tum quòd si à *fide* dicta sit, πιστὸς seu πιστὴ dicenda, non πιστικὴ fuerat. Interpres Syrus utroque loco נרדין ריסיא *nardum capitalem* seu *præstantem* dixit. Porrò sentiunt Syri B. Marcum Euangelium suum Latinè scripsisse: quod si ità est, nihil mirum in Marco *spicati*, in Johanne *pistici*, Vulgatæ nostræ editioni legi: illud enim Latinus Autor dedit; hoc Latinus Interpres, ut erat in Græco, transcripsit, si tamen non est ambigendi ratio an transtulerit *spicati*. Hinc etiam fieret verisimilius *pistici*, quod est Græcè, ex Latino *spicati* corruptum esse.

C.15.v.8. *Et cùm ascendisset* [*assensisset* unus liber, sed malè] *turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis.*] Græci codices, cum Theophylacto atque Euthymio, habent, καὶ ἀναβοήσας ὁ ὄχλος, i. *& cùm vociferata esset turba.* His Syri consentiunt, וקעו עמא *& vociferatus est populus.* Conjiciunt plerique a Latino Interprete ἀναβήσας lectum: & sanè Vaticanus codex ἀναβὰς legit: id quod si quis velit juxta vulgatam Græcorum lectionem intelligere, subaudiat *clamore*, seu *vociferatione*: *Et cùm ascendisset turba, vociferatione, cùm vociferata esset, cœpit petere*, ut faceret Pilatus quod solitus erat, juxta consuetudinem ex captivis unum dimitteret.

C.15. v.29. *Vah* [*vha* 1 MS. *va* 3 MS. *vua* 1 MS. οὐὰ G.] *qui destruit templum* *, [* *Dei* o.] *& in tribus diebus ædificat* * [* *illud* o.] Multi codices secundâ personâ legunt, *destruis, readificas* [*ædificas* 1. Quidam libri unum verborum secundâ, alterum tertiâ legunt; malè.] Græca & Syra participiis utuntur: itaque ad utrumque modum verti possunt. Recentiores interpretes plerique omnes secundâ personâ vertunt, ità ut hoc ei quod sequitur, σῶσον σεαυτὸν *serva teipsum*, personâ respondeat. Cæterùm vetustiora emendatio áque nostræ editionis exemplaria tertiâ scribunt personâ, & quidem *ædificat* ferè, non *readificat*, quemadmodum Græcè non est nisi ἀνοικοδομῶν. Parisiensium septem, Do. Const. Di. o. l. Ge. o. l. P. nostra septem, Leod. So. al. au. O. Q. Pl. m. H. cum aliis quinque vulgaribus, A, R, Tril. &c. & textu Hieronymo attributis commentariis adjuncto. Non opus est Brugense manuscriptum ex nostris addamus: illud enim est quod Parisienses S. Donatiani codicem vocant, ex Bibliotheca Cathedralis Ecclesiæ D. Donatiani Brugensis, ab eo qui tunc Collegii canonicorum Decanus præerat Marco Laurino acceptum: id quod nos ab eo qui nunc præest, D. Nicolao Dheere, viro præstantissimo, nobísque cognato observandissimo, atque ejus collega dignissimo, D. Jacobo Pamelio, Bibliothecæ præfecto, commodatò accepimus, librum præ cæteris omnibus eximium. Epanorthotes notat, *antiquos codices & Glossam hîc*, destruit, ædificat, *in tertia persona legere, sicut Matthæi xxvij.* (c. 40.) Quare Castigatores, Hentenius & Zegerus, rectè hîc personam tertiam prætulerunt: rectéq; *ædificat*, καὶ *readificat* præposuerunt. Quin & Matt. 27.40. personam tertiam, *destruit, readificat*, præferre rectè potuissent.

C.15.v.36. *Currens autem unus* *, [* *ex eis* o.] *& implens spongiam aceto, circumponénsque calamo, potum dabat ei* *, *dicens*, [*dicens dabat ei* o. *eis* o. * *bibere* o.] *Sinite: videamus si veniat Elias ad deponendum eum.*] Hæc lectio, ut nostrorum, ità Græcorum plerorumque omnium est codicum: ea quæ ei qui acetum Domino offerebat, attribuit verba quæ Matthæus (c. 27.49.) iis qui acetum Domino offerentem prohibebant, tribuit: cui ex veteribus Scriptoribus B. Augustinus, lib. 3. De consensu cap 17. ex Neotericis, Dionysius Richelius hunc enarrans locum, ex iis qui mediâ ætate floruerunt, Euthymius Græcus in Matthæi 27 scribens caput, disertè adstipulantur, ac docent, eum qui acetum Domino offerebat, idem cum iis dixisse qui prohibebant: id quod in hunc sensum accipi possit, Cùm cæteri dicerent, Cessa, noli ei mortem accelerare, videamus an venturus sit Elias, ut servet eum; ille responderit, Permittite, ego ei mortem accelerabo, & videbimus num Elias liberaturus sit eum:

quasi dixerit, efficiam nè eum Elias liberet. Benedictus Arias Montanus in hujus Euangelii elucidationibus, aliter, & quidem dextrè, explicat. Porrò D. Jansenio probabile est locum esse depravatum. Cùm enim Marcus Dominicæ passionis historiam eodem describat ordine, & eisdem penè verbis quibus Matthæus, verisimile putat etiam hoc loco à Marco, sicut Matthæus habet (c. 27. v. 49.) scriptum, οἱ δὲ λοιποὶ ἔλεγον, ἄφες, *Cæteri verò dicebant, Sine*; Cúmque fortè deessent verba illa, οἱ δὲ λοιποὶ, *Cæteri verò*, à scriptore mutata esse ἔλεγον in λέγων, *dicebant* in *dicens*, & ἄφες in ἄφετε *sine* in *sinite*. Huic conjecturæ suffragantur duo quidem Parisiensium exemplaria Græca, 2 & 4, qualitercunque; nam numero singulari ἄφες legunt: similiter vetustum Latinum manuscriptum, quod ex S. Jacobi Leodiensi Abbatia accepimus, & textus V. Bedæ commentariis adjunctus; nam eundem ad modum habent, *Sine*: Textus verò Syriacus quàm maximè; ità enim scribit, & in Cæsareo, & in Regio codice, ואמרו שבובו, quod est, *& dixerunt*, vel *dicebant, Sinite*. Quod verò *Sinite* habent, nihil obstat: sic enim legit etiam in Matthæo. Latinum Trilinguis Collegii exemplar hoc scribit modo, *potum dabat ei bibere dicens, Sinite videamus*: id quod legi possit, *dixerunt*, aut *dicebant*, aut similem ad modum: verùm 34 versu superiori & alibi ità scribit, *dicens*.

C. 15. v. 47. *Maria autem Magdalene & Maria Joseph adspiciebant ubi poneretur.*] Alphæi & Mariæ Cleophæ filius, Jacobi minoris frater, qui in Latinis exemplaribus *Joseph* [*Josep* 3 MS.] dicitur, in Græcis Ἰωσῆς *Joses* appellatur, in Syris similiter יוסא, non hoc solùm loco, verùm etiam aliis omnibus quibus ejus est mentio, Matth. 13. 55. & 27 56. Mar. 6. 3. & 15. 40. Eodem modo nuncupatur à Patribus, Epiphanio hæresin 78 refellente, Hieronymo adversùs Helvidium agente, Theophylacto atque Euthymio Euangelia enarrantibus. Hoc autem de Hieronymo notandum est, quòd nomen istud *Joses*, *Josetis*, inflectat, atque ità verba Marci legat, *Maria autem Magdalene, & Maria Jacobi & Josetis, viderunt ubi poneretur*. Quo modo Marci 6 Græcos quosdam codices, Ἰώσητος legere quidam testatur. In aliis, quotquot nos vidimus, est Ἰωσῆ, quemadmodum & Matth. 27. ac Marc. 15. Matthæi verò decimotertio, ubi nominandi casu nomen refertur, est Ἰωσῆς. Unde inflecti hoc nomen videtur, Ἰωσῆς, Ἰωσῆ, ut βρῆς, βρῆ· quo modo & Theophylactus Græcus autor utitur. Porrò codex Græcus Bibliothecæ Vaticanæ Matth. 13. Ἰωσὴφ *Joseph* legit; similiter Græca Aldi editio, Græcáque Colinæi Matth. 27. Origenes etiam, Matthæi caput 13 edisserens, *Joseph* legit: Certiùs verò 27 caput enarrans, ultimo in Matthæum tractatu, ubi ait, *Erat autem inter præcipuas & Maria Jacobi & Joseph mater*; *aut, sicut Marcus dicit*, (c. 15. v. 40.) *Jacobi minoris & Joseph mater, secundùm nomen Patriarchæ Jacob supplantatoris fratris sui, & Joseph super quem natum genitrix dicit*, (Gen. 30. 24.) *Adjiciat mihi Dominus filium alterum*.

NOTATIONES IN EUANGELIUM SECUNDUM LUCAM.

C. 1. v. 45.

ET *beata* [*benedicta* o.] *quæ credidit* [*crediderit* o.] *quoniam perficientur* * *ea* [* *in te* Pl.m.] *quæ dicta sunt* -" *ei* [- Pl.m. " *illi* Lob.] *à Domino*.] Hæc quinque codicum Parisiensium est lectio, Const. Di. o. Ge. o. T. Mog. decem nostrorum, Lob. So. al. au. Q. Pl. ang. A. m. G. Quent. Reg. vetustorum Zegeri, & antiquorum Epanorthotæ. Altera est lectio vulgarior, *Et beata quæ credidisti, quoniam perficientur* * - *ea*' [* *in te* o, - o.] *quæ dicta sunt* - *tibi* [Brug. E.] *à Domino*; quæ est in libris nostris 28. nominatim Leod. O. L. Colo. Nuren. In aliquot item superiorum MSS. hæc lectio ex illa facta est. Illi Syra consonant, & Alberti magni commentarius; huic Ambrosii commentariis interjectus textus. Græca, si legas αὐτῇ, huic; si ἀυτῇ, illi consentiunt: ᾗ μακαρία ἡ πιστεύσασα, ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου utrumque enim legendi modum Complutensis admittit editio, quæ spiritus non notat. Cæterùm nec observatur hæc differentia, in sacris præsertim literis, ità ut & αὐτῇ, quomodo in aliis Græcis libris legitur, pro ἀυτῇ sive ἐαυτῇ possit accipi: quare omnino ad utramque lectionem ambigua sunt Græca. Priorem Hentenius castigator in textum recepit; eandem Epanorthotes probat. *In Antiphona verò*, inquit, *dicitur in persona secunda* credidisti. Antiphona autem hujusmodi in Breviario nostro Romano est ad *Benedictus* in festo S. Mariæ ad Nives, & ad *Magnificat*, Dominicâ 3ª Adventûs. Porrò in Responsorio 2º 2ⁱ nocturni in Nativitate Domini tertia legitur persona, ut prior lectio habet.

C. 2. v. 38. *Et loquebatur de illo omnibus qui exspectabant redemptionem* [*redemptorem* o.] *Israel.*] Hæc Latinorum codicum vulgaris est lectio; cui Græcum Vaticanæ Bibliothecæ exemplar adstipulatur: habet enim λύτρωσιν τῷ Ἰσραὴλ, *redemptionem Israelis*: accedítque quartum Parisiensium apographum, quod ὁν τῷ Ἰσραὴλ in *Israel* scribit. Porrò antiqui Epanorthotæ codices *Jerusalem* habent, non *Israel*, *Omnibus qui exspectabant redemptionem Jerusalem*: quibus consonant antiqui Parisiensium, Di. o. l. Ge. o. l. V. & antiqui nostri, Brug. Lob. Leod. So. al. L, A, G, R, ac decem Hentenii exemplaria, cum Moguntina Typographorum prima editione, & posterioribus quibusdam. His Latini enarratores, Beda, Carensis, Albertus, Gorran, Richelius, volunt; etiam Lyrani commentariis, quæ à M. N. Hunnæo manuscripta habemus, adscriptus textus. His & Græci plerique libri, ac Syriaca Euangelia, suffragantur: sed Græci quidem libri, consentientibus Græcorum, Theophylacti atque Euthymii, textibus, ὲν Ἰερουσαλὴμ, *in Jerusalem*, legunt; Syriaci verò לפורקנה דאורשלם *redemptionem ipsius Jerusalem*. Quare si hos sequaris, *Jerusalem* Latinis à præcedenti nomine regitur, *redemptionem Jerusalem*; si illos, genitivus est quietis, omnibus qui erant Jerosolymæ exspectantes proximam Christi redemptionem. Reperitur hæc eadem lectio apud Irenæum lib. 3. cap. 11. & Augustinum lib. 2. De consensu cap. 5. quanquam apud Augustinum diversitas sit lectionis. Faciliùs porrò crediderim, cùm de *redemptione Israel* passim in Scripturis legatur, ex *Jerusalem* factum *Israel*, quàm è converso, ex *Israel*, *Jerusalem*; maximè cùm hoc obscurius sit. Minimè verò persuaderi possum à B. Luca utrumque scriptum fuisse, sic, *redemptionem Israel in Jerusalem*; id quod Nicolaus Zegerus suspicatur; tametsi unum ex MSS. nostris *redemptionem Israel, Jerusalem* legat. Ex infimis id est, nec ullius insignis codicis aut Tractatoris autoritate fulcitum.

C. 4. v. 5. Illum tentationum Christi à diabolo ordinem, quo prima narratur ea quæ in deserto, secunda quæ in monte, tertia quæ in Templi summitate accidit, quem in Luca nostrorum Bibliorum habet textus, habent in Luca similiter Græci omnes, Syrici Latiníque libri, quos videre potuimus, suffragantibus Origene Hom. 29, 30, & 31. in Lucam, Augustino cap. 16. secundi De consensu, Beda, Theophylacto, Euthymio, & posterioribus Latinis enarratoribus. Cæterùm testatur quidam, quod Jansenius refert, antiquos quosdam codices habere in Luca ordinem eundem quem Matthæus habet, secundam quæ in Templi summitate, tertiam quæ in monte: quem sanè & B. Ambrosius, Lucam explanans, tum in textu tum in commentariis, servat. *Tria*, inquit, *præcipuè docemur tela diaboli*, &c. *gulæ unum, aliud jactantiæ, ambitionis tertium*: ac primâ, gulæ tentatione, expositâ, ait, *Sequitur jactantiæ telum, quo*

proclivè

proclivi delinquitur; quia dum homines gloriam virtutis sua jactare desiderant, de loco meritorum suorum & statione decidunt. Et duxit illum, inquit, *in Jerusalem*, &c. Tertiò demum de ambitionis telo latè disserit; *Et duxit illum diabolus iterum in montem altissimum*, &c. & in fine, *Caterùm*, habet, *quod ad mysticum ordinem spectat, cernis vetusti erroris vincula suis resoluta vestigiis, ut primò gula, secundo facilitatis, tertiò ambitionis laqueus solveretur*, &c. Quare ordinis mutationem quæ in Euangelio Lucæ reperitur ex scriptoris vitio accidisse videri fortasse possit, qui verborum falsus similitudine tertiam tentationem secundæ præmiserit (incipit enim utraque ad eundem modum, *Et duxit illum*; Græcè quoque, καὶ ἀναγαγὼν αὐτὸν, simile est huic, καὶ ἤγαγεν αὐτὸν) ac postea errore deprehenso tertiæ secundam subjecerit, cùm etiam plerique codices Græci, Theophylacto, atque apertissimè Euthymio, adstipulantibus, in ea quæ secundo loco ponitur, addant, ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ, *Vade post me Satana*. Non est enim verosimile, B. Lucam aliam subjecturum fuisse Satanæ tentationem, postquam narrasset eum à Domino repulsum. Hoc est enim, *Vade post me Satana*, ut exponit Euthymius, *E conspectu meo te aufer; desine me tentare*. Verumenimvero pars ista nec in Latinis libris habetur, nec in Syricis additur, nec in Græcis quibusdam, nominatim Vaticani, & Parisiensium secundo, septimo atque octavo, invenitur; nec denique ab Origene, Ambrosio, Beda, posterioribúsque Latinis legitur. Probabile est, quod sentiunt quidam, huc ex Matthæi c. 4. v. 10. à Græculis fuisse adscriptam; de cujus lectione illic in Matthæo tractavimus.

C. 10. v. 1. *Post hæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos*: & v. 17. *Reversi sunt autẽ septuaginta duo cum gaudio*] De discipulorum istorum numero nonnihil est controversiæ. Plerique enim omnes Græcorum codicum ἑβδομήκοντα *septuaginta* fuisse scribunt. Hi Syriaco textui conformes sunt. Volunt etiam eis Aurores Græci, Euthymius & Theophylactus, in hunc scribentes locum: Præterea Eusebius Cæsariensis, lib. 1. Eccl. hist. cap. 14. ubi & Clementem, ex libro Dispositionum quarto [Al. quinto] citat, qui unum ex septuaginta discipulis Cepham fuisse dicat, cui in faciem Paulus restitit, Gal. 2. 11. Adhæc, B. Irenæus lib. 3. cap. 13. Contra hæreses. Inter Latinos quoque Patres B. Damasus epist. 4. quæ est de Chorepiscopis, & S. Ambrosius Lucam enarrans, mentionem discipulorum non nisi septuaginta faciunt. Et Damasus quidem etiam decimumtertium Concilii Neocæsariensis canonem profert, in quo septuaginta duntaxat nominantur: Ambrosius verò, serm. De quadragesima, qui est numero 24. septuaginta discipulos, quos secundo ab Apostolis gradu, propter salutem hominum à Domino directos Lucas Euangelista testatur, septuaginta palmis comparat quæ in Elim juxta duodecim fontium aquas creverant; ut est Exo. 15. 27. quibus eos & superiores Euthymius ac Theophylactus comparant. Illis & à D. Hieronymo comparantur, epist. ad Fabiolam, quæ est de 42 mansionibus Israelitarum; de sexta namque mansione agens, *Juxta has aquas*, inquit, *Lxx creverunt palmæ, quos & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelistâ testante duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris gradûs*. Porrò Latini Euangeliorum codices discipulos istos numero septuaginta duos fuisse constantissi nè tradunt: quanquám in uno scripto, quod Atrebatensis Collegii est, priori loco *septuaginta viros*, posteriori *septuaginta viri*, nos invenerimus: id quod admiratione dignum est. Hi libris quibusdam Græcis consonant. Notatum namque invenimus in D. Werneri exemplari, Bibliothecæ Vaticanæ Græcum apographum priori hujus capitis loco ἑβδομήκοντα δύο *septuaginta duos* legere. Annotarunt & Parisienses, priori quidem loco etiam *septuaginta duo* scribi (γράφεται καὶ ἑβδομήκοντα δύο) verùm sine ullius citatione exemplaris; posteriori verò β, secundum Græcorum codicum, illum nimirum ex Italia transmissum, ἑβδομήκοντα δύο *septuaginta duo* habere. Insuper consentiunt Latini libri, ut posteriores Latinos Enarratores præteream, Bedæ, quódque amplius est, Augustino, lib. 2. Quæst. Euang. cap. 14. (*Sicut*, ait, *viginti quatuor horis totus orbis peragitur atque lustratur; ità mysterium illustrandi orbis per Euangelium Trinitatis in 72 discipulos intimatur: viginti quatuor enim ter in septuaginta duobus ponimus*) aliísque in locis; atque inter scriptores Græcos, Epiphanio, sub finem tomi primi lib. 1. Adversùs hæreses, ubi ait, ἀπέστειλε δὲ καὶ ἄλλους ἑβδομηκοντὰδύο κηρύξειν, *Emandavit verò & alios septuaginta duos ad prædicandum*, &c. ac tertiò postea ἑβδομηκοντὰδύο *septuagintaduos* vocat. Anacletus etiam, antiquitate, Pontificatu & Martyrio celeberrimus, epist. 3. quæ est de Patriarchis, Primatibus, & reliquis Episcopis, dicit, *ad Apostolorum adjumentum electos à Domino discipulos septuaginta duos, quorum Presbyteri locum tenent*.

C. 11. v. 3. Hanc Dominicæ orationis partem, *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, in Euangelio D. Lucæ, ut in D. Matthæi, legunt quinque nostra manuscripta (Q. A. Bess. Pl. par. Pl. long.) quibus tria Hentenii exemplaria consonant. Quartum, quod Parisiensium est, Moguntinum, quemadmodum & Colonienſe ac Nurenburgense, quæ proximè sunt illud annis secuta, & posteriora quædam, id duntaxat in Lucæ habent, *fiat voluntas tua*. Totum, ut priora illa octo exemplaria, habent Græci libri plerique omnes & Syrici, insuper & Græci tractatores, Euthymius & Theophylactus. Porrò plerique Latini codices manuscripti (Brug. Lob. Leod. So. al. au. O, E, L. Pl. m. H. &c.) & quidem spectatissimi quique, magna quoque impressorum pars, pericopen illam apud B. Lucam omnino non agnoscunt: quibus suffragatur Græcum Vaticanæ Bibliothecæ antigraphum, differéque adstipulantur Latini enarratores, Beda, Carensis, Thomas, Bonaventura, Albertus, Lyranus, Gorran, Richelius; præterea B. Augustinus Enchiridii 116 capite, ubi ait, *Euangelista verò Lucas in oratione Dominica petitiones, non septem, sed quinque complexus est. Nec ab isto utique discrepavit: sed quomodo ista septem sint intelligenda, ipsâ suâ brevitate commonuit: Nomen quippe Dei sanctificatur in Spiritu: Dei autem regnum in carnis resurrectione venturum est; Ostendens ergò Lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam prætermittendo fecit intelligi.* Hactenus Augustinus. Verisimile fit igitur, quod existimant quidam, partem hanc, *fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*, huc ex Matthæo, quòd desiderari videretur, ut integra esset Dominica oratio, fuisse transscriptam; aut, ut scribarum occurrit memoriæ, quod orando haud prætermittere fuerant soliti, adscriptam. Idem judicium de his partibus esse videtur, *Noster qui es in cœlis*; &, *Sed libera nos à malo*: quæ in Latinis libris quibusdam, & plerisque omnibus Græcis, similiter adduntur.

C. 11. v. 11. Nostri codices legunt, *Quis autem ex vobis patrem* [*à patre* Pl. m.] *petit panem? numquid lapidem dabit illi?* Græci verò paulò aliter, τίνα δὲ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσει ὁ υἱὸς ἄρτον; μὴ, &c. *Quem autem ex vobis patrem petet filius panem? numquid*, &c. Similiter Syrici, *Quis autem ex vobis pater quem petet eum filius ejus panem? numquid*, &c. quibus accedit B. Augustini lectio, Sermone De verbis Domini 29. *Quis est vestrûm à quo petit filius suus panem? numquid*, &c.

C. 12. v. 8. *Omnis quicunque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*] Ità ferè Latini codices scribunt, Latinis expositoribus concinentibus. Græci codices atque Expositores & Syri legunt, *Omnis quicunque confessus fuerit in me* [בי בו יאמין] *coram hominibus, & filius hominis confitebitur in illo* [בר אנש בו יודי] *coram Angelis Dei*. His conformiter duo Latina manuscripta, Q. correctissimum

sanè exemplar, & A, ex instructissima eximii M. N. Augustini Hunnæi Bibliotheca cum multis aliis desumpta, habent, hoc *in me*; illud *in illo*. Testatur & quidam, quosdam Latinos codices ità habere. Zegerus quoque in N. Testamenti à se castigati margine, *aliàs*, in me, & in illo, notavit. Bedæ commentariis additus textus *in me* scribit. Similis est Scripturæ locus Matth. 10. 32. quem D. Cyprianus epist. 6. libri 3. adferens, eodem planè legit modo quo & hîc & ibi cum Græcis Syri; *in me, in illo*. Porrò in Latinis Euangeliorum libris sine varietate apud Matthæum scriptum reperimus, *Confitebitur me, Confitebor & ego eum*: qui sensus est alterius lectionis: quare & haud pauci nostræ ætatis Interpretum ità utroque loco vertunt. Euthymius utrumque adfert exponendi modum. Chrysostomus &, qui eum sequitur, Theophylactus aliud significari existimant; *in me*, à me adjutus; *in eo*, gratitudine ipsius motus; quòd non sic de negante dictum sit versu proximo, *qui negaverit in me*, sed, *qui negaverit me*, id quod urget & Heracleon Valentinianus, quem citat Clemens Alexandrinus, quarto Stromatum libro. Atqui Syri & de negante sic loquuntur, *in me, in eo*, perinde ac de confitente, tum in Matthæo, tum in Luca. Quare ea Hebraica phrasis agnoscenda videtur, quales istæ Psalmo 43, באלהים הללנו כל היום ושמך לעולם נודה, *In Deo laudamus omni die, & in nomine tuo in seculum confitebimur*. Nam præpositionem repetendam Lxx intellexerunt.

C. 12. v. 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus - vestris* [1 MS.] τὸ *In manibus vestris*, quod multi Latini codices legunt, multi, & quidem antiquissimi atque optimi quique, tollunt; nostri, Brug. Lob. Leod. So. al. au. O. E. Q. Pl. m. A. J. Parisienses, Di. o. l. Ge. o. l. Mog. Hentenii novem, Jansenii alter, vetustissimi codices, etiam Missales, Zegeri. Græci libri constanter rejiciunt. Syrorum exemplaria non legunt. Patrum vetustissimi non agnoscunt; Tertullianus, lib. 4. Adv. Marcionem; Cyprianus lib. 2. Adv. Judæos cap. 18. & sub finem libri De simplicitate Prælatorum; Hilarius, enarrans illud Psalmi 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; Ambrosius, idipsum enarrans, rursúsque Euangelium Lucæ exponens; Augustinus, lib. 2. Quæst. Euang. cap. 23. libri De continentia cap. 7. & sermone De verbis Domini 23. Autor operis imperfecti in Matthæum, in fine Homiliæ 15. Euthymius in hunc scribens locum. Theophylacti Latina quidem exemplaria in commentariis etiam repetunt, quod in textu non legunt: Exemplar autem Græcum Romæ excusum sicut in textu non habet, ità neque in commentariis. Richelius denique, ex recentioribus, prætermittit; duntaxat, ut superiores, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ * ardentes* [* *vestræ* Syra, Hilarius] legit. Zegerus itaque Castigator è textu illud sustulit. Cæterum D. Gregorius, Hom. 13. in Euangelia & legit & exponit; similiter, Gregorio antiquior, Petrus Chrysologus, serm. 22. denique, Gregorio & Chrysologo antiquior, B. Hieronymus, 16 Ezechielis caput edisserens, cujus verba sunt, *Et Dominus ad Apostolos loquitur*, Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. *Nisi enim adstrinxerimus fluentia lumborum reumata, lucernas in manibus habere non possumus*: libri etiam 28 Moralium cap. 7. non obscurè Gregorius explicat, tametsi non addatur. Carensis, Bonaventura, Albertus, Lyranus, Gorranus, interpretantur.

C. 15. v. 4. *Quis ex vobis homo qui habet centum oves? &, si perdiderit unam ex illis, nónne dimittit nonaginta novem in deserto*, &c. & v. 8. *Aut quæ mulier habens drachmas decem? * si* [* & o.] *perdiderit drachmam unam, nónne accendit lucernam*, &c.] Si pro *nónne* legeretur *non*, unicâ interrogatione, id quod tam Græca quàm Syra permittunt, clarior commodiórque esset nostræ versionis textus; maximè posteriori loco, quo non præmittitur & conjunctio, quanquam Græcis ea priori loco nihil obsit. Porrò, invenimus nunc *non* priori loco, in textu Johannis Gagnæi scholiis an. 1552. adjuncto, posteriori, in MS. exemplari M. N. Hunnæi A notato. Cæterùm agnosci hîc potest Hebræorum loquendi modus concisus, nativus, incomptúsque; qualis ille de quo superiùs, cap. 11. v. 11. *Quis ex vobis patrem petit panem? numquid lapidem dabit illi?*

C. 21. v. 38. *Et omnis populus manicabat ad eum * in* [* *venire* o.] *templo audire eum*] *Manicabat* ficta vox esse videtur, ad imitationem Græcæ ὀρθριζε· quanquam ità potius *manizabat* esset. Quidam pro *manicabat* [*manebat* 1 malé. *magnificabat* 2 MS. malé. *venibat* 1 MS. malé.] legendum esse conjiciunt *manè ibat*; Zegerus, quod & castigando secutus est, *manitabat*. Parisienses in uno manuscripto, Ge. l. nos in duobus, Pl. m. Tril. & quibusdam recèns impressis, *manè ibat* invenimus: *manabat* in uno scripto, Q signato, apertè vidimus. Atrebatensis Collegii sericatum exemplar *manè accelerabat* [Hæc ferè Ennarratorum est expositio.] habet. Vetustus unus codicum cujusdam *diluculo veniebat* legit: id quod & Richelius exponit, & Quenteliana Biblia sequuntur. Porrò *manicabat*, ut in plerisque est libris, ità in antiquissimis, tum nostris tum Epanorthotæ; nostris, So. al. au. Brug. Lob. Leod. O. E. & aliis; legitúrque & explicatur apud Enarratores, Lyranum, Bonaventuram, Thomam, Albertum, Carensem, Autorem Glossæ, Bedam. Quia verò obscura ea Latinísque auribus inaudita est vox (id quod & B. Augustinus Quæst. 46. in librum Judicum annotavit, qui olim illam legit, quibusdam in libris Judicum c. 9. [In quibusdam libris Augustinus legerat *maturabi*, Jud. 9. 33.] pro eadem Græca dictione ὀρθρίζω) hinc illæ ortæ videntur lectionis varietates, quibusdam explicare, quibusdam emendare conantibus: quanquam, si dubium esse debeat an *manicabat* Interpres dixerit, *manitabat* proximum esse existimarim.

C. 22. v. 43, & 44. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum: Et factus * in* [* *est* o.] *agonia, * prolixiùs* [* & o.] *orabat: & factus est sudor ejus, sicut gutæ sanguinis decurrentis in terram* [*aquam* o.] D. Hilarius lib. 10. De Trinitate, *Nec sanè*, ait, *ignorandum à nobis est, & in Græcis & in Latinis codicibus complurimùs, vel de adveniente Angelo, vel de sudore sanguinis nil scriptum reperiri. Ambigentibus igitur, utrùm hoc in libris variis aut desit aut superfluum sit (incertum enim hoc nobis relinquitur de diversitate librorum) certè si quid sibi ex hac hæresi blanditur, ut infirmum affirmet cui opus fuerit Angeli confortantis auxilio*, &c. Hieronymus quoque, circa medium libri secundi Contra Pelagianos, *In quibusdam*, inquit, *exemplaribus, tam Græcis quàm Latinis, invenitur scribente Luca, Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum; haud dubium quin Dominum Salvatorem. Et factus in agonia, prolixiùs orabat: factúsque est sudor ejus sicut gutæ sanguinis decurrentis in terram. Salvator in passione ab Angelo confortatur*, &c. Hodie nec in Latinis ullis, nec in Græcis, nec in Syricis libris, deesse hæc comperiuntur: nec mediæ postremæque ætatis Enarratores, cùm enarrant unanimiter, quidquam hujusmodi de sui temporis codicibus notant.

NOTATIONES IN EUANGELIUM SECUNDUM JOHANNEM.

C. 1. v. 28.

HÆC *in Bethania facta sunt, trans Jordanem, ubi erat Johannes baptizans*] Græci plerique libri in vulgus noti Βηθαβαρᾷ [Βηθαβαρᾷ o.] *Bethabara* scribunt. Latini constanter *Bethania* habent (neque enim curamus Neotericorum quorundam permutationes, in quorum unum Johannes Gagneius meritò invehitur) quibus Syriaci consentiunt, &, inter Græca exemplaria, Parisiense anni

anni 1549, Regium ex Complutensi excusum, Vaticanum manuscriptum, & Parisiensium manuscripta omnia π literâ significata, Nonni Græci carmine scriptâ Paraphrasi adstipulante. Chrysostomus, Theophylactus & Euthymius, Græci tractatores, lectionis utriusque meminerunt. *Bathania* legunt: sed illa exemplaria emendatiora putant in quibus *Bethabara* scriptum est; quòd *Bethania* non trans Jordanem fuerit, neque in deserto, sed haud procul à Jerosolymis. *Bethabara* significat *locum*, seu *domum*, *transitûs*: quo nomine vocatum arbitrantur quidam locum quem Johannes ad baptizandum elegit, quòd esset ibi trajectus Jordanis, ac propterea cùm frequens esset locus, opportunus Johanni fuerit. Andreas Masius, tertium Josuæ caput edisserens, sic appellatum existimat, quòd illic Israelitæ trajecerint cùm siccato flumine Chananæam ingrederentur. Porrò qui alterum sequuntur legendi modum, Beda, id quod Albertus magnus refert (neque enim hoc in Bedæ commentariis quæ nos legimus habetur) Ordinariæ Glossæ Autor, & alii posteriores, duas dicunt Bethanias fuisse, atque ad distinctionem hujus ab ea quæ Jerosolymis erat vicina, additum fuisse *trans Jordanem*. Josephus Antiq. lib. 17. c. 10. Bathaniæ meminit, quam cum Gaulonitide, Trachonitide & Paneade, Herodes Philippo filio suo testamento reliquerit: ea quæ c. 17. ejusdem libri *Bathanea* dicitur. Hanc ultra Jordanem fuisse dubium esse vix potest: regio autem ea fuisse videtur quæ ab aliis *Bathanea* seu *Bathanæa*, à Vet. Testamenti scriptoribus *Basan* appellatur. Usitatissimum est Chaldæis & Syris ש *S* Hebraicorum nominum in ת *T* mutare. *Betharaba* (sic enim legendum est, non, ut Jansenius legit, *Bethabara*) cujus mentio est Josue 18. v. 22. inter civitates tribûs Benjamin, is locus esse non potest cujus Evangelista meminit: Non enim ultra Jordanem excurrit Benjamiticæ tribûs sors. In Græca N. Testamenti Basileensi editione, anni 1563, Βηθαρᾶ legitur: id quod cujusdam conjecturæ convenit qui, *Fortasse*, inquit, *hic locus est de quo habes Judicum 7. 24. & ibi vocatur* Bethbara, quanquam illic Βηθβαρᾶ pro Βηθαβαρᾶ errore scriptum verisimile fiat, quòd ex Parisiensium editione id exemplar expressum esse certò observasse mihi videar.

C. 4. v. 46. *Et erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.*] Hieronymus, in caput Isaiæ 65. *Regulus*, inquit, *qui Græcè dicitur βασιλικὸς, quem nos* de aula regia *rectiùs interpretari possumus* palatinum, *non solùm filii*, &c. Syri עבד מלכא *servus Regis* interpretati sunt. Interpres noster *basilicus* & fortè legit.

C. 5. v. 2. *Est autem Jerosolymis, super probatica, piscina quæ cognominatur* [*cognominabatur* 6 MS.] - *Hebraicè* [o.] *Bethsaida.*] Hunc ad modum, *super probatica*, legunt quatuor nostrorum MSS. Brug. Q. Atr. So. ru. sex Parisiensium, Au. Do. V. P. Ge. o. l. Sed, Do. i. Donatianicum, idem est quod Brugense nostrum; tria Cœnobii Gemblacensis, Zegero teste, & Regia editio. Aliquot recèns excusi libri *in probatica* scribunt. Utrumque legendi modum permittunt codices Græci, qui, Nonno & Euthymio adstipulantibus, sic habent, Ἐστι [Ἔστι o.] δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις, ἐπὶ τῇ προβατικῇ, κολυμβήθρᾳ [κολυμβήθρᾳ Ald.] ἡ ἐπιλεγομένη [λεγομένη Ald. B. Arias Montanus, in volumine Nehemiæ, sacro Apparatui Regiorum Bibliorum conjuncto, *probaticam* intelligit, *Portam gregis*, quam vocat Nehemias cap. 3.] Ἑβραϊστὶ Βηθσαϊδά· id quod alii vertunt, *ad probaticam*, & *super probaticam*. Porrò, prior legendi modus, *super probatica*, si de vera agitur Interpretis translatione, posteriori meritò est præferendus: reperitur enim in antiquis & fide dignis MSS. posterior verò, *in probatica*, in impressis duntaxat est codicibus (nam MS. in Bibliorum margine pro libris simpliciter hîc positum est, ut quandoque) iisque, pro arbitrio eorum qui editionibus præfuerunt, sæpenumero mutatis, cujusmodi sunt, ut antiquiora nominem, Quenteliana Biblia, anno 1529 excusa, in quibus grassatus fuit Ubbelius quidam Wormarius. Addiderunt verò hoc loco, ex Græcis, non pro *super* substituerunt (ignorasse enim eos, arbitror Latinis quibusdam codicibus *super* legi) *in* præpositionem: quòd plerique Latini codices, absque præpositione, *probatica piscina*, conjunctim legant. Sunt enim nobis manuscripta exemplaria triginta, impressáque complura, quæ hoc modo habeant, *Est autem Jerosolymis probatica piscina, quæ*, &c. Neque verò universa hæc vulgaria sunt exemplaria, sed spectatæ fidei & antiquitatis non pauca, nominatim Lob. Leod. So. al. au. O. E. L. Pl. m. &, inter impressa, Mog. Col. Nuren. ex ipsa Typographiæ infantia edita. Atque his suffragantur veteres Patres, ut recentiores prætream, Richelium, Lyranum, Gorran, Thomam, Albertum, Carensem, Rupertum, & alios; inter Latinos, Beda & Hieronymus; inter Græcos, manifestè Theophylactus. Bedæ Johannem enarrantis prolixiora sunt verba eáque clarissima. Hieronymi, libro De locis Hebraicis, hæc sunt, *Bethesda, piscina in Jerusalem, quæ vocatur* προβατικὴ, *& à nobis interpretari potest* pecualis. Theophylacti in Johannem scribentis, inter alia, ista· προβατικὴ δὲ ἐλέγετο ἡ κολυμβήθρα, διότι τὰ περὶ θυσίαν πρόβατα ἐκεῖ συνήγετο, καὶ τὰ ἔγκατα αὐτῶν ἐπλύνοντο ἐκεῖ, *Probatica autem dicebatur piscina, eò quòd oves* (quæ Græcè πρόβατα dicuntur) *ad sacrificium destinatæ illic congregabantur, & intestina earum illic abluebantur.* Neque solùm commentariis hoc innuit; verùm etiam in textu legit, sed Græci exemplaris, Romæ excusi, quo & Philippus Montanus est usus, Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις προβατικὴ κολυμβήθρα. His Syra accedunt, quorum hæc est translatio; *Est autem illic, in Jerusalem, locus quidam ablutionis, qui vocatur Hebraicè* Beth-hesdo. Est qui conjunctim legi malit cum præpositione, ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρᾳ (quomodo Græca Aldi editio scribit) ità ut sensus sit, Est Jerosolymis, ad probaticam piscinam, domus nimirum, quæ vocatur *Domus benignitatis*, seu *misericordiæ*. *Bethesda* enim, quo modo Græci codices legunt, dictum putat à בית, quod *domum*, & חסד, seu חסדא, Chaldaicè, quod *misericordiam* significat; eò quòd domus esset in qua miseris subveniretur, sicut in ptochodochiis solet. Et sanè Syricum Evangelium בית־חסדא scribit, ità ut nec aliunde deriveur, nec aliud significet. Verùm ipsum ablutionis locum sic appellatum dicit; fortè quòd in eo languentes infirmósque Deus benignè curaret (quâ ratione B. Arias Montanus, in Nehemia suo, & Andreas Masius in quintum Josuæ caput, piscinam id nominis habuisse intelligunt) vel totum locum qui lavacrum complectebatur ità intelligit nuncupatum, in quem verisimile est à viris bonis bona collata fuisse quibus ali possent pauperes ærumnosi, quos subjicit Euangelista magno numero in porticibus jacere solitos, exspectantes salutarem ab Angelo aquæ commotionem. Quidam, בית־אשרא scribunt [Jansenius.] atque à אשרא, quod *effundere* Chaldæis significat, *domum effusionis* interpretantur. Latini libri *Beth-saida* legunt (id quod Euthymii Interpres, Hentenius, explicat *piscationis domum*; quòd sit piscina sicut domus seminis, ager) verène an erroneè, in dubium venio. Familiare fuit Latinis scribis, cùm occurreret rarum aliquod Hebraicum nomen, alteri celebri frequentíq; persimile, illud cum hoc mutare. Exempli gratiâ, 2 Reg. 6. 6. pro *Nachon* ignoto nomine *Nachor* substituere, celebre fratris Abrahæ nomen. Sic Cantici Canticorum c. 2. v. 17. pro *Bether*, *Bethel* scripsere; rursus c. 6. v. 12. & 7. 1. *Sunamitis* pro *Sulamitis*. Addant aliqui, similem ad modum, Johan. 1. v. 28. *Bethania* pro *Bethabara* scriptum. An igitur & hoc loco, capitis quinti Euangelii secundùm Johannem, ad eum modum pro *Bethesda*, inaudito aliàs nomine, *Bethsaida* scripserint, civitatis nomen, BB. Apostolorum, Petri, Andreæ & Philippi ortu, Christíque miraculis nobilis, quæ, verisimile fit, quòd multi in ea piscatores habitarent ut erat mari vicina, mari, inquam, Tiberiadis, ità vocata est, *Bethsaida*, quasi *piscationis*, seu *piscatorum*, *domus*: (בית־ציידא בית־צידא) quidam id existimant, ego dubitari posse arbitror. Excusi quidam libri *Bethesda* legunt, iidem qui *in probatica* habent: sed nihil illis tribuendum est, quòd

ex Græcis sint mutati. Græcum Vaticanæ Bibliothecæ antigraphum, & Græca Theophylacti Romana editio, Βηθεσδά *Bethsaida* scribunt. Ex Hieronymi libro De locis Hebraicis nihil quidem certi liquet: quædam enim exemplaria *Bethesda*, quædam *Bethsaida* legunt: sed cùm paulò antè Bethsaidam descripserit Apostolorum patriam, videtur, si piscinam hanc eodem nomine appellasset, vel utriusque descriptionem conjuncturus fuisse, vel posteriùs notaturus eodem utramque nomine appellari.

C. 5. v. 27, & 28. *Et potestatem dedit ei - & judicium facere, quia filius hominis est. Nolite mirari hoc, quia venit hora*, &c.] Græci Interpretes ferè locum hunc sic distinguunt, *judicium facere. Quia filius hominis est, nolite mirari hoc.* His Syriacus textus suffragatur, qui addit רין *verò*, *Quia verò filius est hominis, nè miremur in hoc.* Alteram distinctionem Latini Euangeliorum codices [Augustinus cùm in proprio commentario, tum l. 20. De civitate Dei c. 6.] & quibus nos utimur Græci, habent: quæ etsi à Chrysostomo ejúsque Abbreviatore tanquam Pauli Samosatensis rejiciatur, tamen à Latinis Patribus, atque inter Græcos Cyrillo, recipitur, & Catholicè rectéque exponitur.

C. 6. v. 22. *Alterâ die, turba quæ stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, & quia*, &c.] Græci codices plerique omnes interjiciunt nonnihil: hoc enim modo habent, εἰ μὴ ἓν ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ ὅτι, *Nisi una illa in quam ascenderant discipuli ejus, & quia.* Nostris libris octavus inter Græcos Parisiensium codices conformis est: & facilè illud ex sequentibus potest intelligi. *Et quia non introisset cum discipulis suis Jesus in navim* [*naviculam*] *sed soli discipuli ejus abiissent.* Syri id legunt hoc pacto, *Nisi illa quam conscenderant discipuli:* sed, quod postremum est versùs. *Sed soli discipuli ejus abiissent*, quia iis quæ præcedunt satis sit significatum, omittunt. Similiter potuerit Interpres noster hoc, ἐκεῖνο εἰς ὃ ἐνέβησαν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, si quidem legerit, prætermisisse, quia iis quæ sequuntur satis significetur.

C. 7. v. 39. *Nondum* [*Non* o. *Ideo* o.] *enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum fuerat* [*erat* o.] *glorificatus* [*clarificatus* o.] Unus antiquorum codicũ MS. Cœnobii S. Germani, quem Parisienses latum vocarunt, legit. *Nondum enim erat Spiritus, quia Jesus*, &c. Hoc modo, & B. Augustinum legisse, cùm hunc ex professo tractavit locum Tract. 32 in Johannem, non potest non ei certum esse qui attentè & cum judicio tractatum ejus legerit. Hoc eodem vel proximo modo etiam D. Hieronymum legisse, qui responsionem ejus ad nonam Hedibiæ quæstionem evolverit, vix dubitare poterit. Alia quædam Parisiensium manuscripta legunt, *Nondum enim erat Spiritus sanctus, quia Jesus*, &c. Aureum, Constantiense, Paulinum; quanquam multùm, de Constantiensi præsertim, ambigam, de quo id solum is cujus hîc fidem secutos puto notat, *datus* recentiore manu superscriptum fuisse in intervallo versuum. His tribus Parisiensium exemplaribus quartum Hentenius addidit, quod similiter legat, *Nondum enim erat Spiritus sanctus:* cui legendi modo plerique Græcorum codicum & Interpretes Græci, Theophylactus atque Euthymius, adstipulantur; οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, ὅτι ὁ Ἰησοῦς, &c. Chrysostomus quoque, prout ex correctione Ph. Montani Parisiis est editus, suffragatur: qui & Hom. 2. in Acta, *Nondum enim*, inquit, *erat Spiritus, qui pòst docuit eos.* Sensum autem hujus lectionis exprimit Græcus codex, β, α, Parisiensibus insignitus, qui addit ἐπ' αὐτὰς, *Nondum enim erat Spiritus sanctus super eos.* Plerique Latinorum librorum, tam scriptorum quàm excusorum, & quidem nostri omnes, scribunt, ut initio proposuimus, *Nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus*, &c. His Syra conveniunt, לא גיר עדכול אתיהבת הות רוחא מטל *Non enim adhuc datus fuerat Spiritus, quia*, &c. Consentit Græcum exemplar Vaticanum, quanquam addat etiam *sanctus* secundæ lectionis; ità enim nobis ejus lectio signata est, οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον δεδομένον, ὅτι, quod est, *Nondum enim erat Spiritus sanctus datus, quia.* Hunc legendi modum, *Nondum enim erat Spiritus datus, quia*, aliis in locis secutus S. Augustinus, libri 4 De Trinitate cap. 20. quæst. 62. inter 83. libri 32 contra Faustum cap. 17. Hoc etiam pacto legunt Leo Serm. 2. De Pentecoste, & posteriores Latini enarratores, Carensis, Albertus, Thomas, Lyranus, Richelius. Denique *datus* qui non addunt, vel tectè vel apertè subaudiunt.

C. 8. v. 25. *Dicebant ergò ei, Tu quis es? dixit* [*dicit* o.] *eis Jesus, * Principium* [* *ego sum* o.], *qui & loquor* [*quod & loquitur.* Sic legisse videtur MS. Soranus] *vobis* [*vos* o.] Ità legunt Latini libri ferè omnes, *Principii qui & loquor vobis.* Unum MS. cœnobii S. Germani, latum, habet, *Principiũ quod & loquor vobis.* Alterũ MS. Dionysii oblongum, quod, ut & illud, à Parisiensibus est adnotatum, atque ex nostris, Societatis Jesu album, scribunt, *Principium quia, & loquor vobis.* Primo legendi modo adstipulantur posteriores Glossematici, Rupertus, Carensis, Goran, Richelius, & alii. Eum ad modum apud D. Ambrosium legitur, lib. 3. de fide cap. 4. [Intelligit Ambros. Christum, principium, sive initiũ, omnium se esse, respondisse] & Augustinum, De Genesi ad literam l. 1. c. 5. ac De Trinitate l. 5. cap. 13. Porrò primi Hexaemeron cap. 2, & 4 apud Ambrosium legitur, *Initium quod & loquor vobis*: qui secundus est legendi modus. Tertio diserè suffragatur Augustinus, in proprio loci commentario Tract. 38. his verbis, *Cùm videret eos ità dixisse*, Tu quis es? *ac si dicerent, Quoniam abs te audivimus*, nisi credideritis quia ego sum, *quid te esse credimus? Ad hoc respondit*, Principium; *tanquam diceret, Principium me credite. Et addidit*, Qui [Quia] & loquor vobis, *i. quia humilis propter vos factus ad ista verba descendi. Nam si principium, sicuti est, ità manens apud Patrem, & non acciperet formam servi, & homo loqueretur hominibus; quomodo ei crederent, cùm infirma corda intelligibile verbum sine voce sensibili audire non possint? Ergo, inquit, credite me esse Principium, quia, ut credatis, non solùm sum, sed & loquor vobis.* Hactenus B. Augustinus. Syrica versio ad hos tres legendi modos ambigua est; אף דשריית דאמלל עמכון, i. *Etiam qui (quod*, vel *quia) cœpi loqui vobiscum.* Nam ד verbo שריית præpositum, & conjunctio esse potest *quia*, vel *quòd*; & relativum tam masculini quàm neutri generis. Græca editio solum primum legendi modum non admittit; τλὼ ἀρχλὼ, ὅτι καὶ λαλῶ ὑμῖν. ὅτι enim, si conjunctim scribas, ὅτι, quem ad modum ferè codices habent, conjunctio est *quia* vel *quòd*; si divisim, ὃ, τι, relativum est *quod: qui* verò esse non potest. Nonnus relativum *quod* intellexit; *Et Christus respondit, Quod quidem vobis ab initio dixi, habens innumera indicare & loqui.* Chrysostomus & qui eum sequuntur, Theophylactus atque Euthymius, pro conjunctione acceperunt, tametsi Theophylacti textus priùs scribat ὅ, τι. Similiter videri possit Interpres accepisse, vertisséque *quia*; quandoquidem primam lectionem *qui* pati non possit ὅτι secundam, *quod*, non satis bonæ fidei codex exhibeat; tertiam verò, *quia*, & approbet ὅτι & venerandæ tum fidei tum antiquitatis exemplaria servent: nisi fortè legerit Interpres τλὼ ἀρχλὼ ὃς καὶ λαλῶ ὑμῖν, aut, ὃ καὶ λαλῶ ὑμῖν· ità ut prima lectio, quæ plerorumque omnium est codicum, genuina ejus sit versio. Beda, ut in Catena citatur, *Sanè*, inquit, *in quibusdam exemplaribus invenitur*, Qui & loquor vobis; *sed congruentius esse probatur* ὃ quia *legatur, ut iste sit sensus, Principium me esse credit, quia propter vos ad hæc verba descendi.* Porrò, τλὼ ἀρχὴν plerique hodie ex Græco translatores, Græcéque periti enarratores, ac veteres, Syricus interpres, Chrysostomus, Nonnus, Theophylactus & Euthymius [Commentarius hujus loci quem Zegerus citat, non Cyrilli est, sed à Judoco Clichtoveo Cyrillo additus] non pro nomine *principium*,

principium, sed pro adverbio *inprimis*, vel *omnino*, aut *à principio*, accipiunt: quemadmodum τὸ τέλος pro *postremò*, & alia similia adverbiorum loco Græcè usurpantur. Itaque sumptâ voce *principium*, quam Interpres reddidit perinde ac τὸν ἀρχὸν adverbii vice, quo modo Koningstein aliíque ante nos sumpsere, poterit tertiæ lectionis [Possit hic legendi modus commodè iis quæ sequuntur jungi.] juxta Chrysostomum ejúsque æmulos hic esse sensus; *Inprimis* (vel *omnino*) superfluum est, etiam *quòd vobis loquar*; sanè indigni estis quibus loquar, quíque sermones meos audiatis. Secundæ similis esse potest sensus, si *quod* conjunctio esse intelligatur. Si verò sit neutrum relativi hunc in modum explicari poterit; *Inprimis* (vel *omnino*) id sum *quod & loquor vobis*, id sum quod & verbis dico & operibus ostendo vobis. Prima lectio hâc ratione poterit; *Inprimis* (vel, *omnino*) is sum *qui etiam loquar vobis*: nam cætera de me indigni estis qui audiatis.

C. 8. v. 27. *Et non cognoverunt quia patrem eis dicebat* [*dicebant* o.] *Deum.*] Multi codices pro *eis*, *ejus* habent: verùm id Hentenius textu expulit, haud dubiè quòd in vetustioribus libris *eis* repererit: sic enim nos invenimus (Brug. Lob. So. al. au. E, Q, Pl. m. H. Mogunt. cum aliis quinque legunt *eis*, quibus accedunt Parisiensium exemplaria Ge. l. Di. o. Const. Compl.) sícque ante nos Epanorthotes invenit. Carensis & Albertus legunt *ejus*; porrò D. Augustinus *eis*. *Cùm autem*, inquit, *dixisset Dominus Jesus*, verax est qui me misit, *non intellexerunt Judæi quòd de Patre illis diceret.* Unum Græcum Parisiensium exemplar, β signatum, scribit ἀυτῶ *ejus*, quomodo & apud Vallam lego: pleraque verò omnia exemplaria Græca ἀυτοῖς *eis* habent, ὐκ ἔγνωσαν ὅτι | * ὃν 1 MS.] ὁ πατὴρ ἀυτοῖς ἔλεγεν· quibus Syra adstipulantur. Græci Theophylact. Romæ excusi textus ἀυτῶ, quod est *ejus*, vel potiùs *suum*, habet, éstque ambiguus commentarius qui, ὅτι ὁ πατὴρ ἀυτῶ ἀυτοῖς λέγει, habet. At Euthymius ἀυτοῖς *eis* sive *ipsis* manifestè legit, cui vult hæc Chrysostomi explicatio, *Illi autem de Patre sermonem haberi non intellexerunt*; atque hæc Nonni, *At verò populi non intellexerunt quòd de Patre eis dixerat.* Rectè itaque castigatores, Zegerus, Hentenius & Epanorthotes, *eis* pro *ejus* scribendum esse censuerunt.

Est altera hoc loco varietas. Quidam Latini codices omittunt *Deum*, nostri duo H. & So. ru. quibus Græca exemplaria pleraque omnia, Græcíque interpretes, Chrysostomus, Nonnus, Theophylactus & Euthymius, quinetiam Augustinus & Syrica editio, concorditer suffragantur. Cæterùm in paucioribus nostræ editionis antigraphis, issque minùs excellentibus, omissum illud comperio, ità ut superfluum esse pronunciare minimè ausim. Ait Jansenius in antiquis exemplaribus Latinis non addi *Deum*: verùm ego id deprehendere nequeo, nec Epanorthotes id notat. In antiquissimo præstantissimóq; Societatis Jesu albo codice invenio, *Quia de patrem eis dicebant*: cui an *de* pro *Deum* scriptũ sit, ut, id quod signatur, *dicebant* pro *dicebat*, an *de patrem* pro *de patre*, quæ expositio sit Vulgatæ lectionis, incertum relinquitur: quare nihil hoc loco eo niti possum. Quidam notat in Constantiensi scripto recenti manu additum fuisse *Deum*, cùm tamen locus non esset. Atqui aureum Brugense manuscriptum D. Donatiani, Leod. Lob. So. au. E, O, Q, L, Pl. m. spectatissima exemplaria, cum mediocribus ac vulgaribus quæ habemus omnibus, præter duo illa superiùs nominata, H. & So. ru. *Deum* [*eum* Paris. editio anni 1573.] unanimiter veracitérque suo loco legendum præbent: quibus concinunt Expositores Richelius & Albertus, ac Græcum illud exemplar numero β significatum, cujus lectio est, ὅτι τὸν πατέρα ἀυτῶ λέγει τὸν Θεὸν, *Quia patrem ejus* [*suum*] *dicit Deum.* Nolim verò ego adseverare prætermittendum nequaquam esse. Zegerus corrector textu ejecit. Si autem addendum sit, hoc videtur ordine intelligendum, *Et non intellexerunt quòd de Deo patre ipsis loquerentur.*

C. 12. v. 3. *Maria ergò accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi.*] Quæ de voce *pistici*, déque ejus simul hoc loco lectione, Mar. 14. 3. annotata sunt, quære.

C. 12. v. 7. Nonnulli librorum typis excusorum legunt, *Sine illam; in diem sepulturæ meæ servavit illud*; ut ea Biblia quæ anno 1529 in ædibus Quentelianis Coloniæ sunt edita, & Johannis Arborei commentariis junctus textus. Consonat hæc lectio codicibus Syricis & Græcis plerisque, ἄφες ἀυτὴν· εἰς τὴν ἡμέραν τῆς ἐνταφιασμῦ μυ τετήρηκεν ἀυτό. Consonat & Græcorum enarratorum, Chrysostomi, Theophylacti atque Euthymii textibus; tametsi Chrysostomi, quem & Carensis citat, habeat, *Dimitte eam*; *in diem sepulturæ meæ hoc facit.* Verùm in scriptis Latinis libris, iísque quos Typographi priores dedere, non invenitur: eorum enim ea est lectio quæ & textûs nostrorum Bibliorum, *Sine illam, ut in diem sepulturæ meæ servet illud*: quanquam *die* quidam habeant, quidam *finite* perperàm scribant. Istli lectioni Latini glossematici adstipulantur, Richelius, Thomas, Lyranus, Albertus, Carensis, Rupertus: planéque respondent nostra ad Vaticana castigatio, & eorum Græcorum codicum unus qui ex Regis Francorum Bibliotheca correctoribus Parisiensibus communicati fuere, H signatus: ità enim habent, ἄφες ἀυτὴν, ἵνα εἰς τὴν ἡμέραν τῆς ἐνταφιασμῦ μυ τηρήσῃ ἀυτό· cui legendi modo vult Græci Nonni paraphrasis, quam habemus hunc ad modum versam, *Missum fac donum femina ab omni reprehensione aliena, ut thesaurum corporis nostri servet, donec occisionis & sepulcralis horæ nostræ parentationis veniat.*

C. 18. v. 13. *Et adduxerunt illum ad Annam primùm: erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat, &c.*] D. Cyrillus, nonnihil interjiciens, hoc legit modo, *qui erat Pontifex anni illius. Miserunt autem eum ligatum ad Caipham Pontificem, Erat autem Caiphas*, &c. Quod verò postea versu 24 dicetur, *Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*, dictum ab Euangelista putat repetendo, & ad priora orationem reducendo, ut eam quæ tertiò facta est Petri negationem commodè recenseret. Quamobrem non legit, *Et misit eum Annas*; sed, *misit igitur eum Annas*, vel, *miserat igitur eum Annas*: utroq; enim modo aoristus ἀπέστειλε verti potest. Hæc Cyrilli lectio quæstionis difficultatem solvit maximã quæ ex nostra oritur lectione. Verùm si Cyrillo similiter non legamus (neque enim alibi hæc ejus lectio reperitur) nil vetat cur non similiter intelligamus. Episcopi Jansenii in Euangelicam concordiã commentaria legantur. Versu 24 conjunctionem quam omittunt libri Græci, omissam comperimus & in Latino exemplari Societatis Jesu albo, antiquissimo illo: habet enim pro *& misit*, *emisit* (cui alterum F notatum adstipulari videtur.) *Emisit* [ἀπέστειλεν] *eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem*; id quod parentheseos notis includunt quidam.

C. 19. v. 27. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua.*] Complures libri *in suam* legunt: quibus Richelius, Gorran, Lyranus & Glossa interlinearis adstipulantur. Porrò decem nostri codices (Brug. So. al. au. l. V. Pl. la. Pl. lon. Nuren. Col. Reg.) sex Parisiensium (Ge. o. l. Di. o. l. P. Mog.) quidam Lugdunenses, & antiqui Epanorthotæ, *in sua* habent: quibus Ambrosius in Exhortatione ad virgines, Augustinus, Beda, qui Augustini verbis utitur, Rupertus, & Albertus in propriis commentariis, clarissimè suffragantur. Pro eisdem facit quòd Græci codices, Interpretibus Græcis consentientibus, constanter legant εἰς τὰ ἴδια, h. e. *in propria*, seu, *in sua*. *In sua* autem intelligit Augustinus, *officia*, seu *obsequia*. *Suscepit*, inquit, *eam in sua, non prædia, quæ nulla propria possidebat, sed officia, quæ propriâ dispensatione exsequenda curabat.* Simili sensu, ut posterior habet lectio, *in suam* dicas, nimirum curam (de quo Beda in Catena citatus, *Alia litera habet, Accepit eam discipulus in suam* matrem: sed congruentiùs subauditur *in suam* curam) verùm id eam

eam non habet sive congruitatem, sive autoritatem: quare prius illud *in sua* Hentenius castigator amplexus est; id quod & Bessarion Cardinalis, libello in illud Euangelii secundùm Johannem, *si eum volo manere*, edito, approbavit. Videtur *in suam* ex eo ortum habuisse quòd præcedat, *Ecce mater tua:* hinc enim existimatum est *in suam* scribendum esse, subaudito *matrem*. Syri scribunt לותה, quod est, *ad*, sive *apud se*, sensum, quod arbitror, hujus, εἰς τὰ ἴδια, dantes: quomodo & Epiphanius profert, hæresi 78. λέγει δέ, inquit, τὸ εὐαγγέλιον, καὶ ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης ἔλαβεν αὐτὴν πρὸς ἑαυτόν. εἰ δὲ εἶχεν ἄνδρα, εἰ εἶχεν οἶκον, εἰ εἶχε τέκνα, εἰς τὰ ἴδια ἀναχώρει, καὶ οὐ πρὸς τὸν ἀλλότριον, *Dicit autem Euangelium, Et ab illa die accepit ipsam ad (sive apud) seipsum. Si verò habuisset virum, si habuisset domum, si habuisset filios, in sua secessisset, & non ad alienum.*

C. 20. v. 25. *Nisi videro in manibus ejus fixuram - clavorum* [o.] *& mittam digitum meum in locum clavorum* [o.] *& mittam manum meam in latus ejus, non credam*] Pleraque Latina exemplaria *fixuram* legunt, *Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum*; nonnulla verò aliter. Exemplar Cœnobitarum S. Victoris *fissuram* habet. S. Dionysii oblongum, S. Germani oblongum, Constantiense, Langianum, & Societatis Jesu album, lectissima manuscripta, quorum tria prima Parisienses, quartum & quintum nos attulimus, *figuram* scribunt: quibus quidam alii cujusdam antiqui codices concinunt. Græcè est τὸν τύπον· id quod *figuram, vestigium, similitudinem ex impressione relictam*, denotat. Cæterùm quamvis Græci libri concorditer habeant, ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων, καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τὸν τύπον τῶν ἥλων, videtur qui Euangelia in Syriacam transfudit linguam utroque loco τύπον legisse; sic enim vertit, *Si non videro in manibus ejus* דוביתא *loca clavorum, & misero* בהין *in ea digitos meos.* Latinum quoque Interpretem, si non priori, at posteriori loco τύπον legisse probabile est. Quomodocunque verò legendum dicatur, significare Euangelista voluit vestigia vulnerum clavis effectorum; quæ D. Augustinus, tractatu in Canonicam Johannis tertio, *cicatrices* nuncupat.

C. 21. v. 22. *Dicit ei* [*eis* o.] *Jesus, Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere*] Triplex loci hujus lectio in Latinis exemplaribus reperitur. Prima ea est quam proposuimus, *Sic eum volo manere:* quæ in plerisque libris, ac nominatim antiquis Epanorthotæ, est. Hæc B. Ambrosio, tum in Psalmum 45 scribenti, tum de Psalmi 118 octonario Res sermonem habenti, consentit. Conformis est etiam Augustino, Bedæ, Autori Glossæ, Ruperto, Alberto, Lyrano, Thomæ, Gorran, Richelio, Joannis Euangelium enarrantibus. Augustini in Johannem commentario adde sermonem 149 De tempore, ut res sit clarior. Altera lectio est, *Si eum volo manere:* quam reperit quidam in codice Euangelico, qui ob vetustatis miraculum, ut ipse ait, in Bibliotheca Collegii Constantiensis servatur. Reperit & in exemplari cujus copiam Canonici Corsendoncenses fecerant. Nobis Aquisgrano transcriptum est, Caroli magni codicem hunc ad modum legere. Vidimus & ipsi antiqui Abbatiæ Tosanæ manuscripti hanc esse lectionem: recèns enim additum est *c*, & hoc & proximo versu. Aliquot excusos libros publicitus notùm est convenire. Ista lectio codicibus Græcis omnibus quos ipsi vidimus, complurésque alii ante nos vidêre, respondet; ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρός σε; habent. Porrò non ea est Græcis quæ Latinis inter *si* & *sic* similitudo, quæ aliquoties apud Latinos varietatem parit. *Si*, ἐὰν sive εἰ; *sic*, οὕτως Græcè dicitur. Insuper Euangelio Syrico lectio ista concinit; אן צבא אנא דנקום הנא נחמא דאתא אנא לך מא לך, ad verbum, *Si volens ego ut maneat ipse donec veniens ego tibi, quid tibi?* Adhæc Interpretum Græcorum, Chrysostomi, Cyrilli, Nonni, Theophylacti, Euthymii, lectioni atque expositioni consonat. Tertia lectio est, *Si sic eum volo manere.* Hæc illius exemplaris est lectio quod ante 200 annos Carolus cognomento Sapiens Francorum rex, miriâ diligentiâ scribi curavit: id quod à sodalibus S. Dionysii Parisiensibus correctoribus suppeditatum fuit, & Dionysii oblongi nomen accepit. Eandem lectionem alius in vetusto codice Brugensis Ecclesiæ S. Donatiani, Nicolaus Eschius autem in pervetusto Cusanæ Bibliothecæ exemplari reperit. Reperit & Victorius Marianus in codice Basilicæ S. Pauli, à Carolo Magno donato, & duobus Monasteriis Sublacensis. Eandem vidit in antiquissimo Novi Testamenti libro, cui à viro doctissimo, D. Carolo Langio, Leodii asservabatur, vir doctrinâ ac pietate clarissimus, P. Johannes Harlemius, Societatis Jesu per Belgium Viceprovincialis, præceptor mihi colendissimus. Vidi & ipse in miræ vetustatis manuscriptis; Euangeliorum uno, quod Societatis album diximus, Missarum altero, quæ in Societatis Jesu Collegio Lovanii custodiuntur. Erat autem Missali ipsius *si* manifesta rasura; cujusmodi esse & in exemplari illo Brugensi ille testatur: neque enim id est quo nos hactenus utimur; nam illud *sic eum* habet. In margine exemplaris K signati, quod legit *sic*, notatum est *vel, si sic.* Testatur R^mus Dominus Lindanus, lib. 2. De optimo Scripturas interpretandi genere, cap. 6. rasuram in codice Caroli magni loqui, priorem lectionem *Si sic* fuisse: verùm rasura hæc, quod ipse postea vidit P. Harlemius, non in Caroli codice, qui ut ad nos scriptum fuerat, *si* duntaxat habet, habuítque, sed in descripto est: descriptus enim fuit Caroli codex Aquisgranensium Sacerdotum curâ, nè frequenti usu atque inspectione detereretur, aut maculas sordésve contraheret, vel in furum veniret manus: in magno enim meritò est pretio. Refert Nicolaus Zegerus nactum se fuisse vetustum quoddam correctorium, quod olim, tam in Græcis quàm in antiquis Latinis, *Si sic* scriptum fuisse, & hoc loco & paulò inferiùs, annotabat. Suspicarer propemodum nostri Epanorthotæ correctorium id esse: sed illud disertè habet, *Dicit ei Jesus, sic*] *antiqui, Augustinus, Glossa: sed Græcum, hic & infrà, Si eum volo manere.* Victorius Marianus, in scholiis quæ in B. Hieronymum scripsit, notat antiquissimum quendam Græcum codicem, quem Tridentum attulit Claramontanensis Episcopus, anno Domini 1546, habere, ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ὕτως, ἕως ἔρχομαι, quod est, *Si eum volo manere sic, donec venio.* Johannes Gagneius scribit, in commentario quodam in Johannem, ἐὰν ὕτως, i. *si sic*, haberi. Addit, Chrysostomi & Theophylacti commentarium ad id satis videri alludere: id quod & Zegerus, de Cyrilli præsertim commentario, sentit. Verùm hoc ità videri existimarim, propterea quòd verbum *manere* explicent: id quod quoddam *sic* in se comprehendit, aut subaudiendum relinquit. Porrò manifestiùs huic tertiæ lectioni Hieronymus favere videtur, qui lib. 1. in Jovinianum legit, *Si eum sic volo esse, quid ad te?* quod & Hieronymi Scholiastes, Marianus, annotat. Cæterùm Bessarion Cardinalis ad secundam hoc trahit lectionem, *Si eum volo manere:* quia *sic esse* non aliud sit quàm *manere.* Georgius Trapezuntius, libello ad Papam edito, primum legendi modum statuere conatus est. Trapezuntium altero libello Bessarion Cardinalis refellit, ac secundum legendi modum asseruit. Utriusque libellum apud R^mum Dominum Lindanum legi: in Bessarionis verò sententiam eunt complures, Jansenius, Koningstein, Magdalius, Cajetanus, & alii. Nicolaus Zegerus tertium probat legendi modum, atque eum in textum à se correctum editúmque retulit: quem, libro mox citato, De optimo genere interpretandi, R^mus Dominus Lindanus sequitur.

Triplex ista varietatis ratio reperitur etiam proximo versu, vicesimotertio, quo repetuntur ab Euangelista eadem ipsa Christi verba, *Et non dixit ei Jesus, Non moritur; sed, " Sic [" Si " Si sic] eum volo manere donec veniam, quid ad te?* ubi id solum peculiariter est notandum, quòd Latinorum librorum nonnulli eo aliter habeant.

beant quàm priori loco. Caroli Sapientis Regis Franciæ liber, & Miſſalis Societatis Jeſu, priori loco *Si fic*, poſteriori habent, ille *Si*, iſte *Sic*. Bibliorum Philippi Regis Hiſpaniæ Latinus textus, cum priori *Si*, poſteriori *Sic* legit. Signarunt Pariſienſes, Conſtantienſe exemplar priori loco *Si*, poſteriori *Si fic* habere: atqui diſertè ille ſcribit, quem, opinor, quoad iſtud, & alia quædam exemplaria, hi ſecuti ſunt, bis in eo, citra ullam raſuræ veſtigium, *Si eum* legi. Porrò, minimè hoc probandum eſt, quòd poſteriori loco aliter quàm priori legatur: voluit enim Euangeliſta, id quod Servator dixerat, totidem iiſdémque verbis repetere, nec juxta ſenſum quidem mutatis.

NOTATIONES IN ACTA APOSTOLORUM.

C. 1. v. 4.

ET conveſcens, præcepit eis, ab Jeroſolymis nè diſcederent] Id quod nos *conveſcens* legimus, quidam *converſans* legendum putat: quòd Ϛωαυλιζόμενος, ſive, ut quidam codices habent, unâ literâ exemptâ, συναυλιζόμενος, ſit *conveniens*, ſive *congregans* aut *conjungens ſe*, cum eis videlicet converſans. Ϛωαυλίζεσθαι *converſari ὁμοζυγιάδως* ſignificat: ſed συναυλίζεσθαι, quod hic in omnibus noſtris Græcis antigraphis eſt, non ſolùm *congregare*, *conjungere*, aut *convenire*, verùm etiam συναθροίσαι *conveſci* denotat. Sic namque, *conveſci* inquam, vocem iſtam hoc loco à ſe lectam, Græci tractatores, Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, ſunt interpretati. Ϛωαυλιζόμενος, ait inter eos Theophylactus, τυτέστι, κοινωνῶν ἁλῶν, ϗ κοινῶν τραπέζης, h. e. *communi utens ſale*, *communique utens menſâ*. Præterea, qui Acta Apoſtolorum in Syriacam transfudit linguam, וכד אכל עמהון לחמא *Et cùm ediſſet cum eis panem*, vertit. Quare quod uno conſenſu habent Latini codices *conveſcens*, rectum germanúmque Interpretis eſſe cenſendum eſt: id quod legunt D. Hieronymus Hedibiæ quæſtioni 7ª reſpondens, Beda, Autor Gloſſæ, Lyranus, Richelius, Apoſtolorum Acta enarrantes.

C. 1. v. 15. *Erat autem turba hominum ſimul, ferè centum viginti*] Multorum ſententia eſt pro *hominum*, *nominum* legendum eſſe; nempe correctorum imperitiâ hoc cum illo commutatum fuiſſe. Græci enim libri ὀνομάτων *nominum* conſtanter habent, quibus non ea eſt ὀνομάτων cum ἀνθρώπων affinitas quæ Latinis *hominum* cum *nominum*. Hujus ſententiæ eſt Epanorthotes noſter: *Item b.* Turba hominum ſimul; *Græcus* nominum. *Puto vitioſè n mutatum in* h, *ut pro* nominum *dicatur* hominum. Nicolaus Zegerus *nominum* etiam in textum Teſtamenti à ſe caſtigati retulit. Manuſcriptum unum, Germani latum, ſignarunt Pariſienſes, atque ex iis alii, *nominum* legêre: verùm id ejuſmodi eſſe comperi ut ei ſoli fidendum haud facilè ſit. Nullum verò aliũ codicem ſive inter noſtros ſive ab aliis annotatum, conſentire invenimus; *hominum* omnes ſcribunt. Autor Gloſſæ adhæc, Carenſis & Richelius, ut alios præteream, manifeſtè *hominum* legunt. Quare ex Latinorum librorum concordia quidam, Gagneius nominatim, *hominum* ab Interprete verſum eſſe, ut clarior eſſet oratio, exiſtimant. Certè qui Apoſtolorum Acta ex lingua Græca in Syriacam olim tranſtulit, ità vertit, *Erat autem illic turba hominum*, אית הוא תמן כנשא דאנשא. Plenè autem Latinéque redderetur, quomodo Theophylacti interpres reddidit, *Et erat ſimul numerus capitum.*

C. 10. v. 41. *Qui manducavimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis*] Beda in Retractationibus in Acta ſcriptis, *In Græco*, inquit, *additum eſt, per dies quadraginta: & S. Auguſtinus in ſuo codice ità habuiſſe declaravit, atque exponendo ſubjunxit, Non quòd quotidie per dies 40 cum illo manducaſſent atque bibiſſent.* Nos id in Græcis nec codicibus nec Enarratoribus invenimus, ut neque in Syricis libris; tantùm in uno Latino ſcripto, M. N. Auguſtini Hunnæi, O notato, inſigni ſanè illo, at non admodum antiquo. *Qui manducavimus*, habet, *& bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis per dies quadraginta.*

C. 13. v. 6. *Invenerunt quendam virum magum, pſeudoprophetam, Judæum, cui nomen erat Bar-ieſu*] Latinorum codicum quidam *Barieſu* legunt, plerique *Barieu*; quanquam *Barien*, *n* pro *u*, multi perperàm habeant. *Barieu* interpreteris *filium Jeu*, ſive *Jehu* בר יהוא (Moguntina, Colonienſis & Nurenburgenſis, primogeniæ Chalcographorum editiones, *Barieha* ſcribunt) vel *filium Dei*, à nomine ἀνεκφωνήτῳ יהוה. Hieronymus, explicans Hebraica nomina, ſi tamen Hieronymus ejus libri eſt autor, *Berieu* legit, & *maleficum* ſive *in malo* interpretatur: quâ ratione etſi *Barieu* efferas, non בר *filium* comprehendat, id quod Interlinearis Gloſſæ autor exiſtimavit; ſed à ב præpoſitione *in*, & רע nomine, quod *malum* ſignat, deducatur. Addit eo loco Hieronymus, corruptè à nonnullis *Barieſu* legi. Beda Hieronymum ſecutus, *Barieu*, non *Barieſu*, legendum putat; quòd indignum ſit, magum *Jeſu*, i. *Salvatoris*, *filium* dici, quem è contrario Paulus *filium Diaboli* nuncupat. Exemplaria Græca conſtanter Βαριεσοῦς aut Βαριησοῦ habent: eſíque quæ apud Græcos Tractatores, Chryſoſtomum, Theophylactum, Oecumenium, eſt lectio, conſonat. Suſpicatur Beda depravationem accidiſſe quòd βαριεῦ *Barieu*, ſi virgulam abbreviationis notam ſuperponas, idem quod Βαριησοῦ *Barieſu* plenè ſcriptum ſignificet. Cæterùm *Barieſu*, ut in Græcis omnibus, ità in Latinis libris MSS. fide digniſſimis invenio, (nam quod Græcis eſt *Barieſus*, h. e. *filius Jeſus*, mutato juxta ſenſum caſu, redditum videtur *Barieſu*, h. e. *filiu Jeſu*) noſtris, Brug. Lob. Leod. Pariſienſium, Di. o. l. Lyrani correctis, Epanorthotæ antiquis. *Cui nomen erat Barieſu*, ſcribit Lyranus: *Sic eſt in Græco & in libris correctis, & tantum valet ſicut* filius Jeſu. Epanorthotes; *Item b.* Cui nomen erat Barieſu. *Græcus, antiqui, ſic habent.* Hentenius etiam caſtigator textu hoc donavit, expulſo *Barieu*. Neque verò abſurdum videri debeat, magum *Jeſu filium* dictum fuiſſe; erat enim *Jeſus* vulgare tunc multorum nomen, tametſi ſuâ ſignificatione ſoli Domino noſtro convenerit debitúmque fuerit, ac deinceps ità ſanctum habendum ſit ut nec ſanctiſſimo cuiquam imponi poſſit. Barabbam exiſtimarunt quidam *Jeſum* proprio nomine vocatum, atque hinc additum à Pilato, diſcriminis ergò, Matth. 27. 17. *qui dicitur Chriſtus*; *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam, an Jeſum qui dicitur Chriſtus?* Si igitur latro vocatus fuiſſe potuit *Jeſus*, quamvis ità vocatum fuiſſe mihi non ſit veriſimile; potuit faciliùs magus filius patris qui *Jeſus* fuerit dictus, fuiſſe. Verumenimvero incertum id relinquitur, an nomen *Barieſu*, ſi quidem ea germana ſit lectio (quanquam de *Barieu* ſimile ſit judicium) à patris nomine magus acceperit, an ſibi ipſe impoſuerit, tanquam Dei Servatoris filio. Deus enim noſter, *Deus ſalvos faciendi* dicitur Pſal. 67. 21. Cæterùm facilè poſſit, etiamſi Latinè & Græcè eodem utrumque modo efferatur, aliud patris magi eſſe nomen, aliud Domini noſtri, unicâ in Hebræo literâ vel additâ, vel demptâ, vel immutatâ. Adde quòd quidam *Barieſu*, *adverſarium Jeſu* interpretentur, à Græco nomine βαρὺς, quod *gravem* ac *moleſtum* denotat. Editio Syriaca ברשומא *Barſchoumo* ſcribit: id quod ſignificat *filium nominis*, h. e. virum nominatum ac celebrem. Magis, veriſimile eſt, ac præſtigiis nomen hic ſibi fecerat.

C. 13. v. 33. *Et nos vobis annunciamus eam* [*ea* 2 MS.] *quæ ad patres - noſtros* [Hil. G.] *repromiſſio facta eſt, quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum* * [* *Chriſtum Dominum noſtrum* o.] Latinorum librorum multi *filiis veſtris* legunt; plures, iſque meliores, *filiis*

filiis noſtris : quare hoc in textum Hentenius ac Zegerus referendum cenſuere. Verùm quia neutrum loco ſatis convenit, ſcripſerunt quidam *filiis Iſrael*, quidam *filiis ſuis:* hoc enim eſt in codice A, illud in codice G ſignato. O ſignatum exemplar, *filiis eorum vobis* habet: quæ Græci enarratoris Theophylacti eſt lectio, probè loco congruens. Sed quæ apud Chryſoſtomum atque Oecumenium, & in Græcis ac Syricis N. Teſtamenti editionibus, lectio eſt, τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν, *filiis eorum nobis*, optimè quadrat. Duo ex noſtris Latinis ſcriptis, E & I, habent, *Filiis veſtris reſuſcitans vobis Jeſum*; alia duo, Pl.m. & Atr. C. *filiis noſtris reſuſcitans nobis Jeſum*. Unde videri certè poſſit, Interpretem quidem vertiſſe *filiis eorum nobis*, aut *vobis*; ſed eos qui id non intellexerint, quoſdam omiſiſſe *eorum*, ac ſcripſiſſe *veſtris* & *noſtris* pro *vobis* & *nobis*, quoſdam *nobis* & *vobis* cum *reſuſcitans* junxiſſe, ac *eorum* cum *veſtris* & *noſtris* mutaviſſe.

Sequitur, *Sicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Nonnulli codices, *Sicut -& in Pſalmo ſcriptum eſt*, legunt; & ex noſtris quidem, alter ſcriptorum quos Atrebatenſis Collegii Præſidens clariſſimus, M.N. Cornelius Reineri Goudanus, commodavit: Nonnulli, Bedâ teſte, *Sicut -& in primo Pſalmo ſcriptum eſt*, quibus hodie Quenteliana Biblia & Zegeri Teſtamentum Novum conſonant. Poſtremo hoc modo, *Sicut in Pſalmo primo ſcriptum eſt*, B. Hilarium aliósque ejus æquales legiſſe, ex commentariis ejus in Pſalmum ſecundum claro clarius eſt. Quærit, quod multos ait feciſſe ambiguos, quo modo Pſalmum, *Quare fremuerunt gentes*, quem doctor Gentium primum eſſe hoc loco teſtatur, nos ſecundum habeamus? tandémque reſpondet, Apoſtolum Hebræum, Hebræis, ſecundùm Hebraicam cognitionem & fidem, Pſalmum hunc primum eſſe dixiſſe, qui juxta Lxx tranſlatorum diſtinctionem nobis eſt ſecundus. Hilario Hieronymum legiſſe ſimiliter ex enarratione Pſalmi primi colligitur: ait enim, *Apud Hebræos & primus & ſecundus unus eſt Pſalmus: quod in Apoſtolorum quoque Actibus comprobatur. Denique quia à beatitudine cœperat, in beatitudine deſinit, dicens, Beati omnes qui confidunt in eum.* His conformiter textum Oecumenii commentariis adjunctum, & ſex Græca N. Teſtamenti exemplaria, diverſis locis excuſa, legere notavimus, ὡς καὶ [καὶ 1.] ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ πρώτῳ γέγραπται. Cæterùm plerique Latinorum, pluréſque Græcorum codicum, eorum quidem quos nos vidimus, Chryſoſtomi etiam, Theophylacti, & Syrorum textus, *Sicut -&* [7 MS. Hil. Sy.] *in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt*, habent. Hebræi quoque ità hodie Pſalmos diſtinguunt, ut ſecundus ſit hic, *Quare fremuerunt gentes:* & ſi primo hunc jungerent, 150 non eſſent Pſalmi, niſi ut nonum Pſalmum noſtrum, ità 147 ſuum dividerent. Verumenimvero non eſt hæc *primi Pſalmi* lectio facilè rejicienda, tantis fulta ſuffragiis: haud enim facilè Latinorum aut Græcorum quiſquam pro *ſecundo primum* ſcripſerit, aut, cùm nullus eſſet expreſſus numerus, *primum* addiderit: faciliùs, cùm *primum* legerent, quem ſecundum conſtanter habent, aut *ſecundum* ſubſtituerint, aut numerum omnem ademerint.

C. 16. v. 22. *Et cucurrit plebs adverſùs eos, & magiſtratus, ſciſſis tunicis eorum,* * *juſſerunt - eos* [* & o.- 1 MS. G.] *virgis cædi.*] Meliores libri, tum noſtri tum Epanorthotæ, pro *cucurrit, concurrit* habent: id quod Græcæ voci συνεπέστη, quæ eſt *ſimul inſurrexit*, propiùs reſpondet. Multi, ſed ii minùs boni libri, conjunctionem & præmittunt participio *ſciſſis*, *Et ſciſſis tunicis eorum*, &c. ità ut *& magiſtratus* ad id quod præcedit referatur: quod idcirco à ſciolis factum eſt, quia vocem *magiſtratus* pluralis numeri eſſe ignorarunt. Græcè ſine ambiguitate eſt οἱ στρατηγοί. Tertia hoc loco varietas eſt, quòd quidam codices *ſuis* pro *eorum* ſcribant. Ex ſcriptis noſtris unus, Plantini anguſtus, ex impreſſis ſimiliter unus, Quentelianus, Græca & Syra ad utrumque ambigua ſunt: utroque modo verti poſſunt, utrumque poteſt intelligi; & quòd magiſtratus lacerarint tunicas Apoſtolorum, & quòd ſuas ipſorum. Cæterùm cùm Latini libri plerique omnes, Latinis enarratoribus adſtipulantibus, *eorum* legant; quin id Interpres dederit dubitari vix poteſt.

C. 22. v. 17. *Factum eſt autem*, &c. *fieri me in ſtupore mentis.*] *Pro* ſtupore mentis, annotat V. Beda, atque ex eo alii, *quidam codices habent* mentis exceſſum, *alii* pavorem, *alii* alienationem: *diverſè enim interpretatur Latinè, quod Græcè dicitur* Ecſtaſis. Porrò illud, *in ſtupore mentis*, Vulgatæ editionis eſſe vix dubium eſt. Quotquot nos vidimus Latini libri unanimiter id habent.

C. 24. v. 6, 7, 8. *Quem &* [*etiam* 1 MS.] *apprehenſum voluimus ſecundùm legem noſtram judicare. Superveniens autem Tribunus Lyſias, cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris, jubens accuſatores ejus ad te venire. A quo poteris ipſe judicans de omnibus iſtis cognoſcere*, &c.] Duo eorum Latinorum MSS. quibus Pariſienſes ſunt uſi, Dial. Ge.l. *Quem apprehendimus, à quo poteris*, legunt, & quæ intermedia ſunt tollunt. Suſtulerunt eadem Latinus pervetuſtus codex, quem exhibuit enarratori cuidam Conſtantia, & Græca exemplaria quæ ille conſuluit, uno dempto, in cujus ſpatio marginali minutiſſimis formulis adſcripta fuerant. Quidam etiam Latini Bedæ codices hæc ipſa transfixerunt: *Quem & apprehendimus: à quo poteris*, legit Beda. Verùm habita ea fuiſſe in Græco & Latinis aliis teſtatur. Pariſienſes nulli Græcorum ſuorum exemplarium deeſſe ſignarunt. Nos in omnibus, quos vidimus, & Latinis & Græcis libris ea invenimus; quin & apud Syros & Græcos interpretes, Chryſoſtomum, Theophylactum atque Oecumenium, reperimus, Chryſoſtomus diſertè explicat. Porrò non paucas eorum quibus hæc leguntur, tum Græcorum tum Latinorum, obſervavimus varietates. Septem noſtra Latina MSS. legunt *volumus*, pro *voluimus*; quatuor habent, *Quem apprehendimus, & volebamus eum judicare ſecundùm legem noſtram. Superveniens autem cum vi magna Lyſias Tribunus eripuit eum de manibus noſtris*; unum, *Quem & apprehendimus, & volebamus ſecundùm legem noſtram judicare. Superveniens autem Tribunus Lyſias, cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris.* Notat quidam quoſdam codices habuiſſe pro *ſuperveniens, intercedens*; id quod ex altera eſt verſione Græcæ vocis παρελθών. Græcè eſt, ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. παρελθὼν δὲ Λυσίας ὁ χιλίαρχος μετὰ πολλῆς βίας ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀπήγαγεν, *Quem & apprehendimus, & ſecundùm noſtram legem voluimus judicare. Superveniens autem Lyſias Tribunus cum multa vi ex manibus noſtris eripuit.* Theophylacti textus & Complutenſis editio habent κεῖναι pro κεῖνται. Complutenſis editio βίᾳ πολλῇ pro μετὰ πολλῆς βίας. tertiò, Complutenſis editio, & quæ eam ſequuntur, octavúſque Pariſienſium codex, ἀφείλετο pro ἀπήγαγεν, ſive, ut in aliis eſt, ἐξήγαγε, habent: addúntque dein, Syrico textu concinente, quod alii libri non agnoſcunt, καὶ πρὸς σὲ ἀπέστειλε & *ad te miſit:* id quod ex Lyſiæ ad Felicem epiſtola Act. 23. 30. acceptum videri poſſit, ex qua totum quidam ſumptum eſſe conjectat. Sequitur in Complutenſi, & quæ ex ea ſunt editionibus, κελεύσας καὶ *jubens quoque*; Syrico & hac in parte reſpondente. Alia antigrapha κελεύσας duntaxat, vel κελεύων, ut nos Latinè, ſcribunt; pergúntque, τὸν κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι ἐπὶ σοῦ. ἐπὶ σοῦ, pro quo Theophylactus habet ἐπὶ σοῦ, iterum diſſonæ Hiſpanorum editiones tollunt, contra Syricum textum. In fine Græcum Pariſienſium exemplar, ια ſignatum, pro παρ' ὧν, παρ' ὃν noſtrum Latinum ſcriptum G notatum, pro *à quo, à quibus* legunt. Quæ omnes varietates loci veritatem in dubium poſſint vocare.

C. 27. v. 2. *Aſcendentes navem Adrumetinam.*] Major Latinorum codicum pars, cum Rabano in Gloſſa citato, Carenſi, Lyrano & Richelio, Enarratoribus, *Adrumetinam* navem vocat: quinque noſtri, Brug. Lob. Malmund,

mund. O. Lugd. cum adspiratione *Hadrumetinam* scribunt. Novem *Adrumentinam* legunt, duóque præmittunt adspirationem, *Hadrumentinam*. Pro priori lectione facit Catalogus locorum hujus libri, in tertio Hieronymi & quinto Bedæ tomo exstans, qui *Hadrumetum* habet, *civitas in Byzantio* [Ae. *Byzatio*. Ac. *Bazatio*.] *regione Africæ*: quod jam recensiti enarratores sequuntur. Id autem ex Plinio sumptum videtur, cujus de ea quæ propriè vocatur Africa hæc sunt cap. 4. lib. 5. verba, *Mox Africa ipsius alia distinctio. Libyphœnices vocantur qui Byzantium incolunt. Ità appellatur regio 250000 passuum per circuitum, fertilitatis eximiæ, cum centesima fruge agricolis fœnus reddente terrâ. Hîc oppida libera, Leptis, Adrumetum, Ruspina*, &c. Pro posteriori lectione facit Syriacum Testamentum, quod *navem* ראיתיה מן אדרמנטום מרינוא, *quæ erat ex Adramanto civitate* describit. Apud Plinium civitas quæ libro 5 vocata est *Adrumetum*, capite ultimo sexti libri scribitur *Hadrumentum*. Fortè utroque appellata fuit modo: itáque idem sit *Adrumentina* quod *Adrumetina*. Textus Latinus Complutensium Bibliorum *Hadramytenam* [*Adramytenam* R.] habet, ut Græcus Ἀδραμυτηνῷ· Quenteliana Biblia *Adramyttinam*, ut Græci codices plerique Ἀδραμυτληνῷ aut Ἀδραμυτλινῷ. Theophylacti textus Ἀδραμυτινῷ dicit; is quo usus est Magdalius Jacobus, Ἀδραμυτηνῷ. Plinius Adramyttii unguento nobilis meminit, lib. 13. cap. 1. & Atramitarum populi, lib. 6. cap. 28.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD ROMANOS.

C. 1. v. 32.

Duplex est loci istius lectio. Prior est, *Qui cùm justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solùm* * *qui* [* *autem* 1 MS.] *ea faciunt* [*faciunt ea* MS.] *sed etiam qui consentiunt facientibus.* Hæc Latinorum est codicum, & veterum Patrum, Cypriani epist. 4 libri primi, Augustini in Psal. 57. Isichii in Levitici caput 20. Autoris commentariorum Hieronymo attributorum, Primasii, Sedulii, Haymonis, Anselmi, & posteriorum Latinorum Enarratorum. D. Ambrosius libri De bono mortis cap. 7. legit, *Non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Græcanica scholia, quanquam non approbent, indicant quòd nonnullis locus hic ità legi soleat, ut *facere* gravius, *consentire* sit levius. Posterior lectio ista est, *Qui, cùm justitiam Dei cognovissent, quoniam qui talia agunt digni sunt morte, non solùm ea* [*ipsi* Gq.] *faciunt, sed etiam consentiunt facientibus.* Quæ ut Græcorum est librorum, ità & Syricorum est exemplarium, ac Græcorum Interpretum, Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii. Et de Origene quidem non dubitabit qui commentarium ejus introspexerit: de cæteris autem dubitandi nulla est ratio. Autor commentariorum Ambrosio adscriptorum, magnè lectioni posteriori velit, ex iis quæ scribit in finem hujus & in principium sequentis capitis sagax lector judicet. B. Augustinus, libello quo hujus epistolæ quasdam propositiones explicat, disertè legit, *Non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus.* Symmachus Pontifex hunc locum contra Anastasium Imperatorem profert, ut consentire gravius esse doceat. Latinorum N. Testamenti codicum varietatem, quæ quidem huc faciat, deprehendere haud potuimus aliam quàm quòd unus, Ge. l. à Parisiensibus notatus, geminum *qui* tollat (*Non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus*) nec Græcorum aliam, quàm quòd unus, Titelmanno & Sasbout testibus, ὃ συνῆκαν, i. *non intellexerunt*, addat. Oecumenii Græcanici scholiastæ, qui quasi utriusque lectionis meminit, hæc sunt hunc in locum verba, sed primùm hæc textûs, οἵτινες τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ ἐπιγνόντες, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα πράττοντες ἄξιοι θανάτου εἰσὶν, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράττουσι. *Rursum ostendit eos ex cognitione peccare.* Justitiam *autem vocat Dei præcepta*, &c. *Duo ponit crimina, & facere & cooperari facientibus, ac proximum ad malum adhortari. Quidam autem id quòd dictum est non assecuti, & Apostoli verba suspicantes fuisse adulterata, hoc modo illa interpretati sunt*, οὐ μόνον οἱ ποιοῦντες αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ οἱ συνευδοκοῦντες τοῖς πράττουσιν, Non solùm qui faciunt ea, sed etiam qui consentiunt facientibus. *Sic enim habuit, dicunt, vetus exemplar, ut majus sit facere, minus autem consentire. Ego autem neque depravatos in hoc esse Apostolicos codices dicens, neque cum his qui non intellexerunt contendere volens, lectoribus isthuc judicandum permittam. Dico ergò quòd, cùm eos qui peccant laudare longè operosius sit, ac majus ad supplicii rationem momentum habeat quàm peccare, meritò dictum est*, οὐ μόνον αὐτὰ ποιοῦσιν, ἀλλὰ καὶ συνευδοκοῦσι τοῖς πράττουσιν, non solùm ea faciunt, sed etiam consentiunt facientibus. *Nam is qui*, &c. Circa id quod habet, *Quidam verò id quod dictum est*, &c. notatur in margine, Ἰσιδώρου *Isidori*. Hentenius interpres, in præfatione ad lectorem, significatum intelligit, verba esse Græci Isidori, qui referat quosdam aliter legere, ac contendere depravatos esse Græcos codices, subjungátque quæ sequuntur. Mirum est autem non meminisse eum particulæ, *non intellexerunt*, sine qua aut simili non satìs ea lectio constet, *Non solùm qui ea faciunt*; vel non indè elevare quòd manca sit. An verò nec Interpres Vulg. id Græcè legerit, sed complendæ sententiæ gratiâ addiderit, ignoro: id autem, si interrogando pronuncietur, nihil prioris partis sensum ab eo quod ex Græco intelligi solet variet. Porrò in posteriori Græcæ lectionis parte non necesse sit intelligere, majus esse consentire quàm facere: exponi possit, *& faciunt ea, & facientibus consentiunt.* Ità verò & in Latina lectione haud necessariò intelligatur, majus semper esse facere quàm consentire; nisi plerumque, vel, hominum judicio.

C. 2. v. 4. Plerique Latinorum codicum legunt, *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis, contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Quidam, *An divitias bonitatis ejus*, &c. *contemnis, ignorans quoniam?* &c. sex nostri, Brug Lob. Leod. T, O, Pl. ang. duo Parisiensium, Ge. o. l, antiqui Epanorthotæ. Prior lectio conformior est editioni Syriacæ, & reperitur apud antiquos Patres, Hieronymum in caput 32, sinque orationem Jeremiæ, Ambrosium lib. De fuga seculi cap. 3, Augustinum lib. Quæst. super Exodum cap. 24. & tract. De ovibus cap. 4. Posterior lectio Græcis codicibus respondet [καταφρονῆς, ἀγνοῶν] invenitúrque & ipsa in veterum scriptis, Irenæi, lib. 4. c. 71. Origenis, lib. 3 Peri archôn, ante medium capitis primi, satísque convenit proprius loci commentarius, Cypriani, lib. 3 ad Quirinum cap. 35. Hieronymi, in Ezechielis caput 16, & Amos primum, Chrysostomi, Theodoreti, Primasii, Theophylacti, Oecumenii, Anselmi, & Brunonis Carthusianorum Patriarchæ, in Paulum. Hanc Castigatores, Hentenius ac Zegerus, in textum recepere, haud immeritò.

C. 2. v. 6, 7. *Qui reddet unicuique secundùm opera ejus*; *iis* [*his* MSS. complura] *quidem, qui secundùm patientiam* * *boni* [* *Dei* o. * *ejus* o.] *operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam.*] Scripti omnes libri, quotquot habemus, & priores excusi, Tractatorésque, Autor commentariorum Hieronymo adscriptorum, Autor Ambrosio attributorum, Primasius, Haymo, Anselmus, Autor Glossæ, Carensis, Lombardus, Lyranus, Thomas, Gorran, Bruno, Richelius, & alii, non *quærunt*, sed *quærentibus*, quo modo Græcè est, legunt. Quamobrem hæc proculdubio editionis nostræ genuina est lectio. Neque verò præcedens

qui obſtat, quod Græcè non eſt: aut enim redundat (in uno antiquiſſimo ſcripto, T literâ notato [*his quidem ſecundùm*] apúdque D. Gregorium lib. 28 Moralium cap. 13 non invenimus) aut, quod eſt verisimilius, *ſunt* ſubintelligitur, id quod verſu proximo multi codices exprimunt (*iis autem qui ſunt ex contentione*) hoc verſu quidam (*Iis quidem qui ſunt ſecundùm patientiam boni operis*) ex gloſſa inter lineas poſita in textum relatum. *Quærunt* emendarunt quidam, juxta Cajetani & quorundam aliorum placitum: qui dum ſententiam clariorem efficere voluerunt, participio in verbum reſoluto, anguſtiorem reddiderunt, ad unum contractum ſenſum quæ plures patiebatur. Eſt enim hujus versûs per participium lecti, & Græci & Latini, varius, ſecundùm variam diſtinctionem, ſenſus. Nam ſi poſt ζητοῦσι [ὀπζητοῦσι R.] *quærentibus*, comma ponatur, ſenſus erit, quem Syriacum Teſtamentum, Origenes & Theophylactus exprimunt, *Reddit vitam æternam iis qui, in bonis operibus perſeverantes, gloriam, honorem & incorruptionem quærunt.* Si verò comma ζητοῦσι *quærentibus* proximè præcedat, eo exponetur modo quo exponunt Græcanicus Scholiaſtes, D. Gregorius loco ſuperiùs nominato, Autor commentariorum Hieronymo adſcriptorum, & alii ferè ſuprà rrecenſiti Latini Tractatores; *Reddet gloriâ & honorem & incorruptionem iis qui, in bonis operibus perſeverantes, vitam æternam quærunt:* qui convenit ei quod mox ſequitur, v. 10. *Gloria autem, & honor, & pax, omni operanti bonum.*

C. 2. v. 15. *Teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe - invicem' cogitationum * '' accuſantium' aut etiam '' defendentium* [- * *invicem* o. '' *excuſantium* o. '' *excuſantium* 1. MS.] *Cogitationum accuſantium aut etiam defendentium*, gignendi caſu haud dubiè Interpres vertit: ſic enim legunt ſcripti impreſsíque codices, quoſcunque vidimus, qui fidei ſint bonæ, adſtipulantibus Gloſſematicis, qui Vulgatâ verſione ſimplices uſi ſunt. *Cogitationibus accuſantibus aut etiam defendentibus*, auferendi caſu duntaxat poſteriores aliquot Typographorum editiones legere comperimus (ex enim hîc ſignificatæ ſunt in Bibliorum margine, quia commodè aliud non erat, ſigno MS.) primúmque eam quæ ex Quentelianis ædibus Coloniæ anno 1529 prodiit, pro ejus qui præfuit arbitrio frequenter mutata. Hentenius, non tam variæ lectionis, quàm explicationis indicandæ gratiâ, in margine ſcripſit, *Co||bus ac||bus, aut etiam de||bus*, ſecutus Pariſienſes, qui ad marginem notaverant, *Genitivi pro ablativis.* Græcè genitivi ſunt, μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων· ſed qui ablativis Latinè reddendi videantur, ut ii qui præcedunt, συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως. Niſi dixerit quis, non ſimiliter genitivos abſolutè poſitos eſſe, ſed ejuſmodi qui à præcedente nomine συνειδήσεως regantur. Gloſſa Ordinaria, & poſt eam alii, duplicem hujuſmodi dant Vulgatæ verſionis, *Co||rum ac||um aut et. De||um*, explicationem; unam, quâ genitivi, Græco more, abſolutè poſiti intelligantur; alteram, quâ à præcedenti nomine *conſcientiâ* regantur: quarum hæc potiùs eum quem Interpres voluit ſenſum continere videtur; tum quòd proximos genitivos abſolutè poſitos ablativis Interpres Latinè reddiderit, *Teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum*; tum quòd *conſcientiâ ipſorum* verterit, non, ut Græcè eſt, *ipſorum conſcientiâ.* Apud quoſdam Veterum legitur, *Co||bus ac||bus aut etiam* [*ſive* Hier.] *de||bus* [*excuſantibus* Aug.] Hieronymum in cap. 16 Ezechielis, Auguſtinum, lib. 20 De civ. Dei cap. 26. Hilarium Diaconũ, qui autor eſſe exiſtimatur commentariorũ Ambroſium mentientium: quod ità ſcriptum arbitror vel ab iis qui veterum opera ediderunt, ut hujuſmodi pro ſua ſententia mutarunt ſæpenumero; vel ab ipſis veteribus, quibus ſic meliùs verti viſum fuerit. Cæteroqui eſt apud eos & noſtræ editionis lectio, *Co||um ac||um aut etiam De||um* [*excuſantium* Aug.] Auguſtinum lib. 2 De ſermone Domini in monte cap. 15. Primaſium in proprio commentario, Gregorium lib. 4 Moral. cap. 17. Pelagium epiſt. ad Demetriadem.

C. 5. v. 1. *Juſtificati ergò* [*igitur* MS.] *ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*] Latini codices *habeamus* legunt, non *habemus*: Græci è diversò ἔχομεν ferè habent, non ἔχωμεν. Pro Græcis facere videtur commentarius Ambroſio attributus. Latinis vetus Dionyſiani cœnobii Græcus codex, qui, Gagneio teſte, ἔχωμεν habet, ſuffragatur; Item Latini enarratores adſtipulantur, Autor commentariorum Hieronymo adſcriptorum, Petrus Chryſologus Serm. 110. Primaſius, Haymo, Anſelmus, Autor Gloſſæ, Carenſis, Lombardus, Lyranus, Thomas Gorran, Bruno, Richelius, aliíque; quin & tractatores Græci, Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, volunt. Syriacum נהוא לן שלמא quod eſt ad verbum, *erit nobis pax*, utroque intelligi poteſt modo, & ità ut futurum ſit pro præſenti, & ità ut ſit pro ſubjunctivo, Hebraico more.

C. 5. v. 8. *Commendat autem ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam, cùm adhuc peccatores eſſemus* * [* *ſecundùm tempus* o.] *(Chriſtus pro nobis mortuus eſt.)* Multi libri addunt *ſi, Quoniam ſi cùm adhuc peccatores eſſemus*: ſed antiquiores emendatioréſque, Epanorthotæ, Pariſienſium, noſtri, cum vulgaribus non paucis, Græcis exemplaribus conformiter, omittunt. Hentenius textu expulit. Videri poſſit adjectum fuiſſe, quia hinc Apoſtolus continuò inferat, *Multò igitur magìs juſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Et cùm adjectum id fuiſſet, tum ſublatam eſſe quæ neceſſaria non erat collectivam conjunctionem *igitur*, quam vulgares aliquot codices, contra Græca Syráque, nulli præſtantes, omittunt. Cæterùm apud quoſdam Patrum ità legitur, *Si cùm adhuc*, &c. *multò magìs*; Cyprianum lib. 4 epiſt. 2. Hilarium in Pſalmos 2 & 55. Origenem, quanquam hic addat *igitur*, Autorem commentariorum Ambroſii titulum præferentium: ſed non ideo editionis noſtræ eſt lectio. Petrus Chryſologus ſerm. 110 ei lectioni concinit, quam nos exiſtimamus genuinam noſtræ editionis eſſe, eáque & apud D. Primaſium eſt.

C. 7. v. 24, & 25. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.*] Ità ferè Latini codices legunt *Gratia Dei:* itáque legunt & veteres; Græci, Irenæus, lib. 3. cap. 22. Origenes, hunc enarrans locũ, Chryſoſtomus, explicans verſum ſeptimum Pſalmi 121. Latini, Ambroſius, lib. De Dominicæ Incarnationis Sacramento cap. 7, oratione in obitum Theodoſii, lib. 2. De Abraham cap. 6. Auguſtinus, cùm multis aliis in locis, tum ſermonibus, 5 De verbis Apoſtoli, & 49 ac 53 De diverſis, Primaſius, Autores commentariorum quæ D. Hieronymo & B. Ambroſio adſcribuntur, Sedulius. His accedunt Haymo, Anſelmus, Autor Gloſſæ, Carenſis, Thomas, Gorran, Bruno, Richelius, aliíque Enarratores. Porrò aliter Græci libri ſcribunt. Plerique εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ habent, quod eſt, *Gratias ago Deo:* hócque modo & legunt & intelligunt Græci Tractatores, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius; atque inter Latinos patres Hieronymus, octavæ Algaſiæ quæſtioni reſpondens: éſtque hæc & Syriaci Teſtamenti lectio מודא אנא לאלהא Quidam verò Græci libri, Pariſienſium unus, ια, χάρις δὲ τῷ Θεῷ ſcribunt, h. e. *Gratia autem Deo:* quam ſcripturam videri poſſint redolere Latina exemplaria non pauca, quæ habent, *Gratia autem Dei*; fieríque hinc veriſimilis eorum conjectura, qui Latinè nobis *Gratia Deo* legendum eſſe conjiciunt, quomodo apud Hieronymum, quæſtione ad Algaſiam octavâ, primùm legitur. Decem noſtra MSS. *Gratia* [*Gratiam* 1 MS.] *autem Dei* habent; ſed recentiora illa minúſque emendata. Antiquitate integritatéque præſtantia, omnia *Gratia Dei* legunt: quibus cùm vetuſtiſſimi Patres, ſcriptoréſque Græci & Latini, diſertè adſtipulentur, non facilè in erroris ſuſpicionem venire debent. Quinimo, ſicut Græcè nonnulli

legunt

legunt χάρις τοῦ Θεοῦ (ità enim, absque ϛ autem conjunctione, quidam producit) sic facilè potuit Interpres, χάρις τῶ θεῶ, duabus literis aliis, legisse, præsertim cùm ω & ϖ figurâ maximè affines sint, Iotáque illi nunc non subscribatur, nunc subscriptum non animadvertatur.

C.8.v.20. *Propter eum qui subjecit eam in* [*sub* Quent.] *spe.*] Latinorum librorum plerique *in spe* legunt; insignes quidam, cum D. Primasii textu, *in spem*; Parisiensium duo, Di.o.Ge.l. nostri tres, Brug. Malmund.ma. Q. Græcè est ἐπ' ἐλπίδι, quod est, *in spe*, vel, *sub spe*; Syriacè לעל סברא, quod est, *ad spem*, vel, *in spem*. Quidam sequentibus hoc jungunt, *Sub spe, quòd & ipsa creatura liberabitur*, &c. potest enim & sequentibus & præcedentibus copulari. Pronomen *eam*, *Qui subjecit eam*, ut non est Græcè (διὰ τὸ ὑποτάξαντα ἐπ' ἐλπίδι) ità Latina scripta, T. Malmund.ma. L. Pl.lon. cum D. Anselmi textu & Moguntina editione, omittunt, quanquam Malmundariensi aliâ literâ inter lineas suprascriptum sit. Alterum Malmundariense minus, ut illud quod majus diximus, antiquissimum, alio legit loco, *Qui subjecit in spe eam.* Plantini angustum non nisi in margine habet. Syricus interpres explicationis gratiâ addidit.

C.8.v.33, & 34. Triplex hujus loci pronunciatio est. Una, *Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus, qui justificat? Quis est qui condemnet? Christus Jesus, qui mortuus est, imò qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis?* Altera, *Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat. Quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imò qui*, &c. *etiam interpellat pro nobis.* Tertia, *Quis accusabit adversùs electos Dei? Deus qui justificat: quis est qui condemnet? Christus Jesus qui mortuus est, imò qui*, &c. *etiam interpellat pro nobis:* & hoc, vel interrogando, vel enunciando. Primam probant Augustinus lib.3.De doct. Christ.cap.3. ejúsque discipulus Primasius enarrator; & sequuntur, Autor commentariorum Ambrosii nomen præferentium, atque inter recentiores, Nicolaus Gorran. Secundam exponunt Origenes, Theophylactus, Lyranus, subaudito substantivo verbo *est*, iis in partibus quæ enunciativè leguntur. Tertiam explicant Theodoretus, B. Gregorius lib.7 Epistolarum epist.53. Oecumenius, D. Thomas, & inter neotericos, Dominicus Soto.

C.8.v.37. *Sed in his omnibus superamus* [*superabamus* o.] *propter eum qui dilexit nos.*] Latini Vulgatæ editionis codices unanimiter hunc ad modum legunt, *Propter eum*; similitérque Ambrosio adscripta commentaria, Autor scholiorum quæ in Hieronymi operibus exstant, Primasius, Haymo, Anselmus, posteriorésq; omnes Latinæ editionis enarratores. Græci libri constanter scribunt, ἀλλ' ἐν τούτοις πᾶσιν ὑπερνικῶμεν διὰ τῦ ἀγαπήσαντος ἡμᾶς· id quod Syricus Interpres, posteriorésque Latini, & Græcus scriptor D.Basilius,cap.8 libri De Spiritu S. *Per eum qui dilexit nos*, interpretati sunt. διὰ enim, Græca præpositio, genitivo juncta *per* significat; accusativo, *propter*: id quod hujus capitis 20, & 25 versibus videre licuit. *Per* legit S.Augustinus lib.4 De doct.Christ.cap.20,& lib. 22 De Civ. Dei cap.23. Græcámque sententiam optimè explicans, *In his omnibus*, habet, *supervincimus, per eum qui* [*propter quod* Cyprianus tertii ad Quirinum 18 cap.] *dilexit nos. Per* legit & Prosper lib.2 De vocatione gentium cap.5.sive, juxta novam distinctionem, 15. Vulgatæ editionis Autor, aut accusandi casu διὰ τὸ ἀγαπήσαντα legit, aut διὰ, gignendi casui præpositum, etiam *propter* verti posse sensit; præsertim cùm *propter* hoc loco ità ut *per* accipi possit, *propter eum, propter ejus auxilium*, quæ & D. Thomæ est explicatio.

C.8. v. 38, & 39. *Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia* [*aliqua* i MS. *aliqua alia* G.] Hunc ad modum scripti libri complures (Brug. Lob. Malmund. mi. Leod. O, E, Q, &c.) impressíque omnes legunt: quibus adstipulantur Enarratores, Haymo, Anselmus, Autor Glossæ, Carensis, Lombardus, Lyranus, Aquinas, Gorran, Bruno, Richelius, aliíque posteriores. Tres scripti libri, Pl. ang. R & C, pro *neque virtutes* habent *neque potestates*; quinque, Pl. m. L.Torr. Atr.s. & Leodiensis, verùm hic ex posteriori emendatione, utrumque habent, hoc ordine, *Neque angeli, neque principatus, neque potestates, neque virtutes.* Arbitror ex altera primùm versione, vel ex similium locorum memoria, pro *virtutes* scriptum *potestates* (quod enim est Græcè, οὔτε δυνάμεις, *neque virtutes*, alii, nominatim Origenis Interpres, 3 Peri archōn cap. 2. *neque potestates* transferunt: frequentérque Apostolus *principatibus* ἐξουσίαις, quas *potestates* editio nostra reddit (1 Cor.13.24. Ephes. 1.21. & 3.10. Col.1.16. & 2.10,15.) subjungit) ac dein, quæ in diversis erant codicibus, conjuncta, ut paria hîc essent, sicuti in antecedentibus ac subsequentibus. Nam & hanc ob causam, in angusto Plantini scripto, quod loco *virtutes* habet *potestates*, additum reor, *neque archangeli: neque angeli, neque archangeli, neque principatus, neque potestates.* Notandum porrò est, B. Augustinum lib. De moribus Eccles.Cathol.cap.11. & Autorem commentariorum quæ Ambrosio tribuuntur (qui præponit quoque *altitudinem & profundum præsentibus & futuris*) duo solùm hîc membra legere, *Neque angelus, neque virtus*, omittere *neque principatus*, non tantùm contra Latinos hodie codices, verumetiam contra Græcos & Syros, qui tria hæc membra legunt, οὔτε ἄγγελοι, οὔτε ἀρχαὶ, οὔτε δυνάμεις, *Neque angeli, neque principatus, neque virtutes.* Cæterùm omittunt Græci Syríque codices, necnon Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti & Oecumenii enarrationes, cum illo Augustini loco, & Ambrosio adscriptis commentariis, id quod postea Latinis in libris sequitur, nec habet ad quod respondeat, *neque fortitudo:* quibus unum ex Latinis nostris MSS. M literâ notatum, conforme est. Hieronymus ad Algasiam quæst. 9. legit quidem manifestè hanc partem, *neque fortitudo*; sed aufert eam quæ præcedit, *neque virtutes:* cui Augustinianum ex sacris literis Speculum, & majus Malmundariensis Cœnobii exemplar, concinunt: tametsi huic alterâ manu suprà scriptum sit, *Neque virtutes*, ut sunt hujusmodi penè omnia in antiquis exemplaribus ad vulgarem postea legendi modum immutata. Concinit & Primasius enarrator, quanquam apud eum multitudinis numero, *neque fortitudines*, legatur. Adstipulantur etiam ea quæ apud D. Hieronymum in S. Pauli epistolas exstant scholia, quæ Primasius hoc loco, ut multis aliis, secutus est. Scriptum vetustissimum M. N. Hunnæi, T literâ signatum, loco hujus, *neque fortitudo*, scribit *neque virtus*, tollítque similiter quod dictum est, *neque virtutes:* cui Augustini lectio, lib.4 De doctr. Christ. cap.20. & expositio, eo libello quo hujus epistolæ quasdam propositiones exponit, per omnia consonant. Videri ex his possit alterum superfluere, vel *neque virtutes*, vel *neque fortitudo*, sive, ut aliàs legitur, *neque virtus*; & quidem diversas hæc esse ejusdem partis, aliter atque aliter lectæ, translationes. Quod enim Græcè est οὔτε δυνάμεις, quod est, *neque virtutes*, existimarim singulari numero ab aliis οὔτε δύναμις lectum, & à quibusdam versum, *neque virtus*; quo modo Augustinus lib. De moribus Cathol. Eccl. & Ambrosio attributa commentaria habent; eò loco quo nos cum Græcis & Syris *neque virtutes*; à quibusdam *neque fortitudo.* Porrò *neque virtus*, clarum satis videtur fieri non esse nostræ editionis; eóque magis quòd scriptum illud, T, alteram editionem nonnunquam sequi compererimus. Post hoc, *neque fortitudo*, cedere debere videtur τὸ *neque virtutes:* hoc enim uno, eóq; longè aptissimo, legitur loco; illud variis errat locis, iísque minùs convenientibus. Ut plurimùm legitur post *futura*, ante *altitudo*; *Neque futura, neque fortitudo,*

neque altitudo. Manuſcriptum H notatum ſcribit poſt *neque virtutes: neque virtutes, neque fortitudo.* Duo manuſcripta, C & So.ru. medium habent inter *inſtantia* & *futura: Neq; inſtantia, neque fortitudo, neq; futura.* Apud Origenem, in tertio Peri archõn, primùm legitur *neq; poteſtates*, poſtea additur *neque virtus*, ſed ultimo loco, *Neq; altitudo, neque profundum, neque virtus, neque alia ulla creatura.* Primo & quarto locis, ab affinibus ſeparatum, ſolitarium incommodè ponitur; tertio etiam dirimit quæ manifeſtum eſt combinanda; ſecundo optimè congruat, quo poſitum id fuiſſe exiſtimat Dominicus Segobienſis, ſi, quod credit, Apoſtolicum verbum eſt. Cæterùm cùm vel hoc, vel alterum, non levibus argumentis ſupereſſe videatur, minúſq; hoc, τὸ *neq; fortitudo*, fundatum in noſtra editione appareat, videtur adjectitium id eſſe. Verumenimvero, antiquiſſimum Tractatorem Origenem, vel interpretem ejus Hieronymum (is enim Origenis commentario ſua non pauca adjecit) id legiſſe, atque eo quo in Latinis plerumq; codicibus legitur loco, poſt *neq; futura*, nec præteriiſſe quod antecedit *neq; virtutes*, ex explanatione in hanc epiſtolam verè colligi videtur, tametſi *neque virtutes* ſcriptum ſit poſteriori, ut priori loco.

C.9.v.25. *Sicut* * *in* [*& 2 MS. G.] *Oſee dicit, Vocabo non plebem meam, plebem meam; & non dilectam, dilectam; & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.*] Antiqui Epanorthotæ & antiqui Zegeri codices auferunt *Et, non dilectam, dilectam.* Idem auferunt antiqui noſtri, Brug.Lob.Leod.Mal.ma.mi. O,P,H. Græci libri tollunt iſtud, *Et non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam:* illud legunt, *Et non dilectam, dilectam*; καὶ τὸ οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην. His Enarratores multi conſentiunt, Origenes, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & Autor commentariorum apud Ambroſium; S.Auguſtinus etiam, ſub finem libri primi ad Simplicianum, & lib. 22 Contra Fauſtum cap.89. Antiquis Latinorum codicibus ſuffragatur D. Hieronymi lectio, ſcribentis in primum Oſee caput, & Haymonis Halberſtatenſis atque Anſelmi Cantuarienſis Commentarii; Scholia adhæc, quantum colligere poſſum, quæ in D.Pauli epiſtolas exſtant in Hieronymi operibus. Syri unum duntaxat legunt, id quod hujuſmodi eſt ut utrumque complectatur, utrumque ſignificet: Eundem ad modum ipſe Propheta; eâdem enim cum Propheta Syri uſi ſunt voce, רחם, quæ & *diligere* & *miſereri* ſignificat. ורחמתי את־לא־רחמה (eò enim Apoſtolus hâc parte reſpexit) id quod noſtra editio, in calce ſecundi capitis v. 23 Prophetiæ Oſee, vertit, *Et miſerebor ejus quæ fuit Abſque miſericordia*; verti etiam poteſt, *Et diligam eam quæ fuit Non dilecta*, ſive, ad verb. *Et diligam non dilectam.* Erat Divinitus impoſitum nomen filiæ quam Oſee genuerat לא רחמה, quod eſt, *Non dilecta*, vel, *Non miſericordiam conſecuta*, ſive *Abſque miſericordia.* Oſe.1.6,8. quemadmodum filio impoſitum fuit nomen לא עמי *Non populus meus*, ſive, *Non plebs mea.* Manifeſtum igitur evadit, non utrumque illud apud Apoſtolum legendum eſſe, ut vulgus codicum & Gloſſematicorum Latinorum legit, ſed alterum, ut ex altera verſione additum, reſecandum. Porrò, ſit Græcis illud genuinum, *Et non dilectam, dilectam:* noſtræ editionis germana ſcriptura eſt, *Et non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam:* cui adjectum eſt illud, *Et non dilectam, dilectam*, ex Græcis, opinor, libris, & in pleriſque quidem exemplaribus præpoſitum, atque in compluribus fruſtrà gravatum pronomine *meam* (*Et non dilectam meam, dilectam meam*) in quibuſdam verò poſtpoſitum. Legit, veriſimile eſt, Interpres noſter Græcè, pro ἠγαπημένην, ἠλεημένην, quo modo juxta LXXII interpretationem, in Oſee eſt. Teſtatur Oſee enarrator Hieronymus, in caput ſcribens primum, quædam illic exemplaria ἠγαπημένην legiſſe: ſed veriora cenſet quæ habent ἠλεημένην, quia ad diſtinctionem Iſraelis, cui non miſeretur, infert Deus, *Domui autem Juda miſerebor.* Certa profectò videtur editionis Septuagintaduorum lectio ἠλεημένην, quia ſequentia omnia, quæ ad priora reſpiciunt, per ἐλεῶν tranſlata ſint: videríque poſſit ἠγαπημένην eò ex Apoſtolo admiſſum eſſe. Cæterùm poterant ſequentia omnia per ἀγαπᾷν verti, eſſéq; congrua lectio eorum quæ præcedunt ἠγαπημένην· nam, quod diximus, רחם, quâ voce ſæpe Propheta utitur, ad ἐλεῶν & ἀγαπᾷν, ad *miſereri* & *diligere* commune eſt.

C.10.v.5. *Moyſes enim ſcripſit* [*dixit* o.] *quoniam, juſtitiam quæ ex lege eſt qui fecerit - homo* [o.] *vivet in ea,*] Hæc Latinorum librorum, quos nos vidimus multíque alii ante nos, conſtans eſt lectio: quam enarrat, ex antiquis, Origenes, vel ejus interpres. Græci libri ſcribunt, Μωσῆς γὰρ γράφει τὴν δικαιοσύνην τὴν ἐκ τοῦ νόμου, ὅτι, ὁ ποιήσας ἀυτὰ [s.1.] ἄνθρωπος, ζήσεται ἐν αὐτοῖς, *Moſes enim ſcribit* [ità Sy.] *juſtitiam quæ ex lege, quoniam, qui fecerit - ea* [5.10.] *- homo* [Sy.] *vivet in eis.* Quibus ſuffragantur Syrica exemplaria, Græcíque Tractatores, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius. Conjiciunt quidam Latinam lectionem ſcribarum temeritate depravatam: pro quibus facere poſſit, quòd Haymo in quibuſdam codicibus haberi teſtetur *vivet in eis*, niſi de Græcis vel alterius verſionis Latinis codicibus loquatur. Conjiciunt alii Græcam lectionem, quanquam Moſis verba propiùs referat, (*Cuſtodite leges meas atque judicia, quæ faciet ea homo, & vivet in eis*, Levit.18.5.) ex Gal. 3.12. immutatam, ubi ſimilis eſt locus, ὁ δὲ νόμος οὐκ ἔστιν ἐκ πίστεως· ἀλλ' ὁ ποιήσας ἀυτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς, pro quo nos habemus, *Lex autem non eſt ex fide: ſed, Qui fecerit ea vivet in illis*; porrò hoc ad Romanos loco legiſſe Interpretem, ὅτι καὶ δικαιοσύνη καὶ ἐκ τοῦ νόμου ὁ ποιήσας ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτῇ. Verùm, quod bene ſe habet, utraq; lectio in idem recidit.

C.11.v.5. *Sic" ergo' - &' * in hoc tempore - reliquiæ' ſecundùm electionem - gratiæ' * ſalvæ" factæ ſunt*[" *enim* o. -o. * *nunc* o. - o. - o. * *Dei* o. " *fient* o.] Τὸ *ſalvæ*, nec à Græcis libris, nec à Græcis tractatoribus, Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, legitur. Οὕτως οὖν καὶ ἐν τῷ νῦν καιρῷ λεῖμμα κατ' ἐκλογὴν χάριτος γέγονεν. Latini libri, conſentientibus Expoſitoribus, Haymone, Anſelmo, Autore Gloſſæ, Carenſi, Lombardo, Lyrano, Aquinate, Gorran, Brunone, Richelio, & aliis poſterioribus, plerique omnes habent. Porrò unum Pariſienſes proferunt, Ge.1. qui Græcis conformiter demat, hunc in modum, *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ factæ ſunt:* cui, ſi fortè ex Græco correctus eſſe hoc loco, ut aliis, exiſtimetur, M. N. Hunnæi manuſcriptum L ſignatum, adſtipulatur, quanquam addat *Dei (Secundùm electionem gratiæ Dei factæ ſunt)* quod alia bona ſcripta tanto conſenſu tollunt quanto vulgaria legunt. Reperitur dictio *ſalvæ* apud Latinos Patres, Ambroſium libri De Noe & Arca cap. 5, & libri 2 De Jacob & vita beata cap.3. Hieronymum, in fine libri 16 in Iſaiam, & in commentariis cap. 2[i] Prophetiæ Michææ, Auguſtinum, quæſt. 148 ſuper Geneſim, quæſt. 2 primi libri ad Simplicianum, & libri De patientia cap.20. verùm quia nihil ex locorum circumſtantiis intelligi poteſt, incertum relinquitur, an à Patribus ipſis lectum, an à Scribis poſtea adjectum ſit, qui in vetuſtis paſſim Autoribus citata Scripturæ teſtimonia juxta uſitatum legendi modum emendarunt, ità ut de Patrum lectione haud facilè quid ſtatui poſſit, niſi quòd ex præcedentibus aut ſequentibus verbis colligatur, ea quæ ſæpenumero, aliud à Patribus lectum fuiſſe quàm modò apud eos legatur, ſignificant. Exemplum quod ad præſentem locum faciat adferamus. Libri 2 De bono perſeverantiæ cap. 18. apud B. Auguſtinum legitur, in noſtra ſaltem quam Frobenius dedit editione, *Reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt:* quæ verò paulò pòſt ſequuntur Auguſtini verba, luculentiſſimè declarant *ſalvæ* ab eo omiſſum fuiſſe. *In hac ergò electione*, ait, *& in his reliquiis, quæ per electionem gratiæ factæ ſunt, voluit intelligi plebem, quam propterea Deus non repulit, quia præſcivit:* ac mox, *Præſcivit enim reliquias quas ſecundùm*

dùm electionem gratia fuerat ipse facturus. Similiter in Origenis enarrationibus, & in Ambrosio adscriptis commentariis, atque Prosperi libro De vocatione gentium primo cap. 3. aut juxta novam editionem 10. adscribitur *salva*: sed qui horum verba diligenter excusserit, habebit unde adjectitium esse suspicetur. Quocirca nos, in his mediocritatis nostræ scriptis, non facilè adferrimus, tametsi aliter à multis factum videamus, Patrum aut Enarratorum pro lectionibus autoritatem, nisi eorum simul tractationes suffragentur, vel ipsæ eorum per se lectiones ejusmodi sint quæ à scribis mutatæ non esse haud difficulter dignoscantur; si non aliud adferendi modus innuat. Videri possit τὸ *salvæ*, quòd sermo alioqui mutilus appareret, huc assumptum vel ex commentario, quemadmodum vocula *Dei*, quam Autor Glossæ, quam habemus scriptam subaudit (non frustrà enim hìc ab Enarratoribus salutis fit mentio, quamvis *salvæ* non legerint) vel ex Isaiæ loco, quem nono capite superiori ver. 27 citat Apostolus, his nostræ editionis verbis, *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient*; atque huc facere, quod in quorundam Glossematicorum textibus legatur, *Reliquiæ secundùm electionem gratia salvæ fient.* Accedit, quòd id quod Interpres duabus vocibus solet reddere, *salvum facere*, vel *salvum fieri* aut *esse*, Apostolus ipse unicâ semper exprimat, σώζειν, vel σώζεσθαι, nunquam, σῶον ποιεῖν, vel σῶον γίγνεσθαι aut γεγονέναι. Claudius Guilliaudus & Adamus Sasbout, ex iis quos expositionibus suis junxerunt textibus, *salvæ* omiserunt. Syri sensum dederunt hujus lectionis, *Sic & in tempore hoc reliquiæ relictæ sunt per electionem gratiæ.* In quem sensum accipi possit sententia etiam lectio *salvæ*, si *salvæ factæ sint* intelligatur, remanserunt, superstites sunt: hoc enim hoc loco vult Apostolus, quosdam fuisse ex Israelitis gratuitâ Dei electione reliquos, qui Christum non rejecerint, quemadmodum Eliæ tempore reliquerat sibi Deus qui non curvaverant genua Baal.

C. 11. v. 13. *Quamdiu* [*Et diu* o.] -*"quidem* ["*enim* o. - o.] *ego sum Gentium Apostolus.*] Quod Græcè est ἐφ' ὅσον, hoc est, si verbum verbo reddatur, *ad quantum*, non solùm ad tempus, sed etiam ad rationem, referri potest. Quare alii vertunt, *Quatenus ego quidem sum Gentium Apostolus.* Cæterùm Vulgatæ editionis versione & ratio datur intelligenda, quanquam non per modum rationis expressa: quemadmodum cùm in Euangelio dicitur, Mat. 9. 15. *Numquid possunt filii sponsi lugere quamdiu cum illis est sponsus?*

C. 11. v. 32. *Conclusit' - enim' Deus' omnia in incredulitatem'* [*Concludit* o. - o. *Dominus* 2 MS. *incredulitate* 2 MS. *in credulitate* o.] *ut omnium misereatur.*] Græci & Syrici libri, cum Græcis tractatoribus, Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto & Oecumenio, pro *omnia* legunt *omnes.* τὰς πάντας habent Græci; כל אנש Syrici & in priori & in posteriori sententiæ parte. Eundem ad modum *omnes* legunt, D. Hieronymus, caput Michææ secundum exponens, & S. Augustinus, lib. 21 De civ. Dei cap. 18. Vulg. Interpres facilè pro πάντας legisse potuit πάντα, omisso articulo. Utriusque sensus idem est; atque ejus quod Interpres dedit, vehementior. Id quod deinde sequitur, *in incredulitatem*, multi codices sexto casu scribunt, *in incredulitate*: verùm illud, ut Græco consonat (εἰς ἀπείθειαν) ità in lectissimis est editionis nostræ manuscriptis, Di. o. l. Ge. o. Brug. Lob. Leod. Mal. mi. O. E. Pl. m. & aliis. Hentenius id in textum retulit.

C. 12. v. 1. *Rationabile obsequium vestrum*] Ex Græco & Syro rectè etiam vertitur *Rationale*: τλὼ λοσιλὼ λαϑολα ὑμῶν est Græcè: id quod plerique hodie reddunt, *Rationalem cultum vestrum.* Cæterùm existimarim veteri Interpreti, Græcè magis quàm Latinè perito, eadem fuisse *rationale* & *rationabile*, ità ut intelligi possit per *rationabile* quod transtulit, & quod rationali hominis parte, mente fit, h.e. spirituale, & quod rationis æquitate dictante fit, & quod rationis judicio temperatur, denique quod rectà ratio ad legitimum finem dirigit.

C. 12. v. 2. *Ut' probetis' quæ' - sit' voluntas Dei bona, & beneplacens'* [*Et* o. *Ad probandum* Cyp. *quid* 1 MS. - Compl. G. *placens* 1 MS. *placens* Cypri. Aug. Spec.] *& perfecta*] Hunc ad modum legitur, ut nostris in libris, ità apud D. Cyprianum, lib 3. epist. 25. S. Hieronymum, post medium libri primi Adv. Jovinianum, & Primasium, qui in proprio eum commentario disertè explicat; *Bona, & beneplacens, & perfecta, Bona, melior, & optima.* B. Augustinus, epist. 85. ac lib. 10 De civ. Dei cap. 6. & Autor enarrationum Ambrohi nomen præferentium, legunt, *Ut probetis* [*Ad probandum - vos* Aug.] *quæ sit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum* [*placitum* Ambr. Sedul.] *& perfectum* * [* *est* Ambr.] quo modo & Autor commentariorum quæ in Hieronymi operibus legisse videtur, quòd seorsum posteriorem hujus sententiæ partem explicet, hoc modo, h. e. quod bonum sit, & melius, & optimum. Idque ex Sedulio, qui cum illa lectione hanc explicationem in Collectanea sua transtulit, manifestum esse potest. Græcus sermo ad utramque lectionem ambiguus est (εἰς τὸ δοκιμάζειν ὑμᾶς τί τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, τὸ ἀγαθὸν, καὶ εὐάρεστον, καὶ τέλειον) quòd nomen *voluntas* ac subsequentia adjectiva neutro genere efferat, & articulum præponat voci ἀγαθὸν. Syriacus non nisi priorem admittit: quæ cùm in Latinis libris omnibus, scriptis atque impressis, jam inveniatur, & ab Haymone, Anselmo, Autore Glossæ, posterioribúsque Latinis enarratoribus exponatur, germana nostræ esse editionis omnino videtur, nostræ, inquam, editionis, quâ ex B. Hieronymi castigatione, utimur. Testatur enim Hieronymus in Origenis, scóque magna ex parte, in epistolam ad Romanos commentario, olim vulgatum legendi modum Latinis fuisse, *Quod bonum, & beneplacitum, & perfectum*: sed in Græco ipse alterum haberi docet, *Bona, & beneplacens, & perfecta*, sive quòd articulum τὸ ante ἀγαθὸν non habuerit, sive quòd conformiorem Græco judicaverit, quem Græcorum commentarii magìs probaverint, ut eorum quos nos habemus, Chrysostomi, Theophylacti, Oecumenii. Nec dubium quin is proprius Origenis sit commentarius quo juxta hanc lectionem locus explicatur (juxta utramque enim explicatur) nisi hunc in locum nihil ipsius Origenis sit, sed totum Hieronymus Interpres addiderit. Multa enim Origenis commentariis deerant, incertum quo casu; quæ Hieronymus à se suppleta, & in præfatione & in peroratione, testatur. Verba ejus, in hunc locum duodecimi ad Romanos capitis, hæc sunt, *Sciendum est quòd in Græco habet, Ut probetis quæ sit voluntas Dei, bona, & beneplacita, & perfecta. Sed nos, quia unus in utroque potest sensus videri, consuetudinem sequimur Latinorum.* Sequitur postea, ubi hæc pars singulariter tractatur, *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei, quod bonum, & beneplacitum, & perfectum*: manifestum est autem, quòd & præcessisse debuerat, quódque prolixiùs textum Interpres priùs recitaverit quàm modò habeatur.

C. 12. v. 10. *Charitatem fraternitatis invicem diligentes*] Complures nostræ ætatis scriptores *Charitate* legendum esse conjiciunt; profectò non absque argumentis. Primùm enim, Græcè est τῇ φιλαδελφίᾳ, qui est dativus modi, quem Latini suo ablativo exprimunt. *Charitate* igitur *fraternitatis*, sive *fraternâ*: nam *fraternitatis* dixit Interpres pro *fraterna*, extremum fortè Græcæ vocis imitatus, quam, quia Latinis una similis compositionis vox non est, duabus transtulit. Deinde, non est Græcè participium *diligentes*, sed quod accusandi casum non fert, nomen φιλόστοργοι: quod exponere possis *affectuosi*, τῇ φιλαδελφίᾳ εἰς ἀλλήλους φιλόστοργοι, *Charitate fraternâ ad invicem affectuosi.* Præterea, non aptè congruit vox *invicem*, si *charitatem* legas: nisi addas *ad* vel *in* præpositionem. Et quidem uno in scripto, L notato, hæc addita est, *in invicem*, ad tollendum, opi-

nor, ſententiæ incommodum: ſed ex aliis omnibus quos vidimus calamo æréque exaratis libris, dempto Zegeri Teſtamento, omiſſa, etſi ſit Græcè, cognoſcitur, quòd nomen φιλόσοργοι redditum ſit participio *diligentes*. Inſuper hujuſmodi formam, cujuſmodi hæc ſententia, ſexto caſu *charitate* lecta, referunt ſubſequentes; *Honore invicem prævenientes, Solicitudine non pigri*, & cæteræ: atque illa *Honore* convenientiſſimè hanc *Charitate* proximè ſequitur. Adhæc, hunc in modum & legunt & intelligunt veteres, cùm Græci, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, tum Latini. Tertullianus, lib. 5. in Marcionem legit, *Amore fraternitatis invicem affectuoſi*. Simili ferè modo illorum Autor commentariorum quæ Ambroſio vulgò tribuuntur, *Fraternitatis amore invicem benigni*. Hieronymiana ſcholia, *Ità vos diligite*, explicant, *quaſi ex una matre generati*: id quod Sedulius in Collectanea ſua tranſtulit, præmiſitque, *Charitate fraternâ invicem benigni*. Primaſius ſimiliter, *Charitate fraternitatis, Tanquam ex uno utero nati, ità vos diligite invicem benigni*. Haymo, *i.* ait, *cum charitate fraternitatis ſitis vos alterutrum diligentes*, quia unus eſt pater veſter, qui in cœlis eſt. *Omnes enim qui unam fidem habent, & uno baptiſmate ſunt abluti, ità invicem, ità ſecundùm Deum diligere debent, veluti fratres ex uno matris utero egreſſi*. Jam verò & Latina noſtræ editionis exemplaria reperimus quæ *charitate* legant (*Charitate fraternitatis invicem diligentes*) unum ſcriptum, Plantini medium, duo impreſſa, Moguntiæ unum, anno 1472, Lugduni alterum, anno 1522. quibus Romanum Breviarium, Pii quinti Pont. Max. juſſu editum, adſtipulatur, in tertia lectionum ſecundæ diei infra Octavam Epiphaniæ, ex hoc Epiſtolæ ad Romanos capite deſumptarum. Adſtipulatur etiam Lyrani commentario, quem ab ipſa Typographiæ infantia excuſum à M. N. Hunnæo habemus, mixtus textus, nec commentarius ipſe refragatur. Textus etiam D. Thomæ commentario, annis 1518. & 1526, Pariſiis edito, junctus, quamvis commentarius refragetur. Sunt & manuſcripta quædam ex noſtris, Maj. mi. D. quibus an pòſt adjecta ſit lineola, quæ eſt loco *m* literæ, dubium fit. Poſſit, ut facilè potuit, *e* literæ ſuperpoſita fuiſſe lineola, factúmque *Charitatem*, ut participio *diligentes* accuſandi caſus quem regit daretur, quòd non intelligeretur, *Charitate fraternitatis* dictum eſſe pro *fraterna*. Autor Gloſſæ, aliíque Gloſſematici poſteriores, duobus modis hanc ſcribendi rationem (*Charitatem fraternitatis invicem diligentes*) exponunt; uno, *Diligite charitatem quam fratres habent inter ſe*; altero, *Velitis à fratribus redamari*; ſed illis longè aliter, ut videtur quàm Apoſtolus velit.

C. 12. v. 11. *Domino ſervientes*] Autor commentariorum quæ in B. Ambroſii ſunt operibus *Tempori ſervientes* legit. *In Græco*, inquit, *dicitur ſic habere*, Deo [Domino] ſervientes: *quod nec loco competit. Quid enim opus erat ſummam hanc ponere totius devotionis, quando ſingula membra quæ ad obſequia & ſervitia Dei pertinent memoret? In omnibus enim iis quæ enumerat plenum Deo ſervitium exhibetur. Nam* ſervire tempori *quid ſit, alibi ſolvit, cùm dicit* (Epheſ. 5. 26.) Redimentes tempus quoniam dies mali ſunt, &c. Offendiſſe hunc Autorem videtur, quòd hæc totius ſumma, *Domino ſervientes*, media inter membra legatur. Græci libri, qui hodie in manibus ſunt, ferè τῷ καιρῷ δουλεύοντες, quod eſt, *tempori ſervientes*, habent. Cæterùm Regius ex Complutenſi, & quinque alii à Pariſienſibus notati, δ, ε, ϑ, ι, ια, τῷ κυρίῳ [κυρίῳ Ald.] δουλεύοντες, *Domino* * *ſervientes* [* *veſtro* Syri] ſcribunt: quibus conſentiunt Græcorum, Chryſoſtomi, Theodoriti, Theophylacti atque Oecumenii, textus & commentaria, Syricæque editiones; Scholia adhæc Latina, quæ apud B. Hieronymum exſtant, & Primaſii commentaria, ac Sedulii collectanea. Origenis Interpres Hieronymus, cùm hunc legendi modum explicuiſſet, *Scio*, addidit, *in nonnullis Latinorum exemplaribus haberi*, tempori ſervientes: *quod mihi videtur inconvenienter inſertum, niſi quis fortè ità dictum putet, ut in aliis idem Apoſtolus ait* (1 Cor. 7. 29. Epheſ. 5. 16.) Tempus breve eſt, ſupereſt ut qui, &c. *vel ut illud dictum eſt*, Redimentes tempus, &c. Hodie in Latinis codicibus lectio hæc, *tempori ſervientes*, non reperitur: conſtanter enim *Domino ſervientes* habent, tametſi ſcriptorum antiquiſſimi (Leod. Toſanus, Maj. ma. ſed is parva hæc omnia præcepta uno capite 42 complectitur) qui libris capitum argumenta præfigunt, hujus epiſtolæ 48 caput *De tempori ſerviendo* inſcribunt, nimirum quòd retinuerint capitum argumenta ei Latinorum editioni quæ ante noſtram fuit accommodata. Quocirca majus Malmundarii exemplar & eum locum quem proximè tractaturi ſumus juxta antiquam editionem deſcribit, *De communicatione ſanctorum* - "*memoriis*, | - Leod. "*membris* Toſanum] etſi legat juxta noſtram, *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes*. Brugenſi codici poſterior argumentorum pars ſimul cum initio epiſtolæ ad Romanos deeſt, uno folio perdito. Conſtanter etiam Haymo, Anſelmus, & poſteriores noſtræ editionis enarratores, *Domino ſervientes* edíſerunt: quanquam Autor Gloſſæ, ex Ambroſio, cujus interpretationem addidit, & alii alterius literæ, *tempori ſervientes*, meminerint. Exiſtimo D. Hieronymi caſtigationem hanc legendi rationem, *Domino ſervientes*, editioni noſtræ dediſſe: qui in epiſtola ad Marcellam ſcripta, ultima tomi 2. cùm in eos acriter invectus eſſet qui ſtudiosè ei detrahebant, quòd in ſacris N. Teſtamenti literis quædam emendare tentaſſet, adjecit tandem, *Illi legant, Spe gaudentes, tempori ſervientes; Nos legamus, Spe gaudentes, Domino ſervientes*. Varietati occaſionem dedit affinitas Græcarum vocum, κυρίῳ & καιρῷ, præſertim cùm voces ſcribæ breviare ſoleant.

C. 12. v. 13. *Neceſſitatibus ſanctorum* [*eorum* o.] *communicantes*] D. Hilarius, ſub finem libri quem in Conſtantium Auguſtum ſcripſit, Autor commentariorum Ambroſii nomen præferentium, & Petrus Chryſologus Sermone 120 legunt, *Memoriis ſanctorum communicantes*: quem ad modum *magis in Latinis exemplaribus haberi meminerat* Interpres Origenis. Scholiaſtes qui B. Hieronymi ſcriptis junctus eſt, ac Sedulius Collector, & iſtam & alteram lectionem explanant. Hodie Latini, Græci & Syrici codices concorditer conſtantérque alteram, *Neceſſitatibus ſanctorum communicantes*, habent: quibus volunt Tractatores Græci, Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius; & Latini, Haymo ac poſteriores. Et hanc rurſum legendi rationem noſtræ editioni à B. Hieronymo datam autumo: qui in Origenis, aut ſuo potiùs commentario, utrumque legendi modum, ut ædificationi utilem, admittit, ſed hunc, *neceſſitatibus ſanctorum communicantes*, non obſcurè præfert. *Uſibus*, vertit, *ſanctorum communicantes*: dein adjungit, *Memini in Latinis exemplaribus magis haberi*, memoriis ſanctorum communicantes: *verùm nos nec conſuetudinem turbamus, nec veritati præjudicamus, maximè cùm utrumq; conveniat ædificationi. Nam* uſibus ſanctorum *honeſtè ac decenter, non quaſi ſtipem indigentibus præbere, ſed cenſum noſtrum cum ipſis quodammodo habere communem, & meminiſſe ſanctorum, ſive in collectis ſolemnibus, ſive pro eo ut ex recordatione eorum proficiamus, aptum & conveniens videtur*. Diverſitas iterum ex vicinitate Græcarum vocum orta fuit, χρείαις, μνείαις: eſt enim locus hic ſuperiori quàm ſimillimus.

C. 13. v. 5. *Ideo* [*ideóque* o.] *neceſſitate ſubditi eſtote*] Multi codices *neceſſitati* legunt, cum Expoſitoribus, Carenſi, Thoma, Lyrano, Brunone, Viguerio; ſed plures meliorésque (inſignes noſtri, Brug. Lob. Leod. Maj. ma. mi. T. O. E. L. antiqui Epanorthotæ) cum Anſelmo, Gorran & Richelio, *neceſſitate*: quo modo apud D. Auguſtinum, libello in quaſdam hujus epiſtolæ propoſitiones, expoſitione non diſſonante, & Primaſium, legitur. Gloſſa & Lombardi commentarius utrumque legendi modum explicant. Græci libri ferè ſcribunt, διὰ ἀνάγκην ὑποτάσσεσθαι, quod eſt, *Ideo neceſſitas ſubdi*: cujus paraphraſim

sim Syri dederunt hanc, *Et propter hoc necessitas nobis ut subdamur.* Interpres aut legit aut intellexit ἀνάγκη (Complutensis N. Testamenti editio impropriis diphthongis η & ω nunquã subscribit Iota) id quod transtulit *necessitate*, tametsi etiam *necessitati* transferri possit; & infinitivum imperativi loco accepit, vel ὑποτάσσεσθε habuit, ut est in Complutensi anni 1514 & Basileensi anni 1538 editionibus. Autor commentariorum Ambrosio attributorum, contra alios omnes, omittit τὸ *necessitate*, *Ideóque subditi estote, non solùm propter iram*, &c. quomodo & apud Sedulium legitur, hujus commentarium referentem.

C.13.v.12. *Nox præcessit: dies - autem* [o.] *appropinquavit* [*appropinquabit* o.] Existimant quidam *processit* à librariis in *præcessit* mutatum: eò quòd vox Græca προκόπτειν *procedere, progredi, ad finem tendere*, significet. Sanè hæc est vocis propria significatio: secundùm quam Chrysostomus, & clarissimè Theophylactus, hunc Apostoli locum enarraverunt. Significat tamen eadem dictio & *præterire, transire, præcedere.* Unde veteres Latini aliquando *Nox præteriit* legunt, ut Hieronymus in caput 26 Matthæi; quandoq; *Nox transivit*, ut Cyprianus Serm. De zelo & livore; aliàs *Nox præcessit*, ut Ambrosius manifestè lib. 5 De Sacramentis cap. 4. Sermonéq; 52. & Autor commentariorum Ambrosio adscriptorum. Sermone 52 B. Ambrosii verba sunt, *Præcessit*, inquit, *nox, non sequitur: ut intelligas, superveniente Christi lumine & diaboli tenebras effugari, & peccatorum obscura non subsequi, & jugi splendore præteritas caligines depelli, surrepentia delicta prohiberi.* Vox Syriaca עבר *transire* significat, eadem quæ Hebræis עָבַר: *Nox nunc transivit* Syriacum habet. Apud Hieronymum, lib. 1. in Jovinianum, & Augustinum, Epist. 80. legitur, *Nox processit:* sed Hieronymi locum constat à correctore mutatum, quem & Titelmannus pro *præcessit* adfert, quòd in aliis exemplaribus *præcessit* legerit. In Epitaphio Nepotiani manet *præcessit:* quanquam nec hanc constet genuinam esse Hieronymi scripturam. Libri nostri N. Testamenti Latini, Latinísque enarratores, Anselmus, Autor Glossæ ac posteriores, *præcessit* legunt. Cæterùm agnoscendum id est, facilem esse lapsum ex *pro* in *præ*, & facilem temeritati mutandi ansam id quod minùs intelligit, denique *processit* bellè congruere verbo *appropinquavit*, quamvis non absurdè dicatur nox *præcessisse* diésque *appropinquasse*, cùm nox propinqua est fini; rursum, cùm nox & tenebræ miscentur in diluculo.

C.14.v.9. *In hoc enim* [-o. "ergò o.] *Christus mortuus est & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur* [1 MS.] Duo Parisiensium manuscripta, Paul. Ge. l. tria Hentenii, & quinque nostra, Leod. Mal. ma. So. la. Pl. ang. Atr. conduplicant conjunctionem in priori, ut in posteriori parte, *Et mortuus est & resurrexit:* id quod Græcæ lectioni consonat, multúmque decoris sententiæ adfert. Dein, quædam manuscripta pro *resurrexit, revixit* habent. Porrò Græci codices simul utrumque legunt, hoc pacto, εἰς τοῦτο γὰρ Χριστὸς καὶ ἀπέθανε, καὶ ἀνέστη, καὶ ἀνέζησεν· sed in redundantiæ suspicionem veniunt. Primùm enim Complutensis, omnésque ad quos suam N. Testamenti Græcam editionem Parisienses contulerunt, τ literâ significati, cum Græcis Chrysostomi, Theophylacti & Oecumenii exemplaribus, pro ἀνέζησεν, ἔζησεν, *vixit* pro *revixit*, habent. Deinde Syri, qui utrumque similiter legunt, *surrexit* ponunt post *vixit*; מית וחיא וקם *Mortuus est, & vixit, & surrexit.* Adhæc, apud Irenæum, lib. 3. cap. 20. & Autorem commentariorum quæ in Ambrosii sunt operibus, *vixit* ponitur ante *mortuus est*; *Et vixit, & mortuus est, & resurrexit.* Præterea Latini codices constanter alterum duntaxat legunt; & plerique quidem *resurrexit*; quidam verò, minimè contemnendi, Parisiensium Paul. nostri E. Q. Pl. m. I. *revixit:* quibus Malmundarii minus exemplar, antiquitate spectatissimum, suffragatur: nam erasæ prioris scripturæ loco, minoribus & coactioribus literis substitutum habet *resurrexit.* Anacleti Papæ epistola prima tantùm *revixit* scribit. Origenes, vel Hieronymus Origenis translator suppletórque, *vixit*, seq; solum, legit: cui ea quæ in Ambrosii sunt operibus commentaria concinere mihi certè videntur, tametsi quod dictum est, alio *vixit* loco habeant; atque & ex Sedulio id manifestum possit evadere, qui, dum horum commentariorum enarrationem adfert, duntaxat legit, *In hoc enim vixit Christus, & mortuus est.* Ex his igitur videri possit redundare, vel ἀνέστη *resurrexit*, vel ἀνέζησεν *revixit*, sive ἔζησεν *vixit*, iis quibus utrumque legitur. Et quanquam judicare fortè quis posset superfluum esse potiùs ἀνέζησεν *revixit*, sive ἔζησεν *vixit*, quàm ἀνέστη *resurrexit*, quòd illud aliter atque aliter & alio atque alio loco legatur, ac minùs frequens Latinis in libris inveniatur; tamen hoc magìs, *resurrexit*, additicium esse existimarim, in primis quòd mox citati veteres id omittant, tum quòd elegantiùs *vixit* sive *revixit* ei quod sequitur, *Ut & mortuorum & vivorum dominetur*, respondeat (*mortuus est, ut mortuorum*; *vixit*, sive *revixit, ut vivorum dominetur*) denique quòd vocis ἔζησεν vel ἀνέζησεν *vixit* vel *revixit* expositio fuisse videatur ἀνέστη *resurrexit*, quæ ab aliquibus ad marginem adscripta, cùm in textum tandem irrepsisset, postea aliquando exciderit id ad quod exponendum adhibita fuerat ut superfluum, aliàs alium ad locum deturbarit quò superfluum sensu haud esset. Quocirca & existimant quidam germaniorem Latini Interpretis scripturam esse, *Et mortuus est & revixit*, alterâ, *Et mortuus est & resurrexit*, quæ vel ex alterius translatione, vel ex alicujus explanatione sumpta sit. Porrò horum duorum ἔζησεν & ἀνέζησεν, *vixit & revixit*, ἔζησεν *vixit* verius Græcis censuerim, quandoquidem in nobilioribus exstet Græcis antigraphis, & celebrius sit apud veteres; neque facilè pro καὶ ἀπέθανε καὶ ἀνέζησεν, *& mortuus est & revixit*, substituerit quisquam καὶ ἀπέθανε καὶ ἔζησεν, *Et mortuus est & vixit*; facilius longè è contrà, pro hoc, illud. In posteriori sententiæ parte multi Latini codices præponunt *vivorum*, postponunt *mortuorum, Ut & vivorum & mortuorum dominetur:* sed ii, ut alios multos sibi adversantes habent, ità Græcos & Syricos contrarios patiuntur, quin & rectum ordinem quo prioribus posteriora respondent, nisi quis eum legendi modum quem apud Irenæum & Ambrosium esse diximus sequendum duceret.

C.15.v.31. *Et obsequii mei oblatio accepta fiat* [*fuit* o.] *in Jerusalem sanctis.*] Manuscriptum Buslidiani Collegii habet, *Et oblatio obsequii mei accepta:* alterum, G literâ insignitum, legit, *Et obsequium & oblatio accepta.* Unde videri possit additicia esse vox *oblatio*, ex 16 fortassis hujus capitis versu, ubi legitur, *Ut fiat oblatio gentium accepta* (ἵνα γένηται ἡ προσφορὰ τῶν ἐθνῶν εὐπρόσδεκτος) commentarii hunc locum per illum exponentis occasione adjectâ: quia Græcè non aliud est quàm, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου, *Et ut ministerium meum*, id quod verterit Interpres, subaudiendâ relictâ ex priori parte *ut* conjunctione, *Et obsequium meum:* nisi fortè, quod alii conjecerunt (habent enim plerique omnes libri concorditer, *Et obsequii mei oblatio*, cum Haymone, Anselmo, & posterioribus Expositoribus) legerit, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου προσφορὰ, vel explicationis ergò id addiderit, intelligens per *obsequium* oblationem quam adfert vel collegit obsequium sive ministerium. Apud Autorem commentariorum Ambrosii nomine, legitur, *Et munerum meorum oblatio accepta fiat in Jerosolyma sanctis.* Commentarius est, *Etiam hoc orandum dicit, ut ministratio munerum ejus accepta fiat sanctis in Jerusalem*, &c. Duo ex nostris scriptis codicibus pro *in Jerusalem* legunt *in Jerosolymis*; tredecim (Lob. Leod. So. la. O, E, L. Pl. m.) *in Jerosolyma*; quatuordecim, inter quos sunt Brug. & Q. *in Jerosolymam.* Ex quo videri possit, si rursus divinare fas est, vertisse Interpretem, *Et obsequium meum in Jerosolymam, acceptum fiat sanctis*, vel *Et obsequii mei oblatio in Jerosolymam, accepta fiat sanctis*, quo modo atque ordine Græcè legitur, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου ἡ εἰς Ἰερουσαλὴμ, εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις· neque enim

enim εἰς motum in loco significat, ut intelligi ex hoc Græco legendi modo possit, *Accepta fiat in Jerosolyma*, aut, *Sanctis qui sunt in Jerosolyma*; neque ἡ articulus patitur id sequentibus jungi. *Obsequium* autem, sive *ministerium*, *in Jerosolymam* intelligitur, quo proficiscor Jerosolymam, collationem quam ei curavi perferens; vel, *obsequii mei oblatio in Jerosolymam*, quam collegit obsequium meum pro Jerosolyma, eóque defert: quod quia intellectum non est, mutatus videtur accusandi casus in auferendi, *Jerosolymam* in *Jerosolyma*, & *Jerosolymis*, vel, quod ambiguum erat, *in Jerusalem*, id quod paucos scriptos, pleroſque impressos libros occupat, & translata pars eò quò pertinere censebatur, ad orationis finem, ubi retentus à multis accusandi casus loco non convenit. Duo pervetusta scripta, T & Malmundariense majus, perfectissimè ad Græcam scripturam respondentia, habent, *Et ministerium meum, quod Jerosolymam defertur* [ἡ εἰς Ἰερουσαλήμ, *quod in Jerusalem*] *acceptabile sanctis fiat*: sed ea ab editione nostra recedere nonnunquam observavi. Huic verò interpretationi persimilis est ista Syrorum, *Et ministerium quod defero sanctis in Jerusalem, bene suscipiatur.* Porrò Græci quidam codices omittunt εἰς præpositionem, ἡ διακονία μου ἡ Ἰερουσαλήμ· sic enim Aldina editio scribit: itáque Cajetanus se legisse ostendit. Chrysostomus verò & Theophylactus nec ἡ Ἰερουσαλήμ, sive legentes sive interpretantes, agnoscunt: duntaxat habent, καὶ ἵνα ἡ διακονία μου εὐπρόσδεκτος γένηται τοῖς ἁγίοις.

C. 16. v. 5. *Salutate Epænetum dilectum mihi, qui est primitivus* * *Asiæ* [* *Ecclesiæ* o.] *in Christo* * [* *Jesu* o.] Plerique Græcorum & codicum & Interpretum (Chrysost. Theophylact.) suffragantibus Syris, legunt *Achaiæ* pro *Asiæ*; ὅς ἐστιν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας εἰς Χριστόν, [εἰς Χριστὸν] *Qui est primitiæ Achaiæ in Christo* [*in Christum.*] Verùm Latini libri constanter *Asiæ* servant, consentientibus Latinis Tractatoribus, præter nostræ ætatis aliquot, qui & textus suos, ex Græco, *Achaiæ* emendarunt. *Asiæ* se legisse declarat B. Hieronymus, enarrans caput Ezechielis 43. Porrò & inter Græcos autores, Origenes, non solùm in hujus loci commentario, sed etiam Hom. 11 in Numeros, disertè *Asiæ* legit: & inter Græcos libros Parisiensium quintus, Ἀσίας *Asiæ*, non Ἀχαΐας, scribit. Quamobrem vulgata Græcorum lectio depravata à quibusdam (Titelmanno, Soto, Zegero) existimatur, similis loci occasione, qui est 1 Cor. 16. 15. οἴδατε τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ, ὅτι ἐστὶν ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας.

C. 16. v. 25, 26, 27. *Ei autem qui potens est vos confirmare*, &c. *soli* [*solo* 4 MS.] *sapienti Deo, per Jesum Christum, cui* * *honor* [* *est* 1 MS] *& gloria in secula seculorum, Amen.*] Τῷ *cui* ab emendatissimo exemplari, quod M. N. Hunnæus inter alia contribuit, Q notato, tollitur: à Complutensium & Regiorum Bibliorum Latinis & Græcis textibus non agnoscitur. Plurimum certè lucis orationi adferat ejus omissio: verùm in aliis omnibus, quotquot vidimus, Græcis Latinísque libris reperitur (unum duntaxat Græcum vidimus Parisiis à Simone Colinæo impressum, qui ᾧ *cui* cum αὐτῷ *ipsi* commutavit) atq; ab Enarratoribus, quos consuluimus, pleriſque omnibus, veteribus & recentioribus, manifestè legitur (ferè enim eos torquet) quanquam Carensis & Gorran locum & juxta eum modum explicent quo est sine *cui*, secuti, opinor, id quod Autor Glossæ annotavit, *si auferas* cui, *absoluta est lectio. Græci id* parelcon, *sensui superfluum, esse docent, quòd repetitione opus esset assumptum*: quibus B. Augustinus, lib. 3. Adv. Maximinum cap. 13 accedit, *Quòd verò additum est* cui, inquit, *ut diceretur* cui gloria, *cùm sufficeret si dictum esset*, ei autem gloria, *inusitatam nostra lingua indicat locutionem, non sensum, quem requiramus, vel de quo ambigamus, insinuat.* Syri, illo prætermisso, & vocibus quibusdam transpositis, clarè interpretati sunt, *Deo autem ipsi, qui potens est confirmare vos*, &c. *qui est sapiens solus ipse, gloria per Jesum Christum, in secula seculorum. Amen.*

Circa eundem hunc locum advertimus, eam, ut Græcorum & Syricorum codicum, ità veterum Autorum, tam Latinorum quàm Græcorum, esse lectionem, *cui gloria in*, sublato *honor &*: quo modo est & in Latino scripto Germani lato. Tria nostra Latina scripta, Sol. a. T. Pl. ang. legunt, *Cui* * *honor* [* *est* Pl. ang.] *in*, sublato *& gloria.* Vulgatæ nostræ lectioni alterum fortassis est additum, ex loco primi capitis prioris epistolæ ad Timotheum v. 17. qui celebris est in precibus horariis, ad primam, *Soli Deo honor & gloria in secula seculorum. Amen.*

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS PRIOREM.

C. 2. v. 14.

Animalis autem homo non percipit ea quæ sunt spiritûs Dei: stultitia est enim illi, & non potest intelligere, quia spiritualiter [*spiritaliter* MS. antiqua] *examinatur.*] Triplicem ferè hoc loco reperio lectionem; Unam, eámq; frequentissimam, tam autorum quàm codicum, *Quia spiritaliter examinatur*; Alteram, *Quia spiritualiter examinantur*, quæ in Complutensibus & Quentelianis edi Bibliis; Tertiam, *Ea quæ spiritaliter examinantur*, quam in quatuor vidi exemplaribus manuscriptis, Mal. ma. Pl. m. I. quibus alia quædam accedunt. R habet, *Quæ spiritaliter examinantur*, prætermisso *ea*; M. *Quæ spiritualiter examinatur*; T & G. *Ea, quia spiritualiter examinatur.* Atrebatensis Collegii sericatus codex, omnium simul varietatum particeps, non incommodè scribit, *Ea quia spiritualiter examinantur.* Græcè est ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται id quod καὶ πρᾶξα transferas, *Quia spiritaliter examinatur.* Nonnulli id referunt ad *animalem hominem*: cæterùm si, quod verisimilius sit, cum Græcis tractatoribus, ad *ea quæ sunt spiritûs Dei* referas, Latinè vertendum est, *Quia spiritualiter examinantur* (neque enim Latinis, ut Græcis, neutra pluralia verbo gaudent singulari) nisi fortè, non in conjunctionem, sed ὅ, τι relativum legas: tunc enim reddas, *Id quod spiritualiter examinatur*, quo modo intellexisse videntur Syri. Primus vertendi modus respondet primo legendi, secundus secundo legendi, tertius tertio viciniſſimus est. Quis autem horum germana sit Interpretis scriptura, in dubium venit: primum tamen non facilè ego ausim Interpreti subtrahere, cui & vetus autor commentariorum Ambrosio adscriptorum suffragatur, quanquam secundus & tertius commodissimi videantur.

C. 7. v. 33, & 34. Duplex hoc loco est lectio. Prior est, *Solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et mulier* * *innupta - &, virgo cogitat quæ* " *Domini* [* *quæ est* 2 MS. - o. " *Dei* o.] *sunt.*] Hæc Latinorum hodie ferè codicum est: quam Autor commentariorum quæ apud Hieronymum exstant, Primasius, Haymo, atque hoc posteriores Latini Enarratores, edidisse runt, & B. Ambrosius, initio libri De viduis, profert. Posterior est, *Solicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Divisa est mulier & virgo. Quæ innupta est cogitat quæ Domini sunt.* Ista Græcorum hodie ferè librorum est: ità enim habent, μεμέρισται * ἡ [* καὶ R.] γυνὴ καὶ ἡ παρθένος· ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ, &c. quibus Syrici consonant (*differentia autem est*, scribunt, *inter uxorem & virginem. Ea quæ viro non est*, &c.) & Interpretes Græci, Chrysostomus, Theophylactus atque Oecumenius, & inter Latinos Sedulius, adstipulantur, cum D. Basilio libro De vera virginitate. Hunc ad modum Hieronymus citat, tum contra Helvidium disputans cap. 10. tum Eustochium ad custodiendam virginitatem adhortans cap. 9. Eundem ad modum reperi in duobus antiquis Latinis libris scriptum, Malmundariensi majori & T: quanquam hoc habeat,

Et

Et divisa mulier & virgo; illud, *Et divisa est mulier & virgo*. Pl. m. habuit, *Et divisa est mulier innupta & virgo cogitat*. Cæterùm ex hoc atque aliis locis constat exemplaria hæc multa ex veteri editione servare quæ in nostra emendata sunt. Hieronymus enim, Adv. Jovinianum lib. 1. cap. 7. testatur fuisse hanc suo tempore Latinorum codicum lectionem: sed alteram, quam in Græcis suis videtur habuisse antigraphis, ut quæ Apostolicæ sit veritatis, probat. Quare ex D. Hieronymi emendatione hanc in nostræ editionis esse libris manifestum est. Hieronymi Græcis antigraphis duo observarunt Parisienses, ι & ια, similiter legentia; nos unum, à Simone Colinæo anno 34 excusum, ἢ μεμέρισται· ἢ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ. Commentaria quæ sunt in Ambrosii operibus lectionem habent ex dictis duabus compositam, *Quomodo placeat uxori, & divisus est. Divisa est mulier & virgo. Quæ non est nupta, solicita est de iis quæ Domini sunt.*

C. 14. v. 33. *Sicut* * *in* [* & o.] *omnibus Ecclesiis sanctorum doceo*] Voculam *doceo* tollit Latinum Parisiensium exemplar Ge. l. conformiter libris Syricis & plerisque Græcis, suffragantibus enarratoribus Græcis, Theophylacto & Oecumenio. Hieronymianus Scholiastes dubito an legerit: *Sic est ubique*, inquit, *nè novi aliquid me imperare putetis*. Ex nostris manuscriptis. Malmundarii majori minori literâ addita conspicitur. Videri possit ex septimo hujus epistolæ capite ver. 17. huc assumpta, ubi legitur juxta nostram editionem, *Et sicut* [sic R. G. S.] *in omnibus Ecclesiis doceo* (διατάσσομαι.) Cæterùm ut in omnibus nostræ editionis fidelibus codicibus reperimus, ità ab Autore commentariorum Ambrosio attributorum, Haymone, & qui hunc ætate sequuntur, Latinis explanatoribus, lectam observavimus. Adhæc in uno Græco exemplari, ια, Parisienses invenerunt, ὡς ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τοῖς ἁγίοις διδάσκω· cui adstipulatur B Chrysostomi textus, cùm Latinè, tum Veronæ Græcè editus.

C. 14. v. 38. *Siquis autem ignorat, ignorabitur*] Græcè est, εἰ δέ τις ἀγνοεῖ, ἀγνοείτω, quod est, *Siquis autem ignorat, ignoret*. Syricè similiter est. Atque hoc modo Chrysostomus, Theophylactus & Oecumenius, non solùm legunt, sed etiam intelligunt. Verùm Latini, & codices & Interpretes, constanter scribunt, *Si quis autem ignorat, ignorabitur*: fortè enim Vet. Interpres, non ἀγνοείτω, sed ἀγνοῶν, ἀγνοῆται, aut ἀγνοήσεται legit.

C. 15. v. 31. *Quotidie morior per vestram gloriam, fratres*] Multi nostrorum codicum legunt *per*; plures *propter vestram gloriam*: ab utraque parte præstantia sunt scripta; sed à priore antiqua Epanorthotæ. Carensis, Lyranus, Gorran, *propter* edifferunt; Sedulius, Haymo, Primasius, Anselmus, *per*; Autor Glossæ, Lombardus, Thomas, Richelius, utrumque exponunt: sed Haymo, non *propter*, sed *pro vestra gloria* notat quosdam habere, quo modo & in Sedulio est, & in duobus scriptum vidimus exemplaribus, & in aliquot impressis ad marginem annotatum. Hieronymus in Epitaphio Marcellæ cap. 3. *propter vestram salutem*; Autor enarrationum apud Ambrosium *pro vestra salute* habet. Augustinus autem, sub finem epistolæ 89 libri primi De sermone Domini in monte, cap. 25. & serm. 28 De verbis Apostoli *per* legit: & juravisse Apostolum ex hoc loco, præsertim ut apud Græcos est, probat; νὴ τὴν ὑμετέραν [ἡμετέραν Gq.] καύχησιν est Græcè; id quod Syri disertè transtulerunt, *Juro per gloriam vestram*. Scholiastes qui in Hieronymi est operibus, cum B. Augustino, legit *per*: sed studiosè monet, *non posse hinc Apostoli juramentum convinci*, nimirum quia Pelagius vel Pelagianus est, quorum hæresis voluit jusjurandum auferre. Sed infirmâ nisus est similitudine. Nam si dicam, *Per puerum misi*, non statim per puerum juravisse rectè putabor, Græcæ aut vocis aut proprietatis ignarus. Cæterùm νὴ non solùm μὰ, quod est jurantis, sed etiam διὰ, quod est causam dantis, significare, ità ut *propter* verti rectè possit, his verbis Græca scholia docent, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν· ἢ ὁμνύει, λέγων, μὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν· ἢ διὰ τὴν ὑμετέραν καύχησιν ἀποθνήσκω. λέγει ἢ τὴν αὐτῶν σεμνοποιόν· quod est, *Aut juravit* (Apostolus dum ait, νὴ τὴν &c.) *dicens, Per vestram gloriationem; aut propter vestri gloriationem morior: dicit autem ipsorum profectum*. Photii est scholion. Chrysostomus & Theophylactus *propter* intellexisse videntur.

C. 15. v. 51. *Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*] Triplicem olim fuisse loci illius lectionem, ex Hieronymi ad Minerium & Alexandrum epistola numero 152, Augustini 20 De civitate Dei libro cap. 20. ac tertiâ ad Dulcitium quæstione, illis quæ Hieronymo tribuuntur commentariis, & Græcis Oecumenii scholiis, manifestum est. Una fuit, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: altera, *Non omnes dormiemus, omnes autem immutabimur*: tertia, *Omnes quidem dormiemus, non omnes autem immutabimur*. Prima frequentior erat in exemplaribus Latinis; tertia in nonnullis erat Latinis; secunda & tertia in Græcis. Hodie prima sola invenitur in exemplaribus Latinis; secunda est in Syricis, & plerisque omnibus Græcis; tertiam duntaxat in Complutensium Bibliorum, & eorum quæ ex illis excusa sunt, margine legimus, qui habet pro πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, aliam Græcam literam habere, πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα, ἀλλ' οὐ πάντες ἀλλαγησόμεθα, & in S. Pagnini versione, cujus hæc verba sunt, *Omnes siquidem dormiemus, sed non omnes immutabimur*. Huic tertio legendi modo, secundùm rem, respondet noster, primus, inquam, qui Latinorum est: quem non facilè debemus vel huic tertio, vel illi secundo postponere.

C. 15. v. 52. *In novissima tuba; canet enim tuba*] Quatuor Parisiensium manuscripta (Di. o. Ge. o. l. V.) tria Hentenii, & unum nostrum (Brug.) auferunt posterius *tuba*: *Canet enim* duntaxat habent. Nec Græcè aliud est quàm σαλπίσει δέ, id quod multi hodie Interpretes *Canet enim*, Syri olim *dum canet* transtulerunt. Cæterum σαλπίζειν *tubâ canere* significat, perinde ac si Latinè dicas *tubare*; quâ voce reddidit Origenis Interpres, tractatu in Matthæum 30 longè post medium, aut quod usitatum est, *buccinare*. Verùm si *canere* hîc tantùm vertas, *tuba* ex eo quod præcedit subaudiendum relinquitur.

C. 16. v. 15. *Obsecro autem vos, fratres, nostis domum Stephanæ & Fortunati*] Multi libri addunt, multi tollunt, *& Achaici: Stephanæ, & Fortunati, & Achaici*. Eis qui tollunt adstipulatur inter Latinos enarratores disertè Haymo; adhæc Græci & codices & Interpretes, & Syriacus textus. Porrò Græci plerique codices, suffragantibus plerisque Græcorum Interpretum & Syriaco textu, etiam *& Fortunati* tollunt. Videri certè possint *Fortunati & Achaici* nomina ex 17 versu proximo, quo cum *Stephanæ* conjunguntur (*Gaudeo autem*, legitur ibi, *in præsentia Stephanæ, & Fortunati, & Achaici*) huic fuisse adjecta, quòd sequatur hîc multitudinis numero, *Quoniam sunt primitiæ Achaiæ, & in ministerium sanctorum ordinaverunt seipsos*: id quod ad *domum*, sive *familiam*, *Stephanæ* (quod erroneè multi mulieris esse nomen existimant) referendum sit. Cæterùm inter Græcos Parisiensium codices undecimus, & Græca Colinæi editio, conformiter Latinis libris & Enarratoribus, *& Fortunati* legunt, τὴν οἰκίαν Στεφανᾶ καὶ Φορτουνάτου.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI AD CORINTHIOS POSTERIOREM.

C. 1. v. 6.

Sive autem tribulamur, pro vestra exhortatione [*tribulatione* o.]. *& salute: - sive exhortamur, pro vestra exhortatione*

hortatione "& [- o. "*in* o.] *salute quæ operatur tolerantiam eorundem passionum quas & nos patimur : & [ut* o.] *spes nostra firma* " - *est* [" *sit* o. - MS. antiqua] *pro vobis scientes*, &c.] Multi codices ante *sive exhortamur* tertium addunt membrum, *Sive consolamur, pro vestra consolatione*, Autore Gloſſæ cum ſchola ſua ſuffragante. Cæterùm antiqui libri, Pau. Conſt. Di. o. l. Ge. o. l. Brug. Mal. ma. mi. Leod. Lob. O. G. id non agnoſcunt ; duo ſolùm membra ſcribunt : quibus vetuſtus Autor commentariorum quæ Ambroſio adſcribuntur, Græci Tractatores, Græci & Syrici codices, ſuffragantur. Quare id Hentenius & Zegerus Caſtigatores textu expulerunt. Adjectum fuiſſe videtur ex altera interpretatione, primùm fortè ab aliquibus margine adſcripta, quòd Vulgata tranſlatio, quæ *exhortari* pro Conſolationem accipere utitur, minùs conveniens judicaretur, & tandem ab aliis in textum relata. Græcis enim unica ſententia eſt, ὅτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως, quæ, & *Sive conſolamur pro veſtra conſolatione*, & *Sive exhortamur pro veſtra exhortatione*, verti poteſt. Ipſe noſter Interpres, eodem quarto verſu proximè præcedenti, παρακαλῶν, nunc *conſolari*, nunc *exhortari*, vertit : ità ut ambiguum hoc loco eſſet utra ejus eſſet converſio, niſi veterum MSS. fide doceretur. Nam quòd quidam impreſſi codices illud legant ſolum, *Sive conſolamur pro veſtra conſolatione*, pro eorum qui ediderunt arbitrio factum eſſe eſt manifeſtum. Duo ſcripta T & So. la. utrumque vertendi modum miſcuerunt : habent enim, *Sive exhortamur pro veſtra conſolatione.* Autor commentariorum quæ in Ambroſii ſunt operibus legit, *Sive exhortationem conſequimur, pro veſtra exhortatione.* Is qui Græca Syriacè reddidit, & plurimi eorum qui eadem Latinè reddiderunt, interpretati ſunt, *Sive conſolationem accipimus, pro veſtrî conſolatione.*

Ex poſteriori hoc membro emendatiores noſtri codices novem numero, Brugen. Lob. Mal. mi. So. la. T, O, E, Pl. m. G. cum ſex Hentenii, auferunt *& ſalute*, Ambroſiano textui & Syricis editionibus conformiter. Legunt id porrò utroque membro, cum aliis Latinis libris, & Autore Gloſſæ ejúſque ſchola, Græca exemplaria, Græco Interprete Oecumenio manifeſtè conſentiente. Qui tertium addunt membrum ſecundo loco, *Sive conſolamur pro veſtra conſolatione*, Latinorum, ſive codicum ſive Interpretum, quidam, ſed pauci, & huic *ſalute* adjiciunt.

Quod ſequitur, *quæ operatur tolerantiam*, Græci ἡ ἐνεργούσης aut ἐνεργουμένης ἐν ὑπομονῇ ſcribunt, *operante in tolerantia.* Ità verò & Latinum Malmundarii majus exemplar habet, *in tolerantia* ; minus *in tolerantiam* legit, quo modo eſt & in Lob. Brug. O. G. Ge. o. l. ac duobus Hentenii. Societatis latum utramque notat lectionem. Quædam antigrapha habent, *Quæ operatur in vobis tolerantiam*, quibus adjectum eſt à ſciolis *vobis* ; pro quo aliàs legitur *nobis* ; ut ſalva maneret præpoſitio, quam alii ſimiliter non intellectam audaciùs abſtulerunt. Commentator apud Ambroſium, *Quæ operatur per patientiam*, legit. Syrorum ſententia, ſed plenior, hæc eſt, *Ut vos conſolationem accipiatis, & ſit in vos ſedula operatio*, ſeu *perſeverantia, quâ ſuſtineatis eas paſſiones quas & nos patimur.* Hîc quoque notandum, alium eſſe textûs ordinem in Græcis codicibus, alium in Græcis Interpretibus, alium denique in Latinis codicibus atque Interpretibus. Græci codices plerumque hoc ordine legunt, *Sive autem tribulamur, pro veſtrî conſolatione & ſalute, quæ operatur in tolerantia earum paſſionum quas & nos patimur. Sive conſolationem accipimus, pro veſtrî conſolatione & ſalute, & ſpes noſtra firma pro vobis, ſcientes.* Græci Interpretes (Chryſ. Theod. Theophylact. Oecum.) iſto, *Sive autem tribulamur, pro veſtrî conſolatione & ſalute, quæ operatur in tolerantia earum paſſionum quas & nos patimur, & ſpes noſtra firma pro vobis. Sive conſolationem accipimus, pro veſtra conſolatione & ſalute, ſcientes.* Latini codices atque Interpretes eo ordine legunt quem initio propoſuimus. Et his quidem Syri conſentiunt. Græcis autem Interpretibus Græcæ Aldi & Colinæi editiones, & ſex Pariſienſium antigrapha (A. δ. ζ. ι. ια. ιγ.) conſonant. Inter Pariſienſium antigrapha Complutenſe eſt, cui regia reſpondent.

C. 1. v. 11. *Ut ex multarum perſonis facierum, ejus* [*multorum facie* Mal. ma. Conſt. Amb.] *quæ in nobis* [*vobis* 3 MS.] *eſt donationis, per multos* * *gratiæ* [* *participes* o. * *principes* o.] *agantur* * *pro* [* *Deo* o.] *nobis*] Quatuor noſtra Latina exemplaria, So. la. Pl. m. Atr. Pl. par. & quinque Pariſienſium Græca, (A. δ. ζ. ι. ιγ.) cum Græca Aldi editione, *pro vobis* legunt, Græco enarratore Oecumenio adſtipulante. *Pro nobis* autem habent & Latina exemplaria pleraque, conſentientibus Latinis commentatoribus, & Græca complura, Græcis tractatoribus Theodoreto & Theophylacto concinentibus. Syri ab hac parte ſtant. Cæterùm quanquam hoc, *pro nobis* inquam, ſimilius vero, præſertim noſtræ editioni ; verum eſt utrumque : *agantur gratiæ pro vobis*, quorum precibus & quorum bono ſervatus ſum ; & *pro nobis*, qui ſumus ſervati.

C. 1. v. 13. *Non enim alia ſcribimus* [*ſcripſimus* o.] *vobis quàm quæ legiſtis - & cognoſcitis* [- o.] Hæc Hentenii eſt emendatio. Quamvis enim vulgaris lectio ſit, *legiſtis & cognoviſtis* ; optimi libri, nec ii pauci, præſenti tempore *cognoſcitis* habent. Lobienſe verò manuſcriptum, præſtantiſſimum illud, & Plantini anguſtum, ac Nicolai Zegeri editio, utrumque præſenti tempore ſcribunt, *Quàm quæ legitis & cognoſcitis* : atque ità eſt Græcè, ἀλλ' ἢ ἀναγινώσκετε, ἢ καὶ ἐπιγινώσκετε, *Quàm quæ legitis, aut & cognoſcitis.* Syri tranſtulerunt, *Quàm ea quæ cognoſcitis, & vobis perſuaſa habetis.* In hunc modum, præter Græcorum exegeſes, commentaria in Ambroſii operibus interpretari videntur, his verbis, *Ea ſe dicit ſcribere, quæ non ſolùm literis cernerent, ſed & operibus ejus manifeſta haberent.* Ità & Primaſii ſcholia, *Hæc legentes in epiſtola quæ cognoſcatis in conſcientia.*

C. 1. v. 21. *Qui autem* * *confirmat* [* *dico* o.] *nos* * *vobiſcum* [* *eſt* o.] *in Chriſto, -&* [o.] *qui unxit nos, Deus*] Nonnulli libri *vos nobiſcum* legunt ; tres noſtri, So. ru. pl. par. R. quibus Græca Complutenſis editio, cum filiis, adſtipulatur. Videtur & Ambroſiaſter adſtipulari : ait enim, *Chriſtum dicit confirmare gentes in fide promiſſa Judæis.* Porrò *nos vobiſcum* habent plerique omnes & Latini & Græci codices, conſentientibus Syris, & tractatoribus, Chryſoſtomo, Haymone, Theophylacto, Lombardo, Anſelmo, Oecumenio, Gorrano. Quamvis autem convenientiùs dictum videri poſſit *Qui confirmat vos nobiſcum*, quàm *Qui confirmat nos vobiſcum*, quia Paulus Corinthiis in Chriſto fuerat prior, non tempore ſolùm, verùm & merito ac dignitate, atque adeò Apoſtolus eorum ; tamen quia ſuam hîc aſſerit firmitudinem atque conſtantiam, quæ quodam modo in dubium vocata erat, ideo eos ſibi præpoſuiſſe videtur, dicens, *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto.* Manuſcriptum Germani latum, & Quenteliana Biblia, *in Chriſtum* legunt, Græco, ut ſuſpicor, accommodata. Ambroſiaſter, illum volumus quem Ambroſium plerique nominant, Ambroſii operibus conjunctum, *Chriſtus Dominus* habet : quo modo & Malmundarii exemplar majus, veterum lectioni ſæpe conforme, habuiſſe mihi ſanè videtur, *Qui autem confirmat nos vobiſcum, Chriſtus Dominus.* T literâ notatum manuſcriptum huc accedens, *In Chriſto Domino* legit.

C. 12. v. 11. *Nihil enim minus fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*] Plerumque legitur, *Nihil enim minus feci* : ſed *fui* vertiſſe Interpretem, quo modo emendavit Hentenius, manuſcripta exemplaria veriora docent. Vetus Scholiaſtes, qui Hieronymo conjunctus eſt, & B. Anſelmus, *fui* ſe legiſſe declarant. Græca habent οὐδὲν γάρ

γὰρ ὑςέρημα· quæ rectè hoc modo transferas, *Nihilo enim inferior fui iis*, &c. Syra iſto, *Propterea quòd non defeci ab iis*, &c.

C. 13. v. 2. *Prædixi* * [* *enim* o.] *& prædico* * [* *vobis* o.] *ut præſens, & nunc abſens, iis qui antè peccaverunt, & cæteris omnibus, - quoniam* [o.] *ſi venero iterum, - non* [o.] *parcam.*] Complures (So. la. Mal. ma. Pl. m. L. Pl. ang. &c.) codices addunt *vobis*, *Ut præſens vobis*: id quod quidam ſcribunt *bis*, quatuor Hentenii, unus Zegeri, quatuor (Q. H. A. Pl. long. V. I. K.) noſtri, *Ut præſens bis*. Quintus ex noſtris utrumque jungit, *Ut præſens vobis bis*. Sextus & ſeptimus in ſpatiis notant *bis*. His qui *bis* habent adſtipulantur editionis noſtræ enarratores, Autor Gloſſæ, Lombardus, Carenſis, Thomas, Gorranus. Græci conſtantiſſimè ὡς παρὼν τὸ δεύτερον legunt, quod eſt, *ut præſens ſecundò*, vel *iterum*. Sic & Syri, qui clariſſimum dederunt loci ſenſum, *Prædixi vobis, & iterum prædico vobis: ſicut & duabus vicibus, cùm fui apud vos, dixi vobis*, (ità) *& nunc abſens ſcribo*, iis, &c. Autor commentariorum Ambroſii nomine τὸ δεύτερον *ſecundo adventu* interpretatur, *Ut præſens ſecundo adventu*; hoc ſenſu, *Sicut cùm ſecundò veniſſem, dixi*; *ità & nunc abſens dico*: quæ & Græcorum Interpretum expoſitio eſt. Omnino igitur addendum legendúmque videtur *bis*; idque non intellectum alios abſtuliſſe, alios cum *vobis* mutaviſſe: quanquam id quod demiror, præſtantiores ſinceriorésque libri (Brug. Lob. Leod. Mal. mi. O. T. Di. o. l, &c.) auferant, nec *bis*, nec *vobis* habeant. Ei quod ſequitur à Græcis & Syris conſtanter concorditérque adjicitur *ſcribo*, *Et abſens nunc ſcribo, iis*: quod à Latinis non minùs conſtanter omittitur, minimè ceceſſarium.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD GALATAS.

C. 2. v. 5.

Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectioni, ut veritas Evangelii permaneat apud vos [*nos* o.] Uſque ad B. Hieronymi tempora Latina exemplaria ſine negatione legerunt, *Quibus ad horam ceſſimus ſubjectioni*: id quod et Irenæo 3 Adverſùs hæreſes librum ſcribente cap. 13. & Hieronymo locum hunc exponente, aliiſque veteribus, patet. Atque ad hunc modum cum Latinis exemplaribus legendum eſſe Tertullianus lib. 5 in Marcionem, & Autor enarrationum quæ Ambroſii ferunt nomen docent: quibus, ex Neotericis, Nicolaus Zegerus adhæret. Verùm Græcorum codicum lectionem, οἷς οὐδὲ πρὸς ὥραν εἴξαμεν τῇ ὑποταγῇ, *Quibus neque ad horam ceſſimus ſubjectioni*, quam Tertullianus vitiatam eſſe exiſtimat, Hieronymus præfert: eámque cum Hieronymo nobiliſſimi Tractatores, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Sedulius, Theophylactus, Haymo, Anſelmus, Oecumenius, ſequuntur. Apud poſteriores pleroſque omnes Latinos enarratores tenet: ac ſola hodie tam in Latinis & Syricis quàm in Græcis codicibus reperitur.

Latini porrò codices non pauci, ex MSS. noſtris quindecim, omittunt τὸ *quibus*, quemadmodum & Tertullianus atque Ambroſiaſter ille, ac inter recentiores Bruno Carthuſianorum Patriarcha. Sic cohæreat hic verſus ſuperiori per ſe imperfecto; *Sed propter ſubintroductos falſos fratres, qui ſubintroierunt, &c. - neque ad horam ceſſimus ſubjectioni*. Cæterùm præſtantiſſimi quique Latini libri, cùm noſtri tum Gorrani & Epanorthotæ (vulgares ſunt illi: præcipui eorum Q. & L.) addunt *quibus*, Hieronymo, Auguſtino, & Græcis, cùm codicibus tum Interpretibus, adſtipulantibus. Utramque varietatis rationem explicat Nicolaus Gorranus.

Ultimam hujus pericopes vocem pleraque omnia exemplaria *ſubjectioni* legunt, nonnulla *ſubjectione*; Pariſienſium unum, Hentenii unum, noſtrum unum (Pau. Atr.) Græcè dativus eſt τῇ ὑποταγῇ· ſed Latinè per ablativum transferendus *ſubjectione*. At quia in omnibus penè libris, atque apud omnes Enarratores, priores & poſteriores (quanquam apud Titelmannum ſit *ſubjectione*) dativus *ſubjectioni* legitur; fortaſſis vel ab Interprete ex Græco, vel à caſtigatore ex veteri editione, quæ relativo *quibus* caruerit, relictus eſt. Utrovis modo legatur, ille eſt ſenſus quem exprimunt Syri, *Sed nè ad horæ quidem plenitudinem abjecimus nos ad ſubjectionem eorum*; h. e. ut pſeudadelphis ſubjiceremur.

C. 3. v. 1. *O inſenſati* [*ſtulti* Mal. ma.] *Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati* [aliàs *veritati non obedire?*] Plurimi libri *obedire* legunt, multi *credere*; antiqui Epanorthotæ, ſex Hentenii, quindecim noſtri, Brug. Lob. Leod. T. O, &c. Carenſis, Thomas, Gorranus & Richelius, *obedire*; Autor Gloſſæ, ut eam ſcriptam habemus, Anſelmus & Bruno Carthuſienſis *credere* exponunt. Græcè eſt, & quidem in omnibus quæ vidimus antigraphis, - τῇ [Compl. R.] ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι· quod & *credere* verti poteſt, & *obedire*. *Credere* autem à Latino Interprete hoc loco verſum eſſe, ſi quidem particula hæc ab eo hîc verſa ſit, quinto verò hujus epiſtolæ capite, v. 7. ubi ſimilis eſt ſententia (*Quis vos impedivit veritati non obedire?*) *obedire*, Hieronymus, quintum caput enarrans teſtatur. Ex eo igitur loco hîc ſcriptum eſt *obedire*; quemadmodum, ut videtur, ex hoc ibi *faſcinavit*, in codicibus quibuſdam, etiam fide præſtantibus (Brug. Leod. O.) Notat porrò Hieronymus, tum in quintum tum in tertium caput, à quibuſdam non legi hæc verba tertio capite, *non credere*, ſive *non obedire, veritati*. In quintum caput ait, *Id quod nunc Latinus poſuit interpres*, veritati non obedire, *& in Græco ſcriptum eſt*, τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι, *in ſuperiori loco ità interpretatus eſt*, non credere veritati. [Non ait B. Hieronymus, in aliquibus quinto capite non legi.] Quod quidem nos in vetuſtis codicibus non haberi in ſuo loco annotavimus, licèt & Græca exemplaria hoc errore confuſa ſint. In tertium, *Legitur in quibuſdam codicibus*, Quis vos faſcinavit non credere veritati? *ſed hoc, quia in exemplaribus Adamantii non habetur, omiſimus.* Omittunt idipſum & alii Veterum. Nam Auguſtinus, Chryſoſtomus, Ambroſiaſter, quem vocamus, Haymo, nec legunt nec exponunt. Theodoritus, Pſeudhieronymus, Primaſius, Theophylactus, Sedulius, Oecumenius, etſi adjunctis Scripturæ verbis addatur, in commentariis nè attingunt quidem. Syrici libri non agnoſcunt. Latinum Paulinæ Bibliothecæ antiquiſſimum exemplar in contextu non habuit; tantùm procul in ima margine manu recentiore ſubnotatum. Conſtantienſis Collegii recentior codex prorſus omiſit; vetuſtior τὸ *veritati* tantùm non addidit. In Malmundarii majore τὸ *veritati* expunctum erat. Quidam exiſtimant, ex cap. 5 ver. 7. quem mox recitavimus, adjectum huc iſtud fuiſſe. Chryſoſtomus porrò, quanquam contra alios nec ibi legit, duntaxat, *Quis vos impedivit?* habet, quemadmodum hîc, *Quis vos faſcinavit?*

C. 3. v. 7. *Cognoſcite* [*Intelligite* Mal. ma.] *ergò, quia qui ex fide ſunt, ii ſunt - filii* [o.] *Abrahæ*] *Cognoſcite* legunt plerique omnes Latini codices, *cognoſcitis* duo Pariſienſium (Di. o. Ge. l.) duo Hentenii, unus noſter (So. la.) quibus Malmundarii minor conformis fuiſſe videtur. Apud Hieronymum eſt *cognoſcitis*: Syri *cognoſcite* tranſtulerunt, ידעון. Vox prototypi γινώσκετε dubia eſt.

C. 5. v. 7. *Currebatis bene: quis vos impedivit veritati non obedire?*] *Sequitur*, ait Hieronymus hoc caput enarrans, Nemini conſenſeritis: *ſed quia nec in Græcis libris, nec in his qui in Apoſtolum commentati ſunt, hoc ſcriptum invenimus, prætereundum videtur.* Hæc Hieronymus. Neque etiam, qui in Apoſtolum poſt Hieronymum ſunt commentati, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theodoritus, Primaſius, Theophylactus, Oecumenius, Lyranus,

nus, hujus pericopes meminerunt: neque in Græcis hodie libris aut Syricis invenitur. Latini libri antiquitate ac fide digniſſimi quique omittunt; noſtri undecim, Brug.Lob.Leod.Mal.ma.mi. So.la.T. O.E.L.G. Pariſienſium ſeptem, Conſt.2. Di.o.l. Ge.o.l.V. Quare Hentenius caſtigator textu expulit. Zegerus autem ſuſpicatur ab hæreticis id olim, etiam longè ante Hieronymi ætatem, ex Græcis libris ſublatum fuiſſe, quemadmodum de aliis non paucis Tertullianus cenſuit, quòd non appareat unde id adjectum fuiſſe potuerit. Autores commentariorum quæ Ambroſium & Hieronymum mentiuntur illud exponunt. Sed nihil indè ampliùs evincitur quàm, id quod conſtat, lectum hoc olim apud Latinos fuiſſe, ut & hodie legitur in vulgaribus libris, lectúmque eſt ab Autore Gloſſæ, Carenſi, Lombardo, Anſelmo, Thoma, Gorrano, Brunone, Richelio.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI AD EPHESIOS.

Cap. 1. v. 6.

IN qua gratificavit [*gratificat* o. *glorificavit* o.] *nos in dilecto filio ſuo.*] Græci libri *filio ſuo* non legunt; tantùm ἐν τῷ ἠγαπημένῳ. Quamobrem Hieronymus, in hujus loci commentariis, *Nec putandum*, inquit, *quod in Latinis codicibus habetur, ſcriptum eſſe, in dilecto filio ſuo, ſed ſimpliciter, in dilecto.* Conſentiunt, qui Hieronymum ſecuti videntur, Primaſius & Sedulius, atque Interpretes Græci, Chryſoſtomus, Theodoritus & Oecumenius: à quibus non facilè ſeparandus eſt Theophylactus. Duo Latinorum MSS. Germani latum & Societatis latum, ad hunc ſcribunt modum; ſed, quod vereor, aut ex Græco, aut ex Hieronymi commentario immutata. Cætera omnia, quotquot vidimus, Latina exemplaria *filio ſuo* addunt: quibus Ambroſiaſtri, Haymonis, Autoris Gloſſæ, hujúſque ſcholæ, lectio conſonat. Syri habent *per dilectum ſuum.*

C.2.v.16. *Et* [*Ut* o.] *reconciliet* [*reconcilians* o. *reconciliat* o.] *ambos in uno corpore Deo, per crucem, interficiens inimicitiam* [*inimicitias* o.] *in ſemetipſo.*] Quod Græcis eſt ἐν αὐτῷ, pro eo quod nos habemus *in ſemetipſo*, tum ad *corpus*, tum ad *crucem*, quæ Græcè σταυρὸς dicitur, referri poſſe Theophylactus monet. Hieronymus & *in ſemetipſo*, & *in ea*, i. cruce, propter pronominis ambiguitatem, intelligi poſſe docet: ipſe autem ad *crucem* referre, & proinde *in ea* vertere, mavult. Quo planè modo intellexerunt & Syri: qui quod de cruce haberur ſequentibus verbis conjunxerunt, pronomine illo omiſſo, hunc in modum, *Et in cruce ſua interfecit inimicitiam.* Latini codices, & olim & nunc, *in ſemetipſo* legunt: quos, præter poſteriores Enarratores, Haymonem & alios, Autor enarrationum apud Ambroſium & Primaſius ſequuntur. His Teſtamentum Græcum, quod cum interpretatione Latina contextûs lineis inſerta in Regiis Bibliis exſtat, atque id quod ex eo editum eſt anno 74 omnino conforme eſt; nam ἐν ἑαυτῷ legit, id quod non aliud quàm *in ſemetipſo* ſignificat.

C.4.v.29. *Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat, ſed ſi quis bonus* * *ad* [* *eſt* o.] *ædificationem* * *fidei* [* *Dei* o.] *Pro eo*, inquit Hieronymus, *quod nos poſuimus*, ad ædificationem opportunitatis, *h.e. quod Græcè dicitur*, τῆς χρείας, *in Latinis codicibus, propter euphoniam, mutavit Interpres, & poſuit*, ad ædificationem fidei. Hanc veteris Interpretis mutationem Enarratores hujus epiſtolæ qui in Hieronymi & Ambroſii operibus exſtant, unáque Primaſius, retinent; & plerique Latini codices etiam hodie reſervant, cum Lyrano manifeſtè, Thoma, Gorrano, Brunone, Richelio. Deprehendimus autem duo miræ vetuſtatis exemplaria, unum Malmundarienſis Abbatiæ majus, alterum Patrum Societatis Jeſu, quod latum dicimus, juxta Hieronymi tranſlationem *opportunitatis* legere: quibus tertium concinit, G literâ notatum. Quatuor alia unum quodque jungunt, ſic, *Ad ædificationem fidei opportunitatis*; E.P.m. I. Ge. l. Sanè quod Græcè legitur, & quidem conſtanter, πρὸς οἰκοδομὴν τῆς χρείας, optimè transferas, *ad ædificationem opportunitatis*, ſive *uſûs*: id quod per Hypallagen dictum videtur, pro, *ad opportunitatem*, ſive *uſum, ædificationis*: in quem ſenſum reddiderunt Syri, *Sed ut qui decorus, & utilis*, commodus, ſeu opportunus, *ad ædificationem.* Nec inſolens eſt figura iſta Scripturis ſacris: habemus Iſai.1.3. *Cognovit aſinus præſepe domini ſui*, pro, cognovit dominum præſepis ſui: aliáque ſimilia multa ſunt loca.

C.5.v.5. *Hoc enim ſcitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus, non habet hereditatem in regno Chriſti & Dei.*] Complutenſis excuſio, &, quæ ex ea expreſſa eſt, Regia, *Qui eſt idolorum ſervus*, legunt; quo modo Græci codices, Græcis Interpretibus conſentientibus, ὅς ἐστιν εἰδωλολάτρης. Porrò MSS. omnia Latina exemplaria, quotquot habemus, numero 36, & cætera typis excuſa, concorditer, *quod eſt idolorum ſervitus*, ſervant, adſtipulantibus Enarratoribus iis qui noſtram editionem explicant; ità ut videatur germana hæc noſtræ editionis eſſe lectio, atque Interpres legiſſe, ut Gagneius monet, ὅ ἐστιν εἰδωλολατρία. In Hieronymo eſt, quod ex parte convenit, *Quod eſt idolis ſerviens*; in Ambroſiaſtro, quod integrè, *Quod eſt idololatria.* Syrica editio, tam Regia quàm Cæſarea, legit, *Aut avarus, aut cultor idolorum.* Verùm antiquiſſimum exemplar Syriacum manuſcriptum, ex Orientis partibus huc allatum, cujus videndi copiam vir antiquarum linguarum cognitione præſtantiſſimus, Franciſcus Raphelengius, nobis fecit, hoc, Græcis conſentiens, habet, *Aut avarus, qui eſt cultor idolorum.* Pro אֹו namque, conjunctione disjunctiva, דאיתוהי *qui eſt* habet: id quod Raphelengius ipſe, editis cum N.Teſt. Syriaco manuſcripti illius variis lectionibus, jam annotavit.

C.5.v.13. *Omne"-exim* ["*autem* o.-o.] *quod manifeſtatur, lumen eſt.*] Ità habent libri noſtri omnes, ſcripti & impreſſi, legúntque B. Hieronymus, ac cæteri Latini enarratores, antiqui & recentiores, quoſcunque vidi. Cæterùm malint recentiores quidam, Cajetanus nominatim, activè *manifeſtat* legi: quo modo notarunt Pariſienſis in codice Di.l. ſcriptum eſſe. Græcè quod eſt τὸ φανερούμενον (πᾶν γὰρ τὸ φανερούμενον φῶς ἐστι) quia participium medium eſt, & activè exponi poteſt & paſſivè. Activè expoſuerunt Syri; paſſivè tractatores Græci.

C.5.v.27. *Ut exhiberet ipſe ſibi gloriоſam Eccleſiam*] Græci plerique codices *ipſam* legunt, αὐτήν· quo modo eſt & Latinè in Complutenſi opere, ac Regio, unóque Hentenii exemplari. Cætera porrò noſtra omnia antigrapha, tum impreſſa tum ſcripta, *ipſe* ſervant: quibus Enarratores adſtipulantur, Richelius luculenter, Gorranus & Anſelmus, ſuffragantúrque duo Græci Pariſienſium codices, ι & ια, qui αὐτὸς habent.

C.6.v.13. *Ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare.*] Manuſcriptum Germani latum, & textus Gloſſæ Ordinariæ, quam à D. Lævino Torrentino ſcriptam habemus, habent, *Et omnibus perfectis ſtare*: id quod conforme eſt Græcorum codicum Græcorúmque enarratorum lectioni, ἐν ἅπασι κατεργασάμενοι στῆναι, quam D.Hieronymus καὶ πάντα reddidit, *Et univerſa operati ſtare.* B. Cyprianus, epiſtolâ ſextâ libri quarti, ſcribit, *Ut cùm omnia perfeceritis ſtetis*, M. N. Auguſtini Hunnæi exemplaria, D & K literis ſignata, habent, *Et in omnibus perfectis ſtare*, hunc fortè legendi modum, quem diximus, reclamante ſententia, *in* præpoſitione ex vulgata lectione redundante. Cæterùm, ut habet vulgata lectio, quæ eſt in pleriſque omnibus Latinis libris, ità expoſuit olim Autor ſcholiorum quæ

quæ in Hieronymi extant operibus, unáque Primasius; Haymo item, Autor Glossæ, hujúsque schola, atque alii. Quin & Syricum Testamentum huic lectioni accedere videtur: scribit enim, *Et, postquam præparati fueritis in omni re, consistatis.* Quid si Syrus Latinúsque Interpres præterito passivo κατηρτισμένοι legerint?

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD COLOSSENSES.

C. 1. v. 12.

Gratias agentes Deo & Patri.] Multi codices *Deo & Patri* legunt; plures *Deo Patri*; duo, Parisiensium unus (Ge. l.) Hentenii alter, solùm *Patri.* Tertia hæc lectio Græcis plerisque libris consona est; secunda Syricis; prima quibusdam Græcis, Parisiensium quatuor, a. t. θ. ια. (ipsa, quod est Complutensi, Regius, ut ubique, & hîc respondet) & Simonis Colinæi editioni. Tertia apud tractatorem Ambrosiastrum est: prima Autoris Glossæ est, Lombardi, Carensis, Thomæ & Gorrani; secunda apud Anselmum, Brunonem, Richelium atque alios reperitur, & in fide dignissimis manuscriptis, Brug. Leod. Lob. Mal. mi. So. la. O. Q.

C. 2. v. 11. *In quo & circumcisi estis circumcisione non manufactâ* [*manifestâ* o.] * *in* [* *non* o.] *exspoliatione corporis carnis,* * *in* [* *sed* o.] *circumcisione Christi.*] Græca antigrapha, Græcis tractatoribus adstipulantibus, addunt τῶν ἁμαρτιῶν, *In exspoliatione corporis peccatorum carnis.* B. Augustinus, epist. 59. in solutione quæstionis 7. testatur in nonnullis Latinis exemplaribus ità scriptum fuisse: Adamus Sasbout & nunc alia Latinorum exemplarium id habere notat. Nos porrò nulla quæ id haberent invenire potuimus: quotquot vidimus, omnia id omittunt, concinentibus Enarratoribus editionis nostræ, Autore Glossæ & posterioribus. Cæterùm annotant Autor Glossæ & alii aliquot pro *corporis* aliàs *cutis* legi: atque ità est in quatuor MSS. nostris, *In exspoliatione cutis carnis:* in uno utrumque jungitur, *Corporis cutis carnis.* Id quod, *cutis* inquam, glossema fuisse arbitror, textûs loco, i. *corporis*, substitutum: Glossematicorum enim nostrorum multi (Autor Glossæ, Lombardus, Carensis, Thomas, Gorranus, Bruno) de veteris circumcisionis exspoliatione pericopen hanc intelligi posse existimant; quidam (Anselmus, Lyranus, Richelius, Gagneius) intelligunt. Unde & conjunctionem adversativam *sed* adjectam reor ei quod sequitur, *In circumcisione Christi:* quam veriores libri, Græcis ac Syris conformiter, non agnoscunt. Atqui hunc intelligendi modum Græcus fons non admittit, qui, pro eo quod nobis est *non manufactâ*, unâ voce ait ἀχειροποιήτῳ, negatione coactâ in dictionem, extra quam vim suam non exserat. Citra ambiguitatem Latinè verti potuisset, *Absque manibus factâ.* Syri legunt, *Circumcisione quæ non cum manibus, in exspoliatione carnis peccatorum, in circumcisione Christi.* Addunt *peccatorum*, quod Græci: omittunt *corporis*, aut certè *carnis*, quod nec Græci nec Latini.

NOTATIONES IN EPIST. PAULI APOST. AD THESSALONICENSES PRIOREM.

C. 2. v. 7.

Cum possemus **oneri - vobis* [* - MS. q.] *esse, ut* **Christi* [* & o.] *Apostoli: sed facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos.*] Græci & Syriaci codices omittunt quod in initio hujus versûs legitur pronomen *vobis.* Consentit Latinus commentarius qui Ambrosii nomine exstat: consonántque quatuor nostra Latina scripta, Mal. ma. So. la. T. L. antiqua illa admodum, sed non perinde nostræ editionis studiosa. Scriptum G literâ insignitum, pro eo quod sequitur *oneri*, atque est in plerisque Latinis libris, tractatúrque ab Enarratoribus, Hieronymiastro, Primasio, Autore Glossæ, Lombardo, Anselmo, Thoma, Carensi, Lyrano, Gorrano, Brunone, diserte scribit *honori.* Multa sic habent *oneri* ut facilè, unâ mutatâ literulâ, possit esse *honori*; nempe cum adspiratione scribunt, *honeri.* Ambrosiaster *honeri* expressè legit. Dionysius Richelius pòst *oneri* explicat; priùs *honori*, vel legit, vel sanè intelligit. Græcè est δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι· id quod tam in hunc quàm in alterum sensum verti posse, cùm versiones ac scholia Latinorum plurimorum, tum Græcorum commentaria docent. *Cùm possemus in autoritate esse* vertit præter alios Pagninus. Syra, si eodem sensu, rectissimè transferantur, יקירא למהוא Existimant autem hunc intelligendi modum quadrare aptiùs, tum propter id quod proximè antecedit, *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis*, tum propter id quod sublequitur, *Sed facti sumus parvuli in medio vestrûm, tanquam si nutrix foveat filios suos.* Malint verò hîc *lenes* legi, *mites*, aut *placidi*, quàm *parvuli*, præsertim propter subjunctam *nutricis* comparationem. Duo Parisiensium Latina scripta, Ge. o. l. *lenes* legunt, conformiter Græcis plerisque codicibus, qui ἤπιοι habent. Omnia porrò nostra Latina exemplaria, Latinis enarratoribus adstipulantibus, *parvuli* scribunt, quarto & nono Græcis Parisiensium exemplaribus, quæ νήπιοι legunt, similiter, ut omittam quòd & ἤπιοι *parvuli* reddi possit: sítque parvula nutrix parvulo, ut egregiè explicant quæ apud Hieronymum sunt scholia, dum se parvulo coæquat, illiúsque moribus adsimilat. Inter Græcos Tractatores, Chrysostomus ἤπιοι, Oecumenius νήπιοι habet, Theophylactus utrumque attingit. Varietati occasionem dedit affinitas dictionum ἤπιοι & νήπιοι, maximè præcedente verbo in ν definente, ἐγενήθημεν, quod est, *facti sumus.* Syri transtulerunt מניכא *humiles.*

C. 2. v. 16. *Prævenit enim* [*autem* 9 MS. G.] *ira Dei* [G.] *super illos usque in finem.*] Hentenius & Zegerus *prævenit* castigarunt: ea est enim multorum, & quidem antiquiorum codicum, lectio; itáque vetus Ambrosiaster, atque inter posteriores Anselmus legit. Alii codices *pervenit* habent: id quod Hieronymianus Scholiastes secutus videtur. Haymo, Autor Glossæ, Lombardus, Carensis & Gorranus utrumque edisserunt. Græca vox ἔφθασε utrovis modo vertatur, rectè. Syri *pervenit*, alii *prævenit*, transtulerunt.

C. 4. v. 1. *Obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, sicut & ambulatis, ut* [& 3. MS.] *abundetis magis.*] Multi codices *sic & ambuletis* legunt, cum Autore Glossæ, Carensi, Thoma & Gorrano. Alii, atque inter eos præstantiores, *sicut & ambulatis*, cum Haymone & Brunone Carthusiano (quanquam hoc pacto superfluat, id quod priori loco Græcè non est, *ut* alterum) quo modo & Græcum Parisiensium exemplar, ϑ, scribit, καθὼς καὶ περιπατεῖτε. [Lombardus & Anselmus utramque explicant lectionem.] Atqui particula ista in plerisque omnibus Græcis exemplaribus, Græcis Interpretibus Syríque suffragantibus, omnino non invenitur. Quamobrem explicandæ sententiæ gratiâ quidam olim adjectam putant.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI AD THESSALONICENSES POSTERIOREM.

C. 2. v. 13.

NOS autem debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione spiritûs, & fide veritatis.] Multi libri, cum Lyrano & Richelio, *quòd elegerit vos* scribunt; plures & veriores, cùm Haymone, Autore Glossæ, Anselmo, Longobardo, Carensi, Gorrano & Brunone, *nos*. Codices Græci, cum Syris, ὑμᾶς *vos* constanter habent. Montano Theophylactus ἡμᾶς *nos* legisse videtur. *Nos* videri possit legendum, ex eo quod proximè sequitur, "*In*" *qua* - *&* [" *ad quod*" *quam* - Mal.ma.] *vocavit vos per evangelium nostrum*: quasi dicat Apostolus, gratias se debere Deo pro sui electione, non sui tantùm causâ, verumetiam Thessalonicensium, quibus à Deo missus est veritatis prædicator salutísque minister. Quidam libri habent, *In qua & vocavit nos*; malè. Porrò Græcè non inveni & conjunctionem (εἰς ὃ ἐκάλεσεν ὑμᾶς, *ad quod* [*ad hæc enim* Syri] *vocavit vos*) nisi in una Simonis Colinæi editione, εἰς ὃ καὶ ἐκάλεσεν ὑμᾶς. Si *vos* priori loco legatur, illic de prædestinatione, hîc de prædestinationis effectu, sermonem esse intelligi potest. Alii, qui *nos* habent, simpliciter intelligunt, Apostolum se Thessalonicensibus connumerasse.

Notandum est hîc insuper, pro eo quod Latini *primitias*, Græcos ἀπ' ἀρχῆς legere, quod est, *ab initio*, *à principio*; consentientibus Syris, & Autore commentariorũ quæ sunt inter Ambrosii opera. Habet hic, *Quia assumpsit vos Deus à principio ad salutem*. Similem ad modum antiquum Malmundariense exemplar majus, id quod sæpius à nostra editione recedere observavimus, *Quia elegit vos Deus ab initio ad salvationem*. Interpres noster ἀπαρχὼ fortasse legit, quod *primitias* sonat. Gagneius habet, à quibusdam exemplaribus Græcis ἀπαρχὰς scribi.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOST. AD TIMOTHEUM PRIOREM.

C. 2. v. 6.

CHristus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, cujus testimonium temporibus suis confirmatum est.] Ità ferè legunt Latini libri, concinentibus Autore Ordinariæ Glossæ & posterioribus Glossematicis. Porrò sex Parisiensium, Const. utrumque Di. o. Ge. o. l. V. tria Hentenii, & quinque nostra MSS. Brug. Lob. Leod. Mal. mi. So. Ia. auferunt has tres voces, *cujus confirmatum est*; duntaxat *testimonium temporibus suis* scribunt, ut per appositionem intelligas, *semetipsum*, vel *redemptionem*, *testimonium*; testimonium utique Divinæ voluntatis, quæ omnes homines salvos fieri cupit. His DD. Haymo & Anselmus adstipulantur (quanquam & alterius Anselmus meminerit lectionis) suffragantúrque Græci, tum codices tum Enarratores. Syri habent, *Testimonium quod venit tempore suo*; nempe τὸ *quod venit* explicandæ sententiæ gratiâ adjecerunt. Qua ex causa & id quod à Latinis legitur, *cujus confirmatum est*, adjectum reor; sed non ab Interprete, neque ab Hieronymo Ecclesiastico correctore, verùm ab audaculo quopiam correctore, aut librariis glossam proximam textui inserentibus. Id enim docere videntur cùm antiquissima spectatissimæque fidei exemplaria, editionis nostræ studiosissima, quæ id omittunt, tum etiam alia, quæ etsi pleraque legant, *cujus testimonium temporibus suis confirmatum est*, quædam tamen in medio habent *confirmatum est* (*cujus testimonium confirmatum est temporibus suis*) sex nostra. Unum eo loco *firmatum* scribit: aliud omittit *est*. In quatuor est, *Cujus testimonium temporibus suis datum est*; Mal. ma. G. M. V. quanquam postremum hoc in medio ponat *datum est*. Qua ex varietate non obscurè intelligendum dari videtur, adjectitium istud esse. Nicolaus Zegerus arbitratur ab Ecclesiastico correctore, tollendæ obscuritatis gratiâ, ex Ambrosio & Hieronymo additum esse. Nescio quem putet ille Ecclesiasticum correctorem, cui sæpius plurima adscribit hujusmodi, præsertim auctaria: neque enim me legere aut audire contigit de Ecclesiastico correctore alio præter Hieronymum, qui nostram editionem suo pro judicio arbiter emendaverit, &, quod nec Hieronymus fecit, suis glossematis auxerit, sítque ab ecclesia receptus. Porrò apud Ambrosium aut Ambrosiastrum potiùs (usurpat enim, sed mentitur, liber Ambrosii nomen, quanquam sit veteris autoris) legitur hoc loco, *Cujus testimonium temporibus suis datum est*, uti in quatuor illis quos modò diximus manuscriptis libris: verùm ex commentario incertum relinquitur an hunc ad modum legerit, an solummodo *testimonium temporibus suis*. Vetus codex Societatis Jesu, latus, qui ad verbum penè in margine adscriptum habet ejus commentarium, ut ferè aliàs, non aliud, quod jam diximus, quàm *testimonium temporibus suis* legit. Nec Haymo, cui hunc secutus videtur, plus quidquam, uti annotavimus, legit. Apud Hieronymum, h.e. eum Autorẽ cujus brevia exstant in Hieronymi operibus commentaria, quem Pelagium esse magìs credo, scriptum est, ut in Latinis vulgò exemplaribus, *Cujus testimonium temporibus suis confirmatum est*: sed sine his vocibus, *cujus confirmatum est*, simpliciter eum legisse *testimonium temporibus suis*, commentarius haud obscurè docet. *In testimonium*, habet, *generi humano sanctæ vitæ dedit exemplum: quia & Prophetæ suis testimonium fuere temporibus: novissimè autem misit filium suum ad colonos*. Ubi observa παρήγορον Pelagiani vestigii unguiculam, Exemplum potiùs Christo redemptori quàm Sacramentum tribuentis. Sic & superioi loco, quem ex posteriori ad Thessalonicenses tractavimus, *Quòd elegerit nos Deus, videns*, inquit, *paratos ad credendum*. Nec pauca alia habet hujusmodi. Primasius utroque loco, ut & alibi, eum secutus est; sed cautè, nunc omissis, nunc mutatis absonis verbis.

C. 3. v. 2. *Oportet ergò Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem.*] Uni Græcæ voci σώφρονα duæ hîc respondent, *prudentem* & *pudicum*, quarum altera ex altera versione videri possit adjecta. Potest enim τὸ σώφρονα utrumque ad modum verti. Syri hoc, alii illo modo transtulerunt; tertii *sobrium* converterunt: id verò quod noster *sobrium* reddidit, νηφάλεον, *vigilantem* interpretati sunt. Unus Parisiensium Latinus codex, Ge. l. *pudicum* tollit: sed ei parùm tribuerem, nisi aliquot Zegeri & quatuor Hentenii exemplaria accederent. Nostra non omittunt id quidem, sed satìs monstrant additicium esse. Variis namque habent locis; XII, quo proposuimus, proximè ante *hospitalem*, cum Autore Glossæ, Anselmo, Lombardo, Thoma & Carensi; II proximè post *hospitalem*; VIII proximè ante *ornatum*, cum Dionysio Richelio; XVIII adjungunt *ornatum sobrio*, & subjungunt *prudentem* & *pudicum*; *Sobrium, ornatum, prudentem, pudicum, hospitalem*, cum Lyrano & Gorrano. Denique unum præponit *pudicum sobrio*; *Pudicum, sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem*. Quare cùm variis inconstanter erret locis τὸ *pudicum*, nec à quoquam eo loco legatur quo Græcè σώφρονα, nempe immediatè post νηφάλεον *sobrium*, verisimile est id ex altera editione nostra adjectum esse. Certè commentaria Ambrosii nomine *prudentem* tollunt, & *pudicum* legunt, *Sobrium, pudicũ, ornatũ, hospitalem, docibilem*: quibus accedens Malmundarii majus scriptum eundem in modum legit, sed *prudentem* post *docibilem* addit, eo quo legi non solet loco. Ex hujusmodi ergò editione nostræ additum fuisse potuit τὸ *pudicum*; vel certè in textum ex glossa relatum, quæ monuerit, ex

Hieronymi

Hieronymi ſententia, *pudicum* rectiùs quàm *prudentem* verti: id enim ſentit Hieronymus, epiſtolam ad Titum [cap.1.]enarrans. Scholiaſtes Hieronymi operibus junctus horum alterum omiſiſſe videtur; aut ſaltem eos ſecutus codices qui *Sobrium, prudentem, pudicum, ornatum* habent: poſt iſta namque ſubjunxit, *His omnibus ſpiritualibus ornamentis*: legit igitur poſtremum *ornatum*, etſi poſtremum adſcriptus textus non habeat. Si quis porrò ſentire velit, Interpretem noſtrum ambiguæ vocis Græcæ duplicem expreſſiſſe ſignificantiam, vel eos ſequatur codices qui *Sobrium, prudentem, ornatum, pudicum* ſcribunt, vel eos qui *Sobrium, prudentem, pudicum, ornatum*; ſunt enim iſti optimi: ſed hoc hi illis præferendi videntur, quòd apud ſe mutuò collocent *prudentem* & *pudicum*: neque enim veriſimile eſt Interpretem duas dediſſe voces uni archetypæ reſpondentes, eáſque à ſe invicem ſeparaſſe.

C.5.v.5. *Qua autem verè vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die.*] Ità ſcribunt complures codices, cum Gloſſematicorum multis. Integriores porrò, cum Anſelmo & Autore commentariorum Ambroſio adſcriptorum, *ſperat in Deum* [*Deo* 2 MS.] *& inſtat* habent(utramque lectionem Bruno & Gorranus explicant,) & quidam quidem (Brug. ſive Do.O.Ge.I.Compl.R.)*ſperavit in Deum*[*Deo* 1 MS.] *& inſtat*, omnino Græcis conformiter, qui ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεὸν καὶ προσμένει legunt, quanquam præteritum præſentis loco uſurpatum intelligi poſſit.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM POSTERIOREM.

Cap. 1. v. 15.

EX quibus eſt Phigelus [*Philegus* o. *Phyngelus* o.] *& Hermogenes* [*Hermogenus* o.] Multi *Philetus* malè ſcribunt pro *Phigelus*. *Philetus* vocatur qui proximo capite v.17. nominatur cum Hymenæo, *Ex quibus eſt Hymenæus & Philetus*: id quod & Haymo annotavit. Legitur porrò apud Haymonem, & in quinque MSS. noſtris, *Phigellus*; in impreſſis aliquot *Phygelius*, ità ut Græcè eſt φύγελος [φυγελλος.] Cæterùm ſpectatiores Latini codices *Phygelus*, ſeu *Phigelus*, habent: quomodo eſt & in quibuſdam exemplaribus Græcis (φύγελος) & in epiſtola Hieronymi 127 ad Fabiolam De veſtibus ſacerdotum, & in commentariis Ambroſio adſcriptis. Magdalii denique correctorium monet, mediâ correptâ hoc nominis legendum eſſe.

C.2.v.14. *Hæc* "commone *teſtificans*" ["*commoneo* o. *commonere* o. *commoneri teſtificor* o.] *coram Domino* [*Deo* o.] *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.*] Græcè pro, *Noli contendere verbis* eſt, μὴ λογομαχεῖν, quod eſt, *non contendere verbis*: id quod accipi poſſit ut novæ ſententiæ caput, atque intelligi infinitus modus imperativi ſingularis loco; ſed rectiùs fortè, juxta Græcos Tractatores, etiam Chryſoſtomum & Syricum Interpretem, præcedentibus jungi, ità ut à participio *teſtificans* ſive *conteſtans* pendeat, ut non Timotheum Apoſtolus doceat à verborum contentione abſtinere, ſed alios ad id vitii proclives à Timotheo velit Deo in teſtem aſſumpto moneri. Facilè verò in ſuſpicionem adducar, Latinum Interpretem non *noli*, ſed *non* convertiſſe, *non verbis contendere* (hic eſt enim verborum ordo in libris omnibus MSS.) minimùm enim differunt *non* & *noli*, in ſcriptis præſertim minori charactere libris: ac facillimè id mutat audax imperitia quod non intelligit. Cæterùm Autor Gloſſæ, & poſteriores Latini enarratores, *noli* exponunt. Qui Ambroſio junctus eſt Autor, incertum ſatis quid legerit; is qui Hieronymo, *noli*, ſi non legit, intellexit.

Quod ſequitur, *ad nihil enim utile eſt*, variè admodum legitur in MSS. nam in impreſſis exemplaribus, quæ ferè mutuò ſe ſequuntur, hæc conſtans eſt lectio: quam, etſi commoda ſit, exiſtimare non poſſum ſcripturam Interpretis germanam eſſe, ideo quòd clara terſáque ſit, ac proinde locum relinquere haud potuerit tantæ variationi, ut penè quot codices, tot ſint diverſitates. Recenſerem ſingulas ſingulorum, niſi fortè tœdium lectoribus moveret. Capita itaque duntaxat varietatum adferam ac diſcutiam. Pleraque manuſcriptorum noſtrorum *ad* legunt; quinque illius loco *in*; alia quinque nec *ad* nec *in*: tantùm *nihil utile eſt*. Nec parvi facienda ſunt hæc poſtrema, Brug. O.L.G.Pl.Ion. quibus conſonat textus Lyrani commentariis immixtus, quæ ex ipſis Typographiæ incunabulis edita habemus: quanquam & pro aliis partibus boni ſint codices; pro prima, Mal.mi. Lob. T.E.Pl.m. pro ſecunda, Mal. ma. Q. So. la. Eſt præpoſitio Græcè, εἰς οὐδὲν χρήσιμον, i. *ad*, vel *in*, *nihil utile*. Conjunctio *enim*, ut non eſt Græcè, ità nec in optimis quibuſque ſcriptis. *Eſt* ſubſtantivum verbum in quibuſdam vulgaribus (P. V. R.So.ru.) & quibuſdam eximiis (So. la.Q.) omittitur, in pluribus legitur. Hinc conjicere alios ſino, quæ germana eſſe poſſit Interpretis Scriptura. Syrica editio habet, *Quòd*, ſive *qua*, *non utilitas*.

Id quod ſubſequitur, *Niſi ad ſubverſionem audientium*, & ipſum variat. Græcè non eſt, ut nec Syriacè, *niſi*; ſolùm διὰ κατασροφὴν τῶν ἀκουόντων *ad ſubverſionem audientium*, ut id quod præcedit per parentheſin intelligas, aut *ad nullam utilitatem* exponas. Latinum Pariſienſium exemplar, Germani latum, ſimiliter omittit *niſi*: cui accedit Societatis latum, quanquam alterâ manu inter textûs lineas illud ſcriptum habeat. Cætera porrò noſtra id legunt. An igitur Interpres, an alius quiſpiam, elucidationis gratiâ id adjecerit (poteſt enim ità fons Græcus intelligi, *Ad nihil utile, ad ſubverſionem audientium utile*) fit dubium.

C.2.v.25. *Cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati.*] Unum Pariſienſium manuſcriptum (Ge.l.) & novem noſtra (Brug.Mal.mi. Leod.Pl.m. E.Q. G.I.Pl. Ion.) auferunt τὸ *veritati*, conformiter Græcis & Syricis libris, adſtipulantibus, præter Græcos, Latinis enarratoribus, vetere Ambroſiaſtro, mediæ ætatis Anſelmo, recentiore Richelio. Zegerus caſtigator textu expulit: gloſſa eſt enim textui addita, vel ex eo quod ſubſequitur, *Nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem*, vel ex ſimili proximi capitis loco, v.8. *Ità & hi reſiſtunt veritati*, vel quòd alioqui ſubaudiri videretur. Syrus porrò addidit *adverſùs ipſum*; *eos qui contradicunt adverſùs ipſum*. Ambroſiaſter, vel quem ille ſecutus eſt Interpres, tranſtulit, *eos qui diverſa ſentiunt*, id quod eſt Græcè, τοὺς ἀντιδιατιθεμένους. Simili modo B. Auguſtinus ſe legiſſe indicat, lib. De correptione & gratia cap. 5.

C.4.v.5. *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Sobrius eſto.*] Ità legunt Latini codices plerique omnes & Gloſſematici, Autor Ordinariæ Gloſſæ, ac poſteriores: manuſcripta porrò, Germani latum & Societatis latum, tollunt verba iſta, *Sobrius eſto* (quanquam So.la. in margine literis aliis adjuncta habeat) adſtipulantibus antiquioribus Latinis enarratoribus, Haymone, Primaſio, Autore commentariorum quæ apud Ambroſium ſunt, denique eorum Autore quæ apud Hieronymum: & apud priores quidem duos præ cæteris hoc nec exponitur, nec legitur; apud tertium verò, Autorem dico eorum commentariorum quæ apud Hieronymum, legitur, ſed ità ut expoſitio adjectitium ac ſuperfluum eſſe loquatur, *Miniſterium tuum imple, ſobrius eſto*] *Epiſcopatûs ſcilicet: non enim ſemper ero in corpore, ut valeam commonere*: quod poſtremum, propter id quod ſubſequitur, *Ego enim jam delibor*, adjecit. Græci libri, Græcíque tractatores & Syri, nihil hujuſmodi eo loco habent. Cæterùm id quod Græci habent in principio verſûs, σὺ δὲ νῆψον, transferri poteſt &, *tu verò vigila*, &,

tu verò ſobrius eſto, ut ſunt cognata *ſobrium eſſe* & *vigilare*. Interpres, cum Græcis explanatoribus, & Syrico Interprete, id tranſtulit, *tu verò vigila*: hoc enim conſtanter ac ſine omni varietate in noſtra editione legitur. Videtur itaque alterum, nempe τὸ *ſobrius eſto*, quod à quibuſdam libris omittitur, à quibuſdam aliter legitur, ex ambiguæ illius Græcanicæ ſententiæ alia tranſlatione irrepſiſſe. Manuſcriptum V, tranſpoſitis vocibus, ſcribit, *Eſto ſobrius*. Ambroſiaſtri commentario additus textus, eo planè loco quo nos habemus *tu verò vigila*, legit *tu verò ſobrius eſto*, nec poſtea agnoſcit, ſive *vigila*, ſive *ſobrius eſto*. Conſentit per omnia commentarius: nam *ſobrium eſſe* pro *vigilare* videtur accipere, cùm in initio ait, *Admonet & hortatur ut vigilet*.

C.4.v.14. *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet* [*reddidit* o.] *illi Dominus ſecundùm opera ejus.*] Unum Pariſienſium (Ge.la.) duo noſtra (Mal. ma. T.) & quatuor Hentenii manuſcripta, cum Complutenſi editione, Ambroſiaſtri commentariis juncto textu, & Primaſii, ut textu & commentariis, legunt *reddat*, ità ut Græci libri ferè habent, ἀποδῴη, Græco enarratore Theophylacto diſertè adſtipulante. Quædam MSS. ambiguè ſcribunt *reddz*. Porrò plerique, noſtræque editionis ſtudioſiores, tum ſcripti tum impreſſi Latini codices, *reddet* expreſsè habent, ſuffragantibus Expoſitoribus, Richelio, Brunone, Gorrano, Thoma, Lyrano, Carenſi, Lombardo, Anſelmo, Autore Gloſſæ, Haymone, Sedulio, deniq; B. Auguſtino lib. 16 Contra Fauſtum cap. 22. & primi De ſermone Domini in monte cap. 37. *Apoſtolus*, inquit poſteriori loco, *non ait* reddat, *ſed* reddet, *illi Dominus juxta opera ejus: quod verbum prænunciantis eſt, non imprecantis.* Quæ Auguſtini verba ſuperiores Gloſſematici ferè in enarrationes ſuas tranſtulere. Græcum Pariſienſium exemplar, ὁ ἀποδώσει *reddet*, habet: itáque legitur & apud Latinum Chryſoſtomum, commentario minimè repugnante, ut non dicam manifeſtè conſonante.

C.4.v.19. *Saluta* [*Salutate* o.] *Priſcam & Aquilam.*] Scripti (Lob.Mal.ma.So.la.T.) impreſſíque (Mog.Quent. &c.) aliquot codices *Priſcillam* pro *Priſcam* legunt, uti eſt in Complutenſi editione, & quæ ex ea expreſſæ ſunt, tum Latinè tum Græcè (Πρίσκιλλαν) uti & in Syricis libris פריסקלא. Porrò Hentenius caſtigator, hoc in marginem relato, textu donavit *Priſcam*: ità eſt enim in pleriſque omnibus, & fide digniſſimis Latinis antigraphis, ſcriptis maximè; ſed & in Græcis omnibus, quotquot vidi, ex Complutenſi non oriundis, Πρίσκαν. Cæterùm dubium non eſt utroque hanc modo vocatam fuiſſe, eodem nomine nunc integrè nunc concisè, ut fit, elato: Niſi fortè *Priſcilla* à *Priſca* diminutivum ſit, quo ferè gaudent mulieres appellari. Act.18.2, 18.26, *Priſcilla* vocatur; ad Romanos 16.v.3, *Priſca*: quanquam ad Romanos ejuſmodi ferè varietas ſit & Græcorum & Latinorum codicum cujuſmodi hîc; credo, de utroque loco, Actorum occaſione, in quibus frequenter conſtantérque *Priſcilla* nuncupatur. Tria manuſcriptorum noſtrorum hic *Priſcum* ſcribunt, & Græca Aldi editio Πρίσκον. Exiſtimarunt, opinor, aliqui hoc viri nomen eſſe, quia *Priſcus* celebre eſt virorum quorundam agnomen: nam quòd viro ſuo hæc præpoſita ſit, factum eſt, tum hîc tum alibi (Act. 18.18.) quòd, ut Græci aiunt, in fide magìs enituerit, ac ferventior diligentiórque fuerit.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOST. AD TITUM.

Cap. 1. v. 8.

Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, &c. *hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum.*] Sex Hentenii & undecim noſtra MSS. cum impreſſis aliquot libris, & Nicolai Lyrani commentariis, addunt *prudentem*; *Benignum, prudentem, ſobrium.* Plures verò longè, tum ſcripti tum impreſſi codices, cum Primaſio, Anſelmo, Hugone Carenſi, Nicolao Gorrano & Brunone Carthuſiano, tollunt. His, non tantùm quia pluribus, ſed longè magìs quia antiquioribus, verioribus ac melioribus, major adhibenda eſt fides. Ex illis quibus id additur, non unus eſt noſter qui vetuſtate aut autoritate polleat. Græci libri adhæc & Syriaci his qui omittunt ſuffragantur. Sed quæ Græcè eſt vox σώφρονα, & *prudentem* & *ſobrium* verti poteſt. Itaque editionis noſtræ verſioni *ſobrium* (neque enim hoc ab aliquibus exemplaribus omittitur) adjecta eſt à quibuſdam altera alterius *prudentem*. Certè Ambroſiaſtri editio *prudentem* habet eo loco quo nos *ſobrium*, & quidem ſolum. B. Hieronymus in hujus loci commentario, ait, Latinum Interpretem, verbi σώφρονα ambiguitate deceptum, pro *pudico*, *prudentem* tranſtuliſſe (ſic enim interpretari mavult, *pudicum*, ſive *caſtum*) aut ad eam quâ Ambroſiaſter uſus eſt editionem reſpiciens, aut ad alia loca noſtræ (1 Tim.3.2. Tit.2.2,4,5.) Nam hoc loco editionis noſtræ germanam tranſlationem *ſobrium* eſſe, & redundare quibuſdam *prudentem*, non nos tantùm ex noſtris, verumetiam Zegerus ex ſuis exemplaribus judicavit. Cùm alibi porrò, tum proximi capitis ſexto verſu, *ſobrium* legit editio noſtra ex σώφρων, quemadmodum hoc loco, *juvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint*, σωφρονεῖν.

C.2.v.5. *Prudentes, caſtas, ſobrias, domûs curam habentes.*] De adoleſcentulis maritatis eſt ſermo. Jam tertiò ex ancipiti voce σώφρων aucta eſt noſtra editio alterâ tranſlatione. Nam quæ in pleriſque libris, atque ab Autore Gloſſæ ac poſterioribus Gloſſematicis ambo leguntur, *prudentes* & *ſobrias*, uni eidémque illi Græcæ voci reſpondent, σώφρονας. Habet verò major librorum pars primo loco *prudentes*, tertio *ſobrias*; quidam autem, octo ſcripti noſtri (Mal.ma.T. E. Pl.m.I. Atr. ſ. K. F.) *ſobrias* ſecundo loco τοὺς *prudentes* adjunctum, *Prudentes, ſobrias, caſtas*: qua ex varietate fit manifeſtius, alterum ex altera interpretatione, vel certè ex ſuperioribus ſimilibus locis, adjectum. Neque verò, ſi utrumque dediſſet Interpres, à ſe invicem ſeparaſſet, id quod facit major librorum pars. Porrò cùm præcedenti proximè loco germana noſtræ editionis interpretatio monſtrata ſit eſſe *ſobrium*, adjecitiáque *prudentem*: hîc è contrà, germana tranſlatio videtur *prudentes* eſſe, adjecitia *ſobrias* (variè τὸ σώφρων, nunc hoc, nunc illo modo, reddere Interpretem jam oſtendimus) hoc enim, *ſobrias* inquam, à tribus antiquitate venerandis MSS. omittitur, Germani Iato, Societatis Iato, & cujus fidem maximi facio, Malmundarii minori. Tum τοὺς *prudentes* ab omnibus eo legitur loco quo Græcè σώφρονα, Hieronymus *pudicas* vertit (id enim ſuperiùs probabat) ſic & Ambroſiaſtri editio, quam noſtræ editionis verſione auctam eſſe autumo, cùm habet, *Prudentes, pudicas eſſe, caſtas, domûs curam habentes.* Nam *pudicas eſſe* iis quæ præcedunt congruit, *Ut inſtituant adoleſcentulas viros ſuos diligere, amare filios, pudicas eſſe, caſtas*, &c. Ità ſunt omnia ſciolorum injuriis expoſita, ut miſceant, ſeparent, addant, demant, mutent, quæ libet.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM.

Ver. 6.

Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat in agnitione omnis boni [*agnitionem* 3 MS. *boni omnis* o.] *quod eſt in vobis in Chriſto Jeſu.*] Moguntina & pleræque aliæ typographorum editiones, cum uno atque altero manuſcripto exemplari, addunt *operis*, *In agnitione omnis operis boni*: id quod & Græcè legitur in primo & decimo Pariſienſium antigraphis, ἐν ἐπιγνώσει παντὸς ἔργου ἀγαθοῦ.

Primum

Primum est Complutense: cui adde ea quæ ex illo nuper expressa sunt. Cæterùm ut plerique omnes Latini codices manuscripti id omittunt, ità & Græci alii quotquot vidi: quibus Syri, & Tractatores, B. Hieronymus, Dionysius Richelius, atque ætate intermedii, Græci & Latini, quos consuluimus, omnes volunt: quanquam Theophylactus frequentem *operis* faciat mentionem, fortè quòd subaudierit, ut quidam alii; nam in calce enarrationis ait, *Sed omne potiùs bonum, quod in vobis est, h. e. quod tibi adest, effundas in egentes.* Hentenius itaque & Zegerus, Latinæ nostræ editionis castigatores, id rejecerunt. Non tamen nuper adjectum esse, id quod Zegerus existimat, satis loquuntur vetustissima MSS. sed nostræ editionis minùs studiosa. Malmundarii majus & T, in quibus, & quidem solis, id invenimus, hunc in modum, *In agnitione* [*agnitionem* T.] *- omnis* [T. sed malè] *operis boni quod in nobis est in Christo Jesu.*

Τὸ *quod est*, quod sequitur, in impressis nullis reperi, nisi in Hentenii & Zegeri operâ emendatis; nec in manuscriptis, nisi duobus proximè commemoratis, Mal. ma. & T, divisim *quod in nobis est.* In duobus aliis, H. & Busl. atque Ambrosiastri textu, *quæ in nobis* [*vobis* H.] *est*, legitur (verùm H 18 legit demum post *in Christo Jesu*) in tribus, E. Pl. m. l. superflua cum conjunctione, *& quæ in nobis* [*vobis*] *est.* A plerisque autem nihil hujusmodi agnoscitur, Haymone, Autore Glossæ atque hujus scholâ, suffragantibus. Arbitror editioni nostræ explicationis gratiâ hæc addita: subaudiendum enim est hujusmodi aliquid, *quod est, quæ est, quod sit*, aut *qui est*, si quidem addas *in nobis* aut *vobis*: idque Græca indicant. Sed cætera quidem Græco congruere possunt, παντὸς ἀγαθοῦ τοῦ ἐν ὑμῖν [ὑμῖν]; *quæ est* verò non potest, nisi τῷ articulo aut omisso, aut cum τῷ mutato. Hieronymus tamen, licèt textus *quod in vobis est* habeat, *quæ est* intelligit; *qui est* Scholiastes Hieronymi operibus junctus; *quod est* Theophylactus atque Euthymius; *quod sit*, nisi *nobis* legerit, nostrâ opinione Chrysostomus, cæteroqui *quod est.* Syrus ambiguus ex se est ad *quod est* & *quæ est.*

In vobis, quod proximum est, legunt septem exemplaria manuscripta, Ge. l. Lob. Q. E. G. H. A. & excusa à Quentelio Biblia, correctáque ab Hentenio & Zegero. His adstipulantur Græci codices complures, Chrysostomus & Theophylactus Græci enarratores, denique Syriaca antigrapha. *In nobis* porrò habent septem alia exemplaria manuscripta, Mal. ma. mi. So. la. T. Pl. m. I. Busl. His Græca Complutensis & Regia editio, omnésque Græci codices ad quos suam N. Testamenti Græcam editionem Parisienses contulerunt, auxiliantur; Hieronymus præterea, & Hieronymo junctus Scholiastes, Latini tractatores (quanquam Hieronymi textus *in vobis*, hujus neutrum habeat) postremò, Græcus autor Euthymius, tametsi de hoc, an Theophylacto non debeat adjungi, vehementer dubitem: & de Chrysostomo id quod tandem ait, *Si socius*, inquit, *es in fide, debes esse & in cæteris socius*, dubium nonnihil an *nobis* legerit reddit. Major verò Latinorum librorum pars, tum scriptorum tum impressorum, neutrum legit, nec *in nobis*, nec *in vobis*; tantùm *in agnitione omnis boni in Christo Jesu*; ex scriptis nostris, Brug. Leod. Q. L. &c. ex impressis, Mog. Colon, Nuren. &c. Quibus, Haymo, Autor Glossæ, Anselmus, Lombardus, perpetuus Glossæ non sectator tantùm, sed descriptor potiùs, Carensis, Thomas Lyranus, Gorranus, Bruno, Richelius, concinunt. Autoris commentariorum Ambrosio adscriptorum textus, *quæ in nobis est*, addit: sed utrùm Autor ipse hoc legerit, commentarius, qui post *agnitionem omnis boni* nihil explicat, incertum relinquit. Quæ nunc genuina sit editionis nostræ scriptura, prudenti lectori judicium relinquo. *Operis*, & *quod est* sive *quæ est*, transfodienda esse satis certum videtur: sed de tertio hoc quid verum sit mihi non constat, an *Omnis boni in vobis in Christo Jesu*, an *Omnis boni in nobis in Christo Jesu*, an *Omnis boni in Christo Jesu.*

Sed necdum finis est varietatum in hac una pericope. Plerique Latini libri, cum Græcis, *in Christo Jesu* habent; unus, cum Syricis, *in Jesu Christo*; duo, textus Hieronymo & Ambrosiastro juncti, duntaxat *in Christo*; quidam, Atrebatensis Collegii sericatus, & ii quibus Ambrosius Catharinus est usus, absque autoritate, nisi fortè Brunonis Carthusiensis, nihil horum.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS.

C. 1. v. 14.

NOnne omnes sunt administratorii spiritu, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis?] Multi codices *capiunt* legunt, cum Autore Glossæ, Gorrano & Richelio; multi, & fide digniores, *capient*, cum Haymone, Anselmo & Brunone. Carensis utriusque meminit lectionis. Græcè & Syriacè (ex Græco nostra est translatio) est διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν· id quod κ῾ῃ πρᾶξα vertas, ità ut B. Augustinus legit lib. 3. De Trinitate cap. 11. *Propter eos qui futuri sunt hereditatem possidere salutis.* Quare rectè Correctores, Hentenius & Zegerus, τὸ *capient* textu donarunt. *Cupiunt*, quod scribunt libri quidam, error est manifestus, ex incommodo lectionis *capiunt* natus.

C. 5. v. 11. *De quo nobis "grandis* [*grandis nobis* 10 MSS. G. S. "πολὺς] *sermo & interpretabilis ad dicendum* [*discendum* o. *docendum* o.] Græcè pro *interpretabilis* est δυσερμήνευτος, quod est, *interpretatu difficilis*, sive, ut Syri dixerunt, עסקא *asper & negotiosus.* Quare conjiciunt plerique legendum nobis esse *ininterpretabilis* duplicato *in.* Sic autem notarunt Parisienses in tribus manuscriptis se reperisse, Di. o. l. Ge. l. quibus Hentenius quatuor addidit. Nos etiam in tribus ità invenimus, Q. Busl. So. au. in quinque verò ità correctum. Complutense exemplar, & quædam alia post illud impressa, hoc habent. Adstipulantur Enarratores Bruno & Richelius Carthusiani; quanquam ille alterius lectionis *interpretabilis* meminerit. Sic & Autor Glossæ, Carensis ac Gorranus, priùs *ininterpretabilis*, tum *interpretabilis*, explicare videntur. Haymo, si ad hunc modum non legit *ininterpretabilis*, in hunc sensum exposuit: *Illa*, inquit, *difficultas interpretandi sermonem*, &c. Similiter, vel ità ut eodèm recidat, & cæteri exposuerunt, sive *interpretabilis* legerint, sive *ininterpretabilis.* Nam vel negativè intellexerunt *in* vocis *interpretabilis*, vel *indigentem interpretatione* explicuerunt, id quod idem unum est quod obscurum, profundum, atque intellectu difficilem. Utrumque explicandi modum D. Thomas adfert; posteriorem Lyranus; qui solùm *interpretabilis* legerunt, quod in plerisque est libris, atque antiquitatis spectatæ, & à Zegero castigatore studiosè servatum. Hoc si Interpres vertit, alterum haud dubiè intellexit; *interpretabilis ad dicendum* dixit, pro *ininterpretabilis ad dicendum*, h. e. interpretatu atque explicatu difficilis. Juvandus subindè est Latinè loquens Græcus Interpres, non lacerandus, nec qui voces juxta ejus explicant mentem, carpendi.

C. 7. v. 9. *Et, ut ità dictum sit, per Abraham & Levi, qui decimas accepit, decimatus est*] Manuscripta exemplaria sex, Ge. l. Brug. Lob. P. Pl. la. So. ru. & impressa quædam, Ven. Quent. &c. pro *accepit* præsenti tempore scribunt *accipit*: quomodo & Haymonis, ac Glossæ Ordinariæ descriptoris, Petri Lombardi, denique Brunonis Carthusianorum Patriarchæ, commentaria habent; quanquam Haymonis utramque explicare videantur. Huic lectioni Græci volunt, & B. Augustinus, cujus verbis Beda pro commentario utitur, Græcis conformiter legens, lib. 10 De Gen. ad literam cap. 19. *Propter* [*Per* & *Propter* utrumq; Græca admittunt.] *Abraham, & Levi*

accipiens decimam, *decimatus est*: ὁ δεκάτας λαμβάνων, est Græcè; id quod Syri significanter reddiderunt, *Ille qui decimas accipiebat*. Nicolaus Zegerus *accipit* in textum retulit. Sensus is est quem Haymo dedit; Abrahamo decimas dante Melchisedeci, decimas dedit etiam Levi, ejúsque posteritas, quæ hactenus juxta Legem à cæteris Israelitis decimas accipit, seu accipere consuevit. Crediderim *accipit* cum *accepit* ab aliquibus mutatum fuisse, quòd scirent jam tum cùm Apostolus hæc scriberet, abrogatum per Christum fuisse Levitarum jus exigendarum à reliquo populo Israel decimarum, ut cætera legis statuta ac ceremonias.

C. 7. v. 25. *Unde & salvare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum*] *Accedens* habent plerique libri; *accedentes* sex Parisienses (Did. Ge. 1. Pau. Do. Const. Compl.) sex nostri (Brug. sed hoc id est, nisi fallor, quod Parisienses signarunt Do. Mal. ma. So. Ia. Q. Quent. Reg.) duo Hentenii, quidam Lugdunenses. Anselmus, Lyranus, Bruno & Richelius *accedens* legunt. Primasius, Haymo, Autor Glossæ, Lombardus, Carensis, Thomas, Gorranus, utrumque agnoscunt, admittunt & explicant. Græci codices, Græcis tractatoribus, Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio, adstipulantibus, τὰς προσερχομένους *accedentes* scribunt; similiter Syrici, מתקרבין, & Hebraicè edita hæc epistola, si cujus est illa autoritatis, בא׳ם: id quod quadrat ei quod sequitur, *Semper vivens ad interpellandum pro eis*, quanquam in plerisque Latinis codicibus sit *nobis*. Ambrosius Catharinus aliíque, *accedentes*, non *accedens*, veram nobis esse lectionem judicant. Epanorthotes etiam noster (qui quòd mendosè plerisque locis visus fuerit scriptus, jamdiu siluit) *accedens* modernis, ut ipse loquitur, codicibus tribuit; *accedentes*, juxta antiquos & Græcos, probat. Zegerus arbitratur propter τὸ *semetipsum* in nostra editione *accedentes* non posse legi: ego verò existimarim *accedentes* in *accedens* propter τὸ *semetipsum* mutatum fuisse. Non est Interpres anxius reciproci & non reciproci pronominis observator. Opinor tamen non incongruè hic reciproci pronominis *se* usum esse posse: verùm ad vitandam amphibologiam, nè intelligas *se* ad *accedentes* referri, videtur Interpres *semetipsum* dixisse. In impressis quibusdam, Quenteliano nominatim, legitur *ipsum*; sed ex arbitraria, ut facilè suspicor, emendatione.

C. 9. v. 26. *Nunc autem semel, in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiam suam apparuit*] Impressi codices, & major longè scriptorum pars (Mal. mi. So. Ia. T. Lob. Q. E. Pl. m. L. &c.) cum Autore Glossæ, Anselmo, Carensi, Gorrano & Brunone, *destitutionem* legunt: unus Parisiensium (Di. o.) quatuor Hentenii & decem nostri scripti (Brug. Leod. Mal. ma. O. P. &c.) *destructionem*, Haymone & Richelio suffragantibus, habent. Prior vox admodum similis est Græcæ; ἀθέτησιν, quasi *depositionem* dicas: utraque convenit sensui. Bruno Carthusiensis *destitutionem* exponit *destructionem*. Syrum, *ut aboleret peccatum*, habet.

C. 11. v. 6. *Sine fide autem* [*enim* o.] *impossibile est placere Deo*] Plerique Latinorum codicum, cum Syrico Testamento, addunt *Deo*. Unus porrò Parisiensium (Ge. 1.) duo Hentenii, & duo nostri (Leod. Mal. ma.) manuscripti, tollunt. Accedunt alii duo nostri (I. Atr. f.) qui alio scribunt loco, *Impossibile est Deo placere*. Græca exemplaria, Græcíque tractatores, Oecumenius & Theophylactus, non legunt. Subauditur, ex eo quod proximè antecedit, *Ante translationem enim testimonium habuit* Enoch *placuisse Deo*. Fieri possit majoris claritatis ergò nostris libris adjectum fuisse, aut ex Glossa in textum irrepsisse; quemadmodum vox *quenquam*, tametsi & ea Syriacè sit (addit enim hujusmodi Syrus frequenter, & quasi Paraphrasten agit, propter quod Syriacam hanc editionem primigeniam esse Apostoli scripturam necdum facilè persuaderi queo) quam in 11 manuscriptis antigraphis legimus, diversis locis, sed ferè isto, *Impossibile est quenquam placere Deo*: in uno est, *Sine fide autem placere Deo impossibile est quenquam*.

C. 13. v. 1. *Charitas fraternitatis maneat in vobis* [*nobis* o.] Pleraque Latina exemplaria, cùm impressa tum scripta, cum Latinis enarratoribus, Haymone & posterioribus, ac Syricis libris, legunt *in vobis*: pro quo Hebraica editio habet בקרבכם *in visceribus vestris*. Porrò quatuor nostrorum Latinorum scriptorum, Brug. Leod. Mal. ma. T. & Parisiensium unum, Ge. 1. cum Græcis codicibus, Græcísque Interpretibus, Chrysostomo, Theophylacto & Oecumenio, auferunt illud. Quinque alia nostra MSS. (E. Pl. m. I. Atr. s. Pl. Ion.) alio loco habent, *In vobis maneat*; ità ut verisimile fiat glossema esse, nostro tenui à scribis aut lectoribus additum (nam Syrus ipse non rarò hujusmodi adjicit) quod si demptum, clarior est genuinus Apostoli sensus, monentis, non ut se mutuò tanquam fratres diligant, id quod Haymo aliíque intelligunt; sed, quod Græci observarunt, ut in ea dilectione perseverent (*fraternitatis* enim dixit Interpres pro *fraterna*, extremum fortè Græcæ vocis φιλαδελφία imitatus) nè fortè ob frequentes tribulationes flaccescerent: quemadmodum mox non hortatur ut hospitales fiant, sed ut consuetæ hospitalitatis, etiam facultatibus spoliati, non obliviscantur.

C. 13. v. 2. *Et hospitalitatem nolite obliviscì: per hanc enim placuerunt quidam* *, [* *Deo* o.] *angelis hospitio receptis*] Pro *placuerunt*, quod est in Latinis libris plerisque omnibus, legitúrque à Latinis enarratoribus, Haymone ac posterioribus, Græci tum codices tum Interpretes λαθόν constanter legunt, quod est *latuerunt*; διὰ ταύτης γὰρ λαθόν τινες ξενίσαντες ἀγγέλους· ad verbum reddas, *Per hanc enim latuerunt quidam hospitantes angelos*: cujus sensum ea dat lectio quæ apud Augustinum, cùm alibi, tum c. 41 Quæstionum super Gen. reperitur; *Per hanc enim quidam nescientes hospitio receperunt Angelos*. Græcorum enim est phrasis, quâ dicunt, *latui cadens in foveam*, pro *nescius in foveam cecidi*, priscis etiam Latinis usurpata, Tertulliano & Irenæi Interpreti. Augustinianæ lectionis meminerunt Autor Glossæ, Lombardus, Carensis, & D. Thomas. Censent igitur nostræ ætatis scriptores complures, Magdalius, Catharinus, & alii, non *placuerunt*, sed *latuerunt*, vertisse Vulgatæ editionis Interpretem; non sine verisimilitudine. Facilè enim quis adducatur ut credat librarios, cùm non intelligerent quid sibi vellet *latuerunt*, emendandum judicasse *placuerunt*, voce perquam vicinâ, & commodam clarámque sententiam reddente. Sunt impressi codices aliquot qui *latuerunt* habeant, nominatim Quentelianus: sed ex eorum qui editionibus præfuerunt arbitrio correcti. Parisienses unum manuscriptum signant in quo hoc idem sit, *latuerunt*; Germani latum: sed nisi hic liber de industria compluribus locis sit emendatus, miror equidem. Unus ex nostris scriptis, V literâ signatus, *platuerunt* habet: itáque & alterum antiquitate præstantem, Malmundarii majorem, habuisse vestigia *t* literæ testantur. Verumenimvero, etsi in nullis *latuerunt* reperias exemplaribus, non est à vero alienum antiquo errore mutatum esse jam indè ab editionis infantia. Hugo Cardinalis Carensis, recitatâ Augustini lectione, *Cui literæ*, inquit, *consentit qui taliter literam habet, Per hanc enim latuit quosdam hospitantes Angelos*. Nicolaus Zegerus arbitratur retinendum *placuerunt*, quòd consequenter Interpres non transtulerit *angelos hospitio recipientes*, sed *angelis hospitio receptis*. Atqui id facilè fieri potuit, quòd participii aoristum ξενίσαντες Latino participio præteriti temporis exprimere voluerit. Neque aliud eum Græcè legisse pro λαθόν vicinitas Latinarum vocum, *placuerunt* & *latuerunt*, quæ Græcarum non est, facilè admittit. Porrò, quem vox *placuerunt* dat sensum, continetur is latenter, etsi *latuerunt* legas: sed plus hâc significatur, nimirum, Per hospitalitatis officia tam gratos quosdam fuisse Deo, tantíque evasisse meriti, ut subindè, cùm homines se excipere existimarent, angelis hospitibus fuerint honorati.

Utrumque

Utrumque expreſſerunt Syri, hunc in modum, *Per hanc enim digni fuerunt quidam, qui, cùm non ſentirent, exciperent angelos.* *Deo* ſubaudiendum eſt, quod ferè Gloſſematici noſtri ſubaudiunt (tametſi & *angelis* poſſis) ſi *placuerunt* legas; non addendum, quamvis in nonnullis ſit libris. Quidam dativorum loco jungunt *angelis hoſpitio recepiſ τῷ placuerunt*; nimirum à prototypo recedentes. Poſſis, quod diximus, *angelis* ſubaudire: ſed qui ſequuntur, ablativi ſunt abſolutè poſiti; aut certè longè aliter Interpres Græca legiſſe debuit quàm nos cum Veterum compluribus legamus.

NOTATIONES IN EPISTOLAM CATHOLICAM JACOBI APOSTOLI.

Cap. 3. v. 3.

Si autem equis frena in ora mittimus ad conſentiendum nobis, etiam omne corpus illorum circumferimus.] Latinorum codicum quoſdam pro *ſi autem* legere *ſicut autem* in proprio loci commentario teſtatur V. Beda: atque ex eo referunt Autor Gloſſæ & Cardinalis Carenſis. Quotquot verò nos vidimus Latini codices, præter impreſſum unum, Quentelianum, habent, id quod Beda cæteríque enarratores legunt, *ſi autem*, longè & commodius & Græco vicinius. Quanquam enim plerique Græci libri, cum Syricis, ἴδε five ἰδὲ ſcribant, quod eſt *ecce* (ad quod Latina Quentelii Biblia ſunt adhimilata) huic tamen propinquiſſimum eſt εἰ δὲ, quod eſt *ſi autem*, exſtátque in tribus Græcis Pariſienſium exemplaribus, 4, 11, & 13. ità ut veriſimile ſit id ab Interprete lectum fuiſſe. Porrò ἴδε *ecce* congruit ei quod proximo verſu ſequitur, ἰδὲ καὶ τὰ πλοῖα, *ecce & naves*: ſic enim legitur, non Græcè tantùm, ſed & Latinè in vetuſtioribus libris, non, *& ecce naves*. Legitur autem in vetuſtioribus Latinis libris, cùm noſtris tum Epanorthotæ, & hoc verſu, non, *Si autem equis frena*, ſed, *Si autem equorum frænos in ora mittimus*; quomodo Zegerus emendavit; ſi non concinniùs, at certè veriùs, iis qui ipſam Interpretis ſcripturam reſtituere deſiderant, qui τῷ χαλινῷ tranſtulit Græca verba, εἰ δὲ τῶν ἵππων τοὺς χαλινοὺς εἰς τὰ στόματα βάλλομεν· ea quæ Oecumenius tractator Græcus ordinanda docet, atque ordinavit Interpres Syrus hunc in modum, *In ora equorum mittimus frena.* Mox juxta meliora & pleraque ſcripta, Græco Syróque conformia, ſcribendum eſt (*& omne corpus*) *&* non omittendum, nec cum *etiam* commutandum: quanquam pro *etiam*, nobis *ſi autem* legentibus, ſit accipiendum. Videtur Apoſtolus hîc explicare voluiſſe ſimilitudinem quam proximè inſinuaverat, his verbis, *Poteſt etiam frano circumducere totum corpus.* Ità erit δὲ *autem* pro γὰρ *enim* intelligendum, ut aliàs, aut pro parelco habendum. Syrus addidit *enim*, *Ecce enim.* Carenſis *autem* expoſuit *quia.*

C. 3. v. 11, & 12. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam? Numquid poteſt, fratres mei, ficus uvas facere; aut vitis ficus? Sic neque ſalſa dulcem - " poteſt facere" [- G. " facere poteſt* 1 MS.] *aquam.*] Manuſcriptum S. Germani latum, *Sic neque ſalſam*, ſcribit, *dulcem poteſt facere aquam*, ità, quod ſuſpicor, emendatum ut ad Græcorum librorum lectionem propiùs accederet, quæ ejuſmodi eſt, ὥστε ὑδρία πηγὴ ἀλυκὸν [ἀλυκὸν] καὶ γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, *ſic nullus fons ſalſam & dulcem facere aquam.* Porrò cùm id mox præceſſerit, fontem ex eodem foramine non edere dulcem & amaram aquam, cur repetitum hic fuiſſet? neque enim ad hoc ſtabiliendum adductum eſt Ficûs Vitiſque exemplum, ut iterandum eſſet indè colligendum. Exiſtimo itaque potiùs quatuor ab Apoſtolo exempla allata, ut oſtendat quàm non conveniat, imò quàm ſit abſurdum, ex uno eodémque ore & benedictionem & maledictionem proficiſci, eâdem linguâ benedici Deum, & maledici hominem Dei imaginem; unum, quo monſtret contraria haud ſolere ex eodem gigni, tria, quibus nec ea quæ diverſi ſunt generis. Prioris generis exemplum eſt de Fonte, ex quo non ſcaturit *dulce & amarum* (ſic enim eſt Græcè; non additur ὕδωρ *aqua*, tametſi rectè ſubaudiatur) poſterioris generis, unum eſt de Ficu, quæ non producit ficus & *uva*, ſive (ut Græcè & Syriacè eſt, ac Beda legit, & quidam antiquorum codicum Epanorthotæ) *olivas*, alterum de Vite quæ uvas & *ficus* non gignit, tertium de aqua ſalſa, quæ *dulcem aquam* ut ſalſam diffundere aut præbere non poteſt, niſi fortè hominum induſtriâ per colationem, ut ficus uvas atque oleas per inſitionem: quod poſtremum eo libentiùs arbitror ab Apoſtolo additum, quanquam primo ſit admodum ſimile, quòd taxare vellet animi amaritudinem, quâ erant hi erga ſe mutuò, ac docere, non poſſe ex auſtero atque amaro corde gratam dulcémque Deo laudem promi. Quare veriorem exiſtimo Latinorum quàm Græcorum codicum lectionem, *Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam:* ità enim habent Latini codices, Latiníque enarratores, quotquot nos vidimus, præter unum Johannem Gagneium, qui textum ſuum, juxta Pariſienſe illud exemplar, Germani latum, *ſalſam* caſtigavit, & manuſcripta antigrapha duo, in quorum uno (B) hoc invenimus omiſſum, errore ſcribæ, qui inter *aquam* & *aquam* media tranſilivit; in altero (G) juxta ſenſum mutatum, *Sic neque ſalſa aqua dulcedinem poteſt habere.* Græca hîc putarim aucta vocibus μία, πηγὴ, & χὴ, ex ſimili, quod primum ſcriptum eſt, exemplo. Syri enim nihil amplius quàm Latini legunt, הכנא אף לא מיא מליחא משכחין דנתעבדון חליא, habent, *Sic nec aquæ ſalſæ poſſunt effici dulces:* id quod idem unum eſt cum Latino.

C. 4. v. 5. *An putatis quia inaniter Scriptura dicat, Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis?*] Varia eſt hujus loci diſtinctio; Una, *An putatis* [*putas* o.] *quia inaniter Scriptura dicat, ad invidiam? Concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis:* quam Oecumenius Græcus autor enarrat, verùm τὸ πνεῦμα quarto caſu accipiens (*concupiſcit ſpiritum*) tametſi Interpres id non animadverterit. Altera, *An putatis, quia inaniter Scriptura dicat? Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis:* quam ii quorum Beda meminit edidſeruere. Tertia, *An putatis, quia inaniter Scriptura dicat, Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis?* quam Syrus ſecutus eſt: præpoſuit enim ל בטננא, quod eſt, *in invidia*, vel *in æmulatione*, ד *dolath* literam, quæ, ut Græcorum ὅτι, alterius verbis, quæ referuntur, præmittitur, cæteroquin otioſa. Porrò Græcè non præmittitur hîc ὅτι. Quarta, *An putatis quia inaniter Scriptura dicat, Ad invidiam concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis?* quam Beda probat, & poſt eum Autor Gloſſæ, Carenſis, Richelius. Tertium diſtinguendi modum Neocericorũ pleriq; amplexantur; déque Deo zelote interpretantur: quem, ſi quis noſtram quærat ſententiam, non equidem improbaverimus, ſed quartum prætulerimus, in eum ſenſum enarratum quem Franciſci Titelmanni paraphraſis habet, An perſuadetis vobis luſoriè aut ſine cauſa S. Scripturam monere prædicaréque, ut à mundo ſeparemini, & eorum qui mundo adhærent conſortia fugiatis? vel Spiritum S. Scripturæ Autorem, qui per regenerationis ſacramentum ſedem poſuit in vobis, vóſque gubernandos ſuſcepit, mundi vobis amicitiam, ut quæ è re veſtra ſit, invidere? Imò verò majora dat dona quàm vel accipi vel ſperari poſſint à mundo, ea quæ amicis mundi negat. Propter quod ſcriptum eſt, Prov. 3. 34. juxta Lxx, *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Vel certè, ſi fas eſt tot diſtinguendi modis alium addere (multæ tentantur viæ, cùm obſcura eſt, deliceſcénſque quæſita res) totum unicâ interrogatione legerim, τὸ *ad invidiam* præcedentibus juncto, hunc in modum, *An putatis, quia inaniter Scriptura dicat, ad invidiam: Concupiſcit ſpiritus qui habitat in vobis?* quod ſit, An exiſtimatis fruſtrà Scripturam dixiſſe, (Gen. 6. 5. & 8. 21.) eò quòd vobis invideat, Spiritum carnis veſtræ pravè concupiſcere, nec bona ea eſſe quæ deſiderat?

Non ità sanè quòd vobis invideat: quinimo majorem pollicetur cœlestis gratiæ opulentiam quàm quæ cunctis carnis desideriis queat comparari. Propter quod dicit, *Deus*, iis qui sibi ipsi duces esse volunt, atque id sequi quod concupiscunt ipsi, h. e. *superbis, resistit: humilibus verò*, qui suis renunciant desideriis, Deóque se subdunt, *dat gratiam*, ac verorum bonorum affluentiam. Videtur opponere Apostolus illi *ad invidiam*, hoc *majorem autem dat gratiam*; quasi dicat, Non tantùm non invidet, verumetiam majorem dat gratiam. Hactenus de interpunctionis diversitate. Sunt hîc & lectionis aliquot varietates, sed quæ ferè sensum non mutent. *Aut* legendum est juxta antiquos codices, non *an*; & *dicat*, non *dicit*, quod est in nonnullis, Græco conforme. *Non*, quod videtur Carensis in quibusdam libris suis habuisse *(non concupiscit)* nullius est autoritatis. *Inhabitat*, quod in duobus scriptis reperimus, G. & Atr. Græco κατῴκησεν voce similius est quàm *habitat*, sed sensu æquale. Cæterùm aoristi præteritum est κατῴκησεν, *habitavit*, vel *sedem posuit*. *Nobis* denique, quod habet exemplar Germani latum, respondet Græco & Syro, sed non cæteris Latinis libris, nec Latinorum Autorum enarrationibus, quanquam, ut quorundam est scribendi modus, parvum sit inter *nobis* & *vobis* discrimen; nec tamen majus Græcis inter ἡμῖν & ὑμῖν. Oecumenii Græci textus ὑμῖν *vobis* scribit; commentarius priùs ἡμῖν *nobis*, postea ὑμῖν *vobis*, ut quoad sententiam parùm refert.

C. 5. v. 3. *Thesaurizastis* [*Thesaurizatis* o.] *vobis iram in novissimis diebus.*] Tria à Parisiensibus (Ge. l. Di. l. Do.) & quatuor ab Hentenio signata exemplaria omittunt duas has medias voculas, *vobis iram*; Græcis codicibus, & B. Augustini Speculo, conformiter legunt, *Thesaurizastis in novissimis diebus.* Adstipulatur Syrica editio, tametsi *vobis* addat, ab Interprete, quod suspicor, sententiæ gratiâ adjectum. Unum ex nostris Latinis antigraphis, id quod Atrebatense collegium suppeditavit, tollit *vobis*: quod an Hentenius inter quatuor sua numeraverit (usus enim eodem est) nescio. Cætera nostra omnia, etiam Donatianicum, illud quod hîc apud nos est, cum enarratoribus Latinis, habent, *Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus*: quibus Græcus Oecumenii textus suffragatur, ἐθησαυρίσατε ὑμῖν ὀργὴν ἐν ἐσχάταις ἡμέραις. Porrò commentarius Oecumenii, & duo codices Græci, (primus, qui est Complutensis, & decimus) cum Syricis, illud ὡς πῦρ, quod Latinus Interpres primo casu vertit *(sicut ignis)* ac præcedentibus junxit *(Et manducabit carnes vestras sicut ignis)* ad sequentia referunt, quarto casu intellectum, *Tanquam ignem thesaurizastis in novissimos dies*, (quanquam Syrici non legant ὡς *tanquam*) & subaudit Oecumenii commentarius *quas divitias*. Videri possint voculæ istæ, *vobis iram*, glossema fuisse, ex Rom. 2. 5. *(Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei)* sumptum, & textui tandem commixtum; sed an Latino, an Græco Latini Interpretis, non ausim ego statuere. Cæterùm Zegerus castigator è Latino textu sustulit: subaudiri verò posse docet; aut per Ironiam locum intelligendum. Cajetanus huic oppositum existimat id quod subsequitur, *Ecce merces operariorum*, &c.

C. 5. v. 6. *Adduxistis & occidistis justum, & non restitit vobis*] Plerique Latini & codices & Enarratores τὸ *in die occisionis* [*perditionis* o.] constituunt initium sexti versûs, *In die occisionis adduxistis*, &c. Quidam verò, cum Græcis libris, finem quinti, *Et in luxuriis enutristis corda vestra in die occisionis*, meliùs, ut arbitror (quæ & Zegeri opinio est) ut intelligas, persistere Apostolum in prædicendis miseriis quæ impiè & feliciter agentes divites tandem maneant: q. d. lautè ac lascivè vosipsos alitis, & solicitè saginatis in diem mactationis. Cui convenit, quod nonnulli codices (Lob. Pl. ang. P. Soru. M.) habent, *in diem*; & id quod Syrus vertit, דליומא *Enutristis corpora vestra tanquam ad diem mactationis*: nam Græcè additur ὡς *tanquam*, sive *ut*, ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς *tanquam in diem* (ἐν pro ὡς, ut & superiori tertio versu) *mactationis*, qui vos nimirum exspectat. Denique in hunc sensum Oecumenius locum tractavit, ad expugnationem Judæorum à Romanis referens: quanquam possit generaliter intelligi de mortis die, quo mactantur impii in epulum dæmonum; sed & de extremi judicii, quo celeberrimum atque instructissimum convivium, *convivium pinguium & medullatorum*, Isa. 25. 6. paraturus est Deus, & victimam grandem nimis immolaturus, omnibus avibus cœli & bestiis terræ convocatis, dæmonibus inquam, de carnibus, adipe & sanguine fortium, Ezech. 39.

Sexti versûs initium non *adduxistis* est, ut plerique libri legunt, sed *addixistis*, quod est in uno Hentenii manuscripto, uno nostro (*T*) tribus Parisiensium, (Di. l. Ge. l. Do. sed aliud rursus est hoc Donatianicum quàm id quod nos habemus) & primis Typographorum excusionibus, Moguntinâ, Nurenburgensi, Colonensi, Græco Syróque conforme. Κατεδικάσατε, חיבתון sunt *condemnastis, reum egistis.* Proximè, optimi quique Latini codices cum Græcis omittunt &: sed quod deinde sequitur &, plerique omnes contra Græcos addunt. Quare Zegerus castigator emendavit, *Addixistis, occidistis justum, & non restitit vobis.* Porrò postremum *restitit*, unum Parisiensium (Di. o.) tria Hentenii, & tria nostra scripta exemplaria, præsenti tempore *resistit* scribunt, Græcâ lectione suffragante, ἐφονεύσατε τὸν δίκαιον· οὐκ ἀντιτάσσεται ὑμῖν· cui Latina Venetorum editio, anni 1497 & in conjunctionis prætermissione consentit, *Occidistis justum: non resistit vobis.* Manuscriptum G literâ insignitum habet, *Occidistis justũ non resistentẽ vobis*, similiter nono Parisiensium Græco antigrapho, id quod legit, τὸν δίκαιον οὐκ ἀντιτασσόμενον ὑμῖν. Sensus is est Græcè receptæ lectionis, si *qui* subaudias, quod non rarò Hebræi. Addit Apostolus, non impunè hanc eos tyrannidem laturos; sed, quasi ipsis spretis, sermone ad bonos quos opprimebant verso, *Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini.*

C. 5. v. 20. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte, & operit multitudinem peccatorum.*] *Notandum sanè*, inquit Beda, *quod quidam codices habent*, Salvabit animam suam à morte. *Et ex ambiguo Græco ità etiam rectè interpretari potest.* Planè ambigua sunt Græca, sive tollant αὐτοῦ, ut pleraque; sive addant, ut, cum Syris, quædam: tria à Parisiensibus notata, ς, ι, ια, unum à Simone Colinæo excusum, σώσει ψυχὴν αὐτοῦ. Ambigua sunt autem & Syra. Cæterùm, sicuti rectiùs intelligas *ejus*, eum qui reduxerit errantem fratrem, servaturum quidem animam illius, suorum verò peccatorum multitudinem operturum, juxta illud 1 Pet. 4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum*; sic eam germanam esse arbitror nostræ editionis lectionem. Nam ut prima est Bedæ, ex quo Glossa, atque ex Glossa Carensis, Thomas & Richelius, varietatis meminerunt; ità sola codicum omnium, quotquot nos post alios vidimus. Porrò, magna cum emphasi nobilitatis animæ Græci ferè libri id subaudiendum relinquunt.

NOTATIONES IN EPISTOLAM CATHOLICAM PETRI APOSTOLI PRIOREM.

C. 2. v. 5.

ET *ipsi tanquam lapides vivi superædificamini domus spirituales.*] *Domos spirituales*, plerique codices legunt; *domus spiritualis* quidam, scripti duo, Di. o. Ge. l. à Parisiensibus notati, impressi aliquot, Complutensis, Regius, & maximè textus Neotericorum enarrationibus junctí.

Utriusque

Utriusque lectionis Beda meminit: *domos spirituales* legit, addítque postea, *Nec prætereundum, quod quidam codices habent in singulari*, Superædificamini domus spiritualis. Posterior hæc Græco consonat (οἶκος πνευματικὸς) éstque apud Augustinum epist. 57 ad Dardanum: quanquam nonnulla Augustini exemplaria *domus spirituales* legant: quo modo scribit & Lobiensis Abbatiæ manuscriptus codex, ac Typographorum priores editiones, Moguntina, Nurenburgensis, Colonienſis; id quod nominandi casu per appositionem addito intelligi possit, similiter illi *domus spiritualis*. Sed multitudinis numerus, ut non perinde exprimit Ecclesiastici ædificii unitatem, quod annotarunt quidam, ità non satis congruere videtur comparationi illi *tanquam lapides vivi*; neque enim singuli lapides domum efficere possunt: nisi intelligas, non singulas personas lapidibus comparatas moneri ut domus spirituales fiant, sed plures ac singulos cœtus. Syricum Testamentum multitudinis numero, *Et estote templa spiritalia*, habet (facilè enim Græcè, vel οἶκοι πνευματικοὶ, vel οἶκος πνευματικὸς lectum fuisse potuit) sed, si puncta demas, singulari numero intelligas licet, *Et estote templum spirituale*. Plerique probant nobis singulari numero *domus spiritualis* legi, ac nominatim castigator Zegerus, qui & editionem suam eum ad modum emendavit: existimátque indoctâ scribarum temeritate demutatum id esse in *domos spirituales*. Cæterùm nescio qui mutare potuerint scribæ obscurum legendi modum in obscuriorem; nisi fortè *superædificamini* activè intellexerint, ut certè B. Thomas intelligit. Undecim nostra MSS. *in domos spirituales* habent; sed illa minori fide digna. Adjectum est à quibusdam *in*, explicationis ergò: subaudiri enim debet, si *domos* legas. Ità verò & singularis numeri lectionem, claritatis ergò, mutarunt quidam, *In domum spiritalem*: quo modo est apud Augustinum, Psalmum 86 enarrantem, & Beda notat in quibusdam exemplaribus haberi.

C. 2. v. 8. *Qui offendunt verbo, nec* [*non* o.] *credunt in quo - &* [o.] *positi sunt.*] Vetustissimus Malmundarii codex, & alter G literâ insignitus, &, quem Parisienses notarunt, Dionysii oblongus, V. Bedâ adstipulante, legunt *in quod & positi sunt*, Græco similiter, εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν. Quidam Bedæ codices habuerunt *in quo*; nostri plerique omnes id habent: ac solet Interpres non rarò sextum casum quarti loco *in* præpositioni dare: sed cùm hoc loco quintus casus fide dignissimis libris & gravissimâ Bedæ autoritate constet, amplectendus certè videtur. Porrò id quod Interpres vertit, *nec credunt*, Græcis unica vox est, eáque participii ἀπειθοῦντες, *imperſuasi, increduli*. Quare germanum esse crediderim loci sensum, quem Græci tractatores, Didymus & Oecumenius, dedere; qui per incredulitatem in Euangelicæ prædicationis verbum impingunt, ad quod, ad impingendum inquam, & constituti sunt, judice Deo, dum hujusmodi sortem suâ sibi perversitate meruere. Sic Paulus ad Romanos, c. 1. v. 24, 26, 28. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in passiones ignominiæ, in reprobum sensum.*

C. 2. v. 21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.*] Variè hîc leguntur pronomina *nobis* & *vobis*, [ὑμῖν, ὑμῖν] tum Latinè tum Græcè, ut parvo inter se discrimine, unius videlicet literæ, ejúsque alterius alteri persimilis, utrâque linguâ differunt. Latini plerique codices, & enarratores Carensis, Thomas ac Richelius, manifestè, cum Græcis Hispanorum editionibus, & Parisiensium ea quæ anno 49 prodiit, *nobis, vobis*, legunt, *Passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum*, &c. Græci plerique codices, cum Syricis, *nobis, nobis*, habent: quibus consonant tria Latina exemplaria, Parisiensium unum (Ge. l.) Hentenii unum ac nostrum unum (E.) & Quentelii excusio. Alia septem Latina MSS. nostra (Do. Leod. T. Q. H. Atr. Buſl.) & quædam Hentenii, cum Græcis Parisiensium exemplaribus ϑ & θ, & Græci tractatoris Oecumenii textu, *vobis, vobis*, scribunt. Nicolaus Zegerus tertium hunc legendi modum, *Passus est pro vobis, vobis relinquens*, seriei orationis cæteris accommodatiorem judicat: cui nos sententiæ subscribimus. Servos enim alloquitur Petrus, docétque, Servatoris exemplo, æquo animo ferre si à dyscolis dominis plagas referant dum bene fecerint. *Quæ est enim gloria*, inquit, *si peccantes & colaphizati suffertis? Sed si benefacientes & patientes sustinetis, hæc est gloria apud Deum: in hoc enim vocati estis. Quia & Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Ad hoc, inquit, vocati estis, ut pro benefactis malè patientes, toleretis injurias. Christus enim vocationis vestræ autor & dux, ísque Dei filius, tantâ clarus majestate, pro vestra salute passus, exemplum vobis hujusce rei dedit quod imitemini: ídque clariùs explicans, pergit, *Qui peccatum non fecit*, &c. Hanc itaque legendi rationem, quæ secundæ personæ pronomen iterat, germanam esse existimarim Apostoli scripturam. Cúmque eadem & in lectissimis sit nostræ versionis exemplaribus, quibus V. Bedæ commentarius exactiùs discussus suffragari deprehendatur, non dubito quin & ab Interprete data sit. *Notandum attentiùs*, ait Beda, *quàm summè conditionem servorum glorificet, quos benefacientes, & sine culpa vapulantes à dominis crudelibus & improbis, imitatores esse Dominicæ passionis affirmat. Audis autem quia passus est pro nobis* (non ob hoc legit *nobis*, quanquam facilè esse possit *vobis*) *& gaudes quia pro te mortuus est: attende quod sequitur*, Relinquens vobis exemplum ut sequamini vestigia ejus. Et, quod clarissimum est, paulò pòst, in illud, *Qui peccata nostra ipse pertulit*, &c. *Cùm suprà*, ait, *ad servos specialiter fecerit sermonem, nunc generaliter admonet, ut etiam domini in memoriam revocent quid pro illis Deus & Dominus sustinuerit. Imò totam Ecclesiam instruit quid pro ejus liberatione suus Autor pertulerit. Non enim ait* peccata vestra, *sed, etiam se addito*, Qui peccata, *inquit*, nostra ipse pertulit, &c. Perspicuè loquitur, ità à se lectum priùs fuisse ut seipsum Petrus non addiderit, servos solùm allocutus. Porrò hinc mutatam crediderim secundam personam in primam, quòd non advertentibus orationis seriem ingrati animi dictum videretur, *passus est pro vobis*, tanquam qui suæ per Christi passionem redemptionis beneficium non agnosceret; arrogantis, *Relinquens vobis exemplum*, quasi qui perfectiorem se duceret quàm ut Servatoris opus haberet exemplo. Posterius tamen *vobis*, propter verbum *sequamini* (*ut sequamini vestigia ejus*) pauciores ausi sunt mutare. B. Augustinus iterat *nobis*, *Passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum*, cùm tract. in Johan. 21. tum in Psal. 87. verùm adferens locum, non ad verbum, sed juxta sententiam, quæ, etsi primò ad servos dicta sit, liberis æquè convenit. Unde pro *sequamini*, *sequamur* dixit: id quod nulli habent, nisi fortè unum ex Latinis nostris MSS. ídque *vobis*, legens. Zegerus, pro ea lectione quæ repetit *nobis*, Hieronymum citat in 53 Isaiæ caput; pro ea quæ *nobis, vobis*, scribit, Cyprianum lib. 3 ad Quirinum cap. 39. & Leonem Serm. 14 De passione. Miror hominis ἀκρισίαν, qui frequenter hunc ad modum Patres ad lectionum varietates citet, cùm nihil ex ipsis Patrum verbis nudè loca adferentium liqueat, nec ipsa lectio hujusmodi sit ut suis ipsa indiciis loquatur, librariorum se manus effugisse; qui ferè solent Patrum citationes juxta eum legendi modum cui ipsi assueverunt, immutare, etiam tum cùm ex circumstantibus Patrum verbis aliud liquet; & doctuli, præsertim qui Typographorum editionibus præfuerunt, nonnunquam juxta vulgatam Græcorum lectionem. Zegeri Hieronymus hunc locum legit, *nobis, nobis*; noster, & Parisiis, & Antuerpiæ nunc, ex Romana editione, excusus, *nobis, vobis.*

C. 2. v. 23. *Qui, cùm malediceretur, non maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè.*] Græci codices & Enarratores (Didymus,

dymus, Oecumenius) constanter legunt, παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως, *committebat autem judicanti justè*, supple, *vindictam*, vel *causam suam*, aut *eos à quibus affligebatur*, juxta illud Deut. 32. 35. quod Paulus aliquoties citat (Rom. 12. 19. Heb. 10. 30.) *Mihi vindictam, ego retribuam.* Græcis Syri concinunt, qui paraphrasticῶς verterunt, *Sed tradebat judicium suum judici justitiæ.* Græcis & Syris B. Augustinus, tract. in Joh. 21. convenit, legens, *Sed commendabat illi qui justè judicat.* Existimarim his consonè traduxisse Interpretem nostrum, *Tradebat autem judicanti justè*; verùm cùm id intelligendum putaretur de judicibus à quibus Christus malis affectus est (quibus nisi se ipse tradidisset permissétque, malis affici ab eis haud potuisset) mutatum esse *justè* cum *injustè*, ac *se* additum claritatis gratiâ, *Tradebat autem judicanti se injustè.* A nonnullis, majoris claritatis gratiâ, repetitum est *se*, *Tradebat autem se judicanti se injustè*: ità enim in duobus est scriptis, K. & Bessarionico. Unicum si addatur, aptiùs quadret τῷ *judicanti* præpositum, quo loco apud S. Cyprianum ponitur, l. 3 ad Quirinum cap. 39. *Tradebat autem se judicanti injustè.* Nam quòd τῷ *judicanti* postpositum esset, offensi quidam verterunt *judicanti*, alii in *judicari*, alii in *judicantes*. Atrebatensis Collegii sericatum MS. habet, *Tradebat autem judicari se injustè.* Autor Glossæ & Carensis enarrant, cum eo qui vulgò receptus est, hunc legendi modum, *Tradebat autem judicantes se injustè*: cui subaudiunt *Deo Patri.* Quidam (T. O. Pl. m.) pro *autem* scripserunt *enim*, *Tradebat enim judicanti se injustè*; ut sententiam redderent loco convenientiorem: quanquam rectiùs conveniat *autem*, pro *quinimo* acceptum. Porrò si ἀδίκως Græcè pro δικαίως legas, & *se* subaudias, habeas eum legendi modum qui vulgò receptus est, *Tradebat autem judicanti se injustè*; sed minùs autoritate firmatum, itáque affinem firmatiori ac probabiliori, eíque obscuriori, *Tradebat autem judicanti justè*, ut non possit non fieri verisimile ex illo mutatum esse. Zegerus pro eo DD. Cyprianum & Leonem citat; eodem judicio quo jam antè ad proximam varietatem. Cæterùm Paulinus, epist. 2 ad Severum, antiquo, opinor, librariorum errore deceptus, scripsit, *Tradebat autem se ad mortem judicanti injustè.*

C. 3. v. 8. *In fide autem - omnes* [o.] *unanimes, compatientes, fraternitatis amatores*, &c.] V. Beda, Autor Glossæ, Thomas, Carensis, Lyranus & Richelius interpretantur *in fide*: id enim plerique omnes codices legunt. Porrò duo Parisiensium (Ge. l. Di. l.) unus Hentenii, unus noster T literâ signatus, is quem Quentelius excudit, & ii quos Claudius Guiliandus vidisse se memorat, habent *in fine*: id quod probant Guiliandus, Zegerus, Hesselius, & plerique nostræ ætatis Enarratores. Græcè enim constantissimè legitur τὸ δὲ τέλος *finis autem*; ità & Syriacè שלמא דין. Id alii transtulerunt, *Summa autem*, sive *in summa autem*; Vetus Interpres, *in fine autem*, pro *demum*, sive *postremò*. Hoc quidam non intelligentes, quòd τὸ *in fine* referrent ad *unanimes*, mutandum judicarunt *fine* in *fide*, vocem, ut propinquissimam, ità optimè congruentem illi *unanimes*. Cæterùm plurima Latina exemplaria, præsertim scripta, tametsi *in fide* habeant, loquuntur *in fine* legendum esse. Addunt enim *in oratione estote* (*In fide autem omnes unanimes in oratione estote*) id quod convenire potest si *in fine* legas, si *in fide*, nequaquam. Carensis id animadvertens, retulit ad id quod sequitur, *compatientes*, *In oratione estote compatientes.* Rectiùs Thomas, Lyranus & Richelius ad textum non pertinere annotarunt, nec esse in antiquis aut correctis libris. Impressi codices pauci habent: optima scripta rejiciunt. Beda & Autor Glossæ non agnoscunt. Græci & Syri ignorant. Epanorthotes, *Omnes*, inquit, *unanimes, compatientes, Græcus, antiqui: in ecclesia, in epistola legitur, in oratione estote.* Epistola Dominicæ quintæ post Pentecosten ità incipit, *Fratres, omnes unanimes in oratione estote, compatientes*, &c. Prætermisit Divini officii collector τὸ *in fine*, quòd eo istud præcedentibus connectatur, ac proinde non congrueret Ecclesiasticæ lectioni quæ, præcedentibus omissis, hinc inchoanda censebatur. Adjecit autem id quod subaudiebat, *in oratione estote*; quòd id congregatis ad orationem fidelibus opportunè conveniret, cùm mutilum alioqui & mancum videretur fore exordium, maximè τὸ *in fine* dempto. Porrò, si *in fide* legisset, neutiquam id dempsisset, neque *in oratione* addidisset. Quod autem hic Ecclesiasticæ lectionis principio coactus adjecerat, id alii in textum Scripturæ temere retulerunt. Simile accidit Eccles. 15. 1. id quod ibi est annotatum.

C. 3. v. 15. *Parati semper ad satisfactionem, omni petenti vos rationem, de ea quæ in vobis est spe*] Ità legunt emendatissimi codices, Brug. Malm. Ant. O. T. Mog. Gregorio Magno, in fine secundæ partis De vita pastoris, suffragante. Consonant Græci libri, & Græcanicus Scholiastes, Oecumenius. Complures porrò Latinorum codicum addunt *& fide*; sed non eodem omnes loco. Multi, *de ea quæ in vobis est spe & fide*, habent; plures, *de ea quæ in vobis est fide & spe*; unus, *de fide quæ in vobis est & spe.* Quare additicium id esse vel hac ex varietate satis clarum evadit. Syri scribunt, *de spe fidei*, sive, ut in MS. Syrico est, *fidei vestræ*; explicantes, haud dubito, id quod prototypum legit, περὶ τῆς ἐν ὑμῖν ἐλπίδος *de ea quæ in vobis est spe.*

C. 3. v. 19. *In quo & his qui in carcere erant spiritu veniens prædicavit*] Codices quidam, etiam Bedâ teste, *carne* legunt pro *carcere*: verùm, cum plerisque, Græca ac Syra reclamant. Græci ἐν φυλακῇ *in carcere* scribunt; Syri, quem intellexerint carcerem significantes, בשיולא, quod est, *in sepulcro*, vel *in inferno.* Quod, juxta libros quosdam, addit Beda *conclusi*, *Qui in carcere erant conclusi*, Syricæ editioni & undecimo Parisiensium Græco exemplari conforme est, sed Vulgatæ editionis nostræ non esse videtur. *Alia litera*, inquit B. Thomas, *habet, In carne concluſi erant.* Eam quæ sequitur vocem, *spiritu*, quædam exemplaria *spiritibus* legunt, quibus Græca antigrapha constanter volunt, Syráque astipulantur, & concinit Patrum, Hieronymi in 54 Isaiæ caput, & Augustini epistolâ 99 lectio; *In quo & his qui in carcere erant conclusi spiritibus veniens prædicavit.* Cæterùm facilè Interpres pro πνεύμασι *spiritibus* πνεύματι legisse potuerit, id quod *spiritu* est, quo modo legi opinor in verioribus editionis nostræ exemplaribus. Vidi id in vetustissimo integerrimóque manuscripto Abbatiæ S. Andreæ juxta Brugas, (quo uno, Lovanio exsules, deinceps uti potuimus) id quod hunc locum, cum D. Thoma, ità legit ut initio proposuimus, *In quo & his qui in carcere erant spiritu veniens prædicavit.*

C. 4. v. 12. *Charissimi, nolite peregrinari in fervore qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat*] Pro *peregrinari* in aliis codicibus esse *mirari* testis est Beda. Græcum ξενίζεσθαι *peregrinari* significat, à ξένος *peregrinus* deductum. Porrò quia id quod in admirationem venit, peregrinum sive insolitum fit oportet, significat & *admirari*: quo modo intelligendum hoc loco est. Quamobrem Cyprianus, lib. 4. epist. 6. *Charissimi, nolite mirari ardorem accidentem vobis*, legit. Cæterùm videtur Interpres, Græcam sectatus vocem, *peregrinari* hîc transtulisse, pro eo quod est *peregrinum* sive *insolitum ducere* (quis enim in locum τῶ *mirari* τὸ peregrinari substituisset?) & tamen quarto versu superiori, ex eadem voce, *admirari* legitur: quanquam & illic varietas sit, nonnullis exemplaribus *peregrinantur*, aliis *admirantur*, aliis *obstupescunt* legentibus.

C. 4. v. 14. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam quod est honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui est ejus spiritus, super vos requiescet* [*requiescit* MS. G. S.] Bibliorum margo notat in uno scripto legi, *Quoniam gloria Dei spiritus in vobis requiescit*; in tribus, *Quoniam*

niam gloria & Dei ſpiritus in vobis requieſcit. Illa lectio ad Syriacam accedit, *Quoniam ſpiritus gloriæ* (glorioſus) *Dei ſuper vos requieſcit*: accedit & ad Tertullianum in Scorpiaco, *Quoniam gloria & Dei ſpiritus requieſcet in vobis*. Hæc ad plerorumque Græcorum codicum lectionem, ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, ſive, ut in Regio & Complutenſi eſt, ἀναπέπαυται, *Quoniam quod* (ſive *qui*) *gloriæ & qui Dei ſpiritus ſuper vos requieſcit*, ſeu *requievit*. Tres Græci codices, à Pariſienſibus notati, ℵ. *1.* 14. addunt δυνάμεως *virtutis*, receptæ à Latinis lectioni conformiter, ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ δυνάμεως καὶ τὸ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, vel ut in ℵ eſt, ἀναπέπαυται), *Quoniam quod* (ſive *qui*) *gloriæ & virtutis & qui Dei ſpiritus ſuper vos requieſcit*, vel *requievit*. Addit id & Cyprianus, lib. 4. epiſt. 6. *Quia majeſtatis & virtutis Domini nomen in vobis requieſcit*. Conjicit Cypriani commentator D. Pamelius, Cyprianum πνεῦμα legiſſe, pro πνεῦμα· potuerit æquè ὄνομα, ὅτι τὸ τῆς δόξης καὶ τὸ τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ ὄνομα. Porrò *honoris*, quod Latinè legitur, nuſquam alibi invenio: an Interpres adjecerit, an alius quiſpiam (idem enim unum eſt cum *gloriæ*) neſcio. Conſequenter legunt Græci codices, cum D. Cypriano, κατὰ μὲν αὐτοὺς βλασφημεῖται, κατὰ δὲ ὑμᾶς δοξάζεται, * *Secundùm* [* *Quod* Cypr.] *illos quidem blaſphematur, ſecundùm vos* [*nos* Cypr.] *autem glorificatur* [*honoratur* Cypr.] id quod, cum Tertulliano, Latini & Syrici non agnoſcunt.

NOTATIONES IN EPISTOLAM PETRI APOSTOLI POSTERIOREM.

C. 1. v. 16.

NON *enim indoctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſcientiam* [*præſentiam* 5 MS. R. G.] Tria Latina ſcripta, id quod in Bibliis ſignatur *doctas* legunt pro *indoctas*. Utrum Interpres verterit, ex Græca voce ξεσοφισμένοις, conſtare non poteſt: intelligi enim ea poteſt, & *artificioſe* aut *ſapienter confictas*, & *fallaces*, *inanes*, *veritate & ſapientiâ vacuas*. Relinquitur ex Latinis exemplaribus præcipuè colligendum, quorum nobis jam copia deeſt.

C. 2. v. 7. *Et juſtum Lot oppreſſum, à nefandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit*] Duo MSS. pro *injuria* ſcribunt *injuſta*, unum, *impudica*. Aliud pro *injuria ac luxurioſa* ſolùm habet *impudica*, *A nefandorum impudica converſatione*. Regium exemplar ſolùm *luxurioſa*, *A nefandorum luxurioſa converſatione*. Horum duorum alterum verum eſſe exiſtimarim; adjectum τὸ *injuria*, ſive *injuſta*, ac ab iis quos offenderit τὸ *luxurioſa converſatione* ad *oppreſſum* relatum. Nam & Græcum duntaxat habet, ἀπὸ τῆς τῶν ἀθεσμίων ἀναστροφῆς, *A nefariorum in laſcivia converſatione*.

NOTATIONES IN EPISTOLAM JOHANNIS APOSTOLI PRIMAM.

C. 2. v. 14.

SCribo *vobis, infantes, quoniam cognoviſtis patrem*] Subjiciunt antiqui Latini codices, nominatim is quem nunc vidimus, à R^do S. Andreæ Abbate commodatus, *Scribo* [*Scripſi* G. S.] *vobis, patres, quia cognoviſtis eum qui ab initio eſt*. Conſonat Lugdunenſis editio anni 1514. ſuffragantur Græci & Syrici codices; adſtipulantur Auguſtinus, Beda, Thomas & Oecumenius, Tractatores. Videtur hic verſiculus omiſſus fuiſſe, tum quia proximè præcedenti verbis ac re ſimillimus eſt, tum quia paulò ante idem prorſus lectus eſt. Cùm enim Apoſtolus omni animum addidiſſet ætati, ut Servatoris aucta beneficiis in Domino gauderet gloriaretúrque, cupiens majori id pondere mentes penetrare, fixúmque inhærere, iterum egit. Et *infantes* quidem ſive *pueri*, atque *adoleſcentes*, quos plerique libri *juvenes* hîc vocant (Græcis eadem eſt vox quæ priùs, νεανίσκοι) ab omnibus concorditer repetuntur: *patres*, ſive *ſenes*, cur præteriti ſint? An quòd ſufficeret ſenes, quippe per ſe ſapientes, ſemel monuiſſe? Una eſt Complutenſis editio Græca, (Regia namque eadem eſt) quæ, vulgaribus Latinorum codicibus ſimiliter, omittat.

C. 2. v. 22. *Quis eſt mendax, niſi is qui negat quoniam Jeſus non eſt Chriſtus?*] Quidam codices auferunt *non*: ſed videtur Interpres ità ut in Græco erat reliquiſſe: legitur enim in pleriſque ac melioribus Latinis libris, ut in Græcis unáque Syriacis. Porrò ut Græcè & Syriacè duæ negationes vehementiùs negant, ità intelligendum eſt &, quod ad Græci imitationem verſum eſt, Latinum. Quare non eſt alius loci ſenſus lectâ quàm omiſſa negatione; ſed hic unus, Mendax eſt qui negat Jeſum eſſe Chriſtum, ſeu, qui negando ait quòd Jeſus non ſit Chriſtus.

C. 4. v. 3. *Et omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus*] Ità legunt Latini libri, *Omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum*. Græci habent, *Et omnis ſpiritus qui non confitetur Jeſum - Chriſtum* [S.] *in carne veniſſe, ex Deo non eſt*. Græcis Syri conſentiunt: & Cyprianus, lib. 2 Contra Judæos 7 (8. juxta Pamelii editionem) cap. ſuffragatur. Latinis Leo, epiſt. 10. cap. 5. adſtipulatur. Quin & in Græcis codicibus olim id lectum fuiſſe quod nunc in Latinis, Græcus Socrates Hiſtoriæ tripartitæ lib. 12. cap. 4. teſtatur. Auguſtinus tractatu 6 legit atque exponit utrumque.

Id quod ſequitur, *Et hic eſt Antichriſtus*, Græcè eſt *Et hic eſt Antichriſti*, καὶ τοῦτό ἐστι * τὸ [* τὸ Gq.] ἀντιχείσθαι. Syri verterunt, *Sed hic eſt ab ipſo pſeudochriſto*. Cyprianus, rem planiùs explicans, *Qui autem negat in carne veniſſe, de Deo non eſt, ſed eſt de Antichriſti ſpiritu*.

C. 5. v. 7, & 8. *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, Aqua & Sanguis: & hi tres unum ſunt*] Quinque ſcripta auferunt univerſa hæc, *in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant*; legunt duntaxat, *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus*, &c. quibus Syriaci codices & Græci non pauci conſentiunt. Epanorthotes deeſſe hæc eadem Græcis libris & antiquis Latinis annotat. His multi veterum Patrum ſuffragantur. Inter Latinos Auguſtinus lib. 3 Contra Maximinum cap. 22. Leo epiſt. 10. cap. 5. Beda hanc enarrans ſcripturam. Inter Græcos Cyrillus lib. 14 Theſauri cap. 5. Oecumenius in hunc ſcribens locum. Et horum, tum autorum tum codicum, plerique etiam τὸ *in terra* auferunt. Manuſcriptum S. Andreæ poſtponit teſtimonium eorum qui in cœlo, teſtimonio eorum qui in terra teſtantur: id quod adjectionis indicium eſt. Porrò Hieronymus, Præfatione in Catholicas epiſtolas, ab infidelibus tranſlatoribus, Patris, Verbíque ac Spiritûs teſtimonium omiſſum queritur: id quod pro pleriſque Latinis libris, qui id ità ut initio propoſuimus legunt, facit: quibus Græca Complutenſis editio, & quæ ex ea ſunt, cum aliis quas vidimus non paucis, conſonant. Inter omnes Pariſienſium Græcos codices nè unus eſt qui diſſideat; niſi quòd ſeptem duntaxat τὸ *in cœlo* confodiant: ſi tamen ſemicirculus, lectionis deſignans terminum, ſuo loco ſit collocatus. Huc Higini, à B. Petro Papæ noni, lectio, quæ in prima ejus epiſtola exſtat, accedit.

Id quod poſtremum eſt octavi verſûs, ad eos qui in terra teſtantur ſpectans, *Et hi tres unum ſunt*, multa Latina exemplaria, nominatim id quod à S. Andreæ ſodalibus

libus olim ſcriptum eſt, D. Thoma ſuffragante, tollunt. Quibus Græca Complutenſis editio, cum filiabus, adſtipulatur. Legitur porrò, ut in Latinis aliis libris, ità & in reliquis quæcunque vidimus exemplaribus Græcis; adhæc, in Syricis Teſtamentis; denique à Patribus, quorum jam producta ſunt loca, at differenter. Latini enim codices, cum Auguſtino, Cyrillo, Leone, Beda, *Et hi tres unum ſunt* habent; Græci verò, cum Oecumenio & Siricis, *Et hi tres ad*, vel *in*, *unum ſunt*, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσι· Higinus, *Et tres in nobis ſunt.* Porrò de Patre, Verbo & Spiritu S. qui eorum teſtimonium hîc agnoſcunt Græci codices, καὶ - ἔτοι· οἱ τρεῖς ἓν εἰσι ſcribunt: quanquam Complutenſis, qui hoc non niſi ſemel legit, εἰς τὸ ἓν habeat. Ex Higino & hoc obſerva, quòd tres in terra teſtantes, aquam numeret, ſanguinem & carnem, cæteris univerſis contradicentibus.

NOTATIO IN EPISTOLAM JOANNIS APOSTOLI TERTIAM.

Ver. 4.

Majorem horum non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare.] Regia editio, ex Complutenſi oriunda, legit ità ut Græcè eſt, *Majus horum non habeo gaudium quàm*, &c. Atqui Interpres pro χαρὰν *gaudium* viciniſſimam vocem χάριν, quæ *gratiam* ſignificat, legiſſe videtur: quæ & in decimo Pariſienſium Græco exemplari exſtat. Inſolitus loquendi modus, facilè tamen obvio ſenſu, *Majorem horum non habeo gratiam*, pro, Nihil mihi perinde gratum eſt, ut quòd audiam, &c.

NOTATIONES IN EPISTOLAM JUDÆ APOSTOLI.

Ver. 3.

Deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.] Duo exemplaria *ſupercertare* legunt: quo modo id quod Græcè eſt ἐπαγωνίζεσθαι rectiùs vertas. Cæterùm potuerit Interpres *ſupercertari*, id quod in pleriſque eſt libris, ut deponenti verbo uſus eſſe, quemadmodum Sap. 15.9. & Eccl. 4.33. & 11.9. & 38.29. *certari* & *concertari*: cui ſententiæ B. Thomæ commentarius ſuffragatur.

V.12. *Nubes ſine aqua, quæ à ventis circumferuntur.*] Latinus Regii operis textus *conferuntur* habet pro *circumferuntur*, quod in aliis eſt libris. Græcorum codicum quidam, Regius nominatim, παραφερόμεναι, alii περιφερόμεναι, legunt. Illud Latino Regis textui; utrumque cæteris Latinis libris non malè convenit.

NOTATIONES IN APOCALYPSIN JOHANNIS APOSTOLI.

C. 5. v. 10.

Et feciſti nos Deo noſtro regnum & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.] Antiqui codices *regnabunt* legunt, adſtipulante B. Cypriano, l. 2 Adverſùs Judæos cap. 15. Quædam Græca exemplaria βασιλεύσουσιν *regnabunt* habent, ſed præmittunt αὐτὸς *eos*, *Et feciſti eos Deo noſtro reges & ſacerdotes, & regnabunt ſuper terram.* Alia verò Græca exemplaria vulgari Latinorum codicum ſcripturæ ſimiliter, ἡμᾶς, βασιλεύσομεν, habent, *Et fecit nos Deo noſtro reges & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* Interpres & Cyprianus, ἡμᾶς, βασιλεύσουσιν, legiſſe videntur: quem legendi modum facilè perſuadeat in illos demutatum eſſe, verùm etſi *nos* in *eos* mutes, præcedit tamen proximè, *Et redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.* Verba ſunt quatuor animalium & 24 ſeniorum, laudes & gratias Chriſto ſuo totiúſque Eccleſiæ nomine canentium.

C.8.v.3. *Et data ſunt illi incenſa multa, ut daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureum.*] Duo codices ſignantur omittere, Græcæ ſcripturæ ſimiliter, præpoſitionem *de* (*ut daret orationibus:*) cæterùm videri poſſit Interpres explicationis gratiâ addidiſſe. Primaſius legit, *Ut daret orationes*; ſi tamen non ſit mendum.

C.8.v.12. *Et diei non luceret pars tertia, & nocti ſimiliter.*] Quidam libri primo caſu *nox*, quidam tertio *nocti*, unus ſexto *nocte*, plerique ſecundo *noctis* legunt. *Noctis* ſecundo, aut *nocti* tertio caſu, alterum amplectendum videtur. Græcè ad verbum eſt, *Et dies non luceret tertium ſui, & nox ſimiliter.* Primaſius ſcribit, *Et dies eandem partem amitteret, & nox ſimiliter.*

C.12.v.2. *Et in utero habens, & clamabat parturiens.*] Quidam codices legunt, *Et in utero habens clamabat*; quidam, *Et in utero habens clamat.* Illud Græco Regiæ editionis textui, hoc aliis Græcis exemplaribus conſentaneum eſt. Primaſius ſcribit, *Et erat prægnans, & clamabat*: quem ad modum, ſi, quæ in pleriſque eſt libris, ſervare viſum eſt mediam conjunctionem, jungendum erit τὸ *& in utero habens* iis quæ præcedunt, novâque hinc inchoanda ſententia, *Et clamabat*, ſeu *clamat, parturiens, & cruciatur ut pariat*; aut certè, τὸ *& in utero habens erat* ſubaudiendum.

C.13.v.15. *Et faciat ut quicunque non adoraverint imaginem beſtiæ, occidantur.*] Alii libri *faciat*, alii *facit*, alii *facit* legunt. *Faciat* Primaſio conſonat & pleriſque antigraphis Græcis; pendétque ab eo quod præcedit, *datum eſt illi ut. Facit* Græcis Hiſpanorum editionibus reſpondet: ποιεῖ iſtæ, ποιήσῃ illa habent.

C.14.v.5. *Sine macula enim ſunt ante thronum Dei.*] Quatuor Latina ſcripta in Bibliorum margine ſignata, & quintum, quod ex S. Andreæ Abbatia commodatò accepimus, auferunt illud *ante thronum Dei*, Græcâ Complutenſium editione, cum filiabus, adſtipulante. Cum aliis porrò Latinis codicibus multi Græci addunt. Aretha tractator Græcus, *Hi ſunt qui ſequuntur agnum* legit, loco iſtius *Ante thronum Dei.*

C.15.v.3. *Juſtæ & veræ ſunt viæ tuæ, Rex ſeculorum.*] MSS. exemplaria duo, ea quæ margo Bibliorum ſignat, & impreſſa totidem, Lugduni unum anno 1514. Coloniæ alterum anno 1529, pro *ſeculorum* habent *ſanctorum*, Græcis libris conſentaneè. Porrò quòd in pleriſque *ſeculorum* legatur, fortè dictionum contractarum affinitas cauſam dedit: quædam enim veterum exemplarium ſcōRꝝ, quædam ſcribunt ſcIoRꝝ. Cæterùm eſt & inter αἰώνων & ἀιώνων Græcè non parva affinitas. Græcæ Hiſpanorum editiones, cum Primaſio & Aretha, τῶν ἐθνῶν *gentium* ſcribunt.

C.18.v.2. *Et exclamavit in fortitudine, dicens, Cecidit, cecidit Babylon.*] Plurimi & optimi codices, cum B. Anſelmo, pro *in fortitudine, in forti voce* ſcribunt, conſentientibus Aretha & codicibus Græcis, *a*, *ir*, ac Regiis. Primaſius habet, *Et exclamavit voce magnâ & forti, dicens:* id quod ad alia Græca exemplaria accedit, quæ legunt, *Et exclamavit in fortitudine, voce magnâ dicens.*

C.18.v.13. *Et cinamomum, & odoramentorum, & unguenti, & thuris, & vini, & olei, & ſimilæ, & tritici, & jumentorum, & ovium, & equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animarum hominum.*] Ut cætera hîc

gignendi casu leguntur; ità, id quod primum est, *cynamomum* apud Primasium *cynamoni* legitur. Subauditur autem, ex iis quæ præcedunt, *merces*. Porrò Græci, ut *cynamomum*, ità & sequentia omnia nomina usque ad *& equorum*, accusandi casu scribunt; quæ verò deinde sequuntur, hoc modò, *Et equorum, & rhedarum, & mancipiorum, & animas hominum*: longè congruentiùs; hærent enim aptè præcedentibus, *nemo emet amplius*: at vox *merces*, interrupto sermone, non nisi incommodè huc attrahi potest. Ad Græca Primasii lectio, tametsi *cynamomi* habeat, accessisse videtur: an nostra, ex eo quod *cynamomum* scribat, concinuisse videri possit?

C. 19. v. 1. *Laus, & gloria, & virtus, Deo nostro est* [1 M. G.] Latinus Regiorum Bibliorum textus legit, *Salus, & virtus, & gloria Dei nostri*: cui Græcus eorundem Bibliorum textus, cum Parisiensium exemplaribus, *a* & *is*, conformis est. Alia Græca exemplaria habent, *Salus, & gloria, & honor, & virtus Domino Deo nostro*; quibus Arethæ lectio accedit. Primasius, *Salus & claritas Deo nostro*.

C. 19. v. 15. *Et de ore ejus procedit gladius acutus, ut in ipso percutiat gentes.*] Multi libri addunt *gladius ex utraque parte acutus*, quibus volunt exemplaria Græca, *a*, *is*, & Regia, suffragantúrque Tractatores, Anselmus, Aretha, ac Primasius, & l. 2. c. ult. Adversùs Judæos Cyprianus. Alii porrò Latini codices, cum aliis Græcis exemplaribus haud paucis, Bedæ similiter, id non agnoscunt.

C. 21. v. 11. *Et lumen ejus simile lapidi pretioso, tanquam lapidi iaspidis* [*iaspidi* 1 MS. G.] *sicut crystallum.*] Græcè est, *tanquam lapidi iaspidi crystallizanti*, id quod Primasius exponens legit, *Quasi lapidi iaspidis, refulgenti in modum crystalli.*

C. 21. v. 15. *Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam auream, ut metiretur civitatem.*] Quædam exemplaria, cum B. Anselmo, *arundinem* scribunt: itáque est Græcè, *Habebat mensuram, calamum*, seu *arundinem, auream*; id quod per appositionem rectiùs intelligas *mensuram arundinem auream*, quàm arundineam intelligas mensuram & auream fuisse, quod fieri non possit. Primasius legit, *Habebat arundinem auream ad mensuram.* Quædam exempl. Græca omittunt *mensuræ* nomen; duntaxat legunt, *Habebat calamum*, seu *arundinem auream*, ἔχε κάλαμον χρυσῦν.

C. 22. v. 11. *Et - qui* [1 MS. Ans. G.] *justus - est*, [2 MS. Ans. G.] *justificetur adhuc.*] Vetusta exemplaria, Anselmo concinente, legunt *justitiam faciat adhuc*, S. Andreæ & novem in Bibliis notata. His conformiter Græci Hispanorum codices, & Græcus enarrator Aretha, δικαιοσύνην ποιησάτω habent. Alii Græci codices δικαιωθήτω *justificetur*, ità ut in vulgaribus est Latinorum libris, scribunt. Primasius monet aliam translationem habere *justiora faciat*: quomodo Cyprianus legit, lib. De bono patientiæ 9. & l. 3 Ad Quirinum cap. 23.

C. 22. v. 14. *Beati qui lavant stolas suas* * [* *in sanguine agni* o.] *ut sit potestas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in civitatem.*] Græci libri, Cypriano lib. 2 Adver. Judæos cap. 22. & Arethâ suffragantibus, legunt, μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, quod est, *Beati qui faciunt præcepta ejus.* Latini, & quidem constanter, scribunt, *Beati qui lavant stolas suas.* Fortè ab Interprete lectum est, μακάριοι οἱ πλύνοντες τὰς στολὰς αὐτῶν· quæ lectio, si quod Zegerus annotavit verum est, in nonnullis codicibus exstat. *In sanguine agni*, quod addunt quidam c. 7. v. 14. huc adjectum est, ubi legitur, *Et laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni.*

CATALOGUS

Eorum quibus usi sumus S. Scripturæ Librorum.

Compl. R.] Complutensia, & ex Complutensibus expressa, Regia Biblia, Hebraica, Græca, Latina, Chaldaica, &, quod Regiis proprium est, Syrica.

Ven.] Hebraica & Chaldaica Biblia magna, Venetiis excusa.

Neb.] Psalterium Augustini Nebiensis, quinque linguis, Hebraicâ, Græcâ, Latinâ, Chaldaicâ atque Arabicâ.

Angl. Port.] Psalteria Hebraica MSS. duo, unum Collegii Lovaniensis Societatis Jesu, alterum D. Clementis Angli, & tertium Portugallicum, ex fide reverendissimi D. Lindani citatum.

Syricum Novi Testamenti MS. Colonienſe, ex Orientis partibus allatum.

Syrica N. T. editio, sumptibus Ferdinandi Imperatoris, & Johannis Widmanstadii operâ, Viennæ Austriacæ edita.

Ald.] Græca Biblia Aldi Manutii, anno 1517 impressa.

Argent. Vat.] Græca V. T. Biblia Argentorati edita, collata cùm duobus Græcis Vaticanæ Bibliothecæ antigraphis, quorum variæ lectiones ad marginem adnotatæ sunt, jussu reverendissimi Cardinalis Granvellani.

Bas.] Græca V. T. Biblia Basileæ excusa anno 1550, cum Latina interpretatione.

Torn.] Psalterium Græcum, Latinis literis, Tornaci, olim in cœnobio S. Martini scriptum.

Psalterium Græcum Parisiis impressum, ex S. Victoris codice emendatum. Alterum Parisiis à Chevallonio excusum; Tertium, Antuerpiæ à Stelsio.

N. T. Græcum Basileæ excusum, cum Vaticano codice, in Euangeliis collatum, quondam D. Werneri Atrebatensis Collegii Lovanii Præsidis.

N. T. Græcum Basileæ impressum anno 1536, cum lectionum varietate: & alia aliquot alibi excusa, quæ quia Lovanio longè absumus, commemorare haud possumus; ut nec cæteros libros exactè, ità ut facere deceret, describere.

A, β, γ, δ, ε, &c.] N. T. Gr. Parisiis editum, ad XVI Græca exempl. à Parisiensibus collatum, signata Græcis numeris, α, β, γ, δ, ε, ς. ζ, η, θ, ι, ια, ιβ, ιγ, ιδ, ιε, ις· quorum primum Complutense est exemplar; secundum ex Italia transmissum fuit; octavum, cum cæteris, ex Bibliotheca Regis Francorum sumptum.

Di. o. l. Ge. o. l. p. an. ar. Do. Pau. Su. Con. Cor. au. V. S.] Vetusta Lat. MSS. quibus ad castigandum Parisienses sunt usi; Cœnobii S. Dionysii oblongum & latum, S. Germani oblongum, latum, parvum, aureum & argenteum, Donatianicũ, Paulinũ, Suessonienſe, Constantienſe, Corsendoncenſe, Aureum, S. Victoris exempl. & Sorbonicum correctorium.

Latina Bibl. quæ ad castigationem D. Johannes Hentenius adhibuit, descripta ab eo in præf. Bibl. à se editorum.

Brug.] MSS. Lat. Bibl. duobus magnis voluminibus comprehensa, Cathedralis Ecclesiæ D. Donatiani Brugensis, antiquitate simul & integritate paucis aut nullis secunda, quæ à clarissimo viro D. Jac. Pamelio, Bibliothecæ D. Donatiani præfecto, Lovanium transmissa fuerunt.

Lob.] Alterum Bibl. duobus tomis contentum, MS. exemplar, similiter vetustate & integritate venerandum, à R. D. Ermino Fransoys, Cœnobii Lobiensis S. Petri Abbate, com-

commodatò missum, scriptum ut ad calcem libri diligens scriptor notavit, à F. Goderanno, Annò 1084 indictione 7, concurrente 1, Epactâ 11, rege Henrico æquè Henrici Cæsaris filio jam trienni obsidione urbem Romam graviter premente, concluso in ea Gregorio Papâ, qui & Hildebrandus, anno 9 præsulatûs Henrici Ecclesiæ Leodicensis, 8 autem Gerardi Cameracensis, 6 quoq; Arnulfi Abbatis ejusdem Lobiensis cœnobii S. Petri. Habet hoc exemplar, triplex tribus columnis distinctum, ut & alii quidam veteres codices, Psalterium, Gallicum, Romanum & Hebraicum. Gallicum, nostra est vulgata editio, ab Hieronymo castigata, & obeliscis atq; asteriscis notata. Romanum, ea est quâ Romani ante Hieronymi castigationem videntur usi. Hebraicum, Hieronymi est ex Hebræo versio.

Leod.] Tertium his simile MS. 4 aut 5 tomis, ex Leodiensi S. Jacobi Abbatia allatũ: cui hoc unum deest, quòd plerisque locis, posteriori alicujus præpostera curâ, antiquâ ac germanâ erasâ, vulgaris lectio substituta sit.

A, B, C, D, &c.] Viginti MSS. Bibl. exempl. contribuit, quem suum nuper Lovanii diem obiisse intellexi-mus, M. N. Aug. Hunnæus, piæ memoriæ, signata Alphabeti literis: sunt que, ut juxta præstantiæ ordinem ea numeremus, O, Q, T, E, N, P, L, H, G, A, M, V, I. K B, C, D, F, R, S. Cæterùm T & N fragmenta sunt duntaxat; T Acta Apostolorum, Epistolas D. Pauli, & Catholicas veteri scripturâ continens; N Job, Proverbia, & eos qui deinde sequuntur libros usq; ad Ezechielem, literis miræ magnitudinis, emendatũ ante 300 annos, ex Caroli magni Bibliis undequaq; collectis, jussu, ut præfatio habet, F. Jordani Magistri ordinis Prædicatorum, & F. Hugonis Prioris Provincialis in Francia, à Prædicatoribus S. Dominici Fratribus, quorum & emendationum rationes sub libri finem leguntur, ad quas textus aureâ marginis notâ remittit. O, Q, E, lectissima sunt antigrapha; sed in Psalmis O, cùm Hieron. ex Hebr. translationẽ habeat, multùm ab aliis ejusdem translationis antigraphis discrepat. H in libris Regum præstat; P in Psalmis &, in quibus excellit etiam L, Sapientis libris. I & K sæpe adnotant lectionem veriorem. V quod signamus, & ipsum Q literâ, à M. N. Hunnæo insignitum est. Habuimus ab Hunnæo & Breviarium pervetustum, quod quandoq; citamus: denique præter alia, id quod maximi facimus, MS. Bibl. correctorium, ab incerto auctore, quem Epanorthoten aut Correctorem ferè vocamus, magnâ diligentiâ ac fide contextum, secuto, uti oportet, antiquos nostræ editionis codices, eósque cum Hebræis, Græcis, & vet. Patrum commentariis, sedulò collatos, qui liber Gen. 8. 7. latiùs à nobis descriptus est. Hos porrò MSS. codices, jam à morte D. Hunnæi, opinor Collegii Societatis Jesu esse: reliquerat enim illos Collegio, cui olim commodatò miserat, nisi ante mortem repeteret.

So.ru. So.au. Harl. So.lon. So.al. So.au. So.la. Pl.m. Pl.ang. Pl.la. Pl.par. Pl.long.] Collegium Societatis Jesu duo sua subministravit MSS. Bibl. apographa, minori formâ, quorũ unum Societatis rubrum, alterum appellavimus aureum sive Harlemense, eò quòd auro ornatum Harlemio à Plantino donatum fuerit. Plura subministravit Collegium Societatis fragmenta Bibliorum, eáq; spectatæ antiquitatis, quæ idcirco à confractione P. Harlemius redemerat; unum continens Octateuchum, unum libros Regum & eos qui subsequuntur usq; ad Ezræ, id quod Societatis longum diximus: duo, Societatis album & aureum, codices sunt Euangeliorum: quartum, Societatis latum, Paulinas habet epistolas, eásq; glossematis illustratas. Christophorus Plantinus quinque miserat MSS. Biblia, quæ suo ære à confractione servarat, vocata à nobis Plantini medius codex, angustus, latus, parvus, & longus: quæ quo ordine à nobis numerantur, eo censenda sunt.

Atr. Atr. f.] Atrebatensis Collegii Præsidens, præclarissimus M. N. M. Cornelius Reineri Goudanus, duo commodaverat MSS. Biblia, quorum unum Atrebatense, alterũ Atrebatense fericatum diximus: quibus exemplaribus, ut & eo quod proximè sequitur, etiam Hentenius usus fuit.

Bess.] Ex majori Theologorum Collegio habuimus exemplar quondã Bessarionis Cardinalis, quod ille à Juliano, Cardinali S. Angeli, Florentini concilii Præside, ut epigraphe habet, dono acceperat, id quod, in libris Regum maximè, veram lectionem sæpe notat in margine.

Busl. sive Tril.] Collegium Buslidianum seu Trilingue etiã unũ dederat scriptum, uti coronide additâ adnotatũ est, anno 1432, annis 8 ante typographicæ artis inventionem.

Mal. Mal.ma. Mal.mi.] Ex Abbatia Malmundarien si accepimus miræ vetustatis libellos, qui plerique magis eam quâ veteres Patres, quàm quâ nos utimur, editionem referunt; unum Psalmorum, unum Sapientiæ & Ecclesiastici, unum Machabæorum, unum Epistolarum Catholicarum & Apocalypseos, duos epistolarũ D. Pauli, quorum alterũ majorem, alterum minorem, à literarum magnitudine, vocavimus. Minor nostræ editionis studiosus est; major veterem sectatur, eam quæ ante Hieronymi castigationem.

Torn.] D. Pamelius commodavit nobis, quod Tornaco allatum fuit, vetustissimum atq; lectissimum cœnobii S. Martini Psalterium, A. D. 1105 scriptum: id quod quatuor columnis quatuor Psalterii editiones exhibet, Gallicam, Romanam, Hebraicam, Græcam. Græca ipsa est Græca translatio, Latinis literis scripta.

Got.] Usi sumus & Psalterio ex Cameraco allato, Goticis literis scripto; in cujus lectione Reverendissimus D. Lindanus repuerascendum sibi fuisse scripsit: id quod Romani Psalterii exemplar esse deprehendimus.

Tor.] A D. Lævino Torrentino habuimus Glossam ordinariam in Prophetas minores manuscriptam.

And.] A D. Nicolao Michaelis, Rev. monasterii S. Andreæ juxta Brugas Abbate, unum tomum MSS. Bibliorum quæ ea habet Abbatia insignium: quo uno MS. perficientes Brugis id quod à Lovaniensi fuga restabat, usi sumus, Legimus atq; adduximus aliquando & alia quædam MSS. exemplaria: quibus quia continuè usi non sumus, suis ea locis nominasse sufficiat.

Mog. Colo. Nuren. Ven. Lugd. Quent.] Typis excusa Latina Biblia, quibus perpetuò usi sumus, hæc sunt; Excusa Moguntiæ anno 1472, quam primam esse accepimus Bibliorũ à Typographis editionem (quanquam aliam illâ priorem quidam se vidisse dicant) Coloniæ anno 1479, Nurenburgi anno 1478, Venetiis anno 1497, Lugduni, cum lectionum varietate, anno 1522, Coloniæ apud Quentelium anno 1529. Parisiis castigata anno 1557, & Benedicti scholiis aucta, anno 1573.

Enarratorum atque auctorum quibus usi sumus, longum esset catalogum texere: ex iis quibus aliquando nominantur locis, poterunt intelligi. Cæterùm pòst epistolam ad Roman[illegible] non omnes legimus quos adhuc statueramus, præter spem Lovanio exsules.

---

* Significat eorum quibus præfigitur additionem;
- Eorum rejectionem;
MS. Exemplaria MSS. Lat. quorũ numerus ferè adjungitur.
R. Indicat lectionem concordare cum Bibliis Græcis.
Rab. Sic Rabanum legere significat,
Aug. Augustinum,
Hier. Hieronymum,
B. Bedam,
Greg. Gregorium,
Hil. Hilarium,
Am. Ambrosium,
Rad. Radulphum,
Pr. Primasium.
Nomen verò expressiùs positum, ut *Hieron.* insinuat ex ejus colligi Commentariis ità lectum, licèt in ejus textu legatur aliter: & sic in reliquis.
C. Chald. Paraphrasim indicat.
G. Ostendit lectionem congruere textui Græco Bibliorum Regiorum,
Gq. Cum aliis quibusdam Græcis exemplaribus.
H. Lectionem Hebræo textui conformem esse, vel propiùs accedere, commonstrat.
S. Syriacum textum Regii operis significat.
o. Significat lectiones illas esse exigui momenti.

ANNO-

ANNOTATIONES
JACOBI LOPIDIS STUNICÆ
CONTRA
ERASMUM ROTERODAMUM in Defensionem Tralationis Novi Testamenti.

JACOBI LOPIDIS STUNICÆ
IN
LIBRUM ANNOTATIONUM
Adversùs ERASMUM ROTERODAMUM
Prologus feliciter incipitur.

Ad LECTOREM.

DESIDERIUS Erasmus Roterodamus ex his quæ ex Luciano & Euripide quondam traduxerat, & ex eo libro in quem antiquorum parœmias congesserat, inter studiorum humanitatis cultores nonnihil jam nominis assecutus, non contentus forte suâ quæ pro ingenio & eruditione satìs ampla homini obtigerat, Sacras N. Testamenti Scripturas,nè non omnia experiretur,è Græco in Latinum noviſſimè traducere aggressus est, ac librum Annotationum in easdem condere, Laurentium Vallam imitatus, quem primum fuisse constat qui ejusmodi genus scribendi attigit. Quod opus apud Basileam inclytam Germaniæ urbem abhinc triennium impressoriis excussum formis per totum est orbem divulgatum. Pervenit tandem ad manus meas Erasmicus ille codex numeroso procœmiorum ambitu veluti satellitio præmunitus, perpulcris literarum figuris Græcè & Latinè deformatus, ac titulum in fronte gestans qui & autoris nomen & operis argumentum magnificis quidem verbis & admiranda quædam ac penè παράδοξα pollicentibus præseferre videbatur. Ut autem librum cœpi volvere,traductionémque illam novam & Annotationes à vertice, ut aiunt, ad calcem diligentissimè transeurri, audaciam hominis, quâ ille pro sapientia eo in opere usus est, vehementer sum admiratus. Cùm enim in gentilium auctorum lectione fuerit semper versatus, secularémque eloquentiam ex parte indè didicerit, elegantiâ illâ dicendi qualicunque confisus omnia sibi licuisse existimavit. Quoniam verò non ex charitatis affectu, ut res ipsa planè indicat, neque ut S. Scripturarum studiosis quoquomodo prodesset, ad id operis Erasmus videtur accessisse, sed laudis potiùs cupiditate ductus, atque eo imprimis animo ut veterem Ecclesiæ traductionem ejusdémque auctorem captatâ occasione liberè posset reprehendere; necessarium mihi visum fuit ut ego Ecclesiastici interpretis partes tuendas susciperem. Quod eò libentiùs feci quòd videbam non solùm immeritò ab Erasmo illum reprehendi, verumetiam contumelioſissimè passim compellari, atque ex eruditorum virorum corona penitus explodi; atque id nullo quidem jure,quantum ego arbitror, utpote quem constet & Latinè & eleganter sacros N. Testamenti codices ex Græco in Latinum traduxisse. Quòd si aliquibus in locis à Græcis exemplaribus quæ passim circumferuntur veterem tralationem discrepare Erasmus senserat; si quæ per librariorum aut incuriam aut insciti̇am errata progressu temporis codices nostros subintrarunt reformanda videbantur; extrarium id operis futurum erat: seorsum illa erant annotanda,non totum S. Scripturæ corpus denuò transferendum, non immutanda vetera, non quæ tamdiu usitata fuerant tam licenter invertenda, non deniq;,ut unicâ oratione complectar omnia,tam apertè Ecclesiastica traductio damnanda. Annon damnat qui interpretem illius damnat? qui *dormitantem* appellat? qui *absurditatis affectatorem*, qui *Latinitati vim afferentem*, quíq; iisdem titulis ac cognominibus non veretur illum insignire quibus ineruditi illiteratíque homines ludibrii causâ à doctioribus notari solent? Ut autem studiosis omnibus

liquidò patere possit quàm egregiè eruditus vir iste sit cui antiqua Sacrorum librorum tralatio, utpote Latinissimo ac, ut videri vult, variæ lectionis homini, nunc demum sordere cœpit; ex locis propè infinitis in quibus, & in tralatione sua nova & Annotationum libro, ob imperitiam ac præposterum, ut apparet, intellectum manifestè hallucinatus est, nonnulla seligere decrevimus, atque ea per Sacrorum librorum ordinem in literas mittere, quibus perlectis facilè quisque vel mediocriter eruditus judicare poterit frustrà quidem ac ingrato labore Erasmum provinciam illam suscepisse, ex qua pro gloriola quam immodicè affectasse visus est dedecus fortasse reportabit. Neque velim existimet aliquis nos ad hoc opus maledicendi gratiâ deveniss̃e; id enim à quovis bono viro alienum imprimis esse debet: sed ut veritati potiùs suffragaremur, quam ità indignè ab Erasmo opprimi ferendum nequaquam erat. Cùm præsertim si quisquam alius & nos quoque his de rebus nostro quodam jure judicium ferre possimus. Quippe qui non paucos annos in S. Scripturis Vet. ac N. Testamenti Hebraicè, Græcè & Latinè perlegendis consumpserimus, ac Hebraica Græcáque ipsa Divinarum literarum exemplaria cum antiquissimis Latinorum codicibus diligentissimè contulerimus. Longâ igitur lectione ac experientiâ jampridem edocti quantum tralationi huic Ecclesiasticæ N. Testamenti deferendum sit, nisi fallor, novi optimé. Quæ si ob auctorem qui in incerto est non tanti momenti alicui videbatur; recognitoris tamen ejusdem ac solertissimi emendatoris D. Hieronymi autoritas intemeratam quidem illam atque ab omni calumnia immunem servare debuisset. Neque quisquam tam audax futurus erat qui in eo se opere disertum ac eruditum monstrare niteretur in quod Divus ipse Hieronymus nunquam ex professo manus mittere ausus est, donec Apostolicis tandem jussionibus coactus, quibus refragari nequaquam poterat, emendandi atque ad Græcæ veritatis lineam illud redigendi officium suscepit. Quo in munere & eo quidem temperamento usus est ut nõ omnia, sed ea tantùm corrigeret quæ sensum omnino mutare viderentur. Sed de his fortassis aliquando latiús. Nunc autem institutum aggrediemur opus; rémque ipsam animo quidem libero & ab omni contentione prorsus alieno breviter explicabimus. Lectorem verò oratum velim, quem quicunque erit, dum tamen Græcè & Latinè peritus sit, nostri hujus operis judicem constituimus, ut candidè quidem ac ingenuè his de rebus calculum ferat, quas de causa nostra non parùm confidentes ejus arbitrio liberè relinquimus.

JACOBI LOPIDIS STUNICÆ ANNOTATIONUM

Adversus ERASMUM ROTERODAMUM liber unus.

QUONIAM non uno in loco in libro Annotationum Erasmus vertit in dubium Hebraicéne an Græcè Matthæus Euangelium conscripserit, propensiórque in hanc videtur opinionem ut existimet Græcè illum potiùs scripsisse; operæ pretium me facturum putavi si hac de re opus nostrum initium sumeret, ac quicquid illud est quod super hoc B. Hieronymus cæteríque Ecclesiastici doctores scriptum reliquerunt in medium afferrem. Hieronymus igitur in Prologo super quatuor Euangelia ad Damasum Papam sic de hoc ait, *De Novo nunc loquor Testamento, quod Græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Judæa Euangelium Hebraicis literis edidit.* Idem in Prologo sequenti, *Primus omnium Matthæus est publicanus cognomento Levi, qui Euangelium in Judæa Hebræo sermone edidit, ob eorum vel maximè causam qui in Jesum credíderant ex Judæis, ac nequaquam Legis umbrâ recedente Euangelii veritatem servabant.* Idem in Prologo super Matthæum, *Matthæus, cùm prædicasset Euangelium in Judæa, volens transire ad gentes, primùs Euangelium scripsit Hebraicè; quod fratribus à quibus ibat ad memoriam reliquit.* Idem in libro De viris illustribus, *Matthæus, qui & Levi, ex publicano Apostolus, primus in Judæa propter eos qui ex circumcisione crediderant Euangelium Christi Hebræis literis verbísque composuit: quod quis postea in Græcum transtulerit non satis certum est.* Idem in eodem libro, ubi agit de Pantæno Stoicæ sectæ philosopho & Christiano, qui in Indiam à Demetrio Alexandrino Episcopo missus est, Hunc ipsum ait Pantænum Matthæi Apostoli Euangelium Hebraicis literis scriptum ex India revertentem Alexandriam secum retulisse. Idem in Explanationibus super Esaiam cap. 6. *Matthæus autem & Joannes, quorum alter Hebræo, alter Græco sermone Euangelia texuerunt, testimonia Hebraica proferunt, ut est illud, Ex Ægypto vocavi filium meum; &, Quoniam Nazaræus vocabitur; &, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ.* Eusebius item Cæsariensis Eccles. hist. lib. 3. ubi agit de Divinis Scripturis ab Ecclesia receptis, sic ait, *Igitur ex ipsis discipulis Domini Matthæus tantummodo & Joannes ad scribendum appulisse animum traduntur, necessitate quadam in hoc ipsum provocati. Matthæus enim primò Hebræis prædicaverat: verùm cùm pararet transire ad Gentes, patriâ linguâ scripturam composuit, & ea quæ prædicaverat comprehendens, dereliquit his ad memoriam à quibus proficiscebatur ut Gentibus prædicaret.* Idem in fine ejusdem libri tertii, ubi agit de Papia episcopo Hieropolitano Joannis Apostoli discipulo, *Sed & de Matthæo*, inquit, *ità refert; Matthæus quidem scripsit Hebraico sermone: interpretatus est autem ea quæ scripsit unusquisque sicut potuit.* Et lib. 5. ubi de Irenæo Lugdunensi episcopo scribit, & illum de ordine canonis Divinarum Scripturarum differentem inducit, sic ait, *Primò*, inquit, *de Sanctis Euangeliis videamus. Matthæus quidem Hebræis propriâ eorum linguâ conscriptum edidit Euangelium, cùm Paulus & Petrus in urbe Roma euangelizarent, atque ecclesia inibi fundamenta solidarent.* Libro quoq; sexto ejusdem Ecclesiasticæ historiæ Origenem de N. Testamenti canone in commentariis super Matthæum sic ait scripsisse, *Ità enim tradiderunt Patres, quia primò omnium scriptum sit Euangelium à Matthæo, qui aliquando fuerat publicanus, Hebraicis literis, & traditum his qui ex circumcisione crediderant.* Augustinus etiam lib. 1 De cons. Evangel. cùm quatuor Euangelistas enumerasset, sic retulit, *Horum sanè quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio; cæteri Græco.* Chrysostomus quoque in homiliis super Matthæum, *Matthæum,*

thæus, inquit, *accedentibus his qui ex Judæis Christo crediderant, & rogantibus ut quæ verbis docuisset hæc eis in literis servanda dimitteret, Hebræo dicitur Euangelium conscripsisse sermone.* Cùm itaque tot veterum Ecclesiæ Doctorum autoritatibus plenissimè probatum sit Matthæũ Hebraicè scripsisse, non est cur de hoc Erasmus ampliùs dubitet: neque ut illud asserat impostorum, *verisimilius sibi videri Græcè illum Euangelium edidisse.* Nam quod ait, *id conjici vel ex eo maximè posse quòd stylus Matthæi cum stylo Marci planè consentit, haud admodum dissentiens à dictione Joannis*; non hoc mirum videri debet, si loquendi idiomate omnes conveniant, etiamsi diversis linguis Euangelia conscripserint. Erant enim ejusdem generis, h. e. Hebræi ex Hebræis, & qui Græcè ex illis scripserunt, patriæ linguæ proprietatem in Græca scriptura sæpissime referunt. Quod & in Luca potissimùm apparet, qui tametsi elegantiore stylo quàm cæteri & Euangelium & Apostolorum Acta Græcè conscripserit, nunquam tamen ejus scripta quis perlegens non Hebraismum frequenter in eo deprehenderit. Ad id verò quod Erasmus ait, *neminem esse qui testetur Hebraici Euangelii à Matthæo editi ullum se vidisse vestigium*; *sed neque ipsum Hieronymum alicubi indicare se illud vidisse, ac propterea non sibi fieri verisimile Hebraicè Matthæum scripsisse*, potest quidem responderi quòd ex autoritatibus veterum Ecclesiæ tractatorum quas suprà retulimus manifestissimè patet aut illos originale Matthæi Euangelium conspexisse, aut à majoribus qui illud viderant quod de eo retulerunt accepisse. A Hieronymo quoque visum fuisse ac perlectum, præter illud Chaldaicum quod *Nazaræorum* appellabatur, ex eo quidem intelligi posse, quòd idem Hieronymus ad Hedibiam scribens super illo, *Vespere autem sabbati*, sic ait, *Mihique videtur Euangelistam Matthæum, qui Euangelium Hebraico sermone scripsit, non tam* vespere *dixisse quàm* serò: *& eum qui interpretatus est ambiguitate deceptum non* serò *interpretatum esse, sed* vespere; *quanquam consuetudo humani sermonis tenet* serò *non* vesperum *significare, sed* tardé. Idem in Epistola ad Damasum de Osanna, *Denique Matthæus, qui Euangelium Hebraico sermone conscripsit, ità posuit*, Osanna barrama, *i.* Osanna in excelsis. Qui ergò toties asseverat Matthæum Hebraicè scripsisse, quíque de Hebraico verbo in ejusdem Euangelio pro *vespere* posito disputat, & *Osanna barrama*, quæ voces Hebraicæ sunt, illum ait scripsisse, quomodo dici potest Hebraicum illius Euangelium non vidisse atque legisse? Hæc de Matthæi Euangelio longiùs fortasse quàm necesse fuerat sumus prosecuti. Illud tamen non omittendum, *Matthæum* non *Matthathiahu* Hebraicè appellatum, ut Erasmus ex ignoratione Hebraicarum literarum existimavit: id enim *Matthathiam* sonat non *Matthæum*. Matthæus verò Hebraicè dictus est *Matthai*, quod *donatum* significat, unde & à Græcis Θεοδωρήτος interpretatur. Et à *Matthai* dictus est *Matthæus*, sicut à *Zacchai Zacchæus*, ab *Aggai Aggæus*. Græci enim, ut Josephus lib. 1 Jud. Antiq. autor est, Hebraica nomina propter scripturæ decorem ad delectationem legentium mutaverunt. Unde Noe apud Græcos *Nochus* appellatur: dicitur enim Hebraicè *Noach*; & Abraam *Abraamus*; atque eodem modo & in reliquis nonnunquam effecerunt. Quòd verò per *a* diphthongon hoc nomen à Græcis & Latinis scribitur, ex communi observatione id factũ putamus. Siquidem Hebræa nomina quæ in *ai* divisa desinunt per *ai* suum Græci aliquando transtulerunt additâ terminatione Græcâ, quos & Latini imitati sunt; id quod frequenter ab utrisque factitatum diligenter adnotavimus.

EX EUANGELIO SECUNDUM MATTHÆUM.

Ex Cap. 1.

v. 3. VEtus Tralatio, *Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar.* Matthæi Interpres, Ἰούδας δὲ ἐγέννησε τὸν Φαρὲς καὶ τὸν Ζαρὰ ἐκ τῆς Θάμαρ. Erasmus, *Judas autem genuit Phares & Zaram è Thamar.*

Mirum est ejusmodi homines interdum reperiri qui *signis plùs delectentur*, ut D. Augustini verbis utar, *quàm rebus ipsis.* Atque isti ex illorum grege sunt qui cùm omnem ferè ætatem in Poetarum & Oratorum lectione consumpserint, eorúmque suaviloquentiâ ac dicendi elegantiâ sint penitus deliniti aut inescati potiùs, quicquid ultra id legerint, modò illud sit sacrum modò profanum, eatenus amplectuntur ac probant quatenus præscriptas quasdam elegantiæ leges aut, quod durius hoc est, Grammaticorum molestissimas præceptiones nequaquam excedere videtur. Horum de numero Erasmus est Roterodamus, atque adeò omnes alii quos ille sui hujus operis antesignanos habet; qui hanc provinciam aut Scripturas Sacras de novo transferendi aut Annotationum libros in easdem conscribendi non ob aliud sibi desumpsisse videntur, nisi ut veterem Ecclesiæ tralationem passim carperent, illiúsque autorem imperitiæ redarguerent: non illud vertentes animo aut secum quovis modo reputantes, dum hoc agunt unâ se operâ Ecclesiam reprehendere, quæ tot retro seculis hâc interpretatione usa est, omnésque veteres Ecclesiæ tractatores, viros quidem illos eruditissimos pariter ac sanctissimos, qui mille jam annis & eo ampliùs in Sacris hujus tralationis Scripturis elucidandis pondus diei & æstus pertulerunt, insciliæ palàm accusare, ipsúmque imprimis Sacrorum librorum recognitorem & emendatorem D. Hieronymum insigni afficere contumeliâ; cùm quæ ille tanquam Scripturæ sensum non mutantia ità ut antea fuerant manere passus est, hæc isti callidi non rerum sed verborum æstimatores non solùm invertere conentur, sed de Ecclesiasticis libris tanquam ex albo Prætoris si possent penitus eradere. Hæc iccirco præfatus sum quòd cùm interpres Ecclesiasticus pro ἐκ τῆς Θάμαρ hoc loco *de Thamar* traduxerit & non *ex Thamar*, ac rursus pro ἐκ τῆς Ῥαχαβ *de Raab* & non *ex Raab*, quasi Getthicè locutus fuerit & non Latinè, ità ab istis secularis elegantiæ superstitiosis observatoribus irridetur. *Mirum* enim, Erasmus in Annotationibus inquit, *cur magìs placuerit præpositio* de *quàm* ex. *Quis enim dicitur genuisse aut suscepisse filium* de illa, *ac non potiùs* ex illa? Quasi multùm referat *de Thamar* an *ex Thamar* Vet. interpres traduxerit; dum tamen per illa verba qui legit intelligat geminos illos Phares & Zaram unico partu Judæ Thamar peperisse. Quòd si *ad rerum cognitorem*, ut Augustinus ait, *non pertinet* inter homines *dicatur an* inter hominibus, multò certè minùs pertinebit *de Thamar* an *ex Thamar* quis dixerit; cùm præsertim hæc oratio solœcismo vacet, quo vitio superior illa non carebat. Pro unica verò præpositione Græca ἐκ duo Latini habent, *de* scilicet & *ex*, quibus non solùm indifferenter Interpres utitur, sed quò magìs Erasmus admiretur, quotquot Latinè locuti existimantur. Quod Laurentius Valla non ignorans, qui & aliàs, ficubi Ecclesiasticus interpres Latinitatem dissimulasse visus est, non solet illud tacitum præterire, ex hoc loco autoritatem sumpsit contra eos qui putant multum inter has duas præpositiones interesse; atque aliud esse *de*, aliud *ex*, quod secùs esse ac ipsi existimant vel ex eo quod statim pro ἐκ τῆς Ῥοὺθ *ex Ruth*, & pro ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου *ex ea quæ fuit Uriæ*, Interpres traduxit, luce clariùs apparet. Quin & D. Hieronymus 1 Par. 3. indifferenter his duabus præpositionibus usus est. Sic enim illic legitur, *David verò hos habuit filios qui ei nati sunt in Hebron. Primum Amnon ex Achinoem Jezraelitide; secundum Daniel de Abigail Carmelitide.* Et infrà, *Quintum Saphatiam ex Abital*; *sextum Jethraam de Egla uxore sua.* Per *de* verò solùm, quod non rectè dici posse Erasmus existimavit, idem Hieronymus hujuscemodi genus loquendi in Prologo super Osee prophetam eleganter protulit. Sic enim illic ait, *Cur Salmon virum justum Booz de Raab meretrice generarit?* & paulò pòst, *Quid causæ sit quòd cùm David tot habuit uxores nullum alium sui regni fecerit heredem nisi eum qui de Bethsabee procreatus est?*

V. 5. Vet. tralatio, *Jesse autem genuit David regem.* Matthæi Interpres, Ἰωσὲ δὲ ἐγέννησε Δαβὶδ τὸν βασιλέα. Erasmus in Annotationibus, *Interpres*, inquit, *addidit articulum* τὸν βασιλέα, *veluti discernens eum ab alio quopiam David qui non fuerit rex; vel hoc agens ut hic insigniè rex intelligatur, cùm alios multos reges commemoret, nulli tamen ascribens regii cognominis honorem*, &c.

Si plus olei in S. Scripturarum studio Erasmus consumpsisset quàm in Luciani opusculis aut aliorum gentilium autorum libris perlegendis, aut si ex æquo saltem Ecclesiasticis ac secularibus libris operam impendisset, nunquam hoc misisset in literas, quo perlecto nemo est in S. Scripturis vel mediocriter eruditus qui hominem nec primoribus ut aiunt labris Sacros degustasse codices non statim asseveret. Non enim in tota serie Vet. Instrumenti (Apocrypha semper excipio) alius quivis reperitur qui *David* nomine vocitetur præter hunc regem. Quin & alium Salomonem præter hujus filium & in regno successorem nequaquam in Sacris reperies libris. Sed neque trium Patriarcharum nomina, h. e. Abraam, Isaac & Jacob, aut duodecim tribuum, Moysi quoque & Aaron alicubi reperies usurpata. Cur autem David solus ab Euangelista Matthæo inter cæteros fuerit Rex appellatus, ex Glossa quam Ordinariam vocant facilè Erasmus didicisset, in qua sic legitur, *Regem*] *Non quòd solus in hac genealogia rex, sed quia primus rex de Juda & regum principium, propter quem & cæteri in solio regni servantur.* Hæc Glossa. Ergò articulum τὸν non propterea Græcus interpres hîc addidit ut David regem ab alio David qui non fuerit rex distingueret; sed ut Hebraicum articulum *ha* exprimeret. Apparet enim David *hamelech* Matthæum scripsisse, quod Δαβὶδ τὸν βασιλέα necessariò reddendum erat.

V. 6. Vetus tralatio, *David autem rex genuit Salomonem ex ea quæ fuit Uriæ.* Matthæi Interpres, Δαβὶδ δὲ ὁ βασιλεὺς ἐγέννησε τὸν Σολομῶντα ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου. Erasmus, *David autem rex genuit Solomonem ex ea quæ fuit uxor Uriæ.*

Nemo putet ex eo quòd Græci dicunt *Solomonem* & Latini *Salomonem* Latinos errare aut Græcos; sed utroque modo dici posse. Nam cùm Hebraicè dicatur שלמה per Seva, apex ille cùm in prima ponitur syllaba plerumque in *a* verti solet. Sic quod Hebræi מְנַשֶּׁה dicunt, nos *Manassem* proferimus; quod illi מְנַחֵם, nos *Manahem*; שְׁלוֹמִית, צְבָאוֹת illi, nos *Sabaoth*, *Salomith*, per *a* in prima dicere solemus. Invenitur etiam prædictus apex Seva in *o* versus; unde quod Hebraicè dicitur כְּבָר nos *Chobar* dicimus; quod illi צְפַנְיָה nos *Sophoniam*; פְּעוֹר גְּדִלְיָהוּ illi, nos *Phogor* & *Godoliam* dicimus. Ergò vel *Salomon* vel *Solomon* secundùm veterum observationem rectè dici potest. Nam pro ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου quod Græcus habet, satìs apertè Latinus interpres transtulit cùm dixit, *ex ea quæ fuit Uriæ*; subintelligitur enim *uxor*: ac nemo est qui historiam ignoret, sit modò in S. literis aliquantulùm institutus. Quòd verò uxorem hanc Uriæ *Bersabe* per *r* in Annotationibus Erasmus appellavit, cùm *Bethsabe* per *th* & in Hebræo & vetustis Latinorum codicibus legatur, mirum nemini videri debet, quandoquidè se Hebraicè nescire in prologo Annotationum ingenuè fassus est. Theseus ille Oecolampadius trium linguarum peritus in jus potiùs vocandus esset quòd Panerasmium suum nequaquam de hoc admonuit: nè vel ex prima Annotationum pagina utrumque Hebraicam ignorare linguam nos, qui his de rebus ἀνὰ σπουδὴν judicium ferre possumus, non semel sed iterum deprehenderemus.

V. 11. Vetus tralatio, *Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis.* Matthæi Interpres, Ἰωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰεχονίαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος. Erasmus, *Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in demigratione in Babylonem.*

Hoc loco Erasmus, Grammaticorum observatione penitus neglectâ, quâ dicitur *migrare* sive *demigrare* esse domicilium mutare & aliò se ad habitandum conferre, *transmigrare* verò in longinquioris loci domicilium habitationem mutare, pro *transmigratione demigratione* maluit traducere. Atqui magìs Græcam literam exprimit *transmigratio* quàm *demigratio*: μετὰ enim præpositio frequentiùs reperitur significare *trans* quàm *de*, ut in hoc verbo μεταβαίνω, quod *transire* sonat, & μεταβατικὰ ῥήματα *transitiva verba* Grammaticis appellantur, & μετάθεσις figura *transpositio* Latinè dicitur, & μετάφορα *tralatio*, atque alia id genus sexcenta, quæ brevitatis gratiâ prætermittimus. Nam quòd pro *transmigratione Babylonis* iccirco se *in Babylonem* ait transtulisse, quò vel sermonis ambiguitatem hoc pacto vitaremus; ridiculus omnino est. Quis enim unquam hæc legens nisi passivè accepit? Quid quòd & Græcus Matthæi Interpres ἐπὶ τῆς μετοικεσίας Βαβυλῶνος transtulit, non εἰς Βαβυλῶνα, quod ad verbum Latinus reddidit, cùm *in transmigratione Babylonis* traduxit pro eo quod Matthæus, ut conjectare par est, *Begaluth Babel* originaliter scripserat. Non erat igitur hic locus ab Erasmo quovis modo immutandus. Neque enim erat periculum ut ex his verbis Babylonem transmigrasse aliquò lector quantumvìs rudis existimaret, ut frustrà Erasmus est suspicatus, ex suo ingenio aliena judicans; ac non potiùs Judæos in Babylonem: cùm *Ægypti captivitas* dicatur quoties Judæos in Ægypto fuisse captivos ostendere quis velit; ac non per hoc intelligatur Ægyptum aliquando fuisse captivam. Quanquam dum eam ambiguitatem Erasmus tollere conatur, in alienum videtur sensum Euangelica verba traduxisse. Apparet enim Erasmicam tralationem diligenter intuenti hoc sonare, quòd cùm Hebræus populus demigraret in Babylonem, *in* ipsa *demigratione*, i. in ipso itinere, *Josias genuerit Jechoniam & fratres ejus*, quod falsum est. Constat enim in ipsa captivitate Babylonica, quæ honestiore vocabulo μετοικεσία i. *transmigratio* appellata est, eosdem esse à patre Josia genitos.

V. 23. Vetus tralatio, *Ecce virgo in utero habebit.* Matthæi Interpres, Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ ἕξει. Erasmus, *Ecce virgo erit pregnans.*

Græca litera sic ad verbum habet ut Latinus Interpres transtulit, i. *Ecce virgo in utero habebit.* Esaiæ verò c. 7. unde hæc verba sumpta sunt, in Hebræo sic legimus, הנה העלמה הרה i. *Ecce virgo concipiet*, pro quo Lxx Interpretes Ἰδοὺ ἡ παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται transtulerunt, h. e. *Ecce virgo in utero accipiet.* Non debuit ergò Erasmus à Græco textu discedere, atque cùm Græcam interpretaretur Scripturam Euangelicis prætermissis verbis Hebraica potiùs traducere; cùm ex D. Hieronymo super Esaiam constet ità Matthæum scripsisse ut in Græco & tralatione nostra continetur. *In multis enim*, inquit, *testimoniis quæ Euangelistæ vel Apostoli de libris veteribus assumpserunt, curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse sed sensum, unde & in præsenti loco pro* concipiet in utero *Matthæus posuit* in utero habebit, *& pro* vocabis, vocabunt. In Explanationibus quoque super Matthæum hunc locum edisserens sic ait idem Hieronymus, *Pro eo quod Euangelista Matthæus dicit* in utero habebit, *in Propheta scriptum est*, in utero accipiet: *sed Propheta quia futura prædicit significat quid futurum sit, & scribit* accipiet; *Euangelista, quia non de futuro sed de præterito narrat historiam, mutavit* accipiet *& posuit* habebit. *Qui enim habet nequaquam accepturus est.* Quod verò Erasmus in Annotationibus ait הרה per duplex Camez præsentis esse temporis & per unum præteriti; non bene illum suus Theseus docuit. Hebræus enim sermo duo tantùm habet tempora, h. e. præteritum & futurum; atque ista sibi invicem succedunt, h. e. alterum pro altero quandoque ponitur, i. præteritum pro futuro & futurum pro præterito. In prophetiis autem præteritum sæpissime ponitur pro futuro. Præsens verò tempus per nomina quædam verbalia quæ participiorum vim obtinent Hebraicè solet exprimi. Quod autem הרה, quamvìs sit præteriti temporis, de futuro hic debeat interpretari, docet idem Hieronymus in libro De optimo genere interpretandi, sic dicens,

Porrò

Porrò in Hebræo legimus, Ecce virgo concipiet, pro quo Lxx transtulerunt, Ecce virgo in utero accipiet. Nam quòd Erasmus ait Hieronymum dictionem Hebraicam *Alma* explicantem joco veriùs quàm seriò dixisse *almum* Latinis *sanctum* dici, non bene, ut ego arbitror, Hieronymi verba intellexit. Non enim joco ab eo id dictum asseverare quis potest, cùm *almum sanctũ* Latinè significet; id quod Hieronymus Latinæ linguæ imprimis peritissimus non ignorabat. Non igitur joco, ut Erasmus existimavit, sed seriò locutus Hieronymus videtur, tametsi putabat risum se Judæis præbiturum si Latinam vocem ex Hebræa originem trahere vellet ostendere. Quò verò Erasmi error & lectio tumultuaria faciliùs appareat, verba ipsa Hieronymi ex Explanationibus super Esaiam cap. 7 ascribenda hîc censui. *Et ut risum*, inquit, *præbeamus Judæis, nostro quoque sermone ALMA sancta dicitur: omniúmq; pene linguarum verbis utuntur Hebræi; ut est illud in Cantico Canticorum*, de Græco φορεῖον i. ferculum fecit sibi Salomon, *quod in Hebræo legimus* apyrion. *Verbum quoq; nugas & mensuram Hebræi eodem modo & eisdem appellant sensibus.* Hactenus Hieronymus. Dicere voluit hanc dictionem *Alma*, quæ apud Latinos *sanctam* sonat, ab Hebraico videri originem trahere, sicut & φορεῖον & *nugas & mensuram*; quanquam hæc dicens Judæis se præbiturum risum arbitrabatur, cùm Latinos viderent ab Hebraica origine dictiones velle mutuari.

Ex Cap. II.

V. 1. Vetus tralatio, *Cùm ergò natus esset Jesus in Bethleem Juda.* Matthæi Interpres, τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ἰουδαίας. Erasmus, *Cùm autem natus esset Jesus in Bethleem Judææ.* Et in Annotationibus, Judææ (inquit) *legendum est, non* Judæ, *suffragantibus vetustissimis exemplaribus, &c.*

Hoc loco verius esse quod moderni Latinorum codices habent quàm quod vetustissimi ac Græca ipsa exemplaria, ex Hieronymo facile est discere, qui in Explanationibus super Matthæum quod infrà sequitur explicans, i. *At illi dixerunt in Bethleem Judæa*, sic ait, *Librariorum hîc error est. Putamus enim ab Euangelista primùm editum, sicut in ipso Hebraico legimus*, Judæ, *non* Judææ. *Quæ est enim aliarum gentium Bethleem ut ad distinctionem ejus hîc* Judææ *poneretur?* Judæ *autem iccirco scribitur quia & aliam Bethleem in Judæa legimus in libro Jesu filii Nave.* Hæc Hieronymus. Quæ si Erasmus legisset, non utique Græcam literam hoc loco Latinâ veriorem putans in Annotationibus scripsisset, *siquidem Juda hominis est nomen, Judæa regionis:* cùm *Judææ* appellatione omnes duodecim tribus comprehendantur, *Juda* verò una tantùm tribus, in qua Bethleem ista sita est ubi Salvator noster est natus, quæ *Juda* cognominatur ad distinctionem alterius Bethleem quæ est in Zabulon, de qua Josue ca. 19 legitur. Meminit utriusq; D. Hieronymus in libro Locorum. Nam in eo quod paulò infrà Erasmus ait aliam esse Bethleem in Galilæa ex libro Judicum; memoriâ fine dubio destitutus est. Nulla enim est in libro Judicum Bethleem quæ dicatur esse Galilææ, sed Judææ. Est enim ista de qua nobis est sermo. Hieronymus in Explanationibus super Micheam cap. 5. *Nihilominus*, inquit, *& de libro Judicum hoc possumus probare quòd Bethleem in tribu Juda sit. Scriptum est enim*, Et fuit vir Levites habitans in lateribus domûs Ephraim, & accepit sibi mulierem concubinam de Bethleem Juda, & irata est ei concubina sua: & abiit in domum patris sui in Bethleem Juda. *Pulvis autem dicitur* in Bethleem Juda *ad distinctionem ejus Bethleem quæ in Galilæa sita est, sicut in eodem Jesu volumine reperi.* Hæc Hieronymus.

V. 16. Vetus tralatio, *Ac mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus ejus à bimatu & infrà.* Matthæi Interpres, Καὶ ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας τοὺς ἐν Βηθλεὲμ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω. Erasmus, *Ac missis satellitibus sustulit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus confiniis Bethleemiticis à bimatu & infrà.*

Pro unica dictione Græca ἀποστείλας duas Erasmus Latinè reddidit, quò elegantiùs hunc locum transferret. *Ac missis*, inquit, *satellitibus.* Quid autem si non satellites neque carnifices aut ministros Herodes misit, sed edicta regia per veredarios quibus provinciarum judices juberentur occidere infantes illos? ἀνεῖλε verò, pro quo V. tralatio habet *occîdit*, *sustulit* ille maluit traducere, ambiguo quidem verbo, & non nisi ab his intelligendo qui secularium autorum libros perlegerint: sonat enim & Auferre & Sursum tollere & Occidere. Quod vel ex carminibus quæ, ut Suetonius ait, in Neronem fuere olim jactata facilè percipitur. Ea erant hujusmodi,

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Horum verò carminum cavillus ex ambiguitate hujus verbi *sustulit* redundabat. Constat enim Æneam patrem Anchisem ex mediis Trojæ flammis in humeris sublatum extraxisse; at verò Neronem Agrippinam matrem crudeliter occidisse. Hujus autem infantum occisionis ex gentilibus meminit Macrobius. Libro enim Saturnalium secundo cùm de dicteriis Augusti Cæsaris ageret, *Cùm audisset*, inquit, *inter pueros quos in Syria Herodes rex Judæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait, Melius est Herodis porcum esse quàm filium.*

Ex Cap. III.

V. 2. Vet. tralatio, *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.* Matthæi Interpres, Μετανοεῖτε· ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Erasmus, *Pœniteat vos: appropinquavit enim regnum cœlorum.*

Quod Vetus interpres hoc loco Latinè ac propriè transtulit, hoc Erasmus verbis quidem novis & hactenus in Ecclesia inauditis proferre ausus est, *Pœniteat vos* inquiens. Cæterùm nemo doctorum veterum, atque illorum quidem qui præter S. Scripturarum doctrinam Latinæ quoque linguæ peritissimi sunt habiti, aliter hunc locum unquam citavit nisi ut in V. tralatione continetur. Hieronymus lib. 1 dialogorum contra Pelagianos, *Lege Euangelia, Joannes Baptista clamat in deserto, Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum.* Augustinus lib. 2 De cons. Euangelist. *Matthæus verò de Joanne ità contexuit, In diebus autem illis venit Joannes Baptista prædicans in deserto Judææ, & dicens, Pœnitentiam agite: appropinquavit enim regnum cœlorum:* & infrà, *Potuit ergò & Joannes Baptista cùm dixisset*, Agite pœnitentiam: appropinquavit enim regnum cœlorum, *de seipso adjungere quæ sequuntur.* Vides Doctores sanctos & utriusque linguæ peritissimos ità Euangelica verba protulisse ut tralatio Vetus continet. Nemo illorum unquam dixit, *Pœniteat vos*, ut novus iste S. Scripturarum metaphrastes; qui hoc dicendi modo potiùs significare videtur ut pœniteat illos quia appropinquavit regnum cœlorum, quàm ut resipiscant, ut ipse ait, atque ad mentem redeant, h. e. erratorum agant pœnitentiam.

V. 7. Vetus tralatio, *Genimina viperarum.* Matthæi Interpres, γεννήματα ἐχιδνῶν. Erasmus, *Progenies viperarum.* Et in Annotationibus, *Poterat*, inquit, *dicere* filios *sive* germina. *Nam* genimen *haud arbitror usquam comperiri apud probatos auctores.*

Quod Erasmus in Annotationibus ait *genimen* haud usquam, ut ipse arbitratur, comperiri apud probatos auctores, non est omnino verum. Siquidem apud probatissimum auctorem D. Hieronymum hoc nomen aliquando legimus. Job. 31. Hieronymo Interprete, *Ignis est usq; ad perditionem devorans & omnia eradicans genimina.* Proverb. 8. eodem interprete, *Melior est fructus meus auro & lapide pretioso: & genimina mea argento electo.* Et in eodem libro cap. 18. *Et genimina labiorum ipsius saturabunt eum.* Est

autem *genimen* Latinum nomen, & formatum à *geno, is*, verbo priſco quo Varro & Lucretius uſi ſunt, ut eſt videre apud Priſcianum lib. 10 ſic dicentem, *Gigno genui, pro quo* geno *vetuſtiſſimi protuliſſe inveniuntur. Varro in Andabata. Sed quòd hæc aliquid genunt. Infinitivum paſſivum Lucretius in quarto protulit* geni.

——Tantò magìs inficiandum
Totum poſſe extra corpus durare genique.

Hactenus Priſcianus. Apparet autem à verbo *geno* ità factum eſſe *genimen* ſicut à *rego regimen*. Sunt autem hujuſcemodi nomina accentu in prima proferenda, quia ſunt tertiæ conjugationis. Nam quæ ſunt quartæ penultimam acuunt.

V. 8. Vetus tralatio, *Facite ergò fructus dignos pœnitentiæ*. Matthæi Interpres, ποιήσατε οὖν καρποὺς ἀξίους μετανοίας. Eraſmus, *Facite ergò fructus qui deceant pœnitentiam.*

Ambiguum eſſe ait Eraſmus in Annotationibus utrùm genitivus *pœnitentiæ* pertineat ad nomen *fructus* an ad *dignos*, quòd rarò apud Latinos jungitur paterno caſui. Nos verò dicimus nullam hîc eſſe ambiguitatem. Nam ſi ad nomen *fructus* genitivus *pœnitentiæ* pertineret, ἄξιος i. *dignos* cui conjungeremus? Nunquam enim hoc nomen *dignus* per ſe ſolum ſcribi ſolet : neque abſolutè dicimus, *hic homo eſt dignus*, aut *hic homo facit opera digna*; niſi rem quâ dignus ille eſt aut quâ digna cenſemus opera quæ facit ſtatim proferamus. Igitur genitivus *pœnitentiæ* ad *dignos* neceſſariò referendus eſt ; & Latinè ac propriè V. interpres tranſtulit : ſic enim veteres Græcâ figurâ proferre ſunt ſoliti, quanquam uſitatius eſſet per ablativum. Diomedes Artis grammaticæ lib. 1. *Per ablativum autem ſic, ut* dignus hâc re ; *& ſi quid tale aliquid inveniatur, per utroſque caſus id affiguratur*, *ut* dignus ſum hujus rei *&* hâc re. Sed prius Græcâ figurâ profertur: apud illos enim genitivo caſui jungitur, ut ἄξιός εἰμι τότε τῆ πεῖγμαῖ☞.

Ex Cap. IV.

V. 1. Vetus tralatio, *Tunc ductus eſt Jeſus in deſertum à ſpiritu ut tentaretur à diabolo*. Eraſmus in Annotationibus, *Caterùm quod in Hilario pro* à diabolo *legitur* à Zabulo, *fortaſſis errori librariorum eſt adſcribendum.*

Ex hoc facilè apparet non Hilarii opera Eraſmum perlegiſſe, ſed neque aliorum doctorum veterum, niſi quatenus ex eis excerperet quod ſuo operi conducibile videbatur. Si enim Hilarii commentarios diligenter Eraſmus percurriſſet, non hoc loco tantùm ſed & in aliis quamplurimis *Zabuli* appellatione diabolum ab eo vocitatum comperiſſet. Nam paulò antè canone ſecundo ſic ait, *Zabulus infidelis* ; *Abraam fidelis :* & infrà, *Qui autem infideles ſunt in Zabuli progeniem infidelitate mutentur.* Fuit enim hæc diaboli appellatio priſcis illis Eccleſiaſticis olim uſitata. Cyprianus in libro ad Fortunatum De exhortatione martyrii cap. 10. *Quia major eſt Dominus ad protegendum quàm Zabulus ad impugnandum :* & paulò infrà, *Et adhuc fortiùs docens & oſtendens Spiritus S. caſtra Zabuli non timenda*, &c. In hymno quoque qui canitur in feſto D. Michaelis *Zabulum* pro *diabolo* legimus, ubi dicitur *Michaelem in virtute conterentem Zabulum*, i. diabolum. Sic enim antiqui & emendati eccleſiaſticorum hymnorum codices habent, non *Zabulon*, ut ab illis eſt perperàm emendatum qui ignorabant quid eſſet *Zabulus*. In quodam præterea decreto ex concilio Ancyrenſi 26. quæſtione 5. *Zabulus* reperitur, ubi ſic legitur, *Epiſcopi eorúmque miniſtri omnibus modis elaborare ſtudeant ut pernicioſam & à Zabulo inventam ſortilegam & magicam artem ex parochiis ſuis penitus eradicent.* Apud eundem quoque Hilarium nunc *Zabulum* per *u* in media, nunc per *o Zabolum* aliquando reperitur, & *Zabolicus* pro diabolicus. Sed mihi unde hæc appellatio malo dæmoni à veteribus illis Eccleſiaſticis indita fuerit diligentiùs conſideranti, illud quidem occurrit quod veritati videtur perquamſimile. *Beelzebub* appellatur dæmoniorum princeps Matth. 12. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Sunt autem duæ dictiones Hebraicæ ex quibus hoc nomen eſt compoſitum, *baal* ſive *beel*, quod *idolum* ſonat, & *zebub*, quod *muſcam*; quaſi dixeris *idolum muſca*. Hoc autem nomen Græci ut pleraque alia ex Hebraicis corruperunt, & pro *Beelzebub Beelzebul* per *l* in fine ſemper tranſtulerunt, & à *Zebul* corrupto nomine quod eſt proprium idoli (nam *baal* ſive *beel* appellativum eſt, ſic huic nomini appoſitum ſicut *Berith* & *Sephon* & *Phegor* & aliis hujuſmodi) priſci Eccleſiaſtici *Zabulum* declinarunt, quâ appellatione diabolum ſæpiſſime ab eis reperimus vocitatum.

V. 24. Vetus tralatio, *Et dæmoniacos & lunaticos*. Matthæi Interpres, καὶ δαιμονιζομένους καὶ σεληνιαζομένους. Eraſmus, *Et dæmoniacos & ſideratos*. Et in Annotationibus, *Quod Interpres*, inquit, *vertit* lunaticos *nos* ſideratos *vertimus : non quòd damnaremus quod ille poſuit, ſed explicaremus.*

Conſtat hoc loco Eraſmum hallucinatum eſſe cùm pro *lunaticis ſideratos* tranſtulit : quando quidem ut nomine ſic & re iſta ſunt penitus diverſa. Sciendum itaque *lunaticos* eos propriè dici qui certis lunæ temporibus aut inſaniâ aut alio quovis morbo vexantur. Julius Firmicus lib. 3 Matheſeon inſanis & melancholicis ac languidis illos annumerat, cùm ait, *Quòd ſi ſic Saturno poſito ab eo recedens Lunæ Mars ſe conjunxerit, in nocturnis ſcilicet genituris, faciet inſanos, Lunaticos, melancholicos, languidos.* Idem lib. 4. ſpathicis eoſdem & caducis aſſimilare videtur, ſic inquiens, *Et ſi luna malè fuerit collocata, aut ſpathicos aut lunaticos aut caducos faciet.* Illi autem hoc loco in Euangelio dicuntur *lunatici* qui, etſi non eſſent verè lunatici, certis tamen lunæ temporibus dæmonum operâ inſaniam incurrebant, ab eiſdémque dæmonibus corripiebantur. Unde Hieronymus in Explanationibus ſuper Matthæum præſentem ediſſerens locum ſic ait, *Et lunaticos*, &c. *Non verè lunaticos, ſed qui putabantur lunatici ob dæmonum fallaciam, qui obſervantes lunaria tempora creaturam infamare cupiebant ut in creatorem blaſphemia redundarent.* Matthæi quoque cap. 17 de quodam homine legitur qui flexis genibus acceſſit ad Jeſum dicens, *Domine, miſerere filio meo, quia lunaticus eſt & malè patitur : nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam.* Super quo Chryſoſtomus in homiliis ſic ait, *Non turberis autem ſi* lunaticus *eſt appellatus : patrii enim dæmoniaci hæc vox fuit. Caterùm & Euangeliſta multos lunaticos curatos fuiſſe alibi ait à communi hominum conſuetudine ipſos nominans. Ut enim elemento illi ac luminari dæmones detrahant, ſecundùm lunares curſus aggrediuntur & remittuntur homines ; unde hæc falſa opinio apud multos convaluit, quòd luna varietate ſui curſus operatur, quod minimè verum eſt.* Hactenus Chryſoſtomus. Apparet ergò *lunaticos*, ſive verâ ſive falſâ appellatione ſic vocitentur, inſanos aut furore percitos ſignificare : quod ex verbis Euangelicis ex Mat. 17 antè citatis manifeſtè liquet, cùm dicitur, *nam ſæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam :* quæ opera inſani ac furentis & à dæmone correpti ſine dubio erant. *Siderati* verò illi dicuntur quorum corpora vi quadam occultâ ſiderum momento temporis arefacta redduntur. Unde homines tali morbo affecti ἀστροβλῆτες Græcè dicuntur, i. *à ſidere percuſſi.* Hiſpani *horam* ſuper hujuſcemodi *tranſiſſe* aiunt. Verùm non ad homines propriè ſideratio pertinet, ſed ad plantas : indè per ſimilitudinem ad homines tranſlata eſt. Græci hunc plantarum morbum φαχιλισμὸν appellant, Latini *carbunculationem :* id autem eſt quoties aut ſubito æſtu aut pruinâ quadam ſubitâ uruntur plantæ. Siderationis autem apud Latinos latè meminit Plinius, apud Græcos verò Theophraſtus, ut alios interim non nominem.

Ex

Ex Cap. V.

V. 13. Vetus tralatio, *Quòd si sal evanuerit, in quo salietur?* Matthæi Int. ἐὰν δὲ τὸ ἅλας μωρανθῇ, ἐν τίνι ἀναδύσεται; Erasmus, *Quòd si sal infatuatus fuerit, in quo saliatur?* Et in Annotationibus, *Ut nihil*, inquit, *cavillor de genere salis, quid est sal evanescere?*

Nescio ego quid hoc loco de genere salis Erasmus cavillari possit, cùm neutrum illud sit an masculinum percipi hinc nequaquam possit. Aliis autem in locis neutro genere ab Interprete prolatum palàm est. Mar. 9. *Bonum est sal. Quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis?* & Luc. 14. *Bonum est sal. Si autem sal evanuerit, in quo condietur?* Id autem non ex imperitia, ut Erasmus significare videtur, ab Interprete factum putandum est; sed quòd neutro genere sicut & masculino ab antiquis *sal* proferebatur, ut autor est Priscianus lib. 5. sic inquiens, *Hic & hoc sal. Cato in secundo, Ex sale qui apud Carthaginenses sit. Affranius in Compitalibus, Ut quicquid loquitur sal merum est.* Apud Festum quoque Pompeium *sal* neutraliter legimus. *Salaria*, inquit, *via Romæ est appellata quia per eam Sabini sal à mari deferebant.* Hujus autem rei non ignarus D. Hieronymus, Latinæ linguæ imprimis peritissimus, in traductione V. Instrumenti *sal* neutraliter protulit. Lev. 2. *Nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo: in omni oblatione offeres sal.* Et Jud. 9. *Ipsáque destructa ità ut sal in ea dispergeret.* Et 4 Reg. 2. *Afferte mihi vas novum, & mittite in illud sal.* Neque ignoramus masculino quoque genere à veteribus Ecclesiasticis *sal* fuisse acceptum. Unde & qui librum Ecclesiasticî transtulit masculinè illud protulit: capite enim 22 sic legitur, *Arenam & salem & massam ferri facilius est ferre quàm hominem imprudentem & fatuum & impium.* Et in eodem libro cap. 43. *Gelu ficut salem effundet super terram.* Græci quoque duplici genere *sal* proferunt: dicunt enim ἅλας, τος neutro genere, ut hoc loco, & ἁλς ἁλὸς masculinè. Quòd verò pro μωρανθῇ *evanuerit* V. Interpres traduxit, optimè id quidem. Quippe *evanescere* dicitur *sal* cùm vim illam saliendi quam habet penitus amiserit, ità ut jam non *sal* rectè possit appellari.

V. 27. Vetus tralatio, *Non mœchaberis.* Matthæi Interpres, οὐ μοιχεύσεις. Erasmus, *Non adulteraberis.*

Novo & inaudito Latinis verbo Græcum μοιχεύσεις Erasmus reddidit. Siquidem *adultero, as*, ex genere activorum verborum Latinè dicitur, non *adulteror, aris*, in deponentali forma. Suetonius in Cæsare dictatore, *Cum qua deinde divortium fecit, adulteratam opinatus à Publio Clodio.* Idem in Augusto, *Proculum ex acceptissimis libertis mori coegit compertum adulterare matrem.* Cicero in libro De partitione oratoria, *Boni*, inquit, *naturam fallaciter imitando adulterat.* Ovidius lib. 4 De Ponto,

Copia tot lacticum quas auget adulterat undas.

Ergò & pro adulterium facere & pro corrumpere *adulterare* dicimus, non *adulterari*. Reperitur etiam absolutum pro adulterum esse, sicut hîc apud Gellium lib. 10. cap. 23. ubi dicitur, *Illa te, si adulterares, digito non auderet contingere; neque jus est.*

Ex Cap. VI.

V. 11. Vetus tralatio, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Matthæi Int. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Erasmus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Omnes Latinorum codices etiam antiquissimi, quorum nonnullos 600 & 700 annorum Longobardicis literis scriptos consuluimus, *supersubstantialem* hoc loco habent: id enim dictio ἐπιούσιος manifestè sonat, quæ ab ἐπὶ & οὐσία composita, est, sicut ὁμούσιος, ab ὁμὸς & οὐσία, *consubstantialem.* Item Hieronymus hunc locum edisserens sic ait, *Quod nos* supersubstantialem *expressimus, in Græco habetur* ἐπιούσιον, *quod Lxx interpretes* ἐπούσιον *frequentissimè transferunt.* Ambrosius præterea lib. 5 De sacramentis cap. 4. orationem Dominicam exponens sic de hoc ait, Panem *quidem dixit, sed* ἐπιούσιον *dixit, h. e.* supersubstantialem. *Non iste panis est qui vadit in corpus: sed ille panis vita æterna qui anima nostræ substantiam fulcit. Ideo Græcè* ἐπιούσιον *dicitur. Latinus autem hunc* panem quotidianum *dixit quem Græci dicunt* advenientem: *quia Græci dicunt* τὸν ἐπιόντα ἡμέραν advenientem diem. *Ergò quod Latinus dixit & quod Græcus, utrumque mihi videtur. Græcus utrumque uno sermone significavit; Latinus* quotidianum *dixit.* Hactenus Ambrosius. Cujus ex verbis manifestè colligitur, in tralatione Latina ante D. Hieronymi recognitionem *quotidianum* hîc fuisse pro eo quod nunc legimus *supersubstantialem*; id ipsum autem à Hieronymo in *supersubstantialem* mutatum, quod ex ejusdem verbis suprà allatis conjectare licet, cùm ait, *Quod nos* supersubstantialem *expressimus, in Græco habetur* ἐπιούσιον· nisi cùm dixit *nos* non semetipsum sed Latinos voluit significare. Illud præterea adnotandum est, Erasmum in Annotationibus memoriolâ vacillasse cùm præsentem locum explicans sic scripsit, *Quod alibi vertit* supersubstantialem, *ad verbum* supereſſentialem *sonat.* Dicere debuit *quod hîc vertit* supersubstantialem &c. non enim alibi *supersubstantialem* Interpres vertit: siquidem Luc. 11. *quotidianum* transtulit pro eo quod Lucas dixit τὸν καθημέραν.

V. 13. Vetus tralatio, *Sed libera nos à malo.* In Græco hîc statim sequitur, ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα, εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν. i. *Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria, in sæcula. Amen.* Erasmus in Annotationibus, *Hanc coronidem in omnibus Græcorum exemplaribus adjectã comperio, & interpretatur eam Vulgarius. Verùm quoniam nec in ullis Latinorum exemplaribus ascriptũ visitur, nec exponitur à Hieronymo, aut ullo prorsus Interpretũ præter recentem Vulgarium*; *apparet ex solenni consuetudine sic additum ut Angelica salutationi quædam adjecerunt nec ab angelo dicta nec à quopiam alio.*

Ex his Erasmi verbis manifestè patet quàm diligens is fuerit in volvendis cùm hæc scriberet veterum Doctorum commentariis: siquidem verba hæc, i. *Quoniam tuum est regnum*, &c. quæ in Græcis exemplaribus orationi Dominicæ adjecta comperiuntur, quæque ipse ait *à nullo prorsus Interpretum esse exposita præter recentem Vulgarium*, Chrysostomus in Homiliis & legit & exponit. Cujus verba nè quis nobis diffidat Græcè ut ab eo conscripta sunt in medium afferre voluimus. Ait enim,

Ἐπαγωνίως τοίνυν ποιήσας τῇ μνήμῃ τοῦ ἐχθροῦ, καὶ τὴν ῥᾳθυμίαν ὑμῶν ἅπασαν ἐκκόψας, πάλιν διαῤῥύπτει καὶ ἀνίστησι τὰ φρονήματα τῇ βασιλέως ἀναμνήσας ἰσχῦι, καὶ δείξας πάντων ἀυτὸν ὄντα δυνατώτερον. Σοῦ γάρ ἐστι, φησὶν, ἡ βασιλεία καὶ ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα. ὥκῦν εἰ αὐτοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, ἀδέια δεδοικέναι χρὴ, ἅτε ὑφηνὸς ὄντος τοῦ ἀνθεστηκότος; ὅταν γὰρ εἴπῃ, σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία, δείκνυσι καὶ ἐκεῖνον τὸν πολεμοῦντα ὑμῖν ὑποτεταγμένον κἂν ἐναντιῶται λοιπὸν τῷ Θεῷ συγχωρεῖται τοῦτο. Καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς ἦν δοῦλον ἐκεῖ, εἰ καὶ ἦν ἠτιμωμένον καὶ ἦν ἐσταυρωμένον· καὶ οὐκ ἂν τολμήσειεν ἀδικεῖν ἦν ὁμοδούλων ἐπιδείξῃς, μὴ ἐξιστορῶν ἀνωθεν τὴν ἐξουσίαν λαβών. Καὶ τί λέγω ἦν ὁμοδούλων; ἀδικεῖν κρείττονα κατατολμῆσαι οὐκ ἔσθ' ὅτε οὐτὸς ἐπέβλεψεν· οὔτε ποιμενίων οὔτε βακολίων, ἕως ὅτε τὴν ἐξουσίαν ἀνωθεν ἔλαβεν. Καὶ ἡ δύναμις, φησὶ· μικρὰν καὶ μυρίας ἀδυνάτου ἦς, ἵνα τοῦτον ἔχων τὸν βασιλεύοντα, πάντα εὐκόλως καὶ διὰ σε κατορθῶν δυνάμενον; Καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας· ἀμήν. ὁ γὰρ ἀπολαύσας σε ἦν ὀδόντων δεινῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡδέως ἔχοντα ποιεῖν καὶ λαμπρόν· ἅπερ γὰρ ἡ δύναμις αὐτῷ πολλὴ, καὶ ἡ δόξα ἀφθονος, καὶ τὰ πάντα ἀπέρανται, καὶ τέλος αὐτῶν ἐστίν. Operæpretium autem nos facturos existimavimus si hanc Chrysostomi expositionem, ut ab Aniano in Latinum versa est, in eorum gratiam qui Græcè nesciunt statim subjungeremus. Ea verò sic habet,

Postquam

Postquam inimici nos commemoratione permovit desidiámque à nobis prorsus excluſit, rursus mentem noſtram confirmat ac ſuſcitat, illius nos regis cui fideliter ſubdimur commonendo, etimque omnibus potentiorem eſſe monſtrando. Tuum eſt regnum & potentia & gloria. *Si igitur ipſius eſt regnum, nihil propterea oportet timeri, utpote exſiſtente nullo qui ei repugnare poſſit, ſibíque imperium vendicare. Quando enim dixit,* Tuum eſt regnum, *oſtendit illum quoque impugnatorem noſtrum ipſi tamen eſſe ſubjectum, etiamſi repugnare videatur, ſinente interim hoc Deo. Nam & ille unus de numero ſervorum eſt, licèt reorum jam atque reproborum. Nec audebit aliquando ſuper unum irruere conſervum niſi priùs ab omnium Domino acceperit poteſtatem. Et quid ego de conſervis loquor? nè adverſùs porcos ille quidem ſumpſit audaciam priuſquam permitteretur à Domino. Neque in boum neque in ovium greges, niſi poteſtatem ac licentiam deſuper accepiſſet. Si igitur mille adhuc eſſes gradibus inferior, deberes tamen jure conſidere talem habens regem qui facilè omnia etiam per te poſſit efficere.* Et gloria in ſecula. Amen. *Non enim tantummodo de inſtantibus te malis ſervat; verùm etiam te clarum poteſt facere & in omnibus glorioſum. Sicut enim potentia ejus eſt maxima, ità etiam ineffabilis gloria; & hæc cuncta perpetua nec ullo unquam fine ſolvenda.* Hactenus Chryſoſtomus in Homiliis. Idem præterea in Comment. ſuper Matth. ut apparet ex Catena aurea D. Thomæ, prædictam coronidem ſic exponit; *Hæc etiam ad præcedentia pertinent, Quod enim dicit,* tuum eſt regnum, *reſpondet ad illud quod dixerat,* adveniat regnum tuum: *nè aliquis dicat, Ergò Deus non habet regnum in terra. Quod autem dicit,* & virtus, *reſpondet ad id quod dixerat,* fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra: *nè aliquis dicat quòd Deus non poteſt facere quod vult. Quod verò dicit,* & gloria, *reſpondet ad omnia quæ ſequuntur in quibus gloria Dei apparet.*

Ex Cap. VIII.

V. 23. Vetus tralatio, *Et aſcendente eo in naviculam.* Matthæi Int. καὶ ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον. Eraſmus, *Et cùm eſſet ingreſſus navim.*

Non malè Vet. Interpres traduxit cùm dixit, *Et aſcendente eo in naviculam:* ſiquidem à βαίνω compoſita aut *aſcenſum* ſonant ut ἀναβαίνω, aut *deſcenſum* ut καταβαίνω. aut *inſcenſum* ut ἐμβαίνω. Dicere enim Latini ſolent *inſcenſâ navi, inſcenſo equo.* Neque quòd *naviculam* pro eo quod in Græco eſt τὸ πλοῖον tranſtulit erraſſe putandus eſt, quippe non magnis navibus ſed naviculis lacus illi Judææ navigabantur, quos *maria* interdum Euangeliſtæ appellant Hebræorum more, qui omnes aquarum congregationes appellant *maria.* Unde cùm navium ſive navicularum fit mentio, nunc πλοῖα nunc πλοιάρια indifferenter illi vocare ſolent. Ergò non impropriè, ut Eraſmus exiſtimat, *naviculam Petri* dicunt qui Eccleſiam ſignificare volunt. Non enim Petrus navim aliquam habuiſſe legitur ſed piſcatoriam cymbam: ad cujus ſimilitudinem Eccleſia quam regendam à Domino ſuſcepit *navicula* dicitur. Nam quòd eos etiam Eraſmus reprehendit qui *conciliabulum* in malam partem accipiunt, cùm apud Hieronymum in bonam, ut ipſe ait, poſitum reperiatur, haud rectè facere videtur. Ego enim neſcio ubinam apud Hieronymum *conciliabulum* in bonam partem acceptum ipſe aliquando legerit. Certè in malam Hieronymus accepit cùm lib. 2 Contra Pelagianos ſic ait, *In eodem ſcriptum eſt libro,* Deus ego ſum & non homo, in medio tui ſanctus, & non ingrediens civitatem, *vitiorum ſcilicet conciliabulum.* In Explanationibus quoque ſuper Hieremiam cap. 23. ſuper illud, *& in prophetis Hieruſalem. Non ſolum,* inquit, *in hæreticorum conciliabulis hæc reperta ſunt, ſed in prophetis quoque Hieruſalem.* Et in eodem propheta cap. 25. ſuper illo, *perdámque ex eis vocem gaudii. Hoc,* ait, *in conciliabulo malignantium & hodie comprobatur, ut magiſtri eorum non doceant verbum Dei, ſed inſtar colubri ſibilent.* Et ſuper Oſee cap. 11. ſuper illo, *quomodo dabo te Ephraim. Et quia ſanctus ſum,* inquit, *propterea non ingrediar civitatem,* i. *conciliabula & urbes hæreticorum. Concilium* quoque in malam partem ab eodem Hieronymo acceptum legimus in Explanationibus ſuper Amos cap. 5. ubi ſic ait, *Et ſi detulerint holocauſta in Synagogis & munera in concilio Satanæ.*

V. 29. Vetus tralatio, *Quid nobis & tibi, Jeſu fili Dei?* Matthæi Int. τί ἡμῖν καὶ σοι, Ἰησοῦ υἱὲ τοῦ Θεοῦ; Eraſmus, *Quid rei nobis tecum eſt, Jeſu fili Dei?* Et in Annotationibus, Quid nobis & tibi? *imò quid hîc Interpreti cum Græca figura? Vertendum erat, Quid tibi rei nobiſcum eſt?*

Imò quid Eraſmo cum S. Scripturis, quas ab heri & nudiùs tertiùs videtur attigiſſe? Sciendum verò non hîc eſſe Græcam figuram, ut Eraſmus ſomniavit, ſed Hebraicam potiùs: Si quidem Hebraiſmus hic eſt; & in Vet. Teſtamento tale dicendi genus frequenter occurrit. Jud. II. מה לי ולך כי באת אלי להלחם בארצי, *Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me ut vaſtares terram meam?* 2 Reg. 16. מה לי ולכם בני צרויה, *Quid mihi & vobis eſt, filii Sarvia?* 3 Reg. 17. מה לי ולך איש האלהים, *Quid mihi & tibi, vir Dei?* 4 Reg. 9. מה לך ולשלום, *Quid tibi & paci?* Matthæus igitur, cùm Hebræus eſſet & Hebraicè Euangelium conſcriberet, patriâ loquendi proprietate utitur, quam Interpres Græcè ad verbum reddidit. Quin & cæteri quoque Euangeliſtæ, tametſi Græcè ſcripſerint, patrium tamen idioma ſæpiſſimè referre videntur, atque hoc dicendi genere nonnunquam etiam utuntur. Mar. 1. τί ἡμῖν καὶ σοι, Ἰησοῦ Ναζαρηνέ; *Quid nobis & tibi, Jeſu Nazarene?* Et in eodem, cap. 5. τί ἐμοὶ καὶ σοί, Ἰησοῦ υἱὲ τοῦ Θεοῦ Ὑψίστου; *Quid mihi & tibi, Jeſu fili Dei altiſſimi?* Similia autem exemplaria leguntur & in Euangelio Lucæ. Joannis quoque cap. 2. τί ἐμοὶ καὶ σοι, γύναι; *Quid mihi & tibi eſt, mulier?*

Ex Cap. X.

V. 35. Vetus tralatio, *Et nurum adverſùs ſocrum ſuam.* Matthæi Int. καὶ νύμφην κατὰ τῆς πενθερᾶς αὐτῆς. Eraſmus, *Et ſponſam adverſùs ſocrum ſuam.*

Græca dictio quæ hîc ponitur, i. νύμφη, ambigua eſt: nam & *ſponſam* & *nurum* ſonat. Hoc autem loco neceſſariò in *nurum* vertenda erat cùm *ſocrui* opponatur. Quid enim *ſponſæ* ad *ſocrum?* Videntur autem verba hæc Euangelica quaſi ad verbum aſſumpta eſſe de Michææ prophetia cap. 7. ubi dicitur, *Quia filius contumeliam facit patri, & filia conſurget adverſùs matrem ſuam; nurus adverſùs ſocrum ſuam, & inimici hominis domeſtici ejus.* Igitur apud Lxx pro eo quod apud Micheam habetur, *nurus adverſùs ſocrum ſuam,* νύμφη ἐπὶ τῇ πενθερᾷ αὐτῆς legitur. In libro quoque Ruth ſecundùm Græcam tralationem ſemper appellatur Ruth νύμφη *Noemi,* i. *nurus.* Geneſis item cap. 38 de Juda ſic dicitur, *Neſcibat enim quòd nurus ſua eſſet.* Quod Græcè ſic legitur, ὃ δὲ ἤγνω ὅτι νύμφη αὐτοῦ ἐστιν. Et infrà, *Fornicata eſt Thamar nurus tua,* ἐπορνεύσατο Θάμαρ ἡ νύμφη σου. Et Lev. 18. *Turpitudinem nurûs tuæ non revelabis,* ἀσχημοσύνην νύμφης σου οὐκ ἀποκαλύψεις· & cap. 20. *Si quis dormierit cum nuru ſua, uterque moriatur; quia ſcelus operati ſunt,* καὶ ἐάν τις κοιμηθῇ μετὰ νύμφης αὐτοῦ, θανάτῳ θανατούσθωσαν ἀμφότεροι ἀνόμημα ἠνόμησαν, ἔνοχοί εἰσιν. Denique in tota S. Scriptura Vet. ac N. Teſtamenti nurus in Græco appellatur νύμφη. Nam alia hujus nominis appellatio, i. νυός, magìs poetica videtur, quæ & ipſa & *ſponſam* quoque & *nurum* ſignificat.

Ex Cap. XI.

V. 17. Vetus tralatio, *Cecinimus vobis & non ſaltaſtis; lamentavimus & non planxiſtis.* Matthæi Int. ηὐλήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ὠρχήσασθε, ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν καὶ οὐκ ἐκόψασθε,

59 *Laud.* Erasmus, *Tibiâ cecinimus vobis & non saltastis; lamentati sumus vobis & non planxistis.* Et in Annot. *Quòd autem unquam dixit* lamentavimus, ἐθρηνήσαμεν, i. lamentati sumus, *&c?*

Ut ex Nonio Marcello, ex eo capite quod De contrariis generibus verborum inscribitur, facilè apparet, multa verba aliter à veteribus fuere olim prolata quàm à nobis hodie proferuntur. Unde nonnulla quæ in activa significatione nos accipimus, in deponentali illi accipiebant; & vice versâ quæ nos in forma deponentium, activè illi proferre solebant. Sic *puniuntur* illi dicebant pro eo quod nos dicimus *puniunt*, & *sacrificantur* pro *sacrificant*. E contrario verò *contemplo* & *auguro* & *crimino* veteres dicebant pro eo quod nunc dicimus *contemplor*, *auguror*, *criminor*. Ad eundem modum & *lamento* antiquis in usu esse potuit, sicut & nobis *lamentor*. Unde Psal. 77. in passiva significatione legitur, ubi dicitur, *Et virgines eorum non sunt lamentatæ*, i. deploratæ. Est enim illic *lamentatæ* passivum ab activo *lamento*, pro quo in Græco legitur, καὶ αἱ παρθένοι αὐτῶν οὐκ ἐστενάχησαν. Et in Hebræo ובתולתיו לא הללו *virgines eorum non sunt deplorata*, pro quo B. Heronymus transtulit, *Et virgines eorum nemo luxit.* Diomedes quoque Artis grammaticæ lib. 1. cap. De his quæ apud veteres diversâ inveniuntur enunciata declinatione, nonnulla affert exempla quibus ostendit plura verba quæ vulgò passivo more declinamus apud veteres diversâ reperiri enunciata declinatione, veterésque olim dixisse *frustro* & *patio* & *moro* & *demolio* & *auxilio* & *populo* & *digno*, pro eo quod nunc dicimus *frustror* & *patior* & *moror* & *demolior* & *auxilior* & *populor* & *dignor*.

V. 25. Vetus tralatio, *Confiteor tibi, pater, domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus; & revelasti ea parvulis.* Matthæi Interpres, ἐξομολογοῦμαί σοι, πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ καὶ τῆς γῆς, ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, καὶ ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. Erasmus, *Gratias ago tibi, pater, domine cœli & terræ, quòd absconderis hæc à sapientibus & prudentibus, & revelaris ea stultis.*

Quòd apud D. Hieronymum in Explanationibus super hoc loco Erasmus legerat *confessionem non semper significare* vocem peccatorum sive *pœnitentiam*, *sed & gratiarum actionem, ut in Psalmis sæpissime legimus*, pro ἐξομολογοῦμαι, i. *confiteor, gratias ago* maluit transferre. Quasi Hieronymus illic de verbi Græci proprietate disputasset, ac non potiùs de sensu. Sciendum verò ἐξομολογοῦμαι non significare Gratiarum actionem, sed propriè Confessionem; rectéque à Vet. Interprete traductum, ab Erasmo verò improprié. Siquidem εὐχαριστῶ Græcè dicitur *gratias agere*, id quod passim in Evangeliis occurrit. At verò ὁμολογῶ σοι *confiteri* significat Psal. 6. *In inferno autem quis confitebitur tibi?* ἐν δὲ τῷ ᾅδῃ τίς ἐξομολογήσεταί σοι; Dan. 2. *Tibi, Deus patrum meorum, confiteor, téque laudo.* Græcè sic, σοὶ, ὁ θεὸς τῶν πατέρων μου, ἐξομολογοῦμαι καὶ αἰνῶ. Ab hoc autem verbo ἐξομολόγησις, i. *confessio*, deducta est. Cyprianus in sermone De lapsis, *Plùs modò in Dominum manibus atque ore delinquunt qui cùm Dominum negaverunt, ante expiata delicta, ante exomologesim factam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini & minantis, pacem putant esse, quam quidam verbis falladibus venditant* Idem in epistola ad Antonianum, *Et quia apud inferos dum confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest.* Non mirum autem videri debet si in iis quæ sequuntur pro νηπίοις, i. *parvulis, stultos* transtulerit, qui de laudibus stultitiæ tam luculenter scripsit. Notus est enim liber ille percelebris ab Erasmo jampridem editus, cui titulum indidit Μωρίας ἐγκώμιον, opus quidem gravissimum & τῇ ἐγκωμιαστῇ haud indignum. Atque illud fuisse reor in causa ut sic hoc loco transferret, quò vel hinc ad sua illa confirmanda autoritatem sumeret. Sciendum verò quòd νήπιος Græca dictio quæ hîc ponitur *parvulos* sive *infantes* propriè sonat, metaphoricè autem *stultos*, quòd stulti infantes sint sensibus ac planè parvuli. Unde & Latini stultos *infantes* quoque & *infantissimos* appellare solent. Cæterùm hoc loco non de stultis, i. fatuis, sed de parvulis, i. simplicibus, Dominica verba intelligi debere omnes Ecclesiastici doctores affirmant, atque imprimis D. Chrysostomus, cujus verba ex Homilia super hoc loco Græcè ut ab eo conscripta sunt hîc adscribenda censui, quò Erasmi error faciliùs appareat. Ea verò sic habent, Εἰπὼν δὲ σοφὸς, οὐ τὴν ἀληθινὴν σοφίαν λέγει καὶ ἐπαινετὴν, ἀλλὰ ταύτην ἣν ὁ κόσμος οὗτος δεινότητα ἔχειν· διὰ τοῦτο οὐκ εἶπεν, ἀπεκάλυψας μυστήρια, ἀλλὰ νηπίοις, ἁπλουστέροις· καὶ δείκνυσιν οὐ μόνον παρ' ἀξίαν ἀπολαύσαντες τούτων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸ εἰκὸς καὶ παιδεύει διὰ πάντων ἡμᾶς ἀπονοίας μὴ ἀπολλάττεσθαι, ἀφέλειαν δὲ ζηλοῦν. Quæ ità Latinè leguntur Ariano interprete, *Cùm autem sapientes dixerit, non illam veram & laudabilem sapientiam intelligit; sed hanc quæ secundum doctrinâ præstatur. Iccirco etiam non dixit, stultis revelasti, sed parvulis, quàsi non formatis adhuc, simplicibus. Ità ostendit non indignè illos sed jure his rebus fuisse privatos: ac per omnia nos docet stultum superbiæ omnino esse fugiendum, ac simplicitatem admirandam.* Hilarius quoque in expositione super Matthæum hunc locum edisserens sic ait, *Cœlestium enim verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur & parvulis revelantur: parvulis malitiâ, non sensu; sapientibus verò stultitiæ suæ præsumptione, non prudentiæ causis.*

V. 30. Vetus tralatio, *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Matthæi Interpres, ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν. Erasmus, *Jugum enim meum commodum est, & onus meum leve.*

Dictio χρηστὸς pro qua Vetus traductio habet *suave*, præter illam significationem *bonum* quoque sive *utile* vel *commodum* significat, & aliquando *dulce*. Tralator verò non quid de jugo Christi dici poterat attendit, quòd commodum illud sit ac utile portantibus, sed quid jugo, quod vel ipso nomine difficile videbatur, adaptari optimè posset. Ac propterea *Jugum*, inquit, *meum suave est*, i. non asperum, non difficile, non quod ferentium colla suâ gravitate premat. Quòd autem & suavitas jugo adaptari possit, Chrysostomus in homilia super hoc loco evidenter ostendit, cùm Græcè sic ait, ἀλλ' ὅτι μὴ ὑδὺς καὶ κοῦφον ὁ τῆς ἀρετῆς ζυγὸς, καὶ ἐτέρωθεν πολλαχόθεν δῆλον, *Verùm quòd suave levéque sit virtutis jugum multis aliis posset comprobari.* Hieronymus item in commentariis super Matthæum *suave* legit. Idem in expositione Psalmi 16. super illo versu, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*] *Quomodo*, ait, *dicit hîc* duras *dum in Evangelio dicitur*, Jugum meum suave est, & onus meum leve? *Suave est volentibus, durum est nolentibus. Quamvis durum videatur esse ad sanctos propter corporalem tribulationem, tamen suave est quia habent spem vitæ æternæ.*

Ex Cap. XII.

V. 17, 18. Vetus tralatio, *Ut adimpleretur quod dictum est per Esaiam prophetam dicentem, Ecce puer meus quem elegi*, &c. Erasmus, cùm hoc Esaiæ testimonium ex ejusdem prophetiæ cap. 42 in Annotationibus explicuisset, tandem ista subjunxit, *Adnotandum obiter & illud, cùm Hieronymus edisserens præsentem prophetæ locum releget nos ad suos in Matthæum Commentarios, in quibus plenius super hac re disseruerit, atque in ipsis Commentariis vix summis, ut aiunt, digitis rem attingat, in conjecturam vocor, id quod sæpenumero sum suspicatus, eos Commentarios à fastidioso quopiam lectore decurtatos, prætermissis in medio quæ non intellexerit. Quod idem factum arbitror in Commentariis quos idem scripsit in Psalmos, quanquam in hos quisquis is fuit, geminâ debacchatus est injuriâ: primùm quòd quæ libuit prætermiserit, deinde quòd compluribus locis suas nugas cen purpuræ pannum*

num asserit. Nam quod in Marcum habemus commentum præter titulum nihil habet Hieronymi. Hactenus Erasmus.

Quis non admiretur Erasmi istius audaciam, aut non potiùs impudentiam detestetur, cùm eâ gravitate iis de rebus se judicem constituat quas prorsus ignorat? ac si quempiam ex veteribus illis Ecclesiæ tractatoribus, viris quidem undequaque absolutissimis, referret. Quis enim unquam fando audivit D. Hieronymi in Matthæum Commentarios ab aliquo fuisse decurtatos? Neque enim quisquam adeò fuisset temerarius, nè sacrilegum dixerim, qui sanctorum Doctorum opera eo modo violare ausus esset quo Erasmus est suspicatus. Quòd si breviores sunt Hieronymi in Matthæum commentarii mirandum non est, cùm illos idem Hieronymus edisserens præsentem Prophetæ locum *Commentariolos* ob brevitatem appellet. Neque quòd in eis hoc ex Esaia vaticinium breviter explicaverit, decurtatos propterea esse existimandum est, cùm non in illis solùm sed & in epistola ad Algasiam de hac re pleniùs se dicat disputasse. Sic enim idem Hieronymus in Explanationibus super Esaiam cap. 42 ait, *Jacob & Israel in præsenti capitulo non habentur, quod neque Matthæus Evangelista posuit secutus Hebraicam veritatem. Hoc dicimus in sugillationem eorum qui nostra contemnunt, de quo pleniùs in Matthæi Commentariolis, & in libro quem ad Algasiam nuper scripsimus, disputatum est.* In Prologo quoque explanationum in Hieremiam Matthæum se ait strictis sensibus disseruisse his verbis, *Ut evangelicum virum Matthæo Evangelistæ copules, quem ante annos plurimos strictis sensibus te hortante disserui.* Si ergò strictis, ut ait, sensibus Matthæum disseruit, & commentariolos appellat quos super Matthæum scripsit, & de hoc Prophetæ loco in illis & in epistola ad Algasiam pleniùs se dicit disputasse, de quo in eadem epistola pleniſſimè ab eo disputatum legimus, non est cur Erasmus suspicetur Hieronymi in Matthæum Commentarios ab aliquo fuisse decurtatos. Quòd si nec ista satisfaciunt, legat ejusdem Hieronymi Prologum in Explanationibus super Matthæum, ex quo manifestè cognoscet breviſſimos illum Commentarios brevi angustóque temporis spatio in Matthæum scripsisse: sic enim illic ait, *Satísque miror, Eusebi dilectissime, cur Romam subitò navigaturus hanc tibi à me quasi sitarciam dari volueris, ut Matthæum breviter exponens verbis stringerem, sensibus dilatarem. Si meminisses responsionis meæ, nunquam in paucis diebus rem annorum peteres*; & infrà, *At tu in duabus hebdomadibus, imminente jam paschâ & spirantibus ventis, dictare me cogis, ut quando notarii excipiant, quando scribantur schedulæ, quando emendentur, quo spatio digerantur ad purum: maximè cùm scias me ità tribus mensibus languisse ut vix nunc ingredi incipiam, nec possim laboris magnitudinem brevitate temporis compensare. Igitur omissâ autoritate veterum, quos nec legendi nec sequendi mihi facultas data est, historicam interpretationem, quam præcipuè postulasti, digessi breviter, & interdum spiritualis intelligentiæ flores miscui, perfectum opus reservans in posterum:* & cætera quæ sequuntur usque ad finem ejusdem Prologi: ex quibus manifestè apparet breviſſimos illum in Matthæum edidisse Commentarios. Ad eundem modum & in eo quod de Hieronymi Commentariis in Psalmos Erasmus factitatum autumat, errare videtur, cùm idem Hieronymus lib. 1 Controversiarum contra Ruffinum *Commentariolos* quoque illos appellet: sic enim ait, *Illud quoque carpere dicitur, quòd secundum Psalmum interpretans, pro eo quod legimus in Latino,* apprehendite disciplinam, *& in Hebraico volumine scriptum est* Nasecu Bar, *dixerim in Commentariolis meis,* adorate filium: & infrà, *Quid igitur peccavi si verbum ambiguum diversâ interpretatione converti: & qui in Commentariolis, ubi libertas est disserendi, dixeram,* adorate filium, *in ipso corpore, nè violentus viderer interpres, & Judaica calumniæ locum darem, dixerim,* adorate purè, *sive electè,* &c? Non igitur semel sed iterum ac tertiò *commentariolos* Hieronymus appellat quos in Psalmos conscripsit. In Prologo quoque super eosdem in Psalmos Commentarios sic idem Hieronymus ait, *Igitur pro familiaritate quæ inter nos est studiosè & sedulè postulasti ut quæcunque mihi digna memoriâ videbantur signis quibusdam potiùs quàm interpretationibus adnotarem; & quod solent hi facere qui in brevi tabella terrarum & urbium situs pingunt, & latissimas regiones in modico spatio conantur ostendere, ità in Psalterii opere latissimo quasi prætereuns aliqua perstringerem, ut ex paucis quæ tetigissem intelligantur & cætera quæ omissa sunt quam vim habeant & rationem. Non quòd putem à me posse dici quæ ille prætermisit, sed quòd ea quæ in tomis vel homiliis ipse disserit vel ego digna arbitror lectione, in hunc angustum Commentariolum referam,* &c. Nam quòd Commentarios in Marcum præter titulum nihil habere Hieronymi asseverat; & alibi non magis illos ait Hieronymum sapere quàm sorba ficum; simili errore deceptus est nostrorum temporum Aristarchus. Nisi putat nullum esse Hieronymi opus nisi quod secularem eloquentiam redoleat, quódque Tullium ac Livium passim nobis repræsentet.

Ex Cap. XIV.

V. 10. Vetus tralatio, *Misítque & decollavit Joannem in carcere.* Matthæi Interp. καὶ πέμψας ἀπεκεφάλισεν τὸν Ἰωάννην ἐν τῇ φυλακῇ. Erasmus, *Et missis carnificibus amputavit caput Joannis in carcere.* Et in Annot. Decollavit *Græcè est,* ἀπεκεφάλισεν, *quod ad verbum sonat* decapitavit. *Quanquam* decollandi *verbo usus est Seneca in Ludo de morte Claudii, verùm haud scio an ludibrii causâ.*

Decollare, ut Nonius Marcellus autor est, antiqui dicebant pro eo quod est *ex collo deponere.* Indè qui decapitatur *decollari* dicitur, quòd ejus caput à collo auferatur. Nam quod vulgò *decollare* dicunt, Latinè *jugulare* est. Non autem potui non admirari cùm Erasmi annotationem super hoc loco legissem, quòd cùm ipse non solùm Senecæ opera ut apparet perlegisset, sed etiam paulò antequam ista ederet impressioni tradidisset, quasi rem novam in Ludo de morte Claudii Senecam *decollandi* verbo usum nunc asserat, atque id quidem se *nescire an ludibrii causâ*; cùm & alibi Senecam hoc verbum seriò usurpasse palàm fit. In libro enim De ira ad Novatum tertio de crudelitate Caii Cæsaris agens sic ait, *Deinde adeò impatiens fuit differendæ voluptatis quam ingentem crudelitas sine dilatione poscebat, ut in Cyrrha maternorum hortorum, qua porticus à ripa separat, inambulans quosdam ex illis cum matrona atque aliis senatoribus ad lucernam decollaret.* Suetonius quoque in vita ejusdem Caii Cæsaris hoc verbo utitur. *Miles,* inquit, *decollandi artifex quibuscunque è custodia capita amputabat.* Diomedes item Artis Grammaticæ lib. 1. ait *decollare* apud veteres pro *decipere* fuisse acceptum: sed tamen apud Festellam libro 2 Epitomatum in alio significatu inveniri, i. pro *decapitare,* ut V. Interpres hîc accepit. Verba autem Festellæ quæ Diomedes citat hæc sunt, *Quemadmodum,* inquit, *Cæsar à piratis captus sit; útque eos postea ceperit & decollaverit.* Pro quo veteres, ut idem Diomedes statim subdit, *securi cæsos* dicebant. Non igitur Ecclesiasticus interpres reprehendendus est si eo est usus vocabulo quo tanquam Latino & usitato probatissimi autores usi sunt. Quòd si Erasmicæ memoriæ hæc aut his similia inter scribendum non succurrunt, quæ tandem insolentia est V. Interpretem ex obliquo carpere, calumniari, mordere, & quasi barbarè locutus fuerit passim exsibilare!

V. 34. Vetus tralatio, *Et cùm transfretassent venerunt in terram Genesareth.* Erasmus in Annot. afferens illud ex Hieronymi commentariis super hoc loco, *Si scirem quid in lingua nostra resonaret* Genesareth, &c. sic infert, *Primùm, quid suam linguam dicat nisi forte Syrum, inter quos habitabat id temporis? Deinde cùm ait,* si scitemus, *videtur confiteri incompertam ejus nominis interpretationem.*

Risi profectò cùm hanc Erasmi annotationem legens in illud incidissem quod ait Hieronymum cùm dicit *si nostra*

nostrâ lingua de Syra intellexisse, quòd eo tempore inter Syros habitabat. Non enim Syrorum linguam Hieronymus dicit *nostram*, sed Latinam potiùs intellexit, cùm Latinè & ad Latinos scriberet; ac propterea inquit, *si sciremus quid in nostra lingua*, h. e. Latinè, *resonaret* Genesareth. Nam cùm vocabulum *Genesareth* aut Syrum sit aut Hebræum, quomodo illius interpretationem ignorare poterat qui & inter Syros habitabat & utramque linguam exactissimè noverat? Nam quod Hieronymus dixerat *si sciremus*, non propterea videtur confiteri ejus nominis incompertam interpretationem: erat enim sibi quàm compertissima: alioqui quomodo secundùm hujus nominis interpretationem mysticè hunc locum exponebat? Sed qui dicere potuit, *si sciretur, si Sacrarum Scripturarum studiosi scirent*, aut aliquid simile, humilitatis causâ *si sciremus*, inquit, &c.

Ex Cap. XVIII.

V. 24. Vetus tralatio. *Oblatus est ei unus qui debebat ei decem millia talenta.* Erasmus in Annot. *Nam quod* decem millia talenta *dixit pro* talentorum, *Latinitatis injuriâ factum est sensu incolumi.*

Urbaniùs se habuit Laurentius Valla Elegantiarũ lib. 3. Siquidem de *mille* & *millia* agens non injuriam Latinitati feciſſe Eccleſiaſticum ait interpretem cùm dixit *decem millia talenta* & *duodecim millia signati*, ſed potiùs docuit quonam modo illa per reſolutionem defendi poſſent. Ait enim *dici Latinè poſſe, talenta decem millia, & ſignati duodecim millia, quaſi dixerit, numero decem millia, & numero duodecim millia, ut ſubintelligatur* entia. *Debebat talenta entia decem millia. Signati entes duodecim millia.* Hæc Valla. Sed tamen hunc dicendi modum apud antiquos fuiſſe in uſu ex eo apparet quòd Jud 8. Divo Hieronymo interprete legimus, *Quindecim enim millia viri remanſerant ex omnibus turmis orientalium populorum*, &c. Et in eodem libro cap. 20. *In illa quoque fuga palantes & in diverſa tendentes occiderunt quinque millia viros.*

V. 28. Vetus tralatio, *Et tenens ſuffocabat eum.* Matthæi Int. καὶ κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγεν. Erasmus, *Et injectâ in eum manu obtorto collo trahebat.* Et in Annot. *Et dilucidius*, inquit, *& fidelius erat* κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγεν, *i.* injectâ illi manu obtorto collo trahebat; *id enim eſt* κρατῶν *&* πνίγειν *hoc loco.*

Et obſcuriùs & infideliùs traduxiſſet interpres Eccleſiaſticus ſi aliter quàm ut vulgò legitur eſſet interpretatus: κρατῶν enim *tenere* ſignificat, & πνίγειν *ſuffocare*: verbáque ipſa Græca nihil aliud ſonant niſi ut V. Interpres traduxit. *Obtorto* verò *collo trahebat* non habetur in Græco. Non enim legitur quòd aut in jus aut aliquò traheret hominem; ſed quòd *tenens ſuffocabat eum, dicens, Redde quod debes.* Erasmus verò quod apud Senecam & apud D. Hieronymum in epiſtolis legerat *obtorto collo*, & huic loco putavit optimè potuiſſe convenire.

Ex Cap. XXI.

V. 37. Vetus tralatio, *Verebuntur fortè filium meum.* Matthæi Int. ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου. Erasmus, *Reverebuntur filium meum.* Et in Annot. FORTE, inquit, *nec eſt apud Græcos, nec in vetuſtis Latinorum exemplaribus, nec apud Hieronymum. Additum apparet à quopiam qui verebatur nè Deus aut mentitus videretur, qui futurum dixerit quod non evenit, aut inſcius futuri.*

Ego verò potiùs exiſtimo ab his ex Græco & Latino adverbium *fortè* fuiſſe detractum, qui verebantur nè abſurdum eſſet ſi per adverbium dubitandi Deus loqui videretur. Quanquam quid opus erat hinc illud auferre & ex Marci cap. 12. cùm Lucæ cap. 20. ubi hæc narratur parabola, ἴσως in Græco legatur, i. *fortè* aut *forſitan?* ſic enim apud Lucam legitur, πέμψω τὸν υἱόν μου τὸν ἀγαπητόν, ἴσως τοῦτον ἐντραπήσονται, i. *Mittam filium meum dilectum, forſitan cùm hunc viderint verebuntur.* D. item Hieronymus in libro Explanationum ſuper Ezechiel ſuper illo ex cap. 2 illius Prophetæ, *Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus, ſi fortè vel ipſi audiant; & ſi fortè quieſcant*, ſic ait, *Simile quid & in Hieremia ſcriptum eſt*, ſi fortè audiant & agant pœnitentiam; *& in Evangelio*, forſitan filium meum verebuntur. Ex commentariis quoque Hieronymi ſuper hoc loco manifeſtè apparet eum *fortè* hîc legiſſe, quod Eraſmus negat apud Hieronymum inveniri: ſic enim illic ait, *Porrò quod jungitur*, verebuntur filium meum, *non de ignorantia venit. Quid enim neſciat pater familias qui hoc loco Deus pater intelligitur? Sed ſemper ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas homini reſervetur.* Quod autem Hieronymus dicit, *ſed ſemper ambigere dicitur Deus*, quomodo intelligi poteſt ſublato de medio ambigendi adverbio, i. *fortè?* Quanquam & in Græco hoc in loco apud Matthæum fuiſſe ἴσως, i. *fortè* vel *forſitan*, ſicut & apud Lucam, ex Chryſoſtomo manifeſtiſſimè liquet, qui in Homiliis Euangelica hæc verba ediſſerens ſic ait, Georgio Trapezuntio interprete, *Quid autem eſt*, fortaſſis verecundabuntur? *non ignorantis certè, abſit hoc enim; ſed magnitudinem peccati volentis oſtendere, cujus nunquam ullam ſatisfactionem oſtendere potuerunt. Miſit ergò ſciens quòd interficerent. Dicit autem* fortaſſis verecundabuntur, *quæ debuiſſent fieri enarrans. Verecundari enim proculdubio debuiſſent. Sic & alibi ait.* Si fortè audierint: *non enim quia ignorabat, ſed nè quidem ex amentia dicerent prædictione coactos obtemperare non potuiſſe: iccirco hujuſmodi utitur orationis figurâ, modò* ſi fortè audierint, *modò* fortaſſis verecundabuntur, *dicens.* Hactenus Chryſoſtomus.

V. 42. Vetus tralatio, *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Matthæi Int. παρὰ Κυρίου ἐγένετο αὐτη, καί ἐστι θαυμαστὴ ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν. Eraſmus in Annot. *A Domino factum eſt iſtud*] Iſtud *ſive* hoc *non pertinet ad totum hoc quod præceſſit, ſed vel ad* caput *vel ad* angulum, *quòd utrumque ſit generis feminini, velut* αὐτη *pronomen. Similiter id quod ſequitur*, & eſt mirabile θαυμαστὴ, *i. admirandus angulus, ſive, admirabile caput anguli.*

Hebraicæ linguæ ignorantia Eraſmum ſæpiſſime in errores inexplicabiles pertrahit; velut hoc in loco, ubi ait iſtud *ſive* hoc *non pertinere ad totum hoc quod præceſſit, ſed vel ad* caput *vel ad* angulum, *quòd utrumque ſit generis feminini, velut* αὐτη *pronomen.* Nam cùm in Græco κεφαλὴ, i. *caput*, & γωνία i. *angulus*, ſint generis feminini, exiſtimavit αὐτη i. *iſtud*, & θαυμαστὴ i. *mirabile*, quòd feminina quoque ſint, ad κεφαλὴ & γωνία referri debere. Quod neutiquam putaſſet, ſi aut Hebraicam didiciſſet linguam, aut Hebraicarum literarum peritos de hoc loco qui de Pſalmis erat conſulere voluiſſet. Sciendum itaque in Hebræo ità hunc verſum legi Pſal. 118. ſecundùm Hebræorum computationem, ſecundùm autem noſtram Pſal. 117. מאת יהוה היתה זאת היא נפלאת בעינינו, i. ut ad verbum traducatur, *A Domino facta eſt iſta: ipſa eſt mirabilis in oculis noſtris.* Eſt autem proprium idiomatis Hebraici ponere זאת, i. *iſta* in feminino genere pro *iſtud*, quod eſt neutri generis: carent enim Hebræi neutro genere, quod vel ex Priſciani lib. 5 facilè apparet, ubi dicitur, *Et maximè cùm lingua Pœnorum, qua Chaldæa vel Hebræa ſimilis eſt & Syra, non habeat neutrum genus.* Sic Joſ. 3. *In hoc*, inquit, *ſcietis quòd Dominus Deus vivens in medio veſtrî eſt*, בזאת תדעון כי אל חי בקרבכם, i. *In hac ſcietis*, &c. Et Pſal. 40. *In hoc cognovi quoniam voluiſti me* בזאת ידעתי כי חפצת בי, i. *In hac cognovi*, &c. Alibi etiam cùm aliquid volunt Hebræi ſignificare quod nos per neutrum genus enunciare ſolemus, per femininum quoque illi proferunt, carentes, ut diximus, neutro. Pſal. 26. *Unam petii à Domino, hanc requiram*, i. *Unum petii à Domino, hoc requiram*: & Pſal. 118. *Hæc facta eſt mihi quia juſtificationes tuas*

tuas exquisivi, i. *Hoc factum est mihi*, &c. Hoc autem loco Græcus Matthæi interpres Hebraica ad verbum transtulit. At verò Latinus proprietatem Latinæ linguæ maluit observare quàm Græca ad verbum traducere. Unde & D. Hieronymus in Psalterio quod transtulit secundùm Hebraicam veritatem ità hunc versum traduxit, *A Domino factum est istud: hoc est mirabile in oculis nostris.* Est autem hujus carminis sensus, hoc quod modò dixeram, *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: à Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris.* Sic enim Hieronymus in Comment. super Matth. hunc locum intellexit, cujus verba ascribere non gravabor. *Hi ergo*, inquit, *cæmentarii, quomodo & vinitores accipiunt vineam, sic acceperunt lapidem, quem vel in fundamentis ponant, juxta architectum Paulum, vel in angulo, ut duos parietes*, i. *populum utrumque, consocict, qui reprobatus ab eis factus est in caput anguli.* Et hoc à Domino factum est: *non humanis viribus*, sed Dei potentiâ. Chrysostomus præterea in Homiliis super Matth. præsentem locum edisserens sic ait, Georgio Trapezuntio interprete, *Ità undique ejiciendos Judæos quia non crederent, & gentes introducendas monstravit: id enim etiam per Chananæam, id per Asinam, id per multas alias parabolas, id per Centurionem apertiùs significavit. Id etiam nunc designat, ac ideo subjungit*, A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. *Credituras enim gentes & Judæos fideles, quamvis magno priùs intervallo distarent, unum tamen fore confirmavit. Et ut videant nihil horum Deo esse adversum, sed valde acceptum atque gratum, mirabile præterea stuporisque plenum, à Domino istud factum esse subjunxit.*

Ex Cap. XXII.

V. 16. Vetus tralatio, *Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes*, &c. Erasmus in Annot. *Cæterùm* Herodianos *appellat milites Herodis, quem proselytum Augustus præfecerat Judæis, ut ab his Imperatoris Romani nomine tributa colligeret.*

Non hîc *Herodiani* appellantur Herodis illius proselyti milites qui primus ejus nominis in Judæa Romanorum beneficio regnum sortitus est, ut Erasmus ex ignoratione S. Scripturarum est suspicatus. Hic enim Christo adhuc infantulo & in Ægypto constituto mortuus est, cui Archelaus filius successit in regno, ut legitur Matth. 2. Is verò Herodes, à quo nunc *Herodiani* dicuntur, qui alio nomine Antipas est appellatus, filius fuit supradicti Herodis, non tamen Judæorum rex, sed Galilææ tantùm tetrarchæ, ut habetur Lucæ 3. & ex Josepho & Egesippo manifestè apparet. Quod verò Erasmus ait Herodem illum proselytum ab Augusto præfectum esse Judæis ut ab illis Imperatoris Romani nomine tributa colligeret, simili errore deceptus est. Non enim Herodes ab Augusto Cæsare Judæis est præfectus; sed Judæorum rex à Romano Senatu est constitutus, Antonio & Augusto procurantibus, quò illum Antigono opponerent, qui à Parthis regnum illud acceperat: nondum enim Augustus rerum fuerat potitus, ut autor est Josephus Antiq. Jud. lib. 14. & Egesippus lib. 1 De bello Jud. Quanquam Herodes in ea oratione quam post Antonii mortem ad Augustum habuit, ut ex Egesippo apparet, ab Antonio se regnum accepisse ingenuè fatetur: sic enim ait, *Ego, Auguste, fateor me fidelem fuisse Antonio socium, utpote qui ab eo regnum acceperim, cui me debitorem adhuc non abnuo.*

Ex Cap. XXVI.

V. 31. Vetus tralatio, *Percutiam pastorem & dispergentur oves gregis.* Erasmus cùm in Annot. hunc locum ex Hieronymi sententia primùm explicuisset, tandem ista subjunxit. *Atqui hæc sanè in re aut ego prorsus hallucinor, aut lapsus est Hieronymus, quem ut fateor virum fuisse summâ doctrinâ, pari eloquentiâ, incomparabili sanctimoniâ, ità hominem fuisse non possum diffiteri. Etenim si quis attentiùs expendat eum Propheta locum, is comperiet nè posse quidem hæc ad Prophetæ personam accommodari*, &c.

Erasmus, qui in Apologia quam traductioni suæ N. Testamenti anteposuit *tantum abesse* ait *ut ex doctoribus Ecclesiasticis eos incessat petulantiùs quos præter eruditionis commendationem ornat & vitæ sanctimonia, ut sæpenumero captatis etiam prætextibus aut elevet errorem, aut excuset, aut tegat*; magnificæ illius pollicitationis nunc oblitus Hieronymum erroris arguere veritus non est, quò arguctior ipse appareret ac in S. Scripturarum intelligentia eruditior. Atqui oportebat, si quid à Hieronymo non bene dictum alicubi videbatur, Erasmum stare promissis, & aut elevare errorem, aut excusare, aut tegere: non hunc autem præ cæteris sanctis doctoribus eligere cum quo μονομαχίαν ex professo exerceret, ut ex multis suarum Annotationum locis apparet. Quanquam quod duellum esse potest aut quæ monomachia inter Herculem monstrorum domitorem & invalidum homuncionem, vizdum armorum fragorem auditu valentem sustinere? Quid autem tam absconditum, tam abstrusum tam abditúmve in S. Scripturis esse potuit, cujus intelligentia Hieronymum lateret, virum in S. literis adeò exercitatum ut ab eo tanquam ab oraculo quodam Divinorum librorum expositiones tempestate illâ eruditissimâ quâ ipse floruit major pars hominum, non laicorum tantùm sed etiam Ecclesiasticorum ac Episcopali dignitate fulgentium, instantissimè postularet? Accedebat ad summum ingenium & solertiam hominis perspicacem literarum Hebraicarum peritia quanta nunquam Christiano homini contigit: Græcarum quoque, quas ex æquo cum Latinis ab ineunte ætate ex amussim didicerat, admirabilis quædam eruditio. Cúmque omnibus Ecclesiasticis doctoribus fine dubio Hieronymus antecellat, sive secularium disciplinarum scientiam in eo consideres, sive variarum linguarum exactissimam cognitionem, sive eloquentiam singularem ac politissimum dicendi genus attendas, sive S. denique Scripturarum incomparabilem sapientiam, ingenii acumen & judicii gravitatem æquâ lance perpendas; quasi unus esset ex trivio, sic illum Erasmus balbutiens passim redarguere non dubitat, quem potiùs oportebat admirari ac ejusdem dictis & expositionibus in Sanctis Scripturis tanquam decretis quibusdam Ecclesiasticis obtemperare. Sed ego demens qui tam longâ oratione Hieronymi patrocinium susceperim: quasi alicujus ille egeat defensione, ac non potiùs Erasmus hac in re fuerit hallucinatus quàm Hieronymus non modò non lapsus, sed neque loco suo transversum, quod aiunt, digitum motus. Nè autem ex tam temeraria provocatione apud sui similes Erasmus aliquando gloriari possit, agè jam videamus quonam modo Hieronymus hunc Zachariæ locum de quo in præsentia agitur intellexerit. Dixerat Matthæus Euangelista cap. 26. *Tunc dicit illis Jesus, Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis.* Hoc ex Propheta Zacharia testimonium Hieronymus in libro De optimo genere interpretandi in medium afferens sic ait, *in Matthæo quoque legimus Dominum prædicantem Apostolis fugam, & hoc ipsum Zachariæ testimonio confirmante.* Scriptum est, *ait*, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. *At in Lxx & in Hebræo multò aliter est: non enim ex persona Dei dicitur, ut Euangelista vult, sed ex Propheta Deum patrem rogantis*, Percute pastorem, & dispergentur oves. In Comment. quoque super Matthæum hunc eundem locum idem Hieronymus exponens sic ait, *Hoc aliis verbis in Zacharia Propheta scriptum est, &*, ni *fallor*, ex *persona Prophetæ ad Deum dicitur*, Percute pastorem, & dispergentur oves gregis. *Sexagesimo quoq; & octavo psalmo, qui totus à Domino canitur, huic sensui congruente*, Quoniam quem tu percussisti

ipsi

ipsi persecuti sunt. *Percutitur autem pastor bonus ut ponat animam suam pro ovibus suis, & de multis gregibus erroris fiat unus grex & unus pastor. De hoc testimonio in libello quem De optimo genere interpretandi Scripsimus plenius dictum est.* Quanquam autem satis erat duobus in locis eadem de hoc Zachariæ testimonio Hieronymum protulisse; ut tamen hæc magis sint perspicua S. literarum studiosis verba ipsa Prophetæ subscribamus. Ait Zacharias cap. 13. ex persona Dei, *Framea, suscitare super pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum.* Hactenus loquitur Deus. Sequitur ex persona Prophetæ Deum patrem rogantis, *Percute pastorem & dispergentur oves.* Non enim Deus ad gladium suum hæc loquitur, ut Erasmus existimat, sed Propheta Deum rogat ut Christi passionem acceleret, quâ genus humanum redimendum erat, etiamsi oves ad tempus essent dispergendæ. Sequitur iterum ex persona Dei, *Et convertam manum meam ad parvulos, & erunt in omni terra, dicit Dominus*, &c. Nemo autem miretur si ità hæc verba distinximus ut nunc Deum nunc Prophetam loquentem induxerimus. Constat enim hunc morem peculiarem esse Prophetis ut nunquam sub una persona perpetuò loquantur, quamobrem obscuriores interdum sunt. Unde Hieronymus in Comment. super Psalmos Psal. 80. super illo versu, *In tribulatione invocasti me*] *Propheta*, inquit, *& Psalmi ideo obscuri sunt quoniam subitò, cùm nescis, persona mutatur. Denique hucusque locutus est Propheta: nunc subitò inducitur persona Dei loquentis ad populum*, In tribulatione invocâsti me, & liberavi te.

Ex Cap. XXVII.

V. 48. Vetus tralatio, *Et continuò currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Erasmus in Annot. *Hic palàm aceti fit mentio. Porrò legimus apud Plutarchum in vita Marci Antonii acetum Antonio datum quò celeriùs ex vulnere moreretur, quòd ea res mortem acceleret. Idque indicat obiter & Hieronymus cùm ait, hunc edisserens locum*, ut eum consopiant.

Apud Plutarchum in vita Marci Antonii non legitur *acetum Antonio datum quò celeriùs ex vulnere moreretur*, ut Erasmus satis indiligenter in Annot. retulit, sed vinum. Sic enim apud eundem autorem Græcè legitur, καταπάυσας ἡ τὸν ὀδυνον αὐτῆς Ἀντώνιος, ἤτησεν οἶνον πιεῖν, ἤτε δίψῶν, ἤτε συντομώτερον ἐλπίζων ἀπολυθήσεσθαι. Quæ ad hunc modum à Leonardo Aretino in Latinum versa sunt, *Antonius verò, ut Cleopatram à lamentatione cessare fecit, petiit vinum sibi potui dari; seu sitiens, seu quòd potato vino celeriùs sperabat dissolvi.*

EX EVANGELIO SECUNDUM MARCUM. Cap. I.

V. 2. Vetus tralatio, *Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam*, &c. Erasmus in Annot. *Illud obiter annotandum, Hieronymum in eo quod modò citavimus opere memoriâ lapsum videri posse cùm ait hoc testimonium haberi in fine Malachiæ. Nam cùm totum hujus prophetiæ vaticinium quatuor capitibus absolvatur, & hic locus sit in ipsa statim fronte tertii capitis*, in medio *verùs est quàm* in fine, &c.

Rursus Erasmus suo more Hieronymum arguit: quanquam non erroris hoc loco sed oblivionis redargutio est. Sciendum verò non lapsum fuisse memoriâ Hieronymum cùm in libro De optimo genere interpretandi scripsit hoc testimonium haberi in fine Malachiæ. Nam licèt totum hujus prophetæ vaticinium quatuor constet capitibus, & hic locus sit in ipsa statim fronte tertii capitis, quartum tamen, i. ultimum, caput adeò breve est ut cum tertio conjunctum vixdum tertiam prophetiæ partem compleant, nédùm dimidium ejus obtineat initium tertii capitis. Illud quoq; adnotandum veteres Ecclesiasticos non habuisse distinctas capitulis S. Scripturas, ut ex antiquissimis Latinorum libris apparet; quemadmodum neque apud Hebræos neque apud Græcos capitibus distinctè visuntur: sed juniores fastidio longæ lectionis adductos has librorum sectiones quas nunc videmus excogitasse. Neque est credendum Hieronymum, qui in S. Scripturis dies noctésque versabatur, hoc loco memoriâ vacillâsse, ac de ultima Malachiæ pericope, ut Erasmus suspicatur, intellexisse. Nam tametsi utriusque loci initia eadem esse videantur; in sequentibus tamen adeò dissident ut non facilè erroris causam Hieronymo tribuere potuisse credendum sit: Cùm præsertim ipse Hieronymus totum hoc vaticinium, quod ait haberi *in fine Malachiæ*, in prædicto libro ad verbum expresserit sic dicens, præmissis verbis Euangelicis, *Hoc exemplum ex duobus prophetis compositum est, de Malachia videlicet & Esaia. Nam primum quod dicitur.* Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam qui præparabit viam tuam ante te, *in Malachia in fine scriptum est*, &c.

Ex Cap. III.

V. 17. Vetus tralatio, *Et impetum fecit illis nomina Boanerges, quod est, Filii tonitrui.* Erasmus in Annot. *Boanerges.* | *Nam Hebræis* בני filios *sonat*, רגש tonitrui *vel* fremitûs.

Satis quidem imperitè, ut omnia Hebraica solet, & hunc locum Erasmus in Annot. explicuit: רגש enim non *tonitruum* sonat, sed *tumultum* aut *sonitum*, sive *fremitum.* Quanquam Psal. 2. pro eo quod in Hebræo legitur ורגשו, & Lxx traduxerunt ἐφρύαξαν *fremuerunt*, Hieronymus transtulit *congregaverunt.* Cæterùm tonitruum Hebraicè dicitur רעם. Esaiæ 29. *Et à te repentè confestim à Domino exercituum visitabitur in tonitruo & commotione terræ:* ubi in Hebræo pro *tonitruo* legitur רעם, & pro *commotione* רעש. Sciendum itaque quòd B. Hieronymus ait hoc nomen, i. Boanerges, corruptum esse: non enim *Boanerges* sed *Banerrem* legi debere. Sic enim in libro Interpretationum Hebraicorum nominum scribit, *BANERREM filii tonitrui, quod corruptè* Boanerges *usu obtinuit.* In Explanationibus item super Esaiam cap. 62 sic ait, *Filii quoque Zebedæi, quorum unus vocem tonitrui emittere poterat*, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, *appellati sunt* Banerrem, *quod interpretatur* filii tonitrui.

Ex Cap. V.

V. 41. Vetus tralatio, *Et tenens manum puellæ ait illi, Tabitha cumi.* Marcus, καὶ κρατήσας τῆς χειρὸς τοῦ παιδίου λέγει αὐτῇ, ταλιθὰ κοῦμι. Erasmus, *Et apprehensâ manu puellæ ait illi, Tabitha cumi.*

Cùm in Græco, i. in ipsa origine, sit ταλιθὰ i. *Talitha* per *l*, Erasmus veterem librariorum Latinorum errorem secutus *Tabitha* per *b* hic transtulit; & cùm in Annotationibus scripserit, *Græcos* Talitha *per* λ *scribere, non* Tabitha *per* β, ridicula quædam intulit & quæ hominis imperitiam palàm ostendunt. *Incertum*, inquit, *an hoc loco* Tabitha *nomen proprium sit puellæ, quemadmodum in Actis puella Joppensis* Tabitha *dicta est:* & infrà, *Quin Hebraïs sonat* תביט respice, *sive* attolle oculos: *ut possint esse duæ voces Hebraïcæ,* תביט attolle oculos, קומי surge. Quomodo autem *Tabitha* potest hic esse puellæ nomen aut significare *respice* sive *attolle oculos*, cùm Euangelista *puellam* illud nomen interpretetur? Sic enim ait, *Tabitha cumi, quod est interpretatum, Puella, tibi dico, Surge.* Sciendum igitur *Talitha* per *l* hîc legi debere, ut in Græco habetur, diversúmque esse vocabulum à *Tabitha* proprio nomine quod legitur Act. 9. quam Lucas illic *dorcada* interpretatur; ac appellativum esse nomen, non proprium; & Chaldaicam esse vocem non Hebræam, *puellámq;* significare, ut Euangelista interpretatus est. Unde & D. Hieronymus in libro De optimo genere interpretandi hunc locum citans

Talitha quidem legisse videtur, quanquam *Talatha* libri ex impressione corruptè habent. Primus omnium hunc locum veræ ac germanæ lectioni restituit Ælius Antonius Nebrissensis Hispaniæ nostræ decus ingens, qui per annos circiter quinquaginta tum docendo tum scribendo rem literariam, quæ apud nostrates neglecta erat ac propemodum jam deperdita, non solùm instaurasse dici potest, sed de novo etiam in Hispaniam invexisse. Is igitur Antonius in Annotationum quas in S. Scripturas conscripsit tertiâ quinquagenâ de *Talitha* & *Tabitha* eruditissimè disseruit. Illinc petat qui plenius hac de re cupiet edoceri. Vivit & adhuc octogenarius senex in hac Complutensi Academia, amplissimo salario eóque perpetuo stipendiatus, publicè Rhetoricam docens. Qui tametsi ad tantum ævi jam devenerit, tam bonâ tamen corporis viget habitudine, támque prosperâ semper utitur valetudine, ut non scholastico solùm muneri, quod & ipsum robustioris ætatis homini satis erat, sine aliquo suo incommodo deserviat, verùm etiam Historiographus quoque Regius à multis jam annis non absque ingenti mercede eâque annua à Regia aula deputatus; Ferdinandi & Helisabet gloriosissimorum Hispaniæ Principum historiam Latinè ex eorundem regum jussu elegantissimo stylo conscribi jamdiu cœptam mirâ diligentiâ prosequatur: Multa & alia interim opera, quæ ad rem literariam exornandam superiore ætate studiosissimè confecerat, quotidie expoliens, quibus nomen suum per totum jam orbem alioqui percelebre majore cum gloria & patriæ suæ laude ad posteros transmittat.

Ex Cap. VIII.

V.33. Vetus tralatio, *Qui conversus & videns discipulos suos, comminatus est Petro, dicens, Vade retro me satana.* Marcus, ὁ δὲ ἐπιστραφεὶς καὶ ἰδὼν τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, ἐπετίμησε τῷ Πέτρῳ, λέγων, ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ. Erasmus, *At ille conversus & intuitus discipulos suos, increpavit Petrum, dicens, Abi post me satana.*

Non contentus Erasmus in textu mutasse tralationem, in Annotationibus Ecclesiasticum interpretem suo more deridet: atque cùm ad hunc locum devenisset, *Mira*, inquit, *deliciæ hujus Interpretis, qui quod aliàs vertit* increpare *idem nunc vertit* comminari; *cùm nec ad sententiam quadret* comminari. *Nam quod sequitur*, Vade post me satana, *nimirum increpantis est, non comminantis.* Vide autem quantum à semetipso Erasmus iste dissideat. Nam qui paulò antè, ubi dicitur, *& comminatus est eis nè cui dicerent de illo*, pro quo in Græco legitur καὶ ἐπετίμησεν αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ λέγωσι περὶ αὐτοῦ, transtulerat, *Et interminatus est eis nè cui dicerent de se*, Interpretem nunc taxat quasi impropriè simile verbum hîc transtulerit. Sciendum itaque ἐπιτιμᾶν non tantùm simplicem *reprehensionem* significare, sed interdum eam *quæ cum comminatione est*; &, ut Erasmicis verbis utar, *cùm additis minis aliquid interdicimus.* Ergò non simpliciter hîc Petrum Dominus *increpasse* dici potest; sed *comminatus* potiùs illi ut taceret, quandoquidem *non sapiebat quæ Dei erant, sed quæ hominum.*

Ex Cap. X.

V.46. Vetus tralatio, *Filius Timæi Bartimæus sedebat juxta viam mendicans.* Erasmus in Annot. Filius Timæi *additum est interpretandi causâ, nam id sonat* Bartimæus *Hebræis.* בר *enim* filius, *&* Timæus, *quemadmodum & BARTHOLOMÆUS* filius Ptolemæi, *conflatis diversarum linguarum vocibus.*

Soleo profectò quoties Annotationes Erasmi lego, in quibus ea pertractat quæ ad Hebraicam Chaldaicámve linguam attinent, in cachinnos penè solvi; adeò interdum imperitè, nè dixerim ridiculè, quæ à suo Theseo Oecolampadio tumultuariè edoctus est, in medium profert. Quale vel hoc quidem est de quo in præsentia nunc agitur. Filius, inquit, Timæi *additum est interpretandi causâ.* Atqui negari non potest quòd Bartimæus *filium Timæi* sonet. Sed tamen quis unquam dixit Euangelistam, cùm scripsit *filium Timæi*, interpretandi ejus nominis causâ id protulisse. Certè interpretatio nomen subsequi solet non præcedere. Quin & Euangelistæ, quoties Hebraica sive Chaldaica nomina interpretantur, *quod interpretatur* adjungere solent. Jam verò quàm turpissimè in illo lapsus sit quòd *Bartholomæum* ex *bar* & *Ptolemæo* diversis vocibus conflatum existimavit, quis vel cæcutiens non videt? cùm *Bartholomæum* per *th* aspiratum, uti esse debet, scripserit, & Ptolemæum per *Pt* ex Hebræo & Græco, suspicatus hoc nomen fuisse compositum, quod nusquam hactenus legimus. Sciendum itaque Bartholomæum Hebræis *Barthalmai* appellatum, i. *filium Thalmai*. Et indè Bartholomæus per *th* dictus est, *ai* diphthongo in *æ* primùm conversâ, ac deinde *us* terminatione adjectâ, quam Græci barbaris nominibus ad decorem apponere soliti sunt, ut de Matthæo suprà est à nobis memoratum.

Ex Euangelio secundum Lucam. Cap. I.

V.63. Vetus tralatio, *Et postulans pugillarem scripsit, dicens Joannes est nomen ejus.* Lucas, καὶ αἰτήσας πινακίδιον ἔγραψε, λέγων, Ἰωάννης ἐστὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Erasmus, *Et postulatâ tabellâ scripsit, dicens, Joannes est nomen ejus.*

Nescio quid opus erat hoc loco tralationem immutare, cùm V. Interpres Latinè quidem ac propriè Græcam dictionem πινακίδιον expresserit, cùm dixit *pugillarem*. Siquidem *pugillares* dicuntur tabellæ ex ligno sive alia materia ceratæ, in quibus stylo scribimus, vel quòd *pugno* comprehendantur, vel à *pungendo*, quòd stylo in his pungendo scribatur. Martialis in districho cui lemma est *PUGILLARES CITREI*,

Secta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
Essemus Libyci nobile dentis onus.

Nam quòd Interpretem in Annot. Erasmus taxat quasi perperàm in præsentia transtulerit aoristi participium αἰτήσας, non rectè facere videtur. Neque enim ex ea tralatione id sequitur quod ipse in medium attulit, *Quomodo*, inquiens, *scripsit in pugillaribus postulans ut afferrentur? Non enim tunc cùm postulabat scribebat: sed postquam allatus est illi pugillaris scripsit in eo, JOANNES EST NOMEN EJUS.* Ista verò aoristi participia nonnunquam per præsens tempus, interdum verò per præteritum Latini interpretes transferre solent. In eo autem quod in sequenti annotatione statim infert, quàm sit ridiculus manifestè patet: ait enim, *Scripsit dicens,*] *Si dixit, quid opus erat scribere? unde* dicens *hoc loco referendum est non ad Zachariam loquentem, sed scripturam loquentem: nam mox subditur apertam fuisse linguam illius & cœpisse loqui.* Quis autem Erasmica hæc legens, quantumvis ἀγέλαστος, à risu se possit continere? *Si dixit*, inquit, *quid opus erat scribere?* Nam quòd Zacharias mutus esset cùm illa scriberet, illud *dicens* ad eum referri non posse qui dicere tunc nihil poterat Erasmus existimavit. Quasi cùm quis aliquid scribit, etiamsi is mutus non sit, non tacens id scribat, ac mente potiùs scripturam dictet quàm prolatione verborum. Sciendum igitur non ad scripturam, quæ loqui non poterat, illud *dicens* referri debere, sed ad Zachariam, qui ea per scripturam dicebat quæ animo conceperat. Ut omittam quòd γραφὴ, i. *scriptura*, in Græco feminini generis est, sicut in Latino, & λέγων, i. *dicens*, masculinum, quod in Græco cum *scriptura* nequaquam convenire potest.

Ex Cap. II.

V.2. Vetus tralatio, *Hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino.* Lucas, Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Erasmus, *Hæc descriptio prima*

prima facta est Præside Syriæ Cyrenio. Et in Annotat. Κυρηνίου i. *Cyrenio.*

Cùm Cyrinus iste quem Cæsar Augustus Præsidem in Syriam misit, sub quo descriptio censuum in Judæa facta est, Romanus fuerit, quid attinebat ejus proprium nomen, quòd in Græco corruptè prolatum est & à Latinitate detortum, ut in aliis quamplurimis Romanorum nominibus à Græcis factum videmus, ex Græco interpretari *Cyrenium*, cùm *Cyrinus*, aut verius *Quirinus* Latinè vocatus hic fuerit? Nam cùm Græci *q* literam non habeant, per κ illius sonum exprimant necesse est. Unde pro eo quod Latini dicunt *Aquila* proprium nomen Ἀκύλας, & pro *Quintus* Κόϊντος illi dicere solent. Ergò *c* in dictione *Cyrinus* sono *q* aut *k* proferenda est. Apud Josephum item in fine libri 17 Antiq. Jud. Ruffino interprete *Cyrinum* legimus pro hoc Præside Syriæ non *Cyrenium*: sic enim ait, *Interea Cyrinus vir consularis à Cæsare destinatur censum in Syria dispositurus, & domum Archelai redditurus.* Et in principio libri 18. *Cyrinus autem unus de his qui semper in consultatione congregabantur, &c.*

V. 7. Vetus tralatio, *Et pannis eum involvit.* Lucas, καὶ ἐσπαργάνωσεν αὐτόν. Erasmus, *Et fasciis eum involvit.* Et in Annotat. ἐσπαργάνωσεν, inquit, *ad verbum sonat* infasciavit, i. *fasciis involvit, nè quis imaginetur laceros pannos.*

Σπαργανώματα, ut inquit is autor qui magnum Etymologicum Græcè composuit, λέγονται αἱ πρῶται φασκίαι ἐν αἷς δεσμοῦνται οἱ παῖδες ῥυθμιζόμενοι ἵνα τὸ ὀρθότερον, i. *dicuntur prima illa fasciæ quibus pueri colligantur quò sic aptati rectiores evadant.* Suidas verò σπάργανα inquit esse τὰ ἱμάτια, κυρίως δὲ τὰ ῥάκη, i. *Spargana vestimenta esse, propriè autem ῥάκη* hoc nomen significare, i. *pannos*, aut *vestes viles* vel *laceras.* Non igitur malè Vet. Interpres traduxit cùm elegantissimâ periphrasi utrumque verbi Græci significatum expressit, *& pannis*, dicens, *eum involvit.* Ac sic quidem Ambrosius legit; & id explicans subdit, *Ille involutus in pannis, ut tu mortis laqueis absolutus sis:* & infrà, *quia in pannis est vides, quia in cœlis est non vides.* Et idem de sequenti dicendum est, ubi dicitur, *Invenietis infantem pannis involutum*, pro quo Græcè legitur ἐσπαργανωμένον.

Ex Cap. III.

V. 1. Vetus tralatio, *Procurante Pontio Pilato Judæam.* Lucas, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας. Erasmus, *Præsidente Pontio Pilato Judææ.*

Nullum est ferè verbum quod Erasmus in Vet. Interprete non calumnietur; velut hoc loco cùm in Annotat. ait Interpretem *delectatum esse varietate, qui nunc vertat* procurante *quod modò verterat* Præside, i. ἡγεμονεύοντος. Videtur autem Erasmus significare impropriè hoc loco Interpretem traduxisse cùm dixit *procurante*; non advertens id esse ab eo hîc positum pro *administrante* sive *gubernante.* Nam cùm *Procurator* is propriè dicatur qui aliena negotia mandato domini administrat; non ab re provinciarum Præsides earundem *procuratores* dici possunt aut eàsdem *procurare.* Quandoquidem non tantùm ut subditorum mores corrigerent in provincias destinabantur, sed etiam ut publica augerent vectigalia, ac Cæsarum rationes administrarent; ut de Cyrino Syriæ Præside suprà proximo capite apparet, cui non solùm provinciæ gubernatio demandata est, sed etiam descriptio illa & censuum æstimatio quæ ad Cæsaris commoda pertinebat. Unde apud Josephum Ruffino interprete tale dicendi genus, utpote proprium & usitatum, reperitur lib. 2 De bello Jud. cap. 14. ubi sic legitur, *Per idem tempus rex quidem Agrippa Alexandriam erat profectus, ut Alexandrum qui Ægyptum procurabat missus à Nerone jure hospitis conveniret.*

V. 27. Vetus tralatio, *Qui fuit Salathiel*] Erasmus in Annot. *Rectiùs*, inquit, *ni fallor, dicendum*, Sealthiel.

Fallitur Erasmus cum suo Theseo Oecolampadio, trium, ut ipse ait, linguarum perito. Quamvis enim Hebraicè dicatur *Sealthiel*, i. שאלתיאל, Græci tamen & Latini quoties propria Hebræorum nomina in suas linguas transtulerunt, non illa semper ad eundem modum reddiderunt ut Hebraicè proferri solent; velut hoc in nomine factum videmus; ídque non absque aliqua ratione. Nam si Sin ejus primam literam suppresso apice Sevâ cum sequenti Aleph conjunxeris, & Seva quod est sub Lamed loco Cametz legeris, id quod sæpenumero fieri solet, ex *Sealthiel*, quod Hebraicè legitur, *Salathiel* efficies, ut codices tam Græci quàm Latini habent. Possem autem mutationis hujuscemodi multa afferre in medium exempla, quæ brevitatis gratiâ prætermitto. Illud tantùm addam, Græcos idem quandoque feciisse in Romanorum propriis nominibus, apud quos Κλήμης legitur pro *Clemens*, & Πούδης pro *Pudens*, & Κάτλος pro *Catulus*, & Λέντλος pro *Lentulus*, Λεύκιος & Ὀρτήσιος pro *Hortensius*, & Κόϊντος pro *Quintus*, & Βύβλος pro *Bibulus*, & alia ad hunc modum quamplurima.

Ex Cap. VII.

V. 22. Vetus tralatio, *Pauperes euangelizantur.* Erasmus in Annot. *Porrò* pauperes *vocat mites sive mansuetos*, Hebræorum more, *quibus* עני *ab Hieronymo vertitur* pauper, *à Lxx.* mansuetus, *quòd ferè divitias comitetur ferocitas & ferocitas indocilis sit.*

Dictio Hebraica עני non *mansuetum* sonat, sed *pauperem* &, non qualemcunque *pauperem*, sed eum quidem *qui summâ inopia & egestate affectus est.* Psal. 34. *Eripiens inopem de manu fortiorum ejus, egenum & pauperem à diripientibus eum*, מציל עני מחזק ממנו ועני ואביון מגזלו. At verò *mansuetus* Hebraicè dicitur ענו Psal. 33. *Audiant mansueti & lætentur*, ישמעו ענוים וישמחו. Quòd si alicubi Lxx pro עני *mansuetum* aut *mitem* transtulerunt, decepti sine dubio sunt scripturæ similitudine, cùm Jod & Vau solâ magnitudine differant: ut in illo ex Zach. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi justus & salvator, ipse pauper.* Pro quo in Hebræo legitur, הנה מלכך יבוא לך צדיק ונושע הוא עני. Quod Lxx sic traduxerunt. Ἰδοὺ ὁ βασιλεύς σου ἔρχεταί σοι δίκαιος καὶ σώζων, αὐτὸς πραΰς, i. *Ecce rex tuus veniet tibi justus & salvans, ipse mansuetus.*

Ex Cap. X.

V. 42. Vetus tralatio, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Lucas, Μαρία γὰρ ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς. Erasmus, *Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Et in Annot. γὰρ ἀγαθὴν μερίδα i. *bonam partem.*

In Græco ità ad verbum est ut Erasmus transtulit, i. *bonam partem*, non *optimam.* Sciendum tamen Hebræos non habere comparativas nec superlativas voces, sed pro illis uti positivis. Jud. 14. *Quid dulcius melle, & quid fortius leone?* מה מתוק מדבש ומה עז מארי, i. *Quid dulce quàm mel, aut quid forte quàm leo?* Num. 12. *Erat enim Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra*, והאיש משה ענו מאד מכל האדם אשר על פני האדמה, i. mitis valde. Vetus itaque Interpres, qui sciret Hebræos non habere superlativa, ac hoc loco à Luca more suæ gentis positivum esse positum pro superlativo, hanc partem, quâ nulla potest esse major, & quæ omnium optima est, superlativè transtulit. Sic & aliàs pro eo quod in Hebræo dicitur טוב i. *bonum* Hieronymus sæpissimè transfert *optimum.* Gen. 2. *Et aurum terræ illius optimum est*, וזהב הארץ ההוא טוב, i. *& aurum terræ illius bonum*: & in eodem libro cap. 27. *Affer mihi duos hœdos optimos*, וקח לי משם שני גדיי עזים טבים, i. *Et accipe indè mihi duos hœdos caprarum bonos.* Et in aliis quamplurimis locis ubi similia exempla reperiuntur.

Ex Cap. XII.

V. 42. Vetus tralatio, *Ut det illis in tempore tritici mensuram.* Pro *tritici mensura*, in Græco est σιτομέτειον, quod Erasmus in Annot. super hoc loco ait referri posse ad omnem cibum : & infrà, *Cæterùm*, inquit *Græcis dictio composita est* σιτομέτειον, *ex* frumento *&* mensura, *non ex* tritico ; *quanquam* σῖτος *Græcis aliquando* frumentum, *aliquando* quemlibet *alium* cibum *significat. Et servi farre & leguminibus alebantur magis quàm tritico : id quod licet intelligere ex Catonis libris De re rustica, qui diligenter hisce de rebus præcipit, qui cibi modus sit dandus servis.*

Σῖτος, quamvis *frumentum* generaliter significet, sæpissime tamen pro *tritico* accipitur : sicut apud nos *frumentum*, quod ad triticum & ordeum & cætera id genus commune est, nonnunquam pro solo *tritico* sumitur. Cæterùm non σῖτος masculino genere *cibum* significat, ut Erasmus retulit, sed σῖτον neutro. Ex Catonis præterea libro De re rustica, non *libris*, ut Erasmus ait, siquidem unum tantùm librum De re rustica scripsit Cato, non licet intelligere quòd *servi farre & leguminibus magis alebantur quàm tritico.* Sic enim apud eundem legimus, *Familiæ cibaria qui opus facient per hyemem, tritici modios, iiii. S. Villico, villicæ epistatæ, opilioni modios iii. Compeditis per hyemem panis pondo iiii. Ubi vineam fodere cœperint, panis pondo quinque, usque adeò dum ficus esse cœperint ; deinde ad panes quatuor redito.* Vinum præterea familiæ dandum idem Cato censet ad certum modum. Pulmentarium quoque, i. oleas, halecem, acetum, oleum, sal.

Ex Cap. XIII.

V. 34. Vetus tralatio, *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui missi sunt ad te.* Lucas, Ἱερουσαλὴμ, Ἱερουσαλὴμ, ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, καὶ λιθοβολοῦσα τοὺς ἀπεσταλμένους πρὸς αὐτήν. Erasmus, *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te.*

Cùm in textu Erasmus *ad te* traduxerit, ut vetus habet tralatio, & ut traducendum sine dubio erat, in Annotat. quasi sui oblitus πρὸς αὐτήν, inquit, i. ad se *tertiæ personæ, nisi componatur cum alio pronomine. Ad hunc ferme modum sonat Græcis,* Hierusalem, Hierusalem, illa quæ occidit Prophetas & lapidat missos ad se. *Deinde subitò mutat personam. Sic & nos miscemus tertiam personam primæ*, tu illa lapidatrix Prophetarum. Quibus ex verbis quàm doctus ille sit in arte Grammatica manifestissimè patet. Si quidem *Hierusalem, Hierusalem*, vocativi casûs hoc loco est. Est enim Salvatoris exclamatio, quæ per vocativum fieri solet. Vocativus autem casus verbum secundæ personæ expetit non tertiæ, id quod & sequentia indicant cùm dicitur, *Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* Non enim subitò mutat personam, ut Erasmus existimavit, nec ex tertia transit ad secundam ; sed semper de secunda locutus est. Illud præterea αὐτήν, tametsi tertiæ personæ quantum ad vocem sit, quantum ad sensum tamen secundæ personæ vim obtinet. Nam hoc pronomen αὐτός, αὐτή, αὐτό, ut Grammatici referunt, τριπρόσωπον σημασίαν ἔχει, h. e. *trium personarum habet significationem.* Ergò hoc loco πρὸς αὐτὴν *ad te ipsam* significat, non *ad se* tertiæ personæ. τοὺς ἀπεσταλμένους verò *missos* sive *qui missi sunt* sonat, non *qui mittuntur*, ut oscitanter Erasmus in textu transtulit, quod & ipsum in Annot. correxit cùm dixit, *& lapidat missos ad se.*

Ex Cap. XVI.

V. 20. Vetus Tralatio, *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus.* Erasmus in Annotat. לעזוריהו *Hebraïs sonat* adjutus à Domino, *ut ipsum etiam vocabulum faciat ad parabolam. Destitutus erat ab hominibus, sed adjutorem habebat Deum : siquidem* עזר auxilium *sonat,* יהו Deus.

Satis quidem infeliciter, ut omnia Hebraica solet, & hunc quoque locum Erasmus in Annot. explicuit. *Lazarus* enim non à *Lazuriahu*, inaudito hactenus nomine, & ab Oecolampadio Theseo nunc primum confecto, sed ab *Eleazaro*, per apocopen primæ syllabæ, deductum est. Eleazarus verò Hebraicè dicitur *Eleazar*, & *e* ablato *Lazar*, additâ verò *us* terminatione *Lazarus.*

Ex Cap. XIX.

V. 4. Vetus tralatio, *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum.* Erasmus in Annot. συκομορέαν, i. in caprificum, *h. e.* fatuam ficum. *Illud miror, apud Græcos hanc dictionem scribi per* ο *cùm* μωρὸς *habeat* ω.

Non intellexit Erasmus Roterodamus quid hoc loco sit *sycomorus*, quam Lucas συκομορέαν appellat. Non enim est *caprificus, h. e. fatua ficus*, ut ipse ait, sed arbor quam *Ficomorum* à *ficu* & *moro* rectiùs interpretabimur. Non enim morus arbor & morum pomum ω in Græco habent sed ο, id quod ex Dioscoride, ubi agit de morea & de sycomoro, facilè apparet. Unde erravit manifestè qui primus *SYCOMORUM ficum fatuam* interpretatus est, ad vocem tantùm attendens, non ad orthographiam ; cùm aliàs μωρὸς per ω *fatuum* significet. De hac arbore, quæ peculiaris est Ægypto, quámque Celsus *moroſycon* inversis dictionibus appellat, meminit Strabo lib. 17. & quotquot denique Ægypti meminerunt, ut Diodorus, Solinus ac cæteri. Petrus Martyr, orator & poeta percelebris, à potentissimis Hispaniæ Principibus Ferdinando & Helisabet anno Domini MDII legatus ad Sultanum in Ægyptum missus, in Itinerario quod de Babylonica legatione ad eosdem Principes conscripsit, se ait apud Cayrum urbem arborem illam vidisse, quam indigenæ *ficulneam Pharaonis* nunc appellant ; éxque ea tres carpsisse fœtus, quos in Hispaniam attulit, quorum forma mediocris erat piri, sed mollicie ac gustu fuisse insipidos, ficum tamen æmulantes. Illud item addidit, non ut cæteros omnes arboreos fructus ex recentioribus ramulis illius arboris fœtus nasci, sed ex veterum ramorum truncis ubertim exsilire, veluti ex uno interdum ramulo compressa profiliunt multa pruna. Plinius item lib. 13 Natur. hist. de ficu Ægyptia agens sic ait, *Et in Ægypto multa arborum genera, quæ non alibi. Ante omnia ficus, ob id Ægyptia cognominata. Arbor moro similis, folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert non ramis sed caudice ipso, idque ipsum ficus est præduleu, sine granis interioribus, perquam fœcundo proventu, scalpendo tantùm ferreis unguibus, aliter non maturescit. Sed cùm factum est, quarto die demetitur alio subnascente ; septeno ità numerosa partu per singulas æstates multo lacte abundante. Subnascitur, etiam si non scalpatur, fœtus quater æstate, priorémque expellit immaturum.* Apud Theophrastum verò hanc arborem *Sycaminon* appellatam reperio lib. 4 De historia plantarum, ubi eadem de ea refert quæ Plinius de ficu Ægyptia : imò ex Theophrasto videtur Plinius ad verbum illa transtulisse. Sic enim ait Theophrastus, Ἐν Αἰγύπτῳ γάρ ὄζιν ἴνια δένδρα πλείω· ἥτε συκάμινος, καὶ ἡ περσέα καλουμένη, καὶ ἡ βάλανος, καὶ ἡ ἄκανθος καὶ ἕτερα ἄττα. ἴσι δὲ ἡ μὲν συκάμινος παραπλησία πῶς τῇ ὀνταῦδα συκαμίνῳ. καὶ γὰρ τὸ φύλλον ἔχει τὸ μέγεθος καὶ τὴν ὄλυν σχεδόν. τὸν δὲ καρπὸν ἴδιόν φέρει πρὸ τὰ ἄλλα, καθάπερ ἐλέχθη καὶ ὁ τοῖς ἐξ ἀρχῆς· ὃ γὸ ἀπὸ τῆς βλαστῶν, οὐδ' ἀπὸ τῆς ἀκρεμόνων, ἀλλ' ἐκ τοῦ στελέχους· μέγεθος μὲν ἠλίκον σῦκον, καὶ τῇ ὄψει ὅ παραπλήσιον· πρὸς χυλὸν δὲ καὶ τὴν γλυκύτητα τοῖς ὀλυνθίοις, πλὴν γλυκύτερον πολύ· καὶ κεχρισμένας ὅλως οὐκ ἔχοντα, πλήθει δὲ πολύ· καὶ

3475 ἡ πόλιν οὐ δύναῃ ἂν μὴ ὀπνιδῆ, ἀλλ' ἔχοντες ὄνυχας εἰδήσῃς ὀπνιζουσιν. ἃ δ' ἂν ὀπνιδῆ, τετρατᾶα πέτηλα. τούτων δ' ἀφαιρεθέντων πάλιν ἄλλα φύεται ἡ ὁπ τῷ αὐτῷ τόπῳ μηδὲ μεγαλάσοντα. ἡ τῷδ' οἱ μὲν πόλις, οἱ δὲ πλεοράκις φασὶ γίνεσθ. Quæ Theodorus Gaza ità in Latinum vertit, *Sunt enim pleraque in Ægypto arbores; ut morus & perſea dicta, & glans & ſpina, & alia quadam quæ peregrinari omnino nequeunt. Morus ſimilis quodammodo moro noſtrati eſt; quippe folio, magnitudine, aſpectúque proxima. Fructum prater cæteras peculiariter gignit, ut volumine primo diſſeruimus. Non enim germinibus, non ramis, ſed caudice pomum parit, magnitudine ficûs & viſu proximum; ſucco atque ſapore caprificis ſanè ſimile, verùm longè dulcius; graniſque interni omnino carens, multitudine numeroſius: matureſcere nequit niſi ſcalptum. Quod unguibus ferreis ſcalpitur: quæ cùm ſcalpta ſint ad quartum diem matureſcunt: hiſce ablatis alia & alia ex eodem loco ſubnaſcuntur nullo diverſa: ídque alii ter, alii ſæpius factitari affirmant.* Dioſcorides præterea lib. 1 Περὶ ἰατρικῆς, i. *materiæ medicinalis*, eadem ferme refert de ſycomoro ſive ſycamino (nam utroque nomine eandem arborem appellari ait) quæ Plinius ac Theophraſtus: ſic enim apud eundem legitur, Συκόμορον, ἔνιοι δὲ καὶ τοῦτο συκάμινον λέγουσι. καλεῖται δὲ καὶ ὁ ἀπ' αὐλῆς καρπὸς συκόμορον, διὰ τὸ ἄτοπον τ γλ'σσης. δένδρον δέ ἐστι μέγα, ὅμοιον συκῇ, συλλόμον σφόδρα, τοῖς φύλλοις ὁμοιὸς μορέᾳ. φέρει δὲ καρπὸν τὸν καὶ τετράκις τῷ ἔτους, οὐκ ἀπὸ τῆς ἀνερεμόνων, ὡς ὅτι τῆς συκῆς, ἀπὸ δὲ τῆς σελίχνης, ὅμοιον ἐρινεῷ, γλυκύτερον ὀλύνθων, οὐκ ἔχοντα δὲ κεχεμίδας, μηδὲ πεπαινόμενον δίχα τοῦ ὀπνιδῆναι ὄνυχι ἢ σιδήρῳ. Quæ ab Hermolao Barbaro ità tradu&ta ſunt, *Ficus Ægyptia, quam alii ſycomoron, alii ſycaminon appellant, fructum fert cognominem, ſycomorum vocatum ex argumento guſtûs ignavi. Arbor ipſa de ampliſſimis, ficûs ſimilitudine, largo ſuco, foliis moro perquam proximis. Fructus anno quoque ternos quaternóſque fundit, eóſque non ramis, ut ficus, ſed caudice ipſo gerit, ſimiles caprificis, dulciore ſque groſſulis, h.e. primitivis in fico pomis, ſine granis interioribus. Nec matureſcit aliter quàm ſcalpendo ferreis unguibus.* Item Hieronymus in Explanationibus ſuper illo ex Amos cap. 7. *Non ſum propheta, & non ſum filius propheta, ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros*, pro quo in Hebræo habetur בולס שקמים, & Lxx traduxerunt *vellicans ſycamina*, ſic ait, *Porrò hoc quod ait*, vellicans ſycamina, i. συκάμινα κνίζων, *quod Aquila interpretatus eſt*, ἰρεύνων συκομόρους, i. ſcrutans ſycomoros, *& Theodotio* χαρακῶν συκαμίνους, i. vellicans ſycamina, *& Symmachus* ἔχων συκομόρους, i. habens ſycomoros, *quidam ità ediſſerunt ut* ſycamina *velint appellari genus arborum quæ Paleſtinæ naſcuntur in campeſtribus, & agreſtes afferunt ficus, quæ ſi non vellicentur, amariſſimas cariculas faciunt, & à culicibus corrumpuntur.* Hæc Hieronymus. Cujus ex verbis manifeſtè patet & in Judæa Sycomoros fuiſſe, qualis ea erat in quam Zacchæus aſcendit: ac ſimiles Ægyptiis eſſe arbores, quandoquidem, ut & illæ, vellicantur ſive ſcalpuntur, quod verbum κνίζειν oſtendit, à Lxx poſitum, ſicut à Theophraſto & Dioſcoride. Ex eo verò quòd Theophraſtus ac Dioſcorides aiunt ſimilem eſſe illam arborem ἐρινεῷ, i. *caprifico*, & fructus ejus ὀλύνθοις, i. *groſſis*, manifeſtè apparet Sycomorum non eſſe Caprificum: neque aliter debere interpretari niſi ut nos expreſſimus, h. e. *Ficomorum*, i. ficum moro ſimilem. Eſſe autem moro cum ficu quoddam veluti commercium, adeò ut utralibet in alteram inſerta optimè proveniat, ex Palladio apparet qui lib. 14. cui titulus eſt De inſitione, de Ficu agens ſic ait,

Perſuadet moris tetrum mutare colorem
Ficus: & invaſis dat ſua jura comis.
Se quoque miratur pingui grande ſcere ſucco,
Et ſolitum gaudet vincere poma modum.

Et paulò poſt de Moro ſic ait,

Mutua quin etiam moris commercia ficus
Præſtat, & oblatum robore germen alit.

Potuit ergò ſycomorus ex fici in morum inſitione primùm proveniſſe, atque indè accepiſſe nomen. Nam quòd apud Latinos poetas in his dictionibus *morus* & *morum* o productum reperitur, ut ex Palladii carminibus quæ modò citavimus patet manifeſtè, & ex Ovidio, qui lib. 4 Metamorphoſeon ſic ait,

Ardua morus erat gelido contermina fonti;

& ex Horatio lib. 2 Sermonum ſic dicente,

——Ille ſalubres
Æſtates peragit qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legerit arbore ſolem:

non ex eo effectum arbitror quòd *o* illud magnum eſſe, i. ω, ac perinde longum alicubi reperierint, cùm nuſquam niſi per o eas dictiones ſcriptas legamus; ſed quòd Græcos poetas fuerint imitati, quibus mos eſt vocales omnes quæ poſt ſe literam aliquam habent ex his quas immutabiles appellant, i. λ. μ. ν. ρ. aliquando producere, etiamſi naturâ breves illæ fuerint. Sic Homerus Iliados *d*.

——αὐλὸς δ' ἐλάφεια τετύχθαι κύντερον·

ubi in dictione ἐλάφεια illud ε, quod naturâ breve erat, ratione immutabilis quæ ſequitur, i. λ, factum eſt longum; quos Latini poetæ manifeſtè ſecuti ſunt: unde & Perſius in epigrammate quod procœmii vice fungitur,

Corvos, inquit, poetas & poetridas picas
Cantare credas Pegaſeium melos,

apud quem *melos* primam producit ratione inſequentis immutabilis. Quanquam reclamat quidem in Miſcellaneis doctiſſimus Politianus, ac obſervationem iſtam de immutabilibus literis funditus ſubruit, utpote nec cujus meminerit autor metrorum ſingularis Hephæſtion, nec alicujus probati autoris teſtimonio ſuffultam, ſed in obſcuris duntaxat, ut ipſe ait, & ignobilibus quibuſdam ſchedis inventam. Et apud Homerum uſu jam & autoritate doctiſſimi cujuſq; receptum eſſe ut ἐλάφεια per duplex λ legatur conſtantiſſimè aſſerit: & ex Perſio *melos* eradendum, ac ejus loco *nectar* ſubſtituendum, ut in antiquiſſimis Perſii codicibus quos ipſe citat ſcriptum invenitur. Ergò alia ratio quærenda eſt.

Ex Cap. XXIII.

V. 38. Vetus tralatio, *Erat autem & ſuperſcriptio ſcripta ſuper eum literis Græcis, & Hebraicis & Latinis.* Eraſmus in Annot. *Alius*, inquit, *eſt Græcis ordo*, Ἑλληνικοῖς καὶ Ῥωμαϊκοῖς καὶ Ἑβραϊκοῖς, i. Græcanicis, Romanis & Hebraicis. *Quæ ſanè tres lingua vel hoc nomine Chriſtianis omnibus deberent eſſe commendatæ, quòd in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti ſint ſolæ omnium dedicatæ. Saltem hunc titulum conveniebat paſſim ſuis depingi formulis; quem Joannes ad hanc formam ponit,* יהושע הנוצרי מלך היהודים, ΙΗΣΟΥΣ Ο ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ, JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

Admonendus eſt nobis ſtudioſus lector nè putet Joannem ad hanc formam poſuiſſe titulum crucis ut Eraſmus deſcripſit, h. e. literis Hebraicis, Græcis & Latinis; ſed tantùm Græcis: ſic enim apud Joannem cap. 19 legimus, Ἔγραψεν δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλᾶτος, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. ἦν δὲ γεγραμμένον, Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. Et infrà, καὶ ἦν γεγραμμένον Ἑβραϊστὶ, Ἑλληνιστὶ καὶ Ῥωμαϊστί. Exiſtimo autem ego in titulo Dominicæ crucis non fuiſſe ſcriptum Hebraicè יהושע הנוצרי, ut Eraſmus retulit, ſed ישוע הנצרי: ſiquidem Salvator noſter non יהושע ſed ישוע vocatus fuit, quod & ipſum ex ſacra Euangelii Scriptura comprobari poteſt. Dixit enim angelus ad Joſeph Matth. 1. *Pariet enim filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*; pro quo Matthæum ità Hebraicè ſcripſiſſe

par est credere, ויולדת בן ותקרא שמו ישוע כי הוא יושיע את עמו מחטאתם. Nam cùm Jesus significet *salvatorem*, ad id alludens Angelus, *Et vocabis*, inquit, *nomen ejus Salvatorem. Ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*; à verbo ישוע nomen ישוע, i. *à salvando Salvatorem* deducens. Nazarenus præterea Hebraicè dicitur נצרי per Sade, non נזרי per Zain. Nazareth enim civitas, unde *Nazaræus* & *Nazarenus* Salvator noster est dictus, per Sade in Hebræo scribitur, teste Hieronymo in libro Interpretationum Hebraicorum nominum. Unde & Arabes *Nisrani*, h. e. *Nazarenos*, Christianos appellant, quæ dictio apud eos per Sad scribitur, quæ literæ Hebræorum Sade vim obtinet. Latini verò cùm literam non haberent quæ sonum Sade Hebraici repræsentet, per *Z*, quæ videtur eidem in sono assimilari, hoc nomen protulerunt.

EX EUANGELIO SECUNDUM JOANNEM.

Cap. I.

V. 1. Vetus tralatio, *Et verbum erat apud Deum.* Erasmus in Annot. *Mos enim hic est Divinæ Scripturæ plerumque* Dei *vocabulum, licèt omnibus personis ex æquo commune, Patri tribuere. Et haud scio an usquam legatur* Dei *cognomen apertè tributum Christo in Apostolorum aut Euangelistarum literis, præterquam in duobus aut tribus locis.*

Dei cognomen apertè tributum Christo in Apostolorum & Euangelistarum literis non duobus aut tribus locis, ut Erasmus ex ignoratione S. Scripturarum scripsit, sed pluribus, studiosè illud quærentibus apertissimè constabit. Ac primùm notandum est Matthæum Euangelistam, cùm ad Christum retulit vaticinium illud ex Esaiæ cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel; quod est interpretatum, Nobiscum Deus*, manifestè Christum Deum appellasse. Unde Hieronymus super Esaiam prædictum explanans vaticinium sic ait, *Est ergò sic intelligendum quod dicitur ad Achaz, Iste puer qui nascetur ex virgine, ô domus David, nunc à te appellatur* Emanuel, *i.* nobiscum Deus, *quia rebus ipsis probabis à duobus regibus inimicis liberata Deum te habere præsentem. Postea autem vocabitur* Jesus, *i.* salvator, *eò quòd universum genus hominum sit salvaturus. Non mireris ergò, ô domus David, ad rei novitatem, si virgo Deum pariat, qui tantam habeat potestatem ut multo pòst tempore nasciturus te nunc liberet invocatus.* Ut autem omittamus Joannis Euangelium nihil aliud clamare quàm Christi Divinitatem: de qua quòd manifestiùs ac sublimiùs cæteris Euangelistis is fuerit locutus, Θεολόγος, i. *Theologus*, καθ' ἐξοχὴν i. *per excellentiam*, à Græcis est appellatus; útque illud non memoremus, Christum semetipsum multis in locis Deum appellasse; quod Judæi meliùs quàm Ariani intelligentes, *De bono*, aiebant, *opere non lapidamus te, sed de blasphemia; quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum:* manifestissimè patet Theologum illum & Euangelistam Joannem in principio sui Euangelii Christum Deum appellasse cùm dixit, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, quod significantiùs Græcè dicitur, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, i. *& Deus erat ipsum Verbum*, h. e. & verbum hoc quod erat in principio & quod erat apud Deum, id ipsum verbum erat Deus. Id autem ex Græco articulo ὁ, quod dictioni λόγος adjungitur, manifestè percipitur.

Idem in fine sui Euangelii Thomam Apostolum describit Christum his verbis adorasse, *Dominus meus, & Deus meus.* Quod Græcè dicitur ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου. Super quo Theophilus sic ait, *Qui priùs infidelis fuerat, post lateris tactum optimum se theologum ostendit: nam duplicem naturam unicámque hypostasim Christi edisseruit. Dicendo enim* Dominus meus *humanam naturam, dicendo verò* Deus meus *Divinam confessus est, & unum & eundem Deum & Dominum.*

Actuum præterea cap. 20. *Attendite*, inquit Paulus, *vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, ad regendam ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Quod Græcè sic legitur, προσέχετε ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους ποιμαίνειν τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. Quem locum edisserens Beda sic ait, *Non dubitat sanguinem Dei dicere propter unionem personæ in duabus naturis Jesu Christi, pro qua dictum est* filius hominis qui est in cœlo. *Cessat Nestorius filium hominis à filio Dei separare, & duos facere Christos.*

Ad Rom. 9. *Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula, Amen.* Quod Græcè sic legitur, ὧν οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. Super quo Origenes sic ait, *Et miror quomodo quidam legentes quod idem Apostolus in aliis dicit*, unus Deus pater ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia, *negent filium Dei Deum debere profiteri, nè duos Deos dicere videantur: & quid de hoc loco Apostoli facient, in quo apertè Christum* super omnia Deus *esse perscribitur?* &c. Athanasius quoque præsentem locum edisserens sic ait, *Ob idque Deus charitatem magnum in modum obstupescens Paulus agit unigenito gratias* qui est super omnia, *inquiens*, benedictus Deus. *Si enim alii, inquit, maledictis Deum incessuerint, existimantes haud meritò excepisse hunc ad se gentes; nos tamen qui Dei mysteria novimus, scimus hunc & gloriâ esse & laude dignum. Ex his haud dubiè verecundiâ & pudore obruitur Arius, cùm Paulus Christum ubique prædicet & astruat Deum.*

Ad Philip. 2. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Quod Græcè sic legitur, ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Super quo sic ait Athanasius, cùm priùs hæreticos quosdam quos illic nominat hoc Apostoli testimonio confutasset, *In forma Dei, h. e. in Dei substantia: neque* factus *dixit, sed* exsistens: *dictum sanè illi persimile*, Ego sum qui sum. Neque rapinam arbitratus est esse se Deo æqualem. *Vides æqualitatem*, &c. Ambrosius præterea præsentem explicans locum, *Christus*, inquit, *semper* in forma Dei *erat, quia* imago est invisibilis Dei. *Sed Apostolus de Dei filio cùm incarnatus homo factus est tractat dicens*, Hoc sentite in vobis quod & in Christo Jesu, *i. de Deo & homine*, qui cùm in forma Dei esset, *inter homines utique conversatus, gestis & operibus apparebat esse Deus.* Forma *enim* Dei *nihil differt à Deo. Ideo enim* forma Dei & imago *appellatus est, ut intelligeretur non ipse pater esse* Deus; *sed hoc esse quod Deus est*, &c.

Ad Colossenses 2. *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Sic enim legit D. Hieronymus in sermone De assumptione Virginis, & Hilarius lib. 2 De Trinitate, pro quo in Græco habetur, ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς. Super quo sic ait Athanasius, *Quia in ipso inhabitat*, &c. *h. e. quodcunque Deus est verbum; in ipso habitat. Sed nè fortè inhabitasse hunc audiens existimes habitando & operatum esse, quemadmodum & Prophetæ solebant, in quibus Deus inhabitabat, secundùm quod scriptum est*, & inhabitabo in eis & inambulabo, corporaliter *scilicet adjunxit, h. e. non operatione aliquâ sed substantiâ, & tanquam corporatus & substantia una exsistens cum carne assumpta. Vel potest hoc modo intelligi, videlicet tanquam in corpore: cùm inhabitat anima corpore quidem hac vivit substantialiter & inseparabiliter ac sine ulla admixtione; anima tamen ipsa corpore excedit corpus dum moritur. Deus autem verbum nunquam à carne assumpta sejunctus est. Quin & in sepulcro aderat illi; eandémque ipse & incorruptam servabat, ad inferósque descendens cum carne hac erat. Sive igitur prædicans, sive cùm inclusos inferni claustris & detentos jam solveret, junctus erat Divinus cum corpore animus, vel tum etiam cùm voluntariâ morte decessit.*

Ad

Ad Tit. 2. *Exspectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris nostri Jesu Christi.* Quod Græcè sic legitur, προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τοῦ μεγάλου Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Quod Athanasius edisserens sic ait, *Verùm ubinam gentium sunt qui filium ipsum imminuunt, nec Deum fateri hanc patiuntur? Audiant nunc quemadmodum & Deus sit ille, & magnitudine præstat, quæ magnitudo Dei esse asseritur, non ut cum inferiore aliquo comparetur, sed quia magnus sit ille & præstans, qui & si adversarios & sibi infensos salvos fecit; quid ille non nobis adveniens, si probos deprehenderit, daturus est?* Idem in epist. ad Philip. super illo, *Qui cùm in forma Dei esset*, &c. de hoc loco sic ait, *Nam quòd filius* magnus sit Deus, *audi Paulum ità dicentem, Adventum magni Dei & Salvatoris Domini nostri Jesu Christi.*

Ad Hebræos item cap. 1. *Ad Filium autem, Thronus tuus, Deus, in seculum seculi:* quod Græcè dicitur ὁ θρόνος σου, ὁ Θεὸς, εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Est enim illic *Deus* vocativi casûs, tametsi articulum nominativi in Græco habeat, ut eo loco plenissimè ostendemus. Unde Athanasius hunc eundem locum edisserens sic ait, *Angeli*, inquit, *creati sunt, & ad eos illud refertur* qui sacit: *Filius verò nequaquam creatus est, nec de eo illud* qui sacit *est dictum: quin potiùs rex ille & Dominus & Deus est, quod planè* thronus *iste testificatur, qui principatûs est & imperii argumentum. Id autem dictum contra Paulum Samosatenum & Arium facit, qui simplicem hominem introducunt, qui Deus esset & sempiterno imperio potiretur.*

1. Joan. 5. *Et simus in vero, in filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna.* Quod sic in Græco legitur, καὶ ἐσμεν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος. Ac sic quidem legit D. Hieronymus in Explanationibus super Esaiam cap. 65. atque hoc Joannis de Christi Divinitate testimonium tanquam validissimum telum in impios Arianos contorquet. Ecce nos decem attulimus loca ex quibus *Dei* cognomen ab Apostolis & Euangelistis apertè tributum esse Christo manifestissimè patet. Neque ignoramus multa & alia his similia in S. libris posse reperiri. Sed nos hæc tantùm annotare voluimus ut vel ex his facilè appareat quàm frequens sit in S. Scripturarum lectione Erasmus iste Roterodamus, qui haud se scire ait an usquam legatur DEI *cognomen apertè tributum Christo in Apostolorum aut Euangelistarum literis, præterquam in duobus aut tribus locis.*

V. 46. Vetus tralatio, *A Nazareth potest aliquid boni esse?* Erasmus in Annot. *Græci legunt pronunciativè, cùm per interrogationem quoque possit accipi, quemadmodum admonuit D. Augustinus; tametsi quod consequitur magis suadet ut per interrogationem legatur, quòd videatur velut interroganti responsum*, Veni & vide.

Non Græci hunc locum pronunciativè legunt, ut Erasmus ait, sed interrogativè: atque omnia Græcorum exemplaria, etiam vetustissima, interrogationis puncto hunc locum signatum habent. Doctores quoque Græcorum per interrogationem hæc legunt. Unde Chrysostomus in Homiliis præsentem edisserens locum sic ait, *Et vide quàm verecundè interrogando non credendum innuit: non dixit, Nihil boni fert Nazareth; sed, A Nazareth potest aliquid boni esse?* Cyrillus item, *Non potest facilè sentire Nathanael magnum quid atque præcipuum esse quod à Nazareth ortum habeat.* Id Legis & totius Prophetiæ perito fidem non faciebat, cùm, ut diximus, non à Nazareth sed à Bethleem venturum Prophetiæ Christum prædixerunt. Hieronymus præterea per interrogationem cum Græcis legisse videtur in Explanationibus super Esaiam cap. 65. cùm ait, *Ut nequaquam festinent absque ratione credere; sed imitentur Nathanael, qui Domini voce laudatus est*, Ecce verè Israelita in quo dolus non est: *qui Christum autoritate Scripturarum quærebat, & de Prophetis cupiebat agnoscere, dicens, A Nazareth potest aliquid boni esse? Et est sensus, Quomodo mihi Messiam adducis de Galilæa & Nazareth, quem ego de Bethleem Juda scio esse promissum?* Hactenus Hieronymus.

Ex Cap. V.

V. 2. Vetus tralatio, *Est autem Hierosolymis probatica piscina quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida.* Joannes, Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ κολυμβήθρα ἡ λεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθσαϊδά. Erasmus, *Est autem Hierosolymis ad probaticam piscina quæ nominatur Hebraicè Bethsesda.*

Cùm in textu Græco legatur Βηθσαϊδά, i. *Bethesda*, in tradustione sua Erasmus *Bethsesda* corruptè transtulit. In Annot. verò corruptiùs, cùm ait, *Græcè est* Βηθσαϊδά *i. Bethseda.* Sciendum verò *Bethsesdam*, præter *Beth* quæ *domum* significat, de cætero nihil significare. *Bethsesdam* verò idem sonare quod *Bethsaidam*, i. *domum frugum*, vel *cibariorum*; aut *domum venatorum*, vel *insidiantium*. Igitur Βηθσαϊδά, i. *Bethesda*, ut in Græco habetur, legendum est. Significátque *effusionis domum*: quòd in eam piscinam pluviales aquæ confluebant sive effundebantur. Bethesdæ autem meminit Hieronymus in libro Locorum Hebraicorum, quem ex Eusebio transtulit; quanquam *Bethsaida* apud eundem, sicut & in Euangelio, corrupto legitur nomine pro *Bethesda*, sic dicens, *Bethesda piscina in Hierusalem, quæ vocabatur* probatica, *& à nobis interpretari potest* pecualis. *Hac quinque quondam porticus habuit: ostenduntúrque gemini lacus, quorum unus hybernis pluviis adimpleri solet, alter mirum in modum rubens quasi cruentis aquis antiqui in se operis signa testatur. Nam hostias in eo lavari à sacerdotibus solitas ferunt, unde & nomen accepit.* Hæc Hier. Meminit item Bethesdæ Egesippus lib. 2. sic dicens, *Quarto die impetu facto ingressus Bethesdam illico incendit, & Canopolim.* Totum autem hunc locum qui in Latinorum codicibus qui vulgò circumferuntur corruptus est, primus omnium emendavit ac veræ lectioni restituit Ælius Antonius Nebrissensis, nè virum de re literaria omni ex parte quamoptimè meritum suâ gloriâ fraudemus; ut ex Annot. quas in S. Scriptura conscripsit tertiâ Quinquagenâ lectori facilè patebit.

Ex Cap. VII.

V. 38. Vetus tralatio, *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aqua viva.* Erasmus in Annot. *Ità*, inquit, *distinguit Joannes Chrysostomus ut* sicut dicit Scriptura *referatur ad verbum* credit in me. *Et id quod sequitur*, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ *verba sint Christi, non Scripturæ; ut hìc sit sensus, Scriptura monet ut mihi credatur, nam de me testificatur. Ergò qui crediderit in me, juxta quod Scriptura monet, futurum est ut ille concepto Spiritu meo effundat flumina efficacis doctrinæ. Ad hanc distinctionem confugit Chrysostomus, quòd ea verba quæ sequuntur nusquam legantur in Divinis literis, etiamsi Lyranus ex Solomone citata putat.*

Non hoc Lyranus ex se primùm adinvenit, etiamsi Erasmus suo more passim hominem irrideat, sed apud Hieronymum in prologo super Pentateuchum id legerat. Sic enim illic post aliquanta Hieronymus ait, *In quibus*, sc. Euangelistis & Apostolis, *multa de V. Testamento legimus quæ in nostris codicibus non habentur, ut est illud*, Ex Ægypto vocavi filium meum, &, Quoniam Nazaræus vocabitur, &, Videbunt in quem compunxerunt, &, Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, &, Quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparavit Deus diligentibus se; *& multa alia, quæ proprium syntagma desiderant. Interrogemus ergo eos ubi hæc scripta sunt; & cùm dicere non potuerint, de libris Hebraicis proferamus. Primum testimonium est in Osee, secundum in Esaia, tertium in Zacharia, quartum in Proverbiis, quintum aquè in Esaia. Quod multi ignorantes*

rantes apocryphorum deliramenta sectantur, & hyberas nenias libris authenticis præferunt. Hactenus Hieron. qui quartum testimonium, i. *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, in Proverbiis esse ait. Idem in Prologo super libros Paralipomenon, *Christus Dominus noster utriusque Testamenti conditor in Euangelio secundùm Joannem*, Qui credit, *inquit*, in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. *Utique scriptum est quod Salvator scriptum esse testatur. Ubi scriptum est Lxx non habent ; Apocrypha nescit Ecclesia ; ad Hebræos igitur revertendum est, unde & Dominus loquitur & discipulis exempla præsumunt.* Hæc Hieron. Putant autem nonnulli, in quibus est & Thomas Aquinas, hæc verba de Proverbiorum cap. 5 assumpta esse, ubi dicitur, *Deriventur fontes tui foris, & in plateis aquas tuas divide.* Chrysostomus verò, cùm Vet. Testamentum non Hebraicè sed Græcè perlegisset, i. juxta Lxx interpretum traductionem, apud quos hoc testimonium, ut Hieronymus ait, nequaquam reperitur, existimans id nusquam in Divinis literis inveniri, ad distinctionem illam confugit de qua Erasmus in annotatione sua fecit mentionem,

Ex Cap. VIII.

V. 3. Vetus tralatio, *Adducunt autem scribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehensam.* Erasmus super hac historia de muliere adultera nonnulla in Annot. afferens, tandem ista subjunxit, *Quin & D. Hieronymus in Dial. 2 adversus Pelagianos, cùm vehementer egeret hujus testimonio loci, quo quidem in casu solet & ex Apocryphis adducere testimonia, tamen hanc allegans historiam ingenuè fatetur non in omnibus haberi codicibus.* In euangelio, *inquit*, secundùm Joannem in multis & Græcis & Latinis codicibus non invenitur de adultera muliere quæ accusata est apud Dominum.

Falsò ea verba D. Hieronymi Erasmus citavit, negationem illis addens, cùm absque negatione in omnibus exemplaribus & modernis & antiquis legantur. Quin cùm testimonio quodam ex hoc loco D. Hieronymus uti vellet, ad ostendendum significatum hujus dictionis ἀναμάρτητος, i. *sine peccato*, haud par erat sic eum exordiri ut fidem Euangelicis verbis quæ in suum favorem allegabat abrogare videretur. Quoniam verò hæc historia de muliere adultera rarò apud Græcos & Latinos tunc habebatur ; quò his quæ ab eo dicenda erant fides adhiberetur, *In euangelio*, inquit, *secundùm Joannem in multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere quæ accusata est apud Dominum :* ac sic eam historiam prosequitur tanquam authenticam, & de qua nemo dubitare deberet, utpote quæ etsi non in omnibus, in multis tamen & Græcis & Latinis codicibus inveniretur. Quanquam verò ut in primitiva Ecclesia sic nostris etiam temporibus hæc historia de muliere adultera non in omnibus codicibus Græcorum in Euangelio secundùm Joannem inveniatur, nec eam Chrysostomus aliquo modo tangat Joannem exponens ; non tamen propterea de ea dubitandum est. Quippe ut apud Cæsariensem Eusebium in fine libri tertii Eccles. Hist. legitur, in Euangelio quod dicitur *secundùm Hebræos* scripta etiam reperiebatur. Sic enim ait Eusebius de Papia Joannis Apostoli discipulo agens, *Utitur sanè idem Papias testimoniis ex epistola Joannis prima & Petri similiter prima. Simul & historiam quandam subjungit de muliere adultera quæ accusata est à Judæis apud Dominum. Habetur autem in Euangelio quod dicitur* secundùm Hebræos *scripta ista parabola.* Hactenus Eusebius. Quoniam verò omnes ferè doctores Ecclesiastici tam Græci quàm Latini constanter affirmant hæreticos multis in locis Sacras N. Testamenti Scripturas corrupisse, immutasse ac pro libito invertisse ; par est credere idem illos & de hac historia fecisse, ac eandem esse causam quòd non in omnibus Græcorum libris inveniatur, non quòd Joannes eam non scripserit. Siquidem quòd à Joanne conscripta fuerit, illud est maximum argumentum, quòd in omnibus Latinorum codicibus, etiam antiquissimis, reperitur, & in Græcorum quam plurimis qui ab illis sine dubio transcripti sunt qui veriorem & incorruptiorem Euangelicam servabant veritatem. Nè cui autem novum videatur hæreticos Scripturas S. passim corrupisse, audiat Origenem in fine Commentariorum in Epistolam ad Romanos super illo, *Ei autem qui potens est vos confirmare secundùm euangelium meum*, &c. sic dicentem, *Caput hoc Marcion, à quo Scripturæ Euangelicæ atque Apostolicæ interpolatæ sunt, de hac Epistola penitus abstulit ; & non solùm hoc, sed & ab eo ubi scriptum est*, Omne autem quod non est ex fide peccatum est, *usque ad finem cuncta dissecuit. In aliis verò exemplaribus*, i. *in his quæ non sunt à Marcione temerata, hoc ipsum caput diversè positum invenimus. In nonnullis enim codicibus post eum locum quem supradiximus*, Omne autem quod non est ex fide peccatum est, *statim cohærens habetur*, Ei autem qui potens est vos confirmare. *Alii verò codices in fine*, i. *ut nunc est, positum continent.* Hæc Origenes. Illud ultimo notandum loco, Erasmum, cùm in annotatione sua paulò antè dixit D. Augustinum, cùm in hoc Euangelium diligenter ac copiosè scripsisset, hunc locum nè attigisse quidem, apertè à vero aberrasse : cùm Augustinus caput hoc octavum ex Joannis Euangelio edisserens historiam hanc de muliere adultera ad verbum legerit, atque eandem diligentissimè sicut & alia exposuerit ; ut ex ejusdem commentario super Joannem manifestissimè patet.

V. 57. Vetus tralatio, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraam vidisti?* Erasmus in Annotat. *Chrysostomus legit* quadraginta, *adjiciens commenti vice, ac si propè jam accederet ad eam ætatem ; eáque lectio magis mihi probatur. Nec est quòd faciamus Christum senili fuisse vultu ob labores : cujus sententiæ cùm Carrensis autorem nominet Chrysostomum, demiror quem ille habuerit alium Chrysostomum à nostro diversum. Mirum autem si Chrysostomus ipse secum pugnet.*

Cùm in omnibus Græcis Euangeliorum exemplaribus sic legatur ut Vetus tralatio continet, ἢ πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις, καὶ Αβραὰμ ἑώρακας ; mirum est Chrysostomum in Homiliis legere *quadraginta*, nisi fortè mendosus est Latinus iste Homiliarum Chrysostomi in Joannem codex. Nam quod addit commenti vice, *ac si propè jam accederet ad eam ætatem*, potiùs videtur ex illis verbis Chrysostomum legisse *quinquaginta* quàm *quadraginta*. Huc accedit quòd Theophilus, doctor & ipse Græcus, super hoc loco, ut ex Catena aurea D. Thomæ Aquinatis apparet, *quinquaginta* legit, non *quadraginta* : sic enim ait, *Tunc autem triginta trium annorum Christus erat : quare ergò non dixerunt* quadraginta annos nondum habes, *sed* quinquaginta ? Supervacua est hujusmodi quæstio : simpliciter enim prout eis occurrit dixerunt. Respondent tamen quidam quod per quinquagesimum annum ex reverentia Jubileum nominant, in quo & captivos manumittebant & emptitiis possessionibus cedebant. Quòd verò Erasmus Carrensem notare videtur quòd hunc locum edisserens ex autoritate D. Chrysostomi asseruerit Christum senili fuisse vultu ob labores ; demiratúrque quem Carrensis alium habuerit Chrysostomum à nostro diversum ; mirari profectò desineret, si legisset non unicum opus in Euangelia à Chrysostomo editum, sed Commentarios & Homilias. Potuit igitur in Commentariis, quæ Erasmus non vidit, Carrensis ea sine dubio legisse.

Ex Cap. XII.

V. 3. Vetus tralatio, *Maria ergò accepit libram unguenti.* Erasmus in Annotat. Λίτρα *Latinam vocem inflexit in Græcam mutatâ literulâ* b *in* t.

Non Latinam vocem Euangelista inflexit in Græcam mutatâ literulâ *b* in *t*, ut Erasmus ex Græcæ linguæ imperitia suspicatus est ; sed Latini Græcam ipsam vocem in suam inflexerunt mutatâ literulâ *t* in *b*, & pro eo quod Græci dicunt λίτρα, *libram* illi molliùs protulerunt. Utitur sæpissimè hâc dictione Dioscorides, utitur & Plutarchus, & alii probatissimi Græcorum autores. Sudas item

Λίτρα

Λίβρα, inquit, ὁ σταθμὸς, i. *Libra, pondus*; & Hesychius in Lexico, Λίτρα, ὁλκὸς. οἱ δὲ νόμισμα παρὰ Σικελοῖς, οἱ δὲ τὸν σταθμόν· οἱ δὲ Ῥωμαῖοι διὰ τοῦ β λίβρα· i. *Libra, obolus: alii autem numisma apud Siculos; alii autem in ponderibus; Romani verò per* b *libra.* Julius Pollux τῆς Ὀνομαστικῆς lib. 4. titulo De ponderum nominibus. Σταθῆρα δέ φησιν, οἱ τῆς κωμῳδίας ποιηταὶ τῷ λίβρᾳ λέγουσι, τῷ μὲν γὰρ λίβρᾳ ἐχρήσαντο οἱ Σικελοὶ κωμῳδοί· δίκελλαν δὲ πέντε σατήρων Κρατῖνος ὁ Παρακαταθήκῃ, τῷ πενταλίτρῳ· ὁ δὲ χρυσοῦς σατὴρ δύο ἔχει δραχμὰς Ἀττικάς· τὸ δὲ τάλαντον τρεῖς χρυσοῦς. Καὶ μὴν οἵ γε Δωριεῖς ποιηταὶ τῷ λίβρᾳ ποτὲ μὲν νόμισμά τι λεπτὸν λέγουσιν, οἷον ὅταν Σώφρων ἐν τοῖς Γυναικείοις μίμοις λέγῃ, ὁ μισθὸς δεκάλιβδος, ἠθέλιν ἐν τοῖς Ἀνδρείοις, Σῶσαι δὲ δύὸ τὰς δύο λίτρας δώσειν· ποτὲ δὲ σταθμόν τινα, ὡς Δημόλοχος ἐν Μηδείᾳ, τετράλιτρα λίβρους τινὲ τεσσάρων παῦδας. Ἀριστοτέλης δὲ ὅτι μὲν Ἀκραγαντίνων πολιτείᾳ φησιν ὡς ἐζημιοῦτο πεντήκοντα λίτραις, ἐστάγει, Ἡ δὲ λίτρα δύναται ὀβολὸν Αἰγινᾶιον. ἐν δὲ Ἰμεραίων πολιτείᾳ φησὶν ὡς οἱ μὲν Σικελιῶται τοὺ μὲν δύο χαλκοῦς δίζυγα καλοῦσι, τὸν δὲ ἕνα ὀγκίαν, τὸς δὲ τρεῖς τεσσάρας, τὸς δὲ ἓξ ἡμίλιτρον, τὸν δὲ ὀβολὸν λίτραν, τὸν δὲ κοιλύδιον σατῆρα δεκάλιτρον, ὅτι δέκα ὀβολὸς δύναται. Ἔνιοι δὲ καὶ τῶν Ἀθήνησι κωμῳδούντων τὸν νέον, οἷον φιλήμων ἐν Σικελικῇ καὶ Ποσείδιππος ἐν Γαλάτῃ, λίτρας μνημονεύουσι. Quæ ad verbum nos ità transtulimus, *Staterem autem comœdiæ poetæ libram vocant. Libram equidem dixerunt Siculi comici. Ligonem autem quinque staterum Crates in Depositо quinquilibrem. At verò aureum ſtater duas habuit drachmas Atticas, Talentum autem tres aureos. Equidem & Dorici poetæ libram quandoque quidem & numiſma quoddam tenue dicunt; ut cùm Sophron in Mulierибribus mimis dicit, Merces decem librarum, & rursus in Virilibus, Salvare autem neque duas poſſum; aliquando autem pondus quoddam, ut Demologus in Medea, Quadraginta librarum cuidam adoleſcentulo ſervos. Ariſtoteles autem in Agrigentinorum republica, cùm prædixiſſet quòd mulctabantur quinquaginta libris, infert, Libra autem valet obolum Æginæum. In republica autem Himeranſium inquit quòd Siculi duo æreа Dizæna vocant, unum autem Unciam, tres verò Triænam, at verò ſex, ſelibram: obolum præterea libram: Corinthium verò ſtaterem decem librarum, quoniam decem obolos valet. Nonnulli autem ex Athenienſium junioribus Comicis, ut Philemon in Siculo & Poſidippus in Galata, libra mentionem faciunt.* Hactenus Pollux. Cujus verba iccirco ad longum apponere hîc volui, quòd toties λίτραν nominet, quam Latinam non eſſe vocem tum ob alia putandum eſt, tum verò imprimis quòd eâ voce & Ariſtoteles philoſophus & poetæ Græcorum nonnulli uſi ſunt.

Ibid. Vetus tralatio, *Nardi piſtici.* Eraſmus in Annotat. *De hoc,* inquit, *dictum eſt in Luca. Nam iiſdem verbis utitur uterque.*

Non Lucas iiſdem verbis cùm de unguento hoc ageret uſus eſt quibus nunc Joannes, ſed Marcus: ſiquidem apud eundem ſic legitur cap. 14. ἦλθε γυνὴ ἔχουσα ἀλάβαστρον μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτελοῦς, i. *Venit mulier habens alabaſtrum unguenti nardi piſtica pretioſa.* Apud Lucam verò ſic legitur cap. 7. καὶ ἰδοὺ γυνὴ ἐν τῇ πόλει ἥτις ἦν ἁμαρτωλὸς, ἐπιγνοῦσα ὅτι ἀνάκειται ἐν τῇ οἰκίᾳ τοῦ Φαρισαίου, κομίσασα ἀλάβαστρον μύρου, καὶ στᾶσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ &c. i. *Et ecce mulier quæ erat in civitate peccatrix, ut cognovit quòd accubuiſſet in domo Phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, & ſtans ſecus pedes ejus.* Matthæus verò ſic dixit, cap. 26. τοῦ δὲ Ἰησοῦ γενομένου ἐν Βηθανίᾳ ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ, προσῆλθεν αὐτῷ γυνὴ ἀλάβαστρον μύρου ἔχουσα βαρυτίμου, i. *Cùm autem eſſet Jeſus in Bethania in domo Simonis leproſi, acceſſit ad eum mulier habens alabaſtrum unguenti pretioſi.* Joannes ità retulit, ἡ οὖν Μαρία λαβοῦσα λίτραν μύρου νάρδου πιστικῆς πολυτίμου, i. *Maria ergò accepit libram unguenti nardi piſtica pretioſa.* Ergò Matthæus dixit *alabaſtrum unguenti pretioſi*, Lucas *alabaſtrum unguenti*, Marcus autem *alabaſtrum unguenti nardi piſtica pretioſa*, Joannes verò *libram unguenti nardi piſtica pretioſa.*

Ex Cap. XIV.

V. 24. Vetus tralatio, *Et ſermonem quem auditis non eſt meus, ſed ejus qui miſit me, Patris.* Eraſmus, cùm in textu ſic traduxiſſet ut Vetus tralatio habet, in Annot. nè hunc quidem locum intactum præteriret, ſic ait, *Non ſine cauſa miratur Valla quid Interpreti venerit in mentem, qui hoc ſermonis genus affectarit in oratione ſoluta quod vix toleratur apud poetas in carmine, præſertim cùm Græcis non ſit* ſermonem *ſed* ſermo, ὁ λόγος. *Certè D. Auguſtinus legit* ſermo quem audiſtis, *non* ſermonem quem audiſtis. *Unde planè ſuſpicor hunc locum ſcriptoris errore fuiſſe depravatum.*

Hunc locum ſcriptoris errore non fuiſſe depravatum ex eo conjectare poſſumus quòd omnes Latinorum codices, etiam antiquiſſimi, magno conſenſu *ſermonem* habent accuſandi caſu, non *ſermo*: ex quo patet deditâ operâ ſic hunc locum ut videmus à V. Interprete fuiſſe tralatum. Non eſt autem hoc dicendi genus vix apud poetas tolerabile, ut Eraſmus ſignificavit, quo vel ſic Interpretem notaret, ſed per Antiptoſin ab eis poſitum. Sic Virgilius Æn. 1.

Urbem quam ſtatuo veſtra eſt, ſubducite naves.

Terentius in Andria,

Quas credis eſſe has non ſunt veræ nuptiæ.

Oratores quoque & hâc figurâ uſi ſunt, ut ex Nonio Marcello latiſſimè patet, eo capite cui titulus eſt De numeris & caſibus, & ex Priſciano lib. 1 De conſtructione. Exiſtimo autem ego vetera Græcorum exemplaria unde Interpres noſter traduxit τὸν λόγον hîc habuiſſe, non ὁ λόγος ut modò legimus. Qui modus dicendi alibi etiam in S. Scripturis reperitur. Act. 10. τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτός ἐστι πάντων Κύριος, i. *Verbum quem miſit filiis Iſrael annuncians pacem per Jeſum Chriſtum, hic eſt omnium Dominus:* ubi ὃν λόγον poſitum eſt pro ὁ λόγος, i. accuſativus pro nominativo. Et Pſal. 117. λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν οἱ οἰκοδομοῦντες, οὗτος ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας, i. *Lapidem quē reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.*

Ex Cap. XVIII.

V. 1. Vetus tralatio, *Hæc cùm dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron.* Joannes, ταῦτα εἰπὼν ὁ Ἰησοῦς ἐξῆλθε σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ πέραν τοῦ χειμάρρου τῶν κέδρων. Eraſmus, *Hæc cùm dixiſſet Jeſus, egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem cedrorum.* Et in Annotat. τῶν κέδρων] *Articulus additus indicat* Cedron *non eſſe nomen Hebraicum, ſed* Cedrorum, *opinor*, torrentem *ità dictum quod hinc & hinc cedros haberet, quemadmodum dictus eſt* mons olivarum.

Sæpenumero mecum admirari ſum ſolitus unde dictioni huic *Cedron* in Euangelio Joannis articulus genitivi pluralis numeri in Græco acceſſerit, accentúque eadem ſcribatur in prima; cùm manifeſtiſſimum ſit Hebraicam eſſe vocem, non Græcam, neque aliquo modo *cedrorum* interpretari poſſe, ut Eraſmus ex imperitia Hebraicarum literarum exiſtimavit. Quanquam habuit & hujus erroris ducem Laurentium Vallam, qui quòd Hebraica etiam ignorabat, hoc idem quod Eraſmus eſt ſuſpicatus. Non enim *torrens cedrorum* in Hebræo alicubi legitur, ſed נחל קדרון, i. *torrens cedron*: neque dictio illa קדרון *cedros* ſignificat, quos Hebræi *Arazim* appellant; ſed hic ille eſt torrens de quo in libris Regum & Paralipomenon ſæpiſſime legimus ſic *Cedron* appellatus; ſicut & torrens alius qui dicitur *Cyſon*, de quo & in libro Judicum & in Pſalmis habetur. Quin & *Cedron* in Hebraico ſingularis eſt numeri, non pluralis. Cedros præterea in monte Libano naſci non prope Hieruſalem ex eo apparet quòd *cedros Libani* ſæpiſſimè in S. Scripturis legimus. Nam quod Num. 24. dicitur *quaſi cedri prope aquas*, de Libano intelligi voluit, qui multis abundat fontibus & perenni aquâ, quam torrens Cedron paucam aut nullam habet, niſi cùm

pluit

pluit in illis regionibus. Cùm itaque in Hebræo קדרון *obscuritatem* sonet, & vallis illa prope Hierusalem quâ torrens hic defluit profundissima sit, apparet torrentem *cedron* ab obscuritate illa quæ ex profunditate redundat dictum esse. A qua sententia non alienus esse videtur Joannes Reuclin, qui in Capnione, ubi agit de dictione שרם, cùm de convalle Cedron mentio incidisset, sic ait, *Est autem* Cedron, *quod Hebraicè* Kidron *dicitur, nomen quoddam obscuræ vallis prope Hierusalem, ab obscuritate atque tenebris sic nominatæ, per quam defluit torrens, quandoque obscurè apparens, quandoque aridus & exsiccatus. Nam Hieronymus in præfato Hieremiæ loco* KIDRON *interpretatur* tenebras *in Commentariis. Unde videntur errare qui in passione Christi exponunt* trans torrentem Cedron *pro* cedrorum. *Quamvis enim* κέδρων *Græcè significet Latinè* cedrorum, *tamen non sic est in Hebræo, ubi ponitur* Kidron *nomen proprium vallis.* Hactenus Reuclin. Quid quod & Latini codices, etiam antiquissimi, *Cedron* hîc habent, non *cedrorum*. Apud Lxx quoque ☩ χειμάῤῥου ☩ κεδρών legimus. Nam 3 Reg. 2. ubi dicitur, *& transieris torrentem cedron*, Græcè sic habetur, καὶ διαβήσῃ ☩ χειμάῤῥουν ☩ κεδρών. Ex quo manifestè apparet à Joanne sic scriptum fuisse, πέραν τοῦ χειμάῤῥου τῶ κεδρών. Et à Græculo aliquo imperito, qui κεδρών eo loco *cedros* significare existimavit, & esse genitivi casûs pluralis numeri quòd per ω legebatur, addito articulo genitivi pluralis numeri & mutato accentu, depravatum potiùs fuisse quàm emendatum.

Ex Cap. XIX.

V. 13. Vetus tralatio, *Et sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabatha.* Erasmus in Annot. *Cæterùm in Græcis codicibus non est* Golgotha, *sed* Gabatha.

Neque in Latinis quoque codicibus, tam modernis quàm antiquis, hoc loco habetur *Golgotha* sed *Gabatha*. Paulò verò infrà tam in Græcis quàm in Latinis exemplaribus est *Golgotha*, ubi dicitur, *Et bajulans sibi crucem exivit in eum qui dicitur Calvariæ locum, Hebraicè autem Golgotha.* Ille enim locus qui Græcè dicitur λιθόστρωτος, i. *lapidibus stratus*, Hebraicè dicebatur *Gabatha*, quod sonat *eminens* vel *excelsum*. At verò Calvariæ locus ubi crucifixus est Dominus *Golgotha* Hebraicè dicebatur, quod Græcè τὸ κρανίον, Latinè verò *Calvariam* significat.

V. 19. Vetus tralatio, *Scripsit autem & titulum Pilatus.* Erasmus in Annot. *Euangelista Latinâ voce usus est* τίτλον, *Cæteri vocaverunt* αἰτίαν. *Dicere poterat* ἐπιγραφὴν, i. inscriptionem.

Non cæteri Euangelistæ vocaverunt αἰτίαν quod τίτλον Joannes hîc vocavit, ut indiligenter Erasmus retulit; sed solus Matthæus. Sic enim apud eundem Græcè legitur, καὶ ἐπέθηκαν ἐπάνω ☩ κεφαλῆς αὐτοῦ ☩ αἰτίαν αὐτοῦ γεγραμμένην, i. *Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam.* Marcus verò ἐπιγραφὴν ☩ αἰτίας dixit, i. *inscriptionem causæ*, καὶ ἦν ἡ ἐπιγραφὴ ☩ αἰτίας αὐτοῦ ἐπιγεγραμμένη. Lucas verò solùm ἐπιγραφὴν posuit, ἦν δὲ καὶ ἡ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη ἐπ' αὐτῷ. Erasmus verò quod legerat apud Marcum & Lucam ἐπιγραφὴν, quasi novum aliquid ex se nunc afferret, *dicere*, inquit, *poterat* ἐπιγραφὴν *i.* inscriptionem.

EX LIBRO ACTUUM APOSTOLORUM. Cap. I.

V. 4. Vetus tralatio, *Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis nè discederent.* Lucas, καὶ συναλιζόμενος παρήγγειλεν αὐτοῖς ἀπὸ Ἰερουσολύμων μὴ χωρίζεσθαι. Erasmus, *Et congregans illos in idem loci præcepit eis nè discederent Hierosolymis.* Et in Annot. *Quisquis*, inquit, *vel mediocriter attenderit, facilè conjectabit ab Interprete scriptum fuisse* conversans *non* convescens. *Id familicum, opinor, quispiam nihil nisi cibum somnians, vertit in* convescens, *quòd inhumanum putaret Christum suos relinquere nisi priùs habitâ cum illis compotationeculâ, quemadmodum vulgus hodie nostratium facit. Cæterùm in Græcis exemplaribus variat hic locus: in aliis scriptum est* συναλιζόμενος, *quod sonat* congregatus *sive* congregans; *in aliis* συναυλιζόμενος, i. *commorans & sub eodem versans tecto.*

Hoc loco à V. Interprete non scriptum fuisse *conversans* sed *convescens*, ex eo patet manifestè, quòd in omnibus exemplaribus, etiam antiquissimis, *convescens* reperitur non *conversans*: quare non est cur Erasmus toties suspicetur libros nostros esse corruptos. D. præterea Hieronymus in libro De duodecim quæstionibus ad Hedibiam quæst. 7. *convescens* legit, hunc citans locum, non *conversans* nec *congregans*. *Aliud est*, inquit, *undecim se offerre discipulis, qui propter metum Judæorum absconditi erant, quando ad eos clausis ingressus est januis, & putantibus quòd videretur in spiritu, manum & latus obtulit clavis & lanceâ vulneratum. Aliud quando secundùm Lucam* præbuit se eis in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis nè discederent. *In altero enim pro consolatione mentium videbatur, & videbatur breviter, vultumque ex oculis tollebatur: In altero autem tanta familiaritas erat & perseverantia ut cum eis pariter vesceretur.* Hæc Hieronymus. Salvator præterea noster cœlos ascensurus cum Apostolis comedit, ut patet ex ultimo capite Euangelii secundùm Lucam, ubi post multa sic Dominus ait discipulis, *Habetis hîc aliquid quod manducetur?* Sequitur, *At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & favum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis*, &c. & infrà idem Dominus noster discipulis dixit, *Vos autem sedete in civitate Hierusalem quoadusque induamini virtutem ex alto:* & infrà, *Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum.* Hæc ex Euangelio videtur Lucas in Actibus Apostolorum, quæ historia illi Euangelio annectenda est, repetisse cùm dixit, *Et convescens præcepit eis ab Hierosolymis nè discederent, sed exspectarent promissionem Patris, quam audistis*, inquit, *per os meum.* Verbum præterea ἁλίζω sive ἁλίζομαι, unde συναλίζομαι & συναλιζόμενος, ἀπὸ τοῦ ἅλας, i. *à sale*, videtur etymologiam trahere. Quòd verò per *sal* victus olim significaretur, ex eo quod apud Esdram legimus conjecture licet: sic enim apud illum cap. 4 legitur, *Nos autem memores salis quod in palatio comedimus*; quod significantiùs Chaldaicè dicitur, siquidem Chaldæo sermone magna Esdræ pars ab eodem conscripta est; ubi sic legitur, בען כל קביל די מלח היכלא מלחנא. Aristoteles quoque Ethic. 8. περὶ δὲ παροιμίας ἐστίν, φασὶν, ἃ δεῖ ἀλλήλοις πεῖν τοὺς λεγομένους ἅλας συναλῶσαι. Agit in eo libro Aristoteles de amicitia. Et cùm de tribus amicitiæ speciebus disseruisset, déque bonorum amicitia, quam perfectam esse ait amicitiam, *Tempore*, inquit, *insuper & consuetudine opus est: secundùm enim proverbium non fit mutuò sese cognoscant antequam simul consumant dictam salis mensuram: salem* pro convictu manifestè illic accipiens. Nec ignoro Cyrillum, in eo opere quo dictiones S. Scripturarum exponit, pro συναλιζόμενος interpretari συναθροιζόμενος ἢ συνὼν αὐτοῖς, i. *congregans & cum eis simul exsistens*; quæ interpretatio Erasmo causam dedisse videtur ut *congregans* traduceret. Sed mihi prædicta magis placent, ut συναλιζόμενος *convescens* significet, à *sale* etymologiam trahat: quod magis vero consentaneum esse videtur.

V. 12. Vetus tralatio, *Tunc reversi sunt Hierosolymam à monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Hierusalem, sabbati habens iter.* Erasmus in Annot. exponens hoc *sabbati habens iter, Sentit*, inquit, *spatium mille passuum. Longius iter facere Judæis fas non erat sabbatis.*

Hoc loco Erasmus, qui Lyram & Carrensem nunc *dormitasse* nunc *hallucinatos* esse passim clamitat, non solùm est hallucinatus sed fœdè ac turpiter lapsus, ac non semel quidem sed etiam iterum. Primùm, quòd non advertit montem Oliveti, de quo hîc agitur, ubi Bethphage & Bethaniæ

Bethania duo viculi siti sunt, duorum milliarium spatio abesse ab Hierosolymis. Deinde quòd traditionem Judæorum ignoravit, quibus duo passuum millia sabbatis ambulare permissum est. Decepit sine dubio hominem Interlinealis Glossa ac Lyræ Postilla, quæ cùm hæc commentaretur ab eo solùm consulta videntur. In Interlineali enim super illud *à monte Oliveti* sic legitur, *spatio milliarii distat ab Hierusalem.* Et super *sabbati habens iter, mille passu*, quod cujus sit autoritas ignoratur. In Nicolai verò postilla sic habetur, *Sabbati habens iter, i. distans à Hierusalem per mille passus, qui faciunt dimidiam leucam. Et dicitur hîc* iter sabbati *quia licebat Judæis in sabbato à sua civitate vel loco tantum elongari. Talis enim ambulatio magis erat ad recreationem quàm ad laborem; propter quod non erat contra sabbati requiem.* Hæc Nicolaus. Quas quidem expositiones à librariis sive impressoribus progressu temporis corruptas potiùs credendum est quàm ità ut hodie legimus à suis autoribus conscriptas, quos non est credibile rem tam tritam ignorasse. Argumentum mendositatis est quòd apud Nicolaum legitur, *per mille passu, qui faciunt dimidiam leucam.* Non enim mille passus faciunt dimidiam leucam, sed quartâ partem leucæ. Constat enim leuca, cui similis ferè est parasanga, ex quatuor passuum millibus, non ex duobus. Legimus præterea apud Joannis Euangelium cap. 11. quòd erat Bethania juxta Hierosolymam quasi stadiis quindecim. Stadium verò secundùm Geometras continet 120 passus. Distabat ergò Bethania à Hierosolymis duo millia passuum minùs centum & viginti passus. Decem enim & sex stadia faciunt duo millia passuum. Hieronymus item in libro Locorum Hebraicorum, *Bethania*, inquit, *villa in secundo ab Ælia milliario, in latere montis Oliveti, ubi Salvator noster Lazarum suscitavit, cujus & monumentum ecclesia nunc ibidem exstructa demonstrat.* Chrysostomus præterea in Homiliis super Matthæum hom. 81. Georgio Trapezuntio interprete super illo, *Cùm autem esset Jesus in Bethania in domo Simonis leprosi*, sic ait, *Civitatis autem Bethaniæ nomen non ociosè addidit, sed ut discas sponte ad passionem accedere. Nam qui priùs à Judæis sibi cavebat quando maximè invidiâ exarserunt, tunc propiùs ad eos venit, ut circiter duo millia passuum à Hierosolymis abesset.* De traditione verò Judæorum circa iter sabbati meminit D. Hieronymus in libro De undecim quæstionibus ad Algasiam quæst. 10. his verbis, *Præterea quibus jussum est ut d ebus sabbatorum sedeat unusquisque in domo sua, & non egrediatur neque ambulet de loco in quo habitat, si quando eos juxta literam cœperimus artare, ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantùm sedeant, si velint præcepta servare; solent respondere & dicere, Barachibas & Symeon & Helles magistri nostri tradiderunt nobis ut duo millia passuum ambulemus in sabbato, & cætera istiusmodi, doctrinas hominum præferentes doctrinæ Dei.*

V. 14. Vetus tralatio, *Hi omnes perseverabant unanimiter in oratione & deprecatione cum mulieribus & Maria matre Jesu.* Erasmus in Annot. Cum mulieribus σὺν γυναιξὶ accipi potest & cum uxoribus, *propterea quòd separavit Mariam à mulieribus.*

Quanquam dictio Græca hîc posita, i. γυναιξὶ, *mulieres* significat & *uxores*, non tamen hîc potest de Apostolorum uxoribus intelligi, quos præter Petrum nusquam legimus uxores habuisse. Unde & D. Hieronymus lib. 1 Contra Jovinianum cap. 14. illud ex epist. 1 ad Corinthios afferens quod legitur cap. 9. *Numquid non habemus potestatem sororem mulierem circumducendi? Quanquam*, inquit, *excepto Apostolo Petro non sit manifestè relatum de aliis Apostolis quòd uxores habuerint: & cùm de uno scriptum sit ac de cæteris tacitum, intelligere debeamus sine uxoribus eos fuisse de quibus nihil tale Scriptura significat*, &c. Apparet igitur à Luca eas hîc dici mulieres quæ doctrinæ gratiâ & Dominum primùm secutæ fuerant, & post ejus ad cœlos ascensionem B. Virginem & senatum illum Apostolicum non deseruerant. Illæ nempe mulieres de quibus legitur Mat. 27. *Erant autem ibi mulieres multæ à longè quæ secutæ erant Jesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene & Maria Jacobi & Joseph mater & mater filiorum Zebedæi*, de quibus omnibus nunc Lucas intelligit, non de Apostolorum uxoribus, quas nullas illos habuisse legimus præter unum Petrum, ut suprà dictum est.

V. 19. Vetus tralatio, *Ità ut appellaretur ager ille linguâ eorum Acheldemach, h. e. ager sanguinis.* Erasmus in Annot. *Græci scribunt* Ἀκελδαμὰ, *propiùs accedentes ad vocem Hebraicam quàm nos. Hebræis* אחלי fundus *est sive* facultas, דם sanguis.

Perperàm quidem ut solet ac malè ab Oecolampadio Theseo edoctus, utpote itidem harum rerum imperito, de vocabulo *Acheldemach* Erasmus in Annot. disserit. Sciendum igitur *Acheldemach* corruptè in Latinorum codicibus legi: debet enim scribi *Aceldema*, ut in Græco videlicet scribitur, per *c*, sine aspiratione in secunda syllaba: ità tamen ut sono *K* literæ proferatur, ac si diceremus *Akeldema*. Nam *c*, sive *ch*, quod Latini in fine hujus dictionis scribunt, abundat. Est autem dictio Chaldaica non Hebraica: nec componitur ex אחלי & דם, ut Erasmus somniavit, sed ex חקל, quod Syriacè *agrum* sonat, & דְּמָה sive דְּמָא, quod *sanguinem*. Hierosolymis enim non Hebraicè sed Chaldaicè vulgò loquebantur, ex quo à captivitate Babylonica populus Judæorum reversus est; id quod ex hoc loco facilè apparet, & ex aliis multis vocabulis Chaldaicis in N. Testamento contentis, qualia sunt, *Abba, Cephas, Rabbi, Rabboni, Mammona, Talitha, Maranatha*, quæ omnia Chaldaica sunt, non Hebraica.

Ex Cap. IV.

V. 27. Vetus tralatio, *Convenerunt enim verè in civitate ista adversùs puerum tuum Jesum Herodes & Pontius Pilatus.* Erasmus in Annot. *Stomachatur hoc loco Valla quòd Jesu filio Dei servi cognomen tribuerit Interpres; quanquam & puer apud Latinos* filium *significat, sed infrequenter*; servum *frequentiùs*; *frequentissimè* ætatis primæ hominem. *At Christus cùm salutem adferret puer non erat: & servi appellatio in hunc non convenit etiamsi obedivit & subditus fuit Patri juxta assumptum hominem; sed ut filius, non ut servus. Proinde vertendum erat hîc* παῖδα filium, *non* puerum &c.

Non hîc παῖδα vertendum erat *filium* sed *puerum*, ut V. Interpres traduxit, idque *servum* significat. Rectèque Christus *servus Dei* dicitur secundùm Humanitatem assumptam. Unde & D. Hieronymus, exponens illud ex Esaiæ. 42. quod Matthæus citat cap. 12. i. *Ecce puer meus quem elegi*, quod Hebraicè dicitur, *Ecce servus meus*, &c. sic ait, *Nec mirum si* servus *vocetur, factus ex muliere, factúsque sub Lege, qui cùm in forma Dei esset, humiliavit se, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Idem in lib. 2 Quæstionum ad Algasiam quæst. 2. eundem ex Esaia locum edisserens sic ait, Puer *igitur* Dei *omnipotentis juxta dispensationem carnis assumptæ qui ad nos mittitur, Salvator est appellatus, ad quem & in alio loco dicit Pater, Magnum tibi est vocari puerum meum, ut congreges tribus Jacob.* Idem in prologo libri 17 Commentariorum super Esaiam, Puer *autem* Domini, inquit, *ille est cui Pater loquitur in Esaia, Magnum est tibi vocari puerum meum. Et in alio loco, Ecce puer meus quem elegi; & dilectus meus in quo complacuit sibi anima mea.* Idem in Comment. super Psalmos, illud ex Psalmo 68 edisserens, *Et nè avertas faciem tuam à puero tuo*] *Vox*, inquit, *Christi ad patrem, qui formam servi accepit, ut ait Propheta, Magnum est tibi vocari puerum meum.* Idem in Comment. super Epist. ad Titum cap. 1. *Nec mirum*, inquit, *quamvis sanctos homines tamen* Dei servos *nobiliter appellari, cùm per Esaiam Prophetam Pater loquatur ad filium*, Magnum est tibi vocari puerum meum, *quod Græcè dicitur* μέγα σόι ἔστω κληθῆναι παῖδά μου. Puer *autem, h. e.* παῖς, *quia potest secundùm Græcos & famulum & filium significare, in Hebræo quæsivimus, & invenimus non* filiũ meum *scriptum esse, sed* servum meum, *i.* עבדי: *unde & Abdias*

Propheta, qui interpretatur servus Domini, *ex famulatu Dei nomen accepit. Si moveat quempiam Dominum Salvatorem, qui universitatis est conditor,* servum Dei *dici, non movebitur si ipsum ad Apostolos audiet loquentem,* Qui voluerit inter vos esse major, sit omnium servus; &, Filius hominis venit, non ut ministraretur sibi, sed ut ministraret: *quod nè docere tantùm verbis videretur, monstravit exemplo. Assumto quippe linteo accinxit se, & aquâ pelvim replens discipulorum pedes lavit. Non est itaq; impium credere eum qui formam servi assumpserat hæc fecisse quæ servi sunt, ut paternæ voluntati servisse dicatur cùm servis suis ipse servierit.* Hactenus Hier. Deniq; Ambrosius epist. 47. cujusdam Apollinaristæ hæretici errorem confutat, qui non poterat audire quòd Dominus noster Jesus Christus pro nobis servitutem suscepisset in corporis humani susceptione, quòd diceret *formam* illum *servi* juxta Apostolum Paulum suscepisse, non *servum* alicubi lectum: multísque S. Scripturæ testimoniis docet Christum Dominum in quantum hominem *servum Dei* rectè ac piè dici posse. Illúdq; Apostoli *formam servi accipiens,* plenitudinem naturæ & perfectionis humanæ significare, sicut illud, *qui cùm in forma Dei esset,* in plenitudine Divinitatis, *in illa* perfectionis Divinæ expressione significat. Quæ cùm ità sint, viderit Erasmus, qui se Theologum vocat, nè cùm dixit *servi* appellationem in Christum non convenire, in Apollinaristarũ errorẽ inciderit. Nam quod statim subjunxit, *Christum tametsi obedivit, & subditus fuit Patri juxta assumptum hominem, ut filium tamen Patri obedisse, non ut servum,* videndum est etiam nè Arium redoleat. Cùm enim filius æqualis sit Patri, & obedientia ac subjectio minoritatem designet, palàm est Christum non ut filium Patri obedisse & subditum fuisse, sed ut servum, h.e. juxta assumptum hominem. Sed hæc & alia quamplurima hujusmodi ex Erasmi Annot. quæ nonnihil impietatis præseferunt, nisi potiùs ignorantia credenda est, secundo operi reservamus.

V. 36. V. tralatio, *Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis (quod est interpretatum, filius consolationis.)* Erasmus in Annot. BARNABAS *enim vox est Hebraica,* בר filius. *Et* נפש *præter alia* recreari *significat, &* refrigerari *ac* consolari.

Adnotemus primùm Erasmum errasse cùm dixit hoc nomen *Barnabas* vocem esse Hebraicam; cùm בר Chaldaica vox sit, non Hebraica, ac *filium* sonet, qui Hebraicè dicitur בן. Deinde *nabas* quid commercii habet cum נפש, cùm hoc per *ph*, illud per *b* scribatur? & quamvis *recreare* ac *refrigerare* significet, à *nephes* enim originem habet quæ *animam* sonat: unde illi *consolationis* significatum, quod Hebraicè נחם dicitur, unde *Nahũ* propheta *consolator* interpretatur? Cùm autẽ nec Hebraicè nec Chaldaicè BARNABAS *filium consolationis* significare possit, non ab re fuerit existimare Lucam BARNAHUM scripsisse, id quod ex ejus interpretatione quam statim subjunxit conjectare licet; atq; illud nomen à librariis imperitis & Græcis & Latinis, sicut & alia complura, paulatim corruptum esse. Nam sicut ex *Jose*, quo nomine hìc appellatur, (Ἰωσῆς enim in Græco hìc dicitur non) Ἰωσὴφ, factus est *Joseph*; sic ex *Jose Barnahum, Joseph Barnabas* effici planè potuit; ab his præsertim qui hæc nomina frequentiùs in S. literis legerant quàm superiora illa, quæ corrupta ipsi fortassis existimabant.

Ex Cap. VII.

V. 43. Vetus tralatio, *Et transferam vos trans Babylonem.* Lucas, καὶ μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος. Erasmus, *Et transferam vos in Babylonem.*

In Græco sic legitur ut V. tralatio habet, i. *trans Babylonem*, non *in Babylonem*, ut Erasmus traduxit: dictio enim ἐπέκεινα, quæ in Græco hìc ponitur, *trans* sive *ultra* significat, non *in*. Quare mirandum est cur Erasmus hunc nodum insolutum reliquerit, qui & aliàs in rebus haud ità obscuris plusquam necesse est immorari solet. Constat enim non trans Babylonem sed in Babylonem Judæos fuisse translatos. Amos item Propheta cap. 5. unde sumptum est hoc testimonium, non *trans Babylonem* scripsit, sed *trans Damascum*. Sic enim apud eundem Hebraicè legitur, והגלתי אתכם מהלאה לדמשק, i. *Et migrare vos faciã trans Damascum:* sic enim B. Hieronymus transtulit. Lxx quoq; ad eundem modum transtulerunt, i. καὶ μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Δαμασκοῦ. Cur igitur Hebraicâ veritate relictâ & Lxx editione Lucas *trans Babylonem* posuit pro eo quod esse debuit *trans Damascum*? D. Hieronymus in Explan. super Amos hunc eundem prophetæ locum exponens, hunc nodum solvere videtur cùm ait, *Nec putandus est primus Martyr errasse, quia pro eo quod in Propheta scriptum est* trans Damascum *dixerit* trans Babylonem: *magis enim intelligentiã quàm verbũ posuit; quia trans Damascum ducti sunt in Babylonem sive trans Babylonem.* Hæc Hier. Mihi autem potiùs videtur hunc locum in Actis Apost. à librariis imperitis fuisse corruptum quàm ab Euangelista Luca *trans Babylonem* pro *trans Damascum* hìc fuisse conscriptum. Non enim Lucas ignorabat in Babylonem Judæos fuisse translatos, non trans Babylonem, ac Amos, unde hoc testimonium assumpsit, *trans Damascum* scripsisse. Sunt & alia ad hunc modum in S. Scripturis loca in quibus ob librariorum errorem aliud pro alio legitur, in nominibus præsertim propriis. Unde apud Marcũ *Abiathar* pro *Abimelech* legitur cap. 2. ubi dicitur, *Quomodo introivit,* scilicet *David, in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducavit,* ut Hieronymus adnotavit in libro De optimo genere interpretandi. Tale quid & in Euangelio Matthæi factũ fuisse ab imperitis scriptoribus Hieronymus in Commentariis Psalmorum Psalmum 77 edisserens ait, ut pro eo quod Matthæus scripserat, *Hæc facta sunt ut impleretur quod scriptum est in Asaph propheta, Aperiam in parabolis os meum,* &c. pro *Asaph propheta, Esaiam* posuerint *prophetam*: ait enim illud errore scriptorum accidisse, & subdit, *Scimus enim quia prima Ecclesia de imperitis congregata fuit gentibus. Ergò cùm legerent in Euangelio,* ut impleretur quod scriptum est in Asaph propheta, *ille qui primus scribebat Euangelium, cœpit dicere, quis est iste Asaph propheta? Non erat notus in populo; & hoc fecit ut dum errorem emendaret faceret errorem.* Idem & in eodem Matthæi Euangelio errore accidisse ait ut *Hieremias* poneretur pro *Zacharia* ubi dicitur, *Et retulit triginta argenteos pretium quod appretiatum est,* &c. *Sicut scriptum est in Hieremia propheta,* quod in Hieremia nequaquam invenitur, sed in Zacharia.

Ex Cap. VIII.

V. 32. Vetus tralatio, *Tanquam ovis ad occisionem ductus est.* Erasmus in Annot. *Locus,* inquit, *est apud Esaiam cap. 50. Verùm apparet Eunuchum hunc non ex Hebræo libro sed ex Græco hæc legisse, quòd omnia ad amussim consentiant cum editione Lxx.*

Adnotemus primùm Erasmum Roterodamum, qui doctores etiam sanctos passim oblivionis accusat, memoriolâ hoc loco vacillasse cùm dixit hoc Esaiæ testimonium apud eundem prophetam contineri cap. 50. Non enim quinquagesimo, sed tertio & quinquagesimo, quod incipit, *Quis credidit auditui nostro?* hæc verba leguntur. Neq; verò ex eo quòd *omnia* hæc *ad amussim consentiunt cũ editione Lxx* existimandum est Eunuchum istum ex Græco ea libro legisse. Nam cùm Æthiops esset, utpote Candaces Æthiopum reginæ Dynastes, quod illi commercium barbaro homini cum Græca esse potuit lingua? Potuit autem Hebraicè scire ob provinciarum vicinitatem; atque ea de causa fortasse adoraturus Deum venerat in Hierusalem: & in patriam rediens ac sedens supra currum Esaiam legebat prophetam. Quòd verò omnia hæc *ad amussim cum editione Lxx conveniunt,* indè est quia, ut D. Hieronymus refert in quamplurimis locis, Apostoli & Euangelistæ, ubicunq; de V. Instrumento ponunt testimonia, si inter Hebraicum & Lxx nulla diversitas est, vel suis vel Lxx Interpretum verbis uti solent. Sin autẽ aliter in Hebraico aliter in veteri editione sensus est, Hebraicum magìs quàm Lxx sequuntur. Hoc autẽ loco cùm nulla inter Hebraicũ & Lxx sit diversitas, præterquam in uno aut altero verbo, quæ & ipsa in eundem

eundem sensum recidunt cum Hebraico, testimonium hoc juxta Lxx traductionem Lucas ad verbum retulit. Quòd si hæc Erasmo non satisfaciunt, legat Hieronymum in libro Hebraicarum quæst. super illo ex Gen. 46. ubi dicitur, *Omnes ergò animæ quæ ingressæ sunt cum Jacob in Ægyptum septuaginta quinq;* sic enim Lxx traduxerunt, ac sic retulit Lucas Act. 7. pro eo quod Hebraica veritas habet, *animæ septuaginta*, & noverit sibi esse responsum.

V. 40. Vetus tralatio, *Inventus est in Azoto.* Erasmus in Annot. *Quis quærebat illum ut illic fuerit inventus?* Repertus est *erat tolerabilius: est enim sensus, Philippum subitò fuisse Azoti. Ea civitas est una è quinque civitatibus Allophylorum, Hebræis dicta* אשרודה.

Ridiculus fuisset interpres Ecclesiasticus si has loquendi Grammaticorum superstitiones veriùs quàm observationes in S. literis ad amussim servasset. Sed magis Erasmus nunc ridendus quòd Azotum illam Philistinorum civitatem Hebræis אשרודה dictam existimaverit. Id autem nequaquam evenisset si tam diligens in Hebraicis literis ediscendis fuisset quantum in Latinorum vocabulorum proprietatibus; aut si propriæ conscius imperitiæ Oecolampadium saltem Theseum, aut alium eo in Hebraicis literis peritiorem, hoc loco esset percontatus. Sciendum igitur Azotum Hebræis אשרוד dictam. Cùm verò אשרודה alicubi reperitur per He in fine, illud He non est de nomine; sed per illud significatur adverbium loci ad quem. Ut enim ירושלימה *ad Hierusalem*, & מצרימה *ad Ægyptum*, & בבלה *ad Babyloniam*, sic אשרודה *ad Azotum* dicitur. 1 Reg. 5. utrumq; in Hebraico reperitur, i. *Asdoda* hoc significatu, & *Asdod* recto nomine.

Ex Cap. X.

V. 38. Vetus tralatio, *Quomodo unxit eum Deus.* Erasmus in Annot. *Quidam codices habebant ὡς ἔχρισεν αὐτ, i.* Quomodo unxerit eum. *Quidam, ὃν ἔχρισεν αὐτ, i.* Quem unxit eum. *Cæterùm illud pronomen* eum *omittendum erat Interpreti, quòd ex idiomate sit sermonis Hebraï. Incertum Petrus hæc Hebraicè dixerit an Græcè.*

Cùm ex eo exemplari videatur Interpres traduxisse qui habebat ὡς, i. *quomodo*, non illi pronomen *eum* ullo pacto omittendum erat; alioqui pronomine illo de medio sublato non constaret quem unxisset Deus. Verisimilius est autem Petrum Græcè hæc dixisse quàm Hebraicè, quandoquidem ad Gentiles loquebatur non ad Judæos. Non enim Judæi illic aderant nisi qui venerant cum Petro, de quibus infrà dicitur, *Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritûs sancti effusa est.*

Ex Cap. XII.

V. 8. Vetus tralatio, *Præcingere, & calcea te caligas tuas.* Lucas, περίζωσαι, & ὑπόδησον τὰ σανδάλιά σου. Erasmus, *Præcingere, & subliga soleas tuas.* Et in Annot. ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου, i. *subliga sandalia tua.*

Credibile est Græca exemplaria unde V. Interpres traduxit ὑπόδυσον, i. *subindue*, per υ in penultima hoc loco habuisse, non ὑπόδησον per η, ut Erasmus legit. Fuit autem facillima corruptio, cùm utraque vocalis ejusdem sit sonûs. *Subinduere* autem *caligas* idem est quod *calceare caligas.* Nam *induo* aliquando accipitur pro *calceo, as.* Suetonius in Augusto, *Si manè sibi calceus perperàm ac sinister pro dextero indueretur. Caliga* verò hoc loco pro calceis à V. interprete acceptæ sunt, sicut & à D. Hieronymo Gen. 14. ubi dicitur quòd *à filo subtegminis usque ad corrigiam caliga non accipiam ex omnibus quæ tua sunt:* ubi pro *caliga* in Hebræo est *Naal*, & in Græco ὑπόδημα· quæ dictiones *calceum* apertè sonant, id quod *corrigia* etiã significare videtur: unde in Evangelio dicitur, *Cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti.* Potest etiam & ὑπόδυσον legi per η, i. *subliga*, ut ad calceorum corrigias referatur.

V. 13. Vet. tralatio, *Pulsante autem eo ad ostium januæ,* Lucas, κρούσαντος δὲ τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος. Erasmus, *Cùm pulsasset autem Petrus ad ostium vestibuli.*

Quanquam dictio πυλὼν & *vestibulum* & *januam* sonat, hîc tamen non illam pro *vestibulo* accepisse videtur Lucas sed pro *janua*, ut V. Interpres traduxit: quid enim est *ostium vestibuli?* Quid si nullum ea domus habebat vestibulum? quod non omnes domus habere solent sed divitum tantùm ac potentum. Vestibulum autem frequentiùs Græcè dicitur αἰθούσιον aut προαύλιον. Simili errore deceptus est cùm pro eo quod sequitur, *præ gaudio non aperuit januam*, & Græcè dicitur, ἀπὸ δὲ τῆς χαρᾶς οὐκ ἤνοιξε τὸν πυλῶνα, *præ gaudio non aperuit vestibulum*, traduxit. Jam in eo non ferendus quòd pro eo quod statim subjungitur, *sed introcurrens nunciavit stare Petrum ante januam*, & Græcè dicitur ἀλλὰ προσδραμοῦσα ἀπήγγειλεν ἑστάναι τὸν Πέτρον πρὸ τοῦ πυλῶνος, sic ille transferendum censuit. *Sed introcurrens renunciavit stare Petrum ante vestibulum.* Cùm enim *vestibulum*, ut Aulus Gellius lib. 16. c. 5. ex autoritate Cæcilii Galli refert, *non sit in ipsis ædibus neq; pars ædium, sed locus sit ante januam domûs vacuus, per quem à via aditus accessúsque ad ædes est, cùm dextrâ sinistrâq; inter januam tectáq; quæ sunt via juncta spatium relinquitur, atque ipsa janua procul à via est aream vacanti interfita;* quod poterat esse *ostium vestibuli?* Deinde quomodo puella illa nomine Rhode *noluisse aperire vestibulum* dici potest, cùm vestibulum area sit sub dio la'è undique patens per quam à via in domum fit aditus? Quomodo autem Petrus stabat ante vestibulum? Nam si ante vestibulum stabat, in via erat, & vestibulum erat illi medium inter viam & domum: ergò non ad fores domûs stabat sed in via. Vides quot inconvenientia ex falsa Erasmi interpretatione sequantur: quæ minimè secuta forent si à Vetere tralatione nequaquam ille discedere voluisset.

V. 22. Vetus tralatio, *Populus autem acclamabat Dei voces & non hominis.* Lucas, ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει φωνὴ θεοῦ καὶ οὐκ ἀνθρώπου. Erasmus, *Populus autem acclamabat, Vox Dei & non hominis.* Et in Annot. *Dei voces*] φωνὴ θεοῦ, i. *vox Dei.*

Videtur Erasmus per hanc suam interpretationem significare quòd concionante Herode populus illi acclamaverit, *Vox Dei & non hominis*: i. vox hæc tua, Herodes Divina est, non humana. Longè verò aliter se habet sensus Apostolicæ historiæ: non enim Lucas hic sentit populum laudasse Herodis vocem, quòd sonora videlicet illa esset & quasi de cœlo missa, sed quòd populus illi acclamaverit tanquam Deo: Deum videlicet illum adulatoriè appellando. Decepit Erasmum dictio φωνὴ, quæ non cum accentu gravi scribi debuit, sed cum circumflexo, & subscripto iota: est enim hoc locò dativi casûs non nominativi. Quasi dicas, *populus autem acclamabat Dei voce & non hominis*, i. eâ voce quâ Deo acclamarent, non quâ homini. Eusebius Cæsariensis Eccl. hist. lib. 2. cap. 10. hanc ex Luca referens historiam, Ruffino interprete, *Dei voces* legit, ut Vetus tralatio continet, sic enim ait, *Cùmq; populus acclamaret ei Dei voces & non hominis, statim*, inquit, *percussit eum angelus Domini, eò quòd non dederit gloriam Deo.* Ex Josepho item Antiq. lib. 19. manifestè hic locus explanatur: sic enim cap. 7 ejusdem libri de Agrippa ait, *Igitur cùm tertium annum Judææ complesset in regno, venit in Cæsaream civitatem, quæ primitus turris Stratonis appellabatur, ibíque spectaculum ad honorem Cæsaris pro ejus salute celebrabat, ad quam festivitatem omnis provinciæ multitudo nobilium simul & procerum undà convenerant. Secundâ verò spectaculorum die stolâ vestitus undique argento contextâ, ità ut textus esset valde mirabilis, venit ad Theatrum, incipiente die & primis radiis sole oriente dimissis argenti claritas repercussa fulgorem reddidit valde perspicuum & oculis insipientibus formidandum. Mox autem adulatores voces favorabiles emittebant, quæ nec illi bona pro veritate videbantur, Deum scilicet appellantes eum, atque dicentes, Propitius esto nobis: quia licèt hactenus te velut hominem timuerimus, attamen jam nunc superioris naturæ te esse conspicimus. Has autem voces rex nequaquam compescuit, nec impia eorum verba compressit,* &c. Quòd verò Agrippa ille de quo Josephus, & Herodes de quo

Lucas, idem ipse fuerit, h.e. Herodes Agrippa cognominatus, docet idem Eusebius eo libro & capite quæ suprà citavimus. Cùm enim historiam hanc ex Josepho retulisset, quò illam Apostolicæ historiæ consonare ostenderet, ista subjunxit, *Cùm in cæteris quamplurimis Josephum tum in his tam integre Divina Scriptura concordare valde miratus sum. Quòd verò videtur in solo regis vocabulo variare, cùm & tempus & actus & res eundem ostendant fuisse, possibile est, sicut in aliis quamplurimis Judæorum nominibus invenimus, etiam hunc duplici vocabulo nuncupatum, quorum altero Lucas, altero usus sit Josephus.*

Ex Cap. XIII.

V. 13. Vetus tralatio, *Et cùm à Papho navigasset Paulus & qui cum eo erant.* Lucas, ἀναχθέντες ἀπὸ τῆς Πάφου οἱ περὶ τὸν Παῦλον. Erasmus, *Cùm autem à Papho solvissent ii qui cum Paulo erant.*

Erasmus, qui Joan. 11 Laurentium Vallam ait non agnovisse formam Græcanici sermonis cùm pro eo quod illic Vetus tralatio habet, *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham & Mariam*, pro quo Græcè legitur, πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαρίαν, Græcè esse Laurentius dixerit *ad eas quæ erant circa Martham & Mariam*; cùm Græci dicere sint soliti quoties Platonem volunt significare τοὺς ἀμφὶ Πλάτωνα, palámque sit ex textu Euangelico Judæos illos non ad eas invisendas veniſse quæ circa Martham erant & Mariam, sed ad illas ipsas, *ut consolarentur eas de fratre suo*; hoc loco sui oblitus, cùm sic transferre debuisset, *Cùm autem à Papho solvissent Paulus*, excluso Paulo eos qui cum Paulo erant solvisse ait. Ex ipsa autem Græcanica dicendi forma & ex his quæ sequuntur liquidò constat Paulum cum suis à Papho navigasse: aut ostendat Erasmus ex Apostolica historia necesse est ubínam Paulus interim remanserit. Vetus verò Interpres non ignorasse videtur Græcanicam dicendi proprietatem, imò copiosiùs illam reddidisse, cùm per Græca illa verba, *Paulum & qui cum eo erant* à Papho solvisse significavit. Non enim relictis sociis Paulus illinc solverat, quod ex inerudita Erasmi traductione fecisse videbatur.

Ex Cap. XIV.

V. 1. Vetus tralatio, *Factum est autem in Iconio ut simul introirent synagogam Judæorum.* Erasmus in Annot. *Cùm* Iconium *civitatis sit nomen, non regionis*, Iconii *dicendum erat, non* in Iconio. *Sunt autem duæ hujus nominis, altera Lycaoniæ, altera Ciliciæ, de qua hîc loquitur.*

Non adeò superstitiosus erat Ecclesiasticus interpres ut ad Latinæ potiùs linguæ proprietatem & curiosas Grammaticorum observationes prospicere curaret quàm ad reddendum Græca verba bonâ fide, id quod facere sæpe solet: est enim Græcè ἐν Ἰκονίῳ, i. *in Iconio.* Quanquam non sine autoritate id feciſse videtur. Siquidem, ut apud Priscianum lib. 2 De constructione legitur, *Latini frequenter, & maximè historici, ablativis utuntur cum præpositione pro genitivis & dativis in loco significationem habentibus, ut* in Tyro *pro* Tyri, *&* in Tauriminio *pro* Tauriminii, *&* in Sorte *pro* Sorti. Quòd verò Erasmus ait de Iconio Ciliciæ civitate Lucam hîc agere; nescio unde id ille acceperit. Dicitur enim suprà cap. 13. Paulum cum suis cùm ex Papho solvisset venisse in Pergen Pamphyliæ, ac deinde Perge transitâ Antiochiam Pisidiæ perveniſse, ex Antiochia verò Pisidiæ in Iconium; non tamen addidit in quam Iconium, Ciliciæne an Lycaoniæ. Apparet autem ex eo quòd Lycaonia Pisidiæ sit contermina, ex Antiochia Pisidiæ in Iconium Lycaoniæ non Ciliciæ illos perveniſse: quod ea quæ sequuntur confirmare videntur, cùm Paulum & suos Lucas dicat ex Iconio ad Lystram & Derben Lycaoniæ civitates confugisse ibíque euangelizasse.

Ex Cap. XV.

V. 13. Vetus tralatio, *Viri fratres audite me. Symeon narravit*, &c. Lucas, ἄνδρες ἀδελφοὶ ἀκούσατέ μου. Συμεὼν ἐξηγήσατο. Erasmus cùm in textu traduxerit *Simon*, in Annot. sic ait, Συμεὼν, i. Symeon: *haud scio utrùm errore perperàm scriptum, an quòd nihil interſit inter* Symonem *&* Symeonem, *nisi quòd* Symeon *Hebraicè dicitur, Græcè inflexâ voce* Symon, *ut à* Saul Saulus.

Hoc loco Erasmus Theseo Oecolampadio prorsus neglecto, quem de dictione hac Hebraica consultum oportuerat, quasi boni aliquid reperisset, suprædicta omnia ex Laurentii Vallensis annotationibus, ut plerumque facere solet, ad verbum ferè transtulit. Sciendum autem non *errore perperàm scriptum* esse in Græco *Symeon* pro *Symon*, nec aliquid inter *Symeonem* & *Symonem* interesse: sed cum Hebraicè hoc nomen sic scribatur שמעון, quod Hebræi raptim *Symon* proferunt, Græci contractionem illam Mem literæ cum Seva protendentes pro *Symon*, quod Hebraicè dicitur, *Symeon* nonnunquam traduxere; sicut & in plerisque id genus nominibus facere consueverunt. Non igitur *Hebraicè dicitur* Symeon, *& Græcè inflexâ voce* Symon, *ut à* Saul Saulus, ut Erasmus cæcutiens existimavit; alioqui à *Symon Symonis* illi dixissent: sed Hebraicè dicitur *Symon*, & Græci Seva apicem qui Mem literæ subjicitur in *e* vertentes *Symeon* extensiùs protulerunt.

V. 40. Vetus tralatio, *Paulus verò electo Syla profectus est.* Lucas, Παῦλος δὲ ἐπιλεξάμενος Σίλαν ἐξῆλθε. Erasmus, *Paulus verò allecto Syla profectus est.*

Qui ubique præcipit vitandam esse amphibologiam, nunc verbo satìs dubio usus est, & non ab aliis intelligendo nisi ab his qui in Latina lingua fuerint eruditissimi, quíq; *allegere* pro *eligere* dictum aliquando legerint. Alioquin existimabit fortasse imprudens lector *allecto* hoc loco non *electo* significare, sed ab *allicio* verbo, quod attrahere blanditiis sonat, deductum esse. Aut igitur à Vetere traductione discedendum nullo pacto erat; aut quærenda erat dictio quæ non tam manifestè in contrarium sensum caderet.

Ex Cap. XVI.

V. 11. Vetus tralatio, *Et sequenti die Neapolim.* Erasmus in Annot. *Non est ea quam nunc in Italia occupant Hispani, sed altera Cariæ in Asia.*

Quas non conviciorum ὕλας, ut aiunt, ἀμάξας merebatur quidem hoc loco Batavus iste, nolo Sarmatam dicere, cùm Neapolim Italicam civitatem, quam cum regno illo Siciliæ citra Pharum, quod ab ea nomen accepit, hereditario jure & sedis Apostolicæ privilegio, ad quam regni illius institutio imprimis pertinet, ac proinde justissimo bello ab injustis possessoribus vendicatam, Hispani hodie possident; *occupare* illos, h. e. nullo justo titulo sed tanquam tyrannos detinere impudentissimè blateret? Satìs illum pro hac blasphemia pœnas daturum arbitrabor, si turpiter hoc loco in re ad Geographiam pertinente lapsum ostendero. Non enim de Neapoli Cariæ Lucas hîc intellexit, ut Erasmus existimavit, neque per Cariam Apostolus pertransivit, quam longè ad sinistram reliquit manum Austrum versús: sed cùm ex Mysia veniſset Troadem, ac visio ei per noctem ostensa esset quâ in Macedoniam ire rogabatur, à Troade solvens recto cursu venit in Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & indè Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas colonia. Hæc enim refert Lucas, ex cujus verbis facilè apparet ex Troade, quæ est in ora minoris Phrygiæ, Paulum solvisse, ac indè veniſse in Samothraciam, quæ insula est Ægæi maris, indéque in Europam transfretasse Neapolímque appulisse, quæ civitas est Thraciæ, quam hodie *Napoli de Romania* vulgò vocant, & ex Neapoli Philippos Macedoniæ civitatem perveniſse.

Ex

Ex Cap. XVII.

V. 30. Vetus tralatio, *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus.* Lucas, τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας ὑπεριδὼν ὁ Θεός. Erasmus, *Et tempora quidem hujus ignorantiæ cùm dissimulasset Deus.* Et in Annot. *Interpres intellexit* ex alto videns: *id enim dixit* despiciens. *At* ὑπεριδεῖν *est veluti dissimulare, & cùm videas perinde te gerere quasi non videas.*

Non hîc Interpres intellexit *despiciens*, i. *ex alto videns*, ut Erasmus putavit, sed *despiciens* posuit pro *negligens*, alioqui *desuper aspiciens* transtulisset. Quid enim opus erat dicere *tempora ignorantiæ ex alto videns Deus?* Quis ignorabat ex alto Deum cuncta conspicere? Est igitur hujus literæ sensus, Deum præterita tempora veluti neglexisse, despexisse ac nihili æstimasse: hæc enim omnia significat verbum ὑπεριδεῖν, præter proprium significatum, ut apud nos *despicere*. Brutus in epistola ad Lycios, ut Plutarchus in ejus vita refert, Ξάνθιοι τὴν ἰδίαν εὐεργεσίαν ὑπεριδόντες τάφον ἔσπευσαν ἐχόντες τὴν πατρίδα. Quod à Guarino Veronensi ità in Latinum versum est, *Xanthii beneficium meum contemnentes in sepulcro desperationis patriam posuere.*

Ex Cap. XVIII.

V. 3. Vetus tralatio, *Erant autem scenofactoriæ artis.* Lucas, ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. Erasmus, *Erat autem ars illorum texere aulæa.* Et in Annotat. hæc eadem verba sic iterum traduxit, ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην, i. *Erant autem aulæorum texendorum artifices.*

Nescio ego quis Erasmum docuerit scenofactoriam artem aulæorum texendorum artificium significare; cùm dictio ipsa Græca σκηνοποιοὶ composita sit ἐκ τῆς σκηνῆς, i. *ex tabernaculo*, & ποιέω verbo, quod *facere* significat, quasi dixeris *tabernaculorum factores:* hoc enim dictio ista propriè ex Græco sonat, non *aulæorum texendorum artifices*, ut Erasmus impropriè ac inerudite transtulit. Constat enim tabernaculorum opificem Paulum Apostolum fuisse: quod ex Origenis Homilia 17 super Numerorum librum facilè apparet, eo loco ubi illud ex prophetia Balaam edisserens, *Quàm pulcra tabernacula tua, Jacob, & tentoria tua, Israel!* pro quo Lxx traduxerunt, *Quàm bona domus tua, Jacob, tabernacula tua, Israel!* post multa sic consequenter intulit, *Unde mihi videtur non fortuitò contigisse ut Petrus quidem & Andreas & filii Zebedæi arte piscatores invenirentur, Paulus verò arte faber tabernaculorum.* Et infrà, *Ut sicut illi ex piscatoribus piscium piscatores hominum facti sunt, ità & iste à faciendis tabernaculis terrenis ad cœlestia tabernacula construenda translatus sit.* D. præterea Chrysostomus in illius operis quod de laudibus Apostoli Pauli mirâ rerum ac verborum affluentiâ composuit Hom. 4. de Pauli artificio mentionem faciens sic inquit, *Et Paulus cum illa arte vilissima tantam potuit inspirare virtutem quantam ipse rerum testatur effectus. Homo enim ignobilis, abjectus & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressus est ut vix triginta annorum spatio & Romanos & Persas & Parthos & Medos & Indos & Scythas & Æthiopes & Sauromatas & Saracenos, & omne prorsus humanum genus, sub jugum mitteret veritatis. Respondeo igitur unde iste opifex vilis ac publicus, stans in loco artis suæ, ac scalpellum manu gerens, ità & ipse philosophatus sit, & alios docuerit philosophari, gentes scilicet & urbes atque regiones, nec vim in se sermonis ostendens.* Et paulò infrà, *Quia verò nec de professione claruit futurit, ipsius discipulus ostendit, dicens, quoniam manebat apud Aquilam & Priscillam propterea quòd ejusdem artis essent. Erant enim scenofactoriæ artis.* Hactenus Chrysostomus. Cujus ex verbis liquidò patet scenofactoriam artem non fuisse aulæorum texendorum opificium, ut Erasmus somniavit, sed tentoriorum potiùs, sive tabernaculorum, quæ & ipsa ex pellibus quoque conficiebantur, non quidem crudis sed maceratis ac elaboratis, quibus imbres ac pluviæ imprimis arcerentur. Unde & Dominus Moysi præcepit ut operimentum tabernaculi testimonii de pellibus faceret, ut legitur Exod. 26. ubi dicitur, *Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, & super hoc rursum aliud operimentum de hyacinthinis pellibus.* Et cap. 36. *Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliúdque desuper velamentum de pellibus hyacinthinis.* Quid quòd & pelles solùm pro ipsis tabernaculis sive tentoriis positæ reperiuntur 2 Reg. 7. *Dixit David ad Nathan prophetam, Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca Dei posita sit in medio pellium?* Quod repetens Scriptura 1 Paralip. 17. *Arca autem,* inquit, *fœderis Domini sub pellibus est.* Canticorum quoque cap. 1. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis,* i. sicut tentoria Salomonis. Esa. 54. *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende.* Hier. 4. *Repentè vastata sunt tabernacula mea, subitò pelles meæ.* Et cap. 10. *Non est qui extendat ultrà tentorium meum, & erigat pelles meas.* Abac. 3. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Et ut de secularibus quoque libris testimonia proferamus, Festus Pompeius lib. 1. *Adtubernalis,* inquit, *habitator continuæ tabernæ, quod genus domicilii antiquissimum Romæ fuisse testimonio sunt exteræ gentes, quæ adhuc tabulatis habitant ædificiis. Unde etiam tecta castrensia quamvis pellibus contegantur tabernacula tamen dicuntur.* Idem lib. 3. *Contubernales dicuntur à tabernis, quæ fiebant ex tabulis; unde & tabernacula sunt dicta licèt ex tentoriis & ex pellibus fiant.*

Ex Cap. XIX.

V. 9. Vetus tralatio, *In schola tyranni cujusdam*] Erasmus in Annotat. *Ambigunt hîc Interpretes* tyrannus *hoc loco primatem ac potentem significet, an proprium sit hominis vocabulum. Sed quid scholæ cum tyranno? Deinde si nomen est proprium, cur addidit* τινός; *proinde suspicor fuisse secessum magnatis alicujus, in quo solitus sit otiari, quandoquidem* schola *Græcis sonat* otium.

Tyrannum hoc loco non primatem ac potentem sive magnatem aliquem significare, sed proprium esse viri nomen ex eo imprimis apparet quòd eidem additum est τινός. Est enim Græcis usitatus hic loquendi modus, præsertim cùm is de quo agitur ignotus est. Sic infrà hoc capite, Δημήτριός γάρ τις ὀνόματι ἀργυροκόπος, i. *Demetrius autem quidam nomine argentarius.* Et cap. 21. ἀγαγόντες παρ' ᾧ ξενισθῶμεν Μνάσωνί τινι Κυπρίῳ, ἀρχαίῳ μαθητῇ, i. *Adducentes apud quem hospitaremur Mnasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum:* & cap. 22. Ἀνανίας δέ τις, ἀνὴρ εὐσεβής, i. *Ananias autem quidam, vir pius.* Marci etiam cap. 15. καὶ ἀγγαρεύουσι παράγοντά τινα Σίμωνα Κυρηναῖον, i. *Et angariaverunt prætereuntem quendam Simonem Cyrenæum.* Joan. 11. Ἦν δέ τις ἀσθενῶν Λάζαρος ἀπὸ Βηθανίας, i. *Erat autem quidam languens Lazarus à Bethania.* 2 Macch. 6. Ἐλεάζαρός τις τῶν πρωτευόντων γεγραμμένων, i. *Eleazarus quidam de primoribus scribarum.* Apparet ergò *Tyrannum* hoc loco nomen esse proprium viri alicujus qui Ephesi scholam, i. ludum literarium, tenebat, in cujus schola, utpote loco ad id aptissimo, Paulus quotidie disputabat. Siquidem *Tyrannum* fuisse olim nomen hominis proprium ex Seneca apparet in libro De brevitate vitæ ubi sic ait, *Tyrannus fuit exacta diligentiæ senex, qui post annum nonagesimum cùm vocationem procurationis à C. Cæsare ultro accepisset, componi se in lecto & velut exanimem à circumstante familia plangi jussit,* &c. Tyrannion quoque fuit Grammaticus, cujus Strabo lib. 13. fecit mentionem.

V. 24. Vetus Tralatio, *Demetrius autem quidam nomine argentarius.* Lucas, Δημήτριος δέ τις ὀνόματι ἀργυροκόπος. Eraſmus, *Demetrius autem quidam auri faber.* Et in Annotat. Argentarius *aliàs Latinis & menſarium ſignificat & numularium; verùm hoc loco ſonat opificem & ſculptorem argenti, quem nos* aurificem *ſive* auri fabrum *vocamus. Eſt enim* ἀργυροκόπος *ab* incidendo argento *dictus.*

Diverſa nomina ſunt *aurifex* & *argentarius*; & ſicut ad illum aurea ſic ad hunc argentea referuntur. Eſa. 40. D. Hieronymo interprete, *Numquid ſculptile conflabit faber, aut aurifex auro figurabit illud, & lamminis argenteis argentarius?* Cùm verò hoc loco Demetrius iſte ἀργυροκόπος dicatur, non ab *incidendo argento*, ut Eraſmus putavit, ſed ab *elaborando*; & ejus opus fuiſſe dicatur argenteas ædes Dianæ fabricare: Quid opus erat pro *argentario*, quod optimè à vetere Interprete traductum fuerat, *auri fabrum* perperàm transferre?

V. 35. Vetus tralatio, *Viri Epheſii, quis enim eſt hominum qui neſciat Epheſiorum civitatem cultricem eſſe magnæ Dianæ?* Eraſmus in Annotat. *Cultricem eſſe magnæ Dianæ? Uſus eſt*, inquit, *peculiari verbo* νεωκόρον, *quæ vox compoſita eſt ex* νεὼς templum & κόρη virgo, *quod nomen tribuunt Dianæ & Proſerpinæ. Epheſiorum igitur civitatem* νεωκόρον *vocat quòd illic eſſet templum illud toto orbe notiſſimum.*

Non ſemel ſed iterum Eraſmus Roterodamus hoc loco lapſus eſt: primùm cùm dixit κόρῳ, i. *virginem*, Dianæ & Proſerpinæ tributum, cùm ſola Proſerpina hoc nomine à Græcis vocata fuerit. Deinde cùm ex eo civitatem Epheſiorum νεωκόρον appellatam exiſtimavit quòd illic templum eſſet Dianæ, i. κόρης, ut ipſe putat. Non enim νεωκόρος à νεὼς & κόρη dictus eſt, ſicut nec ζακόρος, ſed à κορέω, quod priſcâ linguâ *ornare* ſignificat, dictus eſt νεωκόρος i. *templi ornator*, & ζακόρος i. *adituus* aut *templi miniſter*. Indè verbum νεωκορεῖν, quod ſignificat *adminiſtrare* vel *tractare res ſacras*, i. ad templa pertinentes. Unde & Julius Pollux τῆ Ὀνομαστικῶ lib. 1. τὰ ὀνόματα τῶν θεῶν θεραπόντων deſcribens, i. *nomina deûm inſervientium*, ſic ait, οἱ δὲ τῶν θεῶν θεραπόντες, ἱερεῖς, νεωκόροι, ζακόροι, &c. i. *Deorum autem miniſtri* ſive *cultores, Sacerdotes, Neocori, Zacori.* De feſtivitatibus quoque deorum in eodem libro agens Proſerpinæ feſtum à Dianæ celebritate disjunxit, ſic dicens, Κόρης μὲν Σικελιῶται θεογάμια, καὶ ἀνθεστήρια· Ἀρτέμιδος Ἀρτεμίσια, Ἔφεσια, i. *Proſerpinæ feſtum apud Siculos Theogamia*, i. *divinæ nuptiæ, & Antheſphoria*, i. *floriferia: At verò Dianæ, Dianalia, Epheſia.* Veriſſimè igitur ac elegantiſſimè interpres Eccleſiaſticus pro νεωκόρον *cultricem* tranſtulit. Quaſi civitas illa Epheſiorum ædituа eſſet & miniſtra, i. propriè cultrix & ornatrix templi illius famigeratiſſimi Dianæ Epheſiæ, quod 220 annis à tota Aſia factum eſt, ut autor eſt Plinius Natur. hiſt. lib. 36.

Ex Cap. XXIV.

V. 5. Vetus tralatio, *Invenimus hunc hominem peſtiferum.* Eraſmus in Annotat. *Græcis*, inquit, *non eſt peſtiferum, ſed* λοιμὸν, *h. e.* peſtem, *quemadmodum exitialem* exitium *vocant*, ὄλεθρον.

Sciendum eſt λοιμὸν præter *peſtem, peſtiferum* quoque ſive *peſtilentem* ſignificare. Pſalmo enim primo ubi nos legimus, *Et in cathedra peſtilentiæ non ſedit*, in Græco habetur, καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν οὐκ ἐκάθισεν, *Et in cathedra peſtilentium non ſedit:* ſic enim interpretari debere ex Hieronymo apparet, qui in Explan. ſuper Prophetas ſæpiſſimè citat hunc verſum ad hunc modum traductum. Præterea 1 Macch. 10. *Et convenerunt adverſùs eum viri peſtilentes ex Iſrael.* In Græco ſic legitur, καὶ ἐπισυνήχθησαν ἐπ' αὐτὸν ἄνδρες λοιμοὶ ἐξ Ἰσραήλ. Et eodem libro cap. 15. *Quoniam quidem viri peſtilentes obtinuerunt regnum patrum noſtrorum*, Græcè ſic, ἐπειδὴ ἄνδρες λοιμοὶ κατεκράτησαν τῆς βασιλείας τῶν πατέρων ἡμῶν.

Ex Cap. XXVII.

V. 40. Vetus tralatio, *Et levato artemone ſecundùm auram flatum tendebant ad littus.* Lucas, καὶ ἐπάραντες τὴν ἀρτέμονα τῇ πνεούσῃ κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν.

Cùm in textu Eraſmus ſic traduxiſſet ut Vetus tralatio habet, in Annotat. rurſus aliter tranſtulit, & ἐπάραντες τὴν ἀρτέμονα, i. *ſublatâ*, inquit, *antemnâ*; quaſi ἀρτέμων *antemnam* hoc loco ſignificaret. Sciendum igitur *artemonem* vocem eſſe Latinam non Græcam, tametſi in Græca ſcriptura eâ Lucas utatur. Solent enim Euangeliſtæ dictiones interdum Latinas Græcis immiſcere, quòd Hebræi, utpote Romano imperio parentes, pro ſuis jam illis utebantur. Sic κῆνσον, i. *cenſum*, apud eoſdem legimus, ἔξεστι κῆνσον καίσαρι δοῦναι, ἢ οὔ; i. *Licet cenſum Cæſari dare, an non?* Et δηνάριον, i. *denarium*: φέρετέ μοι δηνάριον, i. *Afferte mihi denarium.* Et λέντιον, i. *linteum*: καὶ λαβὼν λέντιον διέζωσεν ἑαυτόν, i. *Et cùm accepiſſet linteum præcinxit ſe.* Et σικαρίων pro *ſicariorum* Act. 21. καὶ ἐξαγαγὼν εἰς τὴν ἔρημον τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας τῶν σικαρίων, pro quo Latinè legitur, *Et eduxiſti in deſertum quatuor millia virorum ſicariorum.* Ad eundem quoque modum & *artemonem* Lucas hic poſuit, Latinam quidem dictionem. Sed mihi diligentiùs indaganti quidnam *artemon* ſignificaret, nequaquam hanc dictionem huic loco convenire viſum eſt. Siquidem de artemone apud Vitruvium lib. 10 de Architectura cap. 3. ſic legimus, cùm de machina quadam ad ſublevanda onera ageret, quam *Polyſpaſton* ait appellari. *In radice autem machinæ collocatur tertia troclea, eam autem Græci* epagonta, *noſtri* artemonem *appellant. Ea troclea religatur ad machinæ radicem habens orbiculos tres, per quos trajecti funes traduntur hominibus ad ducendum.* Jabolenus præterea JC. lib. ult. Digeſtorum in titulo De verborum ſignificatione, l. *Malum. Malum*, inquit, *navis eſſe partem, artemonem autem non eſſe, Labeo ait; & verius eſt: quia pleraque naves ſine malo inutiles eſſent, ideóque pars navis habetur. Artemon autem magis additamentum quàm pars navis eſt.* Quibus ex verbis manifeſtè apparet neque *artemonem antemnam* eſſe, ut Eraſmus exiſtimavit, neque *genus quoddam veli ampliſſimum*, ut quidam interpretantur, verum hujus literæ ſenſum ſubodorantes. Nam cùm *machina* ſit *ad levanda onera* excogitata, ut Vitruvius ait, & *additamentum potiùs quàm pars navis*, ut inquit Iabolenus, quomodo *velum* eſſe poteſt? Aſt lectio *velum* hîc intelligi debere manifeſtè reclamare videtur. Nam cùm in littus quod propè viderant navim impellere cogitaſſent, *laxatis gubernaculorum junctûris, ac ſublato velo*, i. in altum levato, *ſecundùm auræ flatum tendebant ad littus.* Cùm itaque hic ſit verus ſine dubio ſenſus horum verborum, libet exiſtimare corruptum hunc eſſe locum & in Græco & in Latino, & ἀρτέμονα, *antemonem*, à Luca ſcriptum fuiſſe, ídque paulatim ſcriptorum vitio, aut eorum præſumptione qui Scripturas emendare non dubitant, in *artemonem* degeneraſſe; quod unius tantùm literulæ mutatione accidere potuit. Eſt autem *Antemon* velum quod poteſt faciliùs obliquari, & quo nautæ in ſummo tempeſtatis diſcrimine utuntur. Autor hujus vocabuli *Antemon*, & ejus ſignificationis, Perottus eſt Sipontinus, vir quidem eruditiſſimus, niſi fortè illi ipſi eſt opus patrono quem mihi defenſorem paro, ut Terentius ait, Nullum quippe citat teſtimonium quo ſuam ſententiam fulcire videatur. Quærant igitur diligentiùs hac de re S. literarum ſtudioſi: ego enim nihil amplius invenire hactenus potui quàm quod ſuprà dictum eſt.

V. 44. Vetus tralatio, *Quoſdam ſuper ea quæ de navi erant.* Lucas, οὓς δὲ ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου. Eraſmus, *Partim in quibuſdam navis fragmentis.*

Per hanc Eraſmi traductionem videtur navim illam in qua

qua Paulus Romam vinctus advehebatur confractam fuisse, ac in ejus fragmentis nonnullos ex vinctis enatasse, sicque naufragii periculum evasisse. Cæterùm longè aliter se res habet: non enim in navis fragmentis enatare potuerunt, cùm integra adhuc esset navis & arenæ tantùm hærens; sed vel in doliis vel in aliis quibuscunque ex his quæ in navi ferebantur, ut fieri videlicet solet cùm naufragium immineat: idque significasse Lucas videtur cùm Græcè dixit, ὡς ἔν τισιν τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου. Quod verè ac propriè V. Interpres traduxit, cùm dixit *quosdam super ea quæ de navi erant*, vasa per hoc significans atque alia ex his quæ navis portabat. Non enim in rupes vi ventorum adacta navis impegerat ut subitò frangeretur, ùtque in ejus fragmentis enatare vectores potuissent; sed cùm in vadosa littora navigantes incidissent, *impegerunt navim*, ut Lucas ait, *& prora quidem fixa manebat immobilis, puppis verò solvebatur à vi maris*. Quid quòd & id quod antea dicitur, i. *cæteros alios in tabulis ferebant*, ad dolia & cætera id genus vasa verba hæc esse referenda apertissimè demonstrat.

EX EPISTOLA AD ROMANOS.

CAP. I.

V.3. VEtus tralatio, *De filio suo, qui factus est ei ex semine David.* Paulus, περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ. Erasmus, *De filio suo qui genitus fuit ex semine David.* Et in Annot. *Laurentius*, inquit, *Valla mavult* genitus *aut* natus *quàm* factus; *cujus equidem sententiam in præsentia nec probo nec improbo: certè* genitus *esset si scriptum esset* γεννηθέντος. *Cæterùm pronomen* ci *quod additur in Latinorum codicibus, in nullis Græcorum invenitur*, &c.

Qui Laurentium Vallam secutus in textu traduxit *genitus*, nunc quasi sui oblitus, aut omnino pœnitens, Vallæ sententiam ait se in præsentia nec probare nec improbare. Et cùm Valla dicat Græcè potiùs esse *genitus*, *natus* illi Erasmus adjecit. Sciendum verò dictionem γενομένου hîc positam neque *genitum* neque *natum* significare, sed *factum*, ut V. Interpres traduxit. Ad hoc enim quòd *genitum* significaret aut *natum* cum duplici ν scribi debebat, & per ω, i. γενωμένου. Sicut Lucæ 1. διὸ καὶ τὸ γενόμενον ἐκ σοῦ ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ, i. *Ideóq; & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Origenes quoque *factum* hîc videtur intellexisse cùm in Homiliis hæc edisserens ait, *Factus est autem sine dubio id quod priùs non erat secundùm carnem.* Ambrosius item *qui factus est* legit, & subdit, *Eum qui erat Dei filius secundùm Spiritum S. i. secundùm Deum, quia Deus spiritus est, & sine dubio sanctus est, factum dicit juxta carnem Dei filium ex semine David, juxta illud*, Et verbum caro factum est, *ut jam unus sit Dei & hominis filius Christus Jesus*, &c. Εἰ verò pronomen, quod hîc in Græco non est, neque in Latinorum antiquissimis codicibus invenitur; quos Erasmus cùm diligenter in Euangeliis consuluisse videtur, rarò aut nunquam in reliquis N. T. libris consuluisse videtur.

V.25. Vetus tralatio, *Qui est benedictus in secula. Amen.* Paulus, ὃς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. Erasmus, *Qui est laudandus in secula. Amen.*

Admonet Erasmus in Annot. se ob rudiores hîc vertisse *laudandus*. Cæterùm nescio quid hîc rudiores offendisset si *benedictus* legissent, ut Græcè habetur: εὐλογῶν enim *benedicere* sonat non *laudare*, & εὐλογητὸς *benedictus* non *laudandus*. Lucæ 1. *Benedictus Dominus Deus Israel*; pro quo in Græco dicitur, εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραήλ. Et in aliis quamplurimis locis.

EX CAP. II.

V.17. Vetus tralatio, *Si autem tu Judæus cognominaris.* Paulus, εἰ δὲ σὺ Ἰουδαῖος ἐπονομάζῃ. Erasmus, *Ecce tu Judæus cognominaris.*

Hoc loco Græca esse corrupta manifestum est; ac ex εἰ δὲ, i. *si autem*, ἴδε, i. *ecce*, ab imperitis scriptoribus depravatum, id quod textus ipse Apostolicorum verborum liquidò ostendit. *Si autem*, inquit, *tu Judæus cognominaris, & requiescis in lege*, non *acquiescis*, ut satìs inerudite ac impropriè Erasmus transtulit, ἐπαναπαύῃ. Et cùm ista omnia unico spiritu protulisset, quasi orationem resumens, *Qui igitur*, inquit, *doces alium, teipsum non doces?* Atque ità Origenes legisse videtur ut Vetus tralatio habet, i. *si autem* non *ecce*: sic enim ait, *Primò namque hoc observandum est, quòd non dixit de eo*, si autem tu Judæus es, *sed* si Judæus cognominaris: *quia non idem est esse Judæum & cognominari Judæum*, &c. Athanasius præterea *si* legisse videtur non *ecce*, cùm totum hunc locum edisserens post aliquanta sic intulit, *Nam si vel præceptor sis*, inquiens, *quæ verò sunt Legis non egeris, nil prodest, quin exhibet majoris cruciatûs occasionem.*

EX CAP. III.

V.5. Vetus tralatio, *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat.* Paulus, εἰ δὲ ἡ ἀδικία ἡμῶν θεοῦ δικαιοσύνην συνίστησιν. Erasmus, *Quòd si injustitia nostra Dei justitiam constituit.*

Ἀδικία licèt *injustum* propriè sonet, sæpenumero tamen transfertur pro *iniquo*, & ἀδικία pro *iniquitate*. Nam cùm justitia in æquitate consistat, rectè *iniquus*, i. non æquus, injustus appellatur, & *iniquitas* injustitia. At verò συνίστημι verbum, unde συνίστησι, ambiguum est: nam & *constituere* significat & *commendare*; unde συστατικαὶ dicuntur commendatitiæ epistolæ. Hoc autem loco *commendationem* id verbum significare ex Origene apparet, qui in Homiliis Apostolica hæc verba edisserens post aliquanta sic ait, *Si enim nostra*, h. e. *hominum, injustitia Dei justitiam commendat; non utique pœnâ digni homines videbuntur per quos justitia Dei probabilior habetur & clarior*: & infrà, *Et justitia ejus per hominum injustitiam comprobatur.* Ergò cùm dixit *probabilior habetur*, *commendabilior* significare voluit; atque id ipsum sensit cùm *comprobatur* intulit, i. commendatur. Simile verbum habetur infrà cap. 5. ubi dicitur, συνίστησι δὲ τὴν ἑαυτοῦ ἀγάπην εἰς ἡμᾶς ὁ Θεὸς, ubi Erasmus pro συνίστησι *commendat*, ut Vet. Interpres traduxit.

EX CAP. V.

V. 13. Vetus tralatio, *Peccatum autem non imputabatur cùm lex non esset.* Paulus, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. Erasmus, *Porrò peccatum non imputatur cùm non est lex.* Et in Annot. Ἐλλογεῖται, inquit, *i.* imputatur *præsentis temporis, ut sermo sit absolutior*, &c.

Ex ipso dicendi modo manifestè apparet in veteribus Græcorum codicibus, unde Interpres noster hæc traduxit, ἐλλογεῖτο, i. *imputabatur*, hoc loco fuisse; alioqui non erat ille tam stupidus támque Græcæ imperitus linguæ, quem ejusdem peritissimum & in S. Scripturis eruditissimum fuisse existimamus, ut pro ἐλλογεῖται, quod præsentis est temporis, *imputabatur* per imperfectum præteritum transferret. Loquitur enim Apostolus semper de præterito à principio istius clausulæ. Est autem hujus literæ sensus, Peccatum semper in mundo fuit, ex quo scilicet primus prævaricatus est homo, per quem peccatum in mundum introivit: verùm cùm nulla esset lex quæ peccatum puniret, *non imputabatur* sive *reputabatur peccatum* illud quod peccatum erat. *Per legem* enim *cognitio peccati*, ait Apostolus suprà cap. 3. Et infrà cap. 7. *Sed peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces.* Ergò hoc loco per imperfectum præteritum legendum est: ac sic quidem Ambrosius legit & subdit, *In Adam omnes dicit peccasse sicut suprà memoravi: & usq; ad Legem datam non imputatum esse peccatum*, &c.

V. 19. Vetus tralatio, *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Paulus, ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί. Eraſmus, *Quemadmodum enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti fuimus multi.*

Græci codices, qui antiqui ſimul & emendati cenſentur, κατεστάθησαν hoc loco habent, i. *conſtituti ſunt*, non κατεστάθημεν, i. *conſtituti fuimus*, ut Eraſmi impreſſus liber continet; qua ex cauſa ſic ille traduxit ut ſuprà expreſſimus: quod & ipſum ſequentia indicant cùm dicitur, *ità & per unius obedientiam juſti conſtituentur multi*, quod Græcè dicitur, ὕτως καὶ διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνὸς δίκαιοι κατασταθήσονται οἱ πολλοί. Non enim dixit *conſtituemur multi*, ut reſponderet ad *conſtituti fuimus*, quod Eraſmus poſuit; ſed *conſtituentur*, ut ad illud reſponderet quod dixerat *conſtituti ſunt*. Atq; hoc quidem modo Origenes legit, i. *conſtituti ſunt*; & ſecundùm hanc literam hunc locum longiùs exponit. Athanaſius quoque ad hunc modum legit & ſubdit, *Non enim rei ejuſdem repetitio eſt ut apparet: ſed cùm diceret ſuperiùs* ſicut per unius delictum, ſic per unius juſtitiam, *nunc quid ſit* unius delictum *interpretatur, exprimitque quid inobedientia ſit per quam* conſtituti ſunt peccatores multi, i. *homines ſupplicijs obnoxii & mortis rei: quidve ſit* unius, i. *Chriſti*, juſtitia; *aitque hanc eſſe mortis obedientiam & crucis mortem, per quam obedientiam morte contritâ ex mortis ſimus erepti damnatione.* Ambroſius præterea *conſtituti ſunt plurimi* legit; atque hunc locum ediſſerens ſic ait, *Quos ſuprà* omnes *dixit, hîc* plures & multos *ſignificat: plures enim delictum Adæ ſecuti ſunt prævaricando, non omnes; & multi juſti conſtituentur, non omnes. Non ergò in eos regnavit mors qui non peccaverunt in ſimilitudine prævaricationis Adæ.*

Ex Cap. VI.

V. 22. Vetus tralatio, *Finem autem vitam æternam.* Paulus, τὸ δὲ τέλος ζωὴν αἰώνιον. Eraſmus, *Fructum autem vitam æternam.*

Non eſt hîc pro *fructu* eadem Græca dictio quæ paulò antè, ubi dicitur, *Habetis fructum veſtrum in ſanctificatione*, i. καρπὸν, ſed quæ ibi, *Nam finis illorum mors*, i. τέλος. Neſcio autem cur Eraſmus *fructum* hîc pro *fine* traducere voluerit; niſi ſenſum ille fortaſſe maluit exprimere quàm veram Græcæ dictionis interpretationem.

Ex Cap. VII.

V. 3. Vetus tralatio, *Igitur vivente viro vocabitur adultera ſi fuerit cum alio viro.* Paulus, ἄρα οὖν ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ. Eraſmus, *Proinde vivente viro adultera judicabitur ſi cœperit alteri viro jungi.*

Verbum χρηματίζω, unde χρηματίσει, inter alia quæ obtinet ſignificata, *appellare* ſive *vocare* etiam ſignificat; unde Origenis Homiliarum interpres *cognominabitur adultera* hîc traduxit, non *judicabitur*, ut Eraſmus imperitè tranſtulit, ὑπὸ τὴν κρίσιν, i. *à judicio*, deductum verbum exiſtimans. Hæc autem exponens Origenes ſic ait, *Si verò viventem adhuc priorem virum voluerit mulier relinquere & alii ſociari, adultera ſine dubio appellabitur.* Interpres quoque Athanaſii *vocabitur adultera* traduxit. Atque ità quidem legit & D. Ambroſius.

Ex Cap. VIII.

V. 15. Vetus tralatio, *in quo clamamus, Abba pater.* Eraſmus in Annot. אב inquit, *ſive* אבי, *Hebræis ſonat* patrem; *dictio è duabus primis literis compoſita. Porrò vocem Hebræam reliquit quòd ſignificaret peculiare quiddam eſſe in ipſo vocabulo, quod & patres libenter audiunt, & pueri primùm ſonare diſcunt*, &c.

Scire oportet *Abba* non eſſe Hebraicam vocem, ut Eraſmus ex eo ſuſpicatus eſt quòd אב Hebræis *pater* dicitur, ſed Chaldaicam. Siquidem pro eo quod Hebræi dicunt אב, Chaldæi אבא proferunt. Ex quo enim à captivitate Babylonica populus Hebræorum in patrias ſedes reverſus eſt, Hebraica lingua in deſuetudinem abire cœpit, ac Chaldaicâ quam illic didicerant, quæque Hebraicæ affinis eſt, impoſterum uſi ſunt; atque eâ quidem non purâ, ſed multis & Græcis & Latinis vocabulis admixtis, ut ex hiſtoria Euangelica apparet, & ex illis libris V. Teſtamenti qui in Thargum Hieroſolymitano conſcripti ſunt. Illud verò ὁ πατὴρ non nominandi caſu poſitum eſt, ut Eraſmus exiſtimavit, ſed vocandi, quanquam habeat ὁ articulum nominativi. Nam cùm *Abba* in vocativo ſit (eſt enim exclamatio) quomodo ὁ πατὴρ, quod idem ſonat, nominativus eſſe poſſet? Sed cùm Hebræi quintum caſum non habeant, ſicut nec Græci ſextum, nominativis pro vocativis utuntur, ſicut & Græci genitivis pro ablativis, & per nominativum vocare ſolent. Atque indè eſt quòd apud Lxx ὁ Θεὸς ſemper legitur in Pſalmis, præſertim pro *ô Deus*, i. nominativus pro vocativo: quem morem, utpote patrium, & Marcus in Euangelio ſervavit, cùm Dominum induxit orantem & dicentem, *Abba pater*; & Paulus hoc loco, cùm dixit, *in quo clamamus, Abba pater*, & Gal. 4. ubi dicitur, *clamantem, Abba pater.*

V. 30. Vetus tralatio, *Quos autem juſtificavit, illos & magnificavit.* Paulus, οὓς δὲ ἐδικαίωσε, τούτους καὶ ἐδόξασε. Eraſmus, *Quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.*

Verbum δοξάζω non unico modo in S. Scripturis traductum reperitur; ſed aliquando pro *glorificare*. Mat. 5. *Et glorificent patrem veſtrum qui in cœlis eſt*, καὶ δοξάσωσι τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Aliquando pro *clarificare*. Joan. 17. *Clarifica filium tuum, ut & filius tuus clarificet te*, δόξασόν σου τὸν υἱὸν, ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε. Nonnunquam etiam pro *honorificare*. Mat. 6. *Ut honorificentur ab hominibus*, ὅπως δοξασθῶσιν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. Eſt quando pro *magnificare* traductum reperitur, Exod. 15. *Cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus eſt*, ᾄσωμεν τῷ Κυρίῳ· ἐνδόξως γὰρ δεδόξασται. Lucæ 4. *Et ipſe docebat in ſynagogis eorum, & magnificabatur ab omnibus*, καὶ αὐτὸς ἐδίδασκεν ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν δοξαζόμενος ὑπὸ πάντων.

V. 25. Vetus tralatio, *Et non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam.* Eraſmus in Annot. *Id*, inquit, *in Græcis codicibus non habetur adſcriptum. Cæterùm apud Oſeam cap. 1. quo ex loco teſtimonium hoc aſſumpſit Paulus, nec habetur* miſericordiam conſecuta nec dilecta, *ſed duntaxat*, Et erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis. *Siquidem Apoſtolus magìs ſententiam reddidit quàm verba Prophetæ*, &c.

Vel ex hoc loco facilè prudens lector judicare poterit quàm infrequens Eraſmus iſte ſit in S. Scripturarum lectione, & quàm illotis, ut aiunt, pedibus ad hoc Annotationum opus in eaſdem ſcribendum acceſſerit. Nam cùm Paulus Apoſtolus non ſignet locum unde hoc teſtimonium ex Oſeæ prophetia acceperit, ſed *ſicut in Oſea dicit* ſcripſerit; ac ex diverſis locis ejuſdem prophetæ hoc totum conflaverit, apud Oſeam hæc cap. 1 haberi Eraſmus affirmat, ac magìs Apoſtolum ſententiam prophetæ reddidiſſe quàm verba: apud quem exiſtimat nec haberi *miſericordiam conſecutam* nec *dilectam*. Sciendum igitur Apoſtolum Paulum primam hujus vaticinii partem, i. *Vocabo non plebem meam plebem meam*, de Oſeæ cap. 2. in fine accepiſſe, ubi dicitur, *Et dicam non populo meo, Populus meus es tu.* Quod verò ſequitur, *& non dilectam, dilectam*, de eodem cap. 2 ſumptum eſt ſecundùm tralationem Lxx. Siquidem ubi tralatio noſtra habet, *Et miſerebor ejus quæ fuit abſque miſericordia*, Lxx ſic habent, καὶ ἀγαπήσω τὴν οὐκ ἠγαπημένην, i. *& diligam non dilectam.* Quod autem ſubjungitur, *Et non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam:* id ipſum eſt quod Oſee dixerat, *Et miſerebor ejus quæ fuit abſque miſericordia.* Semel autem hoc dixit Paulus, i. aut juxta

Lxx traductionem, aut juxta Hebraicam veritatem. Credibilius est autem juxta Hebraicam veritatem illum hæc verba protulisse: qua ex re Hieronymus in Explan. super Oseæ, præsentem explicans locum, geminam ait hujus loci apud Apostolum fuisse lectionem, & in quibusdam quidem codicibus scriptum fuisse ᾧ τλὼ ὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην, i. *& non dilectam, dilectam*; in aliis verò ᾧ τλὼ ὐκ ἠλεημένην, ἠλεημένην, i. *& non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*. Posteriorem verò lectionem magis ille probat, & veriora ait esse exemplaria quæ illam haberent, maximè quia ad distinctionem Israelis cui non miseretur infert Deus, *Domui autem Juda miserebor*. Credibile autem est Hieronymum hunc locum emendasse cùm Apostoli Pauli epistolas recognovit, ac pro eo quod antiqua tralatio habebat *& non dilectam, dilectam*, ut ex Ambrosiano textu apparet; *& non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam* illum reposuisse: ac deinde ab his qui ex veteribus codicibus nova emendabant additum etiam esse, *& non dilectam, dilectam*; atque indè duplicem hanc unius rei lectionem in codices nostros emanasse. Cæterùm ultima hujus vaticinii verba, i. *Et erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos, dicetur eis, Filii Dei viventis*, de Osea cap. 1. ab Apostolo sumpta sunt.

Ex Cap. XI.

V. 4. Vetus tralatio, *Reliqui mihi septem millia virorum qui non curvaverunt genua ante Baal.* Erasmus in Annot. *Quin* præfectum *&* idolum *Hebræi sonat* בּאל: *unde* BEELPHEGOR cadaveris, BEELZEBUL muscarum idolum.

Tria errata commisit hoc loco Erasmus Roterodamus. Primum quòd *Baal* scripsit per א cùm per ע in Hebræo scribatur בּעל. Secundum quòd BEELPHEGOR dixit significare *idolum cadaveris*, cùm פּעור, unde *Beelphegor*, non *cadaver*, quod Hebraicè dicitur נבר, sed *hiatum* sive *apertionem* significet. Tertium quòd BEELZEBUL per *l* in fine *muscarum idolum* protulit, cùm corrupta illa dictio apud Græcos sit, ut pleraque id genus alia: dicitur enim Hebraicè בעלזבוב, i. *Beelzebub*, per *b* in fine; & tunc significat *musca*, sive *muscarum, idolum: zebub* siquidem *muscam* ex Hebræo sonat. Unde Hieronymus in libro Interpretationum Hebraicorum nominum sic ait, BEELZEBUB habens muscas, *sive* vir muscarum. *In fine ergò nominis* b *litera legenda est, non* l: *musca enim* zebub *vocatur*. Hæc Hier.

V. 11. Vetus tralatio, *Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur.* Paulus, ἀλλὰ τῷ αὐτῶν παραπτώματι ἡ σωτηρία τοῖς ἔθνεσιν, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. Erasmus, *Sed per illorum delictum salus gentibus, in hoc ut eos ad æmulandum provocaret.* Et in Annot. *Ut illos æmulentur*, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτοὺς] *Quod rectiùs verti poterat* ad provocandum eos, *ut ad Deum referatur actus verbi qui isto modo voluerit exstimulare Judæos invidiâ quadam ac zelotypiâ cùm viderent quod illis erat promissum in Gentes esse translatum. Unde nos, quò sermonis ambiguitatem excluderemus, vertimus*, ut eos ad æmulandum provocaret, εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτούς. *Neque quicquam erat opus quadrigâ interpretationum quam in hunc locum invexit Thomas Aquinas, nè sic quidem germanam attingens sententiam; quod haudquaquam illi sed interpreti imputandum est.*

Ut omittam quòd contumeliosus Erasmus est in Thomam Aquinatem Ecclesiæ Doctorem percelebrem, imperitiæ illum palàm accusando; útque illud non memorem fidifragum quoque manifestò apparere, qui magnifica illa Apologiæ promissa de non prodendis sanctorum Doctorũ erratis (si tamen errata appellanda sunt quæ ipse in eis errata existimat) ex fide non servet; certè illum hoc loco manifestè hallucinatum, ac Apostoli verba contra ejusdem mentem in textu traduxisse, & in Annot. explicuisse, nullo pacto præteribo. Siquidem verba hæc Apostolica duobus modis exponuntur, qui in eundem sensum recidunt. Ac primum quidem ut illud *illorum Judæos* significet, ut intelligamus εἰς τὸ παραζηλῶσαι αὐτοὺς i. *ipsi*, scilicet Judæi, *æmulentur*, h. e. zelum capiant & æmulatione gentium permoti ad Christum convertantur. Sic enim Origenes hunc locum exponit, sic dicens, *Dico ergò, Numquid sic offenderunt ut caderent? Absit. Sed illorum delicto salus est gentibus.*] *Et quomodo ex illorum delicto salus gentibus detur ostendit: h. e. ut conversionem gentium videntes & testamentum Dei quod ipsi priùs acceperant illis traditum, & Legem ac Prophetas apud eos majore & digniore haberi observantiâ, zelum capiant etiam ipsi in novissimis saltem temporibus: & sicut nunc illorum lapsus salutem gentibus dedit; ità gentium fides & conversatio Israeli æmulationem conversionis conferat & salutis.* Atque ità hæc intellexit Ambrosius: sic enim super hoc loco ait, *Hoc est quod dixit, quia propter peccatum illorum gentibus salus data est. Quia enim donum Dei recusaverunt Judæi, translatum est hoc ad gentes, ut æmulatione zeli accensi Judæi converterentur ad Christum zelantes promissiones Patrum.* Athanasius ità hæc exponit ut illud ἀυτὸς ad *gentes* referatur, & in verbo παραζηλῶσαι subaudiantur *Judæi*: sic enim ait, *Duo quadam hîc nititur Paulus, ut & Judæos soletur, & gentium tumorem & insolentiam frænet. Inquitque Judæorum ex lapsu & diffidentia nec Christo præstitâ fide salutem obvenisse gentibus. Erat sanè id consequens, & res ipsa identidem videbatur exposcere, ut horum salus gentium præveniret salutem. Sed quoniam minùs hi paruissent, vocatæ sunt gentes, quod multis in locis in Evangelio demonstratur. Salvati sunt quidem gentiles ut illos æmulentur*: i. *gentibus collati honores, cùm Judæos momorderint, vel harum æmulatione sese ad fidem conferant, persuadebunt.* Hæc Athanasius.

V. 22. Vetus tralatio, *Vide ergò bonitatem & severitatem Dei.* Paulus, ἴδε οὖν χρηστότητα καὶ ἀποτομίαν θεοῦ. Erasmus, *Ecce igitur bonitatem & severitatem Dei.*

In omnibus Græcorum libris hanc dictionem sic scriptam reperio ut quoties *ecce* significat, accentu in ultima scribatur ἴδὲ, sicut ἴδὲ, quoties verò *vide*, accentu in prima, ut hîc legitur ἴδε· ac sic legisse videtur Origenes in Homiliis super hoc loco sic inquiens, *Tu qui hæc dicis* vide bonitatem & severitatem Dei: *& cùm vides severitatem ejus erga fractos ramos, metuendum tibi est nè fortè & tu, dum superbis & insultas lapsis, severitatem Dei, quæ peccatores perurget, incurras ipse peccando.* Athanasium quoque ἴδε i. *vide*, legisse hîc apparet, cùm hæc edisserens dixit, *Non enim quod rectè egeris adverte*, inquit, *sed Dei bonitatem attende.* Textus Ambrosianus, i. tralatio illa antiqua quam D. Ambrosius sequitur, *vide* hîc etiam habet, non *ecce*, ut satis quidem imperitè Erasmus hoc loco traduxit.

Ex Cap. XII.

V. 6. Vetus tralatio, *Sed habentes donationes.* Paulus, ἔχοντες δὲ χαρίσματα. Erasmus, *Sed habentes dona.* Et in Annot. *Donationes* χαρίσματα] *Ut affectat copiam cùm nihil sit opus!*

Ut in Prologo nostri hujus operis diximus, manifestè patet, non ex charitatis affectu, neque ut S. Scripturarum studiosos suo labore juvaret, provinciam istam N. Testamenti de novo ex Græco transferendi, ac Annotationes in id ipsum scribendi, Erasmum susceptisse; sed gloriolæ potiùs, quæ sola

Animos mentémque perurit,

ut poeta Flaccus ait, immodicâ cupiditate; ac ut Veterem Ecclesiæ tralationem ejusdémque autorem captatâ occasione liberè posset reprehendere, útque ex utriusque suggillatione suum nomen spargere in vulgus posset. Quod vel ex hoc perspicere lector poterit, quòd minima quæque in V. Interprete ὃν λόγῳ τε καὶ πρᾶξει, ut Pindari

verba

verba usurpem, passim insectatur, velut hoc in loco cùm dixit Interpretem *copiam* hîc *affectasse cùm nihil sit opus*, quòd pro χαρίσματα, i. *dona, donationes* videlicet transtulerit; quasi non liberum fuisset Interpreti Græcam dictionem, si pluribus modis Latinè reddi poterat, hoc aut illo modo sine calumnia exprimere, præsertim cùm idem esset sensus. Sic infrà cap. 15. super illo *in honorem Dei*, quòd Græcè legitur εἰς δόξαν Θεοῦ, *in gloriam Dei* ipse transtulit, & in Annot. subjunxit, *Interpres lascivit affectatione copiæ:* quasi δόξα non ut *gloriam* sic & *honorem* significet. Unde & Hesychius in Lexico Δόξα, inquit, φήμη, τιμή. i. Δόξα, *fama, honor*. Moschopulus præterea De nominibus Atticis Δοξάζω τὸ τιμῶ, καὶ ὑπολαμβάνω· καὶ Δόξα ἡ τιμὴ, καὶ ἡ ὑπόληψις. i. Δοξάζω *honoro, & existimo:* & Δόξα *honor & existimatio.*

Ex Cap. XV.

V. 24. Vetus tralatio, *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quòd prateriens videam vos, & à vobis deducar illuc.* Erasmus in Annotat. *Caterùm Græci frandant Hispaniam primâ regionis syllabâ, quam illi solent hujusmodi dictionibus addere, dicentes* espero *pro* spero & especto *pro* specto.

Ad eundem modum Matth. 11. 10. de Juda Iscariote in Annot. pertractans, *Nec est*, inquit, Schariotes, *quemadmodum habetur in nostris codicibus sed* Iscariotes. *Nam idem facimus Latini cognomento Judæ quod Græci faciunt* Hispaniæ, Σπανίαν *pronunciantes, cùm teste Plinio terra sit insigni fertilitate.* Quibus ex verbis facilè apparet quàm diligens Erasmus fuerit in Græcis autoribus super *Hispaniæ* nomine consulendis. Nam ut omittam in libris Apostolicis, si tamen illi à peritis librariis conscripti sunt, Ἰσπανίαν hoc loco in prima legi, non Σπανίαν, ut Erasmi Græcus codex ex impressione habet: certè 1 Macch. 8. ubi dicitur Judam Macchabæum audisse quanta Romani fecissent in regione Hispaniæ, Ἰσπανία in Græco legitur, non Σπανία, ut iste ait à Græcis dici. Quin & omnes Græci scriptores, quoties Hispaniæ mentio incidit, Ἰσπανίαν illam vocant non Σπανίαν· quod si non aliunde, vel ex Suidæ collectaneis Erasmus percipere potuisset, apud quem sic legitur, Ἰσπανία χώρα, ἣν καὶ Ἰβηρία καὶ Ἑσπερία καλοῦσι. In quo & illud adnotatione dignum est, primam hujus dictionis syllabam à Græcis non aspirari: unde & in antiquis Latinorum libris *Ispaniam* sine aspiratione legimus. Nam quòd obiter Hispanos taxat imperitiæ cùm *espero* pro *spero* & *especto* pro *specto* scribere illos dicat, haud mirum videri debet si erga Hispanos, viros ingeniosissimos, utpote à Græcis & Romanis originem ducentes, invidiâ laboret homo Batavus. Et cùm paupertatem ac ignaviam desidiámve objicere nobis nequaquam possit, quippe qui & uberrimam omniúmque rerum ad vitæ usum pertinentium affluentissimam, ac proinde felicissimam, regionem incolimus, armísque ac potentiâ universos propè excellimus mortales, id quod toto orbi jampridem est notissimum: literarum nobis ignorantiam ex professo imputet. Quanquam & hac in re quàm ille sit deceptus, atque à veritate prorsus aberraverit, ex eo maximè apparet quòd literarum studia si unquam alibi certè in Hispania olim floruisse constat; atque eandem non solùm Imperatores Romanis aliquando dedisse, sed etiam literarum præceptores. Nostris verò temporibus quantum literæ apud nostrates sint in pretio, argumento sunt multæ ac clarissimi nominis Academiæ sumptuosissimæ illæ quidem, per totam Hispaniam exædificatæ, ac magnis ex publico ditatæ vectigalibus, quas Scholasticorum ingens copia frequentissimas ac ornatissimas reddit. Cúmque ex universis disciplinarum generibus, quas viri eminentissimi publicè in eisdem profitentur, quæ cuique fert animus ediscant singuli humanitatis quidem studia non solùm nemo negligit, sed his imprimis omnes edoceri diligenter curant. Quippe qui non ignorent eloquentiam cum sapientia conjunctam magno semper mortalibus fuisse non tantùm ornamento sed etiam adjumento. Quanquam verò superiore ætate res literaria apud Hispanos neglecta aliquandiu fuerit, ut quos in asserenda patriâ & armis ab atrocissimis Christianæ fidei hostibus Saracenis vendicanda elaborare potiùs opus esset quàm in literis perdiscendis, ab annis tamen circiter quinquaginta Ælio Antonio Nebrissensi grammatico celeberrimo autore atque doctore barbaries omnis Hispanis excessit finibus. Hic enim Bononiensem Academiam jnvenis adiens, ac decennio humanitatis studiis ibidem impenso literariis indè locupletatus mercibus in patriam rediens Hispanos Latinè loqui primus docuit, arte illâ Grammaticâ & Latinarum dictionum Lexico copiosissimo compositis; quæ opera non ab universa Hispania solùm, sed à toto ferè orbe magno consensu recepta sunt. Ex hujus itaque schola tanquam ex equo Trojano innumeri prodiere discipuli, viri quidem peritissimi, & doctorem ipsum apprimè referentes, qui per omnem Hispaniam longè latéque dispersi magistri doctrinam ampliarunt, quorum labore Hispani Latinam quidem linguam examussim didicere. Neque Græcas prætermisere literas, quas Arius Lusitanus præceptor meus, Angeli Politiani quondam auditor, in Hispaniam ab annis hinc triginta ex Italia quoque primus attulit. Horum igitur operâ, i. Antonii Nebrissensis & Arii Lusitani, Græcè & Latinè nostrates jam perdocti, eò eruditionis devenere ut vel cum Italis ipsis, qui arcem omnium bonarum artium sicut & virtutis possident, de re literaria contendere haud dubiè possint, redum cum provincialibus reliquis, apud quos vix unus aut alter hodie reperitur qui bonarum literarum studio teneatur. Non ero autem onerosus in Hispanis enumerandis qui hâc tempestate & Græcè & Latinè sunt eruditissimi, nè Erasmum imitari videar, qui quodam in loco suarum Annotationum vel Helvetios nescio quos hoc nomine miris extollit laudibus. Unum tamen nequaquam prætermittam, qui Hispaniam nostram vel solus eruditione suâ illustrare potest, Ferdinandum videlicet Pincianum D. Jacobi auratum equitem, qui Græcas literas in hac præclarissima Complutensi Academia, ubi hæc prodebamus, ampliſſimo conductus salario summa cum laude & magna auditorum copia nunc profitetur. Hic utriusque linguæ peritiam adeò ex æquo callet, ut nescias Athensíne fuerit & in Græcia natus, an Romæ & in ipso Latio. Adjuvat autem viri ingenium verè Hispanicum perpulcra librorum supellex, sed Græcorum maximè, tum formis excusorum tum verò manu scriptorum & antiquissimorum, quos non parvâ pecuniâ paratos ex Italia ubi Græcè didicit, in patriam retulit. Arabicarum quoque literarum peritiâ tantâ pollet, ut non intelligendi solùm ac judicandi, quod in ea lingua sole esse perquam operosum, eruditionem adeptus fuerit, verùm etiam & illas non secùs ac Græcas & Latinas publicè profiteri possit. Quæ cùm ità sint, non est cur Hispanis tanquam indoctis ac planè barbaris Erasmus insultet; ac quòd negotiatoris alicujus Hispani, ex his qui pecuniæ augendæ causâ Arctoas illas incolunt regiones, manu scriptum fortasse viderit *espero* pro *spero* & *especto* pro *specto*, reliquos ex illius ingenio judicet, ac ineruditos omnes existimet, apud quos frequentior visitur jam Homerus, Aristophanes ac Demosthenes, Herodotus quoque ac Thucydides, tota denique Græcorum autorum classis, quàm hactenus Latinorum vel tritissimi codices videbantur.

EX EPISTOLA PRIMA AD CORINTHIOS.

Ex Cap. I.

V. 11. VETUS tralatio, *Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab his qui sunt Chloe.* Paulus, ἐδηλώθη γάρ μοι περὶ ὑμῶν, ἀδελφοί μου, ὑπὸ τῶν Χλόης. Erasmus, *Significatum est enim mihi de vobis, fratres mei, à familiaribus Chloæ.*

Videtur

Videtur hîc Eraſmus accepiſſe *Chloen* pro nomine alicujus feminæ. Et in Annotat Vulgarii & Thomæ Aquinatis ſuper hoc ſententias adducit; quorum alter *Chloen* familiæ Corinthienſis nomen eſſe putat, alter verò vici nomen aut matronæ. Sciendum igitur Athanaſium ſic de hoc in Commentariis hujus epiſtolæ præſentem locum explicantem diſſeruiſſe, *Nè illi quæ objiciuntur negarent, teſtes producit; idque nè commentitium videatur, ut quos ipſe fuiſſet commentus, nomine explicat*, & qui Chloes ſunt, *inquit. Erat autem Chloes Corinthi domus & familia quædam ſic appellata: nec deſinit* fratres *hos appellare, quorum etſi perſpicua eſſent illorum commiſſa, haud tamen eos fraterno nomine dedignatur; nec illorum exprimit nomina qui ſibi Corinthiorum facta renunciaſſent, ſed domum integram & familiam poſuit, nè teſtes productos infenſos Corinthiis redderet.* Ambroſius ſuper hoc loco, *Quod autem dicit* ab his qui ſunt Chloes, *aliquibus videntur homines eſſe manentes & fructificantes in fide Chriſti. Aliquibus videtur locus eſſe, ut putà ſi dicatur* ab his qui ſunt Antiochiæ. *Aliquibus autem videtur feminam fuiſſe Deo devotam, cum qua multi fuiſſent colentes Deum, quibus fides non negaretur, ut quod deferrent de Corinthiis verum eſſet.* Hæc Ambroſius. Apud Coſmographum quendam reperi Chloen civitatem eſſe Ponti Galatici in Cappadocia. Potuerunt igitur aliqui ex Chloe civitate Corinthum tranſmigraſſe, & priſtinæ civitatis cognomen retinuiſſe, atque indè familiam illam Corinthiacam, de qua refert Athanaſius, originem habuiſſe. Vel aliter, Negotiatores fortè ex Chloe civitate, qui Corinthi fuerant, in patriam redeuntes & illac tranſeuntes ubi erat Paulus, i. Epheſo, unde hanc epiſtolam ſcripſit, contentiones inter Corinthios eſſe illi retulerunt.

Ex Cap. IV.

V. 3. Vetus tralatio, *Mihi autem pro minimo eſt ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Eraſmus in Annot. *Hunc locum alicubi citat Hieronymus ut oſtendat Paulum non admodum elegantem fuiſſe in lingua Græca, ſed quædam Cilicum more dixiſſe; nam Cilix erat.*

Mirum eſt quàm præpoſtero ſit ingenio Eraſmus iſte Roterodamus: nihil enim eorum quæ apud D. Hieronymum & alios Eccleſiæ Doctores legit prorſus intelligit velut ex hoc loco manifeſtè apparet. Nam cùm Hieronymus in epiſt. ad Algaſiam De undecim quæſtionibus quæſt. 10. illud ex Apoſtolo ad Coloſſenſes ediſſerens ubi dicitur, *Nemo vos ſuperet volens in humilitate mentis & religione angelorum*, &c. illud *nemo vos ſuperet*, quod Græcè dicitur μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω, aſſerat Paulum Græcè dixiſſe more Cilicum, quibus is dicendi modus erat peculiaris, ſicut & alia quædam quæ ſtatim illic annumerat, i. hoc de quo nunc agitur *ab humano die*, h. e. ἀπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας, & *humanum dico*, h. e. ἀνθρώπινον λέγω, & *à non gravavi vos*: illud *ab humano die* eo in loco Hieronymum ipſe ait arcuiſſe *ut oſtenderet Paulum non admodum elegantem fuiſſe in Græca lingua, ſed quædam Cilicum more dixiſſe, utpote qui Cilix erat.* Sic infrà 2 Cor. 11. ſuper illo, *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ*, idem in Annotat. *Hieronymus*, inquit, *hac in re varius eſt, compluribus locis clamans Paulum Græci ſermonis ignarum fuiſſe, quòd aliquoties ſuis quibuſdam utatur vocibus Ciliciæ vernaculis.* Quaſi Cilices in Græca lingua non fuiſſent admodum eruditi, apud quos tum alii variarum rerum ſcriptores olim floruere, tum verò imprimis Aratus ille Solenſis qui De aſtris carmine conſcripſit, ac multis deinde temporibus Oppianus poeta celeberrimus, qui Ἁλιευτικὰ, Κυνηγετικὰ, & Ἰξευτικὰ ad M. Antoninum Cæſarem conſcripſit, cujus carmina uſque adeò ab eodem Cæſare probata ſunt ut pro ſingulis ſingulos illi aureos numos rependi juſſerit, quorum ſumma duas æquavit myriadas, ut autor eſt Sudas, i. viginti aureorum millia. Meminit etiam & Oppiani Cilicis poetæ doctiſſimi D. Hieronymus in Comment. ſuper Ezech. cap. 47. Denique Strabo lib. 14. de Tarſo agens Ciliciæ civitate in qua natus eſt Paulus, *Tantum*, inquit, *Tarſenſibus ſtudium circa philoſophiam fuit & alias diſciplinas quæ in corona verſantur, ut Athenas & Alexandriam ſuperarent, & ſiquis alius locus dici poteſt in quo ſchola & philoſophiæ exercitationes fuerint. Sed hoc uno plurimùm excellit quòd hîc indigenæ diſcunt, peregrini verò non multi huc adveniunt. At nec illi ipſi hîc manent, ſed foris perficiuntur, & perfecti libenter peregrinantur, detinentur autem perpauci*, &c. Cùm igitur Hieronymus in præfatione ſolutionis ſive explicationis quæſtionis illius decimæ quæ ſibi ab Algaſia inter alias eſt propoſita, illud afferens quod Apoſtolus de ſemetipſo dixit, *Etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientiâ, nequaquam illud de humilitate Apoſtolum dixiſſe* ſubjunxit, *ſed de conſcientiæ veritate*, non propterea voluit ſignificare *Paulum*, ut pote Cilicem, *non admodum elegantem fuiſſe in lingua Græca*, ut Eraſmus perperàm intellexit: ſed quòd cùm Hebræus eſſet, & ex Hebræis, atque in vernacula lingua, h. e. Hebraica, diſertiſſimus, & in lege Dei peritiſſimus, utpote ad pedes Gamalielis eruditus, alienâ linguâ & aſcititiâ, i. Græcâ, quam in Tharſo Ciliciæ ab ineunte ætate didicerat, profundos illos ſuos ac reconditos ſenſus explicare omnino non poterat. Et cùm ipſe ſentiret quid loqueretur, in alienas aures puro non poterat transferre ſermone, velut eo loco qui Hieronymo explicandus propoſitus eſt; qui obſcurus omnino eſt, & adeò implicitus ut vix poſſit intelligi. Hæc eſt Hieronymi intentio illo in loco, non quam Eraſmus ſtupidè ſimul ac imperitè in Annotat. retulit.

Ex Cap. VI.

V. 20. Vetus tralatio, *Empti enim eſtis pretio magno.* Eraſmus in Annotat. Magno *à noſtris additum eſt:* ἠγορασθητε γὰρ τιμῆς, *i.* Empti enim eſtis pretio. *Nam hoc tantùm hîc agit, eos non eſſe ſui juris cùm ſint empti, & empti pretio: nimirum jam illius à quo empti ſunt. Cæterùm de magnitudine pretii adjectum apparet ex epiſtola D. Petri,* Non in corruptibilibus, auro vel argento.

Hoc loco *magno* non à noſtris additum eſſe (quis enim Apoſtolicis verbis addere aut detrahere aliquid auſus eſſet, ut Eraſmus ſuſpicatur?) ex eo manifeſtè patet quòd Athanaſius *magno* hîc legit, atque hunc explicans locum ſic ait, *Eſtis enim*, inquit, *ſub domino conſtituti, nec quicquam habetis quod veſtri ſit juris, nec corpus ipſum, quippe qui pretio empti magno ſitis: h. e. Chriſti ſanguine.* Ambroſius item *magno* legit, & ſubdit, *Manifeſtum eſt quia qui emptus eſt non eſt ſui arbitrii, ſed ejus à quo emptus eſt, ut non ſuam ſed illius faciat voluntatem. Et quia caro pretio empti ſumus, propenſiùs Domino noſtro ſervire debemus, nè offenſus à qua nos redemit morti nos reddat. Quod enim cariſſimo pretio nos emit, ut ſanguinem ſuum daret pro nobis*, clarificate & portate Deum in corpore veſtro, &c. Igitur de magnitudine pretii non apparet adjectum ex epiſtola D. Petri, *Non in corruptibilibus, auro vel argento*, ut Eraſmus exiſtimavit, licèt ille locus iſtum exponat.

Ex Cap. VII.

V. 1. Vetus tralatio, *Bonum eſt homini mulierem non tangere.* Paulus, καλὸν ἀνθρώπῳ γυναικὸς μὴ ἅπτεσθαι. Eraſmus, *Bonum eſt homini uxorem non attingere.*

Non hîc Apoſtolum intellexiſſe de uxore, i. noluiſſe per hæc verba ſignificare bonum eſſe homini uxorem tantùm non ducere, ſed mulierem qualemcunque non cognoſcere, tum ipſe modus loquendi indicat, tum verò id quod ſtatim ſequitur, *Propter fornicationem autem unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquæque ſuum virum habeat.* Neque ignoramus dictionem γυνὴ ambiguam in Græco eſſe, ut quæ & *mulierem* & *uxorem* ſonet; ſed tamen hoc loco rectè in hunc ſenſum à V. Interprete converſa eſt. Quod ex Divo Ambroſio manifeſtè apparet, qui

ſic

sic legit ut V. Interpres transtulit, inò clariùs interpretatio illa antiqua quâ ille utitur hoc explicat, in qua habetur, *Bonum est homini mulierem non contingere.* Quod & ipse edisserens sic ait, *Pravis sensibus pseudoapostolorum exagitati, qui nuptias per hypocrisim, ut puriores cæteris viderentur, spernendas docebant, hæc per epistolam ab Apostolo requirebant. Quia enim non oblectabantur hâc sententiâ, prætermissis cæteris hoc solùm requirunt. Quibus tamen respondet* bonum esse *quidem* mulierem non contingere, *quanquam non illi istud simpliciter asserant, tamen* propter fornicationem, *h.e. nè quid contra legem admittatur, cùm quando quod lex non prohibet vitatur,* unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat. Vides Ambrosium de quacunque muliere hoc intellexisse, non tantùm de uxore, cùm dixit, *Quibus tamen respondit,* bonum esse quidem mulierem non contingere, *quanquam non illi istud simpliciter asserant,* i. quanquam illi pseudoapostoli non simpliciter assererent *bonum esse mulierem non contingere,* i. cum quacunque soluta muliere rem non habere, h.e. virginem aut continentem esse; sed nuptias tantùm spernendas docerent, ut quas impedimento ad Divinam philosophiam esse dicerent. Athanasius quoque sic hunc explicuit locum; *Bonum est,* inquit, *& egregium mortali cuique, non sacerdoti duntaxat, ut sentiunt multi, nil prorsus mulierem contingere; sed vitam cœlibem ducere, & castam servare: quod tamen fieri si nequeat, matrimonium imbecillitati nostræ subveniet.* D.Hieronymus lib. 1 Adv. Jovinianum cap. 4. adhuc arctiùs hunc locum intellexit; siquidem hoc quod Apostolus dicit ἅπτεσθαι, i. *tangere,* sive *contingere,* ad simplicem contactum ille retulit, velut in ipso contactu periculum quoque sit non solùm in coitu. Verba autem Hieronymi hæc sunt, *Simúlque animadvertenda est Apostoli prudentia, Non dixit,* Bonum est uxorem non habere, *sed* Bonum est mulierem non tangere, *quasi in tactu periculum sit, quasi qui illam tetigerit non evadat; quæ virorum pretiosas animas capit; quæ facit adolescentium evolare corda.* Alligabit quis in sinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit super carbones ignis & non ardebit? *Quomodo igitur qui ignem tetigerit statim aduritur, ità viri tactus & femina sentit naturam suam, & diversitatem intelligit. Narrant & gentilium fabulæ Mitram & Erichthonium vel in lapide vel in terra de solo æstu libidinis esse generatos: unde & noster Joseph, quia tangere nolebat illam Ægyptiam, fugit ex manibus ejus, & quasi ad morsum rabidissimæ canis, nè paulisper virus serperet, pallium quod tetigerat abjecit.* Hactenus Hieronymus. Patet igitur ex supradictis rectè interpretem Ecclesiasticum traduxisse cùm dixit *mulierem non tangere.* Nam si de uxore tantùm hoc loco Apostolus intellexisset, dixisset fortasse καλὸν ἀνθρώπῳ τὸ γάμου μὴ ἅπτεσθαι, i. *Bonum est homini nuptias non attingere.*

V.18. Vetus tralatio, *Circumcisus aliquis vocatus est? non adducat præputium.* Paulus, περιτετμημένός τις ἐκλήθη; μὴ ἐπισπάσθω. Erasmus, *Circumcisus aliquis vocatus est? nè accersat præputium.* Et in Annot. Μὴ ἐπισπάσθω, i. non asciscat, *ut subaudias* præputium.

Videtur per hanc Erasmi duplicem traductionem circumcisum non debere sibi aliunde præputium parare quò ignominiam illam resarciat: id enim significare videntur verba *accersat* & *asciscat* ab Erasmo hîc posita. Cæterùm alius est Apostolicus sensus. *Circumcisus,* inquit, *aliquis vocatus est? non attrahat præputium,* i. non adducat: id enim significat verbum ἐπισπάσθω hîc ab Apostolo positum, quod quidem passivum est, sicut quod statim sequitur, περιτετμήσθω· non ergò significat *accersat* sive *asciscat,* scilicet *præputium*; sed hæc est ad verbum hujus literæ interpretatio, *Circumcisus aliquis vocatus est? non attrahatur,* i. non attrahat sibi præputium: quod eleganter V. Interpres expressit cùm dixit, *nè adducat præputium.* Unde Athanasius præsentem explicans locum sic ait, *Fieri poterat ut multi quos defectæ pelliculæ puduisset medicamento apposito & hanc niterentur iteratò sarcire, & obscœnum illud conscissum in pristinum statum redigere.* Hæc ille. Quo autem pacto hoc fieri possit docet Cornelius Celsus lib.7. Ac ex hoc loco intelligi quidem potest quid illud significet quod 1 Macch.1. legitur, ubi dicitur, *Et ædificaverunt gymnasium in Hierosolymis secundùm leges nationum, & fecerunt sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto,* &c. Nam cùm se nudare deberent ad palæstram pugilum more, & de circumcisione eorum gentilitus erubescerent, præputia medicamentis adhibitis sibi faciebant.

Ex Cap. IX.

V. 12. Vetus tralatio, *Si alii potestatis vestræ participes sunt, quare non potiùs nos?* Erasmus in Annot. *Potestatis vestræ* ἐξουσίας] *Ut intelligas non quamlibet potestatem, sed facultatem metendi, & circumducendi uxores, quam illi cæteris Apostolis permittebant.*

Aliter Doctores ecclesiastici hunc locum exponunt: non enim de Apostolis sed de pseudoapostolis à Paulo hæc dicta esse intellexerunt. Unde Athanasius præsentem explicans locum sic ait, *Adulterinos quosdam designat hoc loco Paulus instructores, qui impudenter & imperiosè ab his dona præsentia exigebant, & ideo non illud expressit quod* alii vestra bona accipiunt, *sed* si potestatis vestræ participant *dixit,* i. *si vobis dominantur & imperant, & ut obsequentissimis servis utuntur, nónne longè magis & nos, qui veri sumus Apostoli, sumere à vobis vitæ necessaria deberemus?* Ad eundem modum & ista Ambrosius edisserit, sic dicens, *Si enim hi qui per euangelium patres vestri non sunt, nec eundem affectum habent erga vos, facultatem habent accipiendi, quantò magis nos? & subauditur* vestri Apostoli, *quia Barnabas Apostolus erat.* Ex eo verò quòd de Apostolorum uxoribus Erasmus hîc fecit mentionem, apertè colligitur illud quod paulò antè Apostolus dixit, *Numquid non habemus potestatem sororem mulierculam circumducendi, sicut & cæteri Apostoli & fratres Domini & Cephas?* de uxoribus unà cum Valla illum intellexisse. Cæterùm nimiùm uterque deceptus est; siquidem sancti Ecclesiæ Doctores non de uxoribus Apostolorum illa interpretantur, sed de illis mulieribus quæ doctrinæ gratiâ Apostolos sequebantur, atq; eisdem de propriis ministrabant facultatibus. Unde Athanasius illum explicans locum sic ait, *Fœminæ utique locupletiores sequebantur Apostolos, illíque & necessaria subministrabant, & vacuos quibusvis curis reddebant, ut prædicationi duntaxat intenderent vires.* Hieronymus præterea in Explan. super Matthæum cap. 27. super illo, *Erant autem ibi mulieres multæ à longè, quæ secutæ fuerant Jesum à Galilæa, ministrantes ei,* sic ait, *Consuetudinis Judaica fuit; nec ducebatur in culpam, more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atq; vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjecisse se memorat. Dicit enim ipse,* Numquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut & cæteri Apostoli faciunt?

Ex Cap. X.

V.4. Vetus tralatio, *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra: Petra autem erat Christus.* Paulus, ἔπινον γὰρ ἐκ πνευματικῆς ἀκολουθούσης πέτρας· ἡ δὲ πέτρα ἦν Χριστός. Erasmus, *Bibebant enim de spiritali quæ illos comitabatur petra: petra verò fuit Christus.* Et in Annot. *Consequente eos* ἀκολουθούσης] *i.* Sequente, *sive* prosequente. Eos *verò addidit Interpres:* sequente *autem dixit tanquam itinere perpetuâ comite: id enim sonat* ἀκολουθῶν *magis quàm* ἑπτεσθαι.

Palàm est petram illam de qua per virgæ percussionem Moyses aquam eduxit populo Israelitico, ut habetur Num.20. non comitatam esse Judæos per desertum agentes iter, neque illorum fuisse *perpetuam comitem,* ut Erasmus ait. Quippe cùm rupes illa esset, & in deserto Sin constituta, quomodo Judæos comitari poterat? Literalis igitur sensus horum verborum hic est, *Bibebant autem de petra illos consequente,* i. desidentis eorum

eorum obsequente, h.e. potum illis subministrante, quamdiu scilicet manserunt in deserto Sin, ubi petra illa erat. Non enim semper illa aqua Judæos est comitata: siquidem, ut Sacra refert Scriptura, *indè profecti*, i. de Cades, *venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom*, ubi Aaron mortuus est. *Profecti sunt autem de monte Hor per viam quæ ducit ad Mare rubrum, ut circuirent terram Edom. Et tœdere cœpit populum itineris ac laboris; locutúsque contra Dominum & Moysen ait, Cur eduxisti nos de Ægypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, non sunt aquæ: anima nostra jam nauseat super cibo isto leniss.* Vides jam deveniſſe illos in locum ubi nullæ erant aquæ. Mysticè autem petra illa Christum figurabat, ut Apostolus ait. Unde Athanasius præsentem edisserens locum sic ait, *De esca quidem cùm meminisset nullâ præterea indiguit assertione, quæ per se satis pateret, nec quicquam esset à sui natura immutata. In potu verò, quia ejus duntaxat subministrandi modus immutaretur, assertionibus utitur, dicens, nequaquam lapidis ipsius naturam potum hunc præstitisse, qui etsi aliàs scaturisset, spiritalitatem tamen alius lapis id omne operabatur, i. Christus. Consequenti* autem ideo dixit ut ostenderet Christum eundem hunc illis ubique affuisse, & miracula hujusmodi fecisse omnia.

Ex Cap. XII.

V. 28. Vetus tralatio, *Interpretationes sermonum*. Erasmus in Annot. *Non legitur apud Græcos hoc loco totum hoc: idem enim videtur cum illo, γένη γλωσσῶν, i.* genera linguarum, *quod modò recensuit. Opinor* interpretationes sermonum *adjectum ab Interprete quopiam, aut, ut isti loquuntur, Postillatore, quod postea traductum sit in contextum sermonis; præsertim cùm nè mentio quidem hujus particulæ apud ullum Græcum interpretem reperiatur*, &c.

Hoc loco in veteribus Græcorum exemplaribus unde Interpres noster traduxit *interpretationes* fuisse *sermonum* ex eo quidem apparet quòd statim cùm Apostolus hæc repetit infert, *Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur?* pro quo Græcè dicitur, μὴ πάντες γλώσσαις λαλοῦσι; μὴ πάντες διερμηνεύουσι; Nam cùm suprà dixisset, *Alii genera linguarum, Alii interpretatio sermonum*, & hoc ipsum, i. *sermonum interpretatio*, sive *linguarum*, ut in Græco habetur, excellentius donum sit, ut ait Athanasius, quàm simplex variis linguis loquendi donum, cur istud hoc loco Apostolus omisisset? Quid quòd & Ambrosius sic legit ut Vetus habet tralatio, i. *interpretationes sermonum*, & subdit, *Ut hoc alicui gratia Dei impertiat ut linguarum interpretandarum habeat peritiam.* Non enim duo hæc, i. *genera linguarum, interpretationes sermonum*, quasi inter se cognata unius loco Ambrosius accepit, ut Erasmus somniavit; sed divisim ac separatim ea posuit & explicuit, sicut & sequentia, i. *Numquid omnes linguis loquuntur? Numquid omnes interpretantur?*

Ex Cap. XIV.

V. 21. Vetus tralatio, *In Lege enim scriptum est, Quoniam in aliis linguis & in aliis labiis loquar populo huic; & nec sic exaudient me, dicit Dominus.* Erasmus in Annot. *Locus quem adducit est apud Esaiam cap. 22.* In loquela enim labii & in lingua altera loquetur ad populum istum: *sic enim Hieronymus reddidit Hebraica*, &c.

Non apud Esaiam cap. 22. hic locus est, ut Erasmus deliravit, sed cap. 28. Quod nequaquam adnotassem, facilis quippe est memoriæ lapsus, nisi errata hujuscemodi in aliis acriore censurâ & ipse adnotasset. Illa verò, *& nec sic exaudient me, dicit Dominus*, non de suo Paulus adjecit ut impleret prophetiæ formam, ut Erasmus satis imperitè ac indiligenter retulit, neque aliunde sumptum est hoc testimonium, sed apud eundem Esaiam pauciis interpositis statim illa verba habentur, ubi dicitur, *& noluerunt audire.* Sic enim apud Esaiam legitur, *In loquela enim labii & lingua altera loquetur ad populum istum. Cui dixit, Hæc est requies mea, resicite lassum; & hoc est meum refrigerium: & noluerunt audire.* Unde Hieronymus præsentem Esaiæ locum edisserens sic ait, *Legimus in Apostolo*, In aliis linguis & in aliis labiis loquar populo huic; & nec sic exaudient me, dicit Dominus. *Quod mihi videtur juxta Hebraicum de præsenti sumptum capitulo. Et hoc in Veteri observavimus Testamento, absque paucis testimoniis quibus Lucas solus abutitur, qui magis Græca lingua habuit scientiam, ubicunque de V. Instrumento quid dicitur, non eos juxta Lxx, sed juxta Hebraicam ponere, nullius sequentes interpretationem, sed sensum Hebraicam suo sermone vertentes.*

Ex Cap. XVI.

V. 8. Vetus tralatio, *Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecosten.* Paulus, ἐπιμενῶ δὲ ἐν Ἐφέσῳ ἕως τῆς πεντηκοστῆς. Erasmus, *Commoror autem Ephesi usque ad diem quinquagesimum.* Et in Annot. Ἕως τῆς πεντηκοστῆς, i. usque ad quinquagesimum, *ut subaudias* diem. *Neque enim de festo loquitur.*

Erravit primùm Erasmus Roterodamus cùm pro eo quod Græcè legitur ἐπιμενῶ, i. *permanebo* de futuro, *commoror* ille de præsenti transtulit. Deinde cùm non de festo hîc locutum fuisse Apostolum Paulum existimavit; sed hoc sensisse, permansurum se videlicet Ephesi dies quinquaginta. Cæterùm de festo hîc Apostolum intellexisse ex Act. 20. manifestissimè patet, ubi dicitur, *Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem pentecosten faceret Hierosolymis*: ex illo enim loco hic debet intelligi. Nam cùm Epistola hæc ex Epheso ab Apostolo fuerit Corinthiis missa, id quod Græcum argumentum eidem appositum ostendit, cùm dicitur, ταύτην ἐπεστάλκει ἀπὸ Ἐφέσου τῆς Ἀσίας, i. *hanc mittit ab Epheso Asiæ*; ac deinde relictâ Epheso ob tumultum illic à Demetrio illo argentario concitatum in Macedoniam proficisceretur, ac ex Macedonia in Græciam; atque iterum ob Judæorum insidias vitandas ex Græcia reverteretur in Macedoniam; tandem ex Philippis, Macedoniæ maritimâ civitate, post dies Azymorum solvens, Troadem, quæ in ora est minoris Phrygiæ, adnavigavit, & ex Troade, ubi moratus est diebus septem, terrestri itinere in Asson devenit, & ex Asso iterum conscendens navim venit Mitilenem, & alterâ die contra Chium, & die insequenti applicuit Samum, ac postridio devenit Miletum. Ait deinde Lucas, *Proposuerat enim Paulus transnavigare Ephesum, nequa mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem pentecosten faceret Hierosolymis. A Mileto autem mittens Ephesum vocavit majores natu Ecclesiæ*, &c. Quòd autem Ephesi non mansit Paulus usque ad Pentecosten, ut Corinthiis scripserat, turba quidem illa fuit in causa à Demetrio argentario concitata, qua ex re necesse illi fuit ante tempus quod destinaverat Epheso excedere, ac deinde quod priùs in spiritu proposuerat, transitâ videlicet Macedoniâ & Achaiâ ire Hierosolymam, præstitâ sibi occasione effecisse. Diem itaque Pentecostes quem Ephesi agere decreverat, illum, inquam, diem Hierosolymis agere festinabat, quod & fecit, ut ex Apostolica historia apparet, diebus videlicet enumeratis qui fuerunt ex quo à Philippis, ubi dies egit Azymorum, discessit, quousque Hierosolymam devenit. Quæ omnia si Erasmus, ut par erat, diligenter attendisset, non utique dixisset de festo Pentecostes non Apostolum hoc loco intellexisse.

EX EPISTOLA SECUNDA AD CORINTHIOS.

Cap. I.

V. 6. Vetus tralatio, *Sive consolamur pro vestra consolatione; sive exhortamur pro vestra exhortatione & salute.* Paulus, εἴτε παρακαλούμεθα, ὑπὲρ τῆς ὑμῶν παρακλήσεως καὶ σωτηρίας. Eraſmus, *Sive consolationem accipitis pro noſtrî conſolatione ac ſalute.*

Cùm verbum παρακαλῶν *conſolari* ſignificet & *exhortari*, & παράκλησις *conſolationem* & *exhortationem*, utroque modo Apoſtolica hæc verba transferri in Latinum poſſunt, i. ut aut *conſolationem* ſonent aut *exhortationem*. Cæterùm hoc loco in Lat. edit. utroque modo verba ipſa Græca eſſe interpretata, quæ ſemel Apoſtolus poſuit, manifeſtè apparet: ídque non V. Interpretis culpâ accidiſſe conſtanter aſſero; ſed quòd ex margine, ubi iſtorum alterum annotatum ab aliquo fuerat explicandarum Græcarum dictionum causâ, ab imperitis ſcriptoribus in textum fuerit tranſpoſitum. Erravit autem Eraſmus cùm pro eo quod Græcè legitur παρακαλούμεθα, i. *conſolamur*, paſſivè, ſicut & paulò antè θλιβόμεθα, i. *tribulamur*, *conſolationem accipitis* traduxit, quaſi illud παρακαλούμεθα activè ab Apoſtolo dictum fuerit, qua ex cauſa pro *veſtra*, i. ὑμῶν, quod Græcè legitur, coactus fuit traducere *noſtrî*, i. ἡμῶν, alieniſſimo quidem ab Apoſtolo ſenſu. Nam cùm paulò antè dixiſſet, *Sive autem tribulamur pro veſtra exhortatione ac ſalute*, conſequens erat ut ad eundem modum ſequentia reſponderent, i. *ſive conſolamur pro veſtra conſolatione ac ſalute.* Apud Athanaſium bis lego explicata hæc verba, i. *ſive conſolamur*, &c. Legit enim ad hunc modum, *Sive conſolamur pro veſtra conſolatione; ſive exhortamur pro veſtra exhortatione, quæ operatur toleratiam earundem paſſionum quas & nos patimur, ut ſpes noſtra firma ſit pro vobis. Sive conſolamur pro veſtra conſolatione & ſalute, ſcientes*, &c. In utroque autem loco non *noſtrî* legit Athanaſius, i. ἡμῶν, ſed *veſtrî*, i. ὑμῶν. Quanquam in ultima ejus expoſitione *noſtrî* legebatur, quod errore librariorum accidit. Sic enim legi debet apud Athanaſium, *Cùm dixerit ſuperiùs*, ſive autem ipſi tribulamur, *nè grave aliquid dicere & moleſtum his videatur, ſic infert*, & veſtræ ſalutis gratiâ conſolamur, *h. e. noſtra conſolatio hæc in veſtri animi ſublevationem cedit. Nam ſi parumper & ipſi reſpirabimus, ſatìs arbitror ad vos conſolandos id valiturum, quippe qui mihi ſitis ejuſmodi conſolationis participes.* Tralatio illa antiqua quam D. Ambroſius ſequitur ſic habet, *Sive autem preſſuram patimur pro veſtra exhortatione & ſalute; ſive exhortationem conſequimur pro veſtra exhortatione, qua operatur per patientiam earundem paſſionum quas & nos ipſi patimur; & ſpes noſtra certa eſt pro vobis, quia ſcimus quòd ſi ſocii eſtis paſſionum, ſic & conſolationis eritis.*

V. 24. Vetus tralatio, *Non quia dominamur fidei veſtræ.* Paulus, οὐχ ὅτι κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως. Eraſmus, *Non quòd dominemur vobis nomine fidei.*

Non alio pacto verba Apoſtolica intelligi poſſunt niſi ut V. Interpres traduxit. Neque ut Eraſmus in Annot. refert more Græcorum ἕνεκα hîc poteſt ſubaudiri, ut dicamus, *Non quia dominamur veſtrî propter fidem.* Quippe talis loquendi modus rarò aut nunquam apud Apoſtolum invenitur. Neque Eraſmum movere debuiſſet articuli tranſpoſitio, cùm & aliàs eo pacto articulos tranſpoſitos in Apoſtolo legerit. Athanaſius quoque in eundem ſenſum hunc explicat locum in quem ab Interprete noſtro traductus eſt. Sic enim ait, *Quoniam quod dixerat dominantis præferret potentiam, & tanquam ejus vim explicaret qui in Corinthios haberet imperium, parcit enim qui poteſt pœnis afficere; mitigat ſermonis aſperitatem, inquitque, Dixi equidem veniam me vobis daturum, non eò quòd fidei veſtræ imperitarem (quippe quæ voluntaria eſt: Quis enim ad hanc invitum quempiam coget & nolentem?) ſed quia veſtram animi jocunditatem pro mea duxerim*, &c. Ambroſius præterea ſic legit ut V. Interpres tranſtulit, & ſubdit, *Cùm fides non neceſſitatis ſed voluntatis res eſt, ideo dicit*, non quòd dominemur fidei veſtræ, &c.

Ex Cap. II.

V. 3. Vetus tralatio, *Ut non cùm venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere.* Eraſmus in Annot. Super triſtitiam *ſupereſt*, μὴ λύπην ἐπὶ λύπην ἔχω· *verùm id aliunde huc tranſlatum eſt.*

Super triſtitiam non ſupereſt, neque id aliunde huc tranſlatum eſt, ut Eraſmus retulit: ſiquidem ſic olim habuiſſe vetera & emendata Græcorum exemplaria ut Vetus tralatio continet, tametſi apud Ambroſium non legatur, argumento eſt liber Apoſtolicarum epiſtolarum Græcus venerandæ vetuſtatis, qui ex inſula Rhodo in Hiſpaniam allatus, ac deinde Patri Reverendiſſimo Franciſco Ciſnerio Toletano Cardinali & Hiſpaniarum Primati dono datus, ejuſdem juſſu in publica hujus Complutenſis Academiæ bibliotheca repoſitus eſt; in quo hæc quidem ſic leguntur, ἵνα μὴ ἐλθὼν λύπην ἐπὶ λύπῃ σχῶ, ἐφ' οἷς δεῖ με χαίρειν, i. *Ut non cùm venero, triſtitiam ſuper triſtitiam habeam, de quibus oportuerat me gaudere.*

Ex Cap. IV.

V. 8. Vetus tralatio, *Aporiamur, ſed non deſtituimur.* Paulus, ἀπορούμενοι, ἀλλ' οὐκ ἐξαπορούμενοι. Eraſmus, *Laboramus, at non deſtituimur.*

Verbum *aporiare* non unicum habet ſignificatum: ſiquidem & *dubitare* ſonat & *indigere*. Atque in utrumque ſenſum hunc locum Athanaſius explicuit, ſic dicens, *Aporiamur, ſed non deſtituimur*] *h. e. Etſi in rem anceps & dubiam incidimus, nihilominus erecti pedibus ſtamus, nec ullâ deſperatione ſuccumbimus, ſed viâ potiùs evadimus regiâ, & in Deo compertâ victores ab eo nihil deſtituti. Vel aliter* aporiamur *quod Græcè* aporumeni *dictum id ſanè prætuleris, etſi neceſſaria deſint, haudquaquam tamen in vero theſauro conſequendo deſerimur.* Tralatio illa antiqua quam D. Ambroſius edidit ſic Græca expreſſit, *Inopiam paſſi, ſed non deſtituti.* Quod ſic ille explicuit, i. *in inopia poſitis affuit paſtor Deus.* Significat etiam *contriſtari* ſive *anxiari* aut *moleſtè ferre.* Unde Heſychius in Lexico Ἀπορεῖ, inquit, ἀθυμεῖ, ἀγωνιᾷ, i. Ἀπορεῖ *triſtatur, anxius eſt*, ſive *moleſtè fert.* Atque in hunc ſenſum Hieronymus accepit cùm pro eo quod apud Eſaiam legitur cap. 59. וישתומם כי אין מפגיע, ipſe traduxit, *& aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat*, i. contriſtatus eſt, ſive moleſtè tulit.

Ex Cap. VI.

V. 16. Vetus tralatio, *Et inambulabo inter eos*] Eraſmus in Annot. Inter eos *non eſt Græcis, ſed tamen conatus eſt exprimere verbum* ἐμπεριπατήσω, *quod ſignificat* in aliquo ambulare. *Nam* inambulare *Latinis nihil aliud eſt aliquoties quàm* ambulare. *Tametſi melius erat* in eis *quàm* inter eos.

Cùm hic locus ex Lev. 26. aſſumptus ſit, videndum eſt primùm quonam pacto Hebraica veritas hæc expreſſerit, ac deinde quomodo eadem Lxx in Græcum tranſtulerint. Sciendũ igitur in Hebræo ſic haberi, והתהלכתי בתוככם, pro quo Lxx tranſtulerunt, καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ὑμῖν. Et D. Hieronymus, *ambulabo inter vos.* Ergò καὶ ἐμπεριπατήσω ἐν ἀυτοῖς Apoſtolus hîc poſuit; quod ſi ad verbum traducitur, *& inambulabo in eis* dicendum eſt, ut paulò antè V. Interpres tranſtulit, *& inhabitabo in illis*, quod Græcè dicitur ὅτι ἐνοικήσω ἐν ἀυτοῖς; ſi verò juxta Latinæ linguæ proprietatem, *& inambulabo inter eos.* Ac ſic quidem Ambroſius legit, i. *Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos ambulabo.*

Ex

Ex Cap. X.

V.7. Vetus tralatio, *Quæ ſecundùm faciem ſunt videte*, Eraſmus in Annot. *Græci codices legunt hoc per interrogationem, ut ſit* videtis *non* videte: *quaſi fingens id fieri quod velit objurgare*; Num ea cernitis quæ ſunt juxta faciem? h.e. *quæ foris videntur & oſtentationem habent potiùs quàm efficaciam*, &c.

Non Græci codices hoc legunt per interrogationem, ut Eraſmus ait, ſed neque per indicativum, i. *videtis*, ſed per imperativum potiùs, i. *videte*, id quod ex Athanaſio facilè apparet, qui præſentem explicans locum ſic ait, *Non ſolùm ſeductoribus formidinem incutit, quinetiam & ſeductos objurgat. Et ideo inquit*, ex his quæ ſecundùm faciem ſunt, h.e. *quæ videntur*, videte, i. *judicate, ſi quis videlicet inflatus ſuperbit, ſi quis opibus affluit, ſi quis demum virtutis figurâ vel umbrâ opertus eſt.*

Ex Cap. XI.

V.1. Vetus tralatio, *Sed & ſupportate me.* Paulus, ἀλλὰ ἀνέχεσθέ μου. Eraſmus, *Imò & ſuffertis me.* Et in Annot. Ἀνέχεσθε *Græca vox anceps eſt. At magis quadrat ut ſit indicativi modi*, ſuſtinetis. *Corrigit enim quod dixerat*, utinam ſuſtinuiſſetis, imò, *inquit*, ſuſtinetis, *& quod opto factum facitis. In hunc ſenſum exponunt Græcanica ſcholia.*

Licèt Græca vox ἀνέχεσθε anceps ſit, ut quæ & indicativi & imperativi eſſe poſſit, hoc tamen loco non magis quadrat ut ſit indicativi modi, i. *ſuſtinetis.* Neque enim corrigit Paulus quod dixerat, ut Eraſmus retulit: ſed cùm per optandi orationem priùs dixiſſet, *Utinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiæ meæ*, quaſi rogans ſtatim intulit, *ſed & ſupportate me.* Atque in hunc ſenſum præſentem locum explicuit Athanaſius, ſic dicens, *Inquit itaq;*, utinam ſuſtineretis me in paucis delirantem. Quin potiùs me ſupportate. *Confido enim impoſterum vos me benevolentiâ proſecuturos, foréque ut me per omnia tolleretis.*

V. 2. Vetus tralatio, *Deſpondi enim vos uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto.* Paulus, ἡρμοσάμην γὰρ ὑμᾶς ἑνὶ ἀνδρὶ παρθένον ἁγνὴν παραστῆσαι τῷ Χριστῷ. Eraſmus, *Adjunxi enim vos uni viro ut virginem caſtam exhiberetis Chriſto.*

Propriè quidem ac eleganter V. Interpres hunc locum traduxit, cùm pro ἡρμοσάμην, quod in Græco legitur, *deſpondi* Latinè ille reddidit: ſiquidem hoc verbum ſæpiſſime apud Græcos in hunc ſenſum accipitur, à priore ſignificatu ſumptâ metaphorâ, i. ab *adjungendo* ſive *conjungendo* aut *conglutinando* vel *adaptando*, quæ eſt hujuſce verbi prima ſignificatio. Athanaſius quoque in eum ſenſum qui ex Vetere tralatione percipitur verba hæc Apoſtolica intellexit, cùm præſentem explicans locum ſic ſcripſit, Despondi, *inquit*, vos Domino, *cujus gratiâ zelo hoc ducor non mei. Non enim ſponſus ipſe futurus ſum ſed ſponſæ ductor. Attende quemadmodum non illorum ſe præceptorem profiteatur, ut deheat ſui ab his exigere tolerantiam*; *quin illos in ſponſæ modum, ſe verò pronubi loco conſtituit, nubentem compoſiturum*, &c.

V.32. Vetus tralatio, *Damaſci præpoſitus gentis Aretæ regis.* Eraſmus in Annot. *Aretas rex is erat ſocer Herodis.*

Cùm non unus fuerit Herodes de quo in Sacra N. Teſtamenti Scriptura fiat mentio, ſed tres ejus nominis fuerint, h. e. Herodes ille major, Antipatri filius, qui primus ex proſelytis Judæorum regnum Romanorum obtinuit beneficio, ac deinde hujus filius, qui Antipas cognominatus eſt, Galilææ tetrarcha, qui Joannem baptiſtam decollavit, tertius verò Herodes fuerit cognomento Agrippa, qui apoſtolum Jacobum occîdit, & Petrum in carcerem conjecit; debuiſſet hoc loco Eraſmus, cùm Aretam Herodis fuiſſe ſocerum ſcripſit, de quo Herode intellexiſſet ſignificare, nè lector id ſtatim tacitus requireret. Sciendum itaque non Herodis illius majoris Aretam fuiſſe ſocerum, ſed Herodis tetrarchæ illius filii, ut ex Joſepho Jud. antiq. lib. 18. apparet. Hic autem Aretas rex fuit Arabiæ Petrææ, & Damaſcenæ civitatis, quæ Arabiæ vicina eſt, dominus. Aretæ autem meminit Strabo lib. 16. de Arabia enim agens ſic ait, *Rurſum Gallus ex Albo vico cum exercitu digreſſus per ejuſmodi loca profectus eſt ut camelis aquam portarent, eorum improbitate qui viam monſtrabant. Quare poſt multos dies in Aretæ terram pervenit, qui Obodæ affinitate conjunctus erat.*

EX EPISTOLA AD GALATAS.

Ex Cap. I.

V.16. Vetus tralatio, *Continuò non acquievi carni & ſanguini*, &c. Eraſmus in Annot. *Proinde*, inquit, *nec illud hujus operis eſt, quòd hæc Pauli narratio multis modis diſſentit cum ea quæ eſt apud Lucam in Actis Apoſt. cap. 9.*

Non hæc Pauli narratio multis modis diſſentire videtur ab ea quæ eſt apud Lucam in Actis Apoſt. cap. 9. ut Eraſmus retulit; ſed hæc illam videtur exponere, &, ut ità dixerim, ampliare; tametſi primâ fronte videatur ab ea eſſe diverſa. Unde Hieronymus in Comment. ſuper hoc loco ſic ait, *Non ſibi videtur hiſtoriæ ordo continere referente Luca in Act. Apoſt. quòd cùm Paulus poſt fidem Chriſti per dies multos evangelium Damaſci loqueretur audenter, facta fuerint ei inſidiæ, & in ſporta per murum nocte dimiſſus ſit, & venerit Hieroſolymam, tentans ſe jungere diſcipulis; à quibus cùm vitaretur, & timerent ad eum accedere, à Barnaba ad Apoſtolos illum eſſe perductum, & ibi narraſſe quomodo Dominum viderit in itinere, & Damaſci fiducialiter egerit in nomine Jeſu.* Erat, *inquit*, cum illis intrans & exiens in Hieruſalem, fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque Gentibus, & diſputabat cum Græcis; illi autem quærebant occidere eum. Quod cùm cognoviſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tarſum. *Hic autem dicit ſe primùm iſſe in Arabiam, & iterum reverſum Damaſcum poſt triennium veniſſe Hieroſolymam, vidiſſe Petrum, & cum eo manſiſſe diebus quindecim, nec præter Jacobum fratrem Domini alterum conveniſſe. Quæ ut vera credantur (dubia quippe videri abſentibus poterant) ſub teſtatione confirmat dicens*, Quæ autem dico vobis, ecce coram Deo quia non mentior. *Poſſumus igitur æſtimare iſſe quidem Paulum ſecundùm Lucæ hiſtoriam Hieroſolymam, non quaſi ad anteceſſores Apoſtolos, ut aliquid ab illis diſceret, ſed ut perſecutionis impetum declinaret, qui ſibi Damaſci propter evangelium Chriſti fuerat concitatus; & ſic veniſſe Hieroſolymam quaſi ad quamcunque aliam civitatem; indè eum ſtatim propter inſidias receſſiſſe, & veniſſe Arabiam ſive Damaſcum, atque indè poſt triennium ad videndum Petrum Hieroſolymam revertiſſe. Vel certè ità. Statim ut baptizatus ſit, & accepto cibo confortatus, fuiſſe eum cum diſcipulis qui erant Damaſci per dies aliquot; & ſtupentibus cunctis in ſynagogis Judæorum prædicaſſe continuò quòd Jeſus eſſet filius Dei, & tunc iſſe in Arabiam, & de Arabia Damaſcum revertiſſe, & ibi feciſſe triennium,* quos dies multos *Scriptura teſtatur dicens*, Cùm implerentur autem dies multi conſilium fecerunt Judæi ut eum interficerent. Notæ autem factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum, & cuſtodiebant portas die ac nocte ut eum interficerent. Accipientes ergò diſcipuli ejus nocte, per murum dimiſerunt eum, ſummittentes in ſporta. Cùm autem veniſſet Hieruſalem, tentabat jungere ſe diſcipulis. *Lucam verò ideirco de Arabia præteriſſe, quia forſitan nihil dignum Apoſtolatu in Arabia perpetraverat, & ea potiùs compendioſâ narratione dixiſſe quæ digna Chriſti evangelio videbantur. Nec hoc ſegnitiæ Apoſtoli deputandum ſi fruſtrà in Arabia fuerit, ſed quo aliqua diſpenſatio & Dei præceptum fuerit ut taceret. Nam & poſteà legimus Paulum cum Sila egreſſum prohibitum eſſe à Spiritu S. verbum in Aſia loqui.* Hactenus Hieronymus.

Ex Cap. III.

V.1. Vetus tralatio, *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* Erasmus in Annot. *Quis vos fascinavit*] *Hieronymus lib. 2 Adverſ. Jovinianum vertit* impedivit.

Non pro *fascinavit*, i. ἐβάσκηνεν, Hieronymus lib. 2 Adver. Jovinianum vertit *impedivit*, ut Erasmus ex tumultuaria lectione intellexisse visus est; sed ea illic verba citavit quæ infrà cap. 5. habentur, ubi dicitur, *Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* Sic enim Hieronymus ait, *Et ad Galatas, Currebatis bene, quis vos impedivit veritati non obedire?* ubi pro *impedivit* in Græco est ἐνέκοψεν. Neque pro ἐβάσκηνεν, i. *fascinavit*, mutatum illic est ἐνέκοψεν, i. *impedivit*, ut Erasmus deliravit; sed sic Apostolus posuit ut nunc legitur, i. τίς ὑμᾶς ἐνέκοψεν; h.e. *quis vos impedivit?* Ac sic quidem Hieronymus legit, & exponens subdit, *A quo præpediti doctore perverso umbram legis sequimini, & euangelii relinquitis veritatem?* Atque ità quidem legit & exponit Athanasius.

V.8. Vetus tralatio, *Prævidens autem Scriptura quia ex fide justificat gentes Deus, prænunciavit Abraæ, quia benedicentur in te omnes gentes.* Erasmus in Annot. *Prænunciavit Abraæ*] προευηγγελίσατο, *i.* anteeuangelizavit, *ut exponendi gratiâ sic loquamur. Nam* euangelium *Græcis sonat* bonum ac lætum nuncium, *etiamsi apud Homerum Penelope promittit euangelium*, h.e. *præmium quod dari solet iis qui rem lætam primi nunciarunt.*

Non apud Homerum Penelope promittit euangelium, ut Erasmus butyro & patriâ cervisiâ obrutus somniavit, sed Ulysses in patriam reversus, ac sub mendici habitu Eumæum subulcum in agris alloquens, euangelii primus fecit mentionem, quod sibi dari tunc petebat cùm Ulysses domum adveniret. Cui Eumæus neque se euangelium illud soluturum respondit, neque Ulyssem unquam domum suam adventurum. Quò verò Erasmi hallucinatio manifestiùs appareat, versus ipsos Homericos ex Odysseæ quartadecima Rhapsodia hîc ascribendos censui,

Τὸν δ' αὖτε προσέειπε πολύτλας δῖος Ὀδυσεύς,
Ὦ φίλ', ἐπεὶ δὴ πάμπαν ἀναίνεαι, ὐδέ τι φῆμα
Κῆρον ἐλεύσεσθαι, θυμὸς δέτοι αἰὲν ἄπιστος,
Ἀλλ' ἐγὼ οὐκ ἄντως μυθήσομαι, ἀλλὰ σοὶ ἔρκτο
Ὡς νῦν δὴ Ὀδυσεὺς ὑπαλύξιον δόμον ἕξω
Αὖτίκ' ἐπὴν κεῖνός γε ἰὼν τὰ ἃ δώματ' ἵκηται.
Πεῖν δέκα δὴ μάλα περ κεχρημένος, ὅ τι δοχοίμην.

Et infrà,

Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφης Εὔμαιε συβῶτα,
Ὦ γέρον, ἦ τ' ἄρ ἐγὼν ὑπαγγέλιον τόδε τίσω,
Οὐδ' Ὀδυσεὺς ἔτι οἶκον ἐλεύσεται, &c.

Quæ nos ità ad verbum traduximus in eorum gratiam qui Græcè nesciunt,

Hunc rursus allocutus est multa passus divus Ulysses,
O amice, quoniam omnino renuis, neque existimas
Illum venturum, animúsque tibi semper incredulus;
Sed ego non frustrà loquar, verùm cum jurejurando
Quòd redibit Ulysses: euangelium autem mihi sit
Statim postquam ille veniens suas domos advenerit.
Priùs autem, & valde quamvis indigens, nequaquam acciperem.

Et infrà,

Huic autem respondens allocutus es, Eumæe subulce,
O senex, neque ego euangelium hoc persolvam;
Neque Ulysses amplius domum adveniet, &c.

Ex Cap. IV.

V. 20. Vetus tralatio, *Quoniam confundor in vobis.* Erasmus in Annotat. *Cæterùm quantum ex Hieronymi verbis licet conjicere, putat ille idem esse σύγχυσιν & αἰσχύνην, quorum prius* confusionem *sonat, posterius* erubescentiam, *cùm plurimùm interſit inter hæc duo, &c.*

Non potest ex Hieronymi verbis super hoc loco aliquo modo percipi putasse illum σύγχυσιν & αἰσχύνην idem esse, quod falsò ad Hieronymum Erasmus retulit. Sic enim apud eundem in libris Venetæ impressionis legitur, ἄπορία enim *non tam* confusionem, *quæ apud illos* αἰσχύνη *sive* ἀπορία *appellatur, quàm* indigentiam & inopiam *resonat.* Ubi Erasmus in libris Germanicæ istius impressionis quæ nuper emissa est ità posuit, ἄπορία *enim non tam* confusionem, *quæ apud illos* αἰσχύνη *sive* σύγχυσις *appellatur, quàm* indigentiam & inopiam *sonat.* Cùm enim in antiquis Hieronymi libris vacuum illum locum qui post dictionem *sive* vacuus videtur reperisset, σύγχυσιν reponendum, cùm Hieronymi opera recognosceret, existimavit, quod & fecit. Nisi fortè Amorbachii illi fratres, qui novæ hujus excussionis Hieronymi operum autores fuere, hujusce piaculi rei sunt, quòd vocem quam ignorabant Hieronymum scripsisse quasi comperta illis foret ad eundem modum in loco vacuo reposuerunt ut nunc videmus. Quanquam Erasmicam potiùs audaciam fuisse crediderim. Existimo autem ego Hieronymum ità illic scripsisse, ἄπορία *enim non tam* confusionem, *quæ apud illos* αἰσχύνη *sive* ἐνδοιὰ *appellatur, quàm* indigentiam & inopiam *resonat.* Siquidem duæ istæ dictiones, i. αἰσχύνη & ἐνδοιὰ, apud Græcos *confusionem* sive *erubescentiam* sonant. Quod ut credam tum alia efficiunt, tum verò quòd has duas dictiones ad majorẽ vehementiam simul positas cùm idem significent in Scripturis sæpissime legimus. Psal. 70. *Operiantur confusione & pudore qui quærunt mala mihi,* ἐντραπήτωσαν αἰσχύνῃ καὶ ἐνδοιᾷ οἱ ζητοῦντες τὰ κακά μοι. Et verba similiter ab eisdem conflata ut in fine ejusdem Psal. 70. *Cùm confusi & reverìti fuerint qui volunt mala mihi,* ὅταν αἰσχυνθῶσι καὶ ἐνδοιασθῶσιν οἱ ζητοῦντες τὰ κακά μοι, i. *cùm confusi fuerint & erubuerint,* sive *pudore affecti fuerint, qui volunt mala mihi:* id enim propriè significat verbum Hebraicum חפרו ibi positum, pro quo Lxx ἐντραπῶσι transtulerunt.

Ex Cap. VI.

V. 2. Vetus tralatio, *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Paulus, ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ. Erasmus, *Invicem onera vestra portate, & sic reimplete legem Christi.* Et in Annot. *Quanquam Græca,* inquit, *vox magìs sonat* readimplete, *h. e. denuo adimplete, q. d. quod alterius delicto diminutum fuit in legis observatione, id alterum sarciat charitas.*

Præpositiones, ut Michael Syngelus ἐν τῇ Περὶ Συντάξεως eruditissimè refert, componuntur cum simplicibus dictionibus interdum quidem διὰ χρείαν ἀναγκαίαν, i. *propter usum necessarium*, & tunc immutant significatum; nonnunquam verò κατὰ πλεονασμὸν εἰς κόσμον τῆς λέξεως, i. *ex superabundantia ad ornatum dictionis*, & tunc nihil plus significant quàm si appositæ non essent. Hoc autem loco ἀνὰ præpositio cum verbo πληρόω composita ejusdem verbi significatum nequaquam immutat, sed perinde est ac si apposita non esset. Non igitur ἀναπληρώσατε *reimplete* aut *readimplete* hîc significat, sed *implete* aut *adimplete* simpliciter, ut Vet. Interpres transtulit. Neque Apostolica verba id significant quod Erasmus in Annot. illa exponens expressit, sed quod Hieronymus præsentem explicans locum; apud quem sic legimus, *Quia peccatum onus sit, & Psalmista testatur, dicens,* Iniquitates meæ elevatæ sunt super caput meum: quasi onus grave gravatæ sunt super me. *Et Zacharias in specie mulieris vidit super talentum plumbi sedere iniquitatem. Hoc onus Salvator pro nobis tulit, suo nos exemplo docens quid facere deberemus. Ipse quippe iniquitates nostras portat, & pro nobis dolet; & eos qui peccatorum ac Legis onere sunt depressi ad leve onus virtutis invitat dicens,* Jugum meum suave est, & onus meum leve. *Qui igitur fratris non desperat salutem, sed manum porrigit deprecanti, & quantum in se est flet cum flente, infirmus est cum infirmo, suâque judicat*

judicat aliena peccata, iste per caritatem adimplet legem Christi. Quæ Christi lex est? Hoc est mandatum meum ut diligatis invicem. *Quæ lex filii Dei est?* Diligite alterutrum sicut & ego dilexi vos. *Quomodo Dei filius nos dilexit?* Major hâc dilectione non est quàm ut quis animam suam ponat pro amicis suis. *Qui clementiam non habet, nec indutus est viscera misericordiæ & lacrymarum, quamvis spiritualis sit, non adimplevit legem Christi. Sed & hunc locum cum superioribus copulemus: duplicem enim sequitur intelligentiam. Si quis infirmus in fide est, & adhuc lacte nutritur infantiæ, nec potest tam citò à legali observatione ad spiritualia sacramenta transire; vos qui robustiores estis ejus onera portate, nè per scientiam vestram frater pereat pro quo Christus est mortuus.* Hactenus Hieronymus: cujus verba ultima cum tumultuariè, ut assolet, Erasmus perlegisset; quæ ille de veteris legis observatione in alium sensum differuit, hæc ille ad delictum in diminutione observationis novæ legis transtulit; quàm autem rectè judicet lector prudens. Illud etiam notandum Ambrosium *implebitis legem Christi* hîc legisse, non *reimplebitis*, aut *readimplebitis*; atque ità subjecisse, *Lex enim Christi omnes salvos vult fieri; ac per hoc qui fratri peccanti consulit ut redeat ad propositum, implet voluntatem Christi.* Nec ignoramus Athanasium noluisse otiosam hîc esse ἀνὰ præpositionem; sed tamen non illam ad iterationem ipse retulit, sed ad perfectionem. Unde eleganter quidem ac propriè illius interpres sic ejusdem expositionem hîc traduxit; *Non enim* implebitis *dixit, sed* adimplebitis, *h. e. communi consensu omnes Christi legem perficietis, vos ipsos invicem tolerantes; videlicet ut iracundus ad iram tardum sustineat, & tardior iracundi impetum ferat. Sic fiet ut neque ille delinquat si ab hoc toleretur, neque is si ab illo feratur. Neque illud dico ut invicem porrectis inter vos manibus Christi legem alternis mox exsequamini; sed quod proximo deerit unusquisque sufficiat tolerando. Charitas autem Christi est adimpletio mandatorum.*

EX EPISTOLA AD EPHESIOS.

CAP. I.

V. 4. VETUS tralatio, *Ut essemus sancti & immaculati.* Paulus, ἵνα ἡμᾶς ἁγίους καὶ ἀμώμους. Erasmus, *Ut essemus sancti & irreprehensibiles.* Et in Annotat. Ἀμώμους] *Quod magis* inculpatos, *sive* irreprehensibiles, *quàm* immaculatos *significat.* Momos *enim Græcis* reprehensio *est, sive Deus reprehensionis.*

μῶμος *maculam* significat, i. defectum; & à מום, quod Hebraicè in hunc sensum *maculam* sonat, Græca dictio deducta videtur. Unde pro eo quod Levit. 21. in Hebræo dicitur, איש מזרע לדרתם אשר יהיה בו מום לא יקרב להקריב לחם אלהיו: Quod B. Hieronymus sic quidem traduxit, *Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo*; Lxx sic traduxerunt, ἄνθρωπος ἐκ τοῦ γένους ὑμῶν εἰς τὰς γενεὰς ὑμῶν, ὃς ἂν τινι ᾖ ἐν αὐτῷ μῶμος, οὐ προσελεύσεται προσφέρειν τὰ δῶρα τῷ θεῷ αὐτοῦ, i. *Homo ex genere tuo in generationes vestras cuicunque fuerit in ipso macula, non accedet ad offerendum dona Dei sui.* Inde ἄμωμος *immaculatum* propriè significat, i. *sine defectu.* Psal. 118. *Beati immaculati in via,* μακάριοι οἱ ἄμωμοι ἐν ὁδῷ. Sonat etiam μῶμος *reprehensionem*, sive *vituperium*, quod à priore significatu deductum apparet. Quippe carere maculâ, i. defectu, idem est quod esse irreprehensibilem. Atque in hunc etiam sensum transtulit Vet. Interpres Phil. 2. ubi dicitur, *Ut sitis sine querela & simplices, filii Dei sine reprehensione*, pro quo in Græco legitur, ἵνα γένησθε ἄμεμπτοι καὶ ἀκέραιοι, τέκνα θεοῦ ἄμωμητα. Divus præterea Hieronymus *immaculatum* hîc legit, ut Vetus tralatio habet, & præsentem explicans locum sic ait, *Inter sanctum & immaculatum hoc interest, quòd sanctus & immaculatus quoque intelligi potest, immaculatus verò non statim & sanctus. Parvuli quippe immaculati sunt quia integro corpore nullum fecere peccatum; & tamen non sancti, quia sanctitas voluntate & studio comparatur. Et quòd immaculatus dici potest ille qui peccata non fecit, sanctus autem is qui virtutibus plenus sit; juxta illud quod in quodam Psalmo scribitur,* Qui ambulat sine macula & operatur justitiam; *& in Cantico canticorum,* Tota speciosa es proxima mea, & macula non est in te, &c.

V. 21. Vetus tralatio, *Et virtutem & dominationem.* Paulus, καὶ δυνάμεως καὶ κυριότητος. Erasmus, *& virtutem & dominium.*

Licèt idem planè sit *dominium* quod *dominatio*; quia tamen hoc nomen in Ecclesia pro uno ex angelicis ordinibus usitatum est, sicut & hîc accipitur, non debuisset illud Erasmus commutare, ac novam invehere appellationem, cùm præsertim ità legant Ambrosius & Hieronymus ut in Vetere tralatione continetur, i. *dominationem.*

EX CAP. II.

V. 14. Vetus tralatio, *Et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis evacuans.* Paulus, καὶ τὸ μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ λύσας, τὴν ἔχθραν ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ, τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασιν καταργήσας. Erasmus, *Et interstitium maceriæ dirupit, simultatem in carne sua, legem mandatorum in decretis sitam abrogans.*

Soleo profectò non parvo perfundi risu cùm in his Erasmi elegantias incido, velut hoc loco cùm pro μεσότοιχον, quod propriè significat *medium parietem*, i. intermedium, *interstitium* ille traduxit; & pro τὴν ἔχθραν, quod *inimicitias* sonat, *simultatem*: non attendens Theologos, de quorum numero se esse jactat, *simultatem* in alium sensum accipere solere. In eo verò quod dixit Græcos ità hæc distinguere ut accusativus *inimicitias* referatur ad inferius verbum, apertè hallucinatus est. Quippe ità hunc locum exponit Athanasius, quem ipse Græcum Doctorem non negabit. Exponit quid sit *intermedium maceriæ paries*, dicitque inimicitiam esse cùm gentilium tum Judæorum, quæ cum Deo humanis flagitiis erat oborta, sicut & Propheta testatur, *Nónne peccata vestra inimicitias ponunt inter mè & vos?* Hunc itaque parietem medium, inimicitiam dico, dissolvit in propria carne Christus. Nam quòd Erasmus infert quandam editionem, quam citat Hieronymus, pro *in decretis* habere *in dogmatibus*, usurpatâ voce Græcâ, similis monetæ est. Quippe nullam Hieronymus citat editionem, sed antiqua illa editio Apostolicarum epistolarum quam ipse commentatur habet *in dogmatibus* pro eo quod *decretis* nos legimus.

V. 19. Vetus tralatio, *Sed estis cives sanctorum.* Paulus, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων. Erasmus, *Sed concives sanctorum.* Et in Annotat. ἀλλὰ συμπολῖται, i. *concives.*

Mirum est Erasmum, qui Latinæ proprietatis adeò superstitiosus observator est, ut minimas quasque quas ipse putat in Ve. Interprete improprietates conviciis, irrisionibus ac sibilis passim insectetur, hoc loco sui oblitum instituti *concives* traduxisse, voce quidem à Latinâ elegantiâ prorsus abhorrente. Quod Vet. Interpres, utpote in utraque lingua apprimè eruditus, optimè callens, pro συμπολῖται, quod Græcè hîc legitur, i. *concives*, elegantissimè ac propriè *cives* reddidit. Non enim Latinis mos est dicere, *hîc concivis est meus*, sed *meus civis, tuus civis, illius civis*; neque apud Latinorum probatos autores *concivis* alicubi reperitur. Quò magis admiror Laurentium Vallam lib. 4. Elegantiarum *concivem* illum esse dixisse *qui ejusdem civitatis est*: ac quendam quem non nominat taxasse quòd librum sic inchoaverat, *Favonius civis meus, optime princeps, & consul tuus*, quòd dicere debuisset, ut ipse ait, *concivis meus.* Jam ea distinctio quam paulò infrà intulit majore me admiratione affecit, cùm videlicet dixit, *cùm non apponimus pronomen, rectiùs sine appositione loquimur*, audite cives: quasi cùm apponimus pronomen nequaquam *cives* dicere possimus sed *concives.* Nam quod ultimò intulit,

Dicimus tamen, Vos estis cives nostri, quasi reipublicæ nostræ, illum calumniâ prorsus liberavit qui dixit, *Favonius civis meus, optime princeps, & consul tuus.* Non enim quasi dominus civitatis civem suum illum dixit: sed cùm ipse esset civis, eleganter civem suum illum appellavit, i. ejusdem reipublicæ. Denique quantum memoriâ assequor nunquam apud Ciceronem *concivem* memini me legere, sed *civem* in hunc sensum & sine pronominibus & cum pronominibus. Supersedeo afferre exempla, quòd pleni sint Ciceronis libri hujuscemodi testimoniis.

Ex Cap. III.

V. 15. Vetus tralatio, *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur.* Paulus, ἐξ οὗ πᾶσα πατριὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ ἐπὶ γῆς ὀνομάζεται. Erasmus, *Ex quo omnis parentela in cœlo & in terra nominatur.*

D. Hieronymus lib. 2 Contra Ruffinum *Parentes pro cognatis & affinibus militare vulgaréque* dicit *esse vocabulum:* voluit dicere non Latinum esse, sed vernaculum ac de media plebe desumptum. Idem & de *parentela* dicendum hoc loco est; absurdam videlicet esse vocem, & quâ nullus unquam Latinorum usus aliquando sit. Cæterùm pro πατριὰ, pro qua hoc loco *paternitatem* Vetus traduxit Interpres, alibi *familiam* transtulit. Luc. 2. διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαυίδ, *Eò quòd esset de domo & familia David.*

V. 19. Vetus tralatio, *Scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi.* Paulus, γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν τῆς γνώσεως ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ. Erasmus, *Et cognoscere præeminentem cognitioni dilectionem Christi.*

Hoc quidem in Erasmi Annotat. vel præcipuum animadverti, quòd cùm antea in textu perperàm ille multa traduxisset, quòd revocare illa jam non poterat, in Annotat. quocunque possit modo defendere nititur, velut hoc loco. Nam cùm in textu contra Apostoli mentem & Græci sermonis proprietatem γνώσεως, quod est in genitivo, per dandi casum traduxisset; in Annotat. præsentem explicans locum, *Incertum est*, inquit, *dativine casûs sit* scientiæ *an genitivi, ut intelligas charitatem Christi sciri quæ sit major quàm ut cognosci possit, aut intelligas eximiam dilectionem cognitionis. Sed prior sensu verior & magis quadrat ad Græcum sermonem, tametsi posteriorem sequitur Hieronymus.* O impudentiam hominis singularem! Itáne tandem *prior sensu*, i. ab Erasmo imperitissimè confictus, *verior est, & magis quadrat ad Græcum sermonem, tametsi posteriorem sequitur Hieronymus?* Meliùs ergò Erasmus hunc locum intellexit quàm Hieronymus. Nimirum quòd doctior illo erat, quódque Græcarum literarum peritior, & in S. Scripturarum intelligentiâ eruditior: quasi Græca verba hoc sonent, γνῶναί τε τὴν ἀγάπην τοῦ Χριστοῦ τὴν ὑπερβάλλουσαν τὴν γνῶσιν, i. *scire etiam charitatem Christi superexcedentem ipsam scientiam*, & non, γνῶναί τε τὴν ὑπερβάλλουσαν ἀγάπην τῆς γνώσεως τοῦ Χριστοῦ, i. *scire etiam supereminentem charitatem scientiæ Christi.* Non enim per accusandi casum id Apostolus dixit, quod facere debuisset si id voluisset significare quod Erasmus intellexit; sed in genitivo posuit, quod verbum ὑπερβάλλω nequaquam regit. Sic igitur Hieronymus præsentem explicuit locum, *Nec putandum in hoc finem laboris nostri esse* ut radicati & fundati in charitate possimus comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & profundum, & altitudo; *nisi etiam omni studio nosse cupiamus* supereminentem scientiæ charitatẽ Christi, *ut non simplex charitas sed supereminens nota sit nobis; nec iste sit terminus habere notitiam supereminentis charitatis Christi, nisi addamus & aliud, ut supereminentem charitatem scientiæ consequamur. Ex quo animadvertendum est quia grandem & immensam Christus scientiæ habeat charitatem, i. eorum qui se scire desiderant, qui in lege ejus meditantur die ac nocte, qui verba vertunt in opera, & quod ore meditantur consummant manu*, &c.

Ex Cap. IV.

V. 27. Vetus tralatio, *Nolite dare locum diabolo.* Paulus, μηδὲ δίδοτε τόπον τῷ διαβόλῳ. Erasmus, *Neque detis locum calumniatori.* Et in Annotat. *Deinde* diabolo *haud scio an hic pro* calumniatore *possit accipi. Sitù, inquit, concordes; nè si justè etiam ulciscamini, prabeatis arsam calumniandi gentilibus.*

Διάβολος *calumniatorem* sive *criminatorem* propriè sonat, ἀπὸ τῆς διαβάλλειν, i. *à calumniando* sive *à criminando* deductâ dictione: est autem propria ac vera dæmonis appellatio, de quo Apoc. 12. dicitur, *Quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.* Hoc autem loco non pro homine *calumniatore* sed pro *dæmone* ab Apostolo acceptam ex Hieronymo intelligitur, qui præsentem explicans locum sic ait, *DIABOLUS Græcum verbum est, quod Latinè dicitur* criminator, *linguâ verò Hebraicâ SATAN appellatur, i.* adversarius *sive* contrarius, *& ab Apostolo BELIAL, h. e.* absque jugo, *quòd de collo suo Dei abjecerit servitutem, quem Aquila* apostatam *transtulit. Et sciendum ubicunque in Veteri lege* filii pestilentiæ *scribantur, sicut ibi,* filii autem Heli filii pestilentiæ, *ibi in Hebraicis voluminibus BELIAL, h. e.* diabolum, *pro* pestilentia *nominari; licèt plurimi pro BELIAL corruptè in Apostolo BELIAR legant.* Nolite itaque, *ait*, dare locum diabolo, *qui tanquam leo rugiens quærit aditum per quem possit irrumpere. Quomodo enim pater & filius stant ante ostium, & pulsant ut introeant & cœnent cum eo qui se receperit: ità & adversarius semper in nos est paratus irrumpere, & cùm locum dederimus ingreditur*, &c. Ambrosius præterea *diabolum* legit & subdit, *Iram transire vult nec retineri in pectore, ut die orta cum die decidat, quia si in animo manserit, da occasionem diabolo gloriandi. Necesse est enim iratus animus malè cogitet, quod cupit diabolus. Invenit enim mentem paratam ad malum, cui se inserens effectu suo decipit hominem factum ad vitam: quia hominis cogitare est, diaboli implere.* Athanasius etiam de dæmone hæc intellexit cùm hæc in Commentariis ediserens dixit, *Mutuâ oppugnatione diabolo obsistetur; quamdiu unis animis erimus condensati, nihil ille de suo est illaturus, ut qui nullum inveniat insinuandi se locum. At cùm aliquod inter nos dissidium proseminaverit, tunc perindè ac occasione invenitâ ubi caput immittit, serpentis more, & mox reliquam corporis molem ingessit.*

Ex Cap. V.

V. 32. Vetus tralatio, *Sacramentum hoc magnum est.* Paulus, τὸ μυστήριον τοῦτο μέγα ἐστίν. Erasmus, *Mysterium hoc magnum est.* Et in Annotat. *Sacramentum hoc* μυστήριον] i. *mysterium. Id nolui eos nescire qui ex hoc loco faciunt matrimonium unum ex Sacramentis: non quòd de hoc sit dubitandum; sed quòd ex hoc loco non magnopere colligatur. Siquidem particula adversativa,* Ego autem, *satis indicat hoc* magnum mysterium *ad Christum & ad Ecclesiam pertinere, non ad Maritum & ad Uxorem. Neq; enim in hoc magnum est sacramentum si vir jungatur uxori, quod & apud ethnicos fieri consuevit.*

Quod Græcè dicitur μυστήριον, i. *mysterium*, Latinè *sacramentum* dicitur: neque habent Latini aliam dictionem præter hanc quâ Græcam exprimant, quæ id propriè significat quod per *mysterium* intelligitur. Non autem errare videntur qui ex hoc loco matrimoniũ unum ex Sacramentis faciunt; cùm manifestissimè hic non solùm *sacramentum* appelletur sed *magnum* etiam *sacramentum.* Nam cùm Apostolus de viri & uxoris conjunctione hic ageret, & carnale matrimonium mystico comparans, i. ei qui est inter Christum & Ecclesiam, uxoribus præcepisset ut viris subditæ essent quemadmodum Ecclesia subdita est Christo, & viris ut uxores diligerent sicut Christus dilexit Ecclesiam, & Divinum subindè præceptum de matrimonio

matrimonio subjunxisset, i. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una:* consequenter intulit, *Sacramentum hoc magnum est*, i. hoc sacramentum matrimonii & mutuæ conjunctionis viri & uxoris magnum quidem est, utpote à Deo institutum; veruntamen ad Christum & ecclesiam ego illud refero: q.d. quod literaliter de carnali matrimonio dicitur, id de mystico spiritualiter dici potest. Quòd autem hic sit verus sensus Apostolicorum verborum ex sanctis Doctoribus edocemur; ac primùm quidem ex Athanasio, qui præsentem explicans locum sic ait, *Verè namque debet hoc Sacramentum dici ut eos qui se genuerint deserat quispiam, qui labores sunt & ærumnas in generando & educando perpessi, & beneficia contulere innumera, & illi inhæret quam neque antea viderit unquam, nec boni aliquid prior ipsa attulerit. Alioqui quicquid est sacramenti hujusce vel de Christo propheticè dictum esse acceperim. Ille namque Patrem reliquerat, non loci secessu sed condescensu ad carnem, & venit ad sponsam quæ priùs se ignorasset, & illi uno in spiritu unitus est. Qui enim adhæserit Domino, spiritum unum cum eo sortitur. Cur igitur nuptiæ improbantur, cùm has Paulus Divini sacramenti in argumentum producat, easdémque sacramenti nomine nuncupet?* Ambrosius Apostolica hæc verba edisserens sic ait, *Mysterii sacramentum grande in unitate viri ac feminæ esse significat. Nec hoc prodit, sed aliam causam quæ non discedet à memorato mysterio flagitat, quam scit ad profectum humani generis pertinere, h.e. Ecclesiæ & Salvatoris; ut sicut relictis parentibus homo uxori suæ adhæret, ità & relicto omni errore Ecclesiæ adhæreat, & subjiciatur capiti suo, quod est Christus.* Hæc Ambrosius. Est autem adeò magnum hoc sacramentum conjunctionis viri & uxoris ut si ethnici aut pagani fuerint matrimonio conjuncti, & ad fidem Christi postea convertantur, in matrimonio priùs contracto permaneant, neque denuo contrahere cogantur, aut in Ecclesia benedicantur: & quod majus est, etiamsi suo more in gradu prohibito lege canonicâ fuerint conjuncti, ad fidem conversi nequaquam separantur. Et hoc ideo est quia, ut Sacri canones referunt, sacramentum conjugii apud fideles & infideles exsistit, quemadmodum ostendit Apostolus dicens, *Si quis frater infidelem habet uxorem, & hac consentit habitare cum eo, non illam dimittat.* Quod ignorans Erasmus Roterodamus in Annotationibus super hoc loco, *Neque enim*, inquit, *in hoc magnum est sacramentum si vir jungatur uxori, quod & apud ethnicos fieri consuevit.*

EX EPISTOLA AD PHILIPPENSES.

Ex Cap. I.

V. 1. VETUS tralatio, *Paulus & Timotheus.* Erasmus in Annot. *Quanquam id quidem nihil attinet ad sententiam Pauli, tamen admonendũ duxi* Timotheus *pronunciandum antepenultimâ acutâ, sive Græcam rationem sequaris sive Latinam, quod contra nunc fit in templis omnibus. Et licèt optandum foret ut hoc esset gravissimum erratum in vita Christianorum, tamen fœdum est nos publicitus in re tam manifestaria perpetuò peccare.*

Sciendum est Lau. Vallam primum omnium de pronunciatione sive accentu hujus nominis *Timotheus* in principio Annotat. suarum super Matthæum disseruisse, nè Erasmus glorietur has subtilitates à se primitus adinventas, ut quas alii neutiquam olfecerint. Durum autem mihi videtur hanc *Timothei*, & aliorum quorundam nominum, vulgatam pronunciationem in Ecclesiasticis damnare. Quanquam enim Primitiva Ecclesia de simplicibus ac imperitis congregata fuerit; progressu tamen temporis tot Philosophi, tot Oratores, tot Poetæ, tot denique Grammatici magni omnes nominis fidem Christi susceperunt, ut sicut sanctitatis ac veræ philosophiæ ità & omnigenæ literaturæ admirabilis quædam schola Ecclesia videretur. Existimo autem ego non ceremonias solùm erga Divina mysteria, sed & verborum quoque pronunciationes quibus nunc Ecclesiastici Latini utuntur, à sanctissimis illis ac eruditissimis viris priscis Ecclesiæ doctoribus per Cabalam, ut Hebræi dicunt, i. per *receptionem*, aut, ut Græci, ἐκ παραδόσεως, i. *ex traditione*, h. e. vivæ vocis doctrinâ, illos accepisse, atque indè ad nos emanasse. Neque Latinos prorsus errare cùm *Timotheum* accentu in penultima publicè in Ecclesia proferunt. Nam cùm in Græco hoc nomen non unico accentu perpetuò proferatur; sed in nominativo, accusativo & vocativo accentu in tertia à fine, in genitivo & dativo in penultima; ab illa Græcorum secunda prolatione potuerunt Latini & istam quâ in hoc nomine semper utuntur mutuari. Nam de *Andreas*, quod Laurentius ait accentu in prima proferri debere, & de *Symonem*, quod idem accentu in medio asserit esse proferendum; facilè refellitur Juvenci poetæ autoritate, qui lib. 1 Euangelicæ historiæ *Symonem* accentu in prima protulit, & *Andream* accentu in media, sic dicens,

Præterièńque videt ponti per littora fratres,
Præsolidum Symonem, dignum cognomine Petri,
Andreámque simul, sinuosa volumina lini
Piscibus insidias disponere mærioris undis.

Ibid. Vetus tralatio, *Cum episcopis & diaconibus.* Erasmus in Annot. *Græcis unica dictio est* coepiscopis συνεπισκόποις, *quasi communicet suum officium cum illorum presbyteris. Quanquam hîc Græca variant exemplaria, & in nonnullis scriptum erat* σὺν ἐπισκόποις, i. unà cum episcopis.

Græca exemplaria non possunt hoc loco variare, nisi perperàm σὺν præpositio cum dictione ἐπισκόποις ab imperitis Græculis conjuncta fuerit. Constat enim non ad presbyteros & diaconos Philippensium solùm Apostolum scripsisse, sed etiam ad plebem unà cum presbyteris & diaconibus. Et quantum memoria suggerit, haud arbitror hanc dictionem *coepiscopus* in Apostolicis epistolis inveniri. D. Ambrosius ità hunc locum edisserit, *Cum episcopis & diaconibus*] *h. e. Cum Paulo & Timotheo, qui utique episcopi erant simul, & significavit & diacones qui ministrabant eis. Ad plebem enim scribit. Nam si episcopis scriberet & diaconibus, ad personas eorum scriberet. Et loci ipsius episcopo scribendum erat, non duobus vel tribus, sicut & ad Titum & Timotheum.* Athanasius ad clerum ait Paulum nunc scribere, quod aliàs nunquam egit, siquidem miserant illi Epaphroditum qui necessaria sibi detulerat.

Ex Cap. II.

V. 10. Vetus tralatio, *Ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* Paulus, ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πᾶν γόνυ κάμψῃ. Erasmus, *Ut in nomine Jesu omne genu flectat.* Et in Annot. Πᾶν γόνυ κάμψῃ] *i.* omne genu flectat, *ut subaudias* se.

Multa verba apud Græcos sunt quæ, licèt sint activa, & passiva vox ab eis possit declinari, ità tamen interdum posita reperimus quasi neutra essent, h. e. quasi passivâ carerent voce, sicut hoc loco πᾶν γόνυ κάμψῃ pro κάμψηται. Et Rom. 14, ubi dicitur, *Quoniam mihi flectetur omne genu*, quod Græcè sic legitur, ὅτι ἐμοὶ κάμψει πᾶν γόνυ. Sic ἐπιστρέφω cùm activum sit, & passivum habeat ἐπιστρέφομαι, ità positum reperitur quasi neutrum esset. Ps. 6. *Convertere, Domine, & eripe animam meam,* ἐπίστρεψον, Κύριε, ῥῦσαι τὴν ψυχήν μου. Et Psal. 7. *Convertetur dolor ejus in caput ejus,* ἐπιστρέψει ὁ πόνος αὐτοῦ εἰς κεφαλὴν αὐτοῦ. Et ut de secularibus quoque literis testimonia proferamus, Thucydides lib. 1. τῆς δὲ ἐμπορίας οὐκ οὔσης, οὐδὲ ἐπιμιγνύντες ἀσφαλῶς ἀλλήλοις, quod perinde est ac si dixisset, οὐδὲ ἐπιμιγνύμενοι ἀσφαλῶς ἀλλήλοις. Erravit igitur Erasmus cùm pro κάμψῃ *flectat* activè hîc traduxit, & cùm in Annot. dixit, *ut subaudias* se. Debuit enim per passivam illud vocem traducere, ut verè ac propriè V. Interpres transtulit. Non enim genu semetipsum flectit; sed ab eo flectitur cujus est genu. Quòd si non alia hominem admonebant, meminisse debuerat Rom. cap. 14. simile verbum, i. κάμψει, per passivam vocem à se fuisse traductum; nisi fortè existimavit utroque modo transferri rectè potuisse.

Ex Cap. III.

V. 5. Vetus tralatio, *Ex genere Iſrael.* Paulus, ἐκ γένους Ἰσραήλ. Eraſmus, *Iſrael ex genere.* Et in Annot. ISRAEL *hoc loco nominativus eſt, non genitivus. Ut enim ſe vocavit* circumciſionem *pro Judæo, ità ſe hîc nominat* Iſrael *pro Iſraelita: idque & aliàs ſæpenumero fecit. Addidit autem* ex genere *ad diſtinctionem proſelytorum, qui erant quidem Iſraelitæ ſed velut adoptione, non ex genere.*

Non potui, ità me Deus amet, Eraſmicam iſtam annotationem legens à riſu temperare: primúmque cùm in textu legiſſem *Iſrael ex genere*, elegantiæ causâ tranſmutatas ab eo fuiſſe dictiones ſuſpicatus ſum, quanquam durus ille loquendi modus mihi videbatur. Cùm verò Annotationes legerem, inſcitiam hominis manifeſtè deprehendi & errorem intellectûs: exiſtimavit enim *Iſrael* nominativi casûs eſſe, ac propterea dictiones commutavit. Miror quòd ſequentia non ſic tranſtulerit, *Benjamin ex tribu*, & *Benjamin* etiam nominativi eſſe dixerit pro Benjamita poſitum. Sciendum igitur *Iſrael* in Græco & in Latino genitivi eſſe, quanquam articulum non habeat quo id ſignificetur, ſicut nec *Benjamin* quod ſequitur; neque ſe alicubi *Iſrael* Apoſtolum nominaſſe pro Iſraelita, quod Eraſmus ait illum aliàs ſæpenumero feciſſe. Ad Romanos enim cap. 11. *Iſraelitam* ſe vocat, non *Iſrael*, ſic dicens, *Nam & ego Iſraelita ſum*, καὶ γὰρ ἐγὼ Ἰσραηλίτης εἰμί.

Ex Cap. IV.

V. 3. Vetus tralatio, *Etiam rogo & te, germane compar.* Paulus, ναὶ ἐρωτῶ καὶ σε, σύζυγε γνήσιε. Eraſmus, *Sanè rogo & te, compar germana.* Et in Annot. *Quidam hoc referunt ad uxorem Pauli: nam Græca poſſunt & feminino genere accipi*, σύζυγε γνήσιε, i. conjunx germana, *h. e. ſincera conjunx. Sunt autem magni autores apud Græcos qui putant Paulum habuiſſe uxorem*, &c.

Hoc loco non per hæc verba Paulum uxorem ſignificaſſe, ſed virum aliquem Deo deditum eſſe allocutum, tum ex Græcis ipſis dictionibus, quæ maſculinæ ſunt, facilè apparet, tum verò ex Athanaſii commentariis, qui verba hæc Apoſtolica explicans ſic ait, *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor*, &c. *Apparent hæ mihi feminæ tanquam primates in Philippenſium eccleſia exſtitiſſe: commendat autem has mira virtutis viro qui harum alteri vel vir erat vel frater, forſitan etiam carceris erat hic cuſtos. Quaſi id inquiat, Nunc verè germanus es frater, nunc virum te proprium & conjunctiſſimum geres ſi in opere Domini & jugum pariter traxeris, mulieribus hiſce opem ferens. Nonnulli verò errore ducti uxorem dicunt Paulum adhortari; quod tamen longè eſt ſecùs; quippe quem neque uxorem legimus habuiſſe, &* germana conjunx *dicere debuiſſet ſi uxor illa fuiſſet.* Hactenus Athanaſius.

V. 9. Vetus tralatio, *Hæc cogitate & agite.* Eraſmus in Annot. COGITATE *ſupereſt. Græcis tantùm eſt* ταῦτα πράττετε. *Et ità legit Ambroſius.*

Abſens fortaſſe à ſemetipſo Eraſmus erat cùm ſcripſit *cogitate* hoc loco ſupereſſe, ac Græcis tantùm eſſe ταῦτα πράττετε. Siquidem in omnibus Græcis codicibus ταῦτα λογίζεσθε hîc legitur, i. *hæc cogitate*; ſícque Eraſmicus ex impreſſione codex habet. Atque ità legit Athanaſius, & ſubdit, *Cùm per cogitationem prava facinora committantur, hæc, inquit, quæ dicta ſunt mente vos agitate.* Ambroſius quoque *hæc cogitate* hîc legit. Neque Græci ſunt libri qui πράττετε hoc loco habeant, neque Latini qui *agite*, niſi mendoſos utriuſq; linguæ codices cùm hæc commentaretur Eraſmus perlegit.

EX EPISTOLA AD COLOSSENSES.

Cap. I.

V. 2. VEtus tralatio, *His qui ſunt Coloſſis ſanctis & fidelibus fratribus in Chriſto Jeſu.* Eraſmus in Annot. *Imprimis*, inquit, *non poſſum non mirari quid in mentem venerit iis qui Coloſſenſes ad quos ſcribit hanc epiſtolam Paulus eſſe aiunt Rhodienſes, ob nobilem illum Coloſſum qui memoratur inter ſeptem mundi miracula. Nam de ſtatua quidem nullus non meminit ſcriptorum. At de civitate hujus nominis nè ii quidem ullum fecere verbum qui totius inſula ſitum diligentiſſimè literis prodiderunt.*

Notat hoc loco Eraſmus, ut ego exiſtimo, Calepinum, non omnino malum autorem, qui in Lexico cùm de Coloſſo egiſſet ſic intulit, *Ab hoc coloſſo Rhodii Coloſſenſes appellati ſunt, quibus ſcribit Apoſtolus.* Ego verò neſcio an ad Rhodios ſub Coloſſenſium nomine Apoſtolus hanc epiſtolam conſcripſerit. Cæterùm Rhodios appellatos fuiſſe Coloſſenſes ob nobilem illum Coloſſum qui inter ſeptem mundi miracula memoratus eſt, autor eſt Sudas in Collectaneis, his verbis, Κολοσσεὺς ἀπὸ τόπου· ἢ κολοσσαῖος οἱ Ῥόδιοι, ὅτινες ἀνέστησαν ἐν τῇ νήσῳ χαλκοῦν ἀνδριάντα τοῦ ἡλίου, ὃν διὰ μεγέθους ἐκάλεσαν κολοσσὸν διὰ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος υἱοῦ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος, i. *Coloſſenſis à loco; & Coloſſenſes Rhodii, qui in inſula aeneis ſtatuam erexerunt, quam propter magnitudinem vocaverunt Coloſſum temporibus Seleuci Nicatoris filii Alexandri Macedonis.* Et in dictione Ῥόδος, Ῥόδος, inquit, ἡ νῆσος, ἥτις καὶ Λίνδος καλεῖται· καὶ Κολοσσαεῖς οἱ οἰκήτορες διὰ τὸν κολοσσόν, i. *Rhodus inſula, quæ & Lindus appellatur: & Coloſſenſes ejuſdem habitatores propter Coloſſum.*

Ex Cap. II.

V. 22. Vetus tralatio, *Quæ omnia in interitu ſunt ipſo uſu.* Paulus, ἅ ἐστι πάντα εἰς φθορὰν τῇ ἀποχρήσει. Eraſmus, *Quæ omnia ipſo pereunt abuſu.*

D. Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam quæſt. 10. verba hæc ex Apoſtolo citans *uſu* legit, ut V. Interpres tranſtulit, non *abuſu.* Non enim cibis abutimur, ſed utimur quidem ad corporis nutrimentum, qui tamen *ipſo uſu intereunt*, i. conſumuntur. Sic enim Hieronymus ait Apoſtolica hæc verba illic explicans, *Neque guſtaverim carnem ſuillam, & leporum, & ſepiarum, & loliginum, murænæ & anguillæ, & univerſorum piſcium quæ ſquammas & pennulas non habent*, quæ omnia *in corruptione & in interitu* ſunt ipſo uſu, *& ſtercore digeruntur.* Quanquam verò ἀποχρήσις *abuſum* ad verbum ſonet; poterit tamen eſſe ut hoc loco ἀπὸ præpoſitio dictioni χρῆσις appoſita ejuſdem non immutet ſignificantiam, ſed perinde habeatur ac ſi appoſita non eſſet, quod in multis Græcis dictionibus accidit cum quibus præpoſitiones compoſitæ ſunt ad ornatum tantùm & ſermonis elegantiam. Quid quòd & Apoſtolus cùm abuſum voluit ſignificare uſitatiore verbo uſus eſt, i. καταχρῶμαι, 1 Cor. 9. *Ut non abutar poteſtate meâ in Euangelio:* quod Græcè ſic legitur, ἵνα τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ.

Ex Cap. III.

V. 9. Vetus tralatio, *Exſpoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis.* Paulus, ἀπεκδυσάμενοι τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον σὺν ταῖς πράξεσιν αὐτοῦ. Eraſmus, *Poſteaquam exuiſtis veterem hominem cum factis ſuis.* Et in Annot. Ἀπεκδυσάμενοι, *i.* exuentes, i. *poſtquam exuiſtis, nam præteriti temporis eſt. Vocem hanc Interpres ſubindè vertit* exſpoliantes.

Non malè Interpres vocem hanc ſubindè vertit *exſpoliantes,*

sianes. Siquidem *exspoliare* non solùm significat id quod communiter intelligitur, verùm etiam *exuere*; quo significatu apud Ciceronem acceptum reperitur. Sic enim Act. 5. in Verrem apud eundem legitur, *Vix erat hoc planè imperatum cùm illum exspoliatum stipatúmque lictoribus videres: omnes ideo putabant ut miser atque innocens virgis caderetur*, &c. Ibi enim *exspoliatum* pro exutum & denudatum accipitur. Agitur enim illic de quodam Sopatro, de quo priùs dixerat, *Cùm iste imperat lictoribus ut Sopatrum de porticu in qua ipse sedebat præcipitem in forum dejiciant, nudúmque constituant.*

Ex Cap. IV.

V. 6. Vetus tralatio, *Et ea quæ Laodicensium est vobis legatur.* Paulus, καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀναγνῶτε. Erasmus, *Et eam quæ scripta est ex Laodicea, ut & vos legatis.* Et in Annot. *Græcanica scholia negant hanc epistolam de qua hîc agit à Paulo scriptam fuisse Laodicensibus. Neque enim dixit* quæ scripta fuit ad Laodicenses, *sed* quæ scripta fuit ex Laodicea. *Proinde fuisse epistolam quam Laodicensis quispiam scripserit ad Paulum, in qua tamen inessent quæ ad Colossensium rem pertinerent*, &c.

Mirum est Græcanica scholia negare hanc epistolam de qua hîc agitur à Paulo scriptam fuisse Laodicensibus, quod Erasmus ait, cùm Athanasius, eximius Græcorum doctor, de epistola à Paulo Laodicensibus scripta hunc locum imprimis intellexerit. Sic enim in Comment. hæc explicans dicit, *Videre videor fuisse nonnulla Colossensibus à Paulo scripta, quæ ut Laodicensibus innotescerent necessarium erat. Et contrà Colossensibus ipsis paterent quæ Laodicea civibus fuissent per literas significata: utrique namque Apostoli scriptis castigabantur; in quibus eò plurimum inerat utilitatis, quia horum singuli propria erant vitia recogniturî. Quæret aliquis, Quænam illa fuit ad Laodicenses epistola? Ea nimirum quæ ad Timotheum prior conscripta est. Hanc namque ex Laodicea transmisit Apostolus; tametsi dicant nonnulli ad Paulum priores scripsisse epistolam: utrùm verò res ità se habeat aut secùs, nihil mihi constat. Quî enim poterat fieri ut propriis literis Laodicenses proficerent?* Hactenus Athanasius. Cujus ex verbis liquidò apparet de epistola à Paulo Laodicensibus scripta verba ista Apostolica illum intellexisse; primùm cùm dixit, *Et contrà Colossensibus ipsis paterent quæ Laodicea civibus fuissent per literas significata: utrique namq; Apostoli scriptis castigabantur.* Nam illorum opinionem qui existimarunt Laodicenses ad Paulum priores scripsisse epistolam, facilè refellit cùm dixit, *Quî enim poterat fieri ut propriis literis Laodicenses proficerent?* Ambrosius super hoc loco, *Quia generales sunt institutiones Apostoli, & ad omnium profectum scripta epistola, iccirco etiam Laodicensibus epistolam hanc legi præcepit, ut per hanc quid agendum sibi esset addiscerent. Et Colossenses ut eorum legerent juxta sensum supradictum.* D. Hieronymus in libro De viris illustribus, de Paulo apostolo agens, cùm ejusdem epistolas memorasset, ultimò intulit, *Legunt quidam & ad Laodicenses: sed ab omnibus expellitur.* Ex Eusebio item Cæsariensi apparet alias nonnullas epistolas à Paulo apostolo scriptas fuisse præter has quæ in canone habentur, cùm Eccl. hist. lib. 3. sic dicit, *Pauli quoque manifestè quatuordecim sunt epistolæ quæ in autoritate habentur.* Erant ergò & aliæ Apostoli epistolæ quæ in autoritate non habebantur, qualis ista esse potuit quæ ad Laodicenses ab eo scripta est.

EX EPISTOLA I. AD THESSALONICENSES.

Ex Cap. II.

V. 7. Vetus tralatio, *Cùm possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli.* Paulus, δυνάμενοι ἐν βάρει εἶναι ὡς Χριστοῦ ἀπόστολοι. Erasmus, *Cùm possemus in autoritate esse tanquam Christi apostoli.* Et in Annot. Ἐν βάρει εἶναι, *i.* in onere, *sive* in pondere, esse; *quod quidem bifariam legunt Græcanica scholia; aut* ἐν βάρει, *h. e.* in pondere & autoritate, *quoniam præcessit* non quærentes gloriam, *& sequitur*, sed facti sumus parvuli. *Ad hæc Ambrosius videtur de honore non de gravatione interpretari. Denique ad hunc sensum facit quod continenter adjecit* ut Christi apostoli. *Neque enim est apostolorum gravare suo supercilio quenquam. Aut* ἐν βάρει, *quod nihil ab illis acceperit, nec usquam sumptui aut oneri fuit. Prior interpretatio mihi magis arridet.*

Non prior interpretatio Erasmo magis arrisisset si verba apostoli Pauli quæ præcedunt & quæ subsequuntur diligentiùs attendisset, quibus hic locus ab eodem Apostolo videtur explanari. Ait enim in sequentibus, *Memores enim facti estis, fratres, laboris nostri & fatigationis: nocte & die operantes, nè quenquam vestrûm gravaremus, prædicavimus in vobis euangelium Dei.* Ubi in Græco pro *gravaremus* est verbum ἐπιβαρῆσαι, quod respondet ad illud quod superiùs dicitur ἐν βάρει εἶναι. Est autem hujus literæ sensus, quòd cùm Paulus tanquam Apostolus Christi potuisset Thessalonicensibus oneri esse, in his videlicet quæ ad victum pertinebant, cùm ipse alibi dicat, *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si vos carnalia vestra metamus?* &, *qui altario deserviunt, cum altario participant*: &, *non alligabis os bovi trituranti*; cùm, inquam, Apostolatûs jure potuisset ab illis sumptus quotidianos exigere, noluit cuiquam oneri esse, noluit quenquam gravare, sed propriis manibus die ac nocte operans victum sibi quæritabat; nemini ob cibum adulabatur, non in quæstum prædicationem habebat Euangelii. Ait enim in præcedentibus, *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis, neque in occasione avaritiæ.* Idem & 2 Thess. 3. sic ait, *Ipsi enim scitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte ac die operantes, nè quem vestrûm gravaremus.*

Ib. Vetus tralatio, *Sed facti sumus parvuli in medio vestrûm.* Paulus, ἀλλ' ἐγενήθημεν ἤπιοι ἐν μέσῳ ὑμῶν. Erasmus, *Sed fuimus placidi in medio vestrî.*

Ità quidem legitur in Græcis codicibus quos ego viderim, i. ἤπιοι, h. e. *benigni* sive *mites* aut *placidi*: sed tamen vetera & emendata Græcorum exemplaria, unde V. Interpres traduxit, νήπιοι habuisse, i. *parvuli*, ex Athanasio apparet, qui præsentem edisserens locum duplicem ejus affert lectionem, sic dicens, cùm priùs verba Apostolica proposuisset, *i. benigni, nil graves: vel* parvuli, i. *immunes nequitiæ, nec gloriæ cupidi. Qui enim tantulâ sunt ætate nihil hujusmodi meditantur.*

Ex Cap. V.

V. 23. Vetus tralatio, *Ut integer spiritus vester & anima & corpus sine querela in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur.* Paulus, αὐτὸς δὲ ὁ θεὸς τῆς εἰρήνης ἁγιάσαι ὑμᾶς ὁλοτελεῖς· καὶ ὁλόκληρον ὑμῶν τὸ πνεῦμα καὶ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα ἀμέμπτως ἐν τῇ παρουσίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τηρηθείη. Erasmus in Annot. *Porrò ὁλόκληρον Hieronymus videtur non legisse; nec mihi videtur ad sensum pertinere: non enim loquitur de integritate spiritûs, quem non dividit; sed hominis, qui suis constat partibus.*

Cùm in Græcis exemplaribus, quotquot sunt, ὁλόκληρον & in Latinis *integer*, hîc legatur, nemine discrepante, nescio cur Erasmus dixerit *non sibi videri ad sensum pertinere: neque loqui hîc Apostolum de integritate spiritûs, quem non dividit; sed hominis, qui suis constat partibus.* Loquitur enim hîc Apostolus de integritate spiritûs & animæ & corporis. Atque ità Gregorius Nissenus Athanasio referente super hoc loco verba hæc Apostolica intellexit. Sic enim ait Athanasius, *Gregorius autem Nissenus sic inquit, Cùm enim homo ex omni sit animarum specie admixtus, eâ scilicet quæ plantis inest, mox sensibili*

ſenſibili & intellectiva, cùm ſpiritum *dicit Apoſtolus, profectò intellectivam expreſſit; cùm* animam, *ſenſibilitatem ipſam; cùm* corpus, *vitam ineſſe nobis oſtendit quæ & in plantis eſſe comperitur. Precatur itaque & optat hos omnes per omnia ſine querela ſervari, & in cunctis Deo ut obſequantur.* Ambroſius præterea *integer* hîc legit, & verba hæc Apoſtolica ediſſerens ſic ait, *Deus pacis Chriſtus eſt. Ait enim,* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. *Quippe cùm omnia quæ habet Pater filii ſint; hunc ſanctificare nos optat Apoſtolus, ut nos illuſtret pietate clementiaſuæ, & omne votum noſtrum dirigat in perfectione, ut integer ſit ſpiritus datus nobis. Tunc enim integer eſt ſi bonæ vitæ ſtudeamus, animam habentes mundam, & corpus ſine querela, ut totus homo ſit perfectus,* &c. Ex eo autem quòd Eraſmus ait Hieronymum ὁλόκληρον non legiſſe, manifeſtè apparet non illum quæſtionem illam duodecimam ex Hieronymi epiſtola ad Hedibiam cùm hæc commentaretur attentè perlegiſſe; alioqui facilè reperiſſet Hieronymum legiſſe ὁλόκληρον, qui eo in loco eandem dictionem & ad corpus & ad animum & ad ſpiritum refert: & cùm de integritate corporis & animæ priùs eſſet locutus, de ſpiritûs integritate ſic intulit, *Spiritus quoque in nobis integer conſervatur quando non erramus in ſpiritalibus, ſed vivimus in ſpiritu, acquieſcimus ſpiritui, & opera carnis mortificamus in ſpiritu, afferimuſque omnes fructus ejus, charitatem, gaudium,* &c.

EX EPISTOLA SECUNDA AD THESSALONICENSES.

Ex Cap. II.

V. 5. VETUS tralatio, *Non retinetis quòd cùm adhuc eſſem apud vos hæc dicebam vobis?* Paulus, οὐ μνημονεύετε ὅτι ἔτι ὢν πρὸς ὑμᾶς ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν; Eraſmus, *An non meminiſtis quòd cùm adhuc eſſē apud vos hæc dixerim vobis?* Et in Annotat. *Non retinetis,* οὐ μνημονεύετε] i. non meminiſtis. *O ſtultam copiæ affectationem, etiam cum injuria ſenſûs! Utrùm quaſo iſtud eſt vertere divinas literas, an potiùs in re ſeria ludere?*

O ſtultum hominem Eraſmum iſtum Roterodamum, & Latinæ linguæ prorſus ignarum! Stultã appellat in Interprete Eccleſiaſtico copiæ affectionem quòd pro eo quod in Græco legitur οὐ μνημονεύετε, i. *non meminiſtis*, aut *non memoriâ tenetis, non retinetis* ille traduxerit, ſdque eſſe ait *etiam cum injuria ſenſûs.* Quaſi aliquis tam rudis uſquam reperiri poſſit, & tam Eraſmo ſimilis, i. adeò hebeti ingenio & craſſo intellectu, ut non intelligat hoc loco *non retinetis* idem eſſe quod *non meminiſtis*; quo quidem dicendi genere & Seneca uſus eſt, ut apparet ex ejuſdem ad Paulum apoſtolum epiſtola, ubi dicitur, *Nec vereare quod ſæpius te dixiſſe retineo*, i. memoriâ teneo. Legimus etiam cum *memoria* adjectione ſimilem Græcam dictionem à Vet. Interprete verſam Act. 20. ubi dicitur, *Propter quod vigilate, memoriâ retinentes quoniam per triennium nocte & die,* &c. Quod Græcè dicitur, διὸ γρηγορεῖτε, μνημονεύοντες ὅτι τριετίαν νύκτα καὶ ἡμέραν, &c.

Ex Cap. III.

V. 6. Vetus tralatio, *Hoc denunciabamus vobis.* Paulus, τοῦτο παρηγγέλλομεν ὑμῖν. Eraſmus, *Hoc præcipiebamus vobis.* Et in Annot. *Hic,* inquit, *ubique oſtentat ſuam ineptam copiam, etiam antequam nos de copia prodidiſſemus.*

Potiùs mihi videntur hæc verba quæ de Vet. Interprete Eraſmus effutire non dubitat, de ipſo dici haud injuriâ poſſe. Siquidem etiam ſi nos Eraſmicas ineptias non prodidiſſemus, ſatis illas ubique ſuus autor oſtentat, velut hoc loco. Nam cùm verbum παραγγέλλω *præcipere* ac *denunciare* ſignificet, atque nunc hoc nunc illo modo id Vet. Interpres traducat, ut vel ex hoc capite facilè apparet; quòd non perpetuò pro *præcipere* illud traduxerit, *Hic,* inquit, *ubique ſuam oſtentat ineptam copiam, etiam antequam nos de copia prodidiſſemus.* Quaſi alicujus piaculi Vet. Interpres reus ſit quòd non ad Eraſmi conniventiam Sacras N. Teſtamenti Scripturas perpetuò traduxerit; ac non potiùs Eraſmus reprehendendus quòd in Vet. Interprete calumniari non dubiter, cujus rei ſtudioſus ipſe maximè apparet. Alioqui cur hoc capite *Denunciamus autem vobis, fratres,* traduxit pro eo quod Græcè dicitur παραγγέλλομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοί; Et infrà, *denunciamus & obſecramus* pro παραγγέλλομεν καὶ παρακαλοῦμεν.

EX EPISTOLA PRIMA AD TIMOTHEUM.

Ex Cap. I.

V. 3. VETUS tralatio, *Sicut rogavi te ut remaneres Epheſi cùm irem in Macedoniam.* Paulus, καθὼς παρεκάλεσά σε προσμεῖναι ἐν Ἐφέσῳ πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν. Eraſmus, *Quemadmodum rogavi te ut remaneres Epheſi cùm proficiſcerer in Macedoniam, ità facito.*

Mira eſt admodum Eraſmi iſtius audacia, niſi temeritas potiùs appellanda eſt, cùm ea verba Latinè reddere non dubitaverit quæ Apoſtolus Græcè nequaquam protulit; ſiquidem illud *ità facito* in Græco non habetur. Voluit ſcilicet Apoſtoli orationem, quæ ſuſpenſa videbatur, de ſuo ille adimplere; non attendens ſæpiſſime hoc dicendi genere Apoſtolum uti, i. ut ſuſpenſam multis in locis relinquat orationem. Nam quod in Annotat. ait pleniorem eſſe orationem Græcè quàm Latinè, propterea quòd προσμεῖναι poteſt eſſe vel infinitivi modi vel imperativi quantum ad ſenſum attinet; nihil ad præſentem pertinet locum: ſiquidem προσμεῖναι nequaquam hic eſſe poteſt imperativi modi, quod ſequentia indicant, i. πορευόμενος εἰς Μακεδονίαν, h.e. *cùm irem in Macedoniam.* Ex quo patet neceſſariò προσμεῖναι infinitivi hic eſſe debere. Ac ſic quidem legit Ambroſius, i. per infinitivum: ſic enim tralatio illa antiqua quam ipſe ſequitur hoc loco habet, *Sicut rogavi te ſubremanere Epheſi cùm irem in Macedoniam, ut denunciares quibuſdam nè aliter docerent,* &c. Falſò igitur Eraſmus retulit Ambroſium legiſſe *ut denuncies*; cùm *ut denunciares* apud illum legatur, non *ut denuncies.* Quod verò in eiſdem Annotat. dixerat, tametſi Græca vox παρεκάλεσα anceps ſit, tamen hic magìs quadrare potuiſſe *hortatus ſum,* ut Vallæ placet; deceptus ſine dubio eſt unà cum Valla ſuo: ſiquidem in eum ſenſum quo hæc dictio à Vet. Interprete traducta eſt à Doctoribus Eccleſiaſticis eſt intellecta, quos nemo ſanæ mentis dubitat Vallæ & Eraſmo eſſe præferendos. Sic enim Athanaſius eadem verba explicans ait, *Sicut rogavi te,* &c. *Vide quanta ſit hujus benignitas: non enim magiſtri ſed ſervi utitur voce: neque enim* id tibi injunxi *inquit, ſed* rogavi *& precibus depoposci,* &c.

Ibid. Vetus tralatio, *Ut denunciares quibuſdam nè aliter docerent.* Paulus, ἵνα παραγγείλῃς τισὶ μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν. Eraſmus, *Ut denuncies quibuſdam nè diverſam ſtquantur doctrinam.*

Cùm in textu ſic Eraſmus traduxiſſet ut ex ſuperioribus apparet; in Annotat. veram verbi Græci interpretationem ſubodoratus, vet. Interpretationem amplectitur, ità tamen ut ſuam non ſolùm non deſerat ſed etiam potiorem eſſe ducat. Sic enim ait, μὴ ἑτεροδιδασκαλεῖν, i. nè diverſa doceant, *aut potiùs* ne diverſis uterentur doctoribus, *verbo compoſito ab* ἕτερος & alius & διδάσκαλος doctor ἑτεροδιδασκαλεῖν, *quod eſt* nunc his nunc illis uti doctoribus. *Quanquam Chryſoſtomus & hunc ſecutus Vulgarius* ἑτεροδιδασκαλεῖν *interpretantur* diverſam inducere doctrinam, *ut ad pſeudoapoſtolos pertineat.* Quanquam verò & Chryſoſtomi & Vulgarii autoritas Eraſmum prorſus obruat; ut tamen

men ejuſdem error lectori manifeſtior appareat, ſciendum eſt ἑτεροδιδασκαλῶν nihil aliud ſignificare niſi ut Vet. Interpres tranſtulit. Nam cùm verbum διδασκαλῶν, ex quo dictio eſt compoſita, *docere* ſignificet ἀκτιvâque voce hîc accipiatur, ad diſcipulos nequaquam referri poteſt, ſed ad doctores potiùs; id quod vel ex argumento quod in Græco huic epiſtolæ præponitur facilè apparet, ubi hîc legitur, ἡ δὲ αἰτία τῆς ὑποθέσεως αὕτη, Ἐν τῇ Ἐφέσῳ τινὲς Ἰουδαΐζοντες ἐπεχείρουν ἑτεροδιδασκαλεῖν, καὶ ἀπατᾶν πρὸ ἀκριβείας αἰτίαν τῷ νόμῳ, i. *Cauſa autem hujus epiſtolæ hæc fuit, In Epheſo quidam Judaizantes conabantur aliter docere, ac decipere ſimplices pratextu Legis.*

Ex Cap. III.

V. 6. Vetus tralatio, *Non neophytum, nè in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli.* Paulus, μὴ νεόφυτον, ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρίμα ἐμπέσῃ τοῦ διαβόλου. Eraſmus, *Non novitium, nè inflatus in judicium incidat calumniatoris.* Et in Annotat. *Cæterùm*, inquit, *hoc loco* diaboli *fortaſſis non malè verti poterat* calumniatoris. *Requirit enim Paulus ab Epiſcopo non ſolùm ut ipſe vacet omni culpâ, verùm etiam nè ſit obnoxius calumniis aut ſuſpicioni. Proinde vult mores ac vitam illius in Chriſtianiſmo diu ſpectatam eſſe, nè quiſquam vel calumniari poſſit.*

Hoc eſt quod ſuprà à me dictum eſſe memini, Eraſmum videlicet quæcunque in textu perperàm traduxerat, niſi omnia potiùs ad eundem modum tranſtulit, cognito poſtea errore multis verborum involucris ac verî ſpeciem præſeferentibus in Annotat. defendere illa ſolere, nè ſe aliquomodo erraſſe fateri videatur. Hoc autem loco quàm devius ab Apoſtoli mente & in Tralatione & Annotationibus fuerit, ex ſanctorum Doctorum in hunc locum expoſitione facilè lectori patebit. Ac primus omnium Athanaſius prodeat, qui verba hæc Apoſtolica in Commentariis ediſſerens ſic ait, *Si priùs*, inquit, *quàm optimus diſcipulus ſit, præceptoris illi officium demandetur, intumeſcet hic ſanè, & in diaboli judicium & damnationem concidet, qualem ille præ mentis elatione ſubierat.* Ambroſius ſuper hoc loco, *Verum eſt quia rudis in fide ſolet extolli ſuperbiâ, maximè ſi accipiat ordinem: novitas enim & poteſtate inflatur, arbitrans ſe præ cæteris dignorem. Videns enim primo anno nativitatis collatum in ſi honorem, putat non magis ad ſuum ſed ad aliorum profectum ſe vocatum, quaſi beneficium religioni det magis quàm accipiat ab ea, per quam rem elatus incurrit laqueum diaboli. Inventâ enim occaſione ſuperbiæ illius Satanas præcipitat eum. Ideóque in Salomone legitur*, Superbis Deus reſiſtit: *unde & in alia epiſtola Apoſtolus ait*, Qui ſe putat eſſe aliquid ſeipſum ſeducit. *Et Dominus*, Qui ſe, *inquit*, exaltaverit, humiliabitur. D. Hieronymus in epiſtola ad Oceanum De unius uxoris viro, *Quod autem ait* nè in ſuperbiam elatus incidat in judicium diaboli, *quis non exemplo verum probet? Ignorat montanensis ſacerdos humilitatem & manſuetudinem ruſticorum; ignorat blanditias Chriſtianas; neſcit ſeipſum contemnere. De dignitate transfertur ad dignitatem: non jejunavit, non flevit, non mores ſuos ſæpe reprehendit & aſſiduâ meditatione correxit, non ſubſtantiam pauperibus erogavit. De cathedra quodammodo ducitur ad cathedram, i. de ſuperbia ad ſuperbiam. Judicium autem & ruina diaboli nulli dubium quin arrogantia ſit. Incidunt in eam qui in puncto hora necdum diſcipuli jam magiſtri ſunt.*

V. 11. Vetus tralatio, *Mulieres ſimiliter pudicas.* Paulus, γυναῖκας ὡσαύτως σεμνάς. Eraſmus, *Uxores ſimiliter modeſtas.* Et in Annotat. *Cùm ipſe ſermonis tenor palàm declaret eum loqui de uxoribus epiſcoporum ac diaconorum, rectiùs vertiſſet* uxores *quàm* mulieres, *quandoquidem Græcis eſt* γυναῖκας. *Deinde* σεμνὰς *eadem vox quæ in liberis epiſcopi requirebat reverentem verecundiam.*

Aliter Eccleſiæ Doctores hunc locum intellexerunt: ſiquidem non de uxoribus epiſcoporum ac diaconorum Apoſtolica verba eſſe dicta voluerunt, ſed nonnulli eorum de his mulieribus quæ Eccleſiæ miniſtrabant. Unde Athanaſius hæc in Commentariis ediſſerens ſic ait, *Non enim de quibuſdam mulieribus diſſerit; ſed eas nunc profert quæ & miniſtrandi fungantur officio: ea namque Eccleſiæ conferunt plurimum. Nam niſi faceret de hujuſmodi feminis mentionem, quid opus fuiſſet cùm de diaconibus & viris tractet, de mulieribus etiam interjeciſſe ſermonem?* Chryſoſtomus in Homiliis ità hæc legit, *Mulieres miniſtras ſimiliter*, inquit, *caſtas, non bilingues*, &c. & ſubdit, *plerique volunt Apoſtolum hoc de mulieribus ſimpliciter præcepiſſe, verùm non ità eſt. Quid enim conſequentiæ haberet inter ea quæ de epiſcopis atque diaconis mennit mulierum ullam facere mentionem? Sed de his profectò ait quæ miniſterii dignitate ſunt prædita.* Ambroſius hæc aliter intellexit: voluit enim de quibuſvis mulieribus ſimpliciter hoc ab Apoſtolo dictum fuiſſe; ſic enim ait præſentem explicans locum, *Quia ſanctum præcipit creari epiſcopum, adaque & diaconum, non utique diſparem vult eſſe plebem. Quippe cùm dicat Dominus*, Sancti eſtote, quia & ego ſanctus ſum; *ideóque etiam mulieres quæ inferiores videntur ſine crimine vult eſſe, ut munda ſit Eccleſia Dei. Sed Cataphrygæ erroris occaſionem captantes propter quod poſt diaconos mulieres alloquitur, etiam ipſas diaconas ordinari debere vanâ præſumptione defendunt: cùm ſciant Apoſtolos ſeptem diaconos elegiſſe. Numquid nulla mulier tum idonea inventa eſt cùm inter undecim Apoſtolos ſanctas mulieres fuiſſe legamus? Sed ut hæretici animum ſuum verbis non ſenſu legis aſtruere videantur, Apoſtoli verbis contra ſenſum nituntur Apoſtoli; ut cùm ille mulierem in Eccleſia in ſilentio eſſe debere præcipiat, illi è contrà etiam autoritatem in Eccleſia vendicent miniſterii.* Hactenus Ambroſius. Poſſemus autem hîc dicere, quòd ſanctos doctores hoc loco concordare videremur, non Apoſtolum de illis mulieribus intellexiſſe quæ Diaconatûs ordinem in Eccleſia haberent, cùm alieni ſint hujuſmodi ordines à ſexu femineo; ſed de illis tantùm quas ſacri canones *Diaconiſſas* appellant, i. miniſtratrices, ut ità dixerim, & Eccleſiæ ſervitrices; & de hoc quidem mulierum genere Athanaſius & Chryſoſtomus ſenſiſſe videntur, cùm alter, *ſed eas*, inquit, *nunc profert quæ & miniſtrandi fungantur officio*; alter verò, *ſed de his profectò ait quæ miniſterii dignitate ſunt prædita.* Non quòd per hæc verba Chryſoſtomus ſignificare voluerit Diaconatûs ordinis dignitatem, quod hæretici illi Cataphrygæ, de quibus Ambroſius refert ex hoc loco, aſſerebant; ſed *dignitatem* hîc honorem appellat, quòd mulieres iſtæ eccleſiaſticæ miniſtræ honorabiliores aliis ex ſeculo mulieribus vel ob hoc munus eſſe viderentur: aut fortè quòd per aliquam benedictionem ad eccleſiæ miniſterium ordinabantur: quod ex eo quidem patet quòd ante annos quadraginta ordinari prohibebantur, atque id quidem cum diligenti probatione; & quòd ſi poſt hujuſmodi ordinationem ſe nuptiis traderent, anathemati cum illis qui eas ducerent ſubjiciebantur, ut ex quodam decreto Chalcedonenſis Concilii apparet, quod in Decretis Pontificiis legitur XXVII. quæſtione I.

Ex Cap. IV.

V. 3. Vetus tralatio, *Abſtinere à cibis quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.* Paulus, ἀπέχεσθαι βρωμάτων ἃ ὁ θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάλημψιν μετ' εὐχαριστίας τοῖς πιστοῖς. Eraſmus, *Abſtinere à cibis quæ Deus creavit ad ſumendum cum gratiarum actione fidelibus.*

Qui tam diligens eſt in aliorum erratis annotandis, ità ſe prorſus gerere debuiſſet ut nihil ab eo eſſet admiſſum quod poſſet in alterius cadere cenſuram. *Carere* enim *omni vitio debet*, ut quidam ait, *qui in alterum paratus eſt dicere*, &, juxta Salvatoris ſententiam, *ejicere primùm trabem de oculo ſuo.* Hæc iccirco ſum præfatus quòd cùm Eraſmus V. Interpretem in Annot. acriter reprehenderit quòd prò eo quod Luc. 19. in Græco legitur,

καὶ διατί οὐκ ἔδωκας τὸ ἀργύριόν μου ἐπὶ τραπέζαν, καὶ ἐγὼ ἐλθὼν σὺν τόκῳ ἂν ἔπραξα αὐτό; sic ille traduxerit, *& quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum uſuris utiq; exegiſſem illud?* ait enim dicendum illi fuiſſe *exegiſſem illum*, cùm *pecuniam* traduxiſſet, quæ dictio feminini generis eſt, non *argentum*, quod neutri. Qui igitur Interpretem eo loco vel oblivionis vel imperitiæ notavit, ſi tamen ità à V. Interprete ſcriptum eſt, ſimili nunc errore eſt lapſus, cùm oblitus pro eo quod Græcè eſt βρώματα *cibos* ſe tranſtuliſſe, quæ dictio maſculini generis eſt, *quæ Deus creavit* ſubjunxit, quia in Græco ἃ ſequebatur, quod referebatur ad βρώματα neutram vocem. Proinde meminerit ſe impoſterum Eraſmus hominem eſſe, & facilè vel errare vel memoriolâ, quâ nihil in humanis fragilius eſt, poſſe vacillare: & aliorum errata non ſolùm ipſe non reprehendat, ſed etiam ſummopere admiretur, & pro magno ducat negotio, ſi aliquid deprehendere poſſit ab humano ingenio editum quod omni ex parte errato vacare videatur.

V. 6. Vetus tralatio, *Enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ quam aſſecutus es.* Paulus, ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας ἣ παρηκολούθηκας. Eraſmus, *Enutritus in ſermonibus fidei, & bonâ doctrinâ quam uſque ſecutus es.*

Cùm in Græco dicatur καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας in genitivo, atque ad λόγοις id referatur, ſicut τῆς πίστεως, id quod conjunctio καὶ manifeſtè demonſtrat; ac rectè hic locus à V. Interprete ſit traductus; neſcio cur Eraſmus ex ſecundo caſu ſeptimum hîc efficere voluit, Græcâ præſertim literâ reclamante, & *in* præpoſitionem addere, quæ in Græco non legitur. Porrò quod idem in Annot. ait dictionem ἐντρεφόμενος, pro qua V. Interpres *nutritus* traduxit, poſſe etiam activè legi, *educans illos verbis fidei*, quia participium medium eſt præſentis temporis, ἐντρεφόμενος, & ad id facere quod mox ſequitur, *quam aſſecutus es*, h.e. trade aliis quod à nobis didiciſti; novum quidem eſt & ab Apoſtoli ſenſu prorſus alienum. Siquidem in eum ſenſum quo à V. Interprete hæc dictio traducta eſt à doctoribus etiam Græcis eſt expoſita. Athanaſius ſuper hoc loco, *Dixit*, Propone hæc fratribus & conſule. *Nunc verò vel tu ipſe, inquit, enutritus, i. frequenter eadem illa convolvens & quaſi ruminans, revoca.* Enutritus *verò ideo intulit ut indeſinentem ejus in his attentionem oſtenderet, ut quemadmodum ſemper corporis alimenta percipimus, ſic etiam aſſiduis quæ ad fidem faciunt verbis enutriamur.* Ambroſius, *Quid tam verum, quid tam clarum & providum, niſi ut diſciplina Chriſtiana incorrupta tradatur, ut fructus ejus in area Dominica fertilis ac firmus collaudetur; h.e. ut in die judicii non reprobus & igni comburendus cenſeatur. Hoc boni doctoris eſt, atque idonei miniſtri Domini Jeſu Chriſti, quippe cùm* enutritum hunc dicat verbis fidei & bonæ doctrinæ *quam ab infantia hunc aſſecutum aſſerit.*

V. 15. Vetus tralatio, *Hæc meditare.* Paulus, ταῦτα μελέτα. Eraſmus, *Hæc exerce.* Et in Annot. *Hæc meditare*] ταῦτα μελέτα, *quod Interpres eleganter vertit. Sed Hugo Cardinalis non intelligens hoc vocabulum ad hunc exponit modum,* Verſa in corde per jugem memoriam. *O mataologum, h.e. pluſquam Theologum! Eſt autem* meditari *exercere in re quapiam.*

Neſcio quid magìs in Eraſmo iſto Roterodamo reprehenſione dignum cenſeam; Sacrarúmne literarum imperitiam, an barbaram quandam arrogantiam, quâ omnes prorſus deſpicit, contemnit, floccifacit, ac nihili ~~pre~~ æſtimat, an effrænem iſtam ac non jam ferendam loquacitatem quâ cunctos uno nomine non ſolùm contumelioſiſſimè compellat, verùm etiam carpit, lacerat, diſſecat, ridet, deridet, quaſi ſolus ipſe ſapiat, cæteri umbræ volitent, quod de Tireſia dixit Homerus. *Mataologum* appellat Hugonem Cardinalem, h.e. inanem aut vanum Theologum, quòd *meditare* pro cogita hîc accepit. Quaſi non & in eum ſenſum Apoſtolica hæc verba intelligi poſſint: aut quaſi *meditari* & *meditatio* non etiam ad animum referantur. Prov. 15. *Mens juſti meditabitur obedientiam.* Lxx, καρδία δικαίων μελετᾷ πίστις, i. *corda juſtorum meditantur fidem.* Et in eodem libro cap. 24. *Nè æmuleris viros malos, nec deſideres eſſe cum eis: quia rapinas meditatur mens eorum.* Quod Græcè dicitur ψεῦδος μελετᾷ ἡ καρδία αὐτῶν, i. *mendacia enim meditatur cor eorum.* Eſai. 33. *Cor tuum meditabitur timorem.* Lxx ſic, ἡ ψυχὴ ὑμῶν μελετήσει φόβον, i. *Anima veſtra meditabitur timorem.* Pſal. 18. *Et meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper,* καὶ ἡ μελέτη τῆς καρδίας μου ἐνώπιόν σου διὰ παντός. Et Pſal. 48. *Os meum loquetur ſapientiam, & cogitatio cordis mei prudentiam,* τὸ στόμα μου λαλήσει σοφίαν, καὶ ἡ μελέτη τῆς καρδίας μου σύνεσιν. Et ut de ſecularibus quoque literis teſtimonia proferamus. Terentius in Andria, *Venit meditatus alicunde ex ſolo loco.* Idem in Phormione, *Quamobrem omnes cùm ſecunda res ſunt maximè meditari ſecum oportet quo pacto adverſam eruminam ferant.* Et paulò infrà, *Meditata mihi ſunt omnia mea incommoda.* Cicero Philippicâ 2. *Non enim abjectum ſuſtuleras, ſed attuleras domo meditatum & cogitatum ſcelus.* Quòd ſi exercitium ſignificare hîc Apoſtolus voluiſſet, uſus quidem eſſet eo verbo quod paulò antè poſuit, ubi dicitur, *Exerce autem teipſum ad pietatem: nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt.* Quod Græcè ſic dicitur, γύμναζε δὲ σεαυτὸν πρὸς εὐσέβειαν· ἡ γὰρ σωματικὴ γυμνασία πρὸς ὀλίγον ἐστὶν ὠφέλιμος. Quia verò non de exercitio exteriori ſed de interiori cogitatione ſentiebat, ideo dixit μελέτα, i. *meditare*, h. e. *in corde tuo per jugem memoriam verſa*, ut bonus ille Cardinalis, quem *mataologum* per deriſionem Eraſmus appellat, veriſſimè expoſuit.

EX EPISTOLA SECUNDA AD TIMOTHEUM.

Ex Cap. I.

V. 12. VETUS tralatio, *Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Paulus, οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευκα, καὶ πέπεισμαι ὅτι δυνατός ἐστι τὴν παραθήκην μου φυλάξαι εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν. Eraſmus, *Novi enim quòd is cui credidi, & certus ſum quòd potens ſit depoſitum meum cuſtodire in illum diem.*

Non intellexit hoc loco Apoſtolica verba Eraſmus Roterodamus: non enim id ſonant quod ipſe traduxit, neque id quod in Annotat. falſam interpretationem ſuam, ut ſolet, defendens, rurſus explicuit; ſed quod Vet. Interpres verè ac fideliter tranſtulit; id quod vel mediocriter in Græcis literis eruditi facilè judicare poſſunt. Pendet enim ſententia ex ſuperioribus, ab illo videlicet loco ubi dicitur, *noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus:* & cùm longâ oratione uſus eſſet, tandem intulit, *ob quam cauſam hæc patior, ſed non confundor.* Diceret aliquis, Quare non confunderis, Apoſtole beatiſſime? Reſpondet Paulus huic tacitæ quæſtioni, *Quia ſcio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.*

V. 16. Vetus tralatio, *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigeravit.* Paulus, δῴη ἔλεος ὁ Κύριος τῷ Ὀνησιφόρου οἴκῳ, ὅτι πολλάκις με ἀνέψυξε. Eraſmus, *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori familiæ, quoniam ſæpe me refocillavit.*

Videtur per hanc Eraſmi traductionem quòd Oneſiphorii familia refocillaverit Apoſtolum, & catenam ejus non erubuerit; & quòd Romæ quæſierit eum & invenerit; & quòd iis de cauſis eidem familiæ miſericordiam Domini Apoſtolus imprecetur. Sed longè alius eſt ſenſus Apoſtolicorum verborum. Siquidem poſtulat à Deo Paulus ut faciat miſericordiam cum Oneſiphori domo propterea quòd ipſe Oneſiphorus illum in tribulationibus refrigeraverit, &c. Quanquam verò pro *domo* non hîc intelligantur parietes & tecta, ſed familia ipſa; vitanda tamen erat amphibologia, nè lectori dubitationem poſſet afferre.

Ex

Ex Cap. II.

V. 15. Vetus tralatio, *Rectè tractantem verbum veritatis.* Paulus, ὀρθοτομοῦντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Erasmus, *Rectè secantem verbum veritatis.*

D. Hieronymus in epistola ad Suniam & Fretelam regulam esse ait *boni interpretis ut idioma alterius linguæ suæ lingua exprimat proprietate; nè dum interpretationis proprietatem insequimur, omnem tralationis decorem amittamus.* Quod igitur Græci τομὴν dicunt, i. *secare* sive *dividere* Latini *tractare* dicere solent, & τόμους, i. *tomos*, h. e. *sectiones* (sic enim Græci appellant librorum divisiones) Latini *tractatus* appellant.

Ex Cap. III.

V. 2. V. tralatio, *Cupidi, elati.* Paulus, φιλάργυροι, ἀλαζόνες. Erasmus, *Avari, fastuosi.*

Mirum est quantum verborum affectatione ac copiâ Erasmus delectetur, id quod & in V. Interprete passim ille solet reprehendere. Nam cùm ἀλαζονεία *arrogantiam* sonet ac *superbiam*, & ἀλαζὼν *arrogans* sit ac *superbus*; quasi perperàm V. Interpres traduxerit, pro *elato*, i. superbo sive arrogante, quod propriè tralatum est, *fastuosum* ille posuit; quasi fastuosus ac superbus & elatus non idem sint. Quanquam *fastum* pro superbia sive arrogantia aut elatione aliquando legimus, *fastuosum* verò non ità.

V. 8. Vetus tralatio, *Quemadmodum autem Jamnes & Mambres restiterunt Moysi.* Paulus, ὃν τρόπον δὲ Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς ἀντέστησαν Μωϋσῇ. Erasmus, *Quemadmodum autem Jamnes & Jambres resistebant Moysi.* Et in Annot. *In Hebraicorum nominum interpretatione legimus utrumq; Mambres & Jambres similiter expositum, quasi nihil interfit* Jambres *sones an* Mambres.

Non hoc ultimum dixisset Erasmus si Hebraicas literas vel mediocriter didicisset. Multùm siquidem refert *Jambres* sones an *Mambres*, cùm illud *mare in capite* significet, aut *mare in egestate* vel *paupertate*; hoc verò *rebellem* aut *amarum*, vel *commutantem* aut *permutantem.* In libello verò interpretationum Hebraicorum nominum, qui in fine Bibliarum circumfertur, de quo Erasmus hîc sensit, perperàm utrumque nomen similiter interpretatum legitur, cùm diversis interpretationibus eorum quodlibet exponendum sit.

V. 16. V. tralatio, *Ad corripiendum.* Erasmus in Annot. *Hoc loco D. Ambrosius addit* ad redintegrationem κατορθωσιν, *quo verbo Paulus est & aliàs usus. Quanquam id neque in nostra Vulg. edit. nec in Græcis reperio codicibus.*

Non hoc loco D. Ambrosius addit *ad redintegrationem*, ut Erasmus somniavit. Neq; enim quintam rem addidit, aut in Græco scriptum fuit κατόρθωσιν, pro quo κατορθωσιν imperitè ille posuit; sed quatuor Græcis dictionibus quatuor tantùm Latina reddidit. Siquidem pro eo quod Græcè dicitur, πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ, Ambrosiana tralatio sic habet, *Omnis scriptura Divinitus inspirata utilis est ad doctrinam, ad correptionem, ad redintegrationem, ad eruditionem quæ est in ipsa justitia.* Ex quo patet manifestè pro eo quod Græcè dicitur πρὸς ἐπανόρθωσιν, pro quo Vulg. editio habet *ad corripiendum*, tralationem Ambrosianam *ad redintegrationem* expressisse.

Ex Cap. IV.

V. 6. Vetus tralatio, *Ego enim jam delibor.* Paulus, ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι. Erasmus, *Nam ipse jam immolor.* Et in Annot. Σπένδομαι, i. *immolor.*

Verbum σπένδω, unde σπένδομαι, *libare* significat, & σπονδὴ *libationem* sive *libamen.* Quanquam autem hæc ad sacrificia referantur; adnotavit tamen Athanasius hoc loco de libatione Apostolica verba intelligi debere, non de immolatione. Sic enim ait, *Non enim* immolor *dixit, sed* delibor, *quod sanè præstantius est. Siquidem haudquaquam quæ immolationis sunt ad Deum omnia referuntur, libationis verò universa.* Chrysostomus item in homilia super hoc loco, *Non ait* mei sacrificii, *sed quod majus ac dignius est. Nam hostia quidem non tota Deo offertur, libamen verò totum.*

EX EPISTOLA AD TITUM.

Ex Cap. I.

V. 5. Vetus tralatio, *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ.* Paulus, τούτου χάριν κατέλιπόν σε ἐν Κρήτῃ. Erasmus, *Hujus rei gratiâ reliqui te in Creta.* Et in Annot. *Græci*, inquit, *& urbium nominibus apponunt præpositionem, id quod apud Latinos rarissimum est. At Interpres ab insulæ vocabulo sustulit Græcam præpositionem, quod prorsus est intolerabile.*

Non prorsus est intolerabile ab insulæ vocabulo sublatam esse ab Interprete Græcam præpositionem, siquidem inveniuntur aliquando apud Latinos insularum nomina in genitivo adverbialiter posita, sicut & civitatum, licèt Grammaticorum observatio penitus reclamet. Cujus rei non ignarus D. Hieronymus, Latinæ linguæ imprimis peritissimus, in prologo quarti libri Commentariorum in Hieremiam sic scripsit, *Et non solùm in Occidentis sed & in Orientis partibus sibilare, & in quibusdam insulis, præcipuéque Siciliæ & Rhodi, maculare plerosque*, &c.

V. 7. Vetus tralatio, *Non superbum.* Paulus, μὴ αὐθάδη. Erasmus, *Non præfractum.* Et in Annot. Μὴ αὐθάδη, i. non præfractum, *quod Hieronymus & Ambrosius legunt*, non protervum, *& rectè sanè: nos vertimus* præfractum.

Αὐθάδης sic ab Hesychio interpretatur αὐθέκαστος, θυμώδης, πικρόμυθος, αὐτάρεσκος· h. e. *superbus, furibundus, iniquus, sibi placens.* Hoc autem loco pro *superbo* accipi debere, ut V. Interpres transtulit, ex Athanasio edocemur, qui præsentem edisserens locum sic ait, *Qui enim exteriori hoc & mundano potitur imperio, invitis imperat, eóque & in eos pro suo arbitratu superbius dominatur. Episcopum verò, qui volentibus præsidet, nequaquam decet imperiosum se præstet & insolentem, vel pro ejus arbitrio & subditis inconsultis aliquid peragat. Id enim tyranni facitant.* Quid autem *præfractus* hoc loco significet nec ego quidem intelligo, neque ipsum arbitror Erasmum, qui id posuit, prorsus intelligere.

Ex Cap. III.

V. 10. Vetus tralatio, *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* Paulus, αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ. Erasmus, *Factiosum hominem post unam & alteram admonitionem fuge.* Et in Annot. *Cæterùm* hæreticum *appellat, non qui dissentiat à conclusionibus magistrorum nostrorum, sed factiosum.*

Videtur Erasmus per hanc suam traductionem intellexisse, non hîc ab Apostolo *hæreticum* appellatum eo sensu quo hæretici accipiuntur, i. illi qui pertinaciter ab Ecclesia dissident, siquidem *factio* aliud significat quàm *hæresis*, & *factiosus* quàm *hæreticus*; cùm illud seditionem proprièsonet, hoc verò pertinacem & damnabilem opinionem. Cæterùm hoc loco de hæreticis Apostolum intellexisse ex Athanasio imprimis admonemur, qui in Commentariis præsentem explicans locum sic ait, *Quo pacto alibi dixit* nè fortè illos Deus ad pœnitentiam ducat? *Ibi quidem facit de his mentionem qui emendationis spem aliquam præseferunt, hîc verò incorrigibilem dicit hæreticum, & unde-*

quaque adeò planè distortum & tam variis & multiplicibus nodis implicitum, ut sese nequeat his explicare, sed per se sit condemnationi adjudicatus, i. qui nullam habeat sui erroris excusationem: quippe cùm nec illud possit prætendere, sese à nemine fuisse admonitum vel ad veritatem instructum, qui & admonitus sit & optimè institutus, quò sit ut sit per se condemnatus, qui nihil habeat quò sua errata excuset. Ambrosius item *hæreticum* hîc legit non *factiosum*; & subdit, *Hæretici hi sunt qui per verba legis legem impugnant. Proprium enim sensum verbis astruunt legis, ut pravitatem mentis suæ legis autoritate commendent*, &c. Hieronymus item *hæreticum* legit, & in hunc sensum præsentem locum longiùs explicuit.

EX EPISTOLA AD PHILEMONEM.

V. 9. VEtus tralatio, *Propter charitatem magis obsecro, cùm sis talis ut Paulus senex.* Paulus, διὰ τὴν ἀγάπην μᾶλλον παρακαλῶ, τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης. Erasmus, *Tamen propter charitatem potiùs rogo, cùm talis sim, nempe Paulus senex.*

In omnibus Latinorum codicibus, etiam antiquissimis, magno consensu hoc loco legitur *sis* secundæ personæ, non *sim* primæ. Quare non est credendum ab aliquo hoc fuisse corruptum, quod plerique putant, sed deditâ operâ sic ab Interprete ut videmus translatum. Atque ità legit D. Ambrosius, i. *sis*; & in hunc sensum sic præsentem locum edisserit, *Quantum ratio exigebat dignum erat imperare discipulo magistrum & fiduciâ Apostolicæ autoritatis. Sed quia vir bonus erat Philemon, per affectum illum provocat obaudire, quasi coævum ætatis & vinctum Christi Jesu, i. obligatum negotiis Dominicis, vel propter nomen ejus subjectum vinculis, sicut erant & ipsi Apostoli.* Cæterùm Athanasius, Chrysostomus & Hieronymus aliter hæc intellexerunt, ut scilicet τοιοῦτος ὢν non ad Philemonem referatur sed ad ipsum Paulum, & per primam hoc legunt personam: & volunt ut Paulus dixerit *propter charitatem magis obsecro, cùm sim talis ut Paulus senex*, &c. Sed *vult*, inquit Hieronymus, *magis petere quàm jubere grandi petentis autoritate propositâ per quam & Apostolus obsecrat, & senex, & vinctus Jesu Christi.* Græca præterea verba, i. τοιοῦτος ὤν, cùm per nominandi casum expressa sint, per primam sine dubio videntur esse transferenda personam. Sed illud videtur obstare, quòd impropria apparet comparatio si seipsum sibi Paulus compararit; & dicat *cùm sim talis ut Paulus senex, & vinctus Jesu Christi.* Quis enim ignorabat illum esse *Paulum*, & *senem*, & *vinctum Jesu Christi?* Quod vel imprimis effecit ut per secundam personam hunc locum Latinus transferret Interpres. q. d. Paulus, *propter charitatem* autem *magis te obsecro*, ô Philemon, *cùm talis* tu *sis qualis ego sum*, i. *cùm ejusdem ætatis sis, & eisdem obnoxius vinculis*, ut Ambrosius explicuit. Dicere itaque possumus nominandi casum ab Apostolo hîc positum esse pro accusativo, i. τοιοῦτος ὢν pro τοιοῦτον ὄντα, ut subintelligatur *te*, Hebræorum more, apud quos aliquando legimus nominativum pro accusativo positum, ut Gen. 27. ubi dicitur, *Benedic etiam & mihi, pater mi.* Quod in Hebræo sic legitur גם ברכני אני אבי, i. *Benedic me etiam ego, pater mi.* Vel quod significare voluerit cùm dixit τοιοῦτος ὢν *talis existens*, i. *talis cùm sis*, siquidem illud ὢν participium & per primam & per secundam & per tertiam personam resolvi potest: hoc autem locò cùm ad secundam loquatur personam, ad eandem referri debere non alienum ab Apostoli sensu videtur.

EX EPISTOLA AD HEBRÆOS.

CAP. I.

V. 6. VEtus tralatio, *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit, Et adorent eum omnes angeli Dei.* Interpres Pauli, Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην λέγει, Καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. Erasmus, *Rursum autem cùm inducit primogenitum in orbem terrarum dicit, Et adorabunt eum omnes angeli Dei.*

Verbum εἰσάγω, unde more Attico εἰσαγάγῃ deductum est, *introducere* etiam significat. Unde εἰσαγωγαὶ *introductiones* ad quaslibet disciplinas solent appellari. Joan. 18. *Et dixit hostiariæ, & introduxit Petrum*, καὶ εἶπε τῇ θυρωρῷ, καὶ εἰσήγαγε τὸν Πέτρον. Act. 9. *Manu autem ducentes illum introduxerunt Damascum*, χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν εἰσήγαγον εἰς Δαμασκόν. At verò προσκυνησάτωσαν imperativi modi est, i. *adorent.* Psalmo enim 96. unde hæc verba sumpta sunt per imperativum legitur, *Adorate eum omnes angeli ejus: audivit & lætata est Sion*, quod Hebraicè sic dicitur, השתחוו לו כל אלהים שמעה ותשמח ציון, pro quo Lxx sic traduxerunt, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ· ἤκουσε καὶ εὐφράνθη ἡ Σιών.

V. 7. Vetus tralatio, *Qui facit angelos suos spiritus.* Interpres Pauli, ὁ ποιῶν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ πνεύματα. Erasmus, *Qui creat angelos suos spiritus.*

Verbum ποιέω, unde participium ποιῶν, *facere* propriè significat, non *creare*, quod Græcè dicitur κτίσαι. Quanquam Lxx Gen. 1. ubi dicitur *In principio creavit Deus cœlum & terrã*, pro eo quod Hebraicè dicitur ברא, i. *creavit*, ἐποίησαν transtulerunt; quæ tamẽ dictio *fecit* significat: atq; ità quidem Latina tralatio quæ est juxta Lxx habet, i. *In principio fecit Deus cœlum & terram*, ut ex Ambrosio apparet, lib. 1 Hexaemeron, & ex Hieronymo in libro Hebraicarum quæstionum. Hoc autem loco, i. Psalmo 103. unde ab Apostolo hæc sumpta sunt, עֹשֶׂה in Hebræo legitur, h. e. *faciens* aut *qui facit*, non בּרֵא, i. *creans* aut *qui creat.*

V. 8. Vetus tralatio, *Ad filium autem, Thronus tuus Deus in seculum seculi.* Interpres Pauli, πρὸς δὲ τὸν υἱόν, Ὁ θρόνος σου ὁ Θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶνος. Erasmus, *Ad filium autem, Thronus tuus ipse Deus in seculum seculi.* Et in Annot. *Incertum*, inquit, *est an hic sit sensus*, O Deus, sedes tua est in seculum seculi; *an hic*, Ipse Deus est tibi thronus in seculum seculi. *Nam sermo Græcus anceps est.*

Non sermo Græcus anceps hoc loco est, ut Erasmus ex imperitia Hebraicarum literarum existimavit; siquidem hoc loco ὁ θεὸς vocativi casûs est, etiamsi articulum nominandi habeat. Nam cùm Hebræi careant quinto casu, nominativis pro vocativis utuntur, & per nominativum vocare solent. Estque hujus literæ sensus, *Sedes tua, ô Deus, in seculum seculi.* Non enim alicubi legitur quòd Pater sit thronus Filii, sed quòd Filius sedeat ad dexteram Patris, juxta illud ex Psalmo 109. *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dexteris meis.* Et in Euangelio, *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dexteris virtutis Dei.* Et in hac epistola cap. 2. *Atque in dextera sedis Dei sedet.* Ex hoc autem loco Christum manifestè Apostolus Deum pronunciavit. Unde Athanasius hæc in Comment. edisserens sic ait, *Angeli*, inquit, *creati sunt, & ad eos illud refertur* qui facit. *Filius verò nequaquam creatus est, nec de eo illud* qui facit *est dictum, quin potiùs rex ille & Dominus & Deus est, quod planè* thronus *iste testificatur, qui principatûs est & imperii argumentum. Id autem dictum contra Paulum Samosatenum & Arium facit, qui simplicem hominem introducunt, qui Deus esset & sempiterno imperio potiretur.*

Ex Cap. II.

V.1. Vetus tralatio, *Propterea abundantiùs oportet observare nos ea quæ audivimus.* Interpres Pauli, διὰ τοῦτο δεῖ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν τοῖς ἀκουσθεῖσιν. Eraſmus, *Propterea oportet nos vehementiùs attendere iis quæ dicta ſunt nobis.*

Quiſquis in Græcis literis vel mediocriter fuerit eruditus, facilè intelliget in Græco ſic eſſe ut V. Interpres traduxit, non ut Eraſmus Paraphraſtes. Quanquam autem in eundem recidat ſenſum, volui tamen illud adnotare nè quiſpiam ex his qui Græcè neſciunt fortaſſis exiſtimaret V. Interpretem Græcorum verborum veram ac propriam interpretationem hoc loco prætermiſiſſe, ac Eraſmum interpretatione ſuâ illam expreſſiſſe.

Ex Cap. III.

V.17. Vetus tralatio, *Quorum cadavera proſtrata ſunt in deſerto.* Interpres Pauli, ὧν τὰ κῶλα ἔπεσεν ἐν τῇ ἐρήμῳ. Eraſmus, *Quorum membra conciderunt in deſerto.* Et in Annot. *Quorum cadavera*] ὧν τὰ κῶλα, *i.* quorum membra.

Videtur per hanc Eraſmi traductionem quòd Judæorum *membra conciderunt in deſerto*, i. quòd membratim Hebræi in eremo illa ceciderint quaſi putrefacta habuiſſent corporum membra. Cæterùm Apoſtolus non id quidem ſignificare voluit, ſed ad illud alluſit quod Num.14. legitur, ubi dicitur in Hebræo במדבר הזה יפלו פגריכם, pro quo B. Hieronymus ſic traduxit, *In ſolitudine hac jacebunt cadavera veſtra*; & Lxx, ἐν τῇ ἐρήμῳ ταύτῃ πεσεῖται τὰ κῶλα ὑμῶν· quo in capite hanc dictionem κῶλα hoc ſenſu poſitam non ſemel ſed iterum ac tertiò repteries.

Ex Cap. V.

V.1. Vetus tralatio, *Omnis namque pontifex.* Interpres Pauli, πᾶς γὰρ ἀρχιερεύς. Eraſmus, *Nam omnis ſacerdos.*

Ἀρχιερεὺς non *ſacerdotem* ſignificat, qui Græcè dicitur ἱερεύς, ſed *principem ſacerdotum*, ab ἀρχὸς quod eſt *princeps*, & ἱερεύς, quod *ſacerdotem* ſonat. Princeps autem ſacerdotum, i. ἀρχιερεύς, *pontifex* dicitur, non *ſacerdos* ſimpliciter. Joan.11. *Unus autem ex ipſis, Caiphas nomine, cùm eſſet pontifex anni illius, dixit eis.* Græcè ſic, εἷς δέ τις ἐξ αὐτῶν Καϊάφας, ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, ἔφη αὐτοῖς· & paulò pòſt, *Hoc autem non à ſemetipſo dixit; ſed cùm eſſet pontifex anni illius prophetavit,* τοῦτο δὲ ἀφ' ἑαυτοῦ οὐκ εἶπεν, ἀλλ' ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου ἐπροφήτευσεν. Hoc autem loco non de qualicunque ſacerdote Apoſtolus loquitur, ſed de ſummo ſacerdote, i. de pontifice, qualis fuit Aaron: non enim alius præterquam ſummus ſacerdos poterat offerre dona & ſacrificia pro peccatis: unde ſtatim ſubdit, *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Huic autem Pontifici Chriſtum comparat cùm ait, *ſic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te*, &c.

Ex Cap. VI.

V.8. Vetus tralatio, *Proferens autem ſpinas ac tribulos reproba eſt & maledicto proxima.* Interpres Pauli, ἐκφέρουσα δὲ ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀδόκιμος, καὶ κατάρας ἐγγύς. Eraſmus, *At quæ produxerit ſpinas & tribula reproba eſt, & maledictioni confinis.*

Miror tam profundum Eraſmo obrepſiſſe ſomnum ut τριβόλους, i. *tribulos*, qui Græcè maſculino genere proferuntur, neutraliter hoc loco traduxerit. Quid autem mirum ſi is qui *adulteraberis* dixit pro *adulterabis* Matth.5. & *palpentur* pro *palpent* Act.17. *tribula* hoc loco dixerit pro eo quod *tribulos* dicere debuit, ut Vulg. editio habet. Sciendum itaque *tribula* neutro genere inſtrumenta illa eſſe quibus meſſes triturantur, Hiſpani *trillos* appellant. Varro Rerum ruſticarum lib. 1. cap. 52. *Ε ſpicis in area excuti grana, quod fit apud alios jumentis junctis & tribulo: id fit ex tabula lapidibus & ferro exaſperata.* Columella tamen lib.2. feminino genere protulit ſic dicens, *Et ſi pauca juga ſunt, adjicere tribulam & traham poſſis. Tribuli* verò maſculinâ terminatione, ques Græcè τριβόλους appellant, ii ſunt ques *abrogios* vulgò dicimus. Protulit hanc eandem vocem maſculinè D. Hieronymus Gen.3. ubi dicitur, *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Idem ad Euſtochium De virginitate ſervanda, *Et inebriatus eſt, inquit Dominus, gladius meus in cœlo, & tu pacem arbitraris in terra quæ generat tribulos & ſpinas?* Et Virgilius Georgicon lib. 1.

Lappæq; tribulique, &c.

Ex Cap. VII.

V.2. Vetus tralatio, *Primùm quidem qui interpretatur Rex juſtitiæ.* Eraſmus in Annot. *Hoc ex loco deprehendi poteſt error interpretationis in libello qui Hieronymi titulo circumfertur de vocabulis Hebraicis, cùm appareat id operis nihil aliud eſſe quàm tumultuariam non unius hominis coacervationem, etiamſi D. Hieronymus teſtatur ſeſe hiſce de rebus librum edidiſſe. Nam illic* Melchiſedec *exponitur in hunc modum, MELCHISEDEC Rex juſtus, ſive Rex juſtitiæ, aut Rex pacis, ſive Pacificus. Atqui in hoc nomine* Melchiſedec *nulla vox eſt quæ* pacem *ſignificet, neque Paulus ait* Melchiſedec *ſonare* regem pacis, *ſed* Melchiſalem *exprimere* regem pacis.

Libellus interpretationum Hebraicorum nominum qui in fine Bibliarum vulgò circumfertur, non Hieronymi titulo cenſetur, ſed Remigii, ut refert Nicolaus de Lyra ſuper Gen.46. Autor autem illius libri, quicunque ille fuerit, tametſi multis in locis rectè fuerit Hebraica nomina interpretatus, in quamplurimis tamen, quia non ad Hebraicam orthographiam attendebat, ſed ad Latinam tantùm, & ad dictionum ſimplicem prolationem, perperàm & contra Hebraicam veritatem interpretatus eſt. Hoc autem nomen *Melchiſedec* rectè eſt ille interpretatus cùm dixit *MELCHISEDEC Rex juſtus, ſive Rex juſtitiæ.* Cùm verò addidit *aut Rex pacificus, ſive Rex pacis*, ad hunc locum epiſtolæ Pauli attendiſſe videtur, ubi legitur, *Deinde autem & rex Salem, quod eſt rex pacis.* Alius autem eſt liber interpretationum Hebraicorum nominum qui in fine operum D. Hieronymi viſitur, à Philone Judæo Græcè compoſitus, quem librum D. Hieronymus in Latinum tranſtulit, additis à ſe interpretationibus nominum N. Teſtamenti, ut ex prologo Hieronymi ſuper eodem libro apparet. Illic autem *Melchiſedec* ſic interpretatum legitur, *Rex meus juſtus.* Sed neque in eo libro veræ Hebraicorum nominum interpretationes omnino continentur; cujus quidem rei vel maximùm eſt argumentum, quòd illas pluribus in locis commentariorum ſuorum in V. Teſtamentum Hieronymus reprehendit, ut ex libro Hebraicarum quæſtionum ejuſdem imprimis apparet, ubi interpretationem hujus nominis *Iſrael*, pro quo Philo, *Vir aut Mens videns Deum*, interpretatus eſt, penitus damnat, ſic dicens, *Illud autem quod in libro nominum interpretatur ISRAEL* Vir videns Deum, ſive Mens videns Deum, *omnium penè ſermone detritum, non tam verè quàm violenter mihi interpretatum videtur. Hîc enim* Iſrael *per has literas ſcribitur, Jod, Sin, Res, Aleph, Lamed; quod interpretatur* Princeps Dei, *ſive* directus Dei. Vir verò videns Deum *his literis ſcribitur, ut* vir *ex tribus literis ſcribatur, Aleph, Jod, Sin, ut dicatur* ais; videns *ex tribus, Res, Aleph, He, & dicatur* rahe: *porrò EL ex duabus, Aleph & Lamed, & interpretatur* Deus *ſive* fortis. *Quamvis igitur grandis auctoritatis ſint & eloquentiæ, & ipſorum umbra nos opprimat, qui ISRAEL* virum, *ſive* mentem videntem Deum *tranſtulerunt, nos magis*

Scripturæ & angeli vel Dei qui ipſum ISRAEL vocavit, autoritate ducimur quàm cujuſlibet eloquentiæ ſecularis. Hactenus Hieronymus. Noſtris verò temporibus vir æternâ dignus memoriâ Franciſcus Ciſnerius Cardinalis Toletanus & Hiſpaniarum Primas, Præſul ac princeps noſter, cùm S. literarum ſtudio ſummopere duceretur, atque eaſdem omni ex parte cuperet illuſtrare, quod & Tetraplus illa V. Inſtrumenti Origenis Exaplum ſuperans, ejuſdem operâ ac non parvâ impensâ nuper impreſſa, ac Novum etiam Teſtamentum Græcè & Latinè excuſſum, ut alia memorare nolim, facilè indicant; cùm ex ſanctorum Eccleſiæ Doctorum, ac præcipuè Hieronymi & Auguſtini, crebrâ lectione didiciſſet plurimùm prodeſſe ad S. Scripturarum ſecretiorem ac myſticum intellectum veram ac γνησίαν Hebraicorum nominum interpretationem juxta Hebraicam originem cognoſci, ac ſupradictos interpretationum libellos umbram tantùm veritatis continere, prorſúſque eſſe inabſolutos, & majori ex parte inutiles; multis Hebraicæ linguæ peritiſſimis viris acceſſitis, non enim unius duntaxat operâ tametſi exquiſitâ foret literaturâ tantum opus perfici potuiſſet, ſummâ diligentiâ curavit ut Hebraica nomina quæ per totam S. Scripturam tam Vet. quàm N. Teſtamenti diſperſa ſunt juxta Hebræam orthographiam verè ac propriè interpretarentur, ac in ordinem alphabeti redigerentur, ipſis quidem nominibus non ſolùm Latinè ſed etiam Hebraicè adſcriptis, nè impoſterum poſſent depravari. Nè autem tam utilis ac neceſſarius liber aliquo modo poſſit ignorari, ſciat lector eum eſſe qui in fine copioſiſſimi illius Hebraici vocabularii quod ejuſdem Cardinalis juſſu Paulus Coronel Segobienſis compoſuit, tametſi ἀνώνυμον fertur ϗ ἀδέσποτον, ad communem ſtudioſorum omnium utilitatem repoſitus eſt.

Ex Cap. VIII.

V. 2. Vetus tralatio, *Sanctorum miniſter & tabernaculi veri.* Eraſmus in Annot. *Sanctorum miniſter*] λειτουργὸς, *quod non ſimpliciter ſonat* miniſtrum, *ſed* miniſtrum ſacrorum, *& qui fungatur officio ſacerdotii pro aliis.*

Sciendum eſt quòd hoc nomen λειτουργὸς, i. *miniſter*, & verbum λειτουργέω, i. *miniſtro*, & λειτουργία, i. *miniſterium*, non ad ſacra ſolùm ſed etiam ad profana pertinere reperiuntur; imò à profanis ad ſacra ut alia quamplurima tranſlata ſunt. Sic *PARADISUS*, quod *hortum* ſonat, & *ANGELUS*, quod *nuncium*, & *DIABOLUS*, quod *calumniatorem*, & *LATRIA*, quod *ſervitutem*, & *ECCLESIA*, quod *conventum* ſive *concionem*, & *EUANGELIUM*, quod *bonum nuncium*, & *MARTYR*, quod *teſtem*, & alia ad hunc modum complura à profanis ad ſacra pertracta ſunt. Et ut ad nomen λειτουργὸς redeamus, non ſolùm *miniſtrum ſacrorum* ſonat, ſed quemlibet etiam *miniſtrum*, ídque & in Sacris quoque literis reperitur, nedum in gentilium libris. 2 Reg. 13. *Ejecit itaque eam miniſter illius foràs.* Lxx ſic, ϗ ἐξήγαγεν αὐτὴν ὁ λειτουργὸς τοῦ Ἀμνὼν ἔξω, i. *Et ejecit eam miniſter Amnon foràs.* Et 4 Reg. 6. *Conſurgens autem diluculo miniſter viri Dei,* ϗ ὤρθρισεν ὁ λειτουργὸς τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ. Et 2 Par. 9. *Et officia miniſtrorum ejus,* ϗ στάσις λειτουργῶν αὐτοῦ. Agitur enim illic de miniſtris Salomonis.

Ex Cap. IX.

V. 5. Vetus tralatio, *Super quæ erant cherubim gloriæ.* Interpres Pauli, ὑπεράνω δὲ αὐτῆς χερουβὶμ δόξης. Eraſmus, *Super hanc autem cherubim gloriæ.* Et in Annot. *Super quæ erant*] ὑπεράνω δὲ αὐτῆς, i. ſupra illud autem, *ſive* ſupra illam, *ut referat ad* arcam, *atteſtantibus ſcholiis Græcanicis. Mihi videtur rectiùs referri ad* tabernaculum.

Vel ex hoc loco facilè judicari poteſt quàm parùm eruditus Eraſmus iſte ſit in S. Scripturis, cùm exiſtimarit illud αὐτῆς referri poſſe ad *tabernaculum*, quaſi alicubi legatur cherubim ſupra tabernaculum fuiſſe poſita, & non potiùs ſupra arcam teſtamenti, i. ſupra propitiatorium, quod & *oraculum* dicitur, quod quidem arcæ teſtamenti erat opertorium. Exod. 25. *Facies & propitiatorium de auro mundiſſimo: Duos cubitos & dimidium tenebit longitudo ejus, & cubitum ac ſemiſſem latitudo. Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex utraque parte oraculi. Cherub unus ſit in latere uno, & alter in altero. Utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciántque ſe mutuò verſis vultibus in propitiatorium quo operienda eſt arca, in qua pones teſtimonium quod dabo tibi. Indè præcipiam, & loquar ad te ſupra propitiatorium* ſcilicet, *ac de medio duorum Cherubim qui erunt ſuper arcam teſtimonii cuncta quæ mandabo per te filiis Iſrael.* Et infrà cap. 37. *Fecit propitiatorium*, i. *oraculum, de auro mundiſſimo, duorum cubitorum & dimidii in longitudine, & cubiti ac ſemis in latitudine. Duos etiam Cherubim ex auro ductili, quos poſuit ex utraque parte propitiatorii: Cherub unum in ſummitate unius partis, & Cherub alterum in ſummitate partis alterius: Duos Cherubim in ſingulis ſummitatibus propitiatorii extendentes alas & tegentes propitiatorium, ſeque mutuò & illud reſpicientes.* Hæc autem oportuit Eraſmum legere cùm præſentem locum in Annot. explicaret: & non quòd ζάω, i. *tabernaculum*, in Græco erat generis feminini, illud αὐτῆς ad tabernaculum referri rectiùs ſibi videri retuliſſe, cùm ex ſupradictis autoritatibus liquidò cognoſcere potuiſſet ſupra aream teſtamenti cherubim fuiſſe poſita, non ſupra tabernaculum.

Ex Cap. XI.

V. 1. Vetus tralatio, *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Eraſmus in Annot. *Hîc quidam ridiculè nugantur circa hanc definitionem, ut ipſi vocant, cùm non ſit finitio ſed encomium fidei. Siquidem hoc exordiolo ingreditur fidei laudationem; mox & exemplis oſtendens quantam vim habeat fides; niſi fortè putant eſſe finitionem ubicunque legerint* eſt. *Veluti ſi dicam* literæ ſunt in rebus adverſis ſolatium, in ſecundis ornamentum, *hanc eruditionis laudatiunculam exiſtiment ad definitionum leges exigendam*, &c.

Non hoc encomium eſt fidei, ut imperitiſſimè Eraſmus in Annot. retulit. Quî enim laudari ex his verbis fides dici poteſt? Quæ autem laus eſt fidei quòd *ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium* dicatur? Neque exemplum quod de literis attulit ad rem facere videtur, ſiquidem multùm eſt diſpar eî quod de fide hîc dicitur: ſed volens Apoſtolus Paulus exemplis oſtendere quanta ſit fidei vis, ab ejuſdem diffinitione orſus eſt. Unde Athanaſius præſentem explicans locum ſic ait, *Diffinit itaque nobis hanc fidem, aítque, Fides quidem eorum ſubſtantia eſt quæ nondum ſubſiſtunt, qualis eſt reſurrectio quæ nondum fuerit: ſed fides hanc facit ut futura credatur, & hanc nobis tanquam pra oculis ponit*, &c.

V. 30. Vetus tralatio, *Fide muri Hiericho corruerunt circuitu dierum ſeptem.* Interpres Pauli, πίστει τὰ τείχη Ἰερειχὼ κατέπεσε κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας. Eraſmus, *Per fidem mœnia Hiericho conciderunt cincta ad dies ſeptem.* Et in Annot. κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας, i. circumdati, *ſive* obſeſſi.

Non intellexit hunc locum Eraſmus Roterodamus; alioqui non diſceſſiſſet à Vet. Interpretatione, quæ Græcum verè ac fideliter expreſſit. Non enim hîc dicit Apoſtolus quòd ad ſeptem dies fuerunt cincti, aut circumdati, ſive obſeſſi, muri Hiericho; pluribus enim quàm ſeptem diebus urbs illa à Joſue & populo Iſraelitico obſeſſa fuit; ſed quòd circuitu dierum ſeptem muri corruerunt; & hoc quidem per fidem. Quid autem circuitus iſte dierum

ſeptem

ſeptem fuerit ex Joſ. 6. unde hujus loci intelligentia pendet, facilè edocemur. Sic enim illic legitur, *Dixitque Dominus ad Joſue, Ecce dedi in manu tua Hiericho, & regem ejus, omnéſque fortes viros. Circuite urbem cuncti bellatores ſemel per diem; ſic facietis ſex diebus. Septimo autem die ſacerdotes tollent ſeptem buccinas quarum uſus eſt in jubileo, & præcedant arcam federis, ſeptiéſque circuibitu civitatem, & ſacerdotes clangent buccinis. Cúmque inſonuerit vox tubæ longior atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maximâ, & muri funditus corruent civitatis, ingredientúrq; ſinguli per locum contra quem ſteterint*, &c.

Ex Cap. XII.

V. 16. Vetus tralatio, *Qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua.* Interpres Pauli, ὃς ἀντὶ βρώσεως μιᾶς ἀπέδοτο τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ. Eraſmus, *Qui unico edulio permutavit jus primogeniti.* Et in Annotat. *Vendidit*] Ἀπέδοτο, *i.* reddidit.

Verbum ἀποδίδομαι, unde ἀπέδοτο, non ſignificat *permutare* aut *reddere*, ut ineptiſſimè Eraſmus traduxit, ſed *vendere*, ut propriè ac verè tranſtulit Vet. Interpres. Act. 5. *Dic mihi, mulier, ſi tanti agrum vendidiſtis,* εἰπέ μοι εἰ τοσούτου τὸ χωρίον ἀπέδοσθε. Geneſis quoque cap. 25. ubi hæc hiſtoria narratur ſic habetur, *Cui dixit Jacob, Vende mihi primogenita tua:* Quod Hebraicè ſic legitur, ויאמר יעקב מכרה כיום את בכרתך לי, quod Lxx ſic tranſtulerunt, εἶπε δὲ Ἰακὼβ τῷ Ἠσαῦ, ἀπόδου μοι σήμερον τὰ πρωτοτόκιά σου. Et infrà, *Juravit ei Eſau, & vendidit primogenita.* Hebraicè ſic, וישבע לו וימכר את בכרתו ליעקב, pro quo Lxx ᾤμοσεν αὐτῷ· ἀπέδοτο δὲ Ἠσαῦ τὰ πρωτοτόκια αὐτοῦ.

Ex Cap. XIII.

V. 23. Vetus tralatio, *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum.* Interpres Pauli, γινώσκετε τὸν ἀδελφὸν Τιμόθεον ἀπολελυμένον. Eraſmus, *Scitis fratrem noſtrum Timotheum ſolutum eſſe.*

Quanquam dictio γινώσκετε ambigua eſt, & vel indicativi eſſe poteſt vel imperativi, hoc tamen loco imperantis eſt. Quaſi enim rem novam & illis adhuc incognitam Timothei liberationem in fine hujus epiſtolæ Paulus Hebræis ſignificavit. Ex Italia enim hæc epiſtola ab Apoſtolo ad Hebræos ſcripta eſt, ut ejus ex fine appareat, ubi dicitur, *Salutant vos de Italia fratres.* Solutionem igitur Timothei quæ Apoſtolo primùm innotuerat tanquam non ingratam eiſdem denunciat, quod & Græca ipſa phraſis apertiſſimè demonſtrat: ac deinde unà cum eo ſe ad illos venturum ſignificat cùm ait, *Cum quo ſi celeriùs venerit videbo vos.*

EX EPISTOLA JACOBI.

Cap. I.

V. 11. VETUS tralatio, *Et decor vultûs ejus deperiit.* Jacobus, καὶ ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου αὐτοῦ ἀπώλετο. Eraſmus, *Et decor aſpectûs illius periit.* Et in Annotat. *Decor vultûs ejus*] *Quid ego audio? Etiam herba vultum habet?* &c.

Non ego video cur tantopere Eraſmus hic debuerit admirari. Nam tametſi πρόσωπον & *vultum* & *faciem* & *aſpectum* ſonet, ac *vultus* non niſi de homine dicatur; nihil tamen impedit quin metaphoricè fœno aut herbæ adaptetur, cùm præſertim de colore ejuſdem ac viriditate Jacobus Apoſtolus agat; ac vultus in homine id propriè ſignificet quod pro animi paſſionibus in varios mutatur colores, ut in pallorem ac ruborem & reliqua id genus alia.

Ibid. Vetus tralatio, *Ità & dives in itineribus ſuis marceſcet.* Jacobus, οὕτως καὶ ὁ πλούσιος ἐν ταῖς πορείαις αὐτοῦ μαρανθήσεται. Eraſmus, *Sic & dives in abundantia ſua marceſcet.* Et in Annotat. πορείαις] *Vide num legi poſſit* ποείαις, *ut ſit* in abundantia.

Cùm textum Eraſmus traduceret, non intellexit, ut apparet, dictionem πορείαις, & pro *itineribus*, quod eadem dictio ſignificat, *abundantiam* perperàm tranſtulit. In Annotat. verò errorem diſſimulans, *Vide*, inquit, *num legi poſſit* ποείαις, *ut ſit* in abundantia. Sciendum igitur in omnibus Græcis codicibus πορείαις hîc legi per ει diphthongon, i. *itineribus*, non ποείαις per iota, quod *abundantiam* ſignificat. Eſt autem modus loquendi Hebraicus *iter* ſive *viam* nonnunquam ponere pro ipſo vitæ proceſſu; quod ſæpiſſime in S. Scriptura Vet. Teſtamenti reperitur.

V. 13. Vet. tralatio, *Deus enim intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat.* Jacobus, ὁ γὰρ θεὸς ἀπείραστός ἐστι κακῶν. πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα. Eraſmus, *Nam Deus ut à malis tentari non poteſt, ità nec ipſe quenquam tentat.*

Græca litera ſic prorſus habet ut Vetus tralatio continet, non autem ut Eraſmus falsò ac impropriè traduxit. Siquidem in Græco non eſt hîc aliqua dictio quæ ſignificet *ut*, aut aliquid tale. Eſt autem hujus literæ ſenſus ut Eccleſiaſtici Doctores exponunt, *Nemo cùm tentatur*, malâ ſcilicet & iniquâ tentatione, *dicat quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt*, h. e. non eſt immiſſor malarum tentationum. *Ipſe* enim *neminem tentat*, hujuſcemodi ſcilicet tentationibus, h. e. malis & flagitioſis, *ſed unuſquiſque abſtractus & illectus à ſua concupiſcentia* taliter tentatur. Hoc autem loco, ut Gloſſa refert Ordinaria, Apoſtolus Jacobus illorum deſtruit errorem qui dicebant malas cogitationes ſicut & bonas à Deo nobis inſpirari, & hominem quaſi ex neceſſitate peccare.

V. 22. Vetus tralatio, *Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantùm.* Eraſmus in Annotat. Tantùm *non invenio apud Græcos.*

In codice illo Græco Apoſtolicarum epiſtolarum ex Rhodo inſula allato, qui in publica hujus Complutenſis Academiæ bibliotheca repoſitus eſt, de quo ſuprà fecimus mentionem, ſic quidem hoc loco habetur ut Vetus tralatio continet, i. γίνεσθε δὲ ποιηταὶ λόγου, καὶ μὴ μόνον ἀκροαταὶ, h. e. *Eſtote autem factores verbi, & non tantùm auditores.* Quare non eſt quòd Eraſmus dicat *tantùm* non inveniri apud Græcos.

Ex Cap. II.

V. 16. Vetus tralatio, *Ite in pace, calefacimini.* Jacobus, ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ, θερμαίνεσθε. Eraſmus, *Ite in pace, caleſcite.* Et in Annotat. θερμαίνεσθε, *i.* calefiatis, *ſive* caleſcite. *Quis enim ferat* calefacimini, &c.

Ferebant eo tempore quo tralatio hæc à Vet. Interprete edita eſt viri Eraſmo doctiores *calefacimini.* Alioqui unde *calefactus* participium paſſivum? non enim *factus* à *fio* ſed à *facio* paſſiva voce deductum eſt. Priſcianus lib. 8. *Sunt & alia quæ in compoſitione mutant ſignificationem, ut* eo *neutrum, ſimiliter &* facio; *quamvis veteſtiſſimi etiam paſſivè hoc protuliſſe inveniantur. Tintinnius in quinto, Bona gratia parvi ut faciatur.* Et infrà, *Sciendum tamen quòd &* facio *&* facior, *ut oſtendimus, veteſtiſſimi proferebant.*

Ex Cap. III.

V. 7. Vetus tralatio, *Et ſerpentium & cæterorum.* Jacobus, ἐναλίων τε καὶ ἐνυδρίων. Eraſmus, *Serpentium & marinorum.* Et in Annotat. καὶ ἐνυδρίων, *i.* marinorum. *Interpres legiſſe videtur* ἄλλων, *aut certe ſcripſit* cetorum; *quod ipſum adhuc in nonnullis exſtat codicibus, id ſcriptor oſcitans mutavit in* cæterorum. *Nam manſuescunt & marinæ bellua, ut delphines.*

Cùm in omnibus Latinorũ codicibus etiam antiquiſſimis cæterorũ hîc legatur, non eſt quòd Eraſmus exiſtimet cetorũ

Vet. Interpretem scripsisse. Non enim id dictio quæ in Græco legitur significat, sed *marinorum*; neque Latinus pro genere speciem posuisset; siquidem aut *marinorum* ille dixisset, aut aliquid aliud quod maris belluas designaret. Proinde aut ἄλλων habebat exemplar Græcum unde ille traduxit, aut certè ἐναλίων, quod ab his qui ab bestias, voluçres ac serpentes marinas etiam belluas adjungi debere existimarunt, nè quid à natura humana indomitum superesset, in ἐναλίων, i. *marinorum*, transmutatum apparet.

Ex Cap. V.

V. 15. Vetus tralatio, *Et oratio fidei salvabit infirmum.* Jacobus, καὶ ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως σώσει τὸν κάμνοντα. Erasmus, *Et oratio fidei salvabit laborantem.*

Verbum κάμνω *laborare* propriè significat: sed tamen pro *ægrotare* sæpissime positum reperitur, quòd videlicet laboret qui ægrotat. Unde & Sudas κάμνειν inquit ὅτι τῷ πονεῖν καὶ ἐργάζεσθαι· καὶ ὅτι τῷ νοσεῖν· λέγεται δὲ καὶ ὅτι ἤδη ἀποθανόντων, εἴδωλα καμόντων, i. κάμνειν *laborare & operari significat & ægrotare. Dicitur autem & de his qui obierunt, Idola mortuorum.*

EX EPISTOLA PETRI PRIMA.

Ex Cap. II.

V. 3. VETUS tralatio, *Si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus.* Petrus, εἰ ἄρα ἐγεύσασθε ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος. Erasmus, *Siquidem gustastis quòd benignus sit Dominus.*

Dictio χρηστὸς polysemos est: sonat enim *dulcem*, ut hoc loco, & Psal. 24. *Dulcis & rectus Dominus*, χρηστὸς καὶ εὐθὴς ὁ Κύριος. Et *suavem*, ut Psal. 33. *Gustate & videte quoniam suavis est Dominus*, γεύσασθε καὶ ἴδετε ὅτι χρηστὸς ὁ Κύριος. Et in Euangelio, *Jugum enim meum suave est*, ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστός. Reperitur quoque & *bonum* significare, ut Psal. 118. *Bonus es tu, Domine, & in bonitate tua doce me justificationes tuas*, χρηστὸς εἶ σὺ, Κύριε, καὶ ἐν τῇ χρηστότητί σου δίδαξόν με τὰ δικαιώματά σου. Sonat etiam *benignum*. Psal. 68. *Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua*, εἰσάκουσόν μου, Κύριε, ὅτι χρηστὸν τὸ ἔλεός σου. Hoc autem loco quia ἐγεύσασθε, i. *gustastis*, est ab Apostolo dictum, aptius erat ut pro χρηστὸς *dulcis* transferretur, quò omni ex parte metaphora ibi conveniret.

V. 5. Vetus tralatio, *Superædificamini domos spirituales.* Petrus, οἰκοδομεῖσθε οἶκος πνευματικός. Erasmus, *Ædificemini domus spiritalis.* Et in Annotat. *Lyranus offensus solœcismo manifestariò interpretatur* domos in domos.

Non est credibile Vet. Interpretem tam manifestarium feciſse solœcismum, sed *domus spiritualis* traduxisse, ut in Græco habetur, & à librariis imperitis hunc locum fuisse corruptum, quòd *superædificamini* pluralis esset numeri. Non enim tam hebeti esse potuit ingenio, & tam ignarus artis Grammaticæ, ut passivo verbo appositum daret accusativi. Neque scriptorum error manifestus Interpreti aliquo modo debet imputari.

V. 7. Vetus tralatio, *Vobis igitur credentibus honor.* Petrus, ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσιν. Erasmus, *Vobis igitur pretiosus est qui creditis.* Et in Annotat. *Nimis quàm pueriliter interpretatur hunc locum Lyranus*, Vobis erit honor in cœlestibus; *cùm Petrus sentiat de lapide prius rejecto à Judæis, & deinde honorato & in pretio habito. Siquidem antè vocavit* ἔντιμον, *nunc memor illius ait* ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ, *i.* vobis est pretiosus qui in illum credidistis: *Judæis & non credentibus vilis est. Proinde nè lector simili modo laboretur nos vertimus*, vobis igitur pretiosus est qui creditis.

Non, ut ego arbitror, pueriliter hunc locum Lyranus exponit: sed Erasmus potiùs falsò Græca traduxit. Siquidem τιμὴ, quod *honor* interpretatur aut *pretium*, hoc loco *honorem* significat. Quòd si Apostolus Petrus *pretiosum* hîc dicère voluisset, ut Erasmus transtulit, potuit ἔντιμον ponere, quâ dictione paulò antè usus est, ubi dicitur, *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, electum, pretiosum*, pro quo Græcè habetur ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτὸν, ἔντιμον. Quid quòd articulus ἡ dictioni τιμὴ appositus Lyrano prorsus suffragatur. Est autem hujus literæ sensus, *Ecce pono in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, pretiosum*, haud dubium quin Christum; *& qui crediderit in eum non confundetur: Vobis igitur qui in illum credidistis erit honor*, i. honore ob vestram fidem digni eritis, in cœlestibus scilicet; non enim de humano honore hîc agit. Non credentibus autem lapis ille de quo David Psal. 117. ait *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: lapis quidem offensionis erit & petra scandali.*

V. 14. Vetus tralatio, *Sive ducibus tanquam ab eo missis.* Petrus, ὡς ἡγεμόσιν ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις. Erasmus, *Sive præsidibus ut qui per eum mittantur.* Et in Annotat. ἡγεμόσιν, *quod sæpius jam vertit* præsidibus, *Nec enim hîc Petrus agit de bello, sed de his qui agunt in provinciis Romanorum, quæ à Præsidibus Cæsarum nomine administrabantur*, &c.

Negare non possumus Vet. Interpretem hanc dictionem ἡγεμὼν aliàs vertisse *præsidem*: sed tamen cùm *ducem* etiam significet, non malè hoc loco ab eodem versa est. Siquidem Præsides illi qui à Romanis in provincias mittebantur militum turmas secum ducebant, & interdum justum exercitum, quò & provincias ab exterorum injuriis tutarentur, & provincialium contumaciam facilè compescerent, quod ex euangelica historia comprobatur, ubi legitur, Pilatum Judææ rectorem & præsidem milites secum habuisse. Matth. 27. *Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorio congregaverunt ad eum universam cohortem.* Et infrà, *Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Jesum*, &c.

Ex Cap. IV.

V. 15. Vetus tralatio, *Nemo autem vestrûm patiatur quasi homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor.* Petrus, μὴ γάρ τις ὑμῶν πασχέτω ὡς φονεὺς, ἢ κλέπτης, ἢ κακοποιὸς, ἢ ἀλλοτριεπίσκοπος. Erasmus, *Neq; quis enim vestrûm affligatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum.*

Quod propriè hoc loco Vet. Interpres traduxit, id quidem Erasmus, dum novitatem ut solet insequitur, perperàm transtulit; siquidem πάσχω verbum non *afflictionem* sonat sed *passionem*; atque hoc quidem loco ultimum supplicium, i. mortem. *Nemo autem vestrûm*, inquit Apostolus Petrus, *patiatur*, i. morte afficiatur, *ut homicida, aut fur, aut maleficus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: sed glorificet potiùs Deum in isto nomine:* q. d. ultimum supplicium ob crimina pati dedecori quidem est & ignominiæ ducendum loco: *si autem* vestrûm quispiam eâ tantùm causâ occisus fuerit *quia Christianus* est, *non erubescat* ob tale mortis genus, *quin potiùs isto nomine*, i. hac de causa, *Deum glorificet* quòd dignus habitus sit qui sanctis ejus Martyribus annumeraretur.

EX EPISTOLA PETRI SECUNDA.

Ex Cap. II.

V. 2. VETUS tralatio, *Et multi sequentur eorum luxurias.* Erasmus in Annotat. *Eorum luxurias*] Ἀπωλείας, *i.* exitia, *sive* perditiones. *Interpres legisse videtur* ἀσωτίας, *tametsi Græca exemplaria consentiunt.*

Non Interpres legisse videtur ἀσωτίας, ut Erasmus perperàm divinavit, neque Græca exemplaria consentiunt ut ἀπωλείας hîc habeant, ut idem falsò retulit, sed ἀσελγείας potiùs legit Ecclesiasticus interpres: sic enim Græca exemplaria

plaria quæ emendata censentur hoc loco habent. Cujus quidem rei vel maximum est argumentum quòd in codice Græco Rhodiensi, quem suprà citavimus, sic ista leguntur, καὶ πολλοὶ ἐξακολουθήσουσιν αὐτῶν ταῖς ἀσελγείαις, i. *& multi sequentur eorum luxurias*, ut Vetus tralatio verissimè continet.

Ex Cap. III.

V.13. Vetus tralatio, *In quibus justitia habitat.* Erasmus in Annot. ἐν οἷς in quibus *referri potest vel ad* cœlos ac terram, *vel ad* exspectantes. *At mihi quidem aptiùs referri videtur ad* nos qui exspectamus novos cœlos ac terram novam *si justè vivamus, ut mereamur frui novitate creaturæ.*

Cùm in Græco sic habeatur, καινὸς δὲ οὐρανὸς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ προσδοκῶμεν ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ, i. *Novos verò cœlos & novam terram secundùm promissa ipsius exspectamus in quibus justitia habitat*, palàm est ad *cœlos & ad terram* hoc ultimum, i. *in quibus justitia habitat*, necessariò referri debere: neque aliquo pacto ad *nos qui ea exspectamus* posse ista adaptari, quod sibi Erasmus rectiùs videri in Annot. retulit; violenter quidem ea verba ad προσδοκῶμεν, i. *exspectamus*, quod præcedit, adaptans, ut subintelligatur ἡμεῖς pronomen, i. *nos*, & dicamus *exspectamus nos*, scilicet *in quibus justitia habitat.*

EX EPISTOLA JOANNIS PRIMA.

Ex Cap. I.

V.1. VETUS tralatio, *Quod fuit ab initio.* Joannes, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. Erasmus, *Quod erat ab initio.* Et in Annot. *Quod fuit*] ὃ ἦν. *i.* quod erat.

Sciendum est dictionem ἦν apud Græcos & *fuit* & *erat* significare: siquidem in declinatione verbi substantivi ἐστατικὸς καὶ παρακείμενος, i. *imperfectum præteritum & perfectum*, simul ponuntur, quòd unica vox, i. ἦν, utrisque deserviat: neque enim distinctas in verbo εἰμὶ i. *sum*, quantum ad hæc tempora, ut Latini, habent voces, i. *fuit & erat.* Qua ex re utroque modo hic locus transferri potest, i. *quod fuit ab initio*, aut *quod erat ab initio.*

Ex Cap. III.

V.16. Vetus tralatio, *In hoc cognovimus charitatem Dei.* Erasmus in Annot. *DEI* redundat *juxta Græcum codicem.*

In Græco codice Rhodiensi epistolarum Apostolicarum, quem sæpe citavimus, *Dei* hoc loco legebatur: sic enim habet, ἐν τούτῳ ἐγνώκαμεν τὴν ἀγάπην τοῦ θεοῦ. Et necesse est ut *Dei* addatur, quia sequitur *quoniam ille animam suam pro nobis posuit.*

Ex Cap. V.

V.7. Vetus tralatio, *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus; & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt.* Joannes, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ Πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα· καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Erasmus, *Quoniam tres sunt qui testimonium dant, Spiritus, & aqua, & sanguis; & hi tres unum sunt.* Et in Annot. *In Græco codice tantùm hoc reperio de triplici*, &c.

Sciendum est hoc loco Græcorum codices apertissimè esse corruptos: nostros verò veritatem ipsam ut à prima origine traducti sunt continere. Quod ex prologo B. Hieronymi super epistolas canonicas manifestè apparet. Ait enim, *Quæ si sic ut ab eis digestæ sunt ità quoque ab interpretibus fideliter in Latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret, illo præcipuè loco ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis epistola positum legimus. In qua etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse à fidei veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, h.e. aquæ, sanguinis & spiritûs, in ipsa sua editione ponentibus, & Patris, Verbiq;. ac Spiritûs testimonium omittentibus, in quo maximè & fides catholica roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritûs sancti una Divinitatis substantia comprobatur.*

V.20. Vetus tralatio, *Ut cognoscamus Deum verum*, Erasmus in Annot. *DEUM apud Græcos non est, sed* τὸν ἀληθινὸν, i. eum qui verus est.

DEUM apud Græcos hîc est: siquidem in codice Rhodiensi, de quo suprà diximus, sic hoc loco legitur, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν θεὸν, i. *ut cognoscamus verum Deum.* Atque ità etiam legit Ambrosius lib. 1 De vocatione omnium gentium, cap. 6.

EX EPISTOLA JOANNIS TERTIA.

V.9. VEtus tralatio, *Scripsissem forsitan ecclesiæ.* Joannes, ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ. Erasmus, *Scripsi ecclesiæ.*

Hoc loco pro ἔγραψα *scripsissem* necessariò transferendum Erasmo fuit, ut in Vetere tralatione continetur, siquidem ait Joannes apostolus se scripturum fuisse illi Ecclesiæ; sed ea de causa ab hoc esse retractum, quòd ille qui amabat primatum gerere in eis, non recipiebat Apostolum, ac proinde nec ejusdem epistolam ab Ecclesia illa recipi permitteret. Atque in hunc quidem sensum hoc à Glossa exponitur Ordinaria, ubi sic legitur, *Perseverare debes in eleemosyna, quia utilitatem tantam in ea intelligo quòd non solùm tibi sed etiam toti Ecclesiæ scripsissem de commendatione eleemosynæ; sed hâc necessitate dimisi quia Diotrephes non curat nostram auctoritatem.* Quòd verò *scripsi* in Græco legitur, & non *scripsissem*, moveri quenquam non debet. Siquidem proprium est Græci idiomatis indicativi præteritum ponere pro præterito optativi. Sic Psal. 50. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique*, ὅτι εἰ ἠθέλησας θυσίαν, ἔδωκα ἄν, & in aliis quamplurimis locis S. Scripturæ tale dicendi genus sæpissime reperitur.

EX EPISTOLA JUDÆ.

V.12. VEtus tralatio, *Hi sunt in epulis suis maculæ convivantes.* Judas, Οὗτοί εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες συνευωχούμενοι. Erasmus, *Hi sunt inter charitates vestras maculæ inter se convivantes.* Et in Annot. *In epulis suis*] ἐν ἀγάπαις ὑμῶν, i. in dilectionibus vestris. *Mirum est unde vox* epularum *invaserit, quæ nihil habet affine cum* ἀγάπαις, &c.

Sciendum est veteres Ecclesiasticos *agapen* vocasse convivium quod pauperibus exhibebatur in signum dilectionis & charitatis. Sic enim legitur in quodam decreto Gangrensis Concilii, quod habetur in decretis Pontificiis, 42 distinctione, *Si quis despicit eos qui fideliter agapes, i.* convivia pauperum, *exhibent, & propter honorem Domini convocant fratres, & noluerit communicare hujusmodi vocationibus, parvipendens quod geritur; anathema sit.* Et in alio decreto ex Laodicensi Concilio quod habetur eâdem distinctione, *Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos, ad agapen vocatos partes tollere, propter injuriam quæ ex hac occasione Ecclesiastico ordini poterit deputari.* Et in alio decreto quod statim sequitur, *Non oportet in basilicis, seu in Ecclesiis, agapen facere: & intus manducare, vel accubitus sternere non licet.*

EX LIBRO APOCALYPSIS.

Ex Cap. I.

V.13. VEtus tralatio, *Vestitum podere.* Erasmus in Annot. Podere *penultimâ productâ pronunciandum est. Est enim Græca vox* ποδήρης, *quæ significat* vestem *ad edes usque dimissam, à pos, inquit Lyranus, quod est,*

pes, & hæreo, es; quòd adhæreat talis; *imò ab ἄεω, quod est* adapto, *quòd ad pedes usque congruat. Quorsum enim attinebat eandem vocem ex Græco Latinóque conflare?*

Verissima profectò est illius sententia qui dixerit rerum omnium esse vicissitudinem: quod vel nunc maximè comprobatur: siquidem ut Lyranum Erasmus irrisit quòd *poderis* dixit à POS, *quod est pes, & hæreo, es*, dignum fortasse veniâ quòd Græcas ignoraret literas; ità & nos reperti sumus qui Erasmi ineptias rideremus, atque id quidem Græcè, ut ipse putat, non ineruditi, dicentísque ποδήρης esse ab ἄεω quod est *adapto* compositum. Quid igitur τειήρης, μονήρης, φαινήρης, κλινήρης, & id genus alia? numquid etiam ab ἄεω; Sciendum autem nil magìs in dictione ποδήρης atque aliis hujuscemodi ηρης significare quàm *mentum in vestimentum, ornamentum, salsamentum, atramentum, testamentum*, quanquam hoc ultimum Jurisconsulti à mentis testatione dictum volunt, non tamen sine Grammaticorum derisu & cachinnatione profusissima. Est autem *poderis* vestis quam Latini *talarem* vocant, eò quòd ad talos usque protendatur: sic Græcè *poderis* dicta sicut Latinè dicitur *talaris*. Igitur quod *aris* in *talaris* id *eris* in *poderis* significare dici potest.

Ex Cap. II.

V. 2. Vetus tralatio, *Et inveniſti eos mendaces.* Erasmus in Annot. *Hoc loco additum reperi* καὶ ἐβάπτισας, *i.* & baptizasti; *sed mendosè ni fallor: quandoquidem in commentariolis Græcanicis nihil erat quod ad baptismum pertineret. Suspicor scriptum fuisse* ἀπέπτυμας, *i.* abjeciſti, *sive* ablegasti.

Malè suspicatus est Erasmus Roterodamus cùm scriptum hîc fuisse existimavit ἀπέπτυμας, i. *abjeciſti* sive *ablegasti*; siquidem in emendatis Græcorum codicibus καὶ ἐβάσασας hîc legitur, pro eo quod Erasmus mendosè habuit ἐβάπτισας: sic enim hæc Græcè leguntur, καὶ ἔνρες αὐτὺς ψευδεῖς, καὶ ἐβάσασας, i. *& inveniſti eos mendaces, & tuliſti.* Et facit ad hoc quod statim sequitur, *Et patientiam habes & ſuſtinuiſti propter nomen meum*, &c.

V. 13. Vetus tralatio, *Et in diebus illis Antiphas teſtis meus fidelis.* Joannes, καὶ ὃν τρόπον ἡμέρας ἐμᾶις Ἀντίπας ὁ μάρτυς μυ ὁ πιςός. Erasmus, *Et in diebus meis Antipas teſtis meus fidelis.*

Notandum est nonnulla esse in N. Testamento nomina quæ Græcè per *p* exile scripta reperiuntur, quæque V. Interpres per eandem literam aspiratam semper reddidit. Quoniam verò Erasmus, sive quò diversus à V. Interprete videretur, sive Græcam literaturam secutus, per *p* exile illa semper est interpretatus, libuit de illis hoc loco simul agere. Sciendum igitur *Antiphas, Cleophas, Capharnaum, Ephenetus*, & si qua sunt alia nomina his similia, quæ per *p* exile in Græco scripta reperiuntur, Latinè per eandem aspiratam ex vetere & usitata observatione proferri debere. Siquidem Latini, quò asperitatem prolationis effugerent, molliùs eadem referre sunt soliti, Græcos in hac parte etiam imitati, qui Hebraica nomina quæ per *p* exile scripta repererunt, per eandem aspiratam nonnunquam reddidere, ut *Parao*, quod Hebraicè dicitur פַּרְעֹה, ab illis Φαραὼ, i. *Pharao*, dictus est; & *Peres*, i. פֶּרֶץ, Φαρὲς, h. e. *Phares*; & *Perizi*, i. פְּרִזִּי Φερεζαῖος, h. e. *Pherezæus*; & *Piſon* פִּישׁוֹן, unum ex quatuor Paradisi fluminibus, Φισὼν, h. e. *Phiſon*, illi protulere, & alia ad hunc modum innumera, quæ brevitatis causâ prætermittimus.

Ex Cap. VI.

V. 8. Vetus tralatio, *Et vidi: & ecce equus pallidus.* Erasmus in Annot. *Equus pallidus*] *Græcè est* χλωρὸς viridis. *Atque ità vertit ipse paulò pòst*, & omne fœnum viride.

Dictio Græca χλωρὸς, tametsi *viride* significat, nonnunquam tamen pro *pallido* accepta reperitur. Sic Homerus μέλι χλωρὸν appellat, quod constat pallidum esse non viride. Et χλωρὸν δέος, i. *pallidum timorem.* Neque ignoramus ὠχὲν proprie Græcis id esse quod Latinis *pallidum*; quanquam superiore dictione indifferenter utuntur. Psal. 67. *Et posteriora dorsi ejus in pallore auri*, καὶ τὰ μετάφρενα αὐτῆς ἐν χλωρότητι χρυσίου, pro quo *in viridore auri* Hieronymus juxta Hebraicum transtulit.

Ex Cap. X.

V. 3. Vetus tralatio, *Et clamavit voce magnâ quemadmodum cùm leo rugit.* Erasmus in Annot. *Græcè est* μυκᾶται, *i.* mugit; *fortasse quòd Græci non habeant eam differentiam quam Latini.*

Mirum est variæ lectionis hominem ignorare in his bestiarum vocibus eandem esse apud Græcos differentiam quæ est apud Latinos. Siquidem ut *mugire* bobus & *rugire* leonibus nos adaptamus, sic & Græci μυκᾶσθαι illis, his autem ὠρύεσθαι solent attribuere. Psal. 21. *Sicut leo rapiens & rugiens.* Lxx, ὡς λέων ἁρπάζων καὶ ὠρυόμενος. 1 Pet. 5. *Quia adverſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret.* Græcè sic, ὅτι ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος ὡς λέων ὠρυόμενος περιπατεῖ ζητῶν τίνα καταπίῃ. Solent tamen ista interdum confundi, ut hoc loco, & Sap. 17. ubi dicitur *aut mugientium valida beſtiarum vox*, pro quo Græcè legitur, ἢ ὀρυμαγῶν ἀπηνεστάτων θηρίων φωνή.

Ex Cap. XVI.

V. 4. Vetus tralatio, *Et factus est ſanguis.* Joannes, καὶ ἐγένετο αἷμα. Erasmus, *Et facta ſunt ſanguis.*

Similia verba sunt hîc in Græco his quæ paulò antè posita sunt, ubi dicitur, *Et ſecundus angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus est ſanguis. Facta* verò *ſunt ſanguis*, quod hîc Erasmus traduxit, non potest ad fontes aquarum referri, sed neque ad flumina. Ergò absolutè dicendum erat *& factus est ſanguis*, sicut in Græco habetur, & ut verè ac propriè V. Interpres traduxit.

Ex Cap. XVII.

V. 9. Vetus tralatio, *Et hîc est ſenſus.* Erasmus in Annot. ὧδε ὁ νῦς, *i.* hæc est mens, *sive* intellectus.

Profectò non erat Erasmo mens aut ullus prorsus intellectus cùm pro ὧδε, quod est adverbium loci, i. *hîc* ut Vetus habet tralatio, & ut ille in textu traduxerat, *hæc* in Annotationibus posuit. Similis habetur dictio in Evangelio, ubi dicitur, *Ecce pluſquam Salomon hîc*, i. in hoc loco, ὧδε.

Ex Cap. XVIII.

V. 7. Vetus tralatio, *Et in deliciis fuit.* Joannes, καὶ ἐστρηνίασε. Erasmus in Annot. καὶ ἐστρηνίασε· *idem verbum quo compoſito uſus est Paulus in epiſtola ad Corinthios*, Cùm autem luxuriatæ fuerint in Christo, volunt nubere.

Constat hoc loco sicut & in aliis quamplurimis memoriolâ Erasmum vacillasse: non enim hoc verbo compositio Paulus est usus in epistola ad Corinthios, ut idem in Annot. retulit, sed in epistola ad Timotheum. Sic enim 1 Tim. 5. Græcè legitur, Νεωτέρας δὲ χήρας παραιτοῦ· ὅταν γὰρ καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, γαμεῖν θέλουσιν, i. *Adoleſcentiores autem viduas devita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt.*

Ex Cap. XXII.

V. 20. Vetus tralatio, *Etiam venio citò.* Erasmus cùm in Annot. nonnulla attulisset quibus sibi primâ fronte videretur librum Apocalypsis non esse Joannis Evangelistæ, sic tandem intulit, *Ad hæc in Græcis quos ego viderim codicibus non erat titulus*, Joannis Evangelistæ, *sed* Joannis

Theologi,

Theologi, *ut nè commemorem stilum non parùm dissonantem ab eo qui est in Euangelio & Epistola.*

Non solùm hæc Erasmi ratio valida non est, sed etiam contra illum sine dubio facit. Siquidē Joannes Euangelista Theologus per excellentiam à Græcis vocatus est : ac non solùm liber *Apocalypsis* Ἰωάννου τοῦ θεολόγου, i. *Joannis Theologi*, ab illis inscribitur, sed etiam ipsum Euangelium. Unde apud Sudam in dictione Ἰωάννης sic legitur, Ἰωάννης · ὄνομα κύριον · ὁ θεολόγος ἡ εὐαγγελιστὴς ἀπὸ τῆς ἐν Πάτμῳ ἐξορίας ἐπανελθὼν συντάττει τὸ εὐαγγέλιον ὢν ἐτῶν ϙ. διαμείνας ἕως ϛκ. ἐκεῖ ϗ διάγων συγγράφεται τῷ θεολογίαν. Ἤκμαζε δὲ ὁ χρυσόστομος ἡ τὰς ἐπιστολὰς αὐτοῦ τὰς τρεῖς, ἡ τῷ Ἀποκάλυψιν, i. *Joannes ; nomen proprium. Theologus & Euangelista ex Patmo ubi exsulaverat reversus Euangelium composuit annos natus centum, ad centum & viginti annorum ætatem perveniens. Illic autem degens conscripsit theologiam. Recipit autem Chrysostomus epistolas ejus tres & Apocalypsim.* Origenes præterea in homilia super *In principio erat verbum*] *Supervolat itaque*, inquit, *B. Joannes theologus non solùm quæ intelligi ac dici possunt, verùm etiam ea quæ superant omnem intellectum & significationem supervehitur*, &c. Et infrà, *Spirituale igitur pelagus, citivolum, Deividum, Joannem dico theologum, omnem visibilem & invisibilem creaturam superat, omnem intellectum penetrat, & deificatus in Deum intrat se deificantem :* & infrà, *Sanctus itaque Theologus in Deum transmutatus veritatis particeps Domini verbum subsistere in principio, h. e. Deum filium in Deo patre, pronunciat.* Atque in eadem homilia sæpius Joannem Euangelistam appellat ille Theologum. Athanasius item lib. 1 Contra gentiles, *Ac nè singulis*, inquit, *immorer quæ aperta sunt, nihil est in rerum natura quod non in ipso & per ipsum & factum fuerit & consistat, ut ait inclytus ille theologus, In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum ; omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil quod factum est.* Denique Areopagita Dionysius epistolam scripsit cui titulus est Ἰωάννῃ θεολόγῳ ἀποστόλῳ ἡ εὐαγγελιστῇ φιλοσοφοῦντι καὶ Πάτμου τῷ νήσῳ, i. *Joanni theologo apostolo & euangelistæ exsulanti in Patmo insula.*

APOLOGIA
ERASMI ROTERODAMI,
Respondens ad ea quæ in Novo Testamento taxaverat
Jacobus Lopis Stunica.

Quis leget hæc ? Min' tu istud ais ? Nemo hercule. Vel duo, vel nemo. —— (*Nemo ?*

Scio protinus dices, optime lector, quid isthuc novi proœmii ? Nimirum hoc potissimùm è Satyra Persiana mihi veniebat in mentem, cùm instigantibus amicis adornarem respondere libro Jacobi Stunicæ, quo taxat locos aliquot in quibus cessatum putavit à nobis in editione N. Testamenti prima. Quis enim adeò feriatus est ut hujusmodi rixas libeat legere ? Quòd si nunc reperiatur unus aut alter qui studio partium his admovere velint oculos & animum, certè posteritas hæc aut nesciet aut contemnet. Fervebant olim Laurentii Vallæ, hominis (quod negari non potest) eruditi juxta ac facundi, cum Pogio digladiationes. Hujus Elegantias penè solas habemus in manibus, neque quicquam magis hodie friget apud nos quàm in quo illi tum maximè calebant. Quoties autem contemplor animo quàm brevis ac fugax sit hæc vita, deinde quàm hujus exigua portio mihi superfit, vehementer molestum est in hujusmodi næniis rei multò omnium cùm pretiosissimæ tum irreparabilis facere jacturam, ut interim omittam, quòd dum hujusmodi rixis invicem incessimus & incessimur, perit illa tranquillitas animi Christiani, perit dulcedo studiorum, perit & fructûs bona pars compluribus ab his studiis alienatis. Ego verò Stunicæ gratiam etiam haberem si in publicam utilitatem contulisset quod à nobis esset prætermissum, aut emendasset in quo nos lapsi fuissemus ; quam ad rem invitavimus etiam eruditos in editione prima, quam nè tum quidem dissimulavimus esse plùs satis præcipitem ac tumultuariam, si modò sic utilitatem hanc attulisset studiis, ut ipse viri modesti æquíq; laudē retulisset. Nunc talis est liber, ut si detrahas convitia, quibus me nunc flagellat, nunc deridet, si præfationes & perorationes in me detortas, si sannas & scommata, quibus scurram agit veriùs quàm theologum, haud multum supersuturum sit voluminis. Atque utinam Stunica, quisquis est, non magis obtemperasset vel animo suo, vel quorundam instinctibus, quàm prudenti pariter & amico consilio R. D. Cardinalis Toletani, Francisci Cisnerii, cui noster successit Guilhelmus Croius, juvenis seni, sed dignus qui in ea dignitate consenescceret. Siquidem audio virum optimum, ubi vidisset quæ moliebatur in me Stunica, dedisse consilium planè Christianum, ut priùs opus ad me mitteret quàm evulgaret, quòd si responsione satisfacerem, magis in rem ipsius fore premi librum quàm evulgari. Sin autem respondere gravarer, aut protervè indoctéve responderem, publicaret suas vigilias bonis avibus, méque neglecto veritati patrocinaretur. Siquidem Stunica, cùm fortè reperisset optimum virum præ manibus habentem à nobis recognitum N. Testamentum, demirari cœpit quòd talibus nugis admoveret oculos, librum scatere mendis ac erroribus prodigiosis. Hic Card. hominis petulantiam gravi dicto castigavit, ut referunt optimæ fidei quidam, qui tum Cardinali aderant, *Utinam*, inquiens, *sic prophetent omnes : tu, si potes, adfer melivra, nè damna alienam industriam.* Proinde vivo Cardinale pressit libellum suum maledicum, qui utinam tum prodisset, non dubito quin & jejunior & indoctior quàm nunc est. At ille statim à morte Cardinalis typographis tradit opus, me nè per literas quidem admonito ; non dubito quin impulsu quorundam, qui malè feriati ex hujusmodi gladiatoriis conflictationibus eruditorum voluptatem non minùs fœdam quàm crudelem capere gaudent. Neque enim mihi persuadere possum, generosos ac bene natos animos tantum odii in quenquam posse concipere à quo nunquam sint læsi. Nam, ut apparet, Stunica sese numerari postulat inter eos qui generis claritatem cum eruditionis gloria copularunt. Quòd si gloriæ cupiditas stimulabat hominem, affectus non omnino pudendus, præsertim homini profano, ut arbitror, ea contigisset multò plausibilior, si famam

famam auſpicari maluiſſet ab opere quod cum nullius infamia fuiſſet conjunctum, aut certè quod eruditionis eminentiam modeſtiæ commendatione condecoraſſet. Nunc quàm non amica, quàm atrox præfatio, quæ quot conſtat verbis tot penè habet convitia, nuſquam non ſpirans mirum quendam Eraſmi Batavi contemptum! Sperabat, opinor, homo ſuavis fore ut lector hoſpes crederet eximium aliquem heroa delapſum è cœlo, vel in hoc magìs revixiſſe Geryonem illum pro tricorpore trilinguem, qui magìs contemneret Eraſmum quàm culicem elephantus Indicus, non animadvertens interim longè facilius eſſe contemnere quàm vincere, ridere quàm refellere. Quid alii mihi tribuant nobis in manu non eſt; certè mihi quàm minimum ſumo. Quid poſſim libris declaravi: fruſtrà nitar ſi ſtudeam alius haberi quàm ſum. Ego ut mihi nihil unquam inſigne vendicavi, ità Stunicæ laudibus adeò nihil detraham, ut cupiam conduplicatum etiam quod ſibi liberaliſſimè tribuit, in me tam parcus ac malignus, ut nudo, quod aiunt, etiam veſtimenta detrahat, nihil non adimens infelici Batavo, ingenium, memoriam, curam, judicium, eruditionem, lectionem, & intellectum Sacrorum voluminum, peritiam linguarum omnium, elegantiam, denique Grammatices etiam Latinæ ſcientiam. Nec hæc contentus dixiſſe ſemel, repetit identidem ad ſingulas penè annotationes, addit novas præfatiunculas, addit epiphonemata aliquid aloes habentia, interim non optimè ſentire viſus de lectore, quem putet toties jam inculcata non meminiſſe. Atque interim mirè feſtivus ſibi videtur, dum me ludos facit, dum verſat ac volvit Atticis, ut ipſi videtur, ſalibus. Mihi certè voluptati eſt & apud Hiſpanos efflorescere linguas ac bonas literas: ac de Stunicæ quidem ingenio ſatìs ampliter mihi promitto, bonáque ſpes eſt illum poſthac rectiùs uſurum ingenio ſuo, literis, chartis & otio; ſed vereor nè ſuo vitio non tam opimam gloriam referat ex his ſtudii ſui primitiis quàm ſibi videtur polliceri. Siquidem ut perſuadeat ſe linguis ac literis omnibus, ſe ſagaci judicio, perſpicaci ingenio, ſe longâ ac diligenti veterum evolutione, ſe lexicis admirandis, & alienis annotationibus affatim inſtructum, optimè noſſe quid ſit deferendum interpreti, me herì ac nudiuſtertius attigiſſe Sacros libros, me in his nè verbum quidem intelligere, qui ante annos viginti ſcripſerim Enchiridion, à doctiſſimis etiam Theologis comprobatum, certè tale quod declaret me & olim legiſſe nonnihil in Sacris voluminibus, quíque in hoc Annotationum opere, quod ipſe verè *tumultuarium* appellat, tantum è diverſis & Græcis & Latinis ſcriptoribus adferam teſtimoniorum, quis hoc illi crediturus eſt, quòd (uti ſcribit) hoc opus ſuſceperit non ullo maledicendi ſtudio, ſed animo defæcato, prorſúſque ab omni contentione alieno? cùm totum opus nihil aliud ſpiret quàm contemptum & odium mei: nam tanto viro non libet livoris ſuſpicionem impingere. Taxandi, ſubſannandi, lacerandi, calumniandi, depravandi nullus eſt neque modus neque finis. Atqui cùm fieri non poſſit quin in magno opere permulta ſint quæ calculum album mereantur, tantum abeſt ut quicquam probet Stunica, ut ſæpe depravet quæ ſunt ſimpliciſſimè dicta, è frivolis gerris atroces excitans tragœdias, quod genus eſt illud: Obiter nominaram *Neapolim, quam nunc in Italia occupant Hiſpani*, Hìc me propemodum læſæ majeſtatis reum peragit, qui Cæſari adimam jus hereditarium, quòd Hiſpanis impingam tyrannidem, non ob aliud niſi quòd *occupant* uſurparim pro *tenent*. Rurſus cùm innoxio cavillo dixiſſem apud Paulum Hiſpaniam fraudari primâ ſyllabâ, quòd illic legatur Σπανία, non Ἱσπανία, cùm ipſi ſoleant in ſimilibus vocibus de ſuo addere, dicentes *eſpecto* pro *ſpecto*, μάλα τερατικῶς vociferatur me totam gentem Hiſpanicam criminari inſcitiæ. Proinde, opinor Stunicam eum eſſe qui poſſit è parva civitate maximam reddere, cui nihil tam exile eſt quod non in immenſum exaggeret. Sicubi non videor illi ſatìs excuſſiſſe quid ſenſerit Hieronymus, illico clamat me nihil prorſus intelligere, nec in Hieronymo, nec in ullis autoribus. Sicubi Græcam vocem aliquantò ſecius interpretor quàm ipſi videatur, rideor, & prorſus ignarus ſum Græcæ literaturæ. Et alicubi prorſus adimit cognitionem Latinæ Grammatices, qui non probarim *retinere* poſitum pro *meminiſſe*. Quod adhuc nec ipſe Stunica potuit ex ullo Latino autore proferre, tota ſecula verſatus in evolvendis optimis quibuſque ſcriptoribus. Quin alicubi geminæ hæreſeos ſuſpicionem mihi conatur impingere, ubi nè tantulum quidem erat occaſionis. Apollinariſtarum, quòd Vallam citarim autorem, qui negarit ſervi nomen in Chriſtum congruere quatenus fuit homo, ſed quatenus ut nocens affectus eſt ſupplicio, cùm hujus ſententiæ ſit & Ambroſius & Chryſoſtomus; præterea Arianorum, qui dixerim Chriſtum ſubditum fuiſſe Patri, ſed ut filium, non ut ſervum, h. e. charitate & ſponte, non metu, quod quàm impudenter & indoctè faciat, ſuo docebimus loco. Exprobrat identidem Hebraici ſermonis inſcitiam, cùm ego ſimpliciter ubique fatear me rudem ejus literaturæ. Alioqui cur non eâdem operâ exprobrat quòd alas non habeam? Clamat me mihi Hieronymum delegiſſe quicum monomachiam exerceam, quòd alicubi ab eo reverenter diſſentiam, cùm nemini ſit obſcurum, quantum ubique deferam Hieronymo. Exprobrat mihi Theſeum Oecolampadium, quem alicubi neſcio cur nuper à me confictum dicat. Atqui is vir eſt nulla in parte Stunicæ contemnendus, niſi fortè hoc uno nomine quòd Germanus eſt, quemadmodum mea pro nihilo ducit quòd Batavus ſim. In Hebræis ferè ſequebamur autoritatem Hieronymi. Et loco commonſtrato Hebræa aſſcripſit Oecolampadius, tum voces admodum paucas admiſcuit. Poteram hoc laudis ſuffurari, & jam illo pro ſuo candore mihi libenter ceſſuro; at ego malim illi aliquid meæ laudis cedere quàm alienæ laudis eſſe furunculus. Et hunc candorem, hanc modeſtiam, hanc ingenuitatem naſo ſuſpendit Stunica. Oecolampadius ſatìs idoneus eſt qui ſua tueatur adverſùs Stunicam; & tamen ſi quid fortè lapſus fuiſſet, iniquum fuerat alienos lapſus mihi impingere. Atque adeò ſi quid illum offendit in libris Hieronymi quos ediderunt Amorbachii, mavult in me conjicere quàm in illos qui ſe profitentur editionis autores. Imò ſi quid erratum eſt ab operis typographicis, id quod vitari non poteſt etiamſi Argum admoveris caſtigatorem, totum imputat mihi. Mihi ſanè vehementer impudens viderer ſi Stunicæ tribuam quod toties in ejus opere legitur, *occiari*, *Battavus*, aliáque id genus, quæ tamen adeò frequenter ſunt obvia ut ægre credas accidiſſe caſu. Atque ex hujuſmodi gerris dictu mirum quos moveat tumultus, quàm in me debacchetur, cùm ipſe tam immitis cenſor ſæpe labatur in his in quibus nè puer quidem elementarius laberetur. Velut in hoc cùm in epiſtola ad Romanos caſtigans id quod à Paulo ſcriptum erat, pro ἐλογεῖτο legendum contendit ἐλλογεῖτο, cùm ἐλλογεῖτο vox ſit Græcis inaudita. Ad hæc, quædam ejus generis ſunt ut ad me nihil pertineant, quæ tamen loquaciſſimè proſequitur; quædam adeò minuta ac frigida ut idonea videri poſſint,

Neronianas quæ refrigerent thermas.

At cùm toto opere concutiatur cachinnis, diffluat riſu, ſibi non temperet, rideat, ſubſannet, delicietur, tamen quaſi parùm ſit illic petulantiæ, addidit elenchos in ſpatio marginis, in quibus *Eraſmus dormit*, *ſtertit*, *ſomniat*, *cacutit*, *hallucinatur*, *labitur*, *errat toto cœlo*, *delirat*, interpres & Stunica triumphant, Batavus proteritur. Illic in expedito ſunt omnia, & magnifica promiſſa lactis, quod aiunt, gallinacei ſpem faciunt, cùm ſæpenumero res, ſi venias in medium, admodum impedita ſit ac diluta, perinde quaſi medicus inſcribat pyxidi *manus deorum*, cùm intus ſit malagma betaceum. Subindè verò *Batavum* me appellat, & addit alicubi ſatìs ſcurriliter *butyro & patriâ cerviſiâ obrutum*. Perinde quaſi mihi dedecori ſit futurum ſi Bactris aut apud Sogdianos natus eſſem, aut quaſi Hollandia regio ſit ulli pro ſua portione contemnenda, ſive ſpectes celebritatem ac frequentiam oppidorum, ſive

cultum ac policiem vitæ, sive copiam rerum omnium, sive ingeniorum proventum. Quod esse verum Stunica vel ex negotiatoribus Hispanis cognoscere poterit. Quanquam hic affectus quàm minimum ponderis habere debet apud eruditos. Apud Christianos philosophos non est Hispanus, nec Gallus, nec Germanus, nec Sarmata, sed nova creatura. Quicunque serviunt gloriæ Christi, contribules sunt, germani sunt, & si quid germanis conjunctius. Jam ut sibi multa sumit parùm pudenter, ità de me multa pronunciat impudentissimè; quod genus sunt illa, Erasmum semper in profanis literis versatum, illotis pedibus ad hoc opus accessisse, nec aliâ re commotum quàm inanis gloriæ fame: Stunicam omnibus præsidiis instructissimum, simplici puróque animo, nec alio prorsus studio quàm juvandi ac patrocinandi veritati, quam videret indignis modis per nos opprimi, hoc opus egressum, idque *sine Theseo*, ut gloriatur. At quid me dementius, si tantum laboris exhausi nihil aliud captans quàm ut Interpretem lædam, mihíque nonnihil gloriæ comparem? Quid mihi simultatis erat cum Interprete, cujus nomen nemo novit? An non alia patebat ad gloriam via, minore sudore, majore compendio? Ejusdem frontis est illud, quod ait *Interpretem* passim à me *contumeliosissimè compellari, atque ex eruditorum virorum corona penitus explodi*, cùm in illo magis desiderem curam quàm peritiam, cùm multis in locis collaudem, quod ille vertit nonnunquam etiam defendam adversùs Vallam & Fabrum. Sed illud etiam impudentius, quòd scribit à me *damnari traditionem Ecclesiasticam*, cùm ubique clamem usque ad ravim, ut inquit Plautus, me vertere quod habetur in Græcorum voluminibus, nec usquequaque mihi probari lectionem illorum; per me manere lectionem Ecclesiasticam incolumem & illibatam: hæc tradi in cubiculis legenda, non in templis. Quin & illud assumit parùm verecundè, hanc translationem quam nunc habet usus Ecclesiasticus, aut esse Hieronymi, aut certè ab Hieronymo castigatam, cùm in Annotationibus tot argumentis doceam, imò cùm res ipsa clamitet hoc esse falsum. Illud porrò nescio quo nomine donari debeat, quòd suscepto adversùm me patrocinio Interpretis, cùm ego illum in jus non vocem, in tot locis tam insignis orator destituat suum clientem. Nam cùm affirmet illum Latinè & eleganter vertisse, silentio præterit tot à me notatos solœcismos manifestarios, tot loca obscurè & ambiguè reddita. Et tamen verecundius est obticescere quàm ineptè defendere. Hæc cùm tam magnificè præfatus sit, ut scriptor ille Cyclicus ad hunc collatus videri possit egregiè modestus, tamen in calce judicium defert lectori, modò Græcæ Latinæque linguæ sit peritus. At quis ausit adversùs eum pronunciare, qui paulò antè sic de se pronunciarit, *Cùm præsertim*, inquit, *si quisquam alius & nos quoque his de rebus nostro quodam jure judicium ferre possimus, quippe qui non paucos annos in Sacris Scripturis Vet. ac Nov. Testamenti Hebraicè, Græcè & Latinè perlegendis consumpserimus, ac Hebraica Græcáque ipsa Divinarum literarum exemplaria cum antiquissimis Latinorum codicibus diligentissimè contulerimus, Longâ igitur lectione ac experientiâ jampridem edocti, quantum tralationi huic Ecclesiasticæ N. Testamenti deferendum sit, nisi fallor, novi optimè.* Hæc est Asiatica Stunicæ phrasis.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Et tamen nonnulla suspicio tangit animum, Stunicam hunc subornatum ab aliis, alienam fabulam ut ageret. Certè si detrahas illi quod hausit ex Lexicis, quod ex Annotationibus eruditissimi viri Antonii Nebrissensis, cujus gloriæ meritò atque ex animo favemus, haud multum supererit quod jactet Stunica. Quòd si tantus est quantus vult videri, quid illi venit in mentem ut tantus heros huc se demitteret, ad Erasmi Batavi nugas excutiendas? Quid enim facilius quàm in magno opere quærere quod arrodas? Aut quid abjectius quàm in alieno libro obambulare venantem quod carpas? Aut quid hinc gloriæ potes contingere, cùm ipse proximâ editione correxerim, si quid in prima fuerat cessatum? Virgilius Turni virtutem attollit, quò magis illustret Æneæ victoris gloriam. Homerus Achillem non cum Thersita sed cum Hectore viro fortissimo committit. Stunica putat non alio pacto sibi posse contingere speciosam victoriam, nisi persuadeat sibi cum homine nihili fuisse certamen. Non dissimilis quibusdam stultè invidis mulierculis, quæ faciem aliarum deturpant, speranses fore ut sic demum formosæ videantur ipsæ. Quare cùm tam in se benignus sit Stunica, in me tam malignus, vitare non potest quin si seriò hæc scribit, partim impudens habeatur, partim arrogans, partim linguæ petulantis. Sin ità ludit, videat etiam atque etiam nè hoc gravibus viris scurrâ dignius videatur quàm eo qui tractet Sacras literas, præsertim tam splendida præfatus. Atque hic lapsus mihi videtur fœdior in moribus quàm si centum admittas solœcismos in sermone. Sed jam ex ipso libro quædam decerpemus, ex quibus lector facilè judicabit an res ipsa promissis respondeat, & in tantum sapiat Stunica quantum sibi sapere videtur.

IN MATTHÆUM.

ALiquoties admonueram, mihi non videri Matthæum Euangelium suum scripsisse Hebraicè, aut si scripsit; ab Hieronymo non fuisse visum. Id non affevero quidem, sed aio mihi videri probabilius. Et causas adfero in Annotationibus, quas hic non est necesse referre. At Stunica objicit Origenem, Augustinum & Chrysostomum, qui diversum sentiant, quorum nemo tamen affirmat. Nam Origenes, *Ità enim*, inquit, *tradiderunt Patres.* Et Augustinus, *Solus*, inquit, *Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio.* Denique Chrysostomus, *Hebræo*, inquit, *dicitur Euangelium scripsisse sermone.* Sed Hieronymus citat hinc quædam in epistola ad Hedibiam. Rursus in epistola ad Damasum de dictione *Osanna.* Mirum autem cur hîc Stunica, quem nihil usquam fugit in ullo bonorum autorum genere, non adduxerit locum è Catalogo scriptorum illustrium, ubi palàm asseverat Hieronymus quòd Matthæus Euangelium suum Hebraicis literis verbísque composuerit. Exemplar Hebraicum eâ adhuc ætate servatum in bibliotheca Cæsarienſi, quam Pamphilus martyr apparârit. Sibi quoque ejus voluminis describendi factam fuisse copiam à Nazaræis, qui eo in Bercœa urbe Syriæ uterentur. Hîc Stunicæ causam adjuvo. Rogabit igitur quâ fronte dissentiam ab Hieronymo, Illa præcipua causa est, quòd cùm toties incidat locus ut vehementer opus sit Hebraici Euangelii præsidio, vix unquam tamen Hieronymus adducat. Nam quod adducit in modò dictis epistolis, sic retulit ut è Nazaræorum Euangelio videri possit desumptum. Cur igitur affirmat se vidisse? Quid suspicer malim conjectare lectorem quàm me proloqui. Ac nè protinus hîc mihi reclametur, Os impudens! audiat priùs quæ super hac re scribit ipse Hieronymus lib. 3 Adv. Pelagianos: *In Euangelio*, inquit, *juxta Hebræos quod Chaldaico quidem Syróque sermone sed Hebraicis literis scriptum est, quo utuntur usque hodie Nazareni secundùm Apostolos, sive, ut plerique autumant, juxta Matthæum, quod & in Cæsarienſi habetur bibliotheca, narrat historia.* Hactenus Hieronymus, Convenit de bibliotheca, convenit de Nazaræis utentibus, convenit de literis Hebraicis, convenit & de titulo, juxta plurimorum opinionem. Supereſt unus scrupulus de sermone Chaldaico. Atque idem & in Commentariis quos scripsit in Matth. 12. scribit hunc in modum, *In Euangelio quo utuntur Nazareni & Ebionitæ, quod nuper in Græcum de Hebræo sermone transtulimus, & quod vocatur à plerisque Matthæi authenticum*, &c. Ex his colligimus fuisse duo volumina, sed in eadem bibliotheca, & iisdem conscripta literis, sed sermone diverso, quorum alterum verè fuerit Matthæi, literis & verbis Hebraicis conscriptum, ab ignoto interprete versum in linguam Græcam, quod Hieronymus viderit tantùm ac descripserit non autem verterit. Alterum sermone Syro Chaldaicóq;, sed

sed figuris Hebraicis, quod ipse transtulerit in linguam Græcam. Unde cùm frequenter depromat testimonium, mirum cur non multò frequentiùs depromat ex altero. Deinde mirandum, cur Nazareni maluerint Chaldaicum illud amplecti quàm Hebraicum. Ad hæc, si horum alterum sine controversia erat Matthæi, alterum apocryphum, cur toties repetit Hieronymus Chaldaicum illud à plerisq; credi Matthæi & authenticum? Præterea si D. Hieronymus judicasset hoc Euangelium quod descripsit esse verè Matthæi, oportuit reliquum quidem N. Testamentum ad Græcam veritatem emendare, cæterùm Euangelium Matthæi ad Hebraicam veritatem restituere. Idem fecisset Origenes, homo prodigiosæ diligentiæ, præsertim cùm queratur Euangelicos libros apud Græcos plerisque locis variantes sibi videri depravatos. Denique si Matthæus scripsit Hebraicè, quî factum est sic perisse neglectum quod scripserat, ut nè in Syria quidem exemplar supereſſet præter unicum illud? Adjiciam & illud, cùm Stunica fateatur Christum Chaldaicè fuisse locutum, non Hebraicè, quâ linguâ tum Hebræi vulgò utebantur, quid venit in mentem Matthæo ut Hebraicè scribere maluerit quàm Syriacè, h.e. linguâ & paucioribus notâ, & diversâ ab ea quâ locutus est Christus? Eusebius Cæsariensis historiæ suæ quam Ecclesiasticam inscripsit lib. 3. meminit Euangelii secundùm Hebræos, sed addit in Ecclesia non fuisse receptum. De altero volumine non meminit. Proinde salvo cujusque judicio mihi suspicio est, aut Hieronymum alicubi abuti vulgatâ opinione de volumine tam celebri, præsertim ubi res ipsa posceret, aut alterum illud volumen fuisse versum ex Euangelio Matthæi Græco, sicut pleraq; volumina Latinorum versa sunt in eandem linguam. In præsentia non addam plus argumentorum. Quòd si cui non placet mea suspicio, fruatur opinione suâ. De cæteris quæ subjicit Stunica, viderit meus Theseus, & res est exigui momenti.

Ex Cap. I.

V. 3. Indicaram in Annotationibus mihi magis placere *è Thamar* quàm *de Thamar*, quòd inusitatus sermo sit, *suscepit liberos de illa*, tametsi non ignorabam similem orationis formam apud autores inveniri. Hîc Stunica præfationem orditur à loco communi in eos qui rebus neglectis de signis soliciti sunt, eodémque calculo damnat & Erasmum & Fabrum & Vallam, atque adeò cæteros omnes quotquot in hoc laboris genere Erasmus habuit *antesignanos*, sic enim ille loquitur, non intelligens interim quòd hæc damnatio complectitur & Hieronymum & Augustinum, quorum alter restituit N. Testamentum, & in Commentariis de vocis emphasi sæpe contendit, nonnunquam & de elegantia, quemadmodum alicubi *conspersionis* vocabulum probat, *massæ* rejicit; alter præterquam quòd idem subinde facit quod nusquam non facit Hieronymus, libros etiam aliquot conscripsit De locutionibus V. Testamenti. Porrò cùm suscepissem negotium restituendæ lectionis ac sermonis Apostolici ad munditiem linguæ Latinæ revocandi, an mihi tacendum erat de signis, cùm hujus rei considerationem mihi propriè sumpsissem? Cur non eodem calculo damnat Coronellum suum, nisi fortè in magno illo Lexico cavit nè quid de signis attingeret? Quòd si nullus est delectus signorum, cur in scholis traditur pueris amara Grammatica? At quomodo signa erunt, si non refert quid quibus verbis eloquaris? Certè nisi de signis convenit, non potest homo homini significare verbis quod sentit animo. Sed negat Augustinus referre *apud rerum cognitorem* inter homines *dicas an* inter hominibus.' Cur igitur ipse Augustinus fugit ad hunc loqui modum? Idem alicubi scribit se malle *ossum* dicere quàm *os*, si de osse sentiat non de ore, quò magis intelligatur ab auditore. Verum, sed quoties vulgo loquitur, cui *ossum* absque dubio tum significabat quod nobis ambiguè sonat *os*. Atque hac de causa magis olim tolerari poterant Euangelici sermonis incommoda, quòd adhuc vulgus Latinè loqueretur, tametsi corruptè, & notos scloecismos tum vulgus magis intelligebat quàm si purè Latinè vertisset Interpres. Nunc nolis cum vulgo res non est, quoties Latinè loquimur, & ad Euangelicæ doctrinæ propagationem simul & commendationem pertinet ut sermone simplici quidem sed tamen puro casq́ue tradatur. Atqui ex eo quòd Interpres parùm Latinè reddit, sæpe videmus lapsos etiam summos S. voluminum interpretes, & hinc frequenter natam depravationem. Etenim nisi Interpres malè vertisset, *latuerunt angelis hospitio exceptis*, librarius offensus non depravasset scripturam, *placuerunt angelis hospitio exceptis*. Nec enim rem negligit quisquis tractat verba, sed viam struit ad rerum cognitionem, aut certè efficit ut sensus ceu commodiore vehiculo traducantur in animos hominum. Atque hic rursus impudenter assumit Stunica, hanc translationem quâ nunc utitur Ecclesia ab Hieronymo fuisse recognitam, cùm & verba quædam in commentariis taxet Hieronymus, & quædam indicet superesse, quædam diverso sensu legi. Hæc si nondum animadvertit Stunica, satis apparet illum non tam diligenter versatum in evolvendis veterum Orthodoxorum libris quàm jactat, sed locos quosdam à me citatos excussisse, venantem quod aliquâ calumniâ posset arrodere. Nec minùs impudenter pronunciat de omnibus, quorum est & Hieronymus, nihil aliud spectasse qui Sacros libros conati sunt emendare, quàm ut veteres S. Scripturæ Tractatores & Ecclesiasticam lectionem damnarent & infamarent. Quòd si maximè hæc translatio fuisset ab Hieronymo recognita, atque etiam incorrupta, quemadmodum ab ipso prodita fuisset, non tam insolens aut morosus esset Hieronymus ut arbitraretur se insigni affici contumeliâ si quis diligentiùs aut feliciùs in eodem argumento versaretur. Quòd si hic noster labor contumeliosus est in Orthodoxos veteres & Ecclesiasticam lectionem, cur semel atque iterum suo testimonio comprobavit Leo summus Ecclesiæ pastor? Jam in hoc quod dicam palàm est fuco usum esse Stunicam, quòd Vallam autorem facit, nihil interesse utrâ præpositione utaris, *ex* an *de*, cùm Valla non agat illic de ratione sermonis Latini, sed refellat differentiam quorundam Theologorum, qui docent utendum esse *de* quoties notatur eadem substantia, *ex* quoties significatur tantùm origo. Quam distinctionem rejicit etiam Chrysostomus; certè negat esse perpetuam. Quid hoc ad me, qui loquor de consuetudine sermonis Latini? Quòd si Stunica vult passim licere ut *de* ponamus vice *ex*, quæso an aliquis feret hunc sermonem, *fugit de bello*, & *amat me de animo*, pro *amat ex animo*, & cognovi *de literis tuis*, pro *ex literis tuis*, & non erit *de re tua*, pro *ex re tua*? Hîc cùm multùm se torqueat Stunica ut doceat *de* idem pollere quod *ex*, prolatis aliquot locis è V. Testamento, nullum adhuc reperit autorem probatum linguæ Latinæ quo doceat quod asseverat. Et tamen non inficior inveniri; verùm aio, nec hoc licere passim, & inusitatius esse. Siquidem Ciceronem ità loquentem, *audivi de patre meo*, vix quisquam adhuc rectè loquendi studiosus ausus est imitari. Id cùm ego tribus verbis moderatissimè indicassem, Stunica suo more exaggerat, quasi debacchatus essem in Interpretem, vel potiùs in Hieronymum, quòd Geticè locutus esset, non Latinè. Hoc agebamus nè quid esset quod offenderet amantes sermonis purè Latini, & id maluimus quod sciebamus minùs offensurum. Dixerit aliquis, Cur mutabas quod erat tolerabile? Fateor quàm minimum esse mutandum si hæc in locum publicæ lectionis substituerentur. Nunc cùm illâ incolumi hæc demus in Musæis legenda, expediret magis mutari singula, quandoquidem, autore Augustino, varietas lectionis magnopere conducit ad intellectum S. Scripturæ. Quòd si quando visum erit Ecclesiæ principibus innovare lectionem Ecclesiasticam, id longè facillimum fuerit post hanc nostram operam, quâ viam ad eam rem struximus.

V. 5. Quoniam in genealogia David additur cognomen *regis* adjuncto articulo, ὁ βασιλεύς, obiter & aliud agens admoneo lectorem, consideret num qua sit emphasis

sis in Græco articulo. Sic enim additur ut videri possit hic David discerni ab alio quopiam ejusdem nominis qui rex non fuerit. Hic Stunica, homo perspicax, deprehendit me Luciani libris occupatum, nè primoribus quidem labris degustasse S. codices. Quæso te lector, quid hoc homine impudentius aut petulantius? Non reperitur in S. libris alius hoc nomine. Num ideo non potuit esse alius qui non reperiatur in libris? præsertim cùm extra controversiã sit permultos Hebræorum libros intercidisse. Deinde non hoc sensi, fuisse alium, sed quærendũ quid sibi velit articulus τὸν. Nam David regem fuisse declarasset etiamsi citra articulũ dixisset, *David* Βασιλέα. Præterea cùm alteram conjecturam addidissem, cur unam tantùm arrodit Stunica? Nam quod adducit è Glossa Ordinaria, non solvit nodum de articulo. Bellum est autem quòd hîc nobis etiam divinat quid Hebraicè scripserit Matthæus, *hamelech*. Atque hoc tam frivolum argumentum non potuit Stunica tractare sine præfatione atrociter contumeliosa.

V. 6. Post tam magnificas pollicitationes, post tam atrocia jurgia, vide quæ crimina tandem impingit. Ait me *Solomonem* vertisse, cùm Hebræis rectè dicatur etiam *Salomon*, quod ego nec ignorabam, nec inficiatus sum usquam. Atqui si placulum est quòd *Salomon* verterim, quemadmodum constanter pronunciant Græci, cur non reprehenditur Latinus Interpres quòd *Jesu* nomen verteret juxta Græcorum non juxta Hebræorum pronunciationem, præsertim cùm sint qui in ipsis Hebraicis elementis putent esse mysticam significationem naturæ Divinæ? Sed mox civilior est Stunica, ac mihi propemodum ignoscit, quòd in Annotationibus *Bersabee* scriptum sit non *Bathsabee*, & Oecolampadium Theseum meum in jus vocandum arbitratur, atque ex hoc tanto argumento deprehendit homo nasutus, neque me neque Oecolampadium scire linguam Hebraicam. Si quid frontis haberet Stunica, typographis hoc imputasset, non Oecolampadio, nisi fortè postulet sibi imputari in hoc libello *occiari* pro *ociari*, *Battavus* pro *Batavus*, *excussum* pro *excusum*, aliáque hujus generis haud sanè pauca. Certè videt hoc esse correctum proximâ editione, etiam sine Theseo, nè me putet usque adeò alienum à literis Hebraicis ut hoc scire non queam. Quàm eximium verò specimen modestiæ, quòd addit se vel absque Theseo posse de lingua Hebraica judicare. Quis autem est tam arrogans ut neget sibi opus esse cujusquam præsidio? Hercules absque Theseo non est, & solus Stunica Theseo non eget, sed unus ipse sibi satis est. Quæ tandem petulantia est per quamvis occasionem incessere Oecolampadium, virum non minùs vitæ sanctimoniâ quàm rei Theologicæ & linguarum cognitione suspiciendum? Quem fortasse Stunica brevi experietur sibi non usque adeò contemnendum, si tamen Oecolampadius Stunicam suâ dexterâ dignabitur.

V. 11. *In transmigratione Babylonis*] Fateor quidem intelligi quid senserit Interpres ab iis qui norunt historiam, sed tamen admoneo rem apertiùs explicari posse si quis vertat, *postquam demigratum erat in Babylonem*, vel *cùm demigrassent Babylonem*, aut, ut nos tum vertimus, *in transmigratione in Babylonem*, & addo, apertius erat, *in exsilio*, seu *captivitate Babylonica*. Hic cùm multos modos ostendam quibus vitari poterat sermonis incommoditas, Stunica tantùm hoc arrodit quod posueram in contextu, dissimulans reliquos. Verùm quoniam hoc opus sic edideram ut nollem Annotationes à contextu separari, debebat Stunica, vir civilis ac prudens, imaginari hoc esse in contextu quod erat in Annotationibus, & eligere quod optimum judicaret. Porrò quod assumit *transmigrationem* magis exprimere Græcam vocem μετοικεσίαν quàm *demigrationem*; cùm fortiter asseveret, nequaquam tamen probat: neque enim perpetuum est in vertendis vocibus Græcis quod est in μετάθεσις & μεταφορὰ, alioqui μετάνοια nobis sonaret *transsentio*, & μεταπέμπω *transmitto*, & μετασέρω *transfero*. Quòd si μὴ apud Græcos nihil aliud valeret quàm quod apud nos *trans*, tamen spectandum erat quid recepisset Romani sermonis consuetudo. *Deportati* dicuntur qui deferuntur in insulas desertas, *transportati* non dicuntur. Et *relegati* dicuntur, non *translegati*. Itaque cùm scirem *demigrare* vocem esse probatam, & usitatam apud Latinos, de *transmigrare* dubitarem, malui quod erat certius. Sed in eo quod verti residet nonnihil amphibologiæ; potest enim accipi, Jechoniam cum fratribus suis natum esse in ipsa profectione. Fateor, & ob eam causam in proxima editione mutavimus, nondum divinantes exoriturum Stunicam qui de nugis hujusmodi tragœdias excitaret. Sed in eo quod verterat Interpres, aut multis modis anceps, aut nullus erat sensus. Cur enim potiùs dicitur *transmigratio Babylonis* quò demigratur, quàm *transmigratio Palæstinæ* quæ relinquitur? ut nè repetam quòd nomen verbale μετοικεσία potest vel activè sumi vel passivé. Verùm hîc me Stunica *ridiculum* vocat, qui alios ex meo judicem ingenio, cùm non possit accipi nisi passivé. Id cùm per se falsum sit, tamen agè demus hoc quod sumit Stunica: intelligemus igitur Babylonem aliò fuisse translatam, cùm audimus *transmigrationem Babylonis*. Addit simile; Cùm *Ægypti*, inquit, *captivitas* dicitur, intelligimus Judæos in Ægypto fuisse captivos: quasi si quis dicat *captivitatem Trojæ*, sensurus sit Græcos aliquos in Troja fuisse captivos, ac non potiùs ipsam captam Trojam. Hæc tam præclara mundus erat ignoraturus nisi Stunica nobis fuisset exortus. Denique divinat hîc quoque quid scripserit Matthæus. Miseret me Stunicæ, qui nugis hujusmodi & suum ingenium & calamum & chartas & otium triverit: miseret me lectoris, qui talibus næniis aliquid bonarum horarum impartit: miseret me mei, qui cogar has ineptias vel legere vel refellere. Et tamen hoc nugamentum non potuit indicare Stunica sine uno atque altero convicio.

V. 23. Quod est Græcis ἐν γαστὶ ἕξει, & Interpres vertit, *in utero habebit*, quoniam sermo videbatur insitatus Latinis auribus, ac præterea anceps (*habet* enim *in utero* quæ pransa est, non solùm quæ concepit. Unde jocus apud Athenæum, quo medico percontanti mulierem num in utero haberet, responsum est à mimo, Quínam haberet jam triduum totum jejuna?) nos vertimus, *virgo erit pragnans*. Hîc Stunica me calumniatur, quòd sensum verterim non verba. Verti quidem, sed Latinè, sed dilucidiùs. Quòd si nusquam fas est à verbis discedere, sæpe vocabitur in jus Interpres, qui frequenter absque causa discedit à verbis Græcis: Aut si erat, inquit, discedendum à verbis Græcis, ab Hebræis petendum erat, apud quos pro ἕξει est λήψεται, i. *accipiet*. Pulcre: sed interim mutassem incommodum, non effugissem. Nè quid attingam interim quòd hoc loco nos Stunica docens ex autoritate Hieronymi quid sit apud Hebræos, non intelligit locum quem adducit, ut est corruptum, cùm id tribus verbis admonuerim, eum locum esse depravatum; qua de re nonnulla videbis in secunda editione, plura in tertia, nonnulla in Apologia quâ respondimus Leo. Docuimus enim Hieronymum legisse *habet* non *habebit*. Et quanquam *habet* verbum est præsentis temporis, tamen respondet verbo præteriti temporis, quod est *concepit*. Quemadmodum in Psalmo *accepit dona in hominibus*, tametsi verbum est præteriti temporis, tamen rem notat futuri temporis. Etenim qui accepit largiturus, nondum largitus est. Hæc fugêre Lynceum Stunicam. Porrò quòd calumniatur Hebraicam vocem secùs habere quàm nos indicavimus Oecolampadio fisi, jam ipse Leo respondi, qui prior hoc erat calumniatus. Jam quòd obiter admiscueram, mihi joco locutum videri Hieronymum, cùm ait Latinis *alma* dici quæ *sancta* sunt, voce congruente cum Hebræis; suspicatur Stunica me hoc ideo dixisse quòd Hieronymus hoc dicturus ità præfetur, *Et ut risum prabeamus Judæis*: hinc colligit me non intellexisse verba Hieronymi. Colligit

errorem meum, ac *tumultuariam lectionem*. Sed quid ego viciſſim ex his Stunicæ verbis colligam in præſentia non eloquar. Illud tamen, lector, dicam, me non meminiſſe joci, quòd de riſu Judæorum meminit Hieronymus, ſed quòd res mihi parùm videretur probabilis. Primùm enim non idem ſonat *alma* Latinis quod Hebræis. Quòd ſi quâ conveniunt, aut σύμπτωμα eſſe crediderim, nimirum in tot millibus vocum caſu conſentientibus aliquot, veluti nobis quædam caſu conveniunt cum Gallis, nonnunquam diverſo ſignificatu, ut quod Picardi dicunt *Cout* i. *calidum*, nobis eâdem voce ſonat *frigidum*; aut à nobis uſurpata fuiſſe quemadmodum conſtat pleraſque voces Latinas à Græcis uſurpatas, ut κυκεών, συδάειον, περιτώειον.

Ex Cap. II.

V. 1. Ex autoritate Græcorum codicum, hac in parte mirè conſentientium, ex autoritate veterum Latinorum, admonueram legendum *Judææ*, non *Judæ*. Sed diſſentit Hieronymus. Nec hoc ignorabam. Nec tamen hoc aſſeverat Hieronymus, ſed *putamus*, inquit. Et aſſeverat Stunica. Cæterùm argumentum Hieronymi tacitè etiam in prima editione refellimus, ſi Stunica tam eſſet oculatus quàm videri vult. Siquidem Hieronymus imaginatur *Judæam* hîc accipi pro tota regione Judæorum. At ego *Judæam* hîc intelligo pontum pro portione Judæ. Hoc ſi intellexiſſet Stunica, non ſcripſiſſet, *quæ ſi Eraſmus legiſſet*. Mox objicit mihi memoriæ lapſum, qui ſcripſerim in libro Judicum inveniri Bethlehem alteram, quæ ſit in Galilæa. Si Stunica præditus eſſet eâ civilitate eóque candore qui verè doctos decet, tribuiſſet unius vocula lapſum typographis, aut ſcribis potiùs quàm meæ memoriæ. Cæterùm aderas, inquiet, cùm iſta excuderentur. Fateor, ſed hujuſmodi lapſus non perinde facilè nobis recognoſcentibus deprehenduntur, veluti quoties in numeris errant operæ, niſi fortè Stunicæ cuncta hæc ſunt in numerato. Sed ut in peſſimam partem torqueat, non poteſt aliud ſuſpicari quàm cùm hæc deſcriberem è commentariis Hieronymi, partim quos ſcripſit in hunc locum, partim in quintum Michææ caput, calami lapſum fuiſſe, præſertim cùm in hoc poſteriore loco paulò antè meminiſſet libri Judicum. Et tamen utcunque accidit, hoc nomine gratiam habeo Stunicæ meo qui monuerit: nam ipſe fortaſſis non eram animadverſurus. Hîc igitur Stunicæ Laurea corona præmium eſto.

V. 16. *Ac mittens Herodes*] Cùm Græcè ſit ἀποστείλας, quod indicat homines cum mandatis eſſe miſſos non epiſtolis, quod peculiari verbo Græcis dicitur ἀπιστέλλειν, oſtendi dilucidiùs potuiſſe verti ſi dixiſſet, *miſſis carnificibus*, aut *miniſtris*, aut *ſatellitibus*. *Quid ſi nihil horum miſerit*, inquit Stunica, *ſed miſerit edicta regia per veredarios?* Sed interim obſecro, an veredarii miniſtri non ſunt? Aut quomodo perveniunt edicta ſine miniſtrorum opera? Deinde notat, quòd pro *occîdit* verterim *ſuſtulit*, cupiens exprimere Græcam vocem ἀνεῖλεν. Ait *ſuſtulit* eſſe vocem ancipitem,

(*Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.*)

Nam ſuſpicor Stunicam partim ob hoc calumniatum hunc locum, ut nobis recitaret tam lepidum carmen olim in Neronem jactatum è ſuo Politiano) deinde à paucis intelligendam. Primùm ſi ſemper anxiè vitanda eſt amphibologia, ambiguum eſt & *occidendi* verbum, *occîdit* qui interficit, *occîdit* qui vehementer moleſtus eſt. *Occidunt me equidem dum nimi' ſanctas nuptias Student facere*. Et arbitror eos qui non ſunt verſati in literis ethnicorum citiùs intellecturos *ſuſtulit* pro interfecit quàm *ſuſtulit* pro ſuſcepit ex uxore, ſive ſuſtulit in humeros.

Ex Cap. III.

V. 2. *Pœnitentiam agite*] Pro μετανοεῖτε aliquando verteram, *pœniteat vos*, aliquando, *reſipiſcite*. Ac *pœnitentiam agite* ſemel duntaxat reperi in epiſtolis Plinianis, ſed addito caſu paterno. Quanquam mihi non admodum probabatur, *Pœniteat vos*. Sed Stunica negat hunc locum antehac à quoquam ſecùs citatum quàm verterit Interpres. An hoc ſit verum ipſe viderit. Certè ſi mihi non licebit aliter vertere quàm veteres legerant, habebit paſſim Stunica cur mihi ſcribat dicam. Atqui hoc ipſum erat propoſitum ut aliter verterem, ſperanti hac ex re non parùm lucri acceſſurum lectori. Poſt hæc conviciis aliquot deſtomachatus in me Stunica, impingit mihi quòd ridiculum ſenſum expreſſerim, *Pœniteat vos, quoniam appropinquavit regnum cœlorum*, quaſi juſſerit illos pœnitere regni cœlorum jam appropinquantis. Imò ridiculè ſic interpretatur Stunica. Sed quicquid hoc eſt mali, an non idem manet in V. tranſlatione? *Pœnitentiam agite, quia appropinquavit*, &c. Et tantò magis quòd illi ſolenne eſt *quia* abuti pro *quòd*. Quantum hic abundavit otio qui talibus ineptiis & ſuum otium & aliorum perdat negotium!

V. 7. *Genimina viperarum* verti *progenies viperarum*, addens neſcire me an *genimina* reperiatur apud probatos autores linguæ Latinæ. Ac mox objicit mihi Hieronymum, qui ſic alicubi locutus ſit in vertendo V. T. Equidem pono Hieronymum inter probatos autores rei Theologicæ, ut dicendi certum doctorem non accipio. Sed priſci, inquit, dicebant *geno* pro *gigno*: ſic enim nos docet Priſcianus ex Andabatis Varronis & Lucretio. Ab hoc igitur *geno* duci poteſt *genimen*, quemadmodum à *rego regimen*. Nihil moror quid poſſit dici. Sed oſtendat Stunica quid apud probatos autores compererit. Porrò cùm impudentiſſimum fuerit futurum ſi obſoletum verbum *geno* ex priſcis autoribus, ídque carmen ſcribentibus, uſurpare voluiſſem, multò magis ridiculum ſit uſurpare vocem hinc deductam quæ nec apud ullos reperiatur, præſertim cùm alia ſuppetant & Latina & uſitata. Ego ſanè cuperem reperiri, cuperem uſu publico comprobatam vocem *genimen*. Quæſo te, lector, perpende an hæc ulla ex parte reſpondeant magnificis illis ac terrificis Stunicæ promiſſis.

V. 8. *Facite fructus dignos pœnitentiæ, καρπὸς ἄξιους τῆς μετανοίας*] Oſtendo Græcis ſermonem eſſe ancipitem, quòd genitivus caſus *pœnitentiæ* referri poſſit ad *fructus*, ſive ad *dignos*, & verto quod probat etiam Stunica: ſed negat alterum ſenſum conſiſtere; quòd *dignus* non ponatur abſolutè, niſi ſtatim ſubjiciatur quâ re dignus ſit. Imò ſatis eſt frequenter hoc ſubaudiri. *O digno conjuncta viro! Si credere dignum eſt*; *Et digna & indigna dixit*. Si quis dicat, malis verberibus acceptus eſt, & alter reſpondeat, ut dignus eſt, puto Latinum fore ſermonem. Atque id crebrius eſt apud Græcos quàm apud Latinos. Proinde impudenter hîc diverſum nos docet Stunica. Jam ut verum ſit, *dignus* apud Latinos alicubi reperiri junctum paterno caſui, certè vehementer eſt inſolens, ac vel ideo fugiendum in ſermone Euangelico, quem decet ſimplex facilitas. Feſtivum autem quòd ut nobis perſuadeat ἄξιος apud Græcos jungi paterno caſui, de ſuo fingit exemplum, ἄξιός εἰμι τούτου τῆ πεδγμαλῆ, cùm in promptu eſſet, quod in hujus nugas magis quadraſſet, ἄξιος ὑδρεγός.

Ex Cap. IV.

V. 1. Quod apud Hilarium in Canone ſuper Matthæum inveneram pro diabolo *zabulum*, dubitabam an eſſet librariis aſſcribendum. Hinc Stunica mirus dialecticus ratiocinatur, me nihil in Hilario, nec in aliis autoribus legiſſe, niſi ut aliquid decerperem. Sed unde ſumpſit hanc conjecturam Stunica, niſi ex ſeipſo? Neque tamen aiebam hoc tantùm loco inveniri apud Hilarium, imò poſteriore editione teſtor & aliis locis apud eundem obvium eſſe: neque me fallebat apud Cyprianum eſſe, quem totum emendavi pro viribus quidem. Stunica divinat ab Hebræa voce *zebul* dictum

zabulum:

zabulum: id commenti quantum valeat, ipse viderit. Certè Græcis est διάβολος, neque *zabulus* usquam reperitur in S. voluminibus pro diabolo. Mihi videtur aliquantò probabilius *zabulum* à Græca voce deflexum, Latinis *o* mutato in *u*, nam *za* Græcis aliquoties pro *dia* notius est quàm ut hîc oporteat probare. Hujus rei nos admonuit Hieronymus Aleander, trilinguis eruditionis antistes, nè quem suâ laude fraudasse videamur. O gravem annotationem & pulcre respondentem gloriosis illius præfationibus!

V.24. Quod Interpres verterat *dæmoniacos*, quoniam Græcè est σεληνιαζομένους, malui vertere *sideratos*, idque in prima duntaxat editione, nam id in secunda mutavimus: nec damnabam tamen quod verterat Interpres. Stunica docet nos aliud esse sideratos, aliud lunaticos. Et scio inter eruditos olim fuisse concertationem de hac voce: nec video cur non possint dici *siderati* qui sideris vi percussi sunt, atque id sanè sonat Græca vox. Cæterùm hac de re non est animus multis verbis contendere cum Stunica, præsertim cùm ipse ultro vocem eam mutarim in editione secunda.

Ex Cap. V.

V.13. *Si sal evanuerit*] Hîc mihi magìs placuerat *infatuatus fuerit* quàm *evanuerit*, quòd *evanescere* Latinis dicatur quod tollitur è conspectu, aut quod inani specie desinit videri. Evanescit fumus, evanescunt spectra. Deinde malebam *salem* in masculino genere quàm in neutro. Stunica docet in utroque genere usurpatum. Id ego nec ignorabam, nec inficiatus sum; sed magìs placuit quod & receptius esset, & apud autores minùs obsoletos reperiretur.

V.27. In prima editione verteram, *non adulteraberis*, malens id quàm, quod erat Græcum, *mœchaberis*, quanquam hoc ipsum librariis imputari poterat, quandoquidem nullam hujus rei facio mentionem in Annotationibus, quod tamen in secunda editione mutaram, vertens, *Non committes adulterium*. Stunica negat *adulterari* probum esse verbum, nisi sumas passivè. Ac verum est Latinis adulterari quod corrumpitur, quemadmodum & adulterat qui corrumpit; neque id nos fugiebat: sed ego sic dixi *adulterari*, sicut diximus *poetari*, *rhetoricari*, *juvenari*, *palpari* neutrali significatione. Et tamen quod Stunica putat apud Gellium *adulterare* simpliciter idem esse quod adulterium committere, non omnino illi assentior; nam subaudiendum est pronomen, ni fallor, *Illa te, si adulterares, digito non auderet contingere: si adulteraret*, subaudi *eam*. Sed hoc, præterquam quòd leviculum est, & tale ut possim in alios rejicere, jam ante tres annos est à nobis mutatum, ut dixi, ut, si melius est quod postea posuimus, nihil omnino gratiæ debeatur Stunicæ.

Ex Cap. VI.

V.11. *Panem nostrum quotidianum*] Hîc quoniam nihil est quod contra me faciat, non est quod respondeam. Quanquam hoc nomine nonnihil debeo Stunicæ, quòd admonuerit mihi pro *alibi* scribendum fuisse *hîc*: etiamsi à me scriptum suspicor *alicubi*. Tum ut tumultuabamur, non vacabat inspicere locum, aut fortassis dum hoc aggredimur aliò sumus avocati. Et tamen animadverteram in hac editione tertia. Quòd si mihi Stunica diffidit, debebo non invitus illi hoc officii, tametsi sævus est monitor, & fortasse cùm illius lucubrationes prodibunt, reponam etiam hanc gratiam cum aliquo fœnore.

V.13. Hîc quid supereſt nisi ut Stunicæ triumphum adornemus albis equis? Dixeram coronidem precationis Dominicæ reperiri quidem in omnibus Græcorum codicibus, cæterùm à nemine exponi præterquam à Vulgario, Stunica indicat & à Chrysostomo in Homiliis. Ac nè diffidamus, ipsius Chrysostomi verba refert Græca, móxq; subjicit Aniani interpretationem. Prodigiosam hominis diligentiam! Atque hinc colligit quàm indiligenter tum versatus sim in evolvendis autoribus. Absolutum est hoc opus Basileæ magnâ celeritate intra menses ferme quinque. Neque in hoc totum esse licebat. Maximam mei partem habebat Hieronymus, qui simul excudebatur. Et miratur Stunica si locus aliquo casu non occurrit in Chrysostomo, quod aliquoties accidit ob inversas paginas. Quod incommodum mihi tum acciderat in commentariis Theophylacti Græcis in epistolas Pauli, & Chrysostomo Latinè verso. Fieri potest ut Chrysostomus id temporis mihi non venerit in mentem, quòd satìs esset Vulgarius. Et tamen hac de re satìs, opinor, respondi Leo, qui prior hoc nobis impegit, sed serò, cùm in editione posteriore meminerimus etiam Chrysostomi, ut hoc sanè nomine neutri quicquam debeamus.

Ex Cap. VIII.

V.23. Quod Græcè est, καὶ ἐμβάντι αὐτῷ εἰς τὸ πλοῖον, Interpres vertit, *& ascendente eo in naviculam*: ut servarem etiam temporis rationem, verto, *& cùm esset ingressus navim*. Deinde nè quis putaret subesse mysterium in diminutiva voce *navicula*, ostendo hoc loco πλοῖον esse, non πλοιάριον, quanquam his vocibus promiscuè viderentur uti Euangelistæ. Stunica docet Interpretem non malè vertisse. Sit ità sanè, nec id ego sanè dixeram. Nam ἀναβαίνω, inquit, sonat *ascendo*, καταβαίνω *descendo*, ἐμβαίνω *inscendo*. Quid autem συμβαίνω; num *conscendo*? Sed extra jocum, quid hîc agit Stunica? si ἐμβαίνω sonat *inscendo*, ergò non debebat verti *ascendens*, cùm non sit ἀναβας, sed *inscensâ navi*. Ad hæc obiter admonui *conciliabulum* nec esse diminutivum, nec sonare semper in malam partem, cùm apud Hieronymum reperiatur in bonam partem. Stunica docet apud Hieronymum accipi in malam partem. Quis istud neget? Cùm *cœtus*, *conventus*, *Synagoga*, *concilium*, si addas *satanæ*, sonet in malam partem. Sed me provocat ut indicem ubi D. Hieronymus usurparit in bonam partem. Atqui demiror hoc à me petere Stunicam, qui totas ætates versatus sit in omnibus sacris autoribus. Sed tamen unus locus mihi nunc in promptu est. In epistola ad Gerontiam De monogamia scribit hunc in modum Hieronymus, *Quæ juxta Apocalypsim Joannis Synagogæ magìs diaboli appellandæ sunt quàm conciliabula Christi*. Eat nunc Stunica, & neget me quicquam vidisse in S. autoribus, cùm hoc certè à Batavo didicerit.

V.29. Stunica videtur delectatus joci genere quod Græci vocant ἀναγνώκτον, cui visum est hoc loco denuo præfari hunc in modum, *Imò*, inquit, *quid Erasmo cum S. Scripturis, quas ab heri & nudiustertius videtur attigisse? Sciendum verò*, &c. Hæc qui legit, nónne mox exspectat illum proditurum aliquem insignem ac periculosum meum lapsum in S. literis? Rursum, ubi audit, *Sciendum verò*, nónne reconditam aliquam exspectat doctrinam è penitissimis Scripturarum adytis depromendam? Nunc audi rem vix teruncio dignam. Quod Interpres verterat, *Quid nobis & tibi, Jesu?* verbo illum noto, quòd Latinè vertens, Græcè loqui maluerit quàm Latinè, quod ad orationis tropum attinet; Græcis enim eleganter dicitur, τί μοι καὶ μαχαίρᾳ ἀὐλοῖς; τί κοινὸν καὶ βαπτίσματι; Latinis non item. Adjeceram igitur, *Imò quid hîc Interpreti cum Græca figura?* Id Stunica sibi visus est perquam lepidè retorquere, *Imò quid Erasmo cum S. Scripturis?* Deinde docet eandem sermonis formam quæ est apud Græcos, & apud Hebræos esse. Sit ità sanè. Verùm num ideo herì cœpit Erasmus attingere S. literas si Græcis congruit sermonis tropus cum Hebræis? Quid autem hîc à me peccatum est? Non negabam eandem orationis formam esse apud Hebræos, sed apud Latinos esse negavi. Hoc, opinor, mihi convenit cum Stunica, sed ille mavult Euangelistas etiã alios, qui sine controversia Græcè scripserunt, hoc sermonis genus ab Hebræis

duxisse potiùs quàm à Græcis: nè id quidem meâ refert. Tametsi quid opus aliunde petere cùm domi sit? Etiamsi nescissent Euangelistæ Hebraicè, tantúmq; Græcè scissent, tamen sic, opinor, erant locuturi. An ideo Latinè vertit interpres Latinus quòd sic loquantur Hebræi? O serias annotationes! Utrùm hîc somniavit Erasmus, an potiùs Stunica? Nescio quid suspicionis mihi parit, quòd Stunica tam impensè favet Hebræis, ut his omnia velit deberi, cùm res nihil tale postulet.

Ex Cap. X.

V.35. *Et nurum adversùs socrum suam*] Quoniam Græcis est νύμφη, verteram *sponsam adversùs socrum suam*. Stunica docet νύμφιον Græcis & *nurum* sonare & *sponsam*: nec id sanè nesciebam. Sed interim quæ tibi nurus est, filii tui sponsa est, ut hoc loco nihil referat ad sensum *sponsam* dicas an *nurum*. Non taxabam Interpretem, sed eundem sensum aliter reddidi, idq; voce magis usitatâ quàm sit *nurus*.

Ex Cap. XI.

V.17. *Lamentavimus & non planxistis.*] Sic Interpres. Ego verteram *lamentati sumus*. Et adjeceram, *Quis autem unquam dixit* lamentavimus? Hîc Stunica docet ex antiquis Grammaticis quædam verba apud priscos usurpata voce activâ, quæ nunc passiva sunt in usu, & contrà; quod genus sunt, *puniuntur* pro *puniunt*, & *sacrificantur* pro *sacrificant*, *contemplo* pro *contemplor*, *auguro* pro *auguror*, *crimino* pro *criminor*, *frustro* pro *frustror*, *patio* pro *patior*, *moro* pro *moror*, *demolio* pro *demolior*, atque hujus generis complura. Et ad hanc formam vult Interpretem dixisse *lamentavimus*. Bella profectò defensio Interpretis, si non excusatiùs dixit *lamentavimus* quàm si dixisset *criminavimus* ac *demolivimus*. Sic eximius iste patronus, & in S. literis προσλαλιᾶς, tuetur Interpretem clientem suum. Addit aliud huic simile lemma: In Psalmis, inquit, habetur, *& virgines eorum non sunt lamentatæ*. Quasi consequens sit eum ideo rectè dicere quia sæpius ità dicat, aut ideo verum dicat aliquis si crebrò repetat idem mendacium. Quanquam non statim Latinè dicitur in oratione soluta & vulgò parata populo, quòd *populatas urbes* passivè legamus. Multò minùs ad rem facit quod adducit ex Hebræis, imò contra ipsum facit. Etenim cùm Hieronymus mutato verbi genere verterit, *virgines eorum nemo luxit*, palàm est illum vitasse vocem malè Latinam, *lamentatæ sunt*. Sed interim Stunica meus, qui defendit *puniuntur* pro *puniunt*, in me non tulit *adulteraberis* pro *adulterabis*.

V.25. *Confiteor tibi, pater Domine cœli & terræ*, &c.] Hîc Stunica mihi geminam impingit dicam: primùm quòd pro ἐξομολογοῦμαι verterim *gratias ago*: deinde quòd pro νηπίοις *parvulis* verterim *stultis*. Non dissimulat tamen à me lectum Hieronymum, qui admonuerit confessionem non semper esse peccatum agnoscentis, sed frequenter laudantis & gratias agentis. Sed *Hieronymus*, inquit, *illic non de verbi proprietate, sed de sensu disputat*. Istuc equidem sciebam, & idcirco monueram hoc esse idiomatis Hebraici, apud quos *confessio* sonaret gratiarum actionem; testórq; me ideo vertisse *gratias ago*, quò dilucidior esset sermo iis qui Latinè tantùm norunt. Quid hîc admissum? Sensum reddidi, & dilucidiùs reddidi & citra amphibologiam. An hoc est impropriè vertere? nam id impingit Stunica. An abuti voce Latinâ in sensum quem Latinis non reddit, est propriè vertere? nam hoc laudis Stunica tribuit Interpreti. Jam quod *stultis* verteram pro *parvulis*, miris salibus exagitat homo è meris Veneribus ac leporibus conflatus: *Non mirum autem*, inquit, *videri debet si in his quæ sequuntur pro νηπίοις, i.* parvulis, stultos *transtulerit, qui de laudibus stultitiæ tam luculenter scripsit. Notus est enim liber ille percelebris ab Erasmo jampridem editus, cui titulum indidit* Μωρίας ἐγκώμιον, *opus quidem gravissimum, & τῇ ἐγκωμιαστῇ haud indignum. Atq; illud fuisse reor in causa ut sic hoc loco transferret, quò vel hinc ad sua confirmanda autoritatem sumeret.* Audis lector eloquentiam Atticam. Annon hoc dictum simillimum videtur illi Thrasonico, *Eóne es ferox quia habes imperium in belluas?* Sed illud cavendum Stunicæ nè doctis gravibúsq; viris videar paulò dexteriùs tractasse stultitiam quàm ipse tractat Euangelicam sapientiam. Hæc lepida præfatus, rursum addit, *Sciendum verò*, Quid autem docet? νηπίους propriè dici *parvulos* aut *infantes*, metaphoricè *stultos*. Rem magnam docuit, sed quam sciunt καὶ νήπιοι. Verùm è Chrysostomo docet hoc loco non dictum esse μωροῖς, sed νηπίοις, h.e. simplicibus & fuci ignaris. Quid hinc colligit Stunica? νήπιος non significare *stultum*, nisi in bonam partem? At in malam partem dixit Hesiodus νήπιε Πέρσα· & Homerus,

——Ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω.

An μωρὸς semper in malam partem sonat? At in bonam partem accepit Paulus. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus*, & *quod stultum est Dei* idem Christum prædicat *gentibus quidem μωρίαν*, & *Dei τὸ μωρὸν* humanis ingeniis sapientius. Et paulò antè *stultitiam prædicationis* opposuerat *sapientiæ scribarum ac philosophorum*. Hîc Paulus non abhorruit à voce μωρᾶ. Proinde quemadmodum anceps est in literis Sacris *sapientia*, ità est & *stultitia*. Sunt laudati pariter & illaudati, tum νήπιοι tum μωροί. Quemadmodum paulò antè dixerat *sapientes*, non quòd verè saperent, sed quòd juxta mundum saperent; ità suos discipulos *stultos* vocat, non quòd verè stulti essent, sed quòd juxta mundum haberentur stulti. Jam qui *parvulos* aut *infantes* vertit, primùm perdit gratiam contrarii, deinde non effugit incommodum quod hîc vitari vult. Neque enim propriè parvuli erant Apostoli, sed malitiâ parvuli, imò juxta vulgarem hominum existimationem, qui nec Legis erant periti, nec Philosophiæ professores. Meo judicio planè magìs quadrabat *stulti* vocabulum quàm *parvuli*, & tamen in editione secunda pro *stultis* reposuimus *parvulos*, veluti divinantes exoriturum Stunicam qui nobis hinc strueret calumniam.

V.30. Quod Interpres verterat, *Jugum meum suave est*, cùm Græcè sit χρηστὸν, malebam, *Jugum meum commodum*, non damnans tamen quod vertit Interpres. Stunica non negans quod negari non potest, χρηστὸν aliquando sonare *bonum* atque *commodum*, probare nititur posse pro *suavi* accipi. Quod ut maximè probet, tamen non præstiterit quod in Elencho marginis profitetur, rectiùs interpretari *suave* quàm *commodum*. Nunc quod adducit è Chrysostomo, ὅτι μὲν ἡδὺς καὶ κοῦφος ὁ τῆς ἀρετῆς ζυγὸς, haudquaquam probat χρηστὸν sonare *suave*. De re mihi convenit cum Chrysostomo, tantùm agitur an χρηστὸν *suave* sonet, & an *suave* potiùs quàm *commodum*. Potest enim jugum esse commodum miniméq; molestum, ut abfit tamen jucunditas; & leve potest esse quod non gravet, nec delectet tamen. Neq; verò contra me facit si Hieronymus sequens vulgatam lectionem legit *suave jugum*.

Ex Cap. XII.

V.17,18. Scripseram me vocari in conjecturam, Commentarios quos habemus Hieronymi in Matthæum alicubi fuisse decurtatos, Commentarios item in Psalmos, quibus & aliena multa sint admixta. Nam Commentarios in Marcum nihil habere Hieronymi præter titulum. Hîc atrocibus convitiis in me destomachatur Stunica, clamitans impudentissimum esse suspicari quenquam ausum violare libros sacrorum Doctorum. Hominem suavem! quasi verò non omnia sint ausi depravatores in libris doctissimi cujusque, aut quasi hoc olim non publicum etiam studium fuerit autores in compendium contrahere. Docet autè quòd Hieronymus eos Cómentarios vocet *strictos*. Fateor fuisse breves, si ad eos conferantur quibus

quibus explanat Prophetas; & tamen nihil vetat integros copiosiores fuisse quàm nunc sunt. Jam quòd Hieronymus ait se pleniùs in Commentariis de re quapiam scripsisse, cùm illic vix attingat paucis, sic eludit Stunica, non dictum esse pleniùs in commentariolis, sed in commentariolis & in Epistola ad Algasiam. At in hac copiosè rem tractat. Atque hæc tergiversatio quantum habeat momenti viderint alii. Si sensisset Hieronymus quod interpretatur Stunica, dixisset, opinor, qua de re nonnihil attingimus in commentariolis, sed pleniùs disseruimus in epistola ad Algasiam. Ego præter conjecturam meam nihil attuli in medium. Porrò Commentarios in Psalmos nihil vetat & breves fuisse, & tamen decurtatione factos breviores, cùm tamen alicubi sit multum Battologiæ. Postremò Stunica, nequa in re mecum sentiat, etiam Commentarios in Marcum, qui feruntur Hieronymi titulo, illi asserit: *Simili*, inquit, *errore deceptus est nostrorum temporum Aristarchus. Nisi putat nullam esse Hieronymi opus nisi quod secularem eloquentiam redoleat, quódque Tullium ac Livium passim repræsentet.* Legat Stunica eos Commentarios, & postea rideat Aristarchum horum temporum. Neque enim ex phrasi tantùm judicavi hoc esse alterius, neque damno tamen opus.

Ex Cap. XIV.

V. 10 *ET decollavit Joannem*] Quod est ἀπεκεφάλισεν verteram *amputavit caput*, non damnans Interpretem, imò fassus esse *decollandi* verbum apud Senecam in libello ludicro De morte Claudii, sed addubitans an ludibrii causâ eo sit usus. Stunica indicat esse & apud alios autores, & alio loco apud hunc ipsum Senecam. At istud ipsum testatus sum in secunda editione. Nec tamen perperàm verti *amputavit caput*. *Decollandi* verbum certè ambiguum esse fatetur Stunica. Hic cùm nihil dictum aut admissum sit in Interpretem, vide tamen quanto cum stomacho peroret Stunica: *Quæ tandem*, inquit, *insolentia est Vet. Interpretem ex obliquo carpere, calumniari, mordere, & quasi barbarè locutum fuerit passim exsibilare?* Audis oratorem vehementem, non dulcem tamen.

V. 34. Hic suaviter ridet Stunica, quòd cum Hieronymus scripserit, *Si sciremus quid in nostra lingua sonet Genezareth*, &c. quæsierim quid appellat suam linguam. Num Syrorum inter quos habitabat? Stunica docet illum sensisse de lingua Latina. Nec ego diversum affirmaram. Adjeci videri vocem Hebraicam incompertam fuisse Hieronymo quòd ait, *si sciremus*. Stunica contendit fuisse compertissimam, cùm ageret apud Syros, cùm juxta hanc interpretatus sit hunc locum mysticé. Imò Hieronymus non interpretatur hanc vocem eo in loco. Etenim cùm *Genesar* sive *Genesareth* interpretentur *ortûs principium*, sive *initium nativitatis*, non video quid ad hanc etymologiam faciant verba Hieronymi, quæ sic habent, *Si sciremus quid in nostra lingua sonaret* Genezareth, *intelligeremus quomodo Jesus per typum Apostolorum & navis Ecclesiam de persecutione & naufragio liberatam transducat ad littus, & in tranquillissimo portu faciat requiescere.* An Hieronymus modestiæ causâ dissimulavit se scire quod oportuit docere? Nam id videtur sentire Stunica, scribens, *humilitatis causâ*, si sciremus, *inquit.*

Ex Cap. XVIII.

V. 24. QUod Interpres verterat *decem millia talenta*, notaram cum injuria Latinitatis duntaxat factum, sensu incolumi. Stunica in Elencho professus hanc orationem esse Latinam, adducit ex Valla frigidum commentum, quo possent hujusmodi sermonis formæ utcunque defendi, *decem millia talenta: talenta entia decem millia.* Deinde docet Hieronymum Jud. 8. sic esse locutum, *Quindecim millia viri manserant.* Nemo negabat hoc genus sermonis passim inveniri in S. voluminibus, sed si Stunica protulerit locum non obnoxium suspicioni mendæ è probato Romani sermonis autore, tum vicerit. Ego suspicor apud veteres numeros notulis signari solitos, & hinc à scribis sæpe positum *millia* pro *mille.*

V. 28. *Et tenens suffocabat eum*, καὶ κρατήσας ἀνὰ μέσον ἔπνιγεν] Quoniam κρατῶν non est simpliciter *tenere*, sed *tenere seu prædam cui manus injectas*, verteram *& injectâ manu*. Deinde quoniam *suffocare* Latinis sonat occidere præcluso gutture, cùm hic videatur loqui de eo qui voluerit trahere in carcerem aut in jus, non qui voluerit occidere, pro ἔπνιγεν verti *obtorto collo trahebat*. Id Stunicæ non probatur, nec video quam ob causam, *Obtorto*, inquit, *collo non habetur in Græco.* Quid tum postea? At sensus inest. *Non legitur*, inquit, *quòd in jus aut aliquò traheret hominem.* Imò hoc liquet ex his quæ sequuntur, *Et misit eum in carcerem donec redderet.* Nec absurdum sit si damnatum judicio ducat in carcerem. Stomachatur & hîc nescio quid Stunica meus, quòd ea putarim huic loco convenire quæ legissem apud Senecam, & apud Hieronymum in epistolis. Imò hoc legeram apud Ciceronem. Nec ineptum arbitror si quis Euangelii sensum verbis Ciceronis explicet.

Ex Cap. XXI.

V. 37. *VErebuntur filium meum*] Hîc admoneo apud Latinos additum *fortè*, cùm non sit apud Græcos. Stunica magìs suspicatur apud Græcos detractum. Sed hunc locum antè calumniatus est Leus, cui respondens abunde docui, nec apud Græcos interpretes fuisse, nec Hieronymum hoc loco legisse *fortè*. Qui volet illa petat, nè hîc eadem repetendo temporis jacturam faciam.

V. 42. *A Domino factum est istud*] Ostendo in sermone *factum est* & *admirabile* non posse referri nisi vel ad *angulum* vel ad *caput*. Stunica negat, sed mavult Hebræorum more femininum positum pro neutro, quòd Syri careant genere neutro. Ut demus hoc esse verum, cur Interpres maluit Hebraicè loqui quàm Græcè? Cur hoc uno loco tantùm id fecit in N. Testamento? Verùm hoc utcunque habet, me certè par erat à crimine liberari, qui secutus sum magnorum virorum autoritatem, Origenem, Chrysostomum & Hieronymum. Origenis ex Homil. 19 verba non pigebit hîc asscribere quantum ad hujus rei probationem attinet: *Et iste*, inquit, *lapis donum est donatum à Deo ædificio universo, & admirabile caput in oculis nostris, qui possumus eum videre oculis mentis.* Qui Chrysostomum Latinè reddidit, ità vertit ut nos vulgò legimus. Mihi tamen subolet Chrysostomum ad *lapidem angularem* retulisse pronomen, qui duos maximè inter se dissidentes populos in eandem religionem coagmentarit, quando ità scribit, *Et vident nihil horum Deo esse adversum, sed valde acceptum atque gratum, mirabile præterea stuporíque plenum à Domino factum esse subjunxit lapidem*, &c. Hæc & quæ sequuntur, si conferas Lector, videbis Chrysostomum de lapide loqui, quamvis Interpres aut fortassis scriba, secutus suam memoriam, lectionem perturbarit. Subindicat enim Chrysostomus doctores Judæorum voluisse ædificare, sed absque lapide Christo, qui conneeteret utrumque populum. Atque hæc ex conjectura duntaxat divinamus, certiùs judicaturi si Græci codicis esset copia. Jam quid Hieronymus verterit ex Hebræo non satis liquet, cùm constet pleraque ejus voluminis fuisse depravata à sciolis scribis, nec ipsis voluminibus inter se consentientibus. Proinde fieri potest ut ex sua memoria reposuerit illud, *factum est istud*, &, *hoc est mirabile.* Quòd si maximè demus ità versum ab Hieronymo, tamen *istud* ad *caput* referri potest, h. e. ad Christum. Nec est necesse ut ad complexum orationis quæ præcessit referatur. Certè Hieronymus enarrans Psal. 117. legit & exponit hunc in modum; *Et est mirabilis in oculis nostris*] *Non in illorum qui eum reprobaverunt,*

ſed in noſtris qui eum credendo ſuſcepimus. Hactenus Hieronymus. Porrò ſive referas ad *lapidem*, ſive ad *caput*, ſive ad *angulum*, ſenſus eſt idem, & ad Chriſtum pertinet. Cùm itaque tot autores tam graves ſecutus ſim in annotatione mea, cùm ſenſus optimè quadret ad noſtram lectionem; tamen exſtitit Stunica, qui tragicis verbis exaggeraret hîc inextricabilem errorem meum, ex Hebræi ſermonis idiomate petens hujuſmodi ſolutionem; *Hebræi*, inquit, *cùm careant neutro genere, abutuntur feminino. Hujus generis eſſe quod legitur Joſ.* 3. In hoc ſcietis, *cùm Hebræis ſit*, In hac ſcietis: *& Pſal.*40. In hoc cognovi, *pro* In hac cognovi. *Porrò Pſal.* 26. *Interpres etiam Hebraicum genus reliquit*, Unam petii à Domino, hanc requiram. In hanc fermè ſententiam ille. Quæ ut demus maximè eſſe vera, nihil aliud efficiunt niſi ut intelligamus ſic poſſe legi ac verti quemadmodum habet editio Vulgata, non conſequitur ut neceſſe ſit, cùm commodior etiam ſit ſenſus ut ad *caput* ſeu *angulum*, h.e. ad Chriſtum, referatur, quemadmodum faciunt probatiſſimi Interpretes. Itaque cùm nihil ſit incommodi quod ad ſententiam attinet, cùm ſummorum virorum autoritatem ſecutus ſim, vide quàm atrox crimen impingit Stunica. Siquidem in elencho marginis, *Error*, inquit, *Eraſmi graviſſimus in Hebraica lingua.* Rurſus in præfatiuncula, *Hebraicæ linguæ ignorantia Eraſmum ſapiſſime in errores inextricabiles pertrahit.* Imò Stunicæ lingua effrænis ipſum frequenter in petulantiam indecoram ac intempeſtivam pellicit.

Ex Cap. XXII.

V. 16. Scripſeram hæc in annotatiuncula, *Caterùm* Herodianos *appellat milites Herodis, quem proſelytum Auguſtus præfecerat Judæis ut ab iis Imperatoris Romani nomine tributa colligeret.* Hîc Stunica, *Non hîc*, inquit, Herodiani *appellantur Herodis illius proſelyti milites, qui primus ejus nominis in Judæa Romanorum beneficio regnum ſortitus eſt, ut Eraſmus ex ignoratione S. Scripturarum eſt ſuſpicatus. Hic enim Chriſto adhuc infantulo & in Ægypto conſtituto mortuus eſt.* Quæſo te, lector, quænam eſt iſta maledicendi libido? Num à me dictum eſt hunc Herodem fuiſſe *ejus nominis primum?* Aut unde ſuſpicatus eſt hoc Stunica me fuiſſe ſuſpicatum? Deinde ſimilis erroris ait eſſe quòd ſcripſerim hunc Herodem Judæis præfectum tributorum colligendorum gratiâ: Imò *rex eſt*, inquit, *conſtitutus.* Qui rex datur, & in hoc datur ut tributa colligat, nónne præficitur? Imò quiſquis datur rex alicui provinciæ, nónne illi præficitur? Si Stunica volebat hîc nonnihil addere ex hiſtoriis, annon poterat id facere ni præter cauſam me conviciis inceſſeret? Atqui quod ego hîc annotaram decerpſeram è commentario Hieronymi. Nec amplius decerpſeram quàm quantum inſtituto meo ſatis eſſet. Is ait Herodem Antipatri fuiſſe filium. Cur igitur Stunica maluit mecum rixari quàm cum Hieronymo?

Ex Cap. XXVI.

V. 31. In Annotationibus hæc ſunt mea verba quibus offenſus eſt Stunica, *Atqui hac in re aut ego prorſus hallucinor, aut lapſus eſt Hieronymus, quem ut fateor virum fuiſſe ſummâ doctrinâ, pari eloquentiâ, incomparabili ſanctimoniâ, ità hominem fuiſſe non poſſum diffiteri.* Audis, lector, quantâ laudis ac reverentiæ præfatione diſſentio ab Hieronymo. Nunc audi Stunicam impudentiſſimè ſuo more depravantem omnia. *Magnifica*, inquit, *illius pollicitationis nunc oblitus, Hieronymum erroris arguere veritus non eſt, quò argutior ipſe appareret, ac in S. Scripturarum intelligentia eruditior. Atqui oportebat, ſi quid ab Hieronymo non bene dictum alicubi videbatur, Eraſmum ſtare promiſſis, aut elevare errorem, aut excuſare, aut tegere: non hunc autem præ cæteris ſanctis doctoribus eligere cum quo monomachiam ex profeſſo exerceret, ut ex multis ſuarum Annotationum locis apparet. Quanquam quod duellum eſſe poteſt aut quæ monomachia inter Herculem monſtrorum domitorem & invalidum homuncionem, vix dum fragorem armorum auditu valentem ſuſtinere?* Hactenus Stunica. Nullius autoritatem religioſiùs ſequor quàm Hieronymi; ac tantum illi tribuo ut mihi quidam etiam ſcriptis negotium exhibuerint quòd ſim in illum æquo propenſior, & hic neſcio quos *Hercules*, quæ *monſtra*, quem *fragorem armorum*, quod *duellum*, quam *monomachiam* ſomniat. Ac mox decantat Hieronymi laudes, mutuatus quædam ex encomio quo ego non uno in loco illius laudes celebro, ſed longè alio ardore copiâque quàm hîc Stunica. Qui ſi conferatur mihi, planè frigidus ac perparcus laudator videbitur. Mox ad me redit: *Et hunc*, inquit, *talem quaſi unum eſſet ex trivio, ſic Eraſmus balbutiens paſſim redarguere non dubitat.* Atque hæc tam ἀπεριφράστως magnificè (ut ipſi videtur) præfatus, rem aggreditur. Quod habetur in prophetia, *Percute paſtorem & diſpergentur oves*, Hieronymus vult ſub perſona Prophetæ dici, rogantis ut percutiat Deus paſtorem. Mihi magis placet ut ad Deum hic ſermo pertineat, quemadmodum adducit Euangeliſta. Cur id malim, quò lectori perſpicuum ſit, aſſcribam hîc locum ex editione tertia Novi Teſtamenti, quò laboris hoc interim luciſaciam: *Etenim ſi quis*, inquam, *attentiùs expendat eum Prophetæ locum, is comperiet nihil eſſe neceſſe, imò non niſi durè hæc ad Prophetæ perſonam accommodari*; Framea, ſuſcitare ſuper paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum. *Hæc certè palàm eſt dici ſub perſona Dei, cùm addiderit*, dicit Dominus exercituum, *Ac mox ſequitur*, Percute paſtorem, & diſpergentur oves. *Hæc quoque ſunt Dei verba alloquentis gladium ſuum. Quòd ſi quis velit aliò torquere, certè quod ſequitur non ſinit*, Et convertam manum meam ad parvulos. *Atque adeò reclamat evidentiùs quod continenter adjungitur*, Et erunt in omni terra, dicit Dominus. *In libello De optimo genere interpretandi, cùm hoc ageret ex profeſſo Hieronymus ut oſtenderet quædam apud Hebræos diſcrepare ab interpretatione Septuaginta, aut Apoſtolorum citationibus, adduxit & hunc Zachariæ locum, ſic diſtinguens perſonas ut argumento quod inſtituebat, tunc congruebat. Caterùm in Commentariis quibus hunc locum Euangeliſta enarrat, ſic temperat ſententiam, ut quod in libello De optimo genere interpretandi ſcripſerat, propemodum recantare videatur:* Hoc, *inquit*, aliis verbis in Zacharia Propheta ſcriptum eſt, & ni fallor ex perſona Prophetæ ad Deum dicitur, *PERCUTE PASTOREM. Porrò quòd hunc ſenſum confirmat conſenſu Pſalmi* 60, Quoniam quem tu percuſſiſti, perſecuti ſunt, *ut demus hoc ſenſiſſe Pſalmographum quod interpretatur Hieronymus, haud cogit tamen ut perſona loquentis mutetur. Cùm enim conſtet priorem partem vaticinii*, Framea, ſuſcitare ſuper paſtorem meum, *pertinere ad Deum Patrem, ſi quod mox ſequitur ad eundem referatur*, Percute paſtorem, *&c. tamen idem exſiſtit ſenſus, Chriſtum à Patre fuiſſe percuſſum, qui ſuo gladio mandarit ut percuteret: percutit enim qui percutiendum tradit. Caterùm Hieronymus enarrans ipſum prophetam magis etiam à ſeipſo diſſentit, & accommodat totam orationem Patri. Quod quò magis perſpicuum ſit, ipſius verba ſubſcribam:* Nec putandum eſt, *inquit*, de altero loco aſſumptum teſtimonium, quia in Euangelio Deus à ſe paſtorem dicit eſſe percuſſum. Et in præſenti loco gladio atque mucroni legimus imperatum, Percute paſtorem, & diſpergentur oves. *Hactenus Hieronymus. Vides palàm Patris imperantis mucroni ſuo vocem eſſe*, Percute paſtorem, *non autem verba Prophetæ obſecrantis. Vides nullam eſſe mentionem ejus rei quam poſuerat in libello De optimo genere interpretandi, cùm hîc maximè tempeſtivum fuerit hoc inculcare. Quid igitur diſſonat in Matthæo? Verba diſſonant, res eadem eſt. Quiſquis enim loquitur gladio ſuo, Percute, ſignificat ſe mox velle percutere: & ideo Matthæus verbis omiſſis ſenſum expreſſit,*

præſſit, Percutiam paſtorem. *Quin & pronomen omiſit Matthæus, cùm in Propheta ſit* ſuper paſtorem meum, *quod ipſum etiam invitat ut ſermonem Patri potiùs accommodemus.* Suum *enim vocat unicum illum ſe dignum, cùm aliis alii ſint paſtores, quorum nonnulli tales ſunt ut illis percuſſis melius habeat grex. Sed exſultat calumniator, docens nos perſonas in literis Divinis aliquando mutari ſubitò. Nihil erat neceſſe ut hoc ab iſto diſceremus, quod toties in libris noſtris teſtati ſumus. Sed hîc nihil cogebat mutare perſonam. Et apparet Hieronymum ſuæ ſententiæ pœnituiſſe.* Hujuſmodi ferme recenſuimus in editione tertia, ex quibus, opinor, liquere lectori, nos non temere diſſenſiſſe ab Hieronymo. Porrò quàm id faciamus reverenter ipſa res indicat.

Ex Cap. XXVII.

V. 48. Erant anni plures triginta quòd adoleſcens legeram vitas Ducum Plutarcho autore. Et videbar legiſſe acetum à Cleopatra datum Antonio quò celeriùs ex vulnere moreretur. Stunica indicat illic vini non aceti fieri mentionem. Hoc ſanè debemus Stunicæ. Adornet currum triumphalem, ac ſibi plaudat, quòd loco quem indicaram relecto, vel lecto magis, vinum invenerit pro aceto.

IN MARCUM.

Ex Cap. I.

V. 2. *Ecce ego mitto angelum meũ*] Modeſtè annotaram *videri poſſe Hieronymum memoriâ lapſum cùm ait hoc teſtimonium haberi in fine Malachiæ, cùm ſit in fronte tertii capitis, totúſq; liber quatuor capitibus abſolvatur, iſque magis in medio videri quàm in fine.* Stunica reſpondet, quartum caput admodum eſſe breve, ſic ut tertio conjunctum vix tertiam totius operis portionem abſolvat. Ut iſthuc largiamur, an hoc *in fine* dici ſolet quod paulò ultra medium eſt? Et addo conjecturam, quæ occaſio fuerit lapſûs memoriæ, quòd in fine totius prophetiæ habeatur ſimile vaticinium, quod & ipſum de Joanne interpretantur. Quid dici poterat moderatius quàm *memoriâ lapſum videri poſſe?* & tamen Stunicæ in elencho *blaterat Eraſmus*, in diſſertione *arguit Hieronymum*.

Ex Cap. III.

V. 17. *Boanerges, quod eſt, filii tonitrui.*] Hîc cùm oportuerit Stunicam agere cum Theſeo meo, maluit rixari mecum. רגש, inquit, *non* tonitruum *ſonat ſed* ſonitum, *ſive* tumultum, *aut* fremitum. *Legendum autem* Banerrem: *nam* Boanerges *vocem eſſe corruptam autore Hieronymo.* Primum quod à me poſitum eſt, docuit libellus interpres Hebraicorum nominum incerto autore. Et fieri poteſt ut quod Hebræi ſonant *Banerrem*, Chaldæi Syríque ſonent *Boanerges*. Porrò quid tandem appellat Hieronymus corruptum? An quod Syro ſermone deflexum eſt ab Hebræo? Hujuſmodi verbis frequenter utuntur Euangeliſtæ, & haud ſcio an hoc ſermone ſemper uſus ſit Chriſtus, qui tum vulgo fuit maximè familiaris. Certè Græci codices conſentiunt: quòd ſi ſic ſcripſit Euangeliſta, nobis non debet videri corruptum quod Euangeliſta ſcripſit à Chriſto prolatum. Quid quod nihil vetat quò minùs *fremitum* pro *tonitruo* accipiamus. Nam hinc Homero Jupiter dictus eſt ἐειγδουπος & ὑψιβρεμέτης. Proinde non video cur hîc in me deſtomachetur Stunica, qui maluerim Euangeliſtæ ſequi autoritatem quàm Hieronymi. Si quid hîc Stunica volebat è ſuis literis adjicere, poterat abſque convicio candidè conferre in medium. Alioqui multò præſtabat indoctiorem videri quàm maledicentiæ vitio obnoxium.

Ex Cap. V.

V. 41. *Tabitha cumi*] Indicaram in ipſa ſtatim annotationis fronte, Græcis eſſe *Talitha* non *Tabitha*. Hoc præfatus (quod Stunica diſſimulat) obiter (ut eſt commentariorum licentia) propono conſiderandum, num hîc *Tabitha* poſſit eſſe nomen proprium puellæ, quemadmodum in Actis cap. 9. Nihil autem vetat ità incidere ut *puella* proprium ſit nomen puellæ, quod idem futurum ſit non puellæ. Deinde conſenſus Latinorum codicum me movebat nonnihil. Atque id ſanè temporis adeò non eram anxius in mutanda tranſlatione Vulg. præſertim in Euangeliis, ut aliquoties totas paginas nè contulerim quidem, non tam incuriâ ſegnis quàm obrutus undis laborum. Porrò quod adjicio *Tabitha* ſonare Hebræis *reſpice* ſive *attolle oculos*, non dubito quin ſcripſerim admonitu Oecolampadii. Quod ſi verum eſt (nec enim refellit Stunica) nihil officit lectioni; tantùm eſt arguta annotatio vocis multa ſignificantis, id quod caſu frequenter accidit. Veluti ſi Petrus ſit nomen hominis, cùm ſignificet *ſaxum*; & idem ſonet diviſum, *fili, Trojane*, aut aliud ſimile: nam hoc adhibemus interim docendi gratiâ. Cæterùm quòd ait Stunica Euangeliſtam interpretari *TABITHA puella*, meminerit quòd pridem decertavit Matthæum ſcripſiſſe Hebraicè. Quod ſi verum eſt, hæc interpretatio non poteſt eſſe Euangeliſtæ. Hactenus ſatis, opinor, pro mea portione dixi. Quod ſupereſt Theſeo relinquo, cui potiùs imperitiam imputare debebat quàm mihi. Quanquam ex hac annotatione mutaveram nonnulla editione ſecundâ. Sanè vehementer hoc in loco probo Stunicæ candorem, qui non diſſimulet unde & alia pleraque hauſerit, quibus noſtrum opus impetit, nimirum è magno Lexico, & Quinquagenis Ælii Antonii Nebriſſenſis, cujus laudes nunquam ſic attollet Stunica quin pro viri meritis putemus aliquid etiam addendum. Sic promeretur hominis integritas, ſic labores juvandis bonis ſtudiis exhauſti, cui libenter cedimus hoc laudis, quòd primus indicarit; tametſi Stunica negare non poteſt nos & in prima editione docuiſſe Græcos codices *Talitha* legere per λ. Quòd ſi Nebriſſenſis Quinquagenæ huc fuiſſent perlatæ, paulò candidiùs illis uſi fuiſſemus quàm utitur Stunica.

Ex Cap. VIII.

V. 33. Quod Græcis eſt ἐπετίμησεν, & Interpres vertit *comminatus eſt*, ego malui vertere *increpavit*. Hîc floret Muſa Stunicæ, méque meo jugulat gladio, quòd qui alibi verterim ἐπετίμησεν *interminatus eſt*, hîc reprehendam Interpretem qui ſimili modo verterit; quaſi verò idem ſit Latinis *interminari* & *comminari*. *Interminatus ſum nè faceres*, Latinum eſt: *comminatus ſum nè faceres* non auderem dicere, nec arbitror uſquam inveniri.

Ex Cap. X.

V. 46. *Filius Timæi Bartimæus*] Indicaram Euangeliſtam interpretari quid ſonet *Bartimæus*, i. *filius Timæi*. Hîc Stunica meus penè ſolvitur in cachinnos; non quòd inficietur *Bartimæus* ſonare *filium Timæi*, ſed quòd dixerim Euangeliſtam voluiſſe interpretari: ídque evincit hoc lemmate, quòd filius Timæi præcedit, cùm interpretatio ſoleat ſubjici. Quis non invideat feliciſſimo Stunicæ ſuas delicias, ſuos riſus, ſuos cachinnos? Sed interim homo rerum omnium apprimè doctus non intelligit cachinnos hos non in me cadere, ſed in Hieronymum quem hîc ſecutus ſum. Ejus verba ſunt hæc in Commentariis quibus explicat cap. 4 epiſtolæ ad Galatas, *ABBA*, inquit, *Hebraicum eſt, id ipſum ſignificans quod* & pater; *& hanc conſuetudinem in plaribus locis Scriptura conſervat, ut Hebraicum verbum cum interpretatione ſua ponat*; BARTIMÆUS *filius Timæi*, ASER *divitiæ*, TABITHA *dorcas*. *Et in Geneſi* MESECH, *vernaculus*, *& cætera his ſimilia.*

Hoc igitur non Theſeus me docuerat, ſed Hieronymus, à quo non vult me ullo pacto diſſentire, cùm ipſe hujus commentum etiam cachinnis diffluens exſibilet. Atque hîc habet elenchus marginalis, *Error Eraſmi in lingua Hebraica.* Et ſi quid errarem, in quacunque lingua, ego puto hoc ingenii maledici ſpecimen, quod de ſe præbet Stunica, pejus eſſe ſexcentis erratis literariis.

IN LUCAM.

Ex Cap. I.

V. 63. *Et poſtulans pugillarem*] Ut obſervarẽ & temporis & numeri rationem, quandoquidem Græcis eſt αἰτήσας πινακίδιον, non damno quidem quod vertit Interpres ſed malo *poſtulatâ tabellâ.* Latinè, ni fallor, ac dilucidè reddidi ſenſum Euangeliſtæ. Quid igitur queritur Stunica? An quod variarim id quod erat rectum? Atqui iſtud ad intellectum Scripturarum conducere docuit nos Auguſtinus. Certè ſuos pugillares adhuc habet Stunica, ſi non placent tabellæ. Riſit quòd argutabar quomodo ſcripſit poſtulans pugillarem? Nondum enim habet, qui poſtulat. Ait in his aliquoties præſens poni vice præteriti. Fortaſſis verè dicit, ſed id fit perquam rarò, nec ſine incommodo ſermonis. Cæterùm in illo videor Stunicæ valde ridiculus quòd arguter hoc modo, *Si dixit, quid opus erat ſcribere?* Et ſolvo nodum, ut *dicens* referatur non ad Zachariam, qui adhuc erat mutus, ſed ad ſcripturam loquentem: loquebatur enim non linguâ, ſed ſtilo. Nam mox additur illi apertam fuiſſe linguam. Obſecro te, lector, quid abſurdi vides in his verbis? & tamen Stunica non putat vivere quenquam tam ἀγέλαστον qui hæc legens poſſit à riſu temperare. Sed adverte quæſo quàm ſe præbeat ridiculum, dum me ridiculum facit. Scribit enim homo argutus hunc in modum; *Quaſi cùm quis aliquid ſcribit, etiamſi is mutus non ſit, non tacens id ſcribat, ac mente potiùs ſcripturam dictet quàm prolatione verborum.* Hoc quid ad rem faciat prorſus non intelligo. Certè nihil vetat quò minùs aliquis & ſcribens loquatur ea quæ ſcribit. Sed ſuavius eſt quod pergit nos docere velut è cathedra: *Sciendum igitur*, inquit, *non ad ſcripturam, quæ loqui non poterat, illud* dicens, *referri debere, ſed ad Zachariam, qui ea per ſcripturam dicebat quæ animo conceperat.* Quid hâc inſcitiâ craſſius? Docet nos quod ipſe ſcripſeram, & carpit quod non intelligit. Quid enim aliud eſt ſcriptura loquens, quàm ſcriptor tacitus ſcripturâ loquens non linguâ? Sed magis etiam ridiculum quod addit, *Ut omittam quòd* γεγραμμένη, *i.* ſcriptura, *in Græco feminini generis eſt, ſicut in Latino, &* λέγων, *i.* dicens, *maſculinum, quod in Græco cum* ſcriptura *nequaquam convenire poteſt.* Non ſenſit me non de voce loqui γεγραμμένη ſed de re, nimirum Zachariam ſcripto, non linguâ fuiſſe locutum. Ecce, lector, quales habeo cenſores, quales irriſores. Sed reprimo me. Non difficile fuerit odorari quas annotationes è ſuo ingenio commentus ſit Stunica, quas ex alienis annotationibus ſit mutuatus. Hanc facilè ſibi ceu germanè germanam vindicabit.

Ex Cap. II.

V. 2. *Sub præſide Syriæ Cyrino*] Cùm Græcè ſit Κυρηνίου, verto & annoto duobus verbis duntaxat. Stunica vult hanc vocem Romanam perperàm uſurpatam ab Euangeliſta Græcè ſcribente, cujus generis ſunt & illa, Ἀκύλας pro *Aquila*, Πούδης pro *Pudens*, & Κόϊντος pro *Quintus.* Atqui in cæteris erat cauſa depravandi, velut in Κοΐ & Ἄκυ, cùm *q* literam Græci neſciant, & in ους, quòd nulla ſit Græcis dictio deſinens in *ens.* Cæterùm quid opus erat addere ſyllabam in Κυρήνιος. Deinde ſi Latinus interpres Romanam vocem voluit ſuo ſono reddere, cur non dixit *Quirinus.* Cur idem non fecit Ruffinus interpres Joſephi? Et tamen hac de re, quoniam levis eſt momenti, non digladiabor cum quoquam.

V. 7. *Et pannis eum involvit*] Non damno quod vertit Interpres, ſed malo, *& faſciis eum involvit.* Græcè eſt ἐσπαργάνωσεν. Stunica fatetur σπαργανώματα Græcis dici primas illas faſcias quibus colligantur pueri recèns nati, nè corpus tenerum diſtorqueatur, ſed rectum evadat. Porrò quod addit è Suida σπάργανα Græcis propriè dici ῥάκη, i. *pannos*, non eſt credendum ῥάκη nihil aliud ſonare Græcis quàm *pannos viles ac detritos*, cùm apud Matthæum legamus ῥάκει ἀγναφῳ, cùm loquatur de panno novo aſſuto veteri, & *pannum purpureum* dixit Horatius pro parte veſtis magnificæ aſſuta veteri vilique. Porrò quæ citat ex Ambroſio de Chriſto pannis involuto, non hoc evincunt, ut intelligere cogamur Chriſtum laceris ac vilibus pannis involutum, ſed huc dejectum, ut infantulus faſciis involveretur qui regnabat in cœlis: *Quia in pannis eſt*, inquit, *vides, quia in cœlis eſt non vides.* Quòd ſi faſciæ fuiſſent purpureæ, tamen declarant Deum vehementer demiſſum à Divina majeſtate.

Ex Cap. III.

V. 1. *Procurante Pontio Pilato Judæam*] Cùm Græcè ſit ἡγεμονεύοντος, ego verto *præſidente*, ſeu potiùs *Præſide*, non damno tamen quod vertit Interpres, ſed aio illum *delectatum varietate, qui nunc vertit* procurante, *quod paulò antè vertiſſet* Præſide. Hæc mea verba ſimplicia detorquet ac depravat Stunica, quaſi tacitè carpſerim Interpretem, quòd impropriè ſit abuſus *procurante*, pro Præſidem, ſive Præfectum, agente, & docet rectè dici procurare provinciam, qui publicis provinciæ negotiis præeſt. Quod docet Stunica non ignorabam; quod interpretatur, nec ſcripſi, nec unquam mihi venit in mentem. Et tamen quando illud erat curæ Stunicæ, ut doceret procurare qui Præſes eſſet, debebat è probatis Latinæ linguæ autoribus exemplum adducere potiùs quàm è Ruffino Joſephi interprete. Quod tamen arbitror ignoſcendum homini, qui videtur in nullis Romanæ linguæ ſcriptoribus fuiſſe verſatus, ſed Hebræorum voluminibus magis fuiſſe delectatus.

V. 27. *Qui fuit Salathiel*] Cùm in contextu reliquerim *Salathiel*, ut habebat editio Vulg. tantùm in Annotationibus annoto, rectiùs fortaſſe dici *Sealthiel*, cùm ità ſonet Hebræis. Stunica fatetur eſſe verum quod indico: ſed vult hanc vocem unam eſſe de numero earum quas Græci uſurpando nonnihil depravant. Hæc an ità habeant, neque refert admodum, neque ad me pertinet. Nec erat cur hîc Stunica ob rem nihili debaccharetur in Oecolampadium Theſeum, trium linguarũ peritum, autore me. Oecolampadium non norat Stunica niſi noſtrâ prædicatione; quem opinor ob hoc ipſum odit quòd à me ſit prædicatus. At ego, qui utrumque novi, pluris facio unum Oecolampadium quàm Stunicas decem.

Ex Cap. VII.

V. 22. *Pauperes euangelizantur*] Cùm in contextu nihil mutarim, tantùm annoto *pauperes* hîc dici manſuetos ac mites, ídque more Hebræorum, quibus עני vertitur *pauper* ab Hieronymo, à Lxx *manſuetus*, quòd ferè divitias comitetur ferocitas, & in Euangelio beati pauperes vocantur, qui manſueti ſunt minimèque feroci ſpiritu. Stunica vult Lxx deceptos ſimilitudine literæ. Quod an verum ſit, quoniam meâ non refert, aliis excutiendum relinquo.

Ex Cap. X.

V. 42. *Maria optimam partem elegit*] Cùm Græcè ſit ἀγαθὴν, verto *bonam* pro *optimam*, & tamen addo nonnullam epitaſeos vim eſſe in articulo Græco τὴν ἀγαθὴν, i. partem illam certam quæ verè bona eſt, velut excuſans ac probans quod fecit Interpres, tantum abeſt ut reprehendam. Stunica docet Hebræos, quòd comparativis ac ſuperlativis careant, nonnunquam abuti poſitivis: id factum eſſe vult hoc loco. Non hîc pugnabo cum Stunica,

Stunica, sed demiror cur id hoc loco fecerit Interpres Latinus potiùs quàm innumeris aliis. Illud verum est, Augustinum & Ambrosium pro *optimam* legisse *meliorem*.

Ex Cap. XII.

V. 42. *Ut det illis in tempore tritici mensuram*] Ostendo Græcis compositam esse dictionem σιτομέτριον, ut non solùm ad triticum pertineat, sed ad alia quoque quibus vescuntur famuli, h. e. ad dimensum cibum. Hîc multis modis offenditur Stunica, quòd non distinguo σῖτον à σῖτος, cúmque dixerim eandem vocem sonare *cibum*, non addiderim mutato genere. Non enim hoc agebam, neque id refert ad dictionem compositam, quæ non minùs composita videri potest ex σῖτον quàm ex σῖτος. Deinde quòd cito libros Catonis De re rustica, cùm sit unus duntaxat, quasi non rectè citetur è Prophetis, quod in non quopiam propheta scriptum est, qui unus est è multis: ibi libros dixi De re rustica, quòd Catonis liber sit inter eos qui tractant de re rustica. Postremo notat, quòd illic secùs legatur quàm cito. Hæc ità levia sunt ut non referat defendere, & tamen pro quamlibet levibus debebamus gratiam monitori, ni tam sævus esset Stunica, ut ipse veluti Scyria capra, quod est in proverbiis, perdat officii sui gratiam.

Ex Cap. XIII.

V. 34. *Hierusalem, Hierusalem, quæ occidis*] Non mutaram quidem lectionem vulgatam, sed tamen in Annot. submonueram, posse verba esse tertiæ personæ, *quæ lapidat & occidit*, propter pronomen ἀυτὸν, quod non videtur convenire secundæ personæ, ni primam habeat aspiratam ἀυτὸν. Stunica contendit ἀυτὸς omni congruere personæ. Id verum est cùm habet emphasim discretionis, ἀυτὸς ἡγεμὼν, ἀυτὸς ἡγεμὼνι, ἀυτὸς ἡγεμόνι. Verùm alioqui non arbitror idem licere. Porrò nihil est quod hîc cogat *Hierusalem* esse vocativi casûs. Jam quòd verteram, *eos qui mittuntur*, nihil aliud fuit in causa nisi quòd tum usus sum codice qui habebat ἀποσταλλομένους, cùm scriberem Annotationes usus sum qui secùs haberet. Nec enim res acta est eodem in loco. Quædam annotaram in Britannia, pleraque Basileæ, ac pro tempore diversis sum usus exemplaribus, nec unis tamen. Porrò cùm perventum esset ad Lucam, ità sum afflictus adversâ valetudine ut coactus sim totum laborem conferendi dies aliquot intermittere, nec tamen poterant cessare operæ, quod futurum erat magno typographi dispendio. Et ob id pollicitus sum alteram editionem, quâ sarcirem quod in priore fuisset cessatum: id quod & fecimus.

Ex Cap. XVI.

V. 20. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus*] Obiter annotaram quid Hebræis sonet *Lazarus*, nimirum *adjutus à Domino*. Sic me docuerat liber interpres nominum Hebraicorum, sive Beda sit autor, sive Remigius. Oecolampadius non dissentiebat, quem non video cur hîc Theseum meum vocet nunc primùm à me confictum. Hoc sanè quid convicii sit nescio: non enim sentit, opinor, me ficto nomine voluisse tegere lapsus meos. Et tamen Stunica refellens quod ego posueram, nihil adfert præter meram divinationem eámque penè frigidam. Vult enim *Lazarum* esse dictum ab *Eleazaro*, resectâ primâ vocabuli syllabâ. Apud me nondum est tam levis autoritas illius libelli quem secutus sum, aut Oecolampadii, ut isti subscribam conjecturæ. Quanquam res alioqui nullius penè momenti est.

Ex Cap. XIX.

V. 4. *Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum*] Cùm in textu reliquissem id quod habet nostra translatio, duobus verbis annoto hoc loco *sycomoream* esse, non *sycomorum*, & interpretor *fatuam ficum*; non dissimulans tamen scrupulum quòd apud Græcos *sycomorus* & *sycomorea* scribatur per ὁ, cùm Græcis μωρὸς *fatuus* habeat ω, nimirum etymologiam vocis indicans potiùs quàm naturam arboris explicans. Neque enim hoc tum agebam, lectionis duntaxat negotium tractabam. Alioqui volumen mihi crevisset in immensum. Quòd si sycomorus caprificus non est, certè nomen habet cum illa commune, quòd *fatua* dicitur: certè succo fœtúque, qui ignavi ac diluti saporis esse scribitur Dioscoridi ac Theophrasto, refert caprificum; foliis arborem morum, quæ & ipsa voce Græcâ *fatua* dicitur, quam Dioscorides putat eandem cum ea quam Græci vocant μορέαν. Porrò arborem hanc infamem olim fuisse fatuitatis & ignaviæ nomine declarat illud, quòd Athenienses Syllam per contumeliam appellarint συκάμινον ἀλφίτῳ πεπασμένον, i. *sycomorum* sive *sycaminum* (nam hoc quoque tertium nomen est huic arbori) *polentâ maceratum*. Jam cùm constet morum arborem apud Latinos in carmine primam habere productam, cúmque conveniat sycomorum ob foliorum similitudinem hinc esse dictam; mihi non dissimile videtur, depravatione librariorum factum apud Græcos ut *sycomorus* per ο scriberetur. Hoc aliquantò credibilius, meâ quidem sententiâ, quàm quod adfert Stunica, sic *morum* producere primam syllabam apud Latinos poetas, quemadmodum apud Homerũ ἴλαδε ob sequentem liquidam. Nec video cur Stunica putet huic arbori nomen immutandum, ut dicatur *ficomorus*, permixtâ Græcâ voce cum Latina, ídque quod est durius, more Græco. Nos enim potiùs diceremus *ficimorus*, quemadmodum *caprificus*.

Ex Cap. XXIII.

V. 38. Hortabar ut titulum crucis triplici linguâ passim haberemus depictum, *quem Joannes*, inquam, *ad hanc ponit formam*. Hîc Stunica monet lectorem nè putet à Joanne titulum tribus linguis fuisse descriptum; & bene monet. Nam ego non de lingua, sed sensu loquebar, quem ex Joanne volebam verti in reliquas duas linguas. Cæterùm quod argutatur quibus elementis Hebraicæ scribatur nomen JESU, quando ad me non pertinet, neque nunc vacat in his multum otii ponere, aliis excutiendum relinquo.

IN EUANG. JOANIS.

Ex Cap. I.

V. 1. *ET verbum erat apud Deum*] In annotamento scribo hunc in modum; *Mos enim hic est Divinæ Scripturæ plerumque* Dei *vocabulum, licèt omnibus personis ex æquo commune, Patri tribuere; & haud scio an usquam legatur* Dei *cognomen apertè tributum Christo in Apostolorum & Euangelistarum literis*. Hoc cùm in prima editione simpliciter admonuissem, haudquaquam in dubium vocans an Christus esset Deus & homo, quod nobis indubitatissimum esse oportuit etiamsi semel duntaxat in S. literis legeretur, sed ut studiosus lector inquireret quo consilio Apostoli palàm ac perpetuò tribuant cognomentum *Dei* Patri, Filio ac Spiritui S. non item; quoniam senseram nonnullos offensos hoc loco, aut, quod magis arbitror, ansam hinc arripuisse calumniæ, in posteriore editione adjeceram hæc verba, *Etiamsi ex compluribus locis certò colligitur, Christum fuisse Deum non hominem tantùm*. Hoc igitur fundamento fixo & inconcusso paucis diluam Stunicæ argumenta, qui locum hunc atrociter est insectatus. Primùm quòd dixi *duobus aut tribus locis*, non numero loca, sed vulgari more sermonis pauca significo loca. Quod etiamsi me fefellisset memoria, cùm hoc ipso loco tester *Dei* vocabulum in omnes personas ex æquo competere, non erat cur quisquam metueret aliquid ab Arianis. Fortasse

suspicari

suspicari poterat aliquis hoc parciùs fuisse factum ab Apostolis, verentibus nè id temporis quorundam aures profanæ non ferrent homini tribui *Dei* vocabulum, fierétque ut priùs resilirent ab Euangelica doctrina quàm cœpissent Euangelii mysteria discere. Sic primùm Christus suis mandavit ut pœnitentiam prædicarent, de Christo tacerent. Et Petrus ac Paulus Christum rudibus adhuc prædicantes, *virum* & *hominem* appellant, de Deo tacent. Jam ad loca decem, ut ait, quæ mihi objicit Stunica, paucis respondebo. Matthæus refert ex Esaiæ cap. 7. testimonium, *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod est interpretatum, Nobiscum Deus.* Hîc vult Christum manifestè vocatum Deum, præsertim cùm ità interpretetur Hieronymus enarrans hunc Prophetam. Primùm nec in verbis Prophetæ manifestè Christus appellatur Deus, sed ex indito nomine significatur, illo nato Deum fore propitium humano generi. *Cum his* enim Deus *esse* dicitur quibus favet. Quin & Græci Σὺ τῷ Θεῷ, σωὺ τοῖς μύσαις fieri optant, quod illis propitiis ac faventibus fieri cupiunt. Nec hoc palàm dicit Hieronymus, ad quod Stunica detorsit. Relegat attentè locum prudens lector, & sic esse comperiet. Nam nos brevitati studemus in præsentia. Jam quod Judæi colligunt, Christum sibi vindicare Divinitatem, quòd se vocaret filium Dei, nihil contra me facit, nam non consequi ut quicunque sit filius Dei, idem sit naturâ Deus, docuit ipse Christus, ostendens & pios homines appellatos *filios Dei*, atque adeo *Deos* esse dictos. Quod si maximè consequeretur, nihil adversùm me facit, qui fateor plurima esse loca in libris Divinis è quibus certò colligimus Christum esse Deum. Porrò quòd hoc loco cùm ait, *Et Deus erat verbum*, Christus apertè vocatur Deus, mihi magis videtur certâ ratiocinatione colligi quàm appellatione manifestâ. Docet enim Joannes verbum Dei fuisse ab initio, imò fine initio, ante conditum mundum, ídque Verbum fuisse naturæ Divinæ, idémque postea factum hominem. Quoniam autem sic assumpsit quod non erat, ut non desineret esse quod erat, certò colligitur eundem fuisse geminæ naturæ, Divinæ & Humanæ. Atque id ex multis Divinæ Scripturæ locis colligi testatus sum, impius futurus si quid hac de re dubitarem. Sed evidentius est quod Thomas contractato latere Christi exclamat, *Dominus meus, & Deus meus.* Hîc aliquis tergiversari posset, exclamationem esse, non asseverationem de Christo. Sed malo locum hunc unum esse ex eorum numero in quibus Christus manifestè sit appellatus Deus: nolo enim esse argutus cum offendiculo infirmorum, præsertim cùm non disputetur de Christo, sed de lapsu memoriæ meæ, déque inscitia Scripturarum. Nec aliud est periculum si vincat adversarius, quàm ut Erasmus non legerit, aut non meminerit locorum in quibus Christus apertè nominatur Deus. Porrò quod ait Paulus in Actis Apostolicis cap. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos, ad regendam Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, potest esse duplex tergiversatio. Primùm Christus hîc repeti potest ex eo quod paulò antè præcessit, *quod accepi à Domino Jesu*, &c. Ut intelligamus *Ecclesiam* dici *Dei Patris*, quasi familiam ejus, quam Christus Patri suo sanguine asseruerit. Deinde potest accipi, ut Pater filii sanguinem *suum* appellet, propterea quòd ipso autore filius pro salute mundi mortem obierit. Ad locum qui est in epistola ad Rom. cap. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, Amen*, tergiversari posset aliquis, sermonem sic esse distinguendum, *qui est super omnia.* Deinde interjecto silentio velut epiphonema adjicit, *Deus benedictus in secula*; ut hæc clausula sit agentis gratias Patri, qui Christum præfecerit omnibus. Cæterùm locus qui est ad Philippenses cap. 2. *Qui cùm in forma Dei esset*, &c. jam declaravimus & ab Ambrosio secùs enarrari quàm de natura Divina & Humana. Nec est hic propriè appellatio; nec apertum dici potest ubi variant Interpretes orthodoxi. Rursum quod est ad Colossenses cap. 2. *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, præterquam quòd negari potest appellatio de qua nos fecimus mentionem, recipit & aliam interpretationem, nimirum Christo datum à Patre affatim quicquid attinet ad humanam felicitatem, ut non oporteat nec à Philosophis, nec à Mose, nec ab Angelis eam petere, quasi repetierit Paulus quod paulò antè dixerat, *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* Porrò quod additur Σωματικῶς, magis opponitur umbris legis Mosaicæ, quàm refertur ad naturam Divinam. Ad hæc quod est in epistola ad Titum cap. 2. *Exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & salvatoris*, &c. præterquam quòd sermo palàm est anceps, hoc enim negari non potest, docuimus Ambrosium priorem partem de Patre interpretari non de filio. Jam quod adducitur ex epistolæ ad Hebræos cap. 1. *Ad filium autem thronus tuus, Deus, in seculum*, ut nè quid tergiverser de autoritate hujus epistolæ, ut nè postulem mihi suffragari sermonis amphibologiam manifestam, quemadmodum suo indicabimus loco; certè locus hic ex Vet. Testamento citatus est, cùm ego loquar de Scripturis Apostolicis, quibus ipsi suis verbis Christum prædicant. Quo quidem colore poteram uti & in primo loco, quem ex propheta Matthæus adduxerat, *nobiscum Deus.* Postremò, quod adfertur ex epist. 1 Joannis cap. 5. *Et sumus in vero filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus & vita æterna*, ut omittam alias tergiversationes, non cogimur ut hoc accommodemus filio. Potest enim hic esse sensus, imò hoc sensisse videtur, qui scripsit, Et sumus non in diabolo, aut mundo vano & fallaci, sed in vero Patre, & hoc per filium ejus Jesum Christum, per quem illi jungimur. *Hic* enim Pater *est verus Deus & vita æterna*, fons omnium. Igitur, ut finiam, cùm ego locutus sim de vocabulo apertè tributo, testatus ratiocinatione pluribus ex locis posse colligi, sentiens Patrem tot locis appellari Deum, filium indicari potiùs quàm appellari, cùm apertum sit de quo non variant interpretes Orthodoxi, quod non pendeat ab allegoriis, de quo non queas tergiversari, cùm locutus sim de literis Apostolicis, cùm *duo aut tria* dixerim pro paucis; Eat nunc & numeret suos decem locos Stunica, quibus arguat me non legisse Sacros libros. Juxta rationem hanc vix duos inveniet, opinor, & tamen hac in re non libet esse disertum. Malo ipse lapis aut fungus haberi quàm aliquid per occasionem decedere gloriæ Christi.

V. 46. *A Nazaret potest aliquid boni esse?*] Augustinus existimat utrique pronunciationi ex æquo congruere, *veni & vidi*, sive affirmativè sones, sive interrogativè. Et in codice quo primùm utebar non erat addita nota interrogationis. Stunica contrà dicit in omnibus Græcis exemplaribus, etiam vetustissimis, interrogationis notam esse additam. Demiror hominis felicitatem, si illi contigit omnia Græcorum exemplaria videre. Certè cùm hæc excuderentur Basileæ, suppetebant nobis exemplaria tria; unum quod nobis præbuerat eximius vir Joannes Reuchlinus, duo quæ præbuerat monasterium Prædicatorum Basileæ, in quorum altero aderant commentarii Græci Theophylacti, quem nos toties adduximus nomine Vulgarii, quòd *Theophylacti* vocabulum ob literas detritas vix legi posset: Ex hoc Stunica toties facit Athanasium, quod secùs esse vir tam nasutus vel è stylo debebat deprehendere. Siquidem Athanasius spirat vim rhetoricam, hic simplex ac penè dilutus humi graditur. In his igitur si fuisset interrogationis nota, saltem admonuissem utriusq; pronunciationis. Sed hoc non est ejusmodi ut hâc gratâ cuiquam sit digladiandum.

Ex Cap. V.

V. 2. *Est autem Hierosolymis probatica*] Cùm in contextu Græco rectè scriptum fuerit Βηθζαθὰ, suspicari debebat, quod erat in Latino contextu, *Bethsaida* per duplex *s* vitio librariorum esse commissum, qui literam priorem expunctam reliquerint, & addiderint, quam suo

suo loco asscripseramus, similique casu contigisse quod in Annot. scriptum sit *Bethseda*. Quod si mihi nolit largiri Stunica, neque nos illi largiemur tot κακοζηλίας in hoc opere, non admodum magno. Subjicit Stunica, totum hunc locum à librariis corruptum restituisse Antonium Nebrissensem omnium primum; quasi illud agat, nè quid habeatur mihi gratiæ quòd *desuper piscina*, sive *ad piscinam* restitui. Sed hoc quicquid est laudis lubentes cedimus Antonio, cujus labores utinam ad nos quoque perferrentur.

Ex Cap. VII.

V. 38. *Flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*] Hîc adjeceram in Annot. *Ità distinguit Joannes Chrysostomus ut* sicut dicit Scriptura *referatur ad verbum* credit in me, *& id quod sequitur*, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ, *verba sint Christi, non Scripturæ*, &c. Hîc Stunica non habet quod stomachetur, nisi quòd adjecerim, *Etiamsi Lyranus ex Solomone citata putat*. Hîc duplici nomine indignatur, & quòd Lyranum ubique derideam, & quòd Lyrano tribuam quod prior scripserit Hieronymus. Certè hoc loco non derideo Lyranum: nec erat occasio cur hoc convicii misceret Stunica, nisi datâ operâ quæreret ansam maledicendi. Et palàm falsum est me passim irridere Lyranum; sed illud verissimum est, Stunicam passim calumniari Erasmum. Deinde non ideo nego dictum priùs ab alio si fateor hoc dictum à Lyrano. Et quod hîc ait Hieronymus, durius est & coactius, malímque Chrysostomo subscribere; præsertim cùm Augustinus etiam enarrans hunc locum eadem verba tribuat Christo, nec ullam *Scripturæ* faciat mentionem.

Ex Cap. VIII.

V. 3. *Adducunt autem scribæ*] Hîc ut docerem hanc historiam de muliere in adulterio deprehensa non inveniri in omnibus exemplaribus, cito Hieronymum testem, præfatus his verbis, *Quin & D. Hieronymus in Dial. 2 adversùs Pelagianos, cùm vehementer egeret hujus testimonii loci, quo quidem in casu solet & ex Apocryphis adducere testimonia, tamen hanc allegans historiam ingenuè fatetur non in omnibus haberi codicibus*. Ac mox Hieronymi verba subscribo, *In Euangelio*, inquit, *secundùm Joannem in multis & Græcis & Latinis codicibus invenitur de adultera muliere quæ accusata est apud Dominum*. Sed reclamat Stunica, dicens scriptum esse in meis scholiis *non invenitur*. Verùm sciat hoc à me non scriptum, sed ab emendatore parùm attento depravatum inter excudendum, quòd in præfatiuncula citationis visus sum illi hoc dicere, cùm aio, *ingenuè fatetur non in omnibus haberi codicibus*. Ratiocinatus sum autem hoc sensisse Hieronymum, quòd scriberet *in multis & Græcis & Latinis codicibus* haberi, nimirum indicans non esse in omnibus; sed hinc autoritatem concilians huic historiæ, quòd *in multis* voluminibus haberetur. Nec hîc meum errorem in typographos confero, quorum utinam esset ea fides ac diligentia ut hoc ξηνοφύγλον in totum nobis occluderent. Sed frequentiùs hos accusare cogimur quàm velimus. Quam excusationem si non recipit Stunica, videat quam legem præscribat sibi. Atque adeò quod dicimus ipse suspicari debuerat Stunica potiùs quàm ad illa odiosa descendere; *Erasmus falsò citavit verba Hieronymi*. Cæterùm quòd in prima editione putaram non exstare commentarium Augustini in hanc historiam, in secunda editione correxi, & in Apologia quâ Leo respondi, ingenuè fateor me fuisse falsum dum nescio quo casu tum in codice quæsitum locum non invenirem, sive quòd tumultuanter quærerem, sive quòd paginis luxatis non occurreret suo loco.

V. 57. *Quinquaginta annos nondum habes*] Indicaram in Homiliis Chrysostomi legi *quadraginta annos* pro *quinquaginta*, & adjectum esse vice commenti, *ac si propè jam accederet ad eam ætatem*. Stunica refellit hoc commentum hujusmodi lemmate; *Nam quod addit*, inquiens, *vice commenti, acsi propè jam accederet ad eam ætatem, potiùs videtur ex illis verbis Chrysostomum legisse* quinquaginta *quàm* quadraginta. Quid ego audio? homo natus annos plusminus triginta, non propior est anno quadragesimo quàm quinquagesimo? Non opinor hoc Stunicam scripsisse seriò, sed voluisse facere periculũ ingenii mei, quem toties appellat *crassum, rudem*, ac denique *Batavum*. Et tamen suspicor locum in Chrysostomo non carere mendo, quod ingenuè fateor in editione secunda. Demiror ubi legerit Carrensis quod citat ex Chrysostomo, cùm in his quæ nos habemus non sit: *Potuit*, inquit Stunica *legisse in iis quæ Erasmus non vidit*. Satisfaciet Stunica si protulerit ipse, qui nihil non vidit, neque carptim legit autores, neque quicquam obliviscitur.

Ex Cap. XII.

V. 3. *Maria ergò accepit libram*] Græcam vocem λίτρων suspicabar ab Euangelista deflexam à Latina *libra*. Stunica contrà docet Latinos *libram* deflexisse à λίτρα, ac propemodũ mihi persuadet, nisi quòd fieri potuit ut quemadmodum barbaræ quædam voces unà cum ipsis rebus importatæ sunt in Græciam, quod genus sunt πλοῖα, *Civuri*, ità *libra* demigrarit à Romanis ad Græcos, quòd non appareat quæ sit Græcæ vocis origo, cùm Latini complures voces habeant à *libra, libella, librare, æquilibrium, bilibris*, &c.

Ibid. *Nardi pistici*] In Annotat. asscripseram, *De hoc dictum est in Luca, nam iisdem verbis utitur uterque*, cùm dicere debuerim, *de hoc dictum est in Marco*. Quod ait Stunica verum est; sed ipse prior id adverteram, & correxeram hunc lapsum in editione secunda.

Ex Cap. XIV.

V. 24. *Et sermonem quem audistis non est meus*] Hîc cùm nihil sit causæ, tamen admiscet stomachum Stunica; *Nè hunc quoque locum*, inquit, *intactum præteriret*. Et rursus aliquantò pòst, *Quo vel sic*, inquit, *Interpretem notaret*. Imò Laurentius accusat Interpretem, ego excuso, qui suspicor locum esse depravatum. Porrò ut Stunica doceat hoc sermonis genus fuisse usitatum, citat loca quædam è poetis, cùm magis oportuerit ex oratoribus. Quanquam hoc quicquid est exigui momenti arbitror.

Ex Cap. XVIII.

V. 1. *Trans torrentem Cedron*] Admonueram ex addito Græcis articulo τοῦ κέδρων, *cedron* non videri nomen Hebraicum. Stunica docet esse Hebraicum, & in Græcis codicibus omnibus corruptè addi articulum pluralis numeri, cùm ῶ aut ῶν addatur apud Lxx. Quanquam nec id perpetuò comperio verum quod docet Stunica. Siquidem 3 Reg. 15. legitur ad hunc modum in editione Aldina, καὶ ἐνέκαυσεν ἀσὰ τὸ χειμάρρουν τοῦ κέδρων. In cæteris locis nullus additur articulus, nec scribitur κεδρῶν, quemadmodum refert Stunica, sed κέδρων. Quanquam facilè concesserim hos locos à librariis esse corruptos. Neque gravatè subscribo sententiæ Capnionis ac Stunicæ, præsertim cùm suspicer hunc hausisse ex Quinquagenis Ælii Nebrissensis.

Ex Cap. XIX.

V. 13. *Et sedit pro tribunali*] Nescio quo malo fato cùm hæc primùm ederem incideram in mendosum exemplar Latinum, in quo pro *Gabbata* scriptum erat *Golgotha*, id mendum suspicans esse in plerisque codicibus, corrigo, admoneóque subsituendum *Gabbata*: sic res habet, fateor hac in parte meam infelicitatem. Stunica negat usquam inveniri *Golgotha* hoc loco. Tanto quidem me felicior, atque utinam mihi nunquam contingeret incidere in ullum locum mendosum.

V. 19.

V. 19. *Scripsit autem & titulum Pilatus*] Adjeceram in Annotamentis, *Euangelista Latinâ voce est usus* τίτλον, *cæteri vocaverunt* αἰτίαν. Hîc Stunica me medium tenens, *Solus*, inquit, *Matthæus vocavit* αἰτίαν. At non agnoscit ἐτέρωσιν numeri, quâ excusatur quòd latrones maledixerint Christo, cùm unus maledixerit. Adjeceram, *dicere poterat* ἐπηγεφώ. Hîc Stunica me notat quasi videri voluerim novum aliquid ex me adferre, cùm apud Marcum & Lucam sit ἐπηγεφή. Imò demonstravi non fuisse necesse abuti voce Latinâ, cùm in promptu esset Græca.

IN ACT. APOST.

Ex Cap. I.

V. 4. *Et convescens præcepit*] Quoniam hac de re & plura diximus in secunda editione, & Leo respondimus, maluimus eò relegare lectorem, præsertim cùm res paucis tractari non possit. Conjecturam Stunicæ de etymologia συναλιζόμενος, quòd à *sale* ducatur hæc vox, & nos in tertiam editionem adjeceramus, ac magnopere placeret si quem haberet autorem. Cæterùm quod nos adduxeramus de voce *convescens* depravata pro *conversans*, hauseramus ex Vallæ scholiis.

V. 12. *Tunc reversi sunt Hierosolymam.*] Hîc magnis conviciis mecum agit Stunica, quòd fisus commentariis Lyrani & Glossæ Ordinariæ, putaram iter Sabbati non esse longius quàm mille passuum. Atqui nec hinc liquet non passim à me rideri Lyranum, cùm illi tantum hoc loco tribuerim. Nam Glossæ Ordinariæ nemo nescit quanta sit autoritas apud Theologos. Cum his igitur justiùs litigasset Stunica quàm mecum, præsertim cùm versarer in opere tumultuario, nec adessent Quinquagena Nebrissensis, quibus Annotationes meas locupletarem. Quanquam autem hoc loco quædam adducit Stunica nequaquam indigna cognitu, tamen assumit nonnulla quæ maluissem ab ipso probari. Assumit enim nec probat leucam complecti quater mille passus.

V. 14. *Hi omnes perseverabant*, &c.] Quod est σὺν γυναιξὶ, & Interpres vertit *mulieribus*, indicavi verti potuisse *cum uxoribus*, quòd separatim addiderit Matrem Jesu, & γυνὴ Græca vox sit anceps ad *quamvis mulierem* & ad *uxorem*. Stunica mavult intelligi de mulieribus quæ primùm doctrinæ gratiâ secutæ Dominum, pòst non deseruerunt senatum Apostolicum. Hoc quod Stunicæ magis placet, & nos secuti sumus in vertendo. Porrò quod Hieronymus scribens adversùs Jovinianum, putat reliquos Apostolos uxoribus caruisse, quòd apertè de Petro scriptum sit quòd uxorem habuerit, de cæteris tacitum sit, non potest aliud esse quàm argumentum probabile, aliquantò plus habiturum ponderis nisi hoc scripsisset pugnans adversùs Jovinianum nuptiarum immodicum præconem. Certè Clemens apud Eusebium Eccl. hist. lib. 3. non veretur & Philippo & Paulo tribuere uxorem, cujus hic duobus in locis meminerit in epistolis suis.

V. 19. *Ità ut appellaretur ager ille Acheldemach*] Indicaram Græcis legi Ἀκελδαμὰ *Aceldema*, quod propiùs accedat ad vocem Hebraicam. Hactenus nihil incusat Stunica. Imò docet hoc ipsum quod admoneram. Sed Hebraicam vocem dixi, quæ sit Chaldaica. Hoc nisi alicubi facit Hieronymus, non deprecabor quin mihi magni criminis vice impingatur. Est enim magna inter has linguas cognatio. Deinde quid novi est Hebræum vocari quo vulgò utantur Hebræi? Porrò quibus literis Hebraicis scribatur *Aceldema*, Theseo defendendum relinquo, quem Stunica satìs impudenter scribit æquè imperitum Hebraicarum literarum atque ego sum.

Ex Cap. IV.

V. 27. *Convenerunt enim verè in civitate*] Quod Græcis hîc est παῖδα, malebam *filium* verti quàm *puerum*; idque ex sententia Vallæ. Scio Hieronymum multis locis contendere in Christum competere nomen *servi*. Contrà qui scripsit Commentarios in epistolam ad Hebræos, qui Chrysostomo tribuuntur, non patitur hoc cognomen tribui Christo. Et Ambrosius non probat eos qui Christo servi formam asscribant quòd humanam naturam assumpserit, sed quòd velut servus flagitiosus cæsus sit & in crucem suffixus. Verùm huic contentioni me non admisceo. Ego negavi in Christum competere *servi* cognomen, quomodo non competebat in Apostolos; *Jam non dicam vos servos, sed amicos.* Christus obedivit non ut servus, sed ut filius; obedivit enim sponte, ex charitate, non metu. Neque video cur abhorreamus ab eo, ut Christus juxta naturam dicatur servus, cùm sit homo; neque rursus, cur hoc valde contendamus, præsertim cùm ex S. literis hoc cognomen nec asseri certò possit, nec abrogari, quandoquidem ut παῖς Græcis vox est anceps, ità aiunt & huic respondentem Hebræam. Sed quoniam hac de re respondimus jampridem Leo, non arbitror operæpretium hîc repetere quæ scripsimus, tantùm attingam quæ peculiariter adduxit Stunica; qui cùm antea tantùm ageret Grammaticum, nunc minatur nescio quid Theologicum, ac mihi tanquam Theologo (nam hoc nomine, ut ille ait, me jacto) denunciat periculum duplicis hæreseos si negem Christum fuisse servum; alterius, quæ est Apollinaristarum; alterius, quæ est Arianorum. Quasi quisquis negarit in Scripturis Christum appellatum *servum*, is illi detrahat naturam humanam; aut quisquis dicat Christum obedisse Patri usque ad crucem, ut filium, sentiant cum Arianis, qui negant filium Patri æqualem. Atque ut hujus Stunicæ non minùs petulans quàm indocta maledicentia liqueat omnibus, ipsius verba subscribam. Cùm enim citasset summam eorum quæ Ambrosius disserit in Epist. 46. subjicit, *Quæ cùm ità sint, viderit Erasmus, qui se Theologum vocat, nè cùm dixit* servi *appellationem in Christum non convenire, in Apollinaristarum errorem inciderit. Nam quod statim subjunxit*, Christum, tametsi obedivit & subditus fuit Patri juxta assumptum hominem, ut filium tamen Patri obedisse, non ut servum, *videndum est nè Arium redoleat. Cùm enim filius æqualis sit Patri, & obedientia & subjectio minoritatem designet, palàm est Christum non ut filium obedisse & subditum fuisse, sed ut servum, h. e. juxta assumptum hominem.* Hæc tam stolida postquam evomuit, bellam addit clausulam; *Sed hæc*, inquit, *& alia quamplurima hujuscemodi*, ex Erasmi Annot. *quæ nonnihil impietatis præ se ferunt, nisi potiùs ignorantia credenda est, secundo operi reservamus.* Hactenus Stunica, qui quamdiu continuit sese intra cancellos Annotationum Nebrissensis, habebat aliquid utcunque dignum lectu. At posteaquam τὸν τῆς ἰσχαμιδίας πηδήσας se præbere cœpit organum alicui sycophantæ ψευδομονάχῳ (nec enim aliud suspicari possum quàm hunc histrionem subornatum, qui conductus fabulam ageret) miserabiliter delirat. Primùm ego nusquam contendo Christum non posse dici *servum Dei*, qui se facit ministrum omnibus. *Non venit*, inquit, *filius hominis ministrari, sed ministrare.* Sed *eâdem*, inquit, *ratione dicitur servus quâ dicitur homo.* Equidem isthuc nec in præsentia magnopere cupio refellere. Tametsi diversum docet Ambrosius enarrans epistolæ ad Philip. cap. 2. Ipsius verba sunt hæc, Formam *tamen* Dei *non* accepisse *dicitur*, *sed* esse in forma Dei: servi *autem* formam accepisse, *dum quasi peccator humiliatur. Servi autem ex peccato sunt, Sic Cham filius Noe, qui primus meritò nomen* servi *accepit.* Audis, lector, quòd Ambrosius non tribuit Christo nomen *servi* quòd assumpserit hominem, sed quòd susceperit injurias humanæ naturæ peccatis obnoxiæ. Ac nè putes hoc esse meum commentum, audi quid mox sequatur; *Non enim*, inquit, *mihi, sicut quibusdam, videtur, sic formam servi accepisse dum homo natus est:* Atque inibi continenter sequitur, *Vide enim quid dicat*, hoc sentire in vobis quod & in Christo Jesu, *i. Deo & homine. Ante Incarnationem enim aut* Christus *potest dici aut* Jesus, *quia simul ambo nomina & hominis filium & Dei filium significant. Nam ante nativitatem quid dicit inter cætera*, Petra autem erat Christus; *&*, non tentemus

Christum

Christum, sicut quidam tentaverunt. *Ubi ergò aut Deum aut hominem vult significare Scriptura, unum è duobus ponit, aut* Jesum, *aut* Christum. Hactenus Ambrosius. Hæc verba quorsum attinent nisi ut naturam in Christo significantes utramlibet, aut *Jesum* dicamus, aut *Christum*; injurias acceptas significare volentes, dicamus *servum*. Ante susceptum hominem *servus* dici non poterat, post depositam mortalitatem *servus* appellari desiit. Hæc sensisse videtur qui hæc scripsit, quisquis fuit: Nam mihi subolet pannum esse assutum commentariis Ambrosianis, qualem nunc habemus Glossam Ordinariam. Sed in epistola damnat hæreseos eum qui negabat Christum dici *servum*. Primùm dispiciat calumniator utri malit esse plus ponderis, Commentario sacro, an epistolæ quam misit amico. Et tamen si quis propiùs introspiciat, idem Ambrosius sentit in epistola quod docet in Commentariis. Hæreticus ille negabat Christum verè passum. At verè pati non potuit nisi verus fuisset homo. Quatenus passus est *servus* est dictus: secundùm humanam naturam passus est. Ità fit, ut qui non fateatur verè passum, inficietur hominem verum fuisse. Nec tamen protinus consequitur *servum* fuisse dictum simpliciter, quatenus erat homo: poterat enim esse homo, & tamen immunis ab afflictionibus ac suppliciis. Quin in eadem epistola sic vult Christum dici *servum*, ut dictus est *peccatum*, *maledictio* & *opprobrium*. Hæc in eum non competebant nisi fuisset homo, & tamen non competebant quatenus erat homo: poterat enim esse homo, nec esse tamen peccatum. Atq; hoc est magnificum lemma quo me facit Apollinaristam egregius censor meus Stunica. Nunc vide quibus argumentis me faciat Arianum. *Obedivit*, inquit Erasmus, *ac subditus fuit, sed non ut servus, verùm ut filius: sed filius æqualis est Patri: non fuit igitur ut filius Patri subditus.* O acumen, *omni*, quod ait Hieronymus, *pistillo retusius!* Tot locis Paulus ac Joannes vocant in Christo renatos *filios Dei*, & Christus quatenus erat homo non dicetur *filius Dei?* Præsertim cùm in Euangelio Christus ipse ad hanc calumniam responderit. Filius Dei æqualis est Patri, & filius Dei minor est Patre, propterea quòd Christus duplici ratione dicitur *filius Dei*, naturâ & gratiâ. Verùm utcunque accipias *filium Dei*, nihilo magis hæresim sonat hoc proloquium, *filius Dei subditus fuit Patri*, quàm hoc, *filius Dei mortuus ac sepultus est*. Nec interim tamen perpetuò verum est, quod assumit Stunica, minorem esse quisquis obedisse dicitur aut subditus esse: Jesus paruit ac subditus fuit Mariæ & Joseph, utroque major. Ut igitur finiam, si *servus* dicitur qui metu mali & conditionis necessitate suo fungitur officio, Christus absurdè diceretur *servus*, ac nè nos quidem, quoties afflati spiritu filiorum, *in quo clamamus Abba pater*, ultro quæ sunt pietatis expetimus: Sin *servus* appellatur addictus cultor ac diligens executor alienæ voluntatis, nihil prohibet Christum juxta naturam humanam vocari *servum Dei*, sed ità ut nihil interim vetet eundem juxta naturam eandem vocari *filium Dei*, quòd nullo metu, sed charitatis impetu volens passus sit. Habes impudentem Stunicæ calumniam, & his similium annotationum pollicetur opus alterum. At ego malim esse obnoxius alicui opinioni hæreticæ, simplici quidem intellectûs errore, quod accidisse videmus Hieronymo, Cypriano, aliisque probatissimis orthodoxis, quàm laborare morbo quo visus est laborasse, quisquis hæc scripsit. Alterutrum enim consequitur, ut aut ipse fuerit impudenter sycophanta, aut talibus locarit operam suam. Egon' Christo adimo naturam humanam, qui tot libris meis illam adoro? Egon' facio Christum juxta Divinam naturam inferiorem Patre, qui toties detestor Arianos? Ego me defendi ab hæresi: defendat ipse sese à suspicione perversæ ac malitiosæ calumniæ. Vocet me Batavum, appellet rudem, crassum, hebetem, ignarum, stipitem, plumbeum, caudicem, non admodum commovebor: quis ferat ex talibus lemmatis, velut à scurra perfrictæ frontis, impingi suspicionem geminæ hæreseos, & ejusmodi, non quæ lædat Pontificem, aut decreta Scholastica, sed ipsum Christum? Nec dubito tamen quin hîc Stunica sibi perquam facetus ac salsus esse videatur.

V. 36. *Joseph autem, qui cognominatus est Barnabas*] Hîc mihi postulabo rursum illud juris, ut, tametsi Hieronymus alicubi distinguit linguam Hebraicam à Chaldaica, tamen dilatato nonnunquam usu vocabuli liceat linguam Hebraicæ finitimam & cognatam Hebræam vocare, quâ vulgò Hebræos usos fatetur & Stunica. Admonebam *Barnabas* sonare Hebræis *filium consolationis*; atque ità interpretatur ipse Lucas hoc in loco; consentiunt in voce codices omnes, tum Græci tum Latini, atque etiam, opinor, mirabilis ille Rhodiensis, hoc nomine felix quòd toties citetur à Stunica. Sic interpretatur liber Hebraicorum nominum interpres, sic & Hieronymus in libello in quo exponit vôces Hebræas ex Actis collectas: BARNABAS, inquit, *filius prophetæ, vel filius venientis, aut, ut plerique putant, filius consolationis.* Stunica negat *Barnabas* quicquam hujusmodi significare quale Lucas interpretatur, & conjectat omnes Græcorum codices esse depravatos, atque à Luca scriptum fuisse *Barnabum*. An rectè divinet Stunica viderint alii, mihi non debet impingere errorem, qui Lucam & Hieronymum secutus sum autores.

Ex Cap. VII.

V. 43. *Et transferam vos trans Babylonem*] Sic habent quidam Latini codices: contrà nonnulli habent *in Babylonem*. Cæterùm Græcis est ἐπέκεινα Βαβυλῶνος, i. *ultra Babylonem*. Quanquam in Amos cap. 5. unde desumptus est hic locus, aliquantò secùs legitur; μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Δαμασκοῦ, i. *transferam vos ultra Damascum*. Hieronymus ità Lucam aut Stephanum excusat, ut sensum magis reddiderit prophetæ quàm verba; is est, *transferam vos trans Damascum in Babylonem*, sive *trans Babylonem*. Stunica suspicari mavult & hunc locum in Græcis ac Latinis codicibus omnibus esse depravatum, & pro ἐπέκεινα Βαβυλῶνος legendum ἐπέκεινα Δαμασκοῦ. Negat hoc esse novum in S. literis. Sic in Matthæo *Esaiæ* positum esse pro *Aseph*, & in eodem *Hieremiam* positum pro *Zachariam*. Sed hîc nihil accusat, nisi quòd aliàs immodicè curiosus, in hunc locum nihil annotarim. Verùm in tanta turba rerum fieri non potest quin aliqua suffugiant oculos.

Ex Cap. VIII.

V. 32. *Tanquam ovis ad occisionem ductus est*] Hîc evidentem hallucinationem impingit mihi, quòd in codice meo citarim ex Esaiæ cap. 50. quod habeatur in cap. 53. Quasi non in notulis numerorum passim errent librarii, nec id facilè deprehenditur ab eo qui recognoscit, non adhibito antitypo. Id esse verum sentiet qui viderit hunc numerum in secunda editione fuisse repositum. Cæterùm an Æthiops legerit ex Hebræo volumine, an Græco, quoniam nihil refert, nolim in eo verba fundere.

V. 40. *Inventus est in Azoto*] Hîc indicans elegantiam Latinæ vocis, *inventus est*, addideram, *Quis quærebat illum ut illic fuerit inventus? & malo* repertus est, *quòd qui subitò, aut præter spem alicubi deprehenditur, Latinè dicatur* repertus. Stunica dicit Interpretem ridiculum fuisse futurum si has Latini sermonis elegantias voluisset observare. Rem sanè novam audio. Quòd si ridiculus fuisset Interpres, mihi tamen non sit absurdum indicare, qui hoc negotium susceperam, ut quantum fieri posset sermonem N. Testamenti à solœcismis repurgarem. Sed interim Stunica videtur oblitus, quod in præfatione dixit, *eleganter & Latinè vertisse Interpretem*. Quomodo vertit eleganter, si puduit observare elegantias? Potrò quod adjicio vocem Hebraicam quæ respondeat Azoto, eam quoniam putat depravatè scriptam, demiratur impudentiam meam, qui conscius imperitiæ meæ non hîc consuluerim meum Oecolampadium. Atqui scire dignabitur Stunica vocem hanc Oecolampadio autore fuisse additam: cum hoc igitur res erat Stunicæ, non mecum.

Ex Cap. X.

V. 38. *Quomodo unxit eum Deus*] Oſtenderam duplicem lectionem, ὡς ἔχρισεν αὐτὸν, i. *quomodo unxit eum*, & ὃν ἔχρισεν αὐτὸν, i. *quem unxit eum*, admonens in poſteriore lectione Latino interpreti omittendum pronomen *eum*, id quod additur ex idiomate ſermonis Hebræi. Hîc neſcio quid argutatur Stunica, cùm Interpres verterit è codice qui habebat ὡς ἔχρισεν, non omittendum fuiſſe pronomen. Atqui hoc ipſum eſt quod annotaram. Cæterùm utrùm Petrus hæc Hebraicè locutus ſit an Græcè, minimum refert, niſi quòd Stunicæ placet eum Græcè locutum fuiſſe; nec ob aliud, opinor, niſi quòd ſuſpicabatur hoc mihi minùs probatum iri. Potuit autem Græcis loqui Petrus Hebraicè, & tamen intelligi.

Ex Cap. XII.

V. 8. *Præcingere, & calcea te caligas*] Καὶ ὑπόδησον τὰ σανδάλιά σου verteram *ſubliga ſoleas tuas*, quòd olim ſandaliis uterentur pro calceis: ea loris quibuſdam ſubligabantur, ut hærerent pedibus. Hîc neſcio quo conſilio ſtudet mutare Græcam ſcripturam, ac pro ὑπόδησον legere ὑπόδυσον, quòd utraque vox Græcis ſit ejuſdem ſonûs: ſic enim Stunicæ licet loqui. Atque hîc nos docet rem planè novam, videlicet indui calceos; atque ut hoc credamus adducit autorem Suetonium. At tandem homo civilis permittit ut vetus ſcriptura ὑπόδησον maneat. Sed quid opus erat hâc divinatione, cùm ὑπόδησον probè quadraret, verbum Græcis uſitatiſſimum, & codicum maximus ſit conſenſus.

V. 13. *Pulſante autem eo ad oſtium januæ*] Non negat Stunica πυλῶνα Græcis & *oſtium* ſignificare & *veſtibulum*: nos itaque vertimus *veſtibulum*, alioqui non quadrabat, niſi θύρᾳ accipias id quod excludit aditum, & πυλῶνα hiatum parietis, qui admittit aditum. At hîc multis verbis argumentatur non conſiſtere quod verti, quòd veſtibulum non ſit pars ædium, ſed locus ante ædes vacuus. Conſiſtet ſi cogitet quædam veſtibula adjecto pariete, ſed abſque tecto, ſecludi à via publica: id oſtium certè nocte claudi ſolet, quò domus ſit tutior.

V. 22. *Populus autem acclamabat*] Hoc loco quid ſibi velit Stunica prorſus non intelligo, cùm magno conſenſu Græci codices habeant φωνὴ Θεοῦ, i. *vox Dei*, & pulcre congruit ſenſus. Concionabatur enim Herodes, ac loquenti acclamabant adulantes, quaſi vox Deum ſonaret magis quàm hominem. Siquidem ex voce Venerem agnoſcit & Æneas Virgilianus. Stunica violentè depravat hunc locum, ac legi poſtulat φωνῇ Θεοῦ, i. *voce Dei*, quaſi vox populi fuerit vox Dei. Atque hîc multis verbis impudentiſſimè nugatur, nihil aliud captans quàm ut eſſet locus referendæ hiſtoriæ ex Euſebio & Joſepho. Atqui magis illi fuiſſet locus, ſi neque nos taxaſſet immeritò, neque lectionem in cunctis Græcorum voluminibus conſentientem autoritate ſuâ mutaſſet.

Ex Cap. XIII.

V. 13. *Et cùm à Papho navigaſſet Paulus*] Cùm ſit οἱ περὶ τὸν Παῦλον, verteram, *ii qui cum Paulo erant*, veluti non agnoſcens figuram Græcanicam, de qua priùs taxaſſem Vallam. Verùm hæc figura non ſemper habet locum, & qui dicit navigaſſe eos qui cum Paulo erant, non protinus excludit Paulum à navigatione, quemadmodum cavillatur Stunica. Sed tamen hunc locum reſtituimus, tametſi Interpres plus vertit quàm dixit Lucas, ſi figuram amplectimur, quod tamen in me crebrò damnat Stunica.

Ex Cap. XIV.

V. 1. *Factum eſt autem in Iconio*] Indicaram Latinius eſſe, *Factum eſt Iconii*, cùm ſit nomen civitatis. Rurſus hîc deſtomachatur in miſeras Grammaticorum obſervationes, & tamen ex grammatico Priſciano docet rectè addi præpoſitionem. Sciebam hujuſcemodi orationes nonnunquam inveniri apud autores, ſed ego malebam quod eſſet uſitatius, ac longiùs abeſſet à ſtilo poetico. Cæterùm rectè monet Stunica Iconium hîc Lycaoniæ civitatem eſſe, non Ciliciæ: id accidit in verſione dictionum. Sic enim erat legendum, *Sunt duæ hujus nominis, altera Ciliciæ, altera Lycaoniæ, de qua hîc agitur.* Atque hoc erroris typographorum, aut ſcribarum, ni fallor, caſtigaram in ſecunda editione.

Ex Cap. XV.

V. 13. *Viri fratres audite me*] Recitaram opinionem Vallæ, qui ſuſpicatur *Simeon* Græcam eſſe vocem nonnihil deflexam ab Hebræa *Simon*. Hîc primùm me plagii defert Stunica, qui paſſim ſuffurer pleraque ex annotationibus Laurentii Vallæ. Quo quid dici poterat impudentius? cùm ſæpe diſſentiam à Laurentio, tam multa recenſeam quæ ille non attingit, tam multa præteream quæ ille multis verbis perſequitur, toties illum citem nominatim: ſed interim cauſæ periculum à me transfert in Laurentium. Is igitur pro ſe reſpondeat; nam ego manum non verterim utra vox Græca ſit, utra Hebraica. Scio Σίμωνα Græcis eſſe virum, vel adagio teſte, οἶδα Σίμωνα, χὠ Σίμων ἐμέ.

V. 40. *Paulus verò electo Syla*] Cùm Græcè ſit ἐπιλεξάμενος, quò magis exprimerem vocem Græcam, verteram *allecto Syla*, ab *allegendo*, quemadmodum dicuntur *allegi in ſenatum* qui eò aſciſcuntur. Stunica damnat verbum non inelegans, ſed amphibolum, quòd alicui videri poſſit ab *allicio* deductum, non ab *allego*: verùm elegantia verbi fecit ut amphibologiæ incommodum contemnerem, quod eruditi frequenter nulla de cauſa negligunt, neque prorſus idem eſt *allego* & *eligo*, quemadmodum putat Stunica. *Eligo* liberis amici præceptorem, non *allego*.

Ex Cap. XVI.

V. 11. *Et ſequenti die Neapolim*] Hîc annotaram, *Non eſt ea quam nunc in Italia occupant Hiſpani, ſed altera Cariæ in Aſia.* Hoc loco mihi blaſphemiæ crimen impingit, ac læſæ majeſtatis crimen, ob unum verbulum *occupant*, quod ille ſic interpretatur, *h. e. nullo juſto titulo, ſed tanquam tyranni detinent.* Sic autem præfatur hoc crimen intentaturus, *Quas non convicioruм ὕλας, ut aiunt, ἀμάξας merebatur quidem hoc loco Batavus iſte? nolo Sarmatam dicere.* Quis non rideat hujus Stunicæ delicias, qui putet ingens convicium appellari *Batavum*? Deinde qui credat aliquid eſſe cognationis Batavis cum Sarmatis? Sed ut ad crimen reſpondeam, an quiſquis occupat, tyrannide occupat, & injuſto titulo? Quæſo qui vacuum occupat, num per tyrannidem occupat? Arbor quæ locum occupat, ut alteri non ſit locus, num injuſtè occupat? O ſiniſtrum verborũ interpretem! Non agebam illic quo jure Hiſpani poſſiderent Neapolim. Certè ſic tenent ut aliis non ſit illic regnandi locus. Ac ſubitò facetus Stunica putat me tam atrocis criminis ſatis magnas pœnas daturum ſi doceat me lapſum in Geographia, mavúltque Paulum ità circumducere, ut à Myſia deducat Troadem, hinc in Samothraciam, hinc rurſus Neapolim, & indè Philippos. Hæc Stunicæ conjectura quantum valeat, excutiant ii quibus eſt otium. Mihi ſatis eſt quod Hieronymus in locis Actorum, *Neapolis*, inquit, *civitas Cariæ, quæ eſt provinciæ Aſiæ.* Id cùm non ignoraret Stunica, quid enim illum fugit? cum Hieronymo diſputandum erat.

Ex

Ex Cap. XVII.

V. 30. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus*] Pro *despiciens* Græcis est ὑπεριδών. Quoniam Græca vox sonat, quasi dicas, *super videre*. Porrò qui *despicit*, velut ex alto videt. Itidem qui dissimulat, ut rem negligendam, altiùs tollit oculos. Adjeceram in annotatione, *sed Interpres visus est sensisse* ὑπεριδὼν *ex alto videns*. Atqui Stunica negat eum id sensisse, sed *despiciens* posuisse pro *contemnens*. Et hoc ipsum fueram suspicaturus, nisi *contemnens* hoc loco parùm quadraret. Neque enim contempsit Deus idololatriam, sed ad tempus ceu dissimulavit, relinquens illos suis erroribus. Porrò quod Guarinus ὑπερίδοντες vertit *contemnentes*, fortasse rectiùs vertisset *dissimulantes*. Etiamsi non negem alicubi contemnere qui dissimulat; verùm hoc loco parùm congruebat *contemnendi* verbum.

Ex Cap. XVIII.

V. 3. *Erant enim scenefactoriæ artis*, σκηνοποιοὶ] Nos verteramus *aulæorum texendorum artifices*. Stunica multis verbis docet σκηνὰς sonare *tabernacula*, ea solere confici ex pellibus. Sciebam Paulum à Græcis aliquoties vocatum esse *coriarium*, sed σκηνὴ Græcè sonat, *quicquid obducitur ad obumbrandum*. Unde & *scena* fabularum. At hujusmodi sunt & aulæa, ni fallor; quod indicat Horatius in Epistolis,

——— *aulæa Britannica cessant.*

Quòd si contendit Stunica tabernacula non confici nisi ex pellibus, reclamat horum temporum consuetudo, quæ cannabeis potissimùm utitur. Et apud Hispanos in usu sunt aulæa coriacea, ut nihil sit quo debuerit offendi Stunica. Et tamen in secunda editione memini & tabernaculorum.

Ex Cap. XIX.

V. 9. *In schola tyranni cujusdam*] Admonebam ambigere Interpretes utrùm hîc *tyranni* nomen sit proprium, an præpotentem quempiam ac magnatem sonet. Et malo magnatem esse. Porrò *scholam* sonare otium & secessum, in quo solitus sit otiari; sic enim mea refert Stunica. Stunica mavult nomen esse proprium viri, quòd apud Senecam compererit aliquem fuisse hoc nomine. Fruatur igitur Stunica suo judicio. Nam ego sic verti ut illi liberum sit hoc facere.

V. 24. *Demetrius autem nomine, argentarius*] Cùm Græcè sit ἀργυροκόπος, & *argentarius* Latinè sonet mensarium magis quàm artificem argenti cudendi aut fundendi, malui vertere *aurifabrum*. Stunica putat multùm interesse inter aurum & argentum, nec istud nego; sed interim artificii commune nomen est; siquidem ejusdem est opificii cudere aurum & argentum: *aurificem* legimus, *argentificem* non legimus. Porrò quod obiter taxat ἀργυροκόπος, non dictum ab *incidendo argento*, sed ab *elaborando*, non est verisimile: cùm Græcis *laboro* sit κοπιάζω sive κοπιῶ. Cæterùm κόπτω non solùm significat *incîdo*, verumetiam *cædo*, *pulso*, *percutio*.

V. 35. *Viri Ephesii, Quis est hominum qui nesciat*, &c.] Hîc quod Græcis est νεωκόρον, verto, quemadmodum verterat Interpres, *cultricem*. Tantùm labor in etymologia nominis νεωκόρος, quod imaginabar esse dictum à νεὼς *templum*, & κόρη *virgo*; nam Dianam virginem faciunt Poetæ; cùm dicatur à νεὼς *templum*, & κορεῖν, quod est *purgare*, sive *verrere*, quemadmodum docent Hesychius & Suidas. Atque hoc erroris humani mox sarsimus in secunda editione, nè quid hîc triumphet Stunica. Cæterùm quod adjeceram κόρης appellationem tribui Dianæ & Proserpinæ, non sensi similiter tribui, nec eandem esse deam, ut suspicatur Stunica, sed Proserpinæ attribuitur ut nomen proprium. Certè Dianæ tribuitur virginitas. Porrò quod in epilogo colligit Stunica Interpretem rectè vertisse *cultricem* pro νεωκόρον, idem & ipse comprobaram, qui simili modo verterim; tantùm in κόρη scrupulus erat, quem ipse mox deprehendi ac discussi.

Ex Cap. XXIV.

V. 5. *Invenimus hunc hominem pestiferum*] Annoto Græcis esse λοιμὸν, hoc esse *pestem*, non quidem damnans quod vertit Interpres, cùm ipse vertam eodem modo, sed indicans Græcam figuram, cum Latinis tamen communem, quâ pestiferum *pestem* vocamus, & sceleratum *scelus* dicimus. Atque hoc sensisse me declarat quod addo, *quemadmodum exitialem vocant* ὄλεθρον, *i. Exitium*. Hîc Stunica multa congerit ut doceat λοιμὸν aliquando sonare *pestilentem*. Atque hoc ipsum ut docerem, indicavi figuram sermonis. Cæterùm nihil erat causæ cur quod legimus in primo Psalmo, *Et in cathedra pestilentiæ non sedit*, ceu perperàm versum emendaret, legendum docens *in cathedra pestilentium*. Neque enim consequitur, si λοιμὸς aliquando usurpatur pro *homine pestilente*, idcirco non multò frequentiùs sonare *pestem*.

Ex Cap. XXVII.

V. 40. *Et sublato antemone*] In contextu verteram quod verterat Interpres, relinquens vocem quâ usus est Lucas, ἀρτέμονα. Nihil igitur hîc scrupuli, sed in Annotationibus velut exponens eam vocem interpretor *antemna*. Hîc Stunica contendit *artemonem* non esse vocem Græcam, sed Latinam, quanquam à Luca Græcè loquente usurpatam, quod jam novum non sit, cùm apud Euangelistas legatur δηνάριον, κῆνσον, λέντιον, σιμικίνθιον, κουστωδίαν. Sed ut hoc fortiter asseverat Stunica, ità nequaquam probat. Cùm enim Latini doceant esse machinam tollendis in altum oneribus accommodam, probabile est vocem dictam ab ἀείρω sive ἀρτάω, idque effecit ut ego suspicarer esse *antemnam*, cujus hic usus est apud nautas, ut hâc ceu machinâ demittant velum, aut subrigant. Cúmque sensus cogat ut intelligamus velum expositum ventis, quò majore impetu navis illideret in littus, hoc ipsum efficit sublata antemna, cui velum annexum est. Sed ex his quæ citat Stunica satìs liquet Jureconsultis *artemonem* non esse *antemnam*, quæ utique pars navis est non minùs quàm malus. At fieri potuit ut Lucas eam vocem ad *antemnam* deflexerit, quæ adeò similis est machinæ quâ tollunt onera navigiis imponenda aut eximenda, ut hodie verè non alias adhibeant machinas quàm antemnas. Hîc tandem diffisus omnibus Græcorum ac Latinorum codicibus, arbitratur legendum pro *artemonem*, *antemonem*, quòd Perottus Sipontinus scripserit *antemonem* esse *velum quod potest facilius obliquari, & quo nautæ in summo tempestatis discrimine utuntur*. Et tamen huic quoque diffisus, quòd nullum citat autorem, qua quidem in re nimium sæpe peccat vir ille, alioqui pulcre doctus, studiosis delegat hac de re diligentiùs inquirendi provinciam. Mihi non videtur esse mutanda scriptura. Cùm enim constet *Artemonem* esse machinam paratam sublevandis oneribus, & ad eandem rem nautæ utantur antemnis, non video cur absurdum sit hîc pro *antemna* positum. Quòd si velum est *artemon*, ut interpretatur Beda, conveniet ut intelligamus velum antemnæ affixum, quod facillimè circumducitur. Sunt enim & alia vela quæ funibus tendantur, non antemnâ.

V. 44. *Quosdam super ea quæ erant de navi*,] Quoniam antè dixerat quosdam in tabulis perveniisse in terram, ac mox subjicit, *Quosdam super ea quæ erant de navi*; cùm & tabulæ fuerint de navi, aut addendum erat, *super alia quædam quæ erant ex navi*, aut aliquid ponendum quod esset peculiare navi. Nos igitur verteramus *fragmenta navis*. Stunica negat

navem fuisse fractam. Imò Paulus ait puppim solutam à vi maris. Neque quicquam vetat remos, antemnam, temonem, foros & hujusmodi *fragmenta navis* vocari, quæ navi etiam non fractâ solent esse præsidio in naufragiis. Nec mihi displicuisset quod interpretatur Stunica, ut accipiamus de vasis & instrumentis nauticis, nisi obstitisset scrupulus quem indicavi.

IN EPISTOLAM AD ROMANOS.

Ex Cap. I.

V.3. *De filio suo, qui factus est ei*] Cùm Græcè sit γενομένου, Laurentius tamen mavult *genitus* quàm *factus*. Atque subindico γενομένου Græcis non propriè sonare *genitum*, cùm aio, *Certè* genitus *esset, si scriptum fuisset* γενηθείς. Sed cur igitur, inquit, vertis, *qui fuit genitus?* Quia *factus* durè sonabat Latinis auribus, præsertim cùm sensus sit, eum cœpisse esse hominem in tempore ex genere David, qui ante omnia tempora Deus erat ex Deo. Porrò quisquis nascitur, juxta carnem esse incipit. Græcam igitur vocem non exactè reddidi, sed tamen à sensu non recessi. Certè Augustinus lib. 11. Adv. Faustum cap. 4. docet in nonnullis codicibus pro *factus* scriptum fuisse *natus*; nam id obiter carpit Stunica, quòd cùm Valla tantùm posuisset *genitus*, ego de meo adjeceram, *aut, natus*. Indicaram & pronomen quod habetur in Latinis codicibus, in multis Græcis addi. Stunica indicat nec in antiquissimis Latinorum addi. Atque hinc colligit me cùm in consulendis vetustis exemplaribus Euangeliorum diligens fuerim, in cæteris rarò aut nunquam videri consuluisse. Imò in cæteris longè fui diligentior: sed plura sunt Euangeliorum exemplaria vetusta quàm cæterorum. Siquidem in Epistolis Apostolicis, cùm primùm ederetur N. Testamentum, unicum mihi aderat exemplar, sed venerandæ antiquitatis, miréque castigatum, quod cùm frequenter à me citetur in Annotationibus, demiror cur hîc Stunica meam desiderat diligentiam.

V.25. *Qui est benedictus*] Ob rudiores verto *laudandus*. Nam vulgus putat *benedicere* movere manum ad speciem crucis, aut bene precari. Miror, inquit Stunica, quinam sint illi rudes quos offendisset *benedictus*. Non erat periculum nè offenderentur, verùm nè non intelligerent quod sensit Paulus. Sed Græcis, inquit Stunica, εὐλογῶν est *benedicere*, non *laudare*, & εὐλογητὸς *benedictus*, non *laudandus*. Hoc perinde est ac si dicas εὐπαθῶν Græcis est *bene pati* non *beneficio affici*. An cùm toties dicimus, *Benedicite omnia opera Domini Dominum*, non intelligimus laudem opificis ex rebus conditis? Bellum autem quòd ut probet εὐλογητὸς sonare *benedictum*, adducit illud, *Benedictus Dominus Deus Israel*, quasi nesciamus aut negemus sexcentis locis sic verti εὐλογητὸς in S. literis. At nos agebamus quid *benedictus* sonaret iis qui Latinè loquuntur. Optarim quidem *benedictus* in hunc sensum esse Latinum.

Ex Cap. II.

V.17. *Si autem tu Judæus*] Ostenderam in Græcis duplicem esse lectionem: in aliis εἰ δὲ, i. *si verò*; in aliis ἴδε, i. *ecce*. Pronunciatione altera ab altera non distinguitur, sed scripturâ. Posteriorem magìs probo, quòd molliùs cohæret cum eo quod sequitur. Stunica mavult priorem, citans Origenem, è cujus verbis Latinè versis non satìs liquet quid legerit, ex Athanasii verbis multò minús. Nam hoc titulo subindè adducit Theophylactum, quo sibi mirè placet, quòd is autor nuper exisset novus Latinè versus. Ac fefellit quidem Stunicam titulus, falsò additus. Sed cùm ingens discrimen sit inter phrasim Athanasii, viri apud Græcos ad miraculum usque facundi, & hujus, mirum est hominem tam in cæteris nasutum, ut sibi videtur, hoc non sensisse; cúmque passim à nobis citetur nomine *Vulgarii*, non animadvertisse eundem esse quem ego *Vulgarium* appellarem, ipse *Athanasium*, præsertim cùm aliquoties ex eo versus aliquot adducam Græcé.

Ex Cap. III.

V.5. *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei*] Cùm in Græcis sit gratia vocis affinis repetitæ ἀδικία δικαιοσύνην, nè eam perderemus, vertimus, *si injustitia nostra Dei justitiam constituit*. Stunica sic agit quasi damnarim verbum *iniquitatis*. Etiamsi putem hîc *justitiam* accipi pro generali justitia, quæ viros bonos reddat; nam Judæi *justos* vocant probos, sanctos & integros. Stunica docet συνίστησι non malè verti posse *commendat*, quemadmodum & ipse verto alicubi. Quod docet Stunica, idem doceo in secunda editione, planè confitens mihi non displicere quod vertit Interpres. *Constituit* autem dictum est pro stabilit, ac fulcit confirmátque: nam hoc sonare συνίστησι paulò pòst docet Origenes ipse.

Ex Cap. V.

V. 13. *Peccatum autem non imputabatur*] Græcè sic habet, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου. Quod ità verto, *Porrò peccatum non imputatur, cùm non est lex*. Cùm omnes Græci codices consentiant, tamen Stunica putat esse mendum, & pro ἐλλογῆται verbo præsentis temporis scribendum ἐλλογῆτο verbum præteriti imperfecti temporis. Hoc autem argumento movetur, quod, ut ait homo perspicax, deprehendit ex ipso dicendi modo. Interpres, inquit, vertit *imputabatur*, non facturus si scriptum fuisset ἐλλογῆται. Quid si quod scriptum est ab Interprete, depravatum fuit à scribis? Bellum erit verò, si præpostere Græcam lectionem è Latina castigabimus, h. e. si juxta Græcorum proverbium, Currus bovem aget. Sed quicquid legit Interpres, certè non hoc legit quod posuit Stunica, ἐλλογῆτο, quam vocem nemo Græcè peritus agnoscet. Etenim cùm ἐλλογῶμαι componatur à præpositione ἐν & λογόμαι, intercedente vocali augmenti repetendum erat ι, quod antè versum erat in λ, ac dicendum ἐνελογῆτο, quemadmodum in ἐκκόπτω ἐξέκοπτον, ἐμμένω ἐνέμεινα, ἐκχέω ἐξέχεον· id cùm pueris quoque sit notum qui nuper cœperunt Græcè discere, demiror non venisse in mentem Stunicæ, qui in præfatione tam magnificè prædicavit se rebus omnibus instructum ad hoc opus accessisse. Sed ille me monuit alicubi ut meminerim me hominem esse. Tametsi memorem monet, ego illum viciſsim hîc admoneo, meminerit se non esse Deum; nam ille contumeliam existimat quòd alicubi, dissentiens ab Hieronymo, dixerim illum hominem esse. Verùm ut ad rem redeam, nihil est quod hîc offendat verbum præsentis temporis, etiamsi sermo accommodetur ad tempus præteritum; nam præsens sic positum est ut ad quodvis tempus pertineat. *Lex non imputatur, si lex non sit*, h. e. non solet, aut non debet imputari. Quemadmodum dicimus, *Non auditur actor nisi præsente reo*. Proinde si Interpres vertit *imputabatur*, aut si eodem modo loquantur interpretes, respicientes ad tempus quo nondum erat data lex Mosaica, non est quod miremur, aut Græcam mutemus scripturam. Et magìs suspicor scripturam in nostris codicibus fuisse vitiatam, siquidem in uno codice vetustissimo, quem nobis exhibuit collegium Sancti Donatiani Brugis, scriptum erat, *cùm lex non est*, ex quo conjectare licet scriptum fuisse *lex non imputatur*. Quin & illud pro nobis facit, quòd in Græco sermone non additur articulus, μὴ ὄντος νόμου, ut quemadmodum ὄντος ad quodvis tempus pertinet, ità νόμου ad quamvis legem referatur, non solùm ad Mosaicam.

V. 17. *Sicut enim per inobedientiam unius*] Cùm ad sensum nihil referret sive legas κατεστάθησαν, i. *constituti sunt*, sive κατεστάθημεν *constituti fuimus*, id sequebamur quod habebatur in Græcis codicibus, quod idem est in editione Aldina. Sed sequitur in proxima parte κατασταθήσονται, i. *constituentur*. Non est novum in Paulo variari

personam, & magis quadrat ut quod erat odiosius, Paulus in suam personam transtulerit, quod plausibilius, in aliorũ.

Ex Cap. VI.

V. 22. *Finem autem vitam æternam*] Hic est *evidens Erasmi hallucinatio*, si credimus elencho Stunicæ; nam in contexu pro *finem* scriptum erat *fructum*; imò hîc est evidens incuria typographi. Nam quâ fronte hoc mihi impingat Stunica, cùm in Annot. citem ut vertit Interpres, neq; taxem aliquid in ea dictione, neque de *fructu* verbum ullum faciam? Denique putetur hoc esse meum, nisi viderit in secunda editione mutatum.

Ex Cap. VII.

V. 3. *Igitur vivente viro adultera vocabitur*] Quod vertit *vocabitur*, Græcè est χρηματίσει, nos vertimus *judicabitur*. Stunica dicit & sic posse verti ut vertit Interpres. Id nos non negamus. Cur igitur maluisti *judicabitur*? Quia videbam χρηματίζειν Græcis esse *jus dicere*, aut *consuli & respondere*, unde χρηματισμὸς *oraculum*, aut *Principis edictum*. Cùm igitur hîc sentiat illam sic vocandam judicum sententiis, malui *judicabitur* quàm *vocabitur*. Porrò quòd χρηματίσει novè usurpatum est voce activâ, proprietas est Græci sermonis, qui sic dicunt, ὁ χρηματίσας ῥήτωρ, pro eo quod est, *habebatur rhetor*, aut *profitebatur rhetorem*, quemadmodum Latini dicunt, *audit pater*, *audit philosophus*, pro eo quod est, *vocatur pater*, *habetur philosophus*. Et hujus rei submonuit Hieronymus Aleander, nè quem suâ laude fraudemus. Ridiculum autem quòd Stunica suspicatur me putasse χρηματίσει à κεῖμαι ductum esse, non à χρῆμα, quasi nesciam differentiam inter χ & κ, inter η & ι. Citiùs suspicarer *Stunicam* à *stiva* dictum. Hujusmodi scilicet annotationibus respondet illis magnificis suis promissis, ac glorioſarum præfationum fumis.

Ex Cap. VIII.

V. 15. *In quo clamamus, Abba pater*] Hic rursus impingo ad eundem lapidem, quòd pro Syra voce dixerim Hebraicam. Et in secunda editione ex autoritate Hieronymi testor esse vocem Syram *Abba*. Cæterùm quod addit Stunica me suspicari ὁ πατὴρ non aliter esse quàm nominandi casu accipiendum, planè calumniatur. Etenim si interpretandi gratiâ additum est ὁ πατὴρ, nominandi casus erit; sin erit ἀναβλωσεις affectui serviens, vocativi casus erit. Et utrumque modum nos posuimus, quod dissimulat Stunica, venans occasionem aliquid arrodendi.

V. 30. *Quos autem justificavit, illos & magnificavit*] Quod Græcè est ἐδόξασε, verti non *magnificavit*, sed *glorificavit*. Stunica docet δοξάζω in literis S. variè verti. Quid hoc ad me? Nec hoc reprehendo: sed propiùs exprimit Græcam vocem *glorifico* quàm *magnifico*: nam *magnifico* pro *extollo*, ut fit Latinum, certè infrequens verbum est.

Ex Cap. IX.

V. 25. Stunica suo more præfatus honorificè de me, quàm infrequens versetur in evolvendis S. voluminibus, quámq; illotis pedibus ad hoc opus accesserim, & adjecto in spatio marginis honorifico elogio, *Erasmi evidens hallucinatio*, docet hoc testimonium quod adduxit Paulus, non è primo Oseæ capite sumptum, quemadmodum annotaram, sed ex diversis ejus Prophetæ locis, cùm Paulus Prophetæ nomen posuerit, caput suppresserit. Mirum verò si Paulus non addidit capitis numerum, cùm id temporis non fuerit hujusmodi capitum sectio. Jam ut demus à me citatum primum Oseæ caput, tametsi in numeris frequenter errent librarii, quod erat admissum flagitii? cùm locus qui habetur in fine secundi capitis pendeat ab hoc loco, qui est in primo capite, velut à fonte. Siquidem hîc induntur nomina molestæ, illic commutantur in diversa. Ad hæc, cùm pars vaticinii planè petita sit ex primo capite, illud potiùs mirandum, quòd Stunica vir tam oculatus, qui nusquam cæcutiat, paulò pòst bis labi videtur. Primùm quòd ait ab Hieronymo præsentem locum enarrante citari dupliçem lectionem, cùm id faciat in capite primo, ubi nomina induntur, cujus rei nullam facit mentionem in fine secundi capitis. Deinde quòd ea citat ex Hieronymo quæ illic non habentur, siquidem Hieronymus hæc tantùm habet, *Pro* οὐκ ἠλεημένην, *i.* absque misericordia, *in quibusdam fertur exemplaribus* οὐκ ἠγαπημένην, *i.* non dilectam. Stunica refert hoc pacto, καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην, καὶ τὴν οὐκ ἠλεημένην, ἠλεημένην. Atque haud me fallit, quòd hunc errorem in me rejiciet Stunica, qui sic prior retulerim. Equidem agnosco lapsum humanum, qui frequenter obrepit, vel in multa distractis, vel properantibus, cui utroque incommodo tum eramus obnoxii, atque in hujusmodi lapsuum, quos in prima statim editione fassi sumus, farturam, paraveramus tertiam editionem multò antequam Stunicæ librum nanciscì licuit. Sed illud demiror, talem Argum, tam ubique vigilantem, voluisse fidere duci nusquam non hallucinanti, nec saltem relegisse Hieronymi locum à me citatum atque indicatum. Qua quidem ex re satis liquet quàm ipse versetur assiduus in S. voluminibus, qui sic hallucinatur in loco commonstrato, præsertim cùm carpendi libido soleat & ex lusciosis Lynceos reddere.

Ex Cap. XI.

V. 4. *Reliqui mihi septem millia virorum*] Hic triplici nomine me reum agit Stunica, ídque in lingua Hebraica, cùm æquius fuerit crimina dividere saltẽ cum Theseo meo. *Baal* scripsi per ע cùm scribendum sit per ע. Deinde scripsi *BEELPHOGOR* sonare *idolum cadaveris*, cùm magis sonet *idolum hiatûs*. Deinde quòd *Beelsebul* pronunciarim, non *Beelzebub*. Ad ultimum respondebo, cætera relinquens ei cujus interest, quem Stunica comperiet non esse mutum. Mihi vitio verti non debet si dictionem Hebraicam corruptè protuli, quam corruptè scripsit ipse Paulus Hebræus natus. Et fortasse sic tum Syrorum vulgus pronunciabat ut scripsit Paulus.

V. 11. *Sed illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur*] Cùm id quod vertit Interpres, aut nullum habeat sensum, aut absurdum; siquidem si *æmulentur* sic referatur ad *gentes*, ut agant, sensus est nullus, cùm hoc Latina vox nulli declaret; sin ad *Judæos*, ut agant, sensus est absurdus, non enim illi provocant gentes, sed alienant potiùs. Sed Origenes ac Theophylactus, qui Stunicæ est Athanasius, interpretantur, Ideo gentes admissas ad gratiam Euangelicam, ut Judæi illorum exemplo revocentur ad Christum, velut invidentes illis quos habebant contemptissimos. Horum interpretationem cùm ipse recitet Stunica, tamen in elencho adscripserat *Græca hoc loco ab Erasmo minimè intellecta*; & in annotatione sua sic rem tractat ut se declaret nec Latina intellexisse nec Græca. Dicit esse duos sensus, sed in unum recidere, & sic proponit unum altero omisso ut neutrum videatur intelligere. Lege, lector, Stunicæ nugas, & res ipsa docebit esse verum quod dico. Nos in his tricis refellendis non sumemus operam. Sed homo rhetoricus per occupationem me vocat in invidiam, qui Thomam Ecclesiæ Doctorem percelebrem palàm accusem imperitiæ. Quàm celebris Ecclesiæ sit Doctor Thomas, alii viderint; certè fas est, opinor, ab illo dissentire. Et tamen in hominem me facit contumeliosum, cùm hoc sanè loco defendam eum in manifesto lapsu: sic enim claudo hanc annotationem, *Quod hactenus illi sed Interpreti imputandum est*. Qui culpam rejicit in Interpretem, quò Thomam sublevet, an ille est contumeliosus in Thomam? Nec hoc contentus Stunicæ meus etiam fidefragium objicit, qui pollicitus me tecturum vitia Doctorum, non præstem quod recepi. Imò dixeram aliàs me tegere, aliàs excusare, aliàs civiliter ab eis dissentire. Et hoc certè loco excuso. Neq; verò Stunica hæc dicit

dicit ſtudio Thomæ, quem non videtur legiſſe, ſed quò ſatisfaciat his à quibus ſubornatus eſt ad agendam hanc fabulam.

V. 22. *Vide ergò bonitatem Dei*] Qui vertit *vide*, legit ἴδε, ego qui legi ἰδὲ, verto *ecce*. Senſus eſt idem utrumcunque legas, neque quicquam eſt incommodi, niſi quòd adverbium eſt vehementius. Quid igitur hîc blaterat Stunica?

Ex Cap. XII.

V. 6. *Sed habentes donationes*, χαρίσματα] Quoniam *donationes* non ſit uſitata vox Latinis pro *donis*, ſive *donariis*, malui *dona*, & verbulo notavi Interpretem, quòd præter rem affectet copiam. Hîc mihi Stunica meus inſtaurat novam præfationem, imò primam illam, quippe bellam, hîc repetit, δὶς καὶ δὶς τὰ καλά. Ait ex hoc loco liquere quòd hoc opus non ſuſceperim charitatis affectu, neque juvandi ſtudio, ſed tantùm gloriæ ſiti, *quæ ſola*, ut inquit Flaccus, *animos mentémque perurit*, & carpendi libidine, quòd vel minima reprehendam in Interprete, ὃν δίκα τε κὴ παρὰ δίκαν, ut ait Pindarus. Auſim quamvis ſanctè dejerare non aliò Stunicæ præfationem hanc additam fuiſſe quàm ut bene collocaret duo dicta, quæ tum fortè recèns in Flacco ac Pindaro legerat. Alioqui quid hîc eſt dignum hujuſmodi præfatione? Cætera frigidiora ſunt quàm ut recenſere libeat.

Ex Cap. XV.

V. 24. *Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero*] Cùm in libris Græcis viderem pro *Hiſpaniam* ſcriptum conſtanter *Spaniam*, hoc admirans unde accidiſſet, hæc verba ſubjicio, *Cæterùm Græci fraudant* Hiſpaniam *primâ regionis ſyllabâ, quam illi ſolent hujuſmodi dictionibus addere, dicentes* eſpero *pro* ſpero, eſpecto *pro* ſpecto. Simile quiddam dixeram annotans in Matthæum. *Nec eſt*, inquam, Scariotes, *quemadmodum habetur in noſtris codicibus, ſed* Iſcariotes. *Nam idem faciunt Latini cognomento Judæ quod Græci faciunt* Hiſpaniæ, Σπανίαν *pronunciantes, cùm teſte Plinio terra ſit inſigni fertilitate.* Vides, lector, hîc nihil eſſe dignum ullo ſtomacho, & tamen dictu mirum quas tempeſtates excitet Stunica. Primùm inceſſit inſignem inſcitiam Græcarum literarum, qui putem *Hiſpaniam* apud Græcos omnes eſſe dictionem triſyllabam, cùm in libris Maccabæorum ac apud Suidam ſit tetraſyllaba. Imò non ſentit Stunica me hîc non agere de quibuſlibet libris Græcis, ſed conferre Paulinas epiſtolas Græcè ſcriptas cum Latinè verſis. Et cùm in Græcis ſit Σπανία, Latinus interpres vertit *Hiſpaniam*. Quòd ſi Paulus ſcripſit Σπανίαν, veriſimile eſt ſic vulgò ſolere pronunciari; ſi liber eſt depravatus, proferat Stunica vel unicum codicem in quo ſecùs habeatur. Simili modo cùm loquor de dictione *Iſcariotes*, non ago de cæteris Græcorum libris, ſed de Euangeliis Græcè ſcriptis ac Latinè verſis. Nihil igitur hîc erat unde Stunica mihi Græcorum autorum impingeret inſcitiam. Quis autem neſcit ſingulis penè regionibus eſſe quædam in pronunciando peculiaria vulgò, veluti Gallis elidere *s*, Anglis *e* ſonare *i*, Florentinis *chorpus* pro *corpus*, nonnullis *laldo* pro *laudo*; quorum tamen nihil pertineat ad eruditos: & tamen hinc clamitat Stunica me totam gentem Hiſpanorum inſcitiæ damnare, quòd quidam ſonent *eſpero* pro *ſpero*. Sed Stunicæ verba ſubſcribam, ut magis perſpicua ſit hominis impudentia: *Nam quòd obiter*, inquit, *Hiſpanos taxat imperitiæ, cùm* eſpero *pro* ſpero, eſpecto *pro* ſpecto *illos ſcribere dicat, haud mirum videre debet ſi erga Hiſpanos, viros ingenioſiſſimos, utpote à Græcis & Romanis originem ducentes, invidiâ laboret homo Batavus. Et cùm paupertatem ac ignaviam deſidiámve objicere nobis nequaquam poſſit, quippe qui uberrimam omniúmque rerum ad vitæ uſum pertinentium affluentiſſimam, ac proinde feliciſſimam, regionem incolimus, armiſque ac potentiâ univerſos propè excellimus mortales, id quod toti orbi jampridem eſt notiſſimum, literarum nobis ignorantiam ex profeſſo imputet.* Primùm vanus eſt Stunica cùm ait me taxaſſe Hiſpanos quòd ſcribant *eſpero* pro *ſpero*, ſed quòd ſonent. Atque ità ſonant, fortaſſe non omnes etiam vulgò, ſed aliqui certè, nec Hiſpani ſolùm, ſed Galli etiam Hiſpanis finitimi. An ideo damno totam Hiſpaniam imperitiæ? An omnes Hiſpani docti ſunt? Deinde cur meminit *paupertatis, deſidiæ* atque *ignaviæ?* Si regio parùm ferax eſſet Hiſpania, an quiſquam vir doctus aut probus hoc illi velit exprobrare? An ſola Hiſpania nullos habet tenues, ſed Cræſi Midæque ſunt omnes? An nullos habet ignavos? nullos deſides? Quorſum autem horum omnium mentio, niſi quòd homo captavit locum decantandi laudes Hiſpaniæ ſuæ, quas non potuit auſpicari dexteriùs, ut ipſi videtur, quàm ab alienarum laudum depravatione? Quid autem eſt *homo Batavus*, quod toties inculcat? An ſcelus eſt Batavum eſſe? Quid cogitaturi ſunt eruditi cùm hæc legent ab eo ſcripta qui S. literarum abſolutam cognitionem profitetur? Mox igitur Hiſpaniæ canit encomium, cujus laudes nunquam ſic attollet verbis quin nos opraturi ſumus illi feliciora. Atque utinam ubique ſic efflorescant bonæ literæ, ſic reflorescat ſtudium pietatis, ut nos Batavi parùm eruditi, parúmque pii videremur. Hac quidem in parte nulli regioni non favemus. Sed Hiſpaniæ peculiariter etiam favemus, vel quòd olim nobis dederit viros eruditiſſimos, vel quòd communi principe gaudemus, niſi hoc Batavis invidebit Stunica. Porrò Antonii Nebriſſenſis nomen apud omnes nos & gratioſum eſt & celebre, quòd videamus illum de ſtudiis benemeritum, ac benemereri. Quóque plures ex hujus inſtitutione velut ex equo Trojano proſilient homines eruditi, hoc vehementiùs gaudebimus. Alexandro magno felix viſus eſt Achilles, cui contigiſſet laudator Homerus. At mihi nihilominus felix futura fuiſſe videretur Hiſpania ſi Stunicam aut non habuiſſet laudum ſuarum præconem, aut non genuiſſet alienæ laudis tam malitioſum obſcuratorem. Non poterat hîc encomiaſtes ſuam laudare Hiſpaniam niſi cum aliarum provinciarum injuria: *Eò*, inquit, *eruditionis Hiſpani devenere, ut vel cum Italis ipſis, qui arcem omnium bonarum artium ſicut & virtutis poſſident, de re literaria contendere haud dubiè poſſint, nedum cum provincialibus reliquis, apud quos vix unus aut alter hodie reperitur qui bonarum literarum ſtudio teneatur.* Quid dici poterat procacius? imò quid impudentius? Tot habet Gallia ſummâ doctrinâ præditos, tot habet Germania, tot hæc regio, tot Britannia, quos vel cum priſcis illis poſſis conferre. Nuſquam non florent ac regnant bonæ literæ, & ait vix eſſe duos aut tres qui ſtudio literarum teneantur. Ut nè quid dicam de aliis; in una ſchola Lovanienſi ſunt ſupra mille, qui non ſolùm ſtudeant bonis literis, ſed in his feliciter progreſſi ſint, & in his non pauci tales ut clarum nomen apud poſteros ſint habituri. Et tamen apud hos nulla principum liberalitas invitat ad hæc ſtudia. Studiorum veterum proceres manibus ac pedibus obnituntur. Quo ſanè nomine felicior eſt Academia Complutenſis, quæ nihilo eſſet infortunatior ſi Stunicam hominem tam maledicum non haberet. Atque interim objicit mihi quòd quodam in loco per occaſionem laudem aliquot eruditione celebres, quos per contemptum appellat *Elvetios neſcio quos*. Sed hoc nomine vinco Stunicæ candorem, qui non modò Batavos meos aliquot, ſed Germanos, ſed Elvetios, ſed Gallos, ſed Britannos laudibus veham, quocunque orbe nati ſunt, modò promereantur. Quin & Hiſpanos prædicavi ſcriptis meis, prædicaturus & Juvernos, ſi quis illinc exſtiterit laude dignus. Sed encomio decantato ſic perorat Stunica, Quæ cùm ità ſint, non eſt cur Hiſpanis tanquam indoctis ac planè barbaris Eraſmus inſultet. Hanc linguæ petulantiam tam effrænem non dubito quin omnes exſecrentur Hiſpani, ſi modò tales ſunt quales eos videri vult Stunica. Ego certè plurimos eſſe credo.

IN EPISTOLAM PRIMAM AD CORINTHIOS.

Ex Cap. I.

V.11. *A bis qui sunt Chloes*] Verto *à familiaribus Chloes*, juxta sententiam eorum qui putabant Chloen matronam esse nobilem, è cujus familiaribus Paulus cognoverit quod refert. Hîc quod ego citaram è Theophylacto Græco, nomine Vulgarii, Stunica docet ex eodem, nomine Athanasii, *Sciendum*, inquit, quasi novum aliquid adferat. Cætera quæ divinat nihil ad me pertinent.

Ex Cap. IV.

V.3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis*, &c.] Hîc Stunica putabat esse locum novæ præfationi. Nam post elenchum hunc, *Locus ab Erasmo minimè intellectus*, sic præloquitur, *Mirum est quàm præpostero sit ingenio Erasmus iste Roterodamus. Nihil enim eorum quæ apud D. Hieronymum & alios Ecclesiæ doctores legit, prorsus intelligit, velut ex hoc loco manifestè apparet.* Quàm verò præfatio tam atrox rei non congruat paucis expediam. In Annot. editionis primæ scripseram hunc in modum, *Hunc locum alicubi citat Hieronymus, ut ostendat Paulum non admodum elegantem fuisse in lingua Græca, sed quadam Cilicum more dixisse, nam Cilix erat.* Hieronymi verba subscribam ex epistolæ ad Algasiam quæst.10. *Illud*, inquit, *quod crebrò diximus*, etsi imperitus sermone, non tamen scientiâ, *nequaquam Paulum de humilitate, sed de conscientia veritate dixisse, etiam nunc approbamus. Profundos enim & reconditos sensus lingua non explicat. Et cùm ipse sentiat quid loquatur, in alienas aures puro non potest transferre sermone, quem cùm in vernacula lingua habuit disertissimum, quippe* Hebræus ex Hebræis, *&* eruditus ad pedes Gamalielis, *viri in lege doctissimi, seipsum interpretari cupiens involvitur.* Nónne palàm hîc fatetur Hieronymus Paulum minùs calluisse Græcam linguam quàm Hebraicam? quòd alteram didicisset à majoribus, & à doctissimo præceptore, alteram è commercio Cilicum? Nónne comprobat hîc, quod aliàs non semel ostendit, Paulum imperitè loqui, ob inscitiam sermonis Græci? Porrò qui puro sermone non potest eloqui quod sentit, nónne utcunq; eloquitur sermone parùm eleganti parúmque puro? Ac mox Hieronymus ostendit illum ex idiomate Cilicum multa dixisse, quod genus sunt, κατὰ ἀνθρωπίνους λόγους, pro humano judicio, & ἀνθρώπινον λέγω, cùm quid dicit humilius parúmque perfectum, & ὑ κατενδεχετα ὑμᾶς, cùm quis alteri gravis imminet, & καταβραβεύειν, ubi quis in certamine præripit alteri præmium injustè. Hæc Hieronymus ità vult esse dicta Paulo, ut Virgilio dictum est *sceleratum frigus*. Neque verò me fugit hæc variè vafréque scribi ab Hieronymo: nec excutio quantum apud me valeant hæc quæ scribit, tantùm indico me non temere indicasse locum. Si Paulus non potest explicare purè quod sentit, aut ipsius imperitia fuit in causa, aut ipse sermo parùm expolitus, aut res ipsa. Sed rem explicat in Hebræa lingua, in qua fuit disertissimus: superest, ut aut Cilicum lingua minùs fuerit elegans, aut eam minùs calluerit Paulus. Et utrumque fuisse verum subindicat Hieronymus, cùm & fatetur Paulum imperitum fuisse sermonis Græci; non quòd more vulgari non potuerit loqui, sed quòd animo declarando defuerit sermo purus & elegans, & ostendat quædam esse peculiaria ejus gentis in qua natus est, quibus abusus sit ad explicandum utcunque quod senserat. Neq; verò contrà me facit si Tarsus prodidit aliquot eruditos viros, Aratum & Oppianum, quasi verò non & Scythia nobis dederit Anacharsidem. Non refert ubi natus sis, & unde didiceris. Neque qui scribunt, utuntur omnibus quæ vulgaris habet sermo. Nam & ætate Ciceronis vulgò quædam ferebantur à quibus ipse abstinet. At Pauli sermonem fuisse vulgarem nemo puto negaverit: disertiùs autem dicturus erat, opinor, si Athenis cum Demosthene, Platone & Isocrate versatus fuisset, & puriùs quæ senserat eloqui potuisset. Cúmque Stunica totam hanc annotationem multis convitiis condierit, addit hujusmodi clausulam, *Hæc est Hieronymi intentio illo in loco, quem Erasmus stupidè simul ac imperitè in Annot. retulit.* Quid optem isti blateroni nisi paulò plus cordis, linguæ multò minus, aliquantò plus verecundiæ, multò minus arrogantiæ?

Ex Cap. VI.

V.20. *Empti estis pretio magno.*] Annotaram *magno* hîc non haberi apud Græcos, & videri in nostris additum ex epistola Petri. Stunica negat additum in nostris, & vult addi in Græcis. Et adducit Athanasium suum, atque Ambrosium, qui interpretantes meminerint *magni pretii*. Sed illud mihi dicat, an ideo scriptum fuit *magno pretio*, si interpretes, id quod erat, magnum interpretentur? Certè Ambrosius citat hunc locum aliquoties, non addens *magno*, ut lib.2. De Cain & Abel cap.3. Rursum epistolarum lib.2. cap.2. ac mox 3.

Ex Cap. VII.

V.1. *Bonum est homini mulierem non tangere.*] Cùm esset quæstio de ducenda uxore, ac Paulus respondeat, optandum quidem ut liberi absque uxoribus vivant Christiani, tamen ob periculum inhonestæ libidinis præstare ut qui non temperant, suam habeant uxorem, malui *uxorem* vertere quàm *mulierem*. Nam Græcis γυνὴ vox est anceps. Hîc multa congerit Stunica ex Athanasio suo, ex Ambrosio, ex Hieronymo, quæ si quis attentiùs excutiat, omnia pro me faciunt adversùs Stunicam: lege & sic esse comperies, nè nos hoc laboris hîc frustrà sumamus, alioquin occupatissimi. Sed bellam addit coronidem, *Si Paulus*, inquit, *sensisset de uxore, dixisset fortasse κλῆν ἀνδρὸς τῆ γάμου μὴ ἅπτεσθαι*· sic enim Stunica docet & Paulum loqui Græcè, quasi Paulus cùm peculiaria tradat uxoribus, alio nomine vocet eas quàm γυναῖκα. Neque quenquam fallat, quòd apud Ambrosium aliquando *mulier* dicitur uxor.

V.18. *Circumcisus aliquis*, &c. *Non adducet præputium.*] Nos certè verecundiùs vertimus, *nè ascíscat præputium*. Stunica in hoc rerum genere me peritior docet nos è suo Pseudathanasio Paulum sentire de pellicula, quæ si vel naturâ vel amputatione desit, ac nuda sit glans, arte medicorum adducatur. Simúlque indicat Celsum ejus mali remedium ostendere. Ut demus esse verum quod ait Stunica, qui alicunde sibi conciliat quod non habebat, nónne Latinis *ascíscit* sibi? Quanquam mihi probabilius est Paulum de animo loqui, non de corporis habitu; Si circumcisus es, nè te pœniteat; si non es, nè tibi displiceas.

Ex Cap. IX.

V.12. *Si alii potestatis vestræ*] Hîc annotaram quod Græcis est ἐξουσίας, Latinis *potestatis*, sic intelligendum, ut non accipiamus quamlibet potestatem, sed facultatem metendi & circumducendi uxores, quam illi cæteris Apostolis permittebant. Hîc duplici nomine me taxat Stunica, & quòd cum Laurentio sentiam, qui putavit Paulum hîc agere de uxoribus Apostolorum; deinde quòd ad Apostolos referam quæ dicta sunt in pseudapostolos. Quid senserit Paulus, incertum. Nec me fugit quàm abhorreant interpretes ab uxoribus, maximè Latini. Sed me non omnino subscribere sententiæ Laurentianæ satis est argumenti quòd paulò antè refello illius rationem quâ colligit hîc Paulum loqui de uxoribus. Sic enim ingredior recensere Laurentianum commentum, *Laurentius cavillatur hoc loco*, Cùm dixisset *sororem*, quid

opus erat addere *mulierem?* quasi soror esse possit quæ mulier non est. Mox ego; *Imò* sororem *addidit*, *ut intelligas Christianam.* At cur, inquiet, paulò pòst meministi uxorum? Quia non hoc agebam, & puto non esse absurdum si quis de uxoribus intelligat. Et tamen in secunda editione addidi *uxores*, sive *mulieres*, veluti olfaciens exoriturum Stunicam Momum. Quid autem piaculi futurum erat si fuissem in hac opinione, Apostolis fuisse uxores, cùm in ea sententia fuerit Clemens, qui Petro & Philippo tribuit uxores, & hunc ipsum locum adducit, ex quo docent Paulo fuisse uxorem? Vanum me clamitet Stunica nisi hoc compererit in Eccl. hist. quam Eusebius texuit lib. 3. Porrò utrùm hæc dixerit de pseudapostolis an veris Apostolis in præsentia non disputo. Certè paulò antè Cepham & fratres Domini expressit. Sed utcunque est, etiam pseudapostoli vocari possunt *apostoli*, ut per me nemo cogatur de veris Apostolis interpretari qui nolit. Et hic est ille locus quem in elencho notat ut *perperàm expositum.*

Ex Cap. X.

V. 4. *Bibebant autem de spiritali*, &c.] Hîc annotaram Græcæ vocis elegantiam, ἀκολουθούσης, quæ significat itineris velut assiduum comitem. Nam sequi potest & quod procul abest. Hîc Stunica multa congerens, docet petram illam quæ fuit in deserto Sin non ambulasse cum Judæis per desertum, seu aquam euntibus suppeditasse. Multáque refert ex historia V. Testamenti, multa ex Athanasio suo, quæ nihil adversùm me faciunt. Siquidem Paulus de Christo loquitur, quem illa petra significat. Is nusquam deerat suis. Sed habet hoc Stunica peculiare, quoties aliquid ex lectione nactus est quod cupiat referre, captat occasionem ubi illud infulciat. Verùm poterat sua docere ac, si libet, etiam ostentare, citra cujusquam injuriam. Hîc certè nihil illi erat rei mecum, qui nec ab illo dissentio, neque quicquam dico quod ille possit reprehendere.

Ex Cap. XII.

V. 28. *Interpretationes sermonum*] Indicaram hanc particulam non inveniri in Græcis codicibus, cùm habeatur in Latinis. Unde suspicor in nostris adjectum, præsertim cùm nè apud interpretes quidem Græcos hujus particulæ fiat mentio. Atque adeò in superiori loco, ubi nos legimus, *alii interpretatio sermonum*, Græci legunt *interpretatio linguarum.* Distinguit tamen genera linguarum ab interpretatione linguarum: ac paulò pòst repetens distinguit itidem, *Numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Ex his Stunica colligit in vetustis Græcorum codicibus asscriptum fuisse quod in horum temporum libris deest. Atqui cùm Stunica codices habeat παρεκλωσίας, præcipuè Rhodiensem illum, cui tantum tribuit, proferat ex illis si potest, & adjiciemus quod deest. Fieri potest ut eruditus apud Latinos, videns non consentire partes in medio cum iis quæ præcesserant ac sequuntur, adjecerit quod suspicabatur deesse. Atqui cùm hujusmodi scrupuli frequenter incidant in S. libris, potiùs quærendum erat quo consilio Paulus hîc non addidisset. Verùm ego meo sum officio functus; indicavi quod apud Græcos minus est, & adjeci meam suspicionem citra cujusquam injuriam. Addendi de meo quæ Græcis desunt provinciam non susceperam. In codicibus aliquot vetustissimis, quos mihi nuper præbuit Brugis collegium D. Donatiani, non asscribebatur hæc particula, quam indico apud Græcos non haberi.

Ex Cap. XIV.

V. 21. *In Lege enim scriptum est*, &c.] Quod est apud Esaiam cap. 28. citatum erat ex cap. 22. quod haud dubium est accidisse castigatorum & operarum incuriá. Atque hujusmodi lapsus nobis citra collationes antitypi recognoscentibus haud facilè deprehenduntur. Id esse verum videbit & Stunica, cùm in editione secunda reposuerim verum numerum. Et hîc velut atrox facinus sit admissum, elenchus habet, *Erasmi hallucinatio manifesta*, & in dissertione, *deliravit Erasmus.* Malim ego centies labi memoriâ in numero capitis (quanquam hîc qui potui, cùm de codice scripserim quod tum scribebam?) quàm semel sic labi linguâ ut nusquam non labitur Stunica, quamlibèt levi de re maledicus in proximum suum. Cæterùm quod addit Paulus, *dicit Dominus*, cùm non sit apud Esaiam, indico additum ut impleretur forma prophetiæ, nimirum sentiens hoc esse solenne in vaticiniis ad confirmationem hanc addi clausulam, *dicit Dominus.* Id Stunica non intelligens flagellat imperitiam & incuriam meam, ostendens & hanc particulam, *& nec sic exaudient me*, paulò pòst sequi in eodem capite: cur igitur, inquit, addidisti hanc particulam? ut sciretur cui illa adhæreret, *dicit Dominus.* Nec affirmo locum hunc aliunde sumptum, sed addubitans dico, *nisi fortè*, & addo argumentum, quòd ipse Hieronymus non affirmat, sed ait sibi videri sumptum ex hoc Esaiæ loco.

Ex Cap. XVI.

V. 8. *Permanebo autem Ephesi*] Quoniam in codicibus meis repereram ἐπιμένω, verti *commoror.* In secunda editione nactus alios codices verto *commorabor.* Ac nè tantulum quidem refert ad sensum, utrum legas. Atque hîc, cùm uno in loco multos errores commiserim, hic unus est è multis. Alter est, quòd *Pentecosten* suspicor hîc accipiendum non pro festo die Judæorum, cùm jam Paulus contemneret illorum festos dies, sed diem quinquagesimum. Atque in hanc sententiam differit Theophylactus, qui Stunicæ est Athanasius. Nam mihi frigidum videtur quòd Beda in Actis putat diem Paschæ & Pentecostes etiam Apostolorum temporibus fuisse celebratum: celebrabant quidem, sed quotidie. Stunica multis modis colligit Paulum sensisse de die festo; nec mihi displicet hoc in loco hominis diligentia. Nec ego sic contendo Paulum non sensisse de die festo ut rejiciam diversam opinionem. Est enim hoc, opinor, ex eorum numero in quibus liberum est cuique in suo sensu abundare.

IN EPISTOLAM SECUNDAM AD CORINTHIOS.

Ex Cap. I.

V. 6. *Sive consolamur pro vestra*] In contextu primæ editionis à librariis erant admissa duo errata: pro ὑπὲρ παρακαλούμεθα habebatur *sive consolationem accipitis*, pro *accipiamus*, & pro ὑμῶν *vestrî* habebatur *nostrî.* Id si curâ factum fuisset, admonuissem in Annotationibus. Nunc cùm nullum verbum faciam, & in secunda editione castigarim, res ipsa clamat casu factum. Dicet, Hoc erat tuum præstare, nè quid admitteretur in opere Sacro. Bellè monet Stunica, atque utinam liceret: Verùm hoc nunquam impetrabimus ab operis, etiamsi rumpamur. Cætera quæ differit Stunica, nihil ad me pertinent.

V. 23. *Non quia dominamur fidei vestræ*] Quoniam Græcis est κυριεύομεν ὑμῶν τῆς πίστεως, non autem κυριεύομεν τῆς ὑμῶν πίστεως, admoneo lectorem, dispiceat num hic possit esse sensus, *dominamur vobis nomine fidei:* quasi Paulus non habiturus esset in eos imperium nisi credidissent. Quòd si hic sensus redditur Græco sermone, si pulcre quadrat, quid erat flagitii hujus admonere? At *hic*, inquit Stunica, *loquendi modus rarò aut nunquam invenitur apud Apostolos.* Hoc mihi, etsi nunquam reperiretur, satis est ad conjecturam apud Græcos etiam frequentem esse. Negat me commoveri debuisse scrupulo articuli

præpositi,

præpositi, cùm reperiantur & aliàs articuli simili modo transpositi. Doceat ubi id fiat, & abjiciemus scrupulum. Cæterùm ex Theophylacto Latinè verso vix deprehendas quid senserit. Mihi Græcè lectus magis videbatur pro me facere.

Ex Cap. II.

V. 3. *Ut non cùm venero tristitiam*, &c.] Indicaram in Græcis exemplaribus hanc particulam *super tristitiam* non addi, sed ex alio Pauli loco huc adjectam à studioso quopiam, nimirum ex Phil. cap. 2. Præsertim cùm nec apud Ambrosium addatur nec apud Theophylactum. Stunica testatur additum fuisse in codice quodam Rhodiensi. At ego illi Rhodiensi oppono tot vetusta exemplaria, quæ nos vidimus partim in Anglia, partim in Brabantia, partim Basileæ, quorum nonnulla Cardinalis quidam Româ secum adduxerat, cùm illic esset Synodus, & in itinere moriens legavit totam Bibliothecam, quæ Græca erat, monasterio Carthusiensium: ac deprehendi quosdam Græcos codices ad nostros esse castigatos, quo de numero suspicor esse Rhodiensem illum. Quod si verum est, codex ille nihil aliud est quàm amussis alba in albo lapide. Ego magis fiderem exemplari Græco quod non usquequaque consentiret cum nostris.

Ex Cap. IV.

V. 8. *Aporiamur, sed non destituimur*] Quæso te, lector, ut ex hoc loco perpendas quantum frontis habeat Stunica. Quoniam *aporiamur* vox est Latinis inaudita, verteram *laboramus*. In Annot. diligenter explico naturam Græcæ vocis, quæ significat *hærentem, perplexum, & inopem consilii*. Addo vocem eandem aliquando sonare *egenum*, non consilii, sed *rerum necessariarum*, & ob id hoc loco Ambrosium vertisse *egentes*. Hæc eadem cùm aliquantò deteriùs doceat Stunica in sua annotatione, nullam facit mentionem annotationis meæ; quò novum esse videatur quod ipse adfert è suo Athanasio & Hesychio. Et in Elencho adscripsit, *Erasmum non intellexisse significatum hujus verbi* APORIARE. Atque hac quidem in re vehementer à Stunica dissentio. Siquidem illi verum *aporiare* duo significat, *dubitare & egere*, mihi neutrum; imò nihil omnino significat. Jam scio Stunica negabit hos elenchos esse suos, & hoc prætextu fretus illic est virulentior, quòd hîc si quid inesset quod defendi non posset, liceret inficiari. Fortasse dicet, Tu non vertis quod interpretaris: vertis enim *laboramus*. Quasi Latinis non dicantur *laborare* qui anxii sunt & ancipitis consilii, præsertim in re periculosa.

Ex Cap. VI.

V. 16. *Et inambulabo inter eos*] Sic annoto, INTER EOS *non est in Græcis, sed tamen conatus est exprimere verbum* ἐμπεριπατήσω, *quod significat* in aliquo ambulare. Hîc Stunica, cùm nihil habeat quod reprehendat, confert quid habeant Hebræi, quid verterint Lxx, quid Hieronymus: hoc quid ad me pertinet? Et tamen in indice asscripsit, *Rectè Interpretem hoc loco tradixisse*, ut lector parùm attentus suspicetur me reprehendisse Interpretem, cùm nihil tale sit.

Ex Cap. X.

V. 7. *Quæ secundùm faciem sunt videte*] Cùm βλέπετε Græca vox possit esse vel indicativi modi, vel imperativi, doceo pronunciationem item esse variam: quosdam malle interrogationem, quòd ea sit acrior ad objurgandum, atque ità legendum *videtis*. Hoc quod dixeram, hauseram è Græcis scholiis, quæ hujus pronunciationis autorem citant, Theodoretum. Cæterùm ex his quæ citat Stunica ex Athanasio suo Latinè verso, nihil omnino certi colligitur. Imò magis videtur cum Theodoreto sentire. Eat nunc Stunica, & in elencho suo impudenti scribat, *Evidens Erasmi hallucinatio*.

Ex Cap. XI.

V. 1. *Sed & supportate me*] Ἀνέχεσθε Græcis vel *sufferte* sonat, vel *suffertis*. Mihi magis placet indicandi modus, & in Annot. indico sic legere Græcanica scholia, quæ si volet legere Stunica, petat à monasterio Prædicatorum Basileensium. Liber est elegans ac vetustus, à Cardinali, de quo dictum est, illic relictus. Stunica negat; & docet alterum quoque sensum posse consistere. Ut hoc evincat, non præstat tamen quod promiserat in indice, *perperàm ab Erasmo translata*: jam ut perperàm doceat me vertisse, nihil adfert nisi merum somnium suum. Nam quod adducit ex Theophylacto Latinè verso, amussis est alba in albo lapide. Imò Theophylactus, si quis attendat, legit ἀνέχεσθε indicandi modo; subjicit enim, *Confido enim in posterum vos me benevolentiâ prosecuturos*. Sic enim dicimus aliquem facere quod illum confidimus facturum. Obsecro te, lector, quis est tam patienti stomacho ut ferat hujus hominis impudentiam, qui sibi videtur stipitibus scribere non hominibus?

V. 2. *Despondi enim vos uni viro*] Ἡρμοσάμην ego verteram *adjunxi* pro *despondi*, nimirum hoc secutus, quòd qui despondet, non idem jungit; & Græcis desponsere est μνηστεύειν peculiare verbum ei rei. Hîc Stunica docet apud Græcos ἁρμοσάμην frequenter usurpari pro *despondi*, nec ullum adducit exemplum; & si adduceret, nihil adversùm me faceret, cùm quisquis jungit, desponsam jungit. Ridiculum verò quòd adducit Athanasium suum Latinè versum, qui haud dubiè legit ἁρμοσάμην, & Interpres Latinus secutus Vulg. edit. reddit *despondi*. O hominem dialecticum! Cæterùm quòd subjicit Theophylactus, Athanasius, *Non enim sponsus ipse futurus sum, sed sponsa ductor*. Ac mox, *Quin illos in sponsa modum, se verò pronubæ loco constituit, nubentem compositurum*; ex his quamlibèt malè versis, tamen perspicuum est Theophylactum facere contra Stunicam: neque enim desponsat νυμφοστόλος, sed à parentibus desponsam deducit ac jungit sponso. Nec despondet pronuba, sed in manum dat sponso. Et hic est ille qui mihi impingit, quòd nihil prorsus intelligam in Sacris autoribus. Me quidem leviter ista movent convitia, sed vereor nè hæ tam fœdæ & scurriles rixæ multorum animos alienent à sacris studiis.

V. 32. *Damasci præpositus*] In Annot. indicaram quòd Aretas fuisset socer Herodis. Stunica carpit, quòd non addiderim qui fuerit is Herodes, cùm ejus nominis fuerint complures. Si hoc est peccare, nusquam non pecco. Nullus est enim locus in quo non aliquid possit addi.

IN EPISTOLAM AD GALATAS.

Ex Cap. I.

V. 16. *Continuò non acquievi carni*, &c.] Indicaram ex Hieronymo quòd hæc Stephani narratio multis modis dissentire videtur cum ea quæ est in Actis Apost. cap. 9. Addo non esse ejus operis id prolixiùs persequi, quò lector si quid desideret ab Hieronymo petat. Hîc Stunica, *Non hæc*, inquit, *Pauli narratio multis modis dissentire videtur ab ea quæ est apud Lucam in Actis Apost. cap. 9. ut Erasmus retulit, sed hæc illam videtur exponere, &, ut ità dixerim, ampliare, tametsi primâ fronte videtur ab ea esse diversa*. Quid ego audio? an quod videtur, non videtur? Nónne quod primâ fronte videtur, videtur? Si non videtur, mentitus est Hieronymus. Porrò cùm ego dicerem *dissentit*, de specie sentiebam, non de re. Cætera quæ hîc disserit Stunica, nihil ad me pertinent.

Ex

Ex Cap. III.

V. 1. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit?*] Quoniam eadem verba in plerisque Latinis habebantur in hujus epistolæ cap. 5. obiter admiscueram hæc in Annot. *Hieronymus lib. 2 Adv. Jovinianum vertit* impedivit, suspicans illic esse idem Græcum verbum ἐγκόπτειν, cùm sit ἀνέκοψεν. Habes, lector, summam mei criminis. Hîc objici potest, quòd in tumultu non satis attentè perpenderim Græca. At Stunica in elencho objicit quòd non intellexerim Hieronymum. Porrò duplicem fuisse lectionem apud Latinos in quinto capite docet etiam ipsa Glossa Ordinaria, atque exemplar mirè vetustum ex Bibliotheca collegii S. Donatiani Brugis.

V. 8. *Prævidens autem Deus*] Scripseram apud Homerum à Penelope promitti præmium, h. e. euangelium, Ulyssi. Stunica dicit Ulyssem ab Eumæo petisse præmium læti nuncii. Donemus me lapsum memoriâ, nondum enim inspexi locum, quanquam potest & hoc esse verum quod dico, quid aliud mihi accidit in Homero nisi quod Ciceroni accidisse docet Aulus Gellius? Et tamen audi Stunicæ maledicam linquam, *Ut Erasmus*, inquit, *butyro & patriâ cervisiâ obrutus somniavit.*

Ex Cap. IV.

V. 20. *Quoniam confundor in vobis*] Annotaram Hieronymo non videri quicquam interesse inter αἰσχύνω & σύγχυσιν, quòd hoc loco duas voces recensens rem eandem declarantes, ponit αἰσχύνω & σύγχυσιν. Stunica docet in editione Veneta, quæ præcesserat Basileensem, eum locum in quo nunc est σύγχυσιν fuisse vacuum: & suspicatur in spatio vacuo potiùs reponendum fuisse ὀνείδιζω quàm σύγχυσιν. Ut hoc largiamur esse probabile quod ait Stunica, quâ fronte mihi imputet quod est in opere alieno? Atque omnino sic rem tractat Stunica quasi Amorbachii non habuerint aliud exemplar quàm datum ex editione Veneta, cùm usi sint vetustissimis voluminibus è monasterio quodam petitis, quibus hoc plus habebant fidei, quòd qui scripserat nihil intelligebat. Nam nulli magis aut periculosiùs depravant libros quàm semidocti, aut docti etiam parùm attenti.

Ex Cap. VI.

V. 4. *Alter alterius onera portate*] Hîc Stunica meus in elencho ponit, *Perperàm hunc locum ex Græco Erasmum traduxisse*, cùm in translatione nihil mutaverim, nisi quòd pro *alter alterius* posuerim *invicem onera vestra.* Quod quidem Stunica non reprehendit, tantùm improbatq uòd in Annot. admonuerim, *ἀναπληρώσατε magis sonat* reimplete *quàm* implete: non quòd voluerim hîc præpositionem sonare iterationem, sed respectum ad aliud. Quod enim reconcinnatur, non bis concinnatur, sed ab eo quod erat lacerum aut luxatum restituitur; & quod redditur, non bis datur, sed datur ei à quo fuit ablatum; & quod recipitur, non bis capitur, sed ab alio capitur. Id clarissimis verbis declararam in prima editione scribens hunc in modum, *Quasi dicat, quod alterius delicto diminutum fuit in Legis observatione, id aliorum farciat charitas.* Atque hîc quoque sui similis est Stunica. Nam quod dixi, *in Legis observatione*, interpretatur me sensisse de lege Euangelica, cùm Hieronymus, quem (ut ille ait) tumultuariè legens non intellexi, sentiat de lege Mosaica. Sed unde hoc divinat Stunica? Quod si maximè sensissem, quid erat piaculi, cùm Hieronymus in eo loco quem jactat à me non intellectum, recenseat duplicem sententiam? Prior est, ut si quis Christianus sit nondum perfectus, is qui firmior est illi sese accommodet ex affectu charitatis, quò proficiat: Altera est, Qui nondum adeò firmus est ut possit contemnere legem Mosaicam, hujus imbecillitati succurrat Christiana charitas, tolerans infirmum donec proficiat. Ubi nunc est quod jactat Stunica, vel gratis maledicus? Cætera quæ citat è suo Athanasio malè Latinè verso, quoniam nec arguunt quicquam, nec adversùm me faciunt, sino illius volumini accrescere. Dixi quid *re* sonet etiam Latinis. Quòd si ἀνὰ Latinis nunquam vertitur in *re*, sit Stunica aureus, ego ligneus. Cùm ἀναφορὰ dicatur *relatio*, & ἀνακεφαλαίωσις *recapitulatio*, & ἀνάλυσις *resolutio.*

IN EPIST. AD EPHESIOS.

Ex Cap. I.

V. 4. *Ut essemus sancti & immaculati*] Pro *immaculati*, quod Græcè est ἄμωμοι, verti *irreprehensibiles.* Neq; damno tamen quod vertit Interpres. Si μῶμος tantùm Græcè sonat *maculâ*, rogo cur Deum illum reprehensorem appellant *Momum?* Aut quid venit in mentem Græco artifici, qui suis operibus hunc inscripsit Senarium,

Μωμήσεταί τις θᾶσσον, ἢ μιμήσεται.

Non nego *maculam* usurpari posse pro reprehensione, aut vitio, quod possit carpi. Sed an ideo non verum est quod annotavi? Siquidem & vitæ animique vitium macula est, si metaphoram admittas. Sed Stunica congerit loca quædam è S. literis in quibus ἄμωμοι vertantur *immaculati.* Quis hoc aut negat, aut nescit? Porrò quòd huc etiam Hebraica confert in ordinem testium, liberalitatis est profectò.

V. 21. *Et virtutem & dominationem*] Pro *dominatione*, quod Græcis est κυριότης, verti *dominium*; nimirum id secutus, quòd *dominium* magìs exprimat Græcam vocem, quæ sonat jus possidentis; nam *dominatio* potest esse tyranni. Stunica putat utriusque vocis parem esse vim; & indignatur priorem mutatam, quòd jam esset recepta pro Ordine euangelico. Atqui ego non puto angelicos ordines esse tam morosos ut, cùm apud ethnicos Bacchus tot nominibus compelletur, indignè ferant pro *dominatione* dici *dominium.*

Ex Cap. II.

V. 14. *Et medium parietem maceriæ*] Quod Græcè est μεσότοιχον τοῦ φραγμοῦ verteram *interstitium maceriæ*; hoc offensus, quòd cùm maceria sit paries, durè dici videatur *medium parietem parietis.* Sentit enim Paulus maceriam dirimentem duo ædificia. Hîc Stunicæ meo multis modis hallucinor, ac parùm abest quin homo ridiculus risu diffluat. μεσότοιχον, inquit, *propriè sonat MEDIUM PARIETEM*, imò propriè sonat μεσοτοιχίαν, h. e. *interjectum parietis*, seu *maceriæ dirimentis.* Deinde reprehendit quòd pro ἔχθραν *inimicitiam*, verterim *simultatem*, nimirum hoc secutus, quòd *simultas* sonat utriusque malè affectum animum, h. e. odium mutuum. Nam inimicitia potest esse ubi non sit mutuum odium. Quid hîc igitur offendit Stunicam? *Apud Theologos*, inquit, *de quorum numero se esse jactat*, simultas *in alium sensum accipi solet.* Ubi jacto me esse de numero Theologorum? Sed Stunica declarat se non esse de numero bonorum Theologorum. Quanquam ego paulo suspicari scurram aliquem hujusmodi nænias admiscuisse Stunicæ illius admirandi viri scriptis, qui in præfatione tot egregiis & heroicis dotibus instructus accessit ad hanc provinciam. Etiamsi nondum intelligo quid aliud sonet Theologis *simultas* quàm nobis sonet. Sed ut hæc joco dicta sint, in illo planè sum hallucinatus quòd duobus verbis annotarim Græcos ità distinguere ut τὴν ἔχθραν pertineat ad verbum sequens, *evacuans*, quod nos vertimus *abrogans.* Atqui hîc objicit suum Athanasium ψευδώνυμον, *quem ipse*, inquit, *Græcum doctorem non negabit.* Equidem agnosco Theophylactum, neque nego Græcum doctorem, sed nego à Stunica Græcè lectum, quin potiùs malè versum Latinè. Proinde ex hoc non multum conficit Stunica. Qui si maximè sensisset quod

interpretatur Stunica, cùm utrumque possit accipi, quid erat piaculi si admonui quid Græcorum interpretarentur scholia? Sed audi fœcundam sycophantiam. Supereſt adhuc unum flagitium. Addideram in Annot. *Quadam editio, quam citat Hieronymus, habet* in dogmatibus. Hunc *ejusdem monetæ* vocat *errorem*: *Quippe*, inquit, *nullam Hieronymus citat editionem, sed antiqua illa editio Apostolicarum epistolarum quam ipse commentatur habet* in dogmatibus. Quid ego audio? An non citat quod adducit ex illa editione? an illa non potest dici *quadam* quæ à nostra dissidet? Sed utrùm vult illam veterem esse castigatam ab Hieronymo, an hanc quam nos habemus? Illam non potest dicere, cùm in ea multa reprehendat, etiam ad sententiam pertinentia. Nec hanc potest, cùm insint eadem quæ illic reprehendit. Consequitur igitur neutram ab Hieronymo fuisse recognitam. Proinde cùm sit una è multis, quid vetat eam dici *quandam*?

V. 19. *Sed estis cives*] Cùm Græcis sit συμπολῖται, verti *concives*. Hîc Stunica penè vertitur in saxum præ stupore, quòd aliàs curiosus elegantiarum, hîc posuerim vocem prorsus abhorrentem à lingua Latina. Atqui aliàs ridet me, qui hujusmodi observatiunculas postulem ab Interprete. Nihil hîc respondeo Stunicæ, cùm multa possim. Res est illi cum Valla, non mecum: sed tamen in calce hujus præclaræ annotatiunculæ fit subitò civilior: *Denique*, inquit, *quantum memoriâ assequor, nunquam apud Ciceronem* concivem *memini me legere.* Sed cur antè pronunciavit *vocem* esse *prorsus abhorrentem à lingua Latina*?

Ex Cap. III.

V. 15. *Ex quo omnis paternitas*] Quoniam Latinis *paternitas* nihil significat; & si quid significat, non sonat hoc quod sentit Paulus; verti *parentelam*, quam vocem Hieronymus testatur ætate suâ fuisse receptam pro cognatione profecta ab eodem generis autore. Hanc malui quàm *paternitas*, in qua duplex erat incommodum, & barbaries intolerabilior. Nam in hac certè convenit analogia. Quemadmodum à *cliens* dicitur *clientela*, sic à *parens parentela*. Quòd si vertissem *familiam*, perierat συγγενεια, imò vigor sensûs Paulini.

V. 19. *Scire supereminentem scientiæ charitatem*] Indicaram sermonem apud Latinos esse ancipitem, quòd incertum sit an *scientia* sit dandi casus, an gignendi. Si dandi casus sit, sensus erit, charitatem Dei majorem esse quàm ut humanâ scientiâ comprehendi possit. Sin gignendi casus, sensus est, eximiam esse dilectionem cognitionis Christi. Quod dixi verum est, & priorem sensum amplectitur Ambrosius; si quis dubitat, relegat ipsius Commentarios. Quanquam ille in contextu sequitur diversam lectionem, & à Græcis & à nostra diversam. Sic enim legit, *Cognoscere quoque supereminentem scientiam charitatis Christi.* Quid igitur hîc clamat Stunica? *Vertis*, inquit, *præeminentem cognitioni*; & præfers tuam sententiam Hieronymianæ. Sed quæ mea est, eadem est Ambrosii. Nec tamen est quicquam in Hieronymi commentariis quod pugnet cum hac mea sententia. Imò propemodum idem dicit quod ego, cùm in fine docet aliquid addendum esse scientiæ, nimirum charitatem. Quid autem novi sit si apud Græcos ὑπερβάλλω sibi patiatur jungi genitivum, quemadmodum patitur ὑπερπερισσεύω & ὑπερλογοδμαι; Neque huc lubet, etiamsi possum, confugere, ut dicam Paulum abusum casu nominis ob Græci sermonis vel neglectum, vel insciti am. Theophylacti Græcus codex cùm hæc scriberem non erat ad manum, verùm aut interpres parùm bonâ fide reddidit Græca, aut aliud legit autor quàm nos legimus, aut putavit paternum casum rectè cohærere cum participio ὑπερβάλλουσαν. Certè durus est sensus quem reddit sermo Latinus, & video in hoc explicando involvi & hærere interpretes. Et tamen in tertia editione pro *cognitioni* reposuimus *cognitionis*. Vides, lector, me nec esse tam ignarum Græci sermonis quàm existimat Stunica, nec tam singulari præditum impudentiâ quàm ille facit.

Ex Cap. IV.

V. 27. *Nolite locum dare diabolo*] Admoneo lectorem consideret an hîc pro *diabolo* verti possit *calumniator*, cùm Græcè sit διάβολος. Sed interpretes exponunt de Satana. Istud me non præteribat; verùm alter sensus cur reſiciatur, cùm nihil habeat absurdi? An quia Satan appellatur Græcè *calumniator*, non licebit hominem vocare *calumniatorem*? An quia Hebræi dæmonem hostem salutis humanæ vocant *Satan*, idcirco non licebat illis hominem vocare *Satan*, cùm Christus Petrum appellet *Satanam*? Sed finge nullo pacto posse accommodari ad hominem calumniatorem, an non licet diabolum Latinè vocare *calumniatorem*? Plerique nunc dæmonem *diabolum* appellant, neque sciunt quid dicant: certè *calumniatorem* intelligunt Latini. Nihil igitur admissum est in contextu. Cæterùm in Annotationibus fas est inquirendi gratiâ varios sensus proponere, quando liberum est lectori sequi quod optimum judicabit.

Ex Cap. V.

V. 32. *Sacramentum hoc magnum est*] Admonueram Græcis esse μυστήριον, i. *arcanum*. Et recipio matrimonium in numerum Sacramentorum. Sed addo ex hoc loco non magnopere colligi; neq; enim quicquid mysterium est, protinus est unum è septem Ecclesiæ Sacramentis. Hîc Stunica, quoniam non versatur in sua harena, quò plura verba fundit hòc se magis ridiculum præbet. Primùm oportuit nosse *sacramenti* vocabulum largiùs acceptum competere in multa quæ non sunt de numero septem Ecclesiæ Sacramentorum, siquidem plurima signa sunt rerum sacrarum; at Sacramentum appellatione peculiari constat visibilibus signis rei sacræ, sed quæ necessariò, velut ex pacto, comitetur gratia invisibilis. Hoc docere debuerat Stunica si voluisset hîc mecum conferere manus. Petrus Lombardus & cum hoc vetustiores Theologi non numerant matrimonium inter Ecclesiæ Sacramenta quæ propriè hoc vocabulo designantur: recentiores numerare cœperunt, quibus ego lubens assentior. Quòd si indignatur Stunica quòd negarim esse magnum sacramentum in conjunctione viri & mulieris, sciat Augustinum hac ipsa de causa vocasse *minimum*, quod ego magnum esse nego. Sed hac de re Leo pridem respondimus, cum Stunica nihil agam, cùm totâ hâc disputatione extra oleas, quod aiunt, cucurrerit. Et tamen operæpretium est audire quàm sibi plaudat, veluti feliciter ad metam pervenerit, *Quod ignorans*, inquit, *Erasmus Roterodamus.* Me vocat ignarum, cùm ipse nesciat quid loquatur. Si sapiat Stunica posthac se continebit intra pelliculam suam, i. intra Lexica & adnotationes Quinquagenarias: id si fecerit, rectiùs consulet suo nomini.

IN EPISTOLAM AD PHILIPPENSES.

Ex Cap. I.

V. 1. *Paulus & Timotheus*] Modestissimis verbis admoneo dictionem *Timotheus* in templis perperàm pronunciari penultimâ acutâ, cùm neque Græci neque Latini accentûs ratio id patiatur. Hîc Stunica religiosum existimat quicquam damnare quod in templis sit receptum. Ego contrà sanctum existimo si multa receptissima mutentur. Quanquam ego nihil muto, tantùm admoneo. Et scio in *Paracletus*, *Idola*, *Jacobus*, *Andreas*, aliisque nonnullis vocibus fuisse receptum accentum Græcum, in nonnullis etiam quantitatem syllabæ mutatam, præsertim apud Prudentium in carmine; sed hic color non habet locum in *Timotheo*. Verùm ab obliquis, inquit, potuit sumi accentus,

centus. Qui tam ingenioſus eſſe vult ad defendendum ea quæ utcunque recepta ſunt, gratiſſimus erit patronus indoctis omnibus.

Ibid. *Cum epiſcopis & diaconibus*] Oſtendo duplicem in Græcis codicibus lectionem, συνεπισκόποις, quod ſonat *coepiſcopis*, & σὺν ἐπισκόποις, quod ſonat *cum epiſcopis*. Non placet Stunicæ prior lectio, nec mihi placuit; & idcirco in vertendo ſequor alteram. Et hic eſt *error Eraſmi manifeſtus*, ſi credimus elencho Stunicæ.

Ex Cap. II.

V. 10. *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur.*] Cùm Græcè ſit κάμψῃ, oſtendo verti poſſe *flectat*, ut ſubaudias *ſe*; nec tamen reprehendo quod vertit Interpres. Stunica putat pleraque verba tranſitiva ſumi neutraliter: ſcio, ſed puto ſumi per reciprocationem: *præcipitat*, pro præcipitat ſe; *revertit*, pro revertit ſe. Certè Hilarius lib. 9 De Trinitate legit *flectat*, non *flectatur*. Sanè Latinis uſitatè dicitur *deflectere* qui ſe deflectit. Cúmque civilis ſit hujus annotationis clauſula (ſiquidem veluti ſublevans me dicit, *niſi fortè exiſtimavit utroque modo transferri rectè potuiſſe*) tamen elenchus habet, *Falſa Eraſmi interpretatio*.

Ex Cap. III.

V. 5. *Ex genere Iſrael*] Annotaram *Iſrael* hîc poſſe ſumi ut ſit rectus caſus, ſítque ſenſus, ſum *Iſrael*, h.e. Iſraelita, non ex adoptione, ſed *ex genere*, nimirum ad diſtinctionem proſelytorum. Siquidem ſuperiùs Paulus ſe vocat *circumciſionem* pro circumciſo, ſic hic *Iſrael* pro Iſraelita. Jam addideram Paulum hoc & aliàs feciſſe, non quòd, ut perperàm interpretatur Stunica, ſe vocaverit *Iſrael*, ſed quòd pro Iſraelita ponat *Iſrael*. Jam crebrius eſt in S. literis ut pro Iſraelitico populo ponatur *Iſrael* quàm ut debeat exemplis doceri. Sed quia durius eſt unum aliquem pro Iſraelita dici *Iſrael*, idcirco adhibui ſimile quod erat durius, videlicet quòd Paulus ſe pro circumciſo vocat *circumciſionem*. Et in epiſt. ad Roman. c. 9. *Non enim omnes qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſraelitæ*. Hîc negari non poteſt quin pro Iſraelitis poſuerit *Iſrael*. Stunica docet hîc *Iſrael* non poſſe ſumi nominandi caſu. Id ſi docuerit triumphet. Nam quòd ſcurratur ſe mirari quòd non eodem modo ſim interpretatus *ex tribu Benjamin*, ſciat Iſraelitas fieri adoptione, Benjamitas non fieri. Siquidem Proſelyti Judæi fiunt, Benjamitæ, aut Zabulonitæ non fiunt. Poſtremò ad hoc ipſa Scripturæ conſuetudo reſpondebit Stunicæ. Alioqui cur non vocat Hebræos *Abraham*, aut *David*, ſicut vocat *Juda*, aut *Iſrael*?

Ex Cap. IV.

V. 3. *Etiam te rogo, compar germane*] Indico Græcos aliquot ſcriptores hunc locum accipere de uxore Pauli. Quod eſſe verum docet etiam ipſe Theophylactus, qui Stunicæ verſo nomine factus eſt Athanaſius. Sed ab his diſſentit Theophylactus; quaſi verò periculum ſit ſi Paulo credamus fuiſſe uxorem, cùm hoc ſenſerit Clemens Hiſtoriæ Eccleſ. lib. 3. hujus loci teſtimonium adducens. Utri verò plus tribuendum, Clementi viro probatæ ſanctimoniæ, in Græco ſermone etiam facundo, vicino temporibus Apoſtolorum, an Theophylacto? Jam adeò abhorret ab uxore Theophylactus, ut malit hunc de quo loquitur Paulus alteri mulierum vel fratrem vel maritum fuiſſe, vel denique carceris cuſtodem. Audis meram divinationem Theophylacti. At quantò probabilior eſt noſtra conjectura quam adferimus in Annot. Nec habet Theophylactus quò refellat illorum opinionem, niſi unius vocis argumento, quam Paulus maſculino genere poſuerit, feminino poſiturus ſi de uxore loqueretur. Sentit autem, ni fallor, de γνήσιε· nam de ζύζυγε nemo neſcit eſſe generis communis. Verùm qui putarunt hæc de uxore dici, nimirum Græci erant, quos tamen nihil offendit, quod offendit Theophylactum; unde conſequitur, ut aut legerint γνησία, aut intellexerint juxta morem Atticum maſculinam vocem uſurpatam vice femininæ. Itaque ut hanc ſententiam non arbitror explodendam ut abſurdam, ità fateor & alteram poſſe conſiſtere. Tantùm offendit, quòd virum ceu comitem adjungit feminis, præter morem ſuum. Deinde quis eſſet iſte carceris cuſtos quem Paulus dignaretur tanto honore, & eùm γνήσιον ζύζυγον vocaret, quem titulum nè Timotheo quidem unquam tribuit, & tamen eidem ſic laudato præfert mulieres.

V. 9. *Hæc cogitate & agite*] Hîc rurſus eſt *Eraſmi hallucinatio manifeſta*, hic *abſens fuit à ſeipſo*, cùm Stunica ſibi parùm fuerit præſens, qui me ſomniat de priore parte loqui, *hæc cogitate, quæ & didiciſtis*; nam hîc tantùm eſt λογίζεσθε, conſentientibus inter ſe Latinis codicibus. Sed paulò pòſt ſequitur ταῦτα πράσσετε. Quo loco quidam Latini codices repetunt, *Cogitate & agite, & Deus pacis erit vobiſcum*. Sed iſti, inquiet, codices ſunt mendoſi. Verùm & ob eam rem annotavimus nè mendum hoc ſerperet latiùs. Hoc loco Gloſſa Ordinaria, quæ occupat intervallum verſuum, *Non ſolùm*, inquit, *cogitate, ſed & actu implete*. Porrò nè Stunica putet hoc mendum tantùm in meo fuiſſe codice cùm hæc ſcriberem, conſului volumen vetuſtæ editionis, quod habebat Gloſſam Ordinariam, è bibliotheca Cartuſienſium non procul à Bruxella. In hoc habebatur, *hæc cogitate & agite*. Eat nunc Stunica, & clamet mihi non fuiſſe mentem cùm hæc ſcriberem.

IN EPISTOLAM AD COLOSSENSES.

Ex Cap. I.

V. 2. *His qui ſunt Coloſſis*] Dixeram hîc *Coloſſenſes* non accipi Rhodios. Stunica docet Rhodios eſſe dictos Κολοσσεῖς à Coloſſo Solis, & eoſdem dictos Lindios. Ut hæc vera ſint, nihil adverſùm me faciunt, niſi fortè Stunica putat his argumentis evinci hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe Rhodiis.

Ex Cap. II.

V. 22. *Quæ omnia in interitu ſunt ipſo uſu*] Græcè eſt ἀποχρήσει, quod ad verbum ſonat *abuſu*, quem admodum nos vertimus. Stunica putat ἀποχρῆσιν accipi poſſe pro χρήσει. Nec id ſanè negavimus, nè taxavimus Interpretem; ſed quoniam apud Jureconſultos legeramus *abuſum* propriè dici rerum quæ uſu abſumantur, velut eſculentorum & poculentorum. Nam uſus eſt & ædium, aut gemmarum, pecuniæve. Cùm igitur *abuſu* propria vox eſſet ei rei quam ſentiebat Paulus, & reſponderet aptiùs ad vocem Græcam, id maluimus ponere.

Ex Cap. III.

V. 9. *Exſpoliantes vos veterem hominem*] Ἀπεκδυσάμενοι, quod Interpres vertit *exſpoliantes*, nos verteramus *poſtquam exuiſtis veterem hominem*. Stunica docet *exſpoliari* & eum cui detrahuntur veſtimenta. Adducit exemplum è Cicerone, qui *exſpoliatum* ſcripſerit cui lictores detraxerant veſtes. At Paulus non loquitur hîc de veſtibus vi detractis, ſed ſponte poſitis. Neque tamen diximus Interpretem malè vertiſſe.

Ex Cap. IV.

V. 6. *Et cùm lecta fuerit*] Quod Latini legunt *epiſtolam ad Laodicenſes*, Græcis eſt, ἐκ τῆς ἐν Λαοδικείᾳ, i. *eam quæ eſt è Laodicea*. Citaveram Græcanica ſcholia, quæ docerent hanc epiſtolam de qua agit hîc Paulus non

non fuisse scriptam Laodicensibus, cùm dicat, *è Laodicea scriptam.* Et conjectant fuisse epistolam quam Laodicensis aliquis scripserit Paulo, sed in qua inessent quæ referret Colossensium scire. Stunica in elencho notat me *non intellexisse Græcanica scholia.* At quî novit hoc os impudens, cùm Græcanica scholia non viderit? Sed Athanasius dissentit: imò Theophylactus, quem Stunica falsò putat Athanasium. Quanquam Athanasius refert duas opiniones; unam quæ putat hanc epistolam à Paulo fuisse scriptam ad Timotheum è Laodicea; alteram quæ dicit hanc epistolam fuisse scriptam ad Paulum à Laodicensi quopiam. Quæso quid hîc non intelligit Erasmus quod intelligit Stunica? Cætera nihil ad me pertinent.

IN PRIMAM EPISTOLAM AD THESSALONIC.

Ex Cap. II.

V. 7. *Cùm possemus vobis oneri esse, ὐν βάρει*] Juxta Græcos Interpretes bifariàm accipi potest ὐν βάρει, i. in autoritate & honore, aut ὐν βάρει, i. onerosi propter sumptus. Prior sensus mihi magìs probatur. Stunica, nequid illi mecum conveniat, multis verbis asserit posteriorem. Adducit quædam loca quibus testatur Paulus se non fuisse illis sumptui. Quid tum postea? Istud quærebatur, quid hoc loco sentiret Paulus. Et indico quas ob causas mihi magìs arriserit prior lectio, quoniam hæc verba ὐν βάρει præcesserat *non quærentes gloriam*, & sequitur, *sed facti fuimus parvuli* sive *placidi.* Ambrosius pro *oneri* legit *honori*: sed ut demus hoc esse depravatum, certè amplectitur in expositione sententiam quam nos secuti sumus. Athanasius sic utramque recensèt sententiam quasi liberum sit utram malis sequi. Ubi est igitur quod in suo posuit elencho Stunica, *Perperàm ab Erasmo hunc locum traductum?* An perperàm vertit qui vertit juxta Græcorum & Ambrosii sententiam, qui sequitur hoc quod rectiùs quadrat cum iis quæ præcesserant & consequuntur?

Ibid. *Sed facti sumus parvuli*] Fatetur Stunica in omnibus Græcorum codicibus quos ipse viderit scriptum fuisse ἤπιοι, non νήπιοι· tamen indicat ex Athanasio olim fuisse duplicem lectionem. Quod Stunica docet ex falso Athanasio, hoc ego in prima etiam editione docueram ex vero Theophylacto. Quid igitur hîc agit adversùm me Stunica? *Rectè*, inquit, *traduxit Interpres*; quasi ego hoc negarim.

Ex Cap. V.

V. 23. *Ut integer spiritus vester*] Hîc quoniam nondum erat castigatus Hieronymus, sed libris dispunctis & cancellatis uteremur, nescio quo casu obrepsit imaginatio ut putarem apud Hieronymum non attingi ὁλόκληρον. Atque id mox ubi sensimus, restituimus integritati suæ.

IN SECUNDAM EPISTOLAM AD THESSALONIC.

Ex Cap. II.

V. 5. *NON retinetis quòd cùm*] Cùm Græcè sit μνημονεύετε, i. *meministis*, demiror stultam affectationem copiæ in Interprete, qui maluerit uti verbo & ambiguo & parùm Latino, quàm proprio, usitato & eleganti. Hîc Stunica meus, *O stultum*, inquit, *hominem Erasmum istum Roterodamum, & Latina lingua prorsus ignarum!* Imò quid hoc homine impudentius? Erasmus prorsus est ignarus linguæ Latinæ, quia mavult dicere *non memini* quàm *non retineo.* Proferat Stunica vel unicum autorem probatum qui *retinere* dixerit pro *meminisse*; id si non potest, fateatur se potiùs ignarum linguæ Latinæ, qui putet nihil interesse utrùm *retinere* dicas an *meminisse.* Si *tenere* dixisset pro *meminisse*, fuerat tolerabilius; quanquam *tenere* dicitur qui intelligit magìs quàm qui meminit, nisi dicas *memoriâ tenet*: sed longè aliud est *retinere* quàm *tenere.* Ridiculum autem quòd Stunica nobis objicit epistolas Senecæ ad Paulum, quasi quisquam eruditus credat eas à Seneca scriptas. Vide autem in causa tam iniqua quæ congerat convicia. *Quasi*, inquit, *aliquis tam rudis usquam reperiri possit, & tam Erasmo similis, i. adeò hebeti ingenio & crasso intellectu, ut non intelligat hoc loco* non retinetis *idem esse quod* non meministis.

V. 6. *Hoc denunciabamus vobis*] παρηγγέλλομεν vertere malui *præcipiebamus.* Hîc tribus verbis taxo Interpretem, quòd maluerit dicere *denunciabamus* quàm *præcipiebamus*, sine causa frequenter affectans copiam. Quid igitur vult Stunica, licere quovis loco ponere *denunciare* pro *præcipere*? Et feret si quis γαμικὰ παραγγέλματα Plutarchi vocet *Connubiales denunciationes*? Apud Jureconsultos lego de *novi operis denunciatione*; an apud Latinos pro *præcipio* reperiatur, nescio: cur igitur vertis, inquit, ipse similiter in eodem capite? Quia neglexi; quia putabam satìs semel indicasse.

IN PRIMAM EPISTOLAM AD TIMOTHEUM.

Ex Cap. I.

V. 3. *Sicut rogavi te ut remaneres Ephesi*] Quoniam orationi deest verbum, adjeci de meo quod subaudiebatur: *Sicut rogavi te ut maneres, mane*; sive, ut nos vertimus, *ità facito.* Stunica clamat admissum piaculum, quòd ausus sim verbum de meo addere, quasi hoc nusquam fecerit Interpres, aut quasi non sit hoc aliquando necesse. Cæterùm quòd Stunica προσμεῖναι sic putat accipi posse ut sit imperandi modus, non satìs intellexit quid dixerim: non enim volebam imperandi modo accipi quod posuit Paulus, sed quod subauditur; subauditur enim idem verbum προσμεῖναι, sed alio modo. Jam quòd apud Ambrosium dixeram esse, *ut denuncies*, cùm illic habeatur *denunciares*, cur non putavit hoc librariis asscribendum potiùs quàm mihi? Porrò quòd addit me simul cum meo Valla falsum, qui putem hoc loco magìs quadrare *hortandi* quàm *rogandi* verbum, quod Græcis est παρακάλεσα, planè fallitur Stunica, cùm magìs à Valla dissentiam. Sic enim loquor, *Tamen hîc magìs quadrabat* hortatus sum, *ut Valla placet, tametsi Paulus eo verbo nonnunquam usus est erga plebeios.* Id esse verum declarat mea translatio: sic enim habet, *Quemadmodum rogavi te ut remanères.* Quòd si maximè cum illo sensissem, quid erat periculi, cùm sensus sit ambiguus, id quod negari non potest? An non licebit dissentire à Theophylacto?

Ibid. *Nè aliter docerent*] Quoniam ἑτεροδιδασκαλοῦσι Græcis vox est anceps, ac magis pertinere videtur ad discipulos subindè variantes doctorem quàm ad diversa docentes, nos vertimus, *nè diversam sequantur doctrinam*; qui sermo quadrat in utrumque sensum. Hoc Stunica fortiter quidem negat; at nihil probat. Objicit argumentum Græcum hujus epistolæ, quod videatur accommodare ad docentes diversa. Quid istuc novi est, cùm ego fatear itidem interpretari Theophylactum & Chrysostomum? Nec ab his dissentio, nec illi à me; nec enim illi docent non posse secùs accipi, nec ego damno quòd illi sequuntur.

Ex Cap. III.

V. 6. *Non neophytum, nè in ſuperbiam*, &c.] Hîc rurſus pro *diabolo* verto *calumniatorem*. At Stunica multis Interpretum teſtimoniis docet hunc locum intelligi poſſe de diabolo. Id ego non negabam: ſed non docuit de calumniatore homine non poſſe accipi; quanquam hac de re reſpondimus & antea nonnihil.

V. 11. *Mulieres ſimiliter pudicas*] Cùm Paulus hîc agat de familia epiſcoporum, quæ famulos & famulorum uxores ac liberos complectitur, dixeram rectiùs verti *uxores* hoc loco quàm *mulieres*, cùm Græcâ vox ſit anceps, γυναῖκας. Neque neſciebam Theophylactum, Chryſoſtomum, præcipuè verò Latinos, abhorrere ab uxorum mentione, jam tum meditantes cœlibatum hunc, qui plùs ſatìs aſſertus eſt ſacerdotibus, cùm horum tantus ſit numerus, & inter hos adeò multi qui minùs caſtè vivunt quàm ſi duxiſſent uxores. Cæterùm non illîc ſpectabam quid Interpretes exponerent, ſed quid Paulus ſenſiſſe videretur. Quòd ſi ſenſus meus nihil habet impium, nihil abſurdum, dabitur, opinor, venia, quòd citra religionis aut fidei periculum à veteribus aliquot diſſentiam. Nec dubito quin ſi exſtarent Origenis & aliorum in hunc locum Commentarii, docerent aliud quàm docet Ambroſius. Cætera quæ congerit hîc, quoniam nihil ad me pertinent, non eſt conſilium excutere.

Ex Cap. IV.

V. 3. *Abſtinere à cibis quos Deus creavit*] In prima editione pro *quos* operarum incuriâ depravatum erat *quæ*, quod correctum eſt in editione ſecunda. Hîc Stunica mihi impingit *inſignem hallucinationem*. Sed hujuſmodi, ut ait, lapſus ipſe alicubi impingo Interpreti. Si Interpres uno aut altero loco ſic lapſus eſſet, ſuſpicarer ſcribarum vitio commiſſum. Nunc frequenter ille ad eundem impingit lapidem, ut caſus videri non poſſit. Hîc admonet me Stunica ut hominem eſſe meminerim. Bene monet, ſed memorẽ monet. Admoneat ſeipſum potiùs, qui tanto faſtu ſupercilióque flagellat etiam bene dicta aliorum, non ſolùm errata. *Debet*, inquit, *omni vacare culpâ qui paratus eſt in alium dicere*. Cur igitur Stunica tam inſolenter debacchatur in alienas lucubrationes, qui ipſe toties tam fœdè labitur in hoc exiguo libello, primâ fœturâ ingenii ſui? Quid autem ſibi vult, nè corrigamus alienos lapſus niſi ſimus ipſi prorſus immunes ab omni errore? Atqui cùm nullus inveniatur hujuſmodi, nemini fas erit emendare quod ab aliis fuerit depravatum. Cur igitur Ambroſius, Hieronymus & Cyprianus ſcribunt adversùs hæreticos errores, cùm in ipſorum libris reperiantur nonnulla ejuſdem notæ? Huc fortaſſe valebit errorum noſtrorum contemplatio, ut in alienos lapſus minùs inclementer debacchemur, non etiam ut diſſimulemus.

V. 6. *Enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ*] Græcè eſt, ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως, καὶ τῆς καλῆς διδασκαλίας. Damnat Stunica quòd verterim, *Enutritus in ſermonibus fidei & bona doctrina*. Primùm hoc ad ſenſum nihil refert. Deinde cùm hujus rei nullam mentionem faciam in Annot. videátque in ſecunda editione correctum, ſuſpicari debebat hoc operarum incuriâ commiſſum. Deinde admonueram ἐντρεφόμενος activè poſſe intelligi, & ſenſum videri non abſurdum. Stunica docet Interpretes ſecùs exponere, idque ut perſuadeat multa refert ex Athanaſio ſuo & Ambroſio. At quorſum opus erat hoc docere, quod neque neſciebam, neque negamus? An ideo non licet alterum indicare ſenſum, cùm ſermo Græcus utrumque recipiat?

V. 15. *Hæc meditare*] Καὶ ταῦτα μελέτα, nos vertimus, *Hæc exerce*. Cæterùm in Annot. taxo Hugonem Cardinalem, qui ſic interpretetur *meditandi* verbum: *Meditare, i. verſa in corde per jugem memoriam*. Et addo epiphonema, *O Mataeologum, h. e. plùs quàm Theologum!* Eſt autem *meditari* exerceri in re quapiam. Hîc Stunica quaſi conductus ut Hugoni patrocinetur, atrocibus conviciis debacchatur in me, qui tantum virum auſus ſim appellare *Mataeologum, h. e. inanem ac vanum Theologum*. Sic enim interpretatur Stunica, ſed non rectè; neque enim hoc ſonat *Mataeologus*, licèt per jocum dixerim illum unâ ſyllabâ *plus* eſſe *quàm Theologum*. Jam ad rem non faciunt quæ plurima congerit Stunica è S. libris, in quibus dicitur meditatio cordis: nullus enim negat meditationem eſſe poſſe animi, veluti cùm dicturus apud principem ſuo cum animo volvit quid, quo ordine, quibus verbis ſit dicturus, utique corde meditatur orationem. Sic qui hoc animo verſatur in S. literis ut quod illæ docent vitâ præſtet, meditatur. Verùm in hoc notavi Carrenſem, quòd hoc loco putarit *meditari* nihil aliud eſſe quàm memoriâ tenere. At Ambroſius & Gloſſa Ordinaria exponunt de vitæ actionibus. Ad extremum docet Stunica, ſi Paulus ſenſiſſet de actione corporali, dicturum fuiſſe γύμναζε, quo verbo uſus ſit alibi, γύμναζε σεαυτὸν, &c. Quid igitur ſibi vult Stunica? μελετᾶν tantùm eſſe animi, & γυμνάζειν corporis? quod utrumque palàm eſt eſſe falſum. Nam & γυμνάσματα ſunt animi, μελέται corporis.

IN SECUNDAM EPISTOLAM AD TIMOTHEUM.

Ex Cap. I.

V. 12. *Scio enim cui credidi*] Oſtenderam ὅτι quæ ſequitur referri ad particulam præcedentem ᾧ πεπίστευκα, & ſenſum eſſe, *Scio & certum habeo quòd is cui credidi potens eſt depoſitum meum ſervare*. Neque quicquam intereſt inter Stunicam & me, niſi quòd ego idem dico explanatiùs; admonens interim & approbans alterum ſenſum, ſi quis eum ſequi malit, qui tamen ab hoc minimùm abſit. Et tamen *Eraſmus* in elencho *perperàm hunc locum traduxit*, cùm verterit dilucidiùs. Et in Annotatione Stunicæ, *Non intellexit verba Apoſtolica*. O hominem effrontem juxtà atque excordem!

V. 16. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui*] Ego malui vertere *Oneſiphori familiæ*. Fatetur Stunica *domum* hîc accipi pro familia, tantùm damnat amphibologiam in mea verſione, propterea quòd ea quæ ſequuntur, *quia ſæpe me refrigeravit*, &c. referri poſſint vel ad *familiam*, vel ad *Oneſiphorum*. Quid autem hoc Stunica nugacius, cùm eadem amphibologia ſit in iis quæ reddidit Interpres? Et tamen meam verſionem ut ambiguam damnat, Interpretis non damnat, imò defendit, ut nulli obnoxiam vitio; nec tamen oſtendit quâ ratione vitari poſſit amphibologia. Vitari poterat addito pronomine *ei*, *quoniam is ſæpe me refrigeravit*. Oneſiphorus dicitur Romæ fuiſſe, quæſiviſſe Paulum, &c. Nihil horum non competit in familiam, ſi Græca legas. Sed demus ad Oneſiphorum accommodari. Certè is ſolus Romæ non erat, ſed cum aliqua certè familiæ parte.

Ex Cap. II.

V. 15. *Rectè tractantem verbum veritatis*] Hîc quod Græcis eſt ὀρθοτομοῦντα, verteram *rectè ſecantem*. In hanc ſententiam cùm interpretentur magno conſenſu veteres Orthodoxi, tamen Stunicæ viſum eſt inceſſere quòd nos pro *tractantem* vertimus *ſecantem*, nequaquam reprehendentes quod verterat Interpres, ſed dilucidiùs explicantes quod ſcripſit ac ſenſit Paulus. An *rectè tractare* ſonet Græcis ὀρθοτομεῖν, quemadmodum docet Stunica, in præſentia non diſputo. Fortaſſis Interpres non habebat alias voces quibus redderet Græcam. Certè Ambroſianam interpretationem nemo prorſus intelliget niſi Græcæ vocis emphaſim teneat. Hujus commentum ſubſcribam, quandoquidẽ mihi videtur non in hunc uſum tantùm conducibile;

conducibile; *Quoniam*, inquit, *sunt aliqui qui dicunt contentionem audientibus prodesse. Apostolus autem sciens magis obesse, hoc mandat, ut unusquisque hoc curet, ut spretâ altercatione semetipsum probabilem faciat, & impudoratos appellans eos qui contentionibus nituntur. Necesse est enim ut contentio extorqueat aliquid, imò multa quæ dicantur contra conscientiam, ut intus in animo perdat, foris victor abscedat. Nemo enim patitur se vinci, licèt sciat vera quæ audit. Rectè autem tractat & bonâ conscientiâ qui volentibus loquitur & pacificis. Collatio ergò inter Dei servos esse debet, non altercatio.* Hactenus Ambrosius. Qui quod hîc monet, idem plurimis in locis admonet Chrysostomus; à qua quidem regula quantum absint qui hodie virulentis libellis ac linguis sese lacerant, tam impiè crudeles in proximum quàm turpiter adulantes erga principes, viderint alii. Certè liquet Ambrosium interpretari quid sit *rectè secare*, qui amputat contentiosa, & relinquit placida atque utilia, *rectè secat*, nimirum amputatis iis quæ noxia sunt. Chrysostomus scribit hunc in modum, *Complures enim illud undique lacerant atque discerpunt, plurimáque illi immiscent noxia germina. Non ait* dirigentem, *sed* rectè tractantem, *ac si dicat, Amputa quæcunque adulterina oriuntur, & cætera hujusmodi summa cum vehementia incumbe ut resecentur. Atque velut in loris atque corrigiis superflua quaque, atque à prædicatione aliena, gladio spiritûs abscinde.* Hactenus Chrysostomus. Huic ità succinit Theophylactus, *Rectè tractantem verbum veritatis*] *Etsi*, inquit, *plerique id verbum discerpunt, traducúntque aliò, tu tamen id ipsum rectè pertracta: Vel* pertracta, *inquit, h. e. dirige, & circumcidito inutilia quaque, & deme gladio sermonis & verbi quæ ab Euangelii prædicatione sunt aliena.* Nec hinc abhorret glossema quod in rhapsodia, quam nescio qua de causa vocant Ordinariam, interjectum in spatio dirimente versus, sic habet, haud scio an ex Bedæ commentariis decerptum, *Secundùm competentiam singulorum, ut altis spiritalia, lác distribuat parvulis.* Videmus omnes exponere Græcæ vocis emphasim, quæ à *secando* dicatur, cùm nulli Latinorum *tractare* significet secare. Sed *tomi* Græcis dicuntur volumina, quæ Latini vocant *tractatus*. Fateor; sed *tomi* dicuntur à *secando*, quòd olim in pellibus scribebant, in hoc resectis ut convolvi possent in furculum. Sed tractantur etiam quæ verbis disputantur; & præsecta pars è lucanica aut petasone *tomus* dicitur Græcis.

Ex Cap. III.

V. 2. *Cupidi, elati*] Quod Græcis est ἀλαζόνες, & Interpres vertit *elati*, verteramus *fastuosi*, pro quo, ut indicaram, Ambrosius legit *insolentes*. Hieronymus in Michæam legit *fastidiosi*; & suspicor scriptum fuisse *fastuosi*. Denique Plautus vertit *glorioſi*. Stunica stomachatur me mutasse verbum Interpretis, cùm prorsus idem valeant *elatus* ac *fastuosus*. Ego nonnihil arbitror esse discriminis. Nam elatus esse potest qui non se jactitet ac venditet. Atque id propè sonat *fastuosus*. Sed demus nihil interesse; cur me magis accusat quàm Ambrosium aut Hieronymum? Ut nihil aliud, *elati* certè anceps verbum erat. Siquidem & sepulti dicuntur *elati*, si libeat jocari.

V. 8. *Quemadmodum autem Jambres & Mambres*] Indicaram *Jambres* & *Mambres* sic exponi in libro vocum Hebraicarum quasi idem sonent Hebræis. Quod indico Stunica non negat esse verum, sed ait falsò sic exponi. Et hoc ego miratus indicavi, quò lectori darem occasionem vestigandi. Et tamen elenchus hîc habet, *Error Erasmi in lingua Hebraica.* An error est citare quod alius perperàm scripsit? Non, opinor, sed approbare error est.

V. 16. *Ad corripiendum*] Hîc nihil habet Stunica quod reprehendat in versione nostra. Tantùm arrodit, quòd in Annotationibus duobus verbis adjecerim apud Ambrosium videri additum καταρτισιν, aut, quod magis probat Stunica, καλδρτισιν. Stunica probat in contextu nihil addi. At ego sentiebam de illius interpretatione, quam si quis excutiat, sentiet hoc me non temere admonuisse.

Ex Cap. IV.

V. 6. *Ego enim jam delibor*] Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι, verteram, *nam ipse jam immolor*, quòd *delibor* Latinis verbum sit primùm anceps, deinde nec omnibus notum. Et Ambrosius quanquam legit *delibor*, tamen interpretans non abhorret à verbo *immolandi*. Sed Chrysostomus indicat hoc interesse, quòd libamen totum offertur Deo, immolatio non item. Fortassis ea differentia est in verbis Græcis, juxta usurpationem V. Instrumenti: in vocibus Latinis non arbitror idem esse discrimen, nisi quòd *libat* Latinis qui effundit aliquid Deo antequam gustet.

IN EPISTOLAM AD TITUM.

Ex Cap. I.

V. 5. *Hujus rei gratiâ reliqui te Cretæ*] Annotaram quòd cùm Græcè sit ὁ Κρήτη, Interpres ab insulæ vocabulo sustulisset præpositionem contra præcepta Grammaticorum. Horum nihil negat Stunica; nec enim potest: sed objicit mihi Hieronymum, qui scripserit alicubi, *Et in quibusdam insulis, præcipuéq; Sicilia & Rhodi.* Atqui ego non negaram Latinè dici, *insula Sicilia*, aut *insula Rhodi*; sed negavi Latinè dici, *habitat Creta*, pro in Creta; aut *studet Rhodi*, pro in Rhodo. Hoc si docuerit Latinè dici Stunica, vicerit.

V. 7. *Non superbum*] Μὴ αὐθάδη nos vertimus *præfractum*. Stunica negat se scire quid sit *præfractus*. Imò nè me quidem existimat intelligere quod posui verbum. Demiror novum esse Stunicæ, viro tot secula versato in optimis quibusque autoribus, quod reperitur apud Ciceronem Offic. lib. 3. *Ego*, inquit, *etiam cum Catone meo dissensi. Nimiùm mihi præfractum videbatur, ærarium vectigaliáq; defendere.* Exemplum consimile citat ex ejusdem Hortensio Nonius Marcellus, *His*, inquit, *contrarius Aristotjus, præfractus, ferreus, nihil bonum nisi quod rectum atque honestum est.* Porrò Græca vox indicat αὐθάδη dici *sibi plùs satis placentem*, suæq; sententiæ plus æquo tenacem: atque in hunc sensum accepisse Athanasium, h. e. Theophylactum, indicant hæc quæ admiscet, *pro ejus arbitrio & subditis inconsultis aliquid peragat.* Nam qui præfractus est, non audit aliorum suffragia. Et Hesychius cùm αὐθάδης interpretatur αὐτάρεσος, planè mecum facit.

Ex Cap. III.

V. 10. *Hæreticum hominem post unam*, &c.] *Hæresis secta* est, *hæreticus* non habet quod respondeat nisi *factiosus*. Cupiens igitur Latinè loqui, verti *factiosus*. Et obiter taxavi nostra tempora, in quibus *hæreticum* vocant qui dissentit ab opinione quapiam scholastica. Stunica docet *hæreticos* hîc appellari qui essent magistri erroris. Verum est factiosum esse posse qui non errat in fide. Et tamen factiones sunt Philosophorum inter se dissidentium; & hæreticus qui est, idem esse potest & factiosus, si alios sibi adjungat: & tamen hoc mutaveramus in secunda editione.

IN EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

V. 9. *Propter charitatem magis obsecro*] παρακαλῶ τοιοῦτος ὢν ὡς Παῦλος πρεσβύτης. Interpres, *cùm sis talis ut Paulus senex.* Nos vertimus, *cùm sim talis, nempe, Paulus*

Paulus senex. Ambrosius legisse videtur quod vertit Interpres. Hieronymus contrà, quod nos vertimus. Hîc Stunica videtur habere causam non optimam. Tantùm enim pollicetur Vet. interpretationem sustineri posse. Nec alio colore tuetur Interpretem nisi si concedas τοιοῦτος ὢν positum pro τοιοῦτον ὄντα. At meâ sententiâ probabilius sit pro τοιούτου ὄντος. Nam apud Græcos rectus casus aliquoties in consimilibus orationibus pro gignendi casu ponitur.

IN EPISTOLAM AD HEBRÆOS.

Ex Cap. I.

V.6. *ET cùm iterum introducit*] Εισαγάγῃ ego verto *inducit*. Stunica putat rectiùs *introducit*. Mihi contrà videtur. Qui in conclave penitiùs ducitur, introducitur. At qui producitur in theatrum, inducitur quidem, non introducitur. Sed εἰσαγωγαὶ vocantur *Introductiones:* verum, sed à malè Latinis, à cæteris dicuntur *Institutiones.* Nam quòd aliis Scripturæ locis vertit eodem modo Interpres, nec me gravat, nec ipsius causam adjuvat.

V.7. *Qui facit angelos suos spiritus*] Verteram *qui creat angelos suos spiritus.* Græcè ὁ ποιῶν. Stunica non negat ποιεῖν aliquando verti *creare*, ut *In principio creavit Deus cœlum*, &c. At hîc loquitur de angelis conditis. Certiùs igitur & lucidiùs explicui quod sentit Apostolus: nam alioqui sensus esse poterat, angelos suos vertit in spiritus, *qui facit angelos suos spiritus.* Fit enim quod aliud fuerat antea.

V.8. *Ad filium autem, Thronus tuus Deus*] Ostenderam Græci sermonis amphibologiam, & in prima editione secutus eram sensum diversum ab eo quem reddunt Interpretes. In posteriore editione sustuli pronomen *ipse.* Hîc objicit mihi Stunica imperitiam Hebraici sermonis, juxta cujus consuetudinem nominandi casus pro vocativo, quo carent, ponitur. Istud non ignorabam: quod si nescissem, non erat locus amphibologiæ.

Ex Cap. II.

V.1. *Propterea abundantiùs oportet observare*] Græcè est, διὰ τοῦτο δεῖ περισσοτέρως ἡμᾶς προσέχειν. Nos verteramus, *Propterea oportet nos vehementiùs attendere iis quæ dicta sunt nobis.* Hîc elenchus Stunicæ habet, *Impropria Erasmi interpretatio.* Quæso te, lector, utrùm προσέχειν magis sonat *observare* quàm *attendere?* Et uter nostrûm paraphrastes est? An impropriè vertit qui vertit dilucidiùs, & magis ad verbum, & minùs ambiguè? Nam *observat* qui præstat factis, *observat* qui insidiatur, aut obsequitur. Tamen in calce Stunica fatetur se non ob aliud annotasse hæc nisi nè quis suspicetur Interpretem impropriè vertisse, me verò propriè. O nugonem otiosum!

Ex Cap. III.

V.17. *Quorum cadavera*] Κῶλα verti *membra*, non *cadavera.* De sensu convenit. Neque negari potest κῶλα Græcis sonare *membra*, non *cadavera.* Sed Stunica veretur nè quis accipiat Judæos concidisse in deserto membratim dissectos. O periculum! Imò gravius erat periculum nè quis legens, *Quorum cadavera conciderunt*, suspicetur cadavera Judæorum primùm ambulasse in deserto, postea concidisse. O graves annotationes & Stunicâ dignas!

Ex Cap. V.

V.1. *Omnis namq; pontifex*] Πᾶς γὰρ ἀρχιερεὺς verteram, *nam omnis sacerdos.* Stunica sic agit quasi *PONTIFEX* Latinis sonet *summum sacerdotem:* atqui id verum non est, alioqui cur Romanis dicitur *pontifex maximus* qui summus est. Tametsi nostros ferme video pro ἀρχιερεὺς ponere *pontificem.* Et *Sacerdos* olim non quemvis presbyterum sonabat, sed episcopum. Ac fieri potest ut meus liber habuerit ἱερεὺς non ἀρχιερεύς, præcipuè cùm dicat *omnis.* Non omnes autem sacrifici sunt ἀρχιερεῖς. Et tamen in secunda editione reposuimus *pontificem* pro *sacerdote*, nè quid laudis hinc sibi vindicet Stunica.

Ex Cap. VI.

V.8. *Proferens autem spinas & tribulos*] In prima editione nostra erat *spinas & tribula.* Hîc Stunica medium tenet Erasmum, ac docet quid interfit inter *tribulum* instrumentum rusticum, & *tribulum* fruticem sive herbam. Atqui hoc accidisse typographorum incuriâ vel hinc poterat colligere, quòd nec in Annotationibus hujus rei fecerim mentionem, & in secunda editione videat à me correctum quod illi admiserant.

Ex Cap. VII.

V.2. *Primùm quidem qui interpretatur Rex justitiæ*] Hîc nihil est in quo mecum dissentiat Stunica. Libellum qui additur Bibliis, Interpres nominum Hebraicorum, non esse Hieronymi subindico, cùm aio, *qui Hieronymi titulo circumfertur*, atque is titulus in quibusdam sanè habetur. Stunica mecum facit, ac planè negat illius esse. Cætera, quia nihil ad me faciunt, μάλα χαιρέτωσαν.

Ex Cap. VIII.

V.2. *Sanctorum minister*] Indicaram in Annot. λειτουργὸν propriè dici *ministrum sacrorum*, nimirum sentiens quòd sic à Christianis ferè usurpetur. Quandoquidem λειτουργίαν Græci vocant quam nos vocamus *missam.* Stunica putat & profanos ministros λειτουργοὺς dici posse. Quis hoc negat? Sic & Diaconi profani possunt esse, cùm nos usurpemus pro ministris sacrorum. Græci putant λειτουργοὺς dici qui publicè magistratibus inserviunt in curia aut senatu.

Ex Cap. IX.

V.5. *Super quæ erant Cherubim gloriæ*] Cùm Græcè sit ὑπεράνω αὐτῆς, non poterat verti *super quæ*, sed ità sonat Græcus sermo ut vel ad *tabernaculum*, vel ad *arcam* possit referri. Et in vertendo sequor id quod placet Stunicæ. Tantùm in Annot. addo mihi videri rectiùs referri posse ad *tabernaculum.* Cur ità visum sit, prolixum sit hîc recensere, quare visum est hoc alteri tempori reservare.

Ex Cap. XI.

V.1. *Est autem fides sperandarum substantia rerum*] Negaram hanc esse definitionem Dialecticam, ut quibusdam visum est, sed ingressum encomii. Stunica negat. Non eram ignarus ab Hieronymo ac cæteris vocari *definitionem*, nec ego nego esse speciem aliquam definitionis, sed irridebam glossema quod est in Decretalibus, quod hanc definitionem exigit ad exactam rationem Dialectices. Sed hac de re Leo pridem respondimus.

V.30. *Fide muri Hiericho corruerunt circuitu dierum septem*] Græcè est κυκλωθέντα ἐπὶ ἑπτὰ ἡμέρας, quod nos verteramus *cincta ad dies septem.* Hîc Stunica clamat me non intellexisse Græcum sermonem; quasi verò non legerim vulgatissimam historiam, quæ refert exercitum circumisse civitatem, idq; factum singulis diebus usque ad septimum. Septimo circumlatam arcam, & ad sonitum tubarum sacerdotalium corruisse muros. Quid igitur reprehendit Stunica? Nimirum quòd ambiguè verterim. Videor enim de obsidione septem dierum loqui. At magis ambiguè vertit Interpres; nam illud dicere videtur, Intra septem dies corruisse muros, h. e. volventibus se septem diebus.

Ex

Ex Cap. XI.

V. 16. *Qui propter unam escam vendidit primogenita*] Quia Græcis est ἀπέδοτο, quod ad verbum sonat *reddidit*, verteram *permutavit*, propiùs accedens ad vocem Græcam. Est autem permutatio venditionis genus, quo pro eo quod accipis, reddis id quod cupit quicum pacisceris. Et hæc est *falsa Erasmi interpretatio*, si credimus elencho Stunicæ.

Ex Cap. XIII.

V. 23. *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum*] Γινώσκετε sonat utrumlibet, *cognoscite* sive *cognoscitis*. Nos indicandi modo vertimus, *scitis*. Stunica clamat me perperàm vertisse. Quî quæso perperàm, cùm sermo Græcus sit anceps, & uterque sensus constet? Sed *Græca ipsa phrasis apertissimè demonstrat*, inquit Stunica. Quomodo demonstrat, quam ipse fatetur esse ambiguam? Aut quam phrasim hîc sentit Stunica, tam peritus elegantiæ Græcanicæ, ut rectè putet dici Græcis ἐλογῆτο pro ἠλογῆτο;

IN EPISTOLAM JACOBI.

Ex Cap. I.

V. 11. *ET decor vultûs illius deperiit*] Quod Græcis est πρόσωπον, malui *aspectum* vertere quàm *vultum*, videlicet metaphorâ minùs durâ. Stunicæ non displicet metaphora *vultûs*. Digna verò res monomachiâ.

Ibid. *Ità & dives in itineribus suis marcescet*] Græcè est πορείαις, quòd si tollas ε, erit πορίαις, & sonabit *abundantiis*. Quod, quoniam ad sensum magìs quadrabat, secuti sumus. Stunicæ magìs placet vetus lectio. Nullus obstat quò minùs eâ fruatur, quæ nec à me damnatur. Porrò quòd Stunica suspicatur me, cùm per errorem vertissem *in abundantiis* pro *in itineribus*, mox in Annot. dissimulasse errorem, non ità conjectaret nisi ex se metiretur alios.

V. 13. *Deus enim intentator malorum est, ἀπείρασός ἐστι κακῶν*] Stunica vult ἀπείρασ& accipi activè, ut sonet, non est immissor malorum. Sed reclamat analogia Græca. Nec enim γνωστὸν dicitur *quod novit*, sed *quod cognobile est*, aut *cognitum*. Reclamat & quod sequitur, *Ipse autem neminem tentat*. Si ἀπείρασ& sonat *qui non tentat*, & sequitur, *Ipse autem neminem tentat*, planè bis idem dixit, & Græca conjunctio δὲ notat diversum esse quod subjicitur. Sed *ut* & *ità* de meo addidi duas voculas. Quid ni? Nam sensum malui clariùs exprimere quàm verbis servatis obscurare sententiam. Atque hîc elenchus notat *falsam Erasmi traductionem*.

V. 22. *Estote autem factores verbi, & non auditores tantùm*] Indicaram *tantùm* non addi in Græcis codicibus. Stunica prædicat additum in codice Rhodiensi. At ego jam dixi mihi videri codicem illum ad nostros fuisse castigatum, præsertim cùm Rhodienses commercium habeant cum Romana Ecclesia. Et tamen nihil periculi est sive addatur sive subaudiatur. Porrò quòd negaram esse in Græcis codicibus, haud dubiè sentiebam de iis quos mihi videre contigit.

Ex Cap. II.

V. 16. *Ite in pace, calefacimini*] Quod Græcis est θερμαίνεσθε, malui vertere *calescite* quàm *calefacimini*. Stunica docet Interpretem secundùm artem vertisse *calefacimini*: nam PriscIano autore priscos illos dixisse *facio* & *facior*, pro quo nos *fio* dicimus. Quid his rationibus efficit Stunica? nimirum ut tam excusatè verterit *calefacimini*, quàm si quis dicat, *virtus hoc seculo apud omnes parvi facitur*, pro parvi fit. O magnificum Interpretis patronum! Poterat hanc anntatiunculam Prisciani Stunica paulò rectiùs collocare.

Ex Cap. III.

V. 7. *Et serpentum & cæterorum*] Cùm Græcè sit ἀλλων, non potest verti *cæterorum*, & suspicor, autore Vallâ, ab Interprete scriptum fuisse *cetorum*, non *cæterorum*; aut si scripsit *cæterorum*, legisse non ὀφίων, sed ἄλλων. Stunica negat in ullis Latinis codicibus inveniri *cetorum*. Atqui hoc vidit Laurentius.

Ex Cap. V.

V. 15. *Et oratio fidei salvabit infirmum*] Quoniam Græcè est κάμνοντα, verti *salvabit laborantem*; nam *infirmus* dici potest qui non ægrotet. Stunica docet Græcis κάμνειν aliquando de morbo dici, & verum dicit: sed itidem fit apud Latinos, quibus *laborat* etiam ægrotus. Quid igitur admissum est piaculi?

IN EPISTOLAM PETRI PRIMAM.

Ex Cap. II.

3. *SI tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus*] Græcis est χρηστὸς· nos vertimus, *benignus est Dominus*. Stunica docet χρηστὸν aliquando sonare *dulce*; nec id tamen alio probat argumento nisi quòd sic & alibi verterit Interpres. Non negat autem interim aliquoties sonare *bonum* aut *benignum*, sed ob verbum *gustastis* mavult hîc *suavis* quàm *benignus*. At quid faciet in Psalmo, *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus?* Non videtur suavitas. Animo gustatur bonitas aut benignitas. An non licebit suavem dicere cantionem?

V. 5. *Superædificamini domos spirituales*, οἰκοδομεῖσθε οἶκ& πνευματικὸς] E Græcis doceo Latinos codices fuisse depravatos, ac restituo pristinam lectionem, sublato manifestario solœcismo. Stunica sic agit quasi ego Interpreti impegerim hunc solœcismum: imò depravatoribus librorum imputo.

V. 7. *Vobis igitur credentibus honor*, ὑμῖν οὖν ἡ τιμὴ τοῖς πιστεύουσιν] Nos verteramus, *Vobis igitur pretiosus est qui creditis*. Cæterùm rejicio interpretationem Lyrani, qui sic reddit, *Vobis erit honor in cœlestibus*, cùm Petrus agat de lapide qui rejectus fuit à Judæis, in pretio habitus ab iis qui fide salutem consequuntur, juxta Prophetam, *Lapidem quem reprobaverant ædificantes, hic factus est in caput anguli*. Stunica fatetur τιμὴ Græcis & *pretium* significare & *honorem*. Hoc sanè mihi cum illo convenit: sed si voluisset, inquit, significare *pretiosum*, non dixisset ἡ τιμὴ, sed ἔντιμ&, ut antea locutus est. Quasi non licuerit Petro variare sermonem, aut quasi non sit hoc Hebræis peculiare, abstractis abuti pro concretis. Sed articulus contra me facit, ἡ τιμὴ· imò pro me facit; notat enim illud pretium de quo paulò antè locutus est, illud insigne pretium quod adfert salutem æternam. Jam Beda verbis quidem dissonat à nobis, re consentit. Et in Elencho triumphat Stunica: *Defensus*, inquit, *ab Erasmi calumnia Lyranus, cum Erasmi redargutione*. At ubi sunt ista magnifica præsidia quibus & Lyranum tuetur, & me prosternit?

V. 14. *Sive ducibus tanquam ab eo missis*] Cùm Græcè sit ἡγεμόσιν, malui *præsidibus* quàm *ducibus*, quòd hîc non agatur de bello, sed de iis qui administrabant provincias, quibus Petrus vult etiam Christianos obtemperare. Porrò cùm Stunica fateatur esse verum, quòd annoto Interpretem solere sic vertere quemadmodum hîc ego verteram, cùm non damnem tamen quod vertit Interpres, sed causam adferam quare maluerim *præsidis* quàm *ducis* vocabulum, quid est quod mecum agit Stunica?

Ex Cap. IV.

V. 15. *Nemo autem vestrûm patiatur*] Παςέτω verteram *affligatur*; non ut excluderem ultimum supplicium, sed ut carceres, flagra, lapidationes, cæteráque malorum genera complecterer. Stunica docet nos autoritate suâ *pati* hîc nihil aliud esse quàm affici supplicio capitis; & ideo dicit me impropriè vertisse. Vicit Stunica, si non patitur nisi qui capite plectitur, & si qui occiditur, non affligitur.

IN EPIST. SECUNDAM PETRI.

Ex Cap. II.

V. 2. *Et multi sequentur eorum luxurias*] Quoniam in Græcis erat ἀπωλείαις, verteram *pernicies* pro *luxurias*. Addo conjecturam, Interpretem fortè legisse ἀσωτίαις, quæ vox propriè significat *luxuriam*, nec multùm abest ab ἀπωλείαις, nimirum duabus tantùm literulis. Hîc Stunica perinde agit quasi in multis vetustis codicibus legerit ἀσελγείαις non ἀσωτίαις, cùm in uno Rhodiensi legerit, si tamen ibi legit; cujus apud me levior est autoritas, quòd suspicer ad nostros codices fuisse castigatum, quò congrueret cum Latina lectione. Sed demus ἀσελγείαις legisse Interpretem, etiamsi ἀσελγεία non propriè sonat *luxuriam*, sed *lasciviam* potiùs, quid hîc erat quod merebatur incessi conviciis? In indice est, *Error Erasmi manifestus*, in annotatione Stunicæ *perperàm divinat Erasmus, & falsò refert Erasmus*. An non hæc declarant insignem quendam maledicentiæ morbum?

Ex Cap. III.

V. 13. *In quibus justitia inhabitat*] Ostendo *in quibus* posse referri ad *nos qui exspectamus, nos in quibus justitia inhabitat*. Hoc Stunicæ non placet, nec refellit tamen quod nos proposuimus, nisi hoc lemmate, quòd proximè præcessit *cælos & terram*. Imò propiùs præcessit ἡμᾶς latens in verbo προσδοκῶμεν. Et hîc Elenchus habet, *Evidentem Erasmi hallucinationem*.

IN EPIST. PRIMAM JOANNIS.

Ex Cap. I.

V. 1. *Quod fuit ab initio*] ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς ego verteram *quod erat*, quòd mallem sic fuisse ut adhuc esset. *Fuisse* enim dicitur ferè quod esse desiit. Stunica docet ἦν præteritum imperfectum pro perfecto nonnunquam usurpari. Id Erasmus non negat. Verùm ex hoc non evincit, non esse commodius quod nos sequi maluimus.

Ex Cap. III.

V. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei*] Indico Dei non addi in Græcis codicibus. Stunica rursus objicit nobis codicem Rhodiensem, sed unum, & eum, ut crebrò jam dixi, suspectum. Mecum faciunt codices innumeri.

Ex Cap. V.

V. 7. *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo*] Hîc ex autoritate Hieronymi docet Stunica Græcos codices palàm esse depravatos. Sed interim ubi dormit codex ille Rhodiensis? Porrò nos non susceperamus negotium emendandi Græcos codices, sed quod in illis esset bonâ fide reddendi. Quod hîc calumniatur Stunica, Leus hujus πρόσωπον antè calumniatus est; cui cùm libello edito respondemus, paucioribus hîc agemus cum Stunica. D. Hieronymus præloquens in Epistolas canonicas, suspicatur hunc locum fuisse depravatum à Latinis interpretibus, & à nonnullis omissum fuisse testimonium Patris, Filii & Spiritûs S. Et tamen juxta nostram editionem adducit hunc locum Cyrillus in opere cui titulum fecit De thesauro lib. 14. cap. penultimo. Ejus verba ascribam? *Rursum*, inquit, *Joannes in eadem epistola ait, Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit quia Jesus est filius Dei? Hic venit per aquam & sanguinem & spiritum, Jesus Christus; non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testimonium perhibet; spiritus enim veritas est. Quia tres sunt qui testimonium perhibent, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*, &c. Hactenus Cyrillus, vir, ni fallor, orthodoxus. Atque hic cùm dimicet adversùs Arianos, plurimáque in illos congerat è Divinis libris testimonia, probabile non est illum omissurum fuisse telum quo maximè confici poterant illi, si aut scisset, aut credidisset hoc fuisse scriptum ab Apostolo. Jam Beda locum hunc diligenter enarrans, cùm accuratè multísque verbis exponat testimonium triplex in terra, nullam mentionem fecit testimonii in cœlo Patris, Verbi & Spiritûs. Nec huic tamen viro defuit omnìno linguarum peritia, nec in observandis antiquis exemplaribus diligentia. Imò rè hoc quidem addit *in terra*, tantùm legit, *Tres sunt qui testimonium dant*. In codice qui mihi suppeditatus est è Bibliotheca Minoritarum Antwerpiensium, in margine scholium erat asscriptum de testimonio Patris, Verbi & Spiritûs, sed manu recentiore, ut consentaneum sit hoc adjectum ab erudito quopiam, qui noluerit hanc particulam prætermitti. Sed urgemur autoritate Hieronymi, quam equidem nolim elevare, quanquam ille sæpenumero violentus est, paríumque pudens, sæpe varius, paríumque sibi constans. Tamen non satìs video quid sibi velit hoc loco Hieronymus. Verba ipsius subscribam: *Sed*, inquit, *sicut Evangelistas dudum ad veritatis lineam correximus, ità hos proprio ordini Deo juvante reddidimus. Est enim prima earum una Jacobi, duæ Petri, & tres Joannis, & Judæ una. Quæ si sicut ab eis digestæ sunt, ità quoque ab interpretibus fideliter in Latinum verterentur eloquium, nec ambiguitatem legentibus facerent, nec sermonum sese varietas impugnaret. Illo præcipuè loco ubi de unitate Trinitatis in prima Joannis epistola positum legimus, in qua etiam ab infidelibus translatoribus multùm erratum esse à fide veritate comperimus, trium tantummodo vocabula, h.e. aquæ, sanguinis & Spiritûs, in ipsa sua editione ponentibus, & Patris Verbíque ac Spiritûs testimonium omittentibus, in quo maximè & fides Catholica roboratur, & Patris ac Filii & Spiritûs sancti una Divinitatis essentia comprobatur.* Hactenus Hieronymi verba retulimus. Ex quibus liquet Hieronymum nihil queri de codicibus Græcis, sed tantùm de iis qui Græca Latinè verterunt. At nunc in Græcis codicibus hoc potissimùm deest, quod omissum queritur, & habetur in codicibus Latinis, licèt non omnibus. Sed unde Hieronymus castigavit errorem interpretum? nimirum è Græcis exemplaribus; sed illi aut habebant quod nos vertimus, aut variabant: si variabant, quemadmodum & Latina, quonam argumento docet utrum sit rectius, utrúmve scriptum sit ab Apostolo, præsertim cùm quod reprehendit tum haberet publicus usus Ecclesiæ? Quod ni fuisset, non video qui possint habere locum quæ sequuntur, *Sed tu, virgo Christi Eustochium, dum à me impensiùs Scripturæ veritatem inquiris, meam quodammodo senectutem invidorum dentibus corrodendam exponis, qui me falsarium corruptorémque Sacrarum pronunciant Scripturarum.* Quis enim clamasset *falsarium* nisi publicam mutasset lectionem? Cùm proximè Brugis essemus in comitatu Cæsaris, consului duos mirè vetustatis codices ex Bibliotheca Sancti Donatiani; neuter habebat, quod Hieronymus queritur sublatum. Denique codex vetustissimus in Vaticana bibliotheca summi Pontificis non habet testimonium triplex in cœlo, nimirum nobiscum faciens: nam Paulus Bombasius consulto libro locum mihi descripsit ad verbum. Quòd si apud Græcos legit Cyrillus quod nunc habent Græci

Græci codices; si apud nos Augustinus ac Beda, aut tantùm hoc legit, aut utrumque legit; si codices tam vetusti, ut ætate Hieronymi possint videri scripti, cum Græcis consentiunt; non video quid adferat argumenti Hieronymus, quò doceat germanam esse lectionem quam ipse nobis tradit. Sed dicet aliquis, Erat hoc efficax telum adversùs Arianos. Primùm cùm constet & apud Græcos & apud Latinos olim variasse lectionem, nihil hoc telum adversùs illos valebit, qui sine dubio pari jure sibi vendicabunt lectionem quæ pro ipsis facit. Sed finge non esse controversam lectionem, cùm quod dictum est de testimonio aquæ, sanguinis & Spiritûs, *unum sunt*, referatur non ad eandem naturam, sed ad consensum testimonii, an putamus Arianos tam stupidè stupidos futuros ut non idem hoc loco interpretentur de Patre, Verbo & Spiritu, præsertim cùm in simili loco verè sic interpretentur Orthodoxi in libris Euangelicis, nec hanc interpretationem rejiciat Augustinus cum Ariano Maximino disputans, imò cùm hunc ipsum locum sic interpretetur fragmentum Glossæ Ordinariæ in versuum intervallo additum; *Unum sunt*, inquit, *i. de re eadem testantes?* Hoc non est confirmare fidem, sed suspectam reddere, si nobis hujusmodi lemmatis blandiamur. Fortasse præstiterat hoc piis studiis agere, ut nos idem reddamur cum Deo, quàm curiosis studiis decertare quomodo differat à Patre Filius, aut ab utroq; Spiritus. Certè ego, quod negant Ariani, non video posse doceri nisi ratiocinatione. Postremò cùm totus hic locus sit obscurus, non potest admodum valere ad revincendos hæreticos. Sed hac de re copiosiùs respondimus Leo per Apologiam. Illud addam, Cùm Stunica meus toties jactet Rhodiensem codicem, cui tantum tribuit autoritatis, mirum est non hîc adduxisse illius oraculum, præsertim cùm ità verè consentiat cum nostris codicibus ut videri possit Lesbia regula. Veruntamen, nè quid dissimulem, repertus est apud Anglos Græcus codex unus in quo habetur quod in vulgatis deest. Scriptum est enim hunc ad modum, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, πατὴρ, λόγος, καὶ πνεῦμα, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι· καὶ τρεῖς εἰσι μαρτυροῦντες ἐν τῇ γῇ, πνεῦμα, ὕδωρ, καὶ αἷμα. εἰ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων, &c. Quanquam haud scio an casu factum sit ut hoc loco non repetatur quod est in Græcis nostris, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσιν. Ex hoc igitur codice Britannico reposuimus quod in nostris dicebatur deesse; nè cui sit causa calumniandi. Quanquam & hunc suspicor ad Latinorum codices fuisse castigatum. Posteaquam enim Græci concordiam inierunt cum Ecclesia Romana, studuerunt & hac in parte cum Romanis consentire.

V.20. *Ut cognoscamus verum Deum*] Indicaram in Græcis non addi *Deum*, tantùm esse τὸν ἀληθινὸν, i. *illum qui verus est*. Sed habet codex Rhodiensis: sed non habent innumeri codices fidei melioris. Et tamen non refert si addatur, quod subauditur: nam de Deo, aut certè de Christo sensit.

IN JOHANNIS TERTIAM.

V.9. *Scripsissem forsitan Ecclesiæ*] Cùm Græcè sit ἔγραψα, verti *scripsi Ecclesiæ*. Neq; sensus quicquam patitur incommodi. Stunica non putat aliter potuisse verti quàm vertit Interpres. Id ità esse docet versiculo producto è Psal. 50. ὅτι οὐ θελήσεις θυσίαν καὶ δώσω ἄν. Pulcre docet Stunica si addatur signum subjunctivum, aut si addatur expletiva conjunctio ἄν. Nunc hîc nihil hujusmodi.

IN EPISTOLAM JUDÆ.

V.12. *Hi sunt in epulis suis macula convivantes*] Cùm Græcè sit ἐν ταῖς ἀγάπαις, demirabar unde vox *epularum* irrepsisset, cùm ἀγάπη sonet *charitatem*. Stunica docet olim *agapas* dictas convivia quæ ex charitate exhibebantur pauperibus. Quod admonet Stunica, repereram & apud Augustinum lib. Contra Faustum 20. cap. 4. Tametsi Faustus hoc verbo est usus prior, non Augustinus. Itaque locum hunc in tertia editione restituimus. Nec tamen video cur reprehendi debeat *charitates*, cùm Interpres non veritus sit vertere εὐλογίαι *benedictiones*, pro munusculis pio studio datis. Ad hæc, cùm Latina lectio habeat *in epulis suis*, nam Græci legunt ὑμῶν, non potest ἀγάπη sonare *convivium pauperibus exhibitum pietatis affectu*.

IN APOCALYPSIM.

Ex Cap. I.

V.13. *Vestitum podere*] Græcè est ποδήρης. Taxo Lyranum qui *poderem* dictum putet à *pes* & *hæreo*, h.e. Græcâ voce & Latinâ. Stunica putat me non minùs ridiculum esse quàm Lyranum, qui divinem esse dictum à πῆς & ἄω, quod est *adapto*. Stunica putat ηρης in hujusmodi dictionibus Græcis non aliud valere Græcis quàm *mentum* in *testamentum*, & *aris* in *talaris*. Hoc cùm asseveret tantùm, non etiam probet, tantum apud nos habebit ponderis quanta est Stunicæ autoritas. Neque verò sit absurdum si τειήρης & similia dicantur ab ἄω.

Ex Cap. II.

V.2. *Et inveniſti eos mendaces*] In Apocalypsi non suppetebat nobis nisi unicum exemplar, sed vetustissimum, quod nobis exhibuit eximius ille literarum heros Johannes Reuchlinus. Illic additum erat καὶ ἐβάπτισα. Indico mihi videri mendum, quòd in Commentariis nulla esset mentio de baptismo. Stunica docet in Rhodiensi fuisse ἐβάπτισας, i. *tulisti*. Debemus hoc Rhodiensi codici, tametsi in Latinis codicibus nihil est quod huic Græcæ lectioni respondeat.

V.13. *Et in diebus illis Antipas*] Cùm Græcè sit *Antipas*, sic verti ut illi legunt. Stunica docet complures esse dictiones quibus Interpres addiderit aspirationem, ut *Cleophæ*, *Capharnaum*, *Ephaneto*. Idem factum putat in *Antiphas*. Primùm, quî scit Stunica an hoc factum sit ab Interprete? Deinde si in paucis factum est, non consequitur hoc licere in quibuslibet.

Ex Cap. VI.

V.8. *Et vidi: & ecce equus pallidus*] Verto quod probat Stunica. Tantùm indico in Annot. χλωρὸν aliquando sonare *viride*, quemadmodum paulò pòst vertit Interpres. Hoc cùm non neget Stunica, nihil est hîc mihi cum illo controversiæ.

Ex Cap. X.

V.3. *Et clamavit voce magnâ*] Nec hîc mihi res est cum Stunica de versione. Tantùm annotaram quod Græcis est μυκᾶται, i. *mugit*, Interpretem vertisse *rugit*, illud, opinor, secutum, quòd mentio fiat leonis. Nec hîc mihi controversia est cum Stunica. Hoc non convenit, quod annotaram, fortassis apud Græcos non esse differentiam vocum quæ est apud nos inter *mugire*, quod boum est proprium; & *rugire*, quod non nisi leonibus tribuitur. Stunica docet & Græcis esse verbum quod sonet *rugire*, ut ὠρύεται, verùm in literis Sacris non observari differentiam. Siquidem & hîc μυκᾶται vertit *rugit*, ità lib. Sap. cap. 17. ὠρυομένων vertit *mugientium*.

Ex Cap. XVI.

V.4. *Et factus est sanguis*, καὶ ἐγένετο αἷμα] Nos vertimus *& facta sunt sanguis*, sentientes aquas versas in sanguinem. Stunica negat hoc posse fieri: nam ut paulò antè dixit, *Effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis*, ità hîc dicendum erat, *factus est sanguis*. Imò sicut ibi intelligimus mare versum in sanguinem, ità hîc intelligimus flumina & fontes versos in sanguinem, neq; quicquam vetat quò minùs dicamus, *& aquæ factæ sunt sanguis*. Et tamen hîc in elencho est, *Evidens Erasmi hallucinatio*.

Ex Cap. XVII.

V. 9. *Et hîc est sensus, ὧδε ὁ νῦς*] In prima editione scriptum erat in Annot. duntaxat, *hæc est mens:* haud dubium quin operarum aut castigatorum vitio, qui parùm attenti, *hîc*, quod à me perperàm suspicati sunt fuisse relictum, verterunt in *hæc*. Certè hoc non accidisse meo vitio declarat editio secunda, quæ habet, *& hîc est mens*. Et in annotatione admoneo *hîc* adverbium esse, non pronomen. Et tamen hîc elenchus taxat *Erasmi somnium*, & Annotatio clamat, *Erasmo nullam fuisse mentem aut intellectum cùm hæc scriberet*. At ego dejerem non quidem nullam fuisse mentem Stunicæ, sed malam fuisse cùm hæc scriberet.

Ex Cap. XVIII.

V. 7. *Et in deliciis fuit, ἐστρηνίασε*] Quoniam hæc per tumultum scripsimus, & in Epistola ad Corinthios fit mentio de viduis recipiendis, suspicabar illic esse quod erat in Epist. 1 ad Timotheum. Debemus hoc Stunicæ, nè non agnoscamus quamlibèt leve officium.

Ex Cap. XX.

V. 20. *Etiam veni cùò*] Adduxeram rationes aliquot quare Apocalypsis mihi non videretur esse Joannis Evangelistæ; quarum unam improbat, & in me retorquet Stunica: ea est, In pervetusto codice quo tum utebar non erat asscriptus titulus *Joannis Evangelistæ*, sed *Joannis Theologi:* Imò, inquit Stunica, *Theologi* cognomen propriè tribuitur Joanni. Adducit Suidam, qui vocat eum *Theologum*, sed addit, *καὶ εὐαγγελιστὴν*. Similiter & Dionysius illi scribens, Ἰωάννῃ θεολόγῳ, ἀποστόλῳ, καὶ εὐαγγελιστῇ. Nec mirum si Origenes, aut quisquis alius earum Homiliarum est autor, Joannem θεολόγον appellet, h. e. *deiloquum*, quòd sublimiter scripserit de natura Christi Divina, cùm eundem multis aliis huic similibus titulis honestet. Videt igitur Stunica rationem hanc in me non posse retorqueri. Sed hîc tandem prolixæ rixæ finis esto. Et pœnitet & pudet totos septem dies his nugis esse datos. Si tales habebimus spectatores qualis est hic Stunica, præstat non agere fabulam. Agant alii qui volent; nos vicissim otiosi spectabimus, & alieno fruemur periculo. Stunicam admoneo ut posthac meliùs collocet otium & operam suam. Quod si non impetro, fortasse non defuturum est dignum patellâ operculum. Certè me posthac non habebit colluctatorem. Quanquam & hic planè levi, quod aiunt, brachio rem gessimus, non tam respondentes homini quàm indicantes quid possit responderi.

---

mij 5° 1683

DE

NUMISMATE

Censûs, à Pharisæis in quæstionem vocato,

Dissertatio Theologistorica

MARQUARDI FREHERI, M. P.
Consiliarii Palatini.

LECTORI S.

HUmano ingenio vix quicquàm, opinor, volubilius exsistit: unde *igneum* quendam illi *vigorem* inditum à Deo Opt. Max. Poetarum Latinorum princeps haud injuriâ cecinit; nimirum propter agitationem mentis, *quæ nunquam acquiescit*, ut ait Cicero: Ideóque idem nominatissimam illam Aristotelis ἐντελέχειαν, unicâ duntaxat mutatâ literulâ, quasi ἐνδελέχειαν, ob perennem videlicet motionem, interpretatus videtur. Id ipsum jam indè ab initio dilucidè indicavit vera & antiquissima Hebræorum sapientia, impositis animo humano nominibus, רוח & נשמה, i. πνεῦμα καὶ πνοὴν, *spiritûs & flatûs*, non crassi alicujus & materialis, (qualis est animantium reliquorum) sed puri atque cœlestis, ab æterno illo Actu, qui solus est ὁ ὤν, infusi seu inspirati. Actuosissimus igitur sit necesse est animus, incredibili & stupendâ celeritate huc illuc puncto temporis discurrens. *Multæ cogitationes*, inquit Solomon Prov. 19. 21. *in corde viri*. Atque utinam, quemadmodum nimiùm plerumque multas eas esse experimur, ità salubres etiam essent piæque ac utiles, cùm ad mores corrigendos, tum ad solidam veritatis cognitionem parandam & promovendam. Accidit tamen miro & singulari Divinæ providentiæ beneficio, ut nemo ferè mortalium adeò bardus & brutus reperiatur qui non quandoque commodissimè & cogitet & loquatur. Hinc tritus ille vetere proverbio versiculus,

Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν,
Sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus.

Vix

Vix enim quiſquam eſt adeò imperitus qui ſæpiſſime jaculans non aliquando collineet. Æqui igitur ſpectatoris erit, quem nonnunquam collineantem laudat, eundem ſubindè aliquantulùm aberrantem patienter ferre. Hoc nempe humanitatis plenum eſt, & ejuſmodi quod facillimè ab eo minimóque cum diſpendio concedi queat. Quòd ſi quis nimis velit eſſe moroſus μωμητὴς, calamum ipſe in manum ſumat, ac ſcopulum veritatis (cujus ſe tam præclarum μιμητὴν videri cupit) perpetuò ſcilicet figat. Næ ille, ubi ſæpius omnes nervos contenderit, nec tamen forſan rem (quod aiunt) acu, imò nè ligone quidem, tetigerit, faciliorem deinceps (niſi me fallit animus) ſe aliis præbebit & moderatiorem. Longè optima lex eſt,

——*Veniam petimúſque damúſque vicißim.*

Perilluſtri & Generoſiſſimo

DOMINO HERMANNO

Comiti in Manderſchied & Blankenheim, Domino in Junkerode & Daun, Cæſar. M. à Conſiliis,

Patrono ſuo S.

CUM ſuperiori anno publicam calamitatem declinans apud Agrippinam velut alteram patriam ſubſediſſem, Patrone, quamvìs non nullum ſolamen & Urbium illa Regina, & in ea amicorum copia rerúmque novitas & varietas afferret, hoc tamen vel ipſius itineris & exſilii pretium mihi reddidit, quòd in gratiſſimum conſpectum & notitiam tuam, ſive aliquorum commendatione, ſive popularitate tuâ, nullo certè merito meo, peroptatò me adduxit. Tunc profectò non dicam conceptæ opinioni meæ paria, ſed ipsâ famâ virtutis & fortunæ tuæ majora omnia comperi; cùm pro humanitate tua unica vix auditum me ultro vocares, liberaliter exciperes, in arcem illam tuam viſendam & viſendorum cuſtodem deduceres & reduceres, & à latere tuo ferè individuum omníſque gazæ tuæ inſpectorem, nullo non beneficentiæ genere prolixè mactares; deinceps quoque abſentem literis & muneribus, & apud alios elogiis honeſtare non ceſſares. Quæ omnia ſi unquam animo excidere patiar, ingratiſſimus an ſtupidiſſimus ſim mortalium! Et mirentur alii arces & poſſeſſiones, & dignos ordine tuo apparatus, & quantum habes divitiarum operoſiorum, ipſi Italiæ invidendarum; ego magìs animum illis uti gnarum, vel potiùs non uti, & horum relinquendorum contemptorem internis opibus fultum & contentum. Quem ut veneror, ità conjunctum humanitatem amplector: ut ſi teſtandi grati animi occaſionem diutiùs requiram, vitam mihi acerbam putem, eóque arripiam proximam. Cùm enim ipſo tempore, otii impatiens, levandis moleſtiis & curis varia meditarer, cœpi neſcio quâ occaſione ductus ſuper argumento etiam hoc ſacro quæ ab aliis minùs obſervata in mentem mihi veniebant conſignare; majori animi contentione an oblectatione vix dixero. Certè præter opinionem quod parabam ità ſucceſſit & excrevit ut jam juſtæ Homiliæ ſufficeret. Quam pro felici reditu Servatori meo pactus, votíque per ejus gratiam damnatus, in publico citra ſibilum pronunciavi. Et deinceps aliis ſuper alia accedentibus (ut ſunt Divina illa infinita, & tractatio igitur eorum) non minorem in modum auctam & excultam Reipublicæ amicorum ſuaſu communicaturus, ſplendidiſſimi nominis tui præſcriptione lucem ei fœnerare volui. Non quo more hodie quidlibet cuilibet vulgò inſcribitur, ſed certo judicio & cauſis manifeſtis. Cui enim juſtiùs recentem fœtum quàm à quo beneficii accepti recentiſſima memoria exſtat? Aut quid aptiùs magni Cæſaris Conſiliario, magnis in rebus magnæ induſtriæ fideíque comperto, quàm quod pro ſumma illa in humanis poteſtate à cœleſti Hero è re nata dictum nos omnibus ingenii viribus intenſis enarrandum ſuſcepimus? Denique rem (niſi fallor) à vulgi captu & conſuetudine remotam cui potiùs quàm tibi omnium elegantiarum & rararum rerum ut copioſiſſimo poſſeſſori ità ſcitiſſimo æſtimatori deferimus? Nec improbabis factum ſcio. Nec improbabunt etiam, te patrono, ſtudium noſtrum alii, aut verba Divina humanis argutiis profanaſſe calumniabuntur, ſi penſabunt, ut ad ſummi illius Boni adeptionem omnes noſtros conatus meritò dirigimus, ità rectè etiam & ordine fieri, ſi quidquid eſt literarum ad unas Sacras illuſtrandas, quidquid monumentorum & ævi reliquiarum ad antiquiſſimam & immobilem hiſtoriæ religioſæ fidem undequaque confirmandam adhibeamus, ſi denique humana omnia Divinis, & univerſa mortalium ſtudia, ingenia, opera in tota hac machina Factoris ſui gloriæ prædicandæ ſerviant. Quem quidem ego (quidquid aliis ſit mentis) etiam horum ſtudiorum fructum cenſeo vel maximum & pulcerri-

mum:

mum: nec ſine hoc dignemur pii, quidquid eſt uſpiam auctorum veterum aut memoriarum (præ quibus tamen quæ non recentia ſordent!) obliquo oculo adſpicere: jam non tam honeſtam animi relaxationem ingeniique culturam quàm magis etiam ſerium illum uſum indè quærentes. Nec vetabo quin idem hoc majoris operis ἀποσασμάτιον Pomponii noſtri De veteri numiſmate ſimul aliquem guſtum præbeat: quem affectum dudum, & tibi oſtenſum, jámque amicorum tantùm non convitiis quotidie efflagitatum, brevi (Deo juvante) extrudere paramus: atque utique ſat citò, ſi bene. Tu hoc interea, magnifice Comes, magnæ obſervantiæ exiguum pignus ſolitâ comitate tuâ ſuſcipe, méque ſuſceptum tuum graviſſimo patrocinio complecti perge. Vale. Heidelbergæ, Kal. Januar. anno Chriſti M. D. XCVIII.

Marquardus Freherus.

ELOGIUM ARCIS BLANKENHEMI,

QUÆ SEDES EST

Inluſtris & generoſiſs. Dn. HERMANNI Comitis Manderſchidi & Blankenhemi, Dynaſtæ Junkenrodæ & Dauni, S. Cæſ. Majeſt. à Conſiliis.

GEORGIO REMO auctore.

VIN' tu mille videre amænitates,
Hoſpes? cernere vis Neronis aureis
Ædibus decies beatiores
Ædes, Dædaleâ & domo ampliores?
Hortos Alcinoi feraciores?
Monſtrabo indice virgulâque ſacrâ.
BLANKEMUM i, pete, & inſpice, ô viator:
Quà ſunt obvia promptáque undequaq;
Alta tot decora elegantiarum
Quot capſit microcoſmus ullus ægre.
Admirabere (ſat ſcio) ardua illa
Propugnacula, mœniana, turres,
Inſtrumenta tot incruenta Martis,
Armorum ſeriem ordinémque juſtum;
Glandes nempe, piláſque, fiſtuláſque;
Portarum excubias, ſilente nocte:
Quà cernes monumenta pacis almæ,
Quæ ſecum attulit eruditionis
Pallas mater, ab Atticis Athenis
Huc quando appulit ad fluenta Obrinci.
Hîc Divûm ſtatuas, Lares, & urnas,
Saxa, & ſarcophagos, imaginéſque,
Et cæſos lapides Paro vel ipſâ;
Hîc volumina docta, diſciplinæ
Cujuſvis lepidos bonos libellos,
Quot non, Rex Ptolemæe, poſſidebas,
Conſultis, Medicis, Sophis legendos,
Libros Theiologis manu diurnâ
Verſandos, reliquíſque doctiorum.
Porrò myriadas vetuſtiorum
Numûm (quos veteris vocare Pluti
Gazas poſſumus) Hoſpes, hîc videbis;
Numos dico Quiritium priorum,
Numos Grajugenûmque, Teutonûmque
Priſcorum; documenta magnæ opum vis.
Si porrò extuleris pedem arce, cernes
Herbis utilibus ſalubribúſque
Tot pomaria conſita, & referta
Tot pomæria fructibus, Deorum
Mater cum Cerere è ſinu benigno
Quos fundit bona, liberalis, æqua.
Hîc quod decolor Indus & Sabæus
Spirant, quôdq; metunt, metas licebit.
Verſu ſingula, (qui brevis laboro
Eſſe, & dicere multa malo paucis,
Et dixiſſe alios velim & peroptem)
Non percurrere nunc quidem poſſum.
Florent omnia, rara, chara, pulcra
Viſu: nec Genius beatiorem
Sedem Tibure quærat, inſuláſve
Deligat Macarum, vel orâ Atlantis,
Urbe aut Romulidûm Deorum aſylo.
Nam quæ Roma habuit videbis iſthic.
Trans Alpes vel ut evolaſſe Roma
Aut tranſvecta putetur huc locorum; &
Cum Muſis Charites ſimúlque Apollo
Aras abs Helicone tranſtuliſſe,
BLANKEMÚMque habitare cenſeantur.
Affari ergò bonas voles Camœnas,
Phœbum, & dicere Gratiis ſalutem?
Vin' Romam brevi imagine intueri?
Hortos, Dædaleam domum, vetuſta
Æra, & pumice codices politos?
Et vin' mille videre amœnitates?
BLANKEMUM i, pete tutus, ô viator.

INCOLUMITATI

Ejuſdem inluſtris & generoſiſſ. Dn. HERMANNI, Com. Manderſchidii.

DIGNIS imperiis, Deum precabor,
Fuſtíſq; huic domui imperes beatæ,
O HERMANNE Comes, beatitate
Corporis ſolidâ atque mentis auctus.
Hic vitæ adjiciat tuæ ſenectam
Tranquillam, capulo procul remotam,
Dulcem, Neſtoream, ſacram, beatam.

MARQUARDI

MARQUARDI FREHERI

DISSERTATIO DE NUMISMATE CENSUS.

DE VERBIS DOMINI,

DATE CÆSARI, QUÆ CÆSARIS; ET QUÆ DEI, DEO.

Sermo votivus.

QUOD ardentibus & anxiis precibus à Deo optimo maximo vitæ necísque Domino expetii, cùm superiore anno gliscente ferali illâ lue ob peccata nostra Divinitus immissâ, jámque viciniam meam & proximos parietes depopulante, dulcissimum larem & lare ipso dulciorem functionem meam deserere, & præcipitatis rebus omnibus vicini secundíque Nicri opportunitate ad fugam uti necesse haberem; ut daretur mihi aliquando, epidemiâ illâ calamitate sopitâ, incolumi incolumes revisere, réſque privatas cum publica statione recipere, ejus me voti tandem damnatum, & quæ desiderio firmâque spe præceperam nunc re ipsâ tenere, majus profectò & illustrius Dei beneficium agnosco quàm quod pro magnitudine sua animo concipi, nedum verborum digno pondere pensari possit. Nam & è præsenti periculo velutíque flagranti incendio cunctantem me & restitantem ceu angelicâ manu eductum, & cùm in Ubiis, quò me cum familia receperam, contiguas nostris ædibus domos eodem malo infectas adveniens invenissem, confectas postridie comperissem, ut non periculum sed locum mutasse velutíque è fumo in flammam venisse viderer, toto tamen illo tempore quo in Ubiis & Sicambris fui cum meis omnibus mirabiliter servatum, denique per varias difficultates & infesta prædonibus itinera (à quibus pridie modò spoliatam navem subsequebamur) feliciter huc reductum è peregrinitate ad domicilium, è molesto & sterili otio ad honestissimas functiones, è fuga & solitudine ad jucundissimum vestrum conspectum rediisse; nónne id tale est pro quo nihil sit ullâ oratione tanti beneficii auctori gratias agere, nisi ejus perpetuò memores totam ætatem nos gratos exhibeamus, & quicquid supereſt vitæ ei lubentes consecremus? Quemadmodum igitur qui avari maris iras tempestatéſque sonoras evaserunt, terræ & patriæ redditi vota sua Diis servatoribus persolvunt, tabellásque in fanis suspendunt, ità nos quoque isto periculo, Deo custode, sine magno dispendio defunctos decere arbitror, antequam ad consueta officii munia redeamus, votivo aliquo sermone beneficii memoriam testificari. Vel potiùs ut olim apud Romanos qui insigne aliquod vitæ discrimen evasissent, vel quos peregre mortuos fama nuncciasset (nam & id de me comitibúsque meis factum audio) domum reversi non per fores admittebantur, sed conscenso tecto in domum demittebantur, velutíque ex aere in atrium sub dio positum inferebantur, (Plutarch. in Quæst. Rom. 5.) ità nec ipse ab isto intervallo ad recitationes quotidianas rectà redire nisi altiore dicendi exordio facto, & extraordinario quodam aditu viam ad Cathedram repetere volui. Sed nè profano aut humili argumento deberi hanc horulam consentaneum est, modò & idem ab hoc loco & muneris nostri conditione non sit alienum, quale illud esse quod à nobis susceptum iri publicè significavi, omnino statuo; quippe quod & ab ore ipsius Veritatis profectum nullam vitilitigatorum controversiam admittit, & à fonte ipsius Sapientiæ ortum, inexhaustas indagantibus doctrinæ venas aperit, & à supremo dominantium Domino dictatum omnium humanarum potestatum vires, jurisdictionum nervos, legum denique nostrarum reverentiam auctoritate suâ sancit & confirmat. Ut quid enim aliàs non tantùm apud priorum ætatum homines Christianam, sed nos etiam reformatam & sinceram religionem professos, profanorum hominum Antoninorum & Severorum, addo etiam fidei persecutorum Trajanorum, Deciorum, Diocletianorum non dicam nomina conservarentur, sed leges & rescripta tanquam pro re sancta & inviolabili haberentur? quid Ulpiani illius magni quidem viri & magnis suo merito apud Principem honoribus functi, sed, ut Lanctantius lib. 5. Inst. cap. 11. ait, sceleratissimi homicidæ, qui injustas disputationes contra Christianos scripserit, & rescripta Principum nefaria constitutionésque sacrilegas contra eosdem collegerit, ideóque meritò bonis omnibus exosi, scita & dogmata sequeremur? nisi mandati hujus Dominici, & deinceps ab Apostolis non otiosè repetiti, memores, cùm Cæsari tum ab eo ordinatis Magistratibus ad parendum conscientias etiam nostras obstrictas esse, & hâc paritione non tam illis quàm, qui illos constituit, Deo ipsi gratum obsequium exhiberi constaret?

Etsi autem super hoc quoque loco dicta scriptáque à diversis sunt plurima, & dici adhuc infinita possunt; neque dissimulem pleroſque à nobis & antiquorum & recentiorum super eo jampridem consultos; nos tamen & limitum professionis nostræ, & in ea ipsa tenuitatis propriæ memores, pauca tantùm ad institutum nostrum facientia delibabimus, eáque more nostro ità tractabimus, ut nemo sua à nobis compilata jure conqueri, æquiores rerum æstimatores etiam non omnia dicta fuisse priùs agnoscere possint.

Te, æterna Sapientia Dei, qui ineffabile consilium salutis nostræ generi humano protulisti è sinu Patris, & officio Redemptoris in terra defunctus nunc assides ad dexteram ejus, unde Ecclesiam tuam potenter gubernas, & solus salutaria dona largiris mortalibus; te supplex veneror & oro per fidem tuam, ut verborum tuorum, dulciorum sanè quovis favo, validiorum vento, penetrantiorum gladio ancipiti, verum sensum pariter & usum ipse per Spiritum tuum veritatis magistrum nos edocere, & ut ad intelligendum ingenia nostra, ità obediendum animos & voluntates aptare digneris. Amen.

Quâ occasione quóque consilio hostes Domini post multos congressus priores isto omnium callidissimo commento eum adorti sint, non est opus altiùs repetere. Cùm enim vidissent se tot jam exemplis notatos, legis Divinæ, suíque

ſuíque officii prævaricatores declaratos, indigróſque judicatos regno Dei & patrum promiſſionibus; neque propoſitis parabolis quid reſponderent habere poſſent, ſuáque reſponſa ſibi ipſis eſſe captioſa multis vicibus comperiſſent; cogitant rationem invenire quâ & ipſum tandem in ſuis capiant reſponſis. Quam quidem ſibi reperiſſe videntur in quæſtione de Tributo, ut obviâ nec longè petitâ, ſed è præſentis temporis ſtatu, cùm Judæa tum cœpiſſet eſſe vectigalis Romanorum Imperio, ità in utramque partem ancipiti, id eſt, & ad Judæos maximè plauſibili, ſi quis eorum libertati aſſertor exſurgeret, & ad Romanos tunc rerum dominos maximè odioſâ & periculoſâ, ſi quis eorum jura armis parta vel leviter attingeret & in dubium revocaret, quod in rebellionis crimen læſæque majeſtatis dicam omnium graviſſimam ſtatim incidebat, ut tragicus exitus Judæ illius Galilæi docuerat, qui tempore primæ deſcriptionis ſub Auguſto Judaicam plebem ſpecioſis verbis ſolicitaverat ad libertatem defendendum, & mox cum tota factione ſua miſerè periit, ut Lucas Act. 5. ſcribit, & Joſeph. 18. ca. 1. & 2. De bel. Judaic. cap. 7. Non leve ergò quiddam erat quod Domino proponebatur, & quod ſolo diſputationis fine ſtaret, & in quo tantùm de victoriæ laureola inter diſſerentes ageretur: ſed tales quæſtionis tendiculas Domino ſtruxerant, quibus præjudicatam capitis ſententiam & verba per jugulum reditura ab eo elicerent; ubi ſi lubrico linguæ (ut J C. loquitur l. 7. ff. ad Jul. majeſt.) in alteram partem lapſus eſſet, ſurgendi facultatem non habuiſſet. Patuit ab eventu quid tunc moliti eſſent, qui poſtea etſi eis hoc conſilium minimè ſucceſſerat, tamen fervore accuſationis coram Pilato, & inopiâ verorum criminum, Chriſto impingebant, *tributum Cæſari pendere vetuiſſe*, Luc. 23.

Inito igitur conſilio Phariſæi, *genus hominum*, ut ait Egeſippus, *ſecundùm doctrinam Legis exercitatum, ſecundùm qualitatem affectûs callidum, avidum negotiorum, pecuniæ appetens*, non jam ipſi Dominum accedunt, quippe tot congreſſibus illi noti & ſuſpecti, à quibus ſibi cavendum etiam atq; etiam ſciret; ſed miſſis de ſecta ſcholâque ſua diſcipulis, quaſi ignotis ut faciliùs deciperent, & deprehenſi minùs erubeſcerent; *ſubornatis* ergò *inſidiatoribus* (ait Euangeliſta) *qui ſe juſtos & ſimplices ſimularent*, ut propoſitâ quæſtione eum caperent in ſermone, quem in facto non potuerunt, addunt Herodianos, religione licèt illos à ſe multùm diverſos, ſemi-Judæos tamen, & minùs à ſe alienos quàm Pilatus erat cum familia ſua, quæ Judæis infeſta non minùs quàm inviſa erat, & paganæ ſuperſtitioni dedita; ut faciliùs cum Herodianis hoc circumventionis conſilium communicare potuerint. Qui (licèt non neſciam variè ab interpretibus accipi) erant miniſtri Herodis, ex aula & comitatu ejus, vel etiam milites ejus, ut Hieronymus & Chryſoſtomus volunt, eâdem formâ quâ *Cæſariani* dicti. Herodis, inquam, non Magni illius Antipatri F. qui deficiente inclytâ & legitimâ ſtirpe Regum Iſraelis juxta Prophetarum Vaticinia primus ex alienigenis Romanorum voluntate præfectus erat Galilææ cum poteſtate Regis; ſed filii hujus, Antipæ priùs dicti, quem ipſe vivus Tetrarcham Galilææ conſtituerat, & Auguſtus poſt mortem ejus confirmaverat; quíque ideo Cæſarem dignitatis ſuæ auctorem & Romanos ſuperiores recognoſcebat, non aliter quàm Philippus frater ejus in Ituræa & Trachonitide, Lyſanias in Abylene, [Luc. 3. Joſeph. 14. cap. 23. Egeſipp. 1. ca. 30, 34. Euſeb. 1. cap. 4.] Archelao priùs Rege Judææ conſtituto; ut & alii in aliis provinciis Romanis Regum nomen retinuerunt, *vetere ac jampridem receptâ populi Romani conſuetudine* (ait Tacitus in Agricola) *ut haberent inſtrumenta ſervitutis & reges:* qui & in beneficium, & propemodum feudorum hodierno ritu, cum diademate nomen & poteſtatem ſuam à Romanis ſupplices è geniculis accipiebant, ut de Phraate Parthorum Rege Horatius ait,

——— *jus imperiúmque Phraates*
Cæſaris accepit genibus minor.

Et ipſi Judæi eò reſpiciunt, exclamantes coram Pilato, Πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν, ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι, Joh. 19. Et hic Herodes eſt impius ille qui inceſtum cum fratris ſui Philippi viventis uxore commiſerat, & Baptiſtam facti cenſorem necaverat; quémque ob verſutos mores *Vulpem* vocare Dominus ſolebat; & cui Pilatus Dominum, quem Galilæum putabat & ad illius Tetrarchiæ jurisdictionem pertinere, tranſmiſit, móxque ab eo deſpretum illuſúmque recepit. A Caio deinceps Imp. cùm illâ dignitate ſuâ non contentus Regium nomen peteret, Agrippæ calumniis, nomine pariter & ditione exutus, & Viennam ad Rhodanum relegatus; ubi cum Herodiade uxore ſua ſecunda (ſi uxor dicenda fuit) animi mœrore exſtinctus eſt. Herodes ergò hic, ut antè pater ejus, cliens devotiſſimus & amicus intimus Auguſti fuerat, ab eóque viciſſim ſupra omnes, infra ſolum Agrippam, diligebatur, ità & ipſe poſtea ad magnam amicitiam Tiberii (ſub quo hæc geſta ſunt) pervenit; cujus etiam in honorem civitatem Tiberiadem condidit, Joſeph. 18. cap 4, 8. Egeſipp. 22. cap. 3. Itaque de rebus apud ſe geſtis diligenter ad Cæſarem referre ſolebat, & (ut credibile eſt) jura Cæſaris omni ſtudio defendebat, atque adeò tributo Cæſariano colligendo in Judæa intentus erat, quippe ipſe à Cæſare non aliter conſtitutus quàm ὅτι φόρους ἄρα τελαμῶνας, ut Appianus ſcribit. Unde eſt quòd Origenes & Cyrillus putant *Herodianos* hos nihil aliud quàm publicanos fuiſſe qui tributa exigerent. Quos ideo (ut ad rem redeamus) Phariſæorum emiſſarii ex compacto ſibi adjunxerant, in ſpeciem quidem, ut cùm ipſi inter ſe diverſarum eſſent partium, hi exigerent, illi ægre perſolverent tributum, Dominum quaſi incorruptum Judicem hujus controverſiæ compellarent, velutíque arbitrum adigerent; ſed revera ut haberent negati tributi paratam non tantùm probationem, densâ populi caterva aſtante, ſed etiam exſecutionem, & *captum in ſermone* (ait Lucas 20.) *confeſtim per hos traderent principatui & poteſtati Præſidis Pilati*; deniq; diſcipuli caperent in ſermone, ſatellites raperent in corpore. Interea has inſidias probè diſſimulantes, quaſi bene Domino reconciliati, blandiſſimo ſermone & honorifico de ejus integritate judicio meditati eum ambiunt, nihil dubitantes quin verborum mellitiſſimorum fuco & palpo delinitus, procul ab omni ſuſpicione fraudis, tanquam apud homines diſcendi cupidos, imprudens animi cogitata ſit effuſurus. Nec pudet inconſtantiæ, quâ nunc Doctorem ſalutant, quem antea calumniabantur ſpiritum habere Beelzebub. Et libertatem ipſius ἀπροσωπολήπτου laudant, quò minùs vereatur Herodianos offendere. *Magiſter*, inquiunt, *ſcimus quòd verax tu & ab omni adulationis aut gratificationis nota alieniſſimus, Dei ſolius viam in veritate doceas, nihil curans de hominibus, nec ullius mortalium perſonam reſpiciens.* Qui ergò tot alia docuiſti, dic etiam hoc, *Quid tibi videtur?* Ex animi tui ſententia; *Fáſne eſt dare cenſum Cæſari, an non?* Nobis nimirum, qui liberi ſumus, ſoboles & poſteritas Abrahæ non ex Agare ancilla ſed Sara matre familias, qui liberi fuerunt, nec ullum unquam tributũ dederunt Regibus terræ, ſed ipſi potiùs ab illis donati ſunt eximiis muneribus, nõ ſponte ſed impulſis metu Dei noſtri. Nobis, qui populus Deo ſacer ſumus, Divinæ & unicæ religioni deditus, quíque promiſſiones habemus perpetuæ libertatis &, ſi quando premamur ad tempus ab infidelibus, venturi Meſſiæ Gen. 4. 9. qui *jugum oneris & virgam exactoris confracturus*, Iſa. 9. & *Regnum ſuum à mari ad mare propagaturus ſit*, Zach. 9. ſub quo lætâ pace ſecuri fruamur. Nobis ergò *an fas ſit*, per legem potiſſimùm Dei, quâ decimas, primitias, oblationes, didrachmum annuum Templo & Sacerdotio conferre jubemur; *dare Cæſari*, homini profano & peregrino, qualem nullum agnoſcere, ſed eligere Regem è noſtro populo, noſtræ nationis, noſtri ſanguinis, noſtræ religionis jubemur, Deut. 17. Cæſari autem, magiſtratui noſtro non ordinario & legitimo, ſed violento, qui jure belli (ſi jus dicendum) nos tenet, libertate noſtrâ armis oppreſſâ, & à nobis extorquet quæ vult, & fortè plura & graviora deinceps extorquebit; nec tam extorquet ipſe quàm extorquenda locat publicanis & mancipibus ſuis, generi hominum,

minum, vel tuopte judicio, omnium pessimo & iniquissimo. Huic ergò an dare liceat *censum*, i. capitis redemptionem annuam, ipsissimam servitutis confessionem? Hoc enim argumento superbi illi victores Romani triumphant & nobis insultant, quasi à Deo nostro neglecti, & ut falsi Numinis cultores ità falsi etiam spe nostrâ Divini auxilii simus, quod Tullius Pro L. Flacco facit; *Stantibus Hierosolymis*, inquit, *pacatisque Judæis, tamen istorum religio sacrorum à splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, majorum institutis abhorrebat: nunc verò hoc magis, quòd illa gens quid de imperio nostro sentiret ostendit armis; quàm chara diis immortalibus esset, docuit quòd est victa, quòd elocata* (publicanis nimirum vectigalium redemptoribus: nihil enim hoc loco mutandum censeo) *quòd servata*; i. se non excisam funditus solóque æquatam, Carthaginis exemplo, *nobis debet*. Incidebat hîc vulgata illa & non levicula quæstio, An Regna & Imperia armis & impressione parta sint à Deo: quam hîc quidem non attingam. Sed si ulla gens eo scrupulo laborare poterat, Judæa poterat; quæ peculiariter à Deo electa & adoptata, & eximiis promissionibus ac privilegiis dotata, à Romanis se oppugnatam, sacra sua inspecta & profanata à Pompeio, Templum expilatum à Crasso, & tributum insuper capitis ab Augusto imperatum indignissimè ferebat, & jure quodam rebellare posse videbatur. Hoc ipsum erat quod Judas ille Galilæus plebi Judaicæ ad rebellandum occentaverat, cùm primum censum Augustus ageret, Joseph. 18. cap. 1. *descriptionem illam censuariam nihil aliud quàm apertissimam continere servitutem, & indignum esse post Deum suscipere dominatum mortalem*. Addunt ergò Pharisæi, quasi re totâ in arbitrium Domini rejectâ, & ab ore ejus pendentes, & statuti ei quod ille dixisset, *Dabimus censum, an non?* Marc. 12. q. d. Quando ità tibi visum erit, dabimus; sin minùs, libertatem nostram & jura Templi exemplo Ducum Macchabæorum, armatâ manu ad mortem usque defendemus, & extrema admittemus. Parte ex altera astabant Herodiani, qui licèt nihil locuti proponantur, tamen tacentes quid ageretur observabant, & Romanorum potentiâ subnixi jus in armis positum habebant, ut strages Bethleemitica ostenderat. Erant enim non tantùm custodes corporis Regi suo (quales etiam è Germanis & Celtis Herodem habuisse legimus) sed etiam Regni ejus satellites & apparitores, & nè quid contra eum & Romanos rerum novarum tentaretur, observatores oculatissimi. Et utcunque cum Pilato Præside Herodes simultates foveret, Principi certè & Senatui Romano non infidum fuisse constat. Videmus ergò ancipitem velutíque bicornem quæstionem, & præcipitium ingens, ut utriusvis partis rationem probaret Jesus, alterius offensam incurreret, hinc patriæ & civium suorum, illinc victorum & rebus potientium Romanorum. Neque elabi illum posse putabant quin ex proposito bivio alteram partem eligeret; ut sive affirmaret dandum tanquam Principibus impiis adulatus, & cum eis colludens, populi circumfusi & patulis auribus responsum exspectantis odium incurreret, nec tantùm Redemptoris & Messiæ opinionem tot concionibus & miraculis collectam uno momento amitteret, sed fortè etiam tumultu populari aliquando opprimi posset; sive negaret, ut Hostis Cæsaris motórque seditionis præsenti crimine teneretur, daturus pœnas quas antè Theudas & Judas dedissent; & tamen ipsis voto potitis, interea vindictæ invidia in Cæsarem ejúsque Præfectos & Herodem derivaretur, causâ nihil ad Pharisæos attinente. Et sperabant utique ipsi magis fore ut Christus more suo religioni favens potiùs quàm Cæsari profano aut Herodi inviso, solitâ libertate pronunciaret adversùs Herodianos pro patria & gente sua, atque ità paratam perniciem non effugeret.

At Dominus, *contra quem nullum valet consilium aut sapientia*, Prov. 21. 30. & cui ludus est astutos in astutia sua deprehendere, Isa. 44. 25. nihil minùs quàm quod illi putarant fecit. Nam neque præcipitanter respondit, neque in alteram partem simpliciter, neque fine causa, neque denique ad id tantùm quod quærebant. Vulgò dicimus, *Ad pœnitendum properat, citò qui judicat*. Itaque nec Dominus simplici affirmativo aut abnutivo se absolvit; sed ut ante omnia ostendat se non fallere illorum insidiosam blandiloquentiam, & quò res tendat, *cognitâ penitus nequitiâ eorum* (inquit Euangelista) consultores suos primùm intentionis suæ coarguit; *Quid me tentatis*, inquit, *Hypocritæ?* Illi enim texuerant procœmium alicujus quæstionis ad pietatem & religionem pertinentis, dicendo, *Viam Dei in veritate doces:* & tamen quæstio ipsa non pertinebat ex Divino instituto ad viam Dei. Ideo vocat eos *Hypocritas*, & mox è reipsa ostendit illos confundere rationes Divinas cum humanis, quando de censu solvendo tanquam de præcepti alicujus Divini violatione agunt; cùm tamen allatus numus de quo agitur nil planè sacrum aut religiosum redoleat, atque adeò illius solutio non tangat aut offendat Deum, nec pietatem lædat; imò debeatur Cæsari tanquam victori, legum & monetæ conditori, & qui non petat violari religionem, sacra deseri, idola adorari, sed ex communi moneta reddi sibi numisma, in usus promiscuos cusum & merè Romanum. Damnum autem in ejusmodi rebus non tangere animum, & pauperiorem reddere, non impium. Si quid peteret Cæsar contra viam Dei, id esse negandum, quòd jam non Cæsaris tributum sit, sed Diaboli. Illum petere quod Principes omnes petunt, quod antea Ægyptii, Thren. 1, quod Seleucus ab eis petierat, quod Pompeius, imò quod viciſſim David aliquando victor à gentibus Moabiticis accepisset 1 Sam. 8. quódque adeò semper ei in cujus manum Deus victoriam dederit vel ex ipsa Dei ordinatione & lege expressa debeatur Deut 20. nimirum tributum ad reip. administrationem. Reddi igitur debere tributum, quod ex ipsa materia & forma manifestè ostendit nihil pertinere ad religionem violandam; & posse sine damno pietatis etiam Deo dicatum hominem dare tributum profano Principi, etiam non debitum, malentem obsequi quàm provocare. At verò pietatem, invocationem, animi fiduciam, vota oblationésque sacras Deo soli reddi oportere; ut & ipse Dominus Deo dedit quæ Dei sunt, faciendo voluntatem Patris mittentis, Johan. 6. Hæc summa & medulla est responsi, cujus singula excutere operæ pretium fore mecum fatebimini.

Antè igitur quàm respondeat, *Ostendite mihi*, ait, *numisma census*, antequam sententiam dicam, eamus in rem præsentem, videamus quid sit de quo agitur. Captiosa est quæstio quævis ni termini probè discernantur. Quis scit an de illo tributo agatur quod Pater meus lege suâ à populo suo in Templum suum quotannis deferri voluit, quódque vos integrâ conscientiâ indè avertere non potestis? facilè primo intuitu id viderimus. Nam quod singuli Judæi majores xx annorum in Templum quotannis ferre jussi erant pro Numine propitiando suíque redemptione, & in tutelam Ædis ipsius vel Tabernaculi, dimidium Sicli argentei erat, quod efficiebat duas drachmas, Exod. 30. Sicli autem imago & inscriptio nota: unâ parte virga Aharonis perpetuò virens, cum hoc lemmate, JERUSCALAIM KODSCHAH, *Sancta Jerusalem*; alterâ, urna illa sacra recondendæ Mannæ, cum liceris, SCHEKEL JISRAEL, *Siclus Israeliticus:* quales sicli hodiéque etiam archetypi exstant, & figuratum docti viri exhibent: Bez. ad 17. Matth. Anton. Augustin. Dialogo 2. del medagl. num. 2.

Hunc Siclum Sanctuarii colligebat Archisynagoga à Judæis synagogæ cuilibet subjectis, non solùm in Judæa sed etiam in aliis Romanorum provinciis, & ipsâ urbe Româ (ut Tullius eodem loco meminit) & collectam pecuniam ad summum Pontificem Hierosolymam transmittebat, & ut securè transmitti posset è locis longinquis trans maria, à Præsidibus subsidia armata ac λόγον συγχωρήσεως impetrabat. Quod adhuc duravit vivente Domino sub Augusto Tiberióque, usque ad eversam urbem à Tito Vespasiani F. Idque in historia certum est, & errant plerique Homiliarii, qui hanc fuisse Pharisæis dubitandi & quærendi causam scribunt, quòd tributum Templo Dei destinatum debitúmque Romani ad se transtulissent. Cùm contrarium potiùs illos moverit, quòd nimirum Judæi, cùm præter oblationes alias primitiarum & decimarum, Semisiclum etiam istum ex Lege quotannis præstarent, saltem de reliquo liberi & immunes esse vellent, & pergrave eis videretur Cæsari insuper censitione obnoxios esse; ut rectè Theophylactus hoc loco annotavit: *Nil dicis*, inquit sub persona illorum, *in gratiam Herodis aut Pilati. Dic igitur nobis, Debemus & hominibus tributarii esse, & dare eis censum, sicut & Deo didrachmum? an soli Deo tribuemus? numquid autem & Cæsari?* Patet id ab ipsius Domini exemplo, quem legimus Matth. 17. cùm venisset Capernaum, ubi frequenter versari solebat, & exactores didrachmi eum de solutione per Petrum interpellarent, quamvìs se ab eo tributo liberum esse demonstraret quòd sicut Reges gentium non suis filiis vectigalia imponant sed alienis, ità & Dei filio Templíque ac Regni paterni consorti pensitatio illa non incumbat, tamen nè noceret exemplo qui venerat Legem in omnibus implere, hoc quoque non recusasse; & omnem suspicionem contemptæ religionis, loci sacri & Sacerdotii vitare volentem, de statere invento in ore piscis persolvi tributum pro se & Petro jussisse. Didrachma enim semisiclum, Stater duas didrachmas unúmque Siclum efficit, ut Epiphanius docet lib. 8 De ponder. & mensur. Quod ipsum certè non ad exactores quæstoréscque Romanos & capitis tributum ab eis impositum (ut Beda cum aliis quibusdam, & Budæus è nostris lib. 5. De Asse & postremò Maldonatus putarunt) sed ad collationem illam antiquam pro sartis tectis Templi à Deo institutam referendum esse rectè Hilarius, & Theologorum nostrorum plerique, & Hotomanus etiam intellexerunt, De re numar. p. 358. Et multis demum postea annis Titus eversâ urbe sanctâ Judæis sub imperio Romano ex patriis legibus vivere volentibus hanc conditionem imposuit, ut Romæ ad Jovem Capitolinum illud argenti penderetur, Suetonio & Dione auctoribus: cùm antea occupatâ à se maximâ parte Urbis Judæis exprobrasset quòd tributum illud Dei nomine & donaria permissu Romanorum collecta eos semper reddidissent ditiores & ferociores ad rebellandum, ut Josephus vernaculus testis lib. 7, c. 26. & Egesippus l. 1. c. 17. prodiderunt.

Redeamus ad censum à Cæsare petitum, quem primus Pompeius Judæis, antea Romanorum federatis sociis, gente victâ, Urbéque captâ, jure victoriæ imposuit, Ducem eis statuit, Judææ fines determinavit: Sulpit. Sever. lib. 2. Deinde Cæsar Augustus, cùm Triumviris sublatis solus rerum potiretur, in generali illa orbis descriptione, cùm per omnes subactas provincias censum ageret, in Judæa etiam revocavit, & ad certam summam taxavit. Non jubet autem Dominus Siclum illum templarium sibi exhiberi, ac nè *numisma* quidem simpliciter, ut vulgò quidam scribunt. Tum temporis subjectionem Judæorum ex amissa αὐτονομίᾳ & moneta apparuisse, quòd non suâ ampliùs sed Romanâ pecuniâ uti cogerentur. Nam nec αὐτονομίαν penitus amiserant, cùm etiam sub Romanis Sacerdotes suos haberent, & ritus patrios liberè colerent, ut de Sicio Templi modò dictum, & mox de aliis id genus pluribus dicetur: & quod sub Græcis Regibus, nominatim autem Demetrio Syriæ Rege, Simoni Sacerdoti magno Judæorum inter alia privilegia & immunitates concessum etiam legimus 1 Mach. 15. *facere percussuram proprii numismatis in regione sua*, id eis à Romanis ademptum & abrogatum fuisse nusquam legimus. Quamvis non nesciam Mecœnatem Augusto familiarem inter alias firmandi Imperii artes etiam suasisse, nulli provinciæ alterius ponderis, mensuræ vel monetæ quàm Romanæ usum concedere, Dion l. 52. μήτε ἴδιά τινα νομίσματα ἢ κατὰ σταθμὰ ἢ μέτρα ἴδιά τις αὐτῶν ἐχέτω, ἀλλὰ τοῖς ἡμετέροις καὶ ὁμοίοις πάντες χρήσωσιν. Et sanè fieri non potuit, cùm Judæi Romanis legibus & moribus assuescerent, quin & ad commodiorem certiorémque commerciorum rationem simul vel Romanis numis inter suos promiscuè uterentur, vel saltem suas monetas ad calculi rationem illis usitatam, Denariariam dico & Sestertiariam, redigerent & computarent. Unde apud Euangelistas etiam sub Domini verbis *denariorum* & *assariorum* non una mentio, Mat. 20. Marc. 12. Luc. 12, Johan. 8. Act. 19. Sed tamen habuisse Judæos non minùs quàm antè Siclos suos, Didrachmas, Stateres, charactere vernaculo, in historia Jesu passim quoque animadvertimus. Quin & ipsum triginta argenteis venditum: quod cùm apud Matthæum ità legitur, οἱ δὲ ἔστησαν αὐτῷ τριάκοντα ἀργύρια, Eusebius Demonstr. Euang. lib. 4. ità transcripsit τριάκοντα στατῆρας. Et quorum numero si vel illum Argenteum qui Romæ adhuc in æde S. Crucis in Hierusalem ostentatur, [apud Ant. Augustinum, Dial. 2. num. 1. Herc. Prodic. p. 367. Bud. 5. De Asse] vel qui Parisiis in æde Johannis Lateranensis trans vitrum spectandus, recognoscamus (meam enim fidem interponere nolim) apparebit Romanum minimè fuisse.

Ut non dubitem Judæos eo tempore numos suos & monetas proprias etiam in commerciis adhuc habuisse, si non & cudisse. Et hinc est quòd requirit Dominus non simpliciter exhiberi sibi *eorum numisma*, sed *numisma censûs*, νόμισμα τῆς κήνσου, i. genus monetæ huic functioni proprium, quo defungerentur censu suæ provinciæ indicto. Id enim est κῆνσος, ut Suidas exponit: Κῆνσος, νόμισμα, ἐτήσιον τέλος, παρὰ τὸ κεῖσθαι, τὸ κοπῆναι. Et iterum, Κῆνσος, ὅτε τὴν ἀπογραφὴν ἐποιήσαντο Ῥωμαῖοι τῶν ἐξέτασιν τῆς Ῥωμαϊκῆς πλήθους παρεσχόμενοι. Et Hesychius, Κῆνσος, εἶδος νομίσματος ἐπικρατοῦς. Et ità in toto Pandectarum titulo De censibus. Quasi dicat Dominus, Hoc inspecto cujusmodi sit, facile erit dijudicatu Deóne an Cæsari eum dare debeatis. Unde apparet Dominum de vi argumenti sui jam certum fuisse, & quid sibi exhibendum esset, & ex eo necessariam consequentiam jam tum prævidisse. Si enim quovis pecuniæ genere, aut si etiam plùs quàm uno persolvi tributum potuisset, planè incerta & fallax fuisset instantia de exhibendo *numismate censûs*; propterea quòd Pharisæi sive casu sive malitiâ aliud numi genus protulissent, nihil tale ad Cæsarem inferri indè, neque accommodari illa argumentatio potuisset.

Statuendum itaque omnino est, ut hodie in plerisque Regnis, Principatibus, Rebuspublicis, in quibus certæ à subditis pensitationes exiguntur, capitationes, centesimæ, telonea, & alia, usu receptum & præscriptum est easdem in certo pecuniæ genere, quod exigenti maximè placuerit, deponi; ut non sufficiat valorem & quantitatem ipsam dari, nisi in ea specie expressa detur: ità veteres etiam Romanos, Cæsares præsertim, callidissimos gubernandi artifices, devictis gentibus omnibúsque provinciis suis non tantùm tributa imperasse, sed

sed ea etiam in certo monetæ genere, & quidem argenteo plerumque, ut Plinius annotavit lib.33.c.3. neque sanè alio quàm Romano, in signum nimirum subjectionis & recognitionem dominatûs sui, fisco inferri voluisse. Stante republicâ, populis bello superatis quandoque summas *Talentorum* (quod summæ genus Græcis etiam aliísque populis commune, τάλαντα) indictas apud Livium, Florum, Polybium legimus: aliquando *Bigatorum & Victoriatorum*, quæ Romanæ pecuniæ erant, & Consulum nominibus insignitæ. Recognoscebant in ipso earum charactere sæpe gentes miseræ calamitatem suam, cùm Romani non tantùm Magistratuum suorum titulos, sed illas ipsas expeditiones suas & victorias inscriberent, ut ex. gr. (nè à Judæis longiùs abeamus) à M. Scauro & A. Plautio, utroq; Cn. Pompeii in Asia Legato & Proquæstore, quorùm Josephus meminit lib.14.c.4. & Bell. Jud.1.c.6. illo ARETAS REX Arabum, hoc BACCHIUS JUDÆUS Arabiæ & ipse Regulus, superati in Denariis exprimuntur, supplicum ritu dextrò genu nixi, camelos tenentes, & olivæ ramum paci impetrandæ dexterâ prætendentes: apud Ful. Urſin. in famil.Rom.p.200.Eriz.p.182.& 274. Piso p.131.

At nè hoc quidem ad id quod quæritur satìs est; videndúmq; modò est propiùs quid sub Cæsare Augusto in usu fuerit. Si enim satìs fuisset quemvis Denarium, modò Romanum, exhibere, habuissent autem Romani in usu Denariorum varia genera, in queis veteres Regii, Consulares, Dictatorii, Triumvirales, Ædilitii. Bigati, Victoriati (ut habuisse eos vel Pomponius JC. L. numismatum, 28. D. de usufr. illo ævo meminit, & magna eorum copia ad nostrum usque ævum superat) potuisset & sic quæstio & argumentum de Denario censûs seu casu seu dolo facilè eludi. Et hoc est illud quod magnos illos Ecclesiæ Romanæ Doctores fugit, nobis autem laicis & semidoctis non ità est difficile explicatu. Scribit enim Cæsar Baronius Cardinalis, Annal. 1. sub anno Christi 34. Tiberii Imper.18. *morìi fuisse apud Romanos ut numismata pro ratione tributi vel censûs ab Impp. cuderentur, nec uno semper modo eadem permanerent, sed secundùm incrementa & decrementa tributorum & ipsa mutarentur; adeò ut numismata tributorum à cæteris usualis pecuniæ numis in eo differrent, quòd istorum pretium semper idem esset, numismata verò censûs & tributi, quoties mutaretur ejus quantitas, eadem ad rationem tributi noviter formarentur.* Et affert locum Lampridii in Alexandro, quem quia & ad censum hunc non pertinet, & ævi longè posterioris est, nè recitandum quidem duxi. Certè peculiare pro modo indictionum numi genus, modò gravius, modò levius, subindè fabricatum nusquam adhuc legi: & hoc ipso nostro loco dicitur prolatus Denarius pro numismate censûs, vulgatum & tritum numi genus, quod drachmam Atticam pondere æquaret, & decem Asses ære Cyprio cusos valeret, ut Volusius Mætianus, Priscianus, Fannius, Plinius docent. Et quod deinceps sub Tito Judæis impositum erat didrachmum nisi aliud erat quàm duo Denarii, ut est compertissimum. Non igitur ratione ponderis & valoris sed formæ potiùs certum quendam numum Cæsar in tributo exigebat, nimirum (ut rem tandem aperiam) vultu & nomine suo insignitum. Nam ut stante Republicâ per Triumviros & Consules monetæ feriebantur, ità Principatu ad unum devoluto, ut in operibus omnibus publicis sui nominis inscriptionem Cæsares affectarunt, vel Macro JC. teste l.3. D. De operibus publ. sic in moneta quoq; publicâ caput suum cum ornamentis Imperatoriis, suáq; gesta & dignitatum memoriam conspici voluerunt: idque præsertim in tributo à Provinciis accipiendo strictissimè servarunt, ut hic Euangelistæ locus auro contrà non carus evidenter docet. De Nerone scribit Suetonius cap.44. eo fastidio & acerbitate tributa & debita exegisse ut numos etiam suos non nisi asperos, i. ab officina adhuc recentes, velutíque ab incude calentes, & novitate quadam gratâ (ut Apuleius loquitur) candentes acciperet. Obvia sunt loca in ipsis Principum Constitutionibus per Codicem Theodosii & Justiniani, etiam cùm de illationibus publicis, fiscalibus reditibus, vectigalibus, auro coronario, adæratione agitur, ubi *solidi Principum veneratione formati eternales vultus, sacrum os, divini vultus* eis impressi dicuntur. Adeóque (quod miremur) mansit ea consuetudo apud Romanos Principes integra & diuturna, ut etiam viribus suis accisis & Imperio declinante hanc majestatis suæ significationem nollent remittere. Vel de Justiniano II. dicto postea *Rhinotmeto* legimus [Zonar.to.3.p.73. P.Diac.hist.Miscell.9.] qui fedus Arabicum, quod cum Rege Habdimelich habebat, ultro & magno quidem suo malo rupit, causâ ex eo sumptâ quòd annui tributi monetæ ab illo missa non Romanum (ut ipse volebat) signum, sed novum & antea invisum, Arabicum, haberet: cùm quidem Habdimelich multùm deprecaretur quando Arabibus nefas esset Romanorum incisione & figuratione vultuum in suis numis uti, & pondus auri sufficiens Cæsari offerret, nè Romani damnum ullum causari possent.

Et sanè credibile est, vel eò gravius fuisse Judæis tributum Romanis pendere, quòd ultra dispendium argenti, Cæsaris etiam imaginem conquirere, manibus contrectare, atque adeò illi afferre cogerentur; cùm memores ipsi Divinæ legis omne pictum sculptúmque summæ exsecrationi haberent, adeò ut non semel non dicam ob statuas aliquas hominum aut deorum, aut Aquilam argenteam in Templis eorum collocatas, sed saltem ob militaria insignia exercituum Romanorum regioni illata graves turbas dederint, vitam potiùs profundere quàm tale quid admittere parati. Scribit Josephus lib.17.c.5. & 18.c.11.15. & 2 Belli Jud.c.8. omnes ante Pilatum Judææ Rectores sine signis ingredi muros Civitatis consuevisse; Pilatum primum clanculùm ingressum signa militaria secum allata, in quibus imagines Cæsaris erant, in Urbe constituisse. Judæis diu multúmque instantibus ut tollerentur, tamen, quòd in Cæsaris injuriam id vergere videretur, facere noluisse, mortem insuper illis comminatum nisi quiescerent. Illos mortem se potiùs electuros quàm patriam legem transgressuros palàm affirmasse, ut Pilatus tandem admiratus sive religionem sive pertinaciam illorum, signa Cæsaream transferri jusserit. Quod ipsum initium ruinæ gentis fuisse, nec aliunde fatale illud bellum cum Romanis & surrexisse & crevisse Egesippus scribit lib.2.c.3. Taciti testimonium de gente Judæa hoc loco non omittam, quam ait *mente solâ unúmque Numen intelligere, summum illud & æternum; nulla simulacra urbibus suis, nedum templis habere; non Regibus hanc adulationem, non Cæsaribus honorem deferre*, Histor.5. Simile quid etiamnum videmus in Turcis, qui cùm habeant legem Mahometis, quâ statuas, simulacra, sculptas pictásque iconas severè prohibuit, ipsi Musulmanni (Leunclavii fide digni & ἀυτόπται narratoris fide referam, Pandect.Turc.num.55.) non tantùm magno zelo positas in templis per Christianos imagines frangere, disturbare, abolere solent, sed & Romanorum Græcorúmque Principum capita in numis antiquis expressa conspicati, violari legem Prophetæ clamant, & usum numorum ejusmodi veterum omnino è medio tollendum censent. Quamvis hodie non admodum eos hâc religione, in pecuniis saltem, tangi idem auctor testetur.

Pharisæi tamen (ut ad hos redeamus) Christo petente sibi exhiberi *numisma censûs*, vel, ut paulò brevìus Marcus & Lucas rem memorant, petente *afferri sibi denarium ut eum videat*, obtulerunt ei Denarium; non Siclum Hebræum, non Didrachmum aut Staterem Græcum (non enim hos Cæsar volebat) sed Denarium Romanum; ac

nè hunc quidem paulò antiquiorem, Consularem nimirum (quamvis & hic consulum Romanorum atque adeò Prætorum & Imperatorum exercitûs nomina prætulisset, quíque tam cum imperio fuissent quàm postea ipsi Cæsares Consulatum gesserunt) sed sui ævi, Tiberiani Imperii. Quærit enim Dominus, numo conspecto, quasi parùm agnosceret ejusmodi literas atque imagines, qui tractabat cœlestia, *Cujus sit imago & superscriptio.* His duobus numus censetur, nec ipse aliud est quàm, ut ait Juvenalis sat. 14.

Concisum argentum in titulos faciésq; minutas.

Quærit, non quòd nescierit (ut Hieronymus ait) sed ut ad quæstionem illorum competenter respondeat: ut Judex bonus quædam ex partibus etiam ultro quærere solet, ut confessionibus eorum acceptatis congruam meritis sententiam ferat. Venerant ipsi Jesum illaqueare verbis ipsius; at eos potiùs ille capit captósque tenet ipsorum responsis. Respondent enim ei quod res est, *Cæsaris.* Quid audio, *Cæsaris?* Ità est; &, ut Juvencus Presbyter hunc locum vertit,

Aspicite en numum, sculptique numismatis æra:
Cæsaris expressum facile est tibi cernere vultum.

Et Prudentius in martyrio Laurentii,

En Cæsar agnoscit suum
Numisma numis inditum.
Augustus arcem possidens,
Cui numus omnis scribitur.

Cæsarem hoc loco accipimus non Augustum jam defunctum, sed Tiberium ejus privignum & adoptivum, cujus tum Imperii decimusoctavus circiter annus vertebatur; ut & cùm iidem Judæi dicunt, *Non habemus Regem nisi Cæsarem:* &, *Omnis faciens seipsum Regem contrà facit Cæsari:* &, *Non es amicus Cæsaris.* Nec abfuit alter titulus, *Pontificis Maximi*, in illius operibus & numis perpetuus, & à successoribus etiam affectatus usque ad Constantinum, ut esset idem *potestate Imperator, virtute Victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentiâ Pater*, Auson. Panegyrico. Jam aversâ parte numi quid? fortè illud ipsum quod in aureis argenteísque frequens conspicimus, PONTIFEX MAXIMUS,

vel aliud quidpiam elogii, CLEMENTIÆ, MODERATIONI, PROVIDENTIÆ AUG. item PERPETUÆ PACI AUG. aut tale quid adulatorium; aut Deorum Dearúmve, aut Semonum aliquis, & fortè Diana Ephesia, cujus D. Lucas meminit Act. 19. Videas & in quibusdam Augusteis ejus ævi, & despuas, SALUS. GENERIS. HUMANI. Et sanè Cæsar ipse Divi instar formatus, *os humerósq; Deo similis*, cæsaries radiata, lauru redimita; additum etiam, DIVI. AUG. F. Et sub patris ejus imagine, DIVO AUGUSTO. Quin & numum hunc suum vult quodammodo pro re sancta & Numinis plena haberi. Refert Philostratus in Apollon. Tyan. lib. 1. Aspendi urbe Pamphyliæ, in qua & asylum Tiberii erat, statuas ejus Principis penè sanctiores ipsius Jovis Olympii simulacris habitas fuisse; adeò ut quidam majestatis damnatus fuerit *quòd servum suum verberasset qui Drachmam* sive *Denarium argenteum Tiberii imagine signatum palàm manu gestasset*; τυπῶσαι, inquit, ἢ ἑαυτὸν δῆλον φέροντα δραχμὴν ἀργυρᾶν νενομισμένον ἐς Τιβέριον. Tranquillus in Tiberio, & Seneca De Benef. scribunt *eò rem processisse in crimine majestatis, ut capitale esset numo vel annulo impressam Augusti imaginem latrinæ aut lupanari intulisse.* Habet ergò Denarius censualis Cæsaris nomen & vultum, & consequenter ab ipso Cæsare percussus; nec Judæi rem tam exsecrabilem unquam fecissent; & dubitabant adhuc an rem non tantùm profanam sed & paganâ superstitione imbutam abjicere & erogare deberent; nec religio eis erat, pictum sculptúmq; & idolo proximum penès se habere.

Et hinc aptissimè Dominus infert, quasi causâ bene cognitâ, re ipsâ oculis subjectâ, confessione partium auditâ, *Ergò*, etiam lege vestrâ jubente, cujus servandæ studio me consulere simulastis, quæ vos iconibus & idolis idolothytísque abstinere jubet, *reddite Cæsari quæ ejus sunt:* & hunc numum igitur. Denarius enim hic est Cæsaris: Sive formam spectetis, Cæsar numo formam atque adeò essentiam dedit. Ut JC. dicit l. 1. D. de contr. empt. definiens monetam *esse materiam electam formâ publicâ percussam, quæ usum dominiúmque non tam ex substantia præbeat quàm ex quantitate.* Forma autem est effigies & titulus, quem ille non renuente Senatu, & sic ut Magistratus non tantùm pro tempore rerum potiens, sed etiam legitimè vocatus impressit. Sive materiam spectetis (quæ fortè non abs re formæ cederet) & ipsa verè Cæsaris est, ut è metallis Cæsarianis effossa, in monte Palatino procusa, & ab eo publicata, ut subditi hoc medio ultro citróq; inter se mercari & contrahere possint, quod omnium rerum promercalium pretium certum constituit, sine quo nec victûs comparandi facultas est expedita, ut eleganter Athalaricus Rex Gothorum ait, Cassiodor. 6. Variar. 7. *Principis imaginem subditos videri pascere per commercium, cujus consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum.* Ipsum denique reddite Cæsarem Cæsari. Nam & hi numi Cæsarum ipsorum quorum imagines ferrent nominibus solebant indigitari, ut *Philippi, Trajani, Domitiani* dicerentur. Martialis 4. epigr. 28.

Et centum dominos novæ monetæ.

Juvenalis Sat. 8.

Dacicus, aut scripto radiat Germanicus auro.

Atque ità hæc verba Christi accepit Karolus Magnus Francorum Rex (cujus autoritate libenter utimur) in libro De imaginibus 3. c. 17. *Dominus & Salvator noster & per paginam V. T. imagines adorare inhibuit, & per corporalem præsentiam imaginem Cæsaris Cæsari potiùs reddendam quàm adorandam censuit.* Et iterum l. 2. c. 28. *Si crucem tollere & Dominum sequi jubemur, & rursus imaginem Cæsaris Cæsari reddere debemus, non sunt imagines cruci aquiparandæ, non adorandæ, non colendæ. sed huic mundo cum cæteris quæ mundi sunt relinquendæ.*

Non utitur Dominus illo vulgato & falso, Dd. in l. 3. C. de quadr. præscript. neq; illud auctoritate suâ confirmat, *Omnia sunt Principis*, ergò & numus. Nam neq; Cæsar hoc exigebat, neq; etiam numos omnes suâ imagine signatos à Judæis aliísve hoc solo argumento repetebat, ut si hodie Rex Hispaniæ omnes Philippeos, vel Papa Romanus Paulinos, quos vocant, omnes ob id solùm quòd suâ imagine signati sint vendicare velit, ut bene & dextrè Nicolaus Oresmius Episcopus Lexovienſis, qui fuit præceptor Caroli VI *Sapientis* dicti, hunc locum explicat & enucleat, Tract. De mutat. monet. c. 6. cujus verba, quòd non passim in omnium manibus versentur, adscribere non pigrabor, *Quamvis pro utilitate communi Princeps habeat signare numisma, non tamen ipse dominus sive proprietarius est monetæ currentis in suo principatu, sed is qui pro eo numismatem suam vel laborem proprii corporis dedit. Si quis autem vellet opponere per hoc, quòd Salvator noster ostenso sibi quodam Denario interrogavit, dicens,* Cujus est imago & superscriptio hæc? *& cùm responsum esset,* Cæsaris, *ipse sententiavit, dicens,* Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ Dei sunt, Deo; *ac si diceret, Cæsaris est numisma, ex quo imago Regis in eo est impressa: Sed inspicienti seriem Evangelii patet facilè quòd non ideo dicitur Cæsari deberi Denarius quia erat Cæsaris imagine superscriptus, sed quoniam erat tributum. Nam, ut ait Apostolus,* cui tributum, tributum; & cui vectigal, vectigal. *Christus itaq; significavit per hoc posse cognosci cui debeatur tributum; quia illi debeatur qui pro*

Republica militabat, & qui ratione Imperii poterat fabricare monetam. Hæc ille. Ex quibus, ut etiam junior. captui rem insinuemus, apparet tale argumentum Domini fuisse, cujus nulli parti contradici ullâ fronte potest;

Quæ Cæsaris sunt, ità ut Dei jus nihil attingant, danda sunt Cæsari: ut generaliter suum cuique.

Numisma censûs, sive Denarius censualis, est Cæsaris: Deum non attinet.

Ergò Cæsari non gravatim dandus.

Minor propositio per elicitam ipsorum adversariorum confessionem, probatam probationem habet, hoc modo;

Census omnis, dictante jure gentium & sensu communi, est ejus qui jure victoriæ eum imperat victis; & ipse rerum potiens suo arbitrio, atque adeò suâ si velit imagine, eum signat.

Hic census à Cæsare, orbis subacti descriptione factâ, exigitur, & talis signatur: ad Deum autem nihil pertinet, ut ipse loquitur.

Ergò Cæsaris est.

Non ergò omne argentum signatum sui characteris prætextu Cæsar à subditis vendicabat, ac nè plures quidem uno Denarios pro recognitione dominatûs sui accipiebat. Modestum planè tributum & tolerabile. Laudat Dio Cassius Augustum, quòd pro restituendo Palatio incendio absumpto à privatis Denarium, à singulis verò collegiis Aureum tantùm, qui constabat Denariis XXV, accepisset. Erat Denarius merces diurna unius operarii, ut apud Matthæum videmus cap. 20. & stipendium diurnum unius militis, ut ex Tacito discimus. Jam Magistratui quantum debeatur, qui subditos custodit, qui legiones alit ut eos in officio & pace contineat? & propter bella necessariò militi stipendium præbetur, *nè dum sumptu queritur, prædo grassetur*, ait Augustinus ad hunc locum, can. 4, & seq. 23. q. 1. Est aliquid quod Cæsar vobis Judæis præstat. Defendit vos ab inimicis quos priùs habebatis, Arabibus, Parthis: nec pyramidibus & obeliscis ædificandis vos occupat, ut Ægyptii Pharaones & Ptolemæi: nec usurpat tota illa jura Regis quæ olim, cùm Regem vobis exemplo aliarum gentium à Deo flagitaretis, ab irato illo Regi concessa sunt 1 Sam. 8. Quin Judæa gens, ut ipsa legis suæ & rituum propriorum studiosissima & ad superstitionem usque tenacissima, ità nec gravabatur à Romanis in suis sacris & ceremoniis. Et hos quidem olim ipsi Judæi ultro sibi socios & amicos asciverant, eorúmque fœdus & suppetias expetierant 1 Macc. 8. Joseph. 12. c. 17. ut imputare sibi ipsis bona ex parte deberent, si deinceps in eorum potestatem venerant; cùm lege Divinâ vetarentur cum infidelibus fœdus pangere, & experientiâ humanâ scire deberent, potentiorum conjunctionem & inæqualia fœdera infida esse solere. Sed tamen Romani gentis Hebrææ libertatem & religionem satìs comiter conservabant, &, præ aliis populis in provinciam redactis, Judæis certè æquiores semper fuerunt. De Augusto Philo testatur Legat. ad Caium Imp. eum non tantùm in Palæstina eorum religioni aut reip. nihil derogasse, sed & bonam Urbis partem trans Tiberim tenentes Judæos tolerasse, nec eorum proseuchas, in quibus cœtus suos, præsertim Sabbatis, haberent, impediisse. Claudium etiam Cæsarem omnia Judæis jura, leges & consuetudines confirmasse, & vestem Sacerdotalem eis liberè dimisisse, quæ priùs sub manu Romanorum erat, Josephus fatetur 19. cap. 4. & 20. c. 3. & 7. Bel. Jud. c. 37. Quin & Titum post Urbis excidium petentes Antiochenos *Judæorum privilegia aboleri*, repulisse idem testatur. Hinc est & vox Pilati ad Judæos, *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram judicate.* Itaque etiam circumcisio eorum lege excepta l. 11. D. ad leg. Corn. De sicar. & Sabbata tolerata; & in muneribus publicis, quibus æquo jure cum aliis civibus tenebantur, ea moderatio adhibita, *Nè qua superstitionem eorum læderent*, lib. 3. sect. ult. D. De decur. Et cùm aliàs Romæ conventus & coitiones hominum, præsertim collegia religionis gratiâ, non facilè concederentur, Judæis tamen concessa sua synedria, synagogas, proseuchas fatetur Josephus, & auctores nostri meminerunt lib. 15. sect. ult. D. de excus. tutor. Et adhuc sub Constantino M. Syriarchas & Phœniciarchas fuisse, & magna in dignatione habitos, ipse testatur lib. 1. C De natur. liberr. Nè quidquam jam de Christianorum Imperatorum constitutionibus & in Judæos indulgentia dicam, C. de Jud. Cujac. 7. Observat. c. 30. Augustus certè tributi hujus de quo agimus exactor ità æquus Judæis fuit, Philone teste, ut non tantùm pari jure cum aliis civibus eos haberet, sed & quoties menstruas pecunias, frumenti distributiones populus acciperet, Judæorum etiam (qui aliàs plerumque sordidè pauperes erant, & mendicando ínque triviis vaticinando miseri æruscatores ægre vitam tolerabant) rationem haberi vellet: adeò ut si quando ea liberalitas in Sabbatum incideret, diribitores publicum beneficium in posterum diem differre juberet.

Adeò igitur nullo Maccabæo vindice hîc opus, ut voce Domini potiùs jubeantur Cæsari tributum non *dare*, sed *reddere*, quasi nil gratuitum aut sterile, sed redhostimentum patrocinii & defensionis, eodem jure quo antè Seleuco Regi & Pompeio Magno id dedissent. Nec in Cæsaris personam id intelligendum est, sed habentibus etiam causam à Cæsare; quales sunt mancipes, publicani & redemptores vectigalium, quibus Judæa (ut suprà relatum) fuerat elocata, quorúmque in historia Sacra frequens & non bona mentio: dummodo & hi modum quem Baptistes eis præscripsit Luc. 3. servent, *nec ultrà quàm constitutum eis exigant.* Ut vice versâ hodie Christiani Principes Judæis sua jura & vectigalia elocare non prohibentur, cap. 18. de Jud. Sarracen.

Itaque ut & mater Domini in descriptione illa generali sub Augusto & Quirino Præside se stirit, censúmque capitis sui tum uterum gerens detulit, ipséque Dominus, ut Eusebius dicit, 4. Histor. c. 26. *civis Romanus nasci & censeri voluit*, ità & Apostoli ejus hoc præceptum popularibus suis inculcare non desierunt, *Necesse esse subjici magistratui, ut Dei ministro gladio armato, non tantùm formidine pœnæ, sed etiam ob conscientiam, atque ideo etiam tributum ei solvi.* Et generaliter subjicit Paulus Rom. 13. *Reddite omnibus quod debetis; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Et semel condemnata voce supremi Judicis Judæa natio sequentibus temporibus jugum tributi excutere, licèt subindè rebellando niteretur, non potuit; sed potiùs fato eos ad pœnam perfidiæ & crudelitatis suæ ducente, vitam simul & patriam cum libertate tandem amiserunt, Tito Cæs. Vespasiani F. exsecutione Divinitus demandatâ. De quo hoc solum dicam, exstare præter historias ejus victoriæ monumentum Romæ ad radices montis Palatini, arcum marmoreum cum superba inscriptione, in quo sculptæ manubiæ & spolia Templi in triumpho per ostentationem traducta, candelabrum affabre expressum, cum Arca fœderis, & tabulis Divinæ legis. In ejus numis apparere tropæum cum duobus captivis assidentibus; item triumphalem quadrigam, duobus captivis præcedentibus. Esse & alios Vespasiano inscriptos, quibus inest Victoria scuto inscribens, captivis assidentibus; item Judæa muliebri figurâ expressa habitu lugubri assidens tropæo, in aliis duo captivi sedentes sub Palma, quæ Judææ Hieroglyphicon, hâc inscriptione signatos, JUDÆA. CAPTA.

C. Valerius Flaccus, qui Argonautica sua Vespasiano Imp. inscripsit, lib. 1. in princ. auguratur filium ejus Titum tunc, *versâ Idumê, pulvere Solymo nigrantem*, ut loquitur, paterno nomini templa, apud gentem nimirum talium insuetam & impatientem, consecraturum:

Illa tibi cultúsque Deûm, delubráq; genti
Instituet, cùm jam genitor lucebis ab omni
Parte poli.

Hoc ergò Tito victore capitatio illa Judæorum prior aggravata est, ut pro Denario totam Didrachmam, quæ in Templum Solymæum quotannis inferri solebat, ubicunq; gentium agerent, deinceps penderent Jovi Capitolino, ut Josephus 18. c. 12. & 7. Bel. Jud. cap. 28. & Romani scriptores testantur. At Domitianum Titi fratrem Suetonius auctor est Judæos Romæ agentes, & alios etiam pro Judæis suspectos, gravissimè vexasse: *Præter cæteros*, inquit, *Judaicum fiscum acerbissimè actus est, ad quem deferebantur, qui vulti professi Judaicam sectam intra Urbem viverent, vel dissimulatâ origine imposita genti tributa non pependissent*; & addit, *Interfuisse adolescentem me memini cùm à Procuratore frequentissimo concilio inspiceretur nonagenarius senex an circumsectus esset.* Sub eo Martialis alludit lib. 7. epigram. 54.

Sed quæ de Solymis venit perustis,
Damnatam modò mentulam tributis.

Nerva bonus Imperator illi belluæ succedens vexationē calumniosam sustulit, & nè liceret amplius majestatis aut Judaismi quenquam deferre edicto vetuit, Dione auctore. Argenteus numus ejus id exprimit hâc inscriptione, FISCI. JUDAICI. CALUMNIA. SUBLATA. palmâ in medio positâ, Judææ arbore familiari; apud Erizz. p. 171.

Sed tamen calumniâ exactionis sublatâ tributum ipsum mansit. Hadrianus Judæis ad internecionem cæsis è Civitate coloniam fecit, & nomen ei mutavit, à se *Æliam* vocans. Ulpianus JC. Alexandri Severi Imp. familiaris *Ælia Capitolina & Cæsariensis* meminit l. 1. & 3 D. de censib. *colonias in Palæstina* vocans, negátque eas *jus Italicum habere*, unde tributarias esse consequens est. Idémq; scribit, *in Syria à* XIIII *annis masculos, à* XII *feminas, usque ad* LXV *annum tributo capitis obligari.* Tandem religione Capitolini Jovis eversâ, pecunia hæc Judaica largitionibus & ærario Principum inferebatur; neque tantùm Didrachmam (de qua dictum) sed verò etiam aurum Coronarium, quod Judæi antea quotannis ex Italia & omnibus provinciis Hierosolymâ portare & Patriarchæ suo conferre consueverant, deinceps Imperatores sibi vindicarunt; & ità quidem, ut Judæi hunc canonem anniversarium suo periculo, compellentibus Palatinis & Officialibus Præsidum, colligerent, & collectum Romam ad thesauros Cæsaris mitterent, l. pen. C. de Jud. Cujac. ad l. 1. C. d. auro coron. Quid autem hodie in eos Cæsari, Regibus & Principibus juris sit, sunt qui peculiaribus commentariis exposuerint: Marq. de Susan. tract. de Jud.

Et hæc de tributo dicta sint, de quo solo Pharisæi quæsierant. At Dominus, qui revera venit ad docendam viam veritatis, ità respondit ut non tantùm tributum illud Cæsaris imagine signatum, sed & si quid præterea Cæsaris est, ei tribuendum pronunciet. Quo dicto non illius tantùm summæ potestatis apicem & majestatem, sed omnium aliorum Magistratuum auctoritatem confirmavit, & voce pariter factísque ipsis docuit quod alibi profitetur, Se non venisse ut evertat politias & ordinem rerump. sed ut stabiliat: quas & ideo *ordinationem esse Dei* Apostolus pronunciat. Egesippus scriptor belli Judaici lib. 2. cap. 5. testatur, *Christum Dominum nihil aliud docentem, nisi quo primùm Deo, deinde Principibus faceret populos obedientes, à Pilato improbo cruci suffixum* deplorans. Vult itaque præter tributum & vectigal etiam honorem & reverentiam atque adeò amorem Principi deferri; & Cæsari ipsi, *ut super omnes eminenti*, ait Apostolus 1 Pet. 2. *& Præsidibus ejus, ut ab illo missis.* In rebus μέσοις & temporalibus obedientiam ei præstari, in contractibus & negotiis civilibus leges ejus servari; qua & tandem in parte à Christianis Principibus Judæi in ordinem redacti fuerunt, lib. 6. 8. C. de Judæis. Etsi enim lites & fora Ethnica Christianis, quantum pote est, vitanda suadet Apostolus 2 Cor. 6. tamen ubi per adversarium non licet litibus carere, adire legitima tribunalia & jure experiri nihil vetat. Ut ipse Apostolus, cùm seditionis & rerum novarum reus ageretur, jus Romanæ civitatis allegavit, Præsidum & Cæsaris tribunali se stitit, nec forum declinavit, sed illuc à violentia tanquam ad portum justitiæ provocavit Act. 25. & ab Angelo audiit, *Ne metuas, Paule: oportet te Cæsari sisti*, Act. 27. Quòd si *suum cuique reddendum est*, ut idem monet, *nil cuiquam debendum*, etiam paganis, alienigenis; si privatis, quantò magis Magistratui, licèt Ethnico, tamen cujus potestati ob peccata sua Judæi commissi erant, & omnis potestas à Deo? quò Dominus ipse Pilatum Judicem sedentem & potestate suâ ferocientem revocavit, *Non haberes*, inquit, *in me potestatem judicandi nisi datum tibi esset desuper.*

At non in hoc substitit Dominus (quod nec adeò præter exspectationem Pharisæorum fuisset, aut effugiendo periculo satis) neque officio docentis Divinam veritatem perfunctum se adhuc credidit; sed addidit aliud quid majoris momenti, & ità temperavit responsum admirabili suâ sapientiâ ut neutri factioni se redderet obnoxium; sed potiùs pro bonitate sua utramque sibi inimicam factionem moneret quod magis ad salutem illorum attineret, & in quo discendo majus operæpretium esset, quàm de Denario censûs, nimirum, Ut Deo Principi summo ante omnia solvant censum pietatis. Non tantùm, inquit, *quæ Cæsaris sunt, Cæsari date*; sed inprimis *quæ Dei sunt*, Dn. Juvencus ità reddidit,

Solvite nunc illi propria sub lege tributum,
Atq; Deo proprium legis servemus honorem.

Ergò *quæ Dei* & Templi ejus, domûs orationis, ut Didrachmum illud non Cæsaris, sed propheticæ virgulæ & mysticæ supellectilis figurâ signatum, ut antea, *ei persolvite*: solvite Decimas, Primitias, Oblationes & Donaria ministerio Sacerdotii destinata, ut Hieronymus interpretatur. Adeò si quis esset numus Deo debitus, & ità inscriptus, quem ipse peteret, eum bonâ fide reddite. At talem accepistis, ipsam Animam Dei imagine insignitam, accepistis ab eo talentum Ingenii, Legis naturæ, Judicii, Sensûs communis, Conscientiæ, aliorúmque donorum: id bene collocate ad gloriam datoris, & cum fœnore fructibúsque fideliter reddite; præsertim cùm is non paulò & attentiùs & justiùs quàm Cæsar suum requirat, ipse numum perditum accensâ candelâ quærat. Quin & hoc sibi imputabit, cùm Cæsari suum dabitis. Magistratus cæteri jus suum à Cæsare habent, Cæsar à Deo. *Dei* ipsius *est minister, nec frustrà gladium gerit*: & ut ipse Præfectis suis gladium ad tutelam bonorum, excidium malorum committit, ità ad hunc usum priùs à Deo accepit. Deniq; conjuncta est causa Dei & Cæsaris, Numinis & Magistratûs, quod jam olim sapientissimus Regum docuit Prov. 24. *Time Deum, fili mi, & Regem*; & deinceps Apostolus, 1 Pet. 2. 17. *Deum timete, Regem honorificate.* Conjuncta est, non confusa. Itaque neq; occupate jura Cæsariana, neq; vicissim quæ sacri juris sunt ad profanos usus conferte, ut Eleemosynas, quas Christus pro se & membris suis acceptas fert, & alia sacris pissque usibus destinata, illis conser-

vate,

vate, exemplo Laurentii eam ob causam sub Diocletiano passi. Multò minùs profanis rebus sacrorum reverentiam aut hominibus Divinos honores date. Id à Herodianis hisce factum, qui Herodi, non quidem huic, sed Antipæ, cùm die quadam sederet regaliter ornatus prò tribunali, concionabundus ad populum, acclamarunt, *Vox Dei, & non hominis.* Tum *confestim percussit eum Angelus Domini, ut erosus à vermibus exspiraret.* Actor. 12. Joseph. 18. c. 8. Et tamen orta est postea secta hominum qui Legem quidem & Prophetas acciperent, & Resurrectionem etiam faterentur; Herodem autem illum Regem percussum ab Angelo ipsum ut Christum sperantes exspectarent; quos indè *Herodianos* dictos Philastrius Brixiensis annotavit, Catal. hæres. p. 12. Ità uno responso Dominus pupugit utramque partem; Herodianos, qui impii erant, herúmque suum nimio cultu afficiebant, & de statu Regni sui tutando, Cæsarísque gratiâ, per quem regnabat, conservandâ magìs quàm Divino cultu aut Legis observatione laborabant; & Pharisæos, qui nimiâ superstitione tumebant, & obtentu libertatis religiosæ legísq; patriæ, quam se solos intelligere putabant, Principibus parêre gravabantur. Atque ità dum illi ipsum alterutri parti invisum reddere tentant, ipse eos Deo pariter & Cæsari adversarios esse ostendit, & officii tamen erga utrumque sui (si audire voluissent) commonefacit. Ipse autem interea neque Cæsari jus suum infregit, aut Herodianos ei devotos offendit; & vero Deo Patri suo cultum debitum apud gentem illam vernaculam asseruit. Quem Cæsares etiam Romani adeò evertere & abolere non potuerunt, ut ipsi tandem Deo unico ejúsque Filio nomen darent, séque à Deo coronatos, θεοστέφεις, non inviti agnoscerent; nec tantùm nullum à Templo dedicatum donarium averterent, sed ipsi potiùs sua eò promptissimè & largissimè conferrent, omnémque splendorem & majestatem suam eò referrent, denique monetam etiam suam Christi potiùs imaginem ferre, in eâq; hoc legi jubérent, IHS. XPS. REX. REGNANTIUM. Cedren. f. 563. Glycas 4. Annal. p. 434. Curopal. f. 80. Balsamon in Nomocan. f. 24.

O magnam simplicissimæ sapientiæ virtutem, quæ adversarios in admirationem adductos & confusos coram populo, quo teste agebant, pudefacit, ut nihil reprehendere valentes obmutescerent, & spe suâ delusi abirent! Sed, ut eleganter Hieronymus addit, *qui ad tantam credere sapientiam debuerant, mirati tantùm sunt quòd calliditas eorum insidiandi locum non invenisset. ET RELICTO EO ABIERUNT, infidelitatem pariter cum miraculo reportantes.* Falsò igitur (ut ad initium suum nostra recurrat oratio) falsò præfati erant, *Scimus quòd magister tu verax.* Imò nil minùs scimus, nec scire nobis datum, nec scire id cupimus, aut ut credamus induci possumus, adeò increduli & pervicaces. Cananæi citiùs credidissent; & verò passim auditâ doctrinâ, miraculis visis cum stupore, inclinabant ad credendum. Agrippa audito D. Paulo quasi cedens, *Parùm abest quin Christianus fiam.* Tiberius ad Senatum super Christo retulit. Alexander Severus in lario cum aliis posuit. Denique ità Deo visum, ut Gentiles illi, & nos Germani, nos barbari à Sole illo mollesceremus, Judæis magis etiam adhuc induratis. Cui pro hoc beneficio sit laus & honor in secula.

APPENDIX.

HIS expositis videamus hoc præceptum ab ore Domini profectum de veneratione, tributo, obedientiâque Magistratui præstanda quis primus & maximè violaverit. Quis nisi ille in Templo quidem & Ecclesia Dei sedens, sed nihil eorum non dicam quæ Dominus jussit faciens aut etiam scire curans, verùm in contrarium facere & moliri non dubitans; cui humanas res omnes miscere & pessundare ludus; cui audaci & sibi ipsi placenti Dominatus & Potestates mundanas, quas etiam Angeli venerantur, contumeliosè habere & proculcare nulla est religio? ut de eo D. Petrus jam tum præsagiebat, 2. ep. 2. & D. Judas v. 5, 8, 10. Ut autem de eo tantùm dicamus quod est hujus loci proprium, de numo Cæsaris, de censu; Cornelià lege olim cautum erat, quæ *Numaria* dicta, vel potiùs (quia hoc nimis cascum videri possit) à Principibus Christianis Valentiniano & Theodosio, item Majoriano & Theodosio, constitutionibus sancitum, à Justiniano in Codicem suum relatum, & in Pragmatica sanctione ad Vigilium Romæ Episcopum repetitum, deinceps etiam à Leone Philosopho Imp. in Oriente, & à Carolo denique Magno in Occidente iteratum, *Nè cuiquam numos Principum quorumcunq; imagine formatos, modò aliàs justi ponderis nec dubiæ fidei essent, in commerciis reprobare fas esset:* Paul. 5. sent. tit. 25. l. 1. C. de vet. num. potest. Theod. Novel. 25. Major. 1. Prag. sanct. ca. 14. Leo Nov. 52. Lombar. 3. tit. 28. Porrò cùm translatum esset Imperium è Veteri Roma in Novam, & Imperatores Constantinopolitani per Exarchos suos Ravennæ residentes Regnum Italiæ utcunque retinerent, Occidentem & caput ejus Romam ut legibus illorum ità etiam solidis, monetis, numis per multos annos sine difficultate usum constat, qui *Byzantini* dicebantur, *Bezants d'or*; & eorum multa mentio in ejus temporis diplomatis & instrumentis, etiam Pontificiis bullis & fundationibus, aliísq; talibus memoriis; necnon in ipsis Decretalibus, & cæteris ejus ævi auctoribus. At Constantinus Papa nónne ipsis Judæis rebellior videri potest? qui Philippico Bardane Imp. quòd non per omnia cum Sede Romana sentiret, & picturas synodicas (quas vocabant) sanctorúmq; statuas & imagines è Templis erasisset, (gravi scilicet ex causa) hæreseos condemnato, cum populo Romano statuit, *Nè nomen Imperatoris hæretici aut in chartas aut in figuram solidi seu numismatis susciperent:* Unde nec ejus effigies in Ecclesiam pro more introducta est, nec nomen ad Missarum solennia prolatum; ut Paulus Diaconus, Beda, Adóq; testantur. [l. Diac. 6. Longob. c. 31. Ado æt. 6. Platin. & Masson. in Constantin. 1.] Jam quis nescit quomodo idem Romæ Episcopus, & per eum totus Clerus, reditus fiscales & tributa Imperatoris, Imperiísque & omnium Principum imminuerit & enervarit, dum paulatim res suas à jurisdictione & exactione eorum subtraxerunt, & ementitis privilegiis immunitatem latissimam sibi ipsis fabrefecerunt? Extr. de immun. Eccles. At hoc levius & fortè ferendum præ illo quod idem Papa Imperatores veteres sub prætextu hæreseos tributo totius Italiæ spoliavit. Cùm enim Leo Isaurus Imp. bono zelo statuas & imagines templarias evertere cœpisset (unde *Iconomachus* dictus, & omnes scriptores monastici hoc nomine ei mirum in modum iniqui) ídque comperisset Gregorius Papa, statim synodico anathemate eum obstrinxit, móxque tributa Romanæ urbis & totius Italiæ, quæ ad id usque tempus Imperio indè pendebantur, inhibuit eíque intercepit. Et mox in totum ab illo deficiens Francos tacitis federibus in Italiam pellexit, ut Zonaras, Cedrenus, Diaconus scribunt, & ex eis Platina aliíq; recentiores Pontificum encomiastæ quasi rem bene gestam referunt. Zonar. to. 3. p. 85. Cedren. f. 373. & 98. P. Diac. Miscel. 21. Theo. Nihem. f. 787.

Longum sit commemorare ut pleraq; jura Imperatoria circa res sacras & profanas infregerit & ad se transtulerit, convocationem Cóciliorum, creationē sui ipsius, & Episcoporum investituras, jurisdictionem in Clericos, jura appellationis; ut se ipse totum ab Imperatoris obedientia exemerit; ut ornamenta Imperatoris omnia à capite ad calcem, infulam, coronam, calceamenta, equestrem pompam usurparit; ut molem Hadriani, Pantheon, Lateranum, Basilicas, Septimontium totum, Urbem cum suis Magistratibus juribúsq; Senatûs & Populi occuparit: quinimo Urbe non contentus Italiam, Apuliam, Calabriam, Siciliam, cæteraq; Regna pleraq; sibi vindicarit, & jam orbis dominiū affecter. Itaque quæ olim Romani Cæsares rerum domini è Palatio Regiâque sub titulo, encausto, sigillo suo expediebant, ipse jam in Basilica S. Petri principis Apostolorum sub annulo piscatoris peragit. Ipse jam monetam auro argentóque flat, ferit; claves suas & insignia gentilitia

imprimit, addito & in quibusdam elogio, SIC. SOLEO. BEARE. MEOS. In aliis Julius III hæc verba Jesaiæ Prophetæ ad suam monarchiam appositè deflexa inscripsit, GENS. ET. REGNUM. QUOD. NON. SERVIERIT. TIBI. PERIBIT. Certè veris & legitimis Imperatoribus Byzantinis omnia ademit: qui cùm modò à legitima Meroveorum stirpe, Chilperico Rege in monasterium detruso & tonso, Regnum Francorum in Pipinum Majorem domûs transtulisset, paulò pòst & Imperium ipsum à Constantino Irenes F. in Carolum Magnum, à Græcis ad Francos transtulisse se gloriatur, & Germanis exprobrat: nimirum nè parùm impleviſſe videretur quod Prophetarum oraculis erat prædictum, eum etiam Regna & Imperia à gente in gentem transpositurum. Et his omnibus parùm se credidit effeciſſe nisi ipse versâ vice Cæsari leges daret, Imperio imperaret, ipse Imperatorem crearet & coronaret, juramentis quibus vellet adigeret, ei taxam & tributa imponeret, adversarios ei excitaret, eum denique si videatur levi prætextu pro arbitrio deponeret. Mirum videri possit quòd non & titulum nomenque *Imperatoris* penitus abrogarit: nisi fortè (ut de Regio nomine quibusdam à Romanis relicto Tacitus dixit) *reliquit ideo ut haberet instrumenta servitutis & Imperatores.* Quam servitutem quàm indignè in complures eorum exercuerit non est hujus loci denarrare. Ut & totam illam amplissimam segetem Theologis intactam relinquo, quomodo ea quoque quæ Dei sunt, Christi Servatoris, ejúsque sanctæ sponsæ Ecclesiæ, idem infideliter reddiderit, quin sibi arroganter usurparit, efferendo se supra omnia, & intolerabilem tyrannidem in Ecclesiam & oves Dominicas exercendo. Et audet spurcus & blasphemus ille auctor libri Monarchalis Papæ, Jacobus de Terano, Urbani VI. cubicularius, opus suum ab hoc dicto Domini ordiri, *Reddite quæ Cæsaris, Cæsari.* Ubi verba illa perbellè ità exponit, *temporaliter scilicet, antequam Christus passus esset, & cœlos victor ascendisset.* Verba enim Domini, Johan. 12. *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum,* suavis conciliator exponit, *Omnia Imperia & Regna mundi recuperabo, & auferam à Cæsare, Regibus & aliis Principibus, idque per milites meos Apostolos.* Quibus portentis adulationum etiam Augustini de Ancona cæterorúmque parasitorum Pontificiorum libri pleni sonant, & bracteatæ ipsæ Decretales Paparum non ab alio ferè auro crepant. Quantò magis Sacerdotem decuisset, præcepti Dominici, Prophetici & Apostolici memorem, Unctos Domini colere & venerari, eísque omnem amorem & observantiam quacunque animi submissione deferre, fidelibus præsertim & Dei cognitione verâ imbutis, atque adeò patrocinium & defensionem Ecclesiæ Christianæ profitentibus? Erat quidem illud tempus quo cùm Principes Romani non tantùm Deum verum ipsi ignorarent, sed & alios ab ejus cognitione & professione quantum in ipsis esset arcerent, tum certè Christianis etiam atque etiam cavendum esset nè plusquam fas esset Cæsari tribuerent, & limites hos à Domino positos sanctè religioséque servarent. Ideóque canone Apostolorum 83 cautum legimus, *Episcopum, Presbyterum, Diaconum operam dantem militiæ, & simul utrumque retinere volentem, Romanam ἡγεμονίαν sive præfecturam, & sacram functionem, deponendum.* Additâ hâc ætiologiâ, *Quæ enim sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Ubi Zonaras annotat, ὑ γὸ δῶ μιγνύειν τὰ ἀμίκτα, τὰ καίσαρος, φημι, ᾗ τὰ Θεοῦ. Et septimus Chalcedonensis Synodi canon tales quos non pœniteat anathematizari jubet. Quod & Arelatensi Synodo sub Constantino habitâ ità cautum legitur, *De Præsidibus autem qui fideles sunt, & ad Præsidatum prosiliunt, ità placuit, ut cùm promoti fuerint, literas quidem accipiant Ecclesiasticas communicatorias, ità tamen ut in quibuscunque locis gesserint, ab Episcopo ejusdem loci cura de illis agatur. Et si cœperint contra disciplinam agere; tum demum à communione excludantur.* Sed hoc erat illud tempus quo, ut eleganter ait Augustinus epist. 48. c. *Non invenitur,* & seqq. 23. q. 4. *Nondum implebatur illa prophetia,* ET NUNC, REGES, INTELLIGITE; ERUDIMINI, QUI JUDICATIS TERRAM. *Adhuc enim implebatur illud quod in eodem Psalmo paulo superiùs legitur,* QUARE FREMUERUNT GENTES, ET POPULI MEDITATI SUNT INANIA? ASTITERUNT REGES TERRÆ, ET PRINCIPES CONVENERUNT IN UNUM. Et ait Epist. 50. suo tempore in Principibus Romanis impletum illud, *Et nunc, Reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram, Servite Domino in timore, & exsultate ei cum tremore. Serviunt enim Reges Domino in timore, ea quæ contra jussa Domini sunt religiosâ severitate prohibendo. Aliter enim servit quia homo est, aliter quia Rex: quia homo, servit vivendo fideliter; quia Rex est, servit leges justa præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore sanciendo.* Et Paulinus pag. 418 epistolâ ad quendam militem, *Quia uni Deo serviendum est,* inquit, *facile puto esse discerni cui potiùs serviri debeat, Deo an Mammonæ, Christo an Cæsari, cùm ipse Cæsar Christi servus studeat esse, ut aliquarum gentium Rex esse mereatur.* Itaque hoc unum passim & ubique jam tum à sanctis illis Ecclesiæ Doctoribus inculcatur; *Quò magis conjuncta est Dei & fidelium Principum causa, eò promptiùs Principibus ab omni anima, nullo mortalium excepto, sumus esse reddendum.* Quæ sententia cùm & multorum gravissimorum scriptorum calamo sit discussa, & Imperatoria jura contra attentatores Achilleis argumentis propugnata, vela contraham, & in voto illo desinam quo Bernardus utitur ad Conradum Rom. Regem epist. 253. *Accingere gladio super femur tuum, potentissime: & restituat sibi Cæsar quæ Cæsaris sunt; & quæ sunt Dei, Deo. Utrumque interesse Cæsaris constat, & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defensare. Alterum Regi, alterum Ecclesiæ convenit Advocato.*

De Tributo Soli & capitatione Judaica sub Augusto Observatio.

EX LIB. III. PARERGΩN M.F.

CAP. X.

TRibuti stipendiíve duo sunt genera, *quæ Capitibus, & quæ Solo imponuntur,* l. ult. D. de censib. *quæ prædiis, & quæ moventibus,* ut Scævola loquitur l. generali. 32. §. ult. D. de usufr. leg. Utrumque *tributum* vocatur, utrumque *census,* ut apparet ex loco Ulpiani in l. 3. in princ. D. de censib. Itaque *census* Suidas definit ἐτήσιον τέλος, ἐξέτασιν τῆ Ῥωμαϊκῆ πλήθυς. Hesychius, δόσις νομίσματος ἐπικεφαλαίου. Utrumque erat ordinarium; utrumque simul pendebant in provinciam redactæ regiones, nisi quæ juris Italici essent. Qui nominis honos eas utroque eximebat. Atque uno remisso non etiam continuò alterum remissum censebatur, nisi fieret expressè, aut juris Italici (ut dictum) prærogativa tribueretur, d. l. ult. Judææ quidem, duræ & rebelli, utrumque initio ab Augusto impositum non dubitatur; eóque nomine descriptionem factam capitum primò, quotquot Judæam inhabitarent, deinde facultatum, quantam singuli in bonis haberent: Sigon. De rep. Hebr. lib. 5. in fine. Nam & Quirinum Præsidem missum ἀπογραφὴν & ἀποτίμησιν feciſſe τῆς ἰδιοῦ Josephus disertè scribit. Et cùm *Syri Cilicésque quotannis centesimam facultatum penderent, Judæos insuper tributum capitis gravius quàm reliquarum facultatum dependisse* Appianus in Syriacis auctor est: διὰ ταῦτ' ἴσιν Ἰουδαίοις, inquit, ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης φειδοῦς· ἴσι γὰ Σύροις ᾗ Κιλιξιν ἐτήσιος ἑκατοστὴ τῦ τιμήματος ἑκάστῳ. Et sic utrumque tributum

tributum in eos à sequentibus Principibus continuatum vel ex eo colligere est quod Ulpianus scribit, *colonias in Syria Cæsariensem & Æliam Capitolinam, neutram Italicum jus habere*, l. 1. D. de censibus. Quæ verò & quanta capitatio ista fuerit inter eruditos quæritur. Nam alius quidem uniforme illud & in omnia capita æquale, eámque in rem peculiariter cusum numum, & quidem (indicio Euangelistæ de colloquio Domini cum Pharisæis) Denarium fuisse scribit; illum qui merces diurna scilicet unius operarii erat, & stipendium diurnum unius militis: & modestum tributum laudat [Cæsar Baron. Tomo 1. Annal. Eccles.] Alius palàm dissentiens ridiculum hoc putat; *nisi si Denarius aureus*, inquit, *fuerit*, [Lipsi. in Admirand. lib. 2. cap. 3.] Et Strabo sanè pro hoc, qui non modestum sed βαρύτερον solito capitationis Judaicæ tributum facit. Sed & Tacitus lib. 2. sub Tiberio anno V.C. DCCLXX. *Provincias Syriam atque Judæam, fessas oneribus, diminutionem tributi orasse.* Itaque nec inducere in animum idem vir magnus potest, indiscretum uniforme in omnia capita, multóque minùs certum genus numi ad hoc tributi genus cusum fuisse; quòd hoc posito injustitia manifesta adhæreat, ut si quis pauper liberos & familiam multam habeat, contrà dives & cœlebs sit & orbus. Unde Strabonis de Judæis locum ità accipit, *Solvere quidem illos censum & pro agrorum modo & opum reliquarum, sed æstimatione omnium factâ etiam centesimam pro ipso capite dare: ità ut qui decem aureorum millia, e. g. in censu habeat, solvat ex illis annuè centena.* Hócque *placere sibi ob æqualitatem, & quia pauperes & tenues sic non pressi.* Quod equidem totum, & quæ sequuntur, non satis capio. Tenendum est certè, *tributum soli*, i. agrorum, *pro modo & latitudine eorum indictum fuisse*, ut Ulpianus De censibus docet; vel potiùs pro feracitate. *Stipendium enim & tributum onera sunt fructuum*, l. 7. D. de usufru. l. neque, D. de impens. in res dotal. fact. Unde Mecœnas apud Dionem, φόρον ἐπιτάξας πᾶσιν ἁπλῶς τοῖς ἐπικαρπίαν τινὰ τῆς κεκτημένης αὐτὰ παρέχουσι. Nec agris solùm, sed cæteris etiam facultatibus, ædibus, auro facto & infecto, pecuniæ numeratæ, mancipiis, gregibus tributa imponebantur pro eorum modo. Qui ut inter divites & inopes diversus, ità & tributi onus. Neque hoc in opibus valde formidandum. At capitis tributum in omnes peræquè unum, liberos modò (nam servorum nulla capita, sed pecudum instar pro pretiis suis à domino cum cæteris fortunis horum tributum dependebatur) divites & tenues, maritos & cœlibes, parentes & orbos. Non dicam, juvenes & senes, quòd ei rei modus datus, ut nec ante vigesimum annum capite obligarentur, & senectuti sua immunitas esset; nisi quòd in Judæa hoc etiam aliquantulùm aggravatum, Ulpianus auctor est d. l. 3. D. de censibus. Et hoc sanè, nimirum uniforme per omnia capita capitationis tributum fuisse, tam certum est quàm inter ipsos Judæos Didrachmi pensitatio lege Divinâ Exod. 30. instituta non variavit, & à Vespasiano deinde ità innovata *ut omnes ubique Judæi* (verba sunt Josephi, Zonaræ, Xiphilini) *duas illas drachmas Jovi Capitolino Romæ penderent quas antea Templo Hierosolymitano pependerant*: quàm certum est vectigalis aut collectæ genus (ut cum recentioribus loquar) quod singulis familiis per focos, caminos fumantes aut focularia imponitur, nec Græcis incognitum, & καπνικὸν dictum, per omnes æquè familias æquale esse, nec à divitum domibus quàm pauperum tabernis aliud exigi. Quæ etiam res facit ut in personas vel capita, in domos vel fumaria quod exigitur, modicum & tolerabile plerumque definiatur omnibus æquum; quòd nec tenuibus grave sit ad pendendum, & interim numero pendentium exactori magnam summam conficiat. Vide Ubald. De collectis, num. 13, 20, 25. Cedren. instaur. Novell. Isacii Comneni. Jam modum utriusque tributi si quis requirat, etsi nec liquidò hunc constitui posse credam, nec fuisse semper certum putem, sed sub hoc vel illo Principe, in illam vel illam gentem, pro cautis vel arbitrio exauctum aut remissum, tamen non video cur aut in tributo bonorum Centesimam (qui ferè modus hodie etiam ubique gentium servatur) aut in capitatione Denarium in singulos excessisse putemus. Sit Denarius decem cupreorum assium numus, drachmali pondere (quis enim *aureum Denarium* uspiam legit?) tamen hoc & in capita singula, supra bonorum censum, quotannis petitum, tenuioribus non ità leve, & in tanta gente immensam victoribus opum vim cumulavit. Neque Deus ipse nisi Didrachmum, i. duos Denarios, lege suâ in Templi usum exegerat. Dum itaque Pharisæi jussi *numisma censûs exhibere* Denarium exhibent Tiberii Cæsaris imagine percussum, capitationis numum exhibent. Puto enim illos de capitis potissimùm censu quem tantopere suâ conditione indignum oderant & aversabantur, cum Domino agere & anquirere voluisse. Quòd si de tributo soli potiùs aut conjunctim de utroque actum fuit, ut Denarius unus ei rei non sufficerit, hoc saltem ex eo loco observare operæpretium fuerit, quandoquidem non Staterem, non Drachmam, non Siclum, sed Denarium protulerunt, mori Romanorum eâ ratione satisfactum, qui tributa & indictiones suas non tantùm rigidè exegerunt, sed nec in alio quàm Romano numo acceperunt, ut est alio loco à nobis fusiùs expositum, [Orat. de Numis. censûs.] Itaque aut singulis Denariis pro capitis censu defungi Judæi potuerunt, aut capitationem simul & soli tributum ad denariariam rationem ab exactoribus redigi consuevisse, & in Denario, notissimo Romanæ monetæ genere, à provincialibus persolvi debuisse hinc videmus. Quod & Strabonis locus lib. 10. de Gyaro insula adjuvat, συμπλέων δὲ ἔλεγε περὶ τῆς πυθομένης, ὅτι πρεσβεύοι πρὸς κυρισμὸν τῶν φόρων· τελῶν δὲ δραχμὰς (*denarios* interpres vertit, rectissimè) ἑκατὸν πεντήκοντα, ἢ τὰς ἑκατὸν χαλεπῶς ἂν τελοῖεν.

DE HADRIANI IMP. VICTORIA JUDAICA, ET ÆLIA CAPITOLINA.

CAP. XI.

DE bello Judaico Adriani Imp. quo rebellantes compescuit & ad internecionem cecidit, regionémque eorum ferro & flammâ vastavit, Dion & Spartianus necnon Pausanias auctores sunt. Exstántque apud Sebast. Erizzo, pag. 253. Ant. Agostinũ tab. 71. ejus victoriæ monumenta in numis Hadriani; quorum unum, qui ad manum, hîc exhibere visum, in quo Judæa supplex ruinam suam deplorat, veniámq; nequicquam precatur.

Eo bello confecto civitatem Hierosolymam victor in coloniam convertit, novis civibus inductis, religione loci sacríque priscis sublatis profanavit, & nomen adeò ei immutavit, *Æliam* à se vocans; cujus Ulpianus meminit l. 1. D. de censibus. De qua singular is est locus Severi Sulpitii libr. 2. *Adrianus existimans se Christianam fidem loci injuriâ perempturum, in Templo ac loco Dominicæ passionis dæmonum simulacra constituit. Et quia Christiani ex Judæis potissimùm putabantur, (namque tum Hierosolyma non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia Sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum*

petuum agitare jussit, quia Judæos omnes Hierosolyma aditu arceret. Quò valde pertinet Apologetici locus in quo Tertullianus (qui post Hadrianum sub Severo vixit) de Judæis loquens, *Dispersi*, inquit, *palabundi, & soli & cœli sui extorres vagantur per orbem, sine homine, sine Deo Rege: quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur. Hoc etiam fortasse consilio* (ut eleganter vir doctus P. Pithœus lib. 2. Adverſ. cap. 3. annotavit) *Hadrianus* urbem illam *instaurans in fronte ejus portæ quæ ad Bethlehem erat Suem in marmore sculptam proposuit, ut Cassiodorus in Chronico scribit.* Qui tamen hanc minùs fortè propriam rationem addit, *significasse Romana potestati subjacere Judæos:* quasi verò ad jurisdictionem suam denotandam non Aquilam potiùs aut Lupam quàm Scrofam Trojanam expressuri fuissent Romani. Sed figurâ immundi exosíque animalis abigere & abterrere aditu Judæos voluerunt. In quo falsus animi Petronius aliíque Gentilium, qui reverentiâ ejus affici Judæos putabant:

Judæus licèt & porcinum numen adoret,
Et cœli summas advocet auriculas.

Μόνῳ Θεῷ Δόξα
Junij 6: 1683

WILHELMI KLEBITII
DE
BUCCELLA INTINCTA
Quam comedit JUDAS Proditor,
An fuerit panis Euchariſtiæ.

PRÆCIPUUM quod hîc quæritur, conſiſtit in eo, An Judas interfuerit Euchariſtiæ cum reliquis Apoſtolis, vel an exierit ante inſtitutam à Chriſto Euchariſtiam. Ut autem hoc dexteriùs explicari poſſit, ordine quædam hîc conſideranda ſunt. Videlicet primò, quòd Chriſtus eâ nocte Euchariſtiam inſtituerit quâ cum diſcipulis comedit agnum Paſchalem, Matth. 26. Marc. 14. Secundò notandum eſt, eſum agni Paſchalis præceſſiſſe inſtitutionem Euchariſtiæ, Matth. 26. & Marc. 14. & buccellam intinctam diligenter diſcernendam eſſe à pane Euchariſtiæ: nam buccella intincta quam comedit Judas non fuit panis Euchariſtiæ, ſed fuit panis agni Paſchalis. Nullus enim Euangeliſta ait panem Euchariſtiæ fuiſſe intinctum, quia de hoc pane dicunt Euangeliſtæ, *fregit & dedit*, non inquiunt, *fregit & intinxit.* Auguſtinus quoque tract. 62. in Johan. ait illos *negligenter legere, qui per* buccellam intinctam *intelligunt panem Euchariſtiæ.* Idem Auguſtinus ſentit per *buccellam intinctam* ſignificatam fictionem, quia non omnia quæ tinguntur, abluuntur. Inepta igitur eſt opinio illorum qui per *buccellam intinctam* putant ſignificatam hoſtiam quam intingit in calice ſacrificulus, ſicuti legitur in Gloſſa Ordinaria, quia nimirum intincta ſint dulciora. Eccleſia quoque reprehendit conſuetudinem illorum qui panem intinctum dederunt communicantibus. Omnes Euangeliſtæ ferè dicunt quòd Judas manducarit panem intinctum, ſed nullus Euangeliſta ait quòd Judas manducarit panem Euchariſtiæ. Poſtea diligenter obſervari debet, quòd poſt ſumptam offulam Satan ſit ingreſſus in Judam, Joh. 13. & quòd Chriſtus dixerit, *quod vis facere, fac citò*, & quòd Judas ſtatim exiverit, neque ullum Euangeliſtam narrare Judam ab illo egreſſu reverſum fuiſſe ante inſtitutionem Euchariſtiæ: an cogitabimus Chriſtum fruſtrà dixiſſe, *quod vis facere, fac citó?* Theophylactus certè ex his verbis hanc admonitionem colligit, ut infideles maturè ſegregemus antequâ inchoetur Communio. Et ex hac obſervatione colligit Wolfgangus Muſculus etiam Theophylactum ejus fuiſſe ſententiæ, quòd Judas exierit ante inſtitutionem Euchariſtiæ. Hilarius ſic argumentatur, *Chriſtus finitâ cœnâ prædixit ſe cum diſcipulis ſuis bibiturum de fructu vitis in regno patris ſui; Atqui cum Juda non bibit de fructu vitis in regno patris ſui: Ergò Judas non interfuit.* Et etiamſi cæteri Euangeliſtæ non expreſſè mentionem faciant quando exiverit Judas, tamen in ſubſequentibus ſatìs indicant, Judam ſtatim poſt eſum agni Paſchalis egreſſum eſſe. Quia nimirum poſtea narrant quòd Chriſtus dixerit diſcipulis, *hâc nocte vos omnes offendemini*, quæ verba non erant dicta Judæ. Etiam Paulus 1 Cor. 11. nullam Judæ mentionem facit. Confirmavi buccellam intinctam non fuiſſe panem Euchariſtiæ, ſed panem agni Paſchalis; demonſtravi eſum agni præceſſiſſe Synaxin; oſtendi ſumptâ buccellâ Judam ſtatim egreſſum: ex his conſequi manifeſtiſſimè ſpero, Judam proditorem Euchariſtiæ non interfuiſſe. Neque enim ullum dicturum exiſtimo quòd Apoſtoli poſt panem Euchariſtiæ comederint alium panem intinctum, cùm Euangeliſtæ luculenter narrent, Chriſtum poſt ſumptam ab Apoſtolis Euchariſtiam ſtatim concionem habuiſſe, & quòd hymnum cecinerint. Confirmatâ ſic propoſitione, nunc reſtat ut argumenta partis adverſæ examinemus.

Argumentum I.

Euangeliſtæ dicunt quòd omnes duodecim Apoſtoli menſæ accubuerint; Ergò & Judas menſæ aſſedit. Reſp. Hoc narrant Euangeliſtæ de convivio agni Paſchalis, quod præceſſit eſum Euchariſtiæ. Nam omnes ſimul aſſederunt menſæ, ſed non omnes ſimul ſurrexerunt de menſa; quod indè ſaltem manifeſtum eſt, quia quando Chriſtus exiguo tempore fuit in horto, venit Judas cum cohorte, tribuno, principibus ſacerdotum, magiſtratu, ſenioribus templi, ſcribis & miniſtris, cum facibus, gladiis & fuſtibus, Matt. 26. Mar. 14. Johan. 18. Et quia talem exercitum tam citò colligere non potuit, neceſſariò ſequitur, Judam proditorem multò citiùs ſurrexiſſe de menſa quàm reliquos Apoſtolos: *Et euntibus ſecum diſcipulis in hortum dixit Chriſtus, Hodie vos omnes offendemini*, quod ad Judam referri profectò nequit.

Argumentum II.

Judas interfuit lotioni pedum, & lotio pedum ſubſecuta eſt Euchariſtiam; Ergò Judas etiam interfuit Euchariſtiæ; quia Johannes cap. 13. ait quòd factâ cœnâ ſurrexerit Chriſtus ut lavaret diſcipulis pedes. R. Solutio argumenti

argumenti consistit in participio *facta*. Hîc primò notandum est, codices variare. Nam Erasmus legit, γινομένου δείπνου, *cùm fieret cœna*, in præsenti; alii codices legunt, γενομένου δείπνου, *factâ cœnâ*. Atque Augustinus, teste Erasmo, hoc non de peracta cœna, sed de cœna inchoata exponit, sicuti in illis phrasibus enallage temporis est, *factus est dies primus & secundus*, etiamsi nondum consummatus sit dies. Osiander quoque in Harmonia sua de cœna inchoata hæc verba intelligit, & ait Judæis usitatam tunc fuisse lotionem pedum, sicuti jam multis in locis odorâ aquâ convivæ ad accubitum mensæ invitantur. Hæc expositio placet etiam Erasmo. Etiam Papistæ non negant esum Eucharistiæ secutum esse post lotionem pedum. Nam illi sacramentum lotionis priùs celebrant ante Communionis diem. Petrus Comestor recenset, quòd quidam existimarint lotionem pedum fuisse celebratam, non in nocte ultimæ cœnæ, sed in alia quadam nocte priori, quia Joannes ait 13 cap. ante festum factam pedum lotionem. Et agnum Paschalem manducatum dicunt alii Euangelistæ primo die festi. Verùm diligentes interpretes ostendunt terminis illis, *primo die festi*, & *ante festum*, idem tempus denotari. Theodorus Beza ait *plurima & meliora exemplaria habere aoristum secundum*, ideóque finitâ cœnâ agni Paschalis Christum surrexisse sentit de mensa ad lotionem pedum; quod etsi verisimile videatur, tamen sententiæ meæ principali nihil adversatur. Atque tunc videtur hic fuisse rerum gestarum in ultima nocte ordo, 1 Esus agni Paschalis, 2 Lotio pedum, 3 Porrectio buccellæ intinctæ, 4 Egressus Judæ, 5 Institutio Eucharistiæ, 6 Concio, 7 Hymnus, 8 Precatio in horto. Verùm cùm Johannes post lotionem faciat mentionem buccellæ intinctæ, verisimilius videtur, Esum agni secutum esse post lotionem pedum. Si quis velit contendere Johannem per verba illa, *factâ cœnâ*, intelligere Eucharistiam, tunc narrationem Johannis contrariam faciet narrationi aliorum Euangelistarum, qui omnes dicunt esum agni Paschalis præcessisse Eucharistiam.

Argumentum III.

Euangelista Lucas, quem omnes scriptorem fatentur esse historicum, monstratum fuisse dicit proditorem à Christo post finitam Eucharistiam. Ergò Judas interfuit Eucharistiæ. ℞. Argumentum hoc solvi poterit ex regula quam docet Augustinus quæst. 92 super N. Testamentum, ubi inquit, *multa novissima ordinari quæ antea facta probantur*. Clarissimus vir Wolfgangus Musculus in Locis suis per hanc regulam exponit narrationem Lucæ. Hæc regula pulcre declarari potest per Euangelistam Marcum, qui ait Christum hæc verba, *hic est sanguis meus*, locutum postquam biberint discipuli ex calice: verùm cùm alii Euangelistæ dicant Christum hæc verba enunciasse antequam biberint ex calice, non dubitamus Marcum ea narrasse posteriùs quæ erant facta priùs. Sic cùm alii Euangelistæ narrent Judam demonstratum à Christo ante institutionem Eucharistiæ, & cùm Lucas istud dicat factum post Eucharistiam, non dubitare debemus à Luca illa posteriùs recenseri quæ priùs facta fuere. Erasmus in narratione illa Marci hanc regulam admittit. Quomodo igitur non potiùs locum habebit in hac Lucæ narratione? Lucas in exordio Euangelii sui ait, quòd Euangelium suum acceperit ab iis qui fuerunt ministri & inspectores sermonis, ideóque tutissimum est Lucam exponere per alios Euangelistas qui præsentes fuere. Nam Lucas (ut Johannes & Matthæus) non interfuit Eucharistiæ. Quod nequaquam sic accipi volo quasi Lucæ autoritatem extenuare oporteat. Nam expositio unius Euangelistæ per alium, non extenuatio, sed declaratio dici debet. Qui verba unius testis per verba testium duorum declarat, ille testis unius autoritatem nequaquam elevat, sed potiùs æqualem autoritati aliorum constituit. Rupertus quoque Abbas Tuiciensis causam adfert quare Lucas continuâ serie narraverit esum agni & Eucharistiæ institutionem, quia videlicet solus Lucas mentionem faciat desiderii illius quo Christus desideraverit Pascha comedere cum discipulis suis, & propter hujus desiderii completionem ait Lucam continuâ serie conjunxisse descriptionem agni Paschalis & institutionem Eucharistiæ. Et frequens hoc est historiographis, ut res principales conjunctim narrent, & rem minùs principalem postremò recitent, etiamsi ordine temporis præcesserit. Et aliàs à Luca seriem ordinis neglectam esse ex narratione tentationis Christi constat. Nam quando Matthæus cap. 4. tentationem adorationis in fine collocat, Lucas tentationem de præcipitatione è pinnaculo templi in fine ponit; cúmque utrique consentientes dicant diabolum post tentationem de adoratione reliquisse Christum, liquidò apparet ordinem non observatum à Luca. Et in narratione de rebus gestis in ultima nocte Lucas etiam in aliis discrepat à reliquis Euangelistis quoad ordinem. Nam verba Christi quibus promittit se postea cum discipulis bibiturum de fructu vitis in regno Patris, ante initium cœnæ narrat Lucas, quæ alii Euangelistæ subjiciunt Eucharistiæ. Vaticinium Christi de scandalo Matthæus & Marcus omnibus discipulis dictum narrant, Lucas Christum cum solo Petro locutum ait. Matthæus & Marcus narrant hoc vaticinium factũ in horto, Lucas narrat factum hoc esse in domo ubi comederant Paschalem agnum. Ex hac diversitate apparet ordinem sæpissime neglectum à Luca. Et Johannes Calvinus in Harmonia sua testatur seriem temporis quando exierit Judas ex narratione Lucæ non posse certò probari. Et Ministri Ecclesiæ Magdeburgensis fatentur in opere Historiæ incertum esse quando Judas exierit. Jam si illud incertum est, mirum est cur ex re incerta dogma fidei constituant, & etiam in Catechesi pueris instillent. Neque scopum attingunt illi qui putant Judam singulis Apostolis in ultima nocte bis fuisse monstratum ante Eucharistiam, semel in lotione pedum, & alteram vice in esu agni Paschalis, postea finitâ Eucharistiâ denuo singulis monstratum, & Euangelistam Johannem utramque posteriorem demonstrationem sub una comprehendisse. Nam primò magna est differentia inter illam demonstrationem cujus Johannes meminit, & alteram quam Matthæus & Marcus describunt. Johannes enim ait Christum buccellam porrexisse in os Judæ, Matthæus verò & Marcus narrant quòd ipse Judas manu suâ intinxerit panem in paropside. Johannes dicit sibi soli demonstratum proditorem, Matthæus ait quòd in genere singulis istud signum intinctionis dederit. Ex his igitur satis apparet diversissimas esse has demonstrationes. Si autem quispiam cupiat scire quoties Christus generaliter monstrarit proditorem, non difficile erit istud invenire: nam Johan. 6. vocatus est *diabolus*, Johan. 12. vocatur *fur*, Johan. 13. vocatur *immundus*, Matt. 26. Marci 14. vocatur *proditor*. Deinde illam demonstrationem proditoris admonendi causâ à Domino adhibitam, nè se pollueret sumptione Eucharistiæ, non dubium est: quare igitur non judicamus illam præcessisse Eucharistiam? Ad argumentum hoc ex autoritate Lucæ sumptum copiosiùs respondet Musculus, qui dicit se *minimè dubitare quin Judas exierit ante institutionem Eucharistiæ*.

Argumentum IV.

Judæ peccatum nondum fuit manifestum. Ergò Christus admisit Judam ad convivium cœnæ ut doceret nos nè excluderemus ab Eucharistia occultos peccatores. R. Henricus Bullingerus lib. 6. cap. 9. contra Anabaptistas docet, peccatum Judæ non fuisse tempore Eucharistiæ occultum, sed manifestum. Primùm enim notum fuit Christo. Deinde scelus illius non erat ignotum Pharisæis, cum illis enim fedus proditionis inierat contra Christum. Significanter etiam satis monstratus fuit Johanni. Potuit igitur Christus contra illum producere testes facti. Et quando Minister scit alicujus scelus, & novit contra illum producere testes facti, impius est quando illi dat Eucharistiam.

chariſtiam. Et non cogitandum eſt quòd hîc Chriſtus margaritas porcis dederit contra doctrinam ſuam. Deinde in hoc argumento nulla eſt ratio conſequentiæ.

Argumentum V.

Auguſtinus contra Fulgentium Donatiſtam inquit, *Judas accepit bonum Chriſti corpus, ſicuti Simon Magus accepit bonum baptiſma*, & ſuper Pſal. 10. ait Chriſtum primam Euchariſtiam Judæ dediſſe. R. Ad Auguſtini argumentum reſpondet Rupertus Tuicienſis, qui ait Auguſtinum in eo lapſum quòd ſolum Lucam ſecutus aliorum Euangeliſtarum harmoniam non conſideraverit. Et Auguſtinum hiſtoriam Judæ non ſatìs perpendiſſe vel indè patet, quòd contra manifeſtam narrationem Matthæi putarit Judam ſe ſuſpendiſſe poſt mortem Chriſti, quæſt. 92. ſuper N. Teſtamentum. Et quòd præſentiam Judæ defenderit, videtur potiùs ἀγωνιχῶς quàm διδαχτικῶς feciſſe. Cùm enim Donatiſtæ urgerent rigorem Excommunicationis, Auguſtinus putavit eum rigorem nullâ re poſſe magìs debilitari quàm ſi perſuaderet Judam fuiſſe præſentem. Solent etiam ad confirmationem præſentiæ Judæ afferre vaticinium Davidis, *Qui comedit mecum panem, levavit calcaneum adverſùs me.* Atqui ipſe Auguſtinus hoc vaticinium non de pane Euchariſtiæ, ſed de buccella intincta interpretatur; & poteſt exponi de quotidiano convictu quo Judas uſus cum Chriſto.

Argumentum VI.

Omnes Patres ſentiunt Judam interfuiſſe Euchariſtiæ. Ergò interfuit. R. Nego antecedens. Nam Hilarius, non infimus ex Patribus, expreſſè ait Judam non interfuiſſe Synaxi. Zacharias Chryſopolitanus in Harmonia ſua idem docet. Innocentius tertius epiſcopus Romanus & Rupertus Tuicienſis etiam negant Judam interfuiſſe Euchariſtiæ. Petrus quoque Comeſtor & Durandus in Rationali Divinorum eandem mecum ſententiam amplectuntur. Wolfgangus Muſculus & D. Albertus Hardenburgius Eccleſiæ Bremenſis Miniſter eandem ſententiam tuentur. Ità docuit Martinus Bucerus; & Joachimus Vadianus in eam ſententiam inclinare videtur, ſicuti & Theophylactus. Theodorus Beza & Johannes Ribittus idem docuerunt Loſannæ. Vide commentaria Bezæ in 13 cap. Johannis.

Concluſio.

Auguſtinus in libro De hæreſibus ſcribit *quoſdam dictos Caïnos eò quòd Caïnum & Judam honorarint.* Et Tertullianus De præſcriptionibus hæreticorum narrat, quòd *nonnulli gratias egerint Judæ*, quia nimirum putaverint poteſtates ſeculi voluiſſe impedire mortem Chriſti. Etiam Cerinthiani leguntur honoraſſe Judam proditorem. Et vereor illos etiam nimiùm honorare proditorem qui illum non modò Synaxi interfuiſſe aiunt, ſed etiam verum ſanguinem Chriſti bibiſſe contendunt. His manifeſtè contradicit Auguſtinus, qui ait *reliquos Apoſtolos comediſſe panem Dominum, Judam verò panem Domini contra Dominum.* Chriſtus inquit, *Qui edit carnem meam habet vitam æternam:* ſi Judas comedit Chriſti carnem, quomodo deſcendit ad infernum? Dignum quiddam notatu eſt quod Beatus Rhenanus obſervat in cap. 7 lib. Tertulliani qui inſcribitur Apologeticus adverſùs Gentiles. Nam in illo loco quidam ex adverbio *INDE* fecerunt genitivum ſecundæ Declinationis *JUDÆ*, ut videlicet Judam retinerent convivam; ideóq; mirari non debemus quòd multi hodierno die defendant præſentiam Judæ, quia multi ex illis ſunt fratres Judæ.

Quæ ſit utilitas hujus quæſtionis?

Hæc quæſtio rectè explicata invertit & ſuſpectam reddit totam arcem adverſæ partis; nam multoties Judam in ore habent. Præterea hâc quæſtione dextrè declaratâ, corruit pernicioſa opinio illorum qui ex præſentia Judæ conantur convincere Excommunicationis diſciplinam non eſſe neceſſariam.

De quibuſdam aliis notatu dignis circa hiſtoriam Judæ proditoris.

Cur *proditor Chriſti* vocatus eſt Judas? A confeſſione ſic fuit dictus, quia confeſſus eſt ſe innocentem ſanguinem tradidiſſe. Cur dictus eſt *Iſchariota?* A tribu vel mercede, quia fuit mercator ſalutis & domini ſui. Habuitne Judas uxorem & liberos? Habuit; quia Pſal. 108. prædixit David ejus uxorem & liberos fore viduam & orphanos. Cur Chriſtus elegit Judam, quem præſcivit futurum malum? Ut nos patienter doceret vivere inter malos, teſte Auguſtino in Pſal. 32. Quomodo Chriſtus ſperavit in Juda, ſicuti dicitur Pſal. 11? Sicuti eſurivit in fidelibus, ità in fidelibus ſperavit in Juda. Quare poſt ſumptam buccellam intravit Satan in Judam? Quia per hanc buccellam ſeparatus fuit à choro diſcipulorum, teſte Theophylacto. Fuítne antea Satan in ipſo? Fuit; quia etiam antea Satan illi inſpiravit ut traderet dominum ſuum. Cur igitur primò ſumptâ offulâ dicitur ingreſſus? Quia tunc totum invaſit. Quare Chriſtus marſupium dedit avaro? Ut magìs inexcuſabilis ejus eſſet avaritia, teſte Chryſoſtomo. Quare Chriſtus pecuniam quam ſolvit pro tributo, quæſivit in piſce? Quia in marſupio illo erant tantùm pecuniæ pauperum, teſte Hieronymo ſuper 17 cap. Matth. Fuerúntne in illo marſupio tantùm pecuniæ pauperum? Fuerunt etiam in marſupio illo pecuniæ pro neceſſitate, teſte Auguſtino in 13 cap. Johan. Quare Judas ſeſe ſuſpendit? Quia ſimilis fuit Achitopheli, qui prodidit Abſoloni dominum ſuum Davidem, teſte Hieronymo ſuper 3 cap. Hieremiæ. Extendit quoque collum ad oſculum, ideóque æquum fuit ut collum extenderet ad laqueum. Quare crepuerunt viſcera? Quia fuerunt tumefacta maleficio, teſte Chryſoſtomo. Quare Chriſtus aſpiciens Judam turbatus eſt ſpiritu? Quia, teſte Auguſtino, jam exiturus erat ad proditionis ſcelus; præterea ut ſignificaret ſe damnare Stoicos, qui dicunt in ſapientem virum non cadere perturbationem. Quare vendidit Chriſtum triginta argenteis? Quia unus ex illis valuiſſe decem putatur uſuales. Alii exiſtimant quòd ex ſingulis decem denariis unum furatus fuerit, & ſic decem multiplicatis per triginta producuntur trecenta, & hoc pacto voluit recuperare pretium unguenti. Hæc habentur in Lilio miſſæ; cæterùm de his dubitare non eſt hæreticum.

DE

Junij 7.° 168
3656

DE HYDRIARUM SEX Johannis secundo Capacitate DISSERTATIO:

IN QUA

Mensuræ quædam veteres cum nostratibus hîc Francofordiæ ad Oderam exactè conferuntur.

MATTHÆO HOSTO Autore.

I. DE HYDRIA.

Ὑδρία vox Græca est: & ab ὕδωρ, h. e. *aqua*, nomen accepit.

2 Est autem vocabulum commune πολύσημον· quod multis modis accipitur, multáque in genere significat.

3. Primum erat vas aquarium incertæ ferè quantitatis capacitatísque; aquæ hauriendæ, excipiendæ accommodatum.

4 Ὑδρία Latinè redditur *situla, urceus, urna*: & apud Plautum dicitur *aqualis*: unde M. Varro lib. 4 De ling. Lat. repetit.

5 Cicero in Verrinis actionibus hâc voce tanquam tritâ, ut quæ in Latinam coloniam jam transiisset, utitur.

6 Quod in Hebræo est כַּד, id Lxx reddunt ὑδρίαν, quos V. interpres Lat. sequitur, Gen. 24. Jud. 7. 3 Reg. 7. 17. & 18. Ecclesiast. 12.

7 כַּד aliqui derivant à verbo לכד, quod Hebræis *capit, comprehendit, capax fuit*, significat. Alii verò à verbo כדד deducunt; quod significat *rutilavit, instar ardentis tædæ canduit*. Interpretantur enim *vas quo carbones, titiones, tædæque ardentes olim gestabantur*, Judic. 7. Job. 41.

8 Ab hac voce Hebræa כַּד est terminatio Græca κάδος, & Latinè dicitur *Cadus*.

9 Est autem Cadus, præter alia significata, certa rerum liquidarum mensura, apud veteres usitata: ut olei Lucæ 16. de qua alibi pluribus agetur.

10 Hydria varias admittit divisiones: Primùm enim, ratione materiæ unde fiebat, alia erat fictilis & fragilis, quippe facta è luto à figulo: quales erant cadi, h. e. hydriæ Gedeonis, Judic. 7.

11 Joseph. l. 5. Ἀρχαιολ. de eadem re loquens reddit ἀμφορέας, h. e. *amphoras*.

12 Alia hydria est argentea apud Ciceronem in 4 Verrina; alia aurea, 3 Reg. 7. alia lapidea: quales sunt sex hydriæ Joan. 2.

13 Deinde ab usu & objectis hydria est aut sacra, utpote usui sacro destinata, 3 Reg. 7, & 18. Johan. 2. aut profana, cujus in rebus profanis usus erat.

14 Hydria profana rursus duplex erat: alia privata, alia publica. Ac de privata quidem est Gen. 24. 3 Reg. 17. Eccl. 12. Johan. 4.

15 Apud Athenæum est lib. 11. *Quidam Nomades in Libya nihil possident aliud nisi calicem & macharam & hydriam.*

16 Publica verò hydria Athenis erat urna judiciaria: in quam in publicis judiciis conjiciebantur calculi & sortes eorum quibus sententias suas declarabant, apud Xenoph. lib. 1 Prætermissor. apud Isocratem & Aristophanem.

17 Adhæc Hydria ex relatione, ratione quantitatis, alia erat magna, alia parva seu mediocris.

18 Hydriam pro vase & majoris & minoris, nunc certæ nunc incertæ capacitatis, apud veteres olim in usu fuisse, probatorum autorum testimonia satis abunde confirmant.

19 Fuit autem vas nunc aquarium, ut ex allatis testimoniis constat; nunc vinarium, ut Julius Pollux lib. 10. testatur: & hydria farinæ fuit Sareptanæ illius viduæ, de qua est 3 Reg. 17.

20 De hydriis mediocribus incertæ capacitatis intelligi debet locus Gen. 24. 3 Reg. 17. & 18. Eccl. 12. Joh. 4.

21 Grandes hydrias habet Cicero in Verrinis actionibus, quales & hæ sunt Joh. 2.

22. Apud Ponticos, quippe Ponti Euxini accolas, hydria certæ fuit capacitatis nimirum decem sextariorum Alexandrinorum, ut Epiphanius scribit: & ad mediocres referenda est.

23 Sextarius Alexandrinus capacior fuit sextario & Græco & Romano, ut alibi à me declaratur.

24 Ὑδρία ab ὑδρώω per diphthongum ω in media syllaba differt apud Aristophanis interpretem. Nam ὑδρία quidem, de qua hîc nunc agitur, erat ἀγγεῖον, h. e. *vas*, quippe aquarium.

25 Ὑδρεία verò illi est τὸ ὑδρεύεσθαι, h. e. *aquatio*, ut Cæsar vocat, seu *aquari*; quod repetit Suidas.

26 Ab ὑδρία est & ἐφυδρία, ut Julius Pollux lib. 10. ex Aristophane adfert;

Ἐφυδρίαν δανείζειν πεντέχουν ἢ μείζονα,

h. e. *Ephydriam mutuo dare quinque congiorum capacem, aut majorem.*

27 Plutarchus in Solone habet ὑδρίαν ἑξάχουν, h. e. *sex congiorum capacem*: quæ metretæ Attici, qui duodecim congiorum capax fuit, dimidia pars est. Sic enim est quoq; apud Hesychiũ, Ὑδρία μέτρόν τι Ἀττικὸν, μετρητοῦ ἥμισυ, h. e. *hydria mensura quædam est Attica, metretæ dimidia pars.*

28 Exstat ibidem Solonis lex de jure putei: *Si quis puteo, in suo fundo decem orgyias effosso, aquam non invenerit, ei tum licere à suo vicino petere & accipere hydriam sex congiorum capacem: eámque bis quotidie implere.*

29 Ὀργυὰ, *orgyia*, ut id obiter admoneam & explicem, est mensura Græca intervallorum, sex pedes longa: quæ facit cubitos quatuor (ein Klafftr) ut testatur Herodotus lib. 2. cùm inquit, ἑξαπόδου μὲν τῆς ὀργυῆς μετρεομένης καὶ τετραπήχεος, h. e. *ut orgyiam quidem pedibus senis & cubitis quaternis metiaris.*

30. Decem orgyiæ faciunt pedes Græcos ſexaginta, perticas Francofordianas, quibus agros, vineas, hortos, prata & alios fundos metiuntur, quatuor, & præterea duos pedes cum quadrante: vulgò vocant Ruten.

31 Sex congii Attici faciunt ſextarios Atticos quidem 36 (congius enim Atticus ſex ſextariorum capax eſt) Romanos verò 32 cum duabus quintis partibus.

32 Sextarius Græcus duabus unciis menſuralibus minor eſt ſextario Romano, quòd ut hic 20, ità Atticus 18 tantùm unciarum capax ſit.

33 Noſtratis verò menſuræ hîc Francofordiæ ad Oderam ſex congii Attici faciunt noſſellas triginta duas, cum duabus quintis partibus, quartas ſedecim.

34. Ab hydria ſunt appellati ὑδεαφόροι μέτοικοι, h. e. *inquilini & advenæ Athenis*, teſte Heſychio, *quòd eſſent bajuli, & hydrias in feriis ſolennibus portare, & aquam ſubminiſtrare cogerentur.*

35 Julius Pollux lib. 3. hac de re ſic ait, ὕτω δ' (σκαφηφόρους) μετοίκους ὠνόμαζον, καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν ὑδεαφόρους, ἀπὸ ἔργου ἑκατέρου, h. e. *Sic autem (ſcapharum bajulos) inquilinos appellabant, & eorum uxores hydrias portantes, ab opere utroſque & officio.* Suidas idem repetit, ſed paulò aliter, ex Demetrio.

36 Ortum autem eſſe videtur ex hiſtoria ſacra. Gabaonitæ enim terræ promiſſæ incolæ, poſtquam Hebræos ſuâ calliditate circumveniſſent, &, ut ſervos apud eos eſſe ipſis liceret, jurejurando aſtrinxiſſent; facti ſunt ὑδροφόροι & ξυλοφόροι, ut Lxx transferunt Joſ. 9, & 10. h. e. lixæ & calones, qui aquas & ligna ferrent, & ad ſacrificiorum uſum ſubminiſtrarent.

37 Porrò hydriæ apud Johannem lapideæ longè majores & capaciores fuerunt quàm ſunt illi aquales de quibus hactenus dictum eſt, ut ex Euangeliſtæ textu manifeſtò conſtat.

38 Et hæ non tam à forma quàm à contento & uſu, quòd aquam continerent, *Hydriæ* dictæ fuerunt.

39 A materia, unde conſtant, vocantur λιθίναι, h. e. *lapideæ*, quòd è lapide ſeu ſaxo fuerint exciſæ ac factæ, ut eſſent firmiores, durabiliores, & injuriæ minùs expoſitæ. Et apud Athenæum lib. 13. mentio fit hydriæ lapideæ.

40 A ſitu dicuntur κείμεναι, h. e. *poſitæ, poſitæ*, ſeu *locatæ:* quippe loco non temere mobiles, ſed quodammodo fixæ.

41 Hæc à ſitu circumſtantia harum magnitudinem, capacitatem & gravitatem arguit.

42 Eò quoque facit argumentum ab uſu ſeu à fine: quòd eſſent poſitæ κατὰ καθαρισμὸν, h. e. *ſecundùm purificationem*, ſeu *ſecundùm ritum purificationis:* vel, κατὰ præpoſitione pro εἰς poſitâ, *in*, ſeu *ad, purificationem* Judæorum.

43 Erant quippe vaſa aquaria grandiora, nimirum labra, *ſolia*, ut doctiores vocant, *vanni*, ut eſt apud Columellam, Wade wannen: in quibus Judæi vel ſedentes lavabant, ſeſe immergebant ac mundabant, ſi ſe contra legem Moſe vel conſuetudinem pollutos eſſe ſentirent; vel manus certatim πυγμῇ abluebant cibum ſumpturi, Marci 3.

44 Quare hæ hydriæ Euangelicæ & ſacræ ab illis hydriis & aqualibus profanis differunt cauſis: quippe materiâ, formâ, capacitate, gravitate, fine & uſu.

45 In his ſex hydriis lapideis Jeſus Nazarenus, Mariæ filius, qui eſt Meſſias, h. e. Chriſtus, orbi terrarum Salvator promiſſus, & tandem exhibitus, in nuptiis in Cana Galilææ unà cum matre & diſcipulis conviva, aquam in vinum convertit, & primum ſuorum ſignorum & miraculorum ſpecimen edidit.

46 Ut autem certò intelligatur quàm liberale hoc nuptiale munus Jeſu Chriſti fuerit, hydriarum capacitas explicanda eſt.

47 Hæc verò capacitas ſatis commodè certóque ex metretæ, quâ menſurâ Euangeliſta hîc utitur, notitia inveſtigari certóque demonſtrari poteſt.

DE METRETE.

48 Μετρητὴς apud Græcos à *metiendo* dicitur: derivatur enim à verbo μετρέω.

49 Et eſt certa apud Græcos menſura liquorum, ut olei, vini, aquæ.

50 Μετρητὴς à Catone & Columella terminatione Latinâ *metreta* quoque dicitur; quemadmodum à ποιητὴς *poeta*, à κομήτης *cometa*, formatur.

51 Etſi autem μετρητὴς generis ſit maſculini, juxta naturam nominum verbalium primæ declinationis apud Græcos, ut κομήτης *cometa*; Lat. tamen interpres in ſenu femineo contra regulam eſt uſus, cùm inquit, *Capientes ſingula metretas binas vel ternas.*

52 Et Cato De re ruſtica cap. 100. & Jureconſultus l. 35. ff. de contrah. empt. in feminino genere utuntur. Sic quoque apud Plautum eſt in Mercatore, *Navis, qua metretas trecentas tolleret.*

53 Μετρητὴς eſt multiplex: Primùm enim ratione regionis, gentis ſeu nationis, alius eſt Græcus, alius Italicus, alius externus apud G. Agricolam. Sed aliis omiſſis ſpeciebus de Græco tantùm hîc nobis agendum eſt.

54 Hic Græcus μετρητὴς rurſus differt ratione regionis ac populi. Alius enim eſt Atticus, alius Laconicus: quippe à regione & populo ſic dictus.

55 Μετρητὴς Atticus à Rhemnio Fannio dicitur *amphora Attica*, & *Cadus:* & continet χόας, h. e. *congios* Atticos 12. ſextarios Atticos 72. cotylas 144.

56 Hi ſextarii Attici 72 faciunt ſextarios Romanos ſexaginta quatuor cum quatuor quintis partibus. Id verum eſſe, ſupputatio ipſa ſatis perſpicuè demonſtrat. Nam ſi ſextarios 72 Atticos metretæ Attici per octodecim, quot unciis menſuralibus hic ſextarius conſtat, multiplicaveris, 1296 prodibunt; quæ ſi rurſus per viginti, quot unciis menſuralibus ſextarius Romanus completur, diviſeris, in diviſorio erunt 64 cum quatuor quintis partibus: qui eſt numerus ſextariorum Romanorum.

57 Hic metretes Atticus, vini plenus, pendet libras Romanas quidem duodecim unciarum ponderalium centum, Zygoſtaticas verò, ſedecim unciarum, ſeptuaginta quinque.

58 Hi ſextarii Romani faciunt totidem, quippe 64 cum quatuor quintis, noſſellas hîc Francofordiæ ad Oderam: ex quibus conficiuntur quartæ triginta duæ, Stufe, Stubichen, octo, quibus addantur quatuor quintæ partes ſextarii.

59 Porrò metreten Atticum hîc accipiendum eſſe cenſeo: & duabus potiſſimùm cauſis moveor: priore quidem, quòd hîc metretes Johanni Euangeliſtæ non ignotus eſſe potuerit, quippe qui ſuum Euangelium conſcripſerit Græcè, ab Aſiæ Epiſcopis exoratus. Idipſum autem edidit Epheſi, quæ eſt urbs Græca Ionica in minore Aſia, ut Herod. lib. 1. teſtatur.

60 Poſterior verò ratio eſt, quòd hic idem μετρητὴς Atticus cum batho Hebraico prorſus conveniat; eidémq; capacitate par ſit, ut alibi à me copioſiùs explicatur.

61 Hæc autem menſura Hebræa Johanni Euangeliſtæ, utpote Judæo & in Judæa perpetuò verſato, notiſſima fuit.

62 Quòd ſi itaque ſingulæ hydriæ binas metretas ceperint, ut Euangeliſta ſcribit, una hydria capax fuit ſextariorum Atticorum quidem 144, Romanorum verò 129 cum tribus quintis partibus. Qui faciunt menſuræ Francofordianæ totidē noſſellas: quippe 129 cum tribus quintis.

63 Sex verò hydriæ hâc ratione efficiunt metretas duodecim, amphoras Romanas ſedecim cum ſextariis Romanis novem & tribus quintis partibus.

64 Francofordianæ menſuræ facit noſſellas 777 cum tribus quintis, quartas 388 cum ſemiſſe, ſtufas 97 & noſſellam unam cum tribus quintis. Hæ noſſellæ, quartæ & ſtufæ faciunt tonnas Francofordianas tres, & reſtant quartæ 58 cum ſemiſſe.

65 Tonna Francofordiana juſta cereviſiaria. cui tonna Bernaviana

Bernaviana par est, continet nossellas Francofordianas 220. quartas 110. quot libras Zygostaticas sedecim unciarum ponderalium lapis centenarius hîc Francofordiæ continet.

66 Mensuræ verò Romanæ eadem tonna complectitur amphoras Romanas quatuor, & præterea urnam cum quatuor sextariis Romanis.

67 Sin verò singulæ hydriæ ternas metretas ceperint; una hydria capax fuit sextariorum Atticorum quidem 216, Romanorum verò 194 cum duabus quintis: qui totidem nossellas Francofordianas faciunt.

68 Facit amphoras Romanas quatuor, & præterea sextarios duos cum duabus quintis; stufas Francofordianas viginti duas cum sex nossellis.

69 Sex verò Hydriæ, ternarum metretarum capaces, hâc ratione simul faciunt metretas octodecim, totidémq; bathos Hebraicos, cùm sint mensuræ pares.

70 Et facit libras Romanas ponderales 1800, Zygostaticas verò 1350.

71 Romanæ verò mensuræ facit amphoras viginti quatuor & quatuordecim sextarios cum duabus quintis.

72 Mensuræ Francofordianæ nossellas 1166 cum duabus quintis; quartas 583, stufas 145. cum tribus quartis, & duabus nossellæ partibus.

73 Indè conficiuntur tonnæ Francofordianæ quinq; & restant quartæ 33 cum duabus quintis nossellæ partibus.

74 Hæc vera & certa esse, tum gravissimorum veterum autorum in tribus præcipuis linguis mirus consensus, tum verò accurata ac diligens cum nostratibus mensuris & vasis hodie usitatis collatio, perspicuè demonstrat.

75 Hinc perspicuè profectò constat, hoc Jesu Christi, nuptialis convivæ, munus nuptiale satis fuisse liberale: ut quo non solùm novos conjuges honorare, eorúmque inopiam sublevare, sed etiam multò magis futuræ necessitati prospicere & consulere voluerit; nè, si mox à nuptiis nihil aliud nisi meram inopiam & paupertatem sibi superesse viderent, animum statim desponderent.

76 Minimè verò putandum est, tantam vini copiam in hunc usum νεογάμοις, h.e. *novis conjugibus*, à Jesu Salvatore donatam esse ut convivæ sese vino immodicè ingurgitarent, & id vinum totum in nuptiis absumerent; sed potiùs ut ipsi νεόγαμοι in usus necessarios reservarent; unde vitam in posterum sustentarent.

77 Causam finalem, usum & fructum hujus historiæ & miraculi duplicem Euangelista ipse indicat, cùm inquit, καὶ ἐφανέρωσε τὴν δόξαν αὐτοῦ, καὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, h. e. *& manifestavit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli ejus.*

78 Hic enim verus & præcipuus finis & usus miraculi hujus erat: Primùm ut ex aqua in vinum conversa Discipuli cognoscerent certóque statuerent, hunc Jesum Nazarenum esse verum Deum, & verum illum Messiam, h.e. Christum jam olim quidem Judæis per Prophetas promissum, jam verò, postquam temporis plenitudo venit, mundo certò exhibitum Salvatorem.

79 Deinde ut hoc miraculo moniti in ipsum crederent, eum reciperent, ut ipsorum fides confirmaretur: nè de ejus doctrina ampliùs dubitarent; & suæ salutis vitæque æternæ certiores redderentur.

80 Christus ipse Matth. 11. Luc. 7. Johannis discipulos ad se missos monet, nè suâ vilitate & humilitate offendantur: sed à sua specie externa contempta avocatos ad sua ipsius opera remittit, & miracula, quæ sunt ejus actus proprii & nativi, intueri jubet, cùm inquit, *Et respondens Jesus ait illis, Euntes renunciate Johanni quæ auditis & videtis: Cæci vident; claudi ambulant; leprosi mundantur; surdi audiunt; mortui resurgunt; pauperes euangelizantur. Et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me.*

81 Hæc autem omnia prædicta sunt, & copiosiùs referuntur apud Esaiam Prophetam cap. 35, & 61.

82 Vult sanè Deus ex suis actibus, operibus & miraculis agnosci: & suam doctrinam de remissione peccatorum, de vera justitia & justificatione, de vera salute & vita æterna hisce certissimis testimoniis confirmari ac velut consignari.

83 Hæc sunt quæ hoc tempore de sex hydriis in gratiam Studiosorum adferre volui; & spero, imò potiùs confido, hanc meam operam & gratificandi voluntatem ut utilem ità etiam gratam fore.

Junij 7°. 1683

GUILLELMI ADER MEDICI ENARRATIONES

De Ægrotis & Morbis in EUANGELIO.

Opus in Miraculorum Christi Domini amplitudinem Ecclesiæ Christianæ elimatum.

Illustrissimo Reverendissimóque Viro

BERNARDO DAFFIS Episcopo Lumbariensi

GUILLELMUS ADER Medicus S.

CHRISTO Redemptori devotum opus ad te defero, Reverendissime ANTISTES, novum sanè ædificium in antiquo Ecclesiæ solo. Antiquum etenim & nihil antiquius ægrotos magno numero sanasse Dominum: Eos autem arte Medicâ incurabiles omnino fuisse, adhuc à nemine demonstratum. Miraculum quidem & ubique magnum vél in leviter ægroto dicere; *Surge, tolle grabatum, & ambula.* Admirabilius tamen in desperato,

rato, & ab omni ſpe remedii retro collapſo. Chriſto ergò omnipotenti, cujus ſolius eſt verè θαυμαλυργεῖν, conſecratum eſt opuſculum, quod curatos ab eo incurabiles ab arte clarè demonſtrat. Sit ad excellentiam miraculi hæc fidelis coticula. Ad aram redemptionis noſtræ eminus micet iſta lucernula; illámque tu, Præſul illuſtriſſime, virtutis & nominis ſplendore quo coruſcas, inflamma, & agita ſpiritu pietatis, quò æternùm inclareſcat. Clara etenim tu nobis Deûm ſoboles, magnum Daffinæ proſapiæ totâ Galliâ nobiliſſimæ & auguſtiſſimæ incrementum, ſapientiſſimi totóque regno ſpectatiſſimi Protopræſidis Patris tui ſymbolum, vigilantiſſimi Antiſtitis Lumbarienſis Patrui tibi præeuntis, mihi vehementer cordatiſſimi, charagma, æquiſſimi Præſidis fratris tui animæ dimidium. Qui demum totus es in Eccleſiæ nominíſque Chriſtiani præſtantiam pietati infixus, juſtitiæ & cultui deditiſſimus, fove hanc ſcintillulam quæ de petra Chriſti in qua tu ſedes excutitur: move hos igniculos Apollineo fomite è Chriſtiano ſilice accenſos. Ità tibi proſpera ſummáque ſit omnipotentis Chriſti D. remuneratio, vita nempe Neſtoreis producta annis. Vive diu, vive felix, Lumbarienſis devotiſſimæ Eccleſiæ noſtræ princeps, decus & ornamentum: Vive diu, vive felix, terrificum vitiorum fulmen, magnificum pietatis virtutíſque flumen & culmen, Méque aſſiduum tui cultorem atque admiratorem ama, ut ſoles, & ut ego veneror.

PRÆFATIO:
In qua totius Operis RATIO proponitur.

Ad Chriſtianum humaniſſimum Lectorem;

QUanquam in omnibus ægrotis à Chriſto Domino curatis ratio miraculi ſit illuſtris, dum extra naturæ genium & Medici ingenium, ſuaviſſimo ſolo verbo, leniſſimo tactu ſuo, cujuſlibet generis ægritudines curat Dominus, ſítque tam grave miraculum eâ formâ ſanabiles affectus quàm inſanabiles delere; liberum tamen unicuique, piéque conceſſum, inquirere, num præfati ægroti, qui à Chriſto Domino miraculosè curati ſunt, potuiſſent arte curari: ut ſi qui reperiantur à natura & Medicis incurabiles, illuſtrior & celebrior ſuccedat miraculi altitudo & immenſitas. Magnæ quidem ſunt cerebri & totius corporis affectiones miraculo curatæ in ægrotis toto N. Teſtamento propoſitis: nihilominus omiſsâ dæmonum vi, quam ſolus poteſt frænare Deus, nullam intemperiem, nullum inſtrumentalem morbum ibi reperies quem appoſitis naturæ remediis, ſervatis ab artifice legibus artis, in multis aliis ægrotis ſæpe non exſibilarint docti & experti Medici. Lepra etenim in exortu non confirmata, epilepſia, melancholia, mania, convulſio, cæcitas, ſurditas, atrophia, hydrópſque omnis, affectus curabiles ſunt: & leproſos, epilepticos, maniacos, convulſos, hydropicóſque plures, ſurdos item & cæcos non paucos curant paſſim Hippocrates & Galenus, curarunt & Medici horum ſequaces. Quid ergò in ſimilibus toto N. Teſtamento propoſitis non potuerint Judææ Galilææque Medici, iiſdem imbuti præceptis & arte? Nónne Chaldæorum illa terra eſt, remediorum omnium feraciſſima, artium varietate ingenioſiſſima, artificum diligentiâ illuſtris? Verum quidem: nec ità hebetes, tardi & inſcientes Medici Palæſtinæ habendi quin ſimiles quoſdam morbos ſæpiuſcule curaverint. Una tamen, iniqua ſæpe Medicis, præceps & inſtantanea medendi Occaſio ſola ſufficiet ad demonſtrandum, nominatos omnes quos reperio in N. Teſtamento ægrotos incurabiles ab arte & eorum Medicorum ſagaci induſtriâ exſtitiſſe, Divinâque manu Omnipotentis ad ſanationem hos omnes ægrotos indiguiſſe. Occaſio enim præceps & momentanea, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς, divinus ait Hippocrates. Ut enim in omnibus rebus humanis ità & in medendi arte præſidet urgens & anceps agendi ratio; nec licet Medico ſine Occaſione mederi, in cujus ſatellitio reperies & tempus, & ætatem, & regionem, aliáſque ſimiles conditiones; quas ſi non obſervet Medicus, incaſſum ludit oleum & operam. In Occaſionis comitatu adeſt etiam ægri conditio, & natura admodum diverſa, varii mores & humores, quæque unius palato ſapiunt, alteri ſunt ingrata & injucunda. Hic Medico obſequens eſt, ille morosè reluctatur; iſto in aere & hac in ætate curabis affectum quem fovet alius aer, habet ad mortem comitem alia ætas. Immedicabiles deinde morbi ſuapte contingunt, adverſùs quos nè hilum quidem remedia proficerent. Invadunt alii contumaces, qui ſemel in habitum verſi nunquam pedem referunt, cùm habitum prorſus mutatum immutare ſola potuerit Medea non Medicus. Ità ergò de ægrotis & morbis in Euangelio campus differendi patet ampliſſimus, in quo copioſa ſeges demonſtrationum cum ſplendore ridet & luxuriat, ad hos affectus incurabiles firmiſſimè demonſtrandos. Hos enim ſolùm reputare incurabiles, quia Chriſtus Deus & Omnipotens curaverit, anile eſt: miraculum etenim vel in Acaro verbis evulſo reperiretur. Rationibus ergò cùm Phyſicis tum Medicis decertandum.

—— Maria aſpera juro,
Me nullum pro me tantùm cepiſſe laborem.

Jubet

3663 3664

Jubet enim artis noſtræ ſummus Dictator Hippocrates videre, tangere & audire; imò viſu, tactu, auditu, naribus, linguâ & intelligentiâ ſentire, ut circa ægrotum ſimilia & diſſimilia decernantur. Quæ certè omnia his in abſentibus ægrotis adeſſe mihi nequeunt. Quâ ergò arte quæ tuta certáque ſit incedendum dices, ut de ægrotis tàm antiquis, tam remotis & inviſis, vera reſultet morbi cognitio & fida prognoſis? Audi Galenum artificem maximum, qui ſexcentis ferè poſt Hippocratem annis de ægrotis ab eo paſſim relatis judicare decernit, tantâ ſanè conjecturâ, ut ſi præſentes adfuiſſent, res neque meliùs neque certiùs dignoſci ac judicari potuiſſet. In ſententiam ergò divini Autoris quæ ſic in lib. Epid. legitur, *Æſtate jam & Autumno lienteriæ*, &c. Galenus ait, *Variè admodum ægrotabant Thaſii quòd in diverſos incidiſſent morbos. Quare communem rationem, quæ ad id conducit quo non omnes qui in ea fuerunt tempeſtate ægrotarent, primo loco exponam, deinde ad ſingulos morbos deſcendam. Attendes omnibus in ſtatibus ætatem & naturam cujuſque hominis, ut ſit ad ſtatum appoſitas; mox genus vitæ applicabis, atque ſalubrem victûs rationem univerſam ſtatui ipſi adverſariam.* Ex qua Galeni ſententiâ audire licet ipſum ſtatui & conſtitutioni loci & temporis morbos velle conferre; ac de ipſis ægrotis ab ætate, victûs ratione, vitæ genere & conditione, decernere ac judicare. Ars certè ſubtilis & ardua, quæ Medici ingenium mirum in modum exercet & exacuit. Quis enim non videt in abſentibus ægrotis artem dignoſcendi & judicandi morbos ferè inverſam, retróque commeantem? Præſente etenim ægroto dignoſcendi & judicandi regula prima ab illius temperie & habitu deſumitur: quâ viſâ & diligenter mente attrectatâ de morbo & ejus eventu judicare difficile non eſt: ex recto enim deſumitur obliqui ratio. At in abſentibus ægrotis arte inversâ, audito nempe à relatore morbo & accidentibus, de temperie ægrotantium ex iſto relatu deliberandum, unde poſtea acri animi conjecturâ eventus morbi ariolandus eſt, & ineunda morbi curatio. Quantò ergò facilius eſt à principiis ad artis ſcopum componere, tantò etiam difficilius à ſcopo ad principia reſolvere.

Eja tamen per Apollinem, per Chriſtum nempe Salvatorem noſtrum, Panaceam Hygæámque noſtram Virginem matrem ſacratiſſimam, ſi quid artis per triginta annos Medicinam diſcendo, docendo, faciendóque ingeniolo noſtro comparatum eſt, graviſſimo huic & religioſo admodum ſubjecto dedicemus. *In magnis voluiſſe ſat eſt* —— & in arduis periculum facere generoſum: quid enim nobis non ſuppetet docta & acuta Hippocratis ars? *Morbos*, ait, *dignoſcimus docti ex communi omnium natura, & cujuſque propria, ex morbo, ægro, oblatis, offerente: præterea ex univerſo & ſingulari cæli ſtatu, ex ſingulis locis, ex conſuetudine, victûs ratione, vitæ genere, ætate cujuſque:* Et cætera quæ deinceps ſingula adamuſſim docet Medicinæ heros. Ad cujus normam nos de ægrotis in N. Teſtamento & eorum morbis dicturi, illorum ætatem, temperiem, patriam, & vitæ conditionem, cùm ex Divino Euangeliſtarum contextu, tum ex Patrum Eccleſiæ commentariis, ſedulò inveſtigabimus, ut indè quo morbo quámque difficili laboraverint, ex loci, morbi & ægrotorum natura, clarum fiat & apertum. Adjungemus Chriſti Domini Itineraria à Religioſis doctíſque viris quantâ fieri potuit diligentiâ collecta: nec eorum qui Terram Sanctam peragrarunt aſpernabimur diligentiam, & fidelem locorum in quibus celebrata fuere miracula relationem.

Ah terret me altiſſimi & Divini ſubjecti gravitas.

Magna petis, Phaeton, & quæ non viribus iſtis
Munera conveniunt.

Eloquar ergò an ſileam? *Confirma me, Domine Deus Iſrael, & reſpice in hac hora ad opera manuum mearum.*

GUILELMI ADER MEDICI

ENARRATIONES

Enarrantur Ægroti Novi Teſtamenti, quorum dum explicantur morbi, eorum patria, temperies, ætas, & vitæ conditio inquiritur, hóſque arte Medicâ incurabiles fuiſſe demonſtratur.

ENARRATIO I.

De ELEPHANTICIS, ſeu LEPROSIS, à Chriſto Domino miraculo mundatis.

CONGREDIOR, *fer ſacra pater, & concipe fœdus.* A notioribus qui in extima corporis facie ſplendent morbis incipio, & leproſos à Chriſto D. curatos ad examen voco: quorum cùm Lepra naturalibus cauſis debuiſſet originem, non abs re dubitatum eſt an arte Medicâ, quæ naturalis eſt, curari reſtituíque poſſet. Nec de leproſis in Vet. Teſtamento relatis ſermo eſt, ut de leproſa Moyſis manu Exod. 4. fronte Oziæ Regis 2 Par. 26. corpore Gieſi ſervi 2 Reg. 5. aut facie Mariæ; ſed quos N. Teſtamenti hiſtoria & Euangeliſtarum fidelis narratio indigitat, hos ego perſequor. Hi etenim quæſitis undique remediis, nec repertâ ſalute, ad Chriſtum properant: cujus fama admirandis morborum curationibus totâ Syriâ erat illuſtris. Videbant cæci, ambulabant claudi, loquebantur muti, purgabantur leproſi, inſani & abrepti reſtituebantur. Sanabat Chriſtus D. momento quæ Medici naturam æmulantes quatuor morbi temporibus diſtinguunt. Et quod illi à viribus prædivite naturâ in ſperabilibus morbis poſſunt cum remediis, in deſperatis poſſunt Chriſti verba, poteſt illico Divinæ manûs attrectatio. *Ceſſit extemplò natura*, ait D. Chryſoſtomus Homil. 25. *ubi Chriſtus juſſit.*

Leproſum in primis occurriſſe Chriſto, cùm deſcendiſſet de monte, antequam ingrederetur Capharnaum, cenſet Toſtatus Abulenſis. Dei enim mandato extra urbes ſe continebant leproſi, nec illis ad publicas plateas liber erat aditus & conceſſus. Hunc Capharnaum Galilææ metropolim habitaſſe narrant D. Ambroſius in Luc. & Beda in Marc. De iſto loquitur D. Matt. 8. D. Marcus 1. Lucas 5. *Cùm Jeſus deinde ex Galilæa iter agerat Jeruſalem*, ait D. Lucas, cap. 17. *tranſibat per mediam Samariam & Galilæam, & cùm ingrederetur quoddam caſtellum, occurrunt decem viri leproſi.* Notat ergò Euangeliſta in quodam caſtello aut pago Samariæ hos occurriſſe, locum tamen non nominat. Qui terram ſanctam peragrarunt, ex indigenarum relatu locum hunc deſignant inter Magedo & Saruntam, & in caſtello Saba dicto, à quo planities Magedo vocatur modò *campus Sabæ*, juxta planitiem Galilææ, ut refert Brocardus monachus, oculatus loci deſcriptor. Longè igitur à Samaria metropoli urbe curatio hæc inita eſt à Domino, in caſtello nempe Saba Galilææ contermino. Unde certò conjiciendum, hos leproſos diverſos à ſuperiori in Capharnaum curato. Hic enim erat Capharnaita, curatus poſt deſcenſum à monte; & ut ex Chriſti D. itinerario colligo, æſtatis tempore, ad annum ætatis Chriſti D. ferè trigeſimum primum. Decem verò in campo Sabæ Autumno, ad trigeſimum tertium ejus annum, & cùm deſcenderet Jeruſalem, mortis pro nobis ſubeundæ cauſâ. Horum autem decem unum fuiſſe Samaritanum, aut, ut notamus, Sabæ incolam, novem verò fuiſſe Judæos, narrat ex Theophilo D. Thomas. Hos ergò Judæos illum ex Saba ſorte & caſu inveniſſe, conjectura eſt. Nullo enim commercio aut neceſſitudine uſos Judæos cum Samaritanis Scriptura notat. Decem igitur acceſſerunt, animo quidem diſcordes, ſed intimâ ſpe in Chriſto concordes, ſunáque ideo elatâ voce clamantes, *Jeſu præcipe, miſerere noſtrî.*

Hi ergò ſunt in Teſtamento deſignati leproſi, quorum certa haberi poſſit enarratio. Eos igitur brevi expedio, illorúmque deſperatam ab arte Medica curationem ſic demonſtro; Plenos leprâ ab urbe pulſos Scriptura indicat: *ſteterunt enim à longè* ait D. Lucas. A Medicis ergò judicatos fuiſſe leproſos certiſſimum. *Sic expulſi ſunt*, ait Joſephus, l. 3. Antiq. c. 13. *omni à civitate, cum nullo penitus conviventes, & nihil à mortuis diſſidentes.* Non equidem in ſola morbi diſpoſitione & ὁ χρόνος (ubi ſpes quædam curationis ſcintillaret) judicati ſunt, ſed in perfectiſſimo lepræ actu conſtituti, in quo cùm nulla ſperabilis ſit curatio, jure leproſos ab hominum cœtu & neceſſitudine explodendos ſancivit antiqua lex Lev. 13. In leproſis enim contagium eſt, & cum ſeminario, quo ſanos attactu, ulcerum fœtore & reſpiratione putidâ inficere poſſunt. His proinde à contagio & morbi labe deturpatur facies, pili decidunt, dilatantur nares, exeduntur oſſa, lingua tumet, fœtet reſpiratio: omne denique morbi genus omnéq; ſymptoma in leproſo comitatu & ſatellitio reperitur. Morbum ergò Elephanticum fucari quidem poſſe jure docent Medici, curari nunquam. *Quomodo*, ait Avicennas, *curabitur lepra, cùm ſit cancer univerſalis, quando cancer particularis Medicinam neſcit?*

Eſt Elephas morbus triſti quoque nomine dirus,
Non ſolùm turpans infandis ora papillis,
Sed cita præcipitans funeſto fata veneno.

Magnum quidem potentiâ morbum judicat Aretæus lib. 2. De diut. morb. cap. 13. & ad mortem inferendam omnium longè efficaciſſimum, quod à nobis Enarrat. 1. 3 partis uberiùs explicabitur.

Interim cùm de leproſis in republica Medici ſint aſſertores & judices, maxima autem Lepræ & Elephantiaſis indicia in facie legantur & eligantur, prætermiſſis à facie ſignis, de quibus abſens judicare nequit; conjecturis à loco, victu & conditione vitæ ægrotantium deſumptis, æquam juſtámque & κατὰ τὸν νόμον καὶ κατὰ φύσιν à Medicis Palæſtinæ de his prolatam fuiſſe ſententiam ità decerno. Regio quæ calidiſſima eſt, incolarum humores impendiò adurit: inæqualis autem in calido & frigido eos habet ubiq; melancholicos. Addit Galenus 2 Ad Glauc.

ad

ad melancholiæ ſaburram craſſorum alimentorum uſum, unde ſic ille concludit, *Itaque in Alexandria plurimi Elephantiaſi tum ob victûs rationem tum ob regionis caliditatem laborant.* Quod ergò ille de Alexandria nos de Palæſtina eodem jure colligimus. Capharnaum in primis non longè diſtat à monte, & eſt ſecundùm mare Galilææ. *Generatur*, ait Avicenna in Canticis, *ficcitas in aere appropinquante urbi, cujus terra vel locus ſaxoſus eſt & ſalſus.* Locus ergò hic calidiſſimus, ficciſſimus, ſalſúſque eſt.

Sic & de campo Sabæ, ab Oriente qui cingitur mari Galilææ & Jordane, ab Auſtro monte Ephraim, & Samaria idem conjectandum, cùm nihil habeat in temperie loci & aeris diſſimile. Capharnaitis ergò & Samaritanis Elephanticis infeliciſſima ſors, quorum nempe nativa temperies fervida & areſcens, in æſtuoſo ferventíque ſolo, huic ſædiſſimo morbo admodum ſit opportuna: Syntrophicis autem & connaturalibus morbis dum faciliùs jungimur, ab iiſdem difficiliùs ſejungimur; & quas dat ægritudines aer, eaſdem fovet. Judæi autem inæqualem habent temperiem. Etenim Judæa montoſa eſt, caloribus & algoribus inæqualiter impetita, morborum melancholicorum feraciſſima, intemperiei partium corporis calidæ & ſiccæ curandæ tenaciſſima. Nec omittendum æſtatis tempus, quo eſt in Capharnaum curatus ille, & illi in campo Sabæ, Autumno. Quæ tempora, dum in ægrotis exuſtos concitant humores, graves hos affectus non ſolùm exaſperant ſed & manifeſtò adaugent. Et eâ maximè ætate in qua iſtos fuiſſe conjicimus; nempe in conſiſtente, quâ jam viri ſunt, morbis à bile retorrida opportuni. Sic & de illorum vitæ genere conjectandum, cùm jaceant in hiſtoria ſacra ſine nomine, eos artes mechanicas ac viles exercuiſſe; quorúmque victûs ratio ſine dubio fuit improba & incauta, ut vulgò victitant mechanici, & in Judæa quàm maximè, quos carnibus craſſorum animalium, fructibus multis, leguminibus piſcibúſque ſalitis victitare fidem facit antiqua Joſephi & omnium Geographorum coſmographia recens. Quod cùm adeò verum ſit, ad curationis illorum incommodum adderem, quod eſt in ante præceptoris edictum (Hippoc. Aph. 36, 2.) nè medicamentis agitentur maximè illi, *οἱ πονηρῇ πόσῃ χρεώμενοι, qui parvo utuntur cibo.* In purgationibus enim, ut Galen. ait in Comm. *διὰ τὴν ἀκυρίαν τῆς μοχθηρῶν χυμῶν* facilè exſolvuntur.

Agè igitur, vel pauciſſima horum ægrotantium lepræ indicia facie deſignentur. Sit vel leviſſimus morbi character in ſanguine, pulſu & urina (quorum omnium ratione dubitandum non eſt hos leproſos Medicorum Palæſtinæ ſententiâ fuiſſe judicatos) in re medica cæcutire mehercule qui hos curatu faciles judicaret, quíque vel maximis lepræ in remediis fidem adhiberet. Vini etenim Viperini, Theriaces, Hydrargyri, Auri potabilis, quæ maxima lepræ habentur remedia, ea certè ratio non eſt, vis aut poteſtas morbos graviſſimos in habitu firmatos ut reſtituant, leproſóſque homines totâ membrorum compage fœdatos cute & carne innovent.

In te ergò, Domine Jeſu, miſerculi mentem oculóſq; conjiciunt, qui eos tangere nec maculari, ipſos detergere nec conſpurcari potes: *Domine, ſi vis, potes me mundare*, qui Lazarum de monumento fœtidum ſuſcitaſti. *Ecce quem amas infirmatur.* Sufficit ut noveris: non enim amas & deſeris.

ENARRATIO II.

De PARALYTICIS à Chriſto D. miraculo curatis.

TRES famoſos toto N. Teſtamento reperio paralyticos, quos arte Medicâ incurabiles demonſtrandum mihi. Primus eſt cùm (ut ait D. Matth. ca. 8. & D. Lucas 7.) *introiſſet Jeſus in Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio rogans eum, Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, & malè torquetur.* Quibus verbis duo involuta jacent, quæ ſi evolvam, ægri naturam & ætatem demonſtrabo.

Quem in primis *παῖδα*, i. *puerum* vocat D. Matth. modò *δοῦλον* modò *παῖδα* vocat D. Lucas; *ſervum* videlicet & *puerum*: *παῖς* enim utrumque ſignificat. Liberum eſt ergò propoſitum ægrotum, puerum Centurionis, aut ſervum cogitare. Cùm autem in S. pagina notatum ſit, Centurionem miſiſſe ad Chriſtum, non ipſummet acceſſiſſe, ut faciet Regulus pro filio oraturus, filium Centurionis non fuiſſe conjicerem. Paterno etenim amore compulſus non miſiſſet, ſed acceſſiſſet ipſe, quò ferventiùs ad filium Chriſtum vocaſſet. Servus ergò meo judicio hic eſt, qui tamen quoniam ſerviret liberaliter, amatur à Centurione magiſtro, ſolicitè etenim ſervi ſui quæritat ſalutem. Conjiciendum deinde eſt ſervum utilem fuiſſe, & futurum: grandior erat ergò, & jam homo.

Sic & de morbi ſpecie dubitandum, ubi ait, *puer meus jacet in domo paralyticus, malè torquetur.* Si malè torquetur Centurionis ſervus, hoc non à paralyſi, quæ affectio eſt ſine ſenſu & ſine motu. Debebat ergò convulſione conflictari, in qua motus & ſenſus non aboleri ſed depravari certum eſt. Eſt enim *Convulſio*, Celſo medico inſigni, cap. 3. l. 4. *in qua nervorum rigor importunus & acutus, modò caput ſcapulis, modò mentum pectori annectit, modò rectam & immobilem cervicem intendit:* ſit enim convulſio, autore Galeno l. 3. De loc. aff. c. 5. l. De trem. palp. convulſ. cum involuntaria nervorum retractione, originem verſùs, proinde comes eſt illi inflammatio principii nervorum, cerebri videlicet, aut ſpinalis medullæ, unde dolor. Nervi enim dum præter voluntatem contorquentur, aut diſtenduntur, graviſſimos ſanè excitant dolores, non leves aut ſtupidos, ut adverſùs Archigenem eleganter diſputat Galenus l. 2. De loc. aff. Tali autem affectu preſſum Centurionis ſervum fida verba D. Matthæi perſonant, c. 20. *ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ παραλυτικὸς, δεινῶς βασανιζόμενος.* Quæ poſtrema verba convulſiones, labores & ægroti dolores perſpicuè ſignificant. *βασανίζω per quæſtionem extorqueo*, & *βασανιζόμενοι quæſtione torti.*

Certum ergò Centurionis ſervum fuiſſe convulſum: *malè habens* (ait D. Lucas c. 17.) *erat moriturus.* Loquebatur ergò medicinæ imperitus Centurio, ut vulgus, qui quoſlibet motu captos vocat *paralyticos*: aut fortè ſuccedebat ad convulſionem paralyſis, aut uterque aderat affectus. Inſolens quidem eſt convulſioni & epilepſiæ ſucceſſio paralyſis, ſed à nobis cum Avicenna lb. 3. Fen 2. eſt aliquando obſervata. An ſi non à morbo, à tortore Dæmone malè torquetur paralyticus hic? ſed cùm à nemine quod ſciam cogitatum ſit, aut literis mandatum, ad morbi prognoſim diverto.

Malè habens, ait D. Lucas, *erat moriturus.* Sit paralyſis, ſit convulſio, quis non videt ſalutem in præcipiti? Convocatos credo à Centurione duce & claro viro peritiores & exercitatos medicos; ſed quid illi poſſent, audite paucis. Locus in primis Capharnaum in quo degebat æger, & cui à Romanis præpoſitus Centurio cuſtodiebat civitatem Galilææ metropolim, æſtuoſus, ſiccus & retorridus eſt, in quo morbos à frigida cauſa graſſari, qualis convulſio eſt & paralyſis, funeſtum. Diſſentaneus etenim toto genere affectus eſt loco, ætati & temperamento afflicti. Sit adoleſcens, ſit jam in ætate matura, ſpes eſt in anguſto. Edictum enim Hippocratis eſt, Aphor. 34. 2. *Eos in morbis graviùs periclitari quorum natura, ætati aut habitui morbus eſt diſſentaneus.* Ubi Galenus ferè ſic ratiocinatur; Si locus, aut anni tempeſtas, aut temperamentum ægroti, non potuit obſiſtere cauſæ morbi, dum ſanitate firmâ frueretur, dúmque, ut ipſe loquitur, *βεβῶσαν ἰσχὺν καὶ ὑγίειαν haberet ſanitatem ſibi ſuffragantem*, multò minùs, ait ille, morbo jam facto ſuperaverit, non aſſiſtente ſanitatis robore.

Pergamus, ſi paralyſis eſt, quia univerſalis ſine dubio & paraplegia eſt, illa in Apoplexiam citò recurret, à qua fortè & illa ſucce[illegible]: ſi convulſivo tetano correptus, unde tam malè torquetur, experimento Hippocratis Aph. 6. v. & Gal. in com. intra quatuor dies peribit. Cùm enim,

ait Galenus, tetanus morbus peracutus sit, ut qui compositus sit ex emprosthotono, i. ad anteriora tensione, & opisthotono, i. ad posteriora tensione, citiùs in ipso fit judicatio, non tolerante naturâ longiori tempore tensionis laborem. Quò ergò se vertat ægrotans noster, horum quocunque morborum prematur pathomate, in præsenti vitæ periculo versari luce meridianâ clarius est.

Paralyticus alter oblatus est Domino in lecto, qui portabatur à quatuor hominibus Matth. 8. Marci 2. Et alius est ægrotus hic ab eo quem curatum in probatica piscina proponemus. Hic enim in civitate Christi curatur, nempe Capharnaum, quæ *Christi civitas* appellatur Chrysostomo & Theophilo, (in Marc. 2. testim. in 9. Matt. q. 5.) ubi portabatur à quatuor, ditior ergò ut par est, & è longinquo illuc transvectus. Paraplecticus certè, & sine dubio à Medicis deploratus mortíque vicinus: Sic præproperè inter medias hominum turbas per tegulas submissum & Christo D. infinitos ægrotos illic curanti oblatum legimus. Periculum nempe illi in mora. Paralysis enim illa gravis & universalis in apoplexiam ubique & citissimè migrat. Apoplexia autem citâ morte funesta est, spirituum animalium absolutâ interceptione, & omni obstructo commeatu. Unde premuntur tandem ἀπὸ τῆς ὀρθοπνοίας τε καὶ τῆς βήχιος *ab orthopnœa & gravi spirandi difficultate cum stertore gravissimo* prædicente necem.

Paralyticus tertius in Euangelio D. Joannis c. 5. curatur à Domino in probatica piscina Hierosolymis. *Erat*, ait D. Joannes, *quidam ibi triginta octo annos habens in infirmitate sua.* Non explicat Scriptura quod genus morbi esset, hominem tamen jacere paralyticum dicunt omnes interpretes. Hunc enim vidit Jesus jacentem, & in grabato seu carabato, miserrimo pauperum lectulo, à κάραβος & βατὸν, quòd in eum solùm *caput* recumbant, vel παρὰ τὸ κρεμᾶν τὰς βάσεις, *quòd ibi suspendantur pedes.* Non movebatur ergò homo hic, sed omnium partium infra caput resolutus & paraplecticus omni & sensu & motu destituebatur. Universali ergò totius corporis paralysi, & jam inveteratâ, laborabat, quam si Medicus curaret, dealbaret Corvum aut Æthiopem. Obsidetur enim in paraplegia tota spina dorsi, quæ suapte naturâ frigida, cum sua nervorum propagine, à morbo frigidissimo & glaciali, paralysi nempe aut convulsione, nunquam vindicatur. Est enim frigidum ubique nervis inimicum, & calori nativo ipsum τὸ θανάσιμον, (Aphor. 18. 5.) Multitudine deinde materiæ frigidæ & crassæ in paralysi obruitur partium vividus & micans calor, collabitúrque non animalitas solùm sed & partium nutricatus: Cùm è cerebro perennis irruat humorum decubitus, qui partium porulos obstruit, & alimoniæ omnísque nutricatûs vias præcludit; sícque tandem postrema symptomata invehit, Atrophiam, nempe marcorem ac maciem carnium insignem, quæ paralysi juncta,

Obruet ingentes ista procella viros.

Quid ergò de veterano isto Paralytico triginta & octo per annos à morbo habito sperandum? Imò quid in natura monstrosius? Quid in artis medicæ ἐμπειρίᾳ & exercitatione rarius? Imò certè κλάδοις ἀχμαῖς δρυὸς, *Rarissima ramis quercus.* Portentosum tot annos vivere paralyticum. Credo Deum hunc reliquisse moribundum, ut in curatione tam difficili, impossibili, inauditâ, & auditâ vi miraculi maximâ, infidelibus omnibus, vel induratum ferreúmque cor habentibus, nefas esset de Christi Deitate ambigere. *Domine, hominem non habeo. Dicit ei Jesus, Tolle grabatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Omnia* ergò, *Domine, excelsa tua, & fluctus tui, super me transierunt.*

ENARRATIO III.

De MULIERE INCLINATA à Christo D. miraculosè erecta.

PRoposita est mulier inclinata in Euangelio Lucæ, c. 13. cùm ait, *Erat Jesus docens in Synagogarum sabbatis, & ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis octodecim, & erat inclinata, nec poterat sursum respicere.* Quænam autem mulier esset, nominatim non dicit Scriptura. Sed cùm tot annos morbo fuerit oppressa, & ob flagitia sua à Dæmone detenta, qui velut immanis tortor spinam suapte naturâ in muliere antea erectam contorqueret; conjectandum est illam ante morbum fuisse natu grandiorem, jámque longo morbi tractu senilem evanisse, muliebrem vigorem exegisse, nec longè à quinquagesimo anno distare.

Fuit, ut ex contextu sacro colligere licet, & in Capharnaum. Quo autem morbi genere prehenderetur, dubitari potest. *Erat inclinata*, Græcè est συγκύπτουσα. Est autem συγκύπτειν *deorsum inclinari*, & *inspicere.* Erátne igitur vel convulsa, vel gibbosa, simplici illâ gibbositate vulgari quæ fit à semotione & luxatione vertebrarum dorsi? Utrumque enim vitium spinam dorsi inflectere & inclinare potest. Siquidem convulsio (Gal. lib. De trem rig. palpit.) emprosthotonos dicta, tenho est flectentium musculorum in anteriora, ut opisthotonos in posteriora. In illa mentum pectori, in ista caput scapulis annectitur. In Tetano autem, tertiâ convulsionis specie, æquali robore ad utrasque partes vergente, cervix obriguit, rectáque & intensa manet immobilis, æquali nempe congenerum & antagonistarum musculorum contentione violentâ.

Potuit ergò misera mulier conflictari emprosthotono, etsi tamdiu arcuata ac inflexa permanserit. Est enim Convulsio (Gal. 3. De loc. aff.) musculorum affectio, quæ non est interrupta motibus, nec accessionibus distincta, ut epilepsia, quæ corporis convulsio est non perpetua. Potuit & eadem gibbosa detineri & cyphosa, dorsúmque habere ad ityphon, h. e. exteriùs atque deforis convexum, intus verò depressum. Quâ figurâ gibbos post pubertatem detineri ad extremum senium, & Hippocrates in Aph. & lib. De articulis & experientia fidem faciunt.

De genere ergò morbi ambiguum est: sed hanc revera fuisse convulsam duplici ratione mihi persuadeo. Prima, quòd mulier graviter afficeretur à morbo, angeretur cruciatibus & dolore, qui sunt assidui veræ & primariæ convulsionis comites. Et ideo dicitur agitari *à spiritu infirmitatis*, i. à doloris & morbi autore Dæmone. At illi qui simpliciter gibbi sunt, non ità urgentur. In iis etenim spinæ dorsi in situ solùm & naturali positu afficiuntur: sed musculosæ illorum partes non convelluntur cum dolore, quanquam non ritè suo fungantur officio & munere. Altera ratio est, Non laborabat mulier, ut notat Maldonatus, à naturalibus causis, non defluxu humorum aut catarro, non flatu vel tumore, à quibus gibbositatem fieri & concitari dicemus in tertia parte sequenti. *Neque Medici*, ait Theophylactus, *eam curare potuerunt.* Prorsus ergò à Dæmone agitabatur. Quod indicant Christi verba, cùm ait, *Hanc autem filiam Abrahæ quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis, non potuit solvi à vinculo isto die sabbati?* Sed esto; fuerit mulier à naturalibus causis convulsa. Erat, ait Scriptura συγκύπτουσα, ubi de interpretum sententia significat D. Lucas, mulierem præ longa infirmitate degravatam & diminutam, quæ omnino sursum respicere non poterat. Indè duo colligo. Convulsionem primò non in fieri & depravato motu exstitisse, quo sperari posset curatio, sed in facto esse, ubi conclamatum. Colligo secundò, si imminuta mulier est, ergò marcida & omni nutritiâ vi destituta hectica facta. At siccitatem convulsioni junctam curare impossibile

judicarum

judicatum Hippocrati Aphor. 1. v. Imò tam lethalis & olecria quàm sit ab helleboro convulsio.

Esto, fuerit præter naturam gibbosa, tot annis, non inconsultò ad sententiam Hippocratis, lib. De artic. *Qui gibbi ex asthmate aut tussi, ante pubertatem moriuntur*, addes, & qui post pubertatem, non protrahunt vitam diutiùs. Rarò gibbosum post sexagesimum vidimus annum.

Quocunquè ergò se vertat misercula mulier, undique moritur, vivere illi onerosum, stare molestum, repit serpentum infimâ conditione. Quid supereſt?

Mordicus ad victum terram voret altera Io.

Gratiæ ergò tibi, Christe D. qui vindicatâ mulière à Dæmonum tyrannide pristinæ formæ nostræ eam restituis.

Os illi sublime dedit, cœlúmque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

ENARRATIO IV.

De LUNATICO à Christo D. miraculosè sanato.

LUnaticus puer narratur in Euangelio Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. *Et cùm venisset*, ait D. Matth. *ad turbam, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens, Domine, miserere filio meo, quia lunaticus est, & malè patitur; nam sæpe cadit in ignem, & crebrò in aquam.* Addit D. Marcus, *illum habere spiritum mutum, qui ubicunque allidit illum, spumat, stridet dentibus, & arescit.* Interrogavit autem Christus D. pueri patrem, *quantum temporis esset ex quo ei hoc accidit. Respondit illi, Ab infantia.* Hæc nobis præfanda erant: Et illud, factum post transfigurationem miraculum, cùm à monte Thabor Jesus descendisset. Ex iis etenim manifestò ætatem ægroti, & patriam, & morbi conditionem omnem conjicere licet. Unde futura de illo prognosis & prædictio.

Puer ergò hic nominatur in Scriptura, quem tamen cùm diceret pater *ab infantia* laborasse, longáque & chronica facta sit illius ægritudo, non ampliùs tenellus infans, aut puer, sed in pubertate constitutus, judicandus est. Jam ergò ferè adolescens duos septenarios transegerat.

Et erat Galilæus ægrotus hic: Post transfigurationem etenim in monte Thabor curatus est, qui duabus leucis distat à civitate Nazareth, in qua Christus D. conceptus est. Unus erat, meo judicio, hic ægrotans, illic de turba qui Christum immedicabilia curantem sequebatur. Nec longiùs ergò, ut par est, distabat à patria moribundus ægrotans.

Epilepsiâ autem laborasse verba ipsissima patris & Euangelistarum testimonia fidem faciunt. Convellebatur, dentibus stridebat, cadebat frequenter, & interim spumabat ore. Quæ symptomata Epilepsiam consequi ut signa certa pathognomonica & concomitantia, medicis est in confesso (Hipp. lib. De morbo sacro, Galen. 3. De loc. affect. c. 7.) Lunaticus deinde factus, & ad Lunæ motum compositus morbus est: solet enim Epilepsia per Lunæ quadras eâdem sævitie statis recurrere periodis. Surdo tandem & muto spiritu correptus, arreptitius Lunaticus factus est. Ut loquitur Abulensis c. 147. in 17. Matth. Hæc igitur est summa morbi.

Acriùs sanè & cum stomacho insurgit hîc adversùs Medicos Origenes, incredulitatis & erroris insimulans eos, *qui nec immundum spiritum arbitrantur*, ait ille, *sed corporalem aliquam passionem ab humiditate, nempe mota à corpore Luna humidissima natura.* Medici sanè (parcant Origenis manes) cum Philosophis tales Lunæ in inferiora corpora dominatus arctè tenent & accuratè defendunt. Ac deinde cum Theologis, maxima vis Dæmonum fide & certis experimentis explorata est & approbata. Ut enim luculentiùs enarratione sextâ, & octavâ tertiæ partis demonstrabimus, pravis corporis nostri humoribus Dæmones se immiscent, & Lunæ quadras appositè sequuntur, ut addicti corporali substantiæ, humorum nempe organo, & apparatui morbifico, multò facilius ægrotos divexent, corpore contorqueant, & animorum falsâ imaginatione in absurda præcipitent. Juratus est naturæ humanæ hostis Dæmon, & quod naturalium qualitatum commercio agit, id omne in hominis perniciem minitatur.

Hoc sanè in misero adolescente proposito certò certiùs, oculísque patet. Ait enim D. Cyrillus, *Quòd nisi prudentiâ fuisset hic homo munitus, dudum periisset. Dæmon enim, qui ipsum in ignem & in aquam mittebat, interfecisset eum omnino nisi Deus refranasset.* Hæc Cyrillus. Quis sanæ mentis adversùs ipsissimam veritatem iret inficias? sed hunc etiam à naturalibus causis morbo sontico laborasse nemo contradicet. Nam præterquam quòd à Dæmone agitaretur, & motui Lunæ subjiceretur; manifesta aderat naturalis morbi causa. Quæ sententia Cajetani est in Matth. Crassa etenim, viscida & lenta pituita cerebri ventriculos anteriores quàm maximè obsidebat, magnâ exundabat humiditate cerebrum, & algiosâ intemperie premebatur; hâc nempe ætate puerorum, puberum & adolescentum, in qua ab incauto ciborum esu, helluatione & comessatione, non mediocris fit pituitæ humorúmque crassorum in corpore proventus. Ferax est Galilæa horariorum fructuum; quibus dum se ingurgitant pueri & adolescentes, morbis à cerebro gravissimis exponunt se: aciditate enim & stipticitate nocent cerebro fructus, & eâ quâ præstant dulcedine generant vermes: quorum tetrico vapore capite perculso graves epilepsias pueri juvenésque incurrunt. Nec ad hoc spernendum nobis quod notat Hippocrates lib. De morbo sacro, Africanos morbo Epilepsiæ obnoxios maximè qui mediterranea inhabitant, & Galilæam. Caprinis enim pellibus induuntur, & carnibus vescuntur, nullum etiam stratum aut pallium aut calceamentum habent quod non sit caprinum. Non enim alia ipsis sunt pecora præter capras, & boves: at hæc admota & comesta morbum augent. Potuit & melancholia præter naturam generare morbum: Locum enim retorridum Galilæam atrabilarios incolas habere, & in magnum istum morbum proclives, non est dubitandum. Pugnaces Galilæos notat Josephus lib. 3. De bello Judaico c. 2. Ergò exusti, & iracundi: ira enim est appetitus vindictæ, unde bellum.

Sed amplior est cacochymiæ & vitiosorum humorum in Galilæis demonstratio ab inæqualitate ventorum quibus tota Galilæa impetitur. Quæ etsi australis sit, montosa tamen, frigoribus, caloribus, contrariísque ventis inæqualiter urgetur. Inconstantibus temporibus (adde & locis) inconstantes & mali judicii fiunt morbi, ait Hippocrates Aphor. 8. 3. Quòd si ad aerem & locum addas aquas, ex quarum usu non minùs quàm à cibo aut ab aere conservamur, aut de bono statu deturbamur, invenies Galilæam non fontanis, sed è montibus delabentibus aquis potum & alimoniam capescere. Aquas autem quorum fontes è petris scaturiunt, duras esse necesse est, Hippoc. De aere, aquis & loc. Nec præterea fluunt impermixtæ, tenues & sinceræ aquæ ex locis ubi ferrum nascitur, ait idem Hippocrates, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum, & alia metalla, quæ à montibus copiosa petuntur. Data est ergò propositi Lunatici naturalis & evidens morbi causa, quam plerique ex Doctoribus Ecclesiæ dum recipiunt, Dæmonis injuriam non ideo pernegant: utramque enim causam adesse manifestum est.

Sed ut me de prognosi absolvam; in tanta causæ magnitudine, in tanta symptomatum varietate & vehementia, quid de præsentis ægroti salute exspectandum? Quis vel extra omnem Dæmonum insultum, difficilem curam non pronunciaret? Audi in isto impossibilem. Finem Epilepsiæ, edicto Hippocratis Aphor. 45. 2. adfert ætatis, loci & victûs mutatio. Sed cujusnam Epilepsiæ? Ea enim triplex est (Gal. 3. De loc. aff.) una primaria, cujus est causa in cerebro cumulata, altera per consensum, quæ duplex est; vel ab ore ventriculi elato vapore, aut ab externa & longinqua alia

parte

parte ſuſcitatâ aurâ, quæ motus convulſivos & epilepticos ad cerebrum compulſa excitet. Duæ ergò, in primis poſtremæ, mutatione ætatis, aut loci, aut victûs, medicinam neſciunt. Ergò ſi primaria eſt, in cerebro nempe, & à cerebro (qualem fuiſſe in præſenti ægroto conjicimus, quia nempe ſit à primis annis, jámque inveterata, nec manifeſtò ab alia quadam parte ſuſcitata dicatur) cùm illa mutatione ætatis per ſeptenarios non fuerit curata, prorſus fatalem ad interitum hanc Epilepſiam judicare par eſt. Lege divini Hippocratis Aphor. 7. 5. *Quibus ante pubertatem fiunt comitiales morbi, curationem recipiunt: at quibus eveniunt vigeſimo quinto, ferè commoriuntur.* Addidit quidem τὰ πολλὰ, quòd aliquando fatiſcente ætate ſolvantur, nempe cùm ſympathicè urgent. Vitium autem idiopathicum in cerebro conceptum, coætaneum, çoævum & ζωώδυνον, immedicabile prorſus. Vocat Hippocrates lib. De aere, aquis & loc. & 6. Epid. comitialem morbum τὸν ἱερὸν παιδίων νοῦσον. Pueris enim eſt admodum familiaris & vernacula hæc morbi ſpecies, ídque, ut doctè notat Avicenna lib. 1. fen. 1. tract. 5. cap. 10. magìs in Auſtralibus locis & calidis, quàm Septentrionalibus & frigidis. Sed ſi τὸ ὀπισθεκτικὸν Epilepſiæ eſt puerilis ætas, ejus τὸ ἀναλλακτικὸν & diſcuſſorium debet eſſe pubertas, διὰ τὸν ἔκλαμψιν *ſplendorem* nempe & lumen caloris nativi, & vivifici modò micantis, quod antea naturæ clauſtris detinebatur. Quod cùm noſter ægrotans non fuerit aſſecutus, omnis certè curationis ſpes retro apud illum collapſa refertur.

Sed & poſteriores qui accedunt morbi, maximis damnis dum augent ægrum, omne ſalutis ſolamen detrudunt. Surdus & mutus factus eſt miſerabilis æger: à ſurdo & muto Dæmone ſolicitatur, qui omnem morbi agitando materiam, eam è cerebro in vocis & auditûs inſtrumenta propagavit; omnis ergò τῆς ἀκουστικοῦ & ſenſorii efficta eſt virtus, omnis fandi ſublata poteſtas, eſt mutus ut piſcis. An ergò huic miſerrimo in mutatione victuum ſperanda ſalus? An illi à remediis quæritanda medela?

Ah! quomodo de cœlo cecidiſti Lucifer qui manè oriebaris? corruiſti in terram qui vulnerabas gentes? ò Domine, detrahe illum in profundum laci. Qui ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem; reſtitue animam meam à malignitate illorum, à Leonibus unicam meam.

Enarratio V.

De LYCANTHROPICIS, Gallicè, Loups-garous, *à Chriſto D. miraculo reſtitutis.*

Futura mihi cum Origene diſſenſio, idémque quod antea bellum, ſi ægrotos Geraſenos, de quibus eſt futurus ſermo, arreptitios à Dæmone non dicam: quo nomine & Abulenſis in Matth. eos deſignat. Dum autem Sacra pagella *Lunaticos* vocat, in quibus nempe Dæmon humorum & Lunæ motum obſervat ſequitúrque; non erit abſonum, aut à Divinis literis & Euangeliſtarum mente alienum, ſi eos etiam à morbifica cauſa laboraſſe morbo intelligamus. Morbo equidem qui ægrorum temperamento, & loco, & tempori, ità conſentiet, ut negari non poſſit, iis intellectis quæ circa ægrotos Scriptura narrat.

Deſignamus ergò Geraſenos iſtos abreptitios vulgari maniâ melancholicâ affici, quam Græci medici λυκανθρωπίαν *lupinam inſaniam* vocitant, Gallicè *loups-garous*. Eam autem loci & incolarum temperamento non admodum diſſimilem ut demonſtrem, hæc ſunt prælibanda. Factum eſt miraculum cùm veniſſet Jeſus trans fretum εἰς τὴν χώραν τῶν Γεργεσηνῶν *in regionem Geraſenorum*, ait D. Matthæus. D. Marcus & Lucas habent τῶν Γαδαρηνῶν· quæ lectio Interpretibus ambigua eſt. Sed eadem eſt regio Gergeſſa, Geraſſa, aut Gadara, quæ eſt trans Geneſar, ſeu Givoſar, vulgò Genezareth. Eſt autem Genezareth lacus limpidiſſimus & piſcoſus in Galilæa, nomen habens à vicinæ terræ amœnitate, fructuum & arborum ubertate, unde *hortus principis* appellatur, (Abrah. Ortel. in Parergo) Dicitur & *lacus Cynereth*; figurâ enim *citharam* repræſentat. Nec longè diſtat lacus hic à mari Galilææ, ſeu à ſtagno Tiberiadis, ut ex Rabano & Beda vocatur à D. Thoma in Catena aurea. Notant autem Euangeliſtæ Chriſtum de navi egreſſum hoc feciſſe miraculum: non tamen in Gadara, aut Geraza, metropoli civitate Geraſenorum, ut vult Titus apud D. Thomam; ſed in vico Tella dicto, per leucam à metropoli Geraſa diſtante, ut notant Itineraria. Nec longè Tella diſtat à monte Galaad, in quo paſcebantur porci, de quibus in Euangelii hiſtoria mentio eſt, nec lacus in quem præcipitantur longè diſſitus eſt, & ab eo monte ſemotus.

Anne ergò locus hic ſtagnoſus, maritimus & montanus, calidus & exuſtus, in humido & ſicco inæqualis, cumulandis pravis humoribus atrabilariis eſt opportunus? Generari ficcitatem in aere circumfuſo locis in quibus ſaxa ſunt aut mare, antea ex Avicenna dicebamus. Et Galenus lib. 3. De loc. aff. cap. 6. notat melancholiam in cerebro gigni, cùm videlicet internus calor aut flavam bilem, aut craſſum atrúmque ſanguinem, ſuperaſſavit. *Quæ melancholicum ſanguinem efficiunt*, ait idem Galenus, *ſunt caprina bubulàque caro, magiſque hircina & taurina; ſed maximè aſinorum camelorúmque carnis; nam & his nonnulli veſcuntur.* Hos autem fuiſſe Ægyptios Alexandrinos & his confines paſſim teſtatur.

Hos autem hujus loci propoſitos ægrotos energumenos lycanthropicâ etiam melancholiâ urgeri apertiſſimis verbis declarat Euangelium. D. enim Matthæus cap. 8. duos recenſet, *qui ſævi nimis erant, de monumentis exeuntes, ità ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* D. autem Marcus & D. Lucas 8. ſolum unum Chriſto occurriſſe ferunt, *Quoniã*, ut ait D. Auguſtinus De concordia Euangel. *unus eorum celebrioris perſonæ & majoris inſaniæ fuit, ob quem regio illa maximè dolebat, & pro cujus ſalute populus ſatagebat*, proinde ejus curatio famoſior. Energumenum autem iſtum, & à Dæmone tantopere agitatum, verè etiam lycanthropicum à naturali cauſa exſtitiſſe intelligemus, ſi Medicos de lycanthropia ediſſerentes cum contextu ſacro verbo ad verbum conferamus.

De eo ergò ſic D. Lucas (atque de altero idem crediderim conjectandum) *Habebat*, ait, *Dæmonium temporibus multis, & veſtimentis non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.* Quæ verba eadem ſunt cum iis quæ retulit Paulus medicus lib. 3 cap. 16. De ſignis lycanthropiæ. *Per noctem enim domo egreſſi*, ait Paulus, *per omnia lupos imitantur lycanthropici, & quoad illuceſcat circa defunctorum monumenta vagantur.* Addit D. Lucas, *vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, ruptis vinculis, in deſerta agebatur à Dæmone.* Addit etiam Paulus, *perpallidi ſunt, obtusè cernunt & imbecilliter vident, oculi & linguâ areſcunt, neque ſalivam exſpuunt, ſiti enecantur inexplebili, tibias, quod frequenter impingant, aut à canum morſibus per noctes, exulceratas habent, adèo ut ſanari negueant.* Quid per deos oro ſimilius in utrorumque idea? Quis quos Paulus recenſet non diceret à Dæmone prehenſos? Quis quos Euangeliſta non lycanthropicos? Quæ non poteſt ferina illa & admodum maligna melancholia in cerebro cumulata? Intus in corpore pererrans cancros occultos excitat, dolores implacabiles concitat, mentem excruciat, oſſa exedit; exteriùs totam corporis faciem deturpat, exulcerat, tumefacit cum deformitate, terram item eructata rodit, bullas attollit & fermentat. Gal. 2. De nat. fac. 1. De atra bile, De tumor. præternat. Calamitoſiùs tandem, cùm hominis ingenium extra modum effera jactat; uno verbo, cùm perturbatâ & alienatâ mente ex homine omnium animalium ſapientiſſimo belluam facit.

In deformes viros animal mutavit, ut iidem
Diſſimiles homini poſſent ſimilésque videri.

Sed ut ad obſeſſos & à Dæmone abreptos Geraſenos redeamus: Eos lycanthropicos uberiùs intelligemus, non ſolùm

lùm ex loci temperie morbis hiſce melancholicis opportuna, ſed & à temporis occaſione convenienti. Inita fuit horum curatio à Chriſto D. circa hyemis finem. Quod ex Chriſti D. Itinerario colligo, cùm ait, *Tum totâ hyeme illâ peragravit primâ vice Galilæam univerſam, quo facto in regionem Geraſenorum trajicit.* Poſtremâ ergò hyemis parte hoc fecit miraculum Chriſtus: ſtatim enim de navi egreſſus ad terram, ut notant D. Marc. & Luc. occurrit iſte formidabilis Lupus. Erat ergò circa Februarium menſem; quo tempore notant doctiſſimi medici Mercurialis & Maſſaria (in praxi Medica c. de Melanis Lycant.) à propria quadam hujus temporis conſtitutione lycanthropiam contingere. Doctéque Maſſaria lycanthropiam ſub mania comprehendit, & lycanthropicos *maniacos* vocat. Nec certè diſſimiles à maniacis Geraſenos iſtos diceremus, ſi quæ de mania eleganter à Fernelio ſcripta ſunt lib. 5 De part. morbis & ſympt. cap. 2. hìc tranſcriberem. *Melancholiæ*, ait, *ſuccedit mania, nubi furor vel inſania dicta, quæ cogitatione, verbo aut opere melancholicorum quadam deliramenta imitatur; ſed iracundiâ, jurgiis, clamoribus, horrendo aſpectu, multò denique majore corporis impetu & mentis perturbatione laborantes exercet ac impellit, ut quaſi fera & immanes bellua in obvios dentibus, unguibus & pugnis inſitatâ rabie petulanter invadant.* Quæ cùm de Lycanthropicis etiam dictum velit Fernelius, quid ſimilius ornatiſſimis etiam verbis D. Marci & D. Lucæ, de noſtris Geraſenis?

Addamus denuò ſuperioribus dictis cauſis victûs rationem eorum, ut omnibus numeris ſit abſoluta demonſtratio. Idem Mercurialis notat inter externas melancholiæ Lycanthropicæ cauſas vitam flagitioſam & turpem, *Qui enim*, ait, *referuntur laboraſſe hoc morbo, omnes fuerunt impuriſſimi homines.* Hic ſanè qui ſolus proponitur in ſcriptis D. Marci & D. Lucæ famoſus & notus in Geraſa, divitiarum & amœnitatum hortulo, non poterat non eſſe aut dives, aut cum divitibus verſari. Ubi divitiæ, ibi vitia; ubi affluxus, ibi luxus; ubi Plutus, ibi Venus.

Quales ergò fuerint ægroti Geraſeni, palàm eſt.

—— Lupi Mœrin videre priores:

vox tamen *Mœrin* non *fugit ipſa*. Expaveſcunt Dæmones ad Chriſti præſentiam. *Quid mihi & tibi, Jeſu fili Dei altiſſimi? Ne me torqueas*, Dæmon ait, imò legio loquitur, in qua Dæmonum centuriæ ſexaginta, manipuli triginta, cohortes decem, (Aul. Gel. lib. 16. cap. 4.) ut in Romanorum militia fortè numerarentur. Uno tamen Divino verbulo, *Exi, ſpiritus immunde*, ejecti ſunt ab homine Geraſeno tot lupi feroces & inſidioſi. Introierunt in porcos, magnóque ſtatim impetu ἀγέλη κατὰ τῦ κρημνῦ εἰς τ θάλασσαν *per præcipitia & prærupta montis in mare præcipitantur,*

—— Inſequitur cumulo præruptus aqua mons:
Hi ſummo in fluctu pendent, his nuda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.

Sed, (date hoc Chriſtiano Medico in nefarios illos & impios Naturæ aut Fati credulos quos tenet Epicurus) ſint propoſiti Geraſeni abſque Dæmone purè melancholici, majores eſſent Hippocrate, in re medica maximo, quíque fallere nec falli potuit, ſi cum remediis horum tentarent Lycanthropicorum curam: in quibus enim aſſati humoris melancholici ſumma ſunt omnia, & in quo humore tres lethales qualitates τὸ δεινὸν, τὸ διαβρωτικὸν, τὸ ὀξῶδες, *Acre, acidum*, & *erodens* reperitur, ſapientiùs & utiliùs Hippocrati (in lib. Epid. & Aphoriſ. paſſim) judicatum, non aggredi curam. Quia nempe effera bilis atra, omnis coctionis & pepaſmi incapax, affectus omnes & effectus producit ubique funeſtos.

Sed ô Medice cœleſtis! ô Hercules Διὸς υἱὸς κατεξόχην·

Prima Cleonæi tolerata arumna laboris.

Alligatam à Satana mulierem tu primò ſolviſti; ſpumantem & ſtridentem deinde Leonem domaſti.

Proxima Lernæam ferro & face contudit hydram.

Jam cadant à latere tuo mille, & decem millia à dexteris tuis. Ità, Chriſte Deus, Apoſtolis militibuſque tuis dediſti poteſtatem ſupra naturam ut eam curarent, ſupra Dæmones ut eos everterent, ſupra elementa ut ipſa immutarent, ſupra mortem ut eam contemnerent, ſuper Angelos ut corpus Domini conſecrarent. Ipſe ergò liberabis me de laqueo venantium & à verbo aſpero.

ENARRATIO VI.

De CÆCIS à Chriſto D. miraculo clarificatis.

INfinitos & ſine nomine in Euangelio à Domino curatos reperio Cæcos. *Variis* enim *obſeſſi morbis*, ait D. Hilarius *gentiles infideles, à fidelibus Domino ſanandi adducebantur, ut eum adorarent.* De nominatis ſolùm prædicere animus eſt.

Reperiuntur ergò in primis duo Cæci, in cap. 9 D. Matth. qui ſecuti ſunt Jeſum, clamantes, *Miſerere noſtrî, fili David.* Hoc autem miraculum fecit omnipotens, ſuſcitatâ filiâ Archiſynagogi, & curatâ Hæmorrhoiſſâ, cùm à Capharnaum veniret Nazareth (D. Hieron. hìc.) ætatis, ni fallor, tempore, circa 32 ætatis ſuæ annum. Ordinem miraculorum habeo ex Euangelio, & præſcriptum tempus ex Itinerario, ubi ait, *Et ſuſcitatâ filiâ vidua Capharnaum rediit ad initium deinde 32 anni Nazaretum petiit, ex quo profectus multa vicina loca ſolus obit, tum iterum cum miſſis Apoſtolis, totâ illâ hyeme Galilæam totam frequentat.*

Alii duo Cæci ſunt, Matt. 20. ubi ait, *Et egredientibus illis ab Jericho, ſecuta eſt eum turba multa. Et ecce duo Cæci ſedentes ſecus viam*; &c. Marc. 10. hoc in uno Cæco factum dicit, qui Barthimæus dicitur. De quo etiam loquitur D. Lucas cap. 18. ubi Maldonatus cum Theophylacto dicit unam & eandem eſſe hiſtoriam quæ à tribus Euangeliſtis narratur; omnia enim ſimilia geſta ſunt: ſed fortè D. Lucas & Marcus nominant famoſiorem filium Timæi Barthimæum, etiamſi eſſet mendicans; nec mirum. Irus enim Ithacenſis mendicus ac turpiſſimus in Odyſſea Homeri famoſus eſt, non minùs quàm Crœſus ditiſſimus in hiſtoriis; & Chriſtus Dominus pauperes *ſuos* vocat, atque in locum ſui nobis reliquit. Quicquid ſit, hi poſtremi curati Cæci in Jericho, ex D. Matthæi hiſtoria, diverſi ſunt ab iis ſuperioribus in Galilæa; omnes tamen mendici & pauperes, veréque Cæci. Salmeronius in Marc. tom. 1. notat eum de quo loquitur D. Marcus, nempe Barthimæum, in Bethſaida patria Petri fuiſſe curatum: ſed quotquot ſunt Sacri elogii interpretes, quos mihi perlegere contigit, dicunt omnes miraculum hoc à Chriſto peractum dum ex Galilæa iter ageret in Jeruſalem, & Jericho tranſiret, paulò antequam pateretur.

Sed ad rem. Hi duo Cæci curati in Jericho, & illi duo in Galilæa, laborabant vitio cæcitatis vulgaris, quæ Græcis medicis ἀμαύρωσις, Arabibus verò *gutta ſerena* vocatur, quâ limpidiſſimi deforis enitent oculi, intus tamen nullam lucem capiunt, ſed prorſus verſantur in tenebris. Non autem erat ſimplex Amblyopia, viſûs quædam debilitas, quâ aliquâ lucis uſurâ frui datum eſt, ſic enim & ipſi Chriſtum vidiſſent; *at audierunt quia Jeſus tranſiret*, ait D. Matthæus, non viderunt. Sed & de primis, ex Sacro contextu illud etiam uberiùs intelligitur. Tactis enim à Chriſto Domino, aperti ſunt oculi eorum; ergò clauſi prorſus à luminibus, & verè Cæci.

Quòd ſi non ἀμαύρωσις, ſeu *gutta ſerena* hujus ſit cæcitatis cauſa, ſed χύμα, ſeu *ſuffuſio*, quam vulgus Chirurgorum *Cataractam* appellitat, majus indè miraculum conjicies. Cataractam etenim quis medicamentis deleret?

leret? cùm nec ferro aut aciculâ tutum sit illam deprimere. Quam proinde Circumforaneis relinquunt prudentiores Chirurgi.

Sed & alii deinde affectus possent cæcitatem inducere: nulla enim est pars corporis quæ tantis támque diversis morbis infestari possit ac obsideri. Quorum ferè omnium causas, vel in cerebro, vel in visili spiritu, vel in optico nervo aut humore crystalloide reperiri, Enarratione 12. 3 partis fiet apertum. Nos autem hîc communiorem causam, ἀμφοδξιν, & *obstructionem*, nempe optici nervi è cerebro ad oculum delati, ab humoribus crassis, viscidis & lentis, illuc confluentibus, sensímque aut ἀδρόως impulsis, adducimus. Quam ut & aliam omnem causam in cæcitate chronica & confirmata, desperatæ curationis esse certum, & ab experientia notissimum est. Eámque & in horum ægrotorum exercitatione, cùm ex natura loci, tum ægrorum temperamento, victûs & vitæ conditione, impossibilem fuisse demonstrabo.

Hæc certè oculorum vitia familiaria animadvertes his locis australibus, si cæterarum regionum temperiem inspicias. In Borealibus etenim partibus, Flandriâ, Bohemiâ, Germaniâ, ubi purus & tenuis aer est, perpaucos reperias suffusos, & quibus ocularia præsidio sint: in Italia, ob aeris crassitiem, perplures tum cæcos, tum obscurè videntes: in tota Syria & Palæstina infinitos. Tanti refert aeris puritas ad visilium spirituum nitorem; ut non minùs in aere turbido hebescat visus quàm concidat in putido vitale robur. Galilæa & Judæa, maribus & stagnis intermediæ, aerem habent turbidum, crassum, caliginosum, ac proinde oculis nocentissimum: ubi & frequentes sunt Austri, ἀχλυόδεες & βαρύκοοι. Nec meliùs exspectandum de Jericho; non enim longè dissitus locus est à mari mortuo, de quo sic Brócardus in Descript. terræ Sanctæ, *Mare illud semper fumum reddit & nebulam, in modum camini infernalis. Unde tota illa vallis, qua aliquando ob sui fœcunditatem & amœnitatem illustris dicta fuit, ad spatium dimidiæ diætæ tota facta est sterilis: ità ut nec ullum germen proferat per spatium quinque leucarum, nisi juxta civitatem Jericho, ubi horti irrigantur à fonte Elisæi.* Hæc Brocardus. Quæ ergò potest illic esse aeris serenitas aut puritas? Quid in tam caliginoso aere videret Argus aut Lynceus? Multùm etiam potest ad hebetudinem visûs victûs ratio. Notat Mercurialis de Italis, notat Josephus de Galilæis & Judæis, eos crasso admodum crudóque cibo, fructibus & herbis, victitare. Quæ ratio victûs capiti, oculis, spiritui úmque nitori ubique bellum indixit. Accommodanda hæc ægrotis nostris, mendicis, & pauperculis Cæcis, eleemosynis victum quærentibus. Ubi ergò regio, ambiens aer, victûs ratio, & particularis locorum conditio, incolas oculis & visu hebetes & imbecilles denotat, humorúmque crassorum in capite congestorum cumulum quasi indigitat, quis ibi Cæcos omni luce jamdiu orbatos, & in cæcitate confirmatos, curabiles ab arte diceret? Anne dices, remediis ad visûs aciem Palæstina, terra omnium remediorum feracissima, destituta est? Perfectæ mehercule cæcitatis cæca medicina est.

Opportunè ergò ægroti Cæci, si non vident, ô bonum omen! nomen audiunt Christi Salvatoris. Extemplo cursitant, sequuntur, acclamant. Illos increpant; exclamant nihilominus, & importunos facit opportunitas. *Domine fili David, miserere nobis, aperiantur oculi nostri.* Qui nempe potes non solùm restituere destitutos, sed non institutos instruere, in lapidibus oculos confingere, eósque facere videntes. Dominus enim solvit compeditos, Dominus illuminat cæcos.

ENARRATIO VII.

De SURDIS *&* MUTIS *à Christo D. curatis.*

SUrdis & Mutis abundare regiones maritimas, si ratio non dictaret, suaderet Cicero, in Somnio Scipionis, de mira sphærarum mundi ediffèrens volubilitate, cùm ità loquitur, *Hoc sonitu oppleta aures obsurduerunt, nec est ullum in nobis hebetior sensus: sicut in illis ubi Nilus, ad ea quæ Catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus. Ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitûs sensu audiendi caret.*

Tumultuosum solicitat mare,
ait Horatius.

En qua sonorum circuit terras mare,
Quintianus ait.

Non mirum ergò si in partibus Tyri & Sidonis, maritimis regionibus, & circa mare Galilææ, reperti sunt tot Muti & Surdi, qui oblati Christo D. ab infirmitate curantur. Facto enim miraculo Cananæ, D. Matthæus ait, *Et cùm transisset indè Jesus, venit secus mare Galilææ; & ascendens in montem sedebat ibi: & accesserunt ad eum turba multa, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos.* Sed expressiùs D. Marcus ait, *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines Decapoleos: & adducunt ei surdum & mutum.* Est autem Decapolis regio à mari Galilææ ad Sidonem extensa, in qua sunt decem præcipuæ urbes; Tiberias nempe, Cephet, Cedes Neptalim, Assor, Cæsarea Philippi, Capharnaum, Jonitera, Bethsaida, Corosaim, & Bethsan, ut ex Jacobo Patriarcha Jerosolymitano describit Brocardus in Descriptione terræ Sanctæ. D. autem Matthæus in cap. 9 ait, *Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentem: & ejecto dæmonio, locutus est mutus.* Interpretes omnes utrumque dicunt à dæmone obsessum; & eum quem *mutum* solùm vocat D. Matth. & eum quem *mutum & surdum* D. Marc. Censent tamen plerique unum & eundem fuisse ægrotum, quod mihi non persuadeo. Etenim qui à D. Matth. mutus proponitur, curatur cùm Christus à Gerasa in Capharnaum rediret, ut notant hoc loco Interpretes; omnes enim in eo cap. 9 relatos simul curasse perspicuum est. Surdus autem & Mutus, qui à D. Marco cap. 7. cùm Christus venisset per Sidonem ad mare Galilææ, restitutus est. Sic ut & in diversis temporibus, sic & in diversis locis factam curationem notant Itinerariæ. Mutum nempe illum de quo locutus est D. Matth. cap. 9. in urbe Sarunza, non longè à Samaria, habitasse, etiam si ad confinia Decapoleos curatus fuerit. Alter verò, qui Surdus & Mutus, erat indigena, & in Decapoli è Capharnaum. Est & alia ratio quâ persuasum habeo diversos fuisse. Curantur enim diversâ admodum formâ. Ejecto enim dæmone curatus est Mutus D. Matthæi, solo Domini verbo. Ille verò Marci impositione manûs. *Misit Divina manus digitos suos in auriculas ejus, suspiciénsq; in cœlum ingemuit, Ephetha, ait, quod est aperire*, vel *Ephphata*, ut est in versione Græca, ex imperativo passivo primæ conjugationis Chaldæorum, i. *apertus esto. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.*

Postremò curatus Mutus ejecto dæmone, à dæmone muto, nullis adjunctis naturalibus causis, obsessus, Mutus erat, & fortè surdus. Κωφὸν vocat D. Matth. quod *surdum* magis quàm *mutum* significare notat D. Hieronymus in Matth. Disputant quidam, an dæmones muti aut surdi dentur à natura sua: Respondet Maldonatus in 9 Matth. *dæmones non esse mutos aut surdos; sed quòd homines mutos aut surdos efficiant, ità dici.*

De illo verò qui curatus apud D. Marcum, etsi à dæmone correptum crediderim, à naturalibus tamen causis, & à dæmone excitatis, laborasse certò conjectandum. Dicitur μογιλάλος, quæ dictio, ut notant Interpretes, non *mutum*, sed *agre loquentem* significat, quòd nempe vinculo ligata lingua detineretur. Hoc autem vitii genus à Paulo Medico vocari *ancylion*, aut *ancyloglosson*, dicemus Enarratione 13. 3 partis. Cujus vulgares causas, vel à natura, vel à cicatrice ex ulcere sub lingua, recensebimus.

An ergò hic Mutus, certis iis causis morbo muti-

tatis

tatis prehensus, curari restituíque poterat? Certum quidem in pueris, vitium illud recens sub lingua, excisione cum scalpello, à Chirurgiæ peritis curari: At in grandioribus, & jam viris, aut ætate confectis, præsens est periculum. Membranæ enim & ligamenta, quæ linguam in tali affectu devinciunt & alligant, duriora facta & exsiccata, curationem respuunt. Paulus enim lib. 6. cap. 29. graves indè hæmorrhagias, quæ sisti nequeant, subsequi expertus est. Nec minùs ob loci & ligamentorum naturam, mutitas perpetua, aut, quod pejus est, paralysis, vel convulsio, succederet. Ità ægrotus incideret in Scyllam, cupiens vitare Charybdin. Imprudentis sanè artificis est eam exercere curam quæ graviorem pejorémque morbum invehit.

Tu ergò, Domine Jesu, qui mutis Apostolis Discipulisque tuis, scientiarum & artium ignaris, Divinum posuisti verbum in ore: qui his *Epheta* dixisti, & vinculum solvisti linguæ, aperi linguam meam, ut os meum laudem tuam annunciet, liberáque animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.

ENARRATIO VIII.

De socru Petri FEBRIENTE, *à Christo D. curata.*

PRoponuntur duo Febrientes in N. T. Primus nominatim à D. Matthæo in 8, D. Marco 1, D. Luca 4. Alter est Joan. 4. De primo sic D. Lucas, *Surgens autem Jesus de Synagoga, introivit in domum Simonis: Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus; & rogaverunt illum pro ea. Et stans super eam, imperavit febri: & dimisit illam. Et continò surgens ministrabat illis.* Cujus mulierculæ divina historia ut innotescat, quædam præfanda sunt, quæ nos ad ejus temperiei & ætatis cognitionem ducere possunt, quæque faciunt ad morbi diagnosin.

Nominant illam *socrum Petri*, h. e. matrem uxoris Petri. Si ergò filiæ habeatur ratio, & ejus ætas spectetur à nobis, cùm ex antiqua lege & consuetudine filiæ ante decimum octavum annum connubio non objungerentur, Arist. 7. Polit. ejus mater, quæ est socrus Petri, non potest non esse ferè quinquagenaria, jámque senex, & ea in ætate constituta in qua non ampliùs potest mulier mulierescere, γυναικοῦσθαι dicit Hippocrates lib. 6. Epid. p. 8.

Dubium etiam est, an in Capharnaum aut Bethsaida laboraverit. Multi censent Andream & Petrum in eadem domo Capharnaum habitasse. (Cartusian. in 8. Lucæ. Num. 18.) Adrichomius tamen in tribu Zabulon domum hanc in civitate Bethsaida collocat, quæ Petri patria erat. Et ità Rabanus apud D. Thom. *Bethsaidam*, ait, *quia vicina erat Capharnaum, pransum iviſſe Dominum, aut cœnatum.* (in 8. Matth. Maldonat. ibidem.) Dicunt alii Petrum in Bethsaida domum habuisse conductitiam, aut fuisse domum uxoris Petri. Quicquid sit, etiamsi Petri patria, imò & Philippi & Andreæ, esset Bethsaida; dum narrant Evangelistæ hanc mulierem, cùm descenderet de monte, & egressum de Synagoga Dominum curasse, certò testantur illam fuisse Capharnaum; & ità censet Tostatus Abulensis in verb. Matt.

Nec certè multùm refert, an Bethsaidâ laboraverit, si quid à loco sumendum est, aut judicandum diversum temperamentum: sunt enim & Capharnaum & Bethsaida ad littora maris Galilææ. Qui locus (ut non semel visum est) calidus, siccus, salsus & retorridus est. Adde, hoc initum post sermonem Domini in monte, & post miraculum curati Leprosi & servi Centurionis: quod in æstate contigisse, & fervente Sirio, antea in historia Leprosorum ex Christi D. Itinerario colligebamus.

Quæ omnia si non oscitanter contemplemur, & acriùs medicâ stateră ponderemus, inveniemus ex morbo ægrotantis naturæ non dissimili, mulierem istam pristinum temperamentum, à primordiis naturæ & à loco contractum, calidum nempe, siccum & bilioſum servasse, eúmque videlicet tale quale ætas jam inclinata & debilitata ferre potest. Quadragenariam ergò, aut quinquagenariam, si cum loci natura & victu in regione affluento conferas, mulierem, succis retorridis, serosis, & pituitâ salsâ abundare certò conjicies. Appositissimum certè ad febres graves, continuas & ardentes.

Magnis febribus est prehensa mulier hæc, ait D. Lucas; ὑπὸ συνεχομένη πυρετοῖς μεγάλοις. Verbum sonat, *erat in continente*, seu *continua, febre magna.* Evangelista loquitur ut vulgus, qui *magnas febres* vocat quas Hippocrates in Epidem. & com. 4 sec. 13 acut. dicit acutas, continuas, causonides, ardentes. Quarum fecit duo genera Galenus; exquisitam nempe, vel nothan. Illa fit à bile flava in majoribus venis, unà cum sanguine efferveſcente & putreſcente. Nothia verò, spuria & falsa fit, quando bili salsa pituita commiscetur. Hujus autem febris ardentis duo proposuit signa Hippocrates cùm ait, citato loco, & lib. De affectionibus, Καῦσος *cùm detinuerit, febris adest, & sitis inexhausta, lingua aspera nigráque sit; hoc sanè à spiritûs caliditate.* Ardet, æstuat cor cum pulsu magno & frequenti, magna adest humorum perturbatio, quam confusa rubráque urina demonstrat, tempora pulsant, adest delirium & inquietudo.

Hæc omnia in præsenti muliere adfuisse non est dubitandum. Laborat enim *magnis febribus*, ut loquitur Evangelista, æstuoso in cœlo & solo, ubi non poterat non esse sitibunda, pectore flagrante & linguâ. Ad canículæ ortum ait Poeta, ὥρη χαλεπὴ, τότε δὲ διψᾷ τὸν ἄνθρωπον, *hora difficilis, quâ cuncta sitiunt pra ardore æstûs.* Alciat. ad Anacreontem.

Fuerit autem excitata febris à bile, aut qualem incurrunt seniores, à pituita salsa; omni nomine non potuit non esse mulieri funesta & exitiosa. His enim facilè stagnosis palustribúsque locis, quibus aer inquinari putreſcereque solet, accenduntur febres pestiferæ, malâ qualitate, aut magnâ accidentium protervitate calamitosæ. Atque in his quàm maximè reperiri solet quod τὸ δεῖνον vocat Hippoc. cùm ait, *Quin etiam si divinum quidpiam morbis ineſt, hujus quoque prævidentiam perdiscere.*

Mulierem demum fuisse usam remediis, non est dubitandum. Ideo ait Scriptura, Quia desperata à Medicis visa est, ob graves considerationes deprecatum fuisse Christum ut illam curaret. Desperata certè illius salus à Medicis, & non injuriâ. Hippocrates ait Aph. 19. 2. *Acutorum morborum incertas esse prædictiones, salutis, aut mortis.* At in ista aufim dicere certissimam esse mortis prædictionem. Laborant equídem mulieres suapte naturâ frigidæ, laborant & senes à febre magna. Sed tunc in illis tam certa desperatio salutis est, quàm quia incerta, non posset in juniorlbus ac robustioribus promitti. *Senes*, ait Galenus Com. 14. 1. Aphorism. *rarò febricitant acutis febribus, quæ tamen si acciderint, omnino ad ægrotantis interitum terminantur. Judicio enim est*, ait ille, *immensam quandam esse causa febrem facientis magnitudinem.* Cùm ergò de mandato Galeni, Deploratos non oportet aggredi curare, sed relinquere, & morbi tántummodo finem prænunciare, nè fortè infamentur præsidia quæ multis fuere saluti; bonam hanc mulierem cœlesti committamus Medico, & acutum Regúli filiólum acútè febrientem invisamus.

Enarratio IX.

De filio Reguli FEBRIENTE, à Domino miraculosè curato.

FEbre etiam laborabat puer apud D. Joan. in 4. ubi sic est, *Venit ergò iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Hic cùm audiret quia Jesus adveniret à Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus; incipiebat enim mori.* Erat ergò puer hic Reguli filius. Græcè est βασιλικὸς, vel βασιλίσκος, *regius* sive *regulus*. Quo nomine non parvi Reges aut Regum filii solùm significantur, sed alicujus urbis, aut oppidi, aut ditionis Domini, aut Magistratus: & ità passim ab Interpretibus usurpari certum est. Et Carthusianus (citato in Joan.) eos recenset qui hunc Regulum Cæsaris fuisse Officialem, & ad custodiam urbis Capharnaum deputatum, referunt: in quo admodum hæret Irenæus lib. 2. Existimabat enim hujus Reguli puerum, Centurionis jam à nobis enarrati fuisse filium. Quod Chrysostomus Homil. 34 in Joan. cæteríque Interpretes impugnant. Puer etenim Centurionis laborabat Paralysi, hic verò febri; ille erat servus, hic filius. Addo quod à nobis de Centurione assumptum est: cùm pro servo rogaret, obviàm non iisse Christo, sed ad illum misisse. Regulus autem, qui pro charissimo fortéque unico filio deprecaretur, adfuit præsens, quò citiùs & amantiùs Dominum ad sui misericordiam impelleret. Diversas ergò curationes, in diversis locis & personis, diversísque temporibus à Christo D. miraculosè celebratas certissimum.

Hunc autem Regulum Judæum fuisse, sed in Capharnaum modò inhabitare, certum est. Atque quòd illum increpat Christus, Judæum fuisse testatur. *Nisi signa*, ait Jesus, *aut prodigia videritis, non creditis.* An verò filiolus hic fuerit, ut pater, natione Judæus, dubitari potest. Quem tamen cùm adhuc in infantia audio, crediderim faciliùs indigenam. Qui si non sit, non multùm à temperie loci dissonam pueruli naturam, ex morbi quo conflictatur rumore conjicio.

Urgebatur sine dubio malignâ quadam febre putridâ, acutissimâ & lethali, fortè Variolis aut Exanthematis comitatâ, cum gravitate accidentium, quibus malignas febres ea in ætate stipatas cernimus. Aderat fortè & à vermibus corruptela ingens: quâ in gravia symptomata, tremores, convulsiones, pavores, vigilias, sopores, dolores, ploratus & diarrhœas lethales pueruli nupérque nati incidunt. Judicant Medici quidam (Mercat. Mercur. Leonel.) pueros faciliùs synochas & sanguineas febres incurrere, alii bilioſas: Sed eos omni febrium genere prehendi, mille experimentis habeo confirmatum.

Cùm autem de his edissero, videor mihi manu attrectare delicatulum Reguli puerulum, eo genio & voluptate educatum quales modò intueor in nobilium divitúmque familiis. Quos cibariorum multitudine & varietate, cùm in sanitate tum in morbis, plenâ manu ingurgitant. Muliercularum hæc indulgentia est, quæ quo gladio enecare morbum tentant, eodem inscientes, miserculos jugulant pueros. Ἡ δ' ἀπειρίη κακὸν θησαυρός. *Imperitia*, ait Hippocrates, *malus thesaurus est.* Et qui sine cognitione causæ aggrediuntur morbos, clausis oculis Andabatarum more depugnant.

Sed ah! Regule mi, moritur infans, patitur, exspirat, cum luce luctatur, imò cum tenebris. Nihil adversùs morbum Medici, nihil pharmaca possunt, nihil magistratûs imperium aut divitiæ. Quò se vertat, nescit miserabilis pater; moritur in filio, in dubio illi animus est, huc, illuc impellitur. De Christo quoslibet morbos curanti fama est. Clamant præsentes, testantur, affirmant se vidisse: fidátne Christo hic dubitat, absenti medico non credit. Tandem: quia spes est in angusto, dolor ancipitem elidit fidem, ad Christum pater pedibus contendit, quo reperto, acclamat anhelus, *Domine, descende priusquam moriatur filius meus.* O Regule felicissime! habes quod sperares ultro responsum: *Vade, filius tuus vivit.* Anne jam vides, Regule, anne credis, quia non est locus ubi Deus non sit? Gratias ergò tibi, Domine Jesu, qui desperatæ salutis filium dum redintegras, in dubia fide patrem confirmas: quò de fide in te deinceps non dubitet posteritas; aut in adversis ab alio quàm à te, omnium bonorum patre, & ægritudinum nostrarum vero medico, salutem non emendicet.

Enarratio X.

De HYDROPICO Divinitus curato.

PRoponitur Hydropicus ab Euangelista & Medico D. Luc. in cap. 14. *Et factum est*, ait, *cùm introisset Jesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam Hydropicus erat ante illum. Et respondens Jesus dicit ad Juristperitos & Pharisæos, si licet Sabbato curare? & illi tacuerunt; ipse verò apprehensum sanavit eum.*

Ut igitur in proposito laborante, ad ejus predictionem, de cognitione morbi, ægroti patria, temperie, & ejus conditione, me brevì absolvam, à postremis initium ducam. Curatum Hydropicum præsentem interim notamus, cum Maldonato in Lucam, eodem tempore quo cæteri in præcedenti capite Matthæi curati dicuntur. Erat & in eodem loco, nempe in Galilæa Capharnaum, & ibi notus ab omnibus, homo tamen minoris fortunæ, ut ex sequentibus colligere licet.

Ordinatione quidem Divinâ Hydropicum istum advenisse, notat Carthusianus ibid. Nec indè tamen dubitandi occasio delata est; An nempe cautè homo hic à Pharisæis fuerit accersitus, quibus erat in animo ubique subsannare Christum, & insimulare; an verò Christum sequeretur ille vocatus. Sed esto, sint dolosi qui in fraudem, sit Christus qui eludendi dolum causâ Hydropicum vocaverit. Illum certè Hydropicum fuisse, tempore morbóque longo notum, conjectura est. Et eâ laborare Hydropis specie quæ maximè oculis innotescit conspicua, Lippis, ut aiunt, & tonsoribus notâ, Ascite, inquam, quæ aquis utris in modum ventrem inflat, aut flatu tympani more distendit & amplificat; tantâ tensione ut ad ejus intuitum territi homines toto corpore perhorrescant, multíque exclament, *Dominus meliora.*

Hujus ergò miserandæ sortis hunc fuisse Hydropicum dubitandum non est; non enim à Pharisæis alius quàm vulgo nomine & morbo notus convocaretur. Aut si Christus vocaverit ante sibi juratos hostes, levem & curatu facilem ægrotum non tangeret. Agebatur ergò de homine noto, de morbo magno, cui sine dubio antè fuerint data remedia multa. Tentata & experta in eo Hydragoga, quæ ad exhauriendas abs ventre aquas vulgò nota sunt & usitata, eáque paratu facilia. Qualia sunt Cucumer agrestis, Iris, Ebuli semen, Tytimalorum species vulgò familiaris, Cataputia dicta, & alia ferè sine numero. Nec si fuissent inducíæ, aut conjecturæ non exhausti genii in hepate, tam celebri & populoso loco, antiqua ventris punctio Parachentesis, in homine vulgari & pauperculo, aut ab amicis in urbe, aut in Xenodochiis non fuisset prætermissa.

Sed nota sit ex præcedentibus Galilææ & incolarum ejus temperies & habitus: Eorum itidem victûs ratio non ignorata. Cùm australis plaga, aeris exustio & impuritas,

puritas, terrorum vaporum concurſus, craſſorum & ſalſorum alimentorum eſus aſſiduus, ſi cui corporis parti, hepati bellum indixerint. Hunc Hydropem, non per ſimplicem potatæ aquæ frigidæ ſynastriſmum & cumulum, non per morbi cujuſdam apoſtaſian, aut ſudorem criticum in abdomen impulſum & ibi ſtagnantem, aut per ſimilem quandam levem alienationem functionis hepaticæ (quam vulgares Medici vocant *Hydropem per conſenſum*) ſed per ipſiſſimam hepatis ἀτονίαν introductum eſſe, rimandum eſt; eúmque primarium, & ab hepate. Omnes quidem Hydropes læſum habere hepar teſtatur Galenus lib. 5 De loc. affect. c. 7. Sed qui per conſenſum Hydropes fiunt, aliquando leves; de illis non ſemel Medici triumphant. At in eo qui per atoniam, & primarius eſt, ſperare curam, ſuſtinet cœlum humeris alter Atlas, qui tale onus Ætnâ gravius ſibi imponit.

Talis eſt mehercule propoſita affectio quæ ſuadente loci ſyngenâ temperie cum ægroto, victûs ſyntrophicâ complexione, per fruſtrationem αἱματώσεως ἔργου *ſanguificandi operis* generatur. Cujus eſt ferè aſſidua cauſa, conceptus ignis in hepate. In illo, inquam, hydrope nec viſcera bene morata ſunt, nec virtus nutritia lucet in concoquendo, ſed ſpiritûs adeſt difficultas, fatigat tuſſis, aſpera lingua eſt, corpus inæqualiter inſuavitérque calet, extimæ partes liqueſcunt & contabeſcunt. Adſunt tandem phthiſis & hepatitis quæ mutuò conſpirant in ægri perniciem, ſítque quod literis proditum ab Hippocrate, ἐν ἡπατικῷ πῦξις ἢ ἄμα βράγχῳ, κακὸν, *In hepatico mala eſt colliquatio, cum raucitate & tuſſi.*

Sed ô admirabilis Chriſti D. poteſtas! Illi tacuerunt, ipſe verò apprehenſum ſanavit eum, ac dimiſit. Annon tu, Domine, qui in factis paſſus es obſervatores, in attonito iſto curato, attonitas vides Phariſæorum mentes? Sed qui in dictis habes contradictores. Quis modò illorum contradicet miraculo? Quis te mirabilia agere denegabit? Quis te Chriſtum non adorabit? Purgaſti mundum ab aquis in Cataclyſmo. Exhauris modò aquas in hydropico. Quid gratiæ à nobis? ut aquæ tandem quæ ſuper cœlos ſunt laudent nomen Domini.

ENARRATIO XI.

De homine Manum aridam habente, à Chriſto D. miraculo redintegrato.

NON erit præter rerum medicarum ordinem ſi ab Hydropico ad hominem manum aridam habentem enarrationum mearum filum deducam. Atrophia etenim, Cachexia Hydrópſq; omnis, affectus ſunt, qui aut alimentorum coctioni, aut diſtributioni & anadoſi officiunt & incommodant; proinde unà conſequuntur ſe. Proponitur ergò in Divinis D. Matthæi ſcriptis, cap. 12. homo hic; *Et cùm indè tranſiſſet*, ait, *venit in Synagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam.* Et infrà, *tunc ait homini, Extende manum tuam: & extendit; & reſtituta eſt ſanitati, velut altera.* Addit D. Lucas, *Et erat ibi homo, & manus ejus dextra erat arida. Et ait illi Jeſu, Surge, & ſta in medium.* Quorum omnium Divino teſtimonio & verbis ità fideliter ægroti patriam, conditionem, partem affectam, affectûs ſpeciem conjicimus, ac ſi oculis noſtris ægrotum ipſum intueremur.

Locus in primis in quo erat mendicus homo, eſt ante Synagogam in Capharnaum. Cujus conditio nota eſt miſerrima, quia Cæmentarius. De quo D. Hieronymus in Matth. *Iſte homo*, ait, *qui aridam manum habet, Cæmentarius ſcribitur, iſtiuſmodi vocibus auxilium precans, Cæmentarius, manibus victum quæritans, precor te, Jeſu, ut mihi reſtituas ſanitatem, nè turpiter cibos mendicem.* Laborabat autem manu dextrâ. Etſi homo ſolus, non mulier, ut vult Hippocrates, ſit ἀμφιδέξιος, & ambidexter, utraque tamen manus eſt præcipuum agendi & efficiendi inſtrumentum: ὄργανον ἀντιληπτικὸν, ὄργανον μεταβλητικὸν, *apprehenſivum, & flexile, organum ante organa*, Galenus vocat. 1. De uſu par. Tantâ nobilitate præditum, ut ſoli homini Deus manus dederit exporrectas belluis denegatas, quibus facilè perſequatur quæcunque mens juſſerit.

An verò *manûs* nomine in iſto laborante totum brachium, & ab ſcapulis ad ſummos uſque digitos, anatomico more ſit intelligendum, dictu non eſt facile. Καὶ ἰδοὺ ἄνθρωπος ἔχων τὴν χεῖρα ξηράν, *Et ecce homo manum habens aridam.* χεὶρ Hippocrati à ſcapulis ad digitos protenditur. Sic enim 2 De morbis ait de morbo nigro, ἀπὸ τῆς χειρῶν τὸ αἷμα ἕλκειν. *De manibus ſanguinem detrahito.* Ergò per *manum* totum brachium intelligit. Sic manus Anatomicis conſuetum eſt dividere in brachium, cubitum & extremam manum. Quæ poſtrema pars in carpum, metacarpum & digitorum phalanges eſt ſubdiviſa.

Vidit Galenus, vidimus & nos non ſemel, quos brachium & univerſam manum, quos partem manûs, quos ſolos duos digitos obſidebat ſiccitas, contorquebat convulſio, reſolvebat paralyſis. Atque in præſenti ægroto totam manum cum brachio obſideri multa ſunt quæ mihi perſuadent. Ut enim mox dicam de cauſis, non potuit non magnâ causâ urgeri homo mendicus, quæque in totum brachium graſſata ſit. Etenim ſi ſola extrema manus afficeretur, valente brachio, non prorſus ab opere abſtinuiſſet ille. Narratur autem ſola manus ab Euangeliſta, quæ oculis tantùm eſſet expoſita, cooperto brachio, & ab induſiis tecto. Ità ut dubitandum non ſit totum & univerſum brachium dextrum fuiſſe ab hiſtoriæ narratoribus intellectum.

Obſidetur verò pars bicipiti morbo, Spaſmo nempe & Atrophiâ. Vocat quidem *manum aridam*, emaciatam videlicet & excarnem, Euangeliſta. Solam ergò recenſet atrophiam, & defectum alimenti in manu. Sed verba Chriſti in miraculo, Ἔκτεινον τὴν χεῖρά σου, *Extende manum tuam*, maximum vitium ἐν τάσει *in tenſione* conſiſtere declarant. Laborabat ergò manus Cæmentarii duplici morbo, Convulſione & Atrophiâ, quod à nemine adhuc ex interpretibus cogitatum eſt. Eſt autem Convulſio, perpetua nervorum & muſculorum originem verſùs retractio, quæ non niſi extenſione curatur. Quare Chriſtus D. jubet in miraculo, quod operibus Medicis in Convulſione conſequi tentat ars. Atrophia verò eſt nutritionis error, quâ totum corpus, aut ſæpe pars quædam, ſenſim abſumitur, & ob defectum alimenti exareſcit.

Mutuò certè hi duo graviſſimi affectus ad perniciem conſpirant. Obrigens pars, exhauſtis ſenſim venis & arteriis, defraudatur alimento; unde per inanitionem reſiccatâ & aridâ factâ non poſſunt non ejus nervi & muſculi obrigere, contrahi, contendi. Altiſſimas certè radices egerat affectio in homine miſero: atque magnâ ſuſcitatâ cauſâ inuſta eſt parti intemperies frigida, & ἀμφοξὶς in nervis. Quam ſi ab externis, & quæ ſunt Hipp. ἀπὸ τοῦ ἔξωθεν quæramus, eam in externo aere frigido reperiemus, ſed quàm maximè in rerum frigidarum attactu, ut in cæmenti ex aqua & luto confecti aſſidua contrectatione, ſic etiam & à capitis & brachii nudatione inter operandum. Scribit enim Galenus Hippocratem in Officina præcepiſſe, nè ſuprà cubiti gibbum retractus eſſet amictus: ídque non tantùm quia turpe ſit Chirurgo operanti (de iis enim loquebatur Hippoc.) nudos habere cubitos; ſed quia non tam partes circa cubitum, quàm totum etiam brachium refrigeret. Unde certè conſecutione quadam, & quaſi contagio, frigida cerebro inuritur intemperies; ſed maximè parti ſpinæ dorſi ſuperiori, ex qua in brachium nervi, ad motum & ſenſum, fruticantur & deſcendunt. Quæ quidem partes ſuapte naturâ frigidæ, à fonte caloris

nectaríſque vitæ, corde nempe, remotiſſimæ, congeneribus morbis ut facilè prehenduntur, ſic ab illis tandem, firmato factóque affectu, reſtant incurabiles.

An verò ex alto ceciderit Cæmentarius, & à caſu contracta fuerit hæc gravis affectio; an affectus quidam magnus, ut Apoplexia, præceſſerit, ex quo nata ſit clades tanta, non refert multùm intelligere. Nec enim abſens illa, quæque jam agere deſiit cauſa, Medicis ad curandum repetitur. Sat eſt ergò morbi in parte relicti immedicabilem ſortem animo & cogitatione perpendere. Quò certum ſit, miſerrimum Cæmentarium tanto támque excellenti Medico indiguiſſe.

Non potuit ergò, Chriſte Deus, Chriſte bone, operâ naturæ reſtaurari dextera manus arida, in pauperculo Cæmentario. Tu qui naturam rerum ſub dextera tenes, coerces, conſervas & moderaris, junge dexteram dexteræ, & omnipotentiâ tuâ, qui ad dexteram Dei ſedes, dexteram hanc erige, ut dextrè operetur, diceréque poſſit homo miſer, *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.*

ENARRATIO XII.

De Muliere HÆMORRHOISSA à Chriſto D. reſtituta.

ET *ecce mulier* (ait D. Matth. in cap. 9.) *quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus. Dicebat enim intra ſe, Si tantùm tetigero fimbriam veſtimenti ejus, ſalva ero. At Jeſus converſus, & videns eam, dixit, Confide, filia, fides tua ſalvam te fecit. Et ſalva facta eſt mulier ex illa hora.* Addit D. Marcus c. 5. *Et fuerat multùm perpeſſa à compluribus Medicis: Et erogaverat omnia ſua, nec quidquam profecerat, ſed magìs deteriùs habebat.* Idem narrat D. Luc. in 7.

Mulieris Chriſto devotæ tam certa deſperatio ſalutis eſt quàm vera eſt illius hiſtoria. Exploret quis ægrotæ naturam, patriam, tempus, ætatem, morbíque conditionem omnem, omnia conſpirant ad artis & Medicorum juſtam excuſationem, quando illam curare non potuerunt.

Age igitur, Mulier hæc Martha non eſt, ut exiſtimabat D. Ambroſius lib. De Salomone; incolit enim Martha Bethaniam, Hæmorrhoiſſa verò hæc Cæſaream Philippi, quæ eſt in Decapoli, longè à Bethania; hæc enim in Judæa eſt, illa in Galilæa. Hanc autem è Cæſarea eſſe oriundam teſtatur elegans hiſtoria Euſebii, Eccl. hiſt. l. 7. cap. 14. cùm ait, *Dicunt hanc mulierem Panaceæ, quæ eſt Cæſarea Philippi, unde fuit oriunda, ſtatuiſſe triumphos inſignes collati ſibi beneficii à Salvatore.* Erat autem ſtatua lapidea Chriſtum D. repræſentans, ad cujus pedes herbula erumpebat cujus attactu ſanabantur infirmi. (D. Chryſoſt. apud D. Thom. in 5 Marc.) Cognita ergò erat mulier, dives & famoſa in Galilæa: Quæ tamen præ pudore non eſt auſa ingredi Capharnaum, ſed extra urbem cum immundis manſiſſe non immeritò notat Abulenſis q. 43. in Matth. num. 5. Ejiciebant enim de caſtris omnem leproſum & fluentem ſemine; eadémq; de menſtruoſis ſancita lex.

Quoniam autem triplex mulieres exercet fluor, menſtruus unus, in partu alter, tertius inordinatus; de quo conquereretur mulier non eſt admodum difficile cogitare. Miror Carthuſianum, qui ſibi perſuaſit hanc fuiſſe à naribus hæmorrhoiſſam. Cùm etenim nulla ſit hæmorragiæ narium fœditas aut turpitudo, numquam ab eo fluxu exploſas mulieres audivimus. Nullus certè tunc fuiſſet timoris locus, atque urbem eſſet ingreſſa mulier, & ante Chriſtum facilè prodiiſſet. At acceſſit retro tremebunda mulier, & occultè tangens fimbriam veſtimenti, ſalutem quærit à Chriſto, quia immunda mulier non auſa eſt ampliùs ſe dare in apertum.

Minùs erat hæmorrhoiſſa à venarum hæmorrhoidalium quæ ſedem perreptant defluxu; non enim tanti momenti fluxus eſt, nec tam aſſuetus mulieribus, aut importunus & meticuloſus, quàm ab utero. Quacunque enim ratione præter modum, aut parciùs aut uberiùs, ab utero fluxus fiat, morbos cóſque graves contingere narrant Hipp. Aph. 57. 5. & Galen. Non erant etiam lochia, & à partu reſtibilia purgamenta: illam enim antea concepiſſe, aut non, incertum eſt. Urgebat ergò ῥῦσις & ὑστέρης, fluxus mulebris importunus & odioſus; cujúſque injuriâ mulieres vitæ conditionem ſibi acerbam putant & amariſſimam, infimámq; naturæ ſortem dedignantur.

Sed jam ità perceptâ & intellectâ morbi ſpecie, audio inprimis quæ in Medicos protrudunt multi ex Euangelio, *Et fuerat multùm perpeſſa à compluribus Medicis, Et erogaverat omnia ſua, nec quicquam profecerat.* Hoc (ſi in errorem Medicorum ſit retorquendum) in Pſeudomedicos crudeles & avaros dictum puta. Non enim Euangeliſtæ piiſſimi Medicos contemnunt, quos Deus honorare præcipit. Medicos, inquam, qui famâ, nomine, & opere (ut loquitur bonus Medicus Hippocrates) artem à Deo mortalibus ſummâ beneficientiâ conceſſam, profitentur, & in quos præfata Euangelii verba quadrare minimè queunt. Hos enim ubique (Vide Gal. tom. 4. in 6. Epid. & in Method.) humanos, modeſtos, jucundos, ſagaces, prudentes, bene operantis naturæ imitatores, & futura prævidentes, citò, tutò & jucundè curantes præceperunt veræ & ſapientis Medicinæ cultores, Hippocrates, & Galenus lib. De præcept. A quibus & ſancita lex eſt, ut Medici in exigenda mercede acerbitatem deponant, ſíntque ubique Mercurio artium cultori addicti, nec temeritati fortunæ & avaritiæ ſe committant. Sunt, equidem fateor, Medici (ut ait Hippocrates lib. De lege) opere pauci, famâ & nomine multi. Sunt & impoſtores, agyrtæ, fumivenduli, tortores, & tyrannicidæ infiniti, qui vanis pollicitationibus credulos & plebeculam miſerè ludificant, ac mulierculârum loculos exhauriunt. In quos jure & meritò retorqueas, *Et fuit multùm perpeſſa à compluribus Medicis: & erogaverat ſua, nec quidquam profecerat.*

Convocati tamen qui ad fidentem iſtam mulierem fuerint boni & ſapientes Medici, multis de cauſis excuſari poſſunt, ſi minimè voti compotes eam non curaverint. Tria etenim ſunt quæ curam morbi cujuſdam aggredi vetant Medicis. Primum eſt, cùm ægrotus Medici præceptis non obtemperat, aut ſapienti Medico non fidit, imprudenti & temerario ſe committit. *Imperent Medici agrotantibus tanquam duces militibus*, ait Galenus. Non potuit curari mulier hæmorrhoiſſa? noluit fortè curari delicatula Medicis non exercitata remediis. Quis neſcit mulieres moroſas & palato ſtudentes? Aut vult citò curari in chronico longóque morbo; divitum more, qui confiſi bonis & auro, quod à prævidenti Medico citò non obtinent, citiſſimi quærunt à temerario & vano pollicitatore. Malum certè conſilium experiuntur conſultori peſſimum: ſed hos miſſos faciamus, tanquam conſilii inopes, ad eamus alterum.

Secundum ergò quod curam alicujus morbi interpellat, eſt, cùm morbus totâ ſuâ naturâ incurabilis eſt. Sic Hippoc. Aphor. 38. 6. cancros non curat: Curati enim ab iis citiùs pereunt; non curati, diutiùs protrahunt vitam. Tertium & poſtremum eſt, ſi curâ illius morbi pejorem invehi expertum ſit. Hoc poſtremum in noſtra hæmorrhoiſſa alterum inculcat. Etenim initio hyſterici fluxûs tuta non erat illius ſuppreſſio. Vires enim mulieris, ætas, quæ juventus eſt, in qua mulier mulierescere valet, vitæ illius conditio, luculenter demonſtrant illam eo fluxu initio laboraſſe à plenitudine ſanguinis, ejus tenuitate & caliditate, cum apertione venarum uteri, reſeratis vaſorum óris per anaſtomoſin aut rexin. Minitatur Hippoc. ſananti hæmorrhoidas antiquas, niſi una ſuperſit. Sic & importunè repreſſo mulierum fluxu, nónne ſanguis reſtagnat ulcera,

ulcera, tumores, ſcirrhos, cancros, ſyncopes, convulſiones, vertigines, hydropas generaturus?

Sed ubi jam ſiſtendus fuit, ſummiſsâ omni ſanguinis plenitudine, ejus repreſſioni, refrigerationi & incraſſationi obſtitit prorſus loci temperies, ejus victûs ratio, & vitæ conditio. Videas loci temperiem æſtuantem & fervidam; intuere incolarum Cæſareæ complectiones melancholicas, & Galilæorum bilioſos mores, in quibus dum chronici generantur morbi, quid aliud nanciſcuntur præter ferini humoris & exuſti immedicabilem cacoethiam? Impuritas adeſt viſcerum, cacochymia in toto illuſtris, ardet bilis, tenuatur ſanguis, aperiuntur, eroduntur vaſa. Accurrunt ad fomitem mali inquietæ mulieris inconſtans & inæqualis aer, victûs ratio plenior, fortéque intemperantior: multa fiunt præpoſterè, multa mutantur inconſtanter; indè malum vires acquirit eundo, increſcit, ad remedia exaſperatur, deſperatur tandem de illorum uſu. Quis vel Æſculapius his medeatur?

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger.

Τυχὸν μὲ ποιῆσαι ἅπαντας τοὺς ἀθεραπεύτους ἀδύνατον, *Sanos quidem reddere omnes ægrotos impoſſibile* dictat natura cum Hippocrate 1 Prog. In his ergò prædictione & providentiâ utendum conſulit, nè videamur occidiſſe, quem morbi magnitudo aut malignitas ipſa peremit.

Sed tu, Domine, qui pro devoto femineo ſexu te implorante, in neceſſariis non deficis, in urgentibus præſtò es, fidentis hodie mulieris magno affectu remuneras fidem. Et ut maris rubri fervidos & exundantes æſtus fluctúſque terminaſti quondam ac diſperſiſti; ut currentis ſolis equos refrænaſti, ac in medio diei decurſu remoratus es: ità turgentis ac decurrentis muliebris defluxûs, potens Neptunus temperas æquor. Et perituræ animum, Medice cœleſtis, erigis, & addis verbo planè cardiaco, *Confide, filia.* O feliciſſima mulier! Non corporis elegantia, non bonorum affluentia, non amici, non Medici, ſed *fides tua ſalvam te fecit.* *Qui* ergò *confidit Domino, ſicut mons Sion non commovebitur in æternum.*

Laus tibi, Chriſte Medice cœleſtis.

ANGELI CANINII
DISQUISITIONES
In Locos aliquot
NOVI TESTAMENTI
OBSCURIORES:
Quibus illi ex Hebraicæ, Syriacæ, Arabicæ & Æthiopicæ linguarum originibus quàm accuratiſſimè explicantur.

CAP. I.

De nomine JESU & JOVA.

UT homines noſtri linguæ Chaldaicæ cognitionem Novi quoque Teſtamenti ſtudio conducere, ac multum ornamenti atque adjumenti piis conatibus afferre intelligant, locos aliquot in medium proferemus, quos nemo hujus linguæ ignarus aſſequi penitus poteſt. Eam tamen adhibebimus præfationem, nequis noſtræ religionis myſteria ac dogmata à ſanctiſſimis doctiſſimiſque viris, qui Chaldaicè neſciverunt, ignorata fuiſſe de noſtris verbis exiſtimet. Nec enim hîc de ſublimibus adeò agemus quæſtionibus: ſed locos quoſdam, quod ad inſtitutum noſtrum attinet, preſſiùs tractandos atque accuratiùs explicandos proponemus: ídque hiſtoricè faciemus ac ſimpliciter, quantùm è linguæ Hebraicæ atque Syriacæ, quas à teneris annis ardentiſſimo ſumus ſtudio complexi, proprietate uſúque intelligere potuimus. Nam ſi, ut Demoſthenicam dictionem & Homeri ſententiarum atque verborum majeſtatem inſpiciamus, totam linguam Græcam, quæ cùm laborioſiùs tum majore temporis jacturâ cognoſcitur, ediſcere non piget; videndum eſt nè turpe homini Chriſtiano ſit, Chriſti verba minoris facere quàm Homeri aut Demoſthenis; cùm illa præſertim jucundiſſimâ pios animos voluptate afficiant, hæc aures modò demulceant. Sed jam inſtituta perficiamus, ſi unum id lectorem monuerimus, ut non autoritatem, nec perſonam, ſed rem ipſam intueatur, quæ rectè intellecta luminis aliquid S. literarum ſtudiis afferre poteſt. Cùm enim Sacris ſcriptoribus ea deferenda ſit autoritas, ut quamvis ratio nobis non conſtet, veriſſima tamen eſſe quæ dixerint credamus; ſic cæteris tantum habendum eſt fidei quantum rationibus & argumentis probare atque efficere potuerint.

Primùm itaque de ſanctiſſimo nomine JESU, quod indignè à quibuſdam laceratur, atque è ſuaviſſimo abſonum ac penè monſtroſum efficitur, tum de HOSANNA, AMEN, RABBI, ac cæteris ejuſmodi diſputabimus: cùm ut quæ perfectè hactenus explanata non ſunt, conferendis priſcorum autorum ſententiis dilucidiùs è ſua origine exponamus; tum ut ſupercilioſam quorundam doctrinæ oſtenta-

ostentationem cum summa inscitia conjunctam retundamus. Qui maximam peregrinarum linguarum scientiam jactare & venditare solent, atque petulantissimis verbis D. Hieronymum ac nostros homines proscindere, ut qui inscitiâ lapsi persæpe vel malè interpretati sint, vel non intellexerint linguam Hebraicam. Cùm si conferantur in unum isti omnes, D. Hieronymi instar futuri non sint. Cæterùm nè conviciis potiùs quàm rationibus agere videamur, jam nomen mirificum Jesu explicare incipiamus.

Putat Oliander homo doctus & ingeniosus (sed cujus diligentiam in linguis peregrinis tractandis desiderare cogor) & verbosâ disputatione persuadere omnibus conatur, nomen hoc יהשוה scribendum esse, ut literas omnes nominis Tetragrammati habeat; eâque in re magnum credit inesse mysterium: alioqui de Christi majestate aliquid detractum iri contendit. Nos verò, nisi Cabbalistarum nugas in Christianam religionem admittere volumus, nec in literis יהוה nec ישוע magnum aliquod mysterium ponimus, sed in virtute atque omnipotentia Dei, quæ nullis literarum figuris exprimi potest, mysteriorum universam abyssum esse credimus. Verùm capita argumentorum ejus colligamus, quæ quàm vera sint mox apparebit.

Principio ait nomen Jesu in libris alicujus autoritatis ישו scribi. Tum putat non esse ferendum ישו sine litera Aain scribi, si Thema esset ישע, ut nos credimus. Deinceps è verbis Matthæi & prophetæ Esaiæ argumentatur, quæ, si Christus vocetur יהושע, non rectè exponerentur: nam si linguæ proprietatem penitus introspicias, non tam *salvatorem* quàm *salvandum* significare. Præterea aliud Jesu, aliud Josue esse existimat. Postremò apud Arabes bisyllabum scribi, & cum Jesu convenire ait. Tum, nè Judæis invideamus, literas quasdam interjicit, noménque, quod simplicissimum ac Divinum est, prodigiosum facit, ut nec Hebraicum sit, nec quicquam prorsus significet.

Hæc omnia commentitia esse mox ostendemus. Quod quò planiùs intelligi possit, primùm quid sit יהוה videamus. Verùm animadvertendum est, hoc nomen יהוה *Jehova* vel *Jova*, quod Hebræi vocant שם של ארבע אותיות, *nomen quatuor literarum*, vel *Tetragrammaton*, quòd quatuor literis Jod He Vau He constet, aliter à Judæis pronunciari quàm scribatur. Aiunt enim suos majores ab ipso usque Mose, cui primùm traditum est, semper pronunciare solitos *Adonai*, quod est *Dominus:* Deo tamen soli tribuitur, ut *Adon* quemlibet *Dominum* significat. Septuaginta certè Interpretes, & Apostoli atque Euangelistæ omnes, quod Hebraicè scribitur יהוה *Jova*, Κύριον, h. e. *Dominum*, perpetuò reddunt. Quod illa ostendunt, נאם יהוה לאדני *Dixit Jova Domino meo*, Psal. 110. quod Græci scribunt, εἶπεν ὁ Κύριος τῷ κυρίῳ μου. Et שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד, Deut. 6. quod Euangelistæ, ut Lxx, vertunt, ἄκουε, Ἰσραὴλ, Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν, Κύριος εἷς ἐστιν, *Audi, Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est.* Ubi ubi præterea in N. Testamento Κύριον vel *Dominum* leges, absolutè intelligendum est יהוה *Jehova*, vel אדני *Adonai*; cùm, ut diximus, Hebræi utrumque eodem modo pronuncient *Adonai:* nisi quòd Jehova vocitant אזכרה, quod est *memoratio*, quasi symbolum mnemosynúmve dixeris: nempe quòd debeamus hoc nomine audito Dei omnipotentiam in mentem revocare. *Adonai* autem nominant ודי h. e. *manifestum*, quoniam unicuique sanæ mentis homini manifestum est, Deum rerum omnium dominum esse ac moderatorem. Ego itaque, cùm præsertim autores habeamus Apostolos, ídque Ecclesiæ consensus receperit, nomina immutanda non censerem. Nam si *Dominum* vocemus, planissimè omnes intelligent: si malimus *Jova*, cavendum est nè indocti offendantur nominis novitate. Sed ad propositum revertamur, quídque id nomen etymologiæ ratione significet, explicemus. Nullum enim nomen Hebraicum Syriacúmve est cujus etymon aliquod è themate & grammatica analogia reddi non possit. Quædam porrò composita sunt, sed sic ut facilè radices omnes distinctæ cernantur, ut *Gabriel*, *Melchisedec*, *Israel*. *Abraham* quoque, quod difficiliùs resolvitur, componitur, ut Scriptura docet, Gen. 17. ex אב *pater*, רב *magnus*, & המון *multitudo*, quòd magnæ multitudinis pater futurus erat: sed quia nimis durum atque asperum nomen esset si diceremus אברהמון, elidit*ur b*; *n* enim ad Thema non pertinet, ac euphoniæ causâ pronunciatur & scribitur אברהם. Sunt tamen quædam Babylonica, Ægyptiaca, Persicáque, atque aliarum nationum propria nomina, quorum etyma è suis quæque linguis petenda sunt. Nomen certè Jehova simplex est, facilémque etymi habet rationem. Nam thema הוה Hebraicè atque Chaldaicè significat *est*, vel *fuit*: cui præfixa litera Jod nomen derivatum format יהוה: ut à צחק *risit* fit יצחק, & à עקב *supplantavit* יעקב, Jehova ergò significat, *Qui est*, vel, ut Platonicè loquar, τὸ ὄν, aut αὐτὸ ὄν, *Ipsum Ens*, vel *Essentia Ideam*; quam Dionysius vocat τὸ αὐτὸ εἶναι. Philosophi interdum nominant τἀγαθὸν, vel αὐτοαγαθὸν, *ipsum Bonum*, vel *Ideam bonitatis*. Huc facit quòd Aristoteles sive Theophrastus in libro de Mundo ait, supremum deorum omnium Δία appellari à Ζῆν, nempe διʼ ὃν ζῶμεν, *propter quem vivimus*, quòd ipse omnia vegetat atque vivificat. Hesiodus quoque in eandem sententiam decinit in Ἔργοις,

Ὄυτω διὰ βουλὰς ἀνδρῶν ὁμῶς ἄφατοί τε φατοί τε,
Ῥητοί τʼ ἄῤῥητοί τε Διὸς μεγάλοιο ἔκητι,

omnium autorem Jovem esse indicans. Quin etiam ipsa Scriptura planissimè etymon exponit, cùm Deus Mosi mandata dans, quis esset docet his verbis, ויאמר אלהים אל משה אהיה אשר אהיה ויאמר כה תאמר לבני ישראל אהיה שלחני אליכם, *Et dixit Deus Mosi, Ego sum qui sum. Sic dices filiis Israel, Sum misit me ad vos*, Exod. 3. Ex quibus verbis dilucidè ac simpliciter etymologiam nominis habemus. Cùm enim Moses Dei primum imperium detrectans scire ejus nomen, si id fortè populus quæreret ad quem legabatur, percuperet, respondit Deus se eum esse, *qui est*, hócque suum nomen esse. Deus quippe solus absolutè est; cætera omnia, quòd sunt, Deo acceptum referre debent. Jam ergò planum fecimus, simplicem esse nominis hujus significatum: ut interim omittamus acutissimè ineptas Judæorum tricas, qui simplici sententiâ, h. e. historicâ verâque neglectâ, consectantur quod nusquam est, ut apud indoctos eruditionis atque acuminis gloriam aucupentur: à doctis certè & prudentibus temeritatis atque impudentiæ opinionem reportant. Sed prætermittere non possum quod apud Macrobium, multæ ac reconditæ doctrinæ hominem, Sat. lib. 1. cap. 18. observavi: qui cùm deorum omnium nomina ad unum Deum referre vellet, hunc Orphei versiculum citat,

Εἷς Ζεύς, εἷς Ἀΐδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος,

Bacchus, Sol, Orcus, & Juppiter unus & idem.

Hujus, inquit, *versûs autoritas fundatur oraculo Apollinis Clarii, in quo aliud quoque nomen Soli adjicitur, qui in eisdem sacris versibus inter catera vocatur* Ἰάω. *Nam consulsus Apollo Clarius quis deorum habendus sit qui vocatur* Ἰάω, ità effatus est,

Ὄργια μὲν δεδαῶτα ἐχεῖν νηοδόκα κεύθειν,
Ἐνδ᾽ ἀνάγη παύειν ζώοισι κῆρα βαρεῖαν.
Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἦμεν Ἰάω.

Quorum versuum hæc est sententia,

Orgia qui norunt, arcana recondere par est.
Fraudem mentis inops agitat, quem inscitia versat.
Divorum summum cunctorum en accipe Iao.

Nam quid aliud quæso per *Iao* intelligemus quàm *Jova?* Nam *v* consonante Græci carent, ut Δᾶν ostendit, quem *Davum*

Davum Latini vocant, ut *δῖος, ovii, Ζεύς, divus*. Sic fecerunt ex *Jao Jovem*. Quanquam reclamant Grammatici, qui à *juvando* dictum volunt. Nec mirandum est quî fieri potuerit ut nomen hoc, quod Hebræi nemini præsertim peregrino committebant, à Græcis cognosci quiverit. Cùm oracula illa cacodæmone magistro ac duce instituta & celebrata fuerint. Is porrò nomen illud non ignorabat.

Sed eò unde discessimus revertamur, cùm jam ostenderimus simplicem ac germanam hujus nominis significationem, non Cabbalisticam neque commentitiam. Id quod faciendum est in sacrosancto nomine *JESU*, quod Hebraicè dicitur ישוע. Id in S. Bibliis aliquoties legitur, quod ignorasse videtur Osiander, qui semper scribit יהושע *Jehosua*, negans *Jesu* ullo pacto idem esse quod *Josue*. Nos scimus summum sacerdotem filium Josadac ישוע appellatum, atque eundem יהושע. Nomen itaque utrumque unum idémque est: nisi Osiandro plus fidei quàm Ezræ atque Nehemiæ volumus adhibere. Ille contendit idem non esse utrumque, hi probant. Qua in re suam in S. literis tractandis somnolentiam atque oscitantiam prodit, qui ex uno Scripturæ loco, qui mos sciolorum est, *ἵνα μὴ πικρότερον ὄνῳ*, probare se, sdque contra omnium sententiam, quod semel in animo insedit, posse existimat. Nos verò non è somniis nostris, sed ex usu & sermone Prophetarum idem utrumque esse asserimus. Nam sacerdos ille summus, qui cum Zorobabele è Babylonia cum cæteris exsulibus in Judæam rediit, ab Haggæo & Zacharia semper nominatur יהושע בן יהוצדק *Jehosua filius Jehosadac*, quem eundem Ezras & Nehemias vocant ישוע בן יוצדק *Jesua filium Josadac*, detractâ literâ He: non ut hoc nomen literâ unâ Tetragrammati defraudarent, sed ob linguæ Syriacæ proprietatem, de qua mox agemus. Constat enim Ezram & Nehemiam historiam scripsisse cùm Judæi jam ab exsilio Assyriaco reducti essent, & linguâ Syriacâ loquerentur. Vulgò autem vocabatur ישוע, cùm docti scriberent יהושע more Hebræorum. Sed nè quisquam hæc à nobis confingi putet, verba Haggæi 1. exponamus, qui ait, היה דבר יהוה ביד חגי הנביא אל זרבבל בן שאלתיאל פחת יהודה ואל יהושע בן יהוצדק הכהן הגדול לאמר, h.e. *Factum est verbum Domini in manu Haggai prophetæ ad Zorobabel filium Salatiel Principem Juda, & ad Jehosua filium Jehosadac sacerdotem summum, dicens.* Atque eâdem Orthographiâ in toto vaticinio utitur, ut Zacharias quoque. Confer nunc Ezram & Nehemiam, qui eodem sæculo vixerunt, déque iisdem hominibus locuti sunt. Ezræ 2. sic scribitur, ויקם ישוע בן יוצדק ואחיו הכהנים *Et surrexit Jesua filius Josadac, & fratres ejus sacerdotes.* Lege totum Nehemiam, sempérque invenies ישוע, יהושע nunquam. Quinetiam in 2 Paral. 31. quorum autor Ezras fertur, scribitur ישוע. Nempe quòd hi omnes libri post exsilium Babylonicum conscripti sunt. Ostendimus itaque non errasse veteres Patres, qui utrumque *Josue* vel *Jesum*, tam ducem quàm summum sacerdotem, ut nomen, sic etiam Christi typum gessisse autumant. Ob id enim *Jesus* vocatus est Messias *Christúsve*, quod est *unctus*: quoniam & rex & sacerdos, qui soli ungebantur, fuit. Quinetiam Angelus Matth. 1. disertè ait *Jesum* nominandum esse, quòd *salutem* populo suo allaturus erat. Id autem significat etymon *Jesu*. Quæ ergò impudentia est, contradicendi studio adductum, suam sententiam, quæ solis conjecturis iisdémque incertis nititur, aliis omnibus insolentissimè anteponere? In Thalmud certè Perec Merubbe sic legimus, איקלעו לבי ישוע הבן, *perverterunt ad domum redemptionis filii.* Nam scholiastæ Jesum ישוע *redemptionem* & *salutem* interpretantur. At ex Propheta, qui cap. 1 ait vocatum iri Emmanuel, argumentatur Osiander. Id enim impletum non esse si Christus vocetur יהושע. Qua in re satìs mirari non possum hominis contradicendi vi abrepti atque in angustiis adacti pervicaciam. Nam si Osiandro credimus Dei virtus tribus literis tota includitur: quæ si quid habent momenti, in nomine יהושע cernuntur: alioqui nemo nisi Hebraicè doctus fidei mysteria intelligere posset, quod falsissimum est. Quin etiam verba Prophetæ optimè cum Angeli & Euangelistæ sententia conveniunt, siquidem cap. 30 ait, *Jova est judex noster, Jova est præceptor noster, Jova est rex noster, ipse salvat nos.* Qui salvat ergò, quod facit Jesus Christus solus, quid aliud est quàm Jova? non nomine, cùm Dei virtus nominibus non comprehendatur, sed reipsa est verus Jesus salvator, judex, præceptor, rex & redemptor, & propterea *EMMANUEL*, i. *nobiscum Deus.* Vides itaque *Emmanuel* & *Jesum* idem significare, si rem non literas spectes, quorum utrumque in Christo perfectè impletum est. Sed jam cæteris respondeamus argumentis.

Quòd existimat in libris alicujus autoritatis hoc nomen ישו scribi, falsum esse ostendit doctissimus Judæus Aben Ezra, qui semper scribit ישוע. Lege ejus in Genesin præfationem. Quinetiam Elias in Tisbi, cur aliquando ישו scribatur, præsertim in Thalmud, rationem affert; confitens scribendum ישוע: sed quoniam Judæi non credunt eum esse servatorem suum, ideo literam ultimam Aain abjecisse: ut hinc jam facilè alterum ejus argumentum dilui possit. Sed ex usu linguæ Syriacæ atque Thalmudicæ, quas ignorare videtur Osiander, docebimus literas gutturis, ut Hebræi vocant, præcipuè Aain, quæ omnium crassissima est, absorberi, vel potiùs excidere.

Cùm enim ostenderimus *Jesu* & *Josua* idem esse nomen, si rationem ultimæ literæ Aain resectæ exposuerimus, jam nihil amplius quod dicat habebit Osiander. Exempla plurima producere possemus, sed paucis erimus contenti. Nam quod Hebraicè atque Babylonicè dicitur שבע *septem*, id Syriacè & Thalmudicè ultimâ literâ abjectâ scribitur שב. Sic pro קטיע quod est *abscissus*, dicitur קטי: quod etiam in numeris fit; ארבע עשר *quatuordecim*, ארביסר. Cùm ergò hoc nomen in libris tantùm Thalmudicis ישו scriptum inveniatur, quis ampliùs miretur cur postrema litera resecta fuerit?

Quòd verò apud Arabes bisyllabum esse ait, & cum *Jesu* convenire; id verò nos constanter negamus. Ut enim hoc nomen in Alcorano bisyllabum fit, non tamen quadrat cum Jesu, cùm scribatur עיסאי cum Aain, quanquam corruptè, quomodo etiam *Beelzebub*, *Euangelium*, *Esau*, in *Iblis* & *Engil* & *Eles*, quædam alia, depravarunt. Alii certè Arabum scriptores sæpe scribunt ישוע. Nihil ergò hinc, nisi contra suam sententiam, colligere potest; cùm vel Arabicè scribatur cum Aain.

Nunc veniamus ad יהשוה *Jehesu*, quod obtrudere nobis volunt; quod primùm contra Hebraicæ Orthographiæ rationem scriptum esse, tum nihil significare, sed merum esse hominum commentum, qui cùm ut de aliis detrahant, tum ut ipsi soli sapere videantur, hæc confingunt, clarissimis probabimus argumentis. Sed priùs ostendendum est, fidei mysteria locum habere etiam præter literas Hebraicas, tum ex Apostolorum auctoritate, qui bonâ magnâque, si istos audimus, mysteriorum parte nos defraudarunt, ut qui Græcè scripserint & locuti sint; nec tamen usquam in literis Hebraicis, sed in Prophetarum & Christi sententiis, quæ in omnibus linguis intelligi possunt, mysteria posita esse docuerunt; tum etiam è priscorum Hebræorum sententia, qui suis Judæis permittunt ut eam precationem quæ apud eos non minùs sacrosancta habetur quàm apud nos Dominica precatio, manéque ac vesperi quotidie canitur à singulis, & de nomine *Jova* præcipuè agit, qualibet linguâ recitent. Ea sunt verba quæ Deut. 6. leguntur, *Audi, Israel, Dominus Deus noster*, &c. Eam precationem à primo verbo vocant שמע *Audi*. Nam in Thalmud Jerosolymitano, Massechet Sota, Perec ellu neemarin, in hunc modum scriptum est, רבי לוי בר חוותא על לקסרין שמע לון דהוו קרו שמע אלנסתין בעי לעבבנון: שמע רב יוסי אקפד אמר מי שאינו יודע לקרותה אשורית לא יקרא אלא קורא אותה בכל לשון שיודע וירצא ידי חובתי. Sententia hæc est, *Rabbi Levi filius Hazota ascendit Cæsaream,*

atque audivit eos qui recitabant Scemam (eam scilicet precationem quam suprà diximus) Ἑλληνιστὶ, h. e. *Græcè. Volebat itaque eis interdicere. Quod cùm audisset Rab Joses (qui nempe majore erat autoritate) iratus est, & dixit, Quicunque eam Assyriacè recitare nescit, nè recitet. Recitans autem eâ linguâ quam intelligit, hoc pacto suo muneri facit satis.* Ubi sunt ergò isti qui superstitione plusquam Judaicâ nos obligare volunt, ut si Hebraicè nesciamus, maxima nequeamus mysteria assequi? Nec tamen contemnenda est ejus linguæ cognitio, cùm ad rerum origines explicandas ferè necessaria sit. Sed ad *Jehesu* redeamus. Principio nemo linguæ Hebraicæ doctus negarit, nullum nomen desinere in He antecedente ו. Quòd si vel unum quisquam protulerit, vincat: verùm nunquam id faciet, cùm ratio orthographiæ repugnet, quæ præeunte Vausurec in quiescentibus Lamed He postulat ut He mutetur in Jod. Præterea יהשוה nihil significat. Nam cùm Hebraica omnia nomina thema aliquod habeant, *Jehesu* nullum habere potest nisi השה, quod nec usquam legitur, nec quicquam significat. At dicat aliquis significare literas יהוה, quæ in nomine sparsæ sunt. Quid ergò faciemus ש, quod in medio semper ad thema pertinet? Sed confugiet ad Cabbalistas, qui cùm præsertim grammaticæ Analogiæ repugnent, & rem totam incertis conjecturis frigidísque commentis tractent, audiendi non sunt. Nec est quòd quisquam Christi sanctissimo nomini injuriam fieri existimet si literas omnes Tetragrammati non habeat, quæ passim in hominum ignobilium, & plerumque malorum, nominibus reperiuntur, nec quicquam tamen continent mysterii, nisi impiè ineptire volumus. Multi enim è veteribus & nostræ ætatis Judæis nominantur יהודה, quorum tamen plerique fuere & sunt perditissimi: atqui in eo nomine sunt omnes literæ Tetragrammati. Quin etiam in verbis tertiæ conjugationis, quæ dicitur הפעיל, frequenter cernuntur concurrere. Multò igitur consultius, ac magìs pium est, mysteria non in literis, quod Judaicum est, sed in spiritu, quod veri faciunt Christiani, vestigare; verúmq; Christi nomen credere esse *Jesum* ישוע, h. e. *salutis autorem*; sive etymon, sive linguæ Hebraicæ analogiam spectes.

Cap. II.

De omnibus Dei nominibus, & quomodo Arabes & Æthiopes Deum nominent.

Postulare videtur rei series ut cætera Dei nomina tam quæ Divinæ nobis literæ tradunt, quàm quibus Judæi in suis commentariis utuntur, exponamus. Dei enim essentiam humani ingenii angustiæ capere non possunt. Ex nominibus tamen utcunque, atque, ut ait Paulus, *per ænigma*, Dei omnipotentiam prospicere possumus. Nam Deum nemo homo vidit unquam. Hinc intelligere possumus cur Deus Exod. 33. 23. Mosi se videre cupienti dixerit, והסרתי את כפי וראית את אחרי ופני לא יראו, *Et auferam manum meam, & videbis posteriora mea: ora autem mea non conspicientur.* Cùm enim, ut Philosophi docent, duplex sit sciendi atque intelligendi methodus; una, quæ à naturæ cognitis & prioribus ad nobis nota & posteriora deducitur; altera, quæ eâdem viâ ab ultimis ad prima recurrit: è quibus illa ἀποδείξει, hæc ἐπαγωγῇ colligitur: quis non videt, ora Dei oculis mortalibus cèrni non posse, h. e. Deum sub Apodixin non cadere, cùm eo nihil sit antiquius? At Dei posteriora intueri possunt non omnes, sed ii tantùm quibus obumbrantem manum suam sustulerit Deus. Quod princeps poetarum Homerus non ignoravit, apud quem Iliad. ε' Diomedi cum diis congressuro caliginem omnem, vel, ut ipse loquitur, ἀχλὺν ἣ πρὶν ἐπῆεν, Minerva abstergit. Nam quid aliud, quæso, est *Dei nomina cognoscere*, quàm *eum in rebus creatis*, quæ Divinæ providentiæ signa sunt, *contemplari?* Duo enim sunt in Natura, *Res ipsa*, & *rerum signa*, quæ *nomina* vocitamus. Plato quidem nomen definit Cratylo, ὄργανον διδασκαλικὸν, καὶ διακριτικὸν τῆς οὐσίας, ἅπερ κερκὶς ὑφάσματος. In Sophista nomen apertè σημεῖον appellat. Atque hoc maximè inter Deum & hominem interest, quòd ille res per se intelligit, hic nihil nisi per signa cognoscere potest. Hoc est quod Paulus vocat *Ænigma:* cùm in hac vita rerum simulacra quasi in speculo contemplemur. Hæc res errandi ansam Judæis præbuit, qui cùm creberrimam Divinorum nominum mentionem audirent, cœperunt, superstitiosè adhibitis Arithmeticis & Geometricis proportionibus, acutissimè delirare, vel potiùs cum ratione insanire, anatomicè literas singulas resecantes, resolventes, numerantes. Sed somnia sunt, quæ stupidos & vanos delectare possunt, prudentibus certè non probantur. Apostoli sanè & Christus ipse nihil ejusmodi docuerunt: nam ignorasse, ut Judæi garriunt, si tam alta mysteria continent, piis nefas est dicere. Nos igitur non Dei nomina, sed Deum ipsum adoremus, nisi relicto corpore umbram consectari libet. Nam quòd in nomine Jesu omne genu flexum iri Scriptura ait, non de literis aut vocis simplicis pronunciatione intelligitur; sed de virtute, quæ per fidem omnia agit: ad quam certè cultus is, qui audito sacrosancto nomine Jesu, vel inspectâ venerandâ ejus effigie, à piis hominibus exhiberi solet, præcipuè referendus est. Quòd verò magi Divinorum nominum appellatione mira prodigia efficere videntur, id fit Cacodæmonis præstigiis, qui in ea superstitione homines retinere cupit. Alioqui ipse quoque Satan nominibus non movetur, sed Act. 19. respondet infidelibus exorcistis, *Jesum cognosco, & Paulum scio, vos autem qui estis?* Sed ad propositum redeamus, nomináque Dei, quæ decem sunt, recensemus. Hìc nihil dicam de summa Denarii perfectione, qui idem etiam est Tetras, & supremus omnium, in quo numeri omnes simplices non potestate sed actu cernuntur: cùm alii omnes hoc nomine imperfecti sint quòd ad denarium non pervenerint. Hæc, inquam, & alia ejusmodi Pythagoreis relinquimus. Nomina verò hæc sunt, 1 יהוה, Tetragrammaton, de quo suprà dictum est. 2 יה, Hinc *haleluja*, Κύριος, *Dominus.* 3 אל ἰσχυρὸς, *Fortis.* 4 אלוה, 5 אלהים, δικαστὴς, ἀρχὼν, *Judex, princeps.* 6 שדי, ἅλκιμος, παντοκράτωρ, *omnipotens*, vel αὐτάρκης, *se contentus.* 7 אדון, ארני, Κύριος, δεσπότης, *Dominus.* 8 אשר יהיה ὁ ὤν, *Qui est.* 9 אלהים צבאות vel יהוה, *Adonai*, vel *Elohim Sabaoth*, *Dominus* vel *Deus exercituum.* 10 עליון, ὕψιστος, *excelsus, summus, supremus.* Duo prima à themate הוה, *fuit*, proficiscuntur: utrumque tamen redditur ὁ Κύριος, *Dominus.* Non possum hìc prætermittere, quod sanctissimus ac doctissimus vir Epiphanius contra Anomœos scribit super hoc nomine Ja. Sunt enim qui personarum in Deo, ut loquuntur, pluralitatem ex V. Testamento probari non posse contendunt. Contra quos Esaiæ vaticinium producit, in quo cap. 26. disertè id expositum est, בטחו ביהוה עדי עד כי ביה יהוה צור עולמים: quæ verba ex Origenis Hexaplis in hunc modum Græcè citat, Βετὸν βασωνὰϊ ἀδ' ἄδι, χὶβαϊὰ ἀδωνάϊ σὰϱ ἀλειμὼμ, & interpretatur, πεποίθατε ὅτι τῷ Κυρίῳ ἕως αἰῶνος, ὅτι ὃν τῷ Κυρίῳ Κύριος ὁ στερεώσας τὸς αἰῶνας. h. e. *Confidite Domino usque in seculum, quoniam in Domino est Dominus* (i. *In Ja est Jova*) *qui stabilivit secula.* Quam interpretationem Hebræus nullus labefactare potest. Nos Theologorum prudentum judicio rem totam committimus. Sed ad rem.

El, Elohim & *Eloah* frequentia sunt. *El* à themate איל *fortem* sonat. *Elohim* judicibus & magnis viris tribuitur, & angelis, ut quidam putant. *Eloha* aliquando in malam partem accipitur, ut notant Grammatici.

Saddai aliqui compositum esse aiunt ex ש relativo, & די nomine, quod est *idoneum, sufficiens*, Græcè αὐτάρκης: natura enim Dei opis haud indiga nostræ verè est αὐταρκέσταται ac beatissima. Cætera facilia sunt.

Porrò Hebræi in commentariis alia decem nomina Deo accommodant. 1 השם, τὄνομα, *Nomen illud*, καθ' ἐξοχὴν, quanquam sæpe addunt יתעלה *exsellatur*, vel

vel יתברך, *celebretur.* 2 השכינה, *habitatio*, quâ Dei præsentiam intelligimus. 3 המקום, ὁ τόπος, *locus ipse. Dei enim omnia plena*, ut Esaias, Hesiodus, Aratus & Virgilius canunt. Nam omnia ut locus complectitur, & omnem ipse locum implet, 4 השמים, ὁ οὐρανὸς, *cœlum.* Hinc illud infrà c. 12. *Baptismus Johannis utrúmne à cœlo est, an ab hominibus?* Hoc secuti fortè Græci poetæ Saturni patrem οὐρανὸν vocarunt ut Latini *Cœlum.* 5 הקדוש ברוך הוא, ἅγιος εὐλογημένος ἐστὶν, *sanctus ille & laudatus.* 6 הגבורה, τὸ κράτος, *summa potestas:* ut Imperatorem Antoninum Oppianus appellat γαίης ὕπατον κράτος. 7 רבונו של עולם, ὁ Κύριος τοῦ αἰῶνος, ἢ τοῦ κόσμου, *Dominus seculi, mundive.* 8 מלך העולם, βασιλεὺς τοῦ αἰῶνος ἤτοι αἰῶνος, *Rex seculi, vel sempiternus*, ut Galli Deum vocant *Æternum.* 9 אבינו שבשמים, πατὴρ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *Pater noster qui est in cœlis*, vel *cœlestis*, nè terrestrem somniemus. 10 רחמנא, ὁ ἐλεήμων *misericors.*

Cæterùm apud Arabes hæc observavi Dei nomina, quæ literis Hebraicis exponemus, quando characterum Arabicorum copia non est. 1 אללה *Allá*, vel *Illè*, ut Pæni pronunciant, ὁ Κύριος, *Dominus.* 2 אלרב 3 קדיר עלי כל שאן, *Potens supra omnem rem, omnipotens*, παντοκράτωρ. 4 אלרחמן אלרחים, ἤτοι ὁ ἐλεήμων, *mitis & misericors.*

ALLA componitur ex articulo *al*, quod est ὁ, & pronomine *lah*, i. *ei:* nomen ergò significat eum *cujus omnia sunt, qui omnia habet.* Id Hebraicè diceretur אשר לו, vel uno verbo שלו. Hoc etymon mirificè consentit cum versione Septuaginta, qui locum illum Gen. 49. in vaticinio Jacobi de Christi adventu, *Non auferetur sceptrum à Juda, nec legislator è medio pedum ejus, donec veniat qui mittendus est*, sic reddunt, ᾧ τὰ ἀπόκειμενα, *ille cui sunt repositæ*, omnia videlicet. Hebraicè scribitur עד כי יבא שילה. Quod Onchelus vertit, משיחא דדילה היא מלכותא, *Messias, cujus est regnum.* Utrique legerunt שלה, i. אשר לו. Nam ה ponitur pro ו, ut mox עירה & סותה pro עירו & סותו. Sic Deut. 34. לחרה pro לחו. Noster interpres legisse videtur Heth, nec tamen video cur interpretari poterit, *Qui mittendus est:* nisi fortè legit שלח. Mihi tamen שלו, quod Septuaginta & Chaldæus Paraph. secuti sunt, magìs placet. Id enim multò melius est quàm *Silo* oppidum frigidâ planè absurdâque sententiâ accipere. Nam quod quidam Hebræi somniant SIL *filium* esse, ut sit, *Donec veniat filius ejus*; quanquam plausibile videtur, cùm conjecturâ tantùm nitatur, non probo. Illud verò שלו Christo optimè congruit, cui *data est potestas omnis in cœlo & in terra*, ut Scriptura testatur.

Nomina quibus Deum appellant Æthiopes, hæc sunt, 1 אסלך. 2 אגויאבחר. 3 אגויאבחר. Ubi nemo miretur duo Sevain initio scribi: quod cùm Hebraica orthographia non recipiat, Æthiopica familiariter usurpat.

EMLAK, ὁ βασιλεὺς, *Rex ille:* quod mihi ab Hebræis mutuati fuisse videntur, qui regem *Melech* vocant, qui Æthiopicè nominatur נגוש.

EGHZIA, אדון, ὁ Κύριος, *Dominus.*

EGHZIABHER componitur ex EGHZIA *domino*, AB *patre*, HER *bono*; quod est *dominus pater bonus:* ut illi Æthiopes qui Romæ habitant, interpretantur.

CAP. III.

De צעיר *apud Micheam, &* Nequaquam minima es *apud Matthæum.*

ADmonuit me hoc loco Euangelii ordo & rei difficultas, ut de controverso illo atque perplexo loco Matthæi, quo Micheæ vaticinium adducitur, aliquid diceremus: cùm ut scrupulum molestissimum, qui maximos ac doctissimos viros torsit, si fieri posset, eximeremus; tum etiam ut D. Hieronymi autoritatem, quanquam is nec nostro nec mortalis cujusquam patrocinio indiget, tueremur: quam omnibus admotis machinis quidam labefactare atque evertere conantur. Sic enim agunt ut, invidiosâ Hieronymi cum Euangelistâ Matthæo collatione propositâ, illum potiùs quàm hunc lapsum esse credamus. Ac neminem quidem esse arbitror qui non plus Matthæo tribuat quàm Hieronymo: non tamen propterea errasse eum hoc loco persuaderi nobis poterit. Nam mancum & imperfectum est Osiandri argumentum, quo necessariò vel Matthæum vel Hieronymum hallucinatum fuisse colligit: nos neutrum errasse planissimè ostendemus.

Ut longè sincerius & candidius fuerit dicere, *Nescio*, quàm contra Chaldæum Paraph. Hebræos omnes, & postremò D. Hieronymum, incertam & commentitiam, atque, ut probabimus, falsam interpretationem confingere. Nec erat, si vera narrasset, cur invidiam & calumniatrices obtrectationes reformidaret. Veritatem enim, quæ initio premitur invidiâ, Æschyli Tragici exemplo, τῷ χρόνῳ ἀνατιθέναι δεῖ, *Tempori* nempe *consecrare oportet.* Ut contrà commenta aliquandiu specie veritatis se venditantia ad extremum convincuntur mendacii. Sed ad rem redeamus. Primùm tamen omnes rogatos volumus ut rem ipsam potiùs quàm personam inspiciant, atque ità sententiam nostram legant, ut à nobis hæc omnia dici sibi persuadeant quò literarum Hebraicarum utilitas elucescat, & judiciorum temeraria præcipitatio cohibeatur. Ac primò verba prophetæ Mich. proponamus, qui cap. 5 in hunc modum ait, ואתה בית לחם אפרתה צעיר להיות באלפי יהודה ממך לי יצא להיות מושל בישראל. Quæ D. Hieronymus sic reddidit Latinè, *Et tu Bethlehem Ephratha parvulus es in millibus Juda: Ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel.* Chaldæus autem Paraph. hoc modo, ואת בית לחם אפרתה בוער הויתא לאתמנאה באלפיא דבית יהודה מנך קדמי יפק משיחא למהוי עביד שלטן על ישראל, h. e. *Et tu Bethlehem Ephratha ferè parvulus es, ut recenseáris inter Chiliadas domûs Juda. Ex te mihi prodibit Messias, ut fiat imperator super Israel.* Matthæus autem sententiam potiùs quàm Prophetæ verba considerans, ut qui sciret Divina mysteria non in syllabarum superstitiosa enumeratione, sed in sententiæ ejusdem, quanquam verbis paululùm immutatis, concordia posita esse, sic exposuit, cap. 2. Καὶ σὺ Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ γάρ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Quod Latinè est, *Et tu Bethlehem terra Juda haudquaquam minima es inter duces Juda. Ex te enim mihi egredietur dux, qui reget populum meum Israel.* Hìc Divino prorsus consilio Euangelistam postrema prophetæ verba, *Et egressus ejus ab initio à diebus æternitatis*, cùm Christi Divinitatem atque æternitatem disertissimè loquantur, præteriisse videmus. Nempe quia ad rem non faciebant: cùm non quis, quantúsve Christus foret, sed ubi nasci deberet, quæreretur. Præterea pro *Ephratha* vertit *terra Juda*, quoniam dilucidior narratio futura erat. Tum pro *chiliadibus* vel *millibus* (quod Hebræi tantùm intellexissent, apud quos populus per chiliades oppidatim distribuebatur sub suo tribuno, ut Gedeon ostendit, cùm Jud. 7. Deo respondet, אלפי הדל במנשה, *Mea*, inquiens, *chilias inter Manasseas tenuissima est*) scripsit, *Duces*; quod facilè omnes intelligunt. Illud verò, *qui sit dominator in Israel*, fusiùs explicavit, *Dux qui reget populum meum Israel.* Ubi ergò sunt qui Euangelistis obganniunt, quòd perperàm verba Prophetarum citent, si vel una syllaba inversa fuerit? qui mihi Judaicâ superstitione non Christianâ libertate delectari videntur.

Nunc cur, quóque modo, aiente Prophetâ neget Euangelista, cùm idem uterque sentiat, aperiendum est, si priùs Osiandri commentum confutaverimus. Is enim, ut Hebraicè solus scire videatur, verbum צעיר, i. *parvulus*, in quo totus controversiæ cardo vertitur, contra omnium, ut ipse quoque fatetur, sententiam interpretatur, *Parùm est*, hoc modo, *Et hem in Bethlahema Ephratha, parùm*

parùm est ut sis inter chiliadas, seu *chiliarchos, Juda*, &c. Quam interpretationem si absurdam & falsam esse ostenderimus, alia quærenda nobis erit.

Principio, non est idem *parùm est ut sis*, & *haudquaquam es*: quod omnes vel mediocriter docti facilè dabunt. Tum constanter asserimus צעיר in lingua Hebraica nunquam significare *parùm*; sed *parvulum* vel *minorem*, præsertim ætate vel dignitate; quomodo Arabicè צעיר *scaguer* dicitur cum Aain notato unico punctulo, idémque est prorsus quod Hebraicum צעיר, ut Hispani intelligunt, qui parvum vel non primogenitum *el scaguero* vocitant. Verùm *parùm* Hebraicè dicitur, מעט. Cæterùm, nè id comminisci videamur, proferamus locos omnes Bibliorum ubi legitur צעיר, ut etiam curiosis satisfiat.

Vocabulum hoc viginti & uno tantùm locis in utroque genere reperitur. De filia minore Lot, Gen. 19. ter legitur הצעירה. De Jacob, 25. *Et major serviet* צעיר *minori*. De Rachel, 29. quæ minor natu quàm Lea erat, legimus הצעירה. De filiis Jacob minoribus natu, 43. צעיר. De Ephraim, 45. qui minor natu erat ipso Manasse, הצעיר. De eo qui dirutam Jerichuntem reficeret, cui imprecatur Scriptura, Jos. 6. & 3 Reg. 16. *ut in primogenito jaciat urbis fundamenta, &* בצעירו *in natu minimo portas erigat*. De Gedeone, Jud. 6. qui ait, *Ego* הצעיר *natu minimus in domo patris mei sum*. De Saul, 1 Reg. 9. qui inquit, *Et cognatio mea* הצעירה *minima est* (dignitate scilicet) *inter omnes cognationes Benjaminiarum tribuũ*. Job 30. loquitur, צעירים *minores me diebus*, vel *natu, me rident*. Et Elihu, Job. 32. צעיר, inquit, *minimus natu sum*. *Benjamin*, Psal. 48. *natu minimus regit eos*. צעיר, Psal. 119. *Parvus ego sum & despicabilis*. *Parvus evadet in mille*, Esa. 60. *&* הצעיר *minimus in gentem potentem*. Et Jer. 14. *potentes eorum miserunt* צעיריהם *parvulos suos ad aquas*. *Eversa est Moab*, Jer. 48. *& clamorem sustulerunt* צעיריה *parvuli ejus*. *Nisi lingent eos* צעירי *parvuli gregis*, Jer. 49. צעיר *Parvulus es in millibus Juda*, Mich. 5. Et Zach. 13. *referam manum meam ad* צעירים *parvulos*, vel *non primogenitos*. Hi sunt loci omnes in quibus hoc verbum legitur. Proferat ergò Osiander, aut alius quilibet, vel unum locum ubi צעיר accipiatur pro *parùm*, & triumphum agat. At dicat aliquis, istud non est nodum solvere, sed nectere perplexiùs. Dispiciamus itaque quâ ratione aientem Prophetæ propositionem cum negante Euangelistæ componamus. Quod planiùs percipietur si superiora Prophetæ verba repetamus. In eo enim maximè errat Osiander quòd posteriorem orationis partem prioris rationem esse putat. Cùm apud Prophetam non αἰτιολογία sit, sed ἐναντιωματικῶς dicatur, ut perspicuè apparebit.

Propheta cùm suprà de Judæorum exsilio, de reductione eorum, atque Babyloniorum clade & excidio copiosè locutus esset, postremò cap. 5. ait, *Nunc vastaberis filia turmæ* (i. Babylon bellicosa, vel, ut quidam volunt, Jerusalem) *quæ obsidione nos cinxit, virgâ pulsarunt malam judicis Israel. Et tu Beth-lehem Ephratha minimus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel*. Hîc nemo non vidit urbis potentissimæ, sive ea Babylon, sive sit Jerusalem, collationem cum obscuro atque ignobili oppido à Propheta proponi. *Tu*, inquit, *urbs potentissima evertêris, idque propter tua flagitia, quòd obsidione nos cinxeris, & judicis Israel malam baculo pulsaveris. Tu autem Beth-lehem minimus quidem es, vel minimum atque obscurissimum oppidum in chiliadibus Juda: ex te tamen nascetur Christus. Deus enim deturbat potentes de sede, & extollit abjectos*. Hanc veram ac germanam esse Prophetæ sententiam nemo communi sensu præditus, & in S. literis vel mediocriter versatus, negaverit. Sed illud ostendamus oportet, cur Propheta non addiderit *tamen*, quod nos intelligendum esse asserimus tam ex ipsa sententiæ consecutione, quàm è sermonis Hebraici proprietate, qui particulas quasdam interdum omittit, quæ tamen ad sententiam, si in aliam linguam vertantur, omnino faciunt: quod uno aut altero exemplo commonstrandum est. David loquitur, Psal. 119. ogd. 18. צר ומצוק מצאוני מצותיך שעשעי, *Angustia & ærumna invenerunt me, præcepta tua delicia meæ sunt*. Vulgata, *Tribulatio & angustia invenerunt me, mandata tua meditatio mea est*. Quis hîc non videt addendum esse *tamen*? Contrà, si quis addat *quia*, ut in Propheta facit Osiander, impia erit sententia: nec enim Davidi ob servata Dei præcepta quicquam adversi obtigit. Mox idem ait, רבים רדפי וצרי מעדותיך לא נטיתי, *Multi sunt insectatores mei & adversarii mei; à testificationibus tuis non declinavi*. Vulgata, *Multi qui insequuntur me & tribulant me; à testimoniis tuis non declinavi*. Hîc iterum intelligendum *tamen*.

Expositâ Prophetæ sententiâ Euangelistæ verba perpendamus. Ille enim ità scribit, *Tu es minima, tamen ex te prodibit Christus*; hic verò ait, *Tu haudquaquam minima es: ex te enim exibit Christus*. Quæ duæ orationes idem prorsus loquuntur: nisi quòd Euangelista, qui illius collationis Propheticæ priore parte non indigebat, nec erat cur de Babylone vel Jerosolymis loqueretur, posteriorem partem, quæ ad rem faciebat, diluciduis quàm Propheta explicavit, additâ ratione. Propheta idem sentiens alio modo orationem disposuit, sed paulò obscuriùs. Hanc interpretandi rationem adeò veram esse credo, ut neminem tam impudentem aut præfractum esse existimem qui eam audeat convellere. Alioqui ἐμοὶ οὐκ ἔστι τὸν Καίσαρος, μὰ Δία, ἀλλ' ἔστι τὸν χείρονα, quod Cæsare longè est potentius. Ubi sunt ergò qui è musca elephantum faciunt, & Euangelistarum autoritatem, quæ omnibus sacrosancta esse debet, ex uno verbulo in discrimen adducunt? Ubi sunt qui, non tam Euangelistarum amore quàm odio Patrum, illorum defensionem cum horum accusatione conjungunt?

CAP. IV.

De HOSANNA.

INvitat nos celeberrima in Euangelio vox HOSANNA, ut rei originem paucis exponamus, in qua sibi adeò placet Osiander. Cui quidem non refragaremur, nisi loci obscuritas nos propemodum cogeret, quæ nescio quos sic delirare fecit, ut interpretarentur, *Hosanna filio David*, ut esset casus vocandi. Habet enim hæc res controversiæ aliquid, quæ exponenda ac componenda est. Aliter enim vox hæc apud vetustissimos Hebræorum scriptores accipitur; aliter intelligitur à recentioribus in precationum libello, quem secutus est Osiander. Qui rectè ait in festo Tabernaculorum cani à Judæis litanias quasdam, populo identidem respondente, *Hosanna*. Quodam enim loco sic scribitur,

הושיעת אלים בלוד עמך
בצאתך לישע עמך
בן הושענא:

Ubi proculdubio *Hosanna* significat *Serva quæso*, vel *Salva nunc*. Sed si hoc recipimus, ut nobis autor est Osiander, quomodo, quod in Euangelio legimus de voce turbæ clamantis, *Hosanna filio David*, aptè exponemus? Nam Græcè sic scriptum est, οἱ δὲ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες ἔκραζον λέγοντες, Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ, *Et turbæ præeuntes & sequentes clamabant dicentes, Hosanna filio David*. Si enim *Hosanna* significat *Salva quæso*, quid erit *Salva quæso filio David*. Atque hunc nodum, quod sciam, nemo hactenus solvit. Non nego apud Hebræos esse precationem quæ dicitur הושענא גדולה *Hosanna magnum*: sed quæro quomodo intelligendum sit, *Hosanna filio David*. Judæorum quidem recentiorum, qui suam linguam non intelligunt, autoritas Christianis magni facienda non est. Videamus itaque quid *Hosanna* apud priscos Judæos, quorum plerique Christi ætate vixerunt, significet. Sed prius

priùs ostendendum est vocabulum hoc Hebraicum esse non posse, sive nomen sit, sive verbum. Ac nomen quidem Hebraicum non esse, vel qui primoribus labris Hebræorum fontes degustarint, facilè concedent. Aleph enim ultimum planissimè id nos docet, quod in hac voce ad thema non pertinet: cùm, si Hebraicum nomen esset, necessariò in themate futurum fuerit. Verbum verò qui quæso erit, si analogiam modò servare volumus? נא enim cum Hebraicis verbis nunquam componitur, præsertim cùm ratio conjugationis postulet הושיעה vel הושיע *Hosea* vel *Hosiah*, ut in Psalmis legimus. In Jeremia tamen cap. 31. legimus, הושע יהוה את עמך, *Salva, Domine, populum tuum.* Dixerit hîc aliquis corruptum esse, vel potiùs per syncopen contractum, ut Elias docet. Ait enim ex הושיעה נא, quod crebrò canebant Judæi in in festo Tabernaculorum, factum esse brevitatis causâ הושענא, quod mihi non displicet. Nec est quòd quidam, qui vix Hebraica elementa callent, verbum Euangelistarum *Hosanna* in *Hosianna* mutent. Addit enim Elias hanc rationem, ut unam vocem esse intelligamus; quòd fasciculos salicum fluvialium ob crebras Judæorum vociferationes, qui identidem responsabant *Hosanna*, jam vocent omnes *Hosannas*. Quod mirificè cum Thalmudicorum usu consentit, qui ut in mysteriis plumbei sunt, sic linguæ suæ proprietatem atque elegantiam accuratè servant. Audiamus ergò quomodo in Thalmud vocabulum hoc accipiatur. In Perec Iulab haggazul sic legimus, אמר להו רבא להנהו דנדלי הושענא דבי ריש גלותא כי גדליתו הושעני עברו להו בית יד, *Dixit Rabbi illis, Qui nectunt Hosannam domûs Æchmalotarchæ*, vel *principis exsulum* (is erat insignis quidam Judæus) *cùm nectitis Hosannas, facite eis membrum.* Mox etiam scribitur, אמר רבא לא לגוז אנש ללבא בהושענא, *Dixit Rabba, Nè decacuminet quisquam spatulam*, vel *ramum palmæ in Hosanna.* Nemo hîc non videt *Hosanna* pro uno ac simplici nomine usurpari, quod omnes Glossographi *salicem* significare uno ore asserunt. Porrò quoniam salices passim inveniuntur, cedri, palmæ myrtíque non item, obtinuit usus,

Quem penès arbitrium est & vis & norma loquendi,

ut omnium arborum rami, quos in festo Scenopegiωn Hebræi gestabant, subindè clamantes *Hosanna*, id nomen nanciscerentur. Quod etiam in secundo Thargum Ester, cap. 3. scribitur, ועבדין להון הושענא, *Et faciunt sibi Hosanna:* & mox, והדרין בהושענא, *Et circumeunt cum Hosanna*, ubi apertè intelligitur salicum aliarúmve arborum fasciculus.

Ut etiam Galli in festo Palmarum, cùm propter cœli intemperiem oleas, cedros myrtósve non habeant, buxeos ramos gestare solent. Jam itaque intelligi potest cur turbæ Christum adventantem hoc elogio exceperint, fatentes se *Hosanna*, h. e. salicum, palmarum, aliarúmque arborum ramos ferre *filio David*, eúmque Deum ac Messiam agnoscere; quod tantopere Pharisæos offendit. Quandoquidem hæc vox Deo soli convenit: non, ut quidam somniant, est salutatio, quâ reges Judæi compellabant, ut illa vulgaris, *Vivat rex.* Vox itaque, si etymon quærimus, significat *salva nunc*, vel *salva quæso*, quod Græci dicunt, Σῶσον δή. Usus verò nominis de salice aliisque arboribus, quarum ramos Lev. 23. gestare jubentur Hebræi, intelligitur. Utrumque optimè convenit Christo Dei Filio, quod Deo tribuebant Hebræi. Nam & rectè clamamus *Hosanna*, ut nos salvet, qui salutis solus autor est; rectè etiam manibus gestamus *Hosanna filio David*, ut victorem ac triumphantem ovantes ipsi comitemur.

CAP. V.

De AMEN.

REceptum in primitiva Ecclesia fuisse Paulus 1 Cor. 14. ostendit, ut populus post recitatas preces responderet *Amen*, quod neminem rectè dicere ait qui preces non intellexerit. Cui valde consentanea sunt quæ in libris Thalmudicis leguntur. Sed priùs explicandum quid significet *Amen*, quod Septuaginta vertunt, Γένοιτο, *fiat.* Nonnulli interpretantur, *confirmetur, stabiliatur*, quasi יאמן, resectâ primâ literâ, quæ ad thema non pertinet. Quod si recipimus, dura erit verborum illorum sententia, *Amen, amen, dico vobis.* Mihi quidem esse videtur adverbium affirmantis, *verè*, quod additâ paragoge He dicitur אמנה. Symmachus rectè vertit πιστωθήτω. Thalmudici itaque suorum hominum somnolentiam carpentes, triplex dicunt esse *Amen*, יתומה *pupillum*, חטופה *surreptitium*, & קטופה *sectile.* Nam in Massecheth Beracoth, Perec ellu debarim, sic legimus, איזו היא אמן יתומה רב הונא אמר הן הן דמחיב לברכה ולא ידע מה הוא עני חטופה שחטף ואמר אמן קדם שתכלה הברכה קטופה שקטף לשנים, *Quódnam est Amen pupillum? Rab Heuna ait, Est cùm quis precatione tenetur, nec intelligit quod respondet. Surreptitium, cùm surripit, & dicit Amen, antequam absolvatur precatio. Sectile, cùm secat in duas partes*, nempe oscitanter audiens, & alias res agens. Præterea in Massecheth Succa scriptum est, בימה של עץ באמצע וחזן הבנסת עומד עליה לקרות בתורה והיה המתנה מניף בסודרין והן עינין אמן, *Suggestus ligneus in medio erat, & lector Synagogæ in eo stabat, ut legem recitaret. Porrò Synagogæ præfectus sudarium circumagebat, & ipsi respondebant, Amen.* Is enim mos diu permansit in Ecclesia, ut populus frequens preces & cætera, quæ in Ecclesia recitabantur, audiret, tum responderet *Amen.* Quod facit populus Israel, Deut. 27. Mose Dei mandata exponente. Atque utinam nostri quoque homines in Ecclesia *Amen* non *pupillum*, non *furtivum*, non *sectile*, sed legitimum ac pium responderent. Sic enim fieret ut & attentiùs sacra verba audirentur, & intelligerentur exactiùs. Sed de his hactenus.

CAP. VI.

De RABBI, RABBONI, & cæteris.

FRequentissimum est in Euangeliis hoc vocabulum: sed quoniam vetat Christus nè quis vocetur *Rabbi*, nec *Pater*, explicanda est hujus rei ratio, quæ certè intelligi non potest nisi è libris Thalmudicis. Legimus enim in Euangelio *Aba, Rabbi, Rabboni*, & apud Paulum *Maran.* In Thalmud hæc omnia reperiuntur, & præterea *Rab, Rabban* vel *Rabbana*, & *Abai*, quæ omnia sunt nomina dignitatis. Ac primùm agemus de *Rabbon* רבון, & מרן *Marán*, quæ soli Deo propriè tribuuntur. *Rabbon* Syriacum verbum est, *Dominum* non quemlibet significans, sed qui αὐτοκράτωρ est, vel, ut Jurisconsulti loquuntur, *qui merum habet imperium.* Hebræi in commentariis & Misna sive Deuterosi scribunt רבון *Ribbon*, ut illud creberrimum dictum ostendit, רבונו של עולם, *dominus mundi*, quo Deum describunt. Quæ enim Hebraicè initio habent *i*, ea Syriacè cum *a* pronunciantur. Quod dilucidè cernas licet in *Mariam*, quæ Hebraicè dicitur *Miriam.* Et *Migdal* Syriæ oppidum Syriacè est *Magdal*, ut Herodotus docet, qui Μάγδωλον scribit. Sic quod Hebræi dicunt *Ribbon*, Syri *Rabbon* pronunciant. Propterea Maria Magdalene Syriacè Christum, qui jam resurrexerat, salutavit *Rabboni*, h. e. *mi Domine:* Deum scilicet agnoscens, cùm ante mortem nemo eum vocaverit *Rabboni*, sed *magistrum*, i. *Rabbi*, & *dominum*, h. e. *Mara.* Sic *Maran*, quod est *dominus noster*, Deo tantùm accommodatur. Hoc tamen interest inter *Rabbon* & *Maran*, quòd illud sonat Κύριον, hoc Δεσπότην: illo intelligimur filii, hoc servi; ut pater filiorum suorum κύριος est, servorum δεσπότης. Hinc Paulus, cùm solennia anathematis verba pronunciat, Syriacè dicit, מרן אתה, *Dominus noster* (cujus scilicet servi sumus) *venit.* Id Hebraicè scribendum fuerat אדוננו בא. Cæterorum nominum

minum ratio in libris Thalmudicis expoſita eſt. Rabbi Nathan inſignis doctor ea ſic colligit, רבי מחכמי ארץ ישראל הסמוכין שם בסנהדרין שלהם ראמרין לענין קטיכת זקנים דסמכין לה׳ וקרו לה רבי ויהבין לה רשותא לסרן דיני קנסות : ורב מחכמי בבל הסמוכין בישיבות שלהן והדורות הראשונים שהיו גדולים מאד לא היו צריכין לרבותם לא ברבן ולא ברבי ולא ברב אלא בשמא גדירא לחודה Quorum verborum hæc eſt ſententia, *Rabbi tribuitur ſapientibus terræ Iſrael, quibus impoſita fuit manus illic in conciliis eorum: quod dicunt propter impoſitionem manuum ſeniorum, qui imponunt alicui manum, & vocant eum Rabbi*, quod eſt, *Magiſter mi, & faciunt ei poteſtatem cognoſcendi cauſas multitudinis. Rab autem eſt ſapientum Babylonia* (Rabbinorum ſcilicet exſulum) *quibus impoſita eſt manus in ſcholis eorum. At homines priſca ætatis, qui maximi erant ac præſtantiſſimi, non opus erat ut magiſtrarentur per Rabban*, quod eſt, *magiſter noſter, nec per Rabbi, nec per Rab, ſed ſolo ac ſimplici nomine appellabantur.* Alio etiam loco legitur, גדול מרב רבי וגדול מרבי רבן וגדול מרבן שמו, h.e. *Rabbi major quàm Rab, & Rabban major quàm Rabbi, major tamen quàm Rabban eſt qui ſimplici nomine appellatur.* Et alibi, מר מחכמי ראשי הגליות שבבל ורבנא מחכמי בית דור אבי ואבא מחכמים וזקנים, quod eſt, *Mar*, i. *dominus*, *tribuitur ſapientibus Æchmalotarchis* vel *principibus exſulum, qui ſunt in Babylonia. Rabbana, dominus noſter, ſapientibus domûs David. Abai & Aba*, h.e. *Pater mi, & Pater, ſapientibus jam ſenibus.* Ex his facilè horum nominum ratio atque ordo cognoſci poteſt: & mos præterea manuum impoſitionis, qui hodie quoque apud Hebræos ſervatur in Rabbinorum, ut vulgò loquuntur, promotione. Hinc etiam cernere licet, cur interdicat Chriſtus nè quis nominetur *Rabbi*, nec *Pater*. Unus enim eſt verus *Rabbi*, magiſter & doctor noſter Jeſus Chriſtus: Unus *pater*, à quo adoptati fratres Chriſti ejus merito efficimur. Nec velim quiſquam hæc à me in alicujus ordinis contumeliam dici putet, cùm autoritatis conciliandæ cauſâ, nè paſſim omnes vel inſulſa vel impia tradant, neceſſaria propemodum in Eccleſia ſit dignitatis ac titulorum uſurpatio.

CAP. VII.

De RACA, MAMMONA & CONCILIO.

DIU ac multùm magnos etiam Theologos exercuit locus ille Matth. 5. de *Raca* & *Concilio*; qui ad mores Hebræorum & publica judicia pertinet, ut ex eorum libris debeat explicari. Sed præſtat Euangeliſtæ verba proferre in medium. *Audiſtis*, inquit Chriſtus, *quòd dictum eſt antiquis, Non occides. Qui verò occiderit, obnoxius erit judicio. At ego dico vobis, quòd omnis qui iraſcitur fratri ſuo temere, obnoxius erit judicio: & quicunque dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit Concilio. Qui autem dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hic conſiderandum eſt quid ſit *Judicium*, quid *Concilium*, quod Græcè eſt συνέδριον, quid *Raca*, & poſtremò cur dixerit, *Audiſtis*. Nam cùm quaſi delictorum gradus conſtituerit Chriſtus, ut graviùs peccet qui dixerit *Fatue* quàm *Raca*, quærenda ejus rei ratio eſt. Porrò ut hæc omnia, quæ ad Hebræorum mores pertinent, planiùs intelligi poſſint, de judiciorum ratione paucis agendum eſt. Ea verò depromi non poteſt niſi è libris Thalmudicis, in quibus jura omnia humana & Divina Judæorum expoſita ſunt. Exſtat itaque in Thalmud Maſſecheth סנהדרין, i. συνέδριον vel *conciliorum*. Quod ità eſſe qui Græcè & Syriacè ſciunt facilè concedent. Solent enim Græca verba in Thalmud & commentariis aliis, præſertim ubi Hebraicum non reperitur, uſurpare, ut illa oſtendunt, קפלין καπηλεῖον *caupona*, אסרין ἀσσάριον *Aſſis*, אנטיפתא ἀνθύπατος *proconſule*, סנקליט σύγκλητος *Senatus*, טרקלין τρικλίνιον *triclinium*, פרהסיא παῤῥησία *liberè*, עמילן ἄμυλον *Amylum*, חדרוולוס ὕδρεγχυλος *hydranlus*, aliáque ſexcenta, quæ afferre poſſem. In quibus accuratè Græcæ Orthographiæ ratio ſervata eſt, ut apparet in ἡγεμὼν, παῤῥησία & συνέδριον: ut nè accentum quidem denſum præterire voluerint.

In eo igitur libro Synhedrion, quæ à Judicum conſeſſu id nomen invenerunt, legimus Judiciorum genera duo eſſe, quorum unum vocant דיני ממונות, alterum דיני נפשות, i. *Judicia pecuniarum*, & *judicia animarum*: Latini Jureconſulti *judicia pecuniaria* & *capitalia* vocarent. Porrò Judicum claſſes tres ſunt; Prima dicitur בית דין של שלשה, *domus judicii trimvirûm*, ad quam minores cauſæ, ut furti, injuriarum privatarum, malæ tractationis, ac denique *Dine Mamoneth* deferebantur. Secunda appellatur בית דין של עשרים ושלשה סנהדרי קטנה *Synhedrion parvum*; in quo cauſæ majores, nempe capitales, cognoſcebantur. Tertia ac præcipua, inſtar Athenienſis Areopagi, nominabatur בית דין של שבעים ואחד סנהדרי גדולה, *domus judicii Septuaginta unius*, vel *Synhedrion magnum*; in quo cauſæ graviſſimæ, quæ pertinebant ad ſummam Reip. tractari ſolebant. Nam ſic eodem capite ſcriptum eſt, אין דנין לא את השבט ולא את נביא השקר ולא את כהן גדול אלא על פי בית דין של שבעים ואחד, i. *Non pronunciant judicium de tribu, nec de pſeudopropheta, nec de Summo ſacerdote, niſi de ſententia curiæ Septuaginta unius*, vel *Si ibi quæ vota*. Nam hæ cauſæ omnes, nempe totius tribûs, pſeudoprophetæ, Summíque ſacerdotis, magnæ ſunt, quæque ad Reip. ſtatum ac dignitatem ſpectant. Cæterùm Septuagintaunus illi Judices ſive Synhedri, quorum Synhedrion Jeroſolymis tantùm jus dicere poterat, alia parva Synhedria vigintitrium, vel triumvirûm in aliis tribubus conſtituebant, bella decernebant, urbem dirutam reficiendam locabant, réſque omnes publicas adminiſtrabant. Quod Joſephus in Antiquitatibus apertè docet, lib. 14. cap. 17. Cùm enim Herodes cædis poſtulatus eſſet quòd Ezechiam prædonum ducem occidiſſet, cùm Galilææ præfectus eſſet, perſonámque publicam ſuſtineret, Jeroſolyma accitus eſt, ut in Synhedrio cauſam diceret. Nam major erat quàm quæ à privato judicio dijudicari poſſet. Ipſe porrò Herodes rerum potitus Synhedros omnes, præter unum Sameam, interficiendos curavit.

Ex hoc loco perſpicuè cognoſci poteſt quid ſit *Mamona*. Nam omnia quæ ad rem pecuniarum pertinent hoc nomine cenſentur. Cui cùm Græcum nullum aptè reſpondeat, Syriacum vocabulum efficaciæ cauſâ relictum eſt: ut facilè diſpiciamus cur Chriſtus dixerit, *Parate vobis amicos de Mammona iniquitatis*. Sed ad id unde digreſſi ſumus redeundum eſt. Cùm ſciret Chriſtus ordinem hunc eſſe Judiciorum, & veteres Judæorum ritus cum Chriſtianis moribus conferret, ait, *Audiſtis, quòd dictum eſt antiquis, Non occides: qui verò occiderit, obnoxius erit Judicio:* intelligens ſecundam judicum claſſem, qui judicia capitalia exercebant. Verùm majorem in Chriſtianis perfectionem cupiens, non modò de gravibus injuriis & cædibus, ſed de conviciis etiam & tacita ira judicium fore oſtendit, de Divino judicio humano more & parabolicè loquens. *At ego*, inquit, *dico vobis, quòd omnis qui iraſcitur fratri ſuo temere, reus eſt judicio*, trium virûm ſcilicet. *Et quicunque dixerit fratri ſuo, Raca, reus erit Concilio*, quod eſt Synhedrion parvum vigintitrium. *Qui autem dixerit ei, Fatue, reus erit gehennæ ignis*, i. ſummo Synhedrio Septuagintaunius, quo Divinum judicium intelligimus.

Nunc explicandum quid ſit *Audiſtis*, quid *Raca*. Dixerit quiſpiam, *Audiſtis* propterea à Chriſto dictum quòd filii à parentibus & ſacerdotibus legis præcepta audire ſolebant. Quod nec ipſi negamus. Sed alium ſubeſſe ſenſum credimus hujuſmodi. Apud priſcos Judæos triplex fuit ratio Divinas literas interpretandi, ut in Thalmud ſæpe obſervare licet. Prima dicitur שמעתא, quod eſt ἀκρόασις vel *auditio*, cùm hiſtoricum ſenſum exponimus, quem audiſſe ſatis eſt. Altera vocatur אגדתא, ſive *extenſio*,

tenſio, cùm hiſtoricam ſententiam myſticâ expoſitione dilatamus. Tertia eſt מחלי, h. e. *parabolica*, cùm parabolis utimur, quod paſſim in Euangeliis Chriſtus facit. Porrò Rabbini populo hiſtoriam tantùm, h. e. *auditionem*, explicabant, qui propterea dicebatur *audire*. Hinc ergò patet cur dixerit *Audiſtis*, q. d. Verba tantùm intelligitis, myſterium non item, quod ipſe poſtea Chriſtus explanat. Jam ſupereſt ut dicamus de *Raca*, quod D. Hieronymus optimè reddidit *Inanem*: uſum tamen ac vim non aperit, quod è veterum Hebræorum ſermone cognoſci debet. Nam in Maſſechet Berachoth aliquoties hoc verbum legitur, quod ſcribitur ריקה. Eſt autem convicium non acre, ſed familiare, ut cùm major minorem pro autoritate familiariter caſtigat, vel leniter objurgat. Cùm enim Rabbinus quidam plebeium neſcio quem orare in loco periculoſo animadverteret, increpat eum dicens, ריקה. Ut cùm vulgò errantem vocamus *pauperem ſtultum*, non quemlibet tamen, ſed inferiorem tantummodo. Cæterùm μωρὸς, vel *fatuus*, acrius eſt convicium, Syriacè שטי, *Sote*, quod in linguam Gallicam defluxit: indè verbum אשטי, *infatuare*, frequens in Thalmud. *Raca* itaque eſt quem ob inanitatem *follem* vocitant. *Fatuus*, vel potiùs *excors*, *Sote*, h. e. cujus mens à ratione abalienata eſt: ut verbum Syriacum ſonat. Cùm igitur nec Græca lingua nec Latina nomen ullum habeant quo indignationis lenis ſignificatio exprimatur, relictum eſt ob efficaciam verbum Syriacum *Raca*. Cur verò *Raca* non *Rica* in Euangelio ſcribatur, ratio ſuprà (cap. 6.) expoſita eſt, cùm docebamus Syriacè per *a* pronunciari quæ Hebraicè per *i* proferrentur, ut *Miriam*, *Mariam*, *Migdal*, *Magdal*: ſic *Rica*, *Raca*.

CAP. VIII.

De Publicanis.

CRebra fit in Euangeliis *Publicanorum* mentio, quorum ordo Romæ honeſtiſſimus erat, nempe Equeſtris dignitatis, ut multis locis oſtendit M. Cicero. Jeroſolymis & in tota Judæa infamis ferè habebatur, ut illud indicat, *Eſto tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Ejus itaque rei ratio ex Hebræorum jure petenda eſt: ídque explanandum, qui potuerit Matthæus Euangeliſta & idem Levita eſſe Publicanus, cùm Romani tantùm publica vectigalia licitarentur atque conducerent. Judæi igitur *Publicanos* Syriaco verbo vocant גבאין, quod eſt *exactores*. Porrò in Thalmud Maſſechet Synhedrin, Perec zeh borer, ubi agitur de Judicum rejectione, in hunc modum ſcriptum eſt, אלו הן הפסולין הרועין הגבאין והמוכסין, h. e. *Hi rejiciuntur in judicio, Paſtores, Publicani & Diœtæ*. Hos enim unà cum furibus & fœneratoribus, aliiſque infamiâ notatis perſonis, legitimè rejici poſſe docent Thalmudici doctores. Nam iſti omnes fures atque impoſtores à Judæis habebantur. Cæterùm quidam erat princeps Publicanorum, qui dicebatur ריש גבאי: is verò Romanus vel civitate Romanâ donatus erat. Cæteri ſimpliciter nominabantur גבאין, *Publicani*, qui Romani neceſſariò non erant, ſed ex ea provincia vel urbe à principibus Publicanorum eligebantur in qua vectigalia exacturi erant. Nam ff. de public. & vect. & com. l. 1. §. Hic. *Omnes qui quid à fiſco conducunt, rectè appellantur Publicani*. In eo autem titulo alii vocantur *domini*, nempe principes Publicanorum: alii *ſocii*, id eſt, ſimpliciter Publicani; ut l. 9. *Socii vectigalium, ſi ſeparatim partes adminiſtrent, alter ab altero minùs idoneo in ſe portionem transferre jure deſiderat. Cùm igitur Judæi decimas tantùm ſuis ſacerdotibus pendere quotannis ſolerent, inviti Romanorum Publicanos eorúmque ſocios Judæos videbant: atque ob eam cauſam, quaſi publicâ notâ infamiâ, averſabantur.*

CAP. IX.

De Camelo per foramen acûs.

EXſtat apud Matthæum c. 19. Chriſti dictum τρῆμα βελόνης, *Facilius eſt camelum tranſire per foramen acûs, quàm divitem ingredi in regnum cœlorum*. Id adagium cùm à conſuetudine noſtri ſermonis abhorreat, fecit ut quidam *portam* neſcio quam Jeroſolymis è ſuo ſomnio fabricarentur, quæ *acus* diceretur ob anguſtiam, per quam camelus animal tam vaſtum ingredi non poſſet: cùm multò civilius fuiſſet ingenuè dicere, *Neſcio*. Alii nonnulli, qui Græcas literas ſic mirantur ut alias omnes faſtidiant, nauſeantes ſi quis aliquid ſe inveniſſe dicat quod Græci illi inaniſſimi ignoraverint, metamorphoſin monſtroſam commenti ſunt, atque ex immani bellua funem nobis nec opinantibus architectati ſunt. Aiunt enim κάμιλον, ſi cum Iota ſcribatur, eſſe *craſſum funem quo anchora religantur*: atque, ut ſententiam ſuam communiant, locum hunc Euangelii proferunt. Sed quod controverſum eſt pro certiſſimo teſtimonio citant. Nos conſtanter negamus ullum extare bonum Græcum autorem, qui κάμιλον vel κάμηλον pro *rudente*, aut quovis *fune* uſurpet. Nam Athenæus omnium, quod ad vocabulorum uſum attinet, ſcriptor atque obſervator diligentiſſimus, cùm navium vel minutiſſimas ſcopes & tenuiſſimas rimas deſcribat, atque partes omnes & ferramenta enumeret, nuſquam camili camelíve facit mentionem. Quinetiam Julius Pollux in ſuo Onomaſtico, in quo nomina omnia uſitata perſequitur, camelum funem ignorat. Producant igitur vel unum teſtem, & cauſam per me obtineant. Sed qui poterunt, cùm funis Græcè κάλως, vel χοινίον vocetur, κάμηλος beſtia tantùm ſit? Itaque ut Græcorum proverbiorum ratio in Græcis ſcriptoribus quærenda eſt, ſic Hebraicorum dictorum origo ex Judæorum petenda eſt commentariis. Multæ enim ſunt parœmiæ Judæis familiares, quæ in aliis linguis abſurdæ vel obſcuræ videri poſſent. Quod quò meliùs perſpiciatur, non fuerit ab re adagia aliquot priſcis Hebræis uſitata, quæ in lectione Thalmudica obſervavimus, afferre in medium.

למת ירקא ירקא שקל, *In urbem oleribus* (abundantem) *olera* (venalia) *importa*. Hujus dicti autorem faciunt Moſen, cùm in Ægypto Magos Pharaonis provocaret. Ii Moſen deridebant ut ineptum, qui in Ægyptum magicarum artium peritiſſimam nova prodigia magicis, ut ipſi putabant, præſtigiis importare vellet. Quibus reſpondit Moſes hoc proverbio, *In urbem olerum abundantem importanda eſſe venalia olera*. Sæpe enim fieri videmus ut cariſſima ſit in ſingulis urbibus earum rerum annona quâ maximè abundant, omnibus ad alia loca exportantibus, atque urbem ipſam ferè relinquentibus inanem.

טבא חדא פלפלתא חריפתא מכלא צנא דקרי, *Melius eſt granum piperis acre, quàm ciſta plena caryotarum*. Hujus proverbii plana ſententia eſt, quæ pluris eſſe ſapientem unum quàm ſtultos multos oſtendit: acerrimum enim eſt piper, ut contrà fatui palmarum dactyli.

תרי קיסי יבשי וחד רטיבא אוקדוה יבשי לרטיבא, *Si fuerint duo ligna arida, & unum viride, arida viride illud exurunt*, h. e. Plures mali pauciores bonos facilè ſuperant.

וניחא בביתא כיקריא לשמשמי, *Adulterium domi eſt ſicut eruca ſeſamo*. Ut enim ſeſamum eruca depaſcitur, ſic domum adulteria labefactant.

לפם גמלא שחינא, γνῶ τὸν κάμηλον ὁ φόρ⊖, *Pro camelo ſarcina*. Quod eſt,

—Verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Ut pro cameli magnitudine & viribus ſarcina imponenda eſt.

טוביה חטא זוינוד מנגד, *Tobias deliquit, & Zigod plectitur*. Zigod quidam Judæus cùm Tobiam in flagitio aliquo deprehendiſſet, teſtimonium in eum dixit: ſed cùm ſolus teſtis eſſet, verberibus undequadraginta

probè mulctatus est. Ea enim in causis capitalibus levissima pœna erat. Cùm ergò nocentes absolvuntur, & puniuntur insontes, hoc dictum usurpant, ארבעי לצלא ואדבעי לצללא, *Quadra fossori, & quadra otioso.* Quod cum Hesiodi sententia facit, qui panem villici vult esse τετράτυφον ὀκτάβλωμον. Hoc adagio indicant naturæ parvo contentæ æquabilitatem. Alia permulta afferre potuissem, sed ad rem redeundum est.

Christus itaque cùm rem ἀδύνατον paræmiacè significare vellet, usus est verbo priscis Judæis familiarissimo. Nam in Thalmud Perec haroeh legitur, ולא פילא רעיל בקפא דמחטא, h. e. *Non potest Elephantus ingredi per foramen acûs.* Et alio loco, דילמא מפומבודיתא את דמעילי פילא בקפא דמחטא, *Fortè è Phomboditha* (ea est urbs quædam) *es tu, ubi immittunt elephantum per foramen acûs.* De quodam agitur, qui rem ἀδύνατον effecturum se esse pollicebatur, ut est vastissimam belluam per angustissimum acûs foramen intrudere velle. Quod vulgari proverbio facere dicuntur Phomboditani, nempe homines vani & jactatores. Christus tamen pro *elephanto*, quem pauci viderunt, bestiam Syriæ notissimam, *Camelum* dixit, quò res planiùs ab omnibus posset intelligi.

CAP. X.

De EFFATHA.

POstulat nunc ratio, ut locutiones quasdam Euangelistis familiares, ac linguæ Syriacæ proprias, quæ in alia nulla reperiuntur, exponamus, earúmque usum doceamus. Ac primùm se offert verbum illud quo Christus oculos cæco restituens utitur, ἐφφαθὰ, quod Euangelista Marcus optimè interpretatur διανοίχθητι, *adaperire.* Jubebat enim Christus ut cæcus ille oculorum usum reciperet, quod Græci dicunt ἀναβλέπειν, ut in suo Pluto ostendit Aristophanes. Hîc docendum cur *aperiri* Syriacè id significet, quod nulla alia lingua usurpat. Nam si Græcè dixeris διανοιχθῆναι, & Latinè *aperiri*, nemo unquam intellecturus est oculorum aciem restitui. Id eò fit quòd peculiares sunt in singulis dialectis locutiones, præcipuè tralatitiæ. Quod enim Latini in vitibus *gemmam* vocant, Græci nominant ὀφθαλμὸν *oculúmve*, Galli à trudendo *bontonem* appellant, Itali *thecam.* Sic Græci montis imam partem *pedum* nomine significant, ut Galli & Itali. Homerus,

—— πόδας πολυπιδάκου Ἴδης

ait, Latini *radices* nominant. Multæ ac propemodum innumerabiles sunt Latinæ tralationes quas Græci ignorant: ut plurimæ apud Græcos Latinis incognitæ. Græci itaque eum qui oculorum usum habet appellant βλέποντα, Chaldæi פתיח, h. e. *apertum*, tralatione aptâ, nec longè petitâ. Latini, quod ego sciam, nullum unum vocabulum ejusmodi habent. Si igitur cæcus aliquis oculorum aciem recipiat, Græcè dicetur ἀναβλέψαι, Syriacè אפתחא, i. *aperiri.* Oculos enim omnes habemus, sed cæci clausos atque obstructos, qui Syriacâ phrasi elegantissimè dicuntur *aperiri*, cùm tegmenta illa recluduntur. De orthographia dictum est à nobis in Grammatica: hîc tantùm ostendendum, cur cùm literam Thau deciduam indicet daghes, *ph* non mutetur in *p*, sed geminetur. Id diserte D. Hieronymus in commentariis in Dan. cap. 11. docet, qui ait apud veteres Hebræos, ut hodie quoque apud Syros & Arabes, nunquam pronunciari *p*, sed *ph* vel simplex, vel, si id orthographiæ ratio postulet, geminum. Optimè ergo scriptum est ab Euangelista ἐφφαθὰ, non ἐπποθά. Id dictum voluimus propter sciolos quosdam, qui quod ipsi non intelligunt statim depravatum esse clamant. Sed monstremus hujus verbi usum. In Vajicra Rabba, vel magno Levitico, c. 18. qui liber Syriacè scriptus est, legimus historiam de duobus viatoribus, è quibus unus cæcus erat, alter apertus, vel oculorum acie præditus. Quam, cùm mirificè eam locutionem exprimat, huc transcribere non piguit. Verba hæc Syriaca sunt,

עובדא הוה בתרין גברין דהוו עילין לטבריא חד סמי וחד פתיח והוה ההוא פתיחא גדש לה יתבון למקטרא כארחא לקשון עשבא ואכרון דין דהוה פתיח אסמי ודין דהוה סמיא אפתח ולא. עלין מתמן עד זמן דגדש ההוא סמיא להההוא פתיחא.

i. *Res gesta narratur de duobus viris qui ascendebant in Tiberiadem, è quibus unus erat cæcus, alter* פתיח *apertus, & deridebat ille apertus eum*, nempe cæcum. *Consederunt ut reficerent se in via, & lectam herbam comederunt: ille qui erat apertus excæcatus est, & is qui erat cæcus apertus est*, h. e. oculorum aciem recepit. *Nec abierunt illinc, quòd ille qui fuerat cæcus derideret eum qui fuerat apertus.*

Hoc afferre volui ut usum hujus verbi atque originem ostenderem, quod hactenus neminem feciſse videbam. Porrò an herba ulla exstet vel chelidonium, vel alia, quæ hâc vi prædita sit, medici viderint: mihi narrasse satis est.

CAP. XI.

De MAMONA, & aliis locutionibus.

CÆtera quæ in Euangeliis leguntur hæc sunt. *Mamona*, Mat. 6. μαμωνᾶ, ממונא, *pecunia.* De hoc suprà egimus in *Raca*, cap. 7.

Bar-jona, Matth. 16. βαριωνᾶ, בר יונה, *filius Jona*, quod *columbam* significat.

Golgoltha, Matth. 27. quanquam corruptè à Græcis detracto altero *l* scribitur Γολγοθὰ, *cranium*, vel *calvo*, mortui præsertim: erat enim cippus Judæorum.

Gethsemani, Matth. 26. Γεθσημανεῖ. Non est *valis pinguium*; *geth* enim Hebraicum non est: nec *prelum olei*, ut quidam somniat: sed sunt duo vocabula Syriaca גת שמני, *pecuaria butyri.* גת enim respondet Hebraicæ voci מקנה, & שמן est חמאה *butyrum.* Is enim locus à copia butyri id nomen nactus est.

Eli eli lama sabachtani, Matth. 27. quod scribitur Syriacè, אלי אלי למא שבקתני, vel, ut Marcus habet *elohi*, אלהי, *Deus mi, Deus mi, cur destituisti me?* Quæ verba Hebraicè leguntur in principio Psal. 22. אלי למה עזבתני. Sed Christus, qui vernaculâ Syrorum linguâ utebatur, ut ab omnibus intelligi posset, versiculum Psalmi Hebraici Syriacè pronunciavit. Vox enim *El* אל, *Deus*, tam Syris quàm Hebræis familiaris est. *Elohi* autem Syriacum est אלהי, quod Hebraicè dicendum erat אלהי, *elohai.* Suspicor tamen Christum *Eli* protulisse, quod propiùs accedit ad nomen *Elia*, ut indocti homines Christum Eli clamantem, Eliam inclamare existimarent.

Banerges, Marc. 3. βανηργὲς, בני רגש, non בניא רגש, ut habet Munsterus, cùm sit syntaxis genitivi: nec בני רעם, ut quidam credunt: cùm *raam* Hebraicum sit, *reges* Syriacum, quod *tumultum* & *tonitru* significat. Euangelista rectè interpretatur υἱὸς βροντῆς, *filios tonitru.* Quanquam scribendum est proculdubio *Banerges* sine *i*, quod nemo doctus negaverit.

Thalitha cumi, Mar. 5. θαλιθὰ κοῦμι, טליתא קומי, *ô puella surge*: Hebraicè dicendum erat, הנערה, ut Babylonicè עלמתא.

Bethsda, בית אשרא, Joh. 5. quod librarii errore malè scribitur *Bethsaida*, qui piscinam *Bethsda* (nam Græca exemplaria habent Βηθσδὰ) cum oppido *Bethsaida* confudit. Est autem BETHESDA *domus effusionis* ab אשר verbo Syriaco *effudit*, à sanguine victimarum effuso: hinc Græcè dicitur προβατικὴ, quasi *Victimariam* dixeris. BETHSAIDA autem est בית צירא *domus piscationis*, ob crebra stagna & lacus.

Gabbatha, Johan. גבתא, Hebraïs quoque usitatum esse ait Munsterus; quod nos negamus, cùm merè Syriacum sit. גב enim Syriacè est idem quod סל Hebraicè, i. *viam lapidibus sternere.* Propterea elegantissimè redditur ab Euangelista λιθόστρωτον, quod est *lapidibus stratum*, vel *tessellatum.* Cujusmodi multa pavimenta in Hispania visuntur.

Aquilenus,

Aqul-dema, Act. 1. חקל דמא, *ager ſanguinis*, qui Hebraicè diceretur שדה הדם.

Tabitha, Act. 9. טביתא, Græcè ἡ δορκάς, Latinè *Dama*, Hebraicè הצביה, ut habes in Cantico.

Beelzebub, בעל זבוב, Hebraicè בעל, *Baal*, i. *magiſter muſca*: ut Nicander μυαγρον vocat quendam ſerpentem.

CAP. XII.

De Dimitte nobis, *& aliis.*

MUltæ ſunt præterea in N. Teſtamento locutiones Syriacæ, quæ cùm vel ab Apoſtolis vel Interpretibus mutatæ non fuerint, obſcuram ſæpe ſententiam efficiunt. Nos aliquot ſelegimus, quò magis hujus linguæ ſtudium iis quibus per ætatem & ingenium licet & libet, commendaremus. Exſtat in Dominica precatione illa nobilis phraſis, καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν, *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Dimittere*, vel, ut quidam Latiniùs loquuntur, *remittere debita* Syriacâ locutione dictum eſt, quod eſt *delicta condonare*. Ut *debitores* pro peccantibus dicuntur. Quis enim non videt, nec Græcos, nec Latinos hoc modo loqui? Quinetiam Hebræi ipſi ſimilem locutionem non habent. Quod aliquot exemplis explanandum eſt. Parcere quidem & ignoſcere Hebraicè dicitur סלח, vel נשא עון, h. e. *perferre delictum*; Syriacè verò שבק, i. *dimittere* vel *remittere*. Porrò qui peccat Hebraicè חטא appellatur, Syriacè חיב *debitor, obnoxiúſve*. Et peccatum Hebraicè חטא, Syriacè חובא, *debitum*. In precatione Salomonis 3 Reg. 9. legimus, וסלחת לעמך ישראל, *Et ignoſces populo tuo Iſrael*. Id à Chaldæo Paraph. ſic redditur, ותשבק לחובי עמך ישראל, *Et dimittes debita populi tui Iſrael*: ídque ter aut quater ibi repetitur. Filii Jacob, Gen. ult. Joſephum in Ægypto ſupplices alloquuntur, שא נא פשע אחיך, *parce nunc delicto fratrum tuorum*. Id Chaldaicè verſum eſt, שבק כען לחובי אחך, *Remitte nunc debita fratrum tuorum*. Cæterùm facinoroſos vocari חיבין *debitores*, tam uſitatum eſt ut vel mediocriter doctus id facilè intelligat, ut Pſal. 1. *Et in via peccatorum non ſtetit*, Syriacè ובארחת חיבין לא קם, *Et in via debitorum non manſit*. Hoc videns Lucas, qui Græcè doctus erat, ſcripſit ἁμαρτίας, *peccata*, cùm Matthæus habeat ὀφειλήματα. *Debitores* autem, quod Græcè exprimere non poterat, reliquit. Quid enim, quæſo, aliud eſt peccatum quàm debitum quoddam, quo nos obſtringimus, rationem aliquando, niſi pœnitentiæ lacrymis tabulas inducamus, reddituri?

Mortuos vocare *dormientes* ob ſpem reſurrectionis pium eſt, ſed Syriacè tantùm linguæ proprium: quanquam Hebræi dicant, *Et dormivit cum patribus ſuis*, mortuos tamen nunquam nominant *dormientes*. Legimus in Thalmud. ברה דרב דימי אחילד לה ינוקא ובנו חלתין יומין שכיב, *Filio Rab Demi natus eſt infans, & intra dies triginta dormivit*. Tum de quodam mago ſic ſcriptum eſt, ההוא אמנושא דהוה מחטט שכיבי, *Ille magus, qui dormientes ſpoliabat*. Solus Homerus, poetarum, ut Plato ait, deus, divinitus hoc ſenſit, cùm Iliad. ξ'. de virga illa mirifica Mercurii loquens, *mortuos* nominat ὑπνόωντας.

Εἵλετο δ' ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει
Οὓς ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε καὶ ὑπνώοντας ἐγείρει.

Id Æneid. 4. Virgilius vertit,

Tum virgam capit, hâc animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit.
Dat ſomnos, adimitq;, & lumina morte reſignat.

Quod Homerus mirificè dixerat ὑπνόωντας ἐγείρειν, quod eſt *dormientes excitare*, id obſcurè & minùs aptè vertit Virgilius, *ſomnos adimere*. Multæ enim ſunt phraſes Homericæ Syriacis valdè conſentaneæ ac conſonæ: quod, Chriſto propitio, aliquando à nobis explanabitur. Chriſtiani eam locutionem imitati cippos libitinarios & ſepulcreta ſua Græco verbo κοιμητήρια, *cœmeteria*, vocitant, quod Latinè vertas licet *dormitoria*. A. Nebriſſenſis, Quinquagenæ c. 12. Deum nomine *cæli* intelligere Syriacum eſt. Hinc eſt illud Matth. 21. *Baptiſmus Johannis unde erat, à cœlo, an ab hominibus?* משמיא.

In ſalutatione angeli legitur, κεχαριτωμένη σὺ ἐν γυναιξί. Quod verbum ipſe Euangeliſta fabricatus eſt, cùm apud Græcum autorem nullum exſtet. Nec enim ullum erat verbum quod reſponderet Syriaco participio רחימתא (niſi *gratiata*, quod in vet. lib. legitur,) quod eam ſignificat quæ *gratioſiſſima atque acceptiſſima* eſt. Sed jam dicendi finem faciemus, ſi omnium Apoſtolorum nomina cum ſuis etymis explicaverimus.

CAP. XIII.

De MESSIA, MARIA, *& omnium Apoſtolorum nominibus.*

CUR Jeſus vocetur *Chriſtus*, & *Meſſias*, omnes intelligunt. משח enim tam Hebraicè quàm Syriacè eſt *ungere*. Hinc משיח *unctus*, Græcè χριστός. Sed mirantur multi cur Euangeliſtæ ſcribant Μεσσίας, non Μασσίας, cùm Hebraicè pronuncietur *Maſiah*. Paulus Ricius, vir alioqui diligens, ſcribit *Moſias*, ſed ridiculâ & indoctâ ſuperſtitione. Chriſtus enim Syriacè dicitur משיחא *Meſiha*, ſed illa aſpiratio Græcè exprimi non poteſt: rectè ergò Euangeliſtæ Μεσσίας ſcribunt, ut Latini meliùs ſcriberent *Meſſias*. Græcè interpretati ſunt Apoſtoli χριστὸν, unde nos *Chriſtiani* nominamur. Porrò Judæi, cùm ſuum *Meſſiam* tardigradum Græcè appellare vellent, non χριστὸν dicebant, nè cum Chriſtianis vel nomine ipſo conſentire viderentur, ſed ἠλειμμένον, h. e. *delibutum*. Verùm illud obſervandum, quemlibet regem & ſacerdotem χριστὸν vel משיח vocari poſſe, Jeſum verò κατ' ἐξοχὴν propriè τὸν χριστὸν & משיחא appellari.

MARIAM compoſitum nomen eſſe quidam putant, & *mare ſalſum*, vel *ſtellam maris* interpretantur: ſed ridiculè primùm, tum contra Hebraicæ linguæ analogiam. Cùm enim ſcribatur מרים *mirjam*, & biſyllabum ſit, omnes Hebraicè docti fatebuntur heemanticum eſſe ac ſimplex. Cùm enim præter Mem tres thematicæ appareant, neceſſariò Mem cum hirec heemanticum eſt. Thema itaque eſt רם, *eminuit*, in quo media quieſcit, quæ in derivato movetur, ut à קם fit קֵים, & Syriacè קָיֵם. *MARIAM* ergò, ſic enim dicitur Syriacè, ut ſuprà docuimus, eſt *excelſa, ſublimis* atque *eminens*: quod etymon optimè tam è linguæ ratione quàm ex merito per gratiam ſanctiſſimæ Virgini convenit.

Simon Apoſtolorum princeps Syriaco nomine à Chriſto כפא *Cepha* appellatus eſt: quod Euangeliſtæ Πέτρον rectè interpretantur. Latinè autem non tam bene nec propriè redditur *Petrus*. Quod facilè me viris prudentibus probaturum confido, atq; interim ſcrupulum illum exempturum qui hactenus multos torſit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Cùm enim conſtet Chriſtum Syriacè fuiſſe locütum, ex ea lingua rationem petere debemus. Nam cùm cognomine aliquo Simonis Eccleſiæ principis futuri, in eóque paſtorum aliorum ſoliditatem atq; conſtantiam exprimere vellet, indidit ei Syriacũ nomen *Cepha*: quod ſi Latinè reddatur, ſignificat *durum lapidem*, vel *cautem*, cui reſpondet Hebraicum סלע. Cujus rei vim in parabola pii hominis qui auditum verbum conſervat atq; operè perficit, Chriſtus exhibuit. Porrò id proprium nomen non eſt, ſed cognomen à tralatione ſumptum. Euangeliſtæ quidem, qui Græcè ſcripſerunt, *Cepha* elegantiſſimè atq; aptiſſimè interpretantur Πέτρον, quod *lapidem ſaxúmve* ſignificat. At Latini tam commodè reddere non potuerunt, nè neſciſſe dicam, quàm Syri & Græci. Nam linguâ Syrorum כפא *lapidem* ſonat, & nomen Apoſtoli refert, idq; ſinè ulla literarum varietate. Quinetiam Græcè πέτρος tam pro *lapide* accipitur quàm pro Apoſtolo. Latini hanc felicitatem aſſequi non potuerunt. Cùm enim *Petrum* dicunt, hominem tantùm intelligunt, lapidẽ non item. Niſi voluiſſent dicere, *Lapis*, vel *Petra*, quæ cùm homini tum ipſi rei aptè quadraſſent. Hinc facilè ſolvi poteſt quæſtio illa, *Tu es Petrus, &*

ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: vel ſi Syriacè pronuncietur hoc modo, אנת כפא ועל כפא הדין אבני יתי צבורי, (hoc enim modo locutum fuiſſe Chriſtum omnes Syriacæ linguæ docti concedent) i. *Tu es lapis, & ſuper hoc lapide* (ſuper te, tuâque fide, & cæterorum paſtorum) *ædificabo Eccleſiam meam.* Illi enim Chriſti ovium cura commiſſa eſt: ipſe primus Euangelium annunciare cœpit, & primus in carcerem detruſus, verberibúſque propter Chriſti nominis confeſſionem mulctatus eſt. Hîc enim Eccleſia non ſubſtructiones atque ædificia, ſed Chriſti fidelium multitudinem refert: quam inſtar cautis ſolidiſſimæ Simon Cepha inſtituit, confirmavit, atque in fide Chriſti conſtabilivit. Hæc facilè rudes contemnent, quorum judicium nihil moramur.

ANDREAS Græcum eſt, ut *Philippus:* ille *virilis & fortis*, hic *bellicoſus, qui equis delectetur*, reddi ſolet.

JACOBUS Hebraicum nomen eſt, Græcè ἐπτερνιστὴς, Latinè *ſupplantator.*

ZEBEDÆUS, זבדי, *liberalis & munificus.*

JOHANNES, יוחנן, *gratioſus & miſericors.*

BARTHOLOMÆUS non eſt *filius Ptolemæi*, ſed *filius Thalmai*, quod nomen in Bibliis legitur multis antè ſeculis quàm Ptolemæus ullus natus eſſet. *TELEM* Hebraicè *ſulcus* eſt.

MATTHÆUS, donum Dei, Græcè *Doſitheus*, vel *Theodorus.*

THOMAS, Syriacè תאומא, Græcè, ut Euangeliſta interpretatur, Δίδυμος, Latinè *Geminus.* Ut mirer, quid Nonno in mentem venerit ut Thomam binominem faceret (in Paraphraſi Euangelii Joannis) cùm idem nomen ſit *Thomas*, Δίδυμος, & *Geminus*, ut *Meſſias, Chriſtus, & Unctus.* Sed linguarum ignoratio magnis etiam viris errandi anſam præbet.

ALPHÆUS, אלפי, eſt *doctus*, vel *doctor.*

THADÆUS, תדי Syriacè, non à *confeſſione*, ut quidam putant, alioqui diceretur *Thodæus*; ſed à תר voce Syriaca, quæ *mammam* vel *papillam* ſignificat. Eſt enim Thadæus à *mamma*, ut Lebbæus לבי à *corde* dictus. D. Hieronymus elegantiſſimè *corculum* vertit. Oſiander à *Leone* ductum credit, ſed errat. Syriacè enim *Leo* non לביא, ſed אריה dicitur.

SIMON CANANÆUS perperàm ſcribitur à Latinis, cùm ſcribendum proculdubio ſit *Cannæus*, vel *Cannita*, ut Græcè quoque καννίτης· niſi Euangeliſtis credere nolumus, qui ζηλωτὴν *zelotem* vel *æmulatorem* interpretantur. Porrò zelator Hebraicè & Syriacè dicitur קנא: ſcribendum ergò Latinè *Cannæus*, vel *Cannita*, Græcè καννίτης. Nam *Cananæorum* nomen, quod crebrum eſt in Scripturis, librariis parùm doctis impoſuit.

JUDAS ISCARIOTA, Chriſti proditor, unde id nominis nactus ſit, nemo hactenus explicavit. Nam qui à שכר, *mercede* deducunt, Hebraicè neſciunt. Quid enim faciemus *I* & *ota*, quæ ad nomen neceſſariò pertinent? Ea res diu me exercuit, cùm rationem nullam ſaltem verisimilem invenirem, & ſcirem hâc ætate, quâ literæ omnes bonæ florent, nihil temere aſſeverandum, niſi quis γέλωτα ἢ ἄγνοιαν ὀφλισκάνειν cupiat. Sed confido me veram hujus nominis rationem inveſtigaſſe, quam aliis quoq; ut probem, operam dabo. Cùm enim docti omnes, & in S. literis exercitati, Apoſtolos omnes Judæos fuiſſe conſentiant, quod multis argumentis evincere poſſemus, ejus nominis analogiam ex Hebræorum libris petamus oportet. Omnes itaque vel à familia, ſi nobiles fuerint, vel ab aliquo eventu, aut poſtremò à patria, præſertim ignobiles, cognomen ſumunt. Nos aſſerimus Judam proditorem à patria ſua *Iſcariotam* appellatum. Quoniam conſtat ex libro Joſue, cap. 15. & aliis multis locis, Carioth oppidum eſſe in tribu Juda, quod Hebraicè ſcribitur קריות: & ſcimus omnes qui à patria deſcribuntur, vocari *ejus loci viros* vel *filios*, ſed præſertim *viros.* Quod Ezræ 1 paſſim legitur. *Filii Beth-lehem centum & viginti tres. Viri Netopha quinquaginta ſex. Viri Anathoth centum viginti octo.* Lege id caput, & Nehemiam cum Paralipomenis. Si enim velis vocare Romanum, dices איש רומי, *virum Romæ*; ſi Jeroſolymitanum, איש ירושלם, *virum Jeruſalem.* In Pirque aboth habes, אנטיגנס איש סוכו, *Antigonus vir Soco*, i. Socæus. Sic יוסי בן יועזר איש צרדה, *Joſes filius Joezer vir Sereda*, i. Seredæus; quæ Jeroboami patria fuit. Alia innumera afferre potuiſſem, ſed ex his quod volumus prudentes intelligent. Dicimus itaque nomen proditoris fuiſſe יהודה איש־קריות, *Jehuda Iſcarioth*, i. *Judas vir Carioth*, vel *Cariotenſis.* Ubi ſunt ergò iſti qui Judam Gallum natione fuiſſe non tam malignè quàm indoctè contendunt? Cæterùm Euangeliſtæ, qui libenter nomina Hebraica & Syriaca retinent, cùm præſertim vulgò ab omnibus *Iſcarioth* appellaretur, ſcripſerunt Ἰσκαριώτης, adjectâ Græcâ formâ, quod fecerunt in omnibus propriis nominibus.

CAP. XIV.

De Pane quotidiano *in oratione Dominica.*

HUIC præfationi noſtræ eam coronidem addere ſtatuimus quâ piorum animi delectari poſſint, nempe eam precationem quam diſcipulis ſuis Chriſtus ac proinde Chriſtianis omnibus Syriacè tradidit. Nos bonâ fide, ſingulis etiam verbis accuratiſſimè collatis, Syriacè ſcriptam piis ac doctis aſſerimus. Cæterùm quoniam verbum unum, quod tanquam ſcopulum omnes, præter unum D. Hieronymum, prætervecti ſunt, diu ac multùm nos ſolicitos habuit, cùm quid eſſet *panis* ille ἐπούσιος non reperiremus, ac nè alium quidem ullum qui ejus originem aperiret, haberemus. Sed hîc illâ clauſulâ utar, nequis me, quod ſemel Eccleſia recepit, convellere exiſtimet: cùm pro virili parte, quanquam parvi parva conamur, Chriſti Eccleſiam ornatam atque auctam cupiam; cùm præſertim hæc doctis non plebi proponamus, &, quod maximum ducimus, Hieronymum ſequamur, & poſtremò non tanquam dogma obtrudamus, ſed Theologorum judicio relinquamus perpendendum. Videmus itaque omnes ferè vertere *quotidianum*, quod linguæ Græcæ ratio non patitur. Id eò libentiùs dicimus doctiſſimo hoc atque acutiſſimo ſeculo, ut omnes intelligant me nihil de meo aſſuere aut confingere poſſe. Nego enim ἐπούσιον in Græco autore ullo ſignificare *quotidianum*, ac nè legi quidem apud ullum ſcriptorem niſi ſacrum. Quod ſi falſum eſt, convincar à tot viris eruditiſſimis manifeſti mendacii. Verùm ea eſt veritatis vis ut nullis poſſit expugnari calumniis. Quidam interpretantur *ſubſtantialem* vel *ſuperſubſtantialem*, ſed contra Græcæ linguæ analogiam, quæ poſtularet ὑπερούσιον, & ὑσιώδη, vel ſaltem ἐπούσιον· niſi dicere libet ἐπουράνιος, & ἐπήμερος, ἀντὶ τοῦ ἐπουράνιος & ἐφήμερος· quæ nemo Græcè ſciens riſu non excipiet. Hæc qui Græcas literas non attigerunt, facilè contemnent. Sed nos cum doctis agimus, qui id veriſſimum eſſe fatebuntur. Solus D. Hieronymus, quem ſequimur, hujus loci difficultatem ſentiens, ut qui Græcè doctiſſimus eſſet, & novi vocabuli, quod architectatus fuerat Matthæi interpres, rationem quærens, Euangelium Hebraicum, quod penès Nazaræos Berrhœæ aſſervabatur, conſuluit, in quo ſcriptum reperit מחר, quod *cras* ſignificat, & cum articulo *craſtinum*, hoc modo, לחמן דמחר הב לן יומנא, *Panem noſtrum craſtinum da nobis hodie.* Porrò cùm Matthæi interpres, quem multi Johannem Euangeliſtam fuiſſe aiunt, nullum unum Græcum nomen videret quod reſponderet Syriaco דמחר (Græci enim, quod *craſtinum* referat, verbum nullum habent, ſed *cras* ἄυριον dicunt) cùm igitur hoc videret interpres, & ſciret τῇ ἐπούσῃ pro *poſtridie* ab omnibus accipi, nomen novum, aptum tamen & ſignificans, ſervatâ analogiâ formavit ἐπούσιος, & reddidit verba illa Syriaca, τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον. Nomina enim quæ à participiis deducuntur, à feminino fiunt, ut ὐσία & ὑσιώδης ab ὖσα, non ab ὤν, neque ὄν. Quamvis igitur demus ab ὐσία dici poſſe ἐπούσιος, ut ἐπήορος ab ἔρχω, ſignificatus ipſe verbi Syriaci quo Chriſtus uſus eſt, repugnat. Porrò Græcos Scripturæ interpretes nova multa excudiſſe vocabula nemo

nemo, qui eorum scripta evolverit, inficiabitur. Ea enim est vis Hebraici & Syriaci sermonis, ut linguæ Græcæ ubertas atque felicitas inopiam suam agnoscere, & nova fingere nomina cogatur. Quod fecisse ostendimus Lucam in κεχαριτωμένη (de qua voce sup. c. 12.) Quinetiam Septuaginta pleraque innovarunt, ut illa ἐνωτίζειν, ἐνωτίζειν, & ἐμβατίζειν, quæ si Latinè uno verbo reddas, dicendum erit, *inauriculare*, *audificare*, & *manicare*: quæ durissima essent, cùm usitatiora sint, *præbere aures*, *nunciare*, *manè surgere*: non minùs duriter illa Græcos aures feriunt. Alia multa afferre possem quæ domi illorum nata sunt. Cæterùm quomodo intelligendum sit, *Panem nostrum crastinum da nobis hodie*, Theologis expendendum relinquemus: nos certè sententiam ex antitheto elegantissimam esse cernimus. Verùm nostro officio satisfactum esse credimus, si quod intelligere potuimus è ratione linguarum (quarum si cognitionem aliquam nobis tribuamus, jure id nostro facere videamur, cùm in iis totam penè ætatem contriverimus) id candidè in medium proferamus. Tum magnorum erit Theologorum sententiam, quæ certè impia non est, cùm autorem habeat Hieronymum, exponere. Ut enim in Ecclesiæ incunabulis alii, teste Paulo 1 Cor. 14. *loquebantur linguis*, alii *prophetabant atque interpretabantur*, quod munus longè est præclarius atque utilius; nec alii aliis invidebant: sic cùm multis prophetandi & interpretandi S. literas scientiam concedamus, nemo nostris studiis, quæ ad peregrinarum linguarum illustrationem & S. literarum aliquod emolumentum spectant, obloqui aut obstrepere debet. Si quis tamen sententiam nostram audire cupiat, hoc modo intelligi non impiè nec incommodè posse existimo. Jusserat Christus nè quis de crastinis esset solicitus, cùm cuique *diei sufficiat malitia sua*; tum quòd ea cura animos maximè à pietatis cogitatione avocet atque abducat. Cùm enim constet avaritiam omnium ferè vitiorum procreatricem atque altricem esse; si quis crastina curare non stultè, sed piè desierit, is profectò parvo contentus, cupiditatibus omnibus ablegatis, totum se pietatis culturæ dedet: quod ardentissimè suis optat Christus. Verùm quoniam humana imbecillitas sibi semper timet, & deteriora auguratur, præcipit Christus ut Patrem rogemus, qui nostræ infirmitati prospiciat, nobísque pridie præbeat quantùm sufficere possit postridie. *Panis* enim nomine cibus omnis necessarius Hebraicè significatur. Id mirificè cum Vet. Testamenti figura consentit: ut enim Exod. 16. Deus Israeliticum populum in solitudine Manna septimo die colligere vetuit; sed nè famè periret, sexto die, qui dicitur παρασκευὴ, vel *præparatio*, duplam mensuram, quæ ad biduum satis esset, sumere permisit: ut etiam Lev. 25. septimo anno, quod est sabbatum sabbatωn Dei, agros seri, & vineas putari, ac denique terram coli vetuit; sexto tamen anno tantam rerum ubertatem pollicitus est ut toto triennio affatim ali omnes possent. Ut postremò post septimam annorum hebdomadem, cùm Jobilæus celebratur, quiescere omnes jussit, terrámque coli, ac fructus suâ sponte nascentes legi interdixit, tum eos omnes qui ob æs alienum nexi ante Jobilæum fuerant liberari, pauperes & obæratos, qui sua bona vendiderant, in antiquas possessiones redire imperavit: Sic fideles suos optat Christus, dum mortale corpus circumferunt, quasi sabbatum quietis & Jobilæum libertatis assiduè exspectent, in parasceue perpetua esse; ut postridie singulorum dierum quiescendum esse sperent, nè rerum futurarum curâ à pietatis continenti meditatione avocentur. Quod etiam Pythagoras suo symbolo præcepit, τὰ σκιὰν συμβόλαια ἔχειν· nempe *ut semper sarcinulas compositas habeamus*. Rogemus igitur omnes quotidie Patrẽ ut nostræ imbecillitatis misertus, *panem nostrum crastinum det nobis hodie*: aliáque omnia Dei Opt. Max. providentiæ committentes, eum solùm speremus qui Christi filii sui meritis post diuturnam servitutem ærumnosámq; paupertatem, jam jámq; adventante Jobilæo, liberali nos asserat causa manu, atque in antiquam cœlestis Jerusalem mittat possessionem.

Precatio Dominica, linguâ Syriacâ fideliter expressa.

אבונן דבשמיא יתקדש שמך תיתי מלכותך תתעבד רעותך היכמא בשמיא כן בארעא לחמן
דמחר הב לן יומנא ושבק לן ירת חובינן היכמא דאף אנן נשבק לחייבינן ולא תעיל יתן
בנסיונא אלא פרק יתן מן בישא ארי דידך היא מלכותא וגבורתא ויקרא לעלמין אמן:

NIC. FABRI. V. C.
DISPUTATIO
DE
MYRRHATA POTIONE.
AD ILLUST. CARD. BARONIUM.

INter cætera quæ in primo Annali tuo mirè placuerunt, præcipuè docta illa & nova disputatio de *vino Myrrhato* pulcherrima visa est. Nescio enim quâ ratione ab antiquis Patribus tam Græcis quàm Latinis aut intacta relicta est, aut sic tractata ut non attigisse videantur: de qua quid aliquando mihi in mentem venerit paucis accipe. Persuaseram mihi οἶνον ἐσμυρνισμένον, de quo Marc. 15. penitus diversum à *Myrrhato vino* Columellæ, Plinii, Dioscoridis & cæterorum, à *Myrrhata Potione* & *Murrina* sive *Nectare*, quæ aut morbis curandis, aut voluptati gulæ, vel libidini parabantur. Myrrhati enim vini de quo agimus longè alius usus est. Dioscorides notat *Myrrhæ* vim inesse καρωτικὴν. Ideo qui gravia subituri erant tormenta, quò fortiùs ea tolerarent, leviúsque sensibus gravedine sopitis afficerentur, *Myrrham* præsumebant. Duo hujus *Myrrhæ* usûs insignia testimonia suppeditabit Asinus Apuleii; si modò eâ parte strigosus & malè habitus levi operâ curetur. Locos indicare sufficiet quâ emendandi sunt. *Indidem*, inquit ille lib. 8. *sese multimodis conculcat ictibus, Myrrhæ contrà præsumptione munitus*: & lib. 10. *Sed obfirmatus myrrhæ præsumptione, nullis verberibus ac nè ipsi quidem succubuit igni.* Et fortassè illud medicamentum est qui Sopor ab effectu Latinis dictus est, cujus meminit Seneca de Ben. lib. 5. cap. 3. & epist. 84. si modò veterum membranarum lectionem sequamur. Illæ enim sic habent, *Veneficus est qui soporem, cùm venenum putaret, miscuit.* Et, *Nec sopore sumpto dormiturum.* Nempe quo Quinctilianus declamator CCXLVI declamatione mentem auferri

ait, quo corpus gravari, quo membra solvi. Eâ fini Galatinus ex lib. Sanhedrim refert reis convictis & damnatis Judæos vinum thure conditum dedisse. Non dubito quin Hebraicum vocabulum vel *Myrrham* significet, vel scriptor unde hæc transtulit thus pro Myrrha acceperit; quemadmodum ait Plinius quosdam voluisse utrumque ex eadem arbore colligi. Planè non est obscurum quàm parùm constet inter recentiores Hebræos de germana herbarum, lapidum, arborum, cæterarúmque id genus rerum apud antiquos appellatione. Ex eo more, non autem παίξοντες, ut volunt Græci, *vinum Myrrhatum* Christo Domino præbuerunt. Eam fuisse B. Hieronymi sententiam, quo nemo disciplinis externis instructior, nemo rerum Judaicarum callentior Theologica tractavit, planum faciunt quæ in Matthæum 27. cap. notavit. Ad eum enim morem alludens, *usque hodie*, scribit vir doctissimus, *Judæi & omnes increduli Dominicæ resurrectionis aceto & felle potant Jesum, & dant ei vinum Myrrhatum ut eum consopiant, & mala eorum non videat.* Christus autem qui non solùm infami sed etiam crudelissimo supplicio nostra scelera luere voluit, solitum præstari vilissimis cruciariis humanitatis officium recusavit, nè pro nobis ullum cruciatum defugisse videretur.

Baronius I. *Annal. anno Christi* 34. *num.* 107.

Sed posterioribus literis quæ noster Faber addiderit, hîc describamus. Post multa enim officii plena hæc ait; Addi etiam posset quod habetur cap. ult. Proverb. *Date siceram mœrentibus*, Hebraicè legi, *Date quod inebriet morientibus.* Hebraicum enim vocabulum, *sichar*, vel, ut expolierunt Græci, Σίκερα, significat, inquit S. Basilius magnus, πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι· & Rabbi Moses Ægyptius *morientes* interpretatur reos, damnatos. Id etiam quod habetur Psalmo 59. *Potasti nos vino compunctionis*, B. Hieronymus vertit, *Potasti nos vino consopiente*; & Chaldaicus Paraphrastes, *calice maledictionis*; nempe quia cruciariis maledictis à lege dabatur: ejusmodíque phrasi summam crucem designari, adnotant interpretes Hebraici: inter cæteros verò Rabbi Sclomoh *vinum illud esse cor obvolvens, & cerebrum feriens sternutaréque faciens:* quod quid aliud est dicere, quàm vinum istud sensus deturbare & adimere? à qua sententia nec Lxx longè recesserunt, qui οἶνον κατανύξεως transtulerunt. Nam Alexandrino idiomate, quo modo sacrorum librorum idioma Grammatici nuncupant, κατάνυξις *altum soporem & veternum* significat. Ità B. Paulus ad Rom. 11. Isaiæ locum 29. cap. explicans, *spiritum sopo-* ὶς πνεύματος κατανύξεως voculis exprimit, cujus etiam effectus in ejusdem Prophetæ 6 cap. subjicit, ὀφθαλμὸς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, à compunctione toto cœlo alienos. Quod agnovit Syriacus qui *spiritum stupiditatis* transtulit. Ex eo more etiam phrases illæ deductæ censeri possunt, quibus Dominus per Prophetas impiis exitium denuncians, se potui daturum eis *vinum*, sive *calicem soporis, vertiginis, torporis, stuporis*, ac *ebrietatis* interminatur. *Hæc ipse, ad postremum id addens*, Hæc tamen apud me minimè tanti sunt ponderis, ut non in tuam sententiam concedam, cujus auctoritatem mihi pro summa lege & ratione præscripsi. *Hactenus de his Faber, qui Christianâ modestiâ, magnâ animi demissione, amico victoriam cedit, quâ jam propè potiturus videri possit. Sed nihil inferat præjudicii veritati adeò liberalis ab amico facta spontanea juris cessio. Integrum iterum dico liberúmque esto lectori, quam veriorem putat sententiam sequi. Inter nos autem ità sciat esse transactum, ut vincente veritate, cujus professores atque cultores sumus, victoriam assecutus uterque dicatur.*

Ejusdem FABRI *verborum ex Matt.* 18. 15. & *Luc.* 17. 3. *expositio.*

Si peccaverit in te frater tuus.]

HUnc locum intelligi de quovis peccato sive morum, sive doctrinæ, patet ex B. Paulo, cap. 2. poster. ad Tim. *Cum modestia corripientem eos qui veritati contradicunt.* Non ait, *accusantem*, vel *publicantem.* Et apertiùs cap. 3 ad Tit. *Post unam & alteram admonitionem*, νουθεσίαν, eam nempe quæ inter te & ipsum solum fit, & secundam quæ adhibitis testibus, *devita*, i. habe tanquam Ethnicum & publicanum, discriménq; tantùm fieri tam à Christo quàm à B. Paulo, peccatorum publicorum & privatorum; ut privata, i. ea quæ ipse solus nosti, privatim redarguas; publica, publicè reprehendas, afferunt B. August. serm. 16 De verbis Domini, ex Matth. & Beda in eum Matth. locum. Licèt autem B. Ambrosius expressis verbis id non dixerit, rationes tamen quas adfert præcepti, idem sensisse ostendunt; hæc enim scripsit in Lucam, *Quoniam plerumque per imperitiam error obrepit, corrigendum præcipit, ut aut pertinacia vitetur, aut prolapsio corrigatur.* Differentiámque tantùm ponit inter peccatum in Deum, & in nos: quòd peccatum in Deum pertinax condonare non possumus, si non resipiscat admonitus; in nos verò septuagesies septies peccanti condonandum est. Et hæc Matth. verba à plerisque ità intelliguntur εἰς σέ, *in te*, i. te tantùm conscio. Falluntur enim qui de privatis injuriis hoc accipiunt, cùm Christus nihil aliud voluerit his verbis, quàm occulta peccata à manifestis distinguere.

Julij 28.to 1683

3716

ΤΡΙΣΑΓΙΟΝ,

SIVE

TEMPLI HIEROSOLYMITANI

Triplex Delineatio:

Una ex Scriptura juxta mentem Villalpandi & descriptionem ab eo factam; Altera ex Josephi mente & descriptione; Tertia ex Judæorum in Talmude descriptione, & juxta mensuras ab ipsis isthic traditas,

Per LUDOVICUM CAPPELLUM S.T.D. *& Linguæ Hebraicæ Professorem Salmurienſem.*

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SI viri doctrinâ & famâ celebres laudi sibi duxerunt scripsisse de Magnitudine Romana, & magna cum omnium existimatione operam suam collocarunt in exquirendis, illustrandis, depingendis atque delineandis magnificentissimis veterum Græcorum, Romanorum, Ægyptiorum & Babyloniorum operibus atque ædificiis, Templis nimirum, Ædibus sacris, Foris, Porticibus, Circis, Theatris, Amphitheatris, Thermis, Mausolæis, Pyramidibus, Hortis pensilibus, Colossis, Signis, Statuis aliisque ejusmodi multis, nemo, puto, jure culpabit aut vitio vertet, siquis Magnitudinem nulli comparandam, & Ædificium omnium longè magnificentissimum, cui nullum unquam in toto terrarum orbe par fuit aut secundum, describere (Salomonis, inquam, gloriam, splendorem, & Templum ab eo Deo Opt. Max. sacratum, omnium oculis conspiciendum proponere) aggrediatur. Memini cùm infans adhuc oblectarem me Sacræ V. & N. T. Scripturæ lectione, vehementer me captum fuisse elegantiâ structuræ Tabernaculi Mosaici, & ad illius formam exstructi postmodum Templi Salomonici, ac quoties in Tabulas quibus illa depicta proponuntur oculos conjiciebam, me studio quodam vehementi accensum fuisse penitiùs tenendi modum, rationem ac formam Divinissimæ illius fabricæ: verùm cogebar tum contentus esse illis quæ in S. Bibliorum vulgatis editionibus habentur Tabulis, figuris atque delineationibus vulgaribus, ut ut minùs accuratis. Mox cùm penè puer adhuc ac vix in ephebis essem, contigit forte quadam mihi grande Villalpandi opus ejúsque de Templo Salomonico Tabulas longè elegantissimas & accuratissimas semel oculis usurpare: sed neque ætatis neque studiorum meorum ratio ferebat ut illi rei tum vacarem, neque etiam copia libri mihi longior tum facta est quàm ut operis titulum & ad brevis horulæ momentum Tabulas oculis leviter lustrarem atque percurrerem; unde aliud nihil tum menti & memoriæ hæsit, quàm Autoris nomen & levis atque evanida quædam species, valdéque obscura tanti ædificii imago, sed quæ videbatur mihi Vulgaribus illis quæ in Bibliis circumferuntur longè accuratior & elegantior multó. Cùm aliquot post annis Historiæ Apostolicæ meæ illustratæ conscribendæ hîc vacarem, atque nonnulla ex Josepho quæ ad illius illustrationem faciunt exscriberem, & ad illius calcem adjicerem, atque inter ea Templi Hierosolymitani ἰχνογεαφίαν quam tum dedi meditarer atque animo conciperem, subiit animum vehemens augustissimum illud ædificium illustrandi desiderium, juxta illam quam Josephus tradit descriptionem; cúmque in eam

 rem

rem varia conquirerem ac commentarer, adeóque tractatum Talmudicum qui מדות inſcribitur (nondum tum temporis à D. Conſtant. L' Empereur æditum,) legerem atque interpretarer, ut lucem aliquam ex duplicis illius (Judæorum Thalmudiſtarum & Joſephi) deſcriptionis collatione elicerem, méque diu multúmque in eo ſtudio fatigarem, venit in mentem me Villalpandi Tabulas olim oculis uſurpaſſe, quæ & elegantiſſimæ & accuratæ admodum mihi tum viſæ fuerant, itaque me actum fortè agere & operam ludere, dum ſine illius libro ſubſidio inani labore memet in hoc propoſito excrucio. Itaque quæſivi opus illud, ac tandem ab amico accepi mutuó: quod cùm legiſſem & Tabulas ejus diligenter excuſſiſſem, deprehendi me revera actum agere, vixque quidquam addi poſſe ad hominis illius induſtriam & diligentiam ſummè commendabilem. Quare conatum meum penè puerilem riſi & depoſui, ſtudiúmque & propoſitum meum abjeci, totúmque me converti in ſtupendi illius ædificii admirationem, ſeriámque & attentam ex Villalpandiana illa deſcriptione conſiderationem; quæ quoniam me vehementiſſimè capiebat, totúmque veluti extra me rapiebat, nec copia mihi fiebat libri illius niſi ad tempus, nec aliunde pretio mihi eum comparare poteram, impetratâ ab amico illo libri ipſius diuturniore paulò copiâ, Tabulas Villalpandi omnes quæ ad ſtructuram illam pertinent, ut potui, rudi quidem & craſſâ Minervâ (neque enim ullam pingendi aut fingendi artem calleo) deſcripſi atque delineavi (ità tamen ut ubique in omnibus Tabulis accuratam menſurarum & proportionum exactiſſimam rationem obſervaverim) eáque omnia quæ ad Tabularum illarum planam & plenam intelligentiam faciunt ex Villalpandi Commentario verbatim exſcripſi in privatum uſum, ut per otium recurrere eò poſſem, atque ex Tabulis & Excerptis illis tanti támque Divini Ædificii formam, figuram, rationem, ſitum, modum, diſpoſitionem, proportionem, elegantiam, pulcritudinem, magnificentiam, planéque ſtupendam gloriam & ſplendorem animo capere atque meditari, cùm liberet, valerem. Quod cùm ante annos pene quindecim perfeciſſem, penéſque me aſſervarem, ac interdum amicis communicarem, datâ non ità pridem occaſione ex loco Aggæi 2. ver. 3, 7, 8, 9. qui veniebat mihi tum explicandus, totam auguſtiſſimi illius Templi formam & diſpoſitionem Auditoribus meis ex Tabulis & Excerptis Villalpandianis fusè ſatis aliquot Prælectionibus explanavi, tum ad pleniorem loci illius Aggæi intellectum, tum quia accurata Divinæ illius Fabricæ cognitio magnam affundit lucem quamplurimis Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti locis in quibus Templi illius aliqua fit mentio. Dum in eo ſum, & Tabulas atque Excerpta mea ex Villalpando diligentiùs excutio, viſus ſum mihi deprehendere nonnulla etiam momentoſa & καίρια, in quibus vir ille (alioquin longè ſanè diligentiſſimus & accuratiſſimus) meo quidem judicio lapſus eſt atque hallucinatus in tam eximio opere, utì nihil ſolet eſſe ab omni parte in rebus humanis beatum, nec facilè cuiquam datum eſt grande aliquod atque eximium inchoare, ſimúlque perfectum atque omni ex parte abſolutum opus dare. Ac quoniam præſtantis illius viri opus ſpiſſum eſt, ac tribus Tomis ſat craſſis, formâ quam *in folio* vocant conſtans, elegantiſſimè Romæ ante annos penè quadraginta excuſum, quod vix ampliùs venale proſtat, nec niſi magno comparari poteſt pretio, putavi me rem non ingratam facturum, ſi Tabulas ejus & Excerpta ac paucas meas in ea Animadverſiones atque caſtigationes (quas ex literis L. C. in earum capite præmiſſis agnoſces, atque à Villalpandianis Excerptis dignoſces) in compendium contraherem atque in publicum ederem, in eorum ſaltem gratiam & uſum quibus non datur adire Corinthum, h. e. tanto tam grande opus ſibi redimere pretio. Illi ex brevi hoc noſtro Compendio quicquid ad Fabricæ illius Diviniſſimæ illuſtrationem atque veram intelligentiam pertinet, habere poterunt planè & accuratè ſatis. Ex cujus ſeria conſideratione atque diligenti contemplatione, piâque & attenta meditatione puto eos non minorem percepturos ſinceram voluptatem quàm ego ſenſiſſe me profiteor dum illa exſcriberem atque delinearem; tantum eſt támque admirabile Divini prorſus illius Operis artificium, ſtructura, diſpoſitio, proportio, elegantia, pulcritudo, ornatus, ſplendor, divitiæ, opes, decor & Majeſtas planè incomparabilis, in quo ſumma elucet ac planè Divina Autoris ſui (Dei, inquam, Opt. Max.) in eo architectando ſapientia. Adeóque in eo delineando atque deſcribendo prodit ſe nunquam ſatis laudanda Villalpandi ipſius diligentia, atque induſtria in conquirendis iis omnibus quæ ad Fabricæ illius menſuras, ſtructuræ formam atque diſpoſitionem quomodocunque faciunt; quæque ipſe undecunque ex libris tum Sacris tum profanis indefeſſo labore & ſummâ ſedulitate collegit, magnâ induſtriâ inter ſe compoſuit, ſolicito ſtudio expendit, magnâ arte contexuit, & exquiſitâ Architecturæ cognitione tam aptè diſpoſuit, ut quamvis vim verbis inferre, varia earundem vocum ſignificata comminiſci, ſenſúmque illis coactum, durum atque ab earum ſignificatione longè abeuntem affingere, connectenda divellere, divellenda connectere, ac omnia penè ſúſque déque interpretanda miſcere videatur; tamen quoniam admirabile hoc Opus (tam inter ſe conſonum, omnibúſque numeris & partibus abſolutum) indè eduxit, atque artificioſiſſimè delineavit, (cujus pulcritudo atque forma omnium intuentium excitat admirationem, eóſque penè dat in ſtuporem) à Lectore impetrat, ac penè imperat & cogit, & vel ab invito exſculpit quaſi aſſenſum, & renitentem ſui Lectorem poſt ſe vi quadam trahit, ut fruſtrà obluctari coneris (cùm aliter explicare non valeas) ut aliud ab iſto diverſum ædificium exſtruas, cujus omnes partes tam admirabili proportione támque aptâ diſpoſitione ſint conſtitutæ, tantâ conſenſione inter ſe concordent, tam accuratâ ſymmetriâ, támque exactâ συμφονίᾳ, & omni genere harmoniæ ſint connexæ atque contemperatæ: quæ partium tanta conſenſio & ſymmetria prorſus admiranda ſtructuræ ipſius veritatem & Explanationis Villalpandianæ

lalpandianæ commoditatem firmo atque indubitato penè adſtruere videtur argumento. Niſi enim veritas ſubeſſet, ſi commentum cerebri humani tota hæc delineatio eſſet, omnia non ſic aptè cohærerent, aliquid dehiſceret aut nutaret, vel ſubſidente fundamento moles fatiſceret atque collabaſceret, aut extra gnomonem & perpendiculum aliquid promineret, vel in hanc aut in illam partem propenderet, aut à traditis in ſcriptura menſuris quoquo modo diſcederet atque exorbitaret.

Habes itaque hîc, benigne Lector, tam admirandi Ædificii, tam ſtupendi Templi planam, plenam, luculentam (etſi compendioſam ex longè majore opere contractam) deſcriptionem, atque ingenioſiſſimam elegantiſſimámque delineationem variis Tabulis artificioſiſſimis expreſſam, ut jam totum illud opus longè auguſtiſſimum atque Diviniſſimum animo capere & memoriâ facilè tenere poſſis. Unde multa in Scriptura, vel de Templo iſto dicta, vel quæ ſine ejus accurata cognitione capi planè non poſſunt, lucem accipiunt non contemnendam. Videbis in toto terrarum orbe nihil fuiſſe Templo iſti materiâ, arte, pretio, formâ, magnitudine, ſplendore, magnificentiâ atque opulentiâ comparandum. Et meritò quidem, cùm non modò uni vero Deo, cœli terræque Domino, fuerit ſacratum, verùm etiam ejus juſſu atque ductu, eo autore atque delineatore & veluti Architecto fuerit exſtructum.

Porrò ſi quis indignetur nos aliquid in tam abſoluto Villalpandi opere audere reprehendere, atque id temere à nobis factum eſſe conqueratur, audiat ipſum Villalpandum Præfatione ad Lectorem Tom. 2. Part. 2. *Neque tamen* (inquit) *ità diſputo quaſi putem operâ meâ factum eſſe ſatis officio, præreptúmve aliis locum, aut demum peractum aliquid ampliùs quàm ut jecerim tanquam fundamenta ex quibus excitatura ſit ſubindè poſteritatis induſtria molem operis cumulatiorem: via ſc. eſt indicata duntaxat quâ perfici plurimùm poſſit, edolatúmque lignum quod deinceps ab aliis expoliatur.* Sanè pauca admodum ac penè nihil in tota Templi fabrica atque ſtructura à me reprehenditur, ſi unum Atrium Gentium excipias cum ſuis Porticibus, quæ unâ liturâ videntur omnino expungenda, quòd loco Ezechielis perperàm intellecto, ac levi ex eo conjecturâ, tanquam inani fundamento, à Villalpando ſuperſtructum totum illud Atrium collabaſcere ac ruere neceſſe ſit. Quod ſi quis à me temere factum conqueratur, videat noſtram in eum locum Animadverſionem, atque eâ accuratè expenſâ tum demum pronunciet id quod ipſi videbitur. Cæterùm Templum Ezechieli ab Angelo demonſtratum (ex cujus menſuris & delineatione hoc Villalpandianum eſt extructum) Villalpandus vult tale planè eſſe & prorſus geminum cum eo quod à Salomone fuerat exſtructum, & à Chaldæis paulò antè erat everſum, quod ego quidem nolim exſertè & præfractè negare; at argumenta tamen, quibus illud Villalpandus lib. 1. cap. 1. conatur adſtruere, levia admodum ac futilia videntur. Quorum I. illud eſt, *quòd utrumque monti excelſo inædificatum fuerit.* II. *Quòd utrique duplex fuit Atrium, interius & exterius.* III. *Quòd in utroque exterius Atrium cinxerit undique & quaſi gremio ſuo complecteretur interius Atrium.* IV. *Quòd Atria illa fuerunt in utroque ampliſſima, quæ & totum Iſraelem ad feſta convenientem, & Sacerdotes miniſtrantes in hebdomada ſeu ἐφημερίᾳ ſua caperent, & Gazophylacia tot & tanta haberent, quæ omnes populi decimas & primitias caperent in apothecis & horreis ſuis, ex quibus* 38 *M. Levitarum alerentur, qui conſcripti ſunt tempore Davidis.* Nam ſi hæc argumenta valida ſunt, iiſdem concludetur Villalpandianum hoc Templum idem planè eſſe & prorſus geminum cum Herodiano, cujus nos *ἰχνογραφίαν* in Hiſtoriæ noſtræ Apoſtolicæ calce dedimus ex Joſephi deſcriptione delineatam: nam & quatuor illa Herodiano illi Templo ad amuſſim conveniunt. Conveniunt etiam Judaico ſeu Talmudico (ut ità dicam) Templo, cujus menſuræ & deſcriptio à Talmudicis Scriptoribus in Tract. Middoth traduntur, uti videre eſt ex delineatione quam ex illo Tractatu dedit Doctiſſim. vir D. Conſtant. L'Empereur, Linguæ Hebraicæ in Acad. Leydenſi Profeſſor notiſſimus. Siquis tamen conferat triplicis illius Templi veſtigia ſeu *ἰχνογραφίας*, plurimùm inter ſe diſtare comperiet, etſi in quatuor illis à Villalpando modò notatis conſentiant. Sanè Villalpandianum Templum Herodiano ſeu Joſephiano, & Talmudico ſeu Rabbinico multò amplius eſt, nempe toto Gentium Atrio, quod (uti modò dicebamus) Villalpandus ex loco Ezechielis perperàm intellecto confinxit, nos verò propterea expunximus. At quantúmvis iſtis longè amplius ſit, non potuit tamen totum Iſraelem (totum, inquam, propriè & ſtrictè loquendo) ad feſta convenientem capere, ſi vera eſt Villalpandi (quæ ſuo loco à nobis expenditur) de populi Iſraelitici in ſola Chanaanitide habitantis multitudine ſententia, quam ad 66 milliones hominum bellatorum conſurgere facit. Certè nè quidem tota Hieroſolyma (nedum Templum) tantum hominum ſimul convenientium multitudinem capere ferme potuiſſet. Sed neque etiam neceſſe fuit ut tantum tâmque capax & amplum eſſet Templum, ut ſimul uno eodémque temporis puncto atque momento omnes Iſraelitarum puberes caperet. Etſi enim à Deo jubebantur adeſſe ſolennibus feſtis, certum eſt tamen non omnes adfuiſſe, imò maximam partem ſæpe & paſſim abfuiſſe. Deinde, etſi adfuiſſent omnes Jeroſolymis, neceſſe non erat ut eodem temporis puncto omnes ſimul in Templo adeſſent; poterant enim per vices his decedentibus alii ſuccedere, atque ſic variis temporis momentis eodem die, aut ſi non eodem die, diverſis ſolennium feſtorum diebus, qui ſepteni erant, ſinguli templum ingredi atque iſthic coram Deo ſe ſiſtere. V. Villalpandi argumentum hoc eſt, *Utrumque Templum fuiſſe Eccleſiæ Chriſti ſymbolum & veluti exemplar, quam uno non diverſis exemplaribus decuit adumbrari.* Quaſi verò unum idémque in Scriptura paſſim variis typis atque figuris non adumbretur. Ac, ut nè longiùs abeamus, nónne unius ejuſdémque rei typus & exemplar fuit tum Templum Salomonicum tum

Tabernaculum

Tabernaculum Mosaicum? Annon tamen magnum fuit inter utrumque discrimen, non amplitudinis modò sed & formæ etiam seu figuræ respectu? Etsi enim Templum Salomonicum ad Tabernaculi formam utcunque fuerit conformatum, tamen hæc duo in Templo fuerunt, quorum nullum fuit in Tabernaculo vestigium atque umbra, nempe I. Vestibulum ante locum Sanctum, II. Cellæ Templo circumpositæ, ut jam alias quæ inter utramque interceserunt structuram diversitates atque discrimina taceam. Quídni pariter descriptio Templi quæ est apud Ezechielem possit esse major atque magnificentior Structurâ ipsius Salomonis, etsi illa ad istam utcunque sit composita atque conformata? VI. & ultimum Villalpandi argumentum hoc est, quod habetur cap. 12. ducitúrque ex Ezechielis (cap. 43. v. 10,11.) verbis, *Ostende domui Israel templum, & confundatur ab iniquitatibus suis.* Unde sic argumentatur Villalpandus, *Si aliquid denuò excogitatum ad Ecclesiam repræsentandam Templum, quódque sit ab illo Salomonis longè diversum, ostendendum præcipiatur, quidnam illud confusionis pariat? quid erubescant? cùm illud nihil omnino ad commissa scelera spectare videatur; imò verò Deum præteritorum criminum penitus oblitum indicaret ejusmodi Templum; admirandáque & propè cælestis ac Divina Ecclesiæ fabrica, Templi illius novi magnificentiâ præsignata, excitaret utique jacentes Israelitarum Babylone animos in spem potiùs quàm in verecundiam. At contrà vel ipsa Jerosolymitani Templi recordatio, nedum ipsa ejus species oculis objecta, cum præsenti Captivitate collata, præterita illa Templi magnificentia & gloria cum præsenti Captivitate collata, quasi contrariis contraria, omnem excitarent animi sensum, dolorem, confusionem, verecundiam.* Verùm fallitur Villalpandus cùm putat Deum eo loco velle ut Propheta repræsentatione figuræ Templi illius Judæos ad pudorem & confusionem adigat, quòd tam sanctum Templum (Salomonicum nempe cujus hæc erat figura) sceleribus suis contaminassent atque Idololatriâ polluissent. Non hoc vult isthîc Deus; imò jubet populum priùs de peccatis & sceleribus suis seriò pœnitere, ac pudore propter ea suffundi: tum ubi pœnitentiam suam prodiderint, jubet illis à Propheta proponi figuram seu exemplar Templi illius quod Angelus Ezechieli demonstraverat; quod manifestum est ex v. 11. אם נכלמו, &c. tum (inquit Deus) הודע, &c. h. e. *si pudeat eos*, i. e. ubi eos puduerit de peccatis suis, *tum ostende illis Templum hoc*, &c. Non ergò illis propriè ostenditur Templum ut illâ repræsentatione confundantur, sed ut priùs confusi Deum juxta illius Templi modum & rationem colant. Proponitur autem illis Templum hoc ut typus cultûs Spiritualis Euangelici, quo Deus propriè coli amat, non autem carnali Legis cultu. Itaque hoc propriè Deus vult eo loco per Prophetam, Se nimirum non delectari carnali illo & Legali cultu quo hactenus illi apud eum defuncti erant, sed alium ab illo longéque diversum magísque sibi gratum cultum (spiritualem nempe, cujus in Templi istius imagine ejúsq; ritibus omnibus non parùm à Mosaicis diversis, typum habebant) postulare ab ipsis, adeóq; & se inter eos constituturum cùm per Messiam eos ad se vocaturus esset. Spiritualem nempe cultum umbris & figuris illis significari nemo est Christianus qui neget, nemo Judæus nisi præfractus & planè obduratus qui negare audeat, cùm in illa Ezechielis descriptione tota multa sint quæ nè impudentissimus quidem Judæus ausit contendere ad literam esse intelligenda, ut quæ de Aquis dicuntur quæ de limine Templi manabant, tum quæ de Jerosolymorum & terræ Chanaanitidis divisione atq; distributione dicuntur, aliáq; multa quæ ad literam sumpta absurda sunt & ἀδύνατα, ut manifestum indè sit ea spiritualiter esse intelligenda.

Ibidem vult Villalpandus Templum à Zorobabele instauratum fuisse juxta formam, modum, mensuras & rationem hîc ab Ezechiele traditam. Verùm Primò stare id non potest nisi id asseratur quod à Josepho traditur, sed à Villalpando exsertè negatur, nempe Herodem à fundamentis totum Templum instauràsse, & veterem istam Templi formam atque dispositionem immutasse. Nam Templi quod à Josepho describitur forma non usquequaque cum ista Villalpandiana congruit atque quadrat, utì videre est ex utriusque Vestigii (tum istius Villalpandiani tum illius Josephiani quod dedimus in Historia nostra Apostolica) collatione. Deinde vix videtur credibile Judæos Zorobabelis tempore potuisse tot Porticus & Atria juxta illam formam Villalpandianam exstructa super antiqua Salomonis fundamenta erigere, nisi fortè dicamus illa non fuisse à Chaldæis eversa & solo æquata, sed duntaxat superiora Cœnacula porticibus imposita fuisse igne à Chaldæis absumpta, parietes autem & columnationes mansisse integras atque intactas. Sic enim fieri potuit ut Judæi paulatim per multos à soluta Captivitate annos cœnacula illa instaurarint, ità ut quod de Templo à Zorobabele extructo dicitur intelligendum sit de Templo strictè sic dicto, loco nimirum Sancto & Sancto sanctorum, cum Vestibulo seu Turri ante locum Sanctum. Sed si ità se res habuit, Herodes proculdubio nihil in Templi instauratione tentasset, neque tam aptam & concinnam partium omnium Templi dispositionem, harmoniam & symmetriam immutasset. Quid autem sentiendum videatur de testimonio Josephi, qui Templum Jerosolymitanum totum vult denuò ab Herode instauratum, aliquid hîc in nostris ad Villalpandum Notis dicitur, & pleniùs aliquando dicetur, si fortè Deus dederit ea quæ olim de illa Templi Josephiana, & Talmudica in Tractatu Middoth, descriptione commentati sumus, edere atque illam cum ista Villalpandiana conferre. Interim istâ omnium, utì videtur, absolutissimâ, & ad quam reliquæ referri, atque ex ea intelligi debeant, contentus, benignissime Lector, esto: húncque nostrum, etsi debilem, at non illaudabilem, conatum pro tua humanitate suscipito, & quicquid hîc à nobis peccatum fuerit clementer ignoscito.

TEMPLI

TEMPLI HIEROSOLYMITANI DELINEATIO EX SCRIPTURA juxta mentem VILLALPANDI.

[*Primam hujus operis partem inter Annotata ad Ezechielis Capita XL, XLI, XLII. Lector invenies.*]

Ad Cap. 46 EZECHIELIS, ver. 19, &c.

Introduxit me per ingressum, &c.] Portæ meminit ad quam iterum ductus suprà fuerat Propheta noster Atrii interioris. ¶ *Et erat ibi locus vergens ad Aquilonem*] Chald. *erat ibi locus in fine eorum ad Occidentem.* Porticus Aquilonaris Templo adversa planè describitur, ut cap. præcedenti ostenditur, quæ in duplicia cubicula distributa est, interjacente mediâ ambulatione. Et ex hoc duplici cœnaculorum ordine, alter in Atrium prospicit exterius ad Aquilonem, alter in interius ad Austrum: & de hoc quidem sermo est Prophetæ, illius sit nulla mentio. Rursus cùm inferior porticus septenis interjacentibus postibus in 8 fornices distributa sit, superior certè porticus in totidem cubicula partita esse necessariò est intelligenda. Et ex illis octo cubiculis primum quod ad Orientem situm est scalis totum impeditur, sex media ad vescendas sacras carnes deputabantur, extremum quod ad Occidentem tam accuratè à Propheta describitur, ut non solùm de ipso constet, sed & alia multa propter ipsum perspecta esse videantur.

21. *Atriolum erat in angulo atrii*] *Atrio* & *atriolo* eadem vox datur in Hebr. tamen ipsa ratio & mensura movit Lxx ut *atria parva* converterent, quos imitatus Vulg. *atriola* scripsit. Atriolum autem narrat primum quod Angelo duce ingressus est, de reliquis mox subdens, *Atriola singula per angulos Atrii* singulos.

22. *In quatuor angulis atrii atriola dispositæ*] Hebr. קטורות. Vox est Syriaca quæ *colligata, conjuncta* significat, ab Hebr. קשר: sic dicta atriola illa quia porticus inter ea ordine dispositæ angulares istas culinas sive atriola colligabant: atque hoc ipsum infrà perpetuò pariete factum esse non indicabit modò sed expressè testabitur Propheta. Alii ad קטר revocant, quæ *suffumigare* significat, q. d. atriola fumosa, quòd ex his culinis fumus efflaret perpetuò. Observátque ex Vitruvio & Philandro Villalpandus antiquorum ædificia in quibus nulla sunt vestigia, argumento esse cubicula & conclavia non habuisse spiracula quà fumus exiret, quæ *camini* vulgò dicuntur, Gall. *cheminees*. Quod in eam inducit me (inquit Villalpandus) sententiam ut existimem easdem culinarum fenestras & lumini suscipiendo deservire consuevisse, & fumo emittendo. Atque in hac nostra sententia nos confirmat, quòd in ipsa fabrica vix invenire possimus spatium aliquod in quo possent fumi spiramenta aperiri, quin aut fenestris obessent aut postium firmitati.

23. *Paries per circuitum*, &c.] Hebr. טור, Lxx *exedræ*. Aquila σιβάδας. Symm. ἀναθήματα. Hieronymus, *Quæ quatuor atriola vel unus paries ambiebat, & fabricata erant culinæ subter porticus per gyrum, vel propinqua habebant accubita* (σιβάδας) *ut ubi cibi ibi & mensarum præparatio.* Illud verò à Lxx Int. indicatur, quòd facilè posset quivis conjicere prope culinas fuisse exedras sive cubicula ad comedendas carnes coctas disposita; sic enim consummari videbatur sacrificium absumptis carnibus. Refert deinde Villalpandus Jonathæ & Rabbinorum sententiam, qui locum istum accipiunt de foculis culinarum, quibus cacabi, lebetes & caldariæ ad coquendas carnes imponebantur & disponebantur; quos foculos unà cum lebetibus & caldariis voce Hebraicâ significari posse putat מבשלות à בשר, & utroque modo à Kimhi exponitur.

ALTARE ÆNEUM.

Excerpta ex Villalpando ad Ezechielis cap. 43. 13. lib. 4. cap. 75.

13. *In sinu ejus erat cubitus*] Heb. חיק *sinum* significat anteriorem hominis partem vestísque quæ sinuosa est, indè per analogiam quæ anteriora sunt & interiora; hìc *foveam, caveam* labiis prominentibus circumscriptam, quòd cavea sit quasi laxioris vestimenti plica, concava & profunda. Ergò *sinus* hìc cavea est in marmoreo pavimento excisa altare cingens, cubito uno alta & altero lata, in quam fundebatur victimarum sanguis, conducebatúrque per subterraneos cuniculos in torrentem. Hujus fossæ locum cum Chald. Hebræi significant, *fundamentum* pro *sinu* interpretantes. ¶ *Definitio ejus usque ad labium ejus*, &c.] Heb. גבול *terminus* est *sepes, clausura, corona*, quæ definit spatium quo aliquid distenditur. אל hic valet *per*, hoc sensu, *corona ejus per labium fossa procurrens* circumcirca erat palmi unius. Lxx γύρωμα reddiderunt. ¶ *Palmus unus*] Heb. זרת, Lxx σπιθάμη, h. e. palmus major, qui continet ternos palmos sive 12 digitos, h. e. semicubitus. Atque tantæ altitudinis erat corona ænea, quæ Altaris foveam muniebat, & exornabat extrinsecús. Hanc coronam similem reliquis Templi peribolis fecimus, interjectis arulis distinctam sive stylobatis, quos æquè longos, latos & altos facimus semicubitum. Usus fuit nè incauti in foveam ad Altare accedentes caderent. ¶ *Hæc quoque erat fossa Altaris*] Heb. גב significat *altitudinem*, & sic Lxx, τὸ ὕψος. At Hier. *fossa*, videtúrque legisse גב, quæ vox *foveam* significat, *lacunam* 1 Reg. 6. Itaq; secundùm Vulg. hæc est recapitulatio dictorum, q. d. *Hujusmodi itaque erat fossa Altaris*, sc. semicylindri excavati forma; neque enim angulos habebat in interiori parte, nè hæreret sanguis in angulis.

14. *Et de sinu terræ usque ad crepidinem novissimam duo cubiti*] Notanter dixit *terræ*, quòd sinus non erat extra pavimentum, sed terræ immersus, & ab ejus labio superiore usque ad crepidinem numerat duos altitudinis cubitos. Heb. עזרה (à radice עזר *juvare, fulcire, sustentare*) significat non *atrium* (ut multi transtulerunt) sed *fulcrum, podium* cui innititur ædificium, quódque sustinet ejus pondus. Vulg. vocat *crepidinem*, meritó. Crepido autem duplex erat, inferior & superior: de inferiori hìc est sermo. ¶ *Et latitudo cubiti unius*] Erat podium altum duos cubitos à pavimento Templi, ubi contrahebatur introrsum, & gradum faciebat latum cubito uno. ¶ *Et à crepidine minore usque ad majorem*, &c.] *Majorem* vocat secundam, non quidem latitudine sed altitudine, quia infima duos tantùm, superior quatuor cubitos eminebat.

CAP.

CAP. LXXVI. v. 15. *Ipse autem Ariel*] Heb. הר אל significat *montem Dei*, i. Deo dicatum, quo nomine appellatur tumulus ille elegans in medio Atrio interiori erectus supra basim duplicem altitudine cubitorum 4. Kimhi, *Mons Dei, i. domus Dei, nam in omni loco serviebant diis alienis super montibus excelsis: hic autem mons non habebat nisi altitudinem 4 cubitorum. Dicunt autem Rabbini Altare* אריאל, *quia ignis sanctus descendens de cœlis excubabat in eo tanquam leo*, vel (*ut alii exponunt*) *quòd victimarum sanguine perpetuò maderet, haud secùs quàm prædam discerpens leo.* Quòd verò leonis nomine veluti proprio Altare censeretur, leoninis Cherubinorum imaginibus angulos exornavimus, quòd Altare non secùs quàm reliqua Templi instrumenta arbitraremur Cherubinorum formis fuisse exornatum; quod ad mores eorum componendos spectare videtur, quibus ex munere aut Legis præscripto incumbebat sacrificare, quos omnes ob oculos habere oportuit, Deum in Altari colendum leoni esse similem qui in elatos & superbos sæviat, maximè injuriis lacessitus, & cõtrà humilibus parcat & deprecantibus. ¶ *Et ab Ariel usque* &c.] In Bibliis Heb. *Ariel* aliis literis scribitur quàm in priori versûs parte: ibi enim est הר אל, i. *mons Dei*, hîc verò est אריאל, quæ vox secundùm Leonem de Castro (cujus sententiam exagitat Villalpandus) coalescit ex אר (ab ארר) quasi *maledictio, exsecratio*, & ex איל, quæ sonat *arietem*, q. d. *maledictionis aries*. Quid autem sit maledictionis aries ex Gen. 22. 13. & Lev. 5. explicat, de Christo Jesu intelligens. Ei opponit Hieronymum, *Ariel, ut plerique existimant, interpretatur Lux mea Deus, ut autem ego arbitror, Leo, vel fortis, Dei, quòd nomen propriè refertur ad Altare, in quo vel illuminatio Dei est, vel leo & fortitudo ejus, dicente Jacob ad Judam, Catulus leonis Juda.* Ac nequis putet in universis Bibliis Heb. legi אראיל, sciat Hieronymum legisse אריאל & interpretatum esse *leonem Dei*. Item codices quibus usi sunt qui Complut. Biblia excuderunt. Citat præterea Villalpandus duos codd. Mss. Hebraicos vetustissimos in quibus scribitur אריאל cum Jod post Resch. Et Esai. 29. 1. *Væ Ariel, Ariel*, scribitur אריאל. *Ariel* ergò dictum est Altare, h. e. *leo Dei*, quòd quasi Leo victimarum prædam discerptam voraret & consumeret. Item *Arielis* nomine Altare censeri constans est Scriptorum sententia, ídque etiam quia formâ & dispositione leonem referret, leonina enim crura habebat pro pedibus; unde manasse existimo quod in veterum aris pedes & leonini ungues effingerentur. ¶ *Cornua quatuor*] Quoniam instrumenta omnia Salomonici Templi Cherubinorum referta erant formis, ut poterant, Altare quoque bovillam faciem cum leonina repræsentabat, hanc pedibus, illam verò cornibus, nisi malis vitulorum cornua gestasse, quasi tropæa factæ prædæ. Hinc fortè factum quòd veteres Architecti frontes sacrarum ædium taurorum craniis exornare soliti sunt, quasi sacrificiorum tropæis & insignibus.

CAP. LXXVII. V. 16. *Et Ariel 12 cubitorum*] *Ariel* vocatur ipsum Altaris corpus basi duplici superpositum, cujus longitudinem latitudini parem dicit esse 12 cubitorum.

V. 17. *Et crepido 14 cubitorum*, &c.] h. e. Patebat tum in longitudine tum in latitudine ab angulo in angulum oppositum cubitos 14, nempe quia basis seu crepido in singulis lateribus exstabat singulis cubitis extra *Arielis* perpendiculum. Ac pari ratione inferior quæ propterea 16 cubitos lata erat totidémq; longa. ¶ *Et corona in circuitu ejus dimidii cubiti*] Prætermissâ crepidinis seu podii inferioris dimensione quòd ex suprà dictis pateret, gradum facit ad coronam sive projecturam crepidinis tum superioris tum inferioris, illámq; semicubito exstitisse ultra perpendiculum crepidinis testatur. Vocatur autem גבול, quæ vox in genere *terminum* significat, & suprà à Vulg. reddita est *definitio*, hîc verò *corona*, quâ crepidinis coronicen indicari constituo. Nam præterquam quòd ipsa structuræ ratio non permitteret simplices illas Altaris crepidines, neque ipsum Altare hujusmodi ornamentis carere, eam etiam exigunt Altaris mensuræ mox explicandæ. Ergò crepidinis coronicen supernè (cui infernè respondet ejus projectura, quæ coronici solet semper esse æqualis) arbitramur hîc dimidio cubito definiri. Et quod de altera crepidine dixit Propheta, ratio suadet idem de utraque esse sentiendum. Sed neque ab ipsa Vulg. & aliis Interp. dissidet ut Altaris supremam etiam coronam hîc intelligamus dimidio cubito definiri, cujus rei gratiâ, & quòd ad Altaris dignitatem & pulcritudinem conducere videretur, coronam inter cornua finximus illarum similem quibus Gentes sua Altaria coronabant, quarum non paucas videre Romæ licuit. Altaris Mensuræ. Altitudo. Infima crepido 2 cub. secunda crepido 4 cub. Ariel 4 cub. Summ. 10 cub. Longitudo. Ariel longum latum 12 cubitos. Summa crepido quæ illi substat 14 cub. Projectura coronicis ipsius, utrinque ½ cub. Itaq; ab extremo projecturæ ad alterius extremum 15 cubit. Inferior crepido 16 cubit. Coronicis ipsius projectura ½ cub. Itaq; omnis inferioris crepidinis longitudo cum projecturis coronarum est cubitorum 17. Adde singulos utrinque cubitos, quot lata est fossa Altaris, fient 19 cub. Adde ½ cubitum utrinq; pro peribolo, sic fiunt omnes longitudinis Altaris in universum cubiti 20, cúmq; Altare quadratum sit, idem ipsum de latitudine dicendum est. Quod confirmatur testimonio 2 Paral. 4. 1. *Fecit quoq; Salomon altare æneum longitudinis 20 cubitorum, & latitudinis 20 cubitorum, & 10 cubitorum altitudinis.* ¶ *Et linea ejus unius cubiti per circuitum*] Repetit mensuram cavæ quam initio exsecutus fuerat, ipsius latitudinem finiens uno cubito, vix autem ac nè vix quidem universi Altaris latitudo aut longitudo colligi posset, nisi fovæ latitudo comprehenderetur, nec minùs necessaria ad prædictam mensuram retractio illa crepidinum.

CAP. LXXVIII. *Gradus autem ejus versi ad Orientem*] Negotium facessit hæc graduum commemoratio; cautum enim erat Legis præscripto in Exodo, *Non ascendes per gradus ad Altare meum, nè reveletur turpitudo tua.* Atque hîc varias variorum Interpp. adfert Villalpandus sententias, qui conantur hanc ἀναλογίαν conciliare. Et primò eorum qui omnia quæ ab Ezechiele proponuntur, ità revocant ad mysticos sensus ut nihil habeant literale & cum Salomonicis fabricis commune. Quam rejicit primò, quia falsa est hæc eorum hypothesis, nam eadem est hîc Altaris mensura quæ Salomonici 2 Par. 4. 1. Secundò, quia etiam ad Mosaicum Altare opus fuit gradibus. Tertiò, Hieronymus agnoscit hoc Altare cum Mosaico conferri posse. Secunda est eorum qui locum Exodi intelligendum dicunt de Altari quod ex terra vel lapidibus construitur, ubi gradus ipsi cœdificati ad Altare pertinebant, non verò de Altari quod ex tabulis constabat æneis, quale erat Mosaicum, cui tanquam nimis alto ad horam ministrationis aliquid apponebatur in quo staret Minister, quod impletâ ministratione tollebatur; quam rejicit ideo quia non satisfacit illis verbis Legis, *nè reveletur turpitudo tua.* Tertia Rabbinorum & Josephi qui ascensum ad Altare dicunt fuisse leniter acclivem instar pontis, non gradibus distinctum; quam eadem de causa rejicit, quia utrobique idem revelandæ nuditatis periculum. Quòd autem Josephus cum Rabbinis collocat ascensum istum non ab Oriente (utì hîc monet Propheta) sed ab Austro, hujus rei nullam (inquit Villalpandus) videre possum rationem, propter quam ab antiqua consuetudine deflexerint, nisi forte quadam ducti religionis specie postliminio reversi Israelitæ, nè cogerentur ab Altari descendentes Templo terga vertere. Ad quam observationem duci potuerunt Domini præcepto Ezech. 46. 9. Quam negat sufficientem, quia Principi licebat eâdem viâ regredi quâ ingressus erat v. 8. proinde multò magis Sacerdotibus, in quibus major sanctitas ac religionis observantia requiritur quàm in seculari Principe. [*L. Cappelli observatio. Atqui tamen ipse Vallalpandus in lorica seu peribolo quo Atrium Sacerdotum ab Atrio Templi separat geminum constituit ostium in hunc finem ut Sacerdotes in templum ingressuri per unum ex illis ostiolis ingrederentur, per alterum verò egrederentur, nè tergum Templo inter exeundum obverterent.*]

CAP. LXXIX. Itaq; rejectis illis cõciliandi τὸ ἀναλογικὸν rationibus, Villalpandus aliam init atque sequitur, nempe inter-

interdicto illo de gradibus ad Altare videri Deum non ipsos gradus aut ascensum ipsum per gradus ad Altare, sed nefarium quoddam Idololatriæ genus prohibere. Atque hîc multa affert de Priapo, phallis & turpitudine sacrorum Gentilium, in quibus multa flagitia & publicam atq; manifestam scortationem admittebant, summa cum impudentia. Cujus (inquit Villalpandus) immanissimæ turpitudinis usum ab Altari suo quàm longissimè removere cùm vellet Deus, *Non ascendes*, inquit, *per gradus Altare meum*, more scilicet Ithyphallorum, *ne revelatur turpitudo tua.* Non itaque gradus fieri prohibentur, sed eorum ascensus in eum finem perversissimum.

[L. Capelli Observatio. *Non videtur improbanda Villalpandi in præcepti illius explicatione sententia, ut eo non tam ascensus per gradus aut gradus ipsi prohibeantur, quàm ut potiùs eo pudor, verecundia & castimonia, quâ Dei sacra peragi debent, innuatur ac præcipiatur, ut sensu præcepti hic sit, Gradus ad Altare ità constituantur, ut rè sacerdotis ad Aram stantis pudenda denudentur ac revelentur, quod in ara Mosis cautum fuit; erat enim humile valde, ad quod duobus aut tribus ad summum gradibus ascendebatur, ità ut nullus esset denudationis inter ascendendum metus. Salomonicum Altare excelsum fuit, 10 cubitos altum, ideóque multis gradibus ad id conscendere oportebat: at ubi emensi erant ascendendo gradu, Sacerdote in summo Altari constituto & sacris operante, metus nullus erat denudationis pudendorum, tum propter subligacula quibus substringebantur, tum propter coronam quâ summum Altare undequaque supernè cingebatur.*]

Cap. LXXX Explicat Villalpandus proportionem magnitudinis Altaris Salomonici cum Mosaico, item & distantiæ utriusque, & sitûs istius in Tabernaculo, illius verò in Templo, & probat quæ fuit ratio magnitudinis utriusq; interse, eandem fuisse rationem seu proportionem distantiæ atque sitûs in Templo atque Tabernaculo.

Cap. LXXXI Craticulæ Altaris usum atque formam exponit.

Cap. LXXXII Arulâ Altaris (quid ea fuerit) explicat.

Cap. LXXXIII Altaris pondus exponit atque demonstrat, totámque Altaris structuram particulatim explicat.

Cap. LXXXIV Ostendit Altare non fuisse solidum lapidibúsque intra æreos parietes conclusis plenum, sed inane & vacuum. Et præceptum Exod. 20.25. de non cædendis ferro lapidibus Altaris, restringit ad Altaria illa quæ ante exstructum Salomonicum Templum ex causa extraordinaria tumultuario opere exstruebantur, ídq; ait factum esse in documentum, quàm Deo odiosa esset cædes ac sanguinis humani effusio.

Excerpta ex Villalpando Tom. 2. Explanationum Part. 2. lib. 5.

Cap. I. Villalpandus hoc libro acturus de gloria Templi Salomonici, loca proponit Scripturæ in quibus gloria Templo illi tribuitur, ut sunt Ezech. 43.5. & 44.4. & Aggæ. 2.4. *Implebo domum istam gloriâ*, &, *Major erit gloria domûs istius novissima quàm prima.* Atq; hîc notat קלל & כבד inter se opponi, & קללי quidem primò de pondere dici atque magnitudine Gen. 8.11. deinde de ignominia & contemptu, Nahum. 1. 14. & Gen. 16. 4,5. Sic כבד primò *pondus* & *gravitatem* significat Job. 6. 2, 3. Prov. 27.3. deinde *honorem* & *gloriam* Jud. 13.18. Isa. 29.13. & quidem honorem qui non ore tantùm & verbis sed & re exhibetur, Prov. 3.9. *Honora Dominum de substantia tua.* Quæ voces invicem opponuntur Isa. 66.5. 2 Sam. 6.20,21. Isa. 9. 1,2. *Primo tempore* הקל *alleviata est*, h. e. vilis, despecta, ignobilis fuit, *terra Zabulon & terra Nephtali, at novissimo* הכביד *aggravata est*, h. e. honorata, decorata, nobilis & illustris facta est, *via maris trans Jordanem Galilea Gentium*, nempe per Christi prædicationem quæ indè cœpit; quod sequenti versu indicatur, *Populus qui ambulabat in tenebris*, &c. alleviatus, obscurus, ignobilis, lumine orbatus, *vidit lucē magnam*, aggravatus vel glorificatus est; *habitantibus in regione umbræ mortis*, alleviatis, despectis, jamjam perituris *lux orta est eis*, aggravati, h. e. glorificati, sunt luce, vitâ, splendore ac gloriæ cursu sempiterno. Hoc vult Propheta, Multò magis futuram glorioſam illam olim Galilææ regionem propter Christi præsentiam quàm fuit Samaria, Regia Israelis, vel etiam Judæa, quæ ad Regiam dignitatem & pompam Sacerdotalem adjunxit etiam Templum cum antiquo ritu & ceremoniis. Quâ ratione cùm gloria Templi prioris tota in auro, argento pretiosissimisque aliis rebus sita fuerit, posterior, quæ priore longè major est, illámq; infinitis propè partibus superans, in una Jesu Christi Domini nostri præsentia omnibus aliis causis rejectis constituta fuit; ità fit ut Aggæi prophetia cum illa Isaiæ maximè convenire videatur.

Cap. II ostendit quàm magna fuerit Templi Salomonici gloria, & quibus in rebus sita. Notat igitur כבוד significare *gloriam, honorem, splendorem, majestatem, claritatem, dignitatem, præstantiam, excellentiam* (indéque illustrat locum 2 Cor. 4. 17. & 1 Cor. 3.7.) item *opes, divitias*, Gen. 31. 1. Nahum. 2. 9. unde illustrat locum Eph. 1, 5, 6. Quòd si hæc omnia quæ de gloria in universum perstrinximus (inquit Villalpandus) cum iis quæ de Templo à Sacris & prophanis Scriptoribus dicuntur attentè contuleris, facilè invenies hæc illis maximè congruere, & singula convenienter aptari. Nam si eorum operum quæ à ratione proficiscuntur (cùm omnia propter finem sint) finis est norma, quæ nā gloria poterit excogitari quâ gloria Templi infinitis partibus major non sit, quòd ad Dei O.M. gloriam exstructa sit hæc domus? Quis honos domui non debeatur cujus Dominus & incola Deus est? Quæ ingenii aut sapientiæ laus in domo hac non eluceſcat cujus Architectus sit Deus, qui in ea prima quasi lineamenta deduxit mundanæ hujus universitatis fabricæ, imò & quodam modo Divinæ? Siquidem in ea licuit contemplari Christi corporis tum veri tum mystici pulcritudinem, quæ etiam causa fuit ut singulæ ædificii partes atque universæ simul in admirationem raperent contemplantium oculos, & animos in amorem tantæ pulcritudinis inflammarent. Accedit opum copia & supellex incredibilis ac propemodum infinita: quæ omnia nisi excellere intelligantur quicquid in unoquoque genere ab omnibus hominibus vel ingenio excogitari, vel industriâ comparari, vel viribus valeat expugnari, ut nihil illi ad summum honorem & gloriam acquirendam deesse putetur, in juriam quodammodo irrogare videantur Divinæ sapientiæ, providentiæ, patientiæ aut fidei. Et mox, Certum est & Sacrarum literarum testimonio comprobatum, magnum aliquid atque excellens & glorioſum Salomoni propositum fuisse exstruendum, cùm Dei domus exstruenda proponeretur, cui etiam Dei præsidium non defuturum promittitur donec perficiat omnia, 1 Paral. 28.20. & 29. 1, 2. & c. 2. 5, 6. Sed hæc omnia humana sunt & quæ naturæ viribus, quasi corporeis oculis, percipi possunt; illa certè Divina sunt, quæ humanæ mentis aciem præstringunt ac fugiunt, quæ supercœlestium rerum ordinem, quæ Divinam ipsam præsentémque naturam quodammodo repræsentant, & ad eam suspiciendam nos inducunt. Quæ omnia respexisse videtur à Deo edoctus David Psal. 26. 3, 4. *Unā petii à Domino, hanc requirā omnibus diebus vitæ meæ, ut videam* בנועם *voluptatem Domini, & visitem Templū ejus.* Deinde, Quocirca ex iis de quibus infinita propemodum percenseri potuissent, huc referri decrevi, partim in iis ipsis contemplanda, partim aliorum, quæ non hominibus magna videri solent, collatione propositâ, ut vel hac unâ ratione constare possit hoc ædificium à Deo excogitatum ità reliqua omnia excellere, ut eorum nullum nè minima quidem ex parte cum hoc possit conferri, nedum illi præferri, sicut quidam maximâ rerum ignorantione decepti senserunt, atque alios à recta veritatis via abductos in densissimas quasdam tenebras conjecere conati sunt. Porrò in omni ædificio tria potissimùm sunt consideranda, artificium sive industria conveniens, materia, & opes; quæ si cum homine conferantur, artificium veluti ad animum, materia ad corpus, opes ad externa quædam ornamenta, ut vestes, pertinent.

CAP. III. Atque hîc incipit Villalpandus ab artificio, explicátque quàm singulare fuerit in tota Templi architectura artificium & admirabilis industria. Et hoc primùm ostendit in columnarum æneárum (quæ reliquarum omnium fuerunt veluti exemplar & modulus) structura. Præmittit autem locum Ezech. 43. 10, 11. quo singularis & eximia totius Domûs dispositio & admirabilis symmetria designatur, cui adjungit locum 1 Par. 28. 19. quo significatur figuram seu Ichnographiam & Orthographiam illius datam esse Davidi à Nathane.

CAP. IV. *De ÆNEIS COLUMNIS, Quæ reliquarum sunt norma, Sacræ Scripturæ Testimonia. Ex 1 Regum 7.*

V. 15. Et finxit duas columnas æreas *(a)* 18 cubitorum altitudinis columnam unam, & *(b)* linea 12 cubitorum ambiebat columnam utramque.

V. 16. *(c)* Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum fusilia ex ære, 5 cubitorum altitudinis capitellum unum, & 5 cubitorum altitudinis capitellum alterum.

V. 17. Et *(d)* quasi in modum retis & catenarum sibi invicem miro opere contextarum, utrumque capitellum columnarum fusile erat, *(e)* septena versuum retiacula in capitello uno, & septena retiacula in capitello altero.

V. 18. *(f)* Et perfecit columnas & duos ordines per circuitum retiaculorum singulorum ut tegerent capitella, quæ erant super summitatem malogranatorum: *(g)* eodem modo fecit & capitello secundo.

V. 19. Capitella autem quæ erant super capita columnarum quasi opere lilii fabricata erant in porticu quatuor cubitorum.

V. 20. Et rursum alia capitella in summitate columnarum desuper juxta mensuram columnæ contra retiacula, *(h)* malogranatorum autem 200 ordines erant in circuitu capitelli secundi.

V. 21. Et *(i)* statuit duas columnas in porticu Templi, cúmque statuisset columnam dextram, vocavit eam nomine Jachin; similiter erexit columnam secundam, & vocavit nomen ejus Booz.

V. 22. Et super capita columnarum opus in modum lilii posuit: perfectúmque est opus columnarum.

(a) 2 Reg. 25. 17. *Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna una.* Jer. 52. 21. *Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una.* 2 Par. 3. 15. *Duas columnas quæ 35 cubitos habebant altitudinis.*

(b) Jer. 52. 21. *Funiculus 12 cubitorum circuibat eam. Porrò grossitudo ejus quatuor digitorum, & intrinsecùs erat cava.*

(c) Jer. 52. 22. *Capitella super utramque area, altitudo capitelli unius quinque cubitorum.* 2 Reg. 25. 17. *Capitellum æreum super se altitudinis trium cubitorum.* 2 Par. 3. 15. *Porrò & capita eorum quinque cubitorum.*

(d) 1 Reg. 7. 41. *Et funiculos capitellorum super capitella columnarum duos.* 2 Par. 3. 16. *Necnon & quasi catenulas in oraculo, & superposuit eas capitibus columnarum.* 2 Par. 4. 12. *Epistylia & capita, & quasi quadam retiacula quæ capita tegerent super epistylia.* Jer. 52. 22. *Et retiacula & malogranata super coronam in circuitu, omnia area.*

(e) 1 Reg. 7. 41. *Retiacula duo, ut operirent duos funiculos qui erant super capita columnarum.* 2 Reg. 25. 17. *Et retiaculum & malogranata super capitellum columnæ, omnia area.* Jer. 52. 22. *Et retiacula & malogranata super coronam in circuitu, omnia area.*

(f) 1 Reg. 7. 42. *Duos versus malogranatorum in retiaculis singulis ad operiendos funiculos capitellorum, qui erant super capita columnarum.* 2 Par. 4. 13. *Et retiacula duo, ità ut bini ordines malogranatorum singulis retiaculis jungerentur, quæ protegerent epistylia & capita columnarum.*

(g) 2 Reg. 25. 17. *Similem & columna secunda habebat ornatum.* Jer. 52. 22. *similiter & columna secunda.*

(h) 1 Reg. 7. 42. *Et malogranata 400 in duobus retiaculis.* 2 Par. 3. 16. *Malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.* 2 Par. 4. 13. *Malogranata quoque 400. & retiacula duo,* &c. Jer. 52. 23. *Et fuerunt malogranata 96 dependentia, & omnia malogranata 100 retiaculis circumdabantur.*

(i) 2 Par. 3. 15. *Ante fores etiam Templi duas columnas.* V. 17. *Ipsas quoque columnas posuit in vestibulo Templi, unam à dextris & alteram à sinistris; eam quæ à dextris erat vocavit Jachin, & quæ ad lævam Booz.*

Lectis ac diligenter consideratis (inquit Villalpandus) quæ tot Scriptores sacri de columnis Templi scripserunt, nullus certè tam hebes erit ingenii qui non putet inesse aliquid magnum laude & admiratione dignum, quod Divino præcipiente Spiritu articulatim fuit distinctéque explicandum. Item, illud unum initio hujus Disputationis proponendum censuimus, Quòd eâ absolutâ maximè confirmatum iri speramus, maximam laudem Templo attulisse columnas, quibus quicquid in eo genere posset excogitari superantibus, ad Templi gloriam explicandam testes locupletissimos adhibuimus. Fateor ingenuè S. Scripturæ phrasim difficilem esse, & in illis præcipuè rebus de quibus plures Scriptores diversâ ratione locuti sunt, omnino difficillimam. Verùm nobis, quibus ab initio constitutum fuit Scripturas sacras aliis Scripturis explanare, ut illæ ipsæ sibi sint luci, libentiùs in ea loca incumbimus de quibus plura reperiuntur S. Scripturæ testimonia, quamvis longè diversa videantur, aut plerumque etiam contraria. Nam dum ea mutuâ collatione factâ in unam & eandem interpretationem consentire ostendentur, quæ in reliquis dissidebant, eam unam veram, certam ac genuinam esse planè demonstrabunt. Quod in altitudine columnæ primùm ostendenda perspectum esse poterit: altitudo enim uniuscujusque columnæ 18 cubitis finitur in libro Regum, ut in Paral. utraque 35 cubitis est dimensa. Nec tantùm, sed & capitellum uniuscujusq; columnæ nunc 5 cubitorum constare dicitur, nunc trium, nunc deniq; ad mensuram columnæ, h.e. 2 cubitorum.

CAP. V. *De Altitudine Columnarum.*

Columnæ partes ab imo ad summum sunt hujusmodi, Basis (quæ deinde suis membris constat, quadratâ plintho & in orbem ductis 10 spiris;) basi superstat scapus, summo scapo imponitur capitellum; atque tres dictæ partes simul *Columna* nomine plerumque censentur. Hujus maxima pars fuit scapus, qui totus unà cum spiris basis (demptâ plintho) fusus fuit. Et hunc quidem scapum cum basi metitur uterque locus Regum, *Cubitorum 18 altitudinis columnam unam.* Et Jer. 52. 21. *Cubiti 18 altitudinis erant in columna una.* Et Josephus de Chiramo, *Is fecit duas columnas æreas altas cubitos 18.* At quoniam totus scapus cavus erat, & additæ insuper spiræ basis erant etiam cavæ, necessarium visum fuit solidam quadratam plinthum fundere, quæ totum opus columnæ instar fundamenti & sustentaret & contineret. Atque prædicti loci plinthum columnæ adjecerunt, quæ tota usque ad capitellum cubitis 18 erat alta. At liber Paral. utramque simul scapi utriusque complexus est altitudinem, demptâ tamen utrique plintho, atq; eam reperit fuisse cubitorum 35. qui locus unicuiq; columnæ cubitos tribuit 17 ½; tot enim præcisè altus fuit scapus columnæ sublatâ plintho & capitello.

De Columnarum crassitudine sive perimetro.

Ab altitudine scapi ad ejus crassitudinem veniamus: sequi enim nos decet S. Scripturæ quam interpretamur ductum, *Et linea 12 cubitorum ambiebat columnam utramque.* Heb. שנים, quod nonnulli, verba potiùs quàm verborum sensum respicientes, converterunt, *secundam*, qui, si *secundatam* vel *iteratam* scripsissent, propiùs ad veritatem accessissent.

accessissent. Longissimè à sensu recessit Chald. Lxx Interp. fortè imitatus, qui difficultatem Hebraicæ phrasis explanare cupientes aliter sensisse videntur quàm ut cum Hebraico textu sentirent, *Et perimetrum 12 cubitorum filum ambiebat eam, & sic columna secunda.* Subintelligendum enim videtur *eodem filo*, quasi sensus sit, filo 12 cubitorum cinxit columnam unam, & reliquâ fili parte cinxit columnam secundam. Sed phrasim & rem ipsam uno verbo expressit Vulg. *utramque* convertens; hunc enim sensum sortitur sine controversia eadem vox Gen. 21. 31. & cap. 27. 45. [L. Cappelli Observatio. *Sed fallitur hîc Villalpandus; non enim est utrobique eadem vox: hic enim* 1 *Reg.* 7. *est* שׁנִי secunda, *at isthic est* שׁנַיִם *vel* שׁנֵיהֶם *quod est plur. num. à* שׁנַיִם duo.] Torquet deinde Jeremiæ locum; Non me latet (inquit) Jeremiam de columnis sic scribere cap. 52. *Et funiculus 12 cubitorum circuibat eam*, qui cùm lugentis affectum concisis verbis ac veluti singultibus interruptis exprimeret, quam Historia vocavit *secundam*, h. e. *utramque*, ipse pronomine, quod *affixum* vocant, adjuncto *eam* dixit, h. e. eam utramque quam dixit Historia, atque adeò in idem recidit. Atque hîc rejicit Villalpandus Josephi & Eupolemi sententiam, qui unicuique columnæ circumferentiam (cum Lxx & Chald. Par.) tribuunt; Eupolemus quidem (apud Euseb. l. 9. Præpar. c. 4.) decem cubitorum (sed Librariorum vitio, uti putat Villalpandus, pro 12.) Josephus verò 12 cubitorum: nam præterquam quòd (inquit Villalpandus) perspicuis S. Scripturæ testimoniis adversatur, universi ædificii proportionibus repugnat ut tantam crassitudinem columna habeat, quæ alta sit duntaxat 18 cubitos. Sentiamus igitur quod verum est ac certum, filum 12 cubitorum circumdedisse columnam utramque, sex cubitorum lineam cinxisse alterutram. Hujus ergò diameter ex tertia circumferentiæ parte 2 cubitorum fuit, quanta videlicet data est à Propheta nostro frontibus aut semicolumnis universi Templi latitudo, quantáque à nobis ostensa est esse debuisse omnium columnarum Templi diameter seu crassitudo, non earum modò quæ in mediis porticibus atriorum Israelis & Sacerdotum erigebantur, sed & earum quæ universum atrium Gentium cingebant, & porticuum contignationem sustinebant. Id quod non symmetriæ ratione tantùm confirmatur, sed & Josephi testimonio, qui cùm Meridianam porticum atrii Gentium ab Herode factam retulisset, quæ antiquæ Orientali porticui ex prima Salomonis ædificatione adhuc (eodem attestante Josepho Antiq. lib. 15. cap. 14.) superstiti conjungeretur, ut perspectum foret hujus atque illius columnas pares fuisse, sic ait, *Crassitudo autem cujusque columnæ quantam possent tres homines consertis inter se brachiis complecti, longitudo 27 pedum.* Ubi primùm eam quam tres homines complectuntur columnam diametrum habere indicat staturæ hominis ferè parem, cùm ea par sit suis brachiis extensis. Ex quo longitudo cubiti quam statui (nempe trium ferè pedum) confirmatur; quæ quoniam dimidiam hominis staturam (h. e. tres pedes) non assequitur, propterea dixit Josephus *consertis brachiis* complexos fuisse tres homines columnam, majorem complexuri si manibus manus contingerent, non verò conserrent. Altitudinem verò scapi eandem retulit quam Sacræ historiæ retulerunt, hoc uno ab illis distans, quòd illæ cubitis altitudinem finiunt, hic pedibus, non quibuscunque sed eis quibus cubiti proportione respondent. Nempe cubiti 18 faciunt 27 pedes. Hoc ergò vult Villalpandus, Columnæ istæ æreæ fuerant veluti modulus & exemplar omnium quæ in universo Templo erant columnarum (quod putat his Eupolemi apud Euseb. lib. 9. Præpar. cap. 4. verbis confirmari, *Erat columnarum altitudo par Templo*, q. d. columnas has reliquis universi Templi pares fuisse.) Jam verò propheta Ezechiel definivit *frontes*, h. e. diametros columnarum, 2 cubitis, ergò perimeter earum fuit 6 cubitorum non verò 12. Itaque dicendum est hîc filum 12 cubitorum cinxisse utramque columnam, h. e. ambas simul sumptas columnas. Præterea symmetriæ ratio non patitur ut columna quæ est alta 18 cubitos crassa sit 12. imò exigit symmetriæ ratio ut crassa sit tantùm 6 cubitos, uti infrà demonstrabitur. Interim dici possunt crassæ 12 cubitos (juxta Josephi locum modò laudatum Antiq. lib. 15. cap. 14.) si hoc intelligatur non de cubitis sacris (quos intelligit Scriptura cùm *cubitos* nominat) sed de cubitis hominis communibus, qui sacris duplo ferè minores sunt.

CAP. VI. *DE COLUMNARUM CONTRACTIONE.*

Vulg. utriusque columnæ ambitum facit 12 cubitorum; Lxx in Sixt. codice cub. 14. Hanc lectionem refert etiam Theodoretus. Hanc suscipimus non ut Vulgatæ contrariam, sed ut ejus aptum commentarium. Vulg. historici morem sequitur, & παχυμερῶς loquitur, atque adeò columnæ circuitum sex cubitis definivit, cujus diametrum significare voluit fuisse 2 cubitorum. At Lxx exactam Mathematicorum rationem secuti sunt, quâ ratione columnæ diametrum & ejusdem adjectionem, quam *ventris columnæ* nomine indicarunt, & striarum præterea latitudinem & alia scitu jucunda nobis aperuerunt. Nempe non apud Lxx duntaxat, sed & apud ipsos Sacros historicos, quædam insinuantur quæ sine Mathematicis rationibus percipi nullâ ratione possunt. Triplex est scapi columnæ mensura, I. in imo scapo, II. contractionis in summo, III. adjectionis in medio. Primam imi scapi mensuram ex ea calami (quam dixi) in æquas partes sectione licet colligere, in qua digiti singuli singulis adduntur cubitis, atque adeò cubitis binis, h. e. digitis 48, adduntur duo digiti, & fit columnæ diameter digitorum 50. quem numerum quasi proprium sibi vendicat hæc fabrica, qui & sequenti supputatione confirmatur; Summum hypotrachelium dat nobis circumferentia sex cubitorum; nam juxta Archimedis demonstrationes circuli circumferentia ad diametrum eam habet proportionem quam 22 ad 7. Quod si per regulam Trium Arithmeticâ supputatione quæram numerum qui ad senarium habeat proportionem quam 7 ad 22, inveniam diametrum summi scapi unius cubiti cum $\frac{10}{11}$, quem numerum si ad digitos revocem, habebo diametrum digitorum $45\frac{2}{11}$; sed fractionem abjiciemus & summo hypotrachelio dabimus digitos 45. imò verò scapo digitos 50, & sic contractio columnæ erit ex decima crassitudinis parte. Quam contractionis rationem Villalpandus ostendit congruere cum ea quam tradit Vitruvius lib. 3. cap. 2. *Contracturæ in summis columnarum hypotrachelîis ità faciendæ videntur, ut si columna sit à 40 pedibus ad 50, ima crassitudo dividatur in 8 partes, & earum 7 in summo scapi hypotrachelio contrahantur. Hæc autem propter altitudinis intervallum scandentis oculi speciem fallunt, quamobrem adjiciuntur crassitudinibus temperaturæ.* Quapropter (inquit Villalpandus) cùm graciliores multò apparerent columnæ Eustyli & Aræostyli ratione dispositæ (quales omnes fuerunt in Templo Salomonico) temperandæ magis fuerunt contracturæ, ità ut in columnis 50 ped. ima crassitudo divideretur in partes 10, & ex eis 9 crassitudini darentur. Columnas autem Templi Salomonici fuisse altas ped. 50 ostendit Villalpandus. Aliam præstantiorem contracturæ rationem licet in hoc ædificio observare ex ipsis intimis Architecturæ principiis petitam, nempe ex Triglyphorum exactissima distributione exortam. Ratio hujusmodi est, Summo hypotrachelio latitudo Epistylii ex æquo respondet (teste Vitruvio) sicque summi hypotrachelii crassitudo & Epistylii crassitudo pariter æqualis altitudini zophori, in qua trabes summo artificio disponuntur. Zophori autem altitudinem fuisse 45 digitorum alibi probat Villalpandus.

CAP. VII. *De Columnarum adjectione & Striis.*

Adjectio in columnæ medio Vitruvii jussu ex striæ crassitudine sumenda est; sic enim ille lib. 3. cap. 3. *Co-*

lumnarum ſtriges faciendæ ſunt 24, *craſſitudines* (ſtriarum ſcil.) *faciendæ ſunt quantum adjectio in media columna ex deſcriptione invenietur.* Striatas autem fuiſſe columnas hinc probatur. I. Columnarum proceritas, quæ virginalem imitabatur gracilitatem, earundem ſtriatas ſtolas eſſe imitandas ſuadet. II. Tot tantæque omnium coronarum & ornamentorum ſculpturæ reſpuunt ſcapi univerſum corpus abſque ulla ſculptura apparere. III. Joſephus Antiq. 8. cap. 2. juxta Rufini verſionem, *Fecit Hiramus duas columnas æreas cum canalibus cavatione* 4 *digitorum.* In Græco quidem eſt, στύλους δύο χωνὰς ἔσωθεν τὸ πάχος τεσσάρων δακτύλων, quæ concinunt cum verbis Jerem. 52. 21. *Craſſitudo ejus* 4 *digitorum, & intrinſecùs cava erat.* Lxx, *Craſſitudo ejus* 4 *digitorum in circuitu:* quæ omnia ſolidam indicant metalli craſſitudinem. Sed minimè tamen improbabilis videtur Rufini lectio (inquit Villalpandus) quam hauſit ex aliis Græcis exemplaribus fortè purioribus, & certè minimè abſona videtur, cùm utrumque ex æquo verum eſſe poſſit, columnæ ſc. metallum craſſum undique fuiſſe 4 digitos, & canales inter ſtrias latas fuiſſe totidem digitos. Utriuſq; rei exemplum videre licet in veſtigio ſcapi columnæ. Confirmatur idipſum ex Lxx, qui 1 Reg. 7 aiunt, *Perimetrum* 14 *cubiti circumdabant eam, craſſitiem columnæ* 4 *digitorum cavitates.* Quos ſecutus Comeſtor, *Stylus columnæ* 18 *cubitos habebat altitudinis non planæ, ſed valiculatus, habens in circuitu canales cavationis* 4 *digitorum.* Et certè mira omnium partium cum Architecturæ præceptis conſenſio hoc idem confirmat. Strias enim 24 faciendas eſſe Vitruvius præcipit, quot ſunt in cubito digiti; ex quo fit ut ſummi ſcapi circumferentia, quæ 6 cubitis definitur à Sacro hiſtorico, ſex digitos tribuat unicuique parti, quæ rurſus in canalem ſive ſtrigem dividatur 4 digitorum & ſtriam duorum. Jam cùm ſtriæ craſſitudo ſit perſpecta 2 digitorum, eadem ex utraque parte adjicienda eſt columnæ in ventre; atque adeò diameter ventris columnæ erit digitorum 54. Quæ diametri longitudo poteſt & hinc aliâ ratione demonſtrari. Lxx Interp. lectio perimetris utriuſque columnæ cubitos dat 14. uniuſcujuſque ſeptenos. Septem autem cubiti digitos continent 168: quem numerum ſi in ſeptenarium duxeris, productúmque per 22 diviſeris, habebis hujus circumferentiæ diametrum digitorum 53 $\frac{10}{22}$, h.e. ferè 54. quos paulò antè colligebamus. Hanc in medio columnæ adjectionem probat Villalpandus ex voce Heb. בטן 1 Reg. 7. 20. *Ornamenta ſuper duas columnas deſuper è propinquo* בטן *ventris* (nam בטן *uterum* ſignificat, qui æquâ ratione undique intumeſcit) ubi Vulg. *juxta menſuram columnæ*, h.e. (inquit Villalpandus) capitella tiliata ipſis impoſita columnarum ſcapis altitudine æqualia erant latitudini ventris columnæ maximæ, nimirum craſſitudini columnæ. At Philander ejuſmodi columnas (in medio ſc. intumeſcentes) non vidit Romæ in antiquis monumentis. Eſto. Sed Cicero vidit, qui Act. 1, & 5. in Verrem, *Nulla eſt*, inquit, *columna quæ ad perpendiculum eſſe poſſit.* Ubi Pædianus, *Perpendiculum linea laterum æqualitatem probat, à ſummo ad imum altitudinem probans. Hoc in columnis omnibus, tum maximè in ſtructilibus evenit, in quibus aut media aut ima craſſiora ſunt.* Objiciat rurſus aliquis quòd lata plus nimio fiat ſtria 2 digitorum ex dimidia ſtrige, cùm fieri ſtrias in Veterum operibus, Philandro teſte, comperias, nihil plus quàm ex tertia parte, nihil minus quàm ex quarta apertionis canaliculi. Reſp. in planis ſtriis verum id eſſe; at in illis quæ exſtantibus in mediis ſtriis aſtragalis exornantur, aliter ſe res habet; fiunt enim ex dimidia (& nihilo minus) ſtrigis parte, aliquando ex majore. Harum exempla videre eſt in Pantheone, in duabus illis columnis quæ Templi portam ex adverſo reſpiciunt, & in aliis multis Romæ.

CAP. VIII. *De Trabeationibus, ſive Coronis.*

Ad 1 Reg. 7. 16. *Duo fecit capitella*] Quoniam omnia ornamenta ſcapis columnarum impoſita hoc nomine appellantur, ea verò non ſunt eâdem formâ ſed multiplici, quæ diverſis nominibus ab Architectis cenſentur, explicanda eſt vox כותרות quod eſt plur. à ſing. כותרת *corona, diadema*, à כתר *cingere*; corona autem *cingit, exornat, nobilitat:* quæ omnia illis ornamentis conveniunt quæ columnarum ſtylis imponuntur, capitellis nimirum, epiſtyliis, zophoris, coronis, ſed potiſſimùm omnium ſummo, quod apud Latinos idem *corona* nomen ſibi quaſi proprium vendicat, quòd non modò columnas ſed etiam univerſum ædificium cingat, coronet, & illi veluti perfectionis dignitatem adjiciat. Sed hîc ipſa trabeatio indicatur, conſtans epiſtylio, zophoro & coronâ. Hunc locum varii variè convertunt, Lxx in Reg. codice *capitella*, in Sixt. ἐπιθήματα *additamenta*, id indicans ornamenti genus quod in ſummo collocatur. Chald. hoc loco vertit *coronas*, apud Jerem. *capitella.* Atque hîc Villalpandus rejicit Vatabli ſententiam qui reddit *epiſtylia rotunda*, quòd abſonum ſit epiſtylia eſſe rotunda.

De tota Columnarum forma, figura, diſpoſitione, partibus & ornamentis vide Tabulas proprias tres Columnarum.

SYMMETRIÆ ARCHITECTURÆ SACRÆ.

DIAMETRI COLUMNARUM,

ORDINIS	Domûs Domini Cubiti.	Digiti.		Atriorum Cubiti.	Digiti.		Domûs Regiæ Cubiti.	Digiti.
Primi	4 $\frac{1}{6}$	100		2 $\frac{1}{12}$	50		1 $\frac{1}{24}$	25
Secundi	3 $\frac{1}{8}$	75		1 $\frac{9}{16}$	37 $\frac{1}{2}$		$\frac{25}{32}$	18 $\frac{1}{4}$
Tertii	2 $\frac{1}{2}$	60		1 $\frac{1}{4}$	30		$\frac{5}{8}$	15

ALTITUDO COLUMNARUM.

Primi	40	960		20	480	10	240
Secundi	30	720		15	360	7 $\frac{1}{2}$	180
Tertii	24	576		12	288	6	144

TRABEATIONUM ALTITUDO.

Primi	10	240		5	120	2 $\frac{1}{2}$	60
Secundi	7 $\frac{1}{2}$	180		3 $\frac{3}{4}$	90	1 $\frac{7}{8}$	45
Tertii	6	144		3	72	1 $\frac{1}{2}$	36

ORDINUM CELSITUDO.

Primi	50	1200		25	600	12 $\frac{1}{2}$	300
Secundi	37 $\frac{1}{2}$	900		18 $\frac{1}{4}$	450	9 $\frac{3}{8}$	225
Tertii	30	720		15	360	7 $\frac{1}{2}$	180

PODIOLI ALTITUDO.

Secundi	1 $\frac{1}{4}$	30		$\frac{5}{8}$	15	$\frac{5}{16}$	7 $\frac{1}{2}$
Tertii	1 $\frac{1}{4}$	30		$\frac{5}{8}$	15	$\frac{5}{16}$	7 $\frac{1}{2}$

UNIVERSA ALTITUDO.

Domûs Domini.		Atriorum.		Domûs Regiæ.	
120	2880	60	1440	30	720

Ad præcedentem Tabulam Symmetriæ Architecturæ Sacræ.

Villalpandus Tom. 2. part. 2. lib. 5. cap. 16.

De numerorum proportione ac modo quo prædicta Tabula componitur hæc accipe. Sunt quædam planè certa, ex quibus reliqua deducuntur. Domus Domini dupla eſt Atriorum, Atria ſunt dupla domûs Regiæ. Ex quo fit ut à ſiniſtra ad dexteram quilibet numerus ſit tertii duplo major, primus verò ad ſecundum habeat rationem quam cubitus ad digitos quibus conſtat, h.e. quam unitas habet ad 24. Sunt præterea in Atriis quidam numeri noti in primo ordine, diameter ſc. columnæ in imo ſcapo digitorum 50. h.e. cubitorum 2 $\frac{1}{12}$ altitudo columnæ 20 cubitorum, trabeatio 5 cubitorum, ordo 25 cubitorum. Horum numerorum ſinguli ſunt in ſumma ſuæ

Tabulæ

3735

Tabulæ linea: ſed deſcendendo numerus primus ad ſecundum habet eam proportionem quam quaternarius ad ternarium, hic rurſum ſecundus ad tertium habet proportionem quam quinque ad quatuor. Quæ proportio in trabeatione domûs Regiæ perſpecta eſſe poterit propter digitorum numerum 60. quem ſi in quatuor dividas, invenies 15. quem ſi ab eodem numero auferas, dabit 45. numerum trabeationis ſecundi ordinis. Hunc iterum in quinque partes divide, & inventum novenarium ab eodem auferas numero, habebis 36. numerum trabeationis tertii ordinis. Atque eâdem ratione omnes alii numeri ſunt inventi. Inter primum ordinem & ſecundum proportio eſt ſemper ſeſquitertia, quæ conſonantiam efficit Diateſſaron. Inter ſecundum & tertium ordinem proportio eſt ſeſquiquarta, quæ conſonantiam propriè Muſicâ non efficit. Inter domum Dei & atria, & inter Atria atq; domum Regiam proportio eſt dupla, quæ Diapaſon facit. Inter domum Dei verò & domum Regiam proportio eſt ſubdupla, ſive quadrupla, quæ facit Diſdiapaſon.

Ib. Supereſt ut aliquid dicamus de quarto ordine Atriorum, qui ſuper portis & caſtellis erigitur, ac de quinto qui huic imponitur in eiſdem caſtellis, quos pares eſſe oſtendendum eſt primo & ſecundo ordini domûs Regiæ. Nam (ſicut à S. textu docemur) ſecundus ordo minor eſt primo quartâ hujus partè, tertiâ verò illius, tertius autem ſecundo quintâ hujus, quartâ verò illius. Sic etiam ulteriùs in altum progrediendo, quartus tertio minor erit quintâ ſui partè, hujus verò ſextâ. Quare ſi numerum tertii ordinis trabeationis Atriorum 72 digitorum in ſex partes dividas, cuique obvenient 12. Hos à primo numero auferas, & habebis 60, quot tribuuntur primo ordini domûs Regiæ. Cúmque omnium partium eadem ſit ratio, certò agnoſces quartum ordinem Atriorum primo domûs Regiæ fuiſſe parem. Quintum verò Turris (ſeu Caſtelli) æqualem fecimus ſecundo domûs Regiæ, quoniam illum oportuit altiorem facere, quòd in medio Caſtello excitaretur. Sed operæpretium eſt aperire proportionem quam habent ad altitudinem univerſi ædificii columnæ ſingulorum ordinum. Et in Atriis quidem univerſa altitudo eſt cubitorum 60. cujus tertia pars eſt prima columna cubitorum 20. ſecunda 15. ex quarta totius, tertia 12. ex quinta; nam reliqui tabulatis tribuuntur. Hoc ordine totius altitudinis duodecima pars eſt prima Trabeatio, decimaſexta dat ſecundam, vigeſima dat tertiam; quam partiendi normam ſequuntur in Muſicis rationibus, ut ex nervi in partes ſectione conſonantias rimentur Muſicæ periti.

Ib. De Podiolo.

Unum fortaſſe mirabitur in hac Tabula Lector, cujus nondum ullam rationem dediſſe videmur. Podiola ſc. illa duo quæ, quòd ſint paria facta, & in ſecundo tantùm & tertio ordine, extra morem reliquarum proportionum eſſe videbuntur. Sed certè uſus & ratio poſtulabat ut (nè à projecturis coronarum, ſuperiorum ordinum baſes impedirentur) podiolis erigerentur. Sed quoniam quò altiores ſunt coronæ magis impediunt ea quæ retrò ſunt, etſi minùs projiciantur, ideo ſecundi ordinis podiola paria fecimus podiolo tertii ordinis, ut propter majorem altitudinem tertii ordinis eadem videretur ſervata proportio quæ verè major eſt.

TABULA PARTIUM TRABEATIONIS.

	IN DOMO DOMINI. Epiſtylium.	Zophorus.	Corona.	IN ATRIIS. Epiſtylium.	Zophorus.	Corona.	IN DOMO REGIA. Epiſtyl.	Zophor.	Coron.
ORDINIS I.	60	90	90	30	45	45	15	22½	22½
ORDINIS II.	45	67½	67½	22½	33¾	33¾	11¼	16½	16⅞
ORDINIS III.	36	54	54	18	27	27	9	13½	13½

	Triglyphi.	Metopæ.	Triglyphi.	Metopæ.	Triglyphi.	Metopæ.
ORDINIS I.	60	90	30	45	15	22½
ORDINIS II.	40	60	20	30	10	15
ORDINIS III.	30	45	15	22½	7½	11¼
	8	12	4	6	2	3



Conſonantiæ quinq; Muſices, ex Villal.

Earum ratio in Monochordo facilè examinatur. Nam ſi extenſa chorda A B dividatur in quatuor partes in punctis C E G, & rurſum in tres in punctis D E, habebitur Monochordum ad omnes concentus inveniendos aptiſſimum. Si enim totam chordam A B pulſes, & ejus partem A G, reddet conſonantiam Diateſſaron, quæ proportione ſeſquitertiâ conſtat. Si verò chordam iterum pulſes, & ejus partem A F, reddet Diapente ſeſquialterâ proportione. Si verò totam, & partem ejus A E, Diapaſon reddet proportione duplâ. Et hæ ſunt tres ſimplices Compoſitæ ſunt hæ. Si totam chordam pulſes, & ejus tertiam partem A D, habebis Diapaſon cum Diapente triplâ proportione; ac tandem Diſdiapaſon inter totam chordam & ejuſdem quartam partem A C. Quæ omnes

omnes Consonantias numeris notavimus, ut ad eorum normam facilè quis examinare possit numeros illos quibus hujusmodi Consonantias omnes in Tabulis notavimus.

Ad antecedentem partium Trabeationis Tabulam.

Universalis Architecturæ sacræ consideratio, & Triglyphorum in secundo & tertio ordine distributio.

Villalpandus Tom. 2. Part. 2. lib. 5. cap. 20.] Siquis ædificium velit exstruere, oportet imprimis columnæ crassitudinem, altitudinem ac distantiam intercolumnii constituere, ex qua reliqua deducat. Atque ut facilior sit Disputatio, numeros accipiam Atriorum, & statuam columnæ crassitudinem 2 cubitorum, ex qua deducam decuplam altitudinem 20 cubitorum. Hanc dividam in 4 partes, & habebo Trabeationis altitudinem 5 cubitorum, & totum ordinem 25 cubitorum, Hanc altitudinem dividam in quatuor partes, & habebo cubitos $6\frac{1}{4}$; ac tantum distare faciam centra columnarum. Hanc rursus bifariàm secabo, & habebo cubitos $3\frac{1}{8}$; ac tantam constituam Epistylii & Zophori altitudinem; quâ sublatâ ex Trabeationis altitudine quinque cubitorum reliquus erit cubitus unus cum $\frac{7}{8}$ cubiti partibus, h. e. digitorum 45, qui numerus æqualis est numero altitudinis Zophori suprà inventi. Quare si hunc numerum ex altitudine Zophori cum Epistylio subtrahas, reliquus erit cubitus $1\frac{1}{4}$ altitudini Epistylii aut latitudini Triglyphi tribuendus; ex quibus patet modus Trabeationis in partes suas immediatè distribuendæ. Si universa altitudo 120 digitorum dividatur in partes 8, una pars erit 15, cujus duplum Epistylio dabis, triplum Zophoro, ac tantundem Coronæ. Vel faciliùs, quartam partem totius, h. e. digitos 30 dabis Epistylio, reliquos 90 bifariàm divides, & alteram partem digitorum 45 dabis Zophoro, reliquam Coronæ. Ad secundum ordinem quod attinet ejúsque Triglyphorum distributionem, observandum est Vitruvii præceptum lib. 3. cap. 3. quod ab ipsa rerum natura originem trahere videtur. *Quò altiùs scandit oculi acies, non facilè persecat aeris crebritatem, dilapso itaque altitudinis spatio, & viribus extrito, incertam modulorum renunciat sensibus quantitatem. Quare semper adjiciendum est rationis supplementum in symmetriarum membris, ut cùm fuerint in altioribus locis opera, aut etiam ipsa Colossicotera, certam habeant magnitudinum rationem*, h. e. (inquit Villalpandus) tantò majorem habeant magnitudinum rationem. Id autem quomodo præstandum sit satìs perspectum est (inquit Villalpandus) ex his nostris fabricis; in quibus ex numeris S. Scripturæ eorúmque proportionibus eam deduximus Trabeationum altitudinem, quam in superiori Tabula notavimus; cujus etiam partes, Epistylium, Zophorus atque Corona, ex simili ratione quâ primi ordinis Trabeatio in partes distributa est, comparabuntur. Nam si secundi ordinis Atriorum trabeationem in prædicta Tabula consideres, quæ Trabeatio est 90 digitorum, eámque in 8 partes dividas, singulis partibus obvenient digiti $11\frac{1}{4}$: quam si bis sumas, dabis Epistylio digitos $22\frac{1}{2}$; eandem partem si ter sumas, dabis Zophoro $33\frac{3}{4}$, ac tantundem Coronæ. Verùm Triglyphi & Metopæ latitudo aliâ ratione investiganda est. Nam pari ratione calamus unus, quo ab invicem distant centra columnarum, dividendus est in partes 3, non 2, ut in priori ordine, erítque una 2 cubitorum ac totidem digitorum, quæ si ad digitos revocetur, èrunt omnes simul digiti 50, quantum esse decet Triglyphi cum Metopa latitudinem. Hanc si in 5 distribuas partes, ex quibus duas Triglyphi tribuas latitudini, habebit digitos 20; reliquas dabis Metopæ, & habebit digitos 30. Et quoniam in priore ordine observatum fuerat Epistylii crassitudinem latitudini Triglyphi fuisse parem, & Metopam Zophoro, hos duos numeros cum prioribus conferes, & invenies hos ab illis superari octavâ horum parte, illorum verò nonâ. Atque hanc esse intelliges perfectissimam rationem, ut similes habuisse inferiori modulos eorum altitudo visui renunciet. Denique & in tertio ordine pari ratione progrediendum est, si tamen calamum, quo ab invicem distant centra columnarum, quem in priori ordine in duas partes secuimus, in secundo in tres, in tertio dividamus in 4. tot enim Triglyphi atque Metopæ sunt in eo ordine distribuendi: Quòd si plures supponerentur ordines, in quarto fierent 5 Triglyphi, & sic deinceps. Illud præterea observandum in collationibus numerorum Triglyphi & Epistylii, Metopæ & Zophori, non esse addendam octavam partem, sed propter majorem altitudinem, majorem, nimirum sextam. Quæ omnia & singula ex antecedentibus duabus Tabulis quasi compendio manifesta sunt.

De Symmetria sive Proportione partium ædificii.

Villalpandus lib. 5. cap. 24.] Proportio triplex est, Arithmetica, Geometrica, Musica sive Harmonica. Harum unamquamque licet in his nostris fabricis observare, & in illis potissimùm numeris quos in partium hujus ædificii Tabulas paulò antè redegimus. Ac primùm Arithmeticam proportionem, quæ per eandem differentiam progreditur, in ipsis numeris ordinum Vestibuli licet intueri, quos ex sacro textu collegimus, viz. 50, 40, 30. Et hæc ipsa ratio in subduplis Atriorum numeris reperiatur, & in subquadruplis domûs Regiæ. De proportione Geometrica, in qua primus ad secundum eandem habet rationem quam secundus ad tertium, si continua sit proportio, aut quam tertius ad quartam si discreta, non est hujus loci exempla proferre; nam si universa exemplis probare velimus, ea omnia in unum locum congerere cogemur quæ de partium mensuris separatim alibi prosecuti sumus. Illud verò hujus ædificii proprium est atque maximè observandum, ídque ad harmonicam proportionem spectat, quòd non aliâ ratione visus hujus ædificii partibus contemplandis delectari videatur, quàm auditus vocum aut instrumentorum suavi modulatione perfruatur. Porrò concentus omnes, quos Græci *συμφωνίας* appellant, sunt omnino sex, Diatessaron, Diapente, Diapason, Diapason cum Diatessaron, Diapason cum Diapente, Disdiapason. Verùm cum Diapason cum Diatessaron superpartiens denominari possit, harmonica certè consonantia non est; atque adeò omnes consonantiæ sunt tantùm quinque, tres viz. simplices, duæ compositæ. Et horum quidem rationem in Monochordo examinant Musicæ periti. Hic vide antecedentem Tabulam partium Trabeationis.

De Templi admirandis.

Villalpandus lib. 5. cap. 26.] Templi Architectus fuit ipse Deus ex 1 Par. 28. 19. *Omnia*, inquit David, *ad me venerunt scripta manu Dei ut intelligerem universa opera exemplaris.* Quibus verbis (inquit Villalpandus) designatur quòd Dei manu non descriptiones modò, figuræ ac dispositiones omnes, Ichnographiæ, Orthographiæ & Scenographiæ graphicè depictæ fuerint, verùm etiam longior quidam Commentarius, in quo universa Davidi tradita fuerant, & ab eo Salomoni, per artifices opere complenda. Dei Architecti veluti executor, quem Hispani vocant *apparejador*, fuit Hiramus, de quo 2 Par. 2. 13, 14. & 1 Reg. 7. 13, 14.

Cap. XXVII. Villalpandus ex 1 Reg. 5. 13, 14, 15, 16. & ex 2 Par. 2. 2, 17, 18. colligit operariorum numerum fuisse 411900. nempe ex Proselytis 150 *M.* & præterea 3600 Præfecti; deinde ex Israelitis 30 *M.* qui per vices operabantur, 1 Reg. 5. 13, 14, 15, 16. & 2 Par. 2. 17, 18. His addit 80 *M.* Tyriorum, totidémque Ægyptiorum ex Eupolemo, quia 1 Reg. 5. 17, 18. fit mentio cæmentariorum Hirami qui junguntur cæmentariis Salomonis. Hos omnes Villalpandus vult occupatos fuisse in monte lapidibus atque lignis cædendis, dolandis atque convectandis. Præter hos vult fuisse 165 *M.* qui Jerosolymis præparatos lapides exciságue ligna in ipso ædificio disponerent, cum ipsorum præpositis 3300. Horum

165 *M.* quia non fit expressa mentio, eos colligit ex 3300 præfectis; quorum mentio fit 1 Reg. 5, 15, 16. quos præpositos vult esse diversos à 3600 præpositis quorum fit mentio 2 Par. 2. 17, 18. Porrò ex collatione 3600 præpositorum cum 180 M. quibus præfecti erant, colligit quinquagenis operariis unum præpositum fuisse ἐπρεδιώλην sive *præfectum*. Itaque 3300 præfectos Hierosolymitanos eâ ratione dare operarios 165 M. [L. Cappel. *In operariis his recensendis falli atque hallucinari videtur omnino Villalpandus, ac pro more suo omnia in majus angere sine necessitate. Nam ad Eupolemum quod attinet, qui de suo addit* 80 M. *Tyriorum totidémque Ægyptiorum, autoritas ejus tacente Scripturâ nulla est. Ægyptiorum autem in hac fabrica mentio nulla est in Scriptura. Tyriorum quidem illa meminit, at eorum non indicato numero. Itaque videntur omnino illi comprehendi in illis* 150 M. *peregrinorum seu proselytorum, quos* גרים *Scriptura vocat, quique memorantur* 2 *Par.* 2, 16. *Salomon enim dominabatur toti Palæstinæ usque ad Euphratem, ac proinde omnibus Chananæis, qui circa Tyrum & Sidonem in monte Libano & circa eum habitabant; qui etsi Tyriorum Regi subditi essent, erant tamen Salomonis tributarii. Ergò secundùm Scripturam fuerunt tantùm in universum* 180 M. *operariorum, nempe* 150 M. גרים, *&* 30 M. *Israelita. Præfecti eorum* 3600 *comprehenduntur in illo numero. Nam si* 150 M. *peregrinorum dividantur in* πενηκοντάδας, *invenientur* 3 M. πεντηκοντάδες. *Jam verò in singulis* πενηκοντάσι *unus eligebatur qui reliquis* 49 *præficiebatur, erátque eorum* ἐπρεδιώκτης. 30 *verò millibus Israelitarum præfecti videntur fuisse* 300 *centuriones, sic fiunt* 3300 *præfecti, qui memorantur* 1 *Reg.* 5, 15. *Quod autem* 2 *Par.* 2, *v. ult. dicuntur fuisse* 3600. *vel σφάλμα est Librarii, cujusmodi σφάλματα in numeris frequentia occurrere in libris Sacris in Critica nostra Sacra ostendimus; vel etiam hoc* ἐναλλαγὴς *sic conciliari potest, ut dicamus decem* πεντηκοντάρχοις *proselytorum præpositum unum fuisse* πεντηκοντάρχον, *ità super* 30 M. πεντηκοντάρχας *proselytorum præpositi fuerint* 300 πεντηκοσιάρχοι, *qui si addantur ad præcedentem numerum* 3300 *præfectorum, erunt in universum* 3600 *præfecti. Hi autem* 180 M. *operarii in tres partes distribuebantur, quarum una constans* 60 M. *hominum mensem unum operabatur in monte, lapides & ligna cædendo & convectando, reliquos duos menses domi manebat; alternis enim & per vices operabantur & quiescebant, non verò perpetuò occupabantur in opere: nam quod de* 30 M. *Israelitis dicitur* 1 *Regum* 5, 14. *id per analogiam & proportionem de reliquis operariis intelligendum est. Fuerunt ergò in universum* 60 M. *homines qui perpetuò in opere occupabantur. Horum fermè dimidia pars (nempe circiter* 25 M.) *occupabatur in convectandis lignis & lapidibus, reliqui illis in monte cædendis, dolandis atque sculpendis ac præparandis. Verbum enim* חצב & רטב *quo Scriptura utitur de utrisque tam lignis quàm lapidibus usurpari potest; aut si distingui debent,* חצב *de lapidibus,* חטב *verò de lignis potiùs usurpatur; unde est quod Arabicè* חטב lignum *significat.*]

CAP. 27, 28, 29, 30 & 31. Villalpandus confert Templi structuram cum universi mundi fabrica, cum castrorum Israeliticorum circa Tabernaculum Mosaicum dispositione, denique cum humani corporis fabrica & proportione: (De quibus vide Tabulam propriam) ubi multa à Villalpando gratis sumuntur, vel ex cœnosis Judæorum lacunis, & febriculosis Rabbinorum somniis atque commentis hauriuntur, atque pro libitu & arbitrio Villalpandi collocantur atque disponuntur.

CAP. 32, 33, 34 & 35. persequitur nonnullas Templi cum Christo mysticas & typicas similitudines. Calamum, quo omnia Templi membra & partes mensurantur, comparat Charitati. Corpus Christi Templo fuisse adumbratum ostendit ex Joh. 2, 19. quam similitudinis rationem in eo statuit, ut fingat Corpus Christi brachiis diductis, sed junctis cruribus, extendi per totum Templum, ità ut caput occupet Sanctuarium, pectus Altare, pedes portam Orientalem, manus verò Aquilonarem & Meridionalem portas. Quomodo ergò per tres illas portas aditus & via ad Altare & Sanctuarium patebat, sic per Christi pedum & manuum vulnera patet nobis ad verum Sanctuarium aditus. Mare autem æneum ad latus Meridionale Templi prope Altare constitutum figurabat aquam & sanguinem è latere Christi dextro promanantem ad peccatorum nostrorum ablutionem spiritualémque sanctificationem. [L. C. *Hæc quidem sunt acutè & ingeniosè à Villalpando excogitata, sed non parùm coacta tamen videntur, ac subtile ingenii humani acumen magis quàm Spiritûs Sancti solidam sapientiam atque doctrinam sapere atque redolere.*]

LUDOVICI CAPPELLI
OBSERVATIONES
AD
VILLALPANDI EXPLANATIONUM LIB. V.

De Gloria TEMPLI.

VILLALPANDUS.

CAP. XLII. Templi Salomonici vasa ex Josepho Antiq. lib. 8. cap. 2.

	Aurea.	*Argentea.*
Patera	20 M.	40 M.
Candelabra	10 M.	20 M.
Cantharí	80 M.	160 M.
Phialæ	100 M.	200 M.
Lances	80 M.	160 M.
Crateres	60 M.	120 M.
Mensuræ olei & vini	20 M.	40 M.
Acerra { *Odoramentorum*	20 M.	40 M.
Acerra { *ad ignem deferendum*	50 M.	
Tubæ		200 M.
Instrumenta Musica		400 M.
Summa	440 M.	1340 M.
Stolæ Sacerdotales ex byssо cum zonis purpureis		10 M.
Stolæ Cantorum byssinæ		200 M.

L. CAPPELLUS.

Hæc ambabus ulnis excipit Villalpandus ad ostentandam Templi sui magnificentiam, & opes atque divitias immensas.

mensas. Sed hæc vasorum recensio nænias & fabulas Judæorum, hominum supra modum μυθικῶν καὶ ὑπερβολικωλάτων, redolere planè videtur. Nam, ut taceam tam immensum vasorum, omnis generis tam ingentium, numerum, qui vix ac nè vix quidem capi potuit toto Templo propriè & strictè dicto, ejúsque exhedris, cœnaculis atque cellulis illi circumpositis, si non in cumulum congesta, sed, utì decuit ad usum quotidianum, in capsis atque armariis ordine dispositа fuere, quàm absona eorum inter se, atque adeò auri & argenti comparatio? Argentea vasa in dupla tantùm sunt cum aureis proportione. At argentum cum auro comparatum in decupla minimùm, aut etiam duodecupla, proportione semper fuit. Atque tum quidem in decupla fuisse ratione liquet ex Davidis thesauro, de quo mox dicetur. Argenti enim talenta aureis decies plura fuerunt. Absurdum itaque est vasa argentea in dupla tantùm fuisse ad aurea proportione, maximè cùm Villalpandus velit totum Davidis thesaurum Salomoni filio relictum impensum esse in confectionem horum vasorum. Nam in thesauro Davidico (utì mox videbitur) argenti & auri idem quidem fuit pretium, sed moles & pondus longè diversa. Nam decies plura fuerunt argenti quàm auri talenta. Itaque si argentum illud in argentea vasa & aurum in aurea conficienda insumptum fuit, utì vult Villalpandus, decuplo plura debuerunt esse argentea vasa aureis, si fuerunt (utì ad usum debuerunt esse) paris atque ejusdem molis atque magnitudinis, vel argentea aureis fuerunt decuplo majora atque ponderosiora, atque ità ad usum alterutra fuissent inutilia, propter argenteorum nimiam molem atque pondus, vel aureorum nimiam levitatem atque exilitatem. Deinde cui bono Candelabrorum 30 M? Nam etiam secundùm Villalpandum (qui omnia in majus augere solet) in toto Templo cubicula fuerunt tantùm 712, Cryptoporticus vix plures fuerunt quàm 300. Itaque si singulis Cubiculis & Cryptoporticibus assignanda sunt singula candelabra ad usum quotidianum, mille ad hoc suffecerint; quid opus fuit 30 M? Præterea ignis ex Altari deferebatur tantùm in locum Sanctum ad suffitum manè & vesperè in Altari thymiamatum faciendum, cui rei unus Sacerdos deputabatur; una itaque & altera acerra ad hoc necessaria fuit; quid opus ergò 50 M. acerris? Quòd si singulis cubiculis assignemus (quod tamen necesse non fuit) acerram ad ignem illuc deferendum & accendendum in usum quotidianum, 700 acerræ satis ad hoc fuerunt; nihil opus fuit 50 M. Præterea, cui bono 200 M. tubarum? nam tota Levitica tribus vix unquam constitit 50 aut 60 M. hominum; neque omnes erant tibicines, sed pauci duntaxat Sacerdotes, qui 2 Par. 5. 12. numerantur tantùm 120. Immensus itaque planè est & supervacaneus tantus tubarum numerus. Sed multò magis insanus & supra fidem omnem instrumentorum Musicorum numerus ille 400 M. Pauci enim Levitæ cantores fuerunt; neque verò ex argento solent confici instrumenta Musica (si tubas & cymbala excipias, de quibus jam dictum, & organorum, quorum nullus tunc in Templo videtur fuisse usus, tubulos) sed ex ligno: annon ergò planè fabulosus est ille 400 M. instrumentorum Musicorum ex argento numerus? Denique stolarum Sacerdotalium numerus æquo brevior esse videtur. Nam non rarò Sacerdotum numerus superavit 10 M. hominum, quorum singulis binæ minimùm stolæ fuerunt assignandæ, ut dum candidas induebantur, sordidæ possent purgari atque dealbari. At quàm insanus stolarum Cantorum (qui pauci fuerunt) numerus! Sanè multò plures Sacerdotum quàm Cantorum debuit esse stolarum numerus. Nulla ergò hîc servata est in stolarum numero proportio. Ridiculum ergò videtur esse febriculosi alicujus Judæi commentum vasorum istorum omnium sacrorũ catalogus, in quo vasorum penè omniũm justo numero, ex hominum illorum μυθικωλάτων ingenio, addita videtur χιλιὰς, ità ut pro 20 pateris aureis & 40 argenteis substituta videantur 20 & 40 M; atque sic de plerisque aliis vasis: aut, si liberaliores esse velimus, pro ἑκατοντάσι substitutæ sunt χιλιάδες, ut decuplo auctus sit ab eo Vasorum numerus supra justum eorum numerum.

¶ Davidis thesaurus Salomoni filio relictus ex Villalpandi æstimatione, CAP. XLIII.

	Auri talenta		*Argenti talenta*
1 *Par.* 22. 14.	100 M.		1000 M.
1 *Par.* 29. 4.	3 M.	*Sicli aurei*	7 M.
1 *Par.* 29. 7.	5 M.	1000 M.	10 M.
Summa	108 M.	2500.	1017 M.

Pretium

	Auri	*Argenti*
Scutati Romani	1817654024	1464480000
Summa Scutatorum universa	3282134024.	

Ad hujus summæ tam immensæ confirmationem subjicit Villalpandus locum Eupolemi ex Eusebio l. 9. Præp. Euang. extremo, qui sic habet, *Porrò auri summa quod in duas columnas fuerat Templúmque collatum, fuit quadragies sexies centena millia talentorum. In clavos verò ac reliquum apparatum argenti talenta mille ducenta triginta duo. Æris verò in columnas & Labrum & Porticum talentorum duodeviginti millia & quinquaginta.* Cujus Eupolemi *computatio* (inquit Villalpandus) *facilè cum S. Scripturæ numero conferetur, cùm perspectum erit argenteum talentum apud Græcos in usu fuisse, aurei verò talenti nullam fieri à Græcis Historiographis mentionem. Et talenta quidem Attica (Hebraicis duplo minora) computasse eum existimamus, & omnem expensarum summam* auri *nomine compellasse. Quibus statutis, numerum talentorum auri S. Scripturæ, duodecies multiplicetur ut fiant talenta argentea, & producto numero addatur numerus talentorum argenti S. Scripturæ, & tota summa bis accipiatur ut fiant ex Sacris Attica talenta, & habebis numerum Eupolemi quadragies sexies centena millia Atticorum talentorum respondentia talentis à S. Scriptura computatis. Nam* 26 M. *talentorum quæ supersunt prætermissa fuisse videntur ab Eupolemo, vel tanquam minima pars tam magni numeri, vel quòd publica fama, secundùm quam ejusmodi sententiam posuerat, minores illos numeros contempserat.* Quod autem Eupolemus subjungit, *in clavos ac reliquum apparatum argenti talenta expensa fuisse* 1232, Villalpandus vult esse referendum ad id quod idem Eupolemus narrat, *Salomonem Templum intrinsecùs laterculis aureis quadratis quinque cubitorum opere fusorio deauraſſe, atque quaternis argenteis clavis talenti pondera (singulis) confixisse in papillarum speciem ordine dispositis, atque ità illud à pavimento ad tectum usq; deauraſſe, contignationem etiam ex laquearibus aureis confecisse. Sunt* nempe *in toto Templo* 304 *ejusmodi quadrati laterculi, nempe* 96 *in Oraculo*, 208 *in loco Sancto. Oraculum enim cubicum erat, & patebat in omnes partes* 20 *cubitos. Sanctum verò longum erat* 40, *latum* 20, *altum* 30 *cubitos. Illis* 304 *laterculis si quaternos dej clavos argenteos, fient in universum clavi* 1216, *totidem talenta ex Eupolemo pendentes. Sedecim talenta quæ supersunt significat expensa fuisse in reliquo apparatu. Hæc porrò tam ingens auri argentique copia eò major esse videbatur, quòd licèt tota ad Templi apparatum & ornamenta parata fuisse existimetur, ad impensas tamen Templi ferè nihil fuisse videatur. Quippe cùm in alendis operis atque solvendis, in exstruendis machinis, in subvehendis oneribus, atque in aliis innumeris rebus quæ in ædificiis sunt necessariæ, nihil ex ejusmodi auri & argenti summa imminutum sit. Nam in* 1 *Par.* 5. 1. *sic legimus*, Intulit igitur Salomon omnia quæ voverat David pater suus. *Hæc verò quæ fuerint indicat, subjungens*, Argentum & aurum & universa vasa posuit in thesauris domûs Dei. *Ea verò quæ sancta sunt nefas esset in manus artificum aut mercatorum dare, ac profana reddere: quapropter ea omnia oblata illata quidem*

quidem fuere, ibique conservata donec Templi cultus & religio profanata non fuit. Quibus tam amplis ac inauditis donariis cumulus accessisse videtur gemmarum, quarum minima moles pretio atque æstimatione plerumque major est aliâ auri & argenti summâ quantumvis maximâ. De his porrò, quorum certa ratio reddi non potest, nulla reddetur.

L. CAPPELLUS.

Hoc ergò vult Villalpandus, totum illum Davidicum thesaurum tam immensum fuisse Deo consecratum, atque à Salomone ejus filio in thesauros domûs Dei illatum, atque isthîc asservatum, nihil ex eo impensum fuisse in Templi deaurationem & ornamenta, neque in operis aleadis, eorúmque mercede exsolvenda, aut machinis exstruendis aliísque ad Templi exstructionem rebus necessariis. Sed multa hîc ab Eupolemo & Villalpando peccari videntur. Nam primò locus 2 Par. 5. 1. non evincit totum illum Davidicum thesaurum fuisse in ærarium & Templi gazophylacium illatum. Potuit enim vel præter illum thesaurum vel ex eo pars quædam esse votiva pecunia, quæ illata & recondita in thesauris domûs Dei fuerit, aut ex ea vasa aurea & argentea sacra confecta fuerunt, reliqua autem auri & argenti summa impendi potuit in Templi deaurationem & reliquas exstructionis impensas. Cùm itaque *non sint*, utì dici solet, *multiplicanda entia sine necessitate*, non est, tacente Scripturâ, comminiscendum nihil ex eo thesauro fuisse in Templi structuræ impensas insumptum, sed totum fuisse in thesauros illatum: maximè cùm 1 Par. 22. 4. David exsertè dicat se thesaurum illum parasse & congessisse לבית ה', h.e. interprete ipso Hieronymo, *in impensas domûs Domini*. Deinde ejusdem lib. c. 29. 3. David dicit *se dedisse in domûs Domini* 3 M *talenta auri Ophirini, & argenti talenta* 7 M. לטוח *ad incrustandos Templi parietes*. Hoc ergò argentũ & aurum non fuit in thesauros domûs Dei illatum, quandoquidẽ fuit in parietibus Templi deaurandis & deargentandis consumptum. Subjicitur enim isthîc לזהב לזהב, h.e. *ut ubicunque opus erat auro esset aurum, & ubicunque opus erat argento esset argentum, & ad omne* מלאכה *opus quod fit per manus artificum*. Quæ verba satìs indicant aurum & argentum illud à Davide fuisse congestum atque ex peculio suo datum, non ut in thesauros inferretur, sed ut in opus domûs Dei impenderetur. Idem sentiendum de auro & argento quod sponte oblatum fuit à populi Principibus & Magnatibus: de illis enim v. 7. dicitur quòd *Dederint* לעבודת בית ה' *in opus*, seu *ministerium, Domûs Dei* 5 M. *talenta auri &* 10 M. *talenta argenti*. Certè לעבודת non significat id quod in thesauros reconditur & illic asservatur, sed id quod impenditur in usum & fabricam Templi. Nam עבד non rarò etiam Hebraicè significat *facere, operari*; ità ut לעבודת בית ה', possit reddi commodè *ad confectionem* (h.e. fabricam) *Templi*. Deinde Eupolemus, quem sequitur Villalpandus, dicit auri Davidici summam illam immensam *fuisse in columnas & Templum collatam*, h.e. ad columnas & Templum auro incrustandum. Nam (utì alibi scribit de quo tamen tacet Scriptura) columnæ æreæ quæ in Templi vestibulo erant positæ, laminâ aureâ digitum unum crassâ fuerunt obductæ: quam in rem magno auri pondere opus fuit. Columnæ nempe ipsæ fuerunt crassitudine palmari, h.e. quatuor digitos crassæ. Si itaque laminâ aureâ digitum crassâ fuerunt obductæ, auri illius pondus æquaverit, imò multò superaverit, quadrantem totius ponderis æris columnarum. Fuit autem æris pondus talentorum (secundùm Villalpandum) ferme 20 M. itaque in eis deaurandis consumpta fuerunt auri 5 M. talenta. Præterea, secundùm Eupolemum, in Columnas, Labrum & Porticum (h.e. utì videtur, ad porticus Templi æreis laminis contegendas) impensa fuere talentorum æris duntaxat 18 M. at secundùm Villalpandum in solas Columnas 19 M. talenta, in Labrum seu Mare æneum ferme 9 M. in Porticus verò 500 M. talenta impensa fuere. Malè itaque Eupolemo cum Villalpandi calculo convenit. Tum & illud Eupolemi quis credat, quòd dicit *Templum intrinsecùs totum laminis aureis, non ductilibus, sed opere fusorio fuisse deauratum?* Nam præterquam quòd hoc non est secundùm artem ut aliquid laminis non ductilibus sed fusilibus deauretur, cùm laminæ fusiles non possint non esse nimis crassæ quàm ut potuerint aptè applicari sculpturis illis elegantibus Palmarum, Florum & Cherubinorum quibus cedrinæ tabulæ totæ erant cælatæ, quàm immenso auri pondere opus fuisset ad incrustandos intrinsecùs Templi parietes fusilibus laminis: siquidem etsi fingamus eos obductos fuisse ductilibus non crassioribus quàm est aureus Lusitanorum numus quem *Ducatum* vocant, subducto calculo invenietur auri summa superare numorum ejusmodi 23880960, quod vernaculè diceremus *bien pres de 24 millions de Ducats*. Quod sic breviter ostendi potest; Totum Templum unà cum vestibulo & vestibuli exedris atque Thalamis seu cellulis templo circumpositis obductum fuit auro. Testatur enim Scriptura *Salomonem Templum totum intrinsecùs & extrinsecùs obduxisse auro*: quæ vox *extrinsecùs* non est accipienda de parietũ Templi externa facie, sed de Vestibuli & Cellularũ circa Templum internis parietibus. Vestibulum enim & Cellulæ circa Templum respectu loci Sancti & Sancti sanctorum (quæ duo *Templum* propriè dicuntur) erant externæ partes. Porrò si mensurentur omnes totius Templi & Cellularum intrinseci in utroque tabulato parietes (cum pavimento & lacunari) auro obducti, invenientur in iis fuisse cubiti quadrati 41460. Jam verò cùm cubitus longus sit digitos 24, sequitur cubitum quadratum continere digitos quadratos 576; quo numero si multiplicetur præcedens cubitorum quadratorum numerus, invenientur in interioribus totius Templi parietibus digiti quadrati 23880960. Numus autem aureus qui *Ducatus* vulgò dicitur vix occupat tantum spatii quantum digitus Geometricus quadratus, præsertim quando de cubito aut pede Hebraico agitur, qui Romano adeóque & Parisino pede aliquantò major est. Quare si laminas aureas quibus obductum fuit intrinsecùs totum Templum fingamus fuisse crassitudine tantùm aurei numi Ducati, tot opus fuit Ducatis ad deaurandum Templum quot invenimus fuisse in ejus parietibus digitos quadratos. Quòd si ex Villalpandi sententia cubiti quibus mensuratur Templum fuerunt sacri, communibus duplo longiores, (quod non est fortè improbandum) cùm cubitus sacer quadratus contineat in se quatuor communes, & digitus sacer quadratus quatuor itidem communes, quadruplicandus erit, ex illa Villalpandi hypothesi, ille digitorum quadratorum suprà positus numerus, ac proinde etiam Ducatorum numerus. Itaque juxta illam rationem opus fuerit ad deaurandum Templum aureis Ducatis 95523840 (quod vernaculè diceremus *quatrevingt & quinze millions & demi de Ducats*) qui (utì jam æstimatur numus ille aureus, nempe quinque libras nostrates Turonicas) conficiunt libras Turonicas 477619200, h.e. fermè (utì solemus loqui) *cinq cents millions de livres*. Quòd si laminæ fuerunt (utì vult Eupolemus) non ductiles, ac proinde tenues & subtiles, sed fusiles ideóque crassæ, quales debuerunt esse si fuerunt, utì ille scribit, singulæ cubitos quinque longæ & latæ, proculdubio triplo adhuc vel quadruplo majus auri pondus in deaurando Templo impensum fuit; atque ità juxta illam rationem impensæ fuissent in Templi deaurationem libræ Turonicæ 1910476800, h.e. ferme *deux mille millions de livres*; quæ auri summa stupenda planè videtur, ac vix tamen superat dimidiam thesauri Davidici, ex superiore Villalpandi æstimatione, partem. Quòd si totus ille thesaurus insumptus fuit in conficiendis (utì vult Villalpandus) aureis & argenteis vasis, & in domum Dei illatus est, illícque asservatus; si præter illum thesaurum tantum auri pondus fuit impensum in solam Templi deaurationem, summa illa universa auri & argenti superabit librarum Turonicarum sex millia millionum, sive (utì loquuntur Belgæ)

Belgæ) 60 M. tonnæ auri; quod vix admittit fidem. Quis item credat clavos ſingulos argenteos quibus laminæ ſeu laterculi illi Eupolemi aurei, quinque cubitos longi & lati, confixi fuere, fuiſſe talenti pondere, cùm talentum pendat ex Villalpandi calculo uncias 1500, h. e. libras ferme centum? Deinde, ex illa Templi à Villalpando facta dimenſione, & laterculorum enumeratione, liquet ipſum facere non modò ipſum Oraculum ſed & locum qui eſt ſupra Oraculum (quíque illi amplitudine par ferme fuit) undiquaque clauſum, nulliſque feneſtris illuſtratum, illiúſque parietes (quos hîc non metitur Villalpandus) nullo auro fuiſſe obductos; id quod valde abſonum eſt, & in tam formoſa atque admirabili ædificio admodum turpe atque deforme, éſtque à nobis ſuprà ſuo loco refutatum. Nam ſi loci illius qui ſuprà Oraculum fuit parietes (qui tres tantùm fuerunt: nam anterior nullus eſſe debuit qui eum à loco Sancto ſupernè ſepararet) unà cum lacunari & ſolo ſeu pavimento dinumerentur, invenientur in eo 2 M. cubiti quadrati, qui conficiunt laterculos 80. Itaque in Templi Oraculo & loco Sancto fuerunt laterculi non (ut vult Villalpandus) 304, ſed 384, quibus configendis opus erunt non 1216 (uti cenſet Villalpandus) ſed 1536 clavi argentei. Quare non quadrat hæc Eupolemi clavorum numeratio cum loci ipſius vera quantitate. Ut nè jam dicam non ſolùm locum Sanctum atque Oraculum fuiſſe laminis aureis, ſeu laterculis obductum, verùm etiam Veſtibulum cum ſuis Exedris, omnéſque Templo circumpoſitas Cellulas, & ſuperius Templi tabulatum; ità ut illis configendis quadruplo majore opus fuerit clavorum argenteorum numero.

Quod verò ſubjicit Villalpandus, *Nihil ex illa tam immenſa auri & argenti ſumma imminutum aut inſumptum eſſe in alendis & ſolvendis operis, in exſtruendis machinis, in ſubvehendis oneribus, aliíſque rebus innumeris quæ in ædificiis ſunt neceſſariæ*, parùm firmiter probat ex loco Paralipomenon quem ſubjungit, *Intulit Salomon omnia quæ voverat David pater ſuus*, nimirum *aurum & argentum & univerſa vaſa poſuit in theſauris domûs Dei.* Nam, uti ſuprà oſtendimus, aurum & argentum votivum & univerſa vaſa quæ illata fuerunt in theſauros domûs Dei, nihil neceſſe eſt fuiſſe totum illum Davidicum theſaurum, cùm potuerit eſſe pars quædam tantùm illius theſauri. Nec ratio quam Villalpandus ſubjicit, *Ea quæ ſancta ſunt nefas fuiſſet in manu artificum aut mercatorum dare, ac profana reddere*, evincit id quod vult. Nam ſanè Judæorum Corban ſacra erat & votiva pecunia, attamen ea impendi poterat in ſarta tecta Templi, ad lapides & ligna coemenda, & alendos atque ſolvendos artifices qui operam ſuam Templo reparando locabant, uti liquet ex hiſtoria Joiadæ 2 Par. 24. Profanari non cenſetur illa pecunia cùm in uſum Templi inſumitur, licèt operæ, artifices & mercatores qui illam pro mercede operæ vel pretio mercium ſuarum accipiunt, eam poſtmodum in ſuos uſus impendant (alioqui, ſi id non liceret, nihil ex pecunia ſacra fieri aut exſtrui poſſet in loco ſacro) ſed tantùm cùm immediatè in uſum profanum impenditur.

Cùm itaque theſauri illius Davidici ſumma, ſi de majore talento, juxta ſuperiorem Villalpandi æſtimationem, accipiatur, ſtupenda planè videatur & fidem penè omnem ſuperare, Jac. Cappellus frater meus, ὁ μαχαίτης, in Miſcellaneis quæ ad calcem libri ſui De Ponderibus & Menſuris, ante annos XXXII editi, addidit, theſaurum illum aliter explicat, ínque ejus æſtimatione utitur diſtinctione, ità ut partem illius theſauri de *talento majore* ſeu *ſtathmico* accipiat, partem verò de *talento minore*, quod ipſe diſtinctionis gratiâ *Numiſmaticum* appellat. Locum nimirum 1 Chron. 29. 3, 4, 7, 8. accipit de talento majore, locum verò 1 Chron. 22. 14. accipit de minore ſeu Numiſmatico talento; cujus diſtinctionis rationem reddit non contemnendam. Ac juxta illius computationem, & duplicis illius talenti diſtinctionem, theſauri illius ſumma nihilominus aſcendit ad 126 aureorum numorum milliones, ſive librarum Turonicarum 378 milliones: quæ ſumma ſatìs grandis eſſe videtur. Quin & Eupolemi locum à Villalpando ſuprà allatum juxta illam talenti Numiſmatici diſtinctionem (quod ait 75 drachmas Atticas pependiſſe) ità explicat ut numerus talentorum Eupolemi (ſi de Numiſmaticis talentis intelligatur) quadret cum ſumma illa 378 millionum librarum Turonicarum. Videat qui voluerit illam Jac. Cappelli explicationem tum in Miſcellaneis, Miſcell. 7. tum lib. 2. De Numis aureis, Defin. 19, ſive ultimâ, ubi quid ſit talentum Numiſmaticum exponit, & ſententiæ hac in parte ſuæ rationem reddit, & Eupolemi locum explicat. Atque hæc de Davidico theſauro dicta ſunto.

His Templi Salomonici Admirandis hîc ſubjiciemus compendioſam totius ſtructuræ Templi illius ejúſque magnificentiæ, adeóque & Salomonis ipſius gloriæ atque opulentiæ, ſummam, deſumptam ex eodem Villalpando Tom. 2. Explan. Part. 2. l. 5. Diſput. 4. cap. 60. cum Notis ad eam noſtris.

Templi Subſtructiones.

VILLALPANDUS.

Parietum ſubſtructionis longitudo erat ſupernè 800 cubitorum, quorum ſinguli paſſus communes æquabant, infernè cubitorum mille. Latitudo in angulis 100 cubitorum, ubi verò fuerunt anguſtiſſimi, 50 cubitorum, altitudo trecentorum. Anterides ſive Eriſma quibus paries fulciebatur ejuſdem cum pariete altitudinis, nempe 300 cubitorum, lata in quadrum ſupernè 50 cub. quanta erat muri craſſities; infernè verò extra murum ſubſtructionis procurrebant 150 cubiti, eâ nimirum proportione quâ pes tibiæ craſſitiem ſuperat. Lapides quibus exſtructa erant ejuſmodi ſubſtructiones longi erant, ſecundùm Joſephum, 40 cub. (aliàs 25.) lati 12, alti 8. omnes ex marmore ſerrâ intrinſecùs & extrinſecùs ſecti. Commiſſura lapidum ità latentes ut oculos fallerent.

L. CAPPELLUS.

Multa ad hæc dici & objici poſſunt. Ac primùm; Muri iſtius altitudo quidem ex Joſepho (ſi modò illi hîc credendum, vel ſi nullum eſt in ejus teſtimonio librarii vitium atque ſcripturæ mendum) plana eſt, nimirum 300 cubitorum. Hos cubitos Villalpandus vult eſſe ſacros, communibus duplo majores, ac proinde tres pedes longos. Sic fuiſſet murus ille 900 pedes altus; quæ ſtupenda eſt planè ac prorſus prodigioſa muri altitudo, víxque tam anguſto undequaque colli conveniens. Nam (uti mox oſtendetur) collis, qui muro illo cingebatur, ab ipſis imis radicibus non patuit undequaque niſi 500 cubitos, & quidem communes, non ſacros, h. e. 750 pedes: ità collis altitudo major fuiſſet quàm ejus in imo pede in ſingula latera latitudo: quod non videtur convenire, neque verò naturali & ordinariæ montium & collium conſtitutioni quadrare, ut eorum altitudo perpendicularis ſuperet triente quartam totius ambitûs in imis radicibus partem. Itaque de communibus non de ſacris cubitis accipiendus videtur ille Joſephi locus qui 300 cubitos altitudini hujus muri tribuit: nam ſic etiamnum fuerit altitudo illa planè eximia atque ſingularis, pedum ſcilicet Geometricorum 450, maximè cùm tanta fuerit muri illius tum longitudo tum craſſities. Vix enim puto eſſe in toto orbe Chriſtiano Europæo turrim, ſeu quod vocant *Campanile*, in quantumlibet magnifica atque ſplendida Baſilica, cujus ſummum cacumen atque cuſpis altitudinem illam exæquet, aut ſaltem ſuperet. Ad longitudinem muri illius quod attinet, illa ex ipſius Villalpandi ſententia & hypotheſi fuit ſupernè 781 cubitorum duntaxat: tot enim dant cubitos 125 calami, quæ fuit periboli ſupernè totum Templum ambientis longitudo. Sed numerum rotundatum 800 cubitorum poſuit hîc Villalpandus pro præciſo atque accurato. Infernè 200 cubitos huic muri longitudini addit Villalpandus, propter exſtantes extra ſummi muri perpendiculum

pendiculum Erismas, quæ utrinque 100 cubitos procurrebant. Verùm totum atrium Gentium, quod Villalpandus loco Ezechielis malè intellecto superstruxit, in Observatione ad Explicationem Villalpandi in Ezech. 42. 16. evertimus, ostendimúsque totum Templi supernè ambitum fuisse quatuor duntaxat stadiorum, ac proinde singula ejus latera fuisse tantùm ad summum 500 cubitorum communium, non verò (utì vult Villalpandus) 800 sacrorum. Muri crassitudo 50 cub. non videtur solicitanda, quia Porticûs illi impositæ par latitudo (50 nimirum cubitorum) eam poscere omnino videtur. Porticus enim solido, non verò congestæ terræ inædificari debuit; ac proinde Porticûs latitudini par esse debuit muri crassities; alioqui latitudinis Porticûs pars aggestæ terræ, non solido fuisset inædificata: quod vitium proculdubio in structura fecisset. Sed neque Erismarum latitudo & procurrentia extra muri perpendiculum, quam statuit Villalpandus, solicitari debere videtur, quòd ratio & proportiones architecturæ id poscere videantur. At nihil necesse est murum in angulis facere utrinque latum 100 cubitos, utì ille facit: satìs est Erismas in angulis duas statuere muri crassitudini pares. Ratio cur Villalpandus murum in angulis tam crassum facit hæc est, quia nimirum porticui Gentium viam 50 cubitos latam circumponit, quam vult fuisse fornicibus impositam, quibus anterides seu Erismæ supernè fuerunt connexæ. In angulis autem non potuisset via illa ab uno Porticûs latere ad aliud continuari nisi in angulis murus fuisset 100 cubitos crassus. Verùm ejusmodi viam Josephus non agnoscit, imò apertè statuit Porticus fuisse ad muri perpendiculum vallibus quæ collem infernè cingebant impositas, ità ut illius qui in angulo Porticûs constitutus deorsum subjectam vallem despiceret oculi præ nimia altitudine caligarent; quod factum non esset si via tantæ latitudinis Porticibus fuisset circumposita. Sed neque etiam opus fuit vastis illis fornicibus quibus Erismas Villalpandus vult fuisse supernè connexas, quandoquidem eas non aliunde commentus est quàm ut viam illam (quæ nulla fuit) illis suspenderet. Lapides tantæ magnitudinis quantæ eos fuisse vult Villalpandus (præsertim si, utì ille censet, cubiti sacri intelligantur) vix ullis machinis loco moveri, nedum in tantam altitudinem quanta muri illius fuit subvehi potuissent: sic enim lapides singuli majoris multò fuissent molis quàm maximus qui Romæ est Obeliscus, longi nimirum 120 pedes, lati 36, alti 24, cubitus enim sacer tres pedes longus est. Itaque necesse est vel vitium & mendum esse in numeris illis apud Josephum, vel Josephum ista (prout solet multa alia) ὑπερολικωλίᾳ exaggerasse, atque in majus auxisse. Et sanè quî serrâ secari potuissent lapides tantæ longitudinis, crassitudinis atque altitudinis? Quod itaque Scriptura dicit lapides quibus exstructum fuit Templum fuisse *serrâ sectos*, accipiendum videtur de lapidibus quibus Templum (strictè sic dictum) fuit exstructum, quod totum ex Pario seu candido marmore structum fuisse testatur Josephus: non est necesse illud trahere ad lapides quibus atrii Israelis & Gentium Porticus sunt exstructæ, multò minùs ad muros tam vastæ substructionis, qui ex minùs pretiosa minúsque affabrefacta materia exstrui debuerunt quàm Templi strictè dicti parietes. Porrò quod de tenui quodam & subtili marmoreo pariete, qui in superiore tabulato Porticûs illius Meridionalis, quæ *Salomonis* dicta fuit, dicit Josephus, *lapidum commissuras oculos intuentium fefellisse*, trahit hîc Villalpandus ad totam substructionum harum immensarum vastissimam molem; in quibus tam exquisitum structuræ artificium observari nec solet, nec necesse est ut observetur.

Columnæ.

VILLALPANDUS.

Columnæ item è Pario marmore 1453, *non computatis dimidiatis columnis parietibus ac pilis adjectis, numero plùs quàm duplo plures; singula è singulis saxis, crassa quantum tres homines consertis ulnis amplecti possent, decuplâ altitudine. Nulla minor altitudine* 15 *cubitorum. Capitella opere Corinthio pulcra ad miraculum.*

L. CAPPELLUS.

Ex hoc Columnarum numero subducendæ sunt 660 vel 648 columnæ, quot nimirum Villalpandus vult fuisse in inferiore tabulato Porticûs Gentium; totam enim illam Porticum ruere, nec fuisse in Salomonis Templo, alibi ostendimus. In superiore autem ejusdem Porticûs Gentium tabulato fuerunt (ex Villalpandi hypothesi & vestigio) columnæ 440. Itaque ex illo Columnarum numero detrahendæ sunt columnæ 1100. Restant itaque tantùm 353 columnæ cum dimidiatis columnis atrii Israelis, quæ numerum illum 353 duplo superant. *Singulas è singulis saxis* constitisse, non verò structiles fuisse ex pluribus saxis, asserit Josephus, atque ex eo sumit illud pro confesso Villalpandus: quod valde certum tamen non videtur esse. Crassitudinem eam quam assignat Villalpandus definit Josephus, 12 nempe cubitorum in ambitu, *quantum* scilicet *tres homines consertis ulnis amplecti possent*. Quare earum diameter secundùm Josephum fuit 4 cubitorum, secundùm Villalpandum 2 tantùm: sed Villalpandus cubitos sacros intelligit, Josephus communes, qui sacris duplo sunt minores: quare in eo conveniunt. Quod addit Villalpandus, *decuplâ altitudine*, intelligendum est respectu diametri, quæ fuit duorum cubitorum (utì dictum est) sacrorum, non respectu ambitûs columnarum, qui fuit sex cubitorum. Nam scapus maximarum columnarum cum basi & plintho fuit tantùm 20 cubitorum, non verò 60. Quod sequitur, *capitella opere Corinthio pulcra ad miraculum*, desumpta sunt ex Josepho, qui id dicit de columnis ab Herode exstructis. Ornatum & pulcritudinem horum capitellorum vide in Tabulis propriis Columnarum.

Fenestræ.

VILLALPANDUS.

Præter eas quæ in pavimento aperiebantur ad illustrandam hypogæam habitationem fuerunt majores quædam fenestræ 2248.

L. CAPPELLUS.

De hoc numero detrahendæ sunt 192 vel 184 fenestræ, quæ secundùm Villalpandum aperiebantur in quatuor lateribus Porticûs Gentium, quandoquidem nulla fuit, utì ostensum est, ejusmodi Porticus.

¶ Peribolus, Via, Porticus, & Atrium Gentium.

VILLALPANDUS.

Peribolus ex singulis lateribus longus 125 *calamos, crassus & altus calamum unum, h. e. palmos Rom.* 22 $\frac{121}{1000}$, *vel Hispanicos* 23 $\frac{659}{1000}$, *cancellis marmoreis inter columellas calamum unum cubicas.* ¶ *Via inter Peribolum & Porticum Gentium lata* 37 $\frac{1}{2}$ *cubitos, longa calamos* 123, *sive cubitos* 768 $\frac{3}{4}$. ¶ *Porticus Gentium longa calamos* 110, *sive cub.* 687 $\frac{1}{2}$, *lata cub.* 43 $\frac{3}{4}$. *Paries ejus super altitudine Periboli erigebatur usque ad summam Domatis coronam cubitos* 25. *Utrinsq; autem Porticûs (nam duplex in altitudine erat) altitudo par erat latitudini, nempe cub.* 43 $\frac{3}{4}$. ¶ *Atrium Gentium latum* 50 *cubitos, longum* 600.

L. CAP.

L. CAPPELLUS.

Peribolus, Via Porticûs & Atrium Gentium non fuerunt in rerum natura, utpote à Villalpando ex loco Ezechielis perperàm intellecto conficta, illíque tanquam inani loco superstructa atque inædificata, utì à nobis demonstratum est.

¶ *Atrium Israelis.*

VILLALPANDUS.

Paries ejus longus 500 *cubitos, altus cum triplici columnarum ordine* 60 *cubitos, præter stylobatæ altitudinem, quæ par erat Peribolo, nempe calami unius. Portarum ejus (in quibus quartus columnarum ordo erigitur) altitudo à pavimento Atrii Gentium fuit cubitorum* 78. *Castellorum autem (in quibus quintus erat columnarum ordo) cubitorum* 90.

L. CAPPELLUS.

Solum hoc Israelis Atrium, cum Templi seu Sacerdotum Atrio illi incluso, agnoscit in Templo Hierosolymitano Josephus, cui stadium unum longitudinis & latitudinis dat per singula quatuor latera. Quod ut quadret cum hac 500 cubitorum longitudine & latitudine, dicendum est hos cubitos esse non sacros sed communes, qui faciunt pedes 750; stadium autem Josephi esse non Romanum aut Græcum stadium, sed Hebraicum, *constans pedibus Hebraicis* 600, *Romanis verò* 750, utì illud definit Jac. Cappellus frater meus lib. De mensuris intervallorum, Definit. 29. Hujus Atrii in Herodiano Templo unam tantùm Porticum, nempe Meridionalem, quæ *Salomonis* dicebatur, facit in latitudine triplicem, latam 70 cubitos, cum tribus in illa latitudine deambulationibus, in altitudine verò tantùm duplicem in media deambulatione, altam isthîc 90 cubitos; ubi verò in altitudine simplex fuit, in duabus nimirum lateralibus deambulationibus, altam facit 50 cubitos. Reliquas tres Porticus facit in latitudine duplices, latas 40 cubitos cum duplici ambulatione, altas verò (utì par fuit) 50 cubitos, pari nimirum altitudine cum lateralibus Meridionalis Porticûs deambulationibus. Porrò siquid fuit in Salomonico Templo Atrium Gentium, necesse est ut fuerit in quatuor lateralibus Atrii istius Israelis Porticibus constitutum, in quibus licuerit Gentilibus, h.e. Proselytis, adorare, stare & deambulare: nam Gentilibus incircumcisis toto Templo videtur tum interdictum fuisse. Castella in angulis & concursu Porticuum erigit supra Porticus ad altitudinem 30 cubitorum ex mera conjectura Villalpandus, quia id videtur pertinere ad structuræ illius tam admirandi ædificii elegantiam atque splendorem & magnificentiam, tum ex ratione & proportione atq; symmetria Architecturæ, quæ id postulasse videtur.

¶ *Areæ, Porticus & Castella.*

VILLALPANDUS.

Atriorum Israelis areæ (quæ septem fuerunt) singulæ quadratæ erant 100 *cub. Area autem Atrii interioris, sive Sacerdotum, in cujus medio insidet domus Dei, proprióque peribolo cingitur, ejusdem est cum cæteris latitudinis, nempe* 100 *cubitorum, longitudine verò hujus duplâ sesquialterâ, h.e. cub.* 250. ¶ *Porticuum quibus areæ undique cingebantur longitudo par erat areæ, latitudo dimidia longitudini, nempe cub.* 50. ¶ *Castella in angulis & Porticuum conjunctûris constituta, numero* 16, *singula quadrata, cubitos* 50 *longa & lata.*

L. CAPPELLUS.

In Herodiano Templo ex Josephi descriptione atque delineatione nullæ fuerunt areæ quadratæ, sed longa & lata hypæthra spatia Septo interiori circumposita, illúdque ab exteriori Septo separantia. Nullæ item fuerunt in eo Porticus quæ (ut in isto) connecterent & conjungerent Septum exterius cum interiori: unde etiam factum est ut spatia illa hypæthra, quæ alterum Septum ab altero dividebant, non essent in areas subdiales divisa atque distincta. At hoc fuit minùs congruum minúsque symmetriæ tam admirabilis ædificii consonum. Distinctio hæc totius Atrii in Areas & Porticus est longè elegantissima & symmetriæ maximè conveniens.

¶ *Portæ.*

VILLALPANDUS.

Portæ sex, tres exteriores in Atrio Israelis, interiores totidem, quæ aperiebantur in Atrium Sacerdotum, singulæ longæ 50 *cubitos, (quantum nimirum Porticus erant latæ) latæ verò* 25 *cubitos.* ¶ *Spatium verò vacuum relictum inter Thalamos latum erat* 10 *cubitos.* ¶ *Thalami sex, tres ab uno latere, totidem ab altero. Thalami quadrati, calamum unum longi, lati & alti, cancellis undique cincti.* ¶ *Postium crassitudo, calami unius.* ¶ *Portarum lumen altum* 13 *cubitos, latum* 8.

L. CAPPELLUS.

In Templo Herodiano, ex Josephi descriptione, fuerunt itidem in Atrio populi sex Portæ, ac præterea duæ aliæ quibus in Atrium feminarum, & item una maxima ab Oriente quâ in Atrium Israelis & Sacerdotum patebat ingressus. Sed illa Portarum dispositio in Templo Salomonico ex Villalpandi delineatione longè est convenientior.

¶ *Domus Dei.*

VILLALPANDUS.

Latitudo Turris erat cubitorum 64, *altitudo ab ima turris parte ad lapidis angularis apicem, qui totius ædificii est pars sublimior, cubiti* 125. ¶ *Vestibulum ab altero pariete usque ad parietem Sancti alterum latum est cubitos* 12 ½, *longum cubitos* 20.

Sancta, sive locus sanctus, latus cubitos 20, *longitudine duplâ (nimirum cubitos* 40) *in qua includitur paries interjectus qui dividit Adytum latus, seu crassus, cubitos* 2½. ¶ *Adytum interius longum, latum & altum cubitos* 20, *absque fenestris.*

L. CAPPELLUS.

Turrim vocat quæ impositа erat Vestibulo, & supra reliquum Templum eminebat 30 cubitos. Ejus longitudo ab angulo Meridionali ad Aquilonarem, in facie seu prospectu Vestibuli, fuit 64 cubitorum, latitudo verò ab angulo ejus Orientali ad Occidentalem fuit cubitorũ 23½. Nam intrinsecùs Vestibulum latum fuit cubitos 12 ½, quibus addenda est crassitudo utriusque utrinque muri, quorum alter crassus fuit cubitos sex, alter quinque. Itaque *latitudo* posita hîc est à Villalpando pro *longitudine* cùm dicit *latitudinem Turris esse cubitorum* 64. Altitudo Turris ad tectum usque fuit propè 120 cubitorum, sed assurrexit tectum cubitos quinque, leniter acclive ut defluereret decidens imber. Quis sit *lapis*, secundùm Villalpandum, *angularis* dictum est suprà, & expensa est ejus sententia. Illi parem tribuit altitudinem quam tecto ipsi, nempe

nempe 5 cubitorum, ut ſummus apex illius lapidis æquè libratus fuerit ſummo tecti apici ejúſque ἀκροωνείοις, uti videre eſt in Turris ſeu Veſtibuli orthographia.

¶ *Cubicula.*

VILLALPANDUS.

Erant in univerſo ædificio Cubicula 712, ferè quadrata omnia. Singulorum inane erat cubitorum 12; quædam ex illis multò majora.

L. CAPPELLUS.

Ex ipſa Villalpandi Ichnographia computari poſſunt in ſolo Iſraelis Atrio ejuſmodi Cubicula 802. Erant etiam præterea nonnulla minora; at nulla fuerunt iſtis majora. Neque verò Architecturæ ratio patitur ut quædam fuerint majora, ſi ſolas Veſtibuli Exedras excipias numero octo.

¶ *Aula.*

VILLALPANDUS.

Erat præterea maxima illa Aula quæ Sancto & Sancto ſanctorum imminebat, in qua ſervabantur Tabulæ, Cortinæ, ac cætera Tabernaculi Moſaici inſtrumenta & Anathemata ſacra.

L. CAPPELLUS.

Cùm duplex fuerit in Templo ſtrictè dicto tabulatum, uti exſertè docet Joſephus, neceſſe eſt ut ſuper τὰ ἅγια & ἅγια ἁγίων fuerint ὑπερῷα paris cum illis amplitudinis. Quid autem in illis aſſervatum aut reconditum fuerit conjectat Villalpandus, non argumentis certis aſſequitur aût probat. Non eſt tamen improbabilis ejus in hac parte conjectura aut ſententia. Porrò omittit hîc Villalpandus magnas illas Exhedras quæ in tribus Turris Veſtibulo impoſitæ tabulatis fuerunt.

VILLALPANDUS.

Via quæ inter Cubicula utrinque poſita interjacet, eandem habebat cum Cubiculis latitudinem, longitudinem verò cub. 487. Trabes communes minimam habuerunt longitudinem, cub. 12½, craſſæ cub. 1¼, latæ 1⅞. Aliæ fuerunt majores quæ domûs Dei univerſam colligabant latitudinem, longæ cubitos 54, craſſæ cubitos 2½, latæ cubitos 3¾, omnes cedrinæ. Sculpturis, calaturis ac bracteis aureis erant ornatæ.

L. CAPPELLUS.

Trabes quibus tabulata cubiculorum Porticibus impoſitorum ſuſtinebantur, & quibus Domûs Dei latitudo colligabatur, ejuſdem fuerunt longitudinis cum Porticuum ipſarum & domûs Dei latitudine, nempe 50 aut 54 cubitorum.

VILLALPANDUS.

Pavimentum totius ædificii, præſertim Porticuum, ſtratum erat lapidibus varii diverſique coloris admodum pretioſis, adeóque cruſtis artificioſè ad picturæ normam teſſellato opere conjunctis erat compoſitum, ut unius inſtar lapidis appareret.

L. CAPPELLUS.

Huic Villalpandi ſententiæ obſtare omnino videtur interdictum Legis, Lev. 26. 1, quo prohibetur *nè facerent ſibi* Iſraelitæ אבן משכית *lapidem effigiatum ad adorandum ſuper eo.* Quod de pavimento lapidibus ſtrato intelligendum eſt. Diſtinguitur enim iſthîc lapis ille à מצבה & פסל à *ſculptili & ſtatua*; deinde additur להשתחות עליו *ad adorandum ſuper eo.* Nempe non modò vetat Deus nè ſtatuas & ſimulacra ſculpta ſibi erigant, ſed nè etiam lapides in pavimento effigiatos haberent, nè inter adorandum, & cùm procumbebant in terram, effigiem lapidibus pavimenti inſculptam aut quomodocunque efformatam viderentur adorare. Adversùs hoc interdictum videtur omnino eſſe *pavimentum opere teſſellato ad picturæ normam* efformatum. Tum & illud objici poteſt, quòd Zacharias *inter Altare & Templum* dicitur à populo lapidibus obrutus.

VILLALPANDUS.

Parietes, tectum (h. e. lacunar) *& pavimentum ſancta Domûs laminis aureis contecta ſplendebant, clavis ſimiliter aureis affixis,* [L. CAPP. Villalpandus ſuprà ex Eupolemo dixit *clavos* fuiſſe *argenteos talenti pondere*] *quorum capita miro artificio elaborata erant, in eorúmque ſingulis auri 25 unciæ conſumptæ ſunt. Erant omnes variis & artificioſiſſimis calaturis inſculpti, & encauſti loco varii coloris pretioſiſſimæ gemmæ auro incluſæ ſuis locis miro ordine diſponebantur, quæ ſuo ſplendore ſtellarum cœlum imitarentur.*

L. CAPPELLUS.

De gemmis iſtis encauſti loco in clavorum capitibus diſpoſitis mera eſt Villalpandi conjectura, plùs æquo fortè ὑπερβολικωλάτη.

VILLALPANDUS.

Vaſa ex auro conflata 440 M. Argentea 1340 M. Conſumpta in his 108 M. auri talenta cum 2 M. auri Sicli. Quæ auri ſumma æquivalet Romanæ monetæ aureis Scutis 1817654024. Argenti verò talenta mille millia faciunt Romanæ monetæ aureos Scutos 14644800000. De qua auri & argenti ſumma nihil detractum eſt ſolvendæ operariorum mercedi, vel iis alendis, vel aliis impenſis Templi faciendis; ſed totum illud aurum & argentum in Templo ſanctificatum fuit.

L. CAPPELLUS.

De vaſis illis & theſauro illo Davidis dictum eſt à nobis ſuprà, & hæc Villalpandi ſententia expenſa atque refutata eſt.

VILLALPANDUS.

Aurum hoc univerſum in ea vaſa conflanda expenſum ad formam cubicam revocatum efficit cubitos cubicos 500, quam maſſam vix caperet cubiculum quadratum latum & longum cubitos 10, altum quinque. Argentum verò ad eandem formam cubicam revocatum implere potuit totam Oraculi domum, quæ longa, lata & alta erat cubitos 20.

L. CAPPELLUS.

Si verus eſt hic Villalpandi calculus, aurum illud implere potuit quatuor ex illis Thalamis ſive Cellulis quæ Templo erant circumpoſitæ. Singulæ enim ejuſmodi Cellulæ, cùm fuerint cubitos 5 longæ, latæ & altæ, capiebant cubitos cubicos 125. Porrò cùm argenti pondus in theſauro Davidis fuerit auri pondere decuplo majus, ſi argentum ex Villalpandi ſententia potuit implere totum Templi Oraculum, neceſſe eſt ut auri ad argentū ratio & proportio fuerit (quantū ad molem) ſexdecupla. Oraculū enim cùm fuerit cubitos 20 longum, latum & altum, capiebat 8000

cubitos cubicos. At aurum ſecundùm Villalpandum non capiebat niſi 500. Illud jam relinquo peritis artificibus metallorum diſquirendum, an argentum decuplo tantùm majus quàm aurum pondere ſex decies majus occupare poſſit ſpatium; ſive, an ratio & proportio molis argenti ad auri molem ſit plus quàm ſeſquialtera, h. e. an argenti maſſa ejuſdem cum auri maſſa ponderis ſpatium occupet dimidio majus quàm occupat auri maſſa; ſive, quod eodèm redit, an auri maſſa ejuſdem cum argentea molis argenteam dimidio ſui pondere ſuperet; putà, ſi argenti maſſa pendeat 12 libras, utrùm auri maſſa ejuſdem corporis atque molis pendebit 18 libras.

VILLALPANDUS.

Altaris anei pondus fuit talentorum 20 M. *Maris anei pondus fuit talentorum* 8640. *quæ æquivalent Rom. libris* 1080000. *Tectum univerſum Templi tegulis aneis operiebatur, quarum omnium pondus ad minimum eſt talentorum* 500141, *cum libris præterea* 103, *ſive librarum Rom.* 625117728.

L. CAPPELLUS.

An Porticuum omnium tectum fuerit æneis laminis opertum Scriptura non dicit; alius non potuit aliunde id reſciſcere ac pro certo tradere. Itaque mera eſt hæc conjectura de pondere tegularum æneārum. Sed præterea dato non conceſſo, tecta Porticuum fuiſſe æneis laminis operta, ſemper tamen de hoc pondere dimidium ferme detrahendum eſt, nempe quantum requirebatur tegendis quatuor Atrii Gentium Porticibus, quandoquidem oſtendimus nullum fuiſſe ejuſmodi Atrium.

VILLALPANDUS.

In duabus aneis columnis conflandis impenſa ſunt æris talenta 19027, *paria libris Rom.* 23178375. *Eiſdem auro veſtiendis (cujus craſſitudo erat unius digiti) expenſa ſunt auri talenta* 5758, *quæ æquivalent Scutis Rom.* 9691078.

L. CAPPELLUS.

De illo Eupolemi commento ſuprà diximus.

VILLALPANDUS.

In decem Luteribus cum ſuis Baſibus expenſa ſunt æris talenta 20 M. *quæ æquivalent librarum Rom.* 2 *millionibus ſive* 2000000.

¶ *Operariorum numerus.*

Adhibuit Salomon in Templi fabrica operarios Iſraelitas, Sidonios, Tyrios, Ægyptios 411900. *quorum ſingulis ſub diſceſſum, abſolutâ fabricâ, præter diurnam mercedem & omnia ad victum neceſſaria durante fabricâ abunda ſuppeditata, liberaliter erogavit auri ſiclos denos, h. e. Scuta Rom.* 56. *quorum omnium ſumma eſt* 411900, *æqualia Scutis Rom.* 22546590.

L. CAPPELLUS.

De hoc Operariorum numero ſuprà diximus, eúmque numerum plus quàm dimidiâ parte minuimus, non enim plures in univerſum fuerunt quàm 180 M. quorum tertia tantùm pars, nempe 60 M. per vices operabatur. An aliquid datum illis fuerit, & quantum, præter diurnam mercedem & quotidianum demenſum, Scriptura non dicit, nec ſine Scriptura nobis hîc quicquam licet loqui.

¶ *Operariorum cibaria.*

VILLALPANDUS.

Præbebat Solomon in cibaria domûs Regi Tyrio coros Tritici 20 M. *Vini metretas* 20 M. *Olei coros* 20 M. *ſeu metretas* 200. *Ægyptio Regi dabat earundem rerum vel modum, vel pretium aliis rebus permutatum. Dabat Tyriorum* 80 M. *in ſingulos annos coros Tritici* 120 M. *& Hordei totidem; atque adèo Arithmeticâ ratione operariis omnibus erogabat in ſingulos annos Tritici coros* 602850. *Dabat ſextæ parti Tyriorum operariorum metretas (h. e. bathos,* ut Scriptura loquitur) *Vini* 20 M. *Ergò omnibus Tyriis metretas* 120 M. *Igitur omnibus operariis dabat Vini metretas* 602850. *Eidem ſextæ Tyriorum parti qui ligna cædebant dabat Olei Sata (Bathos* dicendum fuit) 20 M. *Igitur omnibus Tyriis dabat Sata* 120 M. *Ergò omnibus operariis* 602850 *Sata Olei, h. e. Hiſpanæ Arrovæ vel Italicæ* Botte 17661. *Et præter hæc carnes & alia neceſſaria in ſingulos menſes ex Galilæa & Samaritide,* &c.

L. CAPPELLUS.

Quemadmodum ſuprà oſtendimus Villalpandum falli in numero operariorum quos exſtructioni Templi vult vacaſſe, quem numerum plus duplo majorē facit quàm Scriptura, vult enim fuiſſe 411900, cùm in Scriptura conſtet fuiſſe tantùm 180 M. quorum tertia tantùm pars, nempe 60 M. alternis in opere ſemper erat; ſic etiam eundem falli neceſſe eſt in alimentorum quæ illis à Salomone in annum ſuppeditabantur ſumma. Primùm enim in eo peccat quòd Regi Ægyptio tantundem vult fuiſſe ſuppeditatū alimentorum quantum Tyrio, cùm Scriptura nē γρῦ quidem meminerit alimentorū Ægyptio Regi ſuppeditatorum, utì nec operariorum Ægyptiacorum. Et ſanè quid opus erat Ægyptio Regi ſuppeditare triticum & hordeum, cùm Ægyptus his abundaret ſupra reliquas orbis terrarum provincias atq; regiones? Deinde in eo peccat & fallitur Villalpandus quòd quæ dicuntur 1 Reg. 5. 11. de 20 M. *coris frumenti,* & 20 *coris olei datis* Regi Tyrio *in cibaria domûs ejus,* diſtinguit à 20 M. *coris tritici* & *totidem hordei,* item 20 M. *vini,* & *olei totidem bathis,* qui 2 Chron. 2. 10. dicuntur *dati* Regi Tyrio *in alimentum operariorū ipſius,* cùm revera utrobique agatur de una eadémque re, nempe de alimentis quæ Salomon præbebat operariis omnibus Templi. Nam quis credat Salomonem præter diurnū demenſum & mercedem datam operariis Tyriis voluiſſe Regi Tyrio in annum præbere 20 M. coros tritici in cibaria domûs ejus, quod demenſum duplo ferè majus fuit quàm ipſius Salomonis demenſum annuum triticeum? Salomonis enim diurnum demenſum triticeum fuit duntaxat 30 *cori* 1 Reg. 4. 22. qui numerus per 365 multiplicatus dat 10950 coros. Deinde 20 M. cori annui ſufficiebant alendis 30 M. hominum, utì mox oſtendemus. An gratis dediſſet Salomon Regi Tyrio in cibaria domûs ipſius tantundem tritici annui quantum ſufficit alendis 30 M. hominum? maximè cùm poſt abſolutum Templum & domum ſuam regiam Salomon illi dono dederit 20 urbes in Galilæa pro pretio cedrorum & abietum ſibi ſubminiſtratarum. Omnino ergò 20 M *cori tritici* de quibus 1 Reg. 5. 11. ſunt iidem cum illis de quibus 2 Chron. 2. 10. & ſuppeditata ſunt à Salomone in alimenta non domûs Regis Tyrii, ſed operariorum qui ligna & lapides cædebant, bajulabant, & ſtructuræ Templi vacabant; qui dicuntur *domus Regis Tyrii,* quia plerique omnes illi operarii fuerunt Tyrii, ſeu Regis Tyrii ſubditi, primáſque in eo opere Tyrii tenebant. Adde & illud, quòd proportio illa 20 *cororum Olei* cum 20 M. *coris Tritici,* quæ eſt 1 Reg. 5. 11. non juſta videtur. Sic enim Oleum non fuiſſet niſi milleſima Tritici pars, cùm fuerit, & eſſe debuerit, minimùm 20 aut 24 pars, utì mox oſtendetur. Itaque 1 Reg. 5. 11. pro 20 *coris olei* ſubſtituendum & emendandum ex 2 Chron. 2. 10, 20 M. *bathi olei*, ut כרים poſitum ſit pro בתים, facili

facili laſſu, vox item אלף omiſſa. Locus nempe Regum ſupplendus & emendandus eſt ex 2 Chron. utrobique enim idem traditur, quodnam fuerit ſcilicet annuum operariorum Templi demenſum, nimirum 20 M. cori Tritici, totidémque Hordei, item 20 M. bathi Vini, totidémque Olei; quod demenſum ſuffeciſſe omnibus operariis ſic demonſtramus. Suprà dictum & oſtenſum eſt fuiſſe in univerſum 180 M. operarios, quorum tertia tantùm pars, nempe 60 M. in opere ſemper erat, reliquis domi manentibus. Illorum qui operi vacabant duntaxat, non etiam eorum qui domi manebant, demenſum hîc à Scriptura recenſetur. Hi cùm 60 M. fuerint, illis ſufficiebantur in annum 20 M. cororum Tritici, totidémque Hordei. Ergò unicuique operariorum tertia cori pars cedebat in annum. Corus autem Hebræorum (docente Jac. Cappello, fratre meo, lib. De menſuris cubicis, Defin. 67 & 68.) duplex fuit, major & minor. Minor pendebat libras Rom. (12 unciarum) 900, major 1200. & utrumque oſtendit fuiſſe annuum hominis demenſum ſatis liberale. Nos de majore coro locum iſtum accipimus, qui pependit 1200 libras Rom. Ejus tertia pars fuit 400 libræ Rom. Dabantur ergò in annum ſingulis operariis 400 Tritici totidémque Hordei libræ Romanæ. Sic ergò unicuique operario binæ in diem panis libræ Rom. cum $\frac{1}{3}$ cedebant, ſive unciæ 26. quod non eſt parcum diurnum demenſum. Bathus (eodem ibidem docente Cappello) & Amphora Rom. fuerunt una & eadem menſura liquidorum. Capiebat autem Amphora ſextarios 72. Cùm itaque 60 M. hominum præberentur 20 M. bathi Vini annui, ſequitur ſingulis operariis ceſſiſſe trientem bathi in annum, h.e. 24 ſextarii Vini, ſive bini in menſem Vini ſextarii; nempe potus eorum ordinarius fuit Aqua, extraordinarius autem, bis in menſe, Vini ſextarius, qui uncias 20 Vini pendet. Olei totidem illis ſufficiebantur, bini in menſem ſextarii, h.e. Olei unciæ 36, in ſingulos dies paulò plus quàm uncia, in panis condimentum: quod nemo dixerit eſſe æquo parcius, cùm præterea diurna merces ſolveretur. Sic planum fecimus quàm graviter hîc hallucinetur Villalpandus in recenſendo annuo operariorum Salomonis demenſo, quámq; ſine neceſſitate numerum ac ſummam illius in immenſum plus æquo augeat.

¶ *Operariorum merces & ſalarium.*

VILLALPANDUS.

Abſolutis ædificiis, dono dedit Salomon Regi Ægyptio olei metretas 10 M. *ſive dolia (vel* botte *Rom.)* 878. *Dactylorum artabas mille, ſive coros* 166. *Mellis vaſa* 100, *atque aromata.*

L. CAPPELLUS.

Munus hoc non valde grande pro Salomonis opulentia & magnificentia; quod cùm extra Scripturam ſit, tam facilè rejicitur quàm aſſeritur.

VILLALPANDUS.

Tyrio Regi præterea dedit dono 20 *oppida in Galilæa, & auream maximi pretii columnam.*

L. CAPPELLUS.

De 20 *oppidis* planum eſt ex 1 Reg. 9. 11. de *columna aurea* tacet Scriptura. Attamen cùm *Hiramus Salomoni miſerit auri talenta* 120. 1 Reg. 9. 14. h.e. Romanas auri libras 14 M. fieri poteſt ut Salomon viciſſim ei dono miſerit ejuſmodi columnam, ut par pari rependeret, aut verò etiam liberalitate eum ſuperaret.

VILLALPANDUS.

Quamvis tanta eſſet gentium & operariorum varietas & multitudo quæ in hoc ædificio operam navabat, quamvis Salomon tam abunde copiam rerum omnium ad victum neceſſariarum ſuppeditatam operis providerit, quamvis ad manus habuerit infinitam penè pecuniam mercedi ſolvendæ & operis ſuſtentandis, quamvis maximas impenſarum partes paratas à Davide habuerit, aurum, argentum, ferrum, æs, pretioſos lapides abundantiſſimè, lapides grandes è monte Libano, ligna cedrina & abiegna, & ſexcenta alia tanto ædificio neceſſaria, nihilominus ſeptem annos cum dimidio conſumpſit ædificando Templo. Tanta moræ cauſa erat Templi magnitudo. Quare Joſephus affirmat hæc tam magna & pulcra opera perfeciſſe ſeptennio, non ad opulentiæ modò ſed ad celeritatis oſtentationem.

L. CAPPELLUS.

Quantum in diurnam Operariorum mercedem Salomon impenderit, nec Villalpandus dicit nec Scriptura notat; imò verò nè quidem ait an ulla omnino diurna merces præter quotidianum victum illis ſoluta ſit. Verùm quia non videtur æquum aut veriſimile nullam fuiſſe datam illis diurnam mercedem; ſic enim habiti fuiſſent non ut mercenarii ſed quaſi viliſſima mancipia; agè, aſſignemus illis præter demenſum diurnam etiam mercedem non illiberalem, nempe Siclum unum civilem, ſive dimidium Sanctuarii Siclum, h.e. decem noſtrates ſolidos Turonicos, quæ hodie eſt juſta & ſatis liberalis merces diurna operarum quibus præterea alimenta ſubminiſtrantur. Atqui ut liberaliter cum illis agamus, demus & mercedem & demenſum fuiſſe illis exhibita etiam cùm domi manebant, non duntaxat cùm operi vacabant. Cùm itaque 180 M. fuerint operarii, ſi ſingulis ſinguli dati ſunt in diem Sicli pro mercede, omnibus in univerſum datæ ſunt in dies ſingulos 90 M. libræ noſtrates Turonicæ, in annum autem 32850000. Ergò cùm per ſeptem annos operi vacarint, impenſæ ſunt in eorum mercedem 22995000 libræ, h.e. ferme 230 milliones. In Templi deaurationem oſtendimus ſuprà opus fuiſſe 120 millionibus, qui ſi præcedentibus addantur, fient in univerſum 350 milliones. Theſaurus autem Davidicus (uti ſuprà demonſtratum eſt) etiam ex computatione Jac. Cappelli fratris fuit 379 millionum, ſi aureum Scutatũ tribus libris Turonicis æſtimes. At ſi quinq; libris æſtimes, uti hodie fit, tum theſaurus fuit 630 millionum: nam in eo fuerunt 126 milliones aureorum quos *ſolatos* vocamus; quibus ſi detrahas illos 350 milliones, ſupererunt adhuc 29 milliones in alias Templi impenſas, atq; in Templi vaſa aurea & argentea conflanda, ac in votivam pecuniam. Ità liquet Davidis theſaurum Salomoni filio relictum potuiſſe ſufficere tum ſolvendis operis, tum inaurando Templo, tum in vaſa ejus aurea & argentea votivam pecuniam, aliáſq; ejus impenſas. A Salomone autem ſubminiſtratum tantùm fuiſſe diurnum operariorum demenſum, quod ſi juxta ſuprà poſitam à nobis rationem (nimirum ut ſingulis viris in dies ſufficerentur 26 panis unciæ cum olei uncia & gemino in ſingulos menſes vini ſextario) æſtimetur, drachma ſeu dimidius Siclus ſingulis in hanc rem ſuffecerit, quæ eſt dimidia mercedis ipſorum pars. Cùm itaq; tota merces eorum fuerit (uti modò demonſtratum eſt) ferè 230 millionum, ſequitur pretium diurni eorum demenſi fuiſſe 115 millionũ librarum noſtratium Turonicarum per ſeptem illos annos quibus operi vacarunt. Porrò nè quis putet nos nimio & plus æquo operariorũ minuiſſe numerum, oſtendendũ nobis eſt numerum illum quem ex Scriptura ſtatuimus, nimirum 60 M. hominum, abunde ſuffeciſſe exſtruendo Templo ex ipſiuſmet Villalpandi ſententia. Vult ille fuiſſe operarum 411 M. at non vult eos omnes perpetuò in opere faciendo fuiſſe occupatos, ſed eorum duntaxat trientem menſem unum opus feciſſe, alterum trientem menſem alium, tertium denique trientem menſem tertium, ſícque per vices in orbem rediiſſe, uti exactè Scriptura notat de 30 M. Iſraelitarum 1 Reg. 5. 13, 14. quod de omnibus operariis analogicè dicendum eſt. Itaq; ſecundùm ipſum Villalpandum 137 M. operarum perpetuò in opere faciendo occupabantur: atq; hos putat ſuffeciſſe exſtruendo Templo ſuo. Jam verò ſuprà demonſtravi non fuiſſe in Templo Salomonico Atrium Gentium, quod Villalpandus ex loco Ezechielis malè intellecto commentus eſt. Eo ſublato, plus quàm dimidia vaſtiſſimi illius ædificii pars atq; moles corruit. Ac proinde ſi ſecundùm Villalpandum 137 M.

hominum exſtruendo Templo ſuo ſufficere potuerunt, proculdubio 60 M. ſuffecerunt exſtruendo Templo quod ablato Gentium Atrio reliquum fuerit. Deinde hoc velim perpendi; Neh. 5. teſtatur Nehemias ſpatio 52 dierum mœnia Hieroſolymitana fuiſſe à ſe inſtaurata. Mirum hoc videtur. At probari poteſt facilè id ab eo fieri potuiſſe, etiamſi ponamus mœnia illa habuiſſe in ambitu novem millia paſſuum (quod multum eſt) eáq; fuiſſe (utì teſtatur Joſephus ſuo tempore fuiſſe) 12 pedes craſſa, alta verò pedes 36. Quod ſic oſtenditur. Judæi qui à captivitate Babylonica ſub Zorobabele redierunt numero fuerunt 50 M. Quo tempore Nehemias inſtauravit mœnia Hieroſolymitana potuit Judæorum numerus duplo, triplo quadruplóve major eſſe; nam à ſoluta Captivitate Babylonica uſq; ad Nehemiæ adventum in Judæam, anno 20 Artaxerxis Longimani, anni ſunt penè centum, ſaltem 95. Per id tempus numerus ille Judæorum potuit multùm in Judæa augeri, triplo nempe vel quadruplo: itaq; potuit Nehemias 50 M. operariorum habere & occupare in illa mœniorum inſtauratione, reliquis ad agrorum culturam & oppidorum cuſtodiam relictis. Horum operâ facilè potuit mœnia illa ſpatio illo 52 dierum è ruderibus (ubi materia parata erat) excitare ab ipſis fundamentis. Quod ſic oſtendo. Murus qui in ambitu habet novem millia paſſuum longus eſt 45 M. pedes. Multiplicetur hic numerus per 12 (quanta eſt muri illius craſſitudo) erunt in muri veſtigio 540 M. pedes quadrati, qui ſi multiplicentur per 36 (quæ eſt muri illius altitudo) dabunt in toto illo muro pedes cubicos 19440000, h. e. decempedas noſtrates Gallicas (quas vocamus *toiſes*, quæ ſex conſtant pedibus) cubicas 90 M. Nam in ejuſmodi decempeda cubica pedes ſunt cubici 216. Si ergò præcedens numerus dividatur per iſtum 216, dabit 90 M. decempedas cubicas in univerſo illo muro. Ponamus jam centum homines in uno die ex disjectis ruderibus & parata jam materia poſſe exſtruere quatuor decempedas cubicas; quod illis facillimum eſt: ſic enim unus homo toto die exſtruxerit octo tantùm pedes cubicos; quod operoſum non eſt, ex materia, inquam, parata. Quo dato, ſequitur 50 M. hominum uno die poſſe exſtruere decempedas cubicas 2000, ac proinde ſpatio dierum 45 exſtruent decempedas cubicas 90 M. h. e. totum murum Hieroſolymitanum. Sed quia in 45 diebus continuis ſunt ſex ſabbata, & unus dies Calendarum, qui Judæis fuerunt dies feſti, addendi ſunt ſeptem dies præcedentibus 45. Ità fiunt 52 dies quibus Nehemias totum Hieroſolymitanum Murum disjectum inſtauravit. Jam verò ſi 50 M. hominum uno die poſſunt ex parata materia exſtruere decempedas cubicas 2 M. 60 M. exſtruent 2400, ac proinde ſpatio dierum 37½ exſtruent totum illum murum. Demus propter Sabbata & dies feſtos dies 45. Hoc dato ſequitur eoſdem operarios ſpatio ſeptem annorum cum dimidio (quibus exſtructum fuit Templum Salomonicum) h. e. dierum 2737, poſſe exſtruere 60 muros ejuſmodi, ex parata, inquam, materia. Sed quia parata non erat ſed præparanda fuit materia Templi Salomonis, h. e. lapides & ligna cædenda, dolanda, convectanda fuerunt, demus ad ejuſmodi præparationem materiæ ſextuplo majore opus fuiſſe tempore, ſequitur 60 M. hominum potuiſſe ſpatio illo ſeptem annorum cum dimidio exſtruere decem ejuſmodi muros qualem poſuimus fuiſſe Hieroſolymitanum, 12 pedes craſſum, altum 36, longum 45 M. adeóque totam ejus materiam è monte exſcindere, cædere, dolare, ſculpere, expolire & convehere. Si 60 M. hominum decem ejuſmodi muros ſpatio illo temporis poſſunt exſtruere, an putandum eſt eodem temporis ſpatio non potuiſſe unum Templum Hieroſolymitanum exſtruere? Imò jam oſtendam tria ferme eo temporis ſpatio potuiſſe talia Templa exſtruere. Demonſtravimus ſuprà Templum Hieroſolymitanũ nõ amplius fuiſſe quàm Villalpandus facit Atrium Iſraelis: probavimus enim Atrium Gentium Villalpandi nullum fuiſſe. Atrium autem Iſraelis longum & latum fuit 500 cubitos communes, h. e. 750 pedes. Murus ſubſtructionum latus fuit 50 cubitos, altus ex hypotheſi 300 cubitos; factâ multiplicatione unum latus dabit 11250000 pedes cubicos, qui numerus ſi per 216 dividatur (quot ſunt pedes cubici in una noſtrate decempeda) dabit in uno muri ſubſtructionũ latere decempedas noſtrates, h. e. *toiſes*, 52084; tantundem habebit alterum latus; reliqua duo (quia ex ſingulis ſubducendi ſunt 100 cubiti in longitudine) dabunt ſimul 83332 decempedas cubicas. Itaque totus ſubſtructionum murus dabit 187500 cubicas decempedas. Antæ quibus fulciebatur ille murus fuerunt numero 16, ſingulæ longæ & latæ 50 cubitos, altæ 300, pari cum muro altitudine, ac præterea infernè (ſecundùm Villalpandum, quod & illi damus) longæ fuerunt 100 cubitos, indéque paulatim minuebantur dum in altum aſſurgebant. Demus per illam longitudinem 100 cubitorum Antas fuiſſe altas 50 cubitos, omnes ſimul Antæ dabunt decempedas cubicas 111104. Ità totus murus ſubſtructionum cum 16 ſuis Antis dabit cubicas decempedas 298604. Porticus Atrii Iſraelis fuerunt ejuſdem longitudinis, nimirum 500 cubitorum, latæ itidem 50 cubitos, altæ verò 60 cubitos: fuerunt autem in toto Atrio Iſraelis ferme ſex Porticus hujus amplitudinis. Ponamus fuiſſe ſex; ſingulæ dabunt decempedas cubicas 10416, ſi fingamus eas fuiſſe ſolidas. Univerſæ ergò dabunt decempedas cubicas 62496. Templum ſtrictè dictum cum Veſtibulo & Turri & Cellis circumpoſitis decempedas habuerit cubicas 2981, ſi totum fuiſſet ſolidum. Nam Turris longa 64 cubitos, lata 25, alta 120, cubitos habuit cubicos 192 M. pedes verò cubicos 288 M. decempedas verò cubicas 1338. Templum ſtrictè dictum, nempe locus Sanctus cum Sancto ſanctorum, longum fuit cubitos 66 cum muro poſteriore, latum 32, altum 90, cubitos habuit cubicos 190080, pedes verò cubicos 285080, decempedas verò cubicas 1320. Cellæ Templo circumpoſitæ longæ fuerunt in circuitu cubitos 186, latæ 10, altæ 25. cubitos habuerunt cubicos 46500, pedes verò 69750, decempedas cubicas 323. Si ergò omnes hi numeri ſimul ſumantur, invenietur totam Templi molem (ſi ſolidum fuiſſet) unà cum muro ſubſtructionis illiúſque Antis decempedas habuiſſe cubicas 364081. Habuit enim Murus ſubſtructionis 187500. Antæ 111104. Sex Porticus 62496. Templum propriè dictum 2981. Summa eſt 364081. At murus Hieroſolymitanus decies ſumptus decempedas habuiſſet cubicas 900 M. habuit enim revera 90 M. Cùm ergò ſuprà demonſtraverimus 60 M. hominum ſpatio annorum ſeptem cum dimidio potuiſſe exſtruere murum Hieroſolymitanum decies ſumptum, liquet eoſdem eodem temporis ſpatio potuiſſe exſtruere Templum plus quàm duplo majus Hieroſolymitano; habuit enim tantùm decempedas cubicas 342555. at 60 M. hominum eo temporis ſpatio poſſunt exſtruere decempedas cubicas 900 M.

At fortè aliquis hypotheſes noſtras æquo breviores atq; juſto anguſtiores eſſe exiſtimabit. Verùm primam hypotheſim nemo eſt qui poſſit aut debeat revocare in dubium, nempe poſſe hominem ex parata materia uno die exſtruere octo vel novem pedes cubicos; facile enim illud eſt factu. Diximus ſecundò, ſextuplo plus tempore opus eſſe, cùm materia parata non eſt ſed ea eſt præparanda, cùm, inquam, lapides & ligna ſunt cædenda, dedolanda, ſculpenda, convehenda, atque in ſtructura ipſa aptanda. Siquis æquo id minus eſſe putet, agè ſimus liberaliores & dicamus duodecuplo majore tempore ad id opus eſſe, (nemo, puto, inficiabitur id ſatis eſſe) ſemper manebit hoc fixum, atque ex ſuperioribus demonſtratum, 60 M. hominum poſſe ſpatio ſeptem annorum cum dimidio exſtruere tale Templum quale Villalpandus vult fuiſſe in Templo Salomonico Atrium Iſraelis: neque enim fuit totum Templum Salomonicum Atrio illo (quale à Villalpando deſcribitur) majus. Nec eſt quod quis objiciat tot Columnas, & ſemicolumnas cum ſuis epiſtyliis & trabeationibus, quibus cædendis, ſculpendis, ſcalpendis, cælandis & aptandis magno opus eſt tempore, tot etiam Trabes, tabulata, tecta & lacunaria cedrina

cedrina aut abiegna, quibus itidem cædendis, dolandis, sculpendis & cælandis multo opus fuit tempore, quæ omnia abfuerunt in exstructione muri Hierosolymitani. Nam primò in muro etiam Hierosolymitano exstruendo, cædendi & scalpendi fuerunt lapides quibus fuit exstructus, licèt non tanto cum artificio fuerint sculpti & cælati quanto Columnæ Templi cum suis trabeationibus. Secundò totus substructionis Templi murus unà cum suis Antis non aliter structus fuit quàm murus Hierosolymitanus, h. e. non majore artificio cæsi & scalpti sunt illius lapides quàm lapides quibus exstructi sunt muri Hierosolymitani. Murus autem ille cum suis Antis habuit decempedas cubicas 298604. At porticus omnes cum Templo ipso propriè dicto (etiam si omnia dicamus fuisse solida) habent tantùm decempedas cubicas 65477. Itaque longè maxima pars illius ædificii ejusdem fuit naturæ, neque majoris operæ aut exquisitioris artificii quàm fuerunt muri Hierosolymitani. Denique supponimus etiam omnes Porticus unà cum Templo fuisse murum solidum. Jam verò solent Architecti tantundem æstimare (quoad pretium & impensas) murum solidum quàm inane, & inane quàm solidum, juxta formulam ipsis familiarem, *Autant plein que vuide*; neque plus impendunt operæ aut temporis in exstruenda fabrica quæ columnis & fornicibus multiplicibus constat quàm si solidam exstruerent. Ità putamus demonstrasse potuisse facilè à 60 M. hominum exstrui Templum Salomonicum, quale fuit Atrium Israelis à Villalpando descriptum; quod nobis erat demonstrandũ.

Reditus Salomonis annui ex Villalpandi Tom. 2. Part. 2. lib. 5. Cap. XLIV, & seq.

Post explicatum cap. 43. immensum à Davide Salomoni relictum thesaurum, exquirit Villalpandus quâ ratione David potuit tantum coacervare thesaurum. Ac primùm Scripturæ loca colligit quæ Salomonis opulentiam commemorant, qualia sunt 2 Par. 8. 18. & cap. 9. 13, 14, 21, 22, 26, 27. Regios proventus dividit in tres partes, I. *Canon*, h. e. constituta Vectigalia, Hispani vocant *las tercias reales*. II. *Oblatio*, h.e. solutio tertiæ, quartæ vel cujuscunque partis in mercimonia; Italis *Gabella*, Hispanis *Alcavala*. III. *Indictio*, quam veteres *Collationem*, Græci συμβολὴ, nos *Impositionem*, Hispani *Pecho* vocant. De Indictione accipit locum 2 Par. 9. 13. *Auri pondus per singulos annos erat talentorum 666*, quod æstimat Scutatorum Romanorum 11208780. Hanc collectam vult ex Hetthæis, Jebusæis, Amorrhæis, &c. tributariis, de quibus 2 Par. 8. 7, 8. quibus opponit Israelitas liberos & immunes, de quibus 1 Reg. 9. 22. De oblatione accipit locum 1 Reg. 10. 15. *Excepto eo quod afferebant viri qui super vectigalia erant, item & negotiatores, universíq; scruta vendentes*. Ad Canonem refert duo genera Vectigalium. Primum eorum quæ ab Israelitico populo solvebantur, de quibus 2 Par. 9. 14. & 1 Reg. 10. 15. quæ loca interpretatur de XII Præfectis super totum Israelem, de quibus 1 Reg. 4. 7. qui per menses singulos præbebant annonam Regi.

L. CAPPELLUS.

Mira hîc est Villalpandi hallucinatio duplex; I. Quòd eundem locum 1 Reg. 10. 15. (qui idem est cum 2 Par. 9. 14. utì conferenti liquet) accipit tum de Oblatione, tum de primo genere vectigalis quod ad Canonem pertinet. II. Quòd utroq; loco illo 1 Reg. 10. 15. & 2 Par. 9. 14. nulla est vola, nullum vestigium eorum quæ à Præfectis annonæ singulis mensibus subministrabantur Salomoni: ità ut res diversissimas absurdè confundat, vectigalia nimirum quæ ex omni genere mercium colligebantur (de quibus est intelligendus locus 1 Reg. 10. 15.) cum annona & alimentis quæ Præfecti annonæ parabant Salomoni ex toto Israelitarum tractu.

VILLALPANDUS.

Secundum genus vectigalis quod ad Canonem pertinet, est eorum quæ à Regibus, Dynastis ac Principibus exterarum Gentium solvebantur: de quibus accipit locum 1 Reg. 10 15. & 2 Par. 9. 14. *Omnes Reges Arabiæ, Ducésque terræ* (sive *Satrapæ terrarum*) *qui comportabant aurum & argentum Salomoni. Vide & 1 Reg. 4 21, 24, 25.*

L. CAPPELLUS.

Loca & verba illa agunt de tributis quæ Regibus, Dynastis ac Principibus tributariis à Salomone imperabantur, non verò de vectigalibus quæ mercibus in eorum districtu imponebantur. Itaque verba illa perperàm à Villalpando referuntur ad Canonem & secundum genus vectigalium.

VILLALPANDUS.

Cap. XLV. annuum Salomonis censum exquirit. Et quidem præter tributa ex Hetthæis, Jebusæis, Amorrhæis, &c. collecta, quæ modò dixit fuisse talentorum 666, hunc vult fuisse talentorum 1560, quæ dicit *collecta fuisse ex XII Tribubus Israelis, quarum singulæ penderent 120 talenta, totidémq; pependisse* ait *singulis annis Hiramum Tyri Regem*, ex 1 Reg. 9. 14. *Misit Hiram Regi 120 talenta auri* וזה דבר המס *Et hæc est ratio tributi*, &c. Quem locum ità accipit Villalpandus, ut eo significari putet tantundem singulis annis pependisse non Hiramum duntaxat (jam antea à Davide factum tributarium, referente Eupolemo;) sed & à singulis tribubus Israelis, quibus impositum gravissimum à Salomone tributum legimus 1 Reg. 11. 27, 28. & 12. 14. cujus causâ à Roboamo defecerunt. Huc etiam respexisse videtur Regina Saba, quæ 120 talenta auri ultro Salomoni obtulit inter donaria, ut se veluti subjectam fateretur, eandem persolvens summam quæ subjectis regionibus fuerat imposita. Hanc annuam Tributi summam 1560 talentorum confert cum voluntaria oblatione Magnatum, Procerum, Tribunorum in impensas Templi, cujus fit mentio 1 Par. 29. 7 8. quæ fuit auri talenta 5 M. solidi 10 M. argenti talenta 10 M. qui argenteorum talentorum numerus si resolvatur in talenta auri facit talenta 853. Ità fit universa illa oblatio talentorum auri 5833, quæ quadruplo superat annuum illum censum talentorum 1560. Confert item cum loco quodam Josephi Antiq. l. 12. c. 4. qui refert ab Oniæ summi Pontificis nepote Josepho redempta fuisse à Ptolemæo Epiphane Ægypti Rege vectigalia Cœlesyriæ, Phœniciæ, Judææ & Samariæ 16 M. talentorum argenti, quæ æquant summam illam 1560 talentorum auri.

L. CAPPELLUS.

Multa hîc peccare videtur Villalpandus. Nam primò quod in genere dictum videtur de omnibus Salomonis reditibus 2 Paral. 9. 13. (exceptis vectigalibus quæ mercibus imponebantur, & donariis voluntariis, quorum certa ratio & summa iniri & haberi non potest) ad Villalpandus restringit ad tributum quod à solis Hetthæis, Jebusæis, Amorrhæis, &c. exigebatur, sine ulla verisimilitudinis specie. Deinde quis credat à solis Hetthæis, Jebusæis, &c. (qui proculdubio pauciſſimi fuerunt reliqui in Chananitide tempore Davidis & Salomonis, si cum Israelitis comparentur) exigi potuisse tantum auri pondus 666 talentorum, quæ æquant ferè 34 milliones librarum Turonicarum nostratium? Quòd si Villalpandus illam auri summam non à solis Jebusæis, &c. vult esse exactam, sed ab omnibus Phœniciæ, Cœlesyriæ & Arabiæ Regulis, Dynastis, Principibus, Ducibus & populis qui ab Euphrate usque ad Ægyptum Salomoni dicuntur fuisse tributarii, cur à summa illa Villalpandus excipit 120 talenta

lenta auri annua quæ vult Tyriorum Regem pependisse Salomoni? Cur etiam ab illa summa excipiuntur ea quæ *Reges Arabiæ & Duces terræ & Satrapæ terrarum comportabant Salomoni?* uti dicitur ver. 14. Tertiò, Scriptura non dicit illa 120 auri talenta quæ Hiram misit Salomoni fuisse annua, & tributi nomine soluta. Et sanè non fit verisimile (quicquid nugetur aut fabuletur Eupolemus) Hiramum fuisse Salomonis aut Davidis tributarium: cur enim id tacuisset Scriptura cùm recenset Reges & populos à Davide factos tributarios 2 Sam. 8. & 1 Chron. 28? Imò verò paulò postquam Hebrone David constitutus fuisset Rex totius Israelis, Hiramus gratulabundus illi mittit materiam & operarios à quibus exstrueretur illi regia domus. Salomon autem post patris obitum ad eum ut ad amicum scribit; & vicissim Hiramus ad Salomonem scribit non ut tributarius sed ut amicus, eóque nomine illi gratulatur quòd patri Davidi successisset in Regno. Videntur ergò potiùs illa 120 talenta ab Hiramo dono Salomoni sponte data, quomodo aliquantò pòst à Regina Saba par auri pondus Salomoni dono datum est, non verò tributi nomine imperatum. Quin & Villalpandus vult Salomonem singulis annis Hiramo annonam in alimenta domûs ipsius subministrasse 20 M. coros frumenti, &c. Et Scriptura testatur Salomonem post exstructum Templum & domum suam regiam dedisse Hiramo viginti urbes in Galilæa. An id feciſſet Salomon si Hiramus fuisset ipsius tributarius? Quàm subleſtum sit Eupolemi contra Scripturam testimonium suprà vidimus, cùm de Davidico thesauro ageretur. Non fuerunt ergò annua illa 120 auri talenta, sed semel dono missa; vel, si fuerunt annua, non fuerunt tributi nomine soluta, sed pro annona illa quam Salomon in cibaria domûs Hirami illi quotannis subministrabat; annona quippe illa æquipollebat illi auri summæ. Nam, uti suprà demonstratum est, annona illa sufficiebat alendis in annum 60 M. hominum; 120 auri talenta conficiunt duodecies centena aureorum millia; itaque in singulos homines ex hac summa impendebantur per annum 24 aurei numi, h. e. bini in singulos menses. Jam verò quo nunc sunt aurei numi pretio, bini conficiunt 208 asses nostrates, qui sufficiunt alendo in mensem operario; sic enim illi obveniunt septem in diem asses. Non majora hodie accipiunt milites in Belgio stipendia, ex quibus tamen vivere possunt. Certè ex septenis in diem assibus nostratibus tantum panis communis seu cibarii, tantúmque butyri vel casei, vel alterius hujusmodi vilis & communis pulmenti (quale tales operarios decet) emi potest quantum alendo homini non helluoni sed sobrio sufficit. Cùm ergò Tyrus insula fuerit, & quidem angustissima, quæque vix totum oppidum ipsum caperet, necesse fuit ut Tyri Rex aliunde sibi annonam pretio pararet, vel ex Ægypto vel ex proxima Phœnicia seu Chananitide. Potuit ergò Salomon Tyrio Regi annonam annuam subministrare pro 120 illis auri talentis. Quòd autem ex 120 illis auri talentis à Tyrio Rege datis Villalpandus conficit 1440 annua auri talenta Salomoni tributi nomine soluta à XII Tribubus Israelis, lepidum est Villalpandi commentum. Nec eum hîc juvant Scripturæ verba זה דבר המס *hæc est ratio tributi:* neque enim verba illa referuntur ad antecedentia, in quibus agitur de illis 120 auri talentis, sed ad consequentia, nimirum ad ver. 20. in quo agitur de Jebusæis, Amorrhæis, &c. qui tributarii à Salomone facti sunt. Nam quæ interjecta sunt inter ver. 15 & 20. parenthesi includenda sunt. Sensus ergò est, Salomonem Jebusæos, Amorrhæos, &c. ideo tum temporis servituti mancipasse ac tributo subjecisse, cùm in animo haberet & Templum exstruere & urbes varias munitionum, quæ illic commemorantur, ædificare. Neq; verbis illis significatur 120 auri talenta fuisse summam tributi à Salomone impositi; cùm sic reddi possint, *Atque hæc est causa* (seu *ratio*) *cur tributum Salomon imposuerit*, &c. Et quamvis illis significaretur 120 auri talenta fuisse summam tributi à Salomone impositi, non sequeretur tamen indè tributum illud fuisse Hiramo, multò minùs XII Tribubus Israelis, impositum, cùm possit adeóque potiùs accipi debeat, de tributo Jebusæis, Amorrhæis, &c. impositio. Imò quamvis concederem Villalpando illa 120 talenta fuisse summam tributi Israelis impositi, unde probabit singulas Tribus tantundem pependisse? annon convenientius est ut omnibus Israelitis fuerit tributum illud impositum? sic enim centena aureorum scutatorum millia fuerint singulis Tribubus impositi, quæ sat gravis videtur esse capitatio, singuli nempe ferè aurei in singula capita. Nam cùm à Davide factus est Israelitarum census, summa fuit X Tribuum undecies centena millia, ex Juda verò 470 M. Quare si de hoc tributo accipienda sunt populi ad Roboamum verba, *Pater tuus grave onus nobis imposuit*, non videntur injuriâ & sine causa conqueri de gravi hac capitatione; sic nempe tantundem solvebant pauperes quantum divites; est autem pauperi sat grave onus aureum numum pro capite singulis annis persolvere, maximè in populo ad illud usque tempus ab ejusmodi capitatione libero & immuni. Porrò commentitii hujus tributi 1560 talentorum collatio quam facit Villalpandus cum voluntaria Principum populi in Templi impensas oblatione talentorum auri 5833, nihil facit ad probandum tale tributum à Salomone fuisse Israelitis & Regi Tyriorum impositum: quid enim commune habet alterum cum altero, voluntaria oblatio & spontanea atque planè extraordinaria in pios (uti loquuntur) usus semel facta cum tributo annuo? Malè etiam confertur à Villalpando tributum illud talentorum 1560 cum 16 M. talentorum quæ Ptolemæus ex vectigalibus Cœlesyriæ, Phœniciæ, Judææ & Samariæ colligebat. Nam si verum est quod vult Villalpandus, ab Amorrhæis, Jebusæis, &c. collecta fuisse à Salomone 666 talenta, in collatione illa à Villalpando instituta debuerunt illa 666 talenta addi ad 1560, unde fiunt 2226 talenta, quæ ex Villalpandi sententia Salomon colligebat ex omnibus illis Cœlesyriæ, &c. regionibus atque provinciis. Illa ergò 2226 talenta fuerunt conferenda cum 16 M. talentorum quæ ex vectigalibus Cœlesyriæ, &c. colligebat Ptolemæus. Jam verò 16 M. talentorum Atticorum (qualia erant talenta illa Græcorum) non æquant 2226 auri talenta Hebraica, imò non sunt tertia eorum pars. Nam si 2226 duodecies multiplicentur (ut aurum ad argenti rationem revocetur) fient argenti talenta 26712 Hebraica; talentum autem Hebraicum Attico duplo majus est. Itaque 26712 argenti talenta Hebraica conficiunt Attica argenti talenta 53424. Atque ità Salomon exegerit ex regionibus illis triplo majus tributum quàm Ptolemæus ille Rex Ægypti. Deinde observandum, Ptolemæum illum antè solitum non fuisse ex illis provinciis colligere plus quàm octo talentùm millia; sed Josephi illius Oniæ nepotis audaciâ & temeritate factum est ut in auctione vectigalium eorum pretium duplo fuerit ab eo auctum. Fuerunt itaque hoc pacto facta vectigalia penè intoleranda, ità ut (teste ipso Josepho) opus fuerit armato milite ad ea exigenda ut per vim adigerentur homines ad ea solvenda. Cùm autem moderata fuerunt, non amplius quàm 8 M. talentorum exigebantur à Ptolemæo, quæ non sunt sexta pars tributi illius quod Villalpandus vult à Salomone esse exactum. An verò verisimile est Salomonem Regem pacificum & moderatum (cùm temporibus illis mores hominum longè essent æquiores & temperatiores quàm sequentibus & sequioribus seculis) voluisse ex regionibus illis sexies majus tributum seu vectigal exigere quàm exigebatur à Ptolemæo illo Ægypti Rege ethnico & luxurioso, tum cùm paulò adhuc esset æquior misúsque tyrannico animo? Omnino credibile non est. Dicamus ergò, à Salomone ex regionum illarum tributis seu vectigalibus collecta esse (teste Scripturâ) talenta auri 666 Hebraica in universum, atque ea conferamus cum 16 M. talentorum

torum Atticorum argenteorum quæ Ptolemæus ex iisdem provinciis colligebat tum cùm paulò iniquior fuit, inveniemus illud Salomonis fuisse paulò infra Ptolemæi tributum: nam 666 auri talenta Hebraica faciunt Attica argenti talenta 13320. Annon autem satis est ut Salomon, propter auri & argenti tum temporis copiam, tantundem ex illis populis collegerit quantum Ptolemæus cùm sævo fuit ac avaro animo? Maneat ergò hoc fixum, Salomonis annuum censum fuisse, teste Scripturâ, talentorum 666, non verò, uti vult Villalpandus, 2226.

VILLALPANDUS CAP. XLVI.

Quia 1 Reg. 9. 28. *classis Ophir* dicitur *attulisse* 420 *talenta*, at 2 Par. 8. 18. habentur *talenta* 450, Josephus denique l. 8. c. 2. dicit *classem illam attulisse 666 talenta*, hæc sic conciliat Villalpandus, ut dicat *triplicem fuisse à Salomone instructam classem, ut singulis annis singula classes solverent redirentque, quarum prima primò attulerit* 420 *talenta, secunda* 450, *tertia denique* 666. *Nempe crescente hominum industriâ, fossorum multitudine, auri cupiditate, negotiatorum dexteritate, crevit etiam auri copia, lucrorum proventu.*

L. CAPPELLUS.

Frustrà hîc est Villalpandus, qui pro arbitrio somnia de facili comminiscitur ut omnia in majus sine necessitate augeat. Josephus eo loco proculdubio hallucinatus est (quod illi solenne est) qui 666 auri talenta (quorum Scriptura meminit cùm annuos Salomonis census commemorat ac recenset) refert ad ea quæ classis Ophirina adferebat, ac cum istis confundit, cùm sint illa distinctissima. Discrimen autem quod est inter 1 Reg. 9. 28. & 2 Par. 8. 18. ortum est ex varia lectione: cujus variæ lectionis quoad numeros protulimus in Critica nostra Sacra varia in ipsis Sacris libris inter se collatis exempla. In alterutro ergò loco lapsus est, seu scribæ mendum, quo numerus unus pro altero positus est. Non sunt ergò hîc comminiscendæ sine necessitate & Scripturæ testimonio manifesto tres Classes, quarum una singulis annis solveret, alia verò rediret; quod si factum esset, Salomonis census atque reditus annui augendi adhuc essent 450, aut verò etiam illis 666 auri talentis quæ Villalpandus, post Josephum, vult & fingit anno tertio advecta fuisse à classe Ophirina; cùm tamen ipse Villalpandus non ea numeret inter annuos Salomonis reditus, uti mox ex eo liquebit. Omnino ergò semel duntaxat in triennio classis illa redibat & aurum adferebat, ac primâ quidem vice 450 (aut 420) talenta attulit; an verò sequentibus vicibus plura vel pauciora attulerit, & quoties eò profecta sit, Scriptura non commemorat. Quin & fortè verisimile fit dimidiam hujus auri partem atque summam fuisse Regis Tyrii, utpote qui impensas in illam classem videtur ex æquo cum Salomone fecisse. *Servos* enim *suos unà cum Salomonis servis eò mittebat* 1 Reg. 9. 27.

VILLALPANDUS.

Porrò in hac universa auri summa nulla sit mentio argenti, gemmarum pretiosissimarum, lignorum æstimationis non minima, aliarum denique mercium pretii & valoris immensi, de quibus 1 *Reg.* 10, 11, 12. *&* 2 *Par.* 9. 10, 11, 21. *quæ omnia quemadmodum infinita penè fuere, ità maximè faciunt ad Salomonis magnificentiam ac gloriam & divitiarum ubertatem fusiùs indicandam.*

L. CAPPELLUS.

De argento mox dicetur. Reliqua ad gloriam sanè, splendorem & magnificentiam non parùm faciunt, ad opulentiam & divitias non ità multùm conferunt.

VILLALPANDUS. CAP. XLVII.

Annuos Salomonis reditus Villalpandus in unum colligit. *Ex gentibus subjugatis tributi nomine 666 auri talenta. Ab Hiramo Tyri Rege* 120 *talenta. Ex XII tribubus Israelis* 1440 *talenta. Ex Ophir triennio* 450 *talenta, h.e. singulis annis* 150 *talenta. Summa est auri talenta* 2226. *Quæ æquivalent argenti talentis Hebraicis* 26712, *Atticis* 53424.

L. CAPPELLUS.

De his jam modò diximus. Ad Ophirinum aurum quod attinet, istud hîc nunc addimus; I. Non sibi constare Villalpandum, qui modò dixit triplicem fuisse Ophirinam classem, quarum quæ minimum auri attulit, attulit tamen 420 talenta. Itaq; secundùm illam priorem Villalpandi sententiam singulis annis ex Ophirina regione 450 (vel potiùs 666) auri talenta ad Salomonem redibant. At hîc 150 duntaxat numerat. Quin & ista in annuo censu non numerat. Nam in summa annui censûs, quam ait fuisse talentorum 2226, non ingrediuntur ista 150 Ophirinæ classis annua talenta. Deinde argenti ad aurum rationem seu proportionem vult hîc esse duodecuplam, at alibi cum Scriptura facit tantùm decuplam. Nempe in Davidico thesauro argenti ad aurum ratio est duntaxat decupla.

VILLALPANDUS.

In hac tanta auri summa non comprehenditur argentum quod ad Salomonem redibat; quod eò non commemoratur, quia argentum nullius erat pretii in diebus Salomonis, 1 *Reg.* 10. 22. *illiúsque* Salomon dederat tantam copiam quasi lapidum, 2 *Par.* 9. 27. *Quòd si argenti ratio aliqua habenda esset, decuplo major esset computanda, ut vel hâc ratione tributa responderent Ærario, & annui reditus Davidico legato, in quo* 100 M. *auri talenta recensentur, argenti verò mille millia.*

L. CAPPELLUS.

Duo hîc sunt in Villalpando denotanda, in quibus hallucinari videtur; Primum est, quòd sic Salomonis reditus & censum annuum sine necessitate & tacente Scripturâ duplicat seu duplo majorem facit. Vult nempe tantundem Salomoni persolutum esse in argento quantum in auro; & quoniam auri ad argentum decupla minimùm est ratio, h.e. ad eandem summam conficiendam decuplo majus argenti pondus quàm auri opus est, videtur velle decuplo plura argenti quàm auri talenta à Salomonis subditis fuisse illi tributi nomine persoluta. Cùm itaque in censu annuo, ex Villalpandi sententia, Salomon habuerit auri talenta 2226, pensitata illi esse vult argenti talenta 22260, ac proinde totum Salomonis censum annuum, si aurum in argentum commutetur, fuisse argenteorum talentorum Hebraicorum 44520. At frustrà hîc entia multiplicat sine necessitate Villalpandus. Idem tributum, eadem pecuniæ summa solvi potest vel auro vel argento. Tributum quod Salomon ex subditis colligebat tantum valebat quantum 666 auri talenta, seu quantum 6660 argenti talenta Hebraica. Fieri potest ut propter argenti tum temporis copiam Salomon voluerit tributum sibi auro exsolvi: atque hinc est quòd Scriptura notat annuum ejus censum fuisse 666 auri talenta. At nihil necesse est, imò absurdum est, fingere, sine Scriptura teste, aliud tributum isti par & æquale fuisse exactum atque argento exsolutum, proindéque 6660 argentea talenta fuisse pensitata præter illa 666 auri talenta. Romani tributum quod Provinciis imponebant, jubebant argento non auro sibi exsolvi: Salomon contrà auro magis quàm argento suum exsolvi sibi volebat. Si quis cùm legit apud Livium vel alium autorem à Romanis huic vel illi Pro-

vinciæ imperata esse tributi nomine 2 M. argenti talenta, vellet indè concludere tantundem præterea in auro pensitatum fuisse ab illa Provincia, absurdus equidem esset. Non minùs absurdè facit Villalpandus qui ex aureo Salomonis censu annuo concludet parem & æqualem annuum censum fuisse illi argento exsolutum. Aliud in quo hic hallucinatur Villalpandus hoc est, quòd ait *hâc ratione respondisse tributa Ærario, & annuos reditus Salomonis Davidico legato, in quo* 100 M. *auri talenta recensentur.* Ubi quid sibi velit Villalpandus vix divinare possum. Salomon enim in censu annuo, etiam secundùm Villalpandum, habuit duntaxat 2226 auri talenta. Demus par & æquale illi tributum seu parem pecuniæ summam fuisse argento exsolutam, totus Salomonis reditus annuus fuerit duntaxat ex ejus sententia 4452 auri talenta: quid illud ad 100 M. auri talenta thesauri Davidici? Sic vix fuit annuus Salomonis reditus (etiam ex Villalpandi sententia) quadragesima thesauri Davidici pars; tantum abest ut illius legato responderit. In eo enim tantundem argenti fuit quantum auri. Nescio ergò an hoc fortè voluerit Villalpandus, Illa 4452 auri talenta æquivalere 89040 talentis argenti Atticis, itáque Salomonem in annuo censu tot ferè habuisse Attica argenti talenta quot David Salomoni legavit aurea Hebraica. Verùm etiamsi ità esset, ingens tamen est discrimen inter 89040 talenta argenti Attica & 100 M. auri Hebraica, nisi fortè id de Numismaticis accipias talentis: nempe 4452 auri talenta Hebraica conficiunt librarum nostrarum Turonicarum 44520000, h. e. ferè 45 milliones; totidem conficiunt Attica argenti talenta 89040. At 100 M. auri talenta Numismatica Hebraica conficiunt 30 milliones librarum Turonicarum hodiernæ monetæ. Sed Villalpandus quid fuerit talentum Numismaticum nescivit; Stathmica hîc intellexit talenta, non Numismatica. Itaque quid sibi suprà adductis verbis voluerit omnino divinare non possum.

VILLALPANDUS.

In hac etiam tota auri vectigalis summa non comprehenditur id quod ad Regem redibat ex mercium diversarum vectigalibus, de quibus 1 *Reg.* 10. 15, 28, 29. *&* 2 *Par.* 9. 14. *Sed neque etiam comprehenduntur in ea summa exterorum Regum & Principum donaria atque munera Salomoni facta, de quibus* 1 *Reg.* 9, 11, 14. *&* 10. 24, 25. *&* 2 *Par.* 9. 22, 23, 24.

L. CAPPELLUS.

Nihil hîc solicitamus, sunt enim ista certa ex locis Scripturæ adductis. Non commemorat autem Scriptura vectigalia ista, quia quod ex illis redibat certum non erat: at tributa certa erant, certum & statum eorum pretium atque summa, vectigalium non pariter certa est summa; variat enim pro varia mercium copia, quæ non semper quotannis eadem est. Porrò ex suprà dictis liquet annuum Salomonis reditum, certum & indubitatum, fuisse 666 auri talentorum Hebraicorum Stathmicorum, quæ conficiunt librarum Turonicarum nostratium 6660000 aureorum numorum, h. e. ferè 35 milliones, prout nunc aurei numi æstimantur quinque libris Turonicis cum quinta libræ parte.

VILLALPANDUS.

CAP. XLVIII comparat annuos Salomonis reditus cum Persarum & Alexandri M. reditibus, hósque ab illis superari ostendit. Nam ex Herodoto l. 3. *sub Dario Hystaspide annua tributa stata atque fixa fuisse* demonstrat 14560 *talentorum Euboicorum, sive Atticorum* 14602. *At annua Salomonis tributa fuere aurea Hebraica talenta* 2226, *quæ si per tredecim multiplices juxta morem Herodoti (ut aurum nimirum ad argenti rationes reducatur) fient talenta argenti Hebraica* 28938. *hæc si duplices, fient Attica talenta* 57876. *quæ quadruplo plura sunt quàm talenta Darii annua. Quòd si ratio argenti haberetur quod in singulos annos Salomoni solvebatur, essent quadragies ferè plura quàm hæc omnia Persarum tributa.* Ex Justini lib. 13. notat *Alexandrum M. cùm mortuus est, habuisse in thesauris talenta* 100 M. *in annuo vectigali tributo* 300 M. *Licèt autem ex Budæo l.* 4 *De Asse codicis fides, quod ad annua vectigalia spectat, merito suspecta esse videatur, legendúmque* 30 M. *tamen*, inquit Villalpandus, *licèt mendoso codici fidem præstemus plenissimam, nihilominus multò pauperiorem Salomone facimus Alexandrum. Nempe si Attica talenta* 57876 *(quanta fuit auri annui Salomonici summa) per decuplam argenti summam multiplicaveris, invenies annuum Salomonis reditum fuisse Atticorum talentorum* 635636, *duplo majorem illo mendoso Alexandri reditu.*

L. CAPPELLUS.

Quemadmodum in definiendo vero Salomonis censu annuo falli Villalpandum & graviter hallucinari suprà ostendimus, ità eum in hac comparatione & seqq. falli & turpiter impingere necesse est. Falso enim substrato fundamento, quicquid illi superstruitur corruere consequens est. Annuos Salomonis reditus statos atque fixos modò ostendimus fuisse duntaxat 666 talenta auri Hebraica, quæ respondent Atticis argenti talentis 13320, si auri ad argentum ratio decupla, ex Scriptura, tantùm habeatur, vel 16316, si tredecupla ratio argenti ad aurum habeatur, qualem Herodotus ex Villalpandi mente esse vult, juxta quam rationem Salomonis reditus annuus status ex Scripturæ mente aliquantum superaverit annuos Persarum sub Dario Hystaspide (cùm florentissimum fuit eorum Imperium) reditus, talentis nimirum 1756. Nam quod de argenteo Salomonis annuo tributo, aureo decuplo majore, comminiscitur Villalpandus, febriculosum est hominis hîc planè delirantis somnium. Itaque in sequenti annui Salomonis reditûs cum mendoso Alexandri M. annuo reditu (ex Justini codicis corrupto exemplari) collatione insanit Villalpandus solennia, ex falsis quas modò refutavimus hypothesibus.

VILLALPANDUS.

CAP. XLIX. *Romanorum tributa annua* colligit *fuisse talentorum argenteorum* 50351. Nempe *ex Asia minore collecta fuisse* 3958, *ex Ægypto* 12 M, *ex Galliis totidem, ex Majore Asia* 20 M, *ex Celtiberia* 600, *ex Sicilia nonagies sestertiûm, ex* 30 *minoribus Provinciis* 125 *talenta. Hæc summa tota*, inquit, *est minor Salomonicâ, quæ ut minimùm fuit* 53424 *talentorum.*

L. CAPPELLUS.

At nos suprà ostendimus annuum Salomonis reditum statum & fixum fuisse duntaxat argenteorũ talentorũ Atticorum 16316, ac proinde isto Romanorum reditu (si verus & certus est) quadruplo ferè esse minorem; tantum abest ut eum superaverit. Neque verò etiam id necesse est. Nam enim Deus Salomoni pollicitus est fore ut divitiis, gloriâ, splendore & annui censûs amplitudine superaret omnes quotquot unquam futuri essent in terrarum orbe universo Monarchas & Respubl. sed duntaxat nullum unquam ante ipsum Regem vel Monarcham fuisse ei gloriâ, splendore & divitiis æqualem, nedum superiorem, 1 Reg. 3. 13. Nam ad locum 2 Par. 1, 12. quod attinet, hoc duntaxat Salomoni pollicetur Deus. neminem unquam ante eum fuisse, neminem post eum futurum unquam esse Regem vel Monarcham qui æqualis ei sit sapientiâ simul & gloriâ atque splendore divitiísque. Potuerunt ergò alii esse Principes qui divitiis & annui reditûs amplitudine Salomonem superarint, at nemo unquam fuit aut futurus est qui eum & sapientiâ & divitiis atq; gloriâ & splendore simul æquaverit, nedum superaverit.

VIL-

VILLALPANDUS.

CAP. L. ostendit *Romanos ex nova Carthaginis in Hispania fodinis collegisse annua talenta Attica* 1520, *ex Baticæ fodinis* 1752, *ex Asturia, Gallacia, Lusitania* 3840. *Summa est* 7112 *argenti talenta Attica. At*, inquit, 450 *talenta auri Hebraica quæ singulis annis Salomoni ex Ophir advehebantur conficiunt Attica argenti talenta* 10800. *De auri argentique fodinis Galliæ, Ægypti, Illyrici, Pannoniæ, Thraciæ, Macedoniæ aliarúmque Provinciarum, quantum ex eis auri vel argenti pondus educi quotannis consueverit, quoniam aliquid certi sciri non potest, nihil etiam de eis dicere*, inquit Villalpandus, *possumus.*

L. CAPPELLUS.

Quantum Romani ex fodinis suis collegerint, an plus vel minus quàm Villalpandus hîc notat, fides sit penès autorem. Hoc tantùm hîc dicimus; I. Necesse non est ut Salomoni ex Ophir plus advectum sit singulis annis auri quàm Romani ex omnibus universi sui Imperii fodinis auri & argenti simul collegerunt. Quare etsi à Romanis hac in parte superatus esset Salomon, nihil tamen Divinæ Scripturæ veritati, veræque Salomonis gloriæ, splendori atque magnificentiæ detractum foret, uti ex modò prædictis manifestum esse potest. II. Villalpandus hîc sibi non constat. Nunc enim vult 450 auri talenta annua fuisse Salomoni ex Ophir advecta; at suprà modò voluit fuisse 150 duntaxat, quia triennio tantùm classis illa Ophirina advehebat 450 talenta, ità ut annua essent duntaxat 150, quæ ne quidem Villalpandus numerat in annuo Salomonis reditu.

¶ *Salomonis Frumentatio.*

VILLALPANDUS.

Uberior fuit & pinguior Romanâ. Lex frumentaria, apud Sallustium, menstruum definiebat in singula capita non plus quàm quinque modios. Frumentantium numerus sub Julio Cæsare fuit 102 M. *sub Augusto* 200 M. *sub Severo* 450 M. *Spartianus enim testatur fecisse eum canonem 7 annorum, ità ut quotidiana* 75 M. *modiorum expenderentur. Hos si per* 30 *dies multiplicaveris, efficies modios singulis mensibus erogatos* 2250000; *quos si diviseris per quinque modios (quantum erat unius cujusque demensum menstruum) invenies eo frumento ali potuisse hominum capita* 450 M. *Salomon tria hominum genera alebat, operarios Templi, Tyrium Ægyptiúmque Reges, familiam suam. Erant operarii* 411900, *quorum* 80 M. *Tyriorum erant, totidem Ægyptiorum, reliqui ex Proselytis & Hebræis. Hos non regiis impensis sed subditorum tributis ad id muneris aluisse Salomonem probatur ex Eupolemo,* 2 *Par.*2.10. *Quantum autem frumenti, olei, vini, mercedis dederit Salomon operariis Templi in singulos annos dictum est suprà in Summa totius structuræ Templi, nempe tritici coros* 602850, *hordei totidem, vini & olei sæa seu metretas totidem. Jam si* 602850 *coros multiplices per* 45, *(quot sunt in Coro modii) invenies* 27128250 *frumenti modios à Salomone in operarios Templi expensos fuisse quotannis, totidémque hordei. Quòd si* 450 M. *multiplicentur per* 60. *(quot scilicet modii in singulos viros quotannis dabantur à Romanis) invenies modiorum* 27000000. *Ecce ergò in alendis tantummodo Templi operariis uberiorem multò fuisse Salomonis quàm Romanorum frumentationem.*

L. CAPPELLUS.

Ut in præcedente annui Salomonici reditûs comparatione cum Persarum & Romanorum reditibus falsum & vehementer hallucinatum esse Villalpandum modò ostendimus, quia in definitione annui censûs Salomonici gravissimè impingit; sic & in hac Salomonicæ frumentationis comparatione cum Romanorum frumentatione planum est eum vehementissimè falli, quia suprà demonstravimus eum turpiter esse hallucinatum in operariorum Templi numero, quos vult fuisse 411900. nos autem ostendimus fuisse duntaxat 180 M. quibus cibaria in annum à Salomone subministrabantur. Villalpandus vult illis annuatim datos fuisse coros 602850. nos ostendimus illis suffecisse, Scripturâ teste, coros 60 M. Frumentatio itaque Salomonis in Templi operarios revera decies minor fuit quàm eam facit Villalpandus. Ut eum hîc penè excutiisse planum sit. Sed nimiùm ille tribuit fidítque suo nugacissimo Eupolemo. Fundamentum nempe Villalpandi in hac sua supputatione hoc est, quòd Eupolemus (contra Scripturæ fidem & verba) narrat Salomonem Tyriis operariis dedisse frumenti coros 10 M. in singulos menses. Ergò, inquit, 120 M. in singulos annos. Ergò omnibus operariis (quos vult fuisse 411900) 602850. totidem olei sata & vini metretas. Hoc autem Eupolemi testimonium sic putat Villalpandus se posse conciliare cum 2 Par. 2. 10. ubi dicitur Salomon dedisse Tyriis 20 M. coros per annum, ut dicat hæc 20 M. cororum data esse sextæ duntaxat parti Tyriorum, illis nempe qui ligna in monte cædebant; sed præter eos fuisse alios qui dedolandis & sculpendis lignis, alios qui deportandis, alios qui lapidibus cædendis seu exscindendis, alios qui dedolandis & sculpendis, alios denique qui comportandis vacabant. Egregia verò conciliandi ratio, quæ ineptè entia sine necessitate in immensum multiplicat. Satius erat Eupolemum mendacii arguere, vel codicem mendæ in numeris. Ostendimus suprà 60 M. hominum sufficisse exstruendo Templo septem annorum spatio, quod à Scriptura definitur; nihil opus est comminisci ex fabulosis Scriptoribus exoticis fuisse operarios 411900. Salomonis ergò vera & annua in Templi operarios frumentatio fuit 60 M. cori tritici, totidémque hordei, h. e. (secundùm ejus calculum qui Coro 45 modios duntaxat tribuit) modiorum 5400 M. qui, si sexageni uni in annum homini tribuantur, sufficient alendis 90 M. hominum duntaxat. Sed vel demensum illud quinque modiorum in mensem æquo liberalius est, vel in Coro Hebraico duplo plures sunt modii Romani quàm numerat Villalpandus. Suprà enim demonstravimus 40 M. coros sufficisse abunde alendis 60 M. hominum. Quod autem vult Villalpandus cibaria illa *non regiis impensis sed subditorum tributis* fuisse subministrata præter & supra tributa quæ Salomoni à subditis pendebantur, tam facilè rejicitur quàm sine Scriptura ab Eupolemo asseritur, & à Villalpando ἀβασανίστως suscipitur. Et vide, quæso, quàm in immensum rem totam sine necessitate augeat Villalpandus. Vult annuum Salomonis in auro censum statum & fixum fuisse 2226 talentorum, cùm, Scripturâ teste, fuerit duntaxat 666 talentorum. Redigit talenta illa Hebraica ad Attica, atque conficere 44520 Attica talenta argentea. Vult præterea decuplo plus in argento solutum fuisse Salomoni, cùm de argento Scriptura taceat. Imò vult annuum censum æquasse Davidicum legatum, quod fuit 100 M. *talentorum auri, & millies millia talentorum argenti.* Vult eum aluisse *non impensis regiis sed subditorũ tributis operariorũ* 411900. Regi præterea Tyrio dedisse indidem cibaria quibus alere potuit 50 M. hominum, totidémque Ægyptio Regi, ac præter hæc ex diurnæ familiæ annona ali potuisse 48 M. hominum, equorum 57 M. Sunt hæc περιτολογήματα hominis ex nimio ac veluti insano studio omnia in majus augendi quasi dementati. Nos ad calculum longè moderatiorem omnia ex Scriptura revocamus, nihil præter fas detrahimus, nihil etiam ex affectato augendi & ampliandi res studio præter jus & æquum addimus.

VIL-

VILLALPANDUS.

Præter iſta Tyriorum Regi præbebat 20 *M. coros tritici in cibum domûs ejus,* 1 *Reg.* 5. 11. *totidémque Ægyptio Regi dediſſe exiſtimandum eſt, vel quod illis æquipolleret. Jam ſi* 40 *M. coros multiplices per* 45, *invenies tritici modios* 1800 *M. Hos ſi diviſeris per* 12, *reperies erogata fuiſſe in ſingulos menſes modiorum* 150 *M. Hos ſi rurſus diviſeris per quinq;, invenies eo frumento ali potuiſſe* 30 *M. hominum.*

L. CAPPELLUS.

De cibariis Regi Tyrio ſubminiſtratis diximus ſuprà, oſtendimúſque locum 1 Reg. 5. 11. accipiendum eſſe de cibariis ſubminiſtratis operariis Templi, eundémque eſſe cum loco 2 Chron. 2. 10. atque ex eo emendandum. Vel ſi alius eſt ac de diverſa re agit, accipi poteſt & debet de cibariis quæ Salomon Regi Tyrio ſufficiebat pro pretio ac certa auri ſumma, nempe 120 auri talentis, quæ Hiram dicitur miſiſſe Salomoni, quibus iſta cibaria in populi ſui uſum emebat; quomodo Imperatores Romani in plebeculæ uſum & commodum frumentum ex Sicilia, Ægypto & Africa Romam convehebant, & vel gratuitò plebi dividebant, vel certo ac modico pretio vendebant. Nam cùm Tyrus inſula eſſet quæ vix oppidum capiebat, neceſſe erat ut ejus incolæ cibaria vel ex Ægypto vel ex proxima Phœnicia, & Salomonis agro ſibi compararent, utì eſt à nobis ſuprà notatum. Ægyptio Regi tantundem fuiſſe à Salomone ſubminiſtratum, ridiculum eſt Villalpandi ſomnium atque commentum, ſuprà à nobis confutatum. Quòd autem illis 40 M. coris commentitiis ait ali potuiſſe 30 M. hominum, fallitur: ſuprà enim demonſtravimus ali potuiſſe duplo plures.

VILLALPANDUS.

Familiæ Salomonis annona erat in ſingulos dies 30 *cori ſimila,* 60 *cori communioris farinæ, boves* 30, *oves* 100, *præter altilia & farinam,* 1 *Reg.* 4. 22, 23. *Hanc annonam præbebant Salomoni XII Præfecti ſuper XII tribus Iſrael,* 1 *Reg.* 4. 7. *Tantundem præbebant alii Præfecti Syrorum & aliorum ſubditorum ex Joſeph. Antiq. lib.* 8. *cap.* 2. *Duplicata illa Salomonis annona frumenti coros facit in ſingulos dies* 180, *ſive modios* 8100, *in ſingulos verò menſes* 243 *M. quibus ali potuerunt hominum* 48 *M.*

L. CAPPELLUS.

Quòd duplicatam eſſe vult Villalpandus annonam quam Scriptura commemorat 1 Reg. 4. 22. quámque *Salomoni ſubminiſtrabant XII Præfecti ſuper XII tribus Iſrael*, ità ut tantundem illi præbuerint alii XII Præfecti Syriæ & aliarum regionum, ſomnium eſt Villalpandi ex Joſephi hallucinatione, qui putavit XII Præfectos quorum Scriptura meminit 1 Reg. 4. 7. fuiſſe Præpoſitos Syriæ & aliarum Provinciarum vicinarum Salomoni ſubditarum. Hanc Joſephi hallucinationem avidè arripit Villalpandus, ut entia multiplicet & rem in majus ſemper augeat. Porrò quòd ait ex ea annona ali potuiſſe 48 M. hominum, verum eſt, etſi ea non duplicetur, utì vult eam duplicari Villalpandus. Suprà enim oſtendimus Corum Hebræorum majorem pependiſſe libras Romanas 1200, ac proinde duos cori trientes ſufficere in annuum hominis demenſum; itaque cori 32850 (quæ erat annua Salomonis familiæ annona) ſufficiunt alendis 48 M. hominum, imò verò 50 M. Nempe Corus duplo major eſt quàm eum facit Villalpandus. Itaque ſimplex annona quam Scriptura meminit tantundem valet quantum Villalpandi duplicata. Cæterùm ſi unuſquiſq; bos habuit carnis libras 600. & ſingulæ oves 20 libras, & unicuique homini data ſit indies carnis libra una, potuerunt triceni boves & centenæ oves ſufficere 20 M. hominum.

VILLALPANDUS.

Habebat præterea Salomon 40 *M. præſepia equorum currilium,* 12 *M. equeſtrium, & currus* 1400. *Summa eſt* 57600, *præter mulos aliáq; jumenta.*

L. CAPPELLUS.

Scriptura quidem 1 Reg. 4. 26. dicit *Salomoni fuiſſe* ארבעים אלף ארות סוסים, h. e. 40 *M. præſepia equorum.* At 2 Chron. 9. 25. ubi idem narratur, dicuntur præſepia equorum fuiſſe tantùm ארבעת אלפים, h. e. *quatuor millia.* Neceſſe eſt in alterutro loco mendum eſſe in numero, utì in Critica noſtra Sacra oſtendimus ſæpe in locis parallelis occurrere variam in numeris lectionem, quarum alteram ſæpius eſſe mendoſam oportet. Nam horũ locorum conciliationem quam ex veteribus Rabbinis adfert Kimhi, & Jarhi, nimirum fuiſſe Salomoni 50 M. ſtabula equorum, in unoquoque autem ſtabulo fuiſſe equorum 4 M. nemo, credo, ſanus admittet: ſic enim fuiſſent Salomoni equorum 200 milliones. Paulò ingenioſiorem locorum illorum conciliationem commentus eſt Jarhi, nimirum fuiſſe Salomoni 4 M. equorum ſtabula, in unoquoque autem ſtabulo fuiſſe equos decem, ut ſic fuerint equorum 40 M. Sed fruſtrà. Nam primò utrobique eſt vox ארות, quæ unum idémque utrobique ſignificare debet, nempe vel *ſtabula* vel *præſepia*; itaque utrobique idem equorum numerus ſignificatur. Deinde cùm 12 M. equitum duntaxat numerentur, & 1400 currus, quorum ſingulis ſi quaterni equi aſſignentur, erunt in univerſum equi 17600, cui bono, quæſo, reliqui 22400 equi? An tot inutiles equos paverit Salomon? Vel an cum Villalpando dicemus fuiſſe Salomoni 40 M. equos curriles, ità ut ſingulis curribus aſſignati ſint equi 28, cum 800 equis ſuperfluis? Cur enim plures quàm quaterni equi ſingulis curribus aſſignabuntur? Omnino ergò equorum ארות fuerunt tantùm 4 M. non verò 40 M. Sic nempe oſtendimus in Critica illa noſtra non ſemel poni, ſcribarum vitio atque errore, decadas pro unitatibus, ἑκατοντάδας pro decadibus, & χιλιάδας pro ἑκατοντάδας. Fuerunt, inquam, Salomoni 4 M. equorum ארות, h. e. *præſepia* ſive *ſtatia in ſtabulis*, in quorum ſingulis quaterni equi collocabantur. Nam (ut rectè obſervat Villalpandus) quaternis equis curandis unus equiſo aſſignandus eſt. Sic ergò fuerunt in ſtabulis ארות *præſepia* conſtituta atque diſtributa ut ſingulis quaterni equi, cum ſuo equiſone qui eos curaret, eſſent aſſignati. Sic in 4 M. præſepiis fuerunt equorum 16 M. quorum 12 M. erant equi ſingulares, qui 12 M. equitum inſerviebant, 4 M. erant jugales, qui curribus mille inſerviebant; nempe cum Salomon mille haberet ſive uxores ſive concubinas, veriſimile eſt unicuique earum ſuum ſive currum ſive carpentum fuiſſe aſſignatum cum quatuor equis qui eum traherent. Reliqui ſunt 400 currus, qui Salomonis uſibus videntur inſerviſſe, quibus quaterni etiam equi ſunt aſſignandi. Joſephus Ant. 8. cap. 2. dicit 400 iſtos currus fuiſſe donatitios, dono illi datos à Regibus & Magnatibus. Ità fuerunt in univerſum Salomoni equi 17600, quibus ſtabulandis ſufficiebant ארות 4400. Scriptura autem χιλιάδας commemoraſſe ſatis eſſe duxit, omiſit ἑκατοντάδας, utpote minorem numerum, quod & alibi fit; tum etiam quia ἑκατοντάδων idem fuit qui χιλιάδων numerus, potuítque id facilè colligi ex equitum & curruum quos Scriptura recenſet numero. Sanè Joſephus Ant. lib. 8. cap. 2. equites non plures quàm 20 M. tribuit Salomoni. Sic ergò Salomoni fuerunt in univerſum equi 17600, non, ut vult Villalpandus, 57600. Cujus ſententiæ ſi accedimus dicendum erit fuiſſe Salomoni equos 40 M. planè inutiles, qui nec equitibus neque curribus ſerviebant: quod planè adverſatur ſapientiæ tanti hominis, ut alere voluerit tot equos nulli uſui deſtinatos. Sic nos ex equorum numero Villalpandiano detraximus 40 M. equos prorſus inutiles.

Equites

Equites illi 12 M. videntur fuisse Salomonis Σωματοφύλακες simul & Præsidiarii, ità distributi ut singulis trimestribus 3 M. equites in aula apud Regem perpetuò excubias egerint, reliqui 9 M. in Præsidiariis urbibus collati fuerint. Porrò quandoquidem diurnâ Salomonis annonâ suprà ostendimus ali potuisse 48 vel etiam 50 M. hominum, sic videtur ineunda ratio ut in eo hominum numero comprehendantur equites isti tum suis equisonibus, ac totidem aut verò etiam plures pedites Regis itidem Σωματοφύλακες. Sic igitur commodè iniri poterit ratio numeri illius familiæ Salomonis: Ut nimirum fuerint Equites 12 M. eorum equisones curandis equis 3 M. Aurigæ regendis curribus 1400, eorum famuli 350. Uxores vel concubinæ 1000, unicuique earum assignentur quaternæ ancillæ & totidem famuli seu eunuchi; erunt in universum 8 M. Salomonis satellites seu pedites Σωματοφύλακες 16 M. ut scilicet singulis trimestribus 4 M. pedites cum 3 M. equitum excubias perpetuò egerint in aula apud Regem. Salomonis, & Magnatum qui in ejus familia erant, fuerint in aula domestici famuli mille. Summa est 42 M. Reliqui sunt 6 vel 8 M. quibus sic officia varia extra aulam ruri assignari possunt, ut fuerint Aratores colendis agris 2 M. totidem Vinitores, totidem qui oleis & ficubus curandis & colendis, totidem denique qui bubus, ovibus, camelis & asinis pascendis vacabant; ejusmodi enim habuit Salomon homines qui ista curarent, uti liquet ex 1 Chron. 27. 26, & seqq.

VILLALPANDUS.

Singulis equis alendis Romani præbebant in singulos menses medimnos septem, h. e. modios 42. nam Medimnus capit sex modios. Itaque equitibus 12 M. Salomon potuit assignare menstruum 504 M. modios. Hos si per medium diviseris, ut hordeum frumenti pretium attingat, erunt tritici 250 M. quibus ali potuerunt hominum 50 M.

L. CAPPELLUS.

Nihil hîc videtur solicitandum, nisi si cui fortè videatur æquo paulò liberalius esse menstruum equi demensum, 42 modios. Quod tamen harum rerum peritis dijudicandum relinquo.

VILLALPANDUS.

Supersunt alendi 45 M. equi curriles, quibus singuli modii hordei in singulos dies sufficient. Hos si per medium diviseris, ut frumenti pretio hordeum æquipolleat, efficies in singulos dies 22800, in menses verò 684 M. quibus ali potuerunt hominum 136800. Atque præter hæc erat annona equisonum curandis equis præfectorum, qui si singuli quaternis assignantur, erunt equisonum 14400. Jam non equos solùm & currus habebat Salomon, sed equites etiam 12 M. Jam autem Romani pedites quaternos in mensem modios accipiebant, duplum centuriones, triplum equites. Ergò 12 modios accipiebant in mensem. Horum 12 M. equitum pars dimidia Hierosolymis erat, itâque possunt illi comprehendi in Salomonis familia, altera dimidia pars in agris degebat. His igitur 6 M. dabat in mensi frumenti 72 M. modiorum, quibus ali potuerunt hominum 14400. Ità (ut omnia uno verbo perstringamus) si ex omnibus annonæ classibus unam constituas, apparebit Salomonis frumento, modò unicuique in singulos menses quini modii assignentur, ali potuisse hominum capita 891440.

L. CAPPELLUS.

Quandoquidem in hoc equorum currilium numero Villalpandum falli suprà ostendimus, atque ex eo 40 M. detraximus, quæ hîc Villalpandus superstruit de annona alendis illis equis sufficiente concidere necesse est. Curriles equi fuerunt non 45 M. sed duntaxat 5400. currus enim fuerunt tantùm 1400. Ergò alendis illis equis sufficerunt in mensem hordei modii 162 M. quibus ali potuerunt hominum 20250, si duo modii hordei pro uno tritici computentur, uti vult Villalpandus. Quod de equisonum numero subdit pariter cadit: non enim fuerunt 14400, ut ille vult, sed duntaxat 1350. In sequentibus bis peccat Villalpandus; I. Quòd non omnes equites sed eorum tantùm dimidiam partem numeret in Salomonis familia; quasi verò in ea familia numerandi tantùm sint illi qui Hierosolymis in ipsa aula & domo regia versabantur, ac non ii omnes qui annonâ Regis diurnâ, ubicunque essent, alebantur. Omnino ergò in familia illa numerandi sunt Salomonis σωματοφύλακες omnes, sive equites sive pedites illi fuerint, uti suprà à nobis facta fuit familiæ illius conveniens distributio. II. Quòd sine necessitate duodenos assignat in mensem singulis equitibus modios. Nam quòd Romani tot fortasse tribuebant, id fiebat quòd equites Romani singuli fortè haberent suum equisonem, & calonem præterea seu famulum, in militia quidem & castris utilem, at domi (uti erant semper Salomonis equites) minùs necessarium. Equisonum autem suprà à nobis est habita ratio, atque illi in Salomonis familia fuerunt numerati. Itaque, ut eam jam in summam contrahamus, útque *ex universis annonæ classibus* (uti loquitur Villalpandus) *unam constituamus*, liquet Salomonis diurnam annonam, tum equis tum hominibus necessariam, eam fuisse quæ sufficeret alendis hominum 300 M. non (uti somniat vigilans Villalpandus) 891440. Nam annona diurna quam commemorat Scriptura 90 cororum farinæ sufficit (uti ostendimus) alendis hominum 50 M. Hordeum alendis equorum 12 M. necessarium, si in triticum commutetur, (ut bini hordei modii veniant pro uno tritici) sufficiunt alendis totidem hominibus, nempe 50 M. Hordeum autem equis currilibus 5400 necessarium pari ratione sufficit, si in triticum commutetur, alendis hominibus 20250. An verò id non satis splendidum & magnificum videtur ut diurna ejus annona suffecerit alendis hominum 120 M. reapse aluerit hominum 50 M. equorum autem penè 20 M. præter operariorum 180 M. quos per annos minimùm septem aluit interim dum domus Domini exstruebatur? Quotusquisque Rex est qui 300 M. hominum quotidie impensis suis alat?

VILLALPANDUS.

In hac frumentationis & annona summa nihil dictum est de equorum paleis, nihil de mulorum & jumentorum alimentis, nihil de jumentorum illorum famulis & equisonibus, nihil denique de impensis eorum jumentorum; quæ infinitæ lapidum, lignorum, cæmentorum aliarúmque rerum necessariarum, materiam Templo quotidie portabant.

L. CAPPELLUS.

Nihil hîc videtur solicitandum.

VILLALPANDUS.

Porrò 1 Reg. 4. 13. unus Præfectorum Salomonis ad procurandam annonam dicitur præfuisse 60 civitatibus magnis atque muratis: itaque binæ civitates in singulos dies Salomoni regios cibos subministrabant, ut una prandium, altera cœnam illi parare potuerit.

L. CAPPELLUS.

Videtur Villalpandus innuere singulas civitates regios illos Salomoni cibos subministrasse præter tributa & vectigalia auri & argenti quæ à subditis Salomoni pendebantur: quod planè intolerandum videtur. Deinde, quod de uno Præfectorum illorum singulariter dicitur, habuisse nimirum 60 *urbes muratas* in districtu suo, id ad reliquos Præfectos Villalpandus trahit, Scripturâ tacente, nec aliâ (nisi

(nisi fortè analogiæ) ratione aut necessitate id postulante. Quòd si singuli Præfecti totidem habuerunt in Præfectura sua urbes muratas, fuerunt ergò in universum in tota Judæa 720 urbes mœnibus cinctæ & munitæ, præter pagos non muratos: quod multum videtur in tam exiguo & arcto terræ tractu, qui vix æquat nostram Armoricam & Normanniam. Sed ea de re aliquid infrà dicetur.

VILLALPANDUS.

CAP. LII. *Romanorum Equitum*, inquit, *equi constabant* 10 M. *aris, teste Livio, l.* 1. *h. e. drachmis* 500. *sive siclis Hebraicis* 125. *At Salomonis equi constabant siclis* 150. 1 *Reg.*10.28.

L. CAPPELLUS.

Locus ille quem citat Villalpandus videtur accipiendus non de equorum ipsorum pretio, sed de vectigali quod pro singulis equis Salomoni solvebatur; dicuntur enim isthic redemptores vectigalium Regis *pro pretio*, h.e. pro vectigali solvendo, *accepisse netum*, seu *filum*. Nempe in Ægypto magna erat neti seu fili ex lino vel gossypio copia, non tanta auri vel argenti abundantia: ideo qui equos in Ægypto emerant, loco pecuniæ pro vectigali solvendæ filum seu netum dabant redemptoribus vectigalium: quanta autem fuerit vectigalis illius ratio explicatur sequenti versu, nempe 150 *siclorum in singulos equos*: quod sanè videtur fuisse longè gravissimum. Porrò non dicitur Salomon equos suos ex Ægypto eo pretio emisse. Sed si tantundem omnes suos equos emit, cùm equitatum habuerit equorum ferme 20 M. necesse est eum in id impendisse librarum Turonicarum tres milliones.

VILLALPANDUS.

CAP. LIII. Hi equites, *inquit Josephus Antiq.* l. 8. c. 2. tunicis è Sarrana purpura induti erant, & ramentis auri capillum quotidie spargebant, ut ad Solarium radiorum contactum fulgor è capitibus reflecteretur.

L. CAPPELLUS.

Quod de *Sarrana purpura* dicit Josephus, fides sit penès autorem, qui sæpe pueriliter *ψευδίζ*ῃ, dum res mirum in modum pro animi libidine auget & extollit. Sanè 1 Reg. 10. 5. inter ea quæ Regina Saba dicitur admirata in Salomonis domo recensentur *vestes ministrorum ipsius*. Sed an illud de equitum istorum, an verò de domesticorum famulorum qui in penitiori aula ejus versabantur, vestibus sit accipiendum non indicatur. Non enim vero absimile ut quemadmodum hodie regii *σωμαλοφύλακες* qui propiùs eum circumstant insigni & speciali veste, quam vocamus *casaque*, induuntur, sic & 3 M. equitum, quos diximus singulis mensibus in excubiis fuisse circa Salomonem, indutos etiam fuisse pretiosâ aliquâ veste, quam tum sumerent dum erant in excubiis, deponerent autem cùm excederent, aliisque sibi succedentibus relinquerent. Quod autem subjicit Josephus de *ramentis auri quibus illi quotidie capillum spargebant*, videtur omnino puerile hominis illius commentum: nam sic brevi totum Salomonis aurum in eam rem fuisset inutiliter expensum, ac quod olim impiè Judas de unguento capiti Christi à femina injecto dixit, *Ad quid ista perditio?* omnino verè & optimo jure de istis auri ramentis dici potuisset. Facessant itaque quæ de Salomonis gloria & splendore ingenium humanum pro animi libidine comminiscitur sine Scripturæ autoritate atque testimonio.

VILLALPANDUS.

His Salomon fecit 200 *scuta aurea*; 600 *siclos auri dedit in laminas unius scuti*: & 300 *peltas*; 300 *minæ auri peltam unam vestiebant*, 1 Reg. 10. 16, 17. At 2 Par. 9. 16. 300 *scuta aurea* 300 *aureorum, quibus tegebantur singula scuta*; & 200 *hastas aureas de summa* 600 *aureorum, qui in singulis hastis expendebantur*.

L. CAPPELLUS.

Hæc Villalpandus juxta Vulgatam versionem. In Hebræo utrobique est צנה, quam vocem Latinus Interpres reddit 1 Reg. 10. *scuta*, at 2 Par. 9. *hastas*; quod sic conciliat Villalpandus, ut dicat *voce illâ* צנה *significari genus quoddam scuti quod in medio habet umbonem acuminatum in hastulæ modum, tum ad propulsandum hostem cùm res cominus agitur, tum ad declinandos ictus: has hastulas in medio umbone prominentes intellexit Vulg. Interpres.* Coacta imò absurda conciliandi ratio. Longè enim aliud est *hasta*, aliud *umbo* in medio scuti aliquantùm prominens. Sanè צנים & צנות sunt *aculei & spinæ*, & *acuminatum quid* significant; itaque non malè significare possunt *scuta cum umbone in medio prominente & acuminato*. Et quantumvis *hastam* ob ejus acuminatam cuspidem significare posset, malè tamen à Vulg. Interprete iis locis redditur modò per *scutum* modò per *hastam*, cùm utrobique idem significare debeat. Rursus 1 Reg. 10. 17. non *trecenta* sed *terna minæ* singulis peltis auro vestiendis assignantur secundùm Hebræum & Græcum textum & Chaldæum Paraphrasten; ut videatur omnino illud *trecenta* non esse Hieronymi, sed audaculi & imperiti alicujus Librarii, qui *trecentas* pro *ternas* supposuit, quòd nesciret quanti ponderis esset Mina, & fortè existimaret eam ejusdem esse cum Siclo seu Aureo numo ponderis. Ac frustrà hîc sese fatigat Villalpandus in tuenda hac lectione & conciliandis duobus illis locis juxta illam lectionem. Ait primò in Hebræo esse מגנים, quod *grandiora scuta* non *breves peltas* significat. Deinde quatuor facit Minarum genera, ut earum una 15, alia 20, alia 25, alia denique 60 siclos pendeat, ex Ezech. 45. 12. *Porrò* 20 *sicli, &* 25 *sicli, &* 15 *sicli minam facium*. Minam autem hîc Villalpandus intelligit quæ sit 20 siclorum. Ità 300 peltæ secundùm eum exhauriunt pondus 600 talentorum. *Si enim*, inquit, 300 *peltas per* 300 *minas multiplicaveris, efficies minas* 90 *M. ha per* 20 *siclos multiplicatæ dant* 180 *M. siclorum, quos si per* 3 *M. siclos diviseris, efficies talenta* 600. *His*, inquit, *addantur talenta* 40 *quæ in scutis erogata (nam si* 200 *scuta per* 600 *siclos multiplicaveris, habebis* 120 *M. siclorum; hos si diviseris per* 3 *M. siclos, conficies* 40 *talenta) invenies* 640 *talenta. Supersunt* 26 *talenta erogata (ut verisimile est*, inquit Villalpandus) *in aurificum & fabrorum mercedem. Ità* 666 *auri talenta sunt erogata in Scuta & Peltas, quod innui videtur* 1 *Reg.* 10. 10. *quia statim post enumerata illa* 666 *auri talenta allata ex Ophir subdit immediatè historia*, FECIT SALOMON 200 *SCUTA AUREA, &c. Josephus autem Antiq. l.* 8. *c.* 2. *disertè testatur*, EX EO AURO FECIT 200 *SCUTA FUSILIA, &c.* Ad pondus autem quod attinet Scutorum illorum nimis grave, respondet Villalpandus *ea non ad usum sed ad pompam tantùm & magnificentiam fuisse facta.* Verùm pueriliter hallucinatur Villalpandus in loco Ezech. 45. 12. non enim isthic variæ Minæ species sed diversæ Minæ partes recensentur; nempe Mina sacra constat 60 siclis tetradrachmis, quem numerum conficiunt tres illi 20, 25, & 15. Sic 20 sicli tertiam Minæ sacræ partem faciunt, 15 sicli quartam ejus partem; 25 autem sicli dimidiam non quidem sacræ sed civilis Minæ partem constituunt, quæ 50 non verò 60 siclis constabat; id quod olim demonstravit Jac. Cappellus frater meus l. 1. De Ponderibus, Defin. 114. ex collatione locorum 1 Reg. 10. 17. & 2 Par. 9. 16. de quibus nunc agimus. *De hac civili Judæorum Mina*, inquit ille, *intelligenda sunt Scripturæ verba* 1 *Reg.* 10. 17. *ubi dicuntur clypei Salomonis pendere tres auri minas. Iidem enim* 2 *Chron.* 9. 16. *dicuntur pendere* 300 *auri siclos, civiles scilicet. Nam Sicli vox*

ænũs & indiſtinctè poſita, ubi de auro agitur, de civili intelligitur, aliàs ſemper de ſacro ſive tetradrachmo. Mina ergò hæc Idæorum civilis pendet ſiclos ſacros tetradrachmales quinquaginta, ac proinde tres Minæ faciunt ſiclos ſacros 150, civiles verò didrachmales 300. Ità conciliantur loca illa duo 1 Reg. 10. 17. & 2 Par. 9. 16. Sic ergò Mina civilis pendebat civiles didrachmales centum, drachmas verò Atticas 200 valebat Solidos noſtrates Gallicos mille, ſive Libras Turoneas quinquaginta. Quòd ſi utrobique iidem Sicli civiles ſive Aurei numi didrachmales intelligantur, tum clypei, qui nomine צנה dicuntur, fuerint duplo majores & graviores quàm illi qui מגנים vocantur. Quod Villalpando abſonum videtur, vult enim voce מגן *grandius ſcutum* dici, at ſine ſufficienti tamen autoritate vel teſtimonio. Fieri poteſt ut vox זהבי non utrobique pariter accipiatur, ità ut cùm de 600 aureis in peltam unam agitur, intelligi poſſint aurei numi drachmales, quales ſunt hodierni noſtrates Scutati; cùm verò de 300 aureis agitur in ſingulos clypeos, aurei intelligantur didrachmales, quales ſunt Hiſpanici quos *Piſtolas* vocant. Sic fuerint tum peltæ tum Clypei unius ejuſdémque tum ponderis tum pretii, neque nimiùm ad ferendum graves, libras nimirum Pariſinas $4\frac{1}{10}$ pendentes, neque nimis grandis pretii, nempe 600 Scutatorum ſinguli, ſive 300 Piſtolarum. At ſi Villalpandi ſententia recipitur, clypei qui 600 ſiclos aureos, & quidem ſacros, pendebant, fuerint ponderis pluſquam ſexdecim librarum Pariſinarum cum ſemiſſe, pretii autem Librarũ Turonenſium 12 M. At illi quos Villalpandus pependiſſe vult aureas Minas 300, ſingulas 20 ſiclorum ſacrorum, fuerint pretii librarum Turonenſium 120 M. ponderis verò librarũ Pariſienſiũ plùs quàm 164. quod proculdubio nimis grave pondus eſt pro clypeo. Et futilis hîc eſt Villalpandi reſponſio, *Scuta illa non ad uſum ſed ad pompam tantùm & magnificentiam faiſſe facta.* Etſi enim ad pompam & magnificentiam fuerint comparata, ità tamen debuerunt eſſe facta ut uno brachio ab homine non incommodè ferri potuerint; alioqui ridicula fuiſſet ejuſmodi pompa, ſi humeris geſtanda ad inſtar bajulorum fuiſſent. Quod nè ſic quidem vix fieri potuit ſi ſingula ponderis fuerunt 164 librarum Pariſienſium: eſt enim hoc onus bajuli humeris penè intolerandum. Deinde, quàm diſſimilia fuerunt, ſi Villalpando credimus Scuta illa, quorum alia libras 16, alia libras 164 pendebant, h. e. alia aliis erant plùs quàm decuplo graviora? Quod autem Villalpandum eò impulit ut tam immaniter gravia commiſceretur Scuta hoc fuit, quòd Joſephus dicit *ea facta fuiſſe ex 666 auri talentis quæ Salomoni advecta fuerant ex Ophir; quod &*, inquit, *innui videtur* 1 Reg. 10. 14. *quia ſtatim poſt enumerata illa 666 auri talenta ſubdit immediatè Hiſtoria,* FECIT SALOMON 200 SCUTA, &c. Sed I. fallitur & hallucinatur Joſephus, & poſt eum Villalpandus, cùm putat illa 666 auri talenta fuiſſe ex Ophir advecta, cùm Scriptura teſtetur fuiſſe illum annuum Salomonis cenſum ex omnibus tributis & vectigalibus collectum; quem oſtendimus ſatis fuiſſe grandem. II. Dato non conceſſo, ex eo auro fuiſſe ex Joſephi mente facta aurea illa Scuta, non ſequeretur tamen ex ejuſdem ſententia totam illam auri ſummam atque pondus fuiſſe in Scutorum illorum fabricationem inſumpta, cùm potuerit pars tantùm illius auri eam in rem expendi. III. Ex Villalpandi ipſius mente 640 talenta duntaxat fuerunt in Clypeos illos expenſa. Nam quod de 26 *talentis in fabrorum & aurificum mercedem expenſis* comminiſcitur Villalpandus, ludicrum eſt & joculare, ac pro animi libidine confictum ut quadret numerus. Cur ſi voluit ex eo auro Salomon Scuta illa conficere, totum eam in rem non expendit? Annon potuit aliunde mercedem aurificibus numerare? Deinde, æquo paulò liberalior videtur merces illa, quæ æquat aureos numos noſtrates 260 M. ac auri ipſius partem 25. Cæterùm obſervandum eſt, cùm de 600 vel 300 aureis agitur expenſis in ſingulos clypeos, vocem *Sicli* iſthîc non occurrere, ac proinde neceſſe non eſt ut iſthîc Sicli intelligantur; nec neceſſe eſt aureos numos illos fuiſſe pondere Sicli, ſive ſacri ſive civilis, cùm potuerint eſſe eorum alii drachmales, ex quarta Sicli Sacri parte, quales ſunt hodierni Scutati Gallici, alii didrachmales, pondere Sicli civilis, quales ſunt hodierni Hiſpanici numi *Piſtolæ* dicti. Ità fuerint omnes Clypei unius ejuſdémque ponderis, ſi dicamus aureos 600 fuiſſe drachmales, 300 verò didrachmales. Sic 300 Piſtolæ in ſingulos clypeos fuerunt expenſæ; qui cùm quingenti in univerſum fuerint, in eos omnes expenſæ ſunt Piſtolæ 150 M. Quòd ſi malumus aureos illos omnes unius ejuſdémque facere & ponderis & pretii, nempe didrachmales, tum expenſæ fuerint in clypeos illos Piſtolæ Hiſpanicæ 210 M. quod abunde ſatis eſſe videtur.

¶ *Unde David tantam auri ſummam collegerit.*

VILLALPANDUS.

CAP. LIV & ſeqq. conatur Villalpandus oſtendere *tam immenſum theſaurum potuiſſe facilè colligi à Davide, I. Ex tributis, vectigalibus, & fodinis. II. Ex hoſtium ſpoliis, prædis & manubiis. III. Ex capitatione, & Decimarum primitiis. Ac primò de tributis antea probatum eſt 2226 auri talenta in ſingulos annos in ærarium Salomonis fuiſſe congeſta. Tantundem potuit habere David. Multiplica jam 2226 talenta per 33 annos quibus toti Iſraeli imperavit David, efficies 73458 auri talenta. Eupolemus teſtatur Indicam navigationem fuiſſe à Davide primò inventam. Atqui ex ea navigatione apportari ſolebant 450 auri talenta. Hæc per 33 annos multiplicata conficiunt 14800 talenta; quæ præcedentibus addita ſummam efficiunt talentorum auri 88300, quæ proximè accedit ad ſummam 100 M. talentorum auri quæ à Davide legata ſunt.*

L. CAPPELLUS.

At ſuprà demonſtratum eſt Villalpandum falli in ſumma illa tributorum annuorum Salomonis, quæ non exceſſerunt ſummam 666 talentorum. Deinde, gratis ſumit Villalpandus & contra omnem veriſimilitudinem Davidem tantundem tributorum collegiſſe ſtatim initio Regni ſui quantum Salomon in ſumma ſua gloria. An ſtatim poſt exactos Hebrone ſeptem annos David imperavit omnibus circumvicinis populis, Regibus, Dynaſtis ac regionibus totius Cœleſyriæ, &c. ab Euphrate uſque ad Ægyptum, ut ex iis tot ac tanta exigere potuerit tributa quot Salomon in florentiſſimo Regni ſui ſtatu? Nónne per multos annos bella geſſit David cum Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Syris, Philiſtinis, &c. priuſquam eos deviceric, & tributa ab illis exigere poſſet? Neque verò veriſimile eſt Salomonem ſtatim à Regni ſui initio illa 666 auri talenta in annuo cenſu habuiſſe, ſed ea demum collegiſſe cùm florentiſſimum eſſet, aliquot pòſt annis, Regnum ipſius. Tertiò, Eupolemi ſomnia Villalpandus avidè amplectitur & ſequitur ἀβασανίστως ſine Scripturæ autoritate atque teſtimonio. Scriptura Indicam in Ophir navigationem Salomoni, non Davidi, tribuit. Et quis putet cum Villalpando eam cœpiſſe ſtatim poſt exactos primos Regni Davidis in Hebrone ſeptem annos? Denique, non ſingulis annis ſed ſingulis duntaxat trienniis referebat claſſis illa 450 auri talenta, utì ſuprà demonſtratum eſt. Ex his videre eſt quàm longè abeat Villalpandus à numero illo 100 M. auri talentorum à Davide legatorum.

VILLALPANDUS.

Neque hîc recenſetur auri ſumma quam ex portoriis, paſtionibus, negotiatoribus cæteríſque vectigalibus colligebat, neque item quæ potuit colligere dum per ſeptennium in Hebrone regnavit.

L. CAPPELLUS.

Cùm ab annuo Salomonis cenſu, qui fuit *666* talenta, Scriptura excipiat duntaxat vectigalia in merces quaſdam à Salomone impoſita, fruſtrà ei hîc à Villalpando ſuperadduntur *ea quæ ex portoriis & paſtionibus colligi potuerunt*, ſi modò à Davide ejuſmodi vectigalia exacta fuere, quæ videntur potiùs à Romanis excogitata, & populis à ſe ſubactis impoſita. Quin & vectigalium in merces Salomon potiùs quàm David ex Scriptura autor fuiſſe videtur. Regni etiam Davidici in Hebrone initia exigua admodum & tenuia fuere, ut veriſimile non ſit gravibus eum tributis oneraſſe populum, cujus animum ſic à ſe avertiſſet.

VILLALPANDUS.

Ex eo theſauro quem David legavit, cùm decuplo minus auri quàm argenti legaverit, conjicimus Davidem ex fodinis, tributis & vectigalibus decuplo plus argenti in ſingulos annos extraxiſſe. Quemadmodum ergò theſaurus ex auro conflatus proximè acceſſit ad legatas Deo opes, ità argenti theſaurus proximè acceſſiſſe credendus eſt ad legatam argenti ſummam.

L. CAPPELLUS.

Hoc Villalpandi commentum ſuprà refutavimus cùm ageretur de annuo Salomonis cenſu; quem in univerſum aſcendiſſe oſtendimus ad valorem *666* auri talentorum, non verò (utì ſomniat Villalpandus) decuplo fuiſſe in argento majorem.

VILLALPANDUS.

Nihil hinc deductum eſt ad alendos & ſtipendio conducendos Davidis milites, qui fuerunt 288 M. 1 *Par.* 27. 1. *neque ad alendam regiam familiam: Quia primò ſtipendium nullum militibus ſolvebatur. Alebantur enim quique à tribu ſua. Familiæ autem Davidis alendæ eadem quæ Salomonis fuit ratio.*

L. CAPPELLUS.

Sanè cùm ad legitimam ſui tutelam atque defenſionem adversùs ingruentem & impetum ſubitò facientem hoſtem ultro conveniebant vel edicto convocabantur milites, utì Judicum, Samuelis & Saulis tempore factitabatur, omnino tum videntur milites ad paucos dies, vel menſem unum atque alterum, de viatico ſibi providiſſe nullúmque ſtipendium pro præſtita opera accepiſſe; quomodo etiamnum hodie oppidani & cives cùm obſidentur ab hoſte ipſi ſe ſuis opibus tuentur atque defendunt. Eandem autem fuiſſe rationem ſtatariorum militum qui conſcribuntur, ſúntq; perpetuò in procinctu & armis, & vel in præſidiis collocantur vel ducuntur extra patriâ in hoſtem qui oppugnandus eſt (quales fuerunt illi non 288 M. ſed 24 M. militum Davidicorum, de quibus 1 Par. 27. 1.) non eſt admodum veriſimile, eos ſcilicet nullum ſtipendium, nullum à Davide accepiſſe viaticum. Nam quò tributa & vectigalia (quæ nulla tempore Judicum & Samuelis, pauca admodum & exigua Saulis tempore ſolvebantur) Davidi, Salomoni cæteríſque deinde Regibus ſoluta ſunt grandia, gravia & multiplicia, niſi ut ex iis militem alerent conſcriptum, quo ad belli neceſſaria cùm opus eſſet uterentur, adeóque & ad alendam regiam familiam reliquáſq; Regni expenſas neceſſarias faciendas? An ideo ſolvebantur ut totum illud aurum & argentum in theſauris aſſervarent, ut in terra defoderent? Fruſtrà ergò hîc eſt Villalpandus, qui *nihil ex ea* tributorum *ſumma deductum eſſe* vult *alendis & ſolvendis militibus, ac ſuſtentanda regiæ familiæ.* Porrò conſcripti quidem fuerant ex XII tribubus 288 M. milites Davidis tempore, ſed 24 M. duntaxat ſingulis menſibus ſerviebant, nempe per vices ſingulæ Præfecturæ menſem unum duntaxat in anno miniſtrabant. Itaque 24 M. duntaxat militum erant perpetuò in armis & procinctu, qui dum ſic ſerviebant atque ſtabant in armis à Davide erant alendi, & fortè etiam aliquo ſtipendio demerendi. Reliquo anni tempore, cùm domi erant, nihil eo opus fuit. Atque ut olim Reges Galliæ ſuum habebant quod vocabant *Domanium*, unde regiam alebant familiam & neceſſarias faciebant impenſas, cui poſtea acceſſerunt ſpontanea tributa & vectigalia quæ ſufficerent ad militares expeditiones cæteráque Regni & belli onera; ſic & David, ubi Regnum habuit conſtitutum & confirmatum, ſuum etiam habuit, ut ità dicam, Domanium, arva nimirum, vineas, oliveta, armenta, &c. ex quibus multa ad familiam alendam colligere potuit, utì videre eſt ex 1 Par. 27, 26. uſque ad v. 32. Sed præterea habuit etiam tributa & vectigalia quæ ad alia Regni onera & ſplendorem regium ſufficerent. Unde Davidis duplex ærarium, Urbanum, quod ex Tributis, Ruſticum, quod ex Domanio redibat, quibus præfecti erant Harmaveth & Jonathan 1 Par. 27. 25.

VILLALPANDUS.

CAP. LV. Ad prædas & manubias quod attinet, oſtendit Villalpandus *Davidem magna & plurima geſſiſſe bella, & aperto Marte hoſtes viciſſe viceſies; atque in pugna adverſus Ammonitas (de qua 2 Sam. 10. 4, 6.) totum exercitum fuiſſe* 735 M. *nempe Ammonitæ* 330 M. *(quot nempe habuit Saul cùm adversùs eos profectus eſt ad ſolvendam obſidionem Jabes Galead 1 Sam. 11. 11.) Syrus uterque* 20 M. *Maacha* 1 M. *Iſtobitæ* 12 M. *Equites* 40 M. *Currus* 32 M. *In ſecundo verò prælio adversùs eoſdem (de quo 1 Par. 19. 16.) fuerunt in hoſtium exercitu* 825 M. *ad ſuperiorem enim numerum additi ſunt* 80 M. *ex Syris tranſeuphratenſibus, quorum dux erat Sophach princeps militiæ Adarhezer. Poſt quam victoriam reportatæ eſt præda multa valde, 2 Sam. 8. 7. 1 Par. 18. 7, 8. & 20. 2. Ex qua præda potuit conflari tantus Davidis theſaurus.*

L. CAPPELLUS.

Primùm, magnus hîc eſt Villalpandi in numeris error. Nam pro 737 M. ſubſtituendum 435 M. Nam ſi ad 330 M. *Ammonitarum* addas *Syros* 20 M. *Maacha* 1 M. *Iſtobitas* 12 M. *Equites* 40 M. & *Currus* 32 M. non plures erunt in univerſum quàm 435 M. Deinde in prima cum Syris pugna nulla fit *equitum* 40 M. mentio, in ſecundo duntaxat prælio dicuntur *interfecti Equites* 40 M. 2 Sam. 10. 17. At 1 Par. 19. 18. non *Equites* ſed *Pedites* eſſe dicuntur. Quod poſtremum videtur magìs veriſimile, quia nulla fit *Equitũ* mentio in conductitio Syriæ milite. Ad 32 M. curruum quod attinet, id habet Villalpandus ex Vulg. Interprete & Lxx 1 Par. 19. 7. qui locus tamen ſi conferatur cum 2 Sam. 10. 6. illi parallelo, videtur omnino ſic reddendus & interpungendus, *conduxernnt ſibi* 32 M. (hominum ſcilicet) *currus, & Regem Maacha, ejúſque populum*, &c. Nam 2 Sam. 10. 6. dicuntur *Ammonitæ conduxiſſe Syros ex Bethrehob & Tſoba* 20 M. *pedites, ex Iſtob* (vel *ex viris Tob*) 12 M. *hominum*. Hi ſimul conficiunt 32 M. hominum qui commemorantur 1 Par. 19. 7. Tertiò, Ammonitarum numerum Scriptura non recenſet, Villalpandus cenſet fuiſſe 330 M. quia *cùm Saul adversùs eos profectus eſſet ut obſidionem Jabes ſolveret* habuit in ſuo exercitu 330 M. Hoc verò non eſt conjicere ſed divinare, aut ſomniare potiùs; quaſi non potuerit Saul cum pluribus quàm ipſi eſſent eos aggredi. Denique non video

unde

3779

unde Villalpandus divinarit in secundo prælio ad priorem Syrorum numerum accessisse 80 M. cùm hujus rei neque vola neque vestigium sit in Historia sacra. Ex his & aliis à Davide reportatis victoriis de Syris, Ammonitis, Moabitis, Idumæis, &c. reportatam etiam fuisse magnam prædam dubium non est; nullo tamen modo ostendit Villalpandus ex illis colligi potuisse tantum thesaurum qualem Davidicum vult fuisse.

VILLALPANDUS.

Objicit sibi Villalpandus *inventum ab Alexandro M. victo Dario, thesaurum qui fuit talentorum* 120 M. *Curt. l.5, & 6. Et Romanorum ærarium tempore Adriani Imp. in quo fuere talentorum Ægyptiorum* 705 M. *teste Plinio l.33.c.3. Quæ omnia minora sunt Davidis thesauro.*

L. CAPPELLUS.

Plinius eo loco ærarii Romani quale tempore Adriani fuerit planè non meminit. At dicit, *Cæsarem initio belli civilis protulisse ex ærario laterum aureorum* XXVI M. *& in numerato* CCC. *nec fuit*, inquit, *aliis temporibus Resp. locupletior.* At quodnam fuerit pondus *laterum aureorum* illorum non indicat; nisi quis fortè putet hoc sibi velle Plinium, auri rudis non signati sed in laterculos conflati fuisse pondo XXVI M. argenti autem & auri signati fuisse *in numerato trecenties.* Juxta hanc lectionem auri pondo 26 M. conficiunt aureorum nostrorum *Solatorum*, quos vocant, 2496000. Nam Libra Romana pendet Atticas drachmas 96, aureus autem noster Solatus pondus habet Atticæ drachmæ. Itaque tot sunt aurei nostri Solati in 26 M. auri libris Romanis quot sunt in illis Atticæ drachmæ, nempe 2496000, qui (uti nunc aurum in Gallia æstimatur, nempe quinque libris Turonicis singuli aurei Solati) conficiunt librarum Turonicarum 12480000, h.e. duodecim milliones cum semisse. *Trecenties* autem *in numerato* conficiunt hodiernarum librarum Turonicarum tres milliones. Itaque in universum Cæsar ex ærario (quo, secundùm Plinium eò loci, Resp. Romana nullum habuit majus) extulit librarum nostratium Turonicarum 15 milliones cum semisse; quæ non est summa admodum magna, uti hodie sunt tempora. At Davidicus thesaurus (uti suprà ostensum est etiam ex æstimatione non Villalpandi sed fratris mei Jac. Cappelli) fuit aureorum numorum nostratium Solatorum 126 millionum, h. e. librarum Turonicarum (uti hodie aurum æstimatur) 630 millionum. Ità thesaurus Davidicus fuerit illo Romanorum ærario bis & quadragies major. Plinius ibidem ait *Cyrum devictâ Asiâ reportasse ex ea victoria argenti talenta* 500 M. quæ, si sunt Attica, conficiunt aureorum Solatorum 250 milliones, h. e. librarum Turonicarum 1 *Milliar & 250 milliones.* Ità fuerit Cyri thesaurus Davidico duplo major. Ad thesaurum autem quod attinet ab Alexandro M. devicto Dario repertum, eum multò quàm Villalpandus majorem facit Jac. Cappellus frater meus in Miscell. ad finem libri sui De Mensuris; probat enim collecta fuisse ab Alexandro M. in universum talenta 218 M. quæ conficiunt aureorum Solatorum 109 milliones; quod est infra Davidicum thesaurum, qui fuit 126 millionum aureorum Solatorum.

VILLALPANDUS.

Respondet ad objectionem à se sibi factam Villalpandus, *Seculum Davidis fuisse Aureum illud seculum tantopere à Poetis celebratum, in quo omnia erant aurea, quo portentosa Cræsi divitiæ, aurum Midæ ingens, captivi apud Macrobios Æthiopia populos aureis catenis vinciebantur*, Diodor. l.2. *aurea camera, argentea trabes, columnæ, paraſtatæ Sabaucia Samnorum Regis. in Colchide, devicto Sesostri Ægyptiorum Rege. In quo aureo seculo Sardanapali erant divitiæ, qui victus ab Arbace pyram struxit in qua cubilia* 150 *ex auro posuit, totidem ex auro mensas, ac præterea auri centies centena millia talentorum Babylonicorum, argenti verò millies centena millia, sive myriadas myriadum*; Ctesias apud Diodorum l. 2. *Hinc Lydiæ Regi cubilia, mensæ, sedes, vasa omnia ex auro conflari jussit Regina ejus uxor. Hinc Platanus illa aurea, & Vitis aurea cum gemmeis botris Dario dono missa à Pythio Bithyniæ Rege*, Plin. l.33. c.10. *Hinc Xerxem cum innumerabili exercitu Phrygiæ Rex excepit epulo, stipendium quinque mensium frumentumque pollicitus, & pro corollario obtulit auri quadragies centena millia. Tanta auri argentique copia erat ex fodinis quæ ubique in Asia & Africa apertæ tum erant.*

L. CAPPELLUS.

Quæ hîc adfert Villalpandus eò pertinent ut nè quis putet impossibile aut nimiùm admiretur tantas Davidis & Salomonis divitias, cùm & alibi eodem aut proximo tempore pares ac ferè similes fuerint. Verùm incerta certis & fabulosa veris admiscet temere hîc Villalpandus. Nam I. Quale illud est quòd seculum à Poetis celebratum ideo *aureum* dictum esse putat quòd in eo omnia essent aurea, cùm contrà *aureum* dictum sit ob auream, seu niveam, morum integritatem, justitiam, veritatem atque simplicitatem, quódque tum nondum effossæ essent,

——*opes irritamenta malorum?*

II. Cræsi, Sardanapali, Midæ, Pythii tempora inter se sunt admodum divisa, & à Davidis Salomonisque temporibus longè disjuncta. Fuerit hâc ratione aureum illud seculum longum & diuturnum, non breve & angustum, uti volunt Poetæ. III. Quæ de Sabauce Plinius, & de Macrobiis Æthiopibus Diodorus, déque Sardanapalo Ctesias habent, nescio annon μυθικὰ potiùs seculum redoleat quàm veram & certam historiam. Nam si Ctesiæ fides habenda de Sardanapalo, thesaurus ejus centies major fuerit Davidico, etiam secundùm Villalpandi æstimationem, quæ est ὑπερβολικωτάτη, atque hoc ipsum fuerit contra Villalpandum, qui vult Salomonem reliquos omnes orbis Monarchas divitiis superasse.

VILLALPANDUS.

CAP. LVI. Ad Capitationem quod attinet, observat Villalpandus *Lege præscriptum fuisse, Exod.* 30.12. *ut omnes mares in capita solverent dimidium Siclum, ab anno ætatis vigesimo usque ad quinquagesimum, idque quotannis; quod probatur tum ex Matth.* 17. 24. *AN MAGISTER NON SOLVIT, h.e. solvere solet, DIDRACHMA? tum ex Josepho lib.7.c.26. Belli, & Philone l. De Sacerd. & Legat. ad Caium. Neque solùm à Judæis in Judæa commorantibus, sed ab omnibus omnino Judæis ubicunque terrarum degerent, tributum hoc sacrum Deo solvebatur, teste eodem Josepho & Philone ibid.*

L. CAPPELLUS.

Tributum illud Lege præscriptum fuisse dubium non est. Sed I. an fuerit annuum à singulis quotannis, an verò semel duntaxat in vita ab unoquoque solvendum, non est ex Lege æquè certum. Colligunt id nonnulli ex Neh. 10.32. At non constat an illa Judæorum tempore Nehemiæ constitutio eadem sit cum Mosaica, Exod. 30.12. an verò diversa. Sanè diversam aliquatenus fuisse planum est ex eo quòd Moses jubet *dimidium Siclum* in capita solvi, at Judæi isthîc recipiunt se solvturos duntaxat *trientem Sicli.* Nam quod nonnulli putant, trientem illum esse supra dimidium siclum à Mose imperatum, hoc verò commentum est de quo jure dubitari possit. Si enim non dimidium Siclum sed Sicli duos trientes cum semisse Judæi suscepissent se solvturos, cur Christi tempore, cùm Legis maximè studiosi essent Judæi, solum dimidium Siclum solvebant? An remiserant de Legis studio & pristino fervore atque zelo? Verisimilius itaque viderut

constitutionem illam Judæorum Nehemiæ tempore diversam fuisse à Mosaica, & Mosaicum quidem tributum non fuisse annuum, sed semel duntaxat in vita ab unoquoque qui vigesimum annum excessisset solvendum; jubetur enim solvi *in redemptionem animarum* Exod. 30. 12. at redemptio pluries non fit, sed semel tantúm. Et solvi jubetur *cùm fiebat census*; atqui non singulis annis fiebat totius populi census. Neque verò ex Euangelio liquet didrachma fuisse quotannis à singulis soluta; nec illud, *An magister vester solvit?* necessariò reddi debet, *solet quotannis solvere*, cùm simpliciter accipi sic possit, *An animum habet solvendi? an ità affectus est ut solvere velit?* Erat enim tributum quod non ab invitis exigebatur sed à spontaneis accipiebatur; alioqui οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες non sic convenissent Petrum, *An solvit?* sed vel ab invito extorsissent. Sanè Josephus vult annuum fuisse. II. Etsi annuum fortè fuerit, fuit quidem imperatum, at non tamen exactum: h. e. solvebat qui volebat, prout bene vel malè affectus erat erga pietatem & religionem; sed nemo cogebatur; nullus erat talis constitutus ordo juxta quem etiam ab invitis exigeretur atq; extorqueretur hoc tributum, utì hodie vectigalia certo ordine à viris ad id constitutis exiguntur, ità ut vel inviti cogantur singuli solvere. Sic Decimæ & Primitiæ Lege quidem erant imperatæ, at non ità exigebantur ut singuli vel inviti solvere cogerentur; sed unusquisque prout bene affectus erat erga pietatem vel Levitis sibi cognitis eos solvebat, vel Hierosolymam ad Sacerdotes deferebat. Hinc est quòd Historia Sacra notat eas interdum abundantissimas fuisse, ità ut ex iis plurimum supereresset post sustentatos indè Levitas & Sacerdotes; interdum verò ità parvas & angustas fuisse ut cogerentur Levitæ privato labore & quæstu victum sibi parare. Hinc Malachias jubet ut quisque Decimas & Primitias in domum Dei inferat; quod sanè non faceret si certo ordine constituto Decimæ & Primitiæ vel ab invitis & renitentibus exactæ & extortæ fuissent. Hinc in Euangelio jactat Pharisæus *se Decimas solvere:* quæ vana fuisset jactantia si omnes nolentes volentes coacti fuissent solvere. Annon hodie ridiculus esset siquis eo nomine se commendaret quòd & Vectigalia Regi & Decimas Sacrificulis solvat, quæ ipse volens nolens cogitur solvere? Quin & certa ratio huc facit; nempe, *Hilarem & spontaneum datorem amat Deus*, utì loquitur Apostolus; & Dei populus est עם ערביות *populus voluntarius atque spontaneus.* Præscribebat itaque quid sibi dari vellet, at non cogebat tamen, & vel à renitentibus exigebat officium; sed prout quisque vel minis atque terrore Legis tangebatur, aut promissione benedictionis alliciebatur, vel pio zelo & affectu erga Divinum Numen afficiebatur, ità officio illo Lege præscripto defungebatur. Atq; exactum quidem ab invitis non fuisse illud capitationis tributum certo ordine ad id constituto vel hinc liquet, quòd sic numerus Israelitarum omnium perpetuò certus ac cognitus fuisset. Quid ergò opus fuisset subindè censum Israelitarum facere? Cur David jubet Joabum totum Israelem recensere? cur hoc illi vitio vertitur? Poterat nullo negotio rescíscere ab exactoribus illius tributi quot singulis annis dimidios siclos è populo colligerent. Facilis erat & expedita via & ratio tenendi omnium Israelitarum numerum: neque verò id vitio versum fuisset Davidi. An enim ratio accepti & expensi si inquiritur ab illis qui munere publico funguntur, id vitio verti solet? Hodie in Regno Galliæ, in singulis quas vocant Parœciis catalogus habetur eorum omnium qui vectigal Regi pendunt, quod vocari solet *la Taille*, item eorum qui quacunque de causa ab eo tributo sunt immunes, item Nobilium & Clericorum. Si velit Rex scire quot habeat in universum subditos, quot Nobiles, quot Clericos, quot Tributarios, quot à tributo solvendo immunes, nihil opus est ut Censores ad id mittat per universum Regnum extraordinarios. Jubeat tantùm singulos Juri dicundo præfectos ut quisque in districtu suo ex Tabulis publicis quæ in singulis sunt Parœciis annotet numerum Nobilium, Clericorum, eorum qui tributum pendunt, & qui ab eo sunt immunes, mittatúrque is numerus ad Procuratorem suum primum atq; summum, statim & nullo negotio rescíscere poterit quot habet in universo Regno Nobiles, Clericos, Tributarios, & immunes à tributo: & si id faciet, nemo id vitio illi vertet. Si itaq; ordo publicus constitutus fuisset in Israele quo tributum Capitationis à Mose imperatum exactum fuisset vel ab invitis & renitentibus, statim & nullo negotio omnium Israelitarum numerum David rescíscere potuit; neq; id illi vitio datum fuisset. Quòd ergò Joabum ad recensendum populum mittit, argumentum est (utì videtur) certissimum, imperatum quidem fuisse lege Mosaicâ Capitationis tributum, non tamen ordine aliquo publico à singulis vel invitis & renitentibus exactum fuisse, sed à volentibus duntaxat & qui ultro solvebant acceptum fuisse; alioqui Joabum frustrà misisset. Híncq; denotatur Davidis ambitio & κενοδοξία, qui scire voluit quod Deus sciri nolebat, quódq; sciri non poterat nisi habito ejusmodi extraordinario censu atq; delectu.

VILLALPANDUS.

CAP. LVII. Quantus esse potuerit populus Israeliticus Davidis tempore inquirit Villalpandus duplici viâ atque ratione. I. *Tempore Josaphati in sola Hierosolymorum urbe erant hominum bellatorum* 1160 M. 2 *Par.* 17. 15. *Statuatur*, inquit, *urbs illa totius tribûs Judæ quinta duntaxat pars. Fuerint hoc pacto in tota tribu Juda hominum* 5500 M. *Multiplicentur per* 12 Tribus, *erunt in universo Israele virorum 66 milliones.*

L. CAPPELLUS.

Census qui habetur 2 Par. 17. non est (utì putat Villalpandus) incolarum solius urbis Hierosolymæ, sed totius tribûs Judæ & Benjaminis, utì liquet ex v. 17, & 18. ubi Benjaminitæ recensentur & à Judæis distinguuntur. Nam quòd capitis illius v. ult. distinguuntur isti 1160 M. ab illis qui *collocati erant in civitatibus munitis*, non arguit illos omnes fuisse urbis Hierosolymorum incolas; sed duntaxat sic distinguuntur milites præsidiarii atq; stationarii Regísque stipendiarii, quos *in urbibus munitis collocaverat* Josaphat, à reliquis ex universo populo bellatoribus, qui dicuntur משרתים *ministrasse Regi*, quia cùm opus erat à Rege ciebantur & ad bellum evocabantur, quomodo universus populus, si opus esset, ad bellum evocabatur sub suis ducibus. Deinde, frustrà est Villalpandus cùm vult eundem fuisse in reliquis Tribubus hominum numerum, cùm certum sit tribus Judæ & Ephraimi omnium longè maximas fuisse, reliquásque omnes ferè æquasse tum hereditatis amplitudine tum hominum multitudine, utì ex Tabulis ipsis Chorographicis terræ Chananitidis liquere potest.

VILLALPANDUS.

Josephus de una Galilæa loquens tantam ejus fertilitatem esse ait, ut & civitates isthic crebræ sint, & ubique vicorum multitudo propter opulentiam populosa, ut qui sit minimus supra 15 M. *colonorum habeat. Porrò ex* 12 *Præfectis à Salomone toti Israeli præpositis unus nominatur* 1 *Reg.* 4. 13. *qui* 60 *urbibus magnis ac muratis præerat in terra Galaad. Tantundem assignetur singulis Præfecturis, sic fuerint in* 12 *Præfecturis* 720 *civitates magnæ præter oppidula & viculos atque pagos. Unicuiq; civitati magnæ assignentur duplo plures viri incolæ quàm Josephus minimo Galilææ viculo assignat, & singulis civitatibus magnis quatuor tantùm oppidula sive viculi attribuantur, erunt singularum civitatum cum suis viculis incolæ* 90 M. *Multiplicetur hic numerus per numerum civitatum* 720, *invenientur in toto Israele virorum* 64 *milliones cum* 800 M. *In sola tribu Juda liber Josuæ numerat urbes* 116, *præter vicos, pagos, villulas.*

L. CAP-

L. CAPPELLUS.

Primùm Josephus non secùs atque Villalpandus pleraque omnia in majus & in immensum auget, sæpe præter omnem rationem. Sanè si minimus viculus 15 M. colonorum habuit, & tot fuissent in tota Judæa civitates quot vult Villalpandus, proculdubio longè major numerus fuisset Judæorum quàm censet Villalpandus: nam quis uni civitati magnæ quatuor tantùm assignat viculos? Atqui cùm capta est à Tito Vespasiano urbs Hierosolymorum, ipse Josephus notat in ea obsidione periisse 1100 M. hominum duntaxat, capta verò paulò minùs quàm 100 M. cùm tamen undiquaque ex tota Judæa & Galilæa ad festum Paschatis Hierosolymam concurrissent ex Legit præscripto Judæi magno Legis studio atque zelo quo nunquam majore efferbuerunt, eósque isthic conclusos subitò obsidione cinxit & oppressit Titus. Quid? si (uti modò suprà volebat Villalpandus) tempore Josaphati in sola Hierosolymorum urbe fuerunt incolæ bellatores 1200 M. si in tota Judæa fuerunt 64 vel 66 milliones, an tempore Paschatis (quo Judæi ferè omnes Hierosolymam confluebant) fuerunt tantùm Josepho teste 1200 M. hominum? Idem Josephus testatur, Præside Cestio, ejus jussu numeratos fuisse Azymorum festo agnos Paschales 255 M. atque indè collectum fuisse numerum Judæorum festum celebrantium. Nempe unicuique agno deni ut minimùm assignabantur ex Judæorum præscripto homines; atque ità conjecturam factâ adfuisse festo Judæorum 2700000, h. e. paulò minùs quàm tres milliones. Estne verisimile eò non confluxisse vigesimam marium Judæorum solam Chananitidem habitantium partem? cùm eo tempore non modò ex Judæa sed ex toto ferme terrarum orbe quamplurimi confluerent religionis causâ die illo festo Judæi. Deinde frustrà est Villalpandus cùm ex uno Præfectorum Salomonis qui habuit in sua Præfectura 60 urbes muratas in terra Galaad, colligit reliquos Præfectos totidem in sua Præfectura urbes habuisse: neque enim id necesse est. Nec eum juvat quòd liber Josuæ in una tribu Judæ numeret 116 urbes: nam primò tribus Juda erat omnium amplissima, ejúsque sors seu hereditas longè maxima; deinde in censu qui illic fit urbium Juda, comprehenditur tota tribus Simeon & Dan, uti videre est ex cap. 19. 1. & urbibus quæ isthic recensentur: quin & exsertè ver. 9. dicitur tota tribus Simeon fuisse in sorte tribûs Juda. Denique non omnes urbes ejusdem sunt amplitudinis: multæ sunt parvæ & angustæ, exiguo incolarum numero contentæ: & sunt non rarò vici atque pagi muro non cincti qui plures numerant incolas quàm urbes quædam mœnibus cinctæ; sunt & non paucæ quæ nullos habent sub se vicos atque pagos. Porrò eodem illo libro Josuæ tribui Benjaminis dantur 26 urbes, tribui Zabulonis 12, Issacharis 16, Aser 22, Nephtali 19. Jungantur hæ omnes cum urbibus Judæ (quæ tres, uti dixi, complectebatur tribus, Judam, Simeonem & Dan) inveniuntur in universum 207; quibus addendæ sunt urbes tribuum Ruben, Gad, Manasse & Ephraim, quæ non parem conficiunt urbium numerum. Sic non fuerint in universum toti Israeli urbes 400, inter quas numerantur non paucæ quæ illis quidem sorte obvenerant sed occupabantur tamen à Chananæis & reliquis terræ illius incolis.

VILLALPANDUS.

Josephus Antiq. lib. 11. cap. 4. dum de reduce populo ex Babylone loquitur, autor est ex duabus tribubus Judæ & Benjamin pubertatem fuisse 4620 M. sive 462 myriadas, sub duce Zorobabele, exceptâ reliquâ multitudine: hic enim numerus erat duntaxat pubertatis. Nam certus numerus è singulis cognationibus electus proficiscebatur, quos duces Hierosolymitanæ profectionis ex sua quisque Tribu elegerunt. *Quibus verbis videtur probare reliquos quamplurimos fuisse; eos tamen ponamus quintam tantùm hujus militiæ fuisse partem. Erunt igitur qui profecti sunt* 5533600, prosequente, *inquit Josephus*, per lusum & lætitiam reliquâ multitudine Judæorum. *Si tantus fuit eorum numerus qui ex pubertate selectus est in aliena terra, inter hostes enutritus, qui neque totus erat, quanta fuit reliqua multitudo? Nam neque totus populus Babylonem fuerat abductus, sed multi remanserunt in Judæa vinitores & agricolæ: neque universus captivorum populus ex Babylonia discessit, sed una tantùm eorum pars. Ergò altera pars quæ remansit huic est æqualis. Ità duarum Tribuum viri fuerint* 11147 *M. quem numerum si per senarium multiplices erit universus Hebræorum populus* 66683200.

L. CAPPELLUS.

Quia Villalpando propositum est omnia in immensum augere, maluit hîc Josephum quàm Scripturam consulere, illúmque etiam errantem aut corruptum sequî quàm verum Esdram, qui cap. 2. 64. exsertè testatur totum cœtum reducum Judæorum ex Babylone sub Josua & Zorobabele fuisse 42360, qui numerus quantum, Deus bone! distat à Villalpandiano? Sed omnino vel Josephus ipse, vel qui Josephum descripsit Librarius, hallucinatus est in numero. Lxx Interpretes loco citato sic habent, τέσσαρες μυριάδες δισχίλιοι τετρακόσιοι ἑξήκοντα· sic etiam habet Pseudo-Esdras, sive autor libri tertii Esdræ Apocryphi, quem in tota sua narratione Josephus secutus est veluti κατὰ πόδα potiùs quàm verum & Canonicum Esdram. Quia autem numerus ille vel Josepho vel ejus Librario videbatur æquo minor, paulò inflexis & trajectis verbis alium longè grandiorem confecit: legit nempe μυριάδες τετρακόσιαι ἑξήκοντα, καὶ δὶς τέσσαρες χίλιοι· & quia δὶς τέσσαρες χίλιοι idem est quod ὀκτακισχίλιοι, illud in istud commutavit: tum & δύο addidit post ἑξήκοντα, fortè corruptum ex δὶς. Illam Josephi corrupti lectionem secutus ejus interpres Ruffinus reddidit, *Quater mille millia & sexcenta viginti octo millia.* Sed quis, quæso, sanus credat tam portentosum Judæorum numerum ex Babylonia sola excessisse, atque uno cœtu simul omnes Hierosolymam conscendisse? cùm fortè tota Babylonia vix tantum incolarum numerum capere atque alere potuerit. Xerxes adversùs Græcos duxit exercitum 1100 M. & tantam multitudinem miratus est universus orbis, quæ tamen non æquat quartam Judæorum istorum reducum partem: & terrorem tanta multitudo Babyloniis adeóque toti Persarum Imperio non incussisset? Et unde, quæso, tam prodigiosæ multitudini alendæ per tam longum & molestum iter, à Babylone Hierosolymam usque, sufficiens commeatus? in quo itinere Esdras cum suo cœtu reduce consumpsit quadrimestre, Esd. 7. 9. Deinde, quis non circumvicinorum populorum obstupuisset ad tam portentosæ multitudinis adventantium Judæorum conspectum, cùm vel florentissimis Judæorum temporibus atque rebus nusquam legatur quarta vel quinta pars illius multitudinis simul unquam coisse? Huc & illud accedit quòd idem Josephus ibidem feminarum & puerorum in ea multitudine numerum ait fuisse duntaxat 40742, servorum item & ancillarum 7337. Estne verisimile in tanto hominum & pubertatis cœtu fuisse tantillum feminarum, puerorum & servorum atque famulorum numerum? Omnino ergò mendum est apud Josephum in numero, ac legendum, uti apud Apocryphum Esdram legitur, totum cœtum Judæorum reducum fuisse τέσσαρας μυριάδας δισχιλίους τετρακοσίους ἑξήκοντα, quo in numero non discedit à vero & Canonico Esdra: atque ità feminarum & puerorum par ferè fuerit cum virorum

& puberum numerus : quod congruum omnino videtur. Hoc subducto fundamento, id quod illi superstruit Villalpandus de universi Hebræorum populi numero, quem vult fuisse 66683200, spontè corruit & ultro coneidit.

VILLALPANDUS.

Ex Ægypto egressi sunt virorum 603550, *Num.* 1. 45, 46. *quorum singuli dimidium Siclum solverunt, qui faciunt argenti talenta* 100. *Si horum unicuique tres duntaxat superstites liberi dentur, & eâdem ratione quatuor tantùm generationes computentur, quarum unaquæq; sit annorum* 14, *intra* 46 *annos poterit unus parens filios habere* 108. *Quòd si filiis demus annos* 20, *ut solvere didrachma teneantur, intra annos* 66 *essent ex uno parente* 108 *qui solvere didrachma tenerentur. Quòd si hunc numerum multiplices per numerum eorum qui egressi sunt ex Ægypto & ingressi sunt terram Promissionis, erunt omnes* 65183400. *Itaque sexagesimo sexto anno ingressûs filiorum Israel in terram Chanaan, sive* 106 *ab exodo, tot potuerunt esse viri qui didrachma solverent.*

L. CAPPELLUS.

Quo pacto Villalpandus hîc calculum suum instituat non video. Nam primò quater quatuordecim anni non 46 sed 56 conficiunt annos. Deinde, si primam generationem constituit in tribus liberis superstitibus quos unicuique parenti assignat (utì revera illic constituenda est) tum tres illi gignent in secunda generatione novem liberos, isti novem in tertia generatione gignent 27 liberos, isti autem 27 gignent in quarta generatione 81 liberos. Hi omnes simul collecti faciunt 120 liberos ortos ex eodem parente intra annos non 46 sed 56, post ingressum in terram Chanaan ; quibus adde annos 20, quot oportuit eos esse natos ut solvant didrachma, anno 76 post ingressum in terram Chanaan erunt 72426000 Israelitæ qui solvere didrachma tenebantur, plures multò quàm vult Villalpandus. Verùm hîc non est spectandum quid fieri possit, sed quid ordinariè fiat, aut quid factum sit. Nam juxta illum progressionis modum, quem hîc Villalpandus sequitur, in fine 40 annorum quibus Israelitæ vagati sunt per desertum non paulò minor potuit esse Israelitarum numerus quàm est ille quem vult Villalpandus post quadragesimum sextum annum ab ingressu terræ Chanaan ; & tamen cùm census eorum habitus est à Mose in fine illorum 40 annorum non inventi sunt nisi 601730 qui majores essent natu 20 annos, Num. 26. 51. cùm tamen juxta Villalpandi progressionem potuerint esse in fine annorum illorum 40 Israelitæ 5431950, omnes nati supra annos 20. Nam tertio post exodum anno potuit egressorum numerus triplicari, ac proinde nasci potuerunt exacto anno tertio infantum 1810650. Hi omnes anno decimoquarto pòst (qui annus est pubertatis) potuerunt gignere liberos, atque tertio pòst anno (qui est ab exodo vigesimus) potuit superior ille numerus itidem triplicari essèque 5431950, proindéque vigesimo post exodum anno potuerunt orti ab illis qui egressi sunt ex Ægypto numero esse 7242600. Attamen non modò non plures sed aliquantò etiam pauciores fuerunt quàm cùm egressi sunt ex Ægypto. Dubium non est Israelitas post ingressum in terram Chanaan istic auctos esse & fœtificasse mirum in modum ; at quousque & quantum multiplicati sint non constat, neque possumus certò definire : nec ex eo quod fieri potuit concludendum est factum id fuisse. Sanè si genus humanum perpetuò eâdem ratione & proportione auctum fuisset quâ initio statim post Diluvium, jampridem orbis terrarum capax non fuisset tantæ hominum multitudinis. Pariter si eâdem ratione & proportione aucti semper fuissent Israelitæ quâ primis ducentis annis aucti sunt in Ægypto, vix decimo post eorum in terram Chanaan ingressum anno potuisset terra illa eos omnes capere. Sed hominum generatio non in infinitum progreditur : certi fines illi à Deo, prout ipsi libet, ponuntur ac limites præscribuntur.

VILLALPANDUS.

Indè ad Templum ædificatum anni sunt 378. *Jam verò si* 600 *M. hominum dederunt argenti talenta* 100, *prædictum Hebræorum numerus dabit singulis annis talenta* 10863. *Itaque centum subsequentibus annis solvi potuerunt talenta mille millia &* 86300. *Hâc ratione probatur anno ante obitum Davidis* 274 *colligi potuisse argenti talenta à Davide Deo legata, & eo amplius.*

L. CAPPELLUS.

Gratìs hîc à Villalpando sumuntur ac præsupponuntur quæ modò sunt à me refutata ; ac I. quidem, Tantum fuisse Israelitarum numerum, nempe 65 vel 66 milliones hominum bellatorum annos 20 natorum. II. Eos omnes quotannis dimidium Siclum capitatim solvisse. III. Nihil ex ea pecunia per id tempus detractum fuisse, vel ad usus publicos (siquidem imperatum à Deo fuit illud tributum ad usus Tabernaculi quotidianos Exod. 30. 16.) vel hostium Israelitas affligentium sacrilegio atque rapto. Estne enim verisimile, cùm Israelitis illi dominabantur (quod sæpius ante Davidem factum) eos intactam tantam auri & argenti vim reliquisse, si ea in thesauris fuit in cumulum juxta Tabernaculmm congesta? Tum si capitatio illa fuit exacta à populo, & tributum illud solutum, indéque tanta pecuniæ vis in thesauris Domini fuit asservata, quî factum ut non rarò Levitis defuerit victus necessarius, ità ut coacti sint huc & illuc vagari atque per omnes Tribus dissipari vitæ tuendæ causâ, utì constat ex Levita qui operam suam locavit Michæ? Unde satìs constat nec tributum illud neque verò ipsas Decimas fuisse à nolentibus publicâ autoritate exactas, sed à volentibus duntaxat & piis, qui ultro & sponte hoc officio defungi volebant, datas & solutas fuisse, eandémque fuisse tum Primitiarum tum reliquarum rerum quæ Lege præscribebantur rationem. Viri pii & probi atque εὐσεβεῖς, dictante conscientiâ, ejúsque ductu & imperio, officiis illis defungebantur ; reliqui, si renuebant, non cogebantur nec vi ullâ adigebantur. Major autem semper fuit impiorum & profanorum ac rei propriæ studiosorum quàm piorum & rei Divinæ fautorum numerus.

VILLALPANDUS.

CAP. LVIII. Ex Josepho, Philone & aliis ostendit Villalpandus quanta *Judæorum multitudo per universum terrarum orbem diffusa* fuerit, *in Ægypto, Cyrene, Africa, Asia, Babylone & Europa, ità ut minimùm æquaverit numero Judæos in Judæa commorantes. Qui cùm omnes dimidiũ Siclum pro Capitatione solverent, tantam ex iis pecuniæ summam collectam fuisse quanta ex indigenis Judæis colligebatur.* Probat etiam *ex Ægypto, Babylone, Asia & Italia Judæos solitos esse mittere Hierosolymam Capitationis tributum.*

L. CAPPELLUS.

Magnum fuisse Judæorum per universum terrarum orbem dispersorum numerum dubio procul est : An æquaverit, an verò superaverit etiam, reliquorum Judæorum numerum parùm ad rem istam interest, sed an singuli quotannis Capitationem solverint ; quod nè à Judæis quidem Judæam incolentibus factum fuisse suprà ostendimus. Hierosolymam quidem Judæi ex Ægypto, Babylone, Asia & Italia aurum mittere sunt soliti ; sed votivum illud fuit, non tributarium. Aut si dimidius Capitationis siclus eò fuit missus, id non ab omnibus factum & quotannis, sed ab εὐσεβείᾳ & circa Legis studium ex Pharisæorum institutione fervidioribus ac ditioribus.

VILLAL-

VILLALPANDUS.

Portò *non argentum solùm sed & aurum à Judæis tributi illius nomine solutum fuisse* conatur probare Villalpandus ex eo *quòd cùm Israelitæ illa* 100 *argenti talenta ex Capitatione solvissent, dicuntur obiuliſſe nihilominus auri talenta* 29, *Exod.* 38.24. *quæ est tertia propemodum pars ponderis argenti assignati. Quòd si quis neget tantam auri summam Deo singulis annis oblatam esse, saltem negare non potest decimam ponderis partem ex auro solvi consuevisse, qua decima pars* 100 M. *auri Davidis talenta secundùm argenti proportionem facilè complevisset. Aurum* autem *à Judæis ad Hierosolymam undique exportari solitum esse* probat autoritate Ciceronis Orat. pro Flacco, *Cùm aurum Judæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus vestris Provinciis Hierosolymam exportari soleret, Flaccus sanxit edicto nè ex Asia exportari liceret.*

L. CAPPELLUS.

Confundit hîc Villalpandus res diversissimas, Oblationem spontaneam, & Censum seu Capitationem. Auri talenta 29, de quibus Exod. 38.24. fuerunt Oblatio planè spontanea, semel duntaxat tum facta ad Tabernaculi constructionem. At argenti talenta 100 fuerunt ex Censu seu Capitatione quæ imperata fuit Lege. Itaque etsi Villalpandus probasset (quod tamen non fecit) Capitationem quotannis solvi consuevisse, non tamen indè probaverit aurum paris pretii & valoris à singulis qui Capitationi subjiciebantur solvi debuisse. Nec eum juvat Ciceronis locus, cùm possit ille accipi de auro votivo vel de argenteo dimidio siclo qui Capitationis nomine à volentibus & מתנדבים ultro dependebatur; quod argentum, ut commodiùs deferretur, in aurum commutabatur Hierosolymam deportandum.

VILLALPANDUS.

Cæterùm Judæos etiam Davidis ætate per universum terrarum orbem fuisse spatsos, tributáque ex iis collecta fuisse, probat Villalpandus ex veteri Monumento literis Hebraicis inscripto, quod effossum fuit prope Saguntum in Hispania circa annum Christi 1480. cujus inscriptionem hanc fuisse ait, *HOC EST SEPULCRUM ADONIRAM SERVI REGIS SALOMONIS, QUI VENIT HUC UT TRIBUTA COLLIGERET, ET MORTUUS EST DIE*, &c.

L. CAPPELLUS.

Lepida hæc est fabella, de qua operæpretium est ipsum Villalpandum audire sic scribentem pag. 544. *Saguntum urbs est in Regno Valentiæ citerioris Hispaniæ antiquissima. In ea anno à Christi natali* 1480 *tumulus quidam inventus est, non longè ab arcis Saguntinæ porta, in quo Adoniramus Salomonis Regis legatus, ibi cùm occubuisset, olim fuerat tumulo mandatus. In hujus Epitaphii inscriptione ea verba Hebraicis characteribus insculpta legebantur,* וזהו קבר ארנירם עבד המלך השלמה שבא לגבת את המס ונפטר יום, *h. e. HIC EST TUMULUS ADONIRAM FAMULI REGIS SALOMONIS, QUI VENIT UT EXIGERET TRIBUTUM, ET MORTUUS EST DIE, &c. Qui dies, cùm lapis ille vetustatis injuriâ nonnihil præfractus esset, haberi minimè potuit. Nos certè*, inquit Villalpandus, *adhibitâ diligentiâ summâ, & certis hominibus nostræ Societatis, non mediocris autoritatis & eruditionis, qui in eadem urbe Sagunting essent, re commissâ, eum lapidem perquiri curavimus, & tamen (quod sine doloris sensu affirmare non possum) nusquam lapis repertus est; tametsi sepulcrum illud ibi aliquando fuisse negari non possit, tum quia id expresse affirmat Illustrissimus Franciscus Gonzaga Episcopus Mantuanus in eo libro quem De origine Franciscanæ religionis, cujus tunc temporis Generalis erat, inscripsit; tum quia Saguntini cives ostendunt lapidem quendam prope ejusdem Arcis portam, quem fama est eundem illum esse quem retulimus: unde eum appellant* lapidem collectoris Salomonis; *qui tametsi idem omnino non sit, ostendit nihilominus famam ac rumorem prioris lapidis veram esse. Hebraici characteres in hoc lapide hi sunt,*

שארן נבת פקוד מרה לשרו קחו הוה . . . . . .
והרה עד מלך אמציה . . . . . .

Et ità possumus interpretari, inquit Villalpandus, *ut prima litera* ש *dicat* שאול *SEPULCRUM; dictiones duæ quæ sequuntur sint defuncti nomen & prænomen, ut dicat, SEPULCRUM* אורן *ORAN* נבת *NABATH,* פקוד *PRÆFECTI,* מרה *QUI REBELLAVIT* לשרו *PRINCIPI SUO,* קחו יהוה *TULIT EUM DOMINUS. In sequenti autem linea hæc item erant,* והורה *ET GLORIA EJUS* עד מלך *USQUE AD REGEM* אמציה *AMASIAM. Verùm ex eo confirmantur hæc omnia*, inquit Villalpandus, *quòd in ejusdem Sagunting urbis Ms. codice perantiquo legitur fol.* 104. "Apud Saguntum in arce anno Domini "1480 plus minus parùm, fuit inventum Sepulcrum "vetustatis admirandæ. Intus erat cadaver quod litum "balsamo huc usque fuerat servatum, proceritatis non "vulgaris sed solito procerioris. Habebat & hodie ha-"bet in fronte lineas duas idiomate & literis Hebrai-"cis, quarum sensus est hujusmodi, *HOC EST SE-*"*PULCRUM ADONIRAM SERVI SALOMO-*"*NIS REGIS QUI AD HOC VENIT UT EXI-*"*GERET ILLIUS TRIBUTUM*; literæ verò He-"braicæ Latinis characteribus designatæ sic sonant, "*ZEHU KEBER ADONIRAM EBED HAM-*"*MELECH SOLOMO SEBA LIGBOT ET* "*HAMMAS VONIPHTAR JOM. Et fol.*112. *in eodem Ms. hæc habentur*, "Apud Saguntum inventum "anno Domini 1480. in arce ante primam januam exstat "marmoreum Mausolæum vetustatis admirandæ, literis "Hebraicis inscriptum, quæ ad nostros characteres revo-"catæ sic sonant, *ZEHU KEBER*, &c. *Et nequa diligentia*, inquit Villalpandus, *in re non minimi momenti desiderari posset, curavimus quàm diligentissimè per nostra Societatis viros industrios alterius cujusdam MS. codicis verba transcribi, qui de eodem Sepulcro honorificè loquitur. Itaque Mantuanus Episcopus paulo antè laudatus MS. quoddam volumen ostendit, in quo præter alia antiquitatis Romanæ monumenta mentio fit hujus etiam multò pervetustioris, & Hebraicis characteribus insculpti, tametsi ab iis quibus neoterici deinde Hebræi usi sunt non parùm recedant. Hoc autem MS. volumen quanta autoritatis sit ex eo patet, quòd olim dicatum est Excellentissimo Principi, eidémque Duci Segobricæ, Comiti Emporiarum, Alphonso ab Arragonia, dono deinde datum prædicto Mantuano Episcopo à Vespas. Gonzaga Duce Savioneda, Valentiæ olim Prorege, & ejusdem Alphonsi Arragonensis affine. Hebraica autem lapidis inscriptio in eo volumine relata in vulgare idioma conversa hæc est, DE ADONIRAM LA FOSSA ES ESTA, QUE VIGNE SALOMO DEL RE SERVENT DIA Y MORI TRIBUT LO PERA REBRE* (sed legendum, *SERVENT DEL RE SALOMO, QUE VIGNE PARA RECEVIR LO TRIBUT Y MORI DIA*, &c.) *FALTA LE PIEDRA. Ex his omnibus*, inquit Villalpandus, *apertè demonstrari potest Hebræos olim usque à Davidis & Salomonis ætate totum penè terrarum orbem repleviſſe, eosdémque tributa nec pauca nec parvi pretii quotannis manu supremi tributorum Principis misisse Hierosolymam.* Verùm quàm magno conatu magnas hîc agat nugas Villalpandus mox liquebit, si priùs hîc exscripsero quæ de illo lapide habentur in libello R. Mosis F. R. Sem Tob, de familia F. Chabib Hispano, Ulyssipone oriundo, cui titulum fecit דרכי נועם, quem conscripsit & consarci-

navit ex præceptis & ſcriptis Præceptoris ſui R. Joſeph Medici doctiſſimi, cùm ipſe anno Chriſti 1486 exſularet Bitunti Apuliæ oppido. Excuſus eſt liber Venet. anno Chriſti 1546 in 80 à Bambergo. Quo in libro Autor tradit rationem carminum Hebraicorum quibus Judæi hodie paſſim utuntur, vúltq; probare ratione illam carminum eſſe perantiquam, adeóq; ab ipſius Davidis Regúmque Judæ tempore, ídque autoritate monumenti illius ſeu ſepulcralis lapidis cujus meminit Villalpandus. Sic ergò habet ille pag. 23. *Exiſtimo*, inquit, *rationem illam carminum eſſe perantiquam. Teſtor autem cœlum & terram, cùm ego eſſem in Regno Valentiæ* בקהלת מורביטרי, in ſynagoga Morvedre (eſt autem illa antiqua Saguntus) *dictum mihi fuiſſe à toto populo & ſenioribus loci illius, iſthîc eſſe monumentum Principis exercitûs Amaſiæ Regis Juda. Quod cùm intellexiſſem, nullâ interjectâ morâ, ſtatim illuc properavi ut illud viderem. Eſt autem monumentum illud lapideum in vertice montis, ac magno cum labore & moleſtia legi inſcriptionem. Erátque carmen inſculptum, cujus hæc ſunt verba,* שאו קינה בקול מרה לשר נדול לקחו יה, *neque potui plura legere, erant enim deleta vetuſtate. Verùm carmen* (ſeu verſus) *ſecundum* מסיים *abſolvebatur* (ſeu terminabatur) לאמציה *nomine Amaſiæ. Tunc ego credidi rationem iſtam carminum eſſe jam ab illo tempore quo Patres noſtri incolebant terram ſuam.* Hæc Judæus ille; Quæ cum iis collata quæ ex Villalpando adduximus de illo Monumento, oſtendunt utrumque de eodem loqui lapide, ſed eos titulum ſeu inſcriptionem illius diverſimodè legiſſe. Et fortè uterque longiùs adhuc à vera aberrat ejus ſcriptura. Ac videtur Judæus vero propiùs legiſſe quàm Villalpandus. Nam ſenſum habet perfectum lectio Rabbini illius; at Villalpandi lectio vel falſa eſt vel nullum habet ſenſum; & quem illi affingit Villalpandus ridiculus eſt. Ac levis admodum frigidáque eſt Villalpandi conjectura, literam ש ſolam (maximè cùm in illo titulo cum aliis conjungatur) ſignificare שאול. Deinde eâ voce ſignificari *ſepulcrale monumentum.* Nam in Scriptura quidem ſæpe hâc voce deſignatur *ſepulcrum*, ſed ſtilo Prophetico & figurato, non verò ſimplici & hiſtoricæ narrationi accommodato. Porrò uterque tum Villalpandus tum Rabbinus ille, fruſtra ſunt in eo quod indè concluſum volunt. Nam ad priorem inſcriptionem quod attinet quam refert Villalpandus ex MS. codice urbis Saguntinæ, ZEHU KEBER, &c. manifeſtum eſt Judæum aliquem cùm conſuleretur à Chriſtianis qui lapidem illum effoderant, quíque Hebraicè neſciebant (nam quotuſquiſque in Hiſpania ex Chriſtianis ſciebat Hebraicè circa annum Chriſti 1480?) quid ſibi vellet ille titulus, voluiſſe eos ludificari confictâ illâ inſcriptione, ac ſubſtitutâ in locum illius in qua fit mentio *Amaſiæ.* Nam quis ſanus credat Adoniram Præfectum tributorum Salomonis diem ſuum obiiſſe in Hiſpania, cùm 1 Reg. 12. 18. dicatur lapidibus obrutus à X Tribubus cùm defeciſſent à Roboamo? Tum agnoſcit ipſe Villalpandus, & nos in Arcano noſtro oſtendimus, veteres Hebræorum characteres ante captivitatem Babylonicam fuiſſe eos quibus hodie utuntur Samaritani, hodiernos autem Judæorum characteres eſſe Chaldaicas literas. Quis ergò credat ſepulcri illius titulum, ſi vetus eſt, fuiſſe hodiernis Judæorum literis ſcriptum? Ad poſteriorem autem inſcriptionem quod attinet, obſervandum primò R. illum Moſem Sem Tob, cùm de ea ſcribit, referre tantùm ſecundum verſum (ſive lineam) inſcriptionis terminari nomine אמציה, at non dicit ſe ea legiſſe quæ refert, & confinxiſſe videtur Villalpandus (aut aliquis alius illi mentitus eſt) nempe יהודה עד מלך אמציה, aut ullam iſthîc fieri mentionem Regis Amaſiæ; tantùm ait, Judæorum iſthîc commorantium opinionem hanc fuiſſe, Lapidem illum eſſe monumentum Principis exercitûs Regis Amaſiæ. Nempe indè ortus videtur inter Judæos rumor ille, quòd viderent nomen *Amaſiæ* lapidi illi inſculptum. Quòd ſi hoc genere carminum jam ab illo tempore uſi eſſent Hebræi, proculdubio eorum exſtarent aliqua veſtigia in ſacris Bibliorum Canticis ac metricis ſcriptis: At nulla ejuſmodi comparent hodie in ſacro Bibliorum volumine. Quódque etiamnum hodie ignoratur ratio Carminum & Metrorum Sacrorum argumentum eſt modum & rationem quæ hodie à Judæis uſurpatur fuiſſe veteribus Hebræis ignotam.

VILLALPANDUS.

CAP. LIX oſtendit Villalpandus totum illud Judæorum aurum tantáſque opes diſſipatas eſſe poſtmodum per Ægyptum, Æthiopiam, Syriam & Babyloniam, à Regibus illarum regionum qui in Judæos inſurrexerunt cóſque debellarunt: Ex Babylonia deinde in Perſidem atque univerſam Aſiam per Perſas qui Aſſyrios & Babylonios ſibi ſubjecerunt: indè in Græciam per Alexandri M. Succeſſores: tandem ex Aſia & Græcia in Italiam & Occiduas Europæ regiones per Romanos: denique per Hunnos, Gothos, Vandalos, &c. diſperſas fuiſſe & diſſipatas ſas illas opes.

CAP. LX breviter colligit Villalpandus omnes Templi Salomonici partes, ejuſque ſplendorem & magnificentiam, prout ea ſuprà in Admirandis Templi in compendium contracta breviter ex eo repræſentavimus atque expendimus.

Templi aliorúmque Salomonis vel Davidis ædificiorum cum Græcorũ, Romanorum, Ægyptiorum, Babyloniorum, Perſarúmq; ſplendidiſſimis ac magnificentiſſimis Collatio.

VILLALPANDUS.

CAP. LXI, & ſeqq. comparat Villalpandus Templi ſtructuram atque magnificentiam cum celeberrimis ac ſumptuoſiſſimis totius orbis ædificiis, ſeptémque adeò decantatiſſimis orbis terrarum Miraculis, atque ea omnia ſimul conjuncta ab unica Templi ſtructura ſuperari oſtendit. *Quicquid*, inquit, *Antiquitas jactat, cum Hieroſolymitano Templo collatum tugurium erat non palatium, breve Sacellum non Templum, ſilveſtres belluarum cavea non Amphitheatra, animantium cuniculi non porticus.* Item, *Ædificia omnia à tribus laudari conſueverunt, ab altitudine, ab amplitudine, ab ornamentis & decore, qui varius eſt, materia ejúſque pretium, artificium, ſymmetria, & ſiquid aliud elegantia & peritia amat; In quibus omnibus Templum Salomonis univerſa Orbis ædificia facilè ſuperavit.*

Primò, cum *Mauſolæo Regis Cariæ* confert *Davidis Sepulcrum. Mauſolæi totus circuitus patebat pedes* 411, *attollebatur in altitudinem ped.* 62, *cingebatur columnis* 36, *quadrangulum. Ab Oriente cælaverat Scopas*, &c. *Super pteromata ſive adſtructos vicinos parietes Mauſolæi in altitudinem utrinque aſſurgentes Pyramis erigebatur altitudinem inferiorem æquans*, 24 *gradibus in meta cacumen ſe contrahens. In ſummo erat quadriga marmorea veluti in aere pendula. Hæc totum opus concludebat altitudine ped.* 140. *Proconneſio marmore exſtructum opus, ſed lateritiis parietibus. Davidis Sepulcrum multò à Patriarcha Aquileienſi deſcriptum, quem adjectâ figurâ laudat Serlius lib.* 3. *in lapideo ac ſolidiſſimo monte Sion ferramentorum vi olim perterebrato factum eſt ſatis amplum, tribus Cellis iiſque ampliſſimis diſtinctum, quibus imminent teſtudines ſuperiores ſcalpello in nativo ſaxo exciſa, ut totum ædificium ex uno perpetuo lapide conſtet. Primo ingreſſu quatuor delubra ſunt; quibus in medio capaciorique ſinu octodecim deinde ſuccedunt. Párſque poſtrema tandem & intima duo tantùm habet delubra, in quibus Regum Hieroſolymitanorum corpora condi ſolebant. Id autem omne ædificium veſtibulum fuiſſe videtur Sepulcri*

ri Davidis, *non ipsum Sepulcrum, cùm per Cellas illas vel earum aliquam occultus pateret aditus & ad Regum dolubra & ad Cellas quibus immensi thesauri includebantur. Ex eo Sepulcro Josephus narrat eductа esse ab Hyrcano Pontifice talenta* 3 M. *h. e. Scutorum Italicorum* 50 *milliones cum* 400 M. *Ab Herode verò apertâ aliâ Cellâ magnam pecuniæ vim esse sublatam, nempe tantundem, h. e. in universum ab illis duobus centum milliones.*

L. CAPPELLUS.

Villalpandus hîc pro confesso sumit Josephum loqui de talentis auri, non verò argenti, deinde de veteribus Hebraicis talentis, non verò de Atticis ; cùm longè sit vero similius Josephum *talenti* voce significare id quod tum vulgò eâ voce significabatur, nempe ea pecuniæ summa quam valebat talentum argenti Atticum, quod æquipollebat bis mille libris Turonicis hodiernis. Juxta quam rationem 3 M. talenta conficiunt sex milliones librarum Turonicarum, sive duos milliones Scutatorum. Sic multum detractum est de Villalpandi summa : *centum* nempe *milliones Scutatorum* reducuntur & contrahuntur ad quatuor milliones.

VILLALPANDUS.

Jovis Olympici simulacrum ex ebore & auro affabre factum comparat Villalpandus cum *Salomonis Solio ex auro & ebore facto*, illúdque ab illo longè superari ostendit vel ex ipsis S. Scripturæ verbis 1 Reg. 10. 19. *non est tale opus in universis Regnis*, h. e. nullum opus ex auro & ebore factum est adeò pulcrum, insigne & celebre in universis regnis. *Babylonis muros* comparat cum *Templi substructionibus. Complectebantur illi muri stadia* 380, *h. e. milliaria* 48 ; *alti erant pedes* 200 ; *lati* 50, *ut quadrigæ sibi occurrentes non offenderentur. In iis exstruendis operariorum* 300 M. *laborarunt, tantâ celeritate ut stadium unum singulis diebus absolverent. Templi substructionum minor fuit ambitus, sed altitudo & latitudo major, item impensæ & pretiosa murorum materia. Nam substructiones altæ fuerunt pedes* 1048. *Illorum mœnium materia fuit lateritia ; hujus marmorea, & iis quidem lapidibus constans qui ad* 25 *cubitos protenderentur, h. e. pedes* 75. *Illorum mœnium latitudo fuit ped.* 50. *Substructionis in angulis & Anteridibus cubitorum* 100, *sive ped.* 260, *ubi angustissima fuit, cubitorum* 50, *h. e. pedum* 131. *Mœnia à* 300 M. *hominum sunt absoluta, Substructiones à* 400 M. *Illa intra anni unius curriculum, hæc breviori tempore, si septem annis non substructionem tantùm sed etiam totius Templi ædificium fabricatum fuisse consideremus.*

L. CAPPELLUS.

Non hîc disquiro an vera sint an verò paulò μυθωδέστερα quæ hîc Villalpandus narrat de murorum Babylonicorum amplitudine & operariorum in iis exstruendis multitudine. Dato, non concesso, hæc ità se habere, dato etiam, quod contendit Villalpandus, muros substructionum fuisse altos 300 cubitos, h. e. 900 pedes, longos ab uno angulo ad alium calamos 125, sive cubitos 781, latos verò unà cum Anteridibus cubitos 100, fateor tum Substructionem illam propemodum æquasse amplitudine muros Babylonis. Sic enim subducto calculo invenientur in muris Substructionis pedes cubici 2368440000, in muris autem Babylonicis pedes similiter cubici 2400000000, atque ità muri Substructionis fuerint muris Babylonicis ferè omnino pares. Verùm quando suprà demonstravimus defuisse in Templo Salomonico totam Porticum & Atrium Gentium, solum Atrium populi seu Israelis in eo fuisse, cujus murus longus fuit etiam ex Villalpando duntaxat cubitos 500, secundùm autem Josephum stadium unum, h. e. pedes 625, latus cubitos 50, h. e. pedes 75, altus cubitos 300, sive pedes 450. sic in muro Substructionis fuerunt duntaxat pedes cubici 7762500, quæ vix est triceſima pars amplitudinis murorum Babylonicorum, si vera sunt quæ de illis narrat Villalpandus. Deinde, Villalpandus repetit in exstruendis Templi substructionibus laborasse operariorum 400 M. At suprà ostendimus adhibita duntaxat fuisse 60 M. qui semper erant in opere. Quòd si exstruendis muris Babylonicis laborarunt perpetuò operariorum 300 M, quinquies plures adhibiti sunt operarii in illis exstruendis quàm ædificando Templo Salomonico. Tum & illud quod ait Villalpandus, Substructiones septuplo breviori temporis spatio potuisse exstrui quàm reliquum Templum & Porticus superædificatas, nescio quàm verè ab eo dicatur & quàm congruè cum Architecturæ rationibus, cùm suprà demonstraverimus Substructiones amplitudine æquavisse superstructas Porticus ; axioma autem sit vulgatum Architectorum, *Tant plein que vuide*, h. e. Pari pretio & pari temporis spatio atque operarum labore exstrui posse ejusdem capacitatis spatium, sive plenum atque solidum sive fornicatum sit. Ad materiam quod attinet, non invitus concesserim Templum strictè & propriè dictum fuisse *marmoreum*, h. e. intrinsecùs & extrinsecùs cruſtis marmoreis totum fuisse obtectum atque incruſtatum : At omnes Porticus adeóque & ipsum Substructionum murum totum fuisse marmoreum non facilè probabit Villalpandus, nisi *marmoris* vocem latiùs sumat pro lapide paulò duriore quàm est tophus, cujusmodi lapis lateribus collatus *marmor* utcunque dici possit, *marmoreúmque* ædificium quod ex ejusmodi lapide exstructum est. Alioqui si ex solido ac propriè dicto marmore constructæ fuissent vastæ illæ & immensæ Substructionum moles, adversùs omnes cœli injurias, temporum & seculorum lapsum & hominum vim perstitissent immotæ, hodiéque etiamnum exstarent atque conspicerentur. De lapidum autem quibus exstructæ sunt magnitudine & amplitudine fides sit penès μυθωδέστερον Josephum. Nam Scriptura 1 Reg. 7. 10. non aliam illis tribuit magnitudinem quàm 10 cubitorum & 8 cubitorum.

VILLALPANDUS.

Hortos pensiles Babylonis comparat cum *Templi hypogæis substructionibus, quarum amplitudo (non minor universi Templi magnitudine) propemodum immensa fuit ; materia, pretiosum marmor ; structura artificium & symmetria, planè divina.*

Ærea signa Colossæâ magnitudine, maximè *Rhodi Colossum*, comparat cum *Altari & Mari aneo Salomonis*, atque *illa ab his superari* dicit. *Nam Rhodii Colossi pondus tantum fuit ut eo Saraceni* 900 *cameles onerarint anno Christi* 650, *victâ Rhodo. Onus autem cameli sunt decem frumenti medimni, h. e. libræ* 1200. *Itaque totum Colossi pondus fuit libræ* 1080 M. *sive talenta Hebraica* 8640. *Atqui Altaris pondus fuit* 20 M. *talenta ; Mare autem talenta* 8640. *Sed hujus æs fuit longe pretiosius.*

L. CAPPELLUS.

Villalpandus putat totum æs cujus meminit Scriptura in Templi structura & Vasis fuisse Corinthium, mixtum auro & argento unà cum ære : sed ea de re nullum est in S. Scriptura testimonium.

VILLALPANDUS.

CAP. LXII. *Regiam Persarum domum splendidissimam, amplissimam*, à Diodoro Siculo l. 17. descriptam, quam Philostratus *auream* vocat, de cujus splendore vide cap. 1. libri Estheræ, comparat cum *Salomonis Regia*, de qua 1 Reg. 7. 9, 10, 11. & Josephus Antiq. l. 8. c. 2. *in qua exstruenda totos* 13 *annos consumpsit Salomon, cùm septem annis totum Templum absolvisset. Et tamen eadem tributa (ad ædificandum Mello imposita, quibus ditissimum populum penè exhausit) tamdiu etiam exegit quamdiu domûs suæ ædificatio perduravit.*

L. CAP-

L. CAPPELLUS.

Quanta & qualis fuerit illa Salomonis domus Scriptura non accuratè designat. Ejus aliquam partem describit, quam vocat *domum saltûs Libani*; at quæ vix æquavit magnitudine dimidiam partem unius ex Porticibus Templi: eandem enim habuit cum una Porticu longitudinem & latitudinem, at dimidiam tantùm altitudinem. Dicitur etiam ædificata Domus illa 13 annis: At non est verisimile in ea exstruenda tot adhibitos fuisse operarios quot in Templo, aut eos fuisse in opere perpetuò occupatos, eisdémque impensis fuisse ædificatam: sic enim duplo major, amplior, augustior & splendidior fuisset ipso Templo; quod longè est à verisimilitudine alienum.

VILLALPANDUS.

CAP. LXIII. *Phari structura constitit* 800 *talentis, h. e. Hispanicis Ducatis* 500 *M. quæ summa quadragies minor est illâ quam Salomon in liberalitatis signum Templi operis præter mercedem maximam erogavit.*

L. CAPPELLUS.

De illa liberalitate Scriptura nè γρῦ quidem; sine qua nostrum non est quidquam definire aut pronunciare. Deinde, in liberalitatis illius summa definienda Villalpandus præsupponit multò majorem operariorum numerum quàm quem Scriptura proponit: qua de re suprà diximus.

VILLALPANDUS.

Ephesinæ Dianæ Templo substrati in fundamentis carbones, dein vellera lanæ. Longitudo pedum 425, *latitudo* 220, *universus circuitus pedum* 1290, *altitudo pedum* 100. *Columnæ* 127 *à singulis Regibus factæ, altæ pedes* 60, *ex iis* 36 *celata. Summa miracula, epistylia tanta molis attolli potuisse,* ait Plinius. *In eo fano erat Dianæ simulacrum, in cujus contemplatione monebant parcere oculis: tanta erat marmoris radiatio. Ænea Apollinis statua, quinque Amazonum statuæ à quinque summis artificibus summâ æmulatione factæ. Agè,* inquit Villalpandus, *comparemus hoc Dianæ Templum non cum toto Salomonico, neque cum porticu Gentium* [L. C. At ea nulla fuit, uti suprà demonstratum est.] *quæ septies major est fano Dianæ, sed cum ea Atrii Israelis parte quæ complectitur medium Templum, cingitúrque peribolo Atrii Sacerdotum, continétque sex Porticus & totidem Castella, excluso Sanctuario & Domo Dei, quæ pars ut formâ simili est Ephesini Templi, ità amplitudine, altitudine & ornamentis est multò amplior. Nam hujus circuitus est ped.* 2812, *altitudo* 157, *in Castellis verò* 200. *Columnæ omnes marmoreæ, celata mirabili artificio, numero in infimo ordine (si dimidiatas numeres)* 486.

Pyramidum maxima à 346 *M. hominum annis* 20 *constructa. In raphanos, allium, cepas erogata sunt talenta* 1800. *Longa, lata, alta fuit stadium unum, h. e. pedes* 625. *Gradibus ascendebatur* 250, *quorum singuli sursum ascendendo æquali detrimento decrescebant. Quadratum in summo fuit ped.* 25. *Graduum altitudo fuit pedis sesquitertii. Horum omnium quadratorum graduum quadratas bases si Geometricâ ratione investiges, invenies continere,* inquit Villalpandus, *quadratos pedes* 4266250. *quem numerum si per altitudinem unius gradûs (quæ fuit ex sesquitertio pede) multiplices, dabit soliditatem totius Pyramidis pedum cubicorum* 10665525, *sive cubitorum cubicorum* 592534. *Minimæ Pyramidis altitudinem recenset Plinius ped.* 363. *Ergò fuit ejus soliditas cubitorum cubicorum* 14511. *Ponamus ex Pyramidibus septem quatuor majori fuisse æquales, unam tantummodo æqualem minori, ut bis sumpto numero minoris, quinquies numero majoris, omnes septem simul Pyramides efficiant sacros cubitos cubicos* 2991692. *Jam unum substructionis Templi angulum, qui Orientem & Meridiem prospicit, prætermissis Anteridum projecturis, universis Pyramidibus opponimus. Nam longus & latus fuit* 100 *cubitos, altus* 300. *Itaque solidus fuit cubitos cubicos* 3000000, *qui numerus major est prædicto Pyramidum numero cubitis cubicis* 8308.

L. CAPPELLUS.

De Templo Ephesinæ Dianæ litem Villalpando nullam movemus. Ad Pyramides quod attinet, magna est inter tum veteres tum recentiores Scriptores de earum numero, situ, amplitudine dissensio, quam non moramur aut notamus. Tres quæ propè Memphim sunt, atque hodie etiamnum exstant integræ, omnium maximæ fuerunt; reliquæ istis minores. Omnium maxima (teste Bellonio, qui eam dimensus est) per singula latera ab angulo ad angulum longa & lata est passus hominis ambulantis paulò grandiores 324, h. e. (uti notat Plinius) pedes 625, alta gradus 250, quorum *singuli*, inquit Bellonius, *alti seu crassi fuerunt quinquies solum calcei sui*, h. e. circiter pedes duos cum semisse. Hanc graduum altitudinem Villalpandus vocat *pedem sesquitertium*. Altitudo itaque Pyramidis par fuit lateri, pedum nimirum 625. Si enim gradus 250 multiplices per eorum altitudinem, quæ fuit pedum $2\frac{1}{3}$, conficies pedes 625. Graduum retractio seu latitudo fuit pedis unius cum quinta pedis parte. In dimetienda autem Pyramidis soliditate nescio quam rationem Villalpandus sequitur; at certè juxta illam, Pyramidem facit justo longè minorem. Ratio quam Geometræ tradunt dimetiendæ Pyramidis hæc est, ut basis multiplicetur per trientem altitudinis: cùm ergò latus Pyramidis sit pedum 625, si 625 multiplices per 625, basis erit pedum quadratorum 390625, qui numerus si multiplicetur per trientem altitudinis, nempe per pedes 208, efficientur pedes cubici in tota Pyramide 81250000, cubiti verò sacri cubici 3009259. At Villalpandus dat illi pedes cubicos duntaxat 10665525, cubitos verò cubicos duntaxat 592534, h. e. non totam septimam partem justæ ac veræ soliditatis quam habuit Pyramis. Minima Pyramis (inquit Plinius, ac post eum Villalpandus) longa, lata & alta fuit pedes 363. Ergò ejus soliditas, juxta prædictam dimetiendæ Pyramidis rationem, fuit pedum cubicorum 15944049, sive cubitorum sacrorum cubicorum 590520, quorum singuli continent pedes cubicos 27. Cùm enim cubitus sacer duplo major sit communi, longus est tres pedes, ac proinde cubitus sacer cubicus continet pedes cubicos 27. Si enim tria cubicè multiplices dabunt 27. Dato ergò quod vult & dat Villalpandus, nimirum ut quinquies sumatur soliditas maximæ Pyramidis, bis verò soliditas minimæ Pyramidis, cùm soliditatem maximæ demonstraverimus fuisse cubitorum cubicorum 3009259, minimæ autem cubitorum cubicorum 590520, si septem illarum Pyramidum soliditas tota simul sumatur, erit cubitorum cubicorum 16227335. At Villalpandus angulum Templi facit cubitorum cubicorum duntaxat 3000000, h. e. plus quàm quinquies minorem septem Pyramidibus simul sumptis. Hoc primum. Deinde Villalpandus Templi angulum facit latum longum centum cubitos, quia Porticui Gentium (quæ nulla fuit) circumponit viam latam 50 cubitos; cujus viæ Josephus in Templo Hierosolymitano nullus meminit, imò Porticus Templi ità alto Substructionum muro superimponit, quasi ad libellam super illum exstructæ fuerint sine ulla circumposita via lata quæ visum interciperet illius qui in summa Porticu in angulo collocatus subjectam vastissimam voraginem oculis contueretur. Quòd si nulla fuit circumposita via, angulus substructionum longus & latus fuit cubitos duntaxat quinquaginta, ac proinde solidus fuit cubitos cubicos duntaxat 750 M. quæ vix est pars vigesima secunda totius soliditatis septem

Pyramidum.

Pyramidum. Quòd si cubiti subſtructionum fuerunt non ſacri ſed communes (utì ſuprà oſtendimus communes fuiſſe non ſacros) multum adhuc demendum erit de illo numero; nempe angulus octavam tantùm partem numeri illius complectetur (nam cubitus communis cùm dimidium tantùm ſacri ſit longus, cubitus communis eſt ſacri cubici octava tantùm pars) h.e. 94 M. cubitos cubicos ſacros, qui non conficiunt centeſimam ſeptuageſimam ſecundam partem ſoliditatis ſeptem Pyramidum. Ità Villalpandus longiſſimè abeſt à vero calculo cùm putat unum Templi angulum æquare, aut verò etiam ſuperare, ſoliditate totas ſeptem Ægypti Pyramidas ſimul in unam maſſam confuſas.

VILLALPANDUS.

Cap. LXIV. Hoc & ſequenti capite confert Villalpandus ampliſſima & ſplendidiſſima quæque urbis Romæ ædificia, Jovis Capitolini Templum, Neronis auream domum, Balnea ſeu Thermas, Fora, Pantheon, Amphitheatrum, Aquæductus, &c. cum uno Salomonis Templo, & omnia illa unius hujus magnitudine ac ſplendore longè ſuperari docet. *Plinius videt veteres quòd aggeris vaſtum ſpatium & inſanas Capitolii ſubſtructiones mirarentur. Has Tarquinius Priſcus cœpit, Superbus abſolvit, qui ſubſtructiones illas circa collem fecit, dum præruptæ ejus adæquat, & ab imo ſolo ingentibus lapidibus muro educto ſuffulcit & adæquat in vertice. Templum Jovis Capitolini ſitum eſt in ima* [videtur legendum *ſumma*] *crepidine. Habet in ambitu octo jugera, totus circuitus pedum* 800, *ſic ut latera ſingula pedum* 200 *ferè ſint, exiguâ longitudinis & latitudinis differentiâ, pedum ſcilicet* 15. *A Meridie triplici columnarum ordine cingitur, ab aliis lateribus duplici. In eo ſunt tres Cellæ, media Jovis Tonantis, quæ marmoreos habuit parietes, marmoreis ſolidis glebis politis, pavimentum ſcalpturatum. Utrinque Cellæ, altera Junonis, altera Minervæ, omnes ſub eodem laqueari & tecto. Frons ſpectabat Palatium & Forum Romanum, à quo aſcendebatur gradibus centum; altitudo ædificii ped.* 200. *Limina erant ænea, trium menſarum argentea vaſa in cellâ Jovis Capitolini. Jupiter in culmine cum quadrigis aureis, clypei argentei inaurati in faſtigio. Laquearia poſt everſam Carthaginem inaurata. Tegulæ æreæ, quas Q. Catulus primus inauravit. DONARIA. Auguſtus unâ donatione* 16 *M. pondo auri, & quingentis in gemmis in cellam Jovis. Pompeius gemmam, quam* dactyliothecam *vocat Plinius, & pocula ſex myrrhina, quorum unumquodque* 800 *talentis ſtetit. Auguſta cryſtalli tabulam libr.* 40. *In ſolam inaurationem Plutarchus ait conſumpta fuiſſe* 12 *M. talenta. Tarquinius in fundamentis Templi impendit* 40 *M. libras argenti, ſive talenta* 640. *Fores auratæ craſſis laminis obductæ, quæ manſerunt uſque ad Honorii tempora. Jovis Tonantis ſtatua à Polycleto ex ære Corinthio. Omnium Regum Romanorum ſtatuæ ex ære. Hercules æneus Tarento tranſlatus.*

Hæc comparat Villalpandus cum *Porticu domûs ſaltûs Libani, quæ longa fuit* 100 *cubitos, ſive ped.* 262, *lata cubitos* 50, *h.e. ped.* 131 (*ut circuitus fuerit* 786) *alta cub.* 30, *ſive ped.* 75. *Joſephus vocat ædificium ſuprà quàm credi poteſt celebre, opere Corinthio, additis poſtibus cum valvis cælatis. Omnia incruſtata erant pretioſo marmore. Sculptorum mirabile artificium, effictæ variæ arborum ac plantarum ſpecies, frondibus ac foliis tantâ ſubtilitate expreſſis ut agitari viderentur: cætera omnia variis picturis erant ornata. In cubiculis, aulis, Porticibus varia triclinia auro referta, aureâ ſupellectile ad omne Regis miniſterium inſtructa. Totum ædificium è marmore conſtabat candido, lignis cedrinis, abiegnis, auro, argento, gemmiſque pretioſis, diſpoſitis per parietes lapillis auro incluſis.* 12 *M. talentorum in Capitolio inaurando fuiſſe expenſa non ſit,* inquit Villalpandus, *verisimile, & ſunt qui locum Plutarchi in mendo cubare exiſtiment. Sed demus tantundem inſumptum, plura fuerunt inſumpta in Regia domo. Unius anni tributa* 666 *talenta auri in peltas & ſcuta, hujus domûs ornamenta, expenſa ſunt, quæ ſi duodecies multiplicentur fient argenti talenta* 7992; *hæc ſi duplices, fient Attica talenta* 15984, *quæ priorem ſummam longè ſuperant. Pauca Capitolii ornamenta quomodo cum infinitis vaſis aureis regia ſupellectilis conferri poſſunt? Gemmæ ibi multæ; hæc tota gemmis auro incluſis fulgebat. Tegulæ ibi æneæ inauratæ; noſtrarum tegularum æs nè auro quidem cedebat, ſive valorem ſive ſplendorem conſideres. Tiburtino lapide exſtructum erat Capitolium; hæc domus Pario marmore. Scuta ibi argentea inaurata; hîc aurea* 200, *& Peltæ* 300 *aureæ, quarum pondus erat immenſum. Adde pharetras aureas, arma aurea.*

L. CAPPELLUS.

Quæ & quanta fuerint Domûs ſaltûs Libani ornamenta Scriptura non definit; ea autem fuiſſe maxima & ſplendida conjici facilè poteſt ex folio illo aureo & eburneo Salomonis, quod collocatum fuit in Domûs illius Porticu quadam. Quæ de illis narrat Joſephus conficta videntur vel ab ipſo vel ab aliis ex quibus ille ea hauſit. Nam eorum quæ apud Judæos præceſſerunt captivitatem Babylonicam nulla reliqua facta ſunt poſt eam ſolutam certa documenta præter ſacra quæ exſtant in libris ſacris V. T. Si enim hiſtoriarum populi illius ante Captivitatem exſtitiſſent poſt eam ſolutam inter Judæos aliqua monumenta, cùm illi ab eo tempore rerum ſuarum fuerint ſatis ſtudioſi, ea apud ipſos remanſiſſent, atque etiamnum hodie exſtarent. Quin & ex illis multa deprompſiſſet Syrachides cùm veteres ſuos populares laudat libri ſui cap. 44, & ſeqq. ad 51. qui nihil tamen aliunde quàm ex libris Sacris adducit. Quæ de 666 auri talentis in Scuta & Peltas inſumptis repetit hîc Villalpandus ſuprà ſunt à nobis examinata. De Templi Dei inauratione, & quantum auri in eam rem inſumptum fuiſſe ſit veriſimile, dictum etiam à nobis eſt ſuprà.

VILLALPANDUS.

Nero excitato Urbis incendio domum exſtruxit à Palatio Exquilias uſque & radices montis Cœlii. Tanta illius amplitudo ut in ea arva, ſtagna, ſilva in modum ſolitudinum, aperta ſpatia & proſpectus. Veſtibulum fuit ubi nunc Amphitheatrum, & Coloſſus 120 *pedum ſtabat Neronis effigie. Tanta fuit laxitas Domûs ut Porticus triplices milliarias haberet, ſtagnum maris inſtar, circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem. Ornamenta cuncta auro lita, diſtincta gemmis unionúmque conchis erant. Cœnationes laqueatæ, tabulis eburneis verſatilibus, ut flores è fiſtulis & unguenta deſuper ſpargerentur. In eam domum incluſit Nero Fortuna Templum ex Sphengite lapide, ut foribus clauſis interdiu diurna claritas intus eſſet. In ſolario domûs aves ex argento mirabili opere ſculptas poſuit, quas volare diceres. Ex ea domo Nero gladiatorum pugnas ſpectabat Smaragdo: Sceptra, perſonas & cubicula viatoria unionibus veſtivit.* Hæc confert Villalpandus cum Porticu Atrii Gentium. *Ambitum domûs Neronis,* inquit, *certò ſcire non poſſumus, at vix tamen milliare complebat, h. e. pedum* 5 *M: noſtra Porticus eſt pedum* 7200. *Illius altitudo non exprimitur; noſtræ Porticûs eſt pedum* 112. *Illius Columnæ non numerantur; nos habemus integras in inferiore ordine* 648, *præter illas quæ in ſecundo ordine comptantur, & dimidiatas parieti adpactas, omnes ex Pario marmore. Porticus ibi triplices; hîc non deſunt. Incruſtatura iſtic lapidum pretioſorum; hîc lapides ipſi pretioſiſſimi & maximi totum parietem craſſitudine pedum* 22 *complectuntur.*

L. CAPPELLUS.

Domus Neronis comparari non potuit cum Porticu Atrii Gentium, quam ſuprà nullam fuiſſe oſtendimus. Itaque fruſtrà hîc eſt in ea comparatione Villalpandus.

VILLAL-

VILLALPANDUS.

Thermæ Romæ fuerunt multæ; sed primariæ, Antonianæ & Diocletianæ, de quibus Ammianus, Lavacra in modum Provinciarum exstructa, ac si non urbes modò sed Provincias æmularentur variis ædificiis. *Antoniana solia in quibus lavabatur habuerunt* 1600 *è polito marmore; Diocletianæ bis tantum, nempe* 3200, *ut totidem homines simul inibi lavare potuerint. Solia ità magnificè exstructa erant ut in eis fas esset sedere, natare, stare. Præter Thermarum corpus Cellæ, Piscinæ capaces, longa Porticus, Xysti, Nemora, Sphæristeria consistebant.* Hæc Villalpandus confert cum singulis Atrii Israelis areis, Porticibus suis Castellísque cinctis. *Thermarum opus lateritium erat cum incrustaturis marmorum; Atriorum opus omne marmoreum. Columnæ in Diocletiani Thermis* 260, *communi è lapide, exiguâ magnitudine; Thermis Antonianis similiter* 248. *In quadrata area Orientali columnæ numerantur integræ & adpactæ* 324. *quibus si reliquas superiorum ordinum addas, facilè invenias illas omnes simul etiam numero superari. Solia ibi è polito marmore, hîc lapides omnes è Pario marmore pretioso serrato intus & foris. Longæ ibi Porticus, sed nostris cedunt. Quid illic argenteæ fistulæ cum aureis incrustaturis & argenteis, cum Cedri pretiosa materia, cum candelabris ac vasis reliquis (magnitudine immensâ, numero propemodum infinito) aureis & argenteis nostris? Gemmas ibi calcabant; hîc nullus penè lapis quin gemma, præsertim in pavimentis omnibus.*

Cap. LXV. *Fora fuerunt Romæ in universum* 17; *quorum præcipua, Romanum, Julium, Augustum, Trajanum. Illud Romulus instituit inter Capitolium & Palatium, sub initium nuda planities. Tarquinius Priscus ornavit, & Porticibus cinxit; alii varia ornamenta addiderunt. Fora sic Vitruvius describit,* "*Græci in quadrato amplissimis & duplicibus Porticibus Fora cõstituunt,* "*crebrisque columnis & lapideis vel marmoreis epistyliis* "*adornant, & suprà ambulationes faciunt in contignatio-*" *nibus. Atque hæc ipsa Romani, nisi quòd non quadrata* "*æqualiter, sed oblonga magis faciant, nec nisi tertiâ lati-*" *tudinis parte, sed nec columnas interponunt tam crebras. Julii fori solum sestertiûm millies Cæsar Dictator emit. Cassius illud pulcrius Romano fecit. Augusti forum inter maxima operum ponit Plinius. In Porticibus ad latera in altero ordine posuit omnes Reges Latinos à Principe Æneâ, in altero Romanos Reges & Duces triumphali effigie. Addidit & deorum statuas: Minervæ galeatæ signum ex ebore totum in aditu fori Augusti stitit: omnes cum titulis & columnis aureis quæ gestorum ordinem continerent;* Romanum *denique* forum, *inquit Pausanias,* magnitudine & apparatu instar miraculi exhibet tectum & camerationem æneam. *Trajanum forum* singularem sub cœlo structuram *vocat Ammianus,* & numinum assensione mirabilem. *In ejus medio Trajani columna pedum* 128 *res gestas illius mirabili opere insculptas demonstrat. In vestigiis Porticuum (quæ columnæ altitudini non cedebant) ponit Gellius simulacra circumquaque inaurata equorum ac signorum militarium. Ibi Templum & equum æneum, vel Colossum, ponit Publius Victor. Statuarum multitudinem Augustinus insinuat, numerari posse negans. Romanorum deos, indigenas, alienigenas, cœlestes, infernos, marinos, fontanos, fluviales, certos atque incertos.* Quodlibet ex his Foris cum una Atrii Israelis Porticu confert Villalpandus, cum castello sibi adhærente, quarum *Porticuum circuitus est pedes* 1000, *altitudo ped.* 235. *Columnarum tres ordines ex pretioso marmore, quarum crassitiem nulla ferme Romana æquabat. Quid* 300 *statuæ marmoreæ cum iis lapidibus quos* pretiosos *vocat Scriptura, quorum longitudo est ped.* 65. [L.C. De lapidum horum longitudine somniat post Josephum Villalpandus. Scriptura enim 1 Reg. 7. 10. non facit majores quàm 10 vel 8 cubitorum, h. e. 12 vel 15 pedum] *ut ex eorum unoquoque Colossus maximus fieri potuerit è Pario marmore? Quid æneï Colossi vel statuæ cum infinito vasorum numero quæ Altari deputabantur ac reliquis culinarum ministeriis, quorum materiæ pondus non erat? Quid si adderes argenteas Portas, fenestrarum crates, candelabra argentea quæ in his Porticibus poni solebant, ut lumen noctu vigilanti & excubanti universo Israeli præferrent?* [L.C. Hîc vigilando somniare videtur Villalpandus. Ubinam enim invenit universum Israelem noctu vigilasse & excubasse in Templo?] *Quid si reliqua enumeres aurea & argentea vasa propemodum infinita, quæ ad sacra peragenda undique conferebantur?* [L.C. De vasorum Templi multitudine quam ex Josepho refert Villalpandus, vide quæ nos suprà notavimus.]

Pantheon toto orbe celebre Plinius inter pulcerrima ponit, & Architecti adeò admirantur ut vocent absolutissimum opus & exemplar consummatæ Architecturæ. *Latitudo, longitudo & altitudo par est, ped.* 158. *crassitudo parietis circularis lateritii ped.* $22\frac{58}{65}$. *Linea quæ extimam Templi superficiem cum Porticu ambit est ped.* 700. *Columnæ in Porticu* 28 *ex lapide Ægyptiaco ejusdem ferè cum nostris crassitudinis, altitudine ped.* $40\frac{36}{65}$. *In interioribus delubris totidem minores multò. Ad Templum ascendebatur gradibus septem. Opertum erat tectum tegulis æneis prægrandibus.* Hoc Templum cum una ex Atrii Israelis Porticibus vix dignatur conferre Villalpandus. *Panthei parietes lateritii; opus nostrum marmoreum secundùm totam crassitudinem, quæ fuit ped.* 16. *Columnæ in nostra Porticu* 120 *è Pario marmore; præter Parastatas interiores. Porticûs nostræ circuitus est ped.* 750. *altitudo ped.* 165. *Præter infinita ornamenta sæpe à nobis allata, auri & argenti rerúmque pretiosissimarum, quarum nè vestigium quidem fuit in Pantheo Romano.*

Aquæductus Romanorum Villalpandus minores facit aquæductibus Salomonicis, de quibus Ecclesiastes 2. 6. & Nehemias 3. 16. sed præsertim Josephus, qui eas passim laudat.

Amphitheatrum Titi mediâ Urbe fuit exstructum ex Tiburtino lapide, altum ped. 158. *Ejus circuitus ped.* 1800. *capiebat hominum* 100 M. *Forma fuit prorsus rotunda, sed porrecta magis paululùm & oblonga. Habuit Porticus fornicatas ejusdem figuræ duas continuas in imo solo, quæ ædificium ambiunt universum; totidem in superioribus ordinibus, quarum una alteri superstructa est, ut omnes sint octo.* Superbam hanc molem confert cum una ex quadratis Atrii Israelis areis, sublatis quatuor Castellis angularibus. *Nam circuitus Amphitheatri fuit ped.* 1800; *nostræ Areæ cum quatuor adjunctis Porticibus ped.* 2 M. *Illius altitudo ped.* 158; *hujus ped.* 225. [L.C. Hallucinatur hîc Villalpandus. Nam Porticuum Atrii Israelis altitudo sine castellis fuit duntaxat cubitorum 60, h. e. pedum 180. si terni pedes singulis cubitis dentur. Quòd si cubiti fuerint non sacri sed communes, Porticus altæ fuerunt duntaxat 90.]

Ex his omnibus concludit Villalpandus, *Universa orbis miracula, & prodigiosas urbis Romanæ moles, earúmque altitudinem, amplitudinem, ornamenta, opes, licèt non ab uno sed à multis Regibus & Imperatoribus constructa, & longissimi temporis intervallo, & totius Asiæ & Europæ impendiis, non fuisse nihilominus tantæ quin ab illustrissimo monte Moria comprehenderentur, etiamsi multò majora fuissent, si amplitudinem consideres & altitudinem. Si verò ornamenta auri & argenti, lapidum pretiosorum & gemmarum intuearis, longissimè abesse videbis illa à monte Templi Salomonis, qui spatio* 21 *annorum omnia sua ædificia absolvit eâ magnificentiâ ut cætera orbis ædificia coram Templo nostro, faculæ quædam splendidissimo Solis splendori oppositæ, splendere minimè videantur.* [L.C. Quid & quantum his Villalpandi dictis decedere ac detrahi debeat, quantúmque illis tribuere oporteat, ex superioribus nostris ad eum Notis conjicere non est difficile. Sanè hanc Templi structuram cæteráque Salomonis ædificia planè fuisse stupenda ac prorsus admiranda nemo jure negaverit: multa tamen in iis præ-

ter

tet æquum, jus, fásque videtur mirum in modum augere atque exaggerare Villalpandus.]

CAP. LXVI. Maximam hanc Templi Salomonici gloriam cedere ait Villalpandus alteri Dei Templo de quo Agg. 2.7. *Erit gloria domûs istius novissima major quàm prima.* Quæ verba ostendit esse intelligenda ad literam de Templo illo materiali quod Judæi reduces à Captivitate ædificabant, propterèáque rejicit eorum Patrum sententiam qui hæc verba allegoricè tantùm de Ecclesia Christiana per Christum ædificanda interpretantur, negántque intelligi debere secundùm literam.

CAP. LXVII. Explodendam docet sententiam tum Judæorum, qui locum istum de Templo à Messia quem exspectant exstruendo, tum Christianorum, qui de Templo Hierosolymitano ab Antichristo instaurando accipiunt, tum denique eorum qui de Herodiano Templo eum ità interpretantur quasi Templum ab Herode constructum fuerit longè splendidius Salomonico. Probátque frustrà Hieronymum advocari sententiæ istius patronum, aitque solum Pseudogorionidem illius esse autorem. Ad Josephi autem genuini (qui idem dicere videtur) sententiam quod attinet, opponit primùm Origenem, Lyram & Kimhium, qui Herodiani Templi omnino non meminerunt; deinde Hegesippum, qui ab Herode exornatum non exstructum fuisse Templum scribit; tertiò Judæorum dictum Joh. 2. 20. *Ædificatum est hoc Templum 46 annis*, quæ negat posse accipi de Templo ab Herode constructo, cùm Josephus Antiq. lib. 14. c. ult. dicat non totis decem annis fuisse absolutum ab Herode illud ædificium. [L.C. Quomodo locus ille Johannis intelligendus sit de Herodiano Templo, & unde putandi sint illi 46 anni, ostendimus olim in Spicilegio nostro.] Quòd siquis objiciat locum Josephi Antiq. l. 20. c. 8. de absoluta Templi ædificatione sub Agrippa, post Christi demum resurrectionem, opponit Villalpandus hoc Judæorum verbum, *ædificatum est hoc Templum.* Ergò non adhuc ædificandum. [L. C. At *ædificatum est* isthic idem est quod *ædificatur.* Hæc enim volunt Judæi, Jam anni sunt 46 cùm cœptum est ædificari hoc Templum, ac indesinenter ædificatur, neque tamen adhuc totum est ædificatum; *tu autem illud triduo ædificabis?*] Quare 46 *annos illos* Villalpandus ait *necessariò esse computandos à primo Cyri anno ad secundum Darii* [L. C. Atqui ab anno solutæ captivitatis Babylonicæ ad secundum Darii Hystaspidis annum, quo instaurari denuò cœpit Templum, non quo absolutum est, anni sunt duntaxat 14 aut 15. Ad annum autem ejusdem Darii sextum, quo Templi ædificatio consummata est Esd. 6. 15. anni non sunt toti 20. Deinde, apud Esdram de Templo strictè dicto agitur, quod sub Cyri finem biennio tantùm cœptum est instaurari, tum ejus instauratio intermissa est sub Cambyse ad usque secundum Darii Hystaspidis annum; demum verò anno illius secundo denuò cœpta est ejus instauratio, & anno sexto absoluta est; ità ut vix totis septem annis Templi illius strictè sic dicti ædificatio consummata sit. Nullo modo ergò 46 anni in Templi illius instauratione inveniri possunt tum temporis consumpti.] Itaque *maximè dubitandum censet* Villalpandus *an vera dicat Josephus cùm Templum ab Herode constructum esse scribit*: imò mox ostendere conatur *Josephi eà de re narrationem figmentum potiùs quàm historiam videri atque sapere, unde multi sunt decepti. Idem* ergò vult Villalpandus *fuisse Salomonicum & Zorobabelicum Templum, idem*, inquam, *quod ad locum, situm, partes ædificii, finem & usum attinet, sed longè aliud quoad lapides, ligna, ornamenta & altitudinem.* [L. C. De usu & fine utriusque Templi certum est eundem fuisse: locus item communis idem fuit, nempe montis Moriæ complanata superficies: Sed Templi strictè dicti locus proprius idem fuisse non videtur, utì nec totius ædificii partes omnes eædem, nec eadem omnino earum dispositio, utì ex Villalpandi ichnographiæ comparatione cum ea quam ex Josephi descriptione in Historia nostra Apostolica exhibuimus liquere potest, ac pleniùs à nobis ostendetur siquando Deus nobis det planiorem Josephiani Templi descriptionem exhibere.]

CAP. LXVIII. Eckii sententiam sequitur Villalpandus, qui quæ de Templo ab Herode constructo narrat Josephus fabulam merúmque commentum esse vult. In eadem sententia ait esse Augustinum De civit. Dei l. 8. c. 45, & 48. itémque Toletum. Rationes Eckii hæ sunt. Prima ducta ex loco Joh. 2. 20. suprà laudato, *46 annis ædificatum est hoc Templum,* [L. C. Sed hæc ratio modò est à nobis refutata.] Secunda; *Si novum Templum ab Herode constructum est, tum Zorobabelicum non erit postrema domus, nec in ea completa fuerit Aggæi Prophetia, contra Aggæi verba, DOMUM ISTAM IMPLEBO GLORIA.* [L. C. Non sequitur. Non enim hostili animo eam Herodes diruit quæ à Zorobabele fuerat exstructa, ut ea eversa sic jaceret in ruderibus, quomodo prior Domus à Nabuchodonosore fuerat eversa, & per multos annos jacuerat diruta; sed eam Herodes ideo diruit ut eam statim ampliorem & splendidiorem instauraret. Itaq; non alia fuit propriè domus & à priore diversa, sed eadem, verùm aucta & ampliata.] Tertia; *Sic Herodianum Templum tertium foret, aliud nempe à Zorobabelico. At omnes orthodoxi Scriptores negant Templũ tertiò esse exstruendũ, ex Jer. 7.4. ubi ter TEMPLUM DOMINI dixit, de tribus Templi ædificationibus locutus, MENDACES appellavit Propheta eos qui sibi tertium Templum vanè promittunt.* [L.C. Eadem est hæc cum præcedente ratio, eodémq; modo quo illa rejicitur. Porrò etiamsi Templum non sit tertiò ædificandum, tamen ad id adstruendum ineptè adducitur locus Jer 7. 4. Neq; enim qui ter *Templum Domini* ingeminabant hoc volebant, Templũ Domini ter esse exstruendum, imò verò ingeminatione & exclamatione illà hoc potiùs significabant, Templum Domini nunquam esse evertendum. Neque eos Propheta ideo *mendaces* vocat quòd falsò existimarent Templum ter esse exstruendum; sed verba eorũ ideo vocat *mendacia* quòd illis significarent Templum Domini nunquam esse evertendnm, atq; ità populum impellerent ad vanam in Templo illo collocandam fiduciam.] Objicitur contra Eckium I. quòd *primus à Josepho hac in re dissentiat.* Respondet Villalpandus; *Si ullus Catholicorum credidisset ædificium ab Herode constructum comparandum fuisse cum priore, certè in medium id protulisset, ut vel hoc argumento Judæos convinceret, ostendens gloriosius Templum à Propheta promissum in adventu Messiæ fuisse constructum. Sed hoc nullus dicit. Ergò nullus credidit.* [L. C. Duo sunt hic distincta; Aliud est credere Templum ab Herode fuisse (utì vult Josephus) exstructum, seu auctum & ampliatum suprà quàm erat Zorobabelicum; aliud verò credere Templum ab Herode constructum majus, amplius, splendidius & gloriosius fuisse Salomonico. Prius illud potuerunt credere post Josephi testimonium nonnulli Catholici; nullus eorum fortè credidit istud posterius. Potest enim fieri ut Herodes Templum Zorobabelico amplius & splendidius exstruxerit, quod idem tamẽ Salomonico longè inferius & ignobilius fuerit.] Objicitur II. *Alios præter Josephum idem sensisse, nempe Gorionidem, Hieronymum, Rupertum, Hegesippum.* Respondet Villalpandus, *Hegesippum convincere Josephum de multis mendis:* deinde dicit *Herodem non ædificasse sed ornasse Templum,* l. 1. c. 35. Quid autem ædificavit Herodes ipse aperit, nempe *non Templum sed Porticus, nec quidem omnes, sed Meridianam Atrii Gentium.* Respondet, *Hieronymum & Rupertum nihil aliud præstare quàm quòd Josephum referunt. Quare veritas in ipso fonte investiganda est.* Gorionidis & Judæorum testimonium rejicit ut suspectum. At Josephi autoritas sic commendatur; *Quis Sacerdoti & erudito viro de recenti historia & re maxima & celeberrima paulò ante suam ætatem gesta, in urbe totius Judææ clarissima, scribenti fidem non haberet? Tam demens erat ut notissimum & impudentissimum mendacium universis Judæis audaret obtrudere? Tantúmne Herodis memoria favebant Judæi ut opus insigne Patrum suorum impio Regi & omnibus ingrato adscribi paterentur?* Hic Villalpandus sic se tuetur ut,

multa Josephi de Templo colligat σφάλματα & mendacia; ex.gr. Quòd I. *Aram dicit longam 40 cubitos, altam 15, contra id quod scriptum est 2 Par. 4. 1.* Deinde quòd *fores Sancti dicit latas cub. 20. (quæ erat tota loci Sancti latitudo) contra Ezech. 41. 2. ubi dicuntur latæ cubitos 10.* Item *Vestibuli portam facit altam cub. 70, latam 25, contra omnem Architecturæ rationem.* Rursum *l. 2. contra Appionem dicit januas Templi altas fuisse cub. 60, latas 20, quas claudebant viri non minùs quàm 200 singulis diebus.* Hîc demonstrat Villalpandus *non potuisse portam latam cubitos 20 attingi & impelli à 200 hominibus.* Item *Antiq. l. 8. c. 18. dicit Herodem sublatis veteribus fundamentis & novis impositis desuper Templum exstruxisse longitudine 100 cubitorum, altitudine 120, sed 20 cubitos aliquantò pòst sidentibus fundamentis decessisse, eósque denuo instaurandos decrevisse Judæos Neronis temporibus.* Istud gravissimum Josephi σφάλμα meritò ridet & rejicit Villalpandus, tum quia *impossibile est tantam molem tanto motu agi ut ejus altitudinis sexta pars dehiscente terrâ subsidat veluti sepulta, quin tota moles ruat aut vitiosa fiat*; tum quia *hoc pacto Oraculum, quod intrinsecùs altum erat cubitos 20 (1 Reg. 6. 20.) totum in terram fuisset demersum.* Ex his gravissimis Josephi lapsibus suspectam etiam vanitatis arguit ejusdem de Templo ab Herode constructo narrationem, & pro *ædificavit* legi apud eum vult *ornavit*, ut cum Hegesippo consentiat.

L. CAPPELLUS.

Aliud est falli in rei ipsius summa, aliud verò in rei circumstantiis. Non rarò contingit ut quis in rei alicujus gestæ circumstantiis notandis fallatur & impingat multis de causis, ex imperitia putà atque ignorantia, vel ex aliorum fraude & dolo à quibus deceptus fuit, vel etiam ex propria temeritate & audacia, qui tamen rem ipsam confinxisse minimè putandus est, quòd nimis manifesto commento ac putido prorsus mendacio explodendum atque exsibilandum se præberet. Fieri potest ut Josephus, homo alioqui sat vanus atque χαυνὸς, & Architecturæ non valde peritus, sæpe & turpiter in assignandis Templi mensuris impegerit, ità ut quid scriberet non satìs cogitaret, modò quæ diceret speciem aliquam magnificentiæ haberent. At verò eum calido mendacio planè confinxisse Herodem magnum Templum Hierosolymitanum totum de novo quasi instauràsse, si nihil tale fuit quidquam, atque eum vel voluisse popularibus suis obtrudere, vel potuisse sperare se illis persuasurum tam calidum mendacium de re tam recenti, hoc verò est quod vix quisquam sanus credat potuisse venire Josepho in mentem. Atque in hoc ipso argumento exemplum dabo manifestissimum, quomodo ille in rei circumstantia turpissimè interdum hallucinetur, cùm in re tamen ipsa falsus non sit. Ait Antiq. l. 8. c. 2. Totam Templi altitudinem (quæ fuit 120 cubitorum) in duo tabulata fuisse divisam, quorum inferius fuerit 60 cubitos altum, secundum item totidem. Cellas autem Templo circumpositas fuisse numero 30 in triplici tabulato (ac proinde 10 Cellæ fuerunt in singulis tabulatis) singulas cubitos 25 longas & latas, 20 verò cubitos altas. In qua Cellarum dimensione suam Architecturæ imperitiam arguit, vel miram ἀβλεψίαν prodit Josephus. Nam primò, sic Cellas latiores facit quinque cubitis ipso loco Sancto & Sancto sanctorũ, cui erant circumpositæ; quod est valde absurdũ. Deinde, sic nullæ potuerunt esse in inferiore tabulato fenestræ per quas lumẽ intromitteretur. Illius enim tabulati altitudo tota (quæ fuit 60 cubitorum) à triplici Cellarũ istarum tabulato occupata fuit, si singulæ fuerunt (utì ille vult) 20 cubitos altæ; nisi quis fingat lumen per Cellarum fenestras intromissum esse & penetrasse in locum Sanctum, quod esset valde absonum & ab omni ratione veræ Architecturæ longissimè alienum. Ut nihil jam dicam decem Cellas, singulas 25 cubitos longas, disponi non posse circa utrumq; Templi latus (idem enim ait Templum à postica sui parte Cellas non habuisse) cùm Templum centum duntaxat cubitos fuerit longum. Summa ergò hîc est, vel ipsius Josephi ἀβλεψία atq; imperitia & ignorantia, qui non viderit quàm ista pugnent & sint absona, vel Librariorum & scribarum in signandis numeris crassus & supinus error, qui Cellarum altitudini 20 cubitos pro 10, & earundem longitudini atq; latitudini 25 tribuerunt, cùm ex Josephi mente longitudini 15, latitudini 10 duntaxat cubiti tribuendi potiùs fuerint. Deinde & hoc excipi potest adversùs illam Villalpandi objectionẽ; Horum, quæ ipse colligit, Josephi σφαλμάτων de Templo partem tribui vel ignorantiæ Interpretis, vel insciticæ & temeritati Librariorum. In numeris enim mensurarum, non usque adeò illis notarum atque familiarium, facile & proclive fuit vel Interpretem in vertendo, vel Librarium in describendo, impingere atque hallucinari. Σφάλμα itaque quod Villalpandus Josepho tribuit in mensuris Altaris & portarum Templi Librariis potiùs fortè quàm ipsi Josepho tribuendum videtur. Denique, quod Villalpandus putat Portam 20 cubitos latam non posse à 200 hominibus simul eodem tempore attingi atque impelli, verum id quidem est si illi 200 homines in eadem serie & linea juxta se invicem positi manibus vel humeris Portam tangere & impellere censeantur. Sed si fingamus eos contis, non manibus aut humeris, Portam impellere, & deni homines singulis contis assignentur, quomodo uni remo in actuaria navi seni, octoni, vel deni interdum remiges assignantur, facile est concipere quomodo 200 homines simul impellere potuerint valvas Portæ latas 20 cubitos. Itaque non fuerit fortè ullum Josephi hac in parte σφάλμα, sed Villalpandi potiùs in eo assequendo hallucinatio. Quanquam fortè non invitus concesserim hîc se prodere Josephi pleraque præter modum & rationem amplificantis atque exaggerantis ingenitam vanitatem atque futilitatem. Sanè postremum illud quod Villalpandus adfert de fundamentis Templi subsidentibus, déque 20 cubitis qui indè Templi altitudini decesserint, Josephi σφάλμα gravissimum est, nec facilè excusari potest, maximámque in eo arguit Architectonicæ imperitiam. At non videtur tamen idonea satìs illa causa cur quis fidem ejus in suspicionem vocet, cùm Templum ait de novo fuisse ab Herode instauratum.

VILLALPANDUS.

Objicit deniq; Villalpandus pro Herodiani Templi gloria verba Discipulorum ad Christum Marc. 13. 1. *Aspice quales lapides, & quales structuras.* Sed solidè refellit Villalpandus istam objectionem, atque ostendit ea verba esse intelligenda tum de substructionibus Templi à Salomone pridem exstructis, tum de Porticu Salomonis lateri Orientali illius substructionis imposita in Atrio gentium, quæ intacta remanserat à Salomonis temporibus.

Cap. LXIX Judæorum sententiam rejicit Villalpandus, qui locum Aggæi c. 2. de gloria & splendore terreno Templi accipiunt, vel de ejus duratione majore quàm Salomonici, vel de ampliore ædificio. Patrum sententiam sequitur qui ex Christi præsentia Templi secundi gloriam interpretantur. Mediam cujusdam Anonymi neoterici profert & exeutit, qui juxta Patres allegoricum loci illius sensum fatetur esse de Ecclesia, historicũ verò seu literalem de Templo ipso secundo Judæorũ, quale fuit ab Herode reædificatum, cujus gloriam majorem esse ait quàm ejus quod à Salomone fuit exstructum, tum ex Servatoris maximè præsentia, tum ex ipso ædificio, etiamsi Christus in illud nunquam fuisset ingressus. Hanc sententiã quoad ultimam ejus partẽ contendit adversari Patrũ sententiæ, qui negant locum illum Aggæi exponi posse de ædificiorum aut divitiarũ gloria temporali. Quod variis eorum testimoniis comprobat.

Cap. LXX Etiamsi Herodianum Templum magnificentius fuisset Salomonico, negat tamen Villalpandus *gloriosum* ab Aggæo dici debuisse, quòd in posteriore isto defuerint quinque illa quæ Salomonicum reddiderunt præcipuè gloriosum, nempe *Urim & Tummim, Arca Testamenti, Ignis de cœlo delapsus, Divinitas, & Spiritus S.* totúmq; caput in eo impendit ut ostendat quinq; illa abfuisse à secundo Templo, maximè verò Urim & Arcã. Ac eos qui dicunt Arcam in Arcu triumphali Titi Romæ esse insculptam, & in triumphali pompa fuisse transvectam, ostendit gravissimè falli, atque eos Mensam auream pro Arca accepisse.

Cap.

CAP. LXXI ostendit multis rationibus Villalpandus Templum Herodianum fuisse Salomonico longè inferius multis nominibus. Nec potuisse Herodem tam splendidum exstruere quàm Salomon fecit, ex eo probat quòd Josepho teste l. 6 Belli c. 6. Herodes non nisi 11 M. artificum in ea exstructione adhibuit, cùm in Salomonici structura adhibiti sint 400 M.

L. CAPPELLUS.

Somnium Villalpandi de 400 M. Operariorum suprà refutavimus; 60 M. tantùm adhibita fuisse, qui semper essent in opere, ostendimus. 11 M. Herodis operarii sexta duntaxat circiter pars fuerunt Salomonicorum. Nempe multò minore opus illi fuit quàm Salomoni Operariorum numero, qui Templi substructiones (quæ stupendi illius operis pars longè maxima fuerunt) non fuerunt Herodi exstruendæ, sed Porticus duntaxat illis impositæ. Fortè & harum Meridionalis, quæ *Salomonis* dicebatur, in Atrio Gentium posita, reliquarum omnium longè maxima & pulcerrima (erat enim triplex, cùm reliquæ duplices tantùm essent) non videtur ab Herode exstructa, sed (uti vult Villalpandus) à Salomonis temporibus intacta & intemerata remanserat. Deinde, præter 11 M. artifices illos habuit Herodes mille plaustra, quæ convectandis lapidibus perpetuò vacabant, quorum nulla in Scriptura mentio cùm de Templo Salomonico agitur; mentio fit tantùm bajulorum, ut videantur tum nulli currus seu plaustra adhibita fuisse ad lapidum & materiæ convectationem. Jam verò unum plaustrum plura convehere potest quàm 10 homines humeris bajulare valent. Itaque mille plaustra Herodis potuerunt implere vicem 10 M. bajulorum. Quare Herodes cum suis 11 M. artificibus & mille plaustris tantundem potuit præstare quantum Salomon cum 20 M. hominum, qui tertia pars sunt Operariorum quos suprà ostendimus Salomonem habuisse semper in opere; id quod potuit Herodi sufficere solis cum Templo Porticibus instaurandis atque exstruendis, per annos novem cum dimidio, quibus illi uni rei perpetuò vacarunt, teste Josepho, cujus verba ipsa referam quibus rem illam narrat, ut ex iis cordatus Lector judicet num ea fabulam redoleant & ridiculum commentum ab ipso Josepho confictum (uti vult Eckius, & post eum Villalpandus) an verò rei potiùs gestæ contineant simplicem narrationem. Is ergò Antiq. lib. 15. c. 14. postquam varia Herodis præclara opera altâ pace peracta magnificentissimè, tum Hierosolymis exstructo Theatro & Amphitheatro, & editis Gentilium & Romanorum more isthîc ludis & certaminibus Gymnicis & Thymelicis, tum extra Hierosolymam per totam Judæam conditis & excitatis variis urbibus atque arcibus munitissimis, Samariâ, Cæsareâ, Paneade, Herodio, Masradâ, aliisque ejusmodi, subdit Josephus, *Decimo octavo Regni sui anno post tot præclara facinora, post absoluta tot admiranda opera, eximium aliud concepit animo, Dei Templum dennò construere ampliore ambitu & huic conveniente celsitudine, ratus, id quod res erat, id fore omnium celeberrimum etiam ad posteritatis sempiternam memoriam. Caterùm veritus nè populum difficultate deterritum minùs ad hoc obsequentem haberet, advocatâ concione sic eum allocutus est.* Tum subjicit Josephus orationem quâ populum affatus est, cujus hæc sunt postrema verba, *Nunc quoniam Deo volente rerum potior, cui otium, pecunia prompta, magni reditus supperunt, &, quod maximum est, Romanorum Orbis Dominorum amicitia, dabo operam ut quod majores sub alieno nutu viventes non satis accuraverunt suppleam, & quicquid deest ad honorem Dei memor beneficiorum acceptorum gratus persolvam. Hâc tam inopinatâ oratione omnium animi sunt attoniti, quòd supra spem polliceri videretur, & angebantur magnâ solicitudine nè fortè demolitus vetus ædificium novum non posset absolvere; quare periculosum videbatur consilium & co-*

natus perdifficilis. Quod ubi animadvertit Rex, jussit eos bono esse animo, mansurum enim vetus Templum integrum nec demoliendum, tantisper dum omnis materia comparetur quæ sit ad futuram fabricam necessaria; neque eos fefellit. Mille enim plaustra paravit quæ lapides conveherent, & ex omni artificum copia peritissimos selegit ad decem millia, & insuper mille Sacerdotes stolis Sacerdotalibus suo sumptu vestivit, partim cæmentariæ partim lignariæ fabricæ non imperitos: hósque omnes adhibuit operi, materiâ jam antè convectâ; sublatis deinde veteribus fundamentis, & novis repositis, &c. Cinxit etiam totum Templum ampliss. Porticibus, quæ responderent reliquæ magnificentiæ, & priores illas (non à Salomone sed à Judæis reducibus à captivitate Babylonica exstructas) *pulcritudine vincerent. Harum duæ validis muris fulciebantur, opere vel in primis memorabili, &c.* Totam deinde Templi structuram atque formam describit Josephus, ac postremò subjicit, *Herodes interiora Templi, à quibus profani arcebantur, non ausus ingredi, per Sacerdotes curabat fabricam intimarum Porticum: absolutóque octo annis reliquo ædificio, tandem etiam Templum ipsum eorundem Sacerdotum operâ sesquianno perfecit. Quo facto ingens gaudium exortum est in populo, omnibus gratias agentibus Deo pro tam celeriter finito opere, & Regi pro accurato tam alacriter negotio fausta ominantibus, & instaurationem Templi magnâ festivitate celebrantibus. Ibi Rex* 300 *boves Deo mactavit, & alii, pro suis quisque facultatibus, tantum victimarum quantum vix comprehendi possit numero, fallente veram æstimationem earum multitudine. Incidit enim in hanc celebritatem absoluta Templi fabrica etiam natalis Regni, quem Herodes anniversariâ hilaritate solitus est colere; ut hoc facto conduplicaretur lætitia publica. Fertur toto tempore quo Templum* (strictè nimirum sic dictum, non illi circumpositæ Porticus) *struebatur nunquam interdiu pluisse, noctu tantùm imbribus descendentibus, nè interrumperetur ædificatio. Eáque fama quasi per manus tradita ad nos pervenit à majoribus, nec est veri absimile si quis Divinam providentiam respiciat.* Videat prudens Lector num hæc speciem habeant fabulæ & lepidi commenti, ac non potiùs narrationis rei reapse gestæ. Sanè qui totam Herodis Vitam (uti ea à Josepho describitur) attentè legerit & expenderit accuratè, non mirabitur quòd Rex ille opibus & potentiâ, ut erat, florentissimus, *cui*, ut ipse ait concione ad populum, *otium, pecunia prompta, magni reditus, & magni Augusti amicitia, quique erat gloriæ cupidissimus*, post tot alia splendida & præclara ab ipso perfecta opera, hoc etiam opus molitus sit adeóque perfecerit, ut Templum strictè dictum atque illi circumpositas Porticus (si Salomonicam excipias) à fundamentis instauraverit, prout illæ à Josepho describuntur, atque ea magnificentiùs exstruxerit, non quidem quàm ea fuerunt primò à Salomone ædificata, sed quàm ea fuerant à Judæis reducibus post solutam captivitatem Babylonicam instaurata. Nec tantum est opus illud (ut à Josepho describitur, exceptis substructionibus) ut vires Regis illius superarit, aut excedat artificum operi illi adhibitorum numerum, aut tempus decem annorum in eo exstruendo insumptum.

VILLALPANDUS.

Templi Salomonici amplitudinem & splendorem commendat Villalpandus Scripturæ testimonio & auctoritate, 1 Par. 22. 5. & 2 Par. 2. 5, 9. tum subjicit, *Quid magnum præstiterunt David & Salomon, superatis & spoliatis* 50 *Regnis, ex infinitis aureis & argenteis armis, vasis, ararii, Templi idolorum, adjuti à potentissimis Regibus ac Regnis, gravatis etiam & exhaustis subditis, coacervatis ex multis annis, imò seculis tributis maximis & sacris censibus, eductis ex Indicis fodinis auri, argenti, gemmarum, eboris thesauris infinitis, si Regulus nescio quis* (Herodes)

unius minimæ partis ejusdem Regni Salomonici, sine ullo apparatu, sive auxilio exterarum gentium, imò Romanis Principibus planè subjectus, à quibus non accipiebat singulis annis dona aurea, sed potiùs ipse Romanis munera mittebat, si, inquam, potuit hic illa eadem superare gloriâ & divitiis?

L. CAPPELLUS.

Absit ut affirmem Herodem gloriâ & divitiis Davidem & Salomonem eorúmque res gestas æquasse, nedum superasse; neque puto quenquam ità insaniisse ut id affirmaret. Non id volunt qui dicunt, ex Josepho non videri vero absimile ut Herodes Templum strictè dictum & circumpositas illi Porticus de novo instauraverit, non quales & quantæ à Villalpando proponuntur, sed ut à Josepho describuntur, illis longè magnificentiâ & splendore inferiores, etsi (ut ratio temporum illorum tum ferebat) fuerint in se longè magnificentissimæ. Deinde, multa hîc Villalpandus de Davidis & Salomonis divitiis, potentia & magnificentia reponit quæ nos suprà confutavimus, utpote nimiùm à Villalpando præter omnem rationem & veri speciem aucta atque amplificata. Denique, nimis etiam præter fas & æquum Herodis res, vires, potentiam & divitias deterit atque deprimit Villalpandus. Herodes enim non (ut imperitè admodum Villalpandus) minimæ Regni Salomonici parti, sed toti ejus Regno quàm latè patuit, imperavit, à Libano ad desertum Pharan, & à mari Mediterraneo ad deserta usque Arabiæ, totam, inquam, Chananitidem XII tribubus à Deo assignatam, Palæstinam præterea totam, Idumæam, Ammonitidem, Moabitidem, totam Peræam seu Transamnanam, ultra Jordanem regionem, Ituræam & Trachonitidem ad Damascum usque regionem. Plura non legitur vel David vel Salomon obtinuisse. Hoc unum dici potest, Davidi & Salomoni aliquot Cœlesyriæ Regulos, Damasci putà & Tsobæ, aliósque pauculos versùs Euphraten, paruisse factósque esse tributarios, quod de Herode non legimus. Verùm longè aliud est Regem aliquem bello superasse, ac tributum aliquod illi in subjectionis signum imperare, aliud verò totam ejus regionem in provinciam redigere. Potuerunt aliquot Syriæ & Arabiæ Reguli illo modo fuisse Davidi & Salomoni subjecti, at posteriore modo non alias illi habuerunt sibi subjectas provincias quàm quas habuit ipse Herodes.

VILLALPANDUS.

Ex his itaque concludit Villalpandus, Meridianam duntaxat Porticum Atrii Gentium fuisse ab Herode reparatam & reædificatam, Orientalem integram remansisse à tempore Salomonis, reliquas duas à Ducibus & Regibus qui Zorobabelem secuti sunt fuisse reparatas. Atque huc trahit locum Josephi l. 6 De bello c. 6. *Initio quidem vix Templo atque Aræ sufficiebat jacens in summo planities, quòd undique præceps erat atque declivis. Cùm autem Rex Salomon, qui & Templum ædificaverat, muro ejus partem ab Oriente cinxisset, una Porticus aggeri est imposita, & manebat ex aliis partibus nudum Templum, quoad, seculis posterioribus semper aliquid aggeris accumulante populo, coæquatus collis latior effectus est. Perrupto autem Septentrionali quoque muro tantum assumpsere spatium quantum postea totius fani ambitus involuerat. Triplici autem muro colle circumdato, spe majus opus exstructum est, in quo longa secula consumpta sunt, omnésque thesauri sacri quos toto orbe missa Deo munera repleverant, tam superiore ambitu quàm inferiore Templo adificatis. Josephus*, inquit Villalpandus, *sic interpretandus est (ne mendax esse putetur) ut loquatur de ædificatione secunda.*

L. CAPPELLUS.

Sed primò ad unam duntaxat Porticum reparandam opúsne fuit mille plaustris & 11 M. artificum qui toto ferme decennio perpetuò essent in opere? Deinde, quid dicet Villalpandus ad illa Josephi verba, *Herodes interiora Templi, à quibus profani arcebantur, non ausus ingredi, per Sacerdotes curabat fabricam intimarum Porticuum: absolutóque octo annis reliquo ædificio, tandem etiam Templum ipsum eorundem Sacerdotum operâ sesquianno perfecit?* An his videtur Josephus innuere reparatam tantùm ab Herode unam Atrii Gentium Meridianam Porticum? ac non potiùs tum ipsum Templum strictè sic dictum, tum omnes ejus Porticus tam interiores quàm exteriores à fundamentis fuisse exstructas, si unam fortè excipias Porticum, quæ *Salomonis* ideo dicta videtur quòd ea à Salomonis temporibus intacta remansisset? Nam quòd Villalpandus Josephi locum ex lib. 6 De bello conatur trahere ad Templi instaurationem secundam, quæ facta est à Zorobabele & qui eum secuti sunt Ducibus & Regibus, fruſtrà est. Planum enim est Josephum eo loco hoc velle, Salomonem unum duntaxat substructionis latus imposítámque illi Porticum exstruxisse, reliqua latera & Porticus illis impositas à sequentibus Regibus per multa secula, & ante captivitatem Babylonicam, fuisse succedentibus temporibus exstructa. Verba enim ejus trahere atque extendere ultrà captivitatem Babylonicam ad Herodis usque tempora nimis coactum & absurdum foret. Ac durâ ejusmodi prorsúsque insolenti interpretatione fruſtrà conatur Villalpandus Josephum à mendacio tueri atque vindicare, qui non potest hoc loco à manifesta contradictione excusari. Alibi enim, nempe l. 15 Antiq. c. 14. ait tum interius Templi Septum cum suis Porticibus, tum exterius ejusdem Septum cum suis substructionibus, & quatuor Porticibus ampliſſimis quæ illis impositæ sunt, fuisse à Salomone exstructa. Sic enim ille, *Cinxit* (nempe Herodes) *totum Templum ampliſſimis Porticibus* (nimirum exterioribus) *quæ responderent reliquæ magnificentiæ* (Templi nimirum) *& priores illas pulcritudine vincerent*, (eas nimirum quæ ab Asamonæis & qui eos præcesserant Ducibus exstructæ fuerant.) *Harum duæ validis muris* (substructionum nimirum) *fulciebantur, opere vel imprimis memorabili. Tumulus erat petricosus* (montis Moriæ scilicet) *arduus à vertice sensim versùs Orientale Urbis latus resupinus. Hujus verticem primus Salomon Rex noster instinctu Dei muro circumdedit.* Sic designat Josephus Septum interius Templi. *Radices quoque ejus* (collis nimirum Moriæ) *alio muro cinxit* (idem scilicet Salomon) *cui versùs Austrum subjecta est vallis profunda. Hic murus constat saxis grandibus plumbo inter se vinctis, complectens interius spatium, & in profundum descendens, ut miranda sit magnitudo & altitudo structuræ formâ quadrangulari. Saxorum enim magnitudo à fronte est conspicua: interiora ferro vincta junctiras continent contra omnium temporum injurias firmissimas. Hoc opus postquam coæquatum est vertici, cavitas quæ intererat murum inter & tumulum expleta est, ut complanatis omnibus fieret area, & circum quadriporticus quatuor stadiorum circuitu, singulis lateribus inter duos angulos per stadia singula patentibus. Interiùs deinde ipsum verticem* (montis Moriæ) *ambit alius murus lapidens*, &c. Hæc omnia à Salomone (non ab Herode) vult Josephus isthîc esse facta; cujus hæc mens est; Non modò Templum strictè sic dictum, cum circumpositis interioris Atrii Porticibus, quæ in summo montis Moriæ jugo fuerunt positæ, fuisse exstructum, verùm etiam ab imis montis radicibus ad summum ejus cacumen exstructum fuisse ab eodem Salomone geminum, validissimum & altissimum murum, cui duæ Porticus longissimæ (ejusdem cum ipso muro longitudinis) impositæ sunt, & aliæ item duæ ex aliis duobus collis lateribus, ut sic exterius Templi Septum quadrangulare quatuor cõstaret longissimis & ampliſſimis

Porticibus

Porticibus paris magnitudinis. Ab Herode autem neq; Substructiones illas stupendas fuisse factas, neque horrendam illam cavitatem aggestâ terrâ fuisse completam, aut collem esse complanatum, neque murum etiam quo interius Templi Septum clauditur, & summum collis jugum cingitur, esse ædificatum, sed Templum strictè dictum cum tribus circa illud interioris Septi Porticibus, itémque tres majores exteriores Septi, seu Atrii Gentium, Porticus ab eodem fuisse exstructas, quartâ (quæ *Salomonis* dicitur, *omnium* amplissimâ & pulcerrimâ) jampridem à Salomone exstructâ, & ab ejusdem temporibus ad Christi usque tempus manente adhuc integrâ atque intactâ.

VILLALPANDUS.

Cap. LXXII. Ex his omnibus colligit Villalpandus Aggæi locum intelligendum esse de gloria quâ ex Christi Filii Dei Servatoris nostri præsentia Templum cohonestatum est. Atque hic finis est Explanationum Villalpandi de Templo Salomonico.

TEMPLI HIEROSOLYMITANI SITUS, FORMA, STRUCTURA ATQUE DELINEATIO:

Ex Josephi lib. 6. *De bello Jud. cap.* 6. *& Antiq. lib.* 15. *cap.* 14. *itémque lib.* 18. *cap.* 2.

Per Ludovicum Cappellum.

TEmplum firmissimi collis jugo fuit impositum, circa quod tota Hierosolymorum civitas in Theatri quodammodo speciem erat circumposita, atque ab eo profundis vallibus tribus ex partibus discreta atque sejuncta. Ex Orientis autem parte Collis sensim à vertice versùs eam Urbis partem quæ *Acra* dicitur declivis erat atque resupinus. Initio autem vix Templo & Arx quæ juxta Templum est sufficiebat jacens in summo Collis jugo area atque planicies, quòd undique præruptus esset, arduus, petricosus atque declivis Collis. Verùm Solomon (qui primus Templum condidit) partem eam quæ ab Oriente est in summo jugo muro munivit fortissimo, & aggestæ illi terræ porticum imposuit. Quin & tribus aliis ex lateribus collem imis à radicibus incipiens ad summum ejus jugum muro firmissimo & altissimo cinxit, cujus saxa erant 40 cubitos longa, ferro & plumbo intus devincta atque inter se connexa, ut in omne ævum perdurarent adversùs omnem temporum injuriam. Hoc opus postquam coæquatum est vertici, cavitas quæ murum inter & tumulum intercedebat aggestâ terrâ repleta est, ut complanatis omnibus fieret quadrangularis area, cujus ambitus erat quatuor stadiorum, singulis lateribus per stadium unum in longum porrectis. A parte autem Australi & Occidentali profundissimâ valle ambiebatur, cui murus ille imminebat, altus eâ parte 300 cubitos; cui altitudini præterea accedebat Porticûs ipsi superstructæ tota altitudo, ut si quis in anguli illius summo vertice constitutus deorsum aspiceret, & utramque illam altitudinem conjunctam contemplaretur, caligarent oculi, vertiginémque capitis ipse pateretur, visu deficiente ob nimiam profunditatem, priusquam ad imum pertingeret, valle in immensum isthac dehiscente; quin & quibusdam in locis major erat fundamentorum profunditas, quæ non conspiciebatur ob aggestam ad complendas valles terram, ut angustæ nimium civitatis viæ complanatæ dilatarentur. A Boreali parte non erat tanta vallis profunditas; quin & ab ea parte Templo adjacebat arx Antonia, & ipsa quadrangularis ambitu duorum stadiorum, tumulo undique præciso 50 cubitos alto imposita, Templóque juncta in Occidentali & Boreali ejus angulo. Quadrangulari illi quatuor stadiorum ambitûs muro impositæ erant pari mensurâ & longitudine Porticus quatuor magnificentissimæ, tantórum fundamentorum vastarúmque substructionum dignitati & structuræ magnificentiæ paria & condigna opera.

Harum illa quæ Meridionali lateri imposita erat, *Regia* dicta, triplex erat, stadii unius longitudine ab Orientali in Occidentalem angulum porrecta; neque enim ulteriùs produci poterat ob supradictam profundam vallem. Stabant autem in ea paribus intervallis in longum ducti quatuor columnarum ordines, quorum quartus connexus erat ipsi exteriori Porticûs muro. Universus earum numerus fuit 162. capitellis opere Corinthio sculptis, pulcris ad miraculum; earum crassitudo tanta erat quantam possent tres homines consertis inter se ulnis complecti, longitudo autem pedum 27. [*videtur legendum* 37, *nam mox infrà dicit columnas reliquarum porticuum fuisse* 25 *cub. altas; jam verò* 25 *cubiti faciunt pedes* 37. *pede cum dimidio*] duplici subjectâ spirâ. Hæ columnæ quaterno ordine in longum dispositæ triplicem faciebant Porticum, sive tria in Porticu ipsa ad deambulandum distincta spatia. Horum duo erant ab utroque porticûs latere æqualia, lata nimirum pedes 30, excelsa verò pedes 50: illius autem quod medium fuit latitudo erat sesquialtera (h. e. pedum 45.) altitudo verò dupla; tantum nempe hoc superabat utrumque alterum spatium. Excitatus autem erat super ejus epistylia paries lapideus politissimus, columnis aliis insertis distinctus, mirabili artificio commissuris oculos fallentibus. Hujus laquearia erant cedrina variis & multiplicibus figuris sculpturata. Reliquæ tres Porticus duplices erant latæ 30 cubitos, quarum columnæ 25 cubitos erant altæ, de singulis saxis singulæ ex candidissimo marmore trabibus & laquearibus cedrinis ornatæ, quarum trabium & laquearium naturalis pretiositas, quó ici essent è ligno politissimo & aptissimè cohærente, dignissimâ visu exhibebant pulcritudinem, cùm cæteroqui nullo vel sculptoris vel

pictoris opere extrinsecùs exornarentur. Porrò Orientalis & Meridionalis Porticus singulæ in medio habuerunt portam ab utroque angulo æqualiter distantem, quâ hinc in Acram, indè in reliquam urbem patebat aditus. Occidentalis verò porticus quatuor habuit, quarum una transitus erat εἰς τὰ βασίλεια (h. e. Herodis regiam) per vallem in medio interjectam; duæ in suburbia (τὸ ὄρος λεγόμενον) ducebant, quartâ ibatur in reliquam urbem, gradibus multis ad imam usque vallem dispositis, atque indè rursum aliis per acclive tendentibus. Atque hoc modo se habuit prior & exterior Templi ambitus sive septum, quod Judæis cum Gentilibus fuit commune, in illud enim patebat etiam ipsis Ethnicis ingressus.

Intra hunc exteriorem ambitum, sive septum, aliud fuit interius septum non longè à priori illo distitum, & ipsum quoque quadratum, proprióque muro lapideo septum, quo summus Collis vertex cingebatur. Hoc secundum Septum ἅγιον & διάτοιχον ἱερὸν, h. e. *Sanctum*, sive *secundum Templum*, dicebatur. Ad illud solis Judæis, tum viris tum feminis, iisque secundùm Legem mundis patebat ingressus, propterèáque quà à priore Septo ad secundum via dabatur per interjectum sub dio spatium lorica fuit lapidea elegantissima tres cubitos alta, cui æquis positæ intervallis columnæ superstabant Græcis & Romanis inscriptæ literis, quibus significabatur non licere alienigenis sub pœna capitis in locum Sanctum transire: itaque ex priore Septo ejúsque Porticibus prospectantes Ethnici versùs Templum adorabant. Spatium autem quod sub dio (ὕπαιθρον) intercedebat inter priuum & secundum Septum, totum variis lapidum politissimorum generibus constratum variegatúmque fuit, atque ex eo quatuordecim gradibus ad secundum Septum ascendebatur, post hos ad murum usq; Septi ex Septentrionali & Meridionali latere spatium erat planum decem cubitorum, unde rursus alii quinque gradus ad Septi portas ducebant; ex latere autem Orientali deerant gradus isti quinque, solis quatuordecim gradibus ascendebatur, ità ut gradibus istis quinque humilius eâ parte fuerit Atrium ad quod ascendebatur. Murus autem hujus septi & ipse quadratus extrinsecùs quidem ad cubitos 40 attollebatur, intrinsecùs verò 25 duntaxat cub. erat; cùm enim in superiori Collis jugo exstructum esset hoc septum ad quod 20 gradibus, uti dictum, ascendebatur ex inferiore, pars muri ipsius interiùs à Colle, exteriùs à gradibus illis tegebatur, ut tota muri altitudo propterea non potuerit interiùs esse conspicua.

Erant autem à Septentrione & Meridie octo in secundo isto Septo portæ, quatuor nimirum utrinque, duæ verò ab Oriente necessariò, quia ab ea parte locus erat feminis ad adorandum destinatus, propterèáque alterâ isthíc opus erat portâ, erántque ex adverso prioris: ex aliis verò plagis una erat à Septentrione, una item à Meridie, per quas in feminarum Septum, sive Atrium, ingressus erat; nam per alias portas feminis non licebat ingredi, sed neque per suas portas ultra proprium sibi dicatum Septum permittebantur progredi; ab Occidente verò nulla fuit, sed continuus & perpetuus erat ab ea parte exstructus murus. Inter portas autem illas Porticus introrsum versæ contra vel juxta Gazophylacia magnis & pulcerrimis sustinebantur columnis, erántque istæ simplices, neque præter vastam magnitudinem ab inferioris Septi porticibus ulla in re differebant. At ea Porticus quæ ab Oriente erat, quæq; rectà in Templi portam spectabat, duplex fuit, & ab aliisante Herodem Regibus magno sumptu fuerat exstructa atque decorata. Portæ autem illæ octo quæ à Septentrionali & Meridionali latere fuerunt, altæ erant singulæ 30 cubitos totidémque latæ, atque post introitum introrsum dilatatæ Exedras habebant tricenos cubitos longas & latas, altas verò 40. in turris modum exstructas. In singulis binæ erant fores, totidem, nempe 30, cubitos altæ, quindecim latæ, aureis & argenteis laminis undique tectæ, unà cum postibus & superliminari, singulæ autem singulis utrinque sustinebantur columnis duodenum cubitorum crassitudine. Porta autem illa quæ ab Oriente rectà ex parte Atrii feminarum in Templi portam respiciebat, multò reliquis fuit amplior; alta enim erat cubitos 50 lata verò 40, cum foribus paris magnitudinis, quæ magnificentiore ornatu decoratæ erant; crassioribus enim auri & argenti laminis incrustatæ erant: atque totum illud aurum atque argentum novem istis portis infundi curaverat pater Tiberii Alexander, Alexandriæ Alabarcha. Ex adverso autem ei respondebat in exteriore Templi ambitu & Orientali ejus Porticu alia porta ampla, cujus fores erant ære Corinthio (auro & argento multò pretiosiore) obtectæ, quà in oppositam Acram aditus patebat.

Intra hoc secundum Septum tertium fuit quò solis Sacerdotibus accessus patebat, humili & eleganti lapideâ loricâ cubitum unum altâ à præcedenti divisum; ínque ejus medio Ara & Templum fuit, ad quod 12 gradibus ascendebatur. Et à fronte quidem latitudo & altitudo ejus par fuit, nempe centum cubitorum, postè verò 40 cubitis erat angustius; nam à fronte duo veluti humeri utrinque 20 cubitis producebantur. Prima autem ejus porta alta fuit 70 cubitos, lata 25, neque fores habebat ullas; cœlum enim undique conspicuum sempérque patens significabat: frontes ejus totæ erant inauratæ, pérque eam prior domus, quantumvis magna, tota interiùs conspicua erat, quæque circa interiorem Templi portam auro circumfulgebant, spectantium oculis patebant omnia.

Hæc prior domus lata erat 20 cubitos, longa 50, [*legendum 40 cum Ruffino, nempe utrinque à Portæ medio ad finem vestibuli fuerunt 40 cubiti,*] alta verò 90 [*nempe ad contignationem usque; nam supra contignationem altum adhuc erat 10 cubitos, ut summa 100 cubitorum efficiatur*] sine contignatione intermedia perpetuâ illâ altitudine ad illud quod in summo fuit tabulatum attollebatur. Interior autem domus (quæ τὰ ἅγια sive *Sanctum* dicitur) cùm & ipsa esset 100 cubitos alta, contignatione intermediâ distinguebatur in duo veluti tabulata sive membra, quorum superius 40, inferius verò 60 cubitos altum erat, latum 20, longum verò 40. In eo erat candelabrum aureum cum septem lychnuchis, mensa aurea cum 12 panibus, & Altare suffitûs aureum cum 13 variis Thymiamatum generibus. Eò solis Sacerdotibus λειτουργοῦσι patebat accessus. Portam habuit 55 cubitos altam, 16 latam, cum foribus inauratis, unáque postibus, & qui utrinque adjacebat pariete. Supra portam dependebat Vitis aurea cum racemis aureis hominis staturam magnitudine æquantibus. Foribus oppansum erat velum sive aulæum pari magnitudine, opere Babylonio mirabili, totum ex byssо, purpura, cocco & hyacintho variis figuris contextũ, in quo depicta erat tota cœli ratio, exceptis signorum Zodiaci figuris. Intimum postea adytum (quod ἅγια ἁγίων *Sanctum sanctorum* dicitur) sequebatur, longum & latum 20 cubitos, altum verò 60, pari nempe cum τῷ ἁγίῳ altitudine, à quo altero simili velo sive aulæo separatum fuit. In eo nihil omnino fuit positum; invisum etiam & inaccessum erat omnibus præterquam soli summo Pontifici, qui semel duntaxat in anno eò ingrediebatur, solenni festo quo publicum à tota Gente celebratur jejunium.

Porrò circa latera inferioris hujus partis Templi multæ erant Cameræ sive Cellæ mutuò perviæ cum fenestris aureis, triplici erectæ in altum tabulato, in quas juxta Templi portam (interiorem scilicet) utrinque patebat ex una in aliam ingressus. Secundum autem sive superius Templi tabulatum nullas ejusmodi habuit adjunctas & circumpositas cellas, tantóque fuit propterea inferiore angustius, excelsius verò fuit 40 (uti dictum) cubitis; atque sic colligitur universa Templi altitudo 100 cubitorum, additis nimirum ad 60 cubitos inferioris partis hisce 40 cubitis superioris tabulati, speciémque habuit & formam Basilicæ. Exterior autem Templi facies nihil habuit quod animus & oculi non mirarentur; laminis enim graviſſimis aureis undiquaque obtectum erat, ità ut ad Solis primùm exorientis (ad quem obversum erat) jubar splendorem ejacularetur tantum ut intuentium oculi quasi solaribus radiis perstringerentur; peregre autem advenientibus simile niveo monti videbatur: nam ubi deauratum non erat, candidissimo

simo marmore constabat. In summo denique verubus sive spiculis aureis veluti horrebat acutissimis nè ab insidentibus avibus inquinaretur. Saxorum porrò quibus exstructum erat nonnulla longa erant 45 cubitos, sex lata, crassa verò quinque.

Ante Templum autem ex adverso portæ ipsius Ara collocata fuit quadrata, longa & lata 50 cubitos, alta quindecim, angulos habens instar cornuum prominentes, ad quam à Meridie ascensus sensim assurgebat; sine ferro autem constructa fuit, neque unquam ferrum eam tetigerat. Cæterùm Templum & Aram cingebat (uti dictum) humilis quædam ex pulcerrimo saxo lorica, quâ populus à Sacerdotibus dirimebatur. Qui autem ex populo & Sacerdotibus per omnia mundi non erant, ab interiore Septo excludebantur. Sacerdotum verò quibus ob aliquem in corpore defectum non licebat per Legem sacris operari, aderant quidem intra loricam illam cum reliquis qui integro erant corpore (partémque suam de sacrificiis accipiebant) ; at communi & plebeia in veste; sacris enim vestibus soli ii utebantur qui sacra faciebant. Ad altare autem ascendebant & in Templum ingrediebantur de Sacerdotibus qui puri & integro erant corpore, byssinâ veste amicti, & abstemii, nè vino obruti in Ministerio suo perperàm agerent. Summus autem Pontifex unà illis aderat; at non singulis diebus, sed Sabbatis & Noviluniis solennibúsque Festis. Semel autem in anno solenni die Jejunii, veste amictus splendidissimâ planéque singulari, in Adytum sive Sanctum sanctorum ingrediebatur.

ANTONIA ARX.

Arx Antonia exstructa erat ad angulum quo Septentrionalis & Occidentalis septi exterioris Templi Porticus conjungebantur, quadrata & ipsa sicut Templum, ab Asamonæis primùm exstructa (& *Baris* ab iis appellata) adhoc ut in ea asservaretur stola Pontificia, quam Herodes post occupatum regnum ibidem asservari curavit, póstq; ejus mortem Romani eâ tanquam Arce usi eandem stolam sive vestem ibidem repositam asservarunt sub sigillo summi Pontificis & eorum qui Gazophylacio erant præpositi. Ii pridie Festi ascendebant eò, & agnito sigillo integro & inviolato stolam depromebant, móxque peracto Festo eodem reponebant, sigillum suum Arcis Præfecto præmonstrantes. Hanc Arcem ad Templi tutelam munitiorem reddidit multò, déque Antonii, Octavii Augusti in Triumviratu Collegæ, amici sui, nomine *Antoniam* vocavit. Ea inædificata fuit scopulo collis saxoso undique prærupto 50 cubitos alto; hunc ab ipsis radicibus levibus ex cæso lapide crustis obtegi curavit Herodes, quò & decus adderetur operi, & facilè dilaberentur qui vel ascendere vel descendere tentavissent. Deinde ante Arcis ipsius ædificium murus erat cubitorum trium; intra hunc Arx sive Turris ipsa quadrata constructa erat, cujus latera erant 200 cubitos, sive dimidium stadium, longa (ut totus ejus ambitus fuerit duorum stadiorum, Templum autem illi junctum, unà cum ipsa Arce, sex in universum fuerit stadiorum) 40 verò cubitos alta. Cúmque tota haberet Turris speciem, quatuor in angulis quatuor habuit alias turres, quarum 3 fuerunt 50 cubitos altæ, illa verò quæ ad angulum Meridionalem [*Angulus ille sic dicitur non respectu Templi sed respectu Antoniæ: non enim sita fuit Antonia ad Meridionalem & Orientalem Templi plagam, sed ad Septentrionalem & Occidentalem ejus angulum*] & Orientalem sita erat, 70 cubitis eminebat, ità ut ex ea totum Templum conspici posset; quà verò Templi porticibus jungebatur utrinque in ambas habuit descensus, unde milites commeabant ad Templi custodiam. Semper enim in ea Romani milites residebant qui per Porticus cum armis dispositi festis diebus observabant nè populus aliquid tumultuaretur: nam Templum urbi veluti Arx seu Castrum quoddam erat impositum, Templo verò ipsa Antonia, in qua qui erant collocati milites trium illorum erant custodes, Urbis nempe, Templi & Antoniæ ipsius, præter quam aliud fuit superioris civitatis veluti præsidium quoddam, Herodis nempe Regia. Antoniæ autem olim Bezetha sive nova civitas juncta fuit, sed eam ab ista Herodes profundâ & latâ fossâ separavit, ut sic nulla ex parte accessus ei præterquam ex Templo pateret. Porrò ipsa Antonia introrsum Regiæ amplitudinem & formam habuit, divisa enim & distincta fuit in varia omnis generis omnísque usûs habitacula, atria, porticus, balnea & aulas amplissimas militibus collocandis aptissimas, ità ut si omnia quæ in ea erant ad usum vitæ necessaria spectentur, Urbs, si verò structuræ magnificentia, Regia videretur.

In Templi Hierosolymitani descriptionem à Josepho factam, & dimensiones ab eo traditas OBSERVATIONES.

Totius Templi longitudo atque latitudo.

Josephus & Talmudistæ totum Templum quadratum faciunt, cum duplici Septo, interiore uno, exteriore altero, quorum alterum altero includebatur, quomodo quadratum minus in majore includitur. Talmudistæ Septum exterius vocant *montem Domûs*, הר הבירה, interius autem vocant מקדש *Sanctuarium*; à Josepho istud dicitur ἅγιον & ἁγίων ἁγίων. Josephus Septi exterioris latera singula facit longa stadium unum, Talmudistæ autem 500 cubitos. Hæc videntur adversis frontibus pugnare, cùm omne stadium sit spatium apud omnes Gentes longum 400 duntaxat cubitos, sive pedes 600, passus 120, aut ad summum cubitos 412 ½, pedes 625, sive passus 125, quandoquidem octo stadia mille passus conficiunt sive 5000 pedes. Sed hæc facilè conciliari possunt, si dicamus Josephum stadia intellexisse Hebraica, Talmudistas autem cubitos intellexisse non Hebraicos, sed vel Atticos vel Romanos. Nam ut ab aliis [Jac. Cappel. de mensuris intervallorum, Defin. 29.] jam antea observatum est, qui de mensuris accuratè scripserunt, pes Hebraicus Romano (& verò etiam Attico ferme) major est præcisè quartâ ipsius Romani pedis parte, ità ut 4 pedes Hebraici faciant 5 Romanos, & 600 Hebraici Romanos 750, Atticos 744, proindéque 400 cubiti Hebraici faciunt præcisè 500 Romanos. Hoc pacto stadium Hebraicum constans 400 cubitis Hebraicis, & 500 cubiti Romani, una sunt eádemque planè mensura paris omnino longitudinis. Hoc itaque sit jam constitutum, singula Septi exterioris latera longa fuisse 500 cubitos, non Hebraicos sed Atticos vel Romanos, omnésque cubitos, quibus tum Josephus tum Judæi in Templi dimensione utuntur, esse Atticos vel Romanos cubitos. Atque hæc est amplitudo quæ ab Ezechiele tribuitur toti ambitui Templi, quo omnia Templi atria & membra continebantur, c. 42. 20. ubi pro קנים intelligendum esse אמות *cubitos* rectè observat ex Lxx & Vulg. interprete Castalio. Indéque deprehenditur Villalpandi error qui Septo exteriori tribuit 125 calamos.

Utriusque Septi dimensiones.

Quantum fuerit interius Septum Templi, quantúmque quod inter utrumque Septum fuit ὕπαιθρον spatium Josephus non definit, tantùm Porticuum exterioris Septi & Atriorum interioris latitudines notat, non item longitudines. Itaque indaganda illa & colligenda sedulò nobis fuerunt, ut accuratam totius Templi ἰχνογραφίαν, secundùm Josephi mentem & mensuras ab eo traditas, efformaremus atque designaremus. Illa autem investigavimus & collegimus ex atrii Sacerdotum (quod intra Septi interioris ambitum conclusum fuit) dimensione quam Talmudistæ accuratè & convenienter definiunt. Dicunt igitur Atrium

illud (intra quod Templum propriè dictum positum fuit) fuisse ab Oriente in Occidentem longum 187 cubitos, à Meridie verò in Septentrionem latum 135 cubitos. Notat etiam Josephus Atrium illud humili quadam & eleganti loricâ lapideâ, cubitum unum duntaxat altâ, distinctum fuisse & separatum tribus ex partibus à Virorum & Feminarum Atriis, quæ illi fuerunt ab Oriente, Meridie & Septentrione circumpositæ. Hujus loricæ latitudinem non definit Josephus; sed quando tam fuit humilis, verisimile non est eam latiorem fuisse cubito uno, vel sesquicubito: ad hoc enim duntaxat exstructa erat, nè quis è plebe sive vir sive femina ex Atrio suo in illud Sacerdotum irrumperet & transiliret; itaque eam ab Oriente ex Atrii feminarum parte latam facimus cubitum unum, à Meridie autem & Septentrione ex parte Atrii virorum latam supponimus sesquicubitum. His positis sic colligimus Septi interioris intrinsecùs amplitudinem. Ab Oriente in Occidentem Atrium Sacerdotum longum fuit 187 cubitos. Lorica quâ ab Atrio feminarum separabatur lata fuit cubitum unum, Atrium ipsum feminarum latum fuit 40 cubitos; sic colliguntur in universum 228 cubiti. A Meridie autem in Septentrionem Atrium Sacerdotum latum fuit 135 cubitos. Lorica quâ utrinque discernebatur ab Atriis virorum, lata fuit utraque simul 3 cubitos: Atria duo virorum lata simul fuere 60 cubitos. Ità colliguntur in universum 198 cubiti. Septum ergò interius intrinsecùs longum fuit ab Oriente in Occidentem 228 cubitos, latum verò à Meridie in Septentrionem 198 cubitos. Jam longitudini illi 228 cubitorum addatur latitudo Porticûs Orientalis & Occidentalis Septi exterioris, quæ latæ fuerunt singulæ 40 cubitos, sic fient 308 cubiti; quibus deductis de 500 cub. restant 192 cub. in duas æquales partes hinc indè ab utroque Septi interioris latere dividendi: quare unaquæque fuit 96 cubitorum; tot nempe fuerunt cubiti inter Orientalem & Occidentalem Porticum exterioris Septi & Septum ipsum interius. Spatium autem illud 96 cubitorum utrinque sic distinguimus in tres inæquales partes, quarum priori damus 31 cubitos, quos assignamus latitudini Exedrarum Septo interiori extrinsecùs circumpositarum; 30 cubitos damus gradibus quibus ab exteriori ad interius Septum ascendebatur, (de quibus infrà dicturi sumus ubi de gradibus Templi agemus:) denique 35 cubitos assignamus spatio illi ἰσοπέδῳ æquo & plano quod intercessit inter porticus Septi exterioris & supradictos Gradus. Similiter latitudini interioris Septi 198 cubitorum addenda est latitudo Porticûs Meridionalis Septi exterioris, quæ fuit 70 cubitorum, item latitudo Porticûs Septentrionalis illi oppositæ, quæ fuit 40 cubitorum: sic fiunt in universum 308 cubiti deducendi de 500. restant 192 cubiti, rursus in duas æquales partes, singulas 96 cubitorum, ut suprà, dividendi, & hi 96 cubiti in tres inæquales partes pari modo, ut suprà, distinguendi.

Porrò Septum interius bifariàm potest accipi, ejúsque amplitudo bifariàm intelligi, nempe vel cum vel sine Exedris illis adjunctis & circumpositis. Si posteriore modo accipiatur, nempe sine Exedris, amplitudo ejus ea est quam suprà posuimus; nempe longum fuit 228 cubitos, latum 198. Si verò priore modo accipiatur, addenda est utrinque priori illi mensuræ latitudo Exedrarum illi adjunctarum, quam diximus fuisse 31 cubitorum, & infrà ubi de Exedris dicemus probabitur. Itaque extrinsecùs longum fuit Septum interius ab Oriente in Occidentem 290 cubitos, latum verò extrinsecùs etiam à Meridie ad Septentrionem 260 cubitos. Spatium autem hypæthrum, quod quatuor ex partibus intercessit à Porticibus Septi exterioris ad murum extimum septi interioris, fuit 65 cubitorum, quorum 35 cubiti fuerunt (utì dictum) in loco æquo & plano, vario lapidum politissimorum genere constrato; 30 autem cubiti occupati fuerunt à gradibus quibus ad portas Septi interioris ascendebatur.

Exedræ Septi interioris.

Septo interiori Exedræ sive grandiores Cellæ aut Cameræ fuerunt extrinsecùs omni ex parte, etiam ab Occidente, circumpositæ. Harum Talmudistæ disertam & expressam faciunt mentionem, earúmque indicant usum. Et sanè tota ministerii Sacerdotalis & Levitici ratio postulabat, & verò flagitabat, ut multæ essent variæque & multiplices in Septo illo Exedræ & grandiores Cellæ, quarum aliæ inservirent ad recondendam sacram pecuniam, aliæ ad reponenda varia & multiplicia quæ Altari & victimarum mactationi inserviebant sacra vasa & instrumenta, aliæ ad asservandas & reponendas Sacerdotum vestes, & Levitarum Cantorum tubas & Musica instrumenta, aliæ ad recondendum sacrum Vinum, Oleum, Salem, Thus & Aromata ad Incensum & libamina, aliæ ad reponendas Decimas, Primitias & votivas Oblationes, aliáque id genus multa, aliæ ad lavanda & purganda victimarum intestina, ad parandas & servandas earum pelles & exuvias, ad includendos & servandos jugis sacrificii agnos quotidie immolandos, aliæ ad paranda & conficienda liba, & quæcunque in sartagine & frixorio confici solebant, ad coquendos item & parandos panes Propositionis, aliáque ejusmodi multa quæ ad varium & multiplex ministerium Altaris Leviticum pertinebant. Hæc omnia prope & circa Templum & Altare posita esse debuerunt, ut essent ad manum in quotidiano usu atque ministerio. Josephus earum nonnisi verbulo meminit, ubi de portis Septi interioris loquitur; dicit nempe quòd duæ τῶν πυλῶν τοῦ ναοῦ τὸ πλάτος πηχῶν πεντεκαίδεκα, μῆκος τὰς ἀσπίδας πλατυνόμεναι ἑκατέρωθεν παρ' ἑκάτερον τεῖχος πήχεις ἐξήκοντα εἶχον, εὖρός τε ἓξ μῆκος πυργοειδῶς, Ubi observandum est duo fuisse circa septum illud Exedrarum veluti genera, unum in ipsis septi portis, quas Josephus hic vocat πυργοειδεῖς, quia illis quæ à latere erant inter duas portas altiores erant, & turris in modum super eas attollebantur; alterum genus erat earum quæ vel inter duas portas, vel à latere portarum erant. Harum non meminit Josephus. Quæ in ipsis Portis erant per eas populus ad Atria sua in interius Septum ingrediebatur: atque hic unus earum videtur usus, nisi fortè utrinque sedes collocatæ fuerint, in quibus Sacerdotum & Primorum populi habita fuerint Concilia & conventus. Exedrarum, quæ à portarum latere, vel inter duas portas fuerunt, varius fuit & multiplex usus, quem modò indicavimus. Quæ in Portis fuerunt Josephus dicit eas post introitû introrsum dilatatas longas & latas fuisse 30 undique cubitos, quod accipiendum ut παχυμερῶς dictum; præcisè enim loquendo longæ fuerunt 31 cubitos à primo Portæ limine ad ingressum usque Atrii seu virorum seu feminarum, latæ verò fuerunt 29 duntaxat cubitos; tot autem revera earum area cepit quadratos cubitos (nempe 900 uno excepto) quot caperet si singula earum latera fuissent 30 præcisè cubitos longa; si enim 29 per 31 multiplices dabunt 899, triginta autem per se multiplicati dant 900. Exedrarum quæ à latere portarum, vel inter portas fuerunt, eadem fuit mensura, si quadruplicem quo cinctæ fuerunt quatuor ex partibus murû complectaris; at si quadruplicem illum murum & spatium inter quadruplicem illum murum vacuum spectes, latæ fuerunt & longæ in quadrum 20 cubitos, nempe extimum Septi interioris murum (quà porticus Septi exterioris respiciebat) crassum facimus 5 cubitos (& sanè Judæi Talmudistæ post Ezech. 40. 5, 6. & 41. 5. tot cubitos assignant crassitudini muri tum Templi ipsius tum atrii Sacerdotum) interiorem verò, quo Porticus sive Atria interioris Septi ab Exedris illi circumpositis separabantur, crassum facimus quinque duntaxat cubitos; neque enim necesse fuit eum tam esse crassum quàm exteriorem: spatium autem inter utrumque murum Exedrarum latitudini destinatum 20 cubitos fuit latum; murum autem qui ab utroque Portarum latere Exedras quæ in ipsis portis, ab Exedris quæ à latere Portarum erant, discludebat, crassum facimus cubitos 4½. Quòd autem

autem Exedræ non fuerint 30 cubitos (ut vult Josephus) latæ, sed duntaxat 29. ostendetur infrà ubi de columnis Templi & columnationis ratione agemus, & latitudinis earum ratio demonstrabitur. Cæterùm ab Occidente ponè Templum post parietem Occidentalem atrii Sacerdotum videtur spatium aliquod fuisse non occupatum ab Exedris, cum quòd ab ea parte Romani dicuntur diu frustrà quassasse murum illum ariete, ut indè irrumperent in Templum & atrium Sacerdotum, tum ex loco qui habetur l. 6. c. 1. de bello Jud. ubi Johannes dicitur ab ea parte juxta Exedram erexisse ligneas turres ut indè Zelotas Templum occupantes impeteret. Porrò distat Josephus à Talmudistis in Septi hujus interioris descriptione, quòd Talmudistæ non meminerunt omnino duplicis Atrii virorum, quod Josephus collocat intra Septi interioris ambitum interiorem, à parte nempe ejus Meridionali & Septentrionali; Atrium autem feminarum ipsi non collocant cum Josepho intra sed extra Septi interioris ambitum interiorem; quin faciunt Exedras atrio Sacerdotum utrinque contiguas, Atrii Sacerdotum muro duntaxat ab eo discretas.

COLUMNÆ Templi, earum numerus, & columnationis ratio.

Josephus notat in Porticu Meridionali Septi exterioris, quæ *Regia* dicitur, quadruplicem fuisse columnarum seriem, in eâque columnas in universum numero 162. Idem alibi notat columnas Templi tantas fuisse quantum capere possent expansis ulnis tres homines, sive, ut ipse explicat, habuisse eas in circuitu 12 cubitos. Verba ejus sunt Antiq. lib. 15. c. 14. πάχος δὲ ἑκάστου κίονος ὡς τρῶν ἀνδρῶν συναπτόντων ἀλλήλοις τὰς ὀργυὰς περιλαβεῖν, ubi legendum est, ὡς τριῶν ὄντων συνάπτοντας, &c. Item de bello Jud. lib. 6. c. 6. δύο δ' ἀνέσχον ἑκάστῳ (θύρᾳ scilicet) κίονες δώδεκα πηχῶν τὸν περίπλουν ἔχοντες, καὶ πρὸ μὲν ἄλλων ἦσαν ὧν τὸ μέγεθος. 12 cubiti & trium hominum ulnæ congruunt, unam eandémque mensuram constituunt, quatuor nempe in unius hominis ὀργυιὰς sunt cubiti: atque hæc columnarum crassitudo videtur facta ad imitationem columnarum ærearum quæ in Templi Salomonici vestibulo fuerunt positæ; fuerunt enim illæ tantundem crassæ, 1 Reg. 7. 15. Hoc jam ergò posito, & dato in Porticûs illius Meridionalis longitudine 162 columnas fuisse in quadruplici serie collocatas, singulas 12 cubitos in circuitu habentes, sequitur Porticum illam distinctam fuisse in 40 spatia æqualia, singula 12½ cubitos lata, atque in iis consistitos 39 quaternarum columnarum ordines, in quibus 156 columnæ fuerunt; deinde in utroque Porticûs extremo, muro ipsi infixos fuisse duos ternarum columnarum ordines, quomodo id videre est in ἰχνογραφίᾳ nostra: ità fiunt in universum 162 columnæ. Diximus autem spatia illa in quibus columnæ fuerunt positæ lata fuisse cubitos 12½, si enim 500 dividas per 40, partes erunt 12½; ab hac mensura si demas columnæ ipsius crassitudinem, quatuor nempe cubitos, (nam quandoquidem ambitus earum fuit 12 cubitorum, diameter fuit 4 cubitorum) restabunt cubiti 8½ pro intercolumnio, quæ columnationis ratio media est inter Systylon & Eustylon: nam in Eustylo intercolumnium est (secundùm Vitruvium) crassitudo duarum columnarum & quartæ partis crassitudinis columnæ; in Systylo verò intercolumnium est duarum precisè columnarum. At hîc intercolumnium est duarum columnarum & octavæ partis crassitudinis columnæ: nam dimidius cubitus est octava pars crassitudinis columnæ, cujus diameter fuit (ut dictum) 4 cubitorum. Quòd si 400 duntaxat cubiti darentur longitudini Porticûs illius, tum 40 illa intervalla essent denûm duntaxat singula cubitorum, ac proinde intercolumnia fuissent unius duntaxat & dimidiæ columnæ, sive sex cubitorum: quæ columnationis ratio ea est quæ *Pycnostylos* à Vitruvio dicitur. Sed ea ipsi improbatur ut incommoda minúsque conveniens, itaque non videtur omnino ea usurpata in Templi hujus elegantissimè & summa cum arte atque symmetria exstructi fabrica. Deinde si Porticus istæ Septi exterioris longæ duntaxat fuissent 400 cubitos, spatium hypæthrum inter eas & Septi interioris Exedras latum fuisset 20 tantùm cubitos, quæ nimia est planè inter utrumque Septum tam altum angustia. Itaque hinc rursus probatur atque demonstratur id quod initio posuimus pro constituto, Porticus exterioris Septi singulas longas fuisse non 400 sed 500 cubitos. Jam verò par & eadem ratio fuit Porticûs Septentrionalis isti oppositæ, quæ cùm 40 tantùm cubitos lata esset, tres duntaxat habuit columnarum series, paritérque 39 ternarum columnarum ordines (in quibus 117 columnæ) & in extrema porticu duo binarum columnarum ordines in ipsis Porticûs extremis parietibus infixi: ità fuerunt in ea Porticu 121 in universum columnæ, eâdem columnationis ratione positæ, nempe mediâ inter Systylon & Eustylon. In Orientali autem & Occidentali Porticu fuerunt 29 ternarum similiter columnarum ordines, h. e. in utraque Porticu 87 columnæ, quarum intercolumnia fuerunt 9 cubitorum, h. e. crassitudinis duarum columnarum & quartæ partis: quæ columnationis ratio ea est quæ à Vitruvio *Eustylos* dicitur maximéque illi probatur, utpote convenientissima. Hoc autem sic ostenditur; Si de longitudine 500 cubitorum demas latitudinem Meridionalis & Septentrionalis Porticûs, quæ ambæ latæ simul fuerunt 110 cubitos, remanet longitudo duarum illarum Porticuum 390 cubitorum: hanc divide in 30 spatia seu intervalla æqualia, erunt illa lata singula 13 cubitos: ab his 13 cubitis demenda est columnæ unius crassitudo, nempe 4 cubiti, restant 9 cubiti pro intercolumnio. Intervalla autem illa 30 dant 29 ternarum columnarum ordines. Sic ergò in universum 457 fuerunt in quatuor Septi exterioris Porticibus columnæ. Earum numerum Josephus non commemorat, at nos eum sic collegimus, cùm eadem fuerit in reliquis Porticibus dispositionis columnarum ratio. Pari modo indagamus & deprehendimus columnarum Septi interioris numerum. In eo tria fuerunt Atria, duo virorũ, una feminarũ: illa fuerunt simplicia, propterea q; in iis duo duntaxat columnarum ordines; istud duplex fuit, atq; ideo tres in eo columnarũ series. Atrium feminarum longũ erat (ut suprà vidimus) 198 cubitos: hi dividendi in spatia seu intervalla æqualia 15, singula lata 13 cubitos cum cubiti quinta parte. Quæ columnationis ratio est parùm admodum major Eustyli ratione; hujus nempe intercolumnium majus est Eustyli intercolumnio vigesimâ parte diametri columnæ, sive quintâ cubiti unius parte. Intervalla illa 15 dant 14 ternarum columnarum ordines (h. e. 42 columnas) cum quatuor aliis, in duobus Atrii extremis, columnis. Ità fuerunt in Atrio feminarum 46 columnæ. Utrumque virorum Atrium longum fuit 188 cubitos; nempe quantum fuit longum ipsum Sacerdotum Atrium, additâ ejus longitudini latitudine Loricæ quâ illud ab Atrio feminarum distinguebatur. Hi 188 cubiti si in 13 spatia seu intervalla æqualia dividantur, singula erunt 14 cubitos cum $\frac{6}{13}$ ab his si demas columnæ crassitudinem restabunt 10 cubiti cum $\frac{6}{14}$ ad intercolumnium: quæ columnationis ratio media est inter Eustylon & Diastylon; nam in Eustylo intercolumnium est 9 cubitorum, in Diastylo 12 cubitorum sive crassitudinis trium columnarum, at hîc est cubitorum $10\frac{6}{14}$. Intervalla illa 13 dant 12 binarum columnarum ordines: fuerunt itaque in singulis virorum Atriis 24 columnæ, proindéque in tribus Septi interioris Atriis 94 columnæ, viz. 48. in duobus virorum Atriis, 46 autem in feminarum Atrio. Hæ si addantur 457 columnis quæ fuerunt in Septo exteriore, exsurgit universus in utroque Septo 551 columnarum numerus. Quibus si addantur columnæ 49, quæ in omnibus tum Templi tum utriusque septi portis fuere, exsurget universus columnarum toto Templo numerus ad 600. Nimirum 9 fuere in Septo interiore portæ majores, in exteriore autem quatuor majores, tres autem minores, quæ ὡς τὸ πρόσθεν & in Antoniam ducebant. Majoribus portis tres tribuimus columnas, minoribus duas: ità portæ illæ habuerunt 45 columnas. In Vestibuli autem & Templi ipsius porta quatuor omnino

fuerunt

fuerunt columnæ. Sic fiunt 49 in Templi & utriusque Septi portis. Porrò ex dimensione illa quam modò fecimus utriusque Atrii virorum, quæ nos divisimus in 13 spatia seu intervalla æqualia singula cubitorum $14\frac{1}{2}$, liquet portas Meridionales & Septentrionales Septi interioris non fuisse præcisè latas tricenos cubitos (uti vult Josephus) sed duntaxat 29; nempe portæ illæ occuparunt spatium duorum intervallorum in quæ divisa fuere virorum Atria; intervalla autem illa non potuerunt esse nisi cubitorum 14 cum semisse, non verò 15, uti jam ostensum est.

PORTARUM Templi numerus & mensura.

Quæ de illis habet Josephus, plana & expedita videntur, egent tamen aliquâ illustratione. Et ad numerum quidem Portarum quod attinet, certum est in Templo propriè & strictè sic dicto duas fuisse Portas; unam exteriorem & grandiorem, quâ ex atrio Sacerdotum in Templi Vestibulum ingressus patebat; alteram interiorem & minorem quâ ex Vestibulo in locum Sanctum ingrediebantur Sacerdotes. Tertia fuit in Templo Salomonico Porta, quâ ex loco Sancto in Adytum, sive Sanctum sanctorum, dabatur ingressus per parietem interjectum, at in Templo Josephiano & Talmudistico nulla fuit ejusmodi Porta; simplici enim secundùm Josephum velo (duplici verò secundùm Talmudistas) distinctus fuit locus Sanctus à Sancto sanctorum. Ostia autem illa, quibus ex vestibulo in Cellas Templo circumpositas ab utroque Portæ interioris latere dabatur ingressus, non numeramus in Portarum censu, uti neque ostia illa multa numero quibus in varias Exedras Septo interiori circumpositas ingressus erat, quia illa revera non fuerunt Portæ, sed angusta potiùs & humilia ostiola, Portarum amplitudini minimè comparanda. Josephus Antiq. lib. 6. cap. 6. videtur Septo interiori Portas decem attribuere, 4 nempe à Meridie, totidem à Septentrione, duas verò ab Oriente; sed cùm aliàs constanter novem tantùm Portas septo illi tribuat, monuimus alibi (in Historia nostra Apostolica) errorem eò loci esse apud Josephum, & quomodo sit accipiendus ille locus exposuimus. Talmudistæ septem duntaxat agnoscunt in septo illo portas, tres à Meridie, totidem à Septentrione, unam denique ab Oriente nempe cùm illi Atrium feminarum collocent non intra (cum Josepho) sed extra septi illius ambitum, necesse est eos ignorasse duas illas Portas quibus secundùm Josephum in Atrium illud à Meridie & Septentrione patebat ingressus. Porrò tum Josephus tum Talmudistæ nullam agnoscunt in Atrio seu septo illo interiori Portam à latere Occidentali, sed perpetuum ab ea parte (ponè Templum) murum. In exteriori septo Josephus 6 statuit Portas, unam ab Oriente, aliam à Meridie, utramque in Porticûs suæ medio collocatam, & ab utroque ejus angulo sive extremo æqualiter distantem; quatuor alias collocat in Occidentali Porticu Portas, duas nempe (uti videtur) minores, illas nempe quas dicit duxisse εἰς τὸ περάσιον, duas verò majores, quarum una ducebat εἰς τὰ βασίλεια, sive Assamonæorum (uti videtur) regiam atque palatium, & in Xystum juxtà positum, per pontem mediam vallem interjectam trajicientem, altera in reliquam urbem per gradus dispositos ad imam usque vallem, indéque per adversum collem ascendentes. Quanquam suspectæ mihi omnino videntur duæ illæ minores Portæ quæ ducebant εἰς τὸ περάσιον, cùm Urbis & Templi situs ratio non videatur posse facilè pati tot ab ea parte fuisse Portas, siquidem Porticui illi subjecta erat immensa quædam & profundissima vallis seu vorago. Præter has dabatur etiam proculdubio à Septentrionali Porticu aliquis in Antoniam arcem aditus; sed quia is fortè fuit angustus, non videtur Portæ nomen meruisse, saltem nullius ab ea parte meminit Josephus Portæ, quamvis videantur necessariæ etiam ab ea parte Portæ, cùm tota nova civitas veteri ab illa parte accreverit. Talmudistæ quinque duntaxat in isto Septo constituunt Portas, & quidem duas à Meridie (Josephus unam tantùm agnoscit) singulas autem in reliquis tribus partibus.

Ad amplitudinem etiam Portarum quod attinet, magna est inter Josephum & Talmudistas dissensio. In hoc conveniunt quòd neutri mensuras Portarum exterioris septi definiunt; in cæteris perpetua est inter eos dissensio. Nam Talmudistæ Portas interioris Septi faciunt latas omnes 10 cubitos, altas 20. eandem dant mensuram portæ interiori Templi, Vestibuli autem portam latam faciunt 20 cubitos, altam 40, h. e. duplo cæteris majorem. Josephus portas octo Septi illius quæ à Meridionali & Septentrionali latere fuerunt, omnes latas facit 30 cubitos, altas totidem; unam Orientalem facit latam 40 cub. altam verò 50. Vestibuli portam latam fuisse dicit 25 cub. altam 70 fine valvis: interior denique Templi porta secundùm eum lata fuit 16 cub. alta 55. Atque hîc observandum in mensuris istis à Josepho traditis non esse putandũ valvas quibus portæ claudebantur latas fuisse 15 vel 20 cubitos cum dupla altitudine, in portis putà illis quas facit 30 & 40 cubitos latas; vasta enim nimis est proculdubio illa valvarum latitudo atque amplitudo, & ad motum in aperiendo & claudendo gravis & operosa nimis, nè dicam, fortè impossibilis: tum etiam non tanta fuit muri crassitudo ut valvæ introrsum apertæ & adductæ muróque utrinque applicatæ ejus crassitiem (quod necesse tamen fuit) non excesserint. Portarum igitur ratio & structura ità est instituenda ut valvæ utrinque apertæ & muro applicatæ ejus crassitiẽ non multùm superent aut verò exequent. Quod nos sic fieri posse putamus, si in medio totius latitudinis Portæ, sive τῆ πυλῶνος aut θυρώματος, collocemus reliquis similem columnam, crassam nempe 4 cubitos, cui duæ appensæ sint fores seu valvæ ligneæ, utrinq; nimirũ singulæ, columnæ autem duæ quæ ab utroque Portæ latere stant postium vice, singulæ duos cubitos, h. e. mediâ crassitudinis suæ parte intra portæ latitudinem projiciantur, quibus itidem duæ aliæ valvæ appensæ sint. Sic enim fiet ut & spatium in porta ab utroque mediæ columnæ latere vacuum & inane quod valvis clauditur, fit convenienter latum, nec multùm abscedat à latitudine quam Josephus portæ tribuit, & valvæ singulæ eam habeant latitudinem quæ vel æquet vel parùm superet, aut proximè accedat ad muri crassitiem, utpote quæ in tota quidem Porta quatuor sint numero, binæ nimirum in singulis θύραις, quæ geminæ fuerunt in unoquoque πυλῶνι, sive majori Porta.

Exempli gratiâ, In portis Septi interioris Meridionalibus & Septentrionalibus, quas Josephus dicit latas fuisse 30 cubitos, nos ostendimus earum latitudinem præcisam fuisse 29 duntaxat cubitorum. Si hæc ratio observetur, ut in medio earum statuatur columna ejusdem cum reliquis crassitudinis, & columnæ duæ quæ ab utroque Portæ latere stant, duos utrinque cubitos projiciantur intra Portæ latitudinem, fiet ut spatium utrinque vacuum & inane latum sit 10 cubitos cum dimidio, conjunctum autem 21 cubitos; si enim 8 cubitos de 29 demas restant 21, qui in duo æqualiter divisi dant $10\frac{1}{2}$. Ergò geminæ valvæ quibus utrumque spatium utrinque claudebatur latæ fuerunt cubitos $5\frac{1}{4}$, imò verò $5\frac{1}{3}$, (nam quadrans cubiti addendus est, tantundem enim valvæ columnæ cui appendebantur crassitudinem ingrediebantur) quæ mensura muri crassitiem (quæ fuit 6 cubitorum) ferè exæquat; ità valvæ apertæ atque muro applicatæ ejus crassitiem tegebant. Atque hæc spatii utrinque vacui latitudo accuratè respondet proportioni quam Vitruvius in Hypochyri lumine vult observari lib. 6. cap. 4. ut nempe latitudo ejus sit paulò minor altitudinis dimidiâ parte; altitudinem scilicet vult dividi in partes 12, & ex iis quinque & dimidiam latitudini luminis tribui ab imo. Jam verò Portæ illæ secundùm Josephum altæ fuerunt 30 cubitos, revera autem & præcisè 24 aut 25 cubitos, quanta nempe fuit ipsius muri altitudo qui (ipso Josepho teste) à limine Portarum altus tantùm fuit 25 cubitos (quòd autem Portarum altitudini dat 30 cubitos, hinc est, quia in earum altitudine complectitur Portarum fornicem seu concamerationem superiam,

nam, quæ fuit 5 cubitos alta, siquidem spatii vacui fornici subjecti latitudo fuit (uti vidimus) decem cubitorum cum dimidio; fornicis enim altitudo debet esse dimidium diametri circuli qui ex latitudine spatii sibi subjecti conficeretur.) Portæ ergò fuerunt propriè & præcisè 24 aut 25 duntaxat cubitos altæ (neque sanè decuisset valvas altitudine superasse murum ipsum in quo collocatæ erant, quod necesse tamen esset si valvis 30 cubitorum altitudinem tribueremus cum Josepho.) Hanc altitudinem si in 12 partes dividas, singulæ erunt 2 cubitorum: sumantur ex eis quinque & dimidia (ut jubet Vitruvius) ad luminis latitudinem, invenietur luminis latitudo infernè 11 cubitorum. Ità confirmatur latitudo illa quam spatio utrinque vacuo in Portarum latitudine dedimus, nempe cubitorum $10\frac{1}{2}$. Portas autem illas sic fuisse constructas (uti diximus) ut nempe in media sua latitudine habuerint columnam reliquis similem, & ab utroque ejus latere spatium vacuum & patens ad ingressum, videtur ostendi posse ex his Josephi verbis lib. 6. De bello Jud. c. 6. cùm de illis portis agit, ᾗ δύο μὲν ἑκάτου πυλῶν δύοιτο, τεσσαράκοντα δὲ πηχῶν τὸ ὕψος ἑκάστης, ut nempe voce πυλῶν intelligat Josephus totam Portæ amplitudinem, per δύοιτο autem non valvas seu fores ligneas quibus Portæ claudantur, sed spatia illa duo inania & patentia ad ingressum, quæ utrinque à mediæ columnæ lateribus erant, quæ foribus & valvis utrinque appensis claudebantur; nam δύοιτο non propriè *valvas* sed *spatium inane quod valvis clauditur* significat, unde etiam est quod Vitruvio spatium illud inane & patens *hypothyrum* (voce Græcâ indè ductâ) appellatur loco modò citato. Sic ergò πυλὼν fuerit *porta*, δύοιτο verò duo in porta spatia vacua & inania, quorum unumquodque binis valvis claudebatur, ità fuerunt in singulis Portis quaternæ valvæ, binæ nempe in singulis δύοιτο, sive inanibus & patentibus ad ingressum spatiis.

Eadem fuisse videtur reliquarum Portarum ratio & structura, licèt mensura diversa. Putà, Orientalis porta ejusdem Septi interioris lata dicitur à Josepho 40 cubitos, alta 50, revera & præcisè lata fuit 39 cubitos, occupavit nempe latitudinem trium intercolumniorum, quæ nos suprà demonstravimus fuisse in Porticu illa 13 cubitos lata singula; tria ergò intervalla 39 cubitorum mensuram impleverunt. Ex his 39 cubitis demantur 8 cubiti, qui occupabantur à media columna & duabus ab utroque latere Portæ columnis, quæ duos singulæ cubitos intra Portæ latitudinem projiciebantur; restant cubiti 31, ad duorum hypothyrorum latitudinem. Ergò singula hypothyra lata fuerunt cubitos $15\frac{1}{2}$, aut ad summum 16. Ergò valvæ quibus claudebantur latæ fuerunt 8 duntaxat cubitos, quæ apertæ & adductæ muróque utrinque applicatæ (qui crassus erat 6 cubitos) ejus crassitiem duobus tantùm cubitis excesserunt atque superarunt: quod sanè longè est tolerabilius quàm si cum aliis diceremus eas superasse muri crassitiem 14 cubitis. Quòd autem Josephus eam dicit altam fuisse 50 cubitos, puto errorem esse in numero, & 50 pro 40 scriptum esse: si nempe 50 legamus, nulla fuerit conveniens latitudinis Portæ ad ejus altitudinem ratio & proportio; at si legamus 40, tum eadem erit latitudinis ad altitudinem proportio quam suprà in reliquis ex Vitruvio ostendimus, nempe latitudo fuerit altitudinis dimidiâ parte paulò minor. Si enim ex 40 cubitis demas 8, quæ fuit fornicis Portæ altitudo, restant 32 cubiti, quæ fuit vera & præcisa postiù Portæ altitudo, cujus dimidium sunt 16 cubiti: ergò cubiti $15\frac{1}{2}$ erit vera luminis hypothyri (ut loquitur Vitruvius) latitudo. Quòd si Portæ tribuatur cum Josepho altitudo 50 cubitorum, non erit hoc accipiendum de spatii vacui & inanis valvarúmque illud claudentium altitudine, sed de totius Portæ, cum superno fornice & suprà fornicem superliminari, & superliminaris ornamentis omnibus, altitudine, ità ut lumen ipsum hypothyri altum fuerit duntaxat 32 cubitos, fornix verò 8 cubitos, superliminare autem ejúsque supra fornicem ornamenta, triglyphi, &c. alta fuerint 10 cubitos, ità universa Portæ altitudo fuerit 50 cubitorum.

Eadem ratio & proportio fuit in porta Vestibuli Templi, quæ secundùm Josephum lata fuit 25 cubitos, alta verò 70: nam si duplicaveris ejus latitudinem habebis 50 cubitos ad altitudinem luminis hypothyri, fornix autem supra illud alta esse debuit cubitos $12\frac{1}{2}$: en tibi 62 cubitos cum dimidio, reliqui ad 70 usque dantur superliminari & ejus ornamentis. Eandem voluit proculdubio Josephus fuisse rationem Portæ interioris Templi, quam latam facit 16 cubitos, altam 55: nam duplicetur latitudo, exsurget postium seu columnarum ad fornicem usque altitudo 32 cubitorum; fornix alta fuit 8 cubitos, en tibi 40 cubitos; crassitudo fornicis cum epistyliis sive superliminari, & variis superliminaris ornamentis assurgere potuerunt ad 15 cubitos, ità invenitur tota Portæ altitudo 55 cubitorum. At non est ità accipiendus Josephus quasi voluerit valvas quibus Porta illa claudebatur altas fuisse 55 cubitos, latas verò octo; fuisset enim illa valvarum nimia & portentosa planè amplitudo, ad motum in claudendo & aperiendo prorsus inepta, & penè impossibilis; sic enim singulæ valvæ occupassent 440 cubitos quadratos, qui, si dimidii cubiti crassitudo valvis tribuatur (minor autem in tanta altitudine tribui non potest) efficient 220 cubitos cubicos, quæ moles videtur non facilè mobilis, & ad usum quotidianum inepta. Itaque fuerit sanè tota Portæ altitudo & amplitudo ejusmodi, uti jam eam explicavimus; at luminis hypothyri valvarúmque illud claudentium minorem multò mensuram fuisse arbitramur. Itaque nos columnam reliquis parem in medio ejus (ut in cæteris fecimus) statuimus cubitos 4 crassam, qui si demantur de 16 cubitis, restabunt 12 ad luminis utriusque hypothyri latitudinem. Ità latitudo spatii hinc & indè vacui & patentis fuerit 6 cubitorum: valva ergò quæ illud clausit, cùm lata similiter fuerit 6 cubitos, aperta & adducta muróque applicata muri crassitiem exæquavit, eámque totam texit. Duplicetur jam hæc hypothyri latitudo, altitudo ejus & valvarum fuerit 12 cubitorum. Indè ad initium fornicis supremi Portæ fuerunt 28 cubiti, quibus si addantur 8 cubiti altitudinis fornicis invenietur spatium æquum & planum (à supremis valvis ad summum usque Portæ fornicem) 36 cubitos altum, latum verò 16. in quo videtur pependisse & applicata muro fuisse intra Portæ amplitudinem Vitis illa aurea cujus & Josephus & Talmudistæ meminerunt, tanta ut ejus racemi hominis staturam exæquarent. Nam tam valla Portæ amplitudo (ut spatium inane & patens altum fuerit 40 cubitos ad summum fornicem, latum autem 16) non videtur omnino decuisse tam breve & angustum loci sancti ædificium, maximè cùm non magna populi multitudo, sed pauci admodum Sacerdotes eò quotidie ingrederentur ad suffitum faciendum, accendendas lucernas, & parandos panes Propositionis. Abunde ad id suffecisse videtur ea quam nos assignamus mensura, ut nempe duo spatia (quæ δύοιτο dici possint, & à Josepho, uti suprà vidimus, dici videntur) inania & patentia in ea Porta fuerint singula 6 cubitos lata, alta 12, cum binis paris magnitudinis foribus seu valvis auro obductis. Atque hæc valvarum altitudo 12 cubitorum hinc rursus confirmari videtur; quòd si altiores constituantur, putà 32 cubitorum, tum per Portam tam altam, valvis apertis & reducto velo, videri facilè potuit totus locus Sanctus non modò à feminis in Atrio suo adorantibus, sed & à promiscua plebe, ipsísque adeò Gentilibus in Orientali Porticu exteriore stantibus; quod non videtur esse verisimile, ut oculis profanorum hominum patuerint loca tam sancta. At si valvæ Portæ illius constituantur altæ duntaxat 12 cubitos, tum neque feminæ neque viri in exteriore Porticu stantes introspicere potuerunt intra locum Sanctum; potuerunt duntaxat videre summas valvas Portæ interioris & Vitem auream illis imminentem, obstante scilicet & aspectum intercludente Arâ sacrificiorum, altâ scilicet secundùm Josephum 10 cubitos.

Ad Portas Septi exterioris quod attinet, quarum mensuras neque Josephus neque Judæi tradiderunt, earum quædam majores, quædam magnæ, quædam denique minores

nores fuisse videntur. Majores sive maximæ fuisse videntur Orientalis & Meridionalis, quia una tantùm fuit in singulis illis Porticibus, per quas magna populi è toto Templo effundebatur multitudo. His minores, sed magnas tamen, arbitror fuisse duas in Occidentali Porticu, per quas in Regiam & reliquam urbem ibatur: his adhuc minores & omnium minimas fuisse verisimile est duas illas in eadem Occidentali Porticu constitutas quibus εἰς τὸ προάστειον (ut loquitur Josephus) patebat aditus. Quæ majores sive maximæ fuerunt, eas puto occupasse quatuor columnarum intervalla quæ diximus suprà fuisse in Orientali Porticu 13 cubitos lata, in Meridionali verò cubitos 12 cum dimidio; ac proinde Orientalis porta exterior lata fuerit 52 cubitos cum tribus interjectis columnis, quatuor spatiis patentibus, & octo valvis, singulis latis cubitos 4 cum dimidio: ità spatium inane & apertis valvis patens fuit totum simul 36 cubitorum, per quod simul eodémque tempore 26 homines seriatim potuerunt commodè egredi. Ejusdem penè mensuræ fuit porta Meridionalis duobus duntaxat cubitis istâ angustior. Quæ verò fuerunt in Occidentali Porticu magnæ videntur istis duplo minores, quippe quæ duo tantùm occuparent columnarum intervalla, in quibus intercolumnia ostendimus suprà fuisse 9 cubitorum; proindéque valvæ in unoquoque intercolumnio geminæ latæ fuerunt cubitos $4\frac{1}{2}$: duo itaque hypothyra sive spatia patentia fuerunt 18 cubitos lata, per quæ 12 homines simul & semel eodem tempore seriatim potuerunt egredi. Reliquas duas minimas Portas putamus singulas intervallum duntaxat unum columnare occupasse, proindéque hypothyrum earum patuisse in latum 9 cubitos, quantum nempe fuit intercolumniorum spatium, quod geminis valvis claudi potuit, singulis cubitos 4 cum $\frac{1}{2}$ latis, atque per has Portas sex homines simul egredi facilè potuerunt: ità in universum per sex illas Septi exterioris Templi Portas simul & semel egredi eodem momento potuerunt 84 homines. Quòd si horæ spatio 1200 homines eâdem Portâ egredi possunt, licèt singuli, alius post alium, exeant (quod videtur fieri posse) liquet unius horæ spatio per portas illas Templo exire potuisse 100000 hominum. Altitudo portarum illarum debuit esse latitudini earum commensurata ad rationem Vitruvianam, ut nempe altitudo dupla ferme fuerit latitudini. Portarum Templi amplitudo secundùm Judæos est plana & expedita; omnes enim latæ fuerunt (secundùm ipsos) cubitos 10, altæ cubitos 20, quæ est proportio dupla, quam Vitruvius exigit in latitudine hypothyri ad ejus altitudinem. Unam Vestibuli portam latam faciunt 20 cubitos, altam 40, quæ est itidem ratio dupla. Atque hæc de Templi Portis.

GRADUS TEMPLI.

Planum est ex Josepho & Talmudistis totum Templum non fuisse in loco æquo & plano situm, sed homines à porticibus Septi exterioris ad intimum Templum gradibus quibusdam ascendisse: atque in hoc quidem conveniunt Josephus & Talmudistæ, quòd utrique faciunt summum Templi solum infimo ejusdem solo seu pavimento altius eodem ferme cubitorum numero; Talmudistæ enim aiunt Templi propriè dicti sive Vestibuli & loci Sancti, Adytíque solum altius fuisse pavimento montis domûs (h. e. solo Porticuum Septi exterioris) 22 cubitis; ex Josepho autem colligi potest illud isto altius fuisse cubitis 21 vel 24. Sed in Graduum numero longiùs invicem distant: nam Judæi 43 vel 44 Gradus numerant; Josephus verò 32 duntaxat, nempe 20 quibus ex Septo exteriori ad interius ascendebatur, deinde 12 quibus ex Atrio Sacerdotum in Vestibulum conscendebatur. Et illi quidem Gradus omnes Templi altos sive crassos faciunt dimidium cubitum (uno excepto quem altum faciunt cubitum unum) Graduum autem retractiones faciunt item latas omnes dimidium cubitum. Josephus Graduum mensuram non tradit; sed eam colligimus partim ex ipso Josepho partim ex Vitruvii de gradibus Ædium sacrarum regulis & præceptis. Tradit Josephus ex hypæthro loco Septi exterioris ad interius Septum Gradibus 14 (sed legendum videtur 15, tot enim numerant Judæi Talmudistæ) ascensum fuisse; indè versùs Septi interioris murum spatium fuisse æquum & planum latum 10. cub. indè rursus ad Septi portas ascensum fuisse Gradibus aliis quinque. Ità fuerunt in universum 20. Porrò hoc intelligendum de Gradibus qui fuerunt tribus ex partibus, nempe à Meridie, Septentrione & Oriente; nam ab Occidente nulli fuerunt Gradus, utì liquere potest ex Josephi loco qui est lib. 6. cap. 1. De bel. Jud. Quin & ab Oriente 15 tantùm Gradibus ascendebatur. Idem tradit solum Septi interioris altius fuisse solo exterioris 15 cubitis. Ergò secundùm ipsum 20 isti gradus alti fuerunt 15 cubitos, proindéque singuli alti fuerunt sive crassi pollices 13 cum dimidio, quæ est crassitudo plusquam pedalis; quam non probat Vitruvius, qui non vult Gradus supra 10 pollices altos, neque infra novem crassos. Gradus ergò Judaici semicubitales ad rationem Vitruvianam fuerunt conformati. At Judaicorum Graduum retractio item semicubitalis non congruit cum Vitruvianis rationibus, qui retractiones Graduum non vult esse minus quàm sesquipedales, h. e. cubitales, neque plusquam bipedales. Nos Vitruvium secuti omnes facimus cubitales: indè est quòd suprà in dimensione utriusque Septi spatium quod 20 istis Gradibus & denorum cubitorum interjecto intervallo occupabatur, fecimus 30 cubitos latum. Josephus unà cum Talmudistis dicit Gradibus 12 ascensum fuisse ex Atrio Sacerdotum in Templi Vestibulum, neque Graduum mensuram definit. Nos juxta Vitruvium eos semicubitales facimus omnes, retractiones autem Graduum cubitales. Ità fit ut solum Vestibuli altius fuerit solo Atrii Sacerdotum 6 cubitis, quod fatentur Judæi: & quandoquidem Vestibuli murum crassum fecimus 98 cubitos, intra cujus crassitiem 8 horum Graduum potuerunt esse positi, necesse est 4 primos Gradus quibus ascendebatur extra Vestibuli murum projectos occupasse quaternos cubitos in Atrio Sacerdotum, atque ità spatium inter Gradus illos & Altare fuerit 16 cubitorum, utì infrà demonstrabitur. Judæi præter 32 hosce Gradus quos agnoscit Josephus, 12 alios numerant, quibus ascendebatur (utì volunt) ex חיל in Atrium feminarum: hos non agnoscit neque eorum meminit Josephus, neque ratio dimensionis totius structuræ utriusque Septi admittere potest 12 hosce gradus, &, si admitterentur in Josephiani Templi structura, discederet ab illis in numero cubitorum: quibus ex utrisque liquet solum Vestibuli altius fuisse solo Porticuum exteriorum, utì modò suprà monuimus: nam ex his quæ hactenus vidimus planum est solum Vestibuli altius fuisse solo Porticuum exteriorum 21 cubitis; Judæi numerant 32 cubitos: quòd si 21 illis cubitis Josephianis addendi essent præterea 12 isti Gradus à Josepho ignorati, exsurgeret cubitorum numerus ad 27; ità foret solum Vestibuli altius Porticibus exterioribus cubitis quinque secundùm Josephum, pluribus quàm quos agnoscunt Judæi. Judæi ergò à Josepho dissentiunt in numero Graduum quibus à priore Septo ad Atrium usque Sacerdotum ascendebatur; hi enim 32 numerant, Josephus duntaxat 20. At in numero cubitorum quibus Atrium Sacerdotum erat altius Porticuum exteriorum solo, ferè conveniunt; nam Judæi 16 numerant, Josephus 15; nempe Josephiani Gradus alti fuerunt singuli pollices, utì diximus, 13 cum dimidio, Judaici verò novem duntaxat. Denique in Graduum etiam numero consentiunt aliquo modo cum Josepho Judæi: nam utrique agnoscunt Gradus 32, sed diversâ ratione; nam Josephus 32 in universo Templo agnoscit, Judæi itidem 32, sed ad Atrium usque Sacerdotum. Ità potest quodammodo iniri inter eos dissentiens Concordia.

Templi propriè & strictè dicti DIMENSIONES.

Convenit Josepho cum Judæis in eo quòd utriq; faciunt Templum, (idque videntur habere ex Ezech. 41. 13, 14)

longum,

longum, latum & altum 100 cubitos; quòd duplicem illi tribuunt contignationem sive tabulatum; quòd multas Cellas Templo circumponunt; denique in locis Sanctis & Adyti longitudinis & latitudinis mensuris, quos convenienter cum mensuris in Scriptura traditis assignant; sed in aliis multis tum invicem tum à Scriptura dissentiunt, aut dictare saltem videntur.

Longitudo Templi numeratur ab Oriente in Occidentem, ab ingressu videlicet portæ Vestibuli ad extremum murum quo Adytum à tergo claudebatur, & ab Atrio Sacerdotum separabatur, quæ sic per partes secundùm Josephi dimensiones colligitur. Murus quo Adytum & locus Sanctus undique claudebatur fuit secundùm Judæos & Ezech. cap. 41. 5. & convenienter veritati crassus sex cubitos. Adytum longum fuit viginti cub. locus Sanctus quadraginta. Murus quo à Vestibulo separabatur crassus 6 cubitos. Vestibulum secundùm Josephum latum fuit 20 cubitos. Summa est 92. Restant 8 cubiti, qui dandi sunt crassitudini muri Vestibuli. Et sanè tot sunt illi tribuendi cubiti, duo nempe plures quàm muro Adyti & loci Sancti: hoc nempe necesse fuit ad majorem structuræ firmitatem, ob vastam ejus altitudinem, quæ 100 cubitorum fuit sine ullo intermedio tabulato, ullísque extrinsecùs adjunctis fulcris, quæ duo ad structuræ firmitatem subsidia fuerunt in Adyto & loco Sancto; nam & interjecto in media altitudine tabulato, muri ejus utrinq; tabulati trabibus veluti fibulâ constringebantur, & Cellis extrinsecùs circumpositis utrinq; fulciebantur; itaque opus non fuit ut tanta esset muri Adyti & loci Sancti crassities, quanta muri Vestibuli. Judæi murum Vestibuli crassum faciunt quinq; duntaxat cubitos, sed perabsurdè, cùm ratio structuræ (ut dictum) postulet, & verò exigat, ut crassior fuerit muro Adyti & loci Sancti. Talmudistæ eandē agnoscunt Templi longitudinem, 100 nempe cubitorum, sed eam per partes aliter quàm Josephus numerant & colligunt, quia cum eo non conveniunt in Vestibuli latitudine & muri ejus crassitie. Sic ergò illi centenarium cubitorum numerum in longitudine Templi colligunt per partes; Murus Vestibuli crassus erat 5 cubitos. Vestibulum latum 11 cub. Murus quo locus Sanctus à Vestibulo distinguebatur crassus 6. Locus Sanctus longus 40 cub. Spatium inter Adytum & locum Sanctum inane latū cub. unum, Adytum longum 20 cub. Murus ejus à tergo crassus 6 cub. Cellæ quæ à tergo Adyti erant latæ fuerunt 6 cub. Murus earū crassus 5 cub. Colliguntur in universum 100 cubiti. Has Cellas à tergo Adyti Josephus non agnoscit, neq; patitur centenarius cubitorū in longitudine Templi numerus, ut Cellæ ponè Adytum ex Josephi dimensione ullæ fuerint; sed quod Judæi Vestibuli latitudini, & crassitudini muri ipsius detraxerunt à fronte domûs, videntur voluisse addere & compensare, adjectis à tergo, & ponè Adytum, Cellis istis. At secundùm Scripturam vix colligi possunt in longitudine nisi 94 cubiti; nempe Adytum longum fuit 20 cub. Locus Sanctus 40 cub. Vestibulum latum 10 cub. En tibi 70 cub. Murus Templi ponè Adytum, & ante locum Sanctum, 12 cub. Cellæ post Adytum latæ 5 cub. Sic colliguntur 87 cub. His addantur 3 cub. crassitudinis muri Cellarum, & 4. cub. muri Vestibuli, fient 94 cubiti.

Latitudo Templi à Meridie in Septentrionem porrigebatur, & bifariàm consideranda venit, nempe vel à fronte quâ ingressus in illud per Vestibulum ab Oriente patebat, vel à tergo post Vestibuli latitudinem, & muri, quo Vestibulum à loco Sancto separabatur, crassitudinem. Et à fronte quidem latum fuit 100 cubitos, quot nempe longum fuit extrinsecùs ipsum Vestibulum; Vestibuli enim longitudo in Templi latitudinem porrigebatur. Ab extremo ergò Vestibuli Meridionali angulo ad alium ejus Septentrionalem angulum extrinsecùs 100 fuerunt cubiti, intrinsecùs verò duntaxat 84, quia, uti dictum, Vestibuli utrinque murus crassus fuit 8 cubitos; detrahendi itaque sunt 16 cubiti de 100. Hæc Vestibuli intrinsecùs longitudo 84 cubitorum, secundùm Josephum, videtur indè confirmari, quòd in Latina Ruffini interpretatione (Antiq. l. 6. c. 6.) Vestibulum dicitur longum 40 cubitos, ubi in Græco est πεντήκοντα. Uterque numerus verus esse potest, & uterque debet de dimidia non de tota Vestibuli longitudine accipi; nam ex iis quæ jam vidimus liquet longum fuisse necessariò extrinsecùs 100 cubitos, intrinsecùs verò 84. Ergò dimidia ejus longitudo, à Portæ medio ad alterutrum extremum, extrinsecùs fuit 50 cubitorum (ut habet Græcus textus, πεντήκοντα) intrinsecùs verò fuit 42 cubitorum, pro quo Ruffinus dixit 40, numerum nempe rotundum posuit pro fracto. Sic ergò accipiendus omnino videtur locus ille, alioqui Josephus secum ipse διαμάχεται pugnabit. Judæi quia Vestibuli murū volunt fuisse crassum quinque duntaxat cubitos, Vestibulum intrinsecùs longum faciunt 90 cubitos, extrinsecùs verò 100.

Templi latitudo à tergo non fuit (ut à fronte) 100 sed 60 duntaxat cubitorum secundùm Josephum, *Ponè enim* (ut ille ait) 40 *cubitis erat angustius* quàm fuit à fronte; *nam à fronte Vestibulum utrinque duorum instar humerorum* 20 *cubitis ab utroque latere producebatur*. Hæc Templi latitudo sic per partes, secundùm Josephum, colligitur, Locus Sanctus & Adytum lata fuere 20 cub. Murus quo utrinque claudebantur crassus fuit 6 cub. sic colliguntur 32 cubiti, qui de 60 deducti dant 28 cubitos, Cellis quæ utrinque Templo adhærebant assignandos, 14 nempe ab utroque latere cubitos. Horum 14 cubitorum damus decem latitudini Cellarum, 4 verò cubitos crassitudini muri quo utrinque Cellæ claudebantur, & ab Atrio Sacerdotum separabantur. Ità Cellarum & muri earum crassitiem, quam Josephus non definit, certò colligimus, indidémque confirmatur quàm verè à Judæis definiatur muri Templi crassitudo esse 6 cubitorum; neque enim aliter inveniri posset tota Templi à tergo latitudo esse 60 cubitorum, prout eam definivit. Ità mutuas sibi præstant operas mutuámque fœnerantur lucem in dimensionibus suis Josephus & Judæi, aliorúmque ab aliis castigari & deprehendi potest in numeris error atque lapsus. Talmudistæ hanc Templi latitudinem, ut aliam à Josepho statuunt, sic etiam aliter eam per partes colligunt atque dinumerant. Nam ad loci Sancti & utriusque ejus muri communē cum Josepho 32 cubitorum latitudinem adjiciunt ab uno latere Cellarum latitudinem 6 cubitorum, muri earum crassitiem quinque cubitorum, illi muro adjungunt Cochleam vel potiùs scalam lapideam (quâ per Cellarum longitudinem ascendebatur in secundum & tertium earum tabulatū earúmq; tectum) latam 3 cubitos, murum autem ejus crassum quinque cubitos. Sic colliguntur ab uno Templi latere 19 cubiti, totidem erant ab altero Templi latere. Sic in universum colliguntur 70 cubiti, quot cubitos volunt latum fuisse Templum à tergo. Sed hæc cellarum earúmq; muri, adjunctæque Cochleæ & ejus muri dimensiones & ratio non conveniunt; nimia enim est procul dubio illa muri (quam statuunt) tum Cellarum tum Cochleæ crassities: non enim magna fuit muri illius altitudo ut tantam postulaverit crassitiem, altus nempe fuit murus ille 30 duntaxat cubitos. Deinde quod aiunt Cellarum muro adjunctam fuisse Scalam lapideam, cum muro qui eam sustineret quinque cubitos crasso, falsum esse (& ignarorum Judæorum commentum, qui rationem Cochleæ quâ ad Cellarum tabulata & tectum ascendebatur non intellexerunt) indè convincitur quòd Josephus Antiq. l. c. ubi de Templi conflagratione agit, narrat militem Romanū, cùm Judæos in Templum refugientes persequeretur, sublatum à socio in humeros, titionem quem ex Porticuum incendio rapuerat injecisse ex atrio Sacerdotum per fenestram in Cellas Templo circumpositas, quod fieri nullâ ratione potuisset, si scala illa Judæorum & ejus murus admittatur, uti planum est ex Talmudistici Templi delineatione nostra. Imò verò si ea admittatur, nullæ potuerunt esse in plerisque inferioris Tabulati Cellis fenestræ, imò neque in secundi seu medii Tabulati nonnullis Cellis, siquidem à Scala illa lapidea ejúsque muro obtecta & obscurata prorsus fuit magna Cellarum tum primi tum secundi Tabulati pars; quod vehementer absurdum est, unde enim habere potuerunt Cellæ lumen? Itaque rejicienda prorsus videtur illa Judæorum Templi hac in parte dimensio

atque delineatio; recipienda contrà magis videtur illa quæ à Josepho traditur, ut magis vero consentanea. De Templi Salomonici latitudine Scriptura hoc tantùm dicit, locum Sanctum latum fuisse 20 cubitos, Cellas autē utrinque Templo adhærentes latas fuisse 5 cubitos, ità colliguntur 30 cubiti; quibus si addas muri Templi quo à Cellis utrinque separabatur crassitudinem 10 cubitorum, exsurgunt 40 cubiti. An Cellæ murum habuerint quo ab Atrio separarentur Scriptura non dicit; siquis tamen contendat lapideo muro eas fuisse ab atrio Sacerdotum seclusas, muri illius non videtur magna fuisse crassitudo, cùm ex Scriptura Cellarum tria Tabulata alta fuerint 15 duntaxat cubitos: itaque 3 cubitorum crassities muro illi abunde suffecerit. Atque sic tota Templi Salomonici latitudo invenietur fuisse 46 cub. longitudo autem ejus 94 cub. quæ est ratio dupla longitudinis ad latitudinem, quam rationem Vitruvius requirit in Doricis Ædium sacrarum structuris.

Vestibuli Templi dimensiones.

Jam suprà indicavimus quanta fuerit Vestibuli ex Josephi mente amplitudo, nempe longū fuisse extrinsecùs 100 cubitos, intrinsecùs verò 84, latum autē intrinsecùs 20 cub. extrinsecùs verò 34, quia 20 illis cubitis addendi sunt tum 8 cubiti crassitudinis muri Vestibuli à fronte, tum 6 cubiti crassitudinis muri quo à loco Sancto distinguebatur. Talmudistæ longum illud faciunt extrinsecùs 100 itidem cubitos, intrinsecùs verò 90 cub. cujus causam suprà aperuimus; latum autem faciunt intrinsecùs 11 duntaxat cubitos. Sed hæc latitudo angusta nimis proculdubio est, nec æquâ satis proportione respondens tum longitudini tum altitudini ejus, quam utramque fuisse aiunt 90 cubitorum. Sanè Scriptura Vestibulum facit 10 duntaxat cubitos latum, sed & eadem illud ipsum longum facit 20 duntaxat cubitos, altum verò (utì videtur) 30 cub. quæ æqua est & valde accommodata latitudinis ad longitudinem & altitudinem ratio atque proportio. At verò ut latum fuerit 11 cubitos, longum verò & altum 90 cub. non id patiuntur leges proportionis, quæ in structuris Ædium servanda est. Latitudo 20 cubitorum, quam Josephus ei tribuit, multò convenientior videtur, & ad justæ proportionis leges & rationem longè propiùs accedere. Porrò cur in latitudine ejus assignanda Judæi uno ampliùs cubito à Scripturæ mensuris discesserint causam aliam non video, neque conjicere possum, nisi hanc, ut centenarium scilicet cubitorum in longitudine Templi numerum explorent, qui alioqui uno cubito diminutus inveniretur. At cur tam ipsi quàm Josephus etiam in longitudine Vestibuli dimetienda tam longè à Scriptura abierint (Scriptura enim illi tribuit 20 duntaxat cubitos, isti verò eidem tribuunt, Judæi quidem 90, Josephus autem 84) causam nullam prorsus probabilem comminisci aut divinare possum. Fortè Herodes (qui Templum hoc, quod tum à Josepho tum à Judæis describitur, condidit) putavit Vestibuli Salomonici magnitudinem & mensuras non æquâ satis proportione respondere ad reliquæ Domûs amplitudinem, ideóque voluit illud ampliare, ut justa inter ea esset proportiò. Ambulatio item in Vestibulo ante Domum videbatur illi in longitudine 20 cubitorum brevis nimiùm; eam itaque quadruplo longiorem fecit: quadruplo autem auctâ longitudine duplicanda minimùm fuit ejus latitudo. Atque ità factum ut eadem esset totius Templi à fronte latitudo cum ejus longitudine; quod elegantissimum & convenientissimum videbatur. Et figura sanè Templi Herodiani, quæ literam T inversam refert, speciem habet convenientissimam gratissimámque.

Altitudo Vestibuli secundùm Josephum & Talmudistas extrinsecùs (utì suprà diximus) fuit 100 cubitorum, intrinsecùs autem à solo Vestibuli ad summum usque tabulatum, sive potiùs tectum, perpetuâ altitudine (sine ulla interjecta contignatione) fuit 90 cubitorum. Quibus si infernè addantur 6 cubiti, quibus solum Vestibuli altius fuit solo Atrii Sacerdotum, (nam, utì suprà dictum est, 12 Gradibus ab Atrio Sacerdotum in Vestibulum ascendebatur, qui Gradus singuli erant alti dimidium cubitum) fient 96 cubiti: his supernè addendi sunt 4 cubiti ad tecti crassitudinem, & coronamenti sive periboli altitudinem. Et sanè Judæi περίβολον altum faciunt tres cubitos, ità cubitus reliquus dandus esset crassitudini tecti: sed quia major videtur fuisse ejus crassities ob longarum trabium & trabibus impositorum tignorum, hisque injectarum tabularum & tabulis inducti cæmenti crassitiem, tribuendi omnino videntur toti tabulati sive tecti crassitudini duo cubiti; reliqui duo cubiti sufficere possunt ad altitudinem Periboli qui tecto circumpositus erat ad prohibendum inopinatum casum deambulantium super tectum; trium nempe pedum altitudo ad cujusvis ferme proceri hominis umbilicum potest pertingere, eúmque à casu prohibere.

Templi quæ & quanta fuerit ALTITUDO & AMPLITUDO.

In descriptione Templi Salomonici quæ habetur 1 Reg. c. 6. nulla fit singularis mentio altitudinis Vestibuli, ità ut videatur eadem fuisse cum reliquæ Domûs altitudine, quæ dicitur fuisse 30 cubitorum, aut verò potiùs 20 duntaxat cubitorum, utì infrà ostendetur. Quod si verum est, fuit sanè Templum Salomonicum Herodiano longè minus atque angustius: quod cùm absurdum minimèque admittendum videatur, quandoquidem Salomonicum tantopere à magnificentia & amplitudine celebratur, ideo nonnullis visum est rationes suas ità instituere ut inveniatur Templum Salomonicum Herodiano 20 cubitis altius. Atque ad id adferunt locum qui habetur 2 Par. 3. 4. ubi Vestibulum Templi dicitur fuisse altum 120 cubitos; quod dictum esse nolunt de solo Vestibulo, sed ad totum Templum trahunt, ut & Vestibulum & locus Sanctus & Adytum intelligi debeant alta fuisse 120 cubitos. Atque in hac sententia est R. Salomo Jarhi in hunc locum: cui si objicias locum 1 Reg. cap. 6. ubi altitudo Domûs dicitur fuisse 30 cubitorum, respondet hoc dici de primo seu infimo tabulato, cæterùm tria alia isti similia fuisse illi superimposita, ità ut quatuor fuerint in toto Templo tabulata, singula alta 30 cubitos, atque ità tota altitudo assurrexit ad 120 cubitos. Atque ad hujus sententiæ confirmationem adfert locum ex 1 Par. 28. 11. ubi David dicitur *dedisse Salomoni typum Porticûs, domorum ejus, Gazophylaciorum ejus, Cœnaculorum ejus,* וחדריו הפנימים *& intimorum ejus penetralium, domûsque Propitiatorii.* Unde, inquit, liquet fuisse in Templo עליות *tabulata* ὑπερῶα. & Ribera de Templo Salomonis hoc loco per בתים intelligit locum Sanctum & Adytum, per גנזכים *Gazophylacia*, Cellas Domui circumpositas, per עליות *cœnacula*, illa tabulata primo sive infimo superposita, denique per חדריו הפנימים *cubicula in adytis* sive *interiora*, ea quæ erant in secundo & tertio tecto Templi, & *interiora*, inquit, *dicuntur ut distinguantur à Cellariis quæ exteriora erant.* Ad ejusdem sententiæ confirmationem idem Ribera adfert Herodis ad Judæos verba apud Josephum Antiq. 15. c. 14. *Templo huic, quod postliminiò reversi à captivitate Babylonica patres nostri instauraverunt, desunt ad priscam altitudinem 60 cubiti; tantò enim celsius erat vetus illud Salomonis ædificium.* Porrò *Templum secundum, de quo isthìc loquitur* Herodes (inquit Ribera) *constat habuisse 60 cubitos altitudinis ex Esd. 6. prohibente viz. Cyro altiùs ædificari Templum, ut ibidem ait Josephus, & ex cap. 6 Esdræ intelligitur. Cùm autem secundum multò minori magnificentiâ exstructum fuisse constet* (ex Agg. 2.) *quàm primum, dubium non est primum habuisse multò majorem altitudinem. Confirmat hoc* (inquit) *quod legimus Esd. 3. Plurimi etiam de Sacerdotibus & Levitis, & Principes patrũ, & Seniores qui viderant Templũ primũ, cùm fundatum esset, & hoc Templum in oculis eorum, flebant voce magnâ; scilicet quoniam ex fundamento cognoscebatur non posse illud surgere in altitudinem priorum.*

Postremò

Postremò, cùm in cap. illo [3. lib. 2. Paralip.] *describatur mensura longitudinis & latitudinis Domûs, & nihil de altitudine dictum sit, non est dubium quin id quod subjicit,* porrò altitudo 120 cubitorum erat, *non solùm ad Porticum sed etiam ad Domum referri debeat.* Ex his sic concludit Ribera, *Dicendum igitur est, si & citatos autores & veritatem ipsam sequi velimus,* 1 *Reg. cap. 6. describi altitudinem Domûs usque ad primam contignationem: in Paralip. autem usque ad supremam, & ità omnia conciliantur.* Atque hæc Ribera, qui Salomonis Jarhi sententiam secutus est. Kimhi in aliam propendet sententiam, ut nempe solum Vestibulum fuerit 120 cub. altum, quam confirmare etiam nititur; eámque post eum alii secuti sunt, recentiores maximè interpretes, atq; inter eos præcipuus Villalpandus, qui putant Vestibulum instar altissimæ turris supra Domum eminuisse.

Verùm neutra harum sententiarum stare posse videtur. Ac primò, posterior ista hinc refelli videtur, quòd tanta Porticûs altitudo nullam habet convenientem & justam proportionem tum ad reliquæ Domûs illi junctæ altitudinem, tum ad aream suæ latitudinem & longitudinem: nam quæ hæc est proportio ut quadruplò fuerit reliquâ Domo altior? Nulla invenietur turris toto terrarum orbe quæ ædificium sibi junctum tanto superaverit intervallo; deforme enim illud est, quippe non servatâ justâ membrorum inter se proportione. Area etiam illius Porticûs tam angusta, 10 nimirum cubitos lata, 20 longa, omnino sufficere non videtur ad tantam altitudinem sustinendam; nec invenietur, uti arbitror, turris ulla hujus altitudinis, quæ non triplo aut quadruplo ampliorem obtineat aream. Turris dicta *Phasaelus* ab Herode exstructa, cùm esset 90 cub. alta, lata & longa fuit in quadrum 40 cub. Hippicos cùm esset 80 cubitorum, longa & lata fuit 25 cub. Et quidem solidæ erant, non inanes, ad altitudinis suæ ferè dimidium, aut saltem trientem. Non decuit ergò tam humilem Domum (30 nempe cubitorum) tam alta & procera turris ei juncta: nec tam brevis Porticûs ipsius area justâ proportione tantæ altitudini respondet. Itaque rejicienda videtur hæc sententia quæ justæ in structuris observandæ proportioni tantopere repugnat, támque longè ab ea recedit. Non minùs longè ab ea discedit prior illa sententia quæ statuit Domum totam cum Vestibulo fuisse 120 cub. altam; nam ex 1 Reg. 6. 10. liquet Cellas Templo circumpositas fuisse singulas quinque duntaxat cubitos altas, proindéque tria Cellarum tabulata alta fuerunt 15 tantùm cubitos, aut ad summum 18, si singulorum tabulatorum contignationis crassitudini, & tecto cubitum unum demus. Jam verò quæ hæc est 18 ad 120 cubitos altitudinis proportio? Sanè non minùs absona, & à justa ratione abhorrens, quàm altitudinis Porticûs ad Aream suæ amplitudinem proportio. Deinde & latitudinis ipsius Domûs (quæ fuit 20 cubitorum) nulla est justa & æqua ad tantam Domûs altitudinem proportio; itaque tam angusta Domûs latitudo cum tanta ejus altitudine, & 80 ut minimùm cubitorum longitudine, ingratam & inconcinnam oculis præbuisset speciem, maximè si tam humiles ei adjunctas Cellas cum ejus altitudine conferas. Nam quod Josephus Antiq. lib. 8. c. 2. Cellas facit 25 cub. longas & latas, 20 autem cub. altas, repugnat manifestè Scripturæ, & Templi Salomonis structuram cum Herodiani structura confundit atque commiscet imperitè.

Neque rationes quibus ea sententia suffulcitur ità certæ sunt ut refelli non possint. Nam ad locum 1 Par. 28. quod attinet, quo Jarhi nititur, primò respondet Kimhi, Domos, Cellas, Gazophylacia, Tabulata vel Cœnacula & Penetralia, quorum isthîc fit mentio, fuisse ipsius Porticûs Domos, Cellas, &c. non verò totius Domûs; proindéque non debere intelligi illa עליות *tabulata* de tabulatis loco Sancto & Adyto superpositis, sed de tabulatis ipsius Porticûs quæ secundùm eum quatuor fuerunt. Sed quia in tam angusto spatio non potuerunt esse tot diversa membra, Domus, Cellæ, Cœnacula, &c. propterea aliter hâsim respondere. Itaque secundò resp. Eô loco per בתים *domos* intelligi posse (uti Jarhi accipit) locum Sanctum & Adytum, quæ ideo dicuntur *Vestibuli domus*, quia per Vestibulum in ea dabatur ingressus, quomodo in communibus ædibus à Vestibulo itur in Domum; per גנזכים *gazophylacia* intelligi debere Cellarum Templo ab utroque latere circumpositarum primum tabulatum, quarum Cellarum hic videtur fuisse usus, ut in iis pretiosissima quæque reconderentur & asservarentur; per עליות *cœnacula* posse intelligi secundum & tertium Cellarum illarum tabulatum; fuerunt enim illa revera ὑπερῷα Cellis inferioribus superposita; per חדרים הפנימים *penetralia intima* intelligendæ veniunt Cellæ illæ quæ erant à tergo Adyti, quæ sic dicuntur quia in illas penetrari non poterat nisi per anteriores Cellas, quæ priùs erant emetiendæ & penetrandæ, ex una nempe in aliam dabatur ingressus, erántque omnes invicem permeabiles; בית הכפורת *domus propitiatorii* Adytum significat in quo erat Arca federis, qui locus licèt in præcedentis vocis complexu בתים sit comprehensus, singulariter tamen adhuc commemoratur, quia pars erat Templi maximè præcipua, cæteríque sanctitate longè præstans. Ità nihil necesse est eo loco comminisci ex voce עליות tria superna in Templo tabulata infimo superimposita ad altitudinem 120 cubitorum.

Ad locos autem Esdræ & Aggæi quod attinet, quibus significatur Domus secunda alta & lata 60 cub. & tamen multò minor priore, Respondeo, primò Templum bifariàm accipi, latè nimirum & strictè; & strictè quidem pro Adyto, loco Sancto & Vestibulo. Templum strictè sic sumptum non commendatur in libris Regum & tota Scriptura à magnitudine & amplitudine, sed à structuræ pulcritudine & magnificentia, cùm totum intrinsecùs Cedro & aureis laminis esset obductum. Itaque licèt Templum sic acceptum à Cyro ædificari jussum amplius & majus illo esset quoad mensuram, magnificentiâ tamen & interno ornatu atque mundo longè erat illi inferius. Itaque indè fortè fletus & ejulatus eorum qui prius illud viderant, cùm posterius istud longè infrà illud viderent quoad ornatum & splendorem subsistere: atque ità intelligendus est locus Aggæi, quo posterius Templum priori collatum dicitur fuisse instar nihili in oculis Judæorum; id, inquam, accipiendum est de cultu & ornatu, non de amplitudine. Nam cùm ex eorum ipsorum (quos jam refutamus) sententia posterius istud dimidio tantùm minùs altum esset quàm Salomonicum, causa non erat cur diceretur quasi nihil fuisse in eorum oculis, si id dictum fuisset respectu amplitudinis, maximè cùm illi ipsi quos refutamus negare non possint posterius istud à Judæis reducibus exstructum, si respectu altitudinis cedebat priori, at latitudinis respectu longè illud superavit; cùm prius 20 tantùm cubitos latum, istud 60 dicatur latum fuisse; ità ut quod altitudini deerat in posteriore, latitudine ipsius majore compensari videretur. Sed ut nè eos hîc plus æquo gravemus, facilè concedimus latitudinem illam 60 cubitorum non esse accipiendam de Adyti & loci Sancti, sed de tota Templi cum adjunctis Cellis latitudine, quæ nè quidem tanta fuit in Templo Salomonico, in quo adjunctæ Cellæ latæ fuerunt 5 duntaxat cubitos; ac proinde si Adyti & loci Sancti latitudini (quæ 20 fuit cubitorum) addas Cellarum latitudinem 10 cubitorum, & muri utrinque crassitiem 10 vel 12 cubitorum, tota Templi illius latitudo exsurget ad 40 vel 42 cubitos. Ità igitur negari non potest secundum Templum priore fuisse latius 20 cubitis, h. e. triente. Locus ergò ille Aggæi qui adversùs sententiam nostram objicitur, non de Templi strictè dicti amplitudine, sed de ejus ornatu & magnificentia est accipiendus. Quod si omnino de amplitudine Templi accipiendum esse contendat aliquis; Resp. id tum accipi debere non de Templi strictè sed latè sumpti amplitudine. Nam circa Templum propriè & strictè sumptum Salomon exstruxerat varia amplissima simul & magnificentissima ædificia; Porticus putà, Atria & Exedras, &c. ad populi, Sacerdotum, Levitarum, totúmque

Leviticum miniſterium accommodata, quæ à Judæis reducibus non eâ magnitudine, ſplendore & magnificentiâ exſtructa ſunt, quâ fuerant in priore Templo, ut hac in parte Templum ſecundum priori longè fuerit inferius. Secundò reſpondemus, eos qui prius Templum viderant non ideo dici fleviſſe & ejulaſſe, quòd viderent poſterioris iſtius fundamenta ejuſmodi eſſe ut non potuerint ferre tantam muri altitudinem quanta erat in priore Templo: videntur potiùs ideo fleviſſe quòd tum ſubierit eorum mentem recordatio ſtatûs Reip. totiúſque populi, qui ſub priore Templo longè fuit diſpar, major nempe & glorioſior quàm tum erat ſub ſecundo Templo. Illi ergò memores ſtatûs Reip. qui tum fuit, præſentem rerum ſtatum longè diſparem & inferiorem lugebant: reliqui qui non viderant ſtantem Judaicam ſub Regibus & priore Templo Remp. ſed collapſam duntaxat & everſam in captivitate Babylonica, reputantes tum animo ſtatum præſentem & cum illo Babylonico componentes, exſultabant & jubilabant: mixtæque ſic fuerunt populi voces variæ, fletûs & lætitiæ; ex aſpectûs quidem Templi quod tum fundabatur occaſione excitatæ, at non tamen ex murorum ejus (quaſi minùs eſſent antiquis craſſi) ſed ex præſentis ſtatûs ſui cum eo quem priùs viderant collati conſideratione ortæ.

Sed objicitur non eſſe veriſimile Cyrum Spiritu Dei excitatum ad inſtaurandum Templum, voluiſſe menſuras ejus à Deo olim conſtitutas arbitratu ſuo immutare. At, inquam ego, ſi eædem ſervandæ fuerunt quæ fuerant in priore Templo, quid opus erat in Edicto ſuo menſuras deſignare atque notare? ſatis erat edicere ut priſtinis fundamentis imponeretur Templi ſtructura, útque juxta veterem ejus menſuram & figuram exſtrueretur, quæ ſatis erat ex Scriptura nota: quòd itaque menſuram Edicto ſuo deſignavit, & quidem diverſam ab eo quæ notatur (libro Regum) fuiſſe in priore Templo, argumentum eſt certiſſimum immutatæ priſtinæ menſuræ atque amplitudinis. Et quando Cyrus non ſuopte motu, ſed Divino juſſu inſtaurationem illam Templi ſuſcepit, omnino exiſtimandum eſt menſuras illic præſcriptas à Deo etiam fuiſſe, non ab arbitratu humano. Et quando tam certum eſt ut negari non poſſit (utì modò demonſtravimus) Templi ſecundi latitudinem diverſam, & quidem non minorem ſed majorem & ampliorem fuiſſe latitudine prioris Templi, & quidem tertiâ (ut minimùm) parte majorem, quidni etiam veriſimile ſit ut altitudo item diverſa, neque minor ſed major, & quidem duplo major altitudine prioris Templi fuerit? Nam quis credat Cyrum voluiſſe tertiâ parte latius, duplo verò humilius facere Templum quàm olim fuerat? imò verò ut latius, ſic & altius illud facere voluit. Quandoquidem enim ſub poſteriore Templo futura erat major Judæorum per univerſum Orbem terrarum ſparſorum multitudo, videtur etiam Deus voluiſſe Templum ſecundum majus & amplius exſtrui, etſi non ità ſplendidum & ornatum quàm fuerat ſub Salomone, quia humilis Judæorum reducum ſtatus id non ferebat. Sed Herodes nobis objicitur apud Joſephum, dicens defuiſſe Templo à reducibus Judæis exſtructo ad priſtinam altitudinem 60 cubitos, quos ipſe voluit addere, propterèáq; ab ipſis fundamentis Templum inſtauravit. Reſp. hoc tantùm indè effici, Herodem & qui ei hujus conſilii autores & fautores fuerunt, in ea quidem fuiſſe ſententia, quam ex occaſione loci ſuprà memorati 2 Par. 3. videntur concepiſſe; quomodo jam diximus Salomonem Jarhi ex eo loco occaſionem cepiſſe abeundi in eam ſententiam; at non ſequitur tamen rem ità revera ſe habuiſſe, cùm videamus Kimhi in diverſa eſſe nihilominus ſententia. Itaque ego potiùs dixerim Herodem, hominem gloriæ ex magnificentia appetentiſſimum, poſt multa à ſe per totam Judæam & in ipſa Jeroſolyma magnificentiſſimè exſtructa ædificia, & hinc etiam gloriam captare voluiſſe, exſtructione nimirum Templi majoris & amplioris magnificentioríſque quàm unquam antea fuerat, ut ſic vel ipſum Salomonem regem glorioſiſſimum & famoſiſſimum & Cyrum hac in parte aut æquaret aut etiam quodammodo ſuperaret. Et quoniam difficile erat Judæis perſuadere ut rem arbitrio ſuo permitterent, ut hoc ab ipſis faciliùs impetraret, perſuaſiſſe illis videtur ex loci illius 2 Par. 3. occaſione Templum iſtud à reducibus Judæis exſtructum duplo humilius fuiſſe Salomonico, hócque dedecus propterea non eſſe diutiùs illis ferendum; ideóque cùm facultas ipſi jam ſuppeteret dedecus illud abolendi, propoſuiſſe animo Templum ad juſtam & priſtinam ſuam formam & altitudinem erigere atque inſtaurare, ſi modò per eos id fibi licerat. Si exſertè id quod res erat illis aperuiſſet, ſe nempe proponere animo Templum exſtruere amplius & magnificentius quàm vel à Salomone vel à Cyro Perſarúmque regibus exſtructum fuerat, fidem apud eos non impetraſſet, neque paſſi fuiſſent Judæi vetus ſuum Templum dirui ut novum exſtrueretur; regeſſiſſent enim ſtatim non eſſe movendos antiquos terminos, neque mutandam priſtinam Templi figuram & menſuram. Verùm honeſta erat apud eos hæc oratio, quæque facilè perſuaderi illis poterat, Quod fieri hactenus ob temporum præcedentium anguſtias & calamitates varias & multiplices non potuit, ut Templum ſcilicet ad priſtinam amplitudinem revocaretur, id jam eſſe tentandum & exſequendum, quando id efficiendi Deus in ſummo otio & rerum omnium abundantia facultatem ipſis præberet.

Sed quis ergò, dicet aliquis, erit tandem loci illius Paralipomenon ſenſus & mens? Nempe ſuſpicarer, מאה iſthic poſitum eſſe per literarum Metatheſim pro אמה, quomodo alibi frequentes occurrunt hujuſmodi literarum in vocibus Metatheſes; adeóque & in illa ipſa voce ſimilis occurrit, & à Maſorethis annotatur in Keri & Cetib, Metatheſis Ezech. 42. 6. ubi אמורים poſitum eſt pro מאורים. Sic ergò & hîc exiſtimarem מאה poſitum pro אמה: *Vau* autem ſequens additum & præpoſitum eſſe ſequenti voci עשרים ab iis qui legendum putabant מאה non verò אמה. Ità ſenſus loci fuerit planus, Veſtibulum nempe latum fuiſſe 10 cub. longum & altum 20 cubitos. Sic nempe fieri olim ſolebant (ut etiamnum hodie ſæpe fit in Pontificiorum Eccleſiis) προθυρα ſeu Veſtibula quædam ante Templorum ſive Ædium ſacrarum portas, quæ portæ ipſius altitudinem vix ſuperabant, ubi Templum ingreſſuri aliquantùm conſiſtebant, & ad Templi ingreſſum ſeſe parabant & veluti accingebant. Atque ſic Templi Salomonici ſtrictè dicti harmonia & ſymmetria partium omnium accurata, eximia & ſingularis fuerit (utì mox demonſtrabitur;) quæ tota conturbatur & enormis prodigioſáque fit, ſi admittatur ſententia illa de altitudine 120 cubitorum, utì modò ſuprà demonſtravimus. Videtur ergò omnino Templum illud Salomonicum ſtrictè dictum, longum fuiſſe 60 cubitos, altum 30, latum 20. Veſtibulum autem ante Templi portam poſitum 10 latum, 20 autem longum & altum fuiſſe: Cellas autem Templo circumpoſitas altitudinis dimidium occupaſſe, quæ ſymmetria eſt convenientiſſima, utì jam oſtendetur, & ea omnia plana & manifeſta ſunt ex 1 Reg. 6. ſi ſolam Veſtibuli altitudinem excipias, quam putamus petendam ex 2 Par. 3. ubi legendum omnino videtur אמה עשרים pro eo quod jam legitur מאה ועשרים. Scio non eſſe temere ſolicitandam lectionem illam, quæ ab omni ævo omnibus ſemper Interpretibus uſurpata fuit, cujuſmodi eſt iſta (nam & Lxx cóſque ſecutus Joſephus, & jam Judæi omnes, omnéſque ſacrorum librorum Interpretes eam ſequuntur:) at cùm res ipſa ità poſcit, & verò flagitat, non puto tantâ nos debere teneri religione, ut levi aliquâ literulæ mutatione aut inverſione tolli, corrigi & emaculari non debeat & poſſit librarii quantumlibet antiquus lapſus.

Ex his ſi per partes ſubducatur ὅλως καὶ ὡς παχύτερον calculus, invenietur totum Salomonis Templum ſtrictè ſumptum, h.e. Adytum cum loco Sancto Cellis & Veſtibulo cepiſſe (ſecundùm illas Scripturæ dimenſiones) in univerſum 52150 cubitos cubicos; nempe Adytum cum loco Sancto 36 M. Veſtibulũ 4000, Cellæ 12150. Si enim Adyti & loci Sancti longitudinem 60 cubitorum per latitudinem 20 cubitorum multiplices, exſurget area 1200: hác

hâc multiplicatâ per 30 cubitos altitudinis, fiet ſumma 36000 cubitorum. Similiter multiplicetur Veſtibuli longitudo 20 cub. per latitudinem 10 cub. fit area 200 cub. quâ multiplicatâ per 20 cub. altitudinis exſurgit numerus 4000 cub. Cellæ ab utroq; latere fuerunt longæ 60 cub. latæ 5, altæ 15. Hæc ſi in cubum multiplicentur, invenientur ab unoquoque latere 4500 cubiti, in utroque latere 9000. A tergo Adyti longæ fuerunt 42 cub. latæ 5, altæ 15. hæc cubicè multiplicata faciunt ſummam 3150, quâ additâ cum 9000 exſurgit numerus 12150. Fuiſſe autem longas ponè Adytum 42 cubitos patet; nam Adytum fuit longum 20 cub. murus ejus utrinque craſſus 12 cub. en 32 cub. His in utroque extremo ſive angulo addenda eſt Cellæ unius menſura, h.e. 10 cub. ſic fiunt 42 cubiti. Sic ergò planum fit totius Templi capacitatem fuiſſe (utì dictum) in univerſum 52150. At Templum Herodianum ſecundùm dimenſiones à Joſepho traditas cepit 356 M. cubitos cubicos; nempe Adytum cum loco Sancto 120 M. cub. Veſtibulum 200 M. Cellæ 36 M. ſumma eſt 356 M. Nam ad Adytum & locum Sanctum quod attinet, eadem fuit ejus cum Salomonici area, nempe 1200 cubiti, quibus multiplicatis per altitudinem 100 cub. fit numerus 120 M. cubitorum. Veſtibuli longitudo 100 cub. per latitudinem 20 cub. multiplicata facit aream 2000 cubitorum, hæc per altitudinem 100 cub. multiplicata facit ſummam 200 M. Cellæ ab utroque latere fuerunt longæ 60 cub. latæ 10, altæ 30, quæ ſi cubicè multiplicentur fient ab unoquoque latere 18000 cub. ab utroque autem 36 M. Summa univerſa eſt totius Templi (utì dictum) 356 M. cub. qui ſi dividantur per 52150 (quæ fuit Salomonici Templi capacitas) invenietur Templum Herodianum Salomonico ferè ſeptuplo amplius atque capacius. Porrò in hac ſummaria dimenſione utriuſque Templi non comprehendimus murorum Templi craſſitudinem, ſed vacui tantùm illius quod intra Templi muros comprehenſum fuit capacitatem. Atque hinc eſſe videtur quòd Judæi locum qui eſt Aggæi cap. 2. 9. de ſecundo Templo, quòd futura ſit ejus gloria major quàm prioris, accipiunt ad literam de Templo ab Herode conſtructo, quaſi amplius multò futurum prædicetur Salomonico, etſi fortè intrinſecùs non fuerit tantopere exornatum, nempe non fuit ὅλον κατάχρυσον. Quòd ſi Salomonicum Herodiano non ornatius tantùm ſed & majus & amplius fuiſſet (quod volunt illi quorum jam ſententiam rejicimus) nullo omnino fundamento niteretur iſta Judæorum loci hujus Aggæi interpretatio, quæ etſi genuina non ſit, videtur tamen aliquo nixa fuiſſe fundamento. Hinc etiam fortè natus eſt & exordii ſui occaſionem cepit Herodianorum (quorum in Euangelio fit mentio) error, qui dicuntur habuiſſe Herodem pro Meſſia, hinc nempe quòd & viderent tempus Meſſiæ tum advenisſe, & ſub Herode Judæos altâ pace fruentes, Herodémque ipſum Regem eſſe ditiſſimum & magnificentiſſimum, atque ab eo Templum Hieroſolymitanum inſtauratum, auctum, amplificatum, ſplendidiúſque multò quàm erat antea effectum, quod à Meſſia faciendum Judæi tum ſperabant & etiamnum hodie ſomniant ſperántque. Non jam inquiro an Herodes ipſe hoc conſilio inſtaurandi & amplificandi Templi hoc ſpectaverit & ſperaverit, fore ut hâc ratione Judæis perſuaderet ſe eſſe Meſſiam; an verò adulatores ejus ex iſta Templi inſtauratione & amplificatione anſam & occaſionem arripuerint rumorem illum inter populares ſuos de Herode ſpargendi, atque errorem illum diſſeminandi. Satis mihi eſt ſi modò illa Templi amplificatio occaſionem huic errori, qui Herodianis tribuitur, præbuerit, quod ſomnino factura fuiſſe non videtur tam efficaciter ſi Herodianum Templum non ornatu modò & ſplendore, ſed & amplitudine Salomonico ceſſiſſet.

CELLARUM circa Templum dimenſiones & numerus.

In hac convenit Joſepho cum Talmudiſtis, quòd utrique tria Cellarum circa Templum collocant tabulata, ſed triplici diſcrimine inter ſe diſſentiunt. Primùm quidem in Cellarum numero; nam Joſephus 30 duntaxat ſtatuit Cellas, Judæi 38 agnoſcunt. Secundò in ſitu earum; nam Joſephus eas collocat in latere Meridionali & Septentrionali duntaxat Domûs, quindecim nempe in unoquoque latere, quinque ſcilicet in unoquoque tabulato; Judæi præter illas 30 Cellas ſtatuunt 8 alias in latere Occidentali Domûs ponè Adytum, tres nempe in primo & totidem in ſecundo tabulato; tum ſuper illas, duas alias in tertio ſive ſupremo tabulato. Tertiò differunt in Cellarum amplitudine: nam ſecundùm Joſephum ſingulæ Cellæ erant 10 cubitos longæ, latæ & altæ; Judæi earum altitudinem non definiunt, videtur tamen fuiſſe eadem cum illa Joſephi. Itaque (utì videtur) ſecundùm Judæos ſunt quidem omnes altæ 10 cubitos, & 30 priores Cellæ ſunt itidem ſecundùm eoſdem longæ 10 cub. ſed latæ omnes duntaxat 6 cubitos in infimo tabulato, 7 cub. in ſecundo, 8 denique in ſupremo tabulato. At illas quæ fuerunt in latere Occidentali Domûs in primo & ſecundo tabulato oportet fuiſſe longas 16 cub. aut earum duas longas fuiſſe 20 cub. reliquas quatuor ſingulas 10 cub. eas nempe quæ in angulis Adyti fuerunt; duas denique ſupremas, quæ in tertio fuerunt tabulato, neceſſe eſt fuiſſe 24 cub. longas, háncq; ab altera diviſam fuiſſe non muro ſeu pariete lapideo, ut reliquas, ſed aſſerum duntaxat contabulatione. Atq; ità tum invicem tum à Scriptura hac in parte diſcedunt. Nam Scriptura quidem unà cum Talmudiſtis Cellas Templo circumponit tribus ex lateribus (Joſephus tantùm duobus) ſed Cellas omnes facit longas & altas 5 duntaxat cubitos, latas verò in infimo tabulato 5 ſimiliter cubitos, 6 in ſecundo, 7 in tertio. Atque ex hac Cellarum 5 cubitorum longitudine, ſequitur fuiſſe ſpatia 39 Cellarum à latere Meridionali totidémque à Septentrionali, nempe 13 in ſingulis duorum illorum laterum tabulatis. Cùm enim Domus longa fuerit 65 cubitos (connumeratâ ſcilicet muri quâ Adytum ab Occidente claudebatur craſſitudine, quæ fuit quinque cubitorum) Cellæ autem ſingulæ 5 duntaxat cubitos longæ fuerint, proculdubio in longitudine Domûs 13 Cellarum ſpatia in unoquoque fuere tabulato. In latere autem Occidentali Domûs 8 fuerunt duntaxat in unoquoque tabulato Cellæ, h.e. 24 in tribus tabulatis; nempe Domus lata fuit (cum adjunctis ab utroque latere Cellis) 40 cubitos, quos ſi per 5 dividas, exſurgit octonarius Cellarum in unoquoque tabulato ab ea parte numerus: Ità in univerſum fuerunt Templo circumpoſitæ (ſecundùm eas quas Scriptura tradit dimenſiones) 102 ejuſmodi Cellulæ. Secundùm Judæos 38 duntaxat fuerunt: Joſephus autem 30 tantummodo numerat, neque dimenſiones ab eo traditæ patiuntur ut plures fuerint: ſed Joſephi & Judæorum Cellæ majores multò & ampliores fuerunt Cellulis illis Salomonicis.

Porrò excutiendus & expendendus nobis venit locus qui eſt apud Joſephum Antiq. lib. 8. ubi poſtquam dixit Templum & Templi Veſtibulum altum fuiſſe 120 cubitos, fuiſſéque Templum (Salomonicum nempe, nam illud eò loci deſcribit) diſtinctum in duo tabulata, quorum utrumque fuit altum 60 cubitos, ſubjicit iſta; σεμνοδόμησε ὁ τὸν ναὸν ὀκτὼ καὶ τριάκοντα βεχχῆσιν οἴκοις ἴκας δὲ τὴν οἴκων τούτων ἕνωσιν μὴ εἶχεν εἴκοσι πήχεις πήχεις, μήκους δὲ ἀνὰ πόδας, ὕψος δὲ εἴκοσι· ἐπῳκοδόμητο δὲ τούτοις ἕτερα, καὶ πάλιν ἄλλοι κατ' αὐτὰ, ἴσοι καὶ τοῖς μέσοις καὶ τὸ ἀειδαμῷ, ὡς τὸ πᾶν ὕψος ἀνὰ πόδας λαβὼν τὴν κάτωθεν οἴκων περιπατήσιον, ὁ γὰρ ὑπερῷος ἐκ δὺο σεμνοδομημάτων. Quibus verbis videtur Joſephus primâ fronte velle innuere Templo fuiſſe circumpoſitas in unoquoque trium tabulatorum 30 Cellas, ità ut 90 in univerſum fuerint circa Templum Cellæ, ſingulæ latæ & longæ 25 cub. altæ verò 20 cubitos. At non ſunt tamen ejus verba ſic accipienda. Si enim in unoquoque tabulato 30 fuerunt circa Templum Cellæ (cùm Cellæ tribus duntaxat ex lateribus Templo fuerint circumpoſitæ) neceſſe eſſet ab unoquoque latere 10 fuiſſe in unoquoque tabulato Cellas contiguas; quæ ſi fuerunt ſingulæ longæ & latæ 25 cubitos, oportet ſingula Templi latera longa fuiſſe 250 cubitos, nam decies viginti quinq; numerum

rum illum efficit. Atqui Templum, sive locus Sanctus & Adytum (quibus solis Cellæ fuerunt circumpositæ)longa fuerunt ex Scriptura 60 cub. duntaxat, lata verò 20 cub. quî pote ergò circumponi illis potuerunt 30 Cellæ longæ & latæ singulæ 25 cubitos? quarum 10 in singulis lateribus requirunt necessariò longitudinem 250 cubitorum. Quare si cellas volumus fuisse singulas latas & longas cubitos 25, necesse est dicere non 90 sed 30 duntaxat in universum Templo circumpositas fuisse Cellas nempe 9 à Meridie, totidem à Septentrione, 12 verò ab Occidente, atque ità à Meridie & Septentrione tres duntaxat fuerint in unoquoque tabulato Cellæ contiguæ, 4 verò ab Occidente in singulis tabulatis. Porrò tres Cellæ longæ & latæ 25 cub. faciunt latera Templi longa 75 cubitos. 4 autem Cellæ ab Occidente faciunt Templi latitudinem 100 cubitorum, quæ sic colligi & dinumerari possunt, si nempe demus Templi murum undiquaque crassum fuisse 10 cub. parietem autem quo adytum à loco Sancto separabatur crassum fuisse 5 cubitos, totidémque cubitis crassum fuisse murum quo Cellæ undiquaque claudebantur & ab Atrio Sacerdotum separabantur. Hoc enim dato sequitur, locum Sanctũ cum Adyto habuisse in longitudinem 75 cubitos, crassitudine muri utriusque in eo numero comprehensâ; nam præter muri crassitudinem longa fuerunt 60 cubitos. Latitudo autem Templi, hoc etiam dato, fuerit 100 cubitorum; qui sic colliguntur. Locus Sanctus latus fuit 20 cub. murus utrinque crassus 10 cub. Cellæ utrinque latæ 25 cub. murus quo utrinque Cellæ claudebantur crassus 5. cub. summa est 100 cubiti. Et longitudo similiter fuerit 100 cubitorum: si enim superioribus 75 cubitis longitudinis addas Cellarum (quæ à tergo Adyti positæ erant) latitudinem 25 cubitorum, & muri earum crassitudinem 5 cubitorum, exsurget numerus 105 cubitorum. Atque ità fuerit Templum longum & latum 100 cubitos: qua in longitudine non comprehenditur Templi Vestibulum. Sed si Cellæ illæ longæ & latæ fuerunt 25 cub. altæ verò 20 cub. non video quî dici possint βραχεῖς οἶκοι *breves domunculæ*, quomodo Josephus eas appellat: sic enim vel ipsius Adyti amplitudinem superavissent; longum enim & latum fuit Adytum 20 duntaxat cubitos. Tum & huc accedit illud, non videri congruum ut tam ingentes & vastæ Cellæ nullo interjecto muro, seu lapideo pariete, divisæ & à se invicem distinctæ fuerint; quod necesse est tamen concedere, si dicamus singulas fuisse 25 cub. longas & latas. Itaque non cohærent ista.

Quòd si demus 90 Cellas circa Templum fuisse positas, erunt sanè illæ βραχεῖς οἶκοι *breves & angustæ cellulæ*, nempe quinque vel sex cubitos longæ & latæ; quod longè abest à mensura quam eis assignat Josephus, quòd nempe fuerint 25 cub. longæ & latæ. Sic autem possunt Templo circumponi 90 Cellæ. Locus sanctus & Adytum longa erant 60 cub. his adde muri utrinque crassitudinem, quæ fuit 6 cubitorum, en tibi 72 cubitos. In illa longitudine possunt collocari in unoquoque tabulato 12 Cellæ contiguæ, solâ asseris contignatione à se invicem divisæ, singulæ longæ sex cubitos, nam sexies duodecim efficiunt numerum 72; latitudini earum dandi sunt quinque cubiti. Potuerunt itaque à duobus Templi lateribus, Meridionali scilicet & Septentrionali, collocari 72 Cellæ, singulæ longæ 6 cub. latæ 5. cub. Ab Occidente verò collocari poterunt in latitudine Templi 18 Cellæ, 6 nempe in unoquoque tabulato, singulæ longæ 7 cub. latæ verò 6. Nempe hâc ratione Templum latum fuerit 42 cubitos, locus scilicet Sanctus latus 20 cub. murus utrinque crassus 6 cub. Deinde Cellæ ab utroque latere latæ 5 cub. In latitudine ergò illa Templi 42 cubitorum collocari possunt ponè Adytum sex in longum Cellæ, singulæ longæ 7. cub. nam sexies septem sunt 42. Sic ergò possunt Templo circumponi 90 Cellulæ, 5-vel 6 vel 7 cub. longæ & latæ. Sed ejusmodi Cellulis tam angustis & brevibus tribuere altitudinem 20 cubitorum, qualem eis tribuit Josephus, absurdum omnino videtur, & ab omni justa symmetria & proportione prorsus alienum & abhorrens. Rursus & alia de causa absurdum videtur tantam cellis tribuere altitudinem; sic enim fit ut assurgant ad altitudinem primi tabulati Templi; itaque vel cæcum planè & prorsus tenebrosum fuit prius illud sive inferius Templi tabulatum, omnisque lumine privum & cassum, præter illud quod per portam loci Sancti (cùm illa patebat) intromitti potuit, quod est vehementer absonum; vel dicendum est aliquot tertii tabulati Cellas nihil-aliud fuisse quàm fenestras per quas lumen admitteretur, & per fenestras in Templi muro eis ex opposito respondentes in Templum intromitteretur; quod incongruum omnino videtur, & visu atque specie inconcinnum. Neque enim dici potest per fenestras in superiori tabulato positas (quod, ut ait Josephus, non fuit σεμνοδομημάτων, h.e. *cellis cinctum*) admitti & delabi potuisse lumen in inferius tabulatum; nam alterum tabulatum ab altero distinctum fuit intermediâ contignatione, ità ut lumen à superiori non potuerit in inferius delabi. Itaque necesse est Josephum graviter hîc lapsum & hallucinatum esse in numero & dimensione Cellarum istarum quas Templo Salomonico ait fuisse circumpositas; neque enim possunt numeri illi & dimensiones quas tradit ullo modo simul consistere, uti ostensum est. Non attendit, inquam, Josephus quid hîc scriberet, neque vidit quàm hæc pugnent, sintque prorsus ἀσύμφωνα: ut nè jam dicam quòd hæc longè distant à mensuris in scriptura traditis, ex qua liquet Cellas fuisse duntaxat 5 cubitos longas, latas & altas. Congruit sanè & convenit illa Cellarum dimensio atque amplitudo à Josepho tradita altitudini 120 cubitorum quam Templo tribuit; at latitudini 20 cubitorum quam Scriptura Templo tribuit non quadrat; Cellæ enim utrinque positæ longè minores esse debent mediâ Cellâ. Atque ut illa Cellarum altitudo aptè congruat cum Templi ipsius altitudine, non fuit Templi altitudo dividenda in duo tabulata (uti facit Josephus) intermediâ contignatione; sic enim (uti ostensum est) inferius tabulatum obscurum planè & cæcum redditur; sed perpetuâ altitudine ad summum usque tectum fuit educendus atque evehendus ejus murus: hoc enim pacto fenestræ supra Cellas in muro Templi lumen immittere potuissent in Templum. Verùm etiam alia ex parte tam angusta loci Sancti latitudo, 20 nimirùm cubitorum, non congruit cum tanta 120 cubitorum altitudine. Itaque non est hîc justa & conveniens omnium partium inter se symmetria, id quod ex his quæ sequuntur jam fiet manifestius.

Templi DIMENSIONUM *justa & conveniens* SYMMETRIA *atq; Proportio.*

Vitruvius lib. 4. cap. 7. Tuscanam Ædium sacrarum rationem sic definit; *Locus in quo Ædis constituetur, cùm habuerit in longitudine sex partes, unâ demptâ, reliquum quod erit latitudini detur. Longitudo autem dividatur bipartitò, & quæ pars erit interior Cellarum spatiis designetur, qua erit proxima fronti Columnarum dispositioni relinquatur. Item latitudo dividatur in partes decem: ex his ternæ partes dexterâ ac sinistrâ Cellis minoribus, sive ubi ala futuræ sunt, dentur; reliqua quatuor mediæ Ædi* (h.e. mediæ & majori Cellæ) *attribuantur.* Juxta hanc rationem exstructum fuit Templum Herodianum à Josepho descriptum; hoc excepto, quod in Herodiano non fuit Pronaum, quod dimidiam longitudinis partem occupaverit, sed illius loco fuerit Vestibulum, quod Pronai quodammodo vice fuit. Longitudinem autem hîc jam non intelligimus totam Templi unà cum ipso Vestibulo longitudinem (quæ, uti suprà vidimus, fuit in Templo Herodiano 100 cubitorum) sed intelligimus loci Sancti & Adyti (quæ *Domus* sive *Ædes* propriè dibitur) longitudinem; ea autem fuit 72 cubitorum, comprehensâ scilicet in eo numero muri utrinque crassitudine, quæ fuit 12 cubitorum, utrinque scilicet sex. Hæc longitudo dividatur in partes sex, singulæ erunt 12 cubitorum; quinque ejusmodi partes si dentur latitudini, erit latitudo 60 cubitorum, atque ea fuit Templi Herodiani latitudo. Talmudistæ non observatâ illâ ratione sive

proportione

proportione faciunt Templum 70 cubitos latum. Rursus dividatur hæc latitudo in partes decem, singulæ erunt 6 cubitorum. Harum tres partes faciunt 18 cubitos, assignandos Cellis minoribus, quæ ab utroque latere loci Sancti & Adyti (quæ *Cella*, sive *Ædes*, *media* dici potest) fuerunt positæ. Hi 18 cubiti sic colliguntur; Cellæ latæ fuerunt 10 cub. Murus earum crassus 4 cub. sumantur ab altero Cellarum latere totidem cubiti, in crassitudine Muri, quo Cellæ à loco Sancto distinguebantur, en tibi 18 cubiti Cellis assignandi. *Ità ergò terna totius latitudinis partes* (nempe 18 cubiti) *dextrâ & sinistrâ* (Cellæ majoris, sive loci Sancti) *Cellis minoribus data sunt, reliqua quatuor partes* (quæ sunt 24 cubitorum) *mediæ Ædi* (h.e. loco Sancto & Adyto) *attributa sunt*; nam locus Sanctus latus fuit 20 cubitos, quibus addendi sunt utrinque duo reliqui cubiti in crassitudine Muri, qui crassus fuit sex cubitos, quorum quatuor utrinque Cellis minoribus assignavimus, itaque reliqui duo *mediæ Ædi* veniunt assignandi.

Ad altitudinem autem quod attinet docet Josephus prius sive inferius Templi tabulatum altum fuisse 60 cub. quod intelligendum est à solo Atrii Sacerdotum, non verò à solo seu pavimento ipsius Templi sive loci Sancti; nempe solum Templi altius fuit solo Atrii 6 cubitis (uti antea vidimus:) itaque à solo Templi ad lacunar prioris tabulati cubiti fuere duntaxat 54. Cellæ autem in eodem fuerunt cum Templo plano sive ὁμαλῷ· itaque, cùm Cellæ Templi Herodiani altæ fuerint 30 cubitos, sequitur prius Templi tabulatum eminuisse supra circumpositas Cellas 24 cubitis, quod spatium suffecisse omnino videtur fenestrarum dispositioni quibus lumen in Templum immittebatur: ità apta, justa & conveniens videtur illa prioris tabulati supra Cellas altitudo atque eminentia. At quòd priori illi tabulato aliud superstructum fuerit 40 cubitos altum, ità ut eminuerit supra Cellas 64 cubitis, h.e. plusquam duplâ ratione, nescio an id satis justæ proportioni atq; symmetriæ respondeat.

Longitudinis ad latitudinem alia in Templo Salomonico habita est ratio, nempe non Tuscana ista sed Dorica, quam tradit Vitruvius lib.4.cap.4. his verbis, *Distribuitur longitudo Ædis ità latitudo sit longitudinis dimidia pars, ipsaque Cella parte quartâ longior sit quàm est latitudo cum pariete, qui paries Valvarum habuerit collocationem. Reliqua tres partes Pronai ad Antas parietum procurrant, quæ Anta columnarum crassitudinem habere debent.* Quod sic ostenditur. Latitudo Templi Salomonici fuit 46 cubitorum (uti suprà demonstravimus) longitudo autem 92 cubitorum; jam 46 est dimidium 92. Rursus quarta pars hujus latitudinis sunt cubiti $11\frac{1}{2}$; addantur illis 46 cubitis latitudinis, fient $57\frac{1}{2}$; addatur his crassitudo parietis 5 cubitorum, fient $62\frac{1}{2}$, quæ est longitudo Cellæ (h.e. loci Sancti cum Adyto) quæ longa fuit 60 cub. Quod addit Vitruvius, *reliquas tres partes Pronai ad Antas parietum procurrere*, non habuit locum in Templo Salomonico, in quo Vestibulum, & spatium hypæthrum ante Vestibulum, in quo fuit Ara, fuerunt vice & loco Pronai. Porrò ratio latitudinis & altitudinis loci Sancti & Adyti in Templo Salomonico ad eorum longitudinem respondet accuratè rationi illi quam tradit Vitruvius l. 6. cap.5. ubi de Tricliniis & Conclavibus; Sic enim ille, *Tricliniorum quanta latitudo fuerit, bis tanta longitudo fieri debet* (idem tradit de Templi Cella lib.4. cap.7. *Cellæ longitudines duplices sunt ad latitudines.*) *Altitudines omnium Conclaviorum, quæ oblonga fuerint, sic habere debent rationem ità longitudinis & latitudinis mensura componatur, & ex ea summa dimidium sumatur, & quantum fuerit tantum altitudini detur. Sin autem Exedræ aut Oeci quadrati fuerint latitudinis dimidiâ additâ altitudines educantur.* Juxta hanc rationem exstructum fuit Templum Salomonicum; nam loci Sancti longitudo dupla fuit ad ejus latitudinem, longus nempe fuit 40 cub. latus 20. latitudo autem & longitudo ejus composita simul dant 60 cub. cujus dimidium nempe 30 cubiti faciunt ejus altitudinem. Adytum quadratum fuit, longum nempe & latum 20 cubitos; dimidia ergò latitudinis pars, nempe decem cubiti, addita longitudini facit 30 cub. quæ fuit muri ejus itidem altitudo, par altitudini loci Sancti: sed interjecto lacunari ad altitudinem 20 cub. 10 superiores cubiti ad tectum usque intercepti sunt, ità ut introrsum latum, longum & altum fuerit 20 duntaxat cubitos, totum cubicum factum uti habetur 1 Reg.6.20. Porrò locus Sanctus fuit veluti Triclinium & Cœnaculum Domini; indè in eo Mensa cum panibus Propositionis, Candelabrum item & Ara incensi: Adytum verò fuit veluti Conclave & arcanum penetrale, ideo angustius & quadratâ fuit formâ. In Templo Herodiano eadem quidem fuit loci Sancti & Adyti longitudo & latitudo cum Salomonico, at non eadem altitudo, quæ duplicata ferè fuit; fuit enim secundùm Josephum à solo ad tabulatum 54 cubitorum, secundùm Judæos verò 44 cubitorum; quæ altitudo justam superat rationem duobus trientibus aut quatuor quintis; itaque conturbata omnino videtur in ea mensura justa & legitima symmetria atque proportio. Non fuit eadem ratio altitudinis servata in Vestibulo, quod longum fuit 20 cub. latum 10 in Templo Salomonico; altum autem fuisse necesse est vel 30 cub. pari cum reliqua domo altitudine (atque ità longitudo & latitudo simul juncta effecerint ejus altitudinem) vel 20 cub. duntaxat pari cum longitudine mensurâ. In Herodiano Templo Vestibulum longum fuit intrinsecùs 84 cub. latum 20, altum 90. secundùm Josephum: quod non est ad Vitruvianam illam rationem. Porrò est inter Scripturæ & Josephi mensuras ratione altitudinis analogia & proportio quædam: nempe quomodo secundùm Scripturam in Templo Salomonico Domus alta fuit 30 cub. Cellæ autem 15 cub. dimidiâ scilicet Domûs altitudine, ità ut in spatio illo 15 cubitorum, quibus Domus eminebat supra Cellas, collocari potuerint fenestræ quibus lumen immittebatur; sic & in Herodiano Templo prius Domûs tabulatum altum fuit 60 aut saltem 54 cub. Cellæ autem 30 cub. h.e. dimidiâ aut ferè dimidiâ altitudinis parte; ità ut in illo 30 aut 24 cubitorum spatio, quo prius tabulatum eminuit supra Cellas, potuerint collocari fenestræ quibus inferius Templi tabulatum lumen suum accipiebat. Eadem fuisse videtur ratio in Templo à Talmudistis delineato, licèt non definierint altitudinem cellarum. Porrò altitudo illa 30 vel 24 cubitorum abunde sufficere videtur ad fenestrarum lumen.

De Templi Cochleis.

Josephus Cochlearum Templi nullus omnino meminit in Descriptione Templi Herodiani, quæ fuerunt tamen omnino necessariæ, ut iis ascenderetur tum in Cellarum secundum & tertium tabulatum, earúmque tectum, tum in secundum Templi ipsius tabulatum, denique in prioris & secundi Septi Porticum & Atriorum tecta & ὑπερῶα. Verùm Antiq. lib. 8. in Descriptione Templi Salomonici sic de Cochlea scribit, quâ in superius Templi tabulatum ascendebatur, ἐριλοτέχνησε, inquit, ὁ βασιλεὺς ἄνοδον εἰς τὸ ὑπερῶον οἷον διὰ τὸ δυσχωρὲς τῆς τοίχου· ἐν γὰρ οὐκ ἔχε θύραν μεγάλην καὶ τὸ ἀνατολικὸν οὐκ ἔχον ὁ κάτωθεν οἶκος, ἀλλ' ἐν τοῖς πλαγίοις ἦσαν αἱ ἴσοδοι διὰ μικρῶν πάνυ θυρῶν. Ejusmodi Cochleam intra muri latitudinem concluſam juxta Cellas in Ichnographia nostra notavimus, eâ enim potuit ascendi tum in Cellarum tectum & tabulata, tum in superius Templi tabulatum, adeóq; & in ipsum tectum; atque ad id crassitudo muri sex cubitorum abunde sufficere potuit: nam ut Cochleæ diametro dentur 4 cubiti (quod omnino sufficiebat) reliquus erit hinc indè cubitus unus in crassitie muri, ubi fenestellæ collocari potuerunt, quibus lumen in Cochleam immitteretur. Ejusmodi Cochleam ad utrumque portæ Templi latus collocavimus, ut utrinque ad Cellas & earum tectum ascenderetur. Absurdè enim & imperitè videntur Talmudistæ unam tantùm à latere Septentrionali

trionali collocare, ità ut non potuerit quis ad Cellas Meridionales Templi pervenire & eas ingredi, nisi priùs percurreret totum Septentrionale & Occidentale Templi latus: Eámque nolunt in Cochleæ modum factam, quâ obliquè & velut in orbem sursum ascenditur, sed scalam fuisse lapideam quâ gradibus in longum & directum juxta Cellarum longitudinem dispositis in earum tabulata & tectum ascendebatur, ità ut qui per scalam illam ascendebat, faciem haberet ad Occidentem obversam, totúmque Septentrionale Cellarum latus percurrebat. Hujusmodi Scala Cellis lumen obstruit, earúmque magnam partem cæcam & prorsus tenebrosam efficit, ità ut sit insulsissimum Judæorum imperitorum figmentum & ineptum commentum. Scalas in Cochleæ modum ascendentes, nos pluribus in locis, quos appositos & convenientes necessariósque duximus, in Ichnographia nostra apposuimus & signavimus.

De Templi situ sive positu ratione plagæ Cœli.

Vitruvius lib. 4. cap. 5. ità de sacrarum Ædium situ sive positu scribit, *Ædes sacræ deorum immortalium sic erunt constituendæ, ut si nulla ratio impedierit, liberáque potestas fuerit Ædis, signum quod erit in Cella collocatum spectet ad vespertinam Cœli regionem, uti qui adierint ad aram immolantes aut sacrificia facientes spectent ad partem Cœli Orientis & simulacrum quod erit in Æde, & ità vota suscipientes contueantur Ædem & Orientem Cœli, ipsáque simulacra videantur exorientia* (videtur omnino legendum *ex Oriente*) *contueri supplicantes & sacrificantes, quòd Aras omnes deorum necesse esse videatur ad Orientem spectare.* Contraria ratio in Templo Dei fuit observata; porta enim ejus obversa fuit Orienti, & portæ illi opposita fuit Ara, ità ut qui ad Aram sacrificabant vel supplicabant Ædem contuentes ad Occidentalem Cœli regionem obverterentur eámque spectarent. Deus item (qui nullum quidem simulacrum habuit, sed tamen alis Cherubinorum insidere in Adyto ἀνδρωποπρεπῶς dicitur) supplicantes & sacrificantes sibi, non ab Oriente sed ab Occidente spectabat. Voluit nimirum Deus certo consilio populum suum hac in parte contrario Ethnicis more & ritu uti, quòd scilicet consuetudo obvertendi se ad Orientem adorandi gratiâ ab Idololatria ortum suum habuisse videatur, nempe à Solis orientis adoratione, quæ omnium prima & antiquissima videtur fuisse Idololatria, quòd inter omnes Dei creaturas aspectabiles Sol hominum in se maximè traxerit oculos atque admirationem, & ad sui cultum atque adorationem olim eos induxerit atque pellexerit. Deinde, si Numini locus sive positus & situs aliquis in Æde sua καθ' ἀνδρωποπρέπειαν assignandus est, omnino magis convenit & decet ut is statuatur & censeatur esse Orienti potiùs quàm Occidenti obversus, ab ea enim parte lux (quæ Deum maximè decet) venit atque illucescit. Et sanè pars illa Cœli in ipsa Scriptura Antica censetur, unde est quòd Meridies ימין *dextra*, Septentrio contrà שמאל *sinistra* dicitur. Pontificii & qui primi Christianorum Ædes sacras ità constituerunt ut & populus orans & qui ad Aram sacra peragit sacerdos obvertantur ad Orientalem cœli regionem, videntur consultò voluisse contraire Judæorum consuetudini qui ad Occidentem conversi adorabant: sed sic imprudentes Ethnicorum mori sese conformarunt.

Atrii Sacerdotum Dispositio.

Quanta fuerit ejus amplitudo suprà indicatum est. Judæi nempe Talmudistæ definiunt illud longum fuisse ab Oriente in Occidentem 187 cub. latum verò à Meridie in Septentrionem 135 cub. Tribus ex lateribus cinctum fuit Atriis sive Porticibus, à Meridie nempe & Septentrione gemino virorum Atrio, ab Oriente verò Atrio feminarum, in quibus Atriis Judæi adoraturi stabant, atque indè in Aram & Templum Sacerdotésque sacris operantes spectabant. Ab Occidente clausum prælto & crasso muro, cui extrinsecùs subjectæ fuerunt nonnullæ Cellæ sive majores Exedræ ad Gazophylacia. In Atrio illo Sacerdotum positum fuit Templum propriè dictum, atque ante Templi portam Ara holocaustorum sive sacrificiorum; at quo positu & quâ proportione Josephus non explicat, uti neque reliqua quæ ad sacrificia pertinebant exponit. Ea nobis petenda fuerunt à Talmudistis, qui ista figillatim & accuratè prosequuntur. Dicunt ergò illi spatium fuisse 11 cubitos latum inter murum Atrii Occidentalem & Templi murum quo à tergo claudebatur & ab Atrio Sacerdotum discludebatur; inter Vestibulum autem Templi & Aram 22 cubitos fuisse interjectos, totidémque inter Aram & Atrii murum Orientalem, sic enim exsurgunt 187 cubiti longitudinis Atrii illius. Verùm quoniam, Josephus Aram facit 50 cubitos longam & latam (Judæi verò 32 duntaxat cubitos) ideo nobis paulò diversa ineunda fuit ab illis ratio. Itaque ut omnia aptè inter se quadrent, spatiis inter Atrii murum Occidentalem & Templum ipsum facimus latum 10 cubitos, inter Vestibulum autem & Aram 20 interponimus cubitos, septem autem inter Aram & Loricam lapideam quæ Atrio feminarum juncta fuit; sic enim colliguntur similiter 187 cubiti longitudinis Atrii ipsius. Atque hæc de longitudine.

Ad latitudinem quod attinet, quandoquidem Templum tam latum quàm longum fuit 100 cubitos, qui 100 cubiti porrigebantur in longitudinem Vestibuli, Atrium autem Sacerdotum latum fuit 135 cub. planum est Templum ità constitutum fuisse ut duo Vestibuli extrema utrinque à virorum Atrio dissita fuerint cubitis 19, sive à Lorica lapidea Atrio illi juncta cubitis $17\frac{1}{2}$. Ara posita fuit in eo Atrio ex adverso portæ Vestibuli, inter Vestibulum & Atrium feminarum. Inter Aræ latus Septentrionale & Vestibuli partem Septentrionalem, Atrium virorum Septentrionale & Atrii feminarum partem dextram sive Septentrionalem, locus fuit in Atrio Sacerdotum quadrangulus, longus ab Atrio feminarum ad Vestibulum Templi 76 cub. latus verò ab Altari ad Atrium virorum Septentrionale 60 cub. qui à Talmudistis dicitur צפון *Septentrio*, in quo mactabantur, jugulabantur, deglubebantur, parabantur atque in frusta dissecabantur Victimæ ut indè in Aram inferrentur. Nos, quia Josephi Ara longè amplior est Talmudistarum Altari, paulò arctiorem locum illum fecimus, nempe 56 cubitorum. Hunc autem locum sic illi distribuunt ut ejus latitudinem in quinque distincta spatia dividant, quorum duo erant vacua, reliqua tria occupata. Tria illa loca sive spatia occupata vocant 1. quidem *Annulorum* הטבעות, 2. המטבחים *Mactatorum*, 3. השלחנות *Mensarum*. Locus Annulorum latus fuit 24 cub. inter eum autem & Altare spatium fuit vacuum 8 cub. latum (nos sex duntaxat illi tribuimus.) In hoc Annulorum loco erant defixi in pavimenti saxis annuli ferrei crassi, ad quos religabantur Victimæ majores, Boves putà mactandi, atque isthic mactati jugulabantur, jugulati indè ad proximum illi locum המטבחים *Mactatorum* sive *Laniorum* trahebantur. In eo erant variæ columellæ lapideæ cum trabibus ligneis in patibulorum modum transversim earum capitibus superimpositis cum uncinis ferreis unde victimæ dependebant, atque isthic deglubebantur sive excoriabantur, viscerâque & intestina omnia detrahebantur, erátque locus ille latus 12 cubitos. Ubi pellis & viscera fuerant illis detracta, victimæque in partes majores sive quadrantes dissectæ, indè in locum illi proximum *Mensarum* transferebantur, atque isthic mensis marmoreis impositæ in frusta minoréque partes dissecabantur, earúmque membra & partes Altari inferendæ parabantur; erátque locus ille *Mensarum* latus 8 cubitos, inter quem & Loricam Atrii virorum Septentrionalis 8 alii cubiti fuerunt interjecti (quod alterum fuit spatium vacuum:) nos sex duntaxat ponimus cubitos ob prædictam causam, quatuor nempe cubitis angustiorem fecimus totum illum Septentrionalem Atrii Sacerdotum tractum quàm Judæi, ob majorem Aræ Josephianæ amplitudinem. Trium illorum spatiorum quæ ab *Annulis*, *Mensis* & *Columellis*

lamellis occupata fuere, longitudinem non definiunt Judæi: nos eam facimus 45 cubitorum, ferè quot occupavit ipsa Ara; nempe in loco *Annulorum* quinque series Annulorum in latitudine 24 cubitorum facimus, quatuor cubitis invicem distantes, quarum quinta series columellis loci *Mactatorum* connexa erat. In unaquaque autem serie sex Annulos collocamus novem cubitis invicem distantes in longitudine illa 45 cubitorum, ut viginti octo vel triginta in universum fuerint annuli, quibus 20 Boves quantumlibet magni potuerunt tum cornibus ad unum tum posterioribus pedibus ad alium annulum illi oppositum religari, atque ità mactari & jugulari. Atque in ea annulorum dispositione, ut in longitudine distarent 9 cub. in latitudine verò 6, rationem habuimus longitudinis & crassitudinis Boum quàm maximorum, adeóque & Canonis illius Vitruvii qui habetur lib. 6. c. 9. ubi Bubilia sive Boum stabula describit, *Bubilium*, inquit, *debent esse latitudines nec minores pedum denûm, nec majores quindenûm; longitudo uti singula juga nè minus occupent pedes septenos.* Boum longitudo in Bubilibus protenditur in Bubilis latitudinem, & eorundem crassitudo in Bubilis longitudinem; plura enim Boum juga juxtà posita in Bubilis longitudinem collocantur. Cùm itaque præscribit Vitruvius ut nè fiant Bubilia latiora pedibus quindenis, sive denis cubitis, satìs eo ostendit quàm maximos Boves non esse longos sex vel septem cubitos; nam in Bubili à tergo Boum spatium debet relinqui vacuum sex ut minimùm vel septem pedes latum, ad viam quâ ab uno Bubilis extremo ad aliud extremum iri possit ad curandos Boves. Cùm itaque spatium 9 cubitorum damus inter annulum cui Bovis mactandi caput, & alium annulum cui posteriores ejusdem pedes religabantur, satìs sufficiens ad id spatium illud esse arbitramur; multò magìs sufficere videtur ad Bovis ejusdem prostrati & jugulandi latitudinem spatium sex cubitorum, quod nos statuimus inter unam annulorum seriem & alteram ipsi proximam, cùm Vitruvius singulis Boum recumbentium in Bubili jugis septenos duntaxat vel octonos assignet pedes, h. e. vix totos quinque cubitos. Sic ergò potuerunt eo loco eodem temporis momento simul 20 maximi Boves mactari & jugulari. Juxta locum illum fuit locus המטבחים *Mactatorum*, latus 12 cubitos, in quo collocari possunt tres columellarum series 4 cubitis invicem distantes, & in unaquaque serie 6 columellæ in longitudinem 45 prædictorum cubitorum protensæ, cum trabibus ligneis transversim positis, quibus crassi uncini ferrei fuerunt infixi, ex quibus uncinis pendebant victimæ mactatæ & jugulatæ deglubendæ. In unaquaque trium illarum columellarum serie potuerunt esse uncini 15 tribus cubitis invicem distantes, quod satìs fuit singulis Bobus deglubendis, itáque potuerunt in iis simul eodem tempore deglubi 45 Boves, quod satìs fuisse videtur ad quotidianum Altaris ministerium. Si extra ordinem longè major interdum Boum & aliarum Victimarum multitudo mactabatur solennibus diebus festis, potuit id peragi & administrari tum in spatio illo vacuo, quod utrinque à latere Templi inter Templum & virorum Atrium interceſſit, longum 60 cub. latum 40, tum etiam fortè in spatio illo hypæthro quod interceſſit inter Porticus Septi exterioris & Gradus quibus ad interius ascendebatur, quod longissimum fuit, latum verò 35 cubitos. Loco illi *Mactatorum* contiguus fuit locus *Mensarum*, in quo Talmudistæ notant fuisse octo Mensas, quaternas nempe in duplici serie, quas necesse est fuisse binos duntaxat cubitos latas; quaternos autem interceſſisse cubitos inter duas illas Mensarum series, ut scilicet utrinque Mensis illis astare possent Sacerdotes, & inter eas liberè permeare, nè se invicem permeando & occurrendo propellerent & offenderent. Mensis illis imponebantur Victimarum artus majores dissecandi in partes minores & parari ad Aram. Spatia illa duo vacua quæ interceſſerunt inter Mensas illas & virorum Atrium, ut & inter Altare & Annulos, item & illa duo quæ interceſſerunt tum inter Vestibulum & עזרה, h. e. tractum istum Septentrionalem modò descriptum, tum inter eundem & Atrium feminarum, fuerunt, inquam, illa quatuor spatia ad liberum Sacerdotum hinc indè, huc & illuc ad varia sua ministeria commeantium, transitum.

ARA sive ALTARE HOLOCAUSTORUM.

Fuit ea, utì diximus, posita rectà ex adverso portæ Vestibuli Templi, ut scilicet Sacerdotes ei adstantes sacrificaturi faciem haberent obversam rectà in locum Sanctum & Adytum, versùs Arcam, cui in Adyto positæ Dominus in Scriptura dicitur *insidere*, eámque habere pro *pedum* suorum *scabello*, aliis nempe Cherubinorum ipsi superstantium insidens. Talmudistæ eam faciunt infernè longam & latam 32 cubitos, supernè verò aream Foculorum 24 cub. cum quatuor palmis in quadrum longam & latam faciunt; volunt nempe eam omni ex parte 4 cubitis angustiorem fuisse supernè quàm erat infernè, altam autem eam volunt 10 cubitos sive 58 palmos. Juxta has mensuras potuerunt in suprema Foci area exstrui sex Foculi sive prælongæ areolæ, singulæ binos cubitos latæ, longæ verò 24 cub. Spatium autem inter singulas areolas sive Foculos vacuum debuit ut minimùm esse duos cubitos latum; Foculi ipsi alti fuerunt tres cubitos. Potuerunt Foculi illi capere 72 Sacerdotes eodem tempore simul sacris operam dantes, si singulis Sacerdotibus bini cubiti dentur; nam sexies 24 sunt 144, qui si in duas æquales partes dividantur erunt 72. Josephus Aram longè ampliorem facit, nempe 50 cub. in quadrum infernè longam & latam; supernè nos eam sex omni ex parte cubitis angustiorem facimus quàm erat inferné: nam ubi Talmudistæ locum quem calcabant pedes Sacerdotum circa Foculos latum faciunt cubitum unum duntaxat, nos facimus latum tres cubitos; si enim cubitum unum duntaxat latus fuisset, Sacerdotes euntes & redeuntes sibi mutuò occurrendo molesti fuissent, seséque invicem inter eundum impulissent. Eadem de causa spatium inter Areolas sive foculos in Josephiana ista Ara vacuum latum facimus itidem 3 cubitos, nè Sacerdotes sibi mutuò occursantes alter alteri impedimento essent, sed liberum haberent & laxum transitum. Ità fuerit in Ara illa area Foci longa & lata in quadrum omni ex parte 38 cub. in qua potuerunt exstrui octo Foculi sive Areolæ altæ tres cub. longæ 38, latæ 2 cub. cum spatio, utì dixi, inter singulas Areolas vacuo lato 3 cub. Potuerunt hi octo Foculi seu Areolæ capere simul eodem tempore 152 Sacerdotes sacra facientes, si singulis binos latos cubitos, utì suprà, demus; nam octies 38 faciunt 304, qui divisi in duas partes dant 152. Singulis Foculis videtur craticula ærea vel ferrea ejusdem cum Foculo longitudinis & latitudinis imposita, cui victimarum membra igne absumenda imponebantur. Plures autem distinctos ejusmodi Foculos in suprema Ara fuisse positos omnino verisimile est, imò necesse fuit, quia alioqui si unus duntaxat fuisset Focus qui totam supremam Aram occupasset, maxima ejus pars inutilis fuisset ob nimis vastam ejus amplitudinem; neque enim potuissent Sacerdotes tribus ex partibus illi adstantes Victimarum partes in medium ejus usque promovere adolendas; nam ut quisque quantum potest vel maximè nitatur atque contendat brachia porrigere, nunquam poterit ad ternos aut ad summum quaternos longè à se cubitos aliquid manibus promovere atque porrigere: at verò fuit suprema Ara secundùm Judæos Talmudistas 24 cub. in quadrum omni ex parte exporrecta, secundùm verò Josephum 38 cub. quis ergò potuit à latere ejus stans in medium usque Victimarum partes & membra porrigere? Omnino ergò variæ & viâ latâ invicem distinctæ Areolæ in suprema Ara exstrui debuerunt, ut Sacerdotum sacra facientium ministerium expeditum esset, miniméque impeditum.

Cùm Ara secundùm Judæos 10 cub. secundùm Josephum 15 cub. alta esset, ad eam ascendi debuit, non gradibus, nam lege id vetitum erat, sed leniter acclivi ascensu quodam, quem Judæi כבש vocant, statuúntque eum à latere Meridionali Aræ planè commodè, ex adverso nempe

loci

loci in quo diximus mactatas, jugulatas & dissectas fuisse Victimas; nam ubi super Mensas in partes erant dissectæ, à Sacerdotibus è Mensis sumebantur, atque per viam quæ inter Vestibulum & Altare fuit deferebantur, atque in transitu è regione portæ Vestibuli elevabantur, Deóque veluti offerebantur, indéque progredientes ad Aræ Ascensum per eum in Aram conscendentes Foculis in Ara suprema constitutis imponebant, faciem ad Templi portam & Sanctuarium obvertentes. Ascensum illum Talmudistæ longum statuunt 32 cub. quot nempe ipsi Aræ tribuunt, latum autem faciunt 16 cub. quod est latitudinis Aræ dimidium: cúmque esset in medio latitudinis Aræ constitutus, Ara secundùm eos 8 cubitis Ascensûs latitudinem utrinque excessit atque superavit. Altus autem fuit septem duntaxat cubitos (nam quòd Maimonides novem dicit, error est) cùm enim Ara dicitur Talmudistis alta 10 cub. hoc intelligendum est ad summum usque Aræ focum, qui cùm altus fuerit secundùm eosdem tres cubitos, sequitur Ascensum qui ad imum usque Focum duntaxat porrigebatur & ascendebat, altum fuisse 7 duntaxat cubitos; cúmque longus esset 32 cubitos, sequitur quaternis quibusque in longum cubitis cum dimidio elatum fuisse Ascensum paulatim cubitum unum in altum; si enim dividas 32 per 7 quotiens dabit 4½. quæ ratio duplo minor est eâ quæ per Gradus fit. Nam, uti suprà vidimus, Vitruvius singulos Gradus facit in latitudine sesquipedales, h. e. latos cubitum unum, in altitudine autem dodrantales. h. e. crassos 9 pollicibus sive dimidio cubito: secundùm quam rationem quaternis Gradibus ascenditur in altum duos cubitos, at hîc quaternis in longum cubitis cum dimidio ascenditur duntaxat cubitum unum in altum. Duplo ergò lenior fuit hic Ascensus quàm si Gradibus ad Altare ascensum fuisset.

Quoniam Josephus Aram suam longè ampliorem facit quàm Talmudistæ, nempe 50 cubitos infernè longam & latam, propterea necesse est Ascensum ipsius breviorem fuisse Ascensu illo quem Talmudistæ definiunt. Itaque 25 duntaxat cubitos illi assignamus ad infimam usque crepidinem, quibus deinde duo sunt alii addendi, ut sint in universum 29 cubiti; sex autem interjectos statuimus inter Ascensûs initium & Loricam Atrio virorum Meridionali connexam, ubi Judæi 12½ cubitos interponunt. Et quando Ara secundùm Josephum alta fuit (ad summum usque Focum) 15 cub. Focus autem altus 3 cub. sequitur Ascensum fuisse altum 12 cub. ad imum usque Focum: quibus 12 cubitis si longitudinem Ascensûs 30 cubitorum dividas, Quotiens dabit ferè 2½, unde liquet in eo Ascensu binis quibusque cubitis cum dimidio elatum fuisse Ascensum illum in altum cubitum unum, quæ eadem est ferè ratio cum ea quam Vitruvius in Ascensu qui per Gradus fit, postulat. Amplitudo Altaris quam Josephus tradit videtur magis convenire multitudini sacrificiorum quæ in eo fieri solebant; at ea quam Talmudistæ definiunt, videtur magis proportionata reliquis omnibus Atrii Sacerdotum partibus: utra autem sit verior & cui magis credendum hac in parte videatur, num Josepho qui ipse fuit Sacerdos, ac proinde sæpius in eo Altari rem Divinam fecit, an Talmudistis qui sæpe sunt fabulosissimi homines, prudentis & cordati Lectoris liberum esto judicium. Tanta autem Altaris altitudo omnium minimè necessaria videtur; sic enim Altaris tam alti oppositu intercludebatur adstantis plebis aspectus nè oculos intendere posset in loci Sancti portam, atque per eam in ipsum locum Sanctum: nisi quis fortè existimet consultò exstructam fuisse in eam altitudinem Aram in eum ipsum finem. Porrò neutrius illius mensuræ (sive illius quam Talmudistæ tradunt, sive illius quam tradit Josephus) nè verbum quidem exstat in Scriptura. Etenim 1 Par. 4. 1. Altare æneum Salomonis dicitur longum & latum 20 cubitos. Ezech. autem cap. 43. infernè longum & latum dicitur 14 cub. supernè verò 12 cubitos. Ad altitudinem autem quod attinet, Salomonicum dicitur altum 10 cub. (1 Par. 4. 1.) hinc fortè Talmudistæ suum faciunt ejusdem altitudinis. Ezech. 43. Altare ità describitur ut ad summum usque Ariel numerentur 11 cubiti. Jam supra Ariel fortè fuit locus המערכה *Foculus*, qui altus erat 3 cub. ità fuerit Altare illud altum 14 cub. Josephianum autem fuit 15 cub. altum, uno scilicet cubito altius illo. Totum autem fuit secundùm Josephum & Talmudistas constructum ex lapidibus integris, rudibus & impolitis, adeóque etiam non cæsis, quos ferrum nunquam attigerat, nempe juxta Legis præscriptum. Villalpandus codicem Josephi tum Græcum tum Latinum erroris stupendi arguit in numeris mensuræ Altaris, sed maximè Græcum, qui 50 cubitos longitudini & latitudini tribuit Altaris: Latinum codicem qui 40 tantùm cubitos dat illi, sic accipit ut dicat longitudinem & latitudinem Altaris Salomonici fuisse simul conjunctas in numero illo 40 cubitorum. Mirum autem cùm Salomonicum fuerit æreum, cur Herodes & Judæi noluerint ejus magnificentiam hac in parte æmulari. Porrò quandoquidem Judæi Herodis tempore Altare longè amplius fecerunt quàm fuerat sub Salomone, nemini mirum esse debet si & Templum ipsum ab iis longè auctius & amplius fuerit factum.

Cæterùm Talmudistæ monent juxta Altaris Ascensum à latere ejus Occidentali positas fuisse duas Mensas, argenteam unam cui vasa ministerii imponebantur, alteram verò marmoream cui imponebantur membra seu partes victimarum quæ Altari erant inferendæ, unde à Sacerdotibus sumebantur, & Altari postmodum inferebantur. Fuit & ad ejusdem Ascensûs latus idem veluti fenestella quædam in quadrum longa & lata cubitum unum, per quam in subjectam cloacam conjiciebantur immundæ partes avicularum quæ Altari inferebantur. In angulo etiam Altaris Meridionali Occidentali aiunt fuisse lapidem quadrum marmoreum cum foramine cubitum unum longo & lato, in quod sanguis Victimarum mactatarum influebat, indè in cloacam, per quam deferebatur in torrentem Cedron. Sanè necesse erat ut circa Altare ejusmodi unum vel plura foramina essent per quæ in subterraneas cryptas & cloacas tot Victimarum quæ isthîc jugulabantur sanguis, sanies (fortè & stercus ipsum) & immunditiæ quàm plurimæ deferrentur longé. Quin & iidem Judæi observant Altaris cornu Meridionale Occidentale concavum fuisse (cubitum unum longum, latum & altum) in eóque duo exigua foramina per quæ in subjectum tabulæ marmoreæ quadrum foramen defluebat sanguis membrorum Victimarum (quæ in Altare inferebantur) mixtus vino sacrorum libaminum. Juxta autem Vestibuli murum seu latus Orientale, ad sinistram ingredientis portam Vestibuli iidem Talmudistæ collocant Mare æneum; non quòd fuerit mare illud æneum in Templo Herodiano (neque enim Josephus illius meminit) sed quia eo situ fuit positum in Templo Salomonico, 1 Reg. 7. 39. Omnino autem verisimile est juxta latus Orientale Vestibuli ad dexteram & sinistram portæ Vestibuli collocata fuisse labra quædam magna & conchas quibus aqua ad lavandos Sacerdotes & purganda Victimarum intestina atque viscera contineretur: nam & hoc factum est in Templo Salomonico 1 Reg. 7. 39. Ut & verisimile est in Atrio Sacerdotum ab utroque Templi latere Meridionali & Septentrionali sub spatium illud vacuum, longum 60. cub. latum 40, (quod inter Templum & virorum Atrium utrinque intercessit) duas fuisse amplissimas cisternas quibus tota aqua pluvia & cœlestis quæ ex Templi & trium circa Templum Porticuum, sive virorum & feminarum Atriorum, tectis defluebat, exciperetur, atque illic asservaretur, indéque hauriretur ad Altaris & Sacerdotum ministerium; locus enim ille ad id commodissimus fuit, nullóque negotio tota totius interioris Septi aqua pluvia potuit eò derivari. Et sanè eò libens traherem quòd Talmudistæ ad latus Meridionale Domûs collocant בית הוורדת המים *locum defluxûs aquarum*, quem imperitè latum faciunt 3 duntaxat cubitos, ejúsque murum latum 5 cubitos, faciúntque absurdè locum illum partem ipsius Domûs in posteriore ejus latitudine. Videntur omnino cisternam ab ea parte Templi sitam imperitè commutasse in partem

tem unam ipsius Domûs. Iidem etiam scribunt quòd inter Exedras Templi quas à latere ejus Septentrionali collocant, una est quam vocant הגולה, ubi בור *puteus*, unde haustam ad Sacrificia aquam dicunt rotâ quadam versatili Cisternæ superimpositâ. Ubi rursus Cisternam subterraneam in ipso Sacerdotum Atrio juxta Templum ad latus ejus Septentrionale videntur imperitè commutasse in Exedram extra Atrium ipsum ad latus ipsius positam. Idem etiam videtur fuisse factum in priore seu exteriore Septo, ut nempe in quatuor ejus interioribus angulis quatuor sint constitutæ Cisternæ tectæ & subterraneæ, in spatio hypæthro quod intercessit inter utrumque Septum, in quas derivata sit tota aqua Cœlestis quæ ex quatuor longissimarum & amplissimarum Porticuum illarum tectis colligi potuit; alioqui enim longè operosissimum fuisset ex urbe aquam in Templum subvehere atque deferre. Et sanè Zelotæ, qui diutissimè in Templo & à concivibus primò, & postea à Romanis obsessi sunt, non potuerunt aliunde aquam sibi parare quàm ex ejusmodi Cisternis. Quin & cùm ipsi Zelotæ in duas factiones abiissent (quarum una exterius altera interius Templi Septum tenebat; illa autem quæ tenebat exterius Templi Septum, eadem à Simeone qui urbem occupabat obsidebatur) necesse fuit singulas illas factiones habuisse intra Templi Septum illud quod unaquæque occupabat Cisternas suas, unde aquam sibi hauriebant.

Cryptæ etiam fuerunt & Cloacæ subterraneæ variæ, multæ & amplissimæ, tum in exteriori tum & in interiori Templi Septo; testatur enim Josephus De bello Jud. lib. 6. cap. 4. quòd cùm die festo Azymorum Johannes qui Septum exterius tenebat aliquot suorum sub vestibus armatos clam inter plebem in interius Septum Templi submisisset, tanquam sacrificaturos, hi abjectâ veste repentè armati apparuerunt, subitóque in Eleazarum ejusque socios (qui interius Septum tenebant) irruerunt, qui ut periculum effugerent, conjecerunt se εἰς τοὺς ὑπονόμους *in Cryptas* & *Cloacas* Templi, unde mox egressi cum Johanne pepigerunt, & concordiam inierunt. Oportuit Cryptas illas amplas fuisse & vastas quæ tantam Zelotarum seditiosorum manum capere possent. Idem alibi testatur Cryptam quandam fuisse quâ ex Antonia ad portam Templi Orientalem permeari posset, quam Herodes fieri curavit ut cùm libuisset ex Antonia illuc statim cum armato milite permearet, & populo, si tumultuari vellet, ex Porticu illa statim immineret atque minitaretur.

In Atrio Sacerdotum ponè Templum prope utrumque Adyti angulum juxta virorum Atrium posuimus duo Gazophylacia ex verbis illis Josephi lib. 6 De bel. Jud. c. 6. αἱ σταὶ δὲ μεταξὺ τῶν πυλῶν ὑπὸ τὸν τοῖχος ἔνδον ἐστεμμένοι σφῶν τῶν Γαζοφυλακίων ζοδδεχ μὲν καλοῦς καὶ μεγάλοις ἀνέσχοντο κίοσι. Quæ verba sic existimamus accipienda esse ut Porticus dicantur μεταξὺ τῶν πυλῶν positæ, quia virorum Atria (de iis enim isthîc sermo est) erant posita non *inter* sed *post* Portas illas tres per quas in Atria illa patebat ingressus; μεταξὺ enim aliquando, licèt rariùs, idem significat quod *post*, etiam hoc ipso capite, ὅσοις δὲ τῶν πλησιεστώτων τῷ τόπῳ, καὶ καρτερῶς ἐδεδόμητο, Δανιὴλ τε καὶ Σολομῶν ὁ, ὅτι δὲ τῶν μεταξὺ τούτων βασιλέων φιλοτιμηθέντων ἀεὶ τὸ ἔργον· ubi manifestè μεταξὺ significat idem quod μετὰ *post*; nam inter Davidem & Salomonem nulli fuerunt interjecti Reges, sed post eos multi successerunt. Ergò & hic μεταξὺ τῶν πυλῶν *post Portas* & Exedras in Portis constitutas *introrsum*, versùs scilicet Atrium Sacerdotum, *posita erant Porticus*, h. e. Atria virorum, ὑπὸ τὸ τοῖχος *à muro*, scilicet Occidentali illo in quo nullæ erant Portæ incipientes πρὸ τῶν Γαζοφυλακίων *ante Gazophylacia* illa quæ nos constituimus contra murum illum Occidentalem, inter Atria virorum & extremos Templi sive Adyti angulos. Extrorsum autem post eundem illum murum Exedras in angulis Septi collocamus aliquot, nullas autem rectà à tergo Templi propter locum qui habetur cap. 1 hujus libri sexti, ubi dicit Johannem, qui Templi Septum exterius occupabat adversùs Eleazarum qui tenebat interius Septum, exstruxisse ligneas turres præaltas quas erigere volebat à tergo Septi, viz. interioris, contra Exedram Occidentalem quæ isthîc erat, quoniam aliâ parte non poterat, siquidem tres aliæ partes gradibus longè fuerunt divisæ. Locus est, ὁ Ἰωάννης τεμὼν αὐτὰ (scilicet ξύλα) πύργους κατεσκεύαζεν, ὑψηλοτέρους τοῦ μήκους τοῦ ἐναντίον, πρὸς τὸν καθ' ὑφ' ἑαυτὸν ἱερὸν μαχούμενος, ἴσους τε τοῖς προσαγωγὰς κατόπιν τοῦ βεβήλου. τῆς πρὸς δύσιν ἐξέδρας ἀντικρυς, ἣ τῷ καὶ δυνατὸν ἦν, τῶν ἄλλων μερῶν βαθμοῖς πόρρωθεν διειλημμένων, h. e. *Johannes sectis illis lignis, quod eorum longitudinem sufficere ad propositum suum videret, turres ex eis ædificavit adversùs eos qui desuper è Templo adversùs se pugnabant, eásque constituit à tergo Sepsi* (interioris) *contra Exedram Occidentalem, quâ solùm parte erigi poterant, reliquæ enim partes gradibus erant à longinquo occupatæ.* Nempe, uti antè ostendimus, inter spatium hypæthrum æquum & planum & Septum interius spatium fuit aliud interjectum 35 cubitos latum, gradibus occupatum & interceptum, ut ab illis partibus propterea non potuerint commodè erigi turres illæ. Idem liquet & ex alio loco lib. 7 De bello Jud. cap. 9. Ἤδη δὲ τῶν τραυμάτων ζωοτελεστάτων τὰ χώματα λάθε μιᾶς ὑγδόης, προσάγων ἐπέλασε τοῦ κείους κατὰ τὴν ἑσπέραν ἐξέδραν τοῦ ἔσωθεν ἱεροῦ· πρὸς δὲ τούτων ἐξ ἡμέρας ἀδιαλείπτως τρηρότατα πασῶν ἑλέπολις τύπτουσα τὸν τοῖχον οὐδὲν ἴσχυεν, ἀλλὰ καὶ ταύτης καὶ τῶν ἄλλων μηχανῶν καὶ ἡ ἁρμονία τῶν λίθων ἦν ἀμείνων. Idem hîc locus designatur qui modó. Eâ scilicet parte putavit Titus sibi oppugnandum esse Templum sive septum interius quâ Johannes antè cogitaverat illud oppugnare, erectis ab ea parte turribus; nempe ab ea parte unus duntaxat murus Templum & Atrium Sacerdotum dividebat atque secludebat ab exteriori Septo quod Titus jam tum occupaverat, itaque ab ea parte jussit admoveri arietes, & murum illum machinis concuti; sed frustrà, quia nempe & murus ille validissimus erat, & præterea etiam area Septi exterioris inferior eâ parte erat 15 cubitis areâ Atrii Sacerdotum, itáque murus ille ab aggesta intrinsecùs terra sustinebatur adversùs vim & ictus arietum atque machinarum.

TEMPLI HIEROSOLYMITANI DELINEATIO

Ex Judæorum in Talmude Descriptione.

TEMPLI HIEROSOLYMITANI Forma, Figura seu Delineatio atque ἰχνογραφία, structuráve & mensura, excerpta ex Misna in Massecheth תמיד.

PArtes præcipuæ atque essentiales structuræ Domûs sunt hæ, *Sanctum* nimirum & *Sanctum Sanctorum*, atq; ante Sanctũ locus qui dicitur אולם *Vestibulũ:* tria illa cõjuncta dicuntur היכל *Templum.* Deinde est מחיצה paries quidam circa Templum, remotus ab eo, respondens cortinis Tabernaculi Mosaici quibus undiquaque cingebatur in deserto, ità ut totum spatium quod pariete illo ambiebatur responderet Atrio Tabernaculi conventûs; & hoc illud est quod עזרה *Atrium* dicitur, totúmque illud simul cum היכל *Templo* vocatur מקדש *Sanctuarium.* In hoc Sanctuario erant vasa & instumenta ad holocausta & cæteras oblationes, nempe Altare holocausti & mare æneum cum sua basi in Atrio extra Templum, item Altare suffitûs. Candelabrum & Mensa aurea, atque hæc tria fuerunt in loco Sancto ante Adytum. In Atrio etiam limes fuit quousque Israelitis licet progredi; ulteriùs verò non licebat, sed solis Sacerdotibus.

Porrò היכל sive *Templum* propriè sic dictum constabat quatuor veluti præcipuis membris, putà Adyto sive Sancto sanctorum, loco Sancto, Vestibulo & Cellis circa Templum. Adytum longum & latum erat 20 cubitos plenos: locus Sanctus illi proximus longus erat 40 cubitos, latus 20, ejusdem nempe cum Adyto latitudinis. Inter Adytum & locum Sanctum spatium fuit latum cubitum unum, vacuum interceptum inter duo vela, quorum alterum erat à parte Adyti, alterum à parte loci Sancti. In priori quidem Domo quam ædificavit Salomon paries fuit crassus cubitum unum quo separabatur Adytum à loco Sancto: verùm cùm Judæi reduces à captivitate ædificarunt Templum, ambigebant utrùm paries ille pertineret ad locum Sanctum an verò ad Adytum; propterea fecerunt locum Sanctum 40 cubitorum plenorum, & Adytum 20 cubitorum item plenorum, reliquerúntque cubitum unum vacuum inter locum Sanctum & Adytum, neque exstruxerunt parietem illum, sed fecerunt duo vela cubitum unum invicem distantia, quorum alterum fuit in loco Sancto, alterum in Adyto; at in priori Templo unicum fuit velum.

Murus Templi quo quatuor ex partibus cingebatur crassus erat sex cubitos, altus verò 100 cubitos; nam à solo sive pavimento Atrii ad solum Vestibuli & Templi sex erant cubiti; indè assurgebat murus 40 cubitos usque ad laqueare, laqueare autem quinque occupabat cubitos cum tabulato illi superimposito. Indè עליון sive *superius tabulatum* alios 40 cubitos assurgebat; laqueare ejus cum tecto quinque rursus occupabat cubitos; Peribolus circa tectum tres cubitos erat altus; Peribolo denique imposita erat lamina ferrea acuta ensis instar, cubitum unum alta, ad arcendas aves nè Templo insiderent illúdque fœdarent atque inquinarent. Ità in universum colliguntur 100 cubiti altitudinis Templi. In muro Orientali Templi porta erat 20 cubitos alta, 10 lata, cum quatuor valvis quibus claudebatur: duæ erant ex parte loci Sancti, atque in locum Sanctum aperiebantur, nempe contra murum qui utrinque inter portam & loci Sancti latera intercedebat; duæ verò aliæ erant ex parte Vestibuli, atque intra ipsam portam aperiebantur, iisque utrinque tegebatur muri crassities. Supra portam dependebat ex laqueari seu tabulato Vitis aurea. Ex utroque portæ latere singula erant ostiola, alterum à dextra alterum à sinistra ingredientis per portam in locum Sanctum. Quod erat à sinistra clausum erat, illúdque est de quo Ezech. 44. 1, 2. at verò illud quod erat à dextera aperiebatur, atque ex eo ingressus dabatur in Cellas Templo circumpositas. Templo Vestibulum adhærebat latum 11 cubitos, longum verò 90, à Septentrione in Austrum. Murus quo triplici ex latere (nempe ex Septentrione, Meridie & Oriente) cingebatur crassus erat 5 cubitos; ab Occidente autem Templi seu loci Sancti muro Orientali cui adhærebat claudebatur: ejusdem erat Vestibulum cum Templo altitudinis, 100 nempe cubitorum. Ab Oriente portam habuit portæ Templi ex adverso respondentem, latam 20 cubitos, altam 40, absque valvis. Pro superliminari habuit quinque crassas trabes alias aliis superimpositas, inter quas series una lapidum cæsorum intercedebat; semper autem superior trabs inferiorem in longitudinem utrinque cubito uno superabat, ità ut infima longa esset 22 cubitos, suprema verò 30. Totus autem Vestibuli undiquaque murus à solo ad summum usque fastigium sic exstructus fuit ut post ternum quemque altitudinis cubitum, cubitum unum altitudinis extrorsum promineret veluti cinguli instar.

Porrò circa Templum, h.e. circa locum Sanctum & Adytum, tribus ex lateribus (nempe à Septentrione, Occidente & Meridie) circumpositæ erant Cellæ (quæ תאים vel יציעים dicuntur) 38, quindecim nempe à Septentrione, totidem à Meridie, octo verò ab Occidente, in triplici undique tabulato; ità ut à Septentrione & Meridie quinque fuerint Cellæ in unoquoque tabulato, ab Occidente verò tres duntaxat fuerint in infimo, & totidem in medio tabulato, duæ denique in supremo. Cellæ quæ in primo seu infimo erant tabulato latæ fuerunt quinque cubitos, (Misna dicit sex, & ratio id exigit, alioqui non invenietur Templi à tergo latitudo esse 70 cubitorum, qualem eam definiunt Judæi, utì neque ejus longitudo 100 cubitorum, deesset enim illi unus cubitus) quæ verò in secundo seu medio fuerunt tabulato latæ erant 6 cubitos, quæ in tertio sive supremo tabulato latæ erant 7 cubitos; murus nempe Templi retrorsum recedebat in secundo & tertio tabulato cubitum unum ad excipienda trabium tabulati Cellarum capita, quæ muro sic recedenti imponebantur. Murus quo extrinsecùs claudebantur Cellæ crassus fuit quinque cubitos. Illi muro adhærebat in angulo Septentrionali Orientali Templi המסנה *Cochlea* sive *Scala*, quâ in tectum Cellarum ascendebatur, lata tres cubitos; murus autem quo ea nitebatur crassus erat quinque cubitos. In angulo autem Meridionali Orientali isti opposito ex altero Templi latere fuit בית הורדת המים *locus descensionis aquarum* sive

sive *stillicidii* (h. e. in quem confluebat & deferebatur tota pluvialis aqua ex Templi, Vestibuli & Cellarum circa Templum tectis) lata & ipsa tres cubitos, murus verò crassus quinque. Hinc & indè ex utroque latere Templi prominebat Vestibulum 15 cubitos; murus nempe ejus crassus erat 5 cubitos, à muro autem Vestibuli ad murum Sanctuarii (h. e. hinc ad murum Cochleæ, indè verò ad murum Stillicidii) decem fuerunt cubiti. Ità Vestibulum longum fuit 100 cubitos, utrinque Templi latitudinem (quæ fuit 70 cubitorum) superans 15 cubitis. Sic itaque Templum longum, latum & altum fuit 100 cubitos. Et longum quidem ab Oriente in Occidentem, ab ingressu portæ Vestibuli ad murum quo Cellæ à tergo Adyti claudebantur, nam Vestibuli murus crassus erat 5 cubitos, ipsum Vestibulum latum 11 cubitos, murus Templi Orientalis crassus 6 cubitos, locus Sanctus longus 40, spatium inter locum Sanctum & Adytum latum erat cubitum unum, Adytum 20 cubitorum erat, murus ejus Occidentalis crassus 6 cubitos, Cellæ quæ à tergo erant latæ 6 cubitos, murus earum crassus 5, colliguntur in universum 100 cubiti. Latum autem erat à Septentrione in Meridiem juxta longitudinem Vestibuli, quæ (utì modò dictum) latitudinem Domûs 15 utrinque cubitis superabat; hæc Vestibuli longitudo dicitur anterior Templi latitudo atque facies; posterior autem ejus latitudo à muro Cochleæ ad murum Stillicidii fuit (utì dictum) 70 cubitorum; nempe Cochlea cum muro suo 8 cubitos, murus Cellarum crassus 5 cubitos, Cellæ latæ 6 cubitos, murus Templi Septentrionalis 6 cubitos crassus, locus Sanctus latus 20, murus ejus Meridionalis crassus item 6 cubitos, cellæ latæ 6, murus earum crassus quinque, Stillicidium cum muro suo 8 cubitos occupabat; sic colliguntur in universum 70 cubiti. Ità Templum latius fuit ab anteriore quàm à posteriore parte, nam anterius quidem latum fuit 100 cubitos, à posteriore verò parte 70 duntaxat. Indè volunt dici in Scriptura אריאל quòd leonis referat speciem, qui ab anteriore parte latior est & amplior quàm à posteriore. Altum etiam fuit Templum 100 cubitos, prout suprà dinumerata est ejus altitudo.

In priore Templo in Sancto Sanctorum sive Adyto ad Occidentale latus ejus lapis fuit cui imposita fuit Arca federis, & ante eam urna Mannæ & virga Aharonis. Cùm autem Salomon ædificavit Templum, scirétque illud esse aliquando destruendum, curavit isthîc exstrui Cryptam subterraneam profundam & flexuosam ad recondendam Arcam, quæ Josiæ regis jussu isthîc recondita est, juxta illud quod habetur 2 Chron. 35. 3. unáque cum ea condiderunt virgam Aharonis quæ floruerat, & urnam Mannæ cum oleo unctionis. In loco Sancto fuit Candelabrum aureum cum septem suis ramis totidémq; in summo ramorum lychnuchis, in Meridionali latere ad sinistram ingredientis in Templum; Mensa verò cum duodecim panibus facierum ad dexteram in Septentrionali Domûs latere; Altare denique aureum suffitûs inter illa duo ex adverso ingressûs in Adytum. In Vestibulo duæ fuerunt mensæ, una marmorea ad portæ Domûs latus dextrum, cui imponebantur panes facierum inferendi in locum Sanctum, altera aurea ad sinistrum ejusdem portæ latus, cui imponebantur iidem panes cùm efferebantur è loco Sancto. Porrò Cochleâ sive Scalâ (quæ ad latus Septentrionale Templi erat posita) ascendebatur ab angulo ejus Orientali Septentrionali ad angulum Septentrionalem Occidentalem in tecta Cellarum: qui autem ascendebat per Scalam illam lapideam obvertebat faciem versùs Occidentem, progrediebatúrque per totum tractum sive latus Septentrionale donec perveniret ad latus Occidentale; quò cùm pervenerat, obvertebat faciem ad Meridiem & percurrebat latus Occidentale donec perveniret ad latus Meridionale; isthîc faciem obvertebat ad Orientem & percurrebat tractum Meridionalem usque ad Portam Templi, quæ erat ad Meridiem posita. In ea Porta fuerunt duæ בלונסורת cedrinæ quibus ascendebatur in ejus tectum: lapidibus autem cæsis & dolatis dividebatur (h. e. brevi quadam & humili Loricâ lapideâ distinguebatur pars tecti quæ erat supra Sanctum sanctorum ab ea parte quæ fuit supra locum Sanctum) tectum loci Sancti à tecto Sancti sanctorum. Quid hîc sibi velint Talmudistæ non est facile conjicere: meræ videntur nugæ; *Fuerunt etiam* לולין, *scalæ in* ἐσόπῳ *versùs Adytum quibus artifices & operarii (cùm opus erat)* משלשין *funibus subvehebantur vel demittebantur, arculis conclusi nè oculi illorum* יונו *spectarent in Sanctum sanctorum.*

Templum Atrio quadrangulo undiquaq; fuit cinctum, in cujus medio fuit situm & collocatum. Atrii longitudo ab Oriente in Occidentem fuit 187 cubitorum, latitudo à Septentrione in Meridiè fuit 135. Ex adverso portæ Vestibuli Templi collocatum erat Altare holocausti, eo ipso in loco (ut ex certissima apud omnes habetur traditione) unde Adam à Deo primùm creatus fuit (unde dicunt Sapientes אדם ממקום כפרתו נברא, *Homo creatus est de loco propitiationis sua.*) Isthîc Adam Deo primum obtulit munus suum cùm creatus est; isthîc Abel & Cain Deo sacrificarunt; ibidem Noe egressus Arcâ Deo sacrificavit; isthîc Abraham Isaacum ligavit eum Deo oblaturus; isthîc David Deo Altare exstruxit in area Araunæ; isthîc denique à Salomone collocatum est in Templo Altare holocaustorum. Altare altum fuit 10 cubitos, latum in basi 32. Ab altari ad parietem usque Atrii Septentrionalem cubiti fuerunt 60 cum dimidio. A pariete autem Vestibuli usque ad parietem Atrii Orientalem cubiti erant 76. Totum hoc quadrangulum vocatur צפון *Septentrio*, atque in eo jugulabant & parabant Sacerdotes victimas & holocausta. Hoc spatium quadrangulum sic distribuebatur ut post interjectos à latere altaris Septentrionali octo cubitos locus esset dictus הטבעות *Annulorum*, latus 24 cubitos: in eo quatuor fuerunt series Annulorum ferreorum pavimento infixorum, quibus victimarum mactandarum pedes & caput religabantur; in unaquaque autem serie sex erant annuli (vel, ut alii volunt, sex fuerunt series cum quaternis in unaquaque serie annulis.) Juxta locum istum fuit locus *Mensarum*, latus 8 cubitos: in eo 8 fuerunt mensæ marmoreæ quibus membra seu partes victimarum divisas imponebant, & carnem elixandam sive assandam lavabant. Rursus juxta hunc locum fuit locus המטבחים *Mactatorum*, latus 12 cubitos cum dimidio. In eo fuerunt tres ordines quinque brevium columellarum cum transtris cedrinis superimpositis, ínque iis uncini unde suspendebant & deglubebant victimas in mensis subjectis inter columellas. Ab hoc loco ad parietem Atrii Septentrionalem octo fuerunt cubiti interjecti.

Altare holocausti quadratum fuit, longum & latum ab omni parte in basi 32 cubitos, altum verò 10 cubitos, sive 58 palmos; nam horum 10 cubitorum octo fuerunt sex palmorum, duo verò quinque palmorum, cubiti autem omnes reliqui totius structuræ fuerunt 6 palmorum. Quod autem scriptum est in Lege, *Altitudo Altaris erit trium cubitorum*, intelligendum est duntaxat de loco המערכה h. e. de *foculo* seu *craticula* cui victimæ igne absumendæ imponebantur. Sic autem constructum fuit ut postquam cubitum unum (h. e. quinque palmos) in altum surrexisset arctaretur ex omni latere palmos quinque (atque hoc erat quod יסוד *Basis* dicebatur) tum indè adsurgebat ad altitudinem 5 cubitorum sive 30 palmorum, atque hîc rursus arctabatur ex omni parte palmos quinque, (& hoc illud est quod סובב σελίσμα vel *cingulum* dicebatur.) Tum cornua Altaris hinc & indè occupabant latitudinem cubiti unius undiquaque, erántque & ipsa cubitum unum quinque palmorum alta: tum & supra cornua locus quem calcabant pedes Sacerdotum undiquaq; cubitum unum latus erat. Ità locus המערכה *Fori* seu *Craticulæ* invenitur longus & latus in quadrum 24 cubitis cum quatuor palmis. Focus autem ipse altus fuit 3 cubitos palmorum 18. Ità media totius Altaris altitudo invenitur in sexto palmo infra finem הסובב *Perizomatis*, atque isthîc fuit filum הסקרא *rubrum* in medio Altari quo distinguebantur sanguines inferiores à superioribus; (h. e. sanguis qui ad basim Altaris effundebatur ab eo qui supra

Altaris focum ex aviculis exprimebatur, aut ex victimarum membris & partibus adolendis defluebat.) Basis Altaris non illud circumdabat quatuor ex lateribus quemadmodum Perizoma, sed protendebatur quidem per totum latus Septentrionale & Occidentale, at verò ex Oriente & Meridie אמה cubitum unum. Cornu quod erat in angulo Meridionali Orientali non nitebatur basi Altaris. Cornu autem Occidentale Meridionale concavum erat, atque in eo duo erant angusta foramina (instar duarum narium) quæ שיתין dicebantur; sanguis nempe victimarum eò defluebat, atque in cornu cum vino libaminum miscebatur, indéque in pavimentum defluebat, ubi infra illud cornu lapis erat quadratus marmoreus cubitum unum longus & latus, atque in eo foramen in quod defluebat sanguis, unde per Cloacam subterraneam in torrentem Cedron deferebatur. Porrò à Meridionali Altaris latere fuit leniter acclivis quidam ejus *Ascensus* qui כבש dicitur (non enim gradibus ad Altare licet ascendere) longus 30 cubitos, latus 16. producebatúrque ad 32 cub. ex latere Altaris: nam פורח crescebat ex ea parte cubitum unum super ipsius basim; & alium item cubitum super הסובב *cingulum*, fuítque אויר מעט *interstitium quoddam exiguum* separans Ascensum ab Altari כדי ליתן האיברים למובח בוריקורת *ad imponendum Altari in lancibus membra victimarum adolendarum.* Altitudo Ascensûs fuit 9 cubitorum [*Omnino necesse est hîc esse errorem: nam Altare in universum altum fuit* 10 *cub. duntaxat, Focus autem altus erat* 3 *cub. Ascensus verò ad imum usque Focum tantùm attollebatur; itaque non potuit altior esse quàm* 7 *cubitorum & duorum palmorum*] minus שתות *sextâ parte* (h. e. palmo) usque ad locum Foci. Erántque duo alii breves כבשים *Ascensus* qui ex isto procedebant, quorum alter ducebat ad Altaris basim, alter ad סובב *Cingulum* seu περίζωμα, separabantúrque ab ipso Altari quasi lato pilo. In Occidentali autem latere Ascensûs majoris erat fenestra veluti quædam quadrata cubitum unum longa & lata, quæ dicebatur רבובה, in quam conjiciebantur immundæ partes avicularum pro peccato mactatarum. Duæ etiam Mensæ fuerunt in latere eodem Ascensûs Occidentali; una marmorea, cui partes seu membra victimarum imponebantur; altera argentea, cui imponebantur vasa ministerii. Mare autem æneum כיור dictum situm fuit inter Altare & Vestibulum versûs Meridiem, ad sinistram illius qui ingreditur in Templum.

Porrò inter Altare & Templi Vestibulum spatium fuit 22 cub. latum, totidémque fuerunt cubiti inter Altare & murum Atrii Orientalem: atque hoc postremum spatium in duas partes distinctum fuit, quarum prior lata 11 cubitos Altari proxima locus erat quem calcabant pedes Sacerdotum, dicebatúrque *Atrium Sacerdotum*, posterior verò isti contigua lata itidem 11 cubitos dicebatur *Atrium Israelis*. Item inter Atrii Occidentalem murum & Templum spatium fuit vacuum 11 cubitos latum. Inter autem Ascensum Altaris & Atrii murum Meridionalem cubiti 12 cum dimidio fuerunt interjecti. Sic ergò totum Atrii spatium dimensuratur; Longitudo ejus fuit (uti dictum) ab Oriente in Occidentem 187 cubitorum, nempe à muro ejus Occidentali ad Templi murum 11 erant cubiti; Templum ipsum longum erat 100 cubitos; inter Vestibulum & Altare 22 cubiti; Altare occupabat 32 cubitos; Atrium Sacerdotum latum erat 11, totidem Atrium Israelis; ità colliguntur in universum 187 cubiti. Latitudo Atrii fuit à Septentrione in Meridiem 135 cubitorum, uti dictum, qui sic colliguntur. A muro Atrii Septentrionali ad locum Mactatorum fuerunt 8 cubiti, locus ipse Mactatorum latus erat 12 cubitos cum dimidio, locus Mensarum illi contiguus fuit 8 cubitorum; locus Annulorum 24 cubitorum: inter eum & altare 8 fuerunt cubiti interjecti: altare erat 32 cubitorum; ascensus altaris 30 cubitos fuit longus; inter ascensum & murum atrii Meridionalem 12 cubiti cum dimidio fuerunt interjecti: colliguntur in universum 135 cubiti.

In atrio septem fuerunt Portæ & octo Exedræ sive amplæ Cameræ: Tres fuerunt à Septentrione Portæ, totidémque juxta eas Exedræ; par numerus fuit à Meridie Portarum & Exedrarum: ab Oriente una fuit Porta in medio ex adverso Portæ Templi & Vestibuli, atque juxta eam duæ Exedræ, altera à dextera, quæ dicebatur Phineazi המלביש, quòd isthîc (uti videtur) Sacerdotes ministraturi sacras sumerent atque induerent vestes; altera à sinistra quæ dicebatur עושה חביתים, q. d. *operis frixorii*, quòd isthîc in sartagine (quæ חבית dicitur) frigerentur atque coquerentur lagana, munera & oblationes, quæ ex Legis præscripto erant in sartagine coquenda atque paranda. Unaquæque Portarum lata fuit 10 cubitos, alta 20, habebátque bifores sive valvas omnes auro obductas, præter Orientalem, quæ obducta fuit ære splendidissimo & pretiosiore auro: hæc est illa Porta quæ dicitur עליון *superior* & ניקנור *Nicanoris*. Trium Portarum quæ fuerunt à Meridie nomina hæc sunt; prima הדלק, secunda הקרבן, tertia המים *aquarum*. Portarum verò quæ fuerunt à Septentrione hæc sunt nomina, prima הנצוץ quæ instar Exedræ exstructa fuit, habuítque supernè ὑπερῷον, in quo Sacerdotes custodiam seu excubias noctu agebant, Levitæ verò infernè, aperiebatúrque versûs חיל; secunda dicebatur הקרבן, tertia בית המוקד *domus combustionis*. Hæc fuit domus magna & ampla, tota fornicata & lapideis רבידין cincta, in qua quatuor erant Exedræ & duæ Portæ; una aperiebatur in Sanctum, habuítque ostiolum adjunctum, altera in profanum: & Exedrarum duæ erant in sacro, duæ item in profano; separabatúrque profanum à Sancto בראשי פספסין, *interjecto humili lapidum dolatorum pariete.* Harum quatuor Exedrarum prima Occidentalis Meridionalis dicebatur Exedra הקרבן sive השלאים, h. e. *agnorum*, quòd isthîc Agni ad juge sacrificium servarentur; secunda Orientalis Meridionalis dicebatur Exedra לחם הפנים *panis facierum*, quòd isthîc coqueretur & pararetur panis facierum; tertia Orientalis Septentrionalis, in eam Assamonæi condiderunt lapides Altaris quod profanaverant Seleucidæ; quarta Septentrionalis Occidentalis. Excubias hic agebant noctu Sacerdotes, atque hinc per Cryptam subterraneam descendebatur ad foricas & בית הטבילה *domum ablutionis*, ubi lavabantur quibus per noctem contigerat ὀνειρωγμός. In hac Exedra seniores Sacerdotes excubias agentes decumbebant in רבידין illis lapideis quibus undique cingebatur. Adolescentes verò filii Sacerdotum recumbebant in pavimentum quisque super vestem suam. Erátque isthîc locus tabulâ quadratâ marmoreâ cubitum unum longâ & latâ tectus, in quo è catena ferrea claves portarum atrii pendebant, quas indè sumebant Sacerdotes ad claudendas vel aperiendas atrii & Templi portas, eíque tabulæ indormiebat aliquis ad custodiendas claves. Juxta Atrii portas Exedræ fuerunt (uti dictum) tres à Meridie, totidémque à Septentrione. Quæ ad Meridiem fuerunt hæ sunt, prima Exedra מלח *Salis*, in qua reponebatur sal ad oblationes; secunda Exedra הפרוה, in qua saliebantur pelles victimarum, supra cujus tectum locus fuit הטבילה *ablutionis* summi Pontificis festo die Propitiationum; tertia Exedra המדיחים, in qua lavabantur & purgabantur victimarum cæsarum intestina, atque ex ea per Cochleam seu Scalam ascendebatur supra tectum Exedræ הפרוה. Exedrarum autem quæ erant ad Septentrionem prima dicta fuit הגזית, q. d. *cæsi lapidis*: in ea cogebatur magnum Synedrium. Hujus Exedræ pars dimidia fuit in Sancto, altera pars dimidia in profano: Sanctum autem à profano separabatur humili cæsi lapidis pariete intergerino, atque in ea dimidia parte quæ erat in profano sedebant Synedrii Judices, quia non licet sedere in Sancto: erántque illi Exedræ duæ portæ, altera in Sanctum altera in profanum aperiebatur. Secunda Exedra dicta fuit הנולה, in ea fuit בור *puteus* vel *cisterna*, cum rota supernè, indéque sufficiebatur aqua toti Atrio. Tertia Exedra dicta fuit העץ *ligni* vel *lignea*, erátque Exedra summi Pontificis, dicebatúrque

dicebatúrque propterea פרהדרין *περίδρομος*. Tectum harum trium fuit æquale.

Ad Orientem Atrii contiguum ei fuit Atrium הנשים *fœminarum* dictum, longum & latum in quadrum 135 cubitos juxta latitudinem Atrii Templi. In quatuor ejus angulis quatuor fuerunt ingentes Exedræ non tectæ, sed apertæ & sub dio positæ, in quadrum longæ & latæ singulæ 40 cubitos. Prima in angulo Meridionali Orientali dicta est *Nazaræorum*, quia Nazaræi isthîc מבשלים את שלמיהם lavabant vestes suas & radebant caput, immittebántq; capillos in ignem תחת הדוד *sub olla*. Secunda in angulo Orientali Septentrionali dicta fuit העצים *lignorum*, quia Sacerdotes quibus ob aliquem corporalem defectum sacris operari non licebat, isthîc ligna ad sacrificia evermiculabant (h. e. ligna è vermiculis erosa separabant:) omne enim lignum in quo vermis invenitur profanum est & ad Altare ineptum. Tertia in angulo Septentrionali Occidentali dicebatur *Leprosorum*. Quarta denique in angulo Occidentali Meridionali posita dicebatur בית שמנים *domus olei*, quòd isthîc reconderetur oleum & vinum ad libamina. Porrò Atrium feminarum intrinsecùs undique circumdabatur בציורה (Maimonides habet גזטרה, h. e. ambulacro ligneo contabulato, Galli vocant *Galleries*) unde illæ supernè spectabant, (versùs Templum scilicet, adoraturæ) infernè verò viri, ut non commiscerentur sed separatim adorarent. Porrò sub Atrio Israelis contiguo feminarum Atrio hinc & indè ex utroque portæ ipsius latere fuerunt Exedræ quæ in Atrium feminarum aperiebantur, in quibus Levitæ citharas, nablia & cætera instrumenta sua Musica reponebant.

Atrium autem Templi cum omnibus suis Exedris extrinsecùs positis, simúlque feminarum Atrium totum undiquaque cingebatur muro 10 cubitos alto qui dicitur כיל *Chajil*. Ante istum spatio aliquo interjecto alius fuit humilis סורג *Soreg* dictus, altus 10 palmos, undiquaque circumdans *Chajil*. Juxta hunc undiquaque in circuitu fuit הר הבירה *mons domûs*, qui est mons Moria, longus & latus in quadrum 500 cubitos, muro undique circumdatus, lapidésque super lapides fuerunt exstructi מתחתיו *infernè* (seu *infra ipsum*, Gall. *par dessoubs*) מפני אוהל הטומאה *propter tabernaculum immunditiei*; fuítque totus מקורה סטיו לפני סטיו *contabulatus portieu ante porticum*, h. e. (uti videtur) duplici intercolumnio vel porticu tectâ cinctus. Porrò quinque fuerunt in monte domûs Portæ, duæ à Meridie, quæ dictæ sunt portæ *Hulda*, quibus populus ingrediebatur & egrediebatur è Templo; una ab Occidente dicta קיפונוס *Kipponos* quâ patebat in Templum ingressus & egressus; una à Septentrione dicta טדי *Taddæi*, cujus (secundùm nonnullos) non alius erat usus nisi quòd eâ noctu egrediebantur qui ex Levitis & Sacerdotibus per noctem ex *ὀνειρωγμῷ* polluti erant. Quinta denique ab Oriente, cui insculpta erat figura urbis Susan Perfidis Metropoleos, atque per eam Pontifex maximus egrediebatur in montem Olearum, cùm festo die Propitiationis vacca rufa erat ab eo extrà urbem ex Legis præscripto comburenda; atque in eam portam, & in Templi etiam portam respiciebat tum cùm fiebat sanguinis Vaccæ aspersio: proptereáque murus ejus ut & portæ Orientalis atrii dictæ *Nicanoris* humilis erat præ cæteris nè eo interciperetur aspectus summi Pontificis stantis in monte Olearum, atquè indè in Templi portam respicientis. Non fuit autem atrium Templi rectà in medio montis Domûs positum, sed ità collocatum fuit ut à Meridionali ejus latere magìs recederet quàm à reliquis ejus lateribus, magísque ad ejus latus Occidentale accederet quàm ad reliqua ejus latera, distaret autem à Septentrionali ejus latere magìs quàm ab Occidentali, minùs autem quàm ab Orientali. Neque fuit totum המקדש *Sanctuarium* in æquo & plano loco situm, sed in acclivi montis parte. Itaque qui ingrediebatur per portam Orientalem montis Domûs progrediebatur per locum planum & æquum usque ad finem *Chajil*. Indè ascendebat in atrium feminarum 12 gradibus, quorum singuli alti erant dimidium cubitum, & singulorum projectio sive latitudo erat item dimidii cubiti. Atrium feminarum totum planum fuit & æquum [*Videntur ista quodammodo respondere iis quæ Josephus scribit de* 15 *gradibus quibus ascendebatur ex Septo exteriori ad portas interioris, tum de spatio plano* 10 *cubitorum, denique de quinque cubitis quibus indè ad portas ipsius Septi ascendebatur*] Tum ex eo ascendebatur in Atrium Israelis (quod fuit initium Atrii Templi) gradibus 15 paris cum antecedentibus mensuræ. [*Cùm dimidius cubitus rectè tribuatur altitudini omnium graduum, locus hic ità videtur accipiendus, ut scilicet ex Atrio Israelis in Atrium Sacerdotum ascenderetur quinque gradibus; tot enim semicubitos erat altius Atrium Sacerdotum supra Atrium Israelis; in summo autem gradu fuit positus suggestus Levitarum*] Ex Atrio Israelis in Atrium Sacerdotum ascendebatur primùm gradu uno alto cubitum unum, in quo fuit דוכן *Suggestum*, ad quod tribus paris cum præcedentibus mensuræ gradibus ascendebatur: ità Atrium Sacerdotum altius erat Atrio Israelis duobus cubitis cum dimidio. In eo suggestu stabant Levitæ cum Musicis instrumentis tempore oblationis jugis sacrificii. Atrium Sacerdotum usque ad Templi Vestibulum planum & æquum fuit, sed ex eo in Vestibulum ascendebatur 12 gradibus paribus cum præcedentibus. Templum autem & Vestibulum totum fuit in loco æquo & plano. Ità invenitur Templi & Vestibuli solum altius solo portæ Orientalis montis Domûs cubitis 22.

Porrò 24 in locis excubiæ à Levitis & Sacerdotibus per noctem in Templo agebantur. Et à Sacerdotibus quidem tribus duntaxat in locis, nempe in domo אבטינס *Abtines*, in domo sive porta Atrii dicta הניצוץ, & in porta domóque illa magna juxta Atrium dicta המוקד *combustionis*. Levitæ autem excubias agebant 21 in locis, nempe singuli in quinque Portis & quatuor angulis montis Domûs intrinsecùs, item in quinque Portis & quatuor angulis Atrii Templi extrinsecùs, denique singuli in his duabus Exedris, in Exedra nempe הקרבן & הפרכת, & unus à tergo domûs Propitiatorii. Præfectus autem montis Domûs singulis noctibus cum facibus accensis circuibat singulos Vigiles: siquem offendebat stertentem, virgâ eum percutiebat, & face accensâ vestem ejus urere licebat.

DE HIEROSOLYMITANI TEMPLI

Structura atque delineatione: Excerpta ex Maimonide, Tract. *De domo Electa*.

Ex Cap. I.

HÆ sunt partes principales (עיקר) structuræ Domûs, *Sanctum* nempe & *Sanctum sanctorum*, atque ante Sanctum locus qui dicitur אולם *Vestibulum*. Tria illa dicuntur היכל *Templum*. Deinde est מחיצה paries quidam intergerinus circa Templum remotus ab eo, qui respondet cortinis tabernaculi Mosaici quibus undiquaque cingebatur Tabernaculum in deserto, ità ut totum illud spatium quod à pariete illo ambiebatur respondeat Atrio Tabernaculi conventûs. Et hoc illud est quod עזרה *Azara*, h. e. *Atrium* vocatur, totúmque illud dicitur מקדש *Sanctuarium*. In Sanctuario illo erant instrumenta ad holocausta & cæteras oblationes, nempe Altare & ad id acclivis ascensus (qui כבש dicitur) quo ad Altare ascenditur; ésteque locus ipsius ante Vestibulum productus versùs Meridiem. Mare etiam æneum cum ejus basi inter Vestibulum & Altare versùs Meridiem ad sinistram illius qui Sanctuarium ingreditur. Pariter Altare suffitûs, Candelabrum & Mensa, quæ tria in loco Sancto erant collocata ante Sanctum sanctorum. Candelabrum quidem in Meridionali latere ad sinistram ingredientis, Mensa verò ad dexteram,

cui imponebantur panes Propositionis: hæc duo fuerunt ad utrumque latus Sancti sanctorum extrinsecùs, Altare autem suffitûs fuit inter illa duo extrinsecús. In *Azara* autem sive Atrio limes est quousque Israelitis licet progredi, ulteriùs solis Sacerdotibus licet. Constructum fuit Templum ex lapidibus integris, cæsis & dolatis atque expolitis extra montem Domûs, neque construi debet ex ligno בולט *quercino*, sed vel ex lapidibus vel ex latericulis, totúmque Atrium stratum fuit lapidibus egregiis. Altare exstrui non debet nisi ex lapide cóque rudi atque impolito, non cæso atque dedolato; imò si ferrum lapidem vel leviſſimè attigerit profanus est, & ad exstructionem Altaris & ascensûs ipsius ineptus. Non licet gradus facere quibus ad Altare ascendatur, sed exstruitur ad latus ejus Meridionale ascensus leniter acclivis instar Tumuli paulatim assurgentis, dictus כבש.

Ex Cap. II.

Locus Altaris certus est atque constitutus, neque ex eo moveri ullo modo debet: éstq; certissima apud omnes traditio, locum illum in quo David exstruxit Altare in area Araunæ, atque ubi à Salomone collocatum est in Templo Altare, eum esse in quo Abraham Isaacum ligavit immolare eum paratus: ibidem Noe egressus Arcâ sacrificavit, isthîc Abel & Cain sacrificium Deo obtulerunt, isthîc etiam primus Adam obtulit Deo munus suum cùm creatus est, atque adeò indidem creatus est; dixerunt enim Sapientes אדם ממקום כפרתו נברא *homo creatus est de loco propitiationis suæ.* Altaris mensura est certò præscripta, neque ei quicquam detrahi aut addi debet; forma autem ejus nota est ex traditione παραδόσει. Singula ejus latera alta fuerunt 10 cubitos, [*nam quod scriptum est in Lege* altitudo ejus erit trium cubitorum, *intelligendum est de loco* המערכה, *h. e. de* foculo *vel* craticula *cui victimæ igne absumendæ imponebantur*] longum autem & latum fuit Altare 32 cubitos; [*Porrò cubitorum illorum decem altitudinis Altaris alii sunt quinque palmorum, alii verò sex palmorum, cubiti autem reliqui omnes totius structuræ fuerunt sex palmorum*] itaque altum fuit Altare 58 palmos. [*Ergò fuerunt 8 cubiti illius altitudinis qui erant singuli sex palmorum (conficiebántque in universum 48 palmos) duo verò reliqui cubiti fuerunt 5 palmorum, conficiebántque 10 palmos, quibus junctis præcedentibus 48 palmis exsurgit universus 58 palmorum numerus. Nempe tres cubiti altitudinis Foci fuerunt sex palmorum; item 5 cubiti altitudinis Cinguli; at basis Altaris & cornua ejus fuerunt alta cubitum unum qui erat quinq; palmorum*] Atque hæc ejus fuit forma & structura. Postquam assurrexisset ad 5 palmos reducebatur & arctabatur ex omni latere palmos quinque, (atq; hæc erat veluti basis יסוד Altaris) ità fiebat reliqua ejus longitudo & latitudo 30 cubitorum cum duobus palmis. Tum assurgebat rursus ad altitudinem 30 palmorum: atque hîc rursus reducebatur & arctabatur quinque palmos, (atque hoc illud est quod סובב *cingulum* dicitur) ità fiebat hîc Altaris longido & latitudo 28 cubitorum & 4 palmorum. Deinde locus Cornuum Altaris hinc & indè occupabat latitudinem cubiti unius undiquaque; pariter & locus pedum Sacerdotum undiquaque cubitum unum latus erat: ità locus המערכה *foci* invenitur latus & longus 24 cubitos cum 4 palmis, altitudo Cornuum fuit quinque palmorum, ità ut quadratum uniuscujusque cornu fuerit cubiti unius undiquaque, erántque Cornua illa intrinsecùs concava. Focus fuit 18 palmos altus, atque ità invenitur media Altaris altitudo in sexto palmo infra finem הסובב *cinguli*, isthícque fuit filum הסקרא *rubeum* [*fortè pro* סרקא sericum] in medio Altaris, quo distinguebantur sanguines superiores ab inferioribus: éstque tota Altaris altitudo à terra ad locum usque Foci novem [*Per* locum Foci *intelligit vel pedem vel summum Craticulæ, cui imponebantur victimæ igni absumendæ: jam ad pedem usque Craticulæ fuerunt duntaxat 40 palmi ex superiore dinumeratione particulari; ad summum autem Craticulæ fuerunt 58 palmi. Jam verò 40 palmi conficiunt præcise 8 cubitos quinque palmorum, vel septem cubitos (sex palmorum) minus duobus palmis. Rursus 58 palmi conficiunt 11 cubitos (quinque palmorum) cum tribus palmis, vel 10 cubitos (sex palmorum) minus duobus palmis. Itaque necesse est hîc esse errorem in numero, legendúmque videtur* septem (*aut verò* decem) cubitos, minus duobus palmis] cubitorum uno palmo minus. Basis Altaris non illud circumdabat ex quatuor lateribus quemadmodum Cingulum, sed protendebatur quidem juxta totum latus Septentrionale & Occidentale; at ex Meridionali אוכל *absumebat* cubitum unum, & ex Oriente cubitum unum. Cornu quod erat in angulo Meridionali Orientali non nitebatur fundamento sive basi Altaris; in Cornu autem Occidentali Meridionali duo erant foramina instar duarum narium angustarum, quæ dicebantur שיתין, sanguis nempe victimarum eò defluebat, atque in cornu miscebatur, indéque in torrentem Cedron defluebat: infrà autem illud Cornu in ipso pavimento lapis fuit marmoreus quadratus cubitum unum, atque in eo foramen, in quod defluebat sanguis è Cornu. כבש sive *Ascensus* acclivis Altaris fuit ad latus ipsius Meridionale, longus 32 cubitos, [*Dicendum* 30 cubitos, *quomodo alibi infrà assignat ipsi longitudinem* 30 *cubitorum, quod rectius est*] latus 16, ואוכל *producebatúrque* ad 34 ex latere Altaris, פורח *crescebat* enim ex eo cubitum unum super ipsius basim, & alium item cubitum super Cingulum (סובב) fuítque איור מעט *exiguum quoddam interstitium* separans Ascensum ab Altari כרי ליתן האיברים למובח בצריקו' *ad imponendum Aræ in lancibus membra victimarum.* Altitudo Ascensûs fuit 9 cubitorum [*hîc error est in numero, legendúmque* septem cubitos minus duobus palmis. *Nam Altare ad pedem usque craticulæ (qui dicitur* locus Foci) *altum erat* 40 *palmos. Jam septem cubiti sex palmorum conficiunt* 42 *palmos*] minus שתות h. e. *sextâ parte* usque ad locum Foci; erántque duo alii breves כבשים sive *Ascensus* qui ex eo procedebant, quorum alter ducebat ad Altaris basim, alter ad Cingulum sive περίζωμα· separabantúrque ab ipso Altari quasi lato pilo. Erat autem in Occidentali latere Ascensûs fenestra lata & longa cubitum unum quæ dicta est רבובד, in quam conjiciebantur immundæ partes avicularum pro peccato oblatarum, interim dum aves igne absumerentur. Duæ etiam Mensæ fuerunt in latere eodem Occidentali, una marmorea cui partes seu membra victimarum imponebantur, altera argentea cui imponebantur vasa ministerii.

Ex Cap. III.

Toto hoc capite describit Candelabrum, Mensam & Altare aureum suffitûs quæ erant in loco Sancto; ubi notat fuisse præterea in Vestibulo juxta latera portæ interioris hinc & indè duas mensas, unam marmoream cui imponebantur panes inferendi, alteram auream cui imponebantur panes efferendi. Item ante Candelabrum (quod altum fuisse ait 18 palmos) dicit positum fuisse lapidem, atque in eo tres gradus quibus ascendebat Sacerdos ad accendendas lucernas.

Ex Cap. IV.

Lapis fuit in Sancto sanctorum ad Occidentale latus ejus cui imposita fuit Arca, & ante eam urna Mannæ & virga Aharonis. Cùm autem Salomon ædificavit Templum, scirétque illud esse destruendum, ædificavit illic Cryptam subterraneam profundam & flexuosam ad recondendam Arcam, quæ isthîc Josiæ jussu recondita est, juxta illud quod habetur 2 Chron. 35. 3. atque unà condiderunt etiam virgam Aharonis, urnam Mannæ, & oleum Unctionis. Quin & per Urim & Tummim quæ fuerunt in domo secunda non dabatur responsum à Spiritu S. sed ea duntaxat fecerunt ut compleretur numerus octonarius vestium Sacerdotalium, nè Sacerdos magnus

foret

foret מחוסר בגדים *veste defectus.* In priore Domo quam ædificavit Salomon fuit paries cubitum crassus, quo separabatur Adytum à loco Sancto. At cùm Judæi reduces à Captivitate ædificarunt Templum, ambigebant utrùm paries ille pertineret ad locum Sanctum an verò ad Adytum; propterea fecerunt locum Sanctum 40 cubitorum plenorum, & Adytum 20 cubitorum plenorum, reliquetúrque cubitum unum superabundantem inter locum Sanctum & Adytum; neque exstruxerunt parietem illum, sed duo Vela fecerunt cubitum unum distantia invicem secundùm crassitudinem muri, quorum alterum fuit in loco sancto, alterum in Adyto: at in priori Templo unicum fuit Velum: Templum quod exstructum fuit à Judæis reducibus ex Captivitate Babylonica fuit longum, latum & altum 100 cubitos. Atque hæc est particularis dimensio altitudinis ejus. בנו *Basis* veluti *ejus* alta fuit 6 cubitos, tota solida, fuítque illi instar fundamenti: tum parietes ad tabulatum usque alti erant 40 cub. tum כיור trabes tabulati erant crassæ cubitum unum: supra trabes locus erat vacuus cubitos duos altus ad excipienda stillicidia, vocatúrque propterea בית דילפא *domus stillicidii;* [*Corrector in hunc locum negat isthìc fuisse* כיור *in tabulato, sed intrinsecùs fuisse* טוח tectorium *in muro validum ex calce nè aqua* הראם *irrumperet in murum Templi. Per* בת דילפא *intelligit canales seu fistulas parietibus adhærentes ad excipiendum stillicidium tecti & effundendam aquam extrà*] tum supra stillicidii locum crassum erat tabulatum cubitum unum, supra tabulatum autem מעזיבה altum fuit cubitum unum. Supra ista fuit עליה ὑπερῷον secundum tabulatum, altum similiter 40 cubitos, atque in ejus tecto כיור trabes erant altæ cubitum, tum locus stillicidii cubitos duos, Tabulatum cubitum unum, מעזיבה alium cubitum, tum ἐξῶλον (מעקה) tres cubitos altum: supra peribolum autem undiquaque fuit טס *lamina* ferrea instar ensis acuta alta cubitum unum, quâ prohibebantur aves nè insiderent Templo, propterea quæ vocata est כלה עורב q. d. *Arcicorvum* (ab arcendis corvis) ità fiunt 100 in universum cubiti. Ab Occidente Orientem versùs longum fuit Templum 100 cubitos, qui sic dinumerantur, Quatuor fuerunt parietes [*Quatuor illi muri & inter eos tria loca vacua in Occidentali parte Adyti sunt merum Maimonidis delirantis somnium: nulla enim ejusmodi fuerunt isthìc loca vacua, neque ipse explicat quæ illa fuerint & cui usui, stultúmque est fingere sibi animo tria loca inter quatuor muros sive parietes, quæ omnia unà cum ipsis muris non occupent nisi 17 cubitos. Itaque rectiùs sic distribues illos 17 cubitos, ut sex assignes cubitos crassitiei muri qui Adytum separabat à Cellis, quæ illi ab Occidente adhærebant, totidémque crassitiei muri Occidentalis Templi quo Cellæ illæ ab Occidente claudebantur, denique quinque reliquos cubitos latitudini Cellarum, quæ inter utrumque murum sita erant; nam Maimonides Cellas omnes quibus Templum totum undique infernè cingebatur facit latas duntaxat cubitos quinque*] juxtà positi, inter quos tria fuerunt loca vacua, atque inter parietem Occidentalem & proximum illi parietem quinque fuerunt cubiti, inter parietem secundum & tertium sex fuerunt cubiti, inter tertium & quartum sex pariter cubiti; (atque hæ sunt mensuræ crassitudinis parietis cum loco vacuo qui erat inter duos parietes.) Longitudo Adyti fuit 20 cubitorum: inter duo Vela fuit spatium vacuum [*Spatium illud vacuum inter duo Vela videtur omninò esse Rabinicum commentum & somnium; locum nempe Sanctus ab Adyto videtur fuisse separatus seu distinctus solo velo. Itaque cubitus iste commentitius videtur potiùs rejiciendus in crassitiem muri Vestibuli, quem Maimonides facit crassum quinque duntaxat cubitos, sed, ut videtur, perperàm; opus enim fuit majore crassitie muro Vestibuli quàm in muro Templi. Itaque si Templi murus fuit sex cubitorum, Vestibuli murus debuit esse ut minimum totidem cubitorum*] cubiti unius: longitudo loci Sancti fuit 40 cubitorum; crassitudo muri Orientalis, in quo fuit porta, sex erat cubitorum, Vestibuli latitudo 11 cubitorum; crassitudo muri Vestibuli fuit quinque cubitorum; ità inveniuntur in universum 100 cubiti. A Septentrione versùs Meridiem fuerunt etiam 100 cubiti, nempe crassitudo muri Vestibuli [*Corrector hìc deridet Maimonidem, negátque isthac parte fuisse ullum Vestibuli murum, asserítque nullum alium fuisse Vestibuli murum præterquam Orientalem qui erat è regione Templi, propterèáque dicunt Templum esse à posteriore parte angustum, ab anteriore verò latum; latitudo autem Vestibuli numeratur secundùm latitudinem Templi. Hæc ille Corrector. Sed ipse in hac correctione videtur omnino delirare*] fuit 5 cubitorum, à muro vestibuli ad murum Sanctuarii 10 cubiti. Muri autem sanctuarii sex fuerunt [*Hìc verò videtur omninò Maimonides delirare, cùm ex utroque Templi latere (isthìc ubi fuerunt* תאים Cellæ) *dicit fuisse sex parietes juxta positos cum quinque locis vacuis interjectis: nam neque explicat quæ fuerint loca illa & cui usui, (quæ certè nulla fuerunt prater* תאים *) neque exponit quæ fuerit murorum illorum sex crassitudo, neque in hac dinumeratione particulari cubitorum connumerat crassitudinem murorum cum latitudine spatiorum interjectorum, quod factum tamen oportuit, quódque si fecisset exsurrexisset longè major numerus quàm 100 cubitorum; si enim singulis sex illis muris des crassitudinem 5 cubitorum, candémque sex alteris illis qui fuerunt ab altero latere, exsurgent in universum 160 cubiti à Septentrione ad Meridiem. Absurdum autem quinque illa spatiis vacuis & sex muris attribuere in universum 25 cubitos duxtaxat. Rectiùs ergò multò sic dinumerandi sunt 100 illi cubiti, si nempe ad 15 illos cubitos quibus utrinque Vestibulum superavit latitudinem Templi (qui conficiunt 30 cubitos) addamus latitudinem loci Sancti quæ fuit 20 cubitorum, sic fiunt 50 cubiti, tum utrinque crassitiem interioris muri loci Sancti sex cubitorum, sic fiunt 62 cubiti; quibus addenda utrinque longitudo* Cellarum תאים *quæ ab utroque fuerunt latere Templi, videntúrque fuisse 15 cubitos longæ, sic fiunt 92 cubiti; quibus addenda utrinque crassities muri exterioris quo Cellæ illæ ambiebantur, qui ut minimùm fuit cubitorum 4; sic colliguntur in universum 100 cubiti*] inter quos fuerunt quinque loca sive spatia vacua, inter exteriorem parietem sive murum & secundum 5 cubiti, inter secundum & tertium tres cubiti, inter tertium & quartum quinque cubiti, inter quartum & quintum sex cubiti, inter quintum denique & interiorem murum sex fuerunt cubiti; sic fiunt in universum 40 cubiti ab uno latere, dein totidem ab altero sanctuarii latere; his accedit latudo loci Sancti quæ erat 20 cubitorum: sic fiunt in universum 100 cubiti. Duo fuerunt פישפשין *ostiola* à latere portæ loci Sancti, alterum à Septentrione, alterum à Meridie. Illud quod erat à Meridie clausum fuit, neque per illud ingrediebatur quisquam, atque de eo dictum est ab Ezechiele, *Porta ista claudetur neque aperietur,* &c. Illud autem quod erat à Septentrione apertum fuit, atque per illud ingrediebatur (Sacerdos scilicet) atque incedebat inter duos parietes donec perveniret ad locum apertum loci Sancti ab ejus sinistra, & ingrediebatur in medium Templum, veniebátque ad Portam magnam quam aperiebat. [*Duobus illis ostiolis patebat ingressus in Cellas; quæ verò hìc nugatur Maimonides de illa sunt somnia & deliramenta Rabbiniea*] Erat autem Porta illa magna lata 10 cubitos, alta 20. [*Somnium item est Rabbinicum istud lepidè excogitatum*] Quatuor illi fuerunt fores, duæ intrinsecùs à parte interiore loci Sancti, duæ autem extrinsecùs à parte ejus exteriore; quæ erant extrinsecùs aperiebantur in portæ medium ad tegendam muri crassitiem; quæ verò erant intrinsecùs aperiebantur versùs medium Domùs ad tegendum eam muri partem quæ erat à tergo forium. Porta Vestibuli lata fuit 20 cubitos, alta 40, neque fuerunt ei fores ullæ. Illius superliminari superimpositæ erant quinque מלתראי *trabes* שיל מילא [*Videtur corruptum à Græco* μίλαθρον, *quod Hesychius interpretatur* δόκον τοῦ

bem extenſam *ſive* prælongam *vel* tranſverſalem. מילא *autem quid ſit incertum eſt*] Infima earum hinc & indè exuberabat ultra portam cubitum unum, ſícque earum unaquæque inferiorem ſibi ſubjectam ſuperabat utrinque cubito uno; ità fiebat ut ſuprema eſſet 30 cubitorum: porrò ordo ſive ſeries una lapidum intercedebat inter trabem & trabem. Templum latum erat מלפניו *ab interiore ejus parte*, וצר מאחוריו *angustum verò à posteriore ejus parte*, leonis inſtar. Erant etiam יציעים *Cameræ* vel *Cellulæ*, quæ totam domum undiquaque circumdabant excepto muro המפנה. Cella inferior erat 5 cubitorum, רובד *tabulatum* autem quod illi impoſitum erat 6 cubitorum; Cella media fuit 6 cubitorum, רובד illi impoſitum ſeptem cubitorum; Cella ſuperior fuit ſeptem cubitorum, juxa illud quod eſt 1 Reg. 6. 6. atque ità tria illa יציעים Cellarum tabulata circumdabant Templum tribus ex lateribus. Similiter circa murum Veſtibuli ab imo ad ſummum ſic fuerunt; cubitum unum חלק, dein רובד tres cubitos, tum cubitum unum חלק, & רובד tres cubitos uſque ad ſummum; erántque רובדין *circumdantes* מקפין parietes veſtibuli, latitudo uniuſcujuſque רובד fuit 3 cubitorum ad ſummum uſque, inter autem unumquodque רובד fuit cubitus unus, ſupremum autem רובד fuit 4 cubitos latum. Omnia illa loca vacua quæ fuerunt inter parietes vocantur תאים *Cellæ*; inveniuntur autem ejuſmodi Cellæ circumdantes Templum, quinque à Septentrione, totidem à Meridie, tres autem ab Occidente; tria autem fuerunt earum דיוטורת *tabulata*, tabulatum ſupra aliud tabulatum: ità inveniuntur 15 Cellæ à Meridie, totidémque à Septentrione, octo verò ab Occidente, nempe tres mediæ ſupra tres infimas, duæ verò ſupremæ ſupra tres haſce medias in ſupremo tabulato; in univerſum ſunt 38 Cellæ. Tres [*Villalpandus Tom. 2. part. 2. lib. 4. cap. 26. iſtud de tribus portis in ſingulis Cellis, accipit duntaxat de duabus illis majoribus Cellis quæ erant ab utroque latere Veſtibuli Templi, & per quas introitus dabatur in Cellas quæ erant circumcirca Templum: hæ enim majores Cellæ tres habebant, unam quâ ex Atrio Templi in Cellas illas dabatur ingreſſus, alteram illi oppoſitam quâ ex Veſtibulo in Cellas illas acceſſus patebat, tertiam quâ ex Cellis illis in minores Templo circumpoſitas dabatur introitus. Verùm hæc Villalpandi explicatio non videtur ſatis quadrare huic loco.*] פתחים *Portæ* (vel potiùs *feneſtræ*) fuerunt unicuique Cellæ, una Cellæ à dextera, altera Cellæ à ſiniſtra, tertia Cellæ quæ eſt ſuper eam. In cornu autem Orientali Septentrionali Cellæ quæ erat in medio tabulato fuerunt quinque פתחים, una Cellæ à dextera, una Cellæ quæ eſt ſupra eam, una למסבה *cochleæ*, una Cellæ cui eſt פשפש *oſtiolum*, & una denique Templo. Cochleæ autem aſcendebat à cornu Orientali Septentrionali ad cornu Septentrionale Occidentale, per eam enim aſcendebatur ad tecta Cellarum: qui aſcendebat per Cochleam faciem obvertebat ad Occidentem, ibátque per totum tractum Septentrionalem donec perveniret ad Occidentem; cùm eò pervenerat obvertebat faciem ad Meridiem, & ibat per totum tractum Occidentalem donec perveniret ad Meridiem; quò cùm perveniſſet obvertebat faciem verſùs Orientem, ibátque per tractum Meridionalem donec perveniret ad portam ὑπερῴου Templi, porta enim ὑπερῴου erat ad Meridiem poſita. In ea autem porta fuerunt duæ קלונסורת cedrinæ quibus aſcendebatur in ejus tectum; duo item lapides dolati fuerunt quibus dividebatur tectum loci Sancti à tecto Sancti ſanctorum; fuerunt etiam ſcalæ apertæ in ὑπερῴου verſùs Sanctum ſanctorum, quibus משלשין artifices in arculis כדי שלא יזונו oculi eorum ex Sancto ſanctorum. Semel in anno à Paſchate uno ad aliud מלבנין *dealbant* Templum.

Ex Capite quinto.

Mons Domûs, qui eſt mons Moria, fuit longus & latus (in quadrum) 500 cubitos, fuítque circumdatus muro, lapidéſque ſuper lapides fuerunt exſtructi מתחתיו *infernè* (ſeu *infrà ipſum*) *per deſſous* מפני אוהל הטומאה *propter tabernaculum immundum*, fuítque totum מקורה סטיו לפנים סטיו *contabulatum porticibus ante porticus* (h. e. undiquaque fuit porticu vel intercolumnio duplici circumdatum.) [*Schindlerus exponit* סטיו pavimentum, *ſed hæc ſignificatio hîc non quadrat cum voce* מקורה *quæ* contabulatum *ſignificat: meliùs David de Pomis exponit* סטיון (*quod videtur ſcriptum pro* סטיו) locum columnis circumdatum, *quod nihil aliud eſſe videtur quàm porticus. Itaque* סטיו *videtur omnino corruptum ex Græco* ὁδὸν porticus.] Erant illi quinque Portæ, una ab Occidente, una ab Oriente, una à Septentrione, & duæ à Meridie. Latitudo Portarum ſingularum fuit 10 cubitorum, altitudo 20, quibus additæ erant fores. Ante montem (extrinſecùs ſcilicet) fuit סורג undiquaque circumdans (Atria nimirum & Templum, non verò ipſum montem) cujus altitudo fuit 10 palmorum: & ante סורג fuit חיל altum 10 cubitos, de quo dicitur in Threnis, *lugebit* חיל *& murus*: hic murus eſt murus Atrii qui fuit ante חיל Atrii. Atrium longum fuit 187 cubitos, latum 135. Septem in eo fuerunt Portæ, nempe tres à Meridie juxta Occidentem, & tres à Septentrione juxta Occidentem, una ab Oriente ex adverſo Sanctuarii in medio. Unaquæque Portarum fuit lata 10 cubitos, alta 20, erántque illis fores obductæ omnes auro præter Portam Orientalem quæ obtecta fuit ære ſimili auro. Hæc eſt illa Porta quæ dicitur עליון *ſuperior*, itémque *Porta Nicanoris*. Atrium non fuit directè in medio montis Domûs poſitum, ſed remotum fuit à Meridionali [*Fieri id non poteſt, quin magis fuit remotum à parte Orientali quàm à reliquis omnibus; nam ab ea parte inter Atrium Templi & latus Orientale interjectum fuit Atrium feminarum, quod longum fuit* 135 *cubitos. Itaque legendum hîc* Orientale *pro* Meridionali.] latere montis plùs quàm à reliquis ejus lateribus, & magis propinquum fuit lateri ejus Occidentali quàm reliquis lateribus. Inter Atrium & latus Septentrionale montis major fuit diſtantia quàm inter Atrium & latus Occidentale; itémque ſpatium inter Atrium & latus Orientale majus fuit quàm illud quod fuit inter Atrium & latus Septentrionale. Porrò ante Atrium ab Oriente fuit Atrium feminarum, quod longum & latum fuit 135 cubitos. Quatuor fuerunt Exedræ in medio quatuor angulorum ipſius, ſingulæ 40 cubitorum, neque fuerunt contabulatæ, ſícque ſunt futuræ, atque hic eſt earum uſus; 1 Exedra Meridionalis Orientalis dicitur *Nazaræorum*, quia iſthîc את מבשלין שלמיהם *lavabant veſtes* & tondebant caput. 2 Orientalis Septentrionalis fuit Exedra דיר עצים *vermiculationis lignorum*, quia in ea Sacerdotes quibus ob aliquem corporalem defectum non licebat operari ſacris, vermiculata ligna ſegregabant; lignum enim omne in quo vermis invenitur profanum eſt (h. e. non licet illud Aræ ad incendenda ſacrificia inferre.) 3 Septentrionalis Occidentalis eſt Exedra *Leproſorum* המצורעים. 4 Occidentalis Meridionalis vocabatur בית שמנים *apotheca oleorum*, quia iſtîc oleum & vinum ad libamina reponebantur. Atrium feminarum undiquaque circumdabatur גזוטרא (h. e. utì videtur, *ambulacro ſupernè contabulato*) ut indè ſupernè proſpectare poſſent feminæ, infernè verò viri, néve commiſcerentur inter ſe. Porrò domus magna fuit in latere Atrii (Sacerdotum nempe) à Septentrione extra Atrium, inter Atrium & חיל, quæ in fornicis modum exſtructa fuit, & cincta רובדין lapideis quæ dicébatur בית מוקד *domus combuſtionis*; erántque ei duæ portæ, una aperiebatur verſùs Atrium, alter verſùs חיל; quatuor autem erant ei Exedræ, duæ in ſacro, duæ verò in profano, & ראשי פיספסין *paries lapidum dolatorum* ſeparabat inter ſacrum & profanum. Harum hic fuit uſus; 1 Occidentalis Meridionalis erat Exedra הטלאים *agnorum*. 2 Meridonalis Orientalis fuit Exedra eorum qui conficiebant panem propoſitionis. 3 Orientalis Septentrionalis; in eam condiderunt Aſſamonæi lapides Altaris quod profanaverant reges Græciæ (h. e.

(h. e. Seleucidæ.) 4. Septentrionalis Occidentalis; ex ea descendebant in baptismi seu ablutionis domum. Porrò qui descendit in domum ablutionis is it per Cochleam quæ vadit sub totum Sanctuarium [*in Massechoth Tamid cap.* 1. *dicitur* תחרת הבירה] habétque hinc & indè lucernas accensas donec perveniatur ad locum ablutionis, atque isthîc est מדורה *pyra* sive *rogus* (vel *Camera*) & latrina *gloriæ* של כבוד, cujus hæc est gloria; quòd si quis eam reperiat obseratam, signum est certissimum in ea esse aliquem: postquam abluerat se & absterserat, calefaciebat se juxta rogum, tum redibat ad fratres suos.

Atrii (Sacerdotum scilicet) longitudo est cubitorum 187 ab Oriente in Occidentem, quorum hæc est particularis dinumeratio. Ab Occidentali pariete Atrii usque ad murum Templi sunt 11 cubiti; Templum ipsum totum longum 100 cubitos; inter Vestibulum & Altare erant 22 cubiti; Altare longum fuit 32 cubitos; Locus quem calcabant pedes Sacerdotum (qui dicitur *Atrium Sacerdotum*) 11 cubitorum; Locus quem calcabant pedes Israelis (qui dicitur *Atrium Israelis*) 11 cubitorum. Latitudo Atrii à Septentrione versùs Meridiem erat cubitorum 135, nempe à pariete Septentrionali usque ad locum המטבחי *Mactatorum* 8 cubiti; locus ipse Mactatorum 12 cubitorum cum dimidio, atque isthîc suspendebant & deglubebant victimas sacras. Juxta locum illum fuit locus Mensarum 8 cubitorum, in quo erant mensæ marmoreæ quibus imponebant membra seu partes victimarum divisas, tradebántque carnem elixandam; erant isthîc 8 mensæ. Juxta hunc locum fuit locus הטבעים *annulorum* 24 cubitorum, atque isthîc jugulabant victimas. Inter locum Annulorum & Altare fuerunt 8 cubiti: Altare ipsum fuit 32 cubitorum, & Ascensus ejus 30 cubitorum. Inter Ascensum autem & parietem Meridionalem 12 cubiti cum dimidio. A pariete Septentrionali Atrii usque ad Altaris parietem (& hæc est latitudo) erant 60 cubiti cum dimidio; at à muro Vestibuli ad parietem Orientalem Atrii (& hæc est longitudo) fuerunt 76 cubiti. Totum illud quadrangulum vocatur עזרה *Septentrio*, atque in eo jugulant (& parant) sacras victimas. Octo fuerunt Exedræ in Atrio, tres ad Septentrionem, & tres ad Meridiem. Quæ ad Meridiem hæ fuerunt, 1. Exedra מלח *salis*, in qua reponebatur Sal ad oblationes. 2. Exedra הפרוה, in qua saliebantur pelles victimarum, supra cujus tectum fuit locus ablutionis summi Pontificis die Propitiationum. 3. Exedra המדיחין, in qua intestina victimarum lavabantur & purgabantur; atque ex ea fuit Cochlea quâ ascendebatur supra tectum Exedræ הפרוה. Trium Exedrarum quæ erant ad Septentrionem prima fuit הגזית, q.d. *ex cæso lapide*, in qua habebatur magnum Synedrium. Hujus Exedræ pars dimidia fuit sancta, pars altera verò fuit profana: erántque ei duæ Portæ, earum una aperiebat in locum Sanctum, altera in profanum; & in dimidia parte quæ profana erat sedebant Synedrii Judices. Secunda fuit הגולה *captivitatis* Exedra; in ea fuit בור *puteus* vel *cisterna* שממלאין ממנו בגולה, indéque sufficiebant aquam toti Atrio. Tertia Exedra fuit העץ *ligna* (vel *lignea*,) quæ fuit à tergo duarum illarum, erátque Exedra summi Pontificis, vocabatúrque *Exedra μαγείρου*. Tectum harum trium fuit æquale. Reliquarum duarum Exedrarum quæ fuerunt in Atrio Israelis una fuit à dextera portæ Orientalis, dicebatúrque *Exedra Phineazi* המלביש, q.d. *sartoris*; altera fuit à sinistra ejusdem Portæ, erátque Exedra ejus qui sartagines conficiebat, עושה החביתים, vel qui in sartagine coquebat oblationum munera.

Ex Capite VI.

Sanctuarium non fuit situm totum in planitie sed in acclivi Montis. Qui ingrediebatur per portam Orientalem montis Domûs incedebat per locum æquum & planum usque ad finem חיל, indè ascendebat in Atrium feminarum 12 gradibus, quorum singuli alti erant dimidium cubitum, & singulorum projectio (seu latitudo) erat dimidii cubiti; tum incedebat per totum Atrium feminarum loco plano; indè ascendebat in Atrium Israelis (quod est principium Atrii) 15 gradibus paris cum superioribus mensuræ. Atrium Israelis fuit planum: ex eo in Atrium Sacerdotum ascendebatur gradu uno alto cubitum, in quo fuit דוכן *suggestum* trium graduum, qui prioribus erant similes; ità Atrium Sacerdotum altius erat Atrio Israelis duobus cubitis cum dimidio. Indè progrediebatur per totum Atrium Sacerdotum, item Altare & spatium quod inter Altare & Vestibulum loco plano & æquo; indéque ascendebatur in Vestibulum duodecim gradibus paribus cum antecedentibus. Templum autem totum & Vestibulum fuerunt in loco æquo & plano. Ità invenitur solum Templi altius solo portæ Orientalis montis Domûs 22 cubitos, porta autem ipsa montis Domûs alta erat 20 cubitos: itaque qui stabat ex adverso Portæ Orientalis non videbat portam Templi; propterea fecerunt murum qui est supra portam illam humiliorem גמוך, ut qui stabat in monte Olearum videre posset portam Templi tum cùm facit aspersionem de sanguine juvenci ex adverso Templi. Erant autem Exedræ sub Atrio Israelis quæ aperiebantur in Atrium feminarum, in quibus Levitæ reponebant citharas suas, reliquáque omnia instrumenta Musica. In suggestu autem in quem ascendebatur de Atrio Israelis in Atrium Sacerdotum stabant Levitæ cum Musicis instrumentis tempore oblationis. Quod ad Exedras ædificatas in loco sancto quæ aperiuntur in profanum, si tectum earum æquale est cum solo Atrii, earum medium est profanum, sed tectum est sanctum: sed si tectum earum non sit æquale (solo Atrii scilicet) etiam tectum earum est profanum, tecta enim & ὑπερῶα non sunt sanctificata; propterea in ejusmodi tectis non licet comedere res sanctissimas, neque in iis jugulant minores victimas. Si exstructæ sint in loco profano & aperiantur in sanctum, earum medium sanctum quidem ad comedendum isthîc res sanctissimas, sed non jugulant in eis minores victimas, & si quis immundus isthuc ingrediatur insons est, tectáque earum sunt profana ad rem omnem. *Fossæ* מחילות (seu *Cryptæ* vel *Cloacæ*) quæ aperiuntur in Atrium sunt sanctæ, quæ verò aperiuntur in montem Domûs sunt profanæ. Fenestræ & crassities murorum נר פנים sunt liberæ sive ad esum rerum sanctissimarum sive ad immunditiem. Reliquo capite agit de ratione sanctificandi loca quæ de novo exstruuntur & adduntur tum Templo tum urbi Jerusalem.

Capite VII toto agit de honore & reverentia quæ haberi debet Templo; tum de variis sanctificationis gradibus terræ Israelis, Jerosolymæ, Templi, & partium Templi, quibúsq; in rebus siti sint varii illi sanctificationis gradus.

Capite VIII sive ultimo agit de custodia Templi, déque ratione Vigilum seu Custodum collocandorum in Templo. Quæ de illis habet ad formam sive figuram Templi cùm nihil pertineant, à nobis omittuntur.

TRACTATUS TALMUDIS

Qui מדות dicitur, éstq; de Templi Salomonici *mensura, magnitudine & structura*, Latinè redditus.

CAP. I.

De Excubiis & Templi Portis, déque Domo quæ מוקד *dicebatur.*

SECT. I. Tribus (*a*) in locis Sacerdotes excubias agebant in domo Sanctuarii; 1. in domo אבטינס, 2. in domo הנצוץ, [*quæ fuerit ista vide mox infrà Sect.* 2. *in fin.*

jus capitis] 3. in domo המוקד. [*de domo Moked vide etiam Sect. 6, 7, 8. hujus capitis.*] Levitæ autem in uno & viginti locis excubias habebant, nempe quinque ſuper (vel, juxta) quinque portas montis Domûs, quatuor in quatuor ejus angulis intrinſecùs, quinque in quinque (β) portis העורת *Atrii*, quatuor in quatuor ejus angulis extrinſecùs, denique unus in Exedra הקרבן [*fuit illa in domo Moked, de qua vide mox infrà Sect. 6.*] alius in exedra *Veli* הפרוכת [*quæ iſta fuerit non explicant Commentatores*] & unus poſt domum הכפורת *Propitiatorii* [*h. e. à tergo Templi, ſed tamen extra Atrium Templi.*]

SECT. II. Præfectus montis Domûs [*is erat Præfectus Vigilum in Templo*] circuibat ſingulas Excubias cum funali accenſo ante ſe: [*quis fuerit mons Domûs vide infrà cap. 2. Sect. 1.*] ſiquem Excubitorum videbat non ſtantem, compellabat eum præfectus Domûs hâc ſalutatione, Pax ſit tibi; ſi deprehendiſſet dormientem percutiebat eum virgâ, licebátque veſtem ipſius funali accenſo amburere, quo exclamante, & quærentibus cæteris Excubitoribus; Cujus eſt hæc vox in Atrio? reſpondet Præfectus montis Domûs. Vox eſt Levitæ qui cæditur, cujúſque veſtis comburitur, quia obdormivit in cuſtodia ſua. Rabbi Eliezer F. Jacob dixit, Cùm ſemel dormientem offendiſſent avunculum meum aduſſerunt veſtem ejus.

SECT. III. Quinq; fuerunt in monte Domûs Portæ, nempe duæ Portæ חולדה (γ) *Huldæ* à Meridie, per quas dabatur ingreſſus & egreſſus [*id eſt, populus per eas ingredi in Templum & è Templo egredi ſolebat*] tertia קיפונוס *Kipponos* ab Occaſu, quæ ad ingreſſum & egreſſum ſerviebat, quarta טדי *Taddai* à Septentrione, quæ omnino non inſerviebat, [*nempe ad ingreſſum & egreſſum populi. Quis autem eſſet ejus uſus vide infrà Sect. 8. hujus capitis*] ultima denique fuit porta Orientalis, (δ) ſupra quam urbis Suſarum figura inſculpta fuit. Verſùs hanc [*hæc de re vide infrà cap. 2. Sect. 4.*] reſpiciebat Pontifex maximus cùm vaccam [*die Propitiationum*] combureret, atque ex ea aſcendebatur in montem Olearum.

SECT. IV. Septem (ε) fuerunt in Atrio Templi Portæ, tres à Septentrione, totidem à Meridie, una autem ab Oriente. Atque hæ ſunt quæ erant à Meridie, Prima erat Porta הדלק *uſtionis*, ſecunda Porta הקרבן *oblationis*, tertia Porta המים *aquarum*. Quæ autem erat ab Oriente Porta dicebatur ניקנור *Nicanoris*; fuerúntque juxta eam duæ Exedræ, altera à dextera ejus quæ dicebatur *Exedra Phineazi Veſtiarii* המלביש [*h. e. cuſtodis veſtium ſacrarum Sacerdotalium quæ iſthîc recondebantur. De ejuſmodi Cuſtode vide 2 Reg. 22. 14.*] altera à ſiniſtra quæ dicebatur (ζ) עושה חביתין, h. e. in qua parabantur quæ in ſartagine frigebantur.

SECT. V. A Septentrione autem erat Porta הנצוץ quæ erat inſtar Exedræ, atque ſuper eam exſtructum fuit ὑπερῶον. Et Sacerdotes quidem ſuperne excubias in ea agebant, Levitæ verò inferne, erátque illi janua per quam exibatur ad חיל *Chajil* [*quid fuerit* חיל *vide infrà cap. 2. Sect. 3.*] Secunda porta erat הקרבן *Corban*, ſeu *oblationis*, tertia denique fuit domûs המוקד *Moked* ſive *combuſtionis*.

SECT. VI. Quatuor fuerunt in domo *Moked* Exedræ (ζ) בקיטונות פתוחות לטרקלין [*eſt quidem corrupta hæc vox à Græca* τεταλίνιον, *ſed ſumitur etiam pro ingenti & magnifica domo*] inſtar *Cœtonum* in regio palatio. Harum Exedrarum duæ erant in loco Sancto, duæ verò בחול *in profano*. In capite earum [*h. e. ubi ſe mutuò jungebant Exedræ illæ*] fuit (η) פישפשין *humilis lorica* ſeparans locum Sanctum à profano. Hic autem fuit Exedrarum illarum uſus, 1. Occidentalis Meridionalis fuit Exedra Agnorum (θ) קרבן *Corban*. 2. Meridionalis Orientalis fuit Exedra panum Propoſitionis [*quia in illa Exedra panes illi conficiebantur & coquebantur, & fortè etiam liba illa Sacrificiorum quæ ex Lege in clibano coqui oportebat.*] 3. Orientalis Septentrionalis, in qua repoſiti fuerunt ab Aſmonæis lapides Altaris, quòd à Seleucidis [*Antiocho ſcilicet Epiphane qui polluit Templum. Hanc Maimonides dicit vocari* Exedram חתמות ſigillorum *in Maſſech. Tamid*] profanatum fuerat. Quarta denique Septentrionalis Occidentalis per quam deſcendebatur ad latrinas & domum הטבילה *lavacri* [*hæ fuerunt in Crypta ſubterranea, atque eſt juxta eas lavacrum in quo abluebant ſe qui alvum purgaverant, aut paſſi fuerant* ὀνειρωγμὸν. *Maimonides dicit domum hanc vocari* domum מוקד uſtionis *in Maſſech. Tamid, quia iſthîc fuit focus ad quem ſe calfaciebant qui corpus abluerant.*]

SECT. VII. Duæ fuerunt in domo *Moked* Portæ, una aperiebatur verſùs *Chajil*, altera aperiebatur in Atrium. Rabbi Juda dixit in ea quæ in Atrium aperiebatur fuiſſe parvum oſtiolum, per quod ingrediebantur in Atrium Sacerdotes illud exploraturi.

SECT. VIII. Domus illa *Moked* tota fuit fornice tecta, fuítque ampla domus, undique (ι) prominenti veluti cingulo lapideo cincta; atque iſthîc ſeniores domûs patrum Sacerdotes dormiebant cum clavibus Atrii in ſuis manibus, at juniores Sacerdotes per terram ſtrati jacebant quiſque ſuper veſtem ſuam. Erat autem iſthîc locus quidam quadrangularis, latus in ſingula latera cubitum unum cum tabula marmorea: [*quâ ſupernè tegebatur*] in ea fuit annulus infixus cum (κ) catenula, cui claves [*Portarum ſcilicet & Exedrarum Atrii*] appendebantur. Cùm tempus obſerandi Portas advenerat, attollebat [*aliquis Sacerdotum*] tabulam illam marmoream annulo, accipiebátque claves de catenula, & obſerabat Portas. Sacerdotes quidem introrſum [*h. e. intra Atrium*] Levitæ verò extrorſum dormiebant. Ubi abſolverat [*Sacerdos*] obſerare Portas, reponebat claves & de catenula appendebat, tabulâque redditâ loco ſuo, veſtem ei injiciebat in quam recumbens dormiebat. Si cui fortè [*Sacerdotum iſthîc dormientium*] accidiſſet קרי *pollutio nocturna*, egrediebatur במסיבה *per Cochleam* ſeu Cryptam ſubterraneam quæ ibat ſub (λ) הבירה [*h. e. portam Atrii Orientalem, ſic dictam ob effigiem urbis Suſarum ei inſcriptam*] in qua Crypta ab utroque latere hinc indè dependebant lucernæ accenſæ, donec perveniret ad domum ablutionis [*in qua ſcilicet corpus ab immunditie illa abluebant.*] R. Eliezer F. Jacob dicebat eum egreſſum per Cryptam quæ ibat ſub (μ) *Chajil*, atque ità per portam Taddæi egreſſum eſſe è Templo.

AD CAP. I.

(α) *Maimonides notat numerari hîc* 24 *in univerſum Cuſtodias in Templo, pro numero ſcilicet cuſtodiarum Janitorum in portis Templi, qui numerantur* 1 Par. 26. 18. *Porrò tota hæc cuſtodia fuit intra quidē murum montis Domûs, ſed extra murum Atrii Templi, quia non licebat ſedere in Atrio Templi, non potuiſſent autem Cuſtodes ſtare totâ nocte; atq; hoc illud eſt quod hic dicitur* intrinſecùs & extrinſecùs, *nempe intra murum montis Domûs, extra verò murum Atrii Templi. Et bifariàm quidem fuerunt diſtributi Cuſtodes iſti Levitæ, nempe novem in quinque Portis & quatuor angulis montis Domûs, atque hi excubabant inter murum montis Domûs & Chajil; alii novem in quinque Portis & quatuor angulis Atrii Templi excubabant inter murum Atrii Templi & Chajil, itáque hi fuerunt intra Chajil, illi verò extra. Cæterùm non erat hæc cuſtodia ad tutelam Templi, nihil enim opus habebat tutelâ, ſed erat* לכבוד ad decus & *magnificentiam duntaxat, uti obſervant Commentatores Judæi.*

(β) *Septem fuerunt in Atrio Templi Portæ, uti mox dicitur infrà Sect. 4. Itaque iſtud ſic intelligendum eſt (uti Maimonides explicat ex ſententia Sapientum) ut Cuſtodes ſeu Vigiles non adhibiti fuerint niſi quinque duntaxat Portis Atrii, duas reliquas caruiſſe Cuſtodibus: cujus rei cauſam nullam reddunt, neque etiam exponunt quanam fuerint Porta illæ quibus adhibiti fuerunt Vigiles.*

(γ) *De duabus iſtis Huldæ Portis & de Porta Kipponos*

nos nihil aliud observant Commentatores, nisi hoc fuisse earum nomen; unde autem nomen illud habuerint non explicant. Mentio fit 2 Reg. 22. 14. Huldæ Prophetissæ quæ habitabat במשנה, b. e. ut explicat Targum, בבירת אולפנא in domo doctrinæ, sive in Collegio: videtur autem istud Collegium in parte aliqua Templi fuisse, atque indè fortè inditum est nomen istius Templi portis, quòd essent circa domum Huldæ prophetissæ. Atque hæc est sententia Salom. Jarhi in locum illum 2 Reg. 22. 14. Nomen autem קיפנוס, quod קפנוס scribitur sine Jod, nomen est barbarum, & proprium fortè viri qui illam exstruxit, & nescio an Ἑκατὸς fortè legendum sit.

(δ) *Maimonides* scribit hîc, cùm Judæi ascenderent ex Captivitate Babylonica jussos esse à Persarum rege insculpere portæ Templi sui effigiem urbis Susan Metropoleos Persidis in signum dominii Persarum in Judæos, itaque memores essent Judæi beneficii illius accepti, soluta scilicet earum Captivitatis: cui mandato obtemperantes Judæi Portæ Templi Orientali insculpserunt illam effigiem, unde etiam nomen inditum illi Portæ, quæ indè dicta fuit Susan metropolis.

(ε) *Notat Maimonides quosdam esse qui quinque tantùm Portas Atrio assignant, nempe ex eo quod dicitur Sect. 1. hujus capitis; alios verò esse qui undecim in eo Portas statuunt, qua de re vide infrà Cap. 2. Sect. 6. Plerosque Sapientum septem duntaxat illi attribuere juxta id quod hîc dicitur.*

(ς) *Notum est ex Lege Lev. 2. 5. varia fuisse oblationum genera, quæ in olla, lebete, caldario, frixorio vel sartagine parabantur; ad ea opus singulari aliquâ Exedrâ: & 1 Par. 9. 32. fit mentio Mattithiæ Coritæ qui præfectus erat* על מעשה החביתים, super opere frixorii, *h. e. qui curam habebat eorum quæ in frixorio parabantur.*

(ζ) *Maimonides hoc sic explicat, ut scilicet quatuor istæ Exedræ fuerint in magna illa domo quomodo sunt* בתי השינה cubilia *seu* κοιτῶνες *in palatiis Regum, nempe domus quædam parva in medio domûs magnæ: exponit autem* קיטונא *per* בית מלכות domum regiam, קיטונא *autem rectè exponit* בית שינה cubile in quo somnus capitur; *sed ineptè vult sic dici à voce Chaldæa* קיטא *quæ æstatem significat, quòd in ejusmodi locis, inquit, Reges solent somnum suum capere æstivo tempore; nam* קיטונא *est vox corrupta à Græca* κοιτὼν, *ut &* טרקלין *à Græca* τρικλίνιον triclinium. *Itaque secundùm eum legendum videtur* בקיטונות *per Caph non autem per Beth. Quæ expositio videtur commoda.*

(η) *Videtur legendum* פיספסין *cum Samech non verò cum Schin: nam* פשפש *proprie est* ostiolum *in vel juxta Portam majorem, quod Galli vocant* guichet; *at* פיספסין *est* lorica *quæ locum à loco separat. Hanc Maimonides dicit esse* דבר קטן מפיין סנוקב נקבים קטנים, rem *parvam separantem totam foraminosam parvis foraminibus, intelligit nempe* Cancellos *seu* Clathros, *quos dicit interdum fieri ex Cannis, atque tum dici Arabicè,* מרעאב, *interdum ex lignis, atque tum dici Hebraicè* שבכות cancellos, *interdum ex* בדים vestibus *cujuscunque materiæ, atque tum dici* פשפש.

(θ) *In hac asservabantur per aliquot dies Agni qui singulis diebus manè & vespere offerebantur in sacrificium, quæ oblatio* קרבן *dicitur.*

(ι) *Non videtur istud intelligendum de tota domo* Moked, *sed de ea Exedra de qua Sect. præcedenti dicitur fuisse in ea Cryptam per quam ibatur ad latrinas & domum lavacri (de quibus latrinis nihil hîc dicitur, sed in Masech. Tamid memorantur.) In ea, inquam, Exedra dormivisse videntur Sacerdotes τῆς ἐφημερείας, seniores quidem in prominentia quadam muri circumquaq; alta à terra cubitum unum aut alterum, lapideâ, aut verò etiam lignea ex tabulis & asseribus (Gallicè diceremus* un rebord de pierre, ou des estaux debit tout allento joignant le muraille, *Rabb. dicitur* דובד) *juniores verò homi in pavimento strati recumbentes in vestes suas.*

(κ) *Hinc Maimonides putat certò colligi seras Portarum fuisse ad instar earum quæ barbarè dicuntur* cadenas, *à catena scilicet sic dicta, sed fallitur: nam catena ista ad hoc tantùm serviebat ut ex ea penderent, seu ei apponderentur claves Portarum, in loco illo quadrangulari in quo sub tabula ista marmorea reponebantur & asservabantur, neque ex eo loco movebatur catena illa.*

(λ) *Sunt qui hâc voce intelligunt hoc loco totum Templi Atrium; sed omnino, ut videtur, ineptè, cùm eâ voce significetur porta Orientalis montis Domûs. Mens ergò hæc est, Eum Sacerdotem qui noctu passu esset ὀνειρογμὸν in Crypta quidem corpus abluisse, verùm non rediisse eâ nocte in domum* Moked *ad cæteros fratres Sacerdotes, sed egressum è Templo per illam Cryptam quæ ad portam usque Orientalem exteriorem penetrabat.*

(μ) *Quid fuerit Chajil vide mox cap. 2. Sect. 3. Mens hujus Rabbi Eliezer hæc fuit, Sacerdotem qui passu erat ὀνειρωγμὸν exisse per Cryptam extra murum qui* Chajil *dicitur in locum* חול profanum, *in quem aditum habebant immundi & profani homines, etiam ipsi Gentiles, atque indè è Templo egressum esse per portam quæ* טדי Taddi *dicebatur.*

CAP. II.

SECT. I. Mons Domûs (α) fuit in quadrum longus & latus per singula latera quingentos cubitos. Maxima (ς) ejus pars fuit à Meridie, secunda illi proxima fuit ab Oriente, tertia fuit à Septentrione, minima ejus pars fuit ab Occasu. Porrò in ea montis Domûs parte quæ fuit amplissima, isthîc fuit etiam רוב תשמישו multò maximum Templi ministerium [*At non exponunt tamen quodnam fuerit* multò maximum *illud* ministerium: *neque enim ab ea parte aliud collocant nisi tres Exedras, quales statuunt à Septentrione.*]

SECT. II. Qui ingrediebantur לדרך הבית *versùs domum* [*h. e. Qui ingrediebantur Septum exterius Templi ut in interius Septum penetrarent, statim post ingressum in exterius Septum deflectebant ad dexteram, & circumacto Templo egrediebantur à sinistra; ex. gr. Qui ingressus erat per portam Susan, deflectebat ad dexteram versùs portam Taddai, & circumacto Templo egrediebatur per portam Huldæ*] ingrediebantur דרך ימין *dextrorsum*, tum circuibant & egrediebantur דרך שמאל *sinistrorsum*, iis exceptis quibus aliquid acciderat; hi enim circuibant sinistrorsum, qui interrogati [*à janitoribus scilicet*] Quid tibi vis quòd tu circumis sinistrorsum? (*si respondebat*) Quia ego lugeo [*parentes putà, vel uxorem, aut liberos*] regerebant janitores, Qui habitat in hac domo consoletur te. *Si respondebat*, Quia ego sum מנודה *excommunicatus*, (*regerebant janitores,*) Qui habitat (γ) in hac domo יתן בלבך ויקרבוך *det in cor tuum, & accedant ad te.* Hæc sunt verba R. Meir, Dixit ei Rabbi Josè, עשיתן כאילו עברו עליו את הדין, *vos fecistis quasi transisset super eum judicium*, quin (*potiùs dicendum*) qui habitat in hac domo det in cor tuum ut tu audias verba sociorum tuorum, & accedant ad te.

SECT. III. Ante eum (*Domûs montem scilicet*) fuit סורג *Soreg*, lorica nempe alta decem palmos [*Comment. Rab. Schemaiah dixit esse loricam (Gallicè* une taniere) *ex lignis decussatis & in retis modum dispositis instar clathrorum*] atque in ea 13 fuerunt פרצות *ruptura*, quas fecerant Seleucidæ: has ubi repararunt (δ) Judæi, decreverunt pro earum numero 13 adorationes. Ante loricam istam fuit חיל *Chajil (murus scilicet)* altus 10 cubitos (*R. Schemaiah dicit id intelligendum esse ab Oriente duntaxat, ab ea nempe parte humilis fuit murus ille, ut dicitur Sect. 4. hujus capitis, ab aliis verò partibus vult fuisse longè excelsiorem murum illum*) atque in eo fuerunt 12 gradus, quorum singuli alti erant dimidium cubitum, projectura autem eorum (*h. e. latitudo*) dimidium similiter cubitum. Omnes qui isthîc (*h. e. in Templo*) fuerunt gradus, singuli alti erant dimidium cubitum, & lati dimidium cubitum, præter gradus Vestibuli.

Omnes

Omnes portæ quæ isthîc *(in toto scil. Templo)* fuerunt, altæ fuerunt 20 cubitos, latæ verò 10. præterquam porta Vestibuli. Omnes portæ quæ isthîc fuerunt habuerunt januas *(seu valvas)* ligneas, exceptâ Vestibuli portâ. Omnes portæ quæ isthîc fuerunt, היו להם שקופות *fuerunt feneſtratæ* [*h. e. habuerunt hyperthyrum ſive feneſtellam ſupra limen ſuperius. R. Shemaiah exponit vocem illam de arcuato forniee quo Portæ poſtes ſupernè conjunguntur. Maimonides exponit per* משקוף, *quod* ſuperliminare *ſignificat, nempe arcuatum*] *(vel arcuatæ) ſupernè*, præterquam porta Taddæi, in qua fuerunt duo lapides (ס) מוטות, quorum alter alteri impoſitus erat. Omnes Portæ quæ isthîc fuerunt נשתנו *immutatæ ſunt* להיות של זהב *ut fierent aureæ*, exceptâ Nicanoris portâ, quia in iis factum eſſet נס (ע) *miraculum*. Alii dicunt quia æs earum מצהיב [*Maim. exponit* ירוק כעין הזהב fulvum inſtar auri] inſtar auri ſplendebat.

Sect. IV. Omnes muri *(ſive parietes* כתלים) erant excelſi præter Orientalem, quia Sacerdos (ף) qui Vaccam comburebat ſtans in vertice montis Olearum reſpiciebat & oculos intendebat in portam Templi, quo tempore ſanguis aſpergebatur.

Sect. V. Atrium feminarum [*R. Schemaiah dicit Atrium iſtud eſſe illud quod ab Exechiele vocatur* החיצונה exterius] longum & latum fuit in quadrum 135 cubitos, erántque 4 Exedræ in quatuor ejus angulis, ſingulæ 40 (נ) cubitorum, ולא היו מקורות *quibus nullum fuit tabulatum ſeu tectum ligneum:* atque ſic futuræ ſunt [*nempe cùm à Meſſia, quem exſpectant Judæi, Templum inſtaurabitur*] eſſe, dictum eſt enim (*Ezech.*) *Eduxit me in Atrium exterius, & circumduxit me ad quatuor angulos Atrii, & ecce Atrium in angulo Atrii, & in quatuor angulis Atrii Atria* קטורות *(vel fumoſa)* juncta אלא שאינן מקורות *niſi quòd non erant tecta.* Porrò hic erat earum uſus; 1 Meridionalis Orientalis erat Exedra Nazaræorum; isthîc enim Nazaræi coquebant pacifica ſua ſacrificia, & radebant capillos ſuos quos *(in ignem)* ſub aheno injiciebant. 2 Orientalis Septentrionalis erat Exedra lignorum; isthîc nempe Sacerdotes בעלי מומין *quibus erat aliquod corporis vitium* מחליעים *evermiculabant ligna*, [*ſeparabant ligna in quibus inveniebantur vermes & teredines, quòd vermiculis ejuſmodi pollluerentur ligna*] omne enim lignum in quo invenitur vermis, profanum eſt, nec licet illud inferre Altari. 3 Septentrionalis Occidentalis erat Exedra Leproſorum. 4 Occidentalis Meridionalis, de qua R. Eliezer F. Joſe dixit, Oblitus ſum quis eſſet ejus uſus, ſed Abba Saul dixit quòd isthîc reponeretur vinum & oleum, propterèáque dicebatur *Domus* שמנים *oleorum (vel, pinguium)* Et initio quidem fuit *Atrium illud feminarum)* (ס) חלקה undiquaque planis parietibus, ſed poſtea circumdederunt illud (י) בצורה ambulacro quodam ligneo [*une gallerie eſtevee tout à l' entor du Pauvis endedans*] *(in hunc ſcilicet finem)* ut feminæ ſupernè aſpicere poſſent *(versùs Templum)* viri autem infernè, nè ſimul miſcerentur *(viri & feminæ.)* Erant autem 15 gradus quibus ex eo *(Atrio)* aſcendebatur in Atrium Iſraelis, qui reſpondent illis 15 Pſalmis qui *cantica graduum* dicuntur. Levitæ enim ſuper illis *(gradibus)* canebant cantica *(illa.)* Non erant autem *(gradus illi)* טרוטיות [*directi & in longum protenſi*] *theatrales*, ſed מוקפות *circulares*, inſtar dimidiæ areæ rotundæ *(ſeu dimidiatæ lunulæ.)*

Sect. VI. Sub Atrio Iſraelis erant Exedræ quæ aperiebantur in Atrium feminarum in quibus Levitæ citharas, nablia, cymbala & cætera Muſica inſtrumenta reponebant. Atrium Iſraelis longum fuit 135 cubitos, latum verò 11 cubitos. Similiter Atrium Sacerdotum longum fuit 135 cubitos, latum verò 11 cubitos. ראשי פספסין [*Schemajah exponit* גיולין של עץ mutulos ligneos *infixos ad ſignandum diſcrimen inter utrumque Atrium*] lorica autem dividebat *(ſeu ſeparabat)* Atrium Iſraelis ab Atrio Sacerdotum. Rabbi Eliezer F. Jacob dicit, Gradus unus fuit *(viz. inter Atrium Iſraelis & Atrium Sacerdotum)* altus cubitum unum, & ſuper eum דוכן *ſuggeſtum (unde Sacerdotes benedicebant populo)* poſitum, ad quod aſcendebatur tribus gradibus, ſingulis altis dimidium cubitum: atque ità invenitur Atrium Sacerdotum altius Atrio Iſraelis duobus cubitis cum dimidio. Totum Atrium *(Templi ſcilicet)* עזרה מוחלטה, *inquit Maimonides, h. e. Atrium abſolutè dictum eſt Atrium Templi)* longum fuit 187 cubitos [*cubiti illi* 187 *numerandi ſunt ab Atrio Iſraelis uſque ad murum qui eſt ponè Sanctuarium; vide infrà cap. 5. Sect. 1. & hoc Atrium illud eſt quod abſolutè* מקדש *dicitur, inquit Maimonides*] latum verò 135. Atque in eo fuerunt 13 adorationes. Abba Joſe F. Hanan dixit, Pro numero nempe 13 Portarum [*Maimonides rejicit ſententiam illius Rabbi, & ſequitur ſententiam Sapientum, qui 7 duntaxat ſtatuunt Portas in Atrio Templi*] *(quæ in eo Atrio fuerunt.)* Meridionales incipiendo ab Occaſu *(quatuor nempe)* Porta העליון *Superior*, Porta הדלק, Porta הבכורות *primitiarum*, Porta aquarum. Et quare dicta eſt *Porta aquarum?* Quia per eam inducebant phialam aquæ quæ die Feſti libabatur. R. Eleezer F. Jacob dixit, Quia per eam aquæ effunduntur, futurúmque ut aliquando egrediantur de ſub limine Domûs. Ex adverſo harum à Septentrione incipiendo ab Occaſu, *quatuor itidem Portæ, nempe*, Porta Jechoniæ, Porta קרבן *Corban*, Porta feminarum, Porta cantici. Quare autem dicta eſt *Porta Jechoniæ?* Quia per eam Jechonias egreſſus eſt cùm migraret in Captivitatem. Porta quæ ab Oriente fuit, dicta eſt *Nicanoris Porta*, juxtáque eam duo fuerunt oſtiola; alterum à dextera, alterum à ſiniſtra; duo itidem ab Occidente, quibus nullum eſt nomen.

Ad Cap. II.

(א) *Sic quidem dicitur hîc totus mons Moria, cui inædificatum erat Templum: ſed mox cùm dicitur,* maxima hujus pars, *&c. intelligitur pars ea montis quæ non occupabatur ab Atrio Templi, ſeu quæ interjacebat inter murum extimum, quo omni ex parte cinctus erat mons Moria, & murum Atrii Templi. Hoc illud ipſum eſt quod Joſephus vocat* Septum exterius. *Atrium autem Templi illud eſt quod Joſephus vocat* Septum interius, *Atq; ſic ſæpius hic* mons Domûs *ſignificat Septum Templi exterius.*

(ב) *Hoc ſic accipiendum eſt, (uti rectè exponere videtur Maimonides) Atrium Templi non erat (ex ſententia horum Talmudiſtarum, ſed contrà quàm docet Joſephus) præciſè in medio montis Moriæ poſitum, ità ut à quatuor Atrii lateribus ad quatuor montis Domûs latera æquale intercederet intervallum; ſed ità erat collocatum, ut latus Atrii Meridionale omnium longiſſimè recederet ſeu diſtaret à latere montis Domûs Meridionali ſibi oppoſito, Orientale autem Atrii latus ab Orientali montis Domûs latere paulò minùs recederet, Septentrionale verò Atrii latus à Septentrionali montis Domûs latere minùs adhuc recederet, propiùs denique omnium à muro montis Domûs Occidentali recederet Occidentale Atrii latus: quod ut commodè fiat, cùm ſingula montis Domûs latera fuerint 500 cubitorum, Atrium autem longum fuerit* 187 *cubitos ab Oriente in Occidentem, latum* 135 *à Septentrione in Meridiem, neceſſe eſt ut ſtatuamus Atrium Templi diſtaſſe à muro Montis à Meridie* 234 *cubitos, ab Oriente verò* 227, *à Septentrione* 131, *ab Occidente denique* 86, *quomodo nos in Ichnographia noſtra illud diſpoſuimus.*

(ג) *Quid hîc ſibi velint Talmudiſtæ non ſatìs capio, neque planè explicatur ab ejus Commentatoribus.*

(ד) *Hoc eſt, inquit Maimonides, cùm quis ad aliquam ex illis rupturis pervenerat, iſthîc adorabat Deum, & Deo gratias agebat quòd Gracorum regnum exciderit.*

(ה) *Commentatores iſtud non explicant. Sed videntur hoc velle Talmudiſtæ, nempe omnes Templi portas habuiſſe ſuperliminare arcuatum (Gallicè* eſtoent faittes en arcade) *exceptâ Taddæi Portâ, cujus ſuperliminare arcuatum non fuit, ſed conſtabat duobus lapidibus poſti utrique Portæ ad* angulos

angulos rectos ſuperimpoſitis, quorum lapidum alter alteri incumbebat, & uterque longitudine ſuâ totam Portæ latitudinem occupabat; quod fieri ſolet in Portis anguſtioribus, (qualis fuiſſe videtur Porta iſta) at in latioribus (quales reliquæ Templi Portæ fuerunt) ſuperliminare arcuatum & fornicatum fieri ſolet. R. Schemaiah ſic rem explicat ut dicas totam Portam conſtitiſſe ex duobus tantùm lapidibus, in quorum ſuperiore fuit ſculptum ſuperliminare, atque hinc indè media poſtium pars; in inferiore autem ſculptum fuit limen inferius, atque hinc indè altera dimidia poſtium pars.

(ε) *Repetitur illud in Maſſech. Joma cap. 3. in Ghemara, ubi narratur miraculum illud. Et R. Eliezer iſthic vocat as illud ſplendens inſtar auris* קלוניתא. *Videtur legendum* קורינתא *pro* קורינתא, *h. e.* Corinthium; *Joſephus enim aſſerit fuiſſe ex ære Corinthio.*

(ζ) *Lev. 17. 27. Deus jubet ut feſto die Propitiationum Juvencus & Hircus, quorum ſanguis inferebatur in ſacrarium, extra caſtra comburerentur toti. Ubi Templum extructum fuit, mos inolevit ut comburerentur extra Jeroſolymam in monte Olearum (qui erat ab Oriente urbis) ex adverſo Portæ Templi, ut Sacerdos qui iſti rei vacabat poſſet indè videre quando ſummus Sacerdos inferret ſanguinem in ſacrarium, atque ex eo aſpergeret ante Arcam. Atque hic Maimonides rectè obſervat limen inferius portæ Templi altius fuiſſe duobus cubitis quàm eſſet limen ſuperius portæ Orientalis quæ* Suſan *dicebatur, quia ſolum Templi 22 cubitis excelſius fuit ſolo Septi exterioris in quo porta fuit Orientalis, Porta autem ipſa Orientalis alta fuit tantùm 20 cubitos; itaque per Portam illam non potuit Sacerdos ſtans in vertice montis Olearum videre ſummum Pontificem aſpergentem ſanguinem in Sanctuario: linea enim viſualis ab eius oculo tendens per ſuperliminare Portæ Orientalis non potuit tangere niſi gradum octavum graduum illorum qui erant in Veſtibuli porta. Itaque ut Sacerdos comburens juvencum poſſet videre Pontificem aſpergentem ſanguinem, neceſſe fuit ut murus portæ Orientalis impoſitus humilis eſſet: ſic enim fieri potuit ut* ממעל deſuper (par deſſous) *murum illum videret Pontificem aſpergentem. R. Schemaiah exponit hoc de muro* Chajil *qui ab Oriente erat, & quem ait fuiſſe cæteris humiliorem, & 10 cubitos tantùm altum, ut deſuper Sacerdos poſſet videre, &c.*

(η) *R. Schemaiah dicit ſe neſciſſe, an Exedræ illæ fuerint quadratæ, & habuerint in ſingula latera 40 cubitos; & notat Exedras quarum meminit Ezechiel latas fuiſſe tantùm 30 cubitos.*

(θ) *Maimonides & R. Schemaiah exponunt* fumoſa: קיטור *enim eſt* vapor inſtar fumi, *&* קטורת incenſum *ſic dicitur ob fumum quem emittit cùm incenditur. Atria autem illa dicuntur* fumoſa *quia (inquit R. Schemaiah) populi victimas iſthic coquebantur, unde fumus aſcendebat, ac propterea tecta non fuerunt Atria illa, ut fumus liberè exire poſſet, néve à fumo Atria denigrarentur. At Lxx legerunt eo loci apud Ezechielem* קטנות *h. e.* parva, *quæ lectio videtur melior & convenientior: ſenſus enim erit, Exedræ iſtas fuiſſe veluti totidem Atria parva in quatuor angulis majoris illius Atrii.*

(ι) חלק lævem & glabrum *ſignificat. Hoc ergò vult, Parietem illum initio fuiſſe planum, nullo ejuſmodi ambulacro ligneo veſtitum & veluti cinctum, quod poſtea infixis muro trabibus adjectum eſt. Vide eadem hæc repetita in Maſſech. Sota cap. 5. f. 91.*

(κ) *R. Schemaiah vocat illud* סיסטרא: *aliàs* נושרא *dicitur. Omnia videntur corrupta à Voce Græca* ζωσις cingulum: *erat enim ambulacrum illud circa Atrium veluti cingulum aliquod quo murus Atrii undiquaque intrinſecùs cingebatur.*

CAP. III.

SECT. I. Altare longum & latum fuit in quadrum 32 cubitos. Poſt cubitum unum altitudinis reducebatur (*introrſum*) cubitum unum; atque hoc illud eſt quod dicitur יסוד *fundamentum*: ità invenitur longum & latum 30 cubitos. Indè poſt 5 cubitos altitudinis reducebatur (*rurſus introrſum*) cubitum unum; atque hoc eſt quod dicitur סובב περίζωμα· ſic invenitur longum & latum 28 cubitos. Locus cornuum hinc (*reducebatur introrſum*) cubitum unum, atque indè cubitum alterum: ſic invenitur longum & latum 26 cubitos. Indè locus à pedibus Sacerdotum calcatus cubitum hinc unum, indè alterum (*rurſus reducebatur introrſum*) atque ſic invenitur locus המערכה *Foculi* longus & latus 24 cubitos. R. Joſe dixit, In principio nonniſi 28 cubitos longum fuit & latum, poſtmodúmque reducebatur ad eum quem expoſuimus modum, ità ut inveniretur locus Foculi longus & latus 20 duntaxat cubitos; verùm cùm filii Iſrael aſcenderunt à Captivitate, adjecerunt illi (*Altari*) quatuor cubitos à Septentrione & totidem ab Occaſu גמא כמן *ad inſtar foſſæ.* Dictum eſt enim (*Ezech. 43. 16.*) *Ariel longum & latum erit 12 cubitos, quadratum:* videtur innuere quòd nonniſi 12 cubitos longum & totidem latum eſſet: at cùm ſubjicit, על ארבעת רבעיו *verſùs quatuor latera ſua*, docet quòd à medio (*Altaris*) dimetiebatur 12 cubitos verſùs ſingula latera. Filum autem סיקרא *Sericum* purpureum cingebat Altare in medio, ad ſeparandum inter ſanguines ſuperiores & ſanguines inferiores. היסוד *fundamentum* protendebatur per totum latus Occidentale *Altaris*; ואוכל *ſed deficiebat* à Meridie cubitum unum, & ab Oriente cubitum alterum (*nempe in ipſo angulo Orientali Meridionali.*)

SECT. II. In Cornu Occidentali, Meridionali fuerunt duo foramina inſtar duarum narium exiguarum, per quæ ſanguis qui effundebatur in fundamentum Occidentale & Meridionale effluebat & miſcebatur in cubitali ſpatio (*in angulo poſito*) indéque effluebat in torrentem Cedron (*nempe per Cryptam ſubterraneam.*)

SECT. III. Infra illud Cornu in ipſo (*Atrii*) pavimento locus erat longus & latus cubitum unum, cum tabula marmorea deſuper, & annulo tabulæ infixo; atque per locum illum quadrum deſcendebant לשירת שיתין (*ſunt duo exigua foramina per quæ vinum libamixum defluebat in locum quendam ſubterraneum ſub Altari, qui ſimiliter dicebatur* שירת) in ſubterraneum foramen ſic dictum ſub Altari ad illud purgandum. Aſcenſus (*dictus* כבש) erat ad latus Meridionale Altaris longus 32 cubitos, latus 16, cum feneſtella ad latus ejus Occidentale, in quam conjiciebant immundas partes avicularum quæ pro peccato offerebantur.

SECT. IV. Lapides tum Aſcenſûs tum Altaris ipſius ſumi debent de valle vitibus conſita, in qua fodiunt ſub virgine tellure (*ſic vocatur terra quæ nunquam ab æterno tacta fuit à ferro*) atque indè educunt lapides integros, ſuper quos motum non fuit ferrum; nam ferrum vel ipſo tactu aut levi cæſurâ polluit rem omnem. Si in uno horum lapidum ſit vel minima cæſura (*à ferro*) pollutus eſt ille lapis, ſed reliqui ſunt legitimi. Dealbant autem lapides Altaris bis ſingulis annis, ſemel Paſchate, & iterum in feſto (*Tabernaculorum ſcilicet*;) Templum autem ipſum ſemel *duntaxat*, Paſchate *ſcilicet*, ſolent dealbare. Rab dixit, Veſperâ ſingulorum ſabbatorum dealbant Altare mappâ propter ſanguinem (*victimarum ſcilicet qui ad Altaris fundamentum effunditur.*) Calcem autem non illinunt cum trulla ferrea nè fortè *ferrum* tangat (*lapides*) & eos polluat; ferrum enim creatum eſt ad abbreviandos dies hominis, Altare autem creatum eſt ad producendam ejus vitam: non eſt autem æquum ut quod abbreviat moveatur ſuper illud quod producit (*vitam.*)

SECT. V. Annuli fuerunt ad Septentrionale Altaris latus; ſex fuerunt eorum ordines, quaterni autem in ſingulis ordinibus annuli. Sunt qui dicunt quatuor fuiſſe ordines, ſenos autem in ſingulis ordinibus annulos, ad quos *annulos religabant* mactandas victimas. Locus Mactatorum fuit etiam ad latus Septentrionale Altaris, atque in eo quinque fuerunt columellæ (*marmoreæ*) cum trabe cedrina earum capiti impoſita, cum uncinis ferreis ei infixis, eránteque tres hujuſmodi columnarum ordines,

atque

atque ex iis appendebant deglubendas (*victimas*) cum mensis marmoreis inter illos columnarum ordines.

Sect. VI. Mare æneum fuit inter Templi Vestibulum & Altare versùs Meridiem. Inter Vestibulum & Altare spatium fuit 22 cubitorum cum 12 gradibus, quorum altitudo & latitudo (*sive projectura*) fuit dimidii cubiti אמא רובר ג׳אמא אמה רובר שלשה &c. h. e. *cubitus, tum retractio trium cubitorum, cubitus, tum retractio trium* (cubitorum:) in supremo autem fuerunt bini cubiti, dein retractio 4 cubitorum. R. Jehuda dicit, In supremo fuerunt bini cubiti, retractio autem 5 cubitorum.

Sect. VII. Porta Vestibuli alta fuit 20 (*alia editio Misnæ habet* 40, *quod melius est*) cubitos, lata totidem. Quinque autem מלתראות *crassæ trabes* (*alia editio addit* של מילא, *quo notatur certa species arborũ, fortè à Græco* μῆλον pomus) supernè fuerunt illi impositæ; quarum infima excedebat Portæ *postes* hinc & indè cubitum unum, proxima illi trabs isti superimposita eam excedebat hinc & indè cubitum unum, atque ità invenitur suprema fuisse 30 cubitos longa: series autem lapidum interjecta fuit inter singulas trabes.

Sect. VIII. כלונסות של אבן *Retinacula* autem *lapidea* infixa erant muro Templi & muro Vestibuli, nè dissiliret (*murus.*) Catenæ autem aureæ pendebant de contignatione (*tecti*) Vestibuli, quibus juniores Sacerdotes ascendebant ut viderent coronas, (*Alia editio addit* שבחלונות quæ *erant* in fenestris.) Scriptum est enim (*nempe Zach.* 6.14.) Et coronæ erunt Helem & Tobijæ & Jedahiæ & Heno filio Sophoniæ in memoriale in Templo Domini. Vitis aurea superstabat portæ Templi ומודלה על גבי כלונסות & *innitebatur retinaculis illis* (lapideis.) Quisquis (*Templo*) vovebat (*aurum*) is (*ex eo*) vel folium vel granum (*seu acinum*) vel racemum fieri curabat, atque isthîc appendebat. R. Eliezer F. Tsadoc dixit, מעשה היה *factum est* semel ut 300 Sacerdotes (*Maimonides ait esse hyperbolen pro* multi) super eam numerarentur לפנתה ad eam expediendam vel removendam.

Cap. IV.

Sect. I. Porta Templi alta fuit 20 cubitos, lata 10. Quatuor fuerunt illi januæ ligneæ, duæ intrinsecùs, & totidem extrinsecùs; scriptum enim est *Duæ fores Templo & Sanctuario.* Exteriores fores aperiebantur intra Portam ad tegendam muri crassitudinem; interiores autem januæ aperiebantur intra ipsam Domum ad tegendam eã muri partem quæ erat à tergo januæ. Tota enim Domus obducta erat auro præterquam à tergo januæ R. Juda dicit, Valvas fuisse in medio Portæ וכמין אצטבאמיטה, replicatásque retrorsum, hinc duos cubitos cum dimidio, indéque duos cubitos (*pariter*) cum dimidio, híncque postis Portæ dimidium cubitum, & indè postis Portæ alterum dimidium cubitum (*occupabat,*) juxta illud quod scriptum est Ezech. 41.24. Duæ fores erant cujìlibet valvarum, duæ, inquam, plicatiles fores, duæ uni valvarum, & duæ (*aliæ*) fores alteri valvarum.

Sect. II. Duo ostiola fuerunt Portæ illi majori, unum quidem à Septentrione, alterum verò à Meridie. Per illud quod fuit à Meridie nemo unquam ingressus est, atque de illo intelligi debet id quod scripsit Ezechiel (*cap.* 44. 2.) *Et dixit mihi Dominus, Porta ista clausa manebit, non aperietur, nec ullus per eam ingredietur, quia Dominus Deus Israel per eam ingressus est.* Accipiebat clavem (*Sacerdos*) & aperiebat ostiolum (*Septentrionale scilicet*) & ingrediebatur in Cellam, & ex Cella in Templum. R. Juda dicit, In ipsa crassitudine muri erat via per quam ibat *Sacerdos*, donec perveniret & staret inter duas januas, aperiebátque valvas exteriores ab interiore parte, & interiores ab exteriore parte.

Sect. III. Triginta octo Cellæ isthîc fuerunt, nempe 15 à Septentrione, totidem à Meridie, octo ab Occasu. Quæ à Meridie & Septentrione fuerunt (*ità erant dispositæ*) ut quinque (*h. e. tria erant Cellarum tabulata & in unumquoque tabulato fuerunt quinque Cellæ*) essent super alias quinque, & rursùs super istas aliæ quinque; ab Occasu autem tres fuerunt super tres alias, duæ denique aliæ super istas. [*Villalpandus Tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 4. *cap.* 26. *hunc Talmudis locum accipit non de quibuslibet Cellis quæ erant circa Sanctuarium, sed solummodo de illis duabus quæ erant utrinque à lateribus Vestibuli Templi* (*quas vocat* Mutatoria.) Habet, *inquit*, utrumque hoc cubiculum terna ostia, ad Atrium unum, alterum ex adverso hujus ad Vestibulum Templi, & tertium quo ad interiora cubicula patebat introitus: neque enim ad ea aliâ poterant ingredi viâ quàm per hæc cubicula anteriora in angulis constituta Orientalibus, Meridiano & Aquilonari. *At cap.* 28. *aliam proponit hujus loci expositionem, quam rejicit ac refellit. Eam refert Clarius Brixiensis*, Ex quo, *inquit Clarius*, facilè colligitur unumquodque cubiculum tria ut minimùm habuisse ostia, duo ad cubicula hinc atque hinc adjecta proximè, & tertium sursùm versùs ad superius cubiculum per Cochleam; nam ab infimo in medium & à medio in supremum ascensus per Cochleam patuit. *Duo quidem ostia in singulis cubiculis admittit Villalpandus, sed tertium per Cochleam in superius tabulatum rejicit, quia una erat Cochlea, juxta verò illam expositionem singula singulis cubiculis tribuuntur Cochleæ.*] Tres Portæ fuerunt singulis Cellis, una quidem in Cellam dextram, altera in Cellam sinistram, tertia denique in Cellam superioris sibi tabulati. In Cornu autem (*h. e. in prima Cella infimi tabulati quæ erat in angulo Templi Septentrionali Orientali*) Septentrionali Orientali quinque fuerunt Portæ, una in Cellam dextram, altera in Cellam sibi superiorem, tertia in Cochleam, quarta in ostiolum, quinta in Templum.

Sect. IV. Inferioris *Tabulati Cellæ latæ fuerunt* quinque *cubitos*, contignatio verò earum *superior lata fuit* sex (*cubitos*) medii *tabulati Cellæ lata fuerunt* sex *cubitos*, contignatio earum *superior* septem, superioris *tabulati Cellæ lata fuerunt* septem *cubitos*, scriptum enim est (1 Reg. 6.6.) Tabulatum inferius fuit quinque cubitos latum, medium sex cubitos latum, tertium septem cubitos latum.

Sect. V. Cochlea (*vel potiùs Scala*) ascendebat à cornu (*h. e. angulo*) Orientali Septentrionali ad cornu Septentrionale Occidentale, per quam ascendebant in tectum Cellarum. Qui ascendebat per ejus gradus faciem obvertebat ad Occasum, & percurrebat latus Septentrionale donec perveniret ad Occidentalem (*Templi*) partem; tum vertebat se ad Meridiem, & percurrebat latus Occidentale, donec perveniret ad latus Meridionale, quò ubi pervenerat faciem obvertebat ad Orientem, & percurrebat latus Meridionale donec perveniret ad Portam tabulati superioris Templi, quæ Porta erat ad latus Meridionale. Atque in Porta tabulati illius erant duo כלונסות cedrina per quæ ascendebatur in tabulati tectum, & in eorum summo erat lorica quæ dividebat in tabulato locum Sanctum à Sancto sanctorum; & in tabulato לולין *cataractæ* (*Maimonides exponit* לול pro פתח קטן) erant apertæ in Sanctum sanctorum, per quas catenis in arcula conclusos demittebant artifices (*seu operarios*) ut nè oculi eorum יונו *pascerentur aspectu* Sancti sanctorum.

Sect. VI. Templum longum, latum & altum fuit 100 cubitos; האומם altum fuit 6 cubitos, tabulatum inferius 40 cubitos, כיור cubitum unum, בית דילפא cubitos duos, תקרה tabulati trabes cubitum unum, מעובד lutamentum cubitum unum, secundum tabulatum altum 40 cubitos, rursus כיור cubitum unum, בית דילפא duos cubitos, tabulati trabes cubitum unum, lutamentum cubitum unum, peribolus tres cubitos, כלה עורב *arcicorvus* cubitum unum. R. Juda dicit arcicorvum non venire in mensuram (*altitudinem scilicet Templi,*) sed peribolum fuisse quatuor cubitorum.

Sect. VII. Ab Oriente in Occidentem 100 cubiti; nempe murus Vestibuli (*crassus fuit*) 5 cubitos, Vestibulum ipsum latum 11 cubitos, murus Templi crassus 6 cubitos, Locus Sanctus 40 cubitos, מרקסין cubitum unum,

Sanctum

Sanctum ſanctorum 20 cubitos. Murus Templi 6 cubitos, Cella 6 cub. Murus Cellæ 5 cubitos. A Septentrione in Meridiē *(latum fuit Templū à tergo)* 70 cub. *(nempe ſic)* Murus Scalæ 5 cubitos, Scala 3 cubitos, Murus Cellarum 5 cub. Cellæ 6, Murus Templi 6 cubitos, Templum latum 20 cub. Murus Templi 6 cub. Cellæ 6. cub. Murus Cellæ 5 cub, Scillicidii locus 3 cub. murus ipſius 5 cubitos. Veſtibulum excedebat illam *(Templi latitudinem)* 15 cubitis à Septentrione, & totidem à Meridie, & hoc illud eſt quod vocabatur בית החיל פוח *domus cultrorum*, quia iſthic recondebant cultros *(mactatorios ſcilicet.)* Templum itaque anguſtius fuit à tergo quàm à fronte, qua in re ſimile fuit leoni, ſcriptum nempe eſt, *Va Arieli civitati in qua caſtrametatus eſt David.* Qualis eſt Leo? Anguſtus à tergo, latus verò à fronte: ſic etiam Templum anguſtum erat à tergo, latum verò à fronte.

CAP. V.

SECT. I. Totum *Templi* Atrium longum fuit 187 cubitos, latum verò 135. Ab Oriente *inquam* in Occidentem fuerunt 187 cubiti; nempe locus qui à pedibus Sacerdotum calcabatur *(latus erat)* 11 cubitos, Altare 32 cub. inter Altare & Veſtibulum 22 cub. Templum *(longum)* 100 cubitos, locus autem qui fuit poſt domum Propitiationis latus erat 11 cubitos.

SECT. II. A Septentrione in Meridiem *Atrium latum fuit* 135 cubitos, nempe Aſcenſus & Altare *occuparunt in longitudinem* 62 cub. Ab Altari ad locum Annulorum 8 fuerunt cubiti. Locus Annulorum latus 24 cub. Ab Annulis ad Menſas 4 cub. A menſis ad Columellas 4 cub. A Columellis ad murum Atrii 8 cubiti; quod verò reliquum eſt de numero, fuit inter Aſcenſum & murum Atrii, item locus Columellarum.

SECT. III. Sex Exedræ fuerunt in Atrio, tres nempe à Septentrione, totidem à Meridie. Exedræ quæ fuerunt à Septentrione ſunt hæ, Exedra מלח *ſalis*, Exedra הפרוה, Exedra המריחין. Exedra Salis ea fuit in qua reponebatur Sal ad oblationes: Exedra הפרוה ea eſt in qua ſale condiebant *(ſeu parabant)* pelles victimarum; ſupra cujus tectum fuit בית הטבילה *locus ablutionis* Pontifici maximo die feſto Propitiationum. In Exedra המריחין lavabant & purgabant inteſtina Victimarum, atque ex ea per Cochleam aſcendebatur ſupra tectum Exedræ הפרוה.

SECT. IV. *(Exedra)* quæ fuerunt à Meridie *(hæ ſunt,)* Exedra העץ *lignorum*, Exedra הגולה, Exedra הגזית. Et ad Exedram quidem *Lignorum* quod attinet, R. Eliezer F. Jacob dicit, Oblitus ſum quis eſſet ejus uſus; ſed Aba Saul dicit, Erat Exedra ſummi Sacerdotis, erátque à tergo reliquarum duarum, & tectum trium illarum erat æquale. In Exedra הגולה fuit בור הגולה *(Alia editio legit* קבוע, *h. e.* certa, fixa) *ciſterna ſcaturiginis*, cum rota deſuper, atque indè ſufficiebant aquam toti Atrio. In Exedra הגזית habebatur Synedrium magnum Iſraelis, quod ſedens judicabat de Sacerdotibus. Sacerdos qui inveniebatur פסול *illegitimus*, pullam veſtem induebat, & involvebat ſe pullâ veſte, atq; ſic abibat; qui verò non inveniebatur eſſe פסול *illegitimus*, induebat candidam veſtem & candidâ amiciebatur, ingrediebatur Atrium & miniſtrabat cum fratribus ſuis Sacerdotibus. Porrò 19 faciebant ut nè inveniretur פסול *illegitimus* in Aharonis Sacerdotis ſemine, atque ſic dicere ſolebant, Benedictus ſit Dominus quòd non inventus eſt פסול *illegitimus* in Aharonis ſemine, & benedictus ſit Dominus eò quòd elegit Aharonem & filios ejus ad ſtandum & miniſtrandum coram facie ſua in domo Sanctuarii ſui.

Contenta Libro præcedenti L. Cappelli de Templo Hieroſolymitano hæc ſunt.

Præfatio ad Lectorem, col. 3718

I. Templi Hieroſolymitani Delineatio ex Scriptura, juxta mentem Villalpandi, col. 3723

Annotata ad cap. 46 Ezechielis, 3723
Altare Æneum, 3724
De Æneis Columnis, 3729
De Columnarum Altitudine, 3730
De Columnarum Craſſitudine ſive Perimetro, ib.
De Columnarum Contractione, 3732
De Columnarum adjectione, ſive Striis, ib.
De Trabeationibus, ſivè Coronis, 3733
Symmetria Architecturæ ſacræ, 3734
De Pediolo, 3736
Tabula partium Trabeationis, ib.
De Symmetria, ſive proportione partium Ædificii, 3738
De Templi Admirandis, ib.
Templi Salomonici Vaſa ex Joſepho, 3739
Davidis Theſaurus Salomoni relictus, 3742
Templi Subſtructiones, 3746
Columnæ, 3747
Fenestræ, 3748
Peribolus, Via, Porticus, & Atrium Gentium, ib.
Atrium Iſraelis, 3749
Area, Porticus & Caſtella, ib.
Portæ, 3750
Domus Dei, ib.
Cubicula, 3751
Aula, ib.
Operariorum Numerus, 3753
Operariorum Cibaria, 3754
Operariorum Merces & Salarium, 3755
Reditus Salomonis annui, 3759
Salomonis Frumentatio, 3767
Unde David tantam Auri ſummam collegerit, 3776
Templi aliorúmque Salomonis vel Davidis Ædificiorum cum Græcorum, Romanorum, Ægyptiorum, Babyloniorum, Perſarúmq; ſplendidiſſimis ac magnificentiſſimis Collatio, 3790

II. Templi Hieroſolymitani Situs, Forma, Structura atque Delineatio ex Joſepho, 3807

Antonia Arx, 3811
In Templi Hieroſolymitani Deſcriptionem à Joſepho factam Obſervationes, 3814
Totius Templi Longitudo & Latitudo, ib.
Utriuſque Septi Dimenſiones, ib.
Exedræ Septi interioris, 3814
Columnæ Templi, earum Numerus & Columnationis ratio, 3815
Portarum Templi Numerus & Menſura, 3817
Gradus Templi, 3821
Templi propriè & ſtrictè dicti Dimenſiones, 3822
Veſtibuli Templi Dimenſiones, 3825
Templi qua & quanta fuerit Altitudo & Amplitudo, 3826
Cellarum circa Templum Dimenſiones & Numerus, 3831
Templi Dimenſionum juſta & conveniens Symmetria atque Proportio, 3834
De Templi Cochleis, 3836
De Templi ſitu ſive poſitu ratione plagæ Cœli, 3837
Atrii Sacerdotum Diſpoſitio, ib.
Ara ſive Altare Holocauſtorum, 3840

III. Templi Hieroſolymitani Delineatio ex Judæorum in Talmude Deſcriptione, 3845

Templi Hieroſolymitani Forma, Figura, &c. Excerpta ex Miſna in Maſſechth תמיד, ib.
De Templi Hieroſolymitani Structura atque Delineatione, Excerpta ex Maimonide, Tract. de Domo Electa, 3852
Tractatus Talmudis qui מדות *dicitur, eſtq; de Templi Salomonici Menſuris, &c. Latinè redditus, cum L. Cappelli Notis*, 3860

HISTORIA APOSTOLICA ILLUSTRATA,

Ex Actis Apostolorum & Epistolis Paulinis, studiosè inter se collatis, collecta ordinéque secundùm annorum numerum accuratè digesta, & in compendium contracta, ejúsque cum historia exotica connexio certis χειμείοις demonstrata.

Unà cum veræ Epistolarum Paulinarum (juxta temporis quo singulæ sunt scriptæ ordinem) seriei historica demonstratione.

His additum est Historiæ Judaicæ, ab Asamonæorum sive Machabæorum tempore ad Hierosolymorum & Templi per Titum Vespasianum ultimum excidium, breve ex Josepho compendium, unà cum aliis nonnullis ex eodem Josepho excerptis, Templíque Hierosolymitani, quale Josephi tempore fuit, ex ipsius mente & descriptione Ichnographia.

Unde variis N. Testamenti locis alioqui obscuris & perplexis lux aliqua affulget.

Omnia studio & operâ LUD. CAPPELLI, Linguæ Hebraicæ & S. Theol. in Acad. Salmur. Professoris, collecta.

Doctrinâ & Pietate insigni Viro,

DN. JOH. DAILLÆO,

Ecclesiæ Parisiensis reformatæ Pastori dignissimo,

S. P. D. LUD. CAPPELLUS.

EGO semper mihimet ipse diffisus, ut scis, Vir Doctissime, aliorum malui de me meísque audire atque exquirere sententiam. Cùm itaque ante annos XIII hanc nostram Historiolam delineassem tantùm, sine ullis χειμείοις atque characterismis quibus eam postea confirmavi, eámque sic crassè rudiúsque delineatam ad fratrem JAC. CAPPELLUM, (τὸν μαθητὴν) virum in hoc scribendi genere exercitatissimum, hinc Sedanum misissem, probavit ille quidem consilium meum, sed dissensum suum in particulari rerum quæ gestæ narrantur per singulos annos assignatione mihi indicavit, missâ ad id brevi Chronologicâ rerum illarum quam concinnaverat Tabulâ, ad cujus imitationem nos nostram postmodum confecimus. Illam cùm accepissem omni demonstratione nudam, expendi, ut potui, accuratissimé: sed cùm eam non invenirem cum Characterismis nostris convenire, neque quadrare cum χειμερίοις illis quibus historiæ nostræ compages tota nititur, etsi ego sanè meritò, ut debeo, multum tanti Viri, mihíque conjunctissimi, autoritati & sententiæ tribuerem, non potui à me impetrare ut sine certa demonstratione illius sententiæ ultro solâ ejus autoritate motus accederem, & à mea discederem. Itaque totâ re diligentiùs ex illa occasione discussâ, eóque magìs in sententia mea confirmatus, primam illam historiæ nostræ delineationem auxi tum characterismis, quibus eam comprobo, tum Epistolarum Paulinarum historicâ serie, tum denique compendio historiæ Judaicæ & excerptis è Josepho; nè sola Historiæ Apostolicæ

Apostolicæ compendiosa delineatio ipsâ molis suæ exilitate contempta jaceret. Eam itaque sic adornatam, ut eam jam damus, olim hîc Collegis meis plurimùm honorandis communicavi, quorum alter jam fato functus, vir prudentissimus & consultissimus, non improbavit, alter & probavit, & pro suo in nos affectu laudavit etiam. Horum suffragiis audacior factus tuam etiam, licèt longiùs positi, sententiam expetivi: tu verò non contentus modò calculo tuo eam comprobare, voluisti etiam aliorum, in hoc Scripti genere bene versatorum, de ea habere & ad nos perscribere judicium, nimiùm equidem & supra exspectationem nostram favorabile. Quorum omnium judicio factus confirmatior, Amico postmodum eam ad prælum exposcenti non dubitavi mittere, & fidei illius totum, quicquid illud est, concredere. Cui autem opellam hanc nostram inscriberem, non putavi diutiùs mihi esse deliberandum; statim enim tu mihi occurristi, Amicorum integerrime (sic enim liceat mihi, quanquam fortè nimis familiariter, amicè te compellare) qui præcipuus mihi autor fuisti eam edendi. Accipe itaque illam amoris nostri, & illius quam tuæ pietati, doctrinæ & eruditioni singulari meritò debeo, observantiæ certam atque indubitatam tesseram, nósque, ut facis, tui amantes perge redamare. Dabam è Musæolo nostro Salmurii M.DC.XXXIII.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

DUÆ sunt Verbi Dei, in S. Scriptura nobis traditi, veluti partes; altera δογματική, quâ præcepta vitæ fideique dogmata ad salutem necessaria traduntur; altera ἱστορική, quâ Ecclesiæ historia, origo, progressus, constantia, varii casus, Dei circa eam singularis cura & admirabilis providentia adversùs omnes hostium ipsius impetus, nobis narrantur atque exponuntur. Utraque summopere utilis & necessaria, utraque etiam, in iis quæ omnibus sunt scitu necessaria, aperta satìs, facilis & perspicua, ità ut vel ab ipsis idiotis capi & intelligi ad salutem abunde possit. Sed & in utraque parte, tam ἱστορικῇ, inquam, quàm δογματικῇ, cùm singula penitiùs inspiciuntur, & pensiculatiùs omnia examinantur, non pauca inveniuntur obscura, perplexà, difficilia, intricata, imò verò & ἄποροι atque δυσκατάληπτα nonnulla, quæ etiam doctissimorum atq; in Scripturis exercitatissimorum ingenia exercere, adeóque & aliquando torquere & angere possint. Atque in his explicandis, illustrandis, enodandis & enucleandis laborare pro virili, próque modulo sibi Divinitus indulto incumbere, pii quique debent, ut quantum fieri id potest, & humana fert atque patitur infirmitas, omnia sint in Scriptura S. plana & expedita, nihil sit quod studiosum ejus Lectorem remorari aut offendere possit.

Porrò Historia S. vel in V. vel in N. habetur Testamento. Novi autem Testamenti historia vel est, ut ità dicam, *Euangelica*, quæ Christi vitam, mortem, dicta, facta, résque gestas nobis enarrat; vel est *Apostolica*, quæ Ecclesiæ Christianæ primam originem, & veluti jacta fundamenta, nonnullorúmque Apostolorum qui in fundamentis illis jaciendis potissimùm præ reliquis laborarunt, historiam résque gestas complectitur. Illa in quatuor Euangeliis habetur; hæc Actuum Apostolicorum libro continetur. Atque in historia quidem Euangelica ex quatuor Euangelistis artificiosè in unum concinnanda, quatuórque sacris illis vitæ Christi scriptoribus, & veluti Actuariis, inter se componendis, eorúmque φαινομέναις διαφωνίαις conciliandis, alii feliciter laborarunt, ut ad majorem rei illius illustrationem frustraneus videri possit novus labor; quanquam non pauca fortè adhuc supersunt quæ ampliorè egere videantur elucidatione, sed ea nos jam non attingimus. Apostolica autem historia tam brevis & plena est, ut illustratione non magnopere egere videatur, maximè post tot doctissimorum virorum scripta & Commentaria, quibus & totum N. Testamentum in genere, & in specie liber Actuum Apostolicorum illustratus est, ut actum agere videri quis possit qui aliquid jam post tantos viros dicere aut scribere eadere aggrediatur. Verùm etsi nihil dici aut observari posset quod non priùs dictum fuerit & observatum; at dici tamen aliter potest, & quæ hîc & illic apud multos sparsa sunt, in unum colligi; & brevi quâdam veluti tabellâ proponi possunt, ut uno quasi obtutu conspici queant. Mihi sane animus non est undique corradere & in unum congerere quicquid ubique alii in historiam Apostolicam commentati sunt; nam quantæ id molis esset? quanti laboris? Hoc unum mihi hîc propositum fuit, seriem historiæ illius Apostolicæ, quæ ex solo N. Test. haberi potest (Ecclesiasticam enim non attingo) aptè & breviter, prout res ordine gestæ sunt, disponere; quæ in Epistolis Paulinis hîc & illic sparsa sunt historica, ea suo quæque loco inserere; quæ perplexa, intricata & obscura in historiæ serie videntur (nam & hîc suas habet interdum spinas Scriptura S.) ea pro virili explicare & extricare; Sacram illam historiam cum exotica, sive Romana, connectere; connexionis rationem variis adductis characterismis & κριτηρίοις reddere, quibus ille nexus demonstretur; seriem Epistolarum Paulinarum, pro temporis quo singulæ scriptæ sunt ordine, diligenter indagare, atque uti potuimus demonstrare & rationibus comprobare, utpote quòd ista observatio ad ipsarum Epistolarum infinitis in locis certiorem intelligentiam non parùm conducat. Quibus subjunxi nonnulla quæ ex Josepho seligere, excerpere, brevitérq; contrahere visum est, quæque non parùm facere videntur ad historiæ tum Euangelicæ tum Apostolicæ illustrationem & confirmationem: qualis est primùm

mùm Tabula Genealogica ſtirpis totiúſque familiæ Herodis, deinde ſeries ſummorum Pontificum Judaicorum ab Herode ad everſum Templum, ut & Præſidum ſive Proconſulum Syriæ, & Procuratorum Judææ; breve denique compendium hiſtoriæ Judaicæ à Machabæis ad Jeroſolymorum, Templi, totiúſque Judaicæ Reip. everſionem per Titum Veſpaſianum, tum etiam Judææ præcipuarúmque ejus partium limites, confinia; & deſcriptio Hieroſolymæ, & Templi delineatio ac veluti ἰχνογεαφία, quæ omnia non exiguam lucem afferunt Sacræ N. Teſtamenti hiſtoriæ. In his omnibus conquirendis, digerendis atque diſponendis ſiquid peccavi, & imprudens lapſus & deceptus ſum, id æquus Lector ſpero condonabit, & humanæ illud dabit infirmitati, ſtudium ſaltem & propoſitum noſtrum non improbabit, cùm hoc unum hîc ſpectaverim, ut lucem aliquam illis qui Sacræ N. Teſtamenti hiſtoriæ ſtudioſi ſunt, affunderem. Quod ſi aſſecutus fuero, amplum operæ noſtræ & otii in id inſumpti præmium & mercedem reportaſſe mihi videbor; ſi minùs, aliis fortè anſam & occaſionem præbuero majus aliquid & feliciùs in eam rem tentandi.

HISTORIÆ APOSTOLICÆ Compendioſa Chronologica Tabula.

Olympiad.	Anni V.C.	Æræ Chriſti receptæ	Anni Auguſti	
	751.		41.	Johannes concipitur.
	752.		42.	CHRISTUS naſcitur.
				TIBERII
	781.	27.	15.	Johannes incipit prædicare.
202.	782.	28.	16.	CHRISTUS à Johanne baptizatur annos natus XXX.
	783.	29.	17.	CHRISTUS munere ſuo fungitur, & (ut loquitur Daniel cap. 9. 27.) fœdus multis confirmat, per dimidiam hebdomadem, h.e. per annos tres cum dimidio, nempe à ſuo Baptiſmo ad mortem uſque Crucis.
	784.	30.	18.	
	785.	31.	19.	
203.	786.	32.	20.	CHRISTUS in media hebdomade exſcinditur Cruci affixus à Pilato, Spiritum etiam Paracletum L pòſt die in Apoſtolos ſuos ſolenni Pentecoſtes die feſto mittit. Unde initium & originem ſuam ducit Eccleſia Chriſtiana.
	787.	33.	21.	Petrus & Johannes claudum ad Templi portam jacentem ſanant.
	788.	34.	22.	Fideles ditiores bona ſua divendunt, pretium ad Apoſtolos deferunt. Ananias & Sapphira à Petro ſolo verbo exanimantur.
	789.	35.	23.	Aucto fidelium numero ſeptem Diaconi ab Apoſtolis ſacræ pecuniæ diſtribuendæ ſunt conſtituti.
				CALIGULÆ
204.	790.	36.	1.	Stephanus martyrio coronatur, Eccleſia à Saulo devaſtatur.
	791.	37.	2.	Philippus Samaritanos ad fidem Chriſti convertit; Eunuchum baptizat, Azoti & Cæſareæ annunciat Euangelium.
	792.	38.	3.	Paulus ad Chriſtum convertitur, Damaſco in Arabiam proficiſcitur, atque iſthic triennium prædicat Euangelium.
	793.	39.	4.	Petrus Eccleſias Judææ & Galilææ luſtrans, Lyddæ Æneam ſanat, Joppæ Tabitham excitat, Cæſareæ Cornelium cum familia ad Chriſti fidem convertit. Eccleſiæ Chriſtianæ prima Antiochiæ jaciuntur fundamenta.
				CLAUDII
205.	794.	40.	1.	Jacobus Johannis frater ab Herode (h.e. Agrippa) interficitur. Petrus ab eo in vincula conjectus ab Angelo liberatur. Jacobus frater Domini præcedenti Jacobo ſufficitur.
	795.	41.	2.	Paulus ex Arabia Damaſcum repetit. Indè venit Jeroſolymam ἱστορῆσαι Πέτρον. Hinc Tarſum, mox Antiochiam petit accerſitus à Barnaba, qui Antiochiam ab Apoſtolis miſſus fuerat.
	796.	42.	3.	Paulus Antiochiæ annum unum prædicat Euangelium, unà cum Barnaba.
	797.	43.	4.	Eleemoſynas fidelium Antiochiâ Jeroſolymam defert, ob famem ab Agabo prædictam. Indè reverſus Antiochiam, mittitur cum Barnaba ad prædicandum per Aſiam Euangelium.
206.	798.	44.	5.	Hoc & præcedente anno annunciat Chriſtum in Cypro, Pamphylia, Piſidia, Iconio, Lyſtris, Derbæ, redítque indè Antiochiam.
	799.	45.	6.	Antiochiâ mittitur Jeroſolymam ad Concilium cum Barnaba. Indè reverſus Antiochiam, Petrum paulò pòſt eò profectum reprehendit de ſimulatione. Mox cum Sila in Aſiam proficiſcitur ad confirmandas Eccleſias antea à ſe fundatas.
	800.	46.	7.	In Creta Chriſtum annunciat: per Piſidiam, Pamphyliam & Phrygiam Eccleſias luſtrat, & Galatas Chriſto lucrifacit.
	801.	47.	8.	Venit Troadem, atque indè in Macedoniam, ubi Philippis, Theſſalonicæ, Bereæ, atque indè Athenis Chriſtum annunciat.

Corinthum

Olympiad.	Anni V. C.	Æræ Christi receptæ	Claudii	
207.	802.	48.	9.	Corinthum venit ſub finem hujus anni, ubi Aquilam & Priſcillam offendit, quibuſcum ſeſquiannum Corinthi commoratur, prædicans Euangelium, indéque ſcripſit utramque ad Theſſalonicenſes Epiſtolam.
	803.	49.	10.	
	804.	50.	11.	Corintho Epheſum cum Aquila & Priſcilla venit, quibus iſthîc relictis Jeroſolymam excurrit ad feſtum. Indè Antiochiam & Epheſum, per Phrygiam & Galatiam, Aſiæ ἐπιστηρίξων καὶ μάθων, properè repetit.
	805.	51.	12.	Epheſi manet biennium ad tumultum uſque Demetrianum. Hinc Epiſtolas ad Galatas & ad Corinthos priorem, & ad Titum ſcribit, ſed ſub finem anni ſequentis, ut & priorem ad Timotheum.
208	806.	52.	13.	Sub finem hujus anni, vel initio ſequentis, venit in Macedoniam atque Achaiam, ad Collectas recipiendas, Jeroſolymam poſtmodum deferendas. Atque iſthîc Corintho ſoluturus in Aſiam, ad Romanos Epiſtolam ſcribit ſub finem ſequentis anni.
	807.	53.	14.	Sub anni hujus finem Jeroſolymis conjicitur in vincula. Captivus à Felice per biennium Cæſaræ ſervatur.
			Neronis.	
	808.	54.	1.	
	809.	55.	2.	Paulus à Feſto vinctus Romam mittitur ſub finem hujus anni, ubi in vinculis per biennium detinetur.
209.	810.	56.	3.	Romæ in vinculis conſtitutus Paulus ad Epheſios, Philippenſes, Coloſſenſes & Philemonem ſcribit.
	811.	57.	4.	Sub hujus anni finem videtur Paulus vinculis fuiſſe liberatus, indéque profectus Græciam & Aſiam repetiviſſe, atque Eccleſias iſthîc à ſe conſtitutas confirmaſſe per annos quinque vel ſex.
	812.	58.	5.	
	813.	59.	6.	
210.	814.	60.	7.	
	815.	61.	8.	
	816.	62.	9.	
	817.	63.	10.	
211.	818.	64.	11.	Paulus Romæ martyrium feciſſe dicitur, tum cùm Nero, poſt incenſam Romam, Chriſtianos quaſi id ſcelus patraſſent, ſupplicio juſſit affici, quæ perſecutio facta fuit anno Neroni undecimo. Iſthîc paulò ante Martyrium poſteriorem ad Timotheum ſcripſit Epiſtolam.

JACOBI CAPPELLI compendioſa in Apoſtolicam hiſtoriam Chronologica Tabula.

Olymp.	Tiber.	Æræ Chriſti	Urb. Cond.	Matth.	Marc.	Luc.	Joh.	
	15.	28.	781.	III.1.	I.1.	III.1.		Johannes incipit prædicare anno Tiberii XV.
202.	16.	29.	782.	III.13.	I.9.	III.21.	I.15.	Chriſtus baptizatus annos 30 natus. Luc.3. 23.
	17.	30.	783.	IV.12.	I.14.	IV.5.	I.29.	Incipit prædicare.
						II. 13.		Primum poſt Chriſti Baptiſmum Paſcha.
	18.	31.	784.	IX.1.	II.1.	V.1.	V.1.	Chriſtus ſanat paralyticum. II poſt Chriſti Baptiſmum Paſcha notatur. Joh. 4. 35. & 5. 15.
	19.	32.	785.	XIV.15.	VI.30.	IX.15.	VI.4.	Chriſtus quinque panibus V^M hominum nutrit pergens ad III à ſuo Baptiſmo Paſcha.
203.	20.	33.	786.	XVII.14.	IX.14.	IX.51.	XI.1.	Chriſtus ad IV à ſuo Baptiſmo Paſcha pergens Lazarum excitat, Paſchalem agnum edit Lunâ XIV. Luc.22.7. poſtridie crucifigitur feriâ ſextâ Matt.27.62. Mar.15.42. Luc.23.54. Joh.19.31. Id ſub Pilati Præfectura contingere non potuit niſi hoc anno, quo Luna XV. ſive Plenilunium incidit in Aprilis tertium. Quæ tum contigit Eclipſis Solis, hanc Phlegon apud Euſeb. notat contigiſſe 4 Olymp. CCII anno, exeunte ſcil.

Olymp.	Tiber.	Æræ Chriſti	Urb. condit.	Actor.	
	21.	34.	787.	III.1.	Petrus ſanat claudum.
	22.	35.	788.	IV.1.	Bona ſua vendentium oblationes excipit.
	23.	36.	789.	V.1.	Ananiam & Sapphiram percutit. Cùm autem Tertullianus in Apologetico teſtetur Tiberium dira ſupplicia comminatum accuſatoribus Chriſtianorum, hinc colligimus non ante Tiberii mortem contigiſſe perſecutiones quæ narrantur Act. 5. 18. & deinceps.
	Caligulæ.				
204.	1.	37.	790.	V.17.	Apoſtoli in carcerem conjiciuntur & liberantur.
	2.	38.	791.	VI.1.	Apoſtoli Diaconos ſeptem inſtituunt.
	3.	39.	792.	VIII.3.	Paulus convertitur, Damaſci prædicat Euangelium, fugere cogitur, triennium in Arabia commoratur. Gal. 1.18.
	4.	40.	793.	VIII.14.	Petrus mittitur Samariam.
	Claudii.				
205.	1.	41.	794.	IX.31.	Petrus it Lyddam. Imp. Caio Caligulæ ſuccedit Claudius.
	2.	42.	795.	X.1.	Petrus Cornelium baptizat. Paulus Hieroſolymam venit, Act. 9.26. in cœlum raptus Act.22. 18. annis 14 antequam ſcriberet ſecundam ad Corinthios Epiſtolam, ut ipſe docet 2 Cor. 12.2. It Cæſaream, indè Tarſum, Act. IX. 30.

Olympiad.	Claudii.	Æræ Christi.	Urb. cond.		Actor.
	3..	43.	796.	xi.25.	Paulus Tarso deducitur Antiochiam.
	4.	44.	797.	xii.30.	Mittitur Hierosolyma, laturus eleemosynas, revertitur Antiochiam, Act. 12. 25. Jacobus ab Herode necatur, Act. 12.1.
206.	5.	45.	796.	xv. 1.	Paulus rursus Hierosolyma mittitur ad Concilium.
	6.	46.	799.	xvi.1.	It Derben & Lystram.
	7.	47.	800.	xvi.6.	It in Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Troadem.
	8.	48.	801.	xvi.9.	It Samothracen, Neapolin, Philippos. Hinc Illyricum petit. Rom. 15. 29. unde forsan rediit Philippos.
207.	9.	49.	802.	xvii.1.	It Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, Beroeam, Athenas.
	10.	50.	803.	xviii.1.	It Corinthum, ibi scribit 1 ad Thessal. per eos qui Corinthum reduxerant Silam & Timotheum. Comperit Judæos ex Italia pulsos. Act. 18. 2.
	11.	51.	804.	xviii.11.	Manet Corinthi sesquiannum.
	12.	52.	805.	xviii,18.	It Cenchreas, Ephesum, Cæsaream, Hierosolyma, Antiochiam, ubi Petrum redarguit anno xiv. post suam conversionem, Gal. 2.
208.	13.	53.	806.	xix.1.	It Ephesum.
	14.	54.	807.	xix.10.	Manet Ephesi biennium.
Neronis.					
	1.	55.	808.	xix. 21.	Mortuo Claudio, qui Judæos expulerat ex Italia, tum demum de Roma petenda cogitat Paulus, ídque Romanis scribens salutat familiam Narcisci (Rom. 16. 11.) qui mortuus est eodem quo Claudius anno, teste Tacito. Scribit & ad 1 Cor. Epistolam.
	2.	56.	809.	xx. 1.	It in Macedoniam, ibíque scribit 1 ad Tim. 2. ad Cor. In Græciam iturus transit per Cretam, ibíque relinquit Titum, Tit. 1. 5.
209.	3.	97.	810.	xx. 3.	Redit in Macedoniam, ibi scribit ad Titum. Philippis exit post Nisan xii. Troadem venit quinto pòst die. Septiduum exspectat ad feriam usque primam incidentem in Ijar II. April. xxiv. It Hierosolyma, ibíque capitur, Cæsaream deducitur.
	4.	58.	811.	xxiv. 27.	Detinetur à Felice captivus biennium Cæsareæ.
	5.	59.	812.	xxv. 6.	Auditur à Festo, Romam ablegatur, hiemem agit Melitæ.
	6.	60.	813.	xxviii. 12.	It Syracusas, Puteolos, Romam.
210.	7.	61.	814.		Scribit 2 ad Thessal. ad Philip. Coloss. Galat. Ephesios, Hebræos, Philemonem, Romæ.
	8.	62.	815.	xxviii, 31.	Biennium Romæ commoratus it Troadem, Corinthum, Miletum, Colossas, 2 ad Tim. 4. 13, 20. Coloss. 4. 7. Philem. 22.
	9.	63.	816.		Redit Romam causam acturus, quòd in prima Romæ mansione non comparuissent accusatores.
	10.	64.	817.		Romæ scribit 2 ad Timoth. in qua meminit suæ Troadem, Corinthum & Miletum profectionis, 2 Tim. 4. 13, 20. Eâdem operâ videtur etiam Colossas profectus, & apud Philemonem Colossensem (Theodoreto teste) commoratus, prout illi pollicitus fuerat per Onesimum Româ scribens, per quem etiam ad Colossenses scripsit, ut patet Colos. 4. 7.

HISTORIA APOSTOLICA
IN
Compendium contracta, ejúsque pro temporis ordine series, prout ea ex Actorum Apostolicorum libro, & Paulinis Epistolis colligi, digeri & suppleri potuit.

CUM illa sæpius à Prophetis prædicta temporum plenitudo advenisset, quâ promissionès Patribus olim factæ, de semine mulieris caput serpentis contrituro, complendæ erant, & definitum tempus, ab Angelo Danieli revelatum Dan. 9. 25, 26. expletum esset, Deus de cœlo in has terras Filium suum unigenitum, Dominum nostrum J.C. misit, factum ex muliere, B. Virgine Mariâ, de qua natus est anno imperii Cæsaris Augusti XLII, Urbis conditæ DCCLII. cùm altâ pace totus terrarum orbis ubique frueretur. A Joh. Baptista Præcursore suo baptizatus anno ætatis suæ XXX, Luc. 3. 33. imperii autem Tiberii Cæsaris XVI, Urbis conditæ DCCLXXXII, ministerium suum, & opus illud, cujus gratiâ à Patre missus fuerat, auspicatur; quo cùm per quadriennium ferme defunctus esset, anno Tiberii XX, sub Pontio Pilato, ipso Paschatis solenni festo, passus, cruci affixus, tertiâ die à mortuis resurrexit, quadragesimo pòst die in cœlum ascendit, & ad Patris dexteram gloriosè in æternum consedit.

Anno

Anno { Tiberii 20. / Æræ Christi receptæ 32. } ACT. I, II.

Postquam autem Christus spectantibus Apostolis sic in cœlum ascendisset, illis Jerosolymam ex monte Olearum reversis, mox Petri cohortatione ad munus Apostolicum, in Judæ proditoris locum (qui ex desperatione sese præcipitem dederat, mediúsque crepuerat) ab ipsis allectus est sorte Matthias. Decimo pòst die, ipso Pentecostes festo, Spiritus S. Paracletus ille sæpius à Christo Discipulis suis promissus, de cœlo magnâ copiâ effunditur in Apostolos, quos variis linguis μεγαλεῖα τῦ Θεῦ eloqui docet atque impellit; ad cujus rei famam concurrentibus multis, & aliis ad tantum miraculum stupentibus, aliis verò illud profanè ridentibus, gravissimâ Petri ad eos concione tria eorum millia subitò ad Christum convertuntur, statímque baptizantur, móxque in dies credentium numerus augetur.

Anno { Tiberii 21. / Christi 33. } Act. III, IV.

Aliquantò pòst Petrus & Johannes, primarii inter Apostolos, ad Templi portam, claudum annos XL natum in nomine Christi, h. e. ipsius virtute, sanant. Unde concursu populi ad eos facto, & Petro ad plebem illam concionante, V^M hominum lucrifiunt. Interim à Templi Præfecto uterque in carcerem conjicitur, & postridie coacto Synedrio (cui Apostoli sistuntur) illis interdicitur nè in nomine Jesu pòsthæc loquantur: Cui interdicto renuunt parêre Apostoli, quòd justius sit Deo quàm hominibus obtemperare. Atque domum reversi, unà cum tota Ecclesia, fervido animi affectu Deo gratias agunt de Euangelii inter populares suos profectu, quas preces Deus, facto terræmotu, & Spiritûs sui in corda ipsorum missione, comprobat.

Anno { Tiberii 22. / Christi 34. } ACT. V.

Hinc mirè augetur numerus fidelium, qui inter se pacem, concordiam, charitatem summam colebant, ità ut qui ditiores inter ipsos erant, opes suas liberaliter in tenuiorum gratiam & commodum profunderent, divenditis ultrò prædiis & possessionibus, quarum pretium ad pedes Apostolorum delatum in pauperum usum erogabatur. Cujus liberalitatis reliquis exemplo præviisse commemoratur Barnabas. Hujus exemplum sequi se simulantes Ananias & uxor ejus Sapphira, cùm impiâ fraude partem pretii agri à se divenditi mutuo consensu intervertissent, à Petro fraudem illam detegente, & per Spiritum S. cui mentiebantur, ulciscente, uterque solo ejus verbo & increpatione exanimatur. Unde magnus metus, & fidelium erga Apostolos reverentia in omnium cordibus nascitur. Cúmque per eorum manus multa fierent in dies signa & miracula, ità ut vel Petri umbra ægros in plateis jacentes sanaret, invidiâ moti Sacerdotes cum Synedrio, Apostolos conjiciunt in carcerem, unde ab Angelo sequente nocte liberati jubentur audacter & intrepidè populum in Templo docere. Indè ad Synedrium adducti, consilio Gamalielis (qui propositis Judæ Galilæi & Theudæ, impostorum & Pseudoprophetarum, exemplis, Synedrium in mitiorem traxit sententiam) postquam flagris fuissent cæsi dimittuntur.

Anno { Tiberii 23. / Christi 35. } ACT. VI.

Cùm autem in immensum auctus esset fidelium numerus, nec sufficere possent Apostoli distribuendis ditiorum in tenuiores eleemosynis, administrandâque quæ ex opulentiorum distractis possessionibus congerebatur in unum pecuniâ, ex murmuris & querelæ, quæ indè orta est, occasione, Apostolorum consilio electi sunt septem Diaconi, qui ministerio illi vacarent. Horum Stephanus veluti primipilus, zelo fervens & Spiritu S. plenus, fortiter adversùs contradicentes Judæos disputat: cúmque inter disputandum non possent illi resistere sapientiæ & Spiritui per quem loquebatur, convertunt se ad calumnias, eúmque blasphemiæ apud Synedrium insimulant & accusant, compositis adversùs ipsum falsis testibus.

Anno { Caligulæ 1. / Christi 36. } ACT. VII, VIII.

Qui cùm vehementi & acri atque prolixâ oratione in medio Synedrio ageret, eósque contempti Euangelii redargueret, extra urbem rapitur, ubi lapidibus óbrutus primus omnium fidelium sub N. Testamento sanguine suo doctrinam Christi obsignat, *Protomartyr* ob id meritò à pia posteritate dictus. Hujus mortem suffragio suo & quasi calculo comprobavit & confirmavit (depositis ad ejus pedes testium vestibus) Saulus (qui postea factus Euangelii præco PAULUS est dictus) patriâ Tarsensis, Hebræus ex Hebræis natus, ex Benjaminis tribu oriundus, sectâ Pharisæus, Phil. 3. 5. in ea diligentissimè Jerosolymis ad pedes Gamalielis, celeberrimi inter Judæos Doctoris, educatus atque institutus, zelo Legis totus fervens, sed sine scientia, traditionum πατροπαραδότων tenacissimus, sed qui non videtur à Magistro suo tam violenta consilia didicisse, quandoquidem paulò ante id tempus Gamaliel Synedrium moderato consilio commoverat nè vellet in Dei Ecclesiam sævire. Is morte protomartyris Stephani, quasi re præclarè gestâ, audacior factus totam Ecclesiam Christianam, tum temporis intra urbis Jerosolymorum pomœria veluti conclusam, perdere satagit, irrumpens in singulas domos, atque indè trahens tum viros tum feminas carceri publico mancipabat, eósque blasphemare (h. e. Christum abnegare) intentato metu supplicii cogebat. Unde factum ut plerique omnes (exceptis Apostolis) relictâ Jerosolymâ dispergerentur per Judææ & Samariæ oppida, Act. 11. 19. Qui autem sic dispersi vagabantur, Christum inter eundum per pagos & oppidula solis Judæis annunciabant.

Anno { Caligulæ 2. / Christi 37. }

Inter hos Philippus, ordine inter septem Diaconos secundus post Stephanum, fervidum ejus zelum imitatus, Samaritanis primus Christum annunciat, plurimósque ex iis ad Christum convertit & baptizat, ipsúmque adeò Simonem Magum, qui priùs miseros illos homines præstigiis suis & incantamentis veluti dementaverat, atque in sui admirationem & cultum rapuerat, jactans & mentiens se *magnam* esse *Dei virtutem* (h. e. Messiam.) Hanc Samaritanorum ad fidem Christi conversionem cùm resciviſſent qui Jerosolymis subsiterant Apostoli, Petrum & Johannem ad eos mittunt, qui in fide confirmarent, & manuum impositione dona Spiritûs S. eis conferrent. Quod cùm vidisset Simon ille Magus, totúque de tanta miraculorum vi stuperet, oblatâ Apostolis pecuniâ, magno precio emercari ab iis voluit potestatem conferendi cui libuisset Spiritum S. sed dignum tantâ insaniâ & impietate retulit à Petro responsum, *pecunia tua tecum pereat.* Hoc peracto ministerio Jerosolymam cùm repeterent duo illi Apostoli, in multis Samaritanorum pagis & oppidulis iter faciendo Christum prædicant. Sed noluit Deus tam angustis Judææ & Samariæ finibus Filii sui regnum contineri, alios longè remotiores ad sui cognitionem & Christi communionem vocari voluit. Itaque ejusdem Philippi ministerio Eunuchum, Candaces Æthiopum Reginæ Dynastam, præpositum universis illius opibus & thesauris, qui Jerosolymam venerat adoraturus, factus Judæus proselytus, ad Christum procurat converti & Baptismo tingi. A quo Philippus post Baptismum divulsus, & à Spiritu abreptus, Azoti & in circum-

vicinis oppidis, Cæsaream usque, Christum prædicat, atque illic (Cæsareæ inquam) ad multos annos subsistitisse colligitur ex Act. 21. 8. Nam Paulus 14 pòst annis, Jerosolymam deferens Achaiæ & Asiæ collectas, illum isthìc offendit cum tota familia, ubi apud eum diversatus est, ejus domo tanquam hospitio usus.

Anno { Caligulæ 3. / Christi 38. } Act. IX. 31.

Cæterùm Ecclesiæ quæ à Philippo & cæteris (qui Jerosolymâ ob persecutionem à Saulo excitatam excesserant) per totam Judæam, Galilæam & Samariam erectæ atque constitutæ fuerant, magis magísque in dies augebantur atque ædificabantur, altâ pace à Domino (sedatâ Sauli, post ejus ad Christum conversionem, persecutione) fruentes.

Anno { Caligulæ 4. / Christi 39. } Act. X, XI.

Eas cùm Petrus, fideles confirmandi gratiâ, lustraret, venissétque Lyddam, isthìc Æneam ab annis octo paralyticum in grabbato jacentem sanat: in Joppe Tabitham discipulam bonis operibus plenam à mortuis excitat. Illic dum hæret ad aliquot dies, indè à Cornelio centurione Gentili (sed in Judaicam religionem propenso & bene affecto) Divino jussu evocatus Cæsaream, Cornelium cum tota familia & amicis quamplurimis in ejus domo congregatis, concione ad eos habitâ, ad fidem Christi convertit, atque Sp. sancto, cœlitus in eos ultro, nullâ præcedente Petri manuum impositione, delapso, Christi baptismo tinguntur. Quod cùm audivissent Apostoli, cæteríque qui cum ipsis erant Jerosolymis fideles ex Judaismo ad Christum conversi, nonnullísque eorum, qui religionis patriæ fervidi erant Zelotæ, illud Petri factum non probaretur, ac propterea litem ei (cùm Jerosolymam rediisset) ea de re movissent, quòd nefas ducerent homini Judæo Gentilis domum ingredi, & cum eo cibum sumere familiariúsque conversari, ipse (re totâ eis expositâ, & testium qui adfuerant autoritate comprobatâ) eorum qui antea facto ejus offendebantur animos lenivit; qui ubi intellexerunt totum id negotium gestum fuisse Deo procurante & jubente, & per Spiritum S. in corda Gentilium missionem comprobante, acquieverunt, Deúmque laudarunt quòd non Judæos modò, sed & Gentes ad sui agnitionem & fidem in Christum vocaret. Exemplum istud Petri secuti nonnulli eorum qui dispersi fuerant ob persecutionem à Saulo, post Stephani martyrium excitatam, cùm Antiochiam usque venissent, illic Christum ipsis etiam Gentilibus Græcis [*Vox* Ἑλληνιστὰς, *quâ eo loci (Act. 11. 20.) utitur Lucas, propriè in N.T. usurpatur ad significandos Judæos* τῆς διασπορᾶς, *qui inter Græcos habitabant, & Græcâ linguâ in Synagogis, in lectione Legis & precibus utebantur. At hìc posita omnino videtur pro* Ἕλλησι, *ut eâ nempe significentur non Judæi inter Græcos commorantes, sed ipsi Græci Gentiles. Nam illud* ὅσοι δὲ τινες, *&c. arguit exceptionem illius quod dictum fuerat v. 19. innuítque istos* Ἑλληνιστὰς *non fuisse Judæos, sed Gentiles, ut rectè à Beza est observatum*] prædicant, multósque ex iis Christo lucrifecerunt: quod cùm innotuisset Ecclesiæ Jerosolymitanæ, Apostoli Barnabam eò miserunt (anno Claudii secundo) qui eos in fide confirmaret.

Anno { Caligulæ 3. / Christi 38. } Act. IX.

Porrò interim dum Ecclesiæ Christi per totam Judæam, Galilæam, Samariam, Cyprum & Syriam Antiochiam usque multiplicantur, Saulus, qui Stephani morti consenserat, cùm per biennium Ecclesiam Dei Jerosolymis vastasset, spirans adhuc minas & cædem adversùs Discipulos Christi, neque contentus grassari intra urbis pomœria, cùm audiret Damasci nonnullos esse qui Christi nomen profiterentur, summum adit Pontificem, à quo literas impetrat ad Præpositos Synagogarum quæ erant Damasci, ut si quos isthìc inveniret illius (uti loquebantur) Sectæ, sive homines sive feminas, eos vinctos Jerosolymam adduceret. Cùm illuc eo animo proficisceretur, Deus, qui eum ab utero matris ad Euangelii prædicationem separaverat, Gal. 1. 15, 16. misertus illius, Filium (quem ignorans persequebatur) ei revelat. Nam in ipso itinere, non longè à Damasco, Act. 22. 6. circa Meridiem Act. 26. 13. à Christo, subitò de cœlis affulgente splendore meridianam Solis lucem longè superante, & Hebraicâ dialecto eum inclamante atque compellante, *Saule, Saule, ut quid me persequeris?* &c. arguitur, increpatur, convertitur, de lupo fit ovis, imò Pastor. Idcirco enim (inquit ei) apparui tibi ut constituerem te ministrum, & testem eorum quæ tu vides, & eorum in quibus apparebo tibi deinceps, seligens te ex hoc populo, ut Gentibus, ad quas te mitto, aperias oculos (per Euangelii prædicationem) ut convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, Act. 26. 16, 17, 18. Hanc lucem Paulo affulgentem comites itineris viderunt, Act. 22. 9. Christum (quem solus Paulus vidit) non viderunt, Act. 9. 7. vocem quidem ἀκοῦσαι, & inconditum quendam sonum audiverunt, Act. 9. 7. at articulatum sermonem non ceperunt, Act. 22. 9. * saltem quid verba Christi Saulum alloquentis significarent non intellexerunt, quòd Hebraicæ Dialecti ignari fortè essent. [* *Loca illa duo Act. 9. 7. & 22. 9. quæ videntur adversis frontibus pugnare, sic videntur conciliandæ ità ea hìc à nobis conciliantur, nempe ut alter locus de sono quodam confuso & voce ἀσήμῳ, alter verò de articulato sermone sit accipiendus; vel ut uterque de articulata quidem voce accipiatur, sed alter accipiendus sit de sermone cujus significatio, sensus & mens intelligitur & percipitur ab auditore, alter verò de sermone qui ab auditore non capitur, sive non intelligitur, ut cùm aliquis qui Latinè nescit audit alium Latine loquentem. Pauli comites nesciebant Hebraicè, at Paulus Hebraicè sciebat. Itaque cùm Christus eum Hebraicâ compellavit dialecto, comites ejus auribus quidem verba Christi articulata perceperunt, sed eorum mentem, sensum & significationem non intellexerunt. Hinc est quòd Act. 9. 7. Pauli comites dicuntur audivisse vocem loquentis ad Paulum, sed neminem vidisse. At cap. 22. 9. dicuntur iidem non audivisse vocem loquentis ad eum, h. e. non intellexisse quidipsi diceretur, quia Hebraica lingua non erant periti, quâ linguâ Christus Paulum alloquebatur.*]

Tam gloriosâ luce Paulus (qui in media prædicati ab Apostolis & Christo, dum in terris vixerat, Euangelii luce hactenus caligaverat) excæcatus, manu à sociis Damascum deducitur. Isthìc triduum jejunus permanet, atque per id tempus [2 Cor. 12. *Tempus congruit: nam à Pauli conversione ad scriptam hanc Epistolam anni sunt* XIV. *Vide infrà Characterismum nostrum* VI.] exstasi in tertium cœlum rapitur, ubi videt & audit ἀνεκλάλητα & ἄῤῥητα (Hinc est quod Gal. 1. 12. disertè dicit, *Se non ab homine accepisse aut edoctum esse Euangelium, sed ex revelatione Jesu Christi.*) atque à Christo immediatè ea quæ pertinent ad totam Euangelicam doctrinam edoctus est plenissimè. Unde factum ut cùm mox ab Anania antiquo Discipulo, Christi (qui ei in somnis apparuit) jussu, manuum impositione cæcitate suâ esset liberatus, & Christi baptismo tinctus, statim nullâ præcedente humanâ institutione, verè θεοδίδακτος & Christum, quem antea persequebatur, in Judæorum synagogis prædicarit constantissimè; atque indè admiratio & stupor eos cepit qui eum priùs noverant, quíque sciebant eum venisse Damascum cum potestate abducendi Jerosolymam vinctos, quotquot inveniisset Christi nomen isthìc profitentes. Hoc cùm per aliquot dies magno animo Damasci fecisset Paulus, confundens adversantes Judæos, indè in Arabiam Gal. 1. 17. profectus * triennium isthìc annunciando Christum,

ſtum totum exegit. [* *Paulus Gal.* 1.17. *negat ſe ſtatim poſt converſionem veniſſe Jeroſolymam ad Apoſtolos, ſed rectà Damaſco abiiſſe in Arabiam, indéque rediiſſe Damaſcum, demum* μετὰ ἔτη τρία, *h. e.* exacto triennio, *veniſſe Jeroſolymam* ἱστορῆσαι Πέτρον. *Initium illius triennii non aliunde arceſſendum eſt quàm à Pauli converſione, ut hoc velit Paulus, ſe nonniſi exacto demum triennio à converſione ſua veniſſe Jeroſolymam* πρὸς τὸν πρὸ αὐτῆ Ἀναβάντα. *Hoc poſito neceſſe eſt triennium illud à Paulo non Damaſci, ſed in Arabia actum fuiſſe. Nam ſi major ejus pars Damaſci acta fuiſſet, cùm Damaſcus Jeroſolymis pancorum admodum dierum itinere diſtet, & frequens fuerit Damaſcenorum & Jeroſolymitanorum Judæorum commercium, quî fieri potuit ut cùm Damaſco Paulus Jeroſolymam venit, omnes fideles eum refugerent, neſcientes eum eſſe ad Chriſti fidem converſum? Hinc ergo firmum duci poſſe videtur argumentum, Paulum ſtatim poſt converſionem Damaſco in Arabiam profectum eſſe, atque iſthîc triennium illud egiſſe; quo exacto cùm Damaſcum reverſus eſſet, & mox eiâ Judæi ſtruerentur inſidias, noctu per mœnia ſportâ demiſſum Jeroſolymam veniſſe, & ab eo fideles initio refugiſſe, quia totum tempus à converſione ſua egerat in Arabia, inter populos illos quibus parùm aut nihil cum Jeroſolymitanis erat commercii, ità ut hoc pacto converſionem ejus potuerint ignorare, quod non ità facilè fieri potuit ſi Damaſci Paulus totum illud triennium, aut maximam ejus partem, egiſſet. Cùm itaque Act.* 9. 23. *dicit,* ὡς δὲ ἐπληροῦντο ἡμέραι ἱκαναὶ, συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν αὐτὸν, *complures illi dies intelligendi ſunt de triennio quod à Paulo actum eſt non Damaſci, ſed in Arabia, quo exacto cùm rediiſſet Damaſcum ſtructæ ſunt illi iſtæ à Judæis inſidiæ. Notandúmque poſt cap.* 9. *verſ.* 22. *interſerendæ eſſe (quod attinet ad hiſtoriæ ſeriem) ea quæ Gal.* 1. *Paulus narrat de profectione ſua in Arabiam, quam Lucas eo loco non attigit, ſed prorſus omiſit, connectens primam à Paulo factam Damaſci prædicationem ſtatim ab ejus converſione, immediatè cum altera ab eo facta Damaſci prædicatione, cùm eò reverſus eſſet ex Arabia, quo tempore demum ſtructæ ſunt illi à Judæis inſidiæ.*]

Anno { Claudii 2. / Chriſti 41. } ACT. XII.

Interea temporis dum Paulus in Arabia Chriſtum annunciat, cùm Petrus poſt Eccleſias Judææ & Galilææ à ſe luſtratas, ſub finem imperii Caii Caligulæ, Jeroſolymam rediiſſet, Herodes Agrippa major ſive primus, qui magnâ fuerat apud Caium Caligulam gratiâ [Joſeph. Antiq. lib. 15. cap. 8, 9.] cùm majore adhuc eſſet apud Claudium ejus ſucceſſorem [Joſeph. Antiq. lib. 19. cap. 4, 5.] additâ ad ea quæ jam à Caligula acceperat, Judæâ, Samariâ & Abylenâ, mox poſt inauguratum in Imperio Claudium, ſub finem primi Claudii anni, vel initio ſecundi, venit in Judæam ad regni ſui res adminiſtrandas & conſtituendas, earúmque ſtatum componendum. Is cupiens gratificari Judæis quos Chriſtianis ſciebat eſſe infenſos, cœpit Eccleſiam Jeroſolymitanam affligere, ejus (uti vocatur) Præſidem Jacobum, Johannis fratrem, gladio percuſſit; cui mox ſuffectus eſt Jacobus alius Alphæi filius, *frater* Domini noſtri *Jeſu Chriſti* dictus. Cúmque videret Herodes Judæis placere Jacobi necem, voluit ei etiam adjungere Petri ſupplicium. Eum itaque comprehenſum conjecit in carcerem, mox ducturus ad ſupplicium, ſed noctu ab Angelo, non ſine miraculo, liberatus Jeroſolymâ exceſſit, alióque ſeceſſit. Herodes ſpe ſuâ fruſtratus bilem in innoxios milites, quibus Petrum tradiderat cuſtodiendum, convertit, jubens eos ad ſupplicium rapi. Nec multò pòſt ſcelerum & ſævitiæ iſtius in Chriſti Eccleſiam Deo vindici pœnas dedit, cùm Jeroſolymâ Cæſaream profectus bellum adverſùs Tyrios moturus, in media pompa & regio ſplendore ab Angelo (quòd paſſus eſſet ſe turpi adulatione vocari Deum) percuſſus, σκωληκόβρωτος animam efflavit, ſub finem anni tertii Claudii Imperatoris; Joſeph. Antiq. lib. 19. cap. 7. aut initio quarti.

* Paulò pòſt interfectum ab Herode Agrippa Jacobum Johannis fratrem, ſuffectúmque in ejus locum Jacobum Alphæi filium fratrem Domini, priuſquam Petrus ab Herode conjiceretur in carcerem, Paulus exacto in Arabia triennio, indè Damaſcum reverſus eſt, Gal. 1. 17. mox à reditu ſtructuræ ſunt illi à Judæis inſidiæ, Præfecto Damaſci, nomine Aretæ Regis Arabum, 2 Cor. 11. 32. portas urbis in gratiam Judæorum (ut Paulum prehenderet) obſervante, ut neceſſe propterea fuerit Paulum noctu per mœnia urbis ſportâ demittere. [* *Paulus Gal.* 1. 19. *ſcribens de hac ſua Jeroſolymam profectione, dicit ſe tum nullum alium Apoſtolorum iſthîc vidiſſe præter Petrum & Jacobum fratrem Domini. Actorum autem* 12. 17. *Lucas ſcribit Petrum, cùm liberatus eſſet è carcere ab Angelo, & veniſſet in domum Mariæ, juſſiſſe ut Jacobo renunciarent ſe eſſe liberatum, cæterùm ipſum abiiſſe εἰς ἕτερον τόπον, quo omnino ſignificatur eum Jeroſolymis exceſſiſſe: nam ſi illic ſubſtitiſſet, quid opus fuiſſet jubere ut Jacobo renunciarent ſe liberatum eſſe? Ex horum duorum locorum collatione colligimus Paulum veniſſe Jeroſolymam poſt interfectum ab Herode Jacobum Johannis fratrem (alioqui eum Jeroſolymis vidiſſet) & poſt ſuffectum in ejus locum Jacobum Alphæi filium, qui dicitur à Paulo* frater Domini, *& ante conjectum Petrum in carcerem, quia poſtquàm carcere liberatus eſt exceſſit Jeroſolymis, & alió profectus eſt.*]

Is hoc modo elapſus Damaſco venit Jeroſolymam ἱστορῆσαι Πέτρον, Gal. 1. 18. quarto poſt ſuam ad Chriſtum converſionem anno. Cúmque eum omnes Jeroſolymitani fideles refugerent, quòd nondum ſcirent eum ad Chriſti fidem converſum, ad Apoſtolos Petrum & Jacobum fratrem Domini (præter quos nullum alium Apoſtolorum tum temporis vidit, Gal. 1. 19) deductus eſt à Barnaba, qui illis expoſuit totam Pauli ad Chriſtum converſionis rationem. Atque ità Paulus ab eis in ſocietatem receptus, cum fidelibus liberè Jeroſolymis verſatus eſt, in nomine Jeſu loquens & diſceptans adverſùs Judæos Helleniſtas, per quindecim duntaxat dies, Gal. 1. 18. Cùm enim conarentur illi eum interficere, Paulus dum in Templo erat raptus in Ecſtaſim, Act. 22. 17. à Chriſto monetur, fore ut Judæi teſtimonium ejus non recipiant, jubetúrque propterea Jeroſolymis excedere, & eò ire quò ipſe eum miſſurus eſſet longè ad Gentes. Itaque ad vitandas illas Judæorum adverſùs ſe inſidias, útque mandato Divino obſequeretur, à fratribus Cæſaream deductus eſt; indè mox Tarſum, patriam ſuam, navigavit, unde paulò pòſt Antiochiam à Barnaba accerſitus eſt. Atque hoc illud eſt quod ſcribens ad Galatas dicit, ſe, poſtquàm Jeroſolymis exceſſit, veniſſe εἰς τὰ μέρη τῆς Συρίας καὶ Κιλικίας, Gal. 1. 21. nam Tarſus Ciliciæ, Antiochia Syriæ caput fuit atque Metropolis.

Anno { Claudii 2, 3. / Chriſti 41, 42. }

Interea autem dum Paulus agit Tarſi, cùm Eccleſia Jeroſolymitana audiviſſet multos à Gentibus Antiochiæ ad Chriſti fidem converſos eſſe ab iis qui ἀπὸ τῆς διασπορᾶς, poſt Stephani cædem, eò uſque Chriſtum annunciarant, Barnabam illuc miſit ad eos in fide confirmandos; qui cùm eò veniſſet, tantámque fidelium multitudinem & eorum zelum vidiſſet, vehementer lætatus eos cohortatus eſt ut perſeverarent in fide. Cúmque propoſitum illi eſſet iſthic manere ad ædificandam magis magíſque Eccleſiam illam, & videret ſe imparem tanto oneri ferendo, Tarſum profectus eſt, ubi ſciebat Paulum agere, unde eum accerſivit, & Antiochiam ſecum adduxit; ubi conjunctis operis Chriſtum per annum unum annunciant, tantámque hominum multitudinem ad Chriſti fidem convertunt, ut tum primùm Antiochiæ dicti ſint *Chriſtiani* illi qui in Chriſtum crediderant. Dum illic agunt Paulus & Barnabas, Jeroſolymis Antiochiam adveniunt Pro-

phetæ

phetæ nonnulli, quorum unus nomine Agabus prædixit per Spiritum futuram famem graviſſimam in toto terrarum orbe, quæ accidit Claudii anno quarto, Joſeph. Antiq. lib. 20. cap. 2. Unde factum ut fideles Antiocheni communi conſilio decreverint, quiſque pro viribus, aliquid conferre in ſubſidium tenuiorum fratrum Jeroſolymis commorantium, atque illud ad Seniores Eccleſiæ Jeroſolymitanæ per manus Pauli & Barnabæ miſerunt: quod cùm perfeciſſent, expleto hoc ſuo miniſterio, reverſi ſunt Antiochiam, & unà ſecum Johannem cognomento Marcum, Barnabæ ἀνεψιὸν ſive *cognatum*, Coloſ. 4.10. Jeroſolymis Antiochiam abduxerunt.

Anno { *Claudii* 4. / *Chriſti* 43. } Act. XIII.

Porrò non ità multò poſtquam Paulus & Barnabas Jeroſolymâ rediiſſent Antiochiam, jubet Spiritus S. eos à reliquis, qui iſthîc erant, Prophetis ſeparari ad miniſterium prædicandi Euangelii. Hi precibus & impoſitione manuum Deo commendati, ab Eccleſia dimiſſi, aſſumpto ſecum Marco, Seleuciam venerunt; indè Cyprum navigarunt, atque iſthîc Salaminæ primò cœperunt prædicare Euangelium; hinc Paphum venerunt, ubi accerſitus à Sergio Paulo Proconſule Paulus Apoſtolus Barjeſum Elymam, h. e. *Magum* [Arab. עליים ſignificat *ſapientem, ſcientem*: nam עלם illis eſt *ſcire, cognoſcere*. Quo modo ergò Hebræis ידעני *Magum, divinum*, ſeu *hariolum* ſignificat, à ידע quod *ſcire* ſignificat, ſic Arabibus עליים idem ſignificat, à עלם quod eſt *ſcire, noſſe*] ſibi adverſantem ſubitò excæcavit, & Sergium hoc miraculo perculſum ad fidem convertit. Papho venerunt Pergam Pamphyliæ; iſthîc Johannes ab eis diſcedens reverſus eſt Jeroſolymam. In ejus locum paulò pòſt videtur aſſumpſiſſe Titum Græcum: nam cùm poſt peractam iſtam peregrinationem Antiochiam rediit, indéque Jeroſolymam ad Concilium aſcendit, habuit ſecum Titum. Pergâ Antiochiam Piſidiæ profecti ſunt. Iſthîc habitâ die Sabbati ad Judæos non ſine fructu eximiâ concione, rogatus à Gentilibus Paulus ut eadem ſequente Sabbato ipſis exponeret, Judæi moti adverſùs Gentes invidiâ Paulo reſtiterunt blaſphemantes; quo facto indignati Paulus & Barnabas, Judæis relictis, ſolis gentibus Chriſtum prædicant. Unde irritati Judæi excitatâ ſeditione Paulum & Barnabam finibus ſuis expulerunt.

Anno { *Claudii* 5. / *Chriſti* 44. } Act. XIV.

Indè pulſi Iconium veniunt; ubi cùm multos tum ex Judæis tum ex Gentibus ad Chriſtum convertiſſent, tandem excitato adverſùs eos à Judæis tumultu, profugerunt indè Lyſtram, ubi claudum ab utero matris hominem ſanat Paulus: quo miraculo in ſtuporem data Lyſtræ plebs Paulum Mercurium, Barnabam Jovem credit; quibus quaſi diis cùm vellet ſacrificare, Paulus & Barnabas laceratis veſtibus honorem illum averſantes, ægre cohibent promiſcuam plebeculam nè ſibi ſacrificarent. Mox cùm Iconio & Antiochiâ veniſſent Lyſtram increduli Judæi, excitato tumultu furioſa plebs Paulum, quem paulò antè Deum crediderat, lapidatum extra urbem traxit quaſi mortuum. Sed cùm eum circumſtarent Diſcipuli, ſurgens quaſi de ſomno Paulus unà cum ipſis urbem ingreſſus, poſtridie cum Barnaba Derben profectus eſt. Ubi cùm multos Chriſto prædicatione Euangelii lucrifeciſſent, non ulteriùs ſunt progreſſi, ſed indè Lyſtram, Iconium & Antiochiam Piſidiæ ſuper veſtigia ſua regreſſi ſunt, confirmantes in fide eos quos ad Chriſtum converterant, atque in ſingulis Eccleſiis à ſe fundatis Presbyteros ordinarunt, qui eas communi conſilio regerent & Verbo paſcerent. Indè per Pamphyliam Pergam delati & Attaliam, Antiochiam Syriæ, unde primò profecti fuerant, & precibus Eccleſiæ Deo commendati ad opus illud (quod expleverant) miſſi erant, tandem exacto biennio poſtquam primò profecti fuerant, reverſi ſunt ſub finem quinti anni imperii Claudii, iſthícque ſubſtiterunt ἐπὶ ἱκανὸν χρόνον.

Anno { *Claudii* 6. / *Chriſti* 45. } Act. XV.

Interim dum iſthîc hærent, quidam παρείσακτοι falſi fratres, Gal. 2.4. de Phariſæorum ſecta qui in Chriſtum crediderant, Antiochiam venientes turbas in Eccleſia illa excitant, falſæ ſuæ doctrinæ, de neceſſitate obſervandæ Legis Moſaicæ ad conſequendam ſalutem, nomen, autoritatem & mandatum Apoſtolorum qui Jeroſolymis erant falsò obtendentes. Unde contentione & graviſſimâ Pauli & Barnabæ adverſùs eos ortâ diſceptatione, ejus dirimendæ gratiâ unà cum Paulo & Barnaba alii nonnulli (inter quos Titus Gal. 2. 3.) ad Apoſtolos & Seniores qui erant Jeroſolymis mittuntur, ſciſcituri eorum de hac quæſtione ſententiam. Qui cùm Jeroſolymam veniſſent, Paulus Euangelium, quod ipſe inter Gentes prædicaverat Gal. 2. 2. Petro, Jacobo & Johanni primariis inter Apoſtolos privatim primò expoſuit, atque cum ipſis de eo contulit; qui cùm vidiſſent Paulo concreditum eſſe Euangelium Præputii, Gal. 2.7. ſicuti Petro Circumciſionis Euangelium, & agnoſcentes gratiam à Chriſto Paulo factam, ipſi & Barnabæ ejus κοινωνίαν ſocietatis dexteram dederunt, ut ipſi Gentibus, Petrus verò circumciſis Judæis Euangelium prædicaret, útque Paulus pauperes fideles Jeroſolymitanos Gentilibus fidelibus commendaret, & ab iis ſubſidium ſublevandæ horum neceſſitati impetraret. Non contentus autem Paulus ſic privatim cum Apoſtolis communicaſſe, nè aliquam indè calumniandi anſam arriperent falſi illi fratres, publicè præterea re in Conſilio expoſitâ, tandem poſt longam diſceptationem, Petro primò ſententiam ſuam dicente, Jacobo autem veluti perorante & concludente, decretum eſt communi ſententiâ ac ſuffragiis totius Eccleſiæ Jeroſolymitanæ, Gentes non teneri obſervatione Legis Moſaicæ; hoc duntaxat ab iis requiri, ut ab Idolothytis, ſcortatione, ſuffocato & ſanguine abſtineant.* Quam ſententiam omnes ſecuti, eam per Epiſtolam Apoſtolorum, Seniorum & Eccleſiæ Jeroſolymitanæ nomine ſcriptam, Eccleſiis ex Gentibus Antiochiæ, adeóque per univerſam Syriam & Ciliciam, ad Chriſtum converſis ſignificarunt, quam per Judam & Silam (quos Paulo & Barnabæ adjunxerunt) ad fratres Antiochenos miſerunt. Qui cùm Antiochiam veniſſent, redditâ & lectâ Epiſtolâ, Eccleſiam graviter afflictam ſibíque malè metuentem à jugo ſervitutis Legis Moſaicæ, quod eorum cervicibus imponere volebant falſi illi Doctores, recrearunt, magnóque perfuderunt gaudio. [**Duo iſta priora nempe* Idolothyta & ſcortatio, *hîc ideo commemorari videntur, quod jam tum fortè gliſcere inciperet in Eccleſia Nicolaitarum error, qui utrumque horum licere docebant, ut liquet ex Apoc.* 2.14, 15. *Duo autem illa poſteriora, nempe* Sanguis & ſuffocatum, *videntur addita, non quaſi eorum uſus ſit in ſe illicitus, ſed ut daretur aliquid infirmitati Judæorum fidelium qui ab his duobus vel maximè abhorrebant, neque potuiſſent facilè in animum inducere ut converſarentur & conviverent familiariter cum illis quibus ſanguinis & ſuffocati uſus fuiſſet licitus & in quotidiano fere victu uſurpatus.*]

Hoc miniſterio peracto Judas Jeroſolymam reverſus eſt; at Silas Antiochiæ remanſit cum Paulo & Barnaba aliiſque multis, quorum prædicatione & concionibus Eccleſia in dies magìs magíſque augebatur.* Non longo pòſt tempore Petrus venit Antiochiam, atque iſthic aliquandiu cum Gentilibus fidelibus liberè converſabatur, atque unà vivebat familiariter, Gal. 2, 12, & ſeqq. Verùm cùm Jeroſolymâ illuc à Jacobo veniſſent nonnulli, metuens Petrus eorum offenſionem à Gentilium fidelium converſatione ſe ſubduxit, quaſi nefas eſſet Judæis fidelibus cum Gentilibus fidelibus convivere. Ejus exemplum & timiditatem ſecuti ſunt, & ſtatim imitati, reliqui

qui Judæi fideles qui erant in Antiochena Eccleſia, adéóque unà cum illis & ipſe Barnabas Pauli comes, ſocius & συνεργός. Quare Paulus videns hoc Petri facto libertatem à Chriſto nobis partam (qui Legis chirographum nobis adverſum cruci ſecum affixit, eóque jugo nos liberavit) graviter periclitari, tacitóque veluti ſuffragio opprimi, zelo Dei motus & animo verè Chriſtiano, in Petrum inſurgit, eúmque de turpi ſimulatione atque pudenda timiditate coram omnibus arguit & graviter increpat. [* *Neceſſe eſt Petri à Paulo factam reprehenſionem ad hoc tempus referre; neque enim facta eſt ante, ſed poſt agitatam Jeroſolymis de neceſſitate obſervandarum Moſaicarum ceremoniarum quæſtionem, uti liquet ex ſerie narrationis Paulinæ Gal. 2. Jam verò ab hoc tempore Paulus non amplius venit Antiochiam niſi ſemel, quadriennio poſt Concilium iſtud Jeroſolymitanum, anno Claudii 10. idque veluti in tranſcurſu tantùm, (neque tum cum ipſo fuit Barnaba,) uti ex ſequenti hiſtoria hujus Apoſtolicæ ſeriei liquere poteſt.*]

Aliquantò pòſt Paulo viſum eſt operæ pretium Eccleſias quas in Syria, Cilicia & Aſia condiderat reviſere, ad eas in fide confirmandas. Cúmque ad hoc hortaretur & ſolicitaret Barnabam, atque iſte conſuleret ut ad hoc miniſterium aſſumerent ſecum Marcum Barnabæ ἀνεψιὸν, Paulo verò iſtud non probaretur, quòd is in prima eorum profectione ab ipſis ultro nulla juſta de cauſa diſceſſiſſet, indè exacerbatione inter eos ortâ, invicem diſceſſerunt; & Barnabas quidem aſſumpto Marco in Cyprum navigavit, Paulus verò, aſſumpto Sila & Tito, Syriam & Ciliciam peragravit confirmans in fide Eccleſias quarum antea fundamenta primus jecerat, monénſque & adhortans fratres ut ſtarent decretis Apoſtolorum & Seniorum Jeroſolymitanorum, Act. 16. 4, 5.

Anno { Claudii 7. / Chriſti 46.

Ex Cilicia videtur omnino Paulus navigaſſe Cretam, atq; iſthíc annunciato Euangelio Titum reliquiſſe qui τὰ λείποντα διορθώσῃ, Tit. 1. 5. indè venit Derben & Lyſtram. [*Lucas nullius meminit iſtius in Creta à Paulo factæ prædicationis (quo modo nonnulla alia prætermittit) at ea colligitur ex Epiſtola Pauli ad Titum. Neque poteſt in aliud tempus commodè conferri quàm in iſtud, aut in annum Claudii 10. cùm Paulus relictis Epheſi Aquilâ & Priſcillâ navigavit Jeroſolymam (Act. 18. 19.) Verùm illud iter Pauli fuit excurſio duntaxat quædam, properabat nempe tum ad feſtum Jeroſolymis agendum (ibid. verſ. 21.) Itaque non videtur tum in Creta hærere potuiſſe ad prædicandum Euangelium.*]

ACT. XVI.

Iſthíc offendit Timotheum natum patre Græco ſive Gentili, ſed matre Judæâ piâ Eunice, aviâ verò Loide, 2 Tim. 1. 5. pium & fidelem Diſcipulum, ab ipſa infantia ſacras literas edoctum, cui omnes qui Lyſtris erant & Iconii fratres bonum perhibebant teſtimonium pietatis & probitatis. Eum ſecum aſſumpſit Paulus (nempe Titi loco, quem nuper in Creta reliquerat) cùm eum priùs circumcidiſſet propter Judæos qui iſthíc erant, quòd omnes ſcirent Timotheum eſſe patre Græco, ſed matre Judæâ natum. Cúmque vellent indè in Aſia (propriè ſic dicta circa Epheſum) Euangelium prædicare, nec Spiritus ſineret, Phrygiam & Galatiam petiverunt, atq; iſthíc percupidè à Galatis exceptus Paulus, quaſi Angelus fuiſſet de cœlo, Gal. 4. 14, 15. vel ipſe Dominũ noſtrum Jeſum Chriſtum illis annunciavit, eóſque ad fidem Chriſti convertit. Indè venientes in Myſiam, cùm tentarent ire in Bithyniam, non permiſit Spiritus. Itaq; præteritâ Myſiâ deſcenderunt Troadem. Iſthíc Paulus Divinitus in ſomnis monitus conſtituit indè navigare in Macedoniam*: atque hîc Lucas videtur à Paulo ſecum aſſumptus, cujus poſtea inviduus fuit comes. [**Hoc indè videtur colligi poſſe, quòd cùm illuc uſque Lucas Act. 16. de Paulo & ejus comitibus ſemper loquatur in tertia perſona, tum primùm incipit de illis loqui in prima perſona, verſ. 10. ἐζητήσαμεν — ὑμᾶς, verſ. 11. εὐθυδρομήσαμεν, & ſic deinceps, quòd nimirum Lucas videatur tum Paulo primùm junctus fuiſſe.*]

Anno { Claudii 8. / Chriſti 47.

Quare Troade primò Samothracen, indè Neapolim, poſtea Philippos (quæ Macedoniæ urbs venientibus ex Aſia prima occurrit) delati ſunt. Hîc aliquandiu hæſit Paulus, ac primò Lydiam πορφυρόπωλιν ad Chriſtum convertit, eámque cum tota ipſius domo baptizat, & ab ea excipitur hoſpitio. Deinde ancillam Pythoniſſam ſpiritu immundo liberat. Cujus miraculi occaſione excitato à dominis ancillæ illius adverſùs Paulum & Silam tumultu, à Magiſtratu virgis cæſi in carcerem conjiciuntur. Ubi carceris commentarienſi Chriſtum annunciant, eóque cum tota familia baptizato, poſtridie à Magiſtratu civitatis carcere liberantur, atque ut urbe excederent rogantur. [ACT. XVII.] Philippis per Amphipolim & Apolloniam veniunt Theſſalonicen. Iſthíc complures tum ex Judæis, tum ex Græcis piis & religioſis, atque etiam ex primariis nobilioribúſque feminis ad Chriſtum convertit Paulus. Cúmque diutiùs iſthíc hæreret, ſemel atque iterum à Philippenſibus neceſſaria vitæ ſubſidia accepit, Philip. 4. 16. Sed increduli Judæi excitato tumultu, & accuſatione apud Magiſtratum inſtitutâ, Paulum & Silam coegerunt urbe excedere. Indè Beroeam veniunt, atque iſthíc prædicato Euangelio, multíſque ex nobilioribus ad Chriſtum converſis, Judæi rebelles Theſſalonicâ illuc venientes, turbas adverſùs Paulum excitant, qui indè Athenas venire cogitur, Silâ & Timotheo ad tempus relictis poſt ſe Beroeæ, quibus in mandatis dederat ut mox ad ſe venirent Athenas.

Interim dum eos Athenis exſpectat, cum Judæis primò in Synagoga, dein cum obviis quibuſque è Gentilibus, adeóque etiam cum Philoſophis in medio foro de Chriſto diſputat; quibus cùm Paulus videretur eſſe peregrinorum Deorum annunciator, ab ipſis cauſam dicturus rapitur in Areopagum, ubi concione habitâ doctrinæ ſuæ rationem reddit, nonnullóſque permovet atque ad fidem Chriſti pellicit, inter quos Dionyſius dictus *Areopagita*, & nobilis quædam femina nomine Damaris, aliſque non pauci. Cùm autem ad Paulum Beroeâ veniſſent Silas & Timotheus, Paulus, qui magno Theſſalonicenſium deſiderio tenebatur, ideóque ſemel atque iterum in animo habuerat eò proficiſci, nec potuerat tamen id exſequi à Satana præpeditus, 1 Theſſal. 2. 18. Timotheum rurſus miſit Theſſalonicam, 1 Theſſal. 3. 2. qui Theſſalonicenſes in fide confirmaret & conſolaretur: cúmque indè ad Paulum rediiſſet, 1 Theſſal. 3. 6. priuſquam ipſe Athenis excederet & Corinthum peteret, rurſus in Macedoniam Silam & Timotheum miſit, Act. 18. 5. corúmque reditum ad ſe Corinthi præſtolatus eſt.

Anno { Claudii 9. / Chriſti 48.

ACT. XVIII.

Relictis Athenis Paulus venit Corinthum, ubi Aquilam & Priſcillam ejus uxorem invenit, qui recèns ex Italia (ob edictum Claudii Cæſaris quo Judæi Româ pellebantur) venerant, quibuſcum (qui erant ὁμότεχνοι, nempe Cκηνοποιοὶ) Paulus commoratus eſt annum unum & dimidium uſque ad Gallionis Proconſulatum.

Anno { Claudii 10. / Chriſti 49.

Iſthíc Criſpum Archiſynagogum cum tota ejus domo, & Gaium, & Stephanam 1 Cor. 1. 14, 15, 16. (quos tres ipſe etiam baptizavit) multóſque alios ad Chriſtum convertit, adeóque (uti videtur) & ipſum Soſthenem 1 Corinth. 1. 1. Archiſynagogum (qui Criſpo in eo munere

munere succesſerat) licèt primò adverſarium & Pauli apud Proconſulem Gallionem accuſatorem, Act. 18. 16, 17.

Anno { Claudii 11. / Chriſti 50.

Exactis illic octodecim menſibus, Paulus navigavit in Syriam, & aſſumptis ſecum Aquilâ & Priſcillâ venit Epheſum, atque eos iſthîc reliquit. Ipſe enim paucis diebus actis Epheſi, etſi rogatus diutiùs illic hærere, quia properabat Jeroſolymam, ut iſthîc tempore Feſti (Paſchatis putà, vel Pentecoſtes) eſſet, Epheſo ſolvit in Judæam, venítque Cæſaream, indè Jeroſolymam aſcendit; atque iſthîc, * Eccleſiâ ſalutatâ, Antiochiam deſcendit, ubi aliquandiu ſubſtitit, eámque paſſus eſſe videtur perſecutionem cujus Timotheum dicit fuiſſe teſtem, 2 Tim. 3. 11. Antiochiâ Ciliciam & Lycaoniam peragrans Galatiam & Phrygiam petivit, (Act. 19. 1. ubi τὰ ἀνωτερικὰ μέρη ſignificat Phrygiam & Galatiam) quibus etiam peragratis venit Epheſum. [* *Illud ἀναβὰς δὲ καὶ τὴν ἐκκλησίαν quod eſt Act. 18. 22. non de Cæſareenſi (utì primâ fronte videri poteſt) ſed de Jeroſolymitana accipiendum eſt Eccleſia, quæ ἀνθυπατικῶς dicitur* Eccleſia, *quòd omnium reliquarum Eccleſiarum mater veluti eſſet. Nam ſi de Cæſareenſi intelligeretur illud, Paulus non veniſſet Jeroſolymam contra id quod dixit v. 21.* δεῖ με πάντως τὴν ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην ποιῆσαι εἰς Ἱερουσαλήμ. *Tum etiam idem probatur voce ἀναβὰς quæ præcedit, ἀναβὰς καὶ ἀσπασάμενος· ſenſus enim eſt,* deſcendit Cæſaream, *indè* aſcendit *(Jeroſolymam) ubi* ſalutatâ Eccleſiâ deſcendit Antiochiam.]

Porrò interim dum Paulus iter illud ſuum Epheſo Jeroſolymam, & Jeroſolymâ Epheſum per Antiochiam Syriæ, per Ciliciam, Galatiam & Phrygiam inſtituit, Appollos vir potens in Scripturis, fervens ſpiritu, aliquâ ſed levi cognitione Chriſti tinctus, utpote qui ſolùm Johannis Baptiſmum noverat, h. e. non ampliorem habebat de Meſſia cognitionem eâ quam à Johanne Baptiſta, ejúſve diſcipulis, percipere potuerat; is, inquam, venit Epheſum, ubi ab Aquila & Priſcilla (quos illic Paulus, petens Jeroſolymam, reliquerat) penitus eſt in via Domini inſtitutus, atque iſthîc cùm aliquandiu Chriſtum prædicaſſet, * (dum Paulus hærebat adhuc Antiochiæ, priuſquam in Phrygiam veniſſet) Epheſo ſolvit in Achaiam, venítque Corinthum, ubi magno cum animi fervore Chriſtum annunciat, atque iſthîc rigat [1 Cor. 3. 6.] id quod Paulus paulò antè plantaverat. [* *Appollo veniſſe Epheſum dum Paulus Antiochiæ adhuc hærebat colligitur ex Act. 19. 1. Si enim dum Appollos erat Corinthi Paulus διῆλθε τὰ ἀνωτερικὰ μέρη, h. e. Phrygiam & Galatiam, (quas cùm exceſſiſſet Antiochiâ peragravit) ſequitur Appollo veniſſe Epheſum antequam regiones illas luſtraret; ergò id factum dum Paulus Antiochiæ vel Jeroſolymis, aut Cæſareâ adhuc eſſet.*

Anno { Claudii 12. / Chriſti 51. } Act. XIX.

Cæterùm dum Corinthi agit Appollos, Paulus peragratâ Phrygiâ & Galatiâ venit Epheſum. Iſthîc duodecim Diſcipulos offendit, qui Johannis baptiſmum tantùm noverant, necdum Spiritum S. per manuum impoſitionem acceperant, quos ulteriùs in Chriſti doctrina inſtituit, manuúmque impoſitione dona Spiritûs S. illis confert. Menſes tres in Judæorum Synagoga Chriſtum prædicat; ſed illis obnitentibus, ab ipſis & ſe & credentes ſeparat, docétque publicè in Schola Tyranni cujuſdam per * annos duos magno cum fructu, & profectu Euangelii: ſic enim factum ut per totam Aſiam propriè ſic dictam (quæ eſt circa Epheſum) Chriſti Euangelium ſit diſſeminatum inter Judæos & Gentiles; multíſque miraculis confirmatum illud fuerit, Dæmonibus ex Energumenorum corporibus exire in nomine Jeſu à Paulo coactis: quod cùm pravâ κακοζηλίᾳ tentare atque imitari voluiſſent quidam Exorciſtæ Judæi Scevæ filii, jubentes Dæmonem exire in nomine Jeſu quem Paulus prædicabat, peſſimè habiti ſunt ab Energumeno, qui in eos inſiliens malè multavit, & vulneratos coegit aufugere, unde metus & pavor & reverentia erga Chriſtum omnes tum Judæos tum Gentiles occupavit. [* *Paulus Act. 20. 31. cùm Epheſinis Presbyteris valediceret, teſtatur ſe triennio inter eos docuiſſe, & nocte diéque laboraſſe: nempe duobus iſtis annis adjungendi ſunt primùm tres menſes quibus ante illud triennium docuit in Synagoga, tum etiam tempus illud licèt breve quo Epheſi docuit cùm primò illuc venit cum Aquila & Priſcilla, Act. 17. v. 18. Anno enim uno integro venerat Epheſum Paulus cum Aquila & Priſcilla ante biennium iſtud, licèt anni illius partem maximam conſumpſerit Paulus in peragratione illa ſua tertia quâ Jeroſolymam aſcendit; indè Antiochiam, Phrygiam & Galatiam luſtravit antequam ſecundò veniret Epheſum.*]

Anno { Claudii 12. / Chriſti 51.

* Interea temporis Appollos ad Paulum Corintho Epheſum venit. [* Colligitur iſtud ex 1 Cor. 16. 12. ſcripta eſt enim Epiſtola illa Epheſi ſub finem biennii quod illic egit Paulus, cùm indè cogitaret ire in Macedoniam, & itineri ſeſe accingeret, utì liquet ex verſ. 5, & 6. capitis illius, Μακεδονίαν γὰρ διέρχομαι.] Exacto autem, vel ſaltem affecto, biennio illo Paulus primò propoſuerat 2 Cor. 1. 15, 16. relictâ Epheſo Corinthum rectâ petere, indè in Macedoniam proficiſci; ex Macedonia rurſus Corinthum, atque indè Jeroſolymam aſcendere: ſed mutato poſtea conſilio 2 Cor. 1. 17. proponit ſibi primò Macedoniam, indè Achaiam petere Act. 19. 21. ut Collectas Eccleſiarum illarum 1 Cor. 16. 1. & Rom. 15. 25, 26. Jeroſolymam deferendas reciperet. Præmittit autem ante ſe Timotheum & Eraſtum, qui procurarent & præpararent Collectas illas, nè cùm ipſe veniret, eas inveniret infectas, 2 Cor. 9. 3, 4. Ipſe autem aliquandiu ſubſtitit Epheſi. Interim ad Paulum ſcribunt Corinthii, 1 Cor. 7. 1. ídque (utì videtur) per Stephanam & Fortunatum quos ad eum miſerant, 1 Cor. 16. 17, 18. quóſque videtur Paulus remiſiſſe Corinthum, & per eos (utì fert Epiſtolæ ſubſcriptio) Epiſtolam priorem ad Corinthios ſcripſiſſe, eos enim Corinthiis in Epiſtola illa commendat, ſimul rogans Appollo 1 Cor. 16. 12. ut unà cum ipſis Corinthum rediret, qui renuit id facere, & Cretam videtur potiùs petiviſſe; quò cùm proficiſceretur unà cum Zena Legis Doctore, videtur Paulus per eos Epiſtolam ad Titum ſcripſiſſe, in qua utrumque Tito commendat, quem ſimul jubet ad ſe venire * Nicopolim, ubi tum animo proponebat hiemem agere. Sed mutato conſilio accerſitus eſt Epheſum Titus, unde à Paulo præmiſſus eſt Corinthum, ut Corinthiorum ſtatum reſciſceret, poſt ſcriptam à ſe ad eos priorem Epiſtolam. [* *Vel legendum eſt iſthîc* Neapolis, *quæ eſt prope Philippos in Macedonia, vel intelligenda eſt illa Nicopolis quæ eſt in Thracia ad Neſum fluvium, non longè à finibus Macedoniæ. Neque enim poteſt hîc intelligi Nicopolis illa quæ eſt in Cilicia, neque item illa quæ eſt in Epiro; ſunt enim extra viam Pauli Epheſo tendentis in Macedoniam. Nicopolis etiam illa quæ eſt in Thracia ad Hæmum montem ſita, non poteſt commodè hîc intelligi, quia longiùs eſt remota à via Pauli in Macedoniam properantis.*]

Anno { Claudii 13. / Chriſti 52. } Act. XX.

Interea à Demetrio excitatur Epheſi magnus adverſus Paulum tumultus; quo ſedato Paulus, poſtquam valediciſſet fratribus, relicto Epheſi Timotheo, 1 Tim. 1. 3. (qui ad eum ex Macedonia jam redierat) ad Eccleſiam illam regendam, Epheſo ſtatim digreſſus ut in Macedoniam proficiſceretur, venit Troadem, 2 Cor. 2. 12. ubi licèt porta

Euangelii

Euangelii pateret illi magna, tamen quia Titum (quem ad Corinthios præmiserat) illic non invenit, à quo Corinthiorum statum resciscere vehementer cupiebat, non diutiùs isthîc hæsit, 2 Cor. 7. 5. sed indè solvit in Macedoniam. Atque illic Paulum graviter ab hostibus Euangelii afflictum recreavit Titi adventus, qui Corinthiorum pœnitentiam illi nunciavit, & quàm apud illos efficax fuisset prior ad eos à Paulo scripta Epistola.

Anno { Claudii 14. / Christi 53.

Cúmque à Macedonibus Collectas recepisset, quos ob insignem liberalitatem commendat, 2 Cor. 8. 1. Titum rursus ad Corinthios mittit, 2 Cor. 8. 6, 15, 16. atque unà cum eo Lucam, quem his verbis περιφανῶς innuere videtur, ἀδελφὸς δὲ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, 2 Cor. 8. 18. item alium quem *fratris* duntaxat appellatione designat, Ibid. v. 22. & cap. 12. 8. quos ad hoc Corinthum præmisit ut Corinthiorum Collectas curarent in adventum suum paratas, 2 Cor. 9. 3, 4, 5. ideóque multis verbis eos ad munificentiam illam hortatur, totis cap. 8, & 9. missâ per Titum & Lucam ex Macedonia ad Corinthios posteriore Epistolâ. [ACT. XX.] Ipse paulò pòst subsecutus venit εἰς τὴν Ἑλλάδα, nempe Athenas & Corinthum, atque illic per tres menses substitit. Per illud trimestre videtur Paulus excurrisse Illyricum usque prædicando Euangelium, Rom. 15. 19. vix enim aliud tempus assignari commodè potest quo eò usque progressus sit, nisi fortè quis malit excursionem illam referre ad id tempus quo primùm venit in Macedoniam, ità ut Thessalonicâ in Illyricum usque excurrisse dicatur. Sub finem illius trimestris, cùm jam paratus esset navigare in Syriam ad deferendas Jerosolymam Ecclesiarum eleemosynas, Corinthi scribit insignem ad Romanos Epistolam, utì liquet ex Epistolæ illius cap. 15. v. 25, 26. Indè iter suum per Macedoniam propter Judæorum insidias in Syriam & Jerosolymam instituit.

Anno { Claudii 14. / Christi 53.

Itineris sui comites habuit Sopatrum Berœensem, Aristarchum, Secundum, Gaium Derbensem, Timotheum, Tychicum & Trophimum. Hi videntur omnino esse illi qui 2 Cor. 8. 23. dicuntur οἱ ἀπόστολοι τῶν ἐκκλησιῶν, h. e. illi qui ab Ecclesiis electi & missi erant ut cum Paulo Collectas Jerosolymam deferrent; noluit enim Paulus solus eo munere defungi, nè suspicione aliquâ interversæ pecuniæ aspergeretur (utì ipse ibidem notat v. 20.) Lucæ non fit inter illos mentio (Act. 20. 4.) quia Lucas noluit ipse se nominare; eum tamen Pauli fuisse συνέκδημον, & ab Ecclesiis ad deferendas Collectas illas delectum atque χειροτονηθῆναι liquet ex 2 Cor. 8. 19. Hi à Paulo Corintho, vel potiùs Berœâ aut Thessalonicâ, præmissi sunt Troadem. Ipse autem cùm Philippis dies Azymorum egisset, indè solvens die quinto Troadem ad eos venit. Hîc septiduum egit, & Eutychum de fenestra καταφὺς in terram delapsum excitavit à mortuis.

Anno { Claudii 14. / Christi 53.

Indè Assum per mare delati, isthîc Paulum qui Troade illuc pedestri itinere profectus fuerat navi excipiunt, Asso Mitylenem, indè Chium, Samum & Miletum veniunt. Huc Paulus, cùm nollet longiorem in Asia moram trahere (cupiebat enim die Pentecostes esse Jerosolymis) Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros ad se accersivit, & gravissimâ oratione eos de officio admonuit, & ad illud gnaviter faciendum hortatus est seriò. [ACT. XXI.] Mileto venerunt Coum, unde Rhodum, postea Patara, hinc præterlegentes Cyprum, eâque ad lævam relictâ, venerunt Tyrum. Isthîc septiduum substiterunt, ubi Paulus à fratribus monitus fuit nè Jerosolymam ascenderet, sed fruſtrà; nam indè Ptolemaida, & postridie Cæsaream veniunt, & apud Philippum Euangelistam (unum ex septem Diaconis illis primis Jerosolymitanis) diverterunt, hospitióque excepti sunt. Isthîc iterum ab Agabo (qui Jerosolymis Cæsaream descenderat) monitus est de vinculis quæ eum manebant Jerosolymis. His non commotus Paulus (nequicquam consulentibus & hortantibus amicis omnibus nè se in tam præsens discrimen conjiceret) Jerosolymam nihilominus pergit.

Hîc ab Ecclesia libentissimè exceptus, Jacobi & totius Presbyterii consilio, ad eluendam quæ de eo sparsa erat calumniam, (eum nempe docere atque hortari Judæos in Christum credentes ut ab observatione Legis Mosaicæ recederent) quatuor viris qui ex fidelibus Judæis votum Nazaræatûs fecerant se adjungit, cum iis secundùm Legis præscriptum se purificat. Non tamen eo promovet quidquam: cùm enim eum in Templo vidissent nonnulli ex incredulis & rebellibus Judæis Asiaticis, qui Jerosolymam ad festum ascenderant, magnis clamoribus & vociferatione turbas adversùs Paulum concitant, confictо etiam calidissimo mendacio, eum nempe introducto in Templum Trophimo Gentili Ephesio, illud polluisse. Cúmque propè esset ut ab iis per tumultum trucidaretur, superveniente Tribuno cum cohorte ereptus est ex eorum manibus, & ductus in castra, ubi, permittente Tribuno, concionem ad tumultuantem populum habuit, [ACT. XXII.] ad sedandos eorum animos, sed fruſtrá: etenim eâ concione vehementiùs exacerbati sunt adversùs eum: quare Tribunus cùm vellet certò scire cujus criminis accusaretur Paulus, eum posteâ die vinculis solutum * Synedrio Judæorum in castris coacto stitit: sed ortâ in Synedrio de Paulo dissensione inter Sadducæos qui accusabant, & Pharisæos qui Paulum excusabant, Tribunus metuens nè ab illis inter contendendum discerperetur, Paulum è medio Synedrio jussit à militibus rapi. [* *Huic Synedrio præerat Ananias Pontifex M.* (*Act.* 23. 2.) *qui à Josepho dicitur abdicatus Pontificatu & Romam missus, redditurus Claudio rationem seditionis ab eo excitatæ, circa annum Claudii decimum; sed legendum est* 14. *utì liquet ex historiæ hujus Apostolicæ serie, quæ id necessariò requirit.*]

ACT. XXIII.

Postridie cùm à conjuratis nonnullis Zelotis Paulo struerentur insidiæ, & Tribuno à Pauli ex sorore nepote indicatæ illæ fuissent, ab eo, cum satellitum ad ipsius custodiam comitatu, Cæsaream ad Felicem provinciæ Præsidem cum literis missus fuit.

Anno { Claudii 14. / Christi 53.

ACT. XXIV.

Isthîc quinto pòst die apud eum ab Anania & Synedrio, perorante Tertullo Rhetore, accusatus Paulus à falsis eorum criminationibus cùm se purgasset, re infectâ, & causæ definitione atque judicio in aliud tempus dilatis, dimisit Felix accusatores Pauli, cúmque jussit libera servari in custodia; & sperans ab eo magnam auri vim, ut vinculis solveretur, sæpius eum accersebat in gratiam Drusillæ uxoris genere Judææ, audiebátque libenter.

Anno { Neronis 1, 2, 3. / Christi 54, 55, 56. }

ACT. XXV.

Atque ità totum biennium in vinculis asservatus fuit Paulus, quo exacto successit in Provincia regenda Felici Festus, qui tertio postquam ingressus fuit Provinciam die, Cæsareâ venit Jerosolymam; apud quem cùm summus Sacerdos & Synedrium Paulum accusarent, rogantes ut Cæsareâ Jerosolymam adduceretur, animo eum ex insidiis in itinere interficiendi, renuens Festus jussit Pauli accusatores venire Cæsaream; & decimo pòst die ipse Jerosolymâ Cæsaream descendit, atque postridie, nullâ interjectâ morâ, sedens pro Tribunali audivit Judæos Paulum accusantes, & Paulum ab eorum accusatione se purgantem. Cupiens autem Festus Judæis postulantibus ut Paulus Jerosolymis judicaretur gratificari, interrogavit Paulum num vellet Jerosolymis coram se ea de re de qua postulabatur judicari. Paulus, qui intelligebat quo animo & consilio Festus id rogaret, & metuens sibi à Judæorum insidiis, renuit proficisci Jerosolymam, Cæsarémque appellavit. Interjectis aliquot diebus cùm junior Agrippa Rex & * Berenice ejus soror venissent Cæsaream salutaturi de more Festum novum provinciæ Præsidem, atque aliquot dies isthîc trivissent, Festus animo pendens & dubius quid de Paulo ad Cæsarem scriberet, Agrippæ ea de re consilium rogat. [* *Lucas non dicit utrùm uxor an soror ejus fuerit, verùm ex Josepho lib. 20. c. 5. Ant. Jud. liquet eam fuisse Agrippæ sororem, quæ cùm à patre Agrippa majore collocata fuisset nuptura Herodi Chalcidis Regi, post ejus obitum vidua in fratris Agrippæ junioris domo remansit: qua de causa etiam cùm malè audiret, quasi cum fratre consuesceret, ut malam illam famam dilueret, Polemonis Regis Lyciæ ambiit nuptias; cui cùm nupsisset, mox eo repudiato rursus ad fratrem rediit.*]

ACT. XXVI.

Is libenter audito in Apologia sua Paulo, & vehementer oratione ejus (quam Festus deridebat) commotus, censuit cum reliquo consessu Paulum nihil morte aut vinculis dignum feciſe, ac propterea solvi posse hominem nisi Cæsarem appellasset.

ACT. XXVII.

Itaque decretum est ut cum aliis captivis Romam ad Cæsarem Paulus mitteretur. Traditus est autem cum reliquis captivis Centurioni Julio Legionis Augustæ, qui eum navi Adramyttenæ Asiam petenti imposuit: & solventes portu primò Sidonem, indè Cyprum, postmodum pelagus quod est secundùm Ciliciam & Pamphyliam prætervecti venerunt Myram Lyciæ; ubi cùm invenissent Centurio navem Alexandrinam, cujus insigne fuit Castor & Pollux, petentem Italiam, imposuit illi captivos.

Anno { Neronis 3. / Christi 56. }

Indè solventes, & debili vento vix impellente, primò Cnidum insulam, indè Salmonem Cretæ oppidum, pòst Lasæam venerunt. Et Paulus quidem consulebat ut isthîc hiemarent, quòd prævideret navigationem futuram deinceps periculosam. Sed nauclero magìs quàm Paulo credens Centurio noluit illic subsistere, sed capto consilio Phœnicen Cretæ portum sic dictum decrevit petere, atque illic hiemare: cúmque illuc tenderent, aspirante primùm Noto, sed mox ortâ subitò procellâ gravissimâ, post multorum dierum periculosissimam jactationem, huc & illuc per mare Adriaticum delati, jacturâ rerum omnium in mare factâ, tandem post miraculosam planè quindecim dierum inediam, in Melite insula navem fregerunt, atque in terram omnes salvi & incolumes evaserunt. [ACT. XXVIII.] Ubi humanissimè ab incolis insulæ excepti sunt, qui exstructo loco ad eorum vestes siccandas, cùm Paulus juxta focum stans viperam manu excussisset in ignem sine damno, rapti in admirationem eum putant Deum. Hîc per tres dies apud Publium insulæ primarium diversati sunt, cujus pater febri cum dysenteria conjunctâ laborans à Paulo sanatus est, cæteríque quotquot in insula fuerunt ægri morbo levati sunt. Indè tertio pòst mense navi aliâ Alexandrinâ (quæ in insula hiemaverat) devecti Syracusas, postea Rhegium, indè Puteolos, tandémque Romam venerunt. Ubi à fratribus (qui obviàm illi ad forum usque Appium & Tres Tabernas processerant) exceptus humanissimè, & à Præfecto Prætorii in libera relictus custodia, tertio pòst die Judæos qui Romæ erant compellans, exposuit eis causam cur Romam vinctus missus esset, Cæsarémque appellare coactus fuisset: cúmque illi negarent se literas ullas de eo ex Judæa accepisse, die constitutâ Christum eis prædicavit; cúmque nonnulli eorum ab eo persuasi illi se adjunxissent, reliquis obnitentibus & contradicentibus, istis relictis ad Gentes se convertit, [4. 57.] & per biennium integrum in proprio manens μισθώματι, cum milite qui ad custodiam datus illi fuerat, quotquot ad eum veniebant excipiebat, prædicans ipsis Dei regnum, & docens ea quæ sunt Domini Jesu cum omni libertate, nemine prohibente.

Cæterùm cum Paulo Romam venisse videntur * 1. Timotheus, qui συνέκδημος ejus fuit cùm ex Græcia venit Paulus Jerosolymam, Act. 20. 4. Epistolæ etiam quæ à Paulo in vinculis Romæ sunt scriptæ Timothei nomen unà cum Pauli nomine in salutatione præferunt, quales sunt Epistolæ ad Philippenses, Colossenses & Philemonem; 2. Lucas, qui & Pauli συνέκδημος fuit, 2 Cor. 8. 19. & in navigatione Pauli Jerosolymâ Romam numerat se inter eos qui navi illâ vehebantur Act. 27, & 28 Denique in Epistolis quas Paulus Romæ in vinculis scripsit, Lucæ nomine salutat Paulus eos ad quos scribit, utì videre est Coloss. 4. 14. Philem. 24. 3. Aristarchus, qui fuit etiam Pauli συνέκδημος, Act. 20. 4. quem Paulus vocat συναιχμάλωτον Coloss. 4. 10. 4. Tychicus, qui & ipse fuit συνέκδημος Pauli, Act. 20. 4. & quem Paulus Româ ad Colossenses misit, Coloss. 4. 7. 5. Marcus Barnabæ ἀνεψιὸς, cujus nomine Colossenses salutat, Coloss. 4. 10. Romæ autem Paulus multos ad Christum convertit, adeóque ex ipsa Cæsaris familia nonnullos, quorum nomine Philippenses salutat, Philipp. 4. 22. Non paucos etiam ex militibus Prætorianis: nam ejusdem ad Philippenses Epistolæ cap. 1. 13. scribit vincula sua cessisse εἰς προκοπὴν τῷ εὐαγγελίῳ, ità ut celebria ea fuerint ἐν ὅλῳ τῷ πραιτωρίῳ. Onesimum item Philemonis servum δεσπότῃ ad Christum convertit, eúmque conversum ad herum remisit cum Epistola, quâ eum hero reconciliat & commendat. [* *Baronius vult eum à Paulo relictum esse Ephesi cùm Miletì Ephesina Ecclesia Presbyteros ad se accerseret, postmodum autem cùm Romæ Paulus esset vinctus posteriore Epistolâ ad eum scriptâ fuisse à Paulo Romam evocatum, atque post ejus adventum scriptas fuisse à Paulo Epistolas ad Ephesios, Philipp. &c. in quibus Ecclesias illas Timothei nomine salutat. Verùm infrà hac Baronii scriptura refutabitur suo loco cùm de tempore quo Paulinæ Epistolæ scriptæ fuerunt agetur.*]

Anno { Neronis 4. / Christi 56. }

Epaphroditum (quem ad Paulum Romæ captivum miserant Philippenses ut illi necessaria vitæ subsidia subministrarent) Paulus excipit, & per eundem Epistolam ad Philippenses scribit. Tychicum etiam ad Colossenses mittit, & per eum ad Colossenses scribit, quo tempore Onesimum ad herum remisit; nam Tychico Onesimum adjungit Coloss. 4 9. Simul etiam scripta tum & missa videtur Epistola ad Ephesios, utì postea loco suo infrà videbitur.

Atque

Atque hæc sunt quæ de Petri, & Pauli maximè, historia atque peragratione ex libris sacris N. Testamenti haberi & colligi possunt. De reliquis Apostolis vix quidquam narratur. De Jacobo Johannis fratre ab Agrippa interfecto mors ejus duntaxat narratur, Act. 12. 2. Cui suffectus est statim Jacobus alter Alphæi filius, uti suprà notatum est, qui Ecclesiam Jerosolymitanam ab eo tempore, anno nimirum Claudii primo, ad annum usque ejusdem ultimum (per tredecim aut 14 ut minimum annos) quo Paulus Jerosolymis vinctus est rexit; nam tum Ecclesiæ illi præfectus adhuc erat, uti liquet ex Act. 21. 18. Josephus Antiq. lib. 20. cap. 8. scribit eum ab Anano summo Pontifice, Anani vel potiùs Ananiæ summi etiam Pontificis filio, capite damnatum, & lapidibus obrutum cum aliis nonnullis fuisse, paulò antequam Albinus Festo defuncto successor à Nerone mitteretur, h. e. circa annum Neronis sextum vel septimum, Christi 159 vel 60. V. C. 814. De Johanne autem Apostolo, præter ea quæ habentur initio libri Actorum, nihil aliud ex Scriptura haberi potest, nisi quòd ob testimonium Christi in insulam Pathmon Epheso proximam deportatus fuit, Apoc. 1. 9. Quod factum fuisse circa annum Domitiani octavum putant, quo tempore Domitianus secundam post Neronem adversùs Christianos excitavit persecutionem.

Historiæ Apostolicæ finis.

An Paulus bis fuerit Romæ vinctus, & An Occidentem prædicando Euangelium lustraverit.

VUlgata est & receptissima Patrum omnium, vixque ab ullo, quod sciam, hodie improbata sententia, Paulum Apostolum post biennium illud Romæ actum (cujus meminit Lucas Act. 28. 30.) vinculis solutum, per aliquot annos Occidentem prædicando Euangelium peragrasse, postremò sub finem imperii Neronis, cùm Romam rediisset, à Nerone capite truncatum fuisse. Verùm nullum solet ab ipsis ad hoc adferri argumentum cui facilè responderi non possit. Unum est à nemine (quem ego quidem viderim) hactenus prolatum, quo Paulum prioribus vinculis Romanis solutum fuisse ostendi potest. Nempe quòd 2 Tim. 4. 20. Paulus sic scribit, *Erastus mansit Corinthi, Trophimum autem reliqui Mileti agrotantem.* Tum & illud quod vers. 13. scribit de penula apud Carpum Troade relicta, quam jubet ad se adferri unà cum libris ac membranis. Nam licèt primâ fronte videri possit hæc esse referenda ad illud Pauli iter ex Macedonia Jerosolymam quod narratur Act. 20. siquidem isthîc ver. 6 Lucas meminit Troadis, ubi Paulus cum comitibus septiduum egit, & Eutychem suscitavit; versu item 20 mentio fit Mileti, quò Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros Paulus evocavit, ut iis valediceret; capite autem 19. 22. Paulus dicitur Epheso præmisisse ante se in Macedoniam & Achaiam Erastum cum Timotheo, qui Erastus cùm esset Corinthi οἰκονόμος (Rom. 16, 23.) videtur omnino substitisse Corinthi, nec Pauli comes fuisse cùm indè Jerosolymam navigavit; neque enim numeratur Act. 20. 4. inter reliquos Pauli συνεκδήμους. Unde fortè quis primâ fronte conjicere posset Paulum videri nonnisi semel Romæ vinctum fuisse, atque in fine biennii martyrio fuisse coronatum; siquidem Epistola illa non multo tempore ante Pauli martyrium scripta fuit, uti colligere licet ex cap. 4. ver. 6, 7, 8.

Tamen rem si quis attentiùs consideret, deprehendet illa quæ de Erasto & Trophimo ad Timotheum scribit Apostolus, non posse referri ad iter illud Pauli quod narratur Act. 20. Cùm enim Timotheus Pauli fuerit in ea navigatione συνέκδημος, Act. 20. 4. ejúsque Romæ συναιχμάλωτος, aut saltem συνεργὸς, (siquidem Epistolæ quas in vinculis Romæ scripsit Apostolus, Timothei nomen cum Pauli nomine præferunt) ut jam dem Timotheum à Paulo post scriptas illas Epistolas Româ fuisse in Asiam vel Græciam missum, ad eúmque postmodum scriptam fuisse posteriorem istam Epistolam (quæ omnia gratis, sine veri specie, sumuntur, quandoquidem scriptæ sunt illæ Epistolæ sub finem biennii Romani, quo tempore Paulus mox fuit vel vinculis solutus, vel martyrio coronatus) vel, ut etiam Baronio largiar quod ipse contendit, nempe initio hujus biennii Timotheum à Paulo fuisse Romam evocatum, scriptâ ad eum posteriore Epistolâ, reliquas autem Epistolas sub finem biennii fuisse scriptas, cùm jam ad Paulum Timotheus venisset: ut, inquam, hæc ipsi largiar, tamen quàm ridiculum esset, Timotheum à Paulo moneri per Epistolam Erastum Corinthi mansisse, & Trophimum Mileti ægrum esse relictum, cùm Timotheus & Corinthi unà cum Paulo fuerit tum cùm præsupponitur Erastus isthîc mansisse, & Mileti cùm Trophimus putatur illic à Paulo relictus, & id quidem monere triennio, aut verò ut minimum biennio, postquam hæc præsupponuntur esse gesta; siquidem ex quo Paulus Corintho Jerosolymam petivit ad finem biennii Romani (quo tempore oportuit, ex illorum sententia, scriptam esse hanc Pauli ad Timotheum posteriorem Epistolam) quadriennium ut minimum interfluxit. Vel si juxta Baronium scripta fuit initio illius biennii, aliud biennium ut minimum intercessit, illud nempe biennium quod memoratur Act. 24, 27. quamvis Baronius locum illum aliter accipiat, sed fruſtrà. Adde quòd ex Act. 21, 29. constat Trophimum unà cum Paulo Jerosolymam venisse; non ergò à Paulo relictus fuerat tum ægrotus Mileti.

Sunt qui cùm id animadvertissent, ut huic dicto Paulino constet sua veritas, legi volunt ἐν Μελίτῃ pro ἐν Μιλήτῳ, ut sit hæc Pauli mens, Trophimum à se ægrum relictum esse, non Mileti cùm Jerosolymam contenderet, sed in Melite insula, ubi navis quâ vehebatur Jerosolymis Romam fracta est. Atque istos sequitur Baronius ad An. Chr. 59. §. 1. Sed fruſtrà σοφὸν hoc φάρμακον adhibetur. Nam cùm (uti suprà jam demonstratum est) Timotheus fuerit Pauli in illa navigatione comes, non potuit nescire Trophimum isthîc fuisse à Paulo relictum; quid opus erat Timotheum Româ in Asiam profectum (uti illi volunt) à Paulo per Epistolam ea de re moneri, toto biennio postquam id contigerat? Vel, existimabimúsne Trophimum toto illo tempore jacuisse ægrotum in insula illa? Baronius negat Timotheum fuisse Pauli συνέκδημον Jerosolymâ Romam, eúmque vult fuisse Ephesi relictum cùm Miletum Presbyteros illius Ecclesiæ ad se accerseret, sed eum mox à Paulo Romæ in vinculis constituto, statim initio biennii illius Romani, fuisse Epheso Romam evocatum. Verùm hæc omnia gratis à Baronio dicuntur, ut tueatur sententiam quam constitutum est illi defendere adversùs quosdam ipso hac in parte prudentiores, nempe posteriorem ad Timotheum Epistolam in prioribus, non in posterioribus vinculis à Paulo fuisse scriptam. Sed fruſtrà id contendit, uti videre est partim ex his quæ jam hactenus diximus, partim ex iis quæ infrà dicturi sumus, cùm de Epistolâ illa nobis erit dicendum. Nec animadvertit ille quòd si causam hac in parte vincat, nullum supereſt firmum argumentum quo ex Scriptura probari possit, Paulum prioribus vinculis fuisse solutum. Nam, uti paulò antè monui, solum, quod ad hanc rem alicujus est momenti, illud est quod ducitur ex posteriore ista ad Timotheum Epistola, *Erastus Corinthi remansit, Trophimum ægrum Mileti reliqui, & Penulam tecum affer quam Troade apud Carpum reliqui.* Reliquis enim omnibus facilè responderi potest.

Hæc cùm ità sint, necesse videtur ut dicamus illa tum contigisse cùm Paulus vinculis prioribus solutus Græciam & Asiam repetiit, ac rursum perlustravit, eâque relictâ Romam secundò venit; siquidem non possunt ista referri ad tempus quod priora Pauli vincula præcessit, uti demonstratum est. Et sanè ex Epistolis Paulinis colligi posse videtur eum vinculis solutum, in Asiam & Græciam

rediisse. Nam Epistolæ ad Philemonem Colossensem (quæ scripta fuit cùm Romæ vinctus esset) ver. 22. jubet parari sibi hospitium, quòd speret se donatum iri brevi eorum precibus. Et Epistolæ ad Philippenses cap. 1.25. certò confidit se redditum iri ipsis. Et cap. 2.24. sperat se brevi rediturum ad eos. Ex his confici certò posse videtur, Paulum prioribus vinculis solutum Ecclesias Orientales quas fundaverat repetiviſse, atque in ea peragratione seu lustratione, dum Romam redit, Trophimum Mileti ægrum, Erastum Corinthi, penulam cum membranis & libris apud Carpum Troade, Timotheum denique Ephesi à Paulo fuisse relictum, ad quem, paulò postquam Romam venerat, videtur scripsisse posteriorem istam Epistolam, quâ eum de istis monet (utpote quæ nuper admodum contigerant, & ab eo propterea ignorari poterant) jubétque ad se properare ante hiemem.

Unde colligere est, Paulum post liberationem à prioribus vinculis non videri Occidentem lustrasse, prædicando Euangelium (uti vulgò creditur) sed in Orientem rediisse; nisi quis fortè dicat utrumque à Paulo factum esse; ac primò quidem post soluta vincula eum in Occidente Euangelium annunciasse, tum deinde Orientem repetiviſse, ac postremò cùm ex Oriente Romam rediisset martyrio coronatum fuisse. Sed si ità est, quî factum ut nulla sint in tota primitivæ Ecclesiæ historia certa vestigia aut monumenta à Paulo prædicati Euangelii hoc vel illo loco, & Ecclesiarum ab eo in Italia, Gallia, Germania aut Hispania constitutarum? fierine potest ut, si provinciæ illæ à Paulo fuissent lustratæ, & Euangelium in iis ab eo fuisset prædicatum, Ecclesiæ in aliquibus locis fuissent constitutæ, nulla superfuerint hujus rei monumenta, nulla memoria, nulla vestigia in veteri Ecclesiæ historia. Adde quòd causa nulla idonea fingi potest cur Lucas, qui perpetuus fuit & individuus Pauli in prioribus & posterioribus vinculis comes, de illa Occidentis à Paulo facta peragratione prorsus tacuerit. Gratis & sine ratione à quibusdam negatur Lucam Paulo tum adfuisse, hâncque esse causam cur de illa peragratione nihil scripserit. Verùm cùm Paulo Lucas adfuerit & in prioribus vinculis (uti liquet ex libro Actorum Apostolicorum, & Epistolis Paulinis ad Philipp. Coloss. & Philemonem in prioribus vinculis scriptis, in quibus Lucæ nomine eos salutat) & in posterioribus etiam vinculis, quod æquè certum est ex 2 Tim. 4.11. ubi dicit Lucam secum esse solum (scripta est autem illa Epistola paulò ante Pauli martyrium) quid nos cogit negare cum Paulo tempore intermedio etiam adfuisse. Incerta ergò prorsus videtur illa Patrum traditio, nullo satis firmo fundamento subnixa, quâ asserunt Paulum prioribus vinculis solutum in Occidente Euangelium prædicasse (quales complures sunt aliæ veteres Traditiones ἀναφαλίτους receptæ, incertæ vel etiam falsæ, à doctis viris notatæ [Casaub. Exerc. 1. §. 26.]) cùm ex Scriptura (uti demonstratum est) colligi verius possit, eum Orientem repetiviſse, non autem in Occidentem profectum esse.

Unum potest adversùs hanc nostram sententiam objici, illud nimirum quod Paulus Act. 20.25. in oratione quam Mileti habuit ad Ephesinæ Ecclesiæ Presbyteros, dicit *se hæc scire, neque ipsos, neque reliquos omnes per quos διῆλθεν, visuros amplius faciem suam*: Unde conjici posse videtur Paulum post soluta priora vincula non rediisse in Orientem, sed Occidentem lustrasse, aut verò (quæ nonnullorum est sententia) in fine biennii Romani martyrium fecisse. Sed responderi potest, Paulum non semel ex humana conjectura, atque ex humano spiritu, consilio & proposito multa ejusmodi cogitasse, putasse, proposuisse & dixisse, quæ tamen postea, Deo ità disponente, aliter ceciderunt contra ipsius spem & consilium atque opinionem. Sic (Rom. 15.) ità scribit ad Romanos quasi certus esset, post delatas & consignatas Jerosolymis Eleemosynas, proficisci in Hispaniam per Italiam & Romam, séque à Romanis illuc deducendum esse. Et Act. 19.28. Paulus dicitur proposuisse animo, post lustratam Macedoniam & Achaiam, proficisci Jerosolymam, atque indè Romam, dicens, *Oportet me posthac videre etiam Romam.* Sanè Romam vidit, at non eo modo & tempore quo sibi tum animo proponebat, & sperabat. Suprà etiam ostendimus (ex 2 Cor. 1.15.) Paulum, cùm adhuc esset Ephesi, proposuisse sibi primò Corinthum rectà petere, indè Macedoniam, ex Macedonia postmodum Corinthum redire, quod consilium certum est Paulum Erasto & Timotheo (quos in Macedoniam & Achaiam præmiserat) jussisse ut Corinthiis significarent, quo tamen postea mutato, eo nomine se apud Corinthios purgat eo loci. Itaque mirum videri non debet si, cùm Spiritus Paulum oppidatim moneret vincula & afflictiones graves manere eum Jerosolymis, sentirétque se Spiritu ligatum ut eò nihilominus proficisceretur, nesciens quænam essent illic sibi eventura, desperaverit de reditu suo ad eos quos post se relinquebat, licèt Deo ità disponente, (cui soli futura sunt certò cognita) res aliquot pòst annis ceciderit aliter quàm ipse tum credebat. Non est itaque tam validum adversùs nos argumentum illud ut eo subvertatur sententia nostra, de Pauli reditu in Orientem, post soluta Romana ejus vincula. Nam si valet adversùs hanc nostram sententiam locus ille Act. 20.25. non minùs valebunt adversùs ipsorum sententiam loca ex Paulo similia suprà modò à nobis allata, quibus non aliter responderi potest quàm nos jam respondimus ad illum Act. 20.25. locum. Quòd si hæc responsio ad illa loca solida ipsis videbitur, cur non & hæc nostra, illi per omnia par & similis, firma videri debet? Cùm itaque par utrinque sit, & similis omnino, ad loca illa ἀντιστροφὴ responsio, sententia autem nostra de Pauli in Orientem reditu post soluta priora Romana vincula Scripturæ nitatur autoritate (uti hactenus à nobis demonstratum est) ipsorum autem opinio de ejus per Occidentem prædicatione & peragratione, solâ subnixa sit incertâ, licèt veteri, Traditione, æqui & cordati Lectoris liberum esto judicium, utri par sit potiùs credere, utram amplecti videatur convenientius sententiam.

Jam verò quantum temporis in ea ultima peragratione consumpserit Paulus non potest ex Scriptura haberi; sed si verum est quod vulgò traditur de martyrio Pauli, eum nempe tum fecisse martyrium cùm Nero post incensam Romam, ut hanc à se amoveret infamiam, Christianos hujus incendii insimulatos suppliciis exquisitissimis excruciavit, certum est ex Tacito Romam fuisse incensam Lecanio Basso & Licinio Crasso Coss. h.e. (ut ex Fastis liquere potest) anno Neronis 10. V.C. 818. Olymp. 211. atque ex consequenti anno æræ Christi receptæ 64. Infrà autem probabimus Paulum vinculis prioribus Romæ fuisse solutum sub finem anni Neronis quarti. Itaque hæc postrema ejus peragratio annorum fuerit circiter sex, nempe à fine anni 4 ad finem anni 10 vel initium undecimi; & Paulus martyrium inter reliquos Christianos fecerit anno æræ Christi receptæ 64, vel 65. veræ autem Christi æræ anno 66, vel 67.

Quatuor Pauli per Asiam & Graciam ad Euangelium prædicandum peragrationes.

PRima fuit cum Barnaba, qui ei Divinitus per Prophetiam adjunctus fuit comes itineris, & in ministerio illo συνεργὸς Act. 13.2. Hâc primâ peragratione (quæ describitur Act. c. 13. & 14.) Antiochiâ Syriæ profecti venerunt Seleuciam, Cyprum, Pergam, Antiochiam Pisidiæ, Iconium, Lystram, Derben Lycaoniæ, nec ulteriùs sunt tum progressi; indè enim super vestigia sua regressi & κατὰ πόλιν Senioribus in singulis quas fundaverant Ecclesiis constitutis, Antiochiam unde primò missi fuerant, reversi sunt, Act. 14.27,28.

Secunda fuit post Concilium Jerosolymitanum, quod describitur Act. 15. Eo enim absoluto cùm Paulus, qui eò missus fuerat, Antiochiam rediisset, aliquantò post Barnabam hortatus est ut Ecclesias quas in Asia constituerant, revisérent; sed exacerbatione inter eos ortâ Paulus secundam istam peragrationem assumpto Sila &

Tito

Tito susceptit, Act. 15. 40. In ea videtur ex Cilicia trajecisse in Cretam insulam, atque illic annunciato Euangelio Titum reliquisse ἵνα τὰ λείποντα ἐπιδιορθώσηται. Indè Derben cùm venisset, in Titi locum (uti videtur) quem in Creta reliquerat, assumpto Timotheo Phrygiam & Galatiam peragravit, & prohibitus à Spiritu in Asia (strictissimè sic dicta, quæ est circa Ephesum) Euangelium prædicare, per Mysiam, prætermissâ Bithyniâ (quia Spiritus non sinebat) venit Troadem, indè in Macedoniam, Philippos primùm, dein per Amphipolim & Apolloniam venit Thessalonicam, postea Beroeam, indè Athenas, postea Corinthum, ubi exacto sesquianno Jerosolymam contendit; in itinere Ephesum salutat duntaxat, paucis isthic actis diebus quia Jerosolymam properabat. Indè ergò Cæsaream navigat, & Jerosolymam ascendit, unde salutatâ Ecclesiâ Antiochiam Syriæ repetit, ubi χείρον τινὰ ἐνιαυτὸν, Act. 18. 22.

Tertia Pauli peragratio indè initium sumit ubi secunda desiit. Cùm enim Antiochiæ aliquandiu hæsisset, indè rursus repetens Phrygiam & Galatiam, ad eos confirmandos quos antea Christo lucrifecerat, venit tandem Ephesum, atque isthic exacto biennio post sedatum tumultum Demetrianum profectus est in Macedoniam & Achaiam ad recipiendas Ecclesiarum illarum Collectas Jerosolymam deferendas; cúmque Corinthi (vel saltem ἐν τῇ Ἑλλάδι) trimestre egisset, indè solvens per Macedoniam venit Troadem, indè Miletum, pòst Rhodum, Coum, Pataram, Cyprum, Tyrum, Ptolemaida, Cæsaream, tandémque Jerosolymam, ubi in vincula conjectus, & per biennium à Felice in libera servatus custodia, tandem à Festo Romam missus est.

Quarta & ultima Pauli peregrinatio illa est quam biennio pòst suscepit, cùm vinculis Romæ solutus Asiam & Græciam repetivit, uti putamus ex Scriptura suprà illud demonstrasse adversùs eos qui in fine biennii illius Romani existimant vel Paulum martyrio coronatum, vel liberatum vinculis Occidentem lustrasse.

Quoties Paulus post conversionem suam venerit Jerosolymam.

Quinquies aut verò sexies Paulus venit Jerosolymam. Primâ vice, Damasco (postquam ex Arabia rediisset Damascum) venit Jerosolymam salutaturus Petrum, anno à conversione sua tertio exeunte, vel quarto ineunte, Act. 9. 26. Gal. 1. 18.

2 Venit Jerosolymam missus Antiochiâ cum Barnaba ad deferendas Ecclesiæ Antiochenæ Eleemosynas Act. 11. 30. anno altero postquam Jerosolymam primò venerat, Claudii verò Imper. anno quarto.

3 Rursus Antiochiâ venit Jerosolymam ad Concilium Jerosolymitanum, ob quæstionem de necessitate observandæ Legis Mosaicæ, à nonnullis ex Pharisæorum secta in Antiochena Ecclesia primùm excitatam, Act. 15. 1. Gal. 2. 1. anno postquam primò venerat Jerosolymam quarto, vel decimoquarto post Christi mortem, & Ecclesiæ Christianæ primùm jacta fundamenta per Spiritûs S. in Apostolos die Pentecostes solennem missionem.

4 Post secundam suam peragrationem peractam Ephesum venit Corintho, atque Epheso Cæsaream & Jerosolymam, Act. 18. 22, & seqq.

Quintò & ultimò post absolutam tertiam suam peregrinationem, ex Græcia per Macedoniam, Troadem, Miletum, Tyrum, Ptolemaida, Cæsaream, venit Jerosolymam, ubi in vincula conjectus Romam captivus ductus fuit. Quòd si (uti videtur) Epistola ad Hebræos est Pauli Apostoli, ex ea colligi posse videtur Paulum Romanis vinculis solutum, Româ Jerosolymam venisse: nam cap. ult. vers. 23. scribit fore ut brevi eos (nempe Judæos Jerosolymitanos) cum Timotheo invisat.

Petri peragratio ex historia Apostolica Novi Testamenti.

Cum à Petro jacta fuissent prima Ecclesiæ Christianæ fundamenta egregiâ illâ Concione quam habuit post solennem Spiritûs S. in Apostolos die Pentecostes millionem, cúmque aucta ejusdem Petri & aliorum Apostolorum ministerio & operâ ad Stephani usque Protomartyris necem, & à Saulo, nondum ad Christum converso, dissipata atque disjecta esset Ecclesia Hierosolymitana, & à Philippo Diacono aliísque τῆς διασπορᾶς Euangelium per Judæam & Samariam esset prædicatum, Petrus primò Jerosolymâ prodit missus ab aliis Apostolis & Ecclesia, venítque Samariam, ubi Simonis Magi hypocrisin & infidelitatem redarguit, atque indè Jerosolymam reversus est. Altero pòst anno, dum Paulus ad Christi fidem conversus in Arabia per triennium Christum annunciat, aucto per Judæam, Galilæam & Samariam numero Ecclesiarum, Petrus secundò Jerosolymâ egressus eas lustravit, Lyddæ Æneam paralyticum sanat, Joppæ Tabitham à mortuis excitat, Cæsareæ Cornelium Centurionem ad fidem Christi convertit. Act. 9. 32. ad cap. 11. 20. Biennio pòst, cùm Paulus Damasco Jerosolymam venisset ἱστορῆσαι Πέτρον, atque indè Cæsaream & Tarsum profectus esset, Petrus mox ab Herode conjicitur in carcerem, sed ab Angelo noctu liberatus, cùm in domum Mariæ matris Johannis cognomento Marci venisset, illic indicans se liberatum esse, profectus est in alium locum, Act. 12 17. sed quò abierit non indicat Scriptura. Annis deinde tribus, aut verò etiam quatuor, paulò post Concilium Jerosolymitanum, anno Claudii sexto ad finem decurrente, cùm Paulus Jerosolymâ à Concilio Antiochiam rediisset, Petrus eò venit, ubi à Paulo de simulatione reprehensus fuit, Gal. 2. Petrum postmodum indè Romam venisse affirmant ex Traditione Patres omnes. Quàm autem incerta sit illa Traditio, videri potest ex iis quæ non pauci scripserunt ut ostenderent, videri Petrum Romæ nunquam fuisse, aut saltem isthic Martyrium cum Paulo non fecisse.

Babylon, cujus Petrus meminit prioris suæ Epistolæ cap. 5. 13. unde suam ad fideles τῆς διασπορᾶς scribit Epistolam, non est (ut plerique post Eusebium & Hieronymum existimarunt) Roma. Non potest enim locus aliquis figuratè dici *Babylon* in Scriptura, nisi ob servitutem vel corporalem, vel potiùs spiritualem, quam Ecclesia, sive populus Dei, in ea patitur. Atqui Ecclesia non est Romæ passa servitutem, sive persecutionem, nisi circa finem imperii Neronis, cùm ab eo cœperunt affici supplicio Christiani. Itaque si Romæ scripta fuit hæc Epistola, necesse est eam fuisse tum scriptam cùm à Nerone cœpta est prima Christianorum persecutio. Atqui Paulus tum temporis fuit Romæ vinctus. An credibile est Petrum noluisse in Epistola sua Pauli meminisse, & Judæos ad quos scribit voluisse salutare suo & Marci nomine, Paulum autem omnino prætermisisse? Non est ergò Romæ scripta. Sanè Româ in Apocalypsi figuratè & spiritualiter dicitur *Babylon*, ob servitutem spiritualem quam Ecclesia Dei in ea aliquando passura erat, Pontificis Rom. tyrannide oppressa. At Roma fidem Christi professa, respectu tyrannidis illius ab ea exercendæ, sic dicitur; non verò Roma Ethnica, qualis erat tum cùm Petrus Epistolam suam scripsit, maximè cùm ea tum nondum cœpisset Ecclesiam Dei affligere.

Sed neque Babylon ista, unde Petrus scribit suam Epistolam, est Ægypti Alexandria, ubi nonnulli (sed nullo argumento freti) volunt Petrum prædicasse Euangelium; Alexandria enim nunquam fuit dicta *Babylon*. *Babylona* quandam in Ægypto statuit Ptolemæus, & Josephus Antiq. lib. 2. sed cujus non meminit Plinius, ut omnino videatur *Babylon* Ptolemæi esse urbs illa quæ *Byblos* dicitur; neque enim hujus meminit Ptolemæus. Verùm nescio an dixerit quispiam, Petrum indè scripsisse suam Epistolam.

Alii existimant scriptam eam fuisse ex nobili Assyriæ

civitate Babylone, quæ caput fuit τῆς διασπορᾶς Judæorum per Asiam. Quòd si indè scripta est, oportet id factum fuisse vel inter priora & posteriora Pauli vincula, vel per quinquennium illud quod intercessit inter annum Claudii XI & priora Pauli Romæ vincula, anno Neronis tertio. Nam ante Concilium Hierosolymitanum non fuerat prædicatum per Pontum, Asiam, Galatiam & Cappadociam Euangelium, siquidem Paulus primâ & secundâ suâ peragratione primus id tentavit. Paulò post Concilium Hierosolymitanum, Paulus cum Sila (qui idem Sylvanus est) secundam suam instituit peragrationem; itaque Sylvanus non potuit tum cum Petro esse Babylone, ut per eum potuerit Petrus mittere hanc Epistolam. In prioribus autem Pauli vinculis Romæ cum eo fuit Marcus (uti suprà probavimus) itaque non potuit tum temporis esse cum Petro Babylone, ut ejus nomine salutare potuerit Petrus Judæos ad quos scribit, quod tamen facit cap. 5. 13.

Ego potiùs conjicerem Hierosolymæ fuisse scriptam, & Jerosolymam à Petro fuisse dictam figuratè *Babylonem*, quòd tum temporis Jerusalem non esset ampliùs *urbs sancta*, sed spiritualis quædam Babylon, in qua Ecclesia Dei captiva quasi tenebatur, & gravi servitute premebatur, quatenus pridem à Judæis persecutionem pati cœperat. Ac nè mirum & novum atque insolens cuiquam videatur quòd Jerosolymam dicamus fuisse à Petro figuratè dictam *Babylonem*, proferam hîc Procopii locum in Esaiæ cap. 53. (quem ille totidem verbis desumpsit ex Cyrilli Alexandrini Comment. in eum Esaiæ locum) ubi Procopius ait Jerosolymam olim ab Esaia dictam fuisse *Babylonem*. Sic ergò habet ille initio Commentarii sui in Esai. 53. καὶ τὸν προφητικὸν ὃ χοεὶν, Ἰαβδ' σαμὼ, λέγων, τὼ Βαβυλῶνα, καὶ ὐκ ἰάθη, ἐγκαταλείπωμὼ ἀυτὼ· τὼ Ἱερουσαλὴμ καλέσαντα Βαβυλῶνα, ὡς τῆς ἐθνῶν ἀσεβείας μηδὲν διαφέρουσαν, μηδὲ τῷ νόμῳ πειθομένω φρονεῖν. Etsi autem in loci illius Esaiæ interpretatione & applicatione fallitur Cyrillus, & post eum Procopius, tamen quod Propheta isthîc de Assyriaca Babylone dicit, rectè potuit ab Apostolis de Jerusalem usurpari, cùm Petrus suam scripsit Epistolam. Curaverant enim illi (quantum in ipsis fuerat) spiritualem illam Babylonem, Christum Judæis prædicando, sed noluit illa sanari, Christum verâ fide recipiendo, propterea etiam mox illam relinquentes ad Gentes sese converterant, eáq; sic relicta paulò pòst, justo Dei judicio, à Tito Vespasiano funditus eversa est, ut olim fuerat Babylon.

Tum autem videtur scripta fuisse illa B. Petri Epistola cùm Paulus absolutâ secundâ suâ peragratione venit Corintho Jerosolymam; Silam enim tum secum adduxit, quem verisimile est Jerosolymis substitisse (neque enim postea fit ejus à Luca mentio in reliquis Pauli peragrationibus.) Marcus autem (quem antea Barnabas secum Antiochiâ Cyprum abduxerat, Act. 15. 39.) potuit etiam eodem tempore ex illa Barnabæ peragratione Jerosolymam rediisse. Sed & οἱ τῆς διασπορᾶς, ad quos scribit Petrus, non sunt fortè Judæi illi qui jam ab aliquot antè seculis (paulò post scilicet solutam Captivitatem Babylonicam) per universam Asiam & totum penè terrarum orbem dispersi varia insederant loca; sed potiùs videntur esse fideles Judæi, qui dispersi ex oppressione orta Jerosolymis post Stephani martyrium propter persecutionem à Saulo excitatam, dicuntur (Act. 11. 19.) διελθὸν ἕως Φοινίκης, καὶ Κύπρου, καὶ Ἀντιοχείας, *perveniſſe Cyprum uſque & Antiochiam*: nam etsi non dicantur illic ulteriùs progressi, fieri tamen potest ut illic non substiterint, sed & ulteriùs penetraverint, & per totam Asiam minorem paulatim procedente tempore sese diffuderint. Isti autem bis dicuntur διασπαρέντες, Act. 8. 4. & 11. 19. itaque ii esse possunt qui à Petro dicuntur οἱ τῆς διασπορᾶς. Et sanè hi potissimùm videntur fuisse à Petro compellandi & consolandi (quod & diligenter facit Petrus cap. 1. 6, 7.) in gravi illa afflictione quam passi fuerant, coacti per Saulli persecutionem patriis sedibus excedere, & huc atque illuc sedibus incertis vagari, à congeneribus & popularibus Judæis rebellibus & incredulis persecutionem utique propter Christi nomen patientes.

Ad posteriorem autem B. Petri Epistolam quod attinet, hoc unum habemus (quod ex ea colligi potest) dicendum, scriptam nempe eam fuisse à Petro (si modò Petri est) paulò ante obitum suum (quod colligi potest ex cap. 1. 14.) & post scriptas omnes, vel pleraſque saltem, Pauli Epistolas, cap. 3. 15. Cæterùm ubi, quando, & per quos missa fuerit, altum ea de re silentium. Nec fuit ea scripta (quemadmodum prior) solis Judæis τοῖς ἐκ τῆς διασπορᾶς, sed omnibus in universum fidelibus, tum ex Judæis tum ex Gentibus ad Christum conversis, quod liquet tum ex vers. 1. cap. 1. τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν (quod de Gentibus propriè dicitur) tum ex eo quod cap. 3. 15, 16. dicit Paulum ad eos scripsisse in omnibus suis Epistolis. Atqui pleræque omnes Pauli Epistolæ scriptæ sunt ad Gentes ad Christi fidem conversas.

Quo pacto historia Apostolica sit cum exotica connectenda, & quomodo connectionis ejus ratio atq; ipsius historiæ series demonstrari possit.

OBservandæ sunt primùm temporis & annorum notationes quæ in Novo Testamento occurrunt, ut sunt, 1 Triennium illud cujus Paulus meminit Gal. 1. 18. quo exacto Jerosolymâ venit salutaturus Petrum. 2 Quatuordecim illi anni quorum idem meminit ibidem cap. 1. 2. quibus exactis venit rursus Jerosolymam ad concilium Jerosolymitanum. 3 Sesquiannus Corinthi exactus in secunda Pauli peragratione, Act. 18. 11. usque ad Gallionis Proconsulatum. 4 Quatuordecim anni quorum Paulus meminit 2 Cor. 12. 2. quibus raptus Pauli in tertium cœlum præcessit scriptionem illius Epistolæ. 5 Biennium Ephesi à Paulo actum usque ad tumultum Demetrianum, Act. 19. 10. 6 Aliud biennium in vinculis Cæsareæ actum sub Felice ad Festi Præfecturam, Act. 24. 27. 7 Ultimum biennium Romæ in vinculis actum, Act. 28. 30.

Deinde observanda sunt nonnulla historiæ exoticæ monumenta quæ hîc & illic in historia Apostolica sparsa notantur; ut 1 Theudas ille & Judas Galilæus quorum meminit Gamaliel Act. 5. 36. 2 Fames ab Agabo prædicta, quæ sub Claudio contigit, Act. 11. 28. 3 Herodis bellum cum Tyriis, ejúsque mors stupenda, Act. 12. 20. 4 Aquila & Priscilla πρόσφατος ἀπελυδόντες ex Italia ob edictum Claudii quo Judæi Româ pellebantur, Act. 18. 2. 5 Gallionis Proconsulatus in Achaia paulò pòst (nimirum 18 menses) subsecutus. 6 Felicis fratris Pallantis liberti Claudii Imperatoris Præfectura in Judæa, & Festus in ejus locum succedens, Act. 24. 27. 7 Historia Ægyptii illius cujus meminit Lysias, Act. 21. 38.

Tertiò, videndum ex Josepho, Dione, Tacito, Suetonio, aliísque scriptoribus exoticis, quando & quoto hujus vel illius Imperatoris Romani anno, vel quo Consule, aut Urbis conditæ anno singula illa contigerint.

Quartò, tenendum est quot annos regnaverint Imperatores Romani sub quorum imperio hæc contigerunt, putà Augustus 57. Tiberius 23. Caligula non totos quatuor annos, Claudius annos fermè 14. Nero totidem; Josephus De bello Jud. lib. 5. cap. 6. dicit annos duntax. 13. dies 8. Jam verò Johannes Baptista prædicare & baptizare cœpit anno Tiberii 15. Luc. 3. 1. Christus non multò pòst ab eo baptizatus fuit cùm esset annorum 30. Prædicavit ferme quadriennium, ità passus fuerit anno Tiberii 20 vel 21. Indéque arcessendum initium Ecclesiæ Christianæ ab Apostolis fundatæ post solennem Spiritûs S. die Pentecostes missionem. Ex his itaque aptè annecti poterit historia sacra Euangelica & Apostolica N. Testamenti cum exotica Romana.

Characteriſmi

Characterismi quibus Historiæ Euangelicæ & Apostolicæ series, & cum exotica connexio demonstratur.

I. JOhannes prædicare & baptizare cœpit anno imperii Tiberii decimo quinto, Luc. 3.1. an ineunte, an exeunte, aut verò ad medium decurrente anno id factum fuerit, Scriptura non dicit. Supponamus id factum anno illo jam ad medium decurrente, sic enim minùs errabimus; quia si vel ineunte vel exeunte anno prædicare cœpit Johannes, non longè à vera temporis notatione abfuerimus. Non statim atque prædicare cœpit Johannes, Christus ab eo fuit baptizatus, sed ut minimùm aliquot mensibus, aut verò etiam anno integro, postquam cœperat baptizare: nam Christus dicitur omnium postremus ab eo baptizatus, postquam totus populus à Johanne fuisset baptizatus, Luc. 3.21. Et Paulus Act. 13.25. dicit testimonium à Johanne Christo esse perhibitum ὡς ἐπλήρου ὁ Ἰωάννης τὸν δρόμον, testimonium autem illud Johannis (quod habetur Joh. 1.15, & seqq.) perhibitum fuit statim postquam Christus ab eo fuit baptizatus. Interceſſerunt itaque ut minimùm menses sex inter cœptam prædicationem Johannis & Christi baptismum. Quare Christus à Johanne baptizatus non est nisi anno Tiberii decimo sexto ineunte, aut verò etiam ad medium decurrente. Jam verò Christus tum fuit annorum 30. Luc. 3.23. Et quidem completos fuisse potiùs quàm inchoatos tantùm, hos 30 annos probavit doctissimus Casaub. Exerc. 12. §. 9. hinc maximè, quòd cùm ætas ministerii Sacerdotalis à Deo constituta annus fuerit 30. Num. 4.3. videtur omnino Christus annum illum expleſſe priusquam in Baptismo ministerium suum auspicaretur, quod & annotavit Hieronymus Proœm. in Ezechielem, & Comment. in cap. 11 ejusdem Prophetæ. Si anni illi retro numerentur, incidet annus nativitatis Christi in annum Augusti 42. Augustus enim à cæde Julii Cæsaris annos regnavit 57. Jam verò annum illum 42 Augusti esse Urbis conditæ 752. Olympiadis autem 194. annum secundum, non jam hìc probamus, sed tanquam à doctis Chronologis probatum ac demonstratum sumimus atque præsupponimus. Ut & istud jam ab iisdem tanquam certum accipimus, æram nempe Christi hodie receptam sive Dionysianam esse anno illo 42 Augusti posteriorem toto biennio, ac proinde annis Christi qui hodie numerantur addendos esse annos duos, ut quis verum habeat annorum à Christo nato numerum.

II. Christus (utì prædictum à Daniele fuerat, cap. 9 27.) prædicavit dimidiam annorum hebdomadem, h. e. triennium cum dimidio, atque in medio hebdomadis illius morte suâ (quæ erat Sacrificiorum omnium legalium complementum) cessare fecit (de jure, etsi non de facto) oblationem & Sacrificium. Et sanè interceſſerunt inter Baptismum Christi & ejus Passionem quatuor Paschata, quorum vestigia exstant in historia Euangelica, jam pridem ab aliis observata & notata. Horum primum fuit paulò post Christi Baptismum, ultimum verò in ipsius morte. Itaque Christus obiit annos natus 33 cum dimidio, aut verò etiam 34. anno Tiberii vigesimo ad medium ut minimùm decurrente, aut verò etiam valde affecto. Ac proinde Spiritûs S. missio (quæ initium dedit Ecclesiæ Christianæ) quinquagesimo post Christi passionem die, ipso Pentecostes festo, contigit anno à Christo nato 34 inchoato, & ultra medium jam deducto, Tiberii verò anno 20 ad finem vergente, aut circa initium vigesimi primi; ità ut finis anni Christi trigesimi quarti concurrat ferme cum fine anni 30 Tiberii, & initium anni Christi 35 cum initio anni 21 Tiberii. Ponimus itaque ex his Christi mortem, & Spiritûs S. in Apostolos missionem, initiúmque Ecclesiæ Christianæ sub finem anni 20 Tiberii; qui annus quidem est 34 à Christo nato, sed Æræ Dionysianæ trigesimus tantùm secundus.

III. Paulus Gal. 1. 18. scribit se cùm Damasco in Arabiam profectus esset, & ex Arabia rursus Damascum rediisset, Damasco tandem μετὰ ἔτη τρία Jerosolymam venisse ἱστορῆσαι Πέτρον, atque tum se vidisse neminem Apostolorum præter Petrum & Jacobum fratrem Domini, (innuit autem profectionem illam quæ narratur Act. 9.28. utì conferenti loca illa duo fiet manifestum:) cúmque apud Petrum Jerosolymis non ultra quindecim dies substitisset, (Gal. 1.18.) Divinitus à Domino in Templo per ecstasin monitus ut excederet Jerosolymis (Act. 22. 18.) propter Judæorum Jerosolymitanorum adversùs eum insidias (Act. 9.29.) indè à fratribus deductus fuit Cæsaream; hinc Tarsum patriam petivit (Act. 9.30.) unde aliquantò pòst à Barnaba Antiochiam accersitus est (Act. 11.25.) (hæc enim duo loca, Act. 9. 30. & Act. 11.25. quoad seriem historiæ sunt immediatè connectenda) & hoc est quod Paulus innuit Gal. 1.21. cùm ait se Jerosolymis venisse εἰς τὰ κλίματα τῆς Συρίας καὶ Κιλικίας. Tarsus enim Ciliciæ, Antiochia verò Syriæ erat Metropolis. Cùm annum integrum isthìc, unà cum Barnaba, prædicando Euangelium egisset, eo exacto mittitur Jerosolymam cum Barnaba, ad deferendas Antiochenæ Ecclesiæ eleemosynas, ob famem ab Agabo prædictam; ea autem contigit anno Claudii quarto secundùm Eusebium, & Orosium lib. 7. cap 6. quod & à Josepho confirmatur Antiq. lib. 20. cap. 2. Nam post recitatas capite præced. Claudii literas in Judæorum gratiam scriptas IV. Cal. Jun. Rufo & Pompeio Sylvano Coss. (qui, utì ex Fastis liquet, suffecti sunt prioribus Coss. anno Claudii quinto) scribit Helenam Adiabenorum Reginam per id tempus venisse Jerosolymam adoraturam, cúmque offendisset Judæos gravissimâ fame laborantes, accersito ex Alexandria frumento eorum inopiam sublevasse: quam Helenam Orosius eodem loco scribit ad Christi fidem fuisse conversam, subsidiúmque illud quo Judæos fame laborantes sublevavit refert ad famem ab Agabo prædictam. Hoc itaque constituto, famem nempe illam anno Claudii quarto contigisse, sequitur Paulum & Barnabam anno illo Eleemosynas Antiochenorum Jerosolymam attulisse, Antiochiam autem Tarso à Barnaba accersitum Paulum venisse anno Claudii tertio, eúmque annum totum isthìc transegisse. Paulò antè Tarsum Jerosolymâ Paulus venerat: Ergò Jerosolymam Damasco venerat salutaturus Petrum anno Claudii secundo. Quod & hinc confirmari videtur: Cùm Paulus venit Jerosolymam, neminem Apostolorum vidit præter Petrum & Jacobum fratrem Domini (utì modò notatum est ex Gal. 1.19.) Ergò tum ab Herode Agrippa interfectus fuerat Jacobus frater Johannis, cujus mors narratur Act. 12.1. Nam si tum vixisset Jacobus iste, proculdubio Paulus eum vidisset: erat enim Ecclesiæ Jerosolymitanæ Præpositus. Suffectus illi paulò pòst fuit Jacobus alter, Act. 12.17. Iste est quem Paulus vocat *fratrem Domini* Gal. 1.19. h.e. cognatum. Est enim ille qui Matth. 10.3. dicitur ὁ τοῦ Ἀλφαίου, Alphæus nempe duxerat in uxorem Mariam B. Virginis sororem, ex qua susceperat tum Jacobum istum (qui vulgò *Minor* dicitur, & *Justus* dictus est apud Josephum & Eusebium) tum Judam, Simonem & Josen, qui in Euangelio *fratres Domini* N. J. Chr. (h.e. cognati) dicuntur. Venit ergò Paulus Damasco Jerosolymam post interfectum ab Herode Jacobum Johannis fratrem, & illi suffectum Jacobum fratrem Domini, idque priusquam Petrus ab eodem in carcerem conjiceretur. Nam cùm liberatus esset Petrus carcere, dicitur venisse in domum matris Johannis cognomento Marci, atque isthìc jussisse ut nunciarent Jacobo liberationem suam, indéque profectum esse εἰς ἕτερον τόπον· non exprimitur autem quonam sit profectus: at saltem satìs indè intelligitur eum excessisse Jerosolymis, & aliò concessisse ubi non esset sub Herodis ditione. Cùm ergò Paulus Jerosolymam veniens post interfectum ab Herode Jacobum, Petrum isthìc vidit, sequitur eum isthuc venisse priusquam Petrus conjiceretur in vincula. Interceſſit itaque tempus aliquod Jacobi necem & Petri carcerem. Jam verò Herodes paulò post liberatum Petrum ab Angelo descendit Cæsaream, atque isthìc pœnas Deo dedit sævitiæ suæ in Dei Ecclesiam, cùm in media pompa

ab Angelo percussus periit à vermibus erosus, Act. 12.20. Obiit autem Herodes ille (secundùm Josephum lib. 19 Antiq. cap. ult.) sub finem anni tertii Claudii, vel initium quarti. Dicit enim Herodem (quem Agrippam nuncupat) regnum tenuisse per septennium, quatuor nimirum annis sub Caio Caligula, cui dilectissimus fuit, tribus verò sub Claudio. Quod & hinc confirmatur; Nam cùm post Herodis illius Agrippæ mortem Claudius Cuspium Fadum procuratorem in Judæam misisset, qui Judæam Imperatoris nomine administraret, interim dum Agrippa junior, prioris illius Agrippæ filius, natus annos septendecim (qui prope Claudium, in cujus magna gratia pater fuerat, educabatur) adolescret, & regni capessendi capax evaderet, & Cuspius Fadus statim atque in Judæam venit vellet ex mandato Cæsaris eripere Judæis jus creandi summum Pontificem, eâque de re à Judæis & Cuspio Fado ad Claudium scriptum esset, Judæis rogantibus ut id juris à Cæsare sibi relinqueretur, rescripsit Claudius, dedítque ad Judæos & Cuspium Fadum literas, quibus Judæorum postulationi annuit. Harum literarum exemplar integrum extat apud Josephum lib. 2. cap. 1. Datæ sunt anno Claudii quinto, IV. Cal. Jun. Rufo & Pompeio Sylvano Coss. qui Consules (uti ex Fastis manifestum est) suffecti fuere prioribus anno Claudii quinto. Obiit ergò Agrippa sub initium anni quarti Claudii, tum cùm Tyrii gratiam & amicitiam ejus exquirerent, & ipsi reconciliari expeterent, quòd eorum regio ἀπὸ τῆς βασιλικῆς ἐτρέφετο, Act. 12. 21. Quibus verbis videtur Lucas tacitè innuisse & respexisse ad famem illam ab Agabo prædictam, quæ contigit anno quarto Claudii, quâ cùm se viderent premi Tyrii, quæsiviisse videntur acriùs Regis Agrippæ gratiam, ut fami suæ subsidium ab eo impetrarent. Videtur itaque omnino Paulus Jerosolymam Damasco venisse, & Petrus ab Herode in carcerem conjectus anno Claudii secundo; Jacobus autem ab eodem interfectus anno ejusdem Claudii primo, tum nempe cùm post inauguratum Claudium, acceptâ ab eo licentiâ venit in Judæam ad regni sui res & statum componendum: volens nempe Judæis (quos sciebat Christianis esse infensos) gratificari, eorúmque sub adventum suum in regnum gratiam & benevolentiam demereri, videtur omnino tum cœpisse affligere Ecclesiam Jerosolymitanam, cujus Præpositum Jacobum Johannis fratrem gladio percussit, ut hâc ratione impietate nihil cederet patruo suo Herodi Antipæ, qui ante annos 12 Johannem Baptistam securi percusserat. Hoc autem posito (quod nos putamus jam evicisse) Paulum venisse Jerosolymam anno Claudii secundo, sequitur eum ad Christi fidem conversum fuisse anno Caii Caligulæ tertio, (non enim totos quatuor annos regnavit Caius) siquidem triennio post conversionem suam exacto (ὡς ἔτη τρία) venit Jerosolymam. Jam verò cùm initium Ecclesiæ Christianæ per missionem Spiritûs S. in Apostolos incidat in annum Tiberii 20 extremum, vel 21 inchoatum, (uti suprà demonstratum est) manifestum est ea quæ totis octo primis Actorum Apostolicorum capitibus narrantur, ad Pauli usque conversionem, historiam complecti annorum duntaxat quinque integrorum, nempe à fine anni 20 Tiberii ad tertium Caii ineuntem vel inchoatum (nam Tiberius nonnisi 23 annos imperavit.) Quo autem anno singula quæ illic narrantur contigerint, certò definiri non potest. Possunt tamen illa sic commodè distribui, ut dicamus claudum à Petro sanatum fuisse anno Tiberii 21. Anno verò 22 fidelium ditiores videntur cœpisse divendere prædia, distrahere fundos, eorúmque pretium ad pedes Apostolorum deferre, ut indè esset unde tenuiorum egestati subveniretur. Eodémque anno Ananias & Sapphira ejus uxor videntur ad Petri increpationem exanimati. Anno 23 Tiberii sive ultimo, aucto in majus fidelium numero, videntur septem Diaconi ab Apostolis constituti, qui rei pecuniariæ ejúsque distributioni vacarent. Caii Caligulæ anno primo, & fortè sub anni finem, prima Ecclesiæ Christianæ persecutio cœpisse videtur à Judæis Jerosolymis, in qua Stephanus unus è septem Diaconis, zelo fervens & calumniâ oppressus, sanguine suo Christi doctrinam primus obsignavit. Tertullianus in Apologet. cap. 5. & post eum Euseb. lib. 2 Hist. Eccles. cap. 2. negant vivente Tiberio quidquam in Christianos fuisse tentatum; unde colligi posse videtur cœptam esse primam persecutionem paulò post ejus mortem, sub impio Caligula hominis monstro; ídque audaciùs tentatum à Judæis, quòd Herodes Agrippa Rex eorum magnâ esset apud Caium Caligulam gratiâ. Saulus ergò eo anno & sequente Ecclesiam Jerosolymitanam vastasse & dissipasse videtur. Anno verò tertio, cùm totus adhuc minas in Christianorum gregem spiraret, subitò à Christo vocatus de cœlis, ad eum conversus est, & ex lupo ovis, imò Pastor eximius, factus est.

IV. Paulus Gal. 2. 1. sic scripsit, ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν, *Posthac quasi 14. annis ascendi rursùs Jerosolymam*, &c. Hæc Pauli profectio eadem illa est quæ narratur Act. 15. cùm Antiochiâ missus est Jerosolymam, ad Concilium isthîc habitum, ob motam quæstionem de observanda Circumcisione, cæterísque Legis Mosaicæ ritibus. Liquebit istud conferenti caput 15 Actor. cum illis quæ à Paulo cap. 2 ad Galatas dicuntur. Certè utrobique eadem fuit causa profectionis Pauli, nempe quæstio de Circumcisione & ritibus Mosaicis, utrobique Barnabas Pauli comes. Jam verò post solutum Concilium Hierosolymitanum, cùm Paulus & Barnabas Antiochiam rediissent, mox ortâ inter eos exacerbatione separati sunt, nec postea leguntur rursus fuisse conjuncti. Unde sequitur profectionem istam Pauli Jerosolymam cum Barnaba, quæ commemoratur Gal. 2. 1. non esse illa quâ ad Concilium Hierosolymitanum venit posteriorem (nam post definitam in Concilio Jerosolymitano illam quæstionem nihil opus fuisset Paulo denuò super ea re Apostolos consulere) sed vel eandem cum ipsa, vel eâ priorem. Sed si prior fuit, quid opus erat Concilium denuò super eadem quæstione consulere, & Antiochiâ Paulum ea de causa mitti Jerosolymam, maximè post reprehensum publicè in ore Antiochenæ Ecclesiæ à Paulo Petrum occasione illius controversiæ? Non est ergò hæc Pauli cum Barnaba profectio Jerosolymam diversa ab ea quæ narratur Act. 15. sed planè eadem. Adde quòd ante Concilium Hierosolymitanum Paulus bis tantùm venit Jerosolymam; 1. salutaturus Petrum, 2. allaturus Antiochenæ Ecclesiæ Eleemosynas. Jam verò nondum tum mota fuerat controversia de ceremoniis Judaicis à Gentilibus observandis, neque tum adhuc erat cum Paulo Titus, qui Gal. 2. 1. dicitur fuisse Pauli comes in illa cum zelotis συρράξει. Omnia discrepant & dissonant atque pugnant si statuatur Pauli profectio quæ narratur Gal. 2. 1. diversa ab illa quæ habetur Act. 15. omnia contra bellissimè congruunt si una eadémque statuatur. Nam 1°. Gal. 2. 1. dicit se ascendisse κατ' ἀποκάλυψιν, Act. 15. 2. dicitur ἔταξαν ἀναβαίνειν Παῦλον καὶ Βαρνάβαν: nempe illud decretum sive τάγμα non fuit ἄνευ ἀποκαλύψεως, quomodo cùm missus primò fuit ab eadem Antiochena Ecclesia Paulus cum Barnaba ad prædicandum Euangelium, Act. 13. factum id fuit διὰ πνεύματος. Rursus Act. 15. dicuntur nonnulli alii cum Paulo & Barnaba ascendisse, Gal. 2. 1. Paulus inter eos numerat Titum, qui non coactus fuit circumcidi, quíque (uti suprà dictum est) à Paulo in locum Marci assumptus fuerat, secúmque adductus Antiochiam, cùm ex priore peragratione rediit, cujus reditum mox subsecuta est illa controversia, atque ejus causâ Concilium Hierosolymitanum. Tertiò, Act. 15. 1. dicuntur quidam Jerosolymis venisse Antiochiam qui docerent Gentiles esse circumcidendos, Gal. 2. 2. dicuntur illi παρείσακτοι fratres, qui venerant κατασκοπῆσαι τὴν ἐλευθερίαν. Venerant nempe Jerosolymis Antiochiam, mentientes se eò ab Apostolis missos, & jussos esse doctrinam illam publicare; qua de causa mendacii arguuntur, Act. 15. 24. οἷς οὐ διεστειλάμεθα, *quibus nihil tale dedimus in mandatis.* Tempus denique aptissimè congruit, si statuatur hæc Pauli profectio eadem cum

cum illa Act. 15. utì jam nobis est demonstrandum. Hoc itaque posito, eandem esse utrobique Pauli profectionem, anni illi quatuordecim quorum meminit Paulus Gal. 2. 1. non sunt numerandi & inchoandi à fine triennii illius quod commemoravit capitis præcedentis vers. 18, licèt vox ἔπειτα id postulare videatur: sic enim eorum finis incideret in secundum vel tertium Neronis annum (quo tempore Paulus vinctus Romæ, vel saltem Cæsareæ à Felice tenebatur) nam Claudius non totos 14 annos imperavit; suprà autem demonstratum est (Charact. 3.) triennii illius finem incidere in secundum Claudii annum. Sed neque inchoandi sunt 14 illi anni à Pauli ad Christum conversionem, quæ (utì suprà ostendimus) facta est anno Caligulæ tertio; sic enim finis annorum istorum 14 incideret in annum Claudii 13 vel 14, quo tempore Paulus vel jam Jerosolymis conjectus erat in vincula, vel in Achaia & Macedonia colligendis Ecclesiarum Eleemosynis occupabatur, utì ex sequentibus mox patebit. Sed sunt inchoandi 14 isti anni à Christi passione, & initio Ecclesiæ Christianæ; quod nos suprà probavimus contigisse sub finem anni 20 Tiberii. Sic enim fiet ut 14 illorum annorum finis incidat in 6 vel 7 Claudii annum; atque ut eo tempore Concilium Jerosolymitanum habitum sit, congruit & conspirat reliqua historia Apostolica. Nam hoc pacto venerit Paulus Jerosolymam salutaturus Petrum sub initium anni secundi Claudii, reliquum anni transegerit Cæsareæ & Tarsi, annum tertium totum consumpserit prædicando Euangelium Antiochiæ unà cum Barnaba, Act. 11. 26. Anno quarto venerit cum Barnaba Jerosolymam ad deferendas Ecclesiæ illius Eleemosynas (utì suprà demonstratum est) quo peracto Antiochiam reversus, móxque missus cum Barnaba ad prædicandum per Asiam Euangelium, in ea prædicatione, & primâ suâ peragratione, anni illius quarti partem maximam, totúmque annum quintum consumpserit, atque ex ea sub finem anni quinti Antiochiam reversus, mox cum Barnaba ad Concilium Hierosolymam missus fuerit, circa medium annum sextum Claudii. Quòd si cui durum videtur inchoare annos illos à missione Spiritûs S. in Apostolos die Pentecostes, contendátque eos esse numerandos à fine triennii illius cujus paulò antè fit mentio cap. 1. 18. quòd vocula ἔπειτα id videatur omnino suadere, adeóque veluti exigere; certè cùm (utì probatum est) non possint tot anni intercedere inter finem illius triennii & Concilium Hierosolymitanum, si pro δεκατεσσάρων legamus τεσσάρων, omisso δέκα, res erit expedita & plana: tot enim sunt revera anni ab exacto illo triennio cujus finis incidit in secundum Claudii annum, ad sextum usque ejusdem Claudii annum, quo anno modò ostendimus habitum fuisse Jerosolymitanum Concilium. Fortè itaque legendum ἔπειτα διὰ τεσσάρων ἐτῶν, ut sic illud ἔπειτα referri possit ad triennium præcedens, hoc sensu, Annis autem quatuor postquam veneram ἱεροσόλυμα Πέτρου, ascendi rursus Jerosolymam cum Barnaba & Tito, ad Concilium ob controversiam illam de ritibus Judaicis à fratribus παρεισάκτοις agitatam. Facilis autem lapsus est ex διὰ in δέκα. Cùm ergò fortè scripsisset Paulus, ἔπειτα διὰ τεσσάρων ἐτῶν, proclivi lapsu factum indè videtur primò, ἔπειτα δεκατεσσάρων, deinde inserta fuit præpositio διὰ syntaxeos gratiâ; atque ità factum est ἔπειτα διὰ δεκατεσσάρων ἐτῶν. Hæc est gemina explicandi loci illius ratio: in arbitrio Lectoris positum est utram maluerit sequi atque amplecti; nam alterutra omnino sequenda videtur ex iis quæ hactenus diximus.

V. Paulus post Concilium Hierosolymitanum reversus Antiochiam, aliquantò pòst secundam instituit cum Sila profectionem ad prædicandum Euangelium, Act. 15. 40. Peragratâ itaque Syriâ & Ciliciâ, atque (utì videtur) Cretâ, ubi Titum reliquit, venit Derben, Lystram, indè in Phrygiam & Galatiam, Mysiam, Troada, unde in Macedoniam trajecit, ubi primùm Philippis, dein Amphipoli, Apolloniæ, Thessalonicæ, Berœæ prædicavit Euangelium, indè Athenas venit, atque hinc Corinthum profectus est, ubi Aquilam & Priscillam offendit, qui recèns ex Italia illuc venerant, ob edictum Claudii quo Judæi Româ pellebantur, atque cum illis Corinthi substitit sesquiannum ad Gallionis usque Proconsulatum, Act. 18. 2, 11. Jam verò constat ex Orosio lib. 7. cap. 6. aliisque Scriptoribus, Edictum illud Claudii factum fuisse anno Imperii ipsius nono. Venerit ergò Paulus Corinthum sub finem anni noni Claudii. Cúmque ex præcedentibus liqueat Paulum hanc secundam peragrationem inchoasse sub finem anni sexti, vel initio septimi, triennium ferme consumptum in ea fuerit à Paulo, ex quo Antiochiâ excessit donec Corinthum veniret; quod triennium sic possit distribui ut anno septimo Claudii in Creta Euangelium prædicaverit, per Pisidiam & Pamphyliam Ecclesias antea à se fundatas confirmarit, novas verò in Phrygia & Galatia constituerit; anno autem octavo venerit Troadem, atque indè in Macedoniam trajecerit, ubi Philippis, Amphipoli, Apolloniæ & Thessalonicæ annunciaverit; anno denique nono Berœæ & Athenis prædicaverit, unde sub finem vel medium illius anni venerit Corinthum.

Exacto Corinthi sesquianno venit cum Aquila & Priscilla Ephesum sub finem anni decimi Claudii. Indè nullâ aut exiguâ morâ isthìc actâ Jerosolymam festinavit, quia properabat adesse festo; indè statim Antiochiam repetit, ubi aliquo tempore acto, per Phrygiam & Galatiam redit Ephesum, initio vel medio anni undecimi; hoc enim Pauli iter fuit brevis duntaxat quædam excursio; quod hinc colligi potest, quòd cùm Epheso excederet, rogarentúrque diutiùs isthìc hærere, negavit tum, addens se reversurum ad eos cum bono Deo, nempe brevi, cæterùm opus sibi esse festum agere Jerosolymis. Ephesi mansit per * biennium & menses tres Act. 19. 10. docuítque in Schola Tyranni, usque ad tumultum Demetrianum, quo sedato, Paulus inchoato, vel ad medium deducto anno 13 Claudii Epheso venit in Macedoniam & Achaiam, ad colligendas Ecclesiarum Eleemosynas, & Corinthi actis tribus mensibus indè repetit Macedoniam, atque hinc Jerosolymam navigat. [* *Act. 20. 31. Paulus ipse dicit se* τριετίαν triennium *egisse Ephesi, sed initium illius triennii non est (utì facit Baron. ad A. Chr. 55. sect. 1.) inchoandum à posteriore Pauli adventu Ephesum, sed à priore, à quo donec postremò excederet Paulus Epheso, integrum ferme intercedit triennium. Alioqui si totum triennium assignetur huic posteriori commorationi Pauli Ephesi, & alius annus totus assignetur illi peragrationi Pauli quæ immediatè præcessit secundum ejus adventum Ephesum, (utì facit Baronius) dissolvetur tota historiæ Apostolicæ apta contexturæ & concatenatio, neque poterunt quadrare tempora.*]

Demus jam reliquum anni decimi tertii Claudii consumptum fuisse à Paulo in itinere illo quo Epheso venit in Macedoniam & Achaiam, atque indè navigavit Jerosolymam, ità venerit Jerosolymam initio anni decimi quarti Claudii; vel si liberaliores volumus esse, circa medium vel finem illius anni, qui ultimus fuit regni Claudii, Jerosolymis Paulus conjectus fuit in vincula quàm primùm eò venit, asservatúsque Cæsareæ à Felice in vinculis per biennium, donec successorem in Judææ Præfectura acceperit Festum, qui Paulum mox, paulò postquam ipse venerat in Provinciam, misit captivum Romam ad Cæsarem, quem Paulus appellaverat, ubi aliud biennium Paulus egit in propria æde conducta, Act. 28. 30. quo exacto videtur vinculis liberatus Græciæ & Asiæ Ecclesias à se constitutas repetiisse, & denuò lustrasse, utì suprà à nobis demonstratum est. Ità ergò Paulus Romam venerit circa finem secundi, vel initio tertii anni Neronis, & solutus fuerit vinculis circa finem quarti vel initio quinti, cùm modestum adhuc utcunque & moderatum esset Neronis imperium. Non memini apud ullum quem viderim scriptorem notatum esse quoto præcisè Neronis anno Festus Felici à Nerone successor missus fuerit: Josephus id non notat. Tacitus de Festo & Felicis damnatione nè verbum quidem;

itaque

itaque conjecturâ id assequendum. Josephus Antiq. lib. 20. cap. 7. scribit Felicem (cùm successorem accepisset Festum) à Judæis apud Neronem accusatum fuisse, & quidem prævalituram fuisse accusationem, damnandúmque ferè fuisse Felicem, nisi fratris Pallantis (qui gratiâ adhuc apud Neronem valebat) precibus datus fuisset. Jam verò ex Tacito certum est Pallantem, Claudii libertum, Agrippinæ Neronis matri charissimum, à Nerone (qui matris potentiam volebat imminutam) curâ rerum fuisse demotum primo Neronis anno, eodémque anno Majestatis fuisse postulatum, sed absolutum, quòd falsa esset illa criminatio. Hinc liquere potest, Pallantem deinceps non multùm valuisse apud Neronem gratiâ, ac proinde videri Festum maturè missum esse Felici successorem, putà sub anni secundi finem, ut anno tertio à Judæis accusatus vix effugerit damnationem intercessione fratris Pallantis, qui tum poterat adhuc tantum valere apud Neronem gratiâ, ut frattem supplicio eriperet; sed ea gratia ab eo tempore non potuit esse diuturna. Nam anno imperii sui quinto Nero matrem interfecit, & octavo Pallantem veneno sustulit. Sublatâ matre Neronis, cujus nomine & sub cujus autoritate Pallas aliquid potuit, gratiâ omni & favore planè eum excidisse existimandum est, cùm jampridem ejus opibus invideret atque inhiaret Nero, ejúsque superbiâ omnes offenderentur. Quare à veri similitudine procul abesse videtur eorum sententia qui anno demum quinto Neronis, post interfectam ab eo matrem, missum volunt successorem Felici Festum. Probabilius multò videtur missum esse secundo ad finem decurrente, cùm jam antea infringi & multùm imminui cœpisset Pallantis apud Neronem gratia atque autoritas. Hoc itaque constituto, Festum missum fuisse Felici successorem sub finem anni secundi Neronis, sequitur vinctum fuisse Paulum Jerosolymis sub finem imperii Claudii, anno ejus 14 exeunte, ac proinde anno decimo tertio Epheso venisse in Macedoniam & Achaiam ad accipiendas Ecclesiarum Collectas, uti nos suprà in Pauli peragratione digerenda iter illius Epheso in Macedoniam constituimus, & conjecimus in annum Claudii decimum tertium currentem, quod & hinc confirmari posse videtur.

VI. Paulus 2 Cor. 12. 2. scribit se annis 14 antequam scriberet Epistolam illam raptum fuisse in tertium cœlum. Scripta autem fuit hæc Epistola cùm Paulus Epheso in Macedoniam solvisset ad recipiendas Ecclesiarum Collectas, quod nos jam suprà ex parte ostendimus, & mox infrà suo loco demonstrabimus. Jam verò iter illud Pauli per Macedoniam incidit in annum Claudii decimum tertium, uti modò probavimus. Si ergò anni isti 14 retro numerentur, incideret eorum initium in Caii Caligulæ annum ultimum, vel tertium, quo anno suprà demonstravimus Paulum ad Christum fuisse conversum. Tum ergò Paulus in tertium cœlum per ecstasin raptus videtur, cùm à Christo vocatus Damascum delatus per triduum mansit jejunus & cæcus, quo temporis spatio certum est revelatione in terra Spiritûs, vel potiùs immediatâ Christi institutione totam Euangelicam doctrinam edoctum esse; unde est quòd non semel in Epistolis scribit se *Euangelium suum non ab hominibus* (h. e. nullâ humanâ institutione & doctrinâ) *sed ab* ipso Domino N. *Jesu Christo recepisse* seu *didicisse*. Et sanè cùm exacto illo triduo ab Anania fuit baptizatus, & cæcitate corporeâ levatus, dicitur statim ingressus esse Synagogam Judæorum, atque isthîc Christum magno animi fervore & vocis contentione annunciasse: nulla notatur illic Pauli ab Anania facta institutio; nempe Euangelium suum à Christo ipso immediatè edoctus fuerat. Quin & huc respicere omnino videntur verba Christi eum in itinere de cœlo compellantis, cùm Paulus eum rogaret, *Domine, quid me vis facere? Surge*, inquit, *& ingredere civitatem; illic enim dicetur tibi quid te oportet facere:* neque enim his Christi verbis innuitur id quod ei ab Anania dictum fuit; quid enim ei dixit Ananias, præter ista pauca, *Saule frater, Dominus Jesus, qui tibi in via apparuit, misit me ad te, ut recipias visum, & implearis Spiritu sancto.* Christus ergò verbis illis innuere omnino videtur plenam Pauli à Christo ipso factam institutionem, cùm Damasci triduum mansit cæcus & jejunus, raptus (uti videtur) per ecstasin in tertium cœlum. Differt itaque iste Pauli raptus ab ecstasi cujus meminit Act. 22. 17. siquidem ecstasis illa contigit ipsi cùm tertio post conversionem anno Damasco venit Jerosolymam visitaturus Petrum, anno Claudii secundo; à quo si 14 isti anni inciperent numerari, finis eorum incideret in secundum Neronis annum, quo tempore Paulus Macedoniam non peragrabat, sed captivus vel Romæ, vel saltem Cæsareæ à Felice detinebatur. Neque his obstare videtur quòd Josephus Antiq. lib. 20. cap. 6. gesta Felicis in Judæa narrat post narratam capite præcedenti Claudii mortem & Neronis in ejus locum successionem, inter quæ Felicis gesta narrat historiam Ægyptii latronis & Pseudoprophetæ (cujus meminit Lucas Act. 21. 38.) à Felice repressi atque fugati. Neque enim necesse est ea omnia quæ eo capite narrat de Felice Josephus contigisse post Claudii mortem, quin ea omnia simul hoc capite complexus est Josephus quæ à Felice in Judæa gesta sunt, ex quo tempore eò à Claudio missus fuerat (circa annum regni sui octavum) donec Festum acceperit successorem: nam præcedenti capite nihil aliud de Felice dixerat nisi eum in locum Cumani fuisse à Claudio in Judæam missum. Eorum itaque quæ illic narrantur pars quædam, eáque maxima, Claudii mortem antecessit, pars verò altera, & minima, eandem mortem secuta videtur. Latronis putà illius & Pseudoprophetæ Ægyptii repressio à Felice (uti Josephus narrat) facta, potuit contigisse anno ultimo Claudii, paulò antequam Paulus Jerosolymis in vincula conjiceretur. Unde rursus confirmatur series hæc nostra historiæ Apostolicæ.

Ex his ergò tota historiæ Apostolicæ compages & contextura adstrui, & connexio ejus cum exotica demonstrari atque comprobari satis evidenter & certò posse videtur.

Quando, ubi & quo ordine scriptæ sint omnes Paulinæ Epistolæ.

QUantum juvet, quámque sit utile certò tenere tempus quo Pauli Epistolæ ab eo fuerunt scriptæ, rectè observavit Baronius ad A. C. 58. sect. 42. *Sed hîc* (inquit ille) *& illud necessariò monendum putamus Lectorem, nonnullis accidisse ut temporum ignoratione in maximos errores incidant, putantes nimirum naufragium apud Melitam passum, quod Lucas narrat Act. 27. unum è tribus fuisse à Paulo enumeratis 2 Cor. 11. non animadvertentes secundam Epistolam ad Corinthios longè ante illud naufragium esse scriptam. Quamobrem scrupulosa, qua videtur, in historia temporum indagatio quantum conferat ad veram atque germanam Divinæ Scripturæ interpretationem quisque facilè judicabit. Hæc sentiens Johan. Chrysostomus & ipse quibus in locis, quandóve Pauli Epistolæ fuerint scriptæ pervestigans, hæc ait, (in Epistolam ad Rom. in principio)* Proinde hunc laborem nemo extra rem, néve hanc indagationem supervacaneæ curiositatis esse putet: confert enim nobis non parùm ad quæstiones explicandas ipsum Epistolarum tempus. Hæc rectissimè Baronius. Itaque hac in parte operam nostram in ejusmodi indagatione post alios collocavimus.

Utraque ad Thess. Epist. Anno Christi 47. Claudii 8.

EPISTOLARUM Paulinarum aliæ scriptæ sunt ante ejus vincula, aliæ verò in ipsis vinculis Romanis tam prioribus quàm posterioribus. Ante Pauli vincula omnium prima scripta est ad Thessalonicenses utraque. Scriptæ autem omnino videntur duæ illæ Epistolæ Athenis (ut fert earum subscriptio) anno Claudii octavo vel nono, cùm Paulus Beroeâ illuc venisset,

veniſſet, vel ſaltem Corinthi, quò Paulus ſe contulit poſtquam Athenas reliquiſſet. Diſcedens autem Beroeâ Paulus ut veniret Athenas, poſt ſe Beroeæ Timotheum & Silam reliquit, quos ipſe Athenis aliquandiu, non ſine aliqua animi impatientia, præſtolatus eſt, Act. 17. 15,16. Qui cùm ad eum veniſſent, Paulus, qui magno & vehementi Theſſalonicenſium deſiderio tenebatur, & ſtudio Theſſalonicam redeundi totus ardebat, cùm ipſe non poſſet illuc proficiſci, à Satana præpeditus variis objectis impedimentis (1 Theſſ. 2. 18.) Timotheum commiſit ad eos in fide confirmandos, útque eos conſolaretur de afflictione quæ illis contigerat à Judæis, poſtquam ipſe indè diſceſſerat, ut id manifeſtò colligitur ex 1 Theſſ. 3. verſ. 1. ad 6 uſque, & cap. 2. 14.

Cùm indè ad Paulum rediiſſet Timotheus, ſcripta eſt à Paulo prior ad Theſſalonicenſes Epiſtola, in qua meminit reditûs Timothei cap. 3. 6. ità ut videatur prior iſta Epiſtola Athenis ſcripta: qua in ſententia ſunt Athanaſius in Synopſi, & Theodoretus Procem. in Epiſtolas Pauli. Rurſus priuſquam Athenis Corinthum Paulus peteret, videtur iterum Silam & Timotheum in Macedoniam miſiſſe, utì colligere eſt ex Act. 18. 5. atque ex his quæ hìc annotavimus ex cap. 3. ver. 2, 3, 4, 5. prioris ad Theſſalonicenſes. Nam locus Act. 18. 5. non poteſt accipi de reditu Silæ & Timothei, qui à Paulo Beroeæ relicti fuerant cùm ipſe venit Athenas, (etſi primâ fronte id videri ità poſſit) quaſi Silas & Timotheus Beroeâ ad Paulum redeuntes eum non Athenis, ſed jam indè egreſſum Corinthi offendiſſent. Etenim ex 1 Theſſ. 3. 1, 2, 3, 4, 5. liquet Timotheum Athenis à Paulo fuiſſe Theſſalonicam miſſum ad cognoſcendum eorum ſtatum, indéque eum ad Paulum Athenas rediiſſe, utì modò demonſtravimus. Quare cùm Act. 18. 5. Lucas dicit Silam & Timotheum ad Paulum Corinthum rediiſſe, intelligendum illud eſt neceſſariò de ſecunda à Paulo Athenis facta Silæ & Timothei in Macedoniam miſſione, unde ipſi redeuntes Paulum interim Athenis digreſſum Corinthum ſecuti ſunt.

Sed quia durum videtur geminam Timothei à Paulo Athenis ad Theſſalonicenſes ſtatuere miſſionem, propterea magis inclinarem in Baronii ſententiam, qui hanc Epiſtolam ſcriptam eſſe vult Corinthi, poſtquam Timotheus à Paulo Theſſalonicam Athenis miſſus, indè rediens, & Paulum Athenis (unde profectus interim erat) non inveniens, Corinthum ad eum veniſſet, ſub finem anni noni Claudii Imp. vel initio decimi, æræ autem Chriſti receptæ anno 48, veræ 50. non verò (ut Baronius vult) 51. qui in annis Chriſti aſſignandis inſanit ſolennia, & toto biennio à vera Chriſti æra diſcedit, quadriennio verò à recepta Dionyſiana, utì ab aliis, & præſertim à doctiſſimo Caſaubono, obſervatum eſt.

Cæterùm neutra harum Epiſtolarum per Timotheum & Silam miſſa fuit: nam in utriuſque Epiſtolæ initio Timothei & Silvani (h. e. Silæ) nomine compellantur & ſalutantur à Paulo Theſſalonicenſes. Falſa itaque eſt ſubſcriptio prioris Epiſtolæ in Arabica editione, quâ ſignificatur miſſam eſſe Epiſtolam illam per manus Timothei & Silvani: hoc autem conjectavit Interpres ille ex cap. 3. ver. 1, 2, 3, 4, 5. Sed non animadvertit repugnare illi ſententiæ verſum ſextum, ex quo liquet Timotheum Theſſalonicâ rediiſſe ad Paulum cùm ſcripta fuit hæc Epiſtola.

Poſterior Epiſtola non videtur diu poſt priorem ſcripta, utì ex Chryſoſtomo & Theodoreto obſervat Baronius, qui meritò rejicere videtur Athanaſii in Synopſi Scripturæ ſententiam, cùm ait eam eſſe Romæ ſcriptam. Subſcriptio quæ habetur in editione Arab. docet eam eſſe ſcriptam Laodiceæ, & miſſam per Tychicum. Verùm ex Coloſſ. 2. 1. colligi poſſe videtur Paulum neque Coloſſenſibus neque Laodicenſibus unquam prædicaſſe. Certum eſt autem eam non fuiſſe Athenis ſcriptam. Si enim prior Epiſtola non Athenis, ſed Corinthi fuit ſcripta, multò minùs poſterior indè ſcripta fuerit. Corintho ergò videtur omnino miſſa poſtquam eò ad Paulum Theſſalonicâ rediiſſet Timotheus.

Epiſtola ad Titum. Anno Chriſti 51. Claudii 11.

DIximus ſuprà quando Paulus nobis videatur in Creta Euangelium prædicaſſe, & indè diſcedens Titum iſthìc reliquiſſe qui τὰ λείποντα ordinaret, nempe id videri factum initio ſecundæ Pauli per Aſiam peragrationis, anno Claudii ſeptimo. Diximus etiam, quando, ubi, & per quem videatur iſta Epiſtola ad Titum ſcripta, nempe ſcriptam videri Epheſi ſub finem illius biennii quod illic egit Paulus antequam in Macedoniam navigaret, miſſam verò per Apollon & Zenam, quos Tito commendat, ſub finẽ anni 13 Claudii. Ità Titus quinquennium vel ſexennium in Creta egerit, à 7 nempe ad 13 uſque Claudii annum.

Sunt qui putent Paulum in Creta Chriſtum annunciaſſe cùm ex Macedonia in Græciam & Corinthum iturus eſſet (anno, utì volunt, Neronis primo) cúmque illìc reliquiſſet Titum, veniſſe Corinthum, ubi cùm trineſtre egiſſet & Collectas Achaiæ recepiſſet, rediiſſe in Macedoniam petiturum Jeroſolymam. Ex Macedonia autem ad Titum, quem in Creta reliquerat, ſcripſiſſe. Nec ab ea ſententia longè abeſt Baronius (ad annum Chriſti 57. ſect. 209. & An. Chr. 58. ſect. 1.) qui vult Paulum ex Macedonia mari delatum eſſe in Cretam, iſthìcque reliquiſſe Titum; indè in Græciam veniſſe; cúmque indè pararet Euangelium annunciare in Illyrico, Titum è Creta accerſi viſſe ſcriptâ ad eum Epiſtolâ, monuiſſéque ut ad ſe veniret Nicopolim Acarnaniæ juxta Ambracium ſinum in confinio Græciæ & Epiri, ubi conſtituerat agere hiemem.

Verùm facilè refellitur ea ſententia; primò, Quia iter illud Pauli Epheſo in Macedoniam & Achaiam fuit brevis excurſio tantùm ad recipiendas Eccleſiarum illarum Collectas quas properabat Jeroſolymam deferre, ut indè Romam peteret, quam pridem cupiebat videre. In ejuſmodi feſtinatione non videtur veriſimile eum voluiſſe hærere in Creta tantum temporis quantum opus erat ad conſpergendam totam inſulam ſemine Euangelico. Sed neque videtur veriſimile ad illud uſque tempus ignoratum fuiſſe Chriſtum in ea inſula, cùm jampridem tota Achaia, Macedonia, Aſia, Cyprus, Syria perſonaret Euangelii præconio. Paulus autem negat ſe alieno ſuperſtruxiſſe fundamento, ac propterea noluiſſe iſthìc Chriſtum prædicare ubi jam antea fuiſſet notus. Ad hæc, id quo validiſſimè evertitur illa ſententia hoc eſt, quòd ſuprà probavimus ex 2 Cor. 8. 8, 16, 17. à Paulo priuſquam Corinthum ex Macedonia veniret præmiſſum eò eſſe Titum qui Collectas Corinthiorum curaret eſſe paratas in adventum ſuum; non ergò eum ſecum duxit, & in Creta reliquit cùm ipſe in Achaiam contenderet. Tum & illud quod ad Titum ſcribit, ut ad ſe veniat Nicopolim (vel, utì ſuprà notavimus, Neapolim Macedoniæ) quòd decreviſſet iſthìc hiemem agere, quì poteſt cum illa ſententia convenire? volunt enim ſcriptam eſſe hanc Epiſtolam è Macedonia, cùm jam omnium Eccleſiarum recepiſſet Collectas, & in procinctu eſſet ut Philippis ſolveret Jeroſolymam navigaturus, & quidem initio veris, nempe Azymorum feſto, Act. 20. 6. An tum cogitabat Paulus de hieme agenda Nicopoli, ac non potiùs properabat Jeroſolymam? Quòd autem Baronius putat eam fuiſſe ſcriptam ex Græcia, cùm paratus eſſet excurrere in Illyricum, refellitur ex eo quod modò diximus, Titum à Paulo ex Macedonia præmiſſum eſſe Corinthum ut Collectas eorum curaret in adventum Pauli paratas. Unde liquet Titum fuiſſe in Græcia cùm eò veniret Paulus ad recipiendas Collectas illas. Non ergò tum temporis agebat in Cretæ inſula. Rectius ergò videtur, & toti hiſtoriæ Apoſtolicæ contexturæ convenientius, ſi ſtatuamus hanc Epiſtolam à Paulo ad Titum fuiſſe ſcriptam per illud biennium quod Paulus egit Epheſi; non enim poteſt aliud tempus commodius aſſignari quo ſcribi illa potuerit.

Ex his falſi revincitur ſubſcriptio illius Epiſtolæ, quæ

ſignificat

ſignificat ſcriptam fuiſſe hanc Epiſtolam ex Nicopoli Macedoniæ. 1. Quia Nicopolis non tam Macedoniæ quàm Thraciæ urbs fuit, & quidem gemina; una juxta Hemum montem, altera juxta fluvium Neſſum, qui Plinio *Neſtus* dicitur. 2. Quia ſuprà probavimus Titum à Paulo cogitante proficiſci in Macedoniam & Achaiam præmiſſum eſſe Epheſo Corinthum, & indè redeuntem occurriſſe Paulo in Macedonia (2 Cor.7.5.) quî potuit ergò indè ad eum ſcribi hæc Epiſtola in Creta agentem? Deceptus autem fuit autor illius ſubſcriptionis verſu 12 capitis ultimi illius Epiſtolæ, quem ità accepit quaſi jam tum Nicopoli ageret Paulus cùm illud ſcribebat; quod non eſt neceſſe, cùm potiùs mens Pauli eo loci ſit, monere Titum ut Nicopolin ante ſe veniat, quòd ipſe animo ſibi proponeret illuc proficiſci, atque iſthîc agere hiemem; unde ſequitur Paulum nondum illic fuiſſe cùm hæc ſcriberet.

Epiſtola ad Galatas. Anno Chriſti 51, *Claudii* 12.

PER idem tempus, nempe ſub finem biennii Epheſini, videtur omnino ſcripta ad Galatas Epiſtola; quod hinc conjicitur, 1. Quia Paulus cap.6.verſ.6. hortatur eos ad beneficentiam erga τοὺς κληϱικοὺς, & v. 10. πϱὸς τοὺς οἰκείους δὲ πίστεως (quibus verbis videtur innuere Eccleſiam Jeroſolymitanam, maximè ſi comparetur illud cum iis quæ ſcribit Rom.15. 26,27. de beneficentia erga pauperes fideles Jeroſolymitanos) idque, inquit, ὡς καιϱὸν ἔχομεν *dum tempus habemus*, h.e. dum hæc occaſio offertur, cùm jam Aſia, Græcia & Macedonia videntur veluti conſpiraſſe in hanc beneficentiam erga fideles Jeroſolymitanos, & paratæ ſunt ubique Collectæ Jeroſolymam deferendæ, nolite vos Galatæ ab ea beneficentia voſmet ſubducere, neque ſitis in ea parci vel ſegnes; nam qui parcè ſerit, is & parcè metet. Confirmatur iſtud indè quòd 1 Cor.16.1. jubet Corinthios in Collectis faciendis ſequi Galatarum exemplum, & præſcriptum quod ipſe illis dederat: quibus verbis innuere videtur Apoſtolus hanc ad Galatas Epiſtolam ſcriptam fuiſſe antequam ad Corinthios ſcriberet, tum & ea quæ iſthîc breviùs & obſcuriùs de Collectis ſcripſerat, ab eo fuiſſe latiùs & apertiùs explicata vivâ voce eorum per quos miſſa fuit Epiſtola. 2. Cap.1.6. conqueritur Galatas *tam citò* fuiſſe *tranſlatos in aliud Euangelium*; quæ verba non poſſunt quadrare cum eorum ſententia qui volunt ſcriptam eſſe à Paulo hanc Epiſtolam in poſterioribus vinculis (non enim pauci anni interceſſerunt inter primam Galatarum converſionem & poſteriora Pauli vincula) ſed optimè conveniunt cum noſtra ſententia, qui exiſtimamus ſcriptam eam fuiſſe Epheſi, biennio poſtquam τὰ ἀνωτεϱικὰ μέϱη, Phrygiam ſcilicet & Galatiam, luſtraſſet, indéque Epheſum veniſſet: ità ut videatur ψευδαδέλφους illos & παϱεισάκτους Doctores Pauli veſtigia in tertia ſua peragratione quaſi preſſiſſe, móxque eos, ut ex Galatia & Phrygia exceſſerat, Epheſúmque venerat, Galatiam ingreſſos, Galatas ſtatim à fide abduxiſſe, & ad obſervationem legis Moſaicæ compuliſſe, ut ſic verè mirari potuerit Paulus eos ὅτω ταχέως μετατιθεμένους ἀπὸ ἕτεϱον εὐαγγέλιον. Leve eſt admodum illud quo moti videntur quidam ut putarent ſcriptam eſſe Romæ in vinculis à Paulo hanc Epiſtolam, nempe quòd ipſe ſcribit cap.ult. ver. 17. ſe *ſtigmata D.N. Jeſu Chr. ferre in corpore ſuo*, quaſi verò hæc verba non commodè intelligi poſſint de variis quas propter Chriſti nomen accepit plagis & verberibus, antequam Romæ vinctus eſſet.

Prior ad Corinth. Epiſt. Anno Chriſti 51, *Claudii* 12.

CUM Paulus Epheſi biennium ageret anno 11 & 12 Claudii, ſcripſerunt ad eum Corinthii (1 Cor. 7.1.) idque (utì videtur) per Stephanam & Fortunatum, quos ad eum miſerant, (cap. 16. 17.) per quos videtur Paulus reſcripſiſſe priorem ad Corinthios Epiſtolam: nam in ea eos Corinthiis impenſè commendat, cap. 16. ver. 15 & 18. Non fuit autem ſcripta Philippis (uti habet ſubſcriptio Græca) ſed Epheſi, quomodo habet Interpres Arabs; quod manifeſtum eſt ex cap. 16. 8. *permanebo autem Epheſi uſque ad Pentecoſten.* Neque obſtat quòd verſ. 5. ejuſdem capitis ſcribit Μακεδονίαν διέϱχομαι, & ὅταν Μακεδονίαν διέλθω· ſenſus enim non eſt Paulum Macedoniam peragraſſe tum cùm hæc ſcriberet, ſed ſe eſſe veluti in procinctu ut Epheſo Macedoniam petat; ità ut διέλθω & διέϱχομαι iſthîc ſit poſitum pro διελεύσομαι, *brevi ſum peragraturus*, quomodo alibi ſæpius præſens pro paulò pòſt futuro uſurpatur, quomodo Matth. 26.28. ἐγεϱθήσομαι, & 2 Pet.3.11. λυομένων, & verſ.9. κολαζομένους. Neque etiam obſtat quod habetur cap.15.32. *Si ſecundùm hominem* ἐθηϱιομάχησα ἐν Ἐφέσῳ, quaſi tum nõ fuerit Epheſi cùm hæc ſcriberet; potuit enim ſic loqui etiamſi Epheſi tum fuerit.

Scripta autem videtur non multò antequam Epheſo digrederetur & in Macedoniam proficiſceretur, ídque colligitur ex eo quod cap. 16. 5. dicit, Μακεδονίαν διέϱχομαι, h.e. *brevi pertranſibo Macedoniam*, tum ex verſ.1, & ſeqq. ejuſdem capitis. Mora autem illa quam iſthîc dicit ſe facturum apud Corinthios verſ.6. videtur eſſe trimeſtre illud quod ipſe egit ἐν τῇ Ἑλλάδι, de quo Act.20.3. Verbis verò illis quæ ſunt verſ.9. *janua eſt mihi aperta & efficax; ſed adverſarii ſunt multi*, videtur Paulus innuere tumultum Demetrianum quem animo veluti præſagiebat. Cæterùm non miſſa fuit hæc Epiſtola per Timotheum, (contrà quàm fert ſubſcriptio Græca:) Nam antequam ſcriberet, Timotheum unà cum Eraſto Epheſo præmiſerat in Macedoniam & Achaiam, Act. 19,22. Etſi enim eo verſu Lucas non meminerit Achaiæ, tamen ex verſ. 21 ſatìs intelligitur eos eſſe præmiſſos etiam in Achaiam. Deinde 1 Cor.4.17. Paulus diſertè ſcribit ſe Timotheum ad Corinthios miſiſſe. Denique verba illa (1 Cor.16.10.) *Si Timotheus venerit*, &c. ſatìs arguunt hanc Epiſtolam non fuiſſe per eum miſſam. Porrò ante Epiſtolam iſtam quæ *prior* dicitur, videtur Paulus aliam ſcripſiſſe eâ priorem, quæ hodie non exſtat; quod colligi poſſe videtur ex 1 Cor. 5.9. ἔγϱαψα ὑμῖν ἐν τῇ ἐπιστολῇ, & ex 2 Cor.12.14. & 13,1. τϱίτον ἔϱχομαι πϱὸς ὑμᾶς, & cap. 10,10,11. αἱ μὲν ἐπιστολαὶ, &c. &, δι' ἐπιστολῶν. Nam cur plurali numero dixiſſent illi Pauli calumniatores, ἐπιστολαὶ, ſi una tantùm ab Apoſtolo ad Corinthios fuiſſet ſcripta? Et fortè prima illa, quæ hodie non exſtat, miſſa fuerat per Timotheum, quem in Achaiam uſque præmiſerat; hæc autem quæ *prior* jam dicitur, miſſa fuit per Stephanam & Fortunatum.

Poſterior ad Corinthios Epiſtola. Anno Chr. 52, *Claudii* 13.

POſterior ad eoſdem Corinthios Epiſtola & prior ad Timotheum certant de prioritate, & ſub judice lis eſt. Utraque autem ſcripta eſt paulò poſtquam Paulus Epheſo diſceſſiſſet, adeóque dum Macedoniam peragraret; ſed utra tempore præcedat non ſatìs liquet. Cùm ergò Paulus Epheſo ſolviſſet, & in Macedoniam veniſſet, occurrit illi iſthîc Titus; quem Corinthum præmiſerat, qui Paulo Corinthiorum pœnitentiam renunciavit, quémque effectum ſortita eſſet prior ad eos ſcripta Epiſtola, 2 Cor.7.5. Cúmque Apoſtolus à Macedonibus Collectas recepiſſet (quos ob inſignem quam in erogandis Collectis illis liberalitatem demonſtraverant, impenſè laudat 2 Cor.8.1, & ſeqq.) rurſus Titum è Macedonia ad Corinthios mittit, 2 Cor.8.6,15, 16. atque unà cum eo Lucam verſ. 18, 19. (nam *frater ille cujus laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias*, videtur omnino eſſe Lucas) in hunc finem ut Corinthiorum Collectas curarent in Pauli adventum paratas, (2 Cor. 9. 3, 4, 5.) ideóque multis Corinthios in ea Epiſtola hortatur ad munificentiam & liberalitatem. Ac per hos duos videtur eſſe miſſa poſterior hæc ad Corinthios Epiſtola. Certum eſt autem eam eſſe ſcriptam dum

Paulus

Paulus Macedoniam peragraret; ſed an Philippis (utì fert ſubſcriptio) an verò ex alia quapiam Macedoniæ civitate miſſa ſit, non poteſt certò ex Scriptura definiri.

Baronius ad A. Chr. 58. ſect. 36. vult eam eſſe ſcriptam Nicopoli Acarnaniæ in Epiri & Græciæ confinio. Paulum enim dicit è Macedonia navigaſſe Cretam, Titúmque illic reliquiſſe. Ex Creta veniſſe Nicopolim, atque illinc accerſiviſſe Titum ut ad ſe veniret. Indè, nempe ex Nicopoli, poſteriorem ad Corinthios dediſſe Epiſtolam, *quâ* (inquit) *ſe excuſat quòd cùm priore pollicitus eſſet ſe venturum ad eos cùm Epheſo Macedoniam peteret, tamen id non præſtitiſſet, ſed ex Macedonia in Cretam, indè Nicopolim, ipſis inſalutatis veniſſet.* Sed hæc Baronii ſententia facilè ex modò dictis refellitur. Neque enim Paulus ex Macedonia in Cretam, neque indè Nicopolim Epiri profectus eſt, ſed rectà venit Corinthum, quò paulò antè Titum præmiſerat ad procurandas Corinthiorum Collectas, utì ipſe Baronius eo loco agnoſcit. Ubi animadvertere eſt magnam hominis illius ἀβλεψίαν, qui vult Titum à Paulo in Cretam abductum illiſcque reliktum cùm indè Nicopolim navigaret, quem tamen agnoſcit à Paulo ex Macedonia miſſum eſſe Corinthum, qui procuraret ut paratæ eſſent Corinthiorum in adventum ſuum Collectæ. Idem ibidem nullo jure eos damnat qui dicunt miſſam eſſe ad Corinthios hanc Epiſtolam per Titum, cùm potiùs illud vero ſimilius eſſe videri poſſit ex iis quæ modò diximus. Sed ideo hoc negat & damnat Baronius, quia vult eam eſſe ſcriptam Nicopoli, priuſquam Titus eò ad Paulum veniſſet. Quod vanum eſt hominis illius figmentum.

Prior ad Timoth. Epiſt. Anno Chriſti 52, Claudii 13.

SUnt qui putant priorem ad Timotheum Epiſtolam fuiſſe à Paulo in vinculis ſcriptam, ſed malè. Nam primò, Vinculorum ſuorum nullus omnino in ea meminit. Deinde, In vinculis prioribus Timotheus cum Paulo fuit, ſi non συναιχμάλωτος, at ſaltem συνεργὸς, Epiſtolæ enim ab eo in prioribus vinculis ſcriptæ Timothei nomen unà cum Pauli nomine in ſalutationibus præferunt. Neque in poſterioribus vinculis ſcripta fuit: nam cur illi reponeret illud, ſe eum Epheſi reliquiſſe cùm in Macedoniam proficiſceretur, tot annis poſtquam id factum fuerat? Liquet ergò ex his verbis, cap. 3. *ſicuti hortatus ſum te ut maneres Epheſi cùm ego in Macedoniam proficiſcerer*, Paulum loqui de re nuper geſta; ſcripta nempe fuit Epiſtola iſta poſtquam Epheſo ſolviſſet Paulus, interim dum Macedoniam peragraret, vel ſaltem Athenis, poſtquam peragratâ Macedoniâ eò veniſſet. Obſervandum eſt autem, poſt ſcriptam hanc Epiſtolam antequam Paulus Corintho pedem moveret ut per Macedoniam Jeroſolymam peteret, Timotheum (quacunque tandem de cauſa id factum fuerit) Epheſo relictâ ad Paulum veniſſe Corinthum: nam Act. 20. 4. Timotheus numeratur inter Pauli συνεκδήμους: niſi fortè quis locum illum ſic velit accipi quaſi Timotheus Pauli quidem fuerit συνέκδημος, at non Corintho uſque, ſed Mileto duntaxat, (cùm illuc Paulus Epheſinos Preſbyteros accerſivit) Jeroſolymam primùm, dein Romam uſque.

Perabſurdè autem ſubſcriptio Græca habet, Epiſtolam illam eſſe *ſcriptam ex Laodicea Phrygiæ Pacatianæ*; nàm primò ex Coloſſ. 2. 1. videtur effici poſſe, Paulum unquam fuiſſe Laodiceæ; Coloſſenſes enim & Laodicenſes videtur eò loci Paulus numerare inter eos *qui non viderunt faciem ſuam in carne*: & ſanè hiſtoria Apoſtolica Lucæ nullatenus commemorat Paulum vel Coloſſis vel Laodiceæ fuiſſe. Deinde, cùm Paulus Epheſo diſceſſit ut veniret in Macedoniam, rectà petiit Troadem (2 Cor. 2. 12.) Itaque Laodiceam non potuit veniſſe in eo itinere. Rectius ergò & vero ſimilius eſt quod habet Interpres Arabs in ſubſcriptione Epiſtolæ, eam nempe ſcriptam fuiſſe Athenis, putà cùm ex Macedonia venit εἰς τὴν Ἑλλάδα. Atque ità poſterior tempore fuerit Epiſtola prior ad Corinthios. Quod autem cap. 3. verſ. 14. hujus Epiſtolæ Paulus ſcribit, ſperare ſe fore ut brevì reviſat Timotheum, accipiendum eſt de reditu in quo Paulus Corintho per Macedoniam detulit Jeroſolymam Collectas Eccleſiarum; nam in tranſitu Epheſum venit, ſaltem Mileto Epheſinos Presbyteros ad ſe accerſivit, Act. 20. 17. verùm priùs Timotheus relictâ Epheſo ad Paulum venerat Corinthum, utì modò à nobis notatum eſt.

Epiſtola ad Romanos. Anno Chriſti 53, Claudii 14.

EPiſtola ad Romanos ſcripta eſt Corinthi, cùm Paulus actis tribus in Græcia menſibus (Act. 20. 2, 3.) navigaturus eſſet Jeroſolymam, ut eò deferret Collectas Eccleſiarum Achaiæ, Aſiæ & Macedoniæ. Liquet hoc ex Rom. 15. 23, 24, & ſeqq. *Nunc autem proficiſcor Jeroſolymam miniſtraturus ſanctis*, &c. quibus verbis ſignificat iter illud quod deſcribitur Act. 20. Huc refer Pauli conſilium (Act. 19. 21.) qui animo propoſuerat peragratâ Achaiâ & Macedoniâ proficiſci Jeroſolymam, tum indè Romam petere; nam, inquit, *poſtquam illic fuero oportet me etiam Romam videre.*

Fuiſſe autem Corinthi ſcriptam hanc Epiſtolam hinc licet conjicere; 1. Subſcriptio Epiſtolæ id habet: ſed ſi nihil aliud eſſet, foret id leve; nam ſæpe falſiſſimæ ſunt Epiſtolarum Paulinarum ſubſcriptiones. 2. Eâ commendatur Romanis Phœbe Diaconiſſa Eccleſiæ quæ erat Cenchreis Corinthi portu, per quam & miſſa videtur Epiſtola, ut fert etiam ſubſcriptio. 3. In ſalutationibus quæ habentur cap. 16. eorum meminit qui cum ipſo iter illud Jeroſolymitanum ingreſſi ſunt, quíque Act. 20. dicuntur Corintho cum Paulo eſſe profecti, putà Timothei & Sopatri, ſive Soſipatri (Act. 20. 4.) Ubi obſervandum eſt qui Rom. 16. 21. Σωσίπατρος dicitur eundem eſſe cum eo qui Act. 20. 4. Σώπατρος vocatur. Nam in edit. Gr. N. Teſtamenti Rob. Steph. typis regiis majoribus, notatur in margine (Act. 20. 4.) in nonnullis codicibus legi Σωσίπατρος. Et ſanè ſic eò loci legit Verſio Arab. & Vulg. Verſ. quæ eſt in edit. Græco-Lat. N.T. Eraſmi. At Syr. tranſlatio & Vulg. Verſ. Clementis VIII habent Σώπατρος.

Præterea Gaius ille quem (Rom. 16. 23.) vocat ξένον ſuum, is omnino eſſe videtur de quo 1 Cor. 1. 14. qui alius eſt proculdubio à Gaio Derbenſi, de quo Act. 20. 4. Eraſtus item quem Rom. 16. 23. vocat οἰκονόμον τῆς πόλεως, is eſſe videtur quem Paulus unà cum Timotheo Epheſo præmiſerat in Macedoniam & Achaiam. Atq; hæc ſunt argumenta quibus Origenes (Præf. in Epiſtolam ad Rom. referente Baronio ad A. Chr. 58. ſect. 46.) adductus eſt ut diceret ſcriptam eſſe Corinthi hanc Epiſtolam. Quæ ſanè argumenta ſunt validiſſima.

Atq; hæ ſunt quæ extra vincula ſcriptæ videntur à Paulo Epiſtolæ: reliquæ in vinculis ſunt ſcriptæ. Vincula autem Pauli Romana fuerunt gemina; priora & poſteriora. Una duntaxat, nempe poſterior ad Timotheum, ſcripta videtur in poſterioribus Pauli vinculis paulò ante ejus Martyrium: cæteræ in prioribus fuerunt ſcriptæ.

Epiſtola ad Philippenſes. Anno Chriſti 56, Neronis 3.

EArum omnium prima videtur eſſe Epiſtola ad Philippenſes. Cùm Paulus eſſet Romæ captivus, Philippenſes de eo ſoliciti Epaphroditum eò miſerunt, qui Paulum in vinculis viſitaret, & neceſſaria vitæ ſubſidia ei ſubminiſtraret, utì conſtat ex Epiſtolæ illius cap. 2. verſ. 25. & cap. 4. verſ. 10, & 18. Eundem ad Philippenſes remiſit Paulus, eúmque illis commendat cap. 2. 28. unde etiam per eum miſſa eſſe videtur Epiſtola, utì fert ſubſcriptio: Malè autem

Arab. versio notat in subscriptione eam etiam esse missam per Timotheum; nam cap. 2. 19. significat Paulus se brevi ad eos missurum esse Timotheum; & Epistola nomine Pauli & Timothei est scripta, quod non fieret si per Timotheum esset missa. Scriptam autem fuisse in vinculis liquet ex c. 1. v. 7, 13, 14. & quidem Romæ, non autem Jerosolymis; nam cap. 1. 13. meminit Prætorii, & cap. ult. v. 22. salutat Philippenses eorum nomine qui sunt de domo Cæsaris.

Epistola ad Colossenses. Anno Chr. 56, Neronis 3.

EPistolæ ad Colossenses, Ephesios, & Philemonem eodem tempore fuerunt Româ scriptæ, & per eosdem, Tychicum nempe & Onesimum, missæ. Ac primò quidem Epistolam ad Colossenses scriptam esse è vinculis liquet ex c. 4. v. 3, & 18. missa est autem per Tychicum & Onesimum, cap. 4. 7, 8, 9. Romæ scripta fuit: nam Romæ Onesimum Philemonis fugitivum servum Christo Paulus lucrifecerat, uti liquet ex Pauli ad Philemonem herum ejus Epistola.

Epistola ad Philemonem. Anno Christi 56, Neronis 3.

TUM temporis ergò utraque Epistola, tam illa quæ est ad Colossenses quàm ista quæ est ad Philemonem, scripta fuit cùm Paulus Onesimum ad Philemonem remisit, cum Epistola quâ id narrat, eúmque hero commendat, & herum illi conciliat. Quod & hinc confirmatur; Philemonem salutat eorum nomine quorum nomine Colossenses etiam salutat, putà nomine Epaphræ, Aristarchi, Marci, Lucæ, Demæ, uti liquet ex collatione cap. 4 Epistolæ ad Col. v. 10, 12, 14. cum v. 22, 24. Epistolæ ad Philemonem. Deinde, Onesimum Colossensibus commendat, cap. 4. 9. Item ex Coloss. 4. 17. liquet Archippum Colossis functum esse aliquo munere, jam autem eundem in Epistola ad Philemonem v. 2. salutat. Denique Philemon ipse fuit Colossensis. Nam (Coloss. 4. 9.) Onesimum ipsis commendans dicit, ὃς ἐστιν ἐξ ὑμῶν, quod ideo à Paulo dicitur quia herus ejus Philemon erat Colossensis: servi enim cùm sint de heri familia, non alia est illorum quàm heri civitas. Ex his itaque liquere puto utramque Epistolam simul eodem tempore fuisse scriptam.

Epistola ad Ephesios. Anno Christi 56, Neronis 3.

EPistolam ad Ephesios quod attinet, eodem etiam tempore fuisse scriptam sic colligi posse videtur; 1. Quia & ipsa scripta fuit in vinculis, h. e. Romæ, quod constat ex cap. 3. 1. & cap. 6. 20. Deinde, Missa est per Tychicum (cap. 6. 21, 22.) per quem & illa ad Colossenses missa fuit. Denique, vers. 21, & 22. cap. 6. ad Ephesios totidem penè verbis constant cum vers. 7, & 8. cap. 4. ad Coloss. Fuisse autem tres illas Epistolas in prioribus, non in posterioribus Pauli vinculis scriptas hinc liquet, quòd Philip. 1. 25, & 26. & 2. 24. item Philem. 22. ostendit Paulus spem certissimam se brevi liberatum iri. Cæterùm non videtur Paulus ipse Colossensibus Euangelium prædicasse; nam cap. 3 videtur illos numerare inter eos qui ipsum de facie non noverant. Et cap. 1. 7. videtur innuere Epaphram eos Christo lucrifecisse. Et quidem videntur Colossenses Epaphram misisse ad Paulum Romæ vinctum, cap. 1. 8. cujus propterea nomine eos salutat (cap. 4. 12.) cùm eum penès se detinuisset, & Tychicum ad ipsos misisset.

Epistola ad Hebræos. Anno Christi 57, Neronis 4.

SUnt qui negant Epistolam ad Hebræos esse Pauli, quòd ea neque phrasim, neque genium, neque argumentandi rationem Pauli referat aut sapiat; asserúntque eam potiùs esse adscribendam Barnabæ, moti Tertulliani autoritate qui id asserit. Sed cùm historia Apostolica vinctum fuisse Barnabam, & quidem Romæ sive in Italia, non commemoret, neque Timotheum illi adjungat unquam, sed Marcum potiùs, Timotheus autem semper Paulo adfuerit, tum ante vincula ipsius, (paulò postquam Barnabas à Paulo discessisset, rixâ inter eos ortâ quæ narratur Act. 15. 39.) tum in vinculis prioribus, uti suprà demonstravimus, longè verisimilius videtur à Paulo scriptam esse hanc Epistolam, qui vinculorum suorum meminit disertis verbis cap. 10. 34. & spem ostendit fore ut illis brevi solvatur cap. ult. vers. 19. ἵνα τάχιον (inquit) ἀποκατασταθῶ ὑμῖν, & vers. 23. de Timotheo loquens, *quocum* (inquit) *vos videbo*, & Hebræos salutat eorum nomine qui sunt ἀπὸ τῆς Ἰταλίας, vers. 24. Ex quibus conjicere licet hanc Epistolam à Paulo sub finem priorum vinculorum Româ scriptam fuisse ad Jerosolymitanos Judæos qui in Christum crediderant, quibus hæc duo potissimùm nititur persuadere; 1. Jesum esse Messiam promissum, verum Deum, non hominem duntaxat, Redemptorem spiritualem, non carnalem; 2. Omnes Legis ceremonias fuisse totidem Christi typos & umbras, quæ in eo complementum suum habuerint, eásque proinde adventu suo esse abolendas, contrà quàm existimabant plerique omnes etiam credentes Judæi, qui Legis erant acerrimi zelotæ.

Cæterùm, quia nulla fit in Scriptura expressa mentio vinculorum Timothei (nam liquet quidem eum Paulo adfuisse in vinculis, at vinctum ipsum fuisse non dicitur) hinc videtur esse quòd Arab. versio verba illa quæ sunt cap. ult. vers. 23. *Scitote Timotheum* ἀπολελυμένον, ità accipit quasi illis non solutio à vinculis, sed discessus ejus à Paulo significaretur; sic enim ea reddit, *Sciunt Timotheum fratrem nostrum à nobis ad vos discessisse.* Sed quid opus erat eos monere ea de re? siquidem Timotheus tam citò, vel citiùs etiam, ad Hebræos venisset quàm ipsa Pauli Epistola, maximè si per eum missa est, uti vult Epistolæ subscriptio Arabica; sed perabsurdé: ridiculum enim est monere eum ad quem scribis, illum venire per quem tu ad illum scribis. Omnino ergò hinc colligi posse videtur, Timotheum unà cum Paulo fuisse Romæ captivum, quem postea vinculis unà secum solutum aliquò, in Græciam putà vel Asiam, ante se præmiserit, cujus reditum Paulus præstolabatur, ut unà cum eo Jerosolymam rursus peteret, atque indè postmodum Asiam, Græciam & Macedoniam postremâ suâ peragratione lustraret, prout nos suprà putamus demonstrasse Paulum, vinculis prioribus solutum, Orientem repetiviisse; quam ultimam peragrationem putabat fortè tum Paulus se inchoaturum Jerosolymis, quo rectà se conferre ex Italia tum sperabat, etsi (ut videtur) res aliter ceciderit: siquidem jubet Philemonem parare sibi hospitium, ut qui sperat se brevi redditum iri eorum precibus.

Posterior ad Timoth. Epist. Anno Christi 64, Neronis 11.

SUprà à nobis demonstratum fuit (ex posterioris ad Timotheum Epistolæ cap. 4. 20.) Paulum prioribus vinculis Romanis solutum rediisse in Orientem, indéque rursus Romam regressum, in vinculis martyrium sub Nerone fecisse. Unde liquet hanc Epistolam omnium Paulinarum Epistolarum esse postremam, ab eo scriptam in posterioribus vinculis, quorum meminit cap. 1. 8. & 2. 9. Et quidem Romæ, cap. 1. 17. paulò ante martyrium suum, quod innuere videtur cap. 4. 6, 7, 8. Ex eo autem quòd cap. 4. 12. scribit se Tychicum misisse Ephesum,

sum, colligitur vel Timotheum ad quem scribit non fuisse Ephesi, vel si fuit Ephesi, sequitur per Tychicum missam non fuisse hanc Epistolam: non enim sic loqueretur de eo per quem scriberet.

Baronius ad A. Chr. 59. §. 10, & seqq. multis contendit hanc Epistolam scriptam esse à Paulo Romæ in prioribus, non verò in posterioribus vinculis, & quidem paulò postquam Romam venisset, & Neroni oblatus, habitâ primâ suâ Defensione, in libera relictus fuisset custodia. Hâncque vult esse primam omnium Epistolarum quæ Romæ à Paulo in vinculis sunt scriptæ. Verùm ex iis quæ à nobis suprà dicta sunt, cùm disquisivimus, *An Paulus bis Romæ fuerit vinctus*, satis refellitur illa Baronii sententia. Quibus & hoc addi possit, Vult Baronius fuisse eam scriptam ante Epistolas ad Ephesios, Philippenses, Colos. & Philemonem, quæ (uti suprà ostendimus, & ipse Baronius agnoscit) Romæ etiam scriptæ fuerunt à Paulo in prioribus vinculis. At huic Baronii sententiæ repugnat quod hâc Epistolâ scribit Paulus cap. 4. 12. *Tychicum misi Ephesum*. Nam per Tychicum missæ sunt Epistolæ ad Ephesios & Philippenses, uti suprà probavimus. Ergò si in prioribus vinculis à Paulo scripta fuit posterior hæc ad Timotheum Epistola, scripta omnino fuerit post Epistolas ad Ephesios, Philippenses, &c. quod fieri non potest: nam tum Timotheus Romæ erat cum Paulo; inscribuntur enim Epistolæ illæ non Pauli modò, sed & Timothei & Sylvani nomine; quod & ipse agnoscit Baronius, atque indè conjicit scriptas esse Epistolas illas postquam Timotheus, hâc Epistolâ à Paulo accersitus, Romam ad eum venisset. Quod fieri non potest nisi dicamus Tychicum bis à Paulo Româ, per illud biennium priorum vinculorum, missum fuisse Ephesum; & quidem primâ vice ante, aut saltem eodem tempore quo à Paulo scripta est hæc ad Timotheum Epistola, secundò verò postquam Timotheus Romam jam venerat, cùm per eum scripsit Paulus ad Ephesios, Philippenses, &c. At nullâ ratione aut argumento fit verisimilis prior illa Tychici à Paulo missio. Nam quorsum eum miserit? Non enim per eum missa est hæc ad Timotheum Epistola, siquidem Timotheum hâc Epistolâ Paulus monet se misisse Tychicum Ephesum. Non dicit autem Apostolus, *Misso ad te Tychicum Ephesum* (quæ loquendi formula non modò ferri potest, sed est usitatissima) sed ἀπέστειλα, *misi*, inquit, *Ephesum*. Non ergò per Tychicum missa fuit hæc Epistola. Sed neque tum ad alios scripsit Paulus per Tychicum, ex Baronii sententia, qui hanc vult esse omnium primam earum quæ in vinculis fuerunt scriptæ. Quorsum ergò misisset Tychicum Paulus? Aut verò credibilène est Paulum, in vinculis constitutum, Româ Ephesum misisse Tychicum sine literis, maximè ad Timotheum, quem Baronius vult fuisse Ephesi relictum à Paulo, cùm Miletum Presbyteros Ephesinæ Ecclesiæ accersivit ad se navigaturus Jerosolymam, atque Epheso fuisse ab eo Romam accersitum? Hæc sanè oppugnant fortiter Baronii sententiam, nec poterunt unquam cum sententia ipsius conciliari, uti neque illud quod suprà observatum est, nempe sine causa & ratione moneri hîc per Epistolam Timotheum, Corinthi remansisse Erastum, 1. Quia integro biennio aut verò penè triennio id præcesserat hujus Epistolæ scriptionem, etsi Baronius id neget, neque velit intercedere sex menses: sed nullo argumento id ab eo asseritur. 2. Quia Timotheus erat cum Paulo Corinthi cùm Erastus isthic remansit. Nam cùm Paulus Corintho excessit ut Jerosolymam navigaret delaturus Eleemosynas, Timotheus unà cum eo fuit συνεπόμενος, Act. 20. 4.

Visum est hîc subtexere pauca quædam ex Josepho excerpta, & in compendium contracta, quæ faciunt ad historiam tum Evangelicam tum Apostolicam illustrationem aut confirmationem, quæ boni consulet æquus Lector, idémq; historiæ Sacræ studiosus. Præmittere autem illis visum est tres Tabulas. Prima Herodis genealogiam, Secunda seriem summorum Pontificum Hierosolymitanorum, Tertia denique Cæsarum in Judæa Procuratores, & Syriæ à Romanis constitutos Præsides repræsentans, atque ob oculos ponens.

HERODIS Magni, sub quo Dn. N. Jesus Christus natus est, stemma & soboles, ex Josepho collecta, lib. Antiq. Jud. 20. c. 5. & lib. 18. cap. 7. & l. 17. cap. 1.

*** TAB. I.

ANTIPAS.



TAB. II.

SERIES SUMMORUM HIEROSOLYMITANORUM PONTIFICUM,

Ab eo tempore quo Herodes Asamonæis ablatum regnum à Romanis accepit, ad excidium usque Templi per Titum Vespasianum, ex Josepho collecta.

CUM Herodes à Rom. Senatu Rex Judæorum, operâ & favore Antonii, renunciatus, tertio pòst anno Jerosolymam ope Romanorum vi expugnasset, & Antigonum Aristobuli filium, ultimum ex Asamonæis Judæorum regem, captum ad Antonium misisset (qui eum securi percussit) occupato regno, Sacerdotium (quod ipse exercere non poterat, utpote Idumæus genere) contulit in quoslibet è Sacerdotum genere, obscuros licèt, quos pro arbitrio modò instituebat, modò destituebat (quod exemplum Archelaus ejus filius, atque post eum Romani, & ab illis constituti Reges Judæorum, postmodum secuti sunt.) Horum Pontificum primus fuit

1. *Ananelus*, ab Herode accersitus Babylone, olim ipsi notus & familiaris. Sed mox cùm videret socrum Alexandram, Hyrcani filiam, matrem Mariammes conjugis, ei de causa vehementer indignari (quòd præterisset Aristobulum filium suum, fratrem Mariammes) abdicato ad preces Mariammes Ananelo, substitutus est ei

2. *Aristobulus*, Mariammes conjugis Herodis frater, adolescens annorum XVII, formosissimus juvenis; in quem cùm Herodes videret totius populi studium & vota inclinare, metuens indè Gentis in se rebellionem, elapso post collatum Sacerdotium anno, curavit eum natantem dolo submergi atque præfocari. Is est Asamonæorum ultimus qui Hierosolymis summo Pontificatu functus est. Eo mortuo constituitur rursus ab Herode in Sacerdotio

Ananelus, cui postea ab eodem substitutus est

3. *Jesus* Phabeti filius, cui deinde ab Herode successor datus est

4. *Boethus* Alexandrinus, quocum filius Simon videtur exercuisse Sacerdotium; hujus enim Simonis filiam Mariammen formosissimam cùm vellet Herodes ducere in uxorem, patri Simoni (aut verò avo potiùs Boetho) contulit Pontificatum; sed ei postmodum abrogatum est Sacerdotium, suffectúsque

5. *Matthias* Theophili Hierosolymitani F. Iste, paucis ante Herodis mortem mensibus, privatus est ab eo Sacerdotio, eique subrogatus

6. *Joazarus* Boethi F. & Mariammes conjugis Herodis patruus, cui Archelaus in regno ab Augusto confirmatus, mox abrogavit Sacerdotium, ei substituitur

7. *Eleazarus* Joazari frater. Eidem mox Archelaus abstulit Pontificatum, & viventi subrogatur

8. *Jesus* Siæ F. Hic videtur sub finem regni Archelai depulsus Sacerdotio, & in Pontificatum restitutus

Joazarus ille prior. Nam cùm post Archelai exsilium sive relegationem ab Augusto missus esset in Judæam Quirinus, & cum eo Coponius, qui censum ageret, & Archelai bona divenderet, Judæámque Romanorum provinciam faceret; persuadente Joazaro Pontifice populus acquievit descriptioni, sive Censui. Mox populi in eum exortâ seditione, Quirinus Syriæ Præfectus eum privavit Sacerdotio, eique suffectus est

9. *Ananus* Sethi F. cui non multò pòst à Valerio Grato, Judææ à Tiberio misso Præside, substitutus est

10. *Ismael* Fabi F. quo mox dejecto substituitur ei

11. *Eleazarus* Anani Pontificis F. Anno elapso dignitatem hanc ei ademit Gratus, suffectúsque est illi

12 *Simon* Camithi F. cui cùm annum in dignitate illa egisset, successor datus est

13. *Josephus* cognomento Caiaphas [ille est sub quo Christus passus est, Annæ, h. e. Anani illius præcedentis, gener, uti videtur ex historia Euangelica] qui à Vitellio sub finem regni Tiberii destitutus est, atque ei subrogatus

14. *Jonathas* Anani præcedentis F. cui paulò pòst idem Vitellius, cùm ad bellum contra Arabas proficisceretur, paulò ante mortem Tiberii, Pontificatum abrogat, eique sufficitur

15. *Theophilus* Jonathæ frater. Huic Agrippa M. cùm Româ post Caligulæ cædem Jerosolymam venisset, initio regni Claudii, Pontificatum adimit, atque illi subrogatur

16. *Simon* cognomento Canthara, Boethi F. Huic mox Pontificatum abrogat Agrippa, eique successor datus est

17. *Matthias* Anani Pontificis F. & Jonathæ frater; cui deinde cùm Pontificatum idem Agrippa ademisset, suffectus est

18. *Elionæus* Cithæi F. Huic etiam ademptus videtur Pontificatus, & subrogatus iterum

Simon Canthara; nam post Agrippæ M. mortem Herodes Chalcidis Rex Agrippæ frater, impetratâ à Claudio potestate in Templum & sacrum ærarium, hunc Simonem ejecit: cui suffectus est

19. *Josephus* Canei sive Camydis F. quem idem Herodes mox privavit eâ dignitate, eique substitutus est

20. *Ananias* Nebedæi F. Iste à Numidio Quadrato Syriæ Præside missus est Romam, unà cum Cumano Cæsaris in Judæa Procuratore, redditurus Claudio rationem seditionis cujus accusabatur, idque circa decimum Claudii Imp. annum. Abrogatus ei videtur ea de causa Pontificatus, substitutúsque

21. *Jonathas*, quem Felix Judææ Præses liberiùs monentem cùm odio prosequeretur, curavit per Sicarios interfici, eique subrogatus est ab Agrippa juniore

22. *Ismael* Fabii F. Is Romam ad Neronem profectus cum decem Judæorum legatis, postulata quidem obtinuit, sed Romæ tanquam obses detentus est; quo intellecto ei ab Agrippa juniore suffectus est

23. *Josephus* cognomento Cabi, Simonis quondam Pontificis F. cui idem Agrippa post Festi mortem ademit Pontificatum, inque ejus locum substitutus est

24. *Ananus* Anani quondam Pontificis F. Josephus lib. 2. De bello Jud. cap. 11. dicit eum Ananiæ filium, quod verius esse videtur. Is sectâ Sadducæus statim atque adeptus est Pontificatum, Jacobum Apostolum, Dn. N. Jesu Christi fratrem, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Præfectum, securi percussit, improbantibus id factum plerisque Judæis; qua de causa tertio post adeptum Pontificatum mense destitutus est ab Agrippa, eique suffectus

25. *Jesus* Damnæi F. cui cùm idem Agrippa eripuisset Pontificatum, successor ei datus est

26. *Jesus* Gamalielis F. Huic cùm etiam abrogasset Pontificatum suffectus est

27. *Matthias* Theophili F. sub quo Judaicum bellum habuit initium, anno Neronis XII. Huic deinde, cùm à seditiosis Zelotis tempore belli interfectus esset, suffectus est

28. *Phanasus*, sive Phannias, homo planè rudis atque rusticus. Josephus Antiq. Jud. lib. 20. cap. 8. dicit ab Herode ad Templi excidium summos fuisse Hierosolymis Pontifices XXVIII, quorum nullus fuit ex Asamonæorum genere præter unum Aristobulum.

TAB. III.

Cæsarum in Judæa Procuratores, vel Præsides, à Rom. eò missi post Herodis mortem.

1 *Sabinus*, interim dum Archelaus Romam proficiscitur petiturus ab Augusto regnum paternum, sed redeunte Archelao decessit.

2 *Coponius*, post damnatum & relegatum ab Augusto Archelaum, venit cum Quirinio Syriæ Præside, ab eóque in Judæa cum turma Equitum Cæsaris Procurator relictus est. Post eum

3 *M. Ambivius*. Cui successit

4 *Annius Rufus*, quo Præside obiit Augustus. Huic à Tiberio successor missus est, anno imperii sui secundo,

5 *Valerius Gratus*, cui exactis in Judæa annis undecim successor est missus

6 *Pontius Pilatus*, qui post exactum in Judæa decennium jussus est à Vitellio, Syriæ tum Præside, Romam ad Tiberium proficisci, responsurus accusationi Judæorum (sed priùs quàm Romam perveniret obiit Tiberius) missúsque est in ejus locum à Vitellio

7 *Marcellus*, sed mox à Caio Caligula missus est in ejus locum

8 *Marullus*; post mortem autem Agrippæ M. anno Claudii IV, interim dum adolescebat filius ejus Agrippa junior, qui tum erat annorum XVII, missus est à Claudio in Judæam Procurator

9 *Cuspius Fadus*, à quo Theudas Pseudopropheta cum suis sequacibus deletus est. Huic successit

10 *Tiberius Alexander*, Alexandri Alabarchæ F. religionis patriæ (nempe Judaicæ) desertor. Hujus & Fadi tempore contigit gravissima per universam Judæam fames (illa nempe quæ memoratur Act. 11.28.) Is etiam Jacobum & Simonem, Judæ Galilæi filios, captos sustulit de medio. Ei successit

11 *Cumanus*, anno Claudii VIII. Is ob cædem in seditione factam, aliáque scelera, à Numidio Quadrato Syriæ Præside ad Claudium ire jussus est, qui causâ cognitâ Cumanum multavit exsilio. In ejus locum suffectus est

12 *Felix* Pallantis, liberti Claudii, frater, anno circiter Claudii X. Huic à Nerone (circa annum Principatûs sui II.) successor missus est

13 *Porcius Festus*. Huic mox successit

14 *Albinus*, cui successor à Nerone missus est

15 *Cestius*, vel *Gessius*, *Florus*, qui cùm potestate suâ violenter abuteretur, Judæos compulit rebellare adversùs Romanos. Hujus anno secundo, Neronis autem XII. cœptum est bellum Judaicum, quo tota Judæorum Resp. unà cum urbe & Templo funditus eversa est.

Syriæ Præsides, sive Proconsules, ab Herodis M. morte.

1 *Quintilius Varus*, Saturnini successor Syriam administrabat cùm Herodes diem suum ultimum clauderet, cui postea ab Augusto, post damnatum Archelaum, successor missus est

2 *Quirinius*, qui per Judæam & Syriam censum ageret, Syriæque præesset. Post eum missus est à Tiberio

3 *Silanus*, deinde

4 *Germanicus*, ad res Orientis componendas, qui Pisonis operâ veneno sublatus est. Ei successit

5 *Vitellius*, qui Pilatum à Judæis accusatum jussit ire ad Tiberium, redditurum facti sui rationem. Ei à Caio Caligula successor missus est

6 *Petronius*, qui jussus est Caligulæ statuam auream in Templo Hierosolymitano dedicare, quod cùm exsequi pararet, nuncium accepit de Caii morte. Ei à Claudio successor missus

7 *Marsus*, Regi Agrippæ M. non satìs amicus, cui propterea, ad Agrippæ preces, successor à Claudio missus est (anno Imperii sui quinto, post Agrippæ obitum)

8 *Cassius Longinus*, cui successit

9 *Numidius Quadratus*, à quo Cumanus Judææ Procurator jussus est Romam ire ad Claudium qui damnavit eum exsilio.

10 *Cestius Gallus*, apud quem Judæi de Flori vexationibus conquesti sunt, sed frustrà, quíque adversùs eos rebellionem incipientes profectus, feliciter pugnavit, seditiosos in Templum compulsos obsedit, sed mox nulla de causa obsidione solutâ recessit, & recedens à Judæis insequentibus penè deletus est ejus exercitus.

HISTORIÆ JUDAICÆ COMPENDIUM,

Ex Josepho contractum, ad illustrationem historiæ Euangelicæ & Apostolicæ N. Testamenti accommodatum.

CUM Judæi Abrahæ posteri in numerosam gentem benedictione Dei excrevissent in Ægypto, atque indè liberati regiminis alicujus politici formam à Deo per Mosem accepissent, Deus eos primùm per Judices extra ordinem à se excitatos rexit per annos circiter 460, ad Saulem usque & Davidem. Indè ad captivitatem usque Babylonicam proprios habuerunt Reges è gente sua, Davidis posteros, quorum imperio parebant. A captivitate autem Babylonica regibus Persiæ, ad Alexandrum usque Magnum, primò subditi fuerunt ad tributa & vectigalia quod attinet, quæ Judæi Regibus illis solvebant. Nam cæteroqui αὐτονομίᾳ utebantur, propriósque habebant de gente sua Præsides; quales fuerunt Zorobabel, Nehemias & alii; à quibus, regum Persarum nomine & tanquam eorum Præfecti, secundùm leges suas regebantur, résque sacræ à summis Sacerdotibus sub illis Præfectis summa cum libertate administrabantur. Ab Alexandri autem Magni morte rerum summa apud Judæos fuit penès summos Pontifices, qui tamen suberant modò Lagidis Ptolemæis Ægypti, modò Seleucidis Asiæ regibus, ad Antiochum usque Epiphanem, Seleucidam Asiæ regem; à quo mox, cùm ab eo gravissimè afflicti essent, defecerunt, & contra successores ejus bellum gesserunt sub Mattathiæ ejúsque liberorum, Judæ Machabæi, Jonathæ & Simonis, ductu atque auspiciis, qui ex Sacerdotali quidem familia, at non tamen primaria, oriundi summum Pontificatum cum regia dignitate simul conjunxerunt, résque Judæorum summo cum imperio, nullius Superioris dominationi subjecti, administrarunt ad Herodis usque Magni tempus, qui à Romanis Rex Judæorum Senatusconsulto creatus & declaratus est, annis ante Dn. N. Jesu Christi æram receptam ferme quadraginta. Hujus Herodis & posterorum ejus historia, rerúmque ab eo tempore Judaicarum cognitio, plurimùm confert ad historiæ Euangelicæ & Apostolicæ N. Testamenti illustrationem. Itaque breviter, & κατ' ἐπιλογὴν, ex fusiori quæ est apud Josephum narratione, ea hîc subjiciemus, unde lux aliqua ad historiam sacram N. Testamenti afferri potest, re ab ipsis Assamonæis breviter repetitâ.

Anno ante Christum natum 135, 134, 128, 127, 110, 109, 105.

[Joseph. Antiq. lib. 13. cap. 16, 17, 18.] Simoni ergò fratrum Judæ Machabæi ultimo, à Ptolemæo genero per dolum in convivio interfecto, succedit in Principatu & Sacerdotio Hyrcanus ejus filius, qui ab Antiocho Pio rege Syriæ, ex Seleucidarum genere, obsessus Jerosolymis Davidis sepulcrum, ad illam usque diem intactum, reseravit, unde talentorum tria millia eduxit, ex quibus 300 dedit Antiocho, quibus pacem redemit; fedus cum Antiocho feriit, quem Hierosolymis cum toto exercitu excepit, proficiscentem in Parthos ipse cum auxiliaribus copiis comitatus est. A quibus cùm Antiochus victus & interfectus esset, frater Demetrius in regnum ei successit. Hyrcanus autem Sicima & Garizim expugnat, Samaritanorum Templum isthîc exstructum funditus evertit, anno CC postquam primò conditum fuerat à Sanaballat Samaritidis Præfecto, in gratiam Manassis generi sui (fratris Jadduæ summi Pontificis, paulò ante adventum Alexandri Magni in Syriam) qui ob contractam cùm Samaritano affinitatem exclusus fuerat à Sacerdotio, & pulsus urbe Hierosolymâ. Ipsam Samariam, post consumptum in ejus obsidione annum integrum, expugnat, evertit à fundamentis, adeóque immisso torrente ità delet ut nè vestigia quidem urbis superfuerint. Idem Hyrcanus Idumæam subigit, Idumæos cogit ad Circumcisionem & religionem Judaicam suscipiendam, atque ab eo tempore Idumæi inter Judæos sunt habiti. Fedus cum Romanis, missis legatis, renovat. Invitatis autem ad convivium præcipuis è Pharisæorum secta (cui impensè favebat) viris, irritatus cujusdam ex eis convitio, qui matrem servam, sive captivam, ei exprobraverat, ab eorum partibus ad Sadducæorum sectam transiit; Pharisæos eorúmque sectatores & discipulos exinde variè afflixit. Tandem exactis in regno & Sacerdotio 31 annis moritur: sub cujus imperio altâ pace fruita est Judæa, interim dum Seleucidæ inter se de Syriæ regno dimicant. Quinque liberos post se reliquit. Vir pius (ut vult Josephus) & Prophetiæ dono præditus, quo prædixit casum duorum majorum liberorum suorum.

Ante Christum 104.

Hyrcano succedit filius natu maximus Judas, qui postea Aristobulus est dictus, Philellen cognominatus, qui primus Asamonæorum Diadema capiti suo circumposuit, annis 481 post solutam captivitatem Babylonicam. Ituræos dejectos, & Circumcisionem suscipere coactos, Judææ adjunxit. [Hi sunt Arabiæ populi à יטור *Jetur* Ismaelis filio sic dicti. Vide Gen. 25. 15. & 1 Par. 5. 19.] Matrem regni æmulam, quam Hyrcanus rerum dominam reliquerat, conjecit in carcerem, atque isthîc fame necavit. Fratrem Antigonum regni socium & consortem facit, cæteros tres carcere claudit. Sed mox Antigonum calumniis circumventum ab uxore & aliis æmulis, jubet interfici, cujus cædis mox dat pœnas sanguinis proprii vomitu, quo paulò pòst exstinctus est, anno uno duntaxat in Regno exacto.

Ante Christum 103, 99, 97, 96, 92, 81, 79.

[Antiq. lib. 13. cap. 20, 21, 22, 23.] Alexander, Hyrcani tertius filius, Aristobulo fratri succedit, Fratrum alterum vitæ suæ insidiantem interficit, alterum vitâ privatâ gaudentem in pretio habet. Bello adversùs Ptolemæum Lathurum Ægypti regem variè certat; multa oppida munita & castella in Judæa eo bello occupat; Gadaram, [Urbs est munitissima trans Jordanem in monte sita, à qua dicti sunt *Gadareni*, quorum meminit Euangelium, Marc. 5. Luc. 8.] Amathuntem [Castellum prope Gadaram munitissimum, non verò urbs illa quæ in V. Test. dicitur חמת *Hamath*] Raphiam, Anthedonem, Gazam, post anni unius obsidionem expugnatam, evertit funditus. [Hinc est quòd Act. 8. 26. vocatur ἔρημος *deserta*. Nam etsi mox est reædificata, alio tamen loco fuit ædificata.] Sed à popularibus suis Judæis exosus bello ab eis vexatur per annos sex, tandémque morbo ex temulentia contracto, quartanâ febre per triennium laborat, ex qua viribus exhaustis obiit anno regni sui XXVII, vitæ XLVIII.

Ante Christum 78, 69.

[Antiq. lib. 14. cap. 1.] Alexandro mortuo uxor ejus Alexandra, femina sectæ Pharisæorum addictissima, regnum per novem annos administravit ope & consilio Pharisæorum, quibus illa se & omnia sua consilia credidit. Filio majori Hyrcano rebus gerendis minùs idoneo Pontificatum contulit, quo, quamdiu mater vixit, functus est. Eâ mortuâ Aristobulus frater natu minor, sed audax & industrius, animo & ingenio longè superior, commisso prælio fratrem Hyrcanum superat, & federe ìcto cogit vitam privatam vivere, erepto ei tum regno tum Sacerdotio, quæ ipse tenuit simul annos tres, menses sex. Sunt qui putant legendum apud Josephum *annos sex menses tres*; & bene quidem.

Ante Christum 65, 64.

[Antiq. lib. 14. cap. 2, 3, & seqq.] Sed Antipater, Herodis magni pater, gente Idumæus, religione Judæus, ab Alexandro & ejus uxore Alexandra totius Idumææ Præfecturæ præpositus, vir pecuniosus, industrius, & ingenio factiosus, Hyrcani, qui Alexandro successerat, amicus, atque Aristobulo ejus fratri propterea infensus, ægre quidem, sed tandem tamen Hyrcano persuadet ut ad Aretam Arabum regem se conferat, à quo precibus Antipatri auxilium impetrat, quo in regnum sibi ab Aristobulo fratre ereptum restituatur. Aristobulus ab Areta & Hyrcano fratre prælio fusus recipit se Hierosolymam, ubi cùm in Templo arctè obsideretur, Scauro Pompeii legato Damasco in Judæam venienti pollicitus 400 talenta, obsidione liberatus est, Areta & Hyrcano jussis à Scauro indè recedere. Verùm cùm Pompeius ipse Damascum venisset, Aristobulus & Hyrcanus apud eum disceptant de regno & Sacerdotio; qua in disceptatione cùm Aristobulus Pompeium offendisset, Pompeius eo in vincula conjecto Hierosolymam contendit, ubi ab Hyrcani parte receptus, solo Templo (quod à parte Aristobuli occupabatur) exclusus, cùm illud per tres menses obsedisset, vi tandem cepit, Olymp. CLXXIX, C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coss. die ipso Jejunii, ubi Judæorum 12 M. cæsa. Templum ingressus Pompeius illud non violavit, neque sacrum ærarium, in quo 2 M. talentorum erant, attigit. Aristobulum vinctum cum duobus filiis secum Romam abduxit, Hyrcano Regnum & Sacerdotium restituit, partem mœniorum Hierosolymitanorum diruit, Judæis eas ademit civitates quas supra finitimos occupaverant, jussit ut intra veteres & proprios limites se continerent.

Ante Christum 55, 54.

Cúmque Alexander Aristobuli filius è vinculis in itinere profugisset, eum Judæam incursionibus vexantem, résque novas molientem, Gabinius prælio vicit, factâque deditione Hyrcanum in Sacerdotio confirmavit, varias urbes in Judæa bello dirutas instaurari jussit, Judæam in quinque districtus divisit; quorum hæ erant Metropoles, Hierosolyma, Hiericho, Gadara, [Illa est quæ in V. Testam. passim חמת *Hamath* dicitur, prope Libanum, non longè à Jordanis fontibus] Amathus, & Sepphora. Ipsum etiam Aristobulum Româ profugum, & res novas in Judæa agitantem, idem Gabinius opprimit, captúmque & vinctum Romam remittit. Cúmque ex Ægypto Ptolemæum reducturus in regnum rediret, offendisséque Alexandrum res novas rursus molientem, prælio eum secundò vicit, résque Hierosolymitanas ex Antipatri sententia constituit. Arabibus Nabathæis [Sic dicti sunt à נביות Ismaelis filio primogenito] devictis Romam revertitur, & Crasso provinciam Syriæ tradit regendam. Crassus Gabinio succedens bellum in Parthos moturus Templum Hierosolymitanum diripit, & auro sacro spoliat. Eo à Parthis cæso Cassius ejus Legatus cùm in Syria Parthis resisteret, venit Tyrum, indè in Judæam, ubi Pitholaum, qui Aristobuli partes fovebat, Antipatri suasu interficit.

Ante Christum 49, 48, 47, 45.

[Antiq. lib. 14. c. 13.] Interim Cæsar fugato cum Senatu Pompeio Aristobulum Romæ vinculis solvit, & cum duabus legionibus in Syriam mittit: sed veneno à Pompeianis est sublatus, ejúsque filius Alexander à Scipione Pompeii jussu securi percussus; reliqui liberi à Ptolemæo Mennæo Chalcidis Regulo servati, & quasi in tutelam suscepti. Pompeio à Cæsare pugnâ Pharsalicâ superato, cùm Cæsar in Ægypto bellum adversùs Pompeianos gereret, Antipater insignem ei operam eo in bello navavit: Judæos enim & circumvicinos Dynastas in Cæsaris partes traxit, auxiliáque in Ægyptum duxit. Unde factum ut peracto bello, cùm Cæsar in Syriam venisset, Hyrcanum in Sacerdotio confirmaverit, & Ptolemæum Chalcidis Dynastam repulerit accusantem apud se Hyrcanum & Antipatrum. Antipatro quamcunque vellet Judææ Dynastiam dedit, & Judææ Procuratorem eum constituit. Hyrcano permittit ex Senatusconsulto mœnia Hierosolymorum à Pompeio eversa instaurare, ánno nono Principatûs & Pontificatûs Hyrcani; quæ mœnia Antipater, postquam Cæsarem in Syriam deduxisset, reversus in Judæam restituit, totámque Judæam componit; Phasaelum filium natu majorem Hierosolymis præficit, Herodem verò juniorem Galilææ præposuit.

Ante Christum 45, 44.

[Antiq. lib. 14. c. 17.] In ea regenda & administranda licèt juvenis annorum XXV [Sic legendum docet Casaubon. Exer. 1. sect. 34. non verò XV. ut fert tum Græca vulgaris lectio, tum Latina Ruffini interpretatio] clarus brevi evasit, captis multis latronum & prædonum per Trachonitidem Ducibus, fítque in tota Syria notus, atque Sexto Cæsari Syriæ Præsidi charus. Primates autem Hierosolymitani, invidentes ipsius gloriæ, eum apud Hyrcanum calumniantur, & cædis, ob latrones indictâ causâ cæsos, accusant. Vocatus fistit se Judicio, sed armatus cum satellitio; quo facto terruit Concilium, móxque clàm ab Hyrcano monitus se subducit, & à Sex. Cæsare Cœlesyriæ præfectus, mox adversùs Hierosolymam, ut injuriam sibi factam ulciscéretur, contendit; sed patris Antipatri & Phasaeli fratris precibus motus recessit. Paulò pòst Sex. Cæsar dolo à Cæcilio Basso, qui Pompeii partibus favebat, interficitur, Syriáque ab eo unà cum Legionibus occupatur. Cæsariani Duces bellum adversùs eum movent circa Apamiam, opem ferente Antipatro in gratiam Cæsaris, qui interim Romæ à Bruto & Cassio in Senatu interficitur.

Ante Christum 43, 42, 40.

[Antiq. l. 14. c. 18, & seqq.] Cassius, post interfectum Cæsarem, occupatâ Syriâ Judæam affligit, imperatis ei 700 talentis. Herodes allatâ ad eum pecuniâ gratiam apud Cassium init, & ab eo toti Cœlesyriæ præficitur. Interim Malichus quidam Hierosolymis apud Judæos potens Antipatrum veneno tollit; sed Herodes mox Malichum jussu Cassii curavit Tyri per insidias interfici. Antigonum Aristobuli filium res novas, ope Tyriorum, & Ptolemæi Mennæi Chalcidis Tyranni auxilio, molientem statim opprimit. Doræ, quam privatus uxorem duxerat, adjungit Mariammen Alexandri Aristobulo geniti filiam, Hyrcani autem ex filia Alexandra neptim. Antonium, post superatum Cassium & Brutum, venientem in Asiam primus occupat, & datâ pecuniâ demulcet Herodes, suósque accusatores excludit; ab Antonio literas & varia rescripta in Judæorum gratiam ad Tyrios, Sidonios, Antiochenos & Aradios impetrat. Antonius in Syriam veniens Herodem & Phasaelum Tetrarchas constituit, rerum Judaicarum gubernacula eis permittit, legatos Judæorum Herodem accusantes conjicit in carcerem, atque mox interficit. Ptolemæo Mennæo Chalcidis regulo succedit filius Lysanias [Ille ipse aut pater illius qui Luc. 3. 1. dicitur *Tetrarcha Abylenes.* Nam Abila erat prope Chalcidem in Damasci confinio] qui Antigoni Aristobuli filii partibus favet. Interim Parthi Syriam occupant, Antigonum, pollicentem ipsis mille talenta & quingentas mulieres, in regnum reducunt, captis & direptis Hierosolymis, & Phasaelo per insidias ab eis interfecto. Hyrcanus conjicitur in carcerem, auribus ab Antigono truncatur, ut deinceps ad Sacerdotium ineptus esset, móxque Parthis traditur, qui vinctum Babylonem abduxerunt.

Ante Christum 39, 37, 36.

[Antiq. lib. 14. c. 25, 26, & seqq.] Herodes fugere compulsus, rebus ferè desperatis, Romam ad Antonium profectus est, à quo auxilia impetrat, & Judæorum Rex Senatusconsulto, procurante & annitente Antonio, declaratur Olympiade 184. C. Domitio Calvino II, & C. Asinio

C. Asinio Pollione Coss. Acceptis auxiliis Herodes in Judæam, regnum erepturus Antigono, festinat, adversùs quem bello non sine magno discrimine gesto per triennium, tandem tertio postquam Rex à Romanis creatus fuerat anno (qui erat Sabbati) Hierosolymam obsidet, M. Agrippa & Canidio Gallo Coss. Olymp. 185, festo Jejunii, eodem quo Pompeius ante annos 27 Hierosolymam expugnaverat. Antigonus captus & vinctus ad Antonium missus mox ab eo, Herode suadente, interfectus est; atque in eo Assamonæorum Principatus defiit, post annos 126 ex quo primùm cœperat, regnúmque ad Herodem translatum est.

Ante Christum 35, 34, 31.

[Antiq. lib. 15. cap. 1, 2, & seqq.] Herodes accepto regno Hyrcanum, à Parthis antea captum & abductum Babylonem, deinde vinculis ab ipsis solutum, & à Judæis in Babylonia degentibus in honore habitum, specie referendæ gratiæ indè revocat, & redeuntem magno in honore habet. Quoniam autem auribus mutilus Sacerdotio fungi ex Lege non poterat, Ananelum quendam obscuri nominis & generis Sacerdotem, sed veterem amicum, Babylone Herodes accersit, & summum Pontificem constituit: sed mox ob gravissimam Alexandræ Hyrcani filiæ, & matris Mariammes (quæ Herodi dilectissima erat conjux) ea de re conceptam indignationem, eo abdicato Aristobulum Alexandræ filium, Mariammes verò fratrem & Hyrcani nepotem, formosissimum juvenem, annos 16 natum, summum Pontificem creat: quem, cùm vix annum in Pontificatu egisset, statim post festum Tabernaculorum curat dolo in piscina natantem præfocari, quòd Judæorum animos in Juvenem illum inclinare videret, sibíque indè metueret, atque ei Ananelum rursum dat in Pontificatu successorem. Eam ob cædem Alexandræ instinctu (quæ gravissimè ferebat filium Aristobulum sic necatum fuisse) Cleopatra Ægypti regina Herodem apud Antonium criminatur, sed frustrà: nam Herodes muneribus delinito Antonio causam vincit. Cleopatra nihilominus ab Antonio partem Judææ & Arabiæ impetrat; quarum reditus Herodes à Cleopatra redimit: quâ occasione bellum Aretæ Arabum regi, annuum tributum non solventi, infert, anno regni Herodis septimo, quo ad Actium Octavius Cæsar Antonium vicit, Olympiade CLXXXVII, & quo tota Judæa gravissimo terræmotu concussa & afflicta est. Eo bello Arabas sæpius devictos coegit Herodes se in clientelam suam dedere.

Ante Christum 30, 29, 28, 26, 25, 21, 20, 19.

[Antiq. lib. 15. cap. 9, 10.] Mox ad Octavium Cæsarem, post victum ab eo Antonium (cujus partes Herodes secutus erat) profecturus ut se excusaret, curavit Hyrcanum, sive jure sive injuriâ, quasi res novas molientem, affici supplicio octogenarium. A Cæsare autem præter spem regnum recepit, & in intimam ejus amicitiam admissus est, multis in Octavium Augustum collatis ab Herode officiis, tum in Ægyptum deducendo Augustum, tum ex Ægypto redeuntem, & per Judæam transeuntem, omni officiorum genere excipiendo. A quo additæ sunt Herodis regno Gadara, Samaria, Gaza, &c. Anno altero post deductum Antiochiam usque ex Ægypto venientem Augustum, Mariammen, conjugem unicè sibi dilectam, calumniis Salomes sororis & Cypri matris circumventam, Herodes necat: mox morbo ex mœrore contracto cùm gravissimè laboraret, Alexandram socrum, Mariammes matrem, res novas molientem interficit; cúmque ex morbo convaluisset animo efferatus in amicos etiam ipsos promiscuè sævit, atque inprimis Costobarum, Idumæum nobilissimum, sororis Salomes virũ ab ea repudiatũ, & proditionis accusatum, cum conjuratis interfecit: ab Augusto accipit Trachonitidem, Bataneam & Auranitidẽ anno regni sui decimo, Joseph. De bello Jud. l. 1. c. 9. Deinde, exstructo Hierosolymis Theatro & Amphitheatro, editísque atque institutis quinquennalibus Gymnicis certaminibus, atq; ludis Thymelicis, populi odium in se excitavit, & nonnullorum privatorum conjurationem, à qua sibi metuens, præter binas in Hierosolymorum urbe Arces, alias alibi per Judæam exstruxit, maximè verò Samariam, quam voluit dici *Sebasten*, in Augusti honorem, & aliquantò pòst Stratonis turrim ad mare, quam *Cæsaream* vocavit [Hæc est illa Cæsarea de qua toties in Actis Apostolicis fit mentio,] & hæc quidem anno regni sui XIII. Eo anno gravissimâ fame & peste laboravit tum Judæa, tum vicinæ etiam Gentes: quibus Herodis prudentiâ in tanta rerum inopia sublevatis, magnam ille sibi gloriam & laudem apud exteros consecutus est, amorem etiam suorum sibi conciliavit, quo pristinum in eum odium deletum est. Mox aliam Mariammen Simonis cujusdam Sacerdotis filiam duxit uxorem, collato priùs in patrem ejus Pontificatu. Cæsaream modò commemoratam anno regni sui XVI cœpit condere, eámque XII annorum spatio absolvit, anno regni sui 28, Olymp. CXCII, quam quinquennalibus celebratis & institutis ludis sumptuosissimis dedicavit: multa etiam alia magnificentissimè & sumptuosissimè exstruxit Herodes. Romam misit ad Augustum filios Alexandrum & Aristobulum, ex priore Mariamme conjuge susceptos. Anno autem Herodis XVII (Jos. lib. 1. De bello Jud. c. 15. confert illud in annum Herodis 15.) concedit Augustus in Syriam, à quo Herodes rursus accepit Zenodori ditionem, quæ est inter Galilæam & Trachonitidem, Ulatham nempe Paneadem & alia. Ubi prope Panium, ad Jordanis fontes, Augusto Templum è candido marmore exstruxit. Anno sequenti Templum Hierosolymitanum à fundamentis totum instauravit, longéque amplius & magnificentius quàm erat exstruxit, longum centum cubitos, altum totidem: constabat structura lapidibus candidissimis, quorum nonnulli erant longi 25 cubitos, lati 12, alti 8. [Hinc intelligas illud Marc. 13. 1. ποταποὶ λίθοι, καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί.] Templum cinxit Porticibus amplissimis & pulcerrimis. Absolvit exteriorem Templi [illegible]um annis octo; interiorem, in quem solis Judæis patet ingressus, sesquianno. Encænia Templi celebravit die suo natali [Hæc Encænia semel ab Herode sunt peracta, ob renovatum à se Templium. Itaque diversa sunt ab Encæniorum festo (de quo Joh. 10. 22.) quod quotannis celebratur, ob repurgatum à Juda Machabæo Templum. Vide 1 Machab. 4. 5.] mactatis 300 bobus, magnâ cum totius populi lætitiâ. Toto quo exstructum est Templum interius tempore nunquam pluit interdiu, sed noctu tantúm.

Ante Christum 16, 15, 14, 12, 10, 9.

[Antiq. lib. 16. cap. 2, 3, & seqq.] His peractis Herodes in Italiam ad Augustum navigat officii causâ, filios Alexandrum & Aristobulum ab eo recipit liberalibus disciplinis institutos, qui cum patre in Judæam reversi omnium amorem & favorem sibi conciliant; Salomes tantùm & ejus sequacium odium in se concitant, quorum calumniis apud patrem Herodem impetuntur. Adolescentibus illis pater mox dat conjuges. Agrippam, Augusti præcipuum amicum, in Asiam venientem Herodes adit, invitat in Judæam, excipit sumptuosissimè; dein peractâ hieme ad eum in Pontum usque excurrit, auxiliáque ad Ponticum bellum ducit, ac per totam Asiam cum eo redit. Agrippæ charissimus, à quo Ionicis Judæis immunitatem olim à Romanis concessam, sed quâ Græci non finebant eos frui, renovatam & confirmatam impetravit. Reversum in Judæam Herodem excipit domesticum dissidium; Salomes enim & Pheroræ calumniis, atque artibus filii Herodis, Alexander & Aristobulus, petuntur. Frangendis eorum animis Antipater filius natu maximus, sed plebeiâ matre satus, eis opponitur, honoribúsque augetur, ascitâ in Regiam Dorâ ejus matre. Post decennalem Agrippæ in Asia administrationem, Romam eum repetentem Herodes salutaturus secum ducit Antipatrum, quem Agrippæ commendat, & per eum Augusto. Romæ Antipater, scriptis ad patrem

patrem literis, cùm magis magísque in filios incitaret, ad Augustum Herodes in Italiam navigat, filios coram Augusto accusat; sed illis se excusantibus ab Augusto patri reconciliantur. Redit in Judæam Herodes cum filiis, adducto etiam secum Antipatro, quem post reditum in concione ad populum pronunciavit regni successorem, post eum autem Mariammes filios. Paulò pòst Cæsarea duodecimo postquam cœperat ædificari anno ab Herode absolvitur. Asiatici & Cyrenenses Judæi, per legatos apud Augustum conquerentes quòd à Græcis non sinerentur uti patriis institutis & immunitate sibi à Romanis concessâ, rescripta ab eo obtinent favorabilia.

Ante Christum 8, 7.

Herodes interim nimiâ profusione exhaustis opibus, pecuniâ opus habens, exemplo Hyrcani (qui ante eum idem tentaverat) noctu, insciâ plebe, Davidis recludit sepulcrum, in quo pecuniam quidem non invenit, sed mundi pretiosi & aureæ supellectilis vim magnam exprompsit. Ab eo tempore (in sacrilegii illius vindictam) jurgiis, dissidiis, odiis intestinis, suspicionibus, mutuis calumniis Herodis domus tota conturbatur, propriâque ejus sævitiâ penè exhauritur. Alexander Antipatri calumniis rursus impetitur, sed Archelai Cappadocum regis, soceri sui, operâ patri reconciliatur. Herodes Romam proficiscitur ut de re tota Augustum certiorem faciat. Dum abest, Trachonitæ ab eo rebellantes à Ducibus ejus subacti sunt, sed eorum nonnulli ad Syllæum regni Arabum administratorem profugi ab eo recipiuntur. His tum Judæam tum Cœlesyriam infestantibus Syllæus ab Herode apud Syriæ Præsides Saturninum & Udumnium accusatur, qui cùm sententiæ ab iis latæ non satisfaceret, Herodes permissu Præsidum Arabiam bello invadit, castellum in quod latrones se receperant expugnat, Nacebum Arabum Ducem illis opem ferentem fundit cum suis atque interficit. Eo nomine à Syllæo Romæ apud Augustum accusatus: gravissimè ei succenset Augustus, nec patitur se ei reconciliari. Tandem per Nicolaum ab Herode missum, detectis Syllæi de Herode apud Augustum sycophantiis, Syllæus supplicio afficitur. Obodæ Arabum regi defuncto Æneas (qui mutato nomine dictus est *Aretas*) successor datur. Herodes Augusto reconciliatur, eodémque tempore filios Alexandrum & Aristobulum apud eum rursus accusante, facta est ei ab Augusto potestas in eos, si rei essent, animadvertendi; quos paulò pòst, Concilio apud Berytum habito, damnatos aliquandiu in vinculis habuit, & mox novâ calumniâ circumventos strangulari jussit.

Ante Christum 6, 5, 4, 3, 2.

[Antiq. lib. 17. cap. 1, 2, & seqq.] Postea Herodes Zamarim Judæum Babylonium cum suis invitat, & agrum in Trachonitide ei incolendum dedit, ut esset regioni toti præsidio adversùs latrocinia. Is cum 500 Equitibus & centum cognatis advenit, varia variis in locis per Trachonem erexit castella, & urbem nomine Βαθύρεων *Bathyram* [Videtur esse urbs illa quæ Judæis dicta est בתירה, quam dicunt fuisse ab Adriano Imperatore eversam.] unde Judæis, è Babylonia Jerosolymam petentibus ad festos dies, securum iter commeatúmque præbebat adversùs Trachonitarum & aliorum latrocinia. Antipater extinctis fratribus patri ipsi jam struit insidias, ascito in consilii communionẽ Pherorâ, cujus uxori Pharisæi (quos summopere colebant regiæ mulieres) spondebant regni ad Pheroram ejúsque liberos ab Herodis familia translationem; quo nomine Herodes aliquot Pharisæos deprehensos interfecit; Antipatro interdicit Pheroræ consuetudine. Antipater ad avertendam patris de se suspicionem per amicos Romæ degentes curat ut ad Augustum à patre mitteretur. Paulò pòst obit Pheroras, post cujus obitum uxor à duobus libertis veneficii accusatur, quâ occasione detectæ sunt Antipatri technæ & in patrem insidiæ; qui ubi septimo post detectas insidias mense Româ rediisset, jussus coram Quintilio Varo Syriæ Præside (qui tum Jerosolymis fortè erat) causam dicere, cùm non posset se purgare, in vincula conjectus est, & ad Augustum missi sunt qui rem omnem ei narrarent. Eò dum properant, Herodes in gravem morbum incidit, quo efferatus, magis adhuc commotus est audaci facinore quorundam juvenum Legis Zelotarum, qui à Magistris suis, Judâ Sariphæi filio & Matthiâ Margalothi (omnium tum temporis Judæorum longè doctissimis) incitati Aquilam auream, ab Herode supra majorem Templi portam dedicatam, mediâ die securibus conciderunt, & in terram dejecerunt. Eos cum Magistris vivos comburi jussit Herodes, die in cujus sequentem noctem incidit defectus Lunæ. [In hoc Herodis vitæ tempus videtur incidere Christi nativitas, de qua & de magorum adventu Jerosolymam, altum est apud Josephum silentium, ex odio (uti videtur) in Christum & Christianã religionẽ, & animo Judaicâ superstitione fascinato,] Matthiæ Pontifici abrogat Sacerdotium, substituto ei Joazaro uxoris suæ Mariammes patruo. Morbo ingravescente nobilissimos Judæorum undique edicto minaci accitos concludit in Circo, dátque clàm mandata Salomæ sorori, & ejus viro Alexæ, ut statim post obitum suum curarent illos per milites interfici. [Cædem infantum Bethlehemiticorum ab Herode factam videtur voluisse Josephus hoc commento obscurare.] Antipatrum filium cum carceris Commentariensi de missione agentem, & corrumpere volentem, pater, potestate ab Augusto acceptâ statuendi de filio pro arbitrio, irritatus quinque antequam ipse exspiraret diebus jussit interfici.

Ante Christum 1.

[Antiq. lib. 17. cap. 10, 11, & seqq.] Hoc facto Testamentum condit, quo regnum Archelao filio dat, Herodem Antipam constituit Tetrarcham Galilææ & ἡ περαίας h. e. regionis quæ est trans Jordanem, Philippum autem Tetrarcham Trachonitidis, Gaulonitidis [גולן civitas est in Basan Levitis adscripta, & fortuitorum homicidarum refugium, Deut. 4. 43. & 1 Par. 6. 70.] & Batanææ (h. e. terræ illius quæ in V. Test. vocatur *Basan*) & Paneadis prope Jordanis fontes. Salomæ sorori dat Jamniam, Azotum & Phasaelida cum 500 M. argenti signati. Quinto pòst die obit ferè septuagenarius, anno 34 ex quo Antigonum regno depulerat, anno autem 37 postquam à Senatu Romano rex declaratus fuerat. Herode funerato Archelaus rex salutatur à populo. Mox seditione contra eum festo Paschatis excitatâ, immissis militibus 3 M. hominum interfecit. Indè Romam properans ad Augustum ad obtinendam confirmationem testamenti paterni, secum ducit magnam cognatorum turbam qui in regni petitione ei adversantur; maximè verò Antipater Salomæ filius, qui eum cædis & usurpati regni sine Cæsaris consensu accusat, regnúmque Herodi Antipæ petit: sed defendente eum Nicolao causam vincit Archelaus. [*Anno ære Christi recepta* 1.] Interim per ejus absentiam, die Pentecostes magna excitatur Judæorum seditio adversùs Sabinum Augusti Procuratorem & Romanam legionem; simúlque per totam Judæam multi insurgunt Regis (h. e. Messiæ) titulum usurpantes, [De his Pseudo-christis videtur intelligendum Christi dictum Joh. 10. 8. ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, &c. jactantes scilicet se esse Messiam regem Israelis] omniáque cædibus & latrociniis miscentes; quibus à superveniente Varo Syriæ Præside repressis atque compositis, legati Judæorum ejus permissu Romam proficiscuntur, postulantes ut mutatâ Reip. formâ non ampliùs sub Regibus essent, sed provinciæ Syriæ contributi Romanis subjicerentur. [Hîc videtur complementum suum habuisse Prophetia Jacobi de adventu Messiæ Genes. 49. 10. *Non auferetur sceptrum de Juda*, &c.] His auditis Augustus Archelao dimidiam regni paterni partem attribuit, (ex qua 600 talenta annua accipiebat) nempe Judæam, Idumæam & Samaritidem, idque sub Ethnarchæ titulo, regnum pollicitus si se eo dignum

dignum præstet. Alteram dimidiam partem Herodi Antipæ & Philippo fratri assignat, [De his duobus Tetrarchis meminit Luc.cap.3.1.] nempe Galilæam & Peræam Herodi, cum 200 talentis annuis, Trachonitidem autem cum Batanæa & Auranitide Philippo, [Heb חורן Ezec.48.16, 18. in confinio Damasci prope Jordanis fontes; Lxx reddiderunt Αὐρανῖτιδα.] cum 100 talentis annuis, Tetrarcharum titulo. Salomæ Jamniam, Azotum, Phasaelida cum palatio in Ascalone & 60 talentis annuis. Legatum autem quod Herodes Augusto fecerat, totum remisit liberis.

Per id tempus juvenis quidam Judæus plebeius Alexandrum Herodis filium de facie referens, mentitur se illum esse qui à supplicio, unà cum fratre Aristobulo, custodis cujusdam beneficio servatus sit; ut id mentiretur inducitur à vafro quodam impostore rerum omnium Regiæ Herodis gnaro. Hujus technis & dolis instructus omnibus imponit, Romámque ad petendum regnum paternum profectus solum Augustum fallere non potuit, qui Pseudo-Alexandrum istum impostura ultrò fatentem damnavit ad remiges.

Anno Christi 2, 6, 9.

[Ant. lib. 17. c. 5. & li. 18. c. 1.] His ità constitutis Archelaus reversus in Judæam [Christus videtur tum ex Ægypto reportatus à Josepho in Judæam, cùm scilicet Archelaus loco patris Herodis rerum in Judæa potiretur, Matth. 2. 22.] Pontificatum abrogat Joazaro, eúmque transfert in Eleazarum illius fratrem, quem mox indè depulit, substituto in ejus locum Jesu Siæ filio. Hierichuntem ædificat atque instaurat. Glaphyram fratris Alexandri viduam ducit in uxorem. Decimo autem Principatûs sui anno [Joseph. lib. 2. cap. 6. De bello Jud. dicit, anno] cùm potestate suâ abuteretur, à Judæorum primoribus apud Augustum accusatus, Viennam in exsilium mittitur, mulctatus omni pecuniâ. Ejus regnum in Provinciam redigitur, misso in Syriam Quirinio, qui Archelai domum venderet, censúmque per Syriam & Judæam ageret; quod factum est anno 37 post victum ab Augusto Actiacâ pugnâ Antonium. Cum Quirinio mittitur Coponius Præfectus turmæ Equitum, penès quem esset rerum totius Judææ administratio. Quin & ipse Quirinius in Judæam venit tum attributam provinciæ Syriæ, ut percenseret facultates civium regionis illius, & Archelai facultates omnes in potestatem suam redigeret, atque divenderet. Dum census iste agitur, * Judæi καίτοι τὸ καθ' ἑαυτοὺς ἐν δεινῷ φέροντες τιμὴν ὅμως τὰς ἀπογραφὰς ἀνεδέξαντο (verba sunt Josephi) *licèt jam antea agre ferrent mentionem census*, [Hinc liquet alias jam antè fuisse factas Judææ ἀπογραφὰς, ut mirum videri non debeat si sub Herode ipso, cùm Christus natus est, facta est etiam ἀπογραφὴ aliqua.] tamen Joazaro Boethi filio persuadente cesserunt, neque ulteriùs repugnarunt, nihílque cunctati censum solverunt. Verùm Judas quidam [Hujus Judæ Galilæi meminit Gamaliel, Act. 5. 37. ut & ἀπογραφῆς quæ tum facta est.] Gaulonites oriundus ex civitate Gamala, gente & appellatione Galilæus, ascito sibi Pharisæo quodam nomine Sadduco, (Heb. צדוק) Judæos ad rebellionem incitabat, Censum illum dictitans nihil aliud esse quàm meram servitutem, bócque prætextu totam Gentem ad tuendam fortiter libertatem hortabatur. Hæc pronis vulgi auribus accipiebantur, ísque ad aliquid audendum accendebantur; víxq; dici potest quantum hi homines totam Judæorum gentem conturbaverint, dum omnia cædibus & latrociniis miscent, promiscuísque, nullo amicorum inimicorúmve discrimine, prædationibus, & insignium virorum cædibus, prætextu quidem propugnandæ libertatis publicæ, sed revera privati lucri studio. Judas iste Galilæus, cum socio suo Sadduco Pharisæo, tribus Judæorum, in quas scinduntur, Sectis, (Pharisæorum scilicet, Sadducæorum & Essenorum) quartam superinduxit propriam, Antiq. lib. 18. ca. 1, & 2. cujus cùm sequaces & amatores multos invenisset, tum quidem turbis & motibus Judæorum Remp. implevit, & malorum quæ postmodum rursus pullularunt (cùm nempe adversùs Cestium Florum Judæi insurrexerunt,) sementem veluti fecit, & radices Dogmatis in gente illa priùs ignoti plantavit. Cætera quidem isti per omnia cum Pharisæis consentiunt, sed invictus & ineluctabilis illis hæret libertatis amor, utpote qui solum Deum Dominum & Præpositum (ἡγεμόνα) gentis suæ esse existiment: [Hujus Sectæ videntur fuisse illi qui Christo (Joh. 8. 33.) in os dicunt, *Nemini unquam servivimus*; & ver. 41. *Unum Patrem* (h. e. Dominum) *habemus Deum.*] qua de causa mortis varias species subire non detrectant, parvíque pendunt cognatorum & amicorum supplicia, modò nè ullum mortalem Δεσπότην *Dominum* appellent. [* Census sub Quirinio actus de quo Luc. 2. non quadrat cum hoc tempore, ideóque sunt qui ut ista concilient, fingunt Quirinium multò ante hoc tempus fuisse Syriæ Præsidem, eíque successisse Varum, post quem rursus Quirinius in Syriam denuò sit missus, post damnatum Archelaum. Sed hæc gratis & sine autore dicuntur. Fortè totus ille versus apud Lucam, parenthesi inclusus, non est Lucæ, sed postea fuit ab aliquo minùs perito insultus, ob notissimam istam sub Quirinio factam totius Judææ ἀπογραφὴν. Vel, si est Lucæ, fortè errore librarii irrepsit, Κυρήνιος pro Κωτιλίου, aut verò etiam pro Κ' Οὐάρου, h. e. *Quint. Vari.* Nam certum est ex Josepho non Cyrenium, sed Quintilium Varum fuisse Syriæ Præsidem ante & post Herodis mortem (quo tempore natus est Dn. N. Jesus Christus:) ipso enim Præside & Judice damnatus est Antipater Herodis filius accusante patre; & post Herodis obitum, dum Archelaus Romæ adhuc hærebat, à Quint. Varo repressi sunt in Judæa Pseudochristi, qui tyrannidem affectabant. Vel si hoc non placet, cum doctissimo Casaubono dicendum est, Censum istum factum esse à Cyrenio non cùm Syriæ Præses constitutus esset, sed multò antè cùm ab Augusto extra ordinem ad censum in Syria agendum missus esset.]

Anno Christi 10, 11, 12, 13, 14, 15, 18, 26.

[Antiq. lib. 18. cap. 3.] Quirinius divenditis Archelai facultatibus, Censu peracto, & relicto cum turma Equitum in Judæa Coponio, abiit ad Syriam regendam. Herodes autem *Antipas* dictus, constitutus Galilææ Tetrarcha, Sepphorim, [Rabbinis dicitur סִפּוֹרִי, éstque apud eos celebris ob Scholam sive Academiam, quæ isthíc aliquandiu fuit post deletam à Vespasiano Hierosolymam] mœnibus cinctam totius Galilææ caput fecit & propugnaculum. Philippus autem ejus frater Paneadem ad Jordanis fontes instruxit ædificiis, & *Cæsaream* vocavit. [Matt. 16. 13. & Marc. 8. 27. dicitur *Cæsarea Philippi*, de conditoris nomine, ad differentiam illius Cæsareæ quæ ab Herode Magno condita fuerat antea, quæ *Cæsarea* simpliciter & absolutè dicitur in libro Actuum Apostolicorum.] Vico item Bethsaidæ, [Hujus frequens est in Euangelio mentio. Patria nempe erat Petri, Andreæ & Philippi Apostolorum. Joh. 1. 45.] in ripa lacûs Genezareth, urbis speciem addidit, & Juliadem vocari voluit, de Julii Cæsaris nomine. Coponio successit Annius Rufus, quo in Judæa præside obiit Augustus, qui imperaverat annos LVII, menses VI, dies II. in quo numero comprehendi debent XIV anni, quibus Antonium habuit à morte Julii Cæsaris Imperii socium & participem. Vixit autem annos LXXVII. Augusto Tiberius successit, à quo in Judæam missus est, (anno Imperii sui secundo) in Annii Rufi locum, Valerius Gratus, qui tertio Præfecturæ suæ anno Josephum, cognomento Caiapham, Pontificem summum instituit. [Ergò constitutus est Pontifex anno circiter quinto Tiberii. Christus autem passus est anno XIX aut XX Tiberii. Itaque Caiaphas fuerat Pontifex annos XIV vel XV cùm Christum damnavit.] Gratus, exactis in Judæa undecim annis, Romam rediit. Ei Pontius Pilatus successor à Tiberio missus est. [Ergò missus est Pilatus in Judæam anno Tiberii XIII. Johannes autem Baptista cœpit prædicare anno Tiberii 15. ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου, Luc. 3. 1. Itaque Pilatus tum secundum agebat Præfecturæ suæ in

Judæa

Judæa annum.] Herodes autem Tetrarcha in Tiberii amicitiam receptus, de ipsius nomine urbem à se conditam vocavit Tiberiadem, [Ab urbe ista Tiberiade lacus ipse postea nomen accepit, qui in Euangelio dicitur *mare Tiberiadis*, Johan. 6. 1. & 21. 1. Quin & ipsius urbis Tiberiadis fit mentio Johan. 6. 23. Celebris est urbs illa apud Rabbinicos Judæorum scriptores, ob puncta Hebraica isthîc à Massorethis primùm circa annum Christi quingentesimum excogitata.] electo ad hoc optimo totius Galilææ agro, ad oram lacûs Genezareth, in loco multis sepulcretis ûndique veluti consito, non longè ab Emmaunte vico, ubi sunt aquarum calidarum celebres balneæ.

Anno Christi, 29, 32, 35.

[Antiq. lib. 18. cap. 5.] Porrò cùm Pilatus aquæductum à ducentesimo lapide Jerosolymam deduxisset ex sacri Ærarii pecunia, clámque noctu Jerosolymam cum signis militaribus Tiberii imagines invexisset, excitata est adversûs eum gravissima oppidanorum seditio, ità ut coactus fuerit eas imagines statim Cæsaream referre. * Per id tempus Romæ contigit ut nobilissima quædam femina, Fulvia Saturnini, unius ex Tiberii amicis, uxor Judaicæ religioni addicta aurum & purpuram Jerosolymam, Templo consecranda, traderet deferenda Judæo cuidam impostori, Mosaicæ Legis Doctorem sese jactanti, qui ista intervertit, & divendita in proprium usum convertit. Quod cùm resciviſſet Fulvia, & viro suo Saturnino ea de re conquesta esset, Saturninus autem Tiberio, Tiberius eâ fraude offensus Judæos omnes Urbe edicto expulit. Horum quatuor millia in Sardiniam specie militiæ sunt missa; alii, qui patriâ religione sacramentum detrectabant, gravissimis pœnis sunt affecti. † In Galilæa autem Samaritani à quodam impostore seducti, tumultuantes ad montem Garizim (ubi Impostor ille pollicebatur se ostensurum ipsis sacra vasa à Mose isthîc, uti mentiebatur, defossa atque recondita) à Pilato immissis copiis repressi, ac præcipui & potentiores capti, & capite sunt mulctati. Qua de re primatibus Samaritanorum apud Vitellium Syriæ Præsidem conquestis, & Pilatum accusantibus, Vitellius misso amico suo Marcello ad Judææ procurationem, Pilatum jussit proficisci Romam ad Tiberium, ad objecta per Judæos crimina responsurum. Ità ille decem annis in Judææ Procuratione exactis cùm necesse haberet parêre Vitellio, ad Urbem suscipit profectionem, quò priusquam perveniret Tiberius vitâ excessit. [✝ *Hoc loco sit apud Josephum Jesu Christi Domini nostri mentio perhonorifica: sed suspecta videntur quæ isthîc de Christo dicuntur, nulla enim est eorum cum antecedentibus & sequentibus connexio; ut omnino jure videatur ab aliquo Christiano eò loci insulta παρεγχὴ illa, falsóque Josepho adscripta.* [*Et sanè si Josephus revera de Christo ità sensisset & scripsisset, proculdubio nativitatis ejus memoriam non tacuisset suo loco, Magorum adventum non siluisset, neque cædem infantum Bethlemeticorum ab Herode factam; imò fusiùs & latiùs totam Christi historiam enarrasset, cujus tamen alibi in tota illius historia nè obscurum quidem vestigium apparet, utì nec Christi discipulorum; quod non aliunde videtur profectum, quàm ex odio in Christum & Christianam religionem, ipse cùm Judæus esset pertinax.* † *Videtur Josephus hîc falli in notatione temporis hujus historiæ, quam hîc videtur velle contigisse paulò antequam Pilatus Judeâ excederet; cùm revera tamen cædes hæc Samaritanorum à Pilato facta videatur omnino esse cædes Galilæorum, cujus fit mentio Luc. 13. 1. quæ contigit ut minimum triennio aut quadriennio antequam Pilatus excederet Judeâ, siquidem Pilatus post damnatum Christum in Judæa amplius quàm biennium remansit. Hoc anno, nempe 32, aut sequenti, nempe 33, æra Christi recepta Christus videtur passus sub Pontio Pilato.*]

Anno Christi 36.

[Antiq. lib. 18. cap. 6.] Paulò pòst ipse Vitellius in Judæam profectus venit Hierosolymam ipso Paschatis festo, ubi exceptus à Judæis honorificentissimè, remisit Jerosolymitanis totum fructuum venalium vectigal, stolam summi Pontificis cum reliquo ejus ornatu permisit in Templo à Sacerdotibus asservari, quæ ab exilio Archelai in Romanorum potestatem venerat, à quibus in Antonia turri asservabatur, & tribus solennibus festis indè depromebatur, atque post peractum festum eodèm reponebatur. * Caiaphæ etiam Pontificatum abrogat, substituto ei Jonatha Anani Pontificis filio. Paulò antè Philippus Herodis Antipæ frater, ipse Tetrarcha, obierat anno Tiberii XX, cùm ipse præfuisset Tetrarchiæ suæ † annos XXXVII, vir perpetuò modestus & quietus, quem impensè laudat Josephus. Et quia sine liberis decessit, ejus Tetrarchia provinciæ Syriæ est attributa. [* *Ità duo Judices qui Christum damnaverunt, Pilatus nempe & Caiaphas, ab uno eodémque Vitellio, eodem tempore, justo Dei judicio, damnati sunt, & loco suo moti.* [† *Dicendum est* XXXV. *Nam à morte Herodis magni (cujus testamento factus est Tetrarcha) ad annum usque Tiberii* XX, *anni sunt duntaxat* XXXV, *iique non pleni.*]

Anno Christi 36, 37.

[Antiq. lib. 18. cap. 7.] Porrò Herodi Antipæ Tetrarchæ Galilææ natum est eo tempore bellum adversûs Aretam Arabum regem [Ille ipse est, aut pater saltem illius, cujus jussu Damasci portis custodes sunt adhibiti ad capiendum Paulum, unde factum est ut in sporta per murum demitteretur, 2 Cor. 11. 32.] ex hujusmodi occasione; Duxerat Herodes in uxorem Aretæ illius filiam: verùm cùm Herodes Romam officii causâ (ut Tiberium inviseret) petiturus ad fratrem Philippum divertisset, [Etsi hæc narratio Josephi non per omnia consentiat cum Historia Euangelica, lucem tamen ei fœneratur aliquam, & fidem adstruit atque confirmat.] isthîc amore captus Herodiadis Philippi fratris uxoris, clàm cum ea ità egit ut illa pollicita sit se virum derelicturam, & in Herodis domum concessuram statim atque ipse Româ rediisset; ipse vicissìm illi pollicitus est se dimissurum priorem suam conjugem Aretæ filiam. Hoc eorum consilium non latuit Herodis uxorem. Itaque cùm Româ rediisset Herodes, nesciens uxorem quidquam de consilio suo resciviſſe, occupat eum uxor, & ad patrem Aretam se recipit, cui Herodis consilium aperit. Hinc inter utrumque simultas, indè rixæ & lites de confiniis, postremò bellum exarsit, in quo Herodis exercitus funditus deletus fuit, ídque (inquit Josephus) ex justa Dei in eum (uti vulgus Judæorum existimabat) vindicta quòd Johannem Baptistam interfecisset, virum bonum, & Judæos virtutis studiosos, mutuámque inter se colentes justitiam & pietatem erga Deum, invitantem ad Baptismum, sic nempe Deo gratum fore & acceptum dicens eorum Baptismum si eo uterentur non ad vitanda seu eluenda quædam peccata, utpote qui jam purgatam haberent justitiâ animam, sed ad corporis duntaxat ἁγνείαν *sanctimoniam*. [Ignoravit planè Josephus finem & usum Baptismi Johannis, qui *Baptismus pœnitentiæ* ideo dictus est, quòd pœnitentibus arrha & symbolum esset remissionis peccatorum.] Et [quia magnus erat ad eum populi concursus, multíque jam sermonibus & concionibus ejus erigebantur, Herodes veritus nè tanti hominis persuasione populus ad rebellionem excitaretur (nihil enim non facturæ ex ejus consilio turbæ videbantur) satius existimavit eum occupare, & de medio tollere, priusquam aliquid novi moliretur & tentaret, quàm rerum mutatione & conversione jam factâ seram agere indulgentiæ suæ pœnitentiam. [Hanc commentus est Josephus causam vincti Johannis ut veram taceret.] Itaque hâc ductus suspicione Herodes vinctum in Machæruntícam arcem misit, jussítque isthîc interfici. [Johannis Baptistæ mors ut minimum triennio præcessit hoc Herodis cum Areta bellum.] Unde nata est Judæis opinio, Herodis exercitum deletum esse in facinoris illius vindictam, Deo propterea Herodi infenso. Hanc suam cladem Herodes ad Tiberium cùm scripsisset, Tiberius iratus mandat Vitellio ut bellum adversûs Aretam in Herodis gratiam moveret, Aretámque vivum, aut mortui caput ad

ad se mitteret. Cùm se ad bellum illud accingeret Vitellius, venit cum Herode Jerosolymam, Deo in festo quod instabat sacrificaturus, ubi à Jonatha in Theophilum ejus fratrem transtulit Pontificatum. Isthic quarto postquam venerat die literas accepit de Tiberii morte, quibus acceptis Judæos sacramento adegit in Caii Caligulæ fidem. Porrò Tiberius imperavit annos XXII, menses V, dies XIII. Vitellius revocatis ex itinere copiis, illisque in hiberna dimissis, omisso bello propter delatum in alium Imperium, Jerosolymâ Antiochiam repetit.

Anno Christi 37, 38, 39.

[Ant. lib. 18. cap. 8, & 9.] Interim Agrippa, Herodis magni ex filio Aristobulo nepos, variâ post avi obitum usus fortunâ dum privatus vixit, tandem Tiberio Imperatori, & Caio Caligulæ ejus ex fratre Germanico nepoti, charus factus, mox paulò ante Tiberii obitum, ex accusatione liberti sui Eutychi nomine, à Tiberio in vincula conjicitur, neque iis priùs solvitur quàm post Tiberii mortem, à Caio scilicet Caligula (cui perfamiliaris & chariſſimus erat Agrippa,) qui statim eum duplici donavit Tetrarchiâ, Philippi nimirum patrui, & Lysaniæ, cum regiis insignibus, annóque Imperii sui secundo [Is tum ut Judæis gratificaretur, videtur permisisse ut in Christianos sævirent, unde factum ut Stephanus Protomartyr ab iis sit lapidibus obrutus, Act. 7.] in Judæam ad res regni sui componendas ire permisit, simúlque cum eo Marullus in Judæam Cæsaris Procurator à Caio missus est. Hunc Agrippam regiâ dignitate præfulgentem videns Herodias soror ipsius, Herodis Tetrarchæ uxor, invidiâ percita, non priùs destitit quàm viro persuasit ut Romam contenderent, eandem regiam dignitatem à Cæsare petituri. Sed cùm eò perveniſſent, ab Agrippa Herodes per literas apud Caium accusatur, quasi cum Parthorum rege defectionem ab Imperatore moliretur, unde à Caio in exsilium Lugdunum Galliarum relegatur unà cum uxore Herodiade, simul & Tetrarchiâ & omni pecuniâ mulctatus est, quæ omnia à Caio Agrippæ sunt donata.

[Antiq. lib. 18. cap. 10, & 11.] Per id tempus cùm Alexandriæ gravis orta esset inter Græcos & Judæos seditio, atque super ea re ad Caligulam missa esset legatio, cujus à parte Judæorum princeps erat Philo Alexandri Alabarchæ (qui summus est apud Alexandriam Judæorum Magistratus) frater, vir eximius & in omni literatura excultiſſimus, à parte autem Græcorum Appion Grammaticus, hic Judæis magnam apud Caium conflavit invidiam, eo nomine quòd nollent Templum & statuas illi ponere; unde Caius vehementer iratus Philonem audire noluit, imò cum convitio atque contumelia repulit. Quin & Petronium in Syriam in Vitellii locum mittit, jubétque ei statuam suam in Templo Hierosolymitano dedicare atque collocare. Hoc mandatum precibus Agrippæ regis motus postea revocavit; sed mox hujus revocationis cùm eum pœnituisset, mortem Petronio minitatus est quòd mandatum suum non esset exsecutus: sed paulò post à Chærea cæterisque conjuratis interfectus est Caius.

[Antiq. lib. 18. cap. 12.] Eo etiam tempore magnâ clade affecti sunt Babylonienses Judæi, qui Neerdæ [Rabbinis vocatur נחרדעא, éstque apud eos celeberrima, ob Academiam isthîc, uti volunt, institutam] in medio Euphrate sitæ, & per totam Babyloniam habitabant. Cùm enim duo fratres Neerdenses Judæi, adolescentes audaces & animosi, Asinæus חסיני, & Anilæus הנחלי, textrinæ arti à matre vidua addicti, opificium illud negleſſent, & latrones facti & exiguis initiis in summam potentiam evasissent, & concedente Artabano Parthorum rege totius ferme Babyloniæ administrationem adepti essent, atque in ea potentia & felicitate per XV annos vixissent, mox cùm potentiâ suâ ad Parthorum injuriam abuterentur, altero eorum veneno ab uxore fratris sublato, altero mox ab insurgentibus Babyloniis oppresso, rebus Judæorum sic afflictis, plerique eorum qui Babyloniam & Neerdam habitabant, metuentes sibi à Babyloniis, quos Asinæi & Anilæi potentia nimia offenderat, Neerdâ & Babyloniâ relictâ Seleuciam se receperunt; ubi cùm quinquennium pacatè vixissent, mox Græcorum & Syrorum qui isthîc erant conjuratione factâ, supra 50 M. hominum unâ ferme die occisa sunt.

Anno Christi 40.

Caio Caligulâ à Chærea aliisque conjuratis interfecto Claudius, Prætorianorum militum ope & favore, & Agrippa rege (qui tum Romæ erat) plurimùm apud Senatum (qui rem Romanam in antiquam libertatem asserere volebat) annitente, tandem sufficitur, & Imperator creatur. Is ut Agrippæ, ob egregiam sibi navatam in adipiscendo Imperio operam, gratiam pro merito referret, statim Imperii sui initio ad ea quæ jam Agrippa à Caligula acceperat addidit Judæam, Samariam & Abylenam, quæ antea Lysaniæ fuerat. Fratri suo Herodi impetravit à Claudio Chalcidis regnum, Geminum etiam à Claudio factum fuit tum temporis in Judæorum gratiam Edictum; alterum in Alexandrinorum (qui à Caio malè habiti fuerant) alterum in reliquorum Judæorum per totum Romanum orbem sparsorum, gratiam. Agrippa cùm hæc à Claudio obtinuisset, * venit in Judæam ad regni sui res constituendas, & statum componendum; ubi Cantharæ Pontificatum abrogavit; quem cùm vellet Jonathæ Anani filio tradere, renuente isto per modestiam, quòd jam antea eo honore esset semel defunctus, contulit eum in fratrem ejus Matthiam, cui postea successorem dedit Elionæum Cithæi filium. Literas etiam à Petronio Syriæ Præside impetrat in Judæorum Dorensium gratiam, adversùs nonnullorum Doritarum in eos petulantiam. Mox Petronio Marsus in administranda Syria succedit. [* *Videtur tum Jacobum Johannis fratrem gladio peremisse, Petrum autē conjeciſſe in vincula, Act.* 12.]

Anno Christi 44.

[Ant. lib. 19. cap. 7.] Posthæc cùm * Agrippa (quem impensè laudat Josephus, ejúsque mores, ingenium, liberalitatem & munificentiam fusè describit atque persequitur) Cæsareæ ludos solennes magna cum pompa celebraret, indutus veste totâ ex argento mirabili opere contextâ, quæ ad Solis ortum radiis percussa solaribus mirabilem emittebat fulgorem, & adulatoribus exclamantibus & ipsi quasi Deo acclamantibus, cùm adulationem non repulisset neque castigasset, sublatis in altum oculis bubonem vidit funi extenso insidentem, calamitatis suæ tum nuncium, qui priùs felicitatis fuerat, uti prædictum illi olim fuerat à Germano quodam captivo eâ die quâ à Tiberio in vincula conjectus est. Hoc visum & ostentum secuta sunt statim ventris tormina, quibus quinto pòst die fuit exstinctus, anno ætatis suæ 54. Regnavit, ex quo à Caio Caligula vinculis fuit solutus, septennium; nempe quadriennium sub Caio, præfectus Tetrarchiæ Philippi & Lysaniæ per triennium, deinde Herodis fratris Tetrarchiæ annum unum; sub Claudio autem triennium toti Judææ fuit præpositus. Ex annuis reditibus percipiebat 12 C. myriadas (drachmarum scilicet, h.e. uti numeramus tres milliones librarum Turonicarum.) Reliquit liberos, filium unum Agrippam, natum annos XVII, qui Romæ apud Claudium educabatur; filias tres, Berenicen annos XVI natam, Herodi Chalcidis regi nuptam, Mariammen decennem desponsatam Julio Archelao Chalciæ filio, Drusillam autem sexennem desponsatam Epiphani Antiochi Comagenorum regis filio; sed is postea renuens circumcidi fierique Judæus, noluit eam ducere in uxorem. [* *Ex hac Josephi narratione lucē accipit & confirmatur id quod de hoc Agrippa narrat Lucas, Act.* 12, 21.]

Anno Christi 45.

[Antiq. lib. 19. cap. ult. & lib. 20. c. 1.] Agrippæ juniori Claudius cùm vellet tradere paternum regnum, dissuaserunt liberti, quòd Agrippa nimium juvenis videretur,

neque par isti oneri ferendo. Itaque interim dum adolescit missus est in Judæam Cæsaris Procurator Cuspius Fadus, & Cassius Longinus successor datus est Marso Syriæ Præsidi. Postea Claudius ad Judæorum postulationem, intercedente & pro eis deprecante Agrippa, Fado rescribit (anno Imperii sui quinto, IV Calend. Julias, Rufo & Pompeio Sylvano Coss. cúmque ipse Claudius esset Consul designatus IV) ut Judæis permitteret stolæ Pontificiæ custodiam. Herodes item Chalcidis rex eodem tempore impetravit à Claudio potestatem in Templum & sacrum ærarium, júsque eligendorum summorum Pontificum, quod jus illi posterísque ipsius mansit integrum ad finem usque belli Judaici. [*Lapsus hîc est memoriâ Josephus: nam nonnisi duo ab Herode instituti sunt Pontifices, reliqui omnes ab Agrippa fuerunt constituti, autore ipso Josepho.*]

Anno Christi 46.

[Antiq. lib. 20. cap. 2.] Per id tempus Helena, Adiabenorum [Adiabeni secundùm Plinium & Ptolemæum sunt in Assyriæ & Mesopotamiæ confiniis, juxta Tigrim fluvium] Regina, & Izates ejus filius (quorum longam narrat Josephus historiam aut fabulam) Judaicam religionem [Orosius lib. 7. cap. 6. & Euseb. li. 2. hist. Ecclesiast. dicunt eos ad Christi fidem, non ad Judaicam superstitionem, fuisse conversos] amplexi & professi sunt. Hæc cùm Hierosolymam sacrificandi causâ venisset, invenit urbem gravissimâ fame laborantem, [Fames est illa de qua Act. 11. 28. ab Agabo prædicta.] quam illa sublevavit curans advehi in tenuiorum gratiam ex Alexandria magnam frumenti vim, & ex Cypro ficuum passarum ingentem copiam. Cujus exemplum secutus Izates ejus filius magnam pecuniæ vim misit Hierosolymam, [Videtur fidelium Antiochenorum pium factum, de quo Act. 11. 29. huc perversè à malignis Judæis detortum.] structis etiam tribus tertio ab urbe lapide Pyramidibus, in quibus post obitum condi, unà cum matre Helena, voluit. Per idem tempus * Theudas præstigiator atque impostor, cùm multis persuasisset ut se cum facultatibus ad Jordanem sequerentur, pollicitus fore ut à se Jordanes diffinderetur, ut olim ab Elia & Elizæo diffissus fuerat, à Fado Cæsaris in Judæa Procuratore immissis militibus fusus, captus & obtruncatus fuit, cum suis sequacibus. [* *In alienum tempus huc retulisse videtur Josephus historiam istam, quam necesse est priùs contigisse, siquidem Gamaliel Act. 5. 36. ejus meminit circa finem anni ultimi Tiberii. Nisi cum doctissimo Casaubono dicamus duos fuisse Theudas impostores, diversis temporibus, quorum alter ab altero distaret circiter 20 annis, quod parùm sit verisimile.*]

Anno Christi 47, 48.

[Antiq. lib. 20. cap. 3.] Fado in procuratione Judææ successit Tiberius Alexander Alexandri * Alabarchæ filius, patriæ religionis, Judaicæ nempe, desertor. Hujus & Fadi tempore contigit memoranda fames quæ Judæam graviter afflixit. [De qua nempe Act. 11. 28. ea nempe non unum, sed aliquot annos duravit.] Ab eo sublati sunt & in crucem acti Jacobus & Simon Judæ Galilæi filii. Huic Alexandro successit Cumanus, sub quo (anno Claudii octavo) obiit Herodes Chalcidis rex, Agrippæ magni frater, relictis tribus superstitibus liberis. Ejus principatum Claudius tradidit Agrippæ juniori. [* Alabarcha *summus erat Judæorum Alexandrinorum, & per totam ferme Ægyptum Magistratus, q. d.* ἀραβάρχης, *quòd fortè idem genus potestatis in Judæos obtinerent isti quod* ἀραβάρχαι Arabum Dynastæ *obtinebant in Arabas gentiles suos.*]

Anno Christi 49.

[Antiq. lib. 20. cap. 4.] Per id tempus Hierosolymis excitatus est Festivitatis tempore tumultus, [Oros. lib. 7. cap. 6. id refert ad annum Claudii septimum.] ob militis unius Romani impudens & petulans factum, in quo tumultu 20 M. hominum in angustiis viarum, cùm se invicem comprimerent, nullo persequente, collisa & compressa sunt.

Anno Christi 50, 51, 52.

[Antiq. lib. 20. cap. 5.] Alius inter Judæos & Samaritas ortus est tumultus, in quo Cumanus favens Samaritis multos Judæos interfecit. Ob eum tumultum Judæorum & Samaritarum primores (inter quos fuit summus Judæorum Pontifex Ananias [Is est qui præerat Synedrio in quo Paulus causam dixit, Act. 23. 2.]) à Numidio Quadrato Syriæ Præside, qui tum Tyri erat, unà cum Cumano & Celere Tribuno, missi sunt Romam, ut causam coram Cæsare dicerent. Claudius, intercedente Agrippa juniore, causâ cognitâ Samaritas supplicio affecit, Cumanum exilio mulctavit, Celerem capite damnavit. Procuratorem in Judæam misit Felicem Pallantis (Claudii liberti) fratrem. Anno autem Imperii sui XII Agrippam juniorem [Iste est Agrippa, de quo Act. 25. 13. qui Paulum audivit causam in vinculis postmodum coram Festo dicentem.] donavit Tetrarchiâ Philippi cum Batanæa, Trachonitide & Abylene, quæ fuerat Lysaniæ. Chalcidem verò ei abstulit, cùm jam quadriennium Dynastia illius fuisset, nempe ab Herodis patrui obitu, qui vitâ excesserat anno Claudii octavo. Claudius postea obit, cùm regnasset annos XIII, menses VIII, dies XX. Huic successit Nero, qui Agrippæ partem Galilææ donavit, cum Tiberiade, Tarichæa & Juliade trans Jordanem, cum pagis XIV.

Anno Christi 53, 54.

[Ibid. cap. 6.] Felix Jonathan Pontificem liberiùs monentem per sicarios interficit. Latrones & impostores populum ad seditionem & rebellionem per totam Judæam excitantes compescit, inter quos Eleazarum Dinzi filium latronem insignem, & Ægyptium quendam Magum & impostorem, [Is est de quo Act. 21. 38.] qui sequaces suos [Lib. 2. De bello Jud. c. 12. dicit eos fuisse 30 M. sed falso proculdubio numero, cùm Act. 21. 38. dicantur fuisse duntaxat 4 M.] in montem Olivarum quinto ab urbe stadio dissitum duxit, quibus persuaserat jussu suo mœnia Hierosolymorum ultro ruitura, eósque per mœnium ruinas irruptionem in urbem facturos. Porrò Felix Drusillam Agrippæ junioris sororem, egregiæ formæ feminam, Azizo Emesiorum regi nuptam cùm vidisset, amore ejus captus per Simonem quendam [Fortè est Simon ille Magus celebris de quo Act. 8. 9.] genere Judæum Cyprium, Magiæ vehementer suspectum, persuadet Drusillæ [Ea est de qua, Act. 24. 24.] ut viro relicto nuptias suas præferat: quod & illa fecit, atque ex eo filium suscepit nomine Agrippam, qui postea adultus incendio Vesuviano periit. Cæterùm cùm inter Judæos & Græcos Cæsareæ orta esset seditio, & à Felice compressa, missi sunt ab eo ad Neronem utriusque partis primarii, qui causam Romæ apud eum dicerent, à quo Judæi Cæsareenses jure illius civitatis privati sunt. Agrippa autem Ismaelem Fabæi filium constituit summum Pontificem.

Anno Christi 55, 56, 57, 58.

[Antiq. lib. 20. cap. 7.] Felici à Nerone successor missus est Festus. Felicem autem discedentem accusarunt Judæi Cæsareenses apud Neronem, sed is datus est Pallantis fratris (qui gratiâ adhuc aliquâ valebat apud Neronem) precibus. Festus latrones & sicarios, qui mirum in modum excreverant, compescuit. Inter quos fuit Magus quidam impostor, [Videtur Josephus malè hunc à præcedente Ægyptio distinxisse, aut quod à Felice jam antè factum fuerat, malè hîc ab eo tribui Festo. Nam uterque videtur omnino is esse de quo Act. 21. 38.] qui homines post se trahebat in desertum, pollicitus illis salutem & ab omnibus malis liberationem si se sequi vellent in solitudinem: sed is cum suis sequacibus interfectus est à militibus quos in eum Festus submisit. Per id tempus cùm Agrippa rex exstruxisset Hierosolymis insigni amplitudine domum, prope Xystum, in Regia quæ

quæ Asamonæorum fuerat, unde amœnissimus patebat per totam urbem & in ipsum Templum prospectus; Proceres Hierosolymitani indignè id ferentes, quòd patriæ Leges non permitterent ut quis è privata domo quid in Templo ageretur prospiceret, altum parietem excitaverunt, quo non arcebatur modò prospectus ille domûs Regiæ, sed & Occidentalis Porticûs, in qua Romani milites diebus festis stationes suas agere solebant. Unde offensus fuit non Agrippa modò, sed & Festus ipse, qui parietem illum dirui jussit. Sed missis ad Neronem super ea re legatis, Nero in Poppææ uxoris gratiam (quæ Judaicæ religioni favebat) Judæis permisit ut sic maneret paries ille. Unde factum est ut Agrippa Pontificatum Ismaeli ademptum (cujus consilio & autoritate videbatur fuisse constructus paries) contulerit in Josephum cognomine *Cabi*, filium Simonis summi quondam Pontificis.

Anno Christi 59, 60.

[Antiq.lib.20,cap.8.] Nero Festo mortuo successorem mittit Albinum. Pontificatus autem Josepho ademptus datur ab Agrippa Anano Anani quondam summi Pontificis filio, sectâ Sadducæo, audaci & feroci ingenio viro. Is, cùm nondum Albinus venisset in Judæam, indicto Concilio Jacobum Ἰησοῦ (inquit Josephus) τοῦ λεγομένου Χριστοῦ ἀδελφὸν, *Jesu qui Christus dicebatur fratrem*, cum aliis nonnullis capite damnavit, lapidibúsque obrui jussit. Quod factum cùm alii plerique improbarent, tertio post susceptum Pontificatum mense ab Agrippa eo privatus fuit, substituto Jesu Damnæi filio. Sicarii, Albino licèt persequente, invalescunt, & tota Judæa per eos latrociniis impletur atque infestatur. Pontifices, atque inter eos Ananias opibus maximè potens (cujus exemplum reliqui sunt secuti) Sacerdotes inferioris ordinis expilant, & debitis decimis fraudant, per vim eas servorum suorum ministerio abripientes, unde non pauci, consueto & legitimo commeatu privati, inediâ mortui sunt. Levitis autem, qui sacris hymnis canendis vacabant, lineæ stolæ usus non minus quàm ipsis Sacerdotibus ab Agrippa concessus est, qui Jesu Damnæi filio substituit in Pontificatu Jesum filium Gamalielis. Isti deinde Matthiam Theophili filium, sub quo initium habuit Judaicum bellum, quo tota Jerosolyma Templúmq; ipsum tandem eversa sunt.

Anno Christi 64, 65.

[Antiq.li.20.c.9. & De bel.Jud.c.16.] Florus à Nerone anno Imperii sui decimo successor Albino missus est, quam provinciam obtinuit per uxorem Cleopatram Poppææ Augustæ Neronis conjugis amicam. Pessimus homo, qui modis omnibus Judæos cùm vexaret & opprimeret, coegit vel invitos (aut potiùs ultro ruentes impulit) adversùs Romanos rebellare. Initium belli fuit anno Neronis XII, Agrippæ autem regis XVII (ex quo scilicet Chalcidis regnum obtinuerat à Claudio, anno imperii Claudii octavo) frustrà rege Agrippa eos concione habitâ à bello dehortante: nam paulò postquam Hierosolymis discessisset, seditiosorum nonnulli Massadam castellum munitissimum fraude occupant, Romanos qui isthîc erant omnes interficiunt. Hierosolymis autem Eleazarus Ananiæ Pontificis filius, Templi tum στρατηγὸς, juvenis audax & factiosus, persuasit Sacerdotibus ut nullius nisi Judæorum hostias admitterent, nè illas quidem quæ pro Cæsare & Romanis offerri solebant: quod temerarium factum cùm Principes civitatis quietis amantes intolerabile judicarent, & argumentum apertæ defectionis esse viderent, nec possent tamen seditiosos à sententia dimovere, legatos ad Florum Cæsaream, & ad Agrippam regem mittunt, rogantes ut propere missis copiis seditionem incipientem opprimerent. Florus, qui Judæorum defectionem volebat, id neglexit; Agrippa autem misit mille equites, qui superiorem civitatem cum Optimatibus & Pontificibus, cæteràque multitudine quæ optabat quietem, occuparunt & tenuerunt adversùs seditiosos, qui Templum & inferiorem civitatem tenebant, per septem continuos dies invicem confligentes. Sed die festo ξυλοφορίας Sicarii multi in Templum recepti cum cæteris vim regiis militibus faciunt, & civitate superiore pellentes compellunt eos in Herodis regiam superiorem, incenso Archivo, Asamonæorum palatio, (quæ tum erat Agrippæ regia) & Ananiæ Pontificis domo. Postridie, Augusti XV die, Antoniam obsessam per biduum capiunt, militésque Romanos omnes interficiunt, & arcem incendunt. Regiam paulò pòst impetunt atque invadunt, duce Manahemo Judæ Galilæi filio (qui capto Massadâ castello, & Herodis armamentario isthîc direpto, Sicarios suos armatos Hierosolymam adduxerat) eâque expugnatâ & incensâ tyrannidem occupat Manahemus; sed mox ab Eleazaro Templi Præfecto in ipso Templo adorans interficitur, ejúsque stipatores disjiciuntur, & Massadam repetunt duce Eleazaro Jairi filio, qui genere Manahemo propinquus erat. Romanos, qui regiâ expugnatâ receperant se in turres Hippicon, Phasaelum & Mariammen, obsessos tandémque se dedentes seditiosi Hierosolymitani ipso die Sabbati contra fidem datam omnes inermes interficiunt. Eâdem die Cæsareæ Judæi omnes illic habitantes ab Ethnicis Cæsareensibus instigante Floro interfecti sunt, numero XX M. Hinc exacerbati per universam regionem Judæi Syrorum vicos & civitates finitimas depopulati sunt, Philadelphiam, Gerasam, Pellam, Scythopolim, Gadaram, Hipponem, Gaulanitidem, Ptolemaidem, Sebasten, Ascalona, Anthedona & Gazam. Indè per universam Syriam Judæorum in civitatibus commorantium à Syris cædes promiscuæ, partim ex veteri in Judæos & eorum religionem odio, partim rapinarum amore, partim vindictæ cupiditate. Soli Antiocheni, Apameni & Sidonii Judæis incolis suis pepercerunt. Alexandriæ autem Ægypti metropoli excitatâ seditione L M Judæorum uno die interfecta sunt, immissis in eos duabus legionibus Romanis.

Anno Christi 66.

[De bello Jud.lib. 2. cap. 22.] Cestius Gallus Syriæ Præses, his motibus excitatus, Antiochiâ cum legione XII & auxiliis regis Agrippæ aliísque copiis, venit in Judæam, & Ptolemaide invadit Joppen atque incendit, Cæsennium Gallum mittit in Galilæam, quam Sepphori receptus pacat, & Cæsaream venit. Ipse Cestius festo Tabernaculorum incensâ Lyddâ Hierosolymam tendit, cui ad LX stadium occurrunt Hierosolymitani, & dubiâ pugnâ decertatum est prope Bethoron; sed mox majoribus copiis eos aggressus Cestius compulit in Urbem, in quam & ipse irrupit IV Octobr. inferiorémque tenuit (ut & Bezetham & Cænopolim) per aliquot dies civitatem, indéque Templum & superiorem oppugnavit civitatem, faciléque cepisset si fortiùs in oppugnatione perseverasset, populo Romanis tum favente, solis seditiosis repugnantibus.

Verùm Cestius, mox cùm propè esset ut Templum caperet, sine ulla justa causa obsidionem solvit, atque Antipatrida se recepit, multis Romanorum & auxiliarium in itinere amissis & cæsis à Judæis qui eos insecuti sunt, cùm impedimentorum majore parte, adeóque & machinarum, balistarum & armorum (quæ fugientes Romani abjecerant) magnâ copiâ, quibus postea in Hierosolymorum adversùs Titi obsidionem propugnatione usi sunt Judæi. Idque factum VIII Novemb. anno Neronis XII.

[Ibid. cap. 25, & seqq.] Hâc victoriâ elati Judæi Hierosolymam reversi urbis Præfectos creant Josephum Gorionis filium & Ananum Pontificem, bellíque Duces varios & multos in singulas provincias, sive Toparchias, dimittunt, atque inter eos Josephum (belli hujus Judaici Scriptorem) in Galilæam amandant, in qua multis oppidis communitis & muro cinctis, rebúsque omnibus ad sustinendum bellum ordinatis, Romanorum impetum exspectabat. Interim multi adversùs eum motus, multæ & frequentes urbium rebelliones, excitantur arte & fraude Johannis cujusdam Levitæ filii, & invidiâ nonnullorum ex Principibus Hierosolymitanis qui Galilææ Præfecturam ei ereptam volebant: sed eorum omnes conatus, artes &

consilia fregit, atque eluſit prudentiâ & patientiâ ſuâ Joſephus, qui Johannem illum coegit Hieroſolymam cum ſuis ex Giſcala Galilææ oppido quod munierat confugere. Hieroſolymis autem Ananus urbis Præfectus omnia ad ſuſtinendum bellum neceſſaria parat, mœnia inſtaurat, bellica inſtrumenta, tela & arma curat fabricari per totam urbem. Zelotas conatur ad ſanam mentem revocare, ſed fruſtrá. Simonem Gioræ filium latrocinia exercentem, & tyrannidem affectantem, miſſo milite conatur comprehendere; at is cum ſuis ad latrones qui Maſſadam tenebant effugit, unde illi totam Judæam & Idumæam latrociniis infeſtabant.

Anno Chriſti 67.

[De bello Jud. lib. 3. cap. 1, & ſeqq.] Porrò Ceſtius miſſis ad Neronem (qui tum in Achaia erat) legatis ſtatum Judææ turbatum renunciat: Nero conturbatus Veſpaſianum eò mandat: Veſpaſianus autem, hoc accepto mandato, Titum filium Alexandriam mittit, ut indè quintam & decimam legiones in Judæam adduceret; ipſe pedeſtri itinere ex Achaia in Aſiam tranſmittit, atque indè in Syriam & Antiochiam venit, ubi Romanas copias & Regum auxilia cogit, indè venit Ptolemaida, Sepphorímque Romanis faventem recipit. Titus etiam Alexandriâ eodèm venit cum duabus legionibus, copiæque omnes cum Regum auxiliis eò conveniunt, numero Lx M. tam peditum quàm equitum, præter calones & impedimenta; Galilæam pervadit, Gadarenſium urbem primo impetu capit, incendit, vaſtat; indè Jotapatam venit xxi die Maii, quam oppugnatam fortitérque à Joſepho, qui iſthîc erat cum imperio, defenſam, tandem poſt XL dierum obſidionem vi capit, evertit & incendit, Calendis Julii anno Neronis XIII. Joſephum in ſpecu latitantem capit, & vitâ donat, ſed captivum tenet. Jotapatâ excisâ Veſpaſianus exercitum Cæſaream reducit, atque iſthîc duas legiones collocat ut ſe ab obſidionis labore reficerent; tertiam eodem conſilio & fine mittit Scythopolim; ipſe autem Cæſaream Philippi proficiſcitur, ubi ab Agrippa rege cum exercitu per viginti dies convivio exceptus eſt. Tum [menſe Aug.] ad Tiberiadis & Tarichææ obſidionem ſe parat: & Tiberienſes quidem ſtatim ſe dederunt, ac precibus Agrippæ regis data eſt civitas nè exſcinderetur. Tarichæa autem cùm paſſa eſſet ſe obſideri, vi capta exciſa eſt.

[De bello Jud. l. 4. cap. 1.] [Menſe Septemb.] His urbibus receptis vel exciſis tota Galilæa ferme ad Romanos inclinabat, præter Gamalam in Gaulanitide, & Giſcalam atque Itaburium montem in Galilæa. Sed mox Gamala obſeſſa per menſem unum, capta eſt xxiii die Octob. atq; exciſa, & paulò antè mons Itaburius fuerat etiam à Romanis captus. Mox Titus Giſcalam aggreditur, [menſe Novemb.] quæ à Johanne cum ſuis ſeditioſis tenebatur. Titi oblatis pacis conditionibus, Johannes ſimulat ſe eas accipere; ſed nocte ſequente cum ſuis clàm urbe effugit, & Hieroſolymam ſe recipit. Titus urbi parcit impoſito ei præſidio. [Menſe Decemb.] Indè Cæſaream venit: Veſpaſianus autem Cæſareâ Jamniam & Azotum profectus utramque ſubegit, Cæſareámque redit.

[Ibid. cap. 5, & ſeqq.] Interim per totam Judæam diſſenſio oritur, aliis bellum cupientibus, aliis verò in Romanorum fide manere volentibus. Indè latronum globi & cunei per univerſam Judæam excitantur, qui prædas ex iis agebant qui pacis ſtudio tenebantur, deinde prædis onuſti Hieroſolymis recipiuntur, atque iſthîc omnia cædibus, diſſenſionibus, diſcordiis & rapinis complent. [Hîc & in ſequentibus planum habetur Commentarium eorum quæ Chriſtus de tempore illo prædixerat Matth. 24. 15, 16, & ſeqq.] Ac primò quidem Antipam & non paucos alios nobiliſſimos & potentiſſimos civitatis viros in vincula conjiciunt, móxque indictâ cauſâ necant, calumniantes voluiſſe eos urbem Romanis prodere. Cúmque populus in eos eſſet inſurrecturus, illi Templum occupant, eóque tanquam arce adverſùs populum utuntur, atque iſthîc ſorte ſummum creant Pontificem Phanniam quendam (Calias *Phanazum* פנחו) hominem rudem planè & imperitum, neque Sacerdotalis ordinis. Adverſùs hos Zelotas (ſic enim ipſi ſe vocabant) Ananus & nobiliores Pontifices populum excitant atque armant, & in Templo ipſo oppugnant, adeóque & in interiorem Templi ambitum compellunt. Sed iſti literis ad Idumæorum Duces clàm miſſis, quibus Ananum proditionis inſimulabant, ſe verò pro libertate patriæ pugnantes in Templo obſideri conquerebantur, advocant in ſuum auxilium Idumæos: hi ſtatim cum xx M. hominum advolant, quibus clàm per noctem in Urbem & Templum admiſſis à Zelotis magna fit Hieroſolymitanorum ab utriſque cædes, rapinæ & incendia; nam viii M. eâ nocte cæſa ſunt, & ſequentibus diebus Ananum aliósq; ad xii M. ex nobilioribus interfecerunt, præter infinitam promiſcuam plebeculam. Sed paulò pòſt Idumæos facti ſui pœnitentia ſubiit, cùm Zelotarum ſcelera viderent, nec proditionis (cujus Optimates accuſabantur) indicium ullum deprehendiſſent. Itaque ſolutis ad 2 M iis qui vincti tenebantur in cuſtodia, domum Hieroſolymâ relictâ redeunt. His abientibus Zelotæ rurſus in cives nobiliores ſævire incipiunt crudeliùs quàm antea, & nobiliſſimos quoſque ac fortiſſimos necatos nè ſepeliri quidem patiebantur, maximè verò eos quos ad Romanos transfugere velle ſuſpicabantur: nam obſeſſis viis transfugere volentes diligenter obſervabant, necatóſque inſepultos projiciebant. Interim inter ipſos Zelotas oritur diſſenſio, Johanne illo qui ex Giſcalis Hieroſolymam profugerat tyrannidem inter eos affectante, aliis verò, qui eum antea parem habuerant, ſuperiorem ferre recuſantibus. Verùm illi ſic inter ſe diſſentientes adverſùs plebem, ad eam diripiendam, concordes erant. Quin & tota Judæa Metropoleos ſuæ, Hieroſolymorum nempe, exemplum veluti ſecuta, tota ubique latrociniis repletur miſeréque vexatur.

Anno Chriſti 68.

[De bello Jud. lib. 5. cap. 3.] His diſcordiis, quibus ſe invicem conficiebant Judæi, & transfugarum vocibus excitatus Veſpaſianus, quibus eum ad ſervandam & ſeditione illâ levandam patriam hortabantur, accingit ſe ad Hieroſolymorum obſidionem; & nè quid hoſtile poſt ſe (dum in obſidione occuparetur) relinqueret, ad reliquias belli & tumultûs in tranſamnana regione exſtinguendas Gadaram cum exercitu venit, eò accitus à moderatioribus civibus, qui pacem bello præferebant; atque indè diffugientibus ſeditioſis urbem capit, miſſóque Placido cum equitatu ad perſequendos fugientes, obtruncat omnes, totámque tranſamnanam regionem ad lacum uſque Aſphaltitem (præter Machærunta caſtellum) occupat, conſtituróque per vicos & præſidia in hibernis milite Cæſaream venit, iſthîcque hiemem agit. Ubi nuncio accepto de motibus in Gallia à Vindice excitatis, qui adverſùs Romanos Gallos armaverat, ad conficiendum propere bellum Judaicum accenditur. Itaque inſtante vere milite Cæſareâ educto Judæam pervadit totam atque Idumæam, eâque vaſtatâ copias reducit, ac per Samariam Hierichunta ducit, unde incolæ in oppoſitam Hieroſolymis † montanam regionem diffugiunt; ſed eos perſecutus, iiſque disjectis, Hierichunte atque alibi caſtris conſtitutis Judæos undique cingit, cúmque Cæſaream reverſus pararet cum toto exercitu ad Hieroſolymam obſidendam proficiſci, nunciatur illi Neronis mors: quo nuncio accepto bellum in Judæos diſtulit, Titúmque filium ad Galbam, qui Neroni ſucceſſerat, mittit, ut ab eo mandata de bello Judaico acciperet. Titus in Achaiam navi delatus audit iſthîc Galbam interfectum: itaque ſtatim ad patrem redit Cæſaream. Suſpenſi ergò, quaſi nutante Imperio Romano, Judaicum bellum differebant, patriæque metuentes alienigenas aggredi non exiſtimabant opportunum. † *Illa eſt ὀρεινὴ de qua Luc. 1. 39, & 65. ubi habitabat Zacharias Johannis pater; atque hîc immò videtur fuga illa de qua Chriſtus Matth. 24. 16.*

[Ibid.

[Ibid cap. 7.] Interim Simon Gioræ filius (de quo jam aliquid suprà dictum est) juvenis audax viribúsque præstans, Massadâ, quò ad Sicarios confugerat, profectus in Judææ loca montana, servis ad libertatem vocatis, libertísque præmium pollicitus, brevi comparatâ latronum manu paulatímque auctis copiis, non vicos modò populabatur, sed & urbes aggrediebatur, eóque brevi potentiæ provectus est ut totam Idumæam sibi subjiceret, Judæámque vastaret, móxque Hierosolymam ascenderet, atque isthíc prope urbem castris positis terrori esset tum Hierosolymitanis tum ipsis Zelotis; atque sic utrinque premebantur cives Hierosolymitani, intus nempe à Zelotis quibus Johannes præerat, foris verò à Simone homine sævissimo. Interim Idumæi qui à partibus Johannis stabant & inter copias ejus erant, ab eo dissidentes & cum eo congressi multos Zelotarum perimunt, & Johannis aulâ captâ & incensâ eum cum suis in Templum compellunt; veriti autem unà cum civibus nè noctu in civitatem excurreret eámque vastaret, ut se ab eo tuerentur, consilio capto Simonem accersunt atque intra urbem admittunt; quo recepto Templum oppugnant; sed fortiter pugnantibus Zelotis frustrà expugnare tentant.

Anno Christi 69.

[Ibid. cap. 8, & 10, & seqq.] Vespasianus autem Cæsareæ acceptâ Galbæ & Othonis nece, Vitellíque ex Germania in Italiam venire occupaturum Imperium, ab exercitu Imperator salutatur, missóque Alexandriam qui Tiberium Alexandrum Ægypti Præfectum cum duabus isthíc legionibus in partes suas alliceret (quod & statim obtinuit) ipse Berytum venit & Antiochiam, unde Mutianum in Italiam cum copiis mittit, ipse verò Alexandriam proficiscitur. In Mœsia autem Antonius Primus Vespasiani partes secutus legionem tertiam in Italiam adversùs Vitellium duxit, commissóque ad Cremonam adversùs Vitellianos prælio eos fugat & cædit; tum Romam veniens & Mutiano junctus in media urbe Vitellii exercitum fundit, & Vitellium ipsum per medium forum tractum jugulat. Mutianus Domitianum Vespasiani filium, interim dum pater ex Syria advenit, Principem constituit. Vespasianus his Alexandriæ auditis Titum filium in Judæam cum copiis mittit ad conficiendas belli Judaici reliquias, ipse autem in Italiam navigat.

[De bello Jud. lib. 6. cap. 1.] Porrò interim dum Titus Alexandriæ adhuc hæret, Jerosolymitana factio trifariàm dividitur: nam Simon, quem Jerosolymitani adversùs Johannem accersiverant & admiserant, superiorem tenebat civitatem, & inferioris partem aliquam, Johannes autem cum Zelotis Templum & inferioris civitatis partem aliam occupabat. Hujus autem factio in duas rursum scinditur: nam Eleazarus, qui primus fuerat Zelotarum in initio Dux atque rector, ægre ferens Johannem audaciâ & artibus suis imperium ad se traxisse, omniáque jam pro arbitrio agere atque administrare, ab eo adscitis secum nonnullis aliis secedit, & cum suis interius Templi septum occupat, atque indè adversùs Johannem depugnat, numero quidem sequacium longè illi inferior, sed loci situ & qualitate superior. Ità Johanni, qui Templi exteriorem ambitum porticúsque tenebat, duplex incumbebat bellum; alterum adversùs Eleazarum, alterum verò adversùs Simonem: & sic quidem alii adversùs alios pugnantes pleraque quæ circa Templum erant incenderunt; frumentum aliáque ad victum necessaria corruperunt, quæ illis in multum tempus sufficere potuissent; quibus corruptis & absumptis, fame postea cùm à Romanis obsiderentur oppressi sunt.

Anno Christi 70.

[Ibid. & cap. 2.] Titus autem Alexandriâ Cæsaream profectus, atque isthíc coactis copiis, quatuor nempe legionibus, cum auxiliaribus Regum vicinorum, Hierosolymam contendit, contráque eam sexto septimóque stadio castra ponit paulò ante Azymorum diem festum, eóque infinitam hominum multitudinem, quæ ad festum de more ascenderat, in civitate concludit, à qua alimenta & victui necessaria brevi consumpta sunt omnia, unde statim fames sævissima civitatem oppressit; cujus exemplum horrendum & memorandum, matris filiolum devorantis, per id tempus isthíc contigit. [Ibid. cap. 4.] Ipso autem die festo Azymorum, XIV Aprilis, cùm Eleazarus, qui Templum interius occupaverat, populo sacrificare volénti portas Templi aperuisset, Johannes temporis opportunitate usus submittit cum populo de suis non paucos, qui sub veste gladiis occultè armati, & cum promiscua multitudine admissi, Eleazarum cum suis invadunt, interiúsque Templi septum cum multa Zelotarum cæde occupant; atque sic factio quæ priùs tripertita fuerat ad duas rediit, Johannis nimirum unam, qui numero fuerunt 8400, Simonis verò alteram, quicum erant X M hominum, & præterea Idumæorum V M.

[Ibid. cap. 7.] Titus autem propiùs ad mœnia accedens juxta turrem Psephinam castra ponit, & aggere propere jacto ariete murum quatit, víque dejicit, & in urbem perrupto priore muro, cedentibus intrò Judæis, irrumpit V Non. Maias, atque totam Septentrionalem urbis regionem usq; ad Antoniam arcem & vallem Cedron occupat. Quinto pòst die turri quadam secundi muri à plaga Septentrionali ariete concussâ atque dejectâ, urbe novâ inferiore potitur, à qua statim repulsus à Judæis, quarto tamen pòst die eam rursus occupat, séque ad tertii muri oppugnationem accingit. Atque XII die Maii quatuor aggeres jaci jussit, duos ad Antoniam, quà Templum, totidem ad Johannis Pontificis monumentum, quà superiorem civitatem capere se posse sperabat; & ad Antoniam quidem Johannes, ad Johannis autem monumentum Simon Romanis resistebat. Aggeribus illis XXIX die Maii perfectis per XVII dies, & murum jam quatere incipientibus Romanis, Johannes acto ex Antonia cuniculo alterum dejicit & succendit; Simon autem biduo pòst irruptione ex urbe factâ duos aggeres sibi oppositos incendit cum arietibus & machinis multis, adeóque & in ipsis castris Romanos Judæi aggrediuntur; sed à Tito ab Antonia adveniente in urbem compelluntur.

[Lib. 6. c. 13.] Aggeribus sic corruptis & incensis visum est [mense Junii] Tito novos erigere, quibus oppugnaret civitatem, & muro urbem circumdare, nequis ex ea effugere posset; néve quid in eam inferri. Itaque tridui spatio urbem muro circumvallavit, ambitu XXXIX stadiorum, additis per circuitum XIII castellis ambitum X stadiorum complectentibus. Unde fames in urbe invaluit, sævissiméque grassata est, ità ut eâ non plebs duntaxat & populus passim occumberent, sed ipsi etiam seditiosi premerentur, tantúsque fuit fame & lue pereuntium in urbe numerus ut à XIV die Aprilis (quo cœpta est obsidio) ad Calendas Julii per unam portam (referente quodam Mannæo transfugâ, qui isti rei præerat) elata sint pauperum CXV M. & DCCC. cadavera, quæ sumptu publico mercede numeratâ humabantur, præter eos qui à propinquis & familiaribus efferebantur. Paulò pòst ab aliis transfugis cognitum est VIC M. funerum portis esse elata: denique cùm efferendis pauperibus sufficere ampliùs non possent, collatis & congestis in ingentes cumulos (in vacuis domibus) cadaveribus ædes claudebant. Sepultura autem eorum qui efferebantur alia non erat, nisi quòd de muris in subjectas valles ea projiciebant, quibus valles sic compleverunt.

[Ibid. cap. 15.] Interim Simon intus cædibus & rapinis non abstinebat: nam Matthiam Pontificem, cujus operâ in urbem admissus fuerat, proditionis insimulatum, quasi ad Romanos vellet transfugere, cum tribus filiis aliísque sexdecim ex nobilioribus populi indemnatos necavit, tantáque sævitiâ grassatus est, ut Judas quidam unus ex ipsius Præfectis, crudelitatem ejus pertæsus agitaverit de tradenda Romanis turri quadam, cujus custodiæ præpositus erat: sed à Simone occupatus cum decem ejusdem consilii sociis interfectus est. Johannes autem in Templo necessitate adactus res sacras, vasa aurea, argentea, Templíque sacram pecuniam, in proprium & profanum usum convertit; quin & sacrum oleum & vinum, sacri-

ficiorum libaminibus dicata, militibus ſuis coactus eſt diſtribuere.

[De bello Jud. lib. 17. cap. 1.] Titus autem conquiſitâ undique materiâ, & exciſis ad XC uſque ſtadium lucis & arboribus omnibus, aggeres novos magno labore intra dies XXI exſtrui curavit, & circa Antoniam quidem quatuor, ſingulos à ſingulis Antoniæ arcis lateribus, erexit, quos cùm Johannes timidè, perturbatè & fruſtrà aggreſſus eſſet, à Romanis repulſus Calendis Julii arietem admovere cœperunt muro Antoniæ Romani, cóque concuſſo mox V die Julii in Antoniam fruſtrà repugnantibus Judæis irrumpunt, indéque in Templum refugientes Judæos inſequuntur: ſed aliquandiu repulſis Romanis, tandem poſt multam pugnam, XVII die Julii (quâ die in Templo juge ſacrificium, ἐντελεχισμὸς, virorum qui illud curarent penuriâ, defecerat) fruſtrà ſeditioſos per Joſephum Titus adhortatus ad deditionem faciendam, ſeptimo pòſt die admotis aggeribus, quorum materia à centeſimo ſtadio comportabatur, & everſis Antoniæ fundamentis, ad Templum uſque facilem efficiens aſcenſum, & per Antoniam irrumpens, Porticus Septentrionalem & Occidentalem exterioris Septi Templi occupat, quarum pars quæ Antoniæ jungebatur à Judæis immiſſo igne incenſa fuerat & diruta, pars altera biduo pòſt à Romanis incenditur XXIV die Julii, Judæis incendium non reſtinguentibus ſed ſerpere ſinentibus, ut ſic porticus ab Antonia omnino dirimerentur. XXVII autem die Judæi rurſus Occidentalem Porticum ad pontem uſque qui in Xyſtum ducebat exurunt, unáque Romanos plurimos qui in eam (refugientibus ultro Judæis) aſcenderant: poſterâ verò die Romani Septentrionalem totam ad Orientalem uſque incendunt.

[Ibid. cap. 9.] Octavo autem die Auguſti, cùm nec arietibus pulſando interioris Septi murum quicquam promoveret Titus, neque portarum fundamenta ſuffodiendo, propter lapidum magnitudinem & validam junctúram, neque ſcalis in Porticus aſcendere potuiſſent Romani, Judæis deſuper fortiter repugnantibus, quod diſtulerat loci reverentiâ motus, tandem neceſſitate coactus interioris Septi Templi portis ignem admoveri juſſit, quibus incenſis ſimul junctæ illis Porticus inflammantur, ſpectantibus & ſtupentibus Judæis, nec incendium præ ſtupore prohibentibus aut reſtinguere conantibus, totâque illâ die & ſequenti nocte arſerunt Porticus. Cúmque cum Ducibus decreviſſet Titus Templum ab incendio ſervare, obtinere tamen id non potuit: die enim 10 Auguſti, cùm Romani qui in exteriore Templi Septo excubabant, à Judæis laceſſiti impetum in eos feciſſent qui ignem interioris Septi exſtinguebant, eóſque in ipſum Templum compuliſſent, Romanus miles, rapto ex incendio titione, à ſocio ſublatus in humerum per feneſtram auream ignem in domos ſeu Cellas circa Templum conſtructas à Septentrionali parte rejicit, quas corripiens ſtatim ignis Templum ipſum illis junctum (fruſtrà Tito incendium reſtinguere militibus jubente) ſimul inflammat anno Veſpaſiani ſecundo, eodem menſe eodémque menſis die quo priùs à Nabuchodonozore fuerat incenſum, annis MCXX, menſibus VII, diebus XV, poſtquam primò fuerat à Salomone exſtructum, annis verò DCXXXIX, diebus XLV, poſtquam ſecundò fuerat juſſu Cyri (anno ipſius ſecundo) hortante Aggæo Prophetâ conſtructum. Magna in Porticibus & circa Altare hominum ſtrages facta eſt, dum ſeditioſi interim impreſſione in milites Romanos factâ primò in exteriorem Porticum orientalem, atque indè in civitatem, ſe recipiunt.

[Ibid. cap. 12.] Miſerabilis iſtius Templi & civitatis excidii multa fuere Judæis prodigia & oſtenta Divinitus miſſa, quibus tamen nequaquam ſe moveri paſſi ſunt. Nam primò Jeſus quidam Anani filius, [Qui Jeſum Dei filium ludibrio habuerant & cruci affixerant, à plebeio Jeſu de extremo excidio ſuo monentur, & quidem fruſtrá.] homo plebeius & ruſticus, quadriennio ante Judæorum à Romanis defectionem cœptúmque bellum, in ſumma urbis pace atque opulentia, Albino Præſide, die feſto Tabernaculorum repentè (quaſi ἐνθουσιαζόμενος) cœpit exclamare, *Vox ab Oriente, vox ab Occidente, vox à quatuor ventis, vox in Hieroſolymam & Templum, vox in totum populum:* atque hæc diu noctúque clamitans & inculcans omnes civitatis vicos circuibat, horrendum *Va Hieroſolymis* perpetuò intonans: neque minis ullis aut verberibus plagíſve, quibus excruciatus fuit ab Albino, deterreri potuit à propoſito & incepto, quin per annos ſeptem & menſes quinque continuos idem perpetuò inculcaret, donec obſidionis tempore, cùm ſupra murum circumiens *Va civitati ac populo & Templo* clamaret, ſubitò lapis tormento emiſſus clamantem *Va etiam mihi* oppreſſit. Deinde, ante bellum Cometes gladio ſimilis viſus eſt annum totum urbi imminere: tum & Azymorum die feſto, VIII Aprilis, horâ noctis nonâ, ſubitò Altare & Templum lux tanta circumfulſit per dimidiam horam ut clarus dies videretur. [Chriſtus ad breve tempus per ſe & Apoſtolos ſuos Judæis illuxit; ſed illis lucem illam repudiantibus, ab eo relicti ſunt in profundiſſimis ignorantiæ & obſtinatiſſimæ pervicaciæ tenebris.] Item bos ad Altare adducta agnum in medio Templo enixa eſt. [Eo videtur voluiſſe Deus ſignificare, ſibi deinceps non probari illa ſacrificia, tali monſtro veluti contaminata.] Porta etiam Orientalis ænea, eáque graviſſima, cùm vix à 20 hominibus ſub veſperam clauſa fuiſſet, peſſulíſque ferratis craſſiſſimis obſerata, ſponte horâ noctis ſextâ patefacta eſt. Paucis autem poſt feſtum diebus, nempe XXVII die Maii, viſi ſunt paulò ante Solis occaſum currus & acies armatæ per aera in nubibus concurrere civitatémque circumdare. Quin & * Pentecoſtes die ſacro, nocte Sacerdotes interius Templi ſeptum ad ſacra celebranda ingreſſi, primò quidem motum ſtrepitúmque ſenſerunt, mox verò ſubitam vocem audivere clamantem, *Migremus hinc.* Sed ad hæc omnia Judæi amentes cæcutiebant & obſurdeſcebant, in propriam perniciem ultro ruentes, † oraculo quodam ad bellum iſtud excitati, quo Imperium orbis terrarum promittebatur cuidam qui ex Judæa tum temporis exoriturus eſſet; Hoc enim illi ad ſe pertinere arbitrabantur, cùm potiùs (ex Joſephi quidem ſententia) ad Veſpaſianum ſpectaret, qui in Judæa Romanorum Imperator ab exercitu renunciatus eſt. [* *Cùm annum quo id factum eſt non notet Joſephus, ſuſpicari quis non immeritò poſſit, contigiſſe id die illo Penteceſtes quo Spiritus S. in Apoſtolos à Chriſto miſſus eſt. Tum enim propriè videtur* השכינה *Judæos & Templum deſeruiſſe ut ad Chriſti Diſcipulos tranſmigraret. Atque hæc vox apertum eſt rejectionis Judæorum & totius Legalis cultûs abolitionis teſtimonium.* [† *Videtur potiùs oraculum illud intelligendum de non fama modò & rumore, ſed certâ Judæorum perſuaſione, tempus à Prophetis conſtitutum de Meſſiæ adventu completum fuiſſe, ac proinde Meſſiam brevi à ſe eſſe exſpectandum, qui toti Orbi imperaret, eóſque à Romanorum ſervitute liberaret. Quin & fortè huc faciebat perſuaſio quadam (falſa licèt) quæ tum fidelium Judæorum mentes occupaverat, de Chriſto brevi de cœlis ad judicium venturo, atque in terras redituro, perque mille annos in iis regnaturo.*

[Ibid. cap. 13.] Porrò Titus expilato & incenſo Templo, ſignísque in Orientali Templi porta conſtitutis, peractóque iſthîc ſacrificio, Imperator ab exercitu proclamatur, móxque ſeditioſos qui in ſuperiorem civitatem confugerant, de ponte, quo Templum Civitati conjungitur ſuper Xyſtum, per Interpretem ad deditionem cohortatus, cùm recuſarent ſe illius fidei committere, licèt vitam illis indulgeret, poſtularéntque ut ſibi cum liberis & uxoribus urbe in deſertum exire liceret, indignatus Titus extremum illis denunciat interitum, totámque inferiorem urbem & Acram, quam occupaverat, juſſit incendi. Superiorem autem civitatem in prærupto undique loco ſitam oppugnare cœpit aggeribus, XX die Auguſti jaci cœptis, perfectíſque VII die Septemb. machinas mœnibus admovet, perruptóque muro, & diffugientibus præ metu & conſternatione Tyrannis cum ſuis ſatellitibus, Romani VIII die Septemb. irrumpunt, omniáque ferro & flammâ vaſtant.

[Ibid.

[Ibid. cap. 17.] Capta ſunt in Urbis expugnatione toto belli tempore XCVII M hominum, perierunt in obſidione XI CM. Ex omnibus enim partibus Hieroſolymam ad feſtum Azymorum confluxerant Judæi, ubi à Tito urbem obſidione cingente concluſi, primò quidem ob loci anguſtiam peſtiferâ lue, deinde etiam fame, conſumpti ſunt. Tantam autem duplóque majorem ſolitam eſſe eò confluere hominum multitudinem compertum eſt ſub Ceſtio, juſſu ejus numeratis feſto Azymorum agnis Paſchalibus, quorum ſingulis abſumendis deni ut minimum ex Legis præſcripto convenire debent; ſæpe etiam viceni conveniunt: numerata ſunt autem tum temporis hoſtiarum CCLVI M, ex quibus conficitur adfuiſſe feſto 2700 M hominum ab omni legali immunditia purorum.

[Ibid. cap. 18.] Sic capta eſt à Tito Hieroſolyma anno Veſpaſiani patris ſecundo, Septemb. die VIII, quæ ſexies in univerſum capta fuit, bis autem everſa. Et capta quidem, at non everſa fuit, primò ab Ægypti rege Aſochæo, 2. ab Antiocho Epiphane, 3. à Pompeio, 4. ab Herode & Soſio. Everſa autem primò fuit à Nabuchodonozore; ſecundò à Tito Veſpaſiano. Condita fuerat primò à Melchiſedeco rege Salem, [Nempe putat Joſephus urbem Salem aucto nomine dictam poſtmodum eſſe *Jeruſalem*, Antiq. lib. 1. c. 11.] dein aucta à Davide rege. Everſa autem à Babyloniis fuit annis 1468, [Videtur hic calculus vero & accurato major annis circiter 50.] menſibus ſex, ex quo primùm condita fuerat, annis autem 477, [Annis 30 major eſt iſte calculus juſto & vero numero.] menſibus ſex, poſtquam à Davide Chananæis fuerat erepta. A Tito verò Veſpaſiano everſa fuit annis 1179. [Numerus iſte major eſt vero calculo annis circiter 70.] poſtquam à Davide occupata fuerat. A prima verò ejus conſtructione ad ultimum ejus excidium anni ſunt 2177. [Major eſt hic numerus vero calculo annis 100.]

[Ibid. cap. 20.] Capti ſunt in cloacis latitantes Tyranni duo, Johannes & Simon; quorum ille perpetuis vinculis damnatus, iſte Triumpho aſſervatus eſt, atque in eo necatus. In iiſdem cloacis inventa ſunt 2 M. hominum, qui vel fame contabuerant, vel mutuis vulneribus occubuerant, nè ſe Romanis dederent. Urbem totam & Templum funditus everti & complanari jubet Titus (eſque de more induci aratrum) exceptâ Occidentali duntaxat muri parte, turribúſque tribus, Hippico, Phaſaelo & Mariamme, quas ob elegantiam & fortitudinem inſignem voluit poſteris relinqui documentum magnificentiæ urbis illius.

Anno Chriſti 71.

[Ibid. cap. 24.] Ipſe autem relictâ Hieroſolymæ decimâ legione, ut eſſet toti regioni præſidio, duodecimam, quæ infeliciter ſub Ceſtio pugnaverat, totâ Syriâ pellit, & ad Euphratem in Armeniæ confinio ablegat. Ipſe cum V & XV legione Cæſaream venit, quò omnem prædam & manubias captivóſque coegit; ubi & Beryti & Antiochiæ, & per omnes Syriæ civitates magna cum pompa exceptus, patris Veſpaſiani natalem Imperii diem magnificè celebravit. Indéque per Judæam & Hieroſolymam V & XV legione comitatus in Ægyptum Alexandriam contendit, atque indè Romam navigat, ubi omnium votis exceptus, ſumma cum pompa Triumphum egit de Judæa ſubacta. Templum Paci magnificentiſſimum à Veſpaſiano exſtructum eſt, in quod pretioſiſſima quæque & in toto orbe maximè viſenda contulit & congeſſit, adeóque & Templi Judæorum vaſa omnia & inſtrumenta aurea. Vela autem illa pretioſiſſima quæ de Templi portis pendebant, unà cum Legis libro ſacro, in Palatio ſervari juſſit.

[Ibid. cap. 25, & 28.] In Judæam autem legatus miſſus eſt Lucilius Baſſus, qui accepto à Cereali exercitu caſtellum Herodion cum præſidio deditione accepit: mox Machærunta, fortiſſimum caſtellum ultra Jordanem, oppugnat, tandémque capit. Ei poſtea mortuo ſuccedit in adminiſtratione Judææ Publius Sylva, qui inexpugnabilem prorſus arcem Maſſadam, ab Eleazaro Judæ Galilæi nepote Sicariorum duce occupatam, tandem vi expugnat April. XV die, omnibus qui in ea erant Arce Sicariis, numero 960, cum uxoribus & liberis, Eleazari hortatu ſeſe mutuis vulneribus ad unum conficientibus, incensâ priùs cum omni ſupellectile Arce, nè in Romanorum poteſtatem venirent. Atque ità omnes belli Judaici reliquiæ ſublatæ ſunt, totáque Judæa eſt pacata. [Ibid. c. 29.] Sicariorum autem multi è Judæa dilapſi & in Ægyptum profugi Alexandriam veniunt, ubi Judæos ad defectionem ſolicitant: ſed plebs à Primariis perſuaſa in Sicarios illos irruit, 600 eorum capit, quos Romanis tradit ſupplicio afficiendos; reliqui per Ægyptum & Thebas dilapſi capiuntur etiam; eâque de re monitus Cæſar jubet Lupo, Alexandriæ tum Rectori, ut Templum Judæorum (quod in Ægypto olim ab Onia, ſummi Pontificis fratre, exſtructum fuerat) dirueret. Sed Lupus ablatis tantùm quibuſdam donariis Templum claudere contentus fuit. At Paulinus, ejus in adminiſtratione ſucceſſor, ablatis omnibus donariis, foribus occluſis ità inacceſſum fecit ut nè veſtigium quidem religionis iſthîc remaneret, ídque annis 343 poſtquam primò conditum fuerat.

Judæa & Galilæa fines & deſcriptio.

[Ex Joſeph. lib. 3. bell. Jud. c. 2.]

GEmina eſt Galilæa, inferior & ſuperior: utramque ambit Syria & Phœnicia. Utriuſque finis ab Occidente eſt Ptolemais cum territorii ſui finibus, & quondam Galilæorum, nunc verò Tyriorum, mons Garmelus; à Meridie verò Samaritis & Scytopolis uſque ad Jordanis amnem; ab Oriente autem Hippene & Gadaris, item Gaulanitis (quæ ad regnum Agrippæ pertinent) eam definit; à Septentrione denique Tyro Tyriorúmque regione terminatur. Et Galilææ quidem, quæ *Inferior* dicitur, longitudo à Tiberiade ad Chabulonem uſque, [In Græco eſt χαβυλών, in Latina Ruffini verſione *Zabulon*; quæ lectio videtur melior.] cui ad mare vicina eſt Ptolemais, protenditur; latitudo verò à vico qui in magno Campo *Xaloth* dicitur uſque ad Berſaben, [Non eſt locus in Scriptura notiſſimus, בְּאֵר שָׁבַע dictus in confinio Judææ verſùs Ægyptum, ſed alius ab iſto remotiſſimus.] Unde ſuperioris Galilææ latitudo incipit uſque ad vicum *Baca* dictum, qui Tyriorum terram à Galilæa dirimit; longitudo verò eſt à Thella vico Jordani vicino uſque ad Meroth. Utraque ferax admodum, omni genere arborum conſita: urbes & pagi frequentes, incolis refertiſſimi: urbium quæ minima eſt ſupra 15 M. colonorum ſeu incolarum habet; ab infantia omnes ſunt pugnaces & agriculturæ ſtudioſi. Quamvis autem Galilæa amplitudine cedat τῇ Περαίᾳ Tranſamnanæ regioni quæ eſt ultra Jordanem, at certè bonitate ſoli eam longè ſuperat: Tranſamnana enim maxima ex parte deſerta & aſpera eſt, atque fructibus manſuetis & ſuavibus ferendis inepta; quod autem in ea eſt molle ſolum, ferax eſt admodum, agróſque habet variis conſitos arboribus, maximè verò oleis, vineis & palmetis, torrentibus è proximis montibus & aquæ perennis fontibus irriguos. Longitudo Tranſamnanæ eſt à Machærunte arce non longè à lacu Aſphaltite uſque ad Pellam, latitudo verò à Philadelphia (ſive Ammonitide) ad Jordanem. Et Pellâ quidem verſùs Boream terminatur, Jordane ad Occidentem, ad Meridiem Moabitide, ad Orientem verò Arabiâ & Silbonitide, [In Græco eſt Σιμωνίτιδι in Lat. *Silbonitide:* neutrum, uti videtur, bene; legendum potiùs videtur, *Ammonitide.*] item Philadelphenſi agro & Geraſis. [In Græco Γερέσῃς, ſed, uti videtur, vitiosé. *Gerara* enim non fuit ab ea parte, ſed *Geraſa.*]

Samaritis autem media eſt inter Judæam & Galilæam, [Hinc intelligas illud Joh. 4. 4. *Oportebat eum tranſire per Samariam*, h. e. non per urbem ipſam

Samariam, ſed per Samaritarum agrum ſeu regionem.] incipiens ad Occaſum à vico qui in magno campo *Ginæa* dicitur, deſinítque in Acrabatenam Toparchiam. Soli naturâ atque ingenio à Judæa non differt; utraque enim & montoſa eſt & campeſtris, molles & ad agriculturam faciles fertiléſque campi, arboribus fructuum manſuetorum & agreſtium feracibus conſiti. Non eſt valde quidem fontibus aut rivis irrigua, ſed copioſi ſunt & frequentes in ea imbres; nempe juxta illud quod eſt, Deut. 11. 11, 12. Quæ in iis autem ſunt aquæ fluenta, dulcem ſupra modum habent aquam, atque propter graminis juxta ea copiam quæ in iis ſunt pecora & armenta lacte plus quàm reliquis in terris abundant, magnúmque eſt feracitatis utriuſque argumentum, quòd utraque viris admodum eſt referta. In utriuſque confinio eſt vicus Anvath, qui aliàs *Borceos* dicitur, Judææ verſùs Septentrionem terminus, unde in longitudinem verſùs Auſtrum protenſa finem habet vicum Arabibus conterminum, quem iſthîc Judæi *Jardan* appellant; latitudo autem à Jordane amne ad Joppen ad mare Mediterraneum porrigitur. In ejus medio ſita eſt Metropolis Jeroſolyma, qua de cauſa à nonnullis non immeritò dicta eſt *regionis* illius *umbilicus*. Sed nec marinis deliciis caret Judæa, ad mare Ptolemaidem uſque extenſa. Diviſa eſt autem in XI Toparchias; quarum prima & præcipua, quæque reliquis ut caput corpori ſupereminet & præſtat, eſt Jeroſolyma. Reliquæ poſt eam hæ ſunt; Gophnitica ſecunda, poſt eam Acrabatena, deinde Thamna & Lydda, tum Ammaus, deinde Pella, item Idumæa, poſtea Engaddi, tum Herodium, dein Hierichus; denique Jamnia & Joppe finitimis ſuis præſunt.

Præter has Provincias eſt Gamalitica, Gaulanitis, Batanæa & Trachonitis, quæ partes ſunt regni Agrippæ, incipítque illius regionis latitudo [legendum, *longitudo*] à monte Libano & Jordanis fontibus uſque ad lacum Tiberiadis, longitudo [legendum, *latitudo*] verò protenditur à vico *Arphas* dicto uſque ad Juliadem. Hanc regionem incolunt Judæi Syris permixti.

Jordanis fontes & amnis, cum lacu Genezareth.

[Ex Joſeph. lib. 3. c. 18. De bello Jud.]

LAcus Genezar à continente terra ſic dictus, latus eſt 40 ſtadia, longus verò 100. aqua dulcis & potabilis, paluſtribus enim tenuiores habet; limpidus eſt undique in arenam ad littus deſinens, ad hauriendum temperatus, cujus aqua fluviali & fontanâ lenior eſt, frigidior verò quàm ſolet eſſe lacuſtris, quæ ſi (quod fieri ſolet ab accolis) æſtivis noctibus hauſta ſub dio relinquatur, nivis frigiditati non cedit. Varia ſunt in eo lacu piſcium genera figurâ & ſapore ab alterius loci piſcibus diverſa: medius Jordane fluvio ſecatur. Jordanis autem fons Panium eſſe videtur, ſed revera huc terrâ conditus defertur ex ea quæ *Phiala* dicitur. Eſt autem Phiala lacus quidam à circulari figura ſic dictus, qui ad dexteram non longè eſt à via quâ Cæſareâ itur in Trachonitidem, [Videtur potiùs legendum *Calchitidem*.] CXX ſtadio à Cæſarea, cujus lacu aqua ſemper intra labra ſua continetur, nunquam exundans, nunquam ſubſidens. Cúmque olim hoc eſſe Jordanis principium neſciretur, à Tetrarcha quondam Trachonitidis Philippo deprehenſum eſt: immiſſis enim ejus juſſu in Phialam paleis, inventæ ſunt delatæ in Panium, unde antea fluvius naſci credebatur, cujus loci naturalis pulcritudo Regis Agrippæ opibus plurimùm exornata eſt. Ab hoc Panii antro incipit manifeſtò fluere Jordanes, mediúſque ſecat Semechonitidis cœnoſum lacum 30 ſtadia latum, 60 verò longum (juxta quem eſt urbs dicta *Seleucia*) ad Daphnen uſque paludes ſuas extendentem: indéque 120 ſtadia emenſus Jordanes poſt oppidum Juliadem ingreditur lacum Genezar, quó emenſo deinde per multam ſolitudinem excurrens exit in lacum Aſphaltiten. Porrò ad lacûs Genezar ripam eſt ejuſdem nominis regio longa 30 ſtadia, lata 20, naturâ ſimul & pulcritudine admirabilis; nullum enim arboris genus (tanta eſt ſoli ubertas) ei denegatum eſt, totáque arboribus ab incolis eſt conſita, & aeris temperies omni fructuum generi eſt accommodata; nam & nuces & amygdala, quæ frigidiore gaudent aere, magnâ iſthîc creſcunt copiâ, ut & palmeta, quæ æſtu gaudent maximè, ficus item & oleæ, quæ molliorem & temperatiorem poſtulant aerem, quadam naturæ veluti ambitione ſtudentis in unum compingere pugnantia, anníque tempeſtatum gratam quandam contentionem, unaquaque earum regionem illam veluti ſibi propriam vendicante. Neque modò alit præter fidem varios & copioſos fructus, ſed & diu conſervat: nam uvas ſanè & ficus per decem menſes ſine intermiſſione ſuggerit, reliquos autem fructus per totum annum aſſervatos. Ad aeris temperiem accedit fontis quo irrigatur bonitas, qui *Capernaum* dicitur ab incolis, [A quo fonte nomen habet vicus *Capernaum* dictus, in Euangelio ſæpe nominatus.] quem ideo nonnulli putarunt eſſe veluti venam quandam Nili, quòd in eo inveniantur piſces Coracino (qui in Alexandrina alitur palude) ſimiles.

Hiericho & circumjacens regio cum lacu Aſphaltite.

[Ex Joſeph. lib. 5. De bello Jud. cap. 4.]

HIerichus eſt in planitie ſita, cui modicùm diſtans imminet mons nudus ac ſterilis longiſſimus; nam verſùs Boream Scythopolim uſque protenditur, ad Auſtrum verò uſque ad Sodomorum regionem & fines lacûs Aſphaltitis, éſtque totus ille mons aſper & inæqualis, & quia ſterilis eſt ideo incultus manet. Iſti ex adverſo opponitur alius mons, qui ultra Jordanem ſitus eſt; incipiens verſùs Boream à Juliade porrigitur verſùs Auſtrum uſque ad Somorron, [In Lat. eſt *Bacra*, in Græc. Σομόρρων, ſed fortè legendum Γομόρρα.] quæ Petram Arabiæ diſterminat. In eo eſt & mons qui *Ferreus* dicitur, in longum protenſus uſque ad Moabitidem. Quæ autem inter duos illos montes interjacet regio *magnus Campus* dicitur, à vico Gennabari ad lacum uſque Aſphaltiten, per ſpatium 230 [In Græco eſt χιλίων διακοσίων, at Lat. Ruffini interpretatio habet 230, quæ potior videtur lectio.] ſtadiorum longus, latus verò 120. Medium illum campum ſecat in longitudinem amnis Jordanes, lacúmque habet geminum, Tiberiadis nempe & Aſphaltiten, naturâ contrarios; Tiberienſis enim dulcis eſt & fœcundus, Aſphaltites verò ſalſus & ſterilis. Porrò æſtivo tempore magnis torretur ardoribus campus ille, & ob nimiam æſtûs vehementiam aere circumfunditur inſalubri & mortifero, neque aliâ quàm Jordanis aquâ rigatur; unde fit ut palmæ quæ ad ejus ripas creſcunt, vigeant & fœcundæ ſint, minùs verò quæ longiùs ab amne remotæ ſunt. Eſt autem prope Hierichuntem fons copioſus rigandíſque arvis uberrimus, circa veterem ſcaturiens civitatem quam Joſua filius Nun primam jure belli cepit à Chananæis. Hunc fontem ferunt aliquando non ſolùm terræ & arborum fœtus, ſed & feminarum partus lædere ſolitum, poſtea verò manſueviſſe, ſaluberrimúmque factum eſſe injecto ab Elizæo in eum fontem ſale. Hujus aqua per æſtatem paulò ante Solis ortum hauſta & aeri expoſita frigeſcit, naturámque aeri ambienti contrariam ſumit, hieme verò tepeſcit, & gratiſſima fit illis qui in eam mergunt. Rigationis autem ejus tanta eſt vis, ut ſi vel modò attigerit terram, fœcundiorem eam reddat aliis aquis quæ diu hærent & perſeverant in agro, ità ut alterius aquæ copia huic comparata parùm ſit utilis, hujus verò vel exigua mora ſit fœcundiſſima. Irrigat autem campum 70 ſtadia longum, 20 latum, atque optimos in eo alit hortos, amœniſſimos & frequentiſſimos, palmarum item varia ſapore & appellatione genera, quarum pinguiſſimæ preſſæ mel emittunt copioſum quod ſuavitate alteri vix cedit. Fert item terra illa Opobalſamum (qui pretioſiſſimus eſt omnium qui illic ſunt fructuum) Cyprum item & Myrobalanum: ità ut qui *divinum* dixerit illum *terræ*

tractum, non valde aberraverit, utpote in quo quæ alibi sunt pretiosissima & rarissima, copiosè isthîc inveniantur. Sed neque reliquorum fructuum respectu tellus ulla ei fuerit facilè comparanda, adeò quod fatum est reddit multiplicatum. Hiemis autem tempore adeò temperatus est aer, ut cùm in aliis Judææ partibus ningit, hîc lineâ veste utantur indigenæ. Distat autem Hierosolymis 150 stadiis, à Jordane verò 60, totúmque ab ea Hierosolymam usque iter & spatium desertum est & saxosum; ad Jordanem verò & lacum Asphaltiten humilius quidem est solum, æquè tamen desertum atque incultum.

Asphaltites verò lacus DLXXX stadia in longum protenditur, & usque ad Zoaram Arabiæ porrigitur, [Heb. צוער dicitur, in quam confugit séque recepit Loth ex Sodomorum conflagratione.] latus verò CL. Huic Sodomorum terra vicina est, olim quidem fertilissima regio, splendidísque urbibus ornata, at postea tota ob incolarum impietatem fulminibus missis Divinitus conflagravit. Quin & divini illius ignis reliquiæ etiamnum sunt hodie conspicuæ, (& oppidorum quinque isthîc videre licet umbram atque imaginem) nam fructus nascentes edulibus per omnia videntur similes specie atque colore, at cùm manu attrectantur & decerpuntur, in favillam & cinerem resolvuntur. Porrò aqua lacûs illius salsa & sterilis est, & ob nimiam suam levitatem etiam quæ gravissima sunt, in eam jacta flaitant, [Atqui quò levior est aqua, eò difficiliùs innatant illi gravia; contrà quò gravior est, eò faciliùs supernatant illi gravia, ut manifestum est in marina aqua, quæ fluviatili multò est gravior,] demergi autem in profundum nè industriâ quidem facilè quis possit; quod Vespasianus ipse cùm illuc visendi gratiâ venisset, experientiâ verum esse comprobavit: jussit enim aliquot natandi imperitos manibus post terga revinctis in lacum projici, & omnibus evenit ut quasi spiritûs alicujus vi repulsi supernatarent. Ad hæc, mirabilis est coloris ipsius mutatio; ter enim singulis diebus colorem mutat, & variè ad Solis radios splendet. Quin & Asphalti seu bituminis multis in locis nigras evomit glebas tauris [In Græc. ταύροις. Fortè legendum ταυρείοις h. e. *taurinis pellibus*] capite adempto figurâ & magnitudine non absimiles, quod scaphis quibus colligitur tam arctè adhæresci ut non facilè (nisi menstruo sanguine & lotio aspergatur) ab iis divelli possit. Est autem illud non modò ad compagines navium accommodatum, sed & ad corporum curationem multis remediis admiscetur.

Urbis Hierosolymorum situs, ambitus atque descriptio.

Ex Joseph. lib. 6. c. 6. De bello Jud.

URbs Hierosolymorum sita & condita est super duos colles adversis frontibus semet respicientes, mediâque valle intercedente discretos, in quam desinunt frequentes domus. Hæc vallis *Tyropœon* dicitur, & ad fontem usque Siloam protenditur. Collium autem illorum alter qui superiorem sustinet civitatem altero longè est excelsior & in longitudinem directior, atque is est qui à Davide Chananæis ereptus propter munitionem *Arx* & *Civitas Davidis* est dictus, nunc verò à nobis *Forum superius* vocatur. Alter verò *Acra* dictus, qui inferiorem sustinet civitatem, est corniculatâ seu lunari figurâ. Contra hunc autem tertius erat (Templi nimirum) collis, naturâ quidem Acrâ humilior, & latâ valle ab ea ex parte Orientis [legendum potiùs *Occidentis* vel *Septentrionis*] olim discretus, sed Asamonæorum tempore volentes illi Templo conjungere civitatem, & vallem illam aggeribus ingestis compleverunt, & Acræ altitudinem cæsam humiliorem fecerunt, ut ei supereminaret Templum. Duo illi colles, Acra nempe, sive inferior & superior civitas, extrinsecùs profundis vallibus cinguntur, & utrinque obstantibus rupibus præruptísque locis nulla ex parte adiri possunt. Trino autem muro civitas cingebatur, nisi quà inviis vallibus circumdata erat; ab ea namque parte uno erat contenta muro. Trium illorum murorum primus & vetustissimus, tum propter valles quibus cingebatur imminentémque illis collem cui superstructus erat, tum quòd ad loci naturam & firmitatem accesserant Davidis Salomonísque & subsequentium Regum munimenta, inexpugnabilis erat. Incipiens autem à parte Boreali, à turri quæ *Hippicos* dicitur, ad Xystum usque protendebatur (ubi Templo per pontem subjectæ valli imminentem jungebatur) indè τῇ Βουλῇ *Curiæ* conjunctus in Occidentalem Templi porticum [h. e. versùs Occidentalis & Merid. Porticûs Templi angulum] desinebat. Ab altera autem parte ab eadem turri Hippico rursus incipiens, ínque Occidentem tendens per eum locum qui Βήθσω *(Betiso)* dicitur, ad Essenorum portam porrigebatur: postea versùs Notum ad fontem Siloam flectens, indéque rursus ad Orientem reflexus versùs eam piscinam (sive stagnum) quæ *Salomonis* dicitur, & usque ad locum qui *Ophlas* dicitur pertinens, Orientali Templi porticui conjungebatur, & usque ad Monobazi aulam descendebat.

Secundus verò murus initium ducebat à porta quæ *Gennath* (h. e. *horti*) dicitur, quæque primi muri erat, solúmque Septentrionalem tractum ambiens ad Antoniam usque protendebatur. Tertio muro turris Hippicos initium dabat, unde versùs Borealem tractum sese extendens ad turrim usque Psephinam, indè protendens sese ex adverso monumenti Helenæ Adiabenorum reginæ, & per speluncas regias in longum ductus flectebatur in angulari turri, prope monumentum quod *Fullonis* dicitur: antiquo autem muro conjunctus desinebat in vallem *Cedrona* dictam. Hoc muro eam civitatis partem quæ antiquæ accreverat, cingere cœperat Rex Agrippa senior, cùm antea omnino nuda muro eâ parte esset. Exuberans nempe populi multitudine civitas paulatim extra mœnia antiqua serpebat, Septentrionalémque Templi regionem sive tractum domibus exstructis complentes non parùm extra veteres Colles processerant, ità ut quartus collis Antoniæ contiguus, sed latâ & profundâ fossâ ab ea præcisus, totus ædificiis compleretur, unde & *Bezetha* [בית חדתא h. e. *nova domus*] dicta est pars illa civitatis tota quæ veteri accesserat. Cùm ergò pars hæc Civitatis muro opus haberet, Agrippa rex Agrippæ junioris pater murum illum inchoaverat; sed mox veritus nè Claudius Cæsar eâ muri constructione offenderetur, quasi ad rerum novarûm studium spectaret, jactis tantummodo fundamentis destitit ab opere; non enim expugnabilis fore videbatur civitas si muros, utì cœperat, perfecisset: saxa enim quibus exstruebatur erant cubitos 20 longa, decem verò lata. Postea verò idem murus à Judæis initio belli quo adversùs Romanos insurrexerunt, brevi erectus est ad 25 cubitorum altitudinem cum propugnaculis. Murum autem supereminebant turres quadratæ 20 cubitos latæ, totidem altæ, solidæ & plenæ, sicut & ipse murus; supra verò solidam illam 20 cubitorum altitudinem cellæ erant atque cœnacula, aquarúmque pluvialium receptacula, & lati ad unamquamque gradus quibus ascendebatur. Atque ejusmodi turres tertius iste murus XC habebat: earum autem intervalla, quæ inter binas intercedebant turres, erant 200 cubitorum. Medius verò murus XIV turres duntaxat habebat; primus autem, sive antiquus, habuit LX: totus autem civitatis ambitus XXXIII stadiorum fuit. Cùm autem totus esset admirabilis tertius ille murus, admirabilior tamen adhuc erat Psephina turris, quæ in angulo ad Septentrionem & Occidentem sito surgebat; ex ea enim LXX cubitos alta Sole oriente tota conspici poterat Arabia, ultimíque ad mare usque terræ Judæorum fines, erátque octangularis ea turris. Ex adverso illius fuit *Hippicos* dicta turris, atque juxta hanc duæ aliæ ab Herode in veteri muro ædificatæ, quæ magnitudine, pulcritudine & firmitate universis quæ toto orbe erant præstabant. Nam *Hippicos* quidem, sic de amici cujusdam Herodis in bello fortiter pugnando interfecti nomine dicta, quadrangularis erat, cujus singula latera 25 cubitos patebant, 30 verò erant alta; nusquam inanis, sed solida tota: supra hanc

hanc ſolitudinem puteus erat 20 cubitos altus excipiendis imbribus, deſuper verò domus erat gemino tabulato, 25 cubitos alta, & in varia membra diviſa; minæ autem duos cubitos, propugnacula verò deſuper tres cubitos aſſurgebant, ità ut tota turris altitudo eſſet 80 cubitorum. Secunda turris, quam de fratris nomine *Phaſaelum* vocavit, 40 cubitos longa & lata fuit in ſingula latera, totidémque alta, tota ſolida in pilæ modum facta: Deſuper porticus erat (ſive ambulacrum) propugnaculis & brachiis ſepta, X cubitos alta: in media verò porticu ſurgebat alia turris, in varia membra magnifica, adeóque & balnea, diviſa, ut nihil regii uſûs in ea deeſſet, in ſummo denique minis & propugnaculis ornata, ut tota ejus altitudo ad 90 cubitos uſque attolleretur, & ſpecie quidem turri Phari, quæ eſt prope Alexandriam, ſimilis erat, ſed ambitu multò major. Tertia turris de uxoris dilectiſſimæ nomine dicta eſt *Mariamme*; 20 cubitos duntaxat lata, longa & alta erat, pariter ſolida, ſed deſuper magnificentiora & ornatiora cæteris habuit diverſoria, ità ut hæc pulcritudine cæteras duas ſuperaret, ab illis autem robore, amplitudine & munimento vinceretur; tota autem ejus altitudo fuit 55 cubitorum. Cúmque tantæ eſſent altitudinis tres illæ turres, ex loci præterea ſitu & natura multò majores videbantur; nam & ipſe antiquus murus, cui erant inædificatæ, excelſo colli impoſitus atque exſtructus erat, & ipſius etiam collis velut vertex quidam altus propè ad 30 cubitos, eâ parte reliquo colle eminebat, ſupra quem verticem turres illæ poſitæ multum ſublimitatis indè aſſumebant. Mirabilis etiam fuit lapidum magnitudo; non enim ex vulgaribus ſaxis, quæque homines ferre poſſent, erant ſtructæ, verùm ex ſecto marmore candido, ſingulis ſaxis 20 cubitos longis, 10 latis, craſſis verò quinque; quæ tam aptè ità erant inter ſe conjuncta ut ſingulæ turres ſingula ſaxa viderentur, ſic nempe manibus artificum in faciem angulóſque erant efformata, ut nuſquam compaginis junctura deprehendi poſſet.

His autem in Septentrionali muri parte poſitis, intus & juxtà regia Herodis aula poſita erat omni narratione penè ſuperior: nam illa undique muro 30 cubitos alto cincta erat, & in circuitu turribus ornatiſſimis æquali diſtantiâ poſitis diſtinguebatur, grandibus cœnaculis quæ centum lectos caperent inſtructa, multo varióque marmore decorata; tecta etiam & laquearia viſenda ob trabium longitudinem & ornamentorum magnificentiam: Cubiculorum item magna multitudo, & figuræ multiplex varietas, ſupellectile pretioſiſſimâ vaſíſque, quorum pleraque aurea & argentea erant, ornata & inſtructa. Circà verò, porticus multæ variis ſingulæ columnis ornatæ. Quæ verò ſub dio erant, omnia ubique viridariis & ſylvis variata, ínque iis prolixa ambulacra, & circa ea profundi euripi, ciſternæque ſignis æreis ornatæ, per quæ aqua effundebatur, juxtáque ciſternas cicurum columbarum turres multæ exſtructæ.

[De bello Jud. lib. 5. cap. 3.] Porro ad Orientem urbis erat mons qui *Olearum* dicitur, à civitate profundâ valle, quæ *Cedron* dicitur, interjacente diſcretus, in quo ſexto ab urbe ſtadio caſtra poſuit decima Romanorum legio in urbis obſidione. A parte autem Septentrionali ſeptimo ab urbe ſtadio, in loco qui *Scopos* ideo dicitur, quia indè tota urbis magnitudo & Templum conſpicuum erat, Titus cum duabus legionibus caſtra ſua poſuit, [Ibid. cap. 4.] Indè mox complanato toto quod interjacebat ſpatio, caſtrametatus eſt duobus à muro ſtadiis ad Herodis monumentum, quod contiguum erat piſcinæ quæ Serpentum dicitur (olim autem Bethara dicebatur. [Hoc non eſt in Græco.]) [Ibid. cap. 5.] Non longè ab ea parte erant turres muliebres cum porta, monumentum item Helenæ Adiabenorum reginæ: nam eâ portâ egreſſi Judæi Romanos in caſtrorum munitione occupatos pellexerunt in inſidias, & circumventos fugarunt, & cum cæde perſecuti ſunt ad Helenæ uſque monumentum. A Serpentum piſcina complanato rurſus quod ad murum erat ſpatio caſtra ipſe movit ad turrem Pſephinam, quæ in angulo ſita eſt quò Septentrionalis murus civitatis ad Occidentem flectitur: reliqua exercitûs pars ad turrim Hippicon caſtra poſuit, duobus ſimiliter ab urbe ſtadiis. Juxta eam turrim porta erat, quâ latenter egreſſi Judæi impetum in Romanos fecerunt. Urbem autem Titus aggreſſus ad Johannis Pontificis monumentum non longè ab ea turri (Hippico nempe) quòd eâ parte primus murus humilior eſſet, neque ſecundo conjunctus; neglecta enim iſthîc fuerat munitio, propterea quòd nova civitas iſta in parte non valde frequentabatur: quin & in tertium facilis erat illàc aditus, per quem ſuperiorem civitatem, per Antoniam verò Templum, cogitabat Titus invadere; qui eâ urbis parte Septentrionali occupatâ & everſâ, inducto exercitu caſtrametatus eſt ad ea quæ vocantur *Aſſyriorum caſtra*, tenuítque totum ad Cedronem uſque ſpatium; adversùs quem pugnabant ex Antonia & Septentrionali Templi porticu, atque ex Alexandri regis monumento, Johannes qui Templum tenebat, Simon verò, qui ſuperiorem civitatem occupabat, aditu juxta Johannis monumentum obſtructo uſque ad portam quâ aqua in turrim Hippicon inducebatur. Titus autem ſecundum murum à Septentrionali latere aggreditur, & quinto pòſt die perrumpit, cujus totam Septentrionalem partem juſſit dirui; Meridionalem verò, diſpoſitis per turres cuſtodibus, occupari. Mox Antoniam aggreditur, & juxta Johannis monumentum ſuperiorem civitatem, jactis utrinque binis aggeribus, quorum alter ad Antoniam jactus eſt, per mediam piſcinam, quæ *Struthium* dicebatur, alter ad Johannis monumentum in Septentrionali parte erectus eſt, ubi ſtagnum eſt quod *Amygdalum* dicitur. Sed his à Judæis incenſis, muro totam civitatem circumdare inſtituit, nè Judæis effugiendi pateret exitus, eúmque murum ab Aſſyriorum caſtris ad inferiorem novam civitatem deduxit, indè per vallem Cedron in montem Olearum, deinde ad Meridiem flectens, montem amplectitur uſque ad petram dictam *Columbarium*, illíque proximum collem qui imminet valli quæ eſt ad Siloam fontem, indéque ad Occidentem deſcendebat in Fontis vallem, indè ſubiens juxta Anani Pontificis monumentum, circumdato monte ubi Pompeius caſtra poſuerat, ad Septentrionalem redit urbis regionem, procedénſque ad vicum qui *Erebinthi domus* dicitur, [In Græco eſt ἐρεβίνθων οἶκος, at Ruffinus legit ἐρεβινθόνικος, *Erebinthonicus*.] poſt eam Herodis monumentum complexus ad Orientem jungebatur caſtris illis unde cœperat, cujus muri ambitus fuit XXXIX ſtadiorum.

In media porrò Acra fuit Helenæ Adiabenorum reginæ Aula. Tam vaſtæ autem fuerant támque frequentes per urbem Cloacæ, ut non pauca hominum millia caperent, qui eò poſt captam urbem confugerunt, atque iſthîc partim fame conſumpti ſunt, partim à Romanis cæſi, partim mutuis vulneribus periere.

TOTIUS TEMPLI HIEROSOLYMITANI Ab Herode (ſecundùm Joſephum) exſtructi brevis delineatio atq; dimenſiones.

CONſtabat Templum illud duobus Septis quadratis, quorum alterum in alterius complexu atque medio continebatur.

Septum exterius conſtabat quatuor longiſſimis Porticibus, totidémque ſpatiis hypæthris inter illas Porticus & interius Septum interjectis.

Singulæ Porticus longæ intrinſecùs fuerunt ab uno ad oppoſitum angulum 500 cubitos Romanos. Latæ verò, Meridionalis

Meridionalis quidem (quæ triplex fuit, ſeu tres habuit deambulationes) 70 cub. Reliquæ tres (quæ duas tantùm habuere deambulationes) ſingulæ latæ 40 cub.

Spatii hypæthri tum Meridionalis tum Septentrionalis pars æqua & plana à Porticibus ad gradus uſque lata fuit 35 cub. pars verò gradibus occupata ad murum uſque Septi interioris lata fuit 30 cub.

Spatii hypæthri Orientalis pars æqua & plana ſine gradibus lata fuit 40 cub. pars autem gradibus occupata lata 25 c. ad Septum uſque interius.

Spatium hypæthrum Occidentale totum æquum & planum ad Exedras uſque ſive Gazophylacia, latum fuit 65 cub. ad murum verò uſque Septi interioris latum 90 cub.

Gradus ſinguli quibus aſcendebatur lati fuere cubitum unum, alti verò dimidium cubitum.

Muri Septi exterioris craſſitudo à Joſepho non definitur, ſed à nobis conjicitur fuiſſe 8 cubitorum.

Portæ in eo Septo fuerunt ſeptem: una ab Oriente, alia à Meridie, & alia item à Septentrione quæ ducebat in arcem Antoniam, quatuor denique ab Occidente.

Plures fuerunt variis in locis commodis diſpoſitæ in muri craſſitie incluſæ Cochleæ, ſingulæ quaternos cubitos in diametro habentes, quibus in utriuſque Septi Porticuum & Atriorum tecta atque tabulata aſcendebatur.

Septum interius.

SEptum interius conſtabat multis Exedris grandioribus circumpoſitis, item ex Atriis in ejus complexu comprehenſis.

Cum Exhedris adjunctis undiquaque longum extrinſecùs fuit ab Oriente in Occidentem 290 cub. latum à Meridie in Septentrionem 260 cub.

Sex in eo fuere Atria, duo Virorum, Meridionale & Septentrionale, ſingula longa 187 c. lata 30 c. duo feminarum ab Oriente, ſingula longa 78 c. lata 40. *Atrium Iſraelis*, intermedium longum 70 c. latum 40. *Atrium Sacerdotum*, longum ab Oriente in Occidentem cum Lorica 188 c. latum cum gemina Lorica 138 c.

Portæ in eo novem; quatuor à Meridie, totidem à Septentrione, una ab Oriente.

Exedræ in ipſis Portis collocatæ latæ fuerunt præciſè 29 c. longæ 31 c.

Exedræ juxta, vel inter Portas Meridionales & Septentrionales fuerunt ſex, ſingulæ longæ & latæ intrinſecùs 20 c, item duæ minores ſingulæ latæ 12 c. longæ 20.

Exedræ ab Oriente ſex, quarum majores quatuor ſunt ſingulæ longæ 38 c. latæ 20. duæ verò minores longæ 26 c. latæ 20.

Gazophylacia octo; duo minima in ipſo Atrio Sacerdotum, propriè & ſtrictiùs dicta Gazophylacia, ſingula longa 20 c. lata 12. Duo majora, in capite utriuſque Atrii virorum, ſingula longa 30 c. lata 20. Quatuor denique mediocria ab utroque horum majorum latere, ſingula longa & lata 20 c.

Murus Septi omni ex parte craſſus ſex cubitos.

Exedrarum muri craſſi alii 4 cubitos, alii 4½, alii denique 5 cubitos.

Sub utriuſque Septi porticibus atque Atriis multæ fuerunt Cellæ ſeu Cryptæ ſubterraneæ, quibus decimæ & primitiæ olei, vini, frumenti & aliorum fructuum recondebantur.

Atrium Sacerdotum.

TRibus ex partibus cinctum fuit Loricâ humili lapideâ altâ cubitum unum: à parte Meridionali & Septentrionali lata fuit cubitum 1 cum ½, ab Oriente verò lata cubitum unum.

Longum fuit Atrium illud intra Loricas 187 c. latum 135 cub.

In eo fuit Templum ſtrictè ſic dictum cum ſuo Veſtibulo collocatum, longum, latum & altum 100 cub.

Ara ante Veſtibuli portam collocata, longa & lata infernè 50 cub. ſupernè verò 38 c. alta autem 15 c.

Aſcenſus acclivis ad Aram latus 25 c. longus totidem

Inter Aram, Veſtibulum, Atrium virorum Septentrionale, & Atrium feminarum fuit locus מכון Talmudiſtis dictus, in quo mactabantur & parabantur ad Aram victimæ, longus ab Oriente in Occidentem 76 c. latus 56.

Spatium inter Aram & Atrium feminarum latum fuit 7 c. inter Aram autem & Veſtibuli Templi murum, 20 c. inter verò Aram & Templi gradus 16 c.

Gradus fuere XII, quibus ex Atrio Sacerdotum in Templi Veſtibulum aſcendebatur, ſinguli lati cubitum unum, alti pollices tredecim cum dimidio. Horum octo fuere in ipſa muri Veſtibuli craſſitudine, quatuor reliqui extra Veſtibuli murum projecti, in atrio Sacerdotum fuerunt collocati.

Spatium utrinque inter Veſtibuli extrema & Atria virorum interjectum latum cubitos 17 ½.

Spatium inter poſteriorem Templi partem & Atria virorum utrinque poſitum latum fuit cubitos 37 ½.

Spatium denique inter poſticam Templi partem & murum Occidentalem Septi interioris latum fuit 10 c. longum verò ab uno Gazophylacio ad aliud 80 c.

In gemino illo ſpatio puro & hypæthro utrinque inter poſteriorem Templi partem & atria virorum interjecto, videtur fuiſſe gemina ciſterna in crypta ſubterranea, in quam aqua cœleſtis defluebat tum ex Templi ipſius tum ex Atriorum tectis, ſdque ad lavandas victimas & purganda earum inteſtina, reliquáque ſacrificiorum miniſteria.

Templum ipſum ſtrictè ſic dictum.

COnſtabat Templum Veſtibulo, loco Sancto, Adyto ſive Sacrario, & Cellis circumpoſitis.

Figuram habuit crucis vulgaris inverſæ cum titulo.

Longùm fuit extrinſecùs ab Oriente in Occidentem 100 c. latum à parte anteriore in fronte Veſtibuli 100 c. quanta ſcil. fuit Veſtibuli longitudo extrinſecùs: à parte verò poſteriore latum fuit extrinſecùs 60 c. altum verò 100 c.

Veſtibulum extrinſecùs longum fuit 100 c. intrinſecùs 84 c. latum fuit extrinſecùs 34 c. intrinſecùs 20 c. Altum intrinſecùs 90 c. ſine tabulato; extrinſecùs 100 c. uſque ad ſuam peribolum.

Locus ſanctus intrinſecùs longus 40 c. latus 20, altus à pavimento ad tabulatum ſive ſummum lacunar 50 c. extrinſecùs verò à ſolo Atrii Sacerdotum 60 c.

Sanctum ſanctorum intrinſecùs longum & latum 20 c. altum intrinſecùs 50 c. extrinſecùs 60 c. à ſolo atrii Sacerdotum.

Utrique loco, tum Sancto tum Sancto ſanctorum, ſuperpoſitum fuit aliud tabulatum, ejuſdem longitudinis & latitudinis, altum verò 40 c.

Cellæ Templo circumpoſitæ à latere ejus Meridionali & Septentrionali numero 30, nempe quindecim in unoquoque latere, in triplici tabulato, quinque ſcil. in ſingulis ſingulorum laterum tabulatis: Singulæ intrinſecùs longæ, latæ & altæ 10 c. Itaque tria tabulata ſimul junctæ alta fuere 30 c.

Murus Templi omni ex parte craſſus 6 c.

Murus Veſtibuli tribus ex partibus craſſus 8 c.

Murus Cellarum, quo ab Atrio Sacerdotum ſeparabatur craſſus 4 c. Paries intergerinus, quo Cellæ aliæ ab aliis dividebantur, craſſus cub. 2½.

Solum velum dividebat locum Sanctum à Sancto ſanctorum.

Porta loci Sancti lata 16 c. alta 55 c.

Porta Veſtibuli lata 25 c. alta 70 c.

Bina oſtiola quibus utrinque à lateribus portæ loci Sancti patebat ingreſſus in Cellas, ſingula lata 3 c.

Binæ item utrinque Cochleæ juxta illa oſtiola, in ipſa muri craſſitie, quibus in Cellarum tabulata, earúmque & Templi ipſius tectum, & in ſecundum Templi tabulatum aſcendebatur, ſingulæ quaternos in diametro habentes cub.

Templi

Templi Portæ, earúmque dimensiones.

In Septo exteriore

SEptem fuere Portæ: in latere Orientali & Meridionali, & Septẽtrionali singulæ, in latere autẽ Occidẽtali quatuor: harum omnium mensuræ neque à Josepho neque à Talmudistis traduntur. Nos conjicimus Orientalem fuisse 48 c. Meridionalem 46 c. Septentrionalem, quæ in Antoniam arcem ducebat, cub. 8½. Occidentalium maximam, quâ ingressus dabatur in Porticum regiam, latam fuisse 30 c. magnam, quâ per pontem in Xystum ibatur, latam 22 c. duas minimas, quæ εἰς μεσαῖον ducebant, singulas latas 9 c.

In Septo interiore novem fuere portæ, quatuor à Meridie, totidem à Septentrione, singulæ latæ 29 c. altæ 30 c.

Porta Orientalis, quâ in atrium Israelis ingressus dabatur inter utrumque feminarum Atrium, lata 39 cub. alta 50 cub.

De porta Vestibuli & Templi ipsius strictè dicti, jam suprà dictum est.

Templi columnæ, earum numerus & dimensio, atque columnationis ratio.

	In Septo exteriore.			In Septo interiore.	
In Porticu	Meridionali	162 col.	In Atrio	Feminarum	46 col.
	Septẽtrionali	121	Virorũ	Septentr.	24 col.
	Orientali	87		Meridion.	24 col.
	Occidentali	87		*Summa*	94 col.
	Summa	457.			

In omnibus Templi universi Portis —— 49 col.
457 col.

Itaque in universo Templo fuerunt columnæ 600.

Harum omnium diameter fuit quatuor cubitorum, ambitus seu circumferentia 12 cub. sive (ut Josephus ait) quantum tres homines ulnis conjunctis capere possent. Sed harum magna pars videtur parietibus Porticuum & Atriorum infixa, atque hòc dimidiatæ tantùm fuerunt, dimidia nempe crassitudinis columnæ pars extra murum prominebat.

Intercolumnia in Porticu Orientali & Occidentali Septi exterioris fuêre novem cubitorum, quæ columnationis ratio *Eustylos* Vitruvio dicitur, eáque illi maximè probatur. In Meridionali verò & Septentrionali porticu intercolumnia fuere cubitorum 8½, quæ columnationis ratio media est inter Eustylon & Systylon.

In Atrio feminarum Septi interioris intercolumnia fuere cubitorum 9½: quæ columnationis ratio paulò major est Eustyli ratione, nempe eam superat vigesimâ parte diametri columnæ, sive quintâ cubiti parte. In utroque Virorum Atrio intercolumnia fuere cubitorum 10½: quæ columnationis ratio media est inter Eustylon & Diastylon; nam in Eustylo intercolumnium est 9 c. in Diastylo est 12 cubitorum.

Porrò in Porticibus Orientali, Occidentali & Septentrionali Septi exterioris fuerunt binæ in singulis deambulationes, latæ singulæ 14 c. In Orientali verò tres fuere deambulationes, quarum media lata fuit 25 c. reliquæ duæ ab utroque illius latere, latæ singulæ 14 c. liberi spatii ad deambulandum demptis columnarum & stylobatarum crassitudinibus.

In utroque Virorum Atrio Septi interioris una tantùm fuit deambulatio lata in singulis cubitos 22½. In Atrio feminarum binæ fuerunt deambulationes (triplex enim fuit in eo columnarum ordo) singulæ latæ 14 c. liberi ad deambulandum spatii demptis stylobatis, quibus quinque in singula latera tribuendi sunt cubiti, projiciuntur enim extra columnas omni ex parte dimid. cub.

Longitudinis & latitudinis Templi per partes dimensio.

Longitudo ab Oriente in Occidentem.

Muri Septi exterioris, sive Atrii gentium, crassitudo non definitur à Josepho: nos eam conjicimus fuisse omni ex parte 8 cub.

Porticus Orientalis lata 40 c.
Spatium hyp. illi proximum latum 65 c.
Muri Orientalis Septi interioris crassitudo 6 cub.
Exedræ illi proximæ latæ 20 c.
Murus earum interior crassus 5 c.
Atrium feminarum latum 40 c.
Lorica lapidea illud ab Atrio Sacerdotum dividens lata cubitum unum.
Atrium Templi Sacerdotum longum secundùm Judæos Talmudistas 187 c.
Muri Occidentalis Septi interioris crassitudo 6 c.
Exedræ juxta ipsum latæ 20 c.
Murus earum exterior crassus 5 c.
Spatium hypæthrum inter eas & Porticum Occid. Septi exterioris, latum 65 c.
Porticus Occid. Sept. ext. lata 40 c.
Murus Septi exterioris crassus 8 c.
Summa 516. cub.

Latitudo à Meridie ad Septentrionem.

Murus Septi exterioris crassus 8 c.
Porticus regia, sive Salomonis, lata 70 c.
Spatium hypæthrum illi prox. latum 65 c.
Murus Septi interioris crassus 6 c.
Exedræ illi junctæ latæ 20 c.
Murus earum interior crassus 5 c.
Atrium Virorum Meridionale latum 30 c.
Lorica Meridionalis lata cub. 1½.
Atrium Templi, sive Sacerdotum, latum secundùm Judæos Talmudistas 135 c.
Lorica Septentrionalis lata cub. 1½.
Atrium Virorum Septent. latum 30 c.
Exedræ illi junctæ latæ cum muro suo interiore 25 c.
Murus Septentrionalis Septi interioris crassus 6 c.
Spatium hyp. illi proximum latum 65 c.
Porticus Septentr. Septi ext. lata 40 c.
Murus Septi exterioris crassus 8 c.
Summa 516 cub. quorum 16 cubiti dantur crassitudini utrinque muri Septi exterioris, reliqui 500 cubiti longitudini Porticuum, qualem eam definiunt tum Talmudistæ, tum ipse Josephus, qui facit Porticus longas stadium unum (scil. Hebr.) h.e. 400 c. (putà Hebraicos) qui faciunt Romanos cub. 500.

Templi propriè & strictè sic dicti longitudo & latitudo per partes dimensa, secundùm Josephum.

Longitudo ab Oriente in Occidentem.

Murus Vestibuli crassus 8 c.
Vestibulum latum 20 c.
Murus Templi vestibulum à loco Sancto dividens crassus 6 cub.
Locus sanctus longus 40 c.
Sanctum sanctorum longum 20 c.
Murus Templi Occident. crassus 6 c.
Summa 100 cub.

Latitudo à Merid. in Septentrionalem.

A parte anteriore in facie Vestibuli æquale fuit longitudini Vestibuli quæ fuit extrinsecùs, hoc modo.
Cellarum murus Meridionalis crassus 4 c.
Cellæ Meridionales latæ 10 c.
Murus Templi Meridionalis crassus 6 c.
Locus sanctus latus 20 c.
Murus Templi Septentrionalis crassus 6 c.
Cellæ Septentrionales latæ 10 c.
Earum murus Septentrionalis crassus 4 c.
Summa 60 cub.

Totum

Totius Templi capacitas.

TOtum Templum cùm in quadrum longum & latum ab omni parte fuerit 500 cub. area ejus pura cepit 250 M. cub. quadratos, ſed magna ejus pars occupata fuit à colum. ſtylobatis, Septi utriuſque muris & Exedris, atque ipſo Templo ſtrictè ſic dicto.

Quatuor Porticuum Septi exterioris area cepit 86100 cub. à quibus ſi demas ſpatia à 457 colum. ſtylobatis occupata (quorum ſingulis damus 250, nempe unicuique ſtylobatæ quinq; cub. in quadrum) reſtant 74775 cub. Tantundem cepit Porticuum illarum tectum planum, in quo homines adoraturi potuerunt ſtare. Nam Porticibus Joſephus non attribuit ſecundum tabulatum. Jam ſinguli cub. quadrati ſingulis hominibus non ſtantibus modò ſed & genu flectentibus abunde ſufficere poſſunt. Itaque in porticibus Septi exterioris, earúmque tecto ſeu tabulato ſtare potuerunt 149550 homines. Spatium hypæthrum totum inter Porticus & Septum interius habuit 90400 cub. quadrat. proindéque totidem potuit capere homines.

Atria virorum dùo longa ſingula 187 cub. lata 30, habuerunt ſing. 5610 cub. ambo ſimul 11220 cub. Eorum tectum tantundem. Summa eſt 12440 cub. proindéque totidem homines capere potuerunt.

Sex Exedræ illis junctæ in ipſis Portis ſingulæ longæ latæ 30 cub. faciunt in univerſum 5400 cub. qui ſuperioribus ſunt addendi; ſic fiunt in univerſum 27840 cub. Earum tecta non computamus, quia Portæ turris in modum aſſurgebant.

Atrium feminarum utrumque, deductis columnarum ſtylobatis, cepit 5850 cub. proindéque totidem feminas. Atrii illius tectum totidem. Potuit ergò capere totum Atrium 11700 fem. Exedræ duæ in Portis Atrii illius poſitæ, 1800 cub. Itaq; in toto Atrio capere potuerunt 13500 feminas.

Atrium Iſraelis longum 70 cub. latum 40, capere potuit 2700 homines, ejúſque tabulatum, ſeu tectum totidem; ſunt in univerſum 5400. Itaque ſi omnes in unum colligantur quæ potuerunt in toto Templo capere homines è plebe, præter Sacerdotes & Levitas qui atrium Sacerdotum occupabant, invenientur 186690, h. e. paulò plures quàm ipſa area tota Templi pura capere potuiſſet. Atrium Sacerdotum longum 187 cub. latum 135 cub. habuit cub. quadratos 25241. à quibus ſi demas 11581 cub. quot nempe Templi, Arx, & Gazophylaciorum areæ occuparunt, reſtant 13664 cub. quadrati, in quibus totidem capere potuerunt Sacerdotes & Levitæ.

DELICIÆ BIBLICÆ BRIELENSES:

SIVE

JOH. CLOPPENBURGI

COLLATIONES

Criticæ Sacræ, per Epiſtolas,

CUM

D. LUDOVICO de DIEU Anno CIↃ IↃC XXXII, & deinceps.

Ad Loca Difficiliora XXV ex Pſalmis.

I.

L. de Dieu. 7 Maii 1632.

Pſal. 7. 5. *Si retribui pacem mecum habenti malum*, ואחלצה צוררי ריקם. Pagnino, Junio, Genevenſibus & Aldegondio, præfero noſtram Belgicam verſionem, Ende hebbe die beſchadicht, welcke my ſonder oorſake bandt waren: Pro beſchadicht malim beroofft. חלץ propriè *extrahere, eripere, auferre* ſignificat; dicitúrque de veſtibus quæ alicui eripiuntur exuæ; ut de calceo, Deut. 25. 10. Eſai. 20. 2. hinc pro Hebræo משה eſt in Thargum חלץ 1 Sam. 31. 8, 9. & apud Syros חלץ eſt *exuere, ſpoliare*. Vide Act. 19. 37. Col. 2. 8. ubi pro συλαγωγῶν ponitur. Reſpexit fortaſſis David ad hiſtoriam 1 Sam. 24. 4, 5. & cap. 26. 11. ubi Saulem immeritò vitæ ſuæ inſidiantem nè veſte quidem, aut matulâ haſtâque ſpoliare voluit. Concordant Chaldæus & Syrus; quorum ille ואן אלצרך, hic ורחקירת *& ſi expreſſi.*

J. Clopp. 19. Maii 1632.

Ad Pſal. 7. 5. Memini me diſcere à præceptoribus, In Scripturæ interpretatione, ex duabus gloſſis quarum neutra aliquid habet incommodi, eligendam illam quæ ſententiam gignat uberiorem vel magis Emphaticam. Id exiſtimo moviſſe Pagninum, Junium, Genevenſes, & Marnixium; addo Munſterum, Anglos in utraque recognitione verſionis ſuæ, Piſcatorem & Deodatum, ut tranſtulerint ואחלצה ſignificatione *eruendi, liberandi, eripiendi*: quia magis paradoxon eſt hoſtem liberare quàm non ſpoliare. Sed, ut verum fateàr, non videtur mihi iſthæc tranſlatio nihil incommodi afferre ad textum aliàs planum: recedit enim à ſimpliciori uſu copulæ ו, præſertim ſi transferas, *Et ſi non erui hoſtem*, &c.

ut habet versio Pagnini interpolata in Bibliis majoribus R. Stephani 1556. Quapropter assentior tibi, & nostram quoque versionem præfero; ac malim tecum voci verschaydicht, quam Lutherus adhibuit, substituere significantiorem illam quam tu adhibes, verooft. Non malè ergò hîc Castellio, *aut mihi immeritò adversantem spoliavi:* item Osiander, *& spoliavi hostes meos sine causa.*

II.

J. Clopp. 9 Jun. 1632.

Psal. 7. 10. Prius צדיק, quod Lxx, Vulgatus, & eos secuti recentiores plerique interpretes, in accusativo subnectunt verbo præcedenti ותכונן *Et diriges justum*, Arias construxit in nominativo cum sequentibus; ut sit, *Justus & probans corda & renes Deus, Justus.* Quod probo: sed relinquit valde ὑποκόπλον illud ותכונן quando id transfert, *& stabilies.* Malim, cum Vulgato, *& diriges*, (intelligo autem Arcum & Sagittas) ad debellandos impios: ut illud תכונן Psal. 21. 13. Cui convenit quoque in hoc Psalmo קשתו דרך ויכוננה vers. 13. Atque hoc sensu optima erit hîc Enallage Fut. Hebr. pro Imp. quam urget Vatablus.

L. de Dieu. 14 Jul. 1632.

Psal. 7. 10. Prius צדיק cum Aria avellis ab ותכונן. Id si licet, fateor te longè rectiùs interpretari, *Et dirige*, sc. arcum vel sagittas, quàm Ariam, *& stabilies.* Sensum atque usum verbi rectè probas è vers. 13. & ex Psal. 21. 13. Sedæx iisdem locis liquet addendum hîc fuisse vel קשתך *arcum tuum*, vel על פניהם *contra faciem ipsorum:* Quibus non additis, nequit negari obscurissimam esse versionem, *Deficiat malitia improborum: & dirige.* Impulit te credo copula ir. ובוחן, quam eo pacto optimè salvari posse putabas. At id mihi tanti non est, ut propterea perspicuo admodum loco obscuritatem eam inducere velim. Perspicua omnino est oppositio, *Deficiat malitia improborum, & confirma justum.* Copula ו infinitos usus habet: mihi in ובוחן valet *nam*, & γνώμη proferri videtur; Nam probator cordium & renum Deus justus est, Want die de herten ende nieren doorsoeckt, is de rechtveerdige Godt: quo sensu malim præcedentia per futurum vertere, *Deficiet malitia improborum, & confirmabis justum.*

J. Clopp. 17 Julii 1632.

De Psal. 7. 10. amplio: video te quoque castigare obiter Ariam & Pagninum; quando id quod illi transferunt, *Consumet nunc malum impios*, transfers, *Deficiat malitia improborum.* Si id necessariò flagitat רע scriptum cum Patach, do manus. Quod discrimen isthoc loco illi non animadverterunt, vel neglexerunt scientes, (ut mihi fidem facit Thesaurus Pagnini) inter רע cum Kametz, vel cum Patach.

III.

L. de Dieu. 7 Maii 1632.

Psal. 10. 4. רשע כגבה אפו בל ידרש אין אלהים כל מזמותיו, Verto, *Impii omnes cogitationes, secundùm altitudinem nasi* vel *vultûs ejus* sunt. *Non requires, non est Deus.* רשע כל מזמותיו יהוה est constructio qualis בשמים כסאו. Et dubito annon eadem constructio observari possit Psal. 28. 8. יהוה עז למו, ut sensus sit *Jehovæ robur est*, למו pro לו, sicut Esai. 53. 8. & פניו pro פני Psal. 11. 7. Alioqui vertendum *Jehova robur est illis*, nempe piis: quorum tamen in antecedentibus nulla facta mentio.

J. Clopp. 19 Maii 1632.

Ad Psal. 10. 4. pedibus irem in sententiam tuam, nisi scrupulum injiceret accentus Atnach, quem nolim negligi, nullâ necessitate cogente: quare non ausim בל ידרש accipere ut de Deo dictum ab impio, & hæc in unam enunciationem compingere, *Non requiret, non est Deus.* Sed experiri lubet, an prius membrum versûs, רשע כגבה אפו בל ידרש, non admittat hanc interpretationem, *Impius, secundùm altitudinem, iram ejus non scrutatur.* Placet enim quod Lxx de Dei ira ejúsque altitudine hîc suggerunt, cùm כגבה אפו vertunt, κατὰ τὸ πλῆθος τῆς ὀργῆς αὐτοῦ· velim ut cohæreant hæc cum verbis ultimis versûs 3 נאץ יהוה *Irascit facit Jehovam*; ac sit hic sensus, Deum ad iram provocat, non considerans, nec seriò animum advertens ad altitudinem iræ & judiciorum Dei abyssum: juxta illud Mosis, Psal. 90. 11, *Quis agnoscit robur iræ tuæ* aut *excandescentiæ tuæ, secundùm timorem tuum?* Et justitiæ Dei altitudo prædicatur Psal. 36. צדקתך כהררי אל *Justitia tua sicut montes Dei:* & altitudo è regione opponitur profunditati & abysso, ibidem.

Psal. 28. 8. ἀπίχω· quia rarum est, & nusquam extra controversiam למו pro לו, nè quidem Esai. 53. 8. ubi tamen ego sentio necessarium esse; neque Psal. 11. 7. Majorem necessitatem hîc non video, imò longè minorem, quâ tuam interpretationem persuadeas. Pluralis convenientia mihi videtur congrua cum sequenti עמך versu 9. Et præ syntaxi variata placet uniformis constructio, per hanc appositionem, יהוה עז ומעוז הוא.

L. de Dieu. 2 Junii 1632.

Psal. 10. 4. רשע כגבה אפו בל ידרש, quod interpreteris, *Impius, secundùm altitudinem, iram ejus non scrutatur*, non rejicio. Idem ferè est quod versu seq. מרום משפטיך מנגדו, i. *altiora sunt judicia tua quàm ut ea perscrutetur.* Permitte tamen, vir doctissime, ut magìs mihi arridere dicam גבה referri ad *impium*, ac verti, *Impius, secundùm superbiam* (i. quæ est ejus superbia) *faciem ejus non quærit.* Probat quod dixerat vers. 3. eum spernere Jehovam; quia, quâ est superbiâ, non dignatur faciem ejus quærere: imò omnes ejus cogitationes sunt, non esse Deum.

Psal. 28. 8. למו sumendum esse pro לו nolo multùm contendere.

IV.

J. Clopp. 9 Junii 1632.

Psal. 11. 4. יהוה בהיכל קדשו יהוה בשמים כסאו. Interpretor utrumque membrum eâdem illâ syntaxi, quam in posteriori tantùm adhibent interpretes, *Jehovæ Sanctitas in Templo est: Jehova solium in cœlis est:* neque aliam interpretationem flagitant verba eadem, Habac. 2. 20. Confer Psal. 29. 9.

L. de Dieu. 14 Julii 1632.

Psal. 11. 4. Interpretaris utrumque membrum eâdem Syntaxi quam in posteriori tantùm adhibent interpretes. Fefellit te, procul dubio, lectio absque punctis: Si enim legas בהיכל cum Kametz recta est tua interpretatio; nec excusandi essent interpretes si aliter transtulissent. Sed textus habet formam constructam cum Patach, quæ tuam interpretationem non admittit: idem de Hab. 2. 20. est dicendum. Neuter locus convenit cum Psal. 29. 9. ubi היכל pro *Templo* propriè dicto sumitur. At in istis locis *Templum Sanctitatis Dei* Cœlum est. Et hoc quidem Psal. 11. *Dominus est in Templo Sanctitatis suæ; Thronus Domini est in Cælo*, est עיניו אחד במלות שונות.

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

Sicut Pſal. 7. 10. diſcrimen inter רץ cum Kametz & cum Patach, (Ariæ & Pagnino vel non animadverſum vel neglectum) ità fateor diſcrimen illud non animadverti in דיכל: quare manus do.

V.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Pſal. 12. 6. יפיח לו. Interpretor de Deo, (de quo præceſſit alterum futurum יאמר) *Reſpirationem dabit illi.* Quemadmodum enim de Deo המטיר dicitur quando *immittit pluviam*, ità הפיח quando *ventum immittit.* Promittitur ergò quemadmodum alibi aquarum effuſio reſtinguendæ ariditati ſitis, ità hîc Venti perflatio ad ἀνάψυξιν ab æſtu afflictionum, à qua dicuntur καιροὶ ἀναψύξεως Act. 3. 20.

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Pſal. 12. 6. יפיח לו videris mihi duriter interpretari. Primùm, quia לו accipiendum pro להם; præceſſerunt enim nomina pluralia: Aut ſanè diſtributivè eſſet interpretandum pro *unicuique eorum*, quod fateor non rarò fieri; non tamen eò veniendum niſi urgente neceſſitate. Deinde, quia הפיח pro *dare reſpirationem* inuſitatum eſt. Tertiò, quia præcedens אשית בישע carebit affixo perſonæ in quam actio illa tranſeat: quod durum. Denique, quia in אשית בישע Deus loquitur de ſe in prima perſona, in יפיח לו Propheta ſtatim loqueretur de Deo in tertia: quæ mutatio perſonæ, etſi non ſit inſolens, non eſt tamen ſtatuenda niſi in ſumma neceſſitate: plerumque enim dura eſt; & hîc ſanè, quia valde ex abrupto fit, duriſſima, ut ex toto nexu ipſemet credo videbis. *Ob vaſtationem afflictorum, ob clamorem pauperum, nunc ſurgam, dicit Dominus; ponam in ſalute: reſpirationem dabit ei.* Quantò facilior & ſuavior Aldegondii verſio! Ick ſal den ſelven diemen ſtricken legt in behouden handt ſtellen: ſubintelligitur אשר, quo nihil uſitatius, præſertim ſequente affixo. יפיח ſumitur impersonaliter, quod & ipſum uſitatiſſimum; ut nihil neceſſe ſit cum aliis intelligere צר *hoſtem.* יפיח eſt ſicut Prov. 29. 8. *Viri irriſionis* יפיחו קריה *illaqueant civitatem:* ubi alii, *ſufflant, flatu incendunt civitatem:* fortaſſis & rectè vertatur *efflant*, ſy blaeſen de ſtadt weeh. Omnia & huic noſtro loco conveniunt. Die men in den brant ſteeckt: aut, die men weehblaeſt: aut, daer men overblaeſt: ſicut Pſal. 10. 5. כל צורריו יפיח בהם, hy blaeſt over alle, ſyne vyanden.

J. Clopp. 2 *Junii* 1632.

De יפיח לו Pſal. 12. 6. nolo admodum repugnare: tametſi etiam non videatur nihil durum eſſe in recepta interpretatione.

VI.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Ad Pſal. 19. 4. annotat Vatablus, quoſdam non ſatis rectè vertere, *Non eſt illis ſermo, nec ſunt verba, neque auditur vox eorum: Attamen in omnem terram*, &c. Neglectâ hâc cenſurâ Deodatus illam interpretationem ſuam fecit. Mihi eadem adlubeſcit: nihil enim, quantum video, obſtat, niſi variatio particularum בלי & אין poſtulet ſenſus variationem, quod velim diſcere an alicujus momenti ſit.

Vatabli annotationem intelligo, ad interpolatam editionem Pagnini, apud Rob. Stephanum 1556. Ad Tigurinam enim verſionem, in editione Rob. Stephani 1545. & in ejus apographo Salmanticæ excuſo, Vatabli nota nihil carpit, ſed conſentit.

L. de Dieu. 2 *Julii* 1632.

Pſ. 19. 4. ſequor tecum Deodatum, nec video cenſuræ cauſam: Nam quod attinet ad variationem particularum אין & בלי, tantum abeſt ut ea obſtet, ut contrà neceſſaria fuerit. Si quis enim, *Non auditur vox eorum*, efferat אין נשמע קולם, peccaverit in puritatem Hebraiſmi: ibi בלי aut לא locum habent: At, *Non eſt qui audiat*, vel, *nemo audit vocem eorum*, rectè אין שומע קולם, ubi בלי aut לא locum non habent. אין enim, ubi affixum non habet certæ perſonæ, univerſaliter negat. Fateor tamen planiorem fore Deodati interpretationem, ſi ſequens verſus inciperet à Vau; quod nobis *attamen* valeret: alioqui Vau ſubintelligendum, quod exiguam habet difficultatem. Perpende tamen, vir doctiſſime, an vertere nequeam, *Abſque ſermone, abſque verbis, & abſque audita voce eorum, In omnem terram exivit linea eorum, & verba eorum in extremum orbis.* בלי pro *abſque* non eſt inſolens: de אין fortaſſis dubitabis. Omitto מאין & באין ità interdum accipi: aio & ſimplex אין. Videamus locum Jer. 38. 5. qui non parùm hactenus interpretes exagitavit.

Sic habet locus, *Dixit Rex Zedechias, Ecce eſt in manibus veſtris*, כי אין המלך יוכל אתכם דבר.

Non affirmo; ſed tecum diſquiro. (Vide Animadverſ. pag. 645.)

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Pſal. 19. 4. Haud gravatim admitto expoſitionem tuam, quâ Tigurinam expoſitionem, quam ſuam fecit Deodatus, adjuvas.

VII.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632

Pſal. 22. 30. כל דשני ארץ. Non rejicio Gloſſam Ordinariam, quâ per *pingues terræ* intelliguntur Divites. Quidſi tamen *pingues* intelligamus illos quos Paulus dicit *participes pinguedinis olivæ* Rom. 11, 17? cui convenit verbum דשן Pſalmo ſequenti, דשנת בשמן ראשי *Impinguaſti in oleo caput meum*, i. unxiſti oleo. Prophetia maximè attingit fideles N. T. qui ab illa pinguedinis olivæ participatione inſigniendi erant Chriſtianorum nomine. Ut ſenſus ſit, Illos qui pinguedinis iſtius futuri ſunt participes, ità alendos eſcâ ſpirituali ut in vero Dei cultu & adoratione vera perſeverantes conſolationem æternam habeant, etiam quando in pulverem deſcendunt, & hanc vitam conſervare non poſſunt.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Pſal. 22. 30. Ut per דשני ארץ intelligam tecum eos quos Paulus dicit *participes pinguedinis olivæ*, nondum à me impetro. Faciliùs in eam ſententiam traherer ſi legeretur דשני שמן *pingues oleo:* id enim cum Pſal. 23. 5. & Rom. 11. 17. magis conveniret. At experiris tantùm quid dici poſſet, quandoquidem te Gloſſam Ordinariam negas rejicere, quâ per *pingues terræ* intelliguntur Divites. Nec ego eam rejicio. Exemplo tamen tuo lubet etiam aliud experiri. Noſti, vir doctiſſime, quàm ſæpe Kimchius in Sacris obſervet illud, quod (ad Pſal. 11. 4.) dixi, &c. (Vide Animadverſ. pag. 321.)

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

Pſal. 22. 30. Quod cenſes convenientius fore meæ interpretationi, ſi pro דשני ארץ legeretur דשני שמן id nolim facere meum αὐτημα. Si mentem tuam aſſequor, videris urgere vocem ארץ ut *pingues terræ* neceſſariò dicantur, ex Gloſſa Ordinaria, *qui pinguedine terræ impinguantur.* Verùm obſervo ארץ, hâc formâ quâ

hic occurrit, tantummodo habitationem designare illorum de quibus sermo est, & nihil præterea terrestris qualitatis: vide loca Psal. 33. 20. רגעי ארץ, & 76. 10. ענוי ארץ & 101. 6. נאמני ארץ. Hæc observatio fecit ut cogitarim, ab alia quàm terrena pinguedine posse hîc *pingues* istos denominari. Quanquam ex vero possum affirmare, in mentem quoque mihi venisse, ut דשני ארץ interpretarer, *Cineres terræ*; sed retinuit me consensus interpretum in literali expositione illa, *Pingues terræ*: & malo ubique amplecti, quando possum, sensum uberiorem quàm illud ענין אחד במלות שנורז, quod tamen agnosco satis usitatum. Quando id mihi veniebat in mentem, ut non *Pingues* sed *Cineres terræ* interpretarer, unà quoque hoc incidebat, posse verba illa postrema ונפשו לא חיה accipi in hanc sententiam, *Et seipsum non vivificavit*, h. e. *non servavit quisquam*: Ut nimirum non nobis sed Deo soli in solidum salus nostra feratur accepta, ut vita ex morte & cineribus postliminio reddita.

L. de Dieu. 27 *Sept.* 1632.

Psal. 22. ונפשו לא חיה videtur commodè mihi ab Aldegondio verti, *Et qui animam suam in vita conservare nequit*, nisi fortè præstet, *Et cujus animam in vita non servavit*: supple, *Deus*. Est amplior descriptio *cineratorum terræ, & descendentium in sepulcrum*.

VIII.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Psal. 30. 6. כי רגע באפו חיים ברצונו. Hîc omnes quos vidi interpretes faciunt hemistichium. Estque ex Glossa Ord. non tantùm oppositio inter באפו & ברצונו sed etiam inter רגע & חיים, quorum alterum *iræ*, alterum *beneplaciti durationem* notet; momentaneam illam, hanc perennem. Mihi secùs videtur: vix enim adduci possum ut commodam existimem istam phrasiologiam quâ tantupdem sit, *Momentum in ira ejus, Vita in beneplacito* seu *favore ejus*, atque, *Ira ejus ad momentum, Favor ejus ad vitam durat*: Magis conveniret באפו ברגע & ברצונו בחיים. Distinctionem receptam nullus accentus major flagitat. Quare post חיים finio prius hemistichium: ברצונו facio initium sequentis; & sic interpretor, *Nam vita*, i. Vita vel longissima, seu maximè vitalis, *in ira ejus, momentum*, i. momentanea est: *in beneplacito ejus*, i. favore ejus adspirante, *vesperi pernoctabit fletus, at manè cantus*. Prius parallelum est querelæ isti Psal. 39. *Ecce palmares posuisti dies meos, & ævum meum tanquam nihil coram te*: & simili, Psal. 90.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Psal. 30. 6. Novam invenis distinctionem simul & novam sententiam. Nescio tamen quomodo mihi vetus distinctio quam Lxx & Vulg. secuti sunt, & simul eorum sententia, allubescant: nam præterquàm quòd suavissimum lepôrem, eúmq; rhythmicum, ex veteri distinctione textus Hebraicus præbeat, elegantissimam etiam videtur exhibere sententiam. Fateor nullum accentum majorē receptam distinctionem flagitare: Et nec ullus tuam. חיים enim, ubi prius hemistichium finit, accentum majorem non habet. Impulit te, quòd in recepta distinctione non rectè videtur *momento* opponi *vitæ*; non miror: cùm & isthîc impegerint viri doctissimi. Hoc adeò offendit Vatablum, ut in notis majoribus existimarit חיים sumi pro בחיים ac vertendum, *in vita est in suo beneplacito*, i. per universam vitam nostram Deus in beneplacito suo & benevolentia perseverat. Junius longè aliter, *Cum momento fuit in ira sua, vita adest benevolentiâ ejus*: ità רגע esset pro ברגע. Neutram interpretationem probo, ac tecum facio, vir doctissime, non tantundem esse, *Vita est in favore ejus*, atque *Favor ejus ad vitam durat*. Verus sensus meo quidem judicio est, *Ira ejus momento durat, favor ejus durat perpetuò. Vita perpetuitatem*, &c. (vide Animadvers. pag. 324.)

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

Psal. 30. 6. Nondum me pœnitet novæ distinctionis & sententiæ. Te fatente nihil me cogit sequi receptam distinctionem: nec lepos Rhetoricus quidquam hîc videtur præjudicare vel præjudicari. Adlubescit autem mihi magis mea interpretatio, hoc nomine, quòd nervos incidat isti sophismati Socinianorum, cui favet Conr. Vorstius, libro De Deo, pag. 458. quo illi inter alios hunc quoque locum urgent, ut negent etiam in improbos, imò & dæmones, iram Dei in æternum duraturam.

L. de Dieu. 27 *Septemb.* 1632.

Ad Psal. 30. 6. Sententiam tuam lubens tibi relinquo: mihi altera potior est. Nec moror Socinianorum sophisma; qui hîc, ut alibi, non veros interpretes sed sophistas agunt. Liquet enim ex verbo Dei in solos fideles peculiari privilegio non durare iram Dei nisi ad momentum. De reliquis dicitur, *Ira Dei manet super eos*.

XI.

L. de Dieu. 7 *Maii* 1632.

Psal. 36. 3. נאם החליק אליו בעיניו למצא עונו לשנא verto, *Quia abblanditus est sibi in oculis suis, quòd inveniat iniquitas ejus ad odio habendum*, i. quem odio habeat. Aut si החליק intransitivè sumimus, *Blandum visum est ei*, propriè, *abblanditum est ei, in oculis ejus, invenire iniquitatem ejus, quem odio habeat*.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Psal. 36. 3. Vereor nè aqua tibi hæreat in astruenda ista significatione vocis עונו ut *personam* indicet *in qua est iniquitas*: quod necessum est ex glossa tua. Non malè mihi videntur Lxx אליו בעיניו transtulisse ἐνώπιον αὐτοῦ, quod intelligo, *coram Deo*: atque similiter velim infinitivos למצא & לשנא adhibitos ad exprimendum jus Dei, quo pro merito, neglectâ impiorum ὑφαλμοδουλείᾳ, detegit impietatem illorum, & odio suo vindicat. Totum enim versum connecto cum superiori; & verto, *Quia abblanditur ipsi ad oculos ipsius, ut inveniat iniquitatem ejus, ac odio persequatur*. Prius est impii hypocrisis; alterum hypocrisios eventus est, quòd nimirum Deus ὁ μυκτηρίζεται, sed hypocrisin detegit, ac odio vindicat. Prius verò αἰτιολογίαν habet, quare Pavor Dei פחד non sit ante oculos impii; nimirum quia suâ ὑφαλμοδουλείᾳ & labiis dolosis sibi persuadet fore ut Deum demulceat: in qua spe Deus ipsum pudefacit, illo eventu, qui hîc exprimitur. Quâ eâdem analysi posset quoque uterque infinitivus referri ad impium ipsum, si עונו interpretemur *pœnam iniquitatis*, quam ubi invenit seu incurrit impius, odit & pœnam ipsam & judicem infligentem.

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Psal. 36. 3. Nolim meam interpretationem anteferre tuæ: Etsi nihil hactenus videam cur temere meam rejicere debeam. Quòd enim aquam mihi hæsuram putas in astruenda significatione vocis עונו ut *personam* indicet *in qua est iniquitas*, nescio quid difficultatis videas. Ebrietas ejus *inveniet* in quem evomat; Ira ejus *inveniet* cui maledicat: *Invenit* proborum pietas quibus profit; *invenit* improborum iniquitas quibus noceat. Usitatissimæ hæ sunt in omnibus linguis phrases, ut sicut virtutibus ità & vitiis tribuantur actiones: quarum infinita è sacris exempla proferre possim, ni res clara esset.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Psal. 36. 3. De vocis עונו usu hoc volui tantùm; mihi non

non videri illam alibi occurrere in isthac prosopopœia: in qua non ignoro adhiberi voces alias: sed non lubet τῶν δέκα διαφυλάξων. De cætero gratulor mihi, quòd in loci interpretatione non displicuerim.

X.

J. Clopp. 9 Junii 1632.

Psal. 37. 8. אך להרע. Vertunt interpretes, *saltem ad malefaciendum.* Velim pressiùs id intelligi eodem sensu quo illud להרע Psal. 15. 4. ubi rectè restringitur *ad malum* quod quis sibi ipse accersit: ut sensus sit, Nè ità succense saltem ut te ipse affligas Heautontimorumenus.

L. de Dieu. 14 Julii 1632.

Psal. 37. 8. אך להרע quod vertunt interpretes, *saltem ad malefaciendum*, vis pressiùs intelligi de proprio damno; eodem sensu quo illud להרע Psal. 15. 4. At non videntur mihi lòca illa parallela: tum quia Psal. 15. להרע nomen est, hîc autem verbum est; tum quia illic res ipsa evincit, non *maleficii* sed *damni* tantùm significationem admitti posse; si quis enim in maleficium juravit, tenetur violare: Hîc autem *maleficii* significatio, per rem de qua agitur, stare optimè potest. Etsi ergò sensus tuus commodus est & elegans, recepta tamen interpretatio præferenda videtur. Primò, quia ad plenum sensum dicendum fuerat אך להרע לך *saltem ad affligendum te.* Deinde quia superfluum videtur cautionem illam addere, postquam monuisset, *Desine ab ira, derelinque furorem, nè exardescas:* cujus enim animum impiorum prosperitas adeò tetigit, ut jam irâ, furore & æstu correptus sit, ille profectò jam se afflixit; ac postquam se ità afflixit, locum habet altera cautio, nè ulteriùs progrediatur, certè ad malefaciendum. Itaque אך להרע interpretor per אך לשלוח בעולתך ידיך, *Saltem nè mittas in iniquitatem manus tuas:* Id enim periculum ex impiorum prosperitate metuendum esse piis, patet ex Psal. 125. 3.

J. Clopp. 17 Julii 1632.

Psal. 37. 8. Non lubet τῶν δέκα διαφυλάξων.

XI.

L. de Dieu. 7 Maii 1632.

Psal. 40. 16. ישמו על עקב בשתם. R. D. K. עקב accipit pro *mercede:* & בשתם activè pro *ignominia*, sive *injuria ignominiosa, quâ afficiebant Davidem.* Hanc sententiam sequuntur Pagninus, Vatablus, Junius, Tigurini, Genevenses, Aldegondius. Certum tamen est בשת passivè passim sumi pro *ignominia quam quis ipse patitur.* Sic hoc loco Lxx κομιεδσονται παραχρῆμα αἰσχύνην αὐτῶν· quod ad verbum transtulit Vulgatus, *ferant confestim confusionem suam;* Et Syrus נתמהון בחניא דבהתתהון *Obstupescant in duplicitate pudoris sui:* i. ut vertit Cl. Sionita, *duplici confusione:* & verbum שמם, non pro *desolari*, sed pro *obstupescere* accipit, quo sensu & alibi capitur, & hoc loco rectè accipi potest. Quando autem בשתם hîc passivè sumitur, posset, nisi fallor, עקב sumi pro *fine*, propriè enim *calcaneum*, indè *finem*, tum *mercedem* significat: ut sit descriptio causæ finalis, quod Belgicè optimè efferimus, Ten eynde dat. Ad verbum *desolentur*, vel *obstupescant*, *propter finem pudoris sui.*

J. Clopp. 19 Maii 1632.

Psal. 40. 16. Placet, quod urges, ut etiam hîc, ut passim fit, בשת sumatur passivè, pro *ignominia quam quis ipse patitur.* De cætero placent Lxx interpretes, qui על עקב hîc vertunt παραχρῆμα *confestim*, & loco parallelo Psal. 70. 4. μεθυτικα *statim:* Latinè malim dicere *Evestigio*, ad æmulationem Hebraicæ phrasios; cui ad amussim respondet Belgicum nostrum, Op de hielen. Itaque transferrem illa ישמו על עקב בשתם Laetse verbaest werden, haer schaemte sy haer op de hielen. q. d. *Obstupescant*, immisso ipsis *pudore*, ut hoste qui *ex improviso* apprehenso *calcaneo* ipsos supplantet: quod quia maximè accidit fugientibus, quando hostes ipsorum vestigia premunt, appositum quoque est Psal. 70. 4. ישובו, quod de *reversione ignominiosa*, seu *fuga*, accipio.

L. de Dieu. 2 Junii 1632.

Psal. 40. 16. & 70. 4. perplacet quòd, ductu Lxx interpretum & Vulgati, על עקב בשתם vertas, haer re schaemte sy op haere hielen, *instet & premat calcaneum pudor eorum.* Velim solummodo usum istius phrasios paulò meliùs constare. Et remoratur paululùm, quòd isthoc modo על עקב בשתם divellantur à præcedenti verbo, & per se plenam constructionem faciant, quæ aliunde non pendeat: cùm tamen neque hîc ישמו, neque Psal. 70. 4. ישובו accentu distinguente notentur. Occurrit ex tua interpretatione aliud quod examini tuo subjicio. Verto, *Obstupescant, super calcaneum eorum pudore exsistente.* בשתם regi volo à ישמו, ut apud Latinos ablativus absolutus à præcedenti verbo. Solent autem Hebræi absolutos ablativos ità efferre, ut alter eorum, nempe participium verbi substantivi, intelligatur. Sic Psal. 69. 11. אבכה בצום נפשי *Fleo, in jejunio animâ meâ exsistente:* Nam *in jejunio anima mea* non rectè vertitur; hîc enim *Betsum* non *Batsum* dicendum. Sensum autem esse existimo; *Obstupescant*, vel *desolentur, publicâ ignominiâ.* Notum est talares vestes geri Orientalibus, quia honoris est tegi calcaneos, ignominiæ detegi. Huc lubet referre locum alioqui & per se satìs difficilem ex Jer. 13. 21. [vide reliqua in Animadversionibus posthumis in V. T. pag. 592.] Nec possum quin addam locum Psal. 89. 52. חרפו עקבות משיחך: ubi non verto cum aliis, *probro affecerunt vestigia unctii tui*, sed *calcaneos*, i. *palàm probro affecerunt.* Ubi obiter moneo, esse & alibi, ubi pro *vestigiis* malim *calcaneos:* ut Cant. 1. 8. צאי לך בעקבי הצאן, *Egredere tibi ad calcaneos gregis*, i. post greges; Psal. 56. 7. עקבי ישמרו, *Calcaneos meos observant*, i. præeuntem me ponè sequuntur.

J. Clopp. 9 Junii 1632.

Psal. 40. 16. & 70. 4. Gratulor mihi assensum tuum in explicatione vocum על עקב. Accipio lubens, quod proponis, ut בשתם, per modum ablativi absoluti, regatur à præcedenti verbo ישמו. Et non displicet quod admisces de calcaneorum detectione ignominiosa. De loco Jerem. 13. 21. quoque assentior. Observo autem חמס etiam de *ignominia* usurpari Gen. 16. 5. ubi Sara ad Abrahamum חמסי עליך. Judico enim, post S. Amama, proximè ad Hebræam veritatem accedere hanc translationem (quæ est in Bibliis Belgicis Lieſveldii) Ick moet onrecht liiden om uwent wille: q. d. *Vis mea*, h. e. quam patior. Erat autem ea *vis*, ut suggerit verbum quod præcesserat, & quod ipsius verbis repetitur, קלון *ignominia, contemptus.*

L. de Dieu. 14 Julii 1632.

Genes. 16. 5. חמסי עליך: Æquo animo ferem, si Cl. Amamæ, qui & Gomari eam esse asserit, sententiam tecum non sequor. Probo qui vertunt, Mijn ongelijck is op u. Pagninus, *Injuria mea super te*, &c. Vide Animadv. in Genesin pag. 28.

J. Clopp. 17 Julii 1632.

Genes. 16. 5. prævalet apud me tua expositio illi

quam D. D. Gomaro acceptam fert D. Amama. Manet tamen observatio mea, ni fallor, חמס ibi idem esse quod קלון. Ac venit in mentem, An illud Pro. 26. 6. שתה חמס, quod J. de Brune transtulit, die geweldich drinckt, non possit rectiùs transferri, die gewelt indrinckt, hoc sensu, ut *vini* illa *vis* intelligatur imbibi, quæ facit ut se turpiter dent ebrii, victâ à vino verecundiâ: quod nos dicimus, de wtin is boven de man.

L. de Dieu. 27 *Septembris* 1632.

Quòd Gen. 16. 5. חמס pro קלון acceperis, non sperno. Quod autem Prov. 26. 6. שתה חמס vertas, die gewelt indrinckt, ídq; ad *vim vini* referas, quâ quis ebrius turpiter se dat, vix mihi probatur: ut nec illud Brunæi, die geweldich drinckt. Totum versum transfero, *Præcîdit pedes, bibit injuriam, qui mittit verba per manum stulti.* Perplacet hoc loco Mercerus, quem vide. Sensus est; Non tantùm non proficit, sed & nocet sibíque injurius est, si quis per stultum & improbum sua rectè curata velit.

J. Clopp. 1 *Octobris* 1632.

Prov. 26. 6. relictâ in medio loci analysi, quam habet D. Brunæus, præ qua fateor mihi præplacere Mercerum, hoc tantùm volui, rectiùs facturum fuisse D. Brunæum si transtulisset, die gewelt indrinckt, quàm ut ipsi placuit, die geweldichdrinckt.

13 *Augusti* 1633.

Docueras me, occasione loci Gen. 16. 5. quis apud Hebræos atque Arabes usus sit particulæ על, nimirum exprimere id quod *officii & muneris* seu *debiti* est. Observavi nuper formulam precationis Judaicæ quæ id confirmat in Codice meo Bombergiano pag. 296. & in Amstelredamensi Seder Tephillot pag. 274. עלינו לשבח לאדון הכל. Eâdem sententiâ quæ alibi sic expressa, אנחנו חייבין להודות לך לשבחך.

XII.

L. de Dieu.

Ad Psalmum 42. 6. Animadvers. pag. 332.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Psal. 42. 6. Subscribo: & consentit Deodatus hîc & versu ultimo; similiter Munsterus, vertit enim cum γνώμην, *Cùm salutes sint in conspectu ejus:* & vers. ult. *Qui est salus vultûs mei, & Deus meus.*

XIII.

L. de Dieu.

Ad Psal. 44. 13. Animadvers. pag. 333.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Psal. 44. 13. Hîc quoque subscribo: atque iterum consentit Deodatus, qui vertit, *Non havendo fatto niun avanzo de loro prezzi.*

XIV.

L. de Dieu.

Psal. 49. 11. Animadvers. pag. 342.

J. Clop. 19 *Maii* 1632.

Psal. 49. 11. Neque hîc habeo quod improbem. Non tamen aliena videtur Deodati & Genevensium interpretatio, qui hoc versu statuunt epexegesin, de fine redemptionis & pretii antè dicti: quæ expleat sententiam versûs 8 & 9. ac faciunt ו in ויחי particulam finalem. Non possum quin annotem mendum in editione Plantiniana in 4 & 16. anni 1566. ubi est ויהי cum He.

XV.

L. de Dieu.

Ad Psal. 57. 5. Animadvers. pag. 349.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Psal. 57. 5. Assentior ut להטים בני אדם fit, *Inflammantur filii hominis:* sed nihil necesse est ut per modum interrogationis juvetur interpretatio verborum præcedentium. Quid enim obstat quò minùs נפשי *Anima mea* hîc sit vocativi casûs: ut Psal. 42. 6. & vers. ult. Psal. 103. 1, 2. & alibi: & reliqua hanc admittant interpretationem, בתוך לבאים אשכבה, *In medio leonum jaceo.* Si hoc minùs placet, esto נפשי Nominativus: & valeat hîc constructio illa de qua monebas (ad Psal. 10. 4.)

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Quod Psal. 57. 5. נפשי vocativè accipis, non sperno, sed omni consideratione dignum judico; etsi cum locis Psal. 42. 6. & Psal. 103. 1, 2. non omnino conveniat: in illo enim imperat, in hoc objurgat *animam suam*: & in utroque additur verbum secundæ personæ, unde non nisi in vocativo potest sumi. Hîc autem nec imperium nec objurgatio locum habet, sed sola appellatio, quæ quamvis incerta hîc sit, locum tamen, fateor, habere potest. Nolim autem quod de אשכבה per modum interrogationis legendo dixi, facilè rejicias: est enim Hebræis familiarissimum, & in infinitis locis magnam lucem adfert. Non est tamen propriè interrogatio; sed quia meliùs calamo exprimere non potui, dixi modum interrogationis. Est talis pronunciandi ratio qualis observatur in, Gae ick liggen, het doet my seer: oft sitte ick, oft stae ick, het doet my seer: quod valet, Als ick ligge, als ick sitte, als ick stae. Id per futurum sæpe exprimunt Hebræi; sed quod pronunciatione juvari debet, ut sensus intelligatur. Tale est illud Psal. 42. 5. אלה אזכרה ואשפכה עלי נפשי, Gedencke ick aen die dingen soo giete ick myn siele over my uyt: i. als ick gedencke.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Psal. 57. 5. Indicavi tantùm quid isti loco putem convenientius. Phraseologiam tamen quam urges alibi non rejicio, sed agnosco lubens.

XVI.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Psal. 58. 10. כמו חי כמו חרון. Verto, *Sicut vivam*, seu crudam carnem, *sic fervorem*, sc. ignis quo *caro* cruda excoquatur, *turbine arripiet eum.* Nam סירתיכם quod præcessit, cum Pagnino verto *lebetes vestri*; & correctioni Ariæ Montani oppono judicium Merceri, censentis סיר in significatione spinarum pluraliter tantùm genere ferè masculino reperiri. Sententiam allegoriæ peto ex loco Mich. 3. 2, 3. ubi impii *carnes populi Dei vorandæ* dicuntur *ab ossibus rapere, secare in frusta, ac ollis & lebetibus coquendas imponere.* Vult ergò Propheta, Deum disturbaturum & carnes in lebetibus ritis foco impositas, & focum, antequam ignis in spinis accensi ardore ollæ illorum ferveant.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Psal. 58. 10. Fateor, vir Cl. te omnibus quas vidi interpretationibus, etiam quas meæ schedæ habebant novas, palmam præripuisse: adeò appositè locum difficillimum enucleasti,

enucleasti, & allegoriæ sententiam ex Mich. 3. 2, 3. dextre explicuisti. Aliquis tamen accuratè rem perpendenti restat scrupulus. Primùm an חי quod præcedente בשר 1 Sam. 2. 15. rectè vertitur *cruda*, sine בשר absolutè & simpliciter sumptum, rectè vertatur *cruda caro*. Deinde an חרון, quod nunquam aliter quàm de *ira* usurpatur, (ut & verbum ejus חרה) rectè exponatur per *fervorem ignis*, quo caro cruda excoquatur. Fecerunt hi scrupuli ut repudiatis etiam meis schedis de nova sententia excogitanda laborarim; quam nunc subactissimo tuo judicio submitto. Sic verti, *Antequam sentiant lebetes vestri rhamnum, quasi viventem eum, veluti æstus iræ, turbine auferet*. Præsupponit pravos istos Judices, adversùs quos agit, dum pauperes miserósque opprimunt, non nisi de deliciis & culina & cute curanda agere. Hoc, inquit, deinceps ventri vestro Deus adimet: rhamnos vestros quos ollis fervefaciendis subjicitis nè quidē ignem capere permittet: sed antequam vim eorum lebetes vestri sentire queant, veluti viventes adhuc & virentes turbine auferet: idque faciet velut æstus quidam iræ Divinæ. Simplex mihi hoc & à coactione procul videtur. Fortassis tibi aliter videbitur, ut suâ cuique placet sententia.

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

Psal. 58. 10. חי *carnem crudam* hoc loco vertit Pagninus, & probat Vatablus. Munsterus, *crudum quid.* חרון & verbum ejus חרה, fateor, ad *iram* significandam ferè semper usurpari: sed Mercerus ipse, qui hoc argumento non vult confundi radices חרה & חרר, tamen in radice חרה non semel inculcat ab *Ardoris* seu *Inflammationis* symptomate esse mutuatam *iræ* significationem. Quidni ergò hoc loco servetur propria vocis emphasis? quæ tamen hîc in re coincidet: nam de ira impiorum hîc quoque sermo est: ejus enim tanquam ignis fervescentis objectum hîc sunt *ollæ* seu *lebetes*, & subjectum *rhamni* seu *spinæ* ollis suppositæ. Neque ergò hîc me pœnitet meæ interpretationis: quæ visa est mihi conveniens repetitioni istî כמו חי כמו חרון, cujus lepôrem & emphasin negligunt aliæ interpretationes, aut non assequuntur.

L. de Dieu. 27 *Septemb.* 1632.

Psal. 58. 10. Quò magis interpretationem tuam super כמו חי כמו חרון rumino, tantò magis allubescit, multúmque me eo nomine tibi obstrictum agnosco.

XVII.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Psal. 65. 5. קדש היכלך. Vertunt communiter, *Sancti Templi tui*, vel *Sancto*, h. e. *Sanctitate*, *Templi tui*: ut vel resumenda sit dictio בטוב *in bono*, vel verbum נשבעה *saturabimur*. At sunt, teste Pagnino in Thesauro, qui exponunt, *tu Sanctus in Tabernaculo in Templo tuo*. Malim in vocativo, *O Sancte Templi tui*. Insolens enim videtur, & juxta primam interpretationem קדש in regimine positum construere ut Adjectivum cum Substantivo, &, juxta alteram glossam, Masculinum concretum adhibere pro Neutro abstracto.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Psal. 65. 5. קדש היכלך vertis, *O Sancte templi tui*. Ingeniosè, nec inepté. Præfero tamen eos qui vertunt, *Sancto templi tui*, ut sit interpretatio prioris, *Saturabimur bono domûs tuæ*. Quid est *bono domûs tuæ*? *Sancto templi tui* בפרי העניך במלות שונות. Non verto *sanctitate*; sed *sancto*, i. rebus sanctis, *Templi tui*. Nec est quòd insolens dicas, masculinum concretum adhiberi pro neutro abstracto: valde enim id frequens est. Tale est, לא טוב *Non* est *bonum* Gen. 2. 27. קטני *minimum mei* 1 Reg. 12. 10. & de hoc ipso קדש exemplum habes illustre Esai. 58. 13. וקראת לשבת ענג לקדש יהוה מכבד *Et vocaveris Sabbatum delicias, Sanctum Domini honoratum*: bis idem dicit variatis verbis. *Sanctum* est res sancta Domino, est ipsum Sabbatum: ideo לקדש regitur à קראת per ל, eodem modo quo לשבת. Sic expono & illud Ps. 46. 5. קדש משכני עליון, *Sanctum habitaculorum Altissimi*.

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

Psal. 65. 5. Lubens disco, non insolens sed frequens satis esse, Masculinum concretum adhiberi pro Neutro abstracto: tamen non pœnitet illius interpretationis quam dedi.

XVIII.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Psal. 68. 5. סלו לרכב בערבות. Glossa Ordinaria est, *Exaltate eum qui ascendit super cœlos*, seu *equitantem in supremis cœlis*. Bene aliqui סלו vertunt *Elevate* sc. *viam*, aut *tollite offendicula de via*. Atqui parùm hoc convenit supremis cœlis, meliùs desertis. Quare locum hunc parallelum facio illi Esai. 40. 3. ישרו בערבה מסלה לאלהינו. Et convenit sequens versus octavus, *Cùm incederes per desertum*, &c.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Psal. 68. 5. Non video cur non omnino tuus esse debeam: laudo & gratias ago. Sed quomodo quod ibidem additur ביה שמו accipias scire cupio. Ego verto cum Lxx & Vulgato, *Dominus nomen ejus*. Beth apud Arabes nominativo præponitur pleonasticé. Ut Luc. 5. 12. ואוא ברגל, *& ecce in viro*: h. e. *ecce vir, repletus lepra*: similiter Act. 3. 2. & alibi. Sic dicunt אללה בקאדר *Deus est in potente*, h. e. *potens*. הו במומן *ipse in credente*, h. e. *credens*, *fidelis est*. Idem dico fieri in Hebraismo. Plura exempla si cupis talia sunt meo quidem judicio, Osee 13. 9. ברץ Ex. 32. 22. ברבים Psal. 55. 19. ברשת Job. 18. 8. ביה Esai. 26. 4. בחזק Esai. 40. 10. במתי Deut. 28. 62. בצל bis, Eccl. 7. 12. בדבר 1 Reg. 13. 33. ברעה 1 Chron. 7. 23. במלאכה ibid. 9. 33. באימה Es. 3. 3. His plura ipsemet observare poteris, vir diligentissime.

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

Psal. 68. 5. Gratulor mihi assensum tuum. ביה שמו accepi juxta hanc Vatabli notam. *Hebraismus*, inquit, *pro*, vocatur Jah, *& hoc nomine celebrandus*. Quòd Hebraismum illum probaris & illustraris gratias habeo.

XIX.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Psal. 69. 6. אלהים אתה ידעת לאולתי ואשמותי ממך לא נכחדו. Placet paraphrasis horum verborum quam Rhythmo suo expressit Marnixius,

Doch du Godt weetst, of my de sinnen doolen
Soo dwaseltick, als defen hoop gelooft.

At versum sequentem,

End mijn misdaedt en is dy niet verholen,

vellem sic concepisset,

End' hebb' ick schuldt, s' en is dy niet verholen.

In paraphrasi consentiunt Tremellius & Junius, & Diodatus: Sed in versione textûs ad literam vellem non confudisse *Reatûs* & *Peccati* significationem. Nam lubens quidem, præeunte Apostolo, eum dixit τὸ μωρὸν τοῦ Θεοῦ, 1 Cor. 1. per concessionem ironicam, Christum admitto dixisse לאולתי *stultitiam meam*, sed invitus admittam dixisse illum *peccata mea*, vel mijne misdaden. Non enim ut *stultitia* ità *peccatum* cadit sub ironiam. Nihil verò habet incommodi si dixerit *Reatum mei*, quia multorum criminum *Reus* peragebatur: ac sub *Reatu* isto manebat, donec per excitationem ex mortuis à Patre justificatus est; ut sensus sit, *Justéne an injus-*

ſtè ſub reatu conſtitutus ſim, te non latet: neque Reatus mei apud te, ut apud ignarum vulgus & mundum, præjudicant innocentiæ meæ.

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Pſal. 69. 9. Præfero tuam paraphraſin Aldegondii. Quamvis neſcio an ſoliditatem habeat, quòd אשמתי velis verti, *Reatus mei*, non *peccata mea:* quódque per conceſſionem ironicam admittas Chriſtum dixiſſe, *ſtultitiam meam*, non autem *peccata mea. Tu, Domine, noſti ſtultitiam meam, & peccata mea te non latent*, mihi eſt ענין אחד במלות שונות. Nam אולת & נבלה paſſim de ipſo *peccato* dicuntur: & אויל in Proverbiis & Pſalmis eſt ipſe *peccator* præſertim *impius*. Nec aliter hîc capio, *Tu, Domine, noſti ſtultitiam*, h. e. *impietatem, meam, & delicta mea te non latent*: neutrum accipio per conceſſionem ironicam, ſed utrumque ex mente adverſarii: Accuſor impietatis & magnorum delictorum: an reus ſim, tu noſti.

XX.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Pſal. 69. 23. ולשלומים. Video præter Lutherum & Piſcatorem, penè omnes interpretes recedere à Vulgato interprete, qui hanc vocem tranſtulit, *Et in retributiones*; ac ferè transferre, *Quæ ad paces futura erant*: faciunt ergò ex hac voce Dativum pluralem, cum ellipſi nominativi pronominis relativi & verbi ſubſtantivi. Senſus qui ex hac interpretatione oritur placet. Sed mallem illos לשלומים feciſſe Nominativum; ac ל agnoviſſe tale quale eſt in לאש quando ſimplici אש æquipollet, & uſum habet Nominis; & manifeſtiùs in לאום quod ſimplici אום æquipollet, etiam in nominativo caſu: Atque ſic opportunè לשלומים velim ſubjungi poſt שלחנם *menſam eorum*; ac intelligi *Pacifica*, ſeu ſacrificiorum Pacificorum carnes in menſa appoſitas.

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Pſal. 69. 23. Quòd לשלומים feceris nominativum valde probo: ſed nolim confirmare per לאים & לאש, quia in illo adverbiaſcit ל, in hoc fit litera quaſi radicalis, non magis nominativum quàm accuſativum aut alium caſum conſtituens. At alia ſunt loca ubi ל ex literis בכלם nominativum facit: ut לכל דבר *ulla res* Deut. 24. 5. לאיש *Quiſquam* Joſ. 10. 21. ולשרים *& Principes* Eſai. 32. 1. לאבשלום *Abſalomus*. 1 Par. 3. 2. ללויים *Levitæ* 1 Par. 23. 6. לגבר *Vir* Job. 16. 21. ולהלחם *& Panis* 2 Sam. 16. 2. Ubi nihil opus erat Maſorethas annotare legendum eſſe והלחם: retineo *τὸ* כחיב. Sic למלך ולכל העם *Rex & totus populus* 2 Sam. 17. 16. למלך *Rex* 2 Reg. 7. 2. ליקר *gloria* Dan. 4. 32. לשברך *Contritio tua* Jer. 30. 12. Nolim tamen tecum לשלומים accipere pro *Sacrificiis pacificis:* illa enim שלמים dicuntur, non שלומים quod eſt à שלום *Pax*. Verto itaque, *& Paces in laqueum:* i. *felicia, felicitates, proſperitates eorum tendiculæ ipſis ſint.*

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Pſal. 69. 9. & 6. 23. Sto & cado tuo judicio.

XXI.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Pſal. 77. 10. ואמר חלותי היא שנות ימין עליון. Sex vel ſeptem obſervo horum verborum gloſſas: & videntur ſibiipſi non ſatisfacere auctores. Ego, ut, ſi queam, mihi ſatisfaciam, velim שנות, quod formam conſtructam habet, exponere per Enallagem pro abſoluto, à ſingulari שנה *Annus*, atque ſic totum locum interpretari; *Et dixi, Iſthæc eſt infirmitas* ſeu *ægritudo mea: Anni ſunt dextera*, vel *in dextera, Excelſi.* Ut ſenſus ſit, *Atqui ſic me correxi, dicens, In præſentia quidem quod ſentio eſt infirmitas mea: tempora verò, anni, & hora, quando finem habitura eſt mea infirmitas, ſunt in manu dextra & poteſtate Altiſſimi*; juxta illud Act. 1. 7. χρόνους ἢ καιροὺς οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ. q. d. Propheta, In præſentia Deus, infirmitatem meam non auferens, vocat me ad patientiam: quando autem finis futurus ſit, meum non eſt noſſe; ſed patienter exſpectare ab illo qui annos, tempora & viciſſitudines rerum ſuæ poteſtati reſervavit. Parallelum eſt illud Pſal. 31. 16. בידך עתתי *In manu tua ſunt tempora mea.*

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Pſal. 77. 10. Vis *Schenot* poni pro *Schanot*; deinde ימין pro לימין *dextera*, aut בימין *in dextera*, ut ſenſus ſit, *Anni ſunt dextera*, vel *in dextera, Altiſſimi.* Non lubenter ad iſtas anomalias venio, niſi res omnino cogat. Sex vel ſeptem aliorum, quas in hæc verba obſervaſti, gloſſis, duas meas, quæ tamen fortaſſis ex eorum numero erunt, addo. Prima, quam in Adverſariis meis invenio, ſic habet; Verſum hunc non exiſtimamus pertinere ad querelas, &c. (Vide Animadverſ. pag. 376.)

Quia autem abſentia פנים paululùm me ſolicitum habet, quòd nomen in aliis locis pertinaciter additum invenitur (ad infinitivum חלות pro *precari:*) Secundam nunc addo, quâ verto, *Dixi, Infirmatio mea*, i. *quod infirmat me, eſt, mutatio dextera Altiſſimi. Sed tum*, &c. (vide Animadv. pag. 376, & 377.)

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Pſal. 77. 10. Si incommodam cenſes meam interpretationem, ex tuis primam eligo.

XXII.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Pſal. 84. 6. מסלות בלבבם. Vocem מסלות alii accipiunt de *viis* & *itineribus quæ ducebant ad domum Dei:* alii de *Mandatis Dei:* Ego intelligo ex loco, Eſai. 40. 3. *Vias Deo præparatas in cordibus.*

Ibidem verſ. 7. עמי בעמק הבכא מעין ישיתוהו גם ברכות יעטה מורה. De *valle* ſitne *Mori*, an *Fletûs*, an *Habbacha*, non laboro. Conſentiunt interpretes, deſignari *vallem aridam & ſiticuloſam.* Verba reliqua magis ſunt ſυσπάλα, מעין ישיתוהו. Vulgò vertunt *Fontem ponunt eam, vallem* ſc. *in qua fodiendo ſcaturire faciunt aquas:* quod ſequuntur Genevenſes, Piſcator, Deodatus, &c. Placet Marnixius, qui vertit, *Fontem ponunt eum, Deum* nimirum; quem, ubi nulli fontes apparent, confidunt poſſe & velle eſſe fontis loco, & ſitim reſtinguere: Die houden hem voor haer fonteyne. At diſplicet cùm ſequentia ſic porrò vertit, Dock houden ſy hem voor haere ſegeningen, de gene die den regen overvalt. Si mentem ejus aſſequor (etiam ex paraphraſi Rhythmica, ubi adjecit particulam, eben ſeer, ſeu *nihilominus*) *Benedictiones pluviæ* opponit, ut remedium malo. Ego ſic verto, *Etiam ille ipſos benedictionibus operiet pluens*, q. d. *Quando illi ipſum confidunt adfore ut Fontem, ipſe rurſus non tantùm Fontem ipſis aperiet, ut olim Agari & Iſmaeli* Gen. 21. 9. *ſed inſuper cataractas cœli aperiet, ac benedictionibus pluet*, Mal. 3. 10. Particulæ גם tribuere ſolent interpretes emphaſin evidentis gradationis; quam nullam video in alia gloſſa.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Pſal. 84. 6, 7. Prorſus tibi adſtipulor: niſi quòd מורה mihi nomen eſt, quod tibi participium. Adſcribam ex meis ſchedis quæ ad verſus iſtos invenio, quia tuis non ſunt diſſimilia. (Vide Animadv. pag. 383.) Nè mireris autem me verſu 7 ante עברי poſuiſſe *qui:* arbitror enim

enim ſubintelligendum אשר: ſicut v. 6. ante לו & בלבבם.

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

Pſal. 84. 6, 7. Grata eſt tua conſenſio. Sitne מורה participium *pluens*, an nomen *pluvia*, non contendam.

XXIII.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Pſal. 89. 50, 51. שאתי בחיקי כל רבים עמים אשר חרפו אויביך יהוה. Marnixius ſecutus Gloſſam Ordinariam vertit, Als dat ick in mijnen ſchoot drage de ſmaetheyt van allerley machtige volckeren. Die dyne vyanden o Heere gelaſtert hebben. Miror interpretes qui ſupplent *Opprobrium* non accepiſſe כל in regimine, ut adjectivum cui ſubſtantivum illud includatur: cui porrò optimè conveniret ſequens אשר: *Omne opprobrium multorum populorum, quod exprobraverunt*, &c. Sed libet aliud tentare ad hunc locum explanandum. Video Robertum Stephanum, in libro De phraſibus Hebraicis, nullo alio quàm hoc loco phraſiologiam iſtam munire; ut, *in ſinu ferre opprobrium*, ſit Patientiſſimè ferre opprobrium. Malim ego ſervare analogiam hujus locutionis, illam quæ eſt Eſa. 40. 11. & Num. 11. 12. & accipere ut querelam, penè eandem cum querela Moſis, loco jam indicato; & ſic vertere, *Portare me in ſinu omnes magnos populos, quos probris vexant inimici tui, Jehovah*, &c. q. d. *Onus porto cui non ampliùs ſum ferendo: regendus eſt ingens & numeroſus populus: vexatur ille inimicorum opprobriis; vexor ego & eorum populi querelis & murmurationibus: tu mei recordare ne oneri ſuccumbam.*

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Pſal. 89. 51, 52. Novâ planè ſententiâ interpretaris, *Portare me in ſinu meo omnes magnos populos, quos probris vexant inimici tui, Jehovah*, &c. Vix adducor ut credam, *omnibus magnis populis* rectè deſignari ſolum populum Dei cui præerat David. Deinde quia verſ. 52 repetitur illud אשר חרפו, valde Emphaticum videtur ut per repetitionem ejuſdem ſententiæ utrobique eodem ſumatur modo, nempe, *Quia probris vexarunt*, &c. Accedo itaque ad alteram ſententiam quam innuis, ut, quod ſupplent interpretes, *Opprobrium* includatur in כל. Etſi noſim propterea quod ſentis ei convenire ſequens אשר, ut vertatur *quod exprobrarunt*. חרפו enim repetitum referri volo ad עקבי משיחיך, & אשר exponi *quia*. Reperio in meis ſchedis *t*, &c. (Vide Animadverſ. p. 386.)

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

Pſal. 89. 51, 52. Scrupulum moves qui mihi exiguus videtur; An ſolus populus Dei poſſit vocari *Omnes magni populi*. Quidni *populorum* nomine veniant Tribus iſtius populi? & *magnorum* quidem, quando juxta Dei promiſſiones multiplicatæ inſtar arenæ maris, adeò ut accuratiùs in numerum inquirere nefas eſſet? ut apparet 2 Sam. 24. & 1 Par. 21. Si quid ex phraſi Scripturæ inſolens, id velim imputari exaggerationis ſchemati; quod quiritantibus non eſt inſolens.

L. de Dieu. 27 *Septembris* 1632.

Pſal. 89. 51. Etſi fateor lubens עמים de tribubus Iſrael rectè dici, ut Hoſ. 10. 14. וקאם שאון בעמך, & Jud. 5. 14. אחריך בנימין בעמיך, durum tamen mihi videtur de XII tribubus dici *Omnes magnos populos*. Sed & tota mihi ſententia dura videtur; longèque ſimplicius eſſe poſt כל τὸ κοινὸν ſubintelligere quod præceſſit חרפת.

XXIV.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Pſal. 91. 9. כי אתה יהוה מחסי. Placet quod in verſione Pagnini interpolata apud Rob. Steph. 1556. כי אתה transfertur, *Quoniam tu* dixiſti: Quod miror Marnixium, (cùm Rhythmo expreſſerit, Om dat du tot Godt hebſt geſeyt) neglexiſſe in verſione textuali. Per ſimilem ellipſin Pſal. 120. 7. videtur אני שלום transferri poſſe, *Ego* dixi *pax*, q. d. *Ego amicâ ſalutatione pacem offero*: ut etiam hîc שלום ſit Salutationis formula.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Pſal. 91. 9. כי אתה יי מחסי. Laudas qui ſubintelligunt אמרת. Inſolens mihi id videtur, nec neceſſarium; modò intelligamus auctorem Pſalmi vocare Deum *refugium ſuum & excelſum*, ac laudare pios, quòd eundem, quem ipſe pro refugio ſuo haberet, habitaculum ſuum ponerent, eóque nomine ipſis omnem ſecuritatem polliceri. Jungit ſcilicet Propheta ſuam fidem fidei piorum, ipſíſque commune refugium gratulatur. Ità neque Pſ. 120. 7. ellipſin ſtatuo: ſed ſicut *ſcelus* ponitur pro homine ſceleſtiſſimo, ità hîc *pax* pro ſummè pacifico.

XXV.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Pſal. 120. 3. לשון רמיה. Feminina ſunt, itaque non conveniunt cum verbis יתן & יוסיף maſculinis: quamvis id negligant ferè omnes interpretes. Suggerit aliam ſyntaxin Kimchi in commentario, his verbis, וברדש אמר כנגד הלשון מה יתן האל או מה יוסיף לך. Hoc ſequor & verto, *Quid dabit, & quid addet tibi, Deus, ô lingua doloſa?* Non tamen placet quod ſubjungit Kimchi, לשמור שלא תדבר רע: nec digreſſio ipſius de duplici linguæ ſepto, labiis & dentibus: nihil illa ad ſcopum Prophetæ. Affinia ſunt iſta, מה יתן ומה יוסיף לך, ſubintellecto האל, uſitatæ iſti imprecationis formulæ, כה יעשה וכה יוסיף *Sic faciat mihi Deus, & ſic addat.* Hanc imprecationem verſu 3 inchoatam abſolvit reſponſio quam ſtatuo verſu ſequenti, quam verto, *Sagittas potentis acutas cum carbonibus juniperorum*: ut *ſagittæ* & *carbones* non ſint linguæ doloſæ emblemata, ſed repræſentent arma irati Dei, quibus linguam & caput feriat & obruat: qualis *ſagittarum* mentio eſt Pſal. 7. 13, 14. & *carbonum* Pſ. 140. 11. ubi quoque verſu 12 agitur de *Viro linguoſo*, איש לשון. Reperio Anglos, in poſtrema verſionis ſuæ recognitione, verſum utrumque interpretari planè in eandem ſententiam: ſed loco ellipſeos, quam Kimchi ſupplet per האל, verba יתן & יוסיף vertunt impersonaliter. *Quid dabitur? Quid fiet tibi?*

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Pſal. 120. 3, 4. Omnia quæ adfers probo. Sunt enim maximè appoſita: nec habeo quod addam.

Ad loca difficiliora varia ex V. & N. T.

I.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

GEN. 41. 40. ועל פיך ישק כל עמי. Simpliciſſima mihi videtur fore horum verborum interpretatio quam ſuggerunt Notæ Vatabli, *Os tuum oſculabitur, omnis*

omnis populus meus; quod expresserunt Genevenses in versione postrema, & Deodatus in sua. Sed hæret mihi aqua de *oris osculo*, ad quod dubito an Principes receperint quemvis ex populo: neque id video quomodo tueri possim osculis illis quæ loco huic illustrando annotat Deodatus. 1 Sam. 10. 1 Reg. 19. 18. Psal. 2. 12. Hos. 13. 2. Supplicantium quidem ritus istos observo, quòd prensarint Principum genua, manum dextram, barbam & genam: vide Hecubam Euripidis. Quòd verò Os osculati sint nondum liquet. Sponsæ verò ad Sponsum vox illa est, non de subjectione, sed de amore, Cant. 1. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Si fas hoc negotium illustrare ex praxi Antichristi, Is præter osculum Pedum, stato tantùm tempore, cùm Candelas, Palmas seu Agnos Dei distribuit, Cardinales recipit ad Genu & Manûs suæ osculum, Prælatos tantùm ad osculum Genu; Imperatorem, Reges & maximos Principes tantùm ad osculum Manûs: rarissimè autem eosdem recipit ad Oris osculum. Vide lib. Sacr. Ceremoniarum. An liberaliores de Oris osculo fuerint antiquitus, aut etiamnum sint, Principes nationum Orientalium, edoceri velim.

L. de Dieu. 2 *Julii* 1632.

Gen. 41. 40. Interpretatio quam laudas apprimè loco apta videtur. Scrupulum quem moves de Osculo Principibus ad os à plebeis præberi solito, eximere jam non possum. Si quid ejus ex D. Golio, aut ex lectione, rescíscere deinceps potero, faciam te certiorem. Solitos sanè fuisse eos, certè amoris testandi gratiâ, non manum tantùm & genas, sed & os deosculari, non videtur in dubium vocandum: etsi eò non faciat locus quem adfers ex Cant. 1. 1. ubi *osculum oris* non est *quod fit ad os*, sed *quod proficiscitur ab ore*, sive jam in genam aut in manum dirigatur, aut alió. Potiùs eò facit locus Prov. 24. 26. שפתים ישק משיב דברים נכחים, *Labia deosculatur qui respondet verba recta.* Vides suavissimum haberi osculum quod ad labia fit.

Verùm præjudicat nonnihil interpretationi quam laudas, quòd verbum נשק semper construitur cum ל, aut cum Accus. nunquam cum על: deinde, quòd cùm de Principe agitur, qualis hîc Joseph constituitur, על פיך potiùs sit *secundùm præceptum tuum*: quibus argumentis procul dubio moti fuere Lxx, &c. [Vide L. de Dieu Animadv. in Gen. pag. 48.]

J. Clopp. 9 *Julii* 1632.

De *osculo Oris*, Gen 41. 40. exspectabo, ut quod didiceris me doceas. Si iste scrupulus mihi non eximatur, malim tecum ישק accipere generaliori illo significato *cujusvis negotii quo populus occupari queat Principis jussu*, quàm ad *armaturam* solam restringere.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

De *osculo Oris* Gen. 41. 40. asserit Cl. Golius, plebem in Oriente admitti tantùm ad osculum Strati cui Princeps insidet, sive ubi thronus est collocatus, honoratiores ad osculum Fimbriæ vestis Regiæ: quos autem summo honore dignatur, ut legatos aliorum Principum, ad osculum Manûs; neminem ad *osculum Oris* admitti.

J. Clopp. 21 *Augusti* 1632.

De *osculo Oris* video me non immeritò dubitasse, an tam liberales fuerint antiquitus, aut etiamnum sint, Principes nationum Orientalium; ut stare possit illa loci Gen. 41. 30. interpretatio, quam Genevenses anno 1588 & Deodatus secuti sunt.

II.

J. Clopp. 13 *Augusti* 1633.

Confirmor omnino in illa quam nuper coràm indicavi interpretatione loci Hebr. 3. 2. & paralleli Num. 12. 7. ut נאמן & πιστὸς significent, ex scopo contextûs (quo hic Moses reliquis Prophetis, illic Christus Mosi, ut major minori, confertur & præfertur) *illum cui* θεσπίσθη ὁ οἶκος, sive *qui* θεσπίζεται τῷ ἡμέρᾳ αὐτοῦ οἰκονόμον. Ad quam significationem propiùs inflectunt phrasin Num. 12. 7. (ut observatum à Cl. Lud. Cappello) Judæi Lusitani in suo Seder Tephillot, loquentes de Mose his verbis, על יד נביאו נאמן ביתו. Addo locum alterum ex meo exemplari Bombergiano, pag. 67. ubi Mosen simpliciter vocant נאמן בית: quod vix aliter interpreteris quàm οἰκονόμον דרכיך רחום וחנון גליח לנאמן בית. De voce Hebræa scrupulum omnem tollit locus 1 Sam. 3. 20. נאמן שמואל לנביא ליהוה: quorum verborum sententia optimè expressa est secundâ illâ versione quæ in Bibliis Græcis adjecta est, θεσπίζεται Σαμουὴλ τῷ ἡμέρᾳ αὐτοῦ προφήτην τῷ Κυρίῳ· quam versionem meritò secutus est Cl. Deodatus, *che Salomo era stabilito Propheta del Signore.* Quam quia neglexit Vatablus, atque de *fidelitate* vocem נאמן accepit, fermentum Judaico — Pelagianum hic Notis suis adsperšit; quòd Samuel scilicet aptior atque idoneus esset qui aliquando evaderet in Prophetam: quod fermentum animadvertit Buxtorffius junior in More Nebochim, parte 1. cap. 34. De voce Græca πιστὸς scrupulus quoque nullus esse potest, si animadvertas πιστὸν λόγον Apostolo interprete esse λόγον πάσης ἀποδοχῆς ἄξιον 1 Tim. 1. 15. Deinde Apostolum voce πιστὸς sui Apostolatûs axioma exprimere: ibidem ver. 12. Ὅτι πιστόν με ἡγήσατο θέμενος εἰς διακονίαν· cui parallelus est locus 1 Cor. 7. 25. Γνώμην δὲ δίδωμι ὡς ἠλεημένος ὑπὸ Κυρίου πιστὸς εἶναι· ubi Deodatus non malè, *d' esser degno di fede.* Facit autem pro me quòd Apostolus illud ὃς πιστός ἐστι τῷ οἴκῳ Heb. 3. 2, & 5. mox versu 6 exprimat per ὃς πιστὸν οἶκον. Neque enim si voces נאמן & πιστὸς interpreteris, *Fiduciarius*, seu *fidei commissarius, qui cum fiducia præficitur seu præest*, necesse est vers. 6 aliam ellipsin facere, cum Beza, quàm vocis πιστὸς.

L. de Dieu. 24 *Septembris* 1633.

Sententiam tuam ad locum Heb. 3. 2. ità mihi domi tuæ probasti ut non mihi modò dubitandi nullus relinqueretur locus, sed & aliis viris eruditis, cum nominis tui, ut oportebat, præfatione, persuaserim. נאמן est *qui creditur, creditus, cui fides habetur.* Sic apud Maimonidem in קרבן פסח, cap. 5, ubi docet Pascha non esse legitimum nisi offeratur לשם פסח *nomine Paschatis.* Itaque si quis mactaverit Pascha pro tota societate, deinde verò dixerit ipsis, Hoc Pascha quod pro vobis mactavi, אם לא לשמו שחטתיו, *non nomine paschatis mactavi*, הוה נאמן להם סומכין על דבריו ואם לא שורת הדין שאינו נאמן והרוצה להחמיר עליו עצמו הרי זה משובח ויביא פסח שני: i. cum brevi explicatione, *si creditus est illis*, aut *si fide dignus ipsis habetur, innituntur verbis ejus, ut Pascha illud nempe habeant pro illegitimo, adeóque repetant id. Si autem non innituntur verbis ejus, regula quidem juris postulat ut ei non credatur, adeóque habeatur Pascha illud pro legitimo, nec sit repetito opus: qui tamen voluerit gravare se ipsum, laudandus is est, atque offert secundum Pascha, nempe postero mense, ut Deus jusserat.* Eâdem istâ phrasi utitur Apostolus, cujus verba sic reddo ver. 2. אשר נאמן היה לעושהו כאשר משה בכל ביתו, *Qui creditus fuit factori suo*, vel *cui is qui fecit eum fidem habuit, sicut & Mosi, in tota domo sua.* Vide plura Animadvers. ad Hebræos, pag. 297, 298, 299.

J. Clopp.

J. Clopp. 8 *Decemb.* 1633.

Lubet uno verbo attexere, quomodo interpretes voces illas נארן & נרדי, de quibus nuper, Belgicâ voce, cujus in re idem erymon, sed quæ inaugurationibus sacra, Die ingehuldet is in syn geheel huys, &c. Hinc incidit conjectura alia, Si non ab urbe aliqua appellata *nardus* νιτιὰ, sed à νιτὸς, quod magno Hiensio placuit, nolim ex sequioris Græciæ usu confundere νιτὸς & νιτικὸς, sed ex usu isthoc Helleniſtico, qui præfecturam ac præfectorum inaugurationem spectat, ità distinguere, ut à νιτὸς unguentum ἢ νιτῶν inaugurationi sacrum, vel illi ἐσθῆτι, νιτικὸν denominetur. Quid si id expressum voluerit Syrus per suum נרדין רישנא? quod non video quomodo esse possit *Nardi caput*, sed optimè verti possit *Nardus Principum*. *Nardus Pistice* Belgicè dicerem, Puide Nardus.

III.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Esa. 29. 16. הפנכם אם כחמר היצר יחשב. Præ omnibus aliorum versionibus placet mihi versio Piscatoris, Ewer verwendung ist even als wann der hafner geachtet wurde wie laimen. Malim tamen per Enallagen infinitivi pro præterito absque supplemento isto interpretari, sumpto אם pro interrogandi particula, hoc pacto, *Vos rem invertitis: An sicut lutum figulus reputabitur?*

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Esai. 29. 16. Lectis quæ hîc annotas consului Adversaria mea; ubi sequentia scripta reperi, quorum nondum me pœnitet. Vide Animad. pag. 512.

J. Clopp. 9 *Junii* 1633.

Esai. 29. 16. Lubens me corrigo in הפנכם, & interpretor tecum, *O perversitatem vestram!* In cæteris me confirmas tuo consensu, post Piscatorem.

IV.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Esai. 64. 4. Omnino non video quid sequar in interpretatione verborum istorum בהם עולם. Si quid habes quod rectum videtur, candidus imperti.

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Esai. 64. 4. Locus est longè difficillimus: ubi tamen licebit aliquid conjectare. בהם refero ad antecedens בדורכך. Quia autem *via Dei* vel sunt viæ mandatorum, vel viæ promissionum & misericordiarum, duplicem propono conjecturam; quarum primam invenio in meis Adversariis, & sic habet, Affixum הם ad *vias Dei* referimus, sed quatenus per eas mandata Dei denotantur, quæ hîc per דרכים *vias* intelligi arbitramur. Totum versum sic transferimus, *Occurristi gaudenti & facienti*, i. *in gaudio facienti justitiam, qui in viis tuis memores erant tui. Ecce tu indignatus es: nam peccaveramus in illas semper, & servabamur*: i. *tamen servabamur*. Exaggerat benignitatem Dei quâ in populum suum usus est, quòd non tantùm gratiâ suâ occurrerit piis, qui in viis Dei ambulantes memores ejus fuerant, verùm, inquit, quòd cùm justè adversùs nos indignareris, quia in illas vias tuas peccaveramus, & quidem semper, tamen servaremur tuâ bonitate. Gradatim peccata amplificat; primò, *peccaveramus*; secundò, *in illas*, nempe *vias tuas*; tertiò, *semper*: Ad quam gradationem denotandam ונחטא notatur Accentu zakeph. Adversariis meis nunc addo alteram sententiam, quâ *viæ Dei* intelliguntur, Promissionum & Misericordiarum. Tunc autem קצפת & פנעת lego per modum interrogationis: planè sicut suprà Psal. 57. 5. Belgicè assequimur Hebraicam pronunciationem meliùs quàm Latinè; ideo nostrâ linguâ sic verto, Sint ghy te gemoete gegaen dien die met vreugde recht veerdicheyt deden: in (doore) uwe wegen gedachten sy uwer. Siet, sint gy vertoornet geweest, om dat wy (vel potiùs als wy) sondigden; daer was eene eeuwicheyt in de selve, op dat wy behouden wierden. i. *Sive benignitate tuâ usus es erga pios, effecisti ut promissionum tuarum & misericordiarum recordarentur; sive irâ tuâ peccata nostra persequereris, non ità ei indulsisti quin patefaceret se æternitas tuarum promissionum, ut servaremur.* Hanc sententiam præfero priori.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Esai. 64. 4. Gratias habeo quòd me omni conatu juvas: ἐπίχω tamen, bonâ tuâ veniâ.

J. Clopp. 17 *Junii* 1632.

Accuratiùs expendi apud me locum Esa. 64. 4. Contuli tuos conatus cum aliorum glossis: videor autem tutissimam & aptissimam agnoscere posteriorem tuam interpretationem; cum qua consentit Annotatio isthæc in Bibliis Pagnini interpolatis apud Rob. Steph. 1556. בהם ונושע עולם. *Seculum* hoc loco pro *diuturnitate*. Referri autem potest vel, &c. vel ad *vias Domini*: & erit causæ redditio, cur non perierit populus, *Quia perpetua & stabiles sunt viæ Domini, nec unquam cessat misericordia ipsius.*

V.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Dan. 4. 10, & 14. Vocem עיר, quæ in Græcis Bibliis remansit ὦρ, & Latinorum interpretum consensu *vigilem* significat, proper insolentem Angelorum hanc nomenclaturam malim accipere, non ut ab Hebræis mutuò sumptam, absque ullo Chaldaico charactere, sed ut factam per Chaldaicam permutationem צ & ע ex Hebræo ציר, quod *Legatum* significat, atque ità à Lxx transfertur Prov. 13. 18. & 25. 13. & Jer. 49. 13. per vocem ἄγγελος· quomodo Lxx similiter vocem עיר seu ὦρ transtulisse in Daniele annotatum est in Bibliis Græcis Francofurti editis 1597. operâ Fr. Junii.

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Dan. 4. 10, & 14. quòd עיר idem esse vis quòd ציר, non displicet.

VI.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Dan. 9. 24. in voce נביא statuunt interpretes Enallagen Grammaticam concreti pro abstracto, נבואה *Propheta* pro *Prophetia*: ego puto convenire magis metonymiam causæ efficientis, ut per *scriptorem Prophetam* intelligantur scripta ejus; juxta illud, *Habent Mosem & Prophetas.*

L. de Dieu. 2 *Junii* 1632.

Quod Dan. 9. de נביא statuis laudo.

VII.

L. de Dieu. Animadv. pag. 505.

Mat. 1. 20. τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γεννηθέν. Erasm. *natum quod in illa conceptum est*, i. Συλληφθέν. Beza, *quod in ea genitum est.* Id patrem propriè indicat, quem Christus non habuit. Vulgatus ergò, Syrus & Arabs, *quod natum est in ea*, ficut, &c.

J. Clopp.

J. Clopp. 14 *Aprilis* 1632.

Velim doceri quæ Syrus & Arabs hîc dicuntur præjudicare verſioni Bezæ. Quod enim ad Græcum contextum obſervat Eraſmus verſ. 16. rationem reddens quare ipſe illud ἐξ ἧς ἐγεννήθη verterit, *ex qua genitus fuit*, τὸ ἐγεννήθη paſſivum eſſe ſū ἐγέννησε toties repetiti; idem mihi videor de radice Syra & Arabica obſervare, illam ex activo in paſſivum migrare, de cætero eandem eſſe: neque hîc aliquid præjudicari viderunt Tremellius, Boderius, Troſtius in Syro cùm tranſtulerunt, *Id quod genitum eſt in ea.* Omne præjudicium hîc ortum habet ex Latina vocis Græcæ & Syræ vel Arabicæ interpretatione variata: quam tamen variare nulla coegit neceſſitas. Nam obſervat Eraſmus, Vallam idoneis argumentis declaraſſe, tum apud Græcos tum apud Latinos, *gignere* & *gigni* tam mulieri competere quàm viro. Ac Latinos quidem autores laudat Valla, Valerium Maximum, apud quem legitur, *Socrates matre obſtetrice & patre marmorario genitus*; & Quintilianum, apud quem apertiùs, *Si adeò non genuit filium ſed effudit, & ex illo infelici partu ingratum uteri pondus expoſuit.* Dixerim itaque cum Valla, *Cùm Græcè dicatur* genitus *ipſius quoq; Interpretis teſtimonio, qui ità traducit*, Liber generationis, &c. *cur non tranſtulit Interpres v. 16 per* genitus *potiùs quàm per* natus? Atque hoc verſu 20 Valla non ineptè videtur repudiare hanc interpretationem, *Quod natum eſt in ea: cùm*, inquit, *non tunc* natus *erat Jeſus ſed* conceptus; *ſive, ut Græcum verbum ſignificat*, genitus: *ex quo videtur etiam mater gignere cùm concipit.*

L. de Dieu. 7 *Maii* 1632.

Quæris cur Matth. 1.20. illud Syri ראתילד בה verterim, *quod natum eſt in ea*; cùm Trem. Boder. Troſt. verterint *genitum*, & in Græco ſit γεννηθέν. R. Id factum, quia *gignere* Syris magis propriè dicitur Aphel, אולד, *gigni* אתתולד: itaque אתילד magis propriè eſt *naſci*, ac ילד *parere*. Etſi non negem etiam pro *gignere* uſurpari, ut in illo, *Tu es Filius meus, ego hodie* ילדתך *genui te*. Itaque, ſive verba ſpectentur, ſive res, parùm referre arbitror *natúmne* vertas an *genitum*. Sicut enim *natus* quis rectè dicitur, non ex matre tantùm ſed & ex patre; ſic etiam *genitus* non è patre modò ſed & è matre: & γεννᾶν non patri tantùm ſed & matri tribui obſervaveram libri mei pag. 43. Gloſſ. Vet. Γεννηθὲς, *natus, genitus, progenitus, ortus.* Quia tamen *gigni* magis propriè virum ſpectat, ut *naſci* feminam; & hîc de femina agitur quæ virum non agnovit; atque in Symbolo dicimus, *Natus ex Maria virgine*, eandem loquendi formulam & ibi commodiùs obſervari putabam. Nec movet me quòd Valla annotavit, *Non tunc* natum *fuiſſe Chriſtum, ſed* conceptum: Naſcimur enim non tantùm ex utero, ſed in utero: non tantùm cùm nativitatem ſed & cùm naturam capimus. At, ut dixi, nihil hîc momenti eſt; & quod ibi obſervaram fateor exiguum fuiſſe.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

Ad locum Matth. 1.20. non movi iſtam litem, an proba ſit verſio, *Quod natum eſt in ea:* Hoc quæſivi, An pro illa verſione contra Bezam præjudicet Syrus vel Arabs; quod mihi videbaris innuiſſe. Nolim equidem repugnare, ut Latinè vulgatum diſcrimen inter *gignere* & *naſci* retineatur, atque alterum viro alterum feminæ vindicetur, quod jam videtur uſus velle: Neque Vallæ tantum tribuo ut ejus judicium hîc præſcribat. At nondum video quid Syrus & Arabs præjudicent, ſi cui lubeat conſtanter à *naſcendi* voce hîc abſtinere, & ubique ſervare ſine ulla variatione *gignendi* etymon. Quin ſentio idem facere Syrum & Arabem; nam ubique radix eadem recurrit; neque illa variat variatis conjugationum formis & inflexionibus: quod qui docuerunt, ad exprimendum conſtans etymon Græcum Latinos æmulari poſſe, adhibito *gignendi* etymo, atque id ferre uſum Latinæ linguæ, iis quidem ego gratias habeo ob hanc cauſam, quòd rimam hîc aperiri nolim Anabaptiſtis, qui nolunt ullas matris eſſe partes in generatione fœtûs: quæ cauſa, ſi quid videre poſſum, & Bezam impulit.

VIII.

L. de Dieu. Animadv. pag. 3.

Ad Matth. 2.1. מגישא *Magi*, &c. Alii derivant ab Hebræo מהגה *muſſitans.*

J. Clopp. 14 *Aprilis* 1632.

Unum eſt de quo erudiri velim, An conveniens ſit illa ἐμμανέια Act. 13.8. ſi utrumque, & *Elymas* & *Magus*, dicatur eſſe originis Arabicæ. Videtur ergò vox *Magus* flagitare originem ex lingua quæ Græcis ſeu Helleniſtis ſaltem notior eſſet quàm idioma Arabicum. Quare magis placet etymologia Hebraica, & quidem illa è מהגה: quam vocem tamen hîc nolim interpretari *muſſitans*, ſed *meditans*, ſeu חכם הגות. Quomodo etiam cenſeo illam intelligendam Eſa. 8.19. ac nihil neceſſe eſſe ut ibi vel המהגים vel ipſum המצפצפים exponantur participialiter, magis quàm præcedentia illa האובות & הידעונים. Velim ergò pro *qui pipiunt* & *qui muſſitant*, transferri *ſpeculatores* & *meditatores*; atque eſſe illic quaternam nomenclaturam iſtorum qui curioſas artes ſuas Magicas palliant prætextu accuratæ *ſpeculationis* ſeu exploratonis, & *meditationis* ſeu conſiderationis rerum naturalium. Atque hoc pacto idem obtinetur per Hebræam etymologiam quod per Arabicam.

L. de Dieu. 7 *Maii* 1632.

Quæris an conveniens ſit illa ἐμμανέια, Act. 13.8. ubi *Elymas* explicatur per *Magus*, ſi utrumque dicatur eſſe originis Arabicæ. R. Videri mihi convenientiſſimam: quia etſi utrumque ſit originis Arabicæ, vox tamen *Elim*, ſeu *Elymas*, ſolis erat Arabibus nota; at vox *Magi* ità apud omnes gentes pervulgata ut Syri, Græci, Latini aliíque iſtud Phyſicorum Theologorum genus non aliâ notione deſignarent. Sic ergò ſtatuo, *Elim* eſſe nomen appellativum omnium eorum qui naturalium cœleſtiúmque rerum periti eſſent: quod hic impoſtor proprium ſibi fecit, quippe qui id præ cæteris mereretur. Verùm quia nominis ejus ratio reliquis nationibus incognita erat, explicare id voluit per æquivalens *Magus*: quæ dictio quid vellet, & quod hominum genus inter Perſas deſignaret, omnibus erat perſpectiſſimum. Certè ut ab Hebræis, apud quos id hominum genus non obtinebat, ad Perſas & Arabes ea denominatio defluxerit, vix adducor ut credam.

Libet examinare quem hîc adfers locum ex Eſa. 8.19. Verba ſunt דרשו אל האובות ואל הידעונים המצפצפים והמהגים: explicas, *Conſulite Pythones & Divinos, Speculatores & Meditatores*, ac vis eſſe illic quaternam nomenclaturam eorum qui curioſas artes ſuas Magicas palliant prætextu accuratæ *ſpeculationis* ſeu exploratonis, & *meditationis* ſeu conſiderationis rerum naturalium. Laudarem ſententiam tuam ſi אל, quod ponitur ante האובות, & repetitur ante הידעונים, repeteretur quoque ante duo reliqua. At cùm ibi omittatur, videntur potiùs participia eſſe, quæ *Pythonum Divinorúmque* actiones deſcribunt. Deinde cùm המצפצפים vertis *ſpeculatores*, vereor ut ullâ autoritate tueri poſſis: etſi enim צפה ſit *ſpeculari*, nunquam tamen id valet quadratum צפצף. Perpenſis omnibus non dubito aſſerere, quin à Piel צפר *texit, operuit*, derivetur צפצף *tecto occultóque ſermone loqui.* Vide reliqua, Animadv. pa. 772. ad Eſa. 8.

J. Clopp.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

De ἐμμανίᾳ illa Act. 13. 8. tantùm non mihi satisfacis. Nescio an alicujus momenti sit scrupulus qui mihi hæret; Quòd etiamsi nomen *Magus* apud omnes Gentes pervulgatum notius fuerit nomine *Elymas*, etymon tamen *Magi* Arabicum, ut jam, ità fortè olim, æquè ignotum vel ignotius fuerit etymo Arabico nominis *Elymas*. Ad id quod observas de אל, quod ponitur Esa. 8. 19. ante האובות, & repetitur ante הידעוני, omisso ante duo reliqua; quod arguat duo illa postrema participia potiùs esse quàm, ut ego volueram, nomina; observo absque repetitione illa, duo quoque nomina enumerari seu recenseri posse citra ullam suspicionem de forma participii. Exemplum do Dan. 1. 20. quod præsenti valde est affine, etiam in re, על כל החרטמם האשפים, *supra omnes Magos, Astrologos.* Cùm המצפים verti *speculatores*, id maximè me movit, quòd quadratum צפצפה post Tremellium & Junium Piscator in Translatione Germanica, & Buxtorfius in Lexico, ex significatione צפה, quod est *speculari*, Ezech. 17. 5. interpretantur *speculationem, circumspectionem accuratissimam:* quibus si forma quadrata illic non præscribit, nec mihi hìc præjudicat: illorum verò interpretationem tuetur auctoritas Græcæ versionis Lxx, qui transtulerunt ἐπιβλεπόμενον τάξει αὐτό.

21 *Novembris* 1634.

Non possum quin explorem an tibi placere possit mea conjectura ad locum Act. 13. de voce *Elymas*, in qua, ut video (Animadvers. pag. 122, 123.) etiamnum aqua tibi hæret. Exodi 31. 3. in Persico Targum אלהים כודאי est idem quod רוח אלהים: *Spiritum* ergò significat Persicum אלהם, quod censeo ejusdem etymi esse cum Hebræo אלהים. Hìnc opinor derivatum *Elymas*, cum א non י in initio, atque idem esse quod πνευματικὸς ἢ πνεύτης 1 Cor. 14. 37.

L. de Dieu. 5 *Januarii* 1635.

De tuo אלהם, unde ἐλύμας deduci posse arbitraris, judicium non fero, donec Persicæ linguæ cognitionem aliquam comparavero: quod, nactus jam Pentateuchum Persicum, non diu differam.

30 *Decembris* 1635.

Incidit mihi jam tuum אלהם כודאי, quod ex Persico Targum antehac protulisti, ut indè ἐλύμας nostrum derives. Dicis *Spiritum* significare, & arbitraris esse ejusdem etymi cum Hebr. אלהים. Longissimè erras: scribendum est אלהאם כדאי; éstque vox Arabica non Persica. Infinitivus quartæ apud Arabes conjugationis, apud nos Hiphil, à themate להם significat *inspirationem* vel *instinctum Dei*. Frequens est in nostro Euangelio באלהאם כאן כרא *instinctu peculiari Dei*. Indè ego certè *Elymas* non libenter derivarem: Nam ab *ilham* facere ἐλύμας, præsertim ubi prima litera א non est radicalis, minùs congruit. Vide tamen an quod moneo menti tuæ servire queat: res enim non usque adeò dissentit.

IX.

L. de Dieu Animadv. pag. 4.

Ad Matth. 2. 6. Addo Syriacè *Reges* propriè sonare *Consules*. מלך *consuluit*, מלכא *consilium:* indè sunt מלכא *Reges*, qui *consilio* aliis præeunt & regunt.

J. Clopp. 14 *Aprilis* 1632.

Quidni idem propriè sonet Hebræum מלך, & ex primigenia reginimis praxi, & ex vocis usu primigenio? Cujus vestigium malim agnoscere in isto ויִמלך Neh. 5. 7. quàm cum Buxtorfio referre ad usum Chaldaicum. Addo etiam, Atticâ linguâ *procères* & *primores*, qui vocantur γῆς πρέσβεις, eosdem esse qui sunt γῆς ἄναλτες. Sophocles in Oedipo Colono.

X.

Matth. 12. 18. ὁ παῖς μου. Vulg. *Ecce puer meus*. Vide L. de Dieu Animadv. pag. 50.

J. Clopp. 14 *Aprilis* 1632.

Illustris est locus apud Aristophanem in Vespis, qui docet quid ipsâ dialecto Atticâ significet vox παῖς. Ità enim Chorus ad famulum,

Τί δ' ἔστιν, ὦ παῖ; παῖδα γὰρ, κἂν γ' γέρων,
Καλεῖν δίκαιον, ὅστις ἂν πληγὰς λάβῃ.

Puer, quid hoc est? namque quantumvis senem
Puerum vocare, obnoxium plagis licet.

Tam itaque in Græca quàm in Latina lingua παῖς & *puer* opportunè exprimunt in Filio Dei, & hìc & alibi, non Filiationem Divinam, sed assumptam Servi formam, in qua factus est minor Patre, Joh. 14. 28. Apparet enim maximè denotare minorennium illam conditionem quâ ἀδὲν διαφέρει δούλου, de qua Paulus Gal. 4. 1. Censeo itaque voce Græcâ & Latinâ plus aliquid suggeri quàm voce Hebræâ עבד *servus*, quando de Christo sermo est.

XI.

Matth. 12. 20. ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν.

L. de Dieu Animadv. Append. pag. 523, 525. τὴν κρίσιν accipimus pro *condemnatione*, sicut Marc. 5. 29. & Joh. 3. 19, &c. ἐκβάλῃ propriè verto cum Vulgato, *ejiciat*, non ut Beza, *proferat*. Εἰς νῖκος capio sicut 1 Cor. 15. 54. *ad victoriam usque*, &c.

J. Clopp. 14 *Aprilis* 1632.

Lubens illud εἰς νῖκος interpretor *ad victoriam æternam*; atque ex collatione versûs 57. 1 Cor. 15. accipio pro *dono vitæ æternæ*. Ac non repugno ut κρίσις accipiatur pro *condemnatione*, adversùs quam triumphaturi salvandi; malim tamen hoc loco accipere pro judicio illo extremo ad quod novissimo die Christus appariturus est: atque vocis ἐκβάλῃ emphasin censeo expressam periphrasi illâ apparitionis istius luculentâ quæ est Psal. 50. 1---6.

Totum itaque hunc locum sic intelligo, *Donec proferat*, vel, si mavis, *protrudat, publicum & universale illud judicium, in quo depressis & conculcatis hostibus decernet victoriam, atque æternum in vita æterna triumphum electis Dei.* Hebræum הוציא Esa. 42. cui hìc respondet τὸ ἐκβάλλειν, videtur mihi vix admittere emphasin illam, ut de rei exosæ hostili *ejectione* accipiatur: illam enim exprimit Scriptura per Hebræum גרש. Confer Gal. 4. 30. cum Gen. 21. 10. Vox ipsa ἐκβάλλειν media est; ac non tantùm hoc ipso capite v. 35. quem laudat Beza, sed etiam cap. 13. 52. & Luc. 19. 35. vim omnino nullam denotat; ac simpliciter idem valet quod ἐκπέμπειν, vel προβάλλειν: & Joh. 10. 4. collato cum versu 3. idem quod ἐξάγειν *educere*, ut pastor oves suas.

Hoc loco agnosco vim aliquam & efficacitatem roboris potentiæ Christi notari, quâ sibi potest subjicere omnia: sed illi censeo non opponi τὴν κρίσιν sed subordinari. Porrò neque illa verborum Propheticorum interpretatio mihi videtur conveniens, *In veritate exire faciet Judicium*, i. *verè ejiciet condemnationem:* Synonyma enim non sunt הוציא & גרש, ut jam dictum: deinde perit hâc interpretatione Emphasis illa; quòd judicio illo universali, discussis tenebris quibus usquam sepulta jacet veritas, omnia etiam occulta & perperàm judicata judicabuntur ex vero. Neque hæc videtur conveniens

expositio, *Donec posuerit in terra judicium*; i. *Donec aboleverit condemnationem.* Ac omnino coactum videtur facere affines has phrases Hebræas, *ponere in terra*, & *cadere in terra*, & *ponere in pulvere.* Simplicissimum est in verbis Propheticis intelligere adventum Christi secundum; quo in terram descensurus est ad judicandum mundum.

L. de Dieu. 7 Maii 1632.

Quod ad locum Matth. 12. 20. attinet, nolim pro sententia mea multùm digladiari, nec eam tuæ anteferre. Ut eam eligerem præcipuè impulit, quòd id ad quassatarum arundinum fumigantiúmque linorum consolationem vehementer pertinere videbatur, quod non tantùm afflictos istos animos non contereret, sed & condemnationem, cujus metu nunc sæpe horrent, ac si ejecta non esset, verè aliquando & certò ejiceret. In quo non parva mihi emphasis sita videbatur; etsi non ea, fateor, quam tua fert sententia. An verba omnia rectè sim interpretatus, nescio; nondum tamen in eo sum ut negem הוציא posse interdum idem esse quod גרש, & *rei hostilis ejectionem* denotare. Cùm Amnon stupratam sororem ac jam exosam sibi jussisset ejici, dicitur 2 Sam. 13. 18. ויוצא אותה משרתו החוץ. Vulgatus, *Ejecit eam minister ejus foràs.* Optimè ibi locum habet גרש, ut & 2 Reg. 23. 6. ויוצא את האשרה מבית יהוה, *Et ejecit lucum è domo Jehova*, verè tanquam rem exosam & hostilem. Sic in N. T. ubi agitur de ejectione dæmoniorum Syrus passim dicit אפק, i. הוציא, Matth. 8. 16. Marc. 1. 34, &c. imò & in Kal, נפק, i. יצא, pro *ejici*, Mat. 8. 12. quod & Hellenismus imitatur. Marc. 7. 19. ὁὐκ εἰσπορεύεται εἰς τὴν καρδίαν ἀλλ' εἰς τὴν κοιλίαν καὶ εἰς τὸν ἀφεδρῶνα ἐκπορεύεται *in secessum ejicitur.* Utinam tam bene adstruere possem, *ponere in terra* esse agere in interitum. Hîc mihi magis hæret aqua. Non tamen, quod ais, coactum omnino videtur *ponere in terra* & *ponere in pulvere* esse affines phrases: notum enim est ארמה *terram* etiam *pulverem* denotare; & vicissim עפר *pulverem* etiam *terram* valere: sic enim Hebræi quartum elementum indigetant.

J. Clopp. 19 Maii 1632.

Ad locum Matth. 12. 20. meâ Epanorthosi collimavi ad scopum eundem quem tu tibi proposueras, ut quassatis arundinibus & linis fumigantibus ex verbis Spiritûs S. eliceretur consolatio quàm efficacissima. Candoris tui est quòd sententiam meam agnoscis ἐμφατικωτέραν. Ad verborum interpretationem quod attinet, agnosco הוציא posse interdum idem esse quod גרש: ac lubens id ex tua observatione disco, esse hanc vocem mediam, ut est Græca ἐκβάλλω.

De Phrasium autem *ponere in terra* & *ponere in pulvere* affinitate, censeo non posse judicari ex *terra* & *pulveris* ארמה seu ארץ & עפר affinitate, sed ex verborum magis usu, quibus actio *collocandi in terra* aut *pulvere* exprimitur. Hîc inquirenti occurrit Psal. 7. 6. illud וירמס לארץ חיי וכבודי לעפר ישכן, item illud Psal. 22. 17. ולעפר מות תשפתני: in plura similia non incidi. Ubi autem occurrat verbum שום, quod adhibetur Esa. 42. non potui observare, præter unum illum locum Job. 20. 4. מני שים אדם עלי ארץ: quam phrasin vides, etsi in *terra* aliquid habeat affine, toto, quod aiunt, cœlo distare.

L. de Dieu Animadvers. pag. 51.

Ad Matth. 12. 20. Sicut 1 Sam. 3. 13. de Eli dicitur ולא כהה בהם *Et non contraxit rugas in eos*, i. non fuit satis in eos morosus, non satis objurgavit eos.

J. Clopp. 14 Aprilis 1632.

Fateor me non videre quid desideretur ad maximè seriam objurgationem in illo Eli ad filios sermone, 1 Sam. 2. 13, 14, 15. Quare sic sentio, vocem כהה non denotare majorem aut magis morosam *corrugationem* frontis Eli, sed *constrictionem* illam quâ facto compescere & reprimere debuerat eos, & pœnis gravioribus vindicare delicta tam atrocia; neque vel vitæ ipsorum parcere, ut à sacris functionibus essent exclusissimi.

XII.

J. Clopp. 1 Octob. 1632.

Ad Matth. 24. 15. & Marc. 13. 14.

Velim discere, quia Græci Grammatici in verbo ἵστημι participium ἑστὼς, quod formant ex ἑστηκὼς, per crasin faciunt in neutro pariter ἑστὼς, An pro mendo haberi debeat, quod Mat. 24. 15. & Marc. 13. 14. (ubi Bezæ exemplaria, & minores codices Rob. Stephani, Patris & Filii, & Casauboni, & H. Stephani, & Elzevirii, habent ἑστώς*) Codex magnus Rob. Stephani, & Plantiniani omnes, & Crispini, & Frobenianus Erasmi, necnon mei codices excusi, Lovanienses, Argentinenses, & Colinæi, legunt ἑστός. Poteris super hoc monere D. Holtzlinum; ut hoc enucleet in Græca quam parat Grammatica, si antè non observavit; & eligat cum judicio quod potius videbitur in correctione novæ editionis, in qua ipsum ad prelum Elzevirianum laborare indicavit D. Rivetus.

L. de Dieu. 18 Octob. 1632.

Quod de ἑστὸς pro ἑστὼς Matth. 24. 15. Marc. 13. 14. diligentiâ tuâ observasti, mihique arridet, communicavi cum D. Holtzlino; qui gratias tibi eo nomine mecum agit, ejúsque rationem, saltem in sua Grammatica, habiturum promisit.

XIII.

Marc. 3. v. 21. ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη. *L. de Dieu Animadv. pag. 168, 169.*

J. Clopp. 14 Aprilis 1632.

In Lovanienси codice, & Frobeniano Erasmi, est ὅτι ἐξέστατο, pro quo in Argentinensi est ἐξέστησαν.

Car. Molinæus, in Notis ad suam Collationem & Unionem quatuor Euangelistarum, singularem habet expositionem vocis ἐξέστη. Vult discipulos seu agnatos, ut Christo parceretur, dixisse, *Excessit*, seu *evasit ex ædibus:* Laborat ille & sudat, ut à fratribus aut cognatis Christi impietatem illam amoliatur cujus sunt rei, juxta Glossam Ordinariam.

Quid si illam ab iisdem amoliamur, servatâ vocis ἐξέστη communi interpretatione, hâc methodo, ut illud, ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη, accipiamus, non ut ab agnatis Christi profectum, sed ut vocem populi spectantis & audientis Christum, ac de eo judicantis æquè profanè atque illi qui die Pentecostes Apostolis imputabant ebrietatem, & Festus Paulo in faciem dicens, Μαίνῃ Παῦλε, &c. Act. 26. 24? Hoc enim pacto nihil atrocius cogemur agnatis Christi imputare quàm illam judicii perturbationem, quâ ad illam populi vocem ac rumorem qui de Christo spargebatur accurrerint, animo non impio, ad præstandum triste illud charitatis officium, quod, teste Ulpiano, cap. Instit. 12. Gentilibus & Agnatis præscribit Lex XII Tabularum; de quo pervulgatum inter veteres proverbium, ut aliquem errore mentis affectum indicantes, dicant, Ad Gentiles & Agnatos deducendum.

L. de Dieu. 7 Maii 1632.

Sententiam tuam de Consanguineis Christi, ex affinitatis officio prehendere cum volentibus, quòd vulgi rumore impos mentis diceretur, cui temere nimis fidem consanguinei habuerint, consideratione omni & laude dignam judico; nec de veritate ejus quidquam dubitarem si legeretur,

legeretur, ἢ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτῶ, ὅτι ἔλεγον ὅτι ἐξέστη, ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν. At nunc ἀκούσαντες ad vers. præcedentem refertur: quod & Beza versione suâ rectè expressit, *Et cùm hæc audivissent ipsius propinqui*, scil. convenisse rursus turbam ingentem, adeò ut cibum capere non possent, *venerunt ut prehenderent eum*, invidiâ scilicet moti quòd confluxum populi ad Christum augeri indies intelligerent. Ut autem celatâ invidiâ justam rationem prætexerent, *dicebant eum mente alienatum esse*. Qui sensus cum cohærentia optimè mihi quadrare videtur, ut & cum impietate eorum qui, cùm in Christum non crederent, ut est Joh. 7. 5. invidiâ non laborare non potuerunt; quòd, se præteritis, solum hunc suum consanguineum in existimatione apud populum universum esse viderent.

J. Clopp. 19 Maii 1632.

De Consanguineis Christi Marc. 3. 21. ego quidem manum non verterim, aut, ut ille, ciccum non interduim, quandoquidem in Christum non crediderunt, Joh. 7. 5. impietásne illis imputetur nécne. Sed quia in iis quæ ex Casaubono excerpseras, & iis quæ apud Carolum Molinæum me legisse memineram, videbam sudasse viros doctos ut ab impio facto eosdem liberarent, exercitationis causâ conatus sum ipsorum inventis aliquid addere. Quod in medium attuli id gaudeo non omnino displicere. Scrupulus qui remoratur assensum tuum, si verba Casauboni attenderis, ipso arbitro nullus esset: ipse enim suggessit, verbis illis ἔλεγον γὰρ ὅτι ἐξέστη exprimi rumorem de Christo sparsum & famam, quæ ubi ad aures pervenit cognatorum & familiarium Domini, accesserint. Et revera etiamsi, quod agnosco, ἀκούσαντες referatur ad versum præcedentem, atque id rectè Beza expresserit, quid tamen vetat adnectere auditis rumorem istum ὅτι ἐξέστη, ut sparsum in illo ingentis turbæ confluxu, & unà ad aures cognatorum Christi delatum, quando de confluxu isto inaudiverunt? de quo tantisper loqui distulerit Euangelista donec unà opportunè doceret, non tam famâ istâ de confluxu turbæ quàm rumore isto sinistro illos excitos accurrisse. Sed totum hoc mihi est Quodlibetum.

XIV.

Marc. 5. 23. ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς αὐτῇ τὰς χεῖρας. *L. de Dieu Animadv. pag.* 173. & 231, & 473. Beza subintelligit δέομαι aut simile quid, *Rogo ut veniens imponas ipsi manus*, Marc. 14. 49. Ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαί. Beza subintelligit δεῖ *oportet*. Syrus & Arabs ἐγένετο τοῦτο *factum isthoc*, Joh. 15. 25. Ellipsis est verbi δεῖ *oportet*, quod Cl. Beza rectè supplevit.

J. Clopp. 14 Aprilis 1632.

Ego phrasin probam judico absque ulla ellipsi ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς pro ἐλθὼν ἐπιθές. Pleonasmus potiùs est in ἵνα, si Latinè vertas, quod negligi posset: sed in Belgica, Gallica, Italica & Hispanica lingua format Imperativum. Vide locum Eph. 5. 33. ἡ δὲ γυνὴ ἵνα φοβῆται τὸν ἄνδρα· quem rectè Vet. interpres expressit, neglecto ἵνα, *Uxor autem timeat virum suum*. Belgicus interpres Vetus & Faukelius nostro idiomate τὸ ἵνα expresserunt per Dat, Dat het wyf den man vreese. Versio utraque Gallica anni 1559, & 1588. versio Italica Deodati, & Hispanica Cypriani de Valera, expresserunt per suum *que* & *che*: neque aliter Syrus τὸ ἵνα accepit eodem illo loco.

Marc. 14. 49. similiter velim absque omni ellipsi transferri neglecto ἵνα, *Verùm impleantur Scripturæ*. Gallicè, *Mais que les Escritures soyent accomplies*, Belgicè, Maer, dat de schriften vervult werden: ut τοῦτο suum exprimat Christus, quo sc. animo se devoveat ad perpessiones in Scripturis prænunciatas subeundum.

Joh. 15. 25. similiter absque Ellipsi malim imperativi formâ vertere, *Verùm impleatur verbum illud quod scriptum est in lege ipsorum*.

L. de Dieu. 7 Maii 1632.

Quòd particulam ἵνα imperandi vim habere velis Marc. 5. 23. & Eph. 5. 33. amplector ambabus ulnis, & gratias ago, laudóque Syrum & Arabem, qui ea loca sic interpretati sunt. Vulgatus apud Marcum retinuit *ut*: & ad Eph. varia ejus lectio. Mea enim editio, quæ versioni Bezæ annexa est, habet, *Uxor autem ut timeat virum suum*. At quæ apud Rob. Steph. est edita cum nova versione anni 1545, non habet in textu *ut*, sed in margine tanquam variam lectionem annotavit. At Marci 14. 49. & Joh. 15. 25. ubi similiter per Imperativum interpretaris, assentior potiùs Bezæ, Vulgato, Syro & Arabi, qui ἵνα per *ut* expresserunt: Et apud Marcum quidem Syrus & Arabs rectè meo judicio supplerunt Ellipsin per τοῦτο ἐγένετο, ídque ex Matth. 26. 56. Apud Johannem nihil supplerunt, quia omiserunt ἀλλά· tum enim ἵνα cum præcedentibus sine ellipsi optimè cohæret: at lecto ἀλλὰ non dubito quin & ibi optimè ac simplicissimè subintelligatur τοῦτο ἐγένετο· neque enim eò delabor ut Ellipsin ante ἵνα insolentem statuam, cùm omnino ea necessaria sit. 1 Joh. 2. 19. Ἐξ ἡμῶν ἐξῆλθον, ἀλλ' οὐκ ἦσαν ἐξ ἡμῶν· εἰ γὰρ ἐξ ἡμῶν ἦσαν, μεμενήκεισαν ἂν μεθ' ἡμῶν· ἀλλ' ἵνα φανερωθῶσιν, &c. ubi rursus subaudio τοῦτο ἐγένετο. Quia autem de imperante ἵνα submonuisti, non possum non reddere apud Arabes similiter ל præponi futuris, ac valere interdum ἵνα *ut*, interdum imperare; hoc tantùm discrimine, quòd pro *ut* sumptum *Natzabet*, ut loquitur Erpenius, imperans autem Apocopen inducat.

Disquirere juvat, annon & apud Hebræos למען interdum imperet. Occurrit jam locus Psal. 51. 6. לְךָ לְבַדְךָ חָטָאתִי וְהָרַע בְּעֵינֶיךָ עָשִׂיתִי לְמַעַן תִּצְדַּק בְּדָבְרֶךָ תּוֹכַה בִּשְׁפָטֶךָ. Si enim למען hîc est particula finalis, statuenda omnino est ellipsis quædam, hoc modo, *In te solum peccavi, & malum in oculis tuis feci* (quod quidem profiteor) *ut justificeris*, &c. Non enim perpetravit David malum ut Deus justificaretur; sed in eum finem confitetur quod perpetravit. At nullâ ellipsi opus si imperativè exponas, *Justificator tu in sermone tuo, vincas tu in judicio tuo*. Observandum tibi, Vir doctissime, mihíque erit, si quando in alia similia loca inciderimus.

J. Clopp. 19 Maii 1632.

De particula ἵνα imperante gratulor mihi assensum tuum in duobus illis locis Marc. 5. 23. & Eph. 5. 33. in omnibus enim nolim urgere similem necessitatem: ex adverso enim necessitatem agnosco statuendi ellipsin ante ἵνα loco abs te indicato, 1 Joh. 2. 19. Sufficit, si neque mea illa interpretatio locorum Marc. 14. 49. & Joh. 15. 25. sit planè ἀδόκιμος, cui lubens ipse aliam prætulero.

Adlubescit autem omnino quòd Psal. 51. 6. tentasti annon & Hebraicum למען ibi imperet. Addo superioribus, Non multùm quoque ab imperativo modo abire ipsum Latinæ particulæ *ut* usum, quando optandi vel imprecandi formula est: in quo usu Prisciano *Ut* est *Utinam*; & Matt. Martinio descendit ab *Id*, ut sit, *hoc volo*. Ex priori etymo optimè quoque retineri potest Marc. 5. 24. ex posteriori optimè quadrat Ephes. 5. 33. utrobique absque ellipsi.

Quòd verò ais Vulgatum apud Marcum retinuisse *ut*, παράγραμμα est. Constans enim hæc lectio est, in omnibus meis quidem codicibus, *Veni, impone*, &c. in Bibliis Joh. Benedicti 1552. in Bibliis Rob. Steph. in octavo, 1555. in Bibliis Lovanienſium Plantin. 1583. in Bibliis Salmanticæ excusis 1584. in Bibliis recognitis jussu Clementis VIII. 1609. Similiter in omnibus

istis codicibus cõstans lectio in textu est absq; *ut*, Eph. 5.33. *Uxor autem timeat virum suum:* nec laudo si, non præeunte alio excuso exemplari, Beza primus in textum admisit. Non possum quin indicem, cum Vulgato, Syro & Arabe, ac aliis quos nuper indicavi, consentire in utriusque loci interpretatione Versionem Anglicanam, reformatam vetustissimam, & Jesuitarum Rhemensium.

13 *Augusti* 1633.

Suggeram ego locum alterum, ubi similiter mihi usus iste particulæ למען adlubescit. Locus est Esa. 66.11. למען תינקו *ut sugatis*, i. *sugitote*; & למען תמעו *ut exprimatis*, i. *exprimitote*.

Reperio ὅπως geminum isti ἵνα imperanti apud Theocritum Idyllio I. & in Cyclope Euripidis, ubi Ulysses ad Silenum,

——Ἀλλ' ὅπως ἀνὴρ ἔσῃ.

L. de Dieu. 24 *Septembris* 1633.

Quòd apud Theocritum vocem ὅπως eodem significato quo ἵνα Marc. 5.23. inveneris, méque docueris, gratus accipio.

Esa. 66.11. למען malim usitatâ suâ significatione potiùs quàm pro imperante particula accipere; ut finis indicetur cur de Jerusalem gaudere debeant; *Ut* nempe *sugentes satientur*, &c. *atque exprimentes oblectentur*, &c. Interim ὅπως imperandi in illo Euripidis,

——Ἀλλ' ὅπως ἀνὴρ ἔσῃ,

laudo, & gratias ago.

J. Clopp. 13 *Augusti* 1633.

Juvat porrò disquirere, ánnon geminum quoque istiusmodi ἵνα & ὅπως sit istud ὡς 1 Pet. 4.19. quod licèt hodierni interpretes construant cum vocibus quæ immediatè sequuntur πιστῷ κτίστῃ, atque vertant, *tanquam fido creatori*, observo tamen & Vulgatum interpretem Latinum, ac Belgicos interpretes, Pontificium & nostrum, construxisse cum verbo παρατιθέσθωσαν, *Fideli creatori commendent animas suas.* Pontificius, die sullen haerlieder sielen bevelen den getrouwen schepper. Noster, Dat sy haere zielen den getrouwen schepper bevelen. Similiter Rhemenses Angli, Let them commend their souls to the faithful Creator. Neq; hîc versionẽ Belgicam nostrã correxit Cl. Faukelius.

L. de Dieu. 24 *Septembris* 1633.

Quòd similiter ὡς 1 Pet. 4.19. accipi velis, & ab aliis acceptum doces, non sequor, quia non construitur cum subjunctivo. Nam ubicunque ἵνα & ὅπως imperant, cum subjunctivo construuntur, valéntque propriè *ut*: imperandi autem vim habent ob ellipsin alterius Imperativi, ut Eph. 5.33. *Sed mulier* (videat) *ut virum timeat*: apud Euripidem, *sed* (fac) *ut vir sis*: i. *mulier timeat, tu vir sis.* Ità hoc loco, *Qui patiuntur secundùm voluntatem Dei*, ὡς παρατιθῶσι videant *ut commendent*, i. *commendent*: sic laudarem: at παρατιθέσθωσαν est Imperativus. Laudo itaque Bezam, qui vertit, *tanquam Creatori, utpote fideli, commendent animas suas.*

Vide L. de Dieu Animad. posthumas in Epist. pag. 347.

XV.

Ad Marci 14. 3. ναρδου πιστικῆς, Vide L. de Dieu Animadv. pag. 225, 227.

J. Clopp. 14 *Aprilis* 1632.

Arrisit Cl. Sculteto, Observ. in Marcum cap. 80. conjectura Joh. Hartungi, qui ex Athenæo docuit, prope Babylonem fuisse oppidum Opis dictum, ubi pretiosissima Nardi unguenta confecta & in alia loca sunt transportata. Itaque non dubitat germanam lectionem fuisse apud utrumque Euangelistam, νάρδου Ὀπικῆς, &c.

Ad quæ ego, Si, ut Camerario placuit, videri potest à loco nomen deductum, quia mediam syllabam in πιστικῆς produxit Nonnus, atque si nihil interfit an Babylonicum intelligatur unguentum, an ex civitate Persica, malim non ab oppido Opis dictum *Opisticum*, sed ab urbe Persarum Pista, *Pisticum*; nè necesse sit vellicare lectionem receptam, aut mendum aliquod librariis imputare cum Sculteto. Esse autem Persarum urbem *Pista* dictam, docuit me Scholiastes Æschyli, statim in initio Tragœdiæ quæ inscribitur PERSÆ, ad verba illa,

Τάδε μὲν Περσῶν τῶν ὀιχομένων
Ἑλλὰς ἐς αἶαν Πισὰ καλοῦνται.

Sic enim, post glossas alias, concludit Scholiastes, ἀγνοοῦσι δ' ὅτι πόλις ἐστὶ Περσῶν ἔσωθεν Πίσηες καλουμένη, ἣν συγκόψας ὁ ποιητὴς Πισὰν ἔφη.

L. de Dieu. 7 *Maii* 1632.

Ad νάρδου πιστικῆς opportunè injeciisti de *Pista* apud Æschylum urbe Persarum. Dedit id ansam pleniùs rem totam inquirendi. Non ex Persia arcessenda Nardus, ubi nulla crescit, sed ex India, unde Nardus Indica: nam & quæ Syriaca dicitur, non in Syria, teste Dioscoride, sed in India nascitur; quod latiùs persequitur Mathiolus in Dioscoridem. Inquirentem autem an talis aliquis in India locus exstet, juverunt Geographi Arabes Cl. D. Golii, cujus operâ præsens eos inspexi. Testatur Abulfeda Pista esse metropolin Caramaniæ, ad Indum fluvium, urbem amplissimam & maximam. Alii ad Indiam ipsam referunt, quia fluvio Indo adjacet: inter quos Jakutus Hamalbæus, & alius Geographus, qui hanc urbem statuunt in regione Cabal, ex qua Nardum aliáque aromata Indica peti tradunt; quod & sibi probè constare aiebat D. Golius: quandoquidem & regio Chabul, & Incolæ ejus Chebuli, per totum Orientem essent notissimi. Ptolemæus ad Indum fluvium, in eadem regione ubi hodie Chabul est, habet urbem *Pisca*, proculdubio pro *Pista*: Indè Nardus Pistica commodè deducitur. Nondum tamen à Syro discedo, donec id pleniùs confirmetur.

J. Clopp. 19 *Maii* 1632.

De *Nardo Pistice* gaudeo, & gratias habeo, quòd communicare dignatus es verisimilia, quæ, ansâ à me datâ, inquisivisti & invenisti.

XVI.

L. de Dieu Animadv. pag. 241.

Ad Luc. 1.3. ἔδοξε κἀμοὶ παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς καθεξῆς σοι γράψαι, &c.

J. Clopp. 14 *April.* 1632.

In codice meo Lovaniensi invenio interpunctionem post πᾶσιν, & τὸ ἀκριβῶς annexum sequentibus. Quod judico optimè convenire, ut *accuratio* tribuatur hîc scriptioni hujus Euangelicæ historiæ. Non possum quin etiam obiter indicem, adlubescere mihi ut hoc loco τὸ ἄνωθεν transferatur *superne*, i. ex cœlesti revelatione Spiritûs S. ut in revelatione ista fundetur ἡ ἀσφάλεια seu *infallibilis certitudo* Fidei Divinæ, quam Lucas Theophilo suo promittit.

J. Clopp. 21 *Augusti* 1632.

Addo ad tuas Animadversiones super verbo παρηκολουθῆν, Demosthenem in Oratione pro Ctesiphonte τὸ παρηκολουθῆν ad Personas referre in casu accusativo, cùm sic Æschinem compellat, ὃς σὺ ζῶντας μὲν ὡς κλοπὰς & κολακείαν παρηκολούθεις, &c. Idem verò verbum eundem referre ad Res in

in casu dativo, cùm inquit, ἀλλ', ὡς ἔοικεν, ἐκεῖνῳ ὁ καιρὸς καὶ ἡ ἡμέρα ἐκείνη, ἣ μόνον ἔνυσων καὶ πλούσιον ἄνδρα ἐκάλει, ἀλλὰ καὶ παρηκολουθηκότα τοῖς φράγμασιν ἐξ ἀρχῆς. Hoc posterius censeo parallelum esse illi quod voluit Euangelista.

L. de Dieu. 27 *Septembris* 1632.

Quod ex Demosthene de usu verbi παρακολουθῶν adducis, considerationem meretur, mihíque gratum est.

J. Clopp. 13 *Augusti* 1633.

Ad vocem παρακολουθῶν Luc. 1. 3. illustrandam videtur facere illud Theophrasti, in proœmio ad Characteres, σὺν δὲ παρακολουθῆσαί τε καὶ εἰδῆσαι οἱ ὀρθῶς λέγω.

XVII.

L. de Dieu Animadv. pag. 358,359.

Ad Luc. 19. 5. Sæpe enim μένειν tantùm est *esse*, ut Joh. 4. 17. *Vos cognoscitis Spiritum, quia* ὁ ὑμῖν μένει, ἢ ὑμῖν ἔσται, *in vobis est, & in vobis erit:* si vertas, *manet in vobis*, frustrà videtur addi, *& erit*, quia hoc in *manere* comprehenditur. Sic 1 Joh. 2. 6. & 3. 15, & 17, &c.

J. Clopp. 14 *Aprilis* 1632.

Utinam hîc observatum esset, quod optimè monitum ad Marci 12. 4. ab usitata significatione nunquam nisi summâ cogente necessitate esse discedendum. Equidem nullam hîc, nec in locis citatis, necessitatem video quæ cogat discedere ab usitata vocis μένειν significatione, quâ idem est quod *habitare*, & μοναὶ *habitationes* Joh. 14. 2. Neque sic frustrà additum erit καὶ ἔσται. Nam ut bene observatum ad Joh. 7. 42. etiam ἦν *erat*, significat *habitabat*, ex usu Syro. Ergò ἔσται, *& habitabit*. Nolim itaque hîc absque necessitate concedere hanc interpretationem Remonstrantibus; qui illam urgent, ut transitoriam faciant, non immanentem aut permanentem, gratiam Spiritûs S.

XVIII.

J. Clopp. 17 *Julii* 1631.

Reperio apud Theocritum Idyllio 4. vocem ἄφαντος eodem significato quo adhibetur Luc 24. 31. Battus,

Ὠυτὸς δ' ἐς τίν' ἄφαντος ὁ βώκολος ὤχετο χώρην;
Ipse verò bubulcus absens in quam regionem abiit?

L. de Dieu. 24 *Septembris* 1632.

Quòd apud Theocritum vocem ἄφαντος eodem significato quo Luc. 24. inveneris méque docueris, gratus accipio.

J. Clopp.

Invenio geminum vocabulum ἀφανὴς eodem significato apud Plutarchum in Quæst. Græcis, de Temone; cui cùm ludibrii causâ Inachiorum Rex glebam terræ tribuisset stipem petenti, ísque acceptam eam in peram conjecisset, dicit Plutarchus, ἡ ἀφανὴς ὧν ἠγαπηκὼς τὸ δῶρον, *& subduxit se*, &c. Synonymum est quod ibidem præcessit de puella Charila, ἐκποδὼν γενομένη, pro *è medio se subduxit.*

XIX.

J. Clopp. 9 *Junii* 1632.

Observavi nuper, negligere ferè interpretes ἐναντιοφανὲς quod est inter loca Luc. 24. 53. & Act. 1. 3. Videntur diversa esse illa, quòd ab Ascensione Christi Apostoli receperint se *in Templum*, & quòd se receperint *in cœnaculum*, domûs nimirum istius in qua, juxta Glossam Ordinariam, latuerunt usque ad diem Pentecostes: si enim latuerunt, non prodierunt in locum publicum, ídq; *semper*, i. (juxta eandem Glossam) nullam negligentes occasionem quâ prodeundum erat.

Dicam quod mihi videtur: Non habeo pro diversis, sed pro subordinatis, duo ista, fretus auctoritate historiæ quæ est 2 Reg. 11. 2, 3. & 2 Chron. 22. 11, 12. de Joaso, qui dicitur sexennium integrum delituisse in domo Dei seu Templo, operâ amitæ Jehoschebah, abditus בחדר המטות *in conclavi lectorum*, i. *in cœnaculo*. Similiter enim censeo Apostolos dicendos delituisse in Templo, quando se abdiderunt in ἱερὸν seu *cœnaculum* aliquod, quod in aliquo Sacerdotis aut Levitæ (qualis e. g. erat Barnabas ille Act. 4. 36.) habitaculo occupaverant: qualia plura ipsis aperta censeo die Pentecostes, quando id postulavit multitudo auditorum ad millia duo aut tria, & ultrà, excrescens; non tantùm (ut rectè annotat Beza ad locum Act. 2. 46.) ad communem convictum in fractione panis, sed ad audiendi quoque opportunitatem, domos plures commodas ad id delectas. Vidit Beza κατ' οἶκον *domatim* de ejusmodi delectis domibus, non de cujusque domo privata, eo loco accipiendum; sed non attendit παρεμβολὰς istas potuisse haberi intra murorum Templi ambitum, adeóque, ex phrasi Scripturæ, *in Templo*. Quare iniquior videtur in illos quos ait κατ' οἶκον interpretari ἐν οἴκῳ, & οἶκον nomine ipsum *Templum* intelligere. Vellem illorum interpretationem non dixisset falsam; indoctam fateor. De iisdem intra Templi ambitum delectis domibus malim quoque accipere locum Act. 5. 42. quàm de privatis domibus. Etiamsi enim (quod notat Beza) speciosæ in Templo essent porticus ubi ad docendum publicè conveniebant, in confluxu tamen aliquot millium auditorum necessitas flagitavit ut multitudo in plures παρεμβολὰς distribueretur, ac domatim auditoria haberet, in quibus extra solennem panegyrin docerentur. Atque censeo illud κατοικοῦντες Act. 3. 5. significare non *habitationem*, sed *frequentationem* istarum *domuum*, in quibus, ad commodè audiendum, & ad unà comedendum Pascha atque alia sacrificia, cameræ seu ὑπερῶα erant præparata.

— *Si quid novisti rectius istîs,*
Candidus imperti.

L. de Dieu. 14 *Julii* 1632.

Quod de ἱερῷ in Templo adfers ad conciliandum locum Act. 1. 13. cum Luc. 24. 53. vehementer arridet: nam præterquam quòd τὸ ἐναντιοφανὲς tollat, illustrat non parùm donum Spiritûs S. quod in Templo Messiæ figura effusus fuerit in Apostolos: & clarum facit quomodo ex ἱερῷ isto exeuntes obviam habuerint intra ipsum Templi ambitum multitudinem, ob Festi solennitatem ibi collectam, cui gratiam Euangelicam prædicarent. Nec dubium esse potest quin plurima Templo annexa fuerint ὑπερῶα, quæ עליות dicuntur, & Templo attribuuntur 1 Paral. 28. 11. ac distinguuntur ibi à לשכות *conclavibus*, quæ à Lxx non per ὑπερῶον, sed ἐξέδρας, αὐλὰς, θησαυρὸν, γαζοφυλάκιον, παστοφόριον, interdum & absolutè per οἶκον vertuntur: quod postremum confirmat meam sententiam, per κατ' οἶκον Act. 2. 46. intelligi posse *conclavia* inter ambitum Templi inclusa. Etsi Act. 5. 42. aliter accipiam; quia ibi ἐν ἱερῷ, καὶ κατ' οἶκον inter se distinguuntur: κατ' οἶκον ergò non fuit ἐν τῷ ἱερῷ. Nec video cur non Hierosolymis docere potuerint κατ' οἶκον eodem modo & sensu quo Paulus se Ephesi docuisse ait non tantùm δημοσίᾳ, sed & κατ' οἶκον.

J. Clopp. 17 *Julii* 1632.

De loco Act. 5. 42. velim ampliùs cogites, an non illud

illud ἐν τῷ ἱερῷ καὶ κατ' οἶκον ità poſſit accipi ut ego volui; ſi τὸν τῷ ἱερῷ preſſiùs accipiamus, ut aliquando neceſſe eſt, de illis Templi locis publicis quæ deſtinata erant ad Panegyres ſolenniores, κατ' οἶκον verò de Synagogis illis Hieroſolymitanis, quæ aliquando includuntur generaliori *Templi* appellatione.

L. de Dieu. 27 Septemb. 1632.

Act. 5. 42. κατ' οἶκον accipi queat ut tu ſentis, adhuc ambigo. Fuiſſe intra Templi ambitum varia *conclavia*, ſive ea עליות ſive חדרים voces, ubi aut res ſacræ aſſervarentur, aut ad cultum neceſſaria pararentur, liquet mihi. Sed fuiſſe ibidem Synagogas ubi extra atrium docerentur, lubens diſcam. Ego hunc locum interpretor ex illo Act. 20. δημοσίᾳ καὶ κατ' οἴκους.

J. Clopp. 1 Octobris 1632.

Act. 5. 42. mihi quoque (& quod ego malim, & quod tu ſentis) utrumque videtur eſſe abſque periculo. Synagogas equidem, ſeu auditoria, ubi etiam extra atrium κατ' οἶκον doceretur Eccleſia, ſtatuere mihi videor neceſſitate evidenti & manifeſtâ, maximè in feſtorum ſolennitatibus, quando conveniebant hominum aliquot chiliades, quin myriades: qui ſi præciſè cuncti convenerint ἐπὶ τὸ αὐτὸ, nullus Stentor ab illis exaudiri potuit, multò minùs apud illos in panegyri haberi potuere iſtæ doctorum inter ſe & cum diſcentibus συζητήσεις, Luc. 2. 46. Neque unquam, citra ejuſmodi κατ' οἶκον ἐκκλησίας, capere potui quomodo ſalvo ordine & abſque ſpecie ἀκαταστασίας Chriſtus ſe potuerit eouſque ingerere in congregationes & auditoria ubi Phariſæi & Scribæ conſeſſus ſuos habebant, ut ibi ſederet docens, juxta illud Matth. 26. 55. *quotidie apud vos ſedebam docens in Templo.* Quod ego nolim miraculosè factum opinari (quanquam miraculo imputem verba iſta, *nec prehendiſtis me*) ſed ex ordine illo & more quem, ut repræſentat Paulus in primo Chriſtianiſmo, 1 Cor. 14. 13. ità mihi videtur, ad illius praxin, ibidem facere plures κατ' οἶκον ἐκκλησίαν versu 34. Cenſeo autem adhibita fuiſſe ad hunc uſum, non tantùm extra atrium illa in interiori ambitu Templi conclavia, qualia erant in quibus aut res ſacræ aſſervabantur, aut ad cultum neceſſaria parabantur; quod evidens eſt Jer. 36. ſed inſuper, extra ordinem aucto populi numero, etiam illa Sacerdotum & Levitarum habitacula, quæ in Urbis & Templi deſcriptione Adrichomius exhibet in extremo Templi ambitu, ad numerum 50. *quorum*, inquit ille, *domus ab exteriori parte muro claudebantur, à parte autem anteriori habebant aſpectum verſùs Templum:* ac laudat Liranum in Nehem. 3.

Non poſſum quin hîc addam conjecturam meam de domo illa Marci 2. 1. videri mihi illam, præter uſum privatæ habitationis, deſtinatam fuiſſe τῇ κατ' οἶκον ἐκκλησίᾳ· quia verſ. 6. *erant ibi Scribæ ſedentes:* &, ut Lucas refert cap. 5. 17. *ipſe ſedebat docens, & erant Phariſæi ſedentes & Legis doctores:* quomodo & ſuas privatas domos dedicarunt Aquila & Priſcilla 1 Cor. 16. 19. Nymphas Col. 4. 15. & Philemon Philem. 2. in uſum Chriſtianorum.

L. de Dieu. 18 Octob. 1632.

Placent quæ ad illud κατ' οἶκον Act. 5. 42. doctè non dicis tantùm ſed doces: Nec gravatè aſſentior per *domum* illam Matt. 2. 1. publicam intelligi, inſtitutioni populi deſtinatam; qualem Hebræi בירת הכנסת aut בירת מדרש vocare ſolent: cujuſmodi plurimas in majoribus urbibus fuiſſe conſtat. Nam Hieroſolymis olim vel 1480 fuiſſe ex literis מלאתי Eſai. 1. 20. Judæi colligunt.

XX.

L. de Dieu. Animadv. pag. 439.

Ad Johan. 7. 24. *Nè in me damnate quod in Moſe laudatus*, &c.

J. Clopp. 14 Aprilis 1632.

Non abnuo ut illud μὴ κείνετε κατ' ὄψιν dictum ſit adverſùs προσωποληψίαν. At nolim ità accipere quaſi Chriſtus ſuum factum componens cum facto Moſis flagitet in pari cauſa par judicium. Sed intelligo Chriſtum, ut qui factus erat ὑπὸ νόμον, flagitare ut ſe verè ad Legem Moſis examinent factum ſuum, ſdque, ſi revera ſit ἄνομον, rigidè plectant, neque commiſeratione ullâ ducti ſibi parcant: nam & hæc eſt προσωποληψία in judicio vetita. Sed generaliorem puto eſſe hanc phraſin, κατ' ὄψιν, ac præter προσωποληψίαν ſignificare illam quoque judicii perverſitatem quâ operis ſuperficies externa, ad legis literam comparata, abſque ulla attentione ad ſpiritualem legis διάνοιαν, & ad ea quæ in opere Chriſti ſpiritualiter dijudicanda erant, judicabatur. Optimè illud μὴ κατ' ὄψιν exponitur Eſa. 11. 3, 4. לא למראה עיניו ישפוט ולא למשמע אזניו.

AUCTUARIUM I.

Joh. 4. 35. οὐχ ὑμεῖς λέγετε, ὅτι ἔτι τετράμηνός ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. Omnium quaſi interpretum conſenſu munita eſt tranſlatio periphraſtica illa Syri interpretis, *Nónne vos dicitis quòd poſt quatuor menſes ventura ſit meſſis?* Vulgatus ad verbum, *Nónne vos dicitis quòd adhuc quatuor menſes ſunt & meſſis venit?* Accipiunt ergò illa verba, ἔτι τετράμηνός ἐστι, *adhuc quatuor menſes ſunt*, ſeu *adhuc quadrimeſtre eſt*, de temporis intervallo poſt quod demum exſpectanda eſſet meſſis, cùm illa loqueretur Chriſtus diſcipulis ſuis: & hinc eruunt characterem Chronologicum: ſicut cenſuit Beza, *videri ex hoc loco colligi poſſe, à Paſchate cujus mentio Joh. 2. 13. interceſſiſſe octo plus minùs menſes ad hæc geſta, cùm meſſis incidat inter Paſcha & Pentecoſten.*

Nos exiſtimamus aberrari & à ſcopo Chriſti loquentis & à genuino verborum ſenſu. Scopus Chriſti eſt (ut ex verbis iſtis ſequentibus liquet, collato verſu 29, & 30.) loqui de Spirituali illa meſſe quæ ipſi apud Samaritanos in herba erat. Adventabant in agris ad ipſum viri ex urbe Samaria exciti à muliere Samaritana, ut venirent & viderent numquid ipſe eſſet Meſſias: Hos quaſi digito monſtrans, ait ad diſcipulos, ut futuros meſſores in agricolatione ſpirituali, *Ecce dico vobis, Attollite oculos veſtros, & ſpectate regiones, quòd albæ ſunt, & jam appropinquant ad meſſem.* Significat, poſt breve tempus maturandam meſſem Euangelicam in ipſa urbe & regione Samaritana; quamvis tunc quidem nondum veniſſet tempus: interdicebat enim ipſe Chriſtus diſcipulis, *In civitates Samaritanorum nè intraveritis*, Matt. 10. 5. Paradoxæ ergò illi prædictioni quæ impleta fuit poſt Chriſti Aſcenſionem Act. 8. præfatur Chriſtus verbis, ut exiſtimamus, parœmialibus, quæ in ore erant vulgi, ſi quando præveniret ordinarium tempus præcox aliqua meſſis. Parœmiam enim hîc notant iſta, οὐχ ὑμεῖς λέγετε; *Nónne vos dicitis?* ſicut Matth. 16. 2. illud λέγετε *dicitis, Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum*, &c.

Verborum autem ſenſum ſcopo Chriſti conſentaneum cenſemus iſtum eſſe, ut non deferatur poſt quadrimeſtre, ſed intra quadrimeſtre currens necdum finitum exſpectationem præveniat meſſis. Eſt itaque illud ἔτι τετράμηνός ἐστι, *eſt* ſeu *currit adhuc quadrimeſtre*, intra quod inſolens eſt & paradoxum quòd meſſis matureſcat. Ut ὁ τετράμηνος notet *Anni Tempeſtatem, definitam quatuor illis menſibus qui finiuntur ineunte vere.* Quam anni tempeſtatem Lucianus notavit in Icaro-Menippo, intra quam ſcilicet non fulminet Jupiter; ſic loquens, *Quanquam in præſentia*

præsentia fas non est punire quenquam: ἱερομηνία γάρ ἐστιν, ὡς ἐγὼ μανθάνω τέτταρες τοῦτοι τοὺς μῆνας, Est enim Hieromenia, sicuti nosti, quatuor hos menses; jámque induciæ promulgavi: Quare proximo anno, incunte vere, mali malè perdantur formidando fulmine.

II.

Apoc. 16.15. *Ecce venio ut fur. Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, nè nudus ambulet, & videantur verenda ipsius.*

Ad hunc locum Beza ingenuè fatetur videre se non posse, quinam satis conveniat totus hic versiculus huic loco: & censet, *si versiculum proximum 16 conjunxeris cum 14, perpetuam esse narrationem, quæ interjectione istius versûs 15 abrumpatur.*

Enimvero si animum advertas, opportuna est versûs 15 interjectio inter 14 & 16. ut necessarium & salutare celeusma Christi, quo jubentur illi qui excubant pro salute Ecclesiæ in illa peristasi (quâ Spiritus dæmoniorum edentes signa abeunt ad reges terræ & totius mundi, ut congregent eos ad prælium magni illius diei Dei omnipotentis) solicitè cavere nè obrepat somnus, ut tempore visitationis ipsorum Christus Dominus ipsos inveniat vigilantes.

Commentarius enim in versum 14 nec melior nec omnino alius esse queat quàm ille quem exscribemus ex Talmude, è Codice Middoth, sive De mensuris Templi, cap. 1. sect. 2. *Montis Templi præfectus perlustrabat singulas custodias, facésque videm præludebant: unumquemque autem custodem qui pedibus non insisteret hic verbis compellabat præfectus, Pax tibi. Si eum dormire animadverteret, baculo percutiebat: eidémque illius comburere vestimenta permissum erat. Hinc illa verba, Quæ vox in atrio magno? vox Levita vapulantis, cujus vestimenta comburuntur, quòd excubiarum tempore dormierit. Ità refert R. Eleazar filius Jacobi, Semel inventerunt avunculum meum dormientem, ideóque vestimentum ejus combusserunt.*

DE

CAINANE ARPHAXADI

Filio, ejúsque Temporibus,

JACOBI USSERII ARMACHANI DISSERTATIO.

PRæter *Cainanem* illum, Enoshi filium, inter Veteris Mundi Patriarchas celebrem, Gen. 5.9. duo ejusdem nominis alii post Diluvium in edit. Græca adjecti leguntur, quos Moses omnino non agnoscit: Semi dictus filius unus, Gen. 10.22. Arphaxadi verò alter, Gen. 11.12. in Christi genealogia Lucæ 3.36. pariter cõmemoratus. Quæ apparens inter Lucam & Mosem dissonantia perplexam illam quæstionem excitavit, cui solvendæ imparem se fuisse Beda profitetur, in Præfatione Comment. suorum in Acta Apost. difficultatis rationem sic exponens; *Lucas testimoniis Græcis utitur potiùs quàm Hebraïs. Ex quo accidit, quod maximè miror, & propter ingenii tarditatem vehementissimo stupore perculsus nescio perscrutari, quâ ratione cùm in Hebraica veritate à Diluvio usque ad Abraham decem tantùm generationes inveniantur, ipse Lucas, qui Spiritu S. calamum regente nullatenus falsum scribere potuit, undecim generationes, juxta LXX Interp. adjecto* Cainan, *in Evangelio ponere maluit:* & in Enarr. Euangelii secundùm Lucam, *Scite ergò B. Lucam hanc generationem* (Cainan) *de LXX Interp. edit. sumpsisse; ubi scriptum est, quòd Arphaxad 135 annorum genuerit* Cainan, *& Cainan cùm 130 fuerat annorum genuerit Sela. Sed quid horum sit verum, aut utrumque verum esse possit, Deus noverit.*

Quæ tanti viri modestia inconsideratam Antonii Contii temeritatem satis redarguit, qui hinc occasione arreptâ, in Notis ad 2 cap. Chron. Nicephori CP. contra Hebraicæ veritatis defensores ità debacchatur. *Cùm computationi LXX Interp. suffragetur D. Lucæ Euangelista genealogia à Christo ad Adamum replicata, nefas duxit tam Græca quàm Latina Ecclesia Hebraicam sequi numerationem, ac non potiùs eam amplecti quæ ex Euangelio autoritatem accipit. Eant nunc novi Pseudo-christiani & Hebraïsantes molestissimi, qui Judaicâ obstinatione & nudâ literarum atque apicum autoritate freti, adversùs divinam LXX Interp. Translationem & cum Translatione conjunctam prophetiam, & Hebraicorum mendorum emendationem, quotidie blasphemant.*

Latinæ verò Ecclesiæ usum, in Notis ad præcedens Nicephori capitulum, ità ille confirmaverat. *Ecclesiæ Occidentales Chronographiam ex vetere Lxx Interp. edit. mordicus retinuerunt: ut testantur Beda, Isidorus, autor Fasciculi temporum, Hugo & alii passim autores. Sed & argumentum hujus rei evidentissimum præbent Tabulæ quæ quotannis in Ecclesiis Cathedralibus Franciæ cum cereo Paschali publicè proponuntur.* Neque interim animadvertit, & Bedam in Martyrologio (nam extra illud, ubi de Temporum ratione ex professo agit, Hebraicam illum veritatem secutum esse constat) Isidorum, & minorum illos gentium ab eo nominatos autores, ipsásq; illas ab eo productas Tabulas Ecclesiasticas, ejusmodi ex Lxx edit. petitam Chronographiam retinuisse, quæ *Cainanem* tamen (in quo tantopere Contius sese jactitat) ejúsq; annos prorsus è medio sustulerit. Talem enim, ab Eusebio acceptam, numerandi annos Mundi rationem non Martyrologia solùm, Romanũ, Usuardi, Rabani, Adonis & aliorum (ad diem 25 Decemb.) usurpârunt; sed Latini etiam Chronologi & Historici, Hieronymus in Chronico, Orosius, (l. 1. c. 1.) Idacius, Victorius in Paschali computo, Prosper, Victor Tununensis, Marcellinus Comes, Cassiodorus, Isidorus, Gregorius Turonensis, (l. 1. hist. Franc. c. 7.) autor appendicis ad Aimoin historiam adjectæ (l. 4. c. 54.) Ninius in hist. Britonum: quibus & ille addatur qui de Mirabilibus S. Scripturæ scripsit, (l. 2. c. 4. in 3 tomo Operum Augustini) & quotquot alii vel à Diluvio ad Abrahamũ annos 942. vel ab Adamo ad Christũ annos 5199 numeraverunt. Ità enim Hermannus Contractus in Chronico suo, Dominũ nostrum natum scribit, *transactis ab initio Mundi secundùm Hebraicam veritatem annis 3952, secundùm Lxx Interpretes* verò 5199: & 250 post eum annis, Bartholomæus Cottonius Norwicensis monachus,

nachus, in Angliæ historiâ. *Ab origine Mundi*, inquit, *usque ad annos gratiæ 5199. quicquid alii dicunt; quorum redarguitur contradictio & varietas.*

Unde, cùm hi qui in aliis Lxx Interp. supputationem sunt secuti, in annorum *Cainanis* adjectione illos dereliquerint, eos satis mirari non possumus, qui in aliis textûs Hebraici calculum amplexati, in *Cainanis* solius annis sequendos sibi Lxx censuerunt. Itaque argumenta, quibus ad id faciendum sunt inducti, jam expendenda veniunt: quorum primum, & omnibus commune, est hujusmodi. Si generatio Cainanis inter Arphaxadum & Salam sit interponenda, annorum illorum numerus, quibus ante genitum Salam vixit Cainan, ad Hebraicam Chronologiam necessariò est adjiciendus. Sed generatio Cainanis inter Arphaxadum & Salam est interponenda. Ergò annorum illorum numerus, quibus ante genitum Salam vixit Cainan, ad Hebraicam Chronologiam necessariò est adjiciendus.

Propositionem verò illam hypotheticam docti quidam negant, &, admissâ Cainanis interpositione, numerum tamen annorum Hebraicæ Chronologiæ idcirco necessariò esse augendum minimè concedunt. Ut enim in Christi genealogia, Mat. 1. 8. Joram dicitur genuisse Oziam, quamvis proximè Ochoziam ille genuerit, Oziæ proavam; ità & dici potuisse, ab Arphaxado genitum fuisse Salam, Gen. 11. 12. ut ab avo nepotem; intercedente proximo Arphaxadi filio, *Cainane.* [Luc. 3. 36.] *Quòd si verè Arphaxad*, ait Genebrardus, Chronic. anno Mundi 1659. *genuit* Cainan, *deinde* Cainan *Selam: genuit* Cainan *anno* 18. *&* Cainan *Selam anno* 17. *Quâ ratione Sela natus est ipsi Arphaxad cùm Arphaxad ageret* 35 *annum*; sicut in textu habetur Hebraico. Ubi si quis cum doctissimo Spanhemio Dub. Euangelic. part. 1. dub. 23. sect. 29. nobis objiciat, non agi hîc περὶ τῶν δυνατῶν sed περὶ τῶν ὄντων, non *de possibilibus* sed *de gestis*, meminisse illum oportebit, non opponentium partes nunc à nobis susci pi, (quibus à *posse* ad *esse* argumentari non est licitum) sed respondentium, & quidem ad conditionatam propositionem respondentium; cujus negandæ sufficiens redditur ratio, cùm fieri posse ostenditur ut illud non contingat quod hypothesi suâ admissâ disputator necessariò indè consequi affirmaverat. Atque ità negatæ Propositionis probabili (& à Fr. Gomaro, in libello de Genealogia Christi cap. 2. probatâ) ratione redditâ, Assumptionis refutationem à Petro Possino Diallactic. Theogenealogic. cap. 2 hisce verbis propositam subjicere pergimus, *Magnis viris assentior, Abulensi, Eugubino, Cajetano, Cornelio Jansenio Episcopo Gandavensi, Sixto Senensi, Genebrardo, Benedicto Pererio, Cornelio à Lapide, Dionysio Petavio, aliisque antiquioribus & recentioribus multis, Nullum unquam fuisse inter homines* Cainanum *qui Arphaxad quidem filium, Salei verò pater exstiterit. Id invicto argumento conficere mihi videor affirmatione disertâ Mosis genitum ab Arphaxado Saleum narrantis. Quod testimonium quin prout sonat ac prout jacet accipiendum sit, causa nulla idonea potest afferri. Siergò cùm idem Moses eodem loco genitum aut à Semo Arphaxadum, aut à Saleo Heberem, divinâ quâ valuit autoritate revelâsse nobis creditur, propriè & ἀμέσως Heberem Salei fuisse Patrem, Semo Arphaxadum Filium; adeò ut qui proferre auderet alios quosdam quorum generatio media inter istos fuerit, convicio repellendus videretur, tanquam temerarius & lumini rebellis, Divinæ, inquam, revelationis per Moysen S. Spiritûs interpretem nobis oblatæ contemptor contumax: non video quis superesse locus possit isti de insititio* Cainano *sententiæ.*

Adjiciantur his & B. Pererii illa, in Genes. lib. 16. sect. 174, 175. *Sic cum animo meo reputare soleo; Aut hæc generatio Cainan ignota fuit Mosi, aut nota. Ignotam fuisse Mosi, quæ perspecta fuerit & cognita Lxx Interp. quis audeat dicere? cùm Moses tantò propior quàm illi fuerit illi ætati, solúsque illorum temporum Historiam tanta cum diligentia & cura conscripserit. Sin autem ea generatio nota fuit Mosi, cur igitur eam prætermisit? præsertim autem cùm ejus generationis vel adjectio vel detractio non parùm variet Chronologiam quæ inter Diluvium & Abraham à Mose describitur: quam quidem Chronologiam voluisse Mosem integre, exactè ac perfectè tradere, illud est clarissimum indicium, quòd seriem generationum quæ fuerunt inter Diluvium & Abraham distinctè & accuratè percenseat, & suos cuique generationi annos subtiliter computatos propriè assignet. Quî fit igitur credibile Mosen, generatione* Cainan *prætermissâ, vitiosam nobis Chronologiam aut voluisse tradere aut, cùm minimè vellet, inscienter tamen tradidisse? Equidem diu multúmque cogitans nullam rationem (quæ mihi animum expleret) reperire potui, cur Moses generationem* Cainan, *siquidem ea inter Arphaxad & Sale intercessit, præterire debuerit aut potuerit. Nam quod aiunt quidam voluisse Mosen generationes quæ fuerunt ante & post Diluvium ad duas tantùm decades redigere; id nec probari ab istis potest, & leve ac futile est, nec tale ut propter id debuerit Moses Chronologiam (cujus exacta cognitio magni erat momenti) perturbare atque confundere. His adde, quòd saltem in libris Paralipomenôn, in quibus supplentur quæ alibi in Sacris literis derelicta fuerant, unde nomen etiam illi habent, commemorata fuisset generatio hæc* Cainan: *siquidem in exordio prioris libri Paralipomenôn series generationum quæ fuerunt ante & post Diluvium similiter atque hîc recensentur; nec ullam tamen verbum sit de generatione* Cainan.

Huc accedit, quòd Cainanem istum nec Onkelosius Paraph. Chaldæus agnoscat, nec F. Josephus in 1 libro Originum cap. 7. neque Berosus Chaldæus, in sequente capite ab eodem citatus, μετὰ κατακλυσμὸν δεκάτη γενεᾷ, *post diluvium undecimâ generatione*, Abrahamum fuisse significans; uti & cum eo Eupolemus ὁ τοῦ περὶ Ἰουδαίων, ab Alexandro Polyhistore (apud Euseb. lib. 9. Præp. Euangelicæ) productus. Quem denarium, secluso *Cainane*, generationum numerum *Berosum & Eupolemum ab Hebræis, quia clade decem tribuum toto terrarum orbi sparsi fuerunt, haud dubiè didicisse* Salianus affirmat, Præfat. in 3. tom. Annal. Quibus tamen omnibus autoritas Lxx primùm, deinde Lucæ Euangelistæ, ab ipso Saliano & aliis hîc opponitur.

In V. enim editione Græca, quæ Lxx nomen præfert, locus ille 11 cap. Gen. ità legitur, Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριακονταπέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνάν. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ μετὰ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Καϊνὰν, ἔτη τετρακόσια, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε. Καὶ ἔζησε Καϊνὰν ἑκατὸν καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. Καὶ ἔζησε Καϊνὰν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλὰ, ἔτη τριακόσια καὶ τριάκοντα, καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε, *Et vixit Arphaxad* 135 *annos, & genuit* Cainan. *Et vixit Arphaxad postquam genuit* Cainan *annos* 400, *& genuit filios & filias, & mortuus est. Et vixit* Cainan 130 *annos, & genuit Sala. Et vixit* Cainan, *postquam genuit Sala, annos* 330, *& genuit filios & filias, & mortuus est.* Licèt in annis Arphaxadi postgenitum Cainanem, pro 400 quos ex Gr. ed. Romana posuimus, Lat. Fl. Nobilii versio habeat 300. Aldina & Germanicæ ed. cum omnium antiquissimo exemplari Cottoniano, Syro meo Chronographo & Fastis Siculis, 330. Georgius Syncellus 355. Arabicus meus Geneseos interpres 363. Complutensis, cum Alexandrino quem in Anglia habemus codice, 430. Tanta Græcæ lectionis hîc est inconstantia. Sed & in annis qui *Cainani* tribuuntur post natum Salem, licèt in nonnullis exemplaribus 330 legi notet Georgius Syncellus Chronic. pag. 115. ipse tamen ea sequitur quæ 430 legunt: quod & à Syro meo Chronographo (cui Georgio quoque nomen fuit) est factum. Nam Arabicus meus Geneseos interpres hîc etiam ut in Arphaxado, & Sala, 363 habet.

Ad argumentum hinc deductum jam respondendum est; quod est hujusmodi. Si in Lxx Int. ed. *Cainan* inter Arphaxadum & Salam reperiatur interpositus, repudiari ille omnino non debet. Sed verum est antecedens. Ergò & consequens.

Pro-

Propositionem istam connexam nos simpliciter negamus. Frustrà enim Salianus nobis hîc occinit, *potuisse illos Lxx viros, qui non meros agebant interpretes sed prophetas, quique Spiritum illum Scripturarum autorem inhabitantem habebant, ut plerique S. Patrum scripto prodiderunt, non solùm ea in Græcum sermonem convertere quæ in Mose reperissent, sed supplere etiam quæ ab illo justâ quidem, parùm tamen nobis exploratâ ratione fuissent prætermissa: nec magìs dubitandum esse eos* Cainan *in vertendo Mose supplere potuisse, quàm Spiritum ipsum S. qui per eorum ora loquebatur.* Qui si attentiùs considerâsset, divinâ Græcæ illius ed. autoritate semel admissâ, Vulg. ed. Latinam à Concilio Tridentino Authenticam declaratam totam esse corruptam cogi suos fateri, cum socio suo Bellarmino de verbo Dei, lib. 2. cap. 6. pronunciaturus potiùs fuisset, Patres illos qui scripserunt Lxx dictante Spiritu S. fecisse quod fecerant, *piè quæsivisse rationes excusandi & defendendi eam Versionem, quâ tunc Ecclesia utebatur,* & cum Martino Martini Hispano Theologo Hypotyposeon Theologicar. lib. 1. cap. 4. *Hieronymum in Prophetis crebrò illorum* (Lxx) *negligentiam carpit, interdum affirmans literarum similitudine fuisse deceptos, interdum non satìs intellexisse quod transferebant. Denique nullibi non adimit iis Spiritum S. nec immeritò profectò. Quare, si me judice translatio Græca cum nostra* (vulgata Latina) *de primatu contenderet, non dubitarem primas nostræ translationi deferre, & fateri longo intervallo illam à nostra fuisse superatam. Nec adduci possum ut credam ullum tam stupidum, dummodo illas inter se & cum Hebraico contulerit, qui de hac re dubitare possit & nobis refragari.*

Atque in his etiam insititii *Cainanis* patronis verum esse illud deprehenditur, quod à Beda olim est observatum in Præfat. lib. De ratione Tempor. *hos qui Lxx magnis divinisque laudibus ad cœlos tollunt,* breviorem tamen annorum Mundi summam in textu Heb. & ed. vulg. Latinâ traditam sequi non dubitare, quod & à D. Petavio sic illis videmus esse objectum. *Illi ipsi, sicubi commodum est, Lxx suos facessere jubent, aut eorum codices depravatos esse defendunt. In duplici genealogiarum ordine, quem ab Adam ad Diluvium, & à Diluvio ad Abrahamum Moyses perduxit, scimus quàm diversi sint Græcorum calculi ab Hebraicis & nostris. Neque verò recens est discrimen istud, sed ab antiquissimis notatum Scriptoribus; ut proinde mendi non nisi levis possit esse suspicio. Hîc illi, qui Græcos Interpretes tanti faciunt, & Prophetas appellant, ab eorum rationibus discedunt nihilominus, eásque falsas & conturbatas esse non dubitant. Quare cur non idem & in* Cainani *nomine usurpare nobis liceat, & Græcis illis codicibus Hebræorum ac Vulgatæ nostræ editionis autoritatem præferre?* lib. 9. de Doct. Temporum, cap. 17.

Quin & in *Cainanis* ipsius temporibus consignandis Lxx suos deserere isti deprehenduntur. Cùm enim Marianus Scotus, qui omnium primus, Hebræorum in cæteris retento calculo, *Cainani* in Mundi Chronologia contexendæ locum dedit, ed. Græcam simpliciter secutus, Arphaxado ante genitum *Cainanem* 135. *Cainani* ante genitum Salam 130 annos tribuisset; 200 totos eo ex numero annos subducendos novi nostri censuerunt temporum arbitri, Bellarminus, Gordonus, Torniellus, Salianus, Samerius, Harvilliæus, Henricus Philippi, & alii; cum Pererio scilicet lib. 16. in Genes. cap. 11. sect. 183. statuentes, *additionem illam centum annorum ad annos quos habent Heb. & Lat. codices, mendosam esse, nec à Lxx profectam, sed vitiosè in translationem eorum aliunde infusam.* Atqui centum annorum illa additio in omnibus constanter non est observata; ut in Jaredo, Mathusala, Lamecho & Nathore videre licet: Compl. enim, & eam hîc secuta Rom. ed. quæ Nachori ante genitum Tharam 179 annos pro 79 adscribit, planè vitiosa est. Deinde & minoris numeri in annis *Cainanis* inconstans reperitur lectio. Jornandes enim in libro De regnorum successionibus, & Georgius Syrus in Chronologicis suis tabulis, *Cainani* ante natum Salam annos 135 tribuunt. Et licèt vulgatum 130 annorum numerum Georgius Syncellus præferat; in aliis tamen codicibus 139 fuisse lectum simul agnoscit, ità hac de re scribens, Chronic. pag. 168. Ἡ δὲ τῶν Γενέσεως πρώτη Μωϋσέως βίβλος τὸν μὲν ἕτερον ἀνὴρ φησὶ τὸν αὐτὸν Καϊνᾶν γεγεννηκέναι τὸν Σάλα ἐν τοῖς ἠκριβωμένοις τῆς ἀντιγράφου, ὡς κἀμοὶ ἐσυγκατέθεντο· ἔν τισι δὲ τῶν μετὰ ταῦτα φέρεται αὐτῷ Καϊνᾶν, *Primus autem Geneseos à Mose conscriptus liber in accuratioribus exemplaribus* Cainanem *ætatis anno* 130 *Salam genuisse refert, quemadmodum & nos supputavimus. In quibusdam enim, anno* 139 Cainanis *natus ille fuisse fertur.* Quam posteriorem lectionem autores Constantinopolitani Computi, à Græcis & Moscovitis hodie recepti, qui ad annum Mundi 5509 Christi natalem retulerunt, secutos fuisse confirmat Scaliger Canon. Isagogic. lib. 3. part. 2. cap. 1. epoch. 2. Ut nullo certo argumento constare nobis possit, utrùm ad Chronologiam Mundi constituendam assumendus hîc à nobis fuerit annorum 30, 35, aut 39. vel etiam 130, 135, aut 139 numerus. Cùm enim centenariorum annorum illa additio non in nostris solùm sed in antiquissimorum etiam Christianorum Patrum codicibus, iísque etiam qui ante Christi tempora sunt exarati, (ut ex Demetrii Chronologia postea ostendetur) locum obtinuerit; cur eam magìs quàm hanc de Cainane totam laciniam, *vitiosè in translationem τῶν Lxx aliunde infusam* fuisse dicamus, nullam possumus rationem reddere idoneam.

At negat Salianus Præfat. in 3. tom. Annal. *fuisse quempiam aliquando mortalium tam effusè temerarium, aut audaciæ tam projectæ, qui non unam aliquam commutare vocem in SS. codicibus, sed integram hoc loco periodum inserere atque infercire ausus fuerit:* multúmque hîc ille rhetoricatur, pluribus ea urgens quæ à socio ipsius Henrico Philippi quæst. Chronologic. 1. in Genes. cap. 11. hisce interrogatiunculis sunt comprehensa, *Quæ vel Lxx vel aliorum audacia tanta esse potuit, quæ non modò nomen* Cainan, *sed & annos, quos ante, quos post genitum filium vixisse memoratur, in sacrum textum intruderet, si* Cainan *nunquam exstitit? Quæ malitia, quæ spes utilitatis aut Lxx, aut eorum amanuenses potuit ad hoc mendacium impellere, tam disertis verbis, toties nomine reperto, tam accuratis annorum numeris concinnandum?* Sed quid verba audiam, cùm facta videam? & tot aliarum periodorum & capitulorum aliquando pluribus periodis constantium tum additiones tum detractiones in Græca ista editione alibi occurrant, quarum causa nulla reddi potest præter merum ipsius scriptoris arbitrium? cùm prætermissorum tantum esse numerum confirmet Hieronymus, ut *si ea vellet cuncta digerere non libro sed libris opus futurum* dicat lib. 3 Comment. in Jerem. cap. 17. atque additamenta, vel in uno Estheræ volumine, tanta & talia ab Origene in epist. ad Julium Africanum sint notata, ut propter ea *liber hic, quamvis Hebraicus & Hebræis receptus, serò admodum apud Christianos Canonicam autoritatem receperit?* Sixt. Senen. Bibl. sanct. lib. 1. sect. 2.

Ad Assumptionem jam veniendum est, & videndum, an in germana Lxx ed. *Cainan* inter Arphaxadum & Salam fuerit interpositus. Ubi primitiva primùm Mosaicæ Pentateuchi versio, quæ Hebraico textui exactissimè respondebat, (ut in nostro de Lxx ed. Syntagmate est ostensum) & consequenter *Cainanem* istum insititium (neque ab Hebræis neque ab eorum sequace Beroso Chaldæo illis temporibus agnitum) habere non poterat, à liberiore illa totius Veteris instrumenti interpretatione est secernenda, quæ post 4 Ptolemæi Philometoris annum (ut ex fine libri Estheræ liquet) concinnata, procedente tempore Lxx locum & nomen obtinuit. De posteriore deinde illa ex Hieronymo, epist. 135. ad Sun. & Fretel. est sciendum, *aliam esse editionem quam Origenes & Cæsariensis Eusebius omnésque Græcia tractatores* Κοινὴν, *i. Communem, appellant atque Vulgatam, & plerisque* Λουκιανὸς (vel Λουκιανῆς) *dicebatur; aliam Lxx interpretum, quæ in* ἑξαπλοῖς *codicibus reperiebatur.* Et quidem Κοινὴν *istam, h. e. Communem editionem, ipsam esse quæ & Lxx:*

sed

ſed hoc intereſſe inter utramque, quòd Κοινὴ *pro locis & temporibus, & pro voluntate ſcriptorum veterum corrupta editio eſt; ea autem quæ habebatur in* ἑξαπλοῖς, *ipſam eſſe quæ in eruditorum libris incorrupta & immaculata Lxx Interpretum tranſlatio reſervari* credebatur. In communi illa, tum vetere, quæ ante Origenis tempora erat in uſu, tum novâ à Luciano martyre interpolatâ, *Cainanem* interjectum fuiſſe agnoſcimus, eo quo ſuprà ex vulgatis libris propoſuimus modo. In altera verò, quæ incorrupta & immaculata Lxx editio à doctis cenſebatur, quámque in Alexandrina Cleopatræ bibliotheca repoſitam, & in Ægypto, Palæſtina & Syria tum receptam, Hexaplis ſuis Origenes inſerendam curavit, *Cainanem* locum habuiſſe negamus, atque ità textum Moſaicum repræſentatum fuiſſe defendimus, Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τεσσαρακοντατέσσαρα ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ μετὰ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλὰ, ἔτη τριακόσια (al. τριακόσια,) καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας, καὶ ἀπέθανε, *Et vixit Arphaxad* 135 *annos, & genuit Sala. Et vixit Arphaxad, poſtquam genuit Sala, annos* 403. (al. 303.) *& genuit filios & filias, & mortuus eſt.*

In Communi editione Lxx Origenes *Theodotionis editionem miſcuit, aſteriſcis deſignans quæ minùs fuerant, & virgulis quæ ex ſuperfluo videbantur appoſita*, ut in epiſtola 107 ad Chromatium habet Hieronymus: ubi & codices iſtos ab Origene elaboratos Palæſtinis ſuis Euſebium & ſodalem ejus Pamphilum tradidiſſe ſignificat. Hîc verò Origenes ea quæ ad *Cainanem* ſpectant utì invenit, ità & reliquit, ſed virgulâ ſive obeliſco prænotata: quod ex illis Procopii Gazæi in Geneſ. cap. 11. intelligimus. *Hebraica veritas habet Selam genitum eſſe ab Arphaxad. Quæ deinde in medio ponuntur obeliſco ſignata viſuntur.* Ipſe verò Euſebius, in priore Chronici ſui libro, annos Patrum ex triplici textu, Hebræo, Græco & Samaritano, recenſens, (Georg. Syncell. pag. 86, & 169,) in nullo eorum *Cainanem* poſuit; ſed in eo etiam qui eſt κατὰ τοὺς ο' ἑρμηνείαν *juxta Lxx interpretationem* Arphaxadum annos 135 natum genuiſſe Salam commemorat. Quod magnopere ſe mirari Georgius Syncellus dicit, *lectos per omnes Chriſti Eccleſias ſacros Geneſeos libros* Cainanem *habere* affirmans, & ob illum prætermiſſum, tum Euſebium tum alium quendam ætate ſuâ vetuſtiorem erroris coarguens. Ignorabat enim ille, quod Euſebio probè erat cognitum, diſcrimen inter Communem & ſinceriorem illam Lxx editionem quæ in Hexaplis fuerat: ex quibus, in Cæſarienſi Bibliotheca à Pamphilo ſuo repoſitis, illam annorum Mundi ſeriem ſeligendam putavit quam germanæ Lxx Interpretum ſententiæ magìs congruentem eſſe judicavit.

Neque alicujus eſt momenti quod ab Henrico Philippæo opponitur, Euſebium quidem *aliquando diſſimulare* Cainan: *ſed cùm eum alibi exprimat, negaſſe non eſſe cenſendum.* Fefellit enim hîc eum ſocius ipſius Jacobus Salianus: qui in 3 Annalis Procœmio, hoc ex Latina Euſebii Chronici verſione, in præfatione cujus eſt initium, *Incipiunt tempora*, confirmat; atque locis aliquot pro *Cainane* facientibus ex putido illo Excerptorum Barbarolatinorum libello, à Scaligero edito, deſcriptis, ex illis videre nos poſſe concludit *pro qua ſententia Euſebius ſtare cenſendus ſit*: quaſi qui aliquid omnino videt, Excerpta illa non ex Euſebio ſolo, ſed ex aliis etiam ab Euſebii chronographia ſummè diſſentientibus, deſumpta fuiſſe ignorare potuerit: & alteram illam præfationem (ut eam Saliano appellare libuit) *aut alius auctoris eſſe, aut pauca Euſebiana intermixta* habere, ipſe Scaliger non monuerit Animadverſion. Euſebian. pag. 10. a. & illud ad præſentem cauſam attinere ſatìs non evicerit, quòd in ea *ab anno Diluvii uſque ad nativitatem Abrahæ anni* 1072 numerentur; cùm Euſebius, tam *juxta Septuaginta interpretationem* κατὰ τοὺς ο' ἑρμηνείαν, quàm juxta textum Samaritanum, à Diluvio uſque ad primum annum Abrahæ annos 942 ſupputaverit. [Georg. Syncell. Chronic. pag. 86, 87, & 88.] Cúmque in omnibus ſuis epilogiſmis hunc numerandi modum Euſebius conſtanter retineat, & per eum *Cainanis* annos à ſua Chronologia penitus excludat, atque ob hoc ipſum non à Georgio Syncello ſed etiam ab illo longè antiquioribus Chronographis Alexandrinis, Aniano & Panodoro (ibid. pag. 35, 36.) reprehenſum eum fuiſſe conſtet: temeritatis certè notam illi effugere non poſſunt, qui vel Euſebium *Cainanem* agnoviſſe affirmaverint, vel ab ed. Lxx quam ille ſequendam propoſuerat *Cainani* generationem abfuiſſe negaverint.

Sed & ante Euſebium Origenis æqualis Julius Africanus, cui ad Bibliothecam Alexandrinam (in qua authenticum erat editionis illius, quæ tum germanam Lxx interpretationem continere credebatur, exemplar) continuus patebat acceſſus, prætermiſſo *Cainane*, (ibid. pag. 86.) Arphaxadum annos 135 natum genuiſſe Salam, & ab Adamo uſque ad mortem Phalec annos 3000 fluxiſſe memorat. A Mundi enim initio annos 2262 uſque ad nativitatem Arphaxad (neglecto, ut alibi eſt dictum, biennio poſt Diluvium) ille numerat. Quibus additi anni 130 Salæ ante natum Eberum, & Eberi 134 ante natum Phalegum, cum integræ vitæ Phalegi annis 339 (tot enim in Græcis codd. illi tributos invenimus) tumul annos 3000 conficiunt. In Hexaemeron, pag. 55. Καὶ ὁ ὑπονοούμενος κατὰ τὴν τοῦ κόσμου διαμονὴν εἰς δύο διμοίρους ἰσάταλα· τεσσάρων γὰρ δεῖ τῇ ἡμέρᾳ ἀνῦσαι τὸ τοῦ κόσμου ἀπόξεως ἔτη ἑπτακισχίλια, *Et qui Mundi durationis annorum numerus eſſe exiſtimatur, hinc in duas partes æquales eſt diviſus. Ex quo enim ille eſt natus, anni Mundi conditi ter mille elapſi ſunt:* ut apud Euſtathium Patriarcham Antiochenum legitur; γενέσει proculdubio pro τελευτῇ, *nativitate* pro *morte*, librarii vitio, ſubſtitutâ: ſicut ſequentia illa clarè oſtendunt, Γίνεται δὲ ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως τοῦ τελευτοῦ Φαλὲκ ἔτη τρισχίλια, *Ab Adam itaque uſque ad mortem Phalec anni ter mille numerantur.* Quæ etiam annorum Mundi medietas ab Heſychio in Chriſti natalem (apud Anaſtaſ. Nicæn. in Scriptur. quæſtion. 93.) Suida in Φαλὲκ, Johanne Malelâ Antiocheno & Georgio Cedreno in Chronicis ſuis eſt conſtituta: loco Geneſ. 10. 15. & 1 Chron. 1. 19. ità accepto ac ſi diebus Phalegi in duas æquales partes dividenda fuiſſent Mundi tempora. Ejuſmodi enim *diviſionem* Hebraico nomine *Phaleg* ſignificatam putabant; (ſicut Danielis 7. 25. in originali Chaldaico פלג עדן *dimidium temporis*; & 9. 27. in Syriaca interpretatione פלוגת שבועא *dimidiatam* vel *mediam Septimanam* denotat) & 6000 annis integrum præſentis ſeculi ſpatium definiebant: quæ recepta fuerat apud Hebræos, Græcos & Latinos opinio; ut in Barnabæ tributa epiſtola, dicto illo domûs Eliæ apud Talmudicos celebri, Cabbaliſtico autore libri טורים in primum Geneſeos verſiculum, Lactantio lib. 7. cap. 14. Tichonio in Regula 5. & aliis videre licet.

Sed & Julio Africano autor antiquior Theophilus Antiochenus, lib. 3 ad Autolycum temporum epilogiſmum juxta Lxx inſtituens, omiſſo *Cainane* Arphaxadum Salæ patrem facit. Imò & ipſorum Apoſtolorum temporibus Doſitheus, in textu quem interpolatum Samaritanis ſuis dedit Hebraico, Patrum poſt diluvium annis ante παιδογονίαν ex Lxx editione deſumptis, *Cainanem* cum ſuis annis prorſus prætermiſit, numeratis hoc modo à Diluvio uſque ad primum Abrahami (vel 70. Tharæ potiùs) annis 942. ὅπερ ἐστὶ κατὰ τοὺς ο', *quot erant & juxta Lxx*, ut ex Euſebio refert Georgius Syncellus, Chronic. pag. 88. Qui numerorum in Euſebianis & noſtris Samaritanis exemplaribus conſenſus imprimis eſt obſervandus: nè quem Grotianum illud commentum in errorem inducat, quòd *Samaritani quos nunc habemus codices facti fuerint ad Græca exemplaria, ex quo Samaritani ab Juſtiniano coacti ſunt ſuſcipere Chriſtianiſmum*, Annotat. in Lev. 17. 4.

Addi his poterant, præter Euſebii ſequaces, etiam Joſephus in Hypomneſtico ſuo adhuc inedito, & Quintus Julius Hilarion in libello de Mundi duratione, anno

xix

æræ Christianæ 397 conscripto; qui, annorum calculo juxta Lxx instituto, *Cainanis* tempora præterierunt. Ab argumento enim à Lxx ad gravius illud alterum à Lucæ Euangelistæ autoritate deductum, libet jam accedere: quod ità sese habet. Si B. Lucas Spiritûs S. amanuensis in Christi genealogia *Cainanem* inter Salam & Arphaxadum interponendum esse censuit; ea de re dubitandi nullus amplius relinquitur locus. At verum est prius, ut ex Luc. 3. 35, 36. liquet. Ergò & posterius. Ubi ad hypotheticam illam propositionem distinguendo primùm respondetur: siquidem ex propria sententia hîc locutus Euangelista fuerit, veram eam esse; sin ex aliorum, non item: non magis certè quàm Melchisedecum reipsà *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habuisse*, oportere credi, quia ex vulgò recepta sententia id Apostolus pronunciaverit, Heb. 7. 3. *Consuetudinis* enim *Scripturarum est, ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo illo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joseph ab ipsa quoque Maria appellabatur* pater Jesu; *ità & Herodes dicitur* contristatus, *quia hoc discumbentes putabant*, inquit Hieronymus, Comment. in Matth. cap. 14. 9. & in Jer. cap. 28. 10. *Lxx prophetam non dixere Ananiam: nè scilicet prophetam videretur dicere, qui propheta non erat. Quasi non multa in Scripturis S. dicantur juxta opinionem illius temporis quo gesta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat:* atque in libro 2 adversùs Helvidium, *Euangelistæ opinionem vulgi exprimentes, quæ vera historiæ lex est*, patrem *dixerunt Joseph* Salvatoris.

Ità igitur Euangelista Lucas, patres Salvatoris omnes, tam vulgò ità habitos quàm veros, recensendos sibi proponens, genealogiam ipsius ità exorsus, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰν, *exsistens, ut putabatur, filius Joseph, filius Eli*, (patris Mariæ Deiparæ) *filius Matthan*, (nominativo illo υἱὸς in sequentibus omnibus ὑπὸ κοινῆ repetito:) in progressu quoque ejusdem inter Christi patres & *Cainanem* nominare poterat; non quòd talis revera ipse esset, sed quòd à Judæis Hellenistis & Christianis non aliâ quàm Græcâ Testamenti veteris interpretatione usis, (quorum maximus erat numerus) inter Abrahami majores numeraretur. Etsi enim in ea editione quæ Alexandriæ in Cleopatrina bibliotheca reposita, pro genuina Lxx Seniorum postea est habita, *Cainanis* istius nullam exstitisse mentionem ostensum fuerit; in Κοινῆ tamen, sive Vulgata, quæ in communiori usu fuerat, *Cainanem* locum etiam ante Christi tempora obtinuisse, Demetrii in libro De his qui in Judæa regnaverunt Chronologia, apud Eusebium in Euangelicæ Præparationis lib. 9. ab Alexandro Polyhistore proposita, demonstrat. Ea enim, usque ad Jacobi & filiorum descensum in Ægyptum, ab Adamo annos 3624. à Diluvio 1360. (vel potiùs 1362.) ab Abrahami ex Charane in Chananæam adventu 215 dinumerans, 130 annorum *Cainanis* interpositionem necessariò requirit. Quod si à Grotio fuisset animadversum, in eam opinionem nunquam concessisset, in Luc. 3. 36. primùm *Cainanis* nomen errore quodam fuisse repositum: *deinde eùm latè spargi ea lectio per Lucæ exemplaria cœpisset, Græci Christianos etiam in versione Geneseos secundùm Septuaginta, inter Arphaxadum & Salam interposuisse nomen* Cainanis, *annis etiam additis, quò magis Lucæ, quem sic scripsisse arbitrabantur, sua autoritas constaret.*

Longè igitur probabilior (ut ad Assumptionis examen jam veniamus) altera est sententia, *Cainanis* nomen ex Κοινῆ sive vulgata Geneseos editione, ut in 1 lib. 1 Paralip. cap. (ubi neque in Græco codice Vaticano, neque in Bibliorum Jayanorum versione Arabica, neque in Ruthenica sive Illyrica translatione vetere, adhuc insertum illud reperitur) ità in Christi apud Lucam genealogiam fuisse transfusum. De eo, in 2 Chron. suorum lib. Christianus Massæus; *Imprimis dubium videri potest, utrùm beatus Lucas ità scripserit. Quis enim audeat asseverare, quod probari non potest? Quis autem non videat potuisse contingere, ut non ab ipso, sed ab aliis Græcis post mortem ejus insertum sit, si viderint Euangelium à suis Bibliis discrepare, (quod fieri non debuisse constabat) in eo maximè loco ubi generationum series scribebatur? ubi facillimè putari potuisset non voluntatem sed inadvertentiam affuisse Scriptoris?* Et, in Comment. ad 11 cap. Geneseos, B. Pererius, *Ex his rectè concluditur generationem* Cainan *non fuisse in omnibus libris Lxx. Unde probabiliter etiam conjicitur eam non fuisse traditam à Lxx, atque eos libros qui eâ generatione carebant, ut qui cum Hebraïs codicibus congruerent, veros & integros esse judicandos; eos autem qui generationem* Cainan *habebant, ut corruptos atque mendosos esse abjudicandos ac rejiciendos. Facile autem fuit, aliquem nactum libros Lxx in quibus erat generatio* Cainan, *indè eam transtulisse in Euangelium Lucæ: quod à principio non animadversum, non solùm inhæsisse in uno eo libro, sed in eos posita qui usque ad hanc diem exscripti sunt esse derivatum. At enimvero, si quod de veritate librorum Lxx circa generationem* Cainan *satis bene probatum est, idem quoque de libro Euangelico B. Lucæ probaretur, equidem sententiam hanc toto assensu complecterer. Verùm neque hâc ætate ullus est liber B. Lucæ qui in genealogia Salvatoris non habeat generationem* Cainan; *nec legi fuisse unquam aliquem qui diceret vel à se vel ab aliis visum esse codicem ullum B. Lucæ qui tali generatione careret.* Ità ille.

Atqui librum B. Lucæ Græcolatinum, in antiquissimis membranis, literis majusculis, sine spiritibus & accentibus descriptum ipsi vidimus, ubi in Græco, του Φαλεκ, του Εβερ, του Σαλα, του Αρφαξαδ, του Σημ, in Latino, *Qui fuit Phalec, qui fuit Eber, qui fuit Sala, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem*, exsertè legebatur; *Cainanis* hujus mentione prorsus prætermissâ. Codex ille, quatuor Euangeliorum & Actorum Apostolicorum historias complectens, ex Græcia olim in Galliam perductus, in monasterio S. Irenæi in suburbio Lugdunensi est repositus; ibíque oriente civili bello anno 1562 repertus, à Theodoro Beza anno demum 1581 publicæ Cantabrigiensis Academiæ Bibliothecæ est donatus. Neque hujus generis Græcus ullus MS. est alius, vel à Beza commemoratus, vel in Angliam è Græcia nuper missus, quicquid in Notationibus suis ad hunc Lucæ locum dicat Hugo Grotius.

Quærit hîc igitur Salianus, Præfat. in Annal. tom. 3. *qua* sit *vis in manuscripto uno, sive Gallico sive Anglicano, in quo* Cainan *in Euangelio Lucæ omissus fuerit, ut omnibus omnium Bibliothecarum id genus libris opponi possit?* Negátque omnino Gomarus, unum illum codicem tantæ videri esse vel *antiquitatis, ut reliquis omnibus priscis Patribus sit conferendus, nedum præferendus*; vel *sinceritatis, ut fidem præ cæteris mereatur*; De genealog. Christi, cap. 2. Quasi aliam huic codici vim à causæ hujus patronis adscribi fuisset necesse, quàm quanta ad objectum universalem exemplarium Lucæ in *Cainane* retinendo consensum refellendum sufficeret, quæ cui lectio esset præferenda, non ex hujus codicis vel antiquitate vel sinceritate, sed ex Mosis & Ezræ autoritate, æstimandum relinquentibus.

In profundioris autem antiquitatis exemplaribus varietates occurrere plurimas, quæ in posteriorum temporum Manuscriptis nullibi apparent, vel hic ipse de quo agimus codex fidem facit, qui unus in Euangeliis plures à vulgatis libris discrepantes lectiones nobis exhibet, quàm aliarum fortasse Bibliothecarum exemplaria conjuncta simul omnia. De cujusmodi in libris Novi Testamenti suo tempore reperta varietate, ità & Origenes nos monuit in Matth. tractat. 8. *Multam differentiam inter exemplaria invenimus, sive per negligen-*

tiam

tiam ſcribentium, ſive ex temeritate quorundam, ſive propter eos qui negligunt emendare Scripturas, vel propter eos qui quod ipſis videtur in emendationibus vel adjiciunt, vel ſubducunt.

Itaque, quemadmodum in Rom. 1. 17. rectè nos hodie legimus, *Juſtus ex fide vivet*, ubi libri qui Hieronymi tempore exſtabant (quemadmodum lib. 1 Comment. ipſius in Habacuc cap. 2. liquet) primæ perſonæ pronomine ex Lxx addito, *Juſtus ex fide mea vivet*, legerunt; ità vice verſâ, ubi hodie apud Lucam ex κοινῇ ſive vulgata Græca edit. *Cainanem* videmus repoſitum, in illa quæ Origenis tempore ferebatur codicum varietate eundem pari conſenſu non fuiſſe adjectum, tum ex noſtro hoc venerandæ antiquitatis exemplari argumentum capere poſſumus, tum ex ipſius Origenis verbis illis, tractatu 20 in Johannem, Ἀβραὰμ εἰκοσὸς γεγένηται ἀπὸ τῆ πρωτοπλάςυ· δέκα γὰρ γενεαὶ ἀπὸ Ἀδὰμ ἕως Νῶε, καὶ δέκα ἀπὸ Νῶε ἕως Ἀβραάμ, *Abraham à primo homine viceſimus natus eſt. Decem enim generationes ab Adamo ſunt ad Noe, & decem à Noe ad Abraham.* Ut Noe enim, ſeniore *Cainane* connumerato, ab Adamo decimus, ità Abrahamus ab eodem, niſi ſecluſo *Cainane* juniore, numerari nullo modo poterit viceſimus. Quibus addendum quoque, quòd Joſephus, vetus ſcriptor Chriſtianus, in Græco ſuo Hypomneſtico, recenſens generationes ab Adamo ad Chriſtum, poſt Arphaxad ponit Sala, inſititio iſto *Cainane* prorſus omiſſo.

Sed & ex Romanenſium caſtris Joh. Cordeſius, in Gallico De genealogia Chriſti libello, *Cainanis* nomen in primitivis Lucæ codicibus non exſtitiſſe confirmat. Hic enim eſt Anonymus ille cujus contra *Cainanem* argumenta recenſuit in Dubiis ſuis Euangelicis noſter Spanhemius, & *homo non leviter eruditus*, cujus rationibus hac in parte reſpondere conatus eſt, in tertii ſui Annalis Præfatione, Jacobus Salianus. Cui & comites adjicere liceat, ex eadem è qua Salianus fuit ſocietate Jeſu, Theologos tres: quorum primus (ab ipſo Cordeſio productus) Cornelius à Lapide, in Comment. ad Gen. cap. 11. 12. decet *Cainan* in Lucam irrepſiſſe *errore librariorum, vel ſcioli alicujus, qui Hebraicè neſciens, cùm in verſione Lxx quæ olim vulgata fuit, in Geneſi inveniret additum* Cainan, *eundem ex Lxx in Lucam tranſtulit, illúmque ei inſerendum putavit.* Alter Dionyſ. Petavius, lib. 9 de Doctrina Temporum cap. 17. non debere *mirum aut incredibile videri ſi* Cainani *nomen ex Lxx corruptis libris in Euangelium Lucæ redundâſſe ſuſpicemur.* Tertius denique Pet. Poſſinus, in Diallactico Genealogiæ Chriſti cap. 9. confidenter concludit; *ex corrupta jam editione Lxx longo demum intervallo libris Lucæ inditum à ſciolis exſcriptoribus fuiſſe nomen* Cainani. *Nam quis neſcit*, inquit ille, *Teſtamentum Novum librorum omnium frequentiſſimè fuiſſe deſcriptum? Quòd ergò aſſueti editioni Lxx jam mendoſè ſemidocti Græculi ad deſcriptionem Euangeliorum accederent, reſtituere, ut ipſis quidem videbatur, omiſſum apud Lucam nomen non dubitaverunt: quæ hallucinatio emendationis erudita autoritatem habuit, ut in omnes brevi Codices vulgaretur, ſi tamen in omnes.* Et de teſtimoniis pro retinendo *Cainane*, à Lxx Interpretum & Lucæ Euangeliſtæ autoritate deductis, iſta dicta ſufficiant.

INCREPATIO

INCREPATIO BARJESU:

SIVE,

Polemicæ Adſertiones locorum aliquot S. SCRIPTURÆ

Ab impoſturis Perverſionum in

CATECHESI RACOVIANA:

Collectæ hinc indè

Per MATTHÆUM WREN F. ex Opere prægrandi Meditationum Criticarum in S. Paginam, conſcriptarum à Patre ſuo R. D. M. Epiſcopo Elienſi in ſolitudine ſua carceraria,

DE

Genuino ſenſu, atq; exacta Noſtra Verſione Divinorum Textuum.

Conſilium editi hujus Opuſculi paret è Præfamine;

In quo

Quæ præfigi jubentur, hæc ſunt,

Decrevi enim hoc, haut nôſſe quicquam inter Vos, niſi JESUM CHRISTUM, EUMQUE CRUCIFIXUM. 1 Cor. 2. 2.

In Quo mala perpetior uſque ad Vincula, tanquam Malignus; Sed verbum Dei non eſt Vinctum. 2 Tim. 2. 9.

Lectoribus Piis, atque D. Jeſu Chriſti Perennicultoribus

PRÆFAMEN MATTHÆI WREN F.

FEci, quod potui, Candidiſſimi Viri: Quanquam id, quod nunc præſto, vix Pars ſeſquidecima ſit λειμμλιω illius, quod avebam in publicum dari. Iſta nimirum Res eſt; Videbam R. D. Parentis mei magnos animos non fregiſſe, quòd Rerum ſuarum expilationes non ſemel paſſus fuerat, ſed (vel eò alacriùs) Eum ſibi in dies ſingulos ſtudiorum ſuorum penſum abſolvere. Hactenus tantùm, poſt aliquot prædonum incurſationes, mutârat Ei derepente mos, Ut (experientiâ tam multâ edoctus, Amicorum etiam precibus victus,) Cartulas ſuas deincipes, Quibus profana quotidie otia arcere ſolebat, Carceríſque ſqualorem depellere, curaret ſemper ſub alarum remigio inſtructas, Ei ſe ſiſtere, neque igitur naſci ferè citiùs, quàm & in fugam è Carcere ſe dare. Poſtquam autem creviſſe, Illas quidem in magnam molem, inque juſtam ætatem Meipſum, ſenſeram, multorum optimæ Fidei, Notæque votis obſecutus, Rogatorem me ſupplicem feci, Ut quærentibus quotidie à me, Quid ageret in tam improba Solitudine ſenex Pater meus, facultatem mihi largiretur Reſpondendi per Meditationum ſuarum ſub Typis præſtationem. Verùm quòd fruſtrà hac in Re fuerim, nullâque prece ab Eo, (Quem nunquam mihi durum ſenſeram,) impetrare hanc gratiam potuerim, cauſſatus ipſe plurima eſt; Librorum omnium (præter Sacros Textus, atque Lexicon, Quo ipſo Duodecennis in Schola utebatur,) per tot jam annos inopiam; Notarum ſuarum Raptum; Colloquiorum Defectum;

Cartularum etiam harum, quamprimum enaſcerentur Ei, fugam; ſic ut per effœtam jam memoriam (Incarcerationis enim ſuæ Qui (alacer cum Bono Deo) IV^um, ferè, luſtrum, Ætatis autem ſuæ XV^um hoc anno abſolvit;) nè recolere quidem ſæpe poſſit quid ipſe priùs ſcripſerit. Addidit porrò, Alieniore hoc ſeculo, vix quenquam apud Nos curaturum (ne laturos quidem plurimos) Quid Epiſcopo videretur: Ad tantam etiam Editionem opus futurum impenſis longè majoribus, quàm poterat cum neceſſitatibus adultæ numeroſæ Prolis, Rerúmque ſuarum, ante tria Luſtra afflictarum, anguſtiis ſtare.

Hâc igitur ſpe ubi me certò excidiſſe viderem, nolui tamen animum deſpondere, ſed poſt aliquam moram denuò aggreſſus, obnixè petii, poſtulaminis jam longè minoris nequâ repulsâ me premeret, ſed ut licentiam mihi faceret (vel Sanctæ Fidei Eccleſiæque cauſſâ) evulgandi partem eam Meditationum ſuarum, quas in Catecheſin Racovianam (ubi introducta ea non ità pridem ad Eum fuerat) conſcripſerat. Ille, conſcripſiſſe ſe quidem ſubindè per vices nonnihil in eo Argumento, reſpondet; verum nullo intuitu ut Catechiſmi illius Refutatorem ſe præſtaret, Quem videre contigerat Ei tam ſerò, ut ab aliis tum refutatam eſſe dubitare nequiret, Sed tantùm ex indignatione ſancta, quòd in eo Magmate tot Loca SScripturæ (Quibus elucidandis, prout occaſio inter meditandum Ei incideret, & quantum ex verbis Textuum, per Deum, poterat, Anachoreticas Ruminationes ſuas jamdiu addixerat;) ab impia Factione tam immaniter torqueri conſpiceret, tantâque cum vi & dolo temerari. Præter verò, quòd ea quæ antè repoſuerat mihi contra totius Operis ſui Editionem, etiam & contra Partis cujuſpiam ex æquo militent, mantiſſæ loco aiebat eſſe in Parte iſta, Tum quòd ab aliis præſtantiſſimis ingeniis Quid hac in cauſſa jam præſtitum fuerit, norat ipſe cum ignariſſimis; Tum quòd neminem omnium ex impura ea hara oculis unquam uſurpaverat præter iſtum Catechiſtam; Tum denique quòd Quæ contra illius corruptelas in Textuum Sacrorum vindicias meditatus ſubindè fuerat, inter cæteras Exercitationes ſuas (Methodo nulli à ſe, in Quodlibetico ſuo genere, adſtrictus) ità interſperſerat, Ut laboris non exigui foret fugitivas Cartulas primùm perſequi, & dein ex iis Spicilegium Anticatechiſticum facere. Veruntamen (inquit) ne omnia tibi, præter morem meum, abnegare videar, Tu, ſi animum ſic obfirmaveris tibi ut haſce difficultates facilè devoraturus ſis, Eas cum Bono Deo, atque convaſatis hinc indè Cartulis meis, Quod ex Re S. Eccleſiæ Tu & Amici tui (Quorum vota nunc conſociaſti cum tuis) maximè futurum duxeritis, Duce Chriſto Auſpicéque, agatis per me licet: Cum iſta tamen Cautione, ut Meditationum mearum ſiquid Typis nunc mandabitur à vobis, Divina Duo Apophthegmata S. Pauli in fronte gerant, ex 1 Cor. 2. 2. & 2 Tim. 2. 9.

Habetis igitur, Optimi viri, conſilium iſtius Editionis: Cui nihil allaborandum nunc à me eſſe cenſeo, niſi ut adſumentum Opuſculo huic faciam quod in Cartulis perquirendis obſervabam, Reſponſum à Parente meo eſſe Erudito viro nonnihil percunctanti per Epiſtolam. Sic autem ſe habet, in Sectione 766 Ἀναμνηυκισμῶν, Paragrapho 1.

[*Hâc de re aliquid à me ante Triennium adnotatum eſſe ſcio: verùm Tu noſti, Res meæ quæ in conditione jamdiu fuerint: Cartulæ meæ haut citiùs exiccantur, quàm præ Sacri Raptûs meis à me avolent. A memoria autem mea, nunquam non labili atque infida, conſeneſcente verò nunc indies, ſic deſtituor, ut fugerit me planè Quid antè ſcripſerim. Si abiero igitur jam (aut unquam certè) ab antè ſcriptis, danda eſt Seni hæc venia; Meóque ſub nomine illud ſolùm retinendum eſt, non Quod prius, aut Quod poſterius, ſed quod meliore cum ratione dici à me videbitur. Eâ enim lege omnia mea ſcribuntur, Ut vacent prorſùs atque nihil ſint, niſi quod Pietati & Rectæ Rationi debeant; Sanctâque jam fide proteſtor, Velle me, pro non meis, próque non ſcriptis, ſemper haberi, ſiqua perperàm exciderint mihi, aut quæ viris piis Doctíſque, Eccleſiæ etiam Chriſti (ſed Catholicam, veríque Nominis eam, dico,) non probavero. Illius enim judicio omnia mea ità ſubmitto, Ut Quæ Ei non placebunt, ipſi primùm Authori ex animo diſplicere, Deum teſtari haut verear, Tuque (Cariſsime) fidei commiſſum hoc eſſe nunc jubeam rogémque.*]

INCREPATIO

INCREPATIO BARJESU:

SIVE,

Polemicæ Adsertiones Locorum aliquot S. SCRIPTURÆ

ab impostoris Perversionum in

CATECHESI RACOVIANA.

Sect. I.

I. Λόγος Verbum, *An* Sermo. *Ut Deo Filio competat.*
II. *Id, per Quod alterius voluntas narratur,* Sermo *ejus dici potest, sed non Is per Quem.*
III. Principium *pro Æterno, Vox* principii *refertur ad subjectam materiam. Omnium consensui repugnare, Quid?*
IV. *Christum faciunt Pomeridianum Deum, atque* ex Dono *solum.*
V. Ante Luciferum Ros Nativitatis, *sitne pro, Qui Tibi nascetur, An pro, Unde Tu natus es.*
VI. *Qualibet sententia habet suam sibi materiam subjectam.*
VII. *Materia subjecta ex mente loci æstimanda est.*
VIII. In principio esse, *Quo nihil est prius, est certissima notio Æternitatis. Dies seculi.*
IX. Dies Antiqui *dicebantur, post 700 Annos, de Seculo proximo ab Exodo ex Ægypto.*
X. *Mentio* Dierum *aut* Initii *stat cum Æternitate.*
XI. Egressiones *Messiæ, Una Æterna, In Initio; Alia, à diebus seculi, In Carne.*
XII. *Ubi terminus à Quo geminatur ab Hebræis, ibi* Ab *est Ante in posteriore.*
XIII. Hodie *pro Æterno; potest enim Ab æterno fluxisse, & In æternum fluere.* Ὁ αὐτός.
XIV. *Psalmus 2 sensum literalem de David non habet, sed mysticum de Messia per Prophetiam.*
XV. Hodie genui te *comprehendit Christi Generationem, & Pontificatum, & Resurrectionem.*
XVI. *Aliud est* Deum genuisse, *Aliud* Genitos ex Deo esse. Σοκινῆσαι *de partu spirituali.* Λόγος. Ἀλήθεια.
XVII. *Rei sit, an Cognitionis,* Principium *Euangelii: Æternum enim est, Quoad rem, Bona voluntas Dei erga Homines.*

VOcabulum Λόγος, inter cæteras suas significationes, *Verbum* vertatur an *Sermo*, haud multum quidem interest. In Sacris præsertim literis eò minùs contendendum est, quia tam sublimem secum sensum sæpe in iis apportat, at Latinâ quidem nullâ dictione aut plenè, aut propriè satis exprimi possit. Quem illum verò? ubi à SSpiritu attribuitur unigenito Dei Filio, à Patre procedenti, velut à mente Æterna, (à mente enim nostra & verbum nostrum) cujus ipse igitur perfectissima Imago est, (prout & humanæ mentis verbum, quo ipsa seipsam intelligit, est mentis humanæ perfecta imago) ínque ipsa intimus æternùm permanet, sempérque præsens separari unquam ab ea non potest; licèt per adsumtam naturam humanam illapsus ipse nobis in notitiam nostram sit, uti & verbum nostrum internum aliis per sermonem manifestatur. Judicii ergò lis mera olim erat inter viros literatos, & vitio tum carebat, per *Verbum* an per *Sermonem* sacra ea loca ab iis exprimerentur. Sequiore autem jam Ævo nostro, ex infelicis ingenii malitia, profectum est, ipsámque Simonis χολὴν πικρίας, καὶ σύνδεσμον ἀδικίας, Act. 8. 23. sapere videtur, quòd Christum Dominum, ubi ὁ Λόγος dicitur, haud facilè patiantur novi clientes aliter quàm *Sermonem* appellari. Quid itá? Divinam enim Christi naturam cùm ejurati jam sint, omníque Personarum in Essentia Divina distinctioni bella (*horrida bella*) indixerint, metuunt jam sibi à vocabulo *Verbum*, nè cordatis sobriéque sapientibus vel vox ea Æternum Dei Verbum, quo sese intelligit, & quod intimum secum semper habet, in memoriam revocaret. Christum igitur non *Verbum*, sed *Sermonem* appellitari imperant, Rationémque hanc (nè fine ratione insanire suis videantur) adfibulant, *Quia Deus Pater per Christum voluntatem suam omnem perfectè exposuit; ergò Christus à Johanne Sermo dicitur*, Catecheseos Racovianæ paginâ 91. Atque ità jam vertendus ille locus est, *In principio erat Sermo; & Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo*, Joh. 1. 1.

2. Siccine verò, O Boni? Ex usu igitur communi hoc præcipitis? An ex aliquo sacro? Dicite, De quo idiomate est, Qui voluntatem Heri sui, Regísve, aliis annunciat, Heri eum, Regísve *Sermonem* appellitari? Audiamus ergò, obtestamur, Quis erat sermo Cyri? Quis Alexandri, aut Cæsaris? Aut, extrà nè abeamus, De Abrahamo, Mose, Samuele, Davide, Esaia quid censetis? Ecquis omnium veterum Prophetarum, partem aliquam voluntatis Dei annuntiantium, *Sermo Dei* ob id dictus est? quantò minùs quisquam eorum absolutè dicebatur *Sermo*? An verò regulam vos figere dicetis, quæ in solo Jesu tenebit, Quia in illum, non ut partis alicujus, sed ut integræ voluntatis Divinæ expositæ Internuntium adspicitis? Illi ergò hanc gratiam facietis, *Sermo* ille ut audiat. Enimvero novum non est ut id, per quod alterius voluntas nobis aperitur, sermonis ejus rationem aliquam habeat. Jam olim subferula didicimus, *Epistolam esse Sermonem absentis ad absentem.* Sed & signa sæpe, muta licèt, loquuntur tamen, *Vultúque ipso læditur interdum pietas.* Verùm ut lator epistolæ pro scribentis sermone habeatur, aut per quem voluntas Divina cognoscitur, ut ille *Sermo* ob id indigetetur, tam insolens hoc est, tam ob omni ratione, usúque alienum, ut novæ huic Theologiæ tantùm εὔτυχεστον esse, atque ab ea solùm epocha ætatem ducere, ad Socininæ igitur ferulæ dictamina purè putè referendum esse, non possimus non decernere.

3. Cui interea non subolet quid ex isto Solœcismo suo ipsi machinentur? Nam cùm illum sermonem, quo aliis exponitur quid Alter velit, verbum merè σημαντικὸν esse oporteat, áque natura ipsa aut essentia Volentis satis remotum, optimam hanc rationem habituros se sperant inter suos Christum à Divina natura exturbandi, neque existimandi copiam cuiquam dandi habere eum aliquid in Deo, quod ἐνδιάθετον atque de Essentia ejus sit. Veruntamen & huic technæ haud ausi fidere, parúmque se proficere rati, seu *Sermo* seu *Verbum* vertatur, Ab Æterno enim si sermo fuerit, per vocabuli ineptitudinem, non posse Christum à Divinitate sua excludi, Ergò & aliam versuram, in usum suum Antichristianum priore longè accommodatiorem, fabrefecerunt, negántque eum Sermonem ab Æterno fuisse. Quanquam enim Johannes parùm catè dixerit Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. quanquam & vox *Principium* aliquando

sumatur pro Æterno, ut Hab. 1.12. tamen cùm *ferè semper in SScripturis vox* Principium *referatur ad subjectam materiam*, (cujus rei exempla laudare solent è V.T. Dan.8.1. atque è N.T. Jo.15.27. & 16.4. & Act.11.15. Catech.Racov.p.52.) Quis prohibet, & à Johanne nunc ità sumi? Cúmque nobis certè nullus litigandi sit animus, nulli reponimus, eos & à semetipsis prohiberi, & ab ipso Johanne: A semetipsis quidem, quia de veritate SScripturæ alibi determinantes, ipsi sic statuunt, *Qui unanimi omnium ætatum & hominum consensui repugnare velit, hunc justissimam ejus rei causam adferre oportere*, Catech. Racov. p.3. Ex omnium autem consensu, Johannes illud *In principio erat verbum* de Æternitate Christi intellexit; Ipsi verò causam heic nullam (nedum justissimam) repugnantiæ suæ adferunt, præter eam (longè injustissimam) quam Logici appellant Petitionem Principii: A Johanne verò prohibentur, Quia eodem in argumento, eadem de re, eo ipso & alibi ille vocabulo ἀρχῆς utitur, ad Æternitatem verbi vitæ significandam, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς. 1 Joh. 1.1. Verùm intererat jam ipsorum, locum illum de verbo vitæ, quam æternam fuisse dicit, & fuisse apud Patrem, dein & nobis manifestatam fuisse, negligere quantum poterant, & nec videre.

4. Ut demus verò iis hoc quod petunt sibi de *Principio*: *Referri* & heic oportere vocabulum illud *ad subjectam materiam*; habeant enim per me, quod volunt: Quid indè conficient veró? Quid? Actum igitur actum erit de Divinitate Christi Domini nostri. Nam *cùm hîc subjecta materia sit Euangelium, cujus descriptionem suscepit Johannes, sine dubio per vocem* Principii, *Principium Euangelii Johannes intellexit*, C.R. p. 52. Sine dubio?

Ὦ πόποι. ὦ πέπονες. κἀκ' ἐλέγχεα.

Ex ipsorum igitur glossa ità nunc adornandus est Textus, Christus *erat sermo in principio* Euangelii. Istud verò ὸ quàm divinè conspirat cum ipsorum Theologia! Christum enim, Deus utcunque ut sit atque habeatur, ex dono jam habeat, (ex dono ipsorum intellige, qui non ab æterno, ex Essentia Divina, sed ex utero virginis, donóque Patris, hoc ei largiuntur, C.R.p.50.) suo se tamen modulo metiri oportet, atque ipsis jam Monitoribus scire, se Pomeridianum tantùm Deum esse, seróq; satis post Octaviani Imperii annos totos Quadraginta, ἀρχαίαν suam numerare. Illud verò quod vulgò adfertur, *Ex utero ante luciferum genui te*, Psal. 110. 3. (nam & eum quoque locum inter cætera convellere tenentur) ad eum nihil pertinere, neque aliud reverâ esse, quàm Matutinum somnium primævæ Ecclesiæ, sed à pravo Senum interpretamento contractum: *In Hebræo* enim *legi, ab utero ante Auroram tibi Ros nativitatis tuæ; essèque vaticinium de multitudine populi Christiani, instar roris matutini multiplicandi*, C.R.p.58.

5. Sed bona verba, quæsumus, magnifici Dictatores: neque enim vestrâ monitione opus est Senibus illis שחר significare *Auroram*, à quibus plus decies vertitur ὁ ὄρθρος. Quòd verò περὶ ἑωσφόρου mavoluerint hoc in loco legere, non sine judicio factum ab iis videtur, ipsâ Præpositione περὶ hoc ab iis postulante, longè antequam auroravit scilicet, i. ante prima momenta auroræ, dum subnigrescebat adhuc, (nam שחר primariò est *nigrum esse*) neque Phosphorus ipse, Auroræ anteambulo, statione suâ adhuc exierat. Veruntamen jam *Lucifer*, an *Aurora* si legatur, ecqua necessitas est ut vagè sumatur, de cujuslibet diei tempestate matutina? Enim verò referri de jure nunc debet ad Archetypum illud Mane, quod primum omnium è tenebris illuxit in ipsis primordiis Creationis, Quando *Vesper & Mane erant dies unus*, Gen. 1.5. ut hoc sit, quod SSpiritus aiat. Ante hanc auroram genui te. Quod verò ante primam temporis commensurationem exsistit, potésne aliter esse quàm ab Æterno? Difficultas ergò nunc verè nulla est nisi in eo, quod Senes verterint, ἐγέννησά σε, sed & ea quoque fortassean nulla heic est. Summa enim rei huc recidet, An *Ros Nativitatis tuæ* è mente Davidis accipietur pro *unde tu natus es*; an pro *qui tibi nascetur*? Priorem certè sensum (& quid vetat?) Senes illi, tam diu ante Messiæ adventum, amplexi sunt, Ideóque, cùm Psalmus ipse Divina planè μεγαπρεπείᾳ sit (Davide per SSpiritum repræsentante nobis adfamina Domini Dei Patris ad Dominum Messiam Filium) Illi licèt non ad literam, ad sensum tamen illum, ídque non sine grandis mysterii, propter ineffabilem eam Generationem, intuitu, *unde tu natus es*, reddiderunt per id, quod in Persona Patris, jam indè à Psalmi principio loquentis, æquipollet, *Genui te*. Recentiores verò, quibus *ros Nativitatis tuæ* videtur jam per rerum eventum dici, pro *qui tibi nascetur*; illi vaticinium esse volunt de credentium multitudine. Ex utra jam parte victoria stabit, Theologis, sed sobriis, sanéque piis, & rerum singula momenta probè arbitrari edoctis, relinquitur arbitrandum.

6. Ut redeamus igitur jam, unde digressi tantillum sumus. Qui ἐν ἀρχῇ *ad subjectam materiam referri* non negabimus iis, negamus tamen ad materiam primam, hoc est, ad generalem, & indistinctam, sed ad proximam tantùm, & qua de ibi loci speciatim agitur, referendum esse. Utcunque igitur Johannes *Euangelii descriptionem suscepisse* ab eo dicitur, suum tamen sibi subjectum in Euangelio isto habent singulæ partes ejusdem, istud hæc, illud alia, substratámque materiam, non solùm variam, sed & toto cœlo differentem, ex variis periochis designare est. Frivolum itaque sophisma est, atque Dialecticorum, vel pueris quidem ludibrium, magistris scuticam etiam debet, de Principio Euangelii quicquam heic oggannire; nihílque probat, nisi illos qui talia effutiant, depuduisse jampridem, & nihil nunc ea in parte habere quod Bonæ Fidei Theologos dicere deceat; sed & illis potissimùm se ista dicere, quibus quidlibet obtrudi satìs sit, vel pro Junone nubeculam. Tam insigni verò responsitandi facultate pollentes, cur ab interemtione alterius illius loci (quem modò indicavimus) abstinere voluere? Nam quid si Johannes ibi de Verbo vitæ hoc dixit, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς; At *vox* illa *Principii in Scripturis ad subjectam refertur materiam*; subjecta autem ibi materia est Epistola, quam scribendam Johannes suscepit; sine dubio ergò per vocem hanc ἀρχῆς ille Principium Epistolæ suæ intellexit. O Divinam subtilitatem! Sed sic argumentari datum est recentis Fidei paracharactis? Habebit igitur iis (si bonus esse potest,) æternam hanc gratiam ille Dominus eorum, cui uno hoc responso res duas ingentes præstant: Nam & Christum, exosissimum hostem ejus, Divinitate suâ, (quod ipse per annos sesquimillenos, & quod excurrit, nullâ arte poterat,) nunc scitè emungunt; & ipsum Diabolum amicè liberant ab anteactorum seculorum longo convitio. Inusserat quidem ei hoc stigma Jesus, ἀνθρωποκτόνου ἦν ἀπ' ἀρχῆς, Joh. 8. 44. sed quid tum? Omniúmne retro ætatum reatu quisquam opinabitur eum laborasse? Fallitur. Nè semihorulæ quidem jam crimen est: Nam non nisi *Principio* illius concionis esse cœpit; Concio enim ea, (si bonos hos Patronos sequamur,) est *subjecta materia*, & *vox Principii ad subjectam materiam referenda est*.

7. Et verissimum tamen sine dubio est, quod falsarii hii exposcunt, *Referri oportere vocem* ἀρχῆς *ad subjectam materiam*. Sed materiæ ipsius designatio mystagogis hujusmodi nunquam permittenda est. Certè enim, in eo quod *Diabolus homicida à principio* audiat, Dicti illius *subjecta materia* est ipse homo, nihílque verius dici potest, quàm indè à principio humanæ naturæ illum homicidii se reum præstitisse, qui Adamum, quamprimum formatus est, atq; in eo genus omne humanum contrucidavit, Gen.3.13. Ex eodem igitur fonte & idem Diabolus à Johanne notatur, quòd ἀπ' ἀρχῆς ἁμαρτάνει, Joh. 3.8. Atque hujus dicti cùm ipsum peccare substrata

subſtrata materia ſit, Diabolus ergò in omnibus creaturis Dei primus eſſe intelligitur qui peccavit in Creatorem. Petrus autem profeſſus SSpiritum & in ipſos Gentiles deſcendiſſe, ὥσπερ καὶ ἐφ' ἡμᾶς ἐν ἀρχῇ, Act. 11, 15. de præcipua quadam atque illuſtri præſentia SSpiritûs loquitur, per Linguarum Laudúmque Divinarum χαρίσματα manifeſtati, Act. 10. 46. refértque ad primarium illum defluxum SSpiritûs in Pentecoſte. Act. 2. 4. Quid plura? Materia, ad quam hoc genus Relationes haberi oportet, non ex argumento libri, ſed ex mente loci ipſius æſtimanda ſemper eſt; Adeóque cùm Euangeliſta Principium ſuum ſic concinnârit, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος· καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς θεόν· καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος· de Deo ipſo totum hoc dicitur; Ille ſententiæ hujus Argumentum, Senſus, Materia, Subjectum eſt; eáque propter *Verbum in principio eſſe*, ad ipſum Deum heic refertur, & nihil aliud ſonat, nihil aliud vult, quàm Coævum eſſe, & Coæternum Deo.

8. *In Principio* igitur *verbum fuiſſe*, eſt ità ſemper fuiſſe, ut nè imaginari quidem quiſquam poſſit, quid fuerit eo prius. Atque iſta jam præſentiſſima eſt certiſſimáque notio æternitatis; quæ re quidem verâ majorem emphaſin ſecum apportat, quàm ſi diceretur ab æterno fuiſſe. Ità enim loquendo, Locus adhuc cavillo relinquitur, (& nobis hodiè res eſt cum ſummis cavillorum Artificibus;) ac ſi Æternum ipſum prius eſſe poſſet eo quod eſt ab Æterno; Sed nihil eſſe poteſt prius eo quod eſt in Principio. Eſt tamen, quod & ſuper hoc cavillentur, pérque conſutos dolos, & alium SScripturæ locum, Divinitatis Chriſti ineluctabilem indicem, eludere (quantum ſcilicet Catechumenis ſuis ſatis eſt,) ſoleant. Sunt autem verba Prophetæ, atque ità vulgò leguntur, *Et tu Bethleem Ephrata minima es in Millibus Juda? Ex te mihi egrediatur qui Dominator ſit in Iſrael; Et egreſſiones ejus ab initio à diebus æternitatis*, Mich. 5. 2. Sed hanc verſionem non ferentes, ità nobis ipſi reddunt, *Ex te mihi egredietur Dux, qui paſcet populum meum Iſrael.* Atque hactenus quidem non malè, quia Euangeliſtam habent immutationis ſuæ Autorem, Ducémque ibi, Mat. 2. 6. ſed quod ſequitur, de ſuo adſuunt, *Et egreſſiones ejus ab initio, & à diebus ſeculi.* Igitur quò fraudem ſuam plus celent, heic exclamant, *à diebus Æternitatis* non exſtare in Hebræo, ſed *à diebus ſeculi. Dies autem ſeculi idem notant*, (aiunt,) *quod dies Antiqui*; C. R. pag. 57. Laudatíſque in eum ſenſum Eſai. 63. 9, & 11. & Mal. 3. 4. referunt tandem egreſſiones iſtas Chriſti apud Michæam, *ad tempus illud, quo Deus Davidem, qui & Bethlemita fuit, & Autor ſtirpis Chriſti, in Regem ſtabilivit.* Satin' jam ſolidè hæc? ſatìs profectò ſubdolé.

9. Nos ergò quid contrà reponimus? Obiter quidem primò monemus, ſeram eſſe nimis æram illam, quam *diebus ſeculi* præſcribunt novi Magiſtri, temporíſque interſtitium curtum nimis, atque breviculum, indè à Davide ad Hezechiam, (ſub quo Michæas deſiit,) fuiſſe, ut pro *diebus antiquis* habeatur. Enimverò ſub Hezechia & Eſaias floruit, & ille tamen *Dies ſeculi* ſuos (quos ipſi citant,) retrò retulit plus duplo; Uſque ad exitum enim ex Ægypto. Malacias autem (alter eorum teſtis) longè poſterior hiis, & ille tamen *Dies Antiquos* acceriſſe videtur à peragratione Eremi. Quorſum verò, quæſumus, (ſi vulpinationis cauſâ non fuerit;) & Michæam ipſum in iſtius Expoſitionis teſtem præterierunt? Nam & alibi apud eum *dies ſeculi* reperiuntur, ſed & ab eo ibi ad exitum ex eremo referuntur, Mich. 7. 14. Non immeritò igitur cenſere licebit, de ſeculo illo præcipuè, quod indè ab Exodo decurrebatur, *Antiquos dies* ab Hebræis dici ſolitos fuiſſe: Atque indè eſſe, quòd Chriſtus in Monte, reſpectu ad illud ſeculum habito, bis térque Auditores ſuos moneat, Quid τοῖς ἀρχαίοις dictum fuerit. Mat. 5. 21, 27, 33. Sed parum facturum hii videbant ad præſentis Computi prætextum eam calculationem. Opus enim jam erat, Divinitatis Chriſti furibus factis, & Temporum ſe fures præſtare, atque Quadringentos totos annos de illo numero (ut aliquid videantur dicere) piè ſubducere, atque annos plus minus trecentos honeſtè inter ſuos erogare, qui à Davide ad Michæam interfluxerant.

10. Sed ut miſſum iis faciamus, quia tam boni fures ſunt, leve hoc latrocinium; (neque enim iſtud deerat dicentibus βάλλειν, ſed ἔνδειξιν, non animus nequam, ſed ingenium certè prolixiorem aliquam Antiquitatem excogitandi, quam ex aliquo colore adaptare Dicto Prophetico ut poſſint:) Detur & hiis, *Dies ſeculi* ibi non eſſe *dies Æternitatis*; Quid indè concludunt? Quid? Ergò cùm *mentio* à Propheta *fiat tum Initii, tum Dierum*, (*quæ* duo *in Æternitate locum non habent*: C. R. pag. 57.) Quo ore potuere Chriſtiani omnes, (donec ſurrexerunt ipſi ad oppoſitum) ex iſto loco Æternitatem aliquam Chriſto ſuo exaſciare? Vel eo, ſi placet, ore, quo jam monuimus, accommodatiſſimam Æternitatis notionem eſſe, dici *In principio fuiſſe*. Verùm quia nos non audient, audiéntne Deum ipſum? (Æternitatem enim ejus nondum ei directè præciderunt;) At ille ait, ut Latinus quidem habet, *& ab initio ego ipſe*, Eſai. 43. 13. ſed ut ex ipſo fonte haurire eſt, גם מיום אני הוא Poteſt ergò ſeu *Initii*, ſeu *Dies mentio* in Deſcriptionem ipſius Æterni de ſe factam ingredi; Poteſt ergò & Captatorum iſtorum exceptio ineptiſſima eſſe, impiiſſimáque!

11. Illud autem imprimis eſt adnotandum, Æternitatem, quam Michæas deſignare voluit, in priore ſua phraſi contineri, in *Egreſſiones ejus, ab initio*, non in alterâ illâ, *à diebus ſeculi*. Obſervamus quidem præclaros iſtos verſores ibi eſſe, ut *ab initio*, & *à diebus ſeculi*, pro ſynonymis habeantur, atque indè id agere, ut in unum, idémque dictum redigant: ſed illa particula & ipſorum & interpoſtura, & impoſtura eſt, In Hebræo enim neque eſt, neque ſubaudiri dici poteſt. Duo enim eſſe hæc quæ dicuntur, Plurale illud nomen *Egreſſiones* demonſtrat; non unam igitur eſſe, ſed geminam egreſſionem Meſſiæ, à Spiritu nos diſertè doceri. Æterna una eſt, Dei ex ipſo Deo, (propter quod jam dixerat, *egredietur mihi.*) Atque hæc eſt egreſſio ejus *ab initio*. Altera eſt in tempore, ut in carne Deus venturus tum erat: ſed & hæc Egreſſio erat *à diebus ſeculi*: à diebus ſcilicet illis, quos *antiquos* ab Hebræis ex præcipua quadam nota vocari, dicíque de ſeculo proximo ab Exodo, jam monſtravimus, Moſes autem de iſta egreſſione ejus נביא locutus eſt *Deut.* 18. 18. Niſi & altiùs adhuc recurrendum videbitur, atque ad primos dies ſeculi, ad ipſa antiquitatis, mundíque primordia iſtud referre, Deo ipſo in Paradiſo egreſſionem hanc pollicente, Gen. 3. 15.

12. Opus quidem igitur hiis hominibus erat ut Latinus vulgaris, pro *diebus ſeculi* ſubſtitueret *dies æternitatis* quò aliquid habere poſſint, in quo genuinum ſuum contra Æternitatem Chriſti frangerent. Nobis verò, æternitatis illius veneratoribus, nihil opus eſt. Æternitas enim iſta (quam ſub altera phraſi *in principio*, vel *in initio* comprehenſam eſſe indicavimus,) vel eò magis illuſtratur, quia *à diebus ſeculi* ei proximè ſubjungitur. Idiomatis enim Hebræorum eſt, ubi Terminus à Quo cujuſquam rei geminatam pariter mentionem ſortitur, Præpoſitio utcunque eadem utrobique ſit, poſteriore tamen in loco exponi eam per *ante*. Sic ut nunc *à principio, à diebus ſeculi*, reverà valebit, *à principio, ante dies ſeculi*: uti & in Pſalmo jamdudum laudato *ab utero, ab aurora*, hiis ipſis non abnuentibus, C.R. pag. 58. eſt *ab utero, ante auroram*. Sed & quod in Salomone legitur מראש מקדמי־ארץ, Prov. 8. 23. illud à Senibus, propter communem uſum in lingua ſacra, redditur, ὁ ἀρχῇ, πρὸ τοῦ τὴν γῆν ποιῆσαι. Jam verò quod ità dicitur *in initio eſſe*, ut *ante Creationem terræ, ante diem ſeculi, ante primam auroram*, intelligendum ſit fuiſſe, pluſquam cæcum eum eſſe oportet, qui perſpicere nolit, per neceſſariam reductionem reſolvi dictum illud in Æternitatem. Atque iſtum certè ſenſum, licet geminatio ibi nulla ſit, habet id quod modò citavimus ex Eſai. 43. 13. ibi

enim *à die* nihil eſt niſi *ante diem*, & quod *ante diem* eſſe dicitur, eſt *in initio*, ſeu *ab æterno*. Ità coincidunt hæc.

13. Neque inopportunum igitur nunc erit & hiis annectere, ipſam quoque vocem *Hodie*, quòd in ſenſu ſacro æquipolleat, pro eodem alicubi poni, ut היום ילידתיך, *Hodie genui te*, Pſal. 2. 7. Hujus autem loci pondere ità degravari ſe ſenſerunt Titanes iſti, ut ad amoliendam vim quadrageminum ſibi μοχλίον apparârint. Aiunt enim primò, C. R. pag. 57. *vocem* Hodie *cùm certum tempus deſignat, non poſſe præaternitatem denotare.* At ô quàm puerilis verè eſt iſta fallacia! & niſi exſertè dicere velint, per *Hodie* nihil unquam niſi particularem hanc temporis portionem deſignari poſſe, quàm planè nihil dicunt! Sin id dixerint, utra magìs, non dico, ſed ſumma erit vel inſcitia, vel inſania. Abſolutè enim loquendo, nihil tam propriè adfirmari de Æterno poteſt quàm *Hodie*; cùm Actus ille maximè commenſuratus Æternitati ſit, in quo nihil præteritum, nihil futurum, ſed quicquid eſt ſemper Præſens eſt. Jam verò neceſſe eſt ut *Hodie* iſtud ſit tale, Quod dicebatur tum, cùm temporum nulla commenſuratio aut ſucceſſio exſtiterit: ſi hæſitent, dicant velim de Decreto divino quid ſtatuant; Æternúmne eſſe patientur ſtatutum illud à Deo dictum ei, *Filius meus tu?* Ad illud verò, *Hodie* hoc ſic refertur, ut in ordine naturæ πρίσιν habeat ipſo Decreto priorem. Quin & ut nunc ſunt tempora, ſtemus in iſto centro temporis, atque (dicis cauſſâ) reſpectum dividamus. Ecquis verò negabit, poſſe dari, in quo Antrorſum, ſive de futuro, *Hodie* poſſit ſemper atque æternùm fluere? Ità igitur & Retrorſum, ſive de Præterito, poſſe etiam ſemper in Deo, qui ſemper idem ipſe eſt, omniáque in eo æternùm ſunt præſentia, fluxiſſe non poteſt dubitari. Neque aliud certè velle videtur illud Apoſtoli quod ab eo, non ad Temporis partes, quas narrationis tantùm cauſſâ enumerat, diſtinguendas, ſed ad earundem omnium in Chriſto Æternitatis fonte identitatem ſignificandam, prolatum eſt, Ἰησοῦς χθὲς χθὲς καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, Heb. 13. 8. Prout & antè, è Pſal. 102. 17. Σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, ad eandem ex omni parte Æternitatem deſignandam ab ipſo allegatur, Heb. 1. 12.

14. Alterum igitur effugium (cùm parùm priori fidendum eſſe videant) eſt, *quòd hæc verba*, Ego hodie genui te, *primo ſenſu de Davide dicantur, quem conſtat neque ab æterno, neque ex eſſentia Dei genitum eſſe.* Hem & in hoc jam alterum palpum! Nam quid hoc eſt, quod de *primo ſenſu* muſſitant? Idne volunt, in ſenſu, quem vulgò vocant, Literali? Quin clarè igitur hoc eloquantur, ut ridendos ſe omnibus ſtatim propinent. Argumentum enim eorum tum ità ſe habebit, ſi rectè colligatur, Eorundem verborum in Sacris non poſſe eſſe duos ſenſus, (quod ipſi tamen fateri coguntur, quia *primum* dicunt,) non unum Myſticum, & alterum Literalem; Quia conſtat verum non eſſe de Literali id quod de ſubjecto Myſtico intelligi jubetur, ideóque Myſticus ſenſus abnegandus eſt. Gratis interea & hoc dicunt, quòd iſtud, *Hodie genui te, primo ſenſu de Davide* dici volunt. Satis enim in ipſo contextu eſſe aſſerimus, (non abimus tamen nunc ad ſingula;) propter quod fortiter negamus de quopiam, præter Chriſtum ipſum, quolibet ſenſu, præterquam prophetico, (propter humanam ejus naturam adſumendam, Divinæque in utero B. Virginis in Perſona Chriſti adſociandam) à Davide iſtud enunciari.

15. Negationis autem hujus vel optima inter alias cauſſa illa eſto, quam ipſi ſibi pro tertia molitione ſuborârunt. Aiunt enim, C.R. p. 58. *De Generatione Æterna non dici patet, quòd Paulus Apoſtolus eadem verba ad approbandam Reſurrectionem Chriſti adferat, Act.* 13. 33. *Et autor ad Hebræos ad Glorificationem Domini Jeſu demonſtrandam citet, Heb.* 1. 5. Nempe hoc aſſiduè! Iſtam enim hii ſibi quidlibet audendi ſacróſque textus pro libitu ſuo detorquendi licentiam faciunt: Atque indè jam Glorificationi D. Jeſu (neque dicunt tamen, quam) id aſcribunt, quod SSpiritus & ibi de Æterna (quam ipſi ſic oderunt & ſublatam cupiunt) Generatione ejus, antequam Deus ipſum introduceret in Orbem, verſ. 6. prolocutus eſt. Quin opem iis nos jam ferimus ad hujus Argumenti protaſin, addimus enim, quod mantiſſæ loco ſit, eadem quoque verba ab eodem autore citari, & ad Munus ipſius ſacerdotale demonſtrandum, Heb. 5. 4. Addunt & ipſi certè in margine ſuo iſtius citationis numeros, ſed dolo malo habitos; ſolius enim Glorificationis Domini falſo illo velo obvolutos. Quid ità verò? Quia nullum ipſi in Chriſto ſuo, niſi Metaphoricum, & *figurato modo loquendi dictum*, *Sacrificium* admittunt, C. R. pag. 285. neque antequam in Cœlos aſcenderat, abſolutum ab eo: ſed neque Pontificatus ille aliquis revera eſt, quem verbis quidem aliquot in ſpeciem (quo & hunc quoque palpum miſellis auditoribus ſuis obtrudant) ſic aſtruunt, ut iiſdem pariter & abnegent. Sed & illuc nunc non digredimur. Jam verò aſſumimus; Cùm verba iſta, *Filius meus Tu: Ego hodie genui te*, talia ſint atque tantorum myſteriorum feracia, ut ex iis non ſolùm æterna Generatio Chriſti, ſed & munus Pontificale quoque, & Reſurrectio ejus ex prima ſtatim allegatione directè concludantur, concludendum igitur eſt, nè de angelis quidem, (Quæ Apoſtoli illatio ibi eſt, τίνι δὲ εἶπέ ποτε τῶν Ἀγγέλων;) nedum de Davide ipſo aliquo in ſenſu dici ea potuiſſe, ſed in ſolius Chriſti (in quo viſum eſt Deo ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα, Eph. 1. 10.) Myſticam deſcriptionem, & non uno modo explicandam, æternùm ea reſervanda eſſe.

16. Occupat igitur jam extremum hujus ſophiſmatis iſta ſtropha, *quòd conſtet Deum aliter quàm ex eſſentia generare, dum à Deo genitos credentes Scriptura pronunciat.* Ecquis verò omnium hoc negat? Enimvero propter hoc pii Chriſtiani premunt, urgéntque ea verba, *Filius Tu: Genui te*, ut unicum illum atque unigenitum (in quem ſe & hii credere profitentur) Filium Dei adſerant; cæteróſque omnes, qui ex Deo tamen geniti dicuntur, toto cœlo, totâ naturâ, Angelos Hominéſque ab eo diſtare. Hoccine igitur nunc illos ex iiſdem verbis amoliri poſſe? ſcilicet. Poſſe enim Filium illum Dei aliter quàm ab Æterno generari. At iſtud nos illis (rumpantur ut ilia) & negamus & pernegamus, adſerimúſque, Non poſſe dici *Ego hodie genui te* ſine comprehenſione Æternæ Generationis. Igitur quòd locum illum indicent nobis, ubi Apoſtolus ait, Chriſtum ipſum *poteſtatem dediſſe credentibus in nomen ſuum, ut filii Dei eſſent*, Joh. 1. 12. *Qui non è ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*, verſ. 13. quòd & alterum quoque illum addant, *Omnis qui natus ex Deo eſt, non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt*, 1 Joh. 3. 9. támne aut ipſi decrêrunt, aut Nos ſomniarunt cæcutire, ut vel ipſi nè velint, vel nos non poſſimus obſervare infinitam differentiam quæ eſt inter Deum (in illo Divino quem habet cum Filio unico ſermonem,) de ſe aſſerentem γεγεννηκέναι, & homines, per Regenerationem ſolùm Fidei, atque adoptionis gratiam in ſtatum Filiorum admiſſos, dici γεγεννημένους ἐκ τοῦ Θεοῦ, atque ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγεννῆσθαι; Sed pudet tædétque immorari hiis captiunculis! Quid verò eſt quod pollicentur ſibi ex altero Apoſtolo? Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας, Jac. 1. 18. Meliúſne ex eo ſperant, quia Verbum ibi eſt vocis Activæ? Fortaſſe; miſeras enim ſpes alere coguntur. Sed tam egregiè Metaphoricum illud eſt, ut nec à ſexu immutando abſtinere curaverit: ἀποκυῆσαι enim feminarum proprium eſt, indicátque Apoſtolum de ſpirituali ſolùm in Eccleſia partu per fidem loqui, atque λόγῳ ἀληθείας in idem referri, quod Paulus dixit *In Chriſto per Euangelium ego vos genui*, 1 Cor. 4. 15. Utraque enim vox, tum Λόγος, tum Ἀλήθεια, in N. Teſt. ſumitur pro ipſo *Euangelio*.

17. Tandem

17. Tandem aliquando igitur & denuo redire datur à diverticulo: Neque enim ſic abibunt nobis, qui tam facetè Chriſtum *In Principio Euangelii ſermonem* ſibi efformârunt. Rogandi igitur ſunt, id primùm ut dicti-tent, De Euangelio hoc locuti, principium Rei (quando eſſe cœpit,) an principium cognitionis (quando promulgari cœpit) intelligi velint. Neque enim nos feremus, quin & Euangelium, Rem ipſam quod attinet, ab Æterno fuerit, neque ex alia ratione eſſe, quòd & *Agnum occiſum ab origine mundi* Joannes nobis memoret, Apoc.13.8. & non ille ſolùm εὐαγγέλιον αἰώνιον diſertè nuncupet, Apoc. 14.6. ſed & Paulus quoque Euangelii hujus myſterium χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον fuiſſe aiat, Rom.16.26. gratámque nobis in Chriſto datam eſſe, πρὸ χρόνων αἰωνίων, 2 Tim.1.9. Quòd ſi ad Principium cognitionis ſive Promulgationis Euangelii reſtringant nos, dicendum etiam, Unde & illud ordientur. Nam ut Prædictiones illius omnes, indè ab Adamo ad Chriſtum, tranſiliamus, de Angelis quid dicent, Chriſto jam tum nato proclamantibus, *Gloria in Altiſſimis Deo, & in terris pax*, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Luc.2.14? *Bona* enim illa *voluntas Hominibus* ex Deo, ecquid erat aliud quàm ipſius Euangelii Annunciatio? Jámne ergò Chriſtum *Sermonem* factum eſſe ſtatuunt, vel horulæ Infantulum? Sin Euangelium determinent ad prædicationem ejuſdem per Chriſtum ipſum, ſequimur, quocunquè vocant. Principium autem illius erat, quando Chriſtus *cœpit prædicare, & dicere, Pœnitentiam agite, adeſt enim regnum cœlorum*, Mat.4.17. Jam igitur calculos componamus, & quid dicant denique, aut Quorſum, breviter ſpectemus. *Quia Deus voluntatem ſuam omnem per Chriſtum perfectè expoſuit* hominibus, ergò Chriſtus *in Principio* voluntatis Dei hominibus expoſitæ *fuit Sermo*. Ut placet jam hoc? ſatin' ſe Aquilam Joannes probat ex tali ſententia? At verò, ſi per illum voluntas Dei expoſita eſt, tum ille erat antequam ea exponi poterat. Et tamen, donec ea omnis expoſita eſt, Chriſtus non potuit eſſe id propter quod dicitur ab iis eſſe *Sermo*. Sunt & alia in hiis hoc genus ἄτοπα. Tam bellis interea gyris ſtrophiſque pluſquam Divinis conſtat circulatoria hæc fides!

SECT. II.

1. *Phraſes dubia exponenda ſunt per loca alia: Id ſinequit fieri, per conſenſum Patrum; ſi nec id, tum per ſcopum loci ſui.*
2. *Negant Chriſtum fuiſſe ante Abrahamum, tribuentes ei ſolùm umbilicalem Deitatem.*
3. Γινέσθαι *pro Eſſe, & Fieri. De Rebus dictum. Fieri ſæpe eſt pro Evenire.*
4. *Gentium pater factus eſt, cùm ex Abramo Abrahamus: ſpiritualis enim paternitas erat fidei, non ſanguinis.*
5. Γενέσθαι & εἶναι *ſæpe idem ſunt.* Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, & πρὶν γενέσθαι Ἀβραὰμ, *non ſunt eadem.*
6. *Probatur à Lapidibus, Quid Chriſtus per* Antequam Abrahamus fuit, ego ſum, *volebat.*
7. Γενέσθαι, *omnium Temporum eſt, præſentis, præteriti, futuri.*
8. *Chriſto dicente,* Ἐγώ εἰμι, *per Ellipſin, dicit ſe Meſſiam: ſed dici ſolet ſine ſupplemento, idq; ex uſu vario.*

1. OBortâ inter Partes quæſtione de genuino ſenſu vocis phraſeôſve in aliquo loco SScripturæ, rectam & veræ pietatis Criticen eſſe cenſemus, ad alia SScripturæ loca, ubi ejuſdem vocis aut phraſeos ſignificatio extra quæſtionem paret, recurrere, atque indè prioris quæſtionis nodos σὺν Θεῷ ſolvere. Tuta quidem eſt iſta atque ſalubris Regula, & ad Analogiam S. Scripturarum Fideíque conſervandam Chriſtianis omnibus longè digniſſima. Verùm appellatione factâ aliquando ad SScripturas, quid ſi variis in locis eadem vox aut phraſis non unum, ſed varium ſenſum clarè ſortiatur? Quæ jam nobis litem eam decidendi ratio relicta eſt? Fieri quidem id poſſe, atque exemplorum ejus rei abunde eſſe, ſatis nôrunt qui operam aliquam in verſanda ſacra Pagina navârunt. Duplicis autem remedii in eo caſu ſpem affulgere exiſtimamus. Quarum primam quidem haud ſine mente Dei habendam eſſe, vel ipſi confirmare coacti ſunt, qui veterum omnium conſenſui repugnantẽ, oportere ejus rei juſtiſſimam cauſſam adferre, confitentur, C.R.p.3. Altera verò conſenſu omni firmior eſt, ipſíque rationi, tam Divinæ quàm humanæ, optimè innititur, ut ſenſus ille verborum pro veriſſimo ſemper habeatur, non quem pars litigans præferendum duxerit, ſed qui Perioches illius contextui ſine fraude inſervit, atq; cum manifeſto ipſo ſcopo rerum inibi dictarum quàm maximè congruit.

2. Inſignis autem locus eſt Joh.8.58. de cujus expoſitione (Bone Deus!) immane quantum nunc contenditur! Verba ſunt, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, Πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί. In iis enim Antiquitas omnis ſemper cenſuit clariſſimum argumentum contineri Æternitatis Filii Dei. Non ità pridem verò novus Chriſtus ſub typis natus, atque in Orbem productus eſt, ad quem idem adhuc dici licet quod ad Dominum tum dixerunt Judæi, *Quinquaginta annos nondum habes*, ver.57. (Tantùm exſpectatur, ut jam brevi Cultores ejus Racoviam evocentur, ad Jubilæi ejus primi celebrationem:) Frondatores autem Divinitatis cùm Ipſi ſe nunc fecerint, nullámque in natura ea Perſonam, ſeu Filii, ſeu SSpiritûs efflorescere pati poſſint, neque Deitatem certè aliam quàm merè conflatoriam (quam ipſi, ſcilicet, in ſua ipſorum imaginationis officina jam nuper cuderunt,) Chriſto concedere velint, negant illi, quicquam in hiis verbis de Æternitate exprimi. Annon enim, *Aliud eſt* (aiunt) *ante Abrahamum fuiſſe, aliud, eſſe æternum?* Cat.Rac.p.53. Eam primam coitionem in iſta palæſtra faciunt, ſed acerrima quidem non eſt, mera potiùs velitatio luſúſque. (Ludere enim cum Divinis nè ipſi verentur quidem.) Nos verò ſeriò reponimus, ſono ea inter ſe differre ſed ſenſu eadem eſſe; Exſiſtere enim eum ante tot ſecula, ad aliud argumentum quàm Æternitatis commodo aliquo ſenſu reduci nequit. Fruſtrà igitur eſſe & adſumentum eorum, C.R.ibid. *Nè hoc quidem* in verbis illis *expreſſum eſſe, Ipſum ante Mariam Virginem fuiſſe.* Suum enim ipſorum aucupium ſolummodo ſunt vocabula ea *exprimi*, & *expreſſum eſſe*, atque in fraudem Catechumenorum ſuorum à principio per ſemetipſos introducta, quaſi quod in ipſa aure non reſonat, adfirmari turò poſſit in argumento non contineri. Sed & hanc ſibi viam obiter præſtruendam eſſe duxerunt, ad Deitatis illius, quâ ſolâ Chriſtum ſuum beare dignantur introductionem, ex Africa aliqua (ut videtur) accerſitæ, Monſtri tantum ſecum adportat; Ἀκέφαλος enim eſt, & non niſi umbilicalis Deitas, ab utero ſcilicet B. Virginis orta, quam Chriſto attribuunt.

3. Sed pergunt etiam, ad (ut ipſis placet) longè graviora. Statuunt enim *ea verba poſſe aliter legi.* Verùm quid eſt poſſe? Aiúntne, Aliter legenda eſſe? Nam non ſequi Argumentum à Poſſe ad Eſſe, è trivio Dialecticorum eſt. Dicant tamen & id, Quomodo poſſunt aliter? *Hâc ratione*, inquiunt, C.R. p. 53. *Amen dico vobis, priuſquam Abraham fiat, ego ſum.* Poſſe autem ſic legi ſiquis ambigat, ad Regulam quam initio fiximus confugiunt, atque *apparere id* aiunt *ex iis locis Euangeliſtæ, ubi ſimilis & eadem locutio Græca habetur.* Similem autem dicunt eam, περὶ τῦ γένεσθαι, è Jo.13.19. eandem verò, πρὶν γένεσθαι, è Jo.14.29. atque utroque in loco verti *priuſquam fiat.* Regulam eam igitur & nos ſecuti, non ad ea ſolùm loca, ſed ad infinita alia itamus, atque indè diſcimus verbum γίνεσθαι in N.T. (præter alias ſignificandi varietates) promiſcuè uſurpari, interdum pro *eſſe*, interdum pro *fieri*. Quid igitur adhuc proficimus ex appellatione ad Regulam? ut & mira jam nulla ſint, quòd *Poſſe aliter legi*, ſatis aſtutè dixerint, non dixerint, *Debere*. Addimus verò nos, Ipſum τὸ γίνεσθαι aliter de Perſonis, aliter de Rebus dici ſolere. Dictum enim de Rebus, licèt

fiat, vertatur, nihil aliud tamen velle, quàm *Accidere*, seu *Evenire*, testamur ipsa loca hæc, quæ laudarunt. Dicto enim è Psal. 41. 9. *Qui panem meum manducat, levabit calcaneum contra me*; Christus subjungit, *Dico hoc vobis, priusquam fiat*: h. e. priusquam sic eveniat, ut à Juda tradar: Ac si pluribus dixerat, In personâ Messiæ hoc à Davide prænunciatum est, de quo ego jam in memetipso prænonitos vos esse volo, ut tum cùm evenerit, credatis. Sed ibi non sistimus, annectendum enim & hiis est *quòd ego sum*. Quæ verba, (tam similia iis quæ in textu hoc sunt, tam brevia etiam,) quòd jam in citatione sua amputarint tamen Putatores isti, nolumus adhuc dicere. Similiter & in illo altero, *Abire me ad Patrem nunc moneo vos, priusquam fiat*, (i. priusquam eveniat abire me) *ut quando eveniat, credatis*. Quàm parùm igitur hæc faciunt ad πεὶν Ἀβραὰμ γενέσθ, ut ex iis probetur, vertendum esse, *fiat*?

4. Eorum igitur jam est dicere, ipsi per id quid velint, & quæ sit ejus lectionis sententia. Rogitamus verò? In quo sic ipsi sibi miselli plaudunt, ut à triumpho ante victoriam stolidè canendo, temperare nequeant. Sic enim paragraphum eum ordiuntur, *Sententia est admodum egregia*, C. R. p. 54. Sic claudunt denique, *apparet sententiam, quam attulimus, esse ipsissimam*. Φεῦ τῆς παῤῥησίας. Sed quid non licet iis erga Catechumenos suos? Audiamus verò sultis, quicquid id est. Quod è *notatione nominis Abraham deprehendi potest*, aiunt: *constat enim inter omnes, Abrahamum notare Patrem multarum Gentium*. Neque de eo contendemus. Ratio enim, cur אברם i. *Pater excelsus*, de cætero vocandus erat אברהם i. *Pater videns populum*, ab ipso Deo assignatur, *Quia Patrem multitudinis Gentium dedi te*, Gen. 17. 5. Hactenus interea bene habet; nam ex נתתיך (Quod Senibus, Paulóque ex illis, Rom. 4. 17. est τέθεικά σε·) non magis eruere est, *fieri*, quàm *esse*. Quid indè concludunt igitur? *At Abram*, aiunt, *non priùs factus est Abraham, quàm Dei gratia in Christo manifesta in multas gentes redundaret*. Manifesta jam hæc est, atque ipsissima falsitas, & egregia λογομαχία, quam isti, solentes suo more, pro fidei suæ statumine habent. Sive enim *fuisse*, sive *factus fuisse* Pater multarum gentium dicatur, indè ab eo momento, quo Deus hoc condixit, non minùs fuit, factúsve est, jure ipso federis, & certitudine fidei, quàm postea unquam, ubi Gentes in Christum credere cœperant. E respectu enim fidei solius, non naturæ aut sanguinis, ea Paternitas semper æstimanda erat, neque aliam quàm spiritualem, atque indè ab ipsa Promissione actu præsentem, Rationem habere dicenda; Licèt hii sententiæ egregiæ suæ satìs putidè id adsuerunt, C. R. p. 55. *Quod Abrahamus unius tantùm Gentis antea Pater fuerit*. Quasi de stemmate corporeo, aut naturalis duntaxat propaginis paterna ejus conditio fuisset.

5. Non alium igitur nugatoribus istis adversarium damus, quàm ipsum Apostolum; Quanquam enim & ille eâdem locutione semel usus sit, εἰς τὸ γενέσθ αὐτὸν πατέρα πολλῶν ἐθνῶν, Rom. 4. 18. Nihil tamen de ità *fieri* quòd in eo vocabulo somniarit, ipse abundè monstrat, ex eo quòd verbum *esse* bis tèrque præmiserit; εἰς τὸ εἶν αὐτὸν πατέρα πάντων πιςευόντων, v. 11. & κληρονόμον αὐτὸν εἶν τοῦ κόσμου, v. 13. & ὅς ἐςὶ πατὴρ πάντων ἡμῶν, v. 16. Sed neque captatoribus istis non istud quoque objectandum est, Christum nunc non dicere, πεὶν γενέσθ Ἀβραὰμ, sed transpositis terminis, πεὶν Ἀβραὰμ γενέσθ. Utcunque enim Regula hæc nulla sit in Propositionibus Subjectum atque Prædicatum suum expresè ferentibus, in Propositione tamen elleiptica, qualem illi hanc sibi imaginantur, Ἀβραὰμ γενέσθ, atque γενέσθ Ἀβραὰμ, non eadem semper habenda esse, vel hos ipsos confitentes reos habemus; Nam ut colorem aliquem ineptiis istis conciliare possint, & ipsi coguntur sic loqui, *Abram non est factus Abraham*. Sed et feliciorem longè habemus Autorem; Paulus enim ipse, cùm se illud dicere ostenderet, Patriarcha quid futurus erat, in ea Propositione Prædicatum postposuit verbo, εἰς τὸ γενέσθ αὐτὸν πατέρα ἐθνῶν. *Ut foret* ipse, vel *ut fieret*, (Habeant scilicet per me, quòd tantopere ardent; ne circum enim interduim, in hac quæstione;) *Abrahamus*, i. *Pater multarum gentium*. Quis tamen hoc non iniquè ferat in inficetis istis, támque ἀλοπεξάλλοις ardelionibus? Nunc enim, cùm suâ interesse rentur, (Quod tamen quàm nauci nihi líque sit, censere quemvis jubeant, qui sanus est:) Ohe! egregium inventum esse oportet, neque quicquam infra ipsissimam fidem, ut contra omnium consensum γενέσθ reddatur, per *fieri*, & non per *esse*. Mox verò, ubi Ἐναργάτατον Domini (cui toti oppedunt) nimium confirmare videtur ea expositio, non obsecrabis, ut ferant totius Ecclesiæ scitum. Quid? *verbum carnem factum esse*? vah! Incusant τὸ παρεμπνέον, atque γενέσθ per *fuit* vertendum esse, de causis, (nè nullas habere videantur) satìs ridiculis, (sed justissimis tamen inter suos; nam & sus sui pulcher;) vociferantur, C. R. p. 51.

6. Quid multa igitur? Proprietas certè Græci sermonis utramq; expositionem vocabuli in loco fert: Ideóq; (quod in principio monitum est) si de cujusquam loci expositione litigetur, quia ex aliorum locorum, nunc hunc nunc illum sensum ferentium, usu dirimi ea lis non potest, ex loci ipsius, de quo contenditur, scopo & circumstantiis dirimenda est. Non abrenuntiare se quidem huic Regulæ vel ipsi hii monstrant, ex eo, quod (tam frustrà licèt, ut aliàs parebit) conati sunt ibi ad Jo. 1. 14. arguere. Eamus igitur jam ad locum istum, & quid ille ferat, paucis consideremus. Hem istud igitur primum, Simplex effatum hoc non esse, sed de proximè dictis totum dependere. Respondetur etiam jam quæstioni. Nam factâ subindè in hoc cum Judæis colloquio mentione Abrahami, cùm Christus tandem diceret, *Abrahamum vidisse diem ejus*, v. 56. Judæi, non sine fastidio, honorísque causâ quem Abrahamo deferebant, mutatâ sententiâ eâ in id quod pro Æquipollente habebant, interrogant Christum, *Tu vidisti Abrahamum?* v. 57. Interrogationum autem conditionem quis nescit? Quæ sine negatione efformantur, ad vehementiùs negandum instituuntur. Reducatur itaque jam hoc in Categoricam formam, addatúrque & ratio, quâ se illi Christum mendaciloquentiæ convicisse putabant, & sic se habebit; Impossibile est te, nondum annos natum quinquaginta, vidisse Abrahamum, ante annos ferè bis mille denatum. Restabat igitur jam Christo objectionem istam sic solvere, ut priori dicto suo, *Abrahamum vidisse diem ejus*, sua veritas constare posset. Facítque egregiè, si istos (elucidatores, è nova luce) audiamus: Adserit enim, esse se jam in orbe, antequam Gentes in Deum credant, Abraham úmque indè Patrem suum efficiant. Sed quid hoc ad rhombum? Interrogatio erat de numero annorum ejus, déque ipsius conspectu Abrahami. Respondeat igitur ad rem, aut Pharisæis, (satìs, nimísque nasutis,) ridendum se propinet. Ille verò rem ipsissimam acu tangit, atque sic respondet, ut Eum illi non rideant quidem, sed lapident. Sed quid ità, ô Boni? Nam si istum oportebat esse sensum τῶ Ἀβραὰμ γενέσθ, ecquid peccavit? quod & de vobis universis verum est, vos jam etiis, priusquâ sic fiat Abrahamus. Verùm Judæi facto suo commonstrant, probè se novisse quid ille dixerat; ab æterno se fuisse; existere enim priùs quàm Abrahamus in orbe fuerat. Atq; hinc illi lapides.

7. Non potest jam in contrarium quicquam vel supponi quidem, nisi Christum hii, quem *Sermonem* tam egregiè fecerunt, & Mercurium quoque egregium nunc faciant, æquivocandi mentiendíque Deum (quod ille tamen jam fortiter, atque in os iis rejecerat, ἔσομαι ὑμῖν ψεύστης, v. 55.) ità dicta per dolum sua componentem, ut in suam ipsius gloriolam, videantur quidem ea Judæis illud dicere, quod & Ecclesia universa hactenus sensit, de Æternitate suâ, sed tamen reservatum apud se sensum, atque ab incomparabilibus magistris, (post sesquimille annos ad id natis) tandem pandendum, habeant, sic ut aliud longè nunc dicere probentur, atque ipsissimam veritatem in se comprehendere. Præter verò, quod evincere nullâ arte poterunt γενέσθ hoc reddendum non esse nisi

nisi per *fieri*, neque illud unquam largiemur iis, quod ipsi satis callidè suppoſuere, Potentiali jam modo πειν γενέσ sumendum esse, pro *priusquam fiat*. Refert enim istud *fiat* quasi ad rem, tum cùm Christus loquebatur, futuram; Cùm Christi revera mens erat, Quid alio jam seculo olim fuerit, antequam Abrahamus seu factus, seu natus erat. Igitur quod aliàs de Participio γενόμ& observatum à nobis est, omnium Temporum vim illud in Sacro Textu sortitum esse, idem & de Infinito suo γενέσ opportunè nunc quoque monendum est. Sæpissimè quidem sumi de tempore venturo nulli negamus, pro *futurum esse*. Sed est tamen, ubi & ad Præsens fertur, ut ὁτ τῇ γενέσ τῳ φωτῳ, Luc. 9. 36. & τέκνα θεῦ γενέσ, Jo. 1. 12. & τῶς δωσατ ταῦτα γενέσ, Joh. 3. 9. Est etiam ubi Tempus jam præteritum designatur ex eo, ut ἀνεψχθῆναι ὐρανὸν, & καταβῆναι τὸ πνεῦμα, & φανῳ γενέσ, Luc. 3. 22. & μετὰ τὸ γενέσ με ὑπ, Act. 19. 21. & τὸς δεσμές μ φανερὸς γενέσ, Phil. 1. 13. cum nonnullis aliis. Genuinissima igitur loci redditio est, *Antequam Abrahamus* (non *fiat*, sed) *fuit, Ego sum.*

8. Denique nec illud ἐγὼ εἰμι accipi nunce oportet, ut ἰδιωτικῶς dictum. Verissimum quidem est, sæpe ità usurpari, ut aliquid subintelligendum sit. Sed nec illud tamen, quod Nugivenduli hii, quò hypothesi suæ promtiùs ancilleneur, Quia Christus orationem hanc exorsus est sic, ἐγὼ εἰμι τὸ φῶς τῦ κόσμ, v. 12. ergò & pòst quoque, cùm dicat, ἐὰν μὴ πισεύσητε, ὅτι ἐγὼ εἰμι, v. 24. & τότε γνώσεσθε, ὅτι ἐγὼ εἰμι, v. 28. ad eundem modum & ista supplenda esse hariolantur, C. R. p. 54. Et propter istud quidem esse parùm dubitamus, quòd in priore ea citatione *ut cùm factum fuerit credatis*, Jo. 13. 19. omiserint hii ὅτι ἐγώ εἰμι· nè & ex eo loco, (itinere tam longo) Lectorem (pro more suo) retro cogerentur mittere ad τὸ φῶς τῦ κόσμ. Sed si κυρίως loqui saperéque velimus, Christus nunc, non de Luce Mundi magis, quàm de Pane cœli, Jo. 6. 48. de via & vita, Jo. 14. 6. de ostio ovium, Jo. 10. 7. de Pastore eorum, v. 11. de vite, Jo. 15. 1. de aliis, (de quibus omnibus dixit, ἐγώ εἰμι·) accipiendus est. Nam id quod revera subauditur in hoc genus locis idem est quod Baptista, non ex usu solùm communi οὐκ εἰμὶ ἐγὼ, Act. 13. 25. sed & ῥητῶς abnuerat, οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριςὸς, Jo. 1. 20. Impostores verò sibi arrogaturos esse Christus præmonet, ἐγώ εἰμι ὁ Χριςὸς, Mat. 24. 5. De Messia enim qui in omnium expectatione jam erat ellepses eæ omnes καθ' ἐξοχὴν accipiendæ sunt. Verùm sunt & alia loca, ubi ἐγώ εἰμι absolutè dicitur, & supplementum nullum expetit: Cùm in mari ambulans, pro spectro à suis habitus est, quò ex voce eum cognoscere possent, & metu liberari, dixit, ἐγώ εἰμι, Mat. 14. 27. à sepulchro verò redux factus, tactuíque illorum se, in fidem resurrectionis, exponens, ait, ἴδετε, ὅτι αὐτὸς ἐγώ εἰμι, Luc. 24. 39. Nunc verò, quia de ævo ipsius quæstio mota fuerat, de Æviternitate sua respondetur ab eo, per ἐγώ εἰμι· Támque durus illis sermo iste videtur, ut ipsi nil nisi lapides jam loquantur, quasi in Blasphemum scilicet.

SECT. III.

1. *Socininos cur appellet Barjesuitas.*
2. *Nihil inconveniens affigendum est SScripturæ, quo statuminentur Dogmata.*
3. *In Historiis, Regula, ab Ordine Rerum, non est rigida. Sunt etiam & Parentheses, & Prolepses.*
4. *Caro pro Misera Conditione; Sed & pro ipsa Natura.*
5. *Hypostaticam Unionem dicens, cur De Gloria addidit. Non dixit, Verbum Homo factum est; EVerbo Carnéque Christus una persona.*

VErbum, an *Sermo*, ὁ Λόγ de Christo dictus verti debeat, satis eventilatum est in Sectione dudum antegressa: In qua & quàm coacta quoq; sit, atque inepta, & re quidem verâ nulla ratio illa, ob quam Barjesuitæ (ità enim mihi de cætero nuncupandi sunt, osores SS. Trinitatis, Hostésque Æternitatis filii Dei; Sunt enim uti Paulus Parentem eorum, Act. 13. 6. depinxit, πλήρεις παντὸς δόλ, & πάσης ῥαδιυργίας, cum quæ ibi sequuntur de Distorquendo vias Domini, v. 10.) Christum ab Euangelista *Sermonem* dictum esse commenti sunt, breviter expositum est. Sed & in sequente eam sectione egimus de voce γενέσ, monstravimúsque illud nunc ad *fuisse*, nunc ad *factum esse* significandum in SScripturis usurpatum esse. De tribus igitur vocibus, quibus Johannes Sanctissimum Mysterium ἐνανθρωπήσεως Divinæ exposuit; ὁ Λόγ σὰρξ ἐγένετο, Jo. 1. 14. solum vocabulum Σὰρξ nobis jam restat eripiendum eorum præstigiis. Antequam tamen accingamus nos ad illud, meminentes regulæ quam jam proximè fiximus, de vero sensu vocis dubiæ eruendo sæpe ex ipsius loci scopo, aut circumstantiis, Observamus & Ipsos ex illiusmodi argumenti prætextu adfirmare, σὰρξ ἐγένετο non posse solùm reddi, *caro fuit*, verùm etiam debere. Debere autem? Quid ità, ô Boni? *Ordo enim verborum Johannis id docet.* Doceant ergò & nos, si boni sunt, eum ordinem. *Valdè enim inconvenienter locutus fuisset* λόγον σάρκα γενέσ, i. *Naturam divinam, ut Adversarii interpretantur, adsumsisse humanam, postquam ea jam de illo exposuisset, quæ subsecuta sunt Nativitatem hominis Jesu.* Hæc illi, C. R. p. 91. Habemúsque illis has gratias, quòd blasphemiæ igitur non sit, sed inconvenientiæ solius crimen, quod in nos retorquere non erubescunt. Si clamitent verò, Ferendum tamen non esse, ut Dogmatis nostri suffulciendi causâ, SScripturis quicquam obtrudamus, quod tam inconveniens sit, aut cum optima dicendi ratione non congruat, succlamamus quidem & nos, Ferendum non esse; Atque ipsi ne dememinerint hujus, monentes, monstrandum jam suscipimus, vitium hoc revera nullum nostrum esse, sed ipsorum solùm dolum esse atque convicium.

2. Agant igitur, atque ea primùm exponant nobis, quæ exposita esse ab Euangelista aiunt, quasi de Christo jam priùs nato. Ea autem sunt quatuor; unum est, *Baptistam de illo testatum esse:* (ità enim loqui amant.) Nos rem agnoscimus; Nam *hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de Lumine*, v. 7. Secundum est, *In mundo illum fuisse.* Rectissimè; nam ὁτ τῷ κόσμῳ ἦν, v. 10. Tertium, *à suis non fuisse receptum.* Neque istud malè; nam οἱ ἴδιοι αὐτὸν ὐ παρέλαβον, v. 11. Postremum est, *Iis, à quibus receptus est, potestatem dedisse, ut filii Dei fierent:* textuíque & hoc quadrat; nam ὅσοι ἔλαβον αὐτὸν, ἔδωκεν αὐτοῖς, v. 12. De hiis igitur jam, aut ex hiis, quid? In genere, istud, *Hæc omnia nativitatem Christi subsecuta esse.* Neque litem de hoc movebimus. Testimonium enim illud, quà Personam perhibentem, h. e. Johannem ipsum respicit, anno ferè tricesimo post natum Christum prodiit. Veruntamen si testimonii rem ipsam spectemus *verbum fuisse Deum*, v. 1. *vitam*, v. 3. *lucem hominum*, v. 4: *veram lucem, illuminantem omnes*, v. 9. non aliam nativitatem hæc, quàm illam Barjesuitis nostris exosam, Æternam, (quam ex utero ante Luciferum, jam satis confirmavimus,) subsecuta sunt. Verùm nè remoræ iis simus, habeant quod volunt; exposita sint hæc omnia à Johanne de Christo jampridem nato. Quid indè igitur? Igitur immanis inconvenientiæ reum facimus Euangelistam. Qua in re? Quia ordinem dictorum ab eo confundimus, atque sententiam eam *verbum caro factum est* exponendo, ut nos imaginamur, obtorto collo cogimus eum stylum convertere ad expositionem nativitatis Christi, postquam tam multa jam, quæ nativitatem eam præsupponebant, exposuerat. Absit verò tam insigne ὔστερον πρότερον, reíque tam incongruæ turpe hoc stigma SScripturæ inuri meritò posse. Alius igitur verborum illorum sensus, & quo ipsi, solentes suo more, orbem nunc beârunt, recipiendus est, cum gratiis. Atque hæc jam Quadruplatorum istorum Dica est: sed à nobis ἀνάδικ& statim faciléque facienda.

3. Dicimus igitur primò, merè Sophistici Tortoris esse, in

in Historiis (Quarum in classem reponendæ sunt S. narrationes Euangelicæ) ordinis rerum tam rigidam, stolidámque normam exigere. Neque abimus hinc nunc ad Exoticas; imò, non ad Geneseos & Exodi, totiúsque V. Test. Historias, locupletes hujus, quod dicimus, testes. Instamus enim in ipso hoc, quem objiciunt, textu. De quatuor enim præmissis illis, quæ ipsi enumerarunt, Annon *Testimonium, quod de Christo jampridem nato Johannem perhibere* volunt, ver. 7. antecedit, primúmque locum occupat, & sequitur dein, atque secundum est, *Eum esse in mundo*, ver. 10? Rursus postquam monuerat, *receptum eum à suis non fuisse*, ver. 11. narrat *quid fecerit recipientibus eum*, vers. 12. Ergò nec ista ferent quoque, propter inconvenientiam ordinis? Verùm nè Orbiliis hiisce Euangelista nimiùm vapulet, Quod secundò reponimus, est, Neque optimâ quidem ratione rem istam carere. Quàm multa enim in Historiis sunt, vel majoris ordinis causâ, quæ datâ operâ per Parenthesin introducuntur? Et videntur quidem ista, quæ Johannes indè à tmematio quinto ad decimumquartum contexuit, intercalaris revera conditionis esse, atque Parentheticas lineas, si per hosce magistros licebit, neutiquam refugere. Verùm illud utcunque nè sit, tertiò tamen de Prolepsibus quid statuunt? Num & rhetoribus quoque suis anticipationibus interdicent, propter grande crimen hoc inconvenientiæ? An pueris solùm suis in colorem hæc ab iis ingeruntur, nè non aliquid habere se gaudeant, propter quod conveniat ut & ipsi discant esse blasphemi in Filium Dei? Nam quod de Nativitate ejus heic objiciunt, è crassiore ignorantia, an fraudulentia profluxerit, incertum est. Neque enim ad connotandum tempus Natalis Christi, aut ad fastos Genethliacos ei condendos, sed tantummodo ad innuendum ineffabile mysterium Hypostaticæ unionis, hoc jam dictum est, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Nulla igitur perturbatio ordinis est, nulla inconvenientia, quantumcunque de rebus post Nativitatem Christi contingentibus tactum in præmissis sit, instinctui SSpiritûs nunc obsequi eum, atque post illa præmissa & sanctissimam ipsam Naturarum unitarum conditionem modúmque jam breviter significare.

4. Quàm stupenda verò est ista cæcitas, partiúmque hæreticarum semper propria perversitas, Ad effugiendum argumentum unionis hypostaticæ, exclamare, atque ab *inconvenientiæ* (sed nesciunt cujus) terriculamento (si placet) totos metuere, Et eandem tamen, aut longè inficetiorem, inconvenientiam ipsos sibi adornare in paralogismo, per quem decrerunt se velle effugere? Jussi enim exponere quomodo ipsi verba ea Euangelistæ exponant, respondent, *Posse & debere ità reddi*, Sermo caro fuit, C. R. pag. 90. Annectunt autem, C. R. pag. 91. *Istâ ratione intelligendum id esse, Quia Christus homo fuit, omnibus miseriis & afflictionibus ac morti denique subjectus. Vocem enim* Caro *Scriptura in eo sensu usurpat.* Scilicet! Paret igitur, *posse* sic interdum *reddi*. Sed nunquámne in alio usurpat? Nisi enim & id dixerint, quid fiet suo *debere?* Verùm nè in quaque argumentatione eorum cogamur putidum istud Dialecticæ suæ ulcus tangere, Audiamus, sùltis, quid id sit, quod à Johanne, eo in sensu dictum, quem ipsi excogitarunt, omni hâc inconvenientiâ purgatissimum erit. Credatur igitur hoc dicere; Quem jam ab initio Sermonem à me appellatum fuisse audivistis, quia Deus tum per eum hominibus voluntatem suam omnem perfectè exposuisset, (Illius autem voluntatis pars palmaria fuerat, Eum ipsum miseriis mortíque subjectum fuisse:) Illum (nunc tandem cùm meminerim) adnuntio vobis subjectum miseriis, mortíque fuisse; Ideóque eum jam appello *Carnem*. Et satìs hæc jam congruè? ordinéque & schemate Divino? At verò aliter hæc verba interpretari (aiunt) atque hoc in loco, postquam de Christo tam multa præmiserat, ut Homo jam natus erat, Carnem pro Natura Humana, (licèt Matt. 16. 17, & sæpe alibi ità sumatur) sumere, præposterus ordo est, & inconvenientia Euangelistâ indignissima; Verùm ad humanæ naturæ fragilitatem significandam quòd introducta per nos vel jam sit carnis mentio, nolumus esse aliquam inconvenientiam. Et cum cæteris quidem dictis suis quàm optimè hoc convenit!

5. Cum ipso Textu verò ut conveniat, nolumus & nos non obiter expendere. Nam si respectu habito solùm ad miserias & ignominiosam mortem appellet eum *Carnem*, quorsum jam spiritu eodem & de *Gloria* ejus conjungit? Hæccine enim tam bellè conveniunt, ut commodè sic copulari possint? Miserrimus ille mortalium fuit, *& vidimus gloriam ejus*; Gloriam verò ingentem; omnium enim conspectui exposita, omnium oculos ad se pertraxit, ᾧ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ. Gloriam immensam, Deóque ipso dignam! Δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. Quin pugnant ista potiùs! verùm habito respectu ad gloriosam eam copulam, in qua Verbum, h. e. Deus filius, (Ille unigenitus Filius, existens æternùm εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ver. 18.) adsumtâ ad se naturâ humanâ commorandi inter homines opportunitatem sibi fecit, ínque terris sic versatus est, ut ex omni in adversum occasione, nativitatis, infantiæ, pueritiæ, baptismi, egestatis, ignominiæ, crucis, sepulcri, ipsa tamen Divinitas reluceret in homine illo, atque singula subindè eum clararent Deum, pace horum (parùm elegantium inconvenientiæ spectatorum) dicimus, qui *verbum* ità *factum carnem* dixit, convenientissimè potuit pariter & de Gloria unigeniti filii dicere. Addendum denique & hoc est, quòd *Caro factum est* dixit, non *homo factum est:* quanquam non incongruè hoc applicari possit ad denotandum beneficium quod universæ carni nostræ indè accrevit, non de meliore nota lutóve solùm, vel nobiliore sanguine, sed & infimis omnibus abjectissimísque; Præcipuè tamen dictum est, ut Naturam solùm, non Personam (*Homo* enim personaliter intelligi potest,) adsumtam esse significaret; Eóque ex intuitu, ut jam Personalem utriusque Naturæ, tam Verbi, quàm Carnis, (Divinæ, Humanæque) unionem signare se monstraret, in numero singulari, de Verbo Carnéque, subjungit, *Habitavit ille; & vidimus Gloriam ejus.*

SECT. IV.

1. *Spiritus Christi in Prophetis. Daniel maximè quæsivit de tempore Messiæ. Barjesuitæ Christum faciunt Postprincipialem Deum.*
2. *Prænuntiare de Christo, non facit Spiritum Christi, Subjecta materia non denominat Spiritum.*
3. *Spiritus Veritatis, aut Erroris. Multum interest Prædicatum sit Persona, an Res. Substantivum Substantivo jungitur pro Adjectivo.*
4. *Spiritus pro Homine professo Spiritualia docere. Spiritus Veritatis est Christi. SSpiritus est Spiritus Veritatis.*

SScripturam dicere *Spiritum Christi fuisse in Prophetis* Barjesuitæ non possunt non agnoscere. Manifestus enim est ille (quem satìs oscitanter tamen ipsi citant) locus Apostoli, *Prophetæ, qui de illa in eos gratia,* (sed tu lege; *Qui de ista in vos gratia) prophetaverunt, scrutantes, ad quod aut quale tempus significaret in iis Spiritus Christi,* (Tu verò & hoc lege, *Declarabat, qui in illis* (supple *erat) Spiritus Christi*;) & adde quæ ibi sequuntur, *Prætestificans* casuras *in Christum perpessiones multámque post illas gloriam*, 1 Pet. 1. 10. Tam inimica autem sunt hæc, tam ex diametro contraria rudimentis Socininis, ut placendum aliquà fuerit Catechumenis suis, atque experiendum quid ad hoc responderi posse prætenderet ὁπλοστάσιον illud κίνας & Catechisticum. Atque ille rotundè, (solens enim suo more) *Neque hinc naturam in Christo Divinam effici*, C. R. pag. 112. Scilicet! Verùm nos, ὦ Bone, primo statim volatu tam altum non adscendimus, De prophetis enim hic sermo est. Age igitur, Quos illos jam dicat, id primum expedi. Dicítne senem Symeonem, Luc.

Luc. 2. 25. aut Prophetiſſam illam Annam? ver. 36. aut Parentem Baptiſtæ? Luc. 2. 67. an ipſum ſcopum loci ſecutus, retrocedendum eſſe cenſes ad ætates aliquantò veruſtiores (ad quas & Chriſtus ipſe reſpexit, Matt. 13. 17.) ádque *virum* illum *Deſyderiorum*, inter primos, Danielem? Dan. 9. 24. Reſponde igitur jam primùm de hiis, de hujus mundi ætatibus. Nam in Daniele cæteríſque prophetis ſi Spiritus Chriſti inerat, quid de Numine veſtro, Spiritu illo Samoſatanico fiet, adfirmante *Chriſtum ante Mariam non fuiſſe?* Pudere quidem videris (quantumcunque commaſcularis frontem) tam odioſæ & deſperatæ ſententiæ, Neque igitur clarè hoc eloqui ſolere niſi vos inter vos, ſed obiter tantùm, ſinque locis alienioribus, quoties dicendum eſt, Poſtprincipialem Deum veſtrum (ſicut Cain olim fructus in oblatione ſua, מִקֵּץ יָמִים, *à fine* illo primo *dierum*, ut & Deut. 15. 5. i. Poſtprincipiales, & ſequioris notæ) proferre; Atque iſtud eſſe, quòd ſecula omnia retrò acta tranſilire jam velis, déque Divina Natura indè non effecta reſpondeas.

2. Et quídni verò efficietur? Optima de ratione: Locutio enim Petri ea, non niſi nugatoria & æquivocatoria revera eſt, atque à ſerio illo, quem ſonare videtur, ſenſu longè aliena. Hæc ſumma eſt Elenchi; quàm molliter cunque vaferrimum caput conetur id dicere. Chriſti enim Spiritus non erat, *Spiritus hic qui in prophetis erat*; *Chriſti* autem *Spiritus dici poteſt*; ait C. R. pag. 113. At quo nobis, improbe, iſtud *poteſt?* Quod enim poteſt eſſe, poteſt & non eſſe. Sed hoc genus argumentis ſtare oportet fidem novam Barjeſuiticam! Dicat igitur, Quomodo id poteſt? *Chriſti dicitur*, ait, *non quòd à Chriſto datus fuerit ille Spiritus.* Hoc autem eſt, Non quòd aliquis Chriſtus extiterit eo prophetarum ſeculo, qui ſpiritum illum propheticum iis immiſerit. Iſtud eſt quod vult; ſed modeſtum caput parciùs eloquitur. *Sed quòd Spiritus ille, ea quæ Chriſti erant, prænuntiavit.* Atque ob hoc jam dictus eſt Spiritus Chriſti, ſiqua ipſi fides. Fidem autem vel indè ſententiæ ſuæ conciliare ſatagit, quia in proximis ſequitur apud Petrum, *Spiritum eum prænuntiaſſe perpeſſiones Chriſti, ſummámque poſt illas gloriam ejus.* At vel hinc cordato cuivis potiùs in contrarium arguere licuiſſet, non eſſe ità exponendum Spiritum Chriſti. Quæ enim hæc crambe erit, & quàm inficeta quidem nimíſque inſulſa tautologia, ſi hoc ſit quod Petrus volebat, *Spiritus qui in prophetis erat, prænuntians Chriſti paſſiones gloriámque ſequentem, declarabat ea quæ Chriſti erant!* Sed ſtomacho hii homines ſunt pluſquam ſtruthiocamelino, ferramenta talia nullo negotio devorare edocti, in horas ſingulas! Agamus verò & nos jam, ex pari conſequentia. Igitur Spiritus qui in Eſaia erat, cùm clamantem in deſerto prænuntiabat, Eſai. 40, 3. Spiritus Baptiſtæ ob id appellari poterat: cùm Regem illum Perſarum, Eſa. 44. 28. Spiritus Cyri: cùm de cœlo caſurum, Eſa. 14. 12. Spiritus Luciferi. Spiritus autem Ezechielis, per integra duo capitula, erat Spiritus Gog. Ezech. 38. 1. Danielis autem Spiritus eâdem ferè horulâ tam variè mutandus erat, in Syrum, Græcum, Romanum, ut in eo opus jam ſit magiſtrum hunc præſtare ſe Nomenclatorem Spirituum.

3. Exhorruit igitur ad tam prodigioſum interpretamentum Catechumenus ejus, turpéſque ſe ludos planè fieri perſenſit. Vellit igitur infelici adoleſcentulo aurem Cynthius, admonétque, *Hunc loquendi modum etiam 1 Joh. 4. 6. habes.* C. R. pag. 113. Sed ô formoſe puer nimium ne crede magiſtri tui coloribus. Hunc enim non habes: & egregiè ſe mentiri ſcit tuus Catechiſta. Verba enim Johannis ſunt, *Nos ex Deo ſumus; Qui Deum novit, audit nos* Apoſtolos ejus. *Ex hoc cognoſcimus Spiritum Veritatis, & Spiritum Erroris.* Duos igitur Spiritus Apoſtolus ibi dicit, Album, Atrúmque; Habes autem in Catechiſta tuo ſolum ſequiorem, nequiorem illum, Spiritum Erroris, qui neque ex Deo eſt, neq; audit Apoſtolum. Non audit, ais? Imó. Nam *ibi, non propterea Spiritus veritatis, & ſpiritus erroris dicitur, quòd veritas & error, tanquam perſona, cum Spiritum conferant, verùm eò quòd Spiritus veritatis loquatur quæ veritatis ſunt, & ſpiritus erroris, quæ ſunt erroris,* Cat. Rac. p. 113. Tam ſcitè ſciunt hii Auditorum ſuorum ora oblinere, atque glaucomata iis ob oculos ponere! Hiccine enim ille loquendi modus eſt, qui Petri antè fuerat? At Petrus dicit, *Spiritus Chriſti.* Chriſtus autem (ille quem nos agnoſcimus; Barjeſuitarum autem Chriſtus quid ſit, quis ſcit?) Perſona eſt. Perſona conferens ſit, necne, id ſolùm controvertitur ab hiis. Petri igitur loquendi modus eſt de Perſona. Verùm Johannis modus ille non eſt. Illum enim non de perſona aliqua loqui ipſe hîc ait, quia de veritate atque errore loquitur, quæ Perſonas ipſe ait non eſſe. Et nihil hii modi differunt? Quod Dominus igitur in blaſphemos Judæos retorſit, *Filii veſtri erunt judices veſtri*, Mat. 12. 27. dicant & nunc pueri Socinini, Habetíſne jam illum loquendi modum in Johanne, quem habebatis in Petro antea? Petrus expreſſè de Chriſto dixit, Ea igitur in propoſitione Prædicatum erit perſona. Johannes jam veritatem atque errorem dicit, De rebus igitur ſolùm rerúmve affectibus Prædicatum ille ſuum deſumere videtur. Satin' ergò nunc præceptori veſtro ad argumenti ſui confirmationem eſt reſpondere? *Res eas non dici tanquam Perſonas*, quod revera implicat. An ſatìs certè ad vos miſerè eludendos dicere? *Hunc loquendi modum in Johanne habetis.*

4. Falſiſſimum tamen eſt & id quoque quod ille pro cauſæ ſuæ ſtatumine nunc habet, *Spiritum veritatis atq; ſpiritum erroris ibi non dici tanquam Perſonas, quæ ſpiritum eum conferant.* Indè enim ab Exordio capituli illius Johannes eos, qui pro Doctoribus aliorum (pro Catechiſtis ergò) ſe venditabant, appellat τὰ πνεύματα, prætendebant enim ſe de rebus ſpiritualibus, & quaſi à Spiritu Dei loqui. Cavet igitur, *Nè omni ſpiritui credatur, ſed ut probentur ſpiritus, An ex Deo ſint*, 1 Joh. 4. 1. Spiritum autem ex Deo eſſe, idem eſt ac ſi diceret, Deum contuliſſe eum ſpiritum: ſin Antichriſtus contulit, eſt ſpiritus Antichriſti, v. 3. Prout igitur ſpiritus Antichriſti non dicitur, quia prænuntiat de Antichriſto, ſed quia ex Antichriſto eſt, atque ipſe contulit eum; Ità & Spiritus Chriſti in Prophetis dictus eſt, non quia prænuntiabat de Chriſto, ſed quia ex Chriſto erat, h.e. Chriſtus ipſe ſpiritum donârat Prophetis, per quem ipſi illa de eo prænuntiare poterant. Utroque igitur modo Perſonalis conſideratio nunc habetur. Nam ſi homines ſolummodò reſpicere velimus, ſpiritus ipſe à Johanne pro homine dicitur, atque ità *Spiritus veritatis*, Hebraico ritu, quo ſubſtantivum ſubſtantivo adjungitur vice Adjectivi, eſt Homo verax, Doctor veritatis; *ſpiritus* autem *erroris* eſt Homo mendax; uno verbo, Barjeſuita falſitatis Catechiſta. Quòd ſi & ad ſpiritûs cujuſque collatorem ſeu Autorem reſpiciamus, tum ἡ Ἀλήθεια atque ἡ Πλάνη hoc in loco dicuntur per eminentiam (Articulis ipſis hoc innuentibus) atque perſonalem rationem hanc habent. *Spiritus* igitur *veritatis* eſt Spiritus Chriſti, i. Spiritus ipſe Dei, quem & Deus confert ſuis: unde & apud Paulum pro ſynonymis habentur πνεῦμα Θεοῦ & πνεῦμα Χριστοῦ Rom. 8. 9. *Spiritus* autem *erroris* eſt ſpiritus Antichriſti, i. ſpiritus Diaboli, ex illius inſpiramine, ἐκ τοῦ κόσμου λαλοῦσιν ait v. 5. atque hoc eſt ex Diabolo (ut 1 Joh. 3. 8.) mundi principe & patre omnis mendaciloquentiæ, Joh. 8. 44. Veritas autem ut à Johanne ponatur pro Chriſto, eccui novum eſſe videbitur, ex quo ipſe de ſe aſſeruit, *eſſe ſe ipſam veritatem?* Joh. 14. 6. ſed & Spiritus quoque eandem nomenclaturam ſæpe ſortitus eſt, atque ab ipſo dicitur τὸ πνεῦμα τῆς Ἀληθείας, Jo. 14. 17. E contrà verò novimus, Cujus illud ſit, *Ibo, & ero ſpiritus mendacii in ore prophetarum ejus*, 1 Reg. 22. 22. Atque indè apud Paulum reperimus, *Qui attendunt ſpiritibus erroris & doctrinis Dæmoniorum*, 1 Tim. 4. 1. Huc igitur jam recidit cavillus iſte malefidi Catechiſtæ.

SECT.

Sect. V.

1. *Qualem Hominem Deúmq; Barjesuitæ Christum faciant.* Sumere formam servi, *Quid.*
2. *Esse servum, conditio est hominis. Forma hominis est Suppositum, & Natura.*
3. *Angelus Dei servus est non minùs quàm homo.* ICH DIEN.
4. *Doctarum blasphemia. Panhæresis Barjesuitarum. Nihil in SScriptura dictum fortuitò.*
5. Μορφὴ *de Homine dicta supponit naturam ejus.* Μέλαμορφος. Σύμμορφος.
6. Μορφὴ *de Deo dicta,* μοῦραν φυσὶ, *h.e.* φύσιν. *Pro adversariis habent Barjesuitæ Catholicam Ecclesiam.*
7. *SScripturas vitiant, ad exemplum Diaboli.*
8. *Æternitatem Christi ut ex hoc Textu ipsi refugiant.*
9. Ἀλλὰ ἐκένωσε, *necessariò infert Æternitatem Christi.*
10. Instar, *Quid sit, Christum* esse in forma Dei, *plus est quàm formam Dei esse in Christo.* Ὑπάρχων.
11. *Opera Dei facere, Omnia Ei parere, Adorari, non faciunt Christum: sic enim Angeli, Moses, Sancti, imò & Diabolus.*
12. *Æqualitas cum Deo in quo consistat. SS. Triados consubstantialitas, coæternitas, coæqualitas.*
13. *Paulus optimus loquendi magister. Neutrum Pluralede persona dictum.* Χεισὸν τὸ ἴσα Θεῷ.
14. *Deus, ut pater sit hominum, ut & Christi.* Ἰησ. *Christi Æqualitas cum Deo infert diversitatem Personarum, Naturæ unitatem.*
15. *Aliud est* Seipsum inanire, *aliud Exinanire formam suam.*
16. Κενῶσαι *ut differat à Compositis suis: Non, ut nè sit Res, sed, ut nè exerat se.*
17. Κενώσεως *Christi Stationes Tres, Creari; Hominem esse; in Mundo versari.* ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων.
18. Σχήματι ὡς ἄνθρωπος εὑρεθῆναι.
19. *Quibus gradibus Christus jam homo humiliavit se; Quos Barjesuita in eo confundunt.*
20. *Quàm futilem æqualitatem cum Deo adscribant Christo suo.*
21. *Faciunt nimirum, Deus ut nè fuerit, donec resurrexerit: sed distinctio Temporum in Christo est destructio Barjesuitismi.*

DOno quidem dederunt Barjesuitæ Christo suo (ardent enim eum afflictim) ut verus homo, & cum alicujus quoque mantissa (qualis ea cunq; sit) Deitatis, merus homo ut nè sit. Veruntamen vel Humanitatem ille suam de cujusquam alterius dono, præterquam de suo, de prædicatione Pauli, de interpretatione universæ Ecclesiæ ut habeat, nulli patiuntur. Igitur cùm Paulus adfirmârit, *sumsisse* eum *formam servi*, Phil. 2.7. Quicquid Ecclesia semper senserit, inficias jam it novus homo, pugil ille Catechisticus, neq; finit *istud denotare naturam humanam.* C.R. p.91. Quídni verò, ô Bone? Enimverò, (si fatendum est quod res est; sed parciùs tamen atq; in aurem dictum volumus) odimus nos inficetum illud vocabulum *sumere.* Talem enim eum si largiamur fuisse, qui naturam, quam antè non habebat, *sumere* poterat, quid nobis misellis fiet? Stabítne per nos, qui hominem quidem eum, atq; ex unciola quadam jam deum esse jussimus, quin jus suum brevì repetat, ipsámq; divinam naturam (in qua suo sibi gladio, quod est verbum Dei, Eph. 6.17. jugulanda, nos operam jam semisecularem non infeliciter, (longè enim proserpsit) posuisse gloriamur;) resumat sibi, Orbíq; Christiano restituat, quam per sesquimille annos, Judæorum omnium Gentiúmq; ingratiis, venerati fuerunt SS. in unitate Trinitatem? Non placet igitur, quicquid erit, de natura humana dici illam, quam sumsit, *formam servi:* ínque ejus rei refutationem, hem vobis, argumento gemino, & utroque perachillæo, pugnamus: Primum est *(quia servum esse ad fortunam & conditionem hominis refertur.)* Alterum, *(quia in N.T. hæc vox* forma *semel fortassis tantùm alibi usurpatur,* Mar. 16.12. *idque in eo sensu, quo non naturam hominis, sed exteriorem speciem significat.* C.R. p.92.)

2. Et verissimè quidem illud in principio prolocutus est, *servum esse, ad fortunam, & conditionem hominis referri.* Sed indè quid? Hoccine inficiationem ejus confirmabit? *Sumere formam servi, non esse sumere naturam hominis.* An è contrà potiùs, ad affirmationem confirmandam quammaximè faciet? Eripiendus igitur est jam huic monstro Christiani gladius suus, ínque ipsius jugulum retorquendus. Nam cùm *servum esse, sit conditio fortunæ hominis,* necesse est ut *forma servi* sit aliquid amplius. Quid igitur erit? Conditio enim & illa hominis non erit, nisi, in usum Socininum, condenda nunc sit conditio conditionis. Et enim monendi sunt, non dixisse Apostolum, *fecit se servum,* fuisset quidem illa adsumtæ, quam volunt, conditionis percommoda expressio: sed *sumsit formam servi,* ait. Atque hæc alia planè res est, oculúmque aliquem (præterquam nycticoracinum) habentibus indicat, adsumtum esse id, in quo illa conditio ferebatur; de subjecto igitur ità conditionato (sit venia verbo) hoc dicitur, Suppositum autem conditionis servilis est ipsa natura rationalis, Quam habeat necesse est, (&, si antè non habebat, adsumat) quisquis servilem conditionem, quacunque de causa, facere voluerit suam. Planissimè igitur æquipollent hæc, *Sumere naturam humanam,* atque *sumere formam servi.* Pariter quoque & hoc (ut vel ilia Barjesuitis cum Judæ rumpantur) ex ea sumtione sequitur, sumtorem ipsum jam antequam formam illam, ínque illa forma conditionem servilem admisit, aliter in se extitisse, formæque seu naturæ alterius participem priùs fuisse. Atque hanc ipsissimam esse mentem verborum Apostoli proximè antecedentium, Ὃς ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, ver. 6. in Sectionis istius decursu pòst indicabitur.

3. Sed quoniam luctam nobis nunc esse novimus cum captatoribus dolosis, solâque versutiâ servare se solitis, non tœdebit, ità hanc viam, priusquam de ea decedamus, communire, ut ab objectiunculæ, ex ipsis verbis arripiendæ, molestia, morâque deinceps immunes simus. *Formam* enim *servi sumere,* si naturam humanam supponere dicatur, quorsum Paulus eodem statim halitu, de eadem natura subjungit, atq; adsumtorem formæ servi, & *in similitudine hominum factum* esse monet? ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. Suppôsto enim priore, hoccine non planè παράλογον? Planissimè. Et superfluum quidem nimis fuisset, si de solis hominibus nunc institueretur sermo. Extra terminos enim naturæ humanæ positos non egrediendo, neque Relationem aliam habendo, quàm quæ hominum ad homines, ut homo homini sit dominus, & homo homini servus, Qui servus esse jam dicitur, nihil opus est ut & homo dicatur. Sed cùm latiùs multò jam pateat hic saltus, atque Correlatio hæc à Paulo instituta è potiore parte sui Divina sit, ad hominum Dominum, non hominem, sed Deum ipsum; mediáque cùm natura sit, Deum inter & hominem, Rationalis illa quidem, sed intellectualis atque Angelica, quæ Domini Dei serva quoque sit, Nè igitur intelligeretur dicere, naturam hanc eum sumsisse, οὐ γὰρ δήπου Ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, Heb. 2. 16. Quo in loco etiam, hos Tortores, præ metu adsumtæ naturæ, video artem suam fidicularium exercuisse: dicto de natura servi sumta, expositionis suæ caussâ, congruè subjungit, de *Facto in similitudinem hominum.* Homines autem, quales sint cunque per suam inter se conditionem, Servi, an certè Domini, relatione tamen ad Deum habitâ, universi Servi sunt; Ità ut Imperatoribus ipsis, Regibus, Principibus omnibus, Saxonicum illud Scitum Principis Walliæ, ICH DIEN, hoc jam respectu commune esse debeat. Atque istud solùm est, quod Apostolus nunc dicit sub *forma servi,* súbque notione τῆς κενώσεως ejus, neque ad cæteras Serviles καὶ ἀνθρώπου conditiones descendit, nisi sub notione τῆς ταπεινώσεως in Tmematio sequente.

4. Igitur

4. Igitur quod ſecundo in loco, de uſu ipſius vocis *forma* huc conferunt, nè hilum juvabit eos: Sed an nos quicquam juvabit, ad dignotionem ipſorum, qui viri revera ſient, alii jam cenſeant. P. imò enim, *quòd ſemel tantùm ea vox occurrat alibi in ſcriptis N. T. idque in eo ſenſu, ut non naturam, ſed exteriorem ſpeciem ſignificet*; Catechiſta præmonet, *Ne illud quoque diſſimulandum eſſe*, C. R. p. 92. Nos verò nos tam caudices eſſe non diſſimulamus, ut nè percipere quidem fateamur, quorſum id ab eo dicatur, aut quò tendat ea præmonitio, niſi iſtud innuat, nè à Docetarum quidem, Marcionitarum, Manichæorum blaſphemiis ſe ſic abhorrere, Quin & hoc in loco igitur μορφὴ ità accipi oportere, neque Chriſtum verè, ſed apparenter tantùm, in corpore Phantaſtico, ſpeciéque exteriore, natum, verſatum, paſſum fuiſſe, reſurrexiſſe etiam, & adſcendiſſe, facilè admitterent, ſi ad cæteras inſanias ſuas id quicquam facturum eſſe videretur. Paratos enim ſe, ex ipſa religione ſua, quam Hæreſeωn omnium παγδοκδτείαν, communéque Proſtibulum eſſe voluere, pharetram ſuam (ubi ex re ſua erit) comiter aperire ἴσασι παντὸς βίλυς, ut loquitur Sapiens, Ecclus. 26. 12. Sed nec illud quidem ſatis adſequimur, Cat. Rac. p. 93. quòd *vocem eam ſemel fortaſſis tantùm alibi uſurpatam* aiat. Nam quid eſt illud *fortaſſis*? Itáne etiam ergo Spiritum, (quem de Eſſentia Divina pari cum faſtidio deturbârunt) animatus eſt, ut fortuitum aliquid in ipſius dictatis admittat, vocíſque cujuſquam, aut vel apicis quidem, uſurpationem fortè fortunâ in eo, per imprudentiam, aut incogitantiam contigiſſe intelligat? Enimverò, quid velit, neſcimus, ſed τὰ κρείττονα καὶ ἐχόμενα σωτηρίας non ſperandi, (quanquam libentiſſimè velimus,) neceſſitatem faciunt nobis nefanda cæterorum Dogmatum ſuorum prodigia.

5. Si verò id in eo loco, Mar. 16. 12. vel fortaſſis obſervâſſet, abs re iſta non fuiſſet, Chriſti illam apparitionem ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, Quam ipſe *exteriorem ſpeciem* ſatis temerè vocat, non fuiſſe in alia natura quàm humana, non in Taurina, Leonina, Aquilina, ſed in ipſa forma, (Hominis dicam? an) certè, in forma ſua: neque igitur ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ τῷ Χριστῷ, dicitur, neque ἐν μορφῇ ἑτέρου τινός· quàm parum igitur ea locutio facit ad hanc, ἐν μορφῇ δύλυ; Diverſitatem autem, quæ nunc apparebat, ex ipſo oculorum ſuorum defectu enatam fuiſſe, non ex aliqua vel ſpeciei quidem Chriſti mutatione, clarum eſt è verbis alterius Euangeliſtæ: Ait enim, non, Rediiſſe Dominum ad veram ſuam formam, cùm panem iis porrigeret, Sed ipſorum oculos, (occluſos antè ad hoc,) aperturam nactos fuiſſe, atque tum ipſos eum, in eadem forma, quam ab initio habuerat, cognoviſſe. Luc. 24. 31. Quanquam etiam vox ipſa μορφὴ alibi in N. T. non occurrat, Conjugata tamen, indéque compoſita alia habentur, μορφοῦδς, μόρφωσις, σύμμορφος, συμμορφόομαι, μεταμορφοῦδς. Quæ non niſi de vera natura hominis (vel de meliore natura) perfectáque ratione ejus rei, gratiæve in homine, ad quam ſignificandam applicantur, uſquam uſurpantur. Tantáque de induſtria iſtud obſervatum eſt à SSpiritu, ut cùm Paulus præmiſerat συσχηματίζεδς τῷ αἰῶνι τούτῳ, in hortamento tamen ad contraria officia, non placuerit dicere, μετασχηματίζεδς, ſed hoc alterum μεταμορφοῦδς, ut abſolutam atque realem mentis humanæ renovationem eò meliùs depingeret, Rom. 12. 2. Quod & in finali quoque corporum, & totius hominis glorificatione non aliter adnotatum eſſe, notare, miraríque par eſt. Ait enim, Χριςὸς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν, εἰς τὸ γενέδς αὐτό, (quid? noluit jam dicere, σύσχημον, ſed) σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ. Phil. 3. 21. Denique & ipſi Senes è Lingua Sacra vocem illam communem תבנית ubi de rebus aliis uſurparur, verterunt nunc παράδειγμα, nunc τύπον, nunc ὁμοίωμα, nunc ῥυθμὸν, verùm de homine, ubi dictum reperiunt, ibi eſſe voluere, ὑπόληψιν αὐτὸ εἶς μορφὴν ἀνδρός, Eſai. 44. 13. quaſi vocabulo peculiari naturæ hominis uſi.

6. Hominis tamen naturam cùm heic dicamus, quòd & de Deo quoque enuntiari, adnotandum nunc ſit, notionem iſtam vocabuli μορφῆς non ſubruit, ſed ſublevat, perficítque. Nihil enim in Rationali, aut Intellectiva natura eſt, quod in Divina eminentiſſimè non exiſtat. De Deo autem ἡ μορφὴ convenientiſſimè dicitur, ut ineffabilis illius naturæ, propriiſſima expreſſio, ὅτι τῷ μοῖραν φυσὶ, eo ipſo in ſenſu, quo veteres Græci per μοῖραν ſolebant, inter cæteras ſignificationes, & ipſam φύσιν comprehendere. Ante annos 40 ità adnotatum à me reperio ad Lexicon meum ex Æſchyli Eumenid. v 420, ἔχυσι μοῖραν ὦκ ἐυπάμπλον· quod à Scholiaſta exponitur, δυσάρεσοι φύσει εἰσὶ. Latini autem vocabuli notatio ex ipſo Græco traducta eſt, per literarum duarum elegantem tranſpoſitionem, unde μορφὴ eſt *Forma*. Atque iſtud jam eſt, quòd Chriſtus, qui formam ſervi in mundo accepit, reſpectu Generationis ſuæ æternæ, ἐν μορφῇ Θεῦ ὑπάρχων, ab Apoſtolo antè dictus eſt. Ad quem locum Barjeſuitæ quid reſpondeant, nihil habent: Quid ſophiſticetur tamen Catechiſta, excutere nunc licebit. *Neque hîc extare* (ait) *quod adverſa pars confectum velit*. De vocabulis autem cum inſulſo cavillatore nulli nunc litigabimus. Mittimus ergò, eò impudentiæ ab Hæreticis iſtis proceſſum eſſe, ut adversùs Sacras literas, imò adversùs Chriſtum ipſum, & S. denique Triadem os ſuum aperire non veriti, neque ſe tamen (inter nepotulos ſuos) pro parte Orthodoxa habere, atq; Eccleſias omnes, & univerſam Antiquitatem Partem adverſam nuncupare, vereantur. Mittimus etiam ſtolidam eam, ut verba ejus ferunt, implicationem. Nam id, quod ille *Adverſam partem indè confectum velle*, dicit, accipi non poteſt, niſi de Corollario ex iis verbis deducendo: Exceptio tamen ipſius eſt, *id ibi non extare*. Crimen igitur hoc eſt, Corollarium quod indè deducendum eſt, non totidem verbis ibi reperiri. Sed eant hæc deliria. Ecquâ ratione verò firmat exceptionem ſuam? Certè pinguiſſimâ, & ſui ſemper ſimili: *Aliud enim eſt, quod Apoſtolus ait*, Cùm in formâ Dei eſſet, formam ſervi adſumſit, *Aliud verò, Natura Divina adſumſit humanam*. Nam quis dixerat ea verbis eadem eſſe? Nemon'? Quem ergo Adverſarium habet? Adverſa enim pars (vel ipſo teſte) tantùm dixerat, *Hoc ex illo confici poſſe*. Sed Nugatorculo condonemus & hoc. Tandem igitur poſt ridiculas iſtas ambages, hem, ſeriò ſe componit, reſpondétq; de tripode, *Etenim hîc* forma Dei *deſignare non poteſt Dei naturam*. Sed de eo mox videbimus.

7. Interea non ſic elabetur Proteus manifeſtarius. Apoſtolus enim id nuſquam ait, *Cùm in forma Dei eſſet, formam ſervi aſſumſit*. Hoc igitur jam genitoris ſui habet Catechiſta; Eodem enim exemplo cum ipſo Chriſto egit & Ille in eremo; *Scriptum eſt*, clamavit ille, Mat. 4. 6. Sed carptim tamen, ſubſultímque citavit locum, omisítque, quod intermedium ibi erat, ſibíque ipſi os obſtruxiſſet, ſi non ſurripuiſſet; *Cuſtodient te*, ait, ſed omiſit *in omnibus viis tuis*, nè reponi ſtatim poſſet, Hominem ſe deorſum conjicere de pinnaculo Templi, nullam eſſe viarum ſuarum. Apoſtolus igitur quod ait, iſtud eſt, vel potiùs, iſta ſunt, quæ ait; Duo enim diſtincta ſunt, & utrumque egregiam habet hypotheſin ſuam præfixam. Prima hypotheſis eſt, *Cùm Jeſus Chriſtus in forma Dei eſſet, non rapinam exiſtimavit eſſe æqualem Deo*. Altera hypotheſis eſt, *Cùm Jeſus ſeipſum exinanierat, ſumſit formam ſervi*. Spectate jam Veteratoris artificium. Nam ſi hanc diſterminationē hypotheſeωn patiantur, Barjeſuitæ pereunt. Ibi igitur primùm omnium ſunt, ut actutùm confundant, quæ Apoſtolus diſtinxerat, atq; unicam capturam faciunt, *Cùm in forma Dei eſſet, ſumſit formam ſervi*. Quòd ſi ſic abire poterunt, actum eſt ilicet; de cætero ſecuri ſunt. Fungos enim fungiſſimos eos eſſe oportet, ſi ἁμμάτιον illud non poſſint facilè eludere. Verùm nobis, ô lepide, non placet σχιζοτικὴ iſta Theologia. Pari paſſu nos cum Apoſtolo gradiendum eſſe decernimus, primámque hanc ſtationem eſſe jubemus, *Chriſtus in forma Dei exiſtens, ſine omni rapina æqualis Deo erat*. Age ergò jam,

fallax Desultor, Profer huc Christum tuum, si habeas, ut comparetur ad Christum, quem Paulus prædicat. Accurrite sultis & vos Catechumeni Racoviani, & quam Duci vestro, misere occæcato, ἡ παιδαγωγία Act. 13. 11. παιδαγωγίαν Sacer hic locus porrigat, attenditote.

8. Sed Christum ille suum sic illico producit. *Qui in mundo, Instar Dei, opera Dei efficiebat; Et cui, sicut Deo, omnia parebant, & cui Divina Adoratio exhibebatur.* C.R.p.94. Benè habet! Quam mox igitur inquiremus, an hæc sint Christi, quem è Paulo nunc quærimus, genuina signa; An & ob hæc dicendus quisquam sit ὑπάρχειν ἐν μορφῇ θεοῦ, atque omni rapinâ semotâ, τὸ εἶναι ἴσα θεῷ. Sed primùm jam ademti huic monstro luminis indicium esse jubemus, primum illud verbum ejus, *Qui in mundo.* In mundo enim si Christus ejus tum erat, quid ad τὸ ζωτικὸν illud? Neque id nunc objiciemus, quàm ille futiliter soleat vocabulum ipsum *mundus* exponere. Sed quicquid per *Mundum* velit, ut ἀπερισκόπητον prorsus nunc repellimus. *In mundo* enim ità Christum *esse*, præsupponit eum *jam priùs factum esse in similitudine hominũ:* præsupponit autem illud, *eum antè inanivisse seipsum.* Et sunt hæc quidem omnia de Christo verissima. Sed de quo? Et quo ordine? Annon de illo, qui Paulo jam teste, antequam inanierat seipsum, *in forma Dei erat atque æqualis Deo?* Hunc nos igitur Christum ut proferant, jam postulamus. At hunc illi nullius coloris nôrunt, nullum agnoscunt. Ipse enim hic est, quicquid Paulus ille deliravit, quem ipsi oderunt cane pejus & angue, cui & ante semiseculum publicè abrenuntiârunt, atque expetunt jampridem periisse. Atq; eant quidem quò digni sunt. Etenim piis, verísque Christi veri cultoribus nunquam poterunt Divinum hunc processum, Ordinémq; verborum Dei extorquere de manibus, aut de mentibus excutere.

9. Nè possint quidem, Ipse SSpiritus divinitus curavit, per Adversativum illud ἀλλὰ, quod de industria interpositum esse adserimus, adversùs Barjesuitarum perditam vafritiem. Noluit enim Paulus dicere, quod ad ipsam quidem sententiam æquipolluerat, *Qui in forma Dei existens, neque rapinam ratus æqualem se Deo esse, inanivit seipsum, formâque servi sumtâ, in similitudine hominum factus est.* Sed quoniam prævidit Dominus, è Stygiis cavernis, sero tandem seculo, prodituros lumbricos, atque Æternitatem Filii sui arrosuros, objecit igitur particulam illam Adversativam *Sed*, quæ sola satìs supérque est ad ausa hæc Tartarea æternùm pessundanda, *sed inanivit seipsum*; perinde enim valet, acsi dixerimus, æqualis Deo ab æterno fuerat. Ecqua mira igitur sunt, si vaferrimum caput, verbis hisce Apostoli jam semel ab eo productis, postea cùm ad loci, (excussionem? imò,) excisionem se accingeret, nihil prius habuit, quàm ut Actuum istorum, ab Apostolo tam solicitè divisorum, distinctionem sileret penitus, celaret etiam quantum poterat, (aliquadántenus quidem se rem tam invisam iis, in ipsa citatione prima, enervâsse fisus, mutando istud *Sed*, legendóque, *verùm exinanivit:*) per elumbem denique expositionem sic obscuraret, ut omnino confunderet? Sensit enim miser, ni faxit, occidisse se. Unicum enim illud ἀλλὰ, tantam ex Deo virtutem hoc in loco sortitur, ut lapilli Davidici instar, de funda Spirituali ritè jactum, ad horrendum hoc Socinitatis monstrum prosternendum abunde sufficiat. Quid ità? Exigit enim, ut Christus Dei, verus Christus nè sit, nisi (Quem illi devoverunt, & execrantur) Qui, antequam seipsum ità submisit, homo ut fieret, Deo Patri Coæternus, & Coæqualis etiam fuerit.

10. Væpidum igitur commentum est, nihílque sapit præter dolum malum, quòd *De existendo in forma Dei* dicere rogatus, Christum de suo obtrudit, quem *instar Dei*, si placet, fuisse adseverat. *Instar* autem? Quid hoc jam ad μορφὴ; ex ore præsertim Barjesuitæ, Qui Arianis ὁμοιουσίοις patronis, æquiparari se, est ubi fastidiat, C.R. p.106. Christo tamen ipse Ariano quovis (vel ipsis Anomœis) longè injuriosior! Sed quicquid intellectum voluerit, (plus, minúsve) per suum *Instar*, ad præsentem locum nihil facit. Neque enim Apostolus dixit, τὸ μορφὴ τῷ θεῷ εἶναι ὁμοίως χειρῷ. Proclivius quidem fuisset id torquere, & nescio quid in Christo *instar Dei* ex eo dicto comminisci. Sed nunc, non quid in Christo fuerit, sed in quo Christus fuerit, Apostolo institutum est dicere, *eráque* (ait) *in forma Dei.* Forma igitur ista de Deo ipso prædicatur, Forma ipsius est. Nihil igitur præter naturam Dei, (ut antè monstravimus) illud designare potest: Nisi & exteriorem aliquam speciem Socinini, (non de trivio ἐυρεταὶ,) habere se sperent, quam & Deo Patri largiantur. Mantissæ etiam loco est, quòd Christus in illa forma ὑπάρχων ab eo dicatur. Nôrunt enim Græci, ὕπαρξιν ad rei cujusque *substantiam* habere peculiarem relationem, Sic ut verè ὁμούσιον dici Filium vel hinc concludamus, optimè licebit. Corollarium autem Divinissimum illud, quod Christus ipse, de Christo enim ἡγήσατο istud dicitur, indè deducit, quoniam *in forma Dei erat*, ergò sacrilegium nullum in eo erat, εἶναι ἴσα θεῷ, tam malè ominatis in Barjesuitas verbis concipitur, ut nè semel nominare quidem in loci hujus Metaphrasi Catechista contentus sit. Quid ni? urgetur inpræsentiarum (heu nimiùm!) cæterorum argumentorum vi. Benigna autem est ista locutio ejus, *instar dei*, poteritque, si bellè tractetur à suis, etiam & ad ἴσα θεῷ extendere videri. Erit autem deinceps (sed alieniore ab infaustis hiis argumentis loco) hanc phrasin (nè non credatur ad omnia par esse) repetendi ansa, C. R. p. 103. atque tum licebit ei eâdem fidelià, quæ nunc quidem nè teruncio æstimanda est, & illum parietem optimè dealbare.

11. Fiat igitur ei licentia nunc explicandi suum *instar*. Facítque peregregiè, τείποδας ἰδὼς σκύλον, uti de decrepito me puerum Æschylus docuit. Primum autem est, *Quia Christus opera Dei in mundo efficiebat.* Quod felix igitur, fautúmque Mosi (ut de Angelis nihil dicamus) olim fuerit! Nam si *opera Dei in mundo efficere*, faciat Christum, inserátque formæ Dei, Moses, quod nemo putârat, erat Christus senior, Christorúmque divites nos esse nunc oportet; Promisit enim ipse, *Quia in ipsum crederent, non ea solùm opera, quæ ipse faciebat, sed & majora etiam facturos esse.* Jo. 14. 12. Parum interea erat, quod istud *Instar* Christo præ cæteris contulit; majora enim quotquot effecerunt, ex ista consequentia, magìs *instar Dei* evaserunt. Igitur cùm hoc justo curtius sit, annectitur secundum, Quia Christo, *sicut Deo, omnia parebant.* Sed *Omnia* Barjesuitarum quàm curta & illa, paucáque sint, &, ipsorum dicto, *Non omnia*, ipsi (per nos) exponant, tum è Joh. 1. 3. C.R. p. 73. tum ex ad Heb. 1. 3. C. R. p. 83. tum è Joan. 16. 15. C. R. p. 107. tum denique è 1 Cor. 8. 6. C.R. p. 117. Sed huc addatur, quòd & extra Ecclesiam Judæorum (mundi quidem nè millesimam partem, sed gestorum tamen à Christo in omni vita limitem) Diabolo *omnia, sicut Deo, parebant.* Manifestum indicium habemus in Samaritis, qui Simoni, per multos annos prætigiis suis eos dementanti, προσεῖχον πάντες ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου, λέγοντες, οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ θεοῦ ἡ μεγάλη. Act. 8. 10. Quid? Ergóne hii & Claudio Imperatori astipulantur, & Numen Divinum Simoni Deo Sancto rectè attributum esse censent, ex isto argumento suo, *Quia cùm omnia ei parerent, instar Dei erat?* Eugepæ! Per istos igitur ad μορφὴ θεοῦ jus habebunt tum Simon ipse, tum & Simonis dominus! Similis autem farinæ, parísque per omnia momenti & Tertium adponitur, Quia Christo *Divina adoratio exhibebatur.* Neque tamen Quando, aut Ubi, aut à Quibus exhibita est, dicit, suâ enim plurimum intererat, nè diceretur; neque certè quicquam refert ad μορφὴν θεοῦ, ut dicatur: Nam & Jovi, Saturno, Plutoni, Vitulo etiam, & Feli, Leguminibus denique ipsis exhibitam fuisse, quis nescit? Verùm cùm alii colores deerant homulo, vel odiosis istis, atque ex Ethnicismo ipso petitis, utendum erat, ad lucidæ Caussæ obductionem.

12. Denuò

12. Denuò ergò cogitur Spermologus ab infelici hac crambe repetenda non abstinere, cùm reddenda ei est ratio, cur Christus æqualis Deo dicatur. *Æqualitas Christi cum Deo in eo est*, (ait) *quòd eâ virtute, quâ in eum Deus contulit, ea omnia effecerit; quæ ipsius Dei sunt, tanquam Deus ipse.* C.R. p.103. Quàm nullæ autem hæ rationes hac in parte sint, jam satis indicavimus; Quàm longè verò à Paulo discedant, ejúsque argumentum non corrigant quidem, sed corrumpant, nunc indicandum est. Ratio enim, ob quam Paulus Christum, aut ut rectiùs eloquamur, ob quam Christus ipse apud Paulum, se Deo æqualem ducit, 1. non extrà quæritur, sed penitior est, atque ipsius formæ Divinæ ὑπάρξεως. Nam quoniam *existebat in forma Dei*, existimabat se *æqualem Deo*. Est ea ibi vis Participii ὑπάρχων. 2. Non ex posteriore aliquo dono collatum id fuit, sed primævum jus erat ipsius naturæ, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο εἶναι. Largitione scilicet nullâ indigebat, qui nòrat suum ab initio fuisse. 3. Describitur hoc ipsum per duo Præsentia, ὑπάρχων, & εἶναι, ad Æternitatis, quæ semper præsens est, connotationem, *Existere* eum *in forma Dei*, & *Æqualem esse Deo*. Adsurgit igitur jam ex hiis S. illa Trias, (quam si Barjesuitæ, οἱ τοῦ ὀρθρίζοντος ἀνυσὶ καμψάντων, intueri nullo modo possint, quantumlibet ab Apostolo ad vivum depictam, in pœnam contumaciæ suæ est,) Dei nimirum Filii cum Deo patre consubstantialitas, coæternitas, coæqualitas.

13. Neque prætereunda etiam est ipsa phrasis, (mysterio enim suo non caret,) quâ SSpiritui visum est Æqualitatem istam exprimere. Quanquam enim ad Græcorum elegantias non immeritò referendum sit, nomina pluralia neutra sæpe pro singularibus poni; Quanquam & Paulum etiam, elegantiarum, loquendíque magistrum facilè existimemus, quicquid alii in eo cæcutiant; Admittendum tamen non est, vel λεξιδυσλεξίᾳ vitio captum eum fuisse, nullâque de caussa vocum novitates adfectâsse, vel facilè reperiri, ubi sermone de Personis habito, Neutra Pluralia usurpentur pro singularibus masculinis. Non poterat igitur, me judice, aliquid excogitari, ad ineffabilem Identitatem naturæ, sive Essentiæ Personarum Divinarum, meliùs connotandam, quàm ut Filius de seipso decerneret, non videri aut Reputari se, sed reverà τὸ εἶναι, & Quid? non ἰσόθεον, aut ἰσόθεα φρονοῦντα, neque etiam ἴσον Θεῷ, (quæ suo quidem modo possunt & de hominibus fortean dici:) Sed quò omni, & tamen ἀνεκδιηγήτῳ modo ità esse constaret, ἴσα Θεῷ. Cujus ego me exemplum haud unquam vidisse nunc memini. Proximum huic, longo sed intervallo proximum, est illud, quod ad Lexicon meum olim notavi è Mitylenæorum legatione, (Thucyd. lib. 3.) ἐν ἴσῃ καὶ ὁμοίᾳ ἐσμέν. i. *conditione pares inter nos, ádque Deum jam supplices sumus.* Quod verò ibidem notavi è Constantin. de Administ. Imp. c. 45. τὰ ἴσα τῆς χρυσοβούλου, de exactis exemplaribus Indultorum à Principe, quæ in Archivis servabant, tam plenè huic loco non respondet, quia de Personarum paritate istud ibi non magìs dicitur, quàm & illud ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα, dictum est à Christo, Luc. 6.34.

14. Tu verò, Catechumene, quære jam ab Informatore tuo, Si æqualitas Christi cum Deo consistebat in eo tantùm, quòd Christus, quæ Dei erant, efficiebat, per virtutem sibi à Deo collatam; cur Judæi mortem Christo ob id meditantur? Cur & Johannes, pro majore in eo crimine habitum ab iis aiat, quòd se æqualem Deo fecerat, quàm quòd Sabbatum solverat? Joh. 5.18. Mone igitur, ut oculis, si possit, utatur, observétque longè aliam eo in loco rationem Æqualitatis suæ cum Deo, ab Euangelista adsignari, ὅτι πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεόν. Quòd à Latino quidem (Nostrorum quoque Duce) satis cæcè redditur, *Quia Patrem suum dicebat Deum.* Hoccine enim Sabbati violatione gravius, monéque dignius videri poterat iis, qui & ipsi, non diu pòst, gloriari ausi sunt, ἕνα πατέρα ἕνα ἔχομεν τὸν Θεόν. Joh. 8.41? Sed hoc intererat; Judæi cùm seipsos dicebant, de Deo, ut de Creatore, atque communi Parente generis sui, locuti sunt: Sed Christum intellexerunt, locutum esse, de sua solius atque personali Generatione; Atque indè inferunt, de Æqualitatis cum Deo Affectatione; Christus enim per Πατέρα μου, voluit Πατέρα ἴδιον. Quod illi neminem dicere posse agnoscebant, quin necesse habendum erat, ut æqualis Deo esset: E divina enim Generatione specialiter dicta, vel Judæis quidem judicibus, necessariò sequebatur Patris, Filiíq; Æqualitas. Et satis quidem suboluisse hoc vulpeculæ videtur, Quia futilem illam Æqualitatis descriptionem subjecturus utcunque, cum ipsa tamen verborum citatione aliud sibi effugium protinus adornat. Respondet enim, *Quòd Christus sit æqualis Deo, id divinam in eo naturam nullo modo probat.* Cat. Rac. p.103. Non credis verò? At ipse tamen Catechista dixit: sed audi porrò, *imò hinc res adversa colligitur.* Jámne credis? An vis, qui *colligi* dicit, dicat etiam, per quem Collectorem? *Colligítne* enim cum Christo? secùs autem cùm sit, *colligere* ejus est *dissipare*, Luc. 11.23. testamúrque ipsam, quem ille adfibulat, rationem. *Nam si Christus Deo, qui naturâ Deus est*, ait, (varios enim, quicquid simulant, Barjesuitæ sibi Deos habent;) *æqualis est, efficitur*, (ô quantum colligendo profecit hic homo! sed qualis Collectio ejus, talis & Effectio:) *quòd is idem Deus esse non possit.* Ad cujus blasphemiæ aciem retundendam, nobis in præsentiarum satis erit, tam in se ea retunsa est, addere alterum *Non*. Ità igitur postrema ejus verba formamus, *efficitur, quòd is idem, Deus non possit non esse.* Diversas enim Personas in illa Natura, sed Deum Unum, evincit ea ipsa æqualitas.

15. Redire igitur nobis nunc licet ad *Formam Dei*, quam iste *designare non posse Dei naturam*, alterius ratiunculæ arundini innixus, adserit. Cat. R. p.92. Illa est, Quia *Apostolus scribit, Dei formam Christum exinaniviisse. Deus verò Naturam suam exinanire nullo modo potest.* Siccine verò? Scribítne Apostolus Christum exinaniviisse formam Dei? ubinam? Aut enim illud ab eo dicendum est, aut nobis denuò dicendum est, in probationem jam dicti priùs de eo, particulam illam Adversativam ἀλλὰ, ità exterruisse hominem, & tam citò, longéque à Paulo abegisse, ut exciderit jam misero, quid Apostolus scripserit. Apostolus quidem scripsit, ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε. Ità nimirum comparasse se Christum, (quod, Deus cùm erat, potuit,) ut qui *in ipsa forma Dei*, h. e. ex natura sua Deus ab æterno extiterat, adeóque Deo Patri per omnia æqualis semper fuerat, tandem *seipsum inaniret.* Sed hoc est impossibile, ait Catechista: *Deus seipsum exinanire non potest.* Utri igitur nunc credemus? Homulo huic Czarcoviano? An ipsi Paulo? Verùm Paulo nè credamus, mutat ipse quæstionem fraudulenter, atque jam, non Quid Christus ipse fuerit, fecerítve, (Deum enim esse eum, præmissa abundè evincunt;) sed, Quid Deus possit, in quæstionem ab eo vocatur. Ut verè de hiis vaticinatum fuisse Davidem videamus, *Contra excelsum loquuntur; posuerunt in Cœlum os suum.* Psal. 73.9. Emollire se tamen ἐντιλογίαν suam speret, (& parùm aberat, quin erubuerat; Sed perierat ei antè frons;) quia Deum dicit *non posse exinanire naturam suam.* Ea verò de re tam certus est, ut nec cumulare id vereatur; addit enim, *nullo modo potest.* Nunc igitur specimen specitur: Nos enim Apostolum, imò Deum secuti, quod isti de æterno Deo dici posse pernegant, fortiter adserimus, *Potuisse Deum suo modo inanire seipsum.*

16. *Suo modo*, autem non alio consilio intromittimus, quàm in debitam sanctissimi illius Mysterii, indè à principio rerum, non solùm silentio suppressi, Rom. 16.25. sed & absconditi etiam, Col. 1.26. venerationem. Quin & viam pariter Sophistiis istis præstruemus, cùm *nullo modo*, sic clamitent, nè sub verbo κενῶσαι plus tegant vapidi, quàm ausi sunt adhuc proloqui. Quanquam enim inter Græcos ipsos interdum, aliis etiam in linguis (Latinam non excipio, Anglicanam autem nostram omnium minimè,) satis infeliciter permisceri soleant significationis hujus vocabula, ex natura tamen sua longè differunt simplex κενῶσαι, atq; indè composita, ἀνακενῶσαι. ἐκκενῶσαι. καθαρκενῶσαι. Hæc enim talem *Evacuationem*, seu *Exinaniti-*

tionem secum ferunt, quæ plenariam quidem Exhaustionem, Psal. 74.8. totalem expoliationem, 2 Par. 24.11. absolutam extirpationem, Psal. 136.10. summámque effusionem, Gen. 42.35. designent. At verò κένωσις de partiaria quacunque, temporaria, arbitraria imminutione, vel sepositione, vel contractione dici potest, atque ità accipi, non ut nè sit res id quod est, nedum ut ἀπόβλητος, aut pro rejectamento sit, sed tantùm, ut nè vires suas pro tempore exerat, atque ut virtutem suam, qua ex parte velit, tantisper suspendat, aut vigorem pro placito minuat, molliátve. In N.T. nusquam alibi reperitur hoc verbum activè positum, nisi 1 Cor. 9. 15. atque ibi Apostolus profitetur se sibi cavere, nequà minuere ei vel tantillulum quisquam possit existimationem ipsius, aut quicquam omnino deradere de pia sua exultatione adversùs Pseudapostolos. Sed nec alium sensum habet etiam passivè positum, 2 Cor. 9. 3. additâ tamen ibi & modificatione expressâ, ὁν τῷ μέρει τούτῳ. Ad hanc igitur notionem vocabuli, intelligendus est Deus Filius plenitudini majestatis, gloriæque suæ Divinæ, cùm homo fieri voluit, atque in terris versari, tales limites seu cancellos, pro infinita sua sapientia, potentia, bonitate posuisse, ut plenum se solius gratiæ, atque veritatis pro tempore suis exhiberet, Joh. 1.14. licèt & tum quidem, prout & nunc, *tota plenitudo Deitatis inhabitaret in eo corporaliter*. Col. 2.9. Quantò rectiùs igitur, atque ex re Theologica longè consultiùs nostri fecissent, si vel ipsum verbum, but he emptied himself, retinuissent potiùs, quàm ut ad inficetam suam, auræque popularis rationibus nimiùm subjectam paraphrasin abirent, He made himself of no reputation? Sed multò tamen propiùs ad rem ipsam, locíq; scopum attinget, si vertatur, But he abated himself.

17. Atque hac jam in parte, ut expectandum sit suffragium Barjesuiticum, Deus quid possit, quid non? ut per hosce magistros stet, nè liceat olim Domino Jesu feciſſe quod voluit de suo, de se? *Inanivit seipsum*, h.e. sepôstâ parumper, seductâque pro suo arbitrio, & cedere tantillũ à se jussâ majestate suâ, Minuit seipsum, ait Paulus. Intercedit jam Tribunus, Orci filius, atque hoc, ut duriusculè dictum videri posset, ausu prophano sic enunciat, *Deus naturam suam exinanire nullo modo potest*. Eugepæ! Quod Jesus ipse sibi præstare nunquam potuit, Barjesuitæ possunt! Ille seipsum vel ad tempus minuere non potuit, Hoc enim fuisset, naturam Divinam exinanire: At ipsi ei naturam Divinam (velit, nolit) non exinanire solùm se posse confidunt, sed & in æternum excludere. Sed increpabit eos Dominus. Nos interea Pauli vestigiis inhærentes, Divinæ ipsius κενώσεως trinas heic observamus quasi stationes. Prima est, quòd naturam creatam sibi adsumserit, atque ex eo respectu dicitur, λαβὼν μορφὴν δούλου. Altera est, quòd non Angelicam eam, sed Humanam esse voluerit, atque indè dicitur, ὁν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. Quòd verò non simpliciter dictum sit, ἄνθρωπος γενόμενος, sed cum additione ea, ὁν ὁμοιώματι, ad insignem hujus stationis ex utraque parte limitationem factum est: Ex parte Dei, significat, naturam ipsam Divinam non seposuisse Christum, sed majestatem solùm, & vim; non igitur est factus merus, licèt verus, non purus Homo; pariter enim & Deus erat: Ex parte autem hominis, ad excludendum peccatum; verum scilicet hominem eum fuisse, hominibus tamen universis tantùm similem; Quia quæ hominum omnium naturalis jam ex lapsu Adami adfectio, atque imminutio est, sine peccato ille fuit, & tantùm ὁν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας. Rom. 8.3. Tertia verò est, quòd homo jam factus, neq; se pro tempore, Angelorum instar, cœlo ipsi, atq; Patris tantùm conspectui, ad cujus Dextram nunc sedet, neque ex primi hominis privilegio illo, quod servare Adamus non potuit, solius Paradisi incolatui sese reservavit, sed Humano more, heic in orbe terrarum moratus inter homines, versatúsq; est, atq; ob id dicitur, σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Quicquid enim ad externam dispositionem nostram communiter pertinet, σχῆμα id comprehendit; εὑρεθῆναι autem Hebraismus merus est, & in N.T. non infrequens, ad connotandam, non aliquam Quæstionem rei, sed rem duntaxat, præter quàm expectabatur, certóq; cõtingentem.

18. Meræ igitur, turpésque offuciæ sunt, & Catechistâ Polonico solo dignæ, quòd nepotulis suis ζητημάτιον illud suppeditet, *An ex hiis verbis, Habitu inventus est ut homo, non appareat, Christum incarnatum fuisse?* Cat. R. p. 93. Puerorum enim nostrorum in plateis planè, exemplo, qui imagunculas ipsi sibi, stolidásque pupas efformant, & dein baculis suis hostiliter petunt, ferociter ille sic contrà insurgit, *Nullo modo. Etenim ea oratio nihil in se habet ejusmodi*. O dictum Athleticé! Etiámne probat tremendam suam ἀπόφασιν? Nihil dubitat. Nam *de Samsone in literis sacris legimus, quòd idem futurus erat ut homo*, Jud. 16.7. & 11. Ut homo? Et risum teneatis, Auditores? Nam Samsonis, de familia Danitarum, atque Manoa Patre nati, Jud. 13.2. illud, *ut homo*, Quid est, ad Christi, de cœlo, Deóque (vel ipsis non abnuentibus) nati, *habitu inventus est, ut homo?* Nihil enim hæc inter se, an toto quidem cœlo, differunt, ὡς ἄνθρωπος ibi de Samsone, atque heic de Christo, σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος? Sed & more suo pervulgari, Scripturam ipsam, jam ubi distorquere nequit, mentitur. Neque enim ità de Samsone in Sacris literis legitur, *quòd idem futurus erat*, (sive neutraliter, sive masculinè illud *idem* sumi cupiat) sed verba Samsonis hæc sunt, והייתי כאחד האדם, i. *& ero ut unus quivis homo*. Habet enim vim suam Articulus ille, acsi dixerat, *ut ex hominibus quilibet alius*. Samsone igitur cæciorem esse oportet, qui ex hiis locis lucem se accersere posse hariolatur ad Mysterii hujus expositionem, σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. Et tamen ejusdem prorsus farinæ est, quod & è Psal. 82.6. obtrudit, ipso SSpiritu suum כאדם ibidem etiam exponente per כאחד השרים. Neque abstinere se tamen miser poterat à scurrili epiphonemate, *de diis istis, atq; filiis Altissimi, certum est non posse dici, eos incarnatos fuisse*. Utinam verò neque de Barjesuitis possit, eos infatuatos esse!

19. Apostolus autem transactis jam Divinæ κενώσεως gradibus, per quos Deus Filius, (quem descripsit v. 6.) voluit descendere de se, atque seipsum imminuere, v. 7. proximè ad Divinam ejus ταπείνωσιν transit, ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν, narrátque, qui Filius jam Dei, hominísq; Jesus, submittere se porrò voluit in nostrum commodum. Meminisse enim semper oportet, illud esse primarium scopum totius hujus exegeseως. Nam, *Nè quæ sua sunt, quisq; quærat, sed quæ aliorum sunt, quisque*, mandatum Apostoli est, v. 4. Hortamento autem huic ut alacriter pareant, ab exemplo Christi urget, *ut idem adfectus in illis erga alios sit, qui in Christo fuit*, v. 5. Explicandum igitur restabat, ut Christus se habuerit, quantóque de fastigio se submiserit, ut nobis saluti esse possit. Ordine autem hæc prosequitur, Exponendo primùm, Quantus ab æterno Christus fuerit, v. 6: Dein, Quantopere sese minuerit, ut homo inter homines esse posset, v. 7. Quousque deniq; se hominem humiliaverit, suámq; dignitatem, voluptatem, vitam incolumitati nostræ posthabuerit, v. 8. Enecat certè Barjesuitas Apostolus per gradualem istam Christi ἡ κενώσεως, atque ἡ ταπείνωσις dispertitionem. Ideóq; Catechista totus ibi est, ut confutet, commisceátq;. Confundere autem se hæc egregiè sperat, dum locum totum intelligi suadeat, *De Christo facto servo, & mancipio, & ex aliis vulgaribus uno, cùm ultrò se rapi, vinciri, cædi, & occidi permiserit*. Cat. Rac. p. 94. Et sunt quidem ista quatuor, quæ enumerat, ταπεινώσεως Dominicæ mirabiles scenæ: Verùm singula hæc ad Extremum actum pertinent, neq; aliæ quàm ἡ καθαγεῶς ipsius partes solummodò sunt; Neq; enim die uno integro anteceſſerunt ante mortem Christi hæc omnia.

20. Dicite igitur Nobilissimi Fures, Quid factum est Epitafi omni? Quid de reliqua vita Christi, cujus annos totos triginta primùm, dein & quatuor alios, omni notâ majores, suffurati, nè postremum ejus diem nunc totũ nobis opponitis? Atqui Christus τῆς ταπεινώσεως suæ initia fundâsse dignoscitur, ὅτι τὸν ταπείνωσιν τῆς δούλης ἑαυτῆ, Luc. 1.48. tum cùm uteri materni carceres primùm subiit, pérque totius ætatis suæ decursum, mirificis deinceps

deinceps exemplis eandem confirmavit. Præiverunt etiam ipſi vitæ ejus egregiæ illæ, quas nos jam modò (*pag.* 16.) Paulo ipſo deſcriptore, delineavimus, ſtationes tres κατάστασις ejus: Supereminebat autem iſtis omnibus Divina illa, Deóque plena Protaſis, textu ipſo enarrante, Quid Chriſtus ab æterno fuerat, antequam aut minuere ſe aut humiliare cœperat. Támne helluones igitur Divinorum eſtis, ut hæc omnia, citiùs quàm vel aſparagi coquantur, abligurire poſſitis? Verùm ità facto opus erat, aut Babyloni Socininæ ruendum funditus erat! Diſſimulant tamen hanc παρρησίαν, quantum poſſunt; verbóque tenus, paratos ſe prætendunt Apoſtolum audire, atque Æqualitatem in Chriſto cum Deo agnoſcere; Sed quam? *quia Deus in Eum virtutem contulit, omnia efficiendi, quæ Dei ſunt.* C. R. p. 103. Quàm nihili verò id ſit in hoc argumento, jam ſuprà indicavimus. Addendum etiam eſt, quòd *omnia* dicunt, ſed non dicunt, Quæ ea ſint; & *contulit* dicunt, ſed non dicunt, Quando. Intelligunt autem, poſtquam è Maria natus eſt. Abſorpta igitur, (utì jam ſatìs tetigimus) atque deglutita eſt κένωσις illa Chriſti, cum toto Ὑπάρξεως ἐν μορφῇ Θεοῦ, quam Apoſtolus præmittit, anteceſſu.

21. Quin & vitam quoque Chriſti ab utero in terris omnem, (quadraginta diebus, è ſepulchro illis, exceptis,) cur non devoratam, deletámque ab iis eſſe dicamus, quid impedit? Quanquam enim aliquid in genere per ſummum dolum proloquantur, C. R. pag. 94. *de operibus Dei quæ Chriſtum in mundo efficere volunt, inſtar Dei, omniáque ei parere*; feciſſe tamen eum omnia docent, non niſi *per virtutem eam, quam in Eum,* (*Ei* enim, quòd non dicatur non caret & illud ſuâ fraude:) *contulit Deus*, C. R. pag. 103. Illius autem Poteſtatis donationem non priùs factam volunt, quàm excitatus ipſe à Deo è ſepulchro eſt, C. R. pag. 80, 225. ſic ut mortem ipſius ea tota ſubſecuta ſit. Advertite igitur jam, quò res hæc redigatur ab iis. Etenim vel in ipſorum ſenſum ſi cogi Paulus jam poſſet, nihílque per *formam Dei*, aut *Æqualitatem cum Deo*, quàm quod ipſi comminiſcuntur, nihil per κένωσιν atque ταπείνωσιν, quàm ex ipſorum voto, velle eum, daretur, (Dabitur autem, cùm & ipſi Deo Patri Thronum Ejus clepſerint:) non effugiet tamen Apoſtolus, quin miſere vapulet iis, quòd tam immane ὕστερον πρότερον moliri auſus ſit, ut de ſtatu Chriſti glorioſo (amplius enim Ei non concedunt) tam longâ ſerie ante paſſionem, & reſurrectionem ipſius, præmitteret hoc omni in textu, cogerétque eos ad id amolendum, etiam ea in ſpeciem dicere videri, quæ ἀσύστατα planiſſimè ſunt, atque cum ſuis ipſorum ſcitis nequeunt conſiſtere. Sed receptui jam canendum eſt. Igitur quod ille olim dixit, *Diſtingue tempora, & concordabis ſcripturas*; licebit & huc jam applicare pro Epiphonemate, Diſtingue tantùm tempora hæc, & conculcabis hanc aſpidem, confundéſque Barjeſuitas, vel ex ipſo iſtarum rerum ordine.

Sect. VI.

1. *Ut juventur à Latino V. Barjeſuita, ubi Græci codices habent,* Θεός.
2. *Erratum fortean eſt ſumendo* Θ *pro* Ο. *Majuſculis ſolis Graci Vetuſti Codices exarabantur.*
3. *Ut velit Barjeſuita Deum Patrem in carne manifeſtatum eſſe.*
4. *Sicubi Chriſtus* Caro *dicatur, Natura Ejus deſignatur, non Conditio, Quia ea peccatrix ſemper eſt.*
5. Caro *quà Natura, de Chriſto, déque Nobis, dicitur; Quà conditio Naturæ, de Nobis etiam, ſed de Chriſto nunquam.* Apparere *non eſt* φανερῶσθαι. *Apparuit olim Deus in naturis humilioribus.*
6. φανερωθῆναι *nuſquam dicitur de Virtuali Præſentia; ſed Reali ſemper, aut Perſonali.* Ἐν σαρκὶ *De Suppoſito eodem ſemper dicitur*, In Carne ſua; *Tranſitivè non ſumitur, niſi* ἐν τῷ *exprimatur.*
7. Adſumi *Perſona, nequit dici, niſi perſonali in Admiſſione*; Recipi, *in Metaphoricâ.* Ἀνάμπαλιν, ab ἀνὰ *eſt* Rurſum, *Reſumi, ab* ἄνω, *eſt* Surſum, *Suſtolli.* Ἀνάληψις, *Quid.*
8. Ἐν *pro* Σὺν, *&* εἰς *pro* Ἐν. *Senſus, ſi dubius, eruendus eſt è contextu, & Scopo Loci.*
9. Receptus in Gloriam, *cur Catholicus vertat, ſed Socininus nullus ferat? Chriſtum de Cœlo deſcendiſſe.*
10. *Deus, id eſt, Euangelium, ait Ille*; *Quia eſt Voluntas Dei de ſervandis Hominibus.*
11. Φανερωθῆναι *poſcit Ocularem conſpectum.* Δικαιωθῆναι *de Perſona dicitur:* ὤφθη, *De Spectabili Objecto.* Recipi *vulgò uſurpatur pro* Accipi.
12. *Paraphraſtica Accommodatio non eſt genuinus ſenſus. Eſſentialiter ſumendo, Chriſtus eſt Patris Voluntas, Sapientia, Potentia; Niſi ſic ſumat Barjeſuita, Idololatra ſit.*

Quid agitis verò, Pontificii? Romanam Eccleſiam ſolam eſſe Catholicam crepatis, neque veſtrâ tamen intereſſe putatis, infelix telum, quod contra Catholicam fidem è veſtro ſolùm armamentario deprompſit Racoviana pernicies, è manibus ipſorum extorquere? Negant illi Deum Filium; negant ὑποστάσιον Filii Dei; negant, eam fidem nobis è clariſſimo illo loco Paulino, μέγα ὄντι τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, 1 Tim. 3. 16. poſſe confirmari. Et variis quidem verſutiis ad hanc inficiationem inſtruuntur: Sed quæ primaria iis eſt, vobis acceptam ferunt. Vos verſionem illam vulgarem Latinam Cœlo jampridem donaſtis, Sixtíque V. Autoritate eam fidei Regulam eſſe juſſiſtis. At in ipſa, aiunt, non legitur vox illa *Deus, quare ex eo loco certum nihil concludi poteſt*, C. R. pag. 94. Hæc vos auditis, & non labra movetis? non in prælium jamdiu protrudiis magnos veſtros Pyrgopolinicas, Jeſuitas, Barjeſuitis hiiſce qui occurrant, ſartámque tectam vobis conſervent de Verſione veſtra inſaniſſimam Sanctionem? An ad vos ſolos non ſpectare hanc Provinciam confiditis, quia &, *à multis aliis Exemplaribus vetuſtis abeſſe eam vocem* adfirment? C. R. ibidem. Verùm non poteritis ſic effugere. Nam per dolum (peſſimum eum quidem, ſed fide Barjeſuiticâ digniſſimum) hoc ab iis adfirmatur, multa in genere Exemplaria crepantibus, verùm illa, ſi Res rectè excutiatur, non Græca, (in Græco enim nullo, Quantum audio, vel Codice, vel Expoſitore, non legitur Θεὸς) Sed tantùm Latina intelligentibus ſe dicere, Quorum veſtrum ſemper vos Anteſignanum eſſe vultis, atque agmen illud ducere. In vos igitur jure ſummo devolvitur Latinarum verſionum omne Patrocinium: Quid dicitis igitur? An, Scriptores veſtros, *myſterium* illud *Pietatis*, quod ibi antecedit, de Chriſto ipſo accipere, atque ex ea acceptione ſupplendum eſſe, Suppoſitum, *Deus*? Vah! Albis dentibus ridebunt vos (neque præter meritum) ob iſthoc reſponſum. Scriptores veſtros illi non magis faciunt, quàm vos Illorum; Nihílque audire certi ſunt, præter ipſum textum, Quem nunc de veſtro beneficio, cum voluptate legunt, *Quod manifeſtatum eſt*, & non, *Deus manifeſtatus eſt.*

2. Verùm ſtabit ſacro textui ſua fides, Jeſuitarum atque Barjeſuitarum omnium ingratiis. Græcè enim Apoſtolum ſcripſiſſe non audent negare; Græcorum autem univerſus conſenſus (ni peſſimè memini) nobis hoc Θεὸν exhibet. Velint igitur nolint Hæretici, de Deo manifeſtato in carne, certò hinc concludere poſſumus. Poſſumus & de Latinorum errore, unde obortus ſit, non certò concludere quidem, ſed ſatìs εὐτύχως conjicere tamen. Nam cùm vetuſtiſſimi codices Græcorum ex integro omnes per majuſculas literas exarati fuerint, proclive erat oſcitanti veteris Latini (Correctori, non dico, ſed) corruptori, cùm in exemplar vetuſtum Græcum inciderat, quod Θ ſolùm hoc in loco conſcriptum habebat, pro ΘΕΟC, illud pro Relativo Ο ſumere: videbat enim verba illa, omnia, ἐφανερώθη· ἐπι-

κακῶδη· ἄφδη· ἐκηρύχθη· ὄπτιδη· ἀνελήφδη· indifferenter se habere ad quodlibet genus, neque masculino magis quàm neutrali posse inservire; ideóque pro *Deus manifestatus est*, facilè supposuit, *Quod manifestatum est*. Verum istud fuerit, nécne, vehementer non contendimus. Inficiatores verò majestatis Christi opprimentur ab ipsius Græci Textûs gloria: neque Sixtus V. servare eos poterit, quin in contradictione sua à Latina lectione, utcunque accersita, penitus confundantur. Neque ipsi quidem, qui cùm in rem suam facturum esse sperant, urgere nunquam obliviscuntur, ut in Græcis se loca habeant, vehementer hoc diffitentur, (fronte enim magìs quàm naso carent hii homines:) Proximè igitur post hæc apponunt, quod concessioni manifestæ æquipolleat, dum salvos se futuros stolidè videri volunt, *etiamsi ea vox, Deus, in Textu legeretur*. C. R. pag. 49. Sequamur igitur eos jam oportet ad illud prodigium.

3. Dicat igitur nobilis Thraso, quâ spe jam fretus *etiamsi* suum jactitet. Quod audiant, velim, ferre si possint, qui nomen Christo, quocunque sub cœlo, dederunt. *Nullam enim esse causam*, ait, *cur ad Patrem referri non possit*. C. R. ibidem Quid est? Vultis ut eloquatur? Hoc igitur dicit, aiente Paulo, quòd *Deus in carne manifestatus est*, nihil omnino impedit, ait Barjesuita, quin de Deo Patre in carne manifestato accipienda sit ea sententia. Deum autem Patrem cùm dicit, non è tribus Personis unam illam, primámque, (Patripassianos enim non longè superare, plurimùm fastidit:) sed unicum solum Deum, atque Integram, Divinam Essentiam intelligi vult se dicere. Et hoc *Mysterium* jam non est? Est profectò maximum. Verùm neque τῆς εὐσεβείας *mysterium*, de quo Apostolus dicere instituit, est, (sed quæ pravitatis Hæreticæ apud primævos Patres Nomenclatura vulgò facta est, τῆς Ἀσεβείας·) neque cum ὁμολογουμένως quicquam commune habet, putà quod Orbi Christiano inauditum supra annos sesquimille diu fuerit, atque etiamnum piis omnibus invisum sit, aliámque sibi nequit, quàm paupertinam, & clandestinam, i. Socininam confessionem, nè nunc quidem obtendere. Audite verò sultis, quàm suaviter & cætera concinant. Nam si per religionem à Christo introductam (de ea Paulus ibi agit) factum sit, ut *Deus* Pater *manifestatus fuerit in Carne*, per eandem & idem Deus Pater *justificatus fuit in Spiritu*. Quídni & hoc suis exponit mirabilis iste Mysta? Per eandem etiam, quòd Deus Pater tum *visus* sit *ab Angelis*; Deus Pater *prædicatus* sit *inter Gentes*; Deo Patri *fides habita* sit *in mundo*; Deus Pater *receptus sit in gloriam*. Recitasse autem hæc jam satìs est, neque opus nobis erit, impias, insanásque conclusiones, quæ sponte suâ ex hiis protuberant, sigillatim appingere. Ista nimirum de causa, nè ipse quidem Catechista, quàm perfrictæ cunque frontis sit, ausus adhuc est ea singula percensere; Sed cùm *hæc de Deo Patre affirmari possint*, in genere dixerat. C. R. pag. 94. dolo suo sibi cavere voluit, déque Senario illo Paulino intermedias quatuor Sententias alto silentio premit, ad primam tantùm, ultimámque aliquid contentus dicere.

4. Ad primam autem quod oggannit, sic se habet. Paulo Mysterii Christianæ religionis caput faciente, *Deum manifestatum esse in carne*, Hoc Barjesuita esse vult, *Deum Patrem apparuisse in Christo, & Apostolis, qui caro fuerunt*, C. R. ibidem. Et sunt quidem in hac expositione varia, quæ si divisim expendantur, verè satìs enuntiantur, Apparuit enim Deus in Christo: Apparuit & in Apostolis Christi: Christus etiam caro fuit: fuere etiam Apostoli. Conjunctim tamen hæc ab eo prolata, ádque mentem loci exponendam fraudulenter obtrusa, ad falsissimarum pravitatis Socininæ conclusionum venena instillanda insigniter faciunt. In antidoto igitur nostro ordiri libet ab eo, quòd *Christum & Apostolos carnem fuisse* dicat, & de Christo quidem sæpe sic respondit. Jam antè convenimus eum, Johannis illud, *Verbum caro factum est*, Joh. 1. 14. ità diluentem, *Sermo caro fuit*, & sic se demum exponentem, *Quoniam Christus homo fuit, omnibus miseriis, & afflictionibus, ac morti denique subjectus*. C. R. p. 92. Et nè quid temere ab eo, aut sine sanctissima ratione adfirmari videatur, subjungit, *vocem Caro eo in sensu usurpat Scriptura, ut ex iis locis perspicuum est, ubi Deus loquitur*, Non contendet Spiritus meus cum homine in æternum, Quia caro est; Gen. 6. 3. *& Petrus*, Omnis Caro ut fœnum, 1 Pet. 1. 24. C. R. pag. 92. Scopus autem Impostoris jam iste est; Christum ab Euangelista *Carnis* illic dici vult, non ad Naturam ipsam humanam, quam assumsisse ab Orthodoxis creditur, designandam, sed tantùm ad naturæ illius, in qua natus est, conditionem describendam, infirmam scilicet & caducam. Et verissimum quidem est, loca illa, quæ laudavit, de conditione naturæ humanæ loqui intendere; & per summam tamen fraudem ab eo in hoc argumento adducuntur; de conditione enim ea loquuntur, non solùm ex eventu, quia natura hominum imbecillis atque mortalis est, verùm præcipuè propter Causam ejusdem, quia impura atque ἁμαρτωλὸς est. Ad refellendum igitur hoc Sophisma, (quo ipse suos fallit, partem rei tantùm dicendo) nos statuimus, ubi *caro* enuntiatur de Christo, necesse esse, ut non ad communem conditionem, sed ad solam naturam ipsam in eo connotandam usurpetur. Ratio luculenta est, quia in conditione humanæ naturæ, si de ea ageretur, primas agit peccatum. In Christo autem, humana natura (licèt homo ipse, cætera si spectentur, κατὰ πάντα, καθ' ὁμοιότητα fuerit) fuit tamen semper χωὶς ἁμαρτίας, Heb. 4. 15. Ista igitur prima ejus fraus est.

5. Eandem verò repetit, quòd *carne* jam dictâ, de ea, *in Christo, & in Apostolis*, pariter adsumat, junctímque pronuntiet, quòd *caro fuerint*. Non, quin ità fuerint; fuere enim, & naturâ quidem ipsâ pares; sed conditione tamen inter se diversissimi. *Caro* igitur, quâ naturam humanam denotat, (ex quo solo intuitu, de Christo in SScripturis dicitur) non de Christo solo, sed & de Apostolis quoque, de nobis omnibus, pariter dici potest; Verùm quâ conditionem naturæ humanæ designat, (extra quam de homine nemine, nè de Apostolis ipsis, unquam usurpatur) ad Christum nullo modo referri potest: Pari enim sub conditione naturæ, quâ nos, neque *Caro* Christus, neque homo fuit. Hæc altera igitur ejus fraus est; quòd in voce hac *Carnis*, Christum atque Apostolos pariter consocíet. Ut nihil porrò heic queramur, de non observata ab eo, vel aliter infinita Christum inter atque Apostolos differentia; Illos, pro sua cujusque mensura, Eph. 4. 16. sed mensurâ tamen, ratâque portione, semper æstimandos; Christum verò, non ad mensuram, Joh. 3. 34. Ἐν αὐτῷ κατοικῇ πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι, Col. 1. 19. Et Huic tamen ut Christus, atque Apostoli nullo jam discrimine agantur? Factum quidem hoc ab eo esse scio, ad alterius erroris (errores enim erroribus pertegere miser cogitur, nè insanùm perpluant;) staturninationem; verùm nolo nunc digredi, aut extra has lineas expatiari. *Apparuisse* autem *Deum in Christo & Apostolis*, quid hoc ad rem? Quodnam Religionis mysterium Paulus ex hoc consurgere perspexit, propter quod triumphum hunc canat, quasi quod prioribus seculis negatum fuerat? An ex eo erat, quia sic se Deus submittere jam voluit, ínque tam humili natura præsentiam suam mundo exhibere? Ità quidem Barjesuita innuit, *apparuit enim*, ait, *in illis qui Caro fuerunt*. Sed quid mirùm, novúmve hoc? Quodnam mysterium spirat? Annon jam antè idem fecerat Deus, & in rebus longè humilioribus? Apparuit olim in jumento Balaamitico, *aperuit enim Jehova os asinæ*, Num. 22. 28. Apparuit in ipsis vermiculis Ægyptiacis: *digitus Dei erat in iis*, Exod. 8. 19. Quid pluribus opu'st? Si hoc ex respectu igitur procudat Paulus Mysteria Pietatis, ipsum quidem, cujus dicta distorquere nil Iste veretur, naso quoque aliàs suspendat, expectabimus; Ditiora enim talium mysteriorum prisca secula fuisse constat.

6. Respondeat

6. Respondeat igitur oportet, cùm *apparuit* suum nobis obtrudat, quid hoc sit ad Pauli ἐφανερώθη. Vocabulum quidem φανερωθῆναι apud Exteros Græcos rariùs occurrere memini: tam frequentem verò in Sacris literis, (plusquam tricies enim reperitur in N.T.) usum obtinuit, ut ex eo solùm Thesauro significatio ejusdem depromenda optimè sit. Quanquam verò apud Marcum, atque Johannem locus unus & alter sint, in quibus non per *manifestari*, sed per *apparere* tralatum sit; nego tamen aliquem locum esse, ubi de virtuali solùm Præsentia usurpetur, sed semper, de reali, si de rebus enuntiatum sit, vel de Personali, si de Personis. Hoccine igitur est, quod Barjesuita vult? Deum Patrem Personalem suam præsentiam exhibuisse *in carne*, *in Christo* scilicet, *atque Apostolis*? Non dicet, opinor, quanquam nihil fidejubebo ipsius nomine. Atqui nos, Deum Filium personaliter in carne versatum fuisse, fidenter adserimus, ex ipso jam Paulo edocti, Θεὸν φανερωθῆναι ἐν σαρκί. Et quia ἐν σαρκὶ dicitur, igitur de Deo Patre, quà ille *in Christo aut Apostolis apparuisse* supponitur, non posse intelligi contendimus. Nam & ἐν σαρκὶ locutio est, quæ in N.T. haud multò rariùs usurpatur; absolutè autem sic positum nusquam reperitur, (quocunque cum actu conjunctum sit, sive cum ἦν, ut Rom. 7.5. sive cum στρατεῦ, ut 2 Cor.10.3. sive cum βιῶσαι, ut 1 Pet. 4.2. sive cum φανερωθῆναι, ut heic) quin reflexivè, & de eodem illo supposito sumatur, qui Esse, Ambulare, Vivere, Manifestari dicitur, idémque valet quod, in sua ipsius carne. Transitivè enim si quando significare jubetur, quid uni Personæ usu veniat in altera, (Quod Barjesuitam velle necesse est, cùm *Deum Patrem apparuisse in Christo & Apostolis* ineptiat,) disertè exprimi illa altera Persona solet; sic enim, non ἐν ἄλλῃ σαρκὶ, sed ἐν τῇ ὑμετέρᾳ σαρκὶ, ait Apostolus de Pseudapostolis è Galatarum circumcisione sibi gloriam quæritantibus, Gal.6.12. Sic & hoc ipso verbo φανερωθῆναι usus, ait, φανερωθῇ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν, cùm nos manifestarios socios vitæ D. Jesu futuros pollicetur, 2 Cor. 4.11. Exponere igitur, *Deum manifestatum in carne*, quod absolutè enuntiatur, per *Dei Patris* nescio quam *apparitionem in Christo, & Apostolis*, tam ab omni non solùm recto sensu, sed & usu quoque loquendi alienum est, ut in neminem cadere possit, præterquam de grege Socinino Catechistam, vel Grammaticorum pueris ridendum se propinare solitum, modò possit pueros suos aliquà lactare, vanissimâque vel miseri paralogismi specie eos producere.

7. Dicto autem jam, quod de *Deo manifestato in carne* habebat, quid saltu porrò possit, experitur, quatuórque illa, quæ interjacent, uno volatu, nullo negotio prætervectus, concludit denique, *quod autem inferius legitur, receptus est in gloriam, id in Græco habetur, receptus est in gloria*, i. *cum gloria, aut glorioſé*. C.R.p.94. In Græco autem? Benè habet! Textui igitur Græco, illudere utcunque (si possit) per fidem Barjesuiticam liceat, non licet tamen ei non submittere. Vocabulum igitur ΘΕΟΣ jam non excludetur. Sed libet percontari, ubi sic legitur, *Receptus est*? In Latino, quem citavit, legitur, *assumtus est*, eadémque verba, Mar.14.19. sunt, *Dominus assumtus est in Cœlum*. Neque aliter variis in locis habetur; *Receptus est*, quod sciam, nullibi. Non hoc aio, quòd illam lectionem huic præferam, malímve ἀναλῆφθῆναι verti *assumtum esse* quàm *receptum esse*, sed quòd subrideam, artémque hominis laudem, viam sibi tam callidè præstruentis, quasi ex recepto solùm, atque communi lectione ferretur ad id, quod ipse in animo coquit in fraudem veræ interpretationis. Videbat enim *assumi*, ubi de Persona dicitur, (ut hoc, *Deus assumtus est*) non posse cogi ut alium quàm Personalis admissionis sensum admittat; ejuranda autem prorsùs est ei Personalis horum verborum interpretatio. Sed *Recipi* vocabulum est ex usu communi flexibilius, potéstque *Deus receptus est* minore cum vi ad sensum Metaphoricum abduci, sic ut non ipsum Deum tamen, sed aliquid sui, ex Deo aliquid receptum esse, intelligatur. Jam verò vocabulum Græcum, apud Exteros Autores, ex vi præpositionis ἀνὰ, significationem vulgarem habet *Iterationis*, éstque *Resumere, Recipere, Repetere*. In usum verò sacrum non Receptum est, quà ἀνὰ significat Rursum; sed tantùm quà significat Sursum, i. ἄνω, habétque sensum *suscipiendi, sublevandi, sustollendi*. Sic scutum levantes in defensionem sui, dicuntur ἀναλαβόντες τὸν θυρεὸν, Eph. 6. 16. armáque sibi induere, est ἀναλαβεῖν τὰ ὅπλα, ver.13. quod in humeros quoque tollebant, ἀναλαβεῖν dicuntur, Act. 7.43. itidem & in equum, Act.23.31. Qui verò in navi jam vehebant, conscendentes ad se ἀναλαβεῖν leguntur, Act.20. 13,14. & 2 Tim.4.11. Et quod in cœlos denique evehitur, est ἀναλῆφθῆναι, ut præter loca jam dicta videre est, Act.1.2, 11, 22. atque Act.10.16. Unicus tamen locus occurrit, Luc. 9. 51. ubi Ἀνάλημψιν, non pro *assumtione in cœlos*, ut vulgo Interpretum placet, sed pro *Refectione*, seu *Resumtione virium*, sumi oportere, jam alibi exposui.

8. Verùm id quod Pietatem hominis jam lædit, est, quia ἐν δόξῃ redditur *in gloriam* (Receptionem enim personæ illud plusquam innuit;) cùm reddi tamen oporteat, *in gloria*, atque id nihil est, nisi *cum gloria*. Et de Præpositionum quidem promiscuo (pro more Hebraico) usu in N.T. jam sæpe dictum est. Ἐν usurpari sæpe pro σὺν, evincunt hæc loca, ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, Mar. 1. 23. &, ἐν τίνι ἀρτύσετε; Mar. 9. 50. &, ἐν δέκα χιλιάσι, Luc. 14. 31. &, ἐν μαχαίρᾳ, Luc.22. 49. &, ἐν πνεύματι, Act. 11. 16. &, ἐν πληρώματι, Rom. 15. 29. &, ἐν δόξῃ, 2 Cor.3.17. &, ἐν ἐπαγγελίᾳ, Eph.6.2. &, ἐν αἵματι, Heb. 9. 25. &, ἐν εἰρήνῃ, Jac.3.18. &, ἐν φανερῷ, 2 Pet. 2. 16. Cæterùm & pro εἰς non minùs usurpari liquet, per ἐν θαλάσσῃ, Mar. 1. 16. &, ἐν ᾧ σπορεύονται, Luc. 19. 30. &, ἐν τῷ χιτῶνι αὐτῶν, Joh.3.35. &, ἐν τῷ κολυμβήθρᾳ, Joh. 5.4. &, ἐν ὁμοιώματι, Rom. 1.23. &, ἐν τῇ καρδίᾳ, 2 Cor. 8.16. &, ὃς παντὶ τόπῳ, 1 Thes.1.8. &, ὃς τῷ ὑποδήματι, Heb. 4.11. &, ὃς ὑπομνήσει, 2 Pet. 1.13. &, ἐν ἀγαλλιάσει, Jud. v. 24. Sunt & alia loca in utraque acceptione; sed hæc jam mihi ad manum erant; & satis, supérque sunt, ad contundendam audaciam hominis, aientis, *In Græco est, in gloria*, i. *cum gloria*. Imò, ô Bone, dic, siquid modestè dicere potest Barjesuita, *In Græco est, in gloria, & id esse potest, cum gloria*. Neq; enim, *id est*, posse à te dici sine summa insania, abundè jam indicatum est. Sed quomodo igitur dirimetur hæc lis? Cùm possit sic esse, debeat etiam nécne, unde constabit? Certè quod in consimilibus casibus fieri necesse est, Experiundum est, Quid ex ipsius loci scopo, aut circumstantiis, quid è contextu erui possit ad istam decisionem.

9. Hoc autem primùm inter partes interest, quòd Barjesuita non ferat *in gloriam* subsitui pro *in gloria*; ad id de necessitate miser adigitur, nè pereat protinus, nisi hypothesi suæ inserviat, nullóque modo admittat, quod omni modo pernegandum ipsi est, si salvus esse velit, Personalem hanc, quam Paulus dicit, receptionem fuisse. Orthodoxi contrà, necessitate nullâ urgentur; Indè enim à principio testimonii hujus, pro concesso, per *Deum manifestatum est in carne* ab iis sumitur, personaliter hæc omnia enuntiari: Illi tamen *in gloriam* legendum censent, non ut quicquam sibi lucrentur in argumento suo, non ut excludant etiam *in gloria* vel *cum gloria*; sed tantùm ut satisfaciant scopo loci, atque amplitudinem mysterii, quod Apostolus deprædicat, plenius adsequantur. Adde autem, quòd destruere etiam persentiant ipsum etymon τῆς ἀναλῆφθῆναι, nisi legatur *in gloriam*. Sive enim id *Sursum* fit, & ab ἄνω formetur, *sublatum esse in cœlos* dicit, i. in locum gloriæ, quò & Christum adscendisse nè ipse Barjesuita negat: sive sit *Rursum*, & ex ἀνὰ compositum, in idem recidit; Exinde enim antè descenderat Christus, è sinu & gloria Patris; illuc igitur redeundum ei erat, ἀναβαίνειν ὅπου ἦν τὸ πρότερον, Joh. 6. 62. Quo quidem dicto suo Dominus scandalizari norat tum Judæos, qui non credebant, tum Judam, qui proditurus eum erat, (Quibus succenturiari jam par est & omnes Barjesuitas;) sed argumentum

ſtat immotum, Paulo ipſo ſic alibi inferente, τὸ δὲ ἀνέβη, τί ἔστιν, εἰ μὴ ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον; ὁ καταβὰς αὐτός ἐστι, καὶ ὁ ἀναβὰς ὑπεράνω πάντων τῶν οὐρανῶν, ἵνα πληρώσῃ τὰ πάντα, Eph. 4. 9. Cogitúrque & ipſe Catechiſta tandem *perlibenter admittere, Propriè dici filium hominis de cœlo deſcendiſſe, ideóque & in cœlos adſcenſurum eſſe*, Jo. 3. 13. C. R. p. 114.

10. Quo ore igitur, quóve conſilio, quod alibi lætus concedit, inficias heic ire poteſt? Dicam. Nam & ſubleſtâ ſatis fide illud ibi concedit, *de filio* ſcilicet *hominis* id dici, ſed non de Filio Dei. Et heic, cùm Deus expreſsè præeat in capite dicendorum ei, *Deus manifeſtatus eſt in carne*, & quæ ſequuntur; igitur &, *Deus receptus eſt*; Niſi perſonalitatem illam (ſit venia verbo) ſuffurari aliquà, déque ſenſu loci ſubducere poſſit, atque Metaphoricam expoſitionem dictis Paulinis affingere, actutum miſer occidet, atque Socinitas tota diſpergetur cum pulviſculo. Quid fit igitur? Commaſculatâ de more fronte, cùm jam ſperaret ſe ſcopulos, à quibus antè metuendum ei meritò erat, per dolos ſuos, quorum remigium ſatis indicavimus, effugiſſe, tandem ad integri loci recitationem ſe ſic accingit, *Deus manifeſtatus eſt in carne, juſtificatus eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatus eſt gentibus, Fides habita eſt illi in mundo, receptus eſt in gloria.* Atque jam ſine hæſitatione adſerit, hujus teſtimonii ſenſum eſſe, C. R. p. 95. *Deus*, i. (non Deus, ſed) *voluntas Dei de ſervandis hominibus*, quod uno quidem verbo, eſt, Euangelium. Hoc autem ut ſatis congruè ſenſúque ſano dictum ab eo videatur, jam ἐφανερώθη eſt ei *perfectè patefacta eſt*. Dein *in carne*, eſt *per infirmos homines*; Chriſtúmque ipſum deſignat, & Apoſtolos: ἐδικαιώθη autem ei eſt, *pro vero agnita eſt*: tum ὤφθη eſt, *apparuit, & perſpecta eſt*: porrò ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ eſt, *omnes crediderunt ei*: denique ἀνελήφθη ἐν δόξῃ eſt, *inſignem in modum, & ſumma cum gloria recepta eſt.*

11. Nos jam quid contrà? nihil jam priùs dictis addere curamus, niſi quod Textus ipſe Lectioni huic opponit. Neque enim tanti eſſe arbitramur iſta deliria, ut aliter cum iis nunc pugnemus, quàm pugnant ipſa cum verbis, quibus innituntur. Quaſi ἐκ παραδόξου igitur monemus hominem, 1. Quoad uſum ſacrum, ſatis non eſſe ad φανερωθῆναι, qualemcunque, aut quàm perfectam cunque patefactionem, niſi ſenſui ipſi, quod patefieri dicitur, expoſitum fuerit, atque imprimis, oculo. Teſtamur ad hoc & alterum Apoſtolum, hoc ipſo in argumento, ad ſuum ἀκηκόαμεν ſemel iterúmque fortiter preſſum ab eo, non ſolùm ter adjungentem ἑωράκαμεν, cúmque eo, nequid ſomniari poſſit de metaphora, copulantem τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, 1 Jo. 1. 1. verùm etiam, ubi de ἐφανερώθη quid ſentiat interſerendum ei ſit, ſolummodò urgentem ἑωράκαμεν, v. 2. 2. Aurem etiam amicè vellimus homini, & ſciſcitamur, Quæ major licentia ipſi ſit, negandi ἐν δόξῃ verti poſſe *in gloriam*, quàm nobis eſſe jam poterit, negandi ἐν σαρκὶ verti poſſe, *per carnem? Caro* autem ea quæ verè fuerit, jamdudum indicatum eſt. 3. Monemus etiam δικαιωθῆναι in Theologicis nunquam uſurpari, nunquam referri poſſe, niſi de conditione alicujus perſonæ. 4. Addimus, eſſe & eandem τῷ ὠφθῆναι rationem, quatenus ſemper (& plus vicies Spiritus ſo Tempore in N. T. uſus eſt) uſurpatur de objecto Spectabili. 5. Quid quòd & hic ipſe ſeſe ea in parte ex inopinato ſubruat, Etenim, niſi ad Perſonæ ſuppoſitionem feratur, cùm ἐπιστεύθη vertat, *omnes crediderunt ei*, turpem Apoſtolo ταυτολογίαν infert, nihil aliud & in hoc dicenti, quàm quod in ἐδικαιώθη ſupponitur ab ipſo priùs dixiſſe, *ab omnibus pro vera agnita eſt.* 6. Denique ſi ἀνελήφθη ἐν δόξῃ id ſolum deſignet, *quòd inſigni modo, atque cum gloria recepta ſit*, doceat, qua in re differat à jam proximè dicto, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ; Vúltne enim, Euangelium univerſalem quidem per orbem fidem in principio ſortitum eſſe, Sed non niſi poſt tempus aliquod meruiſſe gloriam? 7. Ut nihil nunc adſuamus, de Catechreſi hac in prægrandi Theologo verè puerili, quæ neque τῷ ὠφθη, neque τῷ ἄλλῳ rationem aliquam in ἀναλαμφθῆναι obſervare novit, *Recipíque* id dicit cum vulgo, quod non aliter quàm *accipi*, ſeu *admitti*, intelligendum in eo eſt.

12. Sed pudet tœdétque me difficilium harum, quas in rem Religionis, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, quod aiunt, introducit, ineptiarum. Summa igitur hæc eſto; Quod voluntati Dei de ſervandis hominibus, ex hoc Textu, per accommodationem quandam, paraphraſticè adſcribere ſatagit, vehementer non rejicimus; Habent enim ſingula ſuo modo verum in ſe ſenſum, licèt frigidè ſatis, ſegnitérque ab eo explicata ſint. Verùm quòd ſomnia jam ſua pro primitivo, & genuino ipſo ſenſu verborum Apoſtoli venditare velit, Myſteriúmque pietatis, quod ſingulari modo Paulus ibi elucidat, myſterium tamen indè per tot ſecula remanſiſſe credendum ſit, donec Hieronymus à Moſcorow cum ſuis Magiſtris in ſcenam prodierit, & ſuam mentem (heu! parùm eminentem) pro Paulina voluerit juſſerit haberi, jam hoc omnem non Impietatem ſolùm, ſed & ſtoliditatem ſuperat. Niſi iidem Autores nunc eſſe nobis velint, ut hæc, quam ſubornant, voluntas Dei, eſſentialiter tamen dici intelligatur. Eo enim in ſenſu haud illubenter admiſſuri ſumus, quicquid in Deo eſt, ſeu Intellectus appelletur, ſeu Voluntas, ipſe Deus ut ſit, próque ipſo Deo habeatur: neque quicquam obſtabit, quin Chriſtus Dei filius, ab Angelorum choro, cùm naſceretur, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία proclamatus, Luc. 2. 14. áque Paulo, *Dei potentia, & ſapientia* dictus, 1 Cor. 1. 24. itidem & *voluntas Dei* jam ex iſtis, (ſi quid opus ſit eâ variatione) audiat. Uno igitur verbo ut rem omnem expediamus; Paulus dixit, *Deus manifeſtatus eſt.* Catechiſta dicit, *voluntas Dei.* Reſpondeat ergò, *voluntas* hæc, quam dicit, Deus ipſe eſt, nécne? Eſſe ſi dicat, ſatis eſt nobis. Ipſe videat, *juſtiſſimam cauſam variationis ſuæ afferre ut poſſit*, C. R. p. 3. nè cum ſervo nequam ex ore ſuo damnetur, Luc. 19. 22. Quòd ſi non patiatur, Deus ut ſit, caveat ſibi inter cætera & à crimine Idololatrico; Deum enim è Textu ſciens prudénſque depulit, & loco Dei ſuffecit, quod (ut ipſe gloriatur) non eſt Deus.

SECT. VII.

1. *Arianum Socinianum. Presbyteri Epiſcopos pellunt ex Eccleſia.*
2. *Contra Sociniana Blaſphemiam 8 Corollaria.*
3. *A Poſſe ad Eſſe, non ſequi Argumentum.*
4. *Sanguinem Chriſti ut velint dici ſanguinem Dei Patris.*
5. *Petitio Principii quàm familiaris ſit Barjeſuitæ!*
6. *Quod in Propheta eſt Metonymia atque Metaphora, in Paulo Tropus non eſt.*
7. *Ex eadem cauſa idem Effectus. Abſurdo uno dato cætera ſequentur.*
8. Poſt Gloriam, *Quid. Propheta Deum introducere ſolent in ſua perſona loquentem.*
9. Dominus exercituum, *& Pater, & Filius. Chriſtus, ut Deus, miſit, ut Homo, miſſus eſt.*
10. Oculus ejus, *Proverbialiter, pro Oculo Cujuſpiam. Pupilla Oculi, Pars tenerrima. Adagia ſæpe conciſa ſunt.*
11. *Per ἀνθρωποπάθειαν dicuntur de Deo, quæ Hominis ſunt.*
12. Ejus, *& Propriè ſuus, ut differant. Deus Pater nequit dici habere Proprium ſanguinem; De Chriſto dicitur.*
13. *Quòd Chriſti αἷμα ἴδιον ſit dictum, eſt Argumentum Incarnationis. Nulla Conjunctio poteſt transferre τὸ ἴδιον.*
14. *Non placet iis, Eccleſia Dei Acquiſitionē & Redemtionem fieri per ſatisfactionem è ſanguine Chriſti.*
15. *Quis finis fuerit fuſionis Chriſti Sanguinis.*

PAræneſis illa, quâ Apoſtolus uſus eſt, quando Aſiaticis Epiſcopis extremùm valedixit, Προσέχετε ἑαυτοῖς, καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, Act. 20. 28. monitio προσέχειν non

non erat, aut cunis illis Ecclesiæ solùm data, atque cum eorum personis terminanda, sed in omnem ætatem, universum ordinem, functionémque eorum respiciebat. Habuit igitur semper suum in Ecclesia Christi locum, & an ullâ unquam ætate majorem, quàm sequiore hoc ævo hodiéque obtinuit, equidem nescio. Ut Gregi quidem toti caverent, σφόδρα παντὶ τῷ ποιμνίῳ, nunquam non inculcandum erat, propter Hæresium, Schismatúmque, per fraudem Satanæ subindè pullulantium, contagionem. Verùm præter illam pestem, sibi cum gregibus suis communem, quòd & sibimet ipsis speciatim cavendum esse Paulus monuerit, σφόδρα ἑαυτοῖς. Sero huic seculo potissimùm paratam fuisse eam prænonitionem quis nunc non videt? Ætas enim nunc agitur, in qua revocato ab inferis Aeriano furore, factâque cum ipsius gregis Christi parte insanâ conjuratione, bella, horrida bella indicuntur ipsi SSpiritui, quòd Episcopos in Ecclesia Dei collocârit; pérque mille jam perjuria, latrocinia, homicidia, sub Sacræ Causæ prætextu, sanctificata, eò per Scoticanam factionem perventum est, ut vel Christi summis ingratiis, (sed Christi, si placet, causâ; Christi enim nomen continuo boatu vehementer resonare loca omnia docent, qui re tamen verâ neminem Christum agnoscunt, præter semetipsos:) Episcopos ex Ecclesia Christi æternùm exulare jusserint. Ecclesiam igitur nunc hii homines venditant, non in qua SSpiritus tam parùm providè Rectores posuerat Episcopos, sed in quam (quod longè præcellentius est, & Christo dignius) ipsi sese intruserunt pro Episcopis; *Perquisitam* & hanc quoque *per sanguinem*, non quidem Christi ipsius, Deóque, sed Christorum tamen, Sanctorúmque, & Deo hujus seculi; cui & nomen quoque (prælerunt enim & ad hoc piissimi Nomenclatores Scoti) inditum est, Regnum Jesu Christi. Verùm abstinebimus; sparsim enim jam sæpéque in hiis Anamerycismis tactum est, quod de novitia hac pietate, ex variis Scripturæ locis, monendum habuimus.

2. Quòd nunc verò ad hanc Parænesin delati simus, alterius animadversionis causâ factum est. Observamus enim ità SSpiritui visum fuisse Paulinam hanc monitionem efformare, ut vel ex verbis ejusdem & alteri quoque impiissimæ sententiæ nostro jam ævo, plus quàm prioribus, atque longè immaniùs grassanti, & naturam humanam cum Divina in Persona Christi conjunctam esse abneganti, validissimè occurri possit. Sic enim pergit Apostolus, τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο Ἐπισκόπους, ποιμαίνειν τὴν Ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, ἣν περιεποιήσατο διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. O præclaram igitur hanc sententiam, atque Divinorum sensuum ad miraculum divitem! Nam primo statim intuitu, Corollaria non pauca exinde nata cuivis enumerare est. 1. Esse in terris Ecclesiam, Unam, Sanctam, Catholicam, Apostolicam. 2. Ecclesiam hanc qui habere dicendus est, Deum esse. 3. Qui administrat hanc Ecclesiam, esse SSpiritum. 4. SSpiritum per Episcopos suos eam ab initio administrare, regere, pascere. 5. Qui acquisivit Ecclesiam hanc, eundem & Deum esse. 6. Sed & Sanguinem proprium habere Deum hunc. 7. Per sanguinem suum acquisivisse Deum hanc Ecclesiam. 8. Sanguinem, quo Ecclesia acquisita est, esse proprium sanguinem ipsius Dei. Possunt & alia ex hoc fonte hauriri; sed hæc πρωτόπλα sunt, spontéque suâ se nobis offerunt.

3. Jam in hanc arenam igitur provocemus denuò necesse est, blasphemum caput, πρόστολον illum τῆς θεοσυγῶν & χειρομάχων, Barjesuitarum, Polonicum Catechistam. Ille enim ad hæc, quid? Respondet, *nomen Dei hoc loco non referri ad Christum necessariò*, C. R. p. 69. *Non necessariò* autem? Quòd si vel contingenter, verè modò, referri ad Christum possit, ipsis *necessariò* perjundum erit; tum enim contingit, (velint nolint ipsi) Christum ab æterno Deum fuisse. Verùm non pugnabimus de verbis illius; accipiemus quod dicit, ex ipsius sensu; *non posse ex hoc loco probari Christum esse Deum: nullam enim necessitatem esse, ut hoc nomen*, Dei, *de Christo à Paulo dici intelligatur*, C. R. p. 69. Quid ità verò, scelus? *Ad ipsum enim Deum Patrem referri posse*. Referri posse quid? Annon suppositum quæstionis ipse jam fecerat, *nomen Dei*? Certé. Atque ergò Seraphicus Doctor non veretur nunc adserere, *Nomen Dei referri posse ad ipsum Deum Patrem*. O subtile atque stupendum acumen! Jam omne punctum tulisset, addidisset modò, *quoniam nos in Polonia ità volumus*. Sed tamen scisciari licebit, Quorsum nobis hoc *Posse* ejus? De natura enim ἐξ ὑποκειμένων est; Quod potest esse, posse & non esse. Poterítne ergò per illum & non referri ad Deum Patrem nomen dei? Potest fortassean & hoc in Theologia Barjesuitica admitti. Sed quod nunc τὸ κεινόμενον est, hoc ex eo audiamus. Quomodo potest id, quod à Paulo hoc in loco dicitur de Deo, ad Deum Patrem referri? Dicitur enim quòd Deus *acquisivit Ecclesiam*: Deúsne Pater est Acquisitor, aut Redemptor fidelium? Dicitur etiam, quòd *proprio sanguine acquisivit eam*: Deúsne Pater proprium sanguinem aut habet, aut solvit alteri?

4. Profectò aliquà jam cogendus est, ut habeat, potiùs quàm ut Barjesuitæ cogantur ad Christum se recipere, eúmque pro Deo isto agnoscere. Videte ergò, quibus nervis conficere se rem hanc Catechista speret, *Sanguinem enim eum, quem Christus fudit, Apostolus vocat sanguinem Dei Patris*, C.R. p. 70. Ain verò? Quem Christus fudit? Optimè habet. Et ille sanguis est sanguis Dei Patris? Scilicet. Subolet ergò nunc, cur hii, tam jurati in Christum sint, illiúsque Divinitatem tam cupidè ei interimant, quia illum fudisse credunt sanguinem Dei Patris sui: Meram igitur vindictam moliuntur, putà quibus datum est, (sed ex quo oraculo, non dicunt,) ut ipsi sint ultores sanguinis Dei. Jus quidem illud sanguinis ulciscendi in Lege vetere dabatur maximè propinquo, Num. 35. 21. atque ipsos Dei Patris cognatissimos esse, eccui jam, vel ob hoc, licebit dubitare? Igitur, qui sanguinem, quem Christus fudit, vocari à Paulo volunt Sanguinem Dei Patris, quin & Paulo dicam hanc inscribunt, quòd non sit istud clarè prolocutus, cúmque τοῦ πατρὸς mentionem in Scriptis suis tam familiariter, (plus quàm vicies enim in Epistolis ejus occurrit,) facere solitus sit, hoc in loco, (in tanti momenti re, ne disperdantur pii Barjesuitæ,) quòd oblitus sit officii sui? An verò Barjesuitica revera hæc audacia est, Pauli mentem turpissimè mentita? Nobísque jam satis, supérque erit, fortiter negare, quod illi impudenter aiunt. Aiunt illi Paulum ibi sanguinem, quem Christus fudit, vocare Sanguinem Dei Patris. Largiuntur igitur nobis, quod nos cum Paulo sanctissimè adserimus, sanguinem eum, per quem acquisita est Ecclesia Dei, esse Christi sanguinem. Nos igitur hoc contenti, non modò negamus iis, sed & ejuramus etiam, atque abominamur adsumentum, quod illi stolidissimè adnectunt, Paulum vocare eum sanguinem sanguinem Dei Patris; jubemúsque ut prodigiosam adfirmationem, si respui, atque explodi nè velint, probatione velint aliquâ, modò possint, communire.

5. At cui frons & fides indè à principio periere, ut illa probatione unquam videatur destitui? Probat igitur sine mora, magnificé. Paulus enim *sanguinem à Christo fusum vocat sanguinem Dei Patris, eo genere loquendi, & eam ob causam, quo genere loquendi, & quâ ob causam Propheta ait, eum, qui tangit populum Dei, tangere pupillam oculi Dei ipsius*; C.R. p. 70. Ex quo genere probandi, & quam ob causam nos jam ei in os regerimus, probationem ejus non solùm in genere frivolam esse, & albis dentibus ridendam, sed speciatim etiam esse, (ligonem enim ligonem fas est dicere) meram petitionem principii. Erat enim jam τὸ ζητούμενον, (éque sua ipsius institutione prognatum erat,) An Paulus ità dixerit. Hoc jam illi cùm probandum sit, facetissimum caput pro concesso sumit Paulum ità dicere, atque id tantùm allaborat, ut vervecibus suis persuadeat, *Quo in genere*, & *Quam ob causam* Paulus sic loqui poterat. Vah! Potuisse dicere, atque dixisse, quantum immane discrepant? Tali autem in argumento, alterum pro altero supponere, quibus oportet, (nbilis, dicam? an certè) scuticis, excipi? Verumtamen ut dicis causâ, & hanc misello Sophistæ impostùram condonemus,

eamus

eamus ſultis jam ad Prophetam, quem ipſe laudat in ſuum præſidium, ſpectemúſque, An candidiùs quicquam cum eo, an pari planè fraude, quâ & cum Paulo, egerit. Prophetæ autem verba hæc agnoſcimus, *Tangens vos, tangens pupillam* עינו, *oculi ejus*, Zach. 2. 8. Sed quonam Antecedente gaudeat Relativum illud *Ejus*, hoc jam nobis reſtabit breviter exquirendum.

6. Barjeſuitam audivimus. Ille dum reddat *pupillam oculi Dei* ipſius, id agit, Ut ſi Deus Pater oculum, aut pupillam ex alio habere dicatur, non minùs & ſanguinem dici poſſit ex alio habere. Et Latinus quidem vulgaris, quaſi ità de Deo Patre locum iſtum intelligi commonſtrare velit, vertit, *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Sed tamen ad hoc exclamat Barjeſuita noſter, & nullus fert, ut verba ea *Oculi mei* legantur, ſed *Oculi ejus.* Quid ità veró? De Deo licèt dici ea velit, à Deo tamen nè dicantur, plurimum ipſius intereſt, utì mox indicabimus. Sed ad hæc, quid Nos? Meminentes, quid Barjeſuitæ crepare viſum fuit, *Paulum de ſanguine Dei Patris, eodem in genere, in quo Propheta, atque eandem ob cauſam, ob quam Propheta de oculo Dei Patris, locutum eſſe*, ſequimur eum haut gravatè ad utrumque horum. Et in genere loquendi primùm, impoſturam ejus alteram expandimus. Ipſe enim Paulum ità locutum vult, ut duabus diverſis perſonis, Chriſto, Deóque Patri, unum eundémque ſanguinem attribuat. Hoccine verò in genere locutus eſt Propheta? Illéne eandem *oculi pupillam*, Deo, & populo Dei adſignat? An verò populi cauſſam contentus eſt in genere agere, atque interminatur cuicunque eorum tactioni, ſive in oculo ſit, ſive in ore, ſive in latere, ſive in pede, & *pupillam oculi* ejus tangit Hoſtis, ubicunque eos tetigerit, h. e. quomodocunque eos vexaverit? Igitur alio omnino *in genere* Propheta loquitur, in alio Paulus: In Metonymico Propheta, atque Metaphorico, in figurato prorſus genere, Tropúmque merum redolente: Paulum verò figurâ omni vacare, ipſe Barjeſuita agnoſcit, loqui enim eum de re verè præſtita, de naturali Chriſti ſanguine, realiter fuſo. Sic quidem ipſe; Sed addimus nos, quod ille altum diſſimulat, loqui etiam de ingentis pretii ſanguine, in terminis Juſtitiæ, Deo Patri perſoluti, pro redemtione eorum, quos in Eccleſiam ſuam coaleſcere volebat. Diverſiſſimo igitur *in genere* dicuntur, quæ à Paulo, & quæ à Zacharia.

7. Diverſam quoque ob cauſſam, & non ob eandem, iſtud quod locuti ſunt, locuti videntur Propheta, atque Apoſtolus. Ait enim ipſe Barjeſuita, *In cauſſa cur Chriſti ſanguis ſanguis ipſius Dei Patris à Paulo vocetur, eſſe ſummâ conjunctionem, quæ eſt inter Deum Patrem, & Chriſtum.* C. R. pag. 70. Eadémne verò conjunctio erat inter Deum Patrem & Iſraelitas? Summóne in gradu connectebatur & populus ille cum Deo? Si neget, neget *Eandem ob cauſſam iſta dici:* Si adfirmet, implicat: ſummum enim in Chriſto eſſe nequibat, quod ille commune habebat cum omni populo. Doceat nos etiam eadem è cauſſa cur non idem effectus ſequitur? Oedipum ſe præſtet nobis, atque ænigma hoc explicet: Nam ſi *conjunctio* (ut ait) cauſſa erat; Minor autem inter Deum populúmque erat *conjunctio*, quàm inter Chriſtum, Deúmque, unde tamen, vice versâ, effectus major ibi ex parte populi, quàm heic, ex parte Chriſti? Sanguis enim Chriſti eſt, ſed ex conjunctione cum Deo Patre nihil ſanguini Chriſti accreſcit, ſed tantùm & Dei Patris ſanguis eſſe dicitur ibi apud Paulum: Idem igitur ſanguis eadem in ſententia de utroque prædicatur. Apud Prophetam verò, Quilibet è populo eſt pars una, imò & quidlibet è quolibet, (vel capitis capillus igitur, ut Luc. 21. 18.) & tamen ſi tangatur, tangitur non Deus ſolùm, ſed & oculus atque pupilla ipſius Dei Patris, ſi Barjeſuitæ credimus. Hæccine verò jam ei ſunt eadem? & ob eandem cauſſam iſta ab utroque dicuntur? Sed ità ſemper fieri amavit: Nam, Philoſopho monente, Uno abſurdo dato (Nihil autem abſurdius eſt, quàm ſanguinem Chriſti dici ſanguinem Dei Patris:) cætera, rupto ſtatim aggere, non tam ſequuntur, quàm irruunt.

8. Fruſtrà igitur planiſſimè eſt hoc, quod in aliquem inſulſiſſimi dicti de ſanguine Dei Patris prætextum, è Propheta huc per *oculum Dei* accerſitur. Sed porrò jam addimus, Haud eſſe accipiendum Prophetam, ac ſi de *oculo Dei* ipſius, quod Barjeſuita hariolatur, iſtud dixerit. Sive enim, Deus ipſe ſit, ſive Angelus Dei, qui ea verba proferat, *Tangens vos, eſt tangens pupillam oculi*, in idem penitus recidet. Catechiſta quidem contendit, quia eſt עינו *Oculi ejus, neceſſe* igitur *eſſe*, ut dictum illud *referatur, non ad Dominum Exercituum, ſed ad Legatum ejus*, C. R. pag. 63. Verùm perquam tenuis eſt iſta ratio, veríque ponderis conſequentiam non habet. Verba enim Prophetæ ſic ſe habent, *Quia ſic dicit Dominus Exercituum, poſt gloriam* (ſubaudi, *in me collatam*, aut aliquid ſimile: Nam eo in ſenſu & David eâdem phraſi uſus videtur, Pſal. 73. 23. idcóque à Græcis ibi redditur, non μετὰ δόξαν, *poſt gloriam*, ſed μετὰ δόξης, *cum gloria*) *miſit me ad gentes ſpoliantes vos; Quia tangens vos, eſt tangens pupillam oculi ejus.* Et hoc quidem Latinus, ut antè monui, cùm præſumeret eſſe dictum ab ipſo Deo, ob id reddidit, *pupillam oculi mei.* Barjeſuita contrà, cùm in Hebræo ſit *oculi ejus*, lætus, lubénſque hoc arripit, & exinde toto opere contendit, eſſe dictum à *Legato* ſolùm *Dei*, qui jam cum Zacharia, alióque Angelo colloqui cœperat, ver. 4. Et verum quidem eſt, quod uterque dicunt. Eſt Legati hujus dictum, ut Catechiſta urget: eſt & Dei ipſius, ut à Latino ſupponitur. Quòd verò negativè à Barjeſuita urgeatur, *neceſſe eſſe non referri ad Dominum Exercituum, ſed ad Legatum ejus*, neceſſarium quidem eſt hoc ad ipſius cauſſam, ſed falſiſſimum omnino in ſe eſt, atque à mente SSpiritûs alieniſſimum. Qui loquitur enim, Legatus ille eſt, ſed & Deum quoque loquentem illa citat, & quod in Prophetis familiariſſimum eſt, (paret per Moſem, in mandatis ad Pharaonem, pérque Samuelem, & cæteros deinceps Prophetas:) quid Deus ipſe dici volebat, non ſuis ipſius ille, ſed Dei à verbis, atque in Perſona Dei ſic exprimit, ut non alius, quàm Deus ipſe loqui audiatur.

9. Apud Zachariam igitur, qui dicit, *Miſit me*, idem ille revera eſt qui & longè antea eâdem locutione uſus, dixit, שלחני *miſit me*, Eſa. 60. 1. neque igitur, *ad Chriſtum* Dominum, Eſaiæ verba ea ad ſe applicantem, Luc. 4. 28. ab Orthodoxis *torqueri* dicendum eſt (quod Barjeſuitæ impurum convitium eſt, C. R. pag. 62.) ſed, quod verba ipſa loquuntur, Chriſti ipſius, Legato utcunque recitante, in ſua Perſona effatum eſt; Ille ſe miſſum eſſe ad Gentes eas profitetur. Quanquam igitur non ſine riſu ſuo, ſannâque excipiendum ille cenſeat, quod nos *arbitremur*, *dici ibi Dominum Exercituum miſſum eſſe à Domino Exercituum*, C. R. pag. 63. Sciat tamen oportet, Arbitrii noſtri rem non eſſe, ſed dictaminis ipſius Divini; ipſum igitur SSpiritum ille, non Orthodoxos, λόγους πνευσῆς φωνερῶν, Joh. 3. 10. Ità enim à SSpiritu ἐντὸς in ore Legati ejus, dicitur, *Sic dicit Dominus Exercituum, poſt gloriam miſit me.* Qui miſit igitur Dominus Exercituum erat; Dominus quoque Exercituum, qui miſſus eſt: Idem ille, ex Natura ſua Divina, Dominus, Deúſque, Deus Filius, quoad Naturam humanam, quam hypoſtaticè ſibi conjunxerat in utero B. Virginis, miſſus in mundum, ipſo ſe hoc profitente, dicitur: Ut jam, nè rideant porrò Barjeſuitæ, ſed frendeant, intabeſcántque, æternúmque invidentibus rumpantur ut ilia.

10. Vocabulum autem, עינו, quòd urgeatur, cavillatio hominis an ſit, an mera hallucinatio, nolo temere ſtatuere. Verùm iſtud ſtatuo, dictum prophetæ, Chriſtum Dominum Exercituum dicere, Dominum Exercituum Deum Patrem, miſiſſe eum ad gentes populi ſui expilatrices, *Quia tangentes populum ſuum, erant tangentes pupillam oculi ejus*, ſi ſobriè ſapere velimus ſanctámque Criticen colere, difficile nihil in ſe habere. Neque enim ad *Dominum Exercituum* in alterutra Perſona, (non ad Deum Filium, non ad Deum Patrem) refertur

iſtud,

istud, *oculos ejus*, sed proverbialiter tantùm ab ipso usurpatur, ex usu Hebræorum satis familiari, ut quod homini in summo pretio est, & nequid detrimenti capiat, omni curâ atque teneritudine custoditum semper est, & custodiendum, *Pupilla oculi ejus*, audiat. Pro more igitur Adagiorum, in quibus sæpe vocabulum unum alterúmque sufficit, & notissima res per phrasin concisam compendiosè efferri solet, Parœmiæ hujus Divinæ, si rectè explicare velimus, sensus est, Tangentes populum Dei, tam esse Deo invisos, ac homini cuipiam, atque oculos habenti, infensus infestúsque est, qui tangit pupillam oculi ejus. Neque ego ex meipso hoc, aut meôpte cerebro, sed ex usu Sacro, dico. Habeo enim Exemplum Senum, qui hac ipsa in phrasi, ubi & vocabulum est עין, Deut. 32. 10. pronomen tamen affixum de industria suppriunt, & propter rationem istam Proverbialem non aliter reddunt, quàm ἐφύλαξεν αὐτὸν ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ, i. ut natura hominem docet custodire pupillam oculi. Quòd si Senum Autoritas, in suæ ipsorum linguæ explicatione, usúque, minor cuipiam sit, eccum, qui satis supérque erit: Davidis enim est illud, φύλαξόν με ὡς κόρην ὀφθαλμοῦ, Psal. 17. 8. Pro mente, moréque Adagiorum omittit & ille pronomen, &, quia Deum ipsum alloquitur, nihil aliud ait, quàm כאישון בת־עין, & non dicit ὀφθαλμοῦ σου. Quod tamen, ubi ad hominem sermo est, affigi interdum reperiemus, ut μὴ σιωπησάτω κόρη ὀφθαλμῷ σου, Thren. 2. 18. interdum tamen & fileri, ut καὶ χάρις ἀνδρὸς ὡς κόρην σωτηρίου, Ecclus. 17. 22.

11. Explicato autem jam prophetâ, oculóque ejus à Festucis, h. e. loco ipso à captionibus Barjesuiticis vindicato, Christíque Divinitate, & Personâ Dei Filii ex iisdem verbis abunde expositâ, redeundum nobis nunc est ad locum Apostoli, de sanguine Dei. Atque Christi ipsius quòd sanguis ille revera sit, indicavimus, Barjesuitam non posse negare: Sed quia negandum à Principio susceperat, Christum verum, æternúmque Deum esse, Suadere igitur velle, ut *Dei sanguis* ab Apostolo dictus, pro sanguine Dei Patris ab illo intendatur. Colore autem ad id eo usum fuisse ostendimus, quia *eo in genere, & eam ob caussam* (ut ineptè declamitat) reperisse se apud Prophetam sperabat, *De Deo dici oculum ejus*. Istud verò quàm infeliciter ei, ínque summam execrandæ suæ caussæ ruinam, ab eo productum sit, alii jam judicent. Veruntamen cùm in V. Test. frequens illa Allegoria sit, & non oculus solùm, sed & Manus, Pes, Caput, Cor, alia membra, Deo quasi per ἀνθρωποπάθειαν ex vulgari figura attribuantur, benignè cum eo agemus, neque à beneficio, quod sibi à Propheta pollicetur, si aliud nihil in contrarium occurrat, per nos excludetur. Esto igitur, Zachariam eo genere loquendi usum esse, *De oculo Dei Patris*. Quid tum postea? Ergóne & Paulus eodem usus est, *De sanguine Dei Patris?* Non sequi & hoc abunde monstravimus. Verùm in tam misella caussa, nè non nimium benevoli ei simus, vel & hoc quoque transilire, (Argumentum à Posse ad Esse; Quod nè pueri quidem Dialecticorum ferent.) non abnuemus. Sed nec sic ei res succedet tamen. Ejusmodi enim verba Apostoli sunt, ut nè possint quidem, ad id, quod è Propheta, (sed frustrà,) sperabatur, per fas accommodari.

12. Supposito enim Zachariam de Deo Patre *Oculum ejus* dicere; Hoc tamen nequit esse id, quod jam de Deo Apostolus dicit; Paulus enim non dicit *Sanguinem ejus*. Dicit quidem, διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. Dicimus & nos ex eo, *Deum acquisivisse Ecclesiam per proprium suum sanguinem*. Nescítne verò mirabilis Catechista distinguere, inter *sanguinem ejus*, atque *sanguinem proprium*? At nos pernegamus ei, posse ex aliquo prætextu fieri, ut Deus Pater dicatur habere αἷμα τὸ ἴδιον. Quod ubicunque dicitur, de Christo Homine-Deo solo, in sua ipsius persona, intelligitur, ut Heb. 9. 12. & 13. 12. ideóque à Syro (nisi pessimè recolo) alicubi redditur, per *sanguinem animæ suæ*. Caussam quidem Barjesuita (sed Non-Caussam pro Caussa) prætendit, summam conjunctionem Christi cum Deo Patre: nos verò conjunctionem longè conjunctiorem, quam & Nycticoracis hujus oculi ferre non possunt, in natura Divina Humanáque hypostaticam unionem, agnoscimus; Neque nos tamen audemus, possumúsve *proprio suo sanguine* Deum Patrem sic aspergere. Quid enim? Si illius *proprius sanguis* dici possit, quia Christi sanguis erat, Quod re quidem verâ implicat, Annon per eandem rationem, & ex utero *propriæ* Parentis suæ nasci Deus ille Israelis, & pendere in *propria* Cruce, & corpus *proprium* Dei Patris in *proprio* sepulchro exanime jacere, & ipse denique sibi *proprius* filius esse, (Christum enim Deus pater τὸν ἴδιον υἱὸν habere dicitur, Rom. 8. 32.) dicetur?

13. Argumentum igitur nos fortissimum τῆς θεανθρωπήσεως Christi, atque duarum naturarum in eadem Persona unitarum, hinc astruimus; *Perquisivit Ecclesiam Deus* (ait) *per proprium sanguinem*. Jam verò *Perquirere* est actus Personæ; *Deus* naturam Divinam dicit; *sanguis* Humanam; *Proprius* autem additur, ad exclusionem τῶν ἀλλοτρίων, Heb. 9. 25. ut alienæ opis non fuisse, neque alio quocunque sacrificio, præterquam sui ipsius stetisse sciamus Ecclesiæ Christi acquisitionem. Aliter igitur si Barjesuitæ lubeat interpretari τὸ ἴδιον, ut quod unius Personæ est, sub alicujus Conjunctionis colore, alterius tamen personæ jure habeatur, idem & Matribus, atque uxoribus in grege suo Autor esto, modò de conjunctissima cum maritis suis parte cavere sibi velint, operámque dare satis incestuosis libidinibus, ut confidant se tamen mandatum Dei, prout sibi ab Apostolis injunctum est, τοὺς ἰδίους ἄνδρας ἔχειν, 1 Cor. 7. 2. & τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν ὑποτάσσεσθαι, Eph. 5. 22, & 1 Pet. 3. 1. optimè perimplere, atque ex Barjesuiticæ Religionis novo jure, per legem summæ Conjunctionis, propriis tamen viris suis se semper uti.

14. Nec dum absolvere licet hanc Sectionem. Adsumentum enim ipse sibi hoc facit, *Neque verò prætereundum est silentio, quòd in Editione Syriaca loco* Dei *legatur* Christi, C. R. pag. 70. Quod in puræ igitur Syrorum fidei encomium cedat, Filii Divinitatem semper agnoscentium, Christúmque, & Deum pro eodem habentium, in immortale verò Barjesuitarum Stigma, qui Christi Ecclesiam aliquam, (Absit verò, ut de aliqua, præter suam ipsorum loquantur,) esse volunt, & non Dei. Verùm quid si nos jam ipsius adsumento usi, sic tandem finire optemus? Neque verò prætereundum est silentio, quòd versipelle hoc animal Catechisticum neque eo genere loquendi utatur, neque eam ob caussam, quo genere loquendi, & quam ob caussam, Apostolus usus est, quem ille tamen tantopere jam vexavit. Pauli enim sententia est, *Dei Ecclesiam* esse, quia Christus eam ob caussam sanguinem suum fudit, ut per eum acquirere sibi Ecclesiam posset. Porrò etiam, quo in genere acquisitionem istam intellexerit, eosdem postea per Epistolam commonefacit, ubi τὴν ἀπολύτρωσιν cum eadem consociat, ἡ ἀπολύτρωσις τῆς περιποιήσεως, Eph. 1. 14. *Acquisitionem* igitur eam vult, quæ per *redemtionem* facta est è Christi sanguine. At verò de Acquisitione déve Redemtione, altum heic in Catechista, Caussam quantumlibet crepante, silentium. Quid caussæ sit, rogitas? Odit enim, & abnegat scelestus illam caussam. Adeatur Capitulum ejus Octavum de Prophetico Christi munere, clarúmque erit infaustos hosce magistros Redemtionem omnem per Christum abominari, quódque ille morte suâ salutem nobis æternam meritus fuerit, aut per sanguinem suum pro peccatis nostris satisfecerit justitiæ Dei, pro fallacia & mendacio habere. Istud igitur est, quòd ad insignem hunc locum Paulinum De *Ecclesia Dei proprio suo sanguine acquisita*, nihil jam ex isto, (loci tamen Expositorem se faciente,) audire sit, sed tantùm quòd *Christus sanguinem fudit*, & denuò, (sed in genere, & perquam dolosè) quòd *pro nobis fusus ille sit*; & tertiò, quòd *sanguis in eum finem* (sed quem eum, aut qualem, non dicit,) *fusus, ipsius Dei sanguis jure vocari potest*. De Ecclesia verò Dei, de Acquisitione Ecclesiæ per istum sanguinem,

Sanguinem, (non obstante jam ridiculo strepitu ejus, *De eo genere loquendi, & eam ob causam, quo genere loquendi, & quam ob causam Paulus dixit,*) nè γρῦ quidem.

15. Tumultuatur certè ea in parte, & inter eundum spargit arenam Bos, ut aliquid videatur dicere; sed id solùm agit miser, ut majores offundat tenebras. Dicto enim *Conjunctionem inter Deum Patrem, & Christum in Causa esse, cur Christi sanguis, sanguis ipsius Dei Patris dicatur*, Cat. Rac. p. 70. continuò subjungit, *Præsertim si quis expendat, quatenus is est pro nobis fusus. Præsertim?* & *Quatenus?* Quid sibi volunt hæc? Si aliquem heic sensum habeant, hunc esse oportet, Manifestum fore, sanguinem eum optima de ratione Sanguinem Patris dici, si hoc expendatur. Optimè habet; Proponat igitur rationem, ut expendamus. *Etenim* (ait) *Christus est agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Certissimè est, Baptistâ sic indicante, Joh. 1. 29. Sed quid indè? Ergòne, quo jure Deus Pater Agnum habere, à Baptista dicatur, eodem & Sanguinem habere, à Paulo dicendus est? Expectabamus certè hanc illationem à Barjesuita, quidlibet è quolibet inferente, ubi fraudi locum esse viderit. Quod tamen & nos illi nulli negabimus. Agnum Deus Pater habet, sed tamen ipse non est Agnus; parique respectu habeat & Sanguinem, sed ipsius tamen non erit sanguis, scilicet non τὸ αἷμα ἴδιον. Deflectit verò heic Proteus, & quasi de Caussa jam aliter dicturus, sic elabitur, *Unde sanguis in eum finem fusus, ipsius Dei sanguis jure vocari potest.* Jam *Unde* hoc, est *Ergò*, ideòque à fine fusionis peti nunc videtur conclusio ejus. Sed quæ est ista, non Consequentia, sed Confusio? Aut è tam variorum terminorum coacervatione quî concludi poterit? Sanguis igitur in eum finem fusus, (Quem ille neque Meritorium, neque Satisfactorium, neque Redemtorium esse patitur, neque pretii, aut virtutis acquisitivæ aliquid in se habere; sed vapido sub pectore vulpes, Quo in genere finium esse sinet, astutè servat:) Dei Patris Sanguis quo jure vocari potest? Quin igitur legem laudat nobis? quin exponit jus? Sed insulso Juris Coctori satis fuit inter suos ità dicere, atque è Scena ea exiit; Atque eat per me, quò dignus est.

SECT. VIII.

1. *Pontificatus Christi probatur sub Ellipsi. Legalia in Tabernaculo erant umbra Cœlestium.*
2. *Ellipseων atque Supplementorum Periculum, atque Lex.*
3. Τὰς *est Illativum, Ut probet, quod antè dictum est. A Majore duplex Argumentum.*
4. *In Textu Sacro habenda semper est ratio Consequentiæ. Tutissimum Supplementum Ellipseως est repetendo quid ex antedictis.*
5. *Participium Præsens Verbi Substantivi designat Rei naturam. Esse Sacerdotis. Fraus Barjesuitica contra Sacerdotale munus Christi.*
6. *Nostra Dialectus Adjectivum non fert sine Substantivo.*

NEque animus mihi nunc est, neque opus certè, ut recitem, quàm variè ab aliis exponantur illa verba Apostoli, εἰ μὲν γὰρ ἦν ἐπὶ γῆς, οὐδ' ἂν ἦν ἱερεύς· ὄντων τῶν ἱερέων τῶν προσφερόντων κατὰ τὸν νόμον τὰ δῶρα, Hebr. 8. 4. Ex ipsis igitur autoribus ea petantur per me, quorum ego sententias utcunque meminerim, verba tamen non teneo. Verùm semper quidem miratus sum, à genuino sensu loci tantopere eos deflexisse; Quem (nisi nimiùm cæcutio) ex Elleipseως (Sacro textui, & præsertim Paulino, perquam familiaris,) proclivi, atque necessaria suppletione, non minore poterant cum facilitate, quàm veritate, atque voluptate, eruisse. Sic enim se res habet. Esse Christum, *Apostolum, atque Pontificem Professionis nostræ*, jam antè præmisit, Heb. 3. 1. *Pontificem nobis fidelem in omnibus, quæ apud Deum pro nobis agenda sunt*, Heb. 2. 17. *Ab æterno* quidem *ità factum à Deo*, Heb. 5. 5. (ex eadem ratione, quâ & *Agnus erat occisus ab origine mundi*, Apoc. 13. 8.) atque ex *corpore, quod Deus ei aptârat, paratum*, Heb. 10. 5. *ex iis, quæ* in corpore eo *passus est, edoctum*, Heb. 5. 8. atque ex *adscensione* denique *in cœlos* commodè jam *dispositum*, 4. 14. ad opus suum Archieraticum pro nobis ibi apud Thronum gratiæ: Quódnam verò opus illud? A pari conditione terrena petendum est huic. Quæsito responsum. Cultus enim ille, qui tum vigebat, terrestris, Deo ipso ità instituente in populo suo, erat figura, & umbra Cœlestium, Heb. 8. 5. Igitur cùm in terris Pontifex omnis ad offerendum pro populo instituus fuerit, Heb. 5. 1. Multò jam magìs est ista conditio Pontificis nostri in Cœlestibus: Oportet igitur ut & Christus in Cœlis nunc habeat, quod offerat. Et disertè quidem hoc ab Apostolo concluditur, Πᾶς γὰρ ἀρχιερεὺς εἰς τὸ προσφέρειν δῶρα καὶ θυσίας καθίσταται· ὅθεν ἀναγκαῖον, ἔχειν τι καὶ τοῦτον, ὃ προσενέγκῃ, Heb. 8. 3. Apostolus enim per Demonstrativum istud, τοῦτον, designat Jesum Christum ad Dextram Throni Majestatis Divinæ in carne nostra jam sedentem, v. 1. Atque pro Pontifice nostro sese gerentem in eo Tabernaculo, ver. 2. fieríque non posse, ait, quin Oblationem semper ille ibi habeat, Deo ex Archieratica sua functione præsentandam, in populi sui gratiam.

2. Huic autem dicto, quod proximè subjungat, *Si in terris esset, nè Sacerdos quidem esset*; hoc ego nunc, nè non cohæreat, ἰλλοπτικὸς ab eo dictum esse adsero, supplendúmque esse id, quod subintelligitur, repetendo ἀπὸ τῆς κοινῆς, (Quæ tutissima omnium in supplementis via est,) id quod antecessit, sic, *Si in terris esset, nè Sacerdos quidem esset, nisi haberet quod offerret.* Non ferent me, opinor, qui aliter hactenus interpretati hoc sunt, atque (ut suum quisque sensum defendant,) exclamabunt, Periculosam nimis esse licentiam cuilibet quidlibet pro suo arbitrio introducendi in Textum Sacrum, sub prætextu elleipseων. Quibus ego me certè suffragatorem acerrimum do, rémque periculosissimæ aleæ plenam esse denuntio, non audendam quidem à quoquam, neque à nobis unquam admittendam, nisi sub gemina conditione Sanctissima. Prima est, ubi, ni fiat supplementum, integer, sanúsque sensus à verbis abesse videatur: Altera, ubi non Textus solùm supplemento egere, sed & Contextus, scopúsque loci illud ipsum supplementum exigere: Quod & ex ipso contextu si accersatur, eò erit ab omni periculo immunius. Exclusissimum igitur ab hoc loco si me esse jam reponant, Quoniam verba hæc per se satìs perspicua sunt, nullámque ex nobis opem desyderant, ut rectè, faciléque intelligantur, Nè sic quidem (bona cum bonorum venia) possum repelli. Habeo quidem nunc præ oculis Sophistam omnium σοφιστικώτατον, qui de verbis hiisce Pauli ità definivit, *Apertè scriptor iste Divinus testatur, Christum, si in terris esset, nè Sacerdotem quidem futurum.* Neque expectare possum, quin & ab aliis, viris melioris fidei atque eruditionis, qui mecum nondum sentiunt, satìs per se aperta esse Apostoli verba censeantur, neque ergò supplemento alicui dandum esse heic locum, ut, cùm dicat, *Si in terris esset*, cognoscamus, quid in eo voluerit.

3. Ut fidem igitur meam liberem, jam necesse est. Brevis autem responsio est. Non sunt (inquam) ea Apostoli verba; *Si in terris esset, nè Sacerdos quidem esset*; Sed quod Paulus dicit, est, *Si enim in terris esset, nè Sacerdos quidem esset:* Hæc verò duo immane quantum differunt! Enimvero, εἰ μὲν ὧδε, atque εἰ μὲν γὰρ ὧδε, quoad loci expositionem, jam toto cœlo distant. Est enim τὸ γὰρ particula Rationalis, antecedentis adsertionis illativa. Adque hinc ista obscuritas. Dixerat, *Necesse est, Christum habere, quod offerat.* Quid ità verò, ô bone Paule? *Si enim*, ait, Hem! reddit rationem; certè geminam consociat in una ratione rationem. Argumentum scilicet ei instituitur à Majore, & planè bicorne est. *In terris quidem Sacerdos non esset*, ait; atque Assumtio est,

Multò

Multò magis non erit in Cœlis: Sunt enim Terrestria hoc in genere tantùm imago & umbra Cœlestium, v. 5. Illud igitur est primum. Dein, *Nè Sacerdos quidem esset*, ait; Assume, *Multò minùs, Pontifex summus erit:* Illud est alterum. Proferantur verò jam in medium (sicui sit opportunitas & animus) aliorum interpretationes, atque in promtu heic est mihi quod adversùs singulas objiciam. Simplici huic dicto nihil allaboro; adpono tantùm quod Apostolus adponit, εἰ μὲν γάρ· quæróque, Quæ jam consequentia? Quæ Illatio? Profectò planè nulla erit ex eorum interpretamentis, *Necesse esse, ut Christum jam in Cœlis aliquid habeat, quod offerat, Quia si in terra esset, nè Sacerdos quidem esset*; Si simpliciter, atque ἀπλῶς, sumatur, non magis sequitur quàm si ego nunc dixero, *Necesse esse, ut Christus jam in cœlis pro Hostia ipsa, seu Agno Dei, habeatur, Quia si in terra esset, nè sacerdos quidem esset.* Quod quomodo sequatur nè ipsa Sphinx expediet.

4. Facit ergò, τὸ γάρ, ut ad hanc ellipsin pius Lector animum advertat; facit ipsa consequentiæ necessitas, ut repetatur, quod Paulus jam dixerat, atque ut indè extrahatur Illationis Apostolicæ supplementum. Adsumentum ergò hominis cujusquam esse, cave dixeris; Neque enim ità haberi, sine contumelia, potest: Quod ex ipso SSpiritu fluere, atque è Divini Authoris breviloquentia enatum, suâ sponte se nobis, per caussativam eam particulam, & tam exertè exhibere, τὰς ὀφθαλμὰς αὐτῶν ἀμμύσσει, Oportet, qui non videant. Atque hoc jam illud est, quod de contextûs ipsius, scopíque loci ratione, in supplementis semper habenda, modò à me prænonitum est. Qua de, nequid in hoc ambigatur, hem & alteram mantissam. Dicto enim, εἰ μὲν γὰρ ὧδε ἦν γῆς, οὐδ' ἂν ὧδε ἱερεύς· supple verò, εἰ μὴ ἔχει τι ὃ προσενέγκῃ. addit, ὅλως δὲ ἱερέων δὲ προσφερόντων κατὰ τὸν νόμον τὰ δῶρα. Istud autem Latinus vulgaris misere transtulit, *cùm essent, qui offerrent secundum legem munera.* Nostri autem nihilo infeliciùs, dicam? an paulò absurdiùs, Seeing that there are Priests, that offer gifts according to the Law. Igitur cùm & ipsi perspicerent, quàm inanis hæc interpretatio non modò consequentiæ omnis, sed & boni probíque sensûs erat, in margine adposuere, Seeing that they are Priests. Et paulò quidem rectiùs jam hoc: verùm si ἀκεβδύσαι cupiamus, ità fit, Seeing that Priests are they that offer gifts. Jámque manifesta est & ex hac parte argumenti Paulini consequentia: Dixerat, *Christum in cœlis, Pontifex cùm sit, habere, quod offerat.* Quid ità? *Quia si in terra esset, nè Sacerdos esse posset, nisi haberet, quod de lege offerret.* Ecquis verò hoc jam negabit ei? Probatur; idque ex ipsa natura, atque definitione Sacerdotis; *Sacerdotes enim sunt, qui munera habent, & offerunt.* Sequitur ergò jam ex hiis, Christus nè habeat, atque Sacerdos nè sit; Nè in terra quidem; Quantò magis, nè in cœlo? Non ex ordine Sacerdotum; Quantò magis, non summus Pontifex?

5. Observare igitur est, participium Præsens verbi substantivi, Illativum (ut plurimùm) esse, reíque rationem in se comprehendere; Ità, ὄντος ἐν σώματι, Heb. 13. 3. significat, *Quia in Corpore estis*, &, ἡμῶν ἡμέρας ὄντες, 1 Thess. 5. 8. est, *quoniam nos diei sumus*, &, σὺν αὐτῷ ὄντες, 2 Pet. 1. 18. est, *Quia eramus cum eo.* Quantò magis verò, cùm in Regimine absoluto ponitur, ut, ὄντων δὲ ἱερέων, caussam ipsam rei designare intelligetur? Ait igitur, *Sacerdos in terra non erit, (quantò minùs Pontifex in cœlo?) nisi habeat, quod offerat*; *Quoniam de essentia Sacerdotis est, Oblatorem esse.* Atque hæ jam sunt Divinissimi hujus loci rectæ, veréque Theologicæ consecutiones; Ad quarum explicationem eò ardentiùs impulsus sum, ex quo observo, illos Domini Jesu devotissimos (ô Deus!) Cultores, non dico, (præterquam nomine,) sed re quidem verâ, Irrisores, atque Expoliatores, Barjesuitas, aliorum Doctorum virorum errore abusos, verba ista Pauli, ut nudè, simplicitérque dicta, accipientium; pro fundamento jam sibi habere, *Christum, si in terris esset, nè Sacerdotem quidem futurum*, C. R. p. 291. & p. 77. quò possint eum Sacerdotali suo officio, (quod vel in cœlo quidem, per paralogismum ab intercessione mera, vel Benedictione Melchisedeciana, jam misere decurtant ei:) prorsùs expoliare, quantisper in terris erat. Igitur, nè cogantur concedere, vel Christo aliquid ex hypostatica naturarum unione (quam toti oderunt, & abominantur,) pretii, meritíve, vel nobis ex ipsius Spontanea passione Satisfactionis aut Redemtionis beneficium aliquod accreviisse, perfrictâ jam fronte pernegant, vel Mortem ejus Sacrificium pro nobis fuisse, vel ipsum, antequam adscenderat in cœlos à cruce, Pontificem nostrum omnino extitisse: Atque ex hoc intuitu, nè non aliquam semper fraudem immisceant; quod Paulus dixit, *Si enim essent*, ipsi convertunt, in, *quamdiu enim erat in terra.*

6. Sed quàm misere decollârit iis ex hoc loco spes omnis, arbitratu jam facile cuivis Nostrûm erit, qui è præmissis probè perpenderit, istam esse loci veram versionem, v. 3. For every high Priest is ordained, for to offer gifts and sacrifices: whereupon of necessity, this [high Priest] also is to have somewhat to offer. v. 4. For if he were on earth, he should not be a Priest, [unles he had.] Priests being those, that do offer gifts according to the Law. Ità verò, τοῦτον, reddendum esse censeo. Nam cùm ex necessitate Dialecti nostræ non possit sine substantivo suo exprimi, præstabilius multò est, ut, this high Priest, legatur à nobis, quàm (ut nunc legitur,) this man. In hac enim hypothesi, illud proximius est, istud est remotius, nimísque genericum.

SECT. IX.

1. *Articulus unicus præfixus Duobus Attributis, argumento est, ea de Uno eodémque Subjecto accipi debere.* τελειῶσαι. *Lucas Pauli Amanuensis ad Hebræos.*
2. *Regulas Hæretici certas esse nolunt, sed Ambulatorias.*
3. *SScriptura sunt sanctissimè tractanda. Multitudo Collectivè est Unum.*
4. *Cur Catechista audiat mihi Barjesuita.*
5. *Christus diserte dictus est* Solus Deus. Πάλαι *usque ad Creationem recurrit.*
6. *In Regno Christi, & Dei, Cur Christus præponatur Deo.* Δεσπότης, *Christus.*

HAbeo & aliud πρωτεῖον de Articulo Græcorum, sacræ Critices studiosis non indignum. Ubi enim duobus prædicatis Articulus unicus præfigitur, de more Græci sermonis indicio est, utraque ea de uno eodémque subjecto indifferenter debere intelligi. Exemplum esto illud Apostoli, οἱς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν, καὶ τελειωτὴν, Heb. 12. 2. Gemina enim videmus esse prædicata, ἀρχηγὸν, atque τελειωτὴν. Sed unico anteambulone gaudent, Neque enim dictum est, τὸν ἀρχηγὸν, καὶ τὸν τελειωτὴν, Sed, οἱς τὸν, semel præfixum, utrique sufficit. Quid ità? Quia de eadem Persona, de D. Jesu, (quem propositionis illius, si in formam Categoricam compingatur, subjectum esse oportet,) pariter enuntiantur. Tam firma autem atque inconcussa hæc Regula est, Ut, vel ejus rei caussâ, nunquam mihi probare potuerit argumentum suum Doctissimus Vir, (qui sibi tamen in eo mirè placuisse videbatur; nec dum & mihi excidit:) per quod appositionem illam τῆς πίστεως, ad solum ἀρχηγὸν, referri voluit, & non spectare ad τελειωτὴν, Sed seorsim istud accipi, quasi subaudito ἡμῶν. Quanquam enim verum esse possit, (est tamen, cur & de eo dubitetur, ex Hebr. 7. 11, 19.) quod ipse acutè observavit, τελείωσαι atque τελείωσιν, in hac Epistola

nunquam usurpari, (Occurrunt autem vel decies;) quin ad personas semper, déque hominibus ipsis, & non de affectione eorum aliqua prædicentur, non sequitur tamen illatio ejus, Ut Christus ea propter heic non dicatur, τῆς πίστεως τελειωτής. In aliis enim locis SScripturæ plusquam decies reperire est, vocabula ea de rebus ipsis, déque humanis attributis enuntiari: Idque apud Lucam ipsum, Pauli (ut fas credere, alibíque à me indicatum est,) Amanuensem ad hanc Epistolam; Ut, ἵνα τελέωσις τοῖς λελαλημένοις, Luc. 1. 45. &, τελεσσάντων τὰς ἡμέρας, Luc. 2. 43. &, τελειῶσαι τὸν δρόμον μου, Act. 20. 24. Quid quòd & ab alio Apostolo disertè dicatur, ἡ πίστις ἐτελειώθη, Jac. 2. 22. ut & ἡ ἀγάπη, ab altero, ter, 1 Jo. 2. 5. & 4. 12, 17. Quòd non sequatur verò heic Illatio ejus, vel Articulo huic uni attribui posse censeo, Qui ut eidem subjecto utrumque prædicatum agglutinat, ità & utrique Prædicato idem objectum Effectúmque impertit. Nostri igitur non malè verba locárunt, The author and finisher of our faith.

2. Verùm nunc repertus est nobis novus homo, novæ & prodigiosæ non παιδιᾶς solùm, sed & δεινότητος etiam recens παραχαράκτης, Qui Articulo huic suam autoritatem derogat, C. R. p. 66. *Tenendúmque esse* præcipit, *Eam regulam apud Græcos non esse perpetuam.* Non perpetuam autem? Et amicè quidem hoc; Regula enim ut sit, nullus negat: Tantùm, nè sit, imperat, nisi ipso annuente. Et nè lector quidem incertus sit, atque animi pendeat, aliam ei regulam præscribere videtur, atque *ubi locus priori regulæ non sit, id è rei circumstantia deprehendi jubet*, C. R. p. 66. Sed hæc mera impostura est, ut semotâ demùm publicâ Regulâ, ex cujusque arbitrio pendeat res. Quod Dictatori novo felix, faustúmque erit, Quia hoc admisso, Quò quisque perfrictioris frontis est, & quidlibet adfirmandi audentior, eò certiùs rei circumstantia (velit, nolit ea) in partes suas adiget. Sed heus tu, Qui æs triplex hoc in fronte geris, unde tibi istud Imperium in Regulas? Ohe! *Non esse eam regulam perpetuam, Testimonia ipsius novi Fœderis demonstrant*, C. R. p. 66. Ecquis verò tam ferreus, ut pugnet adversùs demonstrationes? Absit. Sed tamen videamus sodes eas, ut discamus cedere.

3. Nam *ubi scriptum est*, (ait) Ejecit omnes vendentes & Ementes, *in Græco est unus tantùm Articulus præfixus iis vocibus*, Ementes & vendentes. C. R. p. 66. Certissimè est unicus, ἐξέβαλε πάντας τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας, Mat. 21. 12. Quid indè verò? Vacillat ergò regula (ait) Neque enim utrumque Prædicatum ad unicam personam ibi refertur, licèt unicus Articulus sit. Et risum teneatis, Amici? An, Quia Res sacra agitur, indignatione potiùs Divinâ excandescitis, Audere quenquam, Religionem ipsam tam Sophisticis modis tractare, verbúmque Sacrosanctissimum Dei, per cavilla, & Diabolicas Captiones fœdè cauponari? Quàm perdita enim hæc fallacia est, obortâ quæstione, de Singularibus, sed uno de subjecto prædicandis, locum obtrudere, ubi SSpiritus, non de unica, sed de pluribus simul personis instituit dicere, atque indè argutari, quòd unica persona non sit? Et tamen spissâ hâc fraude, quam molitur, nihil revera proficit adversus regulam eam Articuli. Nam & heic, οἱ πωλοῦντες καὶ ἀγοράζοντες, quantocunque in hominum numero sunt, sunt tamen unum illud, quod à Christo ejicitur è Templo: non una Persona quidem, sed (quod æquipollet in hoc quæsito;) ex pluribus personis unum corpus, unum prædicationis istius subjectum, (collectivè enim tota ea multitudo accipienda est,) atque ità unioni Logicæ, quæ per unicum articulum intenditur, nè hilum præjudicat.

4. Ut σκοτεχιῶν interea nobis liceat, (quod Anglicè dicimus, To scorn:) impudentem istum Impostorem cum putida sua Demonstratione. Demonstrat enim nihil, nisi quàm fallacem fidem hii homines colant, solámque per Sophisticam quàm ridiculè sperent, (si tamen sperent, curéntve;) se salvos fieri. Huic enim geminum est, quòd (nè exemplis hac in re non abundare videatur, qui Testimonia crepabat,) non fine pompa subjungat, *Quibus similia habes*, Mar. 11. 15. & Luc. 19. 45. C. R. p. 66. Salva igitur nunc res est: Potuit enim jam verum dicere. Similiáne enim non erunt ea loca, quæ obtrudit, cùm nihil aliud sint, nisi ejusdem Historiæ in aliis Euangeliis repetitio, iisdémque verbis, atque sub eadem unici articuli Regula, rem eandem enarrent, atque in eandem ab ipso fraudem huc denuò adsuantur, quam nos in eo nunc aversamur, atque explodimus? Satis verò persensit, Solers τεχνασὼν, imposturæ suæ hanc infelicitatem, atque (ut aliquà, credatur bene rem gerere) insanam antilogiam suam magnificè clausit, *Ac præterea, locus, Eph. 5. 5. apertè indicat, Eam Regulam non esse perpetuam*, C. R. p. 66. Ain' verò, Aperté? Quin apertè igitur verba loci citas nobis? Verùm istud minùs placet ei. Apertè enim Verba illa nobis hoc confirmant, cujus pernegandi gratiâ Veterator iste τὸν ἀλήθειαν παραχαράκτης, omnem hanc telam hactenus texuit. Ex istis igitur nunc cuiquam, nasum aliquem in rebus Theologicis habenti, subolebit, Quem ego me virum intelligam dicere. Quis enim omnium ipsa esse nunc potest, nisi Ille (quem, ut antè tetigi, Apostolus in Antesignano ejus graphicè descripsit, Act. 13. 10.) Propago Diaboli; dolo atque malitiâ omni refertus, probitatis osor, & (quod caput est) viarum Domini rectarum, h. e. SScripturarum, veríque sensûs earum, perpetuus Distortor; Quem nos ergò uno jam verbo indigetavimus (Non per convitium, neque ex aliquo, studio, aut titulo Partium, Sed ex eadem ratione, quâ Dominus Judæis dixit, Esse eos *ex Patre suo Diabolo, Quoniam desyderia illius studebant facere*, Jo. 8. 44.) Barjesuitam.

5. Sic enim se res habet. Secundam illi Personam in Divinis, Deíque filii, tum Æternitatem, tum Incarnationem detestati, inter alia loca infinita SScripturæ, miserrimè se tortos sentiebant verbis illis, in capita ipsorum malè ominatis, Apostoli, Quòd *irrepserant* (putà, in Ecclesiam Christi,) *homines irreligiosi, qui olim*, (i. indè à Creatione, cùm Deus ipse contradistinxit Semen Mulieris, & semen Diaboli, Gen. 3. 15.) *præscripti sunt ad hanc damnationem*, (Atque hinc est, quòd è præcipuo quodam intuitu, Paulus Barjesum disertè nuncupavit *filium Diaboli:*) τὸν μόνον Θεὸν, καὶ δεσπότην τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι, Jud. v. 4. Et quid jam faceret infelix Hyperaspista? Non videri citare hunc locum, fuisset, manus æternùm dare. Citat igitur, Sed fraudulenter, pessimâque fide: legit enim, *Solum Herum, & Dominum Jesum Christum negantes.* Neque nescio quidem, Potuisse eum (quod sæpe solet) è variis Editionibus, de vera Lectione loci litem aliquam prætendere. Sed vafer sapuit; Non enim placebat, tantisper in verbis tam inauspicatis sibi, capútque ipsorum tam punctim, cæsimque petentibus, immorari; Quorum genuina quoque lectio penes vetustorum codicum MSS, fidem futura erat. Quid igitur respondet? Planè nihil: Ut canis in Nilo, Bibit tantùm, & abit. Nactus certè κερσοφύγελον, nè nihil dicere videretur, ait Orthodoxos *evincere conari ex eo loco, quia unicus Articulus præfixus est, ad Christum ea verba referri debere*, C. R. p. 65. Ea verba? Eloquere, Subdole; Quæ ea? Nam de voce, κύριος, nulla potest esse Quæstio. Neque de, Δεσπότης, rectè locum legenti, *Solum Deum, & Herum Dominum Jesum Christum.* Nulla enim Conjunctio copulat *Herum*, & *Dominum*, non dixit, Δεσπότην, καὶ κύριον, sed, Δεσπότην τὸν κύριον. Non ultima igitur hæc fraus est, quòd in præmissis suis de ea sola voce quærere proponat, An Christus *Solus herus* ibi dictus sit, C. R. p. 60. Verùm à Juda dicitur *Solus Deus, & Herus Dominus noster Jesus Christus.* Atque jam ex ea Regula unius Articuli, (quam oppugnator iste expugnare non potest, quicquid non pudeat oppedere,) de D. Jesu dicitur, ipsum esse τὸν μόνον Θεὸν, καὶ

τῆ Δεσπότῃ. Ex utroque igitur vocabulo (præter crimen suæ Negationis) Barjesuitica Causſa æternùm jugulatur.

6. Quòd ſi admittatur, veram eam lectionem esſe, quam ipſe propinat, τὸν μόνον Δεσπότην, καὶ κύριον ἡμῶν. ut tamen nec indè Regulæ de Articulo quicquam decreſcere, ſed Soricem ſuo indicio perire, indicemus. Ad locum enim eum nunc redimus, in quem ipſe non erubuit, quaſi Regulæ huic adverſantem, intendere digitum. Verba ea ſunt, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῦ Χριστῦ, καὶ Θεῦ, Eph. 5. 5. Eccui igitur jam mira ſunt, quòd & ab iſtis recitandis planè abhorruit? Quid enim poterat in execrandam cauſſam eorum feralius dici? Vel ex ipſo Sono talium locorum mors Barjeſuitis eſt. Nam dicere, *Regnatorem esſe Chriſtum, & Deum*, nihil aliud eſt, nihil esſe poteſt, quàm, *Chriſtum Deum regnare*. atq; hoc eſt, quod nos profitemur, *Hominem Chriſtum esſe, & verum Deum*. Unico igitur articulo homo ille, Deúſq; contenti ſunt, Quia ex hypoſtatica unione, unam Perſonam Conſtituunt: Neq; ex alia ratione à Paulo, interjectâ jam Conjunctione, diviſim nominantur, (quod & ex ipſo ordine verborum liquet;) quàm ad Regnum illud, Homines inter heic in terris, quod Gratiæ eſt, diſtinguendum ab illo ſequente in cœlis, æterno, & Gloriæ; Non poterunt (ait) ad illius hæreditariam poſſeſſionem, multò minùs ad hujus, unquam pervenire. Conſona autem ſunt hiis, & rem egregiè confirmant, quæ è Secunda Petri (Ex ea autem Petri, iſtam Judæ prognatam esſe, quis neſcit?) petere eſt. Præmonet enim & illa, falſos doctores irrepturos, viámque veritatis in blaſphemiam redacturos, (hoc eſt, blaſphemis ſuis gloſſematiis, & torſionibus depravaturos) certámque indè ſibi & Sectariis ſuis perniciem inducturos, Speciatim verò, in hoc flagitium (quo de nunc agimus) ruituros, τὸν ἀγοράσαντα αὐτούς, 2 Pet. 2. 1. Quem autem *Herum illum* vult Petrus? Eundem, quem & Judas, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*, probatur ex eo, quod ipſe appoſuit, τὸν ἀγοράσαντα αὐτούς. Quid igitur plura? Sunt jam iſtæ Barjeſuiticæ Domini noſtri Jeſu Chriſti abnegationes, Eſſe eum cum Patre & Spiritu unum Deum. Eſſe τὸν Δεσπότην illum. Eſſe & Redemtorem noſtrum.

Sect. X.

1. Magnus Deus *ut Chriſtus vocetur. Articulus unicus duobus Prædicatis.* Ἐπιφάνεια *nuſquam in N.T. niſi de Chriſto, atque Ejus Adventu.*
2. *Tres Adventus Chriſti. Subſtantivum Subſtantivo additum pro Adjectivo; præcipuè, cum vocabulo* Δόξης.
3. *Divinitas Chriſti celabatur donec reſurrexerat; Aliter, non crucifixiſſent. Ex Euangelio Argumentum nullum ſequetur contra Deitatem Chriſti.*

EJuſdem planè farinæ cum priore eſt, quod commentus eſt de loco Apoſtoli, προσδεχόμενοι τὴν μακαρίαν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν τῆς δόξης τῦ Μεγάλυ Θεῦ, καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ. Tit. 2. 13. Negat enim Chriſtum Servatorem esſe, qui ibi appellatur, *Magnus Deus*. Negat, (ſed alio argumento nullo, quàm Lectorem remittendo ad id, quod exploſum jam à nobis eſt;) per Regulam iſtam unius articuli præfixi geminis prædicatis, poſſe id probari; Cat. Rac. p. 66. Cùm tamen eodem in Commate exemplum ejuſdem antecedat, Argumento enim eſt, τὴν ἐλπίδα, καὶ ἐπιφάνειαν, ſub una eadémque expectatione pariter atque ex æquo cadere, quas unici videmus Articuli ductu gaudere. Verùm ille de ſolo Deo Patre dici *Magnum Deum* vult, & qui ab Arianiſmo ſe ſatis abhorrere alicubi prætendit, Cat. Rac. pag. 106. jam cùm ſuâ intereſſe putat, commune hoc cum Arianis dogma totus arripit, Filium eſſe Patre Minorem hoc ipſo ex loco jam olim probare ſatagentibus, Quia *Magnum Deum* dici eum ab Apoſtolo ſomniabant, Diſtinctionis cauſſâ à Filio. Sed quam non Hæreſin Barjeſuitæ amplectuntur, quâ poſſint aliquem blaſphemiis ſuis colorem accerſere? Verùm nec Latino Vulgari jam parcit, vertenti, *expectantes adventum gloriæ Magni Dei*. Quíſni veró? Cavet enim ſibi, nè objiciatur, *Adventum Dei nullum expectari à nobis, præterquam Chriſti; non Patris, non Spiritûs, ſed ſolùm Filii*. Utinam verò grandius crimen nullum in Latino eo nunc extaret, quàm quòd ἐπιφάνεια vertatur *Adventus*. Quanquam enim *Apparitionem* verti oportuit, veniam tamen facilè meretur, ex duplici gratia, tum quòd ἐπιφάνεια in omni N. T. non occurrat, niſi de Chriſto ſolo; tum quòd nuſquam etiam, niſi de Adventu aliquo Chriſti,

2. Seu Primo eo, & in Carnem; ut, *Gratia Dei datæ nobis ante ſecula, ſed manifeſtata nunc per Apparitionem Servatoris noſtri Jeſu Chriſti*. 2 Tim. 1. 10. Seu Medio, & ad Judicium Gentis ſuæ; ut, *Quem deſtruet, apparitione Præſentiæ ſuæ*; 2 Theſſ. 2. 8. Seu Ultimo, & in fine Mundi; ut, *ſervare mandatum, uſque ad apparitionem Domini noſtri Jeſu Chriſti*; 1 Tim. 6. 14. & rurſus, *Coram Domino noſtro Jeſu Chriſto, judicaturo vivos & mortuos in Apparitione ejus*; 2 Tim. 4. 1. Illud verò quod ab eo dictum eſt, *Omnibus, qui dilexerint apparitionem ejus*; 2 Tim. 4. 8. De quolibet horum Adventuum non malè intelligi poterit; Atque alibi vocabulum hoc non legitur. Propter hunc igitur conſtantem uſum ejuſdem, tam de Chriſto ſolo, quàm de Adventu ipſius aliquo, ſumma cum ratione poſtulari à nonnullis videtur, (quod & ipſi Catechiſtæ alicubi non diſplicuit, Cat. Rac. p. 118.) ut Appoſitio iſta nominis Subſtantivi ad Subſtantivum, ἐπιφάνεια τῆς δόξης, ex familiari Hebraiſmo, ſumatur jam pro Adjectivo, prout factum eſſe dicimus, ἐν δεξιᾷ τῆς δόξης αὐτῦ, Matth. 19. 28. &, εἰς ἔπαινον τῆς δόξης αὐτῦ, Eph. 1. 14. &, ὁ πλῦτος τῆς δόξης αὐτῦ, ver. 18. &, τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτῦ, Phil. 3. 21. &, τὸ κράτος τῆς δόξης αὐτῦ, Col. 1. 11. &, κατὰ τὸ εὐαγγέλιον τῆς δόξης τῦ μακαρίυ Θεῦ, 1 Tim. 1. 12. &, τῦ κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ τῆς δόξης, Jac. 2. 1. & ſæpe alibi.

3. Atque alias quidem hoc genus Appoſitiones nunc adpono nullas, Infinitæ licèt ſint: Sed in vocabulo τῆς δόξης, nolui non iſtas producere, tum ut vulgarem ejuſdem uſum monſtrare poſſim, tum ut vel indè, alterius objectionis (quâ & heic, & alibi mirè digladiatur,) aciem retundere. *Expectari* enim *apparitionem gloriæ magni Dei*, de ſolius Dei Patris gloria dictum eſſe, Ille Cat. Rac. pag. 67. nil dubitat ſe ſatis probare, ex ipſius Chriſti verbis, non ſemel profeſſi, *Venturum ſe eſſe in gloria Dei Patris ſui*, Matth. 16. 27. & Mar. 8. 38. Jam verò præcitata illa à nobis loca (quibus & totidem alia è N. T. ſuccenturiare licebit) eandem appellitant, τὸν δόξῃ αὐτῦ· *ſuam ipſius* Chriſti *gloriam*. Eſt etiam ubi & diſtinctim dicitur, ἐν τῇ δόξῃ αὐτῦ, καὶ τῦ πατρός. Luc. 9. 26. Quid igitur rei eſt? Sobriè nimirum, ſanctéque à nobis diſtinguendum eſt, inter ea, quæ à Spiritu de Domino Jeſu, ante Paſſionem ejus, & quæ pòſt, dicta occurrunt. Indè enim à B. Parentis ſuæ Sponſalibus uſque ad crucem, dicta, factáque ſunt omnia, ut aliquadantenus tegeretur ejus Divinitas. Et ab Apoſtolo ratio hujus ſuculentiſſima redditur, *Nam ſi cognoviſſent, utique non crucifixiſſent*, τὸν κύριον τῆς δόξης. 1 Cor. 2. 8. Gloriæ igitur Chriſti, non Patris, imputandum hoc eſt; Quæ niſi ad tempus ſcitè cooperta fuiſſet, poterat (quantum ad homines) & Mors ejus, & tota οἰκονομία Domini interturbari. *Filium* ergò *hominis* Ipſe ſe vulgò appellitabat; Nihílque ſibi, quod non hominem ſonaret, adſcribebat; Siquid verò alium ſenſum habebat, tam parcè interſpergebatur, támque Divinâ arte celabat Ille ſeipſum, Ut, *eſſe eum Chriſtum illum, Filium Dei viventis*, nè à Petro quidem ipſo ſine præcipua quadam Dei Patris ope, perſpici poſſet, Mat. 16. 17. Quàm inſanus igitur jam paralogiſmus iſte eſt, & Impoſtoribus hiis ſolùm accommodus, Quæ Chriſtus dictâ operâ de ſe, tantummodo quà Homo erat, atque in velamen Divinæ ſuæ naturæ, vulgò protulit, ea nunc, ſummis reliquarum Scripturarum ingratiis, ad eam Na-

turam abolendam, prorsúsque abnegandam intorquere? Sed fermentum istud verè Diabolicum, Cat.Rac.p.35,50, 67,112,& 120.sed & adhuc alibi: pérq; omnem massam religionis Barjesuiticæ dispersum, usui nulli est, nisi ut corrumpat universam.

Sect. XI.

1. *De Vi Articuli in Græcis, ejúsque geminatione.*
2. *Ens, Unum, Verum, convertibilia sunt. Trinitas tota perfectissimâ ratione Deus est. Pater Deus esse nequit sine Æterno Filio.* Pater *pro Autore.*
3. Vita Æterna, & Verus Deus, *sunt idem. Relatio non semper sit ad proximum, sed ad remotius.*
4. *Quodnam sit Antecedens τῆ* οὗτος *in nonnullis locis.*
5. *Id sæpe est Antecedens, Quo de potissimùm sermo est.*

QUid agemus igitur cum hujusmodi, Hominibus non possum dicere, sed prodigiis hominum, Marte omni ἀλλοπροαλλοῦσις, vultúmque sibi suum toties mutantibus, ut Proteus ipse nihil ad eos? Etenim, quem Articuli Græci autoritatem pro suo arbitrio spernere jam monstravimus, & cùm sibi adversari eum putet, súsque déque habere, ubi tamen ex re sua facturum quid sperat Catechista, potestatem ei largitur, incomparabilem, immensam, infinitam, & quæ non fidem omnem, sed & veritatem quoq; superet. Loquatur enim ille locus, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεός· 1 Joh. 5. 20. Nam eam esse nunc vim hujus Articuli vult, ut vel Christum, (Quem ille quidem, ex benignitate sua, *non negabit esse verum Deum*, Cat.Rac.p.64.) disterminābit tamen à vero Deo, atque exclusissimum ab hoc loco faciet. Quid ità verò? *Quia is locus verba ea*, hic est verus Deus, *de Christo accipi non admittit*, Cat. Rac ibid. Ain' verò, Scelus? *Locus non admittit?* Imò, Hæreticus non admittit; saltem, non admittere, & Christum loco suo pellere, conatur. Sed frustrá. Locum enim vel maximè velle se de Christo accipi, atque (ut plus dicam) de alio præterea nemine accipi posse, clarissimo indicio sunt vel verba conjuncta, οὗτός ἐστιν ὁ θεὸς ὁ ἀληθινὸς, καὶ ἡ ζωὴ αἰώνιος. Indè enim sic concludere est, qui *verus Deus est*, idem est & *vita æterna*. Atque è converso, qui *vita æterna* est, idem est & *verus Deus*. *Vitam autem æternam* Christum esse, ex ipso Epistolæ exordio, (illud enim nunc agit Divinus Apostolus, ut in quo orsa ei est Epistola, in eodem & terminetur,) manifestè videre est: Christum enim, (*Quem & oculis se, & auribus, & manibus usurpásse adserit*, 1 Joh.1.1.) annuntiare se iis professus, non aliter id exprimit, quàm, *vidimus & annuntiamus vobis τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον*, ver.2. Geminatur autem ab eo articulus, ut majore jam Emphasi Christum prosequatur, cùm moneat, Eum esse illam vitam æternam. Atq; ista jam vera est, atq; ex ipso idiomate, & natura Græci sermonis nata, vis hujus Articuli.

2. Sed novus homo Catechista H.M. à M. veris rebus non contentus, *agi heic* affirmat, *non solùm de vero Deo, sed & de illo uno vero Deo, ut articulus in Græco additus indicat*, Cat.Rac.p.64. Quod articulo Græco jam bene vortat, tantum sibi derepente Patronum, Pugilémque nacto! Nos interea eum (quantus quantus est,) naso suspendimus, cum Distinctione sua, differentiam nullam revera habente. *Verum* enim *Deum*, atque *illum verum Deum*, aut (nè non largiamur ei, quod tamen in verbis ipsis ῥητῶς non habetur; sed Ens, & Unum, & Verum converti, bene novimus;) *Illum unum verum Deum*, Unum atque eundem esse adserimus, Patrem, Filium, & SSpiritum, tres Personas, sed unum Deum. Nunc igitur, cùm nos, Christum verum Deum esse, adseramus, mera Petitio principii in eo est, cùm & hominem verum; mera λογομαχία est, quòd ille adsumit, *Christum non esse illum unum Deum, qui per se, & perfectissimâ ratione Deus est, cùm is Deus tantùm sit pater*, Cat. Rac. ibid. Esse enim Deum Verum, Increatum, Immensum, Incomprehensibilem, Æternum, Omnipotentem, Est, *Esse per se, & perfectissimâ ratione Deum*; Talis autem est Deus Filius; talis est & Deus Spiritus; & neuter minor est, aut minùs talis, quàm est Deus Pater. Habeant enim licèt Personalitatis suæ quisque divisam rationem, & sibi propriam; *Per se* tamen, *perfectissiméque* tales existunt, habéntque pariter omnes ejusdem Divinitatis unitatem, gloriæque æqualitatem, & Majestatis Coæternitatem. Quod Catechista igitur, (Principium hoc misere emendicatus) pro concesso sumat, (probando enim nunquam fuit, eritve:) Deum suum, sic esse *Unum Verum Deum*, ut per eam rationem excludat reliquas personas à sua Deitate, atque eapropter appellet eum Deum Patrem, planè implicat. Quomodo enim, ut Deus, Pater audiet, nisi Filium Deum Æternum habeat? Specificámne Deitatis suæ differentiam debebit externæ, vel finitæ, vel postnatæ, vel Accidentali alicui, & Metaphoricæ rationi, ex qua Pater evadet? Ità quidem facto est opus; neque enim ab æterno extitit Pater, si istum audiamus. Quid igitur Barjesuita præstat Poetis ipsis? Apud eos enim celebratur & talis *pater Æneas*, & è Diis suis, Ille *Nivis atque Grandinis Pater, ventorúmque Pater* ipse Æolus.

3. Articulum igitur hunc, cui soli in tam perverso sensu, caussâque desperata haud ausus est fidere, elabi passus, Pronomen ipsum, quod præit, apprehendit, negátque jam digito illo, ΤΟΥΤΟΝ, Christum monstrari. Ille negat; Nos adfirmamus; Utri jam credetur? Adfirmationis enim nostræ confirmationem nos è verbis subjunctis jam attulimus. De quo enim dicitur, ἡ ζωὴ αἰώνιος, De eodem etiam &, ὁ ἀληθινὸς θεός. Christus igitur noster ΤΟΥΤΟΝ. Ut ejulandum jam misero huic sit, atque inclementer secum agi querendum, quòd eum non nisi ex improviso prorsus, incautóque adoriamur! ô perversos Adversarios! ô crudeles Insidiatores! Quod ille tantùm præcaverat, ex antecedentibus verbis nè probaretur, Nos jam probamus è subsequentibus. Ait quidem ille, *Nec quicquam juvat Adversarios, qui propterea volunt*, ΤΟΥΤΟΝ, *ad Christum referri, quòd Christi mentio proximè antecesserit*, C.R. pag.64. Volumus certè nos & id; Idque miserandus Disputator actutùm sentiet. Verùm erat & postica sanna, cui occurrere eum potiùs oportebat, si se salvum volebat, atque ex ea jam totus occidit. Videamus autem, Lector, si tu non nevis, Quantum & ipsum juvare possit, quod ab anteceſsu sic sese præmunierit. Ait quidem, *Pronomen illud*, ΟΥΤΟΣ, *non semper ad proximè præcedentes personas, sed ad remotiores interdum referri*, C.R. p.65. Producit verò & tria Scripturæ loca in dicti sui fidem, ex Act. 7. 18, 19. & Act. 10. 6. & 2 Joh.7. de quibus quid à nobis regerendum jam sit, breviter sic habe.

4. Et de Relativis quidem in genere, verum esse quod adserit, nulli inficiamur; Abunde enim exemplorum in N. Test. est. Verùm de isto Relativo, ΟΥΤΟΣ, quàm imbellem delectum sibi fecerit, jam tuum, Lector, erit judicium. Hoc tantùm præfamur, Antecedentiam Personarum in sententiis esse duplicem, Unam, ex ordine solùm, sitúque Verborum, Alteram, ex ipsa Serie, & sensu dictorum; Ad hanc autem attendendum nobis esse, atq; ad hanc si relatio habeatur, non esse eam ad personam, remotiorem, sed propriam eam esse, (ráque propter ad propissimam,) Relationem. Jam verò in illis verbis, ἀναστήσας βασιλέα ΤΟΥΤΟΝ, ὃς εἶπεν μαρτυρήσας τῷ πατρὶ ἡμῶν, Act. 7. 18. Quanquam nomen *Josephi* scribatur proximè ante ΤΟΥΤΟΝ, nullam tamen rationem illius habet ut proximi Antecedentis sui; Quia eo respectu, ὃς εἶπεν τὸν Ἰωσὴφ, parenthesis planè est, potéstque sine sensûs detrimento tam abesse, quàm adesse; Sed verum Antecedens est totum illud Complexum, βασιλέα ΤΟΥΤΟΝ, ὃς εἶπεν τὸν Ἰωσὴφ· neque intermedia ista verba, inter βασιλέα & ΤΟΥΤΟΝ, aliter accipienda sunt, quàm si nomen Adjectivum esset, si fas dicere, Ἀγνωσιώτατον, aut aliquid simile. In altero verò Exemplo deploratior ei res est: Præter enim manifestam parenthesin primæ partis illius tmematii, ΤΟΥΤΟΝ ξενίζεται παρά τινι Σίμωνι Βυρσεῖ,

Βυρσεῦ, ᾧ δεῖ οἰκία πᾶσα διὰλαλεῖται· commonstrat & prius illud ὅτι & etiam & proximum istud quod subsequitur, ὅτι & λαλήσει σοι, pari conjugio ad unam eandémque Petri personam ex æquo pertinere. Act. 10. 6. Nihilo feliciùs succedet ei res & in Exemplo ejus tertio. Nam cùm Apostolus dicat, *Quòd multi Seductores introierunt in Orbem, qui non agnoscunt Jesum Christum venisse in carne:* (Nequeo autem ego non & heic παρενθεῖν, atque uno verbo interrogare, Annon sit & hæc Prophetia de Barjesuitis?) *Iste est impostor, & ille Antichristus*, 2. Joh. 7. ex ipsa jam variatione Numeri, à Plurali ad Singularem, cum Relativo, *Multi*, atque, *Iste*, clarissimè paret, familiarem elleipsin esse, è cujus necessario supplemento, οἱ τοιοῦτοι, repetendo quod dictum jam erat, ὅσοι οὐ γὰρ ὁμολογοῦσιν· vel ὅσοι δὲ οὐχ ὁμολογοῦσι, jam Relativum, ὅτι &, genuino suo Antecedente quàm proximè perfruetur. Abs re denique non erit, sciscitari, Personarum Antecedentium quas ille sibi metas ponat? Licétne enim, per eum, retrò referre ad quamtumlibet remotam? An ad penultimam tantúm? Aut in quoto gradu Remotionis!

5. Et profitetur quidem, satis ex arte, *Relativa ista sæpenumero referri ad id, de quo potissimùm sermo est*, C. R. pag. 64. Neque nos abnuimus quidem. Id tantùm quærimus, An hoc in loco ipse jam hoc faciat? De quo enim heic potissimùm sermo est? De Deo Filio? An de Deo Patre? Verba sunt, *Scimus, quòd Filius Dei venit: & dedit nobis intellectum; ut cognoscamus* τὸν ἀληθινὸν Θεόν. Atque iste est Deus Pater, succlamat Catechista. Nihil opus est, ut pugnemus; videtur tamen, quòd non sit Pater, sed & hoc elleiptikῶς quoque dici, pro, ἵνα γινώσκωμεν ἑαυτὸν εἰ τὸν ἀληθινόν· Ni enim ità sit, quid fiet verbis subsecutis? Καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ. Eò tamen parciùs hoc urgeo, quia posse regeri video, vel ex ipso Relativo hoc, αὐτοῦ, debere, τὸν ἀληθινὸν, ad Deum Patrem referri. Accipiemus igitur hoc responsum, (ut in Christo nos esse monstremus;) Atque de utroque jam dici adseremus, Primò, de Patre; Dein, & de Filio. Nam istud, ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ, cùm copulâ omni careat, per Appositionem dicitur, valétque, *Videlicet:* vel, *Id est:* vel, *Quandoquidem: in illo Vero Deo, in Filio ejus Jesu Christo: Iste est ille verus Deus, & illa vita Æterna.* Et de utroque cùm jam sermo sit, non potest, scil. non & ad Christum ex pari ratione referri. Ecquis autem non perspicit, Apostolum jam hoc in dicto respicere ad dictum illud Christi, quod & ipse refert, Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν, Joh. 17. 3? Eo autem in dicto, non secluditur Deus Filius à vera & æquali Divinitate, sed tantùm includitur Homo Deus in cognitione nobis ad æternam vitam necessaria. Neque enim mirum esse poterit, parem conditionem Deitatis ibi meritò supponi, ubi par necessitas cognitionis mortalibus imponitur.

SECT. XII.

1. *Articulus unicus Duobus Nominibus præfixus.* Ὁ Θεὸς ἀμφὶ *in N. T. non dicitur, nisi de Christo solùm.*

NE & ista pagellæ pars vacet, Adsumentum nunc esto ad Regulam non semel jam tactam, De unico Articulo Nominibus duobus præfixo, locus ille Apostoli, κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. 2 Thes. 1. 12. Ibi enim de Jesu Christo prædicari tum Θεὸν, tum κύριον, paret vel ex eo Articuli indicio. Quàm nollem igitur, Tralatoribus nostris posse hanc dicam inscribi, si non ex eo respectu, quòd Regulam istam unici articuli non agnoverint, ex eo tamen, quòd Textum ipsum violárint, obtruserintque ei Articulum, ubi nullus erat, adeóque cum inficetissimis illis Divinitatis Christi inficiatoribus temere conspiraverint; Verterunt enim, according to the Grace of our God, and the Lord Jesus Christ; Deúmque inter, & Christum, ex imbenigna ea additione, distinxerunt; cùm verti oporteat, of our God and Lord, Jesus Christ. Sed & observatu indignum non est, quòd illa locutio quoque, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ab Apostolorum nemine usurpetur, (& satis quidem ratiò ab iis usurpatur;) quin de Christo Domino solùm possit, debeátque accipi. Testor nobile par Apostolorum; Paulum, ex antecedente tmematio, 2 Thes. 1. 11. atque ex antecedente Epistola; 1 Thess. 2. 2. & 3. 9. Petrúmque ex altera sua, ἐν δικαιοσύνῃ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν καὶ Σωτῆρος, Ἰησοῦ Χριστοῦ, 2 Pet. 1. 1. Quo in loco & unici quoque Articuli ratio non est negligenda, Quantumcunque nostri eâdem quâ priùs chordâ oberrantes, & in eo quoque vertendo turpiter lapsi fuerint.

SECT. XIII.

1. Ἐρχόμενος, *de Rebus Futuris, usurpatur Metaphoricè, de Personis Venturis, Proprié.*
2. *Existentia omnium Temporum est. Christum suum Barjesuita Verum Deum faciunt, sed Claudum atque Acephalum.*
3. *Præteritum, Præsens, atque Futurum, in nullius Æternitatis descriptionem veniunt, nisi Dei Hominis.* Ὁ Ἐρχόμενος, *ante Christi Adventum in Carnem, non dicitur.*
4. *Quod Christus ipse de Se loquitur, Barjesuita citare noluit.*
5. *Joannes in Apocalypsi Bene precatur iis à Christo, Primò quà Deus est, & Dein quà Homo est.*

QUòd non aliam agnoscat rationem Polonicus Sophista, cur Orthodoxi Christum eum esse velint, Qui in Scripturis dicitur *Dominus Deus Omnipotens, Qui erat, & qui est, & qui venturus est*, Apoc. 4. 8. nisi *Quia neminem præter Christum venturum esse arbitrentur*, C. R. pag. 68. summam hominis Impostúram arguit; Quòd & eam rationem tam puerilibus modis arietet, summam caussæ suæ desperationem. Primò enim, quàm ridiculum est hoc, quod de vocabulo ipso ineptit? *Verùm tenendum est, eam vocem, quam illi reddiderunt*, venturus est, *reddi aquè posse*, futurus est. C. R. ibidem. Tenendum autem? Quomodo? ut Cæsar olim, in arena prolapsus, tenuit te, Africa. Etiam & *aquè* poterit? O inauditam Barjesuitarum æquitatem! At si ἐρχόμενος poteat esse *futurus est*, Quid impediet, quin æquè esse poterit & ἐρχόμενος, *Esse?* Quòd si reponatur, ipsos non tam ad naturam vocum, quàm ad usum attendere, Pol ex usu suo, (hoc est fluctuando) sibi sapiunt: De usu igitur jam nos instruat. Sunt enim Sexaginta in N. T. loca, in quibus Participium hoc, ἐρχόμενος, occurrit. Bene habet, Nam ille in Duobus eorum *futurum* aliquid reperisse se non dubitat. Hoccine igitur non est *aquè*? Sed proferat utcunque suam Duadem. C. R. pag. 68. *Nam Dominus ait de Spiritu, quem Apostolis promittebat, quòd illis esset futura annunciaturus*, Jo. 16. 13. Imò, Dominus dixit, καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. At illa, *futura erant*, inquiet. De eo pòst videbimus. Quòd si erant, quid tum? Quicquid enim venturum est, futurum est. Quorsum igitur ille bina tantùm loca huc allegat miser? Præterea, Quæstionis hujus institutum est, Quid in SScripturis, ὁ Ἐρχόμενος, significet, atq; hoc est, Quando Participium istud de Personis enuntiatur: Ille verò jam narrat nobis, quid τὰ ἐρχόμενα sint, scilicet quando de rebus per Metaphoram usurpetur ista vox. Quid distent igitur æra lupinis, hic homo nè scit quidem; atque nè curet, jam quidem expedit: At verò addit, C. R. pag. 68. *Legimus etiam diem Festum futurum*, Act. 18. 21. Legimus certè, ἢ ἑορτὴν ἢ ἐρχομένην, ejusdémque & hoc generis esse cum priore exemplo dicimus, atque solennem illum diem festum *proximè venientem* significare; prout &, τῷ ἐρχομένῳ Σαββάτῳ, Act. 13. 44. dicebatur de Sabbato sequente. Quanta igitur hæc ei è duobus locis suis victoria? Sed talibus triumphis solet ille rem suam beare!

2. Habet tamen in subsidiis & terribile, *Deinde*, quo hostes suos miserè conterat, siquid porrò mussitent.

Deinde quis est, qui nesciat, cùm priùs dictum sit, Qui erat, & Qui est, *& posterius hoc, quod additum est, per Futurum esse, reddi debere; ut ubique de Existentia ea oratio accipiatur, & non, in prioribus duobus membris, De Existentia, in postremo, De Adventu?* C. R. pag. 68. Igitur, quod in Parœmia est, *Nullus. Magnus. Malus. Piscis.* Turpitèr enim atrum desinunt in piscem, aut si quid vilius est, longi hii logi. Quasi quod de Adventu dicitur, non dicatur de Existentia? Imò verò, ut ὁ ὢν dicit Existentiam eam, quæ antecesserat, atque ὁ ἦν, Existentiam, quæ Præsens erat, ità & ὁ Ἐρχόμενος Existentiam eam, quæ Pòst ventura erat. Ἐξισασῖς igitur Catechistam, quis non juraret, qui nesciat eum, Ut Pusiones suos dementet, hanc operam solùm dare? Sed neque sic abibit tamen; habet enim præterea, quod mantissæ loco adjiciat, aitque, *Nec est quisquam, qui non animadvertat, heic describi Æternitatem Dei, quæ tempus præteritum, præsens, & futurum comprehendit,* C. R. p. 69. Esto verò. Quid indè concludet? Ad Christum ergò non sinet hoc pertinere, Quia Christum nè vult esse Deum? Non audet quidem id clarè dicere, professus toties, *Se non negare, Christum esse verum Deum,* C. R. pag. 64. Sed si eloqui expediret, illud est, quod vult. Verus enim quantumcunque sit, ex Barjesuitica veritate, mancus tamen, claudúsque Deus iis est, ut Vulcanus nihil ad eum: Certè Deum verè Acephalum eum faciunt, principio suæ Æternitatis, quam & Tempus Præteritum comprehendere aiunt, carentem; Nam caput hoc habere eum ipsi non sinunt, nisi in ventre B. Virginis Parentis suæ, C. R. pag. 53. Atque indè toties apud hunc contra Præternitatem Christi sermo, C. R. pag. 51. Prærosâ autem ab hiis bestiolis Æternitate ejus, qualisnam ille jam Deus est? Habitóque Temporum respectu, Quæ major jam Christi sui, quàm & sua ipsorum, (De futuro semper durantium,) Divinitas? Infelix igitur hoc telum retorqueamus ei oportet in Caput suum.

3. Accipimus enim, quod ait, In hiis verbis, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ Ἐρχόμενος, describi quidem Æternitatem Dei: Sed Æternitatem tantùm illam, quam Barjesuitica fides execratur, Æternitatem solùm Dei Filii, h. e. Personæ in Divinis secundæ, Naturam humanam cum natura sua Divina hypostaticè unitam habentis; Atque hinc jam terminorum istorum temporis enumeratio. Simpliciter enim loquendo, Æternitas Dei nullis temporum commensurationibus comprehenditur; Nescit, Quid sit Prius, aut Posterius, quid fuisse, aut præteritum esse; Expectationem quoque futuri nullam admittit, neque habet in se, quod venturum dici potest. Deus in se solùm, atque æternùm Præsens est: *Sum qui sum,* sine Adjecto aliquo, est nomen ejus, Exod. 3. 14. & alius distinctionis ille incapax est. Verùm habito jam respectu, quòd Verbum Æternum Caro etiam fieri voluit, quòd & in plenitudine temporis, à semetipso ab æterno præordinati, in orbem venerit, jam non solùm ὁ ὢν, sed & ὁ ἦν quoque, atque ὁ Ἐρχόμενος, Appellationi suæ à se adjungitur. Observari autem velim, quòd de ea ratione, per quam Æternitati suæ Divinæ subjunguntur ab ipso ὁ ἦν, & ὁ ἐρχόμενος, ex eadem est, ubi non solùm à Divinis illis Præcentoribus ὁ ἦν præponitur, priorémque locum quàm ὁ ὢν sortitur, Apoc. 4. 8. sed & ὁ ἐρχόμενος ab Angelo aquarum prorsus omittitur, Apoc. 16. 5. Hæc verò in absolutam descriptionem Æternitatis Dei non possunt cadere, ut temporis ratio aliqua ei præscribatur, quantò minùs, ut interturbetur, aut loco moveatur, omnium minimè ut adimatur pars integra ejusdem; sed è sola modificatione, per mysterium incarnationis introducta, hæc omnia sequuntur. Atque indè est, (& notatu hac in parte non indignum) quòd cùm vox ista, ὁ ἐρχόμενος, à Spiritu ad ultimi illius διασήματος expressionem usurpetur, ante tamen primum Christi Adventum, in carnem scilicet, nunquam id factum fuerit: ex hac tandem conditione, Advenire Deum-Hominem, Dei Filius & ὁ ἐρχόμενος in SScripturis audiit.

4. Præter igitur, supérque probationes omnes, quas nunc tetigimus, palmaria jam ratio, quòd Orthodoxi statuant Christum esse Eum, qui in SScripturis dicitur, *Dominus Deus omnipotens, Qui Est, Qui Erat, & Qui Venturus est:* ista est, Qui Autorem ejusdem habent omni exceptione, Quæstione, fide majorem; Christus enim ipse hoc ipsum de se professus est, Ἐγώ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ, καὶ τέλος, λέγει ὁ Κύριος ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ Ἐρχόμενος, ὁ Παντοκράτωρ, Apoc. 1. 8. Christúmne verò negabunt esse, qui hæc loquatur? Notum certè est, furens, atque desperans Barjesuita quid possit: sed totus Textus reclamitat; Ipsius Jesu Christi Apocalypsis hæc est, ver. 1. Ipse est, Qui ad Ecclesias jam missurus eo ipso sub titulo, ver. 11. visendum se Johanni in peculiari sua figura monstrat, ver. 13. eadémque de se repetit, Apoc. 2. 1, & 18. Ipse denique, qui quo stylo Apocalypsin suam heic orsus est, eodem quoque claudit eam, Apoc. 21. 6. & 22. 13. Verùm quòd Christi ipsius verba citare ad hoc noluit, sed eadem citat è Cantico 4 Animalium, Apoc. 4. 8. nullo alio consilio fecit, quàm per summam fraudem, ut eò liberiùs posset, (sed paulò obliquiùs, tectiúsque) ipsi Christo convitium dicere, ea de se aliis in locis dicere id ausо, quod hoc ex loco dici ab Orthodoxis, non nisi *per crassum errorem* impurissimo ore evomit, C.R. pag. 69.

5. Quin & ibi etiam est, ut dilectum quoque discipulum, quantum per cavillum possit, adigere videatur in contumeliæ suæ patrocinium. Ille enim VII Ecclesias sic adfatur, *Gratia vobis, & Pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est; & à VII Spiritibus coram throno ipsius; & à Jesu Christo.* Atque ibi quidem, per dolum desinit citationem suam Planus iste; (Solvere enim Jesum, præcipuè edoctus est.) Sed nos pergentes adjungimus, *Qui est testis ille fidelis, & primogenitus è mortuis, & Princeps Regum terræ.* Apoc. 1. 4. E suis autem præmissis, non pudet eum sic inferre, *è quo testimonio apparet, Jesum Christum ab eo Qui est, Qui erat, & Qui futurus est, esse longè alium,* C. R. pag. 69. Ecquem verò sanum, atque oculos habentem movet, quid Sophistæ cæco cæcorum duci apparere videatur? Nos cavillum sic repellimus, Precari iis gratiam, primò *ab eo, Qui est, & erat, & erit:* h. e. Quà ipse est Deus filius æternùm benedictus: Deinde verò & *à Jesu Christo, qui Martyr est, & à mortuis primogenitus, & Rex Regum:* h. e. Quà homo in Deum adsumtus est. Nihil est in hoc Testimonio, (quicquid de *crasso errore* à subtili Errone isto prætenditur; quin unum eundémque designari à Johanne nos intelligamus, neque longè, neque propè Alium à se, sed in alia, aliâque natura, per dispensationem Divinam, Personam unissimam, eandissimámque.

Sect. XIV.

1. *Lucrum apud nos fieri posse, (si cum Re Sacra non esset,) è monstratione Barjesuitæ.*
2. *Ut Presbyterani Regiâ Majestate abuti solent, sic Illi SScripturis.*
3. *Nè Christi æternitas indè probetur, negant Eum creasse mundum.*
4. *Christus creavit, quicquid Deus per Christum, & quicquid Christus, Deus.* Secula, *Quid.*
5. Αἰὼν *nunquam designat id quod futurum est.* Αἰῶνες *omnia Tempora comprehendunt, déque Deo, aut Christo solùm dicuntur.*
6. *Hypostatica Unio probatur è gradatione in encomiis Christi. Aoristus sæpe habet significationem Præteriti plusquam Perfecti.*
7. *Cur Jesum appellant Nazarenum. A primo Conceptu fiebat Dominus & Hæres omnium. Nomen* Jesus *ut datum Ei.*
8. *Potestatis in Conceptu datæ cur mentio fiat post Resurrectionem.*
9. *Post Resurrectionem etiam & Missum se dixit. Potestatem*

ſtatem quam in ſe habuit, Diſcipulis ante mortem imperiit.

NOn exiguam in lucri partem apud nos Anglos poni videmus, quod è Populo, propter monſtrata iis portenta, aut è præſtigiarum omne genus editionibus, colligi facilè ſolet. Niſi igitur execrandus Catechiſta, ludorum & verſuciarum ſuarum argumentum illud ſibi fecerat, quod Nos Sacroſanctiſſimum eſſe ducimus, & non niſi cum ſumma Religione & Veneratione ſemper tractandum, Verbum ſcilicet Divinum, SScripturæque Canonem, Quos ego jam proventus poſſem cuiquam polliceri, ſi Hiſtrioniam hanc ad tempus exercere in populo velit, coloribúſque ad vivum ſuis depictum Barjeſuitam in ſcena propinare, cum ſceleratis omnibus Reſponſionum ſuarum ſtrophis, fraudibúſque, non odiorum ſolùm inter Pios, ſed & cachinnorum quoque profana in plebe abunde feracibus? Verùm quæ populo & pueris placeant, alii moliantur: Cordatis ſolùm iſta, judichímque habentibus, & Divinæ Theologiæ ſtudioſis à Me dantur; Quorum certè plurimùm intereſſe arbitror, paucis ſeriò prænonicos eſſe, ubi res dederit, quid Ludiones iſti prævaricentur.

2. Iſtud igitur ſe nunc offert. Expulſâ ab iis Divinâ naturâ, & Æternitate Dei Filii, cùm ſe ſatìs perſentiſcerent, infinitâ Teſtimoniorum mole è SScripturis eâ in parte obrui, Aliquid audendum iis erat, quod ſpeciem in plebe ferret amoliendi dirum illud infortunium. SScripturas enim (ſi verba eorum audiamus) profitentur ſe admittere. Sed re quidem verâ non aliis modis Autoritatem earum accipiunt, quàm vidimus in Scotia conſimilem feram (quæ Aëriana apud eos factio eſt,) accipere Autoritatem Monarchicam. Summam enim & illi Fidem, Majeſtatíſque Regiæ Venerationem graphicè ſimulant; Sed in eo tamen toti ſunt, ut Imperatoriam Poteſtatem ſervum ſibi Pecus habeant, Jure nullo potitam, niſi quod in Verba ipſorum juratur, Placitorúmque ſuorum popularium (Quod Ipſi ſplendidè mentito nomine Regnum Jeſu Chriſti appellitârunt) Miniſtram ſolùm & Executricem dicto audientem; Uno verbo, Ut Reges regnentur, à ſuis Presbyteris, Sceptríque Autoritas, ut nulla verè ſit, niſi quam acceptam ferat Sacerrimis Ipſorum conventibus. Eodem igitur exemplo, patíque fide Barjeſuitæ SScripturas venerantur. Scripturæ enim ut ſint, atque Autoritate ſuâ ſanctè fruantur; Boni Viri nil abnuunt. Sed Quâ? An primævâ illâ, priſcâve? ex Apoſtolorum, Martyrum, Patrum, Eccleſiæ totius Chriſti ſenſu derivatâ? Abſit, ut ſic inſaniant. Sed, quo Barjeſu Diſcipulos poſſis agnoſcere, novitiâ, atque è ſuo jam cerebro primùm calente, & non niſi per vim, detorſiones, cavilla, ſophiſmatum genus omne in ſuos ipſorum ſenſus (velit, nolit) coactâ. Uti jam ad hoc Lectorem velim oculis ſuis, atque obſervare, Primò quidem, Dichotomias multas frivolas, (nullâ arte, fidéve ab eo inſtitutas, ſed in pompam ſolùm, fraudémque introductas, ut, confuſis indè atque ſtupefactis, Diſcipulis videatur Orthodoxorum ſententiam, non exactè ſolùm nôſſe, ſed ex arte quoque collegiſſe,) In quarum χωδτιζιν ſequentis paragraphi partem aliquam nunc quaſi per parentheſin prodigere, abs re fortaſſean non erit.

3. Illarum igitur prima eſt, *Divinam Ipſi* (de Orthodoxis hoc ait) *in Chriſto naturam aſſerere conantur, Dum ſtudent, Aut è Scripturis evincere, quæ in iis non habentur, Aut dum ex iis, quæ in Scripturis habentur, perperàm ratiocinantur, & malè rem ſuam conficiunt*, Cat.Rac.p.51. Proxima huic eſt, *Illa quæ de Chriſto è Scripturis evincere conantur, & illic non habentur, eſt Præternitas Chriſti, iámque duplici Scripturarum genere approbare nituntur, Primum ejuſmodi eſt, in quo expreſſam eam eſſe putant; Secundum in quo licèt expreſſa non ſit, eam tamen colligi arbitrantur*, Cat.Rac.p.51. Perdura, obteſtor, ſi bonus es, Lector, inficetias iſtas partitionum, naſo tantùm ſuſpendere contentus. Tertia eſt, *Teſtimonia in quibus non putant exprimi quidem Præternitatem Chriſti, ſed ex iis tamen eam effici poſſe, ſunt ea quæ videntur Domino Jeſu quædam res attribuere ab æterno, quædam verò tempore certo & finito.* C.R.p.55. Quarta eſt, *Loca Scripturæ, quæ videntur Chriſto, quædam tempore certo & definito tribuere, ſunt duplicia; Alia enim, Nomina, Alia, Facta reſpiciunt, quæ Chriſto à Scriptura attribui opinantur*, Cat. Rac.p.60. Plura jam nolo: Sed tandem aliquando poſt devorata inſulſa hæc deliria, (in quibus quas protulit inſtantias plurimas jam antè contudimus:) Lector porrò obſervet, ut ex illis Teſtimoniis *quæ Facta & operationes Chriſto à Scriptura attributas reſpicere*, Cat. Rac.pag.72. ait, pedem in iis figat, in quibus Orthodoxi exiſtimant, Chriſto attribui *quòd Cœlum & Terram creârit*, ſúbque eo Capite quinque loca ſacra alleget. Quinque autem? Quid ità? Dicam. Non quin & multò plura, claráque eo in argumento in SScripturis habeantur: ſed quòd ſingulis à ſe privatim examinatis, contra Quinq; hæc tantùm comminiſci quicquam potuit, quod in ſpeciem aliquam (miſerrimam licèt, & Autore ſolo dignam) poſſit ſuis obtrudere; Eo igitur conſilio ea ſola ſeligit.

4. Igitur cùm Mihi, ex Officio Diurno percenſendum erat exordium Epiſtolæ ad Hebræos, Ecce delatus ſum in unum alterúmq; Locorum eorum, quæ ille obeliſco ſuo (ſed ſtramineo, cuſpidémq; nullam habente) configere ſe nil dubitat. Primum eſt, ἐλάλησεν ἡμῖν ἐν υἱῷ ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων. δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε. Heb. 1.2. Quo poſito, ſic contrà inſurgit, C.R.p.79. *Ad primum eo pacto reſpondeo, quòd ibi palam ſcriptum ſit, non Chriſtum feciſſe, ſed Deum per Chriſtum feciſſe ſecula.* Habes reſponſum ejus, & quàm terſum illud, nolim Te quærere, Lector, ſed quàm ſolidum! Satin' enim valida habenda eſt hæc Conſequentia, Quia David Civitatem ſuam ædificari, & Salomon Templum per Architectos curârunt, ergò Ædificatores illi neutiquam ſunt dicendi Regiam extruxiſſe, neq; Templum, Architecti? Quanquam & penitior longè diviniórq; eſt ratio Chriſti, ex Deo extruente, quàm Fabrorum ex Davide. Ut ſervi enim ſubditíq;, & ipſo Rege multò minores, multùm ab eo conditione atq; dignitate diverſi, operas ſuas locabant Architecti: ſed Chriſtus, Verbum illud Patris eſt, idem cum Patre, & Patri coæquale, quod Ipſe Deus eſt, Jo. 1.1. *per quod Cœli firmati ſunt*, Pſal. 33.6. prout ab Apoſtolo deſcribi videmus Creationis illa Primordia, *Per fidē intelligimus, aptata eſſe ſecula, Verbo Dei*, Heb. 11.3. Verbo quidem Beneplaciti ſui, ſed quod explevit Verbum Deus Ipſe. Chriſtus igitur creavit quicquid Deus per Chriſtum creavit, & quicquid Chriſtus, Deus; eóq; jam pacto palàm in fumos abit omnis iſta Cavillatio: ſed & oculus jam à nobis retrò non immeritò flectendus eſt ad illam Dichotomiarum ſuarū modò citatarum ridiculam pompam, quâ ſe obruturum ſperabat Præternitatem Chriſti. *Secula* enim (hoc eſt Univerſum, quod Temporum revolutionibus & commenſurationibus ſubjicitur) an Ipſe Chriſtus *fecerit*, an Deus per Chriſtum, indifferenter ſe habet in hoc argumento. Per Chriſtum autem, Ille non negat; Vel exinde igitur ſequitur, Chriſtum ante ſecula, quæ ab ipſo, vel per ipſum fiebant, extitiſſe, id eſt, Ante Tempora omnia; Ab æterno igitur ipſum fuiſſe, licèt tempore certo & definito Creationem abſolverit, vel potiùs per Creationem certam temporum Definitionem.

5. Et certè parùm placere homini ſuam exceptionem, ex ipſa fuga ejus paret. Dicto enim citiùs deſerit eam, atq; ad alteram fraudē ſub voce *ſecula* transfugit; *Quam non ſolùm Præſentia atq; Præterita, verùm etiam Futura ſignificare poſſe, in confeſſo eſt*, ait C.R.p.80. Sed quid hoc ad rem? Nam cùm ipſe ad hoc jam tendat, nè locus ille Apoſtoli de Præterita jam olim rerum Creatione dici intelligatur, de Voce *Secula* nulli Quæſtioni nunc locus eſt, niſi, An futura ſola ſignificare ea Vox poſſit. At hoc ſi ait, ſtrenuè repellimus, adſerimúſq; Vocabulum ὁ αἰών, quod vel centies in N.T. reperire eſt, Tempus Futurum, ſeparatim atq; ſolitariè, nunquam deſignare, niſi & Limitationem ſuā pariter adpoſitam habeat; Ut, ἐν αἰῶνι τῷ μέλλοντι, Mat. 12.32. &, ἐν τῷ αἰῶνι τῷ ἐρχομένῳ, Mar. 10.32. &, καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος & ἐκείνου. Luc. 20.35. &, ἐν τοῖς αἰῶσι τοῖς ἐπερχομένοις, Eph. 2.7. Ampliamus

mus verò, dicimúsque, τὸς αἰῶνας, in numero Multitudinis sæpissime quidem legi, sed si absolutè, & sine limitatione adjuncta stet, nunquam poni, nisi ut omnia Tempora ex æquo comprehendat, Præsentia, Præterita, Futura, ab Æterno ad Æternum. Addere denique possumus in Personalem nullam enuntiationem Plurale hoc, αἰῶνες, unquam ingredi, nisi quæ de solo Deo, Christóque fit; exceptis paucis aliquot locis in Apocalypsi, In quibus propter effectum Judiciorum Dei, etiam & de aliis Personis enuntiatur, εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων, sed Metaphoricè ibi solùm dicitur, pro Semper, ut Apoc. 14. 11. & 19. 3. & 20. 10. & 22. 5. Prælibatis autem jam hiis, ad Sophistam nostrum redimus, auditum, Quid Ipsi nunc de voce, *Sæcula*, videatur. Ille verò, De Futuris hìc agi, respondet. Bene habet! Dicat igitur, Quæ ipse *Secula* intelligat, *Futura*. An illa in fine Mundi, in quibus Judicium agetur? Atqui de illis, τὸς αἰῶνας ποιῆσι, dictum tum esse oportuit, & non, ἐποίησε. Nondum enim exiſtunt, factáve sunt. Sin de Ultimis jam Temporibus hiis sub Euangelio, ex Adventu Christi, intelligi velit, *Secula*, cùm istud dicebatur, Præsentia illa tum erant, semperque fluentia jam sunt, atque Futura dici nullo modo possunt, nisi per summam catachresim, fraudémque.

6. Verùm ipsi quidem nè hilum refert, aut Quid aut Quomodò dicantur, modò obtinere posset, De Creatione Rerum nè dicantur. Ibi igitur totus est, Non, Ut quæ ista Secula sint, quæ per Christum facta esse non negat, exponat, (nè sibi malum turdus cacet,) sed ut de prima Mundi Creatione non posse dici (si placet) demonstret; Idque ex hoc Argumento confectum iri somniat, *Quia per eum, Quem Hæredem universorum constituit Deus, Secula ista dicantur condita esse*, Cat. Rac. p. 80. Scilicet! Quídni enim? *Nam Jesus Nazarenus* (ait) *non priùs constitutus est Hæres Universorum, quàm eum Deus ex mortuis excitavit.* Cat. Rac. p. 80. De hoc autem pòst videbimus. Sed (nè moremur) jam detur. Et quid tum postea? Ergóne Creationis Ille Author non fuit? Vah! Non sequitur; Neque enim Qui dicit, *per eum quem Hæredem constituit*, præsumendus est dicere, *per eum, postquam Hæredem eum constituit.* Distinguenda igitur sunt Tempora, distinguendi Actus, distinguenda omnia. *Locutus est Nobis per Filium*, ait. Sed quem Filium? Naturalem illum, atque solo Deo operante, è B. Virgine genitum, Quem & totius Mundi Dominum (quà Homo erat) jam constituerat; sed & idem Naturæ quoque Divinæ suæ Filius erat, Verbum Deus, per quem universa ab Origine creaverat. Gradatio igitur hæc manifesta est in Prædicatis de Filio Dei; Quæ & non obscurè innui videtur ex transpositione particulæ, καὶ, cùm non sit dictum consecutivè, καὶ δι' ὃ, sed Cumulativè, δι' ὃ καὶ. Per eam autem Gradationem Apostolus ascendit, ab assumtæ Naturæ in Christo conditione, quam illustrat ex Universali jam rerum Dominio, etiam & ad Divinæ æternæque, Quam delineat ex Universi Mundi Conditura; Pérque istam encomiorum Christi conjunctionem, argumentum Nobis irrefragabile suppeditatur utriusque Naturæ in Christo Hypostaticè unitæ. Et multò quidem clariùs hoc Lectoribus primo statim adspectu apparuisset, si Interpretes Officio suo non defuissent. Ἔθηκε enim, & ἐποίησε non sunt heic *Constituit*, & *Fecit*, sed *Constituerat*, & *Fecerat*, vertíque à nostris oportuit, By his Son; Whom he had appointed Heir of all things; By whom also He had made the Worlds. Esse enim Aoristi hujus istam sæpe Potestatem, jam sæpe à Me admonitum est: Exempláque ejus rei sunt, ἔλυσε· Matth. 14. 3. &, ἐτέθηκαν· Matth. 27. 37. &, ἠκολούθησαν· v. 55. &, ἠγόρασαν· Mar. 16. 1. &, ἀθέτησαν· Luc. 7. 30. &, ἐξέδοτο· Joan. 5. 13. &, ἔλαχε· Act. 1. 17. &, ἐκοίνωσε· Phil. 4. 15. cum pluribus aliis, quæ nescio an priùs recensuerim.

7. Verùm priusquam hinc pedem feramus, Quid illud est, quod de Jesu Nazareno ipse narrare nobis cœperat? Titulum enim illum Nos nulli abnuimus; Licèt minore cum convitio Christi Domini, à Pilato in crucem ejus inscriptus sit, Jo. 19. 19. imò, à Dæmoniis ipsis de eo usurpatus, Mar. 1. 24. quàm à Barjesuita nunc heic, atque in fronte infelicis sui libelli, intenditur. *Jesum Nazarenum* (ait) *non priùs constitutum Hæres Universorum fuit, quàm eum Deus ex mortuis excitavit.* Atque hinc quidem ista nunc appellationis Dominicæ alteratio; Ad Mendacii hujus (Quod Religionis Barjesuiticæ altera ferè columna est) statuminationem, Jesus Nazarenus nunc derepente audit, Qui toties antè Christus ab eo dictus est. Quid ità veró? Quia Messiam aut Christum si dixerat, ab Humanitatis suæ Primordiis, cùm Messias Christúsque exiit, eo Honore donatum eum fuisse, nemo dubitaret. Ait enim ipse, *Prædicabo Legem, de qua Dominus dixit ad Me, Filium meum es Tu, hodie genui Te; Postula à Me, & dabo Tibi Gentes hæreditatem tuam*, Psal. 2. 8. In ipso scilicet Conceptionis Momento, Hæreditatem hanc crevit; Quamprimum Sanctissima Virgo dixerat Angelo, *Ecce Ancilla Domini; Fiat Mihi secundùm Verbum Tuum*, Luc. 1. 38. Facta & ipsa est Mater Domini, v. 43. Conjuncta igitur hæc & σύζυγα semper fuisse habenda sunt, Quando Mater adsensum præbuit, Homo factus est; Quando Homo, & Christus; Quando Christus, & Dominus. Petrus quidem Dominum priore in loco ponit, *Certissimè sciant Judæi omnes, ὅτι καὶ Κύριον, καὶ Χριστὸν ἐποίησε ὁ Θεὸς τοῦτον ὁ Ἰησοῦν* Act. 2. 36. Estque & ibi, τὸ ἐποίησε, *fecerat*, That God had made him both Lord and Christ, quem illi sub nomine Jesu Nazareni modò affixerant Cruci. Hinc igitur est, quòd quamprimum nascatur, Cœlo ipso Teste, nasci dicatur eo ipso momento Christus & Dominus, Luc. 2. 11. imò, antequam nascatur, pro Domino habetur, & Præcursorem suum habet, Luc. 1. 76. Expectanda igitur utcunque Circumcisio ipsius erat, antequam Ille Jesus publicè appellatus fuerit, Luc. 2. 21. (Privatæ enim erant binæ illæ Præmonitiones Angelicæ, Una, paulò anteqeam conciperetur, Luc. 1. 31. & altera denuò non multò pòst, Matth. 1. 21.) Expectanda etiam post reditum ex Ægypto aliquot annorum Mora in ea Urbecula, antequam pro Nazareno habitus fuerit, Matth. 2. 23. Ille ipse tamen qui successu temporum Jesus & Nazarenus audit, ex utero Dominus exiit, Prophetâ olim non aliter ratiocinante, *Filius datus est Nobis*, atque tum quamprimùm datus est, *Principatus ejus super humerum ejus*, Esa. 9. 6. Atq; ex hoc respectu solùm (Dominii Universi, non alicujus Successionis,) *Hæres Universorum constitutus* heic dicitur, ex eo quòd Hæredis est, esse Dominum omnium. Gal. 4. 1.

8. Quàm immanes igitur sunt istæ detruncationes Christi! quàm barbaræ mutilationes Filii Dei! Deus cùm à Nobis dicitur, Divinitatem ei ad Umbilicum, & ultrà, præscindunt; Esto Deus, inquiunt, sed nullus ante Mariam. Sin Dominum eum vocamus, nisi & Dominium ejus aliquà prærodere possent, mortui essent: Igitur & Dominus erit, aiunt, Sed non erit à Principio Humanitatis suæ, Non nisi finitâ demum in terris vitâ ipsius, Non enim erit, si ipsos audimus, donec resurrexerit. Quídni veró? *Patet hoc* (ait) *quòd tum demum omnis Potestas in Cœlo & Terrâ ei data à Patre fuerit*, C. R. p. 80. Siccine veró? Dicite Fides, Pietásque, Quid agemus cum hoc monstro Hominis, qui totus, quantus, Prævaricator est? Haut alio igitur consilio locum nullum citare jam ausus est, quàm nè Lector oculis suis usus, fraudem ejus illico detegeret; Verùm niti eum scimus illis Verbis Christi, postquam redux factus est à Sepulcro, professi, *Data est Mihi omnis Potestas in cœlo & in terra*, Matth. 28. 18. Sed dic, ô Bone, Qui dixit tum, *Data est*, dixítne Datam esse tum? Et tum demum Datam? id est, tum, & non antea. Quæ sunt istæ Præstigiæ, & verborum Fraudulentiæ? Ut nihil igitur nunc urgeamus à Tempore vocabuli, ἐδόθη, Dicta tamen, Factáque Domini abunde suppetunt in contrarium urgenda. Nam, *Omnia mihi tradita sunt à Patre*, jam olim dixerat Matth. 11. 27. Verbum quidem quo ibi utitur, est, παρεδόθη, sed illud habere, ἐδόθη, in se, & aliquid amplius, facilè discitur

tur è Gal. 2. 20. & Eph. 5. 2, & 25. Sed & ipsi Baptistæ longè ante Christum denato, conspicuum hoc erat, atque Ipse verbo δίδωκε utitur, *Omnia dedit Pater in manu ejus* Jo. 3. 36. Quod verò ad Patrem Christus ipse dicit, *Dedisti ei Potestatem omnis carnis*, Joan. 17. 2. id dicti hujus post Resurrectionem & ratio tota, & fundamentum est. Nam qui Apostolis suis limites antè posuerat, extra domum Israelis nè pedem ferrent, Matth. 10. 6. abiturus tamen nunc in cœlos, quia probè Patrem nôrat, Potestatem ei ab initio dedisse omnis carnis, nunc igitur iisdem Apostolis mandat, *in omnes Gentes ut exeant*, Matth. 28. 19. Atque ex hoc solo intuitu, Ut mutati consilii sui rationem suis exponat, ad Gentes, negatas ijs priùs, ut nunc se conferant, Potestatis illius, non tum demum, sed à principio (ut antè audierant) sibi datæ, nunc denuò meminit.

9. Pluribus verò si quid opus esse videatur, adeatur unica illa Concio ejus, Hierosolymis longè ante Passionem ipsius habita, atque in ea reperietur etiam tum *à Patre datum ei fuisse omne Judicium*, Jo. 5. 22. 1. Regimen & Gubernationem omnem, ait Ipse Sophista, & *potestatem quoque exercendi Judicium illud, quà Homo erat*, v. 27. Data etiam opera, per quæ probari poterat, quòd ipse Messias erat, v. 36. Quod Potestatis denique omnis summa est, *Datum ei & Vitam in seipso habere*, non alitèr quàm Pater ipse habet, hoc est, Potestatem vivificandi omnia. v. 26. Addatur autem huc, quòd Christus dum in vivis jam erat, *Jus & Moderamen Ovium suarum*, i. Ecclesiæ suæ, *datum* sibi adserat, Jo. 10. 28. *Vitæ etiam Mortisque suæ arbitrium*, v. 18. *Datum* etiam *Gloriæ Divinæ participium*, v. 22. *Datam* denique *Potestatem tum remittendi Peccata in terris*, Mar. 2. 10. *tum imperitandi Dæmoniis*, Luc. 4. 36. Uno verbo, *Universa Patrem in manus ipsius dedisse*, Jo. 13. 3. Atque hæc (inter alia) Dicta ab eo habemus. Concinunt igitur hiis & Facta ipsius. De SSpiritu enim, ab initio sibi, & non ad mensuram (nè temporis quidem) dato, Jo. 3. 34. imperit & ille Apostolis suis, issque in prima Emissione eorum dat *Potestatem* (Dátne verò quod tunc non habuit?) *in impuros Spiritus*, Matth. 10. 1. & *sanandi omnes morbos*, Mar. 3. 15. *sub Pedibus* etiam *calcandi omnem Potestatem inimici*, Luc. 10. 19. & quod omnium denique Primum est, Quamprimum in mundum Ipse venerat, *Quotquot eum per fidem receperunt, Dandi & iis Potestatem ut fierent Filii Dei*, Jo. 1. 12. Christo igitur postquam resurrexerat, tum demum Potestatem suam dari qui dixerit, quia cùm resurrexerat, datam eam fuisse ex occasione dixit, idem eodem Paralogismo suadeat, neque missum eum à Patre fuisse, antequam resurrexerat; Nam & postquam resurrexerat, Apostolis etiam dixit, *sicut Me misit Pater, & ego mitto Vos*, Joan. 20. 21. Verùm futile istud Commentum est, ad Æternitatis Filii Dei abnegationem, per teterrimam fraudem, à Barjesuita (quod & sæpe in Usus suos repetit, C. R. p. 225. & p. 275.) introductum, nè Christus habeatur pro Seculorum omnium Conditore. De Primo igitur loco hæc: In secundo an fœliciùs ei successerit cavillatio ejus, alterius Sectionis erit.

Sect. XV.

1. *Catechista quid velit per Deum Patrem. Ut Christum sinat esse Deum.* ὅτι, εἰσαγάγῃ, λέγῃ, ἤρκε, *De Quo dicantur.*
2. *A dicto de Persona ad Res abducere, fraudem olet. Præstantia Christi, quà Homo est, est à Se, sed quà est Deus.*
3. *Creatio mundi ut Christo adscribenda sit.*
4. *Citationum in N. T. nihil παρέλκειν, aut otiari.*

Adfirmatâ ab Apostolo Excellentiâ Christi supra omnes Angelos, Heb. 1. 4. varia è V. T. Testimonia subjungit ad illius rei confirmationem. In iis, Unum est, petitum è Psal. 102. 15. *Et, tu in principio, Domine, terram fundâsti; Et opera manuum tuarum sunt cœli.* Heb. 1. 10. *Ipsi peribunt, sed tu permanes.* v. 11. Testimonium autem hoc, quia Creationem Mundi Domino attribuit, Veterator Barjesuiticus (quidlibet audendi, adserendíque certus, quod ex re sua impurissima sit;) respondet, *Non de Christo, sed de Deo, accipiendum esse.* C. R. p. 80. Non, quin Christum ille & Deum esse finet, modò sorte eâ Divinâ contentus abibit, quam Mulciber ipse fabricavit ei ex Officina suâ, Metaphoricam, Mancámque, & cum natura Divina reapse pugnantem: Sed, quòd veri nominis Deum Patrem, (cúmque, ex eo titulo contradistinctum à Filio & SSpiritu, ídque Naturâ ipsâ, & non Personâ,) ille solummodo agnoscit esse Creatorem Cœli, & Terræ. Usitata igitur ei distinctio ea est, *inter Deum Patrem, & Christum:* C. R. p. 70. Et nunc tamen, quantumcunque aliàs depuduit, puduit Patris mentionem facere, quia Proximis in Verbis subjungere cogitur, *Quòd idem Scriptor* (Tu, Lector, Divinum ad Hebræos authorem, Quem hic revera odit, eadem de causa, quâ Achabus Michæam, 1 Reg. 21. 8. intelliges) *istud ad Filium Dei referat.* C. R. p. 80. Refert certè: nec aliter, quàm quod Hebræis universis, Dei tamen Israelis (ut iste Patrem indigetare amat,) devotissimis Cultoribus, in confesso erat; Quod & ex ipsa particula, καὶ, abunde colligitur; Conjungit enim hoc, cum eo, quod priùs dixerat, πρὸς δὲ τὸν υἱὸν λέγει. v. 8. Dicit etiam & hoc ad eundem Filium, *Tu, Domine, in initio creasti omnia.* Quis verò dicit hoc? Deus ipse est, Filium suum qui Deum adfatur. Neque enim nomen substantivum aliud habet, ὅτε· v. 5. &, εἰσαγάγῃ· v. 6. &, λέγει· v. 7. &, εἶπε· v. 13. Deus ipse dicit hoc, ad quem tamen hoc à Davide, in Psalmo, unde petitum est, dicitur. Verùm quia David in Spiritu, mysticóque sensu locutus est, juxta Spiritualem igitur Davidis intellectum Apostolus nunc ait, Deum istud, (per Davidem scilicet) ad Filium dicere, *Tu fundâsti.*

2. Contra Deum igitur dicentem quid aget jam Barjesuita? Ohe! Tam iners non est, aut nominis sui indignus, ut dictum Dei facili negotio non possit ludos facere. Lancem igitur solertiæ suæ actutum arripit, atque *Expendendum est*, (ait) *Sermonem in eo Testimonio, non de una re, sed de duabus potissimùm haberi expressè.* C. R. p. 80. De unâ Re? Vah, Jam hæc prima ejus fallacia est, ut à Persona ad Res Lectorem abducat. At verò Deus ipse, David, Paulus, ibi potissimùm hoc in sermone, solúmque sunt, Ut Excellentiam Dei Filii, supra omnes Creaturas, supra Angelos ipsos, evehant, Neque alio quovis respectu, in isto Testimonio consideratur Rerum vel Creatio, vel abolitio, nisi ut Divinæ illius personæ, Christi, de quo Sermo est, Creantis ab æterno, æternúmque pro placito suo abolentis, Dignitas indè extollatur, atque expendatur ἡ ὑπεροχή. Istud igitur unicè est, quod revera nunc expendendum est; licèt, hoc modo parcere Personæ, quam ex animo odit, vulpecula didicit; Atque indè de Rebus dicere indè ab initio inceptat, ut de Principali Scopo abductos Auditores, incautósque faciliùs fallat, perdátque. Sed hiis præmonitis, audiamus jam sultis, Quid ille expendendum habeat de duabus rebus suis; C. R. p. 81. *Perspicuum est*, (ait) *quòd is Author priorem earum* (i. Creationem, cœli & Terræ,) *ad Christum non referat.* Ain' verò? Tantæne nequitiæ ille nobis Autor est, ut rerum perdendarum tantùm velit nos pati Christum Deum esse, Numónque ejus (cum Manichæorum Deo altero) ad abolitiones solas præstandas damnare? Quibus verò perspicillis usus, hoc perspicis? *Quòd ille in hoc capite præstantiam Christi demonstrare proposuerit.* C. R. p. 81. Quid tum? *Non eam tamen, quam à seipso habeat, sed quam hæreditavit, & quâ præstantior Angelis effectus est.* Quorsum autem hæc stolida cautio? Neque enim nos Christum hominem præstantiam suam à seipso homine habere dicimus, sed per unionem Hypostaticam hæreditare eam, (h. e. propriè atque de jure paterno possidere) Nomen illud Filii Dei, Angelísque omnibus ex-

ista

iſta gratia infinitis paraſangis ſupereminere; Filium enim Dei infinitè majorem eſſe Angelis neceſſe eſt.

3. Quid igitur eſt, quod angit hominem? *Quia ejus generis præſtantia Creatio Cœli & Terræ neque eſt, neque eſſe poteſt*, C. R. ibid. *Ejus generis?* Cujus? Quæ jure filii poſſidetur; & quæ filium ſupra Angelos evehit? Cujus Contrarium ergò eſt verum, ſi hoc velit. Creâſſe enim Cœlum & Terram, eſt & Angelos ipſos, qui in Cœlis ſunt, creâſſe; Filius verò ſolus eſt Idea illa in Mente Dei, Verbum illud in corde Divino, primáque omnium Cauſſa; pérque Filium ſolum Deus creavit omnia. At præſtantiam Creativam non aliam eſſe oportet, quàm quæ à ſeipſo habetur; Hoccine eſt, quod vult? Volumus & nos hoc ipſum; Atque Chriſto homini communicari quidem præſtantiam iſtam dicimus, ſed à ſeipſo Deo: Et Barjeſuitam non aliunde confundi, quàm à ſeipſo, quòd Jeſum hunc ſolverit. Retorquemus igitur ei in jugulum ſuam ipſius illationem, *apparet enim manifeſtè, in eum finem Teſtimonium hoc ab Epiſtola Scriptore allatum eſſe, ut Chriſtum creâſſe cœlum, & terram probaret*, C. R. ibid. Quod verò hiis ipſe magnâ ambage allaborat, quaſi verba illa in Pſalmo, quæ cœlorum terræque creationem celebrant, nullo alio fine introducta in Epiſtolam fuerint, quàm ut poſterior ejuſdem teſtimonii pars, quæ de Rerum abolitione eſt, intelligi poſſet, hei, quàm turpe eſt difficiles has nugas nectere? quàm ſtultus labor eſt tam ridicularum ineptiarum? Quaſi, (ſi id fuiſſet; quod ipſe vigilans ſomniat,) Apoſtolus, breviloquentiæ ſacræ optimus præ cæteris Magiſter, cùm ſe tantâ neceſſitate (ſi deliris placet,) propter Relativum *ἅτινοι*, compulſum ſentiret, loco ejuſdem non potuiſſet, facilius, gratiúſque Antecedens ipſum *οἱ ἄγγελοι* ſufficere, quàm integrum tmematium in vanum producere. Sed Barjeſuiticæ haræ ingeniis hæc tam craſſa ab eo ſcribuntur; Et ſuem ſui pulcherrimum eſſe, quis vetat?

4. At non ſic effugiemus. *Nam & alii Scriptores ſacri* (ait) *ad eum modum citant Teſtimonia Scripturæ nullâ adacti neceſſitate*, C. R. pag. 82. Vapulabunt igitur, ſi quid mea vota valent; Hieronymo huic *τῷ μωρῷ σόφῳ*, aut, ſi calumnia hæc ſit, ipſe eorum vices luat. Citet igitur, atque prodire nobis jubeat illos Citatores. Facit verò, atque pro Legiſtarum noſtrorum formula, *Vous avez*, exclamat. *Habes Mat.* 12. *ver.* 18, 19, 20 & 21; *ubi nimis apertum eſt, ver.* 19. *tantùm ad propoſitum Euangeliſtæ pertinere, cùm id voluerit probare, cur Chriſtus, nè palàm fieret, interdiceret*, C. R. ibid. Sed nimis aperta, putidáque eſt hæc calumnia, nimíſque doloſa Propoſiti Chriſti curtatio. Volebat enim Chriſtus per omnem Iſraelem eò tectiùs pergere, nè interturbaretur tranſitus ejus ad Gentes denique; Atque hoc conſilium, expoſitum in ver. 18, concluſúmque in ver. 19, per totam eam citationem pertexitur. Proximam autem Dicam inſcribit Petro, cujus propoſitum (docendi Spiritum effuſum eſſe ſupra diſcipulos) contineri ait, Act. 2. ver. 17, & 18, ille tamen tmematia alia tria adjunxit. Certé. Adventus enim Chriſti ſecundus (ſeu ad Judicium Mundi, ſeu ad Excidium Gentis ſuæ; Quæ duo ab Apoſtolis ipſis tum vix ſatìs diſtinguebantur;) in dies ſingulos ab iis (ut alibi indicavi) tum expectabatur, parandúſque erat populus Dei quantocyùs ad Media ſalutis ſuæ, fidem & Invocationem, ídque Petri propoſitum ibi eſt, atque ex illis præmiſſis concluditur. Sed Petrus denuò plectitur ei, propter ver. 25, 26, 27, 28. ibidem ab eo introductos, cùm ver. 27 ſolùm faciat ad propoſitum approbandi, Chriſtum à morte detineri fuiſſe impoſſibile. Verùm, niſi huic Nudè aliquid adfirmare ſit approbare, ad Cauſſæ, Proceſſûs, Effectuum, reſuſcitati Chriſti probationem, apprimè neceſſaria eſt integra ea perioche, quam Petrus appoſuit. Denique & hoc ipſo in Capitulo, ubi propoſitum eſt probare, Chriſtum Angelis præſtantiorem factum eſſe, nihil ad rem pertinere ait illa verba *dilexiſti juſtitiam, & odio habuiſti iniquitatem*; ver. 9. Verùm ſciat Lavernio, & ea verba, & id quod ex iis verbis eo in tmemate infertur, ſed à Barjeſuita, jam ſure manifeſtario, ſurripitur, ſupprimitúrque, *propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ conſortibus tuis*, imprimis pertinere ad depingendam Divinam Excellentiam Chriſti: Ad Barjeſuiticæ autem perfidiæ *συλίτδειαν* ſatìs inpræſentiarum erit tranſpoſitio verborum eorum *ἀυτοφώρῳ* facta, *Diligit enim ipſe iniquitatem, & odio habet juſtitiam.*

SECT. XVI.

1. *Verborum tranſpoſitio.* Πάλιν, *interdum eſt*, Alio vice, & Alio in Loco. Πρωτότοκος *pro Domino. Sic* משל & ראש.
2. *Chriſtus erat Dominus à Conceptu.* Εἰσάγειν, *Verbum Juris. Angelorum obſequia Chriſto præſtita ab initio.*
3. *Chriſti in Orbem 4 Adventus. Patri adſcripſit omnia, ut celaret Divinitatem ſuam, donec paſſus erat.*
4. *Ut Angeli Chriſto in carne ſervierunt. Aoriſtus habet ſenſum Temporis perfectè Præteriti.*
5. Οἰκουμένη *nequit ſignificare* Mundum Futurum, *niſi addatur ἡ μέλλουσα. De Præſente dicitur. Futurum Chriſtus adminiſtrabit per Sanctos ſuos, non, per Angelos.*
6. Mundus Οἰκουμένη *dicitur ſolo reſpectu ad Homines. Adverſativè interdum ponitur. Paulus Senes ſequitur, Qui Secundam perſonam mutârant in Tertiam.*

TAM facilis eſt, & non invenuſta quidem, tranſpoſitio vocabulorum, cùm Apoſtolus dicat, ὅταν ᾖ, πάλιν, εἰσαγάγῃ, Heb. 1. 6. pro πάλιν ᾖ, ὅταν εἰσαγάγῃ. Ut ſemper miratus ſim, inventos eſſe viros eruditos, qui (parùm cogitantes, Quas hâc in parte ſuppetias Barjeſuitis ferant, Cat. Rac. p. 76.) pro violenta Metatheſi iſtud habuerunt, acritérque contenderunt, Adverbium πάλιν referendum eſſe ad Verbum εἰσάγειν, ſumendúmque locum de altera in Mundum introductione Filii Dei. Neque enim exemplo ſacro caret, ubi πάλιν poſt initium ſententiæ apponitur, nec tamen ad iteratiónem ſequentis verbi intenditur, ut, ἢ πάλιν ἡ κεφαλὴ τοῖς ποσὶ, 1 Cor. 12. 21. Sed & in ipſa ſignificatione vocabuli, ratio optima ſe nobis offert, cur noſtro modo nunc accipi oporteat. Licèt enim πάλιν ſimpliciter quidem ſumtum, ſignificet *rurſus, iterum*, hoc eſt, *alterâ vice*, ſolet tamen in Sacris, ſi teſtimonii citati Res agatur, ſignificare, *alio in loco:* Atque indè Euangeliſta, poſt laudata jam verba Prophetæ, ex Eſa. 53. 1. ſubjungit, ὅτι πάλιν εἶπεν Ἡσαΐας, Joan. 12. 39. cùm tamen Teſtimonium illud ex antedictis Prophetæ accerſitum ſit, Eſai. 6, 10. ideóque non *iterum*, aut *ſecundâ vice*, Sed *alio in loco*, dictum id fuiſſe intelligit. Neque in alium ſenſum uſurpatur & 1 Cor. 3. 20. & Heb. 2. 13. & alibi. Præterea ad hanc de primo Chriſti Adventu confirmationem, non exiguum facit & ipſum illud vocabulum, Πρωτότοκον. Merus enim in ſe Hebraiſmus eſt; Atque ut eum κληρονόμον modò indigitârat, ver. 2. vocabulo nullam ſucceſſionis, ſed ſolius Dominii rationem ibi habente, Ità & πρωτότοκον eum nunc appellat, ex ejuſdem Dominii tantùm atque Principatûs, non ex ordinis alicujus, naſcendíve reſpectu: Quo exemplo & vocem משל quam Senes vulgò reddiderunt ἄρχοντα, ἡγεμόνων, βασιλέα· eſt tamen, ubi per πρωτότοκον exponunt, 1 Paral. 26. 6. Similiter & vox, ראש, Quæ plus centies iis eſt, ἀρχηγὸς· ἄρχων· ἡγέμων· vertitur tamen ab iis, πρωτόλοχος, Gen. 25. 25. paríque ratione & ad πλῶ κληρονομίαν quoque ab ipſis inflectitur, Zach. 4. 7.

2. Jam verò, Chriſtum, in prima ſua mundi editione, quamprimum Verbum Caro factum eſt, factum fuiſſe & Dominum, Chriſtúmque, abunde jamdudum monſtratum à nobis eſt. Hujus autem Dominii lemniſcatiſſimum ſignaculum eſſe decernimus edictum iſtud, *& adorent eum omnes Angeli Dei.* Ex optima igitur ratione, ab Interpretibus, Syro, Noſtríſque ab Expoſitoribus etiam (ſiqua fides memoriæ meæ) Græcis atque Latinis non paucis, talis Syntaxis heic adornata eſt, ut in ipſius loci ſenſu

sensu, τὸ πάλιν, satis divisum sit à verbo, εἰσάγων, sic ut Introductio ista Christi, non nisi de primo omnium ejus in Mundum adventu, accipi possit. Siqua verò & in ipso verbo, εἰσαγάγῃ, emphasis attendenda, jam sit, quasi vocabulum Juris illud esse voluerit SSpiritus, etiam & ex, nascente tum Christo, abunde impleta est: Nam in ea nascentis Introductione, plenissimam Dominus Jesus Introductionem, Missionémque in Jus, & Possessionem universi mundi sortitus est. Actutùm igitur & Angelos ipsos videmus strenuè obire, quod ipsis imperatum est, atque in novi Principis sui observantiam certatim obsequia sua præstare, ínque omne genus officia, ad Illius cultum spectantia, promtissimè incumbere. Principalis ille Gabriel, jam nuntius sit ad B. Virginem, Luc. 1. 26. Idem ille (opinor,) qui & Josepho mox ea de re per insomnium satisfacit. Matth. 1. 20. Angelus porrò est, qui natum jam Pastoribus primò annuntiat, Luc. 2. 9. Tota dein Cohors cœlica, quæ Natales eos celebrat, ver. 13. Angelus, qui post Magorum digressionem imperatam Mat. 2. 12. infantem in Ægyptum abducendi Author est, ver. 13, reducem quoque faciendi, ver. 19. & in Galilæam secedendi, ver. 22. Neque pluribus opus est; Quem enim famulorum Christo, in Eremo, in omni vita, in Agonia, in Resurrectione, in Ascensione denique, Angelorum ordines præstiterunt, Christianum neminem latere potest; neminem etiam, ut & malis Angelis imperitârit, eósque sibi, ubi volebat, subditos & dicto suo audientes semper habuerit.

3. Ad aliam igitur, præter primam eam, Introductionem Christi in Orbem, verba ista torquere, vis planè est, non intempestiva solùm, sed & consilii expers. Licèt enim alios ex eo tempore Adventus Christi Ecclesia piè numerat, Unum, cùm Mundus, ex Apostolorum prædicatione, per fidem Christum recepit, Dominúmque suum esse agnovit; Alterum, cùm sub Aquilis Romanis, in furore suo veniísse eum Judæi sensérunt, ad excidium suæ Gentis; Expectemus verò & Tertium denique, cùm in fine Mundi judicatum omnes veniet; Ex ipsa tamen incertitudine, utrum horum trium Apostolum velle dicetur, parùm consultò faciet, quisquis primam illam, centámque introductionem transiliens, alteram poscat, quam nequit decernere. Sed neque veri quidem Nominis introductiones tres istæ habendæ sunt. Clara quidem res est, quòd in primo ejus Adventu Pater ipsum introduxit: Et confirmatur vel ex hoc, quòd ipsi alteram jam introductionem flagitent. Prioris autem in promtu est ratio, Quia Divinitas ipsius, nequâ interturbaretur ἀνωμαλία ejus, celanda tum ab hominibus, Dæmonibúsque erat, (*Nam si cognovissent, non crucifixissent*, 1 Cor. 2. 8.) Omnia igitur Patris nomine, nutúque, Patris omniáque auspiciis, atque imperiis gesta sunt, Omnia denique tam sapienter comparata, Ut verbum Caro factum, Carnem tamen eam pro velo Verbi haberet, moréque humano, Christus, Dominus licèt, non pro Domino tamen, sed pro Pupillo se gereret, Rectè igitur tum, non tam ipse venisse, quàm à Deo introductus esse videretur. Sed in cæteris ejus Adventibus aliter longè se res habuit, aliter & habitura est. Ex quo enim in Cœlos hinc abiit, Potestatem omnem, quam ipse, ut Deus, ex Deo habet, ità jam exeruit semper, exerétque, Ut omni Mundo jam manifestum sit, è suómet ipsum Arbitrio, próque Divino suo beneplacito, Hominem Deum, per se, aut per suos, pro libitu suo, agere, jubere, accedere, judicare, administrare, perimplere omnia.

4. Ingenuè igitur nobiscum agant, & reliquorum Adventuum utrum velint, speciatim designent. An illum, per quem Christus in corda Mortalium, ex Euangelii promulgatione, sese penetravit? At & ex Angelorum quoque parte ut hoc applicent, oportet, monstréntque nobis, Quodnam Mandatum Divinis illis Spiritibus de novo tum exiit, Quam & illi adorationem, aut tum præcipuè præstiterunt, aut præstare jussi sint, quam non antè præstiterant. Nisi Angelos Apocalypticos intelligere se nunc dicent, Apostolos atque eorum Successores Episcopos, sanctissimos quidem illos cultores Christi, & perennis servos ejus: Verùm hoc non stabit cum scopo ipsius Capituli, Quod ad Excellentiam Christi supra omnes illos cœli Angelos, è Testimoniis V. Test. commonstrandam instituitur. Multò minùs parebit hoc in Adventu Domini ad Excidium Judæorum. Quanquam enim per malorum Angelorum immissiones, Psal. 78. 50, Proditricem Gentem tum misere contriverit, Nihil tamen hoc ad Myriadas illas Angelorum Dei, quibus omnibus imperatum ex ista nunc lege est, ut Christo suo inserviant. Minimè omnium, ad Extremum illum, atque Judiciarium Adventum Domini poterunt hoc applicare. Repugnat enim (si nihil aliud esset) ipsum tempus Verbi, quo usum esse Apostolum, quàm nollem, Interpretes non observando confirmare Catechistæ suam fraudem, quam ex eadem illatione adornat, C. R. pag. 76. Nam, *cùm introduxit*, Latini vulgaris est; & Nostrorum, ex eo, *when he bringeth in*. Atqui in Textu, non est, ὅταν εἰσάγῃ, nedum (quod ad sensum ipsorum opus est, de re tam longè pòst futura,) est, ὅταν εἰσάξῃ· sed est, ὅταν εἰσαγάγῃ. Atque illud rei vel tum præteritæ significationem habere necesse est, *Quando introduxit*, vel, *introduxerat*. *when he brought in*, vel, *had brought in*. uti jam sæpe admonitum à me est de genuina significatione illius Aoristi.

5. Verùm ut porrò pergamus. Quòd indè sibi satisfacere nonnulli velint, Quia ultimus Adventus Domini futurus est cum ingenti gloria & Majestate, stipantibus eum omnibus Angelis sanctis, Matth. 25. 31, non parùm hac in parte, verissima sit licèt, erratur ab iis. Præstabunt enim Divinæ illæ virtutes Obsequium istud Christo Domino, non ex tum calente, aut recente aliquo jussu Dei, quo de Textus iste nunc agit, sed ex eodem Edicto ex antiquo lato, atque τῇ οἰκουμένῃ Christi coævo. Quantò minùs sequetur Argumentum aliorum, à Vocabulo οἰκουμένης petitum, si eo Apostolus paulò pòst, de seculo illo futuro (fortassean) usus fuerit? οὐ γὰρ Ἀγγέλοις ὑπέταξε τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, περὶ ἧς λαλοῦμεν, Heb. 2. 5. Ex isto enim Testimonio, malè saburratum hoc dogma eorum vel maximè subruitur. Præter enim, Quòd Angelos, quos Christus in aerem, de cœlo ad Judicium descendens (quia Solus tum, aut sine Gloriæ suæ Ministris apparere nè vult) secum adducet; non videatur tamen retenturus in ista Clientela, (non enim de nihilo ait, οὐ γὰρ Ἀγγέλοις.) Sed amandaturus eos in Cœlum denuò, quamprimum ipsum in throno suo collocaverint, Matth. 19. 28. atque Electos ad ipsum in nubes congregaverint, 1 Thess. 4. 17. sanctorum suorum operâ dein (ut alibi edisserui,) solùm usurus in Orbis universi Administratione; vel id respondeant, obtestor, Quorsum Apostolus, οἰκουμένην, ibi jam denuò nominans, pro Epitheto adjungat ei, τὴν μέλλουσαν, nisi Specificationis ergò? ut vel indè cognoscamus, τὴν οἰκουμένην, absolutè, & sine tali additamento positam, non posse sic accipi, ut ipsi jam imaginantur. *At*, inquiunt, περὶ ἧς λαλοῦμεν, *dicit; De Mundo autem nusquam antea locutus in hac Epistola est, nisi hoc ipso in loco.* Ità quidem & Catechista C. R. pag. 76. in rem suam instituit argumentum; sed malè colligitur ab hiis. Neque enim de quo anteà dixerat, intelligi se nunc volebat Apostolus, sed de quo jam tum loquebatur; non dicit ergò, περὶ ἧς λελαλήκαμεν, ut Joh. 16. 1, aut, ἐλαλήσαμεν. ut 2 Cor. 7. 14, aut, ἐλαλοῦμεν, quidem, ut Act. 16. 13. Sed in Præsenti, περὶ ἧς λαλοῦμεν, quod distinctionis solius gratiâ adponi manifestum est, ut etiam jam, οἰκουμένην, se dicere intelligatur, quam priùs dixerat.

6. De primo igitur Domini Adventu, atque in Carnem, hunc locum exponi oportere, abunde jam paret; Neque alia (opinor) de Caussa, dicere noluit, οἷς ὁ κόσμος, (Quod tamen hac ipsa in re ab ipso pòst dicitur, Heb. 10. 5.) Sed, οἷς τὴν οἰκουμένην· dixit, quàm ad specialem denotationem conversationis Christi cum Hominibus jam futuræ; οἰκουμένη enim propriè *Orbem* ab humano genere *habitatum* denotat. Particulâ autem, non

Copulativâ

Copulativâ, καὶ ὅταν, ſed Adverſativâ, ὅταν δὲ, quòd uſus jam fuerit, (quanquam & illud quoque, rem tam exiguam, magni Interpretes negligendum duxerunt,) me quidem æſtimatore, in hoc argumento parvi pendendum non eſt. Nam, Qui capituli totius ſcopus eſt, ad Excellentiæ Chriſti præ omnibus Angelis deſcriptionem, Diſparatio iſta (illo quidem, atque illo modo, Deum de Chriſto, & ad Chriſtum ſuum locutum fuiſſe, de Angelis verò non niſi iſto,) non exigui ponderis allegatio eſt. Eò autem plus momenti in ſe jam habet, quòd Apoſtolus (mentis Divinæ irrefragabilis Interpres jam à Chriſto factus) Senum ſententiam ſequi maluerit, atque Perſonam ipſam immutare, in uſum ſuum. A Davide enim Præceptum iſtud in Secunda Perſona profertur, *Incurvate vos ei*, Pſal. 97. 6. quaſi Deus Angelos ſuos (quod iis honorificentiæ plenum eſt,) comiter compellaverit, atque officia hæc erga Filium ſuum ipſe iis præſcripſerit: Sed, Παρενωπίτως, in tertia Perſona jam Senum, Paulíque interpretatio eſt, quaſi Deo, Chriſti ſui deliciis ità jam abrepto, colloquiis ſic occupato, ut Angelos ipſos adfari haud lubeat, vacétve, ſed ſervorum exemplo, eos heri ſui conciſo ſolo Edicto contentos eſſe oporteat, *Omnes eum adorent.* Cur verò David Idolorum Cultoribus jam oppoſuerit כל־אלהים Qui, Ἄγγελοι Θεοῦ, heic redduntur; Quanta etiam alluſio, atque alliteratio in Pſalmo eo ſit inter eos, & מתהללים באלילים non eſt hujus Diſquiſitionis. Verto verò locum, But then again, when he had brought the firſt born.

Sect. XVII.

1. *Barjeſuitæ velitatio cum Jeſuita De Cultu Sanctorum.*
2. *Chriſtum habent, alium ab Orbe toto Chriſtiano. Ut Eum ſinant eſſe Deum.*
3. *SScripturæ, præcipientes cultum Chriſti, probant ejus Deitatem. Perſona in Divinis.*
4. *Nullus Cultus inter Chriſtianos, niſi imperatus. Sanctorum nuſquam præcipitur.*
5. *Sanctos in cœlis intercedere pro nobis, neſciant licet, quæ heic gerantur, neque preces audiant.*
6. *Paulus poſcentem, Ut pro eo orarent, poterant & illi poſcere, Ut Ille pro iis. Sed Nos nunc non poſſumus;*
7. *Neque Jure Naturali, Quia efficere nequimus, ut audiant; neque Divino, Quia nuſquam ſcribitur.*
8. *Theologis indigna eſt Quæſtio,* Cur non? *Vivos rogare, ut orent pro Aliis, eſt ut monere eos Officii ſui.*
9. *Sancti in Cœlis, non rogati, monitive, ſemper præſtant quod Suum eſt. Nec Cœlos, nec Angelos precamur, ut expleant Officia ſua.*

OCcurrunt, κατὰ ζυγκυείαν, pugnaciſſima duo Capita, Racovianus Catechiſta, & Jeſuita, nec fine aliquot arbitris ex utraque hæreſi. Spectaculum non inficetum videbatur, Partium duarum, Primo ſtatim intuitu invicem incaleſcentium. Barjeſuita verò, (Genus enim eſſe dicuntur, propter Artis ſuæ, verbum Dei viáſque Domini callidè diſtorquendi, fiduciam, inſanùm magiſteriale;) fine mora involat in Pontificium, eúmque, ut Legis Divinæ violatorem, increpat. Jeſuita contrà, neque fronte cuiquam, neque linguâ cedere doctus, ſummo cum faſtidio incurſantem repellit, eúmque Divinæ majeſtatis violatorem execratur. Sed Catechiſtæ, quia Actorem primus ſe fecerat, primæ probationis partes incumbere omnibus viſæ ſunt, jubetúrque ille inſtare, Quid agi Romæ objiciat in fraudem legis Dei. Peccant enim publicè (ait) in Præceptum illud Primum, *Non habebis Deos alienos coram me.* Habent enim alios præter Deum, quos Divino cultu atq; honore proſequuntur, Virginémq; Mariam, & alios Sanctos, ut Divinam poteſtatem habentes, adorant, invocántque, C. R. pag. 152. Hæc ſumma Objectionis erat. Reponit actutùm Jeſuita, Per ſummam calumniam hæc ſingula dici; *Nequaquam* enim *Præceptum illud Dei immutari* ab iis, *cùm omnis, qui* B. Virgini, Sanctíſque *exhibetur Cultus, in Dei gloriam redundet.* Tantummodo *ratio ipſius, & modus nonnihil immutatus eſt. Etenim ſub Lege, ante Chriſtum, immediatè tantùm, ſed* jam *ſub Chriſto, etiam mediatè Deus colitur. Præterea cùm ea lex velit, Ne Deos alienos habeamus,* B. Virgo verò, Sanctíque *non ſint Dii alieni, Sed in eo ipſo cultu, qui illis exhibetur, ſint Deo ipſi ſubordinati, Apparet,* Legem Dei *nullo modo mutari; Cùm Subordinata non pugnare, notiſſimum ſit,* Inſurgentem denuò Catechiſtam ad hæc, atque plurima contra hanc Defenſionem Jeſuitæ, habere ſe dicentem, non tulit Ille, ſed Dei, Hominúmque fidem inclamans, Dicat primùm Barjeſuita (ait) de tota argumentatione mea, An recta, veráque eſt! An ſecus! Rectam eſſe ſi largiatur, Habemus, quod volumus; Quid opu'ſt alio Reſponſo! Vicimus cauſſam, Et Ille calumniatur. Si neget rectam eſſe, Recta tamen erit vel illius ſummis ingratiis, ſuóque miſer indicio ſorex peribit. Ipſiſſima enim hæc Media ſunt, ipſiſſima ſunt verba Catechiſtæ, C.R. pag. 150. Quibus ille probatum iit, teneri ſe Chriſtum illum ſuum pro Deo agnoſcere, eúmque cultu Divino proſequi.

2. Infremuit jam non nemo, (Convitium hoc eſſe, & non tam Parti ſuæ, quam Chriſto Domino fieri, Quem ille, non ſine Scommate, appellârit Chriſtum illum ſuum.) Sed Jeſuita, Scomma nullum eſt; Neceſſaria increpatio eſt, omníque convitio caret. Neque enim vos eundem Chriſtum cum Orbe Chriſtiano, ſed Alium, veſtrúmque, colitis, Alium longè ab eo, quem Eccleſia Catholica indè à principio profeſſa eſt. Per charientiſmum quidem vos pro vero Deo agnoſcere dicitis Chriſtum veſtrum; Sed re tamen verâ veri nominis Deum eum eſſe abnegatis, Divinam enim ei naturam præciditis, Cat.R.p.126. Deúmque non Deum eſſe cogitis. *Imaginem* igitur *Dei inviſibilis*, uti à Paulo definitur, Col.1.15. eſſe non finitis aliter, quàm ut indè concludatis eum, ipſum Deum non eſſe, Quia Imago ejus tantummodo eſt, C. R. p. 109. Neque, *Characterem* etiam ὑποστάσεως αὐτῦ, Heb.1.3. quàm ut, ὑποίαν, pro promiſſo ſumere liceat, atque ità obtorto collo pertrahere, χαρακτῆρα, ad rerum à Deo promiſſarum, Per Chriſtum exhibitionem, Cat. Rac. pag.110. Ibi igitur revera eſtis, ut Chriſtum Deum revera non habeatis, Quem licèt verbis, (verbis enim veſtris adfari vos licet, Cat.Rac. p.151.) negare non audeatis, reipſa negetis tamen: Id enim obſtinatè agitis, ut Chriſtus veſter Deus non ſit aliter, quàm quatenus ſublimi quâdam Majeſtate, rerúmque omnium poteſtate donatum eum eſſe vultis, ídque nonniſi poſt reſurrectionem ejus à morte, Cat.Rac.p.225. (Neophytum ergò Deum, & ipſo Arianorum Chriſto infinitis Paraſangis inferiorem;) Sed ob illas tamen magnificas dotes (concurrente permiſſu veſtro,) & non propter eſſentiam ſuam, verámque Divinitatem, adorandum eum jam, colendúmque eſſe. Ex hujuſmodi autem reſpectibus, cùm & Nos B. Virginem, & Sanctos Cœlicolas Chriſti aſſeclas, juſtè coli atque adorari contendamus, vos jam, Noſtris ad hoc argumentis, cultum Chriſti veſtri (Creaturæ quidem in ſe, licèt omnium ſublimiſſimæ tandem factæ, Deíq; Titulo inſignitæ, ſed Creaturæ tamen,) defendere coacti, cultum tamen noſtrum tam impudenter arietatis? Additurus fortean veſter Athleta erat aliud argumentum De cultu Chriſti in SScripturis imperato, Cat. Rac. p. 147. Sed quorſum hoc, ſiquid per ſe valeant rationes illæ, (quas alibi urget) à Cultu Mediato, atque à Subordinatione ductæ? Si non valeant, quanta cum fraude ibi adductæ ſunt? Concedi autem vobis eas nunquam patiemur, & nobis negari; nunquam prodeſſe vobis, atque nobis eripi.

3. Ad alia porgentem interturbat pars oppoſita, gravatiſſimè ferens, potuiſſe hæc dici, & non potuiſſe refelli: Ad Hominem enim argumentum erat ſatis ineluctabile! Quoniam verò deerat qui partibus præſideret, atque Autoritate ſuâ Moderatoriâ altercantes in ordinem redactos, continere ſe intra Regulas Diſputandi cogeret, omnia actutùm dilapſa ſunt in clamorem, & tumultum.

multum. Secessum igitur ex abrupto est. Optandum verò fuisset neutri intercluſam occaſionem fuiſſe, plura pro placito in hiis addendi. Non Catechiſtæ igitur; ſed ut ad loca SScripturæ Divinam adorationem Chriſto deberi docentia, progredi eum alter ſiviſſet. Ex illis enim omnibus (Quæ multa eſſe ipſe non diſſimulat, C. R. p. 146.) retorqueri optimè potuiſſet, quod ille contra Divinam in Chriſto Naturam impuro ore intorſerat. Nullo enim alio conſilio argumentari ipſe poteſt, præcipi in SScripturis Divinus ut Honor exhibeatur Chriſto; niſi quòd ſine præcepto, cuiquam Divinam Naturam non habenti (quod ille de Chriſto ſupponit,) honorem Divinum exhiberi licitè non poſſe, ſupponeret. Per me igitur, nunquam non habeat hoc, quod poſtulat. Æquiſſima enim res eſt, atque æterno eo fundamento nititur, Quod Deus ipſe jam olim noluit non annunciare, tum cùm de Chriſto ſuo populum diſertè præmonuit, *Ego Jehova: Hoc Nomen meum: Et gloriam meam alteri non dabo*, Eſai. 42. 8. Sequitur igitur nunc irrefragabiliter, Chriſtum Dei Filium, (cui non ſolùm gloriam ſuam Deus expreſſè dedit, præcepítque, *ut omnes honorent Filium, ſicut honorant Patrem*, Joh. 5. 25. verùm etiam admonuit Fideles, officii ſui eſſe, *In gloriam Dei Patris, confiteri, quòd Jeſus Chriſtus eſt Dominus*, Phil. 2. 11.) ipſum verè eſſe Jehovam; Hoc & ejus Nomen eſſe; Alterum igitur Naturâ à Patre non eſſe eum, eſſe non poſſe; Licèt propter Naturalem illam χάριν, Quæ Patris, Filiíque inter Se ſemper eſt, (Nos autem Perſonas nuncupamus;) eatenus quidem diverſificentur, Perſonæque, Prima, & Secunda, vulgò appellitentur.

4. Ecquid verò repoſiturus ille erat ad elenchum Jeſuitæ, Quóve Sophiſmate ſperabat evincere, Media eadem, quibus ipſe uſus in loco fuerat pro adoratione Chriſti ſui, nihil illis, à quibus ſurripuerat, profutura, pro adoratione Matris Chriſti, incertum nunc eſt. Eſt quidem, ubi ille Romanam Eccleſiam nequaquam excuſari in ea parte poſſe ſtatuat, licèt eo nomine id faciant, ut Deo ipſi cultum exhibeant, C. R. p. 152. Et ratione utitur ad ſententiæ ſuæ confirmationem apprimè bonâ: Quia in cultu Divino, non ſatis eſt opinione, quantumvis ſpecioſâ, niti; Sed & veritate quoque ipſâ opus eſt. Salva igitur Pontificiis hæc res eſſe nequit, niſi teſtimonium aliquod SScripturæ proferant, per quod probabitur, tum licere hominibus, tum expedire, Parentem Chriſti non modò μακαρίζειν, ut Luc. 1. 48. Sed & προσκυνεῖν etiam per cultum & Invocationem. Similis quoque probatio incumbit, (Sanctos in cœlis opem ſuam poſcendos eſſe,) bonâque ſe fide credere, utcunque in prima promulgatione Euangelii, Petrus ipſe non excepit B. Virginem, cùm aſſeruit, *Nomen nullum aliud, præter Chriſtum, ſub cœlo datum ad hoc eſſe in hominibus*, Act. 4. 12. In cœlo tamen nunc innumera Sanctorum nomina dari, Quorum merita, atque interceſſiones, (Petri Succeſſore ità jubente) neceſſariò requirunt ad Salutem hominibus conciliandam.

5. Specioſa quidem ea, piáque ſatis (ſiquid ego rectè judico) opinio eſt, Cœlicolas Omnes Deum dies noctéſque interpellare, in gratiam Catholicæ ſuæ Eccleſiæ, cujus & ipſi Pars maxima, atque palmaria ſunt. Veruntamen ob hoc, (Quòd, neque quo ordine, modóve, ab iis iſtud fiat, neque quibus in terminis conſiſtat, Deus cuiquam unquam revelârit;) invocandos, adorandóſque à Fidelibus Sanctos eſſe, Qui dixerint, probent primùm oportet, (ex illis fide dignis pagellis) non iſtam ſolùm adſertionem, ſed & alteram ei præviam, Scire Sanctos illos Superos, quæ in terris geruntur omnia, & Quid cuique heic maximè conveniat, precéſque & vota Supplicantium extemplò audire. Quod Pſalmiſta tamen Deo ſoli reſervaſſe videtur, *Tu audis Orationem: Ad te omnis caro veniet,*) Pſal. 65. 2. Nè abeamus nunc ad difficiliores eorum nugas hoc ipſo in argumento, Cuique in Eccleſia liberum eſſe, delectum ſuum facere, & quem ſibi volet, ex eo numero Patronum aut adſciſcere, aut certè abdicare; Et quæ in Orbe noſtro per ſtudia partium inſanis modis geruntur, eorundem viam in religione ſua terere, cœlôque inferre; Sanctas denique illas animas ſecularibus obſequiis, procantium planè ritu, (Ædibus, Altaribus, Anathematibus, Peregrinationibus, Thure, Votis, Titulis, Veſtibus, Cereis, aliis Munuſculis,) deliniri, pellicíque oportere; Cum reliquis feſtivæ illius Eccleſiæ crepundiis.

6. Nam quod ab ipſorum Hyperaſpiſtis (Et unicum revera argumentum eſt quod hac in Cauſſa habent, rationis aliquam ſpeciem præ ſe ferens; Ipſi autem validiſſimum eſſe ſtolidè crepant;) vel centies ferè urgeri memini, Divorum Suorum invocationes non minùs licitas eſſe, quàm ſunt Fidelium in terris inter Se pro Se mutua interceſſio, atque oratio, toties à Paulo in Epiſtolis expetita: tam inſignis hæc fallacia eſt, ut non alio, ſi animum advertamus, reſponſo opus ſit ad Cauſſam eorum ſubruendam, ipſóſque jugulandos ſuo gladio. Sic enim procedimus; Negamus iis, Licitum eſſe Fidelibus in terra orationes pro Se mutuùm poſtulare. Mirè igitur triumphant, atque Pauli loca, hoc ipſum expoſcentis ſibi, (Præter alia plurima, in quibus ipſe orationes ſuas pro aliis non tacet;) numerant, Rom. 15. 30. Eph. 6. 18. Col. 4. 3. 1 Theſſ. 5. 25. 2 Theſſ. 3. 1. Hebr. 13. 18. Philem. 22. Jam quid nos? Cedimus igitur actutùm, atque hanc veniam precati, ſolóque Pauli nomine victos nos faſſi, Sanctè pollicemur, de cætero nunquam non adſenſuros, licitam rem, piíſque omnibus digniſſimam eſſe, ut mutua officia, Sancti in terris, mutua Suffragia, Preces, Opem Sanctam poſtulent; cùm tam manifeſtâ Authoritate, praxíque Apoſtoli nitatur. Adſumant igitur jam Pontificii ex hac conceſſione noſtra, Quid indè inferunt? Si Paulus (inquiunt) implorat pro ſe Orationes Fidelium ad Deum, licet & Fidelibus, viciſſim atque ſimiliter, implorare Orationes Pauli pro ipſis. Scilicet; Procul omni dubio licet: Concedimus & hoc quoque, Sed detonſâ tamen, antequam procedimus, fallaciâ, quam à Tempore ipſo machinantur; Paulus enim hodiéque non implorat, ſed olim, cùm in vivis erat, implorabat viventium Orationes; vicéque verſâ, & tunc Fidelibus licebat, Pauli tum viventis orationes pro ipſis poſtulare.

7. Excandeſcunt verò ad hæc, atque iſtam temporum diſcriminationem nullo modo ferunt. Nam ſi Pauli in hac mortali carne viventis orationes poterant poſtulare, multò magis poterunt & mortalitate hâc jam exuti, atque regnantis cum Chriſto, clamitant. Sed nos uſque reclamamus, atque iſtud jam iis ſtrenuè pernegamus. Illud enim poſſumus, quod jure poſſumus: At Pauli jam in cœlis Orationes nullo jure poſtulare poſſumus: Non jure Naturali; quia efficere nullo modo poſſumus, ut nos Paulus audiat. Ridiculum enim eſt illud Poetæ,

——*Venti Divûm referatis ad aures.*

Non jure Divino; quia Paulum, cujus Authoritate ſtatim coegerunt nos concedere licitum eſſe viventibus Mutuas Orationes poſtulare: neque feciſſe hoc commonſtrant, neque fieri præcepiſſe. Hoc igitur jam quod poſtulemus ab iis, cùm Juris Divini nunc Quæſtio ſit, injuriam iis nullam poſtulando facimus: Enim verò mirè morigeros haberi nos volumus, qui ſic obſecundemus, & ipſos ſequamur. Annon hanc ipſi methodum nobis jam præſcripſerunt, Qui negantibus juſtè poſtulari viventium ſuffragia, non aliter extorquendum à nobis adſenſum monſtrârunt, quàm à frequente, quod protulerunt, exemplo Pauli? Proferant igitur jam denuò aut Paulinam, aut aliam aliquam è ſacro Textu Authoritatem, Siquid, in Cauſſa jam longè perplexiore, extorquere nobis ſperent; Eapropter jam magis obniti edoctis, Quia tam paratos priùs Pauli Productores, in luto hærere jam perſentimus

atque Paulum nullum in promtu habere, quem proferre possint.

8. Satisfacit autem hoc abunde Sophisticæ illi, atque Theologis verè indignæ, eorum, qui acutissimi in iis visi sunt, Scisscitationi, (Si Orationes in terris viventium, cur non & in cœlo Regnantium?) Responsio hæc ad hominem plenissima est, Quia vel de viventibus quidem dictum, confirmari debere ab exemplo Pauli, ipsi sponte suâ censuerunt. Sîccine verò argumentari, dicam? an certè cauponari Theologiam, edocti sunt, cùm confirmare se posse sciunt, ad ravim id facere, Cùm non possunt, interrogare, Cur non? Quin confirment nobis etiam & de in Cœlo agentibus, vel è Paulo, vel è Pauli Collegis: Ni fa:int, Interrogatores ipsi primùm dicant, Cur non, suis jam ipsorum legibus destituti, naso suspendentur à nobis ob rem tam gratis dictam? Cur non, tam captiosi vitilitigatores, ire foras jubebuntur cum suis Quæstiunculis? Neque tamen ista nunc oggerimus, nisi quòd Davidicæ gloriæ apicem esse meminerimus, Hosti, quem Lapillo straverat, etiam gladium Suum eripere, eóque Solo cervices Goliæ demetere. Nam & Ratione quàm optimâ hac in re Nos non destituimur. Etenim quòd Fidelium in terris suffragia à Fidelibus postulentur, Postulatio ista omnis, est etiam Sancta Monitio. Homines enim sunt, qui postulant, & qui postulantur, Fideles utcunque, sanctique: Et Humanum est, (etiam sanctorum,) Errare interdum, decipi, oblivisci, ab officio abesse, deficere in necessariis, tepere sæpe, interdum & torpere. Nulli itaque injuriæ, aut contumeliæ, sed Beneficio potiùs est, beneficium ab iis postulando, veternum etiam excutere, atque ciere eos ad officium: Orando, ut Orent pro nobis, commonefacere eos, Pro se, pro nobis, pro omnibus semper orandum esse: Charitatis eorum strictura aliquas exposcendo nobis, Divinissimas virtutis illius flammas in ipsis excitare, atque adaugere.

9. Aliter autem se res longè habet in Choro Cœlesti. Monitione nullâ nostrâ illi indigent, nullâ excitatione. Silentibus quantumcunque mortalibus, aut despectui quidem habentibus, illi tamen tam miselli non sunt, ut nostro vitio, quod suum est, perpetim non agant, Non possunt enim non agere, quia non possunt delinquere. Quantum igitur licere sciunt, atque expedire, non rogati, non minùs, quam rogati, ipsi pro nobis ultrò intercedunt apud Dominum; Ab officiis omne genus Divinis (præcipuè Charitatis, quæ iis in Regionibus æternùm viret;) nunquam absunt, quicquid à nobis agatur, aut non, nunquam intermittunt, neque cessante celeusmate nostro, Cessatores illi fiunt. Nam quod de animalibus illis cœlicis dicitur, ἀνάπαυσιν οὐκ ἔχουσι, Apoc. 4. 8. etiam ad eos pertinet, Καὶ λατρεύουσι Θεῷ, ἡμέρας καὶ νυκτὸς, ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ, Apoc. 7. 15. Haut magis igitur solicitandi à nobis in opem nostram Illi sunt, quàm aut Diem precamur, ut redeat, Solem, ut influat, Lunam, stellásque, ut noctibus præsint, Aut quàm Intelligentias rogamus, ut Orbes, quibus præsident, informare, atque movere nè desinant, Aut quàm Angelis denique supplicamus, ut faciant, quod nunquam non faciunt, ad ministeria Sanctorum prodeant, Heb. 1. 14. éque jussu Divino custodiam nostri capescant, & salutem nostram in terris communiant. In Caussa igitur Sanctorum apud Deum agentium, nullæ partes nostræ sunt, nisi ut Gratiam eorum strenuè imitantes, gratiásque Deo pro iis quotidie agentes, eorum quidem memoriam piâ semper mente fideliter celebremus, sed Christum solum, Regem Sanctorum, Apoc. 15. 3. adoremus & invocemus.

SECT. XVIII.

1. *Pro Creatura Cultu, quem negat Jesuitis, Quid ipse Barjesuita.*
2. *Quæ Gloria Creaturis concessa est. Divini Cultûs nulla. Christo debetur ex Unitate Naturæ. Electi, ut sint* Unum.
3. *Christo nihil Divinum tribuunt nisi post Resurrectionem. Deus & Homo quî possint Unum esse.*
4. *Unus est minus quid, quàm Gloria. Idola omnia Deus minùs æstimat, quam è Servis suis Unum.*

SEctionem antegressam jam vix absolveram, cùm planè perspiciam, adsumento opus esse. Incido enim in locum ejusdem Catechistæ, qui ad Textum eum Prophetæ, quem Paragr. 3. allegavimus, *Gloriam meam alteri non dabo*, Esa. 42. 8. ex professo Sic respondet; "*Satis apparet, quid sibi velit illa particula*, Alteri; "*Etenim illico ea consequuntur*, Neque honorem meum "Sculptilibus. *De his itaque eo loco Deus loquitur*, "*Qui cum eo communionem nullam habent, Et quibus*, "*si gloria, & honor aliquis tribueretur, in eum non re-*"*dundaret. Verùm nequaquam dicit, Se cum eo non com-*"*municaturum gloriam suam, qui ex eo pendeat, & qui*"*sit ei subordinatus. Hâc ratione enim nihil decedit*"*ipsius gloriæ, cùm universa in eum referatur. Etenim*"*cùm Dominus Jesus à Deo pendeat, & ei subordi-*"*natus sit, quicquid honoris ei exhibetur, id totum in*"*ipsum Deum redundat.* Hæc ille, C. R. p. 122. O si Jesuita igitur nunc denuò adesset, atque ea, quæ ipse priùs ex isto strenuè ursit, pro cultu Sanctorum, nunc persentiret, cramben sòlummodo fuisse, à Barjesuita ibi repetitam ex isto Loco, Sed tamen Seipsum, qui de Sanctorum Cultu Jesuitam damnârat, miserè enecantem! Prohiberi autem jam nullo jure potest, quin & locus iste in Jesuitæ (absentis nunc utcunque) gratiam accommodetur adversùs hostem suum, útque illatio à Catechista heic instituta, (Argumentum enim ad Hominem est, ut ut in se nè hilum valeat:) ad Pontificiorum Caussam confirmandam non minùs conformetur. Sic igitur legatur, "*Ne-*"*quaquam dicit Deus, se cum iis non communicaturum*"*gloriam suam, Qui ex eo pendeant, & qui sint ei subordi-*"*nati. Hâc ratione enim nihil decedit ipsius gloriæ, Cùm*"*universa in eum referatur. Etenim cùm B. Virgo,*"*Sanctique in Cœlis à Deo pendeant, & ei Subordinati*"*sint, quicquid honoris iis exhibetur, id totum in ipsum*"*Deum redundat.* Quo jure igitur, Qui istam Consequentiam sibi nunc pro cultu Christi Sui (vero enim Christo Divinus Cultus ex alio longè capite debetur;) concedi postulat, eandem tamen Pontificiis pro Sanctorum Cultu detrahat, abnegétque, Aut quâ fronte, nisi insanùm perfrictâ, & verè perditâ, in eorum ἀρησκείαν involare possit, cùm & ipsum redarguat culpa eorum, eandem prorsus cum ipso hanc Defensionem habentium; ipse Catechista (reus jam bis habitus in hoc genere,) per me videat, & responsionem suam, ubi satis excoctam sibi esse confidat, iis adponi jubeat.

2. Nos interea, Quod de Cultu propter Dependentiam, déque Divino Honore aliis per Subordinativum Jus communicando, aut Deum per Redundantiam etiam adorando, jam satis priùs dictum est, non repetimus. Sunt quidem in Creaturis suis, quas Deus multiplici gloriâ vestivit: Sua est ipsi Cœlo, Astrisque; Sua etiam sub Cœlo, Regibus, atq; Principibus gloria; Estq; ea omnis de Deo ipso deflua, propter Deũ debita, sub Deo ordinata, & in Deum redundans. Sed non est ea ista gloria; Nusquam paret, Esse eam Divinæ Adorationis, & Invocationis. Soli sibi hanc Deus æternùm reservat, atq; Alteri nemini dabit; Hoc est, Nusquam jussit dari; non patietur dari; Siquis cuiquam, præterquam Deo, quocunque prætextu, dederit, rapinæ reus erit, atque Severâ ultione plectetur. Messiæ tamen Suo cùm & hanc dedisse eum sciamus, daríque ab omnibus, etiam ab Angelis universis, Heb. 1. 6. præceperit, reluctentur Barjesuitæ, rumpantur ut ilia, erit Messias & ipse Jehova, non Alter à Deo, Sed ejusdem Dei Altera tantum Persona; *Ille* enim & *Pater unum sunt*, Jo. 10. 30. una eadémque est utriusque Natura, utriusque Essentia; licèt cum ea inter se Distinctione, ut unus non sint, sed Personæ duæ. Neque

Neque quicquam huic Testimonio officit, quod ab illis, per Summum cavillum, opponitur, Cat.Rac. p.102. Dixit quidem Christus ibidem, *Pater qui dedit oves Mihi, Major omnibus est; & nemo potest rapere eas è Manu Patris Mei.* Sed de Raptoribus solùm, & non de Se ipso intelligendus est, universis illis Patrem majorem esse, Rapere igitur in eorum potestate non esse; Oves autem sic datas ei esse, ut in Patris quoque manu adhuc sint, sic ut sua, Patrísque manus una sit, Hoc est, Potestas atque Providentia Divina in utroque sit eadem; Quæ quidem unitatis in iis maxima est probatio. Dixit etiam alibi Christus, *Serva illos in nomine tuo, ut Illi sint Unum, quemadmodum & Nos*, Jo.17.11. Electi enim, Personis quantumcunque distincti, habent & suam quoque inter Se Unitatem; Non Naturæ solùm dico, quâ Homines sunt, ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων, Act.17.26. Sed & quâ Electi sunt, Specialem aliam, id est, Spiritualem, & Gratiæ; Πάντων ἡ καρδία, καὶ ἡ ψυχὴ μία, Act.4.32. Unum corpus enim sunt in Christo, Rom.12.3. ἓν σῶμα, καὶ πνεῦμα, Eph. 4.4. déque hac Unitate eorum Christus ibidem Se exponit, *Ut & ipsi in Nobis Unum sint*, Jo.17.21. eo enim pacto fierent, τετελειωμένοι εἰς ἕν, ver.23.

3. Improba autem distortio est, solóq; eo digna, qui Solens Suo More, dictum hoc Christi, *Unum sumus*, ità pervertit, Ut, *De Voluntate aut de Potentia in Salutis nostræ ratione accipi debere*, statuat. *Debere*, verò, ὦ δαιμόνιε! Quo de jure, obtestor? Quiáne Tu nunc jubes? Satìs pro imperio. Non Sic acceperunt Antecessores illi tui, quos Christus adfatus est, *Lapides enim sustulerunt ut lapidarent eum*, ver.31. Quem (si id volebat,) tam paratum in salutem hominum, plausu potiùs in cœlum evehere debuerant. An jure optimo sic accipi debuisse dices, Quia ità Pater ei dederat? Ain' vero? Patrem cùm Oves ei jam antè in manus daret, dedisse & eam potentiam? Ergò, jam si habebat, cùm ista diceret, Mensium non paucorum (nequid amplìùs dicam) Spatio, (ut optimè colligitur, ex aliquot pòst itineribus ejus, Joan.10.40. & 11.54. & 12.1.) antequam in Crucem actus est, Cur toties jam ex te audimus, próque fundamento tibi positum est, De Christo tuo salutis Authore facto, déque Potestate, & cæteris donis à Patre in eum collatis, non nisi post resurrectionem ejus? Cat.Rac. pag.80. & 127. & 225. Quin moneris eum igitur, ut temporis, Suíque meliùs meminens, dicat, *Ego & Pater Unum Erimus*: De cujus veriloquentia tam piè cautos vos Barjesuitas esse audimus, ut cùm ad Latronem in Cruce respondisse legatur, *Amen, dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso*, Luc.23.43. per Horas verò Quadraginta (plùs minùs) ante Resurrectionem illud *Hodie*, dictum fuerit, Authores Lectoribus fueritis Sapiendi, atque aliter interpungendi ea verba, Christum enim vestrum dixisse, *Amen, dico tibi Hodie, eris mecum in paradiso.* Veruntamen neque Sic abibis: Supererit enim & hoc enucleandum tibi, Quâ tandem torsione, quibúsque fidiculis efficies, ut Christus tuus, Qui Naturam neutiquam Divinam, sed Humanam, solùm nactus est, id est, Creatam, finitámque, Voluntate tamen atque Potentiâ Unum sit cum ipso Deo, Increato, atque Infinito, Cùm Finiti ad Infinitum nulla proportio sit. Quantò minùs Infiniti, atque Finiti (Quale est τὸ Ἕν,) Unitas esse poterit? Enimverò, quâ Homo Voluntatem Divinæ voluntati conformem habet, eatenus Deus & Homo ille Unum, idémque Velle dici possunt, Quâ Divinæ etiam potentiæ particeps fit, eatenus Unum Posse eos, sed Unum Esse eos, dici non potest, nisi Suppositâ Naturarum (Divinæ, Humanæque) Hypostaticâ unione: Ex eo autem Supposito, (licèt ex eo Solo) Homo ille, Patérque rectè dicentur Unum Esse.

4. Cæterùm ad id, quod in Propheta sequi objiciebatur, *Gloriam meam Alteri non dabo, & laudem meam Sculptilibus*; Quandoquidem eo Solùm argumento Nos non nitamur, neque ad adserendam Christo Suam Divinitatem, neque ad abnegandum Divinum Honorem cuivis creaturæ, próque Solius Dei Adoratione; pauca jam sufficient. Istud igitur dicimus, Unicâ licèt negatione, pro idiomate Hebraico, contentæ videantur, Duas tamen ibi, distinctásque Sententias esse; Quarum in Posteriore, quæ Priori sic annexa est per modum Argumenti à Majore, repetendum, ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, est antegressum Negativum. Ista enim Mens loci est, Gloriam meam cuipiam Alteri (quantæcunque eminentiæ fuerit, quàm vicinæ cunque relationis,) non dabo: Mea enim hæc, (hoc est, Dei Solius) gloria est, & non Deo non debita, non danda: Quanto magìs igitur Sculptilibus, atque eorum Incubatoribus, Dæmonibus, Gentium illis Numinibus, nè tantulum dabo quidem, Non de Laude Mea aliquid? Et ex ipsis certè verbis colligi hoc non ineptè potest; tum à mutatione vocabuli, כבודי, in illud, quod multo minus in se esse novimus, תהלתי, tum ex variatione quoque ipsius Numeri, Ut minore in pretio apud Deum Gloriæ, esse Sculptilia ea universa simul sumta, Dii utcunque à Gentilibus habebantur, sciamus, vel Unico Singulari Altero, (Hôc, vel Illo) in Creaturis, Dei famulis, & Sculptilia exosis, Locum suum habente.

SECT. XIX.

1. *Barjesuita est Hæreticorum callidissimus per torsiones SScripturæ. Ecclesiam credit Catholicam, sed non Ecclesia.*
2. *Ubi torquere SScripturas nequit, squallet.* Χαρακλὴς *semel tantùm habetur, atque* ὑπόστασις, *ut de Persona.*
3. Exhibere, *non est Effigiare.* חרת *ad Formam Rei refertur.*
4. Ὑπόσχεσις *non est* ὑπόστασις. *Promissa Dei. Fraus est in non interpretandis Vocibus.*

ILlud, *non nescimus versutias ejus*, 2 Cor. 2. 11. Licèt ab Apostolo dictum sit de ipso Diabolo, licebit tamen mihi & ad Filium hunc Diaboli, Act.13.10. applicare, ad Barjesuitam meum, Non nescire me, Quantâ Cogitationum vafritie, quibúsque ad fallendum astutiis instruatur, è quibus in Ecclesia Christi callidior nunc evadit cunctis Decessoribus suis Hæreticis, Ut & Serpens in Paradiso erat cunctis Animantibus terræ, Gen.3.1. Quanquam verò, pro Summa Parentis Sui abundantia, Eph.6.11. & ipse μεθοδειῶν istarum ditissimus sit, nullúmque non genus κυβείας καὶ πανουργίας, πρὸς τὴν πλάνην, Eph. 4.14. in promtu, atque ad unguem habeat, Palmarium tamen ei, Artísque suæ Caput in quolibet ferè Quæsito est, Vocabulorum phrasíumque SScripturæ Sophistica distortio, Et quia in utraque Lingua, Hebræa, Græcâque, eadem Vox, eadémque Locutio, simpliciter sæpe sumatur, sæpe & per Metaphoram, propterque Figuræ rationem ad diversas Significationes diversis in Locis accommodetur, ex ea techna cavere impuro suo Capiti, atque si Simplici dicto peti Se sentiat, confugere ad Tropum; Sin sub Figura hac pereundum ei sit, aut Tropos Omnes ejurare, aut ad alteram Ripam transfugere; Spretis interea, pessúmque datis, non Loci solùm Scopo, sed & Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ (Quam, Se credere dicit; (Dicet & Diabolus:) Sed Cui, neuter: De ea enim non sunt,) Consensu; Acsi Socinino jam demum ævo Ecclesia Christiana Sapere cœperat, & quæ sub Domino Jesu per tot Secula excutierat antè, neque Legem ipsam Christi, id est, N.T. exponere poterat, nonnisi Barjesu jam beneficio mirabilem lucem nacta sit, & nunc ad amussim calleat omnia. Quàm longè verò hæc à contumelia absint, & quàm merito suo maximo in Barjesuitam à me cudantur, indicio sint ea, quæ de Racoviano Catechista jam sæpe, (obiter tantùm, atq; ut mihi, Sacræ solùm Critices vestigia prementi, incidebat,) déq; pluribus vocabulis, phrasibúsque ab ipso tortis, monita à me sunt, atque ubi inciderint, sunt porrò monenda.

2. Quod inpræsentiarum verò monendum occurrit, est, Ut in Ecclesia Christi cordati qui sunt, piéque & sobriè sapiunt, mecum observent, quàm miserè magnus iste ardelio flacceſcat, atque non solùm acuminis

omnis, ſed & rationis quoque expers ſit, & turpiter ſqualleat, ſi quando conſueris iſtis dolis deſtituatur, & per ſilentium SSpiritûs (Quem, an ob iſtam injuriam, infenſûs, impenſiúſque oderit, non dico;) relinquatur, ut piſcis in arido, à ſolito illo κρησφυγέτῳ ſuo excluſiſſimus. Exempli gratiâ, Cùm Apoſtolus inter alia diſerta Divinæ in Chriſto Naturæ argumenta, quæ in Barjeſuitarum illum exoſum eculeum, (Capitulum primum dico Epiſtolæ ſuæ ad Hebræos;) congeſſit, adſerat, Filium eſſe, χαρακτῆρα τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ, Hebr. 1. 3. Quid ad hoc Proteus noſter? Verùm apage malè ominatam quæſtionem. Illéne ut quicquam ad hoc? Unde terrarum haberet, cùm vocabulum illud, *Character*, nuſquam præterea in Sacris literis reperiatur, ex cujus amphibolia aliquid ſibi poſſit in capitis ſui ſalutem extundere? Cùm & altera ea vox, *Hypoſtaſis*, licèt quater alibi uſurpetur, ſolùm tamen hoc in loco prædicetur de Deo, ut de Perſona, ὑπόστασις αὐτοῦ, Cæteríſque in locis tantam ſpiret Rerum, ad quas refertur, certitudinem, evidentiam, realitatem, ut ex pumice aquam citiùs expromere quis poſſit, quàm ex iis aliquam in hunc Locum cavillationem? Igitur cùm jam Spirituali Jezabeli, Apoc. 2. 20. Stibium ſuum, & quod Capiti ſuo Bonum faciat, 2 Reg. 9. 30. SScriptura inviderit, commaſculanda erat meretricia frons, atque, nè nihil videretur dicere, γυμνῇ τῇ κεφαλῇ, aliquid, quàm futile idcunque, pro Reſponſo extrudendum erat. Ait igitur, *Quòd verò Chriſtus* Character Hypoſtaſeos Dei *dictus ſit, hoc intelligi debet, Deum, quicquid nobis promiſit, jam reipſâ in Chriſto exhibuiſſe*, Cat. Rac. pag. 110. Atque iſta jam eſt Ovi ſui τῶ ὑπνιμίς præclara excluſio!

3. Debet autem? Nempe hoc aſſidué? Sed quo jure, ô Bone, univerſi Fideles hoc genus Debitores à te fiunt? Non alio quidem quàm Barjeſuitico. Sed dices, Annon enim quod efformatur, eatenus & exhibetur? Credendus quidem es hoc dicere: Et certiſſimè exhibetur. Exhibetur quoque non minùs & Ovum, quod excluditur. Sed neque excluſio Ovi tui, neque exhibitio promiſſi alicujus dicenda eſt Rei efformatio. Characteriſmus propriè ſignificat ipſius formæ in quaque re figurationem, Naturæ, atque Eſſentiæ effigiationem, atque indè, τὸ χαρακτηριστικὸν τῆς φύσεως, à Baſilio dici, notatum mihi eſt ad Lexicon, ex Hexaem. 4°. Ipſum quidem Græcorum, χαράττειν, deductum eſt ab Hebræorum, חרת, quod eſt, *exarando repræſentare*, ſeu *inſculpendo ſic deſcribere rem, ut præſens ibi diſtinctè adſit*; Neque alio jam modo dicit Apoſtolus, Filium Dei eſſe, *Characterem Hypoſtaſeos Patris ſui*; Ejuſdem nimirum Naturæ alteram Perſonam.

4. Tum quod Cybeliſta obtrudere heic ſatagit de Promiſſis Dei, hei, quàm evanidum eſt! Stat quidem Deus, æterníque ſtabit, promiſſis ſuis, exhibétque ea, ἐν τόκῳ, & in Chriſto ſemper exhibet. Sed quid indé; Ergóne eſt *Character exhibitio?* Ergóne & *Hypoſtaſis* eſt *Promiſſio?* Quâ demùm Authoritate hoc firmabit nobis? Peregregiâ verò: ſuâ ipſius enim, hoc eſt, egregiè ridiculâ, & deſpuendâ. Dabo ei tamen, quia Bonus eſt, quî ſalva ei inter pullos ſuos res hæc erit. Nam, ἡ ὑπόσχεσις, Græcis eſt *Pollicitatio*, ſeu *Repromiſſio*. Ab ea verò quàm parùm, literulíſque, ſonóque, abludit, ἡ ὑπόστασις! Hoc igitur ſatis ei ſit; Nam & quod apud Senes vulgò legitur, ἐν πᾶσαν αὐτὴν ὑπόστασιν, Deut. 11. 6. Alii correctiùs legendum cenſuerunt, πᾶσαν αὐτῶν τὴν ὑπόστασιν. Enimverò tali aliquâ Defenſione opus habet putidum iſtud Scitum, quod ille tam gratis ſuos docuit, *Intelligi debere*. Sed laudem quidem ſuam meretur, quòd hactenus ſapuerit Catum Caput, ut neutrum horum vocabulorum interpretari Suis voluerit, aut aliter, quàm Græcè, *Characterem Hypoſtaſeos*, unquam exprimere, Nè ſuboleret iis, quid rei eſſet, ſi vel ipſum Latinum Vulgarem, (minùs utcunque & in hoc exactum) ſecutus fuiſſet, (Quem aliis in locis tamen, cùm in rem ſuam eſſe videatur, nè vult non premere,) legiſlétque, *Filius eſt Figura Subſtantiæ Dei*. Sed veniâ hâc dignus eſt; Fecit enim quod potuit miſer; Atque in re tam deſperata, eſt aliquid prodiiſſe tenus.

SECT. XX.

1. *Per πολυσημασίαν vocabulorum diſtorquentur SScriptura.*
2. *Θεότης, & Θειότης ut differant.* Divinum *de Rebus aliis, præter Deum, dici obtinuit.*
3. *A Poſſe ad Eſſe, non ſequitur.* Θειότης, *voluntatem Dei, non ſolam, ſed cum omnibus Attributis Ejus, complectitur.*
4. *Chriſtus præferendus eſt univerſis Sapientibus.*
5. *Infinita inter eos diſparitas eſt.* Κατοικὴν *eſt Perſona.*
6. *Chriſtianos mirè continet in fide & Officio, quòd ſciant, Chriſtum eſſe Deum.*
7. Deitas *in Chriſto* corporaliter, *ex parte Dei dicitur propter Hypoſtaticam Unionem, ex parte Hominis, Quia non Animam Humanam ſolùm, ſed & Carnem adſumſit.*
8. Corporaliter *poni tantùm pro* Integre, *quàm ridiculum!*
9. *Summa mentiendi Ars eſt, ut verum etiam ſuo modo ſit, quod dicitur. Barjeſuita in hoc eminet.* Πυθματικῶς.

QUàm miſerè torquetur, & æſtuat infelix Barjeſuita, ex altera illa Apoſtoli Sententia de Chriſto, ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς, Col. 2. 9? Nam & heic SSpiritus, (vel ob hoc, Odio ipſius pluſquam Vatiniano digniſſimus ab eo habitus,) inclementer intercluſit ei familiarem ſtropharum ſuarum viam, Ex eo quòd & horum vocabulorum, Θεότης, atque σωματικῶς, neutro uſus ſit in aliis N.T. locis, per quorum πολυσημασίαν, ille aliquem ſibi clypeum fabrefacere poſſet, contra tam fatalis ſibi ſententiæ vim. Quid igitur facit? Quod miſerè reum decet: Stᵒ Judâ Deſcriptore, *Deſpumat ſuum ipſius dedecus*, Jud. ver. 13. & præterea nihil. Primò enim, ut Textum ipſum, quantum poſſit, corrumpat, dat Operam; Arroſum igitur, ſemeſúmque allegat. In Quæſtione quidem Reſponſo ſuo præfixa, Sceleſtus Præceptor Diſcipulum ejus, Præceptore ſuo fideliorem eſſe per fraudem voluit, curavítque, ut verbum ipſum Apoſtoli apponeret, Déque Omni in Chriſto Plenitudine interrogaret: Verùm ipſe reſpondet ei, De Aliqua. Abſorbet igitur, tam infauſtum ei, Univerſale illud, Πᾶν, aíque, *Plenitudo in eo habitat*, Cat. Rac. pag. 110. Illud primum eſt. Minùs etiam ad palatum ei facit ipſa, κατοίκησις, ab Apoſtolo prædicata de Chriſto: *Habitare* enim, niſi impropriè ſumatur, Perſonæ eſt; Dicere igitur, Θεότητα *habitare in Chriſto*, nimis apertè innuit Naturarum Unionem in eadem Perſona. Declinat igitur & hoc; Nam quicquid id eſt, (plus, minúſve) eſt quod juvabit, ſi ſilentio ſupprimatur; de *Habitatione* igitur nè χύ. Ità igitur loquitur, ut tranſeat jam ad tempus *habitare in eo*, quaſi nihil aliud ſit, quàm *in eo eſſe*, vel *eum habere*, vel quidlibet aliud. Hoc eſt Secundum.

2. Præ cæteris verò non placet illa vox, Θεότης. *Deitas* enim illa eſt; At ſi omnis Deitas in Chriſto adſit, quî fierit poterit, ut Ille Eſſentiâ Deus non ſit? Nunc igitur adhærendum eſt Vulgari Latino, Ille parùm attentè reddit, non, *Plenitudo Deitatis*, ſed, *Plenitudo Divinitatis*. Amicè factum eſt, ait vulpecula, accipíſque verſionem ejus, neque aliter heic legit, quàm *Plenitudo Divinitatis*. Quanquam enim in ipſo Deo, Θεότης, atque Θειότης, eadem reverâ ſint, (conſulatur ad hoc, Rom. 1. 20.) Soléque ex contemplationis noſtræ modo differant, de Chriſto tamen nunc cùm agatur, cujus Deitatem iſte ſacerrimè harpagavit, Θειότης magis ad rem Barjeſuiticam faciet. Nam quid ſi in Chriſto Θειότης eſſe dicatur?

dicatur? Annon Homo ipse erat? Ipsa autem Anima Humana, θεῖόν τι, vulgò audit, &

—— Divina Particula Aura.

Sed & Numinis id, quod Gentilium Diis attributum est, θειότης passim dicitur; Applicari denique hoc ad res inferiores, Deitatis omnis inanes, satísque in se viles, argumento erit illud,

—— Divinum opus Alcimedontis,

apud Poetam. Atque hoc jam Tertium est. Hiis igitur sic præparatis, jam sacer Agyrta nil veretur animi sui sententiam exponere.

3. Ait igitur, *Primùm, hæc vox*, Divinitas, *designare potest Voluntatem Dei*, C. R. pag. 111. Ad hujus autem cavilli refutationem satìs jam nobis esset, regerere, At hæc vox, *Deitas*, non potest id designare. Dicto enim hoc, actum est de Responso ejus. Veruntamen non sic abibit ineptulus Sophista. Respondeat, Primò, Quorsum illud, *Potest*, suum? sequitúrne à Posse Argumentum ad Esse? Juramento nos contrà (jusserit) contendemus, Posse & egregium Catechistam, ineptire, cavillari, sophistam agere: Ipse concludat igitur. Negamus ei tamen, Posse &, θειότητα, id est, *Divinitatem*, Dei Voluntatem designare. Si possit, exemplum aliquod proferat. Hoc præsertim in loco nè possit, suus ipsius paralogismus impedit. De Sola enim voluntate Dei designanda, ille se accipi intendit, quam Dominum Jesum mundo per Doctrinam suam patefeciisse vult. Hujus igitur doli caussâ clàm surripuit vocabulum, πᾶν. Jam verò, θειότης, licèt sensu sano dici possit universa Attributa Divina in se comprehendere, Voluntatem, Majestatem, Simplicitatem, Bonitatem, Æternitatem, Justitiam, Sapientiam, Providentiam, Omnipotentiam, Quicquid denique ex ipsa mentione Deitatis, in animum nostrum de Deo cadere potest, Voluntatem tamen solam, (exclusivè ad cætera idiomata Divina, sic ut Plenitudo Voluntatis Dei pro solitaria in Christo Habitatrice nunc sumatur, Tota autem Deitas incolatum in eo non habeat,) designare non potest.

4. Cogitur igitur & fallaciam fallaciâ pertegere, nè perpluant, cùm ad hujus commenti confirmationem sic subjungat, *Dictum hoc de Christo, Plenitudinem Divinitatis in eo habitare corporaliter, opponi ab Apostolo, non Personis, sed Philosophiæ, & Legi.* Falsissimum enim & hoc esse, ipsa verba Apostoli proclamant; Nam, Μή τις ὑμᾶς ἔσται συλαγωγῶν· &, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, de Personis, atque ipsis hominibus, expressè dicuntur. Licèt igitur hominem Paulus neminem nominat, non minùs tamen hominibus, legem suam, aut Philosophiam obtrudentibus, quàm ipsi Legi aut Philosophiæ, dicendus est opponere effatum istud de Christo: *ut fileat coram eo omnis terra*, Habac. 2. 20. Cadit igitur prorsùs ea propositio. Cadit & altera quòque, quam indè adsumit. Nam & si hoc non ità esset, ideò tamen, *De Christi Doctrina solùm, & non de Persona ejus, accipi hanc sententiam*, tam absonum planè, frivolúmque est, (Quod ille tamen *perspicuum* ex eo argumento esse, stolidè gloriatur) ut omni non consequentiâ solùm ex iis præmissis, sed & ratione quoque in se, careat.

5. Sive enim Philosophia & lex Mosis, sive Philosophi ipsi Scientiam suam, Judaíque legem suam venditantes, (utrum verò statuatur, in hac Quæstione, nè eiccum quidem interduim;) Pars opposita nunc sit, Per summam tamen fraudem ab eo dicitur, *Apostolum iis opponere orationem eam.* Ille verò opponit iis ipsum Christum. Diserta sunt verba ejus, Καὶ οὐ κατὰ Χριστόν. Jam verò si rectè hoc sequeretur, (ut ille callidè supponit,) Hoc de Christo iis opponi, Quia Doctrina ejus erat Voluntas Dei; Quantò magìs sequetur, Christum ipsum iis opponi, quia ipsa Deitas in Christo inhabitat! Alia autem Oppositio heic nulla instituitur, quàm à Personarum infinita disparitate; Estque Argumenti ejus ipse Scopus, Non oportere pati Fideles per Philosophiæ, legísve Dictatores spoliari se, abducíque à Christo, cùm ipsi Christum ipsum Ducem sibi Dominúmque habeant, non particularis alicujus Scientiæ aut Doctrinæ magistrum solùm, sed in quo etiam Deitatis ipsius tota Plenitudo corporaliter habitet. Quàm prodigiosè igitur hæc vis fiat verbis Apostoli, adserere, Accipi hæc (à quoquam scilicet, præterquam ab Impostore Barjesuita;) *De doctrina inhabitante in Christo, & non de Persona*, jam satìs indicatum est, ex triplici eo medio. Neque enim, θεότης, dicenda est, *Voluntas Dei*, nedum est, *illius Doctrina in Christo*; Neque, πᾶν τὸ πλήρωμα θεότητος, de sola Voluntate Dei accipi ullo modo potest; Neque etiam accipi solet, κατοικῶν, cum suis Conjugatis (semicenties tamen in N. T. occurrunt) nisi de Personali cujuspiam inhabitatione.

6. Neque etiam ut aliter hoc in loco accipiatur, patientur geminæ aliæ maximi momenti res: Prima est, Tempus ipsum, quo Apostolus jam hoc in Verbo usus est. Licèt enim hæc ab eo scripta sint, Non cùm Christus in terris agebat, docebátque suos Voluntatem Dei Patris, sed post aliquot lustra, cùm in cœlis jam diu Dominus consederat, in Præsenti tamen etiam jam ponit; Non dicit igitur, ἐν αὐτῷ κατῴκησε, Quo tamen exemplo dixit de Fide ipsa Christiana, ἥτις ἐνῴκησε πρῶτον ἐν τῇ Μάμμῃ Σου Λωΐδι, καὶ τῇ Μητρὶ Σου Εὐνίκῃ, 2 Tim. 1. 5. sed ratione Personæ, æternùm ejusdem, ait, κατοικεῖ ἐν αὐτῷ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος. Istud verò si ad Doctrinam solùm Christi in Cœlo jam consentis restringeretur, ad argumentum Apostoli nè tantulum quidem faceret, neque ponderis aliquid in se haberet, ad Christianos in Fide Christi, atque Officio suo continendos: Ex altero verò respectu, Quia in Carne sua ipsorum, (in corpore enim Christi, Cœlorum nunc incolâ,) Deitas ipsa in tota plenitudine ejusdem Personaliter, indè à momento, ἀναστάσεως, etiamnum habitat, Quid non sunt præstituri Fideles, atque summâ Fide elaboraturi, Ut divelli se nunquam patiantur ab Illius (In quo & seipsos quoque Divinitus repletos esse intelligunt, Καί ἐστε ἐν αὐτῷ πεπληρωμένοι, vers. 10.) spirituali & mysticâ unione? Alterum verò, quod, *Plenitudinem omnem Deitatis*, de sola Dei voluntate, per Doctrinam Christi explicanda, accipi non sinet, est, quòd, *inhabitare ea in Christo à Paulo dicatur*, Σωματικῶς. Estque jam Quintum hoc & ineluctabile Argumentum, contra insanam eam, & execrandam Loci distortionem.

7. Ut igitur ab hoc ictu iste se liberat? Planè aufugit nequam; sed veteratorio tamen, hoc est, suo, modo, Cum Pollicitatione, (si placet) se denuò pugnaturum. Sed ista reverâ res est: Quantumcunque perfricuerat ipse frontem ad quidlibet audendum, deerat tamen ei jam, quâ in se quidem, confidentia; tot immanes absurditates, uno simul tempore, sine omni probatione, congerendi; Quâ de sectariis suis, spes, posse iis tam crassè imponi, ut hoc unico jam haustu velint tantorum prodigiorum amystin educere: Glorioſulâ igitur aposiopesi usus, *De hac verò voce*, Corporaliter, *quid ea notet, inferiùs suo loco audies*; ait, Cat. Rac. pag. 111. & abit. Ἄναγε δ' ἐς μαχαίρας ἐπωδάν, astutiarum Dædale. Ut enim magis Suus locus quisquam huic voci esse possit, quàm heic, ubi modus inhabitationis, (quam ipsius Deitatis, ínque omni plenitudine ejusdem, in Christo esse, ab Apostolo edocemur) explicari se postulat? *locum Tuum* igitur dic, sceleste, non *suum*. Tu ubi locum nactus fueris, probationem declinandi, obitérque elabendi, incautúmque & parùm memorem Auditorem tuum ludos faciendi, tum audiet. In loco scilicet, ubi sperare poteris, haut certò pereundum tibi esse, vel à Veritate, si ea dicatur, vel ab impostura, si ni-

hil ad rem dicatur; Istud enim vis; atque *loco suo*, est loco Barjesuitico, loco ad fallendum accommodatissimo. Ad dicendum verò, quid, *Corporaliter*, notet, hic locus aptissimus est, ut Christiani jam ex Paulo intelligant, In Christo perfectam Deitatem inhabitare, *corporaliter*, i. Ex parte Dei, Non per gratiam solummodo, aut Virtutum inoperationem, Quomodo Deus in sanctis suis, præsertim in Prophetis, atque Apostolis habitasse dictus est, sed per Unionem Personalem cum Corporea ea Substantia, quam adsumpsit ad Deum: Rursùs, *Corporaliter*, i. Ex parte Hominis, Non solùm quoad Animam Humanam, sed etiam quoad Carnem ipsam, membráque è B. Virgine prognata; Utrumque enim horum, tam Corpus, quàm Animam, Deitas attraxit sibi in Hypostasin Verbi. Atque hæc jam est Unio Dei & Hominis in Christo, Natura scilicet utraque in unica Persona; *Corporaliter*, adesse dicta, propter modos jam dictos; *Inhabitare*, etiam, Quia Personalis hujus Existentiæ modus permanens jam, atque perennis est; *Jesus Christus, Heri & Hodie, idem Ille, & in æternum*, Heb. 13.8.

8. Veruntamen quoniam ità libet, i. (licet Judæ *abire in locum suum*, Act. 1.25.) Audiamus igitur nunc quid hoc sit. Post pagellas igitur bis denas, mutatóque jam & Capitulo, & titulo, ait, *Cùm adserit, omnem Plenitudinem Deitatis in Christo habitare*, Corporaliter, i. *quòd in Doctrina Christi tota Dei voluntas integre & reipsâ est patefacta*, C. R. p. 130. Eugepæ! Habemus nunc *Locum suum*! Locus igitur nunc nobis est ineffabilem tanti magistri subtilitatem demirandi. Ubi enim est *Locus* iste *Suus*? Oh, inter Scita sua de Prophetico Christi munere; Neque enim ille tam profanus est, oblitúsve vel Christi, vel Sui, ut temerè ista misceat. Ut igitur, *Habitare plenitudinem Deitatis in Christo*, spectabat ad priora Quæsita sua, De Persona Christi, *Corporaliter tamen habitare in eo*, non spectat nisi ad Doctrinam Christi, & ad munus ejus Propheticum. O stupendum acumen! Vos verò, O Boni, auditum hæc admissi, Sacer est Locus, Extrà ridete, atque in Loco, Ζωὴ ἐστῷ, sapite. Quid verò, si nihil aliud hâc in re nunc dicat, cùm de Prophetia Christi dicit, quàm dixit antè, cùm de Persona ejus agebatur? Nemo tamen nunc ausit dicere, Dicere eum hæc, sed nil Probare. In tanto enim Dictatore, Annon idem bis dixisse, (quàm gratis cunque) æquipollebit simplici Probationi? Tum verò, hoccine jam est idem? Doctrinam quidem Christi, antè dixit, & voluntatem Dei, antè; Atque eadem nunc denuò dicendo, satis, supérque probat, Rem ità se habere. Verùm, qui antè dixit, *potest esse*, nunc, ut abundè probâsse eum, atque vicisse cognoscamus, dicit, *id est*. Sed &, quod antè sapienter suppresserat, disertè nunc addit, *habitare*, exponítque, per *patefactam esse*, addit & signum nunc universale, dicit, *omnem plenitudinem*. Denique pro *Divinitatis*, Piè reponit, *Deitatis*. *Locus* enim *Suus* hæc omnia tutè dicendi nunc est, cùm probata hæc singula fuisse antè, à nemine non inficeto dubitabitur. Igitur & Textum ipsum (Quicquid antè furti, aut falsimonii iste insimulabatur,) nunc, pro innato suo candore, citat satis corporaliter; Id enim ipse esse vult, *integre, & reipsâ*.

9. Hem igitur vobis, Pulli, quod æternùm beabit vos; Habete nunc in *Loco Suo*, Verborum Paulinorum elucidationem è Polonia, longè diviniorem, quàm Paulus ipse unquam vidit vel in Luce illa Meridiana supra, splendorem solis, Act. 26.12. vel in Tertio Cœlo denique 2 Cor. 12.2. sic enim se res nunc habet. Paulus, satis obscurè, pro suo more, dixit, *In Christo habitat omnis plenitudo Deitatis Corporaliter*. Heu, Quantæ heic Tenebræ! Igitur Bonus Barjesuita, post secundas cogitationes, (æternùm jam excussâ caligine, per Paulum olim Parenti suo inflictâ, ex oculis ejus;) luculentè hæc exponit, 1 *In Christo*, id est, *In Euangelio*. 2 *Habitat*, id est, *patefacta est*. 3 *Omnis Plenitudo*, id est, *tota Voluntas*. 4 *Deitatis*, id est, *Dei*. 5 *Corporaliter*, id est, *integre, & reipsâ*. Ut placet verò! Quid malum! Naso suspenditis has glossas! Satísque ridiculè coactas esse clamatis! Erratis profectò, Juvenes, neque satis rem adsecuti estis; Præter enim quod gratis dictæ sint, sunt etiam insanùm violentæ, & seriò execrandæ, Neque tamen non habent singula hæc, quæ dicuntur, suam veritatem. Tota enim Voluntas Dei integrè per Christum patefacta nobis est. Est ista scilicet Barjesuiticæ Artis, Fraudísque Palma. Habebant enim & veritatem suam primigenia illa mendacia in Paradiso, *Non moriemini. Scit Deus, quòd aperientur oculi vestri. Et eritis, sicut Dii*, Gen. 3.5. Eat igitur per me jam Antesignanus vester, atque Primogenituram sacerrimi Genitoris sui (vel nunc hoc demum ævo) sibi soli vendicet; (Nam & in Campo Hæretico non minùs quàm in Vinea Dominica, fieri poterit, ut meritò sint οἱ ἔσχατοι, πρῶτοι, Mar. 10.31.) Qui in distorquendis verbis, atque hoc est, in pervertendis viis Domini, tam Corporaliter quidem, (Ita enim ipse ex hoc loco exponi jubet, id est, tam integre, atque re ipsâ) Tam spiritualiter verò, (ut ego malim hoc dicere, ex usu vocabuli illius, Apoc. 11.8.) id est, tam ad vivum, atque reverâ, utrumque Parentem suum referat, Barjesum illum, Titulo, sed Re, Bar Satanam, Act. 13.10.

Sect. XXI.

1. *Triumphus Charitatis à Paulo descriptus*: στέγειν, (*unde* Tegere) *à Paulo solo usurpatur in Sacris*.
2. Charitas omnia fert; *Qua ea sit, in Deum, an in Homines*. Omnia, *per distributionem accommodam. Refertur ad subjectam materiam*.
3. Ἐγένετο, *quando est*, Factum est, *& quando est*, Fuit.
4. Fieri per, *non designat causam secundam, mediámve in Divinis*.
5. *Opera S. Trinitatis ad extrà sunt indivisa. Adfuit Christus in Creatione mundi*.
6. *In Christo omnia sunt Nova*.
7. *De Personis Neutraliter dici. Alcoranus Socininus, Catechismus Racovianus*.
8. *Sub* Euangelii *nomine Quid comprehendatur*.
9. *Paulus Propheticè locutus videtur de Barjesuitis. Certò Futura enuntiantur in Præterito*.
10. *Subjecta materia non dicitur, nisi de materiâ ipsius loci*.
11. *Sententia quæque, vel Absolutè in se, vel proximè dependentem, materiam suam habet*.
12. *Per Christum ipsum Vocationem Gentium, atque Abolitionem legalium institui*.
13. *Creatio est processus ex Non Esse ad Esse, in Natura, inque Gratia*.
14. *Per Christum Qua reconciliari dicuntur*.
15. *Vocabuli*, Omnia, *materia subjecta per Actum Reflexum reperienda est*.
16. Verbum Virtutis *est Placitum Omnipotentiæ*. εἶπεν.
17. *Materia Loci cujusque est præsè servanda*.
18. *Materia subjecta vel expressa est, vel inclusa*.
19. *Christus, quod habet, ut homo à Deo habet, ut Deus à se ipso*.
20. *Suppleatur Verbum Substantivum, & Lux clara fiet*.
21. *Nomen* Patris *pro Creatore. Tautologia nulla in SScripturis*.

NON paucorum aliquot dierum opus esse oportet, Divinum illum Triumphum, quem Charitati super omnia adornavit Apostolus, 1 Cor. 13.1. ordine describere,

ſcribere, ſinguláque quæ in ea pompa exhibentur, pro ipſo, tum Authoris, tum Rei, merito, exponere. Eſt ipſa quidem, Πρωτοτυπὴ, ad miraculum glorioſa; ſed abſolutâ in tribus tmematiis eâ, actutùm uno ferè Spiritu, ſedecim quaſi Victoriarum Inſignia, (mirâ Arte, Adfirmativa Septem Negativis Novem intertexta) produxit, dicam? an cumulavit quidem? In Adfirmativis autem, O quàm ſtupendum in modum, ingentes Quatuor Provincias, Quatuor Vocabulis, atque unico tmematiolo, abſolvit! Πάντα σέγει· Πάντα πιστεύει· Πάντα ἐλπίζει· Πάντα ὑπομένει. ver. 7. Jam verò in iſtis, Primum illud, σέγειν, Latinis utcunque ſuum, *Tegere*, dediſſe meritò creditur, ſolius tamen Pauli vocabulum in Sacro Codice eſt. Et quod miremur magis, licèt in iſta ad Corinthios, non ſemel Vox iſta Univerſali, νικητηρίῳ, ab Apoſtolo decoretur, (Adfirmat enim & de ſe, πάντα σέγω, 1 Cor. 9. 12.) alibi tamen nuſquam uſurpavit, niſi in contrarium, atque abnegativè, Διὸ μηκέτι σέγοντες, 1 Theſſ. 3. 1. & rurſus, διὸ κἀγὼ μηκέτι σέγων, ver. 5. Igitur quid hoc eſſe dicemus? Aliàs ipſum, πάντα σέγει, aliàs, μηδὲν σέγειν. & in eodem quoque Argumento utrumque, Charitativo ſcilicet, ínque aliorum bonum! Neceſſe igitur nunc eſt, ut κυβευτικῶς expendamus, Affirmationes iſtæ Apoſtolicæ, quid velint, & quid valeat Univerſale ejus Πάντα. Nam & in ſententia ſequente, eſt quòd eodem planè ſcrupulo torqueamur. Quid ait? *Charitas credit!* Eſto verò; Id enim eſt, Homines Charitate inflammatos, per eam credere omnia. Aliter enim, Credere Charitatis Actus proprius non eſt; Charitas diligit, Actu ſuo elicito; Sed Actu quidem Imperato, Credere dicitur. Verùm, an laudabitur jam ab univerſali piſteumate Charitas, Cùm Author ipſe Fidei noſtræ, Fons idem, Dominúſque Charitatis, haberet, in quo nos præmonendi ab ipſo eramus, Μὴ πιστεύοντι, Matth. 24. 23. Ex eâque cautione, Dilectus Domini Diſcipulus nos porrò ſubmonuit, ἀγαπητοὶ, μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε, 1 Joan. 4. 1. hoc eſt, Nè fidem habeamus omnibus, qui SSpiritu agi ſe prætendunt. Iſtud, μὴ παντὶ, igitur neceſſariò ſecum trahit etiam, μὴ πάντα πιστεύειν. Sed & eadem hæc ratio prorſus eſt contra tertium horum quoque, Πάντα ἐλπίζει. Cùm neque Natura Humana ferat, Nihil à nobis deſperari, Neque Voluntas Divina, Omnia ab eo poſtulari. Ut de Quarto denique, πάντα ὑπομένει, Nihil nunc diſceptemus.

2. Adactos igitur ex iſtis Rationibus viros eruditos eſſe memini in pugnam non levem de ſenſu hujus loci. Sunt enim in illis, Qui ad Deum ſolum referri jubent iſta, τὰ πάντα. Homines pios ſcilicet, verâque Charitate perfuſos, ex eo officio, alacriter omnia ſufferre, quæ à Deo ipſis impoſita ſunt; Fideliter omnia credere, quæ Divinitùs iis proponuntur; Immotè omnia ſperare, quæ Deus ipſis promiſit; Fortiter omnia ſuſtinere, ubi Deo videtur moram trahere. Alii verò reclamitant, urgéntque, Triumphum iſtum Charitatis ab Apoſtolo non aliter inſtitui, quàm de Victoria ejuſdem ex officiis ſuis erga Proximum. Exponi igitur primariò oportere hæc omnia de Hominibus ipſis, Ad Deum autem, χάριν, aliam iſta non habere, quàm & Præcedentia illa cætera habent; Quatenùs & fluunt omnia, ex Charitate noſtra in Deum, ut neceſſaria Effecta ejuſdem, & animis noſtris probant, confirmántque Eam, ut ſigna, mentiri neſcia. Eſſe tamen & alios obſervabam, quibus in hanc palæſtram haut viſum eſt deſcendere, ſed rem in genere potiùs pertractare, atque unicâ hâc cautione contentos abire, Eſſe in vocabulo, *Omnia* ex mente SSpiritûs, Diſtributionem, non ſimpliciter Univerſalem, verùm conditionatam tantùm interdum, atque Accommodam. Jámque veriſſimè quidem iſtud prolocuti ſunt: Sed quod ad hanc tamen litem dirimendam nullo modo ſufficit, Quia nulli dicunt, Unde Conditio ea depromenda ſit, Quóve Authore, vel Qua ex Regula fiet iſta Accommodatio. Abſit enim, ut Arbitraria, atque Ambulatoria res ſit, atque pro captu Lectorum, (quanto minùs, pro placito eorum?) quotidie accommodanda. Rectiùs igitur illi, & ad rem propiſſimè, Qui vocabulum hoc, *Omnia*, in SScripturis cenſent ſemper accommodari oportere ad materiam ſubjectam, ſic ut comprehenſio vocabuli reſtringatur, Ubi, & Quatenus materia reſtringitur, amplietur etiam, pro ejuſdem amplitudine. Tutiſſimam autem hanc regulam eſſe, ab ipſius SSpiritûs exemplo diſcitur, Qui plurimis in locis per ſubjunctionem factam vel Participii, ut, Πάντες οἱ λαβόντες μάχαιραν, Matth. 26. 52. &, σὺν Πᾶσι τοῖς ἁγιοις αὐτοῦ, 1 Cor. 1. 2. vel Relativi, (quod centies opinor in N. T. factum eſſe;) docuit, Signum iſtud Univerſale, in loco, ex Materia ſubjecta circumſcribere, neque ulteriùs extendere, quàm juxta limites eidem poſitos in ea ipſa ſententia.

3. Plaudit verò ſibi non ſegniter ob iſtanc Regulam Barjeſuita meus, támque felicem eam fauſtámque ſcelerato ſuo capiti ſervando futuram pollicetur, ut térque quatérque ipſum, cùm alitèr non poſſit non perire, eam ad aram ſumma cum fiducia confugientem reperiam. Suffuratus enim Chriſto Divinam ſuam Æternitatem, Orthodoxos perſentit acriter inſequi, certámque prædoni ruinam intentare ex eo Teſtimonio, quòd, *Omnia per eum facta ſunt*, Joan. 1. 3. Igitur quid Ille? Aliquantiſper quidem ad alia, κρησφύγετα, in fugam datus, ſe recipit. Exclamat enim primò, *in hoc Teſtimonio, non haberi*, creata Omnia ſunt, *verùm* Facta ſunt, Cat. Rac. p. 73. Sed quid indé? Per ſummam ſcilicet fraudem ipſe inſtituerat Quæſtionem ſuam ſub eo vocabulo, *An res omnes in principio per Chriſtum creatæ ſint*. Sed ô ridiculam, improbámque captionem! Nam neque ſi ſic propoſitum fuiſſet, *Res omnes in principio per Chriſtum factas fuiſſe*, Minùs indè ſecuta fuiſſet probatio Æternitatis Chriſti; Neque inſigni huic captatori ſatis iſtud fuiſſet, ſi ipſum vocabulum interpoſitum hcic ab Euangeliſta fuiſſet, Nam operam paulò pòſt navat, ut altero in Teſtimonio & illud eludat quoque, prout mox parebit. Sed bene habet interea, quòd, *Omnia per eum facta eſſe*, nullus jam rejiciat. Joannis vox eſt, Πάντα ἐγένετο, addítque, χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν, ὃ γέγονε, & rurſus, Ὁ κόσμος δι' αὐτοῦ ἐγένετο, ver. 10. & rurſus, Τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, ver. 12. atque in hiis quidem omnibus admittit, *factum eſſe*. Poſt alterum tamen tmematium, cùm contra inſaniam ſuam facere perſentiat, totis viribus contendit, nè, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, vertatur, *factum eſt*, ſed, *fuit*, ver. 14. futili ſatis ratione ad id prætenſâ, Cat. Rac. p. 90. quæ refutata jam pridem à Nobis eſt. Exempla verò, quæ pro ſe ibidem attulit, ſi doloſè tantùm ab eo, atque in ſpeciem introducta fuerint, aſtutam quidem Vulpem eum eſſe probant, ſin ſeriò, & ſine fraude, parùm acutum Grammaticum. Verum enim utcunque ſit, quod ille ibi adſerit, ἐγένετο, in multis locis SScripturæ poſſe verti, *Fuit*, habeátque hoc præcipuè locum, ubi copula ipſa locatur ante Subjectum, aut Prædicatum ſuum, Quod in Exemplis ab ipſo allatis è Luc. 24. 19. & Jo. 1. 6. factum eſt: Debere tamen ità verti, (Quod ille ibi per paralogiſmum ſatis ineptum confirmat,) nunquam tenet in aliquo loco, ubi Subjectum & Prædicatum præponuntur ſuæ Copulæ. Corruit igitur Fundamentum exceptionis ſuæ contra Incarnationem Verbi ex eo Teſtimonio probatam, Verùm ille ſatis gnarus, huic latebræ parùm fidendum eſſe, ut Canis in Nilo, bibit, & abit: Fugientem igitur illi porrò inſequuntur.

4. Secundò autem tergiverſatur, atque Orthodoxis ſic objicit, *Modus iſte loquendi*, Omnia per ipſum facta ſunt, *non eum, qui prima Cauſſa ſit alicujus rei, verùm cauſſam ſecundam, aut Mediam exprimit*, C. R. p. 73. Et eſt quidem iſta Reſponſio è Communibus ſuis antris alterum, ad quod ſorex iſte ſæpe cogitur diffugere; Sed è

materia planè fabulosa est, & nullo ferè negotio dispergetur. Longè enim Alia est ratio operandi in Natura Divina, Alia in Rebus Creatis; frustráque & impiè creditur, è Caussis Naturalibus, & Subordinatis, atque indè Secundæ, aut Mediæ Caussæ ordinem atque denominationem accipientibus, æstimare licere ineffabilem eam, Communionem, quæ Patrem inter, Filiúmque & SSpiritum, in SScripturis memoratur. In iis igitur & Deum quoque, per SSpiritum suum Omnia facere, imò, & omnia per Deum ipsum (Barjesuitâ ipso non negante,) C. R. p. 117. fieri, adseruntur. Ineptissimum igitur est, quod ibi succlamat, *Aliter hæc de Deo, quàm de Christo accipi.* Quid ità verò? Annon istud de Christo, *Omnia per eum fieri*, dicitur, *Quia Omnes Caussa Mediæ* (Tuísne verbis uti licet?) *per quas sit aliquid, non aliunde sint, nisi à Christo, neque sint ejusmodi, ut vel illa* (addemus enim hoc verbis tuis;) *sine ipso agere possint, vel ille sine illis agere non possit.* Ecquid verò amplius hiis & Tu dixisti de Deo Patre?

5. Dextrè igitur nos accipimus, quod tu siniſtrè satis intorques, & tecum adserimus, De Christo dici, *Omnia per eum facta fuisse, Quia per eum alius quis*, (nempe, Deus Pater, per Verbum suum, Deum Filium) *omnia ea operatus est:* Locum etiam, in quo expressè hoc haberi ais, nos expressiùs laudamus, verba enim ipsa adscribere non refugimus, *Quæ sit dispensatio Mysterii absconditi à Seculis in Deo, qui omnia creavit per Jesum Christum*, Eph. 3. 9. Hinc autem tu quid infers? Nam heic expressè habes, *omnia creavit.* Id est Primum. Quòd si regeras, non dici Christum creâsse Omnia, sed Deum per Christum, hæc jam eadem esse nos modò indicavimus, opera enim SS. Trinitatis ad extrà sunt indivisa. Hoc est Secundum. Quod si adhuc negites, impræsentiarum sufficiet, (Argumentum enim ad Hominem ineluctabile est,) vel ex loco, quem ipse allegasti, probare. Ex hoc enim supponere jam cogeris, (quod alibi tamen abnegas) Deum Filium Patri in rerum Omnium Creatione adfuisse, ut ille per Christum, *(tanquam per Mediam Caussam*; ais tu,) crearet omnia. Dominus autem Jesus ipse ut unus ex rebus in principio creatis existat, cum Arianismo (si qua Fides dictis tuis,) C. R. p. 106. abnegasti. Concedas igitur necesse est, Christum, (in initio præsentem, & non ut Creaturam,) Creatorem ipsum, atque Deum semper extitisse. Verùm quia nec heic perstas, sequimur usque, & à diverticulis tuis in priorem viam tecum reversi, stamus jam expectantes, quid tandem dictes, de ipso vocabulo, *Omnia.*

6. Ais verò, *vox*, Omnia, *non pro omnibus prorsus rebus heic sumitur, sed ad Subjectam Materiam restringitur omnino.* Ad hoc autem quid jam nos? Ex parte quidem una (Duo enim sunt, quæ in hoc dicuntur à Te;) toti adsentimur; sed ex altera, toti abnuimus: Fallaciter igitur à te complicata, resolvimus tantùm atque retorquemus in caput tuum: vox, *omnia*, ad Subjectam Materiam omnino, sempérque restringitur: Ergò pro omnibus prorsus rebus in hac sententia, sumenda est. Tu quidem pro arte tua, ut ad alium actutùm locum lectorem abducas, id probandum adsumis, quod Nos tibi nulli negamus; Inque dicti fidem allegas, C. R. p. 74. *exemplum singulare, quod extat*, 2 Cor. 5. 17. *in quo habetur sermo de re, huic, de qua Joannes tractat, admodum simili*, (vah! ad quæ lenocinia Verborum Productori nunc vacat!) *ubi dicitur*, omnia nova facta esse, *cùm certum tamen sit, multa extare, qua nova facta non sint:* Sed ligonem ligonem dicere oportet; Pace igitur tuâ dixerim, Certo Certius est, egregiè te σοφιεῖν, atque splendidè hæc mentiri. Restringendo enim ad Materiam ibi Subjectam, (Ab ea autem lege, quam ipse fixisti, non poteris nunc, non patiemur te avelli:) Nihil aut tunc extabat, aut etiamnum extat, quod novum factum non sit. Subjecta enim Materia in ista Pauli sententia est, *Quicquid est in Christo:* Ità Apostolus, ῥητῶς, præmisit, *siquis est in Christo, nova Creatura est.* Atque ex eo Supposito, subjungit, *Vetera præterierunt*, hoc est, abolita sunt omnia, quatenus extra Christum erant, Atque ecce (in Christo nunc) *Nova facta sunt omnia.* Hæc jam est Materia hoc in loco Subjecta; universa ut comprehendat, quæ aliquo modo in Christo sunt.

7. Sive de Personis Solis, Fidem Christi verè professis, intelligere ista, jubeamur, (Neutraliter enim & de Personis loqui didicimus ex ipso Christo, Joan. 6. 39. & 17. 2.) Sive de Rebus quoque Ritibúsque fidem & religionem Christianam absolventibus, eatenùs enim quâ in Christo sunt, Omnia sunt nova. Novatorem igitur utcunque ex alia parte Barjesuita Se ad prodigium usque præstet, evagando tamen heic tam perditè extra Subjectam Materiam, próque iis solummodo, quæ in Christo sunt, impudenter suis obtrudendo ea, quæ in mundo (si placet) rerúmque natura extare ei certum est, Veteratorem se non incertum usque demonstrat, veterísque illius Serpentis, Apoc. 12. 9. certissimam sobolem. Parcatur autem labori, Suadeo, atque Res (Novas non factas) nè quæsiverit extra se; Locupletes enim Testes ei hac in parte vel nos habebit. Nam in Alcorano isto Socinino, (Catechismum intellige Racovianum) Fidei suæ, (Christianæ tamen non dico, Sed cum adsumento, Barjesuiticæ) monstrificam ἔκθεσιν; non Veteris solùm Judaismi Portiones magnas, sed & Vetustatis quoq; Hæreseωn indè Christo (ferè) Omnium Monumenta extare tam certò est, ut ego me ei Debitorem jam hoc Nomine dem. In promtu enim, paratóque nunc habeo, (antequam Symmystarum suorum quempiam oculis usurpare mihi contingat, aut ab iis quicquam ad hoc probandum mutuò sumere præter quod conjecisse ferantur omnes in hanc Catechesin:) Sigillatim ei, (ubi jusserit, aut in jus vocaverit) omnia numerare, atque debitum hoc, & fidem meam exolvere.

8. Atque altera quidem jam hæc reverà digressio fuit; Sed non inamœna tamen; & quam ipse, per me, totus luat; Cui necessariò indicandum jam erat, cùm illuc tam præfidenter provocaret nos, Quàm infeliciter ei cedat Exemplum singulare suum, quámque nihil ex eo proficiat, præterquam ad caussæ suæ ruinam. Verùm ille tamen securus sui, certúsque verecum suorum, quibus ista scribi, τῷ ἐνθάδεσιν, non minùs extare, quàm Res in Orbe, Novas non factas, redit in viam non sine triumpho quodam, pergítque, per eandem fallaciam, suos denuò ludos facere. Adsumit ergò, *cùm verò Subjecta apud Joannẽ Materia sit Euangelium*, apparet vocem, Omnia, *de iis omnibus qua quoq; modo ad Euangelium* pertinent, accipi debere. C. R. p. 74. Etiam denuò *Debere!* Sed age, Cur? Quia, *Subjecta Materia est Euangelium*, ait. An sit verò, pòst videbimus: Quòd si ità sit, Ille aut rectè inferre discat, aut Dialecticorum pueris ludibrium hoc debeat. Supposito enim, Euangelium esse Subjectam Materiam, annon, restringendo vocem, *Omnia*, ad Subjectam Materiam, Illatio, si ritè fiat, esse debet, *Omnia Euangelia per ipsum facta sunt?* Hunc igitur esse jubet primarium hujus loci sensum? per consequentiam autem aliquam, atque dicendi Tropum, (Continentis nimirum pro Contento) fieri fortè potest, ut Euangelii nomenclatura applicetur ad singula, quæ in Euangelio dicuntur: Sed quæ figura erit, & quo sub axe nata, cùm per solam coactionem, atque immanem vim vox, *Euangelium*, extendatur tam crudeliter, ut de rebus quoquomodo ad Euangelium pertinentibus, de Effectibus, Eventibúsque omnibus sub Euangelio editis, de ritibus etiam, aut conditionibus quibuscunque Euangelii tempore institutis, desitísve, usurpare liceat, & qui talia intendat facta esse dicere, dicat facta esse Euangelia, atque per Christum facta esse? φεῦ τῆς τετρυβλωμένης κατηχήσεως! veruntamen quoniam ità vult, sequamur eum. Respondeat ergò, nullóne modo ad Euangelium pertinebat, cùm Joannes istud scriberet, Herodem occidisse infantes; Diabolum tentare Christum; Herodem alterum fratris sui Uxorem habere; Illius Filiam Baptistæ Caput auferre; Dæmoniacum ab integra legione possideri; Pharisæos esse incomparabiles Hypocritas; Saducæos negare Resurrectionem;

Herodianos

Herodianos vitæ Domini piè insidiari; Divitem æstuare in Inferno; Petrum ter abnegare Herum; Judam prodere Christum, & miserabili exemplo ἀπάγξασθαι. Nè infinitus in hiis sim; De hiis, omnibúsque similibus, hem nunc Determinationem sanctissimi Barjesuitæ, ad Euangelium hæc omnia (suo modo) pertinent, Ergò, *omnia ista per Jesum facta sunt.*

9. In tam felici igitur Successu hominis, nequeo imperare mihi, Quin ad singulare illud Exemplum, ad quod ipse modò abduxerat nos, jam eum denuò (velit, nolit) revocem, quo & παντχγίας ipsius singulare Exemplum ex eo quoque, in æternam ejus memoriam statuatur. Paulus dixit, *Omnia facta sunt nova.* Vin' jam, Lector, dicti illius divinam elucidationem? Audi ergò Racovianum. Cùm restringi oporteat vocem, *Omnia*, ad Subjectam Materiam, Subjecta autem Materia ibi apud Paulum sit Epistola ea ad Corinthios, apparet vocem, *Omnia*, de iis omnibus, quæ quoquo modo ad eam Epistolam pertinent, accipi debere, C. R. p. 74. Quid? Mirificè, Scio, hoc placet tibi. Vides igitur, Novam hanc Epistolam factam esse; Nova enim est, cùm Secunda sit, & à priore altera. Pergamus verò ex ipsius exemplo. Ad hanc enim Epistolam plurima pertinent, quæ specialem à nobis observationem postulant; *Satanæ cogitationes vaferrimas esse, & ad decipiendos homines compositas*, c. 2. v. 11. *Esse multos, qui caponabantur Verbum Dei*, v. 17. *Qui ambulabant in summa astutia, atque dolosè tractabant Verbum*, c. 4. v. 2. *Quorum mentes Deus hujus seculi excæcarat, nè affulgeret iis Claritas Euangelii Christi, Qui Imago Dei est*, v. 4. *Qui corrumpebant animos hominum, atque abducebant à simplicitate, quæ est in Christo*, c. 11. v. 3. *Qui Jesum prædicarent, quem Apostoli non prædicarant*, v. 4. *Qui ψευδοαποστολοι erant, dolosi Operarii, transformantes se in Apostolos Christi, ut Satanas se in Angelum Lucis*, v. 13. Jam verò, ex Definitione Exatici Doctoris, omnia hæc Epistolæ hujus Subjecta Materia sunt. Igitur cùm & dictum Pauli sit, *Omnia facta sunt Nova*, atque vocem hanc, *Omnia*, ad Subjectam Materiam restringi oporteat, perpendatur, obtestor, An Historicam solùm veritatem Citationes, quas jam protulimus, habere censebuntur, an etiam Propheticam (De rebus enim certissimè futuris in Tempore Præterito loqui, Propheticæ locutionis idioma est:) ità ut, *omnia hæc Nova facta sunt*, exponatur, Esse certò, quando Nova omnia hæc fient; venire Tempus, Quando alius Jesus ab Apostolis non prædicatus, prædicabitur; Fieri etiam hoc oportere, summo cum dolo, & per omne genus Sophisticen, ídque ab ipsis Satanæ Ministris; ante omnia non ferentibus, Christum esse Imaginem Dei. Atque jam rogandus est ipse Barjesuita, Quid sibi videatur de tali Expositione, ad ipsius exemplum, Regulámque tam affabre facta.

10. Saltem dicat, Quâ fide, (Catechisticâ solùm suâ, an certè bonâ, Serió que,) dixerit, quòd *Subjecta apud Joannem Materia sit Euangelium.* Injuriam enim Joanni infigniter facit, qui ab Euangelio solo eum laudaverit, non minùs ab Apocalypsi, atque ab Epistolis ejus æstimandum. Sed exclamabit nunc, scio, hanc esse Meram λεξιθηρειαν. Nam, *apud Joannem*, quod dicat, ex usu communi intelligi oportere, *In eo loco Joannis*, Rectè monet. Absit autem ut nos verborum Venaturam faciamus. De eo loco Joannis, nisi ipse nevelit denuò, accipiemus, Verùm unde probat ille nobis Materiam Subjectam illius loci esse Euangelium? An Quia ipse dicit? An Quia in Euangelio ille Locus est? Ergóne verò cujusque Loci in eo Euangelio Subjecta Materia est Euangelium? At siquid habeat insanius hoc, insulsiúsve, dicat & id quoque. Nam (in proposito ut nè instemus,) Annon loca sunt in hoc Euangelio, *In nomine proprio si alius venerit, eum accipietis*, c. 5. v. 43. *Ille homicida erat ab initio*, c. 8. v. 44. *Istud verò nemo accumbentium noverat*, c. 13. v. 28. *Pueruli, ecquid Obsonii habetis?* c. 21. 5. (Infinita alia transilimus;) Horúmne ergò singulorum locorum Subjectam Materiam statui oportet Euangelium? omnem Corybantiasmum superat! Quod de Euangelio igitur nemo putarat, Est & illud, ex hujus jam decreto, Totum in toto, & totum in qualibet parte. Verùm habemus ei has gratias, quòd ex ista regula, præter spem, exponere jam nos doceat alium Locum huic simillimum, (Nam & de Christo dicitur; & in hoc Euangelio dicitur; & non à Joanne solùm, sed & à Petro quoque; & vocem hanc, *Omnia*, in se habet; *Domine, Tu novisti Omnia*) Jo. 21. 17. Vultísve igitur & vos jam, Pulli Socinini, & hujus Loci, *Omnia*, cognoscere? Næ vos Catechistam habetis Expositorem (Supra fidem) mirabilem! Nam cùm Subjecta apud Joannem Materia sit Euangelium, ad eam restringendus est & hujus loci sensus. Est igitur, *Domine, tu cognoscis Euangelium, & omnia, quæ quoquo modo ad Euangelium pertinent.* Et verissimum est, quod dicit. Sed quid tum postea? Ergò & Petrinam Dilectionem, *Domine, tu scis, Quia amo te.* Sed pro appendice sit, Ergò & Barjesuiticam impostúram, *Tu scis, Domine, quam graphicè prævaricetur.*

11. Ad dictam autem regulam De Subjecta Materia quòd provocet, & has ei gratias ingentes habemus, præterquam quòd in fraudem hoc, (in speciem enim solam) faciat. Tam sancta enim ea Regula est, atque à Theologis omnibus tam religiosè colenda, Ut quolibet in Loco haut alium ad sensum sententiam aliquam pertrahere fas sit, quàm qui genuinè eruendus sit è Materia Subjecta. Verùm (nè lactare nos possint, & usque fallere;) è Materia, Qua? & Subjecta, Cui? E propria scilicet. Non igitur è Materia prima, Sed è propissima, non è longè Semotiore aliqua, Sed è proxima. Subjectam eo in loco Materiam esse oportet, iis ipsis Verbis substratam, ínque ea sententia (si absoluta ea, perfectáque sit; si non, sed dependeat, tum in ea, ex qua dependet,) comprehensam. Materia hæc est in omnibus dictis verè Subjecta. Jam verò sub hujus regulæ prætextu, lineas omnes confestim transilire, atque extra oleas quenquam sic decurrere, ut desertâ prorsus propriâ materiâ loci, evagetur, atque generalem aliquam materiæ notionem subintroducat sibi, hic Dolus, hoc Scelus est, unde Theologia commutatur planè in ψευδologiam, neque pro dolosa solùm ambulatione, sed & probrosa mœchatione haberi oportet, Quia jam pro legitimè Subjecta & ritè conjuge Materia, usurariam sumit Suppositiriam, & alienam. Loci igitur ipsius, *Omnia per eum facta sunt*, Materia verè Subjecta (Quicquid Barjesuitam, in suo AntiChristianismo, Nè Christus Creator Rerum habeatur, insanire coactum audivimus:) est, Quicquid in Rerum Natura fuit unquam, erítve; Conditor ipse omnium fuit. Et sequitur quidem hoc ex ipso Ordine dicendorum: Primò, Ut doceret Joannes, Deus Filius Qui fuerit; Persona altera, Ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, v. 1. Sed Naturâ idem; Θεὸς ἦν ὁ λόγος. Dein, Quid fecerit; Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. V. 3. Atque ea de re, nè quicquam erretur, quod in Collectivo adfirmârat Pluraliter, πάντα, per Distributivam Negationem Singulariter etiam diducit, *Sine ipso factum est nihil.* Ità quidem vulgò vertitur, sed minore, quàm par est, cum emphase; vocabulum enim est, οὐδὲ ἕν. Sic ut in ista Negatione concludantur ad unum omnia, Quæ facta unquam fuere; *Sine verbo facta est nè Res una.* Poterat ergò & à Nostris (Latinum non malè emendantibus) paulò significantiùs verti, **And without him was made not any one thing, that hath bin made.**

12. Subjectam igitur Materiam suam sententia ipsa clarè annuntiat, Rerum Omnium Universitati adæquatè parem. Ut jam non explodendus modò, sed & execrandus etiam sit effrons Catechista cum suo delirio, haut veritus adserere, SSpiritum addidisse ea verba, *Sine ipso factum est nihil*, in gratiam Barjesuiticam, ut eo meliùs illustraret blasphemas ipsius ineptias; Quas cùm repetere quidem reverâ ipsum puderet, tegere, quantum potest, contentus, appellat, *Illa*, ut, *Illa superiora, &, ejus generis quædam.* C. R. p. 74. tandémque de Vocatione Gentium, & Abolitione Cæremoniarum (de quibus nemo ambigebat) longos satis

logos

Logos per fraudem ſubnectit, nuntiátque, *Ea facta eſſe per Chriſtum*; Et non facta per eum tamen; Sed per Apoſtolos facta eſſe; & facta non ſine Chriſto tamen. (Egregiè enim fluctuat, ut dolo ſuo aliquam nebulam offundat.) Quaſi duæ hæ res non parem omnino conditionem ſortitæ ſint cum cæteris operibus Chriſti, cum promulgatione Euangelii, Verbi diſſeminatione, Sacramentorum celebratione, Eccleſiæ plantatione. Sed iſte meliore eas illuſtratione ex ipſo Joanne opus habuiſſe vult, (Neque tamen debuiſſe à Joanne expreſſè nominari, ſed, honoris cauſſâ, fidei Barjeſuiticæ reſervari:) nè ſtolidi atque tardicordes Chriſtiani, (Tales enim eos ab iſto haberi, Quis ex hoc non videt?) ambigere poſſint, an Abolitio legalium, atque Vocatio Gentium à Chriſto factæ fuerint. Periiſſet igitur Chriſto tum excuſſi jugi legalis Honor, tum introductæ Plenitudinis Gentium Gloria, Niſi Sagaciſſimæ Socinitati jam tandem ſuboluiſſet, per annos pluſquam ſeſquimillenos latuiſſe res iſtas, (prætérque illas nihil,) ſub hac Sententia, *ſine ipſo factum eſt nihil*; jámque per ipſos, nare tam beatâ præditos, publicari Mundo, Chriſtóque Autori adſeri, quod (E reliquis Euangeliis; è Stellâ magorum; Novi jugi annuntiatione; Fiſſurâ Veli; Maceriæ ſolutione; Chirographi deletione; miſſione denique in omnes Gentes cum mandatis ſolùm ſuis,) neque mundo ſatìs innotuerat, neque Chriſto in laudem ſuam ceſſerat. φεῦ τῆς βασάνου τῶν ἀνοσφρήτων! Verùm hiis ſe ſiliquis paſcere porcos iſtos oportet!

13. Habent verò & loca alia Vocem hanc, *Omnia*, quæ cùm peſſimè Se cruciari ex iis ſentiat, eodem hoc gladio, quantumvis plumbeo, atque ſecandi exorte, tranſadigi jubet, ſed cautè tamen, atque ex arte ſua, hoc eſt, egregiè Veteratoria. Igitur cùm à Paulo dictum ſit, *In ipſo creata ſunt Omnia*; & rurſus, *Omnia per ipſum, & in ipſum creata fuere*, Col. 1.16. non placet heic, ad Subjectam Materiam, *Omnia*, referre, non ad Epiſtolæ Materiam extravagari. Apoſtolus enim ipſe Subjectam hoc in loco Materiam, tam invidioſè quidem, deſcripſit, ut locum nullum cavillandi ea in parte reliquerit. Ait enim, *Creata ſunt omnia; ea quæ in cœlis, & ea quæ in terris; Quæ Viſibilia, & Quæ Inviſibilia; ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates, omnia per ipſum, & ad ipſum creata fuere*. Quid igitur jam facit? Neque adhærere auſus priori ſuæ Exceptioni, (De Chriſto hæc dici, tanquam de Secunda, & Media Cauſſa;) obiter tantum, & in tranſitu ſolùm id nominat. Videt enim, ſi δι' αὐτῆς poſſit & heic parem colorem ei paralogiſmo conciliare, præſtò tamen adeſſe &, ἐν' αὐτῷ, &, εἰς αὐτὸν, quæ rem totam in integrum pluſquam reſtituent. Ad, *Creandi*, quidem Vocabulum, quod pro diffugio ei antè fuit, quia non uſurpatur ibi à Joanne; neceſſe eſt, ut aliquid videatur jam dicere. Ait igitur, *Verbum*, Creari, *non ſolùm de Vetere, ſed etiam de Nova Creatione in S Scriptura uſurpari*, C. R. pag. 78. Triáque exempla in eum ſenſum laudat. Sed quorſum hæc Nugatio? Ecquis enim omnium hoc negabit ei? Dicitur, *Creari*, de Rebus omnibus, ex non eſſe ad eſſe procedentibus. Ad Naturam igitur non magis referri poteſt, quàm ad Gratiam; Ex qua & Nos, *Creari*, Fideles dicimus, atque neminem naſci, ſed Fieri Chriſtianum.

14. Verùm tu hoc reſponde, Potéſtne, *Creari*, hoc in loco accipi de Nova Creatione? Súntne ea quæ in cœlis, & ea quæ in terris? Súntne Omnia, quæ Viſibilia ſunt, & quæ Inviſibilia? Súntne Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, de nupera atque recente Creaturarum editione? Hui! Quàm æſtuat! Non placet tam reſtrictim examinari hæc. Deſerit ergò & iſtam Berenicen, quantacunq; cum φαντασίᾳ à Se ridiculè introductam, tandémque reſpondet, *Præterea, ea verba*, omnia in cœlis, & in terra, *non uſurpari pro omnibus prorſùs apparet*, C. R. pag. 78. Quidni verò? Quia *paulò inferiùs ſubjecit, Deum per Chriſtum reconciliaſſe omnia, pacémque feciſſe inter ea, ſive ea ſuper terra ſint, ſive ea in cœlis*, ver. 20. Rectiſſimé. Sed quid? Hæccine inter ſe adverſantur, *omnia, quæ in Cœlis, Terríſque ſunt, Creata eſſe per Chriſtum: Per Chriſtum etiam reconciliari inter ſe omnia in Cœlis, Terríſque?* Ecqua in hiis pugna eſt? Neque id auſus eſt diſertè dicere, Quid igitur rei eſt? Revera merus luſus eſt, & puerilis tantùm paralogiſmus, in aliquam ſpeciem objectionis pueris ſuis obtrudendus, ſed tergori ipſius magiſtri literis ulmeis meritò inſcribendus: Sic autem ſe habet, *Quia omnia in Cœlis & Terris Paulus dicit de Rebus per Chriſtum Reconciliatis*, Quæ tamen Omnia prorſùs non eſſe, fatìs novimus, ſed eſſe tantùm Omnia, quæ reconciliantur, Ergò cùm de rebus per Chriſtum Creatis idem dicat, de prorſus omnibus, (Quæcunque Creata ſunt ſcilicet,) accipiendus non eſt. Annon hoc omnem ſubtilitatem ſuperat? Semper ità non eſt; Ergò, non heic. Profecto ſi id ſolùm voluiſſet, De longè pluribus, omnia per eum creata ſunt, dici, quàm, omnia per eum reconciliata ſunt, pedibus iremus in ſententiam. Ex hoc enim, jam eò magìs ſequeretur, omnia Creari, de omnibus prorſus dici. Enimverò (ut ſemel jam hoc moneamus,) Eſt iſta Materiam Subjectam in quaque ſententia deſignandi optima atque tutiſſima via, per Actum in ſe Reflexum ad eam connotandam procedere.

15. Divinum ad hoc exemplum ipſius SSpiritûs habemus ibi apud Joannem; Nam, *omnia per ipſum facta ſunt: & ſine illo res nulla facta eſt*, æquipollet huic, *Quæcunque facta ſunt, per ipſum facta ſunt*. Similiter & in hiis jam præſtandum eſt, *omnia per ipſum Creata ſunt*, ſignificare oportet, *Quæcunque creata ſunt, per ipſum creata ſunt*. In illo quoque reconciliationis negotio, licèt reſtrictius Creatione ſit, ad eandem tamen methodum, *omnia per ipſum reconciliata ſunt*, nihil aliud eſſe debet, quàm, *Quæcunque reconciliata ſunt; per ipſum reconciliata ſunt*. Hæc eſt vera ea Relatio, quam vox, *omnia*, ad Subjectam Materiam ſemper habet. Atque opportunè jam iſta conſyderatio non ingratum nobis hunc reditum præſtat ad illa Quatuor Paulina effata, à quibus Sectionem hanc orſi ſumus. Adſerit ille, Divinam eam Virtutem, Ἁγιότητα, quam ibi in Cœlos pro merito evehit, Πάντα σίγην. Πάντα σιωπᾷν. Πάντα ἡσυχίαν. Πάντα ἀναπαύειν. Cupin' tu jam, pie lector, Scire, quæ iſthæc, Πάντα, ſint? Vin' deſcribatur tibi tam conciſarum Sententiolarum Subjecta Materia? Jam facilis eſt ad hæc via, & verè lactea: Reflecte Actum cujuſque, & habes, *Omnia*. *Charitas omnia ſuſtinet*, Putà, Quæ à Chriſtiano Fratribus ignoſcenda ſunt. *Charitas omnia credit*. Quæ Fidei ipſius eſſe ritè proponuntur. *Charitas omnia ſperat*. Quæ ſub officio Spei cadunt. *Charitas omnia tolerat*. Quæ Patientiam Chriſtianam requirunt. Uno verbo, *Suſtinet qua ſuſtinenda ſunt; Credit credenda; Sperat ſperanda; Toleráque toleranda*.

16. Sed jam pergendum eſt; Nondum enim abſolvimus omnia. Neque igitur fert Chriſtomachus iſte, ut, *Chriſtum res omnes creatas conſervare*, probetur ex iis verbis, *Portánſque omnia verbo virtutis ſuæ*, Heb. 1.3. Reſpondet igitur, *Verbum*, Omnia, *heic non minùs, quàm in pluribus locis aliis, non omnia in univerſum ſine ulla exceptione deſignare*. C.R. p.83. Verùm & heic nos non credimus tibi ſeudole, veritatis tam manifeſtario paracharactæ: Addit ergò, *ſed ad ea tantùm, qua ad Chriſti Regnum pertinent, referri*. Iſtud verò quantò minùs tibi credimus, in ſenſu tuo, partem maximam Regni Chriſti harpagare jurato? In ſenſu enim recto, Ad Regnum Chriſti Omnia in univerſum ſine ulla exceptione pertinent. Sed fidem ille, cùm non inveniat, faciet. Ad confirmandum igitur ſe accingit, *Quòd verò vox*, omnia, *hoc in loco, ad ea duntaxat referatur*, ex ipſa *Materia Subjecta ſatìs apparet*, C.R. p.84. Ohe! Duo jam Adverbia advocavit, *Duntaxat*, & *Satis*, & ex illis rem factam ſe habere confidit, Cauſſámque ſuam bene peroratam. Nobis verò certum eſt, & Verba ejus, & Adverbia, tam gratìs accerſita, nullámque ſecum probationem apportantia, pariter, αὐθαδῶς, Duntaxat in Speciem enim probationis fieri, quod ad Materiam Subjectam

jectam referri cupiat, istud omnium satis apparet, quia nondum distinguit, Quam Materiam, Aut Cui, Vel Ubi subjectam velit. Quid? An generaliorem aliquam? Novimus enim, qui non ità pridem recepit Se ad Euangelium. Sed hoc nunc præsensit, esse periculosæ plenum opus aleæ, Quia hinc si pedem moveat, in foveam incidit. Primum enim hoc Epistolæ hujus Capitulum diris Barjesuitismi tormentis est refertissimum. Sapit ergo sibi, atque extravagari nunc non audet. An igitur, Huic tantùm Loco Subjectam? Præter eam profectò, Materiam nullam verè dici Subjectam, jam indicatum est. *Omnia* igitur Christum, *verbo virtutis Suæ*, hoc est, Solo verbo placitóque Suo potestatem atque virtutem omnem habente, *Ferre, Conservare, Gubernare, Administrare*, (De Significatione enim, τῦ φέρειν, exclusivè ad aliquod horum, & stulta est, & improba Lis.) ex ipsius Sermonis idiomate, (cùm in textu nulla sit restrictio adjecta,) pertingere ad Omnia oportet, quæ Latione, Conservatione, Gubernatione, Administratione opus habent; ideóque de Rebus Creatis Omnibus accipi, Sine virtute ista, πάντων ζωτικῆ, καὶ ζωστατικῆ, actutùm, æternúmque ruituris. Ex ipsâ igitur Materia Subjecta jam satis apparet, quàm impudenter ille nunc prævaricetur; Cùm in ipso contextu Singula Virtutem eam loquantur, quæ sese extendit ad Omnia in universum sine ulla exceptione.

17. Igitur cùm tam feliciter Res ei hactenus successerit, Omniáque quæ in adversum objecta sunt, tanto pugili Singula obstare nequiverint, majus opus jam molitur, binàque loca pariter in arenam protrudit, ut uno ictu geminis hostibus prostratis, Rem confectam ei dent, conclamatámque, Σὺν ᾧ δυ' ἐρχόμενοι! Divina igitur Christo Natura adseri nè possit, vel ex illis verbis, *Omnia quæ Pater habet, Mea Sunt*, Joan. 16. 15. vel ex illis, *Mea Omnia, Tua Sunt, & Tua, Mea*, Joan. 17. 10. Respondet, *Vox*, Omnia, *ad Subjectam Materiam ferè semper refertur: Quare ex ejusmodi locis non potest ullo modo, quod volunt effici*, Cat. Rac. pag. 107. *Non ullo modo!* O immitem Sententiam! Verùm agite, pariabimus ei; Non potest ullo modo sequi hæc Negatio, Catechistæ igitur, *Quare*, est κολοβόκερκον, & Consequentiam nullam habet. Capiti autem suo caveat, quantum potest: Nam cùm Vox, *Omnia*, ad subjectam Materiam referatur, Ex hiis locis, Divina, quam volumus, in Christo Natura necessariò efficitur. At jam in ista, ἀντεναντιώσεις, quid fiet! Expendenda necessariò est utriusque Loci Materia. Eatur igitur ad Loca, Primus est, *Omnia quæ Pater habet, Mea Sunt*. Sic illi visum est legere; Nam SScriptura cùm sit, si non aliquà vitiasset, mortuus esset. Verba verò sunt, Πάντα ὅσα, *Omnia Quæcunque habet Pater, Mea Sunt*. Sed inimica nimis ei est Vox, *Quæcunque*, Christúmque sonat, imò clarat, Deum. Præcidit igitur ei ad nates impurus Ammonita, 2 Sam. 10, 4. & surripuit, *cunque*. Sed hoc in Barjesuita parum est. Agat igitur, jam dicat, Quæ est Materia Subjecta hujus Loci. Respondet verò, *Materia Subjecta capite 16 est*. O infidum Caput! idque non in 16, sed in largissimo folio. De Capitis Materia dicit, de Loci pollicius dicere; Locus autem hic illius Capituli nè centesima quidem pars est. Sed sic solet beare amicos! Quin si verum dicendum est, Debent ei immortales has gratias sui, quòd mitiùs jam cum iis agat, quàm priùs, neque ad Materiam totius Euangelii sed ad Capitis tantùm, (Nunquid non modicum est?) eos ableget.

18. Sed agamus sodes; Inquiramus, quæ & hæc Illatio sit. Nam *Materia Subjecta Capite 16. est* etiam Persecutio Fidelium, ver. 2. est Christi Discessio, ver. 5. Diaboli Convictio, ver. 11. SSpiritûs Annuntiatio, ver. 14. Discipulorum perturbatio, ver. 19. Consolatio, ver. 23. Professio, ver. 30. Dissipatio denique, ver. 33. Quid! Omniáne hæc sunt Dicti istius Subjecta Materia? An, Caussam dicit, cur hunc de Spiritu ille Solùm seligat, nisi ut blasphemæ suæ hypothesi hôc magis inserviat? Sed & purget jam se oportet ab audacia plus quàm Diabolica. Christus dicit, *Omnia*. Idem etiam, nequid erretur in dicto eo, Subjecta Materia quæ hoc in loco sit, ipse determinat, *Quæcunque habet Pater*. Sed intercedit Barjesuita, statuítque intelligi debere, *Quæ SSpiritus Discipulis revelabit*. Jesu ipsi jam credetur? An Barjesuitæ? Verùm huic nè credatur, Christus ipse Satis cavit; Ait enim non semel, SSpiritum accepturum esse; Quid! Non, τὰ ἐμὰ, *Accipiet Mea*, Sua enim sunt, Quæcunque Patris sunt; sed, ὃτι τῶ ἐμῶ, ver. 14. *aliquid de Suo* (quantum Discipulis expediret scilicet;) SSpiritus revelaturus iis erat: Quæ revelaturus ergò erat, non sunt Materia Subjecta, ad quam referri oportet istud, *Omnia*. De nihilo igitur non fuisse Opinor, quòd voculam illam, *ferè*, religiosè nunc cautus, Impostor heic interposuerit, Ait enim, *Vox*, Omnia, *ad Materiam Subjectam ferè Semper refertur*. Ubi enim SSpiritus ipse ῥητῶς designat, Quid sub Voce, *Omnia*, intelligi oporteat, (Quod in hoc loco factum est, dicit enim, *Omnia Sua esse, Quæcunque habet Pater*,) ibi per nequitiem Solùm, dolúmque malum, quæritur Subjecta Materia, ad quam referri possit. Verùm Pyrgopolinices noster, ut SScripturarum se Solum Dominum, (domi saltem suæ) esse monstret, ubi nunc SSpiritus Subjectam Materiam designavit, aliam tamen Quærit, déque Suo Substituit; ubi verò non designavit specialem, quàm parùm ille Sensus suos loci ipsius Subjectæ Materiæ submiserit, jam satim indicavimus.

19. Transeundum igitur nunc ad Secundum horum locorum est: *Et Quæ Mea, Omnia Tua Sunt, & Quæ Tua, Mea*. Eâdem autem chordâ & heic oberrat, atque ut Subjectam Materiam eruat Sibi, nè ad Divinam Naturam referre cogatur hoc, *Omnia*, narrat nobis, (ut antè,) Quid 17 hoc Capite agatur. Agitur verò in eodem & de Rebus Ante-Secularibus, ver. 5. & de filio Perditionis, ver. 12. & de Mundo atque Maligno, ver. 15. sed ait, *Apertissimè constat agi de discipulis, quos Deus Christo dederat*, Verùm quid indé? Nequítne ergò Christus esse id quod est, Quia Discipulos à Patre habet? Aut cùm jam dixerat, *Rogo te pro his*, (Discipulis suis scilicet) *quos dedisti mihi, quoniam tui sunt*, ver. 9. quod proximè atque eodem spiritu subjungat, *Et Mea Omnia, Tua Sunt*, tautologicè solùm dici oportet, neque aliud Significare, quàm omnes mei Discipuli sunt tui? Ferret quidem hoc Barjesuita libenter; sed non Feret ipsa Conjunctio, καὶ. Nam qui ad Deum eodem tempore dicit; *Discipuli Mei Tui Sunt, Et Omnia Mea, Tua Sunt*, non Solùm de Discipulis, Sed & de alia re omni, quæ sua dicenda est, intelligendus est dicere: Qui verò pergit usque, & cum Deo reciprocat, *Et Omnia Tua, Sunt Mea*, Naturam ipsam imprimis dicat oportet, aliúsque esse non potest, quàm Secunda Persona, Deus Filius, Deitate Idem, Gloriâ æqualis, majestate coæternus. Satis hoc sensit vaferrimum Caput, inque Majorem Cautelam tenuibus hiis filis argutiolam alteram subfidiariam subnexuit, *Præterea, cùm quicquid Christus habeat, habeat Patris dono, non autem à Seipso, hinc apparet, ipsum Divinam Naturam habere nullo modo posse*, C.R. pag. 108. Verùm Socinuli hujus, *Nullo Modo*, quàm nullam vim habeat, & ejus, *Apparet*, quàm merum phantasma sit, jam Satis experti sumus. Reponimus igitur uno verbo, Quicquid Christus habet, ut Homo est, Dei dono habet: Sed ut Deus est, Omnia à Seipso habet. Igitur quod & Iste, quasi in objectionis suæ Confirmationem, adsumit, *Quia Naturâ Deus omnia à Seipso habet*, ambabus ulnis & nos accipimus; Habet enim Christus, quâ Deus est, & à Seipso Omnia.

20. Jam tandem ergo enavigavimus hæc, *Omnia*, atque terram videmus. Nam quod ab Apostolo dictum est, *Nobis unus Dominus Jesus Christus, Per quem omnia, & nos per eum*, 1 Cor. 8. 6. post velitationum nonnihil, (quod nos jam antè, ubi inciderat, obiter coercuimus:) quasi confectâ jam re, non sine fastidio transilit, *Nè commemorandum mihi sit, verbum*, Omnia, *ad Subjectam Materiam referri*, C. R. pag. 117. Profectò commemoret, nécne, nos nil moramur. Meminisse verò nè desinat, & rectè referre, nisi vapulare nobis velit, id monemus. Quàm ipse verò heic Materiam Subjectam comminiscatur,

tur, Socinelli (fortè) ejus ex verbis ſuis, quia Senſu Omni carent, eò meliùs adſequentur: verùm nobis non placet eſſe tam cicuribus. *Quod ità habere, indè apparet*, ait. Sed Quid eſt illud, *Quod?* An, *verbum*, Omnia, *referri ad Subjectam Materiam?* Optimè! Et, *verbum*, Omnia, *referri ad Subjectam Materiam, ità ſe habere indè apparet.* Elegantiſſimè hoc! Et unde apparet? *Quòd Apoſtolus agit de iis Omnibus rebus, quæ ad populum Chriſtianum pertinent.* Hoc acutiſſimè! Ubi autem de iis agit? Iſta in Epiſtola? An, in iſto Capitulo? Certè, utrum velit, parùm refert. Ex iis enim locis materiam loci cujuſquam unquam accerſi, An fallaciùs dicatur, aut ſtolidiùs credatur, nondum inter nos convenit. Habet enim, (quod jam ſæpe monuimus) quæque Sententia vel abſolutam in ſe, vel ex proxima dependentem, Materiam ſuam Subjectam. In hac igitur, *per Chriſtum Omnia*, Supplenda ſolùm eſt Elleipſis, quâ nihil vulgarius apud Paulum, Verbi Subſtantivi, *Omnia ſunt per Chriſtum.* Atque jam ſi quæratur, *Omnia* quæ? Reflecte ſolùm, & habes, *Omnia quæ ſunt, ſunt per eum*; Quæ *Facta* ſunt, Joannis verbo; Quæ *Creata* ſunt, Pauli; Quæ in rerum Natura ſunt ſcilicet: Eodem planè exemplo, quo & ibidem dicit, *Omnia ex Deo Patre.* Subjecta ergò Materia eſt Rerum Univerſitas.

21. At quid tum fiet Demonſtratione Barjeſuiticâ? Ait enim ille, *Apoſtolum agere de rebus ad populum Chriſtianum pertinentibus, duo hæc verba demonſtrant, Nobis, & Pater.* Demonſtrant verò & aliquid aliud agi, quod & ſæpiſſimè à Nobis jam demonſtratum eſt, Catechiſtam ſcilicet agere ridiculum Sophiſtam. Agítne enim Paulus de iis Solis ibi? At nullum aliud vocabulum ad Res univerſas tam propriè pertingit, ac iſtud *Patris.* Indè enim &, *Pater Pluviæ*, Deus audit, Job. 38. 28. &, *Unus Omnium Pater*, Mal. 2. 10. Sed & alterum vocabulum illud, *Nobis*, hoc ipſum exigit. Plus quàm Tautologia enim eſſet, poſt, *Per Chriſtum Omnia*, addi, *Et Nos per Chriſtum*, Si, *Omnia*, ibi de Chriſtianis, nedum de Solis, accipi oporteret. Ipſa igitur Conjunctio, καὶ, docere poterat Magiſtrum Lituanicum, quomodo, Πάντα, exponere debeat: *Per Chriſtum Omnia*; puta, Quæ in Natura Creata ſunt. *Et Nos quoque per Chriſtum*; Creati denuò in Gratia. Corollarium igitur ipſius, (nè longiores nunc in re tam manifeſta ſimus) Caſtrare primùm contenti, atque veritati, Sceleratam ei Negationem demetendo, reſtituere, amicè ſic reponimus, *Unde efficitur, Chriſtum Simpliciter, & abſolutè, non certa ſolùm de Cauſſa aliqua, dictum eſſe, Dominum Unum, per quem Omnia*; *Quare Divinam Naturam in eo indè probari*, Cat. Rac. pag. 118. Siquis verò locus in prodigioſo Libello præterea ſuperſit, in quo Eum pro Libitu ſuo exponere, hoc eſt, Corrumpere Vocem, *Omnia*, adhuc me fugit, pòſt adſuetur hiis, ubi inciderit, ϖῶ Θιῷ.

Sect. XXII.

1. *Elleipſεων in S. Textu Supplementa ut facienda ſint. Repetendo optimè fiunt.*
2. *Quæ Tempora Chriſto ſuo Barjeſuita ponit, Ut ſit; Ut ſit Rex; Ut & Propheta ſit.*
3. *Ut & Sacerdos etiam: nam non antequam in Cœlos rediit.*
4. *Fallacia ejus Una eſt, è confuſione Temporum, ſumendo,* Si eſſet, *pro,* Quando fuit.
5. *Altera, à Vocabulo ſuppreſſo, Scopóque Loci neglecto.*
6. *Regula de Ellipſibus, earúmque Supplementis.* Οὐδὲ *ſupponit aliquid aliud præter id de quo dicitur.*
7. *Niſi ex ea ratione, Græci non dicunt,* οὐδ' ἄν, *ſed,* οὐκ ἄν. *Particula* Δυνητικὴ, Ἄν, *per,* Poſſe, *rectè exponitur.*
8. *Interpretibus fas non eſt, Ellipſin facere. Articulus eſt interdum* Δεικτικὸς. *Sacerdotio Eſſe fluit ab Offerre.*
9. *Sacerdotium de Cœlo ſolùm deſcendit. Ut Sacerdotium Chriſti in Melchizedeco adumbratum ſit à Parte Antè & Póſt. Chriſtus ipſe & Sacerdos & Hoſtia.*

Ελλειψεων plenas variòque in genere eſſe, tum locutiones ipſius Chriſti, tum Epiſtolas Apoſtolorum, (Pauſinas præſertim, propter connatam ejus breviloquentiam;) poſt tot jam exempla à nobis connotata, probatione aliquâ egere non exiſtimamus. Supplementum verò earum ut in quoque Loco inſtitui oporteat, abſit, cujuſque qui volet, arbitrio aut optioni relinquatur: Ex neceſſitate enim ipſius ſenſûs, verborúmque Syntaxi, illud imprimis æſtimandum eſt, debitámque in hiis Analogiam ni ſervet, meliore ſemper jure, quàm obtruditur, eſt repellendum. Minimè quidem hac in parte peccari ſpem eſſe oportet, ubi ſuppletur ſolùm per repetitionem, ἀπὸ τῆ κοινῆ, neque aliter quàm iterando aliquid, quod in Contextu præceſſerat, confici jubetur id, quod in ſenſu deeſſe putatur. Neque tamen expectandum nunc à Nobis eſt, quibus rem hanc habere cum Barjeſuitis contingit, ut vel hiis ſe legibus illi lubenter ſubjiciant, aut non gravatiſſimè ferant, quantumcunque decurratur intra iſtas lineas, quod jam molimur. Caſtiganda enim jam venit improbitatis eorum pars non exigua, atque eripiendus eſt iis locus, Quem ipſi nequiſſimè à Se violatum, coactúmque id dicere, quod à mente Apoſtoli longiſſimè abeſt, unam habent, ſolámque damnatiſſimæ Suæ Sententiæ defenſionem.

2. Quàm bonus quidem, felíxque Suo Chriſto Catechiſta fuerit, jam pridem conſpeximus, & quàm impensè pro Benignitate Barjeſuitica curaverit, Nè non ſit Deus: Diviniſſimo ſolùm exemplo, Ut Paulo, nè propter excellentiam Revelationum nimiùm extolleretur, datus aliquando eſt Angelus Satanæ, qui Colaphis ipſum acciperet, 2 Cor. 12. 17. Ità & Se datum Chriſto, Ut quam largiuntur ei Deitatem, Moderetur tamen, atque nè nimis extollatur, Colaphis & eum cogat, Niſi Deus eſſe nolit, ut quas ei metas, quæ tempora ponere viſum ipſis ſit, accipiat, licèt indè reverà fiat, Ut Deus nè ſit. Jubet igitur, Ut ſerâ ſolùm Divinitate gaudeat, & vel ipſo Herode Magno junior multò Deus ſit; Uno enim Verbo, nè fuerit, id quod Eſt, ante uterum Virginis, Cat. Rac. pag. 53. Propheta etiam ut Sit, Conceditur; Tam inſignis quidem Expoſitor Voluntatis Dei, Ut indè, *Sermo Dei*, audiat, Cat. Rac. pag. 91. Sed neque hoc tamen, ante principium Euangelii. Ità enim exponi oportere illud Joannis, *In principio erat Verbum*, Jo. 1. 1. quòd Chriſtus ſcilicet in principio Euangelii fuit ille Sermo, Cat. Rac. pag. 52. Principium autem Euangelii ad Baptiſtæ prædicationem diſertè reſtringi novimus, Mar. 1. 1. Atque ità annos ferè triginta, Luc. 3. 23. nuperus iſte Deus eorum agere Cogitur, antequam ad Propheticam Dignitatem admitti ab iis poſſit. Rex autem ut foret, grandioris gratiæ res erat; Illud igitur obtinere ab iis non potuit, (Quicquid Magi, De Rege tum nato, ſtolidè percontati ſunt, Matth. 2. 1.) niſi altero poſt Doctoratum datum Quadriennio: *Nam, non priùs conſtitutus Heres Univerſorum fuit*, (ea autem eſt & Regni Conſtitutio, Pſal. 2. 6.) *quàm eum Deus ex mortuis excitavit*, ait Cat. Rac. p. 80. Eugepæ! Quibus gradibus, temporúmque intercapedine quàm Sapienter diviſas, Deo Suo Prærogativas ipſius nôrunt hii homuli erogare!

3. Ad Summam tamen nondum perventum eſt. Supereſt enim & alter adhuc Præeminentiæ ipſius Gradus, Munere Sacerdotali quoque ut inveſtiatur, fiátque ab iis Summus Pontifex. Neque iſto certè Honore non dignantur eum, Sed More tamen Suo, Ut viros Sapientes decet, interponi volunt Spatium Temporis & in hoc, Quò ſentiat Chriſtus Suus, indies Se apud eos gratiâ proficere; Placétque iis, Primò, Ut præſtoletur, poſtquam è Sepulcro rediit, ad Quadraginta dies, Act. 1. 3. Pòſt, jubent, In Cœlos rectà ut eat, ibíque corpus quod apparari ei juſſerant, Muneri ei Pontificali

Pontificali accommodatum, id est, *Immortale*, accipiat, C. R. p. 98. Atque ità evadat Pontifex, &, quod in terris peragere non poterat, C. R. p. 189. ibi Se ad Oblationem accingat, atque Sacrificandi Munere perfungatur, C. R. p. 244. Excitatus enim à morte licèt jam fuerat, nôrant tamen illi, Quid fieri posset; Quicquid Paulus Novisse Se aiat, *Christum resuscitatum non amplius mori*, Rom. 6. 9, Sapiebant illi, atque in terris quantisper moram trahebat, Mortale ei Corpus esse sciebant, In Cœlos igitur ingrediendum ei esse, antequam aptato illo Corpore, Heb. 10. 5, indui eum sinerent, C. R. p. 98. Hem! Quid Rei est, Lector? Horrêsne ad hæc? Exhorruerunt quidem & pulli illi Polonici, atque exclamârunt, *Quid! Annon Christus erat Sacerdos, antequam in Cœlos adscenderat?* C. R. p. 29. Sed motos hos Fluctus quàm ille facilè composuit? uno verbo Magistrali, *Non erat:* actutùm fecit, nè mussitare porrò ausint. Bonus tamen est quoque, & nè nimis imperiosè cum Suis agere videatur, inficiationis tam peremtoriæ probationem non inficetam apponere dignatus, ait, *Nam apertè Scriptor ille Divinus testatur, Si in terris esset, eum nè Sacerdotem futurum*, Heb. 8. 4. Et peramœnus quidem ei hic Locus est, locus est & pluribus umbris: Jam modò enim, attulerat eundem eadem in re, C. R. p. 290. & repetit nunc denuo, ut (pro Sua Autoritate) idem per idem probet. Sed & antea quoque eodem Se tegmine beârat, ubi ingressum Christi in Mundum, Heb. 10. 5, non de Mundo Præsenti, Sed de Futuro accipi mandârat, *Quandoquidem Si in terris esset, nè Sacerdos quidem esset*, C. R. p. 77. Agamus igitur cum bono Deo, hunc Locum paulisper eventilemus.

4. In eo autem, an aliquam μείωσιν Apostolus instituit, &, *Qui in Cœlis Pontifex est, in terris nè Sacerdotem esse*, adserat, nè nimiùm evagemur, nunc non disquirimus. Ad illud igitur Solùm accingimus nos, quod in Quæstione hac præcipuum est; Cúmque Iste, in probationem insanæ suæ adsertionis, aiat, *apertè is Scriptor Divinus testatur:* Nos contrà, Consentimus in Judicem, atque Scriptorem eundem testamur, (*Divinus* enim reverâ est, & novit, Quis & Qualis hic homo sit, qui sic tangat eum, ὅτι ἁμαρτωλός ἐστι, Luc. 7. 39.) Quàm apertè ille Testimonium hoc torqueat, vitiétque. Quæstio enim, quam ipse proposuerat, erat, de Christo, antequam adscenderet in cœlos, id est, (æquipollent enim;) Quantisper in terris adfuit. Igitur cùm Paulus hæc scriberet, nihil potuit ea de re ab eo dici, nisi Sub notione Temporis jam antè Præteriti, De eo scilicet Tempore, Quando Dominus Mundo interfuit, & de quo jam est Quæstio, an Christus tum fuit Sacerdos. Sed istud, quod ipse è Paulo nunc citat, est, *Si in terris esset*, atque istud Temporis notionem nullam habere potest, nisi vel jam tum Præsentis, vel pòst Futuri. Atque hoc tamen tam apertum est è Paulo Testimonium? An re quidem verâ, Apertum est in Barjesuita falsimonium? Nam, *Si esset*, aliud longè est, quàm, *Quando erat*, aut, *dum fuit*; Apertè igitur nihil hinc sequitur, neque, *Christum, antequam in Cœlos adscenderet, Sacerdotem non fuisse*, per aliquam Consequentiam concludi indè potest, præterquam per Barjesuiticam, quæ ut plurimùm est nulla, falsa semper est atque Sophistica. Istud igitur jam primum esto; Suppositionem, De re non nisi Præsenti, aut Futura, ab isto Scriptore factam, Citatorem hunc Supposititiam jam facere, & pro re diu antè Præterita sumere.

5. Sed & qui toties hunc Locum pro Se laudavit, dicat, Quid factum est Particulis, μὸ γάρ. Ità enim sunt verba Scriptoris, Quem Nos Paulum appellare, nulli veremur; εἰ μὸ γὸ ἦν ὅδι γῆς. Causlativam autem ex vim in Se habent, atque ad aliquid probandum interseruntur. Illud autem quid sit, si exquiramus, apertè indè probabitur, quàm graphica ista nunc prævaricatio sit. Dixerat Apostolus, *Necesse esse, Pontificem nostrum Christum in Cœlis jam aliquid habere, quod offerat.* Confirmat autem ex hoc, *Quia si in terris esset, Sacerdos utique non esset.* Sed Pace S. Pauli, interrogemus, necesse est, Quæ est ista Consequentia? Si in terris existens Christus Sacerdos non esset, Ergò, In Cœlis existens, habet, quod offerat. Verùm ex Mente S. Pauli, habemus, quod respondeamus, Consequentiam hanc optimam esse, & luculentissimam. Elleipsis enim Solummodo in eo, quod posteriùs dixit, est, Cujus Supplementum, Si jam per Rei, quæ probanda erat, repetitionem, fiat, (Quo nihil in usu sermonis facilius, nihil in ipsa ratione naturalius est:) argumento Apostolico tum Lucem, tum Confirmationem abunde præstabit, Sic, *Si enim in terris esset*, (repete heic, & Supple, *atque non haberet, quod offerat.*) *Sacerdos utique non esset.* Directè igitur nunc concluditur, Multò magis necessarium est, Pontifex in Cœlis cùm sit, ut quod offerat, habeat. Atque hæc jam est vera vis verborum, genuinus hic & apertus Loci Sensus.

6. Quod si Paralogismo jam suo emunctus, Barjesuita reclamiter, Ferendum enim omnino non esse, ut in Sacro Textu Elleipseis quisque, quas volet, somniet; Quanto minùs, ut ad libitum, atque pro Suo sibi placito subornet, per quod suppleatur, συμβύχους nos atque συμβόρους habet, totísque viribus ei suffragamur. Elleipseων enim leges illas, quas, in exordio hujus Sectionis, de jure figendas esse monuimus, refigere nemini licere protestamur, neque è Suopte solùm cerebro, aut quod deesse censeatur, imaginari, aut unde supplebitur, Comminisci. Nos igitur ad Scopum, Sensúmque loci primò confugimus, atque eum Si non rectè teneamus, Si non clarè illustremus, ilicet, quin repellamur, Caussam non dicimus. Evincimus præterea quod volumus, & ex ipsis verbis Loci. Per enim ipsum, γὰρ, Probationis Caussâ ab Apostolo annexum, aliam Consequentiam nullam, quàm quæ jam à Nobis introducta est, probari posse, modò indicavimus. Porrò & alteram particulam, ὐδὲ, ad eandem probationem huc accimus. Simplex enim Negatio cùm non Sit, Sed & Disjunctivum quoque in Se comprehendat, necesse est, ut aliquid Secum quod contrà respondeat, vel Expressum, vel Subintellectum, habeat. Rectè igitur ex priore, Sensus petitur, Si non habet, quod offerat, Neque habet utique, unde Sacerdos Sit. Si non illud, Neque & hoc. Pariatio enim quædam seu Conduplicatio semper in his Subest.

7. Hæc autem jam ratio nè intercalanda sit, addimus, ex idiomate Græcorum aliter esse, ubi per Meram, Solámque Negationem, quæ hujus sunt generis, dicuntur. Ità Christus Judæos nobis, produxit, οὐ ἦμεν ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν Πατέρων ἡμῶν, οὐκ ἂν ἦμεν κοινωνοὶ αὐτῶν, Matth. 23. 30. οὐκ ἄν, aiunt, non aiunt, οὐδ' ἄν· Sed &, hac ipsa in Epistola, εἰ Ἰησοῦς αὐτοὺς κατέπαυσεν, οὐκ ἂν περὶ ἄλλης ἐλάλει, Heb. 4. 8. Imò, hoc ipso in Capitulo, εἰ ἡ πρώτη ἦν ἄμεμπτος, οὐκ ἂν δευτέρας ἐζητεῖτο τόπος, Hebr. 8. 7. Quibus geminum est & illud, ἐπεὶ οὐκ ἂν ἐπαύσαντο προσφερόμεναι; Hebr. 10. 2. Ecquis igitur tam obesæ naris est, ut non suboleat ei, amplius multò comprehendi in οὐδ' ἄν, quàm in οὐκ ἄν, atque aliquid necessariò supponi, ad quod οὐδὲ conferatur? Illud autem heic è jam proximè dicto repetendum esse dicimus, *Non esse ei, quod offerat, Neque igitur eum esse Sacerdotem.* Denique & Tertia ea particula, ἄν, cuiquam verè Grammatico, atque locutionem Græcanicam acutè callenti, hoc ipsum non obscurè innuit. Neque enim παρεμπλήσιόν Tantùm Caussâ nunc inditur, aut Expletiva solùm est, ut interdum fieri amat, sed verè Δωρητικὴ heic est, súbque ratione ea Potentiali addita, exponi debet, οὐδ' ἂν ὧδ' ἔχοιεν, *Neque esse posset Sacerdos.* Non posset autem? Quidni? Supponitur enim destitutus esse eo quod Characteristicum est in Sacerdote, atque ad formalem rationem ejus requiritur, *constitutum scilicet non habere, quod offerat.*

8. Neque heic sistimus etiam. Probationis enim loco non aspernabili nobis erit, quòd Apostolus ad hæc, à nobis jam allata, quæ non videbantur Confirmatione egere,

confirmanda tamen proximè procedat, Primò ad illud, *Quenquam in terris, non habentem, quod offerat, Sacerdotem esse non posse.* Istud autem disertissimè facit, cùm subjungat, Ὄντων γὰρ ἱερέων, τῶν προσφερόντων κατὰ τὸν νόμον τὰ δῶρα. Tacendum quidem non est, Interpretibus satìs infeliciter ista cessisse. Latinus enim Vulgaris, præter quòd lapsus est in Tempore Participiorum, quæ Præsentia sunt, factâ quoque, (Quod in Interprete nullo modo ferendum est) elleipsi principalis vocabuli, τῶν ἱερέων, & reddito loco, *Cùm essent, qui offerrent*, varios variè fefellit. Sed Articulus ille, τῶν, utraque in statione Emphasin suam propè λειτλιπλῶν, habet, & recta Versio est, *eò quòd Sacerdotes sunt ii, qui offerunt ex lege Munera.* Ex hac autem interpretatione, adeóque ex verbis, & mente Apostoli, directè jam sequitur, Quum de Esse Sacerdotis sit, ut offerat, quod constitutum est, Quibus nihil constitutum est, quod offerant, eos Sacerdotes esse non posse.

9. Dein verò, ex hoc præmisso, Apostolus regreditur ad id, quod primò concluserat; *Necesse esse, ut Pontifex noster in Cœlis habeat quod offerat.* Idque jam confirmat Argumento à Majore. Prævidebat enim posse regeri, Non esse eandem rationem Sacerdotis in Cœlis, quæ est in terris; Sed tacitæ objectioni occurrit, mulóque magìs rem se sic habere in Cœlis demonstrat, Quia de Cœlo fluxit illa in terris Conditio, & tota terrestris Sacerdotii Religio, Umbra tantùm erat, Cultríxque Sacerdotii Superni, Eâque de caussâ solùm à Mose constitutum fuerat, tum cùm ipse Sacerdotes institueret inter homines, quæ illi in terris Munera offerent, Quia idem ei in Monte (unde illi Omnium exempla desumebantur,) antè monstratum fuerat, oblationem scilicet ab æterno in Cœlis fieri. Jam verò istud aliter exponi non potest, quàm de æterno Christi Sacerdotio; Adumbrato quidem longè ante Mosen & in Melchisedeco, Idque non solùm à parte Pòst, Quia ille Sacerdos erat qui ζωῆς τέλος non habebat, Sed etiam à parte Antè, Quia ἀρχὰς ἡμερῶν quoque nullam habebat, Heb. 7. 3. atque per hæc ex integro *adsimilatus erat ipsi Filio Dei*; Quem nos jam, *Quia obtulit ipse se*, Heb. 9. 14. προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, Eph. 5. 2. non Sacerdotem solùm agnoscimus, Sed & Agnum quoque occisum ab origine mundi, Apoc. 13. 8. Eat igitur nunc Lavernio, quò dignus est, cum suis Mostellariis, ab hoc loco Apostoli toto jam Cœlo exclusissimis.

SECT. XXIII.

1. *Christus Barjesuitarum Qualis Deus sit. Syllogismorum Lex.*
2. Ante Tempora Secularia, *Quæ sint.*
3. *An Christus sub Decreto Prædestinationis redigendus sit.*
4. *Naturæ utriusq; in Hypostatica Unione probatio.* Παρὰ. *Nomen* Patris *pro tota Trinitate.*

ACcurrite igitur, quantum potestis, Dialecticorum pueri; Nam vestra res ex parte jam agitur, Quæstio enim est de Syllogismo: & nobilis ille Catechista Conclusionem quidem tantùm non negat, Sed pravam eam prorsus esse, & perperàm ab Orthodoxis astructam, id magno ore clamitat, C. R. p. 99. Vestri igitur judicii, per me, primæ partes jam sunto. Conclusio autem eorum, (quam ille, Scelus, damnavit quidem, atque erutam velit;) ista est, *Ergò, Christus est Deus.* Verum autem perfectúmque Deum intelligunt se dicere; non Vocatitium solùm aut Secundarium Deum, Deum ex grandioribus aliquot Conditionibus, Sed factum tamen paucis retrò Seculis, (Quod Lepidus iste Christo suo liberaliter indulget;) Sed absolutè Deum, *Qui per se*, per suam Deitatem, *atque perfectissimâ ratione* (ut ipse postulat, C. R. p. 64.) *Deus est*, Naturámque sibi Divinam habet. Jam verò Syllogismi, per quem istud ab Orthodoxis concluditur, Præmissæ Propositiones, (quarum alteram ab eo, siquid regulas vestras curasset, negari, subruíve oportebat; Sed horrebat misello animus eas aut efformare, aut recitare.) sic se habebunt, Qui, antequam mundus erat, erat cum Patre in Gloria, ille verus Deus est, At Christus, antequam mundus erat, erat cum Patre in gloria: Ergó. Major confirmatur, Quia antequam mundus erat, esse aliquid cum Deo in gloria, quod Deus non erat, turpiter implicat, erat enim, antequam erat. Assumtio verò probatur, Quia *Christus gloriam habuit apud Patrem, antequam mundus erat*, Jo. 17. 5. Ille verò jam, neutram Propositionem (quicquid de Conclusione ab iis perperàm confecta priùs eboârat;) distinctè abnegans, confusè sic respondet, *Neque hinc Natura Divina probatur*, C. R. p. 111. At quid est hoc revera, nisi negare Conclusionem? Sensit vafer, atque nè vobis, ingenui Pueri, grande hoc ludibrium deberet, adfibulat, quod argumenti rationem adversùs Præmissarum aliquam, (sed nescitis Quam,) habere videatur; Regerit enim, *Posse aliquem gloriam habere, antequam Mundus fieret, apud Deum, nec tamen hinc effici, eum esse Deum.* Vos igitur jam dicite, Perperámne illi Conclusionem suam adstruxerunt, an satìs quidem νομίμως illi argumentati sunt; verùm ipse Responsum suum perperàm, atque perversè confecit? Sed ut Sophistam tamen decuit, sperantem, Quò confusiorem Se præstet, eò difficiliùs se ab antagonistis confutari, aut corripi posse.

2. Verùm agite, ô Boni; neque enim sic effugiet Monedula. Accipimus igitur, quod respondet, adserimúsque in oppositum, suppositò, Aliquem habuisse gloriam apud Deum, antequam mundus fieret, necessariò indè effici, Eum esse Deum. Probatione autem hujus Affirmationis, quam in se apertam, nobísque in proclivi esse sciebat, non expectatâ, maluit versutus ille de ea via deflectere, atque Negationem suam per paralogismos obfirmandam suscipere; subjungit igitur, *apparere id* 2 Tim. 1. 9. *ubi Apostolus de credentibus ait, Illis datam fuisse gratiam ante tempora secularia*, C. R. p. 112. Et quid jam Nos? Certè, inficias non imus, talia ferè verba ibi loci reperiri. Excepto tamen, quòd pro æquipollentibus, *ante tempora secularia*, & *antequam mundus erat*, admittamus, cætera Apostoli verba ibi, pauciora esse, quàm Barjesuitæ ex iis cavilla sunt, facilè ostendimus. Primò enim pro *Gloria*, obtrudit nobis, *Gratiam*; Dein, pro singulari unius gloria, communem omnium gratiam. Quæ igitur heic similitudo? Quæ proportio? Rursùs, pro eo, quod Christus dixit, *habuisse se apud Deum*, obtrudit ille, quod ab Apostolo dici ait, *à Deo illis datam fuisse.* Hæccine verò ut eadem sint? Enimverò toto cœlo differunt, ut mox parebit. Verùm & nos hoc ei negamus, Apostolum dicere, *fidelibus datam esse gratiam ante secula.* Quod Apostolus dicit, istud est, *Vocatos à Deo fideles fuisse, secundùm suum propositum & gratiam datam iis in Christo Jesu ante secula.* Longè verò alia hæc res est; facítque, ut nos ad retundendam tam insignem impudentiam, furti quoque Sacrilegum Caput incusare cogamur, Quòd geminas phrases ex eo textu clanculùm subducere ausus sit, Unam, euntem præ, κατ' ἰδίαν πρόθεσιν, alteram, subsecutam, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ. Quas dicti Apostolici sensum ex complexu suo infinitè variare, & ab hoc Barjesuitæ sensu planissimè alium, (ab usu igitur ejus penitùs semotum) facere, par est, ut nunc paucis indicemus.

3. Parem enim si ille utriusque Loci rationem esse jubeat, dictúmque illud Christi per dictum hoc Apostoli exponendum censeat, age, Monstret nobis primò, Quænam illa prothesis Divina fuit, secundùm quam & Christus dicetur, Gloriam suam habuisse ante secula. Quòd si hac in parte nullas ille delicias fortassean facturus sit, qui Christo (est, ubi)

ubi) oppedat illud, *non exprimi, Ipsum ante Mariam fuisse*, Cat. Rac. p. 53. Facilè igitur statuat, potuisse Deum in prævia illa voluntate sua, æternóque decreto, & Christum ipsum prædestinare; At non tam facilè extricare se videbitur in parte altera; (à qua quidem, jugulum caussæ suæ tam strictim petente, immunis ut esse posset, sub doloso brevitatis obtutu, utramque suppressit:) Nam gratia ista fidelibus per propositum data est, in Christo Jesu. Quid jam? Antevortit igitur Christus Jesus & Antesecularem illam Dationem Gratiæ; In ipso enim data est: Istud est primum. Oportet etiam, ex paritate rationis, Ut Gloriam, quam Christus ante Mundum apud Deum habuit, habuerit in Christo Jesu, hoc est, in seipso; Ex natura igitur ut fuerit, & non ex dono alio; Illa autem natura alia esse non poterat, quàm verè Divina. Insigniter igitur cavillatur, Qui distingui inter ista nevelit, summúmque per dolum satagit, ut *Dari*, atque *Haberi*, pro iisdem heic habeantur. *Dari* tum quidem quid à Deo dicitur, respectu certitudinis illius ἀϊδίνως, quâ futuris pòst seculis, istam in Christo gratiam fideles habituros decrevit Deus, licèt Actu nec ea, nec illi tum extitere, Qui tum haberent, quod dabatur iis. Est enim, *habere*, verbum Possessivum, atque Actum aut fruitionem præsentem designat. Observandum igitur est, quòd neque Paulus de fidelibus dixit, *Gratiam, quam habuere ante secula*, neque Christus de se, *Gloriam, quam ante Mundum dedisti mihi*, aut quam decrêsti me aliquando habiturum, sed, *quam tum, antequam Mundus erat, ipse habui*. Illa verò, si in decreto solùm, (ut iste miser gratis nugatur,) fuisset, donum gratiæ tum fuisset, gloriæ non fuisset, (neque igitur habuisse se gloriam dicere Christus poterat,) antequam in eam introiisset. Satis igitur conscius ipse sibi horum paralogismorum, nè uno actutùm indicio periret, & aliud sibi, *præterea*, paravit, ad quod ubi necessitas esset, perfugeret, *Præterea* (ait) *scriptum hoc est, Jesum rogare hanc gloriam: Quod natura Divina prorsus repugnat*, Cat. Rac. pag. 112.

4. Ain' verò, insane? Naturæ Divinæ repugnat, Jesum rogare eam? Quid verò potest dici Naturæ utrique (Divinæ, Humanæque) convenientius, quàm Hominem Jesum rogare Deum Patrem? Quid potuit igitur feliciùs allegari ad fidei Christianæ integritatem conservandam, ádque Socininæ hæreseos blasphemiam contundendam, quàm locus iste, in quo utriusque Naturæ Hypostaticam unionem tam ad vivum ab ipso Jesu delineatam videmus? Jam hominem quidem Jesum fuisse, Humanâ naturâ verè præditum, illud Adversarii facilè admittunt; Sed & illud hinc (contra alios hæreticos, & illud negantes,) optimè adseritur, quia Gloriam sibi adhuc deesse, (quâ parte scilicet homo erat,) agnoscit, poscítque Patrem, ut nunc tandem, (consummato jam opere toto, quod ab homine Jesu præstandum erat, ver. 4.) admittatur ad passionis suæ trophæum, (precationem enim istam factam fuisse proximè ante proditionem suam, novimus è Joh. 18. 1.) atque ità ingrediatur in Gloriam suam, Luc. 24. 26. Deum autem eundem ipsum quoque fuisse, Naturæque in se Divinæ participem, manifestè probatur, Quòd & *gloriam habuerit, antequam Mundus erat*; Quòd & eam habuerit, non παρὰ Πατρὸς, ut Donum aliquod, aut charisma ei concessum *à Patre*, sed παρὰ Πατρὶ, *apud Patrem*, unà cum Patre, ex ipsa natura ejus profectam. Fuisse Eum denique Deum, Hominémque in una eadémque Persona, concluditur, Quòd idem iste Jesus, Qui in Divina Natura ab initio erat; sibi jam, id est, humanæ naturæ suæ, quam adsumserat, precetur complementum illius Gloriæ, quam ipse, quâ Deus erat, ab æterno habebat apud Patrem, quæ ab homine igitur nemine haberi jam poterat, nisi qui & idem erat Deus. Sub titulo autem hoc, *Patris*, variis de Caussis, (non distinctionis solùm, ordinísque naturæ, sed honoris quoque, & celationis etiam suæ, dum in terris versabatur,) precatur hoc sibi Christus ab ea Deitate, in qua & ipse tum erat, & Quæ ab initio (illa enim vox ejus jam duodecennis, erat, Luc. 2. 49, illa extremùm spirantis, Luc. 23. 46, Resurgentis etiam, Jo. 20. 17. & adscendentis denique, Luc. 24. 49.) per omne Evangelium *Pater* ab eo appellitatur. Tantum est, ô Boni, quod vos jam volebam. Sophistâ autem isto abundè nunc vobis propinato, Quem, propter & disputandi fraudem, derideatis, & Dogmatis impietatem, detestemini, Claudite jam hos rivos, domúmque vestram ite, cum bono Deo.

SECT. XXIV.

1. Καὶ *interdum ponitur pro* τυτέστι; Nempe. ὁ Ὢν *comprehendit omnia Tempora. Æternitas in Partes non distinguitur.*
2. Ὁ Ἦν, *in Christi Titulo additur, quia Homo quoque erat. Homo, Æternus est à Parte Pòst, licèt non à Parte Anté.*
3. Ἐρχόμενος *in Titulo Christi, Temporis rationem non habet, nam tum esset* ὁ Ἐρχόμενος.
4. Ἦν *significat &* Erat, *&* Fuerat. *Personæ omnes æternùm futuræ sunt, non Res omnes.*
5. *Messias propter certitudinem Promissi dictus est* ὁ Ἐρχόμενος, *antequam innotuerat Eum venisse. Adventus Medius Christi, ad Excidium Judæorum, non est Finalis ille ad Mundi Judicium.*
6. *Est ubi* ὁ Ἐρχόμενος *in Titulo Christi omittitur, & Cur. Respectu Ultimi Judicii etiam nunc dicendus est* ἐρχόμενος.

AD illa verba, ἀπὸ τῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ Ἐρχόμενος, Apoc. 1. 4. quòd Nostri in margine suo adnotârint locum alium, in Exod. 3. 14. reprehendum neutiquam est. De tribus enim his, quæ nunc à Johanne dicuntur, Primum eorum, ὁ ὢν, prorsùs consonat, idémque omnino est, cum dicto illo Dei ad Mosem de Divino nomine suo, אהיה אשר אהיה, verùm quòd à Commentatoribus ità elucidentur hæc verba Johannis, acsi ille Salutationem suam Epistolarem, primò ordiretur à Deo Patre, Angelísque primariis Throni ejus Astitibus, & secundò, à Jesu Christo, propter illa verba insequentia, καὶ ἀπὸ Ἰησῦ Χριστῦ, ver. 5. minùs mihi attentè, acutéve id facere videntur. Súntne enim aliqui Spiritus, quos προφητεύειν Johannem oportuit, atque Jesum Christum in secundis consistere jubere? Est igitur (nisi cum cartulis meis & memoria mihi omnis penitùs aufúgit;) ubi abundè monstravi contra Barjesuitam meum, (ex hoc ipso paralogismo ineptè tripudiantem, Cat. Rac. pag. 69.) particulam καὶ apud Græcos, etiam in Sacro N. T. usu, sæpe valere idem, quod τυτέστι, scilicet, *Nempe*, eáque propter ἐξηγητικῶς tantùm heic sumendam esse, vertíque à nobis debere, Namely, vel Even, from Jesus Christ, vel, that is, from Jesus. Verùm nè occidat hæc crambe, nihil repeto. Istud solùm obiter submoneo, septem illos Spiritus, Qui & *septem Lampades* dicuntur, Apoc. 4. 5. & *septem Oculi*, Apoc. 5. 6. peculiares esse Christi Astites in Throno suo; Habet enim & Christus thronum Gratiæ suæ, divisum à throno Majestatis Dei, Apoc. 3. 21. Ex occasione verò authoritatis illius, quæ ex ipso Deo de se profluxit, non pigebit jam annectere, id quod reliquum est in ista sententia Johannis, scilicet, Καὶ ὁ ἦ. καὶ ὁ Ἐρχόμενος, non posse de ipso æterno Deo, quâ Deus est, sine ἀπροσωδίαις stultíque laboris elencho enunciari. Absolutè enim loquendo, Ens, & Unum, & Verum, & Æternum, ità inter se complicata sunt, ut si de quoquam rectè dicatur, ὁ ὢν, Qui

eſt, fruſtrà omnino ſit de eodem annectere, *Qui fuit*; & *qui erit*. Ni Fuerit enim, Erítque ſemper, neque Ens aut Eſſe verè dicitur; Minuitúrque ex aliqua temporis additione, non augetur ἡ τοῦ ὄντος φύσις οὐσιωμένη παντοχράτωσις. Optimè hoc edocemur ab ipſius Dei exemplo eo, Moſem ibi de ſua appellatione, etiam ad Popularem captum inſtruentis, neque tamen הוה ſuo quicquam allaborantis. Stolidè igitur à Barjeſuita, improbéque ſupponitur, non aliter potuiſſe à Johanne ſatìs *deſcribi æternitatem Dei, Quoniam ipſa Tempus, Præteritum, Præſens, atque Futurum, comprehendit*, Cat. Rac. pag. 68. Comprehendit enim & ὁ ὤν, omnia iſta diaſtemata.

2. Quorſum igitur nunc tam diſtinctim à Johanne hæc apponuntur? Quis hoc interrogat? Si Barjeſuita; Reſpondeo, Propter Barjeſuitarum, ſuíque ſimilium, impietatem. Præſenſit nimirum SSpiritus, ſi de Jeſu Chriſto nihil ampliùs nunc Apoſtolus diceret, quàm ὁ ὤν, neque adjungeret ſecundum illud, καὶ ὁ ἦν, cùm & Jeſum Chriſtum ille piè agnoſceret, verum hominem eſſe, veræ Deitati ejus vel indè oppedere voluiſſe peſtes iſtas fidei Chriſtianæ, Arianam primùm, dein Arianâ errantiorem, Barjeſuiticam: Dicerent enim, *Erat*, *Quando non erat ille*, non erat ante rerum Creationem; Licèt ipſe primò creatus fuerit, & tum cæterorum factus Creator, ait Arianus: *Non erat ante Mariam matrem*, Cat. Rac. pag. 53. *neque tum in natura Divina erat*, Cat. Rac. pag. 48. *licèt præcellentiſſimâ tum poteſtate & Dignitate donatus*, Cat. Rac. pag. 88. ait Barjeſuita. Jam verò habere & ipſam Eſſentiam hominis cujuſque aiunt ſuam Æternitatem à parte Pòſt, atque ὁ ὤν in eo genere & de eo dici poſſe, licèt non ità fuerit à parte Antè, ſed in tempore ſuo quiſque cœperit. Atque iſtud quidem eſt, quòd Barjeſuita tantopere ſe vexet, Cat. Rac. p. 51. Nè *Præeternitas Chriſti* (ut vocat) probari aliquâ videatur. Verùm quicquid ille cavilletur, ex iſto reverà intuitu jam eſt, ad Deum filium τὸν θεάνθρωπον deſignandum, quòd pariter inſeratur utrumque ab Apoſtolo, ἀπὸ τοῦ ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν. Qua quidem de cauſſa, ſemper idem, ſuíque ſimilis, verbum iſtud ἦν alibi etiam tam religioſè inculcat, In capite enim Epiſtolæ ſuæ, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, bis ab eo ponitur τὸ ἦν, 1 Jo. 1. 1. In Euangelii autem, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, Jo. 1. 1. térque quatérque repetitur.

3. A ſolo igitur Jeſu Chriſto, à quo tota hæc Apocalypſis proceſſit, procedit omnis hæc ſalutatio. Ejus Nomenclaturam videmus librum ipſum præ ſe ferre, eſt Ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ, ver. 1. Quam licèt ipſe, ut homo erat, à Deitate ſua accepiſſe ſuis manifeſtandam dicitur, manifeſtat jam tamen, ut Deus-homo, Apoſtolo ſuo, atque ab eo Deo-homine Apoſtolus Salutem hanc omnem Eccleſiis intelligendus eſt dicere. Idem enim ille eſt, qui iiſdem verbis deſignatur, cùm ſtatim ipſe ingeminet, Ἐγώ εἰμι τὸ Α, καὶ τὸ Ω, Ἀρχὴ καὶ Τέλος, λέγει ὁ Κύριος, ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ὁ παντοκράτωρ, ver. 8. Idem & in illo triſagio Epiphonemate, ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος, Κύριος ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, Apoc. 4. 8. Idem dein in acclamatione Presbyterorum, Εὐχαριστοῦμέν σοι, Κύριε, ὁ Θεὸς ὁ Παντοκράτωρ, ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ Ἐρχόμενος· ὅτι εἴληφας τὴν δύναμίν σου τὴν μεγάλην, καὶ ἐβασίλευσας, Apoc. 11. 17. Idem denique ex ore ipſius Angeli, Δίκαιος, Κύριε, εἶ, ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, ὁ ὅσιος, ὅτι ταῦτα ἔκρινας, Apoc. 16. 5. Atque ex Angelica quidem iſta ſalutatione, manifeſtò jam parere adſerimus, tertiam illam partem, καὶ ὁ ἐρχόμενος, ex nulla temporum, Præſentis, Præteriti, Futuri, ratione, relatione, aut diſtinctione, Sed ex alia planè cauſſa, toties in iſto elogio jam adjunctum fuiſſe. Nam ſi ex temporis reſpectu neceſſarium fuiſſet in prioribus Locis addi, omitti quidem nè nunc poſſet, ſine Solœciſmo ipſius Angeli. Quinetiam, de tempore intelligendum, ex communi verborum analogia oportuerat eſſe, ὁ ἐσόμενος, & non, ὁ ἐρχόμενος. Qua quidem in parte Barjeſuita meus egregiè ſe philoſophari confidit, (ſed ſatìs pueriliter id præſtat.) dum probare ſatagit, *quòd* ὁ Ἐρχόμενος, *non* venturus *eſt*, (venturum enim eſſe neminem nôrat, niſi Chriſtum; licèt per impudentiſſimum cavillum ſciſcitetur, *Quod eſt inconveniens, ſi dicatur Deus Pater* venturus, *cùm filium ad mundum judicandum venerit?* Cat. Rac. p. 67.) *Sed*, futurus eſt, *æquè reddi poſſit*, Cat. Rac. pag. 68. An verò noſtri in aliquem Codicem inciderint, in quo ἐσόμενος ibi jam legatur, quòd ipſi verterint, and ſhalt be: cùm ſemper anteà reddiderint, and which art to come: aut qua alia de cauſſa ibi jam mutaverint, equidem neſcio. Nimiò verò velim, ut & pronomen ipſum ubique immutâſſent, veréque Perſonaliter, & ſine vulgi noſtri, Perſonas cum rebus per cacoethes miſerè confundentis, ſolœciſmo, in hiis omnibus ſemper enunciâſſent, who art.

4. Cæterùm tempus ipſum quod attinet, geminis iis jam præmiſſis, (*Eſſe*, in ὁ ὤν, ſempérque *Fuiſſe*, in ὁ ἦν) quicquid de *Futuro* jam adfibulatur, ſive ὁ ἐρχόμενος, ſive ὁ ἐσόμενος, fuerit, otiatur, & planè παρέλκει: Neque enim aliter eſſe poteſt, ubi ea ſupponuntur. In rebus quidem iis, quæ ex natura ſua termini, atque abolitionis propriè capaces ſunt, aliter uſu venire poſſe non negamus. Mutari enim ibi poteſt *Eſt* in *non Eſt*, atque illud ἦν, licèt in Præterito Imperfecto ſumtum, ſignificet *Erat*, in Aoriſto tamen ſecundo ſumtum, ſignificabit *fuerat*, atque ità ἐγενῶς indicabit, Rem eam præteriiſſe, atque tum non Eſſe. Eſt quidem in Grammaticorum choro non nemo, (memini enim, ex quo olim inter eos verſabar; dicíque mirabar,) cui non placet, ut hujus Verbi Tempora Aoriſta in uſu ſint. Verùm (ipſius pace quidem, ſi fieri poſſit, ſi non, vel ingratiis,) jampridem à me in Sacræ hujus Critices Anamericiſmis indicatum eſt, non ex mente ſolùm optimorum magiſtrorum, ſtatuentium, ſi verbum in μι reduplicatione careat, idem eſſe regulariter, tum Imperfectum, tum Aoriſtum ſecundum, verùm etiam ex uſu SSpiritûs, in Mar. 11. 13. & Mar. 15. 25. aliiſque in locis multis, exceptione omni majoribus, τὸ ἦν, poni interdum pro eo, quod jam abierat, ceſſârat-que, ſive eſſe deſierat, idémque Græcè dicere, quod & Latinè dici vel pueri nôrunt, in, *fuimus Troes: fuit Ilium*. Jam verò alia planè res in Perſonis eſt, atque in iis, æternitatem ſuam ſortitis, ut hoc abſolutè admittatur, pluſquam impliciat: In iis igitur, ſi ad ſolam Futuri temporis adnotationem aliquid adſuatur, inficetus pleonaſmus eſt, nequid dicam aſperiùs. Inquies igitur, Unde eſt, quod tertium hoc, καὶ ὁ ἐρχόμενος, in iſta ſententia toties adjunctum reperiamus? Dicam jam iſtud σὺν Θεῷ, Adjunctâ etiam (ut par eſt) ratione, Quare toties à Johanne adjunctum antè, in poſtrema tamen ea citatione ejus, non adjungitur.

5. Propter certitudinem Promiſſi Divini, Meſſiam aliquando venturum, proptérque expectationem illam Gentium, Gen. 49. 10. Ipſum antequam in Mundum veniret, & poſtquam venerat, antequam Mundo innotuerat, ἡ Ἐρχόμενον vulgò nuncupatum fuiſſe, vel pueri non neſciunt in Schola Chriſtiana. Ad eundem autem modum, ex occaſione novi Promiſſi per Ipſum ſuis ſanctè præſtiti, cùm hinc abiret, ſe brevi rediturum, atque de hoſtibus ſuis vindictam ſumturum, fideles autem ſervos ſuos ad ſe adſumturum, (Quæ omnia in ultimo illo Sermone ſuo in Monte Olivarum, ab Euangeliſta fuſè memorantur, Matt. Cap. 24. & 25.) facilè obtinuit, ut redux jam in cœlum factus, quotidiè à ſuis expectaretur, atque ὁ Ἐρχόμενος etiam tum audiret. Memor igitur ipſe ſervorum ſuorum, atque Promiſſi ſui, Johanni jam ex eo planè intuitu Author eſt, ut ipſum jam iis ab ea notione (inter alia) deſcribat, quòd ſit ὁ Ἐρχόμενος, atque Expectationi eorum ſine mora reſponſurus ſit. Primum omnium igitur eſt, poſt Salutationes iſtas finitas, à quo Apoſtolus, quaſi qui quæſtionem hanc anticipare volebat,

Bene

Bene precaris nobis ab Eo, Qui venturus est; Sed quando veniet?) orditur, ἰδὺ ἔρχεται μετὰ τῶν νεφελῶν, ver. 7. Adventum quidem Christi Finalem illum, atque ad mundi Judicium, Apostolos ipsos in initio prædicationis suæ, atque fideles omnes, suo demùm ævo futurum expectasse, jampridem ex variis argumentis indicatum à me est. Verùm SSpiritus ista jam de medio tantùm ipsius Adventu, atque ad Gentis Proditricis Judicium, Excidiúmque, (Quod post tempora in hac parte Apocalypseos supposita, brevi secutum est,) intelligendus est dicere. Atque hinc istæ tam frequentes τῦ Ἐρχομένου mentiones!

6 Atque hinc etiam, in illo Pæane Angelico, ejusdem omissio! Nam cùm tum mirificis modis Dominus præstiterat, quicquid pollicitus fuerat, atque absolutæ jampridem erant, non in Judæos solùm, atque Judaizantes per Universum Orbem, sed & in Ethnicos etiam, qui Euangelio juratos sese hostes probarant, eíque submittere prorsus renuerant, gravissimæ ultiones; Jámque de cæteto, Ecclesiæ suæ, Reíque Christianæ decursus erat, futurúsque erat, usque ad consummationem seculi, Qualem ipse quidem decretum apud se habebat in æterno consilio suo, sed de quo, dum in terris ageret, nihil ille suos prænonuerat, nihil præstandum à se specialiter promiserat, (Quanquam non deesse scio, qui vel de posterioris hujus Ævi Rebus putida deliria sua orbi obtrudere sategerunt, pro Præmonitionibus Apocalypticis!) Justitiæ quidem, atque Sanctitati ipsius, tam abundè expletis, applauditur à Choro Cœlesti, sed, ὁ ἐρχόμενος, tum omittitur, neque in Titulum ipsius ibi introducitur. Solùm enim ad res eas jam tum in orbe præstitas Angelus ille respexit, & non ad futuras in fine mundi; Earum autem respectu hodiéque licebit Dominum Jesum, τὸν Ἐρχόμενον, celebrare, atque ipsum Apostoli Epilogum accinere, Ναὶ, Ἔρχομαι ταχύ. Ἀμήν. Ναὶ, Ἔρχου Κύριε Ἰησοῦ, Apoc. 22. 20.

Sect. XXV.

1. *Barjesus in Orbe Ethnico primus AntiChristus, fraude & sedulitate insignis.*
2. *Filios ejus non esse Christianos. Agnitio qualiscunque Symboli Apostolici non facit Christianum; Baptismus facit.*
3. *In Baptismo est Probatio SS. Trinitatis.*
4. *Tres enim Persona, atque Deitas Una docetur ex ea Formula.*
5. *Quantum Christo deferre Barjesuitæ videntur. Formula Baptismi est Summula Fidei.*
6. *Oderunt Illi Baptismum, propter eam Formam in administrando.*
7. *Christianus nemo Socinum sequi potest, præter stolidissimam plebem, atque δοκησιεόφους aliquot, falli aptissimos.*
8. *Qua sit conjunctio Filii, SSpiritúsque cum Patre in Baptismo: Fidei & Obedientia professio in eo.*
9. *Æstas Judæis sine pluvia. Ut Deum timebant, Ut & Samuelem.*
10. *in Regimine suo, cum affixo ל est pro* Credere, *eum* ב *pro* Confidere.
11. Verbum Gratiæ ejus, *est Euangelium Christi. Omnipotentia Christi* τὸ κράτος & ἰσχὺς ἀυτῦ *dicitur.* Ἐν δια δυοῖν.
12. *Stoliditas eorum qui Socinitatem sectantur.*
13. *Baptismi alii æquivocè sic dicti.* Εἰς *est* Ad, *magis quàm* In. *Moses pro Religione Mosaicâ. Ut Nubes & Mare erant Typi Baptismi.*
14. Christus *ponitur pro Corpore suo Mystico, In quod nos baptizari dicimur.*
15. *Professio Fidei in Baptismo Christiano. In Joannis Baptismo Qua Professio.*
16. *Judæos satis audivisse de SSpiritu; sed non audivisse antè, Esse Eum distinctam in SS Triade Personam.*
17. Baptizari in Aliquem, *nusquam dicitur. Barjesuita quàm abundet fraudibus.*
18. Nomen Domini & Deus, *pro Eodem usurpantur.* Baptizari nos in Christum, *quomodo dicatur.*

NEmini mira esse debent, cùm Barjesus ille resisteret Apostolis Euangelium Proconsuli annuntiantibus, operámque daret, ut averteret eum à fide Christi, Act. 13. 8. si tam vehemente procellâ invectus in Magum Paulus fuerit, SSpiritúque præeunte, nuncuparit eum, *Plenum doli, plenum improbitatis, hostem Justitiæ, filium Diaboli*, ver. 10. Atrocissima enim utcunq; hæc atque immanissima stigmata sint, merito tamen ipsius maximo inusta sunt, Qui pro Pseudoprophetico suo instituto, tanta cum contumacia auderet se primum in orbe Ethnico AntiChristum præstare, Salutísq; æternæ præconio tam perditè sese opponere: Justissimam igitur hanc pervicaciæ suæ mercedem retulit Elymas ex istis increpationibus. Veruntamen quòd Apostolus cumularit etiam hæc convitia, pondúsque terribile iis addiderit, ex eo signo universali, non semel, sed ter, adjecto, eúmque παντὸς δόλου plenum dixerit, & πάσης ῥᾳδιουργίας, atque inimicum πάσης δικαιοσύνης, non potui non mirari hanc hyperbolen, Cujus nè rationem quidem (Rationis tamen expers nihil admittere Divinus ille Pauli zelus poterat;) potiorem aliquam excogitare unquam potui; quàm ut Prophetiæ quoque loco haberetur, & Posteritati datum, quò & nos præmoneret, quales, filius ille Diaboli, filios ipse habiturus erat. Quanquam igitur, τὸ διαστρέφειν, Characteristica nequitiæ ejus nota sit, Quasi qui emissus à Patre suo Diabolo fuerat, ex oppósito ad Baptistam, (Ille enim prærierat Domino, monuerátque omnes, ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίου, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους ἀυτῦ, Matt. 3. 3. hujus igitur opus tum erat, subsequi Dominum, atque διαστρέφειν τὰς ὁδὸς τῦ κυρίου τὰς εὐθείας, Act. 13. 10. Satagebat ergò διαστρέφειν τὴν Ἀνθύπατον, ver. 8. ideóque totus erat in pervertendo, & distorquendo vias Domini;) Auctior tamen ei, atque provectior hæc nequitia erat ex adjunctis geminis ejusdem conditionibus, Fraudulentiâ scilicet, atque Sedulitate, quarum prior quidem denotatur sub egregiis illis titulis, δόλου, καὶ ῥᾳδιουργίας, Altera verò comprehenditur sub istis signis universalibus, παντὸς καὶ πάσης, præsertim cum annexa illa increpatione, ὐ παύσῃ διαστρέφων; Jam verò Catechistæ mei Racoviani (è cujus vestigiis totius Socinini prodigii βδελυγμία æstimanda jam à me in hac Solitudine est;) purum putum hoc ingenium est; In utroque hoc cacoethi sic ille eminet, ut Barjesû filium facilè possimus agnoscere eum, parenti suo tam simílem, Viásque Domini, hoc est, Verbum Veritatis, tanta cum arte pervertentem, tanta quoque cum sedulitate, ut locus SScripturæ nullus ferè sit, quem, si attigerit, (attingit autem loca plurima,) non corruperit, si vel salutârit quidem, non distorserit.

2. Instemus autem nunc, necesse erit, nè injuriam hanc facere, atque Sacerrimæ Factioni convitium dicere videamur. Sumimus igitur, quod nunc incidit, (Sed ad quodlibet aliud Religionis Caput, in quo ipsi ab Ecclesia Catholica desciverunt, pòst secuturi eos, quocunque, quandocunque vocarint;) de sancto Baptismate, quod & Initiatio est in Ecclesiam Christi, atque etiam exterius τὸ γνώσιμα omnium veri nominis Christianorum. Pro Christianis igitur non adulterinis, si Barjesuitæ hii οἱ ὐδεγροσίκοὶ, sacrósque latices Baptismales exosi, haberi se postulent, monstrent necesse est, quo jure id nominis sibi, aut quo argumento vendicent. Novimus quidem, ubi pro summa despuendi capitis arrogantia stolidè gloriatus fuerit iste impudentiæ Magister, *Fidei Symbolum, quod vulgò Apostolicum vocant, nobiscum universi Christiani amplectuntur*, C. R. pag. 47. Ain' verò? *Vobiscum universi Christiani? φεῦ τῆς τυφωμανίας!* Christiani quidem universi Symbolum illud indè à principio amplexati sunt: Vos verò cum illis an consentiatis omnino, incertum est, incertum etiam, quousque consentiatis. Monendi autem porrò estis, hactenus etiam consentire quenquam, ut non possit non agnoscere vera esse, quæ in

illo Symbolo celebrantur, non sufficere ad faciendum Christianum. Etenim vel ipse Proavus vester, Barjesû illius parens, Symbolum hoc, velit nolit, cogitur agnoscere, uti Apostolus in simili argumento, ὑ τὰ δαιμόνια πιστεύουσι, ϗ φρίσσουσι, Jac. 2. 19. Ergóne & Diabolus est vobis Christianus? Enimverò est, Sed qualis vos, ô Boni! Veriverbio autem qui Christiani sunt, tales fiunt, non ex materia sola istius fidei, hoc est, non ex qualicunq; agnitione rerum in eo Symbolo contentarum, sed ex formali professione ejusdem, éque publicè data Christo per Baptismum, & Ecclesiæ in Baptismo, (ídque post μάθησιν aut μαθήτευσιν, Mat. 28. 19.) Fide, tam de vero, plenóque adsensu suo, quàm de submissione quoque & subjectione Nomini, in quod baptizantur, déque pia & sincera per omnem vitam obedientia. Nemo igitur nascitur Christianus, neque in Christianam conditionem quisquam usquam succrescit, nisi ex Baptismo: Beneficium est, quod Christus suis indulget, ut nomen ejus ferant, Qui nomina sua ipsi in Baptismo dederunt, pactúmque cum eo in Ecclesia inierunt, de Officiis Christianis fideliter ei præstandis. Hunc Ille quidem aditum ad se, hanc in ovile suum januam semper patere voluit, ἀλλὰ ἀναβαίνων ἀλλαχόθεν, (non solùm in Regimen ovium, sed & in ipsum Agmen.) κλέπτης ἐστὶ, ϗ λῃστής· Joh. 10. 1. Neque igitur ex alio intuitu ab Ephesinis illis quæsivit Apostolus, εἰς τί ἐβαπτίσθητε; Act. 19. 3. nisi ut cognoscere posset, cùm pro Discipulis se gererent, quam Fidei, quum baptizabantur, Professionem fecerant, adeóque an institutum à Christo Baptismum adhuc susceperant, qui de SSpiritu nihil dum audierant.

3. Verum principalis propositi non immemores, propiùs nunc accedamus ad illa SScripturæ Loca, Baptismi Sacramentum nobis exhibentia, in quibus perditus iste Sophista sceleratas suas strophas, diastrophásque exercere veritus non est, atque hæretico suo modo in iis genuinum frangere. Diserta autem sunt illa verba institutionis Dominicæ, tum cùm in cœlos rediens aliam Baptizationis formulam Discipulis suis, quàm quâ in Judæa hactenus usi fuerant, præscriberet, βαπτίζετε αὐτὺς εἰς τὸ ὄνομα τῦ Πατρὸς, καὶ τῦ Υἱῦ, καὶ τῦ ἁγίου Πνεύματος, Matth. 28. 19. Attendite igitur nunc huic Circulatori. Unicum hunc locum sufficere videbat ad totius Barjesuitismi sui destructionem: Danda itaque ei summa opera erat, ut hunc, quaquâ posset, subrueret, nervósque ejusdem prorsus succideret. Quid agit igitur? Prima hæc fraus est, quasi sub Catechisticæ brevitatis prætextu, ut conjungat cum hoc Loco Loca alia, non absimilis quidem argumenti, sed contra quæ tamen melioribus ipse se cavillis instructum esse sperabat, ut hâc demum arte, siquid proficere posse videretur contra illa, etiam & in hujus loci diminutionem cederet ipsa conjunctio. Satìs autem modestum appariturum esse confidebat, quod primò postulat, *Ex istis locis argumentari nos* (Orthodoxos putà) *solere, Quia mentio in iis fit Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, C. R. pag. 36. Et verè quidem hoc jam prolocutus est, SS. Trinitatis probatio ex istorum locorum mente à nobis confirmatur, mentio illa utcunque (eatenùs enim mentitur,) exacta, & κατ' ῥῆσιν, quæ in isto quidem Loco est, in cæteris illis Locis non fiat. Sed istud facilè damus ei. Procedit ergò, & generatim respondet, *ea testimonia tantùm docere, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum esse*, C. R. pag. 37. Et quid tum porró? *Quod nos non solùm agnoscimus, verumetiam constanter adserimus*, ait. Satin' hoc Pugilicé? Sed & istud parum est Barjesuitico præstigiatori. Ampliat igitur, *Ità ut nè Christianum quidem cum esse posse, qui id ignorat, aut non credat, pronuntiemus*, C. R. ibid. O Divinum arbitrum! Huic igitur ut Christianus quisquam jam diffidat? ut in tanti Zelotæ verba omnia non juret, qui tam mirabilem sese præstet veritatis Pronuntiatorem? Apage verò sublestum Veteratorem! Qui in speciem solùm, fraudémque ista subjunxit, ut subdulcare posset venenum improbissimæ Sententiæ, quam jam propinaverat. Nos verò neganti Christi Deitatem neutiquam deferimus, ut quis Christianus sit, ab eo pronuntietur.

4. Quid? *Hæc loca docere tantùm, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, esse?* Impurum os, & mendaciloquentissimum! Neque negamus tamen, Doceri illud è quavis sententia, quod per veram consequentiam ex ea diduci potest. Verùm si quid aliud præterea in eadem insit, quod præcipuè intenditur, & cujus adfirmandi caussâ ipsa sententia prolata fuit, jam ea hoc docere dicenda est, hoc quod proximum atque palmarium est, neque sine dolo pessimo restringi potest ad aliquid solùm, quod est remotius. De cæteris verò hiis locis pòst, ζωὸς ἐσῳ, videndi opportunitas erit. Istum quod attinet, quem nunc præ manibus habemus, mandare jam Dominum, ut dein baptizentur omnes in nomen Patris, & Filii, & SSpiritûs, Quod principaliter in hoc docetur, adserimus esse illud, quod nemo, præter καμμύοντα Barjesuitam, (videt autem & ille, sed intabescit videndo, oculísque suis maledicit;) non clarè videt, tres esse Personas à Baptizandis omnibus agnoscendas; (Habet enim quilibet horum personalem suam, distinctámque appellationem, Pater suam, & Filius suam, & Spiritus suam:) Naturam autem, sive Essentiam horum trium, non solùm Divinam esse; (In eodem enim Ordine, Conditione, Prædicamento cum ipso Patre, sunt Filius, SSpiritúsque, Deus ergò sunt:) verumetiam unam eandémque esse; (Unum enim est, idémque nomen, & commune Trium, in quod omnes baptizantur; Neque enim dictum est Collectivè, εἰς τὰ ὀνόματα, sed nec Distinctivè, εἰς τὸ ὄνομα τῦ Πατρὸς, καὶ εἰς τὸ ὄνομα τῦ Υἱῦ, καὶ εἰς τὸ ὄνομα τῦ ἁγίου Πνεύματος· sed Conjunctivè, seu potiùs, Identicè, εἰς τὸ ὄνομα, de omnibus, unum illud scilicet, idémque nomen trium;) Jam verò hanc in formam ut baptizarentur homines, hoc est, ut divinum hoc mysterium profiterentur, atque in istam professionem baptizari se cuperent, impossibile erat, donec summatim docerentur, hæc ità esse. Doctrinæ igitur S. Triados, (Quam indè à Principio, Ecclesia tota Christiana adorat, nulla nisi Antichristiana potest execrari;) primum illud atque principalissimum est, solitariúmque in anteccssu Baptismi, quod ex isto loco docetur. Ut eat nunc quò dignus est infrunitus Barjesuita, cum falsissimo illo, & fallacissimo Restrictivo suo, *tantùm*.

5. Et metuere quidem ipse sibi videtur, nè Responsio generalis sua minùs solida, aut secura videatur, Pergit igitur ad novam technam, pullósque suos objicere docet, *Attamen ex hac conjunctione istorum trium, tres esse Personas in una Divina Essentia videtur posse colligi*, C. R. pag. 37. Sed contrà insurgit, & primò quidem, quàm magisterialiter! (*Nullo pacto.*) Verùm nos tam Monosyllabi non sumus, ut non rideamus hoc, urgeamúsque, Quidni, ô Bone Magister? Jam igitur, quàm Sophisticé! *Quia, etiamsi Pater, & Filius, & Spiritus sint conjuncti in Baptismo, effici tamen non potest, Eas Personas esse in una Essentia Divina*, C. R. pag. 38. Sed & hæc jam altera grandis fallacia est, (cogitur enim fallacias fallaciis pertegere, nè perpluant;) planéque biformis est; primò, ex facta à se subdola suppositione; Dein, ex ipsa, quam indè infert, πολυζητήσεως complicatione. Primum quod attinet, per, *Etiamsi*, illud suum ità supponit, acsi de una, eadémque trium Personarum natura nullo alio modo constare nobis posset, nisi quia conjunguntur in ista formula Baptismi; cùm nobis in parato sit, ex ipsa præstantissima Naturæ Divinæ conditione, éque variis SScripturæ locis eam exponentibus, idipsum confirmare; Christúmque adseramus (Quem & ipse non ausit non agnoscere,) *omnem Dei voluntatem perfectissimâ ratione in cœlis edoctum fuisse, & ad eandem hominibus publicandam è cœlo magnificè missum fuisse, eámque perfectè iis enarrasse*, C. R. p. 129. Eo solùm consilio Baptismi formulam horum trium conjunctione condecorasse, Quia tam palmarium hoc in Essentia Divina est: Voluit igitur, ut omnibus ad ipsum accedentibus innotesceret, sine summaria hujus fide, nè admitti quenquam posse, ad jus & spem Mysterii Dei, & Patris, & Christi, Col. 2. 2. Secundò verò, ex illatione ea, quam Catechista indè facit, Quid ab eo negetur, quis expediet nobis? An, non indè effici, Eos esse Personas? An, non indè effici, Eos esse

esse in una Essentia? Nam ad utrumque horum illud quod dicit applicari potest, & utrumque à se intelligi, colligere datur, ex confirmatione, quam adfibulat; Sic enim procedit, *nam in Scripturis minimè novum est, in aliis rebus, non minùs, quàm Baptismus, Divinis, Deo conjungi & Personas, & Res, quæ ad Essentiam Dei nullo modo pertinent*, Cat.Rac. p.38.

6. Ad istius autem Sententiæ suæ Eventilationem priusquam concedamus, silentio præterire non oportet, inficetam illam, quam fecit, parenthesin, *In aliis rebus, non minùs, quàm Baptismus, Divinis.* Quorsum enim intertruditur hoc ab eò? Facítne aliquid ad sententiæ suæ promotionem? Ecquid aut ponderis, aut roboris, aut lucis ei conciliat? Luci profectò magìs officit, paulóque obscurior sententia redditur ex ea additione. Satìs autem vera si esset, integra satìs, perfectáque sententia est, demtâ ipsâ parenthesi. Ponderis denique nihil à non insano sperari poterat, è farcimento, non solùm odioso, (Ità enim semper se habere solent hoc genus Comparationes;) sed & insipido etiam, atque egregiè falso: Nam ut populus Israeliticus timeret Deum, atque Mosen, in ævo suo, aut Samuelem, in suo; Ut Ecclesia etiam aliqua, vel commendaretur Deo, & verbo Gratiæ ejus, vel confortaretur in Deo, & in virtute Potentiæ ejus, (Hæc illa tamen sunt, quæ instantiæ caussâ ipse profert;) Res longè minùs Divinæ sunt, quàm est Sacramentum Baptismi, à Christo in Sanguine suo, indè à Principio, institutum, ad Catholicæ Ecclesiæ suæ, omniúmque in ea membrorum Initiationem. Sed, quod est in proverbio, *Mala Mens, malus Animus:* Lavernio hic Sanctum Baptismum (tam manifestarium Deitatis, quam ille execratur, in Filio, SSpiritúque Adsertorem) non poterat sine alicujus blasphemiæ convitio intactum præterire, pérque infaustam μίσωσιν hanc (sceleratissimi animi indicem) quasi Divini nihil in se habentem temnere, catulísque suis temnendum propinare.

7. Sed præfecto jam obiter hoc ungue malæ bestiæ, ad ipsius sententiæ suæ meritum excutiendum nunc nos accommodemus. Audiat verò Fides, audiat Veritas; Nam quæ est ista Consequentia? *Quia in Scripturis cum Deo sæpe conjunguntur tum Personæ, tum Res, quæ ad Essentiam Divinam nullo modo pertinent.* Ergò, Effici non potest, ut Filius, & SSpiritus cum Patre in Baptismo conjuncti, variæ sint Personæ in eadem Essentia. Quâ quidem conclusione nihil absurdius, aut inconsequentius inferri potest! Quin ex pari ratione Paulum jubeat sibimet ipsi contradicere, &, Quia *Deus multipliciter, variéque locutus est olim patribus per Prophetas*, Heb.1.1. concludat ergò, Effici non posse, ut *novissimo tempore locutus sit nobis per Filium*, ver.2. Illatio quidem absimilis non est. Sed sic solet argumentari versipellis iste. Probè enim novit, quibus nectat suas decipulas; vel Misello suo, stultóque popello, qui planè nihil intelligunt, vel iis, (quorum conditio deploratior est, atque ut turpiter decipiantur, multò aptior,) sciolis aliquot, & δυσιδόροις, qui sui judicii acumine freti, næ intelligendo, prout ipsi sibi videntur, facilè faciunt, ut nihil intelligant. (Extra harum verò Classium alteram, nunquam adhuc reperi, nunquam reperturum me opinor quenquam Socininis glaucomatibus excæcatum.) Vel in Speciem igitur ingeniosi argumenti siquid comminisci possit, salvam sibi rem fore nihil dubitat, neque simplici fallaciæ quicquam allaborandum esse. Istam tamen, quam solam nunc vibrandam habebat, tam crassam esse præsensit vulpecula, ut nè verbis quidem satìs apertis, quod maximè cupit, ausus fuerit exprimere. Opinari enim Mammacuthos suos vult, in sanctissima ea Baptismi formula, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, Orthodoxos à mera solùm conjunctione horum argumentum suum firmare, Deitatémque Filio, & SSpiritui adserere ob aliam rem nullam, nisi quia conjunguntur Deo, paritérq; cum Patre in eadem Propositione nominantur. Ad ora igitur suorum hac in parte sublinenda, scitulè apponit iis ridiculam illam, quam fecit, venaturam Propositionum aliquot, in quibus (si placet) tum Personas, tum res videre est, Divinam Essentiam nullam sortitas, ex ejusmodi cum Deo conjunctione.

8. Et dignum quidem Socininis pullis est istud pulpamentum! Verùm sciant miselli volumus, Nos non ex ejusmodi, quam nè explicare quidem aut eloqui Magister eorum audeat, hoc est, non ex fortuita aliqua, aut accidentali, non ex Rhetorica qualicunque conjunctione cum Deo, Naturam Divinam Filio, Sanctóque Spiritui accersere. Id genus conjunctiones tam vulgares esse agnoscimus, tam nullius argumenti aut ponderis, ut vel ipsum Parentem suum Satanam (si nos obsecret Catechista) largiri velimus ei, sic aliquando cum Deo conjunctum fuisse. Nam quod uno in loco dicitur, *Dominus iratus est contra Israel, & concitavit Davidem*, 2 Sam.14.1. in alio legitur, *Stetit Satanas contra Israel, & concitavit Davidem*, 1 Par.21.1. Argumentatio autem nostra longè alia est, Ab unica ista, Speciali, Singulari, Reali, Naturali, Essentiali, Identica, Divina conjunctione, quam Deus Filius, Lumen de Lumine, verè Deus de verè Deo, nos docuit in hac propositione; Per quam significavit nobis, Qui in Deum Patrem baptizandi sunt, ad æternæ, si rectè credere perstiterint, Salutis consecutionem, & in Filium quoque, Sanctúmque Spiritum baptizari eos oportere; Eandem, quæ in Patrem est, etiam in Filium, Spiritúmq; fidem omnium esse debere, eandem professionem, eandém Deditionem, & dedicationem sui; Patris enim, Filiíq; & Sancti Spiritûs esse unum idémque Nomen, hoc est, unum idémque Numen, unam Deitatem, Æqualem Gloriam, Coæternam Majestatem. Hoc autem modo conjungi cum Deo, fic ut non minùs, non magìs, non aliter, in nomen Patris, quàm in Filii, SSpiritúsque baptizetur Humanum genus omne, jam hoc necessariò atque irrefragabiliter inferre Naturam Divinam, in Filio, & in SSpiritu, non minùs, non aliter, quàm in Deo Patre est, immotè adserimus, atque Christianis omnibus (ringantur interea, quantum volent, rumpantúrq; Barjesuitica prodigia,) in Monade ista Divinâ Triadẽ, in Triade Monadẽ esse æternùm adorandã.

9. Haud tamen refugimus & Exempla, quæ protulit, quid ferant, piâ mente expendere. Duo autem Paria ea esse voluit, Personarum primum, è V. T. Alterum dein & Rerum, è N.T. Jam in illis, istud præire jussit, *Et timuit omnis populus valdè Dominum & Samuelem*, 1 Sam.12.18. C.R. p.38. Conjungitur igitur heic cum Deo Samuel, quoad timorem populi. Veríssimé; Sed ex hoc exemplo ipse nè hilum proficit; Duæ enim diversissimæ res hæ sunt, longè aliter timebatur ab iis Deus, aliter Samuel. Nam cùm jam, præter quòd cœlum sudum fuisse, imbriúmq; aut tempestatum purissimum conspexerant, etiam & tempus ipsum nôrant, pro natura Regionis suæ, alienum à pluviis esse, (*Annon enim messis tritici eo die erat?* ver.17. id est, aristæ jam primò maturuerant: A principio autem messis, antequam aquæ stillare è Cœlo solebant apud eos, non exiguum temporis spatium semper fuisse, notatur ex ipsa historia, 2 Sam.21.10.) Deum tamen ipsum viderent, Quia ipsius θεοκρίσιας, & non Samuelis Regimen, 1 Sam.8.7. (nec sine summo fastidio quoq;) obstinatè repulissent, ità commotum esse, ut mutato quasi naturæ cursu, Tempestate tantâ eos præter spem percelleret, Conscii jam ipsi sibi summæ proteviæ suæ, trepidare cœperunt, atque exitium præsentaneum ab irato Deo sibimet ominari. Atq; istud opinor esse, ad extremum hunc Divinæ ultionis metum prænotandum, quòd particula illa, מאד, separatur ab ipso verbo, nominíq; Jehovæ tantùm præponitur, *Timuerunt omnes vehementer Deum.* Neq; eo tamen timore solùm perculsi sunt, sed etiam timuerunt (quantum hominem timeri par est,) & Samuelem. Quidni enim? Experti jam eum, quem ipsi tam indignis modis rejecerant, (hominem omni exceptione majorem, tantâque integritate, ô Deus! & sanctitate præpollentem!) Deo ità se probare, ut Josue ipsius ferè exemplo, cœlo imperare potuerit, Solóque verbo suo, alienâ prorsus tempestate, tempestatem inducere, Formidare quidem non immeritò poterant, nè hominem sese jam ille præstaret, ipsorum vel hacte-

nus similem, ut par pari rependeret, & quod in ipso erat, ipsos porrò plectendos à Deo suo obtineret. Locus igitur nunc conjunctioni huic opportunè factus est, *Timuerunt omnes valdè Deum, & Samuelem*; Dominum scilicet, Summo timore, & Samuelem, suo. Jámque nobili Catechistæ, pro scitissima arte sua, comminiscendum relinquimus, siquam ille similem huic dissimilitudinem inter tres personas excudere possit, in illa formula Baptizandi in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.

10. Sed & alterum ejus, quod attulit, Exemplum, ejusdem ferè farinæ est; cum insigni tamen mantissa, (fidem enim alicui habere, longè plus esse retur, quàm timere eum:) propter quam visum ei est, loco id suo movere, & tempore antiquius multò, posteriùs tamen in hanc scenam producere, quò hærere jam magis, mentésque Auditorum occupare diutiùs possit. Verba sunt, *Et timuit populus Dominum, & crediderunt Domino, & Mosi servo suo*, Exod. 14. 31. Sed ipse, (quo intuitu, aut quàm subdolè, nunc non dicimus,) corrigit Latinum vulgarem, aítque juxta Hebraicam veritatem legi, *Credidit in Jehova, & in Mose servo ejus*, C. R. p. 38. Profectò Verbum illud, האמין, quacunque à re Objectum, cui creditur, suum accersat, sive à Deo ipso, sive ab Hominibus, sive & à Natura aliqua inferiore, non unius generis syntaxin in Lingua Sancta sortitum est; Ut plurimùm tamen, si ipsa Veracitas dictorum potissimùm respiciatur, meráque Credendi res agatur, in Regimine suo affixum habet ל, ut Gen. 45. 26. Exod. 4. 8. & 9. 2 Par. 9. 6. (formatur tamen id ipsum per ב affixum, 2 Reg. 17. 4.) Esai. 43. 10. Jer. 40. 14. aliísque totidem in Locis aliis. Ubi verò & Certitudo, (sive Potestatis, sive Promissi sit,) intenditur, unde & Confidendi quoque Actus subinfertur, in Regimine affixum esse solet ב, ut Gen. 15. 6. Exod. 14. 31. Num. 14. 11. 1 Sam. 27. 12. 2 Par. 20. 20. bis, Job. 15. 31. aliísque in Locis duplò pluribus; eóque in sensu, à Græcis interdum per ἐν, interdum per εἰς, exprimitur. Veruntamen nobis nunc nihil opus erit istæc ἐξακριβοῦσθαι, quia ipse SSpiritus in ista, quam fecit, conjunctione Personarum, Credendi tamen disjunctam atque differentem acceptionem se velle, disertè indicavit, Credebant enim, ait, Deo, ut Domino, & summo Imperatori, Mosi autem, non nisi עבדו, ut Instrumento scilicet, & Administro. Paritatem igitur illam, seu potiùs Identitatem Naturæ Divinæ, quam, ex formula ea Baptismi à Christo instituta, Nos Patrem inter, Filiúmque, & SSpiritum probari statuimus, bardum eum, blennúmque esse oportet, qui ex hoc Loco Mosis credat, Ludionem, atque Sophistam, qui vel speret, posse enervari.

11. Transilimus igitur ad reliqua Exempla, quæ solens ille more suo, (violentiore, an fraudulentiore, difficile est dicere;) in argumentum istud è N. T. angariavit. Unum autem est, *Commendo vos Deo, & verbo Gratiæ ejus*, Act. 20. 31. Alterum est, *Confortemini in Domino, & in virtute potentiæ Ejus*, Eph. 6. 10. Habemus igitur heic, ait, *Res cum Deo conjunctas, quæ ad Essentiam ejus nullo modo pertinent.* Ain' verò, ὦ Πάτερ; Tam peremtorié? Planè *nullo modo?* Habétne Deus Barjesuiticus quicquam in se, quòd (non dico, Deus non sit, sed) nullo modo ad Deum pertineat? Præcipuè verò ut Verbum Dei, & Gratia Dei, intimæ apud Deum gratiæ non sint? Virtus atque Potentia ejus, ut Virtutem nullam essentialem sibi habeant? meréne erunt externæ, atque accidentales, & à Subjecto suo mobiles? Quanquam vel si sic ei inessent hæc omnia, cùm tamen introducta aliunde non sint, Sed intùs enata è Seipso profluant, aliquo igitur modo (vel ità quidem considerata) ad Essentiam ejus pertinebunt. Verùm neque nunc opus est nobis, de Essentia Dei, déve Attributis Divinis cum Barjesuita in arenam descendere. Condonantes igitur ei suum, *nullo modo*, quasi nullo sensu, nullâ etiam fide, frontéve, præterquam Barjesuiticâ, ab eo dictum, istud solùm nunc respondeat, volumus, Dominus iste, cum quo conjunguntur Virtus & Potentia, Quis ille est? Annon est ipse Christus? *Ipse enim est omnium Dominus.* Quod de industria interjectum ab Apostolo est, Act. 10. 36. déque idiomate Apostolico est, ipsis Theologorum discipulis perquàm notissimo, Ubi *Dominum* dicant, Christum dicere. Sed & eodem exemplo, Deum illum etiam, cum quo conjunxit Verbum Gratiæ ipsius, eundem Christum Paulus volebat. Verbum verò Ejus, & Gratiam ejus, nihil aliud esse, nisi Euangelium Christi, ludentis operam erit, ego si probare jam satagam, abnegantis fidem, ipse si ausit negare. Cum Christo autem ista conjunctim prædicari, ecquid non proprii in se alit? ecquid propter quod Deitate suâ mulctandus sit? Figura tamen dictionis, rectè si rem arbitremur, in utroque hoc dicto inest, in N. T. non infrequens illa, & nusquam quàm heic conspectior, non ineptè quidem, ἀν διὰ δυοῖν dicta, cùm dividitur ipsum Prædicatum à Subjecto suo, & quod unicum in se esse poterat, sub forma bimembri enuntiatur. Ità igitur jam, *Confortemini in Domino, & in virtute potentiæ ejus*, idem omnino est cum, *Confortemini in omnipotenti Virtute Christi*; &, *Commendo vos Deo, atque Verbo Gratiæ ipsius*, idem est cum, *Commendo vos gratiosissimo Euangelio Christi.* Hiis autem jam par aliquid Dædalus iste procudat nobis ex instituto Christi, de Baptismo in nomen Patris, & Filii, & SSpiritûs, & deosculabimur hominem, Phyllidáque solus vel sine Baptismate habebit.

12. Et sensit ille quidem, capiti suo nondum satis cautum esse ex priore paralogismo; Ad alium igitur confugit, Puerísque suis, sic à se denuò objicere doctis, *verumtamen ipsi statuunt, Eum oportere prorsùs esse Deum, in cujus nomen baptizamur*, terribiliter jam respondet, *Errant vehementer.* ὦ τῆς βαμβολας ὑπερβολῆς! Errare quidem humanum est: Sed Orthodoxos unà omnes, & in tanti momenti re, & tam restrictim, diúque cogitata, & vehementer tamen errare? Nullam profectò caussam dicimus, quin, ille si verum hoc dicat, miserorum Erronum stigmate ipsi inurantur, Sin aliter verò, ipse spurcissimi Calumniatoris. Audiamus igitur, ut fidem suam liberet. *Nam legimus in Scripturis, Israelitas baptizatos fuisse in Mosen*, 1 Cor. 10. 2. *& quosdam discipulos in Baptisma Joannis*, Act. 19. 3. Legimus quidem: Et quid tum postea? *At neque Moses Deus est, neque Baptisma Joannis est Persona, nedum Deus*, C. R. p. 39. Neque Catechista quidem cercopithecus est, Sed tamen bipedum omnium, & caudâ carentium est caput γελοιωδέστατον, despuísque dignissimum. Nam præter scurrilem Sannam, quid hæc ad rhombum? Quæstio à seipso instituta est, An ex Baptismo in nomen alicujus, supponendum sit, illum esse Deum? Hoc qui pernegat, ille ut non aliam inficiationis suæ rationem prætendere possit, quàm Quia neque Moses, in quem baptizabantur, (Sed non audet dicere, *In cujus nomen*,) neque baptisma Joannis, in quod baptizabantur, Deitatem indè consequebantur? Agedum ergò, fruatur suâ fronte; vel pueri tamen ejus, Utrum horum, An Orthodoxos à recta fide, an Magistrum suum ab ipsa Quæstione, vehementiùs errare, ex eo responso probetur, censento. Nobis interea, antequam ad id abeamus, ut quid distet, inter Baptizari in hunc, vel in hoc, & baptizari in nomen Christi, excutiamus, duo jam obiter adnotanda sunt. Primum est, (quo de jamdudum ex parte monuimus,) bene nôsse Barjesuitam, tam stipites planè, mentéque omni motos eos esse, cum quibus illi fidei suæ formandæ res est, ut opus iis sit vel hoc moneri, Mosen nondum esse Deum, neque Baptisma, quod Joannes contulit, esse Personam aliquam. Alterum est, tum cùm urceolus iste Catechisticus primò exiit in Polonia, aliquantò Christianiores fuisse informatores istos, quàm nunc esse dicuntur, neque docuisse suos tam contemtim sentire de Baptismo in Christum, quos Baptismum Suum jam tum profiteri docebant, atque Pueros hos de seipsis, (Aiunt enim, *In cujus nomen baptizamur*,) tam impunè dicere, C. R. p. 38.

13. Verùm hæc ὁ παρὸν tantùm intercidunt. Cardo autem totius quæstionis in quo vertatur, istud est. Expósito antè

antè à nobis, *Baptizari in nomen Patris, & Filii, & SSpiritûs*, Quid ſit, & Ad quid tendat in ſenſu Chriſti, Deum igitur eum eſſe oportere, in cujus nomen Catholica Chriſti Eccleſia baptizata ſemper, baptizanda ſemper eſt, neceſſariò indè inferri, nos conſtanter adſerimus. Hujus autem Conſequentiæ nervos incidere ſe poſſe, ſi divinum hoc Chriſti inſtitutum quoquo modo deprimat, comparétq; ad quodlibet aliud æquivocè dictum Baptiſma, ſeu Moſis illud fuerit, ſeu Johannis, quiſquis credat quidem, ex inſania eſt, & ſeipſum decipit, quiſquis conetur utcunque, ex impoſtura ſit, ut decipiat alios. Præter enim cæteras omnes Baptiſmorum horum, qui nunc obtruduntur, diſparitates, nihil eſt in idiomate Græcorum, cur baptizari εἰς Μωσῆ, & εἰς Ἰωάννου βάπτισμα, magis reddi oporteat, *In Moſen*, & *in Johannis Baptiſma*, quàm, *Ad Moſen*, & *ad Johannis Baptiſma*. Noſtri ergò cum ſua laude reddiderunt, unto Moſes, &, unto Johns Baptiſm. Primò enim, Moſen quod attinet, manifeſtus hoc in loco Tropus eſt, neque igitur ad Perſonam ipſam Moſis deſignandam id dicitur, Quaſi nemo omnium ex Ægypto liberatorum fuerit, qui non profeſſus à principio fuerit, ſe in Moſis cultum, atque obſequium Baptiſmo eo initiari; ſed ſub nomine hoc Moſis, per Metonymiam in N. T. non infrequentem (utì videre eſt Mat. 23. 2. Mar. 7. 10. Jo. 7. 23. Act. 6. 11. & 15. 21. & 21. 21.) comprehenditur Lex ipſa ſacrorum, hoc eſt religio illa, Cultûſque Divini forma, quam Deus tum cœpit populo ſuo per Miniſterium Moſis præſcribere. *Omnes igitur ad Moſen baptizabantur*, ait Paulus, hoc eſt, in Eccleſia illa, (quæ tum figura erat Futuræ ſub Chriſto) juxta ritus ſuos ſub Moſe, ádque Inſtitutionem, quam ei datum eſt adornare, habebant & illi Baptiſmum, ſeu potiùs Baptiſmi figuram quandam, Baptiſmi hujus, quem jam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præſcripſit, inſignem typum. Nam prout Chriſtus mandavit diſcipulis, quum ad Apoſtolatum eos emiſit, ut ipſi duplicem operam navarent in univerſorum admiſſione ad Chriſtum, μαθητεύσαντες eos primò, Quò in Diſcipulatûs illius deſyderium, gaudiúmque pertrahere mortales poſſent, dein & βαπτίζοντες, quò in myſtici ſui corporis participium eos inſerere, Mat. 28. 19. Ità & Iſraelitæ illi univerſi, Nube divinâ circumdati primò, pòſt & per ipſum mare traducti à Moſe, in ſenſu ſpirituali quaſi Baptiſmum quendam conſecuti fuiſſe dicuntur ab Apoſtolo.

14. Hunc autem eſſe genuinum Loci iſtius ſenſum, optimè colligitur, tum ex additione, quam proximè facit, cibi etiam, potûſque Spiritualis Iſraelitarum, v. 3. (Figuram igitur jam utriuſque Sacramenti, à Chriſto pòſt inſtituti, habuiſſe connotantur,) tum ex frequenti ea repetitione univerſalis ſigni, πάντες. Non poſſet enim illud non nimiùm, fruſtráque abundare cenſeri, in tam brevi protaſi vel quinquies iteratum, niſi quòd de induſtria à ſe ſic admiſſum fuiſſe Paulus innuat, per inſignem illam, quam, cùm ad Apodoſin ſuam ventum eſt, imminutionem ſtatim fecit, *Sed non fuit beneplacitum Deo*, ὁ τοῖς πλείοσιν αὐτῶν, 1 Cor. 10. 5. Atque indè occaſionem ſibi præſtruat, commonefaciendi etiam Corinthios, quibus ei nunc per Epiſtolam Sermo eſt, Quicquid ipſi ſibi de profeſſione ſua Chriſtiana pollicebantur, neque illis tamen jam ſatìs futurum, quòd in tam Sanctæ Religionis conſortium admiſſi fuerant, quòd Baptiſmo in Chriſtum donati, quòd Spiritualiter denique paſti, potíque, niſi ab id genus flagitiis, propter quæ Iſraelitarum illorum pars maxima, Sacrarum rerum participes utcunque facti, olim exciderant, jam ſibi caverint, v. 6. Huic autem Figuræ, quâ eos *baptizatos ad Moſen* dicit, cùm initiatos ſolùm ad Sacra Moſaica, ſecundùm ritum Religionis quem à Moſe acceperant, fuiſſe intelligat, gemina eſt & illa ejuſdem Apoſtoli, ubi pariſſimo modo, εἰς Χριστὸν, dicit, Gal. 3. 17. neque Chriſtum tamen in propria perſona ſua, ſed in toto Corpore Myſtico Religionem Chriſti profitente, per id intelligit: A qua etiam neque hac ipſa in Epiſtola multum abludit, cùm, ὥσπερ γὰρ ὁ Χριστὸς, dicens, 1 Cor. 12. 12. non Chriſtum ſolùm, ſed Sanctam univerſam Eccleſiam Chriſtianam (propter quam etiam omnes εἰς ἓν σῶμα baptizatos eſſe ait, v. 13.) manifeſtè complectatur. Accenſâ autem jam hâc face ad Apoſtolicæ phraſeos elucidationem, Barjeſuitæ vices ſuas nunc cedimus, Ut monſtret, ſi aut animus ei, aut facultas porrò ſit, Cur nos iſtud, quod ex Baptiſmo ad Moſen dicto, in hanc Quæſtionem protruſum ab eo eſt, non ſolùm coactum eſſe dicamus, ádque ſuos lactandos tantummodo datum, ſed & ad ipſum τὸ ζητούμενον, de baptiſmo, in nomen Dei, Chriſtíque, planè nihil.

15. Supereſt etiam, ut quid in altera phraſi prævaricatus ſit, paucis commoneamus. Neque iſtud tamen, quòd diſcipulos iſtos Epheſinos, qui reſponderant, baptizatos ſe fuiſſe, εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, Act. 19. 3. pro bardis aut imperitis accipi jubeamus, rerum quippe omnium tam ignaris, ut nè quidem ſcirent, An Spiritus Sanctus eſſet, V. 2. Paulum enim videmus Reſponſum eorum accipere, atque ex eo oſtendere, rectè ſatìs reſpondiſſe eos ad id, quod ipſe quærierat. *Baptizatos* igitur *ſe fuiſſe ad Baptiſma Johannis*, eundem ſenſum habeat neceſſe eſt, quem Interrogatio ipſa Pauli, cui reſponſum ab iis eſt, habebat: Ea erat, *Ad quid igitur baptizati eſtis?* Occaſio autem ei erat illud interrogandi, quia duodecim hii, pro diſcipulis Chriſti Se gerentes, neque confirmationis tamen beneficium (ad illud enim tendebat Apoſtolus in iſta Catechizatione eorum gratiam eam collaturus jam iis, ſi fortean nondum Confirmati fuiſſent:) ſe unquam accepiſſe, neque audiviſſe quidem, *ſi Spiritus ſit*, profeſſi fuerant. Hem! Nè audiviſſe? Miratus hoc Apoſtolus, de Baptiſmo eorum apud ſe meritò jam dubitare cœpit. Ecquis enim poterat baptizari in nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, neque audiviſſe de Spiritu tamen? Hinc iſta Interrogatio, *Ad quid baptizati fuiſtis?* Hoc autem eſt, Quam profeſſionem fidei ſuæ tum fecerant; ſeu, In qua profeſſione admiſſi ad Baptiſmum fuerant? Tum illi, Baptizatos ſe ad Johannis Baptiſma fuiſſe. Quid igitur erit hoc? Scilicet Johannis Se ſolummodo imbutos fuiſſe baptiſmate; Neque igitur profeſſionem aliam præſtitiſſe, quàm quâ in eo inſtituto opus erat, Eſſe ſe peccatores, atque externam eam lotionem avidiſſimis animis adire, tum in promiſſionem pœnitentiæ ſuæ, vitæque Sanctè innovandæ, tum in Spem, atque teſſeram internæ, quâ maximè indigebant, ablutionis, propter remiſſionem peccatorum ab ipſo Meſſia, qui jamjam poſt Johannem veniebat, ipſis indulgendam. Jámque ſatìs eſt & iſta brevis explicatio loci, ad Barjeſuiticam impoſturam denudandam, ádque vel luſcis quidem manifeſtandum, quàm longiſſimè tum à re ipſa, tum à ſana mente ſit, quod ille contra SS. Triadem in Baptiſmo Chriſtiano contentam intorſiſſe ſe opinatur ex ea locutione, *Baptizatos iſtos fuiſſe, εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα*. Ad Baptiſmum ejus ſcilicet, hoc eſt, ſecundùm illam formam, atque in illa Profeſſione, quæ in Johannis tinctione requirebantur.

16. Perpendatur autem jam porrò à cordatis Theologis velim, Annon amplius aliquid, & Pneumatomachorum conſiliis ſummè inimicum, ex hoc ipſo Dialogo eruendum meritò ſit. Nam ut pro conceſſo ſumatur de hiis duodecim, quod & de Apollo priùs dici videtur, noviſſe eos ſolùm Johannis baptiſma, Act. 18. 25. At hii, Johannis baptiſmate priùs imbuti, próque diſcipulis Chriſti jam habiti, Cujates erunt? Annon de Gente, Sanguinéque Judæorum? Bene habet. Judæus autem quiſquam, multò minùs integra Dodecas eorum, ut dicere poſſit, ſe non audiviſſe quidem, An Spiritus Sanctus ſit? Scripturarum tam aſſidui, tam fideles Auditores, ânnon ſæpe audierant de impletis Spiritu Dei, Exod. 31. 3. & 35. 3. & Num. 11. 29. & 27. 18. & Jud. 3. 10. & 1 Sam. 10. 10. & 2 Sam. 23. 2. & 2 Par. 15. 1. cum infinitis id genus locis aliis, Spiritum Domini Dei diſertè nominantibus? *Sanctum* quidem ibidem non cognominatur; Sed poteríne non Sanctus eſſe, cùm Dei, Dominíque ſit? Audierant verò & de *Spiritu Dei bono*, Nehem. 9. 20. atque Pſal. 143. 10. de *Spiritu Domini ad Sapientiam & Intelli-*

Intelligentiam, & fortitudinem, Esai. 11. 2. De *Spiritu Gratiæ & Miserationum*, Zach. 12. 10. Nec dum ista aliquid sunt? Agamus ergò, quod abunde erit; A Davide enim audierant Sanctum ipsum Spiritum, ut idioma Hebraicum fert, *Spiritum Sanctitatis ejus*, Psal. 51.15. & ab altero Propheta, *Dominus Deus Jehovah misit me, & Spiritus ejus, dicit Dominus Redemptor Sanctus tuus Israel*, Esa. 48. 17. apud quem geminatur etiam pòst, *Spiritus Sanctitatis suæ*, Esa. 63. 10, & 11. Præter hæc verò, Annon in ipso illo Baptismo, ad quem se nunc recipiunt, refricabatur iis memoria Sancti Spiritûs? Johannes enim (quod & Paulus eos jam monet, ver. 4.) universos, quos baptizabat, monebat, ut crederent in eum, qui pòst ipsum veniebat. At Quem Illum? Expressè hoc, præter omnia, Qui baptizaturus eos erat ἐν Πνεύματι ἁγίῳ, Matth. 3.11. Mar. 1. 8. Luc. 3.16. Audivisse ergò eos Spiritum Sanctum esse, negari nullo modo potest. Atque hoc tu, Paule, jam audis, & non labra moves? In os tibi reponunt, *non audivisse eos*, & nihil te hoc movet? Quòd si (mitior Petro, in mendax par conjugum, Act. 5. 4.) non perdis istos, neque intonas tamen in tam perditè mentientes? Manifestum igitur vel ex hoc est, nullum mendacium jam fuisse. Quid igitur erit? Eo scilicet in sensu, quo & illi Paulum ex ipsius Quæstione acceperant, Paulus ipsos accipit, (Non audivisse se priùs, Spiritum Sanctum esse ipsum Deum; Non esse distinctam in Natura Divina personam; Scilicet de SS. Triade, Deo Patre, Deo Filio, & Deo Spiritu Sancto, De tribus Personis, atque uno Deo, jam primùm audire se aiunt, Quî poterant igitur audire, de distinctione Personæ ejus, vel de Charismatum donatione, unquam antea?) Veruntamen & hæc audire potuisse eos, Apostolus, non sine tecta reprehensione monet, si pro officio discipulorum, atque ex monito Baptistæ, in Illum, qui sequebatur eum, recto modo credidissent, si ergò quæsivissent, Quid Christus iste pòst docuerat, & Quid à Messia promulgatum fuerat, quum ipse Baptismum suum institueret.

17. Nil opus igitur jam erit, Veteratorem istum (Quod ipse tamen sibi, sed in majorem suorum fraudem, paravit,) à Pueris ipsius urgeri, *longè aliud videri*, *In nomen alicujus baptizari*, *aliud verò*, *In aliquem baptizari*, C. R. pag. 39. Verissima enim utcunque ista admonitio sit, atque Magistri hujus τὸ *Nequaquam*, nil aliud sit, quàm ψευδαπόφασις impudentis & nequam Magistri, Nos tamen, *In aliquem baptizari*, in sensu suo simplici, proprióque, nec tropum inferente, nusquam dictum esse, jam satìs ostendimus: Eâque de causa esse notandum est, quòd Paulus, ubi in proprium eum sensum instituenda ei Quæstio erat, non interroget, Μὴ Παῦλος ἐσταυρώθη ὑπὲρ ὑμῶν; ἢ εἰς τὸν Παῦλον ἐβαπτίσθητε; sed mutatâ hac Phrasi, ait, ἢ εἰς τὸ ὄνομα Παύλου ἐβαπτίσθητε; 1 Cor. 1 13. eadémque de ratione & paulò pòst addit, *Nequis dicat, quòd in meum ipsius nomen baptizaverim*, ver. 15. Noluítque dicere, *In meipsum?* Neque tamen non optimè meminimus, hoc, quod universis aliis, Personis, Rebúsque, jam abjudicamus, de Christo tamen non semel dici, *Baptizari nos in Christum*, ut Rom. 6. 3. & Gal. 3. 27. Sed ex gemina, quam reddituri sumus, hujus rei ratione, Barjesuitam non summi solùm erroris arguendum esse monstrabimus, sed & summæ quoque impudentiæ, quòd ipse nihil veritus sit, etiam & ista loca huc in aliquam hæreseos suæ defensitationem allegare. Aliquid quidem de *vi idiotismi Hebraici*, idioticè satìs, non dicam, sed nimìs Sophisticè, præmittit, ex qua, *Idem sæpe in Nomen alicujus facere, quod in aliquem facere, significare, notum esse* ait C. R. pag. 39. Sed prima hæc fraus ejus, (numerum enim nunc cum eo ut ineamus, necesse est,) hac ipsa in parte est, quòd mutet Quæstionem; Ea enim nobis hactenus fuit de Baptismate, atque ille jam nescio quid obtrudit de aliis factis. Altera est, quòd mutet Modum Verbi; (Neque enim caret & istud suâ fraude.) An idem sit, *Baptizari in aliquem*, quod *baptizari in nomen alicujus*, de eo quærebatur, sed quod ille jam reponit, de *fieri in aliquem*, aut *in nomen alicujus*, (non est, sed novum aliquid est) De *facere*. Tertia est, quòd mutet ordinem horum; Quod quærebatur enim, erat, An idem sit *baptizari in aliquem*, atque *baptizari in nomen alicujus*: Ille, vice versâ, (nè non recolamus eum esse filium Barjesu τῆ Διαστροφῆ,) transponit ista, ordinéque perverso, ait, *Quod dicitur in nomen alicujus facere, idem esse, quod In aliquem*: Quo de quidem nemo jam dubitabat; minus enim esse in majore, certum est, sed non in minore majus. Quarta est, quòd ambulare in hiis quoque nolit, nisi dolosè, & in generalibus; *Facere in aliquem*, ait, & *Sæpe*, & *Notum est*. Sed nec *quid facere*, nec *in quem*, nec *ubi sit*, nec *quibus notum*, nec quicquam distinctè indicat, nè indicetur, ipse quàm graphicè mentiatur.

18. Quis autem, obtestor, unquam legit, *Facere in aliquem*, nisi illud, *In eum*, sumendum sit, pro *contra eum*? Et notum quidem optimè est; ubi Sermo de Deo ipso est, phrases Hebraicas, ex idiomate illius Linguæ, idem significare, seu *nomen Domini* dicant, seu *Deum ipsum*. Ità passim leguntur, Invocare nomen Domini; Timere nomen ejus; Laudare illud; Diligere; Magnificare; Blasphemare etiam; Jurare per illud; Ædificare domum nomini; Confiteri nomini; Ministrare ei; Cum infinitis aliis, Quæ & de Deo quoque ipso, non minùs omnia dicuntur. Hæccine verò quicquam patrocinantur Barjesuiticæ huic absurditati, *facere in aliquem*, aut *in Nomen alicujus*? Præsertim verò, cùm etsi Præpositio *In* addatur, de solo Deo hoc teneat, idem esse *In Deum*, atque *in nomen Dei*. Sed Barjesuitica omnis hæc impostura intercidit, nisi quod contrà objectat, de Homine accipiatur. Observetis igitur, sultis, Serpentigenæ istius, omnem Protea superantis, lepidas versutias. Esse in Natura Divina distinctas tres Personas Catholici confirmamus, Quia Baptismus suis omnibus à Christo institutus est, *In nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*. Reclamitat Barjesuita, primóque objicit, *Cum Deo Patre conjungi posse, tum Personas, tum Res, quæ Essentiam nullam Divinam exinde sortiuntur*. Sed eo cavillo exturbatus, Secundò clamat, etiam in re Baptismi instare se posse; Fuisse enim Baptismum in Mosen, ínque Johannem, neque Mosen tamen, neque Johannem indè Deos evasisse. Fugatus etiam & ex hoc Cresphugeto, unáque meminisse jussus, Non disputare se nunc ad idem, Nam, si illud *In aliquem*, vel propriè, atque sine figura dictum fuisset, aliud tamen esse, *In nomen ejus baptizari*, istud enim Deitatem necessariò præsupponere; Tertiò jam (quidlibet audendi certus,) clamitat, *In eum*, atque *in nomen ejus*, idem significare: Atque ad hoc confirmandum, cùm se alio omni vel colore quidem destitutum sentiret, ἀναιδυντιλίαν omnem supergressus, in Hostium suorum castra confugit, instátque in proposito eorum, adseritque *Baptizari in nomen Christi*, & *baptizari in Christum*, pro eodem posita esse, C. R. pag. 39. Enimverò posita sunt; Idque ad immortalem triumphum Caussæ Christianæ, sed ad æternam confusionem Barjesuiticæ impietatis, evidentissimum istud Deitatis in Christo argumentum, confiteri jam coactæ. Quanquam enim Baptismus noster Tres illas Divinas Personas, non aliter quàm ipsa Deitas Sua, ex æquo respiciat, ádque Patrem, Filium, & SSpiritum in communi, & indistinctim referatur fides, quam in illud nomen baptizati profitemur, SSpiritui tamen visum est, in Christi Solius nomine, (Quia quà Filius Dei est, Secunda, Mediáque Persona in illis tribus est, Quà filius Hominis est, ipsius Baptismi Author nobis atque Institutor est;) totam Deitatem ἀναφωνήσασθαι, atque absolutè de Baptismo nostro interdum dicere, Nos, qui in nomen Patris, & Filii, & SSpiritûs baptizati eramus, in Christum baptizatos fuisse. Supereſt igitur jam nihil impræsentiarum, nisi, ut pòst Gloriam omnem SS. Triadi dictam, succlamemus etiam, Barjesuita, totus, quantus, dolus pessimus est!

SECT.

Sect. XXVI.

1. *Baptiſmus cur Barjeſuitis exoſus. Chriſti Præceptum.*
2. *Illi Sacramentum aut Myſterium non agnoſcunt. Cœnam Domini habent pro nuda Cæremonia.*
3. *Valedictoria Promiſſio Chriſti ad Barjeſuitas, (Miſſionem nullam habentes,) non pertinet. Cur Catechiſticam formam induerunt ſibi.*
4. *Baptiſmum exoleviſſe volunt cum Gentiliſmo & Judaiſmo.*
5. *In Baptiſmo, attenditur non Unde, ſed Quò. Primi Chriſtiani erant & Legis Judaicæ zelota.*
6. *Ad Baptiſmum nil refert Unde veniant, niſi in Senſu Spirituali, à peccatis.*
7. *Nè Joannis Baptiſmus erat per μείωσιν dicendus* Aquæ Baptiſmus.
8. *Pado Baptiſmum impiè negant habere Mandatum aut Exemplum in SScripturis.*
9. *Utrumque elici poteſt è mente Chriſti. Infantes poſſunt ſtipulari in Bonum ſuum.*
10. *Quòd Infantes baptizentur, eſt è Præcepto Chriſti.*
11. *Regeneratio eſt à SSpiritu, non ab Aqua, ſed per Aquam, Chriſto ſic inſtituente.*
12. *Regeneratio Barjeſuitarum Qua. Infantes tam Regenerari poſſunt, quàm Generari.*
13. *In Sacramento, SSpiritui, non Aquæ, totum adſcribitur.*
14. *Cur Baptiſmus Idololatriæ inſimuletur à Barjeſuitis.*
15. *Verbum in Sacramento operatur, Sed non ſeparatim à SSpiritu.*
16. Lavacrum Regenerationis, *non Metaphoricè dicitur, ſed Metonymicè.*
17. Habere, *apud nos, eſt Verbum Poſſeſſivum: & Signum Temporis Verborum.*
18. *Ἀναζώωσις eſt vel Subjectivè, vel Effectivè.*
19. Et, *interdum ponitur, pro* Hoc eſt. *Regeneratio in Baptiſmo ut ſit.*
20. *Catechiſtica Formæ induta dolus. Per Baptiſmum ablui peccata.*
21. *Invocatio Domini in Baptiſmo, cum Fidei profeſſione.*
22. *Ἄνωθεν eſt vel* Deſuper, *vel* Denuo, *Et in Regeneratione noſtra utrumque eſt.*
23. *SSpiritus & Eccleſia generant Chriſtianum. Aqua Baptiſmalis dici etiam Spiritualis poteſt.*
24. *Quàm ſtolidè prævaricentur è Vocabulis* Ἐν *&* Ἐκ.
25. *Baptiſmum à Chriſto inſtitutum longè præcellit aliis. Per ignem Apoſtoli baptizati ſunt.*
26. *Nihil valent Argumentationes à* Non eſt ſcriptum. *Generatio eſt vel Naturalis, vel Cæremonialis, vel Spiritualis.*

BArjeſuiticis Catellis quid incuſſerit τὸ ὑδροβαπτὲς ἐκεῖνο ſuum, jam antè tetigimus. Ipſa enim inſtitutio Baptiſmi, fieri à Chriſto juſſi, *εἰς τὸ ὄνομα Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, Matth. 28. 19, ſi jam aliud præterea extaret nihil in Sacra pagina, trium Perſonarum in eadem Deitate fidem, (Quam Barjeſuitica Erinnys, teterrima illa terræ propago, ex guttis genitalium Veteris totius Hæreſeos, noſtro jam Seculo, enata, oppugnat.) Satis, ſupérque adſerit. Metus igitur iis erat, nè vel ſolius Baptiſmi, univerſis impertiti Authoritate, impertiendíque Reverentiâ, horrenda ipſorum adverſùs SS. Triadem rabies ab omnibus, vel pilum quidem boni viri, aut ſanæ mentis habentibus, brevi exterminaretur. Quid igitur faciunt? Quod ſic metuunt, oderunt, Quod oderunt, periiſſe expetunt. Indè à principio igitur omnes fraudes nectere decretum iis eſt, totíſque medullis inſudare, ſiquâ Sacramentum ipſum ſubruere poſſint, uſúmque & opinionem S. Baptiſmatis in Eccleſia, ſi fortè non poſſint prorſus excludere, arrodere tamen, & ſæviter imminuere. Ex hoc igitur carcinomate ebullivit Echetæ Racoviano ſuum *De Prophetico Jeſu Chriſti munere Caput quartum*, Cui & titulum ob id fecit, *De Baptiſmo Aquæ*, C. R. pag. 195. Methodo autem ad hoc quàm captioſâ, (Nunquam enim non prævaricandum ei eſt,) turpiterque fallaci uſus ſit, prænonito opus eſt. Dicto enim, *Chriſtum, præter ea, qua Mandatis Dei per Moſen adjicere viſum eſt, etiam alia Præcepta, ſigillatim, & ſua, tradidiſſe*, C. R. pag. 178. Quærenti, Quæ iſta fuerint, reſpondet, *Eſſe ea duplicia, reſpicere enim quædam eorum, Mores; Quædam, externos Actus Religioſos*, Cat. Rac. p. 179. Optimè habet. Tantum igitur Magiſtrum, quia mendacem eum eſſe non oportet, memorem etiam eſſe nemo dubitat, ſed tantùm ex re ipſorum eſſe, hoc ipſum, quod de quibuſdam, déque Religioſis Actibus, ab ipſo, in Plurali numero, propoſitum antè, promiſſúmque eſt, reſcindere, atque poſt pagellulas non multas, pro ſingulari ſua arte, monere ſuos, *Quod externum aliquem Actum Religioſum reſpicias, Unum duntaxat Præceptum Chriſti eſſe, Cœnam nempe Domini*, C. R. pag. 186.

2. Cui igitur jam non ſubolet, quàm verſatile hiis hominibus ingenium ſit, & quàm egregiè valeat, quocunquè verterint? Quid? Etiámne demendum eſt miſello populo quicquam de Sacramentis Eccleſiæ? Nos videant, (inquit iſte,) atque fatendum facilè erit, Pontificios Prædones nihil eſſe ad nos. Illi quidem Calicem è Sacramento Cœnæ popello ſuo ſubduxerunt. Parùm eſt, atque rem exiguam audentium! Quantò præclariùs Nos? Poſtquam enim Chriſto ipſi Naturam ſuam Divinam adimendam eſſe decreverimus, nequid dehinc vel cogitandi quidem de ea occaſio cuiquam ſubeat ex nomenclatura rerum, Nos etiam hæretica ſua vocabula (*Myſterium*, & *Sacramentum*) in Alcorano hoc noſtro, nè vel ſemel quidem nominentur curavimus, ut Sanctos decet ex hara Polonica. Cæremonias eas vulgò vocari, iſtud quidem, atque de pia induſtria, non ſemel à nobis monitum eſt, C. R. pag. 179, & 186. Præter enim, quòd non parùm minuere poſſit ea conſyderatio de vera, ſolidáque Sanctitate, Rem quoque planè σφαιρικὴν, & ſolummodò ad tempus duraturam denotat. Hoc primum nobis conſilium fuit. Dein, ex altero nunc conſilio eſt, quòd quì paulò jam priùs non poteramus non de Cæremoniis pluribus à Chriſto imperatis promittere, nunc tamen, cùm aliter nobis expedire videatur, noſtra ſolùm Authoritate freti, etiam priorem earum penitus ſubduci juſſimus, neque ſinimus, Cæremoniali quidem in numero aliquid ut habeant noſtræ Editionis Chriſtianuli, præter unicum illud, quod *Cœnam Domini* quidem appellitamus, Sed & eam, ità utl ab Anteſignano noſtro Racoviano, (arreptâ ad hoc è Pontificiorum deliramentis occaſione aliquâ;) circumſcripta, decurtata, atque exinanita eſt, *Cœnam Racovianam* potiùs appellitandam. Ad id verò expatiari jam non placet, cùm de numero ſolùm Præceptorum Chriſti diſquiſitio hæc ſit. Memoriam etiam homini nè porrò refricemus, Támne verò & frontem perdidit, ut & viciniæ toti indè male ceſſerit, actúmque jam Barjeſuitæ de utroque oculo ſimul cum fronte fuerit? Nam verbis in illis, *Πορευθέντες οὖν μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτὸς*, Matth. 28. 19. Nemo omnium, *ἀπερίφραστος* quantum libet ſit, vel *μεμβράνῳ* quidem, non videre poterit clarum Præceptum Domini de Actu Religioſo: Præceptum, quod ex ipſa Natura rerum, ordinéque decoro anteire oportebat, Ut laventur omnes, antequam cœnentur: Et quod ad univerſos ſub æterna Regula à Chriſto extendebatur; Et quod in ipſo Adſcenſu ſuo, ſpecialis ei atque ultima vox, & juſſio erat; Et quod cum ingenti promiſſo (Præcepta autem cum promiſſo quàm ſint attendenda, Paulo monitore diſcimus, Eph. 6. 2.) imponebatur, *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem Seculi*, ver. 20.

3. Ad hæc igitur quid venerabilis Catechiſta? Nè ſv. Neq; enim in ipſorum cœtu quiſquam eſt, ad quem ea Promiſſio

missio pertinet. Facta est ea in gratiam Apostolorum, atq; ab iis Substituendorũ seriatim in finem seculi, (Ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι, ait Christus, hoc est, Cum illis, Qui à Vobis, (prout Vos à me, atque Ego à Patre meo, Joan. 20. 21.) Ordinationem, Missionémque Canonicam, & non mentitam Successionem,(sic ut vos in Illis præsentes semper habeam) sortientur; Igitur & cum illis, qui eam nunc sortiti sunt, & qui deincipes sortituri sunt, æternùm adero, Sed cum illis Solis; Quorum Barjesuita jam quisquam pars nulla est. Sapere tamen istum,suo more, non negamus,atque ex arte sua satis in tuto apud suos esse. Eo enim consilio sub Catechistica forma institutum ab eo hoc magma est, ut ipse solus semper delectum facere possit, Nepotulísque suis, pro suo ipsius placito, obtrudere, quæ velit, & in quibus imponere se iis posse minùs dubitet, Quæ verò difficiliora esse, & vires, fraudésque suas superare præsentiat, sub Catechisticæ (si placet) brevitatis cucullo, fileat ea, siccóque pede transiliat. Neque tamen Nos, nisi nimiùm obesæ nasis esse velimus, non odoramur, (Amici enim est, odorari quid velit amicus:) quid ipse sibi pro effugio, licèt eloqui ausus non sit, paraverit, contra Præceptum hoc Christi de Baptismo. Post illa enim, quæ de unico Cæremoniali Præcepto, de Cœna Domini, more suo, (hoc est, mangonizandi, instituto sub prætextu exponendi Præceptum, atque Barjesuiticum virus cum expositione intermiscendi,) propinanda habuit, interesse suâ putavit, haud abire prorsus ab eo de Præceptis Themate, donec & Baptismum, quod Præceptum Domini in eo genere præcipuum esse sciebat, atque ab omnibus primariè expectari, impuro halitu deturpaverat. Indè igitur prodiit ei Cœnosum illud Capitulum de Aquæ baptismo; In quo definiendo, utcunque ei actum sit de Præcepto aliquo silentium, (Quod nè nominare quidem se posse videbat, nisi eâdem prorsus operâ Lectorem mitteret ad hunc Locum Matthæi, sibi longè exosiorem, quàm Tentatori Domini illud, ὕπαγε Σατανᾶ, Mat. 4. 10.) Ritum tamen, usúmque ejusdem nequit non agnoscere, hominibus ad Christianæ Religionis charisma introitum fuisse.

4. Fuisse, inquam. Nam in tempore eo imposituræ hujus Cardo jam totus vertitur, *Per Baptismum manifestè profitebantur homines*, (ait,) *se Christum pro Domino agnoscere*, C.R.p.195. Tu verò cave tibi, Lector, nè ludi fias. Non enim ait, *Profitentur*. Quid rei igitur est? An desierunt jam in illorum regionibus Christum pro Domino habere? An saltem plus sapiunt ingeniola Barjesuitica, quàm ut istud velint, plebeio more, modóque, manifestè agnoscere? Aliquid esse oportet, quòd tempus mutaverit. Certè est. Id enim agit Vulpecula, ut Baptizandi Ritus iste jam olim exoleviſse, à Suis putetur. Et quo argumento? Quia solis iis præscribebatur à Domino, *qui è Judaismo, vel è Gentilismo ad fidem Christi accedebant*, C.R.p.195. Et ex parte quidem aliqua, verum est quod dicit. Nam cùm Baptismus præcipiebatur, nemo omnium in orbe toto erat, qui Judaismum, vel Gentilismum non oleret. Sed quid tum postea? Rogas, ait? Ergò, qui nunc ad Christum accedunt, cùm neque è Judaismo, neq; è Gentilismo, veniant, ecquid Baptismus ad eos? φεῦ τῆς ἀναισθησίας! φεῦ τῆς ἀναισχυντίας! Sed ad eos, qui in Barjesuitica parte Scioli sibi esse videntur, lacrandos, satis sunt istiusmodi argutiolæ! Præcipi iis, *Qui è Judaismo, aut Gentilismo veniebant*, & Præcipi iis, *Quia è Judaismo, aut Gentilismo veniebant*, sono tam parùm differunt, ut & sensu eadem (ô immane quantum differentia!) ab iis esse censeantur. Neque interea attendunt, quod à Magistro suo tam impudenter obtruditur, non ratione solùm omni, atque Authoritate carere, sed & per eandem omnino sequelam, etiam & à S. Eucharistia se, (Quam, ut exterius quiddam Cæremoniale, *Cœnam Domini* dictam, adhuc admittere dignantur;) & ab Oratione etiam Dominica, denique & ab Evangelii totius privilegio, ubi Magistris suis visum erit, ineluctabiliter excludendos esse; Nam & hæc ad eorum solùm usum, qui Judaismi, aut Gentilismi consortes jam fuerant, indulta in principio, prælcriptáque sunt.

5. Quod audiant igitur veri nominis Christiani omnes, audiant etiam & Barjesuitæ, (si aures Socininæ, ad audiendum sint;) Nos cum S. Paulo adserimus, *In Jesu Christo*, hoc est, ut ad Dominum Jesum accedamus, & veri Christiani simus, Salutísque æternæ consortium ex eo consequi possimus, *neque Circumcisio aliquid valet, neque Incircumcisio*; hoc est, nihil omnino refert, è Judaismo, an è Gentilismo accedant homines, *sed nova Creatura*, Gal.6.15, hoc est, renovatio illa per veram fidem, quam profitemur, quando per Baptismum admittimur ad Christum, ea ipsa de caussa appellatum, *Lavacrum Regenerationis*, Tit.3.5. Dicimus igitur; Id quod in primævis ipsis (Quorum Baptismo hii simulant se non oppedere,) Christianis attendebatur, erat, Quò veniebant, sed non Unde: Atque indè est, quòd sacræ omnes Locutiones ad nil aliud tendunt, *Baptizari in nomen Domini*, Act.8.16.&, *Baptizari in Christum*, Gal.3.27.&, *Baptizari εἰς τὸ θάνατον αὐτοῦ*, Rom.6.3. Sed βαπτισθῆναι ἀπὸ nunquam usquam legitur; An ἀπὸ Ἰουδαϊσμοῦ, an ἀπὸ τῆς Ἐθνισμοῦ, in nullam considerationem SSpiritûs unquam veniebat, sed nunc tantùm à Barjesuitis inventum est, ad stultos mortales per ridiculam eam fraudem Baptismate suo emungendos; Cum Baptismo autem,& Fide; cum Fide etiam, & Domino; *Unus enim Dominus, una fides, unum baptisma*, Eph. 4. 5. Hoc est, Christus homo, jure Redemtionis solus Dominus noster factus, colitur sub una eadémque fide Christianorum omnium inter se, Quam illi per eandem omnium Professionem in Baptismo suo (Fidei ob hoc,Sacramento non malè dici solito,) Universi testatam faciunt. Prætextus autem iste, quasi Baptismi ad nihil instituti, nisi ut ablueret homines ab illa seculari conditione, unde venerant, ab Ethnicismo,an à Judaismo, proh,quàm insulsæ in se sunt,& solis asininis labris aptatæ hæ lactucæ! Quanquam enim de Ethnicismo alia res erat, propter Idololatriam, & genus omne impietatem cum eodem indivulsè conjunctam, Quis tamen nescit, Primævos Christianos, (Tria millia illa, hortante Petro, βαπτίζεσθω ἕκαστος ὑμῶν ἐπ' ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, Act. 2. 38, & innumeras illas multitudines, Act. 5.14. & 6.1. & pòst, ad aliquàm multos annos, Judæorum credentium myriadas alias, Act.21.20.) eo omnium animo ad Baptismum & accessisse, & ab Apostolis admissos fuisse, ut Judaicâ Religione (quam & Christiani pro ejusmodi agnoscebant, *quæ à Deo profecta, ad certum suum tempus duratura erat*, C.R. p.13.) adhuc fruerentur, legísque Zelotas se cum laude sua etiam in cultu Christi præstarent?

6. Ex isto igitur colore, tam aqueo & planè evanido, contra Baptismum Christianorum, Barjesuita haud ampliùs proficiet, quàm ut respondere jam à nobis jubeatur, Quid factum fuisse censeat, de prole illorum, qui Christiani (nondum nomine quidem, sed Re, Fideles enim erant,) tum erant, quando universalis iste Baptismus à Domino imperatus est. Nam, (ut Absentium nulla nunc ratio habeatur,) adfuisse è fidelibus, uno pariter tempore, locóque, supra Quingentos, Paulus testis est, 1 Cor. 15.6. Ad aliquot igitur Capitum Chiliadas facilè poterat numerus liberorum ex iis adscendere. Baptismum igitur adierunt hii, annon? Si neget Baptizatos fuisse, monstret etiam Diploma aliquod exemtionis eorum, per quod non ceciderunt sub generali regula, Christi Baptismum deferendum esse εἰς πάντα τὰ ἔθνη, Mat.28.19. id est, Nè de Ethnicis solùm hoc dici, & non de Judæis Barjesuitica ingenia cavillentur, εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, Mar.16.15. Chiliadas igitur istas per quam Potestatem ille excipiet? & Quis dedit ei hanc Potestatem? Quòd si fuisse Baptizatos non inficietur, tum neq; in signum accessûs eorum è Judaismo, aut Gentilismo factum illud est, Neque satìs ipsis erat ad πολίτευμα Christi obtinendum, fidelibus, id est, Christianis parentibus, natos esse. Unde veniant igitur, qui ad Christum accedunt, in sensu Spirituali solùm, attendi in Baptismo oportet; An de communi quidem Naturæ corruptione profugiant, An peccatorum eos pœniteat, Diabolo, Mundóque & Carni abrenuntient, ideóque se baptizari cupiant, *ad Remissionem peccatorum*, Act.2.38. *ad Ablutionem peccatorum*,

torum, Act. 22. 16. Támne verò Sancta jam Pars hæc Barjesuitica facta est, ut cùm adoleverint etiam, (Peccato enim Originis repudium eos misisse, non nescimus, C.R. p. 249.) eâdem, quâ Apostoli, atque primævi Christiani gaudebant, purgatione per Baptismum neutiquam indigeant? Scilicet! Verùm nec hoc sufficiet tamen; non quantæcunque Sanctitatis simulatio; non quantævis Puritatis præsumtio; non prætentio quantælibet Fidei. Dominus enim est, qui sic præscripsit, ὁ πιστεύσας, καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται, Mar. 16. 16. De jure ergò communi Salutis, non magis sufficiet hominibus Fides sine Baptismo, quàm Baptismus sine Fide. Jámque videat Barjesuita, per quod posticum ipse subinducetur ad Salutem, Qui non baptizatur.

7. Neque audet quidem illud claris verbis adfirmare. Callidè igitur se in ea parte, quantum potest, reprimit, magísque eligit, in ipsum Baptismum, quem, consiliis suis omnibus tam ex diametro adversantem, nequit non odisse, totis viribus invehi. Egerat reverà hoc jam indè à principio: Titulus ipse, quem fecit huic Capitulo, *De baptismo Aqua*, (ut & de loco ejusdem nihil dicamus,) locuples invidentiæ ipsius testis est, index odii & malevolentiæ. Id si non esset, Quid facit ibi Adsumentum *Aqua*? Poterátne metuere, si solùm inscripsisset, *De baptismo*, non posse se intelligi, vel certè, posse non intelligi? Sed efferati animi hæc spuma est. Siquis enim nunc Latratores Racovianos audit, Baptismus Christianorum Aquæ meræ negotium est, *Ritus* solùm *exterior*, C.R.p. 195. qui minus reverà in se habet, quàm aut Pilati manuum lotio habebat, aut Pharisaica patinarum & poculorum ablutio. Sed Anathema Maranatha; Increpandos eos relinquimus Domino, cùm venerit, S. Baptismatis Institutori. Istud interea dicimus, Nè de Johannis quidem Baptismo hoc sine sceleratæ μισοδουλίας convitio dici potuisse. Sanctior etiam ille erat, propter gratiam eam Pœnitentiæ, ad quam, morali suo (ut plurimùm) modo, ingenerandam à Deo institutus est, quàm ut, per execrabilem Sannam, sed Authore isto dignam, *Baptismus Aqua*, hoc est, merè externæ ablutionis opus haberetur. Johannes tamen ipse, Baptismi à se celebrati comparatione factâ ad Baptismum, quem Christus in Ecclesia sua instituturus erat, clarè distinguit, atque se quidem baptizare ἐν ὕδατι, ait, Jo. 1. 26, Sed Christi baptizationes futuras ἐν πνεύματι ἁγίῳ, v. 33. Verbis igitur Domini (siquid ea valeant apud Barjesuitas,) suademus iis, collyrio inungant oculos suos, ut videant, quod & Petrus omnibus evidenter ob oculos posuit, In Baptismo Christianorum esse non unam lotionem. Prior enim est, Exterior ille Ritus per aquam, carnísque ea ablutio est, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, 1 Pet. 3. 21. Sed & Interior etiam lotio est, ad quam & significandam, & ad homines, ex instituto Dominico, deferendam, exterior ea servire jussa est: Ista autem per SSpiritum fit, éstque ἀνακαίνωσις ἁγιοπνεύματος εἰς ἡμᾶς καὶ ἡμᾶς σώζει· id est, (ut occasio mihi jam sæpe facta est verbum istud σώζειν in sensu Evangelico explicandi,) Baptismus in Christum, factâ per SSpiritum stipulatione nostrâ cum Domino, liberat nos à peccati diluvio, inque conditionem & Statum Salutis nos restituit. Ex hoc igitur intuitu natum est & illud corollarium Pauli, *Corde quidem credi ad justitiam, Sed ore professionem fieri εἰς σωτηρίαν*, Rom. 10. 10. Intelligitur enim de ea Professione fidei in Christum, quam in Baptismo quemque facere, si salvus esse velit, Officii quidem, morisque Christiani est: Atque indè, tum de interiore gratia SSpiritûs in baptismo, tum de necessitate ipsius Baptismi, facilè concluditur.

8. Sed isthæc omnia, qui sub ferula Catechistæ militant, scient juxtà cum ignarissimis. Ipse enim securus suo modo pergit, atque ut Baptismum (quocunque modo) oppugnet, quantum possit, in Anabaptistarum castra primò se penetrat, & quasi de ætate solùm Baptizandorum solicitus jam esset, quærit, *Num ad eum Ritum infantes pertinent?* C. R. p. 195. O quantum igitur mutatus jam Polypus! Vel enim stolidè istud, hoc jam seculo, æque sola animi impotentia, aliquâ ut noceat, nunc quæritur, Vel à Judaismo, aut Gentilismo accedat quisquam ad Sacros latices, neutiquam respiciendum esse fatetur, modò pedibus ipse suis accedat, atque aliorum gestamen nè sit. Agedum verò, si sit, si aliorum pedibus utatur, quid tum? O piaculum! *Infantes ad eum Ritum ut pertineant? Nullo pacto*, C. R. p. 196. Quoniam igitur hoc displicet ei, hem, mutamus terminos, quærimúsque, *An Ritus iste pertineat ad Infantes?* Respondeat Magister. Sed per infortunium, quod in Sapientem cadere potest, profectò non putârat, præstitisse Quæstionem ità institui. Credamus igitur & ad hoc responderi ab eo, *Nullo Pacto.* Sed quídni? *Quia in Scripturis* (ait) *nullum Mandatum, aut Exemplum ea de re habemus*, C. R. p. 196. Hæc prima ipsius ratio est; Atque hæc quidem satìs vacillat. Multa enim ad Christianos in vita sua ex Officio pertinent, quorum è Scripturis expectari non oportet, Aut Mandatû aliquod, nisi generalia illa, *Omnis anima Potestatibus supremis subjecta sit*, Rom. 13. 1. &, *Obedite Præpositis vestris, atque submittite iis*, Heb. 13. 17, Aut Exemplum certè, nisi à paritate rationis illud, *Et tu fac similiter*, Luc. 10. 37.

9. Neque tamen Exempli solùm, Sed & Mandati etiam plurimum, ad hanc ipsam rem Baptismi Parvulorû, (Quandoquidem Domino postea visum fuerit, Baptismum universis, pro Introitu ad Regnum suum præscribere,) contineri in facto, respondéque Christi, (Quando & ipse τὰ παιδία ad se admisit, & Discipulos, prohibentes id ætatis ad ipsum adferri, severè redarguit, rationémque eam, De Jure eorum Euangelico petitam, superaddit, τῶν γὰρ τοιούτων, Mat. 19. 14, hoc est, etiamsi infantes erant, eorum tamen esse, hoc est, ad eos pertinere, Regnum cœlorum, hoc est, Admissionem, & introitum in Regnum Gratiæ;) alibi à nobis expositum est: Integram autem de Pædobaptismo dissertationem nunc excutere, hujus neque Loci, neque Instituti est. Vel pueris igitur exibilanda relinquetur altera illius ratio, *Quia infantes*, (ut res ipsa indicat,) *Christum pro suo Servatore agnoscere per ætatem non possunt*, C. R. p. 196. Nihil enim & hæc res indicat, nisi puerilem Barjesuitæ captionem. Illud enim potest quisque, quod jure potest: Jure autem omni Infantes, in suum beneficium, id quod per ætatem suam non possunt, per alios ætatem habentes, & Potestatem eorum, possunt. Per Ecclesiam igitur, per Sponsores, possunt agnoscere Christum Dominum suum, possunt pacisci de agnoscendo, ubi adoleverint, possunt ex isto pacto admitti ad privilegia divinæ Gratiæ, possunt iisdem postea, nisi abrenuntient, perfrui: Neque minùs hæc omnia, quàm in regno Poloniæ, & magno Ducatu Lituaniæ ipsi jam perfruuntur indultis, quæ cùm Infantes ipsi erant, per stipulationem à Majoribus eorum, non sibi solùm, sed & Parvulis suis factam, obtinere ipsos potuisse, non negatur.

10. Miserrima igitur est ista fluctuatio, quam ad gratiam Orthodoxorum jam denuo, conciliandam, (dicam, an emendicandam, parùm refert; putida enim res est;) prodit, cùm subjungat, *Qui infantes baptizant, quantumvis hac in re errent, non licere tamen ideo eos condemnare*, C. R. p. 196. Vah! Imò probent Errorem esse, in tali præsertim, tantíque momenti Re, tàm Sancta, tam Publica, tam Catholica, atque Causam non dicimus, quin *ideo condemnentur*. Imò, non licere dicimus iis, quorum interest dijudicare, non condemnare, Errorẽ quidem ipsum, Quando probabitur, Sed ipsos interea, qui tam stolidè pronuntiant, Errorẽ esse. Triobolaris igitur merx sunt, & præterea nihil, tres quas adsuit, conditiones (si placet) cõdemnationis hujus prophylacticas. Prima enim (*modo alioquin Idololatræ non sint*,) rancidum est, sub obtentu cautionis, (uti mox parebit) convitium. Altera, *modò piè secundùm Christi præcepta vivant*, Anilis delirii sputum est, sic evomitum, ut in suam ipsorum faciem redundet. Infantes enim baptizare, nos adserimus, esse piam Præcepti Christi, quantum ex mente Christi colligitur, expletionem; non baptizantes ergò utroque nomine peccare, viveréque in peccato, contra Pietatem pariter, atque Præcepti intentionem. Tertia, *modo alios, sententiam eorum repudiantes*,

non perſequantur. Summum quidem hoc, ſolúmque reverâ voti ſui caput eſſe perſentimus, ut pravitati ſuæ immunitatem emercentur. Sed iniquiſſimum poſtulatum eſt. Qui S. Catholicæ Eccleſiæ Sententiam tanto cum faſtidio tam contumeliosè repudiant, Unitatémque in Chriſto non ſine blaſphema ſententia ſcindunt, velle tamen ſententiam ſuam Schiſmaticam, *ἀναντιῤῥήτως* eſſe, atque à nemine judicari? Abſit. Ab alia autem perſecutione ſi hic metuere ſe ſimulet, per calumniam & hoc quoque dicitur. Orthodoxorum enim Chriſtianorum ſententia eſt, Nè vulpeculas quidem, quæ demoliuntur vineas, Cant. 2. 15, Nemini licere perſequi, niſi quibus cum ſpeciali cura vinearum, Poteſtas eas capiendi deſuper data eſt. Deſinant igitur ex ſuo ipſorum ingenio alios æſtimare, per popularem ſeditionem, tumultum, & vim, Religiones ſuas edocto ſtatuminare. Clauditur autem ei hic Paragraphus improbiſſimo paralogiſmo, ipſíq; Sacro Textui, per fraudem eam, & vim inferente. Nam cùm Paulus ſervitutem, Jugúmq; Legis per Chriſti Euangelium excuſſum eſſe ſignificet, ſic ut nunc *Regnum Dei non ſit Cibus aut Potus*, (hoc eſt, non conſiſtat in delectu ciborum, potuúmq; in ſe adiaphororum;) *Sed Juſtitia, Pax, & Charitas in Spiritu*, Rom. 14. 15; Hujus jam loci verba, (Perverſionis genuinus ille filius,) ad hæc diſtorquet, ut vel per hanc ſtropham ſuis perſuadere poſſit, Baptiſmum, externum quiddam ſolùm, & non niſi inter res adiaphoras eſſe, próque ſua cujuſque libertate licitè poſſe, ſi fortè admitti, certè & negligi: Cùm tamen eum non Præcepti ſolùm, ſed & Conditionis ad Salutem quoque naturam ex ipſo Chriſto habere, jam indicatum ſit, juſtitiámque (Quam vel in Joannis baptiſmo adeundo propter divinum beneplacitum, implendam tum fuiſſe, exemplo etiam ſuo Chriſtus docuit, *Sic implere omnem juſtitiam*, Mat. 3. 15.) & ex illa, Pacem conſcientiæ noſtræ erga Deum; & ex illa, Gaudium Spiritûs, in ſe comprehendere. Ità Baptiſmo noſtro optimè erit, unde Catechiſta ominabatur peſſima!

11. Factâ autem jam hâc contra Pædobaptiſmum Anabaptiſtis gratiâ, quam eos aliquâ (Muli enim mutuùm Scabunt,) retributuros, non eſt quòd dubitet, ad Antibaptiſticum ingenium ſuum redit, novámque de Adultis quæſtionem, Solens ſuo more, hoc eſt, vaferrimo, adornat, (*Quid de eâ re ſtatuis, Quòd ſint, qui putent, ſe eo Ritu regenerari?* C. R. p. 196.) Nam quorſum ſubleſtæ hæ circuitiones? Quin ſuccinctè quærit, An hoc ritu regenerentur? Sed fatuis ſuis ludificandis datur reliquorum verborum paratura. Jam enim illi putare, Rem miram hanc eſſe, prorſúſque novam, *Quòd ſint*, hoc eſt, quòd quiſquam de baptiſmo aliter, quàm ipſi, animatus eſſe poſſit: Fatendum tamen eſſe, reperiri jam in orbe, Quos verò? nonnullos, putà tres, quatuórve, heic illic ſparſim, ſed raros parere nantes in gurgite Chriſtiano; Sunt igitur; Sed Quales? *Qui putent*. Rem enim futilem eſſe, ſolâque opinione inſanâ nixam, neque umbellam aliquam Rationis ſecum trahentem; & Quid? *Eo*, (intellige, quem ipſe depinxerat,) *ritu ſe regenerari*. Stant igitur expectantes, Quid jam Polonicus Magiſter ſuus, ea de re ſtatuat. Verùm antevortimus, atque audiant primò, jubemus, Quid nos jam de doloſo magiſtro ſuo ſtatuamus. Ipſum ad reliquas virtutes ſuas, parente quidem ipſo Barjeſû dignas, id quod palmarium in eo eſt, *eſt enim mendax ipſe, & Pater ejus*, Jo. 8. 44, ubi opus ei eſt, adjungere poſſe ſtrenuam mendaciloquentiam. Neq; enim quiſquam eſt in orbe Chriſtiano, *qui putet ſe regenerari ritu eo*. Per Sacramentum quidem baptiſmi à Chriſto in Eccleſia ſua inſtituti, quotquot ad eum dignis, debitíſq; modis admittuntur, regenerari, non putant ſolùm, Sed ſciunt etiam, & contra Barjeſuitarû Parentè ipſum, Prolémq; omnem, probare ſciunt, non obſcuri aliqui, paucíve, Sed Chriſti Catholica Eccleſia. Verùm quid hoc ad pingue mendacium Catechiſtæ? *Putare regenerari Ritu eo*. Externâ ſcilicet lotiunculâ? præter aquam nihil ſecum ferente? Mero ſigno illo contentâ? Hunc enim ipſe Ritû non ſemel dixit, Hunc tantùm; Hunc etiam intelligit ſe dicere, Relativum ſuum adſuens, *Ritu eo*. Atq; hoc quidem ſe regenerari, hoc ſolo, ſolaquaticis Barjeſuitis amentiorem eſſe oportet, vel qui ſic de ſe putet, vel qui alios ſic putare exiſtimet. Regeneratio eſt à ſolo SSpiritu, ab interna ea lotione, quam Divina bonitas animabus noſtris in Chriſto impertit; Aqua verò de fonte, quâ caro exteriùs perfunditur, Signum ſolum eſt, (Chriſto authore ad id inſtitutum,) Beneficii Spiritualis, quod in animas infunditur de fonte Gratiæ. Atque iſto jam Ritu, Spiritûs Sancti, per Aquam ſignificati, & in eo Lavacro per Chriſti gratiam illapſi, regenerantur homines.

12. Jam igitur quid ad ſuam ipſius Quæſtionem illam ὁ Μαστιγοφόρος Polonicus? O quàm tremendum intonat! *Falluntur vehementer ejuſmodi*, C. R. p. 196. Sed & rationem, (nunquam enim inſanire vult ſine ratione;) annectit, *Etenim Regeneratio nihil eſt aliud, quàm Rationis & Voluntatis noſtræ transformatio, & ad Chriſti Conſervatoris noſtri Doctrinam compoſitio, ut ipſa vox Regenerationis indicat*, C. R. p. 197. Hanc autem deſcriptionem regenerationis qualemcunque (nè nimiæ nobis remoræ in præſenti quæſtione ſit, Barjeſuiticum anguem, in florida ſingulorum ferè verborum, phraſíumque herba hac latentem, excutere;) nos ut nunc, in ſenſu non pravo, noſtróque, ſumamus, Quid indè concludit? *In Infantibus Eam locum non habere*, C. R. ibid. Eja! Nicodemum agit? Quæſiturus Regenerationem, rediſne ad uterum matris? Jo. 3. 4. Etiam denuo de Infantibus? At Quæſtio jam hæc à ſeipſo inſtituebatur, *De iis, qui putant ſe regenerari*. Nónne verò ea locum habere poteſt in iis, qui poſſunt putare? Tum & infantes iſtiuſmodi ſunt, qui *falluntur vehementer*, ſi ipſe verum dicat? An illi quidem infantes ſunt, & aliquid amplius, quibus ille ſe facilè ſuaſurum ſcit, ut putent tamen eum verum dicere? Veruntamen tranſeat & hoc, atque ad cunas ſuas eum denuo ſequamur. In Infantibus igitur cur locum habere nequit? *Quia ignorant, quæ dextra, & ſiniſtra ſit*. Ignorant certè. Sed quid indè? *Tantum abeſt, ut res tanti momenti in eos cadat*, C. R. p. 197. Ἄπαγε εἰς μαχαίρας, infelix Sophiſta! Ut regenerent ſe quidem, qui hæc ignorant, ut transforment rationem & voluntatem ſuam, (Barjeſuita autem Regenerationem aliam, ipſáque Spiritûs molimina ignorat:) non cadit in eos: verùm ut regenerentur per Virtutem SSpiritûs, ut transformentur per Divinam Gratiam, ab ætate, aut à cognitione ſua neutiquam pendet. Fateri jam hoc cogetur Impoſtor, ex eo ipſo argumento, per quod negat. Negat, Regenerari in voluntate ſua poſſe, aut transformari ad rationem, ádve Chriſti doctrinam componi, (utimur enim nunc ipſius phraſibus;) quia tam ignari ſunt, tam à voluntatis arbitrio, uſúque Rationis alieni. At ex hac ipſa conſequentia, nec homines erunt, non ad voluntatis exercitium generati, non ad Rationis uſum formati, non ad doctrinæ cujuſvis perceptionem compoſiti: *Ignorant enim, quæ ſit dextra, & ſiniſtra*. Verùm hiis cavillis nihil obſtantibus, ex ipſa animæ vi Infantes Animalia Rationalia jam tum ſunt, indè ab utero, per Semina naturæ ſuæ, pérque potentiam humanæ animæ inſitam, homines ſunt tum, cùm quoad Doctrinæ beneficium, nihil à lapidibus differant, quoad voluntatem Plantis ipſis vix pares ſint, quoad rationis uſum vel à pullis, catulíſque vincantur. Quid impedit igitur, aut quâ fronte, (Barjeſuticâ ſolùm exceptâ) negabitur, Qui ex illapſu Animæ ſuæ, ad voluntatis conditionẽ generantur, ad rationis formantur, ad doctrinæ componuntur, ut ipſa vox generationis indicat, Eoſdẽ ex illapſu SSpiritûs, omnia pro Beneplacito ſuo potenter, ſuavitérq; diſponentis; & Regenerari in voluntate poſſe, & transformari in Ratione, & ad Chriſti ipſius doctrinã componi, ut vox ipſa *regenerationis* indicare ab eo dicitur?

13. Abit igitur hinc, cuníſque relictis ad Adultos ſe recipit. Eos verò *Aquâ regenerari poſſe tantùm abeſt à veritate* (ait,) *ut etiam videatur quidpiam hoc idololatriæ ſimile*, C. R. p. 197. *Aquam* verò cùm dicit, aquam ut Cauſſam regenerationis dicit, & aquam etiam ſolam, ut Cauſſam ſolitariã ejuſdẽ dicit, Quod in choro tamen Chriſtiano à nemine omnium dicitur. Neque igitur ſe jam διαμάχου

ſolùm

ſolùm præſtat, ſed & παμμάχον quoque, ſdque in genere omnium turpiſſimo, & cum umbra ſua, à ſe nimirum formata, dimicat. Quod enim Chriſtiani hac in re dicunt, idem eſt, quod Chriſtum ipſum dicere monuimus, *Regenerari homines ex aqua & Spiritu*, Jo. 3. 5. *Spiritus* igitur *eſt, qui vivificat*, Jo. 6. 63. Idem ille & qui regenerat, Joh. 3. 8. Aqua non niſi ſignum eſt exterius interioris illius gratiæ, Inſtrumentum eſt, quod ad Mundationem corporis naturaliter quidem operatur, ſed ad Animæ purificationem ſolummodo ex placito Inſtituentis; pérque SSpiritum Sanctificantis eos, qui ritu à ſe imperato ad eum admiſſi, exinde regenerantur. Hóccine igitur eſt, *Rei materiatæ* (ità loqui amat,) *adſcribere id, quod ipſi Deo adſcribendum eſt?* Cat. Rac. p. 197. An in contrarium ex diametro eſt, Spiritui, hoc eſt, Deo ipſi reſervare, quod Barjeſuita, (Qui in cortice ſolùm hæret, & merè pſychicus eſt, neque *percipit ea, quæ ſunt Spiritûs Dei. Stultitia enim ei eſt, neque poteſt ille intelligere, quia ſpiritualiter diſcernitur*, 1 Cor. 2. 14.) putari velit Aquæ ſoli adſcribi, Quo poſſit maledico ori ſuo prætextum aliquem conciliare, ad blaſphemas ſuas, ſolóque patre Barjeſû ſatas, ſuſpiciones, De Idololatria in Baptiſmo Chriſtianorum, evomendas?

14. Paulò jam antè notatum eſt, primam eam fuiſſe è tribus illis Conditionibus, (ſtolidè ſatis, ſed nequiter ab eo intertruſis,) per quas Pædobaptiſmus immunis eſſe poſſit, (iſtud ſi cuiquam curæ eſſe poſſit,) à Barjeſuitarum, baptiſmi omnis Oſorum, condemnatione. Verùm hoc nemini ità videtur, aut videri quidem poteſt, præterquam inſaniſſimis omnium Hæreticis, hujus etiam paralogiſmi contumeliam per ſceleratam fraudem gratis confingere coactis, ut vel ſuis aliquâ ità eſſe videatur. Sed Orthodoxi Regenerationem ſuam ſoli Deo acceptam ferunt, Locáque à Sophiſta jam per inanem ſpeciem adducta in jugulum Goliæ retorquent. Profitentur igitur, Deum nos genuiſſe, Jac. 1. 18. Sed quomodo? βουληθεὶς & λόγῳ ἀληθείας. Jam Ἀλήθεια iſta eſt Euangelium Chriſti, (ſæpe in N. T. ità dictum) λόγος eſt via illa, & Ratio Regenerandi in Euangelio præſcripta. Vocabulum denique βουληθεὶς optimè nobis conſignat Authoritatem Baptizandi in Eccleſia Chriſtiana, Quia ità voluit, hoc eſt, ità viſum eſt Domino noſtro, Externum iſtud Lavacrum, in Signum, Mediúmque Interioris, præſcribere. Corruptibili igitur rei alicui Regenerationem non attribuunt, non aquæ, non operi ſuo, ſed incorruptibili ipſi verbo, 1 Pet. 1. 23, per ſpiritum ſuum iſtud operanti. Eo enim reſpectu Chriſtus ſuos monuit, *Verba, quæ ipſe loquebatur iis, eſſe Spiritum, & Vitam*, Jo. 6. 63, ut ſignificaretur, Regenerationem, Vitámq; Spiritualem, omnibus verba ſua, id eſt, Euangelii ſui præcepta, in quibus baptiſmum poſuit, obſervantibus, conferri per SSpiritum.

15. Eandem autem inſaniam, & in iis quæ ſequuntur, inſanire cogitur. Apoſtoli enim dicto preſſus, *Deum ſervare nos per Lavacrum Regenerationis*, Tit. 3. 5, reſpondet, *Apoſtolum non affirmare, Lavacrum illud eſſe aqua Baptiſmum*, C. R. p. 198. Atq; hoc profectò non mentitur; Apoſtolus id non affirmat; Quî enim poterat, niſi Barjeſuita eſſe volebat? Ille ut affirmaret, aquæ eſſe, hoc eſt, aquæ ſolius, (ità enim Barjeſuita ſemper intelligit:) quod Spiritûs Sancti quoq; Baptiſmum eſſe nôrat? Sed quoniam hoc non ſinimus, aquæ ſolius ut ſit, hem, Quaſi jam cedat ille nobis, Spiritûs, ſi velimus, (per eum) lavacrum ſit, ſed tum, ſub duplici conditione, hoc eſt, cum duplici fallacia; Prima, ut non dicatur nomen SSpiritûs eſſe, ſed Verbi. Quod Orthodoxis quidem ex æquo eſt; Nam & Verbum in Sacramento eſſe ſcimus, & Verbum per SSpiritum operari. Lavacrum igitur Verbi, an Spiritûs dicatur, perinde eſt nobis. Qui tamen non neſcimus, In eodem Prædicamento eſſe, qui aliquam virtutem adſcribunt Verbo diviſim à Spiritu, cum illis, qui (ut modo calumniantem iſtum audivimus) aquæ ſoli. Altera, ut Verbi, excluſivè ad aquam, dicatur, Verbi ſolius, & non omnino aquæ. Quid ità veró? Hoc enim dato, actum penitus hac in re erit de Baptiſmo Chriſtianorum. Quid enim Baptiſmus ad Regenerationem, à qua unico jam verbo licebit ei integrales partes Baptiſmi utraſque excludere, Spiritum, & aquam? Hæc ejus jam nequitia eſt, atq; in hanc quantopere incumbat, jam judicamus. *Neq; enim in Scripturis inuſitatum eſt* (ait), *Purgationem animorum noſtrorum, quæ Verbo fit, figuratè lavacrum dici*, C. R. p. 198. Moriar verò, niſi incomparabilis fraudium artifex ſit! Quot verba ferè, tot ei ſemper fallendi tendiculæ! vel quatuor jam ſunt in hac ſententiola, Quòd *animorum* dicat; quòd *Purgationem*; quòd *verbo*; quòd *figuratè*: quæ ſingula dolo ſuo non carent. Primò enim, non placuit ei *Animarum*, (De quibus in Regeneratione Quæſtio eſt) ſed *Animorum*, dicere. Quid ità? E gemina fraude, Una, nè peccatum Originale fateri videretur; Altera, nè de infantibus agere. *Purgationem* etiam dicit; In genere ſcilicet, Quæ ea cunque fuerit; Cùm Regeneratio non niſi ſpecialis illa ſit, innovationem importans, alterámque creationem, uti Davidem habemus ad hoc è SSpiritu præcinentem, *Cor mundum crea mihi, & Spiritum rectum innova*, Pſal. 51. 10. Fieri autem hanc Purgationem *verbo* dicit, ſed an ſolo, & ſine aliquo adjecto, non dicit; At verò, niſi ſolo intelligat ſe dicere, fruſtrà ei eſt, nullíque uſui inſervit hoc omne quod blaterat. Neque enim aliter Baptiſmum oppugnat, Adſerentibus nobis, per verbum in Baptiſmo expurgari animas; neque conſtabit ei ſuum *Figuratè*. Nam ſi aqua etiam adſit, An Figurâ aliquâ opus erit, ut Lavacrum appelletur? Operam igitur, oleúmque perdidit.

16. Nè benignè tamen cum eo non agamus, Figuram nos in Lavacro Regenerationis facilè admittimus. Sed quam Figuram? Non, quam ille vult, (licèt ad celandam fraudem nominare non vult;) non Metaphoram; Ità ut locutio hæc non niſi tralatitia ſolùm habeatur, ſed Metonymiam, hoc eſt, Figuram nominis pro nomine poſiti, nomen enim partis ponitur pro nomine totius, Cúmque in Regeneratione noſtra, ex inſtitutione Domini, concurrant Exterior ritus per Lotionem aquæ, & Interior Gratia per operationem SSpiritûs, viſum tamen Spiritui eſt, (in majorem Sacramenti à Chriſto imperati, Qui & ipſe externum eum Ritum à Johanne miniſtratum adire voluit, honorem, confirmationémque:) Totius nomenclaturam ab ea parte, quæ externa eſt, atq; in ſenſum omnium incurrit, quæ prodroma etiam eſt, atq; Myſterium iſtud inchoat, trahere, atq; appellare *Lavacrum Regenerationis*. Deſinat igitur jam puerilem iſtam captionem, *Quia Paulus non affirmavit, Lavacrum iſtud Regenerationis eſſe aqua Baptiſmum*. Videmus enim lavacri iſtam affirmationem, aquæ affirmationem eſſe; Jámque videbimus, etiam & aquæ vocabulum ſi expreſſè addidiſſet, neque id tamen pertinaci huic Rixæ ſatisfeciſſe poſſe. Eſt enim ubi abunde id addidit, *Eccleſiam ſanctificavit, purificans eam Lavacro aqua in verbo*, Eph. 5. 26, ubi *lavacrum* ſolùm non dicit, neque *Aquam* ſolam, ſed junctis vocabulis utrumque dicit, *Lavacrum aquæ*, & tamen impudentiſſimus iſte Sophiſta, (Quem vel indè quidem, juſtiſſimo Dei judicio, penitus depuduiſſe arbitror, quia ſanctam hanc nunquam accepit in fronte lotionem,) tam perfrictæ jam frontis eſt, ut & hunc locum ad prioris ſuæ amentiæ probationem adigere auſit, & quia etiam *in verbo* eſſe dicitur, indè inferre, *Aqua* omnino non eſſe, ſed figuratè dici, hoc eſt, Verbi ſolius eſſe; quod tamen utriq; ex inſtituto Chriſti, in ordine ſuo inſcribendum eſſe, tum Lavacro, tum Verbo, Regenerationémque Chriſtianorum, & Sanctificationem Eccleſiæ Chriſti, tum per aquam, ut per inſtrumentalem cauſſam, tum per SSpiritum, ut per Efficientem, in baptiſmo obtineri, jam ſatis monſtravimus.

17. Nè horreſcerent igitur Auditores ad tam deſperatam, fidéque & fronte omni deſtitutam loci illius diſtortionem, hem alium locum, (ſiquid ex eo, ut Balaacus olim cum Balaamo, in pari deſperatione, Num. 23. 27, proficere poſſit,) Sed pari cum infortunio, exquiſivit. Hebræos enim ait, *qui Chriſto nomen jampridem dederant, nec ampliùs aquæ baptiſmo egebant*, monitos tamen eſſe, *Ut corda aſperſa haberent à conſcientia mala, & corpus ablutum aquâ mundâ*, Heb. 10. 22. Cat. Rac. p. 198. Sed ô quàm ſui ſimillimus! Nam & ex hoc Loco immaniſ-

simè prævaricatur. Quàm vellem verò Polonicæ linguæ callentem aliquem jam mihi dari, è quo intelligere posłem, quâ in dialecto illi SScripturis utantur, & an Sua eam habeat cum Anglicana nostra adfinitatem, ut ex ejus idiotismo quicquam prætendi possit ad hanc impostūram. Nam quod iste jam vertit, *ut haberent*, hoc tum à Græco, tum à Latino alieniſſimum est. A nostris quidem, non dicam, minùs communiter, (Quia præter Vulgarem usum vix est,) redditur, having our hearts, Sed minùs tamen fideliter, reddi enim oportuit, having had our hearts. *Habere* enim apud nos non Possessivum solùm est, aut fruitionem designat, sed & temporis etiam Signum est, solétque verbis præfigi, ad Præteritorum, & plusquam Perfectorum denotationem. Quod Græcè igitur legitur, ῥεραντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, καὶ λελουσμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ· elegans quidem in se Helleniſmus est, sed & Latinus pari cum elegantia imitatur, *Aspersi corda à conscientia mala, & ablati corpus aquâ purâ*. Hóccine verò est, *ut haberent?* Hóccine etiam est id, ad quod Apostolus eos hortatur? Duplici igitur jam scelere hanc fraudem communivit. Primum est, quòd Participiorum, ῥεραντισμένοι, καὶ λελουσμένοι, Tempora violaverit, & quod SSpiritus per ea jamdiu antè præstitum significat, *Quia habuerint*, ille ad futuri consecutionem distorserit, *ut haberent*. A nobis igitur optimè verteretur, We having been sprinkled in our consciences, and our bodies been washed. Alterum est, quod & totius Loci sententiam, sensúmq; corruperit. Hortamentum enim Apostoli est, si ad verba antecedentia relatio habeatur, *Ut adeamus Deum cum vero corde, in πληροφορίᾳ fidei*. Sin potiùs ad verba subsequentia, *ut immotam servemus Professionem spei nostræ*. Media autem hæc verba, de aspersione Cordium, & ablutione Corporum, causſa quidem sunt, ex qua, non sunt ipsa Res, ad quam hortatur eos, ipsa Ratio hortamenti sunt, sed non sunt Finis ejusdem; Motivum certè egregium sunt ad utrumlibet, Deum ut fidenter jam adeamus, quandoquidem ità purificati fuimus; &, quoniam ità purificati fuimus, ut teneamus usque quod tum professi sumus: Sic ut, uno ferè verbo, Res hæc tota jam recidat ad confirmationem Baptiſmi Christianorum, quem per consuetam sibi perversionem verborum, Catechista exterminatum voluit. Etenim quia in Baptiſmo non Corda solùm ex aspergine Sancti Spiritûs, sed & Corpora quoque ex Aquæ lavacro mundata nobis jam antè fuere, Ergò & Deum, cui Nomen in Baptiſmo dedimus, adire nil dubitemus, Et de fide etiam quam in Baptiſmo professi sumus, nunquam decidamus. Hæc est sententia Apostoli; Quæ verò Barjesuitæ sit, antè audiistis; De eo igitur quæ vestra sit, nunc dicite.

18. Quanquam & ille, conscius ipse sibi nefandæ suæ in hiis prævaricationis, sententiam contra seipsum non inevidentem fert. Desertis enim istis ad Ephesios atque Hebræos Locis, solam confusionem ei hoc in argumento præstare jam visis, actutùm retro labitur ad *Lavacrum Regenerationis*, unde exciderat, expertum, siquid è secundis cogitationibus, (quæ ei scelestiores semper sunt,) extundere ibi possit, quod Lavacro ei aquam omnem subducere possit, & siccam suam Figuram pro aqua suffundere. Videte igitur quo Canali speret id fieri. *Denique ipse Apostolus eodem loco ipso, quem pra manibus habemus, seipsum explicat, Quid per* Lavacrum Regenerationis *intelligat, Ea verba subjiciens, quæ superioribus lucem afferunt*, Et Renovationem Spiritûs Sancti, Cat. Rac. p. 198. Verba autem in Paulo sunt hæc, διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ ἀνακαινώσεως Πνεύματος Ἁγίου, Tit. 3. 5. De quorum quidem elucidatione, haud abs re erit jam pauca interserere. *Renovationem* enim *SSpiritûs* cùm audiamus, neutiquam oportet id Subjectivè accipi, acsi SSpiritum renovari dicat, (eo tamen modo dixit ἀνακαίνωσιν τοῦ νοὸς ἡμῶν, Rom. 12. 2.) sed Effectivè, opus nimirum istud esse SSpiritûs, Qui nos renovat, servátque. In Casu verò secundo, ἀνακαινώσεως, cur, aut unde regatur, extra omnem quidem Quæstionem non est. Copulativa Conjunctio καὶ manifestè indicat, eodem modo regi, quo & illud, quod antecessit, & quicum copulatur. Antecedere autem παλιγγενεσίας, regíque in eo Casu per Appositionem ad λουτροῦ, nemo non videt. Ergò & ἀνακαινώσεως, ab eodem regi par est, dicíque λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ λουτροῦ ἀνακαινώσεως Πνεύματος Ἁγίου. Sed ut Barjesuita noster ferat? Λουτρὸν ille, quod prorsùs excluſum nunc it, tam facilè ut repetat? Nunquam obsecrabis. Quid agit igitur? Sperat quidem meliusculam rem suam fore, si Regimen ἀνακαινώσεως accersatur paulò remotiùs, ab ipsa Præpositione διὰ scilicet, dicíque hæc à Paulo, jubeantur διὰ λουτροῦ παλιγγενεσίας, καὶ διὰ ἀνακαινώσεως Πνεύματος Ἁγίου. Captatâ igitur opportunitate Præpositionis Latinæ *Per*, eam repeti supponit, vertítque non, *Per lavacrum Regenerationis, & Renovationis Spiritûs*, in Casu secundo, sed in quarto, *Per lavacrum Regenerationis, & Renovationem Spiritûs*.

19. Neque nobis certè placet tam inutilis contentionis serram cum eo reciprocare; Neque enim fortunæ hujus Græciæ in hoc vertuntur. Habeat igitur, obtestor, quod vult, *Deum servare nos per lavacrum Regenerationis, & per Renovationem Spiritûs Sancti*. Hóccine enim non est illud, quod nos à principio jam diximus? Annon ex ipso Christo accepisse nos monstravimus, *Regenerationem esse ex Aqua & SSpiritu?* Non per Aquam solam igitur, (Præter quam nihil in Instituto Christi, quicquid Christus dixerit, videre volunt Terrigenæ isti talpæ, & ob id appellitant *Aqua Baptiſmum:*) Sed per Aquam & Spiritum; Lavat Ecclesia; Renovat SSpiritus; Signum, (quod imperavit Christus,) Ecclesia suppeditat; SSpiritus (quem Christus promisit mansurum nobiscum εἰς τὸν αἰῶνα, Jo. 14. 16.) consignat Gratiam. Nos igitur lucis istius, Solarem omnem superantis, immortales Christo gratias agimus, precamúrque, ut neque Barjesû filiis immortales suæ tenebræ sint, sed ἄχει καιρῷ tantùm, Act. 13. 11, atque ut Solem veritatis Divinæ aliquando possint videre, & venerari. Sed rem longè aliam serpens iste Epidaurius jam heic conspicatus est. Videt enim ille *hanc particulam*, Et, *tantum valere posse, quantum*, hoc est, Cat. Rac. p. 199. *Posse* autem? Nempe hoc æternum l valere verò nesciunt argumenta Barjesuitica nisi à *Posse* ad Esse? Utinam verò sic, ex parte nonnulla; Nam tum & ipsum Barjesuitam (ubi bonus Deus adegerit eum,) Posse non mentiri, Posse non sophisticari, nulli negabimus. Quòd si Orthodoxi me (omnium postremissimum) audient, dabitur ei nunc & hoc, *Et* valebit, *hoc est*, atque Catechistæ imperia secuti, legemus locum, *Servat nos Deus per lavacrum Regenerationis, hoc est, per Renovationem Spiritûs Sancti*; & ergò, Quid? Ergò, Lavacrum hoc, Figura sola? ergò, mera Metaphora erit? Sequetur hoc ad Græcas Kalendas. Sed, ergò Regeneratio, & Renovatio SSpiritûs, unum idémque sunt; Ergò qui Christi præcepto parent, & ritè baptizantur, ex ea ipsa lotione, non externam ablutionem solùm sortiuntur, sed & per SSpiritum eodem momento renovantur; Fiunt membra Christi; Filii Ecclesiæ; Hæredes Regni; Inque mortem Christi immersi, exeunt Novæ Creaturæ: Naturaliter quidem jam hæc, & cum Deo sequuntur. Atq; indè Baptiſmus, piè, scitéq;, nomenclaturam reportat ab utraque actione; A parte enim conspectiore sui, audit *lavacrum*, à Mystica parte, *lavacrum Regenerationis*.

20. Neq; manum tamen de hac tabula tollere ei placet. Barjesuiticæ nimirum subtilitatis hoc habet, in Catechisticam formam à principio exasciatus, ut universam scenam solus implere posset, Personásq; omnes, (Pyramum, Thisben, Leonem, etiam & Parietem,) unus agere. Perspectis igitur apud se in quoq; argumento Locis SScripturæ, quæ contra Barjesuitiſmum militant, In quibus nihil se habere videt, quod ex aliquo colore reponat, sapit, atq; ea intacta præterit; Quibus verò nebulam aliquam à se offundi, per quascunq; fallendi artes, posse sperat, ea non protrudere est nefas. Supersunt igitur ei nunc duo Loca vexanda, antequã hinc abeat. Unum est, quòd Ananias Paulum hortetur, ἀναστὰς βάπτισαι, καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου, Act. 22. 16. Ad hæc igitur, nè peccata ablui per Baptiſmum credatur, jam longos logos nectit, nihil ad rem, *quando Cæremoniæ exteriori id adscribitur, quod ad Salutem prorsùs pertinet*, C.R. p. 199.

Sed

4143 Sed hoc jam satis à nobis explosum est. Exteriori enim Cæremoniæ ab Orthodoxis nihil adscribitur, sed Interiori Gratiæ, & Virtuti SSpiritûs, quæ per Exteriorem eum Actum, Ritúmque, quem Christus ipse ad id ordinavit, significatur, producitúrque. Umbratile igitur, & valdè futile est, quod de *Adumbratione* nescio qua obtrudit, summéque Hæreticum est, quòd Adumbrationis suæ exemplum sumi posse opinetur à Communione Corporis & Sanguinis Christi, quæ in Sanctissimo eo Sacramento Verè atq; Realiter exhibentur, utì suo loco, Ἐν Θεῷ, indicabitur. Neque igitur &, *Nos per Baptismum induisse* Christum, (quod è Gal. 3. 27. quoque citat,) umbra aliqua, aut fictio juris est, sed Divina Conditio ad communionem Sanctorum pertinens, Mysticam quidem illam, & Spiritualem, sed Realem, Verámque, sic ut in Corpus ejus in baptismo insiti, jam mundo abrenuntiaverimus, factíque ex æquo nunc omnes, (sine discrimine nationis, ordinis, sexûs, ver. 28.) Membra ipsius simus. Muliebre igitur Corollarium est, & è gynæceo traductum, *Anania verba eâratione* (hoc est, umbratili suâ, & plusquam metaphoricâ, solidæque rationis nihil in se habente;) *intelligi posse, & debere*, C.R. pag. 200. Quàm non debeant enim, jam antè ostensum est. A Posse verò ad Esse, Catechistæ æterna rationis, id est, insaniæ suæ, Regula est.

21. Habet tamen in subsidiis & aliud *Posse*, si umbræ suæ minùs deferatur. Subjungit enim, *Anania verba ad hunc modum accipi posse, non, ut Paulus per Baptismum Aquæ peccata ablueret, verùm ut baptizaretur, & peccata ablueret, invocando nomen Domini*, C. R. pag. 200. Euge verò! Quasi in priorem paralogismum & hoc quoque jam non recidat. Ità enim ipse argutatur, ac si nos peccatorum ablutionem externo soli Ritui, sine interiore SSpiritûs ope, adscriberemus; In ipsa etiam externa actione, acsi ad solam tinctionem, & aquæ asperſionem attenderemus, & non ad Fidei quoque Professionem, Deíque Invocationem, quæ in Baptismo pariter fiunt. Sciat igitur Barjesuita, Ananiam in monito ad Baptismum suo, Sacramentalem istam invocationem, atque integrum Ritum Baptismalem intellexisse. Parebit autem hoc, quia Paulum, antequam ipse adiret eum, Precari multùm diúque, Deúmque invocare, ex ipso Deo edoctus est, ἰδοὺ γὰρ προσεύχεται, Act. 9. 11, hortatur tamen eum, ut jam denuò precatus, ad ablutionem peccatorum baptizaretur cum Invocatione Domini; Cum ea scilicet, quæ de more Sacro Fidei Professionem adjunctam habebat, ínque celebratione Baptismi in usu Ecclesiæ vel tum erat. Horsum igitur spectat, quòd & ipse Paulus pòst, ubi Fidem in corde, ad justitiam, atque in ore Professionem, εἰς σωτηρίαν requiri monuerat, Rom. 10. 10, illico subjungat, Πᾶς γὰρ ὃς ἂν ἐπικαλέσηται, σωθήσεται, ver. 13. Istud enim vult, (ut alibi exposuimus,) Quicunque ritè baptizatur, in Statum Salutis admittitur.

22. Tandem aliquando igitur terram videmus. Sola enim jam restat ei ista Quæstiuncula, *Annon Christus cum Nicodemo*, Joh. 3. 5, *agat de Aqua Baptismo?* C. R. pag. 200. Expediebat ei scilicet, ut à Loco consiliis Barjesuiticis tam inimico, videretur suos aliquâ liberare. Commasculatâ igitur fronte, pernegat, quæ Christus ibi disserit, ad Baptismum pertinere; Atque Quadrupedem sibi hanc inficiationem adornat, Ratiunculis quatuor, quasi totidem pedibus, à se instructam, quò fortiùs incedat, meliúsque pertranseat. Prima est, *Quia illic Dominus agit de Generatione superna, id est, Cœlesti*, C. R. pag. 200. Agit certè; Atque ergò agere de Baptismo, nulli dubitabunt, nisi curvæ in terras animæ, & cœlestium inanes. Regeneratio enim, quam è Baptismo, in terris adipiscimur, Terrestris solùm ob id non est, sed & Cœlo descendit. Consepulti enim cum Christo in mortem ejus per Baptismum, Resurrectionis quoque ejus ad Vitæ novitatem consortes reddimur, Rom. 6. 4. Phrasis autem Domini ad Nicodemum est, γεννηθῆναι ἄνωθεν, atque istud ἄνωθεν est *Desuper*. Concludi igitur ex eo nequit, vel quòd non nisi in Superis solùm sit, vel quòd in terris etiam non sit; nam & Apostolus Sapientiam, quæ heic in hominibus est, distinguit in τὴν ἄνωθεν, & τὴν ἐπὶ γῆς, Jac. 3. 15. Verùm ἄνωθεν est etiam *Denuò*, Paulo Galatas ità increpante, ἄνωθεν βασκαίνει ὑμᾶς; Gal. 4 9: & Christum ità hoc intellexisse, paret, quia Nicodemum, ità sumentem verba ejus, atque ob id interrogantem, *Quomodo potest homo generari, qui Senex est?* ver. 4, ea in parte nullus correxit; sed de tali Regeneratione intelligi se voluit, quæ in Senes quoque cadere possit, De Baptismo scilicet, quem introitum fore intenderat in Regnum cœlorum, hoc est, in Ecclesiam suam, in statum Euangelii, in Regnum Gratiæ. Primo igitur jam pede claudicat hæc bestia. Secunda ei ratio est, *Quia Christus agit de ejusmodi generatione, sine qua nemo in cœlum intrare potest, quod dici non posse de Aqua Baptismo, ipsa ratio indicat*, C. R. pag. 200. Nihilo autem sanior jam & iste pes est. Generationem enim, sine qua Christus ait, Neminem intrare posse in Regnum Dei, (hoc est, in Ecclesiam suam, primò, & per eam, in Cœlos:) negari non posse de Baptismo Christianorum, ipsam rationem indicare, non gratis solùm (ut illud à Barjesuita) dicitur, sed & solidè à nobis probatur, tum è placito Domini, introitum eum patefacientis (*Nemo enim salvabitur, nisi qui credit, & baptizatur*, Mar. 16, 16,) tum è stipulatione, quæ cum Deo per resurrectionem Christi, ex qua introitum hunc patefecerit, in Baptismo fit, 1 Pet. 3. 21. Solis enim in ista Arca Vectoribus dari, è mundi hujus diluvio in Cœlos appellere.

23. Pergit igitur ad tertium Sophisma. Jámque licèt Christus de Aqua disertè loquatur, Aquam tamen non voluisse, adserit. Quidni verò? Loquitur enim & de Spiritu, ait. Loquitur: Sed quid tum? At *quod ait de aqua, & quod ait de Spiritu, ea diversa non sunt.* Apage verò has ambages: Quorsum enim coquuntur, præterquam ad fraudem? Generari hominem ex aqua, & generari eundem è Spiritu, hæc ea sunt quæ Christus ait. Hæccine verò sunt, quæ ille diversa esse negat? Quod felix igitur, faustúmque sit, Convenimus. Negamus enim & Nos diversa esse, quoad id de quo jam agitur, effectum scilicet Regenerationis. Conjunctus enim Actus est, unum idémque Apoteleſma, Sanctæ Ecclesiæ, per Aquam, Sancti Spiritûs, per Influxum suum: Illa, è Jussu Christi, Fidéque sua, intingit, Ille è Promisso Christi, Gratiâque sua, influit, & sic generatur Novus homo, SSpiritus & Ecclesia generant Christianum. Verùm hoc aliud longè est, quàm quod vulpes volebat, cùm negaret, *ea diversa esse.* Neque enim ille de complexis hiis, De *generari ex aqua*, & *generari è SSpiritu*, accipi se jam cupiebat, sed de ipsis Simplicibus vocibus, De *Aqua*, & *Spiritu*, atque hæc *non esse diversa, sed, per aquam intelligi ipsum Spiritum*, Cat. Rac. pag. 200. Atque indè concludi (si placet) Christum de Aqua non esse locutum. Oh, bene habet! Videmus igitur nunc, rogandum esse Christum, ut (in gratiam Barjesuitarum, Nominis jam ipsius tam bonam partem sortitorum;) mutetur sermo ipsius, atque ut locus legatur, *Nisi quis generetur è Spiritu, & è Spiritu.* Hoccine jam placebit iis? Hui! Nec dum habent, quod volunt; nec dum enim audent Christo (quanquam de Christo quid non audent?) tam insanam battologiam adfibulare. Quid ergò esse hoc volunt? *Per aquam, vel ipsum Spiritum, vel aquam Spiritualem intelligi*, Cat. Rac. pag. 200. Síccine verò? Locúmne habet, *vel*, in fide Barjesuitica? Quanquam verò istud pugnet cum exemplo Pauli, professi de se, *Ego verò sic curro, non quasi in incertum*, 1 Cor. 9. 26, audeamus tamen, cum bona Christi venia, ut istos lucremur, vel sic locum legere, *nisi quis generetur vel ex aqua Spirituali, vel è Spiritu.* Modò jam nos doceant, quomodo ipsi distingui velint aquam suam Spiritualem ab ipso SSpiritu. Aquam enim Baptismalem, propter & institutum Domini ad opus hoc Divinum, propter & in opere ipso Illapsum SSpiritûs, *Spiritualem aquam* appellari, (præsertim cùm sic Barjesuitis placeat) nulli reclamitamus. Verùm illi nec istud agunt etiam; Atque

jam imbenignè nos cum iis agere credimur, qui hærere iis adhuc hanc aquam cogimus, quam à Senſu Chriſti ipſi penitus ſubductam volunt, Idque de ratione inſanùm bona.

24. Etenim, *Videtur planum eſſe, quòd ea particula, &, hoc in loco ſignificare poſſit*, id eſt, C. R. pag. 201. Salva verò jam iis æternùm res eſt: Nam, *nullo modo*, eorum invictiſſimè nunc confirmatur, per *Videri*, & *Poſſe eſſe*. Nos tamen (ſubruſticiores aliquot in Anglia,) nil veremur naſum emungere, atque hæc duo accinere, Id quod poteſt Eſſe, Poteſt & non Eſſe, &, Aliud longè eſt, quod cæco, aut oculos claudenti; aliud, quod oculis rectè utenti, *Videtur*. Videbimus tamen, (quia hic tam bonus, atque politus eſt,) ut & hoc confirmatum eat. *Nam in ſimili loco ita ſignificare videmus, ubi dicitur quòd Chriſtus baptizaturus eſſet, Spiritu, & igne*, C.R. pag. 201. Locum autem dicit, Matth. 3. 11. & Luc. 3. 16. *αὐτὸς ὑμᾶς βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ, καὶ πυρί.* Hiccine verò eſt ſimilis locus? An nos non abs re jam ſæpe monuimus, cavendum ſemper eſſe, quid Impoſtoribus videatur? Primò enim, locus ille de baptizatione hominum eſt, atque in ipſo vocabulo ſuo Baptizandi, Baptiſta Aquam ſupponit: At iſte locus, de Generatione Hominum eſt, unde ſi aquæ mentionem ſuffurentur, ſimilis locus non poteſt eſſe, ſed omnium diſſimillimus. Rurſùs, cùm ille locus ſit, *βαπτιδθῶαι ἐν πνεύματι, καὶ πυρί*· iſte verò, *γεννηθῶαι ἐξ ὕδατος, καὶ πνεύματος*, ſimiléſne jam hii ſunt? Nam, ut mittamus de diverſitate Præpoſitionum ἐν & ἐκ, ſenſum dictorum infinitè variante, dicere, Annon ipſe ordo Verborum (Spiritus enim, in uno loco, antecedit, in altero, ſequitur;) Similitudinem omnem exponendi & per *id eſt*, penitiſſimè excludet? Igitur ſi fortè, *cum Spiritu, & igne*, accipiendum fuerit, pro *cum Spiritu, id eſt, cum igne*, quaſi Spiritum devorante, ut ergò *ex aqua & Spiritu* ſumi oporteat, pro *ex aqua, id eſt, è Spiritu*, quaſi aquam abſorbente? Annon verò hæ pudendæ quidem affaniæ ſunt, quibus Barjeſuita ſuos miſerùm χλευάζει, ſed res tamen diſſimiles ſunt, totóque cœlo inter ſe diſterminatæ?

25. Verùm reſpondeat etiam nobis, Quo Authore, præterquam Ordinis ſui parente illo, In iis verbis, *Baptizabit vos cum ſpiritu & igne*, oportet iſtud &, in *id eſt*, transformari? Dicétne, Quia igne Chriſtus ad baptizationes nuſquam uſus eſt? Eò magìs igitur eſt hoc contra ſuum *id eſt*. Nos verò Chriſtum igne aliquando uſum eſſe, & ſemper, hodiéque, re ipſâ, per ignem eum ſignificatâ, uti, totius Barjeſuitiſmi ingratiis, defendimus. Jamjam enim in cœlos rediturus, Sacramentum Baptiſmi, quem omnes in ea Gente optimè jam norant, Apoſtolis ſuis, & per eos, Eccleſiæ ſuæ, uſque ad conſummationem ſeculi, imperat, Matth. 28. 20. Quoniam verò nolebat baptiſmum hunc, à ſe jam inſtitutum ad Initiationem in regnum Dei, neque tanto operi imparem eſſe, neque vulgari Judæorum omnium, atque ipſius etiam Johannis baptiſmo non longè præcellere, Apoſtolis, quibus juſſerat jam exire, ver. 19. jubet tamen, ut aliquantiſper mantent, Luc. 24. 49. Et quo conſilio? Eundi quidem, Ut baptizent univerſos: manendi verò, ut ipſi primò baptizentur, *Donec induamini* (ait) *virtute ex alto*, hoc eſt, baptiſmo Spiritûs Sancti, quem poſt non multos dies effuſurum ſe in eos eſſe ſpondet, Act. 1. 5. Atque hæc Virtus decimo pòſt die præſtita iis eſt: Nam in Penteceſte, SSpiritus in ſpecie ignis in eos deſcendit, Act. 2. 3. Petri verbo, (ut Baptiſmum referat) à Chriſto effuſus eſt, ver. 33. atque ut Apoſtoli, non ſibi ſolùm, ſed per eos univerſis ad Chriſtum admittendis, dari ſcirent, in forma linguarum ignearum ſuper eos conſedit, quos jam interiùs etiam Chariſmatibus ſuis repleverat, ver. 4. Hic igitur jam Baptiſmus eſt, quem Eccleſia Chriſti in æternum celebrat, lavacrum Regenerationis, quam Chriſtus Nicodemo jam tum prænuntiaverat, non per aquam ſolùm, ſed per SSpiritûs quoque (Quem in igne illo linguarum repræſentari tum placuit,) operationem.

26. Igitur pede in uno jam, eóque nimis ridiculo, ſtat miſerabile hoc animalculum. Sic enim claudit, *Atque ideo*, (putà, quia, ut ille fingit, de vera Aqua non agebatur cum Nicodemo;) *Chriſtus in eodem colloquii progreſſu, nullam ampliùs aquæ, ſed tantùm Spiritûs mentionem facit*, C. R. pag. 201. Stolidum caput, non dicemus; Neſcimus enim, annon longè aſperius aliquid ei, Qui quid dicat, ſatìs novit, inſcribendum ſit, Ergò vervecino ſuo gregi, quibus ille iſta ſatìs futura eſſe novit, reſervanda ſit ſtoliditas; Sed improbo Capiti tamen ſuo caveat, qui non neſciat vel inter pueros explodi argumenta ab eo topico accerſita, *Quia non eſt ſcriptum:* ipſe tamen triumphare ſe poſſe ſperat, *Quia bis, aut ter ſcriptum non eſt.* Nam quorſum ſcriberetur? Quorſum diceretur? Id agebat Chriſtus, quod ei tum præ manibus erat, ut Nicodemum, Doctorem Iſraelis, doctiorem redderet in re Regenerationis, doctrinâque Euangelii ſui. Sciebat eum non neſcire generationem naturalem, quâ homo generabat hominem; ſed nec Cæremonialem etiam, ſive Legalem, quæ Generatio quædam, id eſt, Regeneratio in ſuo genere, habenda erat, ínque Politia Judaica iam generalis Ritus erat, ut non ſolùm Proſelyti de Gentiliſmo, ſed & ſoboles omnis Iſraelitica, per aquæ baptiſmum ad Religionis ſuæ ſacra initiabantur. Jam verò cùm Nicodemus audiret Chriſtum, hiis non contentum, aliam inſuper generationem, *γεννηθῆναι ἄνωθεν*, exigere ab omnibus, qui ſe ſalvos eſſe avebant, ad hoc jam ſtupet, hærétque. Erudit igitur eum Dominus, monſtrátque, ità facto opus eſſe ad Salutem hominum, Ut duplici generationi, à Nicodemo agnitæ, addatur & tertia. Naturalem igitur, eam è Parentibus, utì neceſſariò ſupponebat, alterámque, quam Legalem hactenus habuerant, ex aquæ baptiſmo, retenturus & ipſe uſque erat, & ſuam quoque facturus, ità etiam cum illis Spiritualem, tertiámque requiſiturum ſe nunc ab omnibus eſſe declarat, qui ad Regnum Dei affectarent viam. Rebus igitur ſic ſtantibus, Aquæ Generationem, tam probè cognitam, tam omnium in uſu, vel ſemel nominaſſe, ſatìs ei, ſupérque erat, (Præſertim cùm ſolùm apud ſe, in beneplacìti ſui propoſito, (colloquente jam tum Nicodemo cum eo,) & nondum in Eccleſiæ ſuæ Politia, Baptiſmi Cæremoniam à Judæis ad ſuos tranſtulerat, præceptóque ſuo confirmaverat:) ideóque ad ſpiritualis generationis fidem ingenerandam ſolùm, reliquus colloquii cum Nicodemo progreſſus deſtinabatur nunc à Domino.

Sect. XXVII.

1. Πνεῦμα. *Ventus. Qua Perſonarum ſunt, ut de Rebus dici poſſunt. Perſona non eſt niſi Intelligentis.*
2. *Vox non eſt Rationalis Naturæ propria.* φωνὴ & φθέγγος *idem ſunt. Vocales in Literis.* Θέλειν & Βούλεσθαι. *SSpiritum vocari Deum.*
3. *Legem loqui, atque SScripturam prænuntiare, redit in Authorem earum, SSpiritum. Peccati Vis. Encomia Caritatis: Quæ non in Abſtracto conſideratur, ſed in Subjecto ſuo, Homine.*

INter Barjeſuitarum blaſphemias in Spiritum, Catechiſta illud ad Nicodemum de vento produxit, *τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει, πνεῖ, καὶ τὴν φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις· ἀλλ' οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει*, Joh. 3. 8. Subſitne verò mirari, quorſum produxerit? Ego dicam. Indè ab initio, Qui Vir ipſe fuerit, audiviſtis; *Plenus omni dolo Barjeſus, & Filius diaboli*, Act. 13. 10. Sperabat igitur, cùm Res tam vilis, atque vulgaris, ac ventum eſſe putant, dicatur τὸ πνεῦμα, vel ipſam Nomenclaturam hanc non parùm, in animis perditæ ſuæ Sectæ, detrecturam eſſe de SSpiritûs exiſtimatione, gloriâque. Non nego tamen aliud eſſe, quod (pro arte ſua) vafrè prætendit. Nam cùm nihil habeat, quo protegere ſe poſſit à fatali eo telo, *Ea, quæ & Perſonarum, & Dei ipſius propria ſunt, in SScripturis attribui Spiritui Sancto*;

Hoc

hoc tandem effugium ſibi adornat, *Ad eundem modum hæc de SSpiritu dici, quo in aliis Scripturæ locis id ſæpenumero Rebus attribuitur, quod Perſonarum eſt*; *Neque tamen Res illa propterea Perſona cenſentur*, C.R.p.215. Probare autem ſe ſimulat adſertionem hanc per quinque Inſtantias, Peccati; Legis; Scripturæ; Caritatis; Venti. De cæteris igitur pòſt; Nunc (Latini verſionem ſecuti, *Qui nititur mendacio, hic paſcit ventum*, Pro. 10. 5.) de *vento* quàm verè hoc dixerit, paucis inquirimus. Tribuuntur autem *vento* ibi à Servatore, flare; velle; vocem edere; venire; vadere. Hæccine verò ait, eſſe *Perſonarum propria?* Animatorum quidem propria ſi dixiſſet, aliquantò propiùs à vero abfuiſſet. Perſonæ autem alius planè generis ſunt: De nulla enim natura dicuntur infra intellectu præditam. An verò quicquid flat, vult, vocem edit, vadit, venit, Barjeſuitis aut Homo eſt, aut ſupra Hominem? Ità eſſe oportet, ſi hæc Perſonarum eſſe juſſerint, Brutáq; jam omnia erunt Barjeſuitarum fratres.

2. Neque nunc exclamet, Se non de ſingulis hiis, quaſi de Perſonarum propriis, accipi velle. Quin ipſe diſtinxerit igitur, de quibus accipi ſe tulerit, digitúmque ad ea, quæ voluerit, intenderit! Verùm ut vices ejus jam ſuppleamus, De voce quid ſentiat, quærimus. Eſtnè illa Intellectualis, aut Rationalis Naturæ propria? Solúmne hominem ſemper vox ſonabit? Aſellum igitur Balaami Monitorem & ei addicimus; Habebat enim ille vocem ſuam Arcadicam, antequam humana ei dabatur ad Correptionem Heri ſui. Memorat etiam nobis Paulus τὰ ἄψυχα φωνὴν διδόντα, tibiam, tubam, citharam, atque inde φωνὴ & φθόγγον pro iiſdem diſertè ponit, 1 Cor. 14.7. Sed & inter ipſas literulas, Philoſophi (SScripturarum idioma nullum ſecuti) diſtinxerunt, Græci, τὰ φωνήεντα γράμματα, *vocales*, Látini. An igitur inſtare nos malit in voce θέλων; At nec iſta ad Perſonas proprio aliquo jure pertinet. Omnium enim Grammaticorum conſenſu ità diſtinguuntur θέλων & βούλεσθαι, ut dici hoc quidem de ratione præditis ſolùm ſtatuant, illud verò καὶ ἀλόγοις ζώοις. Qualia igitur ζῶα cenſebimus Catechiſtæ Pullos eſſe, quibus iſtud de vento jam auſit ipſe obtrudere? Præſertim ut in hoc argumento jam faciat? De quo tanto cum hiatu, in ipſa ferè fronte putidi libelli, tam Thraſonicè promiſerat, *quòd Scriptura attribuat ea Spiritui Sancto, quæ ipſius Dei ſunt, non ob hoc factum eſt, quòd Spiritus vel Deus ſit, vel Perſona Divinitatis, ſed longè aliam ob cauſam, ut ſuo loco audietur*, Cat.Rac.pag.35. Jam igitur auditur: Hic ille *locus ſuus* eſt. Et nónne egregiam jam cauſſam propinat ſuis? Speràrat, credo, obſitos eos fore, Quos Montes pollicebatur; Hactenus igitur diſtulerat. Verùm ecce nunc quàm ridiculum murem peperit! Cauſſam aliam rei nullam ille jam habet, præter Modum quendam aliis in rebus, meram (ſi placet) ſimilitudinem, eámque tum maxima ex parte falſam, tum & gratis jam ab eo dictam, Adque rem quæſitam, De Deitate ſcilicet SSpiritûs, pertinere non aliâ fide firmatam, quàm Quoniam ipſi videtur in aliis rebus ità eſſe, vel eſſe poſſe, igitur & in iſta, omnium ſanctiſſima, diviniſſimâque, ità eſſe. Verùm iſta purum putum Barjeſuitiſmum ſapiunt, qui nobis jam ſæpe vapulavit. Eidem etiam virtuti inſcribendum eſt, quòd Qui, ibi in initio tam confidenter adſeruit, *Spiritum S. nuſquam in Scripturis vocari expreſsè Deum*, C.R.p.35. fateatur nunc ſe vocabulum illud, *expreſsè*, in fraudem, purúmque cavillum indidiſſe; Fateri enim nunc cogitur, *ſub nomine Spiritûs S. ſæpe Deum ipſum intelligi*, C.R.p.216. Quæ verò realis & Theologo digna differentia ſit inter *Spiritum vocari Deum*; atque *ſub nomine Spiritûs intelligi ipſum Deum*, expectandum nobis porrò eſt iſtud è Polonia.

3. Verùm nè Argumenti ejus vim, quæ penitus nulla eſt, declinare videamur; De *vento* ejus hactenus locuti, jam ad cæteras inſtantias ejus ſic breviter progredimur. Nam quòd Lex dicatur, λόγον καὶ λαλοῦν, Rom.3.19, quòd & Scriptura, προϊδοῦσα & προευαγγελίσασθαι, Gal. 3. 8, non niſi vulgaris Metonymia iſta eſt, Legem, atque Scripturam nominans pro Authore ipſo Legis atque Scripturæ, pro ipſo ſcilicet SSpiritu, Qui locutus eſt in Prophetis, Heb.1.1. De peccato autem quòd Paulus adſerat, ipſum ἐξαπατῆσαι & ἀποκτεῖναι, Rom. 7. 11. Perſonarum utcunque neque hæc ſint propria; (ſunt enim ex inferiore natura multa, quibus hæc propriè competunt;) ſub eodem tamen elencho concludi & hoc nunc meretur, ſub quo, quod ſequitur illud de Caritate, 1 Cor. 13. 4: Omnia enim illa, quæ à Caritate tam præclarè agi, vel non agi memorantur, non in Abſtracto intelliguntur dici, ſed in Subjecto ſuo, hoc eſt, in Perſonis hominum caritate præditorum, quatenus etiam eâdem non imbuuntur ſolùm, ſed & aguntur quidem, atque ſecundùm eam operantur. Igitur quid pii viri, perenniſervi J. Chriſti, præſtantiſſimâ hâc omnium Virtute ex Domino ſuo donati, ductíque per Ejuſdem gratiam, ſuaviter ipſos, fortitérque ad hujuſmodi actus impellentem, præſtare, quid & vitare ſoleant, Apoſtolum jam dicere, luculentè paret ex illa ſuppoſitione, de Semetipſo, non ſemel ſolùm præmiſſa, ſed & tertiò repetita, *Caritatem autem ſi non habeo*, ver.1, 2, 3. & non in nubibus tantùm propoſita, *Caritas autem ſi non ſit*. Nihilominùs ſolitæ brevitati pariter atque elegantiæ ejus dandum eſt, quòd poſtquam ſic præmiſerat, animíque ſui mentem clarè expoſuerat, jam pro *Caritatem veram habentes, quâ tales ſunt, ſic, & ſic ſe habent*; uno verbo perſtringat, *Caritas hæc agit, fugitq;*. Jam verò in locis illis, quæ de SSpiritu in SScripturis habentur, talis μεταποιείας, aut Figuræ cujuſquam locum nullum eſſe, ſed ea omnia vel de ſua ipſius Perſona, Præſentiâque (Quâ Deus ipſe eſt, cum Patre Filióque unà adorandus, unà glorificandus;) vel de donis atque Effectibus à SSpiritu profluentibus accipienda eſſe, abunde tum parebit, cùm ad particularem loci cujuſque excuſſionem, cum bono Deo, pervenire contigerit.

Sect. XXVIII.

1. *Propoſitio Interrogativa reducenda eſt ad Categoricam. Spiritus Cujuſq; eſt Quiſque. Articulus ἀνεπιτάκτως poſitus. Nemo novit alterius arcana.*
2. *Dei arcana SSpiritus Dei ſolus novit. Duorum Articulorum alter emphaticus eſt.*
3. *SSpiritus Deus eſt. Quomodo dici poteſt, In Deo eſſe. Hominis Spiritus, Qualis.*
4. *SSpiritum eſſe Perſonam; Sed Barjeſuita vult eſſe Virtutem. Chariſmata appellantur Spiritus.*
5. *In SScriptura, multa dicuntur de SSpiritu, quæ Perſonam eſſe probant; Multa, Qua Perſona non conveniunt; Quia dicuntur de Donis SSpiritûs.* Δυνάμεις.
6. *SSpiritûs Dona ſunt de Gratia ea, qua Chriſto dabatur non ad Menſuram.*

AD elucidationem Interrogationis illius Paulinæ, Τίς γὰρ οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, τὸ ἐν αὐτῷ; 1 Cor.2.11, commodiſſimè procedetur, Primò, ſi Interrogationem ipſam in Categoricam formam reducamus, atq; Propoſitionem univerſalem Negativam (uti Natura fert Interrogationum, ſi negatione careant, eò fortiùs negantium;) ex ea conficiamus; Ea igitur ſic erit, Οὐδεὶς οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τοῦ ἀνθρώπου. Secundo in loco mirè proficiemus, ſi & Exceptivâ eâ Particulâ, εἰ μὴ, ſemotâ, dividamus jam hoc quod dictum eſt, atq; ex poſteriore ea parte adjuncta, Propoſitionẽ alteram Adfirmativam exædificemus, ſic, τὸ δὲ πνεῦμα τοῦ ἀνθρώπου, τὸ ἐν αὐτῷ, οἶδε τὰ αὐτοῦ. Ex iſta autem Partium reductione, jam facilè parebit, Quæ mens Apoſtoli ex integro ſit, & quàm planè coacta, curtáq; ſit Vulgaris Expoſitio Interpretum, quæ ad hoc ſolùm intenditur, *Quòd noverit homo arcana hominis, è Spiritu hominis eſſe*. At quis hoc negârit? *Spiritus* enim *hominis*, hoc eſt, animus cujuſq;, is eſt Quiſq;: Ecqua mira igitur ſunt, Spiritui ſuo debere quemq;, quod ſciat de ſe, cùm eidẽ debeat & Quod ſit? Verùm longè aliã rem Apoſtolus

nunc agit. Per hanc enim Propositionẽ, (ὐδεὶς οἶδεν ἀνθρώπων τὰ τῦ ἀνθρώπυ) supponitur totum hoc, quod Interpretes apportant; Habet Scilicet Articulus ille, τῦ, vim, si non Demonstrativam, *Nemo novit arcana hujus, vel Illius hominis*, digito jam notati, certè tamen Discretivam, & omnes extra se in genere sejungit, *Nemo novit cujusquã alterius arcana, nullius novit quisquam, præterquam sua.* Istud igitur est, quòd non contentus fuerit Apostolus dicere, τίς οἶδε; Sed cum pleonasmo adjecto, τίς οἶδεν ἀνθρώπων; Addi enim mihi videtur vocabulum hoc ἀνθρώπων, ex duplici respectu; Primarius quidem adfirmationem Collectivam habet, & universim complectens, innuit, Esse Deum καρδιογνώστην πάντων, Act. 1. 24, omniáque omnium arcana ei patere; Alter verò ità negat, ut homines omnes ad unum excludat ab aliorum cognitione; in hominibus enim nemini datum esse, vel unius alterius cor intelligere.

2. Propositio igitur illa Secunda, quam fieri modò suasimus, haud aliter sumenda erit, quàm ut Restrictivæ reverâ æquipolleat, *Spiritus Sunus cujusque arcana sua novit*; hoc est, sua solùm; In universa natura humana, secreta sua sunt sibi, & suo solius spiritui arcana cujusque sua cognita sunt. Ex istis autem præmissis, Argumentum Apostoli de SSpiritu Dei, illiúsq; arcanis, jam optimè sequetur; à Majore enim est, Si quæ hominis sunt, nemini omnium cognita, præterquam spiritui suo, sint, Quantò magis, quæ sunt Dei, à solo Spiritu Dei cognosci poterunt, & à nemine alio, nisi cui ille revelaverit? Ista certè Argumentationis Apostolicæ vera emphasis est; Ideóque & illud, quod Spiritui hominis heic adnexum est, τὸ πνεῦμα τῦ ἀνθρώπυ, τὸ ὂν αὐτῷ, pleonasticum nihil in se reverâ habet, sed de industria, optimóque consilio Apostolus sic loquitur, Non, quod quisquam id nesciat, Spiritum hominis esse in eo, sed ut omnes persentiant, ἐμφατικῶς jam adjungi ab eo istud, τὸ ὂν αὐτῷ & non in genere, De Homine, Sed de eo ipso Individuo id intelligi, nihílque aliud dici, quàm, Qui suus cujusque spiritus est, hunc, quæ hujus sunt, solum noscere. Igitur cùm codices Græcos M S. quò vetustiores sunt, eò magis sciamus in accentuum Spirituúmque affixis deficere, ecquid grande jam audebo, in loco tam manifesto, (alios utcunque hoc, aliam Sententiam, veram quidem illam, Sed inutilem, minúsque appositam ad id quod Apostolus dicit, secutos, fugerit,) Si non, τὸ ἐν αὐτῷ, Sed Reciprocè, τὸ ἐν ἑαυτῷ, legi postulavero? Nemo enim novit, quæ hominis cujusque sunt, nisi Spiritus, qui in semetipso est. Similiter igitur, neque quæ Dei sunt, quisquam novit, nisi ipse Spiritus Dei, aut (si hoc mavelint) nisi Spiritus ipsius Dei. Ità enim in N.T. ut plurimùm intenditur, ut è duobus Articulis pariter conjunctis, prout in hiis, τὸ πνεῦμα τῦ ἀνθρώπυ, atque, τὸ πνεῦμα τῦ Θεῦ· expediat quidem alterum, (alterutrum autem satis est,) ἐμφατικῶς, & cum emphasi justa sumi. Nobis igitur sic verto hunc locum, **For who knowes among men, the thoughts of any man, but that spirit of man, which is in himself? Even so the Secrets of God not any one knowes, but the very Spirit of God.** Nam quòd nostri verterint hæc, **the things of man**, neque illud solùm, sed etiam, **the things of God**, pro misera oscitantia habeo, & stolidissimo Anglicismo. Sed & quòd, ὐδεὶς, communiter à nobis vertatur, **No body**, vel **no man**, licèt hac jam in re non multùm abs re sit, propriè tamen loquendo Linguæ nostræ tam ruditatem, quàm paupertatem arguit, ut notasse me opinor ad Mar. 13. 32.

3. Missâ autem nunc Protasi, quam in Interrogatione sua Apostolus concinnavit, transeamus jam par est ad id, quod Principale in hoc dicto est, ad ipsam Apodosin. *Solus Spiritus cujusque* (ait) *hominis ullius arcana novit; Solus igitur & Dei alterius, Spiritus Dei.* Jam igitur ex hoc quis non concludit, Prout Spiritus ille hominis, est ipse Homo, ità & Spiritum hunc Dei, esse ipsum Deum? Aliter enim, malè contulisse censebitur Apostolus Res disparem in se rationem habentes; Peribítque Argumentationi illius omnis Consequentia, neque à Pari quidem, (Quantò minus à Majore?) erit, si Spiritus Dei inferiore se modo habeat, respectu Dei, quàm Spiritus hominis, (quícum Comparatio hæc fit) se habet, respectu hominis. Et esse tamen permagnam inter Spirituum horum conditiones, propter eminentiam alterius eorum, differentiam, Apostolus id satis nôrat; Sed eminentia ea ex parte Spiritûs Dei est, eámque jam satis notat, per geminam Restrictionem injectam ab eo in Spiritum hominis, quarum neutri locum esse videbimus in Spiritu Dei. Est enim ei Spiritus hominis, τὸ πνεῦμα, τὸ ὂν αὐτῷ. Suus Scilicet cujusque singularis, propriúsque est, Et quot Homines tot Spiritus. Ea prima Limitatio est; Atque altera, Quia Spiritus iste ineſt, est τὸ ἐν αὐτῷ. Principalis quidem pars Compositi est, Pars tamen utcunque est, ideóque dicitur, Spiritus hominis est in homine. De Deo autem nihil tale dicitur. Deus enim Essentia Simplicissima, omníque modo prorsùs incomposita est. Dicto igitur, τὸ πνεῦμα τῦ Θεῦ, nihil heic additur: Tantùm est, Spiritus Dei est; Absolutè igitur & Deus est. Vide igitur jam mihi Barjesuitæ plusquam Serpentinam calliditatem. Ibi enim ille totus est, ut sumantur & hæc verba cum eodem adsumento, *Nisi Spiritus Dei, qui in ipso Deo est.* Addit ergò, (pro ingenti sua in SSpiritum pietate,) rationem, *Quia Spiritus non est natura extra Deum, sed in ipso*, C. R. p. 213. Et habet quidem è Patribus non neminem, (Tertullianus est, nisi memoriâ pessimè sum falsus,) ità legentem hæc, atque indè ità inferentem, Ergò Spiritum esse naturâ Deum, Quia non est aliquid extra Deum, sed in ipso. In ipso? At Quomodo? In sensu scilicet suo, Sanóque; Neque enim divisus ab eo est; est unius Substantiæ, Naturæ ejusdem consors, Potestate idem, Gloriâ æqualis; non igitur extra Deum quærendus; non pro Patris, Filiíque ministro habendus: Ut illorum tum temporum Πνευματομαχία ferebat. Atqui hoc, quod ex ista lectione infertur, Barjesuita execratur, *Esse SSpiritum naturâ Deum*, odit ille, atque non minùs aversatur, quàm veterum Hæresiarcharum quilibet; Et omnino tamen istud agit, ut Spiritus dicatur *in Deo esse.*

4. Quæ istæ verò præstigiæ sint, quæritis? Dicam. Primò, ex ista locutione (si admittatur) excudere se posse sperant cavillum, per quod excludi possit SSpiritus, nè ipse in Natura Divina Persona sit. Ità enim cavillatur, (*Quoniam Sanctus Spiritus in Deo est, nec tamen in Spiritu Sancto reciprocè dici potest esse Deum, hinc apparet, Spiritum Sanctum non esse Personam*, C. R. p. 214.) Imò verò, hinc apparet, Barjesuitam esse, quod dicere nolo, Præter enim quod de lectione Supposititia infert, futile etiam hoc, & ridiculè captiosum est, quod de (*reciprocè dicendo*) postulat, neque ad conditionem *Personæ* ullatenus requiritur. Quid agimus igitur? Quod Theologos decet. Ut omnem è phrasibus λογομαχίαν arceamus, ipsam Apostoli locutionem retinemus, atque in caput disputatoris Sophisma ipsius sic retorquemus, Quoniam Sanctus Spiritus Dei Spiritus est, neque Natura extra Deum, Quæ verò de bonitate Dei procedunt, ab ipso Sancto Spiritu fieri, darique dicuntur, hinc apparet, Spiritum Sanctum esse Personam. Quid jam ad hæc Barjesuita? Quod Serpentes, ut se servent, varios gyros adornat. Spiritum Sanctum esse Virtutem Dei, id quidem hinc apparere, facilè concedet; (& ista certè altera fraudis suæ ratio est, cur dici velit, *Spiritum esse in Deo*, Ut Qualitates scilicet sunt in suo Subjecto, Virtúsque in homine est.) Id igitur ut suadere possit, ità pergit, C. R. p. 214. (*Ut verba Christi ad Apostolos indicant, Manete in urbe donec induamini virtute ex alto*, Luc. 24. 49.) Sed præter interpretamenti istius torsionem, ut δυνάμεως ἐξ ὕψυς, restringatur ad Solam (nescit quam) *virtutem in Deo*, etiam & Argumenti hujus, si in Syllogismum redigatur, ut Terminos enumerent, explodántque, Dialecticorum tironibus curæ erit. Nos interea, quod maximè interest, sic breviter monemus, vix esse vocabulum in Sacro Codice aliquod πολυσημότερον, quàm vocabulum, *Spiritus*,

Spiritu, est. Istud imprimis liquet, non solùm dici, ut de Caussa Efficiente, verùm etiam, ut de Caussæ illius Effectu, déque Donis ejusdem vulgò sumi, ipsáque Charismata SSpiritûs vocari *Spiritum*. Sub hujus igitur paralogismi præsidio, tanquam sub Ajacis clypeo Septemplici, Barjesuita delitescit. Quæstione enim motâ, *An Spiritus sit Deus*; *An sit Persona in Deitate*; Eccui non patet, de *Spiritu* jam, ut de Caussa, déque ea Natura Divina, quæ Res scit, efficit, agitat, quæri instituì? Verùm quicquid ille contrà reponit, ex illis locis petitur, quæ de *Spiritu* dicta sunt, ut Effectum, Donáque ipsius significent; Neque veretur tamen ille ex iis concludere, *Spiritum neque Deum, neque Personam esse, Quia ea quæ Spiritui attribuuntur in Scriptura, nullâ prorsus ratione Personæ convenire possunt*, C. R. p. 213.

5. Támne impudenter verò, Mendaciorum Magister? *Ea, quæ attribuuntur?* Ain', in universo genere? Nihil in SScripturâ attribui SSpiritui, quod Personæ conveniat? Nisi hoc dixeris, jam improbus Sophista es, & Socininum Gregem tuum (utì meritum quidem eorum est;) ingenti ludibrio habes. Satìs enim adversùs te Orthodoxæ parti est, si unum, alterúmve, (Quantò magìs, si perplurima?) quæ in SScriptura attribuuntur SSpiritui, Personam ejus loquantur, comprobéntque. Hoc autem fateri ipse mox cogeris; In variis enim SScripturæ locis, ais, *Actiones Personarum propriæ, atque ad Deum ipsum spectantes, Spiritui attribuuntur*. C. R. p. 215. Quod cordatus tamen Lector observet, Disertis verbis ista laudare, vel ipsum serpentem jam pudet, Sed nec infelicem digitum intendere audet ad ea loca, (Ex parte tamen Caussæ suæ, utrumque hoc jam sedulò facit;) Quia tam manifestè pugnant cum ipsius blasphemiis in SSpiritum. Nos igitur, ut verbo jam absolvamus, quod res est, sic statuimus. Utraque ista adsertio verissima est. Sunt in SScriptura plurima SSpiritui attributa, quæ Personam sonant, eámque necessariò inferunt. SSpiritus ergò Persona est. Sunt etiam plurima, quæ Personæ nullo modo conveniant. Neque tamen ista impediunt, quin ipse Persona sit. Quid ità? Quia quæ hujus farinæ sunt, non intenduntur de ipsa Persona ejus dici; Non enim dicuntur de SSpiritu ipso, ut de Caussâ, Sed ut de Effectu Ipsius, déque ejus Charismatibus, dicantur utcunque sub eadem nomenclatura SSpiritûs. Talis erat illa Virtus (si pro Virtute sola fas sumere;) quâ imbuendos eos esse promiserat Christus, & quæ tam divinis modis, tum Externis, (præsertim in Pentecoste) tum Internis, Gratiæque plenitudinem spirantibus, exeruit se in Apostolis. Sed vocabulum ibi est, Δύναμις, comprehenditq; in se, non tam *virtutem*, (Quam vocem tamen Barjesuita, ut perverso suo sensui jam plurimùm facientem, plurimi facit:) quàm & *Potestatem* quoque & *Efficientiam*, quæ è SSpiritu, tanquam è Fonte primario atque Authore, in Apostolos ipsos, ut in Substitutos, & Cooperarios suos, derivata est.

6. Hic igitur ille jam Spiritus est, *Qui suis dari dicitur*, Act. 5. 32, & *ex quo dedit Dominus*, 1 Jo. 4. 13. Hic ille, quem *in duplo sibi dari* Elizæus postulavit ab Elia, 2 Reg. 2. 9. De hoc Spiritu *effundebatur* in Pentecoste, Act. 2. 17, & (si id contendant quoque) v. 33. In hunc Spiritum *potari* fideles dicuntur, 1 Cor. 12. 13. Hòc etiam *impleri*, Eph. 5. 8, ídque juxta Promissum illud Christi, quod Barjesuita *in partes distribui*, quâ fide reddidit, jam non quæro, Joan. 7. 39. *De hoc Spiritu, qui erat in Mose, Deus abstulit, & dedit senioribus populi sui*, Num. 11. 25 Hunc denique *Spiritum nè extinguant*, Fideles ab Apostolo monentur, 1 Thess. 5. 19. Jámque Barjesuitam nostrum datâ operâ secuti sumus, ad omnia ea loca, quæ ipse (Catechisticâ suâ brevitate heic jam non obstante,) odiosæ suæ Caussæ staturninandæ subornavit; Uno tantùm excepto; Cujus quidem verba ille per dolum corrupit, falséq; citavit, sic, *Spiritum dari secundùm mensuram*, C. R. p. 213. à nobis verò præteriri neutiquam oportet, Quia verba ipsa Pauli clarissimè exponunt, Quid intelligendum revera sit per vocem *Spiritus* in cæteris Locis à Catechista laudatis: Ea scilicet non esse dicta, de Ipso SSpiritu Authore & Largitore, atque ut est in se, Sed de Charismatibus ab Ipso effusis, atque ex ea solùm ratione appellationem ipsius ferentibus. Sic enim se habent verba Apostoli, *Unicuique nostrùm data est Gratia secundùm mensuram donationis Christi*, Eph. 4. 7. id est, In ea proportione, quæ Donatori ipsi Christo visa est. Sed attende, Lector: *Data est Gratia*, ait Paulus; *Spiritus datus est*, ait Barjesuita; neque hoc quidem malè, in isto jam sensu, (Deóque has gratias agimus, quòd verum dicere Barjesuita potuit, etiam cùm mentiri voluit:) sumendo scilicet *Spiritum*, pro Gratia & Effectis Spiritûs. Cùm tamen & *Spiritus* in hoc sensu, (Barjesuita enim nec hoc ibi omisit;) ipsi Christo, etiam quà Homo erat, propter Hypostaticæ Unionis Gratiam, *non ad mensuram dabatur*, Jo. 3. 34.

SECT. XXIX.

1. *Vera lectio Loci unde petenda sit. Firmat Textum verum, quòd sic corruptus fuerit.*
2. Perhibere testimonium, *quando supponit Personam, quando Non.*
3. *Pater, Verbum, & SSpiritus ut concurrant in Testimonium.* Οὗτοι, *refertur ad Singulos, de quibus Sermo est. Propter Dignitatem Personæ conjunctæ Neutralia enuntiantur Masculinè.*
4. *Christum fuisse Verum Hominem, verúmque Deum, infiniti in Cœlo Testes sunt.*
5. *Testimonio Unum.* Εἰς τὸ ἓν εἰσί.
6. Τὸ ἅγιον πνεῦμα, *nil Barjesuitæ est, nisi Virtus Dei. Nomina Neutralia unde habent Relativum Masculinum.*
7. *Unitas Naturæ in III Personis Divinis. Processus SSpiritûs.* Τὸ ἅγιον Πνεῦμα, & τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον. Ὅτι *interdum est Determinativum.*

MIserrimum illud κηρύγγιον est, & se solo dignum, quod contra fidem Codicum Sacrorum Barjesuita adornat sibi, in illo Divinissimo Testimonio, Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ· ὁ Λόγος· καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα. Καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἓν εἰσι, 1 Jo. 5. 7. Dicto enim, *Ex iis nihil certi effici posse*; rationem hanc adnectit, *Quia notum est, in Græcis Exemplaribus Vetustioribus, ac in Syriaco, denique in Latinis versionibus Antiquioribus, ea Verba non haberi, Quemadmodum præcipui ex Adversariis nostris id ostendunt*, C. R. p. 40. Pro Adversariis autem suis, quos ille Gregem suum habere velit, nihil nunc moramur; nedum, quem ille delectum jam fecerit, aut qui Gregarii, Qui Præcipui in iis ab eo habeantur. Sed vapidâ certè fraude suâ non caret, (aliquâ autem non carebit unquam Barjesuita, in parte aliqua;) quod de Exemplaribus Vetustioribus, & Versionibus Antiquioribus tam speciosè oggannit. Nisi enim de Vetustissimis, & Antiquissimis dicere velit, nihil (præter Nugas & fraudes) agit. Provocamus enim nos ad Secula antequam Pestis Ariana grassari cœperat. Nam si constare poterit, (Constabit autem abunde, tum è Græcis, tum è Latinis, Sicui animus est, & opportunitas adeundi;) Locum istum non aliter lectum fuisse ab illorum retrò ævorum primævis Authoribus, quàm ut nos jam legimus, certissimè indè, quod ritè petimus, concludi potest, atque eò quidem certiùs, quò corruptior iste Locus, aut mutilatior, (Non uno enim modo sceleratam Vim passa est ista perioche;) postea per Hæreticorum nequitiem prodiit. Neque vehementer quidem de hoc pugnaturus videtur Barjesuita paulò pòst, (Testes enim ei semper sumus, Naso eum multò minùs, quàm Fronte, carere;) ideóque subjungit, *Etiamsi hæc verba in Scripturis haberentur, ex iis tamen concludi non posse, Tres Personas esse in una Divinitate*, C. R. p. 41. Agamus igitur fultis, atque in hanc jam arenam paulisper nos demus.

2. Sic

2. Sic autem ille porrò insurgit, *Nam locus iste nulla de re alia agit, quàm de Testimonio ejusmodi*, Jesum *nempe* esse Filium Dei. Sed quàm elumbe est hoc dictum, quam ineptum etiam & temerarium! Certè si locum istum nihil aliud præter id intendere dixerat, Scopúmque ejusdem esse Testimonium hoc de Jesu, minùs quidem errasset, propiúsque à vera rei ratione abfuisset. Primaria enim ratio, cur verba hæc ab Apostolo nunc introducuntur, est, Testimoniorum istorum tam irrefragabilium productio. Veruntamen non id unicè dicitur. Nam id si solum fuisset, abunde ad id sufficere potuisset, dici, *Est in Cœlo Testimonium unum, Est in Terra, alterum.* Verùm SSpiritus Author Apostolo est, ut porrò ampliet, Déque Testimoniorum horum Varietate, Ordine, Fine, Præcellentia, (verbo licèt hæc singula) ut agat; Ut de Testium etiam ipsorum Numero, Natura, Conditione, Concentu; Omnia hæc hoc in loco dicuntur; Sed Barjesuitæ tamen (nequid indè plectatur,) hæc omnia sunt nulla alia res, quàm ipsum Testimonium. Forsitan inquiet, Nihil ibi agi de Personis Divinis, hoc se velle. Falsa verò est & hæc negatio, & Ratio ejus negandi malesana & fallax est. Addit enim; *Testimonium hoc perhiberi posse ab iis, Qui Personæ non sunt*, C. R. pag. 41. Ain' verò Politum caput? Súntne *Qui?* & *Personæ* tamen *non sunt?* Oedipo jam opus erit. Nam quod Apostolus ipse dixerit, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, Plurale illud masculinum οἱ ex dignitate Personæ procedit; Persona enim in illis tribus reperitur. Verùm ut condonemus ei hoc: Audiamus tandem, quid hac in re velit. Istud scilicet, *Testimonium perhibere*, non esse Actionem propriam Personæ: Hæc argumenti ejus ratio, atque vis est. Atque hanc rationem nos neque prorsus repudiamus, neque facilè admittimus. Distinguimus ergó. Μαρτυρεῖν enim, ut sumitur, pro sponte sua testando adesse, Fidémque & Autoritatem cujuspiam denotat, qui ultroneæ operæ, aut vivæ vocis testimonium fert, Personam necessariò infert; Atque eam hujus loci rationem esse adserimus: verùm, ut sumitur pro significare rem, vel medium Logicum denotat, quod in declarationem, aut Probationem dicti factíve cujusquam adducitur, Personam non constituit.

3. Verùm miserè fallitur Barjesuita, & acumen SSpiritûs, quem minuere cupit, nullus adsequitur, Cùm ex ea solùm ratione, quia *Testimonium perhibere* dicuntur, Filio, Sanctóque Spiritui Personas in Deitate vendicare nos imaginetur. Eam quidem rationem cur eripi nobis non sinamus, jam audiit. Neque enim Pater solùm Cœlestis suæ vocis oraculo, testando sæpe Christo adfuit, in Baptismo, Matt. 3. 17, in Transfiguratione, Matth. 17. 5, in Precatione Christi, Joh. 12. 28; Sed & Filius ipse quoque ut de se testatus fuerit, (nè totum nunc Euangelium allegemus,) optimè relucet ex iis Locis, in quibus disertè περὶ μαρτυρίας sermo est, Joh. 5. 34, 36, 39. & 8. 14. & 10. 25. & 13. 21. & 18. 37. & 1 Tim. 6. 13. & Apoc. 1. 5. Sanctus Spiritus denique, præter alia hoc genus Testimonia sua, singulari etiam modo suo, & vocem omnem superante, Descendendo scilicet de Cœlo, in Columbæ forma, in Christum jam baptizatum, Joh. 1. 33, ínque Linguarum ignearum, in Pentecoste, Act. 2. 4, Personale illud Testimonium Christo perhibuit, de quo Christus præmonuerat suos, τὸ Πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ἐκεῖνο μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ, Joh. 15. 26. Personæ igitur locuples probatio est hujuscemodi de Christo Testimonii jam perhibitio; Personam enim esse oportet, quisquis ad hunc modum potest testimonium suum adferre. Verùm Nos ex eadem jam sacra Critica, quam Christus ibi præire nobis videtur, ad Sancto Spiritui Personam adserendam, (Dicto enim, τὸ Πνεῦμα τῆς Ἀληθείας, ut ipsum de Persona loqui pareret, Personale Relativum ei subjungit, neque enim dicit, ἐκεῖνο μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ, sed in genere masculino, ἐκεῖνος, hoc est, *Illa persona*) pari exemplo & hoc in loco, cùm Apostolus dicat, ὅτι οἱ τρεῖς, ex isto Relativo, ὅτι, Personam unicuique eorum suam, Patri, Verbo, Spiritui, hoc est, Tribus Testibus tres Personas, facilè extorquebimus; Istud enim sequentia verba, (Barjesuitæ enim telum istud extorquere nunc è manibus, atque in ipsum retorquere nefas non est;) abunde indicant, C. R. pag. 41. Dicto enim ibi, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα, id quod iis subjungit, non est ὅτι οἱ τρεῖς, sed nudè καὶ οἱ τρεῖς. Quid ità verò? Quia in hiis tribus, una licèt, unica tantùm jam Persona est, (Ob cujus quidem Dignitatem tria ista Nomina Neutralia, sub Masculini tamen Generis Relatione connectuntur, dicítque οἱ τρεῖς, & non dicit τὰ τρία.) Sed ex eo, quod antè, de Patre, Verbo, Spiritu, dixerit, non solùm οἱ τρεῖς, sed ὅτι οἱ τρεῖς, ex hoc jam singulis eorum suam Personam competere, (ex æquo enim refertur ὅτι ad singulos, ut Matt. 13. 38. Luc. 8. 15. Joh. 17. 11. Act. 20. 5. & passim alibi) nè concludamus, nunquam prohibere poterit universus Barjesuitismus.

14. Persona autem una illa, quam intelligi dicimus in secundo eo Testimonio, οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι, Est Persona ipsa Christi, quâ homo erat, & Spiritus ille est Spiritus ipsius Christi, Anima scilicet humana ejus, quam ultrò emisit, quum voce magnâ exclamans è Psal. 31. 6, *Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum*, Luc. 23. 46, *Capútque inclinans tradidisse Spiritum suum* dicitur, Joh. 19. 30. E terris igitur non potest jam certius aliquod Testimonium de Christo excudi, quàm in quod consentit Spiritus ipsius, cum aqua & sanguine defluentibus à latere ejus, atque veram Naturam Humanam, quam constituerant in Christo, commonstrantibus. Missis igitur aliis omnibus in terra testibus, Trigam hanc Apostolus è Natura ipsa Humana producit, contra illius tum ævi hæreticos, Christum verum Hominem non fuisse, sed Spectrum solummodo, & Phantasma, dogmatizare non veritos. Sed Testium illorum trium, qui in Cœlo μαρτυρεῖν dicuntur, jam longè Divinior Authoritas est; Christum quidem, verum etiam Deum esse, Deum de Deo, veríque Dei verum Filium, Qui perhibeant hoc Testimonium, soli idonei, soli digni hii tres sunt, Soli enim Increatam Naturam hii habent, Soli sunt Deus, Soli igitur de Deo Judicium, Deo non indignum, ferre possunt. In natura enim Creata, atque hiis inferiore, si Testes ibi quærantur ei, Quid audimus de Tribus? Sunt in Cœlo, non Tres, sed Termilleni & ultrà, ex illis Myriadibus Angelorum, éque *Panegyri* illa, & *Ecclesia Primogenitorum in Cœlis descriptorum*, Heb. 12. 23, Qui ad Testimonium istud de Jesu Christo Dei Filio citari optimè possent. Vel Trium igitur solummodo allegatio hæc Divinitatis egregia comprobatio est: Qui audit, *Sunt*, qui, *Hii Tres*, unde jam audebit de tribus Personis dubitare, aut inficiari Trinitatem? Qui audit, *Hii unum*, unde de Natura ambiget, aut negabit Unitatem?

5. Nam quod Barjesuita ibidem subjungat, *eos unum Testimonio dici, sed non Essentiâ*, omnem impudentiam superat. Quorsum enim ità diceretur? Annon id jam satìs dixerat, qui dixerat, eos Tres ità μαρτυροῦντας esse? Ecquid opus erat ergò, ut frivolum adsumentum faceret, ad dicendum id denuo? Ut qui jam dixit, eos unum hoc μαρτυρεῖν, idem etiam dicat, eos ἐν τῷ μαρτυρεῖν se unum facere? Quin id si erat, (si esse quidem poterat,) potiùs dicendum ei erat, καὶ ὅτι οἱ τρεῖς εἰς εἰσι, eodem exemplo, quo & Paulum locutum esse novimus, πάντες γὰρ ὑμεῖς εἷς ἐστε ἐν Χριστῷ, Gal. 3. 28. Sed ipse, referendo ad Naturam, dicit ἕν εἰσι. Neque juvabit eum, quod è sequentis tmematii corruptela intorquere huc allaborat: *Indicia hujus sunt*, (ait) *eadem prorsus verba ibi addita*, C. R. pag. 41. Antiquum igitur ille & heic obtinet: Nam, *eadem prorsus verba* illa non sunt; sed ipse (pro pietate sua incomparabili) mavelit, eorum peccatis, quorum & erroribus, communicare, fœdámque Textûs depravationem jam suam facere, potiùs quàm damnatâ Caussâ prorsùs cadere. Asserimus igitur, Verba ea sequentia, si libera à vi sint, & rectè loqui sinantur, dupliciter ab hiis differre: Neque enim illa sunt, ὅτι οἱ τρεῖς, ut antè notavimus, sed tantùm, οἱ τρεῖς. Dein non sunt ἕν εἰσι· sed, εἰς τὸ ἕν εἰσι. Quæ si rectè vertantur, nil aliud

ſſud ſortant, quàm *ad ipſum unum ſunt*: ponuntúrque cum ea variatione, ad denotandum, non, In idem Teſtimonium de Chriſto ea conſentire, (veriſſimum licèt & iſtud ſit,) ſed ad unam Chriſti humanitatem conſtituendam ea concurrere. Hoc enim Apoſtolus vult, Eſſe in Terra Teſtes hos, *Spiritum, Aquam, Sanguinem*, ex ipſa Natura Chriſti, quâ Homo erat, accerſitos, ad veram in eo Humanam Subſtantiam, (utì, & in Cœlo è Divina Natura, Priores Tres, ad Divinam,) comprobandam. Mirè igitur hæc jam per omnia conſonant!

6. Memini tamen (non nego) eſſe ex Eruditorum claſſe, qui Teſtimonium iſtud ſecundum, in quo aquæ & Sanguis unâ teſtari dicuntur, etiam pro Teſtimonio SSpiritûs accipi vòlunt, & non dici de Spiritu Creato, hoc eſt, de Animâ humana Chriſti. Fruantur igitur opinione ſuâ. Mihi ſatìs eſt, cur eorum animum non geram, ex ipſis verbis Textûs exponere, primò, quòd diſparatim hæc inſtituantur ab Apoſtolo, De Teſtibus in Cœlo, Teſtibúſque in Terra; ſecundò, quòd τὸ Ἅγιον Πνεῦμα expreſſè ab eo vocetur, cùm de Spiritu eo Divino intendatur dicere; nunc verò tantùm dicitur τὸ Πνεῦμα. Spiritus autem Humanus Chriſti, Sanctiſſimus utcunque ſemper erat, τὸ Ἅγιον Πνεῦμα tamen non erat; tertiò, quòd utraque Teſtimonia hæc accerſi videantur ex eo, quod in ipſa Natura atque Subſtantia intimum eſt; Ideóque reſtringuntur ad *Tres*, in utraque Natura; In increata naturâ, ad Tres Perſonas illas Divinas, *Patrem, Verbum, & SSpiritum*; In Creata itidem, ad Partes integrales illius naturæ, ad *Spiritum* ſcilicet, id eſt, Animam Chriſti, ex parte una, atque ex altera, ad præcipuos illos duos Humores corporis humani, *Aquam, & Sanguinem*. Quibus verò jam has rationes non probo, cùr de Chriſti ipſius Spiritu intelligi hoc optem, ſuas, per me, ſequantur, de Spiritu Sancto. Solum Barjeſuitam ſemper excipio, eúmque ità definientem nullus fero. Ipſius quidem iſtud eſt, *In hoc Teſtimonio*, Tres ſunt, qui teſtantur ſuper Terram, Spiritus, Aqua, & Sanguis; *ſine dubio voce* Spiritûs *Spiritus Dei deſignatur*, C.R. pag. 218. Sed illius opinionem (Quam ille in contumeliam ſolùm SSpiritûs ſectatur;) quâ ea illius eſt, ipſa verba Textûs reſpuunt. Nam cùm ille Spiritum Dei pro Perſona non habeat, neque pro tertia iſta Divina, neque pro Creata aliqua, (ut olim Ariani;) neque quicquam aliud eſſe ſinat, quàm *Virtutem quandam Dei*, C.R. pag. 216. hoc jam ſuppoſito, ſolœciſmum grandem in Apoſtolo eſſe oportet, dicere τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες · καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν. Ratio eſt, Quia ſi τὸ Πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα Perſonam veram nullam in ſe complectantur, de lege ipſa Grammatica neceſſarium ei fuiſſet dicere, τὰ τρία τὰ μαρτυροῦντα, καὶ τὰ τρία εἰς τὸ ἕν. In Maſculino autem genere quòd enuntientur, τρεῖς οἱ μαρτυροῦντες · &, οἱ τρεῖς εἰσι, datum eſt hoc, ut jam modò tetigi, Præeminentiæ atque Dignitati Perſonæ illius, ſive Divina ſit, ſive humana, quæ comprehenditur in vocabulo Spiritûs; Barjeſuita autem utramque abnegat.

7. Supereſt igitur jam nihil nobis ex iſto loco, niſi illud obiter adnotandum ſit, In priore Teſtimonio, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ Ἅγιον Πνεῦμα, propter ſummam Naturæ Unitatem inter Patrem, & Filium, (Quem ſuo more, Joh. 1. 1, τὸν λόγον indigitat) omitti ipſam Copulam καὶ, quæ tamen SSpiritui, ejuſdem Unitatis conſorti, præfigitur; (ſed, ex alio reſpectu,) ad innuendum ſcilicet proceſſum ſuum è Patre, Filióque. Sed nec iſtud fortaſſean Theologorum excuſſione indignum eſt, quòd in mentione *Spiritûs* in N. T. ubi Relatio aliqua eſt ad extra ſe, ibi τὸ Πνεῦμα poni ſoleat ante τὸ Ἅγιον, utì in locis ferè centenis videre eſt; ubi verò ipſius Eſſentiæ ſolùm, aut Perſonalitatis vicinior reſpectus eſt, ibi τὸ Ἅγιον ponatur ante τὸ Πνεῦμα, ut heic, & Matth. 28. 19, itáque Ordine, vix decies alibi. De particula denique prima ὅτι, monere abs re non erit, gaudere eam interdum ſignificatione Determinativâ magìs, quàm Cauſſativâ, atque valere ὅτε, ὡς ut, vel ſaltem, Illativam eſſe, pro διὰ, *Quamobrem*. Ità enim &, ὅτι χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν, Joh. 15. 5, ſumi oportet: &, ὅτι οὐ μὴ ἐλυπήσα ὑμᾶς, 2 Cor. 7. 8. &, ὅτι ὅτι οὐκ ἀνθ' ὑμῶν ἐγὼ ὑμᾶς κακολογήσω, ver. 14. & hæc ipſa in Epiſtola, ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγγελία, 1 Joh. 3. 11. &, ὅτι ἐὰν καταγινώσκῃ ὑμῶν ἡ καρδία, ver. 20. ſinque omnibus hiis locis verti à Nobis par eſt, *So that*, vel *Wherefore*.

SECT. XXX.

1. *Barjeſuitæ, quò Symbolum Fidei & recipiant, & reſpuant, (Negent enim Chriſtum eſſe Deum, SSpiritum eſſe Perſonam,) aiunt, Fidem non eſſe in Deum ſolùm. SSpiritus Deus vocatur.*
2. *SSpiritum eſſe Virtutem Dei tantùm, non ſtabit cum Symbolo, per quod In SSpiritum creditur.*
3. Καὶ *pro* Οὖ *Argumentativè poſitum. Articuli Quia uſus.*
4. *Negatio, (ſi ſubaudiatur Particula, Solùm) magìs confirmat. Reſtrictivum illud ſæpe ſubaudiri.*
5. *Chriſtus aperuit myſterium SS. Trinitatis, ſed per verba, quæ tum aliter accipi poterant, nè Crucem ſuam evacuaret.* SSpiritus ea omnia pòſt expoſuit.
6. *Chriſtum velabat dicta ſua Titulis τῶ Παῤῥὲς atque τῶ Πέμψαντος. Apoſtolus cujuſque eſt Quiſque.*
7. *Fides in Chriſtum & in Deum, eſt eadem. Satisfactio Chriſti. Ὅτι cum Infinitivo.*

MIra quidem nemini eſſe oportet, Quòd Duces Barjeſuitici gregis omnibus nervis contendant, nè Verveces ſui opinentur, Fidem, quâ homines in Deum credere dicuntur, ſoli Deo deberi. Quid enim ipſis miſellis fiet, niſi aliter credere liceat? Qui inficias ire jubentur, Chriſtum habere veram naturam Dei, Qui Spiritum Sanctum eſſe Perſonam Divinam ejurare didicerunt, Quomodo illi Chriſtianæ fidei Symbolum quod vocant Apoſtolicum (De cujus tamen profeſſione Ductores ſui tanta cum ſtoliditate, atque inſolentia gloriantur,) illud, non, Se cum univerſis Chriſtianis, ſed *univerſos* (ſi placet) *Chriſtianos cum illis, amplecti*, C. R. pag. 47. recitare unquam poterunt, *Credo in Deum Patrem omnipotentem: Credo in Jeſum Chriſtum unicum ejus Filium: Credo in Spiritum Sanctum*, niſi alicui, præterquam ipſi Deo, fides (ſakem Barjeſuitica, quæ eacunque dicenda eſt;) attribuenda, non minùs, quàm ipſi Deo, ſit? Igitur qui hæc dicitis, egregii Magiſtri, dicite, fides illa veſtra, quâ in Patrem creditis, quâ in Filium quoque, Spiritúmque, an una, eadémque; eſt? Si eſſe eandem dicatis, Unde & illi, in quos creditis, unum idémque non ſunt? Si negatis eſſe, Quò nobis Apoſtolus cum ſuo, *Unus Dominus, Una Fides. Unum Baptiſma*, Eph. 4. 5? Videte ſodes, ánnon expungendum ſit totum illud trematiolum cum ſuis in ea trinitate Unitatibus? Ibi quidem vos indè ab initio veſtro fortiter fuiſtis, ut illud *Unum Baptiſma* exturbetis: Unâ igitur eant vobis & *Una Fides*, & *Unus Dominus*. Vobis enim, quod ibi ſequitur, ſatìs erit, *Unus Deus, & Pater omnium*, ver. 6. Verùm ſi hoc jam reperi vobis, quod veſtrûm nemo auſit, pro inſigni tamen pietate veſtra, iſtud jam reſpondete, Quorſum creditis Vos in Spiritum Sanctum? In eum quidem Nos, (Duo autem cum faciunt idem, non eſt idem:) credere noſmet profitemur, quia SSpiritum & eſſe Deum credimus, & *in SScriptura expreſſè vocari Deum*, Act. 5. 4, novimus, quod vos tamen *expreſſè* abnegare non puduit, C.R. pag. 35.

2. An enim eſt, Quia SSpiritui conceſſiſtis, ut Aliquid in Deo ſit, Deíque ipſius, in quem creditis, Virtutem habendum eum eſſe decrêſtis? C. R. pag. 214. Sed hinc iſta jurgia! Nihílne enim in Deo veſtro, præter iſtam Virtutem, eſt, quod veſtrâ fide jam dignum ſit? Quid igitur ſit Æternitate ejus? Quid, Juſtitiâ? Quid, Sapientiâ? Quid Potentiâ? Nam & hæc, ut *neceſſariò credenda*, eſt ubi proponitis, Cat. Rac. pag. 30. An verò hæc omnia comprehendi in Deo intelligitis, quando dicitis,

dicitis, *Credo in Deum Patrem?* Bene habet! Solùm igitur esse videmus, quòd quoties incipitis dicere, *Credo*, de Sancto Spiritu nulla vobis unquam adest cogitatiuncula. Omissum ergò priùs, interponitis eum, in via inter eundum, quamprimùm sentiatis eum quasi postliminio obrepere. Sperabimus enim, nihil vos reperisse, cur Divinus Spiritus iste, separatus à Deo suo, longiúsque stare jussus sit, quàm cætera, quæ in Deo sunt omnia, & quæ cum Deo comprehenduntur à vobis, quoties credere in eum ordiamini. Nisi fortean, ex illis ab Elia olim suppositis, 1 Reg. 18.27, aliquid imbibistis, propter quod alio tempore in SSpiritum credendum esse remini, quàm quo in ipsum Deum & quicquid in Deo, præter SSpiritum, est, didicistis credere. Si boni igitur estis, dicite, Quid est? Quid? An hoc omne rejiciendum dicetis in ipsum SSpiritum? Nolle enim præcellentem hanc *Dei* (ut appellatis) *Virtutem*, tam in confuso solùm accipi, neque contentum eum esse sub ea generali in Deum Patrem fide comprehendi, ideóque pro imperio suo mandare vobis, ut eo jam loco, figillatim ipsius mentionem faciatis, ipsúmque seorsim per se adoretis, & separatim à reliquis Virtutibus Dei. Aliquid quidem apud vos hoc esse oportet, Qui non potestis non agnoscere, plurimas res esse, *quas Deus non aliâ Virtute suâ* (ità loqui semper amatis:) *quàm per Sanctum Spiritum operetur, & efficiat*, Cat. Rac. p. 216. Virtutémque suam Deus, per illam Virtutem suam (per enim Spiritum suum) *exerere* cognoscatis. Aliquid sine dubio jam subest, quòd nihil esse Sanctum Spiritum, nisi Dei Virtutem, professi, credatis tamen divisim, non in Deum solùm, sed & in Spiritum Sanctum. Atque talium quidem ænigmatum portentis (sed molliter tantùm tangimus,) abundare oportet revocatam jam περιφάτως ab Inferis, (Veterum enim Hæreticorum ferè omnium vestigiis insistere elegistis;) Religionem! Sed felices interea, ad invidiam, Poloni, apud quos Fides enascitur ferramentis (vel hiisce quidem,) concoquendis tam idonea, ut Struthocameli jam omnes nihil ad eos!

3. In Patrem autem hii credere se professi, quòd in Christum filium quoque credere se adnectant, jam alia res erit. Dari scilicet hoc dicent Christi mandato; Ità enim ipse imperavit, *Nè turbetur cor vestrum: Creditis in Deum; & in me credite*, Jo. 14.1. Et æquum certè dicunt. Verùm nos & in hoc jam ampliamus. Neque enim pro Mandato Domini solùm hoc, sed etiam, (cùm Christus nihil unquam mandârit non divinæ rationis refertissimum;) pro Argumento quoque habemus, *Creditis in Deum; Ergò credite in me.* Novum certè in N.T. non est, ut Καὶ usurpetur Caussaliter. Dabo iis, si postulent, (in promtu enim sunt) supra bis sena Exempla, ubi ponitur pro γὰρ, pro οὖν, etiam nihilo sunt pauciora. Ipsius Christi illud ad istos Discipulos, ἀλλ' ὑμᾶς, est, ὑμᾶς οὖν, Joh. 13.10. Ità & ἀληθῶς, ex ore Dei, est, ἀληθῶς οὖν, Act. 7. 34. & ἀλλὰ νῦν, est, νῦν οὖν, Act. 10.5. & 13.11. & πρὸς ὃν ἀλλ', est, πρὸς ὃν οὖν, Act. 26. 26. Sic & καὶ ἐξαρῶτι, est, ἐξαρῶτι οὖν, 1 Cor. 5.13. & καὶ αὐτὸς, est, αὐτὸς οὖν, Col. 1. 17. & ἀλλ' βλέπομεν, est, βλέπομεν οὖν, Heb. 3.19. cui simile habetur, Heb. 13.6, & bis ità occurrit, 1 Jo. 2.27. Mitto reliqua. Locuples igitur Argumentum est istud ejusdem Divinæ Naturæ in Christo, ex ea ratione qui jusserit, ἀλλὰ εἰς ἐμὲ πιστεύετε· quanquam non negârim, Apostolos ipsos hanc Illationem, (ut & alia à Domino dicta plurima, tum cùm dicerentur;) non nisi seriùs intellexisse. Quâ autem fronte nunc (præterquam Catechisticâ hâc) affirmari potuit, *Tantum abesse, ut ex hoc loco probetur, Christum Naturâ esse Deum, ut potiùs longè diversum effici, perspicuum sit*, Cat. Rac. p. 119. Tu verò intellige, Lector, perspicillis Barjesuiticis utendum si sit, transversa tuentibus, atque ad omnia distorquenda fabrè factis. Nauci igitur facias rationem, quam in ruentis Caussæ subsidium, ex ipsis hiis verbis elicere ille se sperat, *Articulus enim* (ait) *in Græco additus πιστεύετε εἰς τὸν Θεὸν, indicio est, agi de Deo illo uno* (Quod certè est verissimum:) *inter quem & se Christus discrimen apertè ponit*, C.R.p. 120. Atq; hoc est falsissimum. Myopasmus certè hic ille est, non tam Hominis qui-

dem, quàm totius Factionis! Articulus enim iste, non ad aliquod Personæ discrimen, sed ad Naturæ ipsius Divinæ designationem additus est; Atque in ea Natura, cùm se Unum, Idémq; (licet non Eundem,) Christus (Humanam Naturam utcunq; adsumserat sibi,) esse sciret, indè igitur est, quòd ità argumentetur, Quia in ipsum verum Deum (sed in præterea neminem,) credendum esse novistis; *Credite ergò in Me*, atq; sereno animo, Me authore, estote.

4. Prævidit, opinor, hoc infortunium sibi ab Articulo: Dilabitur igitur fine mora ad alium locum, aítq;, *Quòd fides non attribuatur nisi Deo ipsi, hoc Christus ipse solvit*, C.R.p. 120. Sed nos aienti parùm credimus. Ut confirmare igitur possit, sic pergit, *Christus ipse solvit, dum ait, Qui credit in Me, non credit in Me, Sed in Eum, qui misit Me.* Locus autem est, Jo. 12.44. Optimè habet! Habemus enim jam confitentem reum. Innuit enim, nullam ibi in Christo intentionem fuisse solvendi illud, *Soli Deo Fidem deberi*; Sed tamen eo ipsum modo locutum fuisse, ut (Barjesuitâ jam ad hoc intercedente cum suis fidiculis,) eò pertrahi possit, ut videatur illud solvere. Hoc enim intelligendum est, per *dum ait*: id est, verba ipsius, nihil tale cogitantis quidem, tam incautè tamen (ô piaculum!) ab eo prolata sunt, ut torqueri possint ad talem solutionem. Apage verò scelestam torsionem! Nos enim impurum Calumniatorem ἀποσοφιζόμενον, & pernegamus, Posse. Probaturiens igitur ille, addit, *Unde perspicuum est Christum eam fidem sibi non arrogare, quam ipsi Deo debemus.* Cujus tamen contrarium jam verum est; (Ut indè perspicuum fit, quàm nulla unquam fides debeatur hiis Barjesuitis:) Eandem enim esse fidem Christus adserit, quâ in ipsum credetur, & quâ in Patrem, qui ipsum miserat. Observandum enim est Hebræorum idioma in Christi ea locutione, Apud quos pervulgare erat, quod negari possit videri, simpliciter tamen non negari, sed per Restrictivam particulam, ex usu communi subauditam, eò magis confirmari. Contradictio certè acerrima, aliter esset; uno eodémq; spiritu dici, *credit in me*, &, *non credit in me*; proh! Quæ pugna? Verùm addito (quod in hiis phrasibus, sæpe quidem exprimitur, sæpe etiam subintelligitur,) Restrictivo (Solùm,) optima jam pax in verbis iis, optima & Lux, *Qui credit in me, non solùm in me credit, sed in eum, qui misit me.* Annon est, ubi Petrum ità loquentem audimus? *Non mentitus es hominibus, sed ipsi Deo*, id est, *non solùm Hominibus*, Act. 5.4. Ità & Paulum, *Non est nobis lucta adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principatus*, id est, *non solùm adversus carnem*, Eph. 6.12. Ità etiam in V.T. Mosen, *Non sunt contra nos murmura vestra, sed contra Deum*, id est, *non contra nos solùm*, Exod. 16.8. Ita deniq; (nè plura accumulemus,) illud è Prophetâ, *Misericordiam volo, & non Sacrificium*, id est, *non solùm Sacrificium*, Hos. 6.6. Christus ipse cavillantes Pharisæos, ínq; illis Barjesuitam monet, eundum ei esse, ut edisca, quid hoc velit, Mat. 9.13. Neque sic prærnonitus tamen abstinere se miser potuit ab hoc cavillo.

5. Ex malo enim animo, atque nil aliud curante, nisi ut veritati tenebras offundere, suósque scitè fallere posset, procedere hoc, luculentè paret ex eo, quòd & sequentia Christi verba, licèt per copulam à Domino hiis conjuncta, conjungere vafer noluit; *Qui credit in Me, non credit in Me, sed in Eum, qui misit Me: Et qui Me videt, videt Eum, qui misit Me.* Ità se Christi verba habent, Jo. 12.45, nulláq; est in posteriore hoc membro Negatio. In utroq; autem membro cùm par processus sit, vel hinc concludimus, non esse aliam credendi in Eum, quàm & videndi Eum, rationem; Qui videt Eum, videt Deum; & qui videt Eum, non videt Eum, id est, non Eum solùm, sed Eum etiam videt, qui misit Eum. Una igitur utriusque Visio est; Una in utrumque Fides est; Credere in Filium, est, Credere in Patrem, & Videre Filium, est, Patrem Videre. Æternùm igitur admiranda, adorandáque à nobis est infinita Christi Sapientia, Qui (in abundantiorem cautelam adversùs hæc secuturarum Hæreseων Venena) ipse discipulis suis ineffabile hoc mysterium (Trinitatis in Unitate, Unitatísque in Trinitate,) noluit non ore proprio, verbísque di-

sertis

sertis subindè aperire, tam tecto tamen loquendi modo id fecit, ut illi Literalem solùm sensum secuti, Principalem & Mysticum, tum cùm Ille locutus est, minùs assecuti fuerint. Ità enim facto opus quoque erat, Nè, si ante Crucem ejus innotuisset, non verum se Hominem solùm, sed & verum Deum fuisse, οὐκ ἂν ἐσταύρωσαν, 1 Cor. 2. 8, interturbatáque fuissent Divinæ suæ Dispensationis consilia. Ad hunc igitur modum jam puer agere cœpit, atque cum Parentibus suis sic locutus est, ut quanquam satìs scirent, quid diceret, nescirent tamen, quid dictum illud verè volebat, Luc. 2. 50. Cum discipulis verò dum ageret, Bone Deus, quàm multa, quàm grandia, ἄλλοτε ἀλλοῖα, dictáque non dicta fuere, aliquo quidem familiari in sensu rectè percepta, Sed in præcipuo, atque Divinitatem ejus spirante, non intellecta ab iis! Sancto nimirum Spiritui mandanda erat ea Provincia, ut cùm Christus plurima porrò dicenda haberet, quæ Discipuli tum non poterant βαστάζειν, Jo. 16. 12. plurima etiam jam sæpe dixerat, quæ in cor ipsorum, in Sublimi eorundem sensu, nondum ascenderant, Luc. 18. 34, *Ille doceret eos omnia, ducerétque eos in omnem Veritatem*, Jo. 16. 13, *omniáque ab ipso priùs dicta in memoriam iis revocaret*, Jo. 14. 26. Ejus igitur influxu demùm, atque irradiatione factum est, ut ea, quæ in principio satìs non ceperant, postquam Jesus glorificatus est, optimè tunc meminerint, Jo. 12. 16.

6. Jam verò, egregiè præ cæteris faciebant ad hanc Divinorum Dictorum Christi pro tempore ἀποκρυφιν, Tituli duo, quibus ille nunquam non ferè usus est. Principalissimus quidem erat, τῦ Πατρός μι τῦ ὸ ἐν ἐμοῖ. Proximus verò, τῦ Πέμψαντός με. Quoad priorem enim horum, Quicquid Christus ipse de Se, de Natura sua Divina, de Unitate sua, De Paritate, Potestate, Æternitate ipso cum Deo, (prout Deus ipse de Deo Genitore suo erat;) unquam diceret, obumbratum tamen ad tempus est ex eo, Quòd eâdem quoque phrasi passim utebatur erga populum, Deúmque, ut Creatorem eorum, vulgò appellabat, τὸν πάτερα ὑμῶν τὸν ἐν ἐμοῖ. Quoad alterum verò, τὸν πέμψαντά με, in quantum ipse, Homo quà erat, Ἀπόστολος, utì legitur, Heb. 3. 1. verè dicebatur, (*Missus* enim Homo Christus à Deo, hoc est, à Sanctissima Trinitate ipsa; (Opera enim S. Trinitatis ad extrà sunt indivisa:) erat, ad Humani Generis Redemptionem obeundam:) sub ista quoque notione, non se velabat solùm, eáque de Se, quæ Humanam suam Naturam solummodo sonabant, iis inculcabat, sed & ea etiam sæpe interspergebat, quæ solius Dei erant, *Parem sibi cum Patre, qui miserat, honorem deberi*, Jo. 5. 23. *Doctrinam suam ex ipso Deo esse*, Jo. 7. 16. *Qui audit Ipsum habere vitam æternam, atque in judicium non venire*, Jo. 5. 24. *Se vitam æternam in semetipso habere, vocéque suâ excitaturum esse mortuos*, v. 26. *Credere in ipsum, & credere in Deum, videre ipsum, & videre Deum, idem esse*, Jo. 12. 44. *Se atque Patrem, unum esse*, Jo. 8. 16, cum plurimis aliis Hypostaticæ suæ Unionis Mysteriis passim per Euangelia sparsis. Hæc enim omnia, non sine admiratione quidem summa audita, Discipulos tamen suos in præsentiarum latebant, propter diversam intentionem Tituli in iisdem adjuncti, τῦ πέμψαντός με. De præcipuo enim more Gentis suæ, atque ex usu communi, & ad omnem inter eos juris effectum, innotuerat jam, invaluerátque, Apostolum cujusque esse Quemque; Quoad rem gerendam, esse Eum ipsum à quo missus est; Atque Mandatarios sine omni exceptione Mandantis Personam gerere, ipsiúsque nomine, Sermone, Authoritate, Dignitate, uti licere. Sub Civilis igitur pariter & Ecclesiasticæ istius Expositionis operimento satìs tecta transierunt ei dicta sua omnia, de quibus ipse suos, alio in sensu, omniúmque Diviniissimo, subindè præmonitos à se esse volebat; A Sancto Spiritu verò pòst initiandos ad ea, atque Mysteriorum eorum in Adyta inducendos, scientiámque plenam edocendos. Atque istud jam est, quòd in isto Johannis Euangelio, numerare est, ex parte sua, Quem Deus, Patérque ἀπέσταλκεν, atque ex parte Dei, Patrísque τῦ πέμψαντος, plusquam quadragies factam ab eo mentionem.

7. Igitur, quod hiis adsuitur à Catechista, *Etenim Fidem, quæ in ipso Deo terminatur, & quæ eum, ut rerum omnium primum Authorem respicit, hanc Christo non attribui, constat*, C. R. p. 120. constat, nil aliud esse, quàm futilem Petitionem Principii. Christo enim, in quantum & ipse Deus est, etiam illam Fidem, (in Deo ipso terminatam, Deúmq; ut primum Authorem omnium intuitam) attribui jam satìs indicatum est. Verùm cùm Barjesuita expulerit Unionem Naturarum in Christo, argumentari in hiis non aliter ille didicit, quàm ex Antichristi spiritu, 1 Jo. 4. 3, solvendo Jesum, summâque jam nobis cum impudentia objicit, quæ à nobis hac in parte pro Christo dicuntur, Christum ipsum solvere. Quòd verò superstruit, *Etenim eò in Christum Fidem collocamus, quòd nos felices efficiendi Potestatem à Deo acceperit, eique Muneri sit præpositus*, C. R. p. 120. nullâ utcunque consequentiâ hoc introductum nunc fit, nulli tamen respuimus. Monemus utcunque de Christo Homine solùm accipi hæc oportere; Eúmque etiam, alio plànè modo felices nos efficere, & longè aliter Munere isto suo fungi, quàm infelix Barjesuitæ animus, *Morte nimirum suâ salutem nobis merendo, Deóque pro peccatis nostris plenariè satisfaciendo*, ferre potest, C. R. p. 227. Illud denique in quo concludit, *Fidem nostram in Christum, per Christum ad ipsum Deum, tanquam ad ultimum finem, dirigi*, pronâ fide admittimus, de eodem scilicet Christo Homine; Sed in quantum & ipse, quatenus Deus quoque est, Ultimus ille Finis est. Veruntamen negamus ei, Locum Apostoli, quem ad hoc allegavit, satìs accuratè ab ipso, aut ab Expositoribus aliis, accipi. Nam ὥστε τὴν πίστιν ὑμῶν καὶ ἐλπίδα εἶναι εἰς θεόν, 1 Pet. 1. 21, non est, Ut ipse, omnium pessimè, reddit, *Ut fides vestra, & Spes in Deo sit*. Quasi jam Christus, alius omnino à Deo esset: Sed si exactè vertere velimus, est, *Unde fides vestra, & Spes in Deo sunt*: In Christum enim ipsum, ut in Deum illum credimus. Particula autem ὥστε cum verbo Infinitivo, & Temporis Præsentis, conjuncta, Caussativa non est, Sed tantùm Consecutiva, nunquam igitur ponitur Potentialiter, pro *Ut ità sit*, Sed Determinativè semper, pro *Unde ità est*. Adeatur ad hoc Mat. 8. 24, & 28, cum Exemplis hoc genus in N. T. quater Denis aliis. Gemina solummodo excipio, quæ variare observo, Mat. 15. 33, & Luc. 9. 55: Verùm Infinitiva illa in Tempore Præsenti non sunt, sed in Aoristo. Vertatur igitur hoc à Nobis, So that your faith and hope are in God.

SECT. XXXI.

1. *Gloriam Dei, cùm Christus habeat, Deus est.* אחד, ἕτερος, *de duobus dicitur. In Deo, Esse, & Dici unum sunt.*
2. *Barjesuita nullo alio Argumento defendere sciunt, Christi sui Cultum, quàm quo Idololatra Cultum Solis, Lunæque, & Pontificii Imaginum suarum.*
3. *Christo Nomen* Jehovæ *verè competit. Argumentum à Posse ad Esse, nil valet.*
4. *Nomen* Jehovæ *non potest sumi de Hierosolymis, aut de Israele.*
5. *Fraus ex mistione Tralationum, & omissione vocabuli.*
6. קרא *etiam cum* ל *in Regimine, Transitivè interdum sumi debet, sæpe etiam Acquisitivè.*
7. Vocabit, *subaudito* שם, *quod Collectivum est, ponitur, pro* Vocabunt, *at q; indè (ex Activa in Passivam) pro* Vocabitur.
8. *Christum quàm verè* Jehova *sit! Barjesuitæ quàm rectè sic nuncupati!*

CHriſto Divinam Gloriam ſuam à Deo communicari, nè ipſi Barjeſuitæ quidem, (Qui Quid non audent?) auſi ſunt inficias ire. Orthodoxi igitur vel hinc adverſùs illos concludunt, Ergò Chriſtus Dei, non Factitius ſolùm, &, Barjeſuiticus, id eſt, ad aliquam Temporis, Modíque menſuram, ſed abſolutè, atque ex ipſa Natura ſua, Deus eſt. Hoc enim dicentes innituntur diffinitivæ illi ſententiæ, quam Deus ipſe tam peremtoriè tulit, *Ego Jehovah. Hoc eſt Nomen meum. Et gloriam meam Alteri non dabo, Et laudem meam Sculptilibus*, Eſai. 42. 8. Hinc enim optimè inferunt, Filium, cui Gloria illa, Noménque Jehovæ ab ipſo Jehova data ſunt, Alterum à Deo, eſſe, dicíve non poſſe, ſed (ut Ipſe diffinivit,) *Ipſum, Patrémque Unum eſſe*, Joan. 10. 30, id eſt, Deitatem Perſonæ utriuſque unam eſſe, Majeſtatem coæternam, coæqualem Gloriam. Ipſum autem vocabulum, לאחר, Quod ibi in Propheta ſignificat *Alterum*, cùm ab Adverbio אחר, quod eſt *Pòſt*, ductum ſit, (Gutturale autem illud Majores Noſtri ſic expreſſerunt, ut indè dixerint, After,) inſanam Hæreticorum horum Diſtinctionem confundit, quâ *Divinum Honorem* non niſi *certo* quodam *tempore Chriſto datum* profitentur, ſed non ab æterno habitum, Neque igitur Divinam Naturam eum habere. Neque malè quidem hoc infertur, C. R. p. 122: Nam non haberet certè, ſi ab æterno non haberet. Quæ autem eſt hæc (ſed Barjeſuitarum familiaris, & ſua, eſt;) perverſitas, Qui nè ſibi, (jam profeſſis, Gloriam Divinam communicatam eſſe Chriſto,) contradicere videantur, Deum ipſum contradicentem ſibi propinant nobis? *Non Dabo* לאחר, ait Deus, Non ergò, tardè venienti, Non cuiquam, Qui *pòſt* eſt: Illi contrà, Dediſſe Deum Chriſto, aiunt, ſed diu Pòſt, poſt infinita ſecula, ſic ut Deus ab æterno non ſit, ſed tantùm in tempore. Utri igitur jam credetur, videant omnes non inſani, Deo ipſi, an Racoviano Magiſtro. Par autem Ratio quoque eſt in vocabulo, quo Senes hoc expreſſerunt, καὶ τῷ δόξαν μου ἑτέρῳ οὐ δώσω· Notiſſima enim eſt Grammaticorum notatio ea, Ἕτερος ἀεὶ δυοῖν τάσσεται· Contradiſtinguit igitur ſeipſum Deus ab univerſo mundo; Jámque ex Una Parte ſtat ipſa Divina Eſſentia, de qua propriè dicitur ab eo, *Ego Jehova: Hoc eſt Nomen meum:* ex altera verò ſtatuitur, quicquid in Orbe eſt, quod hoc Nomen, hoc Numen, id eſt, hanc Naturam non habet. (In Deo enim Nomen Ejus, & Natura Ejus, Idem ſunt: eáque propter Quæſtioni, *Quod eſt Nomen Ejus?* Ipſe reponi jubet, *Sum, Qui ſum*, Exod. 3. 14.) Parti autem huic, Quæ Altera à Deo eſt, *Gloriam meam non dabo*, ait Deus, Nè toti quidem, nedum alicui ejuſdem Particulæ. Filius ergò, cui Gloria iſta datur à Deo, ex parte ea Priore eſt, Ille non eſt *Alter*, ſed Ipſe Jehova, Noménque iſtud, & Naturam Ejus habet; Habet enim indè & Gloriam Ejus.

2. Hiis igitur anguſtiis ut ſe eripiat Catechiſta, ad ſequentium verborum ſalices fugit miſer, *Et laudem meam Sculptilibus:* reſpondétque, *Ex illis ſatis apparere, quid ſibi velit hæc Particula*, Alteri, Cat. Rac. p. 122. Nos verò jam antè alicubi monſtravimus, quàm tenue perfugium (è puerili enim Paralogiſmo ſtat,) iſta reſponſio ferat, Repeti enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ oportere negationem eam Dei, *Non Dabo*, verbáque exponi, *Et non dabo laudem meam Sculptilibus*; Ex iſta autem repetitione, (Quam neceſſariam facit, ad ipſam Syntaxin verborum, omiſſio Negationis;) apparebit, Alteram jam hanc ex Deo Sententiam eſſe, Copulámque iſtam ו, (Quod utrique quidem linguæ, Hebrææ, Græcæque commune eſt:) Illativam ibi reverâ eſſe, atque per Argumentum à Majore ductum, valere *Ergò, Gloriam meam cuiquam, Quod pòſt eſt, Neque eandem mecum à principio Naturam habet, Non dabo*; Et (id eſt, *Ergò*) *multò minùs Dabo laudem meam Sculptilibus*, Quæ Naturâ, & Dignitate, & Loco, & Tempore ſunt omnium poſtremiſſima. Sed jam priùs diſputata non placet repetere. Putidam igitur iſtam Diſtinctionem, quam Catechiſta ex fraude ſua jam fabrefecit ſibi, in apologiam pro Chriſto, quem ſibi nudiuſtertius ipſi fabrefecerunt, (Scilicet, *Alterum* à Deo aliquem eſſe, vel Qui ex Deo pendeat tamen, eſque ſubordinatus ſit, ità ut ipſius gloria in Deum redundaret; Vel Qui talem communionem cum Deo non habeat, neque Gloria ejuſdem in Deum referatur, Cat. Rac. p. 123. Huic autem *Alteri*, Deum non eſſe daturum Gloriam ſuam, ſed daturum *Alteri* priori,) jam ſatis antè riſimus, Atque Jeſuitis commendavimus, ut indè Sibi Imaginum ſuarum Religionem ſtatuminent; Neque excludemus tamen nunc & Idololatras Ethnicos, Ut illi magnificum Catechiſtam hunc, (Omnium malorum Ducem,) ad Solis, Lunæque cultum, & totius Exercitûs Cœli venerationem, (*Pendent enim hæc omnia ex Deo, atque Ei ſubordinata ſunt, gloriámque ſuam omnem Deo acceptam ferunt*, Pſal. 19. 1.) Authorem ſibi habeant.

3. Quid ſibimet interea, hac ipſa in quæſtione, reſponderi velit, ipſe nunc videat. Chriſto enim ſuo, ante ſemiſeculum ſolùm ab ipſis fabrefacto, (Sub illius igitur improperii ſarcula, quam Moſes olim Diis Ethnicorum impegit, καινοὶ καὶ ἀρτίως ἥκασιν, οὓς οὐκ ἤδεισαν οἱ πατέρες ὑμῶν, Deut. 32. 17.) etiamſi Gloria Divina tribuatur, *nihil tamen Dei Patri gloriæ decedere*, nunc ait, Cat. Rac. p. 123. Qui tamen in ſtolida Declamatione, quam præmiſit adverſus Orthodoxos, ait, *Perquàm pernitioſam eſſe iſtam opinionem, quæ Gloriam unius Dei, qui tantùm Pater Chriſti eſt, obſcurat, dum Gloriam eam ad Alium, qui Pater non ſit, transferat*, Cat. Rac. p. 42. Niſi enim iſta, non ſolùm gratis declamitata ab eo, ſed & genuino quoque ſenſu omni carentia ſint, Barjeſuitas ipſos oppidò arietant, Chriſto ſuo, (qui certè, tam ſero veſpere factus ab iis Deus, Pater ille non eſt,) gloriam Patris jam tribuentes; Orthodoxos autem non lædunt, Qui eandem Chriſto Domino cum Deo Patre, Quia ipſe Deus Filius ab æterno eſt, Patríque per omnia æqualis, gloriam adſerunt. Quod verò modò monitum eſt, Chriſtum reverâ Alterum à Deo non eſſe, ſed verum ipſum Jehovam, hoc cùm Cauſſæ ſuæ fatale fore præſentiret, eſt ubi è cæteris SScripturæ Locis in V. T. Nomen Jehovæ tribuentibus Chriſto, unum ſeligit ſibi, pro arte ſua Catechiſtica, quem à ſe facillimè omnium vel expugnari, vel ſaltem perverti, illudíque poſſe ſperabat, adſerítque, *Ex eo confici non poſſe neceſſariò, Nomen* Jehovæ *Chriſto attribui*, Cat. Rac. p. 61. Neceſſarium igitur fecit, ut & Nos Locum illum nunc adeamus, Qui ſic ſe habet, *Suſcitabo Davidi Germen Juſtum, & Regnabit Rex, & intelligenter aget, & faciet judicium, & juſtitiam in terra. In diebus illis ſervabitur Judah, & Iſrael habitabit cum fiducia. Et iſtud nomen Ejus, quod vocabunt Eum,* JEHOVAH JUSTITIA NOSTRA, Jer. 25. 6.

4. De Meſſia igitur an iſta omnia dicantur, equis eſt, Qui ambigat, præter Barjeſuitam? Ille quidem, Neceſſitate miſerum ad turpia cogente, quoad poſtrema ea verba de Nomine Jehovæ, nititur in adverſum, amentiæque ſuæ, nè deſperare prorſùs videatur, prætendit egregium cavillum. Ait enim, *Neceſſariò non probari hæc de Chriſto dici, Quia poſſunt ad Alium referri.* Sed Quid audimus, *Poſſunt?* An ad aliquem Alium referantur à Propheta, id dicendum eſt. Veruntamen dabimus miſello jam & hanc, (cui Ille toties plurimum debet,) Sequelam, (Quæ reipsâ tamen nulla eſt,) à Poſſe ad Eſſe. Pernegamus enim nos, Poſſe hæc ad Alium, Præter Chriſtum, referri, quòd *Nomen Ejus, quo vocabunt Eum, ſit,* JEHOVA JUSTITIA

JUSTITIA NOSTRA. Audiamus igitur, quî probet, *Posse. E Loco enim simili perspicitur*, ait, *apud eundem Prophetam*, Cat.Rac. p.61. Locum igitur & illum nunc adscribamus oportet, Quem Latinus quidem Vulgaris ità legit, ut nihil à priore Loco differat, excepto, quòd pro *Israele* habeat *Jerusalem*. Verùm ex Hebræo sic se habet, *Germinare faciam Davidi Germen Justitiæ, & faciet Judicium & Justitiam in terra. In diebus ejus servabitur Judah, & Jerusalem habitabit cum fiducia; Et Iste, Qui vocabit Eum, Justitia Nostra*, Jer. 33.16. Observate igitur nunc Veteratorem istum, quàm graphicè vulpinetur. Nam neutram ille Lectionem, neque Textûs Hebraici, neque Latini V. ex integro sequitur, sed ex utroque consuit sibi, quod ad cavillum suum consarcinandum maximè faciet. Quanquam ergò in Hebræo sit, quod fallaciæ ipsius ex diametro adversatur, *Et Iste, Qui vocabit*, dissimulatâ tamen hâc clade, ille Latinum Hebræo jam præfert, ejúsque exemplo, legit, *Et istud*, cúmque eo supplet, *Nomen, quo vocabunt*, quod ab Hebræis abest. Veruntamen, quoniam in Latino est, *Nomen, quo vocabunt Eum*, jam ille Lectione eâ destertâ, exclamat, in Hebræo expressè legi, *vocabunt eam*, Cat. Rac. pag. 61. ideóque cùm necesse prorsùs sit istud referri ad Jerusalem, *videtur igitur* ei, (Sed nemini tamen, præterquam ei, tam malum oculum habenti,) *prorsùs verisimile*, Ut verba ea, Vocabunt Eum, *in priore Loco* Jeremiæ, etiam *ad Israelem*, cujus Loco Jerusalem posteriùs jam positam esse hallucinatur, *referantur*. Ei igitur jam per istas strophas, Israel erit, & non Messias, Qui Jehova ibi dicitur.

5. Scopus igitur tam obliqui Animalis iste est: Ut incommunicabile Nomen hoc, *Jehova*, cum adsumento etiam eo, Divinæ solùm Naturæ proprio, *Justitia nostra*, potiùs quàm Messiæ nunc attribuetur, (Ex quo Christum, prout non potest miser non præsagire sibi, in Divinæ Naturæ conditionem elevandi Argumentum invictum sequetur,) cedat jam licebit, per insignes istos Theologastros, Israeli, vel Jerusalem, Cuivis omnium, dummodo non Messiæ. Nôrunt nimirum, actum de iis esse ex parte Euangelii, magísque in proclivi sibi futurum, cùm Dies Domini venerit, per Jerusalem justificari Se, quàm per Messiam, pérque Israelem, quàm per Christum, Salutem consequi. Istud igitur est, quòd veriti non sint, & Jeremiam nunc obtorto collo trahere, fidiculísque suis tam immaniter torquere, ut in eorum gratiam ipse (Siquid ipsis videatur, audient homines) pronunciet, quòd Jerusalem, & Israel appellabuntur, *Jehova Justitia Nostra*. Sic enim argutantur, Videmus Jeremiam ità expressè dicere, in, *Vocabunt eam, Jehova Justitia Nostra*; ex simili igitur ratione, ità & priùs quoque de Israele præsumi poterit voluisse eum, in, *vocabunt eum Jehova Justitia Nostra*. Atque hæc Fraudium ipsius Summitas est; Sed ad quam pertegendam, nè fœdè perpluat, & aliis offuciis opus ei est. Vafer igitur dimicat sub Latini V. clypeo, & quod Nos modò monstravimus in Textu eo non esse, supplere tamen ille se ait, ex priore Loco Prophetæ, & pro, *Iste, Qui vocabit eam*, legi jubet, *istud Nomen, quo vocabunt eam*. Ista præludialis ejus techna est: Sed nec ista sufficit ei. Altera igitur est, etiam in hac ipsa parte quoque, quæ tam astutè suppletur ab eo. Nam cùm & Latinus V. in priore loco Prophetæ ità claudicaverit, ut ab ipso Barjesuita ibi correctus fuerit, Latinus enim Locum eum legit, *Hoc est Nomen, quo vocabunt eum*, sed propter Pronomen affixum in voce שמו, Barjesuita ipse, (rectéque hoc,) legit, *Hoc est Nomen ejus, quo vocabunt eum*; Subsoluit tamen vulpeculæ, si & cum correctione ea sua Locum hunc posteriorem ità suppleret, ut legeret, *Nomen ejus, quo vocabunt eam*; fallaciam suam, ex isto Fœminino Affixo לה, sibi accersitam, eodem spiritu diffiaret, prorsúsque sibi inutilem ipsam redderet è duplici ratione, Primâ, quòd copularet Masculinum illum Affixum in שמו, cum altero eo Fœminino in לה, Secundâ, quòd & aliam Personam, Messiam scilicet, disertè assignaret, Cujus illud Nomen propriè esset; Cavet igitur sibi ab hoc infortunio, atque omisso Pronomine *Ejus*, quod ipse antè tam cautè suppleverat, jam legit, supplétq; sic, *& hoc Nomen, quo vocabunt eam*. Hæc est illa Altera.

6. Præsumit autem jam, (Atque alia hæc techna est, & facilè palmaria;) istud יקרא־לה accipi non debere à Nobis nisi ad Modum prorsùs Transitivum, pro, *Vocabunt eam*, utcunque præ oculis suis jam habeat, in Locum Prophetæ, unde jam suppleri vult, ל istud non appositum esse, neque יקרא־לו scriptum fuisse, sed tantùm יִקְרָאוּ, pro, *Vocabunt eum*. Quid igitur Nos ad hæc? Ex ipsa hac variatione, quâ Prophetam, eadem denuò de re locutum, uti videmus, variandum & nobis esse in ipsius Expositione, (cùm & Regulariter quoque possimus,) non immeritò concludimus. Quanquam igitur nulli negemus, Verbum hoc קרא, etiam cum ל sequatur, Nomini in Regimine præfixum, Transitivè sæpe usurpari, (Exempli gratiâ, Juvenum illud, קראתם לנו, Jud. 14. 15. est, *Vocastis nos?* atque illud Davidis, קראו־לי לבת־שבע, 1 Reg. 1.28, est, *Vocate ad me Bathshebam*, & ibidem, ver. 32. קראו־לי לצדוק, est, *Vocate ad me Sadochum*: Similiter & Pro. 9. 15, & Amos. 5. 8, aliísque in Locis videre est.) Quia tamen ל, quod in priore loco Prophetæ aberat, nunc additur ab eo, Acquisitivè nunc hoc accipiendum esse adserimus, ut in exemplis hiis è 1 Reg. 1, & in plurimis aliis vulgò accipitur, phrasínque hanc jam exponendam esse, *Iste est, quem vocabunt ad eam*, (id est, *ei*,) *Jehova Justitia nostra*. Quàm facilè igitur jam confecta tota hæc res est, fraúsque omnis sic detecta, ut plura addere opus non sit.

7. Quod ad ipsum tamen Verbum hoc יקרא utroque in Loco à Jeremia usurpatum, attinet, abs Re præsenti non erit, breviter admonere, Esse revertâ *Vocabit*, in Tertia Persona Singulari, propter quod à Senibus rectè redditur, κληθει. Sæpe enim Verba usurpantur in Tertia Persona Indefinitè, & quasi Impersonaliter, sine Nominativo Casu expresso: Cujus Rei exempla sunt, Gen. 16.14. Amos. 4. 2. Mica. 2, 4. & Hab. 3.17; Nè plura jam colligam. In hiis verò, ex idiomate Sæ Linguæ, subintelligitur Collectivum איש, *Quisque*, id est, *Omnes*; Atque indè à Latino V. aliísque redditur hoc, *Vocabunt*. Cùm verò ex altero ejusdem Linguæ idiomate sit, Tertiam istam Pluralem Activam loco Tertiæ Passivæ sæpe sumi, (Ut, *Dent*, pro *Detur*, Nehem. 2.7, & *Numerârunt*, pro *Numerabatur*, Job. 7. 3, & *Annuncient*, pro *Annuncietur*, Esai. 44. 7, eodémque exemplo & ψυχήν σε ἀπαιτοῦσι, Luc. 12. 20, nil aliud est, quàm ἡ ψυχή σε ἀπαιτεῖται· neque pluribus nunc è V. N'que T. immoror.) Indè jam est, quòd Nostri utroque in Loco hoc Passivè enunciârint; Et in Priore quidem non malè, His Name, whereby He shall be called: in posteriore verò, nimis oscitanter, The Name, wherewith She shall be called: cùm verti hoc oportuerit, vel juxta Verba ipsa Hebraici Textûs, This is He, that shall call unto her, vel juxta idioma Hebraicum cum fideli supplemento, (Sed quia mutatio in Vocem Passivam minùs huic convenit,) esto, His Name, which He shall call for her, id est, Over her, in gratiam Urbis scilicet; Ità enim לי, Num. 11.29, est *Meâ Causâ*, & Psal. 118.6, est, *Propter Me*, id est, in bonum, & præsidium meum.

8. Gerræ igitur jam germanæ sunt, nec nisi brevibus Giaris dignæ, quas Impostor hic pòst obtrudit, quò sceleratæ sententiæ suæ impetiginem mollire possit, atque Scabritiem imminuere. Simulat enim, inclinare animum suum, ut *concedat*, (Si obnixè rogetur, putà; Atque ut Christum aliquà ducat, nè animum despondeat scilicet!) *Nomen Jehovæ posse ad Christum referri*, Cat. Rac. p.62. Audin', Bone Jesu?

Posse, atque *Referri*. Hâc igitur sorte contento abire Tibi si libeat, i; licet; Catechista hanc gratiam facit. Et tamen, (ut ejus est mos,) mox titubat, creperámque istam nimis, & reipsâ nullam, præstat. Subjungit enim, *Ex altero tamen Testimonio apparet, asseri non posse, Jehovam simpliciter Christum vocari, Neque ex eo Nomine sequi, Christum reipsâ esse Jehovam*, C.R.p.62. Verùm ista sunt solùm impuri stomachi, orísque malesani ἐξερεύματα! Ex utroque enim Loco Prophetæ (à vi, dolóque Barjesuitarum jam satis per nos liberati,) paret, Christum, Solum Omnium, Sempérque, Propriè igitur, atque Simpliciter, ídque ab ipso Jehova Patre, vocari *Jehovam*, & prout ipsa Natura Jehovæ fert, (In qua Esse & Dici, Unum, Idémque sunt,) reipsâ esse Eum, tum in Se, tum erga Nos, id quod vocatur; *Jehovam*, In Se; Erga Nos, *Justitiam Nostram*. Quocirca cùm obscœna hæc progenies Socinina suffuratum ierint Christo Domino Naturam suam, Noménque Divinum, ídque ex ipsis Verbi Divini torturis, & idiomatum Stæ Linguæ Perversionibus, (pro nihilo habentes, quod à Psalmista admonitum est, *Magnificâsse Deum super omnia Nomen suum, & Verbum suum*, Psal.128.2.) eò perduxerint, ut SacroSanctissimam ipsam Nomenclaturam *Jehovæ*, neque Angelorum cuiquam concessam, neque Hominum, (Qui tamen ex aliis Dei Appellationibus, *El*, atque *Jah*, in Appellationibus suis, in Gabriel, Uriel, Daniel, Esaiah, Jeremiah, atq; (ex utraq;) in Eliah, participes, Deo non improbante, facti sunt;) vel ipsi popello Israelitico, modò ea Messiæ τῷ θεανθρώπῳ decedat, inscribi nunc fategerint, Vestrum jam judicium erit, Bonæ, Priscæque Fidei Theologi, Annon hoc Genitoris sui (ex Apostolico eo apparatu, Act.13.10, insigniter phalerati,) præcipuo suo modo hii homines habeant; Et an injuriam aliquam à Nobis, (Ligonem ligonem vocare amantibus,) aut contumeliam patiantur, Quòd Honoris, quem merentur, caussâ, indè ex quo effigiem eorum omnium in Catechismi sui Symbolo intueri datum est, Pontificiis nostris Heroibus unâ jam Syllabâ auctiores exeant, atque ex Eo Parente suo Barjesuitæ nobis audiant, Ejus plenitudinis, quam Paulus ibi celebrat, Hæredes ex Asse, ádq; Viarum Domini, (Rectarũ illarum, & Sanctarum, Quæ in nomine, Verbóque ejus delineantur,) execrandam διαγραφὴν, tam incomparabiles Artifices.

Sect. XXXII.

1. *Articulus Præpositivus sensum habet vel Universalem, vel Eminentem, vel Demonstrativum. Σῴζειν & ἰᾶσθαι usurpari pro Æquipollentibus. Σωτηρία de Corpore.*
2. *Ecqua Salus sine Fide in Christum? Barjesuita subdolè dividit Tempora, in Ante Patefactionem Christi, & Post. Christi φανέρωσις.*
3. *Catechista, cùm ipse Agonotheta sit, facilè fallere scit.*
4. *An Patres ante Christum non crediderint in Christum.*
5. *Dolus malus Catechistæ est, omittere quæ cõtra ipsum sunt.*
6. *A Posse ad Esse, non sequitur, sed à Non Posse ad Non Esse, optimé. Διαιρούμενον. τὸ διαιρούμενον. Articulus sensum dividit.*
7. *Ἄνθρωπος pro* Genere Humano. *ἐν ἀνθρώποις. Laus Macedonum. Πρῶτον pro* In principio.
8. *Ὄνομα, quid. Appellationes Christi variæ, antequam veniret. ἕτερον De Duobus. Fides in Messiam ab Orbe condito.*
9. *Justificatio omnis, Salúsq; pendet à mera gratia Dei. Fides in Christum est Fides in Deum.*
10. *Fœdera varia è Mose habemus. Fœdus cum Abrahamo erat fœdus fidei. Fides in Eum, Qui venturus, vel Qui tum venerat.*
11. *Quæ sit Æra Patefactionis Christi. Quæ & Fides Latronis, Lazari, Baptistæ, Zachariæ, Elisabethæ, Annæ, Symeonis.*

NIhil abs Rei veritate abire eos censeo, Qui Articulum in illis verbis Petri, Καὶ ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία, Act.4.12, vel Universaliter, pro Salute quavis, & Quocunq; in genere, vel Eminenter, pro Salute Summa, Æternâque, sumendum opinantur, Cùm tamen dubitandum nihil sit, Articulum hunc, isto in Loco, atque ex mente Petri, Relativam imprimis, atque Demonstrativam Vim sortiri, additúmq; esse, Ut Suppositioni, quam præmiserat, εἰ ἀνακρινόμεθα, ἐν τινι οὗτος σέσωσται, ver.9, directè respondeat, ab Eo fuisse. Hoc igitur est, quod Apostolus vult, ἡ σωτηρία, id est, ista *Salus*, qua de nunc quæstio est, & quâ frui Claudum istum videtis, consistit ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ, id est, à Persona alia nulla concessa ei est, & ex alia nulla Virtute processit, quàm ut nunc à me expositum est, scilicet, *In Nomine Jesu Christi Nazareni illius* (Nam idem est & heic Articuli in τῷ Ναζωραίῳ momentum;) *Quem Vos crucifixistis, Deúsque suscitavit è mortuis*, ver.10. Verti igitur à Nobis oportet, And not in any other is this Preservation. Euangelistis autem σώζειν esse sæpe pro ἰᾶσθαι discimus è Matth. 9.21, & Mar. 6.56; versâque vice, ἰᾶσθαι esse pro σώζειν, è Matth. 13.15, & Luc. 4.18; Sed & ipsa σωτηρία de Temporalibus, atque Corporeis conditionibus usurpatur alibi à Luca, Act.7.25, & 27.34. Quòd verò Interpretes, Latinus V. Noströque, & Expositores (quantum memini) omnes ità exponant hunc Locum, ut in sensum illum Eminentiæ præcipuè propendere se demonstrent, optimâ ratione factum ab iis est, propter subjunctam ibi à Petro adfirmationis suæ Rationem. Sequitur enim, ὅτε δὲ, atque ex utroq; eo Vocabulo, è Copulativo ὅτε, quod nunc κατ' ἔνδειαν apponitur, pariéque cum antedictis firmitate gavisum, etiam & antedictis illis Virtutem suam impertit; Quantò magis verò ex ipso Caussali δὲ evincitur, Hæc in Universo genere interpretanda esse? Humano enim Generi nihil Salutare (Salutem quamcunque dicere velimus,) contingere posse, Quod ex Nomine isto Jesû Christi non profluat.

2. Genuinus igitur cùm iste, & Nativus Loci sensus sit, atq; in Se irrefragabilis, Polonus ille Sophista ὁ πάνυ. Quia in adversum, haut ausus sit γνώμῃ τῇ καρδίᾳ ferri, (Quantumcunque ipsius interest non ferre, Christum Salutis universæ Mundo Fontem esse;) ad consuetas strophas Se recipit, tectéque tandem servare se sperat, & per dolum Caput suum liberare, à tam crasso infortunio. Quid igitur facit? Quæ Catechisticæ suæ impostura non ultima Laus est, Sponte (si placet) suâ largitur aliquid, Ut vel indè, inficiandi, quod maximè negatum vult, licentiam sibi præstruat. Istam igitur Quæstionem ipse sibi magnificè proponit, *Ergò sine fide in Christum nemo justificabitur?* Cat.Rac.p.271. respondétque Pugilicè, atque ut Bonæ Fidei nemo magìs ingenuè, *Nemo prorsùs*. Quid potuit ergò fortiùs, candidiúsve dici? Verùm jam, ut Barjesû filium agnoscere possitis, Qui aliud velit, aliud dicat, alterâque manu Panem, alterâ Lapidem ostentet, haut citiùs Duo ea verbula, Veritatis tantum spirantia, protulerat, quàm corrigit, comprimítque Se, Ut hâc demùm fraude, quod negare antè non poterat, Scelesto suo Glossemate corrumpat, subruátque. Adnectit igitur, *Verum id De eo tempore intelligendum est, quo Christus patefactus est, Nam quod attinet ad Tempus, quod Christi patefactionem antecessit, De eo affirmari id non potest*, Cat.Rac.pag.271. *Id*? Quid? Opus est, ut eloquatur, *Servari scilicet Homines per fidem in Christum*: & ut Tempus quoque Patefactionis Christi quodnam velit, explicet: Satis enim ambigua, atque in Sacris Literis peregrina est ista Vox *Patefactionis Christi*; Dicat igitur, Quid sit? An Manifestationem Domini in Carne vult? Vereor, ut tam rectè sentiat. Non placet utcunque ei ista Locutio; Magno enim malo suo jampridem sensit, Divinam Christi Naturam nimiùm supponi, probaríque ex hoc φανερωθῆναι ἐν σαρκὶ, 1 Tim. 3.16. Patefactum tamen esse nusquam in SScripturis de Christo occurrit, nisi Rom.16.26, Ubi Latino V. visum est, φανερωθέντος τε νῦν, reddere, *nunc Patefactum est*. Sed nè longiùs moremur. Ille *Patefactionis Tempus* per hunc dolum dicit, ut Christo, quod Ei ex Natura Divinum est,

est, ubi velit, detrahat, neque eum non Novitium esse, aut in aliquo numero inter homines haberi, sinat, ante Resurrectionem Ejus. Has bellus hic Barjesuita metas Servatori nostro, hæc tempora ponere intelligendus est, Summáque jam detestandi Dogmatis est ei, Donec Euangelium Christi per Apostolos promulgatum est, Neminem in Christum credidisse, nedum ex ea fide quenquam Justificationem atque Salutem consecutum fuisse.

3. Sciebat autem ex isto Dogmate, non posse se non in necessariam quidem, sed tritissimam sibi arenam, Pugnandi cum SScripturis, descendere. Hac igitur in parte Ut se nunc paret, non vulgaris astutiæ (*Dolus* enim, *an Virtus, Quis in hoste requiret?*) notâ dignum est. Nam cùm ipse sese inter suos, jam indè à principio non Athletam solùm, sed Agonothetam (Catechistam enim, & Dictatorculum) constituerit, putà Qui pro suo solius arbitrio non Præsidem solùm agat, Judicémque aut Moderatorem, sed & Certationis totius Instructorem, & Designatorem, Qui Leges igitur omnes, Modósque ut velit ipse, Muneribus hiisce ponat, Exclusis jam infinitis è SScriptura Argumentis, (Quæ in procinctu stare videbat, ipsíque ineluctabile exitium minitari;) Unico tantùm Loco in adversum instruit Interrogatorem suum, Satin' igitur sibi sapere videtur Veterator? Satin' domi suæ plaudere, foris utcunque sibiletur? Quem enim illum unicum? Quem ipse probè perspiciebat, nullum reverà esse; Posse igitur se & salvâ Re certare, & telum tam retusum, cum summa sua gloriola, ubi volebat, repellere. Sic igitur in prælium ruit; *Veruntamen Locus ille*, Act. 15. 11, *repugnare videtur huic Sententiæ, ubi ait Apostolus, Nos per gratiam Jesu Christi servatum iri, Quemadmodum & illi Patres*, C. R. pag. 272. Atque in hoc Certamine jam mirum quantum digladietur! Ohe! Quàm terribiliter aerem undique verberat! Vel geminam ei Pagellam implet hæc ἐξαμαχία, Quæ nè umbram tamen aliquam habere potuisset, nisi ipse (More suo, si dixero, satìs non est; sed) indole suâ, (Novistis enim Hominem, atque Parentem ejus,) Textum ipsum, quem contra se producit, violarat priùs, fœdéque corruperat.

4. Quæritis verò, Quo modo? Imò, Non Uno modo. Nam & dicto Apostoli Principale vocabulum surripuit; & Litis dein totius Principale Vocabulum subornavit sibi. Apostolus enim dixit, *Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus servari, quemadmodum & Illi.* Jam iste, licèt *de fide in Christum* Quæstio ei primùm instituta sit, Verbum tamen πιστεύομεν clanculum subduxit, aítque, Apostolum dicere, *Nos per gratiam Christi servatum iri.* Verùm, inquies, hæc Duo ἰσοδυναμοῦντα sunt, Quódnam ergò hoc furtum erit? At non sunt, Ut mox parebit. Pergit enim Falsarius, & Quia τὸ κεφάλαιον in Prima ea Quæstione est, *An Patres ante Christum in Christum crediderint*, De hoc igitur ut agere videatur, Quanquam Apostolus dicto suo nil aliud subjunxerit, quàm, *Quemadmodum & illi*, iste porrò obtrudit, quod ab Apostoli mente longissimè abest, *Quemadmodum & illi Patres.* O factum Barjesuiticé! Habuerit verò jam, necne, ex Orthodoxorum Partibus aliquem, (minùs cautum tamen, solidúmve, Linguæque Græcæ minùs callentem,) ex hoc Loco ità argumentantem, Seclusis jamdiu à Libris, haut scio quidem, neque certè credo, Quia ipse nemini eorum (quod pro more tamen suo alibi facit,) hoc nunc imputat. Sed id nunc non quæritur; Neque quicquam obstabit, quin in ipsum solum hæc faba tota cudatur. Nam si ipse Principale illud Verbum πιστεύομεν non surripuisset è Textu, vel indè facillimè diremta fuisset hæc Lis; Πιστεύομεν σωθῆναι, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι, ait Petrus. Manifesta autem Ellipsis est, Suppleatur igitur, καθ' ὃν τρόπον κἀκεῖνοι πιστεύουσι. Quo quid simplicius, aut naturæ ipsi convenientius excogitari potest? Petríque Argumentationem hanc esse, abunde probare me memini in Superioribus, *Quomodo nos credimus salvari per Christum, & illi ad eundem modum credunt.* Adeóque Pax jam alta est nobis. Neque enim Petrum quicquam de Patribus suis è Gente Hebraica, (Quorum obiter utcunque mentionem fecerat,) sed de Filiis solùm suis è reliquis Gentibus, ejusdem secum Fidei in Christum jam participibus, ibi loci statuere, manifestum est. In aerem igitur abit hæc omnis Barjesuitæ Ventilatio, Armis Lusoriis jam agere satìs contenti, sed abstinere se interea, (nè luat, ruátque,) à Decretoriis.

5. Nimis puerile igitur Sophisma est, concludere, *Neminem ante Christum in Christum credidisse*, Quia ex isto Loco (ea de re nullatenus instituto,) nihil in contrarium probari potest. Abundant interea SScripturæ argumentis in Orthodoxæ sententiæ probationem; sed Barjesuita noster solerter ratus, suâ interesse, si salvus esse velit, alia Loca omnia nec videre, negligeréque, Ità se callidè fert, acsi nusquam quicquam contra ipsum corradi possit, præterquam ex alio quodam Textu, Quem tamen (pro summa sua astutia,) Objectori suo contra se subministrare noluit. Quidni? Ut, vel ea ex præteritione, haberetur Locus à Socinulis suis pro non digno, Qui in oppositum prematur, Sed ipse tantùm in transitu suo eum (Nè non ad omnia Stratioticè descendere videretur,) talitro levi sic mactat, *De eo enim tempore quo Christus patefactus est, illa Petri verba accipienda sunt*, Act. 4. 12, *Non esse Nomen sub Cœlo datum hominibus, per quod servari oportet, nisi nomen hoc Jesu*, Cat. Rac. pag. 271. Actum igitur jam est; Periit & iste Locus vel unico spiritu Exterminatoris Czarkoviani! Verùm enimverò Quis non deamabit ob hæc consilia graphicum Nebulonem? De Loco illo priùs citato, Qui nihil ad hanc rem est, magno cum strepitu interrogari se vult, ínque eo refutando duas Pagellas totas fortiter insumit; Locum vero hunc, Qui disertè hanc rem agit, támque perditè ipsi adversarius est, ut tota Cohors Barjesuitica ei refutando non sit, pro nihilo habet, tantúmque non præterit, Veruntamen pro infinito, tum animi sui candore, tum ingenii excessu, tanti utcunque non sit, ut objici mereatur, intactum tamen non relinquit, sed verbo uno, alteróque, ἐν παρόδῳ, quod in tam levi argumento satìs supérque est, conculcat statim, proterítque. O Crudele Fatum!

6. Verùm hoc crudelius tamen, quòd non sic abire nobis poterit Magnus Ardelio. Technis enim ejus in culo habitis, Nos Loci istius, (Longè quidem Divinioris, quàm cui possit ars aliqua Barjesuitica nocere;) verba ipsa primò proferimus, ὄντως γὰρ ὄνομα ἐστὶν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν τὸ δεδομένον ἐν ᾧ δεῖ σωθῆναι ἡμᾶς, Act. 4. 12. Jam ad hæc, Quid? *De Tempore post Christum patefactum accipienda sunt*, ait Moscorovius. Nos contrà, De Solo tempore post Christi Adventum in Carne, (De Solo autem nisi ipse dicat, jam herbam porrigit,) accipienda non sunt. Utri credetur? Qui adfirmavit, inquimus, ipse jam probet. Probet autem? Ergóne Adfirmanti Catechistæ tanto non credimus? Probat igitur non leviter; Negat enim, *De Tempore Priore id affirmari posse*, Cat. Rac. pag. 271. Etiámne & Neganti jam non credemus? Certé. Qui nunquam non summo cum fastidio repellimus familiares ejus Inconsequentias, *Sic esse, Quia potest sic esse*; agnoscimus jam hoc optimè sequi in Negativo, *Non potest esse*; *Ergò non est.* Sed novimus, Qui Vir sit: Poscimus ergò nunc, ut probet nobis, *Non posse sic esse.* Quoniam verò hæret ei hæc aqua, agatur igitur, quod jus & fas est, & Nos jam audiat. Probamus enim nos, ea verba Petri, à solo post Adventum Christi Tempore designando tam longè abesse, ut necessarium sit De Tempore Priore accipi. Probamus autem (Quæ vera Critica est,) ex ipsis verbis. Licèt enim ille, (Latino V. ubi in rem suam facit, uti contentus,) sic hæc legerit; *Non est Nomen aliud sub Cœlo datum Hominibus*, ità tamen legenda esse prorsùs negamus. Verbum

enim Petri neque est δίδοται in Præsenti, neque in Præterito δέδοται, neque ἐδόθη in Aoristo, sed est Verbum Substantivum Præsens, ἐστὶ, Cui Participium quidem Præteritum, δεδομένον, pòst adjungitur. Jam ista verò Syntaxis ex ipsa natura Græci sermonis, ad omne retrò Tempus recurrit, valétque hoc, *indè à principio, Nomen istud solùm, & nullo unquam ævo aliud, datum est.* Mirè autem augetur à Spiritu hujus Expositionis necessitas, per additionem Articuli, Neque enim dixit, οὐκ ἔστιν ὄνομα ἕτερον δεδομένον, sed cum interjecto Articulo, οὐκ ἔστιν ἕτερον ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις. Græcè igitur nihil novit, qui non intelligit, Sensum verborum ex parte dividi jam per hunc Articulum, cúmque interpunctione sua post οὐρανὸν, reddi oportere, *Non est Nomen aliud sub Cœlo, quod datum*, (Supple, *unquam fuit,*) *inter Homines.* Ad omne igitur ævum, indè ab Homine creato, ádque Locum omnem, extendi debet, atque à Nobis, habitâ ratione quoque alterius Articuli, sic verti, For there is not another Name under [the Cope of] Heaven, that [ever] was given among men, by which we must be saved.

7. Quid quod & hoc ipsum ex altera ea parte, ἐν ἀνθρώποις, validissimè quoque firmetur? Nam & sine Præpositione ea, (Et sine ea ipsi quidem legerunt, cùm, *Datum Hominibus*, reddiderint,) vocabulum tamen ἄνθρωποι in numero Plurali, si Absolutè ponatur, nullámque Locorum, Temporum, aut Personarum limitationem secum ex verbis ipsis ferat, in Universo genere accipiendum esse, Totum enim Genus Humanum designare, tam familiare in N. Test. est, ut otio abutentis esset, exempla jam congerere. Sed cùm & ἐν ab Apostolo additum sit, δεδομένον ἐν ἀνθρώποις, dicant, obtestor, Quis usus istius Præpositionis sit, (habent autem exempla ejusdem, Luc 2. 14. & 16. 15.) nisi ad ævum omne designandum, ex quo Homines fuerunt? Apud Paulum verò singulare Exemplum occurrit, tum Participii hujus Præteriti, tum Præpositionis quoque adjunctæ, in illo Macedonum encomio, Γνωρίζομεν δὲ ὑμῖν, ἀδελφοὶ, τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, non dicit, τὴν δοθεῖσαν, sed, τὴν δεδομένην, neque, τῶν ἐκκλησίων, dicit, sed, ἐν ταῖς Ἐκκλησίαις τῆς Μακεδονίας, 2 Cor. 8. 1. Et Quorsum hæc? Ut ex utriusque Locutionis momento, eô magis Corinthiis significaret, Macedonas mirabili planè exemplo, haut citiùs Christo Nomina sua dedisse, quàm & Res; Atque indè ab exordio Fidei suæ, quamprimùm Ecclesiæ esse cœperant, cœpisse & Ecclesiarum in Judæa (præter omnem Apostoli ipsius spem, aut expectationem,) Adjutores esse, Dedisse enim Se πρῶτον, ver. 5, (id est, in ipso principio Conversionis suæ,) Deo & Apostolis, Ut quantum ipsi vellent, ab iis sumerent, in subsidium Ecclesiarum. Vertatur igitur à Nobis & iste Locus, But themselves they gave at the first (sive, at once) to the Lord, and to us, at the pleasure of God.

8. Petrus igitur quod nunc dixit, *De Nomine quod datum fuerat in hominibus ad Salutem*, ab Orbe condito Generi Humano datum intelligit, aítque, Nomen nullum fuisse, hoc est, Nullius Personæ Authoritatem, Potestatem, Dignitatem, Facultatem, (Omnia enim hæc sub hoc vocabulo Ὄνομα in Sacris libris comprehendi solent,) unquam fuisse ad Salutem hominum, præterquam Hujus Unius, Jesu Christi Nazareni; Quacunque aliâ Appellatione Ipse insignitus, antè innotuerat iis, sive *Seminis Mulieris*, Adamo promissi, Gen. 3. 15, sive *Seminis Abrahæ*, ad omnium Nationum Benedictionem, Gen. 22. 18, sive *Shilo*, Gen. 49. 10, sive *Salutaris Domini*, ver. 18, sive *Redemtoris sui*, Job. 19. 29, sive *Prophetæ, similis Mosi*, Deut. 18. 15, sive *Messiæ Domini*, Psal. 2. 2, Aut si quæ fuerint aliæ, antequam nasceretur Jesus, nomenclaturæ Ipsius, In Eum Ipsum tamen unicè consentiebant, neque ὄνομα ἕτερον unquam fuit, (fuisse ἄλλο non negat, Variis enim Titulis Ipse subindè exprimebatur: sed ἕτερον fuisse, pernegat, Græcis enim id, ἐστὶ δυοῖν ταῦτα.) Quia Persona alia præter Jesum Christum, Humano Generi unquam ad Salutem proposita nulla est; Ipse verò Messias ab origine Mundi, (Quicquid seri hii Nepotes sophisticentur in contrarium;) propositus est, Petro jam apud Synedrii Magistros, tanquam ex ipsorum concessis, hoc agente; Contendit enim, ex hac occasione Salutis Claudo præstitæ, Quem Ipsi à Deo Hominibus ad Salutem ab initio propositum fuisse docebant, Messiam suum scilicet, Jesum illum Nazarenum, Quem illi dudum crucifixerant, hunc Ipsum esse.

9. Sed habere se tamen Catechista prætendit, de quo porrò litiget. Quanquam enim hæc Duo non possit non concedere, primò, Etiam ante Christi (ut ille loquitur) Patefactionem, adfuisse hominibus Justificandi, (ità enim, sed crassiùs loquitur,) rationem, C. R. p. 271, secundò, Ob fidem suam in Deum eos tum justificatos fuisse, Duo tamen alia sunt, quæ negat; Primò enim ait, *Eam justificandi rationem, in fœdere per Mosen dato, non fuisse comprehensam.* Fuerit verò necne, nos nunc non disputabimus; Nam, Quid ad præsentem Quæstionem? Quod igitur adsuit, ut probet non fuisse, *Quia omnis tum Ratio Justificandi ab ipsa Dei gratia merè pendit:* hui! Quàm ἀλόγως hoc nunc ab eo, quàm ἀναγκαίως dictum est! Quasi aliqua unquam Justificatio, Salúsve hominibus obveniat, quæ ab ipsius Dei gratia prorsùs non pendeat? Secundò verò ait, *Eos tum ex fide in Christum justificatos non fuisse.* Quidni verò? Ex Duplici obtentu; Uno, *Quia justificabantur per fidem in Deum.* Rectè; Et nos toti adsentimur: Sic enim statuimus, Fides in Christum, est Fides in Deum; Non pugnant igitur hæc, Adeóque ea Ratio nulla est: Altero, *Quia ea justificandi ratio per fidem in Christum, in ipso fœdere continetur.* Continetur certè nunc in fœdere Euangelii. At Quid indé? Ergóne ante Christi adventum in Carne ad Euangelii sui fœdus universis Gentibus impertiendum, non potuere homines, (præsertim, Qui extra fœdus Dei non erant,) eo privilegio ex Deo beari? Quàm plena sunt Inconsequentiarum hæc omnia! Verùm ità fieri necesse est; Unum enim Absurdum, Unum Maximum, dederunt ipsi sibi; Oportet ergò Infinita sequi. Atque hæc Barjesuiticæ Theologiæ jam Summa est!

10. Veruntamen cùm eam Justificandi rationem per fidem in Deum, comprehendi negaverit in fœdere per Mosen dato, interrogemus jam necesse est, De quo si Fœdere intelligat dicere. Nam si de Lege ipsa, Fœderéque Voluminis, quod in Sinai conscriptum est, Exod. 24. 7, loquatur, egregiè nugas agit. Nam, Ut nihil urgeamus de Typis in ea Lege, suam ipsorum umbram, mentémque abunde proclamantibus, ádque Fidem in Deum omnes, quibus anima pro sale tantùm data non erat, perducentibus, Erant tum & alia quoque Fœdera, quorum notitiam Mosi solùm acceptam ferimus, & quæ ex accessu Legis Mosaicæ neutiquam cessabant. Pacti enim rationem aliquam habebat, quod cum Adamo initum est, Gen. 3. 15, cúmque Noacho pòst repetitum, בְּרִית expressè dicitur, Gen. 9. 9, sed præcipuum cum Abrahamo illud, nec sine jurejurando à Deo ictum est, Gen. 22. 17, ex quo reperimus Abrahamum ità Patrem Fidelium omnium factum esse, Rom. 4. 11, ut etiam æternùm jam perduret ea Relatio, atque Qui sub N. T. credunt, propter Fidem suam in Christum Abrahami Filii nuncupentur, Gal. 3. 7. Temere igitur, falsóque illud negavit. Quum verò porrò adsumat, quòd Fides, quam ante Christi Adventum homines in Deum habebant, *Non includebat fidem in Christum*; eôque *Apostolus dicebat, Fidem venisse per Euangelium*, C. R. pag. 272. merum & hoc Sophisma est, atq; miserella captiuncula. Ex eo ipso enim loco Apostoli, (cujus jam verba citare haut ausus est, sed in margine solùm suo, (De qua autem technula hoc interdum faciat, jam antè monuimus;) notat è Gal. 3. 22 ad 25.) liquidissimè paret, Apostolum ibi de Fide in Christum loqui; Sed cum distinctione tamen Temporis,

poris, Fidem enim eam esse, Vel in Eum, Qui venturus erat (Quæ Patrum fides ante Christum natum erat;) vel in Eum, Qui jam venerat; (Quæ Pauli ipsius, & Galatarum, ad quos ille hoc scribebat, sed & omnium Christianorum hodiéque est;) Venítque ista in omnes Gentes per Evangelium.

11. His autem ità conclusis, sub gemina jam conditione, condonabimus Homini insulsissimam suam Illationem, *Atque ad eum modum, Illi, non propter Fidem in Dei Filium, sed in ipsum Deum, sunt justificati*, C.R.p.272. Primâ, Ut ab Hæreseos suæ Hæredibus exponatur nobis, Quam ipsi Æram statuant Tempori Patefactionis Christi; An, eodem Die cum Æra nostra Christiana, propter Dominum tum nascentem; An, non nisi Septimo Vitæ ejus Lustro exeunte, postquam resurrexerat scilicet, incipientem: Alterâ, Ut respectu ad Æram ab ipsis institutam habito, ostendant etiam nobis, ex istis, quas jam finxerunt sibi, Classibus, *Credentium in Deum ipsum*, atque *Credentium in Dei Filium*, in utra locari jusserint eos, de quibus nunc subit quærere. Neque tamen de Priscis Prophetis, indè ab Orbe condito, Christum tam manifestè inventibus, annunciantibúsque, instituemus hanc Quæstionem; Sed de Christi ipsius ævo, déque Patefactionis Ejus vel Synchronis, vel proximè Prodromis. Sanctum enim illum Latronem, Qui Christum Dominum in ipsa Cruce confessus, gratiámque ipsius precatus, præsentaneæ Salutis Promissum impetravit, Luc. 23. 43, ultri Credentium Ordini addicere decrêrunt? Lazarum etiam, à Christo dilectum, Joan. 11. 5, An fine fide abiisse in primo suo Excessu, volent, aut in utrius Fidei partibus accensendum? Ipsum etiam Præcursorem Christi, Prophetam Altissimi, Luc. 1. 76, Pronubum illum, & Sponsi Amicum atque Administrum, Joan. 3. 29, Qua in Classe quæremus, doceant. De Parentibus quoque ipsius respondendum erit, De Zacharia, Qui tam multa, tam illustria vaticinatus est De Salute hominum, per Christi Stellam tum ortam prænunciata, Luc. 1. 78, Déque Elizabetha, Quæ Matrem Domini, perpaucarum licèt Hebdomadum tum atque Secretam Parentem, è vocis solius appulsu adesse persensit, Beatam tamen prædixit, ex Fide magis, quàm ex Fœtu, *Beata*, ait, non, *Quæ concepit*, sed, *Quæ credidit*, Luc. 1. 45. Dicant denique & Annam Prophetidem, Viduam illam præstantissimam, Domini Jesu, nondum Bimestris, sed & tum Redemtoris, Prædicatricem, Luc. 2. 38; Et Senem Symeonem, flagitantem à Deo, cùm oculi sui jam viderint τὸ Σωτήριον Ejus, Lumen Gentium, Gloriámque Israelis, Ut illico dimitteretur in pace, ver. 29, Ex qua Diptychorum suorum pagina istos collocent, Qui de Tempore aliquo, quod Christi Patefactionem antecessit, Fidem in Christum adfirmari posse, tam improbè negitent.

SECT. XXXIII.

1. *Argumenta Hæreticorum, Nè SSpiritus Persona sit.*
2. *Nominari est Personarum. Esse Dei, & Nomen Dei, idem sunt. Quomodo Persona dicatur Essentia Individua.*
3. *Personalitatis ratio in Divinis non accersitur ab Individuatione; Formalis ratio Individuationis est à divisione omnium sub una Specie.*
4. *Alia est Regula Naturæ Coposita, alia Divina & Infinita.*
5. *Unus Deus in Unica Substantia. Sed impropriè dicitur una numero.*

NE Sanctus Spiritus in Deitate Persona esse videatur, Ut interpellare possit Promissor Racovianus, Magno se hiatu Argumenti Quintuplicis Dominum fack. Prima autem futura illius est, *Quia sunt in Scripturis ea, quæ Sancto Spiritui attribuuntur, & nullâ tamen prorsus ratione Personæ conveniant*, C.R.p.213. Verùm Paralogismus iste jampridem à nobis non diruptus solùm, sed & abolitus penitus est. Altera ei plica est, *Quia Sanctus Spiritus non est extra Deum natura, sed in ipso Deo*, C.R. p. 213. Verùm & huic quoque strophæ larvam, per quam verba pro nobis maximè facientia contra nos dimicare jusserat, omnem detraximus. Quarta verò est, *Quia Spiritus Sanctus Dei Virtus est*, C.R.p.214. atque hujus etiam impostúræ cavillum abunde refutavimus. Supersunt solùm Tertia, (Ordini enim ipsius jam insistimus,) Quintáque, Quia nondum eas in aliquam Crisices Sacræ μίλιν (quam præcipuè in hiis Exercitationibus sectamur,) introduxerimus, nè tum cùm ex occasione Initiationis nostræ in Christum, Divinam illam Formulam, in quam malesana hæc Dogmata peccant, *In nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*, Mat. 28. 19, ex parte Baptismi, examinaverimus. Tertia autem est, *Quia superiùs demonstratum est, Unam tantùm esse in Deitate Personam*, C.R. p. 214. *Demonstratum* autem? Neq; nos acquiescimus? O nos perditè contumaces! Sed ubinam Gentium extat ista Demonstratio? Esse quidem meminimus, cùm in cognitione earum rerum, quas ad Essentiam Dei pertinere ait, Dichotomiâ futili institutâ, Esse duûm generum, Unum, *Quæ cognitu ad Salutem sint prorsùs necessaria*, Alterum, *Quæ ad Salutem vehementer utilia*, C.R.p.25. atq; ad secundam hanc classem pertinere, *Ut cognoscamus, In Essentia Dei unam tantùm Personam esse*, C.R.p.32. jussus à suis, hoc ipsum demonstrare, respondeat, *Hoc sanè vel hinc patere potest, Quòd Essentia Dei sit Una numero*, C.R.p.32. Hæccine igitur est ejus Demonstratio, quam crepat? Tam gratis dicta hæc? tam tenuiter adserta? Eugepæ! Vel hinc igitur patere potest, quàm facili negotio Socininnulos ille suos nôrit, ubi libet, ludos facere! Quod semel enim ab eo, (quàm futiliter cunq;) dictum est, post ducentas pagellas iterare dignetur, jámque, (quia bis dictum) ecquis, etiam fortiter adfirmanti, non credet, Demonstratum ab eo satis esse?

2. Sed bona cum Magistri venia, Quænam est ista Consequentia? *In Essentia Dei est Una tantùm Persona, Quia Essentia Dei est Una numero.* Hanc enim Illationem nos majore multò cum facilitate, quàm obtruditur, repellimus. Videmus nimirum, labore suo non caruisse, ità sibi formare hæc dicta, ut stolidæ sectæ suæ Argumenti aliquid secum portare videri posset, quod iners reverà, atq; elumbe verborum aucupium esse nobis cõstat, nihílq; præterea dicere, quàm quod ab initio miserè effutierant, *Est Unus tantùm Deus; Ergò, non sunt Tres Personæ.* Vapulabit igitur nobis inficetus Demonstrator hic cum coacta sua Inconsequentia, quam nos non citiùs Christiani evadimus, quàm retundere docemur, Baptizati in nomen, (in Unum Nomen, id est, in Unum Numen, Unus ergò Deus est;) Veruntamen Unum illud Nomen, est *Nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* In eodem igitur Nomine, (Quia nominari est Personarum;) In eadem ergò Essentia. (Quia in Deo, Esse Dei, & Nomen Dei, idem sunt:) sunt Tres Personæ. Atq; hoc jam, ipsum τὸ ζητούμενον, & controversiæ inter nos Caput est; Cujus iste terminos versipellis, paululùm, frustráq; immutando, jam stolidè gloriatur *Demonstrare se*, nobis non sine risu percipientibus, eum idem per idem dicere. Atq; hâc quidem cùm minùs sibi successurum esse, ipse satis persentiret, deserit eam Sequelam, moréq; suo sophistico (ut aliquâ pergere videatur) novam Captiunculam subornat, *(Nullo pacto posse esse plures Personas in Essentia Dei, Quia Persona nihil aliud est, nisi Essentia individua intelligens*, C.R. p. 32.) Nam quid tum, ô Bone? Nè quidem ausus est, quid indè conclusum velit, diserte dicere; Meram enim λογομαχίαν esse novit; Maluit ergò à Pueris ipsis suis sibi intentari hoc Mostellum, quàm ab Illo efformari. In hoc autem recidet, Dato, Personam quamlibet esse Essentiam Individuam, tum si plures Personæ sint in Essentia Dei, plures Essentiæ erunt in Essentia Dei. Et jam ad hoc, Quid nos? Certè, quia ità loqui amat Sophista, adhuc etiam scíscitamur, Quid tum? Concludétne, Ergò, Plures Dii erunt, & non Unus Deus? Negamus jam ei & hanc Consequentiam: Vel ab ipso enim præsupponitur in contrarium. Nam istas, quas ille plures Essentias captiosè appellitat, in Essentia Dei esse, id est, in una eadémque Essentia, planè professus est; In Una autem Essentia Dei, unus semper Deus est: Ideóque à pluribus Diis, puerilis iste metus est; Et ad plures Deos, non nisi Sophistica argutatio.

3. Gratuletur igitur jam ſibi (quantum volet) quæſitam hanc à ſe de Eſſentia Dei fraudem; Ad quam tamen quòd aptare ſperet, quæ in natura Communi, De rebus quibuſcunque aliis, earúmque eſſentiis dici ſolent, egregiè fruſtrà eſt. Nequâ igitur immittamus nos nunc in non neceſſariam aliquam Metaphyſicorum concertationem, Habeat, quod tantopere flagitat; Eſto *Perſona*, nihil aliud, niſi *Eſſentia individua intelligens*. Neſcítne verò, longè aliam eſſe rationem Rerum in Natura Creata, Finitâque, Aliam, in Infinita, atque Divina? In hac igitur, Perſonalitatis rationem non accerſendam eſſe ex aliqua Individuatione Eſſentiæ, vel ipſe jam ſatìs confirmat, Qui *eſſe Unam in Eſſentia Divina Perſonam*, ſine hæſitatione adſerit, C. R. p. 32. Jam verò ſi Perſonam omnem, quacunque in natura fuerit, Divina, an Alia, ab eo jubeamur, pro Eſſentia Individua habere, Ipſe nunc eſt, qui plurium Eſſentiarum in Divinis Introductorem ſe facit. Ubi enim una Perſona eſt, ſecundùm ipſius hanc regulam, plures eſſe neceſſe eſt: Perſonalitatem enim ex Individuatione oriri, ait; Formalis autem ratio Individuationis conſiſtit in Diviſione hujus à reliquis in eadem ſpecie; plures igitur ibi eſſe ſupponitur. Verùm extremæ jam audaciæ, ameſtizæque eſt, Regulas ad compoſitam ſolùm, Limitatámque Naturam pertinentes, Divinæ Naturæ adſcribere, Actúmque illum Puriſſimum, Qui tota eſt Eſſentia Simplex, ac prorſus Incompoſita, ſub creaturum rerum conditionibus, & legibus cogere. Faceſſant igitur à Divinis Individuationis rationes; Soliſque Compoſitorum Naturæ ſerventur reſtrictionum iſtarum Hypotheſes; Divinæ autem Perſonæ aliam prorsùs, longéque diviniorem Perſonalitatis ſuæ inter ſe χίσιν habere intelligantur, Filii nimirum Perſonam, ex æterna ea Generatione, quam ſemper à Patre habuit, à Patris Perſona diſtingui, Sanctíque Spiritûs Perſonam, ex æterno à Patre, Filióque Proceſſu oriri; Atque indè jam à nobis Tres iſtas, (ſeu Hypoſtaſes, ſeu Perſonæ à nobis appellandæ ſint,) credi, ſimúlque adorari, ſimul glorificari; Tres autem in Una Deitate, in Una atque eadem Tres Eſſentia.

4. Jámque Sacros iſtos de Divinis Perſonis rivos licebit claudere. Quinta enim infelicis Hyperaſpiſtæ paratura, quanquam nè citata quidem hactenus à nobis ſit, intacta tamen neutiquam eſt; Sed ex iſtis, quæ jam ad Tertiam objecimus, & illa prorſus diffracta eſt, atque miſerè lacera. Sic enim ſe habet, *Denique ſi Spiritus Sanctus eſſet Perſona, Eſſentiam quoque Divinam Eum habere oporteret*, C. R. p. 214. Quis verò hoc negat, excepto Barjeſuitâ? Oportet quidem habere; Habétque eam, Sophiſticæ totius Hæreticæ ingratiis! Nihil opus igitur erat eo, quod ille, quaſi probationis cauſſâ, ſubjungit, (Sed nos, jam cùm attulerit, nulli rejicimus; Ad Hypotheſin autem ipſius probandam nullo modo facit,) *Nam ea attribuuntur Ei*, (ait) *quæ propria ſunt Eſſentiæ Divinæ*, C. R. p. 214. Sed quid, obteſtor, in hac ſuppoſitione facit hoc, *Nam*? Probátne, *Sanctum Spiritum habere Eſſentiam Divinam*? At neq; ab Orthodoxo quopiam iſtud negatur; Neque ab ipſo Hæretico probandum jam proponebatur, Sed planè ibatur in contrarium. Tali enim ſub Hypotheſi prolatum ab eo eſt, *Si Spiritus ſit Perſona*. Ut vel indè negari tandem faciliùs ab eo poſſet. Verùm, Quid faceret miſer? In tam deſperata Cauſſa, talibus Paralogiſmis abundare, neceſſe eſt.

5. Ex eadem autem deſperatione proceſſit & illa Tautologia ejus, *At ſuperiùs docuimus, Subſtantiam Divinam unam eſſe numero*, C. R. p. 214. Etiam denuo, *Superiùs*? Quin digito igitur monſtrat, Quâ jam pagellâ, ex incomparabili demonſtratore Superantem Doctorem quærimus? Sed eadem eſt fidelia, quâ & hunc ſibi parietem ille dealbat. Et quorſum tamen? Ut doceat, *Subſtantiam Divinam eſſe Unam numero*. Hui! Quàm ſtulto labore? Nemo enim omnium inficias it, Unum eſſe Deum; Divinam ergò Subſtantiam verè atque ſimpliciter Unam eſſe. Unum autem numero, quàm impriè, & præter S. Theologiæ acumen, dicatur de Incompoſita ea, atque Infinita Natura, jamdudum monuimus. Sed ex ineptiſſima hac locutione pendet tota ipſius ſpes. Aſſumit enim, *Subſtantiam, quæ una numero eſt, non poſſe tribus Perſonis eſſe communem*, C. R. p. 214. Nos verò repetitam ab eo hanc cramben, repetito faſtidio reſpuimus; Cui enim poterit non ſtomachum movere, præterquam inſenſato Barjeſuitæ, hoc eſt, nondum Baptizato in Nomen illud, Patri, Filióque, & SSpiritui commune? Igitur & concluſionem ejus, *Quamobrem Spiritum Sanctum non eſſe Deitatis Perſonam, planum eſt*, C. R. p. 214. Cùm probatione omni planè deſtitutam eſſe vidimus, & non niſi cavillo tam profligato innixam, planiſſimè mereri decernimus, ut ſcuticâ primùm, dein & furcâ, excipiatur.

SECT. XXXIV.

1. Ὃ pro ὃ. *Quod in Caſu ſecundo reſpondet Voci* ἀντίτυπον, *Res Principaliſſima eſſe ſolet.*
2. Ἀντίτυπος *cum Caſu tertio* τυχὸν *uſurpatur. Totum Complexum Relativo eſt pro Antecedente ſuo.*
3. *Baptiſmus erat Judæorum, & Chriſtianorum. Iſte eſt, Exterior, in Signum, Interior, in Gratiam. Univerſis ad ſalutem neceſſarius.*
4. Ἐπερώτημα *in Sacris neque eſt Stipulatio, neque Interrogatio, ſed Reſponſio, & Cur. Verborum ſenſus ſæpe mutatur per Præpoſitionem, quâ componuntur.* Ἐπερώτημα *eſt* τὸ ὅτι πρὸς ἐρωτήματι.
5. *Conſciantia erga Deum.* Εἰς *eſt Erga, vel Ejus Cauſſâ. Uſus Interrogandi in Baptiſmo, ab initio.*
6. *Chriſti Reſurrectio prodeſt nobis ad Regenerationem.* Διὰ *cum Caſu ſecundo ſignificat Cauſſaliter, Exemplariter, Inſtrumentaliter, & Locomotivè.*

VAria ſunt Sacris Adnotationibus digna in illo dicto Apoſtoli, Ὃ καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον νῦν σῴζει βάπτισμα, (οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν) δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, 1 Pet. 3. 21. Primæ autem φραγμὸς jam nobis eſto ipſa Lectio verborum; In qua perpendi par eſt, Quem Caſum revera habeat Relativum illud, à quo tmematium incipit; Quem dein ordinem verba cætera, quæ proximè ſequuntur. Et Caſus quidem Relativi in typis, quibus utor, Genevenſibus, Secundus eſt, Ὃ καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον· Sed in Plantini, Stephaníque atque Montani Editionibus, Tertius eſt, ὯΙ ἀντίτυπον· In Billiana autem jam Rectus caſus eſt, Ὃ καὶ ὑμᾶς ἀντίτυπον· Atque ità quidem legi cùm doctiſſimus Hammondus non in MS. ſolùm Regis Angliæ, Sed in altero etiam Exemplari Magdalenenſium Oxoniæ, reperiret, ingeniosâ conjecturâ uſus, Quia in MS. Græcis per Majuſculas exaratis, ο videtur alicubi poni pro υ, (prout in inſcriptione poculi ait apud Athenæum, ΔΙΟΝΤΣΟ, haberi, pro Διονύσου·) etiam & in hoc Loco ità ſignificari autumat, legendum igitur eſſe in Caſu Secundo, ὃ ἀντίτυπον. Sed, præter quòd iſtud multò incertius ſit, quàm ut calculum alium à me ferat, niſi Rectum quidem Caſum eum mihi non probari, Eſt in ipſa hac Syntaxi, in quam eruditus vir inclinat, quod me planè trahat in contrarium. Nam ex uſu Græcorum eſſe jamdiu obſervo, vocem quidem ἀντίτυπον cum duplici Caſu (cum Secundo ſæpe, ſæpe & cum Tertio) conjungere; Ità tamen rem conſtanter inſtituere eos, ut Caſus iſte Secundus, ubi ubi apponatur, de Re, ex iis quæ ibi dicuntur, Potiore, & Principaliore, De Exemplari ipſo, & non de aliqua Figura ejus, ſemper enuntietur. Paulum igitur audimus dicentem, Tabernaculum, Templúmque, τὰ χειροποίητα ἅγια, eſſe ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, Heb. 9. 24. Cœleſtium ſcilicet, in quæ ſe Chriſtus jam penetrârat. Notavíque mihi ad Lexicon, Serpentem illum Æneum, ſignanter dici à Gregorio, ὃ τύπον τῶν ἐκεῖ ἡμῶν παθῶν, ἀλλὰ ἀντίτυπον· *Orat. in Paſch.*

Panem

Panem autem & vinum in Sacramento appellari ἀντίτυπα τοῦ σώματος, καὶ αἵματος Χριστοῦ, tum à *Cyrill. Mystag. Catech.* 5, tum à Macario, Homil. 27. Contrà verò Res ſe hæc jam haberet, atque ad oppoſitum hujus obſervationis fieret, ſi τὸ ἀντίτυπον heic legeretur; Arca enim Noæ, atque ſecularis illa perpaucorum liberatio Primum atque Principalem reſpectum ſortirentur, & Quod neque veritas Rerum, neque Dignitas pati poſſint, Eccleſia Chriſti, & Sacramentum Baptiſmi, Fidéſque in Deum, & Salus æterna, Quaſi ſequioris momenti res, in Secundum locum à Petro detrudi, neque aliter quàm ut figuræ priùs dictarum, æſtimari viderentur.

2. Meliorum igitur codicum fidem ſecutus, alteram omnino lectionem amplector, quæ in Tertio Caſu habet, ᾧ ἀντίτυπον· Solam enim *repræſentationem*, merámque *ſimilitudinem* aliquam denotare ſolet vox, ἀντίτυπος, ubi Tertio Caſui adjungitur, adeóque promiſcuè, (ut res, & occaſio ferent,) de alterutra Parte, (Principaliore, an minùs; Exemplo, an Figurâ,) uſurpari poteſt; Prout igitur & illud Nonni ſe habere memini, in Jo. 12. 30,

Ἀντίτυπος βοηθῆσαι δι' ὑμέας ἵκεσο φωνή·

haud aliter quàm Adjectivè & hoc ſumendum eſſe reor, ᾧ ἀντίτυπον Βάπτισμα. Pretium autē operæ erit, (cui animus eſt, & opportunitas,) exquirere, Annon in MS. per Majuſculas exaratis, o atque Ω, promiſcuè ſæpe ſcripta ſint, (Ex ea enim occaſione Vulgaris Latinus, quod eſt ὃ Νι, 1 Cor. 4. 2, vertit, *Hic*, quod eſt, ὧδε. Quòd ſi non, facilem tamen errorem (cum iſta legentibus in pronuntiatione μονοφθογγα ſint,) lapſúmque proclivem fuiſſe conſtat, alterum pro altero notâſſe. Jam verò ſiquis oculum retorqueri à me velit, Ut quodnam ſit Antecedens hujus Relativi, ſive ᾧ, ſive ὃ, legatur, obitèr nunc perquiratur, non poſſum non pro futili labore habere ſatagentiam eorum, qui per ὑπερβατὸν dictorum inficetiſſimum, atque à vero ſenſu nimis alienum, ut ad ὕδατος, quod proximè quidem antecedit, referri hoc poſſit, neſcio quid ſibi commenti ſunt, Ut aqua Baptiſmi jam nos ſervat ab interitu Spirituali, ità & aquam Diluvii eos, qui in Arca erant, ſervâſſe ab interitu eo Seculari. Sed φεῦ τῆς κενοφωνίας! Aquámne illam ſervâſſe eos dicemus, à qua ipſi per Arcam ſervati ſunt? Quis tulerit? Verum igitur Antecedens hujus Relativi eſt, (quod in Sacro Textu infrequens non eſt,) totum illud complexum, Servatos enim eos olim fuiſſe per Arcam ab undis: Cui ſimile & nunc in Eccleſia fieri per Baptiſmum. Quod ſupereſt verò nunc, De Ordine verborum ſequentium, An legenda ſint, ᾧ ἀντίτυπον νῦν καὶ ἡμᾶς σώζει βάπτισμα, An cum tranſpoſitione ea, ᾧ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει· nè ciccum ferè interduim; Ad codices MS. igitur, per me, referatur. Si tamen jubear optionem facere, Priorem harum, ut minùs intortam, antefero.

3. Jámque poſt Lectionem Loci, id ad quod proximè advertimus, eſt Diſtinctio, quam Apoſtolum datâ operâ inſtituiſſe nunc videmus, ex parte Baptiſmi. Dedit autem id Popularibus ſuis (Ad quos iſta præcipuè ſcribuntur ab eo, c. 1. v. 1.) Nequid ipſi Ritui jam ſuo Judaico, ex quo univerſi, (ſeu Nati, ſeu Proſelyti) ſolebant baptizari, attribuerent. Errare igitur eos nè vult, neque exiſtimare de Lotione ea ſe nunc loqui, ut ipſis illa ad ſalutem valeat, ſed de Baptiſmate novo ſolùm, à Chriſto, in Cœlos adſcendente, inſtituto: Cujus quoque exterior Conditio, quâ & illud Carnis ſordibus eluendis inſervit, Judaico ſuo felicior, utibiliórve non habetur ab eo, Sed Virtus tota, Salúſque Divini Sacramenti interiùs conſiſtit, in Conſcientiarum ablutione, & Purificatione Cordium, quæ fit per Fidem. Sophiſticam igitur jam planè rationem eſſe paret, & ad Sacramentum Baptiſmi (à Chriſto quidem tali formâ inſtitutum, ut ſi illud ſtet, ruere funditus oporteat infandam Socinitatem; Ecquid miri igitur eſt, ſi, quod oderunt, exoleviſſe expetant?) Subruendum ſolùm inventam, per quam Baptiſmum, à Chriſto univerſis imperatum, nihil aliud haberi velit impurus Barjeſuita, quàm Exteriorem Ritum, Judæis tantummodo, aut Gentilibus proprium, ex eo palam profeſſuris, tranſire ſe jam ad Religionem Chriſti, C. R. p. 195. Atque exinde inferat, In Eccleſia Chriſtianorum (quibus ipſe ſeſe gratis annumerat:) nullum ei locum, nulli eum uſui reverâ eſſe: Improbiore quidem conſilio iſtud molitus, fœdioréque longè paralogiſmo, quàm quo annoſam Vulpem in Apologo legimus, cùm ipſa jam, propter furta ſua, parte ſui poſticâ miſerè decurtata fuerat, Vulpecularum toti cohorti gnaviter perſuadere voluiſſe, ut & ipſæ in Syrmatis ſui, minùs quidem neceſſariò ornantis eas, interdum etiam moleſti, atque vulpinationibus ſuis parùm commodi, Apocopen omnes jurare vellent. Apoſtolum verò jam videmus, exteriore Ritu Baptiſmi, non ulteriùs quidem æſtimato à ſe, quàm ut in Signum ſacrum à Domino inſtitutum, religioſè obſervari ſemper oporteat, ſtatuere tamen, interiùs in eo eſſe id, quod cuique, undecunque venerit, qui in Chriſto eſſe deſyderat, neceſſarium ſit Ad Salutem, Ad bonæ Conſcientiæ ſcilicet, Fideſque non ſimulatæ, (quæ cum nemine uſpiam gentium naſcuntur) condictionem. Ità enim à Domino proviſum eſt, ut licèt Juſtitiam ex Fide conſequamur, καρδίᾳ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, Rom. 10. 10, ad Salutem tamen porta non aperiatur, niſi ex ſolenni Profeſſione ejuſdem, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν. In Baptiſmo autem Chriſtianorum eminenter ſe habet ὁμολογία iſta, in quam conſentiunt, non ſolùm, Qui baptizat, interrogando, & Qui Baptizatur, reſpondendo, Sed & Deus ipſe, ex cujus Auſpiciis, Obſequióque, & Sancta Eccleſia Chriſti, ex cujus nutu, votóque iſta peraguntur.

4. Vocabulum autem, ἐπερώτημα, neque *Stipulationem*, (licèt id quod tum in Baptiſmo fit, vera Stipulatio ſit,) neque *Interrogationem*, (licèt ſine Interrogatione ſtipulatio iſta non procedat,) verti heic optem, ſed ex Tralatorum noſtrorum optione, *Reſponſum*, the Anſwer. Ratio eſt, Quia adſit utcunque ex parte Dei, qui interroget, & ad ſtipulationem præeat, ad ſolius tamen Reſpondentis Conſcientiam, Fidémque, & ad Integritatem ipſius candidati, Res iſta diſertè refertur, & propterea appellatur, συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα, Hiis autem de rebus, antequam reſpondeatur, conſtare nullatenus poteſt; Sed terminatur Sacrum hoc Scrutinium ex Reſponſione, factâque demum rectâ Profeſſione, fit & Fides, & abſolvitur Intinctio. Obſervare autem eſt, in vocabulis hujus generis, etiam apud Hebræos promiſcuam aliquam ſignificationum ſuarum communicationem. Ipſum enim שְׁאֵלָה, quod vulgò eſt ἐρώτημα, & ἐπερώτημα, cùm tamen ad mutuum applicatur, ſignificat & *Mutuò Accipere*, ut Exod. 22. 14, & *Mutuò Dare*, 1 Sam 2. 20. וַיֵּשְׁאַל, verò (quod *Reſpondere* ſignificat, & à Lxx vel ducenties redditur per ἀποκρίνεσθαι,) iiſdem tamen eſt συνειδήσεως, Dan. 2. 15. & ἐπερωτᾶν, Dan. 4. 12. Contrà etiam, cùm verbum דָּרַשׁ, ab illis vulgò reddatur, ζητεῖν· ἐπιζητεῖν· συνιέναι· ἐπερωτᾶν· ἐξετάζειν· eſt tamen, ubi ſumma cum ratione reddiderunt per ἀποκρίνεσθαι, ut Ezech. 14. 3. & 20. 3, & 21. Quòd ſi me error meus nimiùm non auferat, Hebraiſmi hujus expreſſio in hoc ipſo vocabulo, ἐπερώτημα, jam inteditur. Verba enim Compoſita licèt lingua Sacra non habeat, Sacros tamen N. T. Scriptores obſervo, talem interdum vim, atque emphaſin indidiſſe Præpoſitionibus, ex quibus Græca verba componuntur, ut indè Significationem communem eorundem, pro ſuo Hebraico idiomate, mirè varient, augeántque. Opinor me alicubi jam adnotâſſe, προσιέναι αὐτῷ, uſurpari Mat. 5. 1. non pro, *accedere ad eum*, unà enim cum ipſo jamdiu adfuerant; ſed pro, *proximè eum locare ſe*, ad diſpellendam ab eo turbam. Sic & ἀναζῆσαι, Rom. 14. 9. non poni pro, *reviviſcere*, illud enim jam ſatis dictum erat in ἀνέστη, ſed pro, *vitam degere denuo*. προσλέγειν etiam; Gal. 5. 21, non eſſe *prædicere*, ſed, *inſtanter porrò monere*: & ἀναβλέπειν, Joh. 9. 11, 15, 18, neque eſſe, *rurſum videre*, neque, *ſurſum aſpicere*, ſed *perfectè oculis uti*: ἐκλέξασθαι, Act. 15. 40, non eſſe, *eligere*, ſed *priùs electis ſuperaddere*: ἐπᾶραι, Act. 27. 40, non eſſe, *ſimpliciter levare*, ſed *in omnium ſum-*

mam

mum attollere; cum multis hoc genus aliis, in quorum Præpositiones momentum totius sensûs conjicitur. Atque ità heic factum esse nil dubito; adeóque τὸ ἐπερώτημα positum nunc esse, pro τὸ δὲ τῇ ἐρωτήσει. Esse igitur id, quod super interrogatione sequitur, Hoc autem est, *Responsio*.

5. Igitur quod ab eruditissimo Hammondo de voce ἐπερωτᾶν, ad Rom. 10. 20, notatum nunc reperio, Theologorum calculis dignissimum est, Ingenium enim, pariter & pietatem spirat, & ex loci illius Scopo appositissimum est. Verùm ut locus iste Petri iisdem prorsus limitibus ab eo restringatur, ex re non erit. Quod Paulus enim ibi è Propheta, Esa. 65. 2, citat, est, ἐμὲ ἐπερωτῶν. Non est εἰς ἐμέ. Transitivè igitur illud ponitur, plurimúmque differt ab hoc quod Acquisitivè nunc ponitur, per Præpositionem, εἰς Θεόν. Connexionem quidem alterum horum cum altero, & Consequentiam alterum ex altero habet, sed sensu tamen longè aliud est, *Interrogare*, hoc est, *Consulere Deum*; atque, *Interrogari*, *Dei caussâ*, hoc est, *Respondere*. Propriam nimirum relationem suam istud εἰς Θεὸν habet, non ad ipsum ἐπερώτημα, sed ad συνειδήσεως, planéque idem heic intendit, quod de se Paulus professus est, πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολιτευμαι τῷ Θεῷ, Act. 23. 1; & rursus ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχειν πρὸς τὸν Θεὸν, Act. 24. 16. Sponsionem denique nujusce, esse præcipuam in Baptismo intentionem, ipse ordo ille verborum, à Paulo alibi observatus, abunde indicat, ῥεραντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, καὶ λελουσμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ, Heb. 10. 22. Significat ergò hoc εἰς Θεὸν *Erga Deum*. In eo enim significatu ut εἰς sumatur, pro *Erga*, vel *ejus Causâ*, novum in N. T. non esse, parebit, per εἰς πόλεμον, Luc. 14. 31, *belli Causâ*; & εἰς ἡμέραν, Luc. 16. 8. & εἰς πάντας, Philem. ver. 5. & εἰς χεῖρον, ver. 6. & εἰς τοὺς ἀδελφοὺς, 3 Joh. ver. 5. Confirmat denique vox ista ἐπερώτημα, morem istum Interrogandi in Baptismo, ab ipsis initiis Fidei Christianæ obtinuisse, tum ad Professionem fidei, tum ad Renuntiationem Seculo: Quod ab Orthodoxis usque, etiam in Pædobaptismo, pissimè observatur, Sponsoribus pro Infante stipulantibus, Gratiámque ei Divinam in antecessum procurantibus, suo ipsius pòst adsensu, obsequióque, ubi adoleverit, confirmandam.

6. Postremo autem in loco, Quæ hiis jam subnexa sunt, δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, conjungenda sunt, ex recta Syntaxi eorum, cum σώζει βάπτισμα· probandúmque est institutum eorum, Qui inter hæc, quæ interjacent, Parentheticis formulis constringunt. Eum autem in finem ab Apostolo adnexa sunt, ut fideles, Eum de eo solùm Baptismate loqui jam intelligant, quòd à Christo, Reduce jam ex mortuis facto, institui cœpit, in cultum & obsequia S. Trinitatis. Resurrectio autem Christi à morte, & Typus nobis est, seu Caussa Exemplaris, & Monitum etiam efficacissimum Regenerationis nostræ, atque Resurrectionis à Peccato, *Resurrexit* enim ille *propter justificationem nostram*, Rom. 4. 25. Longè igitur alia heic est significatio Præpositionis hujus Διά, ab ea, quam in antecedaneo tmemate habet, διεσώθησαν δι' ὕδατος, ver. 20. Neque enim ibi Caussalem aliquam significationem sortitur, neque Exemplariter, neque Instrumentaliter exponendum est, (licèt Interpretes minùs adverterint;) sed Localiter tantùm, ídque quasi in Hostili solo, accipiendum est, *Per aquam* enim, est, Ex aqua, per medias undas; Eodem planè exemplo, quo Paulus alia in re dixit, διὰ θυρίδος διὰ τείχους, 2 Cor. 11. 33, & διὰ πέλασματος, Heb. 10. 20, & διὰ ξηρᾶς, Heb. 11. 29, & σωθῆσεται διὰ πυρὸς, 1 Cor. 3. 15, è mediis flammis scilicet. Verto igitur jam nobis loci hujus partem, sic, ver. 20. Into which a few, that is, eight persons, escaped through the waters. ver. 21. Of a resemblance whereunto Baptisme also now saveth us.

Sect. XXXV.

1. *Articuli interdum nulla est specialis Vis. Judæorum aberratio in Personis, familiaris erat.* ὁ Προφήτης, *non est*, Propheta Ille; *Sed* Ille (*hoc est*, Aliquis) Prophetarum.
2. *De Uno Singulari interdum dicitur sine Articulo. Baptismorum usus.* Τὶ *Subjectivè, Caussaliter & Authoritative capitur.*
3. *Ellipsis omnium in N. T. maxima. Pleonasmus Relativi. Joannis Baptismus, Aquâ, Christi & SSpiritu.*
4. *Ellepsis ea, Evangelista sit, an Notariorum. Fides MS. Codicum.*
5. *Christus tectè agit cum Nicodemo de Sacramento Baptismi. Nihil concluditur ex* Videtur, *vel* Potest esse. Et *poni interdum pro*, Id est.
6. *SSpiritu, & Aquâ baptizamur in Christo.*

PRincipes Judæorum mittunt ad Baptistam, qui sciscitarentur, *Quis Tu es?* Joh. 1. 14. Nova enim, miráque de eo audierant, (Quid proclamarat, Matth. 3. 2. Qualem vitam degebat, ver. 4. Quem Baptismum instituerat, ver. 6.) Ad Interrogationes verò eorum ille, ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο, Joh. 1. 20. Duo autem jam ista, diversáque sunt, Neque idem bis, simúlque dici, somniandum est. Per ὡμολόγησε igitur intelligendum est, Quid Ille Negativè, præter quàm ipsi opinabantur, de Semetipso professus sit: Atque hinc est, quòd ad primum è duobus hiisce speciatim descendens, per Repetitionem id faciat; subjungit enim, καὶ ὡμολόγησεν· valétque illud, ex communi inter Hebræos usu, ὡμολόγησε γάρ, tautologia igitur nulla est. Responsio autē hæc sic se habet. Quòd vos suspicari video, (Act. 13. 25,) atque quæsitum venire, An Messias, qui in omnium expectatione jam est, ego sim, οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ Χριστὸς, Joh. 1. 20. Tum illi, *An ergò Elias es?* (Elias enim è Propheta, Mal. 4. 1, à plurimis, ut Messiæ anteambulo, expectabatur; Scribis ità dictitantibus, ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον, Matth. 17. 10,) respondétque Ille, *Non sum*, Joh. 1. 21. Pergunt percontatores: *An ergò Propheta es?* Negat & hoc quoque. De articulo autem, qui à nonnullis heic urgetur, quia in Græcis est, Ὁ προφήτης σὺ εἶ; quid censendum sit, alibi à me tactum est. Ut detur verò jam, quod tantopere de Articulo exposcunt, non potest tamen ὁ προφήτης sine stribiligine reddi *Ille Propheta*; sic ut Messiam significet, quem ille se non esse jam professus fuerat. Eccui enim, non dico credibile, sed certè possibile esse videbitur, Ut sic instructi à Principibus hii Legati venirent, scitatum, An ille esset Messias? Et, si abnueret, Ut secundò quærerent, An Elias esset? Negatóque & hoc, Ut subjungerent, An esset *Ille Propheta*? *Ille* scilicet, de quo Moses scripserat, ver. 42, Qui ipse Messias erat? Enimverò error hic fuisset, cui nulla aberratio in Persona, sive Historia, (Judæis interdum non immeritò objicienda,) colorem aliquem conciliare potuisset. Siquid ergò Articulo attribui jam oporteat, valebit ὁ προφήτης, non, *Ille Propheta*, sed *Ille Prophetarum*. Manifestum enim est ex responsione Apostolorum ad Christum paulò pòst facta, Judæos in solius Eliæ expectatione non omnes acquieviisse, sed à nonnullis Jeremiam, aut aliquem alium Prophetarum, Matth. 16. 14, veterum scilicet Illorum aliquem, Luc. 9. 19, exspectatum fuisse.

2. Jámque proximè pergitur ad partem Affirmativam, atque interrogantibus illis, *Quid ipse de Se diceret?* ver. 22, jam illud secundò dictum, καὶ οὐκ ἠρνήσατο, locum capit: Ait enim, *Non negavit*. Quid non? Non Rei veritatem; Non Seipsum; Non Officium, & Missionem suam; sed disertè respondet, *Ego vox clamantis sum*. Ubi nunc è contrario observandum est, nullum esse Articulum in ἐγὼ φωνὴ βοῶντος, & tamen Singulariter istud dicitur, de Voce illa clamantis in deserto, Quem Esaias prædixerat, Esa. 40. 3. quo modo &, προφήτης, sine Articulo

culò, pro ipso *Messiæ* sumi, alibi indicavi, ad Luc. 7. 16. Explêrant autem jam Legati hîi, quod in Mandatis secum deculerant; Jámque aliquid de suo, ex occasione responsionum Baptistæ, prioribus quæstiunculis adfibulati, de ipso Baptismo, occasionem hanc Euangelistæ præbent, monendi nos, Ex qua Secta ipsi erant, quos ex qua Tribu esse, antè monuerat, *Erant autem legati ex Pharisæis*, ait, ver. 24. Sed Quorsum hoc? aut, Quid tum Postea? Dicam. Quia Pharisæi, in Baptistico hoc genere, jampridem ipsi plurimarum Lotionum, tum Sui, tum aliarum rerum, cæremoniis, sub religionis prætextu in populum introduxerant, Mar. 7. 4, eóque jam arrogantiæ processerant, ut præterquam sibi nihil tale cuiquam licere opinarentur, qui Propheta (ad minimum) non erat. Scisciantur ergò, *Si tu neque Christus, neque Elias, neque Prophetæ aliquis es*, τί οὖν βαπτίζεις; ver. 25. Istud autem τί neque Subjectivè intenditur, pro, *quam rem baptizas?* ut est, in τί θέλετε ποιῆσω; Matth. 20. 32: Neque Causaliter, pro *De qua ratione? Quem in finem?* ut in, τί με λέγεις ἀγαθόν; Matth. 19. 17, & τί ποιῆτε τοῦτο; Mar. 11. 3. Sed potiùs Authoritativè, pro, *Quo jure?* ut in, τί ποιεῖτε, ὃ οὐκ ἔξεστι; Luc. 6. 2. & in, τί με λέγεις; Joh. 18. 23. Quod quidem exercitiis postea à Pontificibus ipsis Christo dicitur, ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς; Matth. 21. 23.

3. Quod verò ad hoc jam respondetur à Baptista, ità ab Euangelista in Acta hæc referuntur, ut Elleipsin omnium in N. T. grandissimam inferre mihi videatur. Attendite enim. Quæritur, Quo jure baptizas? Respondetur, cum Distinctione, *Ego baptizo in aqua.* Bene habet. Et quid jam porrò? *Sed alius est, incognitus vobis, licèt inter vos jam sit, Qui post me venit, sed ante me semper fuit, Cui ego impar, támque inferior longè sum, ut ni A-Calceis quidem ei esse merear*, ver. 27. Ità enim, (ut & hoc obiter adnotem) expono ea verba, ἵνα λύσω αὐτοῦ τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος. Verónque nobis, *Of whom I am not worthy, that I should loose the latchet of his shoe.* Licèt enim probè sciam, Pleonasmum Relativi Hebræis perquam familiarem esse, ut *sicut palea, quam dispellit eam ventus*, Psal. 1. 4. & *Quorum os eorum*, Psal. 144. 8. ità tamen rem se heic habere nullus existimo, Quoniam à Matthæo, Hebraicè primùm scribente, & Hebraicarum formularum curantissimo, abesse video hoc idioma hac ipsa in re, ἧς οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς τὰ ὑποδήματα βαστάσαι, Matth. 3. 11. Sed ut redeamus à diverticulo ad institutum. Esse inter illos, Virum alium: Esse illum, Talem, Tantúmque: Quid hæc ad Quæstionem, *Cur baptizas?* Quid ad distinctionem ejus, Quòd *in aqua?* Quid ad Adversativam eam particulam δέ, quâ usus est? μέσῳ δὲ ὑμῶν ἕστηκε. Imperfectissima certè sententia hæc adhuc est, neque explicitum sensum, neque politam Syntaxin habet, sine ingenti supplemento. Rationem enim reddenti, deest palmaria Ratio; In cœpta distinctione, potior pars desyderatur; atque in disparatè oppositis subticetur id, quod est præcipui momenti. Cui igitur imputanda est illa Ellipsis? Profectò, ipsi Johanni Baptistæ nefas est imputare. Ab eo enim μάλιστα dictum fuisse totum hoc, quod subaudiri heic nunc oportere contendimus, paret, tam è crastino sermone ejus, *Ille est, qui baptizat in Spiritu Sancto*, Joh. 1. 33, quàm è priore Euangelio, *Ego non sum dignus, qui portem calceamenta ejus: Ipse vos baptizabit in Spiritu, & Igne*, Matth. 3. 11. Ex istis autem Locis si & heic suppleatur, abunde jam satisfiet Interrogatoribus. Istud enim jam dicet, Quòd ego baptizem, solâ aquâ fieri videtis: Est verò, qui baptizabit & Spiritu Sancto. Ego igitur Præcursor tantùm, & quasi Prælusor ei sum: Eo autem intuitu jussus sum baptizare aquâ, ut ἀπόστασις illius me præstem; Per me igitur, cùm Typus ipse prodierit, *manifestabitur Ille Israeli*; *Quod ut fiat, ego jam venio in aqua baptizans*, ver. 31. Atque ex ista ratione est, quòd haud citiùs viderat Petrus SSpiritum descendentem in Gentiles Cæsarienses, quàm de Baptismo Johannis in mentem sibi rediisse adserat, Act. 11. 16.

4. Johanni ergò Euangelistæ Soli Elleipsis ista adscribenda est: Quam & eo planè consilio admissam ab eo fuisse existimandum est, Quia tum cùm Euangelium hoc ab eo conscribebatur, nemini non audita, non præcognita jamdiu fuerat divinioris illius ex Christo Baptismi ratio. Facta igitur Baptizationis per Johannem mentione, in mentem cujusque præcurrebat ipsum hoc supplementum; Neque opus ei esse videbatur, post tam longa intervalla ab ætate Baptistæ, ut disertè jam id ab Historico adderetur; Prætermissum ergò, atque subauditum est. Quanquam inficiandum quidem non est, Posse & ipsum Euangelistam quoque Apologiâ hâc opus non habere; Sed in Notariorum solùm, aut Operarum caput defectûs istius fabam cudendam esse. Nam si quæ nunc desyderantur verba, ἐγὼ δὲ ὑμᾶς βαπτίζω ἐν πνεύματι ἁγίῳ, ἢ πυρί, in quibuslibet vetustis hujus Euangelii Codicibus legantur, (Cujus rei investigandæ mihi jam τῇ Ἀναχωρητῶν nulla est opportunitas:) equidem caussam non video, cur Editores omnes N. T. impunè hoc ferant, aut cur non Editionibus solùm, utroque Johanne dimisso, inscribatur hæc Dica, Quòd in parte tam manifesta, Codicis cujusquam, vel si unicus fortean fuisset, fidem secuti non fuerint, verbáque, Quæ & à Baptista constat jam prolata fuisse, & ad ab Euangelista nunc dictorum rectam in Verbis Compositionem, ínque sensu ipso sanam Consequentiam necessariò requiruntur, ipsi non addiderint: Quæratur igitur porrò, ut MS. se habeant. Ad Expositionem autem istius phrasεos, Baptizandi ἐν πνεύματι, ἢ πυρί· post tam multa ab eruditis viris adnotata, non est opus, ut nunc convertatur calamus. Veruntamen non oportet Barjesuitæ mei prodigiosam, nunc cùm incidat, Expositionem fic præteriri, Ut Pueri nostri Catechumeni emungantur ludibrio eo, quod H. Magister à Moscorow iis debet, Ipse enim *Spiritum & Ignem, esse nisi unam eandémque rem duabus diversis vocibus expressam*, C. R. pag. 216, Non semel, tantâque cum impudentia, adserit, ut & aliorum quoque paradoxorum ferruminationem exinde moliatur; E quibus unum abs re præsente tam propè abest, ut licèt à nobis nunc sine digressione aliqua introduci non possit, non pœnitebit tamen tantilli excursûs, quò breviter possimus id intertexere.

5. In Quæstione igitur, huic satis adfini, *An Christus cum Nicodemo*, Joh. 3. 5, *egerit de aqua Baptismo*, Negationem ille suam, (Barjesuitis æternùm necessariam; Quia pereundum Socinitati esse sciunt, si Baptismus à Christo institutus steterit;) indè confirmatum it, *Quia Verba ista*, Nisi quis generatus fuerit ex Aqua, & Spiritu, *diversa non sunt, verùm per aquam ipse Spiritus, vel aqua Spiritualis intelligitur*, C. R. pag. 200. Hóccine verò jam memorabile non est? Non ἔκδοσις hanc nostram meritò obtinet? Tantum scilicet Chymistam derepente factum esse sacerrimum hunc Catechistam, ut uno jam spiritu suo possit ipsum spiritum aquæ nobis elicere è Baptismo, atque Aquam Baptismi, quicquid de illa in Spiritum ipse non converterit, protinus annihilare! Quâ autem virtute hoc? Planè Barjesuiticâ. Rotundè enim ità respondet, *Ex eo videtur hoc planum esse*, Cat. Rac. pag. 200. *Videtur* autem? Nempe hoc assiduè! Veritatis ergò quod sperabamus, opus hoc non est, sed Præstigiarum, & Quid *videatur*. Verùm talibus ille Argumentis, & Demonstrationibus suos solet Beare! Quid verò est id, ex quo *planum esse hoc videtur? Quoniam ea particula*, &. *hoc in loco significare potest*, id est, Cat. Rac. pag. 201. Etiam & hoc quoque, ἢ δαιμόνιος! Potest esse, Ergò est: Potest alicubi ità esse, Ergò heic ità est. O beatos Auditores tam incomparabilis Magistri, ac iste Racovianus videtur esse posse! Age igitur, quoniam ità vult, moneatur jam Christus loqui ex dictamine Moscorovitico, atque erit, *Nisi quis generetur ex aqua*, id est, *Spiritu*. Quid igitur? An lapsum linguæ, cùm Dominus aquam diceret, fuisse vult? An aquam illam solam fuisse intelligit, quam Dominus in Capitulo priore, Joh. 2. 10, in vinum commutaverat?

Gene-

Generosissimum certè illud erat, atque optimorum spirituum plenissimum! Dominum ergò ipse opinatus est istud reverâ voluisse, *Nisi quis renatus fuerit ex Vino*, id est, *Aqua Spirituali*. Hæc prorsus videtur jam fuisse Catechistæ Theologia, & egregiè sua! Nobis verò hebetioribus, támque calente Spiritu non actis, tale quicquam non videtur. Negamus igitur ei Hypothesin suam, neque admittimus, *Et*, hoc in loco significare posse, *id est*. At ei jam (ad omnia parato,) præsentissima probatio non deest. Ità enim confirmat, *Ut in simili oratione significare videmus, ubi dicitur, quòd Christus baptizaturus esset Spiritu, & Igne*, C.R.p.201. Jámque in viam nostram reduces denuo facti, σὺν Θεῷ, sumus.

6. Etiámne verò? *Similis* est ista *oratio*? Ergò & in hoc, si Catechistam audimus, *Et*, significat, *id est*? Vel maximè; Probatur enim ab eo prius illud ex hoc. Legendus ergò jam est & hic locus, *Ille vos baptizabit Spiritu, id est, igne?* Omnino. Quid igitur jam ad hæc Nos? Ampliat enim jam Magister ille, neque *videtur ità significare*, ait, sed *ità significare videmus*. Verùm Aliud videt Moscorovius, Aliud sani & sobrii. Nos nil tale videmus, neque nobis geminæ istæ surgunt in mensa lucernæ: Barjesuitarum ista solùm apotelesmata sunt, & ipsis quidem dignissima! Dicat enim Christus, *Aquâ, & Spiritu*, atque illi, (addito uno, *id est*,) actutùm convertere possunt aquam in Spiritum: Dicatur de Christo, *Spiritu, & Igne*, atque illi (accito eodem, *Id est*,) illico convertere nôrunt Spiritum in Ignem. Jam istæ strophæ Barjesuiticæ sunt, Aquæ in Spiritum, versâque vice, Spiritûs in Ignem: Ἀναστεμμάτως autem an hæc ab iis fiant, an διαστεμμάτως, (Quod in ipsius Barjesû Characterem inditum est, Act.13.10;) id nunc nihil moramur; Sed merè Barjesuiticum esse videmus, (Paulóque Definitore, ipsius Diaboli filio prognatum,) quo nihil in rebus perversius, stupendiúsve! Ut Argumentum tamen, quod ex hoc prætenditur, funditus subruamus, sequimur eos, quò vocant; Sed strenuè tamen negamus, quod supponunt, *Et*, hoc in loco, *Posse significare, id est*. Verba enim Textûs Euangelici sunt, *Baptizabit vos Spiritu Sancto, & Igne*. Si igitur ex ipsorum placito, *Spiritu & Igne*, oportebit esse, *Spiritu, id est, Igne*; dicant etiam, quid fiet *Sancto*. Ibítne & illud in ignem? An arreptâ fugâ, in cœlos redibit, (exenteratum quidem miserè, & loco suo motum;) nunciatum illic, Quid à Barjesuitis factum sit de ipso Spiritu?

SECT. XXXVI.

1. *Spiritualem Præsentiam in Sacramento ut damnent.*
2. *Quò magìs Spirituale quid est, eò magìs est. Sic Christus verè erat Vitis, Panis, Petra.*
3. Ψυχικοὶ. *Corpus Spirituale extat, sine abolitione conditionis Animalis.*
4. *Corpus Christi semper extitit tum ψυχικῶς, tum πνευματικῶς, ut & Nostra extabunt à Resurrectione. Spiritualiter ergò Participari est principalissima Participatio.*
5. *Quomodo Christus conversatus cum Suis est à Resurrectione. Ex Hypostatica Unione existens Spiritualis, Humana passus est ex Dispensatione sua.*
6. *De eodem Corpore dictum est,* Ἔστι σῶμα ψυχικὸν, καὶ ἔστι σῶμα πνευματικόν.
7. *Pia Professio est, Modum Spiritualiter participandi in Sacramento esse inexplicabilem.*
8. *Certitudo Rei non pendet à Cognitione vestra. Fides non est à Videndo. Atheorum Alogologia est, Non credere nisi quod vident.*
9. *Modus Præsentiæ in Sacramento ut dicatur ignorari. Ex Precatione, an ex Recitatione sit.* Εὐλογῆσαι. Εὐχαριστῆσαι.
10. *Utrumq; ab Ecclesia Nostra bene contexitur. Modi inexplicabilitas non minuit rei Veritatem.*
11. *Sanctificatio, (Quam Consecrationem vocant,) Elementorum in Sacramento fluxit è Christi Benedictione.* Hoc est Corpus meũ *pro Verbis Operativis haberi, Magicũ est.*
12. *Nec illa,* Lazare, Veni foras, *Operativa erant, Lazaro jam tum vivente.* Audiri, *pro* Impetrâsse.
13. *Præsentia Christi in Sacramento è sola Benedictione sequitur.*
14. *Transubstantiationis Tempus incongruè ponitur.*
15. *Ipsum Nomen Transubstantiationis pugnat cum opinione eorum.*
16. *Cur Ecclesia Anglicana in Collecta Consecratoria utatur & Recitatione Verborum Christi.*
17. *Transmutatio Elementorum per Benedictionem; Participatio ex Fide; Spiritualis Præsentia; Concomitantia nulla; Poculi Necessitas, de Corollariis hæc sunt è SScriptura.*
18. *Barjesuitæ ut nihil agnoscant in Cœna Domini præter commemorationem Mortis Christi.*
19. *Indè emungunt Suos cæteris Beneficiis è Sacramento.*

CONtra *Transubstantiationem* Pontificiorum quid Barjesuita meus intorserit, Romæ (per me) expendatur: Quid & contra Præsentiam Corporis Christi, *In pane, Sub pane, Cum pane*, videant, quorum intererit. Sed, quòd esse deniq; Racovianus non neget, *Qui in Cœna Domini verè corporis Dominici participes existere se autument, Spiritualiter tamen*, C.R.p.190. De his jam quid homuncio ille inter suos (satis pro imperio) statuat, pretium operæ nobis erit nunc breviter examinare. Enimverò quòd, commasculatâ pro more suo fronte, in genere denuntiârit, etiam & hanc, cum reliquis, *Opinionem fallacem esse, atq; erroneam*, C.R. p.190. Catechisticis ejus effloreſcentiis, dementissq; dandum est generale hoc convitium. Et quis tamen tulerit Gracchos de seditione querentes? Me igitur Censore, quidlibet viris ab hoc genuino Barjesû illius filio, objiciatur potiùs, quàm error aut fallacia. Sed sic esse Mortales istos universos, jampridem est, quòd à nemine (ut audio) dubitetur. Sic enim erat Primus ipse Parens eorum, neutiquam passus, (quod ex primo ipsius ad genus humanum effato relucet, cùm ab Eva quæreret, *Verène dixit Deus?* Gen.3.1.) Ut quisquam, nisi ipso Authore, *(quoniam Mendax ipse est, & Pater ejus*, Jo.8.44.) vel mendacium aliquod diceret. Verùm iste, nè sine ratione insanire videatur, rationem sententiæ suæ non unam pòst adfibulat. Ait igitur, *Opinio ista locum habere nequit, Cùm ea pugnent inter se, Reipsâ Christi Corporis esse participem, & Spiritualiter illius participem esse*, C.R.p.192. Jam verò pugnæ istam, cùm de Cœna Domini agitur, mentionem vafer non temerè facit. Integer enim ipse Contextus Barjesuitæ pugnat cum Doctrina tota Christiana, Quæ est, De Sacramento aliquo (cujus vel nomenclaturam ipsam odit, fugítq; Prophanus iste,) in Sacra ea Cœna; De Spirituali Manducatione; De Redemtione Generis Humani; De Remissione peccatorum; De Confirmatione Fidei; De Incremento Gratiæ. Hactenus igitur nunc sapit sibi Sorex, quòd Christianorum oculos animósq; avertere, quantum possit, satagat à blasphemiarum Socininarum hiis pugnis, atq; in aliquam inter Seipsos pugnam, si verbis eam effingere possit, defigere.

2. Ain' verò Tu, *Reipsâ, atq; Spiritualiter*, pugnántne ista? Támne infensa est Spiritualis conditio, ut Realem devoret? Tam inimica Rerum Entitati, ut destruat Veritatem? Jam ista certè ex te acerrimè pugnant cum omni veritate. Etenim quò magìs Spirituale quid est, eò magìs esse id, dignosci potest, Tum ex ipso Deo, Qui & Ens Entium est, & Spiritus Ipse esse dicitur, Jo. 4. 24, Tum ex Christo Domino, adserente, se Vitem illam veram esse, hoc est, veri nominis, Spiritualem enim, rectéq; sic (ipsâ vite naturali rectiùs,) dictam, Jo.15.1: Panem etiam se esse de Cœlo verum, datum iis à Patre, præ quo Panis ille, quem Moses in Eremo dederat, de Cœlo, verúsque non erat, Jo. 6.32, Atq; hæc ex eadem ratione, quâ & Paulus quoq; de eo disertè definivit, *Christus erat Petra*. Quoniam Spiritualiter sic erat, 1 Cor. 10.4: Tum deniq; ex ipso Sancto Spiritu, Qui & *Spiritus veritatis* (conspirant enim hæc optimè;) præcipuè dici amat, Jo.14.17, & *Dux ad omnem veritatem*, Joh.16.13, & *Veritas ipsa*, 1 Jo.5.6.

3. Neque

3. Neque quicquam jam hiis officit, quod à Psychicis quidem omnibus, Barjesuitis, Jesuitísque; (Unà enim copulantur, per hanc Sacramenti cauponandi caudam, vulpeculæ istæ;) pro maxima & ineluctabili difficultate jactitatur; Qui, licèt inficias ire nequeant, vel maximè esse id, quod Spiritualiter est, Quia tamen Suppositum ipsum in Sacramento Res Materialis, atque Naturalis est, (Corpus putà Christi, in Cruce fractum, & Sanguis Christi, in Cruce fusus;) contendunt ergò, Rei Naturalis nullam veram participationem esse posse, nisi Naturali aliquo modo; Spiritualiter igitur si solùm à nobis participetur Corpus Christi, Verè, atque Reipsà non participari. Atque hæc jam illa pugna est, quam clamitant, è cujus sibi per somnium fictione, verè sese protrudunt in Elenchum illum Apostoli (ad neminem unquam magìs, quàm ad ipsos nunc pertinentem,) οἱτοί εἰσιν οἱ ἀποδιοριζοντες, ψυχικοὶ, πνεῦμα μὴ ἔχοντες, Judæ v. 19. Spiritualem enim omnem Corporis Dominici præsentiam cùm ipsi execrentur, & materiei soli miserè immersi, ultra sensum nihil sapiant, nullámque nisi naturalem, atque ψυχικὴν rationem in Sacramento sectentur, fortiter sese jam ἀποδιοριζοντας præstant, sive illud de Rebus interpretandum sit, Potiorem enim Sacramenti rationem, & quæ Spiritualis, veréque Divina est, prorsus exulare jubent; Sive de Personis, Et tum vel semetipsos excludunt, (& à Latino quidem Vulgari, Nostrísque sic redditur:) Ethnicorum planè more, non plus credentes, quàm ex naturali lumine, seu potiùs crepusculo, adsequi possunt; vel saltem, Posse se Nos exterminare à Participio Divino sperant, Quia Nos (sed ab ipso Christo edocti, *Spiritum esse, qui vivificat, carnémque prodesse nihil*, Jo. 6. 63.) etiam & verba, quæ hac in re prolata sunt, *Spiritum esse & Vitam*, Ipsi monenti credimus, próque conditione ipsa Doctrinæ SSpiritûs, decernimus, Spiritualiter ista discernenda esse, & Spiritualia cum Spiritualibus semper conferenda esse, 1 Cor. 2. 13.

4. Igitur cùm corpus Domini, in se spectatum, extiterit, non uno modo; Non ψυχικῶς solùm, sed & πνευματικῶς etiam; *Factus est* enim *novissimus Adam*, (hoc est, *Christus*,) *in Spiritum vivificantem*, 1 Cor. 15. 45, Ecquid impedit, quin ut existit in Se, ità & participetur à nobis? Spiritualiter procul omni dubio participari potest; Atque ità satìs constabit nobis Participatio nostra, sed & verissima ea, & Principalissima erit. Naturaliter verò nè participari jam possit, (præsertim per manducationem, & bibitionem; Quarum conditio (si Humanam naturam pro objecto suo habeat,) ab ipsa natura longissimè abhorret:) novimus alios plures obices poni, quibus recensendis, nunc non moramur, amovendis quidem, nè Roma ipsa sufficit. Quid igitur? An de Spirituali Existentia Corporis Christi ausit quisquam eorum dubitare? Ad fidem igitur Catholicam, quam & ipsi magno hiatu sibi prætendunt, provocamus. Credunt enim Christum in corpore mortuum esse, atque Resurrexisse. Audiatur igitur jam Apostolus; Ille Corporibus Sanctorum omnium, (Quantò magìs ipsius Christi, Qui resurrexit *Primitia Dormientium*? 1 Cor. 15. 20.) ex ipsa resurrectione sua, conditionem eam Spiritualem provenire, ἡμᾶς nos docuit; *Seritur in Corruptione*; *Surgit in Incorruptione: Seritur in Ignominia*; *Surgit in Gloria: Seritur in Infirmitate*; *Surgit in Virtute*, v. 42. Volúntne verò, ut uno hoc verbo, planéque dicat? Dicit; *Seritur Corpus Animale*; *Surgit corpus Spirituale*, v. 44: atque hoc dicendo, irrefragabiliter confirmat, quod nos jam dicimus. Habuit enim Christi corpus à principio, habet igitur & jam à Resurrectione, conditionem verè Spiritualem, atque Spirituale corpus verè dictum sine dubio est: Et cujus vera Existentia Spiritualis est, ejúsne Participatio vera non erit, Quia Spiritualis est? Ut nè dicam, quod amplius est, Ejúsne Participatio aliqua esse poterit, quæ Spiritualis non sit? Non, quòd opinemur tamen, Animalem Existentiam ex accessu Spiritualis, prorsùs abolitam fuisse: Sed cùm auctior in se, evectiórque infinitis modis indè reddita sit, & omnibus numeris perfectior, Diviniórque, necessariò nunc sequitur, Spiritualem Participationem ejusdem, esse jam Modum Participandi (quicquid Heterodoxi delirent,) verissimum, Divinissimum, Perfectissimúmque, & qui cum Excellentia Christi, Fidéque nostra vel maximè congruat.

5. Remansisse quidem in Christo (etiam à mortuis reduce facto) agnoscimus & Naturalem eam quoque, quam à Parente habebat, Existendi conditionem, atque pro placito suo, per specialem τῆς οἰκονομίας suæ Actum, aliquadantenus tum exeruisse se. Indè enim erat, Quòd audiri, videríque à suis, postquam Resurrexerat, subindè poterat, 1 Jo. 1. 1, Quòd manducaverit cum iis, Act. 10. 41, Quòd ipsa vulnera sua Thomæ exhibuerit, Jo. 20. 27, Quòd cæteris denique carnem & ossa jam tum se habere, (præter, quàm Spiritus quisquam habet,) commonstraverit, Luc. 24. 39. Veruntamen & eâdem hâc Dominum dispensatione usum fuisse, per omnem in terris vitam suam, & non à morte solùm, est, quod pronâ fide credamus; Neque igitur ex aliqua virtute Resurrectionis suæ eum, sed indè à principio, per vim Hypostaticæ suæ Unionis, Spiritualitatem ipsam Corporis secum attulisse in uterum B. Virginis. Aliter enim si fuisset, incongruè satìs, saltem minùs appositè, ab Apostolo, citationem illam præmittente, è Gen. 2. 7, *factus est Primus homo Adam in Animam viventem*, subjungitur & hoc, (quasi quod priùs jam dicto sic respondeat, ut & citari quoque nonnullis videatur;) *factus est Novissimus Adam in Spiritum Vivificantem*, 1 Cor. 15. 45. Primus autem Adam ab ipso primordio condituræ suæ, *in Animam Viventem factus est*: Quæ igitur jam Paritas, quæ συμφώνησις, aut Correspondentia erit, nisi & *Secundus Adam in Spiritum Vivificantem* ab ipso quoque momento Conceptionis suæ, ità *factus fuerit*? Sed propter τὴν οἰκονομίαν, ex qua ante omnia decreverat, Homo jam factus, Hominibus, κατὰ πάντα, καθ' ὁμοιότητα, χωρὶς ἁμαρτίας, Heb. 4. 15, parem se præstare, Sic nasci igitur, sic in terris vivere, versaríque, sic mori denique, *Humiliavit semetipsum*, Phil. 2. 8, velavítque Cœlestem Gratiam, suspendit igitur Virtutem suam, Corporísque sui Spiritualitatem, nisi raro per minutias aliquot, paucísque in rebus duntaxat, actu sese exerere passus est, Donec consummata erant omnia, *Quæ manus Dei, atque consilium ejus præstituerant fieri*, Act. 4. 28.

6. Silere autem prorsus nunc non possum, antequam ad alia hinc abeam, quàm malè me habeat, quòd verba illa Apostoli hac de re, Ἐστὶ σῶμα ψυχικὸν, καὶ ἔστι σῶμα πνευματικὸν, 1 Cor. 15. 44, tam perversè ab Interpretibus reddita reperiam. A Latino enim Vulgari leguntur, *Si est Corpus Animale, est & Spirituale*: Sed quàm nullo sensu? Atque undè gentium illud, *Si?* planè παράλογον, Turbátque genuinum Loci intellectum. Jam Nostri verò multò ineptiùs reddiderunt, There is a Naturall body, and there is a Spirituall body. Non aliter enim, ex Anglicismo eo nostro, there, and there, ista sonant, quàm de rebus disparatis planè, diversísque Corporibus, atque ità inter se disterminatis, ut Quædam ex iis ψυχικὰ sint, quædam verò, πνευματικά. Sed quàm longè absunt hæc à mente Apostoli! De uno enim, eodémque Corpore hæc ab eo expresè dicuntur, pro diversis quidem temporibus, dispositionibúsque, diversam conditionem habente, Animalem primò, pòst & Spiritualem: Adseruit enim, Corpus idem, quod in una conditione seminatum est, in altera resurrecturum esse: vertendum igitur à nobis omnino est, It is a Naturall body, and it is a Spiritual Body. Jam deest quidem Linguæ nostræ vocabulum, quod satìs sit exprimendo,

mendo τὸ ψυχικὸν. Reddítur autem alibi à Noſtris per vocem, Senſuall, ut Jac. 3. 15. & Jud. v. 19. In hac verò Epiſtola jam Quater (neque uſquam alibi in N. T. reperitur,) vertitur ab iis, Naturall. Quòd ſi voluiſſet uſus, & primorum Tralatorum diligentia, potuiſſet non minùs verti Animall. Latinam enim Originem ſingula hæc Naturall. Senſuall. Animall, ex æquo reportant; Sed tertium hoc tamen nondum obtinuit inter Nos.

7. Sententiam autem noſtram, De Spirituali, eâque verè Reali Participatione Corporis Domini cùm Catechiſta perſentiret ſe non poſſe ſubruere, neque (Quod, nullâ fronte, dicam, an certè perfrictiſſimâ? in initio eructaverat;) poſſe Fallacē eam opinionem, aut erroneam eſſe, ſtatuere, intereſſe ſuâ ratus, aliquâ tamen nocere, id proximo in loco agit, ſugillare eam ut poſſit, pérque putidam calumniam ſuſpicione, *Opinionis nullo modo certæ*, inter ſuos diffamare. Igitur Qui *Reipſâ Participem eſſe, atque ſpiritualiter Participem eſſe, pugnare*, priùs urſerat, eâ cùm non ſuccedat, non ſic ſuccumbit, quin ſuclamet tamen, *Sed non eſt certa Opinio.* Non certa autem? Immane verò quantum hæc duo diſcrepant! Sed ſequamur aſellum. Et quî iſtud confirmat? *Ipſi produnt*, (ait,) *cùm fatentur Modum hunc ſumendi Corporis Chriſti eſſe prorſus inexplicabilem, aut quî id fiat, ſe planè ignorare*, Cat. R. p. 192. Hem! Etiam de Proditione, Os inſanum, impudens? Proditores Chriſti, poſt Judam proximi, Qui Religionem totam Chriſtianam Judaiſmo, Turciſmo, Gentiliſmo produnt, (Barjeſuitarum Societatem, Socinitatémque me dicere intelligo:) ut non pudeat, cuipiam, quid in Religione prodat, objicere? Sed Clodio quem non licebit pro Mœcho habere? Quod vertat tamen bene nobis, etiam ab Hoſte; Proditio iſta ingenua eſt, & Barjeſuitis omnium inviſiſſima; *produnt* enim *fatendo*, ait. *Proditio* igitur eorum reverâ hæc nulla eſt; Sed convitium ipſius eſt; *Faſſio* enim potiùs dicenda erat. Neque *Faſſio* quidem rectè, niſi ab impuri oris Hoſte, dici poteſt, Quaſi Erroris jam aliqua, aut Criminis agnitio eſſet; Sed pia ſolùm, & Chriſtiana Profeſſio eſt, per quam agnoſcimus, Præſentiæ Corporis Chriſti in Sacramento ſuo Modum, (Neque ſimpliciter, aut in genere, Omnem, Noſtri dicunt; Spiritualem enim Modum eſſe, abunde probare ſolent: Sed) Spiritualem iſtum, verbis non poſſe à nobis diſertè explicari. Ipſa tamen jam verba eorum, qui hoc profitentur, cùm Hic nullus adſcripſerit, non eſt, quòd in ea parte Reſponſum aliud à Nobis nunc expectare poſſit.

8. Sed quod præ manibus jam eſt, prenſandum eſſe cenſemus, premendúnque. Quærimus igitur, Quid ad opinionis ipſius, de Præſentia Spirituali, Non-Certitudinem facit Modi Inexplicabilitas, (ſit venia verbo) ejuſdem Præſentiæ? Sapit Atheiſmum reverâ Barjeſuiticum iſta Conſequentia, ex eodem dein Argumento hoc, An opinari liceat, Deum eſſe, in corde ſuo ſtultè dubitaturum, Pſal. 53. 1, Quia Modum Exiſtentiæ ejus explicare non poteſt. Quorſum igitur & tuum, Sancte Paule, ὦ βάθος illud? Rom. 11. 33. Quid? Reperíſne *Judicia Dei ἀνεξερεύνητα eſſe?* An *ἀνεξιχνίαστους Vias ejus?* Quid hæres igitur, ſtupéſque? Qui Parentem eorum, Barjeſum olim adegiſti ad petendum ſibi viæ ducem, Act. 13. 11, Hem tibi jam Barjeſuitas Duces! Explicare ſi nequis, pro incerto habe; Si ignores Modum, Rem ipſam rejice. Dediſtne etiam Deus gratiam aliquam *ἀνεκδιήγητον*; Quorſum ergò tu has gratias das? 2 Cor. 9. 15. Sape verò Barjeſuiticè; Si renuit enarrari, Apage, incertum eſt: Nè crede igitur, Sed reſpue. Charitas etiam illa Chriſti, quam deprædicas, Quoniam eſt τῆς γνώσεως ὑπερβάλλουσα, Eph. 3. 19, Quoniam, *ὑπερέχουσα πάντα νοῦν*, Phil. 4. 7, Res Tu iſtas tibi, per Nos, habebis, Nos pro opinionibus nullo modo certis eas habemus, Quia tanta Myſteria ſunt; Quorum in Religione Socinina, nè mentionem (crede) aliquam, nedum adſenſionem, aut venerationem facilè reperies. Philoſophos nimirum nos ſic laudamus (aiunt,) ut & æmulemur, Qui fidem quaſi à videndo ducentes, nihil aliud credere voluere, quàm quod è lumine naturali accerſere poterant; Téque ipſum, Magne Doctor Gentium, Si liberè loquendum ſit, quicquid Fidem & Veritatem jactites, 1 Tim. 2. 7, Sapere magìs duceremus, cum raptus in tertium cœlum tibimet videbaris, Quia tamen Modum ejuſdem, An *In corpore, an extra Corpus*, neſciviſti, 2 Cor. 12. 2, Si pro Opinione non certa hoc potiùs duceres, neque te deluſum eſſe tam facilè patereris. Atque hæc jam novorum Gnoſticorum, hoc eſt, Barjeſuitarum noſtrorum vera, (Theologiam quidem non poſſum dicere; Sed) Alogologia eſt, quâ & ipſi ſibi mirè perplacent, & nullo negotio Scitulorum multorum Pſychicorum, Spiritum quidem non habentium, neque ſolidam ſcientiam, ingenia dementant. Dignum ſcilicet patellâ operculum!

9. Ex Modi igitur ignoratione nil magìs proficiunt Sophiſtæ contra Certitudinem Sententiæ noſtræ, quàm antè, ex Participationis Spiritualitate profecerunt contra ejuſdem Veritatem. Præteriri autem non oportet, quòd Quicunque ſint, qui in Sacramento Modum Præſentiæ Dominicæ, noſtræque Participationis, neſcire ſe dicunt, cùm elementa tamen videre ſe, verba audire, motum ſentire, ſoleant profiteri, jam in uno eodémque genere hæc omnia intelligendi ſunt dicere; Modum igitur aliquem, qui pari paſſu cum Viſu ambulet, aut qui Auditui reſpondeat, aut ab Externo aliquo Senſu perceptibilis ſit, prorſus ignorare ſe aiunt; Sed Modum quod attinet Spiritualem, & ſupra Senſus poſitum, abjudicari eum per hoc, tantum abeſt, ut ſupponi jam potiùs ex hoc, & vel maximè confirmari videatur. Quid quòd & aliam quoque de Modo diſquiſitionem agitari à Theologis jamdiu novimus. In Dubium enim vocari ſolet, ad quam Sanctiſſimæ Ἀντυρύλας Operationem conſequi velimus Præſentiam eam, quam Spiritualem eſſe dicimus, aut per quod Myſticorum Officiorum Inſtrumentum, in Actum produci ipſam, definiendum ſit; An ex Invocatione per Sacerdotem facta, An ex Recitatione Sacri Canonis. Occaſionem autem hujus Dubitationis arripuiſſe videntur ex varietate vocabulorum, quibus SSpiritus hac in re uſus eſt. Priores enim Euangeliſtæ duo narrant nobis, Dominum in Cœna, accepto quidem Pane, εὐλογῆσαι, ſed Poculo, εὐχαριστῆσαι. Jam Lucas verò, Paulúſque, etiam in mentione Panis ipſum εὐχαριστῆσαι habent, Poculúmque τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, diſertè dicitur, 1 Cor. 10. 16. In Sacra igitur Eccleſiarum Liturgia, referendo nunc, quod oratur, ad εὐλογίαν, quod recitatur verò, ad εὐχαριστίαν, jam utro horum modo Spiritualis iſta Præſentia exurgere credenda ſit, à multis in controverſiam trahitur. Verùm ex iſta, (non neceſſaria omnino, Sed nec utili quidem, ſatíſve pia) lite, Dum quomodo hoc fiat, ſatis anxiè diſputatur, Nequid Piorum tamen animi turbentur, aut quicquam de certitudine, quam Barjeſuita nunc vellicat, ipſius Spiritualis Præſentiæ dimoveantur, abunde ab Eccleſia noſtra, Dei Opt. Max. beneficio, proviſum eſt.

10. Adeatur enim Canon Miſſalis noſter Anglicanus; Expendatur Collecta illa, quæ Speciatim ad Sacramenti ipſius Inſtitutionem aſſignatur, atque Conſecratoria vulgò audit, Formulámque ipſam Diſtributionis ſubnexam ſibi ſecum apportat; O quàm Divino modo intertexitur! Non obſcuras Commemorationis, Comprecationis, Recitationis etiam atque Exhortationis clauſulas in ſe continet, cum interpoſitis quoque inter agendum Rem Sacram, tum Sacerdotis, Voventis, Benedicentis, Repetentis, Operantis, tum etiam Fidelis populi, Advoventis, Venerantis, Participantis, Gratias agentis, non cæcis Officiis, Cultibúſque; Adeò ut ex iſta tam efficaci Sacrorũ omniũ, Rituũ, Actuúmque Conſarreatione, Contextúque, poſſit jam certiùs multò, ſecuriúſq; univerſis conſtare, adeſſe Deũ, adeſſe procul omni dubio Corpus Domini, Præſentéſq; (utî teſtamento ſuo Chriſtus conſignârat;)

Præſentiâ

Præſentiâ ſuâ Spirituali dapſiliter beare. Stultus igitur Metus eſt, atq; per impurum cavillum à Barjeſuita, ad Panicum Suorum terrorem introductus, quem iis, ab opinionis noſtræ Incertitudine (ſi placet) ſic ſe incutere poſſe ſperet, ut eandem ipſi repudient, abnegéntque, *Quia Modus ipſe inexplicabilis eſt, & quî id fiat, planè ignoratur.* Quin & Davidem igitur ipſum Suffenus iſte corrigat, doceátque eum, Quia Formationis ſuæ à Deo mirabilior eſt cognitio, quàm ut ipſe conſequi eam poſſit, támque in ſublime evecta, ut attingere eam nequeat, Pſal. 135. 5, ut Barjeſuiticè ergò concludat, ejurétque Opinionem ipſam, *A Deo ſe terribiliter, atque mirificè formatum eſſe*, v. 13. Suos deniq; edoceat, (Cordi enim iis eſt, ſcitulis argutiis iſtis, & paradoxis perditè abripi;) Nè aërem quidem unquam violenter moveri, neq; ventos flare; Quid ità? Hem! In promtu eſt iſta ratio, Modi ipſius ignoratio: Vel Chriſto enim authore, Nè Nicodemus quidem ipſe, (ô quantus, qualíſque Dr in Iſraele!) novit Modum illius, aut *ex quo Ventus veniat, aut quò vadat*, Jo. 3. 8. Jam verò cùm harum rerum Modi tam inexplicabiles ſint, Ergò, & quæ opinantur homines iiſdem de rebus, nullo modo certa ſunt; Ergò, & Locum habere nequeunt Opiniones iſtæ in Theologia. Hæc inclytus iſte, Barjeſû ſatus, Tortor verè Theologiæ.

11. In Eccleſia autem Romana jam, (partes ſolùm ſuas quomodo libet tutandi certa,) quàm bellè proviſum hac ex parte ſit, Noſtrum non eſt exponere. Aliam enim illi Præſentiam Corporis Chriſti defendere jamdudum jurati, id in primis nunc agunt, ut præter εὐλογίαν, aut εὐχαριστίαν, etiam & aliam Actionem, Gratias Agendi, Benedicendíq; paulò adhuc poſteriorem, quam Conſecrandi appellitant, in Sacramenti ſui Canone ſtatuminent. Eam autem eſſe volunt, non ſine grandi Sacræ illius Scenæ diverſificatione, Chriſti nimirum in Cœna ſua, ut Dei, Symbola illa jam tandem per Omnipotentiam ſuam Tranſubſtantiantis, Cùm tamen precatio Benedictoria, quam jam tum præmiſerat, ut Hominis tantummodo atq; Sacerdotis fuerit, per quam ille primò, próque Modulo Humano, Sanctificationem ſolùm Elementorum petierit, ſed cum ea intentione, ut tranſubſtantiari tamen quàm mox à ſe Deo poſſent. Sed proh ſancta fides! In re tam Divina, quorſum harum Ambagum quiſquiliæ, quas cordatus quiſque nullo alio conſilio introductas eſſe facilè perſpicit, niſi ut viam ſternere videantur, affingendi verbis illis, *Hoc eſt corpus meum*, Mirabilem aſiquam, (Nolo enim dicere Magicam, nè convitium dicere videar; ſed ſupranaturalem longiſſimè, ô Deus!) Operationem, Unde illa jam pro Inſtrumentaliter Operatoriis Tranſubſtantiatæ tandem Præſentiæ haberi mereantur? Sed in Speciem hæc ſolùm, Sacrámque Fraudem, & prorſùs gratìs ab iis afferuntur. Benedictio enim illa Domini, quæ & Gratiarum quoq; Actio cluet, (Non quòd εὐχαριστῶν, & εὐλογῶν eadem per omnia ſint; Sed tamen quòd hac in re, atque Hebræos inter, gratias ſuas in Menſa agere ſolitos, ſub forma agnoſcendi Deum eſſe Donatorem omnium, eíque propter Dona ſua Benedicendi, (ut benedictus ſit Deus in Pane ſuo; In vino ſuo; In carnibus ſuis;) tam conjuncta, atq; complicata iſta ſint, ut alterum ex altero intelligi ſemper ſoleat, atq; in Actione hac alterutrum dici ſufficiat:) ipſa ſufficiebat in ſe, atq; efficaciter Impetratoria erat Sacri illius beneficii in Elementis, quod Dominus petendum intenderat. Ecquid opus eſt verò, ut hæc jam confirmemus? Non poſtulaturos, confido: Si juſſerint, ſunt in promtu nobis probationes, ab inficiatorum nemine repellendæ; Quarum una quidem impræſentiarum ex ipſa illa hiſtoria ſeſe ingerit, ex qua ipſi primarium verborum (ut vocant) Operativorum exemplum accerſere ſibi ſolent; Quia Dominus in excitatione ea Lazari ἐπ τῶς profeſſus eſt, *Novi, quòd ſemper me audias*, Jo. 11. 42. *Audiri* autem, in uſu Sacro, eſſe *Impetrare*, nemo neſcit: Impetravit igitur Chriſtus, etiam tum, cùm benedixit.

12. Quòd verò cum illa voce Chriſti, *Lazare, veni foràs*, ver. 43, comparare ament verba iſta in Cœna, *Hoc eſt corpus meum:* adſerántque præſidenter, Pari modo & hæc, & illa, earum rerum, quas per ea Chriſtus intendebat, Operativa fuiſſe; (ex illis enim, Lazarum è Sepulcro prodiiſſe; Ex iſtis, Corpus Chriſti extitiſſe, atque etiamnum extare quotidie, & in Sacramento effici;) Pace ipſorum, vel ſaltem ingratiis, tam nos longè abſumus ab Opinione, Parem in hiis eſſe rationem, Ut diſpariſſimam eſſe, totóque cœlo diviſam exiſtimemus, Réque verâ, quicquid impetrari jam à Lazaro poſſit, pro noſtra Sententia, & non pro Illorum, eſſe facturum. Quàm diſſimilia enim inter ſe ſunt, Quàm diſparis operæ, Adfirmare ſolùm, atque Imperare? Hoc primum eſt. Eſt autem nudè adfirmantis, *Hoc eſt*, dicere; Sed *Prodi* eſt Imperativum. Pergimus autem. Nam inter Adfirmationem, ſuper Re inanimata, ſenſûs omnis in ſe, atque rationis exorte, factam, (De Pane putà, Vinóq;) atque inter Mandatum Viventi jam, & Audienti, rationéque prædito datum, ídque à Domino ſuo, & de Officio tum Naturæ ſuæ, tum Rationi congruentiſſimo, gratiſſimóque, immaniſſima jam iſta differentia eſt, atque omnem Paritatis Spem quàm maximè ſuperat. Jam ſi reponant, Inter Panem, Vinúmque, & cadaver Lazari quatriduanum, nihil intereſſe; Imperiorum enim heri ſui, aut Dictaminum Rationis non magìs capacem eſſe Mortuum illum in Spelunca, quàm Symbola ipſa in Sacramento: Habemus, quod volumus; Pernegamus enim Lazarum jam tum fuiſſe Mortuum. Statuimus ſcilicet, Chriſtum paulò priùs in vitam reſtituiſſe eum, Animámque reducem à ſe factam conſociâſſe cum corpore ſuo, ex eo momento, πάλιν ἐμβεμιμήμενον ἐν ἑαυτῷ, ver. 38, jámque redivivus ille ſtabat, (ſeu certè tantillulùm jacebat,) expectans (ut par erat,) Quid Dominus eum veller. Utere oculis, animóque, & dic, Annon iſtud fuerit, quod Dominum, ſimulac ſepulcrum ab Aſtitibus, utì juſſerat, aperiretur, non jam precantem, ſed gratias agentem audiamus, Πάτερ, εὐχαριστῶ σοι, ver. 41. Et nequis ambigendi vel color ſit, etiam Qua de re has gratias agat, ait; Addit enim, εὐχαριστῶ σοι, ὅτι ἤκουσάς μου, *Quia audiviſti me?* Ecquid igitur apertius? Nónne hinc paret, poſtulâſſe eum paulò antè à Patre, ut Lazarus vitæ reſtitueretur? Idcóque ſatìs nunc intelligens, auditum ſe in hoc eſſe, quod poſtulârat, ab ea jam parte inceptat, à gratiarum actione pro impetrata hac gratia: Statínque, pro imperio ſuo, Lazarum, dicto jam audientem, jubet, ut prodeat, ver. 43. Dictúmq; factum; Juſſa capeſſit, &, faſciis nihil obſtantibus, prodit Lazarus, ver. 44.

13. Adſumimus igitur nunc; & verba illa, *Lazare, veni foràs*, non fruſtrà ſolùm, ſed & ineptè, in hoc Argumento, Agentium, ſeu Operativorum titulum inſcribi dicimus, cùm nihil nunc operata fuerint, præter quod Humanæ Rationi inprimis congruebat, atque ex communi Naturæ officio præſtandum, vel à Servulo quidem, (Quantò magìs, ab Amico, quem & Dominus tam ineffabili Beneficio jam inſignierat?) erat. Eodem igitur hoc ex intuitu, ſubtilis quidem magìs, quàm ſolida nobis ſemper viſa eſt & illa Exceptio, quâ urgeri meminimus Pontificios à non nemine noſtrorum; In Cœna Domini, verba illa Imperativa, *Accipite, Manducate*; potiùs habenda eſſe pro Operativis iſtis, Symbolorum Conſecrationem efficientibus, quàm *Hoc eſt corpus meum*. Imperium enim aliquod cùm illis in verbis reluceat, Illatio quidem hæc valido, veróq; Argumenti ad homines acumine non caret, Quia nihil contrà obtendere nôrunt Romæ, quod clypeo ipſis adverſùs tam fatale telum ſit, nihílq; reponere, præter novella Eccleſiæ ſuæ imperia, cur poſteriora verba Chriſti, *Hoc eſt Corpus meum*, antegreſſis aliis, *Accipite, Manducate*, præferantur in iſto negotio, Agendíque Rem eam Divinam palmâ ab ipſis donentur. Verùm ſi ſobriam, ſolidámque Theologiam percolere cupiamus, & hoc genus argutias, (argutæ enim & hæ captiones ſunt:) præteriri omnes à nobis oportet, ſtatuíque, ex verbis iis, quibus Chriſtum in ipſo primordio Sanctiſſimæ hujus Operationis uſum eſſe legimus, cùm accepto pane, Benedixit, ſecutum protinus eſſe intentionis ſuæ apoteleſma, atque efficaciter, plenéq;

impetratum esse, id, quod instituì volebat: Panis igitur, seu Commutationem in melius, seu Sanctificationem, seu Consecrationem appellari jam postulent, (Aucupium enim Verborum reverâ & hoc est, atque ex Captione potissimùm introducta est ista Locutionum variatio:) eam conditionem jam tum à Christo Benedicente productam fuisse, ut de eo participantes, jam ipsius Corporis Domini, in cruce pòst fracti, (quod solidum tamen adhuc, sanúmq; ibi præsens aderat,) Spirituali Præsentiâ Realiter, Veréq; bearentur: Similiter & Sanguinis ejus, ex calicis quoque Benedictione.

14 Miserandum igitur (nè quid severiùs nunc dicamus;) est eorum, non infimi Nominis inter ipsos, Effugium, Quos cùm Veritas ipsa cogat, inficias nè eant, Benedictionem Christi in Sacramento validè efficacem fuisse, plenéq; impetratoriam ejus, quod petebat à Patre; in Caussæ tamen caducæ sublevationem aliquam, coguntur de articulo ipso temporis cautiunculam vel Christo ipsi obtrudere, Quasi qui apud Patrem eâdem tum prece egisse credendus nunc sit, ut non statim cum ipsa petitione, seu Benedictione sua sequeretur Divinus ille Effectus, sed cum interstitiolo, & post paucula alia verba, Tum cùm Ipse voluerit scilicet. Noluisse autem Christum omnino ut fieret, donec ab eo postrema Syllaba enuntiata foret, in, *hoc est corpus meum*; id ex infallibili Oraculo Romano jam nuper edocti sumus. Ex eodem autem fonte & caussam etiam, cur id noluerit, petere jam licebit: Non alia enim esse procul dubio poterat, nisi quia Dominus, ità Vicarium suum (Quem non Veritatis quidem, ipsius enim Christi ille est, sed Infallibilitatis titulo insigniendum esse decrêrunt Romæ) olim, post Millenos, & quod longè excurrit, annos, ea in re decreturum esse, prævideràt. Atq; ex hiis jam tandem moliminibus prodigium illud prodiit, quod *Transubstantiationem* nunc vocitant.

15. Nova quidem Nomenclatura est, & quæ vagire primùm cœpit, Æræ jam Christianæ non nisi cum Tertia, & sequiore Parte. Sed quid tum? Præsertim, cùm indè ab ortu tam insignem Divinæ Providentiæ notam ferat, Deo ità permittente, ut qui in tam crassum errorem Naturalis (quam ipsi volunt) Præsentiæ jam conjuraverant, vocabulo ad id etiam non minùs erroneo, stupendóque, & suum ipsorum sensum arietante, uterentur; Nam, ù ipsos audiamus, Quibus solis datum est hæc *βάθη* callere, Substantia Panis neutiquam transiit in Substantiam corporis, sed exterrita (ut par est,) ad Divina illa vocabula, *Hoc est corpus meum*, tam subitò, prorsúsq; evanuit, ut nè durare quidem tantisper ausa fuerit, dum & Accidentia sua convasare, Speciésque missellas secum auferre posset. Quantò minùs opinandum est, Substantiam Divini Corporis transiisse in eam, quæ evanuit, Panis Substantiam? Cui igitur *Substantiæ*, aut unde suum *Trans*? Quæ heic *Transubstantiatio* est? Translocatio quidem ista est; Succedere enim volunt Corpus de Cœlo in locum Substantiæ Panis; Et Transfiguratio est; Submittere enim se aiunt Sanctum Corpus Figuræ, quam profugus Panis in Speciebus suis (satìs inclementer post se relictis) gesserat. Sed ecquid est aliud? Rogandi igitur sunt Romani Correctores, ut & Augustodunensem istam *ἀκυρολογίαν* corrigere jam velint, & (nisi fatalis necessitas sic ferat, Error Errori Errorem ut semper pariat, atq; Prodigium Dogmatis & nominis stribiligine æternùm insigniatur, (ut ab altera porrò literula orsi, appellari hanc nunc jubeant, pro *Transubstantiatione*, *Vicesubstantiationem*.

16. Sed quicquid Romæ, super vel Nomine Rei, vel Interpretamento Sanctissimæ Operationis, recentiùs excogitatum est, Laudandum imprimis est, cœloq; ipso donandum Sanctæ Ecclesiæ institutum, Quòd illa, Domino & illam jubente, prout Ipse fecerat, *Hoc facere*; Ergò quid Dominus ea ipsa in re tum fecerit, dixerítque, in Canone suo reposuit, ínq; Canonem sibi nunc, in operis sui Regulam, Normam Fidei, Cultûs atq; Observantiæ suæ Exemplum, Argumentum, Indicium, Testimonium, dicta tum ab eo, gestáque omnia, religiosè quotidiè recolit, recitátque. Jam verò si Sanctorum *Συγγραφέων* cuipiam Authorem se SSpiritus fecisset, in Acta sua referendi ipsas Benedictiones, quibus Christus jam in Cœna, ad Panis, Vinique Sanctificationem, ádq; transmutationem eorundem à conditione Seculari ad usum istum Spiritualem, usus est, Satìs etiam Ecclesiæ, abundéq; fuisset, iisdem Benedicendi vestigiis solùm insistere; Nihílque allaborans Formulæ ab ipso Christo traditæ, potuisset & Ipsa, idem cùm faceret, idem dicere, pérq; verba ea Christi, consecrare Symbola sua, atq; ab usu vulgari translata, ad Divinorum Officiorum gratiam adaptare. Verùm cum SSpiritui visum fuerit eatenùs silere, nihílq; amplius dicere, quàm Benedixisse Dominum, Benedictionum autem illarum Syllabas scripto nusquam tradere, sibi jam hoc relictum esse piè sensit Ecclesia, ut ipsa Precationum suarum sibi (auspicante nihilominùs atq; suggerente SSpiritu,) sacras Formulas conciperet, ad quotidianam Munerum suorum Benedictionem, seu Consecrationem Sacramenti. Sed in abundantem cautelam tamen, Christíq; Sponsâ dignam, Quò & piè fateatur, dum in terris militat, fieri posse quidem, ut imperfectiusculè se habeat, atq; vel in isto, Sanctissimo, Tremendissimóq;, Opere, si non tepeat, langueat, aberret, deficiat, Humani tamen aliquid patiatur, & vel ultrà, vel citrà feratur, neq; aut plenè ad ipsam Benedictionis Christi emphasin pertingere possit, aut adæquatè se intra limites ejusdem continere, Divinissimo igitur consilio & ipsam Recitationem Dictorum Factorúmq; à Christo in Cœna, cum Prece sua conjungit; Per hoc nimirum professa, ex eorundem planè mente, & mentem suam jam totam componi, non nisi cum Deo enim se, quod suum est, agere, nihílq; jam magìs, nihil minùs intendere, vovere, precari, facere, quàm quod faciebat, vel jubebat certè, ipse Dominus, Quando jubebat & eam, *Hoc facere*.

17. Ex re igitur jam nostra est, & hoc adnotare, Præter ea, quæ in Sacra Cœna ad exemplum ipsius Domini, quotidiè peraguntur, Aliquid etiam imperatum ab Eo fuisse, quod Ipse quidem non fecit, sed ex restricto tamen Ejus præcepto, ab Ecclesia æternùm præstatur. Ex iis autem, quæ Dominus ipse præstitit, hæc potissimùm colligenda duximus; 1°. Quòd per Benedictionem suam (*εὐλογήσας*, Mat. 26.26,) Panem, Vinúmq; è Conditione sua Naturali hactenùs transmutârit, ut ad Spiritualem usum consecrarentur. 2°. Quòd frangendo, dandóq;, (*ἔκλασεν καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς*, Mar. 14.22,) instituerit, Fideles omnes Corporis sui, in Cruce eo die frangendi, Participes semper deinceps per Fidem futuros. 3°. Quòd asserendo Hoc, quod comedendum iis porrigebat, esse Corpus suum, (*τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου*, Mat. 26.26,) cùm Ipse tamen incolumi Corpore præsens aderat, instituerit suos, Se de Spirituali Præsentia, quâ æternùm fruerentur, accipiendum esse. 4°. Quòd admonendo Corpus suum pro nobis dari, (*τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον*, Luc. 22.19.) satìs significârit, Quanto pretio nos redemerit: 5°. Quòd pro nobis frangi, (*τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον*, 1 Cor. 11.24) Quantâ caritate Se nobis impertierit. 6°. Quòd verò Poculum, in quod & ex quo funditur, & non nisi cum Sanguinis sui effusione, memoraverit, (*τὸ ποτήριον τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον*, Luc. 22.20,) viam omnem per hæc præcluserit delirio, Participandi Sanguinem in Sacramento per Concomitantiam. 7°. Effusionem autem hanc quòd ad Peccatorũ Remissionem fieri declarârit, (*τὸ ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν*, Mat. 26.28.) Articuli istius de Remissione & Fidem & Rationẽ ex Merito Mortis suæ profluere docuerit. 8°. Poculum etiam istud pro Peccatis effundendum, quòd titulo N. T. insignierit, Sanguinémq; suum Sanguinẽ N. T. appellaverit, (*τὸ αἷμά μου τὸ τῆς Καινῆς Διαθήκης*, Mat. 26.28, & *τοῦτο τὸ Ποτήριον ἡ Καινὴ Διαθήκη*, Luc. 22.20,) demonstraverit tum necessitatẽ Poculi ipsius singulis exporrigendi, Qui à Peccatis suis liberari sperent, Noviq; T. beneficio perfrui: 9°. tum certitudinem Divini hujus Beneficii, Quia Testamentum Dei est, suâ ipsius Morte confirmatum. Atq; ista quidem Corollaria, (ut pluribus nunc non allaboremus,) *προλήψεις* planè sunt, sponteq; suâ ex eo quod Christus tum fecit, dixítq;, profluunt. Cùm verò mandârit etiam Dominus, Rem eandem Sacram & à nobis æternùm fieri, (*τοῦτο ποιεῖτε*,) præcierit tamen, non nisi post Passionem suam

ſuam fieri id à quopiam poſſe, Hinc & iſtud porrò à nobis ſemper præſtandum ſubjunxit, ut Hoc facientes, eâdem operâ, & quid in Cruce factum fuiſſe conſtaret, repræſentaremus, & Mortis ſuæ Commemorationem exinde inſtitueremus, pronâque fide & gratis animis epulati quotidie, Spiritualibus illis Dapibus ad Salutem æternam veſceremur, Ipſum denique ex Divino Pacto ſuo, per Sacrum hoc Factum redderemus in æternum Noſtrî memorem: Ait enim Ipſe, εἰς τ ἐμὴν ἀνάμνησιν, 1 Cor. 11. 24, & ex Ipſo eſt, quod ibi à Paulo additur, ὁσάκις ἂν ἐσθίητε καὶ πίνητε, τ θάνατον κυρίου καταγγέλλετε, ver. 28.

18. Jam ſatìs autem vidimus, Quid ex genuino ſenſu Eccleſiæ, Quid etiam è nupero gloſſemate Romano, valeat, *Hoc eſt Corpus meum.* In Polonia verò, in Conciliabulo Barjeſuitico quid, ſi jam quæratur, reſpondendum eſt, Minus ferè nihilo. Nam qui Sacramenti vel nomen, vel Rem veram nullius coloris nôrunt, qui redemtionem per Chriſtum naſo ſuſpendunt, qui Peccatorum Remiſſionem prorſùs eripiunt ei, qui nihil in cœna ejus agnoſcunt, niſi *Cæremoniale* quid, C. R. pag. 186, id eſt, *Externum quendam Actum Religioſum*, C. R. pag. 179, ab ipſo, *mortis ſolùm ipſius annuntiandæ Cauſſâ, inſtitutum*, C.R. pag. 186, Quis ſenſus eorum verborum, niſi qui à ſenſu Domini longiſſimè aberit, ab iis expectari poteſt? Audite tamen ſultis incomparabilem Expoſitorem, Quaſi qui unicum verbulum, pro arte ſua, explicando, exemplo rem totam clariſſimè illuſtrare ſciat: Ait enim, *In iis verbis*, Hoc eſt Corpus meum, *particula*, Hoc, *ad univerſam frangendi, ſumendique Panis, & fundendi vini Actionem referri poteſt*, C. R. pag. 190. Bene habet. Sumatur igitur jam, *hoc*, acſi Dominus dixerat, *Hoc quod nunc à me agitur*, Et quanquam, *Poſſe Eſſe*, parùm, aut nihil (ut aurem ei jam ſæpe vulſimus) ſit, in tanti tamen Magiſtri tam malè audientis gratiam, ſupponatur iſta, quam poſtulat, relatio, loquatúrque jam Chriſtus, & quid erit? Potéſtne enim dicere? *Hoc quod nunc à me agitur, eſt corpus meum.* Certè poteſt, ſi hunc audiamus; Nam iſte *verus, nativus, atque genuinus ſenſus Chriſti verborum erit*, C.R. pag. 194. Sed ſub altera tamen conditione jam: Et quæ tandem ea? Ut, præter quod de unico verbulo, *Hoc*, primò poſtularat, fiat & cæterorum quoque verborum omnium accommoda Interpretatio, atq; per, *Eſt corpus meum*, Chriſtus intelligatur dicere, *eſt Commemoratio, & Adumbratio, atque Repræſentatio ejus, quod fiet de corpore meo*, C. R. p. 194. Annon verò ſatis jam expoſitus eſt Locus? Annon belliſſimè nunc excluſus eſt genuinus ſenſus? Talem nimirum Paraphraſten, tam ſui ſemper ſimilem, dictáque Domini omnia excellenter diſtorquentem, non vulgariter pervertentem, meretur ea Reformatio!

19. Nemo tamen inficias it, aliquadantenus, atq; pro portione ſua, hoc quod ipſe dixit, verum eſſe. Etenim quod in Sacramenti celebratione facimus Chriſtiani, facimus εἰς τ αὐτοῦ ἀνάμνησιν· ut in memoriam ſanctè revocemus, tum nobis, quid à Chriſto præſtitum fuerit, tum Chriſto ipſi, imò & Deo Patri ejus, Quid Chriſtus ipſe pro nobis in ſe ſuſceperit: (Memoria autem tam ampliter inſtituta, Barjeſuitæ vix ad palatum facit!) Verùm, Hóccine eſt totum quod facimus? Hóccine ſolum eſt, quod Chriſti verba volunt? Hóccine primum eſt? An verò, ſi vel ad antecedentem modò Paragraphum oculum retorqueamus, Decimo tantùm loco, aut vix eo, reperietur comprehendi hoc, quod ille nunc primò potuit, ſed & unico, producere? Laudabimus igitur ingenium ejus, memoriam non laudabimus; Fidem certè ejus, omnium minimè; Fidei enim iſte reverâ, non memoriæ defectus eſt. Ex Corollariis ſcilicet antegreſſis relucet, eſſe ibi in Sacratiſſimo Myſterio Internum Actum fidei; Eſſe Spiritualem manducationem Corporis Chriſti; Eſſe Sacramentalem deguſtationem ſanguinis ejus; Eſſe Redemtionem fidelium per Chriſtum factam; Eſſe Remiſſionem Peccatorum omnium ex ipſius Sanguine. Sed hæc jam omnia iſte à Principio abjudicârat, atque exinde Barjesû filius factus eſt. Quid faceret igitur jam, niſi quod ingeniosè fieri poſſe videbatur? (Ingenii enim opinione inter ſuos jam multùm inclareſcit:) Quod non credit, nec meminiſſe vult; Quod recuſat admittere, quorſum recoleret? Uno igitur grandi ſaltu cætera priora tranſilit; Atque hoc aliquid rotundè obtrudendo, quod & ab Orthodoxis bene novit (ſed ſuo tamen ſenſu, loco, ordine, modo,) non rejici, callidâ hâc jam technâ Nepotulis ſuis (tam ſcitè ſciolis, ut è Catholica quidem Eccleſia nihil, è Polonico autem Catechiſta nihil non credant;) ora ſublinit; cúmque amârint ingenioſè falli, unicum è pluribus tam promtè largitus, facilè eos emungit ſanctiſſimis cæteris, ſed ſibi exoſis, Sacramenti Beneficiis.

Sect. XXXVII.

1. *Ethnicis de Deo manifeſtatum nihil eſſe volunt Barjeſuitæ, niſi per Euangelium.*
2. Ἀπὸ *ſignificat non ſolùm Terminum A Quo, ſed & Materiam Ex Qua.* קדם. Quondam.
3. *Philoſophorum impietas juſtè damnabatur ab Apoſtolo, Quòd Deum neſcierunt, è Creaturis docti Opificem.*
4. *Tractatûs materia generalis Sophiſticè trahitur in Definitionem omnium inibi dictorum.*
5. *Liberatorem omnium Sceleratorum ante Chriſtum Socinitas ſe præſtat.*
6. *De Deo Quid ex Lumine naturali cognoſci datum eſt, & Cur.* Ἐκ *pro* Inter.
7. *Gnoſtici non poſſunt eſſe primarium Subjectum Argumenti Paulini in ad Romanos.*

OCcaſio jam mihi obtruditur à Catechiſta eventilandi ea verba Pauli, Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε, Rom. 1. 19. Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις, καὶ θειότης· εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους, ver. 20. Διότι γνόντες τ Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ἢ ηὐχαρίστησαν, ἀλλ' ἐματαιώθησαν, ver. 21. Racovianus enim, ut hypotheſi ſuæ, ad quam tamen nunc abire nolo, inſerviat, ſic exponit, τὰ ποιήματα, ut omnino reſtringat ad ea facta, quæ ſub Euangelio tum extiterant. Ex iſto autem Suppoſito, concludit, τὰ ἀόρατα αὐτοῦ accipienda ſolùm eſſe de Rebus iis, quæ Deus non niſi per Euangelium patefecerat hominibus, nullâque ratione ab iis indagari ante potuerant. Colapho igitur duplici Interpretes cæteros ferit; Uno, quòd non conjunxerint, ἀπὸ κτίσεως κόσμου, cum vocabulo ἀόρατα· Altero, quòd verterint ea, *ex creatione mundi*, cùm verti oporteat, *à creatione mundi*, eodem planè exemplo, quo dicitur, *Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi*, Mat. 13. 35. Apoſtoli enim in hiis mentem eſſe, Indè à rerum conditura fuiſſe iſta invisibilia, donec per Euangelium patefacta tandem ſunt, Cat. Rac. pag. 23. Ità nimirum à novo Dictatore Apoſtolus velle jam jubetur!

2. De vero autem ſenſu Loci, póſt. Sed quod Grammaticam nunc primò attinet, vellenda eſt Magiſtro auris utraque: Una, propter Præpoſitionem iſtam, ἀπό. Altera, propter conjunctionem ejuſdem, quam ille fieri præcipit. Quanquam enim in altera ea quam attulit Phraſi, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, nihil aliud intendatur dici, quàm Terminus Temporis A Quo, ſenſúſque ibi ſit, Abdita ea ſemper, ab ipſa mundi origine fuiſſe; (Quod in Hebræo quidem eſt, מני־קדם, Pſal. 78. 21. id eſt, à primo eo momento, quod ſub vocabulo Latino *Quondam*, (ab Hebræis fortaſſean mutuato) comprehendi ſolet:) ſummæ tamen aut imperitiæ, aut impudentiæ eſt, negare Præpoſitionem ἀπὸ, ſignificationem ſæpe, tanquam Materiæ Ex Qua, habere in N. T: Ex quo plurima mihi, currente jam calamo, exempla ſuppetunt in eam acceptionem, ut Mat. 7. 16. 20. & 11. 29. Mar. 16. 9. Luc. 6. 13. Act. 16. 18. & 17. 2. Rom. 15. 15. Heb. 5. 8. Apoc. 14. 4. Sunt verò (ſcio) & non pauca alia. Verùm admiſſo jam hoc, quod illum ex tam infirma, tenuſque ratione urge-

re non pudet, istud, ἀπὸ κτίσεως κόσμου, reverâ jam valere, *à creatione Mundi*, nihilo tamen felicius est, quod pari ore de Conjunctione eorum urget, primò Negativè, non esse ea verba conjungenda cum ἀφορᾷ, Dein Adfirmativè, conjungi ea debere cum ἄδεκτα: Quandoquidem Tertium ibi in Textu detur, quod ex ratione multò potiore, (sed in sensum, Catechistæ quidem Adversarium, atque cum cæteris Interpretibus benignè conspirantem,) vendicat sibi verborum eorum conjunctionem, τοῖς ποιήμασι, scilicet; Apostolo jam hoc aiente, quòd Invisibilia Dei, ex factis à Creatione Mundi per Philosophos intellecta, conspiciebantur.

3. Ad sensum igitur Loci nunc accedemus. In quo quidem exquirendo egregium operæ compendium faciemus, si veram vim, pondúsque Caussativæ hujus Particulæ Διότι, quæ bis jam ab Apostolo interposita est, expendere primò velimus. Sciscitemur igitur nunc, Quare monuerit, *Per Euangelium revelari Iram Dei de Cœlo super impietate Hominum Veritatem in Injustitia detinentium?* ver. 18. Respondet Apostolus, Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. Similiter sciscitemur, Unde dicere possit, *Eos factos esse inexcusabiles?* ver. 20. Respondet denuo, Διότι γνόντες τὸν Θεὸν, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ver. 21. Quis igitur non videt, tacitæ Objectioni nunc imprimis occurri, quæ vel ipsi Euangelio Injustitiæ Dicam hanc inscriptura erat, Quòd in primo statim Adventu Ejusdem Iram Dei iis interminetur, qui neque Euangelium, neque Deum antè noverant? Hóccine enim iniquum non est? Hóccine Juri, aut Rationi consonum, ut iuant homines, quod nesciunt? Diluitur autem objectio, Quia Euangelium quòd non noscant, suo ipsorum jam vitio factum est, qui audire nolunt, credereque; Credentibus enim universis (Judæi fuerint, an Gentiles;) *Euangelium est Potentia Dei ad Salutem*, ver. 16: Ad justitiam enim eam est, per quam ex Fide vivetur, ver. 17. Deum autem quòd non noverint, dici hoc non potest; *Quia quod de Deo cognitum, seu cognoscibile est, manifestum in ex Deo erat*, ver. 19, *Sic ut Apologiâ omni destituerentur*, ver. 20, *Noverunt enim Deum, neque tamen eum esse Deum debitè agnoverunt*, ver. 21. Si quæratur verò, Quodnam illud τὸ γνωστὸν, déque Deo *cognoscibile*, sit? Respondetur, Quod convincendis iis abunde erat, in clarissimis illis Attributis ejus comprehensum, Unitatis, Sempiternitatis, Potestatis, Divinitatis. Ista autem cum Invisibilia in se sint, hominibúsque in sensum non incurrant, si Quæstio porrò instituatur, unde poterant ergò cognosci? Respondetur, Intellecta ab hominibus, oculóque mentis suæ, quam Deus multis indiderat, apprehensa, per ea, quæ à Conditura Mundi facta in oculos, sensúsque incurrebant, & ipsa planè conspiciebantur. Excellentia enim operis cujusvis abunde nobis, siquid sapimus, deprædicat Artem, Sapientiam, Potentiam ipsius Opificis.

4. Atque ista jam genuina Analysis integræ hujus periochæ est. Qui igitur Viri fuerint, de quibus Apostolus intellexit se ista dicere, facilè nunc erit nobis statuere. Utcunque enim dici Euangelium non immeritò possit materia, quam sibi Apostolus hoc in loco tractandâ proposuit, ex eo tamen indicio inferre, Invisibilia ea Dei, non nisi per hæc quæ sub Euangelio facta sunt, in cognitionem hominum producta fuisse, C.R.p.24. Logices Barjesuiticæ solennis impostura est, à generali, quæ tractatur, materia definire amantis, (modò in rem suam facturum sit id aucupii;) quicquid inter agendum, quocunque modo, inciderit, vel si per Argumentum à contrario introductum fuerit. Scopum verò Apostoli satis nos jam vidimus. Dixerat, Euangelium quod annuntiabat, licèt Credentibus nil nisi Salutem, Justitiam, Fidem, Vitam spirabat, tremendâ tamen Ultionis Divinæ interminatione non Credentes ferire. Addit autem, Apologiam eos nullam habituros, neque queri posse de Severitate aliqua, aut Injustitia. Utcunque enim ipsi Euangelium, antequam promulgaretur, non noverant, satis tamen de Deo multis eorum, Queis meliore luto præcordia finxerat, cognitum erat ex ipso, quod indulserat iis, Lumine Naturali: Istam igitur cognitionem tam execrabili despretione in sese extinguentibus, æterno erat exitio luendum, non aliter, quàm & cæteris pòst, Qui Euangelium quoque jam cùm affulserat, pari contumaciâ aversabantur, iisdémque flagitiis incocti, ibi toti erant, ut improbitate sua Veritatem detinere usque possent, atque supprimere.

5. Catechistam igitur arbitrari, nihil cuiquam de Deo unquam manifestatum fuisse, quod ad improbitatis suæ condemnationem satis esset, nisi per Lumen factorum sub Euangelio, Liberatorem jam se egregium ex hoc præstat Porcis Epicuri de grege omnibus, & notissimis illis Socraticorum Cinædorum Fossis, & universo Cœtui, qui Philosophiam in Gentibus, sed cum summa fœditate, atque idolomania, professi sunt, ante Crucis Christi erectionem. Quod felix igitur, faustúmque iis è Barjesuita hoc fit, Audiant eum, lineâque ductâ, distingui se per tempora sua curent, & Fulmen istud, quo Apostolus jam jaculatus est abominandos illos Magistros, magna ex parte brutum erit; Frustrà enim feriet Duces ipsos, neque ad haram vniversam eorum quotquot ætate superârunt Caligulam, Moscorovio jam auspice, quicquam pertinebit: Nullius, illi ante Christum redivivum, ingratitudinis in Deum rei erunt, ver. 21; Non imputabitur ipsis τὰ μεγαλεῖα, ver. 22: non accensebuntur sacerrimis Idololatris, ver. 23. In honore erunt, nefandissimâ turpitudine aliquâ, naturæque ipsius abusibus nihil obstantibus: à ver. 24. ad ver. 28. Felices, illustréque etiam in illa nequitiæ omnis, atque iniquitatis plenitudine, à ver. 29. ad ver. 31, Mutabit denique illa sententia Apostoli, Barjesuitæ huic parùm dicere visi, *Nullam ergò nunc Condemnationem esse iis, qui in Christo Jesu sunt, secundùm carnem non ambulantibus*, Rom. 8. 1, ipsóque Authore, erit, Nullam ergò nunc Condemnationem esse iis, qui ante Christum Jesum erant, quantumvis secundùm carnem ambulantibus. Sic visum est inclyto Catechistæ!

6. Et quorsum veró? Infinitè quidem Socinitatis interest, ut hujusce modi Opinionis Fides apud suos stet. Præcipuum verò est, quod nunc agitur. Illa enim, *Invisibilia Dei* dicta, de Deo tamen cognoscibilia, Unitas, Potentia, Æternitas, Divinitas ejus, si sine SScriptura, præsertim si sine Euangelio, ex ipso Mundi opificio, manifestata à Deo fuere, ἐν αὐτοῖς, id est, Philosophis Ethnicis; (Quod ego tamen à nostris nolim verti, In them, quasi jam Ἐν valeret *apud*, neque certè to them, quasi redundaret Præpositio, Sed, quod ex idiomate Hebraico vulgare est, among them, Alii enim eorum plus, alii minus cognôrunt, sed inter eos non defuerunt, quibus à Deo indulta erat harum rerum cognitio:) Quid igitur reliquum est, saltem quid reliquum feciſse dicentur Barjesuitæ, quod jam supererit manifestandum hominibus per Euangelium? Nam illud omnium diviniſſimum, Mysterium Patris & Filii, & Spiritûs Sancti, SS. Monade, Triadéque comprehensum, quantum in ipsis est, penitùs evacuârunt; Redemptionem etiam per Christum excluserunt; Merito mortis Domini abrenuntiârunt; Sacramenta ipsa Ecclesiæ, sacrósque Christi Ordines exulare jusserunt: Post istas igitur, cæterásque rapinas suas, exiguissimum certè erit, quod prætendi poterit, restare ab Euangelio mortalibus manifestandum, nisi jam Attributa illa Dei Euangelio soli adserere, soli servare posse videantur; Quorum tamen cognitionem Deum sagaciori Hominum generi, ante Euangelium, ex ipsis operibus suis manifestâsse, nos cum Psalmista celebramus, Psal. 19. 1, Euangelii utcunque fuerit, eandem cognitionem, omnibus à se annuntiatam, etiam & illis qui antè non ignorabant, adaugere, illustrare, perficere, confirmare, ínque Præsentis Vitæ Regulam, Æternæ Tesseram, convertere. Nobis igitur nunc sic verto Locum; ver. 19. **Because that which is to be knowne of God, is manifest among them: For God hath manifested it unto them**, ver. 20. (**For what things of Him are invisible, being understood by the things made from the Creation of the World, are well seen, Both his Eternall Power, and Divinity**:) **that so they should be without excuse.** Sonat enim mihi hoc, ὡς τὸ ἔργον, non ex Consecutione solùm dici, **So that they are**, sed ex Intentione etiam, **that so they may be.** Fúmque

que in ſenſum, & αἰτιολογίαν iſtam antegreſſam, (quomodo τὸ γνωσὸν τ Θεῦ procreatum fuerit, ex illis, τοῖς ἀοράτοις ἀυτῦ,) ſub Parentheſi quadam comprehendi optem, ut ſic referri poſſit iſtud, εἰς τὸ εἶναι, ad antedictum, Θεὸς ἐφανέρωσεν. Aliter enim ſi ſumatur, cùm dixerat jam Apoſtolus, *eſſe manifeſtum iis*, confeſtim etiam dicere, *Deum manifeſtaſſe ita*, tantùm non περίλογον. Sed ex tali Punctorum ratione, non ſalva res ſolùm, ſed & facilis, claráque erit.

7. Verùm ex iſtis nunc ſequetur, Neq; Sententiam ſuam vehementer mihi probare Eruditos quoſdam, Qui Apoſtolum arbitrantur hac in parte Capituli, directè, atq; de prima induſtria, invehere in Primævos illos Hæreticos, Samaritani Magi Sectatores, Cultoréſque pòſt, & Gnoſticos tandem, (non propter τὸ γνωσὸν hoc, ſed propter adfectatam ab iis ſingularis γνώσεως opinionem) nuncupatos. Ex iſta enim Hypotheſi etiam ab ipſis Argumentum hoc Apoſtoli reducitur ad poſt Euangelii promulgati tempora, Cùm neque Simon ipſe, niſi poſt annos aliquot ab Adſcenſu Domini Fidei ſeſe ſubmiſerit, Act. 8. 13. Verùm, (obteſtor) Qui hoc fieri poſſe dicetur, Ut illius demum temporis, illiúſque Profeſſionis homines, qui admiſſi jam ad Chriſtianæ Fidei Myſteria fuerant, non aliter nunc ab Apoſtolo arguantur, quàm ex hoc ſolo, quòd cognôrint tamen, Deo competere Æternipotentiam, atque Divinitatem, Atque indè inexcuſabiles facti fuerint? Quantò magis verò degravari poterant, (Atque debuerant certè, ſi hii fuiſſent, quorum cauſsâ gravis iſte Elenchus prodiit;) De SS^mæ Trinitatis; De Incarnationis Verbi; De Redemti Mundi; De Maceriæ dirutæ; De Eccleſiæ conſtitutæ; De totius denique Symboli Fidei cognitione, conceſſa iis à Deo, ſed ſúſque déque ab ipſis habita? Non cohærent iſta, neque cum Apoſtoli acumine conſiſtere poſſunt, aut cum rectâ Argumenti ipſius ratione. Mitto autem cætera non pauca, propter quæ, ex communi Theologorum Sententia ſtatuendum eſt, In iſto σκληδτικῷ ſuo Apoſtolum primariò, atque directè ferri in illos φάσκοντες εἶναι σοφὸς, ver. 22. Gentilium ſcilicet Philoſophorum genus omne, ex ea ipſa, quam à Deo conſecuti fuerant De Deo cognitione, ab omni Scelerum ſuorum Apologia excluſiſſimum. Nemo tamen inficiabitur, quin in ἀλισγήμασι, καὶ ἀσεβημάτιαις eorum depingendis, damnandíſque ità ſe (SSpiritu Duce) explicare potuerit Apoſtolus, ut eâdem operâ, ex obliquo poſſet, & falſiſſimi Nominis, Chriſtianos illos, ſed veriſſimi, Simonianos, Orbi inficiendo tum natos, eò vehementiùs Romanis ipſis, Piíſque omnibus ſecandos, devovendóſque propinare; Quos quidem, Si per Illationem ex hiis Præmiſſis paratam ſibi, mutatâque tandem Perſonâ eorum, compellare Paulum dixerint, rectâq; in eos irruere, in Capitulo ſequente, Διὸ ἀναπολόγητος εἶ, ὦ ἄνθρωπε, Rom. 2. 1. pedibus ibo in ſententiam.

SECT. XXXVIII.

1. *Falſa Pretenſio Barjeſuitæ eſt*, Deum *in SScripturis dupliciter dici.*
2. *Perſonæ Divinæ omnes ſunt Dominus Unus. De Deo cum Reſtrictione dicta ſumi oportet in ordine ad Res extra Deum.*
3. *Qualem ſibi Chriſtum Barjeſuitæ finxerunt. Deus verè Unus. Chriſtus verè Deus.*
4. *Omnem Chriſtus, quà Homo, poteſtatem habuit, non ex vi Reſurrectionis ſuæ, ſed Hypoſtaticæ Unionis.*
5. *Unio Naturarum erat in Conceptione Domini.*
6. *Judæi ipſi arcebunt eam Barjeſuitæ diſtinctionem de Deo.*
7. *Quomodo Deus à Chriſto dictus ſit* Pater ſuus, *atque* Omnium Pater. *Judæi admittebant* Δυάδα *Perſonarum in eadem Deitate.*
8. Dixi, Dii eſtis, *Quid. Ut* Filius Dei *dicatur quis. Barjeſuitis verè Deus unus non eſt.*
9. *Homines cur dicantur* Dii. *Cur celabatur Chriſti Deitas ante Crucem. Sanctitas Homines facit filios Dei.*

BArjeſuita meus, cùm negari à ſe non poſſe ſentiret, *Filium, in illis Scripturis, quæ aſſerunt, Deum eſſe Unum tantùm, Deum vocari*, C.R.p.33, Nè indè colligeretur, Eſſe igitur Filium Perſonam in Deitate, opus ibi eſſe perſenſit, ut in adverſum niteretur, & aliquâ, ſi poſſet, intercederet. Quid igitur facit? Sedeciæ Pſeudoprophetæ exemplo, in re ſatìs deſperata, cornua ferrea ſibi fabrè facientis, 1 Reg. 22. 21, & ipſe Diſtinctionis formidandæ ſe Dædalum facit, per quam capiti ſuo cavere ſe nonnihil poſſe ſperat, ab Argumenti, tam feralis ſibi, Sectæque ſuæ, infortunio. Sic igitur adornat rem; *Vocem hanc DEUS duobus potiſſimùm Modis in Scripturis uſurpari*, ait, Cat. Rac. p. 34. Titubat autem jam in Cauſſæ tam Lubricæ ipſo veſtibulo. Eſt autem in SScripturis & alter Modus, ab horum utroque diverſus, qui & altero horum frequentiùs occurrit, cùm de Diis Gentium dicitur. Sed avocamenta nulli ſectamur: Sequimur Diſtinctorem ad Modos ſuos. *Prior eſt, cùm deſignat illum, qui in Cœlis, & in terra ità dominatur, & præeſt, ut neminem ſuperiorem agnoſcat, Ità omnium Author eſt, & Principium, ut à nemine dependeat*, C.R. ibid. Sed ποῦ τὸ ἀνθρωπίνως! Ubi enim SScriptura ſic loquitur? Monſtret Textum, è quo formatur iſte Modulus.

2. Non, quòd nobis hæc, quæ dicere velle videtur, negandi ſit animus, ſi ſingulatim accepta ἀκυρολογίαι primùm ſuſpicione purgentur, Senſu dein, non Sophiſtico, ſed Genuino & ſuo, De Deo abſolutè (id eſt, in quacunque Perſona Patris, Filii, aut Spiritûs Sancti) enuntientur; Aliter enim ſi ſe accipi velit, ridicula eſt Petitio Principii. Requirimus igitur, ut Divinæ Perſonæ, per conſuta hæc dicta, inter ſe non committantur, ſed ut omnia, quæ dicere videntur, ſumantur in Ordine ad quicquid in Orbe præterea eſt, extra Deum. Quòd vapulat igitur nobis jam Veterator, eſt, Quia per craſſum Sophiſma, Res ſatìs in ſe Heterogeneæ, ſub iſto diſtinctionis ſuæ complexu compoſitæ ab eo, conſutæque ſunt: E quibus, (licèt aptari jam à ſe poſſe videantur ad Inſtandum in propoſito, ádque celandam Petitionem Principii aliquid faciant;) haud ipſe tamen reverà quicquam proficit, Quoniam Extraneas alias Perſonas (Quod ex voce ea, *Nemine*, non ſemel inculcatâ, manifeſtum eſt;) cum Deo ſuo comparat. Indè igitur ire foras cum conſutis ſuis dolis jam à nobis jubetur, Qui & ipſi tamen nil minùs adſerimus, Deum Patrem, Dominum eſſe, Deum Filium, Dominum, Deum SSpiritum, Dominum, Neque tres tamen Dominos, ſed unum Dominum: Adſerimus etiam, SS. Triadem hanc, non ſolùm omnibus in Cœlis, Terráque præeſſe, ſed & in ipſa Triade, ſeorſim à rebus extra ſe conſyderata, nihil eſſe ſuperius, aut inferius, nihil prius, aut poſterius; In una enim Eſſentia Integras tres Hypoſtaſes, & coæternas ſibi, & æquales eſſe.

3. Pejuſculè igitur cedit ei vel Primum hoc Cornu: Succedat jam, ut poterit, Secundum. *Poſterior Modus eſt, cùm vox*, Deus, *eum denotat, Qui Poteſtatem aliquam ſublimem ab uno illo Deo habet, aut Deitatis Unius Illius Dei aliquâ ratione particeps eſt. Etenim in Scripturis propterea Deus ille unus* Deus Deorum *vocatur*, Pſal. 50. 1. *Atque eâ quidem poſteriore ratione, Filius Dei vocatur* Deus, *in quibuſdam Scripturæ locis*, C. R. pag. 34. Et ad alterum hoc membrum Diſtinctionis jam quid nos? Profectò non unum eſt, quod vel obiter in eo notamus. Primum, Satìs adhuc incertos hos Homines eſſe, qualem ipſi ſibi Chriſtum effinxerint, Nondum enim pendêre iis hæc res deſiit. Eſt Ille quidem, aut qui Poteſtatem ſublimem habet, aut qui aliquà Particeps eſt Deitatis, Hactenus certè de eo decrêrunt: Sed utrum horum, an Utrumque, cùm iſta ſcriberentur ab eo, expectandum erat. Sapiebant enim atque in re tanti momenti, Experientiæ, quam ipſis poſt aliquot luſtra, recens tum Chriſtus ſuus, facturus erat, relinqui volebant. Alterum eſt, Quod non contentus

rem, (neque necessariam nunc quidem) semel dicere, tanta cum satagentia vel sibilo digna, repetendum sibi toties duxerit numerale istud suum, *Unius Illius Dei*, atque, *ab uno illo Deo*, &, *Deus ille unus*, Quasi jam Bonæ Fidei Christiani alium quàm unum Deum crederent, colerentque, (saltem sic ab Asellis suis credi de Orthodoxis ipse velit;) rémque hanc salvam non futuram, nisi ipse jam, tam fruſtrà, turpitérque Battologizando, succurrat. Addatur etiam, quòd ejus, *propterea*, cur Dominus Deus vocetur *El Elohim*, Psal. 50. satis temere huc ab eo, in hanc Christi, quam nunc molitur, descriptionem intruditur, quum ipse Christum longè recentiorem faciat, existimétque non ante Mariam Virginem fuisse, C. R. p. 53. Denique, quòd ex illis quibusdam Locis, in quibus agnoscit Filium Dei vocari Deum, ipse nullum laudare nobis voluit, (Locorum tamen, ubi in rem suam facere opinatur, Cumulator satis prodigus,) laudanda est solertia ejus. Metuebat enim, ne malè morati Adversarii actutùm indicarent, ex ipsis illis Locis, (etiam à seipso laudatis; In nullis enim factu hoc facile non erit:) aliquid amplius, ad verè Divinam in Christo Naturam adserendam, quàm sub terminis hujusmodi Diminuentibus, *Potestatis alicujus*, & *Participii alicujus*, ab ipso intenditur, eliciendum esse. Sed hæc quasi in transitu jam sint.

4. Cardo autem Controversiæ totius, in conclusione, quam fecit, vertitur. Filium enim Dei ait, *alicubi vocari Deum, ex posteriore ea ratione*: hoc est, *Quia sublimem à Deo Potestatem habet; aut quia aliquâ ratione particeps est Deitatis.* Hoc ipsum verò & nos jam dicimus: Christus ob istas rationes vocatur aut vocari potest, Deus. Et quid indé? Ergò vicit Caussam Catechista? Vah! Ergò ridiculus ille Distinctor est, & fallax Sophista. Nisi enim addiderit, Christum, ob istas solùm rationes, Deum alicubi vocari, minùs nihilo ad rem dicit, & Distinctio ejus in fumos abit. Restrictionem autem, *Solùm*, si ausit addere, non solùm vapulabit denuo, sed & dein peribit. Verùm non jam primò vulpeculæ istam astutiam notamus; Sponte largiendo partem non controversam, fileri posse sperat, celarique, quod non audet dicere. Nos verò ipse jam paululùm audiat, etiam in parte ea, quam lubens largitur, ampliantes. Adserimus enim, Christum, quâ homo est, non solùm *aliquam Potestatem sublimem*, sed Potestatem omnem, omnem in Cœlo, Terrâque, Mat. 28. 18, accepisse. Et unde acceperit, si jubeamur dicere, Eam, non Resurrectioni ejus, (cui Barjesuitæ eam, non minùs ex dolo malo adscribunt, quàm ex futili cavillo, & ponderis nihil habente, Quia Christus disertis, si placet, illis verbis, quicquid Re antè præstiterit, usus non fuerit, nisi postquam resurrexerat;) Sed Hypostaticæ Unioni ejus, (Barjesuitis quidem exosissimæ) acceptam ferimus. Natura enim Christi Divina, per Adsumtionem Humanæ in Deum, Humanam reddidit, non ex aliqua ratione duntaxat, sed ex infinita, participem Deitatis. Istâque de re nos præcipuo modo (Quasi ex præsagio quodam, quid olim Racoviæ prostaret;) commonefacti ab Apostolo, videbimus, σὺν Θεῷ, nè vel Sociniissimus quisquam, *Depradando nos sit per Philosophiam aliquam, atque inanem fallaciam, ex traditione Hominum, & elementis Mundi*, Col. 2. 8, hoc est, per fallacem prætextum rationis, atque per egena rudimenta Secularis Scientiæ: (Quibus Sciola ea factio miserè dementatur:) Sed ut rectæ Fidei Christi semper inhæreamus, *Quoniâ in ipso inhabitat omnis Plenitudo Deitatis corporaliter*, v. 9. Quem Locum quàm pueriliter corrumpere nobis Βαυκοταυῆγοι isti sategerint, jamdiu est, ex quo indicatum à nobis est.

5. Pergit autem Fumivendulus noster, magnóque hiatu promittit, Se *ex ipsius Filii Dei verbis edocturum, Filium Dei in posteriore ea Significatione vocari in Scripturis Deum*, C. R. p. 34. Dispereat, nisi insanùm benignus sit! Verùm audi sodes Sophista; Jam hoc denuo postulandus es, An in ea Solúm? Nisi id dixeris, Nugaris, prævaricaris, Barjesulta es. Audi igitur, quid & in hoc nos suffragemur; Christus Homo, rectè potest dici, atque in Scripturis dicitur, Deus. Ratio est, Quia non Potestatem solùm aliquam, aut Participium (nescis quod) Divinum, sed plenam, perfectam, Hypostaticam Unionem Natura ejus Humana, indè à primo momento Conceptionis ejus in utero B. Virginis, habuit cum Natura Divina. Verùm hoc magis jam, Deus ipse & est, & esse dicitur, respectu ipsius Deitatis suæ, In qua, prout Nunquam erat, quà filius Dei est, Quando non erat, Ità Nunquam erat, quà filius hominis est, Quando non unitus erat; Verè igitur Deus æternùm erat, est, erítque, Distinctionis jam Barjesuiticæ fraude explosâ, æternúmque damnatâ. Neque non audiemus tamen, quid ille se ex ipso Filio Dei habere confidat, quod pro se alleget. Verba autem sunt, *Si eos dixit Deos, ad quos Sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura; Quem Pater Sanctificavit, & misit in mundum vos dicitis, Quod blasphemas, Quia dixi, Filius Dei sum?* Jo. 10. 35. Agnoscimus autem hunc Locum, paulóque altiùs præmissa repetentes, addimus, Pollicitum Christum fuisse, *Oves suas æternâ Salute à se donandas, nullâque vi à quoquam unquam rapiendas esse*, v. 28. Confirmâsse verò eum hoc, *Quia Pater, à quo acceperat eas, omnibus major est; E Patris igitur manibus nemo valebat rapere eas*, v. 29. Per Patrem verò, cum illi Deum intelligi ab ea satis scirent, annexuisse eum etiam, in fidem suæ ipsius Potentiæ, *Ego, & Pater unum sumus*, v. 30. Horrescere verò ad hoc Auditores, atque ad lapides se conferre, ut ipsum conterant, v. 31. Christum contrà scisciari, *Propter quid lapidaturi eum erant?* v. 32. Respondere eos, Περὶ βλασφημίας· *Quia Homo cùm sis, facis teipsum Deum*, v. 33.

6. Hóccine verò est? Quàm opportunè igitur? Hem, Catechista, Adesdum tu quantocyùs, cum mirifica tua Distinctione. Edoce fratres tuos Judæos, quàm turpiter errent, Quia nesciunt distinguere. Sciant verò ex te, Deum dupliciter dici, Primò quidem ex absoluta sua Natura, ut verè Deum, Deum illum Unum, (cavesis, nè hoc omittas.) Secundò verò, ut Deum, per Potestatis à Deo, aut aliquâ ratione Deitatis etiam, acceptionem. Christum autem, (siquid ames,) se Deum facere, nisi posteriore istâ ratione, dicas. Quid stas, Lapis? Quin, Lapides iis per salutarem Distinctiunculam tuam è manibus excutis? Nisi metuendum profectò tibi esse videas, Nè in tuum ipsius caput provoces eos, atque à Populo, nugas has non audiente, comminuatur Distinctorculo Cerebrum unà cum ingeniolo. Verùm id si fit, Recedas igitur, quò dignus es, atque Distinctionem tuam, quam nec Judæis persuadebis, ut admittere velint, Racovianis tuis serves. Nos interea temporis, nè in tenebris penitus versemur, ad Christum solum piâ mente nos conferimus, ex ipso expiscaturi, quid hoc rei sit.

7. Atque Illum quidem reperimus, Mysterium Deitatis suæ illis nunquam, (Mysterio Dispensationis suæ, quam nunc obìbat in carne, silentium hoc exigente;) enarravisse, Deum utcunque Patrem suum (de more suo) dicere, nunquam refugerat; Nam & *Patrem vestrum*, quoque, Discipulos sæpe suos, sæpe & Populum omnem adfatus, non minùs Eum indigetârat. Igitur quòd *se, & Patrem jam Unum*, dixit, quicquid ipse de se intelligebat, Sciebat tamen Judæos nihil, ex dictis ab eo priùs, habere, cur id aliter acciperent, quàm si, Correlativo expresso, Filium se Dei dixerat. Neque aliter certè eos accepisse eum, ipsa locutio eorum indicat: Non enim dicunt, *Quia homo cùm sis, dicis te Deum esse*; Quod ille quidem disertè nunquam dixerat; Sed *Quia facis te Deum*. Ex eorum igitur interpretatione tantùm (nec malesana tamen) hoc fluebat; Probè enim colligebant, Qui Dei Filius (eo, quo nunc Christum accipiebant, modo) est, oportere & eum Deum esse, quantumvis sciebant, Deum nisi Unum esse. Hactenus igitur jam & Judæis ipsis animus, captúsque Divinior erat, Fidesque verè Christianæ vicinior, quàm Barjesuiticis Sophis nunc est. Nam & illi monstrabant, credere se tum posse Δυάδα ἐν Μονάδι, ἢ Μονάδα ἐν Δυάδι· (Eadem autem ratio erit & Unitatis, Trinitatísque.) Pro concesso enim, quod jam audiebant, sumto,

sumto, Deum habere Filium, posse eum Deum, Unum Idémque in Se, Filióque suo esse, (ex hoc, quod Christum se Deum indè facere causſantur, sed non causſantur, eum plures Deos facere;) tantùm non profitentur.

8. Cæterùm quod Christus iis jam reposuit in hanc Summam recidet. Dixi me quidem Filium Dei, Sed quid indé? Hominem enim dicere, *Sum Filius Dei*, potest non blasphemia esse; Me verò ità dicere, non potest esse blasphemia. Argumento autem duplici, quorum utrumque à Majore ducitur, hæc duo firmat. Primum est, Dicere, quod Majus est, potest non esse blasphemia, Ergò nec hoc. Probatur Antecedens, *Quia in Lege legitur, Ego dixi, Dii estis*, Psal. 82. 6. Illi igitur, ad quos Sermo Dei, (Demandata scilicet Authoritas Judicandi populum eum, Quâ de eos adfatur;) factus est, Dii ab eo vocantur. Majus verò istud sonat, quàm ab Homine quovis vocari Se Filium Dei. Istud primum est. Alterum verò tale est, Si ità dici potuit de illius ævi Hominibus, quos nescimus tamen, quales fuerint, præterquam quòd Judices, & Principes erant, Deos eos esse, Quantò magis ab omni blasphemia abesse oportet, Filium eum, quem Pater jam unum, solúmque consecravit, & ad Mandata longè majora, atque ità in mundum, misit, dicere de se, Filius Dei sum? Auditâ autem Summâ Argumentationis Christi, audiamus nunc sultis, ut ex eadem arguetur Barjesuita. *Hîis verbis apertissimè indicat Christus, hanc vocem* Deus, *etiam iis in Scriptura attribui, qui Uno illo Deo multò inferiores sunt*, C.R. p. 35. Indicat certè, SScripturam, eos vocare Deos, (Sed in Numero Plurali, habitóque respectu publici Officii, quod illi pariter sub Deo tum gerebant:) Quibus Deus ipse, (vel, ut Barjesuita, ad indicandam ridiculam suam è verbulis captionem, loqui amat,) Unus ille Deus, (Quem Unum quidem esse Orthodoxi omnes, uno ore, cordéque firmiter profitentur; Socinini soli sic loqui affectant de eo, ut & Alterum Deum, sed aliquantò inferiorem, atque ipsâ Deunculum, admittere se indicent:) infinitè præcellebat. Habet igitur jam hoc. Ecquid est amplius? Est. *Tum etiam, Quòd nullam aliam ob causſam majorem, Ipsſum Dei filium, ac proinde Deum, asſeruerit, nisi quòd à Patre Sanctificatus, & in mundum missus fuerit*, C.R. p. 35.

9. Nullam majorem autem? Jam hoc Barjesuiticé! Inferri enim hinc sperat, Quia major nulla ibi jam scribitur, majorem ergò Causſam omnino nullam fuisse. Verùm dicat Paralogista, Quid opus erat jam aliâ? Dicat, Quorsum Christus Causſam istâ majorem nunc allegaret. Argumentationem ejus prorsùs à majore ductum esse suprà indicatum est; Satìs enim vel in Lege fuit, Homines eos, qui in mundo antè egerant, (more humano; Satis corrupto igitur,) mundúmque haud satìs exuerant, Quia tamen vel modo communi, atque per Homines, Sed ex Dei Mandato, atque in vices Dei, ad regimen populi Dei admoti erant, Deos rectè, & sine blasphemia aliqua dici: Quantò magìs igitur, magísque omni blasphemiæ vel colore quidem carere oportebat; Hominem, Qui à Deo Patre, & non ab Homine, indè à principio, Modóque Speciali, sanctificatus fuerat, atque in Divinum solummodo finem, (utì ipse Christus optimè de se nôrat,) à Patre in Orbem introductus, dicere, se esse Filium Dei? Infinitè jam Major est Vis hujus Consequentiæ, præ quàm erat illa prioris, quam ipsi tamen non poterant non approbare. Argumentum igitur ad Homines tam irrefragabile cùm hoc jam fuerit, majore nullo inpræsentiarum opus fuisse quis non fatebitur? Neque certè Causſam, cur ipse Filius Dei vocaretur, Christus ante Crucem omnino intendebat manifestare iis majorem, quàm quæ ipsi competere credi posſet, quà Homo erat, Etenim quòd pariter & Deus erat, id nondum erat apertè dicendum, nondum clarè enarranda illa Generatio Ejus, nè interverteretur totius Dispensationis suæ Mysterium, *Si enim cognovisſent, non crucifixisſent*, 1 Cor. 2, 8: (ut sæpe monuimus.) Idéoque nè Modum quidem, aut Mensuram, (*sine Mensura* eam quidem, Jo. 3. 34.) Sanctificationis suæ nunc exposuit iis; Quæ per Hypostaticam Naturarum Unionem reverà in ipso extitit, prout Archangelica Annuntiatio B. Virginem, Parentem ejus, phrasi licèt aliquantulùm tectâ, edocuit, *Propterea quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur filius Dei*, Luc. 1. 35. hoc est, Filius, quem paritura es, Quia & tum, in ipso conceptu primo, & tam absolutè Sanctus erit, ideo & Filius Dei vocabitur; Cùm & aliter tamen, (hoc est, ex alia Causſâ majore,) Deus etiam, non Solùm è Seculari sua, sed & ex Æterna quoque Generatione, fuerit; Cujus quidem adserendæ tum, cùm hæc à Christo dicebantur, nullus ei erat Usus, Locus, Tempus.

SECT. XXXIX.

1. *Collecta Ecclesiæ in S. Thomæ. Primum Christum professus est Deum. Doxologia indè, & Hymni; Genuflectere etiam ad nomen Jesu, atque adsurgere ad Lectionem Euangelii.*
2. *Ut Deitatem Christi negent, negant Conclusionem. Catechistica Forma in Polemicis adsumitur ex Dolo malo.*
3. *Si Christus Deus sit, tum Duos esse Deos, insanè infertur.*
4. *Natura Humana Divinæ in Christo velamen erat. Christum nullum habent Barjesuitæ. Catechista vapulat, Regi inscribere ausus.*
5. *Distinctio Naturarum in Christo, Arianos, & Socininos obruens, fundatur ab ipso Paulo.*
6. *Recta Ratio etiam, ut est* Via Domini, *à Barjesuitis pervertitur. Instare in Proposito, est Petitio Principii.*
7. *Substantiæ, Proprietatibus adversæ, in eadem Persona coire possunt. Elementa enim in quoque; Animáque & Corpus.*
8. *Unus est nobis Jesus Christus; Barjesuitis Plures esse possunt: Christus assumsit Humanam Naturam solùm, sed Perfectissimam.*
9. *Unionem Naturarum, à similitudine Animæ & Corporis in Homine, quàm miserè oppugnent!*
10. Persona *Quid. Natura non est constituere Personam per se. Immane quantum Catechista sophisticetur.*

SAnctissimo Ecclesiæ Consilio constitutum est, In Collectâ Commemorationis S. Thomæ, *Deo nos has Gratias agere, quòd Apostolum de Resurrectione Christi dubitantem ità confirmaverit, ut & in Nostra Fidei confirmationem illud cesserit.* Quàm velim verò, additum etiam fuisset, Ut & ipse Thomas Ducem se Fidelibus præstiterit, in apertam Divinæ Naturæ cum Humana conjunctæ professionem. Thomæ enim ea verè Prærogativa est; Ille, Qui ultimus ex Apostolis, & non nisi serò, post integri Septidui moram, credere voluit, Christum Hominem reducem è Sepulcro factum esse, Primus omnium jam evadit, Qui ex instinctu SSpiritûs, Christum Deum, atque sub expressa nomenclatura Dei, veneratus est. Beatum igitur Cor illud, Cui primò Divina ea gratia indulta est, post expurgàtam dubitandi de Resurrectione labem, in tam præsentem Hypostaticæ Unionis Fidem, atque Professionem erumpere! Neque poterant quidem non expectare cæteri Sodales ejus, ut ex insigni ea tam insperatæ συγκαταβάσεως gratia, erigeretur ei animus, per aliquam non minùs insignem de se Professionem, monstrandi, quàm pronâ jam Fide Redivivum Dominum crederet colerétque; præstitístque hoc peregregiè, per Tria illa vocabula, Quibus (non sine gestu sui, quali par erat, proculdubio expressis,) usus tum est, ὁ Κύριός μου, Joan. 20. 8. Verùm quòd ex istius jam Fidei luce, tam clarè etiam perspiceret, adesse Deum, ut ab ea quoque agnitione, cultúque non temperaret, sed in officii cumulum pariter adderet, καὶ ὁ Θεός μου, jam hoc eorum omnium, si

non

non fidem, expectationem tamen longissimè superavit. Inoleviſſe autem, vel indè, in Eccleſia Dei eum morem, diſertis etiam Verbis, Modíſque Deitatem Chriſti Domini inter Sacra publica celebrandi, abunde paret, tum ex illa Doxologia, (Quæ ad Naturam ſolùm Divinam, ex præmonitione Moſis, referenda erat, Deut. 32. 3. atque ab Hebræis in eum ſemper uſum accini ſolebat,) in ipſius tamen Chriſti Honorem de induſtria ab Apoſtolo addita, *ex Patribus eſt Chriſtus ſecundum Carnem, Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in Secula*, Rom. 9. 5. tum ex priſcis Eccleſiæ Ritibus, ſive Hymnorum erant, quos in Chriſti, ut Dei, Cultum Primævi Fideles ceciniſſe memorantur ab ipſis Ethnicis, ſive Genuflectendi ad Nomen Jeſu, Exurgendíque in Honorem Lectionis Euangelii Chriſti: Quæ ad noſtra etiam Tempora piè defluxerunt, licèt nunc, præ conjuratis Phariſæorum, id eſt, Aerianorum Presbyterorum machinamentis, dein & Sadducæorum, hoc eſt, Anabaptiſtarum, atque Barjeſuitarum viribus furoribúſque AntiChriſtianis, (conſpirantibus etiam Romanorum, id eſt, Jeſuitarum, & Pontificiorum odiis, (atque paulò tectiùs quidem, Quia ex alio Capite, & ſuo, ſed non ſegniter;) Scelus ipſum promoventibus,) coacta ſint in fugam ſe dare, & cum ipſa S. Matre, Eccleſia Chriſti, in eremo nunc exulent.

2. Intercedit autem jam ad hoc progenies illa Barjeſù, nullo modo paſſura, ut ad Naturam aliquam Divinam in Chriſto probandam, Eulogiæ iſtæ, (aut Pauli hæc, aut illa Thomæ) credantur pertinere. Quidni ve-
10 ró? Certè, Nè temere ab iis reclamari videatur, hem, Catechiſtam ſuum in Scenam nobis protruſerunt, cum Ratiunculis ejus mirè Cασοφισμάτως ad iſtam impietatem, *Thomas enim* (ait,) *eum appellat Deum, in cujus manibus clavorum, & latere lanceæ veſtigia deprehendit*, Cat. Rac. pag. 100. Appellat certé: Atque indè Nos Deo principaliſſimè, dein & S. Thomæ has gratias habemus, concludimúſque lanceam, clavóſque in Humana ſua Natura paſſum, etiam & Divinam Naturam habere, Appellatur enim à Thoma, rectâ jam tum, erectâque Fide donato, *Deus*. Verùm alia ſunt Polono conſilia, Noſtris inimica planè, & nihil hinc niſi luem Chriſto ſpirantia. Horſum enim ipſe ad Arma hæc ſe, poſt Judæos jam confert, non quidem ut Hominem Chriſtum denuo, ſed quod feralius eſt, atque Barjeſuitâ dignius, ut Deitatem Chriſti omnem actutùm poſſit clavis iſtis configere, lanceâque confodere. Actum igitur eſt jamdiu Racoviæ de Deo Thomæ! neque mitiùs quidem agitur ibi cum Deo Pauli. *Nam & Paulus*, (ait,) *eum Qui ſecundum Carnem ex Patribus erat, Deum ſupra omnia benedictum vocat*, C. R. pag. 101. Rectiſſimè; Atque iſtam jam nos alteram nobis inſtituimus Gratiarum noſtrarum Deo cauſſam, & Divinæ in Chriſto Naturæ invictam Probationem. Attamen Pugil iſte à Moſcorow jam curabit, ut & hâc quoque miſeri excidamus, (Nóſque, Deúſque noſter,) & fruſtrà in hoc æternùm ut ſimus. Quid enim faciet? Quod Barjeſuitam, non Cauponantem Bella Diſputationum, ſed terribiliter belligerantem, in primis decet, Negabit Concluſionem. In ſpeciem quidem iſtud, atque pro Arte ſua Barjeſuitica, cataſtemate Catechiſtico, (cucullo, ſiquis uti volet, ad peccatorum Dialecticorum multitudinem operiendam facilè aptando,) aliquantulùm velavit, nè pueris ejus ſtatim innoteſceret: ſed ſi paululùm excutiatur, eò demum redibit res. Ità enim à Nobis inſtituendum eſt Argumentum hoc, quod ille arietat, De quo Thomas, etiam cùm vulnera ejus videret, dixit, (Deus meus!) Quem & Paulus, è patribus utcunque in Carne ortum, dixit, Deum ſuper omnia Benedictum, Eum Naturam, non Humanam ſolùm, ſed & Divinam quoque habere, neceſſe eſt: At de Chriſto, talis cùm fuerit, Paulus, Thomáſque talia dixerunt: Habet ergò Chriſtus etiam & Divinam Naturam. Reſpondeat igitur jam Catechiſta, Vóſque Sectatorculi ejus piè attenditote.

3. Sic igitur Ille, quaſi Retorquendo, ſperavit effugere ſe poſſe; *Quæ omnia* (putà *Vulnera habere, atque è Patribus eſſe,*) *dici de eo qui Naturâ Deus eſt, nullo modo poſſe, planum eſt*, ibidem. Quid hoc aliud igitur nunc eſt, quàm Concluſionis Noſtræ negatio? Hiis omnibus enim non obſtantibus, Deus tamen Chriſtus, Deus in æternum Benedictus, ab Apoſtolis dictus eſt, Ergò habet Naturam Divinam, ſic Nos. At non habet, reſpondet Catechiſta. Quam ergò propoſitionem nunc negat? Tantùm, Quia Bonus eſt, pro ſua comitate & Rationem Negationis ſuæ adſuit, Quia ea non poſſunt dici de Naturam Divinam habente; Quicquid ſcilicet Apoſtolis viſum eſt de eo dicere. Artem igitur horum Ducum nunc videmus: procedamus verò & ad Rationes eorum. Licèt enim ille *planum eſſe* aſſeruerit, veritus tamen ſibi (Nam & Vulpes ſentiunt, quid oleant;) nè à Nobis nimiùm naſutis Nebulonibus, reponeretur, Non *illud Planum eſſe*, ſed, *illum planum eſſe*, ratione egregiâ implanationem ſuam ſibi communiendam eſſe duxit. Ea autem hæc eſt; *Etenim ex eo ſequeretur, Duos eſſe Deos quorum Alter apud Alterum fuerit*, ibidem. Sic Ille: Nos verò ridebimus pòſt, & extrà; (In Divinis enim, quantum propter prophana Barjeſuitæ conſortia licet, nunc ſumus;) Quod autem nunc regerimus, eſt, Hoc (Ex eo ſequeretur,) non ſequitur. Stultus omnino metus iſte eſt, Non ſequetur enim illud, Nè ſi ab univerſa Socinitate obtorto collo trahatur. Jam verò cùm Ipſe Conſequentiam hanc ſuam, tam gratis dictam, tam non ſequentem, neutiquam confirmaverit, Audiat ergò ex nobis, Quid indè ſequatur quidem, ídque neceſſariò; Duas nimirum iſtas eſſe, in Deo quidem, non Naturas, (nam Deus nomen Naturæ eſt;) ſed Hypoſtaſes, In Chriſto verò, Duas eſſe Naturas, quarum altera, ex qua Patres habuit & vulnera, id eſt, Humana, ad alteram, ex qua Deus æternùm Benedictus eſt, id eſt Divinam, Hypoſtaticè adſumta eſt: Atque hinc jam ſequuntur, conſtántque Apoſtolis divinæ illæ Eulogiæ ſuæ; ex iſtis verò jam ſumat & ille ſibi, quod ad reliquum Negationis ſuæ repellendum ſatis ſequetur; ſic enim pergit; *Hæc verò (veſtigia vulnerum habere, ex Patribus eſſe;) Hominis ſunt proriùs; Quæ ei, qui Naturâ Deus eſt, adſcribi nimis abſonum eſt*, ibidem. Quale verò erat ejus, *Planum eſt*, antè, tale & nunc eſt ejus, *Abſonum eſt*, Declamatorculum nimis ſonat utrumque, & præterea nihil.

4. Conſcius igitur ipſe ſibi, quid Prævaricetur, gnarúſque, unde ad hæc Nugamenta Reſponſio ſtatim accerſenda ſit, operam tandem dat, ut antevortat, ſiquâ poſſit, atque ut ex futili quadam *veli* prætenſione (ità vocat,) effugium ſuis adornet ab iſthoc infortunio: ſic igitur claudit; *quòd ſi illud diſtinctionis Naturarum Velum quis prætendat, Jam ſuperiùs illud amovimus, & docuimus, Hanc Diſtinctionem nullo modo poſſe ſuſtineri*, C. R. pag. 104. *Prætendat* autem! Cui obteſtor? Rei? an Homini? Jam hoc ſatis inepté! Et *amovimus* etiam? Hei! Quàm nimis inſulſè hoc! Nam *Veli* vocabulum hac in quæſtione ſi admittendum omnino ſit, Erat quidem Natura Humana in Chriſto pro velo Divinæ; ídque à ratione perquàm neceſſaria erat; Nè Barjeſuitis, ſcilicet, aut Parenti eorum, imò, nè Hominibus, Dæmonibúſque in principio ſine dubio conſtaret, Chriſtum Deum eſſe. Amoverunt igitur Barjeſuitæ iſtud *velum*? (id eſt, Naturam Chriſti Humanam amoverunt etiam?) Quàm inſanùm benigni ſunt? Quid igitur jam factum eſt de Chriſto eorum? Nè hilum quidem ei Racoviæ reliquum nunc fecerunt, ſi non mentiatur hic. Volumus autem, Sciat Oſmylus iſte, Nos ſatis quoque faſtidire ejus, *Superiùs*. Quin digito monſtrârit, Ubi. Nobíſne enim jam, per centum retrò pagellas, perreptandum eſt per Augiæ hoc Stabulum, ut quid amoverit ille, quid excreverit, reperiamus? Sed parcimus tamen; Quia ὀπισθοφύλαξι ſuis, Sciolis in populo Socinellis, hæc ab eo tum ſcribebantur; Utcunque Piaculare Caput veritum non fuerit, quæ tum per ſummam in Chriſtum Dominum contumeliam conſarcinaverat, eadem & Chriſto Domini, Auguſtiſſimo Monarchæ, Fidei, quam Barjeſuitica impietas abnegat, Defenſori Sanctiſſimo, per prophanam non erubeſcentis Epiſtolæ Inſcriptionem obtrudere.

5. Jam

5. Jam verò, à ſuis *hanc Naturarum in Chriſto diſtinctionem nullo modo ſuſtineri poſſe*, Monitore nullo, nullo nobis Doctore opus erat. Sub hujus enim Diſtinctionis pondere ſuccubuiſſe jamdiu novimus Arianam omnem Impietatem; Ut ei igitur nunc ſuſtinendæ, Socinitatem, (Arianos quidem maximâ Impietatis mole vincentem, Sed Rationum viribus victam, minorémque iis;) fore exiſtimemus? Placet utcunque, Quod confitentes habeamus Reos. Ab aliis verò præter ipſos, ab Orthodoxis omnibus ut ſuſtineri poſſit iſta Diſtinctio, quæ & ipſa ſeipſam ſuſtinet, & verbo Dei Egregiè ſuſtinetur, quis metus eſſe poterit? Vel ipſa enim, quæ jam ab ipſo laudata ſunt, Pauli verba, omnibus (non traditis εἰς ἀδόκιμον νοῦν, Rom. 1. 28, neque κενοφωνίας βέβηλους τοῖς ἰδίοις συνέσεσιν, 1 Tim. 4. 2.) Diſtinctionis iſtius neceſſitatem, (Idque è Verſione Vulgaris Latini, minus tamen dicentis, quàm Res eſt: & à quo Catechiſta diſcedere facilè novit, ubi pro ſe non facit,) non obſcurè deprædicant. Aiunt enim, *Ex Patribus Chriſtus eſt, Secundùm Carnem*, Sed, *Deus Benedictus*. Verùm ſi Chriſtus Humanam tantùm Naturam habuerit, quid opus omninò eſt, *Secundùm Carnem* dicere? Jam ſatis enim hoc dictum erat, in *Ex Patribus*. Attamen in multò majorem Emphaſin, Pauli verba ſunt, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων, τὸ κατὰ σάρκα, in quibus ſubauditur, è communi Helleniſmo, & alterum κατὰ, ad Regimen Articuli τὸ, Atque indè particula hæc limitare jam Nata eſt, & Diſtinctivè poſita ſignificat, Eſſe quidem Chriſtum è Patribus, ſed non abſolutè, atque omni ex parte ſua, ſed, quantum ad Carnem ejus, id eſt, ad Naturam Hominis in Came. Ex ea autem limitatione, & alia Natura in Chriſto quantum ad Spiritum, unà ſubintelligitur, ſupponitúrque in eo jam Natura Dei, æternùm Benedicti.

6. Fidei tamen Chriſtianæ (cujus Adminiſtri ſumus) concedemus hunc laborem, retrò, quia ità vult, quærendi, atque ſuperiùs egeſtorum ab eo camarinam commovendi. An luſerit verò elegantulus in illis vocabulis, *Velum*, atque *Diſtinctio*, An datâ operâ per dolum nunc introduxerit ea, Lectorem ut ludos facere poſſet, operámque ea quærentis perdere, noſtrum non eſt dicere. Voces certè ſunt, quas Superiùs nondum offendimus; Sed vocibus relictis, Rem ipſam, quâ datur, premimus. Ecce enim, eſt jam, ubi in horrida ejus De Natura Chriſti prodigia incidimus. Propoſitæ enim à ſe Quæſtioni, *An Dominus Jeſus, Homo Naturâ cùm ſit, idem habeat Naturam Divinam?* Reſpondet perurbanè, *Nequaquam*, C. R. pag. 48. Sine ratione tamen nè inſanire videatur, hanc annectit, *Nam id non ſolùm rationi ſanæ, verùm etiam Divinis literis repugnat*. Divinas autem literas jam quòd crepet, earum examinatio ad Criticos quidem Noſtræ inſtitutum propriè pertinebit: Methodi verò nunc cauſſâ, etiam & è ſana ratione ſiquid Promiſſor hic attulerit, quod poſſit ad Myſteriorum Divinorum intellectum uſui eſſe, par eſt, ut non averſemur. Expediet jam quidem, ut hoc obiter expendamus, Quia Ratio, quæ ſana, rectáque eſt, inter rectas Vias Domini annumeranda eſt; Ad quas pervertendas Barjeſuiticum hoc genus in publicum prodiiſſe, atque indè Nomenclaturam à Nobis ſuam ferre, jam ſæpe admonuimus. Verùm è prædio ſuo Czarcoviano natas fuiſſe ejus Rationes, prætérque fimi Barjeſuitici, quem rancidè olent, hoc eſt Fraudis Sophiſticæ, ſummæque ἀκυβολίας, pœdorem nihil ſapere, primo ſtatim aggreſſu experiemur. Sic enim Se explicat: *Chriſtum, qui Natura eſt Homo, habere Naturam Divinam, Rationi ſanæ ad eum modum repugnat, quòd Dua Subſtantia, proprietatibus adverſa, coire in unam Perſonam nequeant*, C. R. pag. 48. Modum autem eum loquendi, id eſt, Sermonis ejus improprietatem & ſimplicem Stylum ipſius, quia eſt ubi Tralationi id à ſe datum eſſe, dicit, Idem ad Lectorem omittimus. Sciſcitamur tamen, Polonicúmne idioma eſt, (an merè Barjeſuiticum?) quòd extorſit ab eo, ut voces ipſas mutaret, ádque Quæſitum, *de hac, atque illa Natura*, reſponderet, *De duabus Subſtantiis*? Cui igitur rei hoc datum eſſe dicemus, præterquam aſtutiæ ejus? ut per mutationem vocum, eò minùs pareret, inſtare eum poſſe ſolùm in Propoſito, atque idem per idem dicere, quod nihil aliud eſt, quàm Petitio Principii. Nam quum argumentari prætendat à paritate Rationis ex Rebus aliis, monſtrat tamen, nihil Se poſſe, niſi rem ipſam, quam oppugnat, Contra Rem eam reverâ adferre. Mutare igitur vocabula, atque in genere loqui contentus, hâc arte tegit technam, quantum poteſt; Sed pellucet tamen.

7. Prætermiſſo verò hoc, neque ſic tamen ſatis ei ſuccedit res. Jubetur enim qui hoc adſerit, De Elementis dicat, quid cenſeat. An *proprietatibus adverſa* (ſic enim loquitur) ea non ſunt? An nulla eorum in unius Moſcorovii Perſona coierunt? An ipſe denique inſaniit, Qui cum ſana ratione pugnare hæc cenſuit? Quòd ſi porrò ipſius in gratiam urgebunt, non occurrere nos ipſius Objectioni; Inſtabat enim ipſe ſpeciatim, in *Mortalem atque Immortalem eſſe*, C. R. pag. 49. Certè inſtabat, atque Nos jam contrà, nil niſi unum Moſcoroviium, Suaviſſimum iis Caput, iis ſiſtimus, in cujus Perſonam coiere, niſi fallimur, Corpus Mortale, atque Immortalis Anima; Quòd ſi fallamur, utinam edocerent Nos, ad quam Moſtellariam referetur. Sin pergere confidant, (quid enim non auſint hæc Monſtra?) quia ille dixit etiam, *De principium habente, carenteque: Déque Mutabili, & Immutabili exiſtente; iſta nunquam coire*, Ibidem. Agnoſcimus quidem ſic dixiſſe eum, ſuíque ſemper ſimilem dicimus, (& hâc laude dignum!) egregiè in his nugatum, egregiè prævaricatum fuiſſe. Ambulat enim doloſus in Generalibus, ſperátque nobis obtrudi poſſe, ut evagemur aucupatum aliquid ad Oppoſitum. Neque non reſpondebimus tamen. Inſtent enim ipſi nunc, jubemus, duáſque particulares Subſtantias nobis (extra eam de qua nunc Quæſtio eſt,) producant, utramque Perſonæ alicui (ut loqui amant,) conſtituendæ natam, ſed alteram immutabilem, aut, principio carentem; Alteram, principium habentem, aut mutabilem, bonâque fide ſpondemus niſi nullo negotio acturum curaverimus, ut in Barjeſuitarum gratiam, Subſtantiæ illæ in unam Perſonam coire queant, coéántque ſine mora, cauſſam nos nullam porrò dicturos, nè Cauſſam hanc vincant. Quòd ſi nequeant ipſi inſtare, quàm pudida jam hoc, ínque ſolam captionem argutantur, quòd talia nequeant in Perſonam coire?

8. Necdum filent tamen. Nam & ſecundam Rationem (veritus, non imprudenter, prior ut ſubſtaret;) Catechiſta ſuccenturiavit. Ea autem hæc eſt. *Deinde Chriſtum, qui Naturâ eſt Homo, habere Naturam Divinam, rationi ſanæ repugnat ad Eum Modum, Quòd dua Natura, Perſonam ſingula conſtituentes, in Unam Perſonam convenire itidem nequeant*, C. R. p. 49. Eâdem autem chordâ & nunc aberrat, inſtátque in Propoſito. Quia tamen ad Propoſitum hactenus nunc redit, ut dicat de Naturis, Argumentum ejus non aliter, quàm pro jure Dialectico, repellimus, jubentes, ut confirmet Antecedens: Confirmat autem, ſeu potiùs ſe confirmare confidit, ſic, *Nam loco unius duas Perſonas eſſe oporteret*, C.R.p.49. Negamus autem ei hanc conſequentiam. Quid ille igitur? Indignè ſecum agi ratus, toties negari, antiquum jam obtinet, Tam enim gratis, tam inconſequenter, támque fruſtrà à ſe adfirmatum, ſumit ſibi pro conceſſo, atque ex eo, quod probandum adhuc eſt, infert, *Ità duos Chriſtos exiſtere oporteret, Quem Unum eſſe atque unam ipſius Perſonam omnes citra omnem controverſiam agnoſcunt*, C.R.ibid. Et hoc quidem jam poſtrema in parte verè prolocutus eſt, *Nobis enim Unus Dominus Jeſus Chriſtus*, 1 Cor. 8. 6, atque Uniſſimus Ipſe, & eſt, & à principio fuit, & erit in æternum. Chriſtos verò, qualem ſibi ſuum finxere Barjeſuitæ, duos ubi volent, multóſque effingere licebit. Altera facilè iis Argo erit, ſit modò Tiphis alter; nihilque impediet eos, plures Chriſtos habere, ſi plures habeant Socinos. Sed graphicè interea prævaricatur Catechiſta, & quò in fraudem Veritatis poſſit impiæ hypotheſi ſuæ inſervire, neſcit jam id quod ſcit, Quam enim Orthodoxorûm hac in parte Sententiam eſſe ſatis novit, altè diſſimulat.

Neque

Neque enim ipsum latere potest, illos docere, Deum quidem Filium, secundam in Divinis Hypostasin, adsumsisse sibi ad Deitatem Hominis Naturam, adeóque in uno & unico Christo Naturarum duarum, Divinæ Humanæque unionem hypostaticam factam fuisse: Sed ità etiam definire eos, ut id, quod adsumtum à Deo est, licèt ante Unionem istam neutiquam extiterit in Conditione Determinata, sive Persona Humana, (in qua extitisse semper Jesum universæ doctrinæ Barjesuiticæ perpetuum fermentum est:) tale tamen fuerit; tam exactum in se, completúmque ex omnibus rationibus, ut si Deus voluisset jussisset, id ipsum seorsim atque per se, actu substitisse tum, cùm tamen non nisi Personæ solùm Divinæ addictum est, Personam hominis omnium perfectissimam mundo exhibere potuisset; quia ab Anima ea rationali Carnéque humana, abfuisset Catholicum illud à Peccato primævo Contagium, defuisset autem iis prorsus nihil, quod ad Hominis integritatem ex qualibet parte requiri potuisset: ità ut nobis jam Christus Dominus, quem unicè veneramur, perfectissimè sit, id quod est, perfectus Deus, perfectus Homo, æternùm benedictus. Nulli autem rationi jam, nisi malesanæ, ínque Christum Dominum malevolæ (quam nos igitur malesidam, maléque feriatam, & denique maledictam semper habebimus) repugnat ista sententia.

9. Hæret autem & adhuc hæc vipera, Adhuc enim habere se retur, per quod, ex fraudulenta transpositione Prædicati, Subjectíque (indè autem à principio ὑποκειμένῳ illum, atque ἀγχίστροφον esse notavimus, Ut Agyrtarum Grex omnis nihil ad eum:) Orthodoxorum Sententiæ molestiam creare possit. Exemplo enim Illi (nec malè) illustrantes Unionem hanc Divinam, aiunt, Ut Anima Rationalis, atque Caro, Unus est Homo, ità etiam Ὁ θεάνθρωπος, Deus, & Homo, Unus Christus est. Exclamat autem Ille, (permagnum est discrimen.) Ei Quis omnium hoc negat? Scimus enim ὥστε non semper Æqualitatis Adverbium, sed Similitudinis alicujus, aut Proportionis esse. At ille, *Anima & Corpus ad eum modum in Homine conjuncta sunt, ut nec Anima, nec Corpus, ipse Homo sit*, Cat. Rac. p. 50. Esto & hoc parumper. Exemplum enim hoc Orthodoxi esse volunt, Facti tantùm, & non Modi: non ut eodem per omnia modo, quo Anima & Corpus, Deus atque Homo, uniri dicantur, sed ut de tali Facto tamen constet, posse jam Naturas tam diversas uniri. Neque tamen hoc responso solùm contenti, Sequimur etiam Versorem hunc, eíque pariamus in ipsa hac Stropha sua. Mutatis enim, ut par est, Mutandis, dicimus, quod ipse jam dixit, *Deum atque Hominem ad eum Modum in Christo conjungi, ut nec Deus, nec Homo, ipse Christus sit.* Addimus autem Rationem hujus, quoniam in sensu conjuncto & non *sigillatim*, (vox Catechistæ est, Ibid.) accipiendus est Christus. Sed cui jam (vel luscо) ex hiis non paret hujus hominis versutia? Dicimus Nos, Duas Naturas in Christo ità unitas esse, ut Deus & Homo, sit Christus. Ille, quò sugillare aliquâ possit tam familiare exemplum, ab Anima & Corpore ductum, pervertit ordinem Terminorum, aítque nos dicere, *Duas Naturas in Christo ità unitas esse, ut Christus sit Deus & Homo*, C.R. p. 49. Tu verò, Lector, quid ais? Hæccine jam sunt eadem? An verò torta tibi visa sunt, versáque omnia? Tam cocta jam, fucatáque, tam Ἀλλοπρόσαλλα, ut non possis non Falsarium ex iis, verúmque Protea deprehendere?

10. Neque sic tamen proficit Miser. Neque enim & ab hoc dicto Nos de Christo refugimus; ut nec à pari etiam, in Natura solùm Nostra; *Duas Naturas in Homine ità unitas esse, ut Homo sit Anima, & Corpus.* Quid igitur jam Catechista? Ubi ingens ejus discrimen? Satìs quidem persensit, in quas angustias, cùm Exemplo huic oppederet, Sese dederat, atque in fraudis subsidium, insigniorem aliam (omnium enim impudentissimam,) Stropham fine strepitu, (strophæ enim ei ex omni genere semper in procinctu sunt;) quantocyùs accersit. Quid igitur jam fit? Audivistis, quid Orthodoxi de Christo dixerint. Ex oppositо igitur, Neganti jam ei dicendum erat, *Anima & Corpus non sunt ità in Homine conjuncta, ut Homo sit Anima & Corpus.* At quorsum hoc? Nam & falsò, & frustrà etiam ab eo diceretur. Videt; atque Arte jam suâ Sibi succurrit. Quomodo? primò enim Negationem transferendo à Propositionis hujus parte Priore ad partem ejusdem Posteriorem, próque, *Non sunt ità conjuncta, ut sit*, subornando, *sunt ità conjuncta, ut non sit*, non solùm plures Terminos introducit, sed & Sensum planè alium, novámque Sententiam: Dein & subdolè geminando eam Negationem, facit, ut necesse jam sit, sigillatim ea, & non conjunctim accipere. Ità enim obtrudit, (atque inter Suos obtinet,) *Anima verò & Corpus ità in Homine conjuncta sunt, ut nec Anima, nec Corpus, ipse Homo sit*, Cat. Rac. pag. 50. Adde huc, Quòd & hoc ipsum pingui jam Amphibolià (Nè non aliquâ tandem eos, qui credunt ei, illudat, qui increpant eum, effugiat;) non caret. Ad placitum enim erit, (Ipso Sui interprete facto,) utrum horum Se dicere velit, An *Hominem ipsum neque Animam esse, neque Corpus.* An verò, *Neq; Animam esse ipsum Hominem, neq; Corpus eum esse.* Quid plura? plena denique Absurditatum, Contradictionum, Captionum sunt hæc omnia. Nunc enim, *Animam sigillatim non constituere Personam*, ibid. dicit, Qui tamen antè determinavit, *Personam nihil aliud esse nisi Essentiam individuam intelligentem*, C.R. p. 32. Adsuit verò, *Ut Natura Divina per se constituit Personam, ità Humana per se constituat necesse est*, ibidem. At verò hoc ipsum, *Naturam constituere Personam*, crassè nimis dicitur; Atque, *Per se constituere*, nimis ambigué. Nos autem in Natura ipsa Divina, non tam Personam, quàm Personas considerandas esse contra Barjesuitismum omnem decernimus; In Christo etiam perfectum Hominem, id est, cum Natura Humana quicquid ad integritatem ejusdem Naturæ facit, in Deum adsumtum esse, jam satis edocuimus. Rationem igitur jam omnem suam videmus destituisse Catechistam: Felicior autem in SScripturis (quas antè Promisit quoque) an sit, & quid illæ ei patrocinentur videbit, ζῶν Θεῷ, sequens Sectio.

Sect. XL.

1. *Deum esse Unum, atque Christi Patrem, nihil impedit, quin Christus ipse Deus sit. Deus ipse in SScripturis docuit nos SS. Trinitatem.*
2. *Christum esse Hominem, nihil impedit, Eum esse & Deum.*
3. *Nomen* Patris *pro tota Triade. Christus, quà Homo, omnia dono habuit à Patre.*
4. *Sibi non abjudicat quis, quod alteri adscribit. Quantus SScripturarum Corruptor Catechista!*
5. *Tempus οἰκονομίας Christi in terris distingui oportet à reliquo tempore Ejus.*
6. *Velabatur, sed non etiabatur in terris Divina Christi Natura. Omnia SS. Trinitatis ad Extrà sunt indivisa.*

VIdimus ergò Divinæ Christi Naturæ Inficiatorem, quàm ingentem Sibi sanæ Rationis Vim in Partes suas promiserit, & quàm insanùm falsus fuerit. Promisit etiam & è Sacris Literis Auxiliares sibi Copias contra Eam: Stamus igitur nunc in procinctu, expectantes nunquid illæ repugnent, reclamiténtve. Et ex illis quidem, (ubi multiplici Se telo instructum venire monstraret,) Cœpi Metuere nonnihil de ista Solitudine mea, nè per prorsùs inermem foret, ut Causa Dei aliquid detrimenti caperet. Propiùs verò admoventi mutavit mihi statim animus, cœpíque magis Barjesuitæ hanc (præter solitum enim) modestiam ridere, quòd tela jam decuplo plura indè non libraverit: perspexi enim, ex parabili telorum genere esse, aciem, cuspidémve aliquam secum non ferentium, ab ipso verbo Dei, τομωτέρῳ ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον, Heb. 4. 12. sed quas à cote solùm

Socinus

Socininæ Illationis, (hebetes eas, faciléve retundendas) acceperant. Signum igitur continuò datur: Age jam, Thraſo, quantum potes. Sic autem Ille, *Chriſtum habere Naturam Divinam, quòd repugnet Scriptura, docemus, primùm, Eâ ratione, quòd Scriptura Nobis Unum tantùm Naturâ Deum proponat*, C. R. p. 50. Spectatum verò jam admiſſi, dicite, Nunquid non tempeſtivè vos de riſu modò præmonuerim? Nam & Nos, qui Chriſtum habere Naturam Divinam è Scripturis adſerimus, Doctrinæ ejuſdem Doctores, *Unum tantùm eſſe Naturâ Deum*, ejuſdem demonſtrationis Demonſtratores, *Deum eſſe Chriſti Patrem*, non minùs, imò (quia eam jam vocem deamat) Superiùs quàm è Conciliabulo Socinino quiſpiam, Noſmet profitemur. Pax igitur adhuc alta in partibus eſt, Pugna heic nulla cum SScriptura, Deóque, præterquam in cordibus Barjeſuiticis. Illi quidem, Deum eſſe Deum, & SScripturas Dei Scripturas, tantiſper tantùm eſſe contenti ſunt, dum nihil aliter de Deo, quàm, (quod & nos immotâ fide tenemus) *Unum Naturâ eſſe*, Sonant. Verùm cùm ipſe Deus in SScripturis ſuis (Hominum enim hoc Commentum non eſt) ità ſe quoque Nobis demonſtraverit, ut in ipſa Unitate ſua Trinitatem nos edocuerit, eóque reſpectu, Trium Hypoſtaſeων, Patris, Filii, SSpiritûs, Fidem nobis ipſe neceſſariò ingeneraverit, Illi jam, Deum ſuum ipſis eſſe Eum non ſinunt, non credunt enim, (ídque ratione ſuâ ipſorum ſolùm fiſi,) Deo ſuo dicenti, demonſtrantíque. Quid ſtamus igitur? Incaſſum jam Evolavit ei primum hoc telum, & aerem ſolùm verberavit, præterquam quòd Jaculatoris ipſius dexteram non leviter læſerit.

2. Arripit verò actutùm ille Telum alterum. *Secundò eadem Scriptura teſtatur, Jeſum Chriſtum naturâ eſſe Hominem, ut ſuperiùs oſtenſum eſt*, Cat. Rac. p. 50. Ecquem verò jam novit hic Homo, (priſcos enim illos Δοκητὰς nihil nunc moramur;) Qui neget, Chriſtum Naturâ eſſe Hominem? Si quiſquam omnium fuerit, Barjeſuitam & eum eſſe oportet. Minùs enim placet nobis adſumentum ejus, *ut ſuperiùs oſtenſum eſt*. Quorſum enim, cùm SScriptura id teſtetur, inſuper tamen monemur, quid in hoc *Superiùs ab ipſo oſtenſum ſit?* Aliquid certè alit hoc, An delirii Solùm, neſcio, quo quid à ſe tam mirificè jam geſtum ſit, pariter & (φίλαυ λάξιν) hanc ſuam, *Superiùs*, iterare nobis poſſit; An certè & Monſtri etiam; ſive illud jam fuerit reſpectu Chriſti ipſius, Nè Hominem quidem ei ulteriùs eſſe licere, quàm ut à Barjeſuitis accepiſſe feretur, Sive reſpectu SScripturarum, haut aliter valere Teſtimonium earum, quàm quia idem à Moſcorovio ſuperiùs oſtenſum eſt. Utrum horum omnium hoc jam fuerit, optionem ipſis (Racoviâ aliquando ſignificandum) relinquimus. Sed necdùm pugnamus igitur; Habebit enim & hoc. Et quid indé? Rogitamus? Hem, fatale jam vulnus indé. Addit enim ibidem, *(Quo ipſo illi adimit naturam Divinam.)* Miſerabile fatum! Occidit igitur jam Deus Chriſtus. Atque eò certè Miſerabilius eſt, quòd tam plumbeo (locutionis ſcilicet impolitiſſimæ) pugione perendum ei eſt. Utcunque ſit, quia Adimendi res agitur, agamus, quod præ manibus eſt, atque æruginoſo primùm dicto ſcoriam adimamus. *Naturam Divinam adimit!* Quis? *SScriptura.* Et, Cui? *Illi*, id eſt, Chriſto. Et, Quomodo? *Eo ipſo, quòd teſtatur, Chriſtum Naturâ eſſe Hominem.* Hæc Ille. Jámque tandem, quod parùm Sperabamus, incidimus in verum Deicidam. Non eſt Barjeſuita; dabit nobis hujus erroris veniam Bonus Vir: SScriptura eſt, quæ tam Sæviter Deum in Chriſto interimit, (niſi Bonum Virum non audiamus,) Chriſtóque Naturam Divinam adimit. Veruntamen, quòd Humanam ei tribuendo, Divinam ei adimere dicatur, jam hoc ſuper omnia purum putum Barjeſuiticum eſt, & Conſequentiam ſuam, nuſquam, nunquam, nullam repetiet, niſi ſub Axe Socinino. Neque tamen nos negabimus, Negari Chriſto ſuam Naturam Divinam, ex Ademtione prognatum eſſe. Sed, è Qua? Qualis erat, de qua Poeta illud,

Monſtrũ horrendũ, informe, ingens, cui lumen ademtum.

Poeta quidem olim ſic de Cyclope, Tu multò jam magis, Lector, de Socino, Cujus etiam parentem ipſum Barjeſum, Ademtione hac, nè Solem ipſum videret, damnatum eſſe meminiſti, Ex Act. 13. 11. Actum igitur ibi eſt, in Tenebris Barjeſuiticis mulctatur Chriſtus ſuâ Deitate. Sed in Eccleſia Dei, in SScripturis, utraque tamen Natura ejus, Humana Divináque clariſſimè relucent.

3. Fruſtrato igitur & alterâ hâc ſpe jam Tertium jaculum ad manum ei eſt. Ait enim, *Chriſtum habere Divinam naturam repugnat SScriptura, quòd quicquid Divinum Chriſtus habeat, Scriptura eum Patris dono habere apertè doceat*, C. R. p. 50. Atque in Margine quidem ſuo Loca duo ſunt, Mat. 28. 18, & Phil. 2. 9. Quæ ſi ad hujus confirmationem adpoſita fuerint, loco ſuo nimis mota ſunt: Verùm ſi nullum omnino Locum ad hoc laudaverit, neque nos ex eo facto illum non laudamus tamen: Quid opus enim Teſtimoniis, cùm & nos pedibus toti eamus in eam ſententiam? Id verò quod reponimus, eſt, Nullam & in his jam repugnantiam eſſe. Chriſtum enim ex ipſa Natura ſua Deum eſſe, ex Patre tamen, ut Filium, ex Æterno principio, ità genitum eſſe, Diviniſſimè hæc conſpirant, ſéque invicem firmant: Pater rectè dicitur, Quia Filium talem habet; Filius quia eum Patrem; Iſtud primum eſt. Eſt & aliud. Nam Chriſtum utcunque Θεάνθρωπος jam ſit, tamen in Natura ſolùm Humana ſua ſpectatum, nihil omnino habere, nihil Humanum, nihil Divinum, niſi quod à Patre ſuo, ex ipſa nimirum Deitate, (Quo quidem in ſignificatu, Nomen hoc *Patris* paſſim ponitur, pro tota Triade: In Locis autem ab eo jam nominatis, non *Patris*, ſed *Dei* Nomen eſt:) acceperit quâ Homo eſt, Nihil eſt in omni Scriptura cum quo hæc pugnent, nihil horum, cui ea repugnet. Cum quo igitur jam pugnat Barjeſuita? Pro merito profectò ſuo, & hoc divinitus reportat, Θεομάχῳ eſſe nihil veritus, ut Σκιομάχῳ quoque indè evadat, pugnáſque umbratiles ſecum inaniter exerceat. Ex eadem jam pharetra hac, eſt & Miſſile illud, quod poſtremum protulit: *Denique eadem Scriptura apertiſſimè oſtendit, Jeſum Chriſtum, omnia ſua facta Divina, non Sibi, nec alicui naturæ Divinæ ſuæ, Sed Patri ſuo vendicare ſolitum fuiſſe*, C. R. p. 50. Jam pari autem ſucceſſu & hæc intorquet. Nam & ad hæc Nos alacriter Succinimus, Chriſtum Hominem univerſa ſua Deo Patri accepta tuliſſe, facta omnia ad Eum retuliſſe. De Locis igitur in Margine ſuo laudatis, An appoſitè ſelecta omnia, an ſatìs ad rem, quam dicit, ſint, litem ei nullam movemus, aptiora utcunque, ubi opem noſtram poſtulârit, daturi; Manus tamen ex hoc non damus, neque herbam aliquam ei porrigimus. Sed contrà inſurgimus, geminóque demum ictu immanem Hoſtem proſternimus, conterimúſque.

4. Primò enim, Læſæ Majeſtatis Divinæ, SScripturarum ſcilicet παραχαραχθησῶν, apertiſſimo Stigmate eum inurimus. Reſpondeat enim, Illa verba, tam furtim à Se, de SScripturis jam verba faciente, intertexta, *nec alicui Naturæ Divinæ ſuæ*, in qua plica Sacri Codicis leguntur? Qua ex Officina, præterquam Racoviani Barjeſii, Parentis ſui, prodierunt? In ſuum tamen ipſius ſolùm caput infelix protulit ea, Quæ indeclinabili jam Dilemmate incautum ferient. Nam ſi ex nulla uſquam SScriptura ea depromſerit, tum ipſe Falſarius eſt: Si indè alicubi ſumſerit, tum SScriptura agnoſcit in Chriſto Naturam Divinam. Quicquid igitur jam hoc eſt, totum, quantum, impoſtura, & fucus eſt. Et erat quidem Simplex Negatio illa quam præfigit,

Non ſibi, aliquid nimis. Neque enim ſequitur, ut Sibi prorsùs abjudicet quis, quod adſcribit alteri. Propter Diſtinctionem tamen Naturarum in eodem Chriſto, quia quicquid in Chriſto Homine erat, ex ipſo Deo erat, nulli jam Σκώμασιν iſtam, *Non ſibi*, repellimus: Dextrum enim piúmque ſenſum habere poteſt, *Non ſibi*: putà Quà Homo erat. Sed ut indè fabricetur gloſſema blaſphemum, Ergò, *Nec ſibi*, quâ Deus erat, (Tantundem enim dicit qui dicit, *nec alicui Naturæ Divinæ ſuæ*; pérque ſceleſtiſſimam dein fraudem, ut huc, Quaſi ex ipſa SScriptura decerptum, inferciatur, ad Divinam ejus Naturam funditus ſubruendam,) jam hoc deſpuimus atque abominamur. Sed & hoc quoque Genitoris ſui eum habere agnoſcimus; Indè à Monomachia Chriſti cum eo in eremo Matth 4. 6. novit SScripturam allegare, Sed non niſi aliquâ corrumpat Textum; Tentator quidem (Pater ejus) tum, omittendo Divinam conditionem, è Pſal. 91. 11, *In omnibus viis tuis*; Barjeſuita autem Nepos jam, ex conſimili dolo, obtrudendo Diabolicam interpretationem, *Nec alicui Divinæ Naturæ ſuæ.*

5. Ex hoc autem tam irrito ictu Telum ipſum diffringitur ei; parúmque jam refert an repulſam ejus geminemus Ab Argumenti totius Inconſequentia. Ille quidem ſic inferri poſſe ſperârat, *Hinc Scriptura planum facit, Divinam eam in Chriſto Naturam, prorſùs otioſam ac ſine omni cauſa futuram fuiſſe*, C. R. p. 51. Haud opus autem nobis nunc eſt, vel ut contrà urgeamus, quàm otioſa prorsùs, ac ſine omni cauſſa aut conſequentia, Illatio iſta ſit, vel ut moneamus denuo, quid intelligendum ſit fieri, quando Barjeſuita prætendit *planum facere*. Eſt tamen aliud in ea concluſione, quod præteriri prorsùs nè vult. Nam quæ eſt iſta Duorum Temporum, tam longè diſſitorum, ac ſunt Præteritum, atque Futurum, inſolens conjunctio? Ait enim, *ſine cauſa futuram fuiſſe*, An idiotiſmo alicui Polonico dandum eſt & hoc? An Incongruæ imprimis Cauſſæ? Si Præſente igitur Tempore uſus, dixiſſet, *ſine cauſa eſſe*, aut ſi Præterito quidem, *ſine cauſa fuiſſe*, aut ſi ſolo Futuro, *ſine cauſa futuram eſſe*, impunè jam fortean tuliſſet. Verùm quòd *futuram fuiſſe*, pariter indiderit, ſibi ſoli imputet, Si Nos jam hanc occaſionem non injuſtè prenſemus, ità hæc Tempora, in Diſpenſatione Chriſti diſtinguendi, ut indè nobis Barjeſuita denuo vapulet.

6. Quod dictum igitur non ità pridem eſt, recolentes, dicimus; Chriſto in terris agente, (antequam de Cruce deſcenderetur, ſcilicet,) celandam fuiſſe, velandámque Divinam ejus Naturam, nè admirabile illud οἰκονομίας ſuæ Myſterium (propter quam in terras venerat, ínque Crucem conſcenderat,) interverteretur: Domini enim ipſius Vox in Cruce erat, *Non enim ſciunt quid faciunt*, Luc. 23. 34, Pauli autem exinde eſt, *ſi ſciviſſent, non crucifixiſſent*, 1 Cor. 2. 8. Poſtilla tamen, ſempérque, manifeſtè ſatis ſe exeruit in Chriſto Divina illa Natura Ejus, Quæ pro tempore duntaxat eo, quod propter Nos Homines, & propter Salutem noſtram, Hominum conſortio in terris impenſum ab eo eſt, ut ut obtegebatur, neutiquam otiabatur tamen, Nedum ſine cauſſa aliqua erat; (Prout Hic Qui ſe Conſiliorum Dei Coctorem, Otiorum ejus Caſtigatorem, Cauſſarúmque omnium Divinarum Cenſorem jam facit, profano ore convitiari non tremuit:) Humanam enim Naturam ejus, (per quam, & in qua Salutis iſtud Myſterium operatus eſt,) interea temporis, Modis non Homini competentibus, ſuſtentabat, dirigebat, conſervabat, & Sanctitatis Potentiæque effectis, Deum ipſum mirè ſonantibus, cohonorabat; Tectè tamen tantiſper, ex cauſsis jam dictis, ſe ferebat, atque à vulgi intuitu ſervari, à communi hominum ſenſu, captúque clàm haberi volebat. Atque hinc nunc eſt, quòd haut alio ferè quàm Patris nomine, & quaſi non ſuo, ſed ſuo tamen, (Unum enim atque indiviſum ad Extrà omnia, eſt Nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, Matth. 28. 19.) viſus eſt Res ſuas inter nos agere, Rémque noſtram nobis peragere.

SECT. XLI.

1. *Quàm nullo negotio Barjeſuita poſſunt SScripturas ſolvere.*
2. *Conjunctio per fraudem intruſa ab iis in Textum. Fateri ſupponit Culpam, aut Diminutionem.*
3. *Comminiſci. Qualis ſit Chriſti Natura Divina.*
4. *Barjeſuiticum* Conſtat, *nil niſi Præſumtio, & Impoſtura eſt.*
5. *Deus Cur* Vivens *appellatus ſit. Quanta ſæpe ſit vis Articulorum!*

AIt quidem Dominus Jeſus, Scripturam non poſſe ſolvi, οὐ δύναται λυθῆναι, Jo. 10. 35. Sed quibus hoc dicat, ſciſcitari mihi videntur Barjeſuitæ, Accipi enim non debere, niſi de Judæis ſolùm ſuis, Scripturicolis, imbellibus, enervitúſque, Caiaphæ ſui notâ eâ dignis, *Vos neſcitis quicquam*, Jo. 11. 49, párque cum Sadducæis ſtigma univerſim meritis, *Errantibus enim*, Mat. 22. 29. *Quia neſciebant Scripturas & Potentiam* (*Dei* non dicunt hii quidem, ſed) Barjeſuiticam. Bene igitur SScripturæ fuerit, inter Judæos tantiſper moratæ, atque ab iis λύσιν aliquam, aut παράλυσιν, nihil veritæ! Racoviam verò cùm venerit, alius Spiritûs Judæos inveniet, inter quos luet priorem ſecuritatem. Naſcuntur enim in cœtibus ibi, Qui Jeſum ipſum λύειν edocti ſunt, Quantò magis SScripturas ſolvere nôrunt, promtiùs quàm Diſcipuli illi Aſellas? Mat. 21. 6. Vel qui venit ipſe Moſcorovius prædiolum habet Czarkovianum, Bone Deus, quàm mirè SScripturarum σαρκοφάγον! Jam unico Capitulo ſuo De perſona Chriſti, Semicentum Loca Sacræ illius Paginæ nullo negotio diſſolvit, devoravit, decoxit, vaccarum tamen Ægyptiacarum exemplum (quod in eo deames,) ſanctè ſecutus eſt, Quæ ſeptem pinguiſſimis ſociabus deglutitis, tenues tamen, atque famelicæ erant, neque cognoſci poterant quicquam comediſſe, tam turpis erat aſpectus earum ſicut in initio, Gen. 41. 21. Jam verò in eo numero, pauca aliquot Loca ſunt, (Pauciora autem quàm Trium Decadum vix ſunt: Sed quid tum? Numerus enim ſunt, & viribus Barjeſuiticis conſumi nata!) Quæ Chriſtum quidem directè reſpicere, neutiquam negatur ab eo. Sed quæ à Polyphemo tamen iſto devorari neceſſitas ea erat, Quia *iſti* (Chriſtianos intellige, Lector, & dicentes Anàthema Barjeſum,) *ex iis locis concluſiones ſuas perperàm* (in præjudicium enim Sociniæ impietatis,) *aſtruere inſtituunt, conficiúntque*, C. R. p. 99. Ex horum verò Locorum caterva, illa in quibus dicitur, *Chriſtum eſſe Deum*; *Eſſe unum cum Deo*; *Æqualem Deo eſſe*; *Dei Filium eſſe*; agmen ei ducunt. Ab iſtis verò quòd ſtylum nunc abſtineamus, ex eo eſt, Quia de iis vapulabit nobis jampridem (ubi occaſio ſubindè incidit,) miſerabilis Catechiſta. Sequuntur verò ibi apud eum alia Loca, in quibus Chriſtus *Filius Dei*, non ſine Adjecto aliquo nuncupatur, ut *Filius Dei viventis*; *Filius ejus Proprius*; *Filius Unigenitus*; *Primogenitúſque*. Déque hiis, an Divinæ in Chriſto Naturæ ὑποστάσεις ſint, nécne, jam porrò mihi literis aliquot amicis (quanquam & ulmeis inſcribi dignum!) conveniri Hominem oportet.

2. Dicat igitur jam, cùm Petrus ità profeſſus fuerit, Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, Mat. 16. 16, cur non ex iſto Attributo Natura Chriſti Divina probabitur? Reſpondet verò, *Quia notiſſimum eſt, Petrum fateri, quòd Filius Hominis eſt Chriſtus, & Filius Dei Viventis*, C. R. p. 104. *Notiſſimum* verò quid hoc ſit,

mox

mox erit, ut excutiamus. Sed notiora jam nobis, multóque priùs, magísque cognita sunt ista, Catechistam notum, nobilémque Sophistam esse, & inter Hæreticos Sophistas notissimum quoque Falsarium. Neque evagamur nunc latum unguem, ut hæc quæramus extrà: Ecclisiæ enim, coràm adsunt in ipsis hiis verbis ejus gemellæ hujus probationes. Primò enim, Quid facit ibi Particula *Et*? Unde gentium venit? Quídve opus derepentè est aliquâ Conjunctione? Quid? Catechistæ opus eâ erat ad dolos consuendos, *(Nunquid non parva ea est, & vivet anima ejus?* Gen. 19.20.) Jesum enim esse Messiam ipsum, Filium illum Summi Dei, æternùm viventis, (insunt autem hæc omnia in Quatuor Articulis ibi à Petro de industria præfixis:) videbat Vulpes, non posse hæc ab Argumento Divinitatis separari. Facit igitur quod in se est, separat dictum Petri, quantum potest, & quò tectiùs faciat, separat conjungendo. Ait quidem Petrus, *Tu es Christus ille Filius Dei*; atque ex hoc, Unum, Primum, Solum, Verum, Summum innuit, veriverbio Deum ergó. Sed *Christus, & Filius Dei*, subornat Barjesuita, Quasi Christus esse potuisset, & non Filius, aut Filius, & non Christus; utcunq; verò, ex hoc jam quòd *Christus, & Filius*, à se dicatur, inferri posse sperat, non Absolutè eum, sed ex quadam Consequentia solùm sic habendum esse, & aliquo tantùm modo Filium, non Naturâ igitur, sed Gratiâ duntaxat, & Dignatione, Filium, ut alii in Orbe filii sunt, licèt *inter alios Filios præcipuum* jam factum, *Deóq; charissimum*, C.R.p.105. Istud primum est. Horsum autem tendit etiam & secundum ejus πρόνοιον, quòd & Petrum hoc *fateri* aiat. Communiter enim loquendo, Qui *fatetur*, Defectum aliquem, & si non Criminis, Culpæve, Infirmitatis tamen, atq; Diminutionis notam subesse agnoscit. Isthæc verò omnia à Natura Divina quàm longissimè abesse, nemo nescit: *Fateri* ergò Petrus credatur, Quis Christus sit, & Diminutivè satis eum de aliqua Deitate Illius sentire, parùm dubitabitur. Hiis igitur jam artibus, hiis certè argutiolis, & scuticâ solùm dignis captiunculis cogitur infaustum Caput infelicem Caussam, nè vel inter manus ipsas corruat, flaturinare! Jámq; ergò, quod in Apostolorum Duce, Oréq;, Revelatio reverâ erat, Revelatio, non humanitus, (facultatem enim omnem Carnis & Sanguinis longissimè superabat;) sed Divinitus, atq; ex ipso Patre illapsa, v. 17, Carni huic Czarkovianæ nihil est, nisi quid ille nôrit Petrum *fateri*.

3. Audiamus autem jam & istam fassionem. Quæ ea sodes est? *Filium hominis esse Christum ipsum Filium Dei viventis*. O Divinam verò Professionem hanc, atque Apostolorum tum Coryphæo, tum Choro indultam à Patre! Super hujus autem Professionis Petra cùm Christus Ecclesiam suam ædificârit, v. 18, ejusdem & nos quoq; filios nosmet professi, firmâ fide idem cum Petro adserimus, *Jesum Filium hominis esse Christum Filium Dei viventis*. Ecquid jam contra hoc Portæ Inferorum? Certé. Ait enim Racovianus, *constat, illum, Divinam naturam, qualem Illi comminiscuntur, non habere*, C. R. pag. 104. Adoramus Te igitur, Domine Jesu, Promissum tuum De Portis Inferorum non prævalituris, modo tam mirabili & nunc exolventem. Ex te enim est, quòd Dogma hoc in adversum, non Orthodoxâ fide solùm, sed & ratione omni, imò & solertiâ quidem, atq; Sophistico acumine (aliàs Huic non negato,) nunc destituatur: Quot enim verba ferè, tot in eo turpissima σφάλματα. Mittemus autem contumeliam, (quia à tam illaudato viro, nulla est;) Orthodoxæ fidei Professoribus aspergi à se apud Suos posse speratam, tum quòd eos tanto cum contemtu, per fastidiosum ejus Relativum *Illi*, (ante aliquot tamen Pagellas neutiquam à se vel dictos quidem,) habere, Tum quòd & *comminiscendi* ignominioso stigmate, atq; Barjesuiticæ impietati familiari, & suo, inurere eos, veritus nihil sit. Verùm istud eloquere, ô Bone, dic apertè, Qualem, (cùm istud sit, quod te urat,) Naturam illi in Christo Divinam comminiscuntur? Qualem quidem tu abominaris, scio, atq; orbi Christiano invides, veram scilicet perfectámque, non mentitam, non fucatam, non imminutam, nullis cavillis (quæ Barjesuitarum in re qualibet Religio est,) fœdatam, nullis interpolatam Cap.ionibus, sed integram, atque intemeratam, cum Patre & SSpiritu unam & eandem, ut jam sæpe monstravimus. Gravatissimè autem hoc jam fert, atque medullitus uritur,

Et dici hoc potuisse, & non potuisse refelli.

4. Quid agit ergó? Ut succurrit sibi? Quod in extremo rerum discrimine usuvenire novimus, Cùm aut perimendum, aut pereundum est, Ut sibi ante omnia caveat, Hostem sine mora confodit. Gemino igitur ictu in nos miseros involat; Quorum primus, & qui solus huic fato sufficit, est, *Constat illum Naturam Divinam talem non habuisse*, C.R.p.104. Habet igitur! Peractum jam est. Ex eo nimirum tempore, quo truculentus iste Polonus fatale Suum *constat* impegit ei, sine Natura Divina Christus Barjesuiticus oberrat. Seræ autem nimis frustráq; erunt de isto *constat* Quæstiones jam omnes. Nam si, Quibus hoc constat? respondebitur, Ipsis nycticoracibus Socininis. Si, Quomodo constat? Non minore Authoritate, quàm H.M.à M. Si, Ubi constat? In pagella Catechismi centesima Quarta. Contra hæc igitur quid? *Et divulgatum est hoc verbum apud Socininos, usq; in hodiernum diem*; quod Sanctus ille olim ad aliam de Christo famam succinuit, Mat. 28.15. Veruntamen, Quia Divina jam Natura est, quam in Christo perimere decrêrunt, meritúsque esse potest, nè, nunc utcunque ex improviso per ferale hoc *constat*, eam pessumdederit, resurrectione tamen aliquâ reparari denuo, (in Illo, resurgendi non ignaro,) possit, hem & altero vulnere jacentem jam transadigit, quò satis cavetur, nequid unquam proficiat ei ad Naturam aliquam Divinam, quòd Petrus de eo testatus sit, *Esse Eum Filium Dei Viventis*.

5. Addit enim, *Præterea testatur Scriptura de aliis hominibus, quòd sint filii Dei viventis, ut ex Osea*, Rom. 9.26, Et erit loco ejus, ubi eis dictum est, Non populus meus vos, illic vocabuntur, filii Dei Viventis, C.R.p.105. Quid igitur? Pugnandúmne nunc Nobis est cum Propheta, atq; Apostolo? Absit veró. Agit id quidem vafer, ut apud quos alterutra Authoritas satis est, plusquam opprimamur ab utraque. Nos verò Authoritatem Sanctorum pronè venerati, argumentum tamen Sophistæ ex ista Authoritate (sed obtorto collo) extractum, prorsùs repellimus; Barjesuiticum enim est, & Non disputatur ad idem. Nam Hoseas, Paulúsque Pluraliter loquuntur, & non de quibusvis Singulatim. Specialis igitur nulla Filii, sed communis solùm ratio habita in iis est. Id primum. Dein, Populus ille, de quo Paulus agit, sunt fideles per Universum Orbem, qui ad Obsequia Christi conversi, ex eo solùm jure, per Adoptionem in Christo, Nomenclaturam *Filiorum Viventis*, (id est, veri, atque ex hoc Attributo à Diis Gentilibus distincti,) *Dei* consequentur. Petrus autem nunc, ex longè alia, atq; infinitè superiore ratione loqui se, (Præcisè enim de Uno atque Unico illo Filio veri Dei, ab origine Mundi promisso, pérque Prophetas prænuntiato, οὐ θέσει, ἀλλὰ φύσει, Filio,) satis demonstrat, non solùm è scopo Responsi sui, sed etiam per Articulos illos, tam disertè nunc, operoséque ab eo appositos, quorum nè unus quidem vel in Senibus ex Osea, vel in ipso Paulo, reperitur. Emphasis igitur Petri perperàm ab isto locatur in *esse Viventis Dei Filium*, Posita enim à Petro est, in *Esse illum Christum, illum Filium Dei Viventis*. Singulare autem hoc est, atque solius Naturæ prærogativâ ab Aliorum quorumcunq; communi gratia, distingui potest: Quod aliter si fuisset, haud opus habuisset Petrus tam beatâ & Speciali ejusdem ex Deo Patre revelatione.

SECT. XLII.

1. *Christus ut* Proprius Dei Filius. *De pluribus simul dicere, πολυζητήσεως fraus est.*

2. Est Filius Dei, Ergò, non est Deus. *Barjesuita cavillum est.*

3. *Ut Personas confundat, & Substantiam in partes secet, vocabulo sibi locum fecit inter Personas Divinas.*
4. Ὁ ἴδιος, *De Filio dicitur, non ex Adoptione, Dignatione, Electione, sed Natura & Veritate.* Ἴδιος Παλής.
5. *Isaacus ut* Unigenitus *erat. Promissiones Abrahamo. Ishmael.*
6. *Solomon an* Unigenitus *dictus sit: An* Unicè dilectus, *Quia ultimò genitus.* Μονογενὴς pro Μοναχός.

UT Se Barjesuita noster gesserit erga *Filium illum Viventis Dei*, & ejus Causâ quid prævaricatus fuerit, jam proximè vidimus. Quòd verò & *Filius Dei Proprius* Christus appellatus sit, aliquantò jam magis ex eo torquetur. Cùm Locus igitur, quem profert, sic se habeat, ὃς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν πάντων παρέδωκεν αὐτὸν, Rom. 8. 32, nihil habet, quod argumento hinc petito reponat, præter illum (tritissimum quidem sibi) paralogismum, quasi per retortum, negando Adversariis suum Conclusionem. Illi enim contenderant, Christum, licèt passus sit, in Humana Natura scilicet, Divinam tamen Naturam habere. Concluserant autem istud ex hoc (inter alia) Medio, Quia qui passus est, & *Proprius Dei Filius* dictus est. Ille peracutè respondet, Christum, quia passus est, Divinam Naturam non habere. Atque ut non abs re videatur suis Nihil hoc dicere, adsuit, *In Mortem tradi de eo, qui Naturâ Deus est, dici non posse*, Cat. Rac. pag. 105. Quod tamen & dici potuisse, & ità fuisse, Conclusio ipsorum jam antè fuerat, atque è præmissis abunde probata. Hiis igitur ex angustiis ut liberet se, hem, alium dolum consuit. Pariter enim copulat, *Dici proprium Dei Filium*, cum altero non absimili, *Dici unigenitum Dei Filium*, déque hiis junctim, Cat. Rac. ibid. (brevitatis, & facilitatis proculdubio caussâ,) instituit, quid respondeat, At si nuda veritas producenda est, è duplici fraude est. Prima, Quia sperat se aliquid producturum, quod satis esse videbitur ad *Filium Unigenitum* Naturâ suâ Divinâ emungendum. Quídni igitur ex concomitantia, atque propter vicinum malum, & idem faciet ad *Proprium Filium* etiam, cui aliter nescit oppedere, expoliandum? Altera est, ut cùm juncta jam gemina Attributa sint *Filius proprius*, atque *Filius Unigenitus*, utcunque provincia, quæ nunc ei data est, sit dicere de Christo, non Absolutè, quâ *Filius* audit, sed cum Attributo, quâ *Proprius*, aut quâ *Unigenitus* appellatur, siquid ipse tamen, è secundis cogitationibus obtrudendum, (Quia alia desunt) habeat contra Christum Filium Dei, neque tamen quâ *Proprius*, neque quâ *Unigenitus*, sed Ψιλῶς, quâ *Filius* dicitur, meliùs in istâ jam conjunctione celabitur ἀμέθοδος & μεθοδίτης, stolidíque nepotes ejus confident, eum aliqua ex parte, vel hac, vel illa, rem propositam acu tetigisse.

2. Ibi igitur primò est; Junctísque jam à se Locis de *Filio Proprio*, & *Filio Unigenito*, sic tandem insurgit, (*Quòd verò ad ea Loca attinet, Ex eo, quòd Christus Filius Dei sit, apparet, eum Deum non esse*, Cat. Rac. p. 105.) Quid verò jam hoc ad ea Loca attinet? Quid ad dici *Proprium*, aut dici *Unigenitum*? Probatio enim Adversariorum vel ab ipso supponitur hæc esse, *Christum, etiam ex hoc, quòd sit Filius Dei Proprius, atque Unigenitus, & Deum esse oportere.* Ille autem reponit, negando (pro more suo) hanc conclusionem, *Deúmq; illum non esse*, exclamat, & pro ratione negationis assignat id, quod antè concessum erat, *Quia est Dei Filius.* Sed quibus cum Barjesuitis res est, sciant, Dandam iis esse istam Dialecticam. Bene igitur! Sed an & istam Consequentiam? *Ex eo, quòd Christus Filius Dei est, apparet, illum Deum non esse.* Nam si hoc ex eo sequatur, Quídni igitur jam pariabitur ei, atque Ex eo, quòd Moscorovius filius hominis alicujus sit, parere, illum Hominem non esse, sed verè Monstrum, atque Naturæ nostræ παρέκβασιν, è sua ipsius consequentia inferetur?

3. Neque verò servabit eum id, quod pro Exceptionis suæ firmaculo mox adfibulat, *Alioquin ipse sibi Filius esset*, C. R. p. 105. Excutimus enim hunc scrupulum, quem ille, ut aliquâ Veritati noceret, injicere ausus est, Sed, nè ipse sibi plùs noceret, haud ausus est explicare; Atque sic se rem habere respondemus. Catholica fides est, Deum Unum esse respectu Naturæ suæ; Distinguendum tamen esse respectu Personarum: Esse enim in eadem Natura Divina Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; Patrem autem Deum esse, & Filium Deum, & SSpiritum Deum; Neque Tres tamen Deos, sed Unum Deum. At istud hinc sequetur, exclamat profanum hoc os, *Deum Filium sibi Filium esse.* Quòd verò non addat, ex eadem planè consequentia, *Et Deum Patrem sibi Patrem esse*; & *Deum SSpiritum sibi SSpiritum esse*, ex nulla religione est, sed ex alia fallacia, ad quam nunc abire nobis non licet. Verùm eat impurus ad locum suum cum suo *Sibi*, quod ex nullo alio consilio jam ab ipso intrusum est, nisi ut Barjesuiticam διασφορὰν gnaviter exerceat, súbque Specie Unitatis, Personas Deitatis invicem sic permísceat, ut confundat eas, Substantiam verò Deitatis, sub colore Trinitatis, sic in plures dividat, ut planè separet. Igitur quod graphico Distortori satis nunc sit, breviter & hoc adserimus, Deus, Actus ille purissimus, Simplicissimúsque, ab æterno intelligit Seipsum; atque à Seipso æternùm intelligitur. Deus autem est, Qui intelligit; Idem & Deus est Qui intelligitur. Deus qui intelligit, quâ intelligit, Pater est; Deus qui intelligitur, quâ intelligitur, ad modum scilicet internæ prolationis, Verbum est, ad modum æternæ generationis, Filius est. Una igitur heic semper, atq; Unica ἡ ἰσία, Ratio est, sed divisa jam hinc est ratio ἀφ' ὑποστάσεων.

4. Et satis quidem novit ipse, quid calumnietur, Neque se quicquam habere contra Filium Dei, nisi quod Alcorano reverâ debeat, Haud citiùs igitur dicit hoc, quàm deserit. Atque jam de *Filio Proprio*, utut planè nil responsum ab eo sit, in communi tamen sumens cum *Unigenito*, has tenebras offundit, *Caussa cur Christo ista Attributa*, (putà *Proprii, atque Unigeniti Filii, competant*,) *hæc est, Quòd inter omnes Dei Filios, ille & præcipuus sit, & Deo charissimus*, C. R. p. 105. De meritis autem hujus Caussæ, mox. Dicat interea Caussarum novus Faber, *Propriúsne Filius* dicitur quis ob hoc, Quia inter alios plurimos Unus ille, sed *præcipuus*, est? Polonicum & hoc idioma est? Aut quâ in Lingua istud Proprium est? An verò ὁ ἴδιος, (nam & Articulo quoque ab Apostolo ibi donatur, in Signum Singularitatis;) ille Paulo erat, Quem non communem Deus cum alio quovis habebat? Ità ut filium, cui non pepercit pro nobis omnibus, (Ità enim, & pro semetipso dabatur, si jam Ille ex nobis unus erat;) non dici ab Apostolo, vel Adoptione suum factum, vel ex temporali quavis dignatione sic creatum, vel externâ denique Electione (Quibus quidem modis cæteri dicuntur *Filii Dei*:) aliis prælatum sciamus; sed Naturalem, atq; de Suo Suum, Verum scilicet (utì diserté nuncupari eum novimus, ἡ ἀληθινὸν, ἡ ὄν, 1 Jo. 5. 20.) atque in eadem acceptione habendum pro *Filio Proprio*, in qua Judæi Christum ipsum acceperant, cùm in mortem ejus conspirabant, Et Quare? Quia opinabantur, eum, quem pro nudo homine habebant, Æqualem ipsi Deo Semetipsum facere; Quomodo enim? Quia πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν θεὸν, Jo. 5. 18. Deum dicebat, non Patrem, sed Patrem Proprium. Quid? An Præcipuum? An, in cæteris Patribus ei charissimum? φεῦ τῆς ἀχύρου! Quas verò stoliditates, sacrarum Literarum Caupones isti, ubi volunt, Suis in os ingerunt, atque ipsi sic pasci gestiunt! Ex hóccine verò sensu, qui sic se Deum habere Patrem diceret, Deo sese æquiparare, lapidésque mereri censendus erat? Ἴδιος ὑὸς igitur est Filius Naturæ, atq; ὁ ἴδιος est in eadem Natura Filius Unus, & Singularis.

5. Verùm in Caussæ suæ defensionem ille sic procedit. *Quemadmodum Isaac, Quia Abrahamo charissimus, & Hæres extitit, Unigenitus vocatus est, licèt fratrem Ishmaelem habuerit*, C. R. ibid. De dicto igitur hoc, primò; ídq; è Gen. 22. 2, ubi Isaacum, Eth-jechideka, id est, *Unicum tuum*, (Senes, τὸν υἱόν σου τὸν ἠγαπητὸν, verterunt, & ver. 12. atque 16, τὸν μόνον σου, ὃν ἠγάπησας, vocatum ab ipso Deo reperimus. Hóccine jam est, quod vult? Certé. Sed quod è Paulo tamen, & non è Mose, accersi huc vult.

Quid

Quid ita? Quia apud Paulum ipsa hæc vox est, ἡ μονογενὴς σαγσέρειν ὁ τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος, Heb. 11. 17. Agnoscimus verò; Atque ex hoc, (Quia SScripturæ nulla est ἀσυμφωνία,) ad ipsam dicti rationem à Catechista prætensam nunc accingimur. Negamus igitur, Isaacum, non aliter μονογενῆ dictum esse, quàm propter Abrahami affectum solùm, *Quia charissimus ei erat*, sed quia ex integra Caussa *Unigenitus* ejus erat. Ex Natura enim, primùm, Quia Isaacus solus natus Abrahamo tum erat in libera conditione, solus etiam ex ea, quæ pleno jure Uxor ei erat; Unigenituræ igitur huic nihil de jure Ishmael, natu licèt major filius, sed Ancillæ, Gal. 4. 30, officiebat. Dein, & ex Gratia Promissionum; Nam *Unicus*, atque *Unigenitus* Isaacus à Paulo ibi non alio respectu dicitur, quàm ut erat Μονογενὴς τὰς ἐπαγγελίας ἀναδεξάμενος. Perpendantur autem jam, Quæ illæ Promissiones fuerint. Annon Prima erat, Ipse Isaacus? *Sara, quæ risit, habebit Filium*, Gen. 18. 14. Aliæ erant, De benedictione totius mundi, *In semine tuo benedicentur omnes nationes*, Gen. 22. 18. Sed ità tamen hoc, ut in ipso Isaaco prædeterminatum fuerit, nam, *in Isaaco vocabitur Semen tuum*, Gen 21. 12. Prærogativa igitur harum Promissionum, de Isaaco solo factarum, ídque antequam nascereturr, facit, ut ille verè, propriéque (quoad intentionem eam Divinam) vocatus sit Μονογενὴς, licèt alios fratres habuerit, Ad has enim ipse Soligena erat. Ex consimili autem ratione & Christus, propter Soligenituram sibi Propriam, atque hominum nemini præterea congruentem, propter Naturam scilicet Divinam ipsius, humanâ, quam adsumserat, tum contectam, appellat se *Unigenitum Filium Dei*, Joh. 3. 16, Qui præfigurabatur quidem in Isaaco, sed ipse Benedictionum totius mundi Consummatio, & Complementum erat. At verò ista cùm Barjesuitæ, ex multiplici AntiChristianæ suæ Hæreseos caussa, ad palatum omnino non facerent, libenter igitur ad alia (solens & hoc suo more,) Lectorem abducere vult, déque solo Parentis affectu multa frivolè nugatus, Ishmaelis reipsâ se Sodalem facit, Quasi enim per lusum, jocúmque atque ex comitate faceret, in Isaaco jam & ille Christi verè persecutor est, Gal. 4. 29.

6. Neque desistit tamen in tam miserabili caussa abenicando nos plurium nugarum tædio. Etenim si hoc daretur ei, Posse in Sacra Pagina dari exemplum alicujus, Qui cùm Fratres, paris per omnia conditionis, alios haberet, ex affectu tamen Parentum *Unigenæ* titulum reportaverit, Ergóne nunc sequetur, & Christum Dominum, (non solùm dictum per eminentiam Naturæ suæ, ἡ μόνη Θεοῦ ἡ μονογενὴς, Joh. 3. 18, Sed & datum etiam, ex infinita Dei caritate erga mundum, ut in Nomen ipsius universi crederent, Credentésque in Unigenitum hunc ut Salutem æternam ex ipso consequerentur;) de Paterno quidem affectu nonnihil præcipuum in se, de Divina autem Conditione nihil, sed paris cum seipso Naturæ alios universos, habere? Ità quidem Barjesuitæ jam (à Posse aliquando fortassean aliquid, ad Esse nunc hæc omnia,) de Christo suo definire placet; Atque ex communi usu hoc genus Paralogismorum, (Quorum quidem aliis in Quæstionibus, propter nonnullarum vocum πολυσημασίαν, prætextum paulò probabiliorem interdum habet:) Recentis suæ Theologiæ fidem satis se astruere nil dubitat, Quia *populus ejus*, cui ista scribuntur ab eo, (hoc est, scioli per Orbem Socinuli,) *amant sic*; ut est apud Prophetam, Jer. 5. 31. Pergit igitur in hoc quæsito de nomine *Unigeniti*, atque *Salomoni plures ex eadem matre fratres fuisse*, C. R. pag. 105, Satis operosâ in margine suo citatione probatum it. At Quorsum, obtestor? Et, *tamen Salomon vocatus est Unigenitus coram matre sua*, C. R. ibid. Sed audi tamen, *Vocatus*, à Quo? A vulgari quidem Latino, ità (ut nunc dicerum exit) vertente verba ea, ויחיד לפני אמי, Prov. 4. 3. Veruntamen Senibus ea sunt, Καὶ ἀγαπώμενος ὡς σφόδρα μητρὸς μου, id est, & Unicus, quasi Unicè dilectus ab ea, Idque ex alia fortassean, & diversissima Caussa, non quia *Unigenitus*, sed potiùs, quia πηλύγενος, & *ultimogenitus* ei erat, 1 Par. 3. 5. Ultimogenitorum autem privilegium novimus nos, ubi Hæreditarium sit. Neque tamen non agnoscimus, esse quidem, licèt non heic, ubi vocabulum illud, יחיד, reddatur à Senibus, μονογενὴς, ut Psal. 22. 20. atque Psal. 34. 20. Sed in utroq; loco meritissimè corriguntur ab Aquila per suffectam vocem μοναχὸν· ídque perquàm necessariò fit, Psal. 25. 15. Quàm longè enim ab omni sensu abest, ut ibi legatur, ὅτι μονογενὴς, καὶ πτωχός εἰμι· quod à Propheta quiritante dictum esse videmus, *Miserere mei, Quoniam Solitarius & miser sum*? Atque ista jam Trophæa sunt, quæ Pyrgopolinices Czarkovianus de duobus Attributis *filii Proprii*, atque *Unigeniti*, à se subactis, cum gloria sua reportavit Suis in Poloniam.

SECT. XLIII.

1. Πρωλότοκος *est* Prægenitus. *Aliter, fuisset* Πρωτότοκος, *vel*, παντὸς τόκου.
2. Πρωτόπρος ὁμοῦ· Πρῶτος *pro* πρότερος, *atque indè* πρώτερος. *Regimen interdum est ex parte Vocis Compositæ.*
3. Πρωτότοκος *in Linea Descendente Relationem habet ad Parentes, & Syntaxin Appositivam, in Linea Collaterali, ad Connatos, & Præpositivam.*
4. *SSpiritus optimus Grammaticus.* κτίσις, Creatio, *vel* Creatura. Πᾶσα κτίσις, *solùm dicitur de tum productis.* Πᾶς *Collectivè, & Distributivè.*
5. *Christus in Natura sua Humana primogenitus erat; Atque indè Ariani Eum pro Creatura habebant.*
6. *Unus Socinus execrabilior Decem Ariis.* Nova Creatio *in Spirituali solùm sensu sumenda est. Christus & Primogenitus, & Unigenitus.*
7. *Christus* Πρωτοτόκος *omnium. Accentus ut variet significationem. Accentus olim non appingebantur. Syllabæ numeratæ à Capite vocum, aut à pede.* Πρῶτος *Antecedentem excludit, sed non supponit sequentem.* Πρωλοτόκια *Unigenitis de jure debentur.*

NActum se tandem Barjesuita sperat ex Epithetis Filii Dei, (dici nimirum Christum, Πρωλότοκον πάσης κτίσεως, Col. 1. 15.) quod ex ipsa natura vocabuli, (Ordinale enim τὸ πρῶτον est,) feliciùs ei cedet adversùs Divinam Christi Naturam. Paragraphum igitur, quem huic voci dat, Syrmate nihilo breviore, quàm geminis aliis jam proximè dederat, trahere ei visum est, & tantùm non lascivire jam in verbis suis, *Neque hinc Naturam Divinam Christi exculpi posse*, C. R. pag. 106. A Sculptilibus verò quid metuere sibi in Polonia didicerit, non quærimus; Nos eum ex Anglia, Divinæ Naturæ aliquâ sculpturâ, quæ artis solùm, & δίκτως est, non pressuros esse, Sanctè profitemur; Neutiquam passuros tamen, ut Naturam illi Divinam, (quæ χώσεως ipsius, Juríque sui est, non celte quidem effigianda, sed cælo tamen æternùm adserenda;) Christo unquam impunè suffuretur. Possumus verò scire, unde Homuncioni jam ista confidentia? *Etenim cùm Christus primogenitus omnis Creaturæ sit, eum unum è numero Creaturarum esse oportere necesse est*, C. R. ibid. ait. Vah! ut luxuriatur jam Vitulus! Satis ei nunc non erat dicere, *Unum è Creaturis eum esse oportet*, Sed cum majore pompa, *Unum è numero Creaturarum*, quod satis tamen in multitudine infinita crassum est, & quod planè stolidum, atque stribiligo est, *Unum esse oportere necesse est*. Sed talium Caussarum Oratores, tam Solœcos, atque ridiculos, & quidlibet aliud, præter quod ἐπιτυμίας sonat, esse oportet, aut, si id parum fit, necesse est. Sed ut terrestri huic Struthioni alas intervellamus, quibus propter humum sic volitat: Negamus

mus ei, πρωτότοκον hiis in verbis ampliùs valere, quàm *Pregenitum*, seu *antegenitum*, &, si exactè loquendum sit, *Primogenitum* non esse. Puri enim Ordinis hoc si esset, ad significandum, Quis Primus, Quis Secundus, Qui Deinceps fuerint, dici oportuit in eodem Genere; Ex eorum enim Numero esse non poterit, nisi vel πρωτόκτισ πάσης κτίσεως esset, vel πρωτότοκος παντὸς τόκου, seu πάσης ῥώσεως. Sed ad innuendam hanc ipsam differentiam, SSpiritui visum est, cùm πρωτότοκον præmiserat, πάσης κτίσεως adjungere, ut indè perspicere possimus, Solius Temporis rationem nunc haberi, Christum enim ab æterno, hoc est, Ante creationem Rerum omnitum, genitum fuisse.

2. At caret exemplo (inquiet) ista vocis significatio. Et in hac quidem Caussa, cùm de Generatione sit ante Luciferum, carere, nemini mira esse possunt. Præter enim Deum ipsum reperitur nihil in Orbe, quod tali exemplo sit. At in consimili tamen compositione Exempla non desunt. E. g. enim, Græcorum illa vox, πρωτόφρος, communiter quidem significat, vel Activè, *Qui primò locutus est*, vel Passivè, *Cujus sonitus primò auditus est*. At verò cùm πρωτόφρος ὁμῇ, quod alicubi apud Nonnum haberi scio, ponatur pro Prophetia, jam non intelligenda est Prophetia ea, Quæ primò omnium exiit, sed tantùm, Quæ jam priùs audita, atque antè concessa mortalibus fuerat. Optimâque quidem ratione hoc in hujusmodi compositis fieri potest. Nam & ipsum simplex πρῶτος, Græcis non semper significat *Primum*, sed interdum est, *Priùs*, vel *Antè*, ponitúrque pro, Πρὸ, vel Πρότερος. Notat mihi Lexicon meum, ἡ πλαγὴ πρῶτον τῆς ἀσφαλοῦς τῷ βραχεῖ ἐπιτελεῖ, ex Aphrod. Prob. lib. 1. Notavi & ego ei in margine, Ἦρξε Πρασσῶν, πρῶτον Δαρεῖον, ex Aristoph. Avibus. Atque ex ipsa quidem hac ratione est, quòd vulgò in Græcis, per gradum usurpata audiantur, πρώτις, & πρώτισα. Sed & ad hæc quoque in ipso Codice Divino satim exemplorum est. Vel unus Johannes tria nobis propinavit. Ὅτι πρῶτός μου ἦν Baptistæ apud eum Professio est, de Christo, Joh. 1. 30, & id est, πρότερός μου. Christus etiam de mundo, Discipulos suos solatus, ait, γινώσκετε, ὅτι ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, Joh. 15. 18. Quòd nos denique Christum diligamus, ex ea ratione esse, ait, ὅτι αὐτὸς πρῶτον ἠγάπησεν ἡμᾶς, 1 Joh. 4. 19. Jam verò in vocabulis compositis inesse & vim, & Regimen Simplicium suorum, nisi pessimè recolo, jampridem annotavi ad ἀντίζησις, Rom. 14. 9. Exemplum autem ejusdem egregium jam sub manu mihi occurrit, cùm Christus dicatur, Μονογενὴς παρὰ Πατρὸς, Joh. 1. 14. Constructionem enim quod attinet, παρὰ Πατρὸς nihil commune habet cum μόνος, sed Regimen suum solummodo refert ad alteram partem in vocabulo eo, μονογενής. Idem igitur & in hiis statuendum nunc est; Cúmque Christus πρωτότοκος πάσης κτίσεως dicatur, nihil aliud intelligendum est, quàm si πρώτοκος, vel προπρότοκος, ex idiomate Græco dici potuisset: Πρῶτος enim in hoc jam sumitur, ut sæpe fieri indicatum est, pro πρότερος. Addo etiam pro mantissa, Aut ego nimium fallor, aut fine solœcismo suo sumi aliter hoc non potest.

3. Reddo autem rationem. Habet enim vocabulum πρωτότοκος, ex ipsa natura rei, σχέσιν duplicem. Consyderatur scilicet primò, quasi in Linea Descendente, cum Relatione ad Parentem, unde exiit: Dein quasi in Collaterali Linea, cum Relatione ad Connatos, qui pariter exiere. Et in descendendo quidem, Syntaxis nulla est in codice Divino, nisi Appositiva, regitúrque id, quod Parentis locum occupat, in Casu secundo per Appositionem. Nihil frequentius igitur apud Senes, quàm ἐγὼ Ἰσαὰκ ὁ πρωτότοκός σου, Gen. 27. 19. & υἱὸς πρωτότοκός μου Ἰσραὴλ, Exod. 4. 22. & τὰ πρωτότοκα τῶν κτηνῶν, Num. 18. 15. & Ἰσραὴλ ἐγέννησε τὸν πρωτότοκον αὐτοῦ, 1 Par. 2. 13. & sic in cæteris. Consimiliter factum est & in N. Test. ídque de ipso Christo; Respectu enim Naturæ ejus Humanæ, non semel legimus, ἔτικε τὸν υἱὸν αὐτῆς τὸν πρωτότοκον. Quæ de B. Virgine Parente Domini dicuntur, tum Matth. 1. 25, tum Luc. 2. 7. Sed aliam jam esse Constructionem in Linea Collaterali, qui non observarunt, invenient se nondum Rem rectè tenere. Præpositiva enim jam Syntaxis est, Ità ut in Connatis designandis, Regimen nullum obtinuisse videamus, nisi per interpositam Præpositionem aliquam. Exempla ad hoc sunt, Quòd referendo ῥῆσιν Christi ad Resurrectionem ejus, (Resurrectio enim ejus ex *Hodie genui Te*, Psal. 2. 7, ab ipso Paulo inferri videtur, Act. 13. 33.) in ordine jam ad alios eâdem nativitate beandos, πρωτότοκος etiam ipse ab Apostolo dicatur post tria hinc tmematiola, verùm non, ut heic πρωτότοκος κτίσεως dixerat, per Appositionem, ità & πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, sed cum Præpositione interserta, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, Col. 1. 18, similitérque à Johanne, Apoc. 1. 5. Rursus, referendo Nativitatem Christi ad Adoptionem, quam Electi in ipso consequuntur, denuo πρωτότοκος à Paulo dicatur, non tamen πρωτότοκος ἀδελφῶν, sed πρωτότοκος ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς, Rom. 8. 29. Neque usquam, opinor, Collateralis hæc Syntaxis aliter se habet, præterquam quod in Kircheri (Senum enim alium me Textum jam ante Decennium per Sacros Viros habere non licuit;) Concordantiis legam, *Nati sunt filii Davidi in Hebron*, καὶ ὁ πρωτότοκος αὐτοῦ Ἀμνών, 2 Sam. 3. 2. Quòd si ʼאחיו sit, collateraliter dictum est. Sed manifesto, (facilíque quidem ex Abbreviaturis) Notariorum, aut Typorum vitio hoc factum est, atque אחיו legi oportet, in linea Descendente. In Hebræo enim est, בכורו, atque etiam in Latino Vulgari, Senum Assecla, *Primogenitus ejus, Amnon*.

4. Concludimus igitur nunc, Atque cùm Paulus jam non dixerit, πρωτότοκος ἐν πάσῃ κτίσει, sed Appositivè, πρωτότοκος πάσης κτίσεως, reddere hoc, *Primogenitum totius Creaturæ*, re quidem verâ est, assignare Christo totam Creaturam pro Parente suo: Sed si reddatur, *Pregenitus*, seu *natus ante Creaturam*, jam salva res erit, atque non Orthodoxæ solùm fidei, sed & Grammaticali quoque Peritiæ, (ab ipso SSpiritu religiosiùs multò cultæ, quàm nonnulli opinantur,) constabunt sua δικαιώματα. Atque istud profectò jam est, quòd & vocem ipsam, Κτίσιν, de *Rebus creatis* nolim nunc exponi, sed de *Creatione*, seu *Actu creandi*. Non nescio quidem, promiscuè usurpari: sed & ex Eruditorum Choro esse scio, qui affirmârunt, κτίσιν, nusquam in N. Test. præterquam in ad Hebræos 9. 11, aliud quàm κτίσμα significare. Sed eorum animum cur ego non geram, non semel exposui. Atque ex mente hujus loci esse, ut κτίσις reddatur nunc per *Creationem*, mecum fortasse jam sentient, Qui de rectè monitis multò rectiùs judicare sciunt, quàm egomet monere. Præsertim, cùm & universali signo, πάσης κτίσεως, indui nunc videamus. Πᾶσα verò κτίσις, cùm de *Rebus ipsis* sumenda fit, an dici possit, aut alicubi dicatur, nisi solùm de Creaturis actu, tum cùm dicitur, existentibus, est quod dubitemus. Nobis igitur nunc verto locum, vocem πάσης sumendo Collectivè, pro universa, **Who is the image of the invisible God, born before the whole Creation.** vel, Quia Prima mundi Creatio Sex dierum Successione constabat, sumendo potiùs πάσης Distributivè, pro Qualibet, **Born before any Creation.** Utroque autem modo ut πᾶς exponatur, in tanta Exemplorum N. T. abundantia, otio abutentis planè esset, aliquod adscribere.

5. Ex præmissis autem hiis, luculentè jam paret, quàm evanida ea sint, & quanta tamen cum fraude huc accersita, quæ Catechista cumulavit sibi, quasi ex hoc loco concluſa, *Christum, esse unum è numero Creaturarum; Esse unum ex eodem genere, Quorum Primogenitus est; Eam denique esse vim in Scripturis Primogeniti*, Cat. Rac. pag. 106. Hæc enim omnia, si de sola Natura Humana Christi sumta fuerint, inaniter prorsùs ab eo urgentur, neminem enim omnium habet Adversarium. De ea autem Natura sumi tria illa loca, quæ in margine suo aggessit, jam satìs indicavimus. Actum igitur nunc non agimus. Sed quid tum? Ex hiis enim concessis, inferre se posse, *Christum ergò Divinam Naturam etiam non habere*, atque

atque ex priore isto ad Colossenses loco, Naturam Divinam ejus non probari, C.R. ibid. Præter quod jam plusquam ludentis operam sit, etiam & Principium planè petentis est, quòd hoc sperare se simulat. Amplius igitur quicquam ut ad hæc jam respondeatur, opus non est. Sed majoribus tamen ausis excidere hunc Titanem, id nunc monstrandum est. Ratus enim ipse, se Christum Dominum, jam in solam conditionem rerum conditarum æternùm damnâsse, per ex isto loco Paralogismum, (Quem ille ab ipsis Arianis disertè mutuatus est, jam olim ex hoc contendentibus, (sed quàm infelici, atque irrito opere, ex jam à me dictis judicetur!) Christum, quantuscunque fuerit, ex rebus tamen in Prima Creatione conditis Unum fuisse:) Quia tamen confidit, *Adversarios* suos (Amicissimo enim hoc nomine, & nobis quidem pergratissimo, Catholicæ Fidei Cultores cohonestat;) Arianæ Caussæ nolle favere, Cat.Rac.pag.106. Pæana igitur stolidè canit, atque hanc victoriam, ex Arianorum ore, faucibúsque ereptam, sibi pollicetur.

6. At quídni ipsis Arianis istoc adjudicabitur? Tibi hoc dico, Czarkoviane: Tu, Qui Argumento ipsorum usus, tantùm non fateris, si ipsi jure suo non expolientur per vim, neq; ideo solùm repellantur, Quia Ariani audiunt, Caussam hanc, ex hoc loco, eos, non te, reverâ vincere, atque Socininis nullam indè spem affulgere, nisi ex arbitraria nostra, proptérq; studium partium, Arianorum reprobatione, jámque demens expectas, ut Barjesuiticæ caussæ plùs faveatur ab Adversariis tuis, quàm Arianæ? Dicam igitur cum Apostolo, consimilem audaciam perstringente, *ἵνα χαλεπὸν πικείας, ᾧ σκάνδαλσμον ἀδικίας ἐρῶ τι ὄντα*, Act. 8.23. Verùm monendus quoque es, impiissimum illud Caput Alexandrinum, majore cum prætextu rationis, minoréque cum aut Fidei dispendio, aut contumelia Christi, (Quem vel indè ab Orbe primùm condito, totius Creationis non Primitias solùm, sed & Opificem ex Deo factum fuisse, atque *ὁμοούσιον*, licèt non *ὁμούσιον* esse, permisit,) insaniisse, quàm nunc furit Catechista Racovianus, pluribúsque S. Ecclesiæ Anathematibus (si jam darentur Constantini tempora) feriendum esse unum Socinum, quàm decem Arios. Nos verò utriusque impietatem pariter execramur, conjunctóque cum iis Satanâ, Trigæ huic Acherunticæ, (Christi, Veræque Triados Osoribus,) abrenunciamus, & Anathema Maranatha dicimus. Nullum igitur jam novæ Creationis (in sensu licèt Apostoli, id est, merè Spirituali, Divinissimè sic dictæ, (ut jam alibi tetigimus,) sed, ut in sensu Barjesuitico nunc subornatur, in rebus naturalibus, consarcinatæ tantummodo ad Divinam Naturam, mundíque fabricam Christo surripiendam, ádque Christum in Creaturarum duntaxat Ordinem, atq; ad Tiberii solùm tempora religandum,) aucupium admittimus. Jesum enim eo nomine, (id est, ut ipse hallucinatur, *Primogeniti Creaturarum*,) ab Apostolo nunc vocari statuimus, non solùm, *Quia Tempore, & Præstantiâ res omnes novæ Creationis antecedit*, C.R.p.107, Sed infinitè magis, Quia Imago Patris ipsius ab æterno, & ante Creationem omnem Primogenitus ejus, Unigenitúsq; est, Deus Filius, atq; ex Hypostatica Unione Naturarum jam *θεάνθρωπος*, Idem homo, Deúsque, in æternum Benedictus.

7. Neque celabimus tamen, quid in hoc Quæsito Catechista profecerit, quòd Socininus sit, & non Arianus, sed in summa minoratione Christi, aliquid ampliús. Nam cùm ipsorum impietas Christum jam amoverit ab Opificio Mundi, nihílque in Orbe creatum à Christo esse voluerit jusserit, (Quicquid heic in tmemate sequente, Col.1.16, De Creatione universorum ei tribuatur; Qua de re nos Prædonem fusiùs antè convenimus;) aliter, quàm ut ista, *Omnia*, sub sua novæ Creationis imaginatione subdi, deprimíq; possint, C.R.p.78. Liberavit ergò se ab ea Expositione hujus Loci, quam contra Ægyptium illum à Patrum non nemine, (Ægyptio & illo; à Pelusio enim:) intortam esse memini. Expositio autem est, ad quam Sanctissimum Patrem nullâ ex impetu Arianorum necessitate adactum, (licèt sint, qui id nunc sentiant;) sed suopte solùm acumine, atque judicio ductum esse censui, cùm antè jam Tria lustra legerem; Quia hoc ineluctabile esse videbat Argumentum ad homines. Sic enim mihi argumentari ipse videbatur, Deum per Christum creâsse Mundum, vos non negatis; ferendum igitur non est, ut Quia *πρωτότοκος πάσης κτίσεως* heic dicatur, & Creaturam Ipsum esse, vos hinc concludatis, Aio igitur, vocabulum ità pronunciandum esse, ut Tertiam suam Syllabam, & non Secundam *ὀξυνομένην* habeat, (hoc est, ut sit *πρωτοτόκος*, & non *πρωτότοκος*.) Christum enim *πρῶτον τεκτάνεται τῆς κτίσεως*, id est, Creâsse Omnia, ab Apostolo jam dici, ex ipso contextu videmus. Contra hæc autem Ariani quid mussitarent, non habebant; *δημιουργὸν* enim Mundi Christum esse, illi non ibant inficias. Negare etiam non poterant, multa vocabula, è Compositis præsertim, pro ratione Accentûs significationem suam variare: Ex ipsis autem compositis à *τίκτω*, præter *πρωτοτοκον*, in usu esse, *ὠκυτοκον· αἰνοτοκον· ἀεικοτοκον· θηστοκον· δευτεροτοκον· ἀρτιτοκον*· modò Paroxytona, modò Properoxytona, atq; indè sensum modò Activum, modò Passivum habentia; contra Christum igitur hic locus nequibat militare. (Ex his autem notare jam *ἐν παρόδῳ* liceat, Græcè scripta etiam eo seculo, Accentum nullum expressum portâsse, sed ex placito solùm, usúq; loquendi vocabula Tonos suos sortita esse. Quin & à Capite etiam vocabulorum, eos Syllabas tum numerâsse, Unde in *πρωτοτόκος*, Tertia Syllaba ab eo *ὀξυνομένη* dicitur, atque in *πρωτότοκος* Secunda, Cùm nos contrà à Fine eas numeremus, atq; illud *παροξύτονον* appellemus, istud verò *προπαροξύτονον*.) Denique ut omnem in hiis contradicendi jam abscindamus ansam, Qui opinantur, Alios in Divina Natura Filios supponi, Quia in ea Christum dicimus esse *πρωτότοκον* Patris, valdè falluntur. Nam vox ista *πρῶτος* excludit quidem Antecedentem, verùm non supponere Sequentem, ut Grammaticorum omnium consensus est: Sedet in omnium Nationum Legibus, de Successione Feudorum, *τὰ πρωτοτόκια* etiam Unigenitis debentur.

SECT. XLIV.

1. *Articuli Vis, & Usus.* Πρότερον & τὸ πρότερον *ut differant in usu Sacro.*
2. *Latini V. Quadrupes Error in uno Loco.* Ην, *pro* fuerat.
3. *Catechistarum fraus in Polemicis.*
4. *De Descensu Christi de Cœlo, Missioné q; in Mundum.*
5. Ὁ Ὤν, Qui est, *non*, Qui erat. Descendere de Cœlo, *Figuratè dicitur, de Rebus, non de Personis.*
6. *Christum* de Cœlo descendere *Propriè dictum est, probátque in Christo utramque Naturam.*
7. Exire à Patre, *Aliud est, & Plus, quàm* Descendere. Ἀπὸ Θεοῦ, & Ἐκ Θεοῦ, & Παρὰ Θεοῦ *ut differant.*
8. Venire in Mundum, *quid significet.*
9. *Christum à principio in Cœlo semper fuisse, antequam nasceretur.*
10. *Christum postquam natus est, Adscendisse ad tempus in Cœlos, prinsquam in publicum prodiret, hallucinatio Barjesuitica est.*

OMne ferat punctum, Me Judice, qui naturam, usúmque Articuli apud Græcos sic calleat, ut &, ubi suam emphasin habeat, Et Quam; (non una enim est; nunc, ad Individuum Solùm designandum, nunc ad Universum genus colligendum, adpositi;) Et ubi Nullam etiam, & Quare, demonstrare nobis poterit. Quod inpræsentiarum verò nobis occurrit in hoc argumento, est ut paucis eventilemus, cur *πρότερον*, ubi adverbiascit, Septies in N. T. Articulo nullo honoretur, Sed ter tamen Antecambulone suo non careat. Idem enim Euangelista, qui Nicodemum nobis producit, dicentem *ἐὰν μὴ ἀκούσῃ παρ' αὐτοῦ πρότερον*, Joan.7.51. De Cæco tamen à nativitate, ait, *οἱ θεωροῦντες αὐτὸν τὸ πρότερον ὅτι τυφλὸς ἦν*, Joan. 9.8. similiter & Paulus Corinthios sic adfatur, *ἐλυθόμην πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν πρότερον*, 2 Cor. 1.15. Timotheúmque de Semetipso, sic, *τὸν πρότερον ὄντα βλάσφημον*, 1 Tim.1.13.

(Nam & ibi πρότερον Adverbium est, atque Articulus ὁ non ad illud, sed ad ὅτι pertinet, ad Galatas tamen ait, δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον, Gal. 4. 13. Quæ Causa igitur est hujus variationis, Articulúmque modò apponendi, modò omittendi? Aut quam in dictis istis dicemus esse differentiam? Latinus V. quidem omnino non distinguit, Sed cùm πρότερον sit *Priùs*, ità ille Loca omnia, aut in eum effectum, ex æquo reddit. Nostri etiam, licèt in ad Galatas aliquantulùm variaverint, (ibi enim reddiderunt, non, Before, Sed, at the first,) rem ipsam ex hoc plenè adsecuti non sunt: Neque memini quidem ab Interpretum aliquo hoc satìs adnotatum fuisse. Quòd si Nostri ibi reddidissent, from the first, rem, de qua nè somniârant tamen, acu tetigissent. Ità enim ista reverà differunt, Ut πρότερον dicat id, quod Antè, (sive in Initio verò, sive in Medio antecedanei temporis, sive in Fine ejusdem, nil interest:) id est, quod semel se, vel aliquando, sic habuerit: τὸ πρότερον verò signanter id designet, quod antè semper ità fuerit, hoc est, Quod ex quo primùm cœperit esse id quod est, nunquam non fuerit id, quod de eo jam dicitur. Excutiantur autem jam ad hoc sigillatim ipsa Loca. Quanquam iis (& plura ea sunt) quæ πρότερον sine Articulo habent, nihil opus est immorari: In confesso enim res ea est, Ità significant, utì vulgò redduntur, *Antè. Priùs.* At first. Before. Sic Hebr. 4. 6. & 7. 27. & 10. 32. denique & 1 Pet. 1. 14.

2. Ubi verò cum Articulo Duce suo τὸ πρότερον reperitur, Loca duo jamdudum notavimus, Quorum iste prior est, *Itaque vicini & qui viderant eum priùs, quia mendicus erat*, Joan 9. 8, Latino V. eum locum sic legente, sed cum errore quadruplici; Quorum binos quidem Priores ipse sibi habet; Posterioribus binis & Nostros infecit. Primus est, Quia τυφλὸν commutavit in πτωχόν. Alter, Quia ὅτι Causaliter reddidit, quasi ex ea Causa viderant eum, cùm Determinativè solùm hoc dictum sit, *Viderant*, quòd sic se habebat. Tertius, Quia verbum Substantivum ἦν, solens suo more, vertit per præteritum Imperfectum *erat*, cùm Aoristus ibi, in plusquam Perfecto usurpetur, pro *fuerat*. Quartus denique est, Quia principale intentum Articuli, de quo nunc quærimus, non exprimit, θεωροῦντες τὸ πρότερον, id est, *qui viderant eum ab initio, quòd cæcus fuerat*, & à Nostris igitur reddi oportuit, who had seen him, from the first that he had bin blinde, Indè enim ab utero matris, eum oculis semper captum esse, atque videre nunquam potuisse, nunquam non viderant. Neque aliter quidem in altero eo Loco, Apostolus de Galatica sua Evangelizatione locutus est, οἴδατε, ὅτι δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς εὐηγγελισάμην ὑμῖν τὸ πρότερον, Gal. 4. 13. Jam hoc quidem Latinus V. sic, *Evangelizavi vobis jampridem.* Quod verum quidem est, sed frigidum, & nihil nunc ad rem. Nostri aliquantò propiùs à re absunt, I preached the gospel to you at first, neque ipsi tamen mentem Apostoli plenè enunciant, Ipse enim hoc vult, Nunquam se prædicasse inter eos aliter affectus; id est, Quotiescunque Muneri suo in Galatia adfuit (adfuisse autem bis ad minimum Luculentè patet, ex Act. 16. 6. & 18. 23.) ità se gessisse, ut non exiguam carnis suæ infirmitatem, quâ laborabat, iis semper manifestaret. Nobis igitur & hoc reddo, I preached the gospell to you from the beginning, neque Meôpte jam cerebro, Locorum horum quantumcunque innixus necessitati, isthæc dicito: Habeo enim & Senum exemplum, qui quod à Propheta dictum est מקדם, Jer. 30. 20, Quia mens Prophetæ est, *Erunt filii eorum, sicut à principio semper fuerant*, non aliter verterunt illud, quàm ἐλεύσονται οἱ υἱοὶ αὐτῶν ὡς τὸ πρότερον, Cúmque Abrahamus redux ex Ægypto factus, à Mose dicatur contulisse se ad locum inter Bethel & Ai, ubi Tabernaculum ipsius fuerat à principio, בתחלה, & illud etiam reddiderunt, ἧ ἦν ἡ σκηνὴ αὐτῷ τὸ πρότερον, Gen 13. 3.

3. Eò autem libentiùs ista jam congerimus, quia restat nobis adhuc è N. T. Locus qui ab ipso Christo donatus hoc Articulo est, qui, & à nobis Diviniore de Causa jam notandus est, Ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν τὸ πρότερον, ait Dominus ad Judæos Joan. 6. 62. Ad alia autem nunc non abibimus; non igitur ad Apostopesios à Christo usurpatæ supplementum, per quod brevì eos desituros nôrat, tam gravitèr (in sensu nimirum Corporaliter ipsum Manducandi) Scandalizari. Quod præ manibus est, id solum nunc agimus: Atque istud sic se habet; Adscensurum se esse, Christus prædicit. Et Quando? Jam brevì: Ipsos enim visuros ait, cùm ascenderet. Et Quó? Ad Deum Patrem proculdubio, Sed placet ei tamen, ità designare, *Illuc, ubi ipse fuerat* τὸ πρότερον. Ubi autem illud? In Cœlo: Sic enim dixerat modò, *Ego sum panis vitæ*, v. 35. &, *Quia descendi de Cœlo*, v. 38. Atque istud quidem erat, quod tantopere turbabat eos. Ille enim ut se dicat *Descendisse de Cœlo*, Cujus ipsi se parentes novisse rebantur, Mariam Matrem, & Patrem Josephum v. 42; Dominus verò dictum illud suum ingeminat, *Esse se Panem Vitæ, qui de Cœlo descendit*, v. 51. Sed innuit tamen, Spiritualem se dicere Manducationem sui, Manducandum enim ipsum ab iis esse tum, cùm ascenderit illuc, *ubi fuerat* τὸ πρότερον, v. 62. Atque hic jam Scopus Loci. Adsumimus verò jam nos; Quàm Achilleum ergò Argumentum est hoc Æternitatis, Deitatísque suæ, hoc est, Divinæ Naturæ in Christo Domino? Ratio Consequentiæ quàm mox parebit. Interim non possumus non observare, Satìs jampridem hoc persensisse inficiatores Barjesuiticos, Atque indè esse, quòd subtilis ille prædii Czarcoviani Dominus, fassus utcunque, Esse varia Scripturæ Loca, quæ Christum, (ut ipse loquitur) directè respiciebant, Divinæque Naturæ in Christo, Nobis (Sed *perperam concludentibus*, ait C. R. p. 99.) Argumenta suppeditabant (Inter cætera verò ea in quibus Christus dicitur *Descendisse de Cœlo*; *à Patre exiisse*; *In mundum venisse*; *Patre suo ipsum mittente*, C. R. p. 100.) hunc tamen locum, de Christo redeunte illuc, *ubi fuerat* τὸ πρότερον, in ista jam Quæstione prorsùs siluerit. Quid ità verò? Dicant, qui aliam Causam noverunt, quàm Quia se nihil habere sciebat, quod huic (quicquid ei ad reliquorum Locorum verba cavillari in promtu erat,) posset reponere.

4. Fraudem tamen hanc ut scitè dissimulare posset, (est enim, tam plenus omnium ille Act. 30. 10, & dissimulandi scitissimus Artifex.) Alio pòst in loco, alióque in Argumento, ubi, relictâ tandem Personâ Christi, De Prophetico Christi munere instituerat dicere, etiam & hunc locum (Nè pius Vir suppressisse aliquem videatur) in primis interserit. Sed hiis sub verbis tamen, *cùm ergò videritis Filium Hominis ascendentem, ubi erat priùs*, C. R. p. 130. Absit enim ab eo, ut ille temere à Latino V. abeat, atque τὸ πρότερον, contra se interpretetur heic, ubi ad id quod probandum in se susceperat, *Jesum perfectissimâ ratione Dei Patris voluntatem à Deo ipso in Cœlis edoctum fuisse, ádque publicandam eam hominibus magnificè è Cœlo missum*, C. R. p. 129. Satìs ei erat, quod verum erat, sed non erat totum, cum Latino V. dicere, *ubi erat priùs.* Ecquis verò jam Optimum Moscovium Catechistici (ut esse nunc didicerunt Catechistæ,) peculatûs, id est, Testimoniorum, quibus nescit respondere, subductorum, accusabit, cùm ipse isthoc nullus subduxerit? Verùm non sic abibit nobis tamen. Sequemur potiùs hominem, Ordinéque suo cum eo agemus: Loca igitur ea, Quæ ipse in priore Thesi sua *De Persona Christi* agnoscit, de Christi descensu è Cœlis, ínque mundum hunc à Patre missione, agere, Negat tamen *Naturam ipsius Divinam ex iis probari*, C. R. p. 114. primò aggrediemur; Dein verò subjungemus, Quid ex altera ejus Thesi, *De Prophetico Christi munere*, adsuendum hac in parte habebimus.

5. Loca autem ad hoc Quatuor, in suis De Persona Christi, ab eo allegantur. Primus est, *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit è Cœlo, Filius hominis, Qui est in Cœlo*, Joan. 3. 13. Veritus autem (nec sine causa) nè

ista

illa Latini V. (quo, in rem ſuam ſi ſit, ſæpe utitur,) interpretatio ad Chriſti Deitatem innuendam nimis conferre videretur, (in terris Chriſtum tùm præſentem, corámque eum ipſis colloquentem, dicere tamen Se etiam in Cœlo tum eſſe) nullo negotio ſe hoc metu liberat. Quomodo? legit enim verba ea, quaſi ex ore ipſius Chriſti fluentia, *qui eſt* vel *erat in Cœlo*, C. R. p. 113. In Græcis quidem eſt ὁ ὤν. Sed cùm illud Participium Præſentis ſit, quâ fide (Præterquam Barjeſuiticâ, de ritu ipſo ἀγνοίας Suæ, SScripturam, Chriſtúmque, per nullam non perfidam vim, temerante,) participium *Exiſtens*, in re Diviniſſima, mutetur in *Qui erat*, Mutator ipſe reſpondeat. Ad Locum verò hunc, (cujus iſtud τὸ ῥητὸν eſt, Hominum neminem adſcendiſſe in Cœlos niſi Deum Filium, Qui è cœlo deſcendens, atque indè filius hominis factus, jam tum in Cœlo adeſt:) jam antè certus negandi id, quod in Quæſtione eſt, rotundè reſpondet, *Ex eo non probari Chriſti Naturam Divinam*, incertus tamen ipſe, ex qua ratione hoc negabit. Nam Metaphorica tantùm locutio ut ſit, poſſet modò aliquo colore confirmare, valdè inclinat ei animus, ideóque primo in loco reponit, *Deſcendere de Cœlo, poſſe figuratè dici. Poſſe* autem? Nunquámne poterimus ab iſta puerili Captiuncula immunes eſſe? Illationibus à poſſe ad eſſe, aſſiduè vexari? Sed novit, quibus iſta ſcribat, Hinnulis ſuis Socinulis, Qui perſuaſi, ſic eſſe poſſe aliquando, dijudicare neſciunt, quando ſic non ſit, atque indè ſuſpecta ſemper, ſuſpenſáque habebunt omnia. Sed quomodo tamen probat, *Deſcenſum è cœlo Figuratè accipi poſſe?* Reſpondet, *Quemadmodum omne Datum bonum, & donum omne perfectum, deſcendere de ſurſum à Patre luminum, dicitur*, Jac. 1. 17, atque *Nova Jeruſalem viſa eſt è cœlo à Deo deſcendere*, Apoc. 21. 2, & 10. Rectè quidem, Hæc ſic dicuntur. Sed quid hæc ad rhombum? Quæſtio enim inſtituta eſt, de Homine deſcendente, De Filio hominis, (in terminis) qui poſtquam è Cœlo deſcendit, in Cœlum aſcendit denuo. Jam lepidus iſte reſpondit, de Donis Divinis, de Chariſmatibus, & Spirituali Gratia, déque Eccleſia Catholica, Metaphorico Myſticóque corpore Chriſti. Annon igitur reſpondet ad idem dux iſte, dignúſque eſt, cujus acumen demirentur Aures Socininæ? Annon appoſitiſſimo exemplo probat, Cùm iſta, quæ Corpore, atque Perſonâ carent, conditionémque Locomotivam nullam habent, ſed Divini ſolùm Spiritûs, Gratiæque infuſiones, & Providentiæ Secreta Effecta ſunt, dici non poſſint, *De cœlo deſcendere*, niſi figuratè, ergò nec hominem quenquam dici poſſe, niſi per figuram, indè deſcendere? Quid enim ſi ex eadem hac ratione, & Aſcenſum Chriſti in Cœlos, non niſi figurativum quoque eſſe oportebit, & præſentiam ipſius ibi in Cœlo figurativam, Quid hoc ad Barjeſuitam? Dicendum illi jam erat De Deſcenſu Chriſti è Cœlo, & potiùs quàm indè Divina in Chriſto Natura admittetur, æternùm ei valeat Symbolum ſuæ Fidei.

6. Injecto autem jam in animos ſuorum (id quod potiſſimum à Veteratore intenditur;) hoc Figuræ Scrupulo, Exiſtimationi tamen ſuæ apud alios providendum eſſe ratus, nè fidem omnem ſanúmque ſenſum penitus exuiſſe eum pareret, callidè ſubjungit, Barjeſuitas *perlibenter admittere* (ſed cum conditione tamen ſuâ) ut illa verba *De deſcenſu Chriſti propriè accipiantur*, C. R. p. 114. Satin' jam ſanctè hoc? Satin' (ſupérque ô!) ingenuè, nam quantillula eſt ea conditio? Haut alia, quàm quæ ſemper viros Catos, atque Cordatos decet! *Si propriè accipi debent.* Eugepæ! Ex ungue igitur iſto, qui Boni eſtis, æſtimate nunc mihi hanc feram. *Figuratè poſſe, Chriſtum è Cœlo deſcendere accipi, ait*; Sed ipſe tamen perbenignus eſt, & nè vult contendere, quantum poteſt. Debetis ergò ei has gratias. Sed & libenter igitur & *perlibenter, admittit, Deſcenſum iſtum Chriſti propriè accipi debere.* Candoris jam ſummi iſta profeſſio eſt! Prudentiæ ſolùm ſuæ, atque Puræ pietatis ergò, admittat utcunque (accipi ſic debere) eâ tamen ſolùm lege admittit, *Si ſic accipi debeant*, hoc autem quid aliud nunc eſt, quàm debent, & non debent? *Admittit* igitur, & non *admittit: perlibenter* etiam, & tamen, *Si.* Nos interea Protea hunc mittimus, atque jure noſtro utimur, concludimúſque eum, qui Chriſtum propriè è Cœlo deſcendiſſe dixit, Divinam Chriſti Naturam ex eo adſeruiſſe. Verùm ipſe jam palàm reclamitat, Quia Chriſtus, qui deſcendiſſe Se à Cœlo, idem & eum qui deſcenderat, *Filium hominis eſſe* dicit, C. R. p. 114. Rectiſſimè; Atque hinc nos utramque Naturam in Chriſto, Humanam, quâ Filius hominis eſt, Divinam, quâ è Cœlo deſcendit, ex Chriſti ipſius ore jam confirmamus. Cùm ille verò nihil contrà reponat, niſi *Quòd Filium hominis Perſonam humanam neceſſariò habet; & ergò Deus Naturâ eſſe non poteſt*, C. R. p. 114, Miſeret nos hominis à SScripturis, in quarum ſtadium ex profeſſo jam ſe dederat, deſtituti, ad inanes illos paralogiſmos igitur, quos ſanæ Rationis quidem titulo ipſe (ſed quàm fruſtrà falſóque, non ità pridem demonſtravimus) inſignivit, retrò currere coacti. Verùm dicta priùs non repetimus. Stat hoc, ubi Natura Humana ad Divinam adſumpta, (Corpus, ſive Caro cum partibus ſuis, Animáque Rationalis cum dotibus & facultatibus Univerſis) integerrimè adeſt, ibi & Perfectus Deus, & Perfectus per omnia Homo eſt, Filius ille hominis, qui de Cœlo deſcendit, aſcendítque in Cœlum denuo.

7. Ad proximum igitur Locum, quem ibi citavit, jam tranſeuntes, *Quòd Pater Chriſtum in mundum miſerit*, Joan. 10. 36. cùm & huic ipſe nihil repoſuerit, niſi, quòd *& de Apoſtolis Chriſti legatur, Quemadmodùm Tu Me miſiſti in mundum, & Ego miſi eos in mundum*, Joan. 17. 18. C. R. p. 115. Nihil videmus ex hoc Reſponſo, cur Cauſſam nos pro conceſſa ab eo non ſumamus. Optimè enim ſequetur hoc, Veri homines erant, quos Chriſtus, jam Homo, à Se emiſit, Chriſtus igitur & Verus Deus erat, Quem à Se emiſit Deus Pater, Idem etiam inferimus ex altero eo Loco, *Quòd Chriſtus à Patre exierit*, Joan. 16. 28. Nam & Catechiſta determinat, *Idem hoc valere, quod & antè, De Cœlo deſcendit.* Ibidem. Nos autem ex eo Deſcenſu Chriſti Naturam Ejus Divinam jam ſatis probavimus. Veruntamen ſummâ jam non nauci Theologorum attentione dignum eſſe ducimus, Annon hæc Locutio *Exeundi à Patre*, ſoleat à SSpiritu uſurpari cum diſtinctione ſua? Adeò ut per Præpoſitionem quidem ἀπὸ expreſſa, nihil aliud valeat, quàm *è Cœlo deſcendere*, Ut in ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθε, Joan. 13. 3. & ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθες, Joan. 16. 30. Sed quando per Præpoſitiones, ἐκ, vel παρὰ, enuntiatur, Ut intimius aliquid ſonet, atque etiam Quia phraſin ſemper aliam, quâ Motus ille Localis deſignari videtur, ſubjunctam ei tum habet, Ut eò diſertiùs igitur hoc, quod priore loco ponitur, ad Emanationis Naturalis conſiderationem nos evehat. Ità enim ait ibi, ἐξῆλθον παρὰ τοῦ Πατρὸς, addítque, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον· Ità etiam antè, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον, καὶ ἥκω, Joan. 8. 42. Ità denique pòſt, παρὰ σοῦ ἐξῆλθον, καὶ σύ με ἀπέστειλας, Joan. 17. 8. Duo igitur jam à Chriſto (cui nihil unquam παρέλκει,) ſingulis hiiſce in Locis dicuntur, Quæ ſenſu Diviniſſimo ſic à Nobis diſtingui poterunt, Ut poſterius ad Naturam ejus Humanam nos referat, referatúrque à Nobis, ad Divinam verò, priùs.

8. Pergimus autem, quò ab ipſo trahimur: Atque cùm adſumentum hoc ſubtilis Textor heic fecerit, *Venire verò in mundum id ejuſmodi eſt, quod Scriptura poſt Nativitatem Chriſti extitiſſe oſtendit*, C. R. p. 115, ſi non Orbilio, certè Oedipo opus eſſe dicimus, ut Quid ipſe dicat, probè intelligamus. Quod videtur verò velle dicere, iſtud eſt, *Venire in mundum*, dici de Chriſto nullo ibi reſpectu habito ad Originem Naturæ ſuæ, ſed tantùm ad Officii ſui, poſtquam natus eſt, executionem. In probationem enim adducit huc alterum Chriſti dictum, *Ego ad hoc natus ſum, & in mundum veni, ut Teſtimonium perhibeam Veritati*, Joan. 18. 37. & illud etiam ex Epiſtola ejus, *Exiſſe Pſeudoprophetas in mundum*, 1 Joan. 4. 1. putà Ad publicè prædicandum. At ſi iſtud ſit id, quod vult, hei, quàm fruſtrà jam, frivoléque, atque ad

inanem

inanem ſolùm fucum dicta à pretioſo Catechiſta ſunt? Quid opus enim eſt, ut in iſtis Chriſti Dictis, ad Naturam ejus deſignandam, *Venire in mundum*, vel ab Ipſo intendatur, vel trahatur à Nobis, cùm ibidem Dicta alia proximè antecedant, In Priore, *Exivi à Patre, & veni in mundum*, in Poſteriore, *Ego propter hoc natus ſum, & propter hoc veni in Mundum*, Divinam ipſius Naturam abundè ſubindicantia? Sed ſic ſunt hii nati Barjeſu, quantum ex hoc video! Modò aliquid dicere videantur, ſatìs eſſe Socininis ſuis oportet, quàm nihil id cunque ſit. Concludit igitur ſatis Thraſonicè, *Quare ex ejuſmodi loquendi modis Natura Divina in Chriſto probari non poteſt*, C. R. p. 115. Et bonâ quidem fide credo, Racoviæ tum non potuiſſe. Sed Probationes noſtræ quantum ex iis Locis velimus, an à Nobis confirmatæ ſatìs fuerint, atque quaſſari omnino ab imbelli Sophiſta non potuerint, Lectorum, quotquot omnium cerebellum habent non Racovianatum, judicium nunc eſto. Ire interea Catechiſtæ licebit cum ſuo, *Duntaxat*, quò dignus duntaxat eſt. Ità enim definit eum Paragraphum, *In omnibus verò hiis Locutionibus, quàm Divinum Muneris Chriſti Principium fuerit, duntaxat deſcribitur*, ibidem. Horſum enim tendit, Chriſtum in Dictis iſtis de Natura ſua nihil cogitâſſe, nè per ſomnium quidem, ſed Auditoribus hoc ſolummodo ſignificare voluiſſe, Doctrinam ſuam Se de Cœlo petiiſſe. Sed Chriſti mentis quàm inopes Barjeſuitæ ſint, haut opus eſt ut nunc admoneamus!

9. Hanc igitur occaſionem nunc prenſabimus, Regrediendi ad id, unde cœpta Nobis hæc Sectio eſt. Nam, quod modò præmonuimus, cùm ſatìs ſciret vaferrimum Caput, Chriſti in cœlis Præſentiam ab æterno, tot tantíſque SScripturæ Teſtimoniis comprobatam iri, ut nullis è Lituania cavillis poſſit eludi, utcunque *De Perſona Chriſti* agens, nè argumentis Divinam ejus Naturam neceſſariò inferentibus, crudeliter nimis à ſeipſo premeretur, ea ſolùm Loca, (pro Catechiſtica ſua licentia, tranſilire illud edocta, & nec videre, quod neſcit tollere;) ſelegerit ſibi, de quibus in aliquam Reſponſi (Qualiſcunque, parum refert, A ſuis enim non facilè temnendi.) ſpeciem aliquid antè commentus fuerat, Pòſt tamen, cùm liberatum Se ab eo metu eſſe confidit, agens enim tum *De Munere Chriſti*, magnificentiùs multò ſe exponit, atque Quæſtione hâc in pompam à ſe inſtitutâ, *Ubi ſcriptum eſt, Chriſtum fuiſſe in Cœlo, & à Cœlo miſſum?* Cat. Rac. pag. 130, alia præterea Loca adhuc accumulat, atque in primis iſtud, *Adſcenſurum Chriſtum eſſe*, ὅπου ἦν τὸ πρότερον, Joan. 6. 62. Nos igitur (velit, nolit,) revocamus nunc hominem in priorem (quicquid antè per dolum diffugerat,) Palæſtram, atque ex ipſo Articulo eo, τὸ, Divinæ in Chriſto Naturæ probatione eâ, quam modò præmiſimus heic, Drapetiſcum obruimus. Neque enim ſatis ei erit nunc dicere, Chriſtum quidem, antequam incepit prædicare, in Cœlum adſcendiſſe, Ut à Patre voluntatem ipſius omnem edoceretur, Atque ex eo nunc reſpectu, verba Eum hæc facere de Reditu ſuo illuc, ubi fuiſſe ſe priùs ipſe noverat. Hoc quidem ſolum, quod Divinam Naturam neceſſariò non inferet, ut exiſtimetur Chriſtus dicere, ſi ſic SScripturæ Teſtimoniis ſatiſfieri poſſit, abunde contentus erit Impoſtor. Atqui nos urgemus, ad hoc ſolùm ſignificandum, *fuiſſe Chriſtum aliquando in Cœlo*, nihil opus eſſe Articulo eo, τὸ πρότερον, ſuffeciſſet enim dicere, ὅπου ἦν πρότερον. Sed cùm tam Articulatè Ipſe rem diſtinguat, de more, (ut vidimus) SSpiritûs, dicátque exertè, ὅπου ἦν τὸ πρότερον, præteriri non ſinimus de Verbis Domini vel apicem aliquem, (Quantò minùs, tanti momenti Articulum?) ſed neceſſariò ſupponi ex eo contendimus Conditionem eam Chriſti, in qua ſemper, æternúmque antè, Ipſe Præſens in Cœlis cum Patre fuerat. Hanc autem Conditionem niſi in Divinam Naturam impoſſibile eſt cadere.

10. Nihilominus & qui iſta dicunt, Hominem Jeſum, poſtquam natus eſt, in Cœlum, antequam ad prædicandum prodiit, quaſi ad Scholam aliquando iiſſe, Patríſque Mandata omnia ibi tum didiciſſe, atque indè cum Doctoratûs ſui Authoritate rediiſſe, par certè, & æquum eſt, Ut Quando hanc profectionem inſtituerit, Quo Anno Ætatis ſuæ, An ante Duodecennalem ſuam Diſputationem in Templo, Luc. 2. 46, an pòſt, an ipſo illo triduo, quo à Parentibus tum repertus non eſt, Quo etiam modo ierit, redierit, Quo uſus Vehiculo, cum hoc genus reliquis, jam probent nobis. Fortaſſean quidem, tum cùm Catechiſmus iſte in mundum exivit, (ſemiſeculum enim nunc eſt,) nondum inter ſe illuſtribus hiis Novatoribus ea de re, (De tempore, modóque itinerum Jeſû,) in Conciliabulo ſuo convenerat. Poſt Moſcorovi verò ſui maraſmum, an cæteri aliquid definierint, Qui neminem ipſorum, præter eum, oculis unquam uſurpavi, equidem ſcio cum ignariſſimis. Quòd ſi hactenus iſtud ſiluere, Utinam jam eloquantur! Dicant, ſi Boni ſint, Quo Proteuangelio ad id uſi fuerint? è quo Apocrypho eam Expeditionem Jeſû Chriſti hauſerint? An hujus rei fidem penes ipſos tantùm eſſe volunt? Suæque ſolùm Authoritati, nè ipſi Divinam aliquam Chriſti Naturam agnoſcere cogantur, Commentatio iſta innititur? Erunt etiam, qui doceri Se ab hiis poſtulabunt, Quî potuerit Jeſus ille, quem Ipſi dicunt, Deus non Deus, pro ſuo libitu, etiam priuſquam vel SSpiritu imbutus de Cœlo eſt, in Cœlos ἐμβατεύειν, Patríque ſe Diſcipulum dare, & ab Eo Conſiliorum Ejus omnium Conſortem fieri? Quomodo enim ſtabit hoc cum ſuaviſſimo alio eorum delirio, *Summam illam, atque arctiſſimam Conjunctionem, Qua Deum inter & Chriſtum eſt*, vel ipſis compaginantibus, non niſi à Sepulcro Ejus initam fuiſſe, C. R. pag. 126, Atque Reſurrectionem Chriſti, Quæ mortem Ejus (vel ipſis teſtibus) ſubſecuta eſt, ejuſmodi demum fuiſſe, Ut indè, *Quia reſuſcitatus ipſe ex mortuis, Poteſtatem ſuam in Cœlo & Terrâ conſecutus fuerit?* Cat. Rac. pag. 225. Sunt & alia horridè ἀσύστατα non pauca, quibus Chriſtum inſcripſerunt hii Deitatis Ipſius Oſores. Sed abſoluto jam hoc de quo cœperamus quærere, ceſſabimus pauliſper ab hiis Borboritis.

SECT. XLV.

1. Μᾶλλον *in Sacris nunquam* παρέλκει. *Non Comparativè ſemper dicitur, ſed Excluſivè interdum, pro* Solummodo.
2. *Non Abſolutè ſumitur ſemper, ad Res inter ſe Comparandas, ſed Modaliter, ad Conſequentiam Argumenti à Majore.*
3. *Redemtionem per Chriſti mortem negare coactus Catechiſta, quæ Mortis ſunt, adſcribit Reſurrectioni Ejus, non ſine pluribus Abſurdis.*
4. *Refert ergò ea ad Propheticum Munus Chriſti, & non ad Sacerdotale. Aliud eſt, Rem certam eſſe, Aliud, Nos certiores de ea fieri.* Διχαίωσις. Βεβαίωσις. Aſſecuratio. Warrantizatio.
5. *Ut Mortem Chriſti elevet, & Reſurrectionis ejus mentionem in fraudem adjungit.*
6. *Reſurrectioni, Quæ Mortis ſunt, adſcribit, Quia Mors eſt Via ad Reſurrectionem. Sic Bellum ad Pacem; Amnis ad Mare.*
7. *Chriſtus unde* Servator *eſt. Meritum Salutis noſtræ accrevit Ei ex Paſſione ſua. Ex Morte Chriſti Salus noſtra certa erat, nos certiores de ea facti, ex Chriſti Reſurrectione.*
8. *Catechiſta Cauſſam confirmat ex planè contrario. Argumentum à Majore ad Minus.* Μᾶλλον. *Meritum mortis Chriſti.*
9. *Per fraudem quoque reſtringit ad Reſurrectionem Chriſti, quod de Vita Ejus dictum eſt.*
10. *Scelus ejus, in Textu corrumpendo per Verbum Tranſpoſitum.*
11. Μᾶλλον δὲ *applicatur ad Certitudinem non Rei, ſed Spei noſtræ.*

12. *Pun-*

12. *Puncta, & Tmemata S. Textûs examinari possunt. Ut Puncta variari possint, & Cur. Quæstioni per Quæstionem respondere, vehementiùs concludit.*

13. *Tmematiorum variatio in Loco. In dialecto Nostrâ, It, turpiter solœcizat.* Ἐγκλῆν cum κατὰ, *ut sumatur.*

QUod Eruditis quibusdam visum esse scio, Adverbium μᾶλλον in usu Sacro interdum περίλυπον, calculo meo nunquam comprobare potui. Nam quod Dominus ad Discipulos suos dixerit, οὐχὶ ὑμεῖς μᾶλλον διαφέρετε αὐτῶν; Matth. 6. 26, Comparativum istud per αὔξησιν poni ab eo quis non videt, pro Positivo ipso, μάλα, vel πολύ; Similiter etiam quòd μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον· dictum sit à Marco, cap. 7. ver. 36, manifestus sensus est, pro πολλῷ περισσότερον id dici; Ex qua etiam ratione, ipsi Comparativo μᾶλλον addi videmus Positivum hoc, ὃ πολλῷ μᾶλλον ὑμᾶς; Matth. 6. 30. Neque aliter quidem definiendum est de Petri ea confidentia, ἐκ περισσοῦ ἔλεγε μᾶλλον, Marc. 14 31, déque cumulata Paulo lætitia sua, περισσοτέρως δὲ μᾶλλον ἐχάρημεν, 2 Cor. 7.13. Nam & eum in sensum non rarò reperiuntur apud exteros Authores, αἰσθητότερον μᾶλλον, & μᾶλλον κάλλιον, cum multis id genus aliis. Quin istud verò nobis de Adverbio hoc μᾶλλον, notatu jam multò dignius est, ità illud sæpe in Sacris sumi, ut relatione indè ad cætera habitâ, non tam Comparativè, quàm Exclusivè dici intelligendum sit, atque revera significet, *Solummodo*. Ità enim Christus ipse, disertè primùm vetito Apostolis suis itinere ad Gentes, ádque Samaritas, Matth. 10. 5, subjungit tamen, quò eundum iis sit, per, πορεύεσθε δὲ μᾶλλον, ver. 6, istud igitur est ad Israelitas *Solummodo*. Pari etiam exemplo, ubi mandârat, *Nequid sibi timerent ab Occisoribus corporum, sed non Animarum*, addit, φοβήθητε μᾶλλον τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν ἀπολέσαι, ver. 28, atque hoc est, *Solummodo Deum hac in parte metuendum esse.* Idem etiam volebant illæ Olei sui Negatrices Virgines, atque Sociabus suis jubentes, πορεύεσθε δὲ μᾶλλον πρὸς τοὺς πωλοῦντας, Matth. 25.9: Idem & Dominus in sua de pravitate Mundi sententia, ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος, ἢ τὸ φῶς, Joh. 3. 19. & Paulus denique de sequioris ævi Pestibus, φιλήδονοι μᾶλλον, ἢ φιλόθεοι, 2Tim. 3.4. In hujusmodi enim Locutionibus, Locísque, τὸ, μᾶλλον, non significat *Pra*, quasi dictum sit, *Illud ante hoc*, vel, *magis quàm hoc*: id enim est, Ut hoc sit aliquid, licèt illud sit plus; sed peremptoriè exponendum est, quasi dictum sit, *Illud solùm, & non hoc.* Id enim ibi intenditur, Ut illud sit totum, & hoc sit nihil.

2. Est & aliud de eodem Adverbio μᾶλλον imprimis adnotandum. Variis enim in Locis, ubi non nisi primariâ suâ, id est, Comparativâ significatione fruitur, Simpliciter tamen, aut Absolutè, atque omnibus rationibus *Magis* non significat, sed Modalem solummodo præstantiam supponit, quæ nihil ad rerum ipsarum Distinctionem facit, aut ad aliquam Prælationem earum inter se, sed tantùm adducitur ad Argumenti, in quo tum sunt, confirmationem, ádque totius Complexi probationem huic Consequentiæ à Majore innixam. Perpendatur enim illa perioche, in qua Christus, Argumento à Se ducto, Discipulos suos præmonuit, quid ipsis expectandum erat à Judæis, qui Dominum ipsorum tam indignis modis exceperant, *Neque enim Discipulum esse supra Magistrum suum, aut servum supra Dominum suum*, Matth. 10. 24, Abundè igitur iis sufficere debere, si pro sua cujusque conditione, meritóque, parem cum Domino sortem experiantur, ver. 25. Esse igitur quid hoc dicemus, quod in Conclusionem subjungat, Εἰ τὸν οἰκοδεσπότην Βεελζεβοὺλ ἐκάλεσαν, πόσῳ μᾶλλον τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ; Annon enim summæ jam, atque perditissimæ impietatis erit, si quisquam cavillari heic velit, contenderéque, Christum sibi contradicere? Præmittere enim, *Non esse servum supra Dominum suum*; & eodem tamen spiritu concludere, Servos suos multò magis titulo ipso Belzebub, (Quem ἀρχοντα τῶν δαιμονίων esse, monemur, Luc. 11. 15,) insigniendos esse? Sed hæc vanissima Captio est. Neque enim nunc, ad Christum atque Discipulos suos inter se comparandos, (Quod tam distinctim in Præmissis factum erat;) quicquam facit istud μᾶλλον, sed solummodo inservit ad Argumenti sui Consequentiam perurgendam, Hac nimirum in parte omnium rationi consentaneum videri oportet, Qui ipsum Patremfamilias (O qualem, quantúmque!) nihil reveriti sunt, multò minùs abstenturos se esse à Famulorum ipsius injuria, & contumelia. Πόσῳ μᾶλλον igitur nil aliud significat, quàm, longè certius est, (longè enim promtius iis, longéque facilius erit;) eos, Qui tantâ in Dominum vesaniâ debacchati sunt, in Servos ejus, quaquâ possint, desævituros esse.

3. Prodeat igitur nobis nunc in Scenam hanc, à nobis in nullius ferè Paralogismi cautione non provocandus, infelix ille Catechista. Videte enim, in quas angustias res eorum ab ipsis redacta sit. Pernegatâ primùm ab iis Naturâ in Christo Divinâ, jam Causæ totius Barjesuiticæ necessariò intererat, Quæ ex Hypostatica in eo Unione ritè secuta sunt, pariter negare: Omnino igitur non ferre, ut homines ex morte Christi Redemtionem humani generis secutam esse credant; Sequeretur enim indè, quicquid jam per ducentas, & quod excurrit, Catechismi sui pagellas frustrà insudaverant, Flammis continuò mandandum esse; Homo enim hominem redimere non potest, Psal. 49.7: Hominem igitur non esse, Sed Deum, oportet, si Redemtionem cujusquam, (Quantò magis, si omnium?) Deo dare posset, ver. 8. Quid igitur jam faciunt? Quod necessitas jubet: Negationibus nunquam supersedendum est; Negandum est usque, & fortiter, quicquid contraïerit. Negari igitur jam oportet & Redemtionem: Negari mortis Christi pretium, meritúmque. Verùm quo Argumento fiet, *Cùm ità crebrò ea omnia morti Christi adscribantur in Scriptura?* C. R. pag. 227. Jam istud quidem non negant: sed acumine suo æternùm mulctentur, nisi facilis, & elegans sit Responsio. Audiatur ergò. *Quia morti Christi utcunque Scriptura adscribat ea, morti tamen ejus non adscribenda sunt, sed quæ ex morte sequuta est, Resurrectioni.* Quid ità verò? Non vides, ait? Hem igitur tibi, Utere hiis perspicillis Socininis, siquem nasum habes tam divinæ gratiæ capacem! Jam autem dic, Quid vides? Ohe! *Homines ut arbores ambulantes*, quod Cæcus ille, Mar. 8. 24. *Hinc perspicio, Longè plus in Resurrectione Christi, quàm in Morte ejus situm esse, in nostræ Salutis negotio*, C. R. pag. 226. Benè habet! Hoc igitur est acutùm cernere! Hoc Barjesuiticarum partium esse, Ut statim videant, quod præterea nemo! Pergant igitur, atque hoc Suppósito, jam quid aiunt? Istud, *De Resurrectione sua homines, & porrò de Vita æterna consequenda certiores facti sunt, Resurrectione Christi*, Cat. Rac. pag. 224. Quid nos igitur ad hoc? Sophisticè dici. Fatentur autem, *Resurrectionem ejus fieri non potuisse, nisi morte ipsius interveniente*, C. R. ibid. Et quid ad hoc Nos? Insulsè dici. Concludunt etiam, *Nisi Resurrectio Mortem Christi subsecuta fuisset, nullam fuisse potestatem Christi servandi homines*, C. R. pag. 225. Quid, ad hoc etiam Nos? Falsò dici.

4. Pergendum igitur nunc, si ingenui simus, non erit, donec paucis Polonus noster conveniatur De dictis hiis à se tribus, Sophisticè, Insulsè, Falsó. Quoad primum verò, Novit quidem Vulpes multa; sed unum magnum istud est, quòd de morte Christi, De Salute hominum, De Redemtione mundi, De Pretio Liberationis nostræ, De Mediatione Christi, De Propitiatione, De cæteris connexis, non nisi sub hoc Capite, (quod De Prophetico Christi Munere inscriptum ab eo est, atque in Sesquicentum pagellas ei crevit;) tractandum sibi propósuerit. Ad Caput enim Sacerdotalis Muneris ipsius nè pertinere quicquam ista viderentur, cavendum ei imprimis erat, si Se salvum volebat à Christi Deitate. De Sacerdotio autem Christi, nè nihil videretur dicere, in speciem satìs inanem, curtámque, aliquid quidem tandem di-

cit, ſed illud aliquid, exiguum eſt, parúmque ad Rei meritum, decémque aliquot pagellis ei facilè abſolvitur. Jam verò cùm *Propheticum Chriſti munus conſiſtere juſſerat, in Divinam nobis voluntatem manifeſtando, confirmandóque*, C. R. p. 129. Hinc ſatis ſibi, nobíſque fore decrevit in Salutis negotio, ſi ſignificârit, Quomodo Homines ipſi *de Salute, de Reſurrectione, de Vita Æterna certiores facti ſint*, C.R.p.224. Sed Modum ipſum, Rationémque & genuinam Cauſſam, ex quibus naſcuntur nobis, certóque conſtant Salus, Reſurrectio, Vita, præterlabi ſinit, tacitéque quantum poteſt, præteriri. At quis non videt, (præter Nihil videntes, & Omnia, Barjeſuitas,) aliud longè eſſe, totóque cœlo differre poſſe id, ex quo Salus, Vitáque noſtra certæ in ſe ſunt, certóque exiſtunt, atque id, ex quo nos certiores de iiſdem facti ſumus? Nos autem non negamus, per Reſurrectionem Chriſti certiores nos factos eſſe de noſtra; Iſtud enim eſſe jampridem notavimus, quod ab Apoſtolo diſertè dicitur, *Chriſtum διὰ τὴν δικαίωσιν ἡμῶν reſurrexiſſe*, Rom. 4.25. Δικαίωσις autem ibi non dicitur, pro *Juſtificatione noſtra*, (licèt ab Interpretibus vulgò ſic ſumatur, acſi διὰ τὴν δικαιοσύνην ἡμῶν dixerat; Nam iſtud ſatis dici intelligitur in verbis ibidem prævíis, *Traditus eſt propter delicta noſtra*; ad tollenda ea ſcilicet.) Sed genuinus ſenſus eſt, *Reſurrexit ad juſtificandum nobis ſpem*, ſeu *nos in Spe Vitæ*, hoc eſt, ad confirmandos animos noſtros in fide Redemtionis per Chriſtum perimpletæ, nè jam aliqua ſubeſſe poſſet, extra noſmetipſos, dubitandi de eadem ratio. Ità ut δικαίωσις id ſit, quod alio vocabulo Græcis βεβαίωσις dicitur, quódque ex uſu recentioris ævi, minùs Latinè quidem, ſed valde ad Rem, à nonnullis *Aſſecuratio*, à noſtris *Warrantizatio* appellari obtinuit.

5. Jam Secundo dicto illo, *Sine morte Chriſti Reſurrectionem ejus fieri non potuiſſe*, Quid unquam prodiit inſulſius? Nihil omninò ſapit, præter dolum, & ineptiſſimam captionem. Ecquis enim omnium dubitârit, Mortis eſſe priores vices, poſteriores Reſurrectionis? Quorſum igitur nobis præclara hæc apophaſis? Quorſum verò non & altiore repetitione opus pariter habuit? *Sine natali Chriſti Reſurrectionem ejus fieri non potuiſſe.* Nam ſi reponatur, non expediiſſe de tam remoto, ſed de proximo actu, dicere, Profectò ex æquo utrumque expediit, Planè enim neutrum; Neque Vitæ Chriſti, neque Mortis meritum in Reſurrectione ejus abſorbendum ab iſtis Decoctoribus eſt. Tum &, ſi proxima ſubruenda ſunt, Demiſſio Corporis Chriſti de Cruce, & Sepultura ipſa, & Deſcenſus ad Inferos, ſuo ipſorum verbo, *intervenerunt*, atque Reſurrectioni proximiores ſunt. Sed hoc agunt Veteratores iſti in inſulſis ſuis Enuntiationibus, ut à morte Chriſti illico ad Reſurrectionem ejus elabendo, neque aliam Mortis ejus mentionem adornando, quàm in ordine (ſi placet) ad Reſurrectionem, Quaſi quæ per accidens, aut ut Cauſſa ſine qua non, ſolùm intervenerat, minuere aliquâ poſſint, quanquam non in Chriſto Mortis ipſius efficaciam, in aſſeclis tamen Socininis ejuſdem exiſtimationem. Indè igitur inſipida iſta Conſequentia, cùm à ſe propoſitæ quæſtioni, *Quomodo ſanguis, aut Mors Chriſti voluntatem Dei hominibus confirmat?* reſpondeatur ab ipſo, *Quia per Reſurrectionem Chriſti*, (quæ non ſine morte,) *certiores facti ſumus de ſalute noſtra*, C.R.p.223. Euge verò! Quin & nos, quia tam bonus eſt, ſuppetias ei adferimus ex conſequentiis nihilo deterioribus. Sanguis & Mors Chriſti confirmat nobis Dei voluntatem, Quia Chriſtus per Reſurrectionem ſuam, quæ non ſine morte, ivit Emmauntem, & Diſcipulis in via expoſuit, quæ ad Meſſiam pertinebant in omnibus Scripturis, Luc. 24.27. Iterum, Quia poſt Reſurrectionem oſtendit Apoſtolis manus & pedes ſuos, unde ſanguis effluxerat, ver. 40. Porrò, Quia piſce jam, favóque comeſtis, à Reſurrectione, aperuit etiam & mentem eorum, ut intelligerent Scripturas, ver. 45. Supplicet autem nobis, & dabimus plures Socininæ hujus formulæ pollucibiles Illationes.

6. Sed quorſum tamen? Nam & ipſi Catechiſtæ, indè, ex hoc fraudulento ἀπόκρυφον theſauro ſuo, præſtò ſunt térque quatérque in unica pagella repetitæ phraſiunculæ, Saliturâ omni, Saporéque carentes, *De Reſurrectione Chriſti, atque ad eum modum ipſius morte, certi ſumus*, C.R.p.224. Et, *in Morte & Reſurrectione Chriſti*, &, *Reſurrectio Chriſti, mortem ejus ſubſecuta, ejuſmodi erat.* Atque indè denique illud omnium abſurdiſſimum, ſolóque Barjeſuitâ (nihil unquam ſolidè probare, nihil tamen non audaciſſimè effutire docto) dignum, *Scripturam propterea Chriſti morti plurima adſcribere, quia mors via ad Reſurrectionem Chriſti fuit*, C.R.p.227. *Propterea* autem? Nè neſciamus ſcilicet, ità Theologiæ Barjeſuiticæ viſum eſſe, Reſurrectioni Chriſti ea omnia adſcribi debere, Mortíque ejus eripi. Sed ex qua conſequentia? Nova nimirum iſta, ex qua & Paci quis neſcit imputandas eſſe Coitiones, Sudores, Sanguines, Rapinas, Cædes, Incendia, Vaſtitiem? Quæ bellorum quidem ſunt; ſed ex hoc *Propterea*, Quia Bellum eſt via ad Pacem: Ex qua Conſequentia & Virtutis effecta omnia, non ad Virtutem, ſed ad Honorem ſolùm pertinere jubentur, propterea quia per templum Virtutis eſt ad Honoris via: Ex qua deniq; jure Summo Dominabus adſcribuntur Famularum ſuarum luſus, lapſus, furta, propterea Quia Ancillæ eſſe ſolent ad Dominas via; Maríque à magnis ingeniis tribuuntur tranquillitates, amœnitates, dulcedines ipſorum Amnium, propterea Quia Amnes ſunt ad Mare via. Neq; latet tamen Sophiſtam craſſa hæc abſurditas ſua; Ideóque, quæ ea omnia fuerint, quæ ille, Scripturam adſcribere morti Chriſti, negare non poteſt, propterea quia negare non poteſt, irritare non vult, ſed Omnia ut ſint, ſinit, hoc eſt, Doloſè ambulat in Generalibus hiis, neque Loca citare placet, in quibus adſcribuntur, neque verba recitare, nè ex ipſis locis, verbíſq; ſingulatim expreſſis manifeſtè reluceret Illationum ſuarum inſulſitas. Verùm videmus jam iſtam technam à Capite priore, quia ſequenti, quod Tertium jam eſt, De dictorum ſuorum falſitate, magìs convenire videtur.

7. Falſiſſimum autem eſt illud, Niſi Reſurrectio mortem Chriſti ſubſecuta fuiſſet, non habuiſſet poteſtatem Chriſtus ſervandi homines. Ità enim ſe res habet. Præſuppoſito quidem jam Divino Decreto, Chriſti ἀκολουθία ea in ſerie Cauſſarum, Actuúmque, in quibus perimpleta eſt, perimplendam fuiſſe, Neceſſarium erat, ut Paſſionis ejus infinita Humilitas tali Reſurrectionis, atque Exaltationis ſuæ gloriâ coronaretur. Reſpectu autem illo ad præmiſſum Dei Decretum habito, nihilo invalidiùs etiam concludere licebit, Niſi Sepultura mortem Chriſti ſubſecuta fuiſſet, non habuiſſet Poteſtatem Chriſtus ſervandi homines. Ordine enim præſtituto à Deo ſuccedere oportebat omnia. Sed ſimpliciter loquendo, atque in ordine naturæ, Chriſtus, quam Poteſtatem habuit, in bonum Humani Generis, ut Deus, ab æterno, ut Homo, ex Hypoſtatica ſua Unione, habuit; Meritum autem Salutis noſtræ, quod ex œconomia, quam ut Homo perimplevit, accrevit ei, accrevit ex Morte ipſius, atque à Paſſione ejus debebatur, Quia ſic pati voluit, *Juſtus pro injuſtis*, 1 Pet. 3. 18, Deus pro Hominibus. Igitur ſi ſic Beneplacito Divino viſum fuiſſet, quàm primùm expirârat in Cruce, rectè adſcendiſſe in Thronum Gloriæ, Corpúſque ſuum non in Sepulcrum miſiſſe, ſed Secum in Cœlos jam tum tranſtuliſſe, vel è Sepulcro quidem, non in terras primùm rediiſſe, ſed ad Dextram Patris immediatè ſe collocâſſe, Humani Generis Redemtor, Servatórque non minùs fuiſſet: Chirographum enim contra nos jam tum deleverat, Col. 2. 14, Hoſtem devicerat, 1 Cor. 15. 57, pretium perſolverat, 1 Pet. 1. 19, Credentibúſque omnibus Cœlos patefecerat. Non credit hæc (ſcio) Barjeſuita. Nè credat igitur; Vereor enim, nè è Credentibus illis non ſit. Sed credidit melior illo fur ille, cùm in Cruce Chriſtus præſentaneam ei Salutem pollicitus eſt, *Hodie eris mecum in Paradiſo*, Luc. 23.43. Vel eo enim die Chriſtus, antequam reſurgeret, antequam & mortem ipſam expleverat, Poteſtatem habebat concedendæ Salutis, (Ut mira jam nulla ſint, etiam & ei Loco quoque

operam

operam datam esse Barjesuiticam, ut aliquâ corrumperet.) Certa igitur hominibus Salus ex Cruce Christi, mortísque merito constitit: Certiores quidem homines de Salute facti sunt per Resurrectionem ejus, Quia Oculis, Sensibúsque suorum hoc Bonus Deus dedit, ut iis (in confirmationem fidei) reducem se à morte factum monstraret, colloqueretur, conversaretur, & ità denique ut erat, Spectantibus ipsis, in cœlos tandem conscenderet.

8. Jámque à diverticulo, ad quod pertracti ab eo sumus, redire licebit ad Quæsitum, quod in manibus erat, Quo tandem Sophismate Catechista persuadere speravit, *Salutis nostræ negotium multò magis ad Resurrectionem Christi, quàm ad Mortem ejus pertinere. Ità autem prorsus se rem habere*, testatur ipse *Sacras literas, quas ad istum modum eâ de re testari*, ait C.R. p. 226. *Si enim inimici Dei cùm essemus, reconciliati sumus per Mortem Filii ejus, multò magis reconciliati servabimur per Vitam ejus.* Locus autem iste petitur è Rom. 5. 10, De quo mox plura. Sed quid hinc concludit? Crede, quod brevitatis solùm Catechisticæ caussâ, (verùm reverâ, fraudis Sophisticæ, nè in lucem nimium proferatur;) expresse noluit annectere. Sed ibi in zetemate habes, *Longè plus salutis humanæ in Resurrectione, quàm in morte Christi situm esse.* Et nónne ex iis Pauli verbis hoc evincitur? Nónne enim πολλῷ μᾶλλον ibi est? Nónne & σωθησόμεθα; De Salute ergò nostra quæritur. Salúsque ea, nónne ζωῆς Vitæ Christi magis, quàm Morti Christi adscribitur? Profectò aut illud est, aut illius (quod & Barjesuitæ solet satis esse,) planè contrarium. Sic enim nos statuimus, nullam in his verbis comparationem institui, Nullam inter mortem, & Resurrectionem Christi, Nullam inter Reconciliationem, & Salutem nostram; Neque hoc μᾶλλον introduci dicimus, ad litem aliquam in his dirimendam, sed ad Argumenti sui solummodo confirmationem. Argumentatur autem Apostolus ibi à Majore ad Minus, in hanc sententiam, Consecuti per Christum, quod longè difficilius, miniméque sperandum erat, ecquid jam dubitare, imò, ánnon meritò confidere, possumus, consecuturos nos esse, quod in procliviore nunc est, atque faciliùs sequetur? Peccatores autem nos, Hostes Dei, Deóque Inimicos, reconciliari, justificari, in Salutis sortem & jus admitti, Servos, Amicos, Filios Dei, fieri, Res infinitè difficilior in se est, quàm tales aliquando σὺν Θεῷ factos, in eodem statu conservari. Hoc primum τὸ μᾶλλον est. Secundò verò, τὸ πολλῷ μᾶλλον istud est, Insperatam hanc Conditionis nostræ Immutationem factam esse à Christo in morte sua, multò plus Laboris, Virtutis, Meriti in se habere necesse est, quàm eò in statu conservari nos, à Christo æternùm jam Vivente, atque Regnante. Præter ista autem Apostolus ibi nihil dicit. Igitur cùm Magistrum hunc tam turpiter cæcutiisse, (an depuduisse certè?) videamus, ut quod ex diametro contrarium est, ipse tamen pro se ad perditissimæ Caussæ defensitationem suis obtruserit, vel Pueris suis (per me) jam vapulet. Judicium enim hoc vel talibus Dialecticis competit, in quam verè partem τὸ μᾶλλον istud propendeat, & An minuatur quicquam, An egregiè amplietur ex isto vocabulo mentio, ex mentione ista Meritum mortis Christi, quam Apostolus ad res omnium difficillimas valuisse, atque etiamnum, & æternùm valere, non sine Sancto Triumpho ibidem gloriatur, v. 11.

9. Istud interea filuimus, quòd eo in Loco De Sanctissima Resurrectione Domini, (quam iste videri vult tam insanùm nunc ardere) nè χρὺ quidem reperiatur. Meminit certè Apostolus ibi Vitæ Christi, *Salvos nos futuros in Vita ejus:* aut si sic verti jusserit, *Per vitam ejus*, nulli renuimus, communis enim Hebraismus est. De vita autem Christi ab Apostolo dictum, quòd speciatim restringere ad Resurrectionem Christi, & tum subornatâ à se comparatione inter Resurrectionem, & mortem Christi, quòd primas ex eo jam dicto, præcipuásque partes Resurrectioni ejus adscribere Catechista ausus sit, si quis miretur, ignorat Barjesuitam. Annon modò monstravimus, quam technam sibi Dædalus iste fabrefecit ad hujusmodi consequentias? Vel nunc igitur pari usui erit, *Resurrectio enim Christi erat Via ad Vitam ejus, quæ non nisi Resurrectione ejus interveniente esse potuit: Et Ergò*, quid? Ergóne morti Christi Resurrectio ejus, in Salutis nostræ negotio, longè præferenda est? φεῦ τῆς! Sed temperamus nobis, solâ (id si dixerit,) retortione in turdum Polonicum, sibimet hoc viscus cacantem, contenti, Mors enim Christi via ad Resurrectionem fuit, Quæ non nisi morte ipsius interveniente fieri potuit: Ergò, & mors Christi, in Salutis nostræ negotio, longè est præferēda Resurrectioni ejus. Eadē nimirum ratio est utriusq; sententiæ, & par Consequentia.

10. Cohibitâ autem utcunq; à nobis splenis petulantiâ, mentis tamen indignatio, De Verbo Dei, non distorto solùm, sed corrupto quoq; per eum, (antiquum enim, æternúmque, obtinet,) cohibenda prorsus non est. Quàm Serpentinâ autem cum subtilitate fecit! Paulus ibi ait, *Inimici cùm essemus, reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Tortor iste, Perversórque. *Inimici Dei cùm essemus, reconciliati sumus per mortem Filii ejus.* Hæccine verò videntur jam eadem esse, aut in idem recidere? Fortassean. Et integris quidem fidei, fraudísque Barjesuiticæ ignaris, nihil noceret, si pro iisdem sumerentur. Sed frigidus in Czarkoviana hac herba latet anguis. Apostolo enim aiente, *Reconciliatos nos esse Deo per mortem Filii sui*, Quis non intelligit, Filium ipsum esse Eum, Qui (à Tertio enim aliquo, sive Mediatore, fieri istam dissitarum antè, & oppositarum sibi Partium reconciliationem, necesse est,) moriendo reconciliavit nos Deo Patri? Verùm hanc Illationem odisse Barjesuitæ quantopere interfit, vel ipse nos docet, cùm post paucas pagellas ad hanc assertionem redactus sit, *Nusquam Scripturam asserere, Deum nobis à Christo reconciliatum esse*, C.R. p. 239. Nè ità igitur ex isto Pauli dicto cuiquam videatur, ecce, quàm secretâ, facilíque manu præstruat vel nunc sibi ad hoc cavillum viam! Deum enim ipsum, ex inopinato, ibi ubi ab Apostolo situs erat, arripit, sinéque strepitu loco suo movet, (sed promovet tamen; Piissimus enim præter modum est,) legítque, *Inimici Dei cùm essemus, reconciliati sumus per mortem Filii ejus.* Sed satìs est nunc adnotâsse hanc impostūram: aptior alius erit ad exagitandam eam, ádque de Personis in Reconciliatione Sancta dicendum locus.

11. Supereſt enim nunc & alter Locus, quem iste, in præjudicium mortis Christi, próq; evehenda (ut simulat,) Resurrectione, in arenam pariter protrusit. *Quis est qui condemnat? Christus est, qui Mortuus est: magis verò & Exeitatus, Qui etiam est in Dextera Dei, Qui etiam interpellat pro nobis*, Rom. 8. 34. Et ipse quidem, ubi hæc apposuit, vaferrimè silet, abítque, & quasi ex meris Citationibus suis, Re peremtoriè confectâ, conclusâque, Lectorem sibi relinquit, ut ex eo μᾶλλον ȝ, contra mortem Christi, montes, quos velit, sibi ædificet in gratiam Resurrectionis ejus. Veruntamen nec hoc etiam Apostolo in mentem unquam, aut in calamum venit; Barjesuitæ infelix Hypobole est. Nihil opus igitur erit, ut reponamus ei, Neque jam de Resurrectione sola agi, verùm de Sessione quoque ejus, & de Intercessione etiam, adeóq; siquē oportebit, in Salutis nostræ negotio, mortem Christi nunc locū cedere, jam tribus conjunctis Antagonistis, non Resurrectioni ejus soli, sed & Resurrectionem longè superanti, Sessioni etiam, & Sessione ipsâ operosiori, Intercessioni quoq; concedenda est hæc Victoria. Verùm nihil tale ab Apostolo omnino intenditur. Neq; enim de Certitudine Rei, id est, Salutis ipsius, quā Christus per mortem suam credentibus acquisivit, sed de Certitudine solùm Spei, & quib⁹ argumentis nostra cujusq; Fides confirmetur, (Quod idē est cum antè Quæsito, unde nos certiores fieri possim⁹, De re in se certissima.) Paulinus scopus in hoc loco est. Indè enim est, quòd illam in præmissis consyderationem reperiam⁹, Spes quid sit, & quid valeat, ut quod non videmus, eò certiùs speremus, v. 29. Indè &, post longum argumentorū filum, illam Conclusionem, *Certus enim sum;* Πέπεισμαι γάρ, v. 38. Ad argumenti igitur solius corroborationem inservit hoc μᾶλλον ȝ, ádq; præterea nihil: Securos nimirū esse Christi Fideles à condemnatione, nō solùm, Quia Judex ipse Christus peccata suorū moriendo abstulit, (Illéne ergò ut condemnet?) Sed etiam, Quia ubi resurrexerat

ad ſtatuminandam eorum fidem, ierátque in cœlos, conſedit ad dextram Patris, jugíque interpellatione Eum pro ſuis ſolicitat. Potéſtne ergò metui, cùm Judicem denique aget, & Redemtorem quoque, & Mediatorem & Advocatum Se ſemper fuiſſe, atque pro Suis ſemper exauditum, ut nè meminerit?

12. Cæterùm ire nunc juſſo Barjeſuitâ, quò dignus eſt; Eſt, quod Eruditos, atque Sanctæ Fidei Theologos porrò velim, de totius hujus Loci, priùs quàm hinc abeamus, Lectione. Quanquam enim eos, qui in Punctorum Sacri Textûs appingendorum, in Tmematiorum etiam ſubdividendorum opere primùm inſudârunt, de Sacrarum Literarum ſtudioſis optimè meritos eſſe ſemper cenſuerim, tamen & licere, & expedire Theologis exiſtimo, ut ſecum interdũ expendant, an Locus quiſquam aliam, præter Vulgarem verborũ interſectionem, interpunctionémque, quibus Typi nunc aſſuevêrunt, ad clariorẽ ſenſûs Divini elucidationem poſtulare videatur. Præter autem Vulgares Loci hujus, geminas jam alias perſpicio, unam à Punctis, alteram à Sectiunculis adornari non immeritò poſſe Lectiones. A Punctis enim, quid ſi ſic legatur Locus? v. 33. Τίς ἐγκαλέσῃ καὶ᾽ ἐκλεκτῶν Θεοῦ; Θεὸς, ὁ δικαιῶν; v. 34. Τίς ὁ κατακείνων; Χριστὸς, ὁ ἀποθανών; μᾶλλον δὲ, καὶ ἐγερθείς; ὃς καί ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ· ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν; Perinde acſi diceretur, Electos Dei in jus vocare poteſt vel Deus, vel nemo. A Deo autem ut accuſari ſe metuant, Qui elegit, Qui juſtificat, Tantùm non implicat. Rurſus, Condemnari non poſſunt, niſi à Judice. Judex autem Chriſtus eſt, Ille, Qui paſſus pro iis eſt, mortéque ſuâ vitam eorum redemit, neque periit ipſe in paſſione ea, ſed & victor, Redúxq; factus, ad Patrem ſe recepit, hodiéque Advocatus, & Orator pro iis eſt: Ille igitur ut unquam condemnet? Enimverò iſta Quæſtioni per Quæſtionem reſpondendi formula non ſolùm in vehementiorem totius Quæſiti negationem cedit, ſed & à Paulo intendi in præmiſſis hiis meritò credi poteſt, Quia exemplum ejuſdem in Tertia etiamnum ſtet. Sequens enim Tmematium ſine geminata interrogatione conſtare non poteſt, (Prætermitti itaque non potuit,) Τίς ἡμᾶς χωρίσῃ ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ; Θλῖψις, ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα; v. 35.

13. Jam altera verò à Sectiuncularũ variatione Lectio, hæc eſt, V. 33. Τίς ἐγκαλέσῃ καὶ᾽ ἐκλεκτῶν Θεοῦ;

V. 34. Θεὸς ὁ δικαιῶν· Τίς ὁ καλαχείνων;

V. 35. Χριστὸς ὁ ἀποθανὼν, μᾶλλον δὲ καὶ ἐγερθείς, ὃς καί ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ, ὃς καὶ ἐντυγχάνει ὑπὲρ ἡμῶν. Τίς ἡμᾶς χωρίσῃ ἀπὸ τ᾽ ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ;

V. 36. Θλῖψις, ἢ στενοχωρία, ἢ διωγμὸς, ἢ λιμὸς, ἢ γυμνότης, ἢ κίνδυνος, ἢ μάχαιρα;

Hoc enim modo ſi interſecamus, tum ſingula ſingulis appoſitiùs reddemus, præſertim in v. 35, ubi Chriſtus Chriſto optimè reſpondebit, Chriſtus in initio dictus, Chriſto in fine ejuſdem; tum & Prophetam Eſaiam, quem in hac perioche Paulum & intuitum, & imitatum fuiſſe ambigi non poteſt, expreſſiùs imitabimur, ut videre eſt, Eſa. 50. 9, & 10. Sed nihil tamẽ ego jam muto, præter duo illa puncta, Quorum cauſſâ nobis iſta ſic verto, **Who ſhall lay a charge concerning the elect of God? God, that juſtifieth them: Who is he that condemns them? Chriſt, that died for them?** Hoc autem ut fiat omnino neceſſarium duco, vel ad excludendum hinc abſurdiſſimum illum Linguæ noſtræ idiotiſmum, ſolœciſtico uſui Particulæ, It, innixum, **It is God. It is Chriſt.** Qui in noſtra jam Dialecto, nec uno iſto ſolùm modo, turpiter invaleſcit. Jámque finire hæc licebit, poſtquam & iſtud Eruditorũ conſyderationi commendavero, quòd Apoſtolus ità enuntiare voluerit, Τίς ἐγκαλέσῃ καὶ᾽ ἐκλεκτῶν Θεοῦ; Nam quod iſtud à Noſtris ſic redditum ſit, acſi Electi ſint Perſonæ, quibus Dica inſcribatur, ſatìs pro imperio factum eſt. Ἐγκαλεῖν enim apud Græcos Caſum Perſonæ habere non amat, niſi Tertium. Præpoſitiones autem Διά. Περί. Κατά. ubi adduntur, ad Caſum Rei, quâ de Actio ea intenditur, regendum inſerviunt. Paulò igitur cautiùs reddidit Latinus V. *Quis accuſabit adverſus Electos Dei?* Vereor tamen, an & ille ſatìs exactè. Accuſabit enim Quem? Nam in Perſonam ferri, nemo omnium negat. Quid igitur, Si Deum ipſum, Quoniam elegit eos? Annon enim Defenſio, ſeu Juſtificatio Dei contra quemlibet Accuſatorem, iſta ex Paulo jam eſt, Θεὸς ὁ δικαιῶν, Quia quos eligit cunque, juſtificat etiam? Juſtificatos autem eligere, quocunque in foro, ἀνέγκλητον eſt. Coacti autem quid in ſe habere ut hoc videatur, non finit Sapiens ille, ad Deum ipſum ſimiliter locutus, Τίς ἐγκαλέσῃ σοι χρ. Ἐθνῶν ἀπολωλότων, ἃ σὺ ἐποίησας; Sap. 12. 12: ſdq; Latinus V. *Quis tibi imputabit, quòd perierint Nationes, quas tu feciſti?* Ibi igitur χρ non propriè de Perſonis, ſed tantùm de Re ad eas Perſonas pertinente (prout & hèic) dicitur, Criménq; objiciendum deſignat. Ἐγκαλῶν autem cum χρ alibi nuſquam me legere memini. Nolo autem jam plura.

SECT. XLVI.

1. *Ut* Naſci, *ſic &* Reconciliari, *Tres Perſonas ſupponunt. Cur negent Chriſtum eſſe Authorem Reconciliationis.*
2. *Nos Deo Reconciliamur, non, Deus Nobis. Maccabæorum Author.* Καταλλαγῆναι Commutationem *dicit, quæ in Deo nulla eſt.*
3. *Reconciliari nos Deo, per Chriſtum, ſed non à Chriſto, volunt, ut Chriſtus nihil nobis proſit ad hoc, niſi Doctrinâ & Exemplo.*
4. *Oſtendi viam Salutis, parùm ad Salutem ſufficit, propter obices in Via.*
5. *Prima partes Reconciliationis ſunt, Viam aperire, & perviam eam reddere, Quod Chriſtus facit.*
6. *Satana eſt, partem Textûs detruncare. Dicta fieri à Deo per Chriſtum, ab ipſo Chriſto fiunt.*
7. Ἐν *pro* Διά. *Verbum Subſtantivum cum Participio Præſente ſignificat Frequentationem Rei, vel Eſſentiam.*
8. *Reconciliatio Noſtra cum Cœleſtibus, Quæ.*
9. *Chriſtus Mortis ſuæ Merito Deum propitium nobis reddidit, atque indè Nos Deo reconciliamur.* Num *ſæpe ponitur ad rerum ordinem denotandum.*

EXolvo jam fidem jamdudum datam, præſtóque quod in me recepi, De Perſonis in Sanctiſſimo opere Reconciliationis requiſitis, nunc dicturus, vel ex ipſo eo loco Apoſtoli, ἐχθροὶ ὄντες, κατηλλάγημεν τῷ Θεῷ διὰ τοῦ θανάτου τοῦ ὑιοῦ αὐτοῦ, Rom. 5. 10. Prout verò, cùm naſci quem dicimus, Tres in eo dicto Perſonas ſupponimus, Qui genuit, Quæ peperit, & Qui prognaſcitur: Ità & reconciliari de Tribus ſemper propriè intelligendum eſt, Cui Reconciliatur, Qui Reconciliatur, & Qui Reconciliat. Neq; Barjeſuita quidem inficias ire auſit, in mundi Reconciliatione Tres Perſonas diſtinctè adeſſe, Deum, Chriſtum, Homines; Sed Chriſtũ tamen (Nè aliud indè admittat, quod omnium maximè nè vult:) admittit tantùm, ut Inſtrumentum, aut Exemplum, aut neſcit certè quid, Sed non ut Authorem, & Fabrum Reconciliationis. In ipſius igitur Catalogo τῷ Καταλλακτικῷ, reperire eſt Duas diſtinctas Perſonas, Deũ, cui Reconciliantur Homines, & Homines, Qui Reconciliantur Deo, Sed Tertius ille, Qui Reconciliat Homines Deo ut ipſe ſit Chriſtus, hæret ei hoc, æternúmque hærebit. Quid ità? Quia tum, Chriſtus erit Deus. Alibi enim Apoſtolus ait, *Quòd Deus mundum reconciliavit ſibi*, 2 Cor. 5. 18. Deus autem ut Chriſtus ſit, (Alius putà, quàm qualem ſibi Racoviæ Deum eum boni viri effinxerunt,) Quis perſuadebit iis, etiamſi perſuaſerit? Quid igitur nunc agimus? Ubi quærimus tertiam Perſonam, integra ut hæc ſit, veráq; nominis Reconciliatio? Certè, Gallioni huic noſtro id curæ non eſt. Chriſtus nè ille ſit, id unum cavet. Atque ex iſta cautione prorupit ei veſana ipſius aſſertio illa, jam antè notari à me juſſa, *Nuſquam Scripturam aſſerere, Deum nobis à Chriſto reconciliatum eſſe*, C. R. p. 239. In quo tamen effato ejus, relucere mihi, admirabili planè exemplo, videtur Divina Providentia, ut, præter animum ejus, verum ſit id quod dicit, etiam tum cùm ſtrenuè mentiatur, operámque omnem Dogmatis illius confirmationi impendat, quod in ſe eſt falſiſſimum.

2. Iſtud

2. Istud enim est, quod ille vult; SSpiritum nusquam nobis Authorem esse, esse nobis Christum Authorem Pacis nostræ, aut Conciliatorem se præstare Reconciliationis, per quam Homines in gratiam cum Deo redeunt. Istud autem falsissimum esse, jam mox parebit. Verba interea ipsius, quibus ad Falsimonium istud evulgandum usus est, vel me Fidejussore, verissima sunt, (*Nusquam enim SScriptura dicit, Deum nobis à Christo reconciliatum esse.*) Quídni verò? Perversa enim in se ista Enuntiatio est, & à Viis Domini, rectóq; SScripturæ tramite alieniſſima: Eò autem feliciùs jam Barjesuitæ nostro convenit, Ut, si non de industria nunc, de more tamen suo, Quæ altera ei natura est, nunquam non prævaricetur. Nam si oculis utamur, *Deo nos Reconciliari*, non *Reconciliari Deum nobis*, propria SScripturæ locutio est: Illud SSpiritus semper adserit, istud nusquam. Excutiantur Loca omnia Sacra; Apud S. Paulum plusquam decies (& alibi, credo, nusquam) reperiemus; Atq; in singulis, Reconciliatio, Mundi est, &, de nobis solùm, non de Deo, prædicatur. Maccabæorum autem Author, quàm pius ille cunque, Judæus tamen, & Christum ignorans, ut hâc in re locutus fuerit, oportet eum & Jesuitâ, & Barjesuitâ omni pervicaciorem esse, Qui in ista jam Quæstione, de per Christum Reconciliatione è SScripturis eruenda, æstimandum esse existimaverit. SSpiritus autem, per quem Paulus locutus est, & Christus ipse, qui in Paulo locutus est, 2 Cor. 13.3, ἐνθυμήσεως tantæ ei, támque ἀναμφίκλητοι Authores fuere, ut ex eo Theologis, si acutè, sanéq; loqui cupiant, optima discenda sint τῆς κυκλολογίας exempla. Sed & ratione quidem divinâ hoc, quod urgemus vel maximè firmatur. Καταλλαγῆναι enim Alterativum quid est & Commutationem secum semper vehit. Deus autem non commutatur; Semper idem Deus est, Σὺ ὁ αὐτὸς εἶ, ait è Psal. 102. 27, Apostolus de Deo, Heb. 1. 12, χθὲς, καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, Heb. 13. 8. Deus ipse verò de se ait, *Ego Dominus, & non mutor; & vos filii Jacob non consumti estis*, Mal. 3. 6. *Non consumti*, quidem dicit, sed *Non commutati*, non dicit; Commutari enim Hominum est, Atque indè non consumuntur, Quia Commutantur, Deóq; Reconciliantur. Commutationis igitur istius Deum, si velint, Objectum dicere licebit, Subjectum non licebit: Ille enim in se tam immutabilis est, ut & immutabiliter ab æterno cognita sint ei omnia opera ejus, Act. 15. 18, Gratiámq; eam tum prædestinârit, per quam nos in tempore Deo reconciliamur.

3. Verùm Subjecto Reconciliationis jam ritè constituto, redeamus ad Caussam ejusdem. Ejus autem Nos Christum Dominum Caussam Efficientem esse adserimus; Authorem scilicet, & cujus opere; Mediatorem, & per cujus gratiam, Homines reconciliantur Deo. Hoc autem à Barjesuita cùm ferendum non sit, audite sultis, quid reponat; *Scripturam quidem asserere, nos per Christum, aut per mortem ejus Deo reconciliatos esse; sed non asserere, à Christo nos reconciliatos esse*, C.R.p. 240. Quàm subtiliter autem jam hoc? Chrysippo igitur nunc opus est, ut expediat nobis, in sermone, qui de Persona, & non de Re est, (Neque enim solùm καταλλάγημεν διὰ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, Apostolus ibi dixit, Rom. 5. 10, Ut indè intelligamus, quo Medio, Meritóq; Christus ad hoc operandum usus est; Sed etiam, διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν, ver. 10, Ut & ipsum Operatorem quoq; & Effectorem scire possimus:) fieri hoc Per eum; & fieri Ab eo, quid inter se differant. Sed quia Nos tam bardi sumus, ipse edocebit hoc. *Christus enim Jesus nobis, qui propter peccata nostra Dei Inimici* (priore enim cavillo etiamnum fruitur;) *eramus, & ab eo abalienati, viam ostendit, quemadmodum nos ad Deum converti, atque ad eum modum ei reconciliari oporteat*, C.R.p. 240. Ad istum jam modum scilicet, habemus Hominem hunc! Ad istum modum, Reconciliationem Barjesuiticam! Christum hominibus viam ostendisse, quâ Deo reconciliari oportet, est, Homines per Christum Deo reconciliatos esse. Quod felix igitur, faustúmq; sit, vel ipsis Barjesuitis! Sive enim velint homines, sive nè velint converti, atq; ubi velint maximè, sive possint tamen, sive non possint, viam eam pergere, via tamen ostensa est, Reconciliati igitur Deo per Christum sunt. Sed in tererit tamen, ut etiam doceat nos, Quando Christus ostendit hanc viam. In Prædicatione scilicet Euangelii sui, quando Discipulis suis *revelavit omnia, quæ Deus eos scire voluit*, C.R.p. 243. Atq; istud jam est, quod sub hoc Capite, in De Prophetico Christi (ut nuper admonuimus) Munere, tractari à se curaverit, De Reconciliatione nostra. Quid moramur ergó? Hæc si Reconciliatio jam sit, Actum est, per Jesum Christum accepimus Reconciliationem, Ea Scripturæ Pars impleta est, Rom. 5. 11.

4. At quid tum factum est parte ejusdem alterâ? Ut illa evanuit? Aut Quô jam exulat? Paulus enim ibidem dixit, *Quòd justificati sumus in sanguine Christi*, v. 9. *Quòd reconciliati Deo per mortem Filii ejus*, v. 10. Novâne hæc, atq; Secunda Reconciliatio est? Aut utrum horum nunc audimus? Paulúmne? Qui, quicquid in Vita Christus suos primùm docuerat, Reconciliationem tamen nullam agnoscit aliter quàm ex ipsius sanguine enatam, neq; Pacem datam, nisi per Mortem Filii Dei: An Barjesuitam? Qui compendifacere suos docet istas ambages; Satis enim ad Reconciliationem esse eam à Christo prædicatam Doctrinam, neq; amplius requiri, quàm Cognitionem voluntatis Dei per Christum revelatæ, ut convertantur homines, & reconcilientur. Verùm enimverò novâ jam consarcinatione ei opus est ad (jam olim explosa) hæc Pelagiana deliria consuenda, & altero Catechismo! Respondendum ei est quoq;, De via ipsa quam dicit, ejúsq; ostensione. Nos enim, ut istud aiat, *Christum ostendisse viam, quemadmodum convertantur, atq; ad eum modum reconcilientur*, pro satis quidem terso, congruóve non habemus, sed pro nimis Sophistico. Quid enim ad Reconciliationem profuerit, Ostendi Viam ejusdem, si à longè positam adire nefas sit, & quam vident, pedibus calcare nequeant? Vidit Dives in Inferno, Ubi Sinus Abrahæ erat, Luc. 16. 23, sed monitus est de magno Chasmate intercedente, nè possint congredi, v. 26. Via etiam Arboris Vitæ extabat, extruso Adamo è Paradiso, sed ab acie versatilis gladii sic custodita, ut Viæ illius Affectator mori statim posset, permetiri nunquam posset, Gen. 3. 24. Æger ad Bethesdam positus diu jam viderat viam in stagnum, sed movere se clinicus non poterat, atq; beneficio eo frui, Jo. 5. 6. Nôrant & piæ fœminæ Viam in Sepulchrum Domini, Luc. 23. 55, pariter autem nôrant, grandiore, quàm cui amovendo ipsæ erant, Saxo, aditum obturari, Mar. 16. 3. Ipsi deniq; Parenti horum Barjesu cum Proconsule tũ agenti, Act. 13. 7, neq; rectarum Viarum nescio, sed hoc magis eas pervertenti, v. 10, ostensa etiam est à Paulo hæc ipsa Conversionis & Reconciliationis Via, verùm ille eò cæciorem se factum, Ducéq; plùs egentem indicavit, v. 11.

5. Respondeat igitur, An viam Christus, quam ostendit, aperuit? An Pontem paravit trajiciendo chasmati? An versatilem avertit gladium? Saxum revolvit? Clinicum excitavit? Cæcum Collyrio beavit suo? Reconciliationis hæ primariæ partes sunt: Sine his prævis, Nihil est omnis Conversio; fruſtrà via omnis convertendi; incassum omnis viæ Ostensio. Verùm benedictus in secula sit Deus Filius, Qui propter Salutem hominum Homo ipse factus, viam semetipsum ad vitam veram, Jo. 14. 6, hominibus exhibuit, non solùm quòd revelavit iis, quæ Deus volebat eos scire, sed etiam quòd ἐν ἀνθρώποις εὐδόκησε, Luc. 2. 14, (vel eapropter) constitutus, quæ ab hominibus sine ipso præstari non poterant pro ipsis præstiterit, Sanguinísq; sui merito ità nobis Viam ad Deum Patrem perpurgavit, communivit, illustravit, ut nos jam ab ipso voluntatem Dei edocti, veréq; ad Deum conversi, per fidem in Sanguine Christi, Rom. 3. 25, Propitiatione eâ perfrui possimus. A quo igitur jam, nisi ab ipso Christo, Reconciliamur Deo? Aut quis (malum! importunus, atq; inominatus interturbator,) intercedet, nè Author nobis, Fabérq; Christus cluat nostræ Reconciliationis? Uritur verò ad hæc Barjesuita, cæcóque igne intùs carptus, fœdè jam exclamat, *Opinionem hanc Adversariorum* (putà, Quòd nos Deo reconciliemur à Christo,) *falsam esse evincit id, quòd apertè in SScripturis extet, Deum nos sibi reconciliasse*, Cat. Rac. pag. 246.

In hujus autem confirmationem, gemina ab eo Loca, (Quorum tamen verba recitare parùm placebat ei, aliàs, ubi in rei suæ spem sit, Recitatori satìs profuso;) in Margine suo citantur. Illuc igitur jam vocantem, nè sic elabatur, sequamur, necesse est. Prior autem illa est, τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, τοῦ καταλλάξαντος ἡμᾶς ἑαυτῷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ δόντος ἡμῖν τὴν διακονίαν τῆς καταλλαγῆς, 2 Cor. 15.18.

6. Divina verò verba hæc, & in quæ nos æternùm jurabimus! Quid indè verò concludit? Rogitamus? Satanam nos agere; Adversarios enim esse Bonis Barjesuitis, atque opinionem tantæ falsitatis evictam tutari, Qui jam dicimus, à Christo nos reconciliari Deo, cùm *Deum ipsum Paulus apertè dicat, Nos sibi reconciliasse.* Ecquid igitur habemus, quod nunc reponere possimus? Habemus certé: & quia in Adversarios invehitur, Hoc præcipuè; Esse eum veri nominis Barjesuitam, Satanâ enim indè à primo Parente suo satum, Satanæ igitur adversùs Christum dimicantis vestigia inprimis nunc prementem. Sacro enim Textu & Ille tum Tentationem suam in eremo muniebat, *Angelis suis mandavit de Te*, Mat. 4.6, sed parte tamen alterâ, quæ minùs facturæ erat ad Sophisma suum, detruncarâ: David enim dixerat, *Angelis suis mandavit, ut custodiant Te in omnibus viis tuis*, Psal. 91.11: Præcipitem autem se dare de Coronide Templi, Viarum suarum nulla erat; Ab iis igitur verbis, *custodient te in viis tuis*, nè subministrent, quod in os ei retorqueatur, abstinet catus per ἀποκοπήν. Parìq; planè Parentis sui exemplo & Iste jàm Apocopatorem se scitum facit, citá q; Paulum, quâ prodesse ei præsumit, *Deum nos sibi reconciliare:* Sed, quâ obesse paret, *Sibi reconciliare per Jesum Christum*, dum citat, truncat, Abscindit scilicet, quod Responsi abunde est, *per Jesum Christum.* Non uno nimirum modo hoc *per Jesum Christum*, profligat, pessúmque dat perditum Barjesuitismum. Primò enim, Quicquid Deus in hominibus per Jesum Christum facere dicitur, Christus ipse reverâ facere intelligendus est, non aliter quàm David, cùm dixit Deo, *Tu duxisti quasi oves populum tuum per manum Mosis, & Aaronis*, Psal. 77.20 nil aliud volebat, quàm Mosen ipsum atq; Aaronem, Agentes & Mediatores eo in populo fuisse, & pro Deo, atq; ad Deum Israelitas perduxisse. Secundò, quòd Deus sibi aliquid præstiare per Jesum Christum dicatur, non obscura quidem, neq; inficianda significatio est Divinæ in Christo Naturæ, Qui nobis, quà Homo est, præstat illud, & quà Deus est, præstat Sibi.

7. Ex verbis autem subjunctis hoc apertissimè diducitur. Præter enim, Quòd unum eundémq; esse eum Apostolus dicat, *Qui nos sibi reconciliârit per Christum*, &, *Qui Paulo dederat Reconciliationis hujus* τὴν διακονίαν, (de qua tamen ipse expressè alibi dixit, τὴν διακονίαν ἔλαβον παρὰ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, Act. 20.24, & exertiùs porrò, *Gratias ago Christo Jesu Domino nostro, quòd me fidelem duxerit,* θέμενος εἰς διακονίαν, 1 Tim. 1.12.) multò dilucidiùs hoc patet è tmematio quod proximè sequitur, ὡς ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, μὴ λογιζόμενος αὐτοῖς τὰ παραπτώματα αὐτῶν, καὶ θέμενος ἐν ἡμῖν τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, 2 Cor. 5.19. Quanquam enim verissimum sit, poni sæpe ἐν à Paulo pro διὰ, tamen quòd propterea & hoc in loco multi ἐν Χριστῷ exponi velint, *per Christum*, varia sunt, quæ contrarium suadent. 1°. Quia vero absimillimum est, qui dixerat jam, διὰ Χριστοῦ, variare voluisse, atq; illico ponere, ἐν Χριστῷ, ubi etiam ἐν αὐτῷ satìs ad id fuisset, si nihil aliud voluerit, quàm *per Christum.* 2°. Quia ὁ καταλλάσσων & θέμενος, etiam heic Unus, idémq; Paulo est, Christus igitur. 3°. Quia non dixit, καταλλάσσων ἑαυτὸν ἐν Χριστῷ, sed Pronomen illud ἐν Χριστῷ καταλλάσσων ἑαυτῷ, sic posuit, ut referri, eò magìs, quia proximius est, Sed certè, non minùs ad Χριστῷ possit, quàm ad Θεός. Ultimò, Quia aliud est dicere, Θεὸς ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάξας ἑαυτῷ, aliud verò, Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ. Verbum autem Substantivum hoc ἦν, cum Participio Præsente conjunctum jam cùm Frequentativè non intenditur, (ad quod interdum inservit, ut Mat. 7.29.) frustrà additum videbitur, nisi Essentialiter sumatur, ad Naturam Christi denotandam, & in eodem sensu, quo Christum ipsum locutum esse novimus, *Ego in Patre, & Pater in Me*, Jo. 14. 10. Omnia igitur huc tendunt, ut *Deum reconciliare nos in Christo sibi*, atq; *Christum reconciliare nos Deo*, non aliter quàm pro Æquipollentibus (In idipsum enim prorsùs recidunt,) ab Orthodoxis meritò habeantur.

8. Sed nec in altero, quem adscripsit, Loco, feliciùs ei succedet hæc res. Nam quod ibi, in priore illius citationis (gemina enim notavit,) tmematio, legitur, καὶ δι' αὐτοῦ ἀποκαταλλάξαι τὰ πάντα εἰς αὐτὸν, Col. 1,20, longè alia res est. Utcunq; enim, de Reconciliatione per Christum pro nobis facta, intelligi oportere non negemus, negamus tamen accipiendũ esse id de ista Reconciliatione per Christum facta, quâ homines reconciliantur Deo, sed de altera ei secunda, quâ Cœlestia, atq; Terrestria, (hæc illa τὰ πάντα sunt) Angeli scilicet, & Homines, ità reconciliantur inter se, ut in Christi Capitis Corpus unum εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, jam coeant: Quod & ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν Χριστῷ, τά τε ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ἐν αὐτῷ, ab ipso pòst dicitur, Eph. 1.10. Ex isto autem respectu, cùm & Interpretes non sine Caussa dubitârint, an εἰς αὐτὸν, an potiùs εἰς αὐτὸν prius illud legi oporteat, Quo in loco nunc est Barjesuita, non à sensu solùm Loci illius, sed & ab ipsis quoq; verbis hâc in parte destitutus, quam tantâ cum vecordia jactârat, *apertè in Scripturis extare?* In altero verò tmematio ejusdem, ex argumenti sui parte principali quoq; totus destituitur. Verba enim illa, (supplendo è præmissis, ὑμᾶς ποτε ὄντας ἀπηλλοτριωμένους, καὶ ἐχθροὺς·) ità se habent, ἀποκατήλλαξεν ἐν τῷ σώματι τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, διὰ τοῦ θανάτου, Col. 1.22. Verùm nihil jam in his est, Quid sibi Deus fecerit, (è quo solo prætextu, Barjesuita fidebat, se Christum excludere, nè Author nobis Reconciliationis sit,) sed quid ipse Christus, in corpore suo, pérq; Mortem suam, ut Deo nos reconciliaret, fecerit. Tam felix semper iste Disputator est, ínq; SScripturis tam stupendùm potens, Ut quicquid probandum susceperit, facilè statim inveniat sibi, unde probatur contrarium!

9. Jámq; absolvimus hanc de Reconciliando nos Deo, ex istis Locis Quæstionem. Christus ipse est, qui Deum nobis (non dicimus, *Reconciliavit*, Quia SScripturæ haud visum est sic dicere, sed) propitium reddidit, nósque Deo reconciliavit ex merito Mortis suæ; Peracto enim tandem hoc pro nobis, quantum ex ea parte, apud Deum scilicet, opus erat, jam ex parte quoq; nostra benignissimus Dominus idem agit, Ut & nos, quantumvìs inimicos, reconciliet Deo. Indè enim pondus habet illud οὖν in divinissima Apostoli paræneſi, ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν· δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ καταλλάγητε τῷ Θεῷ, 2 Cor. 5.20. Atq; indè particula ista νῦν observatione suâ in his digna est; Postquam scilicet Deo Patri ità à Christo in Cruce sua satisfactum est; ut Inimicis suis jam, si inimici esse non perstiterint, condonare Deus velit omnia, νυνὶ δὲ ἀποκατήλλαξεν, ait: Ad quod & alibi videmus eandem Particulam quoq; directè referri ab ipso, διὰ Χριστοῦ νῦν τὴν καταλλαγὴν ἐλάβομεν, Rom. 5.11. Ordinis enim connotandi caussâ hæc dicuntur; Unde ex Christi Satisfactione intelligamus Dei Propitiationem fluxisse, atque ex infinita ea Bonitate formari nobis nostram cum Deo Reconciliationem.

Sect. XLVII.

1. Propitiatio, & Propitiatio pro Peccatis nostris *differunt: Sic & Vocari, & Esse. Fraus in Textuum truncatione.*
2. *Satisfactio per Christum è quibus Locis extruatur.*
3. *In Relativè Prædicatis Relationes expendenda sunt, ut in Propitiatione Christi. Advocatus idoneus. Satisfactio.*
4. *Deum proposuisse Christum Propitiationem, Barjesuita lubens audit, sed non, Pro peccatis nostris.*
5. *An à Paulo dicatur,* ὁ ἱλαστήριος, Sacerdos *scilicet, aut* Hostia, *an τὸ ἱλαστήριον*, Propitiatorium. *Antitypus Christus.*

6. Ἱλα-

6. Ἱλασμὸν à *Cooperiendo dictum, an ab Expiando.* כפר. *Expiationes variæ. Christi Satisfactio. Justitia Dei.*

7. *Propitiatorium erat Oraculum. Menti Divinæ satisfecit.*

8. Satisfacere, & Propitium reddere, *differunt ut Causſa, & Effectus.*

9. *A Posſe ad Esſe. Homines cur remittant de jure ſuo.* נצא, *eſt* Invenire, & Sufficere. *An tantus ſit Satisfactionis rigor, ut nihil remittat. Pleniſſima Christi Satisfactio.*

NE vult & hoc jam ſuperiùs excuſſis non proximè adnecti. De Propitiatione enim non ſemel ibi mentio facta eſt. Orthodoxos autem Catechiſta Suis propinat, Sententiam ipſorum, Quòd Chriſtus Salutem Humano generi per Mortis ſuæ meritum acquiſiverit, ſatis erroneè (uti ei placet) confirmantes, inter alia argumenta, ex hoc, *Quòd SScripturæ teſtentur, Chriſtum eſſe Propitiationem pro peccatis noſtris*, C. R. pag. 234. Ubi verò iſtius ſatis confuſam hanc, nec aliter quam quaſi in ſyllabo mentionem injecerat, abit ſtatim ad alia multa à ſe impuriſſimè eructanda adverſùs meritum Mortis Chriſti; ſed tandem, poſt quater binas pagellas, redit ad Propitiationem, atque hanc ſibi Quæſtiunculam aſtutè jam ſubornat, *Ad hæc verò, quòd Dominus Jeſus Propitiatio vocetur, quid reſpondes?* C. R. pag. 242. Intercedimus autem jam nos, primáſque huic Quæſtioni reſpondendi vices nobis adſerimus. Verbulo autem uno, alteróque, (ſed quod tribus totis Ratiunculis ſuis, per quas ſtoliditate Suorum ipſe in ſuo Reſponſo abutitur, ſatis ſupérque eſſe, mox parebit:) hoc facimus; Reſpondemus, Interrogator iſte nequiſſimus Sophiſta eſt. Quicquid enim fraudi ſuæ prætenditur, propter brevitatem Catechiſticam, neceſſariò tamen, de lege Dialectica, indendum ei erat in Quæſtionem ſuam id quod inprimis ad ipſum Rei Quæſitæ ſtatum faciebat. Sic igitur interrogari oportuit, *Quid reſpondes ad hoc, quòd Dominus Jeſus vocetur Propitiatio pro peccatis noſtris?* Jam verò, ſi dixerit, Voluiſſe ſe hoc: Voluiſſe hoc, ſatis non eſt heic, ubi facilè nobis jam (De ipſo non immeritò dicentibus, quod & Paulus de Parente ejus, *Non ignoramus τὰ νοήματα αὐτοῦ*, 2 Cor. 6. 11.) ſubolet, cur non hoc dixerit tamen. Expreſſè enim iſtud τὸ ῥητὸν ſit, atque peribit ei illico totum hoc quod reſpondet, neque quicquam habebit, quod ipſe ſibi poſſit reponere. Sed Artem ejus tum apocopandi, ubi opus ei eſt, tum in genere, fallendi, jam abunde indicavimus. Utrique technæ nunc locus erat. Igitur quòd jam antè, ex Orthodoxorum Sententia, Syllabum, qualem ipſe volebat, titulorum quorundam inſtituerat, ibíque in eo Theſium acervo, dixerat de Chriſto, dicto Propitiatione pro Peccatis noſtris, ſatis ipſi jam eſſe vult adverſùs fraudis imputationem, tumultuariam eam, támque diu præteritam jam mentionem ejuſdem: Ille ut reticuerit aliquid? Abſit à Pio capite tam inſignis dolus! Nunc verò, cùm poſt tot pagellas ſperandum eſt, abiiſſe mentionis illius memoriam, Quid opus eſt repetitione? Abeant & otioſa illa verba, *pro peccatis noſtris.* Ea prima technula eſt. Molliatur dein verbum ipſum *eſt*, occupétque locum ejus, *vocatur*, multa enim vocantur, aliter quàm ſunt; atque nova jam hæc Quæſtio erit, & à quovis Socinello, Deo ſuo juvante, & Catechiſtâ, facillimè ſolvenda, *Quòd Dominus Jeſus vocetur Propitiatio.*

2. Progredi autem jam ad Reſponſum ejus non expediet, niſi præmiſſo, quid hâc in parte SScripturæ ſtatuerint. Duo autem inſignia Loca in promtu nobis ſunt. Primum eſt, Παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν Πατέρα Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον, 1 Joh. 2. 1. Καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστι περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν· οὐ περὶ τῶν ἡμετέρων δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ ὅλου τοῦ κόσμου, ver. 2. Alterum, Ἐν τούτῳ ἐστὶν ἡ ἀγάπη, οὐχ ὅτι ἡμεῖς ἠγαπήσαμεν τὸν Θεὸν, ἀλλὰ ὅτι αὐτὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς, καὶ ἀπέστειλε τὸν υἱὸν αὐτοῦ ἱλασμὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν· 1 Jo. 4. 10. Jam verò Reſponſa ſua proferat iſte, Soléque clariùs ſtatim elucebit nobis, quas tenebras Veritati Lavernio conetur offundere. Primæ autem offuciæ ejus ſic ſe habent, *Quòd Jeſus Propitiatio vocetur, Hinc non exſtrui neceſſariò Satisfactionem, vel id argumento eſt, quòd Scriptura tradat, ipſum Deum propoſuiſſe Propitiationem Chriſtum, ut Apoſtolus apertè loquitur*, Cat. Rac. pag. 242. Pari verò dolo, nec Verba iſtius jam SScripturæ recitat (quod certiſſimum ſemper impoſturæ alicujus indicium ridiculus hic ſorex ſubminiſtrat nobis; aliàs enim ſatis lautè recitat:) in margine tantùm notare contentus, ex Rom. 3, ubi verba quidem Apoſtoli hæc ſunt, Δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ ἐκείνου χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, ver. 24, Ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, ver. 25. Audiamus verò jam quid ille. *Satisfactio per Chriſtum non neceſſariò extruitur per hoc, quòd Chriſtus vocetur Propitiatio.* Negando igitur, jam ille nobis (hoc adfirmantibus) Probandi has vices imponit. At quis jam omnium novit, Quid probandum ſit? Quis enim, quid negetur ab eo? Etenim cùm neget, *Satisfactionem neceſſariò extrui*, ità meritò accipi poteſt, acſi conceſſerit quidem extrui eam, probabiliter, veriſimiliter, magna cum ratione, omni modo, præterquam neceſſariò. Verùm hoc ſi velit, in caput ipſius cudatur & fraudis ſuæ hæc faba. Cur enim ipſe arroſit verba SScripturæ? Cur & corrupit? Cur pro *Eſt*, ſubornavit, *vocetur?* Quin SSpiritum igitur (modò hoc poſſibile Barjeſuitæ ſit, ut SScripturam aliquâ non pervertat!) integrè proferat: Nihil emaſculet, aiat, *Jeſum eſſe Propitiationem*, & non, *vocari*, nihil etiam ſuffuretur, *Eſſe Propitiationem*, non qualem ipſe ſibi effingat, ſed, *Eſſe Propitiationem pro peccatis Mundi:* jámque ex hiis neceſſariò, & velint nolint ter mille Barjeſuitæ, extruetur Satisfactio.

3. Sanctè enim obſervandus à nobis eſt, in Teſtimoniis SScripturæ, ipſe Modus loquendi. Adnotamus igitur & piâ mente veneramur, Nuſquam hoc Simpliciter, aut Abſolutè, & totidem verbis dici, *Chriſtus Jeſus eſt Propitiatio pro peccatis noſtris*; Sed Relativè tantùm, & quaſi cum Veſtitura aliqua, αὐτὸς ἱλασμός ἐστι· & rurſus, ἀπέσταλκεν αὐτὸν ἱλασμόν. Jam Chriſtus certè ille Ipſe eſt, SSpiritu digitum ibi in Chriſtum ipſum nominatim intendente, magis quàm à Baptiſta factum eſt, Præſentem ipſum monſtrante dicentéque, *Ecce Agnus Dei, Qui tollit peccatum mundi*, Joh. 1. 29. Sed in eo, quòd non niſi Relativè de eo proponi jam hoc nobis reperiamus, Pluſquam monemur, in hoc opere Propitiationis attendere nos oportere ad ea, quæ in iis Relationibus neceſſariò comprehenduntur. Ea autem in alterutro Loco gemina ſunt. In Priore, Quòd Propitiatio nobis ille Jeſus Chriſtus eſt, Qui Juſtus etiam eſt, & Quem nos Advocatum habemus apud Patrem. In Altero, Quòd & Filius Dei ipſe eſt, & Quem Pater ad hoc miſit, ut Propitiatio eſſet. Jam verò Advocati apud Judicem pro Reo intercedentis, aut Oratoris apud Principem agentis pro Captivo, Quæ ſint partes, & quâ conditione par ſit eos agere, nemo eſt, qui non facilè intelligat. A quoquam enim, qui eodem reatu innodatus ſit, ſecum pro alîs agi? Quis ferret? Quis verò ità poſtulari Clementiam ſuam, Ut ſúſque déque habeatur Juſtitia? Quòd ſi jam Integer ipſe qui ſe Precatorem facit, Carúſque ſit, (quantò magis, ſi & Filius?) adde etiam, Si juſtum Pretium & velit, & poſſit exolvere, lueréque ipſe, quod alteri remiſſum cupit, Hæccine non abundans Satisfactio erit, quæ non niſi talem Propitiationem ſecum vehet? Jam verò in ipſis hiis verbis, è quibus quod contra Satisfactionem objiciat, (ſed quàm frivolè, atque inſanè, ô Deus!) extruere ſe ſomniat, Pretium perſolutum eſſe videt: Eſt enim, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, Pretiúmque illud videt, Jeſum ipſum eſſe: Eſt enim, ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι, Et, Qui αὐτὸς iſte fuerit, jam antè viderat, Jeſus Chriſtus Juſtus, tam eminenter, & infinitè Juſtus, ut & ſolùs ità dicatur; Idem etiam eſt & Dei Patris Filius. Et nec dum ſatis hæc ſunt ad Satisfactionem extruendam? *Nequaquam*, ait. Et quídni? *Ex hoc argumento, quia Scriptura tradit, ipſum Deum propoſuiſſe Propitiationem Chriſtum*, C. R. pag. 242,

4. Bonân' fide verò, hoc pro Argumento habet? Tantæ igitur inconſequentiæ Conſequentiam nos novioribus jam Barjeſuitis commendemus oportet; Succurrant (pro acumine ſuo!) illi Nobis, aut certè, ſiquâ poſſint, Anteſignano ſuo Moſcorovio. Nam quòd Deus Chriſtum propoſuit Propitiationem, Quomodo hoc impedit Satisfactionem in ejus Propitiatione? An Quia à Deo ipſo factum eſt? At vel eò ſatiùs hoc factum eſſe exiſtimabit, quiſquis Deum eſſe credit. An Quia ex propoſito ab iis (à Deo, Chriſtóque,) factum eſſe ſuſpicatur, Barjeſuiticâ quâdam fide, in ſpeciem ſolam ſcilicet, & non Re? Aliquid monſtri alere oportet pro Argumento nunc protruſum hoc, quod nè colorem quidem Argumenti verè in ſe habet. Moneatur præterea, quòd Dei cauſſâ, (ut haberet nimirum, quod cavillari poſſet, Quia à Deo propoſitus eſt;) nil opus erat, ut ad hunc Pauli locum transfugeret. Nam & in illo Loco Johannis, ex quo Chriſtum Propitiationem vocari non negavit, aperte quoque id de Deo dicitur, *Deus miſit Filium ſuum Propitiationem.* Deus igitur cùm & illic pro Agente habeatur, quo tandem conſilio Locum illum, in quo jam erant, in Objectionem hanc ſibi non exaſciavit? Quorſum in Paulinum hunc tranſilire malunt, è quo ambigi jam meritò poſſit, an diſputetur ad idem? Τὸ ζητούμενον enim iſtud eſt, An Chriſtus non ſatisfecerit Deo, ex eo quòd ἱλασμὸς fuerit? Iſte jam aliorſum refugit, atque indè proclamat, Satisfactionem per Chriſtum non ſequi, ex eo quòd ἱλαστήριον fuerit. Verùm verſutiarum iſtarum nunquam non danda eſt huic Homini aliqua venia; Sunt enim ipſa Vita Theologiæ Barjeſuiticæ! Cur autem ex illo Loco Johannis pugnare ei non viſum fuerit, ſolers Cauſſa ſuberat, quam modò tetigimus. Iſtud enim fuiſſet, oculos Lectorum in ea verba trahere, à quibus ipſum totum horrere, vel ex hoc, quòd non recitârit, quòd detruncârit, quòd perverterit, jamdudum indicavimus. Quandoquidem igitur Johannes, non contentus Chriſtum Propitiationem Vocare, etiam & Eſſe eum Propitiationem tam clarè diffinierit, ſed nec ibi ſiſtere placuerit, ſed & conditionem eam, *pro peccatis noſtris*, Propitiationi Chriſti tam ſignanter ſemper adjunxerit, jam mira nemini eſſe oportet, quòd clàm Hic indè migrarit, atque hâc in re ad Paulum, verbis, tam punctim jugulum ipſum Cauſſæ Barjeſuiticæ petentibus ibi non uſum, ſapienter ſe ſubduxerit.

5. Veruntâmen, Johannes, an Paulus loquatur, ex æquo nobis eſt, pronâ pariter fide utriuſque dicta venerantibus. Iſtud ſolùm jam exigimus à Dictatore, ut Quomodo ille Paulum jam, aientem, ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον, accipi velit, & nos doceat: An enim, προέθετο τὸ ἱλαστήριον, an verò, προέθετο τὸ ἱλαστήριον, legi mandat? Tam parùm quidem, ἱλασμὸς & ἱλαστήριος, (ſeu ἀνὴρ ſubaudiatur ad Adjectivi illius Regimen, ſeu χειὸς, aut πράγος,) inter ſe differunt, ut commodè capi poſſint, vel de Sacrificio eo, per quod Propitius nobis reddebatur Deus, Chriſtúſque illud Sacrificium erat, vel de Sacrificatore ipſo, ſeu Sacerdote, qui Sacro ſuo opere Deum placavit nobis, Chriſtúſque & ille Sacerdos eſt, Ipſe enim Se pro nobis obtulit. Et Latinum V. hoc modo Paulum intellexiſſe, paret ex hoc, quòd ibi verterit ἱλαστήριον *Propitiationem.* Ipſe enim τὸ ἱλαστήριον, pluſquam vigeſies in Vet. Teſt. repertum, nunquam vertit, niſi *Propitiatorium*, aut *Oraculum.* Quòd ſi Paulus τὸ ἱλαστήριον voluiſſe exiſtimabitur, jam Chriſtus quidem ex hoc loco, erit Typi illius ſub lege (*Propitiatorium* vulgò dicti; Cujus & Paulus ipſe meminit, Heb. 9. 5.) verum Antitypum; Sed hoc ad Præſentem Quæſtionem minùs erit, in qua agitur nunc de Chriſto, præciſè, Quâ ἱλασμὸς in SScriptura *pro peccatis noſtris* dicitur, atque indè ſatisfeciſſe Deo pro iiſdem creditur, non, Quâ ipſe verum illud Propitiatorium eſt, ad quod reſpicere omnes, ſpirituque ſe recipere, atque indè oracula petere oportet, qui Propitiationis Divinæ ſe compotes fieri expetunt.

6. Jam iſta verò præfocant ei & Secundum ejus cavillum. Sic enim pergit ad oppoſitum. *Satisfactionem aliquam non exinde ſequi, quòd Chriſtus ſit Propitiatio pro peccatis noſtris, probatur, Deinde ex eo, quòd etiam operculum illud Arcæ Dei, Propitiatio, ſeu Propitiatorium ſit vocatum: Cùm nimis apertum ſit, ipſum Deo nequaquam ſatisfeciſſe*, C. R. pag. 242. Ecquid autem jam opus eſt, fatuitatem iſtam, nunc cùm recitata eſt, ulteriùs retexere? Sic enim diſputat mirabilis Morio; Arcæ tegmen, quod ex aliqua ratione vocabatur Propitiatorium, non potuit ſatisfacere Deo; Ergò, neque Chriſtus, quantumvis ipſe reverâ erat Propitiatio pro peccatis noſtris, potuit. Quòd verò diminuere ſe aliquid ſperârit de tam putidi paralogiſmi abſurditate, addendo, *Operculum illud vocatum fuiſſe Propitiationem, ſeu Propitiatorium*; æquum profectò eſt, ut vel talibus parapœmatibus abunde ſatisfiat ingeniolis Barjeſuiticis! Nos autem de Vocabulis iis jam ſatìs diximus. Iſte licèt Propitiationem poſuerit primò, & deìn Propitiatorium, monſtravimus tamen, quòd operculum illud vocabatur τὸ ἱλαστήριον ſemper, & ὁ ἱλασμὸς nunquam. Sed & cur τὸ ἱλαστήριον vocabatur, ipſis Hebræis inter ſe vix ſatìs convenit. Apud quos quidem כפר cum indè conjugatis, ſumitur (ut plurimùm) in ſignificatione *expiandi*; ſed in prima tamen radice ſignificat, *Bituminare*, ſeu *pice obtegere*, Gen. 6. 14, atque indè Tabulam eam Auream Doctores eorum כפרת dictam fuiſſe aiunt, Quia *Tegmen* Arcæ erat, & cooperiebat eam. Verùm iſtud utcunque fuerit, Expiationis Nomenclatura ei à nobis neganda non eſt. Sed variæ Expiationes Hebræis erant variis modis, varióſque per typos exercitæ. Chriſtus autem cùm ille venit, verus ipſe, atque Archetypus ὁ ἱλασμὸς περὶ ἁμαρτιῶν ἡμῶν, Satisfaciendo hoc præſtitit, Moriendo ſcilicet, & Sanguinem ſuum effundendo, ut Per pretium ejuſdem, auro omni contrà carum, 1 Pet. 1. 18, erueret nos Sibi, atque ità caveret, ex eo antilytro, 1 Tim. 2. 6, remiſſâ utcunque nobis condemnatione, ut Divinæ tamen Juſtitiæ ſatisfieret, Quæ Deo tam naturalis, tam neceſſaria, támque intrinſecè propria, & eſſentialis eſt, ac eſt Attributorum ejus quodlibet aliud.

7. In priorem igitur elenchum res hæc redit. Niſi enim tam turpiter prævaricatus iſte in Quæſtione ſua fuiſſet, atque à Propitiatione verba illa ſpecifica, *pro peccatis noſtris*, detruncâſſet, nunquam in lucem prodiiſſet prodigioſus iſte paralogiſmus. Perfrictâ enim quantumcunque ei fronte, nunquam tamen auſus fuiſſet dicere, operculum illud Arcæ vocatum fuiſſe *Propitiatorium pro peccatis noſtris.* Unâ igitur periiſſet ei & inſulſiſſimus ille Myſteriſmus, Gravitate omni Theologicâ, an & Veritate ipſâ carere dignior, incertum. Propitiatorium enim à Moſe Arcæ impoſitum, licèt non pro peccatis noſtris, (Quod à Sophiſta hoc, eam Satisfactionem nè nominare nunc auſo, nè dolum ſuum detegeret, expectandum nunc nullo modo eſt, niſi à Suis etiam exibilari ſe cupiat;) ſuo tamen modo ſatisfeciſſe Deo, nimis (ut cum ipſo loquamur) apertum eſt; Non ſolùm ex eo, Quòd fabrefactum jam fuerat à Moſe, ità uti Deus præceperat, & juxta typum ab ipſo Deo in monte monſtratum ei; Verùm etiam quòd in Signum, quàm placeret ei, animóque ſuo ſatisfaceret, ibi ſedere Deus, atque indè Divina ſua Oracula edere dignatus ſit: ex qua quidem ratione & Latinus Vulg. nihil veritus eſt וישב בעינו, Levit. 10. 20, vertere, *& recepit Satisfactionem.* Verùm ſatìs jam hæc ſunto; Petulantiæ enim hominis, & Diſcipulis ſuis aliter illudere neſcientis, dandum eſt & hoc.

8. Quòd verò in Tertio Loco ineptiis hiis adſuit, non uno hoc vitio ſolùm laborare reperiemus. Præter enim omiſſa characteriſtica illa verba, *pro peccatis*, puerili etiam planiſſimè modo, adjuncta jam eſt & Terminorum, non mutatio ſolùm, ſed novorum etiam plurium introductio, & Formæ omnis Syllogiſticæ immanis violatio. Quod in Quæſtionem enim nunc venire debebat, tribus quaſi gradibus conſtat; 1. An ſatisfactum aliquâ Deo ſit? 2. An pro peccatis noſtris? 3. An ex eo, quòd Chriſtus eſt Propitiatio pro iis? Iſte verò jam tribus contrà Captiunculis eludere conatur, quæ non poteſt elidere.

dere. Ità enim argutatur, *Denique* 1. *Aliud est, Satisfacere alicui, Aliud, eum reddere propitium.* 2. *Cùm is, qui propitius redditur, seu placatur, possit multum de jure suo remittere.* 3. *Cui verò satisfit, nullo pacto de jure suo remittit*, Cat. Rac. p. 242. Brevi autem obeliſco transfigenda jam hæc ſingula ſunt. Nam quod primò aſſerit, *Aliud esse, Satisfacere, aliud, reddere propitium*; ecquis omnium hoc negavit? Annon & nos Duas eſſe has res definimus, Chriſtum Satisfeciſſe Deo pro peccatis noſtris, atque ex ea Satisfactione impetrare, Ut Deus nobis propitius ſit? Habet igitur in hoc & nos ſuffragatores ſibi: Aliud, & Aliud iſta eſſe, nos dicimus, Aliud utcunque ex alio ſit. Sed vellenda tamen eſt ei auris; Nam cùm Quæſtio ſit, *An Satisfactum sit Deo*, Quid hoc eſt, quod ipſe reſpondet, *De Satisfaciendo alicui?* Támne jam ei viluit & Deus, ut locum non habeat (per eum) niſi in populo, & cum *Aliquibus?* Quòd ſi hyperaſpiſta quis reſponderit, rectè argumentari eum, qui in Univerſali Propoſitione Deum includere voluerit, Annon verò & rectè eum ſermocinari oportuit, atque ſi univerſale voluerit, dicere, *Satisfacere cuipiam?* Etiámne & hoc ſtyli ſui ſimplicitati dandum eſt, Quoniam iis ſcribebat hæc, qui Magiſtrum niſi ſtolidè ratiocinantem capere nequirent? At (nè nimiæ nobis moræ ſit,) ſciat, Satisfacere cuipiam pro peccatis populi, & Reddere eundem iis Peccatoribus propitium, Aliud & Aliud non ſunt, niſi ut Divinæ Cauſſæ Divinum Effectum. Ex hoc igitur reſponſo, jam dicat, in Cauſſa hac hactenus quid profecerit.

9. Quod verò prioribus ſubnexuit, *Posse eum, qui Propitius redditur, multum de jure suo remittere*; Diſputet ipſe, quantum volet, (tritiſſimè autem facit;) à Poſſe ad Eſſe, nunquam impunè feret nobis, quoties incideriit, hanc Captionem. Non enim, Quid poſſit, ſed Quid faciat, nunc Quæſtio eſt. Addatur verò, non Quid hominum quiſpiam facit, (homines enim ex alio Capite de jure ſuo remittunt: Remittunt aliis, ut aliàs remittatur iis, Luc. 6. 37. Quæ conditio in Deum non cadit:) Sed Quid Deus? Deus autem de jure ſuo quidem remiſit, Quatenus in æterno Decreto ſuo, primum hominem, ubi lapſus fuerat, Mundúmq; hunc, quem ille lapſûs ſui contagione corruperat, perire ſtatim noluit, Verbóq; ſuo novum Genus Humanum, & Mundum novum, perditis æternùm Deceſſoribus illis, ſuccedere jubere, in quibus habitaret juſtitia, 2 Pet. 3. 13. Sed ſuppoſito jam hoc Beneplaciti ſui Decreto, fore Propitiationem hominibus, ſi fieret Satisfactio, jam nihil quod de jure ei dehinc debebatur, remiſit, Quoniam in Chriſto ſuo invenit, (ut Sanctus ille loquitur, מצאתי כפר, *Job.* 33. 24.) quod abunde ei ſufficeret, (illud enim מצא, ſignificat etiam, *Sufficiens esse*, ut videre eſt Num. 11. 22, & Joſ. 17. 16, & Zech. 10. 10.) ad talem Propitiationem. Chriſtus enim Deo per Sanguinem ſuum (quicquid Barjeſuitæ Filium Dei conculcent, & Sanguinem Teſtamenti κοινὸν ἡγησάμενοι, SSpiritui gratiæ contumeliam hanc faciant, Heb. 10. 29.) plenam, integram, ſufficientem (ſtando etiam in terminis juſtitiæ ſuæ,) Satisfactionem reddidit. Ut non ineptum modò, atque falſum in ſe jam ſit illud, *Cui satisfit, nullo pacto de jure suo remittit*: quod Tertiò adjunxit, (Ineptum, inquam, hoc in argumento, niſi velit nunc addere ſuum *Posse*, diceréque, *Cui satisfieri oportet, eum nullo pacto de jure suo remittere posse*: Falſiſſimum tamen & iſtud erit, Neque enim ipſius Satisfactionis tantus Rigor eſt, ut cum nullo Acceptationis, ſi velit Modulo conſiſtere poſſit:) ſed etiam fruſtrà nunc omnino hiis adfibuletur, Quod enim Chriſtus Juſtus, Dei Filius, Propitiator noſter (æternùm benedictus!) tulit, fecítque, verè Satis fuit vel ipſi Juſtitiæ Dei.

Sect. XLVIII.

1. Ἐγεῖραι, *Activè dici, non Neutraliter, & Intransitivè: Sed aliter* ἐγέρθηναι, Surge.

2. Ἐγεῖραι *est* Tollere; Erigere; Expergefacere; E morte excitare; in rerum naturam Producere; *Transitivè semper, sed Objecto interdum non expresso.*

3. *Barjesuitæ Christo Munus nullum nisi Propheticum reverâ tribuunt. Solius Dei esse Excitare Mortuos.*

4. *Spiritus Dei, Spiritus Christi, Christus, idem sunt.*

5. *Divina Veritas non est æstimanda ex numero Testimoniorum. Sua est vel Semel Dicto Authoritas.*

6. Ἐγείρειν *de Inanimatis dictum, est* Erigere. *Prophetæ solebant Signum dare Authoritatis suæ.*

7. *Metaphora omnis obscura non est; Lucem multæ adduni. Christus de Templo, an Corpore suo locutus sit.*

8. Servare Seipſum, Animam, Vitam, & Perdere Seipſum, *Quid?*

9. Ζωογονῶν, *pro* Vivum Conſervare, *Senum solummodo fuit. Oportet.*

10. Ἐγείρεσθαι *ponitur pro* Reſurgere.

11. *Ubi dicitur, Christum excitatum à Mortuis fuisse à Deo, ibi & mentio additur, Quid ab Hominibus passus sit.*

VOX Chriſti eſt, *Tibi dico, Surge*, Mar. 2. 11. & rurſùs Mar. 5. 41. & tertiò Luc. 7. 14. Ex fide autem Latini V. eſt, quòd hæc omnia eadem ſint: Nihilóque diſtinctiores eo & Noſtri, ubique vertunt, I ſay unto thee, Ariſe. Neque negârim tamen, excuſatiores eos habendos eſſe, quia vix in alterutrius Linguæ, (Latinam dico, Noſtrámque) idiomate, uſúve reperitur, quî commodè hæc diſtingui poſſint, Quæ tamen ut in ipſis Rerum Subjectis plurimùm, ità & in Verbis Domini, facillimè diſtinguuntur. Apud Marcum enim, priore ejus in Loco, Chriſtus Viventem, Audientémque alloquitur, ſed Paralyticum & miſerè Clinicum, Cui cùm jam naturæ ſuæ defectus depuliſſe, priſtináſque ei vires, ex Authoritate ſua Divina, atque infinita Bonitate, reſtituiſſe Se ſciret Dominus, jubet ei, ut vires eas exerat, Ait igitur, Σοὶ λέγω, Ἔγειραι. Quod exponendum eſt, non in ſenſu Neutrali, & Intranſitivo, *Surge*; Sed in Activo, & ad Tranſitivorum formam, *Excita te*, atque domum tuam abi: atque iſtud Nobis erit, Raiſe up thy ſelf. In altero verò Marci Loco Chriſtus alloquitur, non dico, non Audientem, (*audient* enim & *mortui vocem Filii Dei*, Joan. 5. 25.) ſed quod difficilius eſt, Senſu omni, Vitâque ipſâ deſtitutam, Et ei tamen ait, Σοὶ λέγω, Ἔγειραι. Sed hoc jam Virtuti ejus Divinæ imputandum eſt, hactenus præſentiori, quòd manu Puellæ apprehenſâ, Ille elevabat Illam, imperabátque ut elevanti pareret, atq; Seſe erigeret, Dictúmq; factum, εὐθέως ἀνέστη, Mar. 5. 42. Apud Lucam verò (contentum quidem pòſt, De Puella iſtud in Præſente Paſſivo enuntiare, ἡ παῖς, ἠγέρθη, Luc. 8. 54.) incidit Dominus in adoleſcentem, qui jam efferebatur ad Sepulcrum, eâdemq; Virtute ſuâ Vitam ei reſtituens, ait, Σοὶ λέγω, Ἐγέρθητι. Sed ex hoc Aoriſto ſupponendum eſt, Juvenem è ſomno Mortis ſuæ jam modò expergefactum vi ipſius Tactûs Dominici, (ſignanter enim illud notatur, ἡ προσελθὼν ἥψατο τῆς σοροῦ,) juberi, ut ſurgendo nunc id monſtret, Atq; ille dicto audiens ἀνεκάθισε, id eſt, *Capite elevato, sedit* ibi in feretro, & *cœpit loqui*, ver. 16.

2. Summa igitur hæc eſt; Quòd Verbum iſtud, in Interpretamentis aliarum Linguarum, Expoſitionem Neutralem admittat, & reddatur per *Surgere*, Propriè non pertinet niſi ad Paſſivam ejus vocem ἐγέρθη. Ipſum enim ἐγεῖραι, ut Activæ formæ eſt, ità & à SSpiritu, loquendi Magiſtro omnium politiſſimo, nunquam niſi Activè dicitur, atque Tranſitivam ſignificationem ſecum ſemper fert: Non expreſſam quidem eam interdum, Sed pro Græcorum elegantia Subintellectam ibi, ubi Actus in ſe reflexus eſt, neque extra Agentem ipſum tranſire intenditur; In aliis verò Actibus, expreſſè ſemper additam, ad quamcunque ſignificatûs ſui varietatem Vox ipſa applicatur. Interdum enim ſignificat *Excitationem alteriùs*

terius è Sede ſolùm, aut loco, in quo eſt; Ut ἐγεῖρε ἀυτὸ, Mat. 12. 11, dicitur de Ove, levata per Dominum ſuum è fovea in quam inciderat; Petrus etiam Cornelium, ad pedes ei provolutum ἤγειρε, Act. 10. 26, Petríque Socrum in morbo ſuo cubantem Chriſtus ἤγειρεν, Mar. 1. 31. Sæpe verò ſignificat *Excitationem è Somno*, utì de diſcipulis, Dominum in Tempeſtate dormientem expergefacientibus, dicitur, ἤγειραν ἀυτὸν, Mat. 10. 8. Et Angelus Petrum, percuſſo ei latere, ἤγειρεν, Act. 12. 7. Sæpe etiam ponitur pro Excitatione à Mortuis, juxta Poteſtatem illam Diſcipulis à Domino commiſſam, νεκρὸς ἐγείρετε, Mat. 10. 8. Interdum denique uſurpatur, ubi de ſola in rerum naturam Productione agitur, Ut, naſcente jam Chriſto, Zacharias cecinit, ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν, Luc. 1. 69. Quod & ipſe Lucas è Paulo pòſt dixit ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ Σωτῆρα, Act. 13. 23, apud quem & à Baptiſta habemus illud, ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραὰμ, Luc. 3. 8.

3. At quid opus eſt, de verbo hoc ἐγείρειν tam copiosè iſta, támque diſtinctè ἐπεξεργάζῃ; Veteri Sodali noſtro Catechiſtæ à Moſcorow jam datur, Qui vix unquam mihi in conſpectum ſe dat, quin Donarium hoc genus aliquod ſtatim à me exigat. Iſta autem nunc Res eſt, Dogmata quæ ſibi conſarcinavit De Prophetico Jeſu Chriſti Munere, Sub quo Titulo, quicquid Chriſtus Divinum habet, reverâ cumulare fategerat, Seſqui-centum Pagellis tandem abſolverat. Ad Officium verò Regium Ipſius cùm progredi eum, è ſua ipſius methodo oporteret, jam nihil à ſe relictum reperit, quod vel in Speciem aliquam ea de Re dicere poſſet. Convaſatis enim quæ poterat, omnibus, vix Decimam ſibi Pagellam implevit: Sed & Dimidium jam Hujus (In altero verò dimidio aliud quoque agit, atque binæ tantùm Pagellæ ſunt, quæ aliquam Muneris Regii partem verè attingunt,) in eo conſumitur, (Quia metus non ſtultus ei nunc erat, nè Divina Chriſti Natura, quam ante omnia ex Fide ſua Titanes iſti excluſerunt, Chriſto per Reſurrectionem ejus reſtitueretur:) Ut Amplitudo & Gloria Regni Chriſti illuſtretur, per Aſſertionem, quòd ille Semetipſum à mortuis non excitavit. Vera autem ei ratio eſt, Quia ſolius Dei eſſe perſentit, Suſcitare poſſe Mortuos; Apoſtolo ſic diffiniente, ὁ Θεὸς ὁ ἐγείρων τὸς νεκρὸς, 2 Cor. 1. 9. Quantò magis igitur, Suſcitator Sui, etiam & Deus erit? Ab hoc igitur ut ſibi caveat, Argumentum ille ſuum ſic in contrarium inſtituit, *Scriptura teſtatur, quòd Deus Chriſtum à mortuis excitavit; Ergò Chriſtus ſeipſum non excitavit*, C. R. p. 275. Nos verò reponimus ei, non Sequi Argumentum, Chriſtus enim & Deus eſt, & Suſcitatus à Deo Seipſum ſuſcitavit. Iſta autem nihil pugnant, Quia Natura Divina Humanam, quam antè ſuſceperat, & in qua paſſus eſt, ſuſcitavit à morte, καθότι ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι ὑπ' ἀυτοῦ, Act. 2. 24. At huic Cathedra ſua Catechetica erecta eſt, intra parietes Scholæ Socininæ; Non expectandum igitur eſt, ut audiamur ab eo ibi, ubi argumentum ſuum, quàm claudo pede cunque incedat in omni orbe Chriſtiano, & turpiter lumbos trahat, grandire tamen gradum videtur iis, & optimè Sequi. Nè ſe efferant igitur, hem, Nos eos ſequimur, Adque Authoritatem SScripturæ conferimus nos, adfirmantis, Chriſti fuiſſe à morte Semetipſum excitare: Argumentationem autem noſtram ſic inſtituimus, ut pariare tamen nobis illi non poſſint, neque reſpondere, Non Sequi.

4. Quid agit igitur Moſcorovius? Vulpem vulpiſſimam. Primò enim, Ut, quod ſuâ maximè intereſſe retur, inter ſuos firmet, nobíſque præripiat illud, quod (inter alia infinita) Divinæ in Chriſto Naturæ invictum Argumentum habemus, Quia SScripturæ pugnare non poſſunt, Cùm adſerant igitur, non ſolùm, *Deum excitâſſe Chriſtum à mortuis*, Sed etiam *Chriſtum excitâſſe Seipſum*, neceſſariò inferre eas, Chriſtum eundem & Deum eſſe, Ille callidè ab eorum ſolummodo Locorum mentione inceptat, Quæ Chriſtum à Deo excitatum dicunt, (Quæ omnia à nobis proniore, quàm ab omnibus Barjeſuitis, Sanctioréque fide creduntur,) & dein SScripturis hiis opponit Noſtram Sententiam, quòd Chriſtus Seipſum excitavit. Quid igitur jam? Sumto jam ſibi pro conceſſo, quòd hæc Duo Dicta, (Quæ nondum aliter ab eo repræſentata ſunt, quàm ut Dictum, Illud à SScriptura, hoc à Nobis Miſellis Homuncionibus:) inter ſe pugnent, ſtatim vociferatur, *Falluntur*, &, (nè illud non ſatis percellat) *Falluntur vehementer*, C. R. p. 276. Neque eo contentus, etiam & fraudem iſtam novis fraudibus pertegendam curat, nè perpluant. Ità enim progreditur, quaſi qui ſtolidos ſuos Sectarios imaginari velit, Non ſolùm negari à nobis SScripturas eas, quæ Deum adſerunt excitâſſe Chriſtum, (opus igitur eſſe, ut pergat ipſe ad probationem;) Sed &, ex utroque Teſtamento confirmari id à ſe poſſe. Quid enim aliud eſt, quòd poſtquam ſic monuerat, *Scriptura loquitur, Deum Abrahami, Iſaaci, Jacobi, qui Pater Chriſti ſit, excitâſſe Chriſtum* (Iſtam autem locutionem eſſe V. T. idioma monemur vel ab ipſo Chriſto Luc. 20. 37. adducitur tamen hoc jam à Sophiſta, ex reſponſo Petri in Synedrio, Act. 5. 30) ſtatim ſubjungat, *quod adeo verum eſt, Ut Scripta Novi Fœderis ſæpius, Dei nomine non expreſſe, ità eum deſcribant; Is qui Chriſtum excitavit à mortuis?* Atque jam ad hoc in Margine ſuo, (quem & fraudis ei ut plurimùm locum eſſe, non ſine cauſſa, antè notavimus) Duo Loca deſignat, è quorum poſteriore, ſi adeatur, quàm egregiè in hiis prævaricetur, facilè parebit; Ibi enim loci, Rom. 8. 11, verba iſta præcedunt, *Spiritus ejus Qui excitavit Jeſum à mortuis*, hoc verò, De Chriſto Deo, déque Suo ipſius Spiritu excitante Jeſum Hominem intelligi oportere, manifeſtum eſt, ex antecedentibus verbis, in quibus *Spiritus Dei*, & *Spiritus Chriſti*, & *ipſe Chriſtus*, promiſcuè uſurpantur, atque idem per omnia ſunt v. 9 & 10. Clariſſima ergo Res eſt, *Chriſtum excitari à Deo atque excitari à Seipſo*, non poſſe ſine ſummâ fraude pro verè Oppoſitis à quoquam accipi.

5. Sed hiis ità à ſe præmiſſis, jam quidem non diffitetur, *Eſſe eos in ea Sententia, Chriſtum excitâſſe Seipſum, Quia habent quadam Scriptura Teſtimonia in quibus arbitrantur id contineri*, C. R. p. 276. *Arbitrantur*, autem? Et, *Quædam*? Sed frivolas iſtas, atque è trivio mutuatas imminutiones Nos (naſo Polonum Artificem ſuſpendere contenti) tranſilimus, & nauci facimus. Certè tamen, Qui dicit, *arbitrantur contineri*, tantùm non dicit, non contineri; Et qui cùm *Quadam* dixit, Tria tantùm recenſet, ità accipi ſperat, ac ſi plura adferre nemo poſſet. Verùm hæc ſunt ridendi Sophiſtæ τεχνοπαίγνια. Accedentes autem mox ad ipſa Loca, optimè perſpiciemus, quid contineant. Verùm de Numero atque Delectu Locorum, cogit ipſe, ut paucis nunc reponamus ei. Productis enim quæ ipſe delegit, Locis, interrogari jam à ſe vult, Quid ad hæc reſpondeat? Regerit autem, *Primùm reſpondeo, Adeò pauca, & figurata & obſcura Teſtimonia tot Scripturæ perſpicuis Teſtimoniis opponi non poſſe, Ut ea quæ & numero ſunt pauca, & adeò obſcura, ea, quæ & tot ſunt numero, & adeò clara, & perſpicua, explicent, verùm & pauca, & obſcura omnino juxta Sententiam & plurium & clariorum accipienda ſunt*, C. R. p. 277. Accipimus autem reſponſum cum omnibus floſculis. Et quia paucitatem Teſtimoniorum, térque quatérque, tam impudente ore objicit, per nos nè ſtet, jubemus, quin Author paucitatis non paucis vapulet; Fatim enim Argumentorum hâc in parte eſt in S. Pagina, ſi ei adfuiſſet colligendi deſyderium. Verùm obteſtamur tamen, numeróne Teſtimoniorum æſtimanda eſt Divina Veritas? Minuetur alicubi Sacra Authoritas, niſi παῤῥησία poſſit inſtitui? Dupliciter igitur peccatur ab eo in hac objectiuncula; per eum enim eſt, quòd pauca ſint; Et pauca tamen eſſe, nihil nocet: Habet enim æternam Veritatem ſuam, quod vel ſemel à SSpiritu prolatum eſt. Atqui Comparatio (inquiet) nunc inſtituitur inter pauciora loca, & plura. Væ igitur Inſtitutori! Et opponuntur plura paucioribus. Luant igitur Oppoſitores! Nos non comparamus, Nos nulli opponimus;

mus; Quotquot enim Loca sunt ex parte alterutra, in nostram sententiam optimè, Sanctissimè que consprirant Singula, *Deum excitâsse Christum*, atque *Christum excitâsse Seipsum*, per nos non pugnant, Sententiæ sunt, quæ (Ut Attributa illa Divina, Psal. 85. 10.) obviant sibi suaviter & osculantur, in nostra Fide: Ex impietate solùm Barjesuitica procedit omnis hæc arietatio. Et nobis jam ab ipsis imputatur, quod non nisi per ipsos implicat?

6. Sed à generali hoc progymnasmate suo, ad allata à se Testimonia sigillatim se recipit. Eorum autem primum est, *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Jamque redimus ad id, à quo cœpta nobis est hæc Sectio, Idem enim est hoc verbum ἐγερῶ αὐτὸν, Joan. 2. 19. Et quid? Ad hoc cùm Se nihil habere sentiret, quod solidè respondere posset, solens suo more Sanctissimo suo numini Sophisticæ litat, jámque ad unum hunc Locum, non pauciores, quàm Tres habet, (& ô quàm Divinas eas!) Responsiunculas. Prima est, *Græca Vox* ἐγερῶ *potest reddi*, Erigam, *Unde sensus erit Christum à Deo excitatum ex mortuis, Suum Corpus erexisse*, C. R. p. 277. O quantum debet hic æternúmque debebit Dilecto suo *potest!* Et potest quidem ἐγείρειν sumi pro *Erigere*, & non potest tamen. Non potest heic in hoc dicto Christi, (licèt in communi usu Sermonis Græci, Si ad res inanimatas applicetur, ἐγείρειν quasi Latina vox per Metathesin à Græca esset,) *Erigendi* sensum habet; Nam ἐγείρειν δίκλας, & ἐγείρειν τρόπαιον, est ubi leguntur. Verùm de Excitatis à Morte, atque jam viventibus, (Qualis Christus nunc à Sophista supponitur,) non potest ἐγείρειν Transitivè dici pro *Erigere*. Non potest (inquam) sine stribiligine. Nam in hiis, prior ille, Mortuum suscitandi Actus, est τὸ ἐγεῖραι, &, posterior hic est, vel ἀναστῆναι, ut λέγει, ἔγειραι, Mar. 5. 41. καὶ εὐθὺς ἀνέστη, v. 42. & ἤγειρεν αὐτὸν, καὶ ἀνέστη, Mar. 9. 27. vel aliquid æquipollens, ut λέγω ἐγέρθητι, Luc. 7. 14. καὶ ἀνεκάθισε, v. 15. Præterea, Quódnam Signum hoc fuisset, & per consequens, quàm nullum Responsum Christi, cùm Ille jam Novus Homo derepente Publico se inferens, atque Commercia illa in Templo, à Synedrio toto, Sanctíque Magistris suis, Si non introducta, certè tolerata, pro vitiosis, illicitísque, non sine privato multorum damno, publico omnium tumultu, per vim exturbans, Signum aliquod, Authoritatis suæ ex Deo Argumentum, ostendere (ut moriserat) jubetur, Si nil aliud respondisse credendus sit, quàm quòd (Quod quotidie faciebat,) Corpus suum erigeret? Nam si reponat hic, Mortuum corpus suum quotidie eum non erexisse, jam ipse sibi os obstruit. Nam ἐγερῶ αὐτὸν, Si de Mortuo Corpore sumendum sit, est *Excitabo* & non *Erigam*; Sin de Corpore Vivo (quod Sophista jam suis obtrudit) Signum nullum est, sed merus Paralogismus. Trophæum igitur nullum, præterquam Fallaciæ suæ, Czarkoviano erigetur ex isthoc Responsulo.

7. Verùm cùm non succedat hâc, aliâ aggrediendum est ei viâ. Pergit igitur, *Deinde in hiis Figuratis loquendi modis, non tam verba ipsa, quàm Res attendenda est; Maximè, Si secundum Verba aliquid falsi aut quod aliis Scripturis repugnet, constituendum est*, C. R. p. 278. Ohe! Habemus tandem, quid voluit Homo, Figurata testimonia priùs cauffatus, atque ex eo prætextu, adeò obscura ea esse toties questus, neque igitur cum perspicuis & clarioribus Testimoniis aliis comparanda. Et est quidem in isto dicto Christi Figura, cùm corpus suum per Metaphoram *Templum* dixerit. Sed quòd omnis Metaphora obscuritatem inducat, ex quo Authore firmabit nobis? Aut quòd omnis Sententia, quæ Tropo aliquo familiari, ceu gemmulâ, stellulâve, illustratur, obscurior ex eo evadat? Putà, Cornutam fuisse faciem Mosis, Exo. 34. 29. Baptistam fuisse Lucernam ardentem, Joan. 3. 35. Apostolos esse Lucem Mundi, Mat. 5. 14. Sed & ipsa hæc Sacra nomina, Messias, SSpiritus, Dextra Dei, Testamentum, Ecclesia, Corpus Mysticum, alia infinita Christianæ Religionis vocabula, ex ea, quam secum ferunt, Metaphora, eò notiora hominibus atque illustriora sunt. In hoc igitur dicto Christi obscuritatem aliquam tum fuisse, ex Figura ipsa non processit, quòd Corpus suum appellârit *Templum*, Sed ex ipsorum Judæorum tum cæco zelo, quem pro Templo suo ipsi habebant, & quia jam in Templo eo aderat, non posse ipsum non de eo loqui putabant, tum hebeti ingenio, non observantium, ut ille oculos, manúmque ferebat, quibus Demonstrativum τοῦτον tum designabat, cum *Templum Hoc* diceret. Quin de eo igitur si Quæstionem instituerit, in quo solo Figura est, Corpúsne suum Dominus, an Templum Hierosolymitanum jam dixerit, & Quia Fabri Filius Mat. 13. 55, Faber & ipse Mar. 6. 3, erat, ánnon de Templi Excitatione nunc promiserit, omnino accedimus ad catissimum Catechistam, atque si plura, & clariora Testimonia produci possint, pro Instauratione Templi, quàm Corporis sui, locutum eum de Fabrica Judaici Templi esse, constituendum est. Quòd si de Reipsa jam convenit inter nos, Christum Corpus suum sub ea Figura voluisse, jam vitiligigium planè est, & aliquid ampliùs, de Verbo ἐγείρειν altercari, aut de dicti hujus obscuritate tam pueriliter quiritari. Cæterùm quòd falsi aliquid ex eo verbo constituendum esse prætendat, in se quidem hoc, stultum, sed execrabile, convitium est, in Nobili verò Catechista est & Petitio Principii. Repugnantiam autem cum aliis Scripturis nullam continere hoc, nisi quæ ex Hæretica solùm Barjesuiticæ Impietatis officina infertur. Unde ipsi sibi insanarum Repugnantiarum Dædali facti sunt, jam Satis in quinto Paragrapho manifestatum est.

8. Et ipse quidem sibi in eo κρησφυγέτῳ parùm fidit. Deserit igitur & porrò fugit. *Denique siquis obstinatè Vocem* Excitabo *urgere vult, is animadvertat, quid Dominus Jesus alibi dicat, Eum, qui perdiderit animam, vivificaturum eam. Ubi siquis insistere vellet ipsis verbis, eum colligere oporteret, Credentes etiam ipsos sese vivificaturos, & à mortuis excitaturos esse*, C. R. p. 278. O quàm feliciter! Ad me igitur (quod nullus expectabam) jam tandem venit. Ego enim illum me profiteor, qui Vocem *Excitabo* non urgere solùm volo, sed & per universas Barjesuiticas Phalanges perurgere. Ultra autem Pars ex hoc *obstinatior* dici merebitur, Egon' in adsertione istius vocabuli, an Barjesuita in Sceleratí sui Dogmatis defensitatione, judicet, quisquis in orbe fuerit, quem Bonus Deus sic servavit, ut Barjesuita nè sit? Pareo tamen, dictóque ei audiens, Legem ab ipso positam servo. Animadverto scilicet, quid D. Jesus ibi loci, (Quem ipse in Margine suo, notavit quidem è Luc. 17. 33. Sed, nè quid severiùs dicam, parùm animadvertit;) dixerit. Dicendúmne verò mihi jam est, quid in iis verbis animadvertam? Quod nunquam non animadvertendum ei est, cui cum Barjesuita Res est; Non posse eum non verba Suis dare; Neque posse Verbi Divini Sacros sensus non pervertere. Verba enim Christi sunt, ὃς ἐὰν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν. Καὶ ὃς ἂν ἀπολέσῃ αὐτὴν, ζωογονήσει αὐτήν, Luc. 17. 33. Scopus autem Loci hujus Theologis omnibus manifestissimus est, monere Christum, quòd ingruente non diu pòst Excidio Gentis, Quisquis vitam suam servare sperabit per Christianæ suæ Professionis detrectationem, veraq; Fidei abnegationem, Sui ipsius damnum faciet, & cum cæteris peribit: Qui verò commodorum Temporalium respectu nullo habito, vitam suam periculis iis, atque incommodis exponet, quæ cæteri Christiani per fugam suam (Deo sic monente) subeunt, ille Semetipsum conservabit. Hæc genuina plenáque Loci illius Expositio est.

9. Sed quid hæc jam ad præsentem Quæstionem? In hac, Christus ἐγερῶ αὐτὸν, de Reali Innovatione, Vitæque naturalis post mortem restitutione dicit, Ibi verò, quod Barjesuita animadverti vult, est de Morali solùm Caussa, & Meritoria, quâ quis imminentem mortem à se averteret. Nihil amplius enim dicitur, quàm ψυχὴν ζωογονήσει, id est, liberabit Seipsum ab ea strage, Inque vivis conservabitur. Senum enim (atque solorum, quantum memini,

memini, hoc in ſenſu) eſt vocabulum hoc ζωογονεῖν, pro *Servare vivum*, ut Ex. 1. 17, & 22. & 1 Sam. 2. 6. & 2 Reg. 7. 4. & in V. T. alibi. Jam verò Lucas, in Senibus exercitatiſſimus, eodem verbo in eundem Senſum & heic uſus eſt, & Act. 7. 19, ubi res ipſa loquitur eum id, ex eo Senum idiotiſmo, directè petiiſſe. Sed Barjeſuitæ noſtro hæc omnia (vidiſſe enim non dubitabo,) nihil ſunt: aliquid ei dicendum erat contra ἐγείρειν, nè indè perirent. In Latino autem (Quem, ubi vult, ſpernere ſatìs novit,) reperit Hebraiſmum iſtum, *animam vivificabit*, pro, *vitam ſuam ſervabit*, ſtatímque jam pro ſua Authoritate pronunciat, *Ex his verbis colligi oportere, Credentes etiam ipſos ſeſe vivificaturos eſſe.* Satin' hoc confidenter? Habete igitur, ut ab eo haberi par eſt, cum mantiſſa Barjeſuitica, omnium mendaciſſima, impudentiſſimâque, Adſuit enim, *& à Mortuis ſeſe excitaturos eſſe.* O Nobiliſſimum Sutorem! ſcilicet ut Poetarum aliquis cecinit,

Unde habeas quarit nemo, ſed oportet habere:

pari conſilio & unde hoc colligatur, (vel ex iſto loco, qui ab excitatione Mortuorum toto cœlo abeſt) Barjeſuita non curat, ſed, *oportet colligere*, ait. Quid itá? Aliter enim oportet ipſum ab omnibus haberi, id quod eſt.

10. Quod in adagio autem eſt, *Mala Mens, malus Animus.* Conſcius enim ipſe ſibi, quantum in iſtis paralogizet, neque in hiis acquieſcit, Sed quod ultimum miſero effugium eſt, (& miſerum profectò eſt,) pro appendice mox infert. Quærit igitur à Se, *Quî dictum hoc Chriſti intelligendum ſit?* reſpondétque Sibi, *Ad eum modum; Chriſtum hîc ità loqui velle, Etiamſi vos me ſuſtuleritis, nihilominus poſt tres dies à Mortuis reſurgam*, C. R. pag. 278. Siccine veró? Velle Chriſtum? ab intimis igitur Chriſto Conſiliis Barjeſuitæ ſunt; Quid unquam Dominus voluerit, illi ad unguem callent. Nôrunt igitur, velle quidem Chriſtum tum ſic loqui; Non potuiſſe tamen, donec extulit caput ſuum Moſcorovius, Divinæ mentis Interpres, & Voluntatis Nuncius Serotinus è Polonia. Neque voluiſſe ſe tamen Moſcorovicè loqui, Chriſtus ipſe jam cùm loquitur, indicat, ex eo, quòd noluit dicere, Καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερθήσομαι. Paſſivum quidem hoc ſi fuiſſet, Intranſitivè accipi potuiſſet, pro *Reſurgam.* Sed Dominus (datâ operâ) Templi Tropum præmittit, ut Tranſitivè ſe exprimere poſſet, ἐγερῶ αὐτόν. Quid ità? Ut vel indè quoque Judæis cæcitas ſua exprobrari poſſet, quòd poſt tam inſigne in expurgando Templo ſuo miraculum, dato jam alterius Templi Signo, necdum intelligerent. Dedit verò idem ſignum illis pòſt, & paulò exertius, in exemplo Jonæ, Matth. 12. 40. Hæſſéque iis in memoria ipſi indicant, cùm poſtridie Paſſionis, in magno illo Sabbato, Pilatum ea de re conveniant, Matth. 27. 62. Jámque tandem reperimus, Quibus Catechiſta debet Neutrale hoc ſuum, *Reſurgam*, Hæreditario enim jure ad eum deſcendit à Majoribus ſuis, Carnificibus illis, Chriſti occiſoribus. Magnificum nimis & ipſis videbatur, quòd Chriſtus de ſe dixerat, ἐγερῶ αὐτόν· neque per ſummam Maligni animi invidiam poterant ad Præſidem Romanum tale quid referre. Mutant igitur, minuúntque, & ſublato verbo Activo, ſic ei narrant, *Meminimus quòd Impoſtor ille dixit, μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἐγείρεσθαι*, ver. 63. Atque hoc eſt, *Reſurgam.* Verùm egregiè interea mentitur, qui Chriſtum hîc ità Velle loqui comminiſcitur; Parricidæ enim Chriſti erant, Qui ità voluere; Parétque iis jam tandem perbonus Catechiſta, & ad eorum Conſilia exaſciatus ipſe, quò Divinam Chriſti Potentiam nunc occîdat, vertit, *Reſurgam.*

11. In cumulum igitur hujus Diſſertationis, haut abs re nunc erit, ut Catechiſta à nobis moneatur, SScripturas toties dicere, quòd Deus Chriſtum à mortuis excitavit, non in eum finem tendere, in quem ab ipſius blaſphemo ore detorqueturjut Chriſtum emungant Divinâ Virtute ſuâ in Suiipſius excitatione, ſed ſolummodo ut Sceleratis Hominum auſis opponant conſilia Dei, indicéntque, Quem exitum facinus illud Homicidarum adverſùs Humanam Chriſti Naturam ex Divinæ ſuæ Naturæ Præpotentia tandem habuerit. Trabem igitur eam ex oculo ſuo, ſi poteſt, eruat, redeátque ad SScripturas, atque ibi mecum obſervet, (De nihilo enim eſſe non poteſt:) quanta cum cautione in principio Promulgationis Euangelii obſervatum ſit, nè nudè diceretur, Chriſtum à Deo ſuſcitatum fuiſſe, ſed ut exertis verbis ſemper adjungeretur & id, quod Homines nequiſſimi in Chriſtum hominem auſi quidem fuiſſent, Deo, utcunque per excitationem ipſius à morte, aliter omnia diſponente. Igitur in prima omnium Concione ea ad Populum non Credentem, Petrus ait, *Quem Deus ſuſcitavit*, Act. 2. 24. Aítne, *Quem?* Quem ergó? Præmiſerat jam id, *Hunc, Quem per manus Iniquorum Crucifixum vos interemiſtis*, ver. 23. Hic ei Scopus eſt, Quid Homines, Quid Deus fecerit. In proxima ejus Concione non mutat, *Quem Deus excitavit à Mortuis*, Act. 3. 15. jam enim dixerat, *Principem Vitæ Vos interfeciſtis.* Poſtridie etiam in Synedrio eandem cantilenam canit, *Jeſum Chriſtum Nazarenum illum, Quem vos crucifixiſtis, Deus excitavit à Mortuis*, Act. 4. 10. Opúſtne pluribus? Omittendum certè non eſt, (laudatur enim ab ipſo Catechiſta,) quod & Apoſtolus ipſe, cùm proximè ſiſterentur Synedrio, neque tum omittere voluit, ſed dicto jam, *Deus Patrum noſtrorum ſuſcitavit Jeſum*, continuò ſubjunxit, *Quem vos ſuſtuliſtis ſuſpendentes in ligno*, Act. 5. 30. Neque Paulus quoque Prædicationem ſuam aliâ methodo orſus eſt, *Deus autem exeitavit Eum ex Mortuis*, ait, Act. 13. 30, Eum ſcilicet, Quem jam dixerat, *principes populi petiiſſe à Pilato, ut interficeretur*, ver. 28. Sed & in Epiſtola geminus ei locus eſt, (ad quem etiam Catechiſta digitum intendit,) in quo haut citiùs dixerat, *Qui excitavit Jeſum Dominum noſtrum è mortuis*, Rom. 4. 24; quàm addit De Traditione ejus, ὃς παρεδόθη, ver. 25. Concludimus verò nunc, cùm SScripturæ dicant, Jeſum, ab Hominibus quâ ipſe Homo erat, morte mulctatum, ex morte ſuſcitatum à Deo fuiſſe, Notam eſſe eam dicimus, ut intuitum haberent ex oppoſito ad id, quod ab Hominibus perpetratum erat, verè Apoſtolicam; Sed indè colligere, eas pugnare velle cum aliis SScripturis, quæ Chriſtum docent, Excitaſſe Seipſum, Quâ Deus erat ſcilicet, Eſſe Gloſſam Diabolicam, aut (quod idem eſſe à Paulo didicimus) Barjeſuiticam. Claudetur igitur jam hic Rivus, & quæ in iſto Themate adnectenda ſuperſunt, novæ Sectionis ὕφημα erunt.

SECT. XLIX.

1. *Catechiſtæ intolerabilis præſumtio in SScripturas.*
2. *Atopa Barjeſuitica. Quàm varia ſignificentur per* Ἔγειραι.
3. *Dum ſimulant SScripturas venerari, perditè corrumpunt. Chriſti Prærogativa.*
4. Ἔντολὴ, *Quid.* Ταύτην, *pro* Ἐξουσίαν. *Nomen* Patris *pro tota Divina Natura.*
5. *Eodem modo, déque eodem Chriſto, prædicantur,* Carne paſſum *eſſe, &* Spiritu vivificatum. *Spiritus Chriſti eſt Spiritus Dei.*

NIſi certiſſima Res eſſet, dementari eos primùm, qui perditè Socinizant, neque auderent Ductores eorum tam craſſè abuti ſtoliditate ipſorum, neque ipſi quidem Auditores eorum exciperent eos ſine fuſtibus. Adeatur enim jam Locus ille ſecundus, è quo nè Chriſtus ſemetipſum à mortuis excitâſſe credatur, Catechiſta ſuos non ludos ſolùm fieri ſed & lapides etiam poſſe, parùm dubitavit. Verba enim ſunt Chriſti, in Encæniis, *Propter hoc Pater me diligit, Quia ego pono Vitam, ψυχὴν, meam, ut rurſus ſumam eam: Nemo tollit eam à me: ſed ego pono eam, ſponte meâ. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo rurſus ſumendi eam: Hoc mandatum accepi à Patre meo*, Joan. 10. 17, 18. Ad hæc autem ille, *Ea oratio non efficit, Chriſtum mortuum aliquam Virtutem*

rem in se habuisse, quâ seipsum excitaturus erat, C. R. pag. 278. Proh dolor! Nos enim sperabamus efficere. Duas nimirum Potestates suas Christus jam pariter depræd̃icat, Alteram, ponendi vitam suam, Alteram, rursus sumendi. Et differentia heic planè nulla est, præterquam ordinis, Potestas quidem ponendi, priùs dicitur, & pòst, rursus sumendi. Rursus autem sumere Vitam nemo dici potest, nisi qui posuit eam, & jam mortuus est. Agedum ergò, Annon hæc oratio efficit, Christum Viventem habuisse in se Potestatem, quâ Vitam ponere poterat? Ponendam enim fuisse, id planè supponitur. Et *neminem posse eam ab eo tollere, ipsius* statuitur. Sed & *propter hoc diligi Se à Patre* ait, *Quia ipse ponit eam.* Neque enim Coactus ponit, jussúsve, sed ἀπ' ἐμαυτῦ, inquit, hoc est, *Voluntariè, Sponte suâ, Pro suo Arbitrio, Quando & Quomodo ipse velit.* Est etiam fortassean aliquid amplius eruendum ex hoc, ἀπ' ἐμαυτῦ. Nam si ipsum hoc, *ponere vitam suam pro Ovibus*, (Quod Boni Pastoris Specimen esse, antè monuerat, ver. 11: Diligíque se propter hoc à Patre, nunc adserit; Intermedia autem hiis omnia, Parentheseos locum reverâ habent;) ex ipsa Natura rei necessariò supponant, libenter, liberè, locóque, & modo debitis, hoc ab eo fieri, (Aliter enim, neque laude aliquâ, neque Patris Dilectione dignum esset,) Tum plena Interpunctio post τίθημι αὐτὸν appingenda est, atque ἀπ' ἐμαυτῦ pertinebit ad potestatem quæ sequitur, ἀπ' ἐμαυτῦ ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὸν· Ut jam dicere intelligatur, non in Se solùm, sed & à Se, è suômet Beneplacito, habere se, quòd Vitam suam sic ponere velit, possítque. Hoc autem jam supposito (contra quod nihil solidè urgeri potest,) Catechista de novo premetur. Verbis enim ità lectis, Παύλαις ἄρον ἀυτὸν ἀπ' ἐμοῦ, ἀλλ' ἐγὼ τίθημι αὐτὸν· Ἀπ' ἐμαυτῦ ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὸν· jam & in Commatis sequentis expositione, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτὸν, repetendum, ἀπὸ τ̃ κοινῦ, erit hoc, ἀπ' ἐμαυτῦ, ut sensus sit, *A meipso habeo Potestatem ponendi Vitam meam, & à meipso habeo Potestatem rursus sumendi eam.* Necdum tamen Christus virtutem in se habuisse credetur seipsum excitandi?

2. Verùm stat ei Sententia; Quicquid Christus videatur nobis dixisse, Non hinc *efficitur* tamen, habuisse. Neque deest Magistro Sua ratio. *Cùm & de credentibus legamus, ipsis datam esse Potestatem, ut Filii Dei, id est, Immortales, fierent*, C. R. pag. 278. Bone Deus! Iegitúrne hoc? Ubi verò? Nam nec in margine suo nunc, (Qui tamen Locus ei fraudis suæ utplurimùm est.) Lectionis hujus notam locare dignatus est. Fraudis nimirum est, & jam non locare: sed non sic effugiet. Præter enim quod distinguere hâc in parte sciamus, inter, *Habeo Potestatem*, atque, *Potestas iis data est*, Cùm datam esse dicat, id quoque quærimus, A quo data iis ista Potestas est? Hui! Ulcus ei tangimus, & nimis inficeti Rogitatores jam sumus! Quid ità? A quo enim data iis Potestas ea legitur, Christus ipse est, Et in illo (Barjesuitis omnibus exosissimo Capitulo,) in quo ipsi & genuinum fregerunt, & frontem, & fidem omnem, E quo legere etiam est, De Verbo Deo, Verbo ἐν ἀρχῇ, ver. 1. De Verbo Carne facto, ver. 14. De Agno Dei tollente peccatum mundi, ver. 29. Capitulo à piis Barjesuitis nè unquam videndo quidem, (Quid mirum igitur; si locum citare horruit?) legitur, *Christum Credentibus in Nomen ipsum dedisse Potestatem, ut Filii Dei fierent*, Joh. 1. 12. Optimè verò? Jam enim intelligimus vim Argumenti ejus. Istud scilicet est, Quia Christus dedit Potestatem Credentibus in se, ut fierent Filii Dei, Ergò Ipse Potestatem nullam habuit excitandi se à mortuis. Ecquid autem potest rotundiùs sequi? Ecquid solidiùs inferri, aut concludi firmiús? Beatum igitur hoc genus Socininum, Cui tam valentes Magistros audire datur! Quî potest enim fieri, Ut Potestatem dans, ipse habeat? ut dans tantam, tantam habeat? Dans in uno genere, habeat in alio? Dans aliis, habeat in Se? Ferenda hæc non sunt à Viris non insanis. Præterea, numquid necessarium non est, Ut quæ potestatis est ratio in aliquibus, Eadem sit & in universis? Unúsne ab aliis omnibus in Potestate aliqua differet? Rursus, Aliámne Christus Potestatem, Quid ipse de se faciat, habebit, quàm Alii habent Quid per ipsum de iis fiat? Porrò, utcunque vox ἐξουσία variam in N. T. significationem habeat, modóque designet *Jus ad rem*, modò *Potentiam*, modò *Dilectionem*, modò alia, Annon tamen, quod in uno genere nonnullis contingit, præjudicio cæteris erit, nè alio in genere quicquam consequuti sint? Cùmque in Orbe sint, qui ἐξουσίαν ut *Jus datum* habent, potéstne quisquam ἐξουσίαν habere ut *Potentiam*? Videmus igitur, quàm acutè perspexerit Barjesuita, ídque (quod Cæcorum, qui se Orthodoxos vocant, nemini unquam videre datum est,) ex hoc uno dicto Joannis De credentibus in Christum, & hæc, & infinita alia Absurda secutura esse, si Joanni de Christo vel ipsi jam Christo, de Se, credatur, & de Sua ipsius Potestate Vitæ suæ, quum posuerit, sumendæ sibi denuo.

3. Quid igitur jam facimus? Quid? Quod facere docentur in Polonia à felicibus istis Noviss̃imæ Fidei Aucupibus: Verba Christi, qualitercunque dicta sint, Quia tamen SScripturarum veneratores se esse summos Orbi venditandum est, ut nunquam non legant, sed ut nunquam sumant tamen, nisi cum multiplici grano salis Czarkoviani: Atque tum, *apparebit hujus Loci hanc esse sententiam, ut non in vestra Potestate, ut me tollatis è medio, verùm in voluntate Patris mei situm est, Ità nec in vestra voluntate erit, ut in morte maneam*, Cat. Rac. pag. 279. O Divinam igitur hanc, planéque stupendam verborum Metamorphosin! A Christo enim prolata ut sunt, nihil spirant, nisi Quid ipse de se dicat, Quid ipse faciat, *Ego vitam pono: Ego vitam rursus sumo: Ego à meipso Potestatem habeo Ponendi eam: Ego rursus Sumendi.* Sed Corrigatur, (ait Catechista in aurem) tantæ θεαυτολογίας luxuria, atque in vera sententia Loci, mentio jam nè semel fiat, Quid Christus faciat, Quídve Christus possit facere. De potestate populi in eum sola consyderatio sit, & limitetur ea solummodo ad voluntatem Patris ejus, atque hoc sufficiet. De Voluntate autem ipsius Christi in hiis, aut De potestate Christi, quenquam solicitum esse, nihil reverâ opus est: videat enim, & id curet Pater ejus, In cujus manus Ille se commendare Spiritum suum, jam moriens dixit, Luc. 23. 46, atque benignè satis cum eo agitur. Neque quenquam vestrûm moveat, (ait) quòd hæc Expositio Prærogativam in Christo nullam agnoscat, sed in communem omnium conditionem jam redigat eum, Posse enim quemlibet vel è plebe Fidelium, istud de Semetipso dicere, atque Hostibus suis sic insultare, Non esse in Potestate eorum ipsum è medio tollere, sed in Voluntate Dei Patris situm hoc esse, Neque etiam in voluntate eorum esse, ut in morte maneat. Annon igitur eo consultiùs hoc, atque cum Christi conditione congruentiùs jam à Barjesuita dici jubetur, Cùm & Christo illud è Propheta, (etiam ab Adversariis ipsis) vulgò adaptari soleat, *Ego autem Opprobrium hominum sum, & nullificamen populi*, Psal. 22. 6.

4. Si cui verò jam bilis moveatur, & Christi Caussâ succensere libeat, hem, Clypeum sibi suum Catechista in promtu habet. Hóccine non ferunt, (ait) Quod dixerim, *Christum accipere à Patre vitam æternam*, C. R. pag. 279? Audiant igitur ipsum Christum. Annon *subsequentia ejus verba hoc indicant? Hoc mandatum accepi à Patre meo.* Et sunt profectò hæc Christi Verba ibi, Ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τ̃ Πατρός μου, Joan. 10. 18. Sed in hiis verbis, est ἐντολὴ, est & ἄνωθεν, & est denique παρὰ τ̃ Πατρός, atque ad præsentem disquisitionem, est quod monendus Magister sit de hiis singulis, Primò enim ad quàm varia in N. T. ἐντολὴ applicetur, alibi exposuimus. *Mandatum est*, sive Humanum, ut Act. 17. 15: sive Divinum; In Divinis verò, sæpe ponitur generaliter pro omni placito Divino, ut Heb. 7. 16: sæpe speciatim, Idque vel pro mandato Decalogi, ut Mar. 7. 8: vel pro Præceptis Euangelii, ut 1 Cor. 14. 37: Imò est, ubi pro ipso Euangelio, ut 2 Joan. 4. próque

Ordine,

Ordine, ſeu Functione Miniſteriali, ut 2 Pet. 3. 2. Verùm cùm ταύτην τὴν ἐντολὴν dixerit, jam hoc demonſtrativum eſt, & digito indicat, quodnam omnium Præceptum velit. De idiomate nimirum Græcæ Linguæ eſt, ut in Relativis his αὕτη monſtret id quod proximum eſt, ἐκείνη verò referatur ad remotius; Sed tamen τάυτην ἐντολὴν referri oportet, non ad id quod proximè dictum eſt, ſed ad id quod in genere Mandatorum proximè dictum eſt, Poteſtas quidem Ponendi Vitam, & Sumendi Vitam, proximè dictum eſt, Sed illam ἀπ' ἐμαυτῦ ſe habere dicit, Præceptum igitur illud non eſt. Verùm quòd Gregem ſuum tam fideliter curet, ut *Vitam pro iis ponat*, ver. 11, jam hoc quidem Ἀρχιποιμὴν ex ipſo Deo Munus eſt, atque hujus Mandati Cauſsâ ait, *Ecce venio, ut faciam, ô Deus, Voluntatem tuam*, Heb. 10. 9. Verùm Quid jam hoc cum præſente Quæſtione? Quid ad excitationem Chriſti à Mortuis? Nè moræ tamen ſimus, adnuimus; Poteſtas Ponendi, Sumendíque Animam, Eſto hoc Mandatum: Mandatum eſto, quod Chriſtus accepit à Patre ſuo. Quid tum? Impedítne jam hoc, Ut ipſe ſe excitet à mortuis? An verò corroborat magís? Excitavit Seipſum, Quia datum ei ab æterno eſt, ut ſe excitaret, Et per modum Mandati datum eſt, Quod, ſupra Omne Decretum Medorum, & Perſarum, Dan. 6. 8, immutari nequit. Atqui tum, Non excitavit Seipſum, aiet. Negatur. Aliud enim eſt, Accipere Poteſtatem, Aliud, eâ uti. Cui Centena Millia à Parente data ſunt, ex iis ſi ille pòſt der, ut captum Se redimat, Annon Seipſum redimit? At ergò Deus non erit, aiet, Quia Poteſtatem hanc Seſe excitandi ex ipſo Se non habuit. Negatur & hoc, Ex ipſo Se enim habuit eam Chriſtus, Quâ ipſe Deus eſt, Quâ Homo quidem, ex Patre ei data eſt, Poteſtas, Mandatúmque. Dedit igitur pariter, accepítque ipſe Chriſtus Sibi, Deus Chriſtus Homini Chriſto, id eſt, Divina Natura Humanæ; Nomen autem Patris in hujuſmodi dictis ad totam Divinam Naturam pertinet.

5. Necdum verò evolutus ei eſt fuſus iſte De Chriſti excitatione à Mortuis. Tam benignè enim Suaviſſimum Caput nobiſcum egit, ut & Tertium è SScripturis locum, (Neque tamen, quòd Divites Illæ non ſint in hoc Argumento, ſed quòd Ipſe alium in ea Copia, cui habere ſe quod oppedere poſſe ſperaret, diu non inveniret,) tandem exquiſierit. Quem ſic laudat, *Chriſtum excitaſſe ſeipſum à mortuis continuerí arbitrantur in hoc, cùm Apoſtolus aiat, Chriſtus ſemel paſſus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret, Mortificatus quidem Carne, Vivificatus autem Spiritu*, 1 Pet. 3. 18: Cat. Rac. pag. 276. De hoc tamen Loco jam Nos à gratiis ſi agendis tam longè abſumus, ut nè manum quidem ei admoliamur, antequam Veteratorem admoneamus, eſſe eum uſque, id quod uſque fuit, Barjeſuitam, ſacrorum textuum ex ipſa Religione ſua Depravatorem juratiſſimum. Non digredimur tamen ad id nunc, nequitiam ejus pòſt, σὺν Θεῷ, expoſituri. Jam ipſe verò ad hunc locum reſpondere ſe ait, *Neq; ex eo, ullo modo apparere, Chriſtum Seipſum à Mortuis excitaſſe*, Cat. Rac. p. 279. Attende, Lector: *Non ullo modo*, ait. Quorſum protulit ergó? Solánè proferendi urtica ei erat, ut corrumperet? Ecqua verò & repudiandi prolatum jam ratio ei eſt? Eſt. *Cùm in hoc loco non ſit ſcriptum, Chriſtum Spiritu proprio eſſe Vivificatum, verùm id ſolùm, Spiritu Vivificatum*, Cat. Rac. pag. 279. Vapulet igitur ei S. Petrus, quòd non ſcripſerit ſic, ut Magno H. M. à M. ſatìs ſit. At neque ſcriptum eſt, Chriſtum Carne propriâ eſſe mortificatum, verùm id ſolùm, Carne mortificatum. Neque paſſus igitur erit Chriſtus in Carne ſua? In Corpore ſuo mortuus? Quid? Nè nulli hæreſi gratum non faciant, faciúntne & hanc quoque jam Barjeſuitæ Primævis Δοκηταῖς gratiam? At verò Chriſtus cùm paſſus Carne dicatur, 1 Pet. 4. 1, de Sua ipſius Carne, Heb. 10. 20, id intelligendum eſt; Pariſq; ratione cùm Vivificatus Spiritu, de Suo ipſius Spiritu, Præſertim cùm in ipſo & alii Omnes vivificandi ſint, 1 Cor. 15. 22. De more autem SSpiritûs eſt, De quibus aliquid σαρκὶ prædicat, de iiſdem, & non aliis etiam quod πνεύματι tum addit, licèt Pronomina Poſſeſſiva non addantur ab eo, prædicare. Exemplum egregium ſequitur hâc ipſâ in Epiſtola, Ἵνα κεθῶσι μὲν κατ' ἀνθρώπους σαρκὶ, ζῶσι δὲ κατὰ Θεὸν πνεύματι, 1 Pet. 4. 6. Déque Sua ipſorum Carne iſtud ab eo dicitur, & De Suo ipſorum Spiritu: Paulúſque in eo Loco, quem Barjeſuitícis inſaniis jampridem eripuimus, ἐφανερώθη ὲν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ὲν πνεύματι, 1 Tim. 3. 16, De ejuſdem Chriſti Carne, Spiritúque iſta adſerit. Quod verò Barjeſuita jam ſucclamat, ad *Vivificatus Spiritu*, iſtud, *De Spiritu Dei prorſus accipiendum eſſe*; Jam cùm rectè moneat, morem ei gerimus, De Spiritu Dei & Nos prorſus accipimus, Eſt enim Spiritus Chriſti Spiritus Dei, utì & dici jamdudum adnotavimus, è Rom. 8. 9. Atque indè, Chriſtum ex Humana Carnis ſuæ conditione mortem paſſum, ex Divina Spiritûs ſui Virtute excitâſſe Seipſum à morte, jam ſatìs confirmavimus.

SECT. L.

1. *Chriſtum pro nobis mortuum eſſe. Mori nos pro fratribus.*
2. *Non eſt, Ad ſatisfactionem pro Fratribus, ſed Ad Perfectum fidei in iis. Joannes Homonymius uti ama. Chriſti Satisfactio.*
3. *Pati Apoſtolos pro Eccleſia, Colligendâ ſcilicet. Sic pro Chriſto paſſi ſunt.* Ἀνταναπληροῦν.
4. *Pro nobis*, 1. *Vice noſtrâ, & Propter Nos.* ὑπὲρ τινος, *&* διὰ τί. *Partem qui dicit, ut ille dicat verum.*
5. *Redemtio.* Ἀντίλυτρον. ὑπὲρ *pro* Vice. Δίκαιος, *&* Ἄδικος, *ut differant.*
6. *Aliter aliquid De Rebus, aliter, De Perſonis, dicit poteſt.* Διὰ *cum Caſu* 4°, *dicitur Pro & Contra, in Partem utramq;.*
7. *Chriſtum paſſum eſſe pro Peccatis noſtris.*

BArjeſuita non ſemel fateri cogitur, Eſſe SScripturarum Teſtimonia, (permulta enim ſunt,) in quibus habetur, *Chriſtum*, vel *pro Nobis*; vel *pro Peccatis noſtris mortuum eſſe*. Sed, pro Arte tamen Sua, in nubibus eſſe finit ea, &, nè ἐπαπορίᾳ pereat citando, nè ſemel quidem vel unicum Locum audet, (nè in Margine ſuo, prævaricari benè docto tamen,) citare. Quid opuſt verò Citationibus? Cùm & inter Suos ſit, animis ſuis, oculíſve tam non utendi certos contra Magiſtrum Suum, ut quicquid impurus ille evomuerit, toto Corde, pectoréque reſorbeant; Et unam jam ille Lituram inducere calleat, quæ SScripturarum Teſtimonia Singula, inviſa, inauditáque, ubi ubi erunt, delebit? Ait igitur, *Ex iis Teſtimoniis*, (Quæ nondum protulit; Sed tamen, Quæ ea cunque ſint) *Satisfactionem adſtrui neceſſariò non poſſe, hinc manifeſtum eſt*, Cat. Rac. pag. 234. Eſt igitur iſta Artis novæ Socininæ ſtupenda Virtus! Hoſtes jam novit illa, priuſquam prodeant, proterere; Et undecunque accerſantur Argumenta, adverſùs Sacra Moſcorovica, veniant vel è Divinis Armamentariis, tam nihil agunt, ut antequam ipſa manifeſta ſint, aut Suis in Conſpectum ſe dent, Manifeſtum Racoviæ fiat, fruſtrà ea eſſe, & contra ipſorum Placita nihil poſſe. Verùm quod de Rubo non conſumto Moſes, Exod. 3. 3, videamus hanc Magnam Viſionem, Quare non? *Quia Scriptura teſtatur etiam, nos pro fratribus animas ponere debere*, Cat. Rac. pag. 234. Teſtatur certè, Atque Nos Locum, (quem ille, in uſus ſuos, notare nunc poteſt,) agnoſcimus ſic ſe habere, *In hoc cognovimus Charitatem. Quoniam Ille pro nobis Vitam Suam, ψυχὴν, poſuit, Et Nos debemus pro fratribus Vitam ponere*, 1 Joan. 3. 16. Sed jam ſciſcitamur, Cur ille Locum hunc tam curtum & dimidio ſuo breviorem, nobis appoſuit?

Daríne

Darîne hoc dicet quîspiam, Catechisticæ Brevitati? Sed Cave dixeris, Quîsquis es, Nè mentiri te dicat ipse Catechista; In conjunctis enim proximè verbis Ille è Paulo Locum longiorem, & licèt ad hanc rem minùs facientem, citat integrum. Quòd curtavit igitur hunc, Sophisticæ suæ dedit, Locúmque hunc brevitîs quàm Sequentem protulit, nè unà proferret & impostûram suam. Videbat enim Veterator ab integri illius Textûs Lectione sublatum iri suum Paralogîsmum. Quid enim ipse inferri cupit ex hoc, quòd *Nos debeamus pro fratribus animas ponere?* Istud, *Cùm certum sit, Fideles pro fratribus nemini satisfacere*, C. R. p. 235; Ergò, Neque Christum animam suam ponendo pro Nobis satisfeciſſe.

2. Hæc igitur est ea, *quam molitur*, Fallacia, Nam de Satisfactione aliqua Fratrum pro Fratribus ibi monere, ab Apostoli mente longissimè abest. Quî poterat enim id, aut Quorsum, dici ab eo, cùm proximè jam dixerat, unum Christum pro Nobis omnibus satisfeciſſe? Opúsne esse putavit, támque citò, & dum loqueretur, Novâ, eâque ex Nobis, Satisfactione? Monendúmne, ut facto jam satîs per Christum Dominum, satiùs tamen per nos homulos fieret? Imò, Apostoli Argumentum in ista jam parte, Quid à Nobis invicem debeatur, est, tum à Paritate rationis, tum etiam ab Officio Pii Viri, propter mandatum ipsius Christi. Nam cùm Christus tam infiniti momenti Rem pro Nobis fecerit, pérque Mortem suam Justitiæ Divinæ, Cui alio modo nullo occurri potuit, vice nostrâ satisfecerit, Cùm & toties Nos monuerit Officii hâc in parte Nostri, *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ità & vos faciatis*, Joan. 13. 15. Et, *Hoc est Mandatum meum, ut mutuùm diligatis, sicut dilexi vos*, Joan. 15. 12, Debere igitur jam Nos ait Apostolus, pro fratribus facere id, quod possumus; Vitam igitur, (ubi opus erit) pro iis ponere; Non tamen jam ad satisfaciendum pro iis, (Factum enim id jam esse sensit ab ipso Christo;) Sed ad faciendum ea, ex quibus & Honor Christi, & Fides Proximi, & Nostra ipsorum Salus etiam augeri possint & promoveri. Joannem interea planè nesciunt, qui nesciunt de consuetudine ejus, & quasi φίλων λέξιν, ei esse, tam in Euangelio, quàm in Epistolis, Verborum, Phrasiúmque Homonymiis hiisce in eadem Sententia uti. Jam verò pro aliis pati nos, Moríque, atque ità iis, quantum in nobis est, prodesse, in nostra Potestate, Voluntatéque, σὺν θεῷ, positum esse ille optimè nôrat, Sed Divinæ Justitiæ pro iis Satisfacere, hoc aliquid amplius, Diviniúsq; poscere; Pendere enim omnino hoc à Personæ ipsius Dignitate & Merito, Solíque igitur Christo, Qui in eadem Persona Homo, Deúsque erat, convenire, atque ab ipso solo, semel, satísque hoc factum fuisse.

3. Ex hac autem Decisione, & frustrà jam Catechistæ erit, quod ibidem ex Paulo quoque tam largiter, (nec sine fraude solita tamen: Omisit enim, ἐν τῇ σαρκί μου Nè statim videretur, vel è carne Paulina, atque corporeis, dum viveret, Passionibus ejus, Satisfactionem pro aliorum peccatis expetere Se posse, vel planè fateri, jam à Se non disputari ad idem;) sic laudavit, *Nunc gaudeo in afflictionibus Meis pro vobis, & suppleo reliquias afflictionum Christi pro Corpore ejus, qua est Ecclesia*, Col. 1. 24: Licèt enim longissimè jam à Pauli mente abfuerit, Se cuiquam pro Ecclesia Christi satisfacere, quam ipsius Christi Sanguine redemtam esse jam docuerat', v. 14; Quæ tamen ex Beneplacito Divino supererant ferenda ab Apostolis Domini, ἐπὶ τὸν καταρτισμὸν τοῦ Ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ, Eph. 4. 24, (Quo in opere est ubi dixerit, ἀνταναπληροῦν τὰ παθήματα τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ ἡμῶν, 2 Cor. 1. 5: Multa enim, gravissimáque passi sunt Apostoli in Ecclesia Christi colligenda, constituendâque;) Ea ipsum explere pro parte, & portione Sua, (hoc enim ibi est, ἀνταναπληροῦν,) pati scilicet Se, faceréque omnia, quæ post id, quod in Redemtione ipsa Christus fecerat, hominum quisquam jam facere poterat, debebátque pro Bono Ecclesiæ, summâ cum animi delectatione de Se professus est. Ridiculum igitur est, & scuticam prometur hoc Sophisma, contra Satisfactionem Mortis Christi vel hinc argutari; Quoniam Paulo in Vita sua institutum non erat pro Ecclesia Satisfacere.

4. Nè nihil igitur dicere videatur, redit ad primos Carceres, jámque ex ipso Se quærit, *Horum Verborum, Christum pro nobis mortuum esse, Qui sensus est.* Et rectè quidem jam hoc; Cùm SScripturæ Sensum haberi inter suos non liceat, Quem aut ipsa Verba, aut Ecclesia Christi voluerit, Sed quem Catechista iis indulserit. Respondet igitur, *IS; Quòd hac verba*, Pro Nobis, *non significent*, Loco, *vel* Vice Nostrî, *verùm*, Propter Nos, C. R. p. 235. Nos verò jam ex Diametro non pugnamus; Posteriorem enim partem, & quod in hoc Affirmatur, admittimus: Nam *Propter nos* egregiè is agit, quisquis *Vicem nostram* ullatenùs luit. Sed Negativam partem furcâ repellimus: Quâ enim ille Authoritate, à Præpositione ea ὑπὲρ, significationem *Vicis* Clasficis Omnibus Authoribus probatam, prorsus excludi jubet? Nam si nihil aliud dici intendebatur ab Apostolis, quàm *Propter nos*, hoc est, *Nostrâ Causſâ*, seu *In gratiam Nostram*, Quin ὑπὲρ ἡμῶν semper dictum ab iis fuit? Ad ferulam igitur Racovianam vocentur Apostoli, (sed & SSpiritus ipse, Qui in Apostolis locutus est;) apud Quos ὑπὲρ ἡμῶν, vel Vicies in N. T. reperitur de Christi Passione. Prævidit verò hunc ictum, atque ut Se liberet, habere se Locum ait, *Ubi Apostolus expressè sic loquitur*, C. R. p. 235: Nam διὰ τὸν ἀποθανόντα, legitur, 1 Cor. 8. 11. Neque nos quidem negamus ei hunc Locum, Neque eo Responsionis modo, (quem ab ipso μὴ πολλὰς φαντασίας obtrusum, non ità pridem exibilavimus) nunc utimur, Cedere oportere tot numero Locis Locum unicum, atque expositionem suam ab iis sumere. Istud autem dicimus, Qui partem unam dicit, verum dicit, modò ex ea, id quod reliquum est, excluſum non eat. Solius igitur Catechistæ hæc fraus, hoc scelus nunc est, Qui cùm διὰ τὸν ἀποθανόντα, pars sola Beneficii illius à Christo sit, quod in ὑπὲρ αὐτῶ ἀποθανόν comprehenditur, operam nunc ludicram, sed sceleratam, ille navat, ut quicquid amplius est in ὑπὲρ αὐτῶ excludere prorsus possit, Quia διὰ τὸν Semel alicubi dicitur. Ad id verò, quod Apostolus ibi agebat, Quia non de toto genere Humano Res erat, (illud enim ὑπὲρ αὐτῶν fuisse oportuit,) Sed tantùm cavebatur, nequis ἡ τυχόντας, hunc vel illum, infirmum Christianum Scandalizaret ex esu Idolothytorum, satìs ei erat, διὰ τὸν, dicere. Præsertim, Cùm & Argumentum à Majore comprehensum in eo sit: Nam si vel ex ea ratione, scandalum dari non oporteat, Quia Christus διὰ τὸν, Quantò magis non oportebit exìsta, Quia & ὑπὲρ αὐτῶ mortuus est?

5. Huc accedit etiam, quòd illis in Locis, in quibus ὑπὲρ ἡμῶν de Christi Passione legitur, multa ejusmodi sunt, ut & ad Verborum momenta, & ad Argumenti ipsius, in quo sunt, rationem, satis esse nequeat per διὰ ἡμᾶς, solum ea exponere. Ubi enim mentio unà fit Oblationis Deo factæ, Christíque in Sacrificium pro nobis traditi, Sacrilegè nimis rem minuet, qui ad διὰ ἡμᾶς restringet ὑπὲρ ἡμῶν. Supponitur enim ex ejusmodi dicto, Nobis ipsis sortem eam, Mortémque debitam fuisse, sed Christum pro infinita Charitate sua Vicem nostram subiisse, & Semetipsum Loco nostro hostiam Deo obtulisse. Ait igitur Apostolus, *Ambulate in Dilectione, Sicut & Christus dilexit nos, & tradidit Seipsum*, ὑπὲρ ἡμῶν προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, Eph. 5. 4. Rursus, ubi Redemtionis nostræ Commemoratio conjungitur cum ὑπὲρ ἡμῶν, valdè frigida atque jejuna est Expositio illius per διὰ ἡμᾶς. Gratiæ enim nobis exhibitæ vix dimidium exhibet: Ὃς ἔδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν, ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς, ait Paulus ad Titum 2. 14. Et nè cujusvis alterius Pretii quocunque modo dati opinatione fallamur, expressiùs eo ait, ὁ δὺς ἑαυτὸν ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων, 1 Tim. 2. 6. Ἀντίλυτρον autem non aliam dicit, quàm Capitis pro Capite, Vitæque pro Vita, Permutationem. Neque

neſcimus quidem quid ex hoc Catechiſta prævaricari ſtatim cogatur, ibíque totus eſſe, ut & Redemtorem, & Redemtionem omnem reverâ nobis ſurripiat. Verùm eò validiùs jam ſequitur Argumentatio noſtra, planéque conceditur à Sophiſta, Redemtio ſiqua vera ſit, omnino dicta hæc accipi oportere, non διʼ ἡμᾶς ſolùm, id eſt, *Propter Nos*, ſed ὑπὲρ ἡμῶν, id eſt, *vice noſtrâ*. Redemtio autem An ſit, nécne, (nè jam digrediamur,) Cùm Paulum adſerentem audierint, Barjeſuitam abnuentem, Utri credetur, eligant Chriſtiani. Habemus autem apud eundem Paulum, non ſolùm Exemplum manifeſtum Vocabuli ὑπὲρ, non niſi pro *Loco*, ſeu *Vice*, uſurpati, cùm Philemoni ſignificet, in animo ſuo aliquandiu fuiſſe, Oneſimum Suum Romæ retinuiſſe, & Quare? ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ μοι, v. 13, Philemonis *Loco* ſcilicet; Sed & Facti etiam hujus non abnegandam Illationem; cùm ipſe, Partim à Rei Difficultate, Ut inter Homines quiſquam reperiatur, qui mortem oppetere velit, pro viro quantumlibèt innocente, ὑπὲρ δικαίου, Rom. 5. 7; Partim tamen è Poſſibilitate, ut aliquis ſit, qui pro ſummo Benefactore, ὑπὲρ τοῦ Ἀγαθοῦ, auſit emori, Argumentum ſibi certiſſimum formârit, de incomparabili Amore Dei erga Nos, quòd cùm adhuc Nos Peccatores eramus, & Hoſtes, Chriſtus ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανε, v. 8. Necdum tamen per Pædotribam hunc licebit, ut inter Suos, ὑπὲρ ſit ὑπὲρ, Sed ut *Vice Noſtrâ* factum, *Propter Nos* ſolùm dicatur fieri?

6. Verùm prodigioſo jam cavillo non caret, quo hiis ſe anguſtiis extricare ſperat. Ait enim, *Quod ſimilia verba indicant, cùm Scriptura loquitur, Pro peccatis noſtris mortuum eſſe Chriſtum: Quæ verba eum ſenſum habere nequeunt, eum Loco, ſeu Vice peccatorum noſtrorum mortuum eſſe*, C. R. p. 235. Quàm rectè igitur Dominus noſter de hoc genus Magiſtris! *Sinite eos, Duces ſunt cæci cæcorum*, Matth. 15. 14. Sic ſolent enim excæcari infandarum impietatum Pronubi! Indè jam & Iſte, nè perire Se videat in Hæreſi ſua, non videt, Quid diſtet inter Reatum ipſum, & Reos, Quid differant Perſonæ, & Res. Poſſe quidem Homines pro Criminibus mori; Poſſe & inſontes pro ſontibus id videt: Verùm, Quia Loco ſeu Vice Criminum mori quiſquam non poteſt, Meriti enim, Cauſſæque id proprium eſt, Neque igitur Bubo jam diſcernit, Ut inſons quis mori dicatur Vice ſontium; Quod ad Perſonas ſolùm pertinet, omniúmque intellectui pervium eſt. Verùm iſtius modi πωρώματα Socininæ Theologiæ Subtilitas ſunt, & ipſa Anima. Neque deeſt igitur Scriptura ei, quam vel hâc in parte quoque jam pro Se obtrudat nobis. Nam *Chriſtum Propter Peccata noſtra Mortuum eſſe, Manifeſtè Scriptum eſt*, ait è Rom. 4. 25. C. R. p. 235. Nec verba quidem ea jam mentitur; Sic Scriptum eſt, Ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν. Sed jam Quo in ſenſu, obteſtamur, hoc Scriptum eſt? Non in veſtro, (inquit: Inquimus & Nos non minùs, quàm Ille: Non) ut Chriſtus vice peccatorum noſtrorum traditus ſit. In quo igitur, niſi in Barjeſuitarum Suo? Mortuus eſt Chriſtus propter Peccata; id eſt, ut Peccata adduceret ad Salutem æternam amplectendam, & conſequendam. Hóccine verò jam non fert? Neque minùs ergò pudeat eum & prioris calumniæ. Statuimus igitur, In peccatorum noſtrorum ultionem fuiſſe, pérque eam pœnam in eorum abolitionem, quòd traditus ſit Dominus. Habet enim διὰ in uſu Linguæ Græcæ, reſpectum ad quemcunque Finem, & ad quamlibet Cauſſarum relationem, ſive gratioſa ea ſit, ſive ad Oppoſitum, Pro & Contra: unde & διὰ τὸν παρεισάκτους ἀδελφοὺς dici videmus, Gal. 2. 4. Per Euphemiſmum igitur, Sanctis familiarem, Apoſtolus optimè dicere potuit, Chriſtum, cùm peccata noſtra delere voluit, traditum eſſe διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν· quo exemplo Joannes etiam vel de Caini fratricidio particulâ ſuaviore uſus eſt, χάριν τίνος ἔσφαξεν αὐτόν; 1 Joan. 3. 12: Quantò magis verò, cùm ex ea Peccatorũ abolitione, æternũ Beneficium redundârit in Humanum Genus omne! Propter enim Peccatores ipſos paſſus eſt Chriſtus, quicquid pro peccatis eorum non recuſavit pati.

7. Quid ais igitur, Lector? Satin' jam ex hiis obſervare eſt impoſturas Barjeſuiticas? Si verbulum aliquod Phraſímve Catechiſta è Sacra Pagina prætendere ſibi poſſit, jam ſalva ſatis ei Res eſt. De Mente ipſa, Scopóve Locorum, De ſano Senſu, aut vera Vi verborum, videant alii; Nunquam ei feliciùs cedunt Paralogiſmi ſui, quàm cum SScripturam poſſit per SScripturam aliquâ corrumpere, atque uni Loco ex alio turpiter illudere. In hoc jam Argumento, Quid Chriſtus ὑπὲρ ἡμῶν paſſus ſit, ut ipſe cavillari auſus ſit, Quia ſemel reperit, διʼ ὃν ἀπέθανε, vidiſti; Quid etiam ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, Quia ſemel παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα. Atque è diverſis quidem Locis, Sententiiſque dum hæc, (Quid Chriſtus pro Nobis, id eſt, Noſtram in vicem, Quid & pro Peccatis noſtris, id eſt, in eorum ultionem, & abolitionem paſſus ſit;) colligere poterat, ille hinc indè ſubſiliendo, déque loco in locum diſcurrendo, Servare Se poſſe parùm dubitavit. Verùm cùm in unicum (fortè) Locum redigeretur, ubi hæc ſimul dicta ſunt, excidit jam eâ ſpe, locóque evadendi non relicto, Capi Se metuit. Quid igitur fecit? Quod in antegreſſæ Sectionis clauſula pollicitus ſum me dicere; Nè caperetur in una parte, delevit alteram. Familiaris quidem illi eſt ea SScripturarum corrumpendi via. Igitur cùm Apoſtolus dixerit, *Quoniam & Chriſtus ſemel pro Peccatis paſſus eſt, Juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret*, 1 Pet. 3. 18, (pro Peccatis ſcilicet Noſtris, ut ea moriendo aboleret, Pro ipſis autem Peccatoribus, ut morte ſuâ pro Nobis ſatisfaceret, & reconciliatos jam ad Deum adduceret;) fruſtrà ei nunc futurum videbat ad διὰ pro ὑπὲρ confugere, Hoc præſertim in Textu, ubi non & ὑπὲρ ἁμαρτιῶν dictum eſt, Sed περὶ ἁμαρτιῶν· facili igitur jam manu, priorem partem, & Maximè ei exoſam, decollat, atque ut Serenior ei aura ex eo Teſtimonio flet, unde perire ipſum neceſſe eſt, ſi Chriſtus reverâ pro peccatis paſſus ſit, Sic locum legit, *Chriſtus ſemel paſſus eſt, Juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret, Mortificatus quidem Carne, Vivificatus autem Spiritu*, C. R. p. 276. Dictis autem hiis, jam & illius polliciti fidem exolvi, & hujus Quæſiti Sectionem.

SECT. LI.

1. *Participia non debent ſemper ab Interpretibus in Verba ſua converti. In Lingua noſtra habent ſigna Temporum.*
2. *Malè redditur ἐδόθη in Tempore Præſenti. Chriſtus Rex erat in primo Conceptu, & non à Reſurrectione ſolùm.*
3. *Prima Unctio Chriſti erat ex Hypoſtatica Unione Naturarum. Poteſtas omnium Munerum tum eſt data, ſed à Se ſuſpenſa eſt propter οἰκονομίαν Suam.*

SCio Me jampridem, ad illa verba Pauli, ἀλλὰ ἑαυτὸν ἐκένωσεν μορφὴν δοῦλου λαβὼν ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος, Philip. 2. 7, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, v. 8, De pleriſque ibidem contentis non pauca diſſeruiſſe. Horret autem animus à Crambe; Sed Duo tamen ſunt, quæ fugiſſe me hactenus opinor. Unum eſt, De Participiis illis, λαβών· γενόμενος· εὑρεθείς. Neque enim Theologis Noſtris accedere poſſum, Qui per iſtos quaſi Gradus Chriſtum ſeſe exinaniviſſe, atque Divinitatem ſuam quodammodo exuiſſe, ità interpretantur, Acſi poſteriores Actus fuiſſe hos intelligerent, atq; exinanitioni ſuæ præcedaneæ ſuperadditos. Nam quid aliud ſonant hæc, **But made himſelf of no reputation; And took upon him; And was made; And was found?** Non neſcio quidem, De more Tralatorum noſtrorum eſſe, ut Participia per Conjunctionem præpoſitam in Verba convertant. Atque pro Noſtræ Dialecti idiomate interdum ſatis feliciter ab iis factum eſſe hoc, non eo inficias. Sed in loco tamen caviſſe oportet, atque ubi veri ſenſûs plurimùm interſit Participia retinere, neutiquam mutâſſe. Neque verò

Latinum

Latinum V. prorsus absolvo, etiam retinentem ea, sed sic, ut aliquâ mutare præstitisset. Legit enim Ille, *Sed Semetipsum exinanivit formam Servi accipiens.* At verò cùm Emphasis dicti plurimùm consistat in Tempore Participii, quod est λαβὼν, & non λαμβάνων, magis ad rem in ea Lingua fuisset, reddere, *Formâ Servi ab eo acceptâ*, vel, *In eo quòd formam Servi accepit.* In Nostra autem Lingua, Quæ hâc in parte ipsâ Latinâ ditior est, sunt in promtu Nobis Signa Participiis ad Temporum Distinctiones præfigenda, Quibus & nunc necessariò utendum erat, sic, **But He made himself empty; Having taken the form of a Servant; Being made in the likeness of men; And being found in fashion of man.** Ex ista autem Lectione facilè pareret, Tria illa, *Accepisse; Factum esse; Inventum esse*, esse quasi Conditiones totidem, Gradúsque, è quibus, & in quibus consistit Exinanitionis Suæ ratio, Sensúmque genuinum esse, Christum Jesum, ὁ Θεάνθρωπον, Verus utcunque Deus fuerit à primo Conceptionis suæ momento, ut & ὑστερήσεις istæ tamen in Natura Humana ejus non minùs verè existere possent, Majestatem suam si non deposuisse quidem, ità tamen sepositisse, atque suspendisse pro tempore, Ut illa Se nunquam in Dispensationis suæ præjudicium exereret, Neque actus aliquis elicitus Divinæ suæ Potestatis, nisi Ubi, Quando, & Quantum ipse volebat, inter homines extaret.

2. Signa autem ista Participiorum, atque Verborum interpretamentis SScripturæ negligere, quàm plenum periculosæ opus sit alex, indicio erit unicum illud Verbum, ἐδόθη: quod à Nostris (& nè sic quidem malè) in vicenis, & quod excurrit, Locis redditur, **Was given.** Præstitisset tamen in nonnullis eorum, Quia ad Longinqua retrò Tempora referuntur, vertisse, **have been given**; prout & illud, εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, Gal. 3. 21, optimè verterunt, **if there had been a Law given.** Sed quatuor jam Loca sunt, ubi communis suæ Interpretationis obliti reddiderunt, **Is given.** Fefelliss autem eos Se opinor ex Latini V. *Datum est*; Sed illud, si idem per omnia non sit cum *Datum fuit*, omninò tamen non est *Datur.* Quid quòd verissimum etiam sit, Olim cuiquam quod *Datum fuit*, **Was given**, quantisper non auferatur, dici quotidie posse, *Datur*, **Is given.** Sed vice versâ non tenebit tamen, Ut quod *Dari* dicitur, necessariò *Datum antè fuerit.* In Tribus igitur postremis Locorum istorum; Quæ sunt Luc. 12. 14. Eph. 3. 8. & 4. 7, Nulli detrimento est ista tralatio. Verùm in Primo eorum, Bone Deus! quantum incendium excitatum est ex ista oscitantia! Nam cùm Christus dixerit, ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία, Matth. 28. 18, Quod Latinus V. reddit, *Data est mihi omnis Potestas*, Nostri autem, **All power is given unto me**; Quia dictum istud à Christo jam est post Resurrectionem suam, reperti sunt etiam ex melioris notæ Theologis, Qui vel hinc Christum Munere suo Regio donatum fuisse non nisi post, & propter Mortem jam obitam, harıolati sunt, Eámque Sibi Exaltationem in tempore per Exinanitionem atque Humiliationem istam suam acquisivisse.

3. Atque utinam vel heic staret hic error; Sed ultrà longè grassatur Barjesuita meus, atque Naturâ ipsâ Divinâ in Christo, vel hinc abnegatâ, Potestatem istam Regiam non nisi ex gratia quam Resurgenti Deus indulsit, habuisse eum clamitat, C. R. p. 80. Cùm Christus tamen ἐδόθη hoc non intellexerit, nisi de Prima Unctione sua; Atque hoc est, **Given to me was all power.** Tum scilicet cùm è SSpiritu primùm conceptus est, omnia sua Munera, Propheticum, Sacerdotale, Regium, omnémque ad singula hæc Potestatem, ex ipsa Unione Hypostatica, actu pariter, & ex æquo acceperat; Texerat licèt ex parte eatenùs, atq; parcè, pro infinita Sua Sapientia usus fuerat, Singuláq; χαρίσματα ἴδιοις illis, 1 Tim. 2. 6, reservaverat, nè οἰκονομία sua interturbaretur: Sic ut Exaltatio illa post Mortem, nihil aliud, quàm Primævæ illius Unctionis Revelatio foret, Quæ ex Dispensatione quidem, Meriti, sed ex Natura, Solius Effecti rationem in eo haberet. Jam illud alterum, quod in exordio promisi, est De partitione horum Tmematiorum: Præstaret enim, ut, ἡ χάρμαν διαιρεῖσθαι εἰς ἄνδρωπον, Tmematio Prioti adjunctum foret, ad complendam Christi κένωσιν, Qui Prior Gradus est: atque ità Tmematium Octavum occuparet sola ταπείνωσις ejus, Qui est Gradus Secundus.

SECT. LII.

1. *Tmematiorum rectior Institutio: Sed Numerus servandus jam est. Casus pro Casu.*
2. Ὁ Ἐρχόμενος, *atque* ὁ Ἦν, & ὁ Ὤν, *ab ipso Christo ut de Se dicantur.*

PIo quidem viro, qui se nobis Tmematiorum in SScripturis Dædalum præstitit, nusquam inconsultiùs cessisse eam Tmeseos Operam existimo, quàm in tribus illis Sectiunculis, Apoc. 1. 4, 5, 6. Quantò enim feliciùs, tum ad Sensûs ipsius, tum ad Syntaxeos rationem fuisset, si sic exiissent?

Ver. 4. Ἰωάννης ταῖς ἑπτὰ Ἐκκλησίαις ταῖς ἐν τῇ Ἀσίᾳ, χάρις ὑμῖν, καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ Ὤν, καὶ ὁ Ἦν, καὶ ὁ Ἐρχόμενος· καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ Πνευμάτων, ἃ ἐνώπιον τοῦ θρόνου αὐτοῦ· καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ·

V. 5. Ὁ Μάρτυς, ὁ πιστὸς, ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ὁ Ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς·

V. 6. Τῷ ἀγαπήσαντι ἡμᾶς, καὶ λύσαντι ἡμᾶς ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ·

V. 7. Καὶ ἐποίησεν ἡμᾶς Βασιλείαν καὶ Ἱερεῖς τῷ Θεῷ, καὶ Πατρὶ αὐτοῦ.

V. 8. Αὐτῷ ἡ Δόξα, καὶ τὸ Κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

In ista enim Divisione, quàm bellè jam omnia constant sibi, neq; auriculam cuiquam radunt illæ Enallagæ, quas ex idiomate Hebraico, eleganter insperfit Apostolus! Primò illam Casuum, factâ subinde variatione, à Secundo, Χριστοῦ, ver. 4. ad Rectum, ὁ Μάρτυς, supple verò, ὅς ἐστιν ὁ Μάρτυς, ver. 5. atq; indè ad Tertium, τῷ ἀγαπήσαντι, ver. 6. Dein, & illam Nominum ipsorum, ab Adjectivis, ver. 5. ad Participia, ver. 6. atque indè denique ad Verbum Indicativum, ver. 7. Quid autem congruentius, quàm ut in ipsa fronte, unico tmematio pariter comprehendantur omnes ii, quorum nomine scribitur? Veruntamen si quisquam nunc contenderit, post tam diuturnum Ecclesiæ usum, seram nimis esse, minúsque ex re communi, Tmematiorum Multiplicationem, habeat per me, atque in unicum coalescere jubeantur, ab ἀγαπήσαντι ad Ἀμήν. Et stabit idem ille, qui hactenùs à principio fuit, Numerus.

2. In illis verò, ex quibus Salutem dicit, v. 4. Cùm, *Qui Est, & Qui erat, & Qui Venturus*, ex prima Parte, atque *Jesu Christus*, non nisi ex Tertia stare videatur, separatim igitur, distinctéq; inter se nominentur, difficile nihil hoc in se habet. Illum Æternum enim ut Deum in Se, quâ Deus est, contemplatus primò, præfatúsque de eo, Quídni ad Jesum Christum, etiam post Spirituum mentionem, accedat, in Ordine ad Naturam eam, quâ Verus Homo est: atque ex eo jam salutet illos? Egregiè interea prævaricatur Barjesuita, Qui ex geminatione istius Salutis, quia ex Deo primùm dicitur, dein & ex Christo, ausus est inter crassos errores reponere, Cat. Rac. p. 68, quòd Nos Divinam in Christo Naturam profiteamur, aitq; Nos indè hoc confirmatum ire, Quia Christum solum esse ὁ Ἐρχόμενον, neminémque præter ipsum esse Venturum, arbitrámur. Et venturum quidem ipsum esse, ipsum solum, (Nisi Fidei Christianæ Symbolo quoq; jam ante finem putidi Libelli, renuntiárunt, De quo, in initio ejusdem, stolidè gloriati sunt, C. R. p. 47,) vel ipsi profitentur. Nos verò, non ex illius solùm vocabuli ratione, sed ex alia Diviniore Authoritate, ex ipsius Christi professione scilicet, Titulum eum Christo arrogamus, Summâ autè notâ dignum esse ducimus artificium, quo Catechista hâc in parte usus est. Nam cùm premi Caussam suam sentiret ex eo (inter plurima alia)

argumento, quòd Christus sic audiret, *Qui Fuit, Qui Est, & Qui Venturus*, Cat. Rac. p. 60, per Licentiam Catechisticam eligendi quid in rem suam maximè trahere possit, format ipse sibi hanc contra se objectionem, ex Apoc. 4.8. Facit hoc tamen ut Canis in Nilo, Bibit, & abit. Sed Quó? Certè si antrorsùm perrexerat, incidendum sibi esse videbat, in Apoc. 11. 17. & 16. 5, ubi eadem hæc occurrunt, aliquantò exertiùs de ipso Christo dicta. Tergiversatur igitur, atque retrorsùm se recipit ad citata jam verba, Apoc. 1. 4, ubi sciebat, mentionem hanc fieri, primùm de Deo, Ut Deus erat in Natura ipsa Divina, atq; dein de Christo, ut in Natura sua Humana, separatim igitur, & quasi à Diversis Salutatoribus. Triumphum igitur jam canit Sibi, Oréque impudentissimo exclamat, Cat. Rac. p. 69. *Crassissimum* Orthodoxorum *errorem* à Se jam *detectum* ex eo loco esse; Ad quem tamen redire non poterat, nisi clausis sibi oculis alterum ibi in vicino Locum in Receptu transilierat, in quo non Apostolum solùm, sed & Christum ipsum habemus, Utramque eam Naturam, Divinam, Humanámque, in Sua ipsius Persona, per disertam de Se prædicationem, Ἐγώ εἰμι, expressè conjungentem, *Ego sum* A & Ω, *principium & Finis*, dicit Dominus, *Qui est, & Qui Fuit, & Qui Venturus, Omnipotens*, v. 8. Verùm mira hæc jam nulla nobis sunt in eo, Quem Barjesû sanguine satum esse jam satìs novimus.

Sect. LIII.

1. Τὰ πρὸς Θεὸν, & τὰ πρὸς τὸ Θεὸν, *ut differant.* Πρὸς *pro* Apud. *Sacerdotalis Muneris Pars Prima ab Hominibus ad Deum, Offerendi. Secunda, à Deo ad Homines, Benedicendi.*
2. *Messiam cur oportuit Verum Hominem esse.* Caro, & Sanguis *quàm diversa significent in N.T. Sacerdotum Quæ conditio.*
3. *Barjesuitæ ut cavillentur Christum in Terris Sacerdotem non fuisse.*
4. *Christum in primo conceptu Pontificem fuisse; Factum verò ex experientia sua Misericordem atq; Fidelem.*
5. *Sacrificium est, vel Res Sacrificata, vel Actus Sacrificandi: Sic Christus, & Mors ejus.*
6. *Fraus mentientium se non sejungere Mortem Christi ab Oblatione ejus.*
7. *Mortem Christi ut reverâ despretui habeant.*
8. *Oblationem à Morte ejus ut sejungant, qui profitentur, Mortem se non sejungere ab Oblatione.*
9. *Sanguis in Sancta Sanctorum introlatus. Aspersio Sanguinis.*
10. *Sacrificia omnia sub Lege erant Umbræ Sacrificii Christi. Pontifex semel in Sancta ingressus cum sanguine, cur. Cœli apertio in Morte Christi; Veli scissio.*
11. *Quousq; Parabola sunt Argumentativæ. Tum Materialem, tum Spiritualem fuisse Oblationem Christi.*
12. Παραδιδόναι *circa Personas semper in malum est. Christi Traditiones.*
13. *Præpositio* Εἰς *subauditur. Sacrificiorum Spiritualium Deo, Christi est primarium.*
14. *Christum à Principio, & in Morte, Sacerdotem fuisse. Barjesuita Textuum Corruptores maximi.*

APud Paulum, semel reperio, τὰ πρὸς Θεὸν, Rom. 15. 17. & bis, τὰ πρὸς τὸ Θεὸν, Heb. 2. 17. & 5. 1. Ecqua verò in hiis differentia? Certè non exigua. Habent quidem Syntaxin eandem; Reguntur enim ubique per subauditam Præpositionem χρ, sed sensu suo satìs diversa sunt. Nam per χρ τὰ πρὸς Θεὸν, ille nihil aliud dicere vult, quàm, *Quoad Res Divinas, Sacráque*, quocunque in genere esse contigerit. Sed per χρ τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, dicit ea, Quæ Apud Deum, aut in conspectu ejus esse, & Quæ quasi accedendo ad Deum, & coram eo agi intenduntur. Et Πρὸς quidem, ubi ad Res merè Humanas applicatur, sæpe significat *Apud*, ut πρὸς ὑμᾶς, Matth. 15. 36. & πρὸς ὑμᾶς, Mar. 9. 19. & πρὸς σε, Matth. 26. 18, & alibi: De Deo autem nusquam reperiri opinor, (uno eo loco excepto) nisi cum Articulo ei addito, πρὸς τὸν Θεόν. Déque Divina semper Præsentia, aut de speciali aditu ad Deum, intelligitur, Quâ etiam de ratione, & πρὸς τὸν πατέρα legitur, Eph. 3. 14. & 1 Joan. 1. 2. Quòd verò, præter morem communem loquendi Apostolus dixit, ἡ Πίστις ὑμῶν ἡ πρὸς τὸν Θεὸν, 1 Thess. 1. 8. (Fides enim in SScripturis, respectu Objecti, exprimi solet per Εἰς, vel Ἐπὶ, vel Ἐν,) eo consilio ibi factum est, non ut conditionem credentium, in qua erant tum, cùm scriberet, sed ut ipsam accessionem eorum ad Fidem, Quando credendo sese Deo primùm exhibebant, significaret. Porrò verò, cùm τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, ad mentionem Pontificis adjungatur, jam aliud istud est quod in ea locutione intenditur. Distinctionem enim quandam importat, Apostolum de eo sic loqui; cúmque Duæ sint partes Sacerdotalis muneris, una, ut Legatus eat pro Hominibus ad Deum, Quò pacatum eum, propitiúmque nobis reddat; Altera, ut à Deo ad Homines veniat, Quò Cœlestibus nos monitis beet, atque Divinâ Benedictione; De Priore ea parte solùm accipiendum eum nunc esse intelligimus ex ista clausula, neque jam de Pontifice, ultra ea, quæ sunt Pontificis, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, id est, non nisi in altera ea officii sui executione, (Quâ de, uno in loco adserit, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ, Heb. 2. 17, per Hebraismum ζυντόμως locutus pro, εἰς τὸ ἱλάσκεσθαι ἀπὸ Θεὸν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν τοῦ λαοῦ, & in altero, ἵνα προσφέρῃ δῶρά τε, καὶ θυσίας ὑπὲρ ἁμαρτιῶν, Heb. 5. 1.) Verba hæc ab eo instituì.

2. Messiæ verò Suo cùm Pontificatûs istius Honorem Deus contulerat, eúmque in terras miserat ad Munus illud obeundum, τὸν Ἀπόστολον, καὶ Ἀρχιερέα τῆς Ὁμολογίας ἡμῶν, Heb. 3. 1, argumentatur jam Paulus ex Propitiatoria ista Parte Officii sui, opus fuisse, ut verus ille Homo esset; ὅθεν ὤφειλε κατὰ πάντα τοῖς ἀδελφοῖς ὁμοιωθῆναι, ait, Heb. 2. 17. Sed Quid est id? Et, Quid irá? Primò, *adsimilari eis per omnia*, non extendendum est ad Quæcunque adjuncta: Nihil enim aliud Apostolus vult, quàm quod antè dixerat, ἐπεὶ τὰ παιδία κεκοινώνηκε σαρκὸς καὶ αἵματος, καὶ αὐτὸς παραπλησίως μετέσχεν τῶν αὐτῶν, ver. 14. Scilicet, ex Natura Sua Hominem eum esse oportere, ex Humana Carne, Sanguinéque constantem, hoc est, In conditione passibili, Miseriis, Mortíque obnoxia, constitutum esse. Idémque jam istud est cum eo, quod pòst dicit de Christo, πεπειρασμένον κατὰ πάντα κατ' ὁμοιότητα eum fuisse, Heb. 4. 15, excepto tamen Peccato: Naturæ enim depravatæ solùm ea Conditio est, neque in τὰ πάντα illa, quæ ad veram, integrámque Naturam requiri possunt, ingreditur. Est autem iste, (ut obiter nunc & hoc adnotem;) N. T. idiotismus, Quando *Caro & Sanguis* conjunctim dicuntur, nil aliud per ea designare, quàm ipsam Conditionis Humanæ Mortalitatem: Sed quando *Caro* sola per Se, sine Sanguinis mentione adjuncta ponitur, sæpe peccaminosam Conditionem dicere, ipsámque Concupiscentiam carnalem, aut Membra Corporis, Peccati Dominio inservientia denotare. Verùm, Quæ ea, quam dicit, necessitas erat; Et cur oportebat novum hunc Pontificem Carnis, Sanguiníque, id est, Mortalis, atque ærumnosæ Conditionis, participem esse? Respondet, ἵνα ἐλεήμων γένηται, καὶ πιστὸς Ἀρχιερεύς. Nam, ut offerat quisquam Deo pro aliis, atque indè propitiationem Ejus ambiat iis, fieri hoc potest pro Forma solùm, & prorsus perire: Potest etiam de sola Gratia, & per συγκατάβασιν fieri, & parùm prodesse: Verùm cum affectu

fectu si fiat, zelóque, & intentione pii animi, hoc magìs & Deo gratum est, cedítque feliciùs in utilitatem populi. Quod Illa igitur non malè, *Haut ignara mali, miseris succurre*, Sacerdotum imprimis Conditionem esse oportet: Intercessionis enim suæ opus fideliter implere nequeunt, nisi ipsi verâ misericordiâ populi tangantur: Cognitione igitur opus iis est, ut satìs sciant, quàm misero in loco res populi sit, Adfectúque, ut per veram Συμπάθειαν intùs & ipsi unâ angantur. Ad horum verò utrumque, Experientia certissima Dux est, optiméque omnium novit, Expertus in se, Quid & aliis desit, Quid & prodesse iis possit; propensior denique ad opem semper ille est, quisquis ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθεν, Heb. 5. 8. Atque hæc Divini illius Dicti jam summa est.

3. Sed parùm hæc omnia Barjesuitæ ad palatum faciunt. Messiam universo Orbi in Pontificem, atque Mediatorem sic datum esse, ut ex eo, quod in Natura nostra ipse expertus est, fieri eum Misericordem, atque Fidelem! Μετριοπαθῆν δυνάμενον ἄλλοις, ἐπεὶ καὶ αὐτὸς πεῖραν ἔλαβεν ἀδενείας, Heb. 5. 2, Proh Dolor! Destruentur Racoviana commenta ex hoc Suppositio, & nisi torquere, perverteréque (pro more suo) possit, actum penitùs erit de Dramate Catechistico. Verùm Arte suâ (quantum ad ora Suorum, quibus facillimè imponitur, oblinenda satìs sit,) nunquam destituitur Bonus Tortor. Exiguo igitur negotio hiis angustiis Se liberat. Paulúmne dicere, Pontificem nostrum, per Suam ipsius in Natura nostra Experientiam, insigni misericordiâ adfectum fuisse, summámque exinde Fidelitatem adjunxisse ad muneris Sui executionem? Papæ! Quantum erramus, Paulíque mentem ignoramus? Ex accidente enim mero ille tum Misericordiæ, tum Fidelitatis mentionem eam facit, sed Principalis ei Scopus est, de Pontificatûs ipsius Origine dicere. Satìs enim nôrat Paulus (Socininæ Sententiæ Author Divinus,) quòd Christus, per omnem vitam suam, vel in ipsa Cruce quidem, Sacerdos non erat: Non enim, *quamdiu in terris erat*, Heb. 8. 4. C. R. pag. 291. (Cujus Cavilli impudentiam Nos jampridem deteximus.) Jam igitur disertè adserit, *ipsum fratribus per omnia similem esse debuisse, ut Misericors fieret, & Fidelis Pontifex.* Certè debuit: & quid indé? Annon igitur perspicuum est, *Quamdiu in Afflictionibus & morte non erat, (hoc enim est, similem iis per omnia esse,) tamdiu reipsâ eum Pontificem nostrum misericordem non fuisse?* Cat. Rac. pag. 291. Profectò perspicuum an istud sit, nécne, jam mox videbimus. Sed hoc perspicuum est, ut nihil magìs, Barjesuitam sui similem per omnia esse, reipsâ semper Sophistam, & Cavillatorem graphicum, Qui nunc ex rectè satìs conjunctorum fraudulentâ suâ Divisione, non tam Nobis speravit, quàm Paulo ipsi, cujus verba δολοῖ, imponere se posse.

4. Jam antè enim monstratum est, κατὰ πάντα ὁμοιωθῆναι, dictum de Christo esse, non propter aliquem eventum in Persona ejus, sed propter Conditionem ipsius Naturæ: Carnis enim & Sanguinis participem eum esse, Mortalem igitur ab initio fuisse. Pontificem autem eum factum esse ab ipsa Naturæ nostræ adsumptione, tum cùm *unctus est Oleo latitiæ supra Sodales*, per quod Officiorum suorum omnium (*Oleo* significari solitorum,) gratiâ imbutus est, abunde docuimus. Verè autem, propriéque mortalem factum esse, satis ei fuisse ad veram Συμπάθειαν ingenerandam, vel ex ipso vocabulo δύναται, hâc in re toties repetito, paret, δύναται βοηθῆσαι, Heb. 2. 18, & δυνάμενον συμπαθῆσαι, Heb. 4. 15, ut & μετριοπαθῆν δυνάμενον, Heb. 5. 2. Ex ista igitur conditione Misericors quoque, atque in Munere Suo defungendo Fidelis redditus est. Potuisse autem Pontificem, etiam in Natura Humana, ad nos venire, nihil condolescentem tamen nobis, neque commiseratione aliquâ Nostrî tactum directè concluditur ex eo, quòd hoc ipsum Apostolus per Antithesin in terminis removeat à Christo, *non habemus enim Pontificem*, ait, *qui non potest compati infirmitatibus nostris.* Ad rei igitur hujus clariorem intellectum, duos heic quasi gradus institui oportet: Primus est, Christum, cùm ipse in Natura Divina erat, submisisse Se, atque Naturam nostram eo intuitu adsumsisse, ut in ea fieret nobis Pontifex πρὸς τὸν Θεόν. Alter est, Adsumsisse cum Natura nostra etiam & Naturæ nostræ conditionem omnem, præter peccatricem. Et quorsum jam? Non, ut ex ea Pontifex, post Vitam in terris fieret: Pontifex enim jam erat in ipsa Naturæ participatione: sed ut ex istius Conditionis experientia in Semetipso, Pontifex talis fieret, qualis nobis maximè idoneus, præcipuóque usui & beneficio foret. Atque istud est, quod in concione ad Agrippam, quicquid ad Messiæ moram in terris, à conceptu ejus ad mortem ipsam, pertineret, sub unius vocabuli contemplatione ab eo comprehenditur, ὁ παθητὸς ὁ Χριστὸς, Act. 26. 23, quasi qui *Patibilem* cùm diceret, dixerit omnia.

5. Ridiculum igitur est illud, (Nam ad Partem solùm Suam ludos faciendam,) quod ibi pro Epiphonemate adsuit, *Atque ad eum modum, Afflictiones & ipsa Mors non erant Sacrificium ipsum, verùm via quædam & præparatio ad illud peragendum*, Cat. Rac. pag. 291. Quem enim *Modum* nobis nuntiat? Aut Quid est hoc, *Ad eum modum esse?* Sed cum stultis suis stultescendum ei est, Qui nil aliud habet præter verborum captiones, quo se sustineat. Quòd negat verò, *ipsam Mortem fuisse Sacrificium ipsum*, Quis id adserit? Aut cui præter ipsissimum Catechistam in mentem hæc, in linguam, Fallacia veniret? Desperatæ igitur impostoræ est, atque ab ipso solo expectandæ, sub eo vocabulo, *Sacrificium*, Actum Sacrificandi, & Rem ipsam Sacrificatam tam puerìliter confundere. Ipse enim Christus morti traditus, non Mors Christi, Sacrificium illud erat; Καὶ γὰρ τὸ Πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστὸς, 1 Cor. 5. 7. & hâc ipsâ in Epistola, Νῦν δὲ ἅπαξ (supple ἔπαθεν) εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ, Heb. 9. 26. Mortem igitur Christi, qui Sacrificium fuisse dixerit, nimiùm ineptit: Sed tamen qui Sacrificium, hoc est, immolationem Christi in Morte ipsius fuisse negat, Barjesuita est, per malè sanas istas Troporum tortiones viam Suis muniens ad putidissimam Hæresin. Nam, ut paululùm sequamur Sophistam, *Mors Christi non erat Sacrificium*, ait. Habeat hoc; Non erat. Sed erat *Via* ad illud Sacrificium, ait. Bene habet: At in Termino Viæ pervenitur, quò volumus. Monstret ergò nunc nobis, in termino mortis Christi Sacrificium istud. Etámne enim Sacrificium Christi in Resurrectione Christi? At Resurrectio Christi erat Terminus Mortis ejus. Et plurimùm ille quidem aliàs, per fraudem, Resurrectioni Christi tribuere novit, neque tamen audet eò impudentiæ nunc procedere, ut Resurrectionem adserat fuisse Sacrificium Christi. Quid facit igitur? Quod semper solet: Dolosè ambulat, dictóque, *Est Via*, eodem Spiritu minuit quod dicit, &, *Est Via quædam*, ait. Jam *Quædam* est terminus satìs diminuens: Igitur id, quod dicit, est, *Via* est, sed reverà non est *Via*. Atque ad eum jam modum, (modò liceat nunc, suo modo, desipere cum Deceptore,) esto & ipse per me, Catechista *Quidam*, Theologus *Quidam*, vir bonus *Quidam*. Veruntamen de *Via* quicquid sit, quod annectit ambage omni caret, *Mors Christi erat præparatio ad Sacrificium Christi peragendum.* Sequamur igitur sultis eum & illuc.

6. Præsenserat autem ille, & istud ferramentum nè Struthiocamelos quidem Suos facilè absorpturos esse. Mollire igitur rem sategit, quantum potuit, Atque hâc technâ ad id est usus. Locis SScripturæ excussis, unum tandem exquisivit sibi, cujus verba (quanquam miserè satìs, fœdéque;) torqueri tamen, pro more suo, à Se posse, pervertíque speravit, eúmque sibi à Suis objiciendum esse curavit. Quæritur igitur, *Cur verò Apostolus ait, Christum tradidisse Seipsum Victimam, & Oblationem Deo, in odorem Suavitatis?* Eph. 5. 2. C. R. pag. 292. Captiosæ autem huic Quæstiunculæ quàm in proclivi vel Puero cuivis Solutio erat? Apostolus, quod Christus fecit, Christum feciisse ait, quia Christus ità fecit. Hæccine

non directa eſt, ádque ejus Quæſitum plena Reſponſio? Verùm ille, ad telum hoc tam truculentè à ſe intortum ſibi, propellendum, pugilicè inſurgens, Magno ore proclamat, *Primùm Tenendum eſt, Nos Mortem Chriſti ab illius Oblatione non ſejungere*, C. R. pag. 292. Quid audio veró? *Tenendum* eſſe hoc? Et hoc *primùm*? Sed cur non ait, A quibus tenendum ſit? A Nobis? An à Suis? Sed cuicunque hoc aiat, Aio jam Ego, Quid Secundò tenendum ſit; Nimirum ſi fieri poteſt, Riſus. *Mortem* enim *Chriſti* eos *non ſejungere ab Oblatione Chriſti?* Bonâ fide, nequeo non ſuaviter ridere; Et verum tamen hoc dicunt, vel me Teſte. Hoc enim quod illi tenent, nihil aliud eſt, quàm Oblationẽ Chriſti ſejungere à Morte Chriſti. Satin' igitur ſubtiliter jam hoc ab eo, quòd non ſejungant Mortem ab Oblatione? Quod aiunt autem, iſtud eſt, Chriſtũ, finitâ in triduo Morte ejus, Reſurrexiſſe, & Cœlos tandẽ adſcendiſſe, ibíq; tum conſummatã eſſe ejus Oblationem. Illíne igitur ut dicantur, Mortẽ & Oblationem Chriſti ſejungere? Ut ſex Hebdomadum intercapedo, cum intercedentibus quibuſcunque, habeatur in re tali pro indebita ſejunctione? Vos igitur, Racoviani Auditorculi, mementote, *Hoc Primùm tenendum eſſe.* Quòd ſi hujus probè Tenaces fueritis, hem, Alterum Tenendum, quo beabimini ab eo! *Imò verò* tenendum eſt, Nos *conſtanter adſerere, Chriſtum non aliter Seipſum, quàm Morte ipſius interveniente, obtuliſſe*, C. R. pag. 292. Hoc eſt Secundum: Et Secundis eorum Cogitationibus ecquid Orbis habet ſapientius? Adſertionibus, ecquid irrefragabilius? Neque igitur quiſquam autumet, Nobis Rem eſſe cum miſellis Opinatoribus, aut deliris Theoſophaſtris, grandia crepantibus, & probantibus nihil, ſed cum magnis Moſcoroviis, Viris ſtupendùm Pugilibus, & Paradoxologiarum à ſe excoctarum conſtantibus Adſertoribus.

7. Veruntamen Nos, quum, *Morte ipſius interveniente*, dixerit, nil veremur intercedere, poſcerẽque, ut Terminos hujus rei deſignent. Quid enim eſſe volunt id, inter quod, & Oblationem Chriſti, Mors ipſius intervenit? Intérne Vitam antè ab eo actam, atque hanc Oblationem? Profectò id ſi velint, laudandi vehementer ſunt ab iſtius partis veritate. Vitâ enim fugatâ, Mortem intercedere, quî poterit dubitari? Verùm hoc ſi ſit, necdum Nos acquieſcimus. Inter Adſcenſum enim ejus in Crucem, Adſcenſúmque in Cœlos, & alia multa non minùs intervenerunt; Sepultura Chriſti; Reſurrectio Chriſti; Apparitiones Chriſti; Actiones Chriſti aliæ plurimæ. Neque in ipſo Chriſto ſolùm terminanda eſt iſta conſyderatio. Intervenerunt enim, & militum conſternatio, Matth. 28. 4. & Pontificum largitiones, ver. 12. & iter Emmauntinum, Luc. 24. 13, & M. Magdalenæ colloquia, Joan. 20. 2, 13. & Apoſtolorum Ordinatio, ver. 22. & Thomæ Diffidentia, ver. 25. & Piſcium mirabilis captura, Joan. 21. 11. & Petri trina monitio, ver. 17. & Erronea opinio de Joanne ver. 23. & Synaliſmus Diſcipulorum, Act. 1. 4. & Angelorum profamen, ver. 11. & Alia. Egregiam igitur jam laudem & merita ampla tribuunt hii Homines morti Chriſti, quam eodem planè in ordine eſſe ſinunt, quantum ad Oblationem ejus, in quo erant, & Ethnicorum ea Conſternatio, & Judæorum Corruptio, & Thomæ Obſtinacia, & Affatura Piſcium; Nam (ſi ad horum Theologiam loquendum ſit;) Chriſtus non aliter Seipſum, quàm Rebus iſtis omnibus intervenientibus, obtulit. Quid quòd & ante hanc, quam commenti ſunt, Chriſti Oblationẽ, non Chriſti ſolùm Mors, atq; poſt mortẽ Reſurrectio & Adſcenſio ejus, (& propiùs quidem, iſta,) intervenerunt, ſed & ante mortem, Crucifixio ejus, Flagellatio, Condemnatio, Proditio; Prædicatio etiam, Miracula, Converſatio tota; Tentatio in Eremo, atque Baptiſmus; Imò & Infanticidium, & Fuga ejus in Ægyptum, & Magorum oblationes, & Circumciſio ipſa, inter Vitam ejus, & quam ipſi ſibi nunc ſomniant, Oblationem Chriſti, intervenerunt hæc Omnia. Tam mirabilia igitur ſunt, ſi ſolidè teneantur, Magiſtrorum horum *Tenenda!*

8. Neque latuerunt quidem ipſum ſuæ affaniæ. Veritus igitur, nè & ſimiolis ſuis ludibrium hoc deberet, deſerit ſine mora, atque huc ſe recipit, *Tantùm hoc aſſeveramus, Oblationem Chriſti, non fuiſſe antea reipſâ conſummatam nec abſolutam, antequam à mortuis excitatus Cœlos adſcenderat*, Cat. Rac. pag. 292. Fieríne verò poteſt? Nec *antea*, nec *antequam*? Euge igitur! Sed jam tandem habemus, quod ei inter fauces tam diu hæſit. Valeant igitur, quantum valere poſſunt, quæ priùs ineptiit; jam enim ſobriè ſapere decrevit, dedítque, quòd *tantùm aſſeverant*. Accipimus verò nos, atque amicè (ipſius enim verbis) reponimus ei, non adſeverare nos ſolùm, ſed & conſtanter quoq; adſerturos eſſe, hoc quod illi aſſeverant, eſſe, non Fallaciis tantùm, ſed & Falſitatibus quoq; ſatìs refertum. Cui enim non ſubolet, ex illis verbis, *Reipſâ*, &, *Nec abſolutam*, ſubterfugia eum ſibi meditari, ubi occaſio urſerit? Expectabimus autem, donec audiamus, quid ex illis antris muſſitandum aliquando habuerit. Falſitatis interea arguimus eum, & non unius quidem. Oculo enim primùm ad ab eo jam modò dicta reflexo, Hóccine jam non eſt, illud *Primùm tenendum* ſuum non Tenendum facere? Qui Oblationem (ut vocant) Chriſti loco movent, deturbántque in poſt Adſcenſum ejus, Mortem ejus ab Oblatione non ſejungunt? Non eſt Annorum quidem, non Menſium plurium diſtractio, ſed ſex ſeptimanarum tamen intervallum eſt. Mortem verò inter, atque Adſcenſionem, cùm (ut modò monuimus) intervenerint Reſurrectio, Morti ex diametro contraria, & Vitæ ejus, (æternæ jam, à morte igitur ſejunctiſſimæ,) tot Hebdomades, etiam adhuc junguntur tamen Mors ejus atque Oblatio? Interſtitium tale tantúmque (pluſquam Quadrageſimale enim;) nulla Czarcoviæ ſejunctio eſt? Porrò autem (quod antè præſagiebat mihi animus,) Mors Chriſti, jam in iſta aſſeveratione eorum, ſejungatur, nécne, non dicimus, ſed planè excluditur ab ea Oblatione. Nam nè mentio quidem aliqua, jam cùm aſſeverant, Mortis ipſius fit: ſi cui libet inferre ex ea phraſi, *Exeitationis à mortuis*, licet; Verùm illa ab ipſis jam additur, non ut Mortem ejus honorent, ſed ut Reſurrectionis quoque honorem minuant: Reſurrectio enim Chriſti illa Excitatio eſt, Cui omnia illi, per quæ Chriſtus prodeſſe nobis poteſt, accepta ferre ſolebant; Quicquid nunc (ut populo placeant,) mentiantur ſe tenere, (ſed continere ſe tamen non poſſunt ab hac ſejunctione,) de Morte ejus non ſejungenda.

9. Sed relictis iſtis ex obliquo falſimoniis eorum, ad quod diſertè adſeverant, jam nos conferimus; *Oblationem Chriſti non fuiſſe conſummatam, atque abſolutam, antequam aſcenderet.* Quídni veró? Aut quo Teſtimonio SScripturæ hoc firmant? Nullo. Nunquid enim ſatìs non eſt, Barjeſuitas hoc aſſeverare? Exemplum tamen exquiſiverunt, è cujus ſimilitudine Argumentum magnificum ducunt. *Nam & in illo Sacrificio Legali, quod potiſſimùm ſacrificium Chriſti adumbravit, ad conſummandum Sacrificium omnino mactatæ pecudis Sanguinem in Sancta Sanctorum inferri oportuit*, Heb. 9. 7. C. R. p. 292. Falſitates autem jam in hoc argumento ſunt nihilo pauciores; Primò enim, Quid eſt hoc, *Nam &*? Valétne, *Quia*? Sic igitur argumentatur, Quia ex Anniverſario ſub Lege Sacrificio potiſſimùm adumbrabatur Chriſti Sacrificium, Illud autem conſummatum non erat, antequam ſanguis Pecudis introferebatur in Sancta, Ergò Oblatio Chriſti conſummata non erat, antequam ipſe adſcenderet. Negamus autem nos Argumenti hujus tum Antecedens tum Conſequentiam: utráque ex parte ejus falſiſſimi Aſdeveratores ſunt. Antecedens enim quod attinet, Sanguis ille in Sancta introferebatur, non ad conſummationem Sacrificii, ſed per Novum illum Actum Sacrum Mactationi ſuperadditum, per aſperginem ſcilicet introducti ſanguinis tendebat ad conſummandum varias deinceps expiationes & reconciliationes. Levit. 16. 15. & 20. & 23. eodem planè modo, quo & antè, Moſes, ubi è monte deſcenderat, & ſacrificia offerri juſſerat, Exod. 24. 5, partem ſanguinum illorum in crateras ſumtam tulit pòſt, aſperſítque eâdem Volumen Legis, & omnem Populum, Heb. 9. 19. Non ad aliquam Conſummationem

nem Sacrificii priùs peracti, ſed ad Actum alterum Divinum celebrandum, ad fœdus Dei cum populo feriendum, ver. 20. ut & fuſiùs paret, Exod. 24. 8.

10. Addi etiam huc oportet, quòd Anniverſarium illud Sacrificium non potiſſimùm adumbravit Sacrificium Chriſti. Sacrificia enim ſub Lege Omnia, in ſuo cujuſque genere, ad illud adumbrandum pari jure inſtituta ſunt. Audivimus jamdudum ex Apoſtolo, ubi Sacrificium Paſchatis ſolummodò, (quod & Anniverſarium quoque erat,) ad Chriſtum, & quaſi κατ' ἐξοχὴν applicet: Ex æquo autem & Quotidiana Sacrificia cum unico illo Chriſti comparat, Heb. 10. 11. Introitum igitur Sacerdotis in Sancta in Die Anniverſario non fuiſſe, ut ipſi jam comminiſcuntur, ad Chriſti Sacrificium adumbrandum, ſed ſolummodò ad connotandum, ſtante V. T. nondum propalatam eſſe Sanctiſſimam Cœlorum Viam, diſcere eos, ſi boni fuiſſent, oportuerat, cùm ad hoc allegandum ſe reciperent, è μεταφορᾷ proximè ſequente, *Iſtud ſignificante SSpiritu, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, ſtante adhuc priore Tabernaculo*, Heb. 9.8. E regione verò, ex ipſa Morte Chriſti, antequam ipſe in Cœlos adſcenderet, Viam eam adapertam fuiſſe, ſignificabatur apertiſſimè, ex Veli illius in Templo, quod Sancto Sanctorum oppanſum ſemper fuerat, Sciſſione, eô tum die, & non in die Adſcenſionis, à Summo uſque ad Imum, Matth. 27. 51. Eſtque vel hoc, Achillæum certè Argumentum contra impoſturas iſtas Barjeſuiticas, Iter Cœleſte è Sacrificio Chriſti in Cruce, & non ex Oblatione aliqua poſt Adſcenſum, patefactum nobis fuiſſe, Typúmque illum Pontificis ſemel in Anno in Sancta Sanctorum introeuntis, in Morte Chriſti adimpletum fuiſſe.

11. Conſequentia autem eorum longè infirmior eſt. Admiſſo enim (vel dicis Cauſſâ) Poſſe illud verum eſſe, *Sacrificium Anniverſarium conſummatum non fuiſſe, donec Sanguis in Sancta ferretur*; Ergóne ſequetur, *Nec Oblationem Chriſti conſummatam fuiſſe, donec in Cœlos ipſe adſcenderet?* Hei! Quàm immanis horum Diſparitas? Sanguis enim ille, eodem ſtatim die, dum caleret, aſpergíque poterat, introlatus eſt, ſed Quadraginta Dies abierant, antequam Chriſtus in Cœlos rediit. Tum in Parabolis hiis neſciúntne vel Pueri, Argumenta ineptè, fruſtráque duci ab illarum Circumſtantiis? Aliter ſi eſſet, Monſtrent nobis, quid in illa Chriſti (ut vocant) Oblatione poſt Adſcenſum facta, reſpondeat Ritui Pontificis, redeuntis è Sancto Sanctorum ſtatim in Tabernaculum exterius ad Altare coram Domino, Levit. 16. 18, ibíque Sacrificium ſuum renovantis, ver. 24. Illud etiam, Carnes Sacrificiorum ejus Diei aſportatas eodem die fuiſſe extra Caſtra, & ibi crematas, ver. 27. Cujus Rei umbra nobis id eſſe poterit, ſi Oblationem aliquam Chriſti, jam in Cœlos ingreſſi, ſpectare jubeamur? Paulus autem ipſe reperit nobis, quomodo & hâc de re in Morte Chriſti inſtare poſſimus, *Quia extra Portam ipſe paſſus eſt*, Heb. 13. 12. Sanguinem verò ſuum ſi Chriſtus adſcendens in Cœlos ſecum, ut Pontifex in Sancta, ad oblationem detulit, dicant Quo Cratere, aut Quo Latore tum uſus ſit. An ad Picturas potiùs Pontificiorum confugient, quæ Dominum in Cruce fixum exhibere ſolent, cum Angelis ad manum utramq; ad Pedes, Latúſque in Phialas ſuas excipientibus defluum Sanguinem? Indè enim eos ſecum detuliſſe in Cœlum, ibíque in parato habuiſſe, (Nullus enim Metus in Cœlo erat, Quicquid Martha de Lazaro metuerat, Quia πυρτεῖ erat, Joan. 11. 39, nè πυωγαγκεῖ iſte corrumperetur;) donec qui eum offerret, Ipſe aſcenderet. Quòd ſi reponant, Se cùm Chriſti Oblationem memorant, non de Materiali Sanguinis ejus fuſi, ſed de Spirituali Sui ipſius Oblatione accipi debere, pedibus imus in Sententiam. Quorſum igitur ipſi tam inſulſè nunc obtrudunt de Pontifice Legali, *Omnino oportuiſſe eum mactata pecudis ſanguinem ſecum inferre*, atque indè tum concludi poſſe hariolantur, Chriſtum non abſolviſſe Oblationem ſuam, id eſt, juxta exemplum hoc ab ipſis productum, non obtuliſſe Sanguinem ſuum, donec adſcenderet? Spirituali autem Oblatione (ut fas eſt) admiſſâ, Chriſtum jam dicimus, eodem Momento quo Materialiter Corpus & Sanguinem ſuum in Cruce, Spiritualiter etiam Seipſum in Cœlis Deo Patri obtuliſſe; Paulo ipſo, dum de Sanguine ejus diſputat, ſic determinante, *Sanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum obtulit Seipſum immaculatum Deo*, Heb. 9. 14.

12. Sed Barjeſuitarum ſummè intereſt, ut hæc nunquam admittantur. Sequetur enim ex hiis & Meritum Chriſti, & Satisfactio, & Redemptio, & Divina denique Natura, atque Perſonarum Divinarum Diſtinctio, & quicquid illi exoſiſſimum habent. Jam tandem igitur ad textum, quem ex Eph. 5. 2. ſelegiſſe Catechiſtam ſibi, priùs monuimus, ſe recipit, ut cavillis indè cuſis videatur nonnihil Se protegere. Ait igitur, *Deinde in illo Loco citato expendendum eſt, Apoſtolum non ità loqui, quòd Chriſtus Seipſum obtulerit Deo pro nobis*, Cat. Rac. p. 293. Eſto verò: Non, In illo. Cur igitur, niſi in fraudem, Locum illum ipſe produxit? Sed quid? Nuſquámne igitur ità loquitur? Non in aliquo alio? Audiítne quomodo loquatur, in Loco, jam à Nobis ad clauſulam præeuntis Paragraphi citato? Ecquid enim eô diſertius? Rogamus utcunque, Cur non & in hoc Loco? Reſpondet, *Nam verbum* Tradidit, *non debet conjungi cum Voce* Oblationem, *verùm per Se debet legi, quòd Chriſtus Semetipſum tradiderit, ſubintellige, in mortem*, ibidem. Verbum quidem Apoſtoli eſt παρέδωκεν, atque illud ubicunque in N. T. non de Rerum, ſed de Perſonarum Traditione uſurpatur, in deteriorem partem ſignificat. *Tradidit Se* igitur, nihil aliud eſt, quàm Chriſtum Hominem, cùm per Omnipotentiam ſuam Divinam ſervâſſe Se poterat, in noſtram tamen Redemtionem ſiviſſe, ut Judas Judæis, Matth. 26. 15, Judæi Pilato, Mat. 27. 2, Pilatus militibus, Mat. 27. 26, Milites morti *ipſum traderent*, Luc. 24. 20. Igitúrne expectabat Barjeſuita, ut hoc in ſenſu Paulus jam locutus, præciſè diceret, *Tradidit Seipſum Deo?* Eò quidem reſpectu appoſitiùs & à Noſtris verti potuiſſet, and yeelded himſelf for us: verùm illi probè expendentes, Duas Res à Chriſto nunc agi, unam quidem, ut hoſtibus ſuis Se permitteret; Alteram, ut ex eorum ſcelere acceptiſſimam Se hoſtiam Deo Patri exhiberet, cum laude verterunt, hath given himſelf for us. Neutra enim Pars nunc ab iis excluditur, Tradidiſſe Se Inimicis ſuis, Ea prior eſt; Per eam, obtuliſſe Se Deo pro nobis in victimam, Ea eſt altera.

13. Quod additur igitur ibi à Sophiſta, *Sequentia verba*, Victimam, & Oblationem Deo, in odorem Suavitatis, *Sunt veluti Illuſtratio, & Commendatio iſtius Operis Chriſti, quòd Semetipſum tradidiſſet*, Cat. Rac. pag. 293. Ex eadem fraudulenta farina deſumta eſt, impoſturæ quidem ſuæ vera illuſtratio, & commendatio. Eò enim tendit, acſi Paulus neutiquam intelligendus ſit dicere, Chriſtum Se Deo obtuliſſe pro nobis, ſed tantùm, in eo quòd Semetipſum tradidit, placuiſſe eum Deo non minùs, quàm ſi gratiſſimum aliquod Sacrificium obtuliſſet; verùm quàm malè hoc cedit ei, ut vel ipſa Syntaxis lepidum ejus gloſſema excludat? Unde enim Quartus ille caſus, Παραφορᾶν καὶ θυσίαν, regitur? Annon à Præpoſitione εἰς per vulgarem Elleipſin ibi ſubaudita? *Tradidit ſe, ut foret Oblatio*; Hoc eſt, Ità ſe tradidit illis, ut per illos (quod ipſi tamen parùm cogitârunt) Sacrificium Deo fieret. Hoc autem, Quid aliud eſt, quàm *Obtulit Se Deo?* Veriſſimum igitur eſt, quod ille (in fraudem tamen) prætendit, *verba ea eſſe commendationem operis Chriſti*. Reſpondeat enim jam, Quâ de Re commendatur opus illud? De hac nimirum, Quòd Lucem eam ex iis Tenebris produxerit, Quòd non aliter ſe tradiderit Hoſtibus, quàm ut indè Oblatio Ipſe Deo fieret. Eôdem prorſùs exemplo & cætera, quæ hiis accumulavit, *Apoſtolum ibi ex iſta Commendatione hortari Chriſtianos ad amorem Proximorum: Hominum etiam Beneficentiam erga alios dici ſacrificia, quibus delectatur Deus, Heb. 13. 16. omnia denique Bona opera noſtra eodem Titulo illuſtrari*,

1 Pet. 2. 5. C. R. p. 293. Veriſſima quidem & hæc ſunt; Sed à nequiſſimo tamen Artifice per dolum huc introducuntur, Ut ex ea ſolùm ſimilitudine phraſeos ad res alias applicatæ, Veritatem Sacrificii Chriſti ſubruere videatur; Quæ tamen vel hinc, per Argumentum à Majore, confirmanda eſt; Nam ſi quibuſlibet operibus noſtris Bonus Deus Spiritualis apud ſe Sacrificii Conditionem indulgeat, Quantò magis, quod Chriſtus ipſe pro nobis tam munificè præſtitit, (ut vel hii non poſſint non commendare,) cùm Seſe per SSpiritum in morte ſua Patri obtulerit, Veri Nominis Sacrificium fuit, & à veris Chriſtianis (ἐτεροδιδασκαλούντων omnium ingratiis) Semper habebitur.

14. Obliviſci autem nunc non oportet, quod jamdudum Dictator iſte de eo Textu decrevit, *Verbum* Tradidit *non debere conjungi cum voce* Oblationem. Conſcientiam enim jam Sacerrimi Ludionis appellamus, An & corrumpendus ob hoc Apoſtolus erat? An verba Ejus, quæ Ipſe ſuffuratus non eſt, pervertenda erant, nè illa conjungerentur? Apoſtolus enim ἑαυτὸν adſerit, *Tradidit Semetipſum pro nobis Oblationem, & Sacrificium Deo.* At hoc reverâ eſt, quod ipſos miſerè urit. Chriſtus enim ut ſit Sacrificium noſtrum? Metaphoricum igitur niſi fiat, actum eſt De omni Barjeſuitiſmo? Ob hoc igitur tam ſedulò nunc declamat, De Oblatione Chriſti; De ſufflaminata ea in poſt Aſcenſionem; De non conjungenda cum verbo *tradidit.* Sed è falſiſſimo prætextu hæc omnia dicuntur, ut per hæc avocamenta, ſurripiat nobis Sacrificium Chriſti. Aliter enim fuiſſet, ſatìs ſejungi poterat *Tradidit* à voce *Oblationem*, vel per punctum, (ut & par erat) additum, ſic, *tradidit Seipſum pro nobis, Oblationem, & Sacrificium Deo.* Sed hoc ipſos nihil juvaret. Præter enim *Oblationem*, (quantumcunque jam ſejunctam à verbo *Tradidit,*) reſtaret aliquid in mente Apoſtoli, propter quod Chriſtus, Sacrificium quoque Deo fuiſſe dicatur ab eo, ídque poſt Oblationem ipſam, Sacrificium. Hoc verò jam planè jugulat tam operosè elaborata Commenta eorum; Peribit Præſens iſtud, *De Oblatione Chriſti Quadrageſimali poſt Mortem ejus.* Et Prius illud, *Chriſtum non fuiſſe Sacerdotem*; Non Sacrificaſſe igitur; (ſed pereat & intempeſtivum illud vocabulum, Pugnat enim & hoc cum ipſorum delirio: Nam quem Sacerdotem eſſe non ſinunt, donec in Cœlum veniat, Ille ut ibi Sacrificet?) *Non obtuliſſe Se igitur, antequam in Cœlos adſcenderat.* Quid igitur jam facit Catechiſta? Antiquum obtinet; Textum pervertit, Corrumpítque Barjeſuitiſſimè. Ità enim citat, ut *pro nobis* prorsùs harpaget. Periculoſa ea Phraſis eſt, nimíſque accedit ad Redemtionem: Expurgetur igitur. Dein, ut excidat quoque Sacrificium; Atque ut Oblatio ea, quam ipſe obtrudit, & ſummus & ultimus Chriſti Actus eſſe videatur; Præſtigiatores imitatus, quos Orator dicit τὸν ὄψιν κλέπτειν τῷ τάχει τῆς μεταδόσεως, Scitulè mutat, *Oblationem, & Sacrificium Deo*, quod Apoſtolus dixit, in quod non dixit, *Victimam, & Oblationem Deo.* Talibus nimirum furtis Semper ſtat Socinina Fides, Salúſque!

SECT. LIV.

1. *Author Epiſtolæ ad Hebræos à Catechiſta per μείωσιν ſemper* Ille Author *dicitur.*
2. *Peccatorum noſtrorum Purgator Chriſtus. Participii Medii in Aoriſto verſio Quæ. Chriſtus Baptiſmum fecit Inſtrumentum purgandi Nos.*
3. καθαρίσας, & καθαρισμὸν ποιησάμενος, *ut differant.*
4. *Conſequentiæ ſemper ratio habenda eſt.* Ex quo *eſt, vel* Quo Tempore, *vel* Quo Effectu. *Quando Chriſtus purgavit peccata noſtra.*
5. *Modus expiandi nos. Barjeſuitæ Pelagianiſmus.*

PErplacet verò mihi, quòd Barjeſuita meus à Semetipſo quærat, *Illius Loci SScripturæ*, Chriſtum per Semetipſum factâ purgatione peccatorum, conſediſſe in Dextrâ Throni majeſtatis Heb. 1. 3, non, *Quæ eſt Sententia?* Sed, *Quæ erit Sententia?* C. R. p. 294. Nam ſi interrogaſſet, *Quæ eſt?* reſpondendum omnino fuerat, Quid S. Eccleſia Chriſti, & Patres univerſi ſenſerint, Quid etiam, tum ex analogia Chriſtianæ Fidei, tum ex ipſa Verborum neceſſitate, ſentiendum eſt. Sed nihil ad Eum hæc omnia; Illi ſua ſolùm Res agenda erat; Et cùm Barjeſuiticæ Fidei Patroni, SScripturas ſe admittere, audaciſſimo quidem, ſed & falſiſſimo, fallaciſſimóque ore Profeſſi, hoc negotii ferè unicum habeant, ut SScripturæ Locis, (pluſquam millenis, Teſte vel ipſo Catechiſmo Suo,) Hæreſeων ſuarum monſtra arietantibus, aliquâ illudere poſſint, Ex hoc Suppoſito, piè nunc quærit Alumnus à Magiſtro ſuo, *Quæ erit Sententia?* id eſt, Quem ſenſum neceſſe eſt Novifidios nos Loco ei (velit, nolit,) adfingere, Nè Nobis aliquâ noceat, neque cum Portentis noſtris pugnare videatur? Reſpondet igitur congruenter, atque in rem ſuam percommodè; Negat enim primùm, Quid verba ipſa Loci per ſe flagitant, Quid & Eccleſia Chriſti ſemper cenſuit; Aíſque, *Non eo loquitur Author ille ad eum modum, ac ſi Chriſtus antequam in Cœlo exaltatus eſſet, Sacrificium Suum per mortem conſummaſſet*, C. R. p. 294. Jam obiter verò meminerit heic Lector, iſtud, *non ad eum modum*, eſſe lepidulo huic Capiti φίλων λέξιν, haut amplius verò nunc ſignificare, quam *non loquitur ſic.* Alterum verò illud, *Non eò acſi*, nihil aliud importare, quàm *Non quòd.* Denique verò quòd *Author ille* ab eo ſemper dicatur, nullius hoc Sacræ Criticæ, ſed Malevolentiæ, atque Odii ſecreti reverâ eſſe, ínque Authoritatis ipſius (quantum poſſit, ausítque) diminutionem. Veruntamen neque ad Scabritiem locutionum ejus jam digrediemur, neque Authoritatibus etiam S. Eccleſiæ, quas odiſſe eum, & nihili facere novimus, ipſum prememus. Sed ut ipſis tamen Verbis Loci, (De quorum nativa ſignificatione vel Pueri, & quotquot literas attigerunt, ſatìs judicare poſſunt,) vim inſanam inferat, omnino non patimur.

2. Illa autem ſic ſe habent, Δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ποιησάμενος τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, ἐκάθισεν ἐν Δεξιᾷ. Primum igitur ſtigma, quod Citatori ſcelerato inurimus, eſt, quòd ſuppreſſerit Vocem ἡμῶν. Ait enim *per ſeipſum factam eſſe purgationem Peccatorum*, Sed quorum ea peccata fuerint, haut placuit ei dicere. Ad Meritum autem Chriſti magnificandum, plurimum intereſt, ut hoc ſciatur; Subicuit igitur Iſte. Verùm Apoſtolus, de Se, & ad Hebræos jam ſcribens, *Noſtrorum*, ait; nec minùs igitur de omnibus omnium per omnia ſecula Chriſtianorum peccatis accipiendus eſt; Purgata per Chriſtum univerſa ſunt. Cùm tamen, Noſtra fuerint, an Sua, quæ purgavit, in dubio reliquerit Catechiſta; Et quò tandem hâc in parte proceſſura ſit Barjeſuitica Fides, Quis auſit, quis poſſit promittere? Hoc igitur eſt Primum. Alterum, & priore immanius, eſt, quòd Chriſtum quoque, quantum ſubdolè poteſt, excluſum eat ab iſta purgatorum peccatorum gloria. Licèt enim Apoſtolus dixerit, *per Seipſum*, ſatìs tamen obſcurum illud in plebe eſt, atque ab Artifice Tortore, ubi volet, facilè poteſt aliorſum verti. Latini igitur Sermonis defectu abuſus ipſe, vertit iſtud Paſſivè, *purgatione factâ*, quod (Si bonâ fide, ſed Barjeſuitis incognitâ eâ, agere voluiſſet,) vertendum Activè erat, *ubi per Semetipſum peccata purgaverat.* At hoc ſi poſuiſſet, jam ſuo ſibi gladio ſeipſum jugulaſſet. Neque enim infinitam Chriſti gloriam ex eo encomio promoviſſet ſolùm, Sed etiam de Tempore Rei geſtæ, in quo obſcurando ipſe nunc totus eſt, Claram Sententiam tuliſſet, Factum hoc fuiſſe, antequam adſcenderat. Verùm iſtâ fraude Veterator non jam primò uſus eſt, Nam & illa verba, Χριστὸς ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ τῆς Ἐκκλησίας, ἵνα αὐτὴν ἁγιάσῃ, καθαρίσας τῷ λουτρῷ τοῦ ὕδατος, ἐν ῥήματι, Eph. 5. 26, eſt ubi ille ſic reddat, *Chriſtum Sanctificâſſe Eccleſiam ſuam, eâ purgatâ lavacro aquæ in verbo*, C. R. p. 198. Sic ut per iſtam verſionem, non ſolùm ſuffuratus ſit Principale illud Beneficium, quod, poſt Satanam, Barjeſuitæ,

Barjesuitæ, hominibus maximè invident, ἑαυτὸν παρέδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν, Sed etiam & Personam purgantem prorsus reticuerit, Ab ipso scilicet Christo Purgationem eam factam esse, & Tempus indè, Ordinémque crasse obvelaverit. Quod enim Paulus ibi dicit, est, Christum ità dilexisse Ecclesiam, ut Seipsum in mortem pro eâ tradiderit, quò posset eam, (Cui æternùm perpurgandæ, fælix illud Divinæ Suæ Virtutis Instrumentum, Signúmque ex Deo efficax, Baptismum scilicet, jam instituerat,) Sanctam reddere. Istud secundum est.

3. Locorum autem istorum cùm tale τὸ ἴσον sit, Confiliis Barjesuiticis tam ex Diametro inimicum, Eccui jam mira sunt, Si Czarkovianus sic citare ea voluerit, ut jubari tanto offunderet, quas posset tenebras? Equidem neque nostrorum (licèt nihil mali moliantur) versione vehementer delector, Qui hoc in loco pro Tempore Rei, satis fidè reddiderunt, When He had by Himself purged our sins. Sed hoc nihil amplius tamen est, quàm si dixisset & heic, καθαρισας, Sed qui καθαρισμὸν ποιησάμενος dicit, majus opus admolitur, vertíque hoc reverâ debuit à nostris (When He had by Himself made, (id est, ordained) the purgation of our sins.) adeóque non solùm Sanguinis Christi, in quo se obtulit, Meritum, sed & Sacramentum etiam Baptismi, quod in Ecclesia ad hoc instituerat, tantùm non nominat, sub vocabulo ποιησάμενος. Nova quidem locutio hæc est, & quæ alibi in Textu Sacro non reperitur. Quæ proximè verò ad eum accedit, illa est, *Et juvencum peccati*, (id est, *pro peccato*) *facies quotidie super expiationes*, Exod. 29. 36. Ex illius autem collatione facilè colligimus, Christum in Cruce Sua immolatum Deo Patri, victimam eam fuisse pro expurgatione peccatorum nostrorum; Phrasímq; eam Poetæ, *Cùm faciam Vitulâ*, ab ipsius Mosis ista, & longè elegantiore, *cùm facies Vitulum*, mutuatum fuisse. Quod verò apud Sanctum illum legimus, ומה לא תשא פשעי, Job. 7. 21, è Senibus disertè legitur, διατί οὐκ ἐποιήσω τὸν καθαρισμὸν τῆς ἁμαρτίας; neque mirum quidem ab Illis, ante institutum à Domino in Virtute Sanguinis sui Baptismum, ποιήσασθαι καθαρισμὸν ἁμαρτίας, ad Solam Indulgentiam Dei, peccata auferentis, referri; Sed à Nobis nunc, ut ad ipsius Medii, à Christo instituti efficaciam referatur, atque ut καθαρισας quidem, designare in Christo dicatur Purgationis peccatorum nostrorum Meritum, quod operatus est, Sed καθαρισμὸν ποιησάμενος, Purgationis hujus Opus ipsum, & Sacramentum, quod Christus hujus rei caussâ celebrari ordinavit, Haut omnis Barjesuitismus impedire poterit, nedum, ut tam fatuæ Negationi Catechistæ, *Non eò, ac si*, quicquam deferatur.

4. At quid si solidâ ratione Negationem Suam communiat? Id si obtinebit, cum Bono Deo. Pergit igitur, ac si jam obtinuerit, *verùm ad eum modum loquitur, eò quòd Modus expiandi, & purgandi peccata, ex quo Christus à mortuis excitatus, profectus est in Cœlum, & illic Seipsum pro nobis obtulit, perfectus & absolutus fuit*, C. R. p. 294. Utere igitur jam auribus, Lector, Attende sodes, quid aiat, *ità loquitur Apostolus, eò quòd*. Ergò, Sequi oportet Paulinum illud ex hoc, quod ipse ait, &, *Quia Modus expiandi peccata, ex quo Christus obtulit Se, perfectus fuit*, Ergò, *Christus, per Semetipsum purgatione peccatorum nostrorum factâ, consedit ad Dextram Dei*. Utere verò jam & Oculis, & Animo, & Arte, siquâ polles, & dic, Ecqua hæc Consequentia? Certè, Stupenda, & verè Barjesuitica, Reverâ enim nulla. Quin è contrà potiùs, Ex eo Apostoli sequetur fortassis Catechistæ hoc, Et *Quia Christus, ubi purgârat peccata nostra, sedit ad Dextram*, ergò *Modus expiandi peccata, ex quo Christus obtulit Se, perfectus fuit*. Sed hinc jam novarum Quæstionum nobis creatur necessitas. Nam si ex Apostolici dicti sensu, (quem & verba ipsa, & Nos damus) sequatur id, quod à Barjesuita nunc obtruditur, Quantâ cum impudentia animíque impotentia excidit ei futile Suum, *non eò ac si, verùm eò*, Sic ut ille pro Consequente ponat, quod est Antecedens, & pro Antecedente, quod est Consequens? Cohærentiam utcunque cùm tantam habeant Duæ hæ Sententiæ, ut quod Apostolus primò, quod & ipsi nunc dicunt, neutrum subruat alterum, Sed fine pugna inter se, pariter stare possint, Potuítne quicquam stultius excogitari, quàm quò confirmet Negativum Suum, *non eò ac si*, quasi per antithesin inferre, *eò quòd modus*, quod tamen vel nihil ad rem priorem, vel certè nihil contra eam facit? Porrò autem quærimus etiam, cùm dicat, *Ex quo Christus profectus est in Cœlum*, quomodo Se accipi vult? Si enim *ex quo tempore*, prorsus quidem adnuimus: Nam modus expiandi peccata nostra & ante illud tempus, (in Morte enim Christi institutus) & ex eo tempore etiam, absolutus & fuit, & est, & æternùm erit. Verùm si intelligi se optet, *ex quo effectu*, ac si non antea absolutus fuerit Modus iste quàm Christus adscenderat, tam gratis ab eo dictum hoc cum fastidio respuimus; Nihil aliud enim est, quàm insipida, atque per odiosam cramben repetita, Petitio Principii.

5. De Modo tamen expiandi peccata cùm sic philosophetur, Christúmque καθαρισμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν ποιησάμενον, interpretetur per hoc, quòd præsentando Se Patri curaverit, ut Modus ille expiandi perficeretur, Quæramus jam insuper necesse est, Perficeretur à Quo? Ab Alio aliquo? An, à Seipso? Nam si à Seipso, cur non dicit, *per Christum perfectus est ille Modus?*) Cur quasi exponendi sui caussâ adsuit, *hoc est, id factum est?* C. R. p. 294. φεῦ τῆς ἐξαπάτης! Exponat enim jam & hoc, Quid est, *hoc est?* nimirum, modus expiandi peccata absolutus est per hoc, Quia *id factum est*. Etiam & hoc denuo? *Factum est?* Sed, à Quo? Quin clarè eloquatur; Fecítne hoc Christus ipse? An, Alius quispiam? Verùm molesti nimiùm homini sumus; Non placet enim, ut Christo hæc ipse, Qui Christum nunc spoliatum eat, Nobísque ipsis ea arrogatum, tam multa, tam magna, tam exertè attribuat. Sed neque Sic abibit tamen. Audiamus igitur quid factum est; *Id, quo nos ad amplectendam peccatorum remissionem, quam Deus nobis obtulit, movemur*, Ibidem. Sed quid id est? Eriámne in faucibus adhuc hæret? Certè. Tam malè enim Pelagio hoc olim cessit, ut quibus nunc verbis proferatur, haut sciat vafer. Verùm, Quid opu'st pluribus? *Id factum est:* atque *Nos movemur ad amplectendum*. Et nónne hoc est, Christum per Semetipsum purgasse peccata nostra? Quòd si nondum credamus, quia nihil in hiis Christo adscribitur, hem mantissam, *& Christus potestatem habet nobis dandi reipsâ peccatorum remissionem*, C. R. p. 294. Abundamus igitur jam, duo hæc fulcra ab eo nacti, *Moveri nos ad amplectendum*; & *Christum posse dare*. Satísque nunc, & Super, probavit eo modo purgasse Christum Peccata nostra, & per Semetipsum purgasse ea, *potest enim Ille*; &, *Nos movemur*. Et jam Caussam hanc, quæ imbelli Pelagio antè tam miserè periit, (Ad eam autem nunc digredi, atque ea heic repetere, per quæ Britannicus Hæreticus Patrissus vapulavit, non est Critici hujus Instituti:) Quis non videt vel ex hoc textu, Barjesuitam vincere?

SECT. LV.

1. *Socinini infestiores sunt Merito Mortis Christi, ejúsque Satisfactioni, quàm Pelagius.*
2. *Qui Christum agnoscunt Redemtorem, Eum & Deum agnoscunt.*
3. *Consecutiones è SScripturis sub qua conditione admittendæ sint.*
4. *Generales Exceptiones contra Opinionem particularem frivolæ sunt. Vocabula non extantia in SScripturis in Theologiam rectè admittuntur.* Mereri. Satisfacere.
5. *Christum meritum esse Salutem nostram, & satisfeciſſe pro Nobis, nulli Scripturæ repugnat.*
6. Δικαιώμενοι. *Participium Præsens Passivum habet Vim Futuri. Gratuitum.* Ἀπολύτρωσις.

7. Δωρεὰν.

7. Δωρεάν. *Remiſſio gratuita ut ſtet cum Chriſti Satisfactione.*

8. *Remiſſioni Gratuitæ adverſatur Satisfactio, Si per nos præſtetur, ſed non, quâ per Chriſtum. Parabola.*

9. *In Liberatione noſtra per Chriſtum pariter ſtabunt, Deo Satisfieri, & Gratuitò nobis remitti à Deo.*

10. *Ratio noſtra in Divinis ut cauſſatiat. Mors Chriſti, vel ad momentum, valuit contra æternam Mortem omnium.*

11. *Quid velit per* Oſtendere. *Immenſitas Gratiæ Dei erga Nos. Chriſti Satisfactio Ultronea erat, non exacta.*

12. *Dogma de Satisfactione Chriſti, Incentivum eſt ad Pietatem, Deſperatio ejuſdem portam patefacit omni Improbitati.*

13. *Quàm peſſimâ fide Barjeſuitæ SScripturas tractent. Quàm pernitioſa iis ſit Opinio De Satisfactione Chriſti.*

14. *Cauſſa ſine qua Non. Chriſti Mors, ſi ad Reſurrectionem Via dicatur, nec Prima, nec Proxima erat.*

15. *Charitatem Dei maximè reluxiſſe in Morte Chriſti, fraudulenter agnoſcunt. Mori non potuit, niſi voluiſſet: Reſurrexit, ex neceſſitate Naturæ ſuæ.*

16. *Oſtendere. Chriſtum nobis Doctorem, atque Exemplum Juſtitiæ faciunt, ſed non Authorem Salutis.*

CHriſtum mortuum eſſe, Credunt Barjeſuitæ, ſi Barjeſuitis credimus. Credunt verò hoc & Dæmones: Súntne verò ii ex hoc Chriſtiani? Chriſtum pro nobis mortuum eſſe, Mortéque ſua ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris & Salutem noſtram meritum eſſe, Chriſtianos omnes vulgò credere Barjeſuitæ ipſi fatentur, licèt ipſi ità non credant: Súntne igitur ipſi De numero Chriſtianorum? Neque verò non credere hæc contenti, toti etiam Chriſtianitati convitiantur ob hoc, propter tam *fallacem, & erroneam, & admodum pernitioſam Sententiam,* Cat. Rac. pag. 227. φδ̃ ἁ τυφομανία! Sed danda utcunque eſt miſellis hæc venia: Ex alio enim Capite Illi Chriſto Merita ſua nunc abjudicant, quàm quo à veteribus Hæreticis olim ἀποστατηθῶαι Se paſſus eſt. Vel ipſe Pelagius, Quem, quâ Hæreſin ſapit, Barjeſuitæ totum potârunt, non minùs quidem à Juſtificatione noſtra Chriſtum excludere ſatagit, neque eam Divinæ Gratiæ deberi ſinit, ſed libero noſtro Arbitrio adſerit. Verùm Quorſum hoc Ille? Non tam eo conſilio, ut Chriſtum deprimat, minuátve, quàm eo potiſſimùm, ut Naturam noſtram elevet, Cœlóque inſerat. Iſtud eſt, quod ab eo imprimis hâc in parte agitur: Neque igitur ille veniam peccatorum noſtrorum Chriſto ſurreptum it, neque aliunde haberi eam quàm ex Chriſti Beneficio vult, Juſtitiam utcunque noſtram, vitæque Bonitatem nobiſmetipſis adſixerit. Sed Barjeſuitarum jam alia, & deſperatior Conditio eſt. Ità enim iis adverſùs ipſum Chriſtum, quâ Chriſtus eſt, pugnare incumbit, ut niſi expoliare ipſum, & (Tertulliani verbo) *nullificare*, quantum ad hoc, poterint, pereundum ipſis funditus ſit.

2. Quid ità veró? Quia Naturam ei Divinam adimere jurarunt Titanes hiis atque Arianis omnibus, (Quos & ipſi naſo ſuſpendunt,) infinitùm Arianiores, à Præternitatis (ſic enim diſtingui nunc volunt) conditione, atque à Perſona aliqua Deitatis excludere Eum, jam à principio apud Se tam peremtoriè decrêrunt, ut ſi Salutis noſtræ Meritum, aut pro peccatis noſtris Satisfaciendi facultatem in Eo agnoſcere jam cogantur, eâdem operâ & Semetipſos tum Ἀντιχείσυς, tum & Θεομάχυς eſſe, agnoſcendum foret. Ratio eſt, quia, ut Pſalmiſta, *Frater* (id eſt, homo quivis alius,) *non poteſt redimendo redimere Vivum*, (id eſt alium hominem,) *neque dare poteſt Deo Redemtionem ejus: Pretioſa* (ſupra facultatem humanam) *erit redemtio animæ eorum. Et ceſſabit* (ab hoc homo) *in ſeculum*, Pſal. 49. 7. Veriſſiméque jam hoc dicitur, De Vitæ Præſentis Statu mortali; Quantò magis de Futuræ, atque Æterno? Si admiſerint igitur hii Chriſtum redemiſſe Humanum Genus, & Satisfactionis eſſe Deo pro nobis, nobíſque ex Deo Salutis Authorem, Quid hoc erit, niſi admittere in Chriſto, (quod hactenus ſemper inficias iërunt,) Eſſe eum non Hominem ſolùm, ſed & verum atque ex Natura ſua Deum, Ejus enim Rei Authorem, quæ Deo ſolùm, atque Homini nemini competere poteſt? Durum quidem telum iis hæc Neceſſitas; ſed jacta eſt alea, Stabítque jam Sententia iis, Salutem potiùs nullam habere certis, quàm ex Chriſti fonte haurire, Eſa. 12. 3. & Redemtionem omnem reſpuere, quæ ex Eo Redemtore accerſenda ſit. Atque hinc eſt, quòd Pelagio jam longè Πελαγιάτερες facti, ádque Judaiſmum ipſum planè relapſi, Chriſtum quidem nomine tenus admittant, verùm neque ut Largitorem gratiæ, neque etiam ut à Peccatis Liberatorem, Sed ut Doctorem tantum, Atque Exemplar Juſtitiæ.

3. Ibi igitur jam cùm pedem fixerint, intereſt ipſorum, ut Quocunque modo Rem ſuam, Coloribus, Captionibus, Contumeliis, Corruptelis quibuſcunque, Sibi ſtatuminent. In Argumentum igitur erroris, Quem Catholicæ Sententiæ intentare auſi ſunt, gladiolum produxerunt, Νῶμον quidem, ſed utrinque plumbeum & ſauciandi exortem, ſolíſque convitiis, quibus ſatis inungitur, non imparem. Sic enim digladiatur Catechiſta, *Quòd fallax ſit, & erronea, id hinc perſpicuum eſt, quòd non ſolùm de ea nihil exſtet in Scripturis, verùm etiam Scripturis & Sanæ rationi repugnet*, C. R. pag. 228. Acumen autem aliquod, præter Sophiſticum, in neutra hac acie eſt. Primam enim partem quod attinet, *De ea nihil extare in Scripturis*, Pauli exemplo, cavendis Sibi à Primo eorum Parente, ὅπως Σατανᾶ τὰ νοήματα ἐκ ἀγνοῦμεν, 2 Cor. 2. 11. & Nos, ipſo jam in veſtibulo ſciſcitamur, *De ea* cùm dicat, De qua Se dicere, intelligi vult? De Sententia ea, Seu Re ipſâ? An ſolùm De Voce ſeu Notione ea? Objícitne, Nihil extare in Scripturis, quod Dogmati huic De Merito & Satisfactione Chriſti confirmando ſit? An, nomenclaturas eas, *Meritum* atque *Satisfactionem*, nuſquam extare? Per fraudem quidem egregiam (Quarum pleniſſimus eſt,) Ille ſub crepera hac Phraſi, *nihil de ea*, proponere hoc elegit, quò poſſint incauti Lectores vel ad ipſius Rei, Sententiæque abnegationem indè inclinari. Diſertis autem verbis haut auſus eſt ità dicere, propter manifeſtiſſimam tot locorum Authoritatem, Quæ eâ de Re reperiuntur. Ea autem extare in SScripturis cùm negitari non poſſit, facit tamen vafer, quod poteſt, cauſſatur, non eſſe eas perſpicuas SScripturas, vel Conſecutiones ſolummodo eſſe ab Orthodoxis nexas, Quas admittere tamen æquum eſſe, cùm nec illud inficias ire auſit, Scrupulum tamen hunc non ſine peſſimo dolo injicit, *Modò è Scripturis neceſſariò aſtruantur; vim enim nullam pro certo habere eas ubi Scripturis repugnant.*

4. Huc igitur nunc devecti cùm ſimus, Critico nihil hâc in parte reliquum eſt, quod porrò adſtruat. De Merito enim, & Satisfactione Chriſti tam felices multorum lucubrationes extare memini, è SScripturis tam nervosè perſpicuéque aſtructas, ut contra Sententiam ipſam, quod opponant, præter generales iſtas exceptiones per dolum hunc nexas, nihil habeant Barjeſuitæ. Sed nec quicquam reverâ habent, quod in aliquem Exceptionum Suarum contra nos juſtificandarum colorem objicere nobis poſſint; Sed hoc ſolùm dolo contenti abeunt, quòd ſtolidorum Suorum Aſſeclarum animos, per ejuſmodi Exceptionum mentionem, perterrefaciant, & vel ſuſpicari ſaltem cogant, nè *Conſecutiones* iſtæ Catholicæ (Quas ab Orthodoxis *nexas* aiunt ipſi, Qui nihil nôrunt, niſi fraudes nectere,) aut SScripturis repugnent, aut certè è SScripturis ad Sententiæ noſtræ Corroborationem non neceſſariò adſtruantur. Jam verò ſi cavillentur, iſtud *(non extare in SScripturis)* accipi debere de vocibus ſolùm, quàm ridiculum hoc effugium, & ſcuticis ſolùm digna res erit! E Latio enim cùm natæ illæ voces ſint, *Mereríque* & *Satisfacere*, è quibus derivantur, vocabula ſint tam merè puréque Latina, ut nec Græcia omnis, nec etiam Judæa,

Judæa, verba, vel in Dialectis Suis, Duo habeant, quæ iis in adæquato prorsùs sensu, respondeant, Ecquid jam, ubi Rei ipsius, sive Sententiæ probationes abundant, potest Σοφισπωτέρως objici, quàm In SScripturis (Hebræis enim illis, Græcísque,) Latina Vocabula ea non extare? Verùm hoc genus cavillis Res omnis Barjesuitica stat, cadítque!

5. Ad alteram igitur partem nunc transeamus, quâ Catholicam Sententiam Repugnantiæ cum Scripturis inter se tam atrociter incusant: Sic enim pergit, *Ad eum modum Scripturis repugnant*, C. R. pag. 228. Hem! Quid audio? *Repugnant*? In Plurali? De quibus igitur accipiendum est hoc? Opinor eum jam non de Personis dicere, sed de Consecutionibus illis, quas è Scripturis nexas modò dixerat. Illæ verò Quæ? Quas ab initio ipse proscripserat, *Christum Morte suâ Salutem nobis meritum esse, & Christum pro peccatis nostris plenariè satisfecisse.* Agat igitur, atque hiis in anteceſsum denuo præfixis, procedat, ubi volet. *Ad hunc modum Scripturis repugnant, Quòd Scripturæ passim Deum peccata hominibus gratuitò remittere testentur, potissimùm verò sub Novo fœdere*, Cat. Rac. pag. 228. Atque hæc illa jam Repugnantia, in quam sic detonare ei visum est, ut duplicis quidem pugnæ prætextu gravatum eat eas Consecutiones; Primæ, Quia Christo hoc attribuunt, quod SScripturæ servant Deo: Alterius, Quia Christi Meritis & Satisfactioni imputant, quod in gratuita Dei remissione SScripturæ collocant. Quàm feliciter ergò nunc hæc, & præter spem! Verendum enim in tanto strepitu erat, nè Consecutionibus nostris SScripturas ille perspicuas objiceret, atque ex Diametro contrarias, *Christum Morte suâ Salutem nostram non esse meritum, & Christum pro peccatis nostris non satisfecisse.* Sed, nihil tale: In portu navigamus. Qui tanto hoatu Scripturas crepat, adversùs Consecutiones nostras, jam Consecutiones solùm suas in arenam protrudit, statímque concluſum vult, Quia Deus, Ergò, non Christus: Et quia gratuitò, Ergò, non ex Christi merito. Sed quàm inanem hanc σκιομαχίαν Socinulis Suis ut placeat, illudátque, ipse subornârit Sibi, & quàm ficto, futulíque umbratilis quidem, veréque nullius pugnæ crimine nostros onerârit, jam mox (σὺ Θεῷ) parebit. Sed interea temporis istud referat; Consecutiones Consecutionibus arietare, atque in eo conflictu, rostris opponere (si placet) Suas, Priscis Hesternas, Christianis Barjesuiticas, Catholicis Socininas, & Pæana tamen sibi canere, Déque Adversariis per SScripturas devictis triumphare in Polonia & magno Ducatu Lituaniæ, & mutato tandem habitu, transcurrere in Britannias, ibíque coram Magno Monarcha Pyrgopoliniciſſare, jam hæc lemniscatissima semper erit mihi, sed extremæ solùm Dementiæ, atque inauditæ Impudentiæ, Victoria!

6. At quid interea tanto Victori reponimus? Negamúsne ei, *SScripturas testari, Deum peccata Hominibus gratuitò remittere?* Toto Cœlo abit; Toto enim corde adserimus hoc, & proni veneramur. SScripturas tamen illas, è quibus ille Consecutiones suas, nostris advorsitrices, ducere prætendit, non insalutatas præterire decernimus. Aliquid enim esse (Me Fidejussore) oportet, quòd totas pagellas alibi, ubi minùs opus est, Citationibus Suis opplere, Catechisticâ brevitate non obstante, nil veritus, hîc, nè verbulum tamen aliquod nunc citaverit, Sed in margine solùm suo Locorum aliquot numeros adscripserit. Eorum autem Primus est, è 2 Cor. 5. 19. Sed quibus verbis? Hiis, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis delicta eorum*, Sic Paulus ibi. Fruſtráne igitur, temeréve prænonui de dolo? Jam ipsa hæc verba vel recitari à nobis, abundantem causſam dicit, cur ipse qui notârit, nè citaverit tamen. Nil enim aliud fuisset, quàm sibi inimicas manus inferre. Annon ipsius Consecutio erat, *Deum remittere, & ergò non Christum?* Et quomodo nunc id probet, videtis. *Quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, Jámne Christus excluditur, cùm nisi in Christo fuisset, Deus non reconciliasset? Rursùs, ipsius erat, *gratuitò Deum remittere*; *Ergò non propter Merita Christi*: & hoc probat, *Quia Deus non imputat Hominibus peccata*; Sed & hoc est, *Quia in Christo*, & hoc est, propter ipsius Satisfactionem. Appinxit verò & alterum Locum, Prioris, (utì opus esse videbat,) Subadjuvam: Ille autem est è Rom. 3. 24, 25. Et illius Loci verba sunt, *Justificati gratis gratiâ ipsius, per Redemtionem, quæ in Christo Jesu: Quem proposuit Deus Propitiatorem, per Fidem in Sanguine ipsius.* Annon & ex hiis jam gemellæ ejus Consecutiones egregiè stabiliuntur? Nam, *Qui peccârunt omnes, atque gloriâ Dei destituuntur*, ver. 23, Sunt tamen Δικαιούμενοι, *Justificati*, (Seu potiùs, *justificandi*, hoc est, *Justificari possint*; Ità enim alicubi notavi per plurima Exempla, Participium illud Præsens Passivum, vulgò poni in N. T. loco Futuri Latini in *Dus*: Adde igitur hiis &, τοὺς ἁγιαζομένους, Heb. 10. 14,) gratis, (neque id Solum, sed per exegesin etiam ex abundanti additur, τῇ χάριτι, id est,) *ex gratia Dei*, putà per solam ejus gratuitam benignitatem. Recté. Quid ergò ampliùs volumus? jam vicit Barjesuita. Vicerit verò. Nos autem volumus & id, quod sequitur, Tam enim gratis sunt Justificandi, Sed tamen διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ. Justificatio igitur nulla est, nisi in Christo, Christúsne ergò excludendus à Justificatione nostra, per Deum est, ubi Deus ipse non est, nisi per Christum? Et quàm gratuita cunque, nisi per Christi ἀπολύτρωσιν ea nulla est. In eo autem vocabulo non solùm est Pretium Redemti, τὸ λύτρον, Sed & illius quoque Pretii, hinc Solutio, illinc Acceptatio: Atq; in hiis consistit Satisfactio. Poterítne ergò gratuitum illud excludere hanc Satisfactionem? Sic suo miser indicio sorex iste perit!

7. Quin igitur Repugnantiam omnem, tam impuro ore jam térque quatérque nobis objectam, siqua reverâ heic esset, non in nostras Consecutiones è SScripturis illis ductas, sed in ipsas SScripturas eas, è quibus duximus illas, Christíque Meritum & Satisfactionem irrefragabiliter concluſimus, cudere Se fateatur. Ipsis enim in Locis iis, utraque hæc ῥητῶς habentur: Quod Barjesuitæ volunt, *A Deo ipso remitti peccata*; *Gratuitò etiam remitti.* Sed & quod nos, *A Christo remitti ea, per ipsius Merita, & Satisfactionem.* Et à Repugnantia tamen omni SScripturas (quas Barjesuita nec directè insimulare ausus est, nec expressè citare) nos ultrò, faciléque liberamus. Δωρεὰν enim, quod hâc in re dicitur, significat Benefactorem, Suâpte solùm Bonitate permotum, Suâque ipsius inductum gratiâ, Beneficium Suum gratis, déque ea sola gratia, præstare, nullâ prorsus ex ipso Beneficiario præeunte Causſâ, nullâ Ratione Deum, præter istius Miseriam, & Suam ipsius Misericordiam, movente, vel inclinante, nedum promerente. Atque hinc vocabulum hoc, etiam in Catachrestico usu, è Senibus Psal. 35. 19. citatur ab ipso Christo, ἐμίσησάν με δωρεάν, Joan. 15. 25. Quia justæ Causſæ ex ipso nè tantillulum osores ejus acceperant unquam, cur oderant. Jámque nostra hæc omnium conditio est; Quicquid nos reportamus à Deo, δωρεὰν haberi dicimus, Quòd misereat nostrî; Quòd remittatur nobis; Quòd Reconciliemur, Justificemur, Servemur, Quantum è Nobis, gratis hæc fiunt omnia, meritúmque nostrum omne penitissimè excluditur. Unde & ipsam Remissionem à Cyrillo Hieros. absolutè appellari δωρεὰν, notavi ad Lexicon meum, è Catech. secunda, atque τὸ δωρεμαῖον, è Catech. 13ª, Sed Motus interea Divinus apud Se Rationésque, quas intùs Sibi quasi Domi suæ, cum Christo suo, hoc est, cum Seipso, (nam, *Ego in Patre, & Pater in Me est*, Joan. 14. 11.) habet Deus, hæc nihil turbant, tangúntve. Quæcunque igitur Dei Patris fuerit εὐδοκία, Matth. 11. 26. in Deo Filio, Hominis Filio facto, ἐν ᾧ εὐδόκησα, Matth. 3. 17, ut ab eo nostrâ causſâ præstita, Satisfactoria apud ipsum forent in nostram Liberationem, & Meritoria in nostram Salutem, Hiis, ità inter se conditis, nihil impedientibus, Liberatio, Salúsque nobis vel maximè gratuitæ sunt: cùm ex infinita Gratia & Benignitate fuerit, etiam quòd Christum Redemtorem, Satisfactorem, Servatorem nobis indulserit.

8. Adsumentum igitur ipsius quàm inane prorsus, inepti-

eptúmque ſit, & præter Sophiſticam Captionem nihil in Se habeat, vel luſcis jam parebit: nam quòd annectat, *At Remiſſioni gratuitæ nihil adverſatur magis, quàm Satisfactio*, Veriſſimum hoc in Se, pariter atque falſiſſimum in Catechiſta eſt. Hominibus quidem Remiſſionem gratuitò indulgeri à Deo, & tamen Homines ipſos ità Satisfacere Deo, ut Ille de jure remittre teneatur, implicarent hæc acerriméque pugnarent: Sed Deum, ex ſua ipſius intima Gratia, in Filio ſuo τῷ ἱλαστηρίῳ, ſic noſtrî miſertum eſſe, ut & Filius ipſe voluerit Seipſum ἀντίλυτρον ὑπὲρ πάντων dare, 1 Tim. 2. 6, & Pater Juſtitiæ ſuæ ſatisfactum eſſe per Merita Filii voluerit, atque in illo nobis, vel immerentiſſimis uſque reconciliari, nulla in hiis Adverſatio, Pugna nulla eſt, Sed Suaviſſimè omnia Sanctiſſiméq; ſibi coincidunt. Nec quicquam igitur promovetur ei Res Sua, etiam ex eo, quod infertum quoque in margine ſuo eſt, ex Eph. 2. 8, *Gratiâ eſtis Salvati, per Fidem:* nam & nos hoc ipſum jam diximus, ſempérque dicemus, Servamur per Solam Gratiam: nè hilum enim ex Nobis eſt, quod conducat ad noſtram Salutem. Sed tamen Servamur per Fidem; per Fidem ſcilicet à Deo ipſo conceſſam nobis in Chriſto Jeſu; Qui Patri pro nobis Satisfecit, Salutémque eam nobis meritus eſt, *in Sanguine ſuo*, ver. 13. *Per Crucem ſuam*, ver. 16. Quantò minùs igitur juvatur per Parabolicum illud, quod cæteris ſuperſtruxit, è Matth. 18. 23? Nam & Parabolicum eſt, nihílque, præter id, ad quod à Chriſto inſtituitur, (Neceſſitatem ſcilicet ut & nos aliis remittamus,) probat, Et de plenaria Debitorum deletione non inſtituitur, ſed de Sola remiſſione fœnoris, Dimiſit quidem Dominus ipſius eum pro tempore, ſed remiſit ei nihil, niſi τὸ δάνειον, ver. 27, quod à nobis rectè vertetur, Forgave him the lone. Atque indè eſt, quòd licèt debita ſemel remiſſa nunquam redeant, ex nova tamen offenſa, Dominus ille ad ipſius Debiti (antè non remiſſi) perſeveram exactionem ſtatim rediit, ver. 34. Hâc igitur à Cauſſa alienum ſatis hoc eſt.

9. Denique & in Argumentatione ipſius, quam ex prædicta ea Parabola extruxit, prior ille Paralogiſmus cuiquam, oculis ſuis utenti, planè relucet. Cùm enim aiat, *Cui Creditori ſatisfit, vel ab ipſo Debitore, vel ab alio, Debitoris nomine, de eo dici non poteſt verè, Eum Debitum gratuitò ex ipſa gratia remiſiſſe*, Cat. Rac. pag. 229: eandem ludit operam, ludóſque facit improvidos ſuos Auditores, Deum cum hominibus tam temere comparando, nullámq; differentiam inſtituendo inter hoc, quod Chriſtus θεάνθρωπος cum Patre ex Divino ſuo Decreto facit, & quod in Foro fieri ſolet, atque à quovis è trivio. Diſcant igitur hii homines (vel jam moniti) Duas diverſiſſimas Relationes, tam profano auſu, non inter Se confundere; Sed cùm gratuitam Remiſſionem dicunt, reſpectum ſolum habere ad inter Deum, Hominémque, quàm Iſte ſit omnium indigniſſimus, Ille indulgentiſſimus: Cùm verò Meritum dicunt, ſolùm Deum intueri & Chriſtum, ut ipſe Patri ſatisfecerit, cùm nos nequiremus, eóque pacto miſericordiam ejus nobis ità impetraverit, ut & conſtabilierit Juſtitiam. Quanquam nec inter Homines ſolùm abſolutè verum eſt, quod ille nunc negat verè dici poſſe in re Debiti. Ponamus enim, Creditorem Filio ſuo, aut cuiquam alteri, privatim porrigere, quod ille in publicum prodiens pro Debitore hoc exolvere poſſit, velítque: Ponamus denuo, Eſſe Aliquem qui Solutionem Debiti è Seipſo præſtare voluerit pro de duobus graviſſimè obæratis Uno, Creditorem autem ipſum aſſignare Unum hunc, ſed alterum excludere, qui Solutionis ejus Beneficio fruatur, & liberetur; Jam ex Prima Suppoſitione, verè dicitur Creditor gratuitò remiſiſſe hoc debitum, de quo tamen ſatisfactum ei in foro eſt. E Secunda etiam verè dicitur, De Sua ſolùm gratia liberaſſe hunc Debitorem. Utraque verò horum junctim, plenéq; locum habent in Hominum per Chriſti Satisfactionem Liberatione.

10. Veritus igitur Sibi Veterator hic, Se ex hujus repugnantiæ prætextu parùm proficere poſſe, aliam etiam à principio ſuccenturiavit, huic quæ adminiculo ſit, adéóque ex gemina, ſatis infirma cunque, ſaltem ut una fiat firma, atque per unitam vim aliquid valeat. Eam autem ducit à Ratione, cæcâ quantumvis illâ, corruptâque, ſed Barjeſuitarum Solâ Divâ, Ducéque primariâ, Qui oculis hiiſce ſuis nycticoracinis pollicentur ſibi Se SScripturarum, Fideíque & Theologiæ Solare jubar ritè æſtimaturos. Pro Solenni igitur audaciæ formula exclamat, *iſtud quidem Rationi repugnare, hinc perſpicuum eſt*, Cat. R. p. 229. Agat verò, videamus hanc Perſpicui Doctoris elucidationem. Ea autem eſt, *Quòd ſequeretur, Chriſtum, Si Deo pro peccatis noſtris ſatisfeciſſet, æternam mortem ſubiiſſe.* Sed lentiore ut pede feſtinet, præcipitem Magiſtrum rogamus. Unde ſufflaminetur autem, opponimus ei noſtrum *non ſequeretur*. Negamus igitur ei Majorem Propoſitionem ſuam. Redigatur ſcilicet in formam Syllogiſticam, & ſic ſe ea habebit; *Qui Deo pro peccatis Hominum ſatisfacit, æternam mortem ſubit: At, Chriſtus æternam mortem non ſubiit:* Ergò, *Deo pro iis non ſatisfecit.* Jam ille quidem ſatis prævideràt, Propoſitionem eam repellendam eſſe, ideóq; confirmare ſperabat per ejuſdem farinæ alteram hanc, *Cùm conſtet pœnam, quam Homines peccatis meruerunt, æternam mortem eſſe*, C. R. pag. 229. Et conſtat hoc quidem. Sed illud tamen ex hoc non ſequitur: De Conſequentia igitur nondum conſtat. Licèt enim Hominum, atq; Peccatorum Pœnam de jure æternam mortem eſſe oportebat, Chriſti tamen, non modò non Peccatoris, verumetiam non meri Hominis, ſed (ringantur quantum volent Socinuli) veri Dei, Mortem, ad quàm minimum cunq; temporis momentum fuerit, Deo tamen ſatiorem, Deíq; Juſtitiæ æternâ Hominum omnium morte accommodatiorem, adæquatiorem, acceptiorémque fuiſſe aſſerimus: Unde factum eſt, Chriſtum mortem æternam non ſubiiſſe, ſed ſuſtuliſſe. Mutamus igitur ei Majorem eam Propoſitionem, ejúſq; loco caſtam verámq; aliam, nec à Barjeſuitis tamen ipſis abnegandam, ſufficimus: *Qui Deo pro peccatis Hominum ſatisfacit, præſtare aliquid oportet Juſtitiæ Dei æternâ Hominum morte acceptum.* Aſſumimus autem, *At Chriſtus moriendo id præſtitit:* Ergò, *Satisfecit.* Minorem autem noſtram ſi illi negandam Sibi eſſe duxerint, in procinctu ſtamus, quandocunq; vocaverint, confirmare eam porrò paratiſſimi.

11. Sed ſupereſt ei fibra ex priore Ratiuncula. Addit igitur, *Dein conſequeretur, nos Chriſto, quàm Deo ipſi devinctiores eſſe*, C. R. p. 229. Reſpondetur autem à nobis, Nec Sequi hoc; nec Conſequi. Nõ Sequi, Quia quicquid Chriſto ob hoc devincti ſumus, & Deo ipſi ſumus, Ipſe enim Deus eſt, Patérq; & Ipſe Unum ſunt, Joan. 10. 30. Nec Conſequi etiam; nam id, quod ſubjunxit pro ratione, *quippe qui ſatisfactione multum gratiæ nobis oſtendiſſet*, & Captioſè, & Futiliter ab eo poſitum eſt. Captionis eſt, nequid dicam aſperius, De re tanta, tam ſpretim, pérq; tantam μείωσιν dicere, *multum gratiæ.* Quæ immenſa quidem in ſe infinitáq; eſt, Sed nunc à Barjeſuita, propter infidelitatem, quantum poteſt, arroſa, imminutáq; eſt. Geminum etiam huic eſt, dicere, *oſtendiſſet*; nam hoc à Scævolis hiis nullifidiis finiſtrè tantùm intendi videtur, quaſi de gratia ſimulata ſolùm, ínq; Speciem prætenſa, ſed non exhibita, aut reâpſe præſtita. Futilitatis autem elenchus eſt, quòd huic de Chriſto tam faſtidioſè à Se dicto, aliud ex adverſo tam temerè de Deo opponat, *Chriſtum Satisfactione multum gratiæ oſtendiſſe; Sed Deum, exacta Satisfactione, nullâ prorſus gratiâ Nos proſecutum fuiſſe*, C. R. p. 229. Satisfactio enim hæc, quam dicimus, cùm exacta prorſùs non fuerit, neque ex Parte Dei, per Vim, neque ex Parte Chriſti præter animum, maximè verò, cùm & De nobis exactum nè Tantillum quidem fuerit, quorum unicè intereſt, Ad Summum jam non Falſitatis ſolùm, ſed & Ingratitudinis quoque, & Calumniæ Diabolicæ faſtigium conſcenditur, tam promtè vel ſuſpicari poſſe, (Quantò magis, in vulgus ſpargere?) *Deum prorſus nullâ gratiâ nos proſecutum fuiſſe.* Cujus contrarium verum eſſe, ex ipſo Rerum Humanarum exemplo, (Quia ad rationem confugit) in Paragrapho nono ſatis indicatum eſt. Sed hoc genus Ratiocinationibus venditare ſolent Socinini Sententias Suas Paradoxas, & Para-

Paralogisticas, fallaciæ quidem, cæcitatísque fatim in Se habentes, Soliditatis autem parùm, Religionis & Pietatis verè nihil.

12. Neque dum tamen Scelesto visum est Impietatis istius rivum claudere. Præter enim hanc SScripturis & sanæ Rationi Repugnantiæ Calumniam, quam Catholicæ opinionis Errori (Si placet) hactenus inscripsit, & aliam quoque subinfert De Damno, *Quòd sit opinio admodum pernitiosa.* Atque istud quidem jam & mihi verissimè prolocutus videtur, Pernitiosissima est. Sed metuo tamen, ut conspiremus in Caussa hujus Rei, Aut, an Illi, mihíque de eadem Ratione videatur pernitiosa esse. Mutuùm igitur audiamus, Sultis; Illius primùm rationem, Nos; Pòst, & ille, Nostram. Ille verò, *Ad eum modum pernitiosa est, quòd hominibus feneſtram ad peccandi licentiam aperiat, aut certè ad socordiam in Pietate colenda eos invitet*, C.R. p. 230. Sed & hujus quoque contrarium utrâque ex parte verissimum est. Ex parte enim Nostra, Cùm fecerit Christus, quod homo nemo poterat, Satisfecerit pro nobis, Qui nihil ex nobis facere possumus; Agátque jam nobiscum, sub tam benignis, Deóque dignis Conditionibus, Fidei solùm atque Obedientiæ, Nè respuamus oblatam nobis, atque assiduè per SSpiritum suum repetitam hanc Gratiam, dantéque ipso nobis tum velle, tum facere, Nè desimus igitur Nobismetipsis, sed ut velimus jam atque faciamus, quod in nobis per ipsum est, & Salvi æternùm per ipsius Merita simus, *Scientes, quòd labor noster non erit inanis in Domino Christo*, 1 Cor. 15. 58. Potéstne esse ad Pietatem colendam alia tam ingenua, tam efficax, tam imperiosa quidem Suasio, Invitatio, Pertractio? E contrà, è parte Socinina, Scire, Neminem non peccare, Neminem etiam in conspectu Dei justificari posse, Persuadere denique sibi, neminem esse qui intercedat, & Satisfaciat; Quid igitur narrant nobis de Feneſtra aperienda ad Peccati licentiam? Jam Portam omnem, quà ruatur ut libet, patefacit ista Desperatio: Si nulla Redemtio sit, nulla Satisfactio, (Quantò magìs, quàm Si nulla Resurrectio? 1 Cor. 15. 31.) vivamus igitur, dum vivimus; *Edamus, bibamus; Cras enim morimur.*

13. Ad confirmationem igitur opinionis Catholicæ, *Esse Christum Redemtorem, próque nobis Satisfactorem*; & non ad Barjesuiticæ istæ negantis, spectare illorum SScripturæ Locorum & jus & gratiam, quæ tamen Catechista (Quo ore, nunc non quærimus,) huc in pompam suam, Sed eâdem quâ Semper arte, produxit, vel ipsi jam Textus optimè testabuntur. Primus est, *Mortis Christi finem esse*, (Si ex Barjesuitæ verbis accipimus) *ut redimeremur ab omni iniquitate*, C. R. p. 230. Estque è Tit. 2. 4, Sed in hæc Verba, *Qui dedit Seipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate.* Alter sic ab eo formatur, *Ut ex hoc seculo nequam eriperemur*; éstque è Gal. 1. 4, Sed hæc in verba, *Qui dedit Seipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex hoc præsente seculo maligno.* Tertium hoc modo extrudit, *Ut redimeremur ex vana conversatione à Patribus tradita*, & est è 1 Pet. 1. 18, Sed in hæc verba, *Scientes, quòd non corruptibilibus, argento vel auro redemti estis, ex vana vestra conversatione πατροπαραδότου, Sed pretioso Sanguine, seu Agni immaculati, & incontaminati, Christi.* Ultimus denique ex ipsius stylo sic prodit, *Ut mundaremur conscientiâ à mortuis operibus ad serviendum Deo viventi*; éstque ex Hebr. 9. 14, Sed in hæc verba, *Si sacrificia Legis ad tantam sanctificationem valebant, Quanto magìs Sanguis ipsius Christi, Qui per Spiritum æternum Seipsum obtulit immaculatum Deo, purgabit conscientias nostras à mortuis operibus ad colendum Deum Viventem?* Nunc autem fideliter recitasse hæc singula, satis est: Lectores ipsi jam, nisi nimiùm occalluerunt, judicent, Ut Socinini ipsos, ut SScripturas, ut Christum tractent, & quid de iis sentiendum jam sit: De opinionis autem nostræ pernitie quid ego sentiam, illi nunc me audiant. Equidè bonâ fide profiteor, *Profiteri hæc, Christum Morte Suâ Salutem nobis Meruisse, & pro peccatis nostris Satisfeciſſe, opinionem esse, non ad modum sed supra modum pernitiosam.* Verùm quibus tamen? non Christianis, non Piis, Probísque Christi Cultoribus, Sed universæ Socinitati. Neque enim Christus vel Sic Mereri, vel Satisfacere potuisset, nisi & verè Deus fuisset. Actum igitur vel ex hac consecutione de Barjesuitismo funditus erit. Ad hoc enim prodiit Pestis ea, atque ob hoc litigat, Simulat, Sudat, prævaricatur, colores omnes inducit, nervos per fas & nefas intendit omnes, Nè Christus ex Natura suâ verè sit Deus. Quid mirum igitur, Si adversùs Mortis Christi Meritum, ejúsque pro nobis Satisfactionem sic paratragœdiari Christomastiges hii cogantur, atque nè operam suam omnem & oleum perdant, tam dirùm vociferentur, *Opinionem hanc esse admodum pernitiosam?*

14. Nobis interea jam & opportunitas, & animus est, regrediendi ad id, quod definitum à Catechista retrò est, tum cùm declamare cœpit contra hoc, quod Christianos non negat vulgò sentire. Sententiam ibi geminam peremtoriè tulit de Morte Christi; Primam, Nullâ aliâ prorsùs de Caussa in Scripturis, tam crebræ Salutis nostræ mentione adjectâ, Mortem Christi celebrari, nisi quòd *mors via ad Resurrectionem, & Exaltationem ejus fuerit*, C. R. p. 227. *Via* autem? Hui, quàm frivolé! De SSpiritûs scilicet Dialectica est, in Salutis nostræ causssam, non modò Primariam, verùm etiam Solitariam, Mortem Christi communiter assignare, Quæ tamen, Barjesuitâ Censore, Causssa ejusdem nulla est, nisi Sine qua non; De Resurrectione verò ipsius, Licèt eam Illi συναιτιολογῶ Salutis Causssam nobis esse volunt, nè verbulum aliquod, tanquam de Causssa, facere. Atque ità quidem si Res Se verè habuerit, Quid opus erit Morte Christi? Nunquid Deus exaltare Filium suum non poterat, nisi Cruci eum priùs Discipulum daret? At in cœlos ipsos ante Crucem exaltaverat eum, Si Barjesuitarum Expositiones admittimus, C. R. p. 130. Quod potuit igitur pro Filio furtim, non potuit & publicè, nisi per Mortis Viam? Quòd si necessarium fuisse vident, in Salutis nostræ negotio, *Via* solius rationem haberi, dicant, obtestamur, ex quo respectu? Utrùm, viæ brevioris? An certè, productioris? Si brevioris enim, cur Moscorovius non admonuit, Ut Sepulturæ Christi ea omnia adscriberentur, Quæ de Morte ejus leguntur? via enim & Sepultura erat ad Resurrectionem, & in parte paulò, quàm Mors ejus, proximiore. Sin quò productior est via, eò sit gratior, ad exitum igitur ex Utero B. Virginis, aut certè paulò longiùs, ad ipsam Conceptionem retrocurri oportuit; nam & illa præviæ Humiliationis ejus exordium erat, & in ea tamen temporis distantia, rectà ducebat ad ejus Exaltationem; Ad quam etiam sine ea secundùm Dei Decretum, (prout mirabiliter hâc in re cavit profundus iste Magister: Secundùm illud enim, nec sine Caiaphani galli cantu potuit, nec sine Judæ suffocatione;) pervenire non potuit.

15. Quasi fessus igitur de Via hac, in alium Secessum mox se recipit. Videbat enim, SScripturas, tam infinitis in locis Salutem hominum, verbísque tam disertis, referre ad Christi, non Mortem solùm, sed etiam ad Mortis instrumentum, Crucem ipsam, Ut hoc foret, Sannis Se, sibilísque omnium excipiendum propinare, si aliud ipse nihil pro nobis in Morte Christi reperire poterat, nisi *Viam ad Resurrectionem ejus.* Adsuit ergò, quod rem acu feliciter tangat, *Deinde quòd ex omnibus, quæ Deus & Christus nostræ Salutis causssâ fecerunt, mors Christi potissimùm nobis Dei & Christi charitatem ostendat, & ante oculos ponat. Sed alia aliqua mortis Christi causssa prorsus nulla est*, C. R. p. 227. Jam igitur Sapit. Sed & hæc jam impostura Suæ ipsa Epitasis quidem est, Artísque ejus Sophisticæ fastigium nobis ostendit, & antè oculos ponit. Quis enim jam non ambabus ulnis excipiendam rebitur hanc de Morte Christi Professionem? Enimverò quòd mori voluerit, hoc primò infinitæ Charitatis erat. Immunis enim Christus ab Adami maledicto, quia non Peccati ejus, licèt Primævæ Naturæ, particeps, non Solùm potuit non mori, verumetiam non potuit mori, nisi ipse voluisset. *Nemo tollit vitam à me, Sed ego ex me ipso*

pono eam, ipſe dixit, Joan. 10. 18. Atque hinc in Quæſitis de Meſſia iſtud omnium primum Paulo eſt, εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς, Act. 26. 23, id eſt, Unde poterat ille mori. Verùm An poterat Reſurgere, Secundum non eſt. Sequebatur enim hoc ex ipſa Naturæ neceſſitate, (Licèt Barjeſuitæ ex improbiſſimo inſtituto, Reſurrectionem Chriſti evehant, quò Mortem ejus deprimant:) Quia ut Petrus in Pentecoſte, *Teneri eum à morte* ὐκ ἦν δυατὸν, Act. 2. 24, hoc autem plus eſt, quàm ὐκ ἦν δίκαιον· non potuit igitur non Reſurgere. Secundò autem quòd hanc ob Cauſſam voluerit mori, ut moriendo pro nobis Satisfaceret, eóque Pretio nos de morte in vitam adſereret, & Filios Dei faceret, rectiſſimè hoc ab Apoſtolo ad Charitatis Divinæ immenſitatem referre docemur, ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ Πατὴρ, 1 Joan. 3. 1.

16. Nunquid ergò non convenimus jam? Annon idem de Morte Chriſti, quod nos, & Barjeſuitæ dicunt? Audimus eos, Divinam, noſtræ Salutis Cauſsâ, oſtenſam Charitatem ex Morte Chriſti potiſſimùm accerſere. Cave verò credas, ô Bone, quiſquis es. Prævaricantur enim in hoc turpiſſimè & Charitatem Divinam, non, ex verbo Apoſtoli, *quam Deus dedit nobis*, intelligunt, Sed *quam oſtendit* ſolùm, (Jamdudum autem oſtendimus, ut in hoc vocabulo fallere ſoleant,) atque ante oculos ponit. Hanc autem Catechiſta, non diu antè, miſerè reſtrinxerat, Summáque eſt, *Quòd Chriſtus Voluntatem Dei omnem annuntiare nobis voluit, atque Seipſum in Exemplum nobis dare, & Doctrinam denique ſuam morte ſuâ confirmare*, C. R. p. 221. Verùm ſi procedere hinc ſperemus ad mirabilem iſtum Charitatis effectum, Quòd moriendo Mereri nobis Salutem voluerit Chriſtus, patiendóque Satisfacere Deo pro peccatis noſtris potuerit, reſiliunt ſtatim, & Tragicè exclamant, *Sententiam hanc fallacem eſſe, & erroneam, & admodum pernitioſam*. De quo quidem convitio quid Piis omnibus ſentiendum ſit, & cujus neceſſitatis furcâ ipſi ad inſanam hanc blaſphemiam adacti ſint, in Sectionis hujus decurſu abunde jam expoſitum eſt.

SECT. LVI.

1. Οἰκουμένη μέλλουσα *dicebatur de Chriſti Adventu in Carnem. Trajectiones* τῆς Πάλιν.
2. *Angeli erant Mediatores temporibus ante Meſſiam; Meſſias ſua ſolus procurat. Duo ſecula Hebræis*, Præſens, *i. ante Meſſiam*, & Venturum, *ſub Meſſia.* Μέλλων Αἰών.
3. Οἰκουμένη, 1° *Totus Orbis*; 2° *Romanum Imperium*; 3° *Judæa*, הארץ; 4° *Eccleſia Chriſti. Comprehendit Tempora, Loca, Perſonas.*

SUmatur igitur pro conceſſo, Apoſtolum per τὴν Οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν, Heb. 2. 5, intelleXiſſe ſeculum illud, quod poſt hujus Chriſtiani Seculi conſummationem ſecuturum eſt, (in quam me opinionem abripuit jampridem Eruditorum aliorum vehemens contentio;) Atque nihil etiamnum habeo, cur abſcedam ab ex hoc Loco à me priùs dictis ad Expoſitionem ejuſdem, ádque Excluſionem Angelorum ab ea adminiſtratione. Sed quò magìs Rem hanc mecum penſito, Contextúmque Loci perſcrutor, & Senſum, Verbáque Apoſtoli ad examen revoco, eò minùs mihi Hypotheſis illa arridet, ſubíque, ut alia Tempora deſignari jam cenſeam, quæ per Seculum iſtud, Οἰκουμένην μέλλουσαν appellatum, ſignificari nunc exiſtimanda ſunt. Imprimis autem in hanc ſententiam pertractus ſum, per adſumentum ab Apoſtolo ibidem factum, περὶ ἧς λαλοῦμεν. Non ferebam enim verba ea à perenniludione Barjeſuita meo tam Sophiſticè perverti, & quaſi legiſſet, περὶ ἧς ἐλαλήσαμεν, Digitum fallacem ab eo intendi, ad Heb. 1. 6, cum fraudulento hoc epiphonemate, *At nuſquam alibi de mundo eo locutus eſt*, C. R. p. 76: Atque ex hoc concludi igitur eum velle, in alterius ejus impoſturæ ſuppetias, illum Locum, Ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν Πρωτότοκον εἰς τὴν Οἰκουμένην, non de Mundo Præſente, ſed de Futura Immortalitate accipi oportere. Verùm de Chriſti in Carnem Adventu (Barjeſuiticis auribus quàm ingrato cunque) verba ea exponenda eſſe, fuſiùs jampridem à me expoſitum eſt, Nihílque jam addendum reſtat, niſi ut moneam, Metatheſin iſtam, per quam pro ὅταν δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ, intelligi velim, πάλιν δὲ, ὅταν εἰσαγάγῃ, tam procul ab aliqua violentia abeſſe, (quo ſolo tamen colore Eruditorum nonnulli abſterrentur,) ut & elegantiæ non exiguum in Se habeat, & ab uſu quoque SSpiritûs alienum non eſſe, abunde pareat per illud, καὶ ἐν τούτῳ πάλιν, Heb. 4. 5, pro καὶ πάλιν ἐν τούτῳ, tum & illud, καὶ μετὰ μικρὸν πάλιν, Mar. 14. 70, pro καὶ πάλιν μετὰ μικρόν. Neque certè (ut hoc ſemel dicam) eſt quicquam in Græco ſermone illiuſmodi Adverbiorum quorundam trajectionibus familiarius, venuſtiúſve. Propheticum igitur ad morem vaticinium iſtud è Pſal. 97. 7, non eſt introductum, Ut de re futura, Sed in Tempore Præſente enunciatum, (neque enim eſt ὅταν εἰσάγῃ, *Cùm introducit*, ut Latinus V. vertit) Sed in tempore Præterito expreſſum, In Aoriſto enim eſt, (quod tot eruditos Viros fugiſſe miror,) vertíque debet ὅταν εἰσαγάγῃ, *Quando introduxiſſet.*

2. At quæ tum erit ἡ Οἰκουμένη ἡ μέλλουσα, de qua Apoſtolus heic ait Se loqui? In promtu eſt Reſponſio, & gemina quidem: Una è Textu, è Contextu altera. Ex ipſo Textu liquet, Seculum iſtud eſſe, quod Angelorum Dominio mandatum non eſt. Nam temporum quidem ante Meſſiam, Angelis datum eſt, Mediatores ut eſſent inter Deum, Hominéſque; & ipſum V.T. atque Lex Moſaica dabantur εἰς διαταγὰς Ἀγγέλων, Act. 7. 53, per Angelos, licèt ἐν χειρὶ Μεσίτου, Gal. 3. 19. Sed Meſſias ſua tempora, ipſe per Se, indè à principio, ſolus adminiſtravit: miniſtrabant quidem ei, ut totidem famuli ad privata officia, ipſi Angeli: Sed Chriſtus ſolus Novioris & Præſtantioris Teſtamenti ſui Mediator, Authórq; ſemper fuit, Heb. 8. 6. & 12. 24. Neque uſquam in SScripturis Euangelii procuratio commiſſa eſt Angelis. E Textu igitur, hoc. E Contextu verò, Eſſe jam hoc Argumentum à Majore, paret per tmematium ſecundum, ducíque ex eorum Temporum exemplo quæ procurabantur ab Angelis. Supra Angelos autem comparationem, ab ipſo, ídque per varias inſtantias inſtitutam eſſe docemur, ex Heb. 1. 4, atque ex iis liquet, quàm longè ſubſidat Seculum illud infra Seculum hoc, Ante Meſſiam, illud, infra hoc, ſub Meſſia. Atque hoc illud eſt, de quo cœperat ipſe priùs dicere, cùm τοῖς πάλαι opponeret τὰ ἐπ' ἐσχάτου τῶν ἡμερῶν τούτων geſta, v. 2, Norúntque ſatis Hebraicarum rerum non rudes, haut alio veteres uſitatiore modo diſtinguere ſolitos mundi Tempora, quàm per Seculum *Præſens*, atque *Venturum*. (E cujus quoque uſu inter eos communi, etiam & Romæ Poeta, in Carmine ſuo (variè, miréque Prognoſtico eo) iſtud traxit,

Aſpice venturo lætentur ut omnia Seclo!)

Per *Præſens* autem intelligebant Seculum, quod iis tum decurrebat Meſſiam præſtolantibus, per *Venturum* verò illud, quod cum ipſo Meſſia initia ſua ſumeret. Ex hoc igitur intuitu eſt, quòd & Chriſtus ipſe Sermonem cum Judæis habens, Meſſiam veniſſe nondum credentibus, Suâ ipſorum diſtinctione utatur, moneátque, *Blaſphemiæ in SSpiritum nullam Remiſſionem habendam*, ὅτι ὃς ἐν τούτῳ τῷ αἰῶνι, ὅτε ἐν τῷ μέλλοντι, Matth. 13. 32. Neque ſub Moſe ſcilicet, neque ſub Meſſia, id eſt, neque ſub Lege, neque ſub Euangelio. Quin & hâc ipsâ in Epiſtola videre eſt, Locutionem eam antiquitus uſitatam, etiam mutatis jam temporibus ſervari uſque ab eo, & denuo repeti, Ait enim eos, qui ad Euangelii Myſteria intromiſſi fuerant, guſtâſſe δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος, Heb. 6. 5. Seculum enim hoc, Præſens utcunque tum, cùm ille ſcriberet, erat, erat tamen illud, quod à Majoribus ſemper ſuis vocatum fuerat *Seculum Venturum*; Eodem igitur exemplo, vel tum μέλλων αἰὼν ab eo dicitur,

dicitur, quo & Dominus ipse, propter diutinæ Expectationis phrasin, etiam postquam venerat, & ab iis, qui veniſſe eum non negabant, toties appellatur ὁ Ἐρχόμενος.

3. Vocabulum autem Οἰκουμένην quod attinet, ecquid abs Re Præsenti erit, Si Quatuor ejusdem in Sacris Literis Significationes jam adnotemus? Prima omnium propriissima est, per quam designantur universi Orbis incolæ, ut Psal. 49.1. & Esa. 14.26. & Act. 17.31. & sæpe alibi. Secunda parcior est, restringit enim Notionem ad Imperii Romani (tum quidem expansissimas tamen) metas, ut ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν Οἰκουμένην, Luc. 2.1, ex Edicto Cæsaris. Tertia est, ubi Senes, quod in Sacro Textu est הָאָרֶץ, denotátque in Prophetis nil aliud, quàm Suam ipsorum Regionem Judaicam, reddiderunt tamen τὴν Οἰκουμένην, ut Psal. 72. 8. Esa. 10. 23. & Zeph. 1. 11. cum aliis id genus non paucis: Ad Quorum exemplum creditur, & illud Euangelistæ, τὰ ἐπερχόμενα τῇ Οἰκουμένῃ, Luc. 21. 26. Agabi etiam vaticinium (Sed incertum, An sic ab ipso Propheta, Quia nescitur, quâ Linguâ usus ibi fuerit, An solùm à Luca Historico;) in ea verba formatur, λιμὸν μέλλειν ἔσεσθαι ἐφ' ὅλην τὴν Οἰκουμένην, Act. 11. 28. De Judæa tamen SSpiritum hoc præmonuisse, ipsi Fideles Antiocheni demonstrant Se intelligere, ex eo, quòd Sui satis securi, Subsidium Pecuniarium statim conficiant, mittántque solummodo ad Habitantes in Judæa, v. 29. Cum Restrictione tamen nova jam & hoc fiebat: Neq; enim ad universos Terræ Sanctæ Habitatores mittitur, Sed ad Fideles solùm Fratrésq; in Christo; Hii sunt illis ἡ Οἰκουμένη, Cui sustentandæ parant has suppetias; Mittunt ergò ad Presbyteros, v. 30, id est, ad Episcopos ibi Locorum, Substitutos atque Coadjuvas Apostolorum, (Alii enim Presbyteri, præter plenariâ omni Potestate ex Deo imbutos, hoc est, Episcopos, in Orbe tunc non extabant;) Quorum cum Deo erat curare has Eleemosynas, Act. 4. 35. Ab hac igitur Restrictione haut multùm abscedit Quarta vocabuli hujus Significatio, Quâ Ecclesiam Christi, Orbísq; partes Euangelio illustratas denotat ἡ Οἰκουμένη. Igitur cùm Euangelium, & Ecclesia designari in mysticis soleant per *Cœlum*, Paulus Locum illum Davidis, de Orbibus Cœlestibus Gloriam Dei Suo Modo deprædicantibus dictum, Psal. 19. 1, ad sua sub Christo per Euangelium annuntiato, tempora adaptat, ἐξῆλθεν εἰς πᾶσαν τὴν γῆν ὁ Οἰκουμένης τὰ ῥήματα αὐτῶν, Rom. 10. 18. Quod & alibi dicit, κηρυχθῆναι ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν, Col. 1. 23. Habitâ igitur jam non solùm τῶν αἰώνων, sed & cum tempore, etiam Loci, paritérque & Personarum ratione, hæc est illa ἡ Οἰκουμένη, quam Paulus nunc se velle dicit, Angelorum quidem abnegatam, Soliúsq; Christi adsertam Auspiciis, & Administrationi.

Sect. LVII.

1. *Elleipseων acervus. Subjectum solummodo positum pro tota Propositione.*
2. *Liberi Arbitrii Patroni. Omne Bonum in nobis, ex Deo originem ducere.*
3. *Neque ex Nobis solùm, neq; ex Deo tantùm sunt, quæ nos bene agimus.*
4. *Ratio Contextûs in Expositionibus habenda semper est. Naturæ non debentur Prærogativæ Fidei. Scopus Loci Primarius non est semper Solitarius.*
5. *Auxilium Divinum quodnam Barjesuita agnoscat; Deum* Gratiam Offerre, *dicit, sed non,* Conferre.
6. *Suppositiones non sunt faciendæ de rebus impossibilibus. Hominem posse Deum prævenire, non est Casus dabilis.*

IN tribus membris Conclusionis illius Paulinæ, ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεῶντος Θεοῦ, Rom. 9. 16, Tres distinctæ Propositiones reverà continentur: *Non Volentis*, Una est; Altera, *Non Currentis: Miserentis Dei*, est ultima. Elleipseis autem Quot, Quantæque in Singulis hiis insint, mirari jam citiùs hoc, quàm explicare poterimus. Potéstne enim non mirum imprimis videri de tribus Partibus Integralibus adesse tantùm unicam? Subjectum, Prædicatum, & Copula, sunt Partes Constitutivæ Propositionum. At nihil jam in hiis habetur, præter id solum quod subjicitur; Ipsum Subjectum in omnibus heic est Omnia. Jam abesse quidem Copulam, minùs à ratione abest, Quia, cùm unicum vocabulum adsit, nihil apparet, quod cum eo copuletur. Sed id quod eapropter appellatur Subjectum, Quia Prædicationi alicui substernitur, existere jam, totiésque prodire sine aliquo Prædicato, Divinæ hoc Artis esse oportet, solóque Apostolo Artifice dignæ. Ad rectum autem Loci intellectum, nobis nunc necesse est, ut Partes Singulas acciamus, tum Absentes, tum quæ Præsens etiam est, & seorsim examinemus. Reperiemus autem & ab ipso hoc Subjecto abesse quoque Suam Conditionem; neque enim istud τῷ θέλοντος, Simpliciter nunc dictum est, neque Absolutè, τῷ τρέχοντος, Sed ex eo, quòd utrumque negatum quidem aliis, Misericordiæ tamen Dei adseratur, manifestè paret, in partem solùm sanctiorem, laudéque dignam, accipi oportere, Esséque, *Volentis bonum*; uti Paulus ipse modò dixerat, θέλειν καλόν, Rom. 7. 19, atque *Currentis bene*; ut & ille, βέχειν καλῶς, Gal. 5. 7. Sed Minore jam negotio constabit de Copula. Eam enim definimus, tam ex communi omnium consensu, quàm ut communiter ab Apostolo subaudiri solitam, esse Verbum Substantivum *Est*. Atque jam ex hiis habemus, *Non est Volentis bonum, non est Currentis bene: Est Miserentis Dei.* Verùm quid id sit, quod Illis abjudicatur, Huic adscribitur, hâc quidem in parte, in Designatione Prædicati, propter contrariarum opinionum studia, infinitè litigatur.

2. Qui candidissimè Se agere arbitrantur, subintellectam illam in Subjecto conditionem sequuntur, atque per actum Reflexum de omni Bono hæc accipi volunt; ut velit quis bonum, Volentis non esse; ut currat bene, non esse Currentis; non enim Hominis ipsius esse, sed Dei, Qui pro summo suo Beneplacito operatur in nobis, Καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν, Phil. 2. 13, tum Velle, id est Intentionem, tum Currere, id est Executionem: In quem quidem sensum Davidis illud piissimè accinunt, *Non nobis, Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam, propter misericordiam tuam*, Psal. 115. 1, ex miserante enim Deo hæc omnia in Homine esse. Verùm ad hæc turbantur, Qui in Partibus Suis Liberiori Arbitrio plusculùm patrocinantur, útque hoc assignetur pro Prædicato harum Propositionum nullo modo ferre possunt; contendunt igitur, Cat. Rac. pag. 264, per Negationem eam adjunctam non posse Libertatem Voluntatis Humanæ sic excludi, quin ex eadem Consequentia & Voluntatem ipsam destrui necesse sit; Absolutè enim dicitur, *non Volentis*. Sed hæc quàm puerilis verè captiuncula est, gravésque Theologos imprimis dedecet! Plura enim Vocabula licèt in Apostolo non legantur, Particula tamen ista Negativa non præfigitur vocabulo *Volentis*, sic ut ad illud tollendum valeat (Supponitur enim imprimis illud, ipsúmque Subjectum est:) Sed Copulæ ipsi, quæ subauditur, præmittitur, (Modò Ordo Verborum ritè, & juxta naturam rei instituatur,) quò Conditionem solùm sic intercipiat, ut ab ipso Subjecto, non jam Actum Volendi, sed Facultatem, atque Originem Volendi bonum illud, excludat, sic, *Volentis bonum non est, quòd bonum velit; Currentis rectè non est, quòd rectè currat: Miserentis enim Dei est, humanisque defectibus ità Succurrentis, ut per gratia Suæ aspiramina præcurrat nobis, & usq; comitetur, Quò verè bonum quicquam, benéque velimus, agamúsque.* Hic enim genuinus Ordo, Sensúque verborum est.

3. Veruntamen, ut litem hanc declinent, & mitius aliquid determinare videantur, Græcos Patres, quasi ad alteram Elleipsin supplendam, memini, Particulam etiam Exclusivam in Expositionibus suis intelligi jubere; *Non*

est volentis tantùm; non solùm est currentis; Sed etiam Dei Miserentis. Neq; tamen & hoc, quàm Verum cunque, Piúmque, & Moderatum sit, eâdem de Causſa, quâ priùs, ferre possunt in Ecclesia Pontificia. Prætendunt autem & Rationem, & similem quidem priori, hoc est, nimis Sophisticam. Causſantur enim, (si verba ipsorum non pravè recolo) Ex simili Supplemento converti posse hanc Sententiam, in, *non est Dei Miserentis, sed Volentis etiam est, & Currentis.* Aures autem pias non ferre hoc, *non est Miserentis Dei*, Aquinatis alicubi est. Verùm obtestamur eorum fidem, Quid opus est aliquâ, quid tali, præterquam ad Captionem, Conversione? Id primùm respondeant. Dein, Hóccine est Simile Supplementum? At in Græcorum sensu, Supplementum esse oportet vocis Μόνον, quam ipsi nunc non addunt: Supplementum igitur hoc ipsi omnino nullum faciunt. Sententiam quidem Pauli tam præposterè convertunt, ut corrumpant planè atque in contrarium commutent. Partes enim ejusdem Negativas duas, déque Hominibus prædicatas, in Affirmativas convertunt; Quæ Affirmativa autem, atque de Deo est, in Negativam commutant; & jam objiciunt, Pias aures hoc non ferre? Piè quidem faciunt jam, quòd hoc non ferant! Verùm missis hiis strophis, agant ingenuè, & siquam justam Convertendi rationem habeant, convertant Sententiam; Sed & unà hoc, quod Simile Supplementum appellant, suppleant, sic, *non est Miserentis Dei tantùm, sed etiam Volentis, & Currentis hominis.* Et quid nunc habent, quod piis auribus refugiendum sit? Numquid non sensu satis sano dicitur, Bonum opus omne Humanum ex eo, quòd Humanum est, non esse Solius Dei, sed etiam Hominis? Non debebat ergò Græcorum illa Expositio, per Exceptionem tam frigidam, tam fictè, pravéque objectam, rejici!

4. Est aliquid certè, quod de Contextu, & Scopo Loci, déque Instituto Apostoli succlamare solent, Qui de sola Electione ad Æternam Salutem, déque ejusdem Causſa, in præmissis agi ab Apostolo contendunt, Neque igitur Conclusionem hanc trahi debere ad Causſam Bonorum operum nostrorum designandam, limitandámque. Sed Argumenti tamen hujus utraque Pars satìs in ambiguo est. De Antecedente enim ut dubitetur, facit ipse hic Locus. Nam si admittatur, de sola ad Salutem Electione accipienda hæc esse, tum & eampse ingredi par est in Textum hunc in Supplementum Elleipseων, Prædicatúmque Propositionis esse oporter, *Volentis non est, non Currentis, sed solius Dei Miserentis, eligi nos ad Salutem.* Credíne verò potest, Paulum sic loqui? Cùm Electio cujusque Existentiam ejus tam infinitè antecedat, Annon extremæ ἀνυπολογίας esset, Voluntatem, aut Cursum cujusque excludere ab ejus Electione? Quorsum enim? Potuítne aliter existimari à quoquam sano, nisi Paulus jam præcaverat? Si non; Quid opu'st igitur istâ tam operosâ Negatione? Neque nescio quidem, ut soleant hæc applicari, ut sub voce *Volentis* intelligatur Fides, sub *Currentis* Opera; Atque id Apostolum velle, Electionem nostram non esse ex prævisa Fide, aut Operibus. Sed ingeniosa hæc magìs quàm Solida sunt, Pondúsque nullum hoc genus Consecutiones habent, præterquam quòd ex usu communi inter Theologos invaluerint. Etenim, istud si voluisset Paulus, tam in promtu ei fuisset dicere, *Non est Credentis, neque est Operantis, sed Miserentis Dei est.* Quòd aliter igitur dixerit, Argumento est, eum aliam rem dicere. Et de Electione quidem, verùm non ad Salutem Æternam ea, sed de alia prodroma, ad Ecclesiam Christi, id est de Vocatione nostra ad Fidem, Apostolus in Præmissis instituerat dicere: Sunt igitur ei Exempla (Isaacus prælatus Ismaeli, & Jacobus Esavo;) Ecclesiæ Christi, de Gentibus jam, Quoniam Judæi, Legalium suorum Voto, Cursúque abrepti, Christum non sequebantur, desumendæ. Primarius igitur iste Scopus Apostoli est, ut pareat, Naturæ non deberi Prærogativam Fidei. Sed tum, quòd Solitarius Scopus ille sit, & quòd verba eadem non possint ad Secundariam aliquam Consequentiam, ad quicquid igitur Boni in nobis reperitur, pariter ab Apostolo intendi, temere satìs adfirmatur à Pontificiis, nè nimiùm vel hinc plectatur iis Liberum Suum Arbitrium.

5. Quantò illustrior igitur nunc magnificentiórque Parte Jesuiticâ est Barjesuitica, Qui facilè largiuntur, Locum hunc à Paulo, De Bono in Nobis, De Voluntate enim, atque Conatu Hominum, intelligi; neque dubitant tamen, Arbitrii Libertatem suis jam Auspiciis sic adserere, ut vel ipsi Pelagio hanc palmam præripiant? Unicâ nimirum Distinctiunculâ, quam felicissimi mortalium in nubibus fabrefecerunt Sibi, didicerunt hanc rem confectam dare. Esse enim primò supponunt *Voluntatem atque Conatum Hominis, (vel Præveniendi Deum, vel Obsequendi Deo,)* Cat. Rac. p. 264. Sed facto hoc, in ridiculam Distinguendi speciem, Præludio, statim profitentur, *Se libenter ei rei accedere, neminem esse Hominem, qui Voluntate & Cursu Suo hoc obtinere possit, ut Deum ad conferendum Beneficium aliquod in ipsum moverit*, Cat. Rac. pag. 266. Non possit, autem? At Quis hoc poscit? Quis enim præter ipsos, dicit? Quin igitur dicant Sublesti, non Quid possit quisquam, sed Quid voluerit. Monstrent, Quis id conatus fuerit; Quis ad id cucurrerit. Nisi enim hoc probaverint, Mirifica hæc Distinctio in fumos iis abit. Ea certè heic Prima fallacia est. Est & Secunda, Tertiáque in eo, quòd *Neminem posse Deum ad conferendum aliquod Beneficium movere* aiunt. Nam si sic, Quorsum votis solicitant Deum? Cur & præ se ferunt, instituere Se Suos ad Precum assiduitatem? Explicandum etiam est, quid intelligant, per *Beneficium ab Deo conferendum.* Potest enim illud de Temporalibus solùm Donis accipi. Doceant nos igitur, An & Spiritualia quoq; omnia complectantur? An, ex eorum numero expungant Prævenientem Gratiam? Credibile quidem est, eos vocem hanc *Præveniendi* ex alterutra Parte, Dei, Hominísque, minùs probare. Gratiam enim esse, aut Prævenientem, aut Adsistentem, aut Subsequentem, Tituli sunt, quos ipsi nusquam agnoscunt. Hoc sentiunt, Esse in N. T. præstantissima Promissa iis proposita, qui Voluntati Divinæ obsecundaverint, Adjectis etiam minis, si spreverint, Cat. Rac. pag. 253. *Auxilium* autem hoc *Divinum*, potiùs quàm *Gratiam* appellare solent, Quod cùm Exterius sit, nemini prorsus denegari fatentur, Cui Voluntatem suam Deus patefacit, hoc est, qui Euangelium audierit. Esse verò & Internum Auxilium non inficiantur, Sed Subsequens reverà est, (Si Auxilium dicendum id sit, & non potiùs, Præmium;) Sic enim definiunt, *Cùm Deus in Cordibus sibi obedientium Promissa Sua obsignat*, Cat. Rac. pag. 254. In Provinciis igitur Barjesuiticis antecedit Obedientia, subsequitur Auxilium. Neque vetant etiam, ut (in genere) hoc appelletur Gratia, sed mutato tamen semper Verbo Collativo. Deum igitur utcunque Conferre Beneficia, non inviti, quia id tam generale est, audiant, tamen de Gratia ubi dicendum est, jam non *(Conferre)* sed *(Offerre)* subsituunt, & *Postquam Deus Gratiam suam obtulit, hominem non posse Gratiam oblatam accipere, & ex Præscripto Divinæ Voluntatis vivere, pro pernitioso* (Pluribus enim pernitiosis miseri vexantur,) *errore ducunt*, C. R. p. 266.

6. Ut redeamus igitur nunc ad Locum, quem præ manibus habemus. Cùm enim Paulus adserat, *Esse non Volentis, neque Currentis, sed Miserentis Dei*, exponi eum jubent, (*De Voluntate & Conatu ejusmodi, Quo nos Deum præveniamus, & moveamus, ut nobis sua Beneficia proponat & offerat*, Cat. Rac. pag. 265.) Attende igitur, Lector, *offerat* nunc est, atque *conferat* οἰχεται. Sic autem Velle, sic Conari, nemini Competere, oppidò contendunt, Qui tamen hoc pro Priore Membro Distinctionis suæ jam posuerant. Verùm

rùm & iſtud non ſufficit nobis. Principalis enim jam Quæſtio eſt, Quid ipſe Paulus voluit? An ille metuebat, ne Romanorum aliquis ſic velleт, aut ſic conaretur, ideóque præmonitos ex ſe eos eſſe voluit, quò inanem hanc operam nè ſumerent? Paulíne cura erat per hanc Sententiam, Nè ignoti cupidine percitus quiſpiam, ignotum ſibi Deum urgeret, incognita Beneficia conferre ei, & incognitam Voluntatem proponere? Si tamen ignota hæc, aut incognita cuiquam dicenda ſunt, quæ indè à principio Evangelii ſui per Chriſtum toti mundo patefacta ſunt. Quî poterat ergò quiſquam eâ in parte prævenire Deum, in qua jam Deus ipſum prævenerat? Aut quid opus Paulo erat, niſi inſanùm nimis otiabatur, de Re tam Contradictoria, tam impoſſibili, (vel Philoſopho ipſo monente, de rebus impoſſibilibus non eſſe faciendas Suppoſitiones;) tam inaniter cavere? Sed dandum & hoc eſt dementiæ Barjeſuiticæ: Nè enim ſoli inſanire viderentur in ſua Hæreſi, vel Paulo ipſi adfigendum ab iis (quidlibet ſemper auſis,) erat futile hoc commentum. Quid ità? Quò in altera parte Diſtinctionis, jam ubi Pauli verbis tam inaudito atq; incredibili modo ſatisfeciſſe prætenderent, evagari liberè poſſint pro Suo Arbitrio. Non obſtante igitur, quòd *non ſit Volentis, neq; Currentis*, (in non Dabili ſcilicet Caſu ſuo, *Prævenienti Deum*, De quo tamen Paulum agere volunt;) nunc tamen cùm à Deo Se præventos eſſe nôrint, hoc eſt, cùm Præceptorum Dei cognitionem adepti ſint, & quid promittat Ille, quid interminetur, ſciant, (Quæ nec Reprobos ipſos, neque Dæmones latent,) nunc, *Voluntatem atque Conatum Præceptis iſtis obediendi*, Cat. Rac. pag. 294; Atque ex Suppoſito eo, (paris enim Conſequentiæ; Nullius ſcilicet, eſt & hoc,) *Poteſtatem etiam inſtituendi Vitam ſuam ad præſcriptum Divinæ voluntatis*, Cat. Rac. pag. 266, audacter Sibimet arrogant. Sed arrogantem Hæreſin iſtam quàm funditus protriverint Orthodoxorum Scripta, Theologi non neſciunt. Hæc tantùm à nobis, Paulino huic Loco lucem facientibus, obiter jam adjicienda erant, quem reddi ſic velim à Nobis, Therefore then, not of him that Willeth, [is it,] nor of him that Runneth, but of God that granteth the Mercy.

SECT. LVIII.

1. *Cur nolint Chriſtum, Poteſtatem, quam ex hypoſtatica Unione habebat, habuiſſe, antequam reſurrexerat. Actum ejuſdem ſuſpendare poterat pro Divino ſuo Placito.*
2. *Chriſtus ab utero Angelorum Dominus erat.*
3. *Ut Chriſtus fuerit Frater noſter.*
4. *Magos eo die veniſſe, quo Chriſtus natus eſt.* Τεννηθεὶς. *Cur Regni mentio additur in Hoſanna. Regnum Chriſti.*
5. Ἐδόθη. *Nihil ſequitur, ex* Non eſt Scriptum. *Poteſtas Chriſti omnis, dum viveret. Miracula id aſſerunt.*
6. *Mentio Poteſtatis Chriſti, ante Reſurrectionem. Quid quòd dubitetur de ea.*
7. *Lazari ſuſcitatio. Chriſtus omnium Reſurrectio, Qui necdum ipſe tum reſurrexerat. Poteſtas Vitæ & Mortis eſt ſummè Regia.*

BOne Jeſu, quæſumus, mentibus Servorum tuorum illuminandis deeſſe nè velis, S'que Spiritûs quem pollicitus es, gratiâ in omnem veritatem ità perducendis, Ut ad pravè Sentientium venena, per aliquam fraudem imbibenda, incauti nunquam trahantur. Quantâ enim cum anxietate animi jam nuper intelligo, Theologos aliquot, ô Quales Quantóſque! Viros apprimè pios, atque inſigniter eruditos! dum ad Barjeſuitarum tamen infandiſſimas Concluſiones minùs attendant, Mediis aliquot eorum, neque neceſſariis, neq; ſanis quidem, ſed tantùm Naturæ noſtræ, Novitatis avidiori, ineſcandæ aptioribus, nimiùm, gratiſſque abripi! Vel ipſa enim Sanctiſſima Tria Munera, quibus operatus eſt in terris Meſſias Dominus noſter, Quia circa diverſas Res agundas occupata ſunt, & exinde per diverſos agendi Modos, Methodóſque & Occaſiones exeruerunt ſe in eo, Diverſis igitur temporibus credita ei fuiſſe, ádque diverſa Cauſſarum principia referri à nobis oportere, quàm parùm conſultò nunc opinari videntur? Quid Barjeſuitæ autem ex hujuſmodi Suppoſitis inferre ſatagant, (Ut Chriſtus ab æterno atque ex Natura ſua Deus nè ſit, Crucíque ejus ut nulla Salus, neque Sanguini Meritum, neque Morti Redemtio adſcribenda ſit, Quia ſerò tandem (ſi ipſos audimus) & non niſi reſurgens, eximia illa dona, Poteſtatémque omnem Suam ipſe conſecutus eſt,) ex illuvie illa Catechiſtica à me jampridem ſatis admonitum eſt. At verò Domino Jeſu, in ipſa prima Conceptione Sui, ea omnia indita ſunt; Propheta ille noſter, & Pontifex, & Rex ex Hypoſtatica unione factus eſt, juxtáque vetus Vaticinium illud, Haut citiùs *Parvulus nobis datus eſt*, quàm *Principatus etiam ſuper humeros ejus fuit, admirabiliſque Conſiliarius noſter, & Princeps Pacis noſtræ* exiit, Eſa. 9. 6. *Omnis enim Poteſtas*, ut ipſe pòſt loquitur, Matth. 28. 18, *in Cœlo Terrâque data* ei tum ab initio *fuit*. Cùm verò *Omnem* dicat, manifeſtum eſt, nec illam defuiſſe, quam Paulus (aliâ in re Sua) appellat ἐξουσίαν τῆς ἐργάζεσθαι, 1 Cor. 9. 6, libertatem nimirum Chriſti, pro infinita Sapientia Sua, nè Divinæ illius οἰκονομίας, ob quam ad ſuos venit, ratio aliqua, (nedum, ſumma,) interturbaretur, non exerendi Se, niſi gradatim, & ad modum Profectûs Humani, neque Officiis ſuis defungendi alio tempore, alióve modo, quàm ut ipſe, pro Beneplacito ſuo decrêrat, ad negotium Redemtionis noſtræ promovendum, Salutíſque noſtræ perimplendum; ea maximè factura eſſe.

2. Dabunt igitur mihi hanc veniam magna Illa Ingenia, quibus ego certè non exiguum defero, ſi Conſecutiones nonnullas, ipſorum nominibus attributas, otiari planè dixerim, & pro Inconſequentibus ſemper habendas eſſe. Quid? Non niſi à Reſurrectione Chriſti incepiſſe ei Regnum illud, Sub quo ſunt & Angeli? Quid ità, obteſtor? An, Quia poſt Reſurrectionem ejus Angelus feminis dixit, *Venite, Videte locum, ubi ſitus erat Dominus*? Matth. 28. 6. Quia abſolutè igitur, ὁ Κύριος, ponatur ab eo, argumento eſſe, accipi eum oportere, ac ſi dixerat, (non veſter tantùm Dominus, ſed jam & noſter.) Hei! Quantum eſt in rebus inane! Annon enim & Abſolutè *Dominus* ab Angelo ponitur, cùm naſceretur Chriſtus? Dictum eſt enim Paſtoribus, *Naſcitur vobis hodie Salvator, Qui eſt Chriſtus Dominus*, Luc. 2. 11. Non hominum ſcilicet Dominus ſolùm, ſed & Angelorum, Succlamantibus etiam ob hoc ipſum plurimis de *Militia Cœleſti*, ver. 13. Cœperat nimirum & tum Regnum Chriſti in Angelos, ídque à prima Parentis ſuæ Salutatione, Adſenſúque: Angelis ipſis (jam tum adorare eum à Deo juſſis Heb. 1, 6.) ubertim hoc reipsâ etiam comprobantibus, Neq; ſolùm Bonis, per famulatum ei tam frequenter exhibitum, obſequiáque per omnem vitam ejus (ſiquidem opus erat) ei præſtita; Sed & Malis quoque nunquam non Subjectis ei, totiéſq; ab eo tortis, & expulſis, & in ipſa deniq; Cruce ejus triumphatis. Igitur & nos ſucclamare ſciant, hii, *Tekel*, tam tenui huic eorum argutiolæ.

3. Neq; juſtioris Ponderis eſt, quod inferre audio, Quia eædem feminæ jubentur ab ipſo Chriſto, *Nuntiate iſta Fratribus meis*, Mat. 28. 10. Quid indè enim? Ergò non ſolitus vocare Diſcipulos, *Fratres*, ſignificat jam, Se novæ cujuſdam Fraternitatis Principem factum eſſe, per Reſurrectionem ſuam. Et factus certè eſt Princeps ille Principum, Frater noſter. Si hoc volunt, rectè iſtud monent: Sed ſeciùs, illud alterum; (Nihil enim tale;) per Reſurrectionem. Quod enim Apoſtolus monet, *Eſſe Chriſtum Primogenitum in multis Fratribus*, Rom. 8. 29, non ad Reſurrectionem, ſed ad Genituram ejus, integrámque ipſius ἀναστάσεως referri videmus, licèt non expedierat, Diſcipulis id niſi ex parte ſolùm, quâ non Servos, ſed Amicos ſuos voca-

vit eos Joan. 15. 15.) ante Passionem nuntiari. Sed idem Paulus est, qui ait, *Christum participem factum fuisse Carnis, & Sanguinis*, Heb. 2. 14, *ut per omnia adsimilaretur Fratribus*, ver. 17, de quibus paulò antè dixerat, *Annuntiabo nomen tuum fratribus meis*, ver. 12. Istud autem licèt è Psal. 22. 22, (Psalmo quidem Passioni Dominicæ dicato,) depromatur, designat tamen eos, Qui ante Passionem Fratres ei facti fuerant, vel ipso Christo adserente, *Hi sunt fratres mei*, Matth. 12. 49. & rursus, *Uni feciſtis Fratrum meorum*, Matth. 25. 40: Iis scilicet, qui Nominis Divini Annuntiationem ex ipsius ore tum priùs acceperant. Prorsus igitur & hic Color evanuit.

4. Quàm ineptus autem est labor Harum Captiunculârum, cùm de Cœlo mirificè signatum esse viderint initium Regni Christi? Ex ipso enim momento, quo Se uterinum in terris fieri dignatus est, ex alto Oriens, Luc. 1. 78, Stella nimirum Regis in Judæa nascentis, Matth. 2. 2, Magos illos ex Orientalibus Hierosolymam usque (Et in ipsum, quo ille nascebatur, diem, nè dubitem, facit illud, τοῦ δ' Ἰησοῦ γενηθέντος, ver. 1; est enim hoc, *Simulac natus est*, prout de Mose in Cryptis similiter dictum est, Heb. 11. 23.) pertraxit. Et Quorsum? vel ipsos Audi; Ut Honorem, Regibus omnibus de Orientalium more debitum, (Quantò magis, Huic jam de Cœlis monstrato?) præstarent; Ut adorarent eum scilicet, Donáque sua Ei, ut Regi, offerrent, ver. 11. Quid igitur? Acclamare jam novo Regi libet, *A Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris*, Psal. 118. 23. Cùm verò, quæ eodem in Psalmo subsequuntur, *Hosanna, Benedictus qui venit in Nomine Domini*, ver. 26, etiam post tot lustra à partu, de eodem Jesu acclamari audiamus vel per pueros quidem, ex instinctu SSpiritûs, cum adnexa quoque expressa mentione Authoritatis hujus Regiæ, *Benedictum quod venit Regnum Patris nostri David*, Mar. 11. 10. &, *Benedictus Rex, qui venit in Nomine Domini*, Luc. 19. 38. &, *Hosanna qui venit Benedictus Rex Israel*, Joan. 12. 13; Cùm & Prophetam quoque alium, Quia in Hosanna, Davidis Regnum non nominatur, ad id gemini Euangelistæ testentur, è Zach. 9. 9, *Dicite Filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit*, Matth. 21. 5. & Joan. 12. 15; Denique cùm & istud id sit, quod & inimici ejus caput Accusationis Suæ faciant, *Dicit Se Christum Regem esse*, Luc. 23. 2, (Inaudierant scilicet, quòd Christus passim Discipulis Suis annuntiarat, De Regno Patris, Suóque.) Neque ipse quidem interrogatus à Pilato, inficias eat, Regnum Se tum habere, Sed tantùm neget, *Regnum Suum ex hoc Mundo esse*, Jo. 18. 36, Prout & antè, in jam dicta ea Pompa Regali, Cùm talia ei de Regno suo accinti indignantibus Pharisæis, ipse per Ratihabitionem planè respondeat, *Si isti tacerent, lapides clamabunt*, Luc. 19. 40; (Nam vel lapides ipsi, non uno modo, Testes jam facti fuerant Authoritatis illius, quam Regio planè more, in Res quasque pro Suo libitu, inque Spiritus ipsos Ille sæpe exercuerat,) Nos nunc sic insanire, ut futiles argutias aucupatum eamus, ad sustinaminandum ei Regnum suum, & in Seriorem solùm Epocham, auspiciáque μεταιρύσιμα illud detrudendum? Quàm nollem in quenquam Nostrûm potuisse hoc cadere!

5. Atqui, Christus ipse, (aiunt) Quando resurrexerat, tum Professus est, *Potestatem omnem datam sibi esse*. Certè: Post Resurrectionem ipsius erat, quando sic professus est, Omnem Potestatem Sibi datam fuisse; verùm non professus est, Datam eam esse tum Post Resurrectionem. De significatu autem Aoristi illius, ἐδόθη, & quo Signo Temporis ibi gaudeat, Scio me antè monuisse, Nec libet repetere. Dicti autem illius Dominici mens ista est, Homini Mihi, indè ab Humanæ Naturæ adsumtione, dabatur Potestas omnis tam in Cœlestia, quàm in Inferiora. In Potestate autem Arbitrii mei semper erat, Potestatem istam, non exerere solùm, Sed & suspendere etiam, Quando, Quamdiu, Quatenus mihi, Res meas, & vestras in terris agenti, visum est. Nunc verò cùm id peregerim denique, ad quod venerim, Humanitatísque meæ Dispensationem, & Redemtionis vestræ Mysterium absolverim, libet jam Potestatis meæ tam stupendum exemplum statuere, ut & Vobis eam nunc mandem, universo Orbi ex me, (Et vel eò plenius validiúsque quod etiam per vos fiet,) æternùm manifestandam. Sin urgere jam velint, nusquam ante Resurrectionem Suam, Christum Potestatis hujus meminisse: Esto. Nihil enim ex negatione ista incommodi sequetur, Quòd non sit Scriptum. Absolutè autem verum istud non est, quod dicunt, hactenúsque solùm à nobis admittitur, Totidem verbis Eum, aut eodem modo, antè non meminisse ejusdem, neque enim eadem antè occasio erat, Et semper erat tamen, pro Suo Arbitrio, celandi eam constans intentio. Sed quid? Ergò nec ejusdem Rei meminisse? Pudeat ità κακμῦσαι. Quin audiant Christi ipsius verba, alia quidem, sed parùm abludentia, & sensu pari, aut certè superiori, Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ Πατρός μου, Matth. 11. 27. In παραδίδωμι autem non solùm Jus ad Rem, sed & Jus in Re comprehenditur. Audiant & Baptistam de Eo, Ὁ Πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν Υἱὸν, καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, Joan. 3. 35. Veruntamen Verba ut audiamus, quid opus omnino est, cùm Facta ejus videamus? Infinita enim miracula, quæ nullo non die edidit, totidem sunt Potestatis Regiæ Suæ clarissima Præconia. Quò igitur Baptista, ad Ipsum de Ipso quæsitum mittens, rescire facilè posset, ipsum verè Messiam esse, verba nulla, sed ex Factis suis Signa, eáque Divinam Potestatem solùm deprædicantia, referri jussit, Matth. 11. 5. Igitur qui ex antedicto Loco concluſum eunt, ante Resurrectionem ejus aut nullam, aut non omnem certè (nam in omni genere, atque ex omni Parte Divinam Vim suam per interstitia exeruit:) habuisse, Eâdem operâ & Euangeliorum partem alteram deleant, Lucámque scribentem, *de omnibus, quæ cœpit Jesus facere & docere*, Act. 1. 1, compendifacere jubeant pagellam priorem, & Factis à Jesu missis, quæ dixerat Ille, solùm dicere.

6. Præteriri tamen nefas est, quòd & in Virtutum à Domino editarum narrationibus nonnullis, præter evidentiam Facti, etiam & Potestatis ipsius diserta fiat mentio. Inficiatores igitur ejusdem audiant, quàm longè superentur vel à vitiliginoso illo misero, Qui non nescius morbum suum, ex Divinitus, Deíq; digito immissis, esse, & cui curando Homo nemo erat, pro certo se tamen habere indicat, Quid in ea parte poterat Christus. Quid volebat quidem Christus, erat ei, quod dubitaret; Ità igitur Dominum supplex adoritur, *Domine, si vis, potes me mundare*. Jam igitur Specimen spectetur: *Potes*, ait iste. *Potestas nondum data est*; Illi. Jam Dominus ipse quid? Respondétne cum illis, Nondum possum hoc; Si possem jam vellem, sed fiet, Ubi resurrexero, nondum enim venit Hora mea? An sine Dilatione, (Hora enim Voluntatis ejus tum, Potestatis autem semper, ei aderat:) *Volo, mundatus Sis*, Matth. 8. 3; tetigítque eum, & mundatus est. Jam geminum huic est, quòd Cæci gemini postentes eum Lumina sua, id solùm interrogantur ab eo, *Creditísne, posse me hoc facere?* Matth. 9. 28. De Potestate autem cùm nulli ambigerent, tanguntur illis oculi, illíque utuntur oculis. Repertus quidem est unus, Qui, Quia viderat Discipulos Domini nihil posse, Dominum ipsum non sine dubitatione adfatur, *Verùm Siquid potes, adjuva nos*, Mar. 9. 22. Sed Dominus, quo Potestatis ex Parte Sua certiorem eum faceret, contra ipsius εἴ τι δύνασαι, nil aliud opponit, quàm Τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, ver. 23: ut Credere etiam posset, succurrit hæsitanti, & curat puerum, ver. 27.

7. Similiter & Nicodemus, ex argumento perspectæ Potestatis Christi, viam sibi optimè ad eum aperiri duxit, *Nemo potest facere, quæ tu facis, nisi Deus cum eo esset*, Jo. 3. 2. Sanatus etiam Cæcus ille, non aliter, *Non potuisset facere, nisi fuisset à Deo*, Jo. 9. 33. Quid facimus ergò? Infiniti nè simus in vero Potestatis ejus Tempore adferendo, eamus unà omnes ad suscitationem Lazari. Certè si ad aliquam rem Potestas Christi expectanda erat, donec Ipse resurrexerat, ad hanc expectari eatenus, par erat. Marthæ igitur piissimè, Christo pollicenti,

Fratr

Frater tuus resurget, Joan. 11.23; respondet, *Novi Eum resurrecturum esse in Novissimo Die*, ver.24. Sed Dominus, nullam jam moram patiendi certus, nè tantisper, Dum Resurrectionis suæ, brevíque tum secuturæ, exemplum extaret, reponit, *Ego sum Resurrectio & Vita*, v.25. Ἐγώ ἐιμι, ait, non ἔσομαι. Sed & tum, ante Resurrectionem Suam, Resurrectionis omnis Originem, Regulámque, Omnipotentiæ Suæ satìs gnarus, pollicetur, Virtute Suâ jam tum victurum esse, vel qui mortuus erat, & qui vivebat, non moriturum esse: (Potestas autem Vitæ & Mortis Summa omnium est, & maximè Regia:) Marthæque ista credendi Authorem Se facit, ver.26, increpátque eam mox, ubi diffidere denuo cœperat, v.40. Videant igitur, quò Rem Suam reduxerint, Qui, licèt tam infinita semper Christi Potestas fuerat, ut & antequam Resurrectio aliqua, vel Suiipsius quidem, esset, ipse Resurrectio omnium fuerit, jámq; τετραήμερον è Sepulchro vocaverit, Huic tamen Potestatem omnem abnegatum eunt, donec ipse resurrexerat.

Sect. LIX.

1. *Pilatus adfirmat Jesum esse Regem Judæorum, Atque indè accusari. Cur Pilatus Se Judæum esse abnegat.*
2. *Christus Regnum Absolutè abnegare nunquam voluit. Regnum de hoc Mundo.* Οὐκ ἐν. Οὐκῶν. Οὕτως. *Ut Christus μαρτυρήσας dictus sit.*
3. Ὑπηρέται *Christi, Qui. Paritatem, in Seculo, affectant Æquiparatores Anabaptistæ; In Clero, Presbyteri Aëriani.*
4. *Pharisæi; Jesuitæ; Puritani; Paritani, Suorum Temporum Hypocritæ Maximi. Soli Apostoli, & Quos Sibi Successores fecerunt, Episcopi, sunt* ὑπηρέται *Christi.*
5. *Christus, Rex, & Sacerdos, Divina omnis Potestatis Consors, ab initio, antequam resurgeret. Ordo Verborum non limitat Tempus rerum. Ordo Gradualis, & Ascensorius.*
6. *Christus, natus est, Filius Hominis; In Mundum venit, Filius Dei. Animæ nostræ Infusio, atq; Creatio.*
7. Venire in Mundum, *refertur ad principium Existentiæ, Sed* Exire in Mundum, *&* Introire in Mundum, *De Conversatione dicuntur.*

POstquam Latinus vetus ea verba Pilati, Σὺ ἄρα βασιλεὺς εἶ Ἰουδαίων, Joan. 18. 33, cum Interrogatione verterat, Mira nulla sunt, eandem Lectionem passim apud alios obtinuisse. Verùm cùm in Vetustis Codicibus MS Puncta omnia desiderari sciamus, mirum mihi videtur, quâ fide quisquam Interrogationem iis adfibulaverit. Cæterorum enim Evangeliorum si Authoritas urgeatur, Alia longè res in iis est, & quæ ad Joannem non pertinebit. Ipso enim SSpiritu Dictatore, cogimur Interrogationem in iis instituere, Quoniam in singulis disertè præmittitur, ἠρώτησεν αὐτὸν ὁ Πιλάτος, Matth.27.11. & Mar. 15.2. & Luc.23.3. Apud Joannem verò amplius nihil est, quàm ἐφώνησεν Ἰησοῦν, καὶ εἶπεν αὐτῷ. Nulla igitur necessitas est Interrogationis heic; Et hoc quod dicit, veram Caussantis, seu crimen Objicientis formam habet. Exierat nimirum ad Judæos stantes præ foribus Pilatus, quæsitum, *Quam Accusationem adferrent adversùs hominem*, ver. 29. Intellecto autem ex ipsis, quid contra eum prætenderent, redit sine mora, & non sine Sarcasmo quidem derisúque Partis utriusque tam Accusantium, quàm Accusati, ait, nunc cognovi quid Rei sit, *Tu es Rex Judæorum*. Quòd si quisquam reponet, tam exiguum interesse, ad Historiæ seriem, inter Ironiam hanc, & Interrogationem, ut à recepta tamdiu Lectione recedendi nulla nunc sit ratio, equidem facilè annuerem, si per Christum ipsum bene liceret. Verùm cùm Responsio Domini ad eum, *Ex Teipso tu hoc dicis, An Alii tibi dixerunt de Me?* ver.34. multò rectiùs congruat cum Affirmationis, quàm Interrogationis antecessu; (non enim dicit, Ex teipso tu hoc quæris, An Alii suggesserunt tibi, ut quæreres?) quàm exiguum cunq; videatur, non est, cur ad Eruditorum Judicium in his non provocemus. Illi jam censeant. Ad hæc autem Pilatus non sine indignationis mixtura, *nunquid ego Judæus sum?* ver. 35. hoc enim est, Ex Meipso an id dixerim, Quorsum interrogas? non sum ego Judæus; Quicquid igitur cum ambitu, Rerúmque novarum studio, & Regni Affectatione inter Judæos tuos à te patratum est, probè curasti, clam me illud (vel maximè) habere. Qui de Jure Romano vobis, Cæsarísque vicem præsideo; Verùm nunc quid facies? Ecce enim ipsi Populares Tui, & in illis Pontifices, Quorum imprimis interest, nequid à quoquam seditiosè in Provincia geratur, Tradiderunt Te mihi, hoc est, Hujus Te incusandum criminis (Quia ipsis negantur hoc genus Cognitiones) ad me detulerunt. Τί ἐποίησας ergò? Fateare, Quid rei sit, & Quid feceris, quòd hoc te scelere onerent? Dicas, Reus sis, An, Non?

2. Jam Dominus, Qui Jus Regale absolutè à Se abdicare, nè tum quidem, cùm Regni Affectati insimularetur, volebat, respondet, Ego illud feci, (Interrogas enim Quid fecerim) quod abunde purgabit me ab omni hac calumnia. Judæi me Tibi tradiderunt: At quomodo sum traditus Judæis? Scipatus enim jam tum eram Officiariis meis, Viris Electis, Ducibus Egregiis, Quorum quid singuli in plurimos potuissent, si Signum iis dedissem, nolo nunc dicere. Ego verò non permisi, ut ipsi Se de Me in Certamen darent, Quia Regnum Ego ἐκ τοῦ κόσμου τούτου v.36, hoc est, Secularis conditionis, déq; Jure, Moréve Mundiali, nullum affecto. Si verò mihi de hoc Mundo Regnum in votis fuisset, Satellites mei in prælio ità decertassent, ut Judæi manus in me injicere nullo modo potuissent: (Atq; hoc est, εἰ ἐκ τοῦ κόσμου ἦν ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ ἠγωνίζοντο, ἵνα μὴ παραδοθῶ τοῖς Ἰουδαίοις, reddíq; à Nostris debebat, cum respectu ad Tempus eà nocte in Horto præteritum, My Officers should have fought, that I might not have been delivered to the Jews.) Sed quò Securus esse possis, neq; Tibi aut Domino Tuo ex me metuas, Regnum aliquod de hoc Mundo nihil ad Me. Ex hac autem Distinctione Regnorum, quam Christum sic premere videt, Pilatus an Affirmativè adsumat, an Negativè, incertum videri potest. Ait enim, οὐκοῦν βασιλεύς εἶ σύ; Jam verò si οὐκοῦν Composita vox sit, valebit *Ergò*, vertíq; à nobis optabit, So then a King thou art? Sin duæ Particulæ sint, οὐκ ἄν, atque divisim (ut in plerisque Editionibus) sumtæ, in contrarium planè exponendæ sunt, Quasi qui expectaret, ut Regnum (in terminis saltem) negaret, A King then thou art not? Veruntamen in hunc acceptionem animus mihi minùs inclinat, (licèt Pilatum id expetisse non dubitem,) Quia in Græcorum usum jamdiu abiit, etiam cùm hoc velint dicere, atque rem negare, Componere eas Particulas, promotóque Accentu, οὐκοῦν Penacutum constituere. Ut ut verò illud fuerit, Christo visum est persistere, atque in eodem tenore Regali pergere; Respondet ergò Pilato, *Tu dicis, quòd Rex ego sum, Ego verò ad hoc natus sum, & ad hoc veni in Mundum, ut Testimonium perhibeam veritati*, ver. 37. Ejus autem verbum est, ἵνα μαρτυρήσω. Atque hoc illud est quòd Christus à Paulo dicatur μαρτυρήσας ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τὴν καλὴν ὁμολογίαν, 1 Tim.6.13. Ipse scilicet Martyribus suis, Subsequis omnibus præivit eam Viam, quam & Prodromis quoque communierat, Infantibus, Matth. 2. 16. Zachariæ, Luc. 11. 51. Baptistæ, Matth.14.10.

3. His autem sic expositis, vacabit & hoc nunc adnotare, Christum Dominum, vel pro Tribunali jam stantem, atque ἐπὶ ξυροῦ ἀκμῆς, ex infinita Sua Sapientia, ità Ecclesiæ Suæ providere, dictáq; Sua sic instituere meminisse, ut contra Hæreseων post futurarum

venena Divino ſemper Antidoto eſſe poſſent. Nam cùm Solos τὺς ὑπηρέτας, *Officiarios ſuos*, Quos interioris Admiſſionis, & proximè Se habebat, Pugiles ſibi, atque Propugnatores ſuos fore dixerit, & non in communi dixerit τοὺ δύλυς, *Servos Suos*, neque τοὺ ὑπηκόυς, *Subditos Suos*, neque τὸν λαὸν, *Populum Suum*, (Populi utcunque ope, & operâ Subditorum Duces & Anteſignani iſti nunquam non uſuri pro eo erant,) Audire hoc velim ævi noſtri terrimas Duas Peſtes: In Seculari Parte, τοὺ ἰσοραελίζοντας, Rerúmque & Perſonarum Omnium maleſanos Æquiparatores, Qui ſub prætextu Privilegii (Si placet) Euangelici, nullam in Chriſtianis differentiam admittunt, nullâ agnoſcunt, quocunque ex Capite, Præcellentiam, non Monarcharum erga populos Suos, non Optimatum ſupra plebeculam, Non Prædivitum in egenos, Non cleri denique & Chriſto Operatorum ultra τοὺ ἀμυήτυς, & Profanum Vulgus. Verùm & in illa parte quoque, in ipſo Clero, jampridem terris noſtris Lemana Lues, Aeriana incubuit Cohors, Qui Ordines Sacros, ut jura Coquus, Scoticano futo confundere jam docti, Authores ſe faciunt τῆς ἀδιακειείας in Eccleſia Chriſti, tam bellos Patronos, & Proxenetas Paritatis, ut, licèt à Succeſſoribus Chriſti, primævis Epiſcopis, in partem ſolam, (& non in integrum) Sacræ Poteſtatis inſtituti tandem fuerint, (Subſtituti duntaxat Epiſcoporum, & Subadjuvæ ad aliqua Functionis ſuæ Officia facti, Honoríſque in plebe majoris cauſſâ, Titulorum Suorum uno donati, & tandem *Presbyteri* dicti;) ex mera tamen virtute jam iſtius Nomenclaturæ, in Succeſſionis ipſius Ordinis Epiſcopalis è Chriſto detruncationem conjurârunt; ínque Prælaturæ illius & Poteſtatis ab eo per Apoſtolos hactenus derivatæ extirpationem ruerunt.

4. Et Regnum tamen Jeſu Chriſti eſſe, quod moliuntur, magnis clamoribus hii homines venditant; Faciunt enim quod Suum eſt, Iidem cùm ſint, qui in Eccleſia Judaica Phariſæi erant, hodiéque in Pontificia ſunt Jeſuitæ, in Britannicis Puritani, (aut quoniam hoc pro convitio habent, Paritani (per me) ſunto.) Hypocritæ, Hypocritæ Maximi, & an à Puritate, quam graphicè mentiuntur, an à Paritate, quam per Vim & Scelus arrogant, excluſiores, incertiſſimum eſt dicere. Audiant igitur Chriſtum, vel cum Pilato jam de Regno ſuo Sermones conſerentem, atque ab omni vocabulo Paritatis capace ſic abſtinentem, ut vocem Sacrâ in Re non antè uſurpatam datâ operâ adſumpſerit, & ſignificârit, Solis τοῖς ὑπηρέταις, hoc eſt, *Selectis ab eo aliquot Adminiſtris*, Apoſtolis Suis ſcilicet, (Soli enim Apoſtoli cum Eo in horto tum cùm Judæis traderetur, aderant,) & Succeſſoribus eorum, (Succeſſores enim Apoſtolorum, loco illorum, & pro illis, ab ipſo Chriſto habentur, Matth. 28. 20.) Perſonæ Se Suæ, (Quantò magis Eccleſiæ?) Defenſionem, atque integram Rerum Sacrarum οἰκονομίαν velle reſervare. Nam & iſtud de voce hac, ὑπηρέτης addi huc oportet; Quanquam ea, cùm ad Homines Solos, & Res mundanas refertur, varias, pro uſu Græcorum, in Sacris literis Significationes, & Officiis Viatorum, Apparitorum, Lictorum, ἢ Περιλόγων, & Διακόνων denique reſpondentes, ſortita ſit; (Atque hinc Paulus & Barnabas in Cypro habere dicuntur Ἰωάννην ὑπηρέτην, Act. 13. 5.) Ad Obſequia tamen erga Deum ipſum, Officiáque Chriſto præſtita nunquam applicatur, niſi ubi Apoſtolos ipſos & Succeſſores eorum Epiſcopos deſignet. Illi erant οἱ ὑπηρέται τῦ λόγυ, hoc eſt, τῦ Χριςῦ, à quibus Lucas profitetur Se magnam partem Hiſtoriæ ſuæ edoctum fuiſſe, Luc. 1. 2. Illi ſunt quos ὑπηρετῶν Suorum titulo Chriſtus, jam mórti proximus, inſignivit. Ex hoc ipſo autem reſpectu & Paulus pòſt ab ipſo Chriſto iſtud audivit, *Apparui tibi*, προχειρίσασθαί σε ὑπηρέτην, Act. 26. 16: Propter quod denique & ipſe aliis omnibus injungit, *Ità nos æſtimet quiſque* ὡς ὑπηρέτας τῦ Χριςῦ, 1 Cor. 4. 1. Præterea autem nuſquam in N. T. reperitur.

5. Confeſſionem autem modò dictam coram Pilato ità Dominus comparavit, ut vel indè nos geminâ Barjeſuitas noſtros, velut ex improviſo, conveniendi, conterendíque facultate inſtructos eſſe ſentiamus; primò enim, illud, Σὺ λέγεις, ὅτι βασιλεύς εἰμι ἐγώ, Chriſti ſtatum tum Præſentem deſignat, & non Futurum pòſt, ex ejus Reſurrectione. Igitur Si Σὺ λέγεις, idem valeat quod, *Rectè Sentis, Qui me jam Regem eſſe adſumis:* quid ſentiendum de iſtis eſt, & quàm Barjeſuiticè, hoc eſt, perversè, ut ſemper, tortéque eos ſentire oportet, Qui Chriſtum adſerunt, neque Regem, neque Sacerdotem, neque Deum quidem, Divinâ Suâ Poteſtate non Donatum, nullâque niſi Propheticâ, fuiſſe, Donec reſurrexerat? C. R. p. 225. Porrò autem, cùm ibidem Dominus addat, ἐγὼ εἰς τῦτο γεγέννημαι, καὶ εἰς τῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον· Si Pilatus Barjeſuitæ animum tum geſſerit, atque ex eo Chriſti dicto, *venire in mundum* exiſtimaverit, *Eſſe ſmodi eſſe, quod poſt Nativitatem Chriſti extitit*, neque aliud quicquam id velle, (Hæc enim Miſerabilis Catechiſtæ Sententia eſt, C. R. p. 115.) non eſt, quòd Militi, & Ethnico, & Cœleſtium inaniſſimo craſſam eam ignorantiam improperemus. Sed incomparabile Caput Czarcovianum, à Situ Solo Verborum determinare de Ordine Rerum, & ubi poſteriùs quicquam nominatur, ibi, atque indè concludere, poſteriùs id extitiſſe, pace tanti Capitis miſerrima Captiuncula eſt, Sannâ, an fabâ, dignior, incertum, Sed certè utróque, riſu, colaphóque excipienda. Annon de Moſe nato legitur, Exod. 2. 2? De Aarone verò nè γεγέννηται ante Exod 4. 14? Ergóne verò & Moſes, natu minor, hâc ex Methodo, Primogenituram Sibi lucratus, & Aarone Fratre Major natu factus eſt? At è contrà, Paulus reliquos Prophetas omnes ante Moſem ponit, οἱ Προφῆται, καὶ Μωϋσῆς, Act. 26. 22. Ergóne & Moſes detrudetur jam à Catechiſta in ætatem Prophetis poſteriorem? Sed ſciat tamen Polonicus Sophiſta nos ei Argumentationem Suam, à Serie ipſa Verborum, nullos abnegare. Sequimur enim & nos Verborum horum ordinem; Sed (SSpiritu nobis Duce, atque ex mente ipſius,) Ordinem Gradualem, & Aſcenſorium; monemúſque ipſum, in γεγέννημαι, καὶ ἐλήλυθα, particulam καὶ nunc, ut ſæpe, valere, (*Imò*) acſi dictum à Domino fuſiùs fuiſſet, *Hâc de Cauſſa non ſolùm natus ſum, ſed etiam in mundum veni:* venit enim, ut naſceretur; venit igitur priùs, & non poſteriùs, quàm naſceretur. Locutionis autem iſtius Exemplum luculentiſſimum (De ipſo enim Chriſto nato,) præmiſſum in Propheta eſt, *Quia parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis*, Eſa. 9. 6. Datus autem eſt, antequam naſceretur, & Datus tamen poſteriùs quàm natus, ibi dicitur. Sed Ordo & ibi Retrogradus eſt, Atque à re in terris geſta, (Quæ priore loco nominatur, Quia proximè nos eſt;) ad Cœleſtem Rei Conditionem pòſt adſcenditur: cui geminum & hoc eſt, *natus Sum, & veni in mundum.*

6. Craſſiſſimum igitur Mendacium eſt, quo Joculare Caput Scripturam hanc temerat, quam adfirmat, *(Oſtendere, id quod Chriſtus dixit, Se veniſſe in mundum, poſt nativitatem ejus extitiſſe*, C. R. p. 115.) Sed Sic depudere oportet deſperatæ illius Cauſſæ Oratores, & quò magis Se fingere, & falſos eſſe ſciunt, eò audaciùs commenta ſua SScripturæ obtrudere. SScriptura autem illa manifeſtiſſimè oſtendit Divinam illam in Chriſto Naturam, adversùs quam, (exoſam Sibi, ejuratámque) Barjeſuitæ Sic inſaniunt. *Natus ſum ob hanc Cauſſam*, ait Chriſtus, id eſt, Filius Hominis factus, Parente meâ editus ſum, Et *(eandem ob cauſſam exivi à Patre, & veni in mundum,)* prout antè dixerat, Joan. 16. 28; id eſt, Filius Dei ab æterno deſcendi in uterum Maternum, & Carnem hanc ex ea adſumſi. In utero autem concipi, hoc nobis eſt, In mundum venire; atque hoc tempore priùs eſt, quàm prodire ex utero, quod eſt Naſci. Veruntamen non dicimus, Concipi in utero, (ex quo ſequitur Animæ Infuſio, éſtque inſtantanea noſtra Creatio, & omnium veniendi in mundum communis conditio,) Sed Exiiſſe à Patre, & in mundum veniſſe, priuſquam conceptus fuit, hoc adſerimus, in Chriſto Divinam Naturam præſupponere, Coæternámque Perſonæ ſuæ in Deitate exiſtentiam. Hoc igitur modo, Venit in mundum, verus Deus,

Deus, Hoc modo, Natus est in mundo, Verus Homo; hoc autem utrumque, ob unam eandémque Causam erat, ut Divinam quaque in re veritatem confirmaret.

7. Verùm cùm ità Barjesuita ineptiit, *venire in mundum, aliquid esse, post Christi nativitatem*, quin expresè dixit, quid id sit? Sed nondum sic commasculârat frontem, nec certè, quid in hac parte concluderet, habebat. Tantùm sperabat, fieri jam posse, ut ex ea assertione fatui ejus Auditores, (quibus solis Se scribere novit,) putarent, *venire in mundum*, nihil aliud velle, quàm *prodire in publicum*. Ad hoc igitur, (trepidanter licèt, nullâque cum Illatione, aut Ratione quidem,) sic Subjungit, Et 1 Joan. 4. 1. *Scriptum est, Multos falsos prophetas exiisse in mundum*, C. R. p. 115. Et verum quidem hoc dicit, Ità enim ibi scriptum est; (Quod & ità quoque factum est; Hoc præsertim ævo, ex quo Barjesuitæ prodiere nobis, Abunde nunc est falsorum Prophetarum, Abunde Sophistarum & Ludionum.) Sed parùm tamen proficiet ex hoc Sophismate: *venire enim in mundum*, & *Exire in mundum*, Duæ res sunt, quæ sensus habent inter Se diversissimos. *Venire in mundum* relationem habet ad Principium, atque ad ipsius Naturæ Existentiam, atque indè Christus ab eodem Apostolo dicitur, *Illuminare omnem hominem venientem in mundum*, Joan. 1. 9. Sed *Exire in mundum*, Politiam solùm, & Conversationem respicere dignoscitur, propter quod ab eodem, in altera ejus Epistola eundem ad sensum, quo ἐξελθεῖν εἰς τὸν κόσμον, & non ad alium, etiam & ἐισελθεῖν εἰς τὸν κόσμον, 2 Joan. ver. 7. dicitur.

Sect. LX.

1. Ἐρχόμενος, *De Præsente, Præterito, Futuro.* Ἐρχεσθαι εἰς κόσμον, *De solo Christo dictum est.*
2. *A solo etiam Joanne dictum est, vel Ofties; Et in Evangelio solo, (excepto, quod indè depromtum est, in Paulo ad Timotheum.) In Epistolis dixit,* Ἐρχεσθαι ἐν σαρκί. Ἄνθρωπος *est* Quisque. *Vita Lux.*

EST, ubi ostenderim, Participium Ἐρχόμενος in N. T. plurium Temporum vim habere; Futuri, *Qui venturus est.* Præsentis, *Qui jam accedit.* Præteriti, *Qui jampridem venit.* Jam unus ille Locus Euangelistæ, ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον, Joan. 1. 9; Si vulgarem Expositionem ejusdem sequamur, (juxta quam laudatus quidem à me est in antegressa Sectione:) omnia hæc Tempora simul comprehendit: Christus enim vera Lux totius mundi est, Qui hominibus universis, quandocunque venientibus, Futuris, Præsentibus, Præteritis, Lucem, Vitámque largitur. Et verissima quidem est in Se ista Expositio, Sed an hujus Loci Propria, & genuina sit, atque ad mentem Euangelistæ comparata, ambigere me non diffiteor. Atque esse quidem memini in utraque Ecclesia, Græca & Latina, non neminem qui aliter judicaverint; Quorum Loca tamen, aut Verba, aut Nomina certè, citare certò quòd nequeam in hac Solitudine, non dolet; Cùm in verba cujusquam jurare, aut Soli Authoritati aliorum, quantumcunque iis ex animo deferam, mancipio me dare nunquam didicerim. Ratio igitur, Quæ in diversam opinionem nunc me trahit, est, quia observo (nunc primùm) locutionem esse, Ἐρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον, Quæ de nemine omnium in N. T. unquam dicitur, præterquam de ipso Messia; Ad Messiam verò, Ut Divina ejus Natura, in qua ab æterno, (Barjesuitarum universorum ingratiis) præexistebat, vel hinc innueretur, non rarò accommodatur; De Messia igitur ad Nicodemum, tanquam de alia Persona, loquitur, Αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, ὅτι τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, Joan. 3. 19. De ipso autem Populus omnis, οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ Προφήτης ὁ Ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον, Joan. 6. 14. Et ipse de Se ait, ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον τοῦτον ἦλθον, Joan. 9. 39. Et de Ipso Martha ad Ipsum, Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος, Joan. 11. 37. Rursus verò sub hac ipsa nomenclatura Lucis Seipsum designat, ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα, Joan. 12. 46. Atque ut Unde venerit, sciamus, addit, Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, Joan. 16. 28. Adsuatur huc denique & illud ad Pilatum, quod jam proximè elucidavimus, ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι, καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, Joan. 18. 37.

2. Habito autem jam isto Syllogo, non possum non & hoc accinere, Solius hoc Joannis Scitum, ídque in Euangelio ipsius solùm, (Quod ad Divinam Christi Naturam adserendam præcipuè conscriptum ab ipso est,) phrasin esse. In Epistolis enim Suis, idem utcunque velit, (idem enim valet, quod ibi dicit,) ibi tamen in terminis non est Ἐρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον, Sed ἔρχεσθαι ἐν σαρκί. Apud Paulum verò cùm Semel reperiatur Πιστὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι Χριστὸς Ἰησοῦς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, 1 Tim. 1. 15; conscriptáque Epistola ista fuerit, antequam Euangelium Joannis (Sive ex insula Patmo, Sive ex urbe Ephesina, exiisse credatur) prodiit, Sententiam tamen, atque φίλιον λέξιν, Joannis hanc fuisse, & Epheſi (ubi agebat diu Joannes, & quò mittebatur hæc Epistola à Paulo) ex ore ipsius frequenter auditam indè me non malè colligere opinor, Quia Paulus hoc non absolutè, ut Suum, profert, sed laudat, tanquam Alterius cujuspiam λόγος πιστὸς sit, & ab omnibus Christianis honorifico in usu communiter habendus. Jam igitur Locus de quo agere cœpimus, per Trajectiunculam (Trajectionibus autem scatet Sacra Pagina) ità exponendus esse videtur; ut hujus Locutionis Octavum nobis ex hoc Euangelio, Sed Ordine Primum, Exemplum sit; Regimen igitur Participii Ἐρχόμενον pendere non oportet à nomine Substantivo ἄνθρωπον, acsi Quarti Casûs esset, sed in Recto Casu accipi, & referri ad Verbum Substantivum ἦν, & Sic à nobis verti, That true light, which enlighteneth every man, was come into the world: hoc autem est, which enlighteneth every one. Nam ἄνθρωπος tam ex natura Vocabuli, quàm ex idiomate Hebraico, comprehendit omnem sexum, atque ætatem; Vitam verò esse Lucem hanc quam dicit, jamdudum Nos ipse docuerat, ἡ Ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων, ver. 4. In tanta igitur luce nunc ambulemus, σὺν Θεῷ.

Sect. LXI.

1. *Deo omnia Præsentia esse; Esse Librum Vitæ, & Electionem ab æterno. Aliter hæc ad nos pertinent, Aliter, ad Christum.*
2. Habere *est* Possidere. Habuisse *nemo dici potest, antequam fruatur. Quæ ex Decreto solùm destinata sunt, non* haberi *dicuntur.*

BArjesuitæ si sophisticentur, si Verbum Dei, distorquendo, pervertendóque, in insanos suos sensus adigant, faciunt, quod Suum est. Verùm è Piorum, Eruditorum, Ingenuorum, Criticorum Choro esse, (esse autem, à fide dignis jam audio, dolétque:) Qui cum Cretensibus illis ullâ ex parte Cretizet, extremæ Levitatis, atque Inadvertentiæ esse oportet. Verissimum igitur utcunque illud sit, quod in Synodo Jacobus dixit, *Cognita ab æterno esse Deo omnia opera ejus*, Act. 15. 18: Sanctorum ergò suorum Electionem non esse rem fortuitam, sed *Electos in Christo ipsos fuisse ante mundi constitutionem*, Eph. 1. 4, atque ab origine mundi *Nomina eorum scripta fuisse in libro Vitæ*, Apoc. 13. 8: (Quantò magìs igitur, vel *in Capite Libri illius*, Heb. 10. 7, scriptum esse de Christo ipso; Noménque ejus, in quo omnes Electi sunt, Omniáque quæ in ipsius gloriam prædeterminata sunt, in Decretorum Divinorum Pagina principali, Locóque primo exarata fuisse?) Hariolari tamen, quæ

de

de Christo, τῷ θεανθρώπῳ, in Literis Sacris leguntur, Ut se gesserit, ante Originem mundi: In cujus præsentia tum steterit: Quam gloriam ibi habuerit: non aliter æstimanda esse, quàm ut ad homines applicari possent, non accipienda aliter, quàm de alio quolibet Sanctorum Dei accipi possent, neque SSpiritum quicquam intelligi ex iis dictis voluisse, præterquam quod in tempore, ex Destinatione Divina, æternóque Patris Decreto, in Christo homine futurum erat, hoc à bonæ fidei Christianis dici, quò ingenio plus valeant, aut in Literis excultiores sint, eò intolerabilius longè habendum est, mentísque suæ dicetur non tam errorem, quàm stuporem certè, atque torporem denotare.

2. Ista quidem Barjesuitarum novitia Theologia est: Qui naturam in Christo Divinam execrati, C. R. pag. 51, eâque de caussa professi, haut extitisse eum ante Mariam, Cat. Rac. pag. 53, igitur & dictum illud ipsius ad Patrem, δόξῃ ᾗ εἶχον, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, παρά σοι, Joan. 17. 5, exponere coguntur, *De Gloria hac dici, non quæ reipsâ Christo ante secula præstita sit, sed quæ in Decreto solùm Dei tum destinata ei sit*, C. R. pag. 112. Atque hoc reipsâ est, Habuisse eum, sed non habuisse. Justo igitur Dei judicio factum esse censeamus, ut, è melioris notæ Christianis si sint, qui nil amplius in illo dicto videre contenti sint, quàm in aliis hominibus vident, Dum animum sic exponunt suum ex hiis verbis, neque ingenii, neque judicii quid, sed suam ipsorum excordiam solùm, atque amentiam Orbi proderent. Glossa enim hæc corrumpit Textum, & id, quod dicunt, reverâ implicat. Eadémne ut sint, Ab æterno habuisse, &, Nondum habere, sed, Pòst habiturum esse? At Qui possidet, solus *habere* rectè dicitur; Qui nondum attigit, Credere, Sperare, Expectare dici potest, sed non *Habere*. Siquo tamen modo, cui aliquid destinatur ex Deo, propter Fidei certitudinem, *Habere* dicendus videatur, Captio tamen ista nihilominùs est; Habuisse enim vel ille, antequam habuerit, nullo modo dici potest; Nedum, Habuisse cum alio tum possidente; Nedum, habuisse ab æterno. Aliud igitur sine dubio est, Christo gloriam ab æterno destinatam fuisse; Aliud, Christum ab æterno habuisse eam. Habuit quidem Deus eam pro Christo, Decreti sui ipse Dominus: Sed Christus, nisi & Deus ipse erat, non habuit, quantisper in intentione solùm Divina ea extitit. Utri igitur jam credetur per hos? An Christo, Qui habuisse se ait? An Illis, Qui in Decreto solùm fuisse? Huc etiam accedit, quòd non de Tempore solùm Christus hoc dixit, πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, sed & de Loco etiam subjunxit, παρά σοι. Habuit enim; & in Præsentia Patris habuit; Adfuit enim ipse cum Patre in æterna Gloria. Nunc verò, cum ex Patris consilio hominem ad Deum adsumserit, poscit, ut & Natura quoque ea ejusdem Gloriæ particeps de cætero fiat. Præterea verò. Sed reprimo me: Subit enim nunc suspicari, hunc locum jam antè excussum à me fuisse.

Sect. LXII.

1. Θεοδίδακτοι *Quomodo? A Deo Doctos non egere hominum Institutione, Quid sit?*
2. *Pelagiana doctrina tollit omnem Institutionem ad Sacra officia. Liberi Arbitrii Adsertio.*
3. *Matthæi Euangelium, Ubi, Quando, Quo sermone prodiit. Typorum Beneficium. Paulus suo solùm Euangelio usus est. Euangelista Qui fuerint.*
4. *A Verbi Ministris non est Homines* Θεοδίδακτους *esse. Cur dictum sit,* αὐτοὶ ὑμεῖς θεοὶ.
5. *In Religione quicquid possumus, ex Deo est. Discere ad* γνῶσιν, *nihili est, nisi & ad* πρᾶξιν *sit.* Θεοδίδακτος *est & ἀυτοδίδακτος.*
6. *Gratia Divina cum effectu nos instruit, ut Deo obediamus. Vim Rationalem & Illativam* γὰρ *habet.*
7. Discere, *atque* Doceri, *usurpantur pro* Solere facere. Venire ad Christum. Trahi à Christo.
8. *Tractio Dei Externorum Mediorum Suasioni addit Gratiam cum effectu.*
9. *Doceri nos. Trahitur à Patre, Qui venit ad Christum fide verâ, vivâque.*

JAM semel, (iterúmque, nisi fallimur) tetigimus illa verba Apostoli, Περὶ δὲ τῆς φιλαδελφίας οὐ χρείαν ἔχετε γράφειν ὑμῖν. Αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους, 1 Thess. 4. 9; Supereresse tamen nunc in iis nonnihil, neque levis momenti quidem, perspicimus, quod adhuc tactum à nobis esse non meminimus. Nam cùm Θεοδίδακτους eos esse audiamus, extra Rem neutiquam est quærere, Ubi? Quando? Quomodo? Deus Thessalonicenses hoc docuit? Respondere autem nobis ante omnes Barjesuitam oportet, Docuisse in, & per Christum. Christum enim ille ait, *perfectissimâ ratione Voluntatem Divinam à Deo in cœlis edoctum, & ad eam hominibus publicandam è Cœlo magnificè missum, tam perfectè eam hominibus enarrâsse, ut cùm Scriptura pòst adserat, Omnem Plenitudinem Deitatis in eo habitare Corporaliter, sensum sit, quòd in Doctrina Christi tota Dei voluntas integrè, & reipsâ patefacta est*, C. R. pag. 130. De Plenitudine autem Deitatis, Déque Corporali Habitatione, est, Ubi antè egimus. Nunc solùm à Nobis excutiendum esse ducimus Argumentum istud Apostoli, *Haut opus iis esse, ut ab ipso edoceantur, Quia à Deo docti sunt.* Est igitur aliud, quod jam porrò quæramus, An Christus cùm magnificam istam è Cœlo legationem obiret, ad solos Thessalonicenses se contulerit? Istud est Primum. Et Ratio Quæsiti hujus est, Quia si Christus, in Judæam utcunque (non in Macedoniam,) dilapsus, in universum tamen Orbem (In quem & Apostolos suos, suo nomine emisit, Matth. 28. 19,) Legatus venerit, Eadem omnino est cum Thessalonicensibus & Orbis totius conditio. Recepto igitur alicubi Euangelio Christi, (Quod Paulus quidem Thessalonicæ, paulò ante hanc Epistolam, annuntiârat, Act. 17. 3: Nunc dierum verò passim sub typis extat, adeò ut si legant, quicunque Literas norunt, aut si Lectam audiant, quicunque aures habeant, & ipsi, non minùs quàm Macedones isti, à Deo edoceantur,) nil opus est, ut ab homine quoquam, (nè ab ipso Paulo quidem, Secundâ vice,) quisquam instruatur in ea parte, quæ ad τὴν φιλαδελφίας, mutuæque inter se Dilectionis Officia pertinet.

2. Alterum est; Cùm Barjesuita ipse agnoscat, Euangelium Christi, non Charitatis solùm, atque Amoris fraterni, sed & Fidei quoque, & Spei, atque uno verbo, *Totius Dei Voluntatis perfectissimam manifestationem, & Confirmationem esse*, C. R. pag. 129. Quid opus est jam ipso Barjesuitâ? Quid Racoviano aliquo, aut Socinino Magisterio? Nónne enim Paulum audiunt? Θεοδίδακτοι sunt: & quoniam sic à Deo edocti sunt, ἃ χρείαν ἔχουσι γεύσεσθαι αὐτοῖς. Reverâ huc tandem recidit tota Doctrina Pelagiana: (Barjesuita autem immane quantum Pelagianizat!) Audiatur, quod Christus ex Deo dixit, Habeant ipsa verba Euangelii, & facessant æternùm tum Expositiones, tum Hortamenta omnia. Quæ enim Christus ipse docuit, *illa totam Dei Voluntatem integrè atque reipsâ patefecerunt hominibus*, Cat. Rac. pag. 130. Locúsne igitur aliquis Expositoribus nunc est? Dein verò, *postquam Deus jam Gratiam suam obtulit, (hoc est, quam primum audierint homines, quæ Christus ex Deo dixerit:) Non posse eos vel Gratiam oblatam accipere, & amplecti, aut ex præscripto Divinæ Voluntatis Vitam suam instituere, pro pernicioso errore se ducere*, profitetur Catechista, C. R. pag. 266. Quos igitur Deus ex ipsa Christi Doctrina, & Euangelii cognitione ità præoccupavit, ut iis (si hos Magistros audiamus,) nè ulteriore quidem Dei Gratiâ opus sit, illi ut Hortatoribus quibusvis, aut calcaribus jam indigeant? Profectò, qui pernitiosum illud esse ducunt, contumelioso ipsos non hominibus solùm, sed & ipsi Deo esse oportet, si istud dicant, aut si sese jam aliis obtrudant, pro Doctoribus.

3. Quanquam neque Thessalonicensium eadem quidem

dem tunc erat, quæ omnium nunc conditiò est. Rerum enim annuntiatarum iis à Christo, id est, Euangelii Christi, Libros illi nullos habebant. Sub initia scilicet Claudiani imperii, Epistola hæc, sive Athenis, (ut Græcorum hypographe habet, & fortean, non malè:) sive Corinthi (ut alibi quidem admonui;) data ad eos est. Jam igitur, à Matthæo utcunque Euangelium suum tum conscriptum fuisse, vel intra Octennium ab Adscensu Domini, Magno Antiquorum consensui non sit abnegandum, Sed nec istud tamen negari oportet, Sermone Chaldaico, Syróque conscriptum ab eo esse, hoc est, Hebraicis Literis, atque illo idiomate, quo & Hierosolymis, & in omni Palæstina, ubi Matthæi diatriba tum fuisse dicitur, utebantur: An verò in Græcum sermonem tum conversum fuerit, magis in incerto est. Verùm esto tamen; Et Marci quoque Euangelium tum prodiisse, & Græcissásse Matthæum, (De duobus aliis verò, De Lucæ, atque Johannis, nè somniandum quidem eâ ætate erat:) Thessalonicam tamen non perveniisse, certo certius est. Nulla enim erat tum Typorum Ars, per quos, ut multa Millia hominum Codice quovis frui possint, multò breviore spatio nunc dierum fit, quàm olim per Excriptorem vel unus poterat. Per Quem etiam ad eos venirent? Venerat quidem nuper Paulus illuc: Et ante eum non venerat Euangelii vel odor aliquis. Neque tum cum Paulo Matthæi, aut Marci (si alibi extabant) venerant. Nullo enim alio ille Euangelio utebatur, nisi quod appellabat Suum, Rom. 16.25. Quia neque à Matthæo ille, neque ab Homine quovis alio, sed ab ipso Christo Euangelium edoctus fuerat, Gal. 1. 12. Atqui Paulus ipse docuerat eos, inquient, Atque ità Θεοδίδακτοι evaserant. Docuerat certè; Et cum Paulo, Silas etiam, & Timotheus. Charismate enim ἐν Εὐαγγελίῳ, (Per quod, in Ecclesiæ suæ gratiam, datum pluribus à Christo erat, Vitam, Mortémque ejus describere posse, Dictáque Domini, & Facta omnia recensere; Unde enim aliter Christiani quicquam de eo, in quem credebant, scire poterant? & non, ut Barjesuita satìs crassè, sed alios quidem in hoc secutus, *Apostolis ad annunciandum Euangelium, atq; ad plantandum illud per diversas Regiones, opem ferre*, Cat. Rac. pag. 300.) Apostolicos illos universos donatos fuisse, nil dubitandum est.

4. Sed quid? Ex omni Thessalonicensium numero nullóne aliqua oblivio ceperat? Neminem fefellerat ab Apostolis dictorum memoria? Nemon' etiam, inter abitum Pauli atque hanc Epistolam, νεοφυτότης erat, Christóque recentiùs se dederat, atque igitur Apostolum nunquam audierat? Aut unde jam est, quòd universos, sine discrimine, adserat Θεοδίδακτους esse? Enimverò Apostolum, dum aderat iis, delectum quorundam fecisse, Qui in Ipsius atque Euangelistarum locum suffici possent, & Ecclesiæ ibi præesse, atque ad Officia Spiritualia καλέσαι se iis, & ἐργοδιώκτας præstare, manifestum est, ex 1 Thess. 5. 12. Intelligi tamen non potest, eum nunc de his loqui, aut de aliqua cognitione voluntatis Dei, quam Thessalonicenses ex iis ità percipiebant, ut ob hoc Θεοδίδακτοι ab eo nuncupentur. Hoc igitur respectu, multò rectiùs dicendum ei fuisset, Θεοδίδακτοι ἦτε, habitâ Relatione ad Divinam illam Euangelii patefactionem, quâ ipse, Silásque & Timotheus, ex ipso Christo, dum ibi agerent, eos antè beaverant. Addatur etiam, quòd hii qui præerant, non cessabant excitare eos ad cæteras παραγγελίας, quas per Paulum à Domino Jesu acceperant, 1 Thess. 4. 2, Et de illis tamen Officiis, & præcipuè de Sanctimonia ipsorum, Ipse non abstinuit nunc fusiùs scribere. Non est igitur ob hoc, quòd aiat, σὲ φιλαδελφίας οὐ χρείαν ἔχετε γεγράφειν μὲ. Quid igitur est? Quod & Barjesuitismi, & totius hâc in parte Pelagianismi nervos succidet; Et à nobis, si animum cum Bono Deo advertamus, ex ipsis verbis optimè exprometur. Nam cùm noluerit dicere, Θεοδίδακτοι ἦτε, in Tempore Præterito, (Istud autem ad Pelagii sensum accommodatius fuisset, Quia per Apostolum, Christi nomine, immediatè patefacta iis fuerat Voluntas Dei: Et ad postulatum Hæreseos suæ satis supérque hoc est, Siquidem nihil amplius requiratur, quàm ut Dei Voluntas manifestata, & plenè cognita hominibus sit, Hominum autem ipsorum sit, ex arbitrio, & facultate sua, quod supereſt adjicere:) Secundò, quòd nec sic se exprimere contentus fuerit, οὐ χρείαν ἔχετε γεγράφειν ὑμῖν· Θεοδίδακτοι γάρ ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους· (Nam & hoc plenum est in Syntaxi sua, sensúque Grammatico, & ad sensum quoque Pelagianum paulò convenientius esset:) Sed quòd & de Tempore Præsente loqui elegerit, Θεοδίδακτοί ἐστε, & de Personis, cum redundante, atque insolita adjectione, αὐτοὶ ὑμεῖς Θεοδίδακτοί ἐστε· in hoc jam consistit tum Veritatis Divinæ, tum Pelagianæ prævaricationis luculenta indicatio.

5. Non enim dicere, Θεοδίδακτοί ἐστε· Sed eo modo abundare, & dicere, αὐτοὶ ὑμεῖς Θεοδίδακτοί ἐστε· ad Duo manifestè tendit, Primum, ut pro certo semper habeant, in Semetipsis quicquid habent, quicquid velint, posísintque, non ex Semetipsis illud habere Se, sed ex ipso Deo, Velle suum, Posséque ex eo reverâ esse; Alterum, Ut innuat, se pro nihilo habere, Didicisse eos aliquid, quantum εἰς γνῶσιν, aut secundùm Intellectum solùm, id est, Scire eos, quid faciendum sit, & tamen non facere, Sed didicisse εἰς πρᾶξιν, & secundùm Affectum, ità ut quæ novêrunt, quotidiè faciant, Hoc solùm se Deo dignum esse ducere, atque in hoc jam, Ipsorum caussâ, Se vel contra semetipsum, Doctorem utcunque eorum, triumphare; Ut enim Ipse de Fraterno Amore ad eos scribat? Imò, frustrà se facturum fatetur, si faceret. Quid ità verò? Αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς, ait; Ipsos in semetipsis hoc habere novit, & αὐτοδίδακτους esse cum ingenti gaudio agnoscit, respectu opis cujusquam humanæ, opus non habentes, ut ab homine quoquam, nè à Paulo quidem ipso, doceantur hoc facere, quod tam feliciter jam faciunt. Veruntamen ex ipsis Se hoc non habent, ait; Opis enim Humanæ omnino non est; Non ergò Suzipsorum: Sed αὐτοὶ ὑμεῖς isti, hoc habent, Ut Θεοδίδακτοι sint, Cui simile apud Poetam ille,

Αὐτοδίδακτός εἰμι· θεὸς δέ μοι ἔπασαν ἀοιδήν·

Deo nimirum dante, faciente, adjuvante, quod aliter facere non poterant, ipsi quotidie faciunt.

6. Jam in priore horum modo si hæsisse eos intellexerat, Sciendi, quid facere deberent, sed non Sciendi facere, scripsisset ad eos etiam & de Fraterno Amore, non parciùs, quàm de Castitate, & Sanctimonia scribit, Ut excitaret eos, ad faciendum, quod antè per ipsum ex Deo audierant, atque ut meminentes dicti Dominici, Εἰ ταῦτα οἴδατε, μακάριοί ἐστε, ἐὰν ποιῆτε αὐτά, Joan. 13. 17, operam semper darent mutuæ Dilectioni. Verùm cùm jam indè à principio Euangelii Dilectionem istam imperantis, semper perspexerat eos in ea parte excellere, à Deo hoc esse gloriatur, pérque illius Gratiæ influxum, impulsúmque cum effectu doceri eos, & jugiter hoc facere. Proximè subjungit, καὶ γὰρ ποιεῖτε αὐτὰ, ver. 10. Nam quid est istud, γάρ? Quod audiant, velim, expendántque Pelagiani omnes; Caussalis illa Conjunctio duplicem ibi in se vim habet, Rationalem, *A Deo docti sunt, Quia faciunt*, & Illativam, *A Deo docti sunt, Ergò faciunt*. Sed *faciunt*, in utraque est: Et à Deo hoc omne est, quod faciunt. Additio igitur ista, αὐτοὶ ὑμεῖς, in se quidem est non necessaria, sed παρέλκει, nisi quod ad Opem omnem externam, hominísque cujusquam Magisterium excludendum inservire jubeatur; Θεοδίδακτοι autem utcunque sunt; Nam ut effectum dent, quod sciunt, opus omnino est interiore ductu per Dei Gratiam, & quòd Diligamus mutuùm, est Deus in nobis. Propter hoc igitur noluit dicere, αὐτοδίδακτοί ἐστε, sed αὐτοὶ ὑμεῖς Θεοδίδακτοί ἐστε. Quotidiè enim docebat eos Deus, Quia Gratiâ Suâ excitati, adjutíque quotidie, hoc præstabant.

7. Eam autem esse vim in N. T. vocabulorum Discere, atque Doceri, ut significent, *facere solere*, jam alibi (nisi pessimè recolo) admonui ad 1 Tim. 5. 13. Certè Dominum Jesum nil aliud voluisse, hâc ipsâ in Re, per Participium μαθὼν, tum ex ratione ipsâ, sensúque Loci illius, tum ex verbis ibidem per eum adjunctis, jam liqui-

dò

dò parebit. Postquam enim Prophetæ illud laudârat, *Et erunt omnes διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ*, Esa. 54. 13, ut quorsum hoc attulerat, intelligerent, Illativè ex eo concludit, *Omnis ergò, qui audivit ex Patre, & didicit, venit ad me*, Joan. 6. 45. Jam proximè enim negârat, *Posse quenquam venire ad Eum, nisi Pater, qui miserat ipsum, traxerit illum*, ut veniat scilicet, v. 44. Non venire verò? At si de pedibus Corporis hoc intelligendum erat, Agebat jam in Publico Christus, ubi nemo non accedere, si vellet, poterat: Sin de pedibus Animæ, de Sensibus, Affectibúsque, Audire etiam poterant, quæ Ille prædicabat, & interrogare, quæ scire cupiebant. Quid opus ergò Tractione Dei? Intromittit se heic Barjesuita meus, respondétque, *Non eâ ratione id dici, ut necessitas aliqua imponatur, aut Vis hominibus à Deo fiat*, C. R. p. 266. Vah! Quàm intempestivé! Quis enim Vim intentat? Verissimum igitur utcunq; sit, quod affirmat, prævaricatur tamen (ut solet) egregiè, atq; semotâ jam vi, ejus loco, falsissimam, si solitaria (ut ipse jam vult,) sit, rationem Tractionis Divinæ subornat, ait enim, *Deum Promissionum suarum Præstantiam, & firmitatem ostendendo, Homines ad filium suum trahere*, C. R. p. 267. Sed nihil aliud tamen per hoc intelligi vult, quàm homines, audito ex Euangelio, quid Dei Filius nobis injunxerit, mercedem etiam, si morem ei geramus, quàm ingentem pariter, & infallibilem promiserit, in medio jam relictos, pro libero suo Arbitrio agere, spontéq; suâ sequi eum posse, si voluerint, & Boni sint, non segniùs, quàm Quia Mali, respuere. Hæc ea est, quam Dædali hii fabricârunt sibi Dei Tractionem!

8. Respondeant igitur nobis de Tempore hujus Ostensionis. Annon per ipsum Christum in terris prædicantem plenè, perfectéque fiebat? Non negabunt, scio. Eo igitur ex tempore, Quamprimùm quisquam audierit, quid id sit, quod Christus prædicavit, Ostensionem ille hanc ex Deo consequitur. Quapropter, cùm Deus jam fecerit, quantum à Deo fieri hii homines admittunt, necesse est, eos qui ex ista solùm ratione trahendi sunt, vel obedire, atq; ex primo statim auditu adhærere Deo, vel nec audire, atq; æternùm deserere. Quæ enim ratio, aliter se unquam habendi? Quàm manifestas igitur nugas nunc agit Pelagianus, excepto, quòd nebulas ex vocabulo Trahendi speret offundere? De tali enim Tractione Christus Se locutum esse monstrat, quæ Benignitatis in nos ulterioris tessera est, & egregium aliud Donum Dei in se comprehendit: Nam variatâ statim phrasi suâ, ait, *Nemo potest venire ad me, nisi hoc datum ei fuerit à Patre meo*, Joan. 6. 65. Ex Dono igitur habet hoc, & non ex ostensione solùm, quisquis ad Christum venit, hoc est, Qui ei obsequitur, Mandatísq; ex Deo impleri jussis, operam navat; Arbitrii igitur Sui solius non est, non propriarum Virium, sed ex Divinæ Gratiæ influxu, auxilio, tractu: Quô de Deus ipse olim in Propheta locutus est, *Charitate perpetuâ dilexi te: Ideo attraxi te Misericordiâ*, Jer. 31. 3. Istud verò ad omnes in genere, ad quos Euangelium pervenit, non potest pertinere: Utì nec illud Sponsæ, *Trahe me, & post te curremus*, Cant. 1. 3. De iis enim solùm pollicetur Ecclesia, Quotquot per Gratiam suam attraxerit Deus, sed non de universis, Quibuscunque Promissiones suas ostenderit.

9. Cùm igitur subjunxerit Catechista, *Manifestum esse, A Patre trahi, nihil aliud esse, quàm à Patre audire, & Doceri*, C. R. p. 267, non uno vitio Paralogismus iste manifestè laborat. Primò enim, quantum ad solam cognitionem Voluntatis, & Promissionum Dei, sufficisset dici, *A Patre audire*. Qui enim ab eo audivit, ille jam novit; & ipsum hoc *doceri*, per Catechistam, (licèt à Christo rectè additum sit,) planè περίλογον, & otiatur; In quo tamen jam indicavimus præcipuam Emphasin Dicti illius consistere; Διδαχθῆναι enim & Μαθεῖν in usu Sacro, (ut ad Phil. 4. 11, monstravimus) vulgò ità accipiuntur, pro *Didicisse*, (id est, *Solere*) *facere*. Secundò, Ut meliusculè sibi caveat, ipse Apocopê etiam sacrilegâ usus est; Christi enim sententia expressè est, *Trahi quenquam à Patre esse, Ità Eum ex Patre*; (id est, ab ipso Christo, quem Pater misit,) *audire atque doceri, ut & ipse ad Christum veniat*. Sed hoc Barjesuitæ parùm placet, *Ut veniat ad Christum*, Abscidit ergò; hoc enim est, ut fide verâ vivâque credat, & operetur. Hæc sola Dei Tractio est: Hæc autem est sola Dei Gratia; Hæc igitur est Barjesuitæ, hæc Pelagii, De Voluntate, Potestate, Facultate nostra, Déque Libero Arbitrio prævaricatio.

SECT. LXIII.

1. *Crevisse infantulum, Spirituque corroboratum fuisse, aliter de Baptista, aliter de Christo dictum est. Deum esse μετ' αὐτοῦ, & ἐπ' αὐτὸν, differunt.* Manus Dei *super eum, pro Prophetia. Gratia super Christum.*
2. *Christus aliunde non didicit, sed ex ipso Se habuit. Per Donum. Celavit Deitatem, quasi ab annis profecerat.*
3. *Novit omnia Christus ante Resurrectionem. Ab ipso enim Conceptu habuit omnem Potestatem, omnémque Scientiam.*

DE Johanne, mox ubi natus est, Euangelista ait, τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε, καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, Luc. 1. 80. De Jesu etiam, non longè à partu ejus, τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε, καὶ ἐκραταιοῦτο πνεύματι, Luc. 2. 40. Cum differentia ergò in Verbis nulla, Utrumque crevisse Corpore, ait, Utrumque Spiritu corroboratum fuisse. Sed Quem Spiritum vult? Non Corroborantem, (verum licèt id sit; à SSpiritu enim factum est:) sed Corroboratum, in Spiritu suo, id est, in Animo; Quod à Paulo, cùm vellet utrumque pariter dicere, dicitur, *In Interiore homine*; ἵνα δῷ ὑμῖν δυνάμει κραταιωθῆναι διὰ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ εἰς τὸν ἔσω ἄνθρωπον, Eph. 3. 16. A Latino V. autem, (vel, ut correctiùs loquamur) in Latino V. quòd, ubi de Christo loquitur, Vox πνεύματι nunc deleta sit, ausu satìs temerario, planéque frustraneo factum est ab iis, Qui de Spiritu Agente hoc dictum rati, Diversitatem, quam aliter ut constare posset, inter Jesum verè Deum, atque Johannem merè hominem, nesciebant, hoc modo conservandam esse existimârunt. Pergit autem Lucas in parallelis; Dictóque, de Johanne, καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ, Luc. 1. 66, De Jesu ait, καὶ χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτόν, Luc. 2. 40. Nec ista quidem, sono Verborum, multùm differre videntur; sed Sensu tamen longè sunt diversissima. Esse enim Deum μετά τινος, id est, *cum aliquo*, ad Præsidii solius, atque Adjutorii designationem dicitur; Sed Deum esse ἐπί τινα, id est, *super aliquem*, amplius aliquid, celsiúsque significat, ut mox parebit. Differunt etiam non parùm ex hoc ipso respectu, quòd sint χεὶρ Θεοῦ, & χάρις Θεοῦ: *Manus* enim *Dei*, apud Hebræos quidem, si & ἐπί τινα esse dicatur, (sed de Johanne jam, duntaxat est μετ' αὐτοῦ,) denotat Afflatum Propheticum, ut ἐγένετο ἐπ' ἐμὲ χεὶρ Κυρίου, Ezec. 40. 1: sed si *Gratia Dei* super aliquem dicatur esse, phrasis est, non ad Auxilii, aut Prophetiæ solùm, sed ad Donorum omnium Divinorum Collationem comprehendendam nata, ideóque de Homine nemine (quod sciam) usquam reperitur. Est quidem, ubi de Apostolis unà omnibus, Corpus ipsum Christi, id est, Ecclesiam ejus universam repræsentantibus, dicitur, χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς, Act. 4. 33. Verùm istud ibi non videtur, nisi de Gratia, quâ jam præpollebant inter homines (non enim Θεοῦ dicitur,) sumendum esse; sin aliter, ex ipso tamen Epitheto eo, μεγάλη, Disproportio maxima inter Christum, Hominésque instituitur. Gratia enim illa, (si, Dei,) super eos, Magna utcunq; erat, limitabatur tamen per Additamentum illud, & Aliqua duntaxat erat: Sed Gratia Dei super Christum, Absolutè cùm posita sit, est Gratia omnis, & omni modo, propriéq; extendi poterit ad illud Apostoli de Christo, Ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς, Col. 2. 9.

2. Vel hinc igitur facilè se falli intelligant, qui Christi

Christi Divinitatem arrodere se posse sperarunt, Quia paulò pòst de eo dicitur, Καὶ Ἰησοῦς προέκοπτε σοφίᾳ, καὶ ἡλικίᾳ, καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ, καὶ ἀνθρώποις, Luc. 2. 52. Quid enim si profecerit Sapientiâ? Ergóne priùs in Se non habebat? Non sequitur. Modi enim solius, non Rei, jam hæc quæstio erit. Nam & Puerulus dum adhuc esset, fuisse παιδίον πληρούμενον σοφίας, Locus ille prior adserit, Luc. 2. 40. Profecit igitur; sed ut in Corpore suo, ex innata Sibi Facultate Vegetativa profecit, sic & in Animo Suo Humano quòd profecerit, Aliunde non erat; Non ab Extrà; Non, ex Usu, aut Observatione rerum; Non, ab aliis Edoctus; Ille enim Judæorum stupor erat, *Quomodo hic literas novit, cùm non didicerit?* Joan. 7. 15. Et Nazarethani, apud quos crevit, mirantur, *Unde huic Sapientia ista?* Mat. 13. 54. Hactenus tamen sapiunt, ut agnoscant, non esse sensim, aut per Actum Successivum acquisitam ab eo, sed Divinitus ei jam Recèns datam, *Quæ est hæc Sapientia, quæ data est ei?* Mar. 6. 2. Dabatur autem ei, non ut Prophetis ipsis, per subitam Inspirationem, novósque subinde Afflatus, (Habebat enim in Se indè à primordio Conceptionis, quamprimum Natura ejus Humana ad Deum adsumta est;) sed ut Filio illi hominis, *per Revelationem à Patre*, Mat. 11. 25, id est, à Divinitate sua, eámque pro suo ipsius Beneplacito indultam, v. 26. Hæc nimirum Res erat; Pro cœptæ Dispensationis suæ ratione, Nè non putaretur verus Homo, præsertim verò, nè Redemtionis nostræ negotium interturbaretur, si putaretur esse verus Deus, placuit ei singulares Infinitæ suæ tum Potentiæ, tum Sapientiæ Actus ità velare, atque de Tempore in Tempus suspendere, ut aliquam semper cum Annis suis, (Quasi humano solùm more, ab Annis proficeret;) analogiam servare videretur. Igitur quod Ætatis suæ Anno, (imò, Die) Primo, si ità ei visum fuisset, per Divinam suam Virtutem præstitisse poterat, non nisi à Puero Duodecenni tamen præstitum esse videmus, ut pedibus è Galilæa in Urbem cum parentibus ire posset, Luc. 2. 42, quod Corporis vegetationem subindicat, Atque ut ibi Doctores ipsos in Templo exercere, ver. 46, quod Animi Sapientiam. Profeciisse igitur dictum est, Quia non nisi habitâ ad annos, in quibus Homines proficere solemus, aliquâ, sed mirabili tamen eâ, & supra rationem, supra hominem, analogiâ, Christus Θεάνθρωπος Animæ suæ Humanæ ità impertivit de Præsentia, Virtutéque sua Divina, ut posset aliis indicia tanquam profectuum in Sapientia, (sed insolitorum tamen, stupendorúmque!) ubi volebat exhibere.

3. Nihil igitur proficient, Qui ex isto vocabulo, προέκοπτε, non erubuerunt operam subtilem dare, ut Ignorantiæ labe Christum adspergant, in eo alio dicto ipsius, περὶ τῆς ἡμέρας ἐκείνης καὶ ὥρας, οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ Ἄγγελοι, οὐδὲ ὁ Υἱὸς, εἰ μὴ ὁ Πατὴρ. Mar. 13. 32. Repetitionem autem illorum, quæ de recta Expositione hujus Loci jam antè edisseruimus, ut nunc moliamur, neque libet quidem, neque opus est: Si tanti esse videbuntur, indè promantur. Verùm quod nuperrimè à nobis quæsivit Quis, (Annon salva hæc res foret, Christíque Dignitati satis succurreretur, Si respondeatur, Christum quidem, tum cùm ista locutus est, nescisse ea, quæ Pater latere voluit; Neque enim nisi post Resurrectionem suam accepisse Eum, ut omnem Potestatem, ità & omnem Scientiam?) non potuimus non cum summo fastidio reponere, Intempestivè se Christo, impiéque Benevolum præstare, quisquis id dixerit. Nam & ante Resurrectionem, jam satis hoc edocti, Discipuli dixerunt, νῦν οἴδαμεν, ὅτι οἶδας πάντα, Joan. 16. 30, non segniùs, quàm & Petrus post eam, Κύριε, σὺ πάντα οἶδας, Joan. 21. 17: & post Resurrectionem erat, cùm ipse dixit iis, οὐχ ὑμῶν ἐστι γνῶναι χρόνους, ἢ καιρούς, οὓς ὁ Πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, Act. 1. 7. Seipsum autem, quia cum Patre Unum est, quà Θεάνθρωπος erat, nullus unquam excluſit ab aliqua Cognitione. Sed ad has insanias adigi homines, mirum non est; Qui insanam eam opinionem à Socininis, (Quos jam antè satis ad Mat. 28. 18, refutavimus,) imbiberunt, Christum Potestate suâ Divinâ, non nisi post Resurrectionem, donatum fuisse: Idque ex hoc solùm Paralogismo, Quia Donationis illius, (sed quam ex Hypostatica Unione ab initio consequutus est,) post Resurrectionem semel, (sed tamen aliâ longè de Caussa) meminit. Ex Philosophi autem Sententia, semper hoc fit, ἐνὸς ἀτόπου δοθέντος, πολλὰ ἕπονται: falsíque priùs de Potestate Christi, & de Scientia ejus nunc falluntur.

SECT. LXIV.

1. *Sacerdotalem suam Potestatem Christus in prima Conceptione habuit. Sacerdotem eum vel in Cruce fuisse Barjesuita non fert. Verbis tamen suis concedit, aut pessima Bestia est.*

SCio me jampridem propulsâsse Vim quam Catechista geminis SScripturæ locis, Heb. 8. 4. & Heb. 2. 17, intentârat, fraudémque satis excussisse, quâ Apostolum pertrahi à se posse sperârat, in scelerati sui Dogmatis Patrocinium, De munere Sacerdotali, à Christo neque exercito, neque percepto quidem, antequam Redux à Sepulcro factus in Cœlos tandem ascenderat. Monstravi enim, Eum à primo Conceptu suo Christum factum fuisse, atque ex Hypostatica Unione consequutum Unctionem eam Divinam Potestatis universæ, Regiæ, Sacerdotalis, Propheticæ, (Tempore tamen suo, Modóque, pro suo arbitrio exercendæ,) Largitricem. Idem igitur significare παραγινόμενος, Heb. 9. 11, quod εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον, Heb. 10. 5, & quum primùm accederet in Mundum hunc, hoc est, in ipso Incarnationis suæ primordio, Venisse Eum Pontificem, Prophetam, Regem. Verùm, An ad ipsa verba Quæstionis suæ tum attenderim, quam ille ad Christi Sacerdotium corrodendum parârat sibi, profectò non memini. Sed ea sic se habent, *Quid? Annon erat Sacerdos, antequam in Cœlos adscenderet, & præsertim Cruci affixus penderet?* Cat. Rac. pag. 291. Ecquis verò omnium jam habet, de hac Quæstione quod statuat? Nam quid facit istud *præsertim?* Referturne ad id, quod anteceſſit? *Præsertim non erat Sacerdos.* Hóccine est, quod vult? Agamus igitur: Nam si Pars ea prior ad secundæ partis Expositionem, ἐπὶ τὸ κοινὸν, repetenda sit, multò magis repetendum quoque est & Adverbium *Antequam*, sine cujus repetitione sensus reverâ nullus adstrui potest: Nam sine eo, Quid aliud erit, *Præsertim non erat Sacerdos, & Cruci affixus penderet*; præter τὸ βέβηλον κενοφωνίαν, 1 Tim. 6. 20, atque vocabulorum horribilem hiatum? Repetatur autem illud, & Catechistæ Sententia sic exibit ei, *Christus Sacerdos non erat, antequam Cruci affixus penderet.* Bene habet igitur! Ex præmissis enim hiis, jam concludendi partes nostræ erunt: Et, Si in Quæstione hac repeti nolebat *Antequam*, Sphingem in ea egisse eum (nè in omni Captionis genere non excelleret,) statuimus, ad ænigmatis istiusmodi Discipulos suos miserè implicandos, eniçandósque: Sin repeti voluit, Actum unà est de toto Dramate suo. Qui enim non finat Christum Pontificem esse antequam penderet ibi, abunde largitur, tum cùm penderet, Pontificem eum fuisse. Igitur vel seipso Judice, Stultus ei labor est, quem per Decem aliquot Pagellas insumsit de Munere Christi Sacerdotali, sed ab Ascensione oriundo. Qui Naso tamen interea homulum suspendimus, grátias ei alias de insperata hac concessione agimus nullas; Neque enim Potestatem Sacerdotalem Christi sufflaminari Nos patimur usque ad Crucem, Sed ex ipsa

Unione Naturarum Jus illud ei adſerimus, Quod Ille in Cruce tam Sanctè, plenéque exeruit in Noſtram Redemtionem.

Sect. LXV.

1. *Verba quædam ſubducta è Textu, & aliorum Ordo perverſus à Barjeſuita, in fraudem.*
2. *Quâ arte, & quàm fruſtrà ſatagat, nè Chriſtus credatur Deo Se pro nobis obtuliſſe.*
3. *Infinitus Amor Chriſti erga nos, tradentis ſe in Sacrificium, quod alia Sacrificia Spiritualia infinitè ſuperat.*

HEM & alteram Infidelis Catechiſtæ Quæſtionem, à fraudibus ſuis, S'que Scripturæ injuriis non immunem. Quæritur enim ab eo, *Cur verò Apoſtolus ait, Chriſtum tradidiſſe ſemetipſum Victimam, & Oblationem Deo, in odorem ſuavitatis?* C. R. p. 292. At verò Apoſtolus nuſquam hoc ait. Appoſuit quidem ipſe in margine ſuo, Eph. 5. 2. Sed quod ibi Apoſtolus ait, eſt, *Chriſtum tradidiſſe Semetipſum pro nobis Oblationem, & Victimam Deo, in odorem ſuavitatis.* Hæccine verò in oculis Czarkovianis ſunt eadem? An verò latiſſimè, totóque ferè Cœlo, differunt? Apoſtolus enim, quicquid Chriſtus hâc in re fecerit, Pro nobis, ὑπὲρ ἡμῶν, neque igitur Propter nos ſolùm, ſed Vice noſtrâ, feciſſe eum adſerit. At duo iſta vocabula *Pro nobis* Catechiſtæ minùs ad palatum facere viſa ſunt; Prorſus ergò ſuſtulit: Hactenus ergò differunt. Differunt rurſus in hoc, quòd Apoſtoli dictum ſit, *tradidit Semetipſum Oblationem, & Victimam Deo*, Catechiſta verò pervertit hunc ordinem, (Hoc enim Genitoris habet, ἐ παύου διαφέρων, Act. 13. 10.) dicítque, *tradidit ſemetipſum Victimam & Oblationem Deo.* Quid ità verò? Non placebat enim, quòd Chriſtus diceretur *Victima Deo*; minùs, quòd Chriſtus ità Seſe ipſe tradiderit, ut à Se offerretur Deo pro Victima. Nam hæc ſi ſteterint, Actum eſt de Barjeſuitiſmo ſuo; Periere funditus Commenta omnia Socinina: Erit enim tum, è morte Chriſti, Sacrificium; Erit in Cruce ipſa, Sacerdotium; Erit ergò per Chriſtum, Satisfactio; Erit Generis noſtri Redemtio; Erit denique, Naturarum in Eo, Perſonarum in Deo, manifeſta Diſtinctio. Hæc igitur Ille ut ferat? Ut videat talia, & nihil oggannire videatur? Imò, faciendum omnino eſt, quod poteſt. Primò igitur furtum illud facit. Præter verò rapinam, quâ vocabula ea, *Pro nobis*, ſuffuratus eſt, movendi etiam tacicè ſunt termini; expediet enim, ut pro *tradidit Semetipſum Oblationem & Victimam Deo, in odorem Suavitatis*, ſubornetur, (modò dextrè peragi poſſit, & ſine ſtrepitu,) *tradidit Seipſum Victimam & Oblationem Deo, in odorem ſuavitatis.* Pro ſedulitate igitur ſua, quò feliciùs ei ſuccedant Res, ſemel, (& quò certi ſimus, caſu id factum non eſſe,) iterúmque, hoc facit, Primò in Quæſtione, Pòſt, in Corpore Reſponſi ſui, C. R. p. 293. Sed jam, Cui Bono? inquies. Profectò, non Uni; prout Artifex iſte ſibi pollicetur.

2. Hiis enim ità à ſe comparatis, confidenter jam inſurgit, exclamátque, *Deinde in iſto Loco expendendum eſt, Apoſtolum non ità loqui, quòd Chriſtus Seipſum Obtulerit Deo pro nobis*, C. R. p. 293. Non ità? Nam quæ eſt Diverſitas? Ecquid minùs, in *tradidit Semetipſum Victimam, & Oblationem Deo*, reperiri eſt, quàm eſt, in *Semetipſum obtulit Deo pro nobis?* Audiamus ergò, Quoniam expendendum hoc eſſe monet, quibus demum Expenſis effectum hoc dabitur. Et primam quidem, verámque rationem haut viſum ei eſt allegare. Ea eſt, Quia in *tradidit Seipſum Victimam & Oblationem Deo*, verba ea *Pro nobis* non inſunt. Et bonâ quidem fide, ibi jam non inſunt. Sed novimus tamen nos, (monuimúſque) Cur non inſint: Subleſtâ Catechiſtæ fide hoc factum eſt, qui furtivâ manu Apoſtolo ea ſurripuit; Neque levis certè Expenſa hæc eſt. Verùm ſequendus eſt Nequam, ad quam ipſe prætendit Rationem. *Nam hoc verbum* tradidit *non debet conjungi cum voce* Oblationem, *verùm per ſe debet legi, quòd Chriſtus Seipſum tradiderit, ſubintellige, In mortem*, ibidem. Oh! bene habet! Nunc enim quis non videt, quàm Divino ille Conſilio vocabula iſta trajecerit? Apoſtolus quidem dixit, *tradidit Seipſum pro nobis, Oblationem, & Victimam Deo*, Sed Barjeſuita, ubi *Pro nobis* extinxerat, reliqua tranſlocat, legítque, *tradidit ſeipſum Victimam, & Oblationem Deo.* Quare verò hoc? Reverâ, Quia, ut ipſe Scenam hanc ſibi fingit, nullus Victimæ poſt Oblationem Chriſti, ſed poſt Victimam, hoc eſt poſt Mortem ejus, Oblationi aliquis, ídque ubi Adſcenderit, inſtituitur locus. Clàm tamen habitâ hâc Ratione, aliam ipſe, & ſatìs ridiculam, ſubornavit; Quia hoc verbum *tradidit*, non debet conjungi cùm voce *Oblationem*. Ipſe igitur, nè Pueri ſui faciant, quod non debent, ſejungit ea, terribilémque vocem *Victimam*, intermediam ſtare jubet. Dein verò quid? Jam &, *Chriſtus Seipſum tradidit, debet legi per ſe*, ait. Satìs quidem pro imperio hæc omnia! Modò, *non debet*, jam *debet* denuo. Sed habeat etiam & hoc; Per ſe legatur. Imò ſed, Non per ſe tamen; (fluctuat enim, vult, & non vult, & miſerè angitur;) *Subintelligendum enim eſt*, (quídni ergò & legendum?) *In mortem.* Verùm & hoc quoque donabitur, per me. Pareamus jubenti, intelligamus, legamúſque, *Chriſtus tradidit Seipſum in mortem*. Nunc igitur quid? Nunc ait, *Sequentia verba*, Victimam, & Oblationem Deo, in odorem ſuavitatis, *ſunt veluti illuſtratio iſtius operis Chriſti*, C. R. p. 293. Hei! Quàm turpe eſt difficiles habere nugas? Sunt enim Illuſtratio ſumma, & non *Veluti* ſolùm, ſed & vera, vivàque Commendatio ejuſdem.

3. Verùm Cujus Operis? *Quòd Seipſum tradidiſſet*, ait. Errat autem nimis jam in hoc, (ſi non & prævaricetur; Verùm ſciens prudénſque erraverit, an invitus, non multùm intererit:) Amor enim hic Chriſti reverâ eſt, Qui & Illuſtrationem, & commendationem omnem infinitè ſuperat, Talem eum, Tantúmque, ità tamen Nos dilexiſſe, ut tradiderit in mortem Seipſum pro nobis Oblationem, & Victimam Deo in odorem ſuavitatis! Meritiſſimè autem hoc Fidelibus omnibus in Exemplum proponitur, & Cùm ille Rem tantam pro nobis, Quæ & fidem ferè omnem, (Barjeſuiticam certiſſimè) ſuperat, præſtare potuerit, voluerítque, ut Ipſe Victima pro nobis Deo Patri fieret, Debere ergò nos Imitatores eſſe Dei noſtri, & dilectionem, quantam poſſumus, impendere Fratribus, optimè infertur. Verùm Hóccine ut impediat, quin Ipſe ſit id, ob quod commendari dicitur? Hóccine non ſinit, præſtitum id à Chriſto fuiſſe, à quo etiam Chriſtus illuſtratur? φεῦ τῆς λιτότητος! Sed ecce jam ipſa Grammatica ferulam ſuam exerit. Niſi enim vocabulum *oblationem* conjungi ſinet Catechiſta cum verbo *tradidit*, atque indè in Quarto eo Caſu regi, mutari Caſum oportet, atque in Recto poni, & τοῦτο ἢ aut aliquid tale ſubintelligi, ſic, παρέδωκεν ἑαυτὸν ὑπὲρ ἡμῶν· τοῦτο ἢ προσφορά ἐστι, ἢ θυσία θεῷ εἰς ὀσμὴν εὐωδίας. Ad meram enim Commendationem, quam Catechiſta molitur, diſertius hoc, ſatiúſque fuiſſet. Sed Chriſtus ità ſe tradidit in mortem, ut in Oblationem, Victimámque unà ceſſerit. Dividi igitur iſta non poſſunt in eo; Neque SScriptura verbum *tradendi*, De Chriſto ſcilicet Seipſum Tradente, aliquo in loco uſurpat, quin & unà complectatur, (prout ibidem ſequitur, ver. 26,) quod Catechiſtam torquet, enicátque, ipſius Sacrificium: Meri igitur ſunt, miſeríque Barjeſuitiſmi, SScripturarum torſiones, & perverſiones, quibus reliquum pagellæ implet ſibi, Cat. Rac.

pag.

pag.293. Nam quia Paulus Philippenſium beneficentiam, per ſimile loquendi genus appellat, *Odorem ſuavitatis, victimam acceptam, perplacentem Deo*, Phil. 4. 18, adfirmétque *talibus Sacrificiis Deum placari*, Heb. 13. 16; Chriſtiani autem dicantur, in omnibus, quæ faciunt piè, *Offerre ſpiritualia ſacrificia, accepta Deo per Jeſum Chriſtum*, 1 Pet. 2. 5, vel ex iſtis Particularibus Generalem ille Concluſionem condere non erubeſcit, Atque indè pòſt adſumere, Illam in Cruce Chriſti Oblationem, per quam ſemel ſe obtulit ad Peccatorum noſtrorum ablationem, Heb. 10. 11, niſi ex eodem Tropo Sacrificium dici, ideóq; alius generis, meritíve non fuiſſe. Per eandem igitur conſequentiam concludat, Quia David Elevationem manuum ſuarum voluit eſſe Sacrificium Veſpertinum, Pſa. 141. 2, Haut alia fuiſſe ſub Lege Veſpertina Sacrificia.

SECT. LXVI.

1. *Portare peccata. A Græcis* נשא *centupliciter redditum eſt.*
2. *Satisfit Deo, Non, à Deo. Deus Peccata ut tulerit, ut & Chriſtus.*
3. Βαστάζειν. Auferre. Ἵνα πληρωθῇ, & ὅπως πληρωθῇ, *Ut differant. Senſus Locorum Literalis, aut Spiritualis & Myſticus.*
4. *Multa ſunt Satisfactionis non capacia. Chriſti Circumciſio & Baptiſmus an & pro Corporum Morbis fuerint. Peccata ſunt Debita; Pro quibus Satisfieri debet.*
5. *Deportatio Peccatorum nulla eſt, ſed Deletio.* αἴρειν, ἁμαρτίας ἀνενεγκεῖν, & ἀθετῆσαι.

EST ubi Catechiſta ſuos monuerit, *De Deo ſcriptum eſſe in Hebraico Textu, Ipſum eſſe, Qui miſericordiam millibus ſervet, & portet iniquitatem, & peccata*, C.R.p.241; ádque hoc geminæ Citationis notâ Marginem ſuum ditaverit, Exod. 34. 7. & Num. 14. 18. Siquis verò ſcire deſyderat, Cur Catechiſmum, ſimplicémque Stylum ejuſdem Hebraicorum Mormolycæo nunc terrefaciat, ex me audiet. Factum eſt, ut nemo, (præterquam qui obeſæ naris non ſint, & Linguas rectè calleant) perſentiret, quâ, non fide, ſed fraude, lactare ſuos amârit Barjeſuita à Moſcorow. E Polonico igitur idiomate Catecheſin ſuam in Latinum Sermonem traducere profeſſus, Latinum tamen Textum laudare iis nunc auſus non eſt; Apud eum enim, Locus ille Exodi legitur, *Qui aufers iniquitatem, & ſcelera*; & alter ille Numerorum, *Auferens iniquitatem, & ſcelera.* Sed nec Senum etiam verſione juvari ſe poſſe videbat; Nam utrobique in Illis eſt, ὁ ἀφαιρῶν ἀνομίας, καὶ ἀδικίας. At verò verba hæc ἀφαιρῶν, & *Auferre*, tormenta ei, per genuinam eorum Expoſitionem de Chriſto, futura erant, omnémque ademtura vim Sophiſticæ ſuæ Captionis. Hinc igitur derepente ſapit Pium Caput, ſpretíſque illis ſuſpectæ Fidei rivis, ſummâ cum Religione ex ipſis Fontibus Sacris, propinat Suis hanc, quam habebat, ſorbitiunculam, *Deum portare ſcelera.* Et verbum quidem illorum Textuum eſt à themate נשא, atque iſtud, inter Centum (plùs minùs) ſignificationes, per quas in V.T. Græcè redditur, aliquando quidem eſt φέρειν, aliquando λαμβάνειν, aliquando αἴρειν, cum aliis id genus, & ſemel quidem βαστάζειν. Nónne igitur verum hoc dicit? Nónne in Hebraico Textu eſt *Portare?* Certiſſimè eſt. Ut meminiſſe tamen ſemper oporteat, nec minùs ibidem eſſe αἴρειν, & ἐξαίρειν, & ἀναιρεῖν, & ἀφαιρεῖν, & ἀγιάζειν, & ἀφιέναι, cum aliis conſimilibus; Non eſſe igitur ab eo, tam abſurdè, tam malefidè, uni alicui Significationi mancipandum. Præcipuâ autem notâ indignum non eſt, in eo, quò nos pertrahit, Loco Numerorum, Cùm Moſes Dominum obſecret, *Ut parceret iniquitati populi, prout peperceràt iis indè ab exitu Ægypti*, ver. 19, Deúſque reſpondeat ei, *Peperci juxta verbum tuum*, Verbum iſtud *Parcendi*, in primo quidem, tertióque horum Loco, eſt à themate סלח *condonare*, Sed in ſecundo Loco, mutatur, ínque medio illorum verbum à נשא poſitum eſt: Mutandíque ratio eſt, Quia loquitur jam in eo, non de ſimplici, ſed de frequente Condonatione. Prælibatis autem hiis, audiamus jam, Quid tanto hiatu dignum è Textu ſuo Hebraico Promiſſor hic ferat.

2. Quid ferat? Iſtud, *Nihilominus Deus nemini pro peccatis ſatisfacit*, Cat. Rac. p. 241. Hem! Quid rides, Lector? Támne inſana tibi videtur iſta è Prædio Czarkoviano Conſequentia? Annon enim *Ferre* valet idem quod *Portare?* Ex hoc igitur concludere, Tametſi repertum ſit, ubi Deus dicatur *Portare peccata*, eum tamen *nemini pro peccatis ſatisfeciſſe*, hóccine eſt, quod petulanti ſpleni tuo cachinnum moveat? Verùm audi porrò cætera. Nullus enim ille, ſi urgeatur, negabit, non niſi ad pompam, (Catechiſtis novis, ſi ſapiant, in loco faciendam,) & nihil ad Rem, Hebraici Textûs mentionem hanc factam eſſe. Nam ſi admittatur, per ea verba *Deum ferre peccata*, ſignificari, *Eum prorſus tollere, ſeu auferre peccata*, nec indè tamen magis ſequetur, *Satisfeciſſe Deum cuiquam pro peccatis.* Quid igitur rei eſt, quòd tanto ſudore, ambitúque verbum *Portandi* introfertur? Si verum dicendum eſt, Minùs ex uſu ſuo futura erat phraſis illa *auferendi peccata*, ideóque pro libertate ſua, ex Hebraicæ vocis latitudine, quia נשא interdum ſignificat *Portare*, De Portatione peccatorum accipere ei viſum eſt. Jámque videbimus, quàm non valida ſolùm, ſed & violenta ejus Conſequentia ſit! Etenim ſi Deus, in V.T. dictus *ferre peccata*, id eſt, *portare*, nemini ſatisfecit pro peccatis quæ portavit, Poteríme hoc ferri in inſulſis nunc dierum extra Lituaniam Chriſtianis, ut Chriſtus, qui *tuliſſe peccata noſtra*, (id eſt, qui pro iis paſſus, eo pacto abſtuliſſe ea,) dicitur, indè concludatur, Satisfeciſſe pro iiſdem? O dirum telum! Aliáne enim ut ſit ratio *Ferendi*, quàm *Portandi?* Aliâne etiam viâ, quàm quâ Omnipotens Deus fert peccata, ut Homo Chriſtus eadem ferre dicatur? Hoc enim jam Acumen eſt (non Nugamen,) Catechiſticum; Caveſis ergò tam Divinam Argumentationem riſeris. O quàm congruè enim, atque ut Barjeſuitam decet! Qui divinam in Chriſto Naturam execratur, non alios tamen in eo Modos operandi admittit, quàm Divinos ſolùm, & qui communes ei cum ipſo Deo ſint; Neque igitur patietur, ut Chriſtus Homo, ferendo peccata noſtra, factúſque, licèt peccatum ipſe neſciret, peccatum pro nobis, 2 Cor. 5. 21, & pœnas peccatis noſtris debitas dans, eorundem à Patre condonationem, & deletionem emercetur. Et quídni? Ex iſta ratione, Quia Deus ipſe olim peccata populi portare dicebatur, (Quod quid eſſe velit, non dignatur dicere;) Sed non dicebatur, pro iiſdem ſatisfacere. Ex háccine verò Negatione, illa non rotundè ſequitur?

3. Verebatur quidem, nè fortitudo hæc ſua in nervum erumperet denique, ideóque dicto ferè citiùs, mittit de Deo dicere, & ad ipſum Chriſtum dilabitur, addítque, *Et Matthæus diſertiſſimè ait, tum cùm Chriſtus multos morbos curâſſet in populo, impletum fuiſſe illud per Eſaiam ſcriptum*, Ille Infirmitates noſtras ſuſtulit, & morbos portavit, *neque Chriſtus tamen ſatisfecit pro morbis hominum*, Cat. Rac. pag. 241. Etiam, *Diſertiſſimè?* Diſertiſſimè ergò admonuit, inanem modò fuiſſe Catechiſtæ ſatagentiam, ex Hebraico ſuo Textu, de verbo *Portandi*. Nam ipſi nunc eſt *ſuſtulit*, quod in Matthæo tamen eſt ἔλαβε, in Propheta autem eſt נשא: Verbum autem βαστάζειν ibi, pro *Abſportare* ponitur, eodem exemplo, quo Magdalena ad Hortulanum, Κύριε, εἰ σὺ ἐβάστασας αὐτὸν, Joan. 20. 15. Sed hæc ὁ παρὸν. Veruntamen & alius ei dolus, (indè enim ab ipſa origine ſua eorum plenus eſt!) ſub hoc Superlativo ſuo *Diſertiſſimè* claudítur. Matthæus enim (c. 8. 17.) nè hoc quidem Directè ait, (nedum, Diſertè; quantò minùs, *Diſertiſſimè?*) dictum illud ab Eſaia, (c. 53. 4.) impletum tum fuiſſe. Ait quidem ὅπως πληρωθῇ, & hoc cùm aiat, Mens ejus eſt, Et hoc modo poſſe illa Verba

Prophetiæ accipi, exponíque, In ſenſu ſcilicet Literali, Quia corporum etiam omnium infirmitates omnes Chriſtus auferebat, morbóſq; curabat. Vaticinio interea ei alia Impletio tum reſtabat, aliúmq; ſenſum habebat, tempore poſteriorem, ſed priorem intentione, réq; ipſâ longè potiorem, Senſum Spiritualem, & Myſticum, De Animarum morbis, Peccatis noſtris in Semetipſum ſuſceptis, (Eſa. 53.5. & 10. & 12.) atque per Remiſſionem, quam nobis in Cruce ſua impetravit, fugatis prorſus, deletíſque; Quo in ſenſu hic ipſe Locus Prophetæ ab Apoſtolo exponitur, 1 Pet. 2.24. Eſt autem iſta Differentia imprimis obſervanda in hoc Euangeliſta: Ubi Rei geſtæ, jam à Se enarratæ, ſubjungit, ἵνα πληρωθῇ, (Quod factum eſt, Mat. 1.22. & 2.15. & 4.14. alibíque præterea) ſignificat, propriam ἴδιαν eam eſſe, Directámq; Rei ejuſdem cum illa Prophetia connexionem: Ubi verò ait, ὅπως πληρωθῇ, eſſe eam, non abnegandam quidem, ſed Secundariam tamen, pérque Alluſionem ſolùm, aut commodam Applicationem, vaticinii illius impletionem.

4. Sed principalis Objectio adhuc ſupereſt, *Neque Chriſtum tamen, quantumvis morbos hominum tulerit, ſatisfecit pro illis.* Certiſſimé. Neque & Crucem ſuam cùm tulerit, Joan. 19. 17, pro eadem ſatisfecit. Neque totus Orbis Barjeſuiticus, impudentiam hanc Catechiſticam ferat utcunque, ſatisfacere pro ea poteſt. Quid? Satisfactio quia non dicitur, datúrve in rebus Satisfactionis prorſus incapacibus, & ad quas ea ex ipſa rerum natura nihil pertinet, Nulla ergò omnino in aliis rebus erit? Etiam & ibi abneganda eſt, ubi de jure requiritur? Hæccine eſt Logica, quâ Tyrones ſuos Barjeſuitæ imbuunt? Neque igitur nunc digrediemur, ut expendamus, Ipſe Baptiſmus Chriſti, quo membra Corporis Ei, qui Lotione ullâ opus non habebat, abluta ſunt, ut & Circumciſio Ejus antea, quâ Corpori ſuo Integerrimo, Sanctiſſimóque Sanguis tamen fuſus eſt, & Cutis demta, Quam virtutem in ſe habebant, Quod Pretium de jure, Meritúmque etiam ad Satisfaciendum Deo pro corporum noſtrorum infirmitatibus, morbíſque. De nihilo quidem non eſt, quòd Paulus eâ ſe phraſi expreſſerit, trophæum Corporibus noſtris in Chriſti Circumciſione erigens, Ἐν τῇ ἀπεκδύσει τῦ σώμα & περὶ ἁμαρτιῶν ἡ σαρκὸς, ἐν τῇ περιτομῇ τ Χριςῦ, Col. 2.11. Verùm utut iſtud fuerit, De Peccatis noſtris jam nulla eſt Quæſtio: Illa verè Debita ſunt, Exolvi igitur de Jure poſſunt, debéntq; haut aliter à Juſto Judice dimittenda, niſi aliquâ Satisfiat Juſtitiæ ejus. Hoc verò à Chriſto pro nobis præſtitum eſt; Sanguinem enim ſuum fundendo, eam pœnam ſubiit, per quam, Scholæ dicto, ſtando in terminis Juſtitiæ, meruit eſſe Propitiatio pro peccatis totius Mundi, 1 Joan. 2. 2. Ferendo ergò ipſe ſatisfecit.

5. Igitur de Modo *Ferendi* primùm ſtatuatur: Dicatur, non, *Chriſtum tuliſſe peccata noſtra*, in univerſo, incertóq; genere; C.R. p. 240. (Quæ Barjeſuitæ, Quæſtiones ſibi ſuas pro placito cudentis, craſſa Captio eſt; Atq; indè Ille ad Portationem quamcunq; extravagatur, Acſi *Chriſtus peccata noſtra in Regionem, longiùs* à Chriſto *diſſitam*, quàm Ducatus Lituaniæ hinc eſt, *deportâſſet*, C.R. p. 241.) Sed, Quo eo Modo tulerit, abſtulerítque: Et vel ſic apud Sobrios ſatis proviſum erit de Satisfactione. Quid quòd ipſe digitum, nè prorſus ſubterfugere videretur, ad Bina hâc de re Loca extendat? Sed eâdem ſemper cum fraude; Reddito enim utroque per verbum *Tollendi*, C.R. ibid. abit, quaſi pro conceſſo ſumi velit, jam ſe Cauſſam viciſſe. Primus eorum eſt, ὁ αἴρων τ ἁμαρτίαν τῦ κόσμυ, Joan. 1.29. Αἴρειν verò eſſe *tollere*, id eſt, *portare*, qui non agnoſcat, Aſellum eum fieri optem, & Portando diſcere: Eſſe verò etiam *tollere*, id eſt, *ſufferre, auferre, penitus delere*, Qui diſſimulet, Socinini & Barjeſuitici Nominis digniſſimus eſt. Chriſtum autem heic dici, Peccata Mundi ſic tollere, ut Pœnam peccatis debitam, per immolationem Sui, pertulerit, & per Sanguinem exolverit, abunde ex hoc liquet, quòd factum hoc, non ſimpliciter Chriſto, Sed Agno Dei, à Baptiſta attribuatur. Alter verò Locus eſt, Heb. 9.28, In quo Chriſtus dicitur, ἅπαξ προσενεχθεὶς, εἰς τὸ ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας, atque hoc in tmemate ibi antegreſſo erat, εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας διὰ τ θυσίας αὐτῦ, v. 26. Talem igitur Portationem deſignat, Quæ propter Meritum Paſſionis ſuæ, Peccatis noſtris delendis, Patríque, cui ipſe offerebatur, deliniendo ſatis erat. Ex quibus neceſſariò ſequetur Satisfactio: Filius enim Dei luit vicem Peccatorum; Ex ea Paſſione, Dei Juſtitiæ Satisfit; Propter hanc Satisfactionem, Credentes in Filium admittuntur in Fillos.

SECT. LXVII.

1. Εὑρετὴς. Inventor. *Redemtionem Chriſtus communivit contra Diabolum, ſed non contra filios ejus, Qui Nomen ipſum oderunt, & Cur.*
2. Redemtionem *dici volunt* Liberationem, *Nè Satisfactio indè probetur. Finis Redemtionis, Liberatio.*
3. *Per Chriſti Mortem (Ut* Viam *ſolùm, non ut* Cauſſam,) *liberari nos volunt.*
4. Homo, *pro Nonnullis; Ità Illi omnes ante Chriſtum excludunt ab Ejus Liberatione.*
5. *A Quibus Nos detinebamur Captivi. Redimendi Meritum ut Chriſto abjudicent.*
6. *Deus accepit à Chriſto Pretium pro Redemtione Hominum.*
7. *Redemtio, Spiritualis ſit licèt, non eſt Metaphoricè, ſed Propriè dicta. Liberatio Qualis ſit. Ut Deus in V.T. dictus ſit* Redimere.
8. *Moſes ut Redemtor fuerit. Redemtio non à Pœna ſolùm Peccati eſt, ſed etiam à Servitute.*

REdemtionem humano Generi æternam ratus Se impetrâſſe Dominus, in Cœlos hinc abiiſſe dicitur, αἰωνίαν λύτρωσιν εὑράμενος, Heb. 9. 12. Sub Metaphorico autem illo Aoriſto *Inveniendi*, Quatuor conditiones Apoſtolus complectitur; 1. Quòd præſens ea jam, certáque adſit; 2. Quòd Res difficillima factu fuerit; 3. Quòd non ſine ingenti pretio; 4. Quòd ab eo ſolo Authore; ut & Latinis Rei novæ Author, *Inventor* ejuſdem dicitur. Jam verò *Redimi*, nil aliud propriè eſt, quàm Pretio è Captivitate liberari. Et Captivum Qui Genus noſtrum detinebant, ante Chriſti λύτρον, ab ipſo Barjeſuita enumerantur, *Peccatum, Mundus, Diabolus, Mors*, C.R. p. 238. Tam ſolerter igitur, ſolidéque Res ſuas Chriſtus egiſſe videtur, antequam hinc abiret, ut Redemtio noſtra adverſùs hos Quatuor, (vel Diabolum quidem ipſum) ſatis in tuto à ſe, (ánnon igitur & æterna?) relicta foret: Veruntamen non ſatis præmunita ab ipſo eſt adverſùs Diaboli Filium (à Paulo ità dictum;) illum Barjeſu, & ejus Filios, Barjeſuitas hodiernos. Illi enim nunc tam parùm ferunt, Redemtio noſtra æterna ut ſit, ut omnino non ferant, ſit aliqua Redemtio. Nec mirum quidem: Nam quod alibi monuimus è Pſalmo 49. 7. *Non eſt Hominis, ut ſit vel Fratris ſui* (quantò minùs, totius generis?) *Redemtor*: Oportere igitur & naturâ quoq; Deum eſſe, Quiſquis dare poteſt Deo hanc Redemtionem, & pro Mundo Satisfacere. Hoc igitur dato de Chriſto Redemtore, Quid fieret ſacerrimâ Socinitate? Vel nomen igitur Redemtionis ipſi (ut par eſt) oderunt, & periiſſe (ſi per ipſos ſit,) expetunt: Verùm, Quia fieri hoc, propter SScripturas, toties λύτρον, & λύτρωσιν, & λυτρῶσαι, & ἀπολύτρωσιν, & ἀντίλυτρον, & ἀγοράζειν, & ἐξαγοράζειν, & περιποίησις, in N.T. de Chriſto inculcantes, non poſſe perſpiciunt, ad Parentis ſui Artes ſe conferunt, operámque dant, ut Redemtionis noſtræ Jura, Solatiáque per dolos, & Sophiſticas ſurreptiones, & captiones imminuant, deleántque, nè Argumento cuiquam ſint pro Chriſti Satisfactione.

2. Videte igitur jam Catechiſtæ Methodum, quâ ille ad hoc ſe comparat! Pro ingenuitate enim ſuâ facilè concedit, quod à nemine non videri ſcit, ſcriptum eſſe, *quòd Jeſus nos redemerit, & ſeipſum pretium Redemtionis*

Redemtionis dederit, C. R. pag. 237. Sed tamen cautè ſapit, nec vel tam ingenuè agit, Ut unde ea verba ipſe petierit, connotet, Nè eamus & nos illuc, majoremque Vim nobis, quàm ſtomachus ejus ferre poteſt, exindè hauriamus. Sed, avocamenti cauſſâ, quærendum ipſe à ſe curat, *Quam Vim ea Verba putet habere?* C. R. pag. 236. Jámque rogatus, (quod rogari haut opus erat, cùm verba ea luciditſima ſint;) putat, adſerítque, *Vocem Redemtionis ſimpliciter Liberationem notare*, C. R. pag. 237. Iſtud jam primum eſt; Rogatus de Verborum Vi, id eſt, de tota Sententia, reſpondet de Voce una. Et aſtutè quidem hoc, ut nihil ſuprá. Jam enim actum imprimis eſt, (quantum per Catechiſtam,) de ipſo Nomine eo, quod odiſſe illum diximus; Erit enim de cætero ei non Redemtio, ſed Liberatio; Ex Liberatione autem nullam eſſe ad Satisfactionem inferendam novit neceſſariam Conſecutionem. Verùm quid hoc eſt, *Simpliciter notare?* Eſſe quidem Liberationem Finalem Cauſſam, verúmque Effectum Redemtionis, non imus inficias. Accedit enim, qui ad juſtum Pretium ſe obligat, quo Captivus liberetur, atque hæc nunc ſimpliciter λύτρωσις eſt: Pretio autem hoc abunde contentus, Captivi Dominus adnuit; atque iſta jam ἀπολύτρωσις eſt: Ex his autem condictis, confectíſque ſubſequitur unà, quæ à principio agebatur, Captivi Liberatio. Igitúrne Συλλαβοηγοῦντες ſe præſtare, atque penul imam in voce ἀπολύτρωσις ſyllabam erodere, unde ἀπόλυσις quod reſtat, fit, hóccine eſt *ſimpliciter notare Liberationem?* Profectò ſorex iſte Czarkovianus nunquam non τρώκτης eſt, & non uno modo. Redemtor autem quiſquis Captivorum eſt, licèt ex intentione, operéque ſuo Liberator propriè audiat, Redemtio tamen Liberatio ſimpliciter non eſt; Non enim eſt qualiſcunque Liberatio, ſed talibus ſemper conditionibus veſtita, (imprimis, Pretium exolvendi, quod pro Captivo ſatis eſt;) quibus ab univerſo præterea genere Liberationum diſtingui poterit. Simplex igitur & hæc fallacia non eſt!

3. Sed pergit porrò, atque ut nè videatur fallere, aut ſubticere, Quid de verborum illorum vi putet, addit, *Porrò de Chriſti morte*, C. R. pag. 237. De Chriſti Morte autem? Jam *porrò* hoc aliquid nimis eſt, & olet novam fraudem! Verba enim ſunt, *Jeſum nos redemiſſe, & Seipſum Redemtionis Pretium dediſſe.* Cur ergò non ſimpliciter reſpondet, De hiis quid putet? Quòd ſi nequeat non mutus ad hæc eſſe, niſi liberetur à ſuo Dæmonio, Agedum, mutentur verba, (per nos) atque legantur, ut Dæmonium ejus poſtulavit, *Quòd Jeſus nos Liberaverit, & Seipſum Liberationis Pretium dederit.* Nunc igitur cum Domino Jeſu ſuccłamamus ὡσαννά, Mar. 7. 34. Sed nec dum iſte loquitur ὀρθῶς, ver. 35. Hoc ſolùm ait, *De Chriſti morte dicitur, quòd nos per eam liberaverit*, C. R. pag. 237. Veruntamen ſalva utcunque Res erit; Accipiemus enim, quod dicitur: (Quid non agemus, ut ille vel pilum Boni Viri habeat?) Scimus enim *Per* dicere Cauſſam, Mediam, Certámque. Mors igitur Chriſti, per quam nos liberavit, erit Cauſſa, hoc eſt, Medium, Pretiúmque Liberationis noſtræ, Verùm nec hoc ab illo ferendum eſt. Exponit igitur Seipſum, *Per mortem liberâſſe nos dicitur, Quia morte ejus interveniente, nos liberationem conſequuti ſumus*, Cat. Rac. pag. 237. Quæ igitur jam Cauſſa erit Mors ejus? Nulla planè: Nè illa quidem, (Quæ nulla tamen eſt,) ſine Qua non. Non minùs autem & per Ventrem, in quo geſtatus eſt, & per Ubera, quæ ſuxit, liberaſſe nos dicetur. *Interveniente autem morte*, Abſolutè cùm dixerit, jam Oedipo ad fallacem hanc Beſtiam opus eſt. Inter enim Conceptum Chriſti, imò, inter Creationem mundi, atque Liberationem noſtram, ſi Mors Chriſti veniat, ſatis erit. Pari igitur Ratione, & Iſraelitæ dicantur, per Tranſitum Rubri maris, id eſt, tranſitu eo interveniente, donari Lege Dei in Horeb; & Poſteri eorum, per tranſitum Jordanis, id eſt, interveniente eo tranſitu, Terram promiſſam ſubigere. Reverâ puduit hominem, Quid velit, apertiùs dicere; Atque hactenus ſapit Veterator, ut ſatis habeat, jam ſemel dixiſſe. Iſta autem Res eſt, Nè Morti Chriſti quicquam debere Nos cenſeamus, ità ſe SScripturas obtorquere poſſe ſperavit, ut Reſurrectioni ejus ſolummodo arroganda eſſe videantur, quæ è Chriſto percipimus omnia. Reſurgere verò cùm non poterat Chriſtus, niſi Mortuus priùs fuerat, Hinc iſta Scabrities ejus De Morte Interveniente: Quâ de Re jam antè cum Sophiſta egimus. Satis igitur nunc erit interrogare eum, Exceptâ ſolâ, quam per hunc fucum molitur, fraude, Quid iſta Reſponſio eſt, ad à Seipſo propoſitam Quæſtionem, *De Chriſto Redimente Nos, atque Seipſum Redemtionis pretium dante?*

4. Sed Bonus tamen eſt, felíxque ſuis! De ſumma igitur benignitate ſua, Quæſtionem unam, alteramque ſubornat, è quibus abunde tandem ſatisfaciet, pro hac Redemtionis & Satisfactionis Chriſti abnegatione. Quærit enim, Primò, *Cur Liberatio ea, quam conſequimur per Chriſtum, voce Redemtionis exprimatur?* Et nè noſtra Reſponſio jam interveniret, (Delectari enim videtur hoc verbo *Interveniendi:*) Quia veri nominis Redemtio eſt, Ipſe ſtatim reſpondet, *Propterea quòd maxima intervenit ſimilitudo inter Liberationem, & Redemtionem propriè acceptam*, Cat. Rac. pag. 237. Hoc igitur vult, Liberationem, Quæ ex Chriſto nobis contingit, dici quidem in SScripturis Redemtionem, ſed temere ſatìs, impropriéque, ſi penitus excutiatur, Per Similitudinem enim ſolam, Tropúmque hic dici, ſed φερωνύμως non eſſe Redemtionem. Et quòd ipſi jam plus credatur, quàm SScripturis, hem, quàm liberaliter nunc agit! Digitum intendit ad non pauciora quàm Quatuor Similitudinis iſtius Capita. Ait igitur, 1. *In propriè accepta Redemtione, oportet eſſe Captivum*; 2. *Et eum, Qui Captivum detinet*; 3. *Tum Redemtorem*; 4. *Denique Redemtionis Pretium*, Cat. Rac. ibid. Singula autem hæc etiam in Liberatione noſtra reperiri tam ingenuè fatetur, ut ſigillatim etiam, vel non rogatus, enumeret; Sed tam ſingulari Artificio hoc facit, (obiter enim, & aliud quodammodo agendo,) ut minùs obſervari ab incautis poſſit, quanto cum dolo obtrudit iis ſuas fallacias. Singulis autem in partibus reperietur prævaricari; Sic enim pergit, *Ità in noſtra Liberatione eſt* 1. *Homo Captivus*, Cat. R. pag. 237. Hoc Primum eſt. Et poteſt quidem hoc pro univerſo Genere Humano ſumi; Verùm nihil tale ab eo intenditur. Datâ autem operâ tam vagè hoc enuntiat, ut pro placito ſuo excludere, quos velit, poſſit: Liberatio enim per Chriſtum, quam ipſe intelligit ſe dicere, cùm ea ſit, quam ſolummodo per Chriſti Doctrinam, & Exemplum obtineri ab hominibus vult, ut de cæteris jam poſt Chriſtum nihil adhuc dicamus, Nemini eorum competere poteſt, Qui ante Chriſtum natum fato ſuo functi ſunt; Dictúmque Baptiſtæ de Chriſto, Eſſe eum *Agnum Dei, tollentem peccata Mundi*, Joan. 1 29, Catechiſtâ Expoſitore, non niſi de Mundi miſerè conciſi, indè enim ab adoleſcentia Chriſti ſolùm decurrentis, temporibus fas erit accipere.

5. Sed ille ſic promovet, 2. *Qui Hominem Captivum detinent, ſunt Peccatum, Mundus, Diabolus, Mors*; Cat. Rac. pag. 238. Hoc Secundum eſt. Neque digrediemur nunc ad hanc litem, An probè enumeret: Tantùm admonemus, Apoſtolos ſolere ſub Liberatione à Lege alias omnes comprehendere; veniſſe enim Chriſtum, ἵνα τοὺς ὑπὸ νόμον ἐξαγοράσῃ, Gal. 4. 5. Sed in hoc jam genuinum figimus, (Palmaria enim impoſtura ejus eſt,) quòd τοὺς Πρώτοκτους, & Ταπεινῶσας, & Βαπτίσας, ut SScriptura loqui iſtâ in parte amat, enumerare fatagat, ipſum verò Judicem, Dominúmque, ex cujus ſolius Imperii Captivitatis noſtræ omnes, Libertatíſque rationes pendent, nullo prorſus in numero habeat. Celaturum ſe quidem ſatis, ſcitéque promoturum hanc fraudem ſperabat, per Tertium τὸ παράλλελον, quod proximè adponit, Addit enim; 3. *Eſt præterea Deus, & Chriſtus Captivi Redemtor*, Cat. Rac. pag. 238. Deum igitur, qui modò deſyderabatur, jam habemus,

in proprio Loco suo, nisi Barjesuitas tam ἀτόπους esse rebimur, ut nequeant de suo cujusque Loco judicare. At verò Catechista infandùm sapit, atque Christo suo, haut satis virium in se habenti, si solus ad tantæ molis negotium accingeretur, Ducem & Adjutorem paravit Deum. Certissimum ei est hoc, Deum, & Christum posse Captivum redimere, Sed Christum solum posse, nondum audet dicere; Paratus utcunque, si jubeatur, dicere, Ad id quod Deus ipse facit, Quid opus sit Christo? Atque hoc effugium nè intercludatur ei, in Quarta quoque Similitudine repetitum hoc dat, 4. *Denique Redemtionis Pretium ipse Christus est, vel Anima ipsius, à Deo, & ipso Christo impensa*, Cat. Rac. pag. 238. Quis igitur non videt, Deum jam, Barjesuitâ ità jubente, in istoc negotio occupatissimum esse, In Redimendis Captivis; In Christo instruendo, ut ille rectè Redimere possit; In anima Christi ritè impendenda, Ne ipse fortè refugiat, animúmque despondeat? Sed quorsum, Bone Deus, turpes istæ, difficiléque ineptiæ, & sanâ omni sanctâque Theologiâ indignissimæ? Rogitas? Audi igitur Catechistæ clausulam, *Tantùm eo differt, Quòd in nostra hac Liberatione Nemo est, Qui accipiat aliquid Liberationis nomine*, C. R. pag. 238. Et quid tum? Ergò vera, propriéque dicta Redemtio non est; Nam *hoc in vera Redemtione semper inveniri necesse est*, C. R. pag. 238.

6. Bonân' verò fide, ait, Nemo est? An, tantùm Barjesuiticâ, Quia ille Neminem esse cupit? Nè vera enim hæc Redemtio sit, si sit Qui pretium accipiat, Crasso hoc glaucomate Noctuarum suarum Oculos inficit, nè Accipientem videant. Eat autem miser Sophista, quò dignus est; Respondeat verò Christus eorum, Támne ille Animæ suæ prodigus, ut eam impendat, & nesciat, Cui? Imò Deus ipse respondeat, Ille ut Filium suum (cui ipsum isti Curatorem dederunt,) unquam sinat, (quantò minùs, ut adjuvet?) Animam suam tam temere impendere? Sed infinitis hoc genus blasphemiis abundat, insanùm erudita, stultísque hujus ætatis ingenium habere, visa, quia Sophisticen omnem habet, Socinitas! Nos verò, (ne istis τερατείας nimiùm immoremur,) quod concedere coguntur, accipimus, Verè dictam Redemtionem nostram esse, si sit Acceptator Pretii: Quod negant verò, velint nolint, extorquemus, Deum enim ipsum esse, Qui Pretium accepit, adserimus. Ille Dominus, Judéxque est, Ille mancipiorum Divinus venditor; Ex illius manibus *Emti sumus pretio*, 1 Cor. 6. 20, atque Officiariis ejus, Ministris illis Potentiæ, Iræque suæ, erepti: Jesus autem solus est Licitator, & Redemtor, ille nos emit, 2 Pet. 2. 1, Dominúsque noster indè factus est, *Occisus est, & emit Deo nos per Sanguinem suum*, Apoc. 5. 9, τῷ Θεῷ, ait, Atque istud, Primò est, A Deo, παρὰ τοῦ Θεοῦ. Ex condicto enim cum Filio suo accepit Pater Animam ejus in Pretium, quod merito maximo erat, Redemtionis universi generis Humani: Dein est, *Ad Deum*, εἰς τὸν Θεόν. Liberavit enim Christus nos ab irato Deo, ut Patri per ipsum Propitiato, hôc magis serviremus, ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ, Luc. 1. 74. Utro libet autem modo, istud, τῷ Θεῷ, non sinet Deum Patrem sub eo censu Barjesuitico cadere, aut haberi pro ipso Redemtionis Authore, Actore, Persolutore Pretii; Sed Deus Pater est Ille, *Qui in Christo mundum reconciliavit sibi*, 2 Cor. 5. 18, Quia consensit Christo, & id ab eo accepit, propter quod placuit ei, *Non imputare nobis peccata nostra*, ver. 19, sed *propter Sanguinem ejus prorsus remittere ea*, Eph. 1. 7. Atque in hoc solùm Pretio Redemtio nostra, Liberatio nostra in hoc Merito, fundantur in æternum.

7. Exclusissima igitur nunc est altera ejus Quæstio, *Cur SSpiritus Voce Metaphoricâ potiùs, quàm Propriâ utitur?* C. R. pag. 238. Re enim verâ, SSpiritus utitur voce Redemtionis, Quæ maximè Propria est, & Metaphorâ omni caret; Sed elegantulâ hâc figurâ (Quam Eruditi rident interea, & Petitionem Principii satis inclementer appellitant, Quia pro Concesso supponit id, quod probare aliter non potest:) in perplurimis Quæstionionibus suis sapienter adornatur Catechesis Racoviana! Spiritualis quidem solummodò Redemtio est, Sed eò verior, Diviniórque est, & Realitatis, (ut Schola loqui amat,) justæque Satisfactionis tantò est plenior. Ex ipsa Caussa igitur, nil nisi Redemtio nuncupanda est, ex effectu quidem suo audiat & Liberatio. Talis autem Liberatio est, (fatente vel ipso Catechistâ,) ut propter Charitatem, & Laborem Dei & Christi in ea ostensum, (sic enim denuo ille ineptit, Cat. Rac. pag. 238; Sed nos sano sensu interpretabimur, Propter Charitatem à Christo, quà Deus est, & Laborm ab eo, quà Homo est, ostensum:) exprimi nullâ aliâ Voce tam disertè possit, quàm Redemtionis. De Liberatione igitur per Christum, (Pretii tam infiniti Persolutorem, Charitatísque scientiam omnem excedentis, Eph. 3. 19, Authorem) quoties usurpatur hæc vox, Propriissimè ità dicitur, & κυριολογία est absque omni Tropo: Ad alias quidem Liberationes liquando transferatur, subesse Metaphoram posse, nulli negamus: Quanquam de Deo ipso ubi in V. T. dicitur, ut David ad Dominum, *Tu redemisti me*, Psal. 31. 6. &, *Hæc dicit Dominus, Qui redemit Abrahamum*, Esa. 29. 22, & *Populus, quem redemisti tibi ex Ægypto*, 2 Sam. 7. 23. &, *Redemtionem misit populo suo*, Psal. 111. 9; in hujusmodi Locis, ipse quidem Literalis sensus, Metaphoricus est; Sed Mysticum etiam, & Spiritualem Sensum ea in se habent, atque Redemtionem illam propriam, de qua vaticinantur, per Messiam suo tempore exhibendam, comprehendunt.

8. Ex eadem etiam ratione est, quòd & in N. T. Moses dicatur, *Missus à Deo Dux, & Redemtor*, Act. 7. 35: Quia typus Christi eâ in parte erat, & verè dictum Redemtorem, Qui Satisfaciendo Opus hoc præstitit per Sanguinem suum, præfigurabat. Ponderis igitur nil habet, quod ex dictis hiisce Sophista ad Christi Satisfactionem abnegandam elicere satagit, C. R. pag. 236. Verùm cùm à SSpiritu etiam dicamur, *Redemti ab omni iniquitate*, Tit. 2. 14; Dedit enim semetipsum Christus pro nobis, ut mundati à Reatu peccatorum, liberatíque ab imperio, ipsi soli serviremus: & *è vana nostra Conversatione redemti*, 1 Pet. 1. 18, à Qua, ubi Pretio nos emerat, Suósque fecerat, Christus abduxit nos: & *è Maledicto Legis emti per Christum, Qui pro nobis ipse factus est Maledictum*, Gal. 3. 13; Quòd Catechista putido solùm Scommate ad hæc, Quæ Redemtionis ipsius Christi beatissima Effecta sunt, occurrat, aiátque, *Dici non posse, Iniquitatibus, aut vana Conversationi, aut Legi Satisfactum esse*, C. R. pag. 236, dignum quidem patellâ operculum est: Quis enim, excepto Moscorovio illo, tam insulsus, ut hoc dicat? Quis etiam tam temperans sui, ut tam prophanum Sarcasmum non excipiat, Quomodo Asellos solent, fustibus?

Sect. LXVIII.

1. *Christi Ætas. Gravitas Vultûs Ejus, Majestásque. Pro Numero exactè vero Nobilior aliquis solet* εἰκαστικῶς *dici. Annus L. nobilitabatur à Jubilæo. Christus tum Jubilæum XXX, Ultimúmque egit.*
2. *Prophetæ vident eos, à quibus ipsi non videntur.* Abrami *Nomen mutatum in* Abrahami, *Cur?*
3. *Præsens Tempus pro Imperfecto. Anni inter Abrahamum & Christum bis milleni.*
4. *Per*, Ego Sum, *Æternitas Christi supponitur. Abramus tum factus est Gentium Pater, cùm dictus* Abrahamus.
5. *Sic Eva dicta est* Mater Omnium Viventium, *antequam conceperat aliquem. Abrahamus tum Spiritualiter, tum Naturaliter Gentium Pater erat, ante Christum natum.*
6. Γενέσθω, *An sit* Fiat, *an* Factus est, *an* Fuit. *Si Barjesuita audiatur, Christus dixit Quemvis è populo præsente*

sente fuisse ante Abrahamum, sed Lapides eorum, & Christus aliud loquuntur.

NOn una quidem nobis mirandi Causſa eſt, Judæi quid ſibi voluerint in illo ſuo per Quæſtionem reſponſo ad Chriſtum, *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidiſti?* Joan. 8.57. Nam primò, ut de ætate Chriſti paucula hæc præmittamus, Cùm ille Annum Trigeſimum tertium nondum exceſſerat, (conſulatur autem, quò iſtud pareat, alter Euangeliſta, Luc. 3.23.) qui poterant iſti tam cæcè excedere, ut abnegandum putarent, Ipſum eſſe Quinquagenarium? Nam ſi reſpondeatur, Summæ, quæ in vultu Domini ſedebat, Gravitati dandum hoc eſſe, non eſt profectò quòd de ea dubitemus; Et tamen in Ætatis ejus, quem intuiti toties, támque diu fuerant, æſtimatione non minùs quàm toto triente errare eos, Quandoquidem per ironiam aliquam dici hoc ab iis, propter eampſe vultûs Majeſtatem, non poterat, niſi alia igitur Ratio ſubſit, quàm parùm videbitur abeſſe ab amentia? Jam quidem non excidit nobis, Rationem hanc ab Eruditorum non nemine aſſignari, Quia in more omnium poſitum eſt, ubi ἀπροσδιορίστως loquuntur, Numeróſque rerum pro Placito colligunt, ut de certo, veróq; nihil ſoliciti ſint, contenti in Nobiliorum aliquo Summam deſigere; Indè enim Poetam, *Mille nocendi Artes*, dixiſſe, pro plurimis, Indè & Moſen ipſum, *Iſaacum, ſemente factâ, reperiſſe centuplum*, id eſt, miram ubertatem, Gen. 26.12. Eorum igitur ſententiæ & nos jam calculum noſtrum non illibenter adponimus, Quia aliud in promptu quoque (niſi fallimur,) habemus, quod mantiſſæ loco adjicere ei poſſumus. Præter enim quod illi urgent, Dicimus, Numerum, Annúmque Quinquageſimum, per Sacram Jubilæi ſui Obſervationem, ſummè nobilitatum apud Hebræos fuiſſe. Quid mirum igitur, quòd illius tam rotundo ore meminerint? Sed ampliamus nunc, atq; Gentis illius Faſtos, quantum ultimâ memoriâ recolimus, ſecuti, adſerimus, Ex Re ipſa jam quidem natum eſſe, quòd eum Numerum nominent, Jubilæus enim ipſe jam tum agebatur iis, cùm Chriſtus iſta perorabat, Erátque Triceſima hæc, quam eo in genere, indè ab introitu in Terram Promiſſam, celebrârant, Solennitas.

2. Sequitur verò nunc alterum Quæſitum, Cujus Rationem reddere non minùs veram forſitan poterimus, ſed tam honeſtam non poterimus, Puerilis enim Arrogantiæ in ſe non parùm habet, Diabolicæ Contumeliæ plurimum. Unde enim erit, quòd illi Chriſtum, quaſi ex juſta reprehenſione increpantes, interrogent, An ille Abrahamum viderit? Dixerat quidem Chriſtus, *Abrahamus expetivit videre Diem Meum, & vidit eum*, v. 56. Hoc igitur ſi non ferebant, juxta proprium loquendi ordinem, reponendum ab iis in Oppoſitum erat, *Quinquagenarius nondum es, & Abrahamus vidit Te?* At illi, Quia Interrogatio hæc, ex communi ratione Sermonis, in purè Negativum reſolvenda eſt, *Abrahamus non vidit Te*; tam ſtolidè ſuperbiunt, ut hoc dicere nolint, Nè Abrahamo, Quo ſe Patre tam impotenter effertunt, quicquam negari videatur; præſertim verò, cùm ità Chriſtum quoque contemnant, ſummóque deſpretui habeant, ut nè patiantur in Quæſtionem venire, An Abrahamus, (O talis ille, tantúſque! Pater eorum) vel in terris dum viveret, tam abjectæ Conditionis homulum adſpicere unquam, vel poſtea de Cœlis intueri, dignatus fuerit? Satìs protervè igitur tranſponunt Terminos iſtos, atque indignati interrogant, non, ut recta Syntaxis Loci ferebat, *Vidítne Te Abrahamus?* Sed, pro ſua ipſorum intemperie, *Túne vidiſti Abrahamum?* O quàm ſe Ludos igitur reverà nunc faciunt, ipſíque ſibi, ex iſta animorum Paſſione ſua, imponunt turpiter! Hæccine enim jam pugnant? Quicquámne adverſantur? Annon Abrahamus, tametſi concederetur, quòd Jeſus ipſe Abrahamum nunquam viderat, Propheta tantus ille cùm eſſet, (eſt verò & Petri argumentum hoc ad Judæos de Davide, Act. 2.30.) & quod amplius longè eſt, cùm de ea ſpeciatim ratione, nominis ſui mutationem ab ipſo Deo indeptus eſſet, Ut antè *Abram* dictus, Quia tamen ex Promiſſione Divina (quæ nunquam fallit,) jam factus erat Pater videns Populum venturum, *Abraham* diceretur, Gen. 17.5, Jeſum, poſt tot utcunque ſecula venturum, videre poterat? Sed liberaliùs tamen Jeſus cum iis nunc agit, miſſóque hoc, quo ipſi ſeſe jugulant, Paralogiſmo eorum, (ex quo & ſe dicta hæc omnia craſsè nimis, atq; κατὰ πόδας ſumere indicant, & cum ſuamet umbra, non cum Illo pugnare;) diſertam Reſponſionem & huic Quæſtioni adaptat, Quo poſſit modo fieri, ut ipſe Abrahamum viderit.

3. Quod verò Chriſtus ad hoc reſpondet, eſt, *Amen, Amen, dico vobis, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί*, v. 58. Jámque novis laboribus litandum eſt, ut & hujus quoque Reſponſi genuinum ſenſum eruamus. Eſſe enim ſcimus, (à Quindecennio ſcilicet hæret, quod doluit tum legere;) Qui Enallagen Temporum heic ſubeſſe velint, Præſentis pro Imperfecto: Interpretantur igitur *Ego ſum*, per *Ego eram*. Et verum quidem eſt iſtud, quod dicunt, Erat enim Chriſtus, antequam Abrahamus erat: ſed minus tamen longè dicunt, quàm Res ipſa eſt; à vera igitur atque ingenua Expoſitione Loci, quod dicunt, longiſſimè abeſt. Nam qui ante Abrahamum erat, Ille ſi poſt Annos, qui tum interfluxerant, bis Millenos, uſque dicat, *Ego ſum*, intelligendus eſt plus dicere, quàm *Ego tum eram*: Neceſſariò enim ſequitur, dicere eum, *ſemper eram*, hoc eſt, *Sum ab Æterno*. Negabit tamen ſcio conſequentiam hanc Barjeſuita meus à Moſcorow, eo paralogiſmo fretus, Quia *aliud eſt, Ante Abrahamum fuiſſe, aliud, Prææternum*, Cat. Rac. p. 53. Sed expurgetur puerile iſtud cavillum, atque non *Fuiſſe*, ſed, *Eſſe ante Abrahamum*, poſt viginti demum ſecula, à Chriſto de Se dicatur, jámque aliud Verbis utcunque hoc ſit, re tamen verâ eſſe nequit Aliud, quàm eſſe Se ab æterno. Sed ſtet Barjeſuita; jam mox redibimus ad eum. Hii verò qui *Sum*, heic exponunt *Eram*, ſi ibi ſtetiſſent, ferendi facilè erant; verùm cùm pergant, atque *Eram* ità exponant, Quia Jeſus in Conſtitutione Divina fuerat ante Abrahamum; Intelligant autem Conſtitutionem illam, Quâ in Origine Mundi ab ipſo Deo prædictum eſt de Chriſto, *Semen Mulieris contriturum eſſe caput Serpentis*, Gen. 3.15, Bone Deus, Quæ ſunt iſta, ſi non quæſitæ Offuciæ, certè ingrata Deliria? Annon enim & Abrahamus iſte, licèt nihil ἐπιτῶν de eo ibi prædictum eſt, in Conſtitutione Divina, ab Orbe condito erat? Imò, plus dicimus, Annon execrabile illud Semen Serpentis in ipſa ea Prædictione cum Jeſu erat? Quid igitur? Jámne excidit Prærogativâ ſuâ Chriſtus? Actúmne eſt de ſuo πρὶν γενέσθαι; Paréſne jam cum eo habendi ſunt, & Abrahamus, & Hoſtile Semen? Tempore enim jam diſparari non poſſunt, Quandoquidem in Conſtitutione Divina ea pariter fuerant. Quàm nollem igitur dici hæc à Viris Doctis tam perfunctoriè potuiſſe? (Quod inſaniore tamen modo fecerunt, cùm & illum alium Locum, Joan. 17.5, in eundem ſenſum unà angariaverint:) Quæ tam elumbia certè ſunt, prorſúſque aliena, ut ad Loci iſtius aut Juſtam Expoſitionem, aut Certam Perverſionem planè nihil faciant. Non ad Expoſitionem; Jeſum enim prænuntiatum eſſe in primordio Mundi, Quid hoc ad Quæſitum à Judæis, An ipſe viderat Abrahamum? Nec etiam ad Perverſionem ejuſdem; Neq; igitur ab ipſo Barjeſuita meo, callidiore cæteris animantibus terræ, frivolum hunc ſenſum adductum eſſe vident, ad ſui defenſionem.

4. Satìs nimirum ille videbat, Non poſſe Ἐγώ εἰμι, niſi de Perſonaliter Præſente, ritè accipi. Idem autem ut Præſens tum inter eos ſit, & ante Abrahamum ſit tamen, nè iſtud jam de æterna Præſentia, hoc eſt, De Præternitate accipere cogatur, commentus igitur ille nobis eſt aliquid de Abrahamo, quod futurum erat poſt Chriſti tempora, eúmque ſenſum, (pro *ipſiſſimo*, ſi placet, Cat. Rac. pag. 55.) Loco iſti affingit, *Ego ſum, antequam Abrahamus fiat*; ſcilicet, Id quod nondum tum factus erat; Illud verò quid? *Quia conſtat* (ait) *inter omnes, Abrahamum notare Patrem multarum Gentium*; Cat. Rac. pag. 54. Nos verò intercedimus

dimus in ipso principio; Constat enim, sine fraude sua dictum hoc non esse. Nam veram Nominis ejus notationem si sequamur, Qui *Abram* primò dicebatur, id est, *Pater excelsus*, Deo Authore vocandus de cætero erat *Abraham*, id est, *Pater Videns Populum*: Ista diserta ἐτυμολογία ejus est, à Prævisis ex Ipso Multitudinibus. Non negamus autem, De ea ratione Prævisionem hanc indultam esse, Quia Sanctè jam juraverat ei Deus per Semetipsum, *Ego Jum, & Pactum meum tecum, eríque Pater multarum Gentium*, Gen. 17. 4. Propterea subjunxit Dominus, *Et non vocabitur ultrà nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraham, Quia Patrem multitudinis Gentium dedi Te*, v. 5. *& Reges ex te egredientur*, v. 6. Pergat igitur jam Sophista, ubi volet. *At verò* (ait) *Abram non est factus priùs Abraham, quàm Dei gratia in Christo manifestata, in multas Gentes redundavit*, C. R. p. 55; uno autem verbo hoc est, Non, donec Christus venerat. Ex utrius igitur parte jam concludent Lectores De Tempore isto? Ex ipsius Dei? An potiùs, Ex boni Barjesuitæ? Dixit quidem Deus tum, *Abram non vocaberis ultrà, sed Abraham.* Non ultrà? Igitur jam tum, cùm dixit hoc Deus, factus est ille ex Abramo Abrahamus: Dixit etiam Deus, *Patrem multitudinis Gentium dedi Te*; igitur quod Deus tum decrat ei, Abrahamus tum receperat à Deo, factus ergò jam tum erat *Pater multitudinis Gentium.* Et nimis quidem ista luculenta, Soléque ipso clariora æternùm fuissent, nisi jam Christo visum fuisset, in Æternitatis suæ documentum, ità Judæis respondere, *Priusquam natus erat Abrahamus, Ego Sum.* Necessarium verò nunc est, Barjesuitæ, viro quidem Plano, sed Præstantissimo Christiano, atque Æternitatis solùm Christi, sed neutiquam Veritatis ejus (Absit verò hoc!) Inficiatori, aliquid comminisci sibi, quod post natum Christum adfirmari poterit futurum de Abrahamo, & tum Christus verum dicit, *Ego sum, antequam fiat Abrahamus.*

5. Audiamus igitur jam hominem, Quid faciet de Abrahamo. Abramus (ait) non est unâ syllabâ productior factus, non *Abrahamus*, donec Christus in mundum venerat, Gentibúsque per Doctrinam suam illuxerat ad Deum. Atque ex ista jam Argutiola tam se salvum confidit miser, ut stolidè tripudiet, quasi Christi sententia hæc ipsissima esset. At nos jam satis demonstravimus, Abramum eo jam tum momento factum fuisse Abrahamum, Quo Deus juravit ei, & jussit sic fieri; obtinuit enim & ibi, *Dixit, & factum est.* Barjesuitam igitur, refragari ausum, Primis Parentibus corrigendum relinquimus: Nam & *Adamus vocavit nomen uxoris suæ Eva, Quia ipsa fuit Mater omnium viventium*, Gen. 3. 20; Nec dum tamen quisquam ex ea natus erat. At Terræ filius iste Adamum nunc corrigit, & Evam; Expectandum enim esse contendit in finem seculi, neque ipsam pro Eva habendam esse, donec pepererit omnem viventem. Tam futilis autem cavilli ejus haut aliâ refutatione opus est. Sed nec flocci etiam pendendum est, quod in hujus confirmationem adjici à se posse speravit, *Quippe quòd Abrahamus unius tantùm Gentis antea Pater fuerit*, C. R. p. 55. Nam & Spiritualiter, indè ab ipso Promisso Dei, Abrahamus factus est Pater Gentium omnium, pòst accedentium ad fidem Christi; Et Naturaliter etiam, longè ante Christum natum, non unius eum Gentis Patrem fecerat Deus. Ismaelitarum Genus omne testamur, & cæteras illas Gentes ex Ketura ei natas, Gen. 25. 3. Quòd si reponatur è Gen. 21. 12, *In Isaaco vocandum esse semen ejus*, verissimum est, quod dicitur, sed ad hanc rem nihil: Utcunque enim Semen vocandum ei ex Isaaco erat quoad Gratiam, quoad Naturam tamen ille Pater vocandus erat & à reliquis Gentibus. Tum (ut sequamur eum, quocunquè vocet) in Isaaco quoque altera Gens ei erat, Gente Judaicâ haud valde inferior, Idumæa, cum cæteris illis, quas ex Esavo adnumerari oportet Patri Abrahamo, Gen. 36. 10. Pro coronide denique erit, Quòd & Regum plurimorum, eidem Patri Abrahamo eodem tempore promissorum à Deo, atque ex ea ipsa Paternitate oriundorum, cœperat, dico? imò, præterfluxerat jamdiu non una Series, cessaverátque, antequam Christus ista De Se, Déque Abrahamo prolocutus est.

6. Gerræ igitur germanæ sunt, Nugæque maximæ, quas glorioſulus iste tam impotenter nunc agit De Nomenclatura Abrahami. Christi enim *Ego sum* locum suum habet, non solùm antequam Abramus fiat Abrahamus, verum etiam antequam Abrahamus fuit Abramus. Nisi enim ea mens Christi jam fuerit, Quid hæc Responsio ejus ad eorum Quæstionem? *Túne vidisti Abrahamum?* Illi; Ille, Quídni? Cùm ante Abrahamum Ego sim? Hoc ipsum & de Noacho quidem, déque Adamo ipso dicturus, si de Noacho, aut Adamo sermo tum institutus illi fuisset, aut illis Quæstio. Nihil igitur contendimus cum eo de interpretando πρὶν γένεσθαι· Fuerítne, *Priusquam fiat*; An, *Priusquam factus est*; An, *Priusquam fuit*, perinde nobis erit: Utcunque iste, Qui per *fieri* hoc nunc exponendum esse contendit, alio dudum in Loco, ad ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, paratragœdiet, & *factum est*, non ferat, C. R. p. 60. Christus autem quid senserit, cùm πρὶν γένεσθαι dixerit, Quicquid in rem suam Barjesuita prævaricetur, Nos Testes habemus omni Exceptione majores. Primò enim, Lapides ipsi loquuntur: Haut citiùs scilicet Dominus id dixerat, quàm *Judæi tulerunt Lapides, ut jacerent in eum*, ver. 59. Lapides autem? Et Quâ de caussa? An Quia dixerat, Esse jam se, antequam Abrahamus fiat Pater Gentium? Deamassent eum potiùs ob hoc, Qui Gentes semper esse volebant exclusissimas. Utcunque verò id fit, Nè Se supra Abrahamum evehere videatur, mutentur nomina, aliis Personis detur hoc, & salva res erit. Qui Primus lapidem (ut ipse loquitur, v. 7.) in eum missurus erat, Qui & Secundus, ad hos si dicere voluisset Dominus, Falleris, ô bone; Ego nihil de memetipso glorior; Et Tu, & Ille, & Quisquis heic adest, estis Omnes, πρὶν Ἀβραὰμ γένεσθαι· nondum scilicet ille factus est Pater Gentibus. Barjesuitæ enim ut non sapiant omnes, atque istam esse mentem meam sanctè sciant? Quòd si sic commoveamini, ut testimonio eorum non credatis, ibi primùm insistendum erit, incipite ab illis prævaricatoribus, & in eos projicite hos Lapides. Sistit interea sese nobis ipse Christus Testem instar omnium, Qui, quia Judæos probè nôrat hâc in parte Barjesuitarum ipsorum Doctores esse, Non posse igitur ferre Æternitatis suæ leviſſimam mentionem, miraculo statim usus est pro Expositione sui, Dictóque jam, quod Res erat, dum illi tollebant Lapides, ipse evanuit.

Sect. LXIX.

1. Γίνεσθαι, *pro* Esse, *id est*, Fieri, *Sed non Absolutè pro* Existere. *Significat etiam* Nasci; Ortum esse; Accidere; Evenire; Accedere; Adesse.
2. *Est, ubi* πρῶτος *denotet non* τάξιν, *sed* ἀξίαν.

VErbum γίνεσθαι usurpari pro *Esse*, nequit dubitari. Sed *Esse* hoc, An simpliciter sumendum sit, neque plùs valeat, quàm *Existere*, An semper supponat *fieri*, quæstitu indignum non est. Certè, ubi jubetur significare *Nasci*, ut, τὸν υἱὸν αὐτῆς γενόμενον ἐκ γυναικὸς, Gal. 4. 4, aut *Ortum esse*, ut, πρωΐας δὲ γενομένης, Mat. 27. 1. (Quæ Primariæ quidem illius Vocis Acceptiones sunt, velut ab antiquo verbo γένομαι) ad Rem factam ibi referri facilè existimabitur. Similiter etiam ubi ponitur pro *Accidere*, ut, καὶ ἐγένετο ὡσεὶ μὴν ἡμερῶν, Luc. 5. 17. vel pro *Evenire*, ut, καὶ ἐγένετο, μεθ' ἡμέρας τρεῖς εὑρεῖν αὐτὸν, Luc. 2. 46. pro *Accedere* quoque, ut, ἐσχὺς δὲ πλείων γενόμενον, Joan. 6. 19. vel pro *Adesse*, ut, γενόμενος ἐν Ῥώμῃ, 2 Tim. 1. 17. (Quæ omnia in usu hujus Verbi vulgarissima sunt:) ut facti alicujus significationem in se complecti censeatur, difficultatem nullam habet. Sola igitur

Dubitatio

Dubitatio est, An extra jam dictas significationes, occurrat usquam in N. T. ubi ità sit *Esse* ut referri nequeat ad *Fieri*, sed solummodo ponatur pro *Existere*. Eò magis verò crevit mihi Dubitandi Ratio, quia variorum Locorum, quæ à viris Eruditis hunc in sensum notari sciebam, eventilatione nunc factâ, haut satis præstare videntur id, ad quod in arenam hanc ab iis protruduntur. Primus iste est, Δοκεῖτε, ὅτι οὗτοι ἁμαρτωλοὶ παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους ἐγένοντο; Luc. 13. 2, cum altero ei gemino, ὅτι οὗτοι ὀφειλέται ἐγένοντο παρὰ πάντας ἀνθρώπους; v. 4. Verùm ex ipsa Rerum natura liquet, verti hæc oportere, *Quòd Peccatores*, & *Debitores facti fuerint?* à nobis igitur, were become sinners? Alter ex eodem Euangelio est, Περὶ Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃς ἐγένετο ἀνὴρ προφήτης δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, ἐναντίον τοῦ Θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ, Luc. 24. 19. Verùm & Locus iste, si probè expendatur, verborum transpositionem ex Hellenica ubertate sapere reperietur, atque ità exponi oportere, Ut ἐγένετο non referatur ad ἀνὴρ, sed conjungatur cum δυνατὸς, sic, *Qui, vir propheta, factus est potens in opere, & sermone coram Deo & omni Populo.* Adeóque par erit, ut à nobis, Quorum Dialectus istam Redundantiam non fert, ἀνὴρ, per Participium ὤν exprimatur, Who being a Prophet, was grown mighty in deed and word, before God, and all the People.

2. E Joanne verò instruuntur majore copiâ: Ille est Primus, Ἐγένετο ἄνθρωπος ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, Joan. 1. 6. Sed & in hoc Loco manifesta est Accessûs Baptistæ notatio, atque ἐγένετο nihil est aliud, quàm *Aderat*. Veni, mittebatur enim: A nobis igitur reddendum, There came a man sent from God. Ità enim à Primo Euangelistarum dictum est, παραγίνεται Ἰωάννης, Mat. 3. 1. ab altero verò, ἐγένετο βαπτίζων, Mar. 1. 4. Quia Missus ad Baptizandum à Deo erat, prout ipse Joannes mox exponit, Ἀπεστάλην βαπτίζειν ἐν ὕδατι, Joan. 1. 33. Eodem autem è Capitulo laudant & illum Locum, Ὅτι ἔμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν, v. 30. Sed evidens ista facti narratio est, Christíque Prælaturam, vel ex Caussali hoc, quod additur, manifestè denotat, *Prior me factus est, Quia Dignior me erat.* Nostri igitur (nisi solœcissimum admiserant,) Which, pro Who, rectissimè verterunt, is preferred before me: Nam πρῶτος ibi, ἐκ τῆς τάξεως, ἀλλὰ τῆς ἀξιώσεως Prædicatio est. Adducunt etiam & illum, *Quomodo Tu dicis*, ὅτι ἐλεύθεροι γενήσεσθε; Joan. 8. 33. At id quod Christus dixerat, erat, ἐλευθερώσει ὑμᾶς, v. 32. Id est, *faciet Liberos:* Ergò & hoc est, *Fient Liberi.* Ex eodem verò Capitulo & illum Locum testantur, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, v. 58. Quem nos proximè jam, satísque excussimus, parétque dictum Domini esse, *antequam nasceretur Abrahamus.* In ejusdem denique Loco illo, Καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός, Joan. 20. 27. Cùm quid fieri debeat necessariò significetur in posteriore parte Sententiæ, congruentissimum erit, Ut in priore Christum ità accipiamus, putà Qui Thomam sic Moneat, *Nè obdura Te in Infidelitate tua, sed fias Fidelis.* Nobis autem, and become not still faithless, but believing. Produci denique & ex Actis memini, illud quod de Mose dicitur, Οὗτός ἐστιν ὁ γενόμενος ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ, ἐν τῇ Ἐρήμῳ, μετὰ τοῦ Ἀγγέλου, Act. 7. 38. Illud etiam, quod de Apostolis, Καὶ γενόμενοι ἐν Σαλαμῖνι, Act 13. 5. Sed istud, est, *Advenisse eos Salaminem*, illud, *Adfuisse Mosen enim Angelo in deserto:* omnino igitur non pertinent ad istam Quæstionem. Siqua alia verò sunt, nondum occurrunt mihi. Ista verò satis supérque erunt, ad sufflaminandam Barjesuitæ Confidentiam, Qui verba ea, *Verbum Caro factum est*, Joan. 1. 14, cùm vox ibi sit ἐγένετο, ait, Posse, & Debere reddi, *Sermo caro fuit*, C. R. p. 90. Ut possint autem, ex dictis hîis Locis nunc didicimus, ut debeant verò, alibi opinor me jampridem examinâsse.

SECT. LXX.

1. *Peccatum Originis Barjesuita ut tollant, & Cur. Diversa, Duo Loca in Genesi non sunt, sed pro Diversis, ex fraude illius, ab eo juxta Se ponuntur.*
2. יֶצֶר *est* Excutere, *non solùm ex Ulnis, unde* יֶלֶד *pro* Puero, Servóque, *sed etiam ex Utero, unde pro* Infanti.
3. *Repetitio Priùs Dicti, succinctior esse potest, solétque. Cur Baptismum Socinini aversentur.*
4. *Sæpe* וְ *est Conjunctio Caussalis; Ut in N. T.* καὶ *sæpe ponitur pro* γάρ. *Caussa Diluvii Malitia Humana, Caussa Malitiæ Peccatum Originale.*
5. *Peccatum nobis Naturâ inest; Originis quidem, verùm non Divinæ, in qua Adamus creabatur, sed Humanæ, ut lapsu erat.*
6. יֵצֶר Cogitatio, *à* יָצַר, Fingere, *Ponitur pro materia seu matrice Cogitationum; in qua Peccatum originis.*

INcomparabilis Catechista, nè Liberum Arbitrium illud, quod in Officina sua Racoviana nunc prostat, corrumperetur à Peccato Originis, Peccatum illud uno statim spiritu diffiavit. Tales in Regno Poloniæ Hostium Mactatores ea ætas tulit! Quomodo verò id, rogitas? Tollendo Subjectum Quæstionis; *Peccatum Originis nullum prorsus est, Quare nec Liberum Arbitrium vitiare potuit*, C. R. p. 249. Dein tamen, nè videatur Sectatoribus suis pro imperio suo Dictatorio nimiùm imponere, Quæstioniſtam suam pro more Catechistico in Scenam producit, Armis quibusdam Sacris instructum, (sed à se solùm, próque suo arbitrio compositis,) ínque Originalis illius Hostis sui, (sed antè à se interemti,) præsidium. Sic igitur ille, *Verum tamen esse Peccatum Originis illa Testimonia docere videntur*, C. R. p. 250. Gen. 6. 5, *Omnis Cogitatio cordis humani maligna solùm omni die*, & Gen. 8. 21. *Cogitatio cordis humani mala à pueritia sua.* Nos autem tam irrefragabili Magistro condonamus Diminutionem eam, *Videntur*; Quæ in anteceſſum sic ab eo parata, veriverbio nihil aliud est, quàm Petitio Principii: Sapit enim, Suósque præmonitos indè futuros sperat, Argumentum hoc, (quod à se refelli quidem, si rectè urgeatur, non posse novit;) argumentum Verum non Esse, sed tantùm Videri. Graviore autem fraude, & tecti plus sceleris habente, factum ab eo est, quòd bina hæc SScripturæ Testimonia, quasi Duo diversa pro Peccato Originis Argumenta, sed tamen uno congressu suo, Dextræque suæ unico ictu prosternenda, in arenam protrahat; Cùm Illa unum idémque ambo sint, SSpiritu id ipsum, quod ex Decreto Aquarum, antequam incubuerint terris, per viam Caussæ, præmittit, post aquas, ex novo Decreto nunquam repetendi eas, per viam Exceptionis, repetente; *Quoniam homines tales sunt, delebo eos*, Prioris Decreti summa est: Posterioris autem, *Tametsi tales sint, denuo non delebo.* Sed nec hæc summa est nequitiæ Barjesuiticæ; majus opus ille molitur. Licèt enim Testimonium idem sit, quod utrobique adfertur à Deo, tamen cùm posteriore in Loco (quod in repetitionibus vulgò fieri amat,) succinctiùs paulò locutus Deus sit, Priorísque Loci verba (non parùm ponderis hanc ad Rem habentia,) nonnulla non repetierit, immutaverit alia, Bonus iste vir jam, pariter ea, sed pro Diversis, citando, id agit, Ut Prioris Loci ex Posteriore Vim imminuat, Pondúsque subducat; Cùm & Ratio & Pietas contrà fieri suadeant, atque ex Priore suppleri omnem Emphasim, quam in Posteriore non est visum (Quid opus enim?) repetere.

2. Parebunt ista liquidò, si paulisper eamus ad Partium collationem. Verba autem Dei sic se primò habent, *Quia omnis Imaginatio Cogitationum Cordis ejus tantùm maligna est Omni Die.* Post verò, ista כָּל הַיּוֹם mutantur in מִנְּעוּרָיו, ídque vulgò vertitur, *à pueritia sua.* Ex hac igitur immutatione, prima Barjesuitæ Spes; Non enim extendendum esse *omnem Diem* ejus, ad principia

cipia Naturæ ſuæ, ut ex ipſa vivendi Origine. Mali hujus ſemen ſecum apportare putentur homines, Sed tantùm ab incultis illis Puritiæ annis ſuccreſcere hanc Caprificum. Nos verò interpretamento ei, (quo aliàs non illibenter utimur, ubi in Veritatis Divinæ fraudem non pertrahitur;) parùm nunc deferimus. Hebræis enim יצר eſt *Excutere*. Excutiuntur autem omnes, non ſolùm ex molliore Matrum aut Nutricum curatione, (tum cùm ſuperatâ Infantili impotentiâ, Pueritiam ingreſſi ſunt, viréſque eas membrorum & animorum adepti, ut Camillorum aliquo loco ſint, juſtáque Majorum capeſſentes, miniſtrare iis incipiant: Unde יצר in Sacris Literis redditur, non ſolùm παιδίον, & παιδάριον, & παῖς, ſed νεανίας etiam, & νεανίσκος, ſæpéque uſurpatur pro *ſervo*, & *miniſtro*;) Verùm etiam ex Utero ipſo Materno, cùm primùm naſcantur. De hujus ergò Excuſſionis tempore intelligatur Deus nunc dicere, cùm dicat, *mala eſt ab Excuſſione ejus*, plenéque hoc coincidet cum Dicto priùs, *Omni die*. Neque pugnare tamen in hoc cenſebimur cum Interpretibus, aut nimiùm ab iis diſcedere; Nam & יצר ab ipſis Senibus Νόημα vertitur, Prov. 23. 13. & Hoſ. 11. 1; neque & nomen יצורה aliter verterunt, Ezech. 16. 22, & 42, & 59. atque Hoſ. 2. 15: Imò, quod amplius eſt, atque ex noſtra Sententia, *Omnem Diem* diſertiſſimè explet, Ipſi מיצרי neque ἐκ νεότητος, neque ἐκ παιδιότητος reddiderunt, ſed ἀπὸ ἡλικίας μου, Ezech. 4. 14. Rem magnam autem jam, & Cathedrâ Racovianâ dignam præſtabit Barjeſuita, ſi edocebit nos, Quâ Arte ſuâ (à Nativitate eſſe ſolummodo malignum) ſeparari poterit ab ea conditione, quæ communiter audit Peccatum Originis.

3. Nil enim juvabit eum, ſi Adverbium רק, quod eſt *ſolummodo*, omitti à Deo in ſecundo ſuo Dicto, dixerit. Omittitur certè, unáque & Signum univerſale כל non repetitur. Ecquid verò Catechiſtæ indè cedet, ex quo concludere ei licebit in Rem ſuam? Nihil. Cùm enim ea Primo in Loco expreſſè habeantur, pro Dictis etiam habenda in Altero ſunt, Ludóſque ſe miſerè facient Lectores ejus, niſi utrobique, *Omnem Cogitationem*, & *ſolummodo malignam*, dici intelligant, Artificio hoc Catechiſtæ nihil obſtante, Qui pro duabus diverſis ſententiis à ſe ſubordinatas, in eadem Quæſtione juxta ſe ponit, quò Prior apud incautos enervari videatur ab Altera. Quis præterea novit, annon ad hoc etiam Veterator iſte ἀλλοφρόνως tendat, ut exiſtimetur à Suis, Ità quidem ſe Rem habuiſſe in Hominibus ante Diluvium, Quo ſeculo Prior ſententia Dei exiit; Sed Peccatum iſtud Originis cum Hominibus ipſis periiſſe in illis Aquis, eóque pacto, quoad Homines jam poſt Diluvium, factam eſſe Rem iſtam ex mala meliuſculam, Cauſſámque hanc Socininis datam eſſe tantopere Hydrophobiandi, & Baptiſmales Chriſtianorum Aquas execrandi, Cat. Rac. pag. 197, nè ipſi, (Tanti Magiſtri, & in Religione ſua tam immane ſapere, licèt nihil Spirituale, edocti,) operam & Aquam unquam perdidiſſe videantur. Veruntamen nè incuſetur, ad Objectionem à ſe protruſam nihil reſpondere, ait, *hæc Teſtimonia agunt de Peccato Voluntario*, Cat. Rac. pag. 250. Agunt certé. At Quid tum? *Ex iis igitur efficì nequit Peccatum Originis*, C. R. ibid. Non ſequitur; Poſſunt enim agere de Utroque. Niſi igitur addat excluſivam eam Particulam רק, aiátque, De Peccato Voluntario ibi ſolmmodo agi, Nugas agit; Sin aiat, agit Parentem ſuum, Qui Quis fuerit ab initio, à Chriſto docemur, Joan. 8. 44. Audiamus autem ſultis ut ſe explicet, *Quod enim ad Primum attinet*, Cat. Rac. ibid. (Ad Primum ſcilicet Teſtimoniorum eorum, *Omnem Cogitationem Cordis Humani eſſe malignam ſolùm omni Die*. Addit autem *Enim*, ut probet, agi jam in eo de Peccato ſoldm Voluntario. Pergat igitur;) Moſes id peccatum ejuſmodi eſſe docet, Cujus Cauſſâ, pœnituiſſe Deum, quòd hominem creaſſet, & eum Diluvio punire decreviſſet, apertè demonſtrat. Jam iſta verò tot Abſurditatibus interpellantur, ut Paragraphus integer vix ſatis nobis futurus ſit ad depingendum ex iis lepidum Ludionem!

4. Ain' enim Tu? *Moſes id Peccatum docuit*, Quod Peccatum? Hâc in ſententia, *Omnis Cogitatio Cordis ejus tantùm maligna eſt omni Die*. Quódnam Peccatum, præter iſtud Originis, docetur? In Moſe autem ſic legitur, *Et vidit Dominus, quòd multa malitia Hominis erat in Terra; Et omnis Imaginatio cogitationum cordis ejus tantùm maligna omni Die; & pœnituit Dominum, quòd feciſſet Hominem*. Cujus cauſſâ igitur pœnituit Deum, quòd Hominem creaſſet, non eſt *id Peccatum*; Non ſingulare aliquod, aut unius facti, Generíſve Peccatum, ſed omnium Generum infinita illa, infandáque Peccata, quæ comprehenduntur ſub phraſi ea, *Multa Malitia hominis*. Ea, Deo Cauſſa erant ſuæ Pœnitudinis. Atque ea quidem perditiſſimorum Hominum Voluntaria Peccata fuiſſe, Nemo negat. Quod ibidem interponitur verò, De *Omni Cogitatione Cordis ejus maligna ſolùm omni Die*, non ponitur ut Cauſſa Pœnitudinis Dei, ſed ut Cauſſa tantæ malitiæ hominis. Quæritúrne enim, Unde hoc Diluvium Peccatorum in hominibus, quod Aquarum Diluvium inducere poterat? Reſpondetur, *Et omnis Cogitatio cordis ejus mala ſolummodo omni Die*, id eſt, *Quoniam omnis Cogitatio*. Hebraiſmorum enim nullus in Textu Sacro familiarior eſt, quàm ut Cauſſa Rei dictæ comprehendatur ſub copulâ ו ſequente; unde & in N.T. tranſiiſſe idioma hoc, atque Καὶ poni pro ὅθ, jam pridem adnotavimus. Ità autem ſe heic habere, atque iſtud de cogitationibus Cordis, tantùm non Parentheticè introductum eſſe, planè paret, ex altera copula, quæ ibidem ſequitur, *Vidit Deus, quòd multa erat malitia hominum, Nam omnes Cogitationes Cordis ejus ſemper erant maligna: Et pœnituit, quòd fecerat hominem*. Malitiam autem iſtam ex eo fonte profluxiſſe docet, ſcilicet ex Peccato eo, Originis dicto, quod ex Natura Homini inerat, hoc eſt, *Omni Die*, & quod ruptis tum Carceribus omnibus, Gratiæ, Pietatis, Probitatis, quibus cohiberi ſolebat, agebat pro ſua indole, neque ſolùm ſe malum eſſe, & omni Die, ſed omni modo quoque, & ſolummodo, ex hac Re probabat, Quoniam homines eouſque malitiæ præcipites jam dederat, ut unà etiam Deo dederit Creationis ſuæ pœnitudinem. Iſte genuinus eſt verborum Moſis ſenſus. Verborum autem Catechiſtæ putidiſſimus ſenſus eſt, & horridè Κολοιχίζει. Præter enim apertum delirium ejus, Moſen demonſtrare, Quæ vera fuerit Deo, propriáque Cauſſa immittendi Diluvium, Quis (excepto quidlibet audente Barjeſuitâ,) tam abſurdè etiam eodem ſpiritu tam pugnantia conjungeret, *Pœnituiſſe Deum, quòd Hominem creâſſet, & quòd eum Diluvio punire decreviſſet?*

5. Nec minùs igitur abſurda eſt Concluſio, quam ex hiis Præmiſſis inferri velit, *Quod certè de Peccato, quod Homini naturâ ineſſet, Quale Peccatum Originis cenſent, affirmari nullo pacto poteſt*, Cat. Rac. pag. 251. *Quod certè*, ait? At Quid hoc eſt, quod nevult Cauſſam fuiſſe, Cur *Deus priſco mundo non pepercerit, ſed Noâ ſervato, Diluvium induxerit mundo Peccatorum*, 2 Pet. 2. 5? Hóccine eſſe vult, quod non poteſt adfirmari de Peccato Originis? Quídni enim, δαιμόνιε! Imò, non audet eloqui, nè unà monſtret, quàm totus conſtet ex Abſurditatibus, & Inconſequentiis! Niſi igitur Concluſionem hominis negare velimus, (Quæ tamen ex iis Præmiſſis prorſus nulla eſt:) neceſſarium eſt, ut ipſo Adfirmatore tantùm Fidejuſſore, accipiatur, quod dicit, *Affirmari nullo modo poſſe*. Verbulum tamen eſt, quod obiter injecit, quaſi ad innuendam Conſequentiæ rationem, Quia peccatum Originis cenſetur Peccatum, quod Homini naturâ ineſſet. Et Quid tum? Ergóne nullo pacto Cauſſa eſſe poterat Deo, cur pœnas de Mundo ſumeret? Satis verò vidit, & hoc nullo pacto ſequi poſſe; Siluit ergó. Neque ſi porrò urgeatur, ſervare ſe poterit, niſi per adſuetum ſuum χρησφύγετον, Tollendi Subjectum Quæſtionis, hoc eſt, negandi aliquod Peccatum Homini naturâ ineſſe. Iſtud tamen, (ut liberaliter nunc cum miſello agamus,) profitemur & nos conſtanter adſerere. Negamus igitur Peccatum aliquod in Natura noſtra ineſſe, quod Peccatum Originis appelletur, quaſi ex origine Divinæ inſit,

insit, aut ex ea Naturæ conditione, quam creavit Deus, (*Fecit enim hominem propria sua similitudinis imaginem*, Sap. 2. 23.) Sed tantùm ex Origine humana, atque ex conditione ea, quæ Adami lapsum, vitiúmque secuta est. Dicat verò Causſam, si quam habeat, Cur Ea ultionis Divinæ in Diluvio Causſa esſe non potuisſet. Potuisſet enim, dicimus; Sed non dicimus, Eam à Mose Causſam adsignatam heic esſe. Demonstrat enim ille, Se Multæ Malitiæ hominum imputare Causſam, Quæ Deum ad Pœnas eas sumendas impulit. Unà autem admonet, Malitiam illam in Omni vita ex vitiatæ Naturæ peccato ebullire; Quod, si non reprimeretur à Primæ nostræ, & integræ Naturæ Creatore, Gratiæque in Christo Largitore, universas Cordium nostrorum cogitationes ab ipsa Nativitate usque nobis solummodo malignas redditurum est.

6. Id verò quod de Altero Mosis Loco subjungit, jam ferè dixeram, pariſſimâ & Falsitate, & Absurditate laborare: Verùm ἐνίσχω, quia vincere quidem paret, & longè superare. Ait enim, *In altero Testimonio, Moses docet, Peccatum Hominis eam vim habiturum non esſe, ut Deus mundum Diluvio propter illud puniret*, Cat. Rac. pag. 251. Contradicit igitur nunc ipse sibi. Sed nos ex integro ξυοεκλέομεν. Ipsa enim hæc Locutio inficetiſſima est, Piásque Aures radit, De Peccati Vi ea, ut Deus quicquam agat, aut Non. Exercet quidem (hui! nimiùm,) in miseros mortales Peccatum Vires suas, Sed relatione aliquâ ad Deum habitâ, Summa ἀκυρολογία est, De Vi Peccati dicere. Præterea, quod Moses ibi loci dicit, Alia Longè Res est. Nihil enim ibi de Vi Peccati, sed de Infinita Virtute Gratiæ Divinæ nos instruit, Tantam eam erga mundum de cætero futuram, ut quicquid delirent, peccéntve homines, altero tamen Diluvio haut jussurus sit Deus, haut passura Bonitas ejus, Orbem obrui, Neque se tam ferali plagâ denuo percussurum esſe Mortales, Depravati utcunque ab Origine sint, atque ex Ipso eo principio, Cordium Cogitationes tam maligno fermento infectas semper habeant. Hanc esſe Doctrinam illam, hanc Mosis mentem ibi, jam antè indicavimus. Licèt igitur, quod in Adamo omnes deliquimus, tanti Demeriti sit, ut vel ob istud, (Quantò magis cùm in Improbas quoque Cogitationes, éque Cogitationibus in Actus se quotidie effundat?) severè plecti nos, cum Justitia Divina optimè congrueret, Catechistæ tamen Assumtionem, *Quod etiam Peccato Originis nullo modo convenit*, C. R. ibid. è tam perversa (ut monuimus) Phrasi ductam, tam gratis etiam ab eo dictam, Rationis omnis exortem, Consequentiæ inanem, non aliter quàm nauci haberi, despuíque decernimus. A dictis verò Mosaicis istis pervertendis quò sese dehinc semper (siquid rectè possit,) abstineat, observet & hoc denique. Posterioris enim Loci verba sunt, *Cogitatio cordis ejus maligna est.* Vocabulum autem est יֵצֶר, quod Hebræi ducunt à יָצַר *Fingere*, sive Figulorum more è Luto formare; Quia ad Res mirificè effingendas Cogitatio super omnia velocissima est. At verò in Priore Loco, qui Posterioris norma est, pro Cogitationibus Cordis ponitur מחשבת, retento tamen & priore vocabulo dicitur, כל יצר מחשבת לבו רק רע כל היום. Annon igitur manifestè ostendit, Consyderari à se aliquid in nobis ante Cogitationes ipsas, Materiem scilicet, Ex qua, & Matricem, In qua formantur Cogitationes Cordium nostrorum, atque Officinam illam, (illum Fomitem,) Deo ipso Censore, esſe Solummodo, sempérque indè ab Adamo fuisſe, in se Malignam, A nobis igitur propriè indigetari Peccatum Originis? Sic igitur jam Locum illum nobis vertimus, And God saw that great was the wickedness of man on the Earth. And, id est, For, the whole Rise of the thoughts of his heart is onely evil continually: And it repented God, that he had made man.

SECT. LXXI.

1. *David, in sua Persona, de totius Generis Humani Corruptione loquitur; Nam si Ille tam corruptus, Quantò magis Alii?*
2. *SScriptura, de Quocunque dicantur, ad Spem, Consolationem, Instructionem omnium pertinent. Ecclesiæ præcipua semper cura fuit Psalmodiarum.*
3. *Nisi Generalis ista omnium conditio sit, Unde David hoc de Seipso nôsse poterat?*

HAut satis est Barjesuitam è Luti suo volutabro in antegressa Sectione excussum à nobis esſe: Hem enim & Alium Locum Sacrum, ad quem se quantum posſet, polluendum illico contulit. Sanctissimâ scilicet illâ Davidis Confessione premi se sentiens, *In Iniquitate conceptus sum, & in peccato Calefecit me Mater mea*, Psal. 51. 6, interrogat seipsum, *quid hâc de re sentiat?* Cat. Rac. pag. 251. Respondet verò, *Animadvertendum est, Hic Davidem non agere de quibusvis Hominibus, sed de Se tantùm*, Cat. Rac. ibid. ὦ δ' l Annon igitur opportunè modò monebam, Acutissimum hunc Disputatorem distinguere forteán velle etiam de ipsis hominibus, Aliter eos habuisſe se respectu peccati Originis, ante Diluvium, Aliter, post; Quia plusquam Centum erant anni ante Diluvium, cùm Deus id primò de iis locutus est, sed post, Deus idem sic repetiit, ut minus aliquid dicere videretur, ídque nisi paucis à Diluvio mensibus? Ejusdem verò farinæ & ista nunc Distinctio est, hoc est, pura puta Captio. Quanquam enim in sua Persona David dixerit, *Ego conceptus sum, & calefecit me*, non dixit tamen, Ego solus omnium sic conceptus sum, Aut Mihi uni contigit sic calefieri. Nihil impedit igitur, quin quod de se dicit, in Persona omnium intelligatur hoc dicere, Ego cum cæteris Universis. Si enim ea Davidis Conditio fuerit, si hominis secundùm Cor Dei, si Prophetæ, Regísque, Sancti Servi sui, oleóque Sancto suo delibuti, (cum reliquis Prærogativæ ejus Titulis,) Aliorum omnium multò magis, impuriſſimæque Plebeculæ, non erit? At & è Quibusvis illis hominibus David reverâ erat, tum cùm conceptus in utero esſet, Paterna Domus ejus, Privata familia Bethlemitica, *Quis ego Sum? Et qua Domus mea?* ait ipse, 2 Sam. 7. 18. Et ex ea familia, minimus ipse, & postremiſſimus. Neque ex hac parte igitur est, Cur soli ei hoc competat. Concludimus igitur, optandum esſe, interea dum se commodè explicare Barjesuitica farrago possit, atque hujus Responsi rectam, justámque, & non ad oblinenda ora Socinina solummodo confictam, Rationem Orbi exponere, ut voti compotes fiant, & postulato suo perfruantur, atq; ubi ubi erunt, Animadversione nullâ careant, quò probè intelligamus, quid sentiant.

2. Nam (ut ad ipsas Religionis Regulas cum iis agamus,) etiam Aliæ illæ sententiæ Davidis, *Si ambulavero per vallem umbra mortis, non timebo malum, Quia Tu mecum es, Virga tua, & Baculus tuus, ipsa me consolantur*, Psal. 23. 4: &, *Appropinquatio mea ad Deum bona est mihi, ut ponam in Domino Spem meam*, Psal. 73. 27: &, *Bonum mihi, quòd humiliatus sum, ut discam statuta tua*, Psal. 119. 71: &, *Domine, probasti me, & cognovisti me, & Sessionem meam, & Surrectionem, intelligis Cogitationem meam longè antè*, Ps. 139. 1, Cum plurimis similibus, De Semetipso quidem enuntientur, Solíne ergò Davidi dicentur dictatæ fuisſe à SSpiritu, nihílque ad quosvis homines, hoc est, ad Piorum omnium Consolationem, Confirmationem, Spem, Instructionem, pertinere? Quorsum ergò SScripturarum tam constans Lectio, Expositio, Meditatio? Quorsum Psalmodiarum (præ cæteris) ab universa Ecclesia sanctissimè semper habita, cultáque Observatio? Eant verò nunc, & expurgent è Codicibus suis Barjesuitæ Sacra illa Psalmorum, Hymnorum, Odarum Spiritualium ad Populum fidelem monita, Col. 3. 16. Corrigant & ipsum Paulum, ubi Davidis Verba in Davidis ipsius Persona, déque ipso prolata, laudarat;

dârat, è Psal.69.9, ausum ità subjungere in universorum eruditionem, *Quæcunque scripta antè sunt, ad nostram Doctrinam scripta sunt, ut nos per Patientiam, & Consolationem Scripturarum Spem habeamus*, Rom. 15. 4. Admoneant denique omnes Barjesuiticè fermentatos, Paulum in Divino illo Epiphonemate, *Infelix ego Homo, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratias ago Deo per Jesum Christum*, Rom.7.24, non agere de quibusvis hominibus, sed de Se Ipso tantùm, haut quicquam igitur illud ad quenquam Socininum esse: Neq; Conclusionem ejus τὸν ἐπιλοιπον illam ad ullos pertinere, præterquam ad Seipsum, & paucos illos, (Ex pari enim Ratione cum Barjesuitica, & hoc inferetur;) qui Romæ eo tum tempore, cùm ille scriberet, in ea Ecclesia vitam agebant, *Certus sum, quòd neque Mors, neque Vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque Præsentia, neque Futura, neque Altum, neque Profundum, neque quævis Creatura alia poterit nos separare à Dilectione Dei, Quæ est in Christo Jesu Domino nostro*, Rom. 8. 38. Sed quid moramur? Sic sunt Socinini Catechistæ! Sic Catechumeni! Illi, nullius adsertionis, quàm frivolæ cunque, putidæque pudere, modò elabi per eam videantur; Isti, quicquid evomatur à Dictatoribus suis, Quia Argumenti Colore imbuitur, obducitúrque specie aliquâ Acuminis, turpissimè elambere!

3. Non sic abibunt tamen, Donec & hoc nobis, (nihil enim ipsi non intelligunt;) responderint, Nisi communem esse omnium Mortalium Conditionem David novisset, ratámque eam de Quibusvis hominibus, De universis, (atque indè, & de Se,) esse sententiam, *concipi in iniquitate, atque in Peccato à matre calefieri*, unde Gentium expiscatus est, Quo ipse modo Se, priusquam extaret, (in primo enim Conceptûs sui momento) habuerat? Aut quibus tum Codicillis consignavit sibi primariæ illius Calefactionis suæ memoriam? Nam quod secundæ Responsionis speciem præ se ferre Sophista voluit, *Davidem agere de se tantùm; Nèquè Simpliciter, sed habitâ Ratione lapsûs sui*, Cat. Rac. p. 251, non minore nebulâ & hoc, fraudéque contegitur. Quid enim est, *Non agere de se Simpliciter?* An, Agere Sophistam? An, mentiri Deo in os? Nec ingenuè fateri velle, Quod Res erat? Cavendum igitur est, nè ex hoc fuco mox ad Davidem referant hii Homines Genus suum! Quòd si istud vult, *Non de se Simpliciter*, id est, non de Primordio Naturæ suæ, non Quà Homo erat, jam gratis hoc ab eo dicitur, & in ventos abit. Quod verò addit, *Habitam fuisse rationem Lapsûs sui*, Verissimum quidem hoc dicit; sed hoc non impedit habitam etiam ab eo fuisse rationem Originis suæ, Lapsûsque Parentis sui, eóque magìs humiliatus est. Manifestè verò probatur hoc, non ex ipsa Re solùm, sed & ex verbis Davidis. Ubi enim per Gratiam Divinam in consyderationem venerat, quàm immaniter per Homicidium atque Adulterium lapsus fuerat, penitissumo Sui, Naturæque suæ examine, usque ad primævum illud ex ipsa matrice vitium, se coram Deo provolvit, ut veniam precetur. Hæc enim vera Humilitas est; Hæc & vera Pœnitentia: Hæc ergò De Originis peccato vera sententia! Falsimoniæ igitur suæ adsumentum illud, *Eo Davidem loquendi modo nunc usum esse, cujus exemplum in eo habetur*, Psal. 58. 3, *Aversi sunt ab utero impii, erraverunt à vulva falsiloqui*, C.R.p.252, Habeat & hoc sibi (ante omnes) Catechista, ínq; Caput suum redeat inprimis, tritissimum ei, Aversionis, Perversitatis, Erroris, Falsiloquii, Exemplum hoc suum: Loci enim, quem nunc laudat è Psal. 58, verba, Hominum Improbitatem exagitant solùm à Factis eorum, postquam nati sunt, atque ubi in lucem producti, patrare quicquam possunt: Sed verba, de quibus agebamus è Psal.51, cùm de Conceptu ipso, & Calefactione prima in utero matris instituantur, Alius longè loquendi Modus sunt, Conditionem enim hominis Antelucanam, & Antenativam depingunt, Quæ propterea dici meruit Peccatum Originis.

Sect. LXXII.

1. Ἐφ' ᾧ, *Sitne*, In Quo, *an* In quantum. *Epanodus ibidem est; Dictis enim Duobus, Repetitio à posteriore incipit.*

2. Οὕτω καὶ, & καὶ οὕτως, *mirè differunt, ubi* ὥσπερ *præcessit.* Οὕτω *Adverbium Comparandi, Caussandi, & Consequendi est.*

3. *Invasit Adamum Mors illico, nec mortuus est ad 900 Annos. In illo ut omnes Mortui, Ita & Peccatores,* ἤμαρτον *habet significationem Præteriti plusquam Perfecti: Nec aliter potuit de Futuris dici.*

NEcdum dimittimus Catechistam: Supereſt enim ei contra Peccatum Originis & ex altero Loco argumentum, ad quem prætendit se pergere, Nè indè probari possit, *In Adamo omnes peccâsse*, Cat.Rac.p.252. Quamobrem, nè unquam Sui dissimilis reperiatur, videte obtestor Veteratoris artificium. Sciebat hujus Sententiæ Probationes luculentas, ex non uno Loco Capituli Quinti Epistolæ Paulinæ ad Romanos, depromi posse. Ad illam igitur Epistolam, & ad Capitulum illud, quasi grande aliquid ibi præstiturus, ex professo se confert. Ibi verò jam Quæstionistæ suo Author est, ut pedem figat in illis solùm verbis, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, Rom.5.12, Quæ fassus utcunque *passim ab Interpretibus* (sic enim proloqui elegit, quod reverâ dicendum erat, à Veteribus Græcis, atque Latinis, omnibus, uno Hæresiarchâ demto;) exponi, reddíque, *In quo omnes peccârunt*, Relatione eâ ad Adamum habitâ, quòd in eo, è quo nati sint, peccaverint, contendit tamen posse reddi, per *Quatenus, aut Quoniam*, C.R.p.252. Nos igitur, Pelagii, idem olim dicentis, Discipulum Eum non illibenter agnoscimus. Posse autem sic verti, licèt non satis esse ad Interpretationem faciendam, sæpe jam alibi à me monitum est, Quia tamen de usu quoque Phraseos hujus, ἐφ' ᾧ, memini me antè alicubi locutum esse, Nè actum agere (subductis mihi cartulis meis,) crambénque apponere contingat mihi, haut aliter nunc cum eo agam, quàm ex ea Suppositione, Vertantur igitur ea, *In quantum Omnes peccârunt*; Ipsius tamen Illationem, *Apparet igitur, neq; ex hoc Loco extrui posse Peccatum Originis*, C. R. ibid. invalidissimam esse, satis parebit. Istud autem primò monemus, Esse in hoc Tmematio manifestam Epanodum, in qua de Rebus Duabus, Bis, sed ordine immutato, Apostolus dicit; Primò enim, De Peccato & Morte Hominum; *Quemadmodum per unum hominem Peccatum in Mundum intravit, atq; per Peccatum illud Mors.* Vice autem versâ, Secundò dicit De morte ea, & Peccato eo, *Et ità in omnes homines mors pertransiit, In quantum omnes peccaverunt.*

2. Inprimis autem jam Copulativum illud *Et* observandum à Lectoribus est, Καὶ οὕτως. Unde enim venit? Aut Quorsum, præter ordinem, heic interseritur? Nihil quidem in Sacris, vel in ipso Paulo, usitatius est, quàm οὕτω καί. Etiam cùm in Protasi ὥσπερ antecedit, in Apodosi vulgarè est, & elegans οὕτω καὶ, quod & hoc ipso in Capitulo bis reperitur, ver. 19. & 21. Sed præmisso jam ὥσπερ Redditionem fieri per καὶ οὕτως dicat, Qui usquam unquam legerit, & erit mihi Magnus. De Qua igitur ratione nunc καὶ istud additur? Nequaquam, De nulla; Statuendum est hoc; Nihil enim in Sacris Literis est, quod Ratione suâ careat. Pretium igitur operæ jam erit, si observemus Adverbium istud οὕτως in N.T. (præter alios ejusdem usus,) habere non unam, sed Trinam significationis suæ Vim; Comparandi enim, & Caussandi, & Consequendi. Ex Comparatione est Adverbium Similitudinis, & significat *Ità*, id est, *Eo modo*, ut Mat.5.12. & alibi sæpissimé. Ex Caussatione, Rationis Adverbium est, & significat *Propterea*, id est, *Eo pacto*, ut 1 Cor. 14.25, Bis; & Heb.6.15, cum aliquot aliis. Ex Consecutione denique, est

Adverbium

Adverbium Temporis, & significat *continuò*, id est, *Eo tum momento*, ut Joan. 4. 6, & Act. 17. 33, & 20. 11, & 28. 14. Quis igitur jam tam obesæ naris, ut non suboleat ei, ad istas geminas significationes unà inferendas, ità præter morem inferri hoc Καὶ; Nam si ὥσπερ dicto, nil aliud subjunxisset, quàm ὕτως, aut οὕτω καί, nihil aliud præter Similitudinem, atque Comparationem dicere intelligendus fuisset; Sed cùm ad ὥσπερ suum reposuerit, καὶ ὕτως, necessarium nunc est, ut vel hinc concludamus, Peccatum, Mortémque posteros omnes invasisse Adami, non eo modo solùm, seu Ità, ut Adamum antè invaserant, sed ex ea Ratione etiam, Propterea quia Adamum corripuerant, atque eo ipso statim momento, ut primùm irruerant in Parentem, Continuò, atque ipso facto & in universam Prosapiam.

3. Recipiamus igitur nos nunc ex isto Theoremate ad cætera in Textu verba. Dicentem audivimus primò De Peccato & Morte, (*Per unum hominem, Adamum scilicet, Peccatum in mundum intrâsse; & per Peccatum illud Mortem.*) Hæc jam lapsi Adami Conditio facta est! Sed quomodo? An actu statim Adamus Mortuus est? An à novis hiisce monstris, (à Semetipso, in Crastino Creationis, sed non à Deo, creatis, Sap. 1. 13.) Protoplasti Persona actutùm absorpta est? Minimè Gentium: Superfuit enim ad Annos 930, genuítque filios & filias, Gen. 5. 4, & Pater mundi factus est, Sap. 10. 1. Quid igitur erat? Ubi ei interim Peccatum? Ubi Mors? In Natura sua. Per Peccatum autem illud jam privatus possibilitate semper vivendi, in qua creatus à Deo fuerat, subdebatur ipse, & cum ipso omnes, Qui in ipso erant, id est, Genus omne humanum, Adamantinæ legi, Aliquando moriendi. Atque istud est, quod de Genere humano succlamet nunc Apostolus, Καὶ οὕτως, hoc est, Exinde & omnium Naturam eandem factam esse; Eadem enim mors illa, quæ Adamo in Pœnam peccati erat, hoc est, Eadem moriendi Necessitas, posteris ejus jam tum incubuit. Et Quare? In quantum cum eo Omnes idem illud Peccatum jam tum admiserant, Non, in sua cujusque singulari Persona, ut hoc aut illud Actu tum peccâsse putentur, Qui nondum extabant, Sed in Generali illo ipso vitiatæ Naturæ contagio, quod totum Fontem occupaverat jam, corruperátque. Minùs consultò igitur ab Interpretibus factum est, quòd Aoristum istum ἥμαρτον verterint, *In quo omnes peccaverunt*; Cùm potiùs, ad sensum elucidandum, eo in Tempore, quod à nobis Præterito, non, Perfecto, sed vel Imperfecto quidem, vel certè Plusquam Perfecto vulgò adsignatur, vertendum esset, *Peccaverant*. Debere enim interdum ità Aoristum hunc verti, scio me jam sæpe per plurima Exempla illustrâsse; Atque ità hoc ipsum ἥμαρτον vertitur, *Quia peccaverant Domino*, 2 Paral. 12. 2. Heic autem & Posse & Debere ità verti, Veritatis ipsius postulatum est. Nam cùm Homines Trium semper sint Temporum, Præteriti, Præsentis, Futuri; Tum quidem cùm Paulus ista scribebat, stabat cum veritate Rei, hodiéque etiam stabit, ut de Præteritis, Præsentibúsque universis, (in Actuali nimirum Peccato cubantibus,) dicatur *Omnes peccaverunt*: Verùm de Futuris, nunquam ullo modo stare, nunquam verificari hoc, potuit, potéstve, nisi ex Generali eo & Originali Adami contagio; Illud autem congruentissimè significandum erat, per *In Quo*, (vel *In quantum*; utrum ipse velit; Nihil enim ista nunc differunt;) *omnes peccaverant*. Velim igitur ut hæc à nobis vertantur, **And so Death passed through unto all men, In as much as all had sinned.**

Sect. LXXIII.

1. *Idem in Jure est*, Non Imputari, & Non Esse. Ἄχρι *non semper est* Usque ad, *interdum est* Quamdiu.
2. *Adamus habuit Legem Naturæ in Corde scriptam, & Aliam Positivam, De non comedendo. Ingens hac Dei Benignitas. Ex Lapsu Mors; Natura Depravatio; Privatio Gratiæ.*
3. *Pro æterna Regula data ea Lex, æternam habet in nobis Ultionem.* Ἄχρι *sæpe pro* Τέως.
4. *Ubi Pœna irrogatur, Peccatum imputatur. Peccamus, non ad Exemplum Adami, sed ex ejus Vitio. Nos dicimus,* An Attainder.
5. *Parentum scelera Posteros luere, ex Deo justum est, licèt non consenserint. Natura nostra ut sit imminuta ex Adami lapsu.*
6. *Innocentes quoad Actum, non sunt Insontes tamen. Adamus erat Typus Christi ad suos, sed per omnia in contrarium.*

DIfficultatibus suis non caret, quod Apostolus censuit, ἄχρι γὰρ Νόμου ἁμαρτία ἦν ἐν κόσμῳ· Ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται, μὴ ὄντος Νόμου, Rom. 5. 13. Prima est, Statuere, Quam Ille Legem dicat. De Lege tamen, per Mosen data, accipi hæc oportere, omnium ferè Expositio est, éque verbis insequentibus satis confirmari videtur hæc Sententia, Quia, quasi exponendi sui causâ, addidit, ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως, ver. 14. Versiones igitur, huic opinioni conformes sunt; Latina V. sic, *Usque ad Legem enim Peccatum erat in Mundo.* Nostráque sic, **For until the Law Sin was in the world.** Verùm obtestamur, Quid hoc erit? An Lege veniente, Peccatum fugisse, Paulus innuit? An, Mosen, ipso accessu suo, sic profligâsse hunc Hostem, ut terras statim reliquerit? Ut Peccatum è mundo tum sublatum fuerit? O utinam! Sed Lex ipsa, & Ratio omnis reclamitat; De Peccatis enim tota, & quotidianæ ferè incursionis plurimis, est. Quis igitur non persentit, genuinum sensum esse, Peccatum ab Adamo ad Mosen, (id est, Toto eo temporis intervallo, ante promulgationem Legis Mosaicæ, non minùs, quàm post Eam latam,) in mundo repertum fuisse? Quî tamen & hoc fieri potuit? Jam hæc Secunda Difficultas verborum erit. Ait enim, *Peccatum non imputari*, μὴ ὄντος Νόμου. Prior ergò pars Tmematii arietat Posteriorem, Posterior Priorem subruit. Rei enim Forensis, atque Processûs Judiciarii rationem hoc cùm habeat, in idem reverâ recidit *Non Imputari*, & *Non esse*. Quid nunc agimus ergó? De Tempore quidem ipso, Quæstio nulla est: Ab Orbe condito ad Legem in Sinai, (id est, ab Adamo ad Mosen,) De isto spatio Apostolus (procul omni dubio) loquitur hoc, *Peccatum in Mundo fuisse*. Sed Adverbii ἄχρι aliam significationem adsumi nunc necesse est; Neque enim illud semper ità usurpatur, ut significet *Usque ad*, Græcè Qui quicquam sciunt, non nescíunt etiam & *Quamdiu* per ἄχρι significari. Ità enim mihi, è Basilio ad Chilonem, notatum est ad Lexicon, ἄχρι τῆς ἀρχῆς ἱσῶσι, pro *Hærent in ipso principio*. Sed & apud Lucam legimus, Abnavigâsse eos Philippis Troadem, ἄχρις ἡμερῶν πέντε· id est, *intra spatium Quinque dierum*, Act. 20. 6. Ideóque ad istius sensûs latitudinem, præstabit ἄχρι Νόμου à Nobis verti, **For, all the while of a Law, Sin was in the world.**

2. Hoc autem in sensu, licèt Lex ea, quam Moses attulit, sit Terminus ad Quem hoc Spatium extenditur, Principale tamen intentum est Terminus à Quo inchoatur, atque ad istum spectat Lex ea, quam Deus ipse Adamo dedit. Illam autem Duplicis generis fuisse novimus; Unam, ἐνδιάθετον, & Naturalem, in Corde scriptam, ádque exercitium Perfectionis datam; Præscribebat enim, Quid in Se Bonum erat, Prohibebat, Quod Malum: Alteram verò, προφορικὸν, & Positivam, solùm in Obedientiæ Probationem, Dum vetaret de Arbore ea comedere: Neque enim prohibebatur hoc, Quia in se Malum erat; Sed verè tamen Malum erat, Quia sic prohibebatur. Erat autem ista infinitæ Benignitatis Dei erga genus Humanum Tessera, quòd Unicam hanc Ei, (præter inditam illam naturæ nostræ,) Normam (Reíque, observatu quidem facillimæ, vetitæ autem in nullius, præter serpentis ipsius, damnum,) imposuerit, Cùm & pro jure Dominii, & pro ratione

tione Beneficiorum, Officia imponere potuerat, Mosaica omnia, Numero Ponderéque, ter & amplius excedentia. Sed cùm prævaricatus fuerit Adamus, atque hanc unicam Legem, etiam sciens volénsque violaverit, impunè non tulit tam immanem trangressionem, Sed duplicis Pœnæ, (Quæ indicta ei fuerat, *Quo die comederis, moriendo morieris*, Gen. 2. 17,) eo ipso die Primitias retulit, Mortuus enim est, licèt statim non expiravit. Introeunte scilicet peccato, confestim Natura ei depravatur, Animæ vires imminuuntur, Ipse denique Consortio Dei, Hortóq; pellitur, Corporis utcunque mors in Nongentos, & plus eo, annos dilata est. Frustrà igitur sophisticatur Pelagius, per fraudem contentus fateri, Gratiis quidem omnibus Hominem tum privatum fuisse, sed relictum tamen in puris Naturalibus. Imò verò non; sed in impuris Naturalibus. Nudus enim jam factus erat, atque ità à Seipso nudatus, unde pudefactus est miser, texítque Se ficulneis, Gen. 3. 7. Nihílne verò de Natura ei periisse hariolabimur, Quæ, ut erat ante lapsum, poterat æternùm vivere, ut pòst, non poterat non mori? Sed & quas Gratias dici vult, Naturalium facultatum erant, in prima ea Conditione, si non Partes, Viréque, Adjutrices tamen, Auctricéque. Eas autem Adamus ubi peccando expulit, totius Naturæ suæ, (Non Sibimet ergò, sed & toti Generi;) florem corrupit, prodegítque Præstantiam: Quod fusiùs à me (si benè recolo) monstratum est, ad Gen. 6. 5. Ipsa enim primordia Cogitationum, Ut Semper, Omnibúsque, & Tantummodo, prava fuerint, Quo ex fonte ebullire hoc potuit, præterquam ex eo Contagio, quod Originale vulgò dicitur?

3. Lex igitur illa, Non comedendi de arbore vetita, in intentione Divina Humano Generi pro æterna Obedientiæ Regula proposita est. Quò brevioribus autem terminis, ab ipso Adamo, (Capite Generis,) ea quantum ad Obedientiam suam, circumscripta est, eò severiores Ultionis lineas in Eum, & omnem prolem Ejus obtinuit, duriorémq; in membris nostris legem exercet; Ità ut per illã nos Servi Miseriæ, Peccati Mancipia, Filii Iræ etiamnum nascamur universi, Illa verò æternitatem suam, quâ In nobis excidit per Adamum, De nobis, per eundem, usque in secula consequatur. Atque ex ista ratione nunc est, quòd Apostolus heic instet in illis ante Mosen seculis. Non, Quin in aliis omnibus, eodem Se modo Res hæc habuerit, & usque habeat; Sed quoniam, post Legem à Mose allatam, quicquid peccabant Homines, contra eam peccare existimabantur; Similiter & nunc, antiquatâ Lege Mosaicâ, Christíque omnibus impositâ, nullum crimen admittitur, quod Legis Christi violatio non habenda sit. Verùm nondum exoleviisse Primariam illam Legem Obedientiæ, neq; futurum unquam in Orbe finem aliquem durationis ejusdem, infert Apostolus, ab Imputatione Peccati quod Posteros Adami, ex prima Mandati illius transgressione per Adamum, videre est etiam in primis illis seculis, Cùm alia Lex nulla erat, invasisse. Ait igitur, ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογᾶται, μὴ ὄντος νόμου. Istud autem non Adsertivè ab eo nunc introducitur, quasi velit, Securos fuisse prisci Seculi mortales, in omni vita sua, Quia nullo modo interpellabantur, neque vocabantur in aliquod judicium; Sed tantùm Suppositivè dicitur, Si Lex tum non viguisset, non potuisse eos ad pœnam evocari. Particula igitur δὲ ponitur pro γὰρ per communem Hebraismum, (in N. T. jam à me sæpe observatum;) Qui huic Loco, propter γὰρ proximè præmissum, inprimis convenit.

4. Argumentatio autem Apostoli hæc est; Lex illa si ad certos effectus non extaret usque, Transgressio ejusdem non posset imputari, id est, fraudi, damnóque esset nemini; Sed Imputari eam paret ex irrogatione pœnæ ejusdem; Ait enim, ἀλλ' ἐβασίλευσεν ὁ θάνατος ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Μωσέως, v. 14. Jam Particula illa ἀλλὰ totius Argumenti locuples index est: *Sed regnavit Mors*, ait: Ergò, Pœnæ illius Caussa, *Peccatum imputatum est*. Ergò, Pœnæ ejusdem Sanctio, Reguláque, *Lex extitit*: De jure scilicet extabat, atque ex Pœnali parte sua. Atqui nullo tum modo fieri hoc potuit, potéstve nunc, nisi propter impurationem ipsius Fontis, pérque Primigenium illud vitium, quod ex Adamo in ejusdem Naturæ universos usq; diffunditur. Disertis etiam verbis, (nam alium sensum nullum habentibus,) & hoc ab Apostolo significatur, cùm Mortem (Primi illius Peccati solummodo pœnam) regnâsse ibidem aiat, ᾧ ἔδει τοὺς μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι τῆς παραβάσεως Ἀδάμ. Quibus quid dici possit Pelagianæ impietati magis inimicum, equidem nescio. Primò enim, cùm Hæreticus Peccata hominum omnia esse solummodo velit ad Exemplum Prævaricationis Adami, Apostolus in oppositum expressè fertur, ait enim, μὴ ἁμαρτήσαντας ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι. Veruntamen ἁμαρτήσαντας eos esse, non abnegat; Istud Secundum est; *Peccaverant enim & hii omnes*, ait, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, ver. 12, Sed non peccaverant ad similitudinem prævaricationis Adami. Quemodo igitur? Non enim Actualiter, ut ipse Comestor; Non Scienter; Non Voluntariè: Sed Participativè tamen, & Compotenter, è Radice, è Capite, è Fonte, per contagium illud Originis suæ, quod talis ex ipsa Natura, ἐκ τῆς μετοχετεύσεως, μετοχὴ est, Ut & ex Juris quoque Interpretatione (quicquid Catechista ineptiat, atque *Unum Actum Adami potuisse vim hanc habere*, Cat. Rac. pag. 250, stolidè negitet) universos æternùm inficiat: Quod è Lege nostra Municipali *Attinctura Sanguinis*, seu *Generis* dici solet.

5. Istud igitur cùm ex variis Casibus, etiam in Foro Terreno, novum non fit, Parentum sceleribus Prolem interdum vitiari, Posteros opprimi; neque Tribunalia Humana careant hoc genus exemplis, *Natos natorum, & qui nascentur ab illis*, ob Majorum suorum crimina perpetuis servitutibus, Capitísque diminutionibus damnari, Quæ sunt ista, Nolo dicere, Temeritatis, non Imprudentiæ, non Impudentiæ, sed & summæ (O Deus!) Blasphemiæ ausa, *Iniquitatem in Excelso loqui, ponereque in Cœlum os suum*, Psal. 73. 9, atque ad defendendam ἄρρητον ἀπωλείας suam, Deo ipsi Justitiam suam abnegare, abjudicare Bonitatem, Si Ille, quod fecit, fecerit; Si ex originali Protoplasti Delicto, reatûs ejusdem, Contagiísque Sententiam in Genus omne Humanum tulerit? Præsertim verò à Theologiam inter Nos professo, Paginæque Sanctæ versatore Britanno, ista objici? Caussari illum Colores istos è Sophistarum triviis, Quòd Posteri nil consenserint, conscierintve, neque Nepotes Paterni sceleris partes aliquas patrârint, Non posse ergò cum Justitia Divina stare, Ut ipsi id luant, ut plectantur aliquâ, aut Naturæ suæ particulis quibusvis mulctentur? Quid enim? Unde Gentium erit, non stare, Quoad Imminutionem Naturæ in iis, quod vel ipse non negat stare, Quoad Privationem Gratiæ? Istud primum est. Dein, Unde moriuntur Universi? Annon ex illius Legis Primitiva Sententia? An Mortem ipse non habet pro aliqua Naturæ Imminutione? Dicat denique nobis, in universali Diluvio quod Mundo Impiorum inductum est, 2 Pet. 2. 5, Quid consenserant Infantuli? Quid cubantes adhuc in utero materno conciverant?

6. Ad hoc idem respondeat, De iisdem, (Innocentibus utcunque Quoad Actum aliquem, haut tamen insontibus, propter Parentes, habendis,) Qui inciderunt in Maledictionem Chanaanis, Gen. 9. 25, in Sodomorum incendia, Gen. 19. 25, in Plagam Primogenitorum, Exod. 12. 29, in Rebellium absorptionem, Num. 16. 32, in Achanis stragem, Jos. 7. 25, in excidium Amaleci, 1 Sam. 15. 3. Ex Deo enim hæc omnia facta sunt; Neque ante Pelagium tamen quisquam de Justitia, aut Æquitate Divina dubitandi Authorem se facere ausus est; Ut ut nunc ex illo Barjesuitæ haut veriti sint concludere, si ipsis credatur, *Incredibile esse, Deum hoc facere voluisse*, Cat. Rac. pag. 250. Sed nè longiores jam simus; Eatur ad Evangelia, atque indè Quid Christus ipse hâc in parte censuerit, discatur, tum è Parabola Ejus, Servum, Talentorum tot Debitorem, vendi jubente, cum Uxore, & Liberis, Matth. 18. 25, tum è Prædictione Ejus,

Filias

Filias Hierusalem monentis, Quid de iis, earúmque Infantibus futurum erat in Excidio Urbis, Luc. 23. 29, tum denique ex Pauli Comparatione Adami ad Christum: Per argumentum enim à Contrario, expresè heic ait, Adamum fuisse τύπον τῦ μέλλοντος, ver. 14, hoc est, Typus erat Christi. Et Quomodo? Christus enim Universis de Corpore suo, promeritis nihil in Semetipsis, è suâmet Perfectione Principium factus est Justitiæ, Vitæque, Sicut Adamus è suomet Delicto Omnibus è Corpore suo (nihil tamen in Se demeritis,) Principium fuerat Peccati, Mortísque.

Sect. LXXIV.

1. Via Sanctorum *est Via nostra in Cœlos.* Τὰ Ἅγια, Cœlum. *Euangelium est Regnum Cœlorum. Fides est Via ad illud. Manifestata non est, dum starent Ritus Cæremoniales.*
2. *De Munere Christi Regio & Sacerdotali quàm perfidè Catechista egerit, stolidéque.*
3. *Sacrificare, non facit Sacerdotem; Sed Sacerdotis est Sacrificare. Multa appellantur, quod non sunt.* Καταχρησιτῶς *dictum.*
4. *Sophistica Comparatio est Pontificis & Christi, quô Sacerdos nè sit, antequam in Cœlos adscenderat.*
5. *Oblationes Christi in Cruce peractæ sunt. Cœlum Christo nunquam occlusum erat, Ubi ubi ille erat. Non Sibi, sed Nobis, Viam in Cœlos, aperuit in Cruce, manifestavit in Adscensu. Via πεῤῥησται & ζῶσα.*

APostolus ubi citârat è Mose, Levit. 16, 2, *Solum Pontificem introire in Secundum Tabernaculum, idq; semel in anno tantùm, & non sine Sanguine*, Heb. 9. 7, proximè exponit, Quid sibi volebant istæ Cæremoniæ; Ait enim, *Istud significante Spiritu Sancto*, v. 8. Benedictus igitur sit SSpiritus, Significationis istius Divinus Author! Benedictus & ipse Apostolus, significationis SSpiritûs fidelis significator! Incidimus enim jam nunc in alium Spiritum, Erroris eum, Malignum, & Nequam, ex Officina Racoviana longè aliud à Mente Dei è Symbolicis istis, inter Suos, significantem, Sed quem non aliter excipimus, quàm Jehu Nuntios, Jubemúsque, *ut gyret ad posteriora nostra*, 2 Reg. 9. 18, donec acceperimus ab Apostolo, quid SSpiritus ei per ista significaverit; *Nondum propalatam esse Viam Sanctorum, Primo Tabernaculo adhuc habente statum.* Via autem Sanctorum hæc, est Via nostra in Cœlos. Τὰ ἅγια enim, per quæ Tabernaculum illud interius, typicè ad Cœlorum repræsentationem institutum, designabatur à Mose, pro Cœlis ipsis interdum à Paulo sumi, manifestè paret è verbis sequentibus, χειρὸς διὰ τῦ ἰδίου αἵματος εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ Ἅγια, ver. 12, & rursus, Ἔχοντες παῤῥησίαν εἰς τὴν εἴσοδον τῶν Ἁγίων ἐν τῷ αἵματι Ἰησῦ, Heb. 10. 19. Quæritur autem, Quî poterat Apostolus nunc dicere, Viam nobis in Cœlos nondum fuisse manifestatam? Ex ea enim solùm ratione, Euangelium suum à Christo appellatum esse Regnum Cœlorum, probatione nullâ indiget. Fidem autem, & Professionem Euangelii esse τὴν Ὁδὸν, (vel ob hoc *Viam Illam* κατ' ἐξοχὴν sic dictam, Act. 9. 2,) Viam Regni illius, quam morte devictâ Christum aperuisse cunctis Credentibus, Hymno suo S. Ecclesia nullo non manè celebrat, Viam in Cœlos Sanctis nullis negatam, pro Tessera nobis sunt non solùm παῤῥησία ea, quam ex Apostolo proximè laudavimus, sed & illa Viæ Encænia, quæ nobis eo tempore facta esse Ipse ibidem disertè adserit, ἐνεκαίνισεν ἡμῖν Ὁδὸν, ver. 20. At verò sub Nerone sunt hæc ab Apostolo ad Populares suos conscripta; sed Excidium Urbis sub Vespasiano; Templum igitur tum extabat, cùm ista scribebantur, habebátque in eo σκηνὴν suam Secundum Tabernaculum. Neque pugnant ista tamen. Non enim de Mole ea, déve Fabrica Templi, Sed de Lege ipsa, Ritúque accipiendus est Apostolus. Vigentibus quidem adhuc Institutis Mosaicis, Umbrísque illis Cæremonialibus Religionem omnem obfuscantibus, Latebat tantisper ista, planéque celabatur Cœlorum Via. Sed quamprimùm per Sanguinem Christi fugatæ fuerant Umbræ hæ, pulsúsque Obex iste Cæremoniarum Statione suâ exierat, Hoc illud Momentum est, ad quod respexisse SSpiritum in his Apostolus vult, atque significâsse, Ex illo demum tempore, sed non antè, manifestatam Fidelibus fuisse Cœlorum Viam.

2. Istam autem SSpiritûs significationem fuisse, præter Apostolum, etiam & Christus ipse, priusquam excederet, Monitorem Se fecit, cùm Moriens diceret, πεπλήρωται, Joan. 19. 28. Sed & ipsa Materialis Fabrica Templi ore pluspquam Stentoreo proclamavit hoc, cùm Maceriæ (Velum dictæ) lapides ei dissiluerint, atq; ἐσχίσθη εἰς δύο, ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω, Matth. 27. 51. Hæc autem omnia cùm hodiéque circumsonent nos, audiamus sultis nunc, Quid sequior ille Spiritus, (Racovianus magìs, an Anti-Christianus dicendus, Qui volent, viderint!) insibilet, per introitum Pontificis in Sancta Sanctorum significari. Hoc autem, uno verbo, est, Christum verum Sacerdotem non fuisse; huc ei res tandem recidet. Licèt enim, verbo tenus, atque in speciem, ad faciendum populum, præ se ferat, *De Munere Christi Regio, & Sacerdotali*, dicere, Cat. Rac. p. 274; Quantum tamen fucum Veterator in utroque faciat, vel hinc æstimare est, Primò, quòd cùm Pagellas Sesquicentum sibi oppleverit, *De Prophetico Jesu Christi Munere*, Cat. Rac. pag. 128. vix Decem à Se obtinuerit, Vel *De Officio Christi Regio*, Cat. Rac. pag. 275, (partémq; earum maximam insumserit, ut probet, quàm infirmus in Se Christus fuerit, (hóccine enim verè Regium non est?) neq; Seipsum eripere ab Hoste eo, à Mortuis excitare, potuerit, Cat. Rac. pag. 276.) Vel, *De Sacerdotali Christi Munere*, Cat. Rac. p. 285; Majoréque ex parte earum id egerit, Nè putetur Christus pro Sacerdote Se unquam gessisse, aut quicquam pro nobis, vel obtulisse in Terris, C. R. p. 292, vel etiam in Cœlis nunc intercedere, C. R. p. 295. Secundò, quòd utrumque horum ità descripserit, ut confuderit planè, subruerítque. Istud enim est, quòd futiliter questus, *Munus Christi Sacerdotale cum Munere ejus Regio nimis arctè conjunctum esse*, Cat. Rac. p. 285, tandem secum statuerit, *pro Regio ejus Munere esse, quòd possit nobis in omnibus necessitatibus nostris subvenire*, C. R. p. 285. In Potentia igitur solummodo, non Actu, Rex est: *pro Sacerdotali autem, Quòd velit subvenire subveniátque*, ibidem. Verùm Unde Gentium, cùm bono Deo, nova hæc Subtilitas Theologica? Quo Cœlo crevit, Subveniendi hominibus Potentiam, esse Characterem Regis, Voluntatem, Actúmque, esse Sacerdotis? Verùm Quid non ferre coguntur infatuata quidem, sed perquam ingeniosa tamen, ut sibimet videntur, Socinulorum palata? Quod felix igitur, faustúmque sit, non Medicis solùm, Chirurgis, Caufidicis, sed & Gladiatoribus etiam, Pugilibúsque, & ipsis Fœneratoribus! Penes eos enim dehinc erit, Saltem si Racoviam profugiant, Unde & Reges, & (si boni sint) Sacerdotes audiant.

3. Veruntamen adfirmanti Catechistæ si non creditur, hem Argumentum ejus. *Hæc enim ratio Opis adferendæ nobis, Sacrificium illius appellatur*, Cat. Rac. pag. 285. Et Quid tum? Si appelletur Sacrificium, An quodque Sacrificium facit Sacerdotem? Meminimus verò & Saulem sacrificasse, 1 Sam. 13. 9, Numquid igitur & Saul inter Sacerdotes? Vapulent igitur Poetæ à Fœminis suis, quòd Junonem Lucinam, unicè ab eo Sexu invocari solitam ad Opem ferendam, fecerint quidem Reginam, non fecerint tamen & Sacerdotem. Nobis autem sic arbitrari videtur, Ab eo, qui Sacerdos ritè constitutus est, Sacrificium fieri, Consequentiam esse hanc justam, validámque, & planè Divinam; Ità enim Apostolus, *Omnis Pontifex ab hominibus adsumtus constituitur*

ſtituitur in Rebus ad Deum, ut offerat Sacrificia, Heb. 5. 1. Verùm cancros heic imitari, Ordinéque perverſo ferri, & dicere, *Qui Sacrificium offert, indè Sacerdotem fieri*, Conſequentia nulla eſt, niſi Barjeſuitica, putida ſcilicet, perfidáque, & dolo malo ſubornata, ut Auditores ludos faciat. Quid opus verò ei erat, Sacerdotale Munus Chriſti tam obtorto collo accerſere ab hoc Sacrificio, quod in promtu probare erat argumento omnium validiſſimo, Authoritate ipſius Dei? Ipſius enim Dei eſt, *Tu es Sacerdos in æternum, juxta Ordinem Melchiſedeci*, Heb. 5. 6. Potuíſne ergò de hoc dubitari? Enimverò non potuit; Nam *juravit Deus, & non pœnitebit*, Pſal. 110. 4: Sed Alia nunc & Res hæc, & Ratio eſt, Nam ejuravit Barjeſuita, & non recordabitur. Utcunque igitur Nobis Chriſtus Sacerdos ſit ex Officio, quod Ei Deus, & non ſine jurejurando ſuo, largitus eſt, Barjeſuitæ tamen intereſt, nullam aliam Sacerdotii rationem in Chriſto agnoſcere, quàm Quia ratio hæc Opis adferendæ Sacrificium appellatur. Appellatur autem? Quaſi non ſint plurima, quæ appellentur, quod non ſunt! Atque hoc Catechiſta nunc vel maximè vult; *Sacrificium enim vocatur*, ait, *Figurato loquendi modo*, Cat. Rac. pag. 285, id eſt, κατα-χρησικῶς, Non quod ità ſit, quantumcunquè ità vocetur.

4. Verùm videri nevult, etiam Abuſionis hujus, quam Figuram appellat, ratione deſtitui. *Quia quemadmodum in priſco Fœdere Pontifex ingreſſus in Sancta Sanctorum, ea quæ ad expianda peccata Populi ſpectabant, perficiebat, ità Chriſtum nunc penetravit Cœlos, ut Deo appareat pro nobis, ádque expiationem peccatorum noſtrorum ſpectantia peragat*, Cat. Rac. pag. 286. Sed φεῦ τῆς ἀδολεσχίας! Audere quenquam, (præter Barjeſuitam, Pullis ſuis nihil non ingerere auſum;) Auditores tam longis, & elumbibus logis excruciare! Nam ut concedantur hæc omnia, (Quæ magnâ ex parte tamen ἀσύστατα ſunt, atque ipſa ſe ſubruunt;) Pontificis exemplo in Sancta, ità & Chriſtum in Cœlos penetrâſſe Se, ad Peccatorum expiationem, Quid tum? Ergò hæc Expiatio Sacrificium appellatur. Non ſequitur: Eſt enim in Concluſione, quod in Præmiſſis non eſt. Nè comburamus igitur diem tam ſtolidis ſtricturis, hem, quod Sophiſta per dolum ſuppreſſit, nos jam breviter ſupplebimus, litémque explicabimus. Erat quidem olim annuus introitus in Sancta Sanctorum ad expiationem Populi. Sed, Quis introivit? Aaron, Summus pro tempore Pontifex. Bene habet! Erat ergò Sacerdos, antequam introibat; non introibat, ut Sacerdos indè fieret. Et, Quando introibat? Quando ſacrificaverat Hircum, ei Expiationi à Deo deſtinatum, Levit. 16. 15. Ehodum! Anteceſſerat igitur & ibi verum Sacrificium, antequam introiret. Quid moramur igitur? Jam manus conſerimus, Eodémque exemplo Chriſtum noſtrum agnoſcimus, pariter & veneramur, indè ab initio Naturæ, Sacerdotem, ab ipſo Deo Patre, (atque Initiatione ſupra omnem Aaronicam, per interpoſitum enim juramentum Dei; Summè igitur Divinâ;) conſtitutum, eò tandem proceſſiſſe, Ut *Seipſum pro Nobis Oblationem & Sacrificium Deo tradiderit*, Eph. 5. 2, pérque hanc Sanguinis ſui effuſionem æternâ Redemtione acquiſitâ, Heb. 9. 12, Cùm Annuum in eo Genere ei nihil reſtaret, in Cœlos Seſe penetrâſſe ἐφάπαξ, Quod Latinè quidem vix ſatis exprimi poteſt, à Nobis verò feliciter reddetur, at once for all. Barjeſuita igitur quod ex hiis molitur, abeat in fumos, (Qui molitur, ad Corvos,) quod licèt heic ſubticuerit, quia tam pudendè futilis Illatio eſt, paulò tamen pòſt auſus eſt obiter proloqui, *Chriſtum Sacerdotem non fuiſſe, antequam in Cœlos adſcenderet*, Cat. Rac. pag. 291. Hujus autem Sententiæ inſaniam eſt ubi jampridem caſtigavimus: quod nunc egimus, eſt, Ut Rationem hanc, quam ab exemplo Pontificis ſolam pro Fundamento obtendit, manifeſtaremus eſſe omnium inaniſſimam.

5. Mittemus ergò jam Catechiſtam, claudemúſque hanc Sectionem, poſtquam uno Verbo amiciſſimum Virum, Pietate pariter & Eruditione præſtantem, convenerimus, Qui cùm minùs caveret Sibi à perfidia Barjeſuitica, opinatus eſt, per ea verba, Heb. 9. 7, à quibus orſa nobis eſt iſta Sectio, *apparere, Oblationem Chriſti, Quæ ei Sacerdotis Oblationi reſpondet, eſſe, poſt Paſſionem Chriſti, peractam, quando introivit in Cœlum, quod ſignificabatur per Sancta Sanctorum.* Verùm ſi rogatus jam à me, oculis uti, animóque voluerit, nihil tale apparebit. Quicquid enim à Sacerdote, introeunte ad Sancta, ipſo eo die peractum eſt, per modum Oblationis Deo, illud omne à Domino noſtro ipsâ in Cruce celebratum eſt. Muneris Ille Sacerdotalis ſui, Ubi res ea ferebat, tam Divinus Peractor erat, Ut Pontifices alii omnes nihil ad Eum. Ille Unâ eâdémque operâ, quâ Seipſum Cruci tradidit, Sanguinem etiam ſuum pro Nobis Patri ſuo obtulit, antequam ſuclamare voluit, τετέλεσται, Joan. 19. 30. Neque enim ſomniandum eſt, Cœli introitum unquam Ei, vel tantillulùm, occluſum fuiſſe; Semper patebat Illi aditus ille, atque Ubi ubi in terris erat, etiam & Patris præſentiâ in Cœlis fruebatur. Viam autem in Cœlos, (Quæ per Corporalem ipſius Adſcenſum non aperiebatur, ſed tantùm manifeſtabatur; Vocabulo igitur παρασημῶς ſignanter uſus eſt Apoſtolus, Heb. 9. 8.) non Sibimet, ſed Nobis ſolùm, etiam antè Adſcenſum, in Cruce aperuerat, Ἐνεκαίνισεν ἡμῖν, (ait expreſsè, *Nobis*, non, *Sibi*;) ὁδὸν πρόσφατον, καὶ ζῶσαν, διὰ τοῦ καταπετάσματος, τοῦτέστι, τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, Heb. 10. 20. Quid potuit ergò diſertiùs dici? Nam & Veli Patefactio illa, & Carnis Ejus Diſcifio, in Cruce ei obtigerunt, Eáque jam tum erant Nobis noſtræ in Cœlos Viæ ἐγκαίνια, Propter quod Via non πρόσφατος ſolùm ea dicitur, Quia calebat adhuc Sanguis Ejus, Hoſtiáque recèns tum mactata erat, ſed & ζῶσα etiam, Quia cœperat fundi, Patríque pariter offerebatur, dum ipſe adhuc in vivis erat, in noſtram Redemtionem. Jámque deſinimus; Unico enim verbulo Chariſſimum Caput compellâſſe, ſatis eſt.

Sect. LXXV.

1. *Externum opus erat* Κατατομὴ, *internum, & in Spiritu* Περιτομή.
2. *Cavenda & nunc* κατατομὴ *eſt, propter Socininos, non Caſos quidem, ſed Caſores etiam Dei ſui. Præcidunt Chriſto Naturam, Tempora, Munera.*
3. Ὅσιος, Ἄναγκος, Ἀμίαντος, Κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *non Re, ſed Ratione tantùm differunt.* Χωρὶς ἁμαρτίας. *Chriſtus obtulit in Cruce; Interedit jam in Cœlo.*

DUM Circumciſio paſſim ageret inter Chriſtianos, quà in Judæis ad Fidem Chriſti converſis, quà in Judæis non credentibus, ſed miſtim cum populo Fideli converſantibus, Summi momenti erat ad rem Religionis, acerrimæque Reprehenſionis nota, Diſtinctio illa Pauli inter περιτομὴν, atque κατατομήν· ex qua profluxit Monitum illud ad Philippenſes, Βλέπετε τὴν κατατομήν· Ἡμεῖς γάρ ἐσμεν ἡ περιτομὴ, Phil. 3. 2. Significabat enim Apoſtolus Typici illius operis partem Exteriorem, quæ in Carne ſolùm agebatur, ex Chriſti jam acceſſu meram Cutis cæſionem prorſus factam fuiſſe, (Ad hoc enim tendit κατατομή· Præpoſitione eâ, ut ſæpe in Compoſitis fit, ſenſum vocabuli in ſequiorem partem trahente;) Nihil igitur emolumenti cuiquam, nihil Sanctitatis, Honoris, Prærogativæ, Secum tum ferre; Nihil magis valere, nihil homini prodeſſe ampliùs, quàm ſi jumentorum alicui conferatur; Decus autem omne, Pretiúmque, & Meritum

Meritum Circumcisionis in interiore solùm opere situm esse; vel maximè igitur sine Circumcisione Carnis consistere; In Corde enim, Spiritúque, Rom. 2. 29, Ità ut in Christo solo gloriandum iis esset, absciss̃à omni, abjectâque in carne confidentiâ, Phil. 3. 3. Jam verò, postquam ex justo Dei in Gentem eam judicio, non Circumcisio solùm, sed & Judaismus omnis, vel sublatus ex oculis Christianorum est, vel communi omnium odio impetitus, pessundatúsque, ità ut metui ab illis Canibus (Apostoli vocabulum ibidem est,) nihil possit, videtur prorsus cessare Adhortatio ista Apostolica, deleríque è Codicibus Sacris sine damno posse Monitum hoc omne De cavendo τῶν κατατομῶν.

2. Precor tamen, ut & ipsa verba stent, & Cautio ut augeatur. Exorta enim (Quod nemo speraverit,) non ità pridem inter Christianos est novitia Secta, Judaicâ omni tetrior, & periculo plenior, Veræ enim Religioni, ex Canina sua, adulatione intra plebem, latratione contra Christum, longè inimicitior, Titulúmque hunc τῆς κατατομῆς, è facultate sua, quâ pollent, Scissoria, sic promerita, ut Concisio hæc, quâ de Apostolus, nihil ad eos. Hii autem cur Barjesuitæ à me, ex quo in Antesignanum eorum (Sed in Unum eum, Solúmque omnium,) Catechistam Racovianum inciderim, dici jamdiu cœperint, nihil opus est nunc iterare: Concisionis autem stigmate ut inurantur à Christianis, multò magis mereri eos perspicio, quàm ut à Paulo Popularium suorum Pars ea. Quantilla enim erat Cæsio illa, quam Judæi, quum infantes essent, patiebantur, & quàm ignobili in particula Sui, ut Denominatio tamen Virorum indè traheretur? Verùm Alia longè hæc Res Socinina est, In qua nunc agitur, non Quid ipsi patiantur, Cæsíque sint, sed Quid moliantur, atque Cæsores sint, Nec Quia ferant, sed Quia inferant τὴν κατατομὴν, habentur digni, ut & Titulo eo insigniantur. Inferant autem? Cui? Ipsi Deo suo Divini hii Cæsores. Nam & Christus eorum ut Deus sit, non reclamitant, modò sit (ex Prophetæ phrasi) *Deus cæsus*, מכה אלהים, Esa. 53. 4, *Deus ab iis præcisus*. Præciderunt enim ei Naturam suam Divinam, atque non ex natura sua Deum esse, Qui Deum tamen esse sinent, Cat. Rac. pag. 48. Præciderunt etiam & Tempora Homini huic, quem Deum faciunt. Neque enim Filium Dei eum esse permittunt, nisi à conceptione in utero Virginis, Cat. Rac. ibid; Neque è Filio dein factum esse Deum, nisi post 34 Annorum moram, postquam scilicet ex mortuis resuscitatus est, Cat. Rac. pag. 225. Simili quoque artificio & Munera Ejus, Regium atque Sacerdotale, præciderunt, Utrumque habeat contenti, (quia Boni sunt;) Sed neutrum, nisi præstituto à Seipsis Modo, per Figuratam locutionem, Cat. Rac. pag. 285, Temporéque, postquam in Cœlos adscenderat, C. R. pag. 275. Annon igitur habemus, propter Quos monitio Apostoli redintegranda nunc est ad Ecclesiam Christi, nè vacare putetur post excisionem Judæorum? Βλέπετε τοὺς κύνας· βλέπετε τοὺς κακοὺς ἐργάτας· βλέπετε τὴν κατατομήν.

3. Rationes autem, quas Dogmatibus hiis obtendunt, jam alibi à me disploſæ sunt. Haut memini tamen, (Et Cartulæ fugerunt;) ánnon me hactenus fugerit, Quò Sacerdotale Christi Munus solis Cœlis addicere possint, Apostoli illud arripere eos, *Talis enim nos decebat Pontifex, Sanctus, Innocens, Impollutus, Segregatus à Peccatoribus, & Excelsior Cœlis factus*, Heb. 7. 26. At, Quid indè? Ergò, *Necesse erat*, (aiunt,) *ut in Cœlos profectus Sacerdotali Munere fungeretur*, Cat. Rac. pag. 290. Nec falluntur quidem, *Necesse erat*. At hæc nunc non est Quæstio: Sed, An necesse fuerit, ut in Cœlos hinc proficisceretur, antequam Munere eo fungi cœperit? Hoc autem ex iis verbis omnino non sequetur. Jam fieri quidem potest, ut, Qui cum Catechista sentiunt, non aliter accipiant istud, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, quàm pro Locali Christi secessu ab hominum Conversatione. Eum verò esse genuinum Verborum sensum non possum persuadere mihi. Nam & Corpoream eam Separationem Christus fortitus est, per Dies illos Quadraginta, quos in eremo egit, pérque totidem alteros, quos à Resurrectione egit, visus à nemine, præter Discipulos. Nihil igitur aliud mihi heic est, κεχωρισμένος ἀπ' ἁμαρτωλῶν, quàm quod antè de Christo ipse dixerat, χωρὶς ἁμαρτίας, Heb. 4. 15, Datúmque hoc duco admirabili Conditioni naturæ Ejus, ut Quatuor Vocabulis, Ratione magìs, quàm Re differentibus, ὅσιος· ἄκακος· ἀμίαντος· κεχωρισμένος ἀπ' ἁμαρτωλῶν· idem omnino de Eo diceretur. Ut ut verò istud fuerit, nulla tamen necessitas in verbis hiis est, Sacerdos Christus nè foret, donec in Cœlos redierat. Cui enim Sacerdotale Munus in ipsa Naturarum Unione datum est, hoc Ille, quà ad Oblationem pro peccatis, in Cruce, ἐφάπαξ, id est, *unicâ eâ in æternum vice*, ver. 27, perimplevit; Quà verò ad Intercessionem suam, ver. 25, Ubi acquierat in terris æternam Redemtionem, Heb. 9. 22, Ecclesiæque suæ fundamentum hoc jecerat, in Cœlos se contulit. Catechista igitur quod porrò sophisticatur, De necessitate æterni, & immortalis Tabernaculi, Quia talis est Sacerdos ipse, & Ejus Sacrificium, Cat. Rac. pag. 290, puerilis Captio est, & solutione nostrâ nihil indiget.

Sect. LXXVI.

1. Abram *factus* Abraham. εἰς τὸ γένεσθαι Πατέρα πολλῶν. Κατέναντι ἧς.
2. Γενέσθαι. Pater videns Multitudinem, *non denotat in Facto Patrem Multarum Gentium, sed in Futuro. Prophetæ* Videns. *Erat ergò Christus, antequam Abrahamus erat Centenarius.*

CUM Deus Abramo diceret, *Sic erit Semen tuum*, Gen. 15. 5, (Instar Stellarum scilicet, quas numerare non poterat;) *Credidit Abram Domino, & imputatum est ei ad justitiam*, Rom. 4. 3. Credendo igitur Abramus vel tum, licèt Pater adhuc non erat, Fidelium omnium Pater factus est, Utì & à Paulo infertur, Gal. 3. 6, & à Jacobo, 2. 23. At verò Viginti ferè anni intercalati sunt, antequam factus est ipse ex *Abramo*, unâ syllabâ auctior, *Abrahamus*, *Patérque multarum Gentium*, Gen. 17. 5. Quid igitur est illud, quod de eo audimus ex Paulo, ὅπως ἂν εἰς τὸ γένεσθαι αὐτὸν Πατέρα πολλῶν ἐθνῶν, κατὰ τὸ εἰρημένον, Οὕτως ἔσται τὸ σπέρμα σου, Rom. 4. 18. Duobus enim diversis Temporibus in hac sententia coadunatis, tribuítne Particulæ ei εἰς, Caussativam (ut ver. 16. factum est,) Significationem? *Credidit, quò fieri posset Pater multarum Gentium.* An solùm Consecutivam? *Credidit, sic ut factus sit Pater Gentium.* An certè neutram harum, sed pro Adverbio Temporis ibi ponitur, & per Trajectionem exponendum est? *Donec fieret Pater multarum Gentium, credidit, secundùm id quod dictum fuerat, Sic erit Semen tuum.* Quo in sensu reddi à Nobis postulabit, Sic, Who beyond hope in hope beleeved, Untill he was made the Father of many Nations, according to what had bin said, So shall thy Seed be. Ego verò nihil præfinio; Ex hiis Tribus, utram velint, Eruditi eligant. Quicquid verò statuerint, clarissimè paret, Cùm Nomen ei crevit, atque ex Abramo Abrahamus factus est, jam tum creviſſe ei & subolem Credentium, juxtáque Phrasin illam, (insolentem quidem, sed perelegantem) à Paulo hâc ipsâ in Re usurpatam, κατέναντι ᾧ ἐπίστευσε Θεοῦ, ver. 17, nostrum

ſtrûm omnium Patrem eum tum factum fuiſſe. Ex quo quidem reſpectu, verba ejus antecedentia ità interpungenda eſſe, legendáque, parùm dubito, εἰς τὸ τὴν βεβαίαν τὴν ἐπαγγελίαν παντὶ τῷ σπέρματι (οὐ τῷ ἐκ τοῦ Νόμου μόνον, ἀλλὰ καὶ τῷ ἐκ Πίστεως,) Ἀβραάμ, ὅς ἐστι Πατὴρ πάντων ἡμῶν, ver. 16. Quæ à Nobis reddi expediet, ſic, That the Promiſe might be ſure unto all the Seed (Not to that alone which is of the Law, but alſo to that which is of Faith,) of Abraham, Who is the Father of us all.

2. Non ferre autem, ut ſic inferatur, mirabilem Catechiſtam à Moſcorow, memor memini; Cujus cavilla de Verbo eo γενέσθαι, è ver. 18, nunc laudato, (Quod ille in Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, Joan. 1. 14, Nè indè probetur Divina Natura in Chriſto, non aliud eſſe ſinet, quàm *Fuit*, non igitur dici, *Verbum Caro factum eſt*, Sed tantùm *Sermo fuit Caro*, Cat. Rac. pag. 90; Sed versâ tamen pelle, in πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγὼ εἰμί, Joan. 8. 54, Nè indè probetur Æternitas Chriſti, non ſinet aliud eſſe, quàm *Fiat*, non igitur dici, *Priuſquam Abraham fuit, Ego ſum*, ſed tantùm *Priuſquam Abraham fiat, Ego ſum*, Cat. Rac. pag. 53.) Quia jam priùs, illis in Locis, exagitata à me ſunt, ut cramben nunc obtrudo nemini. Præſentem verò Locum ut eventilare poſſim, conceſſo pauliſper, (ſed non dato tamen) ità illud ſumendum eſſe, *Priuſquam Abraham fiat, Ego ſum*, quæro, Quid indè colligat? Ergò, *Nihil* (ait) *faciet Dictum illud ad Æternitatem Chriſti.* Quidni verò? *Quia Abraham unius tantùm Gentis ante Chriſtum Pater erat, & tantùm in Chriſto, (hoc eſt, poſt natum Chriſtum) Dei gratia, in Eo manifeſtata, in Gentes redundavit, ut eorum Pater eſſet*, Cat. Rac. pag. 55. Nullus ergò negabit, Chriſtum eſſe, priuſquam iſtud fieret, Quoniam per gratiam, manifeſtatam in Chriſto, fiebat, ſed nulla (ait) Chriſti Æternitas indè deducitur. Atque hæc certè fraudis Socininæ hâc in parte κορυφὴ eſt. Conceſſo igitur jam, verum eſſe, quod ait, Abrahamus non eſt factus Pater Gentium, (hoc eſt, in facto non ſic extitit, quia Gentes nondum acceſſerant ad Deum) niſi per Fidem Chriſti manifeſtati in carne, Uſque tamen urgeo eum, *In facto non extitiſſe ſic*, Quid eſt hoc, ad *Priuſquam Abrahamus fuit?* imò, Quid ad *Priuſquam Abrahamus factus eſt?* Reſpondet ille, *E notatione Nominis deprehendi poteſt: Conſtat enim inter omnes, Abrahamum notare Patrem multarum Gentium*, Cat. Rac. pag. 54.

3. Et ſuo quidem modo conſtat hoc, & pura puta tamen hæc fallacia eſt. Vidimus enim modò, ut & ipſi Paulo hoc conſtiterit, quòd ipſe aiat, γέγονα αὐτὸν Πατέρα πολλῶν Ἐθνῶν· Paulus enim, quod meminiſſe nos ſemper oportet, poſt Chriſtum vixit, vidítque Gentium acceſſum ad Fidem Chriſti. Iſta igitur, Notatio Hominis utcunque tum, ſub Paulo, erat, Notatio tamen Nominis ejus ab initio non erat. Nominis enim ejus, quo ex *Abram*, quod eſt *Pater Excelſus*, à Deo ipſo accepit, ut vocaretur *Abraham*, notatio eſt, *Pater videns Multitudinem*, factúſque eſt Abrahamus, *Pater videns Multitudinem*, Anno Ætatis ſuæ 99, Gen. 17. 1. Vidit enim tum, quod poſt multa ſecula futurum erat, Atque indè tulit Nominis ſui Ampliationem; Non quòd ità tum in facto erat, Ab eo enim tam longè tum aberat, Ut nec unius Credentis, nec Unius Hominis, tum Pater erat, cùm tamen Abrahamus factus eſt, Quia tum videbat, (non Quia tum habebat,) multitudinem Filiorum, non è gente ſua ſolùm, ſed etiam è Gentibus. Vidit autem Propheticè: Et Prophetica Viſio, Spiritualis cùm ſit, Cœlóque demiſſa, eſt & certiſſima, & Diviniſſima, præſentiſſimáque in Hominibus Viſio: Unde Prophetæ omnes olim amabant dici *Videntes*, 1 Sam. 9. 9, vel ipſe Balaamus quidem, Num. 24. 4. Adſumamus igitur nunc, Chriſtus eſt, priuſquam Abrahamus Centenarius eſt; vel, (quò Nominis ejus Notatio nè deſit,) Priuſquam factus eſt *Pater videns multitudinem*. Atque ubi nunc eſt, quem huc ſecuti ſumus, Chriſtomaſtix Catechiſta, cum ſuis Captiunculis, & Notatiunculis?

SECT. LXXVII.

1. Ὅπου ἦν, *nuſquam in N. T. uſurpatur, pro* Ubi fuerat, *quin Rem notabilem deſignet. Chriſtum verè fuiſſe in Cœlo, antequam prædicaret, fateri coactus Barjeſuita, Non auſus eſt dicere, Quo tempore.*

2. *In Chriſto eadem ſunt*, Deſcendere de Cœlo, Natum eſſe, in Mundum venire.

QUando Adverbium ὅπου præfigitur Verbo Subſtantivo ἦν in Præterito Imperfecto, & ſignificante *erat*, ſive de Perſonis ibi agatur, ut Mar. 2. 4. Joan. 11. 32. Act. 2. 2; ſive de Rebus, ut Joan. 18. 1. Act. 17. 1; merè illud narratur, de quo tum ſermo eſt, ſed ſpeciale nihil præterea in eo intenditur. At aliter ſe habet, ubi in Aoriſto ſumitur, & ſignificat, *fuerat*; Quoties enim ità occurrit, rem aliquam memorabilem, Notæque inſignis, unà in ſe complectitur. Exempla autem non pauca ſunt, quibus hoc probari poteſt. Ità enim Chriſtus ſubduxiſſe ſe ab inimicis dicitur, ínque eum locum ſeceſſiſſe, ὅπου ἦν Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων, Joan. 10. 40: Hoc autem intelligendum eſt, *ubi fuerat* Baptiſta, tum cùm non Populus ſolùm omnis, ſed & Chriſtus ipſe Baptiſmate initiatus ab eo eſt, Luc. 3. 21. & Joan. 1. 20. Pari etiam modo Bethlemum deſcribi videmus, ἀπὸ Βεθλεὲμ τῆς Κώμης, ὅπου ἦν Δαυὶδ· Joan. 7. 42. *Quid? Ubi fuerat David?* Ubi verò, per univerſam Judæam, David non fuerat? Sed nunc ex hoc, tum Originis Davidicæ, tum Domicilii quoque, & Diatribæ, cùm ad Regnum primò inungeretur, 1 Sam. 16. 4, manifeſta denotatio infertur. Sed & Bethania non abſimili aſteriſco illuſtratur, ὅπου ἦν Λάζαρος, Joan. 12. 1, Senſus enim eſt, In qua Lazarus ὁ θαυμάσιος, Vitam non Unam ſolùm, (ibi enim editus fuerat, Joan. 11. 1,) ſed & Alteram, (ibi enim è Sepulcro poſt triduum excitatus, ver. 44,) acceperat. Nihil denique ab iſtis abludit, quod Dominus ipſe de Se Judæos admonuit, *Adſcenſurum Se brevi*, ὅπου ἦν τὸ πρότερον, Joan. 6. 62, Quod myſterio magno non carere, jam antè monſtravimus. Sunt autem tot, atque tam clara Teſtimonia, vel è ſolo Joanne colligenda, (Nam quòd ſoli Joanni debeamus Locutionis hujus elegantias, ὦ παρέργῳ nunc omittendum non eſt;) Chriſtum, antequam prædicaret in terris, in Cœlis fuiſſe, *Ut Propriè ea accipi debere*, & non per figuram aliquam, Barjeſuita (velit, nolit,) cogatur *perlibenter admittere*, Cat. Rac. pag. 114. Sed tamen ut Divinam à Chriſto Naturam excludere poſſit, neque Eum ibi præſentem ab æterno admittere, *Poſt nativitatem Chriſti illud extitiſſe*, cavillatur, Cat. Rac. pag. 115.

2. Quid ità verò? Quoniam Pilato Ipſe ſic reſpondit, *Ad hoc*, (Hoc eſt, ad Regnum) *ego natus ſum, atque ad hoc veni in mundum, ut Teſtimonium perhibeam Veritati*, Joan. 18. 37. Rectiſſimé. Et Quid hinc? Natus igitur eſt primò, & poſtilla in mundum venit, ſiqua Nobili Catechiſtæ fides. Verùm explosis hiis crepundiis, manifeſtum eſſe dicimus, Chriſtum in eo Reſponſo, De ordine Nativitatis ſuæ in hoc mundo, Præſentiæque in Cœlis ſuæ, haut intendiſſe quicquam dicere neque earum inter ſe tempora diſtinguere; Sed cùm Pilati Quæſtio erat de Regno Ejus, directè ad id primò reſpondere, Natum Se ad Regnum eſſe; addere verò, non ad Regale Munus ſolùm, ſed ad Propheticum etiam, & Sacerdotale, (Duo enim hæc comprehenduntur ſub ea Phraſi, *Teſtimonium perhibendi Veritati.*) Se in mundum tum veniſſe. Jam varia quidem utcunque hæc Phraſis ſit, eodem tamen ſignificatu gaudere, quo *Natum*

tum esse, adserimus, Quia *Venire in Mundum*, & *Nasci* non ex usu solùm communi, sed & ex ipsius Joannis, eadem esse, paret ex eo dicto, *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, Joan. 1.9, eâque de ratione, ipse utramque Phrasin in unam pòst conjunxit, *Natus est homo in Mundum*, Joan. 16. 20. Non quòd nesciamus tamen, *Venire in Mundum*, aliam quoque apud Joannem significationem habere, & huic Loco non impropriam. Quam enim illam? Non *Descendendi de Cœlo*; Christo enim *Descendere de Cœlo*, & *Nasci*, unum, idémque erat; Sed, Ubi tempus suum venerat, Prodeundi in publicum, & Exhibendi Se hominibus, Prædicandíque iis passim, quæ ex Patre annuntianda habebat: Sub quo quidem prætextu & Pseudoprophetæ in Mundum prodiisse dicuntur, 1 Joan. 4. 1, Qui nec ipsi tamen ausi sunt, propter hoc Cœlis se adserere. Nos verò jam (nè actum fortean agamus,) expectamus, donec ab aliquo ex ista hara, (Quia Racoviano huic minùs succesit; alium autem adhuc neminem ex iis videre contigit,) adsignentur Christo Tempora, Modíque Profectionis suæ, (quam ipsi volunt, Cunas inter, atque Baptismum Ejus;) in Cœlos, Reditúsque indè; Tum demum monstrare parati, quàm perditè ipsi abeant à mente Domini, quâ beamur à Joanne in eximiis hiis verbis ejus, *Adscendendi, ubi fuerat priùs.*

Sect. LXXVIII.

1. *In Textu Sacro nihil fortuitum. Articuli Ratio, seu additi seu omissi, difficilis est. Est ubi Syntaxi soli datur. Johannis ἵνα est, idem Adfirmativè, & Negativè urgere.*
2. Incarnationis *Vox*. Venire In Carnem, & In Carne, *ut differant. Hypostatica Unio peracta est in Primo Conceptu Christi.*
3. Ἐληλυθέναι. *Priùs venient. Participia posita loco Infinitivorum suorum, verti debent, Quod sunt.*
4. Ὁμολογεῖ *regit Casum tertium Personæ; Ubi habet quantum, ibi subauditur. Confiteri, est Laudes, Gratíasq; persolvere.* In Carne venire, *Quanta exinanitio Christi!*
5. Caro *quid interdum significat. Ex Deo est, Qui rectam de Christo fidem docet.*
6. *Solvere Textum de Jesu, Annon est Solvere Jesum? Jesum Christum in Carne venisse, Aliud est, Quàm Jesum in Carne fuisse Christum.*
7. *Judæi, Ecclesiæ Primi Hostes, negabant Jesum esse Messiam. Ut illa ἀποχοία Ecclesia profuit! Ut Probatio Spirituum fiebat per hoc, Jesum Christum in Carne venisse!*
8. *Cerinthus & Ebion Christum Dei Filium illapsum fuisse in baptismo in Hominem Jesum aiebant. Ebionis melior fides quàm Barjesuitæ est. Per hunc Hæretici omnes ex Deo sunt, etiam Qui per Joannem sunt ex Antichristo.*

OBservâsse Te, ô Care, ais, Joannem in Epistolis frequentem Ἰησοῦ Χριστοῦ mentionem facere, Sed unico solùm in Loco præponere Articulum, atque τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν dicere, ídque ibi, ubi planè repetit id, quod sine Articulo proximè dixerat. Præmisso enim Adfirmativè, Πᾶν πνεῦμα, ὃ ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστι, 1 Joan. 4.2, subjungens iterat, negátque, καὶ πᾶν πνεῦμα, ὃ μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔστι, ver. 3. Addis autem, etiam & Negativum hoc ab ipso alterâ in Epistola positum ἀνάρθρως esse, οἱ μὴ ὁμολογοῦντες Ἰησοῦν Χριστὸν ἐρχόμενον ἐν σαρκί, 2 Joan. 7. Quæris igitur à me, Quid Tibi censendum sit? An casu Articulum hunc ibi loci intercidisse, An rationem aliquam reddi posse, cur sic legatur? Absit verò, ô Bone, ut casùs cujusquam opinionem imbibas. Textus enim Sacri longè Diviniores sunt, quàm ut fortuiti quicquam, vel in apice aliquo, secum apportent. Vitiari quidem ab hominibus, non uno modo, possunt, soléntque: Verùm in Se, atque ut ab hominibus Dei, S. Spiritu actis, prodiere, nihil habent, nè ἰῶτα ἓν, quod ratione suâ careat, modò Nobis idem SSpiritus πφωτοδίδυκτος τοῦ ἁφθόμυς ἡμῖν largiri dignabitur. De Græcis autem Articulis, (sive additis, sive non additis,) in universo genere differere, neque præsentis instituti, neque opis quidem nostræ, in Anachoresi hac, est: Sed Loci, quem laudâsti, non obscuram rationem facilè reddo tibi, éámque ex iisdem verbis eductam, è quibus depromta à Te hæc Exceptio est. Nam, quia antè dixerat, ὁμολογεῖ Ἰησοῦν Χριστὸν, ver. 2, mirum tibi videtur, subjungi ab eo, μὴ ὁμολογεῖ τὸν Ἰησοῦν Χριστὸν, ver. 3, Cùm illa tamen vera, soláque Ratio sit, cur sic ibi subjunxerit; Quia enim Ἰησοῦν Χριστὸν antè dixerat, Articulum τὸν ex eo intuitu, (Neque heic quidem daturus, aliter si fuisset,) Syntaxi soli dat, atque emphaseως causâ dicit τὸν Ἰησοῦν, id est, *Hunc Ipsum*; Eundem, quem jam dixerat, scilicet. Silentio autem nunc, & sine Nota sua, præteriri non oportet φλαν λέξιν hujus Apostoli, subinde soliti, Quò, quæ dicit, infigere altiùs possit in animos Auditorum, Modum sibi mutare eorundem verborum, atque priorem sententiam suam ex altera, eidem contraria, perurgere; Indè igitur sunt ista, *Confessus hoc, ex Deo est*, &, *Non confessus hoc, ex Deo non est.*

2. Verùm nunc non dimitto Te, nisi de altera quoque Phrasi heic, longè plus ponderis in Se habente, Ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, nonnulla à me admonitum. Una enim ex illis hæc est, per quam Sacer Catechista, (ipse Divinam in Christo Naturam ejuratus,) fatetur, Ecclesiam Dei *demonstrare conari, Christum Incarnatum fuisse*, Cat. Rac. pag. 90, hoc est, Naturam Humanam à Divina adsumtam esse; Et suâ igitur interesse ratus est, telo huic nostro fraudium suarum (si possit,) clypeo occurrere, támque fatalis Sibi argumenti aciem aliquâ retundere. Facit autem hoc, per geminum Cavillum; Quorum Primum, nisi quòd frontem de Rebus Racovianis jampridem periisse, nunquam non indicandum ab eo erat, à sobrio nemine vel proferri quidem poterat. Interrogatus enim, (sed à Seipso;) Quomodo respondeat ad hoc Testimonium, *Jesum Christum in Carne venisse*, sic reponit, *In eo Testimonio nihil*, (Satin' hoc? Sed, pro sua liberalitate, ampliat ille;) *nihil prorsus de Incarnatione, (quam vocant,) habetur*, Cat. Rac. pag. 97. *Quam vocant*, verò? Sed danda est hæc venia; tam stolido enim, infirmóque stomacho delicatulus Polonus est, ut ad solidiora ista Vocabula, *Incarnationem*, nisi (toties, quoties,) de suo *Quam vocant*, atque *Incarnatum esse*, continuò, *ut loquuntur*, infunderet, turpiter nauseáret! Habeat igitur suas ineptias; atque nunc Rationem reddat tam peremtoriæ inficiationis suæ. Ea autem est, *Etenim quod apud Quosdam legitur*, Venit in Carnem, *in Græco habetur*, In Carne venit, Cat. Rac. pag. 97. Quo Quid insulsius igitur, putidiúsve? Qui enim jussus non est, (Nè à Seipso quidem,) respondere ad *Venit in Carnem*, Quorsum sic interturbat? Quem ad finem nugatur, & ad non Objecta abit, extráque lineas, à Seipso positas, tam cæcè ruit? Adserimus autem Nos, Multò plus τῆς χνειολογίας habere, dicere, *Venisse in Carne*, quàm, *Venisse in Carnem*. Præter enim Authoritatem Sacri Textûs, Ἐν σαρκὶ legentis, & Ratio ipsa, sanúsque Intellectus ei astipulantur; Quia si *In Carnem venisse* dicatur, Subjectum istud *Caro* supponitur priùs existere, atque præparatum anteà esse, Eodem in sensu, quo Christus dixit, *Se in Mundum hunc venisse, In Cœlos adscendere.* At verò in Hypostatica Naturarum unione aliter se Res ista habuit; Virtus enim Divina, eodem momento, quo Naturæ Humanæ Primordia hæc in utero B. Virginis excitavit, adsumsit eadem etiam ad Naturam suam Divinam, sibíque adunavit: Quamobrem Ἐν hoc, non est εἰς, sed potiùs σὺν, Christúsque, non omnino *In Carnem*, sed meritò *In*

Carne veniſſe dicendus eſt. Eat igitur, quò dignus eſt, Barjeſuita cum primis hiis offuciis ſuis, obtorto nimiùm collo huc, neque alio conſilio, introductis, quàm ut pellici per hanc impoſturam ſiquos contingat ad legendum, *Veniſſe in Carnem*, eò faciliùs à Socinulis labefactari poſſit ea Sententia.

3. Satíſque ipſe perſenſit ſpurcitiem ſuam, Qui Naſi ſatis, licèt Frontis nihil, habet; Sine mora igitur elabitur ad Secundam Rationem ſuam. *Præterea, Non ſcribit Joannes, Quòd* ſpiritus, qui confitetur, quòd Jeſus Chriſtus in Carne venerit, ex Deo eſt: *Verùm, Quod is* ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum, Qui in Carne venit, ex Deo eſt, C. R. p. 97. Quæſtiunculas igitur novas, quò turbatiores reddat has aquas, nunc movet ſubtilis magiſter; Primam, An Apoſtolus dixerit, *Confiteri Jeſum Chriſtum*, an verò *Confiteri hoc de Jeſu Chriſto*. Alteram, An dixerit, *Quòd venit in Carne*, an verò, *Qui venit in Carne*. Atque *illud non ſcribit, ſed ſcribit hoc*, pro futili ſuo more, ſatìs Magiſterialiter ait, cùm reverâ à Joanne neutrum expreſsè ſcriptum ſit. Nam Participium ἐληλυθότα, neque eſt, *Quòd venit*, neque *Qui venit*, ſed, *jam priùs Venientem*, atque ità vertendum eſt, Quia deeſt Latinis Participium illud in Præterito Tempore. Verùm Ille reponet, ſcio, Solere igitur Participia hæc à Latinis reddi per Verbum Indicativi Modi cum Relativo *Qui*. Sic enim τὸ γὰρ ἐν αὐτῇ γενηθὲν, vertitur, *Quod enim in Eanatum eſt*, Matth. 1.20, & Ποῦ ἐστὶν ὁ τεχθεὶς Βασιλεύς; redditur, *Ubi eſt, Qui natus eſt Rex?* Matth. 2. 2. Et ſolere quidem hoc genus Participia ſic verti, rectiſſimè iſtud dicitur, ibi præſertim, ubi Articulus præfixus Demonſtrativi vim ſecum apportat. Verùm æterna tamen, atque immobilis Regula hæc non eſt; Sed ſolere etiam, ex elegantia Græci Sermonis, antegreſſo verbo adjungi Participia loco Infinitivi ſui Modi; eáque propter non poſſe verum ſenſum eorum exprimi, niſi reddantur per Cauſſalem particulam *Quòd*, ibi præſertim, ubi Articulum præfixum non habent, per quem notentur ad Perſonam referri, Non minùs verum & hoc cùm ſit, Hoc in Socinino Doctore ſi ignorantiam nullam, majorem certè fraudem, indicabit, ipſiúſque *Non ſcribit*, ſummæ impudentiæ arguet. Exemplorum autem, ea ſi poſtulet, ſatim dabimus. Ità enim, εὑρέθη ἐν γαστρὶ ἔχουσα, eſt pro ἔχειν, Matth. 1. 18. & ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκούειν, pro ἀκούειν, Luc. 19. 48. & ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογοῦντα, pro εὐλογεῖν, Act. 3. 26. & οὐκ ἐπαυόμην νουθετῶν, pro νουθετεῖν, Act. 20. 31. & ἐπαύσαντο τύπτοντες, pro τύπτειν, Act. 21. 32. & μανθάνουσι περιερχόμεναι, pro περιέρχεσθαι, 1 Tim. 5. 13. & περίκεινται αἱ πλοῖαι ἀγόμεναι, pro περάγειν, ver. 24. & ἐπαύσαντο περιτεμνόμενοι, pro περιτέμνεσθαι, Heb. 10. 2. Sed & καθίσαται ἡ στείλασα ἢ φλογίζουσα, Articulū utcunq; habeat, eſt pro ὅτε στείλειν, ἢ φλογίζειν, Jac. 3. 6. & ἔγκλημα παρακαλῶν, ἢ διαμαρτυρᾶν, pro παρακαλεῖν ἢ διαμαρτυρεῖν, 1 Pet. 5. 12. Reperitur autem Participium Verbi Subſtantivi poſitum pro infinitivo ſuo εἶναι, Act. 7. 12, & 8. 23, & 17. 16, & 19. 35, & 24. 10, & 2 Cor. 8. 22, & Heb. 3. 2. Hoc ipſum denique Participium, quo de nunc agimus, in ἴδωσι Βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθῦιαν ἐν δυνάμει, eſt pro ἐληλυθέναι, Mar. 9. 1.

4. Siqua igitur realis, veríq; nominis Differentia extrui poſſit, inter *Confiteri, Jeſum Chriſtum in Carne veniſſe*, atq; *Confiteri Jeſum Chriſtum Qui in Carne venit*, abunde nunc indicatum eſt, cur non oportuerit Barjeſuitam De verſione Participii ἐληλυθότα tam ſtolidè ſe efferre, Præſertim cùm ex uſu hujus vocabuli fuerit, ubi illud intenditur, de quo ipſe nunc digladiatur, ut per Phraſin diſertiorem exprimatur, Legimus enim, οἱ ἦσαν ἐληλυθότες ἐκ κώμης, Luc. 5. 17, & ὃς ἐληλυθὼς προσκυνήσων, pro προσκυνῆσαι, Act. 8. 27. Addi etiam huc porrò oportet, ipſum Verbum ὁμολογεῖν, ubi ad Perſonas immediatè refertur, gaudere magìs Caſu Tertio, vel ex Se, ut ὁμολογεῖται τῷ ὀνόματι αὐτοῦ Heb. 13. 15, vel cum Præpoſitione, ut ὅστις ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ, id eſt, *De Me*, Matth. 10. 32, & Luc. 12. 8; In Caſu autem Quarto nuſquam De Perſonis enuntiari, niſi per ſubauditum Infiniti vum εἶναι, ut ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριστὸν· ſubauditur, αὐτὸν εἶναι Χριστὸν, Joan. 9. 22. & φανερὸς ἦν ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα, ſupplendum eſt, εἶναι. Atque ità ſe habet, ἐὰν ὁμολογήσῃς ἐν τῷ στόματί σου, Κύριον εἶναι Ἰησοῦν, Rom. 10. 9. Optandum igitur eſt, ut Tyri omnes hoc in Loco interpunctionem ferant proximè poſt ὁμολογεῖ, ut vel indè Lectori ſubolere poſſet, non tam juberi Se *confiteri Jeſum, Qui venit*, quàm *Confiteri de Jeſu, Quòd venerit*. Ad quem quidem ſenſum vocabuli Joannes ipſe mox apertè nobis præit; Ait enim, non ὃς ἂν ὁμολογήσῃ, Ἰησοῦν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ· Sed ſignanter, ὃς ἂν ὁμολογήσῃ, ὅτι Ἰησοῦς ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ver. 15, Pauliſque conſimilis Locutio eſt, πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται, ὅτι Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, Phil. 2. 11. Interpretamentum interea Barjeſuitæ (Quò ſentiat miſer, quàm fruſtrà ampullas has projecerit,) Nos jam, ſi quæ nunc diximus, hâc ex parte non obſtarent, nulli refugeremus. Habeat enim, quod tam cupidè vult, Legantur iſta, non ut vulgò, *Confiteri Jeſum Chriſtum in Carne veniſſe*, ſed prout ipſe contendit, *confiteri Jeſum Chriſtum, Qui in carne venit*, atque eò magis ex iſta Lectione urendus, ſecandúſque erit infelix Socinulus. Optimâ enim ratione inferetur, *Confiteri Eum, Qui venit*, non ſolùm eſſe, Laudes, Gratéſque Ei perſolvere, Quia venit in Carne, hoc eſt, Quoniam ità Se exinanire voluerit, Deus cùm eſſet, ut Carnem noſtram indueret Sibi; (Verbum enim Carnem fieri, id eſt, Deum fieri Hominem, συγκατάβασις erat infinitis paraſangis demiſſior, quàm factum Hominem, perfectiſſimus utcunque & beatiſſimus in Se erat, ad humanarum tamen Diminutionum poſtremiſſima deſcendere.) Verùm etiam, per datam divinitus fidem, eſt, Confidere in Eo, utcunque venerit in Carne, hoc eſt, quanquam eò Se ſubmiſerit, depreſſerítque, ut *Vermis factus videretur, & non Vir, Opprobrium Hominum, atque nullificamen populi*, Pſal. 22. 6.

5. At hæc cùm ità ſint, Quærin', Quorſum Catechiſta Exceptiones iſtas interpoſuerit? Dicam. Artis ſuæ erat, Ut in deſperata Cauſſa videri tamen Suis poſſet aliquid dicere contra Adventum Dei in Carne. Iſtud eſt Primum. Alterũ verò, Ut ex tali locutione, *confiteri Jeſum Chriſtũ, Qui venit in Carne*, relabi faciliùs poſſet ad cavillum illud (Vitæ, Fideíque ſuæ Scutum,) De ſignificatione *Carnis*, cujus par opportunitas nulla ei foret, ſi ſegeretur, *confiteri, quòd Jeſus Chriſtus in Carne venit*. Horum enim Verborum, *Qui in Carne venit*, ſenſum ille nullum alium eſſe vult, niſi *Jeſum ſine pompa Mundana*, (Quæ tamen Principaliſſima inter Carnis conditiones eſt;) *& ſummâ cum humilitate, contemtúque, Munus ſuum obiviſſe, & mortem denique ignominioſam oppetiiſſe*, C. R. p. 97. Nos autem Quid? Nè actum toties agere cogamur, breviter reponimus, Pro veriſſimis hæc omnia habenda eſſe; *SScripturas enim uſurpare Vocem Carnis in eo ſenſu*, C. R. p. 92. Veniſſe igitur Jeſum in Carne humili atq; Mortali, Hanc exteriorem ſpeciem illius, hanc ipſius naturam fuiſſe. Sed Quid tum? Quiſquis igitur hæc de Jeſu profeſſus fuerit, vel indè conſtabit, eum ex Deo eſſe? Apoſtolus enim ſic præit, *Qui confitetur, Jeſum Chriſtum in Carne veniſſe*, & Catechiſta ait, ſenſum ejus eſſe, *Confeſſus Jeſum Chriſtum, Qui in Carne humili, atque mortali venit*. Quod felix igitur, fauſtúmque, per Barjeſuitas, Pontio Pilato erit! Eſt enim, ubi ille in eum ſenſum ſucclamârit, *Ecce homo*, Joan. 19. 5. Sed & Caiaphas, & Herodes ipſe, imò & Herus eorum Diabolus, Catechiſtæ debebunt æternas has gratias: Nam & ipſi, Ut Sodales Socininis in Divina Gratia evadant, de Jeſu hæc omnia, quæ Barjeſuitæ, confitebuntur liberrimé. Hiſcine igitur genuinus Senſus Verborum horum eſt? Apageſis Impoſtor! A parte quidem aliqua ſenſûs iſta non excluduntur, Non enim à conditione Prædicati hujus Propoſitionis, *Jeſum Chriſtum veniſſe in Carne*; Verùm potiſſima ratio ſenſûs vertitur in conditione Subjecti, *Verbum factum eſſe Carnem*, Joan. 1. 14, & *Qui in forma Dei erat, formam Servi aſſumſiſſe*, Phil. 2. 8, & *Deum manifeſtatum fuiſſe in Carne*, 1 Tim. 3. 16, & *Qui nullatenus Angelos aſſumit, Semen Abrahæ aſſumere*, Heb. 2. 16. Quibus & hoc geminum

eſt,

est, *Jesum Christum venisse in Carne.* Jam è Propositionum istarum Subjectis ritè explicatis, & non è sola qualitate Prædicatorum, integer, Verúsque Locorum sensus expromendus est: Atque ille quidem alius esse non potest, quàm quo ringetur æternùm, rumpetúrque omnis Socinitas, Naturam scilicet Divinam in Persona Dei Filii, Naturam nostram Humanam, (Qualem eam cunque, demto Peccato.) sic adaptâsse Sibi, Ut è Sanctissima Matre Virgine Deus nasceretur Homo. Atque hinc jam specimen spectetur, ait Apostolus, An Doctores isti ex Deo sint, *Quisquis enim confessus fuerit, Jesum Christum in Carne venisse, ex Deo est:* Sed è contrà, *Quisquis est, Qui non, ex Deo non est*; imò, ut caveat jam capiti suo Barjesuita noster, *Antichristianum Spiritum habet*, ver. 3. *Impostórque καὶ ἐξοχὴν est, & ipse Antichristus*, 2 Joan. 7.

6. Ecquid mirum igitur nunc, si suâ interesse ratus fuerit, ut sensum aliquem commiscatur, quo videri possit capiti suo hoc fatum avertere? Frustrà autem Se futurum intelligebat, si satageret, confessionem istam, à Joanne requisitam, adversùs impura solùm Nicolaitarum, & Simonianorum, (Quæ ejus ævi Hæreses, Pestésque erant,) dogmata applicare. Nam & eorum Doctores *Jesum Christum in Carne venisse*, liberè satis professuri erant; In flagitiis autem suis paulò tectiùs se adhuc, (Quod Paulus perstrinxit, Eph. 5. 12.) gerere solebant. Quid facit igitur Catechista? Quòd Textûs istius Pars apud Veteres habitus est. Licèt enim Nos non aliter legamus hæc, quàm, *Qui confitetur, ex Deo est*; *Qui non confitetur, ex Deo non est*, Latinus V. tamen etiamnum legit partem hanc oppositam, sic, *& Qui solvit Jesum, ex Deo non est.* Catechista autem An solvat Jesum, ad id nunc non digredimur, Quia tam varios esse modos censent Solvendi Jesum quibus persequendis nunc non vacat. Sed quòd solvat Textum hunc de Jesu, Sole clarior res est; Quia ad sensum illum, quem in rem suam affectat, introducendum, solvit Subjectum hujus Propositionis. Propositio enim, ut communiter legitur, est, *Confiteri Jesum Christum in Carne venisse*; Ut ipse verba accipi vellet, est, *Confiteri Jesum Christum, Qui venit in Carne.* Jesus Christus igitur in alterutra Lectione, unus idémque Terminus Propositionis est. Sed Veterator hic, sub prætextu reddendi sensum verborum, Terminum hunc solvit, dividítque, & relicto nunc Jesu in Subjecto Propositionis, in Prædicato ejusdem considere Christum jubet. Sic enim Loci sensum sibi tandem efformat, *Confessus Jesum, Qui in tali Carne venit, esse Christum, & Populi Dei Regem, hic ex Deo est*, C. R. p. 97. At hæc jam longè alia Quæstio est, per incomparabilem fraudem, scelúsque, Textui huic obtrusa, Quasi verborum illius sensus hic esset, Quem ab Apostoli tamen scopo, mentéque toto cœlo abesse, faceréque in hoc argumento ad apertum non Socinitatis solùm, sed & Hæresem omnium aliarum, (siquas ipsa non libavit,) patrocinium, Ut nunc paucis commonstrem, cogit me Bipedum omnium nequissimi effrænata hæc prævaricatio.

7. De Proposito autem Apostoli modò monuimus: Videbat novis tum Hostibus Ecclesiam Dei infestari. Prima quidem incursio fuerat, Infidelium Judæorum, è Synedrii Consiliis, Jesum execrantium, (Anathema enim Illum dicebant, 1 Cor. 12. 3.) Christum igitur, hoc est, Messiam suum venisse, abnegantium. Sed, Christi beneficio, multùm deferbuerat Pestis istius Malum; Ex eo præsertim tempore, quo prænuntiata à Paulo, 2 Thes. 2. 3, Sancta illa ἀποστασία cœperat; Postquam enim Judæi, per protervias, atque blasphemias suas, coegerant Populum Fidelem res suas sibi habere, & non in Synagogis eorum, sed in Cœtibus sibi divisim institutis, Synaxes, & Symbola sua celebrare, neque ferre, Ut Sacrorum aliqua Communio inter obstinatam eam Gentem, & Christi fide imbutos ampliùs intercederet, multò minùs, quàm in principio contigerat, metuendum Ecclesiæ Christi ab illa contagione erat. Malum igitur illud, licèt intactum prorsus præterire Joanni nunc non visum est, non nisi posterioris tamen curæ sibi fecit, monitíque levioris, ut observare est, è cap. 4. v. 15, & cap. 5. v. 1, & 5. Verùm id quod primo summóque nisu aggreditur, est, Ut contra recentiorem nunc, atque Secundorum Hostium incursum Ecclesiæ Christi viam (cum Deo) communiat. Qui verò illi erant? Qui in Ecclesia quotidie versabantur, Baptismo insigniti, Nomenque Christi induti, veriverbio tamen Antichristi erant, cap. 2. v. 18, & Seductores tetérrimi, 2 Joan. 7. Contra hos igitur ut Se gerit? Quod eâ tum Ecclesiæ ætate, unicè potuit Fidelibus usui esse. Hortatus enim, Nè omni Spiritui credatur, cap. 4. v. 1, breviſſimam iis Regulam hanc præscribit per quam quisque Fidelis, (Quantò magis ipsa Ecclesia?) ex judicio Rationis suæ à SSpiritu illuminatæ, probare sibi posset, An hii, Qui pro Doctoribus Ecclesiæ Se obtrudebant, (Nôrat enim Apostolus, Quo veneno & ipsi corrupti, & alios corrupturi, erant; Contra ipsorum igitur noxam intenditur hæc probatio:) verè ex Deo eran. Jubeantur enim, (Publicè putà, atque in terminis, sine hypocrisi, aut hypocorismate,) Confiteri, *Jesum Christum venisse in Carne*, & probationis abunde tum foret. Si enim alacriter confitebantur, ex illa damnosa hara non erant; Si hæsitabant, aut renuebant, ex Deo non erant, sed agebant Antichristum. Ratio autem hujus locupletior erat, quàm ut à singulis facilè percipi posset. Quia *Jesum Christum* esse unum eundémque Propositionis hujus Terminum, hoc est, Eandem facere Personam, (*Christum*, quà Filius Dei erat, Matth. 16. 16, *Jesúm*que, quà Filius erat Mariæ, Mar. 6. 3;) paritérq; dici, *In carne venisse*, eodem scilicet momento, conceptúque, quo Jesum, etiam & Christum; In Carne autem vera, veréque Humana venisse, (Comprehendit enim in se hoc, id quod Barjesuitæ, per dolum, urgent, De Carne Humili, Spreta, Mortali; & multò plus:) Hæc jam arietabant universas illorum Temporum hæreses; Nulla earum erat, quæ non Shibboleth in hac Confessione offenderet, pravæ suæ conditionis præsentem indicem.

8. Czarkoviano igitur Cauponatori minùs placent Divinæ istæ Spirituum (hoc est, Opinionum, & Opinatorum) Probationes; Periculosæ enim novis Catechistis est plenum opus hoc aleæ. Igitur quod Domino Leguleius, id ille Joanni, *Magister, hæc dicens etiam Nobis contumeliam facis*, Luc. 11. 45: Dandáque jam hæc venia magno Polono est, Ut quicquid Joannes antè senserit, cogat eum de cætero sentire cum Moscorovio. Confitendum igitur esse, non, *Jesum Christum venisse in Carne*, sed, *Jesum, Qui in tam humili Carne venit, esse Christum:* Atque hoc, Qui non confessus fuerit, actum de eo erit, (id est, De Infideli quolibet Judæo:) Ex Deo ille non erit. Sed Cerinthus interea, & Ebion, (De quibus præcipuè, & de Discipulis eorum, Apostolus intelligebat se nunc dicere:) Boni Viri, Piíque, Barjesuitâ Diffinitore, atque ex Deo, Antichristi utcunque erant, erunt. Quid refert enim, si Jesum adserebant non fuisse Dei filium, si & Christum, Filium illum Dei, cum Jesu in carne non venisse, sed post Annos Triginta, in Baptismo Jesu, sub specie Columbæ, Christum illapsum in Jesum fuisse? Pro Fidelibus tamen se gerebant, & confitebantur, *Jesum illum fuisse Christum*, atque hoc Barjesuitæ nostro nunc sufficit, Cui fides quidem de Christo, si probè expendatur, paulò tardior est, pauperiórque & segnior, quàm ipsi Ebioni. Ebion enim passus, fassúsque est, Christum ipsum de Cœlo quidem, ídque in Baptismo ejus venisse, & consociâsse se cum homine Jesu; At Barjesuitam non obsecrabis, ut Dominum eum, Christúmque (Neque venisse talem de Cœlo, sed in terrena aliqua Officina factum esse Deum,) patiatur, nisi postquam resurrexerat; Non igitur *Jesum Christum venisse*, sed Jesum, ubi venerat, Christum factum fuisse, Hoc ipse sentit, atque hoc ipsi satis esse vult, ut ex Deo ipse sit, Confitetur enim *Jesum esse Christum.* Quantum verò ad partem alteram Propositionis, *In Carne venisse*, fraudi nunc non erit toti Docetarum familiæ, Carnem eam, non veram, sed phantasticam Christo attribuere, In qua, sub nomine Jesu, Passionem omnem suam, Mortémque & Resurrectionem graphicè mentitus est; Nam & hii confitebantur, quod confiteri docentur in Lituania, *Jesum hunc fuisse Christum.* Quid plura?

Nequid

Nequid detrimenti Sacra Socinitas capiat ex hoc Teſtimonio, *Qui non confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, non eſt ex Deo, ſed AntiChriſti ſpiritus eſt*, ità tandem transformavit illud infelix Mango, Magnus Socinitatis Hyperaſpiſta, *Qui confeſſus fuerit, Jeſum in humili ſua, mortalique conditione, fuiſſe Chriſtum, ex Deo eſt.* Ut & Sibi, & omnibus omnium ætatum Hæreticis ex hoc Teſtimonio jam bene ſit, Ex Deo enim ſunt omnes, ſiqua Fides Barjeſuitæ.

Sect. LXXIX.

1. *Quia Fratres, iique Filioli dicti, Carne conſtabant & Sanguine, ergò & Chriſtus.* Ὅθεν.
2. Adſumere Semen Abrahæ *à Paulo dictus in Tempore Præſente.* Ἐπιλαμβάνεται, *eſt Actus in Chriſto æternus, ſempérq; Præſens.*
3. Semen Abrahæ, *eſt idem, quod* Semen Mulieris, *de univerſo Genere Humano, præter Semen Serpentis. Divinæ in Chriſto Naturæ probatio eſt, poſt Bis Millenos ab Abrahamo Annos Semen ejus apprehendere.*

IN præliis ſuis Catechiſticis Czarkovianus utcunque παῖζ⊙ reverâ ſit, (Facit enim omnia ſolus, copiáſque, non ſuas ſolùm, ſed & Adverſarias, pro ſuo libitu, inſtruit, deſtruítque;) mirabile dictu eſt, quàm fruſtrà ſit, infelicitérque ei cedant non Argumenta ſolùm ſua, ſed & verba quidem. Divinam autem in Chriſto Naturam cùm repulerit, neceſſe habuit, adſumtionem Naturæ Humanæ ad Divinam, (Quæ à Latinis *Incarnatio*, propter Græcorum ἐνανθρώπησιν, & Σαρκωθῆναι, appellari, nec malè, ſolita eſt,) prorſus abnegare, eâque in parte ab Objectionum aliquot, (quas ipſe ſibi ſeligere voluit,) incurſu ſeſe, ut poterat, defendere. Inter alia igitur, in arenam producit illud Apoſtoli, *Neutiquam enim Angelos apprehendit, ſed Semen Abrahæ apprehendit*, Heb. 2. 16, Quæſitóque à Se, *Ut reſpondeat ad hoc Teſtimonium?* reponit, *In eo nè Similitudinem quidem* Incarnationis, *ut vocant, apparere*, C. R. p. 96. *Nè Similitudinem*, autem? Quàm futiliter! Nam Quid eſt ei *Similitudo Incarnationis?* Quòd ſi tam miſerè luſcioſus non fuiſſet, ut nec cominus objecta facilè intueri poſſit, abſtinuiſſet ab iſto Vocabulo, quoniam Textui ipſi, in quem nunc involavit, tam ῥητῶς reclamitat. Ità enim proximè ſubinfert Apoſtolus, Ὅθεν, id eſt, ex apprehenſione ſeminis Abrahæ, *debebat Chriſtus per omnia Similis fieri*, ver. 17. Euge verò! *Similitudinem nè ullâ ex parte*, ait Catechiſta; *Similitudinem per omnia*, ait SSpiritus. Utri horum jam credetis, belli Socinini? Quin etiam, (ut nec ſic effugiatis;) ad hanc Rem ipſam, quam *Incarnationem* Latini Patres dixerunt, Apoſtolum reſpicere monſtrabimus, cùm inferat, *per omnia ſimilis.* Similis enim, Quibus? τοῖς ἀδελφοῖς, ait: Fratréſque hii, v. 12, iidem ſunt cum illis, Quos παιδία *filiolos*, ſibi abs Deo datos, appellavit, ver. 13. De Filiolis autem illis iſtud præcipuè ab eo notatur, κεκοινωνηκέναι, ver. 14, id eſt, Naturam eorum, ex communi omnium conditione, conſtitiſſe Carne & Sanguine; Ideóque & Chriſtum ipſum Carnis & Sanguinis participem factum eſſe, ut eſſet per omnia Similis: Quod & non ſine emphaſi magna repetit, κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα, Heb. 4. 15; Et ſucclamare tamen audet Terræ Filius iſte, *Nè Similitudinem?*

2. Verùm Ratiunculis ſe non carere confidit, inficias ſuas ſatìs ſibi comprobantibus. Prima eſt, *Quoniam non dicit, Chriſtum adſumſiſſe, (Ut quidam reddunt, & vulgò eo ſenſu accipiunt,) ſed adſumere*, C. Rac. pag. 96. At Quorſum jam hoc miſerum, & Catechiſtâ iſto ſolo, (ſcuticâque) dignum, effugium? De Angelis non apprehenſis, Déque Semine Abrahæ apprehenſo, cùm & Apoſtolus dixerit, & ipſe priùs propoſuerit dicere, Cat. Rac. pag. 90, Quæ hæc protervia, quàm craſſa impoſtura eſt, culpare nunc, *Ut Quidam reddant, aut quo in ſenſu vulgò accipiant?* Sed perquam familiaris ei hæc techna eſt, ſolénſque ſuo more amat, ut aliquà diffugiat, vocabula variare. Cùm Seſquimille igitur, & Seſquicentum Anni abierint, ex quo Chriſtus Humanam Naturam adſumſerit, ut dicatur nunc Adſumere eam, ſperabat, hoc non poſſe non auriculas vulgares radere, faciléque perſuadere iis, nè putent, unquam ità dictum fuiſſe. Sed ſtolidum hoc è Polonia aucupium eſt. Præter enim communem in Temporibus Verborum, pro idiomate Hebraico, enallagen, (Ex qua, videmus ἐστὶ, Heb. 11. 13, & ὀφείγονται, ver. 16, de cum Abrahamo præteritis in Tempore Præſenti legi;) Manifeſta etiam Ratio ſubeſt cur in iſto Tempore dicantur hæc, *Angelos non adſumere, & Semen Abrahæ adſumere.* Reſpectus enim in eo habetur ad omne Tempus Præteritum, Senſúſque Loci eſt, Nunquam dictum eſſe, Chriſtum Angelos Adſumere, neque legi alicubi, Meſſiam alíus Naturæ quàm Humanæ participem fieri. Ecquid verò familiarius in N. T. eſt, quàm λέγει κύριος, de iis Rebus in Præſenti enuntiari, quæ olim à Deo ad Prophetas, ad Moſen, ad ipſum Adamum dictæ ſunt? Detur tamen nunc ex abundanti hoc omne, ad malaciſſandum (ſi fieri poſſit) tetricum Magiſtrum. Nam cùm Verbum Apoſtoli ſit, ἐπιλαμβάνεται, atque iſtud de Chriſto in Præſenti dicatur, Locutio eſt non Rationis ſolùm, ſed & Myſterii magni, Solatiíque dives. Erat enim, cùm Chriſtus, ex infinita Bonitate ſua erga Nos, fugitivam noſtram Naturam ſecutus acriter, non deſtitit, donec apprehenderet eam, atque hoc eſt, ἐπιλάβετο, Apprehenſam verò tanto cum affectu ad Se adſumſit, ut & Sibi indueret, facerétque ſuam, ἐπιλάβοιτο & hoc eſt; verùm, Quia ex eo tempore nunquam depoſuit eam, E Sepulcro enim Secum reduxit, atque in Cœlos mox evexit, ibíque coram Angelis omnibus, æternùm geſtat, ſuſtinétque, & Deo Patri in eadem adſidet, Meritò igitur iſtud, ut Actuum omnium priorum & Finis, & Complementum, ſemper eſt in Actu, Temporéque Præſenti, ἐπιλαμβάνεται eáque propter optem hæc à Nobis nunc verti, For He nowayes taketh hold of th' Angels; But the Seed of Abraham He ever-retayneth.

3. Eſt verò & aliud, quod Exceptionis loco huc ab eo adſuitur. *Nec dicit Naturam Humanam, ſed* Semen Abrahæ; *Quod in Literis Sacris notat eos, Qui in Chriſtum crediderunt*, ut Gal. 3. 29, *videre* eſt. C. R. p. 97. Rectiſſimè: ſed nunquid notat eos, Qui in Chriſtum credunt, Naturam Humanam exutos eſſe? Si non, tum ſalva Res eſt. Notavit enim ibidem Apoſtolus, Ex Chriſto eſſe, Naturam Humanam ità fieri Semen Abrahæ, ut aliæ omnes Differentiæ, quæ Naturam Humanam ſolent in partes trahere, evaneſcant, *Neque ſit Judæus, neque Græcus; neque Servus, neque Liber; neque Mas, & Fœmina; ſed Omnes ſint Unum in Chriſto*, ver. 28. Cùm Semen igitur Abrahæ apprehenſum à Chriſto dicat, haut minus aliquid dicere cenſendus eſt, quàm ſi Semen Mulieris dixerat, ſed ex parte ejuſdem Fidem amplexâ; Quæ tandem ab Abrahamo denominari meruit. Prima enim Promiſſio Meſſiæ facta eſt, in univerſo genere, Semini Mulieris, cùm illa Semen nondum habebat, Gen. 3. 15, neque Semen Ejus aliquod tum Oppoſitum habebat, niſi Semen Serpentis, Quiſquis igitur in Natura Humana eſt, de Serpentis Semine ſi non ſit, de Abrahæ habendus eſt, Ex Fide enim, & non ex Natura Prærogativam hanc ſortitur, Siquidem Abrahamus factus eſt Pater Fidelium, Rom. 4. 11, Deúſque, ut juſjurandum impleatur, quod juravit ad Abrahamum Patrem noſtrum, Luc. 1. 73, *In Semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*, Act. 3. 25, *Omnes Homines vult ſalvari*, 1 Tim. 2. 4, hoc eſt, Euangelii ſui fidem ſuſcipere, pérque Baptiſmum ſic in Chriſtum inſeri, ut poſſint Salutem conſequi.

4. De Incarnatione autem Chriſti quòd iſtam Seminis Abrahami Suſceptionem intelligi Catechiſta non patiatur, propterea eſt, nè neceſſariò indè concedendum ſibi foret, Chriſtum ante Suſceptionem eam in Natura ſua Divina

Divina præxtitiſſe. Sed ſtultè ſibi ſapit ex iſta cautione; Satis enim hoc ſequetur ex aſio eo tramite, Quia nulla niſi Divina Natura in Chriſto potuit tum ab Apoſtolo dici Suſceptrix Seminis Abrahami. Quid ità? Niſi enim Deus ab æterno, & non In Tempore Suſceptor hic erat, De Dimidia tantùm Parte Seminis illius, ſed nec ea quidem, dicendum hoc, vel nunc dierum, eſſet, eo verò tum Tempore, à Paulo dici vix de Parte Triceſima ejuſdem potuit. Igitur in genere nunc dici Chriſtum ſive aſſumſiſſe, ſive ſuſcepiſſe Semen Abrahami, Qui per annos Bis Millenos Abrahamo poſterior in Carne extitit, vel hoc Divinæ ejus Naturæ locupletiſſimum Argumentum eſt. Concludimus ergò, Quæ pro ſenſu hujus Loci Catechiſta obtrudere ſatagit, frivola commenta eſſe, neque ad Rem facientia, neque à Chriſto quidem eo in ſenſu, per tot ſecula, cùm Apoſtolus iſta ſcribebat, unquam facta. Abs re autem nunc non erit, obiter & hoc admonere, Cùm Verbum iſtud ἐπιλαμβάνεσθαι in Voce Media Secundo Caſui ſemper jungatur, perperàm igitur in Typis noſtris omnibus interpungi poſt Caſum Quartum, quaſi ille ab eo regatur, Act. 9. 27, & 16. 19, Qui regendus reverâ eſt à Verbo quod ibi inſequitur, interpungíque oportet utroque in Loco, poſt ἐπιλαβόμενος. Quam Syntaxin clariùs obſervare eſt è Luc. 14. 4, & apud Senes, Prov. 7. 13.

SECT. LXXX.

1. *Jeſum à Chriſtianis appellari* Nazarenum, *Quid oleat. Non fuiſſe eum Chriſtum niſi à Reſurrectione, eſt nunquam fuiſſe, tollit enim Naturam Ejus Divinam.*
2. *Aoriſti habent ſignificationem Trium Temporum Præteritorum, pro ratione Rerum, de quibus enuntiantur.*
3. *Eſt, ubi* ἐποίησεν *ad Tempus Præteritum Pluſquam Perfectum referri oporteat.*

TEtigiſſe me alicubi illa verba Petri, Καὶ Κύριον, καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησεν, τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, Act. 2. 36, neque adfirmare nunc poſſum, neque auſim abnegare. Si quæratur igitur, Quâ de cauſſa nunc libeat manum iis admoliri? quod reſpondeam eſt ex Paulo, *Nè circumveniamur à Satana; non enim ignoramus illius aſtutias*, 2 Cor. 2. 11. De Satana quidem ipſo dicit ille: Ego de Satanæ ſubole, (ut à Paulo quoque didici, Act. 13. 10.) De Barjeſuitis hodiernis; Et, modò breviter faciam, ferendum (opinor) erit, Ne ipſi per fraudem ſuam hujus Loci Authoritate abutantur ad damnatiſſimam illam Sententiam ipſorum communiendam, *Jeſum Nazarenum*, (ità enim appellare Dominum noſtrum, juxta mentem Pilati, atque ex convitio Juliani Apoſtatæ, non ſunt veriti, Quia ex Verbis Euangelii, poſſunt:) *non priùs conſtitutum Hæredem univerſorum fuiſſe, quàm Eum Deus ex mortuis excitaverat*, Cat. Rac. pag. 80; &, Quæ huic gemina eſt, *Omnem Poteſtatem ſuam Chriſtum, non niſi morte ipſius interveniente, conſecutum eſſe*, Cat. Rac. pag. 225. Nam hæc ſi dari ſibi, ſub quocunque colore, obtinere poterint, (Quantum verò apud Bonos aliquot, ſed minùs cautos, obtinuiſſe videntur, eſt, quòd doleam;) actum fore ſciunt de Natura Divina in Chriſto, actum de Myſterio Hypoſtaticæ Unionis. Quàm tenuis verò argutiola hæc ſit, quàm ponderis expers, viriúmque inanis, videte. *Quia Deus fecit Eum & Dominum & Chriſtum, Jeſum hunc, quem Vos crucifixiſtis*, dicit Petrus. Sed Quando fecit? Dicat & hoc. An, Ex quo ipſi crucifixerant Eum? Niſi enim & iſtud dicatur, Nihil eſt. Neceſſariò autem hoc neutiquam ſequitur, Nè ex Anglicana Verſione quidem, Quanquam Illa ſic ſe habeat, God hath made that ſame Jeſus, whom yee have crucified, both Lord and Chriſt. Jam verò negandum non eſt, ex idiomate Dialecti Noſtræ Signum hoc Præteriti Temporis Hath, ad Res heſternas quaſi, putà, jam recentes, novitérq; factas accommodari ſolere. Iſtud igitur eſt, quod ego obeliſco nunc tranſadigo, aióque, ineptiſſimam eſſe heic ſigni hujus appoſitionem. Nam vel in altero eo Verbo ἐσταυρώσατε, parùm congruit, ut Aoriſtus ille ſic vertatur, *Quem crucifixiſtis*, Whom yee have crucified. Quod quidem in Veſpera à Paſſione Domini, vel in Craſtino ejuſdem, abſonum non fuiſſet; Sed nunc, quando dicebatur à Petro, poſt Quinquaginta, & quod excurrit, Dies; verti κατ' ἀνελλογίαν oportuit, ut de Re longiuſculè præterita, *Quem crucifigebatis*, Whom yee did crucifie. Quantò magis igitur Verbum prius, ἐποίησεν, vertendum erat, vel *Faciebat*, Did make, vel certè, *Fecerat*, Had made?

2. Ad Tria enim Tempora iſta, Imperfectum, Perfectum, & Pluſquam Perfectum à Grammaticis vulgò dicta, Aoriſtos iſtos Græcos debere, pro ratione Rerum de quibus enuntiantur, applicari, per Sacri Textûs Exempla varia jam ſæpe à me in præmiſſis indicatum eſt. Verùm, Hoc ſub quo Judice? inquient. Nam, Ipſi ut me audiant? Ut ex arbitrio meo ponant in Verbis ſigna Temporum? Minimè gentium; *Haut equidem tali me dignor honore!* Sed, nec univerſam Barjeſuiticam familiam. SSpiritus optimus eſt, ſolúſque, Interpres ſui. Eant igitur mecum ad Eum; Annon ſtabunt, cadéntve, ex illius ſententia? Aſt aliam longè epocham SSpiritus definivit, Quando Jeſus eſt Dominus, Chriſtúſque factus. Neque ad Septem retrò Septimanarum, reſpectu Reſurrectionis Ejus, ſed potiùs ad Luſtrorum totidem, intuitu Natalium, calculos Ille rem revocat, ídque ſub Indictione Angeli. Ait enim, *Natus eſt vobis Hodie Salvator Chriſtus Dominus, in Civitate Davidis*, ad Paſtores Angelus, Luc. 2. 11. Potéſtne verò quicquam diſtinctiùs adnotari? Ecce enim, *Hodie*, ait, eâdem tum Horâ, quâ Infans naſcebatur, & non, Ubi Jeſus reſurrexerat, ſignátque iis ex Utero jam profectum, non è Sepulcro. Et Quem illum? Proprium quidem Nomen tum non habebat; (*Jeſus* enim niſi Octavo pòſt Die dictus non eſt;) Sed Authoritatem ſuam jam tum habebat; Tum enim erat *Dominus*; officiiſque ſuis eo momento inſigniebatur, Tum erat *Chriſtus*. Atque ut hoc innotueretur, parùm dubito fuiſſe, quòd Lucas, Angelicæ illius Sententiæ antè Narrator, cùm & Petrinam nobis nunc narraret, eundem Ordinem in Titulis ejus obſervaverit, ὅτι καὶ Κύριον, καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησεν, τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε. Ex ordine enim Grammaticæ, tranſponi hæc maluerant, dicíque, ὅτι τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, καὶ Κύριον, καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησεν. Sed Myſterio huic non malè inſervit hæc Trajectio. Quod autem ſummo nunc opere notari optem, eſt, Noluiſſe Angelum Appoſitione ſolâ uti, diceréque, ἐτέχθη Σώτηρ Χριστὸς Κύριος. Prævidebat enim, Sophiſtarum flores, vaferrimos Barjeſuitas, aliquando prodituros, qui facili negotio iſtud detorquerent, eluderéntque, (Ità enim à Se procraſtinari poſſe, quod dicebatur de tum naſcente, Ut Ille, niſi poſteriùs, atque in tempore diu ſequente, habendus eſſet Chriſtus Dominus.) Videte igitur, Ut præcaverit nobis Angelus, præcluſeritque futuras haſce Blaſphemias, cùm de induſtria interſeruit, Ὅς ἐστι. Quo nihil in Orbe præſentius eſt.

3. Aliter igitur cum Chriſto Se res ea habuit, aliter habet cum Chriſtianis. Chriſtianus quidem nemo naſcitur, ſed fit; At Dominus ità factus eſt, Ut naſceretur Chriſtus, Ex ipſo enim Conceptûs Sui momento imbutus erat eâ gratiâ. Petri igitur dictum hoc, ſi συνεχῶς reddatur à Nobis, ſic ſe habebit, Let all the Houſe of Iſrael know aſſuredly, That both Lord and Chriſt God had made him, this very Jeſus, whom yee crucified. Hunc ipſum verò errorem, atque hoc ipſo in argumento, errárunt Noſtri in altero Aoriſto, Qui non inadvertentiæ ſolùm ſuæ, ſed & levitatis inconſtantiæque, vel ipſis Se Judicibus, locupleti indicio eſt. Nam cùm Aoriſtus ἐποίησεν vigeſies ferè ab iis, in Apocalypſi, reddatur, was given, Quæ hæc inſtabilitas erit, quòd ſemel tamen ibidem reddiderint, is given? In Euangelii autem interpretamentis inſanior eſt fluctuatio. Nam cùm eâdem in ſententia Chriſti, ſint, ᾧ ἐδόθη πολὺ, atque ᾧ παρέδοντο πολὺ, Luc. 12. 48,

quàm

quàm absonum est, abéstque propissimè à Solœcismo, quòd Huic quidem Præteriti Temporis Signum (recteque) adfixerint, have committed much, sed Priori, (& crasse nimis,) Signum Præsentis, much is given! Parùm enim proderit iis, inter Viros cordatos, si Linguæ Nostratis idiomati, (seu potiùs, cacoethi;) hoc acceptum feratur, ità quidem vulgò ferenti, Ut quantisper quis fruatur Re aliquâ, quàm ex antiquo cunque ei datâ, dici de ea in Præsenti soleat, Is given. Idem igitur cùm fecerint & in alio Loco, dictúmque illud Christi, ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ γῆς, Matth. 28. 18, verterint, All power is given me, quod exactè tamen debuissent vertere, All power was given unto Me, Patronos Se nimiùm ex inopinato hoc, Illicéssque nonnullis præstiterunt, periculosissimi istius Dogmatis, quod omni, non Veritate solùm in Se, sed & Consequentiâ quoque ex hoc Dicto, caret, Christum Dominum, Quia ad Apostolos hæc prolocutus est, postquam resurrexerat, Potestatem consecutum non fuisse, donec resurrexerat, Quâ tamen Homo ipse Divinus beabatur à prima Naturarum in Eo unione. Sed sat est ad Locum hunc Matthæi digitum nunc intendere; Opinor enim me fusiùs antidhac de eo egisse.

Sect. LXXXI.

1. *Apostolorum, illiteratorum licèt,* παῤῥησία, *atq; ἐυθυμημοσύνη. Claudus sanabatur ipso die Pentecostes.*
2. Ἡ σωτηρία. *Articulus ibi Demonstrativum est.* σώζειν. Sanari.
3. Ἐν *pro* Διὰ *quàm vulgare sit! Ellipsis ibi an Rei sit, an Personæ, incertum.* Γὰρ *infert rationem priùs dicti.* Nomen *pro Persona.* Δεῖ, *est plusquam* Opus Habere, *minùs, quàm* Oportere.
4. *Ut Barjesuitarum interfit, Justificationem per Fidem in Christum limitare ad nos post Christum natos.* Patefactio *est Rerum, non Personarum, sed non audebat* Manifestationem *dicere.*
5. *Messias Adamo promissus est.* τὸ δεδομένον *est,* Quod datum unquam fuit. *Nomina Messia. Abelem in Martyrologiis Christianis celebrari, propter fidem in Christum.*
6. *Unde Relationes ad Christum colligi possint. Prophetarum omnium est.*
7. *Fides in Christum docebatur per typos Legis. Lex Pædagogus ad Christum. Symeon accepit à Jacobo. Ex primævo Promisso, Messiæ expectatio.*
8. *In Christum, Qui Venturus erat, Veteres credebant; In Qui venerat, Symeon & B. Virgo diu ante promulgationem Euangelii.*
9. *Est ubi* οὗτος *indistinctè iteratur, sed de duobus diversissimis Antecedentibus. Grammatica Rationalis.*

PEtrus atque Joannes ubi in Synedrio dixerant, οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία, Act. 4. 12, eodem spiritu subjungunt, ἔστι λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑφ' ὑμῶν τῶν οἰκοδόμων. Ecquid verò ista inter se differunt? Tam parùm certè differre videntur, Ut mira nulla sint, si habeantur ipsi à Synedrio, pro Illiteratis, atque Idiotis, ver. 13: sub qua censura eò justiùs quoque cadere meriti sunt, Quia Tautologiam hanc suam pro Ætiologia obtrudere satagebant, Nam & Caussalem particulam unà intulerunt, ὅτε δὲ ὄνομά ἐστιν ἕτερον. At istud tamen non erat, quòd Senatores illos malè habuit; non ex eo commoti sunt, quòd idem per idem tam audenter confirmari ab Apostolis audirent, sed quòd Literarum ignaros, & dicendi rudes, tantâ animum suum exprimendi confirmitate donatos esse perspicerent, θεωροῦντες δὲ ἀνθρώπους ἀγραμμάτους καὶ ἰδιώτας παῤῥησίαν ἐθαύμαζον. Hoc quidem erat, quod hii stupebant, Tam ingenuè eos quæ volebant, támque solidè & liberè in eo Conventu loqui potuisse: Adeóque ex hoc facilè cognoscebant, Eos Christi Discipulos fuisse, ver. 13. Quòd si altiùs paulò repetamus Rem, verbáque eorum singula excutiamus, solertiora esse parebunt, quàm ut obelisco nunc aliquo configi mereantur. Sic enim se Res habuit; Synedrium satis pro Imperio, (quàm justo autem, jam non quærimus;) eâdem Quæstione Apostolos adorti, quâ & Dominum eorum non longè antè, *Per quam Potestatem, aut Cujus in Nomine hoc fecerant*, interrogant. Hoc, autem? Quid? An non audebant grandes hii Magistri clarè eloqui, quod Res erat? Sadducæorum quidem Partes nunc agendæ erant, (Discimus hoc è ver. 1.) Qui angebantur non parùm, quòd Populo per Apostolos Resurrectio ex mortuis annuntiata jam fuerat, ver. 2, tótque Millia Fidem hanc admiserant, v. 4. Quid mirum igitur si ista dissimulent, & quantum possint, taceant? Jam præbita ea Jesum prædicandi populo occasio fuerat, propter Mendicum illum, claudum natum, ádque fores Templi assiduè positum, & singulis notum, Act. 3. 2, Hesternóque vespere, (Qui & Pentecostes ipsius fuisse videtur, per illud ἐχθὲς, v. 1.) ex integro sanatum per eos, post Annum ætatis Quadragesimum, in nomine Jesû Christi Nazareni, v. 5. Pudebat autem Magistros illos, pigebátque, opus tam mirabile, planéque Divinum, (Cui & quod obloqui possint, nihil habebant, Act. 4. 14,) vel agnoscere quidem, vel videri in Quæstionem vocare, atque sub judice ponere. Quæstio igitur ab iis hæc in nubibus instituitur, *Quâ Authoritate fecerint hoc?*

2. Hoc autem persentiunt Apostoli, respondéntque, ut viros Deò plenos decebat, atque quo disertius nihil, fortiúsve esse poterat, *In nomine Jesû Christi, ab ipsis quidem crucifixi, sed à Deo è mortuis excitati, Sanationis*, (De eâ si Quæstio sit,) *hoc Beneficium homini huic collatum fuisse*, ver. 10. Quoniam verò Jesum appellârant Christum, ampliant jam, atque è Psal. 118. 22. (Quod antè ab ipso Christo intimatum audierant, Matth. 21. 42.) in Honorem Domini sui non verentur addere, *Hunc esse Lapidem, ab ipsis quidem Architectis reprobatum, sed factum à Deo in Caput Anguli*, ver. 11, atque indè concludunt, καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία, ver. 12. Atque heic nunc pedem figimus pauliſper, & Verba expendimus; Observamus enim in iis Tria, de quibus ambigi non immeritò possit. Unum est, Annon in Expositione Loci attendi oporteat ad Articulum, rariùs huic vocabulo adponi solitum, ἡ σωτηρία, ut ad Demonstrativè dictum, pro αὕτη, Qui usus Articuli aliis in Locis non infrequens est; Atque ut nihil aliud nunc dici existimetur, quàm præsens ista Claudi, quem digito tangebant, Sanatio, *Et hæc Salus*, (aiunt, id est, *ista Sanatio,*) *non est ex aliquo alio.* Dici autem σώζειν, pro *Sanari*, ipsi pro Quæsito jam sumserant, ἐν τίνι ἄλλῳ σώσωσι, v. 9, ínque Sacris Literis Σωτηρία usurpari pro *externa Corporum, Vitæque hujus Conservatione*, Lucam Authorem damus, Act. 7. 25, & Act. 27. 34, & Hebr. 11. 7. Alterum est, De Hebraismo, per familiarem Enallagen ponente Præpositionem Ἐν pro Nota Caussæ Efficientis, pro Διὰ scilicet, Quod in N. T. semicentum in Locis factum indicare nobis in promtu est; Neque à Nostris quidem debebat nunc præteriri, Qui Ἐν non aliter, quàm By hoc ipso in Sermone Christi Quater verterint. Ultimum est, De Adjectivis istis Duobus ἄλλῳ οὐδενὶ, Cujus Generis habenda sint, Masculini, an Neutrius, Adeóque Cujus Substantivi Relationem secum trahere subaudiantur, An Personæ, ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἀνθρώπῳ An Rei, ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ πράγματι. Quâ in Re laudamus Interpretes, Latinum V. Nostróque, quòd, cùm in Utrolibet sensu verissimè accipi possint, ut repererunt in ambiguo, ità & reddiderunt, Lectoribus factâ, ad Personam, an ad Rem applicare mavelint, Suâ Optione, *In aliquo alio*, In any other.

3. Veruntamen cùm ex re Christiana sit futurum, ut ἡ σωτηρία in sensu largissimo accipiatur; Cùm & Apostoli nunc à dicto de Persona Jesû Christi ad Metaphoram declinaverint, dictúmque de Re, (De Lapide Angulari,) inter-

interſeruerint; præcipuè verò omnium, cùm & Particulam Cauſſalem γὰρ unà introduxerint, Quæ, de lege Grammaticorum, Rationem prioris dicti ſemper inferre debet, neceſſe eſt ad inſipidæ tautologiæ evitationem, ut ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ſumatur De Re, atque exponatur, *per alium nullum modum.* Jámque Logicè omnia, & ſuaviter conſequentur, *Non eſt Salus per alium ullum modum.* Et Quídni? ὅτε γὰρ ὄνομα ἕτερόν ἐστι. Jámque hæc eſt Prioris illius Ratio, & ſic ſe habet, E cœlo immediatè Salus expectanda nemini eſt, Sed (ut è Prophetis omnibus ab origine mundi intelligere datum eſt;) per interpoſitam à Deo Perſonam habenda eſt; Perſona autem nulla unquam inter Homines data fuit Salutiſlativa, præter Jeſum Chriſtum. Hæc Apoſtolorum mens, hæc jam ſententia eſt. Nomen autem nullum quòd datum dixerint, egregius & hic Hebraiſmus eſt, per quem *Nomen* pro *Perſona* dictum ab iis eſt, eodem exemplo, quo & ὄχλος ὀνομάτων ponitur, Act. 1. 15, ad deſignandum illum Perſonarum numerum, atque ἦν ὀνόματα ὀλίγα eſt, *Paucos aliquot habes*, Apoc. 3. 4. Diſertiſſimum autem in hoc genere, De ipſo Meſſia, eſt illud, quod nobis ex Eſaia laudârunt, Paulus quidem, ἐπ' αὐτῷ Ἔθνη ἐλπιοῦσι, Rom. 15. 12, Euangeliſta verò, ὀνόματι αὐτοῦ Ἔθνη ἐλπιοῦσι, Matth. 12. 21. Senibus enim, ex idiomate Linguæ Sanctæ edoctis *Nomen* pro ipſo Deo καθ' ἐξοχὴν ſumere, viſum eſt de Meſſia quoque Αὐτὸν, & ὄνομα Αὐτοῦ, pro Synonymis habere. Per hoc autem Nomen, hoc eſt, per Jeſum Chriſtum, quod nunc aiant Δεῖ ὑμᾶς σωθῆναι, non vulgaris eſt iſta, Sed perquam elegans ſignificatio Verbi Δεῖν. Non enim eſt ſimpliciter *Opus habere*, ſed aliquid amplius, neque Abſolutè eſt *Oportere*, aut *Neceſſe eſſe*, Sed aliquid remiſſius. Præmitti ſcilicet debet Suppoſitio, è qua ſolùm, ſempérque ſequetur, Si ſervari Nos velimus, per Chriſtum eamus, neceſſe erit, &, Si ſervari nobis detur, oportebit per Chriſtum fieri. Jámque Ratio horum ex præmiſſis aſſurgit, *Quia aliud Nomen nullum datum eſt, per quod ſervari poſſimus*, id eſt, Quia alium præter Jeſum Chriſtum, Servatorem habemus neminem.

4. Satìs hæc omnia intelligebant Judices Synedriales, nèque aliquâ igitur Exceptione (pudebat enim,) uſi ſunt contra formam dictorum ab Apoſtolis, quantumcunque intus vexabantur,

Et dici potuiſſe, & non potuiſſe refelli.

Quid rei igitur, obteſtamur, eſt, quòd Dictatorem noſtrum Racovianum, quaſi in Receſſu quodam, in ſuis de Juſtificatione, miſerè ſudantem reperiamus, ſibíque caventem à craſſo infortunio propter hæc (ut ab ipſo citantur) Petri verba, *Non eſſe ſub Cœlo Nomen datum Hominibus, per quod Nos ſervari oporteat, niſi Nomen hoc Jeſus?* Cat. Rac. pag. 270. Vaferrimus autem eſt, ibíque in procinctu ſtans, quaſi quicquam formidare neſcius, Pugilico ore proclamat, *Ergò, ſine Fide in Chriſtum nemo juſtificatur?* Cat. Rac. pag. 271. Reſpondet etiam confidenter, *Nemo prorſus.* Quódnam igitur opus nunc molitur Barjeſuita? Decrevítne, Abelem, Enochum, Noam, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum, Joſephum, Moſen, (cum cæteris Nominibus in eo Sanctorum Catalogo, Hebr. 11. conſcriptis,) juſtificatione ſuâ emungere? An contrà, liberaliter agere, atque Fide in Chriſtum univerſos ab Orbe condito Servos Dei beare? Atqui hoc ſi faxit, novit Se eâdem operâ & Barjeſuiticum genus omne ſuum diſpergere cum pulviſculo. Nam & Æternitas in Chriſto, & Natura Divina, & Incarnatio, & Generis Humani Redemtio, & Satisfactio pro Peccatis Mundi, & quæ de Chriſto ſuo Illi è Lituania ejurârunt omnia, nullo negotio probabuntur vel ex hoc, ſi nemini omnium à Seculo, niſi per Fidem in Chriſtum, Juſtificatio, Salúſque ceſſerint. Quid facit ergó? Quod Barjeſû Filio dignum eſt. Ut enim SScripturam hanc, quam nequit non agnoſcere ad fidem in Jeſum reſpicere, ſuo modo ſcitè diſtorquere poſſit, diſtinguit Tempora, atque, *Tempus fuiſſe, quod anteceſſit Chriſti Patefactionem; De eo autem Tempore id affirmari non poſſe: Sed verum ſolummodo eſſe de eo Tempore quo Chriſtus patefactus eſt. Patefactus eſt?* Jam Quid eſt hoc? Aliquid monſtri ſemper alit Veterum vocabulorum Præteritio, Novorum Introductio! Quanquam de Rebus quidem nulli contendimus, propriè dici poſſe eas *patefieri.* Ferimus igitur Latinum V. reddentem ἐξορύξαντες, Mar. 2. 4, *Patefacientes Tectum*, De Myſterio etiam Chriſti, (Quod in Apoſtolo tamen eſt φανερωθέντος, Rom. 16. 26,) Idem reddidit, *nunc patefactum eſt.* An verò & de Perſonis æquè congruet dici *Patefactionem?* Sed danda eſt hæc venia; Opus habebat Catechiſta iſto Aſello. Nam ſi communi vocabulo *Manifeſtationis* Chriſti uſus fuerat, ipſe ſibi vapulârat; Meminerat enim, Divinitatis Chriſti Oſor, Incarnationis Inficiator, quanto ſudore ſteterat ei illius Loci diſtortio, *Deus manifeſtatus eſt in Carne*, Cat. Rac. pag. 95. Ab eculeo igitur hoc *Manifeſtationis Chriſti*, abſtinendum ei nunc erat, monſtrandúmque *Patefactionem Chriſti* ei magis ad palatum facere, licèt à voce finitima ei, *Satisfactionis Chriſti*, Cat. Rac. pag. 239 non minùs abhorrere Se priùs oſtenderat.

5. Sed non litigabimus de vocabulis; *Patefactionem* igitur Chriſti, quàm inſolenter cunque, nec ſine fraude ab eo dictam, admittemus, Sed liberabimus primùm ab amphibolia, & Sophiſtica Captione. Notitiam enim ex Deo datam hominibus eſſe, Meſſiam, longè antequam veniret, aliquando venturum, per quem ſervarentur, propria erat hæc atque Divina Chriſti Patefactio. Atqui Patefactionem iſtam nullum Tempus anteceſſit. Adamo enim, eodem, quo lapſus eſt, die, (Orbi igitur toti futuro,) notitia hæc indulta eſt, ſub titulo Seminis mulieris contrituri Caput Serpentis, Gen. 3. 15. Fallacia igitur hæc, atque Dolus malus nunc eſt, De Patefactione Chriſti ità loqui (Ità autem loquitur, Qui à Chriſti Tempore Tempora Anteceſſorum omnium præſcindit;) acſi initium illa ſumeret ab æra, quâ Chriſtus natus, aut inter Homines primùm verſatus eſt. Monendus igitur à nobis eſt, Ut verba hæc Petri, (nè longiùs nunc abducamus eum ad alia Argumenta;) cum judicio, fidéque expendat, Neque oblitus ſit, de Nomine hoc quod dicitur, non ſolùm ad appellationem Jeſu ſignandam, ſed ad ſignificandam Perſonam Meſſiæ dici; Neque contentus denique ſit, (Quia pro dolo ſuo facit,) cum Latino V. particulas duas, exiguas quidem, ſed momenti non exigui, τὸ & ἐν, quaſi pro palea habere. Legit quidem ille, *Non eſſe aliud Nomen datum Hominibus.* At vero τὸ δεδομένον ἐν ἀνθρώποις, tum ex Participii ipſius tempore Præterito, tum ex Vi Articuli eidem præfixi, nihil aliud eſſe poteſt, quàm, *Non eſſe Nomen aliud, quod unquam ſub Cœlo fuit datum inter Homines.* Chriſtum igitur ità reſpicit, ut non ad Annum Ætatis ſuæ in Carne, ſed ad omnia retrò tempora referatur, In quibus quidem Nomina multa data ſubinde ad hoc fuerant. *Semen mulieris. Salutare Dei. Shiloh. Meſſias. Sol Juſtitiæ. Oriens. Germen.* Sunt & alia; Sed alia ab hoc non erant, Non alia, quàm quæ ad Jeſum Chriſtum ſolum pertinebant, adeóque Seculorum omnium Fidem terminabant in Chriſto. Huc igitur referimus, quod de Mortalium Primò omnium denato, (à quo & Juſtorum æram videmus Dominum ordiri, Matth. 23. 37,) Apoſtolus aiat, Διὰ πίστεως ἀποθανόντες, ἔτι λαλεῖται, Heb. 11. 4: hoc enim eſt, Abelem, Qui per, propterque fidem Meſſiæ defunctus eſt, etiamnum celebrari à Nobis Chriſtianis, atque in Eccleſiæ Chriſti Martyrologiis, (quæ νέφος Μαρτύρων ritè appellantur, Heb. 12. 1.) locum habere.

6. Quin & ex eodem ad Hebræos Capitulo, (Quod Catechiſta quoque, quò rem ſuam quidè juvaret, ſed veram diſſimularet, noluit non, doloſè ſatis, in confuſo enim genere, ſinéque verborum citatione, nè ſuo indicio ſorex

periret, citare, C. R. p. 271.) apertè colligi poteſt, Fidei ſub iis exemplis, non ſolùm ad Deum, ſed etiam ad Chriſtum relatæ, reſpectum habitum fuiſſe. Præter enim quod de Primipilo eorum Abele jam diximus, Qui ſequitur ibi Henochus, in Tranſlatione ſua v. 5, ut Typus ipſius Chriſti exhibitus eſt. Patriarcharum autem oculos ità in Chriſtum defixos fuiſſe videmus, ut ipſi Promiſſiones, (in quibus Meſſias omnium Caput erat) dicantur πόρρωθεν ἰδόντες, καὶ ἀσπαζόμενοι, v. 13. Nil opus eſt igitur, ut huc adjiciatur inſignis illa Chriſti ipſius à morte reducis, Quæ Abrahamo, non tam adumbrata quidem, quàm ad vivum exhibita eſt in Filiolo ſuo Iſaaco, parabola, ver. 19. Jam verò diſertiſſimum ibidem eſt encomium Moſis, Theſauris Ægyptiacis omnibus præferentis τὸν ὀνειδισμὸν τῷ Χριστῷ, ver. 26. Prophetas denique cùm ibidem accenſeat, ver. 32, de iis univerſis, ut ipſi Chriſti Tempora, Geſtáque prænuntiârint, non Petrus ſolùm, in Concione ſua ad Populum, Act. 3. 24, ínque Epiſtola ad Populares ſuos, 1 Pet. 1. 11, Sed & Paulus in Concione ſua ad Regem, Act. 26. 23, Teſtes locupletiſſimi ſunt. Quid igitur plura? Hoc enim in argumento, Ut Veterum ævorum Sancti ad Meſſiam, non præſentem quidem, ſed certiſſimè ſequentem, per Fidei ſuæ lumina non minùs attenderint, quàm & Nos hodiéque ad non præſentem denuo, ſed antegreſſum anhelamus, Infinita à Theologis congeſta ſunt; Quæ ex ipſis petant, quibus animus eſt, & opportunitas. In Anachoreticis enim iſtis Anamerycifmis inſtitutum nobis tantummodo eſt, Sacros Textus, ubi occaſio datur, per Sacram Verborum Criticem, quantum ex Deo poſſimus, colluſtrandi, atque ob hoc, ſubleſtæ Fidei Catechiſtam, rectarúmque Viarum Domini Barjeſuiticum Perverſorem, ubi inciderit nobis, piè corrigendi, Sed omnino non eſt, controverſiarum copias omnes conſcribendi, nedum Centones conficiendi ex aliorum rhapſodiis.

7. Quod ipſe verò, nè nihil dicere videatur, intorquet, *Eam Juſtificandi rationem*, (putà per fidem in Deum; Quantò minùs igitur, per in Chriſtum?) *in fœdere per Moſen dato non fuiſſe comprehenſam, verùm ab ipſa Dei gratia merè pependiſſe*, Cat. Rac. pag. 271, Ratio & falſa, & merè futilis eſt, atque non uno modo Paralogiſtica. Primò enim, ipſa in Chriſtum Fides, licèt totidem Syllabis imperata in Fœdere Moſaico non legebatur, totidem tamen Cæremoniis effigiata, Typíſque, quaſi literis Majuſculis, exarata erat, ibíque clarè extitiſſe effatum illud Pauli abunde probat, cùm adſerat, *Legem Moſis Padagogum ipſis fuiſſe ad Chriſtum*, Gal. 3. 24. *Padagogum* autem? Atque etiam *ad Chriſtum?* Pudeat igitur pro Catechiſta ſe obtrudentem, non meminiſſe, Legem reverâ Scholam Catechizationis Pueritiæ eorum extitiſſe, & quantum per ætatem eam capere poterant, de Chriſto docuiſſe eos, paulatímque inſtruxiſſe, Ut poſſent Figuras eas omnes per fidem ad unicum de Meſſia ſuo myſterium applicare. Quo ore igitur potuit Polonus (niſi quòd neceſſe ei indè à principio erat depuduiſſe;) ſtolidum illud adſumentum inducere, (*unde illorum Fides fidem in Chriſto non includebat*, Cat. Rac. pag. 271.) ínque margine ſuo pompaticam iſtius ad Galatas Loci adnotationem adjicere? Veruntamen, quò nè perplueret, & altero abſurdiore hoc confeſtim pertegit, *Atque ad eum modum, Illi non propter fidem in Dei Filium, ſed in ipſum Deum, ſunt juſtificati*, Cat. Rac. pag. 272. Sed infida mentis inſanæ commenta iſta ſunt, & gratis nimiùm ab eo, fruſtráque producta, niſi quòd nôrit, vervecibus ſuis quidlibet in Argumenti ſpeciem aliquam compactum, pro valido Argumento fore. Chriſtiano autem nemini, naſum Hæretico hoc mucco purgatum habenti, non ſubolet, Senem illum Symeonem, tum cùm Chriſto in ulnas ſuas adſumto, *Nunc Dimittis* ſuum ſic accineret, *Quia oculi mei viderunt Salutare Tuum*, Luc. 2. 29, ab ipſo Patriarcha Jacobo, (Moriente tum, atque aliam rem maximam agente, Ut Filiis enim ſuis ultimum Vale diceret; Sed, ex mente ſua in Chriſtum præcipuis modis defixa, Divinam illam deſubitò Parentheſin ibi faciente,) mutua accepiſſe verba ſua: Ità nimirum & ille tum, *Salutare tuum expectavi, Domine*, Gen. 49. 18. Quem enim in oculis, ulníſque Symeon nunc habebat, habebat olim in animo, votóque Jacobus, fideíque ſuæ oculo in Chriſtum intentus erat. Quòd ſi quæratur, Unde Veteribus illis ſua Fides? Reſpondemus, Ex primævo eo fœdere, quod in Sanctorum ſuorum cordibus Deus à principio inſcripſerat, Meſſiæ venientis Religione omnes tenebantur; eáque propter nihil opus erat, in fœdere per Moſem (non niſi poſt termillenos ferè annos) dato, aliter quàm per Figuras illas mentionem ejuſdem iterari.

8. Intergerinum igitur duobus hiis Corollariis ſuis quòd & hoc Catechiſta ibidem fecerit, *eóque Apoſtolus ait, Fidem veniſſe per Euangelium*, Cat. Rac. pag. 271, quocunque conſilio iſtud, aut è Loco Apoſtoli quocunque huc intertruſerit, craſſiſſima fraus eſt. Veniſſe enim fidem per Euangelium, cùm ſupponat Barjeſuita, ità hoc accipi vult, acſi Apoſtolus alicubi, (ſed ubi? dicat:) dixerit, Nullam fuiſſe in Chriſtum fidem, ante promulgatum Euangelium. In Loco autem iſto ad Galatas, cùm Paulus dixerit, *priùs quàm veniret fides*, Gal. 3. 23, & dein, *Ubi venit fides*, ver. 25, intelligendus eſt, non ſimpliciter, aut de Actu ſolùm aliquo fidei in Chriſtum loqui, ſed ut conjuncta erat cum conditione ea Objecti, ſenſúſque Apoſtoli eſt, Poſt plenitudinem Temporis, (quam de induſtria notârat, ver. 3.) id eſt, poſtquam expletum erat Myſterium Adventûs Meſſiæ, Chriſtúſque in Perſona ſua, Carne noſtrâ, exhibitus mundo fuerat, credi ab omnibus tum cœpit in Eum, Qui jam venerat. Hóccine verò impediet, Quin & ante Adventum ejus in Carne, Myſterióque τῆς διανθρωπήσεως nondum perfectè tranſacto, credi à nonnullis poterat in Eum, Qui pòſt venturus erat? Mala igitur hæc fides Catechiſtæ, dolúſque nequiſſimus eſt, quòd hanc Euangelii mentionem huc intruſerit. Monitum enim modò eſt, Ut poſt Chriſtum natum quidem, ſed totos Triginta annos ante Promulgationem Euangelii, Sanctus ille Senex Fidem ſuam De Salutari Domini teſtatam fecerit, Luc. 2. 30. Addimúſque jam Ut & Anno toto ante Symeonem, idem ab ipſa B. Virgine factum ſit De Servatore ſuo, Luc. 1. 47. Unde enatus eſt Macariſmus ille Elizabethæ ad Matrem Domini ſui, ver. 43, Beatam prædicavit eam, non Quia conceperat, ſed μακαία ἡ πιστεύσασα, ver. 45, Quia crediderat.

9. Jámque tandem deſinenda eſt Verborum Petri, à quibus orſi ſumus, diſcuſſio, niſi Duo forſitan ſuperſint, quæ priuſquam abeamus hinc, non pigebit adſuere. Primum eſt, ut (pro more Noſtro) exactam Tmematii hujus Interpretationem Nobiſmet ipſis adornemus. Ea autem hæc, ſi placet, erit, And there is not by any other means any Salvation: For neither is there another Name under heaven, which hath bin given among Men, whereby we muſt be ſaved. Alterum eſt, nè non obſervatum abeat, Ut in eadem hac ſententia, ad eoſdem Auditores, Petrus idem Pronomen Demonſtrativum ὅτος ſemel, iterúmque uſurpaverit, ſine aliqua Diſtinctionis mentione, ſed cum infinita tamen Perſonarum differentia: e. g. ἐν τούτῳ ὅτος παρέστηκεν ὑγιὴς ἐνώπιον ὑμῶν ὑγιὴς, ver. 10, & dein proximè hiis, ὅτός ἐστιν ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑφ' ὑμῶν, ver. 11. Pertinet autem iſta Conſyderatio ad Grammaticam, non Puerilem, & Communem, ſed Virorum, & Rationalem, per quam ex ipſo vultu, geſtúque Petri tum dicentis facile eſt nunc Criticen inſtituere, atque ità hæc diſcernere, Ut prior ὅτος feratur ad Claudum, proximè ſtantem, quem ille digito monſtrabat, oculóque, Sed poſterior οὗτος, ad longè remotiorem, priùs tamen nominatum à

Se

Se Christum Dominum sub ὁ τύπῳ, Quod à Nostris verti ex arte debebat, By this Jesus doth this man stand before you whole. This is the Stone, &c.

Sect. LXXXII.

1. Semen Abrahæ, & Filii Abrahæ, *ut differant. Per Articulum sensus distinguitur. Filii Parentum moraliter maximè sumus. Argumentum à Non Scripto.*
2. *Advenientes ex Deo Abrahamus quantâ Observatione acceperit. Christi Magnanimitas. Homicidii Crimen. Morum imitatio est, qua facit verè filios.*

DOmini objurgationem Judæi si non refellere, frangere se tamen existimabant, reponentes, *Esse Se Semen Abrahæ*, Joan.8.33. Accipit autem Responsum eorum Christus, sed unâ excipit, atque nihil valere significat, *Scio, quòd Semen Abrahæ estis, Sed quæritis me interficere*, ver.37. Nam hoc, ἀλλὰ ζητεῖτε, perseverа Exceptio, & Ad oppositum valdè est, quâ distinctionem in eos Dominus intorquet, gloriationi suæ de Abrahamo nimis inimicam: Infert enim, Nihil eos ex Abrahamo lucrari, quòd σπέρμα Ἀβραὰμ audiant, nisi & τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ esse Se probaverint, ver. 39. Notandum igitur ducimus, Ex alia ratione nulla esse, quàm ad Emphasin hanc innuendam, perurgendámque, quòd Articulus iste jam bis præponatur Nomini Patriarchæ, Qui ubique, (Ut plurimùm; & vel Decies in isto Colloquio) omittitur. Eundem autem in finem, & in ἄρα τοῦ Ἀβραὰμ σπέρμα ἐστὲ, Gal. 3. 29, Articulum additum esse, Observatione nostrâ dignum est, Articulo ipso indicante *Semen Abrahæ*, ibi quidem referri ad Credentium conditionem, Verùm abfit Articulus, atque *Semen Abrahæ* nusquam occurrit, quin idipsum denotet, quod Natura Humana in populo Judaico. Infumum igitur abire jubemus Barjesuitarum cavillum, Cat.Rac.pag.96, ex Loco hoc ad Galatas contrarium dolosè prætendentium, negantiúmque illud ad Hebræos, ἀλλὰ σπέρματι τοῦ Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται, oportere ad Humanam Naturam referri, déque ea accipi, Haut ferentium ergò, ut de Natura ea à Christo susceptа Apostolus ibi Loci loqui existimetur, Heb. 2.16. Istud autem ex eo ut non sequatur, vel Articulus ipse obicem ponit, Cui amovendo non erit tota Socinitas: Atque hoc in transitu nunc adnotâsse, satis erit, De quo alibi fusiùs diximus. Redimus autem ad dictum Domini quod laudavimus, illiúsque sensum esse statuimus, Stemmata nil facere, Genúsque & Proavos nobis non sufficere, nisi & Facta eorum referamus, ex quibus gloriamur Naturam trahere, Filiíque Moraliter simus oportet, & Virtutum ejus hæredes, quem Parentem nobis fastuosè arrogamus. Conclusione autem hâc à Se fixâ, redit Dominus indè ad Exceptionem suam, urgétque Judæos, Εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραὰμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε ἄν. Νῦν δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι. Καὶ τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησε, ver. 40. At Quæ, obtestamur, est ista Consequentia? Totiúsne Argumenti vim sitam esse ferimus in Negativo, Quia non factum est? Quomodo autem & hoc constabit? Aliunde quidem non potest, nisi Quia à Mose scriptum non est. Argumentum autem à Non Scripto, Quis tulerit? Longè tamen abfit, ut Argumento huic Christi inartificiale quicquam subesse suspicemur. Quin & Judæi naso non carebant, à quibus impunè, si hâc in parte peccasset, neutiquam tulisset. Satis verò iis suboluit, Quid hoc Rei erat, miseréque senserunt, quàm ad vivum secabat eos. Cùm enim addiderit, *Quæritis Me interficere, Hominem, Qui Veritatem vobis protocutus sum, quam audivi à Deo*, retrò eos, rectâque ad Mosen duxit, Ut in eo viderent, non, Quid non est Scriptum, Factúmque, Sed quid scriptum ibi sit, ab Abrahamo factum esse erga Homines Dei, Divinitus ad eum accédentes, Veritatis beatos ex Deo Nuntios.

2. Hujus verò Rei Exempla Duo peregregia habere Se nôrant in Historia Abrahami. Primum erat, Quando Melchisedecus ei obviàm venit. Abrahamus enim, intellecto, Ipsum ex Deo accedere, (*Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, Gen. 14. 18.) jam Ipse Quatuor Magnorum Regum Triumphator, Regulo ei mirè submisit Se, & Propheta ipse Benedictionem tamen ab Isto accepit, Decimásque Ei persolvit ex omnibus spoliis, Heb. 7. 4. Alterum erat, Cùm apparuit ei Dominus ad Quercus Mamre, Gen. 18. 1. Humanam enim formam indutus, sed perauguſtam, atque Divinæ proximam, aliorúmque Duorum Clientelâ stipatus, accessit ad eum. Cucurrit igitur Abrahamus in occursum, proinéque veneratus novum Hospitem, humillimâ prece exoravit, Ut pedes Ei, Suísque lavare posset, & apparare, quod ederent, ver. 4. Neque famulorum suorum quenquam, (aut Uxorem quidem) obsequii hujus Honore dignatus est, sed stetit ad Mensam, quam ipse straverat, instruxerátque iis, Princeps iste, & suoipsius Ministerio ipsis inserviit, ver. 6. Non poterant igitur Judæi non in mentem nunc revocare, Quæ Abrahamus subinde fecerit, vel Religionis suæ caussâ, cùm quisquam ad eum ex Deo accesserit. Ea autem recensere quòd Christus nunc noluerit, Sapientiæ Ejus, Magnorúmque animorum indicio erat, nè videretur ingratissimis hiis Mortalium egere, aut gratis emendicare ab iis, quod tamen Suum erat. Urit interea eò acriùs eos, urgétque vehementiùs, quòd præteritis nunc omnibus, quæ ex Abrahami exemplo, si genuini Filii ejus erant, debebantur, Officiis, Horrendum duntaxat Scelus, & cujus conscii sibi, nè Servi quidem, minimè omnium Filii, haberi debebant, expresè iis objicit, *Quærebant eum interficere*; à quo exemplo Abrahamus, quem crepant, longissimè abeрat, Nihil Ille in vita tale unquam admiserat, Nullis in orbe conditionibus nefas tantum admissurus erat, Et hii tamen Genus suum jactitabunt ex Abrahamo? Pollucibilis igitur jam hæc Consequentia est, & cum arte summa intexitur; Parem enim Judæi jam cum Abrahamo, imò, longè beatiorem, ex accessu Christi, occasionem nacti, Faciunt, quod Abrahamus non fecit? Quod Abrahamus fecit, non faciunt? Rectè igitur, fortitérque sequitur Conclusio, Ergò Abrahami Filii non sunt, Diaboli sunt Filii, ver. 44. Animus enim cujusque cùm is sit Quisque, Morum imitatio est, quæ sola facit verè Filios. Quâ in re & Petrum pòst audimus Hero suo concinentem, in Sua ad alterum Sexum Parænesi: Licèt enim nôrat Gentis suæ fœminas vulgò nuncupatas esse Abrahami Filias, propter solum sanguinem, Luc.13.16, Esse tamen eas Saræ Filias non agnoscit, nisi ex Pietate ejus, Fidéque, 1 Pet.3.6.

Sect. LXXXIII.

1. *Baptismus est Diluvii Antitypum, ex Pacto; Quod primum erat inter Deum, Hominémque. Pactum Dei cum Pacti incapacibus, Rationisque expertibus. Quantò minùs valet hæc Exceptio contra Pædobaptismum?*
2. *Barjesuitæ, cur Antibaptistæ sint. Dolosè arguunt, Regnum Dei non consistere in Externis Ritibus.*
3. *Qui Christo accedunt, unde venerint cunque, baptizari debent. Ostium hoc ad Christum est.*
4. *Judæi Cultum Legis diu observabant, postquam Chri-*

ſtiani erant. In Tartaria Quid facturi ſunt Barjeſuitæ cum Proſelytis.

NOam cum Suis Liberationem ab aquis Diluvii reperiſſe, Apoſtolum novimus pro Typo habere, cujus Antitypum eſſe ait, Salutem, quam nunc Fideles ex aquis Baptiſmi conſequuntur per Reſurrectionem Jeſu Chriſti, 1 Pet. 3. 22. Per hoc autem, quod ibidem annexuit de Baptiſmo, eſſe σωτηρίαως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, manifeſtum eſt, Eum Typicam hanc atque Antitypicam rationem collocare, non in Liberatione ſolùm ex aquis, ſed & in Pacto quoque eo, quod ſtatim ab aquis Deus per Noam cum univerſo Orbe iniit, Gen. 9. 10. Et Pactum quidem illud, Pactorum omnium, Deum inter, Hominémque, primum fuiſſe, (Quicquid in ſpeciem Pacti, neque Unius quidem, cum Adamo icti, à Theologis, per piam Accommodationem, excogitatum eſt:) facilè colligitur ex hoc, quòd nè vocabulum iſtud ברית uſquam in V. T. reperiatur, ante cœptam iſtam Pactionem à Diluvio, Excepto ſolùm Gen. 6. 18, Ubi, per viam Promiſſi, Deus ingreſſuris in Arcam prænuntiat, Se Pactum aliquod cum iis initurum eſſe. Adeóque quod tam miſericorditer pollicitus iis in introitu eſt, quammox in exitu fideliter præſtitit. Eſt autem in iſtoc fœdere cum Noa nonnihil à Moſe ῥητῶς non ſemel adnotatum, quod in inſtituta hac jam per Petrum Baptiſmi Comparatione cum eo fœdere, haut levis momenti æſtimari oportet, ſi probè penſitetur. Quorſum enim eſt, quòd Deus profiteatur, Paciſci Se, non cum Noa, & Liberis ejus ſolùm, ſed pariter cum omni Anima Vivente? ver. 9, cum Volucribus, & Jumentis, & cunctis pecudibus terræ, ver. 10, ídque repetitum det ter & ampliùs, De Suo cum Illis, & cum toto Animantium Genere jam inſtituto Fœdere? Quid? Paciſcitúrne Deus ipſe cum Pacti incapacibus? Tam immemor Sui, aut prodigus factus, (nè dicam, à mente alienus) Ut diſertè agnoſcat Fœdus ſuum ici à Se, non ſolùm cum Semine Filiorum Noæ, (Cujus pars aliqua in Uxorum ſuarum uteris foveri tum, propter Benedictionis illius repetitionem, *Creſcite, & multiplicamini*, Gen. 8. 17, exiſtimanda eſt;) Sed & cum Animantibus cæteris, intellectum nullum, nè in Potentia quidem, unquam habentibus, atque ab omni Rationis uſu, aut Conſentiendi facultate, æternùm exulantibus?

2. Quàm frivola igitur, nimíſque captioſa eſt hæc Exceptio (vel Deo ipſo nunc Judice,) contra perpetuum uſum Sacroſanctæ Eccleſiæ, Fœdus Chriſti in Pædobaptiſmo cum Infantibus icentis, Eò quòd Neophyti iſti ignorent, Quid rerum tum agatur, neque per Seipſos inpræſentiarum poſſint Credere, Spondere, Stipulari, Adſentire? At poterunt tamen, σὺν Θεῷ, poſt annos aliquot, ínque ſuamet Perſona Quiſque, Pacti hujus Divini participes per Ratihabitionem ſuam, cùm creverint, Se tum facient. Interea autem temporis hoc ab Aliis, atque ab Eccleſia, Chriſti Sponſa, iis, & pro iis præſtatur, multò majore cum Conſequentia, Rationíque convenientiùs, quàm præſtari Animalibus cæteris à Noa poterat, Pactum incolumitatis ab altero Diluvio; Et iſta tamen Dei liberalis Profeſſio eſt, per ipſum Noam cum animantibus omnibus Pactum ſuum hâc in parte ſtatui. Nihil igitur dubito adſerere, Solidam aliam rationem adſignari non poſſe ab alteris iſtis Herodibus, Secundis in Orbe Infanticidis, cur Chriſto ſic ampliare placuerit, Phraſíque eâ uti, Euangelium ſuum, cujus capax ſolummodo Humanum Genus eſt, adnuntiari Se velle *Omni Creaturæ*, Mar. 16. 15, Niſi ex hoc reſpectu, quòd innuere unà volebat, etiam & Infantibus Fidelium, poſtulantium Suis Baptiſmum, Sacramentum Baptiſmi, Qui Janua ad fœdus cum Chriſto eſt, pro jure Regenerationis in Eccleſia Chriſti, impertiendum eſſe; Utcunque enim Parvuli ab Animalibus ipſis, quæ Bruta prorſus ſunt, quoad Actum omnem adſentiendi, uſúmque Rationis, aut Fidei, eâ tum ætate, videantur nihil differre, Rationales tamen ex natura cùm ſint, (facultatem eam poſtmodum exerturæ, ínque Sancta Confirmatione, Fœderis iſtius jura omnia ſibi vendicaturæ, adſumturæ in ſe Officia,) cadunt ſub hoc Mandato Chriſti, Euangelium ſuum annuntiandum eſſe *Omni Creaturæ*, Rationali ſcilicet Omni, exceptâ nemine.

3. Quantò minùs igitur ferendi in Eccleſiæ gremio ſunt, Ementitores Chriſtiani Nominis, prænobiles Barjeſuitæ noſtri, Quos Antipædobaptiſticæ huic dementiæ haut alio intuitu Patrocinium adferre videmus, Cat. Rac. pag. 196, quàm ut Hæreſi ſuæ Antibaptiſticæ viam magis præſtruant, ipſúmque Sacramentum Chriſti, (quod per Scomma, ſumnóque cum faſtidio, nihil aliud quàm *Baptiſmum aquæ* vocitare amant,) cavillis ſuis poſſint è liminibus Eccleſiæ prorſus exterminare? Anguntur enim maleſani, dirâque invidiâ rumpuntur, tam ineluctabile argumentum Divinæ in Chriſto Naturæ in uſu quotidiano Sacramenti hujus celebrari, & Quot ſunt capita naſcentium in Catholica Eccleſia, tot etiam Sanctiſſimæ Trinitatis, (Quam ipſi oderunt, arcéntque,) Repetitiones, *In Nomine Patris, & Filii, & SSpiritûs*, indies fieri. Sed tecto tamen, altúmque diſſimulato hoc ulcere ſuo, quod unicè prætendunt perpiiſſimi Nebulones, iſtud eſt, *Non conſiſtere Regnum Dei in externis hujuſmodi ritibus, ſed in Juſtitia, Pace, & Gaudio in Spiritu Sancto.* Atque iſtud quidem Nos nolumus non agnoſcere ab Apoſtolo veriſſimè dictum eſſe, Rom. 14. 17, paritérque obſervare, ut Catechiſtæ, nè ſuo indicio periret, haut placuerit Locum hunc in Margine ſuo, ut ſolet, notare; de communi Ciborum, Potuúmque uſu, aut abſtinentia: Sed tamen monemus, à Sophiſta nunc, Barjeſuitico more, veréque ſuo, diſtorqueri; atque ad Speciálem hunc Ritum Baptiſmi, quem Chriſtus, à Seipſo ῥητῶς inſtitutum, ad Eccleſiæ ſuæ praxin uſque in finem Mundi præſcripſerat, eliminandum ex Eccleſia, peſſimâ fide per fraudem applicari. Nè hilum interea Bonis hiis Viris curantibus, quantum immane in hoc peccetur ab ipſis, contra Juſtitiam, Quæ à Chriſtianis omnibus obſervationi Legis Chriſti inprimis debetur; & contra Pacem, Quam in univerſæ Eccleſiæ opprobrium ipſi violant, perfringúntque; & denique contra Gaudium in SSpiritu, Quod è Donis Dei Spiritualibus ferè primarium, non niſi è perfecta Charitate, hoc eſt, è Juſtitia noſtra erga Deum, Pacéque vera cum Proximis, naſcitur.

4. Sed ſic ſunt Racoviani iſti Hiſtriones; Habeant modò, quod prætextui, quàm futili cunque, iis ſit, & quo ſtolidi ſui Socinuli poſſint per paralogiſmum ab ipſis μυκτηρίζεσθαι, ſatis, ſupérque eſt. Iſtud igitur in hac quæſtione vaferrimum Caput ante omnia præmittendum duxit, *Nihil Se aliud ſentire de Baptiſmo aquæ, quàm quòd ſit Exterior Ritus, quo homines vel è Judaiſmo, vel è Gentiliſmo ad Religionem Chriſtianam accedentes, profitebantur Se Chriſtum pro ſuo Domino agnoſcere*, Cat. Rac. pag. 195. Hóccine verò verum non eſt? Bonâ fide, eſt veriſſimum. Sed per artificium Barjeſuitæ tamen, ſubleſtiſſimâ fide nunc præſtructum eſt, ut inſtillare ex eo poſſit, dolóque ſuo ſtatuminare, quod eſt falſiſſimum. Nam ſi Baptiſmus, eâ duntaxat de Cauſſa, Soliſque iis, (In hoc enim conſiſtit puerilis hæc Captio) qui è Judaiſmo, vel Gentiliſmo accedunt ad Chriſtum, præſcriptus fuerit, Liceret ei adſumere, Quorſum igitur, nunc dierum, ab intra Eccleſiam natis, ubi neque Judæorum quicquam, neque Gentilium eſſe creditur, hoc quod nulli uſui eſt, in uſu quotidiano foret? Verùm Argutatorculo huic uno verbo reſpondebitur, (memini enim Quæſtionem hanc priùs à Me excuſſam fuiſſe:) In Acceſſione ad Chriſtum, haut quicquam, Unde veniant homines, reſpici, ſed tantum, Quò. Accedúntne ad fidem Chriſti? Undecunque igitur accedatur, ſive è Judaiſmo, ſive è Gentiliſmo, ſive è Barjeſuitiſmo,

Imò,

Imò, (Nè Exoticis istis recensendis immoremur;) si ex ipsis Christianorum plagis accessio hæc fiat, Quia tamen Admittendorum ad Se Provincia delegata à Christo est, non Parentibus, ex quibus nasci possint Christiani, sed Apostolis suis, à quibus fieri Christiani, Baptismúsque ad Introitum pro Ostio solùm datus est, sciant jam ex me, (imò ex ipso Christo audiant) Latronibus, Furibúsque inscribendam esse omnem, quæ non per Ostium hoc habetur, intromissionem, Joan. 10. 1. E Judaismo autem quòd accessum olim fuisse à Baptizatis aiat, Quid hoc ad rem præsentem, Cùm lotio ea non fiebat in Signum, quòd à Judaismo discessum fuerit? Per aliquot enim Lustra post acceptum Euangelium, Qui ex ea Gente ad fidem Christi accesserant, perdurabant etiam in Cultu Mosaico, plurimæque Myriades, vel in ultimo Pauli itinere Hierosolymitano, erant, Qui Nomen Christo dederant, & Legis tamen omnes zelotæ erant, Act. 21. 20. Nihil igitur per Baptismum suum signabatur iis, quantum ad Terminum Ex quo, Unde venerant. E Gentilismo autem quoniam addidit, Rogandi oppidò sunt, Quia Poloniæ Regnum & Magnum Ducatum Lituaniæ, Transylvaniam etiam, aliásque in Partibus illis Provincias pervaserunt, Ut promovere porrò velint, Seséque, ad Unum Omnes cum pulvisculo, in intimam Tartariam, ádque Sinenses penetrare, Quò monstrare nobis possint, An ex eo Ethnicismo quenquam ad Barjesuiticam Christianitatem pertrahere valeant; Et siquos luctrifecerint, Quâ Baptismi formulâ? An imperatâ per Christum, *In nomine Patris, & Filii, & SSpiritûs?* An aliquâ Barjesuiticè correctâ, usuri ibi sint, in eorum Admissione?

Sect. LXXXIV.

1. Πιστεύειν *solet Absolutè poni. Nathanael, Quis fuerit. Messiæ Inventio. Judæi Galilæam spernebant, Galilæi Nazaretham.*
2. Funiculis Adam trahi, *est, Humano More. Nathanael ut perductus ad fidem Christi sit.*
3. *Fides Messiæ omnibus communis. Apertio Cœlorum* κατὰ φάσιν *dicta est. Ecstatica tales visiones. Stephanus Realem habebat, sed Spiritualem solùm visionem.*
4. *Angelorum Obsequia Messiæ. Adscensio & Descensio Angelorum, Quid.* ἐπὶ *cum quarto Casu sæpe est,* Ad. Ἀναβαίνειν ἐπὶ, *è loco inferiore est.*
5. Ἐφ' ὃν *subaudit, sæpe* χεῖρον, *sæpe &* λόγον· ἐπὶ *igitur sæpe est* αἰτιολογικόν. *Angeli cum Christo in terris semper aderant; Sed à Discipulis videbantur solùm ex effectibus.*
6. *Ubi Christus primùm dicitur,* Filius Dei, *ubi &* Filius Hominis. *A Se solo an sic dictus fuerit. Unio Hypostatica ut à Christo firmetur, à Barjesuitis oppugnetur.*
7. *Probatio Unionis Naturarum in Christo. De elogiis illis,* Tu es Petrus. Tibi dabo claves. *Nathanaeli debebantur, antequam Petro.*

DOminus Nathanaeli respondet, *Quia dixi Tibi, Vidi te sub ficu, credis*, Joan. 1. 51. Jam hæc ut fiant Interrogatio, nihil est opus: Neque enim in planè consimili dicto Interrogatio est, Ὅτι ἑώρακάς με, πεπίστευκας, Joan. 20. 29. At non ineptè interrogari nunc potest, Quid eum Dominus dicebat Credere? Erat autem, quod Credendorum omnium, (atque eâ præsertim ætate,) Caput & Summa erat, Regem Israelis, id est, Messiam venisse, atque Jesum Eum esse, ipsum Dei Filium. Ista enim Nathanaelis Professio fuerat, ver. 50. De more autem Sacri Eloquii esse, Verbum Πιστεύειν Absolutè hâc in re ponere, vidimus in eo, proximè jam laudato ad Thomam dicto, Similitérque se habebat in Elizabethæ ad B. Virginem, Μακαρία ἡ πιστεύσασα, Luc. 1. 45. (Maluit enim, Beatam, quæ Crediderat, quàm Quæ Conceperat, dicere,) & in Philippi quoque ad Eunuchum, baptizari se postulantem, Εἰ πιστεύεις, ἔξεστι, Act. 8. 37. Sunt & hujus farinæ alia. Nathanael autem hic, quis fuerit, & An in XII Viralem Ordinem adscitus pòst à Christo, (Cui opinioni perlibenter accederem, siquam ejus è Sacris Literis possem eruere Authoritatem;) & An idem, Qui Bartholomæus à cæteris Euangelistis nuncupatur, habendus sit, Doctorum Disputationibus per me nunc relinquitur. Quisquis erat, mentionem hanc sub nomenclatura Nathanaelis à Joanne solo consecutus est, eámque satis infrequentem, (nam Bis tantùm in eo occurrit,) sed apprimè tamen notabilem utramque, tum ab ipso Tempore, tum à Sociis unà nominatis. Tempus Primum est, hoc ipso in Vestibulo Historiæ Christi, habétque heic Mentionis suæ Collegas Apostolos, directè quidem Philippum, ex consequente verò Andream etiam & Petrum. Alterum Tempus est, in clausula Euangelii, postquam Christus à Resurrectione conspiciendum Se Suis, non semel, dederat, atque tum proximè post Petrum, & Thomam recensetur Nathanael, & post eum, (Quæ Johannis admiranda, semper de Se loquentis, Humilitas, Modestiáque erat!) Zebedæi Filii, & Discipulorum Domini sine nominibus Duo alii, accensentur, Joan. 21. 2. Monitus autem Hic à Philippo, Messiam inventum esse à Se, (Ab Ipso tamen, non dicit, sed Ab Ipsis, ὑπ' ἐκείνων, ver. 46, intelligítque Andream & Simonem, Quos, non aliâ de ratione ibi interseritur, Ex eadem Urbecula cum Philippo oriundos esse, ver. 45,) turbabatur aliquantulùm ex hoc, quòd Nazarethæ pariter facta erat mentio. Et cur? Quia eodem præjudicio, quo Judæi contra Galilæam universam abrepti erant, Joan. 7. 52, etiam & Galilæi ipsi, (Nathanael autem Canensis erat,) laborabant adversùs Nazaretham, Nequire eam cujusvis Boni, Joan. 1. 47, nedum Summi, Parentem esse. Sed tamen, propter ea, quæ ei à Philippo, partim è Suiipsius Vocatione, partim etiam ex relatione Petri, & Andreæ, atque ex ipso Baptista, ver. 41, narrabantur De Jesu, pio zelo percitus, (Benignissimo Jesu inprimis sic adspirante,) Scrupulum omnem ponit, & Philippum sibi perductorem facit ad Dominum.

2. Jámq; singulare hoc tum Providentiæ, tum Bonitatis Divinæ specimen spectur. Dominus enim Nathanaelem satis jam nôrat, Suúmque Sibi, antequam veniret, sed hoc modo attrahendum ad Se, fecerat. Quoniam verò statuerat etiam, Ipse jam Homo factus, in funiculis Hominis, & vinculis Amoris, Hos. 11. 4, hoc est, Humano more, eum usque trahere, (Aliter autem cum eruditis, & literas edoctis, aliter cum rudioribus, atque scientiæ expertibus, agendum esse, optimè sciret,) Hem, Ut, præter quàm sperare Nathanael poterat, incipit ipse Christus, eáque de nunquam viso sponte suâ profatur, ver. 48, ex quibus ille se Christo, quem nunquam viderat, notiorem multò, quàm sibi esse, perspicit! Perculit igitur virum cordatum hujus Rei admiratio, cœpítque secum cogitare, vel istud Eum plusquam Hominem sonare; Quò certiorem tamen se porrò faciat, interrogat Eum, *Unde me cognoscis?* ver. 49, Christúsque in instituto pergens, illico novis admirandi argumentis hominem ità subigit sibi; (Significat enim, Nôsse Se, Ubi sub arbore modò (sub ficu) sederat: Nôsse etiam, Ut & indè, (Quod inter ipsos tamen, semotis arbitris, factum esse Nathanael sciebat;) evocatus à Philippo fuerat:) Ut Divinâ hâc Arte illico eum impulerit ad Fidei suæ Professionem, *Domine, Tu es Filius Dei; Tu es Rex Israelis*, ver. 50: Cùm alia tamen hæc à Christo dicta non erant, quàm quibus paria olim Prophetæ interdum præstiterant, neque indè Quisquam eorum pro Filio Dei κατ' ἐξοχὴν, sed tantùm pro Homine Dei, habitus fuerat. Christus igitur, pro immensa sua benignitate, Ut Fidem hanc Hominis, Pietatémque adaugere possit, sic reponit ei, Bonum factum, quòd tam te præstes ingenuum, & propter hæc credas! Confide igitur porrò, Nam *Majora his videbis*, ver. 51. Ineptiisse igitur notandi sunt, qui non μείζω legentes, sed μεῖζον, in Latino V. reddiderunt, *Majus*

hiis videbis; quasi Unum aliquid Singulare, quod ista superabit, promiserit ei Christus, Cùm Ille & Majora & Plura, (Muneris nimirum Sui; Verè Se Messiam esse;) Argumenta, Testimonia, Indicia pollicitus fuerit.

3. Sed alia tamen heic est, quantum ad Numeros, mutatio, ab ipso Joanne, atque à Christo facta, quam non perpendere est nefas. Nam Christus, Qui ὄψη, *Tu videbis*, primò dicit, in proximè dictis subjungit, ὄψεσθε, *Vos videbitis*. Joannes etiam ait, Jesum dixisse Nathanaeli, καὶ λέγει αὐτῷ, quod Jesus tamen ibi tum ait, est, ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Quæ igitur est Ratio Numeros istos sic variandi? Ista est. An præter Philippum quispiam tum aderat, parùm refert: Ex parte enim Discipulorum, vel in Philippo Pluralis ista Locutio iis omnibus data est, non Nathanaelem solùm, sed omnes eos beandos esse cognitione earum rerum, quas deincipes percipere daretur, in Fidei suæ de Messia confirmationem: Ex parte etiam Nathanaelis, Ut ipse jam à principio moneatur, Publicam Rem hanc agi, Quicquid igitur à quoquam conspiceretur, cùm alios abesse contingeret, quod in hoc argumentum tenderet, (Qualia erant, Ea in quibus Petrus, Jacobus, atque Joannes cum Christo è Suis soli aderant, Restitutio Filiæ Jairi, Luc. 8. 51, Transfiguratio Ipsius in Monte, Matth. 17. 1, Agonia sua in Horto, Mar. 14. 33.) hujus generis singula, ubi audirentur ex præsentibus, pro conspectis haberi à cæteris (aberant licèt) debere, Fideique sibi suæ statumina fieri. Speciatim verò, Duo nunc visum est Christo, conspicienda promittere, Apertionem Cœlorum, atque Transcursum Angelorum, ver. 52. Verùm, ánnon ex figurato loquendi genere duntaxat ista profecta sint, ínque Virtutis solùm Cœlestis significationem sic sint posita, haut facile est arbitratu. Cœlum enim quod attinet, findi illud, aperiri, aut discedere dici, dici magis κατὰ φάσιν solere, quàm re ipsâ præstari, optimâ ratione suadetur, Quia ubi primùm in N. T. dicitur hoc, non Absolutè sic dicitur, non Simpliciter, ἀνεῴχθησαν οἱ οὐρανοὶ, sed cum Adjecta Modificatione sua, καὶ ἰδοὺ ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ, Matth. 3. 16. Hoc autem αὐτῷ designat, non Jesum, sed Baptistam, Ille sic imaginatus est. (De Illo enim hoc necessariò, per trajectiunculam, exponi oportet, propter id quod ibidem subnectitur, εἶδεν τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν ἐρχόμενον ἐπ' αὐτὸν, id est, Super Christum venit, adspiciente Baptistâ). Matthæus scilicet, Hebræorum suorum idiomati insistens, subitam eam coruscationem de Cœlo factam describit, acsi Baptistæ creâsset Cœlorum hiantium imaginationem; Veruntamen ipse Baptista, Historiolam hanc fusè satis alibi profatus, nullam omnino facit Cœli aperturæ mentionem, Joan. 1. 32. Addatur huc, quòd & Petrũ occupaverat mentis suæ extasis, cùm illi videbatur Cœlum aperiri, hoc est, Spectaculum illud imaginarium de Cœlo ei descendere, Act. 10. 11, Quæ & Ezechielis olim conditio erat, Ezec. 1. 1. Sed & Repræsentationem ejusmodi, Veram quidem, atque Realem, verùm planè Spiritualem, factam esse Stephani (sub Templi tecto tum in Synedrio stantis) menti, Fideique, non Corporeo obtutui, Act. 7. 56, argumento sunt, tum Locus ipse, unde Cœlum adspici nequibat, (sub Dio enim non erat, neque aliquod impluvium;) tum & cæterorum Fidelium, adstantium ei, nihil tale videntium tamen, altum silentium.

4. Sensum igitur sententiæ suæ licèt Christus ad omnes suos pertinere volebat, Phraseως tamen hujus *Cœli Aperiendi*, Figuram credendum est Nathanaeli, exercitato in Bonis Literis, potissimùm datam esse. Sed & in illa, Angelorum quoque, euntium, redeuntiúmque, eadem propemodum est Ratio. Sciebat enim Christus, nè Nathanaeli quidem, nedum alteri cuivis minùs erudito, Præsentis Messiæ dari posse validius argumentum, quàm si viderent Angelos de Cœlo inservire Ei, próque famulis & Ministris datos, (ut Hebr. 1. 6,) Ei certatim Obsequia sua præstare. Tanti enim ponderis videmus hoc semper fuisse apud Hebræos, ut in ea ad ipsos Epistola Primarium Argumentum De Messiæ Adventu indè ductum sit, *Quantò excellentior Angelis Ipse factus erat*, ver. 4. & Quibus Officiis prosequendus ab iis erat, ver. 14. Quin & Verba hæc Christi, ut vulgò nunc exponuntur, difficultate suâ non carent. Quanquam enim agnoscamus, propriissimè dici, *Descendisse Spiritum super eum*, Mar. 1. 10. *In figura Columba descendisse*, & *mansisse super eum*, Joan. 1. 33, Ergóne congruet & Angelos super Messiam locare? Ut Illi etiam descendant supra Illum? Ut vehant igitur in Eo, quasi in jumento suo, jumenta Ipsius? *Angelos enim suos facit Spiritus*, Heb. 1. 7, atque Ipsius est in eorum pennis volare, Psal. 18. 10. Qui ibidem quoque dicitur, *Ascendere super Cherubin*. Sed quàm insana est hæc perversio, Angeli ut adscendant super Ipsum? Quàm misera igitur Interpretum oscitantia, post admissam hanc ἀκυρολογίαν, ejus sanandæ caussâ, Figuram inclamare, atque ad ζύλλυσιν confugere? Imprimis verò in Tralatores Nostros cudenda est hæc faba: Illi enim, cùm Lucas alibi dicat, διαῤῥῆξαι καταβαῖνον ἐπ' αὐτὸν σκεῦός τι ὡς ὀθόνην, Act. 10. 11, neque Latinum V. imitari ausi, atque ἐπ' αὐτὸν prorsus elidere, neque magnum illud Linteum, Animalibus onustum, in Petri cervices conjicere, rectè ibi verterunt, Descending unto him. Interdum enim ἐπὶ cum quarto Casu poni solet pro εἰς, Atque indè etiam Ipsi καταβαίνειν ἐπὶ τὴν θάλασσαν, bene reddiderunt, Went down unto the Sea, Joan. 6. 16. Verùm neque Localis ista Expositio locum heic habere potest, propter alterum illud Verbum ἀναβαίνειν, Quod non admittit Regimen hoc, nisi in iis Locutionibus, ubi Terminus à Quo rationem situs Inferioris habet, & Terminus ad Quem, Superioris, Ut in ἀναβαίνειν ἐπὶ δῶμα, Luc. 5. 19. ἐπὶ συκομωρέαν, Luc. 19. 4. ἐπὶ τὴν καρδίαν, Act. 7. 23. Dei autem Angelos, respectu Filii Hominis, Situm inferiorem habere, Quis dixerit?

5. Quid igitur erit hoc? Enimverò Præpositionem hanc ἐπὶ habere interdum aliam ex Casu isto Quarto significationem, facile probatu est, vel ex usu Adverbii ἐφόσον, ad quod Græci Ubi purissimé loquuntur, subaudire solent, non solùm χρόνον, in quantum Temporis mensuram designari volunt, ut Matth. 9. 15, & 2 Pet. 1. 13, sed etiam λόγον, quatenus applicant ad rei rationem reddendam, ut Matt. 25. 40. & Rom. 11. 13. In significatu igitur æstiologico isto, confido & hoc, ἐπὶ τῷ ὑὸν τοῦ ἀνθρώπου, accipiendum esse, Cúmque huic finitimum sit, quod Cyrus apud Herodotum dicatur, ἐπὶ τὴν δυνατότερα πεμφθῆναι Ἀμασιν πέμψας, id est, Ejus habendæ caussâ; Similitérque ἐφ' ἑωυτὸν ποιῆσαι, & ἐπ' ἐξουσίαν, Græcè dici soleat, pro *Sua potestatis facere*, Ad hunc igitur sensum & heic innuendum, desydero in Typis Nostris punctum post καταβαίνοντας, atque ex eo intuitu Locum Nobis sic reddo, and the Angels of God Ascending and Descending, on the behalf of the Sonne of Man. Jam verò, Quoniam in transcursu hoc Angelorum dicendo, Christus primùm inceptet ab Adscensione eorum, τοὺς Ἀγγέλους τοῦ Θεοῦ ἀναβαίνοντας, atque secundo dein loco addat καταβαίνοντας, ex hoc ipso Ordine dictorum, non ineptè colligitur, Christum, quâ Deus est, Qui Hominem sibi assumsit, semper secum in terris habuisse Multitudinem Angelorum, nunquam non intendentium Ei, atque imperata Ejus facientium, ex nutu, jussúque Ipsius, exeuntium, quò ei placebat, hoc est, ἀναβαίνοντας, & redeuntium, ubi Ille volebat, hoc est, καταβαίνοντας, & prorsus submittentium Se in Naturæ Ejus Humanæ obsequia. Oportere igitur & ex hoc exponi judico, quòd polliceatur Discipulis, Visuros ipsos esse Angelorum horum accessum, recessúmque: Non, quòd Angeli, quâ tales, in Discipulorum conspectum Se darent, Sed cùm inter Judæos recepta opinio erat, Angelos in quaque Re esse Divinæ Providentiæ Administros, Deúmque in V. T. quicquid fecerit, vel dixerit quidem, operâ Angelorum suorum ad ea semper usum esse, idem & à Christo fieri Discipuli nunc perspicerent ex Effectu ipso, & manifesto Eventu Rerum omnium, sicut Ipse mandabat, & Quando, & Ubi, sine mora gestarum, præter, supráque Humanas Vires, & extra communem Naturæ nostræ ordinem; Per Angelos igitur.

6. Sed

6. Sed nec adhuc manum de hac tabula tollo, priusquam ſtudioſos Lectores etiam de hoc, Notâ quidem primariâ, niſi fallor, digno, commonefecero, Primum eſſe tempus hoc in Hiſtoria N. T. utriuſque hujus Appellationis, Primum, quo Jeſus, *Filius Dei, & Rex Iſraelis*, hoc eſt, Meſſias, à quoquam indigetatur, ut ver. 50, Primum quoque quo à Se vocatur, *Filius Hominis*, ut v. 52. (A Se enim Solo, & ferè Centies, ſed præterea à nemine dum ipſe in terris ageret, eam Nomenclaturam retulit; Et de qua Ratione, abunde à Viris Doctis expoſitum eſt; Ipſi igitur adeantur: Poſtquam verò terras reliquerat, ſemel ſic audîit, è Stephano, Act. 7. 50, & fortean è Joanne, Apoc. 1. 13.) Verùm quòd Ipſi placuerit, Utramque hanc Appellationem ità ſemper conjunctam eſſe, Ut audito ex Nathanaele jam titulo *Filii Dei*, ſtatim ipſe ſibi ſubnexuerit titulum *Filii Hominis*, Myſterio grandi, Sanctóque non caret. Ut vel hinc obſervent, qui ſolidè, piéque ſapiunt, quàm diverſus ab ipſo Chriſto abire nobis amaverit mirificus ille è Lituania Catechiſta, Sic ut eum Barjeſû Filium, (Barjeſum autem, Cujus?) facilè poſſint agnoſcere. Chriſtus enim, admiſsâ Divinæ ſuæ Naturæ (aliter enim, Nathanael nihil dixit;) ſignificatione ex iſto Titulo *Filii Dei*, Ut de Incarnatione quoque ſua, & Adſumtione Humanæ Naturæ Sui rectè à principio inſtrui poſſint, (Competere enim ſibi utramque, atque in Perſona Sua pariter ſtare,) protinus ſubjungit ſignificationem ejuſdem ex titulo *Filii Hominis*. Chriſtomaſtix iſte contrà, Quaſi jam Chriſto datus ipſe Judex fuerit, certúſque ex Ore ſuo condemnare Eum, & quod in Eo ipſe Deus conjunxit, vel ob hoc quòd conjunxerit, (Quia ſine Socino dicitur, & Barjeſuitarum ingratiis!) diſplodere, disjungere, diſperdere, Sententiam tulit hanc, *Quia Chriſtus Naturâ eſt Homo, hoc ipſum adimere Ei Naturam Divinam*, Cat. Rac. pag. 50. Fundamentum autem hujus Sententiæ in eo Se antè poſuiſſe ſperabat, *Repugnare enim non ſolùm Rationi ſanæ*, ſed & Divinis Literis, Ut Qui Naturâ *eſt Homo, Divinam Naturam habeat*, Cat. Rac. p. 48. ideóque non veritus eſt pòſt diffinire, *Filium Hominis Naturâ Deum eſſe non poſſe*, Cat. Rac. p. 114. Quâ in Re Sermonem ſuum, perverſo ſemper ordine, pro ſua vafritie, inſtituere cavit, non enim, Quòd Divina Natura Humanam, ſed Quaſi Humana Divinam, ad ſe adſumſerit.

7. Neque verò Theomachum hunc movet, quòd Chriſtus iſtud De Naturarum Hypoſtatica Unione, Solitariè nunc, atque cum uno Nathanaele non tranſegerit, dum Dicto ejus, *De Filio Dei*, & hoc, *De Filio Hominis*, actutùm ſubjunxerit, Sed & pòſt, cùm Apoſtolis omnibus id agens, Ut illi Naturæ ſuæ Divinæ fidem exponerent, ipſe tamen tum cautè præmiſerit De Natura ſua Humana, per factum Quæſtioni ſuæ adſumentum, Cujus ratio nulla alia in communi ſermone dari poteſt. Abunde enim fuiſſet interrogare eos, *Quem me dicunt Homines eſſe?* Matth. 16. 13. Sed Quoniam Ipſe prævidebat, Omnium nomine Petrum mox reſponſurum, *Tu es Chriſtus, Filius Dei Viventis*, ver. 16, Quò præmonerentur igitur omnes indè, De Sanctiſſimo hoc conjunctæ utriuſque Naturæ Myſterio, per anteceſſum eos ſic interrogat, *Quem Me dicunt homines eſſe, Filium hominis?* Conſimili denique exemplo, jam Mundo valedicturus, Quia Caiaphas in Synedrio nolebat non extorquere Reſponſum ab Eo, *An eſſet Chriſtus Filius Dei?* Matth. 26. 63, Nolebat Ipſe aliter reponere, quàm cum expreſsè interjectâ hâc mentione *Filii Hominis*, Nôrat utcunque Pontificem ex iſto Reſponſo intorſurum Ei Blaſphemiæ Calumniam, ver. 65. Sic Ille in Dialogis ſuis omnibus, Naturas ſuas, cum Divina Humanam, cum Humana Divinam, ſemper intertexere amabat! Diſtortiones autem iſtas Catechiſticas, omnéſque Barjeſuiticarum Perverſionum ſtrophas ſcio me alibi jampridem contudiſſe. Concludo igitur nunc; Sed cum iſta tamen obiter etiam & Jeſuitis, Viciníſque Noſtris ex Eccleſia Pontificia cæteris monitiuncula, Nè ſe nimiùm in Italia ludos faciant propter argumentum è Galilæa ſubductum, Quod cur in Antiochenæ Eccleſiæ, aut Babylonicæ, aut totius certè illius Orientalis Diſperſionis Privilegium, Gratiámque minùs, quàm in Romanæ, profluxerit à Chriſto, genuinam rationem Quis poteſt reddere? Nè Romæ igitur ſic cornua ſibi erigant, quòd ex eo Simonis Reſponſo, Dominus ei repoſuerit, *Tu es Petrus, & ſuper iſtam petram ædificabo Eccleſiam meam*, Quòd promiſerit etiam, *Tibi dabo claves Cœlorum*, Matth. 16. 18. Nam ſi hæc in Sanctæ profeſſionis à Petro tum omnium nomine factæ De Chriſto, Meſſia, mercedem conceſſa eſſe voluerint, pedibus imus in eorum Sententiam: Verùm ſucclamamus, Hem iis heic, è Primorum Diſcipulorum cœtu, Nathanaelem, Simonis in hoc mirabilem, σὺν Θεῷ, Informatorem, (in eadem enim verba tam longè antevertentem,) totóque biennio, (Interſtitium dico inter Duo hæc Chriſti, Canam, Cæſareámque, itinera,) dum & Fides noſtra omnium in herba erat, ipſo Petro (abſit dicto invidia,) Petriorem.

SECT. LXXXV.

1. *Articulus Demonſtrativè poſitus. Id poſſumus, quod jure poſſumus. Elleipſis propriſſimè ſuppletur è præmiſſis. Ut Aaron erat Typus Chriſti.*
2. Καθίσατε, & Κληθῆτε, *in Pontificatu ut differant. Sacerdotes N. T. non Succeſſores, ſed Subſtituti Chriſto habendi ſunt. Non Vocato, Nemini audendum hoc eſt.*
3. *Succeſſio Doctrina præſumitur è Succeſſione Ordinis. Barjeſuita cur Miſſionem averſentur. Ordinatio, & Miſſio cui ſint Bono Eccleſiæ.*
4. *Docere in Eccleſiis non facit Doctores, aut legitimos Miniſtros. Doctrinam ſuam cur Barjeſuita affectent pro Non Nova haberi. Antiquas quidem Hareſes recoluntˇ.*
5. *Symbolum Apoſtolicum profitentur admittere, ſed in ſummam fraudem ſit. Semper licuit Eccleſiæ Chriſti conciſos illos Articulos exponere. Catechiſta ut ſumat,* Credo in SSpiritum.
6. *Barjeſuitiſmus eſt & Puritaniſmo, & Jeſuitiſmo longè Novior. Miſſionem cùm nullam habeant, habent pro Non Neceſſaria.*
7. *Doctrina, Antiqua ſit, an Nova, perpaucorum eſt judicare: An Doctores Veri ſint, (Miſſi enim,) ex facto pendet, & cuivis patere poteſt.*
8. *Non, in Doctrina ſua Chriſtus, ſed in Eccleſia ſua Confirmationem inſtituebat in Eccleſia Ordinationem, & Miſſionem.*
9. Epiſcopi, Doctores, Presbyteri, *ſunt Tituli è Sacra Vocatione & Ordinatione Eccleſiæ. Epiſtola ad Timotheum, Titúmque dabantur pro Regula Præpoſitis Eccleſiæ. Miſſio non pendet ex aliqua Doctrinæ conditione, ſed ex Authoritate Divina.*
10. *Apoſtolica Doctrina Nova non erat, licèt facta ſit à Chriſto Novi Fœderis Lex. Interrogationes ſine Negativo vehementiùs negant. Miſſio quàm ſit neceſſaria.*
11. *In Eccleſia nemo conſtituitur niſi à Poteſtatem habente ex Chriſto.* Conſtitui *eſt Vocari, Ordinari, Mitti, Gubernari. Barjeſuita ut Hypoſtolici ſint.*
12. *Aaron vocatus à Deo eſt, quia per Moſen, in eremo. Sed in Ægypto immediatè vocatus eſt.*

SUnt in illis verbis Apoſtoli nonnulla, an præterita hactenus à me, equidem non memini, ſed notatu non indigna, Καὶ οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν, ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών, Heb. 5. 4. Unum eſt, Articulum τὴν Demonſtrativam Vim nunc habere, & valere ταύτην, *Honorem* enim *hunc adſumere Sibi neminem*; Cujus Exempla è N. T. ſupra Viginti mihi in numerato habeo. Duplici autem hoc in loco Emphaſi gaudet; Una eſt Generalis, Nemo Sibi arrogat, ut Sacerdos

fiat. Altera Specialis, Nemo, Ut agmen hoc ducat, Primúsque omnium fiat in Sacerdotali Ordine. Ità enim hæc Comparatio instituitur ab Apostolo, Non inter ipsos Pontifices Utriusque Testamenti in Classe sua, sed Aaronem inter, Pontificatûs Legalis Antesignanum factum, Christúmque, è Melchisedeciano Ordine Ducem. Secundum est, ex usu Verbi hujus λαμβάνει. Nam cùm aiat, *non adsumere*, facultas spectatur, non Naturalis, sed Moralis, sensúsque est, *Non posse quenquam*; Id enim possumus, quod jure possumus; Non debere igitur. Ratio autem, Cur nemini liceat, est, Quia à Deo solo est, sumi ex hominibus, & supra homines constitui, atq; ità Pontificem fieri, v. 1. Ait igitur, Neque ipsi Christo contigisse hoc, nisi sumente Eum, & constituente Deo. Tertium est, Manifestam esse Ellipsin in ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ· Quia Casus ille Primus unde regatur, nihil est. Suppleri quidem solet, (faciliùs, an feliciùs, non disputo;) ab Expositoribus pro suo cujusque ingenio, arbitrióque; Verùm cùm Conjunctio ἀλλὰ in istis Ellipticis Locutionibus, quibus gauderè quidem videtur, non Discretiva solùm, sed & Continuativa ut plurimùm sit, propriissimè supplenda est ex ipsis verbis ibidem antegressis: Ità igitur hoc erit, ἀλλ' ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ λαμβάνει] ὡς αὐτόν. Quo modo dici quoque videmus & v. 1, Similitérque in Tmematio heic insequente, ad ἀλλ' ὁ λαλήσας πρὸς αὐτὸν, appositiùs suppleri potest, ἐδόξασεν αὐτὸν, ver. 5. Neque aliter expediet, ad ἀλλ' οἷς ἑτοίμασαι· suppleri, Matth. 20. 23, quàm per δοθήσε]· aut ad ἀλλ' ὅτι ἐγὼ θέλω, Mar. 14. 36, quàm per ἦτω· aut ad ἀλλ' ἢ διαμερισμὸν, Luc. 12. 51, quàm per δοῦναι. Quartum denique est, quòd Aaronem nunc ῥητῶς Popularibus suis proponat, καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών, pro Typo Christi in Pontificatu suo, sed cum immutatione aliqua Verborum, quibus antea usus erat. Restabit igitur inquirendum, Quo potissimùm consilio hoc factum sit, Ut, cùm modò dixerat λαμβανόμενος καθίσα], v. 1, eorum loco nunc adponat, ὁ καλούμενος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καθάπερ καὶ ὁ Ἀαρών.

2. Datum autem hoc præcipuè est respectui Legis Christi, N'que T. conditionibus. Nam cùm Neuter Eorum (neque Aaron, neque Christus,) ad hanc Sacrorum Præfecturam, suâ solius causâ, adsciscebatur, sed in gratiam Ecclesiæ Dei, ex istoc Beneficio Prælatorum, præsentem Intercessionem ad Deum æternùm habituræ, De Pontificatu quidem Aaronico, utputa in Posteris Suis per Successionem continuando, optimè dicebatur καθίσα], in Confirmationem sanctissimi hujus Juris, ei non pro Se solùm, sed & pro sua Posteritate, commissi. Verùm cùm Christus, *Non, secundùm Legem Carnalis illius Commissionis, sed secundùm virtutem Vitæ indissolubilis*, Heb. 7. 16, Pontifex in æternum factus fuerit, atque indè, Muneris hujus, inter Deum, Hominésque Intercessorii, executionem in terris, non Successoribus, ut ex Ipso, aut cum Ipso natis, sed Substitutis solùm, atque à Seipso Delegatis, próque Ipso in solidum defungentibus, mandaverit, perquam appositè nunc eligitur vocabulum καλούμενος, ad hoc significandum, Quò moneantur universi, Nemini omnium audendum esse, sine vera, propriâque Vocatione, Ordinatione, Missione (Concatenata enim hæc sunt, atque in idem recidunt:) ex Ipso Christo indulta, Christi vices gerere, falcémque suam in hæc Sacra immittere. Quod audiat, velim, Catechista ὁ δεῖνα, Qui, quid possit quisque, debeátve, nil moratus, Apostolíque summis ingratiis *Sibi adsumit, non Vocatus*, súbque speciosis quibusdam (ad populum miserè fallendum appensis sibi) phaleris, *Docendi in Ecclesia, & Ordini tuendo, conservandóque invigilandi*, C. R. p. 305, Honorem hunc non invadit solùm, sed & ore impudente Sibi, atque Congerronibus suis quasi de jure arrogat, *Meritò Se apud omnes Authoritatem justam invenire debere*, C. R. p. 306. Sic autem frontem perfricare cùm in more semper Hæreticis omnibus fuerit, Barjesuitis ante omnes Quis hoc neget? Veruntamen conscius ipse sibi, tam inimica Christo, (Quem verbis nonnunquam frigidè extollit,) consilia ipsos intùs coquere, Ut Judas ipse nihil ad eos; veritúsque, nè ex Apostoli sententia, *Non enim Qui commendat Seipsum, ille probandus est, sed Quem Dominus commendat*, 2 Cor. 10. 18, jubeantur, Vocationem suam probare, atque ab ipso Christo eos Mitti, antevortendum hoc quâ poterat, esse duxit, pérque stolidam Quæstiunculam, quam ipse vervecibus suis præmansam in os indit, penitus avertendum; Respondet enim, *Qui docent in Ecclesia, Ut singulari aliqua ratione mittantur, nullo modo opus habere*, C. R. p. 305.

3. *Non opus habere?* Hui! Quorsum hæ offuciæ? Quorsum ambages? Dic apertè, Scelus, quod res est, *Nullo modo probare eos posse*. Mitti enim illos? A Quo? præterquam à Seipsis. Vocari eos? A quo? nisi à Parente suo Barjesu. Successionem autem Doctrinæ suæ à Christo ut per Catholicam non Temporum solùm, sed & Patrum quoque Successionem, (Sacrosanctam Lampadem eam piè de tempore in tempus indè ab Apostolis, Déque manu in manum vicissim tradentium.) probare jubeantur, proh nefas! Censura hæc gravior multò, intolerabiliórque est, quàm ipse Paulus Parenti eorum intulit; Relictum enim Elymæ erat, ut posset circumagere Se, atque Manuductorem sibi quærere, Act. 13. 11. Quamobrem, Qui nunc inficiatione hâc Apostoli, ὃ λαμβάνει, nihil obstante, possunt honorem hunc sibi assumere, áque Deo nullo (Bono,) vocati, audent Sese populo Dei obtrudere, Næ istud verissimè prolocuti sunt, *Ut mittantur, eos nullo modo opus habere*: multò minùs igitur, *Ut Singulari aliquâ ratione mittantur*. Nam Quid est hoc? Oedipo reverâ nunc opus est. Sed quicquid velint, qui Singularem Rationem aversantur, De Communi Ratione Quæstio fiat, & ab eâ nulli diffugient. Homines enim sunt, & loqui possunt: Sunt etiam Sophistæ, & argutari sciunt: Barjesuitæ sunt denique, & SScripturas didicerunt non vulgariter pervertere. Quisdni igitur Se pro sufficienter Missis habeant? Sed ut Singularis aliqua Ratio exigatur ab iis, Apage. Tyrannicum est, & *Nullo modo* ferendum! Sive eam intelligant, respectu singularum Personarum, Ut examinetur Quisque ab Authoritatem hanc habentibus, Quid rectè, quid sequiùs ipse de Deo sentiat, (An mysterium Fidei habeat in pura conscientia, 1 Tim. 3. 9: An non didicerit ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ, 1 Tim. 1. 3: An tenaciter inhæreat fideli Sermoni ab Apostolis tradito, possítque & velit per Doctrinam verè sanam aliis præire, Tit. 1. 9.) Sive respectu Christi, Ut quisquis eat, Christi ipsius Nomine, Auspiciísque ire, jubeatur ab iis, quibus Christus Potestatem hanc, Curámque in æternum commisit, Matth. 28. 20: Utq; Suffragia, & Benedictionem Ecclesiæ Christi, & Communicationem SSpiritûs secum ex Ecclesia apportet ad alios, Jam ipsis, (Ab Ecclesia Catholica transfugis tam manifestariis) quia nullo modo licêre sciunt, *nullo* ergò *modo* libêre profitentur, esse tam *Singularibus*!.

4. Nè videantur tamen non nisi cum Ratione aliqua insanire, atque hactenus depuduisse, Catechista solens suo more ad SScripturas, quò ex earum prætextu κρησφύγετον Sibi paret, confugit, atque ex Epistolis ad Timotheum, Titúmque totam Pagellam sibi in antecessum adornat, *De Doctorum, Pastorum, Episcoporum, & Presbyterorum, seu Seniorum Munere, & Officiis*, C. R. p. 304. Quàm tumultuariè autem hosce Titulos aggregârit, & quàm perfunctoriè verba Apostoli verterit, litem ei nunc non intendimus. Verùm hoc respondeat velimus, Quorsum de istis agit cum monedulis suis Racovianis? Habéntne enim Catechisticæ hujus ἀγοσυνίας Conciliabula, in Regno Poloniæ, & Magno Ducatu Lituaniæ, vel in universo Orbe quidem, eos quos Paulus *Doctores, Pastores, Episcopos, Presbyteros*, ibi volebat describere? Hæc igitur Prima ejus in hiis fraus est! Quâ tamen præmissâ, atque è sola verborum Pauli citatione, omnem hunc Honorem Cœtibus suis pro concesso sumens, adsumit, Habere ipsos, *Qui docent in Ecclesia*, C. R. p. 305. Et pronâ quidem fide credimus habere. Habemus enim & Nos

hodiéque

hodiéque in execrando Schismate Britannico, ex ipso Potificum, Artificum, Calonum gregibus, Qui docent in Ecclesiis nostris, & dici non potest quàm diserté! Fortunatos igitur Nos, si Catechista audiendus est, Habemus enim in hiis Episcoporum, Pastorum, Doctorum novam subolem! Nè pelluceat tamen (vel Suis) ridiculus iste Paralogismus, hem alio pertegit, & omnium mendacissimo. *Etenim illi*, (intellige Catechistam, & qui docent in Cœtibus Barjesuiticis,) *nunc nullam Novam, nec antea inauditam Doctrinam afferunt, sed Apostolicam, Antiquitus ab omnibus exceptam*, C. R. p. 305. Bellissimum verò Caput hoc, & nullis non lemniscis nunc ornandum, tollendúmque! Augiæ enim Stabulum stercoribus abundâsse haut magis credendum est, quàm elogium hoc suum fallaciis & falsimoniis! *Nullam novam Doctrinam adferunt*, ait Ipse: *Nullam nisi novam*, Nos de ipsis. Utri Parti jam credetur? Audiat verò Nos, volumus, Fides ipsa, non Partes Nostræ, audiant Pietas, Veritásque, quod de integro Systemate Doctrinæ eorum, si verè sit, quale in Racoviano hoc commpendio adornatur, fidenter adserimus, Doctrinam hanc, post Sesquimillenos, & quod excurrit, à Christo Annos, adspectu tam Novo, horrendóque, & verè Gorgoneo, prodiisse ex incude Socinina, Ut Novatorum omnium commenta non superârit, quàm Veritati ipsi oppederit. Nulli interea negamus, inesse in eo multa vieta, quæ per varias particulas, nunc has, nunc illas, diversis subindè ætatibus editas, depromi possunt è Veterum Hæreticorum portentis, (Est enim Hæresewn (ferè) omnium ista Camerina!) Verùm per exoletas istas, putridásque particulas, non magis juvantur hii, quin ipsa Doctrina eorum Nova nunc, & antea inaudita, & æternùm execranda audiat, quàm & per alias aliquot particulas servantur, satis in Se orthodoxas, sed summâ cum fraude haut aliter interspersas, quàm ut pro esca sint, ad velandum hamum in piscium interitum, próque herba ad celandum anguem, latitantem ibi in puerorum fraga legentium pernitiem.

5. Olet autem hanc ipsam fraudem, quòd tam stolido ausu crepet, *Doctrinam ipsorum esse Apostolicam.* Apostolicam autem? Quid ità, ô Bone? In adsumento respondet, *Ipsi enim Doctrinam antiquitus ab omnibus exceptam tantùm proponunt, inculcant, ut que secundùm eam homines vitam instituant, hortantur*, C. R. p. 305. Jámque subolet nobis, Quid velit. Summulam enim Fidei Christianæ, quâ in Primæva Ecclesia per compendium usos fuisse nulli dubitamus, (quod *Symbolum Apostolicum* vulgò vocatur) etiam & ipsos amplecti, est ubi prætenditur ab eo, C. R. p. 47. Habent igitur, Peractum est; Velint Nolint, Doctrina eorum jam est Apostolica, meram utcunque prætensionem esse, quod de Symbolo isto jactitant, atque à vera fide Christi Ecclesiæ Apostaticos ipsos esse, vel hinc jam liquidò parebit. Ista enim hæc Res est; Quia in concisa istius Symboli brevitate, (Quæ Bonæ Fidei Neophytis ad Memoriam satis erat, sed explicandam tamen eam è SScripturis postea Apostoli sibi reservabant;) Veritas tota Euangelica obscuriusculè comprehenditur, hunc igitur prætextum arripiunt sibi Malæ Fidei isti Sophistæ, Ut in Generalibus istis dolosè ambulantes, liberiùs possint, ubi velint, exerere Se, inque Christum virus omne suum evomere. Urgemus igitur Nos, Potuisse à principio succincta illa in Symbolo Apostolico Capita de Christo per Ecclesiam sanctè dilatari, posséque ergò nunc explicationes, è SScripturis collectas, in Fidei Christianæ Regulam compingi, Hæreticæ pravitati inimicas. Hoccine negabunt Catholicæ Ecclesiæ nudius tertius nati Socinuli aliquot? Unde igitur ipsi, Brevitati Articulorum Symboli non impediente eos, plusquam Viginti paginas Catechismi sui, (neque oblatramus,) insumserunt in *De cognitione Dei Patris Omnipotentis Creatoris Cœli & Terræ*, C. R. p. 25? Quàm immanis est hæc perversitas eorum, neque libera quidem à dementia? Porrò autem, Quis sanus tulerit, Symbolum hoc, Ubi ex Re eorum videbitur esse prætextus iste, tantopere ab iis deprædicari, Cùm ipsos tamen nihili pendere illud, neque in Fidei suæ Regulam habere, Catechismus iste satis indicaverit, Qui Articulum eum *Credendi in Spiritum Sanctum*, haut aliâ Expositione dignum duxerit, quàm *Credendam esse Dei* (De quo tamen quid credi à Se oporteret, in initio dixerat, C. R. p. 216.) *Virtutem, atque firmam, certámque vitæ æternæ nobis promissæ Spem, cujus in cordibus nostris gustum percipimus*, C. R. p. 211? Quídni igitur Impostorem hunc sumamus nunc Confitentem Reum? Ait enim, Doctrinam eam, (è Symbolo scilicet Apostolico,) Se tantùm proponere. At quid est hoc? Inquiétne, Nihil aliud eos suis proponere, quàm quod in eo Symbolo habetur? Ast hoc à vero imhane quantum abfit, probatione aliâ non egebit, quàm per exhibitionem ipsius Catechismi; Legat solùm & judicet Orbis Christianus. Verùm si hoc, *Se tantùm proponere*, sit, Se neque credere ei Symbolo, neque hilum æstimare quidem, Ubi in Hæreseos suæ suppetias nihil facere videbitur, jam credimus fatenti, & succlamamus, Barjesuiticè dictum hoc esse, Suísque perfimillimum!

6. Necdum tamen Nos in ipsa viscera Mysterii hujus, (ad illa enim τὰ βάθη τῦ Σατανᾶ, Apoc 2. 24, pertingit,) penetravimus. Tanto enim boatu Doctrinam suam gloriatus Apostolicam esse, ex Officio debuerat, ad fidem hujus rei rectè faciendam, per Apostolorum Scripta volare, atque ex ipsis Systema sibi conficere Catechismo suo suppar, &, si non verbi, sententiis tamen, sensúque per omnia gemellum. Et faciem hoc sine dubio Incomparabiles Viri, Ubi alter ille Christus eorum prodierit, & alter Apostolorum Chorus! Verùm interea temporis deosculandus nimiùm ab iis est Catechista, quòd fallaciam hanc, (Misera enim Petitio Principii est,) tam Athleticè pro iis possit urgere. Sed quid faceret? Videbat enim, nisi obtineri posset, Ut ex isto solo Symboli Apostolici prætextu, Doctrina, quam venditant, pro Apostolica habeatur, rem iis protinus ad restim redituram esse. Nam si ab hujus prætensionis (Quam communem sibi cum omnibus ferè Schismaticis, Hæreticísque habent;) fascino ità excludantur, ut nolint homines temerè credere iis, eam Novam non esse, Manifestum illico fiet, Hesternam eam tantummodò esse, Novitate aliâ omni in Sacris, vel Puritanicâ, vel Jesuiticâ quidem, Noviorem. Et quid tum? Actum igitur erit, vel Se judicibus, de Catechisticis istis Magistris. Fatetur enim, Si Doctorum suorum prædicatio ejusmodi sit, (putà si *Nova sit, & antea inaudita:* Sed odiosa sibimet sunt vocabula hæc sua; Non placebat igitur sæpius repetere, sed tantùm ait, *Si sit ejusmodi,*) *tum omnino Missionem requirit*, C. R. p. 306. Socininos autem Magistros adigere ad hoc, Ut opus habeant Missionem suam probare, aut Commissionem aliquam ex Deo monstrare, est eò redigere eos, unde nuper prodiere, Ad Missionem illam Malorum Angelorum, (Aliâ enim omni carent,) quâ de SSpiritus, Psal. 78. 50. Atque ad hoc jam manum cum iis conserimus.

7. Re enim verâ, Omnis Prædicatio hujusmodi, (hoc est, Quæ ad Dei Cognitionem, Cultúmque, & ad Animarum Salutem instituitur;) talis in Se est, Ut nihil referat, prorsus nihil, cujusmodi cunque sit, respectu Temporis quo primùm prodiit. Sed Doctoribus istis, fatali jam necessitate miserè pressis, Quid supererat? Nam & Novatores Se esse, quantum ad Doctrinam suam, satis sciebant, & quantum ad Personas, Munúsque, Authoritate omni destitui. Sciebant insuper, nisi populum Christi, utroque hoc nomine decipere possent, Prædicationem suam fruſtrà futuram esse. Palmarium igitur hunc dolum, in extremo jam Actu, consuunt sibi. Doctrina enim aliqua, Antiqua dicenda sit, An Nova, nôrant, ex Eruditione, atque Judicio plurimùm pendêre; Perpaucorum autem esse, Literas eas didicisse, aut Rectè judicare posse. In hanc igitur partem cùm tutiùs peccari posse perspicerent, indè frontem commasculârunt, atque Dogmatibus suis, quàm ea πεῤῥαλα cunque sint, Coloribus suis Sophisticis fisi, Antiquitatis larvam arrogârunt. At verò

Missionis

Miſſionis Authoritate communiri, Res eſt, quæ maximè pendet ex Facto, ad Perſonas ſolùm, Mittentes, Miſſáſque, (inquantum Miſſio eſt) pertinente; & ab unoquoque, non inſano, Sit aliqua, nécne, facilè dignoſci poteſt. Hanc igitur, Quia nullam omnino ſibi, nullius coloris Chriſtiano digni, prætendendam habent, fortiter ejurant, Sibíque minimè neceſſariam eſſe, perſuaderi poſſe fatuis nil dubitant, ex hoc potiſſimùm Sophiſmate: Confundunt primùm Terminos iſtos, & Miſſionem, quæ Perſonas Docentium ſolummodo reſpicit, applicant ad id, quod ab iis docetur; (Quod tamen, ex temporis reſpectu, variationi nulli ſubditur; Pari ratione, quâ olim Panis & Caro, nihilo minùs Panis & Caro erant, licèt Corvi deferebant ad Eliam, neque Magis, Minúſve id erat, quod Manè deferebatur, quàm quod Veſpere, 1 Reg. 17.6.) Dein, futili ſuâ Diſtinctiunculâ in ſuppetias vocatâ, expediunt Sibi Rem. Boni enim Viri, pro Arte ſua Veteratoria, callidè concedunt, ab Exemplo quidem Apoſtolorum probari poſſe, Doctrinam omnem, quæ Nova eſt, Miſſionem requirere, ſed poſtquam ætatem habet, atque annos numerat, nullo modo opus habere Miſſione.

8. Quæ fundi igitur illorum Calamitas jam erit, Nos inſignem hunc Paralogiſmum, (plurium tum Terminorum, tum Zeteſeων fraude conſtantem,) breviter compingemus iis in formam Syllogiſticam: Atque ea ſic erit, Ad antiquam quamque Doctrinam nil opus eſt Doctorum Miſſione: At Doctrina noſtra Socinina antiquiſſima eſt: Ergò Doctoribus noſtris haut opus eſt Miſſione. Pro officio autem Diſputationum, neganda jam ab Opponentibus eſt aliqua Propoſitio: Et à Nobis nunc, Qui Minorem Propoſitionem jam ſatìs contudimus, omnéſque in eam fallaciam compoſitos Colores antè diſpulimus, negatur Major Propoſitio. Liberaliter tamen cum iis agemus; Neque enim contenti ſolùm Propoſitionem negare, (Quod in Differendo tamen ſatìs eſt, Quia Adfirmanti incumbit Probatio;) etiam & Rationem negationis ultro largiemur. Utcunque enim iis, Qui hoc in genere mittuntur, id negotii datur, ut eos doceant, ad quos miſſi ſunt, ipſa tamen Miſſio haut eo conſilio à Deo intenditur, Ut in Doctrinæ ſuæ, ſed ſolummodo Ut in Eccleſiæ ſuæ beneficium ea cedat, non Ut Doctrina certior in ſe, aut confirmatior, ſed Ut Eccleſia ſecurior indè, lætiórque evadat. Ex iſtis enim Miſſionum ſuarum teſſeris intelligit Populus, Quid ſperare poſſint, Quid de talibus Nuntiis promittere Sibi, Quid credere iis. Vident enim, ab illis Eccleſiæ Præpoſitis, Quibus Chriſtus Se hanc provinciam æternùm committere, ultimò omnium ſignificavit, Matth. 28. 20, iſtos delegatos venire: Ab illis igitur Inſtructos, Examinatos, Vocatos, Ordinatos, Miſſos eſſe; Illorùm igitur judicio, Quibus SSpiritus judicium hoc concredidit, Act. 20. 28, inventos, *Fideles eſſe, & idoneos, ut alios doceant*, 2 Tim. 2. 2. Sciunt etiam ab ipſis non mitti quenquam, antequam coram illis Seſe Deo, Authori, Teſti, Judici, Vindici, obſtrinxerit, De opera hac navanda cum ſumma fide & religione: Ab illis denique, Auſpicia, Auxiliáque Divinæ Gratiæ accepiſſe hos, Act. 14. 26, quò feliciùs poſſint ſuo Munere defungi. Hæc igitur Spiritualis Vocationis beneficia ſunt, & tanta hæc neceſſitas eſt Miſſionis, Reſpectu Perſonarum omnium, (Perſonalis enim in Se eſt, & à Doctrinæ ipſius conditionibus ſic dividitur tota Miſſionis conſyderatio;) Ut Quiſquis erit, & Quamcunque Se Doctrinam adferre prætenderit, Si Non Vocatus, Non Ordinatus, Non Miſſus venerit, eo ipſo nomine averſandus eſt, & Non Audiendus. Audiamus igitur jam, Ut ipſe Majorem ſuam, negatam à Nobis, confirmatum eat. Satìs enim ſuboluit ei (Naſi ſatìs ſemper habenti, frontis nihil,) quâ ex parte urgeri poſſet: Verùm quia nihil aliud reperiebat, quod in Propoſitionis, tam inſigniter Reprobæ, confirmationem conferre poſſet, pergit Sophiſticari, ruentíque Cauſſæ ſuccurrit per Argutiolam, Pueris ipſis eò magìs ridendam, Quia & Negativa eſt, *Non eſſe ſic ſcriptum*, & in ſe falſiſſima tamen. Ità enim ſubjungit, *Unde Apoſtolus deſcribens diſertè omnia, quæ ad Conſtituendas Perſonas ejuſmodi pertinent, nullam Miſſionis facit mentionem*, Cat. Rac. pag. 305.

9. *Perſonas ejuſmodi* autem cum dicat, revocat nos ad ea, quæ præmonuimus modò (in Paragrapho quarto) ab ipſo citari è Paulo, De Epiſcoporum, Paſtorum, Doctorum, Presbyterorum Munere. Hem igitur vobis jam graphicum Sophiſtam! Qui enim in Argumento hoc ſuo contra Miſſionem arripit ſibi Teſtimonia iſta De Epiſcopis Doctoribus, Paſtoribus, Presbyteríſque, (Qui Tituli ſunt indè à principio Eccleſiæ Chriſti ad Sacram Vocationem, Ordinationem, Miſſionémque deſignandam applicati;) Annon ſatìs fatetur, Vocationem, Ordinationem, Miſſionémque non eſſe captioſè diſtinguendas, ſed mentionem harum, (Quas ille ſub generali Vocabulo *Ejuſmodi* callidè celat;) ibi reverâ comprehendi? Tum porrò, ſciſcitari libet, Unde ea Teſtimonia Czarkovianus depromſit ſibi? Annon ex Epiſtolis Pauli ad Timotheum, Titúmque? Benè habet ergò; Non enim datæ ſunt ad univerſum populum Cretenſem, non ad Epheſios, aut Aſianos omnes. Quorſum igitur ad ſolos Metropolitanos, Titum, atque Timotheum iſta, Niſi Quia eorum erat, iſta curare; eorum, Ordinare; eorum, Mittere; eorum, De Ordinandis, Mittendíſque judicare? Et nullam tamen jam, è Mittentibus, Déque qualitate Mittendorum abundè inſtructis, eruere poteſt Miſſionis Mentionem? Quòd ſi repoſuerit, Dictiunculam ipſam *Miſſio*, non reperiri ibi, Ubi toties De Authoritate Conſtituendi, Ordinandíque Poteſtate, & Jure Gubernandi tam diſertè præcipitur, miſerrima hæc λεξιθηρία eſt, & ſcuticâ, quàm replicâ, longè dignior. Porrò autem nec Tempus harum Epiſtolarum ſilentio nunc prætereundum eſt. Plures enim à Chriſto paſſo annos numerare erat, cùm Epiſtolæ ex primùm exiere, quàm Socinismus, Catechiſmo hoc prorepente, numerabat ſibi, Et poterant tamen Epiſtolæ iſtæ ea, quæ ad Miſſionem pertinent, injungere, Quoniam Doctrina earum etiam tum Nova erat, Socinini autem Miſſione nullâ opus habere ſinentur, Quoniam tam antiqua tum erant eorum Dogmata? οὐ ἀντιλογία! Sed hoc veriſſimum eſt, Sanctam Eccleſiæ Miſſionem non habere fatum ſuum pro ratione temporis alicujus, neque poni unquam, tollíve eam ex iſto reſpectu, quòd Doctrina, quam ferunt, qui mittuntur, pro Nova, aut pro Antiqua habenda ſit: Cùm autem credi velint, à Deo ſe adferre eam, niſi Authoritatem ferendi ex Deo adſecuti ſint, Rapina eſt, Niſi conſcripti ad hæc ab Ipſo ſint, eſt Sacrilegium; Quiſquis igitur venerit, & Quandocunque venerit, (Quod audiant volumus, cum Socininis & Aerianis noſtri;) opus habet verâ Miſſione.

10, Senſit hoc Divinus Apoſtolus in illa, pro more ſuo, breviſſima, ſed infinitum pondus habente, Quæſtione, *Quomodo verò prædicabunt, ſi non mittantur?* Rom. 10. 15. Rogitas verò, ô Beate? Neſcis tu, *Quomodo?* Retorque igitur, obteſtamur, oculos ad Hoſce, Socino dudum, (etiam & Calvino) ſatos: Viden' illos, Ut Modum ſine modo prædicandi, & ſine Miſſione quoque Apoſtolica, ipſi Sibi repererunt? Extremiſſimam interea arguit non mentis ſolùm, ſed & fidei quidem, probitatíſque inopiam, velle Barjeſuitam eodem inſulſo lemmate Apoſtoli etiam os obturare; Ait enim, *Non loquitur Apoſtolus de quavis Prædicatione, verùm de prædicatione Novæ duntaxat, & antea inaudita Doctrinæ, Qualis Prædicatio fuit Apoſtolica*, Cat. Rac. pag. 306. Quaſi potuiſſet Apoſtolo unquam putida hæc diſtinctio, veritatis pariter rationíſque exors, in mentem, ſtylúmve venire. Præter enim, quòd & hæc Epiſtola Quarto tum Luſtro à cœpta primùm prædicatione exierit, Fidéſque ea per univerſum Orbem tum innotuerit, Rom. 1. 8, adverſùs hoc delirium Apoſtolus ipſe intercedit, Ad Antiqua enim omnia Ille Se refert, Ad ſpecioſos pedes Annuntiantium ver. 15, quod è Propheta deſumſit, Eſa. 52. 7: Adque Sonum eorum, in Fines Orbis vel tum delatum, ver. 18, quod è Pſalmiſta, Pſal. 19, 4: Agénſque paulò pòſt cum Agrip-

pa,

pi, Sanctè profitetur, nihil Se Novi adferre, nihil dicere, quod inauditum antea erat, Nihil nisi quod Veteres Prophetæ, vel ipse Moses, (Desydeiántne quicquam Veterius?) locuti fuerant, De Passione Christi, déque Resurrectione Ejus, & Luminis (Euangelici) in universum Orbem Annuntiatione, Act. 26. 22. Quoniam igitur Novatores hii, quò liberare Suos à Missionis necessitate possent, Apostolis Novitatem adspergere non sint veriti, Moneantur, volumus, veram Doctrinam Euangelicam, (Qualis Barjesuitica nunc non est:) Utut in Novum fœdus à Christo Domino traducta tum sit, factáque sit Novæ Legis suæ materia, Novitiam tamen ab Apostolis haberi non potuisse, Quam ipsi satis nôrant Antiquitate suâ aliam omnem Doctrinam superâsse, & vel hoc respectu *Euangelium Æternum*, Apoc. 14. 6, rectè indigetari posse. Interea verò miseret Nos soricis hujus, ut suo indicio nunc pereat. Gnarus enim, quàm nulla hæc in seResponsio foret, Objectionem ità Catechumenis suis proponit, ut nullum omnino sensum Verba sua, nedum pondus aliquod, habeant. Ità enim leguntur, *Quid verò de illis verbis Apostolicis dicis*, Ut prædicabunt, Cat. Rac. pag. 306. nisi mittantur. Jam Quid est hoc? Pueri quidem sui Quæstionem Catechistæ proponunt, *Quid verò?* Sed quid nunc factum est Apostoli Quæstione? Illiusmodi ea est, si fideliter vertatur, ut ipsa in fronte sua, non Apostoli solùm mentem explicet, (Condicio enim Interrogationum sine Negatione factarum est, eò vehementiùs negare:) sed & Catechistæ quoque omnem cavillandi audaciam excutiat. Nam *Quomodo verò prædicabunt, si non mittantur?* nihil aliud est, quàm Mitti oportere Unumquemque, omittíque nullo modo oportere, ex nullo prætextu, neque ex Veteris Doctrinæ, neque ex Novæ, Missionem: Si non sit Missio igitur, non debet esse Prædicatio.

11. Facessat igitur hinc, quò dignus est, Barjesuita, atque Apostolicam Constitutionem Sibimet toties arrogare desinat. Quanquam enim in pompam suam tot Verba ex Epistolis Apostoli describere potuit, & tum gloriari, (Si De Se gloriantibus in plebe, quisquam credet;) vitam à Se ad eam Regulam duci, atque indè ad ravim clamitare, *Ex præscripto Apostolicæ Doctrinæ Doctores suos Constitui*, Cat. Rac. pag. 306, Catis tamen omnibus, Cordatísque hôc Se magis exibilandos propinat, cùm vel ipsum Vocabulum ejus *Constitui*, validè reclamitet. Ecquis enim Constituitur à Seipso? Ad hæc Qui constituuntur, nónne Constituuntur ab aliis? Tit. 1. 5. A Quibus verò Doctorculi Lituanici? An à stolida illa Plebe? A pupillis suis? Fortassean; Sed novimus, Quis subriserit, & Cur, Habere tam similes labra lactucas. Verùm enimverò, *Constitui ex præscripto Apostolicæ hujus Doctrinæ*, locum nullo modo habere potest, nisi ubi à Timotheo, aut à Tito (Hoc enim Apostolus volebat, ea, quæ in Epistolis iis præscribebat, in æternam Ecclesiarum Regulam dari:) & post eos, à Successoribus eorum, Christi vicem, ex ipsius Christi Constitutione gerentibus ad finem mundi, Constituti sunt; Atque hoc nihil est aliud, quàm Vocari, Ordinari, Mitti, &, si pòst delirârint, deflexerintve, in Ordinem ab iis redigi. Quicquid igitur Paracharactæ hii clamitent, Qui Nullomodo Mittendos Se esse ferunt, Apostolici neutiquam sunt, Hypostolici an habendi non sint, (Ad quam Censuram alluditur ab ipso Apostolo, Heb. 10. 39.) ubi Ipsum consuluerint, ipsi viderint.

12. Jámque licebit Sectionem hanc absolvere. Ex ea jam intelligimus, Quid sit, *Neminem Se in Honorem illum intrudere, nisi vocatus sit à Deo.* Cui sententiæ quòd addiderit, *Quemadmodum & Aaron*, Supplendo, *Vocatus erat*, digitum intendamus jubet ad Aaronis Vocationem. Accersitur autem ea à Theologis, ex eo mandato Domini ad Mosen, *Applica ad Te Aaronem cum Filiis suis, Ut Sacerdotio fungantur mihi*, Exod. 28. 1, Cum imperata quoque à Deo formula ipsa Consecrandi eos, Exod. 29. 1. Nec malè argumentantur quidem. Quod enim Mosi, (Prophetæ tanto, Deque in terris Vicario,) dictum de Aarone fuit, illud Aaroni ipsi à Deo dictum fuisse, piè, solidéque concluditur: Quod & brevi pòst Deus ipse, non Dicto solùm, sed & Facto duplici egregiè confirmavit, Terribili Uno, Ultione per Ignem de Cœlo immissâ in Invasores Sacerdotii, Num. 16. 35, Suavissimo altero, cùm Aaronis Virga inter cæteras germinavit, Num. 17. 8. Veruntamen & Prodromam huic aliam, atque immediatam à Deo Vocationem habuisse Aaronem, non est quòd dubitemus. In Eremo enim contigerunt ea omnia, quæ ab Elucidatoribus huc vulgo adferuntur: At verò dum adhuc in Ægypto hærebant, Ubi primò Dominus Mosen ad Præfecturam suam in Populo eo vocaverat, vocavit mox & Aaronem ad Prælaturam in Sacris suam. Fallimur? An disertè istud ad Senem Heli, Nepotem Aaronis, à Viro Dei dicitur? *Numquid non apertè revelatus sum Domni Patris sui, Cùm essent in Ægypto, in Domo Pharaonis?* 1 Sam. 2. 27. In Ægypto igitur cum aiat, referri istud oportet ad ea, quæ summatim & Mosi de Aarone, Exod. 4. 16, & Aaroni ibidem de Mose, dicuntur à Deo, ver. 27. Unde observatu dignum est, quòd Res omnes postea, Aaronis Officium tangentes, in Eremo non aliter, quàm ut præmonitæ alicubi à Deo, Mosíque & Aaroni antè præcognitæ, vel geruntur, vel enarrantur quidem.

Sect. LXXXVI.

1. Mittere ad faciendum, *significat Authoritatem faciendi dare. Ubi nulla Missio, ibi nulla Authoritas.*
2. *Facultas non dat Authoritatem, neque Donorum est hac gratia. Non licebat Iunio cuique Levitam se facere. Ut Christus ipse Missionem suam prædicârit, Impositio Manuum.*

CUm è Priore in Sacris hodiernis Lectione observarem, Samuelem ità adfari Saulem, *Me mittebat Dominus ad ungendum Te in Regem super Populum suum*, 1 Sam. 15. 1, hæsit mihi hæc aqua; Neque enim primâ statim memoriâ recolere poteram, ità Se Rem habuisse: Rebar nimirum, Prophetam non iisse ad Regem, sed Saulem χτ Συγχνείαν venisse ad Samuelem, & priusquam abiret, unctum ab eo fuisse. Peractis igitur Sacris, actutum confero me ad Sacræ hujus Historiæ pervestigationem; Atque ecce, disertissima sunt verba Domini ad Samuelem, *Cras mittam ad Te Virum de terra Benjamin, & unges eum in Ducem super populum meum Israel*, 1 Sam. 9. 16: Quibus consona sunt & omnia in eandem Historiam sequentia. Meditatus igitur mecum, Quid ista metathesis sibi vellet, *Misit Me ad Te*, pro *Misit Te ad Me*, facilè recolligebam, è communi sermonis usu, optimè potuisse hoc Honori Regio à Propheta dari, Ut Eum in publico nunc allocutus, per summum Charientismum, inversione hâc utatur, aiátque, non *Regem ad Se*, sed versâ, ut fieri amat, vice, *Se ad Regem*, missum fuisse, Dummodo subesse tum poterat alius sensus, in quo Samuel etiam poterat non mentiri suam Missionem. At iste quidem non Politicus solùm, aut Forensis esse solet, sed & Sacer imprimis, ut sub hac phrasi, *Mittere ad hoc faciendum*, intelligatur, *Hujus Rei facienda Authoritatem dare.* Exemplo Moses esto, Qui, quò Se defenderet, *non de corde suo provenire ea opera*, ex hoc vocabulo adsciscit Sibi Authoritatem, *Scietis, quod Misit me Dominus, ut ea facerem*, Num. 16. 28. Atque hoc Samueli in animo nunc fuisse, nefas est dubitare. Dixerat enim ad eum Dominus, *Cras mittam ad Te Virum*, hoc est, *Author ero, ut Vir cras veniat.* Dicit igitur ille nunc ad Regem, *Me mittebat Dominus ad Te*, hoc est, In mandatis mihi de Te dederat, atque Authori-

thoritate communitus ex Domino eram, Ut Te ungerem. Manifesta igitur hæc Consecutio est, Authoritas cùm Missio sit, (Quæ è Nostra quidem dialecto Commissio vulgò dicitur;) Ubi nulla est Missio, nullam esse Authoritatem; Suóque sibi gladio jugulari Barjesuitas, Professos Sese Prædicare, atque in Ecclesia sua præesse, & tamen Missioni, ut *Rei ad hæc minimè necessariæ*, abrenuntiantes, Cat.Rac.pag.307. Agnoscunt enim ex hoc, Authoritate omni & Se, & Prædicationes suas eousque carere, Ut si pecuariis Poloniæ (tacente jam Populo eo,) Dominus Os aperiret, vel ea illico exclamarent, Quis Vos Prædicatores fecit, Authoritatem à nemine nactos? A nemine enim Missionem.

2. Neque ad solos tamen Barjesuitas, sed ad Schismaticos hodiernos Britannicos valdè pertinet hæc Animadversio, Doctores peregregios, Ducésque in populo dudum factos, Tam miserè cæcos tamen, Ut distinguere nesciant inter Facultatem qualemcunque, & Authoritatem, sed hanc ex illa semper æstiment, & Quia prædicare (suo nimirum modo) possunt, etiam & Jure posse, Vocaríq; Se, & Mitti ad prædicandum, somnient. Fallere autem Se, fallíque amant, è Suavi hoc Vocabulo, *Donorum*. Siquis enim memoriâ paulò præsentiore utatur, lectáque à Se aut audita facilè repetere novit, si Sermone etiam promtus, Linguâque volubili sit, (Quantò magis verò, si & Cognitionis alicujus, Rom. 2. 20, & Pietatis, 2 Tim.3.5, qualemcunque μέτρον habeat:) illico hic *Donatus* in plebe audit, Vocabulo apud Nos satis barbaro, a Gifted man. Et quid tum? Donándus ergò Rostris sine mora est, & ad Sacras Functiones Vocandus. Siccine verò? Verùm nunc non reclamitabimus, nè nimiùm excandescant, Donati ergò habentor, Qui (qualia ea cunq;) Dona habent. Sed tamen, à Rostris Donatistæ hii, quantisper Donandi solummodo sint, & necdum sic Donati existant, atque à Sacris, quantisper Vocandi solùm sint, sed necdum sic Vocati ab Authoritatem eam habentibus, si non abstineant Se, Sacrilegi (velint, nolint) erunt, curréntque sine Missione. Potuisse enim & Laniorum genus omne sub Lege Vetere, pro Arte sua, tauros fortiter cædere, pecudésque alias summâ cum dexteritate mactare, nemo sanus dubitabit: Licebátne igitur in Templum se penetrare, atque Levitarum Ordinibus adscribi? Sub Lege etiam Nova, cùm Christus XII tantùm Apostolos ire in Judæam jussit, habebat tum in numero Discipulorum LXX alios, non minùs idoneos, (nè dicam, in ea tum Operariorum penuria, non minùs necessarios,) Ecquis verò eorum cucurrit, donec ab Ipso emissi sunt? Luc.10.1. Non igitur ex Donis, non ex Facultate quacunque, sed ex Authoritate solùm pendet Missio; Atque illius vel ipse Messias tam religiosè observantem Se præstitit, Ut, licèt Ipse Missor, quâ Deus, non minùs fuerit, quàm, quâ Homo, Missus, Quoniam tamen Personalem suam Authoritatem propalare nondum placebat, Missionis suæ apud unum Joannem ferè tricies meminerit, nè putari posset sine justa Authoritate venisse. Locum igitur hâc in Re vel maximè habet illud Apostoli, οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, Rom.9.16, *Non est Volentis, neque Currentis, sed* Mandantis *Dei*. Quibus autem hoc mandaverit Dominus, in Digestis est apud Matthæum, 28.20. Ipsis scilicet Apostolis, & Successoribus eorum, ad finem Mundi: Inque Principiis Institutionum Christi locum habere novimus Impositionem Manuum, Heb.6.2, Quibus consignari semper amat Spiritualis Missio. Verùm hanc jam planè aversantur, Quotquot Racoviam spirant, Cat.R.p.305; Sed & rem magnam præstant, quotquot Genevam, si ipsâ perfruantur.

Sect. LXXXVII.

1. Ἀκαιρῶς. Ἀναβάλλειν, *non Activè solùm poni, sed & Transitivè, pro* Fructum ferre. *Fructuum tempestivitas.*

2. Καὶ *interdum Adverbialiter poni, pro* Quidem, *vel* Scilicet. Ἐφ' ᾧ, Propter Quem, *an*, Propter Quid.

3. Ἐπὶ *cum Casu tertio habet Vim Caussalem. Ut statuant Liberum suum Arbitrium, tollunt Peccatum Originis. An* ἐφ' ᾧ *semper sit* Quatenus.

VAlde probat mihi doctissimus Vir, quæ in Paraphrasi sua breviter congessit de significatione Verbi ἀκαιρῶς ad Phil.4. 10, & quod probatum etiam ierit, Verbum ἀναβάλλειν usum, sensúmque Activum aliquando habere. Dabit igitur mihi hanc veniam addendi nunc, & Transitivum etiam. Ità enim abunde confirmari censeo per unum Siracidem, Cujus ista sunt, φῶς Κυρίου, ἀναβάλλων ὑφήνην, id est, *Producit pacem, pro fructu suo*, Eccl. 1.18, & rursùs, ὃν ἔφθασε ταχινῇ ἀναβάλλει εὐλογίαν αὐτῷ, id est, *Deus sine mora profert Pio Benedictionem*, Eccl.11.23. & rursùs, ὡς ἔλαια εὐτερπὴς ἀναβάλλουσα καρπὸν, id est, *Quando produxit fructus suos*, Ecclus. 50. 11. In hac igitur significatione si & Paulus heic accipiatur, optimè faciet ad Loci hujus lucem, non *Revirescendi* solùm, aut *Regerminandi*, (minùs enim dicitur, quàm res est,) sed *Fructum proferendi*. Nam & antè Curam istam intus in animis, affectibúsque eorum viguisse, ipse Paulus iis testis est, atque indè ait, ἐφ' ᾧ καὶ ἐφρονεῖτε. Sed per Res adversas eadem eorum conditio jamdiu fuerat, quæ Arborum frugiferarum est tempore Hyberno; Nunquam enim emoritur, à Radice nunquam abest Vis & Virtus ea, exerere utcunque se nequeat, nec fructum suum dare, nisi solummodo ἐν τῷ καιρῷ τῶν καρπῶν, prout à Christo appellatur, Matth.21.34. Atque hoc illud est, quod ab Apostolo, in ipsorum apologiam additur, ἠκαιρεῖσθε δέ. Defuisse scilicet iis hactenus, non dicit opportunitatem aliquam, respectu Apostoli, sed tempestivitatem ipsam, respectu Philippensium. Quid ità verò? Facultate enim proferendi prorsus destituti fuerant, (quam in intimis tamen affectibus erga ipsum nunquam non aluerant,) usque in præsens.

2. Hanc autem esse mentem Paulinam ex ipso Textu hoc clariùs eluceret, si Particulæ illæ, ἐφ' ᾧ καὶ, recto suo Interpretamento donarentur ab Expositoribus. Neque enim Καὶ Conjunctivè heic ponitur, pro *Etiam*, vel *Quoque*, sed Adverbialiter, pro *Quidem*, vel *Scilicet*; prout alibi reperire est, in ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, Act. 24.6, &, καὶ πρὸς μίαν, Luc.13.22. & καὶ ὅτι Ἰσραὴλ, Gal. 6.16. Neq; potest profectò ἐφ' ᾧ esse, *Quâ in Re*, utcunque à Nostris reddatur, wherein also ye were careful. Quid enim dicere putabitur, si sic accipiatur? *Solicitos eos fuisse, In Solicitudine suâ?* aut, *In Refloreſcentia sua?* At aliud Antecedens Rei ibi nullum est; nulla ergò est ratio vertendi, *Quâ in Re*. Antecedens igitur Personæ omnino nunc adscíscendum est, atque ἐφ' ᾧ reddendum est, *propter Quem*. Utrique enim Generi, Masculino, atque Neutrali Pronomen hoc ᾧ commune est. Ità verò ἐφ' ᾧ valere, paret mihi ex ipsa Quæstione Domini, ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει; Matth.26.50. id est, *Propter quem venisti?* Quicquid Interpretes aliter ibi senserint. Nam ex altero Evangelista manifestum est, Primam Christi Quæstionem, ubi venerant, fuisse, τίνα ζητεῖτε; *Quem quæritis?* Joan.18.4. Hâc ipsâ autem in Epistola, ἐφ' ᾧ καὶ κατελήφθην, à Nostris rectè redditum est, For which, Phil. 3.12. paríque ratione, ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον, est, *Per Quem omnes peccârant*, Rom.5.12. Gaudere igitur Se ex Deo Paulus ait, quòd quantâcunque ipsius curâ semper adfecti, verâ tamen tempestivitate destituti, non poterant antè, ejusdem fructum proferre, sed nunc tandem facultatem ex Deo consecuti, fructum istum absolverint. Disertè igitur de Fructu isto loquitur, ver.17, atque hinc est, quòd à Nobis verti hæc optem, That now at last yee could bring to maturity the Care of me; for whom indeed yee had been careful, but had not the ability.

3. Jam scio quidem Locum illum, Rom. 5.12. à nonnullis versum esse, *Quatenus omnes peccârunt*, ferríque illos ad hoc ex eâ ratione, Quia Præpositionem hanc ἐπὶ cum Casu Tertio, censent Caussalem vim habere, Valere igitur

igitur heic, *in eo quòd peccaverant.* Pelagii quoque, si bene memini, verba sunt, *Hoc est, Quatenus. Inquantum. Quoniam.* Jam verò & hoc non minùs faceret ad præsens institutum nostrum, si sic verteremus, *Quatenus quidem soliciti eratis.* Neque tamen nos non Caussaliter illud sumimus, cùm vertamus, *Per quem omnes peccaverant.* Fruſtrà igitur est Catechista, Cùm, ut Liberum Arbitrium suum defendat, *Peccatum Originis, per quod Libertas ea vitiari posſit, nullum prorsus esse adserat,* Cat. Rac. pag. 249. Et ex isto loco nè confirmetur, negat legendum, *In Adamo omnes peccâsse, Sed tantùm* ἐφ' ᾧ· quod passim quidem ab Interpretibus Latinè verti *In quo,* Cat. Rac. pag. 252, non diffitetur. Verùm De Adamo sumi id oportere, facilè probatur, non solùm ex totius Contextûs ratione, atque ex illa, quam Apostolus ῥητῶς instituit inter Christum, & Adamum Oppositione, Sed & ipsius quoque Syntaxeos necessitas hoc postulat; Tantùm enim Tria Vocabula in ea Perioche antecesserunt, ad quæ ἐφ' ᾧ Relativè se habere posſit, ἄνθρωπος· κόσμος· & θάνατος. De mundo igitur, Mortéve cùm sanè intelligi nullo modo posſit, in unum Adamum necessariò refunditur. Veruntamen Catechista subjungit, posse ἐφ' ᾧ reddi ibi, per *Quoniam*, aut *Quatenus*, atque hoc probatum it, è Quatuor Locis, ut vocat, similibus. Lectoris igitur judicium nunc esto, quâ fide hanc similitudinem urgeat. Primò enim citat, Rom. 8. 3. At Verba illa sunt, τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκός. Súntne verò ἐφ' ᾧ, atque ἐν ᾧ, tam similia? Nos verò vel indè nunc inferimus ad Oppositum, Apostolum enim, cùm vellet *Quatenus* intelligi, de industria variare Præpositionem, atque non ἐπὶ, sed ἐν dicere. Tectè tamen & in hoc Adamum perstringit, cùm culpam illius infirmitatis à Lege removeat, eámque in universam Carnem Peccatricem rejiciat. Huic autem Loco ejus & alter ille geminus est, quem obtrudit, ex Heb. 2. 18. Verba enim ea sunt, ἐν ᾧ γὰρ πέπονθεν αὐτὸς πειρασθείς. Atque illic etiam, licèt ἐν ᾧ sit, valet tamen, *Per hoc.* In tertio quidem Loco, quem adsignavit, est, ἐφ' ᾧ· dicitur enim, οὐ κὴ καταλάβω, ἐφ' ᾧ κὴ κατελήφθην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, Phil. 3. 12. Sed id est *Propter quod,* ut modò indicavimus. Quartum autem Locum à se notatum, è 2 Cor. 5. 4, in peram suam recondat suademus, Nam & illic est, *Propterea quod,* nec tamen per ἐφ' ᾧ ὐ θέλομεν, vulgò expressum, sed per ἐπειδὴ ὐ θέλομεν. Videmus igitur, ut Iste soleat probare suas Adsertiones.

SECT. LXXXVIII.

1. *Barjesuita tenentur submittere Symbolo Apostolico, atque* in SSpiritum credere, *licèt verba ista in SScripturis non habeantur.*
2. *Quod è SScripturis, directè, necessariòque ducitur, in SScripturis est. In* Μαθητεύσατε, *erat, Doceri, Ut crederent, & Quid crederent; In* βαπτίσατε, *Ut profiterentur, Sic se credere.*
3. *Deum Creâsse aliquid in utero B. Virginis, quod cum ejus Substantia junctum, fecit Jesum Filium Dei, futile commentum est. Filius Hominis vocandus erat & Filius Dei propter Hypostaticam Unionem.*

ÆGriusculè ex Hyberna inclementia habentem adit me Amicus, ipso, post 73 annos. Natali meo, Vir Bonus, Piúsque, S. Theologiæ Candidatus, narrátque (post alia) haut parùm affligi Se propter Cognatum, Civem non malum, atque probi ingenii Virum, in partes Socininas nuper seductum: Rogat igitur, Quid agendum ab ipso sit, Ut errantem amicum revocet ab interitu. Audiétne te, inquam? Audiet, ait. Et judicio valet? Non satis solido, inquit, Nullis enim imbutus Literis. Sciat ergo primùm, Te nullâ eum Authoritate pressurum, præterquam Sacrâ; Passurum etiam libenter, (modò candidè se geret, & sine dolo malo,) Ut Novos suos Duces adeat, opémque eorum poscat, quoties Se nimiùm arctari à Te senserit. His autem præmissis, producas eum in Campum Sacrum Symboli Apostolici, explicésque ordine ei, Quantum ille peccet contra Verbum Dei ex Articulorum eorum Barjesuitica interpretatione. At, Quî potero hoc, inquit? Quum è Principalissimis Articulis Unus sit, & ad quem vel maximè Cognatum meum cespitare sciam, Cujus phrasis nusquam in SScripturis expressè reperitur, scilicet, *Credere in Spiritum Sanctum.* Neque sic effugiet tamen, inquam, Si me audies; Sed ipsis Articulorum verbis fortiter à Te urgebitur, ídque ex duplici argumento. Argumentum profectò, ait, si dederis, totus pareo. Ego verò, Hem tibi, non unum dabo. Primum quidem, erit argumentum Ad Homines. Utut enim Hæretici alii resilire poterint, ubi verba hæc *Credendi in SSpiritum* totidem syllabis in Sacro Textu intellexerint nusquam expressa esse, Magistris tamen Barjesuiticis hoc non licebit, Quoniam ipsi Symbolum istud non admittunt solùm, sed & cum summa arrogantia, tantísque Novatoribus duntaxat digna, profitentur, *Universos Christianos cum Illo,* (non autem, *Illos cum Universis Christianis*) *Symbolum hoc amplecti,* Cat. Rac. pag. 4. Quo de alicubi vapulat mihi glorioſulus ille, Quem è familia Socinina solum oculis unquam usurpavi, Procurator eorum, Racovianus Catechista. Agant igitur pro virili suo, sensúmque Symbolo adfigant quem validè poterint, Sed nè ferantur, Verbis Symboli, per Apostolos, Patresque Primævos è SScripturarum mente consarcinati, non respondere, ex hoc prætextu, Quòd in SScripturis Verba ea non legantur.

2. Argumentum autem alterum non Ad Homines solùm est, Sed & ad ipsam quoque Rem vel maximè pertinet. Negari enim non oportet ab aliquo satìs sano, (Neque eò dementiæ vel Catechistam quidem perveniſſe videmus, Ut non adsentiatur:) Ubi quid, sub exiguâ verbulorum variatione, è verbis SScripturæ, directè, perspicuè, immediatè, necessariòque sequitur, illud ipsum inter SScripturæ Dicta ritè adnumerandum esse. Est verò in N. T. ubi Officium istud *Credendi in SSpiritum* piis omnibus directè imperatur, syllabarum quidem contextu paulò alio, sed per verba ipsius Christi, expressiorem longè Fidei hujus necessitatem inferentia. Ità enim Ipse Apostolis suis mandavit, in Cœlos tum rediens, *Ite igitur, & Discipulos facite omnes Nationes, Baptizantes eos in Nomen Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti,* Matth. 28. 19. *Discipulate eos,* ait, *& baptizate.* Potéstne verò quicquam ad Fidem disertiùs dici? Primò enim, Mandare, ut Discipulentur omnes, idem est, quod Mandare, ut Edoceantur. Et, Quid? Certè, Ut credant, & Quid credant, Utrumque Docendi ab Apostolis erant: Dein, Ut Baptizentur, jubere est, Ut publicè profiteantur, Quòd credant; Credant autem, *In Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum.* Et à quoquam dicetur, non esse in SScripturis, *Credere in SSpiritum?* Conjunge autem cum Præcepto Christi Exemplum Ecclesiæ. *Quid impedit me baptizari?* Eunuchi, jam breviter edocti, Quæstio est, Act. 8. 36, Responsio Philippi est, *Si credis ex toto corde, licet,* ver. 37. *Credidit autem, & Baptizatus est,* ver. 38. Tum iste, Abunde mihi sufficit Argumenti istius Illatio; Consiliis igitur tuis hâc in parte utendi jam certus, alias molestias creare tibi desinam: Nisi & aliud paucis expedire dignaberis, quod propter istos, Qui Barjesuitæ à te dicuntur, quærendum etiam habeo, De Dei Filio. Audiamus igitur, inquam, cum Bono Deo.

3. An creatum aliquid à Deo fuerit in ipso Conceptu D. Jesû, quod cum substantia B. Virginis conjunctum, in eam veri Hominis generationem cesserit? Exhorrui verò, & commotior factus, Unde, inquam,

aut Quorsum ista Quæstio? Ille, Quia ex eodem Gregè habemus, Qui aliter, nescire volunt, quomodo Jesus potuit esse verus, & naturalis Dei Filius, nisi ad Primi Adami exemplum, Ut ipse propter Creationem totius Hominis, dicitur *Filius Dei*, Luc. 3. 38, Ità & Jesus, Secundus Adamus, propter Partis alicujus in Eo creationem, dicatur etiam *Ejus Filius*. Suboluit jam mihi ex isto Paralogismo quas fraudes necterent, Reposui igitur, Sciant verò, (Quiqui illi sint, quos ego, nullius coloris novi,) gratis nimiùm hæc, temeréque ab ipsis, & Barjesuiticâ solùm fide, dici. Quòd si Euangelistam temnere nil reveriti sint, Audiant tamen Archangelum, & confundantur. Ille sic ad B. Virginem, *Ecce, concipies in utero*, Luc. 1. 31. Hoc autem ἰδὲ instantaneum est, Ipsa si adsentiatur, Dictum Factum erit. Concipiet autem, Quem? *Qui Filius Altissimi vocabitur*, ver. 32. Illa verò, *Quomodo fiet hoc, quum Virum non cognosco?* ver. 34. Non negat igitur, à Viro generati potuisse ex Se Filium Altissimi vocandum. Sed Gabriel reponit in Sensum Diviniorem, *Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Hæc igitur Quæstionis suæ Solutio est. Ecquid autem hic De aliqua Creatione? De Speciali tantùm Præsentia Creatoris hæc sunt. Ex ipso enim S. Virginis adsensu, Natura Divina per ineffabilem Sancti sui Spiritûs Virtutem uniebat Se tunc cum Natura B. Virginis ad Hominis Productionem. Et Quid tum? διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς θεοῦ. Nesciéntne verò hii Magistri, Quid διὸ valeat? Integra planè est, Cœlóque demissa Generationis hujus Mystica Ratio: Non eget igitur futili aliquâ, satísque blasphemâ fictione ex incude Socinina. Angelus ait, διὸ, Quia ob Hypostaticam hanc Unionem, quam Ille fore jam significabat, Filius hominis ex Ipsa nasciturus, rectissimè quoque vocandus erat Filius Dei. Sed sic sunt hii Homines, Ut Barjesû filios possitis semper cognoscere; Nisi enim supra sobrietatem saperent, pervertendo rectas vias Domini, ádque sensus suos Hæreticos SScripturæ verba (plùs, minùs) depravando, naturam suam desererent, & mortui essent. Sed eant, per me, plaudántque sibi de Jesu suo, Quem Naturâ Divinâ exui per ipsos, emungíque contentum esse jubent, Boni tamen erunt, atque lautum adsumentum comiter ei facient; per suppeditatam (nesciunt quam) in Humana ejus Natura creationem. Hiis dictis, ille discessit cum gratiis.

Sect. LXXXIX.

1. *Christus duplici Authoritate, Suâ Ipsius, atque Operum suorum, urget Discipulos ad credendam Rem, non vulgarem, sed singulariter Suam.*
2. *Ipsa Reduplicatio est Deitatis ejus Adsertio, per Supplementum Verborum* Esse, & Habitare. *Μένειν, est Argumentum Hypostaticæ Unionis.*

VErba illa Christi, Πιστεύετέ μοι, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ Πατρὶ, καὶ ὁ Πατὴρ ἐν ἐμοί· Εἰ δὲ μὴ, διὰ τὰ ἔργα αὐτὰ πιστεύετέ μοι· non obscurè Ejus Divinitatem sonant; Quæ tamen novi, vix ità accepta esse à parte aliqua Interpretum, haut satìs tempora distinguentium. Dominus enim post hanc concionem, confestim ad Proditionem suam, Passionémque profecturus, majore cum Emphasi jam Se aperuit Discipulis suis, & quod antea, dum Judas aderat, obiter tantùm, tectiúsque de Communione sua cum Patre, iis significârat, (ut Joan. 8. 16, & 19, & Joan. 10. 30, & 38.) signantiùs nunc, atque explicatiùs Joan. 14. 11, disertâ oratione hoc indè à v. 6. prosecutus, exposuit. Igitur quòd nunc tam vehementer adfirmat, *Ego in Patre*, istud à nonnullis non aliter elucidari, quàm *Christum in Patre fuisse per Obedientia Propositum*, vah! Quàm parùm hoc, atque elumbe, & frigidum est, tantóque hiatu neutiquam dignum! Eo enim modo *Esse in Deo Patre* dicendus est, Quisquis in Orbe Servorum Dei infimus, imbecillimúsque est: Atque ad eandem μικροψύχιαν, quòd non aliter *Et Pater in me*, exponatur ab iis, quàm *Deum in Christo fuisse per Efficaciam, aut Vim Operantem*, haut amplius Christo largiuntur, quàm quod Prophetarum exiguissimo, imò Cuivis Fidelium, rectum aliquid, probúmque patranti, tribui oporteat. Nihil opus igitur erat, ut Dominus ad tam pauperculas Expositiones, (Quæ de nemine Pio non admitti, vel mutuæ charitatis respectu, debent,) de Se admittendas Discipulos in Valedictorio hoc Sermone tantopere urgeret, vel per suam ipsius Authoritatem, Credite Mihi, vobiscum tam diu versato, probatóque, Magistro vestro, & Veritatis solius semper vobis Authori; vel per Authoritatem Operum suorum, Credite propter Opera, tam Cœlesti Sapientiâ, stupendâ Justitiâ, Divinâ Bonitate incocta, opémque omnem, & vim Humanam tam infinitè exuperantia. Ad Credendum autem hæc quòd premantur nunc ab Eo utriusque hujus Argumenti pondere, sublime aliquid, præcipuúmque in iis subesse oportet, & vulgari omnium Mortalium, Captui quidem, (absque tanto Fidei Authore esset) sed & Conditioni, penitus negatum.

2. Enimverò si inter impostúras Racovianas aliquando incidissem in perfidas istas, & malè feriatas Loci hujus expositiones, nunquam temperare mihi potuissem, quin eas, (ut Christo solùm imminuendo fraudulenter interjectas,) summo cum ardore, fastidióque in Parentis sui Barjesû haram usque repulissem: Verùm in Viris Probis, & protervi nihil, τῷ Θεῷ, in Christum molientibus, nedum impuræ illi Hæresi supparasitantibus, dolenda quidem plurimùm est, sed & molliter emendanda &, quà poterimus, excusanda, tanta Supinitas. Ad claram enim Divinitatis suæ adsertionem tendit ista reduplicatio Christi, *Ipsum in Patre, atque Patrem in ipso.* Ad cujus intellectum, reliquit nobis (sicut Ejus est mos,) in utroque membro ejusdem, Supplementi faciendi locum, cùm Ipse in neutro Verbum aliquod expresserit. Respectu igitur habito ad Naturas Christi, Ellipsis priore in Loco supplenda est per Verbum Substantivum, *Ego in Patre Sum.* Atque hoc exponendum est, non Moraliter, aut pro frigido aliquo Hominum modulo, *Propter continuam Obedientiam*, sed Naturaliter imprimis, & Modo solùm Suo, propter æternâ Ejus Generationem. Hoc enim est Verè atque Eminenter in Deo Esse. Quoad alteram verò partem, ibidem proximè suggeritur Verbum ab ipso Christo, Ait enim, Πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, ver. 10. Novimus autem μένων Joanni φίλτρον λέξιν esse pro *Habitare.* Respexit igitur Naturæ Humanæ adsumsionem ad Se, De quâ Apostolum habemus Expositorem omnium locupletissimum, *Quoniam in Illo habitat tota Plenitudo Deitatis Corporaliter*, Col. 2. 4. Summa igitur est, Pro Argumento Hypostaticæ Unionis Naturarum in Christo effatum hoc Christi rectiùs à nobis sumi, per quam Qui nobiscum Deus est, Idem etiam cum Patre æternùm est Deus.

Sect. XC.

1. *Christus Nobis Via ad Patrem est, ratione Exempli Sui, sed multò magis, ratione Meriti. Idem Via Regni est, & Causa Regnandi.*
2. *Via Exempli non sufficit nobis, propter infirmitatem nostram: Via Meriti, & Satisfactionis Christi est, Quæ defectus nostros in Via supplet. Sotinini, ô Quanti Prædones, ex Parte Christi, Nostrâque!*

NEq; parùm quidẽ jamdiu doluit mihi, quòd Elucidatores hii non metuerint tam parùm dicere, (Est enim multò

multò minùs, quàm & Mens, & Meritum Christi ferant;) cùm priora Ipsius Verba illa, Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδός, Joan. 14 6, De Actionibus solùm Christi exponenda esse duxerint, Ecclesiæ suæ ab Ipso propositis, ut per earum Exemplum, tanquam per stratum iter, possimus ad Vitam æternam contendere. Sciant tamen, Nos Expositionem istam nullos rejicere, Ut à Davide olim prænonitum est, *Providendi Dominum semper in conspectu nostro*, Psal. 16.9, Vitam scilicet, Gestáque Christi nobis semper ob oculos ponendi, in Regulam nostrarum Actionum; Quandoquidem in epiphonemate illo, *Exemplum enim dedi vobis, Ut quemadmodum feci vobis, & Vos faciatis*, Joan. 13.15, censeamus istud *enim* generali sensu gaudere, & non ad eam pedum lotionem duntaxat applicari debere, sed, ex paritate rationis, in totius Vitæ nostræ decursu locum habere, sic ut quicquid facimus, dicimus, volumus, conformetur, quantum Naturæ Humanæ conditio feret, ad imitationem Christi, atq; ut omnem nobis Nos ex Ipso ducamus Viam. Veruntamen cùm observemus, quantopere Christo ampliare visum fuerit, atque ut Thomæ de Via solùm quærenti respondens, tam miro tamen cum auctario id fecerit, *Ego sum Via, & Veritas, & Vita*, (pro idiomate Hebræorum, Substantiva Substantivis per Πολυσύνδετον conjungens, Quò fortiùs Suis imprimeret, Esse Se Viam, Verissimè sic dictam, ad Vitam æternam;) Statuendum nobis semper est, Viam nobis ad Salutem, non esse per Exempla Ejus solummodo, In quorum vestigiis premendis fragilitas nostra Humana nequit non miserè deficere; Sed etiam multò magis, (Viâ enim longè Diviniore, atque Defectus nostros omnes supplere datâ;) esse per Merita Christi, Sanguinísque Sui pretium; Cui Viæ, si, ex Fidei suæ gratia in nobis, sanctè insistamus, etiam cùm Exempla Ejus, ut quimus, sectamur, illa Nos rectà perducet, certóq; in Regnum Patris Sui. Præcellenti scilicet hoc modo, Christus nobis non minùs Via Regni est, quàm Causa Regnandi.

2. Debebant igitur Boni Viri in Elucidationibus suis Viam quidem illam priorem, Vitæ atque Exempli Christi, Fidelibus Christi servis insigniter, summóq; opere commendare: sed quoniam in ea pergenda, propter infirmitatem Carnis nostræ, vel errare de Via, vel in Via cespitare, titubare, claudicare, decidere etiam nobis sæpe contingit, Non debebant insigniorem eam alteram Viam subticere, Istam dico *in Sanguine Jesu, Quam initiavit nobis, Viam Recentem semper, Viventémq;, id est, per Carnem suam*, Heb. 10.20, In quâ, Fide Duce, Comitéque Charitate, datur nobis nostras ipsorum Offensiones superare, remorísque aliis, & obicibus omnibus depulsis, pede inoffenso nosmet, & cursu non interrupto, in Regnum Cœleste penetrare. Neque igitur Hii adverterunt, Se non in populum solummodo Fidelem peccare ex ista Reticentia, Silentes, quod in hac parte Viatoria præcipuum est, neq; indicem Digitum exporgentes ad communitissimam hanc, feliciſſimámq; nobis, Viam verè Regiam, Summéque Salutarem; Sed & in Suam ipsorum (ut Res nunc ferunt,) existimationem, animámque. Quid ità veró? Cadunt enim, culpâ suâ, in grande discrimen hoc, Nè, sequiore jam seculo isto, (In quo irrupit in ovile Christi, Aliâ quidem Viâ, & Suâ, Non per verum Ostium illud, Joan. 10.7, Genus hominum prodigiosè prædatorium, v. 8. pissque cunctis devovendum, Qui cum Natura ipsius Divina, Satisfactionem quoq; pro Peccatis Mundi, Meritúmq; omne Mortis suæ Christo abjudicârunt, atque in sola Vitæ nostræ ad Regulam Vitæ Christi compositione, Salutem nostram, Summámq; Beneficii, quod ex Christo reportamus, collocârunt:) putentur & ipsi, in Partem eam toties vergentes, subdolam hanc operam Suam Pestibus illis Socininis, ex nullo errore judicii, sed ex animi adfectu, atq; de industria, dedisse. Quod nollem factum!

Sect. XCI.

1. *Probatio Deitatis Christi. Barjesuita fatentur Christum in Cœlis, antequam prædicaret, fuisse. Primus Terminus Christi, à Quo movit, Cœlum.*

2. *Christus nulla indicia Deitatis suæ publicè edidit, antequam baptizabatur. Munera Sua à Conceptu habuit. Annus erat post baptismum, antequam Nazaretha prædicavit.* ἐδίδου. *Usus Aoristi illius, & Participii ejusdem.*

3. *Quæ Christo dari dicuntur, Ut à Se habebat. Cur Socinini pernegent, Christum creâsse mundum.*

4. *Dolosè tollunt Subjectum Quæstionis, nè Christo tribuatur Rerum Creatio.*

5. Κατ' ἀρχάς, *Pluraliter dictum, innuit non solùm illud* ἐν ἀρχῇ *Pentateuchi, sed & ἐν ἀρχῇ istud Euangelii. Christus enim ab æterno.*

6. *Textum cùm insimulent Mendacii, Se excusant per Mendacium.* Σὺ εἶ ὁ αὐτός. *Cùm Filius in Divinis, Persona Secunda, Mediáque sit, ut Rerum Causa Secunda, Mediáve representatur. Per Christum Deus fecit.*

NAzarethani, cùm Christum, quem ab infantia cognôrant, prædicantem primò audirent, mirabundi sciscitabantur, *Unde Huic hæc? & Qua hæc Sapientia, qua data est Ei?* Mar. 6.2. Cui suppar est & illa altera Judæorum Quæstio, *Quomodo novit iste Literas, non edoctus eas?* Joan. 7.15. Jam Quis reponet illis? Nam si nos respondeamus, ex Ipso Se habuisse, éq; Natura Sua Divina hæc profluxisse, reclamitant Caput è specu Socinino exerentes, Naturámq; eam Christo prorsus abjudicant. Quin ipsi igitur edoceant Nos, Unde depromserit hæc Christus. Tot autem, támq; disertis N. T. Locis premi Se sentiunt in hanc Sententiam, Ut Christum, præter quòd Propheta erat, *etiam in Cœlis fuisse, ibíq; ab ipso Deo omnia edoctum esse*, haut ausi sint inficias ire, C. R. p. 129. Verùm Quando ibi, aut Quomodo adfuerit, fic ut non Nazarethanos solùm, sed & Euangelistas omnes hoc furtum lateret, Mirabilem Catechistam (Quem ex ea Factione solum consulere mihi datum est;) aliàs nihil pudere solitum, puduit dicere. Mira autem erunt mihi, nisi ad Joannis Baptisma è Galilæa contendentem, remotis tum (præter Barjesuitam aliquem) testibus, in Cœlos, (Brevis enim Via erat,) adscendisse Eum, ibíq; (Brevis enim & Mora erat,) dicto citiùs institutum esse, determinent. Verùm Quid tum fiet illo Loco Christi, *Neminem unquam adscendisse in Cœlum, nisi Qui è Cœlo descenderat, Filium Hominis, Qui in Cœlo est*, Joan. 3.13? Neq; enim dicit, Neminem illuc raptum fuisse, neque de cætero Neminem adscensurum esse, sed jam tum *Neminem adscendisse*, ideóque vel si tum, dum in Via ad Joannem erat, adscenderit, vel quocunque alio tempore illuc ierit, ista tamen satìs nota Ei Via erat, In Cœlo enim antea fuerat, atque indè priùs descenderat. Cui similis est & illa Paulina Locutio de Christo, Τὸ δέ, Ἀνέβη, τί ἐστιν, εἰ μὴ, ὅτι καὶ κατέβη πρῶτον; Eph. 4.9. Nihil igitur proderit Barjesuitis hoc effugium, Quin Christus, ante tempus, quod tam futiliter præfigere Ei velint, in Cœlos furtim eundi ad Scholam, in Cœlis æternùm fuerit, Ex qua ratione, & ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ, etiam dum in terris aderat, ibidem dictus est. Quòd verò reperti ex eo tempore sint, Qui Literali sensu præter fas suppresso, per solas Metaphoras, inque sensibus Mysticis hæc sumentes, non aliter exposuerint ἀναβάσεως, quàm *De Arcanis Cœli animo penetrandis*, neque ὁ καταβάς quàm *De Eo, Qui singulari Dei dono nobis concessus est*, neque ὁ ὢν ἐν οὐρανῷ, quàm *De Conversationem suam semper in Cœlis habente*, verendum est, nè dissimulantium hæc sint, planéque mentientium (subdolam enim hanc operam dantium, ut etiam cùm verum hoc dicunt, incautos fallant,) quò Barjesuitarum Capitibus possint cavere. Sed fruſtrà hæ strophæ sunt: Primus enim, in Motibus Christi, Terminus à Quo, non est, Adscendentis è terris, ut tum diceretur de Cœlis ad nos descendere, Sed, Ut ipse De Se semper locutus est, *Exivi à Patre, & in Mundum veni; rursus relinquo mundum, & abeo ad Patrem*, Joan. 16.28, Descendisse huc Christus intelligendus est, ante aliquam Ejus è terris Adscensionem.

2. Sapientiam autem ἡ σοφίαν αὐτῷ, quòd Populares Ejus nunc mirati sint, abunde indicant, Christum tam moderatè Se, tectéq; inter eos gessisse, indè ab incunabulis ad Annum Ætatis Suæ Tricesimum, Quo profiteri cœpit, Qui Vir erat, Ut Divinæ suæ Præcellentiæ Prognostica nulla coram iis ediderit, (Nè tantulum fortassean, quantum Hierosolymis ipsis in Templo Puer Duodecennis inter Doctores monstraverat;) Sed sola fabrilia tractare contentus, in Arte quidem illa excellere potuerit, Verùm De Facultate sua Prophetica, De miraculorum præstatione, Déque SScripturarum Cognitione, nihil Sibi arrogaverit, nihil impertierit Populo. Et tamen σοφίαν nunc cùm dicant, non ità accipiendi sunt, acsi Herì eam, aut Nudius tertiùs Datam opinarentur, sed ex quo Jesus Se in Judæam contulerat ad Baptistam, Matth. 3. 13, atque ab eo reversus domum, familiæ partem maximam, (Matrem putà, Fratrésque, (sic dictos,) & Discipulos suos, Joan. 2. 12, licèt Sorores Ejus omnes Nazarethæ reliquerat, Matth. 13. 56.) ad Capernaumitas transtulerat, Matth. 4. 13; Atque Capernaumo tandem exiens (Sed & Paschate interea ab Eo Hierosolymis acto, Joan. 2. 13.) Nazaretham denuo ierat, (Nam ἦλθεν, Mar. 6. 1, ut & Matth. 13. 54. & Luc. 4. 16, sæpéque alibi, est *Vadere*, & non, *Venire*.) Quod post Annum à Baptismo suo contigisse, ex Euangeliis colligere est. Audiant autem hoc obiter volumus, Qui Quia illud Christi, ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία, Matth. 28. 18, ante Resurrectionem dictum ab Eo non est, neque datam igitur Potestatem eam fuisse hariolantur ante Resurrectionem; Quam Ille tamen sibi ab ipso Conceptu Suo (ut alibi probavimus,) datam fuisse intelligit, sub silentio utcunque hactenus à Se habitam, & propter οἰκονομίαν suam, ne quâ interturbaretur ea, providè celatam, donec resurrexerat, atque jamjam adscenderet: Quo quidem exemplo, eundem Aoristum, de ejusdem temporis spatio usurpatum esse à Petro, reperiemus, Act. 2. 36, & Participium hoc, de longinqui temporis intervallo communiter à Paulo, Rom. 15. 15. 1 Cor. 3. 10. Gal. 2. 9. Eph. 3. 8. 2 Tim. 1. 9, & sæpe alibi. Verto igitur Nobis hoc, And what wisdome is this, which hath been given him?

3. Veruntamen cavillis suis Pharetra Barjesuitica nunquam caret. Objicitur ergò, Si data Ei fuit Sapientia, si Potestas, ex Alio igitur habebantur, & non, à Se, aut ex Natura Sua: Atque hic ille Paralogismus est, quo fisus Catechista, Quia Deus dicitur, *Filium constituisse Hæredem omnium*, Heb. 1. 2, rotundè reposuit, *Quod hæreditavit, à Seipso non habuit*, Cat. Rac. pag. 81, arietare igitur ex eo Sophismate se sperat, subrueréque posse Argumenta omnia Divinæ in Christo Naturæ, Quæ è Primo Epistolæ illius Capitulo depromuntur à Nobis ad eam comprobandam. Et facilè quidem potest inter cerritos suos Nepotulos Racovianos hoc facere: Sed quibus cerebelli quicquam σὺν Θεῷ relictum est, facilè persentiunt, Quod Christus Homo à Christo Deo habet, ab Alio utcunque habere dici possit, Quia à Natura sua adsumta non habet, haut tamen negandus est à Seipso habere, Quia Naturæ suæ Divinæ æternùm competit. Diverso igitur hoc respectu, Idem Ipse est, Qui accipit, & dat, Idem enim Deus ab æterno Hominem Se factum constituit Dominum (Quâ Homo nunc erat,) atque Hæredem omnium. Jam clara sunt hæc. Paulò autem involutius est, (sed longè impudentiùs habitum, fidéque & fronte omni destitutum,) quod ad ultimi ex hoc Capitulo Argumenti Vim propellendam commentus sibi est. Concedit enim ἐπιτῶς, quod Apostolus è Psal. 102. 25. allegavit, *id ab eo Scriptore ad Filium Dei referri*, Cat. Rac. p. 80. Benè habet! Ergò eodem Authore, inquimus, A principio Christus Terræ fundamenta posuit, & Cœlorum Opifex extitit, Heb. 1. 10. Imò verò, Non, exclamat Catechista: (Nam si hoc admittat, admiserit licèt, perire se sentit.) Urgemus igitur, Quid tum erit hoc? Quod audiat Pietas, audiat Veritas, Ut impuro ore in Apostolum, in SScripturas, in Cœlum ipsum, Christúmque expuere eum nunc nihil pudeat! Diserta enim sunt Verba Textûs, *Ad Filium autem dicit*, ver. 8, (Neque ipse modò negavit, Ad Filium referri,) *Et, Tu in principio, Domine, fundasti*, ver. 10. At nunc corrigendi sunt & Textus, & Scriptor iste, & ipse David, si Authoris hujus mentem gesserit. *Respondeo* enim (ait Catechista) *Testimonium istud non de Filio, sed de Deo accipiendum esse*, Cat. Rac. p. 80. Epistola dicit, *Ad Filium, & Tu*. Racovianus, *Non de Christo*. Quàm ornandum igitur Sacrum hoc Caput est, tollendúmque! Neq; enim Utri istorum magìs credendum sit, ambigere licet lepidis Nostris Socinulis. Erit tamen ipse, præter fas, tam bonus, felíxque Orbi, ut cum Authore Epistolæ, & cum Christo, (Quia pro nimiùm Malis eos non habet,) clementer aget, eâdémque æquitate erga eos utetur, quâ Sociam erga suam nobile illud Scortum coram Solomone, *Neq; Mihi sit, neque Tibi, sed dividatur*, 1 Reg. 3. 14. Dividit ergò verba illa Davidis in Duas Partes, In Cœli, Terræq; Creationem, Inque Rerum Creatarum Abolitionem. Et jam, Posteriore hâc, De Rebus Abolendis, forte contentus si Christus abire voluerit, Quoniam Legatum ei à Psalmista est, bonâ cum venia Catechistæ faciet: Sed Sorte Priore, De Rerum Creatione, abstinendum ei penitus esse determinat; Et Cur? Soli enim Deo suo, (Christus autem Ille non est,) illam adserit, pernegátque, *Testimonium illud è Psalmo ad eum finem ab isto Scriptore allatum esse, ut Christum creâsse Cœlum & Terram probaret*, Cat. Rac. pag. 81.

4. Quâ fronte verò hoc? Aut, si à principio frons omnis periit de rebus Socininis, Quâ tamen fide? Periit quidem iis & ea; sed quia Rationis aliqua species ab eo hâc in parte prætenditur, audire non renuimus; Eloquatur igitur, *Quòd is Author priorem partem ad Christum non referat, hinc perspicuum est*, ait, C. R. ibid. Euge verò! Proferétne quicquam nobis, quod magìs perspicuum sit, quàm sunt Verba hæc, quæ & priùs concessit? Πρὸς ἓ ἐρῶ. Pergat igitur, *Quia in isto Capite Præstantiam Christi demonstrare sibi proposuit*, ibid. Et verum hoc dicit, *Proposuit*; Sed, *Non eam, quam à Seipso habet*. Hoc jam falsum dicit, *Verùm eam quam hæreditavit*, ibid. At ista inter Se nihil pugnare in antegresso Paragrapho satìs explicatum est. Sed addit, *Et quâ præstantior Angelis effectus est, Ut è ver. 4. cuivis planum est*, ibid. Atque hæc jam altera egregia impostura est; Nam, qui proposuerat, Simpliciter, atque Absolutè De Præstantia Christi dictum esse, Additione jam dolosè factâ, limitat ad eam, quâ Ille Angelos superat, Quasi hæc sola Capituli totius Argumentum esset, Quæ Unicum solummodo, peramplum licèt, est, post alia ibi Argumenta ad delineandam Excellentiam Christi, Quantò ipse superior sit, ex omni respectu, Angelis omnibus. Sed dicis tamen caussâ, Admisso & hoc, utcunque non dato, Quid tum? Quid? *Cujus generis præstantia Creatio Cœli, & Terræ non est*, Cat. Rac. pag. 81. Vah! Quàm spissum verò est hoc, & nebulone quovis dignum! Nam Quid est, *Cujus generis præstantia?* Dic igitur apertè, Nequam, & sine offuciis. Ain', Creationem Cœli, & Terræ nihil spectare ad Christi præstantiam supra Angelos? Hoc si velis, dic Quídni? An, Quia Creationem Cœli, Terræque velis & ad Angelos ex æquo spectare? Aut si non hoc, (In eorum enim Creatione comprehenditur & Angelorum Creatio;) An, Quia omnino nec ad Christum? Istud certè est, quod verè vult, per ambages istas tollere Subjectum Quæstionis, Adserere enim, Nihil ad Christum pertinere eorum Creationem. Quàm appositè verò hoc ad id, quod in principio proposuit, Demonstrare Christi præstantiam? Probat enim nunc, Demonstrando, Quid Christus non potuit præstare. Ex eóq; consilio est, quòd & operam tam insanam navârit, ad Sacros illos Textus, *Per Eum omnia facta sunt, & sine Eo factum est nihil*, Joan. 1. 3. &, *Mundus per Ipsum factus est*, v. 10. &, *In Ipso creata sunt omnia: Omnia per Ipsum, & ad Ipsum*, Col. 1. 16. (De quibus Nos alibi.) Barjesuiticè, afflandos, hoc est, distorquendos, pervertendósq;: Jámq; sibi concinit, & post miserè coactas à Se Illationes suas, pro concluso sumit, (sed mera Petitio Principii est,) *Cujus generis præstantia*

Creatio

Creatio Cœli & Terræ non eſt. Utque caveat, nè non credatur ei, Thraſonicè accumulat, *Nec eſſe poteſt*, ibid. Quàm ferale verò effatum hoc! Ausítne quiſquam jam Magiſtro, tam peremtoriè Petenti Principium, non cedere?

5. Valde tamen me miſeret Homuncionis, quòd cùm *Neque eſſe poteſt*, tam præfidenter intulerit, fileat prorſus, & non poſſit dicere, Quare. Me igitur videat, Qui poſſum, opémque hanc tam modeſto Capiti feram, præ pudore ſolùm non dicenti, quod res eſt. Nam, Eſſe ſi poſſit iſtud, hoc eſt, ſi à Nobis Barjeſuitis admitteretur, Creationem Cœli & Terræ ad Chriſtum pertinere, rueret actutum, & in nihilum redigeretur Socinitatis Noſtræ Caput Principale, Factióque noſtra foret Terrâ non minùs, quàm Cœlo excluſiſſima. Prævidet igitur hoc Catechiſta, atq; hinc ſic angitur, æſtuátque. Quo malaciſſetur verò, perpendat, ſi me audiat, Citationis Apoſtolicæ prima illa verba, Σὺ κατ' ἀρχὰς, Κύριε, τὴν γῆν ἐθεμελίωσας, próque inſigni ſua facultate dignetur exponere, Quid κατ' ἀρχὰς ſit. Pluralis enim Enuntiatio cùm ſit, & non κατ' ἀρχὴν, egregio Myſterio ſuo hoc non carere, Quídni exiſtimem? Significat igitur SSpiritus, Præter Principium illud apud Moſen, ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, Gen. 1. 1, præviſſe & alterum Principium, illud apud Euangeliſtam, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, Joan. 1. 1, atque ex hoc intuitu, Pſalmiſta, ut Chriſti (nam πρὸς Κύριον hoc dici videmus,) præſtantiam clararet, Numerum auget, aíſque, Filium, Qui Divinæ Gloriæ Splendor, Subſtantiæque Ejus Character eſt, Prioris illius Principii, principio omni carentis, ab æterno participem eſſe, & Poſteriori Principio, Ut eſſet in tempore, ex Opificio ſuo dediſſe, Atque hoc Ei eſt, κατ' ἀρχὰς, *Inter Principia.* Fuit igitur Ipſe ante Mundum, quem fecit: Non factus cum Mundo, neque paulò ante mundum, eſt, ut Ipſe dein Mundum faceret; (Quâ in parte, Ariana dementia multò quàm Socinina tolerabilior eſt:) Sed nunquam erat, Quando non erat, Erat enim Deus ab æterno. Et ubi nunc erit Barjeſuitica Impietas?

6. Intererat igitur Catechiſtæ, præcipuo nunc modo frontem ſibi perfricare, atque Apoſtolo, aienti, *Ad Filium hæc dici*, ità reponere, ut mentiri eum tantùm non aiat, adſerere enim, *De Meſſia hæc non debere accipi.* Veruntamen quò nè videatur ad extremum depuduiſſe, improbitatémque omnem ſuperare, reperiſſe ſe gloriatur, quî poſſit Apoſtolo ſuccurrere, ità ut in tanto ſolùm, & non in toto Mendaciloquus ſit. Davidis enim, quæ citantur ab eo, Verba dividantur, ait, in Partes Duas, & diffugere utcunque non poterit, quin falſum dicat quantum ad Partem Priorem, Poſteriori tamen Parti veritatem ſubeſſe ſinet Catechiſta, (Sic ſolet beare Amicos;) ferétque, Ut ad Chriſtum de Chriſto ea dicta ſit. Quàm miſellum autem hoc, atque excors ſubterfugium ſit, teſtis ipſa ea Poſterior Pars eſt, In qua verba hæc, Σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ, voce planè Stentoreâ proclamant, Perſonam heic variari non poſſe, ſed in Parte utraque unam eandémque eſſe, tam Extruentis Orbem, quàm Deſtruentis. Neque igitur Eum Ab Æterno minùs fuiſſe, quàm In Æternum permanere: Prout & Author ipſe mox determinat, Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς, καὶ σήμερον ὁ αὐτὸς, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, Heb. 13. 8. Quòd cæteris verò in Locis, ubi *Per Chriſtum omnia facta eſſe* dicuntur, reſpondere ſoleat, *Hunc modum loquendi, non Eum, Qui Prima ſit Cauſſa Rerum, ſed Cauſſam Secundam, aut Mediam exprimere*, Cat. R. pag. 73 & 75, Vel ſic quidem ſuo jugulatur gladio; Quem enim in Conditura Mundi fatentur Secundæ, Mediæve Cauſſæ rationem habuiſſe, neceſſe eſt, ut ab æterno Eum fuiſſe concedant; Nos autem Filium in Divinis, quoad Perſonam ſuam, Secundam, Mediámque eſſe conſtanter adſerimus, *Per Ipſum igitur facta ſint omnia*: Sed eandem tamen omnino Naturam eſſe in omnibus illis Perſonis, propugnamus, contra Socinitatem omnem, & Portas ipſas Inferorum.

Sect. XCII.

1. Hodie *Æternitatis, Argumentum Paulo eſt applicand ad Res in tempore geſtas, Nativitatem Chriſti, Sacerdotium, Reſurrectionem.*
2. *At Qua Conſequentia, à Meſſia ad Jeſum? Ex tali Reſurrectione evincitur Jeſum eſſe Meſſiam.*
3. *Jeſum vocatum fuiſſe ad Sacerdotium, non minùs quàm Aaronem ad ſuum, ex Hypoſtatica Unione.*
4. *Barjeſuita, Ut neget hæc, & Cur, SScripturáſque diſtorqueat.*

Laude ſuâ digni ſunt illi è Schola, Qui Patrum aliquot ſententiam amplexi, *Hodie* illud, quod de Meſſia apud Davidem legitur, *Filius meus es Tu, Ego hodie genui Te*, Pſal. 2. 7, De æterna Filii generatione dictum exiſtimârunt. Diem enim Præſentem dicere, Qui *Hodie* dicit, extra controverſiam eſt; Idcóque propriiſſima eſt iſta Æternitatis adnotatio. Unus enim ex integro Dies, totúſque ſemper Præſens, Præterito omni, vel Futuro carens, Æternitas eſt. Huic autem Expoſitioni quòd reclamitandum eſſe nonnulli arbitrentur, Quia Apoſtolus hunc ipſum Pſalmiſtæ Locum ad Res in tempore factas applicat, (Ad Chriſti Nativitatem è B. Virgine, Heb. 1. 5. Ad ſummum Sacerdotium, quo Ipſe defungitur, Heb. 5. 5. fortaſſean & ad Reſurrectionem Ejus è Sepulcro, Act. 13. 33.) Illatio ipſorum hæc vacillat, & vehementer erronea eſt. Argumenta enim ſua Apoſtolus non aliter ex eo Teſtimonio accerſit, quàm propter æternam Filii Generationem, atque in ea fundantur reliquorum à Chriſto Geſtorum Rationes, Naſcendi è Maria; Intercedendi pro Nobis; & Reſurgendi à mortuis. Expendatur enim Argumentatio ejus ad Antiochenos, in qua ſic proceſſum eſt, *Euangelizamus vobis*, Act. 13. 32, *quòd Promiſſionem, Patribus factam, Deus perimplevit Nobis filiis eorum, eo quòd ſuſcitavit Jeſum*, ver. 33. At Quæ, obteſtor, eſt iſta Conſequentia? Primò *Dixiſſe Dominum, Filius meus es Tu*; & poſtea, *Exuſcitaſſe Jeſum.* Quo jam nexu inter Se copulari hæc dicentur? Per quam rationem aut illud ex hoc inferetur, aut hoc ex eo?

2. Enimverò, ſi Res iſtæ in ſe ſolùm ſpectentur, tam toto cœlo diſterminatæ ſunt, ut nulla planè ſit inter eas Conſecutio, Nulla Conjunctio inter Meſſiam promiſſum, atque redivivum Jeſum. Verùm apud Hebræos Promiſſionum Patribus factarum, & Prophetiarum Veterum gnaros, aliter Se res habuit. Ipſi enim, cùm ſatis ſcirent, Meſſiam ſuum, ubi veniret, Immanuelem futurum, hoc eſt, *Deum Nobiſcum*, Didicerant etiam, per *Hodie genui Te*, æternam Filii Generationem ſignificari: ex hiis ſuppoſitis facilè perceperunt, in Argumento Paulino eſſe luculentam Conſequentiam. Quid enim? Suſcitatus nuper Jeſus à mortuis fuit? Ità ſuſcitatus, ut nunquam redeundum Ei ſit ad Corruptionem? ver. 34. (Subjungitur enim & hoc ab Apoſtolo, in abundantiorem cautelam contra cavillandi cupidos: Nam è Sepulcro & ipſe Jeſus Lazarum antè ſuſcitaverat, Joan. 11. 44.) Satis, ſupérque jam eſt hoc: Neceſſe enim nunc eſt, ut Jeſus iſte ſit Meſſias. Quid ità verò? Propter rationem, à Petro priùs allatam hoc ipſo in argumento, & à nemine ipſorum negatam unquam, negandámve, *Quoniam non erat poſſibile teneri Ipſum à morte*, Act. 2. 24. *Ipſum?* Quem? Filium Dei illum, Quem Deus dicit Se *Hodie*, id eſt, ab æterno genuiſſe Sibi: Implicarent enim hæc. Quocirca *ex hujuſmodi Reſurrectione, definitus eſt, Filius Dei, in Potentia, per Spiritum Sanctitatis, Jeſus Chriſtus Dominus Noſter*, ut apud Paulum eſt, Rom. 1. 4.

3. Quin & eandem ex Paulo ejuſdem Conſequentiæ ſuæ, quantum ad Sacerdotium Chriſti, rationem eruere eſt. Primò enim purgat Chriſtum à rapina atque intruſione; Negat ſcilicet, Dominum Hodiernis noſtris Schiſmaticis,

smaticis, perpiíſque Prædonibus exemplum aliquod dediſſe evehendi Semetipſum in Pontificatum ſuum, Χριστὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασεν γενηθῆναι Ἀρχιερέα, Heb. 5. 5. Unde habuit ergó? Dixerat id jam proximè, *Vocatus eſt à Deo, ut & Aaron erat*, ver. 4. Atqui de Aaronis Vocatione dubitari nequid poſſit, Deus ipſe nobis Author eſt, Exod. 28. 1. Eccubi verò ſimiliter & de Meſſiæ? Similiter: Dixit enim Dominus ad Meſſiam, *Filius meus es Tu: Ego Hodie genui Te.* At dixiſſe Qui nulli negamus, Rogitamus tamen. Illud ex iſto Quomodo ſequatur? Quomodo à Meſſia tranſitur ad Jeſum? Ex pari, ſolâque, illatione, quâ priús. Nam cùm Ille ab æterno genitus, genitus denuo fuerit in tempore, & factus Homo, jure hujus Prærogativæ, Honore omni Sacerdotali, Regali, Prophetico pariter donatus eſt, atque ex Hypoſtatica Naturarum unione, Privilegiis omnibus Divinis ſimul cum corpore in Corpore fruitus eſt; Exerendis quidem pro arbitrio Sapientiæ ſuæ, ínque Actus externos producendis, & Orbi, (plùs minúſve) communicandis, tali ſolùm Modo, Tempore, & Loco, ac Ipſi viſum foret expedire, ad οἰκονομίαν eam, propter quam in mundum venerat, maximè promovendam. Scopus igitur Argumenti ex iſtis Pſalmi verbis, quoties apud Apoſtolum occurrunt, iſte eſt, Haut citiùs Beatam Parentem Gabrieli repoſuiſſe, *Fiat mihi juxta verbum Tuum*, Luc. 1. 38, quàm Ipſa æterni Regis, Sacerdotis, Prophetæ præſentiâ, per SSpiritum in utero ſuo beabatur, partúſque ei & Dominus, & Chriſtus erat ex ipſo primo momento Conceptionis.

4. Scio ad hæc *fremère*, (Ut Pſalmi iſtius exordium eſt,) Barjeſuitas noſtros, neque pati poſſe, qui Divinam Naturam Chriſto ſurreptum eunt, Meritúmque Redemtionis noſtræ in Cruce abnegant, Ut Rex ipſe fuiſſe exiſtimetur, antequam reſurrexerat, aut Pontifex, antequam in Cœlos adſcenderat. Ut perverterint igitur, diſtorſerintque ad Socininos atque inſanos ſenſus ſuos nonnulla N.T. teſtimonia, (iſta imprimis, Matth. 28. 18. Act. 2. 36. Heb. 8. 4.) jampridem à me admonitum, ſæpiúſque eſt, quàm ut nunc repetitum dem. Non poteram tamen non Conſequentiarum harum Apoſtolicarum rationem breviter expendere, cùm inciderim nunc in Doctiſſimi Viri Lucubrationes, Qui nihil mali (vel me Fidejuſſore,) in Chriſtum molitus, ſed Paralogiſmis illis Barjeſuiticis, ex improviſo, incautóque abreptus, ità hâc in parte loquitur, acſi ſciremus, Regni, Sacerdotiíque Chriſti Initiationem ſufflaminari oportere uſque ad Ejus Reſurrectionem; Quod Nos quidem nulli ſcimus, imò, ſcimus contrarium; Neque dubitamus, quin & Piiſſimo huic Capiti, Ubi dabitur ei, ζωὴ θεοῦ, hæc reſtrictim cogitandi, eadem erit & Retractandi, mentémque ſuam (judicio enim non minùs, quàm pietate valet,) verbis paulò tutioribus explicandi, Occaſio.

Sect. XCIII.

1. *Ut per Baptiſtam Fides eorum in Chriſtum prometa fuerit, poſt mortem Baptiſtæ.*
2. *Ex ea fide ſupponunt Divinam in Chriſto naturam, aientes Dicta à Joanne de Chriſto*, Vera, *non* Eſſe, *ſed* Fuiſſe.

CHriſtus rediens ab inexpectato in Bethabaram, Joan. 10. 40, memoriam Baptiſtæ, jamdiu denati, refricat omnibus ibi degentibus, ſed cedit hoc ad fidem eorum in Chriſto firmandam, cumulandámque. Meminentes enim, Joannem iis miracula, præter Semetipſum, nulla exhibuiſſe, quibus viderant Chriſtum ex eo tempore infinitè inclaruiſſe; Recolentes autem, quibus Teſtimoniis Eum Baptiſta à principio inſignierat, (Eſſe Eum ipſo Priorem, Joan. 1. 15, Digniorem, quàm Cui ipſe calceamenti corrigiam ſolvat, ver. 27, Eſſe Agnum Dei, Mundi Emundatorem, atque Inſtauratorem, ver. 29, Solum habere Sponſam, Joan. 3. 29, &, cùm ipſe minueretur, auctiore in parte futurum Chriſtum, ver. 30. hòc magis nunc in venerationem Chriſti ut Meſſiæ ſui feruntur, redduntq; rationem fidei ſuæ, *Quia omnia, quæcunque dixit Joannes de Eo, vera erant*, Joan. 10. 41. Cæterùm de veritate eorum Nos etiam nihil ambigentes, ſciſcitari tamen nil veremur, Quo conſilio utantur eo Tempore Verbi ὦν, & Cur non in Præſenti dixerint, *Omnia vera ſunt*, ſed, *Omnia vera erant*. Quid enim? Tempúſne jam quicquam interpellaverat? & Quæ vera, Joanne ſuperſtite, erant, hæc, eo jam ſublato, aliter ſe, ex iſto intervallo, habere cœperant? Minimè Gentium: Hoc enim ſi eſſet, pariter eſſet, cur minùs jam in Chriſtum crederent. Ipſa ergò Locutio hæc, *vera erant*, tacito argumento eſt, Fidei eorum argumentum nunc multùm creviſſe, Et, licèt ex Authoritate Joannis, certitudinéq; tum dictorum ab eo, facilè, meritóque induci poterant, ut Qui antè, in exiſtimatione Meſſiæ Joannem ipſum propemodum habebant, ſine dubio Jeſum pro Meſſia haberent, Quia Joannes ei teſtimonia illa perhibuiſſet, Multò magis tamen, poſt annorum Duûm, Triúmve intercapedinem, fuerunt nunc & alia, & quotidie ſunt, Dicta ab Eo tam divinè, Factáque ſupra ſortem Humanam, ut nunc non non poſſint non pronâ fide in Eum credere.

2. Intelligendi igitur ſunt ſic argumentari, Vera erant, fidéque digna, Quæ Nos ante aliquot annos à Joanne de Eo accepimus, Quæ verò ex Nobiſmet ipſis, indè ab exceſſu Joannis, edocti de Eo ſumus, non ſinunt nos jam non in Clientelam Ejus ruere, Diſcipulóſque Ei nos dare; Ità enim, Quæ erant, recognoſcimus, ut & Quæ nunc ſunt, toti adoremus. Jam fidem hanc Chriſtus ipſe ab iis jam modò ſic exegerat, *Ut credatis, quòd in Me Pater, & Ego in Illo*, ver. 38. Ex Elucidatoribus autem eſſe ſcio, Qui iſta ſic exponunt, *In Me Pater, per Vim operantem: Ego in Illo, per perfectiſſimam Obedientiam.* Satin' verò recta videtur hæc Expoſitio? Recta profectò eſt, Sed non eſt Satis. Recta; Quia Chriſtus Homo, Deo Patri ſubditus in omnibus, virtute Ipſius dixit, fecítque omnia. Verùm erat hæc ipſius quoque Baptiſtæ Conditio. Cur ergò, Si iſta Chriſti nunc mens erat, & Joannem, Cui iſta competebant, pro anteriore Meſſia non habuerunt? Sed Chriſtus eos aliâ quoque de Re, omniúmque ſoli Sibi competente, modò monuerat, *Ego & Pater Unum ſumus*, ver. 30. Atque hoc eſt, quod jam repetit, per *In Me Pater, & Ego in Illo.* Per Divinæ ſcilicet Naturæ Communionem, Quâ erat ab æterno Filius. Diſſimulari autem, aut ſubticeri ab Expoſitore fido hoc non oportuit. Velle enim dicere, quod verum eſt, & quòd ſatisfacit ſequioris Fidei Socininis, eſt minus dicere, quàm par eſt, & non ſatisfacit integerrimæ fidei Chriſtianis.

Sect. XCIV.

1. *Complexum totum pro Antecedente Relativi.* Εἰς ἅ. *Adventus Chriſti medium ad Excidium Gentis Judaicæ. Diem Chriſti non præteriiſſe*, Ἐνεστῶσαν, *nec Reſurrectionem.*
2. Διὰ τί; *Quid.* Ἀξιῶσαι, *eſt* Dignos, *non* Ducere, *ſed* Facere. *Totum eſt, non ex Dignitate Hominis, ſed ex Dignatione Dei.*
3. *Articulus unicus Duobus Subſtantivis præfixus probat Chriſti Deitatem. Paulus Deum appellat* Patrem, *ubi de Deo, diviſim à Chriſto loquitur.*

CUM interpretatione Locorum aliquot non poſſumus non interdum habere rem, ſed ità tamen, ut Rei ipſius, quàm interpretationis longè curantiores ſimus, neque ad hanc velimus, niſi illius cauſſâ, ſtylum admovere. In Altera ad Theſſalonicenſes, Latinus vulg. legit, *In quo etiam oramus ſemper pro Vobis:* Sed iſtud Græcè eſſet, ὑπὲρ ὧν, Noſtri autem habent, Wherefore alſo wee pray alwaies for you. At hoc eſſet, Sib. Pauli

Pauli igitur mens ex alterutra Versione nondum accuratè satis exprimitur. Apud eum enim est, ὡς ὁ καὶ προσευχόμεθα πάντοτε περὶ ὑμῶν, 2 Thess. 1. 11. Præierat autem proximè, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, ver. 10; Igitur, quòd non subjunxerit, ὡς ἦν, sed, Genere mutato, posuerit, ὡς ὁ, claro indicio est, respectum utcunque ad Tempus illud habuerit, totum tamen Complexum, ὅταν ἔλθῃ ἐνδοξασθῆναι ἐν τοῖς Ἁγίοις, pro Antecedente hujus Relativi habendum esse, vertíque velle à Nobis hæc, Against when, vel, si paulò expressiùs velimus, genuino supplemento facto, against which Coming we also pray always for you. De Adventu autem Domini, qui etiamnum futurus est, in fine Mundi, ab Interpretibus hæc vulgò accipiuntur: Sunt tamen, Qui non nisi de Excidio Gentis Judaicæ, quod sub Vespasiano contigit, & ad quod Paulus, sub Claudio hæc nunc scribens, vixisse facilè poterat, nisi Neroniana securis intercesserat, accipi hæc jubeant. Jam ego neutri Parti horum, & tamen Utriq;, accedo. Quanquam enim verissimum hoc dicant, Qui ex eventu Rerum edocti, summo cum ingenii, judicíq; sui acumine, ad fatale illud Judæorum Judicium hæc applicare amant, Pauli tamen, cùm ista conscriberet, atq; Apostolorum omnium, è quibus quicquam in Scriptis relictum est, opinionem fuisse, suo ipsorum demùm ævo, Dominum Jesum, non ad Gentis illius duntaxat, sed & ad Orbis totius Judicium, venturum esse, alibi abunde exposui. Diem autem istum Christi, (id est, Resurrectionis Generalis Diem,) Quia reperti tum erant, Qui præteriisse dicebant, ὅτι ἐνέστηκεν ἡ ἡμέρα τοῦ Χριστοῦ, 2 Thes. 2. 2, errorem eorum Apostolus ibi sic corrigit, ut non possit Præteritum ἐνέστηκεν, ità, prout vulgò vertitur, accipi, *Instare Diem Christi*; Nam *Instare* vel tum Gentis Judaicæ Judicium, Excidiúmque, quod Anno (circiter) vicesimo pòst contigit, abnegandum ab eo non erat: Sed quoniam Gentis, Orbísque Judicium, eodem simul tempore ab iis tum expectabatur, indè est, quòd hâc in parte Apostolus caveat, contra gangrænam istam, quam Hymenæi, atque Phileti fuisse postea notat, aientium, τὴν Ἀνάστασιν ἤδη γεγονέναι, 2 Tim. 2. 18.

2. Nollem igitur & illa priora Verba, οἵτινες δίκην τίσουσιν, ὄλεθρον αἰώνιον, v. 9, ità à Nostris reddita fuisse, Ut commodè accipi non possint, nisi de Ultimo eo Adventu Christi, in fine Mundi. Adventus enim Christi Medius, Quem ad Gentem eam, (Christi interfectricem, Fideíque Christi Persecutricem) destruendam fore Apostoli (ex ipso Christo) prænuntiabant, non Præteritus, ut nunc dierum est, sed Futurus quoq; tum cùm dabatur hæc Epistola, erat. Habitâ igitur Temporis, non Nostri nunc, sed illius tum currentis, ratione, par est, ità verti hæc à Nobis, ut ad Adventum utrumq; Christi, tum Futurum ex æquo applicari possint, Idque sic fiet, Who shall suffer for it Destruction to the worlds end. Jam verò quòd ex prece Apostoli ibi sequatur, ἵνα ὑμᾶς ἀξιώσῃ τῆς Κλήσεως ὁ Θεὸς ὑμῶν, v. 11, elegantissima est hæc Verbi ἀξιοῦσθαι, juxta formam Hebræorum concepta, significatio. Neq; enim est, ut Latinus V. habet, *Dignetur Vos Vocatione suâ*. Vocati enim à Deo jampridem Thessalonicenses ad Christi fidem erant; Neque ut Nostri, nihilo meliùs, That He would count you worthy, hoc enim est, *Dignos ducere eos*: Sed Pauli postulatio est, *Dignos facere*; Deum, uno verbo precatur, ut det iis ἀξίους θεωθῆναι τῆς κλήσεως ἧς ἐκλήθησαν, prout in sensum eundem se exponit, Eph. 4. 1, & jam antè exposuerat in Priore ad Hos, θεωθῆναι ὑμᾶς ἀξίους τοῦ Θεοῦ τοῦ καλοῦντος ὑμᾶς, 1 Thes. 2. 12. Jam Dei quidem hoc peculiare semper, & Suum est, Quos Dignos ducere vult, Dignos facere; Nihil igitur Hominum hâc in parte est, ex merito aliquo, aut Dignitate sua, sed quicquid est, ex Dignatione Divina totum est; Prout de Semetipso Paulum alibi gratias agentem audimus, Et Quâ de Re? Hâc ipsâ, *Quòd Fidelem me duxerit*, & Cui agit? τῷ ἐνδυναμώσαντί με Χριστῷ, 1 Tim. 1. 12, Quid igitur est hoc, nisi *Quòd fidelem me fecerit?* Ut semper in illud Res ista recidat, quod antè determinavit de Deo, Πιστὸς ὁ καλῶν ὑμᾶς, ὃς καὶ ποιήσει, 1 Thes. 5. 24. Reddatur igitur & hoc à Nobis, That our God would make you worthy of this Vocation.

3. In clausula denique Capituli, à quo cœpimus, cùm Articulum unicum Apostolus adfixerit in his verbis, κατὰ τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ver. 12, & non Distinctivè dixerit, καὶ τοῦ Κυρίου, non debebant Nostri tam gratis, temeréque Articulum nostrum The intertrudere, atque eripere nobis, (Quantum in ipsis, minùs hoc cavent ibus,) tesseram hujus Loci, ex quo (inter plurimos alios,) Divina in Christo Natura contra impietatem omnem Barjesuiticam adseri à nobis poterit, & Catechistæ, Cat. Rac. pag. 48. (Cui aurem alibi vulsi, admonuíque de scelesto hoc cavillo, ad Judæ ver. 4.) blasphemia corripi, Verba enim hæc sic à Nobis vertenda, atque interpungenda sunt, According to the Grace of our God, and Lord, Jesus Christ. Eò autem magis istud hoc in Loco urgeri meretur, Quoniam in hiis ad Thessalonicenses Apostolus, quoties de Deo, Déque Christo, pariter, & distinctim tamen, loqui voluit, observandus est vocabulum Patris ad Dei Nomen adjungere: Ut ἐν Θεῷ Πατρὶ, καὶ Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστῷ, ἐκκλησία ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς ἡμῶν, καὶ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, 1 Thes. 1. 1. & rursus, τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ Πατρὸς ἡμῶν, v. 3. Similitérq; αὐτὸς δὲ ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ ἡμῶν, καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, c. 3. v. 11. neque aliter se habet, v. 13. eundémque ad modum occurrit & in altera Epistola, c. 1. v. 1, & 2. & c. 2. ver. 16.

SECT. XCV.

1. *Futura, in V. T. enuntiantur per Præteritum, in N. T. per Præsens. Ut scitis Pascha post Duos dies esse, sic sciatis & me tradi.*
2. *Sæpe in N. T. est, Ubi* καὶ *valeat* ὅταν. *Sic* ו *in Hebræis.*
3. *Christus non anticipavit Pascha, antequam pateretur.*
4. *De Passione quòd cœperit loqui, non erat Sacerdotalis Muneris sui prima aggressio.*
5. *Temere satìs ponuntur Tempora Christo de Muneribus suis, Quæ ipse à primo Conceptu sortitus est.*

ADmonitum jam satìs, supérq; est, Quemadmodum ex idiomate V. T. est, rerum futurarum certitudinem per Verba Præteriti Tēporis cōnotari, ità ex N. T. esse, per Verba Præsentis. Quid verò lepidius esse potest, quàm depingi id per Verbum Temporis Præsentis, quod ibi tamen, eodem tempore, spiritúq;, agnoscitur pòst futurum esse? Ità autem Christus disertè, οἶδα, ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας (futurum igitur hoc erat, sed nunc tamen fieri dicit,) τὸ Πάσχα γίνεται, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται, Matth. 26. 2. Necesse igitur est, ut γίνεται hoc sumatur, acsi in ratihabitionem τοῦ Τετύπται) positum sit; Neq; alia ratio est, cur παραδίδοται locum teneat τοῦ παραδοθήσεται. Difficultas autem longè est major, de Cohærentia horum Dictorum. Nam *Pascha fieri*, & *Tradi Filium hominis*, nexu suo carere videntur: Quomodo enim hoc ex eo sequitur? Ait quidem, *Ipsos scire, Pascha post biduum fieri.* At, Unde sciebant? Ex Lege Mosis, usúq; Gentis suæ quotannuo. Bene. An sic ergò & Necem ejus? Minimè gentium. Quantò enim potiùs, in contrarium? Nam *Non in Festo*, ver. 5. est ipsorum Hostium Conclusio, Nè attentandum quidem id tunc esse, Quia Populus sanctè intercederet. Quid igitur facimus? Quomodo exponimus hæc? Mutandus profectò nunc est Modus Verbi, quod in Parte secunda repetendum est, Indicativus in Imperativum, *scitis* nè sit ibi, sed *sciatis*, sic, Quàm certò istud scitis, tum Pascha fieri, tam certò & hoc sciatis, tum tradi Me. Hæc Mens Domini est. Nunquam igitur abs Rei scopo esse duxi Circumlocutiones illas, quas adferebant Viri Eruditi ad Loci hujus elucidationem, Præmoneri jam à Domino Discipulos suos, tam perbrevi spatiolo, tam stupendam Rerum suarum permutationem fore, Libertatis in Vincula, Reverentiæ in Odium, Triumphi in Squalorem, Hosanna in Crucifige, Vitæ in Mortem denique.

2. Veruntamen Nobis, ipsa Verborum momenta solùm Criticè æstimantibus, non videtur opus esse ad istam

Præmonitionem tam longis logis. Eſt enim in ipſis verbis Chriſti (niſi nimiùm fallimur) verbulum, per quod abunde iſtud prænuntiatur. Copulativa ſcilicet Particula Καὶ ex uſu Hebræorum in ſuo ו ad plurimos ſenſus applicari ſolita, uſurpatur nunc ab ipſo Chriſto pro Adverbio Temporis, ὅταν, & jam, quod ait, eſt hoc, *Scitis, quòd Paſcha poſt duos dies erit, Quando Filius Hominis Cruci diſcipulus dabitur.* Potéſtne verò quicquam diſertiùs moneri? Ad hanc autem Temporis deſignationem inſervire interdum Copulam Καὶ, per Exempla è Sacris huc accerſita facilè firmabitur. Inſignis eſt ille præ cæteris Locus, quem ab Eruditorum, (Veterum, & Recentiorum,) vexationibus, jurgiíſque jampridem liberavimus per hanc Expoſitionem, ὡς ἦν ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτὸν, Mar. 15. 25. Iſtud enim, ſi ut fas, atque neceſſe eſt, à nobis vertatur, *Fuerat autem Hora Tertia*, (id eſt, plenè præterierat, atque Sexta cœperat;) *Quando crucifixerant Eum*, omnium illarum inter Doctos pugnarum Crux tollitur. Neque aliter ſumendus eſt Dominus in ferali ea Prædictione, ἥξουσιν ἡμέραι ἐπὶ σὲ, καὶ περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, Luc. 19. 42. id eſt, *Tempus veniet, Quando circundabunt te.* Et rurſus, cùm περιτενοῦσιν ſuam Scribis inderet, οἱ κατεσθίουσι τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρᾷ προσεύχονται, Luc. 20. 47. eſt, *Devorant domos, Quando ſic precantur.* Quinetiam & de Semetipſo ſic loqui ei viſum eſt, Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ Πατρὸς, καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, Joan. 16. 20, eſt, *Prodivi à Patre, Quando veni in mundum.* Quod ab Apoſtolo etiam Participiis in hunc ipſum ſenſum eleganter adjungitur, Nam Καὶ παραπεσόντας, Heb. 6. 6, eſt, *Quando prolapſi fuerint:* & Καὶ τίκτουσα βοτάνην, ver. 7. eſt, *Quando producit herbam.*

3. Audiant autem jam hoc, Quo die Paſcha fiebat, eodem & Se crucifigi, ex ipſo Domino Eruditi illi viri, Qui cùm Dominus, ipſo Veſpere Crucem ſuam præcedente, Paſcha cum ſuis celebraverit, anticipâſſe Eum opinantur, atque uno die, citiùs quàm oportuit, celebrâſſe. Licèt enim Controverſiam hanc, priùs diſputatam nobis, repetendi nunc nullus eſt animus, licet tamen ὁ παροὼν iis hoc dicere, Sapienti verbum ſat eſſe. Verùm ubi Euangeliſta notârit, Chriſtum cum priores illos Sermones abſolverat, tum tranſiiſſe ad monitum hoc de Paſchate, déque Cruce ſua, Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς πάντας τοὺς λόγους τούτους, ἀπὸ τοῖς Μαθηταῖς αὐτῦ, οἶδατε, Matth. 26. 1. nequeo non vehementer admirari, Quid ſibi voluerint ex Eruditorum Choro, Qui ad hunc Locum adjecerunt, *Chriſtum munere Doctoris, & Vatis impleto, Sacerdotale ſuum Munus aggredi.* Quid enim? Numquid opinati ſunt, Biduo hoc, aut Triduo, ante Paſſionem ſuam, defiiſſe Dominum Munus ſuum Propheticum? Iſtud videntur planè dicere. At quid tum fiet ampliſſimis illis Sermonibus Ejus, (Sermones eos in Monte, prolixos utcunque, vel Priores, Matth. 5. 1, vel Poſteriores, Matth. 24. 3, longè ſuperantibus,) in ultima Cœna ab Ipſo habitis; Prout apud Joannem leguntur ab exordio Capituli 13. ad finem, 17? Et Prima quidem eorum hæc Redargutio eſt. Sed altera, graviórque, eſt, Quòd & hanc æram affingant ſibi cœpti ab Eo Sacerdotalis Muneris. At Quo Argumento? An, Quia nunc verbum unum alterúmque interpoſuit De Proditione, Crucéque ſua? At dixerat hoc priùs ante aliquot Septimanas, dum in Galilæa agebant, Matth. 16. 21, Biduóque uno, (& forſitan altero,) antequam iſtud nunc diceret, verbis multò expreſſioribus ad hæc uſus eſt, Matth. 20. 19. Dicant ergò, Cur non ibi adfixerunt Sacerdotalis ſui muneris aggreſſionem?

4. Argumentum eſt ad Ad Homines hoc non leve, Meritóque ſuo maximo nunc fit (Liberè enim loquendum pro Chriſto eſt:) Ut ſuo hoc ſibi jugulentur gladio, Qui Muneribus Chriſti Tempora (neſcimus Quæ, déque Cauſſis neſcimus quàm periculoſis,) temere ponere nihil ſunt veriti; Prophetam non fuiſſe factum Eum, niſi ex illapſu SSpiritûs in Baptiſmo; Sacerdotium nunc induere ſibi, triduo ante Paſſionem; Regiam Poteſtatem conſecutum eſſe à Reſurrectione ſua. Quàm nollemus autem hæc à Viris Cordatis, Piíſque dici? Sed Litem hanc antè à Nobis diſcuſſam nunc non iteramus: Hoc tantùm inpræſentiarum monemus, Eſſe meram tranſeundi ad alterum, ſive Locum, ſive Argumentum, Euangeliſtæ hujus formulam, iſtud, Καὶ ἐγένετο, ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς πάντας τούτους· ídque Sole clariùs parere, è Matth. 13. 53. & 19. 1. At verò, tali planè exemplo videmus nobiles noſtros Barjeſuitas majus aliquid, & nullo non carcere dignius, auſos eſſe, Et Quia licitum cuique eſſe volunt pro libitu ſuo, Officiorum ſuorum Tempora Chriſto præſcribere, ipſos (ex Conſiliis non vulgaribus, ſed quibus Divinam ab Eo Naturam ſuam harpagare decrêrunt,) non ſinere eum, aut Regem eſſe, antequam è Sepulcro redierat, Cat. Rac. pag. 20. aut Sacerdotem quidem, antequam in Cœlos adſcenderat, Cat. Rac. pag. 291. Sed Impietatum harum machinamentis jampridem occurſum ivimus, probavimúſque Illum, ab ipſo primo momento Naturæ Humanæ ad Se adſumtæ, Chriſtum Dominum, id eſt, & Regem, & Sacerdotem, & Prophetam, ex ipſa Naturarum unione, Abſolutè factum eſſe; Ità tamen, Ut (ex eo, quòd ipſe Θεάνθρωπος tum erat,) liberum quoque Ei eſſet, pro Beneplacito ſuo Divino, momenta ſingula Diſpenſationis ſuæ in terris arbitrari; Ubi igitur, & Quando, & Quibus ipſe volebat, Officia ſua teſtata facere, Munerúmque iſtorum ſingulare ſpecimen, vel ab ipſis Cunis, quo libebat Ei Modo, Ordine, Reſpectu, exerere.

SECT. XCVI.

1. *Quomodo Herodes factus Anteſignanus ſit in nece Meſſiæ.* Καθ' ἑαυτὸν, & ἐπ' αὐτὸν, *ut differant.*
2. *Aoriſtum ſumi in Tempore pluſquam Perfecto. Unctio Chriſti in utero. Gentes ante Iſraelem nominatæ.*

PAuca mihi nunc ad manum ſunt, quorum non pigebit, adſumentum hoc obiter facere, ad Citationem factam ab Apoſtolis, Act. 4. 27, è Pſalmo ſecundo. Obſervetur igitur Primò, limitatio Verbi Paſſivi συνήχθησαν, quo Senes uſi ſunt pro Hebræo נוֹסְדוּ, quàm bellè nunc Apoſtolorum uſui congruat: Neque enim in Urbem ad hoc ipſum convenerant Principes hii, quos dicunt, neque poterat Eccleſia dicere ἐπ' ἀληθείας, Herodem illuc è Galilæa eo tum conſilio veniſſe, ut conſultando adeſſet contra Jeſum: Potuit tamen συνήχθησαν ab iis, ex pòſt facto, optimè dici, Providentiâ Divinâ ità res has ordinante, Ut, Hieroſolymis jam cùm congregati eſſent, Quiſque eorum, pro Parte ſua, ſymbolum conferret ad necem Meſſiæ, atque ut Herodes ipſe, ab inexpectato in tale Judicii, Conſiliíque conſortium pertractus à Pilato eſſet, ut in Caput Conjurationis iſtius evadere, Primúſque in Hoſtium Jeſû numero haberi mereatur. Alterum eſt, quòd Apoſtoli Præpoſitionem tam mirè immutârint, cúmque è Senibus ipſi proximè præmiſerint, συνήχθησαν ΧΡ ΤΟΥ Κυρίου, καὶ ΧΡ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ver. 26, quod Deum tamen nunc precantur, eſt, συνάχθησαν ἐπὶ τὸν ἅγιον παῖδά σου Ἰησοῦν, ὃν ἔχρισας· Scilicet Adverſùs Deum cùm inſtituta fuerit iſta Conjuratio, plus ab hiis, Qui rerum eventui interfuere, dicitur per ἐπὶ, quàm à Senibus ſub ΧΡ intendebatur; Innuitur enim reverâ Magnum illud Myſterium Incarnationis Domini, & per ἐπὶ αὐτὸν ſignificatur, Hoſtes Dei Super ipſum Filium Dei, ex parte, atque pro tempore, prævaluiſſe, Morte enim turpiſſimâ, quâ Homo erat, mulctâſſe Eum, Quem Deus unxerat antè, Sed & jam è mortuis denuo excitaverat.

2. Tertium igitur eſſe oportet de expoſitione Aoriſti ἔχρισας, Qui, licèt Interpretes hoc fugerit, optat tamen nunc ſignificatu, ſignísque Temporis Præteriti pluſquam Perfecti affici, *Quem unxeras*, Whom thou hadſt anointed. Prout in Aoriſtis ſæpe fieri debere, è Matth. 14. 3,

éque variis Locis aliis jam sæpe notavimus; Ex illo præsertim, Cujus scopus, sensúsque huic planè geminus est, Καὶ Κύριον, καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε, τοῦτον τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, Act. 2. 36. Aoristus enim iste ἐποίησε est, *Fecerat Eum Dominum, Christúmque.* Ex æterno scilicet Decreto, Cujus perimplendi Tempus incepit cum Ipsius conceptu in utero B. Virginis; Utcunque Barjesuitæ sententiâ istâ abusi sint, (eóque nomine alicubi vapulârint mihi;) ad statuminandam scelerată suam sententiam, Jesum, nos Sanguine suo redimendi exortem, nullâ Naturæ suæ Divinitate, sed Jure quodam serotino, póstque Resurrectionem suam duntaxat indulto, in Dominum, atque Messiam evasisse. Postremum denique nunc erit, quòd Gentes priore Loco ponantur ab iis, ante populos Israelis: Non Caret enim Mysterio suo hoc, Ut ab Eruditis notatum memini ad Davidem, Psal. 2. 2. Quanquam occasio ejusdem nata heic esse videatur ex alio capite; Scilicet propter familiarem in Textu Sacro Figuram, quam nonnulli ὑπάλλαγὴν appellare amârunt, Ut ad Herodem atque Pilatum, proximè nominatos, relatione denuo habendâ, à proximiore eorum, id est, à posteriore incipiatur: Atque indè est, quòd Prior Locus ἔθνεσι jam datur, referendo ad Pilatum, & Secundus λαοῖς Ἰσραὴλ, referendo ad Herodem.

SECT. XCVII.

1. Spiritus Dei *dictus* & Spiritus Christi, *probat Christum, verè Deum esse, non Titulo solùm, sed & Re.*
2. *De SSpiritu, distinguitur inter Esse Ejus, & Operari. Quoad οὐσίαν Deus est, & quoad ὑπόστασιν Persona Tertia. Quantum ad Operari, Habitat ipse in iis, Qui Eum habent, inque Eo sunt.*
3. *Cùm Spiritus sit Dei, Christique, rectè creditur Procedere à Patre, Filióque: Si à Patre solo procederet, Cur non est Filius?*

PLena sunt Divinorum sensuum verba illa Apostoli, ὑμεῖς δὲ οὐκ ἐστὲ ἐν σαρκὶ, ἀλλ' ἐν πνεύματι, εἴπερ πνεῦμα Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν. Εἰ δέ τις πνεῦμα Χριστοῦ οὐκ ἔχει, οὗτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ, Rom. 8. 9: Sed (ut cætera nunc mittamus,) Tribus è Principalissimis Fidei nostræ Articulis statuminandis præcipuè hæc inservire nata sunt. Primò enim, quòd Paulus quasi uno eodémque spiritu, SSpiritum duxerit promiscuè appellandum Spiritum Dei, atque Spiritum Christi, invicto hoc nobis Argumento erit, Christum esse Deum. Deum autem dicimus, non in sensu insano, & solùm Barjesuitico, Titulo scilicet, Donóque Deum esse Eum, sed Re non Deum, Factum enim Deum esse, & factum (heu!) nimis serò, Non nisi post Duos Cæsares, Nam non ante Mariam Virginem, Ut Catechistica Fides est, C. R. p. 53. ità ut ab ipso Spiritu, Qui Spiritus Dei, Christique jam dicitur, Christus tamen ipse factus fuerit Deus; Sicui libet è polenta Racoviana sibi Christum accersere: Sed in sensu Catholico, & veri nominis Christianis digno, Christum nostrum propriè, plenéque esse Verum, atque Æternum Deum, & Deo Patri per omnia Coæqualem. Necesse enim est, Apostolum pro concessis, ratísque hæc antè sumsisse, Qui talia nunc, sine cautione, aut hæsitatione aliqua, tam rotundè prolocutus fuerit, De Deo, Christo, Spiritu.

2. Dein verò observandus est Apostolus, ità sermonem suum adornâsse de SSpiritu, ut & claram pariter Distinctionem nobis subministrârit, inter Esse Ejus, & Operari. Quoad Essentiam enim, definit primò, Eum esse Spiritum Dei. Ergò & Ipsum Deum esse concludimus, Naturæ tam Divinæ, Æternæ, Infinitæ, Ut & Hominibus datum sit, quemadmodum dicimur In Deo esse, ità dici & in Spiritu esse. Verùm unà ait, Esse eum & Spiritum Christi. Non ergò Virtutem Dei solùm habendum esse concludimus, licèt à Moscorovio haut aliter accipiatur, C. R. p. 216, Qui tamen Virtutem Christi Eum esse, nusquam adserit, nunquam adserturus est, Nè, vel indè, Quia Spiritus Ille Utriusque tum Dei, tum Christi, ex confesso sit, necessariò evincatur, Utrumque, tum Christum, tum Spiritum, esse Distinctam in Deitate Personam, Utrumque esse verum Deum. Quanquam verò ipsâ in Naturâ Dei quantum ad τὸ οὐσίαν, SSpiritus sit, atque indè vocetur Spiritus Dei, Distincta tamen Persona est, quantum ad τὸ ὑπόστασιν, eodémque modo, & Mysterio, quo Deum Patrem Personam in Divinis Primam habemus, & Deum Filium Personam Secundam, etiam & Deum SSpiritum numeramus Personam Tertiam, Ejusdem semper Deitatis Consortem, Æqualis Gloriæ, Coæternæ Majestatis. Quoad Operationem verò SSpiritûs, cùm Apostolus heic aiat, Habitare eum in nobis, ut Dei Spiritus est, atque Haberi à Nobis, ut est Christi, hâc in parte respexit ad Divina illa Charismata, & Dona Gratiarum SSpiritûs, Quibus Ille nos Clientes suos, Christi Servos, Dei Filios, imbuit, sanctificat, & gubernat. Nam & hæc omnia, in Dialecto Apostolica, ipsius Authoris nomenclaturam sortiri amant, & passim appellantur Spiritus. Habemus igitur SSpiritum, Quia paremus imperiis Ejus, pérque Gratiæ suæ auspicia Ipse in nobis habitare dignatur.

3. Ultimo autem in loco, quòd Apostolus nunc in nominatione Spiritûs, tam arctè conjunxerit istos Titulos, neque citiùs deprædicârit Eum esse Spiritum Dei, quàm, loco ejusdem, suffecerit, esse Spiritum Christi, mirè nobis per hanc Zeuxin firmatur Fidei Articulus ille, Quo de Græci tantâ cum pervicacia contenderunt adversùs Ecclesias Occidentales, De Processu SSpiritûs. Procedere enim SSpiritum ab Eo, Cujus Ipse nos docet Se Spiritum esse, cur adseramus, summâ cum ratione stat; A Patre igitur, Filióque, Quia Patris, Filíque Spiritus est, Procedere merito maximo creditur, Idem Spiritus Dei, Spirítúsque Christi. Ex eo verò, quòd Christus, paulò antè Passionem suam, locutus de SSpiritûs Processu, Semetipsum, Cujus Deitatem celari tum maximè interat, non nominârit, contentus solùm dicere, τὸ Πνεῦμα παρὰ τοῦ Πατρὸς ἐκπορεύεται, Joan. 15. 26, ex hoc arbitramur nos nihil arctari. Neque enim, quia pro tempore tum siluit, negare putandus est Processum Ejus à Filio; Et nos Christum optimè novimus semper fuisse *Unigenitum* παρὰ τοῦ Πατρὸς, Joan. 1. 14, Unum etiam cum Patre, Joan. 10. 30, Prodiisse & Ipsum παρὰ τοῦ Πατρὸς, Joan. 16. 28: Ipsum denique promisisse Discipulis, Semetipsum missurum ad eos esse τὸ Πνεῦμα παρὰ τοῦ Πατρὸς, Joan. 15. 26. Ex quibus necessariò concludi censemus, SSpiritum à Patre, Filióque procedere: Quem quidem à Patre solo si procedere existimaremus, Quæ ratio nobis restaret, propter quam possemus, Eum pro Filio altero non habere?

SECT. XCVIII.

1. Καὶ pro Γάρ. *Corpus ut sit* ψυχικὸν *aut* πνευματικόν, Οὕτω *concisè positum, pro* ὅπως & ὅτι.
2. *Adamus sumitur, non pro Singulari, sed pro Capite Generis totius. In Christo ut mutentur Sui tum Spiritu, tum Corpore.*
3. Factus Anima Vivens, & In Animam Viventem, *ut Differant. Quâ ratione Corpora fiant Spiritualia.*
4. *Quid sit, Christum dici τὸν Δεύτερον Ἄνθρωπον, & Ἐπουράνιον. Paulus non intendit de Christi Resurrectione, Qua de nostra omnium dicit.*
5. *Christi Corpus erat Spirituale, è Cœlo, non è Sepulcro;* Vivere *est Verbum Neutrum*; Vivificare, *Activum.*
6. *Christus in Conceptu suo, Materia suæ* τὸ χοϊκὸν *exaltavit in* τὸ ἐπουράνιον.
7. *Quòd Christus, more nostro, vixerit, & passus fuerit, è Dispensatione sua solùm erat. Ut sese inaniverit. Ad Mortem, Non Ad Corruptionem & Pulverem.*

8. *Undè*

8. *Unde nos Pulvis futuri ſimus. Chriſto* τὸ χοϊκὸν *ut non competiit. Nequit dici, Corpus Ejus Seminatum fuiſſe, ſed Cecidiſſe in terram.*

9. Corpus Animale & Spirituale *verè Oppoſita non ſunt, ſed Subordinata. Chriſtus in Hypoſtatica Unione Naturam Humanam extollebat ſupra conditionem vulgarem.*

10. *Chriſti Spiritûs Via Vivificativa non ad Se ſolùm reſtringenda eſt. Sic jejunâſſe Eum ante Reſurrectionem Ejus, & ſic comediſſe poſt eam, ex Diſpenſatione erat. Imperium habebat in Angelos.*

11. *Stellas, viſas, Unam, in Oriente, in Occidente, Alteram, cùm Chriſtus naſceretur, Angelos fuiſſe, Regis Meſſiæ Prænuntios. Seculum, Ante Meſſiam, & pòſt venturum. Mater Domini poſt Partum integerrima Virgo.*

QUòd Phraſis illa, *Sic & ſcriptum eſt*, mutata jam apud Latinum V. ſit, in *Sicut ſcriptum eſt*, Notariorum habendus eſt, facilis quidem, & non infelix error, quantum ad ſenſum illius Loci, 1 Cor. 11. 45. Quòd verò nonnulli verterint, *Sic enim ſcriptum eſt*, ſi probi cujuſquam MS. Codicis fide, non ὡς, ſed καὶ ibi legentis, uſi ſint, egregiè Se mihi probabunt: Sin eâ ſolummodo ratione fecerint, Quia Particularum earum, non in Hebræis ſolùm, ſed & in N. T. promiſcuus uſus eſt, nec ſic quidem vehementer pugnabo, Quoniam Illativa Conſequentia hèic longè dilucidior eſt. Duo enim ſunt, Quæ Apoſtolus proximè præmiſerat, Eſſe Corpus ψυχικὸν, Eſſe & Corpus πνευματικόν. Rectà igitur ad horum probationem nunc proceditur: Et Prioris quidem Confirmatio accerſitur ei ab Authoritate V. T. *Factus eſt Primus Homo Adamus in Animam Viventem*, Gen. 2. 7. Poſteriorem autem partem Paulus ipſe ſibi exinde deducit, ad illius Similitudinem quidem, ſed quaſi per Antitheſin non inficiandam, *Noviſſimus Adamus in Spiritum Vivificantem*. Supple, *factus eſt*. Pro Citationis enim Parte perperàm iſtud à nonnemine habetur; Eáque propter à Typis (omnibus, quos videre me memini,) nimis erratum eſſe cenſeo, quòd poſt ζῶσαν, plenam Diſtinctionem non appinxerint, monitricem, id, quod pro Scripto citabatur ab eo, ibi terminatum eſſe. Quod verò Apoſtolus in membro inſequente, Particulam nullam, Adverſativam, aut Diſcretivam quidem appoſuerit, Ut, ἀλλὰ ὁ πρῶτος, aut ὁ πρῶτος δέ, aut aliquid hiis ſimile;) reſpondendum eſt, miro quidem, ſed inſolente artificio comprehendi hoc in ipſo Adverbio οὕτω, Quod in fronte Sententiæ tam conciſè ponitur, & reverâ tamen non eſt, *Sic*, ſed valet, ὥσπερ, *Sicut*, atque ità de jure refunditur ſimilitudinis hoc Redditivum in ſequentem hanc partem, acſi fuſiùs prolatum ab Apoſtolo fuerat, ὥσπερ γὰρ γέγραπται, Ἐγένετο ὁ πρῶτος Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, οὕτως ἐγένετο ὁ ἔσχατος Ἀδὰμ εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν. Quâ formulâ loquendi videre eſt Chriſtum ipſum, hoc ipſo in Argumento Vivificandi, uſum eſſe, Joan. 5. 21. & 26.

2. Verùm, Quid indé? Sunto hæc, uti enuntiantur: Ex Authoritatibus hiiſce, Moſaicâ, *Sit Primus Adamus factus in Animam Viventem*, Paulinâque, *Sit Secundus Adamus factus in Spiritum Vivificantem*: At, Quid tum? Hæccine probant, Quæ probanda ei erant? An hinc conſtabit, *Eſſe Corpus* ψυχικὸν, atque *Eſſe Corpus* πνευματικόν? Jam quidem de Priore horum minor eſt difficultas. Sumendo enim Adamum, non in individuo, aut pro Singulari Homine, ſed pro Capite Univerſi Generis, Ex qua radice propago Hominum naturaliter pullulavit, Cùm ille igitur fuerit ὁ ἐκ γῆς χοϊκὸς, ver. 47, probè ſequitur, Tales eſſe, Qui ex eo generantur, Omnes χοϊκοί· ver. 48. Virtute igitur Animæ illius, Quæ Adamo in faciem inſpirabatur, Gen. 2. 7, & per quam informantur Poſteri univerſi, *Vivere* eos dicimus, atque indè propter Dominium Animæ, Corpora eorum ψυχικὰ eſſe. Eadémne verò eſt Ratio, Ut per Secundum Adamum etiam Corpora πνευματικὰ fiant? Profectò eſt; Sed non, niſi cum limitatione ſua tamen; Non enim Corpora omnium Hominum, ſed Eorum omnium, Qui ex Adamo Secundo naſcuntur: In Genere jam Myſtico, & Suo, Quibus Ille, Dominus de Cœlo Qui eſt, ver. 47, Cœleſtiſque Ipſe, ver. 48, poteſtatem dat, ut Filii Dei fiant, Joan. 1. 12, pérque veram fidem & dilectionem, Ut Myſtico ſuo Corpori inſerantur, Horum Ille, Animas primùm, per inſpirationem ſuæ Gratiæ, ſic immutat, Ut Carnem quantumvis gerant, in Carne tamen non eſſe, ſed in Spiritu dicantur, Rom. 8. 9, in Spiritu vivere, ínque Spiritu ambulare Gal. 5. 25, totos Spirituales eſſe, Gal. 6. 1, & in Cœlis πολίτευμα ſuum habere, Phil. 3. 20, Dein & Corpora Eorum immutabit, ubi ſuſcitârit ea ex pulvere terræ, In noviſſimo enim Die ad Reſurrectionem Vitæ ſuſcitata à Se, per influxum Gloriæ ſuæ ſic inaurabit ea, Ut & ipſa Spiritualia evadant, & Glorioſo ipſius Corpori fiant conformia, ver. 21. Eſſe igitur Corpus ψυχικὸν, & Eſſe (id eſt, certò futurum eſſe; In Rerum ergò natura Eſſe,) Corpus πνευματικὸν, Luculentæ jam hæ conſequentiæ ſunt, & Copioſæ Probationes.

3. Verùm meminiſſe nos ſemper oportet Diſtinctionis, quam modò intulimus. Apoſtolus enim in Argumentis ad Reſurrectionem probandam nunc eſt. E verbis igitur Moſis, Primùm hoc dicit de Filiis omnibus Primi Adami, atque indè de Corpore eorum Animali loquitur. Ex eo enim quòd ab origine ex Adamo germinaverint, Quiſque Anima Vivens eſt, pérque Animam ſuam Corpus Cujuſque vivit vitam Naturalem, atque indè ψυχικὸν dicitur. De Adamo autem quòd Moſes non dixerit, *Factus eſt Anima Vivens*; De eo tamen verum hoc erat; (Neque quicquam aliud ſæpe, per hoc genus Locutionis cum Præpoſitione, ſignificatur, Ut, *ipſe erit in Caput, & tu eris in caudam*, Deut. 28. 44, nihil amplius vult, quàm *Ille erit Caput, & ſupereminebit, Tu Cauda & inferior eris*, & rurſus, *Eſtote in Viros*, 1 Sam. 4. 9, eſt, *Viros vos præſtate*. Apud Prophetam autem ſexies eâdem in ſententia ſimilem Syntaxin habemus, Jer. 24. 9.) Sed quòd, Præpoſitione eâ de more intertruſâ, nunc dixerit, *Factus eſt in Animam Viventem*; accurata Ratio Hebraiſmi hoc in Loco eſt, ad perpetuam totius Generis conditionem denotandam, útque hinc innueretur, Regulam hanc æterno quaſi filo traducendam eſſe in univerſam ejus Subolem. Confimili autem de ratione Paulus è mente jam ſua Secundum dicit. Ex eo enim, quòd Spiritu Chriſti imbuantur, Quotquot in Eum renati ex aqua, & Spiritu ſunt, atque per vivam fidem etiam morientes ſpiritum ſuum in manum Ejus commendent, igitur, cùm Ipſe voluerit juſſerit, per Spiritum hunc ità vivificabuntur, Ut & Corpora ipſorum Spiritualia evadant, Cœleſtiúmque inſtâr, prout Author Ille Generis ſui Cœleſtis eſt, omni ex parte modóque Spiritui morigera ſint, & illius, quod χοϊκὸν, atque terrenum eſt, nullâ ex parte indigentia, nullóque modo obſervantia.

4. Jam verò, quòd Lituanicus ille Sophiſta, Quæ Apoſtolus in Divina iſta Diſſertatione De Reſurrectione ad Vitam tam copioſè peroravit, (De Corporibus Noſtris quidem, Quia per Naturæ principia de Terra prorſus & χοϊκὰ ſunt, Seminandis in Corruptione, Ignominia, Impotentia, priuſquam reſurgere dabitur ad Immortalitatem, & Gloriam;) ad Chriſtum Dominum primariò, & per ſpecialem applicationem retulit, Marginémque ſibi ſuum, μὴ πολλῆς φαντασίας, oneravit Quatuor numerorum Notis, è 1 Cor. 15. 42, 43, 44, 45, Cat. Rac. pag. 281, in hoc antiquum obtinuit, fecítque ſtrenuò, quod ſuum eſt, Per conſutos ſcilicet dolos, ut Chriſti Meritum arrodere, imminueréque poſſit, atque ex animis Nepotulorum ſuorum ſuffurari Ei omnem Divinitatis ſuæ exiſtimationem. Non ultima autem fraus ejus hâc in parte eſt, quòd in tam magnifica allegatione noluit tamen procedere ad notam tmematii 47. Et Quídni? Quia conſiliis hiis Barjeſuiticis omnia ibi inimica ſequuntur. Catechiſta ergò, Qui totus in eo eſt, Ut Chriſto Regalem ſuam Poteſtatem abjudicet, donec à Sepulcro conſecutus eam, ſerâque ejuſdem Prærogativâ, (poſt Reſurrectionem enim exorſâ,) donatus fuerat, Cat. Rac. pag. 225. Qui Reſur-

Resurrexisse etiam Christum fortiter pernegat, per aliquam in Se Virtutem Semetipsum Excitandi, C. R. pag. 278. ideóque cùm *Vivificatus Spiritu* dicatur ab Apostolo, 1 Pet. 3. 18, observari jubeat, non ibi dici, Eum Spiritu proprio esse vivificatum, Cat. Rac. pag. 279, sed quòd virtute solùm Dei Patris excitatus à mortuis fuerit, Cat. Rac. pag. 286. Ille ut huc se cæcè proriperet? Ubi Christus appellatur ὁ λύτερ ἄνθρωπ, neque igitur à Paulo consyderatur, ut Singularis Persona, sed ut Princeps, Authórque universi Generis ad æternam Salutem pertinentis, Ubi etiam appellatur ὁ Κύει ἐξ οὐρανῦ, paríque ratione, quâ Primus Adam, Quia ἐκ γῆς esse notatur, dicitur χοϊκὸς, Christus, Quia desursum venit, dicitur ἐπουράνι. Satiùs ergò ipse sapuit sibi, quàm ut eousque progrederetur cum Paulo, aut ea omnino attingeret, quæ Artes suas, fraudésque contra Christum à se allaboratas actutum pessundarent, protererentque.

5. Quòd non abstinuerit se vel ab hoc loco adsibulando, *Factus est in Spiritum vivificantem*, ver. 45, grande quidem ausum est, sed ex alterius Doli machinamento profectum. Sperabat enim Vulpecula, se quæstiunculam jam de Christi corpore, postquam resurrexerat, tam callidè instituturum, ut responsionis suæ futo Barjesuiticè fabrefacto, permiscere posset, atque confundere eam, cum dicendis de spiritu Ejus, sic ut nec illum, Vitæ Largitorem, Christus putaretur adeptus esse, nisi è Resurrectione sua. Quærit igitur, *At Quale Christus nunc habet Corpus?* Cat. Rac. pag. 280. Respondétque stratioticè, *Habet Corpus Immortale, Glorioſum, Potens, Spirituale, cùm factus sit in ſpiritum vivificantem*, Cat. Rac. pag. 281. Subridendum igitur esse, ad Strophæ hujus subtilitatem, dicemus? an temeritatem quidem? De Corpore enim Christi Quæstio est, Totiúsque Quæsiti Principale momentum pendet ex Emphasi Particulæ illius de Tempore, *Nunc*, Postquam scilicet à mortuis reversus est. Igitur & istud, quod in Responso ejus vertitur, *Cùm factus sit in Spiritum vivificantem*, potéstne aliter à quoquam, cui de dolo nil subolet, accipi, quàm de tempore eo, *Nunc cum factus sit?* Quasi Qui Christum velit, non antè, è Cœlo, sed tunc, è Sepulcro, Spiritum istum secum attulisse, & tandem, ubi excitatus à mortuis fuerat, Virtute Resurrectionis suæ Beneficium istud adeptum fuisse. Istud quidem Barjesuita noster totis medullis usque molitur; In istud igitur, quaquà potest, (Virtute, an Dolo, Quid refert?) passim fertur. Ferat tamen nunc impunè (per me) hanc fraudulentiam; Quoniam ex ipso se statim nunc à tergo sequitúr παυρσία istius ultio; Nam per ipsam Citationem Dicti hujus de Christo, insani Dogmatis sui jugulum petit, atque αὐτοφόρτω se miserè præstat. Agnoscit enim, *Christum factum esse in Spiritum Vivificantem*. Bene habet! At nos succlamamus, *Vivificare*, aliûs longè generis, modíque esse, quàm *Vivere*. Adamus quidem prior factus est in Animam Viventem. At *Vivere*, est Verbum Neutrum, & quod Formam, utì non Passivam, ità nec Activam, integrè induere potest. Verbum autem Activum, & in Activis, Operosissimum, est *Vivificare*. In confesso igitur cùm ei hoc sit, *Secundum Adamum factum esse in Spiritum vivificantem*, Quid opu'st pluribus? Eam enim modò monstravimus esse Hebraismi hujus mentem, ut Reflexivè primò quidem feratur, & sibi imputetur: (Et Quid jam fiet cavillo ejus, *Quòd Petrus tantùm dixit, Eum Spiritu vivificatum esse, sed non dixit, Spiritu suo*, cùm Ipse sit ille vivificans Spiritus?) Sed ut Tranſitivè quoque applicetur, Quò intelligamus, Ex Eo, velut amnem è fonte, Virtutem istam defluxuram esse ad Universos suos, pérque Christum Corpora Fidelium omnium, Spiritu Ipsius sic aspirante, in æternæ Vitæ consortium transferenda esse, ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ, ver. 23.

6. De Tempore autem, Quando Secundus Adam factus est in Spiritum Vivificantem, haut opus est, si animis uti velimus, ut ipsi Textui huic quicquam allaboremus. E Mose enim cùm Paulus laudarit hoc, ἐγένετο ὁ πρῶτ ἄνθρωπ Ἀδὰμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, Moses istud dixit de Adamo, tum cùm primò formatus est è limo terræ, Eodem nimirum momento quo plasmavit eum Deus, *inſpiravit in faciem ei ſpiraculum Vitæ*, Gen. 2. 7, Ab ipso igitur principio Sui & Esse cœpit, & Vivere. Jam igitur, Secundus Adamus Quid? Ille, *in Spiritum Vivificantem*, ait Apostolus. Quærimus verò, Quando? Annon videmus, Aliud Verbum heic nullum esse, sed repetendum ἀπὸ τῦ κοινῦ esse idem illud, ἐγένετο, Déque industria ità enunciatum à Paulo hoc esse, Quò nobis procul omni dubio vel sic constaret, Tum cùm Ipse factus est Secundus Adamus; Atque hoc est, Tum cùm factus est Homo; Atque hoc est, In primo Conceptu Ejus in utero B. Virginis; Cùm Verbum Caro factum est, in ipso τῷ νῦν Unionis Hypostaticæ, Factum esse Christum in Spiritum vivificantem; Utque Prior Adamus non extitit, antequam & Anima Vivens erat, ità nec antequam Spiritus Vivificans erat, Adamus Secundus? Rem igitur breviter audiamus; Deus Ipse Spiritus est, Joan. 4. 24. Est Spiritus igitur & Deus Filius. Spiritu autem Isto, propter infinitam ζυγκατάβασιν, de Cœlo descendere dignato, atque ad Naturam suam Divinam adsumere sibi in B. Virgine Parente sua Naturam Humanam, Homo iste, utut propter materiam eam à Matre desumtam reâpse χοϊκὸς habendus erat, propter Excellentiam tamen Spiritûs, quícum uniebatur, desiit actutum χοϊκὸς esse, exutâque pulveris omni conditione, (Omni, quæ fuerat antè; Quantò magìs, Quæ pòst futura erat?) juxta dictum Prophetæ, Esa. 25. 8, atque heic laudatum, ver. 54. *Absorpta est Mors in victoriam*, per Spiritum scilicet, Qui de Cœlo accesserat, ità devictæ sunt Mortalitatis lineæ omnes in eo subjecto, abolitæque sunt ipsæ Corruptionis reliquiæ, Ut Homo Christus haut priùs conceptus in utero fit, quàm factus est, in humano Spiritu, corporéque totus ἐπουράνι.

7. Quomodo igitur passus est? inquiet Barjesuita, Aut ex qua ratione credetur pòst, Mortuus esse? In promtu est Responsio. Ex Dispensatione sola, Quâ & de Cœlo deductus est, istud provenit. Dispensationem autem eandem adserimus, quam in Christo, post Resurrectionem Ejus, sponte suâ supponit, admitteréque sine hæsitatione aut Quæstione aliqua, cogitur ipse cavillorum tantorum artifex Catechista. Quanquam enim nullo modo ferat, ut ante Resurrectionem quicquam consecutus sit, post eam tamen, pérque ipsam Virtutem ejusdem, Christum vivificantem Spiritum factum fuisse, pro rato sumi optat. Mox tamen agnoscit, Quò Discipulos suos de Resurrectione sua certiores facere posset, rediisse Eum ad eos in eodem corpore, in quo Crucifixus fuit, pérque Quadraginta Dies postquam Resurrexerat, unà conversatum, & collocutum sæpe fuisse; Monstrâsse etiam iis vulnerum suorum vestigia, comedisse, atque bibisse cum iis, subinde denique apparuisse iis, haut ausus est non profiteri: Cat. Rac. pag. 280. Quæ tamen omnia Spiritui vivificanti, præter per Dispensationem, nequibant competere. Hujus igitur οἰκονομίας effectum reverâ erat, quod exeruit se in Christo, indè ab Humanitatis suæ exordio, & Quia Filius Dei ex tam Divinis Salutem Nostram adminittrandi consiliis decreverat σκηνῶσαι ἐν ἡμῖν, Joan. 1. 14, hactenus igitur exinanibat Seipsum, Ut in similitudine jam hominum factus, non solùm in communi σχήματι inveniretur, ut Homo, Phil. 2. 7. sed etiam ut tandem submitteret Se, usque ad mortem, mortem ipsam Crucis, ver. 8. Quid mirum verò? Deus enim Qui semper erat, in Potestate sua semper habebat Humanæ naturæ, quam adsumserat, rationes omnes; Poterat ergò, pro suo Beneplacito, arbitrari quotidie, Quid, Ut Homo tunc erat, ageret, permittere etiam, Quid pateretur. Igitur & animam suam, Quam nemo tollere ab Eo poterat, Joan. 10. 18, ipse, Quando, & Quomodo, & Quamdiu volebat, ponere poterat, atque ex Dispensatione sua ponebat denique. Sed infra hunc Inanitionis suæ Gradum notandus est nunc neutiquam cessisse. Non igitur Ut corrumperetur, Qui Gradus

Des-

Descensorius in Natura nostra est à Morte proximus. Verùm Corruptionis τὸ ἀνδιαφθόρον per Divinam Præsentiam abolitum prorsus in Eo erat, Atque indè Petrus diffinivit, καθότι ἦν δυνατὸν, Act. 2.24, Impossibile nimirum fuit, ut tamdiu in morte detineretur Christus, donec Corrumpendi necessitas invaderet: Quod ex Prædictione Davidica, argumento omnium validissimo, firmavit, *Quia nunquam daturus Deus erat, Ut Sanctus suus videret corruptionem*, Psal. 16.11. Quantò minùs cadere in Eum poterat τὸ χοϊκὸν, Ut in Pulverem redigeretur? In nobis autem hæc Repulverizatio (sit venia verbo,) Gradus est Tertius post Vitam hanc, & Corruptione ipsâ posterior ordine.

8. Jam priorem Adamum novimus, ità à Deo formatum fuisse, Ut potuisset non mori, Et si non peccasset, nunquam Mortuus fuisset: Sed ex peccato ejus, feralis illa altera Sententia incubuit, non solùm, *Morte morieris*, Gen. 2.17, sed etiam, *Pulvis es, & in pulverem revertêris*, Gen. 3.19, Durabítque hæc mortalium omnium Conditio usque ad Christi reditum, Mori, Corrumpi, In pulverem redigi. Christum autem quod attinet, quanquam ut pro peccatis nostris moriendo satisfacere posset, mori Se ex Dispensatione sua passus est, οὐκ τὸ πολλῶν ἀναγκαῖον ἁμαρτίας, Heb. 9.28; Quia tamen Ipse cùm peccatum pro nobis factus est, semper peccatum nescierat, 2 Cor. 5.21, atque idiomate isto æternùm gaudebat, ut per omnia χωρὶς ἁμαρτίας in Se esset, Heb. 4.15, Vel indè igitur τὸ χοϊκὸν, Quod Ille, Ex parte Antè, haut citiùs attigit, quàm dispulit, Ex parte Pòst, ab ipso alienissimum erat. Ex ipso igitur Verbo illo *Seminandi*, Cuivis satis acutùm cernenti, manifestum est, Apostolum ibi, nullatenus de Christi corporis, sed de Nostrorum duntaxat corporum conditione intelligendum esse, ubi σπείρεται suum toties ingeminat, *Seminatur* ἐν φθορᾷ, ver. 42. *Seminatur* ἐν ἀτιμίᾳ, *Seminatur* ἐν ἀσθενείᾳ, v. 43. *Seminatur* σῶμα ψυχικὸν, v. 44. Quò igitur Catechistæ ex isto Loco κενοφωνία sua adversùs Christum? Quàm improbus ei, stultúsque labor harum astutiarum! Nam frustrà erit, Si (Quod Nos nulli negamus;) his opposuerit, Esse in Euangelio, ubi Christus, quò mortis suæ merito præluderet, & significaret, per Passionem suam Se nos, tanquam lance, & librâ, facturum suos (Hæc tamen, quàm vera cunque, ut objicere nobis aufit Procurator Barjesuiticus?) granum Tritici in exemplum Sui proponat, Joan. 12.24, Quod moriendo in glebis multiplicari novimus, atque ex unico Se fructum proferre plurimum. Veruntamen apprimè adnotandum est, quàm cauto Vocabulo Christus in ea Similitudine usus sit; Non enim isto *Seminandi*, Quod nostrûm omnium commune est in morte nostra, ex qua Corpora nostra ità dissolvuntur, ut in pulverem dein redigantur, antequam sortiantur Vivificationem, per Spiritum Christi, ad Immortalitatem, & Gloriam; Sed eo duntaxat, *Cadendi in terram*; Ut Similitudinem suam persentiamus, hactenus solùm institui Ei, cùm aiat, *Nisi granum Tritici cadat in terram, ipsum solum manet*, quòd Dominus etiam & huic Casui submissurus Se in morte sua erat, sed nulli tamen Sementi.

9. Neq; tamen jam oblitus sum, (dolétq; referre,) olim incidisse me in melioris notæ Theologum è Schola Pontificia, Quem Opinionis hujus error ex incauto sic abstulerit, Ut & Cathedram suam Paralogismi istius labe commaculârit, censuerítque, *Secundum Hominem cœpisse Spiritum vivificantem habere, non, cùm cœperit Homo esse, non enim Quando conceptus in utero B. Virginis est, ut Aliqui volunt*; (Neq; enim ab hac Aliorum omnium, satis inficeta, & fastidiosa censura temperare Se potuit:) *Sed Quando resurrexit à mortuis*. Visum quoq; ei erat, habere Se quod utriq; Parti Opinionis suæ pro Ratione esse volebat. Aiebat igitur, *Non in Conceptu Christi; Quia tum factus est in animam Viventem, ad exemplum Primi Adami, ex quo nascebatur verus Homo secundùm Carnem*. Et hoc quidem verè; (Modò unà caveatur satis à lapsu Nestorii;) Christus ità nascebatur. At Quid tum? Nam quod addebat, *Esse in animam viventem, id est, habere Corpus Animale, atque Esse in Spiritum vivificantem, id est, habere Corpus Spirituale, Opposita esse, atque eidem simul competere nequire*: jam strenuè reclamitamus; Potestne enim hæc competere Christo in Resurrectione sine pugna, sed non in Conceptu Ejus, Pugnatura enim tum erant? Tantæne verò tum animis Cœlestibus iræ? quàm nollem hæc à tanto Magistro dici! Neque etiam Opposita verè sunt ea, Diversa sint licèt, multúmq; Disparata: Et si ità differre potuisse putabuntur, ut litem aliquam oboriri inter ea oportuerit, ipsâ tamen in coitione advolavit Pax, Cœlestísque ille & Vivificans Spiritus mirificè litem eam diremit, non Pugnando quidem, sed Perficiendo, non Tollendo, sed Extollendo, Evehendóque supra Se; Exaltata enim est in Eo ex ista Unione Natura Humana, jámq; tum inungebat Hominem Deus, Deus suus, Oleo Exultationis, Ut è Sodalibus præterea alium neminem, Psal. 45.8. Nihil valet igitur Objectio ista, ex Parte Negativa.

10. Ex Parte verò altera, quâ affirmabat, *Provenisse hoc Christo, postquam resurrexerat*; ex eo medio istud probatum ibat, *Quia tunc demum cœperit Spiritus Ejus absque subsidio alimenti perpetuam vitam Corpori suo subministrare*. Sed oh Quàm nimiùm vacillat & hæc Ratio! Quasi Spiritûs Christi Vis vivificativa restringenda solùm sit, ad ademtionem de hordeo, hoc est, ad sustentationem sui absque esca! Aut Ipse nondum habendus erat Spiritus actu Vivificans, Quia Vitam sibi actu nondum videbatur præstare ἄπλοον! Nisi per parem Paralogismum statuemus quempiam, actu Animal risibile non esse, Qui actu nondum riserit, neque actu Animal rationale, Qui actu nondum ratiocinatus est. Verùm, ut de cæteris in Semetipso Dotibus nunc nihil moneamus, Vis illa in Christo, Vitæ Largitrix, tam immensa est, fuítque ab initio, ut ad Se solum limitari non debeat, cùm ad Universos Suos æternùm pertingat, Quos & nunc etiam extra Corpus sibi servat, & per eandem Virtutem Corpora eorum omnium in novissimo Die excitabit, atque Æternitate suâ impertiet. Quid quòd præterea habeamus Captionibus illis opponendum, quòd Christum nôrimus, etiam post Resurrectionem, Virtute Dispensationis, quâ usus à principio fuerat, per Quadraginta Dies edisse sæpe, bibisséque cum Discipulis, Luc. 24.43, Joan. 21.13, Act. 1.4, & 10.41, Qui tamen longè ante Resurrectionem per totidem Dies Noctésque satis Se sustentârat sine omni edulio in eremo, Matth. 4.2, Ut vel indè testatum faceret, quem Spiritum tum haberet. Esuriisse autem pòst, quòd ibi dicatur, sententiam nostram non arietat, sed statuminat. Nam & quà Anima Vivens solùm erat, durâsse in ea inedia haut poterat, nè per Quartam quidem partem illius Quadragesimæ, At Spiritus Ejus, per quem tot Se dies conservaverat, vel centuplo plures, si sic libuisset, adnumerare potuisset; Postquam enim, ex Dispensatione sua humanum hoc pati, atque esurire se fiverat, quò Tentatorem, illum impurum Spiritum, confunderet, usque tamen per Spiritum suum aliquantisper se denuo sustinuit, potiùs quàm ut Tentatori quicquam obsecundaret, ver. 4. tandémque, ubi decreverat comedere, Angelis ipsis, Qui Ei intendebant, mandavit ut suppeditarent, quod ederet, v. 11. Ex illius enim jussu Angelos hoc præstitisse, ecquis dubitare poterit, Qui meminerit, cùm introductus Ipse in Orbem est, Angelis à Deo præceptum fuisse, ut ei in omnibus præstarent obsequia? Heb. 1.6. Introductio autem ea, sive in Conceptu Ejus defixa erit, sive numerata à Natalibus, perinde jam erit nobis, cùm satis nôrimus, & in utero cubantem, per varia tum Divinitatis Spiritûs sui, tum Spiritualitatis Corporis sui indicia præstitisse, unde Orbi Christiano inclarescat, Qualis tum fuerit.

11. E pluribus autem instantiis advertere nunc licebit ad præcipuas Tres; In Accessu unam; Aliam In Decursu; In Exitu tertiam. Prima est, quòd ubi B. Parens adsensum præbuerat Adnuntiationi Archangeli, haut citiùs Ipse conceptus ab ea in utero est, quàm Angeli alii, velut in novi Regis sui obsequia, emicuerint, (Pro Angelis enim, sed syderii Jubaris gloriâ indutis, quòd

semper

ſemper habuerim Stellas illas, Orbi tam incognitas, próque ſuo arbitrio hinc indè, præter Legem Aſtrorum, tam mirè moventes, à Zacharia colligere didici, Luc. 1.78.) In Orientem, Unus; Ex quo Magi ſtatim perſpexerunt, Regem toti Orbi adorandum, in Judæa tum naſciturum, atque iter ſuum illuc ità comparârunt, Ut ipſo eo die, quo Ille naſceretur, Hieroſolymis ipſi adeſſent, Matth. 2. 1. In Occidentem, Alter; ad cujus apparitionem, Ut ut Gentes illæ præſtiterint nihil in Acta Sacra referri dignum, exciderunt tamen Poetæ eorum (Providentiâ Divinâ ità diſponente,) nonnulla, quæ ſenſus Diviniores in ſe habebant, quàm ab ipſis intelligebantur, & pro Prognoſticis, & tantùm non Propheticis, revera erant: Nam

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris Aſtrum,

erat, Signum illud Divini Regis Meſſiæ venientis cœlitus illuxiſſe; Et rurſus,

Aſpice, venturo lætentur ut omnia Seclo,

erat, Lætitiâ ſummâ perfundi Orbem ob Adventum Meſſiæ. Judæi enim, (Quibuſcum Romani plurimùm, domi, foriſque, eâ ætate converſabantur,) Ætates Mundi, in Seculum ante Meſſiam ſuum, & Seculum venturum cum Meſſia, partiri ab antiquo amârant. Inſtantia Secunda eſt, Quòd cùm vix dum Trimeſtris Ipſe in utero vehebat, ſolíque Parenti cognitus, ſolo tamen ſono Salutationis Almæ Matris ſuæ, Joannem ſub alterius uteri tegmine latentem, per inſtinctum tamen Spiritûs ſui illico ad tripudium adegit, partuíque viciniorem mirificè exultare fecit ob Ipſius Præſentiam. Luc. 1. 41. Tertiam denique adnectimus, Quòd cùm impleti ſunt dies, Luc. 2. 6, partûſque ſui naturale tempus venerat, Ipſo Sibi ſolùm obſtetricante, ſine mora, tædióve, ſine Matris luctu, aut labore, ità ex utero prodiit, Ut propter Subtilitatem, Agilitatem, Spiritualitatem Corporis Sui, Parenti Suæ clauſtra Virginalia ſalva ſemper ſanctéque cuſtodita fuerint, & Beata Mater licèt facta, Virgo tamen integerrima, nec Corpore minùs, quàm Animo, perpetuò remanſerit.

Hii ſunt Textus Sacri, Qui in hoc Opuſculo fuſiùs explicantur.

	Col.	lin.
Geneſ.		
VI. V, VIII. XXI, *De Peccato Originali*	4320.	36
XXII. II, *De Iſaaci Unigenitura*	4214.	70
Exod.		
XXXIV. VII, *Auferens Peccatum*	4107.	48
1 Sam.		
XV. I, *Ut Samuel miſſus ſit ad Saulem*	4372.	44
Pſal.		
II. VII, *Hodie genui Te*	4025. 7, & 4078.	17
LI. VI, *Conceptus in Peccato*	4324.	18
LXXXII. VI, *Dixi, Dii eſtis*	4046. 31, & 4199.	14
CX. III, *Ante Luciferum*	4021. 47, & 4024.	64
Prov.		
IV. III, *Unigenitus coram matre*	4215.	72
Eſai.		
XLII. VIII, *Gloriam meam non dabo alteri*	4087. 19, & 4090. 12, & 4161.	12
Jerem.		
XXV. VI, *Jehova Juſtitia noſtra*	4162.	59
Mica.		
V. II, *Egreſſiones Meſſiæ*	4023.	35
Zach.		
II. VIII, *Tangens pupillam oculi*	4057.	5
Matth.		
II. I, *Natus Rex Judæorum*	4289.	20
III. XI, *Baptizabit Spiritu, & Igne*	4145.	17
XVI. XVI, *Tu es Filius ille Dei*	4210.	70
XXI. XII, *Ejecit Vendentes & Ementes*	4065.	47
XXVI. XXVI, *Hoc eſt Corpus meum*	4190.	40
XXVIII. XVIII, *Omnis poteſtas data mihi*	4078. 66, & 4251. 4288.	50 & 25
XXVIII. XIX, *De Baptiſmo per Chriſtum inſtituto*	4121. 12, & 4122. 17, & 4131. 60, & 4132.	60
Mar.		
II. IV, Ὅπου ἦν	4338.	18
II. XI, V. XLI, *Tibi dico, Surge*	4242.	23
VI. II, *Unde Huic hæc?*	4303.	19
Luc.		
II. XL. *Corroboratus Spiritu*	4302. 46, & 4303.	8
XIII. II, γίνεσθαι, *Fieri*	4339.	9
Joan.		
I. I, *In principio erat Verbum*	4020. 30, & 4117.	44
I. III, *Omnia per Eum facta*	4100. 26, & 4104.	50
I. IX, Ἐρχόμενον εἰς κόσμον	4295.	48
I. XIV, *Verbum Caro factum eſt*	4045. 24, & 4050. 1, & 4217.	48
I. XX, *Quis Tu?*	4178.	26
I. XLVI, *De Nathanaele*	4360.	3
II. XIX, *Solvite Templum hoc*	4247.	12
III. V, *De Regeneratione*	4139. 5, & 4143. 55, & 4180.	44
III. VIII, *Spirat, ubi vult*	4139. 6, & 4146.	63
III. XIII, *Qui in Cœlo*	4222.	74
VI. LXII, *Ubi fuerat priùs*	4052. 70, & 4222. 3, & 4225.	64
VIII. XXXIII, *Semen Abrahæ*	4355.	23
VIII. LVII, *non habes 50 Annos*	4030. 36, & 4315.	70
VIII. LVIII, πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι	4028. 15, & 4316.	12
X. XVII, *Ego pono vitam*	4250. 73, & 4281.	1
X. XVIII, *Hoc mandatum accepi*	4250. 73, & 4252.	65
X. XXXV, *Filius Dei ſum*	4198. 17, & 4210.	21
XI. XLIII, *Lazare, veni foras*	4187.	73
XIV. I, *Credite & in Me*	4157.	42
XIV. VI, *Ego ſum Via*	4236.	54
XVI. XV, *Omnia Patris mea ſunt*	4107. 53, & 4108.	30
XVII. V, *Gloriam habui ante mundum*	4114. 14, & 4115. 4297.	60 & 18
XVII. X, *Mea omnia ſunt tua*	4107.	34
XVIII. XXXIII, *Tu es Rex Judæorum*	4291.	50
XVIII. XXXVII, *Ad hoc veni in mundum*	4224.	71
XX. XXVIII, *Dominus & Deus meus*	4200.	71
Act.		
II. XXXVI, *fecerat Dominum & Chriſtum*	4078.	26
IV. XII, *Non eſt aliud Nomen*	4087. 51, & 4166. 1, & 4168.	26
XIX. III, *De Baptiſmo*	4128.	14
XX. XXVIII, *Cavete Vobis*	4054.	73
& *Quam perquiſivit proprio ſanguine*	4059.	65
XX. XXXII, *Commendo vos Deo & gratiæ*	4125.	55
XXII. XVI, *Baptizeris, & abluaris*	4142.	71
Rom.		
I. XIX, τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ	4192. 35, & 4193.	41
III. XXV, *per fidem in ſanguine*	4240. 12, & 4241.	48
V. X, *multò magis reconciliati*	4231. 18, & 4234. 44, & 4235.	60
V. XII, *In quo omnes peccârant*	4326.	28
V. XIII, *Uſque ad Legem peccatum*	4328.	24
VIII. IX, *Spiritus Dei eſt & Chriſti*	4246.	32
VIII. XXXII, *Filio proprio non pepercit*	4213.	16

	Col. lin.
VIII. XXXIII, Τίς ἐγκαλέσει ;	4233. 21
VIII. XXXIV, *magis verò & excitatus*	4232. 46, & 4233 21, & 42
IX. XVI, *Non est Volentis*	4283. 71
IX. XXVI, *Filii Dei Viventis*	4212. 35
X. XV, *Quomodo prædicabunt ?*	4370. 53
XV. XVII, *De Invocatione Sanctorum*	4088. 51
1 Cor	
II. XI, *nemo scit, nisi Spiritus*	4148. 57
VIII. XI, *propter quem Christus mortuus*	4256. 30
XIII. VII, *Charitas omnia credit*	4099. 10, & 4106. 40
XV. XLIV, *De Reali Præsentia Christi in Sacramento*	4185. 10
XV. XLV, *in Spiritum Vivificantem*	4184. 38
2 Cor.	
V. XVII, *Omnia facta Nova*	4101. 60, & 4103. 13
V. XVIII, *Reconcilians Nos Sibi*	4234. 60, & 4237. 7
V. XIX, *Mundum reconcilians*	4237. 57, & 4275. 63 & 4313. 64
Ephes.	
V. II, *Oblationem Deo pro nobis*	4264. 71, & 4268. 14, & 4305. 23
V. V, *Regnum Dei, & Christi*	4067. 10
Philip.	
II. VI, *In forma Dei*	4040. 19
ibid. εἶναι ἴσα Θεῷ	4042. 19
II. VII, *Inanivit Seipsum*	4045. 32, & 4098. 7, & 4258. 6
ibid. *In similitudine hominis*	4038. 45, & 4045. 71
Coloss.	
I. XV, *primogenitus omnium*	4068. 35, & 4216. 47
I. XX, *Reconciliavit Sibi*	4105. 74, & 4238. 10
I. XXI, *reconciliavit in Corpore*	4238. 29
I. XXIV, *Suppleo reliquias Passionum Christi*	4255. 61
II. IX, *Deitas habitat Corporaliter in Eo*	4094. 33, & 4097. 6
1 Thess.	
IV. IX, Θεοδίδακτοι	4298. 9, & 4300. 15
2 Thess.	
I. XII, *Dei Nostri & Domini*	4071. 64
1 Tim.	
II. VI, ἀνείλυτρον	4256. 73
III. XVI, *Deus manifestatus in Carne*	4048. 27
ibid. *Assumptus in gloriam*	4053. 66
Tit.	
II. XIII, *Deus, & Servator*	4067. 56
III. V, *Lavacrum Regenerationis*	4134. 12, & 4141. 63
Hebr.	
I. II, *per Quem fecit Secula*	4076. 26
I. III, *Character Hypostaseos*	4093. 11
ibid. *purgans per Seipsum peccata*	4270. 2
I. V, *Portans omnia Verbo*	4025. 73, & 4106. 56
I. VI, ὅταν δὲ, πάλιν	4082. 30, & 4281. 71
I. X, *Tu, Domine, fundasti*	4080. 3
II. V, Οἰκουμένη ἣν μέλλομεν	4281. 54
II. XVI, *Angelos neutiquam*	4345. 39, & 4355. 49
II. XVII, Τὰ πρὸς τὸν Θεόν	4261. 71, & 4262. 34, 44
V. IV, *De Sacerdotio Christi*	4026. 10, & 4364. 69
VII. XXVI, *Talis Pontifex*	4335. 64
VIII. IV, *Si in terris esset*	4061. 63, & 4111. 69, & 4263. 38
IX. VII, *Spiritu significante*	4331. 39
IX. XII, *æternâ Redemptione inventâ*	4310. 36
X. XXII, *abluti corpora*	4140. 73
XII. I, *Fidei Perfectionem*	4064. 58
1 Pet.	
I. X, *Spiritus in Prophetis*	4034. 65
III. XVIII, *Semel pro peccatis*	4230. 57, & 4253 48, & 4258. 28
III. XXI, ᾧ ἀντίτυπον Βάπτισμα	4135. 48, & 4144, 26 & 4117. 41
IV. VI, *Spiritu vivere*	4254. 6
1 Joan.	
III. XVI, *ponere animas pro Fratribus*	4254. 74
IV. II, *Christum venisse in Carne*	4296. 15, & 4340. 43
V. VII, *Hii Tres Unum sunt*	4152. 43
V. VIII, *Hii Tres in Unum*	4154. 6. & 74
V. XX, *Hic est Verus Deus*	4069. 29, & 4071. 40
Apoc.	
I. IV, Ὁ Ὢν, καὶ ὁ Ἦν	4074. 34, & 4116. 50
ibid. *Tmematiorum rectior partitio*	4260. 20
IV. VIII, ὁ Ἐρχόμενος	4072. 34, & 4073. 60

Studiosorum Collectioni relinquuntur alia Loca SScripturæ plurima, Quæ breviùs exponuntur aut obiter illustrantur.

Authori alia dabatur citandi Catechesin hanc ansa nulla, quàm per Pagellas ejusdem. Sequitur autem Editionem, Quæ Racoviæ, 1609 inscripta (Sed varias, Αὔλοθεν, atque Αὔλοεδὲ, Eas esse, nunc paret ; Ut nec ex parte hâc immunis à fraude sit mendax libellus ;) Numeros Pagellarum suarum in Capite cujusque gerit, ad interiorem Marginem Libelli.

AARON

AARON PURGATUS:
SIVE,
DE VITULO AUREO
LIBRI DUO,
SIMUL
Cheruborum *Moſis*, Vitulorum *Jeroboami*, Theraphorum *Michæ*, Formam & Hiſtoriam, multáque pulcerrima alia eodèm ſpectantia explicantes.

Auctore FRANCISCO MONCÆIO *Fridevalliano Atrebatio.*

Ampliſſimo & Clariſſimo D.

D. CHRISTOPHORO AB ASSONLEVILLA,
Equiti aurato, Altæ-villæ & Boucautii Domino, Sereniſſimorum Archiducum ALBERTI & ISABELLÆ, in utroque Belgii Concilio, Statûs & privato, Viro primario,

JOHANNES BUCHÆRUS
Pariſienſis Theologus ac Tornac. Canonicus S.

QUod à me petit Amplitudo tua, de nobilis atque eruditi viri FRANC. MONCÆII, neceſſarii tui, AARONE PURGATO, ſeu de VITULO AUREO, quid videatur utì ſcribam, brevì dixero quod cogitandum non brevi ſed majori cum otio fuit. Audax inventum ſi corticem, id eſt titulum reſpicias, quódque bilem iis meritò moveat qui quicquid quacunque in re præter Patrum ſenſa dictum audiant, id protinus repudiandum, Tridentiníque Concilii cenſurâ (Seſſ. 4.) damnatum clament. Sin res ipſa penetratur ac Concilii mens attenditur, libratíſque utriuſque momentis ac ponderibus, non tam veteres quid dixerint, quàm quid dicturi, ſi adverterent, rémve attentiùs conſiderarent, fuerint, perpenditur, in quo nil meritò culpare, laudare contrà multa poſſis. In re præſertim etſi ſeria atque gravi, non tali tamen quæ ad dogma fidei morúmve, ſed quæ ad hiſtoriam tota pertineat, quæque problematis, ut in Scholis loquimur, loco eſſe poſſit: addo etiam cùm quicquid iſtud interpretamenti eſt, non modò fidei non obſit, ſed etiam profit, ſícque intra Eccleſiæ canonem ſe contineat, ut ejus etiam zelum juvet, tale id meo quidem judicio, ut præterquam quòd ſuo ſe id genio probat, commendátque ſucco atque guſtu, qui ob id ſolùm damnari velit quòd à Patribus diſſideat, hunc non modò cenſorem parùm æquum, ſed & penè dicam violentum Tridentini decreti interpretem eſſe oporteat. Quippe qui quæ ſanctæ Synodi Patres ad dogma fidei ac morum reſtrinxerunt, ad alia etiam extendere Spiritu repugnante auſit. Imò quæ nihil neceſſe fuit à veteribus diſcuſſa perſpectáque eſſe, quòd veritate iſta carere incolumi pietate hactenus licuerit, qualia adhuc multa fortè reſtant, ſuo tempore revelanda, quæ neſciri tantiſper ſine noxa potuerunt, & verò adhuc poſſunt, tum verò ea ubi Deus dederit, diſcuti perſpicíque prohibeat, ac Spiritum ubi ſpirat, qui certè ſpirat ubi vult, conetur extinguere. Quàm multa enim juniorum ſcripta, doctáque illa atque erudita, quòd ea à Patribus diſſideant, quódque his hactenus Eccleſia caruerit, damnari oportebit, ſi lex hæc imponitur? Aut quorſum tanta in evolvendis Hebraicis Græcíſque codicibus cura, ſi nihil præterquam quod dictum eſt ab antiquis licet obſervare? Imò etiam ſi non licet ab eorum ſenſu (ſalvâ ſemper fidei ac morum normâ) interdum diſcedere? Nam quàm nec id ipſi Patres exigant, teſtis unus

omnium inſtar erit Auguſtinus, tam appoſitè citandus iſto loco, quàm pravè & contortè pro iis etiam quæ fidei ſunt à Novatoribus citari ſolet: *Poteſt*, inquit, *mihi aliud videri, & alteri aliud: Sed neque ego quod dixero præſcribo alteri ad meliorem intellectum, nec ille mihi.* (in Pſal. 36.) Et quod alibi ait, (Epiſt. 3. ad Fortunat.) *Salvâ honorificentiâ quæ quibuſvis debetur Scriptoribus, licere aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè invenerimus quòd aliter ſenſerint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis.* Ampliùs verò, nè quis ſententiâ hâc è Novatorum numero abuti poſſit, qualiter id liceat idem expedit, partitione adhibitâ, *quòd alia ſint de quibus doctiſſimi atq; optimi regulæ Catholicæ defenſores ſalvâ fidei compage diſſentiunt, & alius alio de unare melius aliquid dixit & verius; alia verò quæ ad ipſa fidei pertinent fundamenta:* (Contra Jul. Pelag. li. 1. c. 2.) ſcilicet ut in his innovare quicquam netas, ità in illis, ſi quid occurrat melius, non invitè laturus videatur. Ac nè quis dicat, Alium eſſe ſenſum hujus vel illius, alium qui communis omnium Sanctorum; ut ſi minùs illum, at hunc certè neceſſariò ſequi oporteat: illi ipſi qui iſta ex profeſſo tractant, omnium Sanctorum autoritatem in iis quæ ad fidem non pertinent, probabilem tantùm fidem non verò certam facere confitentur. (Melch. Can. in loc. com. l. 7. 1. cap. 3.) Neque verò ille id neget quantumvis rigidus, ſed verus ac ſincerus tamen antiquitatis Patrúmque aſſertor Vincentius Lirinenſis, qui ſic fidei Patrum inhærere, adglutinari, immoraríque, profanas novitates deteſtari, horreſcere ac perſequi jubet, ut dicat tamen conſenſum Patrum non in omnibus Divinæ legis quæſtiunculis, ſed ſolùm in fidei regula, atq; iis præcipuè quæſtionibus quibus Catholici dogmatis fundamenta nituntur, certò nobis ſequendum eſſe. Adde quòd in enarranda per Patres ſeu hiſtoriæ ſcriptura ſeu ſcripturæ hiſtoria, qualem hanc eſſe conſtat, alia ſcribentium ex profeſſo, alia obiter id quod occurrit dicentium, alia rurſum hiſtoriam ſeriatim & ex integro, alia fruſtatim & ex parte exponentium ratio eſt. Idq; obſervatore in libros Regum D. Gregorio, qui & quòd aliter locuturos dicat, ſi hiſtoriam integram exponerent, propterea ſe ab aliis aliquando diſſentire ſive, ut verbis ejus loquar, *aliter atque illi hiſtoriam enodare*, ad idq; ſe *neceſſitate duci* profitetur. (Greg. in procem. ſuper lib. Regum.) Accedit iis (ut quod cauſæ hujus proprium eſt tangam) quòd (quæ ratio non in communi loquendi uſu tantùm, ſed etiam in Scripturis locum habet) qui ſcribit κατ' ἀθεσιμὸν ſeu confusè, utpote rem attigiſſe ſatis habens, eam ſæpe quæ in circumſtantiis eſt, verbi gratiâ numeri, ordinis, temporis, & ſi quæ ſint ejuſmodi, ἀκρίβειαν non adhibeat (cujuſmodi frequentes ſunt in ſacris libris ἐνδιάλαγαὶ numeri, temporis, perſonarum, & quæ ὑστερον πρότερον à Grammaticis dici ſolent.) Id in Patribus aurei vituli hiſtoriam tangentibus ſic uſu venit, ut ex eo ſolvi poſſe quæ ex iis citari in contrariam ſententiam poſſunt, magna ex parte videantur. Quale eſt id quòd populi tum petitionem (quam *vim* illi vocant) tum idololatriam referentes, ſic ea ferè commemorant, quaſi ad unum tempus pertineant, quæ diſtinctis temporibus accidiſſe validis è Scriptura rationibus cõprobatur. Quod quàm magni referat ex eo videre eſt, quòd totius ferè cauſæ hujus in eo vertitur cardo, Num populi impietas fabricam hanc vituli, eámq; quæ de Deo qui præcederet effingẽdo facta ab eo eſt petitionem, ídq; ipſo ſciente ac prudente Aarone, præceſſerit, an verò ſecuta ſit. Si præceſſit, intellexítq; Aaron, ut non impietatis excuſetur; ſi ſecuta eſt, excuſetur. Quod à Patribus non ità exactè explicatum, ſi id Moncæius dedit operam ut clariùs enodaret, diſtinctíſq; ut rerum ſic temporum momentis, non præceſſiſſe ſed ſecutum eſſe cõprobarit, háncq; gratiam ſeculo noſtro, deterſo nubilo hoc, præſtaret, quid eſt quòd ejus damnetur induſtria, aut in quo ille Patrum diligentiam ſupplet, Patribus in eo contrarius judicetur? Quæ ſi ferenda invidia, quantumvis ſenſu meo injuſta & iniqua, nè ſoli Monæio ſubeunda alea hæc, aut ſine autore interpretatio ſit, en qui planè idem ſentiat, quantumvis hactenus, ut opinor, Moncæio nè lectus quidem, Paulus ex Judæo Burgenſis Epiſcopus, ſuis in Lyranum additionibus: Niſi quòd ille quàm in concludendo ſententiâ par, tam diſpar argumento ac principii gravitate eſt, tam rurſum ea in re infra Moncæii acumen, quàm à ſole lychnus diſtat. Sed utcunq; res habeat, pondere iſtud tantò majori certè, quòd nec Paulum ea in re Replicator Matthias, quantumvis alioqui dictorum ejus acris cenſor, ullo modo reprehendit. Ut conſtet quàm non tam nova expoſitio hæc, quàm probata nóviter, ſícq; recens illa ſit, ut ex monumentis veteribus intimóq; veritatis ſenſu educta debeat judicari. Ac tantò illa quidem in Moncæio noſtro plauſibilior, quòd iſtâ occaſione multa ab eo è Scripturis felici juxta ac ſolerti indagine quæſita, atq; è tenebris eruta ſunt, tam ſuavia jucundáq; lectu, quàm fœcunda ubertate, taliáq; omnino futura, quæ aliorum induſtriam ad laudabile ſtudium iſtud Scripturam altiùs explorandi, ac velut theſaurum, ut Sapiens monet, fodiendi, meritò exacuant. Quod nè leviter dictum mihi, vel ipſa me plus æquo fortaſſe in eo cunctantis, atq; ad ſenſum hunc ſenſim & per gradus venientis tarditas, ſeu potiùs ἀυλάβεια, excuſabit. Movebat quippe initio me (fateor) veterum Patrum cum Philone Judæo ad Ægyptii Apis æmulationem totum id referente conſenſio: movebat Hieronymi, (Epiſt. 30. ad Oceanum) *ſacrilegium Aaronis quod fraternæ correxere preces* vocantis autoritas: ut ſi minùs ex animo in idololatriam Aaronem conſenſiſſe crederem, metu certè cõpulſum non negarem: Placerétq; quod de eo Auguſt. (De civ. Dei l. 14. c. 11.) *Aaron*, inquit, *errante populo ad idolum fabricandum nõ conſenſit inductus, ſed ceſsit obſtrictus*; & quod ait Chryſoſt. (Serm. cont. Judæos) *vim magnam feciſſe Aaroni populum, cùm diceret, Fac nobis Deos.* Quod ipſum de vi atq; metu, ubi quoq; ſic excuſſum, ut neq; hic prætoris de iis quæ vi & metu fiunt edicto opus, utiq; quòd neq; hanc populi Deos ſibi dari poſtulantis mentem fuiſſe, neq; id de populo Aaronem judicaſſe, multa & magna ſuaderent: cùm nec id placeret tamen, quod Hebræis nonnullis viſum, à Burgenſi verò & ipſo Hebræo meritò exploſum eſt, (in Exod. c. 32.) ab omni prorſus errati labe immunem Aaronem eſſe, quòd vetet id Scriptura, quæ iratum Aaroni Deum, eúmque voluiſſe conterere, ni Moſes orando prohibeat, in Deuteronomio 9. ait: quod reliquum erat,

ut

ut si minùs metu compulsus, aut pusillo animo fuisse, in eo saltem quòd fuisset minùs prudens, peccasse diceretur: ut sacra alieno tempore, injussu Dei, & ad nutum populi, quantumvis bonâ fide & sincerè petentis faceret, quódque secretum arcanúmque esse debuerat, infirmo adhuc & rudi populo propalaret, insignémque isto pacto idololatrandi materiam ei afferret, quando in id Moncæius recidit, sícque priora illa aufert, ut postremum id fateatur, eruátque è tenebris, atque in eo acquiescat, tantò id in eo amplector magis, quòd ille stans in medio sic quod vult è Scriptura efficit, nihil ut sit interim in quo Scripturæ ulla in re pugnans, aut non bellè consentiens valeat deprehendi. Ampliùs verò, quòd sic ille Aaronem à pudore & reatu purgat, ut in quo offenderit irámque Dei incurrerit monstrans, dubium sit plúsne illi an aliis, majus dico, totíne ordini Levitico ac dignitati Ecclesiæ, an verò constitutis quocunque gradu in ea personis serviat atque prosit: illi quidem, dum tantum scelus ab ordinis Levitici, hoc est Ecclesiæ capite, amoliens, vel in hoc etiam *os loquentium iniqua* (Psal. 62.) obstruit, nè ultrà sit unde ex eo hæretici, incassum licèt ac perperàm, sed utcunque obganniant tamen: his verò, ut dum docet quàm vel solam Prælati imprudentiam vindex à tergo sequatur ira Dei, quippe qui familiæ suæ *tritici mensuram* (Lucæ 12.) non jubet dari tantùm, sed etiam *dari in tempore*, multò magis ex eo constet, quàm deteriore loco futuri sint, qui se ex eo genere non imprudentes solùm verùm etiam infideles præstiterint. Nam nec si reliquus hic in Aarone nævus, propterea perit *Purgati Aaronis* indigitatio sive nomen: cùm peccati vel gravitatem minuere, vel speciem indicare, nè aliud credatur pro alio, magna sæpe pars sit, & quidem justæ purgationis. Nisi fortè non & hoc Petrum purgare est, si quis eum neget per infidelitatem seu corde negasse Christum, ut fecit in hymno Prudentius, Lib. Cathemer. hym. 1.

Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas,
Cùm mens maneret innocens,
Animúsque servaret fidem.

Utique nè similis impio Judæ reputetur; quantumvis in eo quòd Christum negavit ore, gravissimè eum peccasse fateatur. Aliud quippe à toto, aliud à tanto excusare est. Nec si prioris generis purgatio locum non habet, propterea tollitur ea quæ posterioris. Sed & si hoc purgare est, quem timidum fatearis negare impium esse, quantò magis eum quem nec impium nec timidum, sed tantùm per errorem peccasse probes?

Unum hîc restat quod nonnullis durum audio, à viro seculari prodire hæc, utique quòd id illis in alieno, ut in veteri proverbio est, choro pedem ponere, falcémq; in alienam messem mittere sit. Quibus utinam id subeat quod Josuâ filio Nun, Eldad & Medad prophetare indignè ferente, ídque ad injuriam Mosis spectare, atque ideo prohibendos censente, respondit rex ille & sacerdos, prophetarum simul & legislatorum vertex, *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det ei Dominus spiritum suum?* (Num. 11.29.) Quasi verò qui de asinis Saulem, & de armento Amos prophetas excitavit, (1 Reg. 10. 2. Amos. 7. 14.) non rursum ubi vult spirare possit & valeat. Aut quasi eos qui de isto, id est, laico sive seculari genere fuerunt, rerum sacrarum scriptores, minùs exosculata Ecclesia, seu veterum, seu nostrorum temporum memoriâ, fuerit. Quales illi inter veteres Justini, Lactantii, Victorini, Ammonii, Minutii, Procopii, Oecumenii, Boetii; inter recentes verò Johannes Picus Mirandulæ princeps suum illum in Genesim Heptaplum, Henricus VIII Angliæ Rex, dum pro fide staret, de septem Ecclesiæ Sacramentis, Carolus Sigonius de Rep. Hebræorum, Nicolaus Villagagnonius eques de Eucharistia, Ludovicus Vives Rhetor de Veritate fidei Christianæ, Bartholomæus Fains Energumenicum suum, Raynerus Snoygoudanus medicus in Psalmos, Stephanus Durantius de ritibus Ecclesiæ, Petrus Bullengerus in Apocalypsin; ac nè poetas omittam, Actius Syncerus de partu Virginis, vel Hieronymo Vidæ Episcopo & ipsius synchrono in eodem argumento prælatus; & qui nescio an vivat adhuc Moncæii civis Johannes Carpenteius Jurisconsultus Atrebas, & Andreas Hoius Græcarum literarum apud Duacenses Professor Regius, quorum ille in Esaiam, hic in Ezechielem, poeticam paraphrasin sanè luculentissimam scripsit. Imò & inter feminas Proba Falconia, Adelphi Proconsulis, & Eudocia Theodosii junioris uxor, Latinè illa ex Virgilio, hæc Græcè ex Homero consutis centonibus, quæ ad utrumque Testamentum & ad fidem Christianam spectant, atque alii alia laudabiliter scribentes, legi probarique meruerunt. Nam neque ille qui ait, *Numquid omnes Prophetæ?* (1 Cor. 12.29.) prophetare omnes per singulos posse negat. Hæc modò cautio sit, quam ultro ac lubens subit Moncæius, ut loquente uno cæteri dijudicent, sitque spiritus prophetarum subjectus prophetis. Nec timendum si ab accincto istud æquè ac discincto scriptionis genus accipitur, propterea accidat quod ad Paulinum Hieronymus conqueritur & Novatorum hodie impudentia fert, *ut Scripturam passim universi præsumant, lacerent, doceant, antequam discant.* Scimus enim quàm distet viro vir, quámq; sit, ut in proverbio est,

Δοῦλος πρὸς δοῦλον, δεσπότης πρὸς δεσπότην.
Servus præ servo, Dominus præ domino.

Nec si quid aquilæ conceditur, propterea futurum ut id & noctuæ, quòd utraq; avis; aut quod Pegaso proprium, id testudini, quòd uterque quadrupes, tribuatur. Sunt quippe ut in Clero, sic & in Seculo homines & jumenta; nec pari omnes ut naturâ, ità merito aut virtute sunt. Cur verò, quod Tulliis, quod Atticis, quod aliis Romanæ quondam Reipub. luminibus honestum fuit, à fori tumultibus ad philosophiæ spatia interdum discedere, non etiam id in viro Christiano & erudito laudabile, si quæ una

præclara philoſophandi ratio eſt, Divinarum Scripturarum ſtudium, eâ ſecularium negotiorum moleſtias ac vitæ hujus faſtidia condiat ac ſoletur? Et ſi talium quondam cum laude atque fructu viſæ lectæque lucubrationes, non & hujus quoque videri & legi poſſint? His accedunt pauca quædam à nobis aliiſque, ut opinor, in hoc opere indicata, quæ ut emendare facile erit, ità colophon iſte ubi acceſſerit, nil planè fore video, quominus qui liber genium ex ſe habet, ſolem & lucem ferre, manibúſq; eruditorum tutò & cum laude teri poſſit. Hæc mihi, clariſſime vir ac Domine, quæ literis tuis ut pararem, ſcribere ad te viſum fuit. Quæ ut citra cujuſquam aliter ſentientis præjudicium dicta velim, ità ut à tua Amplitudine æqui bonique conſulantur, valeátque illa & me amet, peropto, cupio atque oro. Tornaci Nerviorum, ix Julii CIↃ. IↃC. III.

CENSURA ET JUDICIUM
D. PAULI BOUDOT Academiæ Pariſienſis Theologi,
Eccleſiæ Cathedralis Atrebatenſis Canonici pœnitentiarii, Eccleſiaſtæ eximii, & librorum Cenſoris.

QUid auro & argento jam ſatis purgatis opus eſt lapide Lydio? quid neceſſe mihi probare aut repurgare opus, quod ipſum veteris Legis ſummum Pontificem criminis de quo inſimulabatur graviſſimi ſuſpicione purgat? Vitulâ certè dignus eſt, qui Vitulum hunc aureum ex auro eruditionis ſuæ puriſſimo conflavit. Hîc admixtum adulterinum nihil eſt, neque quod univerſi non facilè admittant Catholici. Licèt enim novum hoc fortaſſe quoddam pecuniæ genus, tamen ſub cælatura Eccleſiæ cuſum eſt, neque in vulgus prodit ſine cognitione & aſſenſu eorum quibus jus monetæ hujus condendæ. Purgatum eſt ſeptuplùm aurum iſtud, & à peritis Theologiæ fabris cenſuræ acutiſſimo ſtylo penetratum ac probatum, priuſquam terendum manibus in publicum uſum veniret. Detexit auctor novas has ex intimis ſacrarum literarum viſceribus aurifodinas, quas invida tot annorum ſeries occuluerat. Eruit è tenebris per tot ſecula theſaurum abſconditum in terra, & veritatem in imo puteo, ut volebat Democritus, latentem jacentémque detexit erexítque. *Periculoſæ* quidem *plenum opus aleæ:* ſed

——tendit in ardua virtus.

Virtus, inquam, *repulſæ neſcia ſordidæ,*
Intaminatis fulget honoribus.

Perfuſus quondam incredibili gaudio fuit geometer Syracuſanus, detecto ſubtiliter in corona Hieronis affabre admodum facta dolo, dum per urbem totam illud ſuum εὕρηκα *inveni* exultans exclamaret. Gratuletur & ſibi auctor hic noſter, qui primus núncque primùm vitulum hunc conflatilem, ex Aaronis qui conflavit mente, non vitulum, ſed Cherubum fuiſſe deprehendit: hócque deprehenſo facilè deinde ab omni conſenſûs in idololatriam ſive ſpontanei, ſive coacti, de quo inſimulabatur, crimine *Sanctum Domini liberavit.* Vix in eo levi quadam imprudentiâ, vel potiùs incauto fortaſſe tantùm errore reliquo hærente. Rem acu tetigit, & quod ſuperioribus ſeculis fuerat inauditum aperuit, obſcurum illuſtravit, implicatum enodavit, denique quod excogitatu & perceptu erat difficillimum, Divinitus potiùs quàm humanitus adinvenit: ſic omnia bellè & concinnè ex ipſis ſacris literis, earundémque mutuâ inter ſe collatione adaptans aſtruénſque, ut jam minimè novum quod affert eſſe videatur, ſed vetus & antiquum. Supervacaneum erat meum de hoc opere adhibere quantulumcunque judicium, niſi auctor ipſe tale quid à me poſtulaſſet, quem ego propter ſingularem ejus virtutem & eruditionem amore & honore proſequor. Adde quòd Atrebati opus hoc typis excudendum erat, ac propterea Reverendiſſimi Epiſcopi cenſuram requirebat, à quo mihi demandata provincia hæc librorum in ſua diœceſi cenſendorum. Id verò etiam liberiùs facio, poſt eximii confratris & conſocii noſtri D. Johannis Buchæri cenſuram de hoc opere tam inſignem, in cujus maturam ſententiam pedibus manibúſque deſcendo. Hæc mea mens, hoc judicium, quod aperio, explico, configno. Atrebati, in Palatio Epiſcopali, pridie Calend. Sextileis, anno Domini M. DC. V.

PAULUS BOUDOT *Academiæ Pariſienſis Theologus, & Canonicus Pœnitentiarius Eccleſiæ Cathedralis Atrebatenſis.*

OPERIS

OPERIS PROPOSITIO & INVOCATIO.

AD SANCTISSIMUM D.N. PAULUM V. PONTIF. OPT. MAX.

S*Acerdotem excelsum, beatificatum in Gloria, circumamictum Zonâ justitiæ, indutum stolâ Gloriæ, coronatum in vasis virtutis*, (Eccl 45.8.) tueri, & criminis, quo teneri nullo defendente pridem creditur, omnium deterrimi infamiâ liberare, hâc lucubratione mihi decretum.

Fave, Beatissime Pater, Pontifex idem Maxime, indigno clienti, (nam & multum sit, si vel talem tua me dignetur agnoscere Sanctitas) Pontificis tamen itidem Maximi patronum se (quando præstantior alter tot annis facit hoc nemo) debitâ cum veniæ & submissionis præfatione offerenti. Certè ad Pontificem summum Pontificis summi causa quin pertineat, dubitaverit nemo. Ad tuam verò Sanctitatem cur istius maximè, peculiaris etiam ratio est. A quo utique Pontificium Sacerdotísq; magni nomen, in sanctitate, gloria & decore cœptum, medio autem spacio in Apostolorum principe multis charismatibus auctum sublimiúsq; exaltatum, in Te denique hodie usq; auspicatissimâ successione nuper derivatum floresçit. Sic adeò ut, longo quantumvis intervallo, ejusmodi successionis, ceu catenæ cujusdam gemmis internodatæ preciosissimis, perpetuo nexu cohærentibus vobis, primum omnium Pontificem omnium novissimus si fovere, ejúsque & causæ & causam agenti favere te ostendes, cæteros quotquot ejusdem catenæ complexu veluti colligati intercedunt Pontifices, eodem fis beneficio devincturus, quia nullum favore & patrocinio tuo excluseris, qui illud ab extremo ad extremum, quàm longissimè potuerit, hoc modo extenderis. Et verò rem in causæ hujus actione agi plerosque ex vobis exemplo tangentem si dicam, Sanctiss. Pater, haud longè à vero abiero: Agitur enim profectò. Quod namque primo omnium Pontifici, adeóque & cæterorum veluti parenti & capiti, Amrammi filio accidit, ut ejus facto perperàm prætérque ejus mentem iniquissimè interpretato, tam non ferendam calumniam, tametsi minimè à malevolentia illam, quin potiùs ab errore profectam, sed calumniam tamen, per tot jam secula sustinuerit indefensus, fuisse hoc initio sanctissimo ordini quasi fatale quis non dixerit, tam multis ex illo deinceps similia passis? Verùm bene habet hoc seculo natos viros eximios, Robertum Bellarminum, Cæsarem Baronium (ut alios prætermittam) quos Clemens VIII, Pontifex nuperus laudatissimus, sed hoc ipso impensiùs laudandus, ob egregia in Ecclesiam Dei scriptionum præclarissimarum merita, virtutésque alias multiplices, summo bonorum omnium cum applausu, in amplissimum Principum purpuratorum ordinem dignissimè cooptavit. Qui, quæ de plerisque vestrûm conficta ac fabulis proxima vulgò ferebantur, fidémque apud plurimos tantùm non assequebantur, unâ spongiâ dicam (nam sic proverbio solet) an duplici? pulcre deterserint, penitúsque eluerint. Optandum esset eandem operam Aaroni impendissent: occasio non fuit; Spartæ, quam sibi uterque ornandam præstituit, pomœrio solius Ecclesiæ Christianæ res Christianorúmque Pontificum, non etiam veteris illius includente. Dignissima alioquin quæ vel hos ipsos vel iis æquales patronos nanciscerétur hæc causa: verùm quamdiu nacta non est, quid vetet me, quæ pro ea dici posse existimem, vel si excitandis solummodo ad eandem ferió pòst aliquando capessendam, feliciúsque perorandam doctiorum ingeniis, in medium huc afferre? Quod tamen à me sic dictum accipi nolim, perinde ac si culpæ omnis immunem Aaronem crederem, vel esse ut putetur efficere contenderem. Quî possim, quem, ni Moses pro eo frater deprecaretur, fuisse Deus contriturus legatur? Verùm de qua culpa teneatur multùm interest: utrúmne de lata (ut Jureconsulti vocant) an de levi, an denique de leviss̃ima. Quandoquidem nec si eum Deus conterere voluerit, major idcirco putanda sit. Cùm quantulacunque offensa apud Deum, fortè & error in Sacerdote, capitalis sit: correptioníque in eadem sorte gravitas non tam peccati gravitatem arguat quàm personæ dignitatem. Itaque si pro lata culpa, imò latissima planéque incondonabili, qualis & quanta futura erat, si sciens (quæ vulgaris omnium opinio est) idolum conflasse, altare coram idolo ædificasse solennitatémque indixisse, imò & indictæ præivisse, celebrasséque ipse illam convinceretur, vix de leviss̃ima teneri, & de vitulo conflato eodémque altari & solennitate consecrato cultóque quod dicitur, fuisse ab ejus mente & cogitatione alienissimum probetur, non erit hæc levis aut modica tanti viri purgatio: Non item levis profectò maculæ à Pontificii nominis dignitate, quam esse perpetuò incontaminatissimam deceat, absterso & abolitio.

Erit autem nec inauspicata eadem aut ingrata, quando ità res ferunt & occasio, quam bonis omnibus certatim, aliis congratulationes alias, alia munera afferentibus, ad Sanctitatis tuæ pedes animo & affectu deponam, de Pontificatu summo tuo novo cùm cæteris collætantis, Tibíque & Ecclesiæ felicissimum summéque salutarem ac diuturnum esse illum peroptantis, congratulatoria oblatio. Quid enim magis opportunum quàm te Pontifice nascente Pontificum postremo, primum illum in famam renasci? & post tantam támque diuturnam nomini existimationíque ejus præter meritum inductam labem, quàm tu vitâ tuâ totâ exstitisti inculpabilis, tam fuisse perpetuò inculpabilem probari? Sic Deus ille termaximus qui ordinem hunc præeminentem in Ecclesia sua sapienter instituit & servat, faxit ut vera crimina nullum in eo unquam locum inveniant, falsa quem invenerant tenebántque amittant. Et ut Ecclesiæ ipsius ad Deum verbis, meo sensu, ad idque quod agimus accommodatè, votum hoc & invocationem claudam; *Tua nos, Domine, misericordia, & ab omni subreptione vetustatis expurget, & capaces sanctæ novitatis efficiat.* Amen.

VITULI AUREI HISTORIA
EX
Mosis Relatione & Interpretatione Veteri.

Exod. Cap. 32.

1. *Videns autem populus quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversùs Aaron, dixit, Surge, fac nobis deos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.*

2. *Dixítque ad eos Aaron, Tollite inaures aureas de uxorum filiorúmque & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.*

3. *Fecítque populus quæ jusserat, deferens inaures ad Aaron.*

4. *Quas cùm ille accepisset, formavit opere fusorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem. Dixerúntque, Hi sunt dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

5. *Quod cùm vidisset Aaron, ædificavit altare coram eo, & præconis voce clamavit, dicens, Cras solemnitas Domini est.*

6. *Surgentéque manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas: & sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.*

7. *Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens, Vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti.*

8. *Recesserunt citò de via quam ostendisti eis: fecerúntque sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt, Isti sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

9. *Rursúmque ait Dominus ad Moysem: Cerno quòd populus iste duræ cervicis sit:*

10. *Dimitte me, ut iracatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciámque te in Gentem magnam.*

11. *Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens, Cur, Domine, iracitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna & in manu robusta?*

12. *Ne quæso dicant Ægyptii; Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui.*

13. *Recordare Abraham, Isaac & Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum, dicens, Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cœli, & universam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper.*

14. *Placatúsque est Dominus nè faceret malum quod locutus fuerat adversus populum suum.*

15. *Et reversùs est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonii in manu sua, scriptas ex utraque parte, & factas opere Dei.*

16. *Scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.*

17. *Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen, Ululatus pugnæ auditur in castris.*

18. *Qui respondit, Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio.*

19. *Cúmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros: iratúsque valde, projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.*

20. *Arripiénsque vitulum quem fecerant, combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.*

21. *Dixítque ad Aaron, Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum?*

22. *Cui ille respondit, Nè indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum.*

23. *Dixerunt mihi, Fac nobis deos qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit.*

24. *Quibus ego dixi, Quis vestrûm habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi; & projeci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus.*

25. *Videns ergò Moyses populum quòd esset nudatus (spoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat)*

26. *Et stans in porta castrorum, ait, Si quis est Domini, jungatur mihi. Congregatíque sunt ad eum omnes filii Levi.*

27. *Quibus ait, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de porta usque ad portam per medium castrorum, & occîdat unusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.*

28. *Feceruntq; filii Levi juxta sermonem Moysi: ceciderúntque in die illa quasi viginti tria millia hominum.*

29. *Et ait Moyses, Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio.*

30. *Facto autem altero die, locutus est Moyses ad populum, Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quo modo quivero eum deprecari pro scelere vestro.*

31. *Reversúsque ad Dominum, ait, Obsecro, peccavit populus iste peccatum maximum, fecerúntque sibi deos aureos:*

32. *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.*

33. *Cui respondit Dominus, Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo.*

34. *Tu autem vade, & duc populum istum, quò locutus sum tibi, & angelus meus præcedet te. Ego autem in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.*

35. *Percussit ergò Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.*

AARONIS PURGATI, SIVE, DE VITULO AUREO, LIBER PRIMUS.

PRÆFATIO.

Quæ hiſtoriam vituli aurei abſurda & incommoda ſequantur niſi interpretatione adjuvetur.

QUod à Doctore & Epiſcopo è Belgicis noſtris eximio, (Cor. Janſen. cap. 78. in Concord. Euang.) de narratione una Euangelica ſcriptum nuper obſervabam, *Euangeliſtam brevitati ſtudentem non omnia ſcripſiſſe quæ circa ea quæ narrat ſunt dicta aut facta; ſed multa reliquiſſe intelligenda, ſine quibus, quæ narrat, non poſſint intelligi commodè eſſe geſta*; & paulo pòſt, *à ratione enim alienum eſſe, rem ſic nudè geſtam eſſe, ut ab Euangeliſta deſcribitur:* Id. certè cùm de narrationibus ſacris aliis utriuſque Teſtamenti compluribus, tum verò de ea quam modò è Moſe recenſitum veni, de vitulo Aaronis aureo, præ cæteris dici poſſe exiſtimo. Tam multa eam incommoda, tam multa abſurda, ſi aliud in ea nihil quàm quod ſonent verba nudè ſecteris, ſequi neceſſe ſit. Nam vel illud primum, quàm Aaronis educationi, integritati, functioni pardm congruens, imò indignum, virum hunc tantum, Pontificem maximum, unúmque è Duumviris principibus coloniæ ſanctæ deducendæ à Deo electum, populo in hereditatem & peculium Dei itidem electo, pro Deo vitulum, qui dux ei in via futurus eſſet, ex auro conflare? Altare coram vitulo ædificare? Solennitatem, in qua vitulo immolarentur hoſtiæ, imò vituli, (ô rem abſurdam!) indicere? Et quidem cùm populus ab eo Deum, ſive etiam *Deos*, ut Vulgaris habet verſio, vitulum certè minimè poſtularet, fortaſſe neque exſpectaret. Illud porrò nónne ſenſui communi planè repugnans, dictúque & auditu horrendum, Aaronem eundem, cùm vitulum pro Deo daret, cùm ſolennitatem in qua hoſtiæ vitulo immolarentur vituli, indiceret, tamen hanc ipſam ſolennitatem non vitulo, ſed Domino, Hebraicè *Jehova*, Deo Hebræorum patrio, Deo vivo ac vero, indicere? Mentis compos eras, Aaron? Vix ſentiat qui hæc legens verbis nudis inhæreat. Sentio ego verò, at ità demum, ſi fortè hunc vitulum pro vitulo neque dederis neque habendum tu duxeris. Jam nónne iſtud perobſcurum ac ænigmati ſimillimum? A Moſe vitulum comburi, in pulverem contundi, in aquam ſpargi, potum Iſraelitis ex eo dari? Quâ fine hæc omnia? Ad Aaronem redeo. Quid illud quæſo, *populum* ab eo *nudatum & ſpoliatum*, item *nudum inter hoſtes conſtitutum* dici? Additâ quidem ratione, ſed quis eam mihi explicet? *Propter ignominiam ſordis:* Propter Idololatriam fortaſſe, *ſordium* vocabulo ſæpe in Scriptura deſignatam. In pœnam igitur ſive etiam ad pœnam populus nudatus? At quàm Aaron huic miniſterio parùm idoneus ac magis qui nudaretur ſpoliaretúrque ab alio ipſe promeritus? Siquidem (quod ex verbis nudis reſultat) unicus ipſe & Idoli & Idololatriæ hujus omnis exſtitit machinator & architectus. Denique cur *Inter hoſtes* additum? cùm devictis paulò antè Amalechitis hoſtes Iſraelitæ id temporis, neque totis ferè quadraginta pòſt annis habuiſſe memorentur: ſed & tunc mediis caſtrorum ſuorum munitionibus, adeóque & portis clauſi fuiſſe ſignificentur.

Neque verò me ſolum, qui ad hæc talia fortè cæcutiam, ubi oculatioribus clara & liquida ſint omnia, at verò Joſephum quoque Matthiæ filium, hominem Hebræum, hiſtoriæ gentilis ſcriptorem egregium, cujus utique peritiam tantam habuiſſe conſequens ſit, ejus maximè quæ ad ſacerdotium & ſacrificia ſpectet, & nominatim Aaronem tangat, quantam & ſacerdotem exſiſtentem, & ab Aarone nobilitatem generis ducere gloriantem æquum fuerit, narrationis hujus obſcuritas uſque adeò perplexum habuit, ut potiùs quàm rem nudè, utì geſta ea à Moſe memoratur, expolitam in hiſtoriam ſe vellet, ſilentio præterire maluerit. Tametſi taciturnitatem hanc non tam ignorantiæ quàm conſilio ac prudentiæ tribuendam haud difficulter mihi perſuaſerim. Cùm tegere & diſſimulare hoc modo Joſephum libenter multa in Antiquitatibus illis notum ſit, quæ vel religione tactus vel ab obtrectatoribus metuens, nefas & intutum evulgari putaverit. Et erat verò cur, ſi quidquam aliud, hiſtoriam hanc certè, utì fecit, magnâ ratione ſupprimere debuiſſe videatur. Quâ propalatâ veráque ac legitimâ aſſertâ, ultro religionis nominiſque Judaici æmulis ſuggillatoribúſque dediſſet, quod tantâ contentione refutatum, & per commentitiam calumniam jam olim Judæis objectatum fuiſſe, peculiari contra eos Apologiâ pervincere ac perſuadere voluit, de aſinis per deſertum Hebræorum viæ ducibus, déque animalis ejuſdem effigie ab iiſdem propterea penetrali conſecratâ & adoratâ. Minimè enim ampliùs calumnia jam futura hæc fuiſſet ſed veritas, vel ab ævo illo priſco ſacris ipſorummet literis publicè conſignata, in quibus petente Deum populo, qui eos in Chanaitidem viâ deſerti præcederet deducerétque, in hunc uſum à Pontifice ſuo ſummo datus eis vitulus legeretur. Nam quòd pro vitulo aſinum dixiſſent, levis in tanta antiquitate excuſabiliſque error fuiſſet, aliud pro alio animal, quorum utro uſi duce eſſent, ac poſtea beneficii hujus memores penetrali conſecratum adoraſſent, nil referret in relatione uſurpantium. Non hoc itaque per ignorantiam, ſed quâ dixi ratione & conſilio, à Joſepho prætermiſſum veriſimilius ſit. Nam alioquin vidiſſe in hac hiſtoria illum ſupra vulgus aliquid, cujus ductu rei veritas educi fortè aliquando in lucem poſſet, ex eo conjicio, quòd in conſimilibus Aaronio, de quo loquimur, Jeroboami regis vitulis aureis, quamvis tam conſtanter toto opere ſacroſancto impietatis condemnatis, tamen vel in illis quoque neſcio quid ex regis mente religioſi uſûs ille agnoverit, cujuſmodi & in Aaronii prænarrata modò hiſtoria illud fuit, quòd exſtructo coram eo altari ſolennitatem Aaron Jehovæ indixerit; dum Regem conventu indicto decem tribuum ipſe dicentem inducit, 8 Antiq. 3. *ex illis alterum in Bethelis, alterum in Danâ abs ſe conſecratos, ut pro locorum opportunitate ex propinquioribus oppidis ad eos confluentes, ritè Deum adorarent.* Sed multò magis dum regem deinde ſubjungit, ædificato ſimiliter coram uno ex illis altari, feſtum Scenopegiæ, unum ex tribus illis celeberrimis ſanctiſſimíſque appellatis, quo die Jeroſolymis celebrabatur, in Bethelis celebraſſe. Planè eandem

eandem utrumentem hactenus (nam de cætero valde illi inter se absimiles) eandémque rationem proponendorum populo vitulorum Aaronis & Jeroboami fuisse, Josephum pervidisse, intelligi hinc possit. Non eam quam vulgò existimant, Apis Ægyptii superstitiosè colendi, sed coram vitulis Deum religiosè adorandi. Cujus facti rationem, quamlibèt in speciem absurdi, verè tamen, ut par est credere, ità se habentis, nisi qui assequatur, nec posse statuendum sit certam motûs turbationísque hujus omnis castrensis causam, originem, progressum, eventum assequi.

Quod operis hactenus intentatum, &, ni fallor, seculo nostro, ut multa alia, reservatum, optandum est historiæ sacræ veteris Hebræorum bene peritum aliquem seriò ac deliberatò aggredi. Magnam apud bonos doctósque omnes, simul & indoctos, (quando vulgaris est omniúmque in ore hæc historia) operæ suæ gratiam inturum. Neque enimvero quòd libri hujus titulo & ingressu tale de me aliquid pollicitus videar, sic accipi velim (absit tantum à me vel arrogantiæ vel inverecundiæ;) perinde ac si asseveranter pro certa & indubia expositione tueri aut haberi cuperem quod à me in hoc argumento lucubratum sit. Hypothesis est, ab qua quantum volet unicuique dissentire & consentire sit integrum. At per quam fieri tamen posse haud diffitear, quin interea dum alius sacrarum literarum tractandarum peritiâ & usu, qui in me nullus est, præstantior, manum rei difficillimæ admovebit, déque historiæ hujus vero ac legitimo sensu, discussis tot illis absurdis, enucleatè decidet; minùs incommodè aliquantò minoréque Pontificis illius tanti, cæteris non magìs antiquitate quàm integritate præstantis omniúmque veneratione dignissimi, adeóque & Pontificatûs ipsius maximi verecundiâ, legi ea & intelligi valeat.

CAPUT I.

De Angelo Domini, via duce in Chanaitidem Mosi promisso. Promissionem hanc in arca fœderis præcedente (præcessuro & eum ea Deo) executionem habere debuisse. Israelitas fieri sibi Deum ante se præcessurum ab Aarone petentes, eandem impleri postulasse.

HOC meo igitur sensu & hâc spe, pergam hinc rem, prout gestam animus & ratio credere suadent, altiusculè à fontibus ipsis repetitam deducere. Sunt autem hi fontes, Promissio illa Divina sæpius Mosi ad Sinæum montem repetita, fore ut Angelus Domini, quem eundem *Terrorem suum* ibidem, sed & *Faciem suam* postea Deus vocat, præcederet populum in via, introduceréntque in Chanaitidem (sunt enim hæ nominatim promissionis illius duæ partes) exterminatis veteribus incolis, gentibus impiis. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem præparavi*, Exod. 23. ver. 20. Quo loco unico meminisse utile erit, additum, in eo Angelo nomen suum esse, *Et est nomen meum in illo*, ibid. ver. 21. & paulò pòst, ibid. ver. 23. *Præcedet te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæúmque, & Hevæum, & Jebusæum, quos ego conteram.* Item ibidem haud multò pòst, ver. 27. *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occîdam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorúmque inimicorum tuorum coram te terga vertam.* Item alio loco, (Exod. 32. ver. 34.) *Tu autem vade, & deduc populum istum quò locutus sum tibi; Angelus meus præcedet te.* Item sub initium capitis insequentis, ver. 2. *Et mittam præcursorem tui Angelum, & ejiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebusæum:* Item eodem capite, v. 14. *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Hanc ergò promissionem pluries hoc modo à Deo repetitam, cùm referret ad populum Moses, simul fuisse illam de Deo interpretatum consentaneum est, qui esset eos ipse præcessurus in via, & in Chanaïtidem deducturus: non ille quidem visibilis, sed præsentem præcedentémque testante signo materiali & visibili, quod eis Moses ipse propediem ex Dei præscripto conflandum fabricandúmque esset curaturus. Erat illud autem Arca fœderis cum Oraculo sive Propitiatorio, & Cherubis. Illâ ad usum tabularum lapidearum recondendarum comparatâ: Cherubis, throni vice Deo suis alis; Propitiatorio, scabelli suppedanei loco super Arcam exsistentibus. Hanc interpretationem cùm promissione ipsa simul fuisse à Deo edoctum Mosem, & deinceps à Mose populum, valde rationi est consentaneum. Seriusculè enim ac non nisi in digressûs populi à monte historia, quando cœpit quod promissum erat effectum reddi, facta ea in Scriptura percipitur; Deo, quatenus de filio suo, Deo Israel, ante populum præcessuro, intelligenda ea esset, his verbis aperiente, (Deut. 9. ver. 3.) *Scies ergò hodie, quòd Dominus* (Hebraicè *Jehova*) *Deus tuus, ipse transibit ante te: ignis devorans atque consumens, qui conteret eos*, &c. *Qui conteret eos:* nimirum populos illos impios, ibidem paulò antè, sed & præallegatis à me tot illis locis itidem denominatos. Sic, inquam, intelligi primùm apertè scripto datum est, quem Angelum Dei, in quo erat *nomen Domini*, & *Terrorem Domini*, sed & *Faciem Domini* vocari auditum erat, Deum esse, imò Dominum, hoc est *Jehovam*. Erat autem verè ille filius Dei, qui *Nomen Domini*, idem *Facies Domini*, idem *Jehova Deus*, Deus, inquam, Israel: quod pronomine possessivo *tuus* addito, *Scies quòd Jehova Deus tuus*, ad Israelis principem ibi loquens significavit Pater. Atque ille quidem pro eo quod antea *Terror Domini*, modò etiam dictus *Nomen Domini terribile*, & *terribilis Deus*. Sic quippe cùm aliàs, tum locis quæ subjicio nominatus: Deut. 28. ver. 58. *Nisi custodieris & feceris omnia verba legis hujus quæ scripta sunt in hoc volumine, & timueris nomen ejus gloriosum & terribile, hoc est, Dominum Deum tuum, angebit Dominus plagas tuas.* Item Deut. 7. ver. 21. *Non timebis eos, quia Dominus Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis.* Quòd autem in signo visibili & materiali, & nominatim in Arca fœderis præcedente, ea promissio executionem habere debuerit, id demum eandem digressûs populi à monte Historiam, simúlque primam promissionis partem, *qui præcedat te, & custodiat te in via*, impleri cœptam, in Numeris exponens Moses, Num. 10. ver. 33. hoc modo significavit, *Profecti sunt ergò de monte Domini viam trium dierum, Arcáque fœderis Domini præcedebat eos per tres dies, providens castrorum locum.* Simul autem utrumque, nempe & Deum esse, qui *Angeli Domini* & *Faciei* ejusdem vocabulo præcessurus promissus fuerat, & in præmemorato signo, dico in Arca fœderis præcedente, fuisse executionem habituram, Dei ad Josuam verbis, Jos. 3. ver. 10. promissionis ejusdem partem alteram, *& introducat in locum quem præparavi*, proximè adimplendam testantibus, intelligi denique his potest, *In hoc scietis quòd Dominus Deus vivens in medio vestrî est, & disperdet in conspectu vestro Chananæum, & Hethæum, Hevæum, & Pherezæum, Gergesæum quoque, & Jebusæum, & Amorrhæum: Ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedet vos per Jordanem.* Hæc exempla duo cum primis notanda sunt, quia duabus solùm illis vicibus (ni fallor) viæ nempe initio, cùm de monte Domini primùm profectus est populus, & ejusdem extremo, quando Jordane transmisso in Chanaitidem ingressus est, Arca ante populum propriè & verè præcessisse videtur. Cæteris enim profectionibus aliis procinctûs bellici speciem magìs habentibus, non præcedebat ipsa nisi quâ significatione & formâ ductor populi vel exercitûs, in medio ejus exístens, ut ille apud poetam,

—— *in medio dux agmine Taurus*, &c.

ducere nihilominus sive, ut historici sacri magìs usitata phrasis est, *exire & intrare* ante populum aut exercitum dicitur, ut Num. 27. ver. 1. *Provideat Dominus Deus*

spirituum

ſpirituum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc, & poſſit exire & intrare ante eos, & educere eos vel introducere. Verùm tribubus ſenis precedentibus, ſeníſque aliis ſequentibus, medio inter utraſque ſpatio Caathitarum humeris geſtata procedebat.

Hanc igitur Dei promiſſionem populus Moſis relatu cùm accepiſſet, ſimúlque quam dixi ejus interpretationem, de ſigno illo materiali quod ejuſdem Moſis miniſterio, & brevi quidem, poſtquam is à Deo de monte revertiſſet, debere effectum reddi, ſpes quoque ei ampliſſima facta eſſet; præter opinionem accidit, ut ille quem Deo conſulendo antea ſæpe in montem, ac nonnunquam etiam in montis verticem aſcendentem, eodem die perpetuò deſcendere ac reverti obſervatum erat, diem jam propè quadrageſimum tunc abeſſet. Ea res fecit ut totis caſtris de ejus deceſſu rumor increbeſceret, ac tandem etiam eſſe deſiiſſe omnibus perſuaſum fieret: ſimúlque ſpem quam de ſigno illo per eum procurando, déque deſiderato ſuo à monte, & deſerto illo ſterili & inculto in terram omnium uberrimam fœcundiſſimámque, Deo duce, propinquo abitu læti conceperant, ſummo omnes cum mœrore deponerent. Hunc populi mœrorem, ab opinione quam de Moſis deceſſu conceperat contractum, pulcerrimè hoc modo Joſephus in Antiquitatibus deſcribit, lib. 3. cap. 4. *Neque in tot ærumnis aliud quicquam eos ſic contriſtavit ut interitûs Moſis opinio. Variabant enim rumores, dum alii devoratum à beſtiis jactant, maximè qui eum minùs amabant; alii raptum à Deo videri malunt. Qui verò prudentiores erant, inter utramque ſententiam ancipites, quòd alterum ab humanis caſibus non alienum, alterum viri illius virtuti convenientius videbant, ipſius ſortem ſatis æquo animo ferebant, ſuam autem vicem dolebant, quòd tali præſide & patrono eſſent orbati qualem alium inveniri credebant impoſſibile.*

Quod ſupererat igitur, ad Aaronem conveniſſe è Scriptura nunc diſcimus, petentes, ut quandoquidem ſublatus eſſet Moſes, quocunque caſu vel modo id accidiſſet, (de eo enim demum ſibi non liquere) neque ampliùs reverſurus crederetur, ipſe Aaron, in quem religionis & reipublicæ ſumma eo abſente recumberet, utique & Moſis fratrem, cujúſque in ducatu populi communes ac vel prioris à Deo denominati cum fratre eſſent partes, [*Iſte eſt Aaron, & Moſes, quibus præcepit Dominus, ut educerent filios Iſrael de terra Ægypti, per turmas ſuas,* Exod. 6. ver. 26.] defuncti locum ſuppleret, ac ſibi cùm alia quæ ad utriuſque uſum & commoda ſpectarent, procuraret; tum verò promiſſum illud ſignum, qualicunque tandem formâ fuiſſe illud Moſem conflaturum ſciret, educeret, ac ſe in terram illam deduceret. Verba quibus fuiſſe Aaronem adortos Scriptura tradit, denuo adſcribam, *Surge, fac nobis deos qui præcedant nos: Moyſi enim huic viro, qui eduxit nos de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Certè nihil ab Aarone verbis illis petere intendiſſe quàm quod à Moſe expectandum fuerit, manifeſtum facit adjuncta illa ſuæ petitionis ratio, *Moyſi enim ignoramus quid acciderit.* Supervacaneum enim & præter rem fuiſſet hoc addere, niſi intelligi voluiſſent, quamdiu Moſem redituram ſperaviſſent, non fuiſſe iſtud ſe ab Aarone petituros: Et nè nunc quidem, cùm ſublatum exiſtimarent, aliud ab eo petere quàm quod facturum Moſem fuiſſe, ſi viveret ac rediiſſet, intelligebant. Erat illud verò, ut dixi, Arca fœderis ante eos præceſſura, præceſſuro & cum ea Deo.

CAP. II.

Arcam fœderis, ab eadem dicta promiſſionis origine & cauſa, non ſolùm Deum (Heb. Elohim) *verumetiam* Dominum (*Heb.* Jehovam) *&* Nomen Domini, *&* Faciem Domini, *in Arcano vocatam.*

NEque refert quòd *Elohim*, i. Deos, numero pluralem, fieri ſibi poſtulabant; ac nec quidem quòd ejuſdem numeri verbo addito, *Qui præcedant nos:* Cùm eâ voce per plurale hoc modo conceptâ, & plurali quidem etiam verbo nonnunquam ſimiliter adjuncto, certum ſit univerſo opere ſacroſancto Deum unum & verum frequentiſſimè ſignificari. Certè quod in Vulgari verſione loquentem de ſe Abrahamum hoc modo legimus, *Poſtquam autem eduxit me Deus de domo Patris mei,* Gen. 20. ver. 13. tradunt Commentatores (Auguſt. Steu. in Pentat.) in Hebræo eſſe, *Poſtquam eduxerunt me Elohim*, i. Dii. Et pro eo quod in hiſtoria Jacob (Gen. 35. ver. 1.) Vulgaris habet verſio, *Fácque altare Deo qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum,* in Hebræo eſſe iidem affirmant, *Fácque altare Diis qui apparuerunt tibi.* Itaque ex mente populi convenientius ſit fortaſſe hanc vocem numero ſingulari hîc etiam Latinè exprimi, *Fac nobis Deum qui præcedat nos.* Itémque poſtea, *Hic eſt Deus tuus Iſrael, qui te eduxit de terra Ægypti:* non *Dii.* Quomodo apud Eſdram ipſa etiam habet Vulgaris noſtra verſio. (2 Eſd. 9. ver. 18.) Sed & favet huic lectioni plurimùm, quòd populum his verbis ad multitudinem Deorum ſpectaſſe nulla ſit ſuſpicandi cauſa: cùm ſimulacro unico oblato petitioni ſuæ plenè eſſe ſatisfactum, votíque ſe compotes redditos indicantes, plura minimè deſiderarent.

Deum autem vocant, fieríque adeò & ſibi Deum poſtulant, de ſigno illo ſacro & myſtico ſentientes; quia ſimulacra eo ævo ſic dici nullâ aurium offenſione receptum eſſet. Tametſi & peculiarem aliam futuri illius ſigni ſic appellandi rationem juſtiſſimam certè habebant; Quòd illo ante eos præcedente, promiſſum ſcirent præſentem cum illo Deum ſimul, individuéque eſſe præceſſurum. Quam eandem fuiſſe rationem conſentaneum eſt, cur Arca fœderis, quæ ſignum illud futura erat, ut dixi, *Dei* appellationem haud rarò etiam poſtea ſortita ſit. Neque *Dei* tantùm, verumetiam quibus præterea appellationibus aliis Dei filius, ut ſuprà oſtenſum eſt, præceſſurus ante populum promiſſus fuit, nempe *Jehova, Nominis Jehova,* & *Faciei Jehova,* iiſdem, quia in ea præcedente dicta promiſſio executionem habuerit, eſſétque ipſa verè dicti *Jehova, Nominiſque,* & *Faciei* ejuſdem, inviſibiliter unà præſentis præcedentíſque viſibile in populo veluti ſacramentum, haud multò infrequentiùs vocitata inveniatur. Cujus rei quia nova (ni fallor) obſervatio eſt, & lucem multis Scripturæ locis eſt allatura, videor mihi illam quàm opportunè tam utiliter, productis per dictas appellationes ſingulas exemplis, hoc loco adſtructurus.

Hæc igitur primùm *Dei* appellatæ exempla ſunto: *Deus manifeſtè veniet,* Pſal. 49. ver. 4. Item Pſal. 67. ver. 27. *Viderunt ingreſſus tuos, Deus, ingreſſus regis mei, Dei mei, qui eſt in Sancto.* Item Pſal. 97. ver. 8. *Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.* Enimverò Deus manifeſtè veniſſe aut viſus, caro nondum factus, locis illis planè intelligi non poteſt: poteſt Arca fœderis, imò verò ſecundùm literam & hiſtoricè planè debet. Tunc utique advenire & ingredi ab omnibus finibus terræ in urbem viſa, quando magna cum Iſraelis univerſi celebritate & lætitia ab ipſo hoc rege de Cariathiarim advecta eſt. Quomodo autem ab omnibus finibus terræ? De terra Iſraelis & ejus finibus reſtrictè hoc illic intelligendum eſt. Quemadmodum aliàs etiam non infrequenter. Ut cùm Rex idem David, nondum Rex, de exilio ſuo in deſerto Idumææ, perſequente eum Saule, loquens, dicit, *A finibus terræ ad te clamavi cùm anxiaretur cor meum,* Pſal. 60. ver. 2. Viderunt autem *ſalutare* & *ingreſſus Dei,* non ipſi re verâ fines omnes terræ Iſrael, per quos omnes deduci Arca fœderis non potuit, ſed convocatus ab omnibus finibus terræ univerſus Iſrael. *Congregavit ergò David cunctum Iſrael à Sihor Ægypti, uſque dum egrediaris Emath, ut adducerent arcam Dei de Cariathiarim,* 1 Paral. 13. 5. Addam & aliud regis ejuſdem exemplum omnium minimè dubium vel ambiguum: ut quidem Janotius Manertus ex Hebræo Latinè reddidit. Non multis ille quidem bene adhuc notus

Pſalmorum

Psalmorum interpres, quia nondum in lucem editus: sed quem putem vel ab loci hujus solius consideratione & argumento viros doctos minimè contemnendum judicaturos. Hanc quam dico ejus versionem ac, ni fallor, ipsum versionis archetypum, in membrana tenuissima scitissimè descriptum, & Alphonso Arragonum Regi clarissimo, ut ibi vocatur, dedicatum, vir eximius Christophorus Assonvillius, sacri utriusque Consistorii Belgici Senator primarius, mihi utendum dedit. Hoc igitur è versione illa quod dico exemplum est, *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei, coram Deo psallam tibi*, Psal. 137. ver. 1. Quòd ibi enim Deum alloquens Rex David, se psalturum coram Deo dicit, planè coram Arca federis, de qua vox *Elohim* in Hebræo ibi quoque usurpatur, se psalturum polliceri intelligendus est. Eâdem nempe formâ quâ loco alio apud eundem scriptum legimus, *Dominus de cœlo prospexit super Filios hominum, ut videat si est intelligens, aut requirens Deum*, Psal. 13. ver. 2. Nam & hoc de Arca federis requirenda intelligendum esse paulò pòst ostendemus. Sic itaque eodémque sensu dixit David, *se psalturum ante Deum*, pro eo quod *ante arcam*, quo in præmemoratæ translationis tam solennis dictæ arcæ de Cariathiarim historia, de eo similiter scriptum est, quòd universus Israel *Ludebant coram Deo omni virtute in canticis, &c.* 1 Par. 13. ver. 8. pro eo quod *coram arca*.

Ad proximam Filii Dei appellationem venio ab eadem quâ dixi ratione Arcæ attributam. Ea *Jehova* est, pro quo nomine *Dominum* perpetuò reddiderunt Interpretes. Hujus exempla in libris Legis omnibus, præcipuè in Levitico, satis multa occurrunt: hanc interpretationem ferè recipientibus locis illis, in quibus aliquid *Coram Domino* (Heb. *Jehova*,) faciundum præscribitur, vel factum memoratur. Ut dum jubetur sacerdos *Immolare agnum coram Domino*, dum *orare & deprecari* (sup. *Deum*) *coram Domino*, dúmque *Aaron ponere lucernas à vespere usque in manè coram Domino*, Item dum *altare* esse dicitur *coram Domino*. [Levit. 14. ver. 11. & 15. ver. 15. Num. 15. ver. 28. Exod. 27. ver. 20. Levit. 24. ver. 2. & 16. 18.]

Verùm quid si in Gentibus quoque, imò & inter hostes, Arcam federis & *Deum*, & *Jehovam* aliquando vocatam ostendam? Tametsi sic vocandæ alia haud dubiè eorum ratio fuit. Quòd quomodo ipsi deos manufactos colebant, ità ab Hebræis Arcam federis & ipsam manufactam pro Deo coli adoraríque putarent, cùm Dominum in decore sancto adorare eos viderent, 1 Paral. 16. ver. 29. Hoc sensu, cùm allata ea esset de Silo in castra, exclamasse Philisthini leguntur, *Venisse Deum in castra*, 1 Reg. 4. ver. 7. Sed hoc quidem vetus est, nec perceptu difficile: Illud minùs evidens, & puto hactenus inobservatum, eandem ab hostibus aliis *Jehovam* etiam vocatam. De Chaldæis loquor, qui in Urbis sanctæ & Templi excidio sic profectò appellabant, dum purgare se, suæque crudelitatis invidiam & odium in captivos ipsos cives regerere contendunt; perinde ac si non à se, verùm à Deo, in cujus Legem commississent, tanta clades suo merito eis obvenisset, verbis illis, Jer. 50. ver. 7. *Et hostes dixerunt, Non peccavimus, pro eo quòd peccaverunt Domino* (Heb. *Jehovæ*) *decori Justitiæ*; sive, ut Pagnini versio est, cui consentit Chaldaicus Interpres & recentiores alii, *Domino habitaculo* (nonnulli *domicilio*) *Justitiæ*.

Hoc loco enim utrolibeat modo eum legas, qui *Jehova* vocetur Arcam federis esse, Deum Hebræorum à Chaldæis creditam, insignis ejus veluti periphrasis simul addita satis evincit. Sive enim *decus*, vel *decor Justitiæ*, ut habet Vulgaris versio, legatur; aliàs etiam *decorem* simpliciter, & *decorem sanctum* dici eam notum est: *Dominus regnavit, decorem indutus est*, Psal. 92. ver. 1. Item, *Ex Sion species decoris ejus*, Psal. 49. ver. 1. Item, *Adorate Dominum in decore sancto*, 1 Par. 17. ver. 7. Addita porrò vox *Justitiæ* magis etiam hoc evincit. Est ibi enim Justitia Decalogus vel Lex Dei, cujus in ea inclusæ ipsa tota auro mundissimo intus & foris resplendens (unde & *splendoris* vocabulo designari eadem solebat, *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos*, Psal. 89. ver. 17.) magnum ornamentum, decus decórque erat. Sive *habitaculum Justitiæ* legamus, in qua versione unanimis cæterorum Interpretum consensio est, magìs etiam in eam id quadrat, quia *Justitia*, id est Legi Dei eidem in ea inclusæ, ut dixi, ipsa veluti pro *habitaculo* & *domicilio erat*.

Sic certè à Davide quoque in Psalmis vocatam magna dudum mihi suspicio est. Ut videantur Chaldæi quòd sic appellarent, non à se, sed ab Hebræis ipsis habuisse: qui & ipsi tantò antea sic vocare consuevissent. In hanc autem suspicionem primùm veni Pagnino duce. Quamvìs ille, cujus rei percipiendæ mihi occasionem præbuit, eam ipse non perceperit, dum ex Vulgari versione Psalmi verticulum sic legi solitum, *Justitia & judicium correctio sedis ejus*, sic ex Hebræo verbo ad verbum transtulit, *Justitia & judicium habitaculum sedis ejus*. (Psal. 96. ver. 2.) Hâc enim traductione ipsa quidem vera Regis verba, non tamen veram regis & mentem, nec omnino commodam ullam sententiam expressisse mihi ille videtur: cujusmodi ex iisdem verbis, mutatis solummodo casibus (ut Hebræa ferunt, cùm in ea lingua nulli sint casus) summè Chaldæorum verbis consentanea, veréque Davidica educi hæc potest; *Justitiæ & judicii habitaculum sedes ejus*. Sic igitur Arcam federis *sedem* Dei *sanctam*, multis Psalmorum locis celebratam, similiter *habitaculum justitiæ* à Davide vocari clarum est. Quòd eam autem Chaldæi Deum Hebræorum esse existimantes, quomodo veteres quoque illi Philistini, etiam *Jehovam* ipsum putarent appellarénque, fuisse ea videtur gregalium agrestiorúmque tantùm militum, non autem paulò honestiorum, nec omnino Magnatum, tam crassa de Deo Hebræorum opinio. Quam Jeremias postquam præmisit, *Et hostes eorum dixerunt*, ipsis eorundem verbis expressam ibi voluerit. Cùm enim moris ejus esse testetur B. Hieronymus, (Comment. in Abdiam) quando contra Babylonem vicinásque alias gentes loquitur, servare idioma provinciarum, quantò magìs si quid novi & singulare esset quod sentirent, expresserit? Nam Nabuzardanum certè militiæ principem dictam calamitatem ad eandem causam læsi Jehovæ, citra militare illud additamentum, *Habitaculum justitiæ* appellantium, referentem hoc modo alibi inducit, (Jerem. 40. ver. 3.) *Dominus (Jehova) Deus tuus locutus est malum hoc super locum istum, & adduxit, & fecit sicut locutus est: quia peccastis Domino (Jehova) & non audistis vocem ejus*.

Tertiò, Arcam *Nomen Jehovæ* vocatam diximus: quæ præmissis *Elohim* & *Jehova*, duabus appellationibus etiam Patri, & Spiritui sancto communibus exsistentibus, restrictior Filii Dei appellatio est, toto Psalmorum opere decantatissima. Sic vocatæ exempla sunt, *Non facietis ità Domino Deo vestro, sed ad locum quem elegerit Dominus Deus vester, ut ponat nomen suum ibi, & habitet in eo, venietis*, &c. Deut. 12. 5: Est enim hoc loco, *Ut ponat nomen suum ibi*, idem quod *ut ponat arcam federis*. Cujusmodi apud Jeremiam 7. 12. & illud est, *Ite ad locum meum in Silo, ubi habitavit Nomen meum à principio*. Item & illud è libro Josue, 7. 9. *Heu, Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes? Audient Chananæi & omnes habitatores terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum: Et quid facies magno Nomini tuo?* Est enim hîc quoque, *magno Nomini tuo*, idem quòd *Arcæ federis*. Nimirum solicitus erat Josue, si Hebræos à vicinis illis gentibus opprimi contingeret, quid de Arca federis futurum esset, quóve illa deveniret: non utique de Nomine Dei ipso vero, sícque propriè appellato, qui Spiritus, imò Deus cùm esset, extra teli jactum, quod dici solet, constituto, non erat cur timeret.

Faciem Jehovæ postremò dictam posui. Quæ, ut immediatè

mediatè præcedens, in filium Dei ſolum appellatio cadit, veram Patris faciem. Sic appellatæ exempla ſunt; *Dedit ergò Sacerdos ſanctificatum panem: neque enim erat illic panis, niſi tantùm panes propoſitionis, qui ſublati fuerant à Facie Domini, ut ponerentur panes calidi,* (2 Reg. 21. v. 6. Num. 4. ver. 7. & 8. ver. 2.) Erant autem hi *panes propoſitionis* poſiti in menſa, quæ ab ea re *menſa propoſitionis*, & *menſa panum* dicebatur, ante Arcam collocata: unde & *ſublati à Facie Domini* ibi dicuntur, hoc eſt, ab adverſo Arcæ. Cujus loci argumento conſentaneum eſt quod alibi de iiſdem panibus ſcriptum eſt, ſuper dictam menſam poni juſſis, *Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper,* (Exod. 25. ver. 32.) magis fortè ad Moſis mentem appoſitè verti potuiſſe, *Ante faciem meam ſemper.* Quod idem rurſum de locis aliis quamplurimis Verſionis vulgaris, in quibus factum aliquid memoretur in conſpectu Domini, ſtatuendum puto. De iis autem nominatim in quibus *Apparere, Stare, Mactare, Offerre, Comedere, Epulari, Pſallere,* & ſimilia plura, *in conſpectu Domini.* Verſiculus quoq; ille Davidicus, Pſal. 115. ver. 15. *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus,* Jeremiâ interprete, longéque aliam quàm vulgò ſolet ſignificationem ei tribuente, hanc interpretationem ſibi vendicat: *Pretioſa* enim *mors,* ex Jeremiæ interpretatione, rara & infrequens intelligenda eſt, receptâ apud Hebræos hujus vocis ſignificatione; quia quò quid pretioſius eò eſt rarius. Hoc ſenſu *pretioſum fuiſſe ſermonem Domini in diebus* Heli pontificis ſcriptum eſt: id eſt, raram prophetiam. Sanctos autem Domini, *Mors ſanctorum ejus,* de Sacerdotibus & Levitis explicat Jeremias, *Faciei Domini,* hoc eſt, Arcæ federis, miniſtrantibus, & quamdiu ſanctè miniſtrent, nulli periculo mortis violentæ futuris obnoxiis. Sunt hæc Jeremiæ verba, in eum quem dixi ſenſum verſiculum illum Davidicum veluti explicantis, *Et de Sacerdotibus & Levitis non peribit vir à facie meâ, qui offerat holocauſtomata, & incendat ſacrificium, & cædat victimas omnibus diebus,* Jer. 33. ver. 18.

Hujus generis exempla duo præterea afferã, quia obſervationis minimè contemnendæ materiam mihi ſuggeſtura. Prius rurſum è Pſalmis eſt, Pſal. 140. ver. 2. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo.* Hoc enim loco pro, *In conſpectu tuo* legendum rurſum, *ante Faciem tuam,* præſupponens, pergo hâc voce Arcam federis deſignatam credere, ante quam orationem ſuam dirigi David Rex velit. Verùm an ante Faciem Dei, ſive Arcam federis manufactam illam & legalem? Minimè gentium. Quem enim orationis ſuæ fructum ſperare indè potuiſſet? At verò ante cœleſtem; de qua in Apocalypſi ſcriptum eſt, *Et apertum eſt templum Dei in cœlo, & viſa eſt arca Teſtamenti ejus in templo ejus,* Apoc. 11. ver. 19. Ante quam demum orationes ſanctorum ab Angelis diriguntur recitantúrque. Unde illud ex libro Tobiæ ſummè huc pertinens; quia ibi quoque *in conſpectu Domini* poſitum putem pro *ante Faciem Domini, Et miſſus eſt Angelus Domini ſanctus Raphael, ut curaret ambos, quorum uno tempore ſunt orationes in conſpectu Domini recitatæ.* Verùm cur igitur in pſalmo additum, *Sicut incenſum?* Numquid incenſum ſive thymiama, quod terrenum & materiale erat, coram Arca aut Facie Dei cœleſti adoleri aut dirigi potuit? Imò verò adjuvanda ſupplendáque comparatio iſta eſt, membro altero alioquin debilis & manca. Ut velit Rex ſanctiſſimus orationem ſuam coram Facie Dei ſive Arca teſtamenti cœleſti dirigi, quo modo incenſum ſolet coram Arca federis legali. Incenſum, inquam, quod ex alio Apocalypſis loco orationes ſanctorũ ſymbolicè referre notum eſt, *Habentes phialas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum,* Apoc. 8. ver. 8. coram Arca federis legali, Arcam federis ſive Faciem Dei cœleſtem, (coram qua demum orationes ſanctorum dirigendæ ſunt) analogicè referente.

Fit hæc autem manifeſtior multò tum faciei Dei pro Arca federis uſurpatæ appellatio, tum præmemorata Arcæ legalis ad cœleſtem analogia, ex loco Apoſtoli, epiſtolâ ad Hebræos, comparationem haud longè à præmiſſa illa Pſalmi diſſimilem continente, *Non enim in manufacta Sancta* Jesus *intravit, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis,* Heb. 9. ver. 24. Hîc enim primùm comparat Apoſtolus, ut manufacta Sancta ſanctorum (tabernaculi nempe vel Templi legalis) cum cœlo, aut potiùs cum Sanctis ſanctorum templi cœleſtis; de quo in Apocalypſi paulò antè ſcriptum retulimus, *Et apertum eſt Templum Dei in cœlo:* quæ Sancta ſanctorum cœleſtia Davidi fortè *ſummum cœlum,* A SUMMO CŒLO EGRESSIO EJUS, Pſal. 18. ver. 7. *& cœlum cœli* eſt, Pſal. 11. ver. 16. ità etiam vultum Dei (receptiùs *Faciem Dei* Latinè vocatam) legalem cum facie Dei, ſive Arca teſtamenti cœleſti, eodem Apocalypſis loco commemorata, *Et viſa eſt arca teſtamenti ejus in templo ejus,* coram qua Jeſum Sacerdotem æternum, cœleſtia illa Sancta ſemel in perpetuum ingreſſum, nunc apparere pro nobis teſtetur: quo modo Sacerdos legalis (hoc enim ad abſolvendam omnibus partibus comparationem ſupplendum eſt) ſemel quotannis Sancta ſanctorum manufacta ingrediens, ſolebat apparere vultui vel Faciei Dei legali, id eſt coram Arca federis, pro populo Judaico.

Eſt autem ejuſdem Arcæ ſive Faciei Dei legalis & altera analogia ſimilis cum Facie Dei Euangelica ſive Arca novi teſtamenti, cujus illa erat typus. Quam ſit mihi religio, rei maximæ argumentum cumprimis illuſtre continentem, diutiùs inobſervatam relinquere. Hanc è Davidis duobus Pſalmorum locis, & Eſaiæ uno eruo. Davidicorum prior eſt, Pſal. 21. ver. 28. *Reminiſcentur, & convertentur ad Dominum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpectu ejus univerſæ familiæ gentium.* Alter autem iſte, Pſal. 85. ver. 9. in eandem ſententiam, *Omnes gentes quaſcunque feciſti venient, & adorabunt coram te, Domine.* Hoc enim loco utroque (quod per me ipſe jam antè conjectaveram, conſulto poſtea doctiſſimo Buchæro verum eſſe confirmatus ſum) pro, *In conſpectu ejus,* & *coram te,* in Hebræo, *ante Faciem ejus*; &, *ante faciem tuam,* legi, quomodo & vetus Interpres apud Eſaiam vertit, loco quem ſum tertium de Facie Domini Euangelica loquentem pollicitus. Qui talis eſt, è dicti Prophetæ capite ultimo, quod magna ex parte in explicandis futuræ Eccleſiæ Chriſtianæ laudibus & gentium vocatione impenditur, *Veniet omnis caro, ut adoret coram Facie mea, dicit Dominus,* Eſa. 66. ver. 23. His autem locis conſimilibus tribus imprimis notandum eſt, *venturas omnes gentes,* & *omnem carnem* dici, *ut adoret,* &c. Ex quo intelligamus localem futuram fuiſſe dictam Arcam Euangelicam. Ad quam utique, quomodo olim ad legalem de cunctis tribubus Iſrael, *quærentibus Iſraelitis Faciem Dei Jacob,* ità poſtea de univerſis tribubus terræ veniretur, & coram qua adoraretur. Coram, inquam, ut intelligeretur Faciei Dei ejuſdem Euangelicæ adorandæ præſentia & propinquitas. Hoc enim differre arbitror *adorare* vel *deprecari Faciem Domini,* & *adorare coram Facie Domini* (utrumque enim in Scriptura legitur) quòd *adorare coram Facie Domini* propriè dicerentur qui in templo Faciem Dei præſentem præſentes adorarent: *Faciem* autem *Domini adorare* illi etiam dici poſſent, qui vel peregre profecti, vel in exſilio & captivitate detenti, longiſſimè abeſſent, ſi vultu & manibus ad urbem ſanctam & templum, in quo illa erat, obverſis elevatíſque adorarent: quomodo Danielem de Suſis, Saram autem virginem de Rages civitatibus Medorum adoraſſe notum eſt. Sunt hæc ejus ſententiæ, dictæ virginis verba, *Ad te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos erigo,* Tob. 3. ver. 15. Eſt ibi enim *Ad te,* idem quod *ad Arcam federis,* aut locum & regionem versùs ubi ea erat. Sic itaque à viro Dei miſſo de Juda ad increpandum Jeroboamũ ſacrificantẽ etiam factum intelligi debet: cùm rogante eum dicto Jeroboamo, & dicente, *Deprecare pro me Faciem Domini Dei tui,* de eo additum eſt, *Oravítque vir Dei Faciem Domini, & reverſa eſt manus regis ad eum,* 3 Reg. 13. 6. Sicq; & à Joacha Rege, cùm de eo ſimiliter ſcriptum eſt, *Deprecatus eſt autem Joachas Faciem Domini Dei, & exaudivit eum Dominus,* 4 Reg. 13. 4. Longiſſimè nimirum à templo locis diſſiti, ut mea quidem opinio eſt, uterq; obverſo ad Sancta vultu Faciem Dei deprecatus fuiſſe intelligendus eſt: Prior de Bethelis, alter de Samaria.

Rem profectò dictu miram, & obſervatione digniſſimam, Cùm ſcirent Hebræi Deo ſuam eſſe ſedem ſanctam alteram in cœlo, alteram in templo, vel à Rege ſuo Davide edocti, à quo *occulta ſapientiæ Dei manifeſta habente*, Pſal. 50.8. & *univerſa opera exemplaris intelligente*, 1 Par. 28.19. (erat enim prior cœlica illa ſedes prototypum alterius exemplar) ſcriptum meminiſſent, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus*, Pſal. 10.4. hoc, inquam, Hebræi cùm ſcirent, minimè tamen in cœlo ſed in templo eum requiſiviſſe; ſanctiúſque & religioſiùs in templo eum adorare quàm in cœlo, aut potiùs quàm de terra in cœlum ſuſpicientes, exiſtimaſſe. Facimus idem Catholici etiam nos, idémq; ſentimus: ipſámq; Faciem Dei veram Chriſtum cùm ſedere à dextris Dei in cœlo tam aſſiduâ ſymboli Apoſtolici in Eccleſia repetitione indubitanter fateamur, firmiſſiméque credamus; quotidie tamen in Arca federis Euangelica, præmemoratis tam illuſtribus vaticiniis nobis promiſſa, ac tandem per Chriſtum, novum Beſeleelem, *impletum ſpiritu Dei, ſapientiâ, & ſcientiâ in omni opere*, (Exod. 31. 3.) ſingulari artificio confecta & exhibita, præſentem coràm in templo adorare religioſiùs ducimus, ſic perpetuò factum faciundúmque, à communibus cùm noſtris, tum eorum ipſorum qui à conſortio noſtro volentes receſſerunt, & hæc reprehendunt, majoribus edocti; dicente Sancto Auguſtino in Pſal. 90. NEMO AUTEM CARNEM ILLAM MANDUCAT (*quam Chriſtus de carne Mariæ accepit, & in qua hîc ambulavit*, ut ibidem præmittitur) NISI PRIUS ADORAVERIT. Sunt itaq; loci illi memorabiles, ut qui maximè, ac vel auro, vel ſi quid auro nobilius precioſiúſque eſt, ſubnotandi; qui Catholicam carnis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, verâ promiſſâ illâ à Prophetis Facie Dei, adorationem, cum *Nominis Domini*, id eſt, Filii Dei, glorificatione conjunctam, *Et glorificabunt Nomen tuum, Domine*, tam robuſtè confirment, ut quid adverſùm dici aut ſtare valeat non videam.

Harum porrò quatuor appellationum pro arca federis ſynonymia mirum quàm ab locorum Scripturæ variorum, in quibus indifferenter nullâque diſtinctione hoc ſenſu illæ uſurpantur, collatione pulcre eluceſcat. Cujuſmodi aliquot, ſive exempli cauſâ, ſive ut obſervationem hanc, quia novam adhuc & hactenus meâ ſolius, debili certè & infirmâ autoritate nitentem, magis confirmem, in medium afferam. Et quidem ejuſmodi, cùm plura ſuppetant, & multitudo electionem permittat, in quibus quatuor eadem ſynonyma uni eidémque verbo, in eandem ſignificationem jungantur. Qualia ſunt, *Requirere Deum (Elohim;) Requirere Dominum (Jehovam;) Requirere Nomen Domini*; *Requirere Faciem Domini*: in ſignificationem dictæ Arcæ, religioſè à piis adeundæ & frequentandæ. Primi ſynonymi exemplum eſt, *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, ut videat ſi ſit intelligens, aut requirens Deum*, Pſal. 13.2. Secundi autem, *Quarite Dominum & confirmamini*, Pſal. 104. 5. (pro *& confirmamini* liber Paralipomenon, 1 Par. 16.11. Pſalmo eodem ibi repetito, habet, *Et virtutem ejus*: quo eodem vocabulo Arca federis etiam deſignabatur, ut alterius Pſalmi loco illo, *Sic in Sancto apparui, ut viderem virtutem tuam*, Pſal. 62.3.) Item, *Inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono*, Pſal. 33.11. Tertii porrò, *Imple facies eorum ignominiâ, ut quærant Nomen tuum, Domine*, Pſal. 82. 17. Quarti denique, quod omnium frequentiſſimum eſt, Pſal. 23.6. *Hæc eſt generatio quærentium eum, quærentium Faciem Dei Jacob*. Item Pſal. 26.8. *Faciem tuam, Domine, requiram*. Item Pſal. 104.4. *Quarite Faciem ejus ſemper*.

Hîc majus aliud obſervandum, horum Synonymorum vice poſitum nonnunquam etiam videri pronomen ſubſtantivum, modò primæ perſonæ, ut 3 Reg. 9.3. *Dixítque Dominus ad Salomonem, Exaudivi orationem tuam, quam deprecatus es coram me*. Item Jer. 15.1. *Si ſteterint Moyſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*. Modò ſecundæ, ut in oratione Saræ virginis paulò antè laudata è libro Tobiæ cap. 3. v. 15. *Ad te, Domine, faciem meam converto, ad te oculos meos erigo*. Ut ſit his quoque locis *Coram me*, idem quod *coram Arca federis*; & *Ad te*, idem quod *ad Arcam federis*. Verùm poſtquam hæc ſcripſiſſem, Buchærum meum in congreſſu ſciſcitatus, didici horum locorum trium productione non ſatis quod dicebam probari, cùm textus ſacer Hebraicus prioribus illorum duobus minimè habeat *Coram me*, ſed *coram facie mea*, ut magis exempla illa pertineant ad præmiſſum capitis hujus locum, de *Faciei Domini* vocabulo in ſignificationem Arcæ federis uſurpato. Tertio autem producto exemplo è libro Tobiæ, ſciri non poſſit quomodo Hebræa habeant, cùm ea non exſtent. Verùm commodùm accidit, cùm exemplum tandem etiam quartum produxiſſem, ut illo ſaltem quod dixeram confirmari, pronoménq; poſſeſſivum verè ibi in Hebræo eſſe fateretur, nec pro Arca federis uſurpari diffiteretur. Eſt illud autem è Propheta Amos, quo loco decem Tribus à Vitulis & Excelſis Samariæ revocare ſtudens, dicit primùm in perſona Dei, pronomen quod dixi, quóq; dixi modo, pro Arca uſurpans, *Quærite me*. Ac mox veluti pervidens Deus quid reſponſurus eſſet populus, nimirum ſe tametſi quo velit loco, utique ad Arcam federis, quam verbis illis ſibi inſinuari intelligebant, non quærerent, tamen locis aliis quærere, in Bethelis, in Galgala & Berſabee, excelſis nobiliſſimis, ac Deo aliquando gratiſſimis, ſubjungit immediatè, *Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare, & in Berſabee non tranſibitis*. Quia loca illa tunc ſchiſmatica devenerant, & religioni improbatæ ſerviebant. Ac deinde quo velit loco quæſitum rurſus indicans, addit conſequenter, ſecundo expreſſo ſynonymo, *Quærite Dominum (Jehovam) & vivite*, ſive (ut in Hebræo eſſe audio) *& vivetis*. Verbo hoc & hâc formulâ à populari & recepto ſuo uſu eam vim habente, ut non ſimpliciter & indeterminatè quærendum Dominum ſignificaret, verumetiam locum in quo quærendus is eſſet, ſimul inſinuaret: quem præmemoratis excelſis ſchiſmaticis opponat, ac præferendum ducat, nempe ad Arcam federis, hâc voce in myſterio ſignificatam, cui, ut ſedi ſanctæ, ſive throno Jehovæ exiſtenti, ſimul Eccleſiæ ſedes alligata erat. Et maximè quidem eam vim ut haberet obtinuiſſe arbitror jam ab eo tempore, cùm Iſrael nondum *ſciſſus à domo David, ſeparatúſq; à Domino*, (4 Reg. 17.21.) ter quotannis de locis ſuis Jeroſolymam aſcendens Dominum requirebat. Quo loco *ſeparatum à Domino* Iſraelem rurſum dictum agnoſce, pro eo quòd *ab Arca federis*, & omnino à loco quem elegerat Dominus, ut habitaret, & poneret Nomen ſuum ibi.

Certè ſynonyma hæc (ut ſic vocare pergam) in formula illa hoc modo indifferenter aſſumpta, verè de Arca federis intelligenda eſſe hoc magis confirmor, quòd Rex idem David, quem unicum ferè tot exemplorum illorum autorem habeo, alibi in eandem formulam omiſſis dictis ſynonymis, Arcam ipſam aſſumat: abunde hoc facto, ni fallor, indicans, quoties illa aſſumpſit, de hac cogitantem ſentientémque aſſumpſiſſe. Facit hoc verò in ejus de Cariathiarim advehendæ præmemorata jam ſæpius hiſtoria, dum ait, *Et reducamus arcam Domini Dei noſtri ad nos, non enim requiſivimus eam in diebus Saul*, 1 Par. 13.3. Dicit hoc autem quòd toto, quàm longum fuit, Saulis regno, Samuele in Ramatha urbe ſua habitante, in ejuſdémq; urbis excelſo ſacris operante (niſi quòd per ſingulos annos circuiret Bethel & Galgala & Maſphat, 1 Reg. 7. 16.) Arcâ autem ſacrâ in domo Abinadab in Gabaa privatim habitante, ibid. v. 1. cultus ejus omnis ferè intermiſſus fuiſſet.

Sed jam à paſcuis longiuſculè emanſi ad gregem redeamus. Sin minùs ad gregem armentúmve, certè ad Vitulum. Ut igitur ſermonem à quo huc ſum digreſſus abſolvam; ex iis quæ hoc capite à me dicta ſunt, tam ſententiæ meæ non repugnare clarum eſt uſurpatam à populo vocem *Elohim*, id eſt *Deus*, cùm de promiſſo illo ſigno ſacro ſentirent, ut magis eam confirmet. Quia Arcæ federis, quæ ſignum illud futura erat, non ſolùm

Dei

Dei eadem, verùm ſynonymæ etiam præmemoratæ appellationes ab eadem dictæ promiſſionis origine & cauſa, haud ſecius legantur attributæ.

CAP. III.

Quomodo Aaron induxiſſe peccatum ſuper populum nullo ejus pudore intelligi debeat. Et quæ in vitulo effingendo mens ejus.

VErùm, dicet aliquis, Aaronem de peccato illo maximo purgare pollicitus, eum magis oneras. Dum enim populum purè hactenus peccato illi eximis, quid niſi ſoſidam ejus culpam in Aaronem conjicis? Acuté: ſed neque ab aſſumptione hac (ea eſt tamen eſſe quæ videtur) concluſionis hujus neceſſitas. Enimvero quàm ego populum apertè hactenus, tam Aaronem tacitè purgare intendi: adeóque, ni fallor, & purgavi. Nam ſi populus, quando hac eum cum poſtulatione primùm adortus eſt, nil de religione aut religionis forma à majorum ſuorum ritibus & inſtitutis quàm minimùm diſſentanea cogitavit; aut ſi, quod magis eſt, de ſancto & myſtico religionis ſigno cogitavit; quis obſecro tam amens qui Aaronem, quid rogaretur neutiquam ignorantem, obtruſurum populo volentem ac ſponte exiſtimet, quod vulgò dicitur, pro pane ſcorpionem? aut quod deteſtabiliùs abſurdiúſque etiam multò ſit, pro ſancto & ſalutari Divinitatis ſigno, idolum maximè deforme & horrendum? At tu inquies, Vide homo, amentiæ Davidem nè incuſes, quem ſic exiſtimaſſe quis refragetur, hoc modo ea de re in pſalmo loquentem? Pſal. 105. ver. 20. *Et fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile, & mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum: Oblìti ſunt Deum qui ſalvavit eos*, &c. Quomodo item Moſes in hiſtorici perſona de ſe loquens, *Arripiénſque vitulum quem fecerant, combuſſit*, &c. Quomodo præterea B. Stephanus, concione ad Judæos, Act. 7. ver. 41. *Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulacro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum*, &c. Quomodo denique & Philo, De vita Moſis lib. 3. dum *inconſtantes quoſdam abſentiam Moſis in occaſionem impietatis vertentes, figmenta Ægyptia cœpiſſe amulari* ſcribit, *facto juveneo aureo, ad imitationem animalis ejus regionis ſacratiſſimi*. Uſqueadeo Aaron à nemine quòd vitulum feciſſet inſimulatur: aut ſicubi inſimulatur, reatui certè & peccato, quod ſecutum eſt, in populum ſolum toto rejecto illo, ipſe eximitur. *Percuſſit ergò Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron*, Exod. 32. v. 35. Quinimo hoc ipſo quòd peccatum feciſſet populus, feciſſe & vitulum alibi arguitur: *Peccatum autem veſtrum quod feceratis, nempe vitulum, arripiens*, &c. Deut. 9. ver. 21.

Fecit autem populus, non tunc quidem à tumultûs initio, cùm Deum qui ante ſe præcederet fieri ſibi poſtulavit, quo tempore qualis futurus is eſſet adhuc ignorabat; ſed poſtquam pro Deo illo, quem longè alium futurum fortè opinione conceperat, ſibi vituli ſimulacrum exhiberi vidit. Fecit, inquam, malè de *vitulo comedente fœnum*, ut Davidis verba ſunt, id eſt, animali & bruto, imò & de Api fortè Ægyptiorum Deo, ut Philonis & multorum opinio eſt, malè interpretando, qui ex Aaronis mente talis non eſſet; imò verò ſimilitudo aut potiùs ſymbolum eſſet gloriæ Dei Iſrael (cogit enim me ſermo per anticipationem paucis hîc dicere, quod fuſiùs dicendum pòſt erit.) Unde & à Davide ſignanter dictum, quòd *mutaverint gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli*, &c. *Gloriam* autem *ſuam* dixit, hoc eſt, populi, quam eandem *gloriam Dei* vocare poterat; nam & hoc pacto Rex idem David Arcam federis, & ſuper eam Cherubos, eandem rationem & quam dixi myſticam ſignificationem cum vitulo Aaronio habentes, modò *virtutem populi* vocat, *Et tradidit in captivitatem virtutem eorum*, Pſal. 77. ver. 61. modò *virtutem & gloriam Dei*, *Sic in Sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, & gloriam tuam*, Pſal. 60. ver. 3. Quemadmodum Jeremias, cùm de eadem arca federis & Cherubis ſentiret, ſcripſit, eadem Davidis verba uſurpans, *Populus autem meus mutavit gloriam ſuam in Idolum*, Jer. 2. ver. 11. *In Idolum?* Imò in vitulum quoque, *Samaria* nempe illum ab Oſea appellatum, *In aranearum telas erit vitulus Samaria*, Oſee 8. ver. 6. quem idem Oſee & prophetæ alii Idolo æquiparabant. Quæ ratio fuerit, ut vitulum quem fecerat populus in Horeb cum vitulo Samariæ comparanti, & utrumque pro idolo ducenti, in mentem Jeremiæ venerit quod de priore dixerat Rex David, iiſdem verbis ad alterum transferre. Tranſtulit autem ad quævis idola alia etiam Apoſtolus, Rom. 1. ver. 23. *Mutaverunt*, inquiens, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*: & deinceps, *Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium: & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs quàm Creatori, qui eſt benedictus in ſecula*. Fecit igitur vitulum (ut illuc redeam) non Aaron, ſed populus ad malum proclivis, ad quam ejus proclivitatem Aaron factum refert his ad Moſem verbis, Exod. 32. ver. 22. *Tu autem noſti populum iſtum, quòd pronus ſit ad malum*. Ubi *ad malum* per antonomaſiam de malorum omnium principe & capite dictum, hoc eſt, de idololatria, verſiculo præcedente, *Peccato maximo*, ut quidem Vulgaris habet verſio, appellata.

Hoc itaque idololatriæ in populo initium fuiſſe ſuſpicor. Antea ſiquidem, & omnino ante propoſitum ſimulacrum de idololatria inſimulari nè poſſit, etiam Moſes facit, qui peccatum hoc induxiſſe ſuper populum Aaronem, ea de re acerbè cum eo expoſtulans, teſtetur, *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum?* Exod. 32. ver. 21. Nam ſi, quod dicit Moſes, peccatum hoc maximum induxit primùm ſuper populum Aaron (quod fecit producto ſimulacro) neceſſariò conſequitur, antequam id feciſſet non fuiſſe peccato illi obnoxium populum. Induxit autem illud certè Aaron, verùm nullâ inducendi voluntate, qui populum putaret, quomodo fieri ſibi Deum poſtulans nil à ratione alienum poſtulaſſe videbatur (niſi quòd non tam pietatis ſtudio petebat, quàm privati temporaliſque ſui commodi, ut maturiùs in terram illam lacte manantem deducti, quiete, quam promiſſio illa continebat, fruerentur, *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi*, Exod. 33. ver. 14.) ità eâdem ſignificatione eodémque ſenſu quo ipſe ſimulacrum eis conflaſſet, illud habiturum: ut clariùs libro altero fiet, in quo totius rei hujus geſtæ modum ac ſeriem magis ſpecialiter & deſignatè decurram.

Sic igitur Aaronem facti hujus, imò criminis pudore libero: utique non magis de idolo vituli ſimilitudine conflatâ, neque de Api cogitantem, quàm Moſes de Serapi, quando arcam federis ab ſe ſimiliter procuratam in cultu ſancto populo habendam inſtituit. De Serapi dixi; hoc eſt, de arca in qua mortuus bos Apis collocabatur, ut loci hujus ex Nymphodori Amphipolitani ſententia apud Euſebium Lib. 11. cap. 3. De præp. Evan. interpretatio eſt. Quod ut certiùs conſtet, & fuiſſe non aliud Aaronis in hoc vitulo effingendo quàm quod Moſis poſtea in Cherubis duobus, quos ſuper arcam federis impoſuit, conſilium oſtendam, illud denuo me dicere oportet; cùm ſciret Aaron nil à ſe petere aliud populum, quàm quod à Moſe, ſi vixiſſet, fuiſſe ſe accepturum ſpe & animo conceperat; fuiſſe etiam ejus conſilium aliud nullum, poſtquam ſemel in hac re populo morigerari inſtituit, quàm ut Moſis, quem à Deo raptum ipſe etiam cum optimis opinabatur, partes ſuppleret; & cujuſmodi ſimulacrum Iſraelitis ab eo procurandum exhibendúmque ſi revertiſſet, non erat neſcius, ipſe procuraret. Sic adeò quam fabricandis Cherubis duobus cum Arca rationem, modum & ordinem ſecutus poſtea eſt Moſes, jam tùm prior in uno effingendo (Cherubum quippe fuiſſe vituli figurâ hoc ſimulacrum ſtatuo) occupaſſe Aaron obſervatur, ut imitatus hac in re quodammodo Aaronem, ſic adeò veſtigiis ejus inhærens credi Moſes poſſit. Inprimis exacturus erat aurum à populo vo-

luntarium Moſes: prior Aaron exegit: ſummâque populi liberalitate utrique oblatum, uterque ſimiliter fudit: fuſúmque in conſimilem uſum ſacrorum animalium effingendorum convertit. Denique effictis illis, altare uterque coram eis poſuit. Effictis, inquam, ſecundùm exemplar quod uterque nuper ad gloriæ Dei Iſrael viſionem in monte admiſſus viderat. Hîc enim repetendum fuerit obiter quod libro *De Divinis apparitionibus* quarto, cùm de principum Iſrael viſione agerem, fuſiùs à me expoſitum eſt: juſſos à Deo Moſem, Aaronem, & Aaronis filios, Nadab & Abiu, principes Iſrael, cum ſeptuaginta Senibus, aſcendere in montem ad Dominum, dum ibidē Deum Iſrael vidiſſe Exo. 24. 10. dicuntur, viſam ab eis gloriam Dei Iſrael fuiſſe, quomodo eandem, ſic & ipſe appellans, ſibi etiam viſam teſtatur Ezechiel, cap. 1. vidit & Joannes cap. 4. 6. Deum ſcilicet, quatuor Cherubis, totidem diverſorum animalium ſimilitudinem, Hominis, Leonis, Bovis, & Aquilæ referentibus, medium inſidentem. Id verò unde eruerim, quóve argumento multis jam verum eſſe perſuaſerim, non repeto. Quibus id ſcire curæ erit, ex libro ipſo requirant licebit, brevi in publicum apparituro, ubi fuſiùs id à me pertractatum moneo.

CAP. IV.

Cheruborum ſuper Arcam federis forma quæ fuerit. Humanâ quidem fuiſſe videri quos in Sanctis poſuit Salomon; hos non item: abnuentibus cùm Joſephi in hiſtoria Judaica, tum Moſis in Exodo deſcriptionibus: Item & Davide in Pſalmis. Pſalmorum aliquot loci de Arcæ federis explicatione, & mutuâ ſui collatione illuſtrati.

PORrò cujus ex dictis animalibus quatuor ſimilitudinem effinxerit Aaron, Scriptura expreſſè declarat, nempe Vituli; haud dubiè quin alati ſeu volucris, qualia ſibi viſa animalia illa ſancta præmemorati Ezechiel & Joannes teſtantur. Cujus autem Moſes, quorúmve, non exprimit; generali *Cheruborum* vocabulo ſatis habens duos à Deo exprimi juſſos dicere. Sed neque indicans uniúſne ſolùm generis ex illis duos, an diverſi: quamvis vulgaris, ſed muta (quia ſine auctore) opinio eſt, unius ejuſdémque generis eos fuiſſe. In quo hactenus haud gravatè illi aſſentiar. Verùm non in eo etiam tam facilè, quòd impuberum ſpecie, quales Angeli pingi ſolent, fuiſſe illos opinio eadem vulgaverit. At quâ potiùs?

Hîc mihi, beatiſſime Pater, nominis tui omnino Sanctitate denuo invocatâ opus eſt. Audaciuſculum eſt enim quod meditor, ac niſi tali tantóque audendi auctore, aggredi & invadere quod metuam: Opinionem illam quamvis mutam, ut dixi, nullâque Scripturæ, nullâ Scriptorum vel aſſertione expreſsâ, vel auctoritate ſatis dignâ nitentem, nonnihil tentare & explorare. Scripſit Joſephus (8. Antiq. 2.) quo Antiquitatum ſuarum loco de Cherubis agit à Salomone in ſanctiore illo templi ſacrario poſitis, eorum effigies, quanam ſpecie fuerint, poſſe neminem conjicere vel eloqui. Quod dicere eum arbitror magis elabendi, ut ità dicam, ſermoníſque hujus vitandi ſubterfugiendíque ſtudio, quàm quòd revera non poſſe crederet; quòd hæc talia Hebræis, jam tum quo tempore naſcens adhuc & optimâ conditione eorum erat religio, in uſu ſacrorum fuiſſe gentibus prodere & fateri verecundaretur. Alioquin figurâ illos humanâ fuiſſe cùm ex ipſa eorum deſcriptione ſacra, quæ in utraque Regum hiſtoria eſt, facilè colligas; dum coloſſæâ altitudine (decem utique cubitorum) exſiſtentes, erectos & in pedes ſtantes eos facit, 3 Reg. 6. 23. dúmque facies eis ad domum exteriorem, hoc eſt, in directum verſas tribuit, 2 Paral. 3. 12. tum verò recentiorum, & in his Pagnini, verſiones id apertè evicerint. Quarum quæ Pagnini eſt, pro eo quod Vulgaris habet verſio, *Factos opere ſtatuario, inſtar puerorum factos* dicit: Aliorum, *opere impuberum ſimili.* Quam rationem fuiſſe maximam arbitror, cur Cherubis Moſaicis, cùm illi quales fuiſſent verè demum conjectare difficillimum eſſet, formam & ipſis humanam vulgò tribuerint. Verùm utcunque obſcura ſint quæ vel ſacrarum literarum monumentis, vel in Antiquitatibus à Joſepho prodita ſunt; qui propiùs penitiúſque introſpiciant, opinione illâ rejectâ, facilè, ni fallor, quavis ſpecie aliâ potiùs quàm humanâ fuiſſe illos, ſibi perſuaderi ſinent.

A Joſepho de illis dicturus rurſum ordiar. Is igitur quo loco, hiſtoriæ ſerie poſtulante, quin de eis aliquid diceret effugere non potuit, tam profectò non excuſavit (ut feciſſe poſtea cùm de Salomonicis loqueretur modò audivimus) cujuſmodi fuiſſent conjici aut dici non poſſe; ut contrà ſcire ſe non diſſimulaverit, qui eos ipſe deſcripſerit. At ità verò deſcripſerit, ut potuiſſe, ſi voluiſſet, expreſſiùs apertiúſque nemo dubitet: noluiſſe autem verecundiâ nempe, quâ dixi, prohibitum judices. Hæc ejus illa quam dico deſcriptio eſt, 3 Antiq. v. 6. *Operculo autem ejus* (Arcæ federis) *impoſitæ erant effigies duæ, quas Hebræi Cherubos appellant. Ea ſunt animalia volucria, novâ ſpecie, nec unquam cuiquam hominum viſâ, quæ Moſes in Dei ſolio viderat figurata.* Ex qua deſcriptione tam generaliter hoc modo concepta, quamvis Cherubi Moſaici, cui ſpeciatim animali ſimiles exſtiterint certò ſtatui non poſſit: certiſſimè profectò illud poteſt, tam figurâ humanâ fuiſſe colligi ex ea non poſſe, ut cæterorum animalium quacunque aliâ veriſimiliùs poſſit. Siquidem *animalium* appellationem Latinè, ut & Ζῴων Græcè, (quâ linguâ ſcripſit Joſephus) de hominibus rariſſimè, ac non nih cæteris ſimul animalibus generatim indicandis, de brutis autem uſurpari vulgare & quotidianum eſt. Ut & cùm formâ alicujus ex animalibus aliis belluinâ veriſimiliùs fortè eſſent, tantò plus cauſæ Joſepho fuerit, cur tales exſiſtentes integere & obſcurare, miniméque cujuſmodi fuiſſent prodere voluiſſe exiſtimari poſſit. Formâ utique ejuſmodi ad ſannas & cavillos æmularum gentium magis expoſitâ & patente, quàm ſi humanâ fuiſſent. Cujuſmodi effigies tam non averſabantur dictæ gentes, ut ferè Deorum ſuorum alias non imaginarentur, non agnoſcerent neque effingerent.

Cæterùm quàm ex Cheruborum Salomonicorum ſacra deſcriptione paulò antè repetita, ex eóque ſpeciatim quòd in pedes ſtetiſſe erecti, quódque ad exteriorem domum facies verſas habuiſſe dicti ſunt, humanâ eos ſpecie fuiſſe conſequens eſſe judicavi: tam ea quæ Cheruborum Moſaicorum in Exodo ſacra itidem deſcriptio eſt, alterutrius quadrupedum duorum, qui in animalibus illis ſanctis ſunt, formâ eos veriſimiliùs fuiſſe quàm humanâ facilè pervicerit. Ea eſt hujuſmodi, *Utrumq; latus propitiatorii tegant, expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciántque ſe mutuò, verſis vultibus in propitiatorium, quo operienda eſt arca*, Exod. 25. 20. Incipiam ab eo quod poſteriùs ibi dicitur, habuiſſe vultus in propitiatorium, hoc eſt, deorſum verſos, & quidem cùm ſe mutuò reſpicerent. Quod idem breviùs alibi (Exod. 37. 9.) hoc modo repetitum eſt, *Séque mutuò, & propitiatorium reſpicientes.* Quem ſtatum, ſive habitum dici malis, propriè animalium quadrupedum fuiſſe quis non videt, *Quæ natura* (ut ait Salluſtius, Proœmio in Cōjur. Catil.) *in terram prona finxit?* Cùm ſit è diverſo hominis vultus ſublimis, ſtatus erectus, & *quaſi contemptâ humilitate terra* (Lactantii verba ſunt, Inſtit. lib. 7. cap. 9.) *ad altum nitens.* Quorum utrumq; Poeta pulcre ſimul exprimit notis illis verſibus, Metam. lib. 1.

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, &c.

Jam quòd expanſis alis operuiſſe Oraculum, ſive Propitiatorium ibi dicantur, de ſimilitudine humanâ intelligi quî poſſit planè non video. Enimvero quînam, obſecro, vultum erectum habentes, ut habere mutuò ſe reſpi-

reſpicientes, ſi humanâ ſpecie fuiſſent, oportuit alas ſic ad invicem inflectere potuerint, cùm à tergo eas haberent, ùt Oraculum, quod inter eos medium erat, operirent? In quadrupedibus autem volucribus, hoc eſt, alas habentibus (quarum demum ratione factum conſequens ſit, ut Cherubos Joſephus animalia eſſe novâ ſpecie, neque unquam cuiquam hominum viſâ dixerit: quòd alas natura quadrupedum nulli, ac nè avibus quidem niſi binas, cùm Cherubi quaternas ſenáſque haberent, attribuat) minùs hoc abſurdum aut difficile, quòd vultus in terram verſos cùm haberent, ut dictum eſt, poſſe nemo diffiteatur, alas ſurſum verſùs ab humeris erumpentes in partem anteriorem convertere, iiſdémque ad invicem ſupra caput expanſis Oraculum operire.

Adde quòd corporis humani figura minimè omnium præ ea quæ quadrupedum eſt, ſit vectioni facta aut idonea. Atqui præcipuum Cheruborum miniſterium ad vectionem erat, illis equorum vicem Deo ſungentibus. Ut intelligi ex his locis poteſt; *Qui aſcendis ſuper equos tuos, & quadriga tua ſalvatio*, Abac. 3. ver. 8. Quos enim Propheta ibi *equos* vocat, David *Cherubos* interpretatur, *Aſcendit ſuper Cherubim & volavit*, Pſal. 17. ver. 11. ſive, ut Pagnini verſio eſt, aliquantò ad ſenſum quem dico accedens propiùs, *Et equitavit ſuper Cherubim, & volavit.* Item Pſal. 79. ver. 2. *Qui ſedes ſuper Cherubim manifeſtare coram Ephraim, Benjamin, & Manaſſe.* Repræſentabant autem Cherubos illos vectores cœleſtes manufacti ſuper Arcam Cherubi. Unde nec placet mihi quod dicit Joſephus, Vid ſſe Moſem animalia illa ſancta in ſolio Dei figurata, cùm ſolium Dei eſſent ipſa veriùs, tantúmque non figurata Moſi viſa ſint, ut ſpiritum vitæ habentia, ſéque moventia, quomodo & Ezechieli poſtea, Ezech. 10. ver. 17.

Quid quòd neque Rex David ſpecie humanâ fuiſſe Cherubos credere patitur? Certè dum adverſariis inſultans, idolorum cultoribus, hoc illis facetè objicit, quòd ſimulacra aurea & argentea, quæ pro diis colebant, *Os haberent, & non loquerentur: Oculos, & non viderent: Aures, & non audirent: Nares, & non odorarent: Manus, & non palparent: Pedes, & non ambularent: Guttur, & non clamarent*, Pſal. 103. ver. 45. planè tale aliquid in uſu religionis ſanctæ ſuo tempore in Iſrael non fuiſſe indicat. Alioquin quàm imprudenter hoc gentibus objeciſſet, ad manum quod retorquerent habituris, ſi Cheruborum ſimulacra, quæ & ipſa aurea erant, humanâ haud ſecius ſimilitudine exſtitiſſent? Præſertim cùm & eodem Pſalmi loco de Arca federis proximè ſermo præceſſerit, Cheruborum recordationem ipſis è re natâ ſuggeſturus, ſimiliter os, oculos, aures, nares, manus, pedes, guttur, ſed & alas inſuper in nullo uſu habentium.

Verùm ſermo quem de Arca federis ibidem præcedere dixi, vulgò non ſatis percipitur, propter colon aut interpunctionem, ut mihi quidem videtur, ſupervacaneè adhibitam, ubi nulla eſſe debuit, cùm verſiculum Pſalmi de quo ſentio, ſic uno dictu & ſpiritu legendum ipſa propè clamet ſententia, *Non nobis, Domine, non nobis, ſed Nomini tuo da gloriam ſuper miſericordia tua, & ſuper veritate tua*, Pſa. 113. 1. Fuit ibi enim *Super miſericordia tua, & veritate tua*, idem quod ſuper Arcam federis, in qua *miſericordia & veritas*, id eſt lex, ſive mandata, quæ alio loco, (Pſal. 110. ver. 8.) *facta in veritate & æquitate* dicuntur, incluſa erant: Aut potiùs ſuper Cherubos, ſolium Dei, Arcæ impoſitum. Ad quod idem ſolium Iſaias conſimilibus verbis, de regno Chriſti loquens, manifeſtò reſpicit, Eſa. 16. ver. 5. *Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper eum in veritate, in tabernaculo David.* Certè inter ſynonyma legis & mandatorum, quæ plurima pſalmo CXVIII commemorantur, ſæpiúſque recurrunt, Miſericordia & Veritas ſuum etiam locum obtinent. Tametſi Genebrardum hoc fugerit, neque de hoc genere eſſe illa animadverterit, qui in Notis eorum catalogum texens, cum aliis non recenſuerit.

Hoc igitur ſolium, Cheruborum alis expanſis, miſericordiæ & veritati, hoc eſt, Arcæ federis impoſitum, propriè filii Dei fuit, cui inter alias appellationes *Nomen Domini* vocari contigit, Deut. 28. ver. 58. ut ſuprà oſtendimus. Unde & illud Eſaiæ appoſitè Chriſto tribuit. Erat itaque ſua Nomini Domini ſuper ſolium illud præcipuè gloria. Illi ſuper Arcam, perinde ac currui bellico ac triumphali impoſito inſidens, (nam & Arcam Rex idem David ſic vocat, *Currus Dei decem millibus multiplex*, Pſal. 67. ver. 18.) regno initiatus eſt, hoſtes devicit, victor triumphavit. Ferente totidem his rebus teſtimonium eodem Rege in hæc verba, Pſal. 44. ver. 4, 5, &c. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum, Potentiſſime. Specie tuâ, & pulchritudine tuâ intende proſperè, procede, & regna* (alii *equita*, alii *invehere*, regaliter ſcilicet, ut regno initiantes ac triumphatores ſolent) *ſuper veritatem, manſuetudinem & juſtitiam*; (Sedi tuæ curuli, Arcæ inquam federis, ut alibi dictum eſt, incluſam) *& deducet te mirabiliter dextera tua. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum regis.* Sagittarum hujus loci, ſimul & currûs, ſub *rota* vocabulo Arcam ſanctam deſignantis, in Pſalmo alio, in quo hæc eadem victoria paulò uberiùs tangitur, etiam mentio eſt: *Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt, vox tonitrui tui in rota*, Pſal. 76. ver. 19. Eidem ſolio denique inſidentem ſui eum è diverſo ſub eodem *Nominis Domini* vocabulo adorabant confeſſione & laudibus proſequentes, teſte rurſum eodem Rege, Pſal. 137. ver. 2. *Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor Nomini tuo ſuper miſericordia tua, & veritate tua, quoniam magnificaſti ſuper omne Nomen ſanctum tuum.* Rectè *ſuper miſericordia tua & veritate tua*, in ſignificationem Arcæ ſanctæ: quia ſuper eam demum locus erat ejus invocandi. *Surrexítque David, ut adduceret Arcam Dei ſuper quam invocatum eſt Nomen Domini exercituum ſedentis in Cherubim ſuper eam*, 2 Reg. 6. ver. 2.

Optat itaque Rex David, loco unde digreſſi ſumus, ſuam Nomini Domini ſuper idem ſolium gloriam inviolatam & incorruptam perpetuò manere, *Sed Nomini tuo da gloriam ſuper miſericordia tua & ſuper veritate tua*: Hìc deinde additâ ratione, *Nè dicant gentes*, (ſi ſolitâ illâ gloriâ viderent illud deſtitutum) *Ubi eſt Deus eorum?* Sicut vel inter ipſos Iſraelitas propemodum etiam accidit, quando *tranſlata eſt gloria Domini de Iſrael, quia capta erat Arca Dei.* Atque hinc tandem trahente illuc ſermone, quæ eſſet & quanta Dei Iſrael à diis gentium diſſimilitudo oſtendit, ſimúlque irridendi ſuggillandíque eos occaſionem illam arripit, *Os habent, & non loquentur*, &c. Quæ tamen, ut dixi modò, quàm ſit infirma quis non videt, ſi eadem in Cherubos pari jure retorquendi relinquebatur, patebátque adverſariis locus?

Verùm hâc parte nullus relinquebatur, nullus patebat. Itaque aliud quod retorquerent quærendum illis fuit: ut &, inventu haud difficile, compertum. Improperabant illis Hebræi ſimulacra ad hominum figuram efficta. Ipſi cùm ſimilia Hebræis non poſſent, brutorum ſimilitudines multò abſurdiores magíſque pudendas, ut eis quidem videri potuit, retorſerunt. Brutorum dico, quibus eorum majores in deſerto viæ ducibus uſos eſſe, quorúmque & ideo effigies penetrali conſecraſſe, conſecratáſque etiamnum adorare dixerint. Sed cùm initio veras objectas valdè rationi conſentaneum ſit, eorum Poſteri creſcente fortè odio & calumniandi libidine, ſimúlque in ipſa antiquitate jam obſoletâ calumniæ latebrâ & velo, non veras, at veris certè proximas retorſerunt. Nimirum accommodatius vobis ad jocum & ironiam viſum, O Apion, & tu Tacite, ſeu quicunque vobis dicti hujus auctores ſunt (eſt enim major multò hujus improperii antiquitas) aſinos fuiſſe illos, quàm vitulos aut boves dicere. Atqui ſi iſtud maluiſſetis, haud longè fortè à vero aberraſſetis. Myſteriorum enim religionis ſanctæ ignaris facilè condonari poterat, ſi vitulinâ ſimilitudine volucri Cheruborum effigies, vitulorum fuiſſe eas exiſtimaſſetis, *vitulóſque* appellaſſetis; præſertim ſic appellantibus & ipſis Hebræis quas hujus

generis olim fecerant tum gentis universæ primus Pontifex Aaron in Horeb, tum Rex partis Jeroboamus in Sichem. Adeò certè ut de calumnia vos tantoper arguere, quod facit Josephus, quódque plures alii, fuerit major futura arguentium de vobis, quàm vestra de Judæis calumnia. Profectò de capite asini à Judæis penetrali consecrato, ut loquitur Tacitus, eodémque adorato, ut cæteri, magnum fuisse Veterum consensum, etiam singulare illud Belgicæ nostræ ornamentum J. Lipsius opere magno ad Tacitum annotavit. Ut citra causam vel occasionem magnam aliquam & probabilem id de Judæis tantopere jactatum, non sit valde credibile. Quæ autem possit verisimilior causa, quàm Cheruborum super arcam federis brutorum animalium formâ, auro solido expressorum, & in Sancta, penetrale omnium augustissimum, illatorum, & procidentis coram iis Pontificis, omniúmque in templo adorantium? Quamvis in animalium specie aberraverint, asinos dicentes (sive ille verè error, sive calumnia fuit) quos mihi deinceps institutum vitulos potiùs fuisse, & consequenter nil facere Aaronem intendisse quàm quod postea fecerit Moses, probare.

CAP. V.

Pro similitudinibus Cheruborum belluinis præ humana, non minùs acuta quàm sublimes Dionysii Areopagitæ rationes & considerationes.

COnabor autem primùm novitatis admirationem, quâ præoccupati fortè plerique difficulter id sibi persuaderi sinent, ratione amoliri, per objectionis speciem neutiquam intempestivæ. Roget enim meritò aliquis, Cùm habuerint electionem Aaron & Moses cujus vellent è quatuor animalibus sanctis in Cherubum similitudinem effingendi, cur potiùs ex mea sententia in vitulinæ electionem, omnium maximè deformis & absurdæ, quàm aliorum, atque imprimis hominis consenserint? Imò ob hoc ipsum consensisse, cæterísque in religionis usum præposuisse haud sit à ratione alienum, quòd tales cùm essent minimè omnium viderentur errori & idololatriæ inducendæ idonea aut accommoda; cùm vel iis etiam qui rebus corporeis dediti sunt absurdum & nefas videri debuerit, cœlestes divinásque naturas revera similes esse animali tam bruto & deformi. Nam si humanam similitudinem effinxissent, quam ut nobilissimam magnâ ratione eligere potiùs debuisse videri alioquin posset, majus erat multò de idololatria indè eruptura periculum. Propterea quòd vel cùm Deum cogitatione solùm agitamus, nullâ ejus similitudine oculis propositâ, statim humanam speciem imaginamur. Unde & multò procliviore lapsu in ejusmodi similitudinis effictione quàm ullâ aliâ gentes perpetuò aberrasse observatum est. Dissimiles autem & absurdæ aliorum animalium figuræ, & maximè vitulina, tam non erat cur in errorem homines abducere debuerint, ut contrà in deformibus simulacris animi partem quæ sursum fertur, immorari non sustinentem, ad sacrarum & arcanarum rerum investigationem, de quibus alioquin nè suspectura erat quidem, erecturas, ac veluti deducturas exspectandum fuerit. Quomodo sibi propemodum contigisse Dionysius Areopagita tum iis ferè quibus modò usus sum verbis, tum & iis quæ subjicio ex interpretatione Jozch. Perionii, significantissimè exponit, *Nam nè nos quidem fortasse ex dubitatione ad inquirendum verum, nec ad sensum analogicum accuratâ sacrarum rerum investigatione venissemus, nisi nos deformis Angelorum interpres efficlio excitasset & conturbasset, quæ mentem nostram in figuris absurdis penitus defigi & commorari non sinebat. Sed eam & excitabat ad corporearum perturbationum aspernationem, & assuefaciebat ab iis quæ cernebat, ad cœlestium rerum contemplationem contendere.*

Ridet eos itaque idem Dionysius eodem capite, *qui hæc minimè capientes, simulacrorum dissimiles ejusmodi descriptiones atque picturas improbarent; pudore prohiberi se dicentes, tam deformes figuras naturis quæ & Divinitatem imitentur & sint sanctissimæ, affingere.* Unde & credere fortasse quis posset (addit ipse consequenter) *cœlestia quibusdam leonum, & equorum, animaliumque aliorum cœtibus, laudibus mugientium, avíumque principatu, & hu vilioribus corporibus referta esse.* Vitulos ibi non nominat, sed satis est paulò antè. & primo quidem loco ante animalia cætera nominatos. Cujus rei pulcerrima consideratio est, quæque nil causæ relinquat, cur jam de vituli ab Aarone primùm, ac mox à Mose in Cherubum effingendi electione, præ humana similitudine, tantopere mirari quisquam debeat. Quod cùm de Aarone abunde constet, nunc de Mose superest probandum.

CAP. VI.

E sanctis animalibus quatuor, solum vitulum Ezechielis ævo in Cherubum agnitum: verùm tria reliqua etiam Cherubos esse tandem ipsi revelatum.

NEque verò id factu videtur mihi difficile, Ezechiele apertissimè suffragante & opitulante, dum Cherubum specie aliâ quàm vituli (*bovem* vertit Hieronymus interpres, verùm cùm harum appellationum nulla sit in re diversitas, pergam uti cœpi *vitulum* dicere) suo ævo nullum agnitum indicat. Nam si hâc specie solâ, Cheruborum eandem fuisse illam quis dubitet, quæ Arcæ federis etiam tum superstiti, aut certè incenso templo nuper in montem ab Jeremia delatæ & absconditæ, quâ forma esset neminem tum latere potuit?

Ille igitur postquam sacra animalia quatuor, quæ sibi visa sub Deo Israel capite primo narraverat, initio eo ordine recensuisset, ut primum locum similitudini hominis, secundum leonis, tertium vituli, quartum aquilæ tribueret; novam veluti narrationem capite decimo de iisdem instituens, sic ordinem illum mutat, ut vitulinâ similitudine à tertio loco ad primum revocatâ, solam insuper *Cherubi* vocabulo designet, cæteras consueto suo ordine, solitísque animalium trium nominibus appellet, hoc modo, *Quatuor autem facies habebat unum: facies una facies Cherub, & facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ*, Ezech. 10. ver. 14. Quid istud verò novi? Non erant igitur quatuor hæc animalia totidem Cherubi? Cur *faciem unam*, id est primam, solummodo ità vocat Ezechiel? Nimirum quia nondum id erat tunc vulgò de cæteris cognitum. Ac nec ipsi quidem nisi planè recenter, ac neque tum fortè adhuc cùm id diceret; cùm demum aliquantò pòst id se didicisse subjungat his verbis, *Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israel juxta fluvium Chebar, & intellexi quòd Cherubim essent quatuor*, Ezech. 10. ver. 20. Optima lectio, neque enim vulgò recepta, sed quam veram & genuinam esse nemo inficias iverit. Antea unicum sibi cognitum Cherubum, aut verius unicam formam Cheruborum, eámque vitulinam, abunde significaverat, cùm prima illa facies quæ qualísve esset, Lectori insinuare volens, cùm potuisset *vituli* fuisse eam dicere, quomodo capite primo dixerat, solam nunc ex quatuor illis similitudinibus, discernendæ ejus à cæteris gratiâ, *faciem Cherub* dicere maluit. At se nunc demum intellexisse significat *quia Cherubim essent quatuor*, id est, quòd non solùm similitudo vitulina jamdudum talis habita & cognita, at cæterorum etiam animalium trium, de quibus hoc antea ignorabatur, totidem essent Cherubi. Certè tam manifestus in hanc significationem locus Ezechielis ille est, ut vel sanctus Hieronymus quoque eum exponens, *faciem Cherub* ex Ezechielis sententia fuisse faciem vituli agnoscere & fateri coactus sit. Hier. Comment. ad hunc locum.

Dixi non esse vulgò illam receptam lectionem, quòd vox *quatuor*, quâ claudi versiculum Ezechielis præmemoratum

moratum ſummâ ratione oportuit, quomodo & claudere auſus ſum, eum hic aſcribens, *Et intellexi quòd Cherubim eſſent quatuor*, in textu tam Hebraico quàm Græco Bibliorum tam Complutenſium quàm Regiorum Plantinianorum, & editionum quarumcunque vetuſtiorum quas vidi, ad ſequentis verſiculi initium rejecta ſit: unde tamen tanquam ſuperfluam & abundantem, propter concurſum ejuſdem vocis, ſi relinquatur, bis ibidem repetitæ, quia ſequens verſiculus ab eadem incipiat, *Quatuor vultus uni*, recentiorum editiones aliæ, inter quas & Pagnini, omnino ſuſtulerint; aliæ, in quibus Plantinianæ Doctorum Lovanienſium, ad marginem annotarint; nemine quem viderim ad prædictum verſiculum præcedentem referente, referendúmve atque eidem aſſerendum indicante.

CAP. VII.

Cherubos Moſaicos vitulorum Jeroboamicorum argumento, quos Pſeudocherubos fuiſſe aſſeritur, formâ vitulinâ exſtitiſſe.

SEd jam Ezechielem miſſum facio, argumento magis quæſtioni affini, propiúſque in rem collineante, deinceps quod inſtitui probaturus. Ab iis nempe vitulis ducto, quos Jeroboamus Rex Iſrael ex auro ſimiliter conflatos, Subditis ſuis novis in uſu religionis eſſe ſtatuit. Quandoquidem quam facti & conſilii hujus rationem habuit, apertiſſimè quod volo pervincit. Fuit autem hæc ratio, quòd regnum novum ſtabilire, Subditóſque in officio retinere aliter non poſſe veritus, quàm ſi religione patriâ & ſacrorum uſu, ad ejus formam qui in Juda ſervabatur, domi inſtituto, à frequentandis Jeroſolymis (quò aſcendere & apparere coram Domino omne maſculinum ſolennitatibus tribus celeberrimis ſanctiſſimíſque appellatis, Paſchate, Pentecoſte, & Schenopegiâ ex Lege oportuit, Exod. 23. 17.) averteret: cùm ſolennitates eaſdem inſtituendas (tametſi Scriptura unius ſolùm meminit) tum verò Inſtrumentum omne ſacrum, prout ſingulorum ferebat natura & ratio, maximè verò ſacros illos Cherubos, in vitulis iſtis ut materiâ ità & formâ exprimendos, neceſſarium duxerit. Hoc certè ex hiſtoria ipſa ſacra elicere cuivis perfacile fuerit, ſic illum ſuper ea re cum animo ſuo cogitantem conſultantémque inducente, *Dixítque Jeroboam in corde ſuo, Nunc revertetur regnum ad domum David, ſi aſcenderit populus iſte ut faciat ſacrificia in domo Domini in Jeruſalem. Et convertetur cor populi hujus ad Dominum ſuum Roboam Regem Juda: interficiéntque me, & revertentur ad eum*, 3 Reg. 12. ver. 26. 27. Hæc talia igitur apud ſe diſpicientem, peragrantémque animo & agitantem, narrat conſequenter eadem hiſtoria ver. 28. *Excogitato conſilio feciſſe duos vitulos aureos*; & paulò pòſt, *conſtituiſſe diem ſolennem in menſe octavo, decimâ quintâ die menſis, in ſimilitudinem ſolennitatis quæ celebrabatur in Juda*, v. 32. Hoc autem cùm audimus, cui non facilè ſuboleat quo pacto ſolennitatem quæ celebrabatur in Juda, in regno ſuo, novo huic fini, ut populum ab Jeroſolymis averteret, inſtituendam cenſuit Jeroboamus; Ità myſticum illud inſigne & Oraculum, ad quod Deum Iſrael Cherubis inſidentem, cùm aliàs, tum maximè per ſolennitatum præmemoratarum dies adorare mos fuerit, opere imitari, penéſque ſe eidem uſui habere conſilium ejus fuiſſe? Et conſequenter vitulos aureos duos eidem fini, populo, inquam, ab Jeroſolymitanis profectionibus illis tribus revocando cùm effinxerit, ad ſimilitudinem Cheruborum quos dixi, qui & duo ſimiliter & aurei erant, effinxiſſe? Neque enimvero ullo modo conſentaneum eſt, cætera ritu patrio in religione procurantem, in eo in quo ante omnia convenire debuerit, cùm liberum ei eſſet & adeò nil eum prohiberet, ut contrà ſic faciundum nulla non dictaret ratio perſuaderétque, dico in adorationis objecto, ipſóque veluti religionis apice diſſentire maluiſſe?

At hi vituli, dices, nónne *dii alieni* erant? nónne ſic per os prophetæ à Deo appellati, eos ipſos Jeroboamo in hæc verba exprobrante, *Sed operatus es malè, ſupra omnes qui fuerunt ante te: & feciſti tibi deos alienos, & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares?* Sic verè, inquam, per Ahiam prophetam Deus, 3 Reg. 14. ver. 9. Sed eo ſenſu dictum hoc intelligi oportet, quo quicquid à Dei cultu legitimo diſſentaneum & anorme erat, *dii alieni* dicebantur. Ut *deorum* nomine *alienorum* cultus ipſe potiùs aut religio in ſchiſmate à vero Deo aliena cenſeri exiſtimanda ſit. Neque enimvero deos peregrinos fuiſſe hos verbis illis ſignificari rectè quiſquam ſenſerit. Cujuſmodi ſi inducere in Ephraim Jeroboamo conſtitutum fuiſſet, etiam eorundem ritus & ſacerdotes induxiſſet. Prætereáque cujus gentis dii illi fuiſſent ſimul edidiſſet; quomodo Salomonem nuper obſervatum fuerat coluiſſe Aſtharten deam Sidoniorum, & Moloch idolum Ammonitarum, & Chamos idolum Moabitarum, (3 Reg. 11. ver. 5.) Cujus autem obſecro gentis dii aut idola erant quæ Jeroboamus vitulorum ſpecie, quamvis de cætero ſervatis ſolennitatibus, & conſequenter ceremoniis & ritibus patriis, inducere præſumebat?

Erat Apidis, inquies, Ægyptiorum Dei hoc ſimulacrum. Quoſdam enim ſic opinari non me latet. At animalia Ægyptii, Apin certè, non niſi viva & ſpirantia colebant: eorum imagines pro ſignis hieroglyphicis in ſapientum uſu apud eos perfrequentibus, quàm pro diis libentiùs habituri. Cur igitur ſimulacrum faciebat Jeroboamus, ac non potiùs vivum producebat? Non enim veriſimile eſt, ſi de Api bove cogitaſſet, Ægyptióſque imitari voluiſſet, fuiſſe illo eum aliter quàm ſoliti eſſent Ægyptii in religione uſurum. Rurſum autem ſi Apis erat, cur nomen præter Scripturæ morem idolorum nomina ubique exprimentis perpetuò diſſimulatum? Imò præter Ægyptiorum morem, Apin nunquam *vitulum*, nunquam *bovem*, ut neque Iſidem *vaccam*, Anubin *canem*, ſed nominibus quæ ſacra illis à conſecratione tributa erant, *Apin*, *Iſidem*, *Anubin*, perpetuò appellantium? Quid quòd prophetarum nonnullis, [Oſe. 10. ver. 5] & cum eis Joſepho [lib. 8. Antiq. cap. 3. & lib. 9. cap. 6.] *vacca* & *vitula* ſunt, non *vituli*? Quos ſi audimus jam de Api actum fuerit, ſíque ad Iſidem recurrendum. Quid rurſum cùm unicum Apin perpetuò Ægyptus coluerit, ac niſi illo mortuo de altero aſciſcendo nunquam cogitarit, quòd vitulos duos ſimul conſecravit Jeroboamus, alterum in Bethelis, alterum in Dana colendum? Certè potiùs quàm de Api cogitaſſe putetur duos ſimul conſecrans, crediderim tale quidpiam veriſimiliùs fuiſſe illi in animo propoſitum, cujuſmodi fortè & Corcyreis fuit, cùm boves duos æneos, ut refert Pauſanias, (in Eliacis ſub finem) alterum in Olympia, alterum Delphis dedicarunt. Sed jocari deſino pluráque abſurda ſectari; quorum ſit finis futurus nullus, novis nova alia identidem parturituris pariturúſque.

CAP. VIII.

Jeroboami regis verba, præcipuè autem & mens accuratiùs conſiderata & expenſa.

JEroboami potiùs conſilium conſiliíque rationem denuo accuratiúſque paulò expendamus. *Dixit Jeroboam in corde ſuo, Nunc revertetur regnum ad domum David, ſi aſcenderit populus iſte, ut faciat ſacrificia in domo Domini in Jeruſalem.* Quorſum autem nè aſcenderet populus in Jeruſalem illi metuendum erat? Quia ſic ſolebat Lege & religione obſtrictus: juſſo omni maſculino (ut dixi) ter quotannis apparere coram Domino Exod. 23. 17. Cui verò ſacrificia illa Deo facturus Jeroſolymam aſcenderet? Cùm in domo Domini futura fuiſſe illa audimus, deorum nulli alii profectò niſi ipſi Domino, Heb. *Jehovæ*, Deo ſuo patrio, cujus illa domus. Vera profectò hæc cauſa, verus juſtúſque & metus. Quid autem huic rei Jeroboamus remedii invenit? Ad hoc reſpondet Scriptu-

ra, *Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos.* Si duos Apes, aut ſi magis placet, duo Apidis ſimulacra (ſiquidem unicus Apis, ut dixi modò, ſemper fuit ab Ægyptiis cultus) idonea certè illa populo nè in Ægyptum & Memphin deſcenderet, ad facienda Deo Api ſacrificia dimovendo. Commodiùs utique ea jam in Ephraim facturo, quò recèns ejus ſimulacra in hunc finem tranſlata eſſent. Verùm hoc curæ Jeroboamo non fuit. Neque ab Ægypto aut Memphi populum, ſed ab Juda & Jeroſolymis avertere voluit. Cui rei nihil erant omnino Apidis ſimulacra adjumenti allatura. At erant verò iſti vituli, ſi ad Cheruborum Moſaicorum exemplar, rationem & uſum efficti, illorum recordationem & deſiderium, omnémque quâ ducebatur coram eis majorum exemplo ſacrificandi curam populo adempturi erant. Ut futurum fuiſſe ſpes Regi magna eſſe debuit, populo utique domi in poſterum minore incommodo quàm antea Jeroſolymis ſolebat, coram ipſis in Cheruborum locum ſubrogatis, ſacris operaturo. Si hoc Jeroboamus voluit, certè fraudi in quam incidere verebatur avertendæ nil magis congruum, magíſque conveniens & opportunum velle potuit. At voluiſſe modis pluribus ipſe declaravit. Primùm enim conſtituto die ſolenni (ut ibidem proximè ſequitur) in ſimilitudinem ſolennitatis quæ celebrabatur in Juda. Cur enim ad vitulos diem ſolennem ſolennitati Judaicæ ſimilem addidiſſet, niſi ad eandem religionem pertinuiſſe vitulos intellexiſſet? Deinde cùm productis vitulis populum in concione alloquens, dixit, *Nolite ultrà aſcendere in Jeruſalem* (ſubintelligendùm hîc rurſum quod antè expreſſum eſt, *ut faciatis ſacrificia in domo Domini*, eáque ipſi Domino, Jehovæ, Deo Iſrael) Cur id veró? An quia Deus Ægyptiorum Apis ipſis in poſterum domi ſive in Ephraim adorandus proponeretur? Abſurda profectò ratio, ſacrificandi Deo Iſrael copiam domi pollicentem, conſtituto in eam rem die ſolenni in ſimilitudinem ſolennitatis quæ celebrabatur in Juda, arrectíſque in eam ſpem omnibus, pro illo cultum peregrinum Apidis offerre. Melior autem illa profectò, *Quia ecce Deus tuus Iſrael, qui te eduxit de terra Ægypti.* Non enim hæc verba Apin ſonant, aut de voluntate cultûs Apis promovendi in Jeroboamo ſuſpicionem vel minimam inducunt; ſed Deum Iſrael nominatim & ſonant & loquuntur: quem à ſuis Subditis non ampliùs Jeroſolymis, neque in Juda, regno hoſtili & infenſo, ſed in Ephraim cultum Rex velit. Cultum, inquam, coram ſimulacro myſtico, ſimul cum verborum præmemoratorum prolatione exhibito, quòd ſub vituli volucris ſpecie throni & gloriæ cœleſtis ſignificationem contineri credi volebat: Quomodo coram Arca federis & Cherubis Moſaicis, eandem rationem & ſignificationem myſticam habentibus in Juda colebatur.

Profectò hâc formulâ tam nihil eſt quod Apin deúmve externum alium à Jeroboamo deſignatum perſuadere debeat, ut contrà certum ſit Deum Iſrael verum, excluſis cæteris, ſolum deſignatum. Qui hâc ipſâ formulâ, ſui quandam veluti periphraſim continente, à diis ejuſmodi quibuſcunque diſtinctum ſe olim voluerit, ſéq; adeò & ipſe diſtinxerit, hoc modo in Pſalmo ad Iſraelem loquutus, *Iſrael, ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum. Ego enim ſum Dominus (Jehovà) Deus tuus qui te eduxi de terra Ægypti*, Pſal. 80. 9.

At urgebis quînam intelligi aliter quàm de idolo iſtud poſſit, quod Jeroboamus in vitulos, quos publicè exhibebat, haud dubiè oculos, fortè & manum intendens dicebat, *Ecce dii tui, Iſrael*, &c. Quî poſſit, inquam, hoc aliter quàm de ſimulacris vitulorum ſpeciem habentibus in deos Iſraeli conflatis conſecratíſque accipi? vel ipſo Abiamo rege Juda interprete, qui eos ipſe hoc nomine Iſraeli exprobret. Sunt enim inter alia dicti Regis verba, ad prælium cum Iſraele, ipſóque & Iſraelis Rege Jeroboamo comparantis, & jam appetente prælio, hæc effuſa, *Et habetis grandem populi multitudinem, & vitulos aureos, quos fecit vobis Jeroboam in deos*, 2 Par. 13. ver. 8. Sic rex ille fateor. Sed neque Prophetæ aliter de illis locuti videntur: Oſee *idola* vocat, *Disperdentur excelſa idoli, peccatum Iſrael*, cap. 10. v. 8. Michæas *ſculptilia*, cap. 1. v. 7. Ut omittam quod paulò antè dictum eſt, etiam *deos alienos & conflatiles* per Ahiam appellatos. Et hæc quidem, cùm Iſraelem conſequenter idolorum cultoribus magna cum verborum acerbitate æquipararent; nil ſchiſma eorum ab apoſtaſia, neque prævaricationem contra Legem ab idololatria diſtinguentes. Odioſè omnia ſcilicet, foróque & ſcenæ in qua verſabantur accommodatè & appoſitè. Cùm ſic & hoſtem in prælio hoſtium probra & crimina exacerbare, ſic & Prophetas in vitia deſtomachantes peccata populi in majus attollere, modíque omnibus exaggerare deceret. Iſraele interea forti er reclamante, pollutúmque ſe, id eſt idololatram inficiante, cùm vitulos idolorum numero haberi nollet: idola autem ſe ſectatos negaret. Hoc enim è verbis prophetæ elicio, *Quomodo dicis non ſum polluta, poſt Baalim non aſcendi?* Jer. 2. 23.

Ad Jeroboami autem verba quod attinet, *Hic eſt Deus tuus Iſrael*, &c. quàm curtim & conciſè, tam obſcurè (quod ſequi neceſſe eſt) & implicitè in hiſtoria ſacra expreſſa, interpretatione adjuvanda ſunt, ad Regis mentem, de qua abunde conſtat accommodata. Quandoquidem & fuſiùs dilucidiúſque, ut in concione, ſeipſum regem explicuiſſe, imò verò in re & cauſa perdifficili multa oratoriè & ad rem appoſitè locutum, argumentíſque ad perſuadendum quàm potuit aptiſſimis maximéque probabilibus uſum, dubitari non debet. Ac fortè his quæ ad rem quam agimus ſtabiliendam ſummè accommodata Joſephus ei tribuit, hoc modo conventu decem tribuum indicto pro concione loquentem inducens, 8. Antiq. 3. *Viri populares, notum vobis exiſtimo, quòd nullus locus Deo eſt vacuus, & quòd is certo nullo loco includitur: ſed ubique vota exaudit, ubique cultores ſuos reſpicit. Quare non placet mihi hoc tempore vos Jeroſolyma, urbem infenſam, longo itinere proficiſci religionis ergò. Homo illud templum ſtatuit: quemadmodum & ego duas vitulas aureas conſecravi, alteram in Bethelis, alteram in Dana: Ut pro locorum opportunitate ex propinquioribus opidis ad eas confluentes, rite Deum adoretis. Nec deerunt ſacerdotes & Levita, ex vobis per me deſignati, nequid Leviticam tribum & Aaronis progeniem deſideretis. Ergò quicunque ex vobis ſacerdotium ambit, vitulum & arietem Deo mactet: quo ritu ferunt etiam primum ſacerdotem Aaronem creatum.* Hæc in Jeroboami perſona Joſephus, qui deinde regem quæ locutus fuerat opere exſequentem, ſéque ipſum facto meliùs quàm verbis explicantem inducit, ſubjungens, *Porrò appetente jam ſeptimi menſis ſolennitate, volens & ipſe apud Bethela eam celebrare, ſicut à duabus tribubus Jeroſolymis celebrabatur, ante vitulum altare poſuit, móxque aſſumptâ Pontificii perſonâ cum ſuis ſacerdotibus ad illud aſcendit.*

Macte, fili Matthiæ, vidiſti profectò tu in his tenebris, non ſolùm (quod initio dicebam) ſupra vulgus aliquid: verùm quod res erat haud dubiè pervidiſti. Tametſi apertè gentibus id prodere, ac palàm facere cùm poſſes, minimè è re eſſe judicaveris. Sed tamen vel illud multum ſit, quòd qualemcunque hanc faculam in has tenebras accenderis, quâ allucente quid id eſſet pervidere & ipſi aliquando adhibito ſtudio poſſemus, adeóque jam, ni fallor, & perviderimus. Unde multò tu certè es meliùs de nobis quàm gentilis tuus (credo & tribulis) Philo promeritus, qui lib. 3. De vita Moſis, non ſolùm vel malignæ lucis tenuem rimulam ad eas non aperuit, ut contrà jacto veluti in aerem pulvere eaſdem craſſiores, tantúmque non indiſcuſſibiles reddiderit; dum vitulo Aaronio ad figmenta & deliria Ægyptia, & ad animal ejus regionis ſacratiſſimum (ut ejus verba ſunt) hoc eſt ad Apin, purè relato, vitulorum Jeroboami de eodem interpretandorum primus occaſionem præbuit. In uno tamen Joſepho falſus es. Imò non es, at ſciens profectò nos fallis; quòd *vitulos*, imò *vitulas*, in concione appellantem Jeroboamum inducis, (credo Cheruborum, ut ſoles

in

in historia, dissimulandorum studio,) cui non vituli, sed Cherubi erant, sicque haud dubiè perpetuò ab eo appellati. Cùm pseudocherubi verè essent, ad Cheruborum Mosaicorum, ut jam sæpius dixi, similitudinem efficti. Quos tamen, quia nil nisi mera hominum inventa, figmentáque & ludibria erant, & præter formam belluinam nil cum Mosaicis planè divinis simile & comparandum habebant, sacri auctores alii *vitulos*, alii (Ose. 10. ver. 5. quos & ipsi tibi nempe sequi est visum) *vitulas* & *vaccas*, agnominaverunt. Nam quis obsecro Jeroboamum, quas pro signis sacris & mysticis effigies populo afferebat, quamvis formâ vitulinâ exsistentes, *vitulos* appellaturum putet? Et quis rursum tales talisque formâ, in talem usum obtrudere ausurum existimet, nisi populum Cherubis Jerosolymitanis similes eas agnituruin, eorundémque loco subrogatas libenter recepturum confidisset? Aut si ausurum credat, quomodo non eum fuisse multitudinem perinde ac Aduramum nuperrimè lapidibus obruturam? 2 Par. 11. ver. 17. Quippe qui tam dissimiles (si specie humanâ Cherubi) támque absurdas & deformes similitudines pro notis & domesticis tam impudenter anderet ingerere? At verò contrà accidit, ut populus, cùm non alias aliíque usui offerri sibi similitudines videret quàm quibus ab antiquo Jerosolymis in rebus divinis insueverat; insuper & oblatis receptísque illis hoc lucri accederet, ut eadem sacra domi habens cum iis quæ Jerosolymis super arcam federis in Sanctis collocata erant, magno se jam gravamine triplicis in anno Jerosolymitanæ profectionis levatum adverteret, in Jeroboami verba, quibus tribus non ampliùs annis nonnihil obluctatus fuerat, (2 Par. 11. ver. 17.) aliquando descenderet: hâc ratione quod ipse affectabat pleniùs multò uberiúsque assecuto illo, quam si externarum gentium idola centum totidémque religiones invexisset. Quia peregrinis admissis religionibus, ut & innumeras paulò antè in Jerusalem admiserat Salomo, non tamen simul patriam veterem aboleri, aut populum ab ea deduci dimoverique erat necesse; cùm gentium exemplo religionum multiplicium promiscuo usu gaudentium, utrasque tueri & servare simul posset, quomodo servasse etiam Salomonem nemo dubitet; sed & scisso Salomonis regno etiam in parte Judæ inventos qui servarent, nullóque discrimine *in Jehova, & in Melchom jurarent*, è Sophonia vate intelligi potest, Soph. 1. ver. 5. Atque ità eâ manente populum certum erat, quantumvis aliàs sacris peregrinis etiam vacaret, statis minimùm festivitatum Juda diebus, Jerosolyma suo more, contrà quàm Jeroboami mens & voluntas erat, quotannis ascensurum.

CAP. IX.

Sancta religionis in Israel à Jeroboamo institutæ, quamvis (ut in schismate) anormis, & Deo ingratæ, uberior probatio.

TAmetsi ad assertionis meæ fidem adstruendam hæc abunde suffectura, nec quenquam plura desideraturum putem, qui modum rebus saltem ponere noverit, neque sit planè morosus & inexplebilis, sermonem hunc tamen paulò longiùs producere non gravabor, ut eandem uberiùs confirmem: ducto primùm à Prophetis, deinde à Sacerdotibus, ac postremò à Regibus argumento. Quos utique, tametsi anormes & illegitimos omnes (nam vel de regibus ipsis quoque id dicere cur verear? cùm apud Oseam Deus ex se non esse illos expressim ipse dicat, Ose. 8. ver. 4.) tamen peculiari suo cultu Jerosolymitanum assimulante, fuisse Deum Israel, Deum inquam suum patrium professos, planè verum sit.

Quis enim primùm de propheta illo sene anonymo in Bethel habitante hoc neget? quem pravum quamvis & fallacem, Scriptura tamen *prophetam* vocat, 3 Reg. 13. ver. 11. Josephus *prophetam malum*. Qui virum Dei missum de Juda ad increpandum Jeroboamum sacrificantem, & (ut idem Josephus scribit) personam Pontificis assumentem fefellit. Cùm & prophetam ejus similem, hoc est, prophetam Dei veri, seipsum professus sit; & in verbo Domini, quia non obedisset vir ille verbo Dei, mortem illi imminentem ex vero prædixerit; & mortuum sepeliens *fratrem* appellarit; denique & in eodem cum eo sepulcro mortuus condi optaverit.

Hunc autem partium Jeroboami fuisse, non indè solùm conjicio, quòd in Bethel habitasse dicatur, (esset enim infirmum nimis hoc argumentum, cùm prophetæ Domini, veri, inquam, & sancti prophetæ magno numero Collegia & cœtus suos in Bethel, Silo & Samaria, etiam post scissum Israelem à Juda, habere non destiterint) verùm ex eo demum certiùs id colligo, quòd vaticinium viri Dei prænemorati contra sacerdotes excelsorum, fore ut eorum ossa à Rege Josia, multò post tempore nascituro, super altaria incenderentur, de Prophetis excelsorum etiam interpretans, ad se quoque, ut unum ex illis, pertinere senserit. De viro illo Dei obiter etiam monebo, falsò *Jaddonem* à Josepho dictum credi, quòd sic in editionibus ejus omnibus legi pridem obtinuerit, cùm *Addonem* Josephus appellarit. Eundem nempe Addonem fuisse illum magnâ ratione persuasus, cujus in historia Regum posteriore mentio est, *reliqua operum Salomonis* ab eo inter alios scripta fuisse testante, verbis illis, *In visione quoque Addo Videntis contra Jeroboam filium Nabath*, 2 Par. 9. ver. 29. Hîc enim *visionem*, id est, prophetiam tangi illam valde consentaneum est, quæ viro huic Dei contra Jeroboamum ejúsque altare, & sacerdotes facta tribuitur. Detrahenda itaque prima litera in voce Jaddo apud Josephum est, ut & alibi in voce Sophira, perperàm pro Ophira in editionibus quoque ejus omnibus eodem libro & capite usurpata. Eundem autem prophetam cur Epiphanius (ut auctor est in Chronologia Genebrardus) *Joannum* vocet, nondum comperi.

Quis item vel de quadringentis prophetis illis (3 Reg. 22. ver. 6.) non idem sentiat, quos Rex Achab de consulendo Jehova super expeditione Ramothensi à Rege Juda rogatus produxisse legitur? *Dixit Josaphat ad regem Israel, Consule obsecro impræsentiarum sermonem Domini. Congregavit igitur Rex Israel prophetarum quadringentos viros*, &c. 2 Par. 18. ver. 4. Neque enim per prophetas Baal idolorúmve aliorum sermonem Domini (Jehovæ) consulturus fuisset. Et quamvis tunc quidem Deus, ad fallendum Achab, spiritum mendacii in eos immisisse scribatur, fuisse tamen nonnunquam etiam spiritu veritatis afflatos haud scio negari omnino an possit; Sedechiâ, qui pro eorum principe quodammodo se gerebat, qualis erat eodem tempore inter prophetas Domini Elias & postea Elisæus, tam confidenter sibi eum vindicante, dum ad Michæam loquens, *Méne igitur*, inquit, *dimisit spiritus Domini* (JEHOVÆ) *& loquutus est tibi?* 3 Reg. 22. ver. 24. vel, ut in Regum historia altera est, *Per quam viam transivit spiritus Domini à me, ut loqueretur tibi?* 2 Par. 18. ver. 23. De præmemorato certè sene illo propheta Bethel negari planè non potest; cùm expressè ferat Scriptura *Factum esse ad eum verbum Domini*, quo mortem viro illi Dei, inobedientiæ ejus debitam, denunciare jussus sit, 3 Reg. 13. ver. 20. Utrumque hoc genus prophetas simul taxans Jeremias, à loco distinguit, aut potiùs denominat, dum Schismaticos illos, *Prophetas Samariæ*; Legitimos autem, *Prophetas Jerusalem* nuncupat; *Et in Prophetis Samariæ vidi fatuitatem: & in Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium*, Jer. 23. ver. 13.

Jam verò Sacerdotes, quamvis *de extremis populi*, ut historiæ sacræ verba sunt, 3 Reg. 12. ver. 31. minimèque de filiis Levi à Jeroboamo allecti erant, solius Dei Israel religioni initiatos, solúmque Deum Israel eundem professos tam certum est, ut nè tum quidem quo tempore summa fuit regni illius impietas, propter quam stirpitus exscindi, gentémque ipsam universam exsilio sempiterno damnari contigerit, Dei ejusdem ministerium derelictui habue-

habuerint: quinimo ritus & legitima ejus tueri, curare ac docere etiam tum perſeveraverint. Sic quidem, ut illis per Salmanaſar regem cum populo in Aſſyrios abductis, ex iis unus ab dicto rege in patriam paulò pòſt remiſſus ſit, per quem gentium coloniæ, quæ in Samariam traductæ erant, Deum terræ (terræ inquam Iſrael, ac per hoc Deum Iſrael) colere docerentur, ac ſic ab leonum, quos Deus propter ignorantiam & neglectum ſui in eos immiſerat, laniena præſervarentur, 4 Reg. 17. v. 26, 27, 28. *Nunciatúmque eſt Regi Aſſyriorum, & dictum, Gentes quas tranſtuliſti, & habitare feciſti in civitatibus Samariæ, ignorant legitima Dei terræ. Et immiſit in eos Dominus leones, & ecce interficiunt eos, eò quòd ignorant ritum Dei terræ. Præcepítque Rex Aſſyriorum, dicens, Ducite illuc unum de ſacerdotibus quos indè captivos adduxiſtis: & vadat, & habitet cum eis, & doceat eos legitima Dei terræ. Igitur cùm veniſſet unus de ſacerdotibus iis qui captivi ducti fuerant de Samaria, habitabat in Bethel, & docebat eos quomodo colerent Dominum.* Dominum, inquam, Hebraicè *Jehovam*, Deum Iſrael: hoc puto agentem, nè & ipſe, conticeſcente ejus memoriâ in Iſrael, abductis vitulis (abduxit primùm Danenſem cum tribubus Ruben, Gad & dimidia Manaſſis Tiglat Phalaſſar; Bethelenſem autem cum tribubus Aſer, Iſachar, Zabulon & Nephthali Salmanaſſar: ut è monumentis Hebræorum Genebrardus in Chronologia annotat) nè abductis, inquam, vitulis cum Sacerdotibus, abductus & ipſe in captivitatem crederetur, quomodo diis gentium eventurum Prophetæ ſæpe comminabantur. Sic Jeremias, *Clamate, filiæ Rabbath, accingite vos ciliciis, plangite, & circuite per ſepes. Quoniam Melchom in tranſmigrationem ducetur: Sacerdotes ejus & Principes ejus ſimul*, Jer. 49. 3. Sic item Amos, *Et ibit Melchom in captivitatem, ipſe & Principes ejus ſimul*, Amos 1. 5. nec ipſis diffitentibus ſic fieri & evenire ſolitum eorundem cultoribus; imò nec diis ipſis. Sic enim apud Virgilium Æneid. 1. Juno de diis Trojanorum,

Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,
Ilium in Italiam portans, victóſque penates.

Sic de iiſdem Æneas ibid.

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoſte penates
Claſſe veho mecum.

Sic Æneas rurſum de Panthu ſacerdote, ſe cum diis ſuis in fugam proripiente, quo tamen cæſo (cæſus enim poſtea memoratur) quid de illis actum ſit nuſquam exponitur,

Panthus Othriades arcùs Phœbique ſacerdos,
Sacra manu, victóſque deos, parvúmque nepotem
Ipſe trahit, curſúque amens ad littora tendit.

Quam eandem fuiſſe rationem ſuſpicor, cur Deus ut vitulos cum decem tribubus, ſic etiam Arcam ſanctam cum duabus in captivitatem abduci haud paſſus ſit. Nempe quòd captivâ illâ exſiſtente perinde dici non potuiſſet, Deum Iſrael ſimul captivum non fuiſſe. Cujus ut nomen, ità & præſentiam quodammodo Arcæ alligatam fuiſſe diximus. Unde & captâ olim eâdem à Philiſthinis, ſimul Deum captum eſſe & intellectum ſit, & Deus ipſe ſic intelligi minimè recuſarit; quinimo ſpontè ipſe prodiderit manifeſtaverítque. Sic tamen ut Arcæ ſuámque unà præſentis majeſtatem tam excellenter hoſtium in medio conſervarit, ut major tunc captivæ quàm antea victricis gloria emicuerit. Cujus rei cùm minimè ignari eſſent Babylonii, & aliàs de Arcæ ſanctitate admodum reverenter ſenſiſſe eos conſtet, ſuſpicor in Urbis expugnatione nec in eam manus injicere, nec omnino in captivitatem conquirere illam fuiſſe auſos: quin potiùs per tela, per ignes exportante illam extra urbem Jeremia, ſponte viam aperuiſſe, religioſéque & reverenter proſequutos eam fuiſſe, 2 Macc. 2. v. 5. Ad Sacerdotem illum redeo in Samariam remiſſum, quem primum fortè Samaritanorum religionis pontificem rectè dixerimus, à quo nova ſacerdotum illorum ſeries initiata credi poſſit, quos Rex Joſias poſt annos propè centum in civitatibus Samariæ inventos ſuper altaria occidit, 4 Reg. 23. v. 20. Porrò autem dum ſacerdotem hunc extremis illis regni Samariæ temporibus etiam tum legitima, & ritus Dei Iſrael fuiſſe profeſſum audimus, quídni & de cæteris ab primorum uſque temporum regni ejuſdem ſacerdotibus, ac vel multò etiam magìs, ſimiliter ſentiamus? Neque eſt quod quenquam contrà moveat, quòd hi Samariæ Sacerdotes & præmemorati Prophetæ, *excelſorum lucorúmque Sacerdotes & Prophetæ*, in Scriptura appellentur, cùm hæc excelſa & hi luci, à quibus, quia in illis miniſterio ſuo fungebantur, hanc appellationem ſortiti ſunt, Deo Iſrael conſecrati eſſent. Sacerdotes autem & Prophetæ excelſorum & lucorum, ſive etiam expreſſo excelſorum ipſorum nomine, ut cùm Amos propheta Amaſiam *ſacerdotem Bethel* vocat, Amos 7. 10. dicebantur, ad legitimorum Sacerdotum Prophetarúmque diſtinctionem, qui vitulos & ſchiſma abominati, partibus Judæ, etiamſi in Iſrael habitarent (ut Prophetarum multi) adhærebant, *Sacerdotéſque & Prophetæ Domini* vocabantur. Haud ſcio annon aliquâ priorum obluctatione & invidiâ, qui & ipſi Deo Iſrael eidem ſervire ſe gloriabantur, & inter ſuos eandem fortè ſibi etiam appellationem arrogabant (certè ſacerdotum Baal comparatione *ſacerdotes Domini* vocatos in hiſtoria regis Jehu apparet, ſic habente, *Ingreſſúſque Jehu, & Jonadab filius Rechab templum Baal, ait cultoribus Baal, Perquirite, & videte nè quis forte vobiſcum ſit de ſervis Domini, ſed ut ſint ſervi Baal ſoli*, 4 Reg. 10. 21.) ſed quod eos tamen ferre vel invitos erat neceſſe, quia legitimos de poſſeſſione appellationis hujus deturbare non poſſent, & jure & præſcriptione pridem eis acquiſita. Planè quomodo ab Eccleſiæ Chriſtianæ initio & deinceps, quotquot hæretici exſtiterunt, cùm parti ſuæ ferè *Catholicæ* nomen arrogarent, quoties tamen extra cœtus ſuos de alterutra eis ſermo erat, unius ab altera diſcernendæ gratiâ, de hoc nomine verè Catholicæ cedebant, etiámque hodie & cedunt. B. Auguſt. De vera relig. c. 7. *Velint nolintque ipſi quoque hæretici & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis ſed extraneis loquuntur, Catholicam aliud nihil quàm Catholicam vocant. Non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant quo ab univerſo orbe nuncupatur.*

Diſtinctionis præmemoratæ inſigne exemplum ſe offert in hiſtoria Achabi Regis Iſrael, adjuncto ſibi Joſaphato Rege Juda obſidionem Ramothenſem meditantis. Nam cùm de conſulendo Jehova ſuper dictam obſidionem inter reges convenìſſet, productis primùm ab Achabo quadringentis prophetis excelſorum, de quibus paulò antè locuti ſumus, fauſta & proſpera omnia pollicentibus, quærit deinde Rex Joſaphat, non ſatìs ut videtur eorum vaticinio confiſus, *An non ibi eſſet propheta Domini* (Heb. *Jehovæ*) *quiſpiam*, 3 Reg. 22. 6. Quo nomine quem ſignificari par eſſet intelligens Rex Achab, nil moratus, nec tali petitione vel diſtinctione offenſus, neque inſiſtens, ut exſpectandum fuiſſe videri poſſit, eſſe etiam prophetas Domini quos produxerat (cùm tales ut dixi haberi fortè & ipſi vellent) reſpondet, unicum hujus generis apud ſe reliquum eſſe (cæſis nempe fugatíſque ab Jezabele cæteris) quem ad extremum & venire jubet, Michæam nomine, filium Jemla; tametſi ſubinvitè, utique ſibi odioſum, quia nunquam ei bonum vaticinantem, ſed perpetuò malum, ibid. v. 8. Hoc idem nimirum quod Agamemnon Calchanti apud Homerum, Iliad. α'. Michææ exprobrans,

Μάντι κακῶν, οὐ πώποτέ μοι τὸ κρήγυον εἶπας·
Αἰεὶ τοι τὰ κακ' ὄσσι φίλα φρεσὶ μαίεσθαι·
Ἔσθλὸν δ' οὔτέ τί πω εἶπας ἔπος, οὐδ' ἐτέλεσσας.

Eluceſcítque haud minùs eadem diſtinctio, cum ſignificandæ utriuſque partis religioni, primùm illegitimam illam Iſraelis, ſolis excelſorum expreſſis nominibus, propheta Amos deſignat, *Nolite*, inquiens, *quærere Bethel, & in Galgala nolite intrare, & in Barſabee non tranſibitis*, Amos 5. 5. Solo autem Jehovæ (vulgò *Domini*) legitimam, eámque ſpeciatim quæ fixam Jeroſolymis ſedem habens in Juda ſervabatur, deinde inſinuat, immediatè ſubjungens, *Quarite Dominum (Jehovam) & viveris.*

vivetis. Quo eodem sensu venit etiam intelligendum, quòd dicitur Jeroboamus *separasse Israel à Domino* (JEHOVA) pro eo quòd *ab Juda & Jerosolymis*, Ecclesiæ sede, 4Reg. 17. ver. 21.

Atque hinc quidem objectioni à me hactenus dissimulatæ, quia citra longiorem digressionem commodè solvi antea non posset, sua etiam solutio est. Planè enim sententiæ meæ de retento cultu Domini, sive Jehovæ Dei Israel, à Jeroboamo in Ephraim, adversari quis non crederet, quod in ejusdem Jeroboami historia scriptum est, ideo Sacerdotes & Levitas ab eo abjectos, nè fungerentur sacerdotio Domini (Jehovæ?) *Sacerdotes autem & Levitæ qui erant in universo Israel, venerunt ad eum* (Roboam) *de cunctis tribubus suis, relinquentes suburbana, & possessiones suas, & transeuntes ad Judam, & Jerusalem: eò quòd abjecisset eos Jeroboam & posteri ejus, nè sacerdotio Domini fungerentur*, 2Par. 11. 13, 14. Quid enim aliud in speciem istud putes, nisi quia nollent ampliùs Jeroboamus & posteri ejus reges, Domino (Jehovæ) Deo Israel in regno suo sacrificari, ideo Sacerdotes Domini & Levitas abjecisse? At longè aliam & horum verborum & Jeroboami posterorúmque regum mentem fuisse dubitari nè possit, quid obsecro futurum erat hoc novi, si Sacerdotes Domini in Ephraim non sacrificarent? Quid tam impium & à recta ratione alienum reges committerent, si sacrificari prohiberent? Cùm esset hoc prohibitionis Divinæ & Legis, nusquam nisi in Jerusalem sacrificari permittentis. Non hæc igitur regibus abjiciendorum Sacerdotum causa fuit. Verùm ideo demum ac solùm abjecerunt, quia in Jerusalem hebdomadatim ex officio ascendendum eis esset, sacrificaturis per vices suas ad altare, *quod coram Domino erat*, id est, ante Arcam federis, Levit. 16. ver. 18. Cui arcæ ut *Domini* sive *Jehovæ* appellatio (quod quâ origine, quâque causâ fieri cœperit, antea expositum est) ità & Sacerdotum Domini ministerium & functio alligata erat. Et verò si Jehovæ odio cultúsque ejus, & religionis sanctæ simul abjiciendæ animo sacerdotes Domini abjecissent, non fuisset cur prophetis Domini magis parcerent, cùm alioquin par esset de utrisque similiter statuendi ratio. Verùm illi, sacerdotes Domini abjicientes, simul tamen prophetas Domini non abjecerunt, quinimo habitare collegiáque & cœtus suos in Bethel, Silo, Samaria habere permiserunt. Est ibi itaque nil aliud, *nè sacerdotio Domini fungerentur*, quàm nè sacrificiorum causâ in Jerusalem ascenderent, suóque exemplo (quod futurum erat) populo ascendendi occasionem darent, imò & duces eidem se profectionis præberent, quod Jeroboamus peculiari suo edicto, sacerdotes sacerdotúmque functionem cumprimis tangente, & quo speciatim Sacerdotes ab eo abjectos puto intellectum fuisse, fieri vetuerat, *Nolite*, inquiens, *ultrà ascendere in Jerusalem ad facienda sacrificia in domo Domini*, 3 Reg. 12. ver. 28. Hanc enim prohibitionem, sacerdotum Domini non tam abjectio sive expulsio quàm abrogatio necessariò sequebatur. Quandoquidem consentaneum est, quotquot è Sacerdotum Levitarúmque numero, hâc aliísque regni legibus vivere contenti ab adeundis Jerosolymis abstinere consensissent, non fuisse eos Jeroboamum expulsurum. Unde magnam fuisse eorum virtutem apparet, qui cùm rebus integris in Ephraim remanere & vivere potuissent, maluerint tamen cum suburbanorum possessionúmque suarum jactura discedere, quàm ministerio suo deesse. Genebrardi tamen in Chronologia sententia est, prophetas fuisse Sacerdotibus animosiores: quasi utrísque pari molestiâ affectis, paritérque abire jussis, *soli obduraverint, ac vel invito Jeroboamo sua collegia atque conventus* (sunt hæc ejus verba) *continuarint*. Sed falli, nec fuisse prophetas expulsos ante Achabum & Jezabelem reginam, quæ prima omni crudelitatis genere eos insectata fuit, certum est.

Jam ad reges convertenda erat oratio, cùm fortè dictam Chronologiam Genebrardi de re quadam alia consulens, in eam paginam opportunè incidi quæ exemplaris mei numero octogesima est, in qua quod partium mearum futurum hîc erat, præstrenuè obire ipse mihi est visus. Siquidem Jeroboamum ibi asserit, quod de cæteris etiam intellectum cupit ejus successoribus regibus Israel, usque ad Achabum, *magis hæreticum & schismaticum quàm apostatam vel idololatram fuisse. Neque enim ejurasse illum cunctos fidei articulos, sed eum duntaxat qui est de Ecclesia, & Ecclesiæ sede & communione; dum noluit sacrificare Jerosolymis, & cum eis communicare qui in Mosis & Prophetarum cathedra sedebant: sed in Dan & in Bethel, ubi templa nova construxit, & loco Cherubim vitulos dedicavit. Alioquin circumcisionem, ritus sacrificiorum, ceremonias Legis, atque adeò totam Legem Mosaicam retinuisse.* Quo quid obsecro assertioni meæ magis consentaneè, magísque ad eandem confirmandam appositè & convenienter dici aut excogitari potuit?

CAP. X.

Loci Scripturæ quorum cum assertione mea manifesta esse pugnantia videatur. Hujus pugnantiæ conciliandæ ratio ab hæresi petita, quæ mira & inaudita fuisse Jeroboami nunc primùm observatur, quâ Jehovam Deum Sion à Deo universi separabat, duósque esse Deos statuebat, quorum ille regni Juda, hic regni Israel proprius tutelarísq; Deus exstiterit.

Est igitur ejusdem mecum sententiæ assertor doctissimus Genebrardus. Sed ille nil pro communi causa opis auxiliísque vivens attulit, nec moriens reliquit, impressioni sustinendæ quam partis adversariæ in me meámque aciem, capitibus tribus præmissis quasi cuneis, campísve totidem distributam explicatámve instare, jámque irruere & incumbere video. Qui solus verò eam excipiam? quî sistam? Nec satis excipere ac sistere est; Qui repellam, imò fundam (quando aliter victoria non paratur) telis plusquam Vulcaniis instructam & formidabilem? Vel illud primùm vide telum quàm sit grave, quàm solidum, quàm acuminatum, quod ex eodem loco, cui postremò solutionem adhibui, de Sacerdotibus Domini à Jeroboamo abjectis, strictum ac noci paratum è propinquo minatur! Ibi siquidem non solùm sacerdotes Domini abjecisse Jeroboamus dicitur, verumetiam sacerdotes excelsorum & Dæmoniorum instituisse. Sequitur enim immediatè, *Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum Dæmoniorúmque, & vitulorum quos fecerat*, 2 Par. 11. ver. 15. Enimvero si Dæmoniorum sacerdotes quos fecit Jeroboamus, quo ore solius Dei Israel religioni initiatos, solúmque Deum Israel professos dixerim? Et si (quod consequi necesse sit) vituli Jeroboamici Dæmonia, quî simulacra mystica & sacra throni & gloriæ cœlestis significationem habentia dicere ausus fuerim? Telum profectò certum, & vitatu difficile. Et si vitare detur, hve, ut Maronis in eam significationem verbum est, *exire*, nil egerim. Ecce enim aliud acumine par, eodémque collimans, ab armato & ad prælium contra Jeroboamum universúmque Israelem accincto, móxque futuro victore, rege Juda Abiamo, *Habentísque grandem populi multitudinem, & vitulos aureos quos fecit vobis Jeroboam in deos*, 2 Par. 13. ver. 8. *Deos* enim ubi quos dicit, eadem nempe Dæmonia illa sunt loco præcedente appellata. Quo nempe sensu dii gentium, quibus vitulos Jeroboami Abiamus comparatos cupit, *Dæmonia* à Davide dicuntur; *Quoniam omnes dii gentium Dæmonia*, Psal. 95. ver. 5. Ecce porrò ejusdem acuminis rursum, eodémque collimans, telum tertium: tantóque illud formidabilius, quòd à manu & validiore, & aberrare nesciente, dico à Dei manu, in Jeroboamum ipsum libratum contortúmque, *Sed operatus es malè, super omnes qui fuerunt ante te: & fecisti tibi deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares*, 3 Reg 14. ver. 9. Quid quòd & ipse horum locorum sententiæ nullâ dissimulatione consentit Jeroboamus? Nec se vitulos

illos

illos populo in deos feciſſe, nec eoſdem deos alienos & conflatiles fuiſſe inficiatur, qui à populo adoratos voluerit? (Telum ecce quartum) *Ibat enim populus ad adorandum Vitulum, uſque in Dan*, 3 Reg. 12.30. Imò verò qui & illis ipſemet immolaverit, (Ecce & quintum) *Et aſcendens altare ſimiliter fecit in Bethel, ut immolaret vitulis quos fabricatus fuerat*, ibid.v.32. Ubi & nota in teli extremo, ut ſolet, aculeum eſſe. Additum enim, *quos fabricatus fuerat* (ut & loco prælallegato, *Fecit ſacerdotes Dæmoniorum, vitulorúmque quos fecerat*) ad emphaſim valet, perindéque eſt ac ſi dictum eſſet, *Operi manuum ſuarum*; quod apud Prophetas idolorum cultoribus objici ſolenne eſt. Ut apud Eſaiam, *Repleta eſt terra illius idolis; opus manuum ſuarum adoraverunt, quos fecerunt digiti eorum*, cap.2.v.8. Objicit autem & vitulorum, de quibus agimus, cultoribus Deus ipſe apud Jeremiam 1.16. hoc modo (Telum ſextum) *Et loquar judicia mea cum eis, ſuper omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, & libaverunt diis alienis* (Vitulis, ut ſuprà in Dei ejuſdem perſona, *Et feciſti tibi deos alienos & conflatiles*) *& adoraverunt opus manuum ſuarum.* Hoc in eo genere magìs mirum, quòd vitulum Aaronium B. Stephanus Act.7.v.41. *opus manuum populi* etiam vocet, quod revera non erat, ex conſuetudine idola ſic appellandi, *Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulacro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum.* Eſt & ſeptimum, quod hactenus conſultò declinavi, cùm veriùs tertii pars eſſet, cúmque illo mitti, niſi declinaſſem, debuiſſet. Atq; ità pro tertii parte vel quarto, ſeptimum fiet. Et meritò quidem ſeptimum, cùm numerus hic pro infinito uſurpari in Scriptura ſoleat, unde & *ſepties* pro *valde* & *innumerabiliter*. Certè quod de Hectore ſuo jactabant Trojani,

Unus hic innumeri militis inſtar erit,

unicum inſtar multorum dici & illud poteſt, quódque altiùs prænumeratis cæteris ad vivum penetret. Eſt hoc quod ſubjicio, in Jehovæ Dei perſona, *Me autem projeciſti poſt corpus tuum*, aliàs, *poſt tergum tuum*, 3 Reg.14. v.9. Quid iſtud quæſo? Non ſolùm igitur ſacerdotes Domini (Jehovæ) abjecit Jeroboamus, (quod quo ſenſu dixi intellectum nil incommodi fortè habeat) verùm etiam ipſum Jehovam abjecit. Aut (nè quid mutem) projecit certè: projecit, inquam, poſt tergum ſuum.

Quis jam his auditis vel me Jeroboamum religionis patriæ cultorem fuiſſe dicentem ferat? Vel Genebrardum, nec idololatram, nec apoſtatam exſtitiſſe; nec omnes fidei articulos, ſed unicum ejuraſſe; circumciſionem, & ritus ſacrificiorum, ceremoniáſque Legis, atque adeò totam Legem Moſaicam retinuiſſe? Itáne verò de eo verè dici hæc poſſint, qui Dæmoniis & Vitulis, operi manuum ſuarum, ſacerdotes inſtituerit? qui vitulos populo in deos, quíque deos alienos & conflatiles fecerit, adoratóſque voluerit? iiſdémque ipſe immolaverit? denique & Jehovam Deum majorum ſuorum, Deum vivum & verum poſt tergum projecerit? Subit hìc animo illud Maronis Æneid.2. de pugna cujus comparatione nil hoc nomine dignum ipſe ſenſerit,

Hìc verò ingentem pugnam, ceu cætera nuſquam
Bella forent, nulli totâ morerentur in urbe.

Subit & illud belli civilis veluti claſsicum, Pharſ. lib. 1.

——— *Adverſíſque obvia ſignis*
Signa, pares Aquilas, & pila minantia pilis.

Quid igitur agimus? Quînam hæc conciliamus? Nónne qui poſſit, certè & negantia poſſe dixeris? Quod vel Deum ipſum non poſſe Theologi affirmant. Tentabo tamen, Deo invocato, hominum minimus. Et ſi negantia conciliare, & miraculum patrare hoc erit, ſpes eſt poſſe me, ſuâ parti utrique ratâ firmâque aſſertione præſtitâ, hoc miraculum ſine miraculo edere.

Hac initâ ratione, ut Jeroboamum exiſtimem cùm religionem patriam traducere de Juda in Ephraim conſtituiſſet, & tamen deſperatione duceretur poſſe Jehovam, qui *portas Sion ſuper omnia tabernacula Jacob diligeret*, (Pſal.86.2.) ibidémque tabernaculum ſuum in æternum ad habitandum fixiſſet, denique & currum gloriæ ſuæ ſuáque arma ibidem haberet, de Sion educi, vel in Ephraim, qui tabernaculum Silo pridem repuliſſet, digreſſúſque indè volens fuiſſet, reduci, inauditam hæreſim commentum eſſe, quâ contra primarium illud axioma fidei, de Dei unitate, quod ratum & irrefragabile Moſes eſſe ſanxerat, graviſſimo illo ad populum catecheſeos ſuæ articulo, *Audi, Iſrael, Dominus* (Heb. *Jehova*) *Deus noſter, Deus unus eſt*, Deut.6.4. Ipſe dictum Jehovam, recentiùs primúmque in Sinai à Deo Moſi, ac Moſe internuncio populo revelatum, agnitum ac coli cœptum, unde & *Deus Sinai* à Davide rege idem appellatur, Pſal.67.9. à Deo Univerſi, qui idem Patriarcharum ævo *Deus Creator cœli & terræ, Deus Omnipotens, Deus Altiſſimus* vocabatur, ab iiſdémque Patriarchis ſub illis nominibus colebatur, ſeparaverit, duóſque eſſe Deos interpretatus ſit: quorum alterum electæ dilectæque ab eo Jeroſolymæ & regno Juda, alterum regno Iſrael, à majore Iſraelis parte ſic nuncupato, regno ſuo, præſidere tutelarémque eſſe voluerit.

Ut enim populus olim in petendo rege à Samuele exemplum & morem gentium prætexuerat, *Conſtitue*, inquiens, *nobis regem, qui judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes*: ità abſurdum & inconveniens futurum Jeroboamus an ſibi ipſi verè perſuaſerit incertum, populo certè perſuaſiſſe videtur, ſi vicinarum gentium ſingulis Deum ejuſmodi proprium, de cujus tutela gloriarentur, habentibus, non etiam regni ſui proprius aliquis peculiariſque Deus exſiſteret, ſed externum ſolummodo, imò hoſtilem, gentis utique hoſtilis & infenſæ Deum, & illum quidem quo maximè tempore illo culto conſultóque opus eſſet, bellis aditum præcludentibus, inacceſsum haberent.

Cognatarum itaque gentium, Ammonitarum Moabitarúmque exemplo, qui cùm Lotho communi parente oriundi, in unius ejuſdémque Dei patrii (veri Dei) cultu & ſacris initiò educati, diu perſeveraſsent (Deo apud eos *Moloch* & *Melchom* appellato, *regem* ab etymo, ut *Meſſias* apud Hebræos, notante, quo tamen ad idolum ſignificandum tandem abuſi ſint, quomodo gentes aliæ nomine *Jovis*, idem cum *Jehova*, ut videtur, etymum, fortè & uſum initiò habente) poſtquam in duo regna dividi contigit, partiti veluti & ipſi inter ſe deos ſunt, ut Molocho, Deo patrio, communi antea, Ammoni natu minori ſoli relicto, Moabus deinceps Chamos (tam obſcurâ Dei hujus origine quàm ignobili etymo) in Deum haberet; úrque poſtea Iſmael, & deinceps Edom, poſtquam habitatione & regnis à fratribus ſuis Iſaaco & Jacobo natu minoribus diviſi ſimiliter ſeparatíque ſunt, Deo patrio illis quoque relicto, proprios peculiaréſque deos (quos aliter quàm *deos Seir* in Scriptura vocatos non memini) ſibi regníſque ſuis aſciverunt: ſic Iſraele & Judâ communi ſimiliter generis autore Abrahamo, & deinceps Iſaaco & Jacobo oriundis, & quamdiu gentis unius nomine ac finibus comprehendi, regíſque unius imperio ac manu regi contigit, unum eundémque Deum patrium, Creatorem cœli & terræ, Omnipotentem, Altiſſimum, ſub *Jehova* nomine colentibus, poſtquam diviſi in duo regna & ipſi ſunt, viſum Jeroboamo novo regi, nè Deus parti utrique peculiaris etiam ſuus deeſset, providere, & cùm peregrinos illos gentium averſaretur, miniméque ſibi aſciſcendos duceret, de patrio illo unico duos efficere.

Quam eandem propemodum ſchiſmatis ſui (in ſchiſmate Samariæ de quo loquimur ceu typo præfigurati) rationem, adhibito in conſilium Sergio, ſecutus etiam infelix Mahometes videtur. Cùm enim Arabibus & nobis, in eodem Eccleſiæ matris veluti utero natis, ejuſdémque regno Sacerdotali longo tempore comprehenſis, eadem religio & fides eſset, utríſque idem fidei Symbolum profeſſis, & in unum eundémque ſubſtantiâ & naturâ trinum perſonis Deum credentibus, poſse non putavit callidus

dus veterator quam meditabatur tyrannidem ſtabilire, niſi Jeroboami exemplo, cum Regno ſimul Eccleſiam ſcinderet, eandémque ſcindendæ ejus rationem ſecutus, patrium communémque antea Deum ſimiliter partiretur ac divideret. Atque ità projecto & ipſe poſt tergum ſuum Jehovâ ſive perſonis Divinis, Patre, Filio, & Spiritu ſancto, unico *Jehovæ* vocabulo, quod æquè ſingulis competit, comprehenſis, iiſdémque regno Judæ, id eſt, parti Chriſtianæ, quam deſerebat, in Deum relictis (quanquam *Deos* impiè vocat, ut nos de culta Deorum multitudine ſuggillet) ipſe decem tribubus, parti ſuæ, Deum univerſi eundem Jerobomianum, Deum Omnipotentem, Deum Altiſſimum, aut potiùs nudam Divinitatiſque omnis inanem & vacuam, quia ſine Jehova ſive perſonis nullus eſt Deus, *Dei* appellationem, & omnino vocem ſine re in Deum aſcivit.

Cæterùm Jeroboamo hæreſi quamvis impiiſſimæ inducendæ perſuadendæque rationes quàm multiplices, tam populares ſumméque ad captum vulgi probabiles, defuiſſe non videntur, cùm theologiam patriam ſic unum Deum aſtruere diceret ut magis dividere credi poſſet, ac plures Deos, minimùm duos, conſtituere, numero, perſonis, loco, tempore, cultûs denique & religionis formâ diſtinctos ac differentes. Numero, dum voce plurali *Elohim*, id eſt, *Deos*, & adjuncto quidem haud infrequenter ejuſdem numeri verbo, appellat: ut, *Et fac altare Diis qui apparuerunt tibi quando fugiebat Eſau fratrem ſuum*, Gen. 35. ver. 1. (Sic enim Hebræa habere didici, pro eo quod vetus interpres vertit, *Fácque altare Deo qui apparuit tibi*, &c.) Perſonis, dum alterum Patrem, Filium alterum perhibet. Et modò Patrem loquentem ad Filium inducit: ut, *Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis*, Pſal. 109. ver. 1. modò Filium de Patre: ut, *Dixit Dominus ad me, Filius meus es tu: Ego hodie genui te*, Pſal. 2. ver. 7. Loco & habitatione, dum ſuam Patri habitationem in cœlo tribuit: ut ibidem, ver. 4. *Qui habitat in cœlis irridebit eos.* Filio autem in Sion, & in Templo, *Pſallite Domino qui habitat in Sion*, Pſal. 9. ver. 12. Item alibi ſimul de utroque conjuncta cum habitationis utriuſque mentione, *Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cœlo ſedes ejus*, Pſal. 10. 4. item, *Dominus de cœlo proſpexit* (Pater nimirum) *ut videret ſi ſit intelligens, aut requirens Deum*, Pſ. 13. 2. nempe Filium, qui ſe in Templo, loco habitationis ſuæ, ſolennitatibus tribus anniverſariis ab Iſraelitis quotannis requiri poſtulabat. Tempore, quòd Patriarcharum ævo ſolus Deus Omnipotens agnitus, ſoliúſque ejuſdem cultus receptus eſſet, ignoto adhuc Jehovâ, ac primùm, ut dixi, poſt liberationem ex Ægypto in Sinai revelato; qua de re expreſſum Patris in Scriptura teſtimonium ei nec defuit, *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac & Jacob, in Deo omnipotente: & Nomen meum Jehova non indicavi eis*, Exod. 6. ver. 3. Cultûs denique & religionis formâ, quòd vetus Dei Omnipotentis cultus nulli certo loco alligatus eſſet, nullámque gentem excluderet, recentior autem alter Jehovanus gentem ſolam Hebræam admitteret, ſoliſque Jeroſolymis ſacrificare permitteret.

Jam tum autem ab regni ſui initio, mediâque illâ ſolennitate Bethelenſi, quam in ſimilitudinem ſolennitatis quæ celebrabatur in Juda inſtituit celebravítque, illuſtre hæreſis impietatiſque hujus, nominatim autem projecti ab eo poſt tergum Jehovæ, documentum Jeroboamus dedit, cùm de formula ſacra, quam niſi integram & omnino niſi expreſſo ſanctiſſimo illo nomine proferri nunquam auditum fuerat, quomodo auctor ejus Deus legiſlationem in monte Sina ab eadem exorſus primùm protulerat, *Audi Iſrael: Ego ſum Dominus* (Jehova) *Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti*, Exod. 20. quo eodem modo & Moſes, Deut. 6. ver. 12. David, Pſal. 80. ver. 8. Prophetæ, Dan. 9. ver. 15. Populus denique omnis, Joſ. 24. ver. 17. ipſe contrà nullo exemplo, expuncto nomine Jehovæ, hoc modo coram univerſa multitudine illam protulit, *Ecce Deus tuus Iſrael, qui te eduxit de terra Ægypti*, Exod. 32. Primum hoc igitur Jeroboamus, ut dixi, projecti ab eo poſt tergum ſuum Jehovæ documentum in Bethel dedit: inſecuto mox ibidem manifeſtiore etiam altero. Quod enim manifeſtius potuit, quàm cùm ad virum prophetam loquentis miſſum de Juda ad corripiendum illum ſacrificantem, ac tunc quidem cùm venit thus jacientem, Jehovam neutiquam *Deum ſuum*, ut vel tantæ ſolennitatis illius ratione, teſtandíque coram univerſa multitudine Dei quem colebat, cultúmque ab eadem volebat, ſi verè Deus is ejus fuiſſet, cultúmque à ſuis voluiſſet, ſed *Deum tuum* vocat; & quidem, quod admirationem augeat, in miſeria conſtitutus, ut præſente repentinóque Jehovæ miraculo ei illata, ità non niſi ejuſdem miſericordiâ & auxilio depellenda? Sic enim manu ejus, quam in prophetam intenderat, apprehendi eum jubens, arefactâ, prophetam eundem ut pro ſe Deum deprecaretur orat, *Deprecare Faciem Domini* (Jehovæ) *Dei tui pro me, ut reſtituatur manus mea mihi*, 3 Reg. 13. 6. Ecce enim *Jehovæ* dicit, *Dei*, non *mei*, non *noſtri*, *majorúmve noſtrorum*, ut receptum uſitatúmque erat, ſed *Dei tui* dicit; Dei, inquam, vel ejus quoque confeſſione præpotentis, & qui (quod poſterorum ejus regum unus meræ eſſe poteſtatis Divinæ etiam agnoſcebat, eidémque Jehovæ tribuebat) *Occidere poſſet, & vivificare, & curare hominem à lepra*, 4 Reg. 5. 7. Non *mei* tamen, ſed *Dei tui* dicit: perinde ac nil ad ſe regnúmque ſuum attinentis. Nec aliter quàm Naaman Syrus, cùm in anguſtia haud valde abſimili imploratum & ipſe per Eliſeum Dei ejuſdem auxilium veniſſet, *Putabam*, dicebat, *quòd egrederetur ad me, & ſtans invocaret Nomen Domini* (Jehovæ) *Dei ſui*, 4 Reg. 5. His igitur modis duobus (haud dubiè quin & multò pluribus nobis incognitis, quia minimè in Scriptura expreſſis) Jeroboamus in dicta illa ſolennitate Bethelenſi Jehovam non ampliùs in Deum Iſrael, ſed regni Judæ ſolummodo, Deum habere ſe declaravit, ſecutis deinde eandem hæreſim poſteris ejus regibus propè omnibus. De ea enim, inter alia Jeroboami peccata, inſimulari illos valde rationi conſentaneum eſt, cùm ſecuti vias Jeroboami, nec receſſiſſe à peccatis ejus paſſim arguuntur. Nominatim autem de Joacha rege, qui decimus poſt Jeroboamum regnavit, ut ſic credam hoc moveor, quòd in anguſtia ſimiliter conſtitutus, ſic & ipſe Jehovam deprecatus ſignificetur, ut pro Deo ſuo non magis habuiſſe illum & ipſe videatur, quàm ex locis præmiſſis Jeroboamus aut Naaman: hoc modo, *Deprecatus eſt autem Joachas Faciem Domini* (Jehovæ) *Dei, & exaudivit eum Dominus.* Dicturum enim fuiſſe alioquin Hiſtoricum ſacrum, *Dei ſui*, propiùs mihi perſuadeo; quo modo in ſermone de regibus Juda, ac tum quidem etiam cùm odioſè de tranſgreſſione peccatóve aliquo arguuntur, ſolenne ferè ei eſt dicere. Ut de rege Abiamo, *Non erat cor ejus perfectum coram Domino Deo ſuo, ſicut cor David patris ejus.* Item de Aſa, Abiami Filio, *Quia habuiſti fiduciam in rege Syria, & non in Domino Deo tuo.* Item de Achas, regum Juda etſi deterrimo, *Non fecit quod erat placitum in conſpectu Domini Dei ſui.* Joachas igitur ex loco illo non aliter Jehovam deprecatus intelligi poteſt quàm ut Deum externum. Quomodo reges gentium eundem etiam imploraſſe veneratíque olim ac laudibus perſecuti leguntur: ut (præter Naaman de quo jam diximus) Hiram Rex Tyri, cùm de regno per literas Salomoni congratularetur, *Benedictus Dominus* (Jehova) *Deus hodie, qui dedit filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum.* Item regina Saba, *Sit Dominus* (Jehova) *benedictus, qui voluit te ordinare ſuper thronum ſuum regem Domini Dei tui*, 2 Par. ver. 9. 8. Sed & contrà Hebraici generis & religionis, tam Judæ quàm Iſraelis reges, Achas & Ochoſias Deos gentium venerabantur: cùm ille Deos Damaſci hoſtiis placaret, 2 Par. 28. ver. 23. hic Beelzebub Deum Accaron de ſalute ſua conſuleret, 4 Reg. 1. ver. 2.

Regis hæreſim ſuper omnia populus, vix annis tribus nonnihil obluctatus, tandem etiam ſecutus eſt. Eáque facta eſt, cujus frequens in Scriptura mentio eſt, à

Jehova Iſraelis ſeparatio, *Separavit enim Jeroboam Iſrael à Domino (JEHOVA) Deo, & peccare fecit eos peccatum magnum*, 4 Reg.v.17. In quibus verbis relicti verè à populo Jehovæ indicium agnoſcas, dum populi illius poſſeſſio, Jehovæ in Scriptura attribui ſolita, nunc illi veluti adimitur; nec *à Domino Deo Iſrael*, vel *à Domino Deo ſuo* ſeparatus Iſrael dicitur, ſed *à Domino Deo*, quaſi nullius jam populi, aut non hujus certè ampliùs, *Deo*. De ſeparatione hac & hac hæreſi intelligendum eſt quòd pluribus Scripturæ locis dicitur Iſrael *reliquiſſe* JEHOVAM, *Scito & vide, quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum (JEHOVAM) Deum tuum*, Jer.2.19. Item in dicti Abiami regis Juda perſona, hoc ipſum in os Jeroboamo, & univerſo Iſraeli ad prælium accincto exprobrantis, *Nos quippe cuſtodimus præcepta Domini* (JEHOVÆ) *Dei noſtri, quem vos reliquiſtis*, 2 Par.23.11. Item quòd *receſſiſſe Iſrael à Jehova*; ut cùm Ezechias ejuſdem tribûs Judæ Rex, Iſraelis in captivitatem abducti reliquias ad reſipiſcentiam modis omnibus revocare ſtudens, inter alia per literas admonet, *Nolite fieri ſicut Patres & Fratres veſtri, qui receſſerunt à Domino* (JEHOVA) *Deo Patrum ſuorum*. Spectat huc denique quòd Iſraelem Prophetæ toties ad Jehovam reverti cohortantur. Item quòd Jehova ipſe, quia Iſrael ſponteneâ ſeparatione hâc populus ejus eſſe deſiiſſet, ſe ſimiliter Deum ejus eſſe deſiturum apud Oſeam declarat, *Quia vos non populus meus, & ego non ero veſter Deus*, Oſee 1.9. Idémque apud Malachiam redintegrandæ mutuæ gratiæ, quæ per dictam ſeparationem interciderat, æquiſſimam illam conditionem profert, ut ſi ad eum revertatur Iſrael, ſit ipſe ad illum viciſſim reverſurus, *Revertimini ad me, & revertar ad vos*, Mal. 3.7. Occurrénteque multa alia in autoribus ſacris accommodatè ad hunc ſenſum dicta & intelligenda, quæ ſtudioſi jam per ſe facilè ipſi colligent & notabunt.

CAP. XI.

Cultum Dei Altiſſimi veterem Sichemitanum, Melchiſedecho loci rege Deíque ejuſdem ſacerdote, à Jeroboamo in Sichem rege electo (regni Iſrael metropoli) nomine tenus revocatum inſtauratúmque fuiſſe, Jeroboamúmq; eundem dicti Melchiſedechi exemplo regiæ dignitati etiam Pontificiam adjunxiſſe.

NUnc ad Deum venio è Jeroboamicis illis duobus alterum, quem Jehovâ relicto, ut capite præcedente oſtendimus, ſolíque regno Judæ præſſe & dominari veluti juſſo, peculiarem ſuum, ſuíque regni Deum eſſe ille ſanxerit, ſolúmque in Ephraim deinceps cultum voluerit. Fuiſſe illum dixi, qui Patriarcharum ævo *Dei qui creavit cœlum & terram*, *Dei Omnipotentis*, *Dei Altiſſimi* nomine cenſebatur, & cùm locis aliis atque aliis, ædificatis paſſim Excelſis altaribúſque, tum verò in Sichem ſpeciatim eodem tempore colebatur: Melchiſedecho loci rege, Deíque ejuſdem Altiſſimi ſacerdote, Regiúmque ac Pontificium ſanctuarium ſuum in querceto ſeu luco Morech juxta urbem habente. Hujus urbis lucíque frequens in Scriptura mentio eſt: in qua urbs quidem non ſolùm *Sichem*, verumetiam *Salem Sichimorum* vocata invenitur. Quæ B. Hieronymo cauſa fuit dictum Melchiſedechum *regem Salem* in Scriptura appellatum, urbis hujus regem putandi potiùs quàm Jeroſolymorum: quæ & ipſa licèt *Salem* quoque dicta noſcatur, an fuerit tamen Abrahami Melchiſedechíve ætate meritò dubitari poteſt, certè pari tunc eſſe vix potuit cum ea quæ Sichimorum fuit nominis celebritate. Lucus autem non aliter ferè quàm *querçûs* ſingularis appellatione in Scriptura deſignari ſolet, Hebraicè ELON MORECH appellatus, ut & alibi ELON MAMBRE, id eſt, *quercus*, aut potiùs *quercetum*, *lucúſve*, *Morech* & *Mambre*. In hoc luco primùm è locis terræ Chanaan omnibus Deus Abrahamo apparuit, primúmque ſe terram illam ſemini ejus daturum promiſit, cùm recente ſuo in illam adventu, à comitatu ſuo reliquo nonnihil digreſſus, urbem Sichem lucúmque ejus illum ſacrum religionis cauſâ (quam enim aliam potiùs cauſam ſuſpicer?) inviſiſſet. Hoc è numeri improviſa mutatione, quæ in his verbis ſuperflua alioquin & inanis futura ſit, colligo, *Cúmque veniſſent in eam* (Abram ſcilicet cum univerſa familia & ſubſtantia ſua in terram Chanaan) *pertranſivit Abram terram* (ſolus, ut dixi, nonnihil à ſuis divertens) *uſque ad locum Sichem, & uſque ad* ELON MORECH (Noſter *uſque ad convallem illuſtrem.*) *Apparuit autem Dominus Abram, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc: Qui ædificavit ibi altare Domino, qui apparuerat ei*, Gen.12.v.6,7. *Salem Sichimorum* eandem urbem vocatam dixi. Fit hoc verò in hiſtoria Patriarchæ Jacob, eâdem viâ quâ olim avus Abram primùm venerat de Meſopotamia revertentis, *Tranſivítque Jacob in Salem urbem Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaan, poſtquam reverſus eſt de Meſopotamia Syria, & habitavit juxta oppidum*, Gen.33.v.18. Luco tamen, ut conjicio, quàm urbi propinquiùs, cujus eadem dicti Patriarchæ hiſtoria ſub eodem ELON Hebraico vocabulo etiam meminit: pro quo non *quercum* tamen, ut locis aliis, ſed *terebinthum* ibi reddidit Interpres. Locum totum aſcribam, ut ſimul meam de illo ſententiam obiter explicem, doctiorúmque de ea judicium explorem, quia ab ea quæ Joſephi eſt longè diſſidentem, *Jacob verò convocatâ omni domo ſuâ, ait, Abjicite deos alienos qui in medio veſtrî ſunt, & mundamini, & mutate veſtimenta veſtra*, Gen.35.2. Et paucis pòſt interjectis verbis, v.4. *Dederunt ergò ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in manibus eorum: at ille infodit eas ſubter terebinthum, quæ eſt poſt urbem Sichem.* Hos deos alienos, & has inaures Joſephus de idolis interpretatur quæ Rachel Patri ſuffurata in terram Chanaan detuliſſet, à Patriarcha Jacob cùm in Sichem veniſſet ſub arbore terebintho defoſſa. Mihi potior ſententia videtur fuiſſe anathemata aurea & argentea, quæ Filii Jacob de nupera urbis Sichem direptione & ſpoliis penès ſe habentes, juſſi ad patrem detulerint, quæque ille, aut potiùs eorum cineres, cùm illa fortè igne conſumpſiſſet, in luco, ceu loco ſacro, defoderit. Cur enim jam tum à Patriarchis religioſè obſervatum non credam, quod poſtea lege præſcriptum fuit? Deut.7.5. *Sculptilia eorum igne combures, non concupiſces aurum & argentum de quibus facta ſunt.* Ejuſdem urbis deniq; ſimul & luci ſub *Sanctuarii* nomine in hiſtoria Joſue mentio eſt, quæ iiſdem verbis hîc etiam repetatur digniſſima, *Pereuſſit ergò Joſue in die illo fœdus, & propoſuit populo præcepta atq; judicia in Sichem. Scripſit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini: Et tulit lapidem prægrandem, poſuítq; eum ſubter quercum quæ erat in Sanctuario Domini*, Joſ.24.25,26. Illud deniq; è libro Judicum de Abimelecho, Gedeonis ſpurio, à Sichemitis juxta quercũ quæ ſtabat in Sichem rege conſtituto, planè de luco ſanctuarióq; eodem, in quo ille auſpicii cauſâ conſtitutus Rex fuerit, intelligendum ſuſpicor, *Congregati ſunt autem omnes viri Sichem, & univerſa familia urbis Mello, abierúntq; & conſtituerunt regem Abimelech juxta quercum quæ ſtabat in Sichem*, Jud.9.6.

Hæc eadem in Labane paulò fuſiùs jam ante explicui, perſecutúſq; ſum. Eò autem obiter hîc etiam à me repetita ſunt, ut poſtquam Melchiſedechum urbis ejuſdem regem fuiſſe, eundémque Dei Altiſſimi ſacerdotem exiſtentem, ſuum in eodem luco ſanctuarium habuiſſe oſtendi, hoc ipſo *Sanctuarii* nomine loco indito & ad poſteros tranſmiſſo, cuivis per ſe colligendum relinquam, Jeroboamo quàm proclive fuerit in Sichem, in eodémque, imò Sanctuario fortaſſe, ut Abimelech (auſpicatiùs quippe in loco ſacro) pro Roboamo regi conſtituto, *Venit autem Roboam in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Iſrael ad conſtituendum eum regem*, 3 Reg.12.1. veterẽ loci lucíq; hujus religionis formam ac cultum Dei Altiſſimi ibidem inſtaurare, próque Jeroſolymitano, quem determinatè ſuis interdictum volebat, eundem in regno ſuo univerſo ſervandum præſcribere. Præſertim non adeò

multis

multis annis intermitti cœptum, siquidem usque dum templum Jerosolymis à Salomone conditum fuit, perseveravit in Israel citra offensam lucorum Excelsorúmque, & in his haud dubiè luci Sanctuarisque Domini juxta Sichem usus, *Attamen populus immolabat in Excelsis, non enim ædificatum erat templum Nomini Domini usque in diem illum*, 3 Reg. 3. ver. 2. Quinimo cùm Jeroboamus Melchisedechum dictæ urbis Sichem (regni sui metropolis) antiquum regem, ut dixi, in antecessoribus suis regibus honoris causâ libenter poneret, non aliter se illi succedere æquum judicavit, quàm si Dei Altissimi, ut ille, sacerdotio initiatus, simul dignitati Regiæ Pontificiam adjungeret. Hoc ex ejus historia facile elicere est, quæ *ascendisse illum ad altare ut adoleret incensum* expressè perhibet, 3 Reg. 13. ver. 1. Addítque consequenter, *Virum Dei venisse de Juda in sermone Domini Jeroboam stante ad altare, & thus jaciente.* Sed & cineris deinde eadem meminit de altari miraculo effusi, qui alius esse cinis non potuit, quàm qui de holocausti ab eo oblati crematione defluxerit. Et verò cùm ità res esset, hanc fuisse causam Jeroboamo maximam suspicari libet, cur tribu Leviticâ & domo Aaron abjectâ, *de infimis populi* (ut historici sacri verba sunt) sacerdotes allegerit, quò sic nemo illi Pontificatum à tribu domóque illa alieno invideret, illegitiméque arreptum, usurpatúmque criminaretur. Sed neque prætereundum hîc fuerit, cùm Mahumetes in Jeroboamo, schisma autem Mahumetanum in schismate Israelitico ceu typo, uti jam dixi, verè præfiguratum esset, satis non fuisse Mahumeti sibi in suos regnum ut Jeroboamus vindicasse, nisi pontificis personam sub Caliphæ nomine similiter assumpsisset.

His ad assensum, imò & plausum etiam morosissimos ultro invitantibus, mirum quàm pulcrè Josephus succinat succenturietúrque. Ut si hæc per se ad persuadendum non sufficerent, tali saltè accedente suffragio abunde suffectura, nec ullam controvertendi dubitandíve materiam relictura putem. Facit hoc ille autem primùm in novi regis persona sic ad populum loquentis, *Viri populares, Notum vobis existimo quòd nullus locus est Deo vacuus, & quòd is nullo certo loco includitur, sed ubique vota exaudit, ubique cultores suos respicit.* Primùm enim hoc exordium tale est, ut mentione Dei injectâ qui certo nullo loco includatur, sed vota ubique exaudiat, ubique cultores suos respiciat, cultum Jehovæ Jerosolymitanum omnino labefaciat ac propemodum evertat, in Sanctuario propemodum inclusi, & Arcæ sanctæ alligati, quo solo loco sibi altare poni, immolari, vota persolvi instituerit, alibi autem persoluta respuerit, præ cultu vetere Dei Altissimi, cujus ad Abrahamum filiósque ejus Patriarchas tot apparitiones locis aliis atque aliis factæ (ut in Sichem, Bethel, Mambre, Bersabee, Moria) tótque sacrificia ac vota locis iisdem summa ejusdem cum approbatione facta & persoluta evincebant verè de eo dici illud posse, Deum esse qui loco nullo certo includeretur, sed ubique vota exaudiret, ubique cultores suos respiceret. Deum itaque Altissimum, quem & *Deum Universi* libentiùs vocasse suspicor, ut Jehovæ Deo Sion, perinde ac montis unius Deo, dissque Seir montiúmve aliorum propterea comparando opponeret, locis quibus lubitum cuique esset, præcipuè tamen in Bethel & in Dan colendum, Jehovam autem cum Jerosolyma & Templo relinquendum edicit, sic porrò orationem persecutus, *Quare non placet mihi hoc tempore vos Jerosolyma urbem infensam ascendere. Homo templum illud statuit: quomodo & ego duos cherubos* (sic haud dubiè Jeroboamus, Josephus ex tribuum duarum & Leviticæ suæ consuetudine, per contemptum & in opprobrium, *duas vitulas*) *consecravi, alteram in Bethelia, alteram in Dana: ut pro locorum opportunitate ex propinquioribus locis ad eas confluentes ritè Deum adoretis.* Post vocem *Deum* addere Josephus debuerat, *Qui vos eduxit de terra Ægypti*, cùm addidisse & Jeroboamum è sacra historia notum sit. Sed anxium fortè Josephum habuit, quî hoc à Jeroboamo dictum defendi satis posset, Scripturâ eâdem populi liberationem ex Ægypto Jehovæ constantissimè ubique tribuente. Sed defendi dictum commodè & hoc poterat, defendítque haud dubiè in promptu etiam Jeroboamus, producto Scripturæ loco in eam rem sanè illustri, in persona *Dei Fortissimi*, qui idem præmemoratus *Deus Universi, Deúsque Altissimus* erat, ad Patriarcham Jacob in visione loquentis, sesèq; eum in Ægyptũ descendentẽ comitaturũ & indè aliquando educturũ pollicentis, Gen. 46. 3, 4. *Ait illi Deus, Ego sum Fortissimus Deus Patris tui: Noli timere descendere in Ægyptum. Quia in gentem magnam faciam te. Ego descendam tecum illuc, & ego indè adducam te revertentem.*

Porrò Jeroboamum verè sacerdotio Dei Altissimi initiatum fuisse, Pontificiámque dignitatem Melchisedechi exemplo, ceu dixi, Regali adjunxisse, quamvis è locis historiæ sacræ prælegatis abunde liqueat, est tamen Josephi quæ eodem loco sequitur multò in eam rem luculentior testificatio, *Porrò autem appetente septimi mensis solennitate volens & ipse eam apud Bethela celebrare, sicut à duabus tribubus Jerosolymis celebrabatur, ante vitulam altare posuit, móxque assumptâ Pontificis personâ cum sacerdotibus suis ad altare ascendit.*

Cùm Josephus solennitatem septimi mensis fuisse hanc dicit, manifestò ex sententiæ suæ Scenopegiam fuisse indicat. Quod non improbo, ut cùm templi Salomonici dedicationem in idem illud festum incidisse traditum sit, factum ab eodem cum altaris & vituli dedicatione, religionis in Ephraim translatæ, cultúsque Dei Altissimi instaurati initium voluisse Jeroboamus existimetur, 2 Par. 5. ver. 3. Alioqui minimè illud mense septimo, sed octavo à Jeroboamo celebratum Scriptura expressè declarat. Sed neque sic alieno mense ab eo celebratum mirabitur, qui meminerit etiam ipsum illum Legis ceremoniarúmque patriarum tenacissimum, tantúmque non religiosi principis exemplar absolutissimum Ezechiam Phasc illud suum tam memorabile, *quale à diebus Salomonis filii David celebratum Jerosolyma non fuisse* scriptum est, (2 Par. 30. ver. 26.) cùm primo mense ex Lege celebrare debuisset, in mensem proximum similiter rejecisse; *Inito ergò consilio Regis, & Principum, & universi cœtûs Jerusalem, decreverunt ut facerent Phasc mense secundo: non enim occurrerunt facere in tempore suo, quia sacerdotes qui possent sufficere sanctificati non fuerant, & populus nondum congregatus fuerat in Jerusalem*, ibid. ver. 2, 3. Quo loco solennitatis ab Ezechia dilatæ ratio simul adjecta est. Quam autem suæ differendæ similiter rationem Jeroboamus habuerit ejus historia supprimit. Consentaneum est autem instante Scenopegiæ festo, jámque ascendentibus catervatim Jerosolyma decem tribubus, cùm impediri illas avertíque indè non posse aliter crederet, tunc primùm de solennitate simili domi instituendâ regem cogitasse; & cùm serũ jam esset, rebus imparatis omnibus, suo ut mense celebrari ea posset, in mensem sequentem celebrandam indixisse: accurata tamen cum diei qui Lege illi præscriptus esset observatione, ut ab Ezechia etiam factum Scriptura expressè annotat.

In Bethelis autem celebratam illam voluit, translatâ illuc de Sichem, aut potiùs de querceto Moreh juxta Sichem religionis sede, Sanctuarióque regio, & templo regni ibidem dedicato. Sic enim habitum vocatúmque, Amasiæ, qui sacerdotum Bethel unus Jeroboamo secundo regnante fuit, prophetam Amos ibi prophetare ægre ferentis, insigne testimonium illud est, *Et in Bethel non adjicies ultrà ut prophetes, quia Sanctuarium regis est*, (sic Pagninus, & recentiores alii, Noster *sanctificatio*) *& domus* (id est, templum) *regni*, Amos 7. ver. 13. Fuisse illud autem in luco sive Excelso illo vetere Bethelensi conditum, ut & passim minora alia in lucis Excelsísque aliis, ex eo intelligere facile est, quòd Jeroboamum *fecisse fana in excelsis* disertim proditum sit, 3 Reg. 12. ver. 31. Ut cùm luci & Excelsa hactenus fortè subdialia fuissent, *Non enim* (Salomonici regni initio) *ædificatum erat templum Nomini Domini, usque in diem illum*, 3 Reg. 3. ver. 2. primus auctor fuisse condendorum in illis fanorum Jeroboamus credi possit,

ſecutis deinde ejus exemplum regibus aliis, ut ex hiſtoria regis Joſiæ intelligi poteſt, *Inſuper & omnia fana Excelſorum quæ erant in civitatibus Samariæ quæ fecerant reges Iſrael ad irritandum Dominum abſtulit Joſias, & fecit eis ſecundùm omnia opera quæ fecerat in Bethel*, ſecutis autem vicinarum etiam gentium regibus; in his & Tyriis, nominatim Didone, ſi Virgilio credimus, ſic de ea perhibenti, Æneid. lib. 1.

Lucus in urbe fuit media, lætiſſimus umbrâ:
Hîc templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine Diva.

Templo ſive fano Bethelenſi cum luco, faniſque Excelſorum regni Samariæ cæteris à Joſia rege (utì modò audivimus) multò poſtea, & jam tribubus in captivitatem abductis, ſuccenſis ſublatiſque, 4 Reg. 23. 15, & 19. illud deinde ſecutum eſt, ut quemadmodum de Sichem in Bethel tranſlata primùm religionis Iſraeliticæ ſub Jeroboamo ſedes fuerat, ad Sichemitas rurſum Alexandro Magno in Aſia rerum potiente reverſa ſit, condito in monte Garizim urbi Sichem imminente per Manaſſem Jaddi pontificis fratrem, ſoceri Sanaballati opibus, templo illo celeberrimo, Jeroſolymitani æmulo, (Joſeph. Ant. 11. cap. 8.) in quo à Samaritanis & Judæis tranſgreſſoribus diu adoratum eſt, & de quo intelligendum illud venit Samaritanæ mulieris Euangelicæ, *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt.*

CAP. XII.

Locorum Scripturæ in ſpeciem pugnantium, quorum occaſione digreſſi huc ſumus, conciliatio. De Dei Sanctuariíque in eandem ſignificationem relictione, pluribúſque ejuſdem relinquendi modis gradibúſve. De Eccleſia & Regno, & utriuſque ſanctificatione. Ad Reges, nominatim ad Britanniæ magnæ magnum regem, apoſtrophe.

VErùm his commodè ſatìs hactenus ſe habentibus, & quod de aquis fontis Siloe Propheta dicebat) cum ſilentio fluentibus, nunc primùm res tumultûs & contentionis ingruit, interpellaturis quæſituríſque omnibus, quî tandem ſimul conſiſtere hæc poſſint: Jeroboamum Dei Altiſſimi cultorem fuiſſe, ejuſdémque Dei cultum ſuis præſcripſiſſe: Et Jeroboamum eundem eodem tempore de diis alienis conflatis, à Deo; de vitulis populo in deos factis, ab rege Abiamo; de vitulis iiſdem adoratis, déq; ſacerdotibus excelſorum Dæmoniorúmque iis inſtitutis, ab Hiſtorico ſacro argui?

——Nimirum hæc illa Charybdis,
Hos Helenus ſcopulos, hæc ſaxa horrenda canebat. Æn. 3.

Hæc, inquam, præmemorata præformidatáque à me initiò in me meámque aciem partis adverſariæ impreſſio illa eſt; ſed quam declinare, imò & labefactare parvo momento poſſe videor, ſi Deum, ſi Abiamum regem, ſi Hiſtoricum ſacrum locis ſuprà citatis nil aliud voluiſſe dixero, quàm Jeroboamo & Iſraeli ſignificatum, ab iiſdémque intellectum, vanam eſſe quam mente agitabant & inducere præſumebant, Divinitatis in Jehova diviſionem: quia Jehovâ poſt tergum projecto relictóque, qui unus inſeparabiliſque Deus eſſet, ſupereſſet Deus alius nullus Creator cœli & terræ, nullus Omnipotens, nullus Altiſſimus, in quem cultum more patrio ſoli debitum Jehovæ, qui idem Deus Creator cœli & terræ, Omnipotens & Altiſſimus ſolus eſſet, converterent. Atque ideo quòd coram Cherubis, ut ità dicam, perſonatis, próque ſua libidine, prævio nullo Dei aſſenſu mandatóve effictis, alienóque ſolo dedicatis conſecratíſque, talem aliquem cultum exhiberent, ſcirent nulli Deo, quia præter Jehovam & ſine Jehova nullus eſt Deus, ſed vitulis, nil utique Cheruborum præter formam vitulinam habentibus, perinde ac diis alienis & conflatilibus gentes ſolebant, ab eis exhiberi, quóſque eis inſtituerent ſacerdotes, non Deo, ſed Dæmoniis inſtitui, próque Deo nil denique aliud quàm vitulorum ſpecie idola ab eis adorari. Quomodo Mahumetani (ſic adeò ſchiſma eorum cum Iſraelitico omni ex parte convenit) cùm abjecto & ipſi poſt tergum Jehovâ ſive Perſonis Divinis, Patre, & Filio, & Spiritu ſancto, ut & antea dixi, Deum venerantur, nudam ſolámque Dei appellationem venerari certum eſt; ſi linguâ expreſſam, ſonum & vocem ſine re, qualis poetica illa Echo; ſi calamo deſcriptam, quatuor literas locis aliis, figurâ aliâ effingi ſolitas, nihílque per ſe ſignificantes, idolum itaque, ſi quod aliud, vaniſſimum. Hoc fuit igitur, meo judicio, locis Scripturæ præcitatis quod Deus, quod Rex Abiamus, quod ſacer ſenſit voluíſque hiſtoricus. Samuel ſimplicem inobedientiam idololatriæ æquiparare auſus fuit, *Quoniam quaſi peccatum ariolandi repugnare eſt, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere*, 1 Reg. 15. 23. Non æquipararetur ſchiſma, & conſequenter idolis ſchiſmatis indices, ſymbolum & inſigne vituli?

Neque tamen deteſtabiliores fuiſſe negare velim, ſi Geometricâ juſtâque ratione metiendi eſſent, Dii gentium, in quibus apertè nullâque diſſimulatione Dæmonia colebantur, quàm Cherubi ſeu vituli Jeroboamici, in quibus Deo quamvis invito & nolente, apertâque cum Legis mandatorúmque ejus infractione, ideóque & graviſſima cum ejuſdem offenſione, Deum tamen verum colere Jeroboamus credi volebat. Sed hoc illi nimirum intendebant: tanti fuiſſe apud Deum Sanctuarium relinquere, ab eóque recedere & voluntariè præſcindi, ut quò deinde ſe verterent deſertores, ac ſive idolorum cultum apertum amplecterentur, quod in Excelſis fiebat gentium, ſive in cultu locis aliis quàm præceptum eſſet, hoc eſt, extra Sanctuarium vero Numini exhibendo perſeverarent: ídque rurſum ſive in Schiſmate, ut in Excelſis Samariæ fiebat; ſive ſimplici contra Legem prævaricatione citra ſchiſma, ut in excelſis Juda, curæ Deo vix eſſet, dum trium quæ dixi ſcelerum gravitatem, re quamvis & naturâ multùm diſparium, ſolo relicti Sanctuarii pondere metitur.

Sanctuarii dico, quod relinquere perinde eſſe interpretabatur ac ſe in eo utique habitantem relinquere. Unde & qui poſterioribus modis duobus peccabant, tametſi verum Deum agnoſcebant, ſoliúſque ejuſdem cultum profitebantur, tam *Deum* tamen *relinquere* dicebantur, quàm qui primo illo modo, quem ſummum Dei & Sanctuarii deſertionis gradum feci. Quod enim de illis ibi dicitur, *Reliquerunt autem Deum Patrum ſuorum, & fornicati ſunt poſt deos populorum terræ, quas abſtulit Dominus coram eis*, 1 Par. 5. 25. dicitur & de iis qui ſecundo modo peccabant, veri Numinis cultum in ſchiſmate retinentibus, ut ex hoc loco patet, è literis regis Ezechiæ ad reliquias decem tribuum, *Nolite fieri ſicut Patres & Fratres veſtri, qui receſſerunt à Domino Deo Patrum ſuorum*, 2 Par. 30. 7. Quo loco notandum, quod de relicto Deo ibi dixerat, regem paulò pòſt de Sanctuario relicto interpretari, *Tradite manus veſtras Domino, & venite ad Sanctuarium ejus, quod ſanctificavit in æternum*, ib. v. 8. Dicitur deniq; & de tertio quem poſui deſertionis gradu, eorum qui tametſi citra ſchiſma, quia ſolennitates Juda quotannis frequentabant, & azyma Jeroſolymis cum fratribus ſuis comedebant, tamen locis aliis, quàm præſcriptum erat, altaribus exſtructis, quotidie immolabant adolebántq; incenſum Domino Deo ſuo, ut in excelſis Juda ſolitum fieri dixi. Huic rei exemplum iſtud pono ex hiſtoria regis Joæ, in perſona Zachariæ pontificis, *Quare tranſgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquiſtis Dominum, ut derelinqueret vos?* 2 Par. 24. ver. 20. ubi ceu loco præcedente factum, notandum quoque eſt, pro eo quod Zacharias *relictum Dominum* hic dicit, hiſtoricum ſacrum paulò antè de Sanctuario ſive Templo relicto interpretari, *Et dereliquerunt templum Domini Dei Patrum ſuorum*, ibid. ver. 18. Unde & quod ibidem

dem missos Prophetas ad Judam & Jerusalem scriptum subjungitur, *ut reverterentur ad Dominum*, adimplendum fuisse clarum est, revertentibus illis ad templum Domini, aut potiùs extra templum Domini sacris operari desinentibus. Hunc locum de excelsis Juda postquam Joiada pontifex *pepigit fœdus inter Dominum & regem, & inter populum, ut esset populus Domini*, (4 Reg. 11. ver. 17.) ab eo clausis, & mortuo Joiadâ à Joa rege Aulicorum consilio & hortatu denuo apertis intelligendum puto, cùm alias ob causas alibi explicandas, tum verò quòd in historia Regum priore nulla de re alia inculpatus Joas legatur, quàm de qua cæteri etiam propemodum Reges Juda, nempe *quòd Excelsa non sustulerit*. Excelsa illa videlicet, in quibus populus Juda de more, tametsi contra Legem, Domino suo immolabat. Ad postremum desertionis eundem gradum & illud libenter refero, summæ antiquitatis exemplum, tametsi criminis suspicionem tantùm, non etiam verum crimen, contineret; de tribubus Transjordaninis altare illud infinitæ magnitudinis juxta Jordanem ædificantibus, *Misitque Phinees, & decem Principes cum eo, singuli de singulis tribubus, dixerunt ad eos, Hæc mandat omnis populus Domini, Quæ est ista transgressio? Cur reliquistis Dominum Deum Israel, ædificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes?* Jos. 22. ver. 13, 14, & 16. Satis inclementer & iracundè, decorè tamen, quia ad personam & zelum Phinees planè accommodatè. Nec enim dictas tribus in suspicionem apostasiæ, quam primum gradum feci desertionis Dei, tunc vocatas putandum est; imò nec proximi quidem gradûs quòd Schisma meditarentur, nullis intercedentibus offensionis causis; sed tertii duntaxat, eorum qui à Sanctuario quidem & solennitatibus Lege præscriptis separari nollent, peculiari tamen altari propiore ac veluti domestico diebus cæteris sibi sacris operari licere vellent: *Ut veriùs non custoditi attentè, & opere adimpleti* (quod Josue abeuntibus illis præceperat, Jos. 22. ver. 5.) *mandati, & legis Dei* solummodo argui possent, non etiam majorum illorum scelerum. Unde & mitiùs deinde cum eis agere videtur Phinees, hoc modo orationem claudens, *Quòd si putatis immundam esse terram possessionis vestræ*, (quia nullum altare habituram) *transite ad terram in qua tabernaculum Domini est* (hinc patet nullam fuisse de apostasia suspicionem) *& habitate inter nos: Tantùm ut à Domino* (id est, à Sanctuario) *& à consortio nostro* (id est, ab Ecclesia) *non recedatis, ædificato altari præter altare Domini Dei nostri. Ædificato*, inquam, *altari sacrilego*, ut antè præmissum est, qualia sunt fuerúntque quæ hæretici sibi omni ævo præter altare Domini ædificare permiserunt, quamvis pridem nulla ædificant sed diruunt.

Hinc igitur resultat, Tametsi quivis peccator quatenus peccat & quomodocunque peccet *Deum derelinquere*, & *à Deo recedere* rectè dicatur, tamen de eo magis propriè ac veluti κατ' ἐξοχὴν solitum & dici & intelligi, qui Sanctuarium, id est, Ecclesiam, reliquisset. Quia qui quovis modo alio peccando Deum relinquat, quatenus tamen Sanctuarium non relinquit, Deo in Sanctuario habitanti adhæret, nec *eum* propriè ac verè *relinquere* dici potest. Qui autem è contrario Sanctuarium relinquit, ut nulli peccato alii sit obnoxius, non potest aliter tamen quàm Deum (in eo utique habitantem) simul relinquere intelligi. Atque ità cùm *relinquere Deum* & *relinquere Sanctuarium* hoc sensu paria sint, nullum est peccatum quod relicti Sanctuarii peccato sit comparandum. Quod quidem de Sanctuario legali dictum, nihil est quòd non modis omnibus urgeat esse de Euangelico, cujus illud erat typus, haud secius intelligendum. Cujus rei tam claræ támque manifestæ consideratio multum virium habere debeat ad fideles in matris Ecclesiæ sinu continendos, ab ejusdémque desertione & præcisione deterrendos; non si, quod isti desertioni & transfugio suo prætexunt, inquinamenta vel majora etiam quàm quæ in eam irrepsisse, quibúsque contaminatissimam eam esse credi volunt, verè in eam irrepsissent; non si (quid dici majus potest?) in loco ipso sancto abominatio ipsa sederet.

Et verò si prætextus justus legitimúsque ab Ecclesia Christiana tam prisco ævo quàm nostro descisscentium hic esset, fuisset olim & eorum haud dubiè qui à Mosaica sive à Sanctuario. Sed nunquam auditum lectúmve est piorum quenquam ideo sibi relinquendum Sanctuarium putasse, quia illud pollutum contaminatúmque esset: ac nè tum quidem cùm esset pollutissimum, cúmque contaminatissimum. Numquid tale non erat Jeroboamo recèns ad regnum Israel vocato, invectis in colles civitati sanctæ ac templo proximos tot nuper à Salomone, tot item haud multò pòst (sub Roboamo utique) à viris Juda in universam tribum idolorum abominationibus? De Salomone nimis hoc vulgare est. De Roboami regno sic Scriptura, 3 Reg. 14. ver. 22, 23, 24. *Et fecit Juda malum coram Domino, & irritaverunt eum super omnibus quæ fecerunt patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt. Ædificaverunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam. Sed & effeminati fuerunt in terra. Fecerúntque omnes abominationes gentium, quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel.* Qui potuit igitur nè Jeroboamo quidem hoc in mentem venire, causas tametsi non solùm habenti maximas cur Sanctuarium à suis relictum valde cuperet, quibus utique religionis causâ in Jerusalem ascendentibus, *reversurum regnum ad domum David, conversúmque iri cor eorum ad Dominum suum Roboam regem Juda, séque ab eis perimendum verebatur*, 3 Reg. 12. verùm etiam rationes quibus optimis maximéque idoneis relinquendum persuadere, aut etiam edicere & cogere posset adhibito consilio conquirenti, *Et adhibito consilio fecit duos vitulos*, &c. ibid. Qui potuit, inquam, hoc prætextu & ipse non uti, nec Judam cum rege suo apostatasse, & defecisse religionem de Jerusalem dicere, suísque, contagii vitandi causâ, templo, sacrificiis, solennitatibúsque Judaicis severè interdicere? Mirum hoc certè & consideratione dignissimum. Verùm admirabilius illud, quòd tali exsistente circa religionem regni Judæ statu, quo quisque subditorum ejus Dei metu & religione magis ducebatur, nihil tot abominationum illarum odio & exsecratione remoratum, nullâque regiorum edictorum, nec præsidiorum intercipiendis illis qui proficisci auderent locis opportunis dispositorum, formidine territum in Jerusalem ascenderet; adeò ut & plurimis Patriam schismaticam exsilio sancto posthabentibus, & Jerosolymæ manere eligentibus, non parùm roboratum confirmatúmque regnum Juda fuisse traditum sit, 2 Par. 11. ver. 16, 17. *Sed & de cunctis tribubus Israel, quicunque dederunt cor suum ut quærerent Dominum* (JEHOVAM) *Deum Israel, venerunt in Jerusalem ad immolandas victimas suas coram Domino Deo Patrum suorum, & confirmaverunt Roboam filium Salomonis per tres annos.* Quo loco quod *per tres annos* factum dicitur, sic accipiendum dubitare nolim, ut fieri non quidem omnino postea desisse, sed tantâ sedulitate tantâque frequentiâ ampliùs non factum, ut confirmari indè regnum Juda posset, intelligendum putem. Non enim tantus pietatis fervor desubito totus concidisse credi potest; at diminui solùm ac deferveſcere paulò evidentiùs tunc cœpisse. Ità tamen ut qui tot illis difficultatibus victi, à Juda Judaicísque solennitatibus abstinentes, Jehovam non ampliùs requirebant, tam non adduci potuisse existimem ut eum cum Jeroboamo post tergum projicerent, ut nomen cultúmque ejus & ipsi &, eorum sive exemplo sive hortamentis & incitatione, multi alii quamvis in Schismate, aut veriùs nec Schismati consentientes, coram vitulis adorantes licèt, religiosè intra se haberent. De quo numero, eorúmve posteris, septem illa millia virorum fuisse statuo, qui in persecutione sub rege Achab, Deum sibi ab idololatria immunes reservasse, quósque genua ante Baal non flexisse (nesciente hoc de illis Eliâ) scriptum est, 3 Reg. 19. ver. 18. Neque tamen his etiam constantiores fortio-

réſque aliquos perpetuò fuiſſe dubitem, qui ad extrema uſque regni Iſraelitici tempora continuè religionis ergò in Jeruſalem aſcenderint, Tobiæ majorúmque ejus argumento. Cùm enim filium alloquens Tobias, *Filios Sanctorum* ſeſe eſſe dicit, Tob. 8. 5. facilè quod de eo Scriptura teſtatur, relictis omnibus ad templum Domini pergente, de patribus majoribúſque ejus ſanctis etiam colligendum, nec fuiſſe illo ſegniores in requirendo Jeroſolymis Domino intelligendum relinquit. Sunt hæc de Tobia Scripturæ verba, Tob. 1. v. 5, 6, 7. *Denique cùm irent omnes ad vitulos aureos, quos Jeroboam fecerat Rex Iſrael, hic ſolus fugiebat conſortia omnium, & pergebat in Jeruſalem ad templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael; omnia primitiva ſua & decimas ſuas fideliter offerens: ità ut in tertio anno Proſelytis & advenis miniſtraret omnem decimationem.* Itaque non eſſe ibi voces *Omnes* & *Solus* tam ſtrictè accipiendas putandum eſt, ut omnes omnino præter Tobiam ad vitulos iviſſe credere neceſſe ſit: non magis quàm verſiculo præcedente, non fuiſſe illo quenquam in tribu Nephthali juniorem, quia ibi ſcriptum ſit, *Cúmque eſſet junior omnibus in tribu Nephthali:* Sed *omnes* quidem de tanta frequentia euntium ad vitulos dici intelligendum ſit, ut excludi nemo potuiſſe videatur; *Solus* autem de tanta Tobiæ aſſiduitate, tantóque ejuſdem præ aliis in aſcendendo religionis affectu, ut præter eum ſolitus aſcendere nullus videretur. Quomodo apud Scriptores Latinos uſurpari etiam vocem eandem uſu venit. Certè Hebraica libri Tobiæ editio haud ità pridem in Germania evulgata, quàm mihi cum Latina ejus verſione vir optimus doctiſſimúſque Joan. Sylvius, civis & charus meus, cùm hæc ſcriberem opportunè ſuggeſſit, cùm alia nonnulla de quibus editio noſtra Vulgaris filet, tum & illud continet, fuiſſe Tobiæ ſacræ profectionis comites viros nobiles Hananelem & Nathanem tribules ejus, magni Salomithi filios, qui cùm legis patriæ obſervantiſſimi eſſent, perpetuò cum Tobia Jeroſolymis adoraverint, nec unquam poſt vitulos erraverint.

Sed imprimis notandum hîc fuerit, in cujus, quorúmve Regum Juda tempus Tobiæ profectiones Jeroſolymitanæ inciderint, ut nihil obſtitiſſe miſerrimam, ut tum erat, in Jeruſalem religionis conditionem & formam, quominus illuc ad Dominum frequenter aſcenderet, & tanto quidem quanto dixi affectu aſcenderet, intelligamus. Et quidem incidiſſe illas in regnum Achas maximè certum eſt: qui anno vigeſimo ante captivitatem, quâ Tobias abductus cum tribu ſua in Aſſyrios fuit, regnare cœperit, & annos ſexdecim regnaverit. Floruiſſe enim Tobias per tempus illud ut ætate, ità & pietate illâ ſuâ tam inſigni, ex ejus hiſtoria liquidò colligere eſt. Quàm fœda autem quámque horrenda Eccleſiæ facies Jeroſolymæ tunc fuerit incredibile dictu eſt, Achâ Rege Juda ſummóque ſacerdote Uriâ impietate quodammodo certantibus; cùm *Achas non ſolùm in viis Jeroboam ambularet, ſed inſuper ſtatuas Baalim funderet: filióſque ſuos juxta ritum gentium in igne luſtraret*, 4 Reg. 16. v. 3. 2 Par. 28. v. 3, & 24. Sed parùm fuit religiones impias hoc modo eum profiteri: patriam propriámque ſuam ſanctam delere conatus eſt, qui *direptis omnibus vaſis domûs Dei atque confractis, januas templi Dei clauſerit*, 2 Par. 29. 7. adeò ut & *lucernæ extinctæ fuerint, deſierítque incenſum adoleri, & holocauſta in ſanctuario Dei Iſrael offerri*, 4 Reg. 18. 4. adoleretur autem contrà incenſum ſerpenti æneo, dicto Uriâ ſummo ſacerdote tam non obſtante, ut contrà ſacrilegis regis molitionibus omnibus connivente & ſuccenturiante. Pergebat tunc nihilominus Tobias, pergebant item alii religionis cauſâ in Jeruſalem haud pauci, vitæ ſanctitate & pietate illi æquales, ad templum Domini, & ibi adorabant Dominum Deum Iſrael. Ac tum quidem etiam haud dubiè pergebant, cùm valvæ templi clauſæ erant, adeò ut exclusi ante illas adorare neceſſe haberent, ac ſic qualicunque optimo poſſent modo, munere ſuo defungi ac legem implere. Nil interea in Regis Pontificíſque vitam & mores inquirentes obmurmurantéſve, quia poteſtati non eſſe reſiſtendum ſcirent, Rom. 9. 2. nec licere ſacerdoti maledicere, Exod. 2. 28. ſed rem ſuam ſolùm agentes, ſoliúſque animæ ſuæ ſalutem *in charitate & ſpiritu manſuetudinis*, 1 Cor. 4. 21. quâ licuit, procurantes; niſi quòd ſpe meliorum ſe conſolabantur, quæ nec ipſos diu fruſtrata eſt, Ezechiâ tandem ad regnum Juda evecto, qui *ipſo anno & menſe primo regni ſui aperuit valvas templi Domini* (ab Acha clauſas) *& inſtauravit eas*, 2 Par. 29. 3. *Congregatíſque Sacerdotibus & Levitis, juſſit eos auferre omnem immunditiam de Sanctuario*, ibid. v. 5. *confregítque ſerpentem æneum*, 4 Reg. 18. 4. vocato autem inſuper ad regnum Iſrael paulò antè etiam Oſeâ, regni illius regum optimo, aut veriùs minimè omnium malo; utique quem Scriptura malum quidem coram Domino feciſſe arguat, *ſed non ſicut reges Iſrael, qui ante eum fuerant*, 4 Reg. 17. 2. ex quo non ambulaſſe, ut reges Iſrael cæteri, in viis Jeroboami creditur; imò & præſidia quæ aſcendere in Jeruſalem volentibus terrori & obſtaculo erant ſuſtulerit, [Chron. Hebr.] ut tunc quidem Tobiæ piiſque omnibus aſcendere liberum jam fuerit, domum Domini recluſam Sanctuariúmque ab omni immunditiâ repurgatum inventuris. Sed ad breve tempus fuere hæc illis halcyonia, cùm anno Oſee quarto, Ezechiæ ſexto, Salmanaſſar captâ Samariâ, decem tribus, permixtímque bonos cum malis, in captivitatem abduxerit.

Verùm quî potuit Tobias, quî pii alii tantâ religionis deformitate & fœditate offenſi, potiùs quàm longis peregrinationibus religionis cauſâ ſuſceptis, Sanctuarium, quod erant non aliter quàm vel contaminatiſſimum vel clauſum inventuri, requirerent, ab eo non averti abalienaríque, déque alia quavis potiùs frequentanda religionis ſede vel Bethelis, vel Galgalis, vel Berſabee, olim Deo gratiſſimis, cogitare? Quia illud à Deo electum unicum, & in ſempiternum ſanctificatum ſcirent, nec quod à Deo ſanctificatum eſſet ullâ hominum improbitate infici contaminaríve poſſe crederent. Sanctificavit enim Deus verè ſanctuarium ſuum in ſempiternum, ídque abſolutè & ſimpliciter, nullâque adjectâ conditione, ſecùs quàm regnum; quod & ipſum Deus ſanctum & ſempiternum eſſe voluit. Sanctum, inquam; non ſuâ tamen Divinâ incommutabili ſanctitate illud ſanctificans, ut Sanctuarium, ſed regum ſanctitate ſanctum eſſe ſtatuens. Sempiternum autem, non ſimpliciter & abſolutè, ut Sanctuarium quoque, ſed ſub conditione, ut quamdiu Reges ſancti eſſent, & illud Regum ſanctitate ſanctum eſſet idem & ſempiternum. Hæc eſt ſanctificationis à Deo in Sanctuarium collatæ formula, *Dixítque Dominus ad eum* (Salomonem,) *Exaudivi orationem tuam, & deprecationem tuam quam deprecatus es coram me* (coram arca federis:) *Sanctificavi domum hanc quam ædificaſti, ut ponerem Nomen meum ibi in ſempiternum: Et erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*, 3 Reg. 9. v. 3. Quomodo autem *in ſempiternum & cunctis diebus*, de domo ſive templo aut Sanctuario quod aliquot pòſt annorum centuriis aboleri erat neceſſe, & ipſi nos pridem videmus abolitum? Nimirum ſanctificatio illa à templo Salomonico & Sanctuario legali in Euangelicum, quod Dei qui ſanctificavit reſpectu unum idémque Sanctuarium eſt, ſine ulla interruptionis aut commiſſuræ veſtigio tranſiit continuatáque eſt. Unde & quod filius Dei ſub *Jehovæ* nomine oculos ſuos & cor ſuum ibi fore cunctis diebus Salomoni dicebat, idem caro factus in Sanctuario Euangelico fuiſſe adimplendum poſtea declaravit, ad Apoſtolos loquens, *Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi*, Mat. 28. 25. Tranſiit itaq; cõtinuatáq; eſt à Sanctuario Legali, uti dixi, in Euangelicum dicta ſanctificatio, ut nullã ex quo facta ea eſt à principio interruptionem paſſa, ità nullam à medio, nullam à fine paſſura. Adeò ut nè tum quidem quo tempore Sanctuarium cum templo exuſtum fuit, cúmque abductis in captivitatem ſacerdotibus & populo

populo desertum desolatúmque, non jam ampliùs in sacrorum religionísque usum, sed feris in spelæa cederet, religionis in eo sedes esse desierit, ad quam dispersus per gentes Israel, statis indictísque Lege sacrificiorum temporibus, si non, ut antea, corporali præsentiâ, animorum certè, quinimo & corporali, vultûs, inquam, & manuum ad illud conversione oraturus quodammodo conveniebat, quóque antea solebat pacto propemodum adorabat, ut ex hoc Danielis loco (Dan. 6. ver. 10.) satìs intelligere est; *Quod cùm Daniel comperisset, id est, constitutam legem, ingressus est domum suam, & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Jerusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebatúrque coram Deo suo, sicut & antè consueverat.* Cujus loci postrema verba, *Sicut & antè consueverat*, locum tempúsque & modum orandi eundem à Daniele in exsilio providè servatum nempe innuunt, quem Jerosolymis antea servari mos fuerat. Locum, dum obverso ad Jerusalem & sanctuarium vultu: Tempus, dum tribus temporibus in die, Lege scilicet ad orationem & sacrificia præscriptis: Modum, dum coram Deo suo orasse se dicit. Est autem ejusdem Danielis etiam locus alter, ubi tempus expressiùs designatur, *Adhuc eo loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me, in tempore sacrificii vespertini*, Dan. 9. ver. 21. Atque ità quamvìs spaciis longissimè dissiti, in unum tamen Ecclesiæ corpus colligi, uniúsque religionis communione astringi colligaríque hoc saltem modo captivus Juda nunquam destitit. Atque hinc pulcerrima elucet ratio, cur idem Daniel in illa ipsa oratione quam in tempore sacrificii vespertini ad Deum suum fundebat, eum precetur ostendere Faciem suam super Sanctuarium suum, quamvìs desertum, *Nunc ergò exaudi, Deus noster, orationem servi tui & preces ejus, & ostende faciem tuam super Sanctuarium tuum quod desertum est*, Dan. 9. ver. 17. Cur enim non potiùs ostendi postulabat super flumina Mediæ, Ulai, Chobar & alia, ad quæ fiebant de more orationis causâ Israelis captivi cœtus? Ezechiel 1. ver. 1. *Et factum est, cùm essem in medio captivorum, juxta fluvium Chobar*, &c. iis similiter qui in Chaldæa agebant, super Euphratem ac Tigrim, ubi eandem ob causam & ipsi conveniebant, ostendi postulaturis; *Super flumina Babylonis illic sedimus, & flevimus cùm recordaremur tui, Sion*, Psal. 136. ver. 1. Cur, inquam, super congregationes suas multiplices Deum ostendere faciem suam captivus Israel non potiùs orabat? Quia sciebat Deum non ut Regnum, quod per captivitatem nullum superérat, sic etiam Ecclesiam sciffam dissipatámque suam velle, futuris si hoc à Deo petiisset impetrassétque in Mediâ Daniel, hoc item locis aliis agentes captivi alii, quot erant dispersionis loca, totidem Sanctuariis, totidémque sacerdotibus summis: abominatam Deo rem, unionis amatori. Orabat itaque Deum Daniel, orabant alii locis aliis atque aliis in captivitate agentes, ostendere faciem suam super Sanctuarium suum Jerosolymitanum, quamvìs desertum. In cujus unici agnitione, & sua ad illud vultûs quidem & corporis, sed multò magìs animorum, religiosa devotâque conversione Ecclesiæ unitatem contineri intelligebant. Insigni documento futuris Christianis, quandoquidem quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, Rom. 15. ver. 14. nè quamvìs locis longè disjuncti separatíque, utique de universo terrarum orbe extremísque ejusdem partibus ad Christi Dei agnitionem vocandi, cœtibus dividi sibi etiam licere existimarent, suam sibi Ecclesiam singulis, suúmque Ecclesiæ caput summúmve sacerdotem, nullum nulli cedentem, sed omnes *ad perpendiculum emulos* (ut de urbibus Palæstinæ Ammianus loquebatur) constituentibus: sed ad Sanctuarium illud Ecclesiámve (quoties præcipuè de Ecclesia, & rebus fidei quæreretur) undequaque converterentur, quam Deus cæterarum matricem elegisset, jam tum Jerosolymis, quo tempore verbum Domini exire indè primùm cœpit, Act. 2. ver. 10. ab Apostolorum principe, qui primus ejusdem futurus erat Pontifex, institutam, ibidémque aquæ salutaris lavacro Pontificis ejusdem futuri sui manu tinctam elutámque, cujúsque fides Apostoli gentium testimonio (gratias propterea Deo per Jesum Christum agentis) jam tum *annunciata fuit in universo mundo*, Rom. 1. ver. 8. ad eámque conversi, in eadem ejus fide ad nos usque propagata, Primatûsque ejusdem agnitione, dubiis errantibúsque nobis (si contingeret) pro Helice & Cynosura futuri, simul colligerentur, ac sic Ecclesiam qualem esse debuisse & futuram Apostoli pronunciaverunt, unam, sanctam & catholicam constituerent ædificaréntque.

Est præmissa igitur sanctificationis Sanctuarii formula simplex, ut dixi, nullámque in se conditionem includens. Hæc autem Regni, ibidem sequens, merè contrà conditionalis, ad eundem Salomonem, *Tu quoque si ambulaveris coram me, sicut ambulavit pater tuus, in simplicitate cordis & in æquitate, & feceris omnia quæ præcepi tibi, & legitima mea & judicia mea servaveris, Ponam thronum regni tui super Israel in sempiternum*, 3 Reg. 9. ver. 4, 5. In quam eandem sententiam fuisse etiam antea Davidi locutum Deum, regnóque ejus sub eadem conditione æternitatem pollicitum, ipse idem alibi testatur Salomon, hoc modo ad Deum loquens, *Nunc igitur, Domine Deus Israel, conserva famulo tuo David patri meo quæ locutus es. Non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel, ità tamen si custodierint filii tui viam suam, & ambulaverint coram me, sicut tu ambulasti in conspectu meo*, 3 Reg. 8. 25. Porrò locus ubi id Deus Davidi dixerit, & de quo sentire Salomonem suspicor, talis est, *Ipsum enim elegi mihi in filium, & ego ero illi in patrem, & firmabo regnum ejus usque in æternum, si perseveraverit facere præcepta mea*, 2 Par. 28. ver. 7. Ex quibus locis omnibus patet, cùm regum sanctitas conditio fuerit sub qua Deus thronum eorum fore sempiternum promiserit, ac veluti stipulatus sit, vitam Davidis normam fuisse ad quam metienda fuerit stipulata ab eis sanctitas. Unde & in singulorum regum historia, non solùm Juda, verumetiam Israel, quos Deus eâdem lege contineri etiam voluit, accuratè annotatum ferè est, qui ex illis ambulaverint in viis David, & qui non: cùm interea solus ipse regum omnium eâdem lege minimè contineretur, sed regnum ejus simpliciter, nullâque additâ conditione (in figuram Ecclesiæ, & quatenus idem etiam Christi regnum) sempiternum fore Deus promisisset, ac demum filios ejus eâ contineri voluisset: Psal. 80. ver. 30, & seqq. *Et ponam in seculum seculi nomen ejus, & thronum ejus sicut dies cœli. Si autem dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, si justitias meas prophanaverint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea, neque prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita. Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit. Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis.* Erat hoc autem *pactum* illud *salis* à rege Abiamo Davidis pronepote appellatum 2 Par. 13. ver. 5. *Num ignoratis quòd Dominus Deus Israel dederit regnum David super Israel in sempiternum, ipsi & filiis ejus, in pactum salis?* Sic dictum propterea quòd in rebus naturæ omnibus nil sit sale incorruptius. Quâ ratione eâdem qui statuam salis in quam uxor Loti transformata memoratur, dictam putat, statuámque sempiternam, diutissimévе duraturam interpretatur, me certè astipulatorem facilè habuerit, cùm & Josephum habeat qui illam suo etiamnum tempore exstitisse testetur. Pro hac videntur poetæ consimilem illam in Sipylo Niobes statuam excogitasse.

Hanc igitur Sanctuarii & Regni sanctificationis diversitatem hæc eventûs insecuta est diversitas, ut Salomone cui primùm intimata significatáque utraque fuerat, quísque (ut Sirachidis de eo verba sunt, planè ad ea quæ de

eo ſcripta modò recenſui ſpectantis) *ut pararet ſanctitatem in ſempiternum eruditus erat à juventute*, Eccl. 47. 15. conditioni & pacto non ſtante, & *non adimplente ut ſequeretur Dominum, ſicut David pater ejus*, 3 Reg. 11. 6. Deus non quidem regnum univerſum ei abſtulerit, ut antea Sauli, cui regnum ſub eadem conditione ſempiternum etiam dederat, ut è Samuelis ad eum his verbis, 1 Reg. 13. 13. intelligi poteſt, *Stultè egiſti, nec cuſtodiviſti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi, quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum*; ſed regnum ejus ſciderit, ac tribu illi unicâ relictâ *propter David ſervum ſuum, pactúmque illud ſalis* cum eo contractum, & *propter Jeruſalem quam elegerat*, decem reliquas in Jeroboamum ſervum ejus tranſtulerit.

Verùm tametſi videretur multò plus in Eccleſiam quàm in Regnum aut politiam per Salomonis impietatem fuiſſe detrimenti invectum, qui cultum ſacrilegum idolorum uxoriorum Aſtharten, Moloch & Chamos, alioſúmque magno numero, in montibus civitati ſanctæ & templo proximis ſtatuiſſet, ideóq; & Eccleſiæ de damno timendum potiùs fuiſſe videatur quàm Regno; Deus tamen ſalvâ Eccleſiâ in Regnum ſolum vindicavit. Imò nec ſalvam ſolùm (regno ſciſſo multíſque partibus imminuto) verùm magis glorioſam, magíſque illuſtrem & magnificam eſſe inſtituit; duobus regnis regibúſque unicæ illi exiſtenti attributis, cùm unico antea gloriari poſſet. Quandoquidem ſi Jeroboamus ex Dei præſcripto & voluntate vixiſſet, ínque viis David ambulans conditionem regibus regnum in ſempiternum propagaturis impoſitam impleſſet, quam Deus illi etiam ſpeciatim per Prophetam repetitam voluit, verbis illis, 3 Reg. 11. 38. *Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum eſt coram me, cuſtodiens mandata mea & præcepta mea, ſicut David ſervus meus, ero tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificavi David domum, & tradam tibi Iſrael*; Si igitur ad Davidis normam & exemplar vitam inſtituiſſet Jeroboamus, tantum abeſt ut fuerit Eccleſiam, ceu fecit, diviſurus, vitulóſque, id eſt, ſchiſma, facturus, ut contrà Templum Sanctuariúmque, & altare unicum, illud ipſum quod Jeroſólymis erat, verum & legitimum agnoſcens, fuerit ſolennitatibus Juda omnibus, & quoties pietas ejus tuliſſet, regio cum apparatu, multâque cum Principum & ſacerdotum Domini ſubditorúmque ejus omnis generis frequentiâ Jeroſolymam religioſè aſcenſurus, votáq; ac primitias decimáſque Deo ibidem redditurus ac perſoluturus.

Quinimo ſi decem tribubus à Salomonis regno reſciſſis, ſceptróque illi unico (ut Scriptura vocat) relicto, ad totidem cæterarum tribuum ſceptra totidem reges vocare collibitum Deo fuiſſet, regna quidem in anguſtum redegiſſet, cæterùm Eccleſiam decuplò illuſtriorem rurſum glorioſioremque reddidiſſet: quia reges decuplò plures illi ſubjeciſſet, adoraturis ſummum ejus Pontificem, ſolenni cum ordinis ſui cultu obviàm procedentem ſingulis, quomodo Abrahamus Melchiſedecum, Alexander Jaddum adoravit. Quod quidem de Eccleſia Moſaica, quia fieri potuerit, per hypotheſim præſuppoſitionémque dictum, in Eccleſia Chriſtiana verè & hiſtoricè olim factum libenter ſummâque mea animi cum voluptate recolo. Quæ cùm tota imperio Romano ſolo, imò imperii parte initiò contineretur potiùs ipſa quàm illud (ut futurum erat) ipſa contineret, poſtquam Deo Imperatorum impietate ſummâque in ſanctos eorundem crudelitate offenſo, ſcindere illud ſimiliter ei eſt viſum, tam nihil Eccleſiæ per imperii ſciſſionem deperiit, ut illuſtrior indè multò quàm antea enituerit ejus gloria; pro rege ſive Imperatore unico, reges haud multò pòſt conſecuta minimùm viginti quatuor, qui, quomodo cœleſtes illi totidem numero, circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus coronas aureas, in manibus citharas habentes, Eccleſiæ triumphanti (ut in Apocalypſi 4. 4. videre eſt) ſingulari ornamento ſunt, erant olim omnes (cùm linguis ſubditarum gentium multiplicibus, ceu plectris fidibúſve cithararum variis, inſignem fidei concentum exprimerent, & ore conſono Deum in Eccleſia laudarent) ſed & ſunt hodie ex parte, militanti. Cur verò non etiam hodie omnes? Regum verbis Reges compellabo, qui præ reverentia propriis non audeam, *Et nunc* (cum Davide dicam Pſal. 2. 10, 11, 12.) *Reges, intelligite, erudimini qui judicatis terram: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: Apprehendite diſciplinam*. Quam verò cujúſve diſciplinam potiùs apprehendatis quàm prophetæ, regum ut conſecratoris, ità, cùm opus fuit, & correptoris monitoríſque fideliſſimi? Samuelem itaque vos in Saule rege corripientem monentémque, Reges, placidè audite & ſuſtinete; *Melior obedientia eſt quàm victima, & auſcultare quàm offerre adipem. Quoniam quaſi peccatum ariolandi repugnare eſt: & quaſi ſcelus idololatria, nolle acquieſcere*, 1 Reg. 15. v. 22, 23. Quod ſequitur ipſi per vos taciti legite. Et nè (abſit omen verbo) accidat vobis (cum Ezechia dicam, rege alio Davidi ſanctitate proximo) *Tradite manus veſtras Domino, & venite ad Sanctuarium ejus, quod ſanctificavit in æternum: Servite Domino, Deo patrum veſtrorum.*

Túq; prior, tu trade, genus qui ducis Olympo, (Æn. l. 6.)

Regum Doctiſſime. Nam Olympo tu certè, qui à regibus reginíſque ducas, Olympi accolis, atque ibi regno terreno cum cœlesti commutato feliciùs regnantibus. Qui ſis, Rex, propiùs tecum reputa: *Filius Sanctorum es*, (Tob. 2. 5.) Quot ego enim Reges, quot Reginas recenſere poſſim, anteceſſores tuos (quamvis ſolâ duntaxat orbis illius alterius parte aliquâ ſinguli regnabant, quem tu totum tantúmque ſolus nunc obtines) in ſuperum illud nobilius regnum, partim præclaro cum Martyrii triumpho, partim Confeſſionis ovatione invectos? Etiamnúmque anniverſario triumphi ovationíſque eorum die in Eccleſia canticis lætitiæ celebratos? EADMUNDOS, EDVARDOS, OSWALDOS, EDILBERTOS, RICHARDOS, JOABELLOS, JODOCOS, EDITHAS, MARGARITAS, EDILTRUDES. Qui ut viventes firmiſſimæ Sanctuarii Dei columnæ erant, próque ejuſdem aſſertione & gloria, perpetuò immotæ ſtantes & inconcuſſæ: ſic hodie, quâ parte minimè omnium vellent (orbe dico illo veſtro toto tantóque) imminutum dolent & anguſtatum, ac niſi Joâ altero cœlitus impetrato, qui collapſæ partis illius ſarta tecta inſtauranda ſacerdotibus mandet, ceſſantéſque increpet, iteratóque moneat, preces hâc fini ad Deum fundere non deſinent.

Maria ante omnes, mediam nam cætera turba
Hanc habet, & meritis exſtantē ſuſpicit altis. Æneid. l. 6.

MARIAM dico, Reginam martyrem, matrem tuam, Martyris Fili, (neque enim, Rex, pudori unquam tibi erit, quod præmemoratorum Regum martyrum anteceſſorum tuorum filiis Regibus, quod omnibus in Eccleſia omni tempore fuit glorioſiſſimum.) Tantò autem cæteris tua illa Diva Creatrix precibus hoc apud Deum urgens inſtantiùs impenſiúſque, quò te pro affectu materno ſuo Joam illum fore alterum vovet ſperátque cupidiùs, Joiadâ præſertim nunc etiam altero, in Paulo Quinto ſummo ſacerdote, recèns Eccleſiæ dato. Quo nuper purpuratorum Principum unus ſolummodo cùm eſſet, Anglicæ gentis in Eccleſia patronum magis intimum, próque eadem apud Deum deprecatorem agente, nunc autem cùm in Eccleſiæ verticem ſublimatus, etiam Regis, te monente & hortante, non ſolùm Joæ perſonam & munus, in ſartis tectis, quæ dixi, Sanctuarii inſtaurandis impleas; verumetiam Ezechiæ & Joſiæ, gentis ejuſdem ſanctæ regum ſanctiſſimorum, in eodem ab omni immunditia & inquinatione vindicando, ſordibúſque ejus omnibus expurgandis, fortitudinem ac zelum exprimas. Hoc ſanctiſſima illa Herois, *Decus addita cœlo*, de te pridem vovet, ac ſibi, ni ſim vanus ipſe, vates minimè vana, cupidè

cupidè pollicetur. Verùm interea cùm pro te tuorúmque salute sollicitam Deum assiduè deprecari certum sit; tum verò utrosque cum affectu interpellantem audire videor. Te quidem, REX, regis verbis rursum, regibus cæteris quàm tu hodie eruditione, tam quondam sapientiâ præstantis, AUDI, FILI MI, *disciplinam Patris tui, & nè dimittas legem Matris tuæ. Fili mi, si lactaverint te peccatores, ne acquiescas eis. Si dixerint, Veni nobiscum, Fili mi, nè ambules cum eis: Prohibe pedem tuum à semitis eorum*, Prov. 1.8,10,11,15. Tuos verò, Prophetæ verbis, legationem à Deo ad domum Israel, ad populum dico errantem & devium obeuntis, & de viis multiplicibus suis malis, ad rectam revocantis, QUIA HÆC DICIT *Dominus domui Israel, Et nolite quærere Bethel: In Galgalam nolite intrare, & in Bersabee non transibitis. Quia Galgala captiva ducetur, & Bethel erit inutilis. Quærite Dominum, & vivite*, sive (ut Hebræa sonare audio) ET VIVETIS, Amos 5. ver. 4, 5, 6. Sic olim Propheta ille ad domum Israel. Sic hodie Prophetæ verbis regina Martyr ad tuos suósque. Porrò *Quærere Dominum*, his & consimilibus Scripturæ locis, esse Arcam federis & Sanctuarium (ut olim legale, ità nunc Euangelicum) *quod Deus sanctificavit in æternum*, quærere, jam ante admonui. Quod qui faciant, soli vivere & victuri significentur. In his vive, REX, & vale.

CAP. XIII.

Primum regum Israel Achabum religiones peregrini cultûs in Israel invexisse, obstitente Eliâ, religionemque Israeliticam, salvâ Jehova in Deum Israel agnitione, propugnante ac defendente.

HActenus vitulos Jeroboami idola peregrina, nominatim Apidem Ægyptium non fuisse, nec apostatam ipsum idololatrámve (idololatriæ nomine propriè accepto) sed schismaticum & hæreticum cum Genebrardo ostendi: quod de cæteris etiam regibus Israel usque ad regem Achabum & Jezabelem dictum & intellectum uterque volumus. Nunc operæ pretium fuerit, quando in eo nunc sumus, historiæque Israeliticæ, valde perplexæ alioquin & obscuræ, res ea multum lucis allatura est, quàm admiranda religionis in Israel conversio & diversitas fuerit ante Achabum exsistentis ab ea quæ sub Achabo regibúsque sequentibus explicare. Enimvero quàm Deus, quàm & Prophetæ, cùm primùm vitulos in Israel intulit Jeroboamus & deinceps, quamdiu secundùm vias ejus Deum colens sordes gentium nullas Israel admisit, in dictos vitulos & quam dicimus schismaticam religionem acerbè invecti sunt, cùm nil deterius metuerent, & hoc ipsum fortè emendari posse sperarent: tam in eosdem constat, postquam Baalim sive Belos, quo nomine B. Augustinus (Quæstion. in lib. Jud.) *Jovem* linguâ Punicâ vocari scribit (erant enim plures, quadam ad hoc nomen vocis additione distincti, ut Beelphegor, Baal-Berith, Bel-Zebub, Num. 25. ver. 3. Jud. 9. ver. 4. 3 Reg. 1. ver. 2.) atque eorum cultus in Israel intromitti cœptus est, mitigatos, vim omnem ab illis ad dictum cultum magis impium impugnandum convertisse. Primo quippe illo tempore, quæcunque in abominationes gentium antea solebant, in vitulos; & quæcunque in Idololatras antea, in Israelitas vitulorum assertores contorsisse, ex iis quæ suprà diximus, cùm de Jeroboamo sermo esset, abunde intelligi potuit. At verò postquam regno ad Achabum devoluto, homo infelix nefariæ uxoris suasu in cultum Baal cum illo transiit, neutiquam solitâ illâ regum, gentiúmque aliarum in religiones omnes æquitate, quâ nullam damnabant, nec aliis aliunde novis ascitis priores dimittebant, sed omnes complectebantur, omnibúsque serviebant: at ità verò, ut solis Belis in Israel locum esse vellet, Deo ipsi terræ, Deo Israel, nullum relinqueret. Unde opinor Prophetæ querimonia illa, tantum flagitium gentium aliarum dissimilitudine exaggerantis, *Transite ad insulas Cethim & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte, si factum est hujusmodi: si mutavit gens deos suos (& certè ipsi non sunt dii:) Populus autem meus, mutavit gloriam suam in Idolum*, Jer. 2. 10, 11. Tametsi belli à dictis regibus tam præfractè Deo Israel indicti hanc puto fuisse rationem maximam, quòd ille ut Divinitatis, sic & Divini cultûs nullum consortem admitteret: ac nisi de Israelis regno ejectus, locum in illo Belis (obnitentibus haud dubiè prophetis Domini, unde & in eos præ cæteris à Regina sævitum constat) daturus crederetur. Prævalido argumento, si ullum aliud, fuisse hactenus cultum Dei Israel solum, nullâ peregrinarum superstitionum admixtione in Israel conservatum.

Postquam illum verò dicti reges, quam dixi ob causam, machinis omnibus multâque indies cùm populi tum prophetarum excelsorum illis per adulationem suffragantium ad eorum partes accessione, evertere conati sunt, tum verò magna in Israel rerum conversio facta est. Deus quippe promissionum memor, quas bene de se merito & fideli servo suo Abrahamo olim fecerat, cùm gentem hanc, Abrahami posteros, vel si perdi maximè ipsa vellet, salvam cuperet, religionem vel spuriam illam, in qua cultu quamlibèt ipsi ingrato, sui tamen sub *Dei Israel* nomine recoleretur memoria, non solùm toleratam, verùm etiam tutatam defensámque malle se quàm relinqui nullam, apertè declaravit. Itaque cùm illam ipsam impugnatum rege connivente Jezabel venisset, jámque & altaria locis aliis atque aliis Nomini Domini consecrata evertisset, priùs quidem abominata illa Deo, quia contra legem & in schismate exstructa, sed quæ nunc Elias rebus mutatis *altaria Domini (Jehova)* vocare, imò & destructa queri, non dubitet, *Zelo*, inquiens, *zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel: altaria tua destruxerunt*, 3 Reg. 19. ver. 10. Hic obiter notandum est, tunc primùm *pactum Dei reliquisse* dici filios Israel, postquam in cultum Baal transierunt, non autem quando secessione vitulos fecerunt: quasi Deum Israel cultúmque ejus non abjecerint vitulos facientes, sed tunc demum quando Baal sunt secuti. Nam quæ obsecro altaria alia in Israel fuisse hæc putes, quàm quæ locis, quò fertilitate & amœnitate præstantioribus (unde & Excelsa Esaias *hortos* vocat, & Poeta flores iisdem tribuit,

— *Tollit in altos*
Idalia lucos, ubi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur umbrâ)

eò & plura & libentiùs ab Israelitis exstructa & accumulata, propheta stomachabatur? *Vitis frondosa Israel, fructus adæquatus est ei, secundùm multitudinem fructûs sui multiplicavit altaria: juxta ubertatem terræ exuberavit simulacris.* Neque enim legitima alia extra Jerusalem esse altaria poterant. Et tamen illegitima & contra legem Dei exstructa cùm essent, quia tamen Deo Israel consecrata, ab ejusdémque hostibus, & in ejusdem odium destructa erant, *altaria Domini* & vocat Elias, uti dixi, & queritur destructa. Imò & unum ex iis instaurat, in eóque sacrificat, ut paulò pòst dicemus.

Cùm insuper prophetas Domini, quotquot perquirendo inveniri potuerunt (multi enim in speluncis latuerunt, quos Abdias dispensator regius servavit) occidisset: addit enim porrò Elias, *Et prophetas tuos occiderunt*. Quorum numero haud gravatè illos etiam habeam, si qui in recepta Jerobomiana religione hoc nomine Deum Israel constantiùs profitebantur: quos tamen paucos admodum, aut potiùs nullos hâc constantiâ fuisse existimem. Erant enim parasiti Gnathonésque omnes veriùs quàm prophetæ: unde & apparet mensæ Regiæ deliciis ab Jezabele illectos, ultro in quamcunque religionem reges inclinarent, eidem ministerium suum per assentationem accommodasse, ac sese tunc quidem nihil obluctatos prophetis Baal adjunxisse, snque Deo Baal prophetasse. Sic enim de illis Jeremias, *Et prophetæ prophetaverunt in Baal, & idola secuti sunt*, Jer. 23. ver. 13. Idémque alibi, *Et in prophetis Samariæ vidi fatuitatem, &*

& prophetabant in Baal, & decipiebant populum meum Iſrael. Et quid mirum hoc in Iſrael? cùm in parte Judæ vel ipſum pontificem ſummum Uriam, ſe ad regis Achas apoſtatæ voluntatem haud ſecius inflexiſſe, & quò liberet turpiſſimè ſecutum legamus. Elias certè eos cum prophetis Baal eodem ordine habuiſſe videtur, qui utroſque ſimul, nullóque diſcrimine, in Carmelum ad ſacrificiorum certamen provocaverit, ac neſcio annon & victos pari ratione ultus, morte omnes affecerit. *Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me univerſum Iſrael in montem Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetáſque lucorum quadringentos, qui comedunt de menſa Jezabel,* 3 Reg. 18. 19.

Cùm denique religionis ejuſdem Iſraeliticæ ſectatores ad eam paucitatem ac propemodum ſolitudinem redegiſſet, ut è gente tam numeroſa, è qua Jeroboamus ante paucos annos octingenta millia virorum contra Judam in prælium eduxiſſet, 2 Par. 3. 13. (quid corrugaris & aliam lectionem quæ quadringentorum millium ſolùm eſt, libentiùs amplecteris? cùm in Juda, hoc eſt, in duabus tribubus ſolis, fuiſſe Joſaphato regi ter decies centena & ſexaginta millia expeditorum militum extra controverſiam ſit, 2 Par. 17. 14, & ſeq.) vix tandem ſeptem millia virorum reliqui facta eſſent, quæ genua ante Baal non incurvaſſent: adcóque & bene ſecum agi Elias putaverit, cùm nec quidem tam paucos ſupereſſe exiſtimans, Deum per ſpeciem ſolamenti de hoc numero fidem ſibi facientem audivit, *Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal,* 3 Reg. 19. 18. Tunc Deus, inquam, qui ab Iſraele miſericordiam ſuam planè revocaſſe erat viſus, cùm prophetæ natam filiam, *Filiam Abſque-miſericordia* vocari præcepiſſet, hâc additâ ratione, *Quia non addam ultrà miſereri domûs Iſrael, ſed oblivione obliviſcar eorum,* Oſee 1. v. 6. quaſi de re ſua nunc primùm ageretur, intervenit tamen, ac clementior ei ultro factus, quantumvis in vitulis peccantem, curæ ſibi jam eum eſſe, ab omnibus intellectum voluit. Quinimo juſſo præmemorato prophetâ, uxoris fornicariæ & adulteræ marito, eam vel talem diligere, Oſee 3. v. 1. ſe cujus id exemplo faciat, proponit filios Iſrael quamvis reſpicientes ad deos alienos diligentem: Jam ſe præſentem ei adeſſe; jam ſi cui ſe conſulto opus eſſet, paratum reſpondere apertè ſignificat. Quinimo conſulta præ ſe Belorum oracula, ſi contingeret, zelotypiâ tactus ſibi dolere non diſſimulat, *Numquid,* inquiens, *non eſt Deus in Iſrael, ut eatis ad conſulendum Beelzebub, Deum Accaron?* 4 Reg. 1. 3.

Super omnia Eliam mittit, qui vel qualemcunque illam Dei Iſrael in Iſrael religionem, ſalvâ Jehovæ in Deum agnitione, quem Jeroboamus quantumvis id cupiens conatúſque nunquam tamen de Iſrael planè exterminare potuit, contra oppugnantes fortiter aſſerat, próque ea ſtrenuè depugnet, pro victoria habiturum, ſi Jehovam ab Iſraele, vel ſuo illo more & ritu cultum, in Deum agnoſci præ Baal obtineat. Solum Baal itaque Elias ad partes vocat, hoſtem in Iſrael alium præter Baal nullum agnoſcit: nec populum alloquens, *Uſquequo claudicatis in tres partes?* dicit, ſed *Uſquequo claudicatis in duas partes?* 3 Reg. 18. 21. quas deinde & nominat, *Si Dominus (JEHOVAH) eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum,* nullis relictis partibus vitulis eorúmque ſectatoribus, cùm eos in partibus Jehovæ haud dubiè haberet. Itaque nec de vitulis in univerſa Eliæ hiſtoria mentio eſt; nulla de eorum cultu offenſio, nulla increpatio. Planè ut diverſam in Iſrael Eliæ vocationem ab ea quæ prophetarum aliorum fuerit, Addonis, Achiæ Silonitæ, & Jehu filii Hanani, qui ſub primis Regibus Iſrael ante Achabum prophetarunt, quæque eorum qui poſt Achabum, ut Oſeæ, Amos, Michææ, exſtitiſſe hinc reſultet. Illi in vitulorum inſectatione perpetui ſunt, 3 Reg. 13. 14, 16. nulla Eliæ de vitulis cura: Illi ad ſolennitates Juda populum à vitulis revocabant, *Quærere Dominum* jubentes, Amos 5. 6. (quâ voce Jeroſolymis quærendum intelligi voluiſſe jam ſæpius admonui.) Elias dum à Baal avertat modò, ſi vel in vitulorum uſu maneant, & ſecundùm vias Jeroboami (ſalvâ tamen ſemper, ut dixi, Jehovæ in Deum Iſrael agnitione) Deum Iſrael colere perſeverent, ſecum bene actum iri exiſtimat. Occlamabat Propheta Amos cap. 5. v. 5. *Nolite quærere Bethel, & in Galgala nolite intrare, & in Berſabee non tranſibitis:* Elias autem, quod perinde erat ac ſi vel in Bethel, vel in Galgala, vel in Berſabee populum vocaſſet, in Carmelum vocare non dubitat, cujus terra tam erat tunc contaminata, quàm quæ locorum præmemoratorum maximè, quæ Deo multò tempore gratiſſima olim cùm fuiſſent, tunc propter anormes eorundem ſolennitates & ſacrificia planè odioſa devenerant; *Omnes nequitia eorum in Galgal, quia ibi exoſos habeo eos, propter malitiam adinventionum eorum,* Oſee 9. v. 15. Nam vel ubertatis amœnitatíſque argumento, quæ montis illius paſſim decantatiſſima eſt, ut apud Eſaiam cap. 16. v. 10. *Et auferetur lætitia & exſultatio de Carmelo, & in vineis non exſultabit, neque jubilabit, vinum in torculari non calcabit,* &c. item apud eundem cap. 35. v. 1. *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli & Saron,* vel nobis dubium eſſe non poteſt, fuiſſe in eo per illa tempora Excelſum aliquod præ cæteris eximium & illuſtre; juxta præallegatum à me illud ex Oſea, *Secundùm multitudinem fructûs ſui multiplicavit altaria, juxta ubertatem terræ exuberavit ſimulacris.* Sed nè argumentis & conjecturis in re clara teſtatiſſimâque uti neceſſe ſit, ecce tibi prophetam alium apertè de contaminatione Carmeli quod dico in perſona Dei aſtruentem, *Et induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructũ ejus, & bona illius: & ingreſſi contaminaſtis terram meam, & hereditatem meam poſuiſtis in abominationem,* Jer. 2. 7. Quod quidem dictum intelligendum exiſtimo propter Excelſum & altare præmemoratum illud, quod tametſi Deo Iſrael, tamen contra legem Dei Iſrael in eo monte fuerat conſecratum. Hoc autem unum eorum cùm eſſet quæ Elias à cultoribus Baal deſtructa fuiſſe ſuprà apud Deum querebatur, vocato tamen inductóque, ut dixi, in eum montem populo univerſo, ipſe inſtauraſſe illud, dedicatóque eodem Nomini Domini (Jehovæ) ſacrificaſſe deinde in eo perhibetur. *Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me univerſum Iſrael in montem Carmeli, & prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetáſque lucorum quadringentos, qui comedunt de menſa Jezabel. Et accedente ad ſe populo, curavit altare quod deſtructum fuerat: & tulit duodecim lapides juxta numerum filiorum Jacob, & ædificavit de lapidibus altare, in nomine Domini,* 3 Reg. 18. v. 19, & 30, 31. Ex quo loco, & ſpeciatim ex eo quod huic altari reparando tuliſſe Elias dicitur duodecim lapides (eoſdem, ni fallor, qui deſtructi altaris fuerant, ibidem adhuc inventos) juxta numerum filiorum Jacob, colligendum relinquitur, duarum etiam tribuum habitam fuiſſe rationem in Iſrael, miniméque fuiſſe illas ab regni ſacris ſacrorúmque commercio excluſas. Ac per hoc cùm decem tribus vetaret Jeroboamus ſacrorum causâ aſcendere Jeroſolymam, non item prohibuiſſe & Judam, ſi collibuiſſet, eorundem causâ deſcendere in Samariam. Vocare itaque populum Elias in eum montem non dubitavit, ſacrificiorum certamini, quod ibi contra præmemoratos prophetas inire decreverat, affuturum, quo manifeſtum fieri cupiebat an Jehova Deus Iſrael, an verò Baal Deus Jezabel, verè Deus eſſet. Quo certamine, cùm Baalis inanitas patuiſſet, juxta dictum Apoſtoli 1 Cor. 8 v. 4. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo*; Jehova autem præſente miraculo Deum ſe eſſe probaſſet, atque idem Deus ſolus voce populi declaratus renuntiatúſque eſſet; victor Elias dictos prophetas, an utroſque neſcio, certè Baalanos occîdit, *Dixit Elias ad eos* (ad omnem populum) *apprehendite prophetas Baal, & nè unus quidem effugiat ex eis: quos cùm apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi,* 3 Reg. 18. v. 40. Videtur enim prophetis Excelſorum quadringentis peperciſſe; & cùm peperciſſet, ad officium & priſtinum Jehovæ miniſterium converſos, eoſdem illos prophetas fuiſſe

per

per quos quadringentorum numero reges Achab & Josaphat Jehovam super expeditione Ramothensi postea consuluerint. At Baalanos saltem Elias ad unum omnes occidit, ac sic invalescentem jámque propemodum rerum potitam in Israel impietatem illam pro tempore egregiè compescuit ac repressit. Quâ tamen deinceps vires resumente (subrogatis haud multò pòst in peremptorum locum novis sacerdotibus Baal, eo numero qui templum ejus à Jehu rege ingredi jussi à summo ad summum illud impleverint) & permixtim cum recepto Dei cultu sibi in Israel locum vendicante, perseverasse Deus videtur æquiore animo quàm initiò solitum dixi vitulorum usum ferre: neque ferè alio loco illum habere quàm in Juda Excelsorum, si modò qui utebantur pietatem de cætero colentes Baal abominarentur.

CAP. XIV.

In regibus Israel vitulorum assertoribus non solùm pios aliquos, verumetiam nonnullos zelo in Deum, quanto regum Juda pauci, fuisse præditos: imò & à Deo gratam eorum pietatem & zelum habente, propterea mirificè laudatos ac remuneratos.

HIC commovebuntur fortè nonnulli, & ecquando fuisse à me quærent, ut pietatis cultum cum vitulorum usu in Israel conjunctum observarim? Imò nec pietatem solùm, verumetiam zelum Dei verè cum eodem cultu aliquando conjunctum ostendam, ac vel tantum quanto regum Juda pauci flagrasse inveniri queant; & illum quidem cùm Deo acceptissimus esset, ubertim etiam ab eodem laudatum & remuneratum. Ad pietatem quod attinet, vel unicum Jorami regis Israel, filii Achab, exemplum sufficerit, qui non solùm statuas Baal quas fecerat pater ejus sustulerit, verùm signa etiam alia pietatis in Deum haud vulgaria ediderit, cùm ipse tamen à vitulis Jeroboami non recederet, 4 Reg. 3. ver. 2. Quale est quòd à rege Syriæ per literas rogatus, ex Aulicis suis unum, quem præ cæteris diligebat, à lepra curare, 4 Reg. 5. ver. 7. blasphemiam non ferens, quâ à se peti audiret quod Dei solius erat conferre, vestimenta sua sciderit, ipsúmque Aulicum supplicem cum increpatione repulerit. Quale item illud, quòd obsessâ Samariâ non solùm vestimenta sua sciderit rursum, 4 Reg. 6. ver. 30. verumetiam cilicium ad carnem intrinsecùs Deo placando gestarit. Unde & commiserante Deo Samariæ obsidio soluta sit. Dignus ille profectò,

—— Dignus patriis qui latior esset
Imperiis, & cui pater haud Mezentius esset. Æn. l. 10.

Nam certè quod de Lauso (de quo sunt illi versus) Virgilius fingit, & huic similiter accidit: ut filius, quamvis minimè ipse in Deum impius, propter patris impietatem vitâ & regno exciderit.

Quid quòd & tali ejus patre, tot parricidiis & Idololatriæ sceleribus inquinato, ad Eliæ increpationem & comminationes Divinas ad extremum resipiscente, & inter alia resipiscentiæ & pietatis argumenta, vestimenta sua etiam scindente, & carnem suam cilicio operiente, jejunantéque, & in sacco dormiente, neque tamen vitulos relinquente, Deus misertus etiam ejus est, & quam in eum sententiam dixerat, executionem proximè habituram, mitigatus, vim nullam usque dum è vivis excessisset habere voluit? *Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens, Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causâ, non inducam malum in diebus ejus, sed in diebus filii sui inferam malum domui ejus,* 3 Reg. 21. ver. 29.

Neque non etiam huc pertinet quod de Joacha rege eadem perhibet historia; cùm Deum offendisset, & pœnitentiâ similiter ductus faciem ejus deprecatus fuisset, sibi eum, tametsi nec ipse à vitulis Jeroboami recederet, ex irato feciſſe propitium, 4 Reg. 13. ver. 2, 3, 4. *Et fecit malum coram Domino, sequutúsque est peccata Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, & non declinavit ab eis. Iratúsque est furor Domini contra Israel, & tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filii Hazael, cunctis diebus. Deprecatus est autem Joachas Faciem Domini, & exaudivit eum Dominus.* Quem locum suprà interpretati sumus de Rege à Samaria quidem deprecante, sed vultu & manibus ad Faciem Domini, id est, versùs urbem & templum, in quo erat Facies Domini sive arca federis, obversis elevatísque: quomodo in templi dedicatione à Deo impetraverat Salomon, ut qui absentes, ac vel longissimè à templo dissiti, Dominum orarent, exaudirentur. Dubito autem an non relictis vitulis perpetuò deinceps sic orasse Joacham credere debeam, cùm illud quod in ejus historia consequenter additum est, *Verumtamen non recesserunt à peccatis Jeroboam*, non de rege, sed de populo solo, sub filiorum Israel nomine, de quibus immediatè ibi mentio est, dictum videatur. Sed reprimor, cùm fidem tantam, támque novam & insolitam pietatem in Israel neque laude neque præmio digno aliquo Deum esse prosequutum legam: quinimo regum Israel omnium pauperrimum maximéque imbecillem & infirmum manere eum passum fuisse videam; sequitur enim ibidem, *Et non sunt derelicti Joachas de populo nisi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum.*

Non solùm pietatem, verumetiam zelum in regibus Israel aliquando inventum dixi. Ecce autem Jehu Regem dicti Joachæ patrem, non solùm ipsum de suo pro Domino (*Jehova*) testimonium ferentem, verumetiam ejusdem testem Jonadabum adsciscentem. Jonadabum illum dico, Rechab filium, eundémq; Rechabitarum instituti à patre denominati auctorem, tantopere à Deo probatum: qui vel hoc ipsum quòd Regi officium istud minimè denegaverit, quinimo mutuam cum eo amicitiam pactus, in ejus currum hâc fini tam alacriter ascenderit, argumento sit, fuisse zelum Regis illum omnium minimè fictum aut vulgarem. Sunc hæc igitur quæ de Rege hoc in historia sacra hujus sententiæ legimus: cùm ad domûs Achab reliquias persequendas (occisis jam uxore, filiis & fratribus) simúlque ad sacerdotum Baal necem, ejusdémque templum ac memoriam omnem delendam se compararet, 4 Reg. 10. ver. 15, 16. *Cúmque abiisset indè* (Jehu) *invenit Jonadab filium Rechab in occursum sibi, & benedixit ei: Et ait* (Jehu) *ad eum, Numquid est cor tuum rectum cum corde meo, sicut cor meum cum corde tuo? Et ait Jonadab, Est. Si est, inquit, da mihi manum tuam: qui dedit ei manum suam. At ille levavit eum ad se in currum, dixitque ad eum, Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino.* Pulcrum hoc certè pro Jehu testimonium pietatis & zeli in causa Jehovæ, est tamen illud multò pulcrius Jehovæ ipsius idem testantis, simúlque eum in remunerationem promissis ingentibus (quæ & postea impleta sunt) prosequentis; *Dixit autem Dominus ad Jehu* (haud dubiè quin per Jonadabum præsentem, quem consentaneum est ab extremis ad Austrum Judæ finibus, relictis tabernaculis in quibus vitam durissimam ex voto cum familia agitabat, Jer. 35. ver. 7. Dei instinctu in Samariam venisse, hoc regi Dei verbis denunciaturum, 4 Reg. 10. ver. 30.) *Quia studiosè egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab, filii tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Fuerit igitur Jehu Rex Israel vel cum Asa Rege Juda laudatissimo rectissimè hoc nomine comparandus, quòd ut Asa in Juda, sic Jehu in Israel consimili virtute & operâ profligato idolorum cultu, zelum suum pro Jehova egregiè probaverint. Sed & fuerint in eo haud secius etiam comparandi, quòd cùm tam fortiter ac gloriosè in causa Dei se gessissent, peccatis illis patriis nihilominus adhæserint, vitulis ab Jehu minimè derelictis; *Delevit Jehu Baal de Israel, veruntamen à peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit vitulos aureos qui erant in Bethel,*

Bethel & in Dan; Ut neque ab Asa sublatis de Juda Excelsis, *Et abstulit effeminatos de terra, purgavítque universas sordes idolorum, quæ fecerant patres ejus, Excelsa autem non abstulit*, 3 Reg. 15. 12. Sed hoc de Asa mirum & singulare est, quòd in eo peccatum hoc Deus parvi certè ac pro nullo ducere visus sit; historiâ sacrâ nusquam ei illud in vitium vertente vel exprobrante: quinimo, loco quem modo de eo recensui, hoc contrà ad ejus laudem præmittente, *Et fecit Asa rectum ante conspectum Domini, sicut David pater ejus*, ibid. v. 14. sed & eodem loco immediatè subjungente, *Veruntamen cor Asa perfectum erat cum Domino cunctis diebus suis.* Hoc in eo, inquam, singulare videri potuit, cùm in Abiamo Asæ patre & Amasia Regibus Juda, quorum utriusque summa etiam alioqui fides & religionis commendatio exstitit, propter idem illud peccatum (quantum conjicere est) cordis in Deum perfectio desideretur: sic primùm de Abiamo loquente Scripturâ, *Nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus*, 3 Reg. 15. v. 3. sic porrò de Amasia, *Fecítque bonum in conspectu Domini, verumtamen non in corde perfecto*, 2 Par. 25. 2. Quod opportunè venit observandum, nè consimile his Scripturæ de præmemorato Jehu Rege Israel propter vitulos ab eo non derelictos judicium, præmissis tam præclaris ejus elogiis, planè derogare credatur: *Porrò Jehu non custodivit ut ambularet in lege Domini Dei Israel in toto corde suo, non enim recessit à peccatis Jeroboam, qui peccare fecit Israel*, 4 Reg. 10. v. 31. ut cùm Regum Israel universorum proprium ac perpetuum peccatum fuerit, quòd vitulos non dereliquerint; quemadmodum Regum Juda itidem omnium (tribus solummodo à Sirachide exceptis) quòd Excelsa non abstulerint; ab hac censuræ paritate fuisse ea propemodum paria dixeris, hoc solo regum Israel peccato majore, quòd esset cum schismate conjunctum. Erat enim alioquin affinis omnino Excelsorum vitulorúmque usus, cùm aliud nihil essent Bethel & Dan quàm præcipua Excelsa regni Israel, in quibus pro Cherubis Mosaicis Jerosolymitanis eorum effigies religiosè habebantur: quemadmodum in Gabaon, Excelsorum maximo, vetus tabernaculum Mosis, in alio serpens ejusdem æneus, in aliis denique alia, ad venerationem haud dubiè proposita simulacra erant. Unde Ezechiâ Rege Excelsa evertente, simul cum statuis hoc genus aliis serpens ille eversus contritúsque fuisse legitur, *Ipse dissipavit Excelsa, & contrivit statuas, & lucos succîdit, confregítque serpentem æneum quem fecerat Moyses*, 4 Reg. 10. v. 4. Quinimo fuisse Excelsa nonnulla æquè ab utroque populo sacrorum causâ celebrata videntur: in quibus & ideo quædam veluti esset regni utriusque in religione communio & conspiratio, nominatim autem Galgala & Bersabee: quæ cùm ad tribum Juda sorte pertinerent, fuisse nihilominus æquè propemodum ac Bethel decem tribuum religiosis peregrinationibus frequentata, illud prophetæ Amos ab ejusmodi frequentatione eas revocantis, sæpe à me jam repetitum, planè evincit, *Nolite quærere Bethel, & in Galgala nolite intrare, & in Bersabee non transibitis*, Amos 5. v. 5. Solo penè ut schismate, ceu dixi, differret Israel à Juda, dum *quærere Dominum* (ut eas idem Amos eodem loco facere immediatè hortabatur, Jerosolymæ requirendum hâc formulâ insinuans) recusant. Quod illæ si fecissent, ac per hoc schismaticæ esse desiissent, quamvis in Excelsis suis patriis retento vitulorum usu, nihilo vituperabilior deteriórve puto futura erat regni Israelitici in religione conditio quàm Judaici. Cùm enim Judæ regnum Excelsis haud minùs frequens esset, à Gabaa usque Bersabee variè sparsis, si non vitulos, certè simulacra hoc genus quædam alia in illis cúmque illis tolerabat. Tametsi nec vitulos in Excelsis Judæ non etiam fuisse affirmare ausim, sed ejusmodi, qui cùm schisma non facerent, *vituli* minimè dicerentur, sed *Cherubi*; *Vitulorum* appellatione propriè in schismatis significationem introductâ usitatâque: sic adeò ut inter Hebræos aliud nil fuisse videatur *vitulos facere* (quod fecit Jeroboamus) quàm *schisma facere*; & *à vitulis non recedere* (quod cæteri Reges Israel) quàm *à schismate non recedere*: non valde absimili ratione & formâ ab ea quæ Ecclesiæ Christianæ veteris fuit, in qua qui idem moliebantur *altare contra altare erigere* dicebantur, oppositis nimirum altaribus illegitimis cum legitimis, ut in Israel pseudocherubis (quos usitatius fuit in opprobrium *vitulos* appellare) cum Cherubis. Certè majorem multò fuisse schismatis quàm vitulorum offensionem, adeò ut vituli tolerari potuisse videantur nisi adjunctum schisma habuissent, ex eo suspicor, quòd captis bello ab Abiamo Rege Judæ Bethelis, 2 Par. 13. v. 19. quid de vitulo statuerit Rex victor Scriptura nè exprimat quidem, perinde ac si parùm de eo curæ Regi fuerit, aboleretúrne ille, schismate nihilominus superfuturo, an relinqueretur. Tametsi relictum verisimilius sit, aut certè si abolitum credere malimus, novum alium in ejus locum postea suffectum, ut quem Salmanassar (Rabbinorum traditio est) cum tribubus Aser, Isachar, Zabulon & Nephthali abstulerit. Sed neque de cætero regnum Juda peregrinarum abominationum sordibus parciùs fuisse videtur inquinatum quàm Israel. Meliora quidem propheta Osea optabat, occlamans, cap. 4. v. 15. *Si fornicaris tu, Israel, non delinquat saltem Juda.* Sed optantis prophetæ nempe magìs hoc fuit quàm sic futurum sperantis. Quinimo Prophetæ occlamatio hæc cum gemitu & dolore facta, ex ejus sententia delinquere & Judam haud secùs quàm Israel apertè convincit: convincit autem & historicus sacer his verbis apertiùs, *Sed neque ipse Juda custodivit mandata Dei, veruntamen ambulavit in erroribus Israel quos operatus fuerat*, 4 Reg. 17. 19.

CAP. XV.

Regni Israelitici cum Judaico circa religionem & utriusque errores magìs specialis comparatio. Ad extremum, quare Judâ in cæteris erroribus Israelis ambulante, à solis vitulis temperaverit.

QUinimo mirari hîc subit, dici potiùs Judam in erroribus Israelis ambulasse, quàm Israelem in erroribus Judæ; cùm Judam appareat erroribus de quibus agimus priùs fuisse multò contaminatum quàm Israelem. Nam cùm cœpisse primùm ejusmodi errores in Israel ab Achabo, qui septimus numero Rex fuit, jam antè ostenderimus, videtur contrà eorum initium in Juda fuisse sub Roboamo primo Rege (Davidem enim & Salomonem hoc regum Juda numero non habeo, genti utrique universæ suo tempore & quamdiu vixerunt imperantes.) Siquidem jam tum ab Roboami regno & ævo cœpisse rectè inferatur, quòd in ejusdem historia hoc modo scriptum est, 3 Reg. 14. v. 22, 23, 24. *Et fecit Judas malum coram Domino, & irritaverunt eum super omnibus quæ fecerant patres eorum in peccatis suis quæ peccaverunt; ædificaverunt enim & ipsi sibi aras, & statuas, & lucos super omnem collem excelsum, & super omnem arborem frondosam: sed & effeminati fuerunt in terra, feceruntq; abominationes gentium quas attrivit Dominus ante faciem filiorum Israel.* Quî autem jam tum hæc cœpisse dubium esse possit, cùm ad ipsa usq; regis Asæ (qui Roboami ex filio nepos fuit) tempora perseveràsse eosdem errores & his majores alios in Juda, primúmq; fuisse illos ab eo profligatos, ipsa regis ejusdem historia testetur? 3 Reg. 15. 12, 13. *Et fecit Asa rectum in cõspectu Domini, sicut David pater ejus: & abstulit effeminatos de terra, purgavítq; universas sordes idolorũ quas fecerant patres ejus: insuper & Maacham matrem suam amovit, nè esset princeps in sacris Priapi, & in luco ejus, quem consecraverat, subvertítq; specum ejus & confregit simulacrum turpissimum, & combussit in torrente Cedron.* Ad quem locum plura notanda veniunt: imprimis effeminatorum vetustas,

vetuſtas, longéque & latè cognita turpitudo: quæ & uſque adeò poſtea increvit, ut cùm verè Seneca verum furorem & inſaniam fuiſſe illam ipſe agnoſcat, ſolam inſanientium turbam obſtare dicat quominus & ſic ab omnibus credi potuerit. Locum ejus integrum quia memorabilis graviſſimúſque eſt hîc aſcribo, ex eo libro quem contra ſuperſtitiones Seneca edidit, ab Auguſtino citatum, De civit. Dei lib. 6. cap. 11. *Ille viriles ſibi partes amputat, ille lacertos ſecat. Ubi iratos deos timent, ſi ſic propitios merentur? Dii nullo debent coli genere ſi & hoc volunt. Tantus eſt perturbatæ mentis & ſedibus ſuis pulſæ furor, ut ſic diis placentur, quemadmodum nè homines quidem ſæviunt. Teterrimi & in fabulas traditæ crudelitatis tyranni laceraverunt aliquorum membra, neminem ſua lacerare juſſerunt. In regiæ libidinis voluptatem caſtrati ſunt quidam, ſed nemo ſibi ne vir eſſet jubente Domino manus intulit. Se ipſi in templis contrucidant, vulneribus ſuis ac ſanguine ſupplicant. Sicui intueri vacet quæ faciunt, quæque patiuntur, inveniet tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, ut nemo dubitaverit furere eos, ſi cum paucioribus furerent: nunc ſanitatis patrocinium inſanientium turba eſt.* Hæc ille. Quia autem initio etiam eorum meminit qui lacertos ſecabant, volo & hujus amentiæ vetuſtatem ab hiſtoria ſacra, quæ ſacerdotibus Baal Achabo Regi Iſrael merentibus eam tribuit, fuiſſe ſuperioris æqualem probare; *Occlamabant ergò voce magnâ, & incidebant ſe cultris & lanceolis donec perfunderentur ſanguine.*

Venit deinde & hoc notandum, Maacham matrem Aſæ hoc loco dictam pro avia, quemadmodum Athalia alibi filia Amri pro nepte, 2 Par. 22. Maacham enim Abſalomi filiam Roboamo Salomonis filio nuptam, Abiamum peperiſſe Aſæ patrem nimis conſtat, 3 Reg. 15. 2 Par. 11. Ab avia autem Aſam potiùs denominatum conſentaneum eſt, quia major nobilitas ejus eſſet, à Davide genus ducentis, quàm à matre, quæcunque illa fuerit, quando è Scriptura non liquet: niſi quòd illam magna ſuſpicandi ratio eſt fuiſſe Michaiam filiam Uriel de Gabaa, 2 Par. 13. ver. 2. quæ errore neſcio quo in hiſtoria ſacra Abiami mater dicta ſit, cùm veriſimiliùs uxor ejus eſſet, & conſequenter Aſæ mater.

Dicam præterea, qui Priapus ibi vocatur videri potiùs fuiſſe Pana, Latinis *Silvanum* appellatum, non ſolùm quòd non ſit valde credibile à Regina, eâque vidua, imò jam anu, Priapum fabricatum & publicè cultum: verùm etiam quòd lucus & ſpecus eidem tribuantur, non quidem Priapo, cui in hortis & in propatulo, non autem in ſilvis vel antris, ſua manſio erat, ſed Silvano propria; ut ex Callimachi Romani verſibus illis intelligere eſt, (Proper. lib. 4.)

Lucus erat felix, hederoſo conſitus antro,
Multáque nativis obſtrepit arbor aquis:
Silvani ramoſa domus. ——

Nam & quod fuiſſe ſimulacrum illud turpiſſimum hîc additum eſt, in ſimulacrum Panos haud paulò meliùs quadrat, quod obſcœnitate par, formæ turpitudine certè Priapum ſuperabat. Accedit quòd huic Idolo Hebraicè à *terrore* nomen eſſe audiam, (docuit me hoc Theologus doctiſſimus, idémque Hebraicè peritiſſimus, Joannes Bucherus meus) quod item Pani ſummè convenit, quando & hinc ſua Panico terrori origo & appellatio eſt.

Sed hoc addam, ſuſpicionem mihi magnam eſſe, idolum hoc à regno Geſſur gentili, jam ab eo tempore quo Maacha Regis Tholmai filia nuptum Davidi tradita eſt, ſecutum, occultè in Iſrael conſediſſe, & ad ejus uſque neptem, aviæ cognominem, Aſæ aviam, ſecretâ gynecæi corruptelâ prævâque educatione fuiſſe tranſmiſſum. Ut verum perpetuò fuiſſe vel hinc liqueat dictum illud vetus, quòd *Ductæ de filiabus Chananæorum uxores fornicari facerent filios ſuos*, 3 Reg. 15. ver. 2.

Erant igitur hoc idolum & præmemorata alia inquinamenta in Juda jam à Regum primorum Roboami, Abiami & Aſæ ævo: quod cùm ità ſit, cur, inquam, errores Iſraelis potiùs appellentur quàm Judæ, & cur in erroribus Iſraelis ambulaſſe Judam quàm Iſraelem in erroribus Judæ, quorum errorum principium (adeóque & plurium quàm in Iſrael fuerint, quando neque Priapi vel Panos cultum, neque effeminatos fuiſſe in Iſrael uſquam legeris) à Juda cœperit? Eſt profectò in ſpeciem difficilis hæc quæſtio, ſed quam non incommodè fortaſſe ſolvero, ſi quod mihi perſuaſum eſt itidem & aliis perſuadeam, præmemoratos illos errores, quibus Judam irritaſſe Dominum ibi ſcriptum eſt uſque ad Regem Aſam, qui tertius recenti adhuc Iſraelis ſchiſmate ſuper Judam regnavit, non magìs Judæ fuiſſe habendos quàm Iſraelis: cùm revera veteres majorum gentis utriuſque nondum diviſæ errores eſſent, qui ad eum uſque diem à regibus quantumvìs minimè impiis, Roboamo atque Abiamo, bellis continuis contra Jeroboamum occupatis, tolli non potuiſſent.

Neque enim verò quòd Idola, quorum ſordes univerſas Aſa purgavit, feciſſe patres ejus ibi dicuntur, de præmemoratis, vel Abiamo ejus patre vel Roboamo avo, perinde ac idolorum illorum primis architectis & autoribus, intelligendum fuerit: ſed omnino de remotis illis non tam ejus quàm gentis univerſæ nondum diviſæ, utì dixi, patribus, quos jam tum à Moſis ævo in deſerto, & deinceps ſub Judicibus, & noviſſimè ſub Salomone, ſæpe ſe abominationibus ejuſmodi, & in his, quod mirum quidem, ſed quod conſequi neceſſe ſit, effeminatorum inſaniâ contaminaſſe notum erat. Unde & quod eo loco à patribus Aſæ factum dicitur, præcedente altero ex hiſtoria Roboami ad patres univerſæ gentis refertur, *Et fecit Judas malum, & irritaverunt eum ſuper omnibus quæ fecerunt patres eorum*, 3 Reg. 14. ver. 22. Quibus abominationibus omnibus veteribus tunc primùm per Aſam ſublatis, quàm potuit optima regni Judaici circa religionem conditio ſub eo demum eſſe cœperit, adeò ut proſperante propterea res ejus Deo, multos de Iſrael, nominatim autem de Ephraim, Manaſſe & Simeon, ad eum confugiſſe, *Videntes quòd Dominus Deus eſſet cum eo*, (2Par. 15. ver. 9.) traditum ſit. Ac talis quidem regni ejus conditio cùm eſſet, ſed neque in Iſrael hactenus idolis locus fuiſſet, primus Achab ductâ Jeſabele Sidoniorum Regis filiâ, deos uxorios tanquam dotales in regnum aſcivit, eorundémque cultu publicè aſſerto, regni ſui tantùm non tutelares, propriósque ac peculiares profiteri auſus eſt. *Nec ſufficit ei, ut ambularet in peccatis Jeroboam filii Nabat, inſuper duxit uxorem Jezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum, & abiit, & ſervivit Baal, & adoravit eum, & poſuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria, & plantavit lucum, & addidit Achab in opere ſuo, irritans Dominum*, 3 Reg. 16. 31, 32, 33.

Hinc itaque prima errorum Iſrael de quibus loquimur origo eſt; Juda tum, ut dixi, ab omnibus ejuſmodi inquinamentis immuni: unde & laudatur Joſaphat Aſæ filius, dicti Achabi contemporaneus, *quòd non ſperaverit in Baalim, ſed in Deo patris ſui; & perrexerit in præceptis illius, & non juxta peccata Iſrael*, 2 Par. 17. ver. 3. Primùm autem cœpere haud multò pòſt dicti errores, veluti contagiò, per ejuſdem Achabi affinitates in Judam irrepere, ductâ à Joramo dicti Joſaphati filio Athaliâ, quæ virum primùm ac mox Ochoſiam filium à recto Dei cultu avertit, depravavítque ac dementavit. Unde & primi Regum Juda illi ſunt, qui in erroribus & viis Regum Iſrael ambulaſſe & ingreſſi nominatim dicti ſunt. Sic enim primùm de Joramo ſcriptum eſt, 2 Par. 21. ver. 6. *Ambulavítque in viis regum Iſrael, ſicut egit domus Achab: filia quippe Achab erat uxor ejus.* Sic autem de Ochoſia, *Et nomen matris ejus Athalia filia Amri* (nota filiam ibi pro nepte dictam.) *Sed & ipſe ingreſſus eſt per vias regis Achab:* ſecutis deinde eorum exemplum Regum Juda plurimis, ac propemodum ante Ezechiam omnibus.

Verùm duo ſunt quæ apertiſſimè huic ſolutioni repugnare videantur. Primum, quòd poſt *ſordium* mentionem aç veluti nomenclaturam quas purgaſſe Aſa loco præmemorato dictus eſt, immediatè additum ſit, *Excelſa autem non ſuſtulit*. Excelſa, inquam, quorum ſignificationem ac veluti periphraſim præmemorata verba illa de peccatis Judæ ſub Roboamo continebant: *Ædificaverunt enim & ipſi ſibi aras, & ſtatuas, & lucos ſuper omnem collem excelſum, & ſubter omnem arborem frondoſam*, 3 Reg. 14. 23. Unde & conſequi neceſſe ſit, quòd aras illas, ſtatuas & lucos ſive Excelſa ædificaverit Judas ſub Roboamo primo Rege Juda, poſt ſciſſum Iſraelem, nec tamen ædificata illa Aſa ſuſtulerit. Vix effugii locum hîc eſſe exiſtiment, niſi eruptione & per vim: at ego contrà viâ Regiâ evaſurus videor & tranquillè, ſi dicam, Excelſa quæ ſub Roboamo Rege exſtructa non ſuſtuliſſe Aſa ibi arguitur (imò nè arguitur quidem, ſed citra reprehenſionem ullam, quinimo & præmiſſa itémque ſubjuncta immediatè magna cum ejus laude, placidè memoratur) non eſſe ejus generis Excelſorum quæ peregrini cultûs in ejuſdem Regis Aſæ hiſtoria altera nominantur, 2 Par. 14. v. 3. quibus niſi ſublatis non potuiſſet Aſa dici purgaſſe univerſas ſordes idolorum, verùm de Excelſis in quibus populus Domino Deo ſuo ſacrificabat & adolebat incenſum: quæ tametſi poſt templum conditum planè interdicta ac Deo ingrata erant, toleraſſe tamen nec ſuſtuliſſe Reges Juda ferè omnes leguntur: an ſi quâ Dei offenſione haud ſcio, quia magnâ quâdam ratione tolerabant (ut in LABANE, ſive tractatu De lucis & ſtatuis ſacris, à nobis exponetur,) certè aſperiore nulla cum eorum reprehenſione.

Alterum, quod ſolutioni meæ videri repugnare dixi, fortiori ariete illam concutit. Eſt illud autem quod de ſordibus & inquinamentis, quibus Salomon per feminas depravatus urbem & gentem ſanctam ſéque comprimis fœdè polluit & conſpurcavit. Quæ cùm Joſias, tametſi in poſtremis Regibus Juda, primus abſtuliſſe legatur, neceſſe ſit eaſdem ſordes & inquinamenta à regni Juda primordiis ad ejus uſque tempora, id eſt, regni ejuſdem extremum, perpetuò retenta conſervatáque in Juda fuiſſe. Enimvero Regum omnium primum abſtuliſſe ea Joſiam, apertiſſimum in hæc verba Scripturæ teſtimonium eſt, *Excelſa quoque quæ erant in Jeruſalem, ad dextram partem montis offenſionis, quæ ædificaverat Salomon Rex Iſrael Aſtaroth Deo Sidoniorum, & Chamos offenſioni Moab, & Melchon abominationi filiorum Ammon, polluit Rex, & contrivit ſtatuas, & ſuccîdit lucos, replevítque loca eorum oſſibus mortuorum*, 4 Reg. 23. 13, 14. Perplexus profectò hic nodus, ac vel Gordio illo in ſpeciem indiſſolubilior. Itaque & Alexandri exemplo, cùm ſolvere nequeam, ad ſectionem me comparo; ſícque & ſeco, ut putem quæ Joſias Excelſa, ſtatuas & lucos, Salomoni ut ædificatori attributos, contriviſſe ibi dicitur, non fuiſſe illa re verâ quæ Salomon ædificaverat, ſed quæ, cùm primitiva illa Salomonis, primùm ab Aſa univerſas ſordes idolorum purgante, & deinceps regibus impiis ſubinde reparantibus (ut cùm de Manaſſe ſcriptum eſt, quòd *inſtauraverit Excelſa quæ demolitus fuerat pater ejus*, 2 Par. 33. 3.) toties fuiſſent à piis rurſum demolita, reparante ad extremum eadem Rege Amone, Joſiæ poſtremò deſtruenda obvenerint. Alioquin, quînam, obſecro, cùm Aſa univerſas ſordes idolorum quæ fecerant patres ejus purgaret, 3 Reg. 15. 12. & in his haud dubiè quæ noviſſimè Salomon, proximus in illis patribus, cúmque Joſaphat Aſæ filius reliquias effeminatorum qui remanſerant in diebus Aſæ patris ejus auferret, 3 Reg. 20. 47. cùm item Joiada, & cum eo populus omnis, templum Baal ingreſſus aras ejus & imagines contereret, 4 Reg. 11. 18. cúmque Ezechias Excelſa, ſtatuas, lucos, ſerpentem æneum diſſiparet, contereret, ſuccideret & confringeret, 4 Reg. 18. v. 4. cùm Manaſſes denique deos alienos, & ſimulacrum de domo Domini ablatum, & aras quas fecerat ipſe in Jeruſalem, extra urbem projiceret, 2 Par. 33. v. 15. quando hiſtoria ſacra hæc à ſingulis illis geſta expreſſim teſtatur, quînam, inquam, hæc illi cùm facerent, ab idolis, Excelſis, ſtatuis & lucis Salomonicis ſolis manum abſtinere, atque Joſiæ tam longo pòſt tempore demum abolenda relinquere potuerint? Non igitur primitiva illa Salomonis Excelſa, idola, ſtatuas, lucos deſtruxit Joſias, ſed quæ, utì dixi, cùm à præmemoratis piis regibus, hæc talia de Juda exterminantibus, ſimul fuiſſent abolita, Reges impii, & in his poſtremus Amon, ſub Salomonis primi autoris nomine inſtauraverant. Quo eodem modo quas ſtructuras idem contrà Salomon laudabiliter ædificavit, ut templum Jeroſolymitanum, & in eo porticus, poſtquam incenſis eversísque illis inſtaurari contigit, & templum & porticus Salomonis perpetuò dici nihilominus perſeveraverunt, Joan. 10. 23. Act. 3. 11. Sic autem Romæ & aliàs obſervatum quoque eſt, ut quoties templa & alia publica opera vetuſtate collapſa reparari contingeret, ſub eorum qui primi condidiſſent nomine fieri perpetuò conſueverit.

Eandem interpretationem neceſſariò & illud recipit, quod immediatè de eodem Joſia Rege ibidem præcedit, *Deſtruxiſſe illum altaria quæ fecerat Manaſſes in duobus atriis domûs Domini*; cùm illa ipſa altaria quæ fecerat Manaſſes deſtruere Joſias non potuerit, ſiquidem fuiſſe illa ab ipſomet Manaſſe poſtquam reſipuit deſtructa ex ejus hiſtoria clarum eſt, ſic habente, *Abſtulit* (Manaſſes) *aras quoque quas fecerat in monte domûs Domini in Hieruſalem: & projecit omnia extra urbem*. Verùm ea demum ſuſtulit quæ præmemoratus Amon Manaſſis filius impiiſſimus, à patre reſipiſcente, ut dixi, & errati pœnitente deſtructa, tamen ſub ejus nomine, quia eorum autor primúſque fabricator fuerat pater, reſtituere non erubuit: quomodo & Salomonica illa reſtituiſſe ad extremum dictum Amonem, ab eodem Joſia ut dixi poſtremò evertenda. Quinimo ſic etiam intelligendum ſupplendúmque neceſſariò eſt quod in Amonis ejuſdem hiſtoria de eo hoc modo ſcriptum eſt, *Fecítque malum in conſpectu Domini, ſicut Manaſſes pater ejus, & cunctis idolis quæ Manaſſes fabricatus fuerat immolavit atque ſervivit*: ſupplendum, inquam, hîc neceſſariò fuerit, reſtitutis ab eo dictis idolis ſub patris nomine, cùm ea pater ipſe poſt reſipiſcentiam deſtruxiſſet, & extra urbem omnia projeciſſet. Ac ſic quidem, quâ potui optimâ ratione ſublatis incommodis quæ aſſertioni meæ obſtare videbantur, videor Iſraeli dictos errores perinde ac ejus proprios ſatis jam vindicaſſe, & Judam iiſdem exemiſſe: niſi quatenus Regum Juda nonnulli in viis Regis Achab ambulantes ſunt eos non ut proprios, ſed mutuò veluti ab eo acceptos, & ipſi amplexati.

Nunc quinam errores illi Iſraelis fuerint, quando in eo ſermone modò ſumus, adjicere non ſit à re alienum. Hæc porrò in hiſtoria ſacra eorum veluti nomenclatura eſt, *Et dereliquerunt omnia præcepta Domini Dei ſui, fecerúntque ſibi vitulos conflatiles & lucos, & adoraverunt univerſam militiam cœli, ſervierúntque Baal, & conſecraverunt filios ſuos & filias ſuas per ignem, & divinationibus inſerviebant & augriis, & tradiderunt ſe ut facerent malum coram Domino, & irritaverunt eum*, 4 Reg. 17. ver. 16, 17. Verùm an errores omnes Iſraelis præmèmoratos ſequutus & Juda eſt? Imò planè omnes, ſolis exceptis vitulis, ut ex Joſiæ hiſtoria intelligere eſt, eoſdem errores numeratò & præciſè omnes de Juda profligantis. *Et præcepit Rex Helcai Pontifici, & ſacerdotibus ſecundi ordinis, & janitoribus, ut projicerent de templo Domini omnia vaſa quæ facta fuerant Baal, & luco, & univerſæ militiæ cœli. Et delevit aruſpices quos poſuerant Reges Juda ad ſacrificandum in Excelſis, per civitates Juda, & in circuitu Jeruſalem, & eos qui adolebant incenſum Baal, & Soli & Lunæ, & duodecim ſignis, & omni militiæ cœli, & efferri fecit lucum de domo Domini foràs Jeruſalem*, 4 Reg. 23. 4, 5, 6.

Hîc

Hic verò quæstioni locus est, cujus vel solius causâ tam longæ digressionis nunquam me piguerit: quæstioni utique summè ad institutum meum facienti, & quâ excogitari nil possit, à quo magis opportunè huic sermoni & capiti fine imposito in viam tandem redeam. Nempe cùm cæteros omnes errores Israelis amplexus fuerit & Judas, quare abs solo vitulorum errore temperaverit? Enimverò in argumentorum numero quæ à me hactenus allata sunt, hoc neutiquam minimum duxerim, nec quod cuiquam alii firmitate cedat, ad persuadendum vitulos illos verè pseudocherubos fuisse, verèque ad Cheruborum Mosaicorum legitimorum exemplar effictos: nam & ideo non etiam à Juda cum cæteris erroribus Israelis ad se traductos, quia archetypa domi habentibus, supervacaneum fuerit aliorum exempla sectari. Valéque insuper huic confirmando argumento plurimùm, quòd ut Israelitæ, quamdiu in Juda Cheruborum usus fuit, pseudocherubos seu vitulos sibi etiam habendos putaverunt, ità qui in eorum locum, religionem & mores postea suffecti sunt Samaritani, cùm templum in monte Garizim, novo à Judæis post captivitatem Jerosolymis reparato æmulum condidissent, dictis Judæis Cherubos veteres minimè requirentibus, aut novos comparantibus, nec ipsi pseudocherubos vitulósve reparare, novósque sibi asciscere curaverunt: facturi haud dubiè si & Judæi feciſſent.

CAP. XVI.

Si Cherubos Mosaicos in vitulis imitari consilium Jeroboami fuit, cur non etiam arcam fœderis (ut neque Aaron) imitatus sit? Item cùm Moses duos Cherubos conflaverit, cur Aaron unicum? Jeroboamus autem duobus etiam conflatis, separatim eos habuerit, altero in Bethel, altero in Dan collocatis, & quare nominatim iis locis? Ad extremum quæstionis hujus occasione de idolo (Hebraicè Theraphim) *Michæ Ephraimitæ, quod & ipsum vituli figurâ Cherubum fuisse asseritur.*

VErùm quæstioni quam moveri magnâ ratione mihi posse video, ad extremum occurramus. Roget enim aliquis, si vitulos cùm effingeret Jeroboamus, verè illi fuit institutum Cherubos Mosaicos opere imitari, nónne Arcam Arcæ fœderis similem sibi etiam habendam duxisset, novámque similiter fabricaturus fuisset? Imò necesse hoc non fuit, quandoquidem Arca fœderis fœderi à quo denominata est, sive tabulis lapideis includendis erat specialiter comparata: aliàs enim supervacua & in religione usui nulli futura, quando in hunc usum definitè à Deo fieri jussam constat, Deut. 10. ver. 5. Satìs itaque Jeroboamus habuit, quomodo & Aaron antea, qui tabulas Dei manu scriptas nullas arcæ includendas haberent, tabulam auream, cujusmodi simul conflasse aliquam utrumque est valde credibile, Propitiatorio Mosaico ut formâ similem, ità & loco futuram, supérque illam Cherubum unum collocasse. At cur non duos, quomodo collocati etiam à Mose duo super Propitiatorium suum? Equidem vel unicum ad usum religionis sufficere ab eis judicatum arbitror. Tametsi enim Deus quaternis insidere quadam quadrigæ specie visus frequentiùs significetur: sic vidit Ezechiel, vidit & Joannes, éstque hæc quadriga illa quam Abachuch propheta Deo tribuit, cap. 3. ver. 8. *Qui ascendis super equos tuos, & quadriga tua salvatio*; cujúsque similitudini exprimendæ Rex David 1 Par. 28. ver. 18. *quadrigam Cherubum* vocans, aurum purissimum Salomoni filio sepositisse & reliquisse scribitur: & quamvis aliis rursum insidere duobus visus sit, ut Esaiæ in templo (licèt *Seraphim* ibi vocentur, non *Cherubim*) in monte autem Mosi, qui in usum sedis sanctæ duos solummodo secundùm exemplar quod in monte viderat, expresserit; quæ & causa fuerit fortasse cur nec plures Salomon, bigam, inquam, Cheruborum, non quadrigam, ut præscripserat pater, in sanctiore illo sacrario dedicaverit: Tamen & unico invehi aliquando, & volare solitum constat, Ezechiele sic etiam à se visum diserùm testificante, ut cùm ait, *Et gloria Dei Israel recessit de Cherub, super quem erat*, Ezech. 9. ver. 3. item capite sequente, cap. 10. ver. 3. *Elevata est gloria Domini desuper Cherub, ad limen domûs:* suffragante Ezechieli & Davide Rege, qui tametsi locis Psalmorum aliis Cherubos indeterminato numero etiam vectores Deo tribuat, Psal. 79. ver. 3. & Psal. 98. ver. 1. est tamen ubi & unicum. Nominatim autem Psalmo 17. ver. 11. in historia Regum etiam repetito, ut quidem utrobique recentiorum ex Hebræo versio est; quorum alius, *Et equitavit*, inquit, *super Cherub, & volavit:* alius verò, *In Cherubo inequitans volabat.* Itaque cùm duos etiam conflasset Jeroboamus, fortè eo animo initio ut quomodo super propitiatorium Jerosolymitanum duo erant, essent super suum etiam totidem; tamen postquam non uno solùm loco, ut in Juda, sed duobus, populorum suorum compendio & commodo religionis causâ frequentandum collocare opportunius ei visum est, separare non dubitavit: ut uno ex iis in Bethel collocato, iis qui Australes regni ejus partes incolebant peraccommodo, alterum in Dan statueret, Septentrionem versùs habitantibus magìs opportunum. Atque ità pro locorum opportunitate è propinquioribus locis confluentes (ut Josephi verba sunt) ritè Deum adorarent.

Quamvìs nec solam illam limitum rationem habuisse Jeroboamum existimem, cur vitulos suos locis illis duobus expressè collocatos vellet; major fuit nobilitatis religionísque antiquæ horum locorum consideratio. Manifestior illa tamen è duabus, cur in Bethel: quem fuisse locum cuivis notissimum est, jam tum ab Abrahami temporibus, ejusdémque primùm auspiciis erecto in eo altari Deo, & deinceps Jacobi patriarchæ nepotis ejus operâ eodem altari instaurato, & memorabili illâ Dei super scalam de cœlo innitentis, angelorúmque in ea inerrantium nocturnâ apparitione, & lapidis sacri in titulum erectione consecratum, atque indè *Bethel*, hoc est, *domum Dei* appellatum: denique quem Excelsum hoc initio, & quas dixi ob causas fuisse constet, omnium totius Judææ omni tempore celeberrimum.

Cur in Dan alterum collocatum voluerit, obscuriorem, neque hactenus fortè à quoquam bene perceptam, habere rationem suspicor. Cur enim non potiùs in Silo? ubi tabernaculum Domini primùm in terra Chanaan in pace fixum, ubi *dederat Israeli responsa Dei*, Psal. 77. ver. 60. ubi *habitavit Deus in hominibus*, Jud. 20. ver. 18. unde & *domus Dei* eadem similiter vocata est. Magnæ profectò hæ causæ, cur in Silo arcæ sanctæ, & cum arca Cheruborum antiqua sede, si non utrumque, alterum certè è pseudocherubis suis Jeroboamus collocatum velle debuerit. Verùm videtur ab eo tempore quo arca fœderis de Silo in castra allata, captiva ab hostibus abducta est, & omnino à Samuelis ævo, Deo jam tum tabernaculum Silo repellente, omnis eviluisse loci olim sacratissimi religio. Tametsi vel hoc solum satìs erat causæ, cur vitulum ibi non poneret Jeroboamus, quòd semel in hunc usum prælatis Bethelis, ampliùs non esset cur de Silo cogitaret, propter loci utriusque vicinitatem nil commodi subditis allaturam.

Sed quàm magnæ alioquin futuræ erant præmemoratæ causæ in Silo unum collocandi, tam & magnam existimatam fuisse certum est quam habuit ad Danios transferendi; adeò ut præ Bethelis etsi præter causas præmemoratas, *Sanctuario regis & domo*, id est, templo *regni* eminentibus, majore frequentiâ concurrere illuc populus solitus fuisse videatur. Hoc enim ex eo colligo, quòd de Dana, non idem de Bethelis hoc modo scriptum est, *Ibat enim populus ad adorandum vitulum usque ad Dan*, 3 Reg. 12. ver. 20. Quod quidem neutiquam de iis dictum intelligi potest, qui de propinquioribus locis solùm,

pro locorum opportunitate (nè à Josephi verbis discedam) illuc pergebant, sed qui de remotissimis etiam regni partibus. Hæc est autem quam habuisse illum rationem omnium maximam suspicor, quòd Daniorum majores vitulo consimili in religionis usu pridem insuevissent. Cherubum etenim vituli figurâ fuisse etiam simulacrum illud statuo, quod à Micha montis Ephraim nobili accola conflatum, eidémque à tribûs Dan cohorte furto ademptum & Laisam translatum (quæ Dan ab ejusdem tribûs novis colonis deinceps denominata est:) *idolum Michæ* (Hebraicè *Theraphim*) perpetuò nihilominus vocari obtinuit. Hanc, inquam, Jeroboamo fuisse rationem unius è vitulis suis apud Danios collocandi exilissimo, tan óque illam majorem, quòd veteris illius vituli sacerdotes, aut certè eorum posteri, tametsi vitulo pridem ipso abolito, ibidem tunc adhuc supererssent, huic novo in veteris locum veluti subrogato opportunè ministraturi. Propiùs enim id velle & indicare Scriptura videtur, dum Jonathanis filios (quem primum fuisse huic simulacro datum sacerdotem tradit) illi serviisse testatur usque ad regni Israel extremum, quo tempore decem tribubus in captivitatem abductis, *simul vitulus Samariæ projectus est*, ut ait propheta Osee 8. v. 5. simúlque etiam ipsi absumpti sunt, ac quodam veluti chasmate absorpti. Sunt hæc autem Scripturæ de quibus loquor verba, *Posuerúntq; sibi sculptile, & Jonathan filium Gersom, filii Moysis*, (in Hebræo *Manassis*) *& filios ejus sacerdotes in tribu Dan, usque ad diem captivitatis terræ*, Jud. 18. v. 30. Ex quo proclive intelligere est, quod dixi, istos sacerdotes opportunè adhuc ibi inventos quando vitulum intulit Jeroboamus, sacerdotium, quod vituli prioris eorum patres ibidem gesserant, ad ejus ministerium convertisse. Siquidem diutius priorem illum vitulum ibi non fuisse quàm ad extrema usque Heli pontificis tempora, quando arca federis Domini de Silo in castra advecta in hostium manus devenit, eadem eodem loco testatur Scriptura, *Mansítque apud eos Idolum Michæ omni tempore quo fuit Domus Domini in Silo*, ibid. v. 31. Ex quo intelligi detur, simul etiam apud eos manere desiisse, cùm Domus Domini esse in Silo desiit.

Consentaneum est autem, nè crescret schisma Daniorum aliarum tribuum ad ejusdem vituli cultum accessione, per occasionem arcæ federis à Philistinis abductæ, quòd oraculum tunc in Israel aliud nullum supereresset, Samuelem sui pontificatûs initio, postquam fidem autoritatémque cùm in cæteris tribubus tum speciatim in tribu Dan, quantumvis schismatica & vituli cultrice, insignem consequutus esset (ut factum ex his Scripturæ verbis intelligere est, *Et cognovit universus Israel à Dan usq; ad Bersabee quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini*, 1 Reg. 3. v. 20.) hunc vitulum cum idolis gentium, quotquot in Israel inventa sunt, ut aboleretur à populo impetrasse: quando quod anno pontificatûs sui *quasi vigesimo, ingemiscente populo ad Dominum propter calamitates*, ibid. ab eo factum traditum est, feciisse multò magis & ejusdem initio, quo tempore arcâ captâ & exercitu deleto major fuit gentis calamitas, majórque ingemiscendi causa, nemo dubitaverit, ut convocatâ universâ domo Israel, sit eam ad opus tam præclarum hujusmodi verbis adhortatus, *Si in toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte deos alienos de medio vestrî, Baalim & Astharoth, & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli, & eruet vos de manu Philistim*, ibid. v. 3. Nam & quod postulaverat tunc certè impetrasse deinde subjicitur, *Abstulerunt ergò filii Israel Baalim & Astharoth, & servierunt Domino soli*, ibid. v. 4. Vel jam tum igitur à pontificatûs sui initio (ut dixi) vel ejusdem anno saltem vigesimo simul ablatum abolitúmque cum idolis peregrinis *idolum* (ut vetus Interpres vocat) *Michæ* idolis gentium æquiparatum indubitanter dixerim. Sic quidem ut quòd dicantur nihilominus Jonathanis filii, id est, posteri, sacerdotes serviisse sculptili *usque ad diem captivitatis terræ*, de vitulo Jeroboami intelligi necesse sit, quod in prioris illius locum, centum circiter annis postquam esse illud desiit, successerit. At dices sculptilis unius duntaxat Scripturam meminisse. Verum hoc quidem, sed cùm duo fuisse ex ejusdem mente oporteat, sic factum consequens est, quia utrumque pro eodem duxerit, quòd specie consimili essent, & altero alteri succedente, eosdémque sacerdotes, aut potiùs ejusdem familiæ, (ab Jonathane utique primo sacerdote oriundos) habente, nil in ea tribu novatum mutatúmve, sed omnia eodem modo & ordine quo priùs circa religionem habere se viderentur.

Placet ad extremum caput hoc observatiunculâ claudere neque intempestivâ neque improbabili, quòd dictus Levita Jonathan nomine *filius Gerson* dicatur (sic enim Pagninus legit, non *Gersom*) videri mihi primæ stirpis Leviticæ, quæ à Gerson primogenito Levi Gersonitarum dicta est, fuisse eum significari, & consequenter neutiquam *filii Mosis*, sive (ut in Hebræo est) *Manassis* ibi legendum, sed *filium* hoc modo, *Posuerúntque sibi sculptile, & Jonathan Gersonitam, filium Mosis* (sive *Manassis*) *& filios ejus sacerdotes in tribu Dan*, &c. ut fuerit sive Moses (non ille quidem filius Amram, sed quispiam alius) sive Manasses, proximus Jonathanis pater, Gerson verò autor stirpis. Facilè autem errori (si error est modò) occasionem dederit casuum apud Hebræos carentia, tam *filii* in genitivo quàm in accusativo *filium* legi permittens. Qui autem primus *Mosis* legit, cùm sit in Hebræo *Manassis*, haud dubiè locum hunc de Gersom Mosis Amramidæ filio intellexit, cùm *Gerson*, si Pagnino credimus, legere debuerit, Levitámque hunc Mosis ejusdem ex filio nepotem esse putavit, quod & nonnullis etiam placere video, cùm tamen multò fuisse illum ætate posteriorem oporteat quàm ut Mosem secundâ generatione attigerit.

CAP. XVII.

Michæ Ephraimita Ephodem & Theraphos, matrísque ejus sculptile & conflatile ad aliquorum è sacris operibus ex Dei præscripto à Mose conflatis imitationem & exempla efficta fuisse. Speciatim autem de sculptili & conflatili: cujúsque è dictis operibus sacris imitatione conflatum maximè sit probabile.

POrrò quam summam & primariam rationem habui Jeroboami vitulos ad Mosaicorum Cherubo rum similitudinem conflatos initio putandi, eandem habeo de Micha similiter sentiendi. Nimirum quòd cùm religionem sanctam patriam Jerosolymis stabilitam in Ephraim transferre consilium Jeroboami esset, & hac fini quæcunque ad eam attinerent, qualitercunque imitari, non fuerit cur in simulacro, circa quod potissimus Dei cultus, religio & pietas versabatur, dissentire, cùm optionis liber esset, quàm consentire maluerit. Eandem, inquam, rationem haud levem habere videor de Micha & ejus matre haud secius statuendi. Ipsos scilicet suum sculptile & conflatile, suámque Ephodem & Theraphos, ad Mosaicorum ejusdem generis totidem operum similitudinem effinxisse; quia neque ipsis religionem patriam relinquere aut mutare in animo fuerit, sed quomodo publicè tunc temporis in Silo servabatur, in domum suam, privato suo & vicinorum usui & commodo, servandam transferre; tantóque id magis, quòd major quædam etiam fuisse cùm in Micha tum ejus matre religionis cura & studium videatur. Quibus utique, haudquaquam uti Jeroboamo, ab ambitione & asserendi regni terreni studio & solicitudine, verùm ab excessu pietatis & devotionis (sive illa magis pietatis simulatio & hypocrisis fuit: neque enim, si cui sic potiùs videbitur, admodum repugno) tametsi anormis, & antiquam superstitionem, aut

aut potiùs abrogatum pridem cultum renovantis, simulacra hæc instrumentáque alia sacra per imitationem effingendi cupido incesserit. Uterque siquidem Jehovæ Dei majorum suorum cultum & timorem nominatim professus observatur: Mater imprimis, dum filio benedicens, *Benedictus*, ait, *filius meus Domino*, Hebraicè *Jehova*, Jud. 17. ver. 3. item dum pecuniam suam pridem se Jehovæ consecrasse & vovisse dicit, *Consecravi & vovi hoc argentum Domino* (fuerat illud mille & centum argenteorum) ad ejus cultum & gloriam, quantum quidem zelo & simplicitate muliebri sibi persuadebat, in sculptile & conflatile convertendum: Filius autem Michas, dum ædiculam in domo sua *separasse*, id est, consecrasse, præterea; Ephod & Theraphim fecisse scribitur, *Qui adiculam quoque in ea Deo separavit, & fecit Ephod & Theraphim*, ibidem, ver. 3. Super omnia autem dum ob repertum Levitici generis sacerdotem (cùm priùs more majorum filium suum primogenitum sacerdotem instituisset) sibi tantopere gratulabatur, *Nunc scio*, dicens, *quòd benefaciet mihi Deus, habenti Levitici generis sacerdotem*, ibidem, ver. 13. Cùm esset ille Levita solummodo, esse legitimus sacerdos non potuit, cùm sacerdotes de filiis Aaron esse oporteret. Fungebantur tamen sacerdotum munere etiam Levitæ, in supplementum, si sacerdotes deficerent, aut eo numero sanctificati non essent, quantum solennitatis requireret frequentia, 2 Par. 3. Magnum itaque religionis studium in Micha hîc elucet, qui Jonathanem in sacerdotem quantivis potiùs conducere quàm vel primogenitum suum more majorum, vel alienum à tribu sacerdotali sacerdotem habere maluerit, præ eo quod Jeroboami fuit, qui è contrario sacerdotibus, quos habebat magno numero legitimos, è regno suo toto abjectis, alios *de extremis populi, qui non erant de filiis Levi*, asciverit, 3 Reg. 12. ver. 31. Michæ igitur & matris ejus opera præmemorata, quandoquidem ad cultum Dei veri (haud dubiè quin publico assimilem) privatim destinata erant, ad aliquorum totidémque è sacris operibus ex Dei præscripto à Mose confectis, aut certè in veteri illo Dei cultu per Mosem abrogato, olim permissis, exemplum informata haud invitè mihi persuadeam.

Verùm ecquod primum fuisse illud suspicemur quod *sculptilis* & *conflatilis* duplici vocabulo à muliere illa curatum consecratúmque fuisse Deo significatur? *Quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, ut faceret ex eis sculptile atque conflatile*, Jud. 17. ver. 4. Unicum enim fuisse hoc opus, quamvis nomina duo sortitum, hoc adducor, quòd utroque nomine præmisso, subjungatur non solùm pronomen relativum, verumetiam verbum numeri singularis, hoc modo, *quod fuit in domo Michæ*; quod nisi de opere unico intelligi dictum non possit. Sed & indè unicum opus hoc fuisse magis etiam intelligi datur, quòd solo *sculptilis* vocabulo, nullâ *conflatilis* adjunctâ mentione, idem in eadem historia postea designetur, *Et tulit Ephod, & Theraphim, & sculptile, & profectus est cum eis*, Jud. 18. ver. 20. Sed & exemplo, quò sic magis credam, confirmor, idolo unico quod in historia Manassis Regis Juda alibi *idolum luci* vocatum est, 4 Reg. 21. ver. 7. alibi (2 Par. 33. ver. 7.) duplici eodem *sculptilis* & *conflatilis* nomine similiter appellato. Porrò vocabulo hoc utroque simul hoc modo combinato opus ejusmodi aliquod significari arbitror, quod à fabro primùm ex ligno dedolatum sculptúmque argentarius deinde argento ductili in laminas attenuato texerit. Quod genus simulacrum Esaias verbis illis insinuat, *Numquid sculptile conflavit faber, & aurifex auro figuravit illud, aut laminis argenteis argentarius?* Esai 40. ver. 19. Insinuat & propheta Baruch, *Deos inauratos & inargentatos* vocans, cùm dicit, *Non à furibus, neque à latronibus se liberabunt dii inaurati & inargentati, quibus iniqui fortiores sunt*, Bar. 6. ver. 36. Cui sententiæ Vatis sacri pulcre & illud poetæ ethnici succinit, de sacrilego loquentis,

——— *Qui*
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipsam
Neptuni, qui bracteolam de Castore ducat. Juv. Sat. 13.

Ejusmodi opere fieri arcam fœderis à Deo præscriptum erat, *Arcam de lignis Setthim compingite, & deaurabis eam de auro mundissimo, intùs & foris*, Exod. 25. ver. 10. Sed & Cherubos, quos Salomon Rex in oraculo posuit, simili opere factos traditum est. Primùm enim de lignis olivarum sculptos, auro deinde contectos, secùs quàm Cherubi Mosaici, qui ex auro solidi.

Quin & vocibus iisdem, in unius ejusdémque operis alicujus significationem eo modo conjunctis, opus tale aliquod fuisse mulieris hujus non incommodè intelligi possit (cùm argentum solum in materia, non etiam ligni ulla species; solúsque argentarius, non item faber, ad illud informandum interveniisse memoretur) quod conflato primùm argento in unam massam, scalpello deinde vel cælo exsculptum fuerit. Cujusmodi opere factum Aaronis vitulum postea dicemus. Cujusmodi item fortasse *laminam* illam auream *sacræ venerationis* appellatam, Exod. 39. ver. 29. in qua *sanctum Domino* sculpi præceptum erat. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere calatoris sanctum Domino*, Exod. 28. ver. 36. *Coronam* vocant Sirachides, Eccl. 45. ver. 14. & Josephus. Quorum hîc alibi eandem etiam ad sua tempora salvam mansisse testatur: ut fuisse eam ornatûs illius Pontificii partem consentaneum sit, qui cùm antea in templo asservaretur, suo itidem illo tempore cum stola in castello Antonia deponi cœpisse ibidem tradit. Sed & eandem *purissimam* illam *pietatem* ab eodem appellatam ferè esse existimem, quam cùm Antiochus, Pompeius, Crassus, Titus Cæsar, templum armis obtinuerunt, solam ibi inventam idem scribit, & de qua nil sibi esse apud alios effabile simul asserit; haud obscurè ad nomen tetragrammaton alludens, quòd in ea insculptum erat, existimabatúrque, imò & vocabatur *ineffabile*. In ea autem diutiusculè hæreo, quòd è Mosaicis, quæ diximus, operibus sacris, nullum illo meâ sententiâ hæc mulier verisimiliùs in usum privatæ religionis suæ sanctæ ad imitationem publicæ habere velle debuerit. Quod tamen non ex auro, uti Moses, sed argento primùm conflandum, deinde opere cælatoris nomine Divino sculpendum curaverit. Unde nec inconvenienter *sculptile* & *conflatile* dici meruerit. Cur autem sic velle eam debuisse suspicer hanc habeo rationem. Quòd, cùm de quo alio opere sacro potiùs id credam non suppetat, videam Judæos & olim arcâ fœderis sublatâ, nomen illud Divinum solùm in Sanctis (si rectè locum Josephi de eo interpretor) per captivitatum autem tempora in Synagogis, perinde ac religionis suæ insigne unicum, reverenter & religiosè perpetuò habuisse, etiamcunque hodie habere. Tametsi ut verum fatear, nec satis in eo acquiesco, malímque de simulacrorum aliquo istud intelligi, quorum fuisse usum ante legislationem, & omnino Patriarcharum ævo tam non prohibitum, ut Deo gratissimum mihi institutum probare est in tractatu de lucis & statuis sacris, quem LABANEM inscripsi, quod ejusdem generis fuisse simulacrum suspicor, quod filia Rachel ad soceros demigrans furto patri abstulit.

CAP. XVIII.

Ephodem & Theraphos Michæ, ut nomine, ita formâ & usu cum Ephode & Cherubis Mosaicis convenisse. Loci Oseæ hac eadem similiter conjungentis, & Theraphos speciatim pro Cherubis usurpantis, explicatio.

JAM ut ad Ephodem & Theraphos veniam, quæ Michas maternæ pecuniæ votæ reliquo, ni fallor, confecta Deóque similiter consecrata in ædiculam suam

præterea intulit, cujuſmodi fuerint, quémque uſum in religione habuerint, inquiſitionem minùs difficilem habere arbitror. Neque enim minùs formâ & uſu quàm nomine cum Ephode & Cherubis Moſaicis convenire ſenſerim: his utique (Cherubos dico) etiam *Theraphis* in Scriptura appellatis, & quidem conjunctim, ut hîc, commemoratâ Ephode. Fit hæc verò, quam dixi, utriuſque horum ſimul commemoratorum conjunctio apud Oſeam. Quo loco miſerrimam futuram aliquando Iſraelis conditionem, utique dignitate regiâ & judiciali, ſacerdotali & prophetali carituram, vaticinatur hoc modo, *Quia dies multos ſedebunt filii Iſrael ſine Rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Theraphim*, Oſ.3. v.4. Cui loco lucem primùm afferri ab Jeremia opportunum ſit, eadem eodem ordine nominibúſque iiſdem ſigillatim recenſente, niſi quòd pro *Ephod* & *Theraphim*, circa quæ oraculum & prophetia verſabantur, *Prophetas* ponit, in hæc verba, *Sic confuſi ſunt domus Iſrael, ipſi & reges eorum, principes & ſacerdotes & prophetæ*, Jer.2. 26. Itémque rurſum in eandem ſententiam, *Peribit cor Regis, & cor principum, & obſtupeſcent ſacerdotes, & prophetæ conſternabuntur*, Jer.4.v.9. Recenſet eadem eodem ordine & Michæas, niſi quòd Regem omittit, *Principes*, inquiens, *in muneribus judicabant: ſacerdotes in mercede docebant: propheta in pecunia divinabant*, Mich. 3.11. Pulcrè hîc autem triplici ordine ſimilia & affinia combinare Oſeam obſervandum eſt. Primo quidem ordine, Regem cum principe; quomodo eos Jeremias iiſdem nominibus loco utroque præmemorato etiam conjungit. Michæas Regibus, ut dixi, prætermiſſis à principibus incipit. Quo nomine his prophetarum locis omnibus Sanhedrim, hoc eſt, ſummum illum à Rege magiſtratum ſummóſque judices deſignari certum eſt. Unde & Michæas appoſitè, quòd judicia venalia haberent eos arguit, *Principes in muneribus judicabant*. Planè & verbis & ſententiâ conſentaneè cum Eſaiæ loco illo, *Principes tui infideles, ſocii furum, omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones*, Eſ. 1.23. itémque cum Ezechielis illo, ſimul ſacerdotum etiam & prophetarum (ut his præmiſſis omnibus) peccata & vitia complectente, *Principes ejus in medio ejus quaſi lupi rapientes prædam, ad effundendum ſanguinem, & ad perdendas animas, & avarè ſectanda lucra*, Ezech.22.27. Hunc magiſtratum cum Rege hoc modo in Scriptura conjungi, ut ab Oſea & Jeremia factum hîc videmus, non eſt infrequens: initio vel indè ab Iſraele Patriarcha uſque facto, qui jam tum cùm nullum adhuc Iſraelis regnum neque Sanhedrim eſſet, in prophetia ſua illâ tam celebri primus conjunxit, *Non auferetur ſceptrum de Juda & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt*, &c. Gen.49.10. Quod hîc enim *ſceptrum* eſt, Oſeæ *Rex* eſt; qui hîc *dux* ſive *legiſlator* (ut vocem Hebraicam magis propriè ſonare annotant) Oſeæ cùm hoc loco, tum aliis quibus dignitatem illam perpetuò cum Regia conjungere pergit, *Princeps* eſt & *Judex*: ut, *in malitia ſua lætificaverunt Regem, & in mendaciis ſuis principes*, Oſe.7. v.3. Item, *Ipſi conſtituerunt Regem, & non ex me: Principes exſtiterunt, & non cognovi*, Oſe.8.v.4. Item, *ubi eſt Rex tuus? nunc ſalvet te in omnibus urbibus tuis; & judices tui de quibus dixiſti, Da mihi Regem & principes*, Oſe.13.10. In ſecundo ordine Sacrificium cum Altari Propheta conjungit, quorum utique tanta ſit inter ſe relatio & affinitas, ut mutuò ſacrificium altare, & altare ſacrificium ferè præſupponant. Horum duorum loco itaque rem unam, nempe ſacerdotem, deſignantium, appoſitè Regi & principi connumeratum, Jeremias & Michæas breviùs *Sacerdotes* dixerunt. In tertio ordine denique conjunctim Ephod & Theraphim Oſee collocat. Quorum utrumque ad divinationem cùm pertineret, ut diximus & mox oſtendemus uberiùs, Jeremias & Michæas apertiùs, (Oſeam veluti exponentes) pro illis *Prophetas* dixerunt. De his, quia magìs ad id quod agimus ſpectent, magìs ſpecialiter jam nobis aliquid eſt dicendum. Ac primùm quidem de Ephode, ordinem Oſeæ ſequuti, poſtea de Theraphis dicemus.

CAP. XIX.

De Ephode. Ephodis fuiſſe genus duplex, Leviticam unam, alteram Pontificiam. Pontificiæ forma quæ fuerit, & quis uſus. Micha & Gedeonis Ephodes ad Pontificiæ fuiſſe imitationem confectas.

EPhodis genus duplex memoratur; Unum ex lino, quod peculiaris ſacerdotum Levitarúmque geſtaminis fuit, imò & quorumcunque, ut videtur, ſacris miniſtrantium, quando & Samuel puer, 1 Reg.2.v. 18. & David Rex ante arcam pſallens uſus eâ perhibetur, 2 Reg. 6. v.14: Alterum quod ſacerdotis magni, id eſt, Pontificis ſolius, quam *tunicam* eandem à Moſe, à quibuſdam *Epheſtrim* vocatam Græcanicæ epomidi ſimilem Joſephus fuiſſe dicit, cùm materiâ aliâ diverſâ, coloribus & auro variegata, tum maximè gemmis conſtabat. Non eſt de prioris illius generis Ephode locus Oſeæ intelligendus (cujuſmodi nihil prohibuit Judæos omni tempore quantumcunque malo, ac vel in captivitate etiam media, habere & circumferre) ſed poſterioris, quam *pontificiam* appellare licet. Erant autem Ephodis hujus pontificiæ duæ partes; Una *ſuperhumerale* dicta, quæ lapidibus onychinis duobus, nomina filiorum Jacob ſena ſingulis inſculpta habentibus, conſtabat, & humeros (à quibus ipſi nomen) uſque ad cinctum contingebat: Altera quæ vulgo *rationale*, Moſi *Choſen* & *Eſſen*, Græcis *Logion*, id eſt, *oraculum*, appellata. Cujus in medio, quà pectus tegebat (unde & *pectorali* eidem nomen) pannus palmi amplitudine quadrangulus fuit, gemmis duodecim diſtinctus, ternis ſcilicet per quatuor ordines eadem filiorum Jacob nomina inſcriptis. Hujus Ephodis uſus (ut dixi) in divinatione fuit, quæ gemmarum inſpectu facta per *Thumim* & *Urim* (quod *doctrinam* & *veritatem* Hebraicè ſonat) fieri dicebatur. Et quantum ex Joſepho (3 Ant. 8 & 9.) intelligere eſt, ſic fieri videtur ſolita, ut pro ratione lucis, quâ conſultoribus uberiùs languidiúſve affulgebant, de eo quod agendum capeſſendúmque, aut quod vitandum fugiendúmque eſſet, certiores redderent. Conſulti Numinis per Ephoden, ſive per Thumim & Urim, exempla è Davidis profugi hiſtoria pulcerrima duo ſubjungam. Solo enim hoc oraculo uſus videtur David, Saule regnante, & uſque dum arcam federis de Cariathiarim in arcem Sion tranſtulit, ut ex his ejus verbis colligere eſt, *Et reducamus arcam Dei noſtri ad nos. Non enim requiſivimus eam in diebus Saul*, 1 Par.13.v.3. Prius eſt 1 Reg.23. v.9,10.&c. *Quòd cùm David reſciiſſet quia præparaſſet ei Saul clàm malum, dixit ad Abiathar ſacerdotem, Applica mihi Ephod. Et ait David, Domine Deus Iſrael, audivit famam ſervus tuus, quòd diſponat Saul venire in Ceilam, ut everat urbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus? Et ſi deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus? Domine Deus Iſrael, indica ſervo tuo. Et ait Dominus, Deſcendet. Dixitque David, Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum in manus Saul? Et dixit Dominus, Tradent.* Alterũ exemplum eſt 1 Reg.30.6,7,&c. *Confortatus eſt autem David in Domino Deo ſuo. Et ait ad Abiathar, Applica ad me Ephod: Et applicavit Abiathar Ephod ad David. Et conſultavit Dominum David, dicens, Perſequar latrunculos hos & comprehendam eos, an non? Dixitq; ei Dominus, Perſequere. Abſq; dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam.* Hæc porrò reſponſa, ex eo quòd ferè verbo unico, & eo ipſo quo cõſultus fuerat Deus, facta referuntur, *An deſcendet? deſcendet. An tradent? tradent. An perſequar? perſequere*; apparet, imò verum arbitror, nec verbo quidem facta, ſed pro lucis fortè, & coloris vel intentioris jucundioríſque, vel dilutioris, ut dixi, hebetioríſq; ratione, quadam veluti nutûs & abnutûs ſpecie reddita fuiſſe. Unde & cùm hoc modo interrogationibus duabus reſponderi ſimul non poſſet, factum ſit, ut David priore exemplo duo ſimul interrogante, *Si tradent me*

me viri Ceilæ? Et ſi deſcendet Saul, ſicut audivit ſervus tuus? non niſi ad poſteriorem interrogationem reſponſum acceperit, *Deſcenſurum:* ac propterea quod priore loco poſtulaverat, *An traderent eum viri Ceilæ?* fuerit illi denuo ſciſcitandum: ad quod deinde & reſponſum acceperit, *Tradituros.* Verùm quòd ad poſteriorís exempli interrogationem pluribus verbis reſponſum ſcribatur, *Abſque dubio enim comprehendes eos, & excuties prædam,* conſentaneum eſt ab intentiſſimæ jucundiſſimæque, & hoc ipſo auſpicatiſſimæ lucis fulgore, abſque dubio, hoc eſt, certiſſimè, comprehendendos fuiſſe latrunculos, & excutiendam prædam, & ſignificatum à Deo, & à Davide intellectum eſſe.

Hæc ferè itaque conditio, & hic uſus Ephodis pontificiæ fuit, quam ceſſaſſe primùm Epiphanius ſcribit (referente in Chronologia Genebrardo) ex quo Rex Joas pontificem Zachariam occidit. Verùm huic ſententiæ repugnat, quòd Oſeam prophetam Joas aliquantò ætate præceſſerit, de futura ejus ceſſatione vaticinantem. Veriſimiliùs itaque Joſephus, qui annis circiter ducentis, (lib. 3. cap. 9.) antequam ea quæ in Antiquitatibus de Ephode ſcripſit commentaretur, deſiiſſe ejus gemmas fulgorem emittere annotavit. Quod tempus in Aſamonæorum principum gubernationem cadit: ut tantò poſtea demum impletum fuiſſe ex Joſephi ſententia neceſſe ſit, quod de eadem aliquando in Iſrael deſitura Oſee prædixerat.

Ad hujus Ephodis imitationem non ſolùm Michas eam de qua hîc nobis ſermo eſt, verumetiam Gedeon ſuam illam quam de manubiis Medianitarum factam in civitate ſua Ephra poſuiſſe legitur, Jud. 8. ver. 27. feciſſe & concinnaſſe meritò credi poſſit. Hoc diſcriminis inter utramque ſolùm interveniente, quòd in ea quæ Gedeonis fuit, omnis Iſrael, in ea autem quæ Michæ, Tribus una ſola fornicata ſit. Eventu in auctores ſuos longè diſſimili; cùm ſuam illam fuiſſe Gedeoni & omni ejus domui in ruinam ſcriptum ſit (ut huic tanquam cauſæ referre Scriptura videatur filiorum ejus ſeptuaginta legitimorum per Abimelechum ſpurium factam cædem) Michæ verò ſua non tantùm nil damni aut incommodi attulerit, ut contrà quæſtus & proſperioris fortunæ fuiſſe ipſi cauſa videatur, & quidem cùm Ephodi etiam Theraphos & ſculptile adjunxiſſet.

CAP. XX.

De Theraphis. Quid eâ voce Hebraicè notetur. In ſignificationem Cheruborum Moſaicorum, imò & pro Oraculo ipſo ſancto quod erat inter Cherubos, ab Oſea uſurpatam.

NUnc de Theraphis pergo dicere; quâ voce, propriâ ac generali ſuâ ſignificatione, MORPHOMATA, id eſt, *figuras* & *ſimulacra* quæcunque Hebraicè notari Hieronymus ex Hebræis annotat. Unde & ipſe in Davidis profugi eadem quam laudavi paulò antè hiſtoria, ubi dicitur uxor David Michol, quò maritum à perquirente eum ad mortem Saule Rege ſervaret, dimiſſo eo per feneſtram, Theraphim loco ejus in lecto ſubjeciſſe, pro *Theraphim*, *ſtatuam* vertit, hoc modo, *Tulit autem Michol ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput ejus*, 1 Reg. 19. ver. 13. Pagninus autem *ſimulacrum* reddidit, *Tulitque Michol ſimulacrum, & poſuit in lecto, & pulvinar è pilis caprarum poſuit ſub capite ejus.* Soli Joſepho (6. Ant. 14.) ſorduit Micholis ſtropha hæc, & quò eâ ſe magis argutum & ingenioſum probaret, acutius quiddam commentus eſt quod Micholi tribueret: non enim Theraphim ſimulacrúmve aliquod mariti loco ab ea ſubjectum, ſed de pilis caprarum facto jecinore caprino, Micholem narrat parato lecto tanquam ægrotanti, ſtragulis jecur capræ recèns exemptum ſubjeciſſe (tantum ſcilicet fidei caprariis habuerit Michol in tanto mariti diſcrimine, tantúmque otii in conſilio hoc ſubitaneo properè magnâque cum trepidatione exſequendo) & cùm ſtragula moverentur, iis qui perquiſitum venerant, ægrum eum anhelare perſuaſum fuiſſe. Porrò cùm ſtatuam fuiſſe illam unicam certum ſit quam pro Davide Michol ſubjecit, apparet ejus generis fuiſſe id vocabulum quod numero plurali rem etiam unicam Hebraicè denoter. Quo reſpectu haud minùs quàm ſignificationis aut ejuſdem aut proximæ ratione, *Penatium* nomini, itidem plurali rem unicam & ſingularem ſimiliter deſignanti, & ſi litera una ſinat, iiſdem totidémque ſyllabis in contrarium euntibus conſtanti, haud abſurdè reſpondeat.

Patet hinc igitur, tametſi vocem eandem Hebraicam interpreti Hieronymo nonnunquam *idola* vertere placuerit, neutiquam perpetuum tamen aut neceſſarium eſſe in malam partem eam accipi, verùm de quovis ſimulacro indifferenter, atque ideo in bonam quoque partem, cùm res tulit, uſurpari & potuiſſe & conſueviſſe: adeóque & de Cheruborum ſacrorum Moſaicorum ſimulacris, oraculi ſede, & à propinquo de oraculo ipſo ſancto, denique & pro prophetia in genere per metonymiam loco Oſeæ prætemorato videri uſurpatam. Quomodo loco etiam illo Zachariæ cap. 10. ver. 2. factum, Oſeani hujus comparatione & argumento haud difficilè mihi perſuaſerim, *Quia ſimulacra* (Theraphim) *locuta ſunt inutile, & Divini viderunt mendacium, & Somniantes locuti ſunt fruſtrà, vanè conſolabantur.* Quo loco Pagninus & Vatablus *Somniantes* non agnoſcunt, neque legunt, ſed *ſomnia*, quæ ad Divinos eoſdem referunt, hoc modo; *Et Divini viderunt mendacium, ſomnia vana locuti ſunt.* Ut ſit idem quòd *mendacium vidiſſe* dicantur, id eſt, viſionem, vel prophetiam mendacem (ſunt enim hæc ſynonyma) & quòd *ſomnia vana, & inania locuti.* Quæ quidem cùm in religione ſancta etiam contingere potuerint, cur hoc ad oracula & viſiones ſive prophetias improbatæ religionis potiùs referamus? Nam & quid obſecro tam futurum erat hoc novi, ſi *Simulacra* (nè à vulgari verſione diſcedam) aut potiùs Dæmonia in ſimulacris, ſi *Divini*, id eſt, Arioli, ſi *Somniantes*, *inutile*, *mendacium*, *fruſtrà*, *locuti* eſſent? Fuit hoc eorum proprium, ac tantùm non perpetuum. Meliùs itaque, ni fallor, de oraculo, viſionibus & ſomniis legitimi uſûs interpretemur: quorum ut affluens uſus proſperum rerum ſtatum in Iſrael, & conſequenter Deum faventem denotabant, ut cùm ſcriptum eſt, Joel. 2. ver. 28. *Et prophetabunt filii veſtri & filiæ veſtræ, Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & Juvenes veſtri viſiones videbunt*; ità raritas, & multò magis defectus, vel ſi pro veris vana & mendacia dicerent, ſtatûs improſperi Deíque averſi & irati indicium erat. Primi generis quod de raritate feci, exemplum eſt, *Sermo Domini erat pretioſus* (id eſt, rarus) *in diebus illis* (Heli pontificis) *& non erat viſio manifeſta.* His verbis utrumque oraculum de quibus locuti modò ſumus deſignari mihi certum eſt, tam illud ſcilicet quod ſermone, id eſt, voce articulatâ, de medio Cheruborum Deus reddebat, quàm quod viſu & gemmarum inſpectu per Thumim & Urim percipiebatur. Proximi generis de defectu plura ſunt exempla; ut cùm Jeremias ſcribit, *Prophetæ ejus non invenerunt viſionem à Domino*, Thren. 2. ver. 9. cúmque Ezechiel, *Peribit omnis viſio*, Ezech. 12. ver. 22. denique & cùm Michæas; cap. 3. ver. 6, 7. *Propterea nox vobis pro viſione erit, & tenebræ vobis pro divinatione; & occumbet Sol ſuper prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies: & confundentur qui vident viſiones, & confundentur Divini, & operient omnes vultus ſuos, quia non eſt reſponſum Dei.* Tertii generis denique, quod de iis feci qui pro veris falſa & mendacia dicerent, hoc ex eodem Ezechiele exemplum eſt, *Prophetæ autem ejus linebant eos abſque temperamento, videntes vana, & loquentes eis mendacium*, Ezech. 22. ver. 28. Ad hoc genus igitur & illud quo de agimus Zachariæ exemplum refero, *Quia ſimulacra* (Heb. THERAPHIM) *locuta ſunt inutile, & Divini viderunt mendacium, & Somniantes locuti ſunt fruſtrà.*

Nam & appositè à Zacharia deinde additum est, Populum (de Juda ibi sermo est) quòd solitis illis suis divinationum præsidiis, sed & pastore destitutus esset (*pastoris* vocabulo regem, principem & sacerdotem, quò sic locus ille ad Oseanum in quo sumus comparatione propiùs accedat, facilè includente) *tanquam gregem*, vel (ut Pagninus vertit) *tanquam pecudes* abductum dissipandúmq; fuisse, *Idcirco abducti sunt quasi grex: affligetur quia non est eis pastor*, ibid. pulcrè huic expositioni succenturiante & Salomonis sententiâ, *Cùm prophetia defecerit, dissipabitur populus*, Prov. 29. v. 18. Quo loco respicere potissimùm Salomonem suspicor ad historiam Heli pontificis, in cujus diebus irato Deo propter nimiam ejus in filios nequitiâ diffluentes indulgentiam, *pretiosum fuisse*, id est, rarum, *sermonem Domini*, hoc est rarum oraculi vocalis usum, & non manifestam visionem, quod de oraculo muto exposui, gemmis Ephodis ambiguâ & dubiâ luce fulgentibus.

Miserrimam itaque Israelis conditionem aliquando futuram Osee verbis illis comminatur, quo tempore defuturus esset Rex, Princeps sive Judex, Sacerdos & Propheta: aut etiam in universum Prophetia & Divinatio: legitimam intelligo. Enimvero observatum quidem aliquando fuerat defuisse Judicem in Israel, qui Regis & Principis, sæpe & Sacerdotis munia obibat: ut Michæ Ephraimitæ tempore, de quo scriptum est, *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat:* at verò Oraculum utrumque *Ephodis* & *Theraphim* nominibus hoc loco designata, tunc vigebat. Quin & ad illud, quod utriusque generis hujus dictus Michas habuit, quemadmodum Deus Danîorum exploratoribus respondebat, sic fortè nec aliis respondere recusabat. Contrà autem fuit cùm prophetia, utrumque dico idem oraculum, defecerit in Israel, aut nè fallam, cùm parcissimus ejus usus esset, ut Heli sacerdotis pontificatu fuisse diximus, *Sermo Domini erat pretiosus in diebus illis, & non erat visio manifesta:* at Judex tunc non deerat, qui Regis (ut dixi) principis & sacerdotis munere fungeretur. Simul autem his omnibus præsidiis uno eodémque tempore fuisse Israelem destitutum aut destituendum, ante Oseam nunquam auditum fuerat.

Quæ forma & quis usus tam Ephodis quàm Theraphorum, quorum propheta Osee ut rerum affinium conjunctim meminit, eadem nempe utraque quæ Ephodis pontificiæ & Cheruborum Mosaicorum, satis superque jam ostendimus. Porrò fuisse ejusdem & formæ & usûs quæ Michas fecisse, & peculiari ædiculæ illata, ac Jehovæ Deo Israel consecrata conjunctim in ejus historia eodem modo memorantur, ejus dico usûs qui circa divinationem esset, præter argumenta jam à me exposita, fidem facit quòd Daniorum exploratores, ut paulò antè quoque attigi, cùm à sacerdote Michæ de iis intellexissent, neque Mosaicis solùm similia ea viderent, verumetiam notis ac domesticis eorundem nominibus appellari audirent, sícque & ipsi appellarent, consulta etiam more patrio à sacerdote voluerint, consultísque responsum acceperint, cui & priusquam impleretur fidem habuerint, & eventus verum & à Deo esse comprobarit. Sed jam de Micha Theraphísque & oraculo ejus, quia sit mihi animus Deo auspice fusiùs in LABANE agere, hîc plura dicere supersedeo.

CAP. XXI.

Non solùm caput vituli, quæ multorum opinio est, sed vitulum integrum, nullâ sui parte mancum, fuisse ab Aarone repræsentatum. Aaronem & Mosem in opere simili conficiundo rationem non item similem sequutos: sed & opera ipsa eventum fuisse longè dissimilem consecuta.

HIS quod volebam abunde jam probatum & confectum arbitror, vitulum Aaronium ex autoris Aaronis mente Cherubum fuisse, vituli quidem specie sed volucris, eundémque in usum religionis sanctæ ex ejusdem sensu confectum productúmque: quâ formâ eâdem cuíque usui suos Cherubos Moses, vitulos suos, aut potiùs pseudocherubos Jeroboamus, denique & Michas suos Theraphos posita conflaverunt. Formâ dico vitulinâ volucri omnes, eâque integrâ suísque partibus seu membris omnibus constante: tametsi plerosque esse non me latet, qui non vitulum integrum, sed caput vituli solummodo ab Aarone figuratum, & populo propositum credi malint. Quo in numero Lactantius, ni fallor, antiquitate primus est, cujus hæc verba, Divin. instit. lib. 4. cap. 10. *Cùm enim Moses dux eorum ascendisset in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apin, quod eos signo præcederet, figurarunt.* Cui accesserunt deinde magno numero alii, qui tamen omnes, quam sententiæ suæ rationem habuerint, non exprimunt. Sed hanc fortè habuerint; quòd vetus illud gentium improperium de capite asini à Judæis adorato, ad vituli Aaronii historiam referendum, quóque magìs appositè id fieret, *caput vituli* pro *capite asini* reponendum, putaverint. Verùm tanti apud me ea non est ratio, ut me ab Scripturæ nullam ambiguitatem habentis significatione genuina clarissimâque abducat, utique neutiquam caput vituli conflatile, sed vitulum conflatilem factum, projectóque in ignem auro non caput vituli rursum, sed vitulum egressum; denique & contritum usque ad pulverem, iterum non caput vituli sed vitulum, summâ constantiâ perhibentis. Præsertim cùm & validior multò in contrarium urgeat ratio, nil esse cur animalia illa cœlestia aliter in visione ab Aarone principibúsque aliis Israel conspecta credere debeamus, quàm quomodo vidêre postea Ezechiel & Joannes, corpore nempe integro spirantia séque moventia. Neque sit rursum credibile quæ hujus generis Aaron unicum, Moses bina opere conflatili populo repræsentarunt, aliter quàm quomodo viderant, hoc est, integra nullâque sui parte manca truncatáve ab eis conflata fuisse. Præsertim cùm alata repræsentari oportuerit, præcipuo Cheruborum ministerio in alis exsistente, *Utrumque latus propitiatorii tegam, expandentes alas, & operientes oraculum*, Exod. 25. v. 20. Unde & Cherub perpetuo epitheto *extensus* & *protegens* dici olim solitus videtur, cùm idem epitheti etiam prævaricatori Cherubo de cœlo præcipiti à propheta tributum videamus, *Et tu, Cherub, extentus & protegens*, Ezech. 28. 14. Item, *Perdam te, O Cherub protegens*, ibid. v. 16.

In ipsa tamen operis conficiundi ratione fuisse aliquid inter Aaronium nostrum & Mosaicos videtur dissimile. Nimirum quòd neutiquam uti Moses suos duos, ità suum unicum Aaron exquisiti alicujus artificis manu, ut nec usitatâ quidem artis fusoriæ observatione, quâ aurum è fornace liquidum in typum seu formam infusum vituli figuram induere oportebat, informandum curaverit; verùm ut ex Græca Septuaginta Interpretum & Latina Pagnini cæterorúmque aliorum versione intelligere est, conflato auro toto in unam massam, ipse tum demum scalpello, sive cælo, in Cherubum negligenter & contemptim configuraverit: quò sic vehemente populi flagitatione & precibus victus, cùm defugere hoc obsequium non posset, nè qua à simulacri quod daturus erat novitate, superstitionis alicujus ex ejus ad malum nota illa proclivitate erumperet occasio, tale solùm daret, in quo tam nihil esset ab artificii præstantia admirandum suspiciendúmve, quod pellicere quenquam in superstitionem posset: sed esset contrà artis penuriâ despectabile & contemnendum. Nam & quam dixi negligentiam suam indicare ipsum voluisse consentaneum est, cùm de improperio ipsi objecto apud fratrem se purgans, primùm se aurum non *fudisse*, sed *in ignem projecisse* dicit; deinde cùm *exiisse* hoc simulacrum, de quo, malè interpretando, illi vitulum fecissent. *Exiisse* inquam, quò sic qualemcunque, rudem scilicet & informem, fortuitò magìs quàm arte aut studio magno adhibito, emersisse significaret.

Verùm nil ejusmodi cautio, nil humana Aaronis prudentia,

dentia, malo, quod maximum indè sequutum est, avertendo valuit: * usque adeò quòd præter ordinem, præterque missionem aut vocationem, in rebus Divinis præcipuè, quisquam moliatur, quantumvis speciosum idonei tituli & voluntatis non malæ prætextum habeat, in deterius recidere perpetuò observatum est. Enimvero cùm nihil aut parùm differret Mosis & Aaronis in similitudinibus effingendis consilium, sed & ipsæ ab iis effictæ similitudines materiâ, formâ, significatione, usu vix quicquam essent dissimiles, fuisse tamen tam dissimilem eventum consequutas quis non admiretur? Ecce enim idem ille populus, qui aliquantò pòst temporis acceptum à Mose arcæ federis, & insistentium utroque ejus lateri Cheruborum duorum simulacrum jam ab initio & deinceps per tot annos ità religiosè & dignâ Deo pietatis exhibitione coluit veneratúsque est, quia ex Dei præscripto eóque volente atque auspice accepisset, nullam ut indè unquam superstitionis labem aut maculam, nedum idololatriæ contraxisse legatur: adeò ut nec æmulæ quidem gentes indè calumniæ occasionem arripuerint, quòd vitulos colerent, cùm tamen asinini capitis adorationem qui objicerent non defuerint: idem, inquam, ille populus, vix bene extortam Aaronis manibus rudem illam & semi-formem auri massam veriùs quàm simulacrum, Deo eum abdicante, ac suis sensibus relictum duci iisdem sinente (horrendo exemplo omnibus illis, quantumcunque pietatis affectum præ se ferant, qui neque missi neque vocati religionis formam aliam alii suo ductu suóque sensu quotidie novam instituere præsumunt) in peccati maximi, id est, idololatriæ, occasionem desubito arripuit.

Cujus facti seriem, cum circumstantiis suis omnibus & eventis, libro proximè sequente ampliter deducturus explicatui úsque, hic interea medio velificationis meæ cursu, quod felix faustúmque sit, peracto, in anchora nonnihil subsistam.

AARONIS PURGATI, SIVE, DE VITULO AUREO LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Ad Sanctiss. D. N. PAULUM V. Pontif. Opt. Max. proœmium. In formula solennis, Hic est Dominus Deus tuus, Israel, *&c, accuratissimam considerationem ingressus. Ab ejusdem formula occasione in sermonem de triplici Ecclesia Dei excursio, levíque indè flexu in viam reditio.*

PRima dicte mihi, summâ dicende Camœnâ, Mecœnas, &c. (Horat. lib. 1. Epist. 1.) Libri superioris initio in te, PAULE QUINTE, Pontifex Opt. Max. invocando, timidè quidem hoc ausus, sed ausus tamen, clientem me tuum feci. Patere te & Mecœnatem ex consequenti nunc meum dici: & quo Thuscum illum suum carmine Poeta Venusinus, eodem te è Thuscia eadem, nec impari genere editum, à me compellari. *Primâ Camœnâ*, id est, primâ laboris hujus mei parte dictus, invocatus, inquam, summâ extremâque iterum venis dicendus invocandúsque. Liceat te propitio, ac clementiore favoris tui aspirante aurâ, sublatâ anchorâ, quem cœpi cursum persequi porrò feliciter ac peragere. Manum de portu benevolentiæ & favoris indicem in me, si mereor, sin minùs, in AARONEM meum, veriùs tuum, quem Vector ad te transmitto, sed PURGATUM, sed discussâ pudoris nube, quæ frontem ejus immeritissimè tot jam seculis infuscarat, gratâ serenitate renidentem, Tibíque de Pontificatu summo tuo novo congratulatum venientem, intende. Vix dixeram, & jam à Tiberi usque hinc altè intendentem, PATER SANCTISS. seu mihi fingo, seu animo certè videre te videor, votísque ac precibus meis perbenignè annuentem. Aaronis quidem præcipuè merito & gratiâ, nonnullâ tamen fortè & mei, quem & in clientelam rogatus non invitè admittas, & quo vetus ille Poetas optimos favore, auctorem quamvis non optimum, novus ab Hetruria Mecœnas, alter imò & Augustus Pontifex Maximus, Poetarum eorundem fautor & fotor, prosequi, ornare & amplificare non recuses. Sic quidem voveo ego & ominor. Virgil. Eclog. 8.

— An qui amant ipsi sibi omina fingunt?

Fictum an verum nil moror: hoc certè omine navem solvo, quando & venti jam, (Æneid. 3.)

Vela vocant, tumidóque inflatur carbasus austro.

POSTULATI in viæ ducem à populo Dei fictilis, productíque ab Aarone vituli conflatilis ratione ex utriusque sensu redditâ, quod historiæ hujus reliquum est libro altero explicaturus, à formulæ sacræ & solennis, primùm à populo in Horeb, postea ab Jeroboamo in Sichem, post vitulorum exhibitionem mendosè usurpatæ, *Hic est Dominus Deus tuus, Israel, qui te eduxit de terrâ Ægypti*, magìs accuratâ consideratione auspicabor. Nam & hinc quod fuerit & quale in populo peccati illius maximi initium, in Aarone autem erroris, quo ille ductus altare coram vitulo erexerit, solennitatémque indixerit celebraverítque, & consequenter, quo consilio Moses contuso in pulverem vitulo & in torrentem abjecto, potum ex eo Israelitis dederit, ac denique quâ sordis ignominiâ idololatras affectos, quóque modo nudos inter hostes ab Aarone constitutos, statui probabiliter possit, præcipuorum obscurissimorúmque historiæ ejusdem capitum rationem commoda se eruendi explicandíque offeret occasio.

Ac primùm quidem notandum est, ex nobilissimis summéque admirabilibus Dei operibus, quæ in memoriam quotidie revocari, à quibúsque laudari ac denominari gratissimum perpetuò habuerit, duo præcipuè in Scriptura observari: quorum alterum ex propria personæ Patris, alterum personæ Filii functione, atque illud quidem in universum humanum genus, hoc in populum quem sibi ex universo hominum genere peculiarem delegit, contulit. Prius est, dum *Deum qui creavit cœlum & terram*, atque eodem sensu, *Deum possessor cœli & terræ*, & breviùs, *Deum cœli & terræ*, qui idem *Deus omnipotens*, & à personæ Patris, & nominis ipsius paterni dignitate & eminentia, *Deus excelsus*, & *Deus altissimus* appellatus est. Alterum, dum *Deus qui eduxit filios Israel de Ægypto*, Exod. 23. ver. 21, qui idem

Angelus

Angelus Domini, in quo Nomen Domini: item, *Angelus faciei Domini*, Esa. 63. ver. 9. & brevitatis causâ multò frequentiùs, *Nomen Domini*, & *Facies Domini:* denique & *Terror Domini*, atque eodem sensu, *Nomen Domini terribile*, & *Deus terribilis:* præterea, *Deus magnus, Rex magnus, magnus Dominus:* omnium autem frequentissimè *Jehova* (vulgò *Dominus*) *Deus Israel*, specialiter dicebatur.

A priore opere liber Geneseos, à posteriore liber Exodi principium ducit. Ille ad Dei Patris, aut potiùs ad Dei simpliciter, nullâ personarum distinctione agnitionem, sub prædictis primis appellationibus in unam primæ institutionis Ecclesiam homines universaliter vocans, per Sacerdotes *Dei altissimi* appellatos (quomodo vocari & ipsa fortè potuerit) peculiaréque prophetas, cujusmodi è sacris literis Melchisedech, Job, Jethro, Balaam, è prophanis autem Hermes, Hydaspes, Sibyllæ, fuisse noscuntur, latissimè aliquando propagatam, senim autem invalescente idolorum cultu magis ac magis infuscatam; sic tamen ut tenuia ejus vestigia ad Christi usque tempora perdurarint, Regibus populísque Jerosolymæ, quia templum alibi rerum autori Deo, quem & *Deum Altissimum* appellabant, nullum nossent, subinde adorantibus, (Vide Philon. libro de leg. ad Caium) Hic autem (liber inquam Exodi) de Filio Dei filios Israel sub secundis appellationibus docendi, ex iisdémque colligendæ peculiaris Ecclesiæ Deo, *Tabernaculi Dei* à Davide, populariter *Synagoga & Ecclesia Mosaica* vocabulo à nobis appellatæ, quæ uti prior in Gentibus, sic & ipsa majore ex parte in decem Tribubus (seducente Jeroboamo) tandem defecit, principium faciens, ad prophetarum extremos & Christum usque duraturæ; qui tertiam denique de nomine suo erat instituturus, & ipsam parte sui maximâ in hæreticis & Mahumetanis aliquando defecturam: & in qua idem autor ejus Christus de Spiritu Sancto doctrinam ad extremum erat additurus; simul priorum fidem connexim amplectente, ac veluti in se recolligente, dum unicâ fidei confessione credere se profitetur *in Deum Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ; & in Jesum Christum, filium ejus unicum, Dominum nostrum; & in Spiritum sanctum.* Non quòd nulla fuerit in prima Ecclesia, Filii, aut in secunda, Spiritûs sancti agnitio: sed quia nondum ad salutem necessaria, paucíssque ea contigerit Dei amicis Patribus, quibus eam ipse gratis extraordinario munere impertiri dignatus sit, viris excellenter Spiritu sancto illuminatis illustratíssque; quales Patriarchæ in prima Ecclesia, Prophetæ in secunda. Atque eo quidem sensu intelligi fortè non incommodè Exodi illud possit, *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac & Jacob, in Deo Omnipotente: Et Nomen meum Adonai* (sic vetus Interpres, in Hebræo *JEHOVAH* est) *non indicavi eis*, Exod. 6. 1. Item illud Joannis, *Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus*, Joan. 7. Quandoquidem & Nominis Dei, id est, Filii ejus, Patriarchæ Abraham, Isaac, Jacob, ignari non erant, & Spiritum sanctum Prophetæ antea quoque acceperant; verùm pari claritatis ubertate, neque Patriarchis fortè Nomen Dei in prima Ecclesia indicatum, quàm Mosi (ad quem sunt Dei superiora illa Exodi verba) in secunda; neque Spiritus sanctus in secunda Prophetis datus, quàm Apostolis in tertia: quia tum nondum adhuc tempus esset vel illius indicandi, vel hujus impertiendi.

Notæ harum Ecclesiarum in Scriptura illustres (de primis duabus loquor, de tertia enim neque loci hujus, neque instituti mei fuerit plura dicere) peculiare sacerdotium, peculiaria sacrificia, peculiare oraculum, peculiares benedictionis & jurisjurandi formulæ. Prioris sacerdotium, *Dei Altissimi*, ut dixi modò, appellatum, quod primogenitos sequebatur, ut hereditas & regnum: unde & ferè in ea iidem erant reges qui & sacerdotes. Talis Melchisedech inter Jebusæos, & ut traditio est à Theophilo Antiocheno annotata, Lib. 1. ad Autolyc. Abimelec inter Gerarenses, & Ephron inter Hethæos: quibus & Jethronem Mosis socerum inter Madianitas libenter adjungo. Priores illi duo expresè *reges* in Scriptura vocati: posteriores dubium an non etiam tales, ac sic vocandi. Artapanus certè in historia (referente Eusebio) & Ezechielus Judaicarum tragœdiarum scriptor Græcus, in dramate, cujus inscriptio *Exagoge*, Jethronem sic vocant.

In secunda Ecclesia Deus primogenitorum loco filios Levi solos, exclusis primogenitis, ad sacerdotium vocavit; *Levitas tuli à filiis Israel pro omni primogenito*, Num. 12. v. 14. Qua in re memorabile hoc accidit, ut à Mose utrique Dei jussu recensiti, ab uno mense & suprà, numero æquali viginti duorum millium inventi sint, Num. 3. v. 39. tametsi primogenitis centuriarum aliquot numero excedentibus, ibid. v. 43. In Sacrificiis præter victimaria utrique Ecclesiæ communia perpetua sacrificia, singularia duo semélque oblata singularum exstitere: in figuram cruenti sacrificii Christi unum, alterum incruenti. Prioris generis in priore Ecclesia tale fuit immolati à patre obedientia tenus unigeniti filii Isaac: posterioris autem panis & vini per Melchisedech Deo altissimo, cujus ipse erat sacerdos, oblati: in altera, cruentum Christi sacrificium per serpentem æneum, per manna autem incruentum semel designatum est.

Quod autem in earundem Ecclesiarum priore oraculum fuit, Scriptura à Rebecca consultum dicens, *Perrexíque ut consuleret Dominum: Qui respondens ait*, Gen. 25. v. 22. quale fuerit, nisi quòd locale fuisse, sed & vocale propiùs hinc patet, non exprimit: posterior duplicis generis, alterum inter duos Cherubos super Arcam federis vocale, alterum in Rationali mutum habuit. Benedictionis & jurisjurandi formulæ, quas in earundem Ecclesiarum notis etiam ponimus, magis ad id quod agimus pertinent, ac vel earum ferè causâ hunc sermonem, quamvis neque ingratum, ut spero, neque omnino intempestivum, huc usque produxi, quia à singulis illis Dei operibus quæ diximus, eas utraque ferè duxerit. Fuit hæc enim benedictionis in priore formula, *Benedictus Abram Deo excelso, qui creavit cœlum & terram*, Gen. 14. v. 19. Hæc verò jurisjurandi in eadem, *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cœli & terræ*, ibid. v. 22. Item, *Pone manum tuam super femur meum, ut adjurem te per Dominum cœli & terræ*, Gen. 24. v. 2. Fuit hæc autem Jurisjurandi in posteriore, *Vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de terra Ægypti.* Quam certè formulam in Ecclesia illa, quamdiu duraret ipsa, fuisse usurpandam, neque aliter quàm desinente eâdem postquam *salvatus esset Israel in Domino salute æternâ*, (Esa. 45. v. 17.) hoc est, tertiâ succedente Ecclesiâ, abrogandam, Jeremias disertim significat, his verbis, *Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultrà, vivit Dominus, qui eduxit filios Israel de Ægypto: sed vivit Dominus qui reduxit semen domûs Israel de terra Aquilonis, & de universis terris ad quas ejeci eos*, Jer. 16. 14, 15. Ex quo manifestè patet formulam hanc verè fuisse Ecclesiæ illius specialem notam ac veluti tesseram, simul cum ea introductam, simul abolendam: cùm *Deus qui eruit Israelem* (de Ægypto) *non amplius Deus Israel, sed Deus omnis terræ vocabitur*, Esa. 54. v. 5.

CAP. II.

Liberationem filiorum Israel ex Ægypto futurum fuisse magnum opus & memorabile, jam tum intelligi Deum antequam illud peregisset voluisse. Ab eodem opere denominari se jam tum etiam ipsum in futurum instituisse. Hinc solennis formula, de qua agimus, cùm aliàs, tum maximè verò in solennitatibus sacris religiosè usurpari cœpta.

CÆterùm ut magis speciatim magísque distinctè de posteriore Dei & opere hoc & formula nunc loquar, liberationis filiorum Israel ex Ægypto, magnum futurum

futurum fuiſſe opus, & de quo ante omnia uſurpari verè illud potuerit, *Tantæ molis erat*, jam antequam exſecutus illud eſſet, intelligi Deus voluit crebrâ ejuſdem præſignificatione & repetitione. Nam imprimis jam ab eo tempore quo deſcendendi cum familia in Ægyptum Iſraeli auctor fuit, de eo cogitare ſe ſignificavit, ſic eum allocutus, *Ego deſcendam tecum illuc, & ego indè adducam te revertentem*, Gen. 46. ver. 4. Quod quidem poſtquam utì pollicitus ibi fuerat exſequi, atque indè Iſraelem reducere ipſi eſt viſum, per Filium fecit, expreſsè ad hoc de cœlo miſſum. Cujus miſſionis ratione, in liberationis hujus hiſtoria jam ſtatim ab initio & deinceps, *Angelus* (quod Hebraicè *miſſum* ſonat) nominatim dicitur. De Filii miſſione hac ſic in Pſalmis Rex David, *Miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*, Pſal. 106. ver. 20. Sic autem Davidis filius de ejuſdem deſcenſu, Sap. 18. ver. 14, 15. *Cùm enim quietum ſilentium contineret omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus exſiliens de cœlo à regalibus ſedibus, durus debellator, in mediam exterminii terram proſiliit*, &c. Sed utroque teſtem majorem, ipſum de ſe Filium Dei ſic perhibentem habemus in ſermone quem de rubo, ut primùm miſſus venit, cum Moſe habuit, *Deſcendi, ut liberem eum de manu Ægyptiorum, & educam de terra illa*, Exod. 3. ver. 8. Denique in ſermonis ejuſdem progreſſu hoc ipſum denuo in futurum promittens ac repetens, ſimúlque fedus, quod olim cum Patriarchis pepigerat, cum populo renovans, ut qui hactenus ſe *Deum Abraham, Deum Iſaac, & Deum Jacob*, ſingulorum, inquam, Patriarcharum illorum Deum dixerat, in poſterum totius gentis, *Deus*, inquam, *Iſrael* (universâ gente hoc vocabulo deſignatâ) & eſſet & diceretur, ſimul etiam ſe *Deum qui educturus eſſet populum ſuum de Ægypto* jam tum appellavit, ac ſe antequam eduxiſſet ſic vocandum in futurum inſtituit, in hæc verba, *Ideo dic filiis Iſrael, Ego Dominus* (JEHOVA) *qui educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſervitute, ac redimam in brachio excelſo & judiciis magnis, & aſſumam vos mihi in populum, & ero veſter Deus, qui eruerim vos de ergaſtulo Ægyptiorum*, Exod. 6. ver. 6, 7. Locus profectò inſignis, neque obiter aut oſcitanter prætereundus, qui nobis ſimul unde Filius Dei (quod uſque adeò in Scriptura frequens eſt) *Deus Iſrael* dici cœperit, ſimúlque formulæ de qua peculiariter hîc agimus, veram & originem & auctorem, ipſum Dei Filium videlicet, unicus ſuggerit: unà præmiſſo ſanctiore Dei nomine, quod ab eadem formula legitimè expreſſa nuſquam in Scriptura videris ſeparatum, ut poſtea oſtendemus. Sunt hæc igitur clariſſima cùm regum, quos dixi, de liberatione hac per Filium Dei dudum antequam ſcriberent completa, tum verò Filii Dei ipſius in futurum de eadem cùm proximè tunc illam exſequi meditaretur, ad Moſem loquentis, ac jam tum ab ea ſe denominari inſtituentis, teſtimonia.

Itaque & quinquageſimo pòſt die quàm eam ipſe exſecutus eſt, verba de Sina ad populum facturus, ſe ab eo federe & opere primùm, ut is eſſe intelligeretur qui ſe Deum ipſorum futurum, ſéque eos liberaturum Moſi prædixerat, ac ſic dici velle jam tum eidem ſignificaverat, denominat, ſic exorſus, *Ego ſum Dominus* (JEHOVA) *Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti*, Exod. 20. ver. 2. ſícque & deinceps ſæpius ab eo factum obſervare eſt. Quin & ab eadem hac formula, ſimul fœderis ac operis præmemorati memoriam complectente, ſe à diis Gentium, diis alienis & recentibus diſtinctum voluit, his verbis Iſraelem apud Davidem allocutus, *Iſrael, ſi audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum: ego enim ſum Dominus* (JEHOVA) *Deus tuus, qui te eduxi de terra Ægypti*, Pſal. 80. ver. 9. 10, 11. Igitur auctorem hujus formulæ Deum ipſum Iſrael, Deum ſuum, inquam, Iſraelitæ cùm haberent, ſolenne deinceps perpetuò eis fuit eam Deo eidem ſignificando in omni ſermone aſſumere: ac quidem maximè per ſolennitatum dies, quæ in liberationis illius memoriam ac tanti à Deo accepti beneficii celebrari contingeret; ut in ea factum imprimis dubitari non debet, quæ prima hujus generis fuit, die proximo, ni fallor, poſtquam Deus ad populum de Sina locutus eſt, ad ejuſdem montis radices ædificato à Moſe altari ex voto celebrata, Exod. 24. ver. 4. de qua ſuſiùs mox dicemus. Dixi ex voto celebratam, quòd in Ægypto adhuc cùm eſſent, fieri eam ſibi Deus poſtulaſſet, poſtulantéque eo ſe facturos recepiſſent. Sunt hæc verba quibus eam Deus ſibi veluti ſtipulatus à Moſe fuerat, in eodem ſermone quem de rubo cum eo habuit, *Ego ero tecum, & hoc habebis ſignum, quòd miſerim te, Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum*, Exod. 3. ver. 12. Unde nec cauſa alia major fuiſſe legitur quam Pharaoni prætexuerint Moſes & Aaron miſſionem liberúmque ex Ægypto egreſſum poſtulandi, quàm ſolennitatis hujus celebrandæ: poſtulandi, inquam, modò Dei verbis, *Hæc dicit Dominus, Dimitte populum meum, ut ſacrificet mihi in deſerto*, Exod. 5. ver. 1. modò ſuis ipſorum, ibid. ver. 3. *Deus Hebræorum miſit nos, ut eamus viam trium dierum in ſolitudinem, & ſacrificemus Domino* (JEHOVÆ) *Deo noſtro, nè fortè accidat nobis peſtis aut gladius*. Maximam porrò futuram fuiſſe ſolennitatem illam ex eo intelligere eſt, quòd cùm Pharao populum dimittere toties admonitus, tandem ire quidem, non tamen univerſum, ſed delectos ex eo quoſdam ſolummodo permitteret, reſpondit Moſes, Exod. 10. ver. 9. *Cum parvulis noſtris, & ſenioribus pergemus, cum filiis, & filiabus, cum ovibus & armentis: eſt enim ſolennitas Domini* (JEHOVÆ) *Dei noſtri*.

In hujus igitur ſolennitatis celebratione, quam primam Ægypto egreſſi, & proximè quidem poſt Dei manifeſtè in igne de monte loquentis, ſéque Deum qui eos de terra Ægypti nuper eduxiſſet profitentis, tam terrificam concionem, ex voto, ut dixi, agitarunt, in eóque articulo maximè cùm cæſis hoſtiis Deus ipſe Iſrael principibus Moſi, Aaroni, Nadabo & Abiu, & ſeptuaginta ſenioribus Iſrael viſibilis apparuit, eſſe dubium non poteſt, hanc formulam primùm ab illis ipſis qui videbant, ac deinceps ab omni multitudine certatim uſurpatam, cum gaudio ac vociferatione acclamantibus, *Hic eſt Jehova Deus tuus, Iſrael, qui te eduxit de terra Ægypti*. Quo initio & exemplo in cæteris etiam ſolennitatibus, quæ poſtea ſecutæ ſunt, Arcâ fœderis præſente, cùm Deus idem Iſrael ſuper eam inter Cherubos præſens haud ſecùs verſari crederetur, imò verò & Arca ipſa, *Deus, Jehova, Nomen Jehovæ*, & *Facies Jehovæ* propterea etiam diceretur, ut libro primo oſtendimus, quin eadem pari ſtudio repeti ac decantari perpetuò obtinuerit, nemo puto inficias iverit.

Certè vel in ea etiam, de qua nobis jam dicendum, ab Aarone in Horeb Jehovæ, Deo eidem ſuo patrio, itidem indicta, quæ poſt dies quadraginta proximè primam illam ſecuta eſt, cùm futuræ Arcæ fœderis loco ſpecie vitulinâ volucri Cherubus educeretur, cúmque victimæ coram eo immolarentur, itémque in anormi quamlibet ſolennitate altera, quam ſimili producto Cherubi ſimulacro, in ſimilitudinem ejus quæ celebrabatur in Juda, Jeroboamus Rex celebraſſe in Bethel, & quotannis repetendam inſtituiſſe perhibetur, factum ſimiliter Scriptura diſertim teſtatur. Hoc tamen diſcrimine, quòd in Horebitana non quidem Aaron, qui vitulum producebat, ſed populus formulam illam iteratò aſſumens inducatur, *Dixerúntque, Hic eſt Deus tuus, Iſrael, qui te eduxit de terra Ægypti*: In Bethelenſi autem non populo, ſed vitulorum exhibitori Jeroboamo, eadem tribuatur, *Fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, Nolite ultrà aſcendere in Jeruſalem: ecce Deus tuus, Iſrael, qui te eduxit de terra Ægypti*, 3 Reg. 12. ver. 28. Quod idcirco annotare mihi hîc viſum, quia in formulæ hujus prolatione, ni valde ipſe fallor, Aaronem fefellerit populus, populum Jeroboamus. Cùm enim cæteris locis omnibus ubi formulæ hujus in Scriptura mentio eſt, ſive in Dei perſona

(cujuſ-

(cujuſmodi à me hîc nonnulli antè aſcripti) ſive cujuſcunque alius, nomen tetragrammaton *Jehova*, pro quo Interpretes *Dominum* ferè reponunt, perpetuò inſertum ſit, adeò ut *Deum Iſrael* ſimul dici, quod in eadem formula ſolenne etiam erat, prætermiſſum citiùs obſerves: quomodo in perſona Moſis ad populum ibi factum, *Cave diligenter nè obliviſcaris Domini* (JEHOVÆ) *qui te eduxit de terra Ægypti*, Deut. 2. ver. 12. ſolis, quod inveſtigando obſervare potuerim, locis tribus præmemoratis, bis, inquam, in perſona populi ſub Aarone in Horeb, & ſemel in perſona Jeroboami in Bethel omiſſum comperi. Movet autem ea res magnam ſuſpicionem mihi, in hac omiſſione peccatum utriuſque occultè tegi: & quòd *obliti Deum qui ſalvavit eos* (de Ægypto ſcilicet) Iſraelitæ Horebitani, Pſal. 105. ver. 21. quódque *projeciſſe Jehovam poſt tergum ſuum* Jeroboamus, 3 Reg. 14. ver. 9. in Scriptura accuſentur, hanc primùm facti occultam ſignificationem dediſſe, quòd nomen illud Dei ſanctiſſimum de formula, certam Dei vivi ac veri confeſſionem continente, excludendo, viderentur Deum ipſum, hic quidem veluti poſt tergum abjeciſſe, illi verò non tam de formula quàm de memoria deleviſſe & obliti eum fuiſſe: dum Horebitani, *Hic eſt*, inquiunt, *Deus tuus*, Jeroboamus autem, *Ecce Deus tuus, Iſrael*, nomine *Jehovæ* ab utriſque prætermiſſo; in ambiguo relinquentibus quem Deum ſuum intra ſe illum crederent, cujus nomen præter morem non ederent: aut potiùs, quod de Horebitanis verum eſſe planè ſuſpicor, non Jehovam ſed vitulum, in cujus nuda ſimilitudine fixi hærerent, *vitulum*, inquam, *comedentem fœnum*, ut Davidis verbum eſt, id eſt, animalem & brutum, ac fortè Ægyptiorum Apin, Deum eſſe de quo loquerentur in corde ſuo verſantes. De Jeroboamo enim benigniùs ſentire me jam antea dixi: neutiquam apoſtaſiæ ſenſum, aut voluntatem, ut Horebitani, ſed ſchiſmatis ſolummodo habuiſſe: tametſi, ut ſolet, ex hoc ſequi ac naſci etiam illam poſtea uſuvenerit. Atque ità nomen illud Divinum, quod Judæi poſteriores in ſecunda domo præ reverentia exprimere religioſum duxerunt, *ineffabile* appellantes, id temporis non exprimere impietatis indicium fuit.

Sed jam qui Aaronem fefellerit populus, quî populum Jeroboamus, ut dixi, oſtendere congruens fuerit & opportunum. Ac primùm de Jeroboamo dicam, ut poſteriore loco de Horebitanis agens, liberiùs & commodiùs ab hoc ſermone ad ea quæ inſtituimei magis ſunt trajiciam. Fefellit igitur populum ſuum Jeroboamus, animo religioſo bonóque fini formulam illam ſacram ab eo qui divinitus ad regnum nuper vocatus conſecratúſque in regem à propheta eſſet uſurpatam, cogitantem; factúmque ejus omne, cùm religionem patriam in ſpeciem retineret, atque adeò omnes ad Deum coram vitulis ritè adorandum (quod teſtatur Joſephus) publicè excitaret, non apoſtaſiam, non ſchiſma, ſed pietatem, aut certè ſubditorum ſalvâ religione & pietate commodum interpretantem, cùm tamen ſcelus ille in animo verſaret. Fefellit autem contrà Aaronem populus, formulâ eâdem illâ ſacrâ ab eo ſponte aſſumptâ, quam certam eſſe Dei veri in ore populi agnitionem ſanctæque religionis veluti profeſſionem interpretatus ſit. Sic enim interpretatum & exiſtimaſſe clarum eſt, cùm hoc audito confeſtim altare coram Cherubo ædificarit, utì Moſes poſtea coram ſuis, *Cùm autem exierit ad altare quod coram Domino eſt*, Levit. 16. ver. 16. ſolennitatémque in diem ſequentem Jehovæ nominatim, de quo ſentire populum, ut dixi, cogitabat, indixerit; *Quod cùm vidiſſet Aaron* (populum ſcilicet in formulam illam ſolennem erumpentem) *ædificavit altare coram eo* (Cherubo) *& Præconis voce clamavit, dicens, Cras ſolennitas Domini* (JEHOVÆ) *eſt*. Haud dubiè quin & ab Aarone addi juſſum additúmque, *qui te, Iſrael, eduxit de terra Ægypti*. Nomen autem Divinum expreſſè edi Aaron à Præcone voluit, quod populus ſuppreſſerat, omnem ut obſcuritatem ambiguitatémque tolleret de quo Deo ſentire populum debuiſſe & ſenſiſſe eum ipſe crederet, nempe de Jehova: cui & ideò nominatim ſolennitatem indiceret. Sed quid indè ſecutum ſit, perſequamur.

CAP. III.

Solennitatis ab Aarone Jehovæ Deo Iſrael in Horeb coram Cherubo indictæ, cum ea quæ ante dies quadraginta prima omnium poſt relictam Ægyptum in gratiarum actionem Deo liberatori ex voto à Moſe celebrata eſt, comparatio. Ac primùm de ſacrificii utriuſque loco & altari.

SOlennitatis pridianam promulgationem, quod ſuperat, ſecutum die ſequenti ſacrificium eſt. Quod quidem ad ejus ſimilitudinem per omnia fieri Aaronem inſtituiſſe conſequens eſt, quod prioris ſolennitatis illius fuit: quam primam omnium poſt relictam Ægyptum fuiſſe diximus, in gratiarum actionem Deo liberatori ex voto celebratam. Sunt enim planè ſimilia quæ Scriptura de utroque perhibet. Sic enim primùm illa de priore; *Et manè conſurgens Moyſes, ædificavit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Iſrael: miſitque Juvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas Domino, vitulos duodecim*, Exod. 24. v. 4, 5. Sic porrò de altero; *Quod cùm vidiſſet Aaron, ædificavit altare coram eo, & Præconis voce clamavit dicens, Cras ſolennitas Domini eſt: ſurgentéſque manè obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas.* Sic, inquam, Scriptura de ſacrificio utroque quàm ſimillimè: tametſi aliquantò de poſteriore quàm de priore breviùs, ut quaſi decurtatam prioris deſcriptionem in verbis quæ de poſteriore ſunt agnoſcas; at ità verò, ut quod in iis minus ſit, facilè ex illa ſuppleri poſſe & ſupplendum judices.

Initio levis in eo diverſitas eſt, quòd altare Moſes quo die ædificavit (ædificaſſe autem multo manè ſignificatur) eodem ſacrificarit: Aaron verò altari pridie ædificato ſolennitatem in diem ſequentem rejecerit. Fuiſſe autem altare utrumque haud magno ab invicem intervallo exſtructum ſuſpicor, dirimentibus ea ſolis propemodum terminis quos juſſus Moſes excludendo à monte populo poſuerat: nam Moſaicum quidem ultra terminos, Aaronium citra eoſdem erectum. Et ut ſpecialius aliquid de utriuſque ſitu dicam, planè eo ipſo loco ædificaſſe ſuum Moſem valde eſt probabile, ad quem uſque cùm proceſſiſſet cum grege, paſtor adhuc exſiſtens, viſionem illam magnam ardentis rubi exploraturus, ulteriùs pergere, quia locus in quo ſtaret terra ſancta eſſet, à Deo ſit prohibitus. Quem enim veriſimiliùs montis hujus locum præſcripto à Deo ſacrificio fuiſſe potiùs electurum Moſem, cùm electionis liber eſſet, ſuſpicemur, quàm & quem terram ſanctam eſſe, & de quo loquentem Deum, ſibíque ipſum illud ſacrificium fieri præſcribentem, haud multò antea audiviſſet; *Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum*, Exod. 3. v. 12? Et rurſus, quo loco alio probabiliùs novam idem Moſes cum Principibus & Senioribus Iſrael Dei viſionem, non niſi intra montis terminos conſtitutis perceptibilem, (quam & ideo populus nè videret, *procul adorare*, à terminis ſcilicet, ſit juſſus) vidiſſe credi poſſit (vidit autem dum ſacrificium illud perageretur) quàm in quo & priorem viderat?

Porrò autem quanto intervallo ſuum Aaron à præmemorato Moſis altari erexerit vel indè colligi etiam utcunque poſſit, quòd Moſes cùm ſtatim poſt prius illud ſacrificium peractum in cacumen montis ad Deum aſcendiſſet, & indè poſt diem quadrageſimum quâ viâ ierat revertens jam montis radicibus inſiſteret, (ad quas eaſdem ſcilicet altare ſuum ædificaſſe præmiſſum eſt) indè vitulum & choros, ceu de propinquo percepiſſe ſignificetur: ſiquidem animadverſis illis tabulas quas à Deo referebat facti indignitate percitus ad eaſdem radices perfregit; *Cúmque appropinquaſſet ad caſtra, vidit vitulum*

vitulum & choros, iratúſque valde projecit de manu tabulas, & confregit eas ad radices montis.

Cæterùm quod in altaris Moſaici deſcriptione additum eſt de titulis duodecim, *Ædificavit altare, & titulos duodecim per duodecim tribus Iſrael*, tametſi in ea quæ de altari Aaronio eſt expreſſum non ſit, tamen factum ſimiliter quis dubitet? Ipſe profectò nè dubitem, præter Moſaici hujus exemplum, & alterius quod ſimili etiam ratione ab Joſua multò poſtea in Galgalis exſtructum fuit, de quo capite proximo ampliùs dicemus, hoc impenſiùs me movet, quòd populus in ſchiſmate Samariæ (quocum & tumultu hoc ſub Aarone major quædam propter vitulos aureos utrobique adſcitos ſimilitudo eſt) unum pari cum titulorum numero in Carmelo ædificaverit: quod idem cùm ab cultoribus Baal regnante Achab dejectum ac deſtructum fuiſſet, Elias curaſſe & inſtauraſſe memoratur. Qua de re ſunt hæc hiſtoriæ ſacræ verba, multum lucis huic noſtræ allatura, 3 Reg. 18. ver. 30, 31, 32. *Dixit Elias omni populo, Venite ad me. Et accedente ad ſe populo, curavit altare Domini quod deſtructum fuerat. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Iſrael, ad quem factus eſt ſermo Domini dicens, Iſrael erit nomen tuum: & ædificavit de lapidibus altare in nomine Domini.* Ex quibus verbis clarum eſt fuiſſe nil aliud altaris Moſaici duodecim illos titulos quàm lapides ingentes totidem, ex quibus ipſum conſtabat altare, totidem filiorum Jacob nominibus inſcriptos, unde & *tituli* dicti ſint, quia quod rei cujuſcunque inſcriptionem continet *titulus* propriè dici ſolet.

CAP. IV.

De ſacrificii utriuſque miniſtris. Et ampliùs de altari.

Poſt altaris Moſaici deſcriptionem, immediatè additum recenſuimus, *Miſitque* (Moſes) *juvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta, immolaverúntque victimas pacificas Domino, vitulos.* Quid iſtud verò novi, Juvenes ad offerenda holocauſta & immolandas hoſtias Deo miſſi? At cur non potiùs ſacerdotes? qui ſi non ſemper ab ætate, certè ab animi & morum tranquillitate & maturitate *presbyteri & ſeniores* vocari ſoliti: quod Virgilius ad mulieres etiam tranſtulit dum *anum* pro *presbytera* uſurpat, Æneid. 7.

Fit Calibe Junonis anus, templique ſacerdos:

tametſi ætate anum fuiſſe eandem fingere Poetæ etiam viſum ſit. Et quare rurſum de filiis Iſrael, ac non potiùs de filiis Aaron, aut ſaltem de filiis Levi? Nam profectò ſacerdotum, aut minimùm Levitarum, eſſe debuerant hæ partes. Credo, quia nondum adhuc vel illi ſacerdotio, vel hi ſacris miniſteriis initiati conſecratíque eſſent. At certè jam tum adhuc in Ægypto cùm eſſent, elegerat eos Deus in ſacerdotes & miniſtros ſibi; ut ejus ad Heli Pontificem verba illa indicant, 1 Reg. 2. ver. 27, 28. *Numquid apertè revelatus ſum domui patris tui, cùm eſſet in Ægypto, in domo Pharaonis? Et elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, ut aſcenderet ad altare meum, & adoleret mihi incenſum, & portaret ephod coram me: Et dedi domui patris tui omnia de ſacrificiis filiorum Iſrael.* Sed & antequam initiati eſſent, *ſacerdotes* Deus appellabat. Nondum enim tum erant, cùm diceret Moſem alloquens, *Vade, deſcende; aſcendéſque tu, & Aaron tecum: ſacerdotes autem & populus nè tranſeant terminos, nec aſcendant ad Dominum, nè forte interficiat illos*, Exod. 19. ver. 24.

At verò utcunque nondum initiatis Sacerdotum appellationem verè ibi eis Deus tribueret, à functione ſacerdotali adhuc tamen ſummovebat dum ad Dominum aſcendere prohibet. Quod & apertiùs pòſt facit, dum votivum ſacrificium quo de hîc agimus neutiquam Aaroni filiíſve ejus, ſed Moſi nominatim peragendum commiſit præſcribíſque, verbis illis paulò antè rurſum à me aſcriptis, Exod. 24. ver. 1, 2. *Aſcende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab & Abiu, & ſeptuaginta ſenes ex Iſrael*, (ſunt iidem hi ſenes qui *ſacerdotes* loco præcedente appellati) *& adorabitis procul, ſolúſque Moſes aſcendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt, nec populus aſcendet cum eo.* Quid enim aliud ex his verbis elicias, niſi Moſem dum ſolus ad Dominum aſcendere jubetur (quod idem cum eo eſt quod de Levi antè dicebatur, *à Deo electum ut aſcenderet ad altare ſuum*) ſolum huic peragendo ſacrificio vocatum, vel ipſo etiam Aarone & ſenioribus cum populo, diſpare quamvis intervallo, longiùs ſubmotis? Unde & hoc reſultat, Dei verbis illis de futuro hoc ſacrificio ad Moſem de rubo habitis, *cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum*, Moſi perſonaliter ſacrificii hujus miniſterium exſecutionémque demandatam: & imperativum *immolabis* præcisè Moſem tangere, qui ipſemet, non alius, neque per alium, ſed per ſe *immolare*, hoc eſt, ſacrificare, ſit juſſus. Quomodo & feciſſe apertè deinde ſignificatur, dum ſanguinis in crateras diffuſi partem reſperſiſſe in populum cum verborum ſolennium prolatione, *Hic eſt ſanguis fœderis*, &c. Exod. 24. ver. 8. partem autem fudiſſe ſuper altare, dicitur: quandoquidem fuiſſe hoc peculiare ſacerdotum in ſacrificiis munus, crebris Scripturæ locis edocemur; Levitici imprimis, cujus ſtatim initio legamus, *Et offerent Filii Aaron ſacerdotes ſanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum*, &c. Lev. 1. ver. 1. Unde & in ſolennitatis hiſtoria celebrati phaſe ſub Rege Joſia ſcriptum, *Et immolatum eſt phaſe, aſperſerúntque ſacerdotes manu ſuâ ſanguinem, & Levitæ detraxerunt pelles holocauſtorum*, 2 Par. 35. ver. 11. Atque ità cùm ſolus aſcenderet ad Dominum Moſes ſacrificaturus, ſimul cum eo tamen mitti & aſcendere *juvenes* oportuit (ſignificantiùs fortè *pueros*, ut hanc vocem pro *miniſtris* Latinè uſurpamus, tametſi poeta ethnicus in re ſimili vocem eandem etiam uſurpat, Æneid. lib. 8.

Cùm lecti juvenes certatim, araque ſacerdos
Viſcera toſta ferunt taurorum.)

qui quam poſtea Levitæ ſacerdotibus, ſuam Moſi operam extraordinario ſacerdoti extraordinariè, ſi tempora ſequentia ſpectes, in viſceratione ſive in pellibus holocauſtorum detrahendis, (ut in præmemorata Joſiæ hiſtoria ſcriptum modò audivimus) ac fortè etiam in victimæ ſuſcipiendo ſanguine lignorúmque ſtrue componenda, in eámque victima imponenda commodarent. Neque enim ſacerdos ſacrificans robuſtiora ſordidioráque hæc miniſteria ipſemet exſequebatur, ſed miniſtri ſuccincti ſacerdotem circumſtantes. De ejuſmodi miniſteriis inter alia Levitarum propriis dictum illud accipio, Num. 3. ver. 6, 7. *Applica tribum Levi, & fac ſtare in conſpectu Aaron ſacerdotis, ut miniſtrent ei, & excubent, & obſervent quicquid pertinet ad cultum multitudinis, coram tabernaculo.* Item & illud, *Levita præſtò ſint, & ſerviant Aaron & filiis ejus in tabernaculo Domini.*

Ad hæc miniſteria igitur juvenes illos conſentaneum eſt miſſos. Verùm an ad hæc tantúm? Imò verò ac vel certiùs in opus altaris, de quo immediatè mentio præcedit; & præcipuè lapidum in humeros attollendorum perferendo: úmque. Nam & ideo quia prægrandes prægravéſque eos eſſe oporteret, ut oneri ſufficerent *juvenes electos* ac dici *miſſos* conſentaneum eſt: & quidem *de filiis Iſrael*, hoc eſt, de tribubus ſingulis ſingulos. Colligi certè apertiſſimè hæc poſſint ex eis quæ de altari quod in Galgalis à Joſua exſtructum paulò antè dicebamus commemorantur. Præcipuè cùm & aliàs nil veriſimilius ſit, quàm ut Joſue, cujuſmodi altare quarúmque cum rerum circumſtantiarúmque obſervatione poſt tranſmiſſum pedibus à populo mare rubrum, in gratiarum actionem Deo liberatori exſtructum à Moſe meminerat, ipſe poſt trajectum ſimili miraculo ab eodem populo Jordanem, eidem ſini ſuum illud erexerit. Sic porrò de altari illo auctor

ipſe Joſue, omnino ad noſtri hujus expoſitionem conſentaneè & congruenter, niſi quod apertiùs, ut illi veluti Interpres accedat, *Vocavitq; Joſue duodecim viros, quos elegerat de Filiis Iſrael, ſingulos de ſingulis Tribubus: Et ait ad eos, Ite ante Arcam Domini Dei veſtri ad Jordanis medium, & portate indè ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris, juxta numerum Filiorum Iſrael*, Joſ. 4. v. 4, 5. Quo loco imprimis *viros* expreſſè dici quos elegerat Joſue notandum eſt, eâdem ratione quâ hîc *juvenes*: ab ætatis nimirum ſpectabili integritate, & roboris præſtantia, ad lapides tantos in humerum attollendos deferendósque utriſque neceſſaria.

Et verò cùm altare in uſum ſacrificiorum fieri à Deo præſcriptum eſſet quinque cubitorum longitudine ac totidem latitudine, Exod. 27. v. 1. ſive, ut alibi (Exod. 28. v. 1.) res eadem explicatur, quinque cubitorum per quadrum, & trium altitudine, menſura hæc in altari ſolis lapidibus duodecim conſtante ſervari ut poſſet, fuerint hi lapides neceſſe eſt altitudine (quam *ſpiſſitatem* vulgò dicimus) cubitali, latitudine bicubitali, longitudine tricubitali. Ex qua præſcripta à Deo altaris menſura, quam ſervaſſe & Moſem, & Moſis exemplo Aaronem, deinde & Joſuam, in ſuis altaribus convertere nemo velit, facilè etiam eorundem altarium rationem & formam colligere poſſe videor: ſic quippe lapides illi duodecim inter ſe compacti fuerint neceſſe eſt, ut ſinguli altaris anguli lapidibus tribus, ſibi ad perpendiculum ſuperpoſitis, æqualiter aſſurgerent, quò ſic præſcriptam trium cubitorum altitudinem explerent: atque ità rurſum lapides iidem utrinque adverſorum angulorum lapidibus juncti ſic fuerint, ut ſingulorum hinc longitudo aliorum latitudini, indè latitudo longitudini pectinatim incurreret; ſic enim demum præſcriptam altaris quinq; cubitorum quadraturam æquilateralem impleturi. Spatio tamen in medio altaris, ceu nucleo, quadraturâ cubitali, vacuo relicto: quò ſic vel geometricæ rationis neceſſitate fieret, quod Deus præterea in altari Moſi obſervandum præſcripſerat, *ut non ſolidum, ſed inane, & cavum intrinſecùs fieret altare, ſicut ei in monte monſtratum erat*, Exod. 27. 7. Cujus cavi in altaribus lapideis, de quibus hîc nobis ſermo eſt, hunc puto fuiſſe uſum, ut craticulâ æneâ in modum retis deſuper opertum, defluentes holocauſtorum cineres intus per cancellos exciperet; quandoquidem in eundem altaris ligneî & portatilis uſum lebetes & ignium receptacula ex ære omnia fieri etiam à Deo præſcriptum legimus, ibid. v. 3. Altaris lapidibus duodecim conſtantis, quâ formâ deſcripſi, viſum hîc mihi in lectoris gratiam iconem exhibere, additis Patriarcharum duodecim nominibus, quadruplici ordine ternis, ad quatuor mundi plagas obverſis: prout in procinctu & caſtrametatione fuiſſe eorum ordinem accepimus.

CAP. V.

De ſacrificii utriuſque victimis.

HAC formâ igitur cùm altare ſuum feciſſe Moſem, ex definito lapidum numero, & quadraturæ altitudiníſque à Deo præſcriptæ ratione, nimis quàm credibile, aut potiùs neceſſarium ſit, quid vetet etiam Aaronii formam fuiſſe eandem credere, conſentientibus præſertim haud minùs ſacrificii ſolennitatíſque utriuſque circumſtantiis reliquis? Certè quod in hoc genere præcipuum eſt, victimæ utrobique ſimiles expreſsè memorantur immolatæ, *holocauſta, & hoſtia pacifica*: ſolis tamen in Moſaici ſacrificii deſcriptione vitulis, in Aaronii nullis expreſſim nominatis. Neque enimvero vitulos ſolummodo immolatos putandum eſt; quinimo oves etiam, aut certè qui ovilis generis ſunt, agnos & arietes mactatos dubitari nè poſſit vel illud evincat, quòd Moſes & Aaron liberum ex Ægypto egreſſum cum ovibus & armentis à Pharaone poſtulantes, hanc ſimul poſtulati ſui cauſam addiderint, quòd ad ſolennitatem Deo ex voto peragendam, eam ipſam de qua loquimur, irent, *Pergemus*, inquientes, *cum ovibus & armentis, eſt enim ſolennitas Domini Dei noſtri*, Exod. 10. v. 9. Sed videtur ſatis hoc loco Moſi fuiſſe hoſtiam majorem nominare, quâ expreſsâ facilè etiam minorem lectori ſubintelligendam reliquerit. Vel potiùs ità ſenſerim, Cùm in unaquaque ſolennitate multiplicia ſacrificia fieri conſueverint, civibus ſingulis certatim pro ſe & familia ſua, pro facultatum ſuarum ratione, aliis bove, vitulo aliis, multò pluribus agno facientibus, unum tamen eximium præ aliis ſacrificium fuiſſe, quod totius ſolennitatis primarium ac veluti anteſignanum pro populo univerſo offerri ſoleret: quod idem videtur in Samuelis hiſtoria *ſacrificium populi* appellatum, *Quia ſacrificium eſt hodie populi in Excelſo*, 1 Reg. 9. v. 11. in hiſtoria autem Regis Achaz, *holocauſtum univerſi populi terræ*, 4 Reg. 16. v. 15. atque ità fieri potuerit, ut in eo, quod ſolennitatis (qua de loquimur) ſacrificium hoc genus primarium fuit, ſolis vitulorum aut boum victimis fuerit conſecratum; quomodo & illud fuit quod aliquantò poſtea ſecutum eſt in tabernaculi & altaris portatilis dedicatione celebratum: de quo hæc hiſtoriæ ſacræ verba ſunt, Num. 7. v. 3. *Obtulerunt Principes Iſrael munera coram Domino, ſex plauſtra tecta, cum duodecim bobus: unum plauſtrum obtulerunt duo Duces, & unum bovem ſinguli*. Cujus ſolennitatis cum Moſaica noſtra comparatione facilè etiam conjectare ſit, qui *Juvenes* in Moſaicæ deſcriptione perhibentur, Principes ſive Duces tribuum Iſrael eoſdem illos fuiſſe, vel certè ab eorum ſingulis ſingulos electos delegatóſque, qui vicario eorum nomine hanc operam obirent, ut ætate viridiores, ità viribus & robore præſtantiores, propter convectionem lapidum eis incumbentem, quæ in ſacrificio dedicati tabernaculi nulla fuit, altari ligneo exiſtente, bajulóſque alios præter Levitas nullos requirente, neque admittente. Boum autem duodecim oblationem in ejuſmodi ſolennitatibus, & ſpeciatim in ſacrificio quod fuiſſe illarum primarium diximus, pro omni populo Iſrael fieri ſolitam, ex conſimilis ſolennitatis & ſacrificii hoc genus apud Eſdram deſcriptione, quod reverſi ab exſilio Babylonico Judæi primùm celebrarunt, apertè intelligere eſt. Hæc de illa Eſdræ verba ſunt, *Sed & qui venerant de captivitate filii tranſmigrationis, obtulerunt holocautomata Deo Iſrael, vitulos duodecim pro omni populo Iſrael: arietes nonaginta ſex, agnos ſeptuaginta ſeptem, hircos pro peccato duodecim, omnia in holocauſtum Domino*, 1 Eſd. 8. v. 34. Hujus autem ſolennitatis eadem cùm fuerit ratio quæ Moſaicæ noſtræ, cùm utraque in gratiarum actionem Deo liberatori, hæc quidem populo à Babylonica captivitate, Moſaica autem ab Ægyptiaca liberato celebrata ſit, conſentaneum eſt utramque conſimili per omnia ceremoniarum circumſtantiarúmque quarumlibet obſervatione, & hanc quidem (utique poſteriorem) ad exemplum Moſaicæ, quæ prior, imò prima omnium, fuiſſe agitatam. Ut & conſequenter, quæ de poſteriore hac particulariùs Eſdras exponit, ad Moſaicæ interpretationem, aut ſuppletionem veriùs, magnâ ratione trahere valeamus. Atque ità quòd vituli indeterminato numero in Moſaica immolati dicuntur, duodecim immolatos rectè ex ea veterem Interpretem intelleriſſe: ſed & pro omni populo

Iſrael

Israel eosdem immolatos, simúlque omnis generis pecudum victimas alias, ab omni populo pro se privatim in eadem cæsas, intelligendum esse, sufficientibus hostiis populo nonnunquam Regibus & Principibus, ut in Phase illo celeberrimo sub Ezechia Rege, 4 Reg. 30. *Ezechias Rex præbuerat multitudini mille tauros & septem millia ovium, Principes verò dederant populo tauros mille & oves decem millia.* Idémque in Phase alio sub Josia Rege, cui simile non fuisse in Israel à diebus Samuelis prophetæ traditum est, 4 Reg. 35. *Dedit præterea Josias omni populo, qui ibi fuerat inventus in solennitate Phase, agnos & hœdos de gregibus, & reliqui pecoris triginta millia, boum quoque tria milia; hæc de Regis universa substantia.*

CAP. VI.

De sacrificii utriusque accessoriis: Epulo sacro de immolato, Symphonia & Choris.

POstremò quæ in sacrificiis pacificorum, sive quæ pro gratiarum actione, quæque pro salute & prosperitate offerebantur, (de quo genere nostra hæc erant, tametsi in priore holocausta etiam oblata constat) veluti accessoria & annexa erant, utrobique eadem similiter interveniisse pluribus confirmare quid attinet? Erant autem ejusmodi, Epulum sacrum de immolato, Symphonia & Chori. Epulum in utriusque sacrificii historia expressim *manducandi & bibendi* verbis significatum est: *Viderúntque Deum Israel, & comederunt & biberunt*, Exod. 24. ver. 11. Quinimo cùm esset epulum sacrificii pars haud postrema (quanquam & postrema revera erat, ac veluti sacrificii catastrophe) factum sæpe observare est, ut iisdem illis *epulandi, manducandi, comedendi*, synonymis vocabulis, sacrificium ipsum in Scriptura sit designatum. Hujus rei exemplum est, *Non operaberis in primogenito bovis, & non tondebis primogenita ovium: in conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos*, Deut. 15. ver. 19. *comedes* enim ibi pro *immolabis* dictum est. Sic Ezechielis etiam illud cap. 18. ver. 6. intelligendum, *Vir si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam, in montibus non comederit*, &c. id est, in Excelsis non sacrificaverit, vel immolaverit, quamvis insecuto deinde etiam epulo: sacrificii enim parte unâ igni absumptâ, alterâ in usum sacerdotum traditâ, tertiæ partis fiebant participes qui hostiam obtulerant. Ab hoc loquendi genere nec Ethnici alieni sunt; Virgilius, Æneid. 4.

Juppiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata thoris Lenæum libat honorem.

Est enim hoc totum nihil aliud quàm si dixisset, *quem gens Maurusia sacrificiis colit. In conspectu* autem *Domini* locis Scripturæ præmissis *manducare & epulari* præcipitur, hoc est, ante arcam federis, & omnino eo ipso loco ubi sacrificatum esset. Siquidem antequam Arca esset, & apud quos nullus in religione Arcæ usus fuit, id observabatur: ut in sacrificio quod Jethro Mosis socer sacerdos peregrinus eodem loco quo sacrificia de quibus loquimur peracta diximus, paulò antè celebraverat; quando in eo quoque *coram Deo comestum*, sive *epulatum* fuisse scriptum est, Exod. 18. ver. 12. *Obtulit ergò Jethro cognatus Moysi holocausta, & hostias Domino, venerúntque Aaron & omnes seniores Israel ut comederent panem cum eo coram Deo.* Itaque & cùm in Excelsis sacrificabant, ibidem epulabantur, ut ex Samuelis historia intelligere est sic habente, 1 Reg. 9. ver. 13. *Ingredientes urbem statim invenietis eum antequam ascendat Excelsum ad vescendum: neque enim comesturus est populus, donec ille veniat, quia ipse benedicet hostiæ, & deinceps comedent qui vocati sunt.* Sic porrò & in gentibus fieri solitum hi Virgilii versus indicant, haud longè ab loco illo de epulo Samuelis sacro abludentes, Æneid. 10.

Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi
Exspectare dapes & plena pocula mensæ,
Hic amor, hoc studium, dum sacra secundus aruspex
Nunciet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.

Porrò loco Deuteronomii eodem qui è duobus posterior à me ascriptus modò est, notandum est lætitiam cum epulo sacro conjungi, quòd indè loci Psalmorum aliquot, qui alioquin de ejusmodi epulo & lætitia intelligendíne essent dubitari posset, pulcre illustrentur: qualis ille est, *Et justi epulentur, & exsultent in conspectu tuo*, Psal. 67. ver. 4. item, *Transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei, in voce exsultationis, sonus epulantis.* Quinimo tam genialiter nonnunquam epulatos certum est, ut domum ab Excelso vel templo malè sobrii reverterentur. Quod enim de suis affirmat poeta Ethnicus, (Tibul.)

Rusticus è lucóque vehit malè sobrius ipso
Uxorem plaustro, progeniémque domum;

de nostris, de Hebræis, inquam, posse nec minùs dici crediderim. Suspicari facit, quòd hanc fuisse rationem valde consentaneum videam, cur Heli pontifex Annam Elcanæ, (1 Reg. 1. ver. 14) cùm ab ejusmodi epulo revertens tacitè solóque labiorum motu Deum oraret, temulentam crederet: *Cùm esset Anna amaro animo, oravit Dominum*, &c. ibid. ver. 10. Neque enim tam facilè alioquin id Heli de ea creditarus fuisset, nisi non infrequenter sic aliàs etiam mulieribus nonnullis usu venire comperisset. Turpe id quidem, sed quantò illud turpius, imò flagitiosius, quòd quædam se ab ejusmodi epulis ad lasciviam & libidines convertebant? Hoc certè apud Salomonem procax mulier de se ipsa testatur, Prov. 7. ver. 14, 15, 16, 17, 18. *Victimas*, inquiens, *pro salute devovi, hodie reddidi vota mea, ideirco egressa sum in occursum tuum, desiderans te videre, & reperi: intexui funibus lectum meum, stravi tapetibus pictis ex Ægypto, aspersi cubile meum myrrhâ, & aloe, & cinnamomo: veni, & inebriemur uberibus.* Secùs laudabiliúsque meretrix altera apud Comicum, quæ à re divina quam se fecisse dicebat, hoc est, à sacrificio, sibi in re seria quam erat tractatura fidem comparatam cupit: *Ait rem divinam feciſſe, & rem seriam velle agere mecum*, &c. Sic igitur abutebantur homines lætitiâ quam Deus, sed sanctam & moderatam, & internam magis animorum quàm externam & corporum, in epulo sacro requirebat: cui tamen excitandæ symphoniam & choros adhiberi idem voluit.

Ad Symphoniam (ut primùm de ea loquar) pertinet quod hoc modo in Numeris scriptum est, *Si quando habetis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis vestris, ut sint vobis in recordationem Dei vestri*, Num. 10. ver. 10. E Psalmis cum assa voce, tum adjunctis simul instrumentis musicis etiam canere solitos edocemur: & quidem ad orthium usque intensâ voce, ut vociferari credi potuerint. Utriusque generis cantûs unico Psalmi loco hoc simul mentio est, *Confitemini Domino in cithara, in psalterio decem chordarum: psallite illi, cantate ei canticum novum, psallite ei cum vociferatione*, Psal. 32. ver. 2, 3. Sed & alio Psalmi alterius loco, vociferatio in eundem sensum, dico, pro cantu, cum immolatione, id est, cum sacrificio, conjungitur, hoc modo, *Circuivi, & immolavi in tabernaculo hostiam vociferationis*, Psal. 26. ver. 6. Atque hinc quidem opportunè edocemur quæ fuerit illa sacrificante populo in Horeb coram vitulo ejusdem populi vociferatio, de qua in historia nostra expressè scriptum sit, *Audiens autem Josue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen, Ululatus pugna auditur in castris*, Exod. 32. ver. 17. nam cantantis populi eam fuisse, quomodo & Moses sit eam interpretatus ad Josuam in hæc verba respondens; *Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio impellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio*, ibidem ver. 17. Falluntur itaque qui ab hac voci-

ferationе materiam quærunt exaggerandæ Idololatrarum amentiæ, & comitantis idololatriam diſſolutionis & inſolentiæ popularis. Et maximè Philo Lib. 2 De Vita Moſis, dum ex eadem vociferatione infert, populum choreas egiſſe inconditas, & quod minimè omnium in verbi illius ſignificationem aptè cadat, hymnos concinuiſſe lamentis ſimiles. Nihil enim præter ſolitum, quódque in ſacrificiis quamlibèt religionis recepti moris non fuerit, hâc parte à populo factum putandum eſt.

Erátque hoc ipſum quod ludendi vocabulo in eadem hiſtoria ſignificatum eſt verbis illis, *Et ſurrexerunt ludere.* Tametſi enim de tripudio & ſaltatione intelligi etiam non incommodè id poſſe videatur, in qua ſignificatione vox eadem Virgilio quoque nonnunquam uſurpatur, ut Eclog. 6.

Tum verò in numerum ſilváſque feráſque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina pinus:

frequentius tamen multò eſt ut pro *pſallere* in Scriptura accipiatur; quo ſenſu de Davide rege ſcriptum eſt, *David autem & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyrâ, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis*, 2 Reg. 6. v. 5. Sed & uſurpavit in eodem ſenſu Virgilius quoque in Bucolicis, Eclog. 1.

Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.

Mirum autem tranſiiſſe etiam ad nos ejuſdem vocis eundem uſum, cùm pro *pſallere* vernaculè *Jouer* dicimus, & citharœdos ſive pſaltores *Des Joueurs* appellamus. Quod ibi autem David *coram Domino* feciſſe ſcribitur, coram Arca federis factum intelligendum alibi oſtendimus: cujus loco nondum tunc adhuc in uſum productæ erat populo in Horeb vitulus, coram quo & ideo ſurrexerint ludere. Sed & de tumultu & vociferatione tanta illa præmiſſa minùs jam mirabitur, qui ex eodem loco intelliget in ejuſmodi ſolennitatibus ſolitum inſtrumentis omnis generis ludere univerſum Iſraelem, ſive populum univerſum, permixtímque adeò cum viris & mulieres, *Prævenerunt Principes conjuncti cum pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum*, Pſal. 67. v. 28.

De Davide quoque ibidem ſcriptum eſt, non ſolùm quòd ſaltaret ipſe totis viribus coram Arca, verumetiam quòd fuerint cum eo ſeptem chori: ut vel ſolo hujus loci argumento fuiſſe verè ſaltationem, & choros præter muſicam in legitimo ſacrorum uſu, abunde conſtet. Præcipuè autem uſus ejuſdem ex eo confirmatur antiquitus, quòd ſolennitatibus Hebraicè à *tripudio* & *ſaltatione* nomen eſſe audiam, vocem enim Hebraicam CHAG & *ſolennitatem* & *tripudium* æquè ſignificare, à verbo CAGAG, quod *ſaltare* & *commoveri* eſt. (Vide Hieron. ab Oleaſtro ad hunc locum Exod.) Erant autem præcipuè virginum puellarúmque chori ejuſmodi: ut fuiſſe hanc potiſſimùm filiabus Juda exſultandi cauſam planè ſuſpicer, cùm de Arca federis proximè in urbem introducenda inaudiſſent (*Audivit, & lætata eſt Sion, & exſultaverunt filiæ Juda, propter judicia tua, Domine*, Pſal. 86. v. 8. id eſt, propter Arcam federis in qua judicia Domini, ſive Lex, ſedem non ampliùs in Ephraim, ſed in Juda habituram) quòd ad muneris hujus functionem tam grati támque expetiti deinceps eſſent venturæ, atque in eo puellis Siloentibus ſucceſſuræ, eandem antea quamdiu in Silo Arca federis fuit exercentibus: ut ex Benjaminitarum hiſtoria intelligi poteſt, quibus per anniverſariæ ſolennitatis Domini occaſionem tam extraordinariè de uxoribus ſit proviſum; *Ceperúntque conſilium, atque dixerunt, Ecce ſolennitas Domini hodie eſt in Silo anniverſaria: Ite, & latitate in vineis, cúmque videritis filias Silo ad ducendos choros de more procedere, exite de vineis, & rapite ex illis ſinguli uxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin*, Jud. 21. 19, 20, 21. Qui locus pulcre hiſtoriam noſtram illuſtrat, neque aliter quod in ea de choris additum eſt intelligendum evincit, quàm quomodo in ſimili illa ſolennitate alia Domini ducti etiam à puellis Siloentibus ibi memorantur.

Imitatæ ſunt & hæc gentes, ut ferè divina omnia alia, in idolorum cultu. Lucianus Dial. de Saltat. nominatim de Delo teſtatur nulla ibi ſacra peragi olim conſueviſſe in quibus ſaltatio & muſica non fuerit adhibita. Sed fuiſſe id olim non Deli ſolùm, ſed cæterarum etiam gentium æquè ſolenne certum eſt. Saltabant autem de more circùm ſimulacra, & altaria quæ coram ſimulacris erant erecta: unde & conjunctim in hiſtoria noſtra de Moſe ſcriptum eſt, quòd de monte deſcendens, ac propior caſtris jam factus *viderit vitulum & choros.* Sic Lucretii illud Lib. 5. intelligendum,

Nec pietas ulla eſt, velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras.

Conjungit ibi enim *velatum lapidem*, id eſt, ſimulacrum, cum *aris* circa quas *vertebantur*, id eſt, ſaltando circumagebantur. Quo ſenſu de ſacerdotibus Baal in hiſtoria Eliæ ſcriptum illud intelligendum quoque eſt, *Tranſiliebántq;* (ſacerdotes) *altare quod fecerant*, 3 Reg. 18. v. 26. Quod autem addit Poeta, *atque omnes accedere ad aras*, ſignificat ab uno altari ad aliud choreatim procedi conſueviſſe. Sic illud item apud Virgilium intelligendum eſt de Saliis, quorum ſaltationem dicit Lucianus eodem loco unde quod ex eo de Delo modò citavimus deſumptum eſt, fuiſſe cùm graviſſimam, tum religioſiſſimam. Virgilius Æneid. 8.

Tum Salii ad cantus incenſa altaria circùm
Populeis adſunt evincti tempora ramis.

Sic item ejuſdem illud de Helena, Æneid. 6.

Illa chorum ſimulans, euantes orgia circùm
Ducebat Phrygias.

Itémque illud de Didone ſacrificante, Æneid. 4.

Aut ante ora Deûm pingues ſpaciatur ad aras.

Quo loco decorè de femina, eâque regina verbo *ſpaciandi* ceu verecundiore Poeta uſus eſt, pro *ſaltare*, ſed quâ decuit hujus ordinis feminam dignitate & verecundiâ. De choris tamen nulla in prioris ſolennitatis ſub Moſe hiſtoria mentio. Verùm ut pleraque ex ea ad noſtræ hujus explicationem ſupplevimus, ſic ex hujus nunc hiſtoria id viciſſim ad illius explicationem ſupplere quis æquum non judicet, cognitâ præſertim Moſis in his talibus exponendis brevitatis affectione? Ac ſic quidem comparationem, quam harum ſolennitatum mihi fuerat inſtitutum oſtendere, abſolvo.

CAP. VII.

In ſacrificii utriuſque præmemorata deſcriptione ſubtilis & occulta diverſitas, tanquam paraſceve, ad ea quæ hujus hiſtoriæ reliqua ſunt viam ſternens.

IN hoc uno occulta, neque illa ex caſu aut fortuitò, ſed conſultò haud dubiè ab hiſtorico ſacro Lectorum relicta privatæ animadverſioni & conſiderationi diverſitas: quòd in prioris ſacrificii expoſitione holocauſta illa & victimæ pacificæ cui immolatæ vel oblatæ fuiſſent, expreſiè hoc modo additum, *Et obtulerunt holocauſta, immolaverúntque hoſtias pacificas Domino* (Heb. JEHOVÆ) *vitulos*, in poſterioris hiſtoria ſuppreſſum ſit, ſic habente, *ſurgentéſque manè obtulerunt holocauſta & hoſtias pacificas:* Scripturâ hoc modo peccatum populi denuo obvelante, dum holocauſta & victimas illas cui Deorum ab eo oblatas intelligere par eſſet, in dubio relinquit, & omnino Jehovæ Deo ſuo patrio oblatas affirmare renuit. Niſi fortè & populum pari ambiguitate de ſacrificio ſuo locutum indicare hoc modo voluit. Unde Aaronis error alter profectus ſit, quod in ejuſmodi populi ſermone inexpreſſum Dei nomen dubium faciebat, in meliorem partem ſuo more interpretantis. Exiſtimavit

vit enim quomodo prius illud sacrificium idem populus paucis antè diebus Jehovæ Deo suo & ore & mente obtulisset, eidem si non ore & expresso sanctiore ejus nomine, saltem mente similiter & hoc offerre. Errore certè proclivi & probabili, & quem Deus solus cordium scrutator, quídque in mente populus versaret pervidens, videre potuerit. Vidit enim solus Deus, primùm cùm exhibito ab Aarone vitulo, & medio deinde spatio, cùm immolarentur victimæ, diceret populus, *Hic est Deus tuus, Israel, qui te eduxit de terra Ægypti*, inexpresso *Jehovæ* nomine, neutiquam id de se, qui verè eorum erat Deus & ab Ægypto liberator, (secùs quàm Aaron cogitabat) sed de *vitulo comedente fœnum*, ut Rex David explicat, aut materiali, ac fortè de Api, cujus vitulum illum esse similitudinem putarint, sensisse. Vidit item solennitatis hujus, tametsi nominatim sibi ac suo nomini ab Aarone indictæ, honorem non sibi, sed eidem vitulo à populo haberi. De utroque igitur idem ipse Deus testimonium ad Mosem, graviter eam ob rem populo infensus, immediatè deinde in historia perhibet, *Vade, descende, peccavit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti: recesserunt citò de via quam ostendisti eis, feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adoraverunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt, Iste est Deus tuus, Israel, qui te eduxit de terra Ægypti.* Ex his, inquam, Dei verbis intelligi primùm datum est, cui Deorum suam ex Ægypto acceptam liberationem, solenni illâ assumptâ formulâ, populus referret, inexpresso ejus nomine occultum antea referre vitulo; & cui Deorum dictas hostias immolaret, suppresso rursum eodem nomine dubium, vitulo immolare.

At quinam, dices, Aaronem latere id potuit, cùm præsens videret simulacrum adorantes? Imò putavit, quomodo *adorare Deum in decore sancto*, 1 Par. 19. ver. 19. hoc est, in Arca federis, Israelitæ postea jussi sunt, adeóque & Arcam ipsam, scabellum pedum Dei, his Psalmi verbis; *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*, Psal. 98. ver. 5. ità in Cherubi simulacro, quem eis ipse vituli volucris specie, quales & Mosaici super dictam Arcam futuri erant, parique auri decore fulgentem, eandémque cum illis gloriæ Domini mysticam significationem ex suo sensu habentem, exhibuerat, Jehovam eos adorare: quomodo & ipsum, & gentis Principes, totámque adeò Leviticam tribum, déque cæteris tribubus, ut mea quidem opinio est, magno numero alios adorasse consequens est. Neque enim abesse ipse poterat qui solennitatis auctor exstitisset eámque indixisset: imò & quem in ea sacrificantis partes obire oporteret, ut in priore obiverat Moses: neque eo præsente non etiam affuisse dictos Principes, simúlque cum eo & reliquo populo adorasse dubitari potest. Quorum omnium una eadémque cùm esset externa adorationis forma, discernere Aaron non potuerit Idololatras, nil nisi vitulum animalem fœnique comestorem in signo illo agnoscentes, & Deum suum nihilominus eum ducentes, à piis coram Throni cœlestis similitudine procidentibus, sanctéque manus ad Nomen Domini coram eodem levantibus. Erat siquidem externa quam dixi adorationis hæc forma & habitus tam Idololatrarum quàm Sanctorum communis. Hâc tamen apud utrosque distinctione, ut prostratio corporis propriè adorantium fuerit, manuum autem elevatio orantium. Prioris generis Sanctorum exemplum est, *Quod cùm audisset puer Abraham, procidens adoravit in terram Dominum*, Gen. 24. ver. 52. item, *Venite adoremus, & procidamus ante Dominum*, Psal. 99. ver. 5. Hoc autem Idololatrarum, *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum staterâ ponderatis, conducentes aurificem, ut faciat Deum, & procidunt, & adorant*, Esa. 46. ver. 6. item, *Et de reliquo idolum faciam, ante truncum ligni procidam*, Esa. 44. ver. 5. Certè quin voluerit Dæmoniarches Dei imitatione hoc etiam modo à suis adorari dubitari non potest, cùm vel à Filio Dei, Domino suo, hoc ipsum postulare nequam mancipium ausus sit, *Hæc omnia*, inquiens, *tibi dabo, si cadens adoraveris me*, Matth. 4. ver. 9. Posteriori generi inter Ethnicos testimonium fert Apuleius, scribens, *Orantium ille habitus, ut manibus extensis in cœlum precemur.* Fert item & Virgilius, Æneid. 3.

—— Tendóque supinas
Ad cœlum cum voce manus ——

Lucretius utrumque genus uno loco simul tangit,

Nec procumbere humi prostratum, & tendere palmas
Ante Deûm delubra ——

Posterioris generis exempla Sanctorum cùm alibi tum in Psalmis præcipuè creberrima occurrunt: quale est, *Clamavi ad te totâ die, expandi ad te manus meas*, Psal. 87. ver. 10. item, *Exaudi, Domine, vocem orationis meæ, dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum*, Psal. 27. ver. 2. Quorum extremorum verborum cum Lucretiani versûs verbis illis, *& tendere palmas Ante Deûm delubra*, magna quidem esse consensio videtur, sed alia est tamen utriusque loci verborum quàm vulgaris significatio præ se fert sententia: in Psalmo enim, *ad templum sanctum tuum*, Genebrardus *ad Debir* interpretatur, quem fuisse dicit secretiorem templi locum, in quo erat Arca. In Lucretio autem erret qui *delubra* de templis explicet, cùm eâ voce simulacra ibi significentur, à *delibrato ligno* dicta, ut ab aliis etiam annotatum est. Cæterùm videtur ritûs hujus à Mose usque fluxisse ratio & origo, cujus vel sola manuum ad Deum elevatio pro oratione erat. Unde & cùm rogaret eum septimâ plagâ perculsus Pharao *orare Dominum, ut desinerent tonitrua*, Exod. 9. ver. 28. roganti ità annuit, ut non tamen se oraturum, sed *extensurum manus suas ad Dominum* diceret, *& cessatura tonitrua.* Quod tamen ille faciens, simul orasse dubitare nolim, si non aperto labiorum motu, certè interiore cordis sensu. Quomodo ab eodem factum denuo valde rationi consentaneum est, cùm pugnante Josuâ contra Amelechitas, ipse in collis vertice manus ad Dominum rursum usque ad occasum levaret, sustentantibus eas ab utraque parte, nè lassatæ remitterentur, Aarone & Hur. Nam & hâc sive peculiari suâ, sive jam tum etiam fortè vulgò usitatâ orandi ratione victoriam Hebræis impetravit.

Cùm igitur utroque illo habitu omnes adorarent oraréntque, non fuit unde Aaron de populi aut partis ejus non contemnendæ idololatria in suspicionem veniret: aut si venisset, quomodo impios à sanctis discerneret. Hoc adeò verum esse ex eo clarum est, quòd & Moses populum peccasse, & citò recessisse de via quam ostenderat ei, à Deo admonitus, cùm de universo populo credere id dictum non posset, sed multos peccati esse immunes verè sibi persuaderet, de monte reversus rationem sibi exquirendam necesse putaverit explorandi qui se hoc scelere contaminassent: neque hoc contentus, proclamarit insuper, ut qui Domini essent, id est qui Dominum, hoc est, Jehovam, in dicta solennitate adorassent, non vitulum, sibi adjungerentur. Manifestè facto utroque indicans, in ejusdem solennitatis celebratione alios meliorum (Jehovæ utique) deteriorum alios partium fuisse: neque internosci aliter innoxios à nocentibus potuisse, quàm vel facto de illis experimento, de quo dicturi modò sumus, vel spontaneâ horum ad eum adjunctione. Certè hanc in Israelitis Horebitanis partium diversitatem etiam notare, suæque mentis utrosque indicium dedisse, cùm adhuc Moses in monte abesset, significare Josephus videtur, dum singulis variè suam de Mosis interitu opinionem producentibus, ab iis qui parciùs eum amarent devoratum à feris creditum, ab iis autem qui impensiùs, raptum à Deo potiùs visum scribit. Qui eum enim magis amasse, quíque reverentiùs de ejus abscessu judicasse, illi haud dubiè putandi sunt, quos meliorum partium fuisse dixi, alii deteriorum.

CAP. VIII.

De experimento explorandis idololatriis Dei ſuggeſtione à Moſe in Horeb obſervato: eodémque ſacrificii zelotypiæ *nomine, ad explorandas adulteras poſtea traducto.*

AD experimentum quod dixi ſpectat quòd de vitulo in pulverem redacto, & in aquam projecto datum ex eo filiis Iſrael potum Scriptura deinde enarrat; *Arripiénſque* (Moſes) *vitulum quem fecerant, combuſſit, & contrivit uſque in pulverem, quem ſparſit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Iſrael.* Hæc, inquam, verba experimenti deſcriptionem continent, quod Deum explorandis idololatriis Moſi ſuggeſſiſſe conſentaneum eſt: illi tam affine, idem nè dicam, quo adulterium ſi lateret, & convinci aliter non poſſet, explorare Moſes poſtea inſtituit, quàm affinis idololatria adulterio ſemper habita eſt: illâ Deum, qui ſe zelotem idola prohibens expreſsè profeſſus eſt; hoc maritos ad zelotypiam provocante: ab qua & ſuum experimento nomen, *ſacrificii zelotypiæ* inditum, Num. 5. v. 15. Nam & fuit illud aquæ ſimiliter, quam Scriptura *ſanctam, amaram, maledictam*, Philo *puram, vivam* vocat, admixto pauxillo pulveris de pavimento, olim quidem tabernaculi, poſtea templi, cum exſecrationibus quibuſdam mulieri quæ de adulterio ſuſpecta eſſet, ebibendæ: hoc eventu, ut ſi polluta ea eſſet, *intumeſcente utero femur ei computreſceret, daréique eam Dominus in maledictionem, exemplúmque cunctorum in populo ſuo*, ibid. v. 22. Quibus preſſiùs expenſis jam ab initio valde movebar, ut *femoris* appellatione partes inhoneſtas honeſtè tegere & velare verecundum Interpretem crederem; tum quia uteri cum partibus illis major affinitas, tum verò ut quibus mulier nocens partibus exſtitiſſet, noxam luiſſe intelligeretur. At ità verò rem eſſe haud multò pòſt planè confirmatus ſum, lecto Philone, qui de eodem zelotypiæ ſacrificio agens, & hanc ipſam de adulterio convictæ pœnam è Moſe repetens, velum hoc amovere, & rem nomine ſuo vocare non erubuerit, in hæc verba, lib. De ſpecia. legg. *Quod ſi culpâ non caret, non evadet ventris inflationem, tumorémque & cruciabile vulvæ vitium, quam puram marito ſervare noluit, cum quo in matrimonium ritè convenerat.* Porrò cùm ea de re poſtea cum magni nominis Theologo, oraculo, quoties ità res tulit, in Hebraicis meo, in colloquium veniſſem, ſummâ meâ animi cum voluptate edoctus ſum, hanc eſſe non Interpretis, quod ſuſpicabar, ſed linguæ Hebraicæ verecundiam; in qua non hoc ſolùm loco, verùm multò plurib⁹, vocem JARECH, quæ *femur* propriè ſignificet, pro partibus illis hoc modo uſurpari contingeret: veluti (quod frequens eſt) quoties *de femore* alicujus *egreſſu* aliquis in ea legitur. Quinetiam quod de Abrahamo ſcriptum eſt, ſervum, Gen. 24. v. 2. quódque de Jacob, filium Joſeph, Gen. 47. v. 29. adjuraturis, manum ſubter femora ſua ponere juſſiſſe, ſic exponere Hieronymum dicebat, ut quia per ſemen illud ſuum adjurare eos uterque voluerit, *in quo benedicendæ erant omnes gentes terræ*, ad generationis partes veriſimiliùs quàm ad femur, vel certè ad femur, quia partibus illis proximum, & mentis ad eas directione, admovere eos manum voluerint. Nec aliam vocis ejuſdem ſignificationem eſſe cùm nervus femoris dicti Jacob in lucta ab Angelo tactus emarcuiſſe ſcribitur, Gen. 32. v. 31. cùm & exinde credatur ad generandum factus eſſe inutilis. Talis igitur pollutæ pœna. Sin autem falsâ adulterii ſuſpicione mulier appeteretur, non ſolùm nullam indè offenſionem contraheret, verumetiam ſi ſterilis antea fuiſſet (cujus vitandi opprobrii causâ, magni in ea gente perpetuò habiti, conſentaneum eſt mulieres vel adulterio nonnunquam concipere optaſſe: unde & proclivior in uxores quæ liberos non haberent maritorum zelotypia, & de adulterio ſuſpicio) fœcunda & ad pariendum idonea evaderet.

Eundem eventum conſimili illo facto experimento, aquæ admixto vituli pulvere epotæ, Idololatras ſecutum, quamvis breviter & obſcurè, Scriptura tamen abunde inſinuat; dum ſordibus inquinatos, ſimúlque ignominiâ manifeſtâ & publicâ aliquâ affectos teſtatur, *Videns ergò Moſes populum quòd eſſet nudatus, ſpoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat.* Quas enim ſordes potiùs fuiſſe has conjectemus quàm à ſimili computrefactione, & earundem quidem partium, propter affine peccatum, aut quod in comparationem certè illius in Scriptura ferè veniat, enatas? Quam item ignominiam, niſi quòd *dediſſet illos etiam Dominus in maledictionem, exemplúmque cunctorum in populo ſuo:* ut de mulieribus in ſacrificii zelotypiæ pœnam incurrentibus itidem ſcriptum eſt? Urget ſimilitudo, urget ratio, urget denique & vetuſtatis, quamvis de cætero falſa & anilia admiſcentis, autoritas: diſertim autem Apionis, inguinum ulceribus die ſexto poſtquam Ægypto evaſerunt laboraſſe Hebræos (quod de loci hujus *ſordibus* populi haud dubiè intelligendum ſit) expreſsè perhibentis. Hoc de eo Joſephus teſtatur, apologiæ quam adverſùs eum ſcripſit libro 1. *Exacto ſex dierum itinere, inguinum ulceribus affecti ſunt: & hac de cauſa die ſeptimâ quieverunt.* Cor. Tacitus Hiſt. lib. 5. quæ ille vocat *ulcera, ſcabiem* appellat, in hæc verba, *Sue abſtinent, quòd eos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Apioni ſextâ die ab relicta Ægypto fieri hoc contigiſſe, quòd demum circa nonageſimam factum verius eſt, opportuna fingendi ratio hæc nimirum viſa eſt, quò ſic quietis Sabbatariæ rationem non incommodam, quantum judicabat, in eo ipſo poneret: quemadmodum & Tacito de ſcabie, cui ſues obnoxii ſunt, morbum illum interpretandi, quòd ſummè idonea hæc ipſi etiam ratio videretur quam redderet, cur à ſue Judæi abſtinerent. Tametſi dum leprâ percuſſos innuit, quæ propriè ſcabies illa eſt cui ſues, ut ipſe ait, obnoxii, Manethonis, Cheræmonis & Lyſimachi, autorum multò vetuſtiorum, ſententiam fuiſſe ſequutum apparet: qui nominatim & ipſi in morbi ejuſdem mentione, apud eundem Joſephum, de lepra conſentiant: in eo quamvis diſſentientes, quòd Lyſimachus quidem Hebræos, Manethon plebem Ægyptiam hoc morbo fuiſſe infectam ſcribat: eam tamen plebem apertè indicans quæ permixtim cum Hebræis Ægypto egreſſa, in deſertum evaſerit. At hos rogo, quos alios niſi proſelytos Ægyptios fuiſſe ſuſpicemur? Nam & cùm *innumerabilem multitudinem* fuiſſe illorum Manethon ibidem teſtetur, ac vel ducenta hominum millia excedentem, & *plebem* vocet, mirum quàm non longè ab hiſtoriæ ſacræ verbis abſcedat, *vulgus promiſcuum innumerabile* fuiſſe eos perhibentis, Exod. 12. 38. Cujus partem maximam hinc clarum ſit Idololatrarum de quibus agimus numero acceſſiſſe (procliviùs utique animum fortè ad Apim deum ſuum patrium, viſâ vituli ſimilitudine, quàm veri Hebræi reflectentes) ſimúlque quâ dixi pœnâ cum cæteris affectos fuiſſe.

Hinc itaque perſpicuum eſt, fuiſſe affinium peccatorum, quorúmque ſumma eſſet præ cæteris ſpurcitiei & ſordium opinio ac deteſtatio, conſimile ut experimentum, ità conſimilem & pœnam, ſumméque illam peccato utrique congruentem: ut qui illis tenerentur *in maledictionem, & in exemplum omni populo exiſtentes*, Num. 5. v. 27. ut dixi ſæpius, ſordium & computrefactionis illuvie turparentur dehoneſtarentúrque. Idololatria certè ab hac re, & quia ſummè, ut dixi, ac vel quàm fornicatio quámque adulterium magìs in ſordibus reputabatur (quantò nempe peccatum majus eſt fidem quâ te Deo obſtrinxeris, quàm quâ ſe viro mulier, prodere) nullo frequentiùs in ſacris literis quàm *ſordium, inquinamenti, ſpurcitiei, immunditiei* legitur vocabulo deſignata. Pauca è multis exempla afferam: *Non inferes quidquam ex idolo in domum tuam, nè fias anathema, ſicut & illud*

illud est: quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum & sordes abominationi habebis, quia anathema est, Deut. 7. v. 26. Item Deut. 29. v. 16, 17. *Vos enim nostis quomodo habitaverimus in terra Ægypti, & quomodo transiverimus per medium nationum. Quas transeuntes vidistis abominationes & sordes, id est, idola eorum, lignum, & lapidem, & argentum, & aurum quæ colebant.* Item de Asa rege in historia Regum, *Purgavitque universas sordes idolorum quæ fecerant patres ejus*, 3 Reg. 15. ver. 12. Addam verò & quartum exemplum multò huc magis pertinens: ex quo videlicet quæ *sordes* hic vocantur (*propter ignominiam sordis*) verè de putrefactione intelligendas, & putrefactionem ut adulterii, ità & idololatriæ fuisse pœnam, multò magis confirmetur. Est illud è Michæa hujusmodi, *Propter immunditiam ejus* (id est, idololatriam) *corrumpetur putredine pessimâ*, Mich. 2. ver. 10. Verùm *putredo* hæc *pessima*, sic etiam in morbi, quo de agimus, significationem locis Scripturæ aliis appellata, quæ quarúmve partium fuerit, ecquid aliunde eruimus? Fuisse eam certè uteri (ut in sacrificii zelotypiæ expositione paulò antè audivimus) aut veriùs alvi & herniorum intestinorúmque computrefactionem, ex historia regis Joram, ejusmodi tabe propter idololatriam divinitus percussi, abunde intelligere est. Sed hoc imprimis observatione dignum est, præmonitum fuisse de futura hac ultione regem (si fortè admonitus revocari à malo potuisset) allatis ad eum Eliæ prophetæ literis, anno septimo postquam translatus fuit (ut Genebrardus in Chronologia annotat) de paradiso scriptis, in hanc sententiam, 2 Par. 21. ver. 12, 13, 14, 15. *Hæc dicit Dominus Deus David patris tui: Quoniam non ambulasti in viis Josaphat patris tui, & in viis Asa Regis Juda, sed incessisti per viam Regum Israel, & fornicari fecisti Judam & habitatores Jerusalem, imitatus fornicationem Achab, tu ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.* Quam prophetæ comminationem consecutus deinde & effectus scribitur in hæc verba, 2 Par. 21. ver. 18, 19. *Percussit eum Dominus alvi languore insanabili: cúmque diei succederet dies, & spatia temporum volverentur, duorum annorum expletus est circulus: & sic longâ consumptus tabe, ità ut egereret etiam viscera sua, languore pariter, & vitâ caruit, mortuúsque est infirmitate pessimâ.*

Admiscebantur nonnunquam huic tabi & vermes, quos Osee propheta cum putredine conjunctos, *sordium*, id est, idololatriæ, pœnam & ipse facit, verbis illis, *Calumniam patiens est Ephraim, fractus judicio, quia cœpit abire post sordes: & ero quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Juda*, Osee 5. ver. 11, 12. Quo loco *tineam* vocari notandum est lumbricos, sive vermes, computrefactionem vel ipsos causantes, vel ab eadem enatos. Ni potiùs diversa duo suppliciorum genera putanda hæc sint, quorum alterutro separatim in idololatras vindicare Deus consueverit. Nam cùm de priore tot illis præmissis probationibus & exemplis abunde jam pateat, de tinea, seu vermibus, seu pediculi veriùs illi erant, haud difficilius sit idololatrarum nonnullorum morte ex historia confirmare. Non quidem vulgaris illius generis idololatrarum, qui idola, sed qui seipsos adorari paterentur: aut certè quæ debetur Deo gloria, sibi vel deferrent ipsi, vel ab aliis delatam admitterent miniméque aversarentur: ut fecisse reges, pater & filius, Herodes Magnus & Agrippa, observantur: priore regnum quod Christo Deo debebatur nefariè sibi vendicante, utque advenientem excluderet in pueros biennes desæviente; posteriore autem Deum se consalutantes, útque faveret propitius rogantes, audiente, miniméque repellente. Nam huic eorum vesaniæ meritò attributum est, quòd scatentibus toto corpore vermibus haud multò pòst exspirarint.

CAP. IX.

De Idololatris ab Aarone nudatis, & eorundem tabe & cade.

VErùm quid est, quámve habere significationem putemus, quòd spoliasse populum Aaron propter ignominiam sordis, quódque nudum inter hostes constituisse ibidem dicitur? Hanc fortasse, quòd miseri & infelices illi, postquam se plagâ & infirmitate illâ pessimâ à Deo percussos senserunt, Mosem insuper iratum expavefacti, refugium ad Aaronem habuerint, opem ejus implorantes, per cujus imprudentiam in errorem abduci ac decipi contigisset. Quomodo Deus Oseæ (cap. 5. ver. 12.) loco præmemorato, postquam dixit, *Et ero quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Juda*, utrumque, & Ephraim dico & Judam, opem similiter eorum imploraſſe ibidem subjungit, quos habuissent sordium suarum causam & auctores, his verbis; *Et vidit Ephraim languorem suum, & Juda plagam suam: & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad regem Jareb, & ipse non poterit salvare vos, & non sanabit à vobis plagam*, Osee 5. ver. 13. Hæc Pagnini versio est, instituto meo paulò accommodatior. Sic itaque Israelitas quoque abiisse ad Aaronem non sit fortè absurda interpretatio, remedium malo suo, vel certè solatium aucupantes, qui nec eos ipse sanare potuerit; sed duntaxat, nè sordium ac putrefactionis illuvies vestibus eorum implexa infectiores eos redderet, morbúmque & ægritudinem augeret, nudari suaserit. Lucretius certè in tabis fortè non absimilis cum peste incurrentis descriptione, (constabat quippe illa etiam

Ulceribus teetris, & nigrâ proluvie alvi)

vestium incommodum & ipse malo exaggerando adjicere videtur, lib. 6. his versibus,

Multáque per populi passim loca prompta viásque
Languida semianimo tum corpore membra videres,
Horrida pædore, & pannis cooperta perire
Corporis illuvie.

Facere igitur ad tabis hujusmodi levamentum Aaroni visa nudatio; quomodò fortè & Mosi postea ad lepræ, vestimentorum laxatio leprosis, lege latâ *vestimenta dissuta, & caput nudum habere jussis*, Levit. 13. Sed re pressiùs expensâ, vereor ut lex ea magis in lepræ & leprosorum ignominiam & odium, quàm favorem & levamentum perlata credi debeat. Josephus certè locis duobus, & tam in Antiquitatibus Judaicis, 3 Antiq. 10. quàm Apologia contra Apionem, lib. 1. omnino huc refert: hoc maximè argumento utrobique nitens, ut Mosem veteris fabulæ calumniâ liberet, leprosum fuisse eum & leprosorum ducem (quod de vituli adoratoribus pessimâ illâ putredine infectis dictum intelligendum est) in deserto perhibentis, quia leprosis ipsemet oppidis & viis interdixisset, & seorsum in lacero vestitu agere voluisset, non facturus si ipse eo in numero.

Hanc itaque nudationem legis hujus ductu sic potiùs ac simpliciùs interpretandam censuerim, ut Aaron idololatras vel leprâ (quæ multò plurium sententia est) vel affini tabe aut scabie post experimentum à Deo percussos, ex lege illa multò vetustiore, quam Moses in suum codicem, ut pleraſque alias, postea retulerit, vestibus sive dissutis (Levit. 13. ver. 45.) sive laxatis morbum suum, & cum morbo peccatum, publicè testari ac prodere jusserit: ídque ex sacerdotis magni officio, quod jam tum illi incumbebat, à Deo electo, ad quem utique lepræ exploratio, distinctio, curatio, expiatio, & si quæ erant hujus generis alia pertinebant. Cui & illos (jubente lege facere leprâ affectos quæcunque sacerdos præscripsisset) Scriptura paruisse testatur: certissimo innocentiæ ejus argumento, quódque in idololatriam populi minimè consensisset, tantum abest ut volens idololatriæ administer vel auctor potiùs exstitisset. Quandoquidem si

exſtitiſſet, veriſimilius ſit facti conſcientiâ & pudore prohibitum, id muneris fuiſſe eum averſaturum declinaturúmque: vel populum certè, eſſe cur ſibi ipſe potiùs nudari imperaret, idoli architecto, fuiſſe improperaturum. Hæc profectò & Scripturæ ſacræ & rationi ſummè conſentanea mihi videtur ignominiæ, ſordis & nudationis, cujus hoc loco mentio eſt, explicatio.

Nunc quo ſenſu populum inter hoſtes nudum ab hoſte conſtitutum dici intelligendum ſit, ulteriùs inquirendum. Admirationem enim moverit, primùm quòd in caſtris eſſet, hoc eſt, loco ab hoſtibus maximè ſecuro: nam & portis (ſic enim expreſsè traditum eſt) fortè & munitionibus aliis abunde obſirmato. Deinde quòd hoſtes Iſraelitæ, devictis paulò antè Amalechitis, id temporis nullos habuiſſe, quinimo totis ferè annis quadraginta ſine bello & armorum uſu deinceps in deſerto vixiſſe obſerventur, donec vindictam de Madianitis ſumere juſſi magis hoſtes eos ſenſerunt Madianitæ, quàm ipſi Madianitas. Sunt enim expreſſa hæc Scripturæ verba, *Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos*, &c. Num. 25. v. 17. Itaque nil aliud velle hoc loco hiſtoricum ſacrum ſuſpicor, quàm ità populum ignominiæ cauſâ ab Aarone veſtibus ſpoliatum fuiſſe, ut ſicunde hoſtes ingruiſſent, fuerint eum non ſolùm inermem & imparatum, verumetiam nudum deprehenſuri. Vel certè de hoſtibus quod hic dicitur, erit de iis intelligendum qui tametſi non quidem re verâ hoſtes erant, ſed fratres, amici & proximi, ut Scriptura eos vocat, tamen propter populi tantum illud ſcelus, cùm zelo Dei, tum Moſis exhortatione commoti & animati, hoſtium erant loco mox eis futuri, & hoſtiliter in eos per media caſtra irruituri. Siquidem Moſes, juſſis qui ex parte Domini erant, id eſt, qui præſentes cum Aarone ſolennitati eidem celebrandæ cùm intereſſent, non vitulo, ſed Jehovæ honorem habuerant, ſibi adjungi, & de porta caſtrorum uſque ad portam euntes redeuntéſque occidere unumquemque proximum ſuum, perimendorum ex iis aliquot millium eo die autor fuit. Cujus adjunctionis & facti gloria tribui Leviticæ nominatim in Scriptura habetur: non quòd ſolos Levitas Moſi ſe adjunxiſſe, ſolóſque in idololatras irruiſſe, ac ſe Dei partium ſolos hoc facto probaſſe exiſtimem, ſed quòd tribus illa ſolida & integra, *Omnes filii Levi*, cùm de cæteris tribubus magno numero partes deteriores ſecuti fuiſſent.

In occiſorum numero magna editionum variatio eſt; vulgaris enim Verſionis aliæ viginti tria millia, aliæ triginta tria habent; cùm tamen textus ſacer Hebraicus, & recentiores Pagnini & aliorum verſiones, & cum eis Philo in vita Moſis, tria millia tantùm cæſa ferant. Diverſitatis hujus quæ ſit vel occaſio vel cauſa me fugit, niſi quòd abſurdum videri fortè interpretibus potuerit, tam paucos in tanta peccantium multitudine perhiberi cæſos: nam vel triginta tria millia, qui Vulgaris editionis numerus maximus eſt, pauci futuri ſint comparatione delinquentium. Siquidem cùm populi ſumma ex Ægypto egreſſi *ſexcentorum ferè millium virorum pedibus* fuiſſe Scriptura ferat, *abſque parvulis, & mulieribus, & vulgo promiſcuo innumerabili quod aſcendit cum eis*, Exod. 12. v. 38. multò plures peccaſſe haud dubium eſt: adeò ut vel in idololatrarum numero ſub *leproſorum* nomine Scriptorum Ethnicorum quos nominavi haud planè aſpernanda videri autoritas poſſit, quorum qui minimum, octoginta millium; qui maximum, ducentorum quinquaginta millium eum faciunt. Sed & hoc æquè abſurdum videtur, ſi tria millia tantùm ſtatuantur cæſa, tam paucos à tam multis occiſos. Cùm enim filii Levi à triginta annis uſque ad quinquageſimum, numeratò & præcisè octo millium quingentorum octoginta eſſent, Num. 4. v. 48. ſi vel ſolam hanc tribum (nam multos præterea de cæteris tribubus ſe illi adjunxiſſe ſuſpicionem antè movimus) & tribûs hujus ſolam ætatem hanc cædi patrandæ adhibitam ſtatuamus, ſingulos ferè terni invaſerint occiderintque neceſſe ſit. Quòd ſi jam & illos affuiſſe dicamus qui viginti annis majores uſque ad annum trigeſimum, & qui annis quinquaginta uſque ad ſexageſimum, cùm utraque hæc ætas militaris etiam eſſet & bello idonea, & Scriptura ferat congregatos fuiſſe *omnes filios Levi*, Num. 1. v. 29. parem ut annorum, ità & hominum cum præcedente numerum utriſque efficientibus, duplò plures, hoc eſt, ſeni propemodum ſingulis incurrerint oporteat, aut certè à parte longè maxima neminem occiſum: cùm tamen, ut à Moſe juſſi erant, occidiſſe unuſquiſque ſcribatur fratrem, amicum & proximum ſuum. Hæc difficultas mihi major eſt quàm ut interpretum ope quos conſulam in ſeceſſu hoc noſtro deſtitutus ſolvere eam nunc quidem valeam.

Fuit hæc viri doctiſſimi mihíque amiciſſimi, qui cùm vellem maximè hîc ſe præ modeſtia inſcribi non eſt paſſus, extemporalis conjectura, cùm libro huic mecum extremò decurrendo, intentiúſque pervidendo, ſuam mihi operam præſtaret, legem quæ de leproſis fuit, præterquam quòd veſtimenta diſſuta habere eos voluit, etiam extra caſtra manere præcepiſſe: quorum utrumque, tametſi de nudatione ſolùm hîc mentio eſt, ab Aarone his noſtris imperatum credi volebat: cui cùm pars multò maxima (promiſcuum nempe vulgus illud innumerabile) duces iratos expavefacta, nec minùs flagitii ſui quàm pœnæ inſecutæ, tabis, inquam, tam improviſæ horrore territa, magna cum animi demiſſione properè morigerata eſſet, ſeſéque è caſtris maturè ſubduxiſſet (quantò enim proclivius hoc de plebe quàm de rege Ozia credideris, quem ſimili plagâ percuſſum fert Scriptura *perterritum acceleraſſe egredi, eò quòd ſenſiſſet illico plagam Domini*, 1 Par. 26. v. 20.) Moſem iracundiam ſuam in illos ſolos convertiſſe, in eoſdémque Levitas immiſiſſe, qui nondum caſtra egreſſi cunctatione ſuâ contumaciam peccato ſuo addere videbantur, trium non ampliùs millium numero exiſtentes. Cui conjecturæ hoc libentiùs aſſenſus ſum, quòd caſu fic fortè accideriť, ut iidem illi qui in caſtris remanſiſſent amentiæ autores ferè eſſent, quos ſolos Philo pulcerrimè etiam huic conjecturæ ſuccinens internecione deletos ſcribit. Porrò videtur populus, Deo partim paucorum hujuſmodi luitione, partim Moſis deprecatione, minimè vulgari illâ, ſed quâ vel peccatum hoc populo condonari, vel ſe de libro ejus deleri poſtulaverat, (Exod. 32. 32.) placato, haud multò pòſt cum ſanitate veſtimentorum uſum recepiſſe, (Exod. 33. v. 5.) ſed tamen ornari renuiſſe: pro quo Septuaginta interpretati ſunt, *in lugubribus deſlevisse, Dei comminatione territum, qui ſe in die ultionis viſitaturum hoc peccatum, & ſe eum in via conſumpturum dixiſſet*, Exod. 33. ver. 24. Unde conſequens eſt, quòd conſumptus ſit in via populus, quódque cadavera ejus in ſolitudine projecta, nemine qui viginti annis major Ægypto egreſſus fuiſſet in terram Chanaan intromiſſo, non ſolùm murmuri populi, de terræ illius occupatione deſperantis ac Deo diffidentis, verumetiam huic peccato ex parte tribuendum. Nam & hoc locus ille è libro Numerorum manifeſtò indicat, ſimul & præſentem populi fornicationem, id eſt, idololatriam tangens, & quis futurus fuerit dies ultionis, cujus hic mentio eſt, haud obſcurè inſinuans, *Filii veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadavera patrum in deſerto, juxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram: annus pro die imputabitur, & quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis ultionem meam, quia ſicut locutus ſum* (nempe quando hîc dixit, ſe in die ultionis viſitaturum hoc peccatum, & ſe eos in via conſumpturum) *ità faciam omni multitudini huic peſſimæ quæ conſurrexit adversùm me: in ſolitudine hâc deficiet, & morietur*, Num. 14. ver. 32, 33, 34, 35.

CAP.

CAP. X.

Cur experimenti præmemorati explorandis idololatriæ uſus deinceps nullus exſtiterit. Videri tamen reges pios & prophetas in idolis abolendis nonnihil ejus retinuiſſe.

HOC ſermone abſoluto, nunc opportunè me quis roget, cur populo ſæpius in idololatriam poſtea relabente, ac vel Moſe adhuc vivo & rerum potiente, tam famosâ illâ defectione in Setim, *quando fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, initiatúſque eſt Iſrael Beelphegor*, Num. 25. ver. 3. nullus præmemorati experimenti fuiſſe uſus, nulláque ejuſdem pœna idololatras inſecuta legatur. Quia videlicet explorandis illis non fuerit eo ampliùs uti neceſſe, cùm idoli peregrini indubitati manifeſtus nullámque ambiguitatem admittens cultus tales eſſe apertè convinceret. Hoc itaque prætermiſſo, Moſes quâ ſupplicii ſeveritate in idololatras Horebitanos experimento revelatos animadvertiſſe modò dictus eſt, in hos quoque citra experimentum facto ipſo manifeſtos, quod ſupererat, vindicare ſatis habuit, conſimili illo etiam promulgato edicto, *Occidat unuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor*, ibid. ver. 3. Quo edicto nullum delinquentium excludente, cùm & omnes, ut dixi, manifeſti eſſent, neque deprecatorem apud Deum, ut Horebitani, vel Moſem vel alium habuiſſent, omnes omnino occiſi videntur, nec diſſimulante hoc ipſum Scripturâ, *Oculi veſtri viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor, quomodo contriverit omnes cultores ejus; vos autem qui adhæretis Domino Deo veſtro*, (ſunt iidem illi haud dubiè, qui & Domini fuiſſe, & Moſi in Horeb ſe adjunxiſſe dicti ſunt) *vivitis univerſi in præſentem diem*, Deut. 4. ver. 3, 4. Ex quo loco manifeſtò reſultat, quos initiari Beelphegor, ac propterea occîdi contigit, ex eorum numero fuiſſe omnes qui vitulum antea adoraverant, & cædi Horebitanæ ſuperfuerant: & hunc diem quo occiſi ſunt, ultionis diem illum eſſe, quâ minatus fuerat Deus etiam peccatum illud prius ſe ſimul aliquando vindicaturum, verbis illis, *Ego autem in die ultionis viſitabo & hoc peccatum.* Sed tamen cùm hîc rurſum cæſorum numerus, qui ſit idem præcisè cum numero peccantium, tam exilis feratur, ut viginti quatuor millia non excedat, ſítque in eo ſumma Scripturæ ſacræ & interpretum ejus omnium conſenſio, admiratione rurſum nauſeo tam paucos in tanta populi multitudine exſtitiſſe qui peccaverint & cæſi fuerint. Ut ſi mihi cum Varrone aut Plinio profaníſque auctoribus aliis, quorum libros Critici in numeris tam ſæpe vitiatos obſervant & corrigunt, negotium eſſet, non autem cum Scriptore quem nobis Dei providentiâ undequaque correctiſſimum emendatiſſimúmque conſervatum credunt, hunc cæſorum in Sethim numerum, non minùs quàm præcedentem cæſorum in Horeb, de mendo ſuſpectum habiturus fuerim.

Cæterùm ut nullus deinceps experimenti hujus in re idololatriæ uſus exſtiterit, relegato illo ad ſacrificium zelotypiæ, explorandis ſolùm adulteris; pœnâ tamen quam fuiſſe ferè illius propriam & peculiarem oſtendi, ſæpe idololatras affecit Deus, ut de Joram & Herode utroque regibus paulò ante vidimus. Sed & reges pii & prophetæ, imitatione ab ejuſdem experimenti hiſtoria & exemplo duxerunt, ut quoties gentem ab idolorum ſordibus & inquinamentis purgare aggreſſi ſunt, idola ipſa, ſimúlque idololatriæ monumenta & inſtrumenta omnia in frusta comminuta & in cinerem redacta in torrentem proximum abjicerent, quod in libro Legis, ab cujus publica recitatione religionis & morum emendandorum curam perpetuò auſpicabantur, Moſem de vitulo impiè à populo adorato ſimiliter ſtatuiſſe legerent, in hæc verba; *Peccatum autem veſtrum quod feceratis, id eſt, vitulum arripiens, igne combuſſi, & in frusta comminuens, omninóque in pulverem redigens, projeci in torrentem qui de monte deſcendit*, Deut. 9. ver. 21. Quod quidem de monte Horeb, & de torrente illo intelligendum eſt quem Moſes nuperrimè virgæ tactu de rupe eduxerat, ex quo Iſraelitæ viam in Chanaitidem per deſertum inſtituentes ſibi ac jumentis potum hauſerunt: ad quam viam & torrentem in Pſalmo verbis illis alluſum eſt, *De torrente in via bibet*, Pſal. 109. ver. 17. Hoc exemplum igitur primum Aſam Regem ſecutum è Regum hiſtoria obſervare eſt, ſic habente; *Simulacrum Priapi omne contrivit, & in frusta comminuens combuſſit in torrente Cedron*, 2 Par. 15. ver. 16. Hoc item Joſiam, ſic eâdem hiſtoriâ de eo perhibente, 4 Reg. 23. ver. 12. *Currus Solis combuſſit igni, altaria quoque quæ erant ſuper tecta cœnaculi Achab, quæ fecerant reges Juda, & altaria quæ fecerat Manaſſes in duobus atriis Domini, deſtruxit Rex, & cucurrit indè, & diſperſit eorum cinerem in torrentem Cedron.* Sic item & priùs fuerat factum à ſacerdotibus ſub Ezechia rege, Joſiæ proavo, templum expiantibus, 2 Par. 29. ver. 16. *Sacerdotes quoque ingreſſi templum Domini ut ſanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam quam intrò repererunt in veſtibulo domûs Domini: quam tulerunt Levitæ, & aſportaverunt ad torrentem Cedron foràs.* Itémque à populo ſub eodem rege Jeroſolymis congregato, ad celebrandum Phaſe alterum, 2 Par. 30. ver. 14. *Surgentes deſtruxerunt altaria quæ erant in Jeruſalem, atque univerſa in quibus Idolis adolebatur incenſum ſubvertentes, projecerunt in torrentem Cedron.* Pro torrente itaque Horebitano illo, per miraculum à Moſe de rupe educto, fuit regibus Juda in eum uſum torrens Cedron: Eliæ autem in Samaria (haud dubiè quin & regi Jehu, cæſis ab utroque ſacerdotibus Baal, ab hoc autem nominatim etiam confracto ejuſdem ſimulacro) torrens Ciſon, 3 Reg. 18. ver. 40. *Dixítque Elias populo, Apprehendite prophetas Baal, & nè unus quidem effugiat ex eis. Quos cùm apprehendiſſent, duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi.*

Cùm jam committendum prælo caput hoc veniret, oblatus eſt mihi R. Patris, F. Franciſci Hernandi homiliarum liber, de Hiſpano Gallicus nuper factus, dubium ſanctiórne an ingenioſior. Cujus auctor perceptâ ſententiâ Rabbini Jeſarden, idem propemodum (ut quidem illam ipſe refert) de præmemorato idololatrarum experimento mecum ſentientis, acutè ſanè de eodem intelligendum conjectat quod in Samuelis hiſtoria de effuſa aqua coram Domino à populo, poſt abjecta idola, ſcriptum hoc modo legitur, 1 Reg. 7. ver. 4, 5, 6. *Abſtulerunt ergò filii Iſrael Baalim & Aſtaroth, & ſervierunt Domino ſoli. Dixit autem Samuel, Congregate univerſum Iſrael in Maſphat, ut orem pro vobis Dominum. Et convenerunt in Maſphat, hauſerúntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini: & jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi, Peccavimus Domino.* His enim verbis tam obſcuris hanc ille ſubeſſe putat ſententiam, ut cùm Samuel populum more majorum poſt abjecta idola ad experimentum vocaret, in eámque rem aqua hauſta jam eſſet, renuerint illud ſubire, quòd promiſcuè omnes ſe peccaſſe faterentur, adeò ut diſcernendis reis ab inſontibus experimento dicerent nullo opus eſſe, aquam autem coram Domino (coram arca fœderis) effuderint, pœnam deprecantes, jejunióque & confeſſione eam redimerent. Cui interpretationi libenter ſubſcribo, ac ſic poſt Moſem etiam, cùm res tulit, idem experimentum in uſu fuiſſe oſtendo.

CAP. XI.

Tumultus populi Deum ab Aarone poſtulantis, cum eo qui poſterorum ejuſdem populi fuit, regem à Samuele petentium, comparatio.

HIC mihi cœptæ incubationi finem imponere erat integrum, decurſo promiſſæ narrationis ſacræ curriculo. Sed obtinere hoc à me necdum poſſum, pridem comparationem meditante, in qua poſſe demum digne

dignè eam abſolvi ac claudi exiſtimem. Comparationem dico profectò inſignem pulcerriméque inſtituto meo allucentem, tumultûs populi, Deum ab Aarone poſtulantis in Horeb, cum eo qui poſterorum populi ejuſdem fuit, regem à Samuele petentium in Ramatha, ſimúlque Aaronis ipſius cum Samuele, ut indè quid tantum ab Aarone præ Samuele peccatum ſit, cur eum Deus conterere voluiſſe diceretur, rectiùs aſſequamur. Habet autem multum ſimilitudinis tumultus uterque, ſive initia cum ſuis cauſis, ſive media, ſive etiam eventus ſpectaveris.

Imprimis conſimilia futuri tumultûs populo utrique ſparſa veluti ſemina ex eo videntur, quòd rumore quodam prævio futurum brevi intelligerent, perſuaſúmque haberent, Horebitanus quidem ut ſimulacrum, quale petere intendebat, *Deum* appellans, confici ac produci ei à Moſe deberet, quo viæ duce ante eum præcedente, ire porrò in Chanaitidem pergerent, ut & haud multò pòſt confectum productúmque verè eum præceſſit; Ramathenſis verò, ut quod de futura regia ejus gubernatione Deus Patriarchis eorum majoribus olim prædixerat, impleri oporteret; quod & proximè implendum fuiſſe verum erat, in Davide, immediatè poſt Samuelem regnaturo, templúmque, ni Deus prohibeat, & curam hanc in filium transferendam cenſeat, condituro: *Cogitavi ut ædificarem domum in qua requieſceret arca fœderis Domini*, &c. 1 Par. 28. v. 2. & quando Deo aliter viſum ſit, deſignaturo certè, locúmque ac neceſſaria ad ejus ædificationem omnia præparaturo: quod quidem ædificari lege Divinâ prohibitum credebatur quoad regem Hebræi haberent. [Moſes Ægyptius Perplexorum, lib. 3. cap. 47.] Sic, inquam, cùm rumore non vano circumferretur, ac brevi futurum crederent, impelli cœpiſſe conſentaneum eſt, Horebitanos quidem, ut de Deo (quo ſenſu antè dictum eſt) Ramathenſes autem, de rege, ſi diutiùs quàm pro eorum cupiditate differri contingeret, primâ quâvis occaſione petendo cogitarent. Neque verò ſic mente affectis talis etiam diu occaſio defuit: Prioribus utique Moſis, per quem quod ſperaverant debere ſe conſequi intelligebant, morte falsò vulgatâ; adeò ut præſtare id ſibi Aaronem neceſſariò jam debere, ab eóque id petendum ducerent: His, Naâ rege Ammonitarum bellum inferente, ſuíque terrorem magnum genti univerſæ incutiente, 1 Reg. 12. v. 12. ſed & Samuelis ætate in ſenium magis ac magis vergente, 1 Reg. 8. v. 5. ſic quidem, ut & cùm filii ejus degeneres indignóſque ſe qui in ejus locum ſufficerentur, exhiberent, reſtare hoc jam ſolum videretur, ut Samuel, dum adhuc viveret, nè per ejus mortem reipublicæ per pontificatûs ad ſe ſucceſſione devoluti prætextum à filiis opprimendæ turbandæque occaſio daretur, ſibi de rege maturè provideret, cujus manu fore ut aliquando regerentur prædictum norant. His igitur de cauſis & modis ducti, & idoneam ut eis videbatur petendi ſive occaſionem ſive prætextum nacti, petunt à Pontificibus ſuis, illi Deum, circa quem religionis, hi regem, circa quem reipublicæ verſari cardinem ac ſummam omnem oporteret. Sed & conſimili ferè modo & ordine rem aggreſſi utrique planè mihi videntur. Neque enimvero (ut de Horebitanis primùm loquar) Deum petituros ad Aaronem gregatim ac tumultuariè convolaſſe ſenſero; ſed per intervalla quædam, inferiores poteſtates ſi propoſito ſuo faverent primùm tentaſſe, ac tandem ad Lxx-virorum ſupremum illum ſenatum ſuffragantium numero auctos, majoribus animis acceſſiſſe; à quibus ad Aaronem, & Huronem (ut eum Joſephus vocat) deinceps de re tota magnâ prudentiâ relatum ſit. Talem enim ordinem ſervari debuiſſe, & ſervatum à populo fuiſſe nè dubitem, facit quòd Moſes ipſe nuper in montem ad Deum aſcenſurus, ſi quid abſente ſe quæſtionis gravioris incideret (hoc ipſum quod accidit jam tum præſagiens,) ad præmemoratos Aaronem & Huronem, per dicti ſenatûs principes, quo dixi modo, referendum mandaverit: *Aſcendénſque Moſes in montem Dei ſenioribus ait, Exſpectate hîc donec revertamur ad vos: habetis Aaron & Hur vobiſcum; ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos*, Exod. 24. v. 13, 14. Hinc adeò manifeſtum eſt de re quacunque ad Pontificem referendum eſſet, ſive quæ ad religionem ſive quæ ad rempublicam attineret, non aliter populo & inferioribus poteſtatibus quàm per ſupremum illum ſenatum, veluti interpretem, aditum patuiſſe. Quod profectò verum eſſe, atque ità verè ab Horebitanis fuiſſe petitionis ſuæ ordinem inſtitutum, ex parallella, qua de nunc agimus, petentium à Samuele regem hiſtoria confici planè per comparationem exiſtimo. Non enim ibi populum, ſed majores natu Iſrael, ſenatum nempe illum maximum, ad Samuelem ejus rei causâ conveniſſe traditum eſt, petitionem populi expoſituros; *Congregati ergò univerſi majores natu Iſrael, venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixerúntque ei, Ecce tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis tuis: conſtitue nobis regem, ut judicet nos, ſicut & univerſæ habent nationes*, 1 Reg. 8. v. 4, 5. Fuiſſe hanc (inquam) majorum natu Iſrael, quos *Senes Iſrael* & *Seniores* frequentiùs dici receptum eſt, univerſorum, id eſt, ſeptuaginta duorum cum quinque Principibus, relationem ad Samuelem, neque ſuis ipſorum, ſed populi à quo premebantur verbis factam, ex Dei ad Samuelem reſponſione, cùm ad eum ille oraſſet, manifeſtum eſt, tali exiſtente; *Dixit autem Dominus ad Samuelem, Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim abjecerunt te, ſed me, nè regnem ſuper eos, juxta omnia opera ſua quæ fecerunt à die quâ eduxi eos de Ægypto, uſque in diem hunc: ſicut dereliquerunt me, & ſervierunt diis alienis, ſic faciunt etiam tibi*, ibid. v. 7, 8. Hinc patet certè, Majores natu, ut dixi, verbis populi, & ex ejuſdem mente non ſua ad Samuelem congregatos, regem poſtulaſſe: neque ipſis ideo vel quàm minimùm (utique non aliud quàm ſuo munere functis) ſed populo ob eam petitionem Deum ſuccenſuiſſe.

Porrò in hiſtoria petentium Deum eodem ordine rem geſtam intelligendum eſſe, præter rationes hactenus expoſitas, ſimilitudo etiam perſuadere poteſt quam eſſe utriuſque hiſtoriæ hujus inſignem, cùm per me ipſe ab initio utcunque perviderim, tum multò jam mihi gratius eſt eandem Dei verbis confirmatam, ſuæ illius ad Samuelem reſponſionis parte extremâ animadvertere; *Sicut dereliquerunt me, & ſervierunt diis alienis, ſic faciunt etiam tibi.* Habet tamen multum obſcuritatis hæc comparatio, quòd parte expreſsâ, partem majorem aliunde ſupplendam relinquat. Deus ſiquidem per ea quæ conſecuta ſunt, & erant ut vulgatiſſima ità odioſiſſima, & conſequenter expoſtulationi exaggerandæ quam contra populum eo loco inſtituit ſummè idonea, (quòd à *die quo eduxit eos de Ægypto ſerviiſſent diis alienis*) ſimul ea quæ præceſſere & potiſſimùm voluit comparata, in memoriam Samueli revocat; nimirum quòd Deum qui ſe præcederet per ſeditionem à Pontifice poſtulaſſet. Et his demum ea quæ modò contra eum populus faciat tacitè comparat. Sic, inquam, tumultuosè, imperiosè & inſolenter ſe gerere regem petentes, quomodo eorum majores jam ab eo tempore quo eos ipſe ex Ægypto eduxerat, ſe geſſerant, cùm ab Aarone Deum petierunt: non tunc quidem adhuc & ab initio diis alienis, id eſt, vitulo, ſervientes, ac nec de eo quidem antequam eum vidiſſent cogitantes; ſed per ejuſmodi tumultûs & importunæ petitionis occaſionem, abdicante eos Deo, ac ſuis ſenſibus relinquente (quod David verbis illis teſtatur, *Et dimiſit eos ſecundùm deſideria cordis eorum, ibant in adinventionibus ſuis*, Pſal. 80. v. 10.) proximè ſervituri. Fit autem denuo conjunctim utriuſque hujus hiſtoriæ in perſona Dei mentio apud Oſeam in hæc verba, *Ipſi conſtituerunt reges, & non ex me: Principes exſtiterunt, & non cognovi: auro ſuo & argento ſuo fecerunt ſibi idola, ut interirent*, Oſee 8. v. 4. Conſentaneum enim eſt Regum nomine, quos ibi Deus ex ſe non fuiſſe, neque ſe tales agnoviſſe dicit, præter Jeroboamum etiam Saulem notari, invitè ab eo Samueli ſuffectum: quemadmodum per *idola* non ſolùm vitulos Samariæ,

Samariæ, & Aaronium noſtrum, qui ex auro omnes, verumetiam vitulum Danitorum veterem, argento à Micha conflatum.

CAP. XII.

Comparationis ejuſdem paulo longiùs productæ occaſione, in ſermonem ampliorem de rege ab Samuele poſtulato excurſio.

Cæterùm quàm fuerunt hi conſimiles populorum motus, niſi quòd inexcuſabilius periculoſiúſque eſt quod circa religionem peccatum committitur, quàm quod circa politiam, eventum etiam ſortiri utrumque conſimilem Deus voluit, dum in contrarium quàm quod affectabant, aut affectare profectò credi volebant, ſua eis conſilia ut cederent effecit. Nam quod propediem legitimè citra noxam ac Dei offenſionem, imò verò & majore multò quàm ſperandum eis fuerat cum felicitatis acceſſione erant à Deo habituri, ſi ſuſtinere adhuc nonnihil valuiſſent, quia quo dixi modo, per tumultum, & ante tempus, & à quo non debuerint, petebant, voluit eis Deus, ut dixi, in contrarium omnia verti. Deum petentes, pietatémque & religionis curam ſuo ductu præ ſe ferentes, patitur in idololatriam labi: regem petentibus, & magnam ſibi felicitatem à regia gubernatione ſpondentibus, dedit tyrannum, imò tyrannos: non enim primum illum ſolùm extraordinarium regem & illegitimum, quia de tribu alia quàm cui regnum deberetur (tametſi nil erat hoc incommodi habiturum, ſi ex Dei præſcripto vixiſſet, quemadmodum extraordinarius eodem tempore Samuelis Pontificatus, ſi Pontifex fuit modò, veriùs enim propheta ille, & judex, ſummâ cum vitæ ejuſdem integritate conjunctus, nil habuit) talem fieri paſſus eſt, ſed & quos erant, abſque hoc eſſet, legitimos habituri, inſigni pietate, juſtitiâ & clementiâ ſpectabiles, efferari quaſi permiſſâ propter hoc peccatum eorum naturâ & conditione (quo fortè modo propter peccatum Adæ omnis natura fuiſſe creditur efferata) diſſimiles fore præmonitos à Samuele voluit, his verbis, *Nunc autem vocem eorum audi: verumtamen conteſtare eos, & prædic eis jus regis qui regnaturus eſt ſuper eos*, 1 Reg. 8. ver. 9. Non enim de primo ſolùm Rege illo hoc dictum, verumetiam de cæteris ſuper eos regnaturis intelligendum cenſeam. Samuelem enim ex verbis illis, cum populo veluti ex ſtipulatu agere à Deo videri juſſum, electione alterutrius è duobus propoſitâ: Nam ſiquidem in ſententia perſeverantes, abrogato ſuâ auctoritate ante tempus regno ſacerdotali (quam injuriam Deus ſuam eſſe interpretatur, *Non enim te abjecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos*, ibid. ver. 7.) regem vellent, regem habituros, veruntamen fore tale in pœnam jus regium, hoc eſt, ſic uſuros ſuâ poteſtate reges quos eſſent habituri quomodo deinde exponit, *Filios veſtros tollet, & ponet in curribus ſuis*, &c. ibid. ver. 11. Sin autem ſuſtinerent quoad Deus tempore regiæ inchoandæ gubernationi præſtituto regem daret, fore ut ejuſmodi reges haberent quales à Deo non tantùm non irato, verumetiam benevolo, & eorum commodis & quieti more ſuo proſpicere & conſulere cupidiſſimo, æquum erat eos exſpectare, ſapientes, juſtos, clementes, munificos. Abeſt quidem à textu electionis quam dico oblatæ pars hæc altera; quia quòd eam reſpuiſſet populus, non admodum neceſſe exprimi eam viſum Samueli fuerit: Verùm latet ea tamen in ſubjectis deinde verbis; aut veriùs negligentiùs veluti calata ſponteneè ipſa ſe à non etiam maximè perſpicacibus facilè animadvertendam prodit; *Noluit autem populus audire vocem Samuelis, ſed dixerunt, Nequaquam, rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoque ſicut omnes gentes*, ibid. ver. 19. Neque enim verò ſic dictum intelligi hoc poſſe quiſquam dixerit, quaſi non audierit populus Samuelem exponentem eis quod futurum eſſet jus illud regium, nam audivit certè: ſed neque illud *Nequaquam* intelligendum rurſum ſic ſenſerit, quaſi tale illud fore non crederent, & prophetam de mendacio arguerent: ſed *non audiviſſe vocem*, id eſt, conſilium Samuelis de differenda Regiæ gubernationis petitione, & nequaquam voluiſſe potiora ſuadenti, & electionis oblatæ quam dixi partem alteram, ut magis eis expetendam, magiſque ſalutarem identidem ingerenti, acquieſcere. Et verò fruſtrà alioquin propoſiturus eis fuiſſe Samuel jus illud regis planè tyrannicum videtur, ad perterrefaciendos eos & de ſententia dimovendos, ſi nihilò meliores reges erant pòſt paulò, ut contigit, legitimos habituri, cùm adimplere Deo viſum eſſet quod pridem Abrahamo & filiis ejus promiſerat, in hæc & conſimilia his verba ſæpius repetita; *Dabo tibi filium, cui benedicturus ſum, eríque in nationes, & reges populorum orientur ex eo*, Gen. 17. ver. 16. Quæ promiſſiones de futuris Hebræorum regibus intelligendæ cùm eſſent (quamvis aliarum quoque gentium reges, ut Idumæorum, Arabum, Lacedæmoniorum, ad Abrahamum auctorem genus ſuum plerique referebant) etiamſi regem populus nunquam flagitaſſet, fuiſſe tamen implendas dubitare impium ſit: & ſic quidem quia in benedictionum parte vel maxima, dictis Patriarchis impertitarum, à Deo illæ reponuntur, ut ſaluti & bono populi ad quem benedictionum illarum eventus potiſſimùm ſpectabat factæ, non aliter quàm bonorum regum inſtitutione impleri debuiſſe conſentaneum eſt. Cùm tamen tres duntaxat inculpabiliter regnaſſe Sirachides teſtetur, *Præter David & Ezechiam & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt*, Eccl. 49. ver. 5. ſed & hi tres tam inculpabiles jus illud regis egregiè & ipſi in commodum ſuum vertere nonnunquam obſervati; peculiariter autem ſceptrum, id eſt, regnum, tribui Juda addixerat Deus, quod & per Jacob patriarcham filiis ejus, ac deinceps per eos univerſo Iſraeli, eorum poſteris, ſignificatum voluit prophetiâ illâ pervulgari, *Non auferetur ſceptrum de Juda, neq; Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt*, Gen. 49. ver. 10. Unde apparet, ſi ſuſtinuiſſet populus, ut dixi, donec regem à Deo quo apud eum dari tempore decretum erat acciperet, fuiſſe regiam gubernationem defuncto Samuele à Davide primùm haud multò pòſt inchoandam, eodem Templi conditore prædordinato, (certè cùm cœpit Deus ſibi de templo proſpectum velle, ſatis ei fuiſſe videtur Davidem ad regnum evexiſſe; 3 Reg. 8. ver. 16. *A die quâ eduxi populum meum Iſrael de Ægypto, non elegi civitatem de univerſis tribubus Iſrael, ut ædificaretur domus, & eſſet Nomen meum ibi; ſed elegi David, ut eſſet ſuper populum meum Iſrael*) quod niſi regibus in Iſrael ſtabilitis condi non debuiſſe jam antè diximus, ac deinceps per continuam bonorum innoxiorúmque regum de tribu Juda ſucceſſionem ad Chriſtum uſque producendam. Sed jam petitionis hujus præmaturæ & intempeſtivæ occaſione Deo irato factum videtur, & ab aliena tribu in Saule cœptum, à malis regibus, quamvis legitimis, multò pluribus poſſeſſum (nec de iis loquor qui regno propter legitimorum eorundem peccata diviſo in ejus parte majore regnaverunt) in aliena deficere voluerit; dum quod ſacerdotali regno Samuelis de tribu Levi per vim veluti ademptum fuerat, ad extremum eidem tribui multò amplius reſtitutum curavit, vocatis ad regnum ſimul & pontificatum Aſmonæis: quorum tamen perpetuâ cum tribu Judæ contractâ matrimoniorum neceſſitudine, dictæ prophetiæ Jacob, nè non ea abunde adimpleta dici poſſet, pulcrè à Deo proviſum ſit, ſceptro ad Chriſtum uſque ſaltem per affinitates in ea tribu propagato.

Cæterùm ad jus illud regium ut redeam, cui cùm tyrannicum eſſet veriùs, robur tamen & auctoritatem Dei verbis hîc tribui nonnulli quomodo excuſent vix inveniunt, tametſi *ad exceptionem*, ut Jureconſulti loquuntur, contra populum valere potuiſſe exiſtimem, quoties de regum ſuorum prægravi imperio nimiiſque exactionum, operúmve, aut ſervitutum oneribus conqueri eum contingeret, quòd à Samuele tales eos fore quos intempeſtivâ ſuâ petitione extorquerent, præmoniti, tales minimè recuſaſſent, ſícque adeò & tales ex ſtipulatu veluti eos haberent.

haberent: non tamen *ad agendum*, ut eorundem Jureconsultorum verbum est, valuisse certum est; ut sibi jus illud reges usurpare, perinde ac legitimum ac Dei verbis regiæ dignitati attributum potuerint. Nam cùm Deus Mosi, Moses populo futurum quod accidit aliquando prædiceret, petiturum nempe sibi regem dari, rem tanto tempore pòst gerendam quasi præsentem iisdem verbis quibus propemodum sub Samuele narretur gesta, exponens; *Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisque in ea, & dixeris, Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes*, &c. Deut. 17. ver. 14. tantùm abest ut regibus quos habituri essent summum illud jus, quod verè summa injuria futurum erat, tribueret, ut è contrario leges summæ pietatis, justitiæ & æquitatis præscripserit, utpote quæ equos uxoresque plurimas, & argentum, & aurum plus æquo accumulare eos vetarent: quæ volumen Legis habere secum, atque illud legere omnibus diebus vitæ suæ, juberent: denique & nè elevarent cor suum in superbiam contra fratres suos prohiberent. Quam eandem legem esse illam puto, quæ rege Saule instituto peractisque inaugurationis solennibus à Samuele populo enarrata, scripta & in tabernaculo coram Arca reposita ad extremum memoratur, in hæc verba; *Et ait Samuel ad omnem populum, Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo. Et clamavit omnis populus, & ait, Vivat Rex. Locutus est autem Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino: & dimisit Samuel omnem populum, singulos in domum suam*, 1 Reg. 10. v. 24, &c. Neque enim jus illud regni tyrannicum & promulgatione tam solenni, & peculiari suâ scriptione, denique & repositorio tam sancto dignaturus Samuel fuisset: quod si fecisset, planè eodem loco se illud habere haberique voluisse intelligendum reliquisset quo Liber legis habebatur, qui & ipse hoc modo populo omni à Mose expositus & scriptus, si non coram Arca, certè ad latus Arcæ fuisse legitur repositus, Deut. 31. ver. 26. Unde & consequi necesse sit, nihilo minorem futuram fuisse juris hujus autoritatem, quàm libri Legis fuit. Quod nè credam vel unicum illud mihi satis sit, quòd vel qui inter reges sive Juda sive Israel nequissimi exstiterunt, sibi nunquam jus illud arrogare ausi sint. Neque cùm ea tamen facerent quæ jus illud continebat, jure ab se tale aliquid factum dicere: quod quidem si potuisse existimassent, non fuisset cur rex Achab repulsam à Nabotho passus, vineam suam vel meliori permutare, vel pretium pro ea accipere recusante, eum ipse uxori nefariæ, uxor Magistratui parricidæ, Magistratus populo per calumniam opprimendum lapidibúsque obruendum exponeret, ut vineam possideret, quandoquidem jure regio sibi eam Nabotho viventi ac salvo adimere licere allegasset, subditorum agros, vineas & oliveta regibus cùm liberet auferre permittente; non in suum tantùm usum, quod erat fortè tolerabilius minúsque invidiosum futurum, verumetiam servorum suorum. Est hoc unum siquidem inter alia juris illius capita, *Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.* Verùm jus regni nullum profectò illud fuit, sed de more & consuetudine, sive praxi regum, aut tyrannorum potiùs (quibus æquè utrisque significandis vocem eandem Hebraicam inservire audiam) intelligendum illud est; ut nihil aliud verbis illis significari consentaneum sit, quàm reges quos habituri essent potestate suâ sic usuros, quomodo postea declaratur.

CAP. XIII.

Ad Aaronem reditio, & in peccatum ejus accuratior inquisitio.

NUnc comparatione expositâ, quæ fuerit petitionis tumultûsque utriusque popularis præmemorati similitudo, supereſt, quandoquidem in posteriore Ramathensi Samuelem inculpatè per omnia se gessisse nulla est dubitandi causa, ecquid tantum ab Aarone contrà in priore Horebitano peccatum sit investigare. Hoc autem videtur primarium, quòd non uti Samuel ad Deum oraverit, opémque & consilium ab eo in ejusmodi rerum angustia flagitaverit. Tametsi excusari hoc fortè sic possit, quòd Oraculum tunc adhuc institutum huic usui præter montem nullum esset; neque ascendere in montem cuiquam ad Deum invocato, ac nè sacerdotibus quidem, tunc liceret: *Sacerdotes quoque & populus non transeant terminos, neque ascendant ad Dominum, nè fortè interficiat illos*, Exod. 19. v. 24.

Proximum fuit, quòd Huronem, (sic Josepho dicitur qui Hur in Scriptura est,) insigni prudentiâ & sapientiâ virum, quæ in ejus etiam posteris tanquam successione devoluta reluxisse observatur, absente Mose, in rerum maximarum de quibus ad eos per Lxx-viros relatum esset, consilium adhibere à Mose jussus, vel non adhibuerit, vel certè meliora consulentem respuerit. Nam alterutrum profectò contigerit oportet, quando Huro, quomodo Aaron, hac in re peccasse nusquam insimulatur. Conjecturâ ducor non magis ad Aaronem quàm ad Huronem, quem Aaroni Moses æquali potestate discedens collegam addiderat, à Lxx-viris (ut in mandatis à Mose acceperant) de re hac tota fuisse relatum: at verò ab hoc consilio Huronem impetratâ vacatione volentem abstinuisse, quia Divinæ visioni non interfuisset, in qua similitudo gloriæ Domini Dei Israel (ab qua Deum qui ante se præcederet postulante populo exemplar desumendum erat) visa fuerat. Censuisse enim eos potiùs huic consilio adhibendos qui interfuissent ipsi & vidissent, quàm se arcani illius expertem. Interfuerant autem præter Mosem & Aaronem, nominatim à Deo vocati Aaronis filii, Nadab & Abiu, & illi ipsi septuaginta Senatores Israel; *Ascenderúntq; Moyses & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel: viderúntque Deum Israel*, &c. Exod. 24. ver. 9. Hîc interrogationi locus fit; Cur non etiam vocatus Huro, cùm quinque principum Israel fuisse eum unum, neque senatoribus illis omnibus solùm, verumetiam præmemoratis Aaronis filiis, dignitate majorem alibi ostenderim, utique collegam, ut dixi modò, æquali potestate, Mose absente Aaroni adjunctum; sed & nuper cum eodem sustentandarum manuum Mosis in monte, pugnante Josuâ contra Amalechitas, ministerio functum? Nihil habeo causæ quod afferam verisimilius, quàm quòd exclusis cæteris tribubus (erat enim Huro de tribu Juda) fuerit hoc peculiariter Levitici generis hominibus solis datum. Porrò de horum omnium qui interfuerant dictæ visioni consilio fortè non fit etiam valdè absurdum, decrevisse & fecisse Aaronem quod fecit. Tametsi solus ipse omnem facti invidiam & odium sustinuerit, quia ab ejus solius nutu, penès quem summa rerum potestas esset, decisionis pependisset auctoritas. Nam profectò interfuisse & ipsos cum Aarone Horebitanæ solennitati omnes, atque eorum exemplo totam tribum Leviticam, dubitari non potest. Sic igitur secundò objici Aaroni quod posse videbatur, de Hurone in consilium non adhibito, diluo: quàm verè nescio, at speciosiùs tamen aliquantò, ni fallor, quàm qui morte tumultum hunc prævenisse Huronem divinant, quia in hac historia de eo sileatur.

Denique peccasse in eo præterea graviſſimè videri Aaron possit, quòd alieno tempore, & ipse ab eo ministerio alienus, aut certè ad id obeundum minimè electus aut vocatus, quod partium fratris esse oportebat, invadere, atque ei quodammodo præripere præsumpserit. Verùm consentaneum est ipsi quoque de fratris vel obitu vel raptu, quadragesimum jam diem in monte absentis, magnam opinionem fuisse. Quæ si opinio vera fuisset, id ministerii ad eum pleno jure devolutum censeri debuisse quis dubitet? præsertim cùm in mandato quod super ea re à Deo Moses habuit, haud obscurè Aaronem quoque comprehensum satis hoc evincat, quòd fuerit illud verbo plurali

plurali conceptum. Sic enim primùm de iis quæ in Arcæ ac ſacræ ſupellectilis univerſæ materiam munera accipere debuerint; *Hæc ſunt quæ accipere debetis, aurum & argentum*, &c. Exod. 25. ver. 3. Sic item paulò pòſt de ejuſdem Arcæ fabrica & forma; *Arcam de lignis ſetim compingite*, ibid. ver. 10. Alioquin cùm laudet eum Apoſtolus quòd honorem ſacerdotii ſibi ipſi non ſumpſerit, niſi à Deo vocatus, *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, quemadmodum Aaron*, Heb. 5. ver. 4. conſentaneum eſt nec hanc conficiundi ſigni ſacri provinciam, quantumvis urgente populo, fuiſſe ipſum ſibi arrogaturum, niſi ſublato, uti exiſtimabat, fratre Moſe ad ſe eam pertinuiſſe cogitaſſet. Scriptura nihil horum quæ objeci hactenus, & quantum in me fuit purgavi prior, quia ab aliis objici poſſe, & objecta nè non etiam fortè ab iiſdem ſolverentur timui, Aaroni imputat: unde neque de iis teneri eum nos exiſtimare æquum fuerit.

Theologus noſtrâs, homo quàm doctus tam & candidus, mihíque merito ſuo chariſſimus, cùm unà ſcriptum hoc legendo decurreremus, & huc uſque progreſſi in præſenti ſermone nonnihil hæreremus, videri ſibi aiebat, Aaronem minimùm de peccato teneri planè affini illi propter quod Deus à Saule rege ſemel averſus abalienatúſque nunquam illi deinceps reconciliari potuit; 1 Reg. 13. ver. 4. Fuit illud autem hujuſmodi, quòd in Galgalis Samuelem ſacrificaturum in diem uſq; ſeptimum exſpectare juſſus, cùm diei illius potiſſimâ parte tranſactâ nuſquam appareret Samuel, & hoſtium metu copiæ dilaberentur, neque tamen aliter quàm Deo hoſtiis placato ſibi pugnare conſultum duceret, per ſe ipſe ſacrificarit. Hæc ſumma hiſtoriæ ſacræ rem geſtam enarrantis. Cui conſentiunt quæ ipſe pro ſe deinde apud Samuelem Saul exponit, *Quia vidi quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras intra placitos dies, porrò Philiſtiim congregati fuerant in Machmas, dixi, Nunc deſcendant Philiſtiim ad me in Galgala, & Faciem Domini non placavi. Neceſſitate compulſus obtuli holocauſtum Domino*, ibid. ver. 7. Ecce Saulis peccatum. Nunc quàm fuerit Aaronis ſimile videamus. Is igitur aſcendente in montem ad Dominum Moſe, juſſus ſimiliter cum ſenioribus Iſrael exſpectare donec ad eos reverteretur, quia tamen moram faceret de monte deſcendendi Moſes, ſed & populus abitionem in Chanaitidem urgeret, non exſpectato illo; ipſe & ſimulacrum conflaverit, & altare coram ſimulacro ædificarit, denique & ſolennitatem celebrarit, animo proximè indè populum in Chanaitidem abducendi: cùm hi præcipui eſſent futuræ illius profectionis veluti apparatus. Quantulum eſt autem in quo hæ narrationes duæ diſſentiant præ eo in quo conſentiunt? Nónne par utriuſque peccantium ſive incredulitas de Moſe & Samuele reverſuris, ſive inobedientia, juſſis illis exſpectare, nec exſpectantibus, hæc fuit? Cur igitur quàm ſeverè Deus in Saulem regnúmque ejus novum pronunciavit, *Stultè egiſti, nec cuſtodiviſti mandata Domini Dei tui quæ præcepit: quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in ſempiternum; ſed nequaquam regnum tuum ultrà conſurget*, ibid. ver. 13. Cur, inquam, tam ſeverè etiam in Aaronem novúmque ejus ſacerdotium ut pronunciaretur exſpectandum non fuiſſe putemus? Hæc extemporariè diſputanti, extemporariè & ipſe quod potui reſpondi: Si deprecationem Moſis pro Aarone tam Deus repuliſſet quàm Samuelis pro Saule repulit, verè ut pronunciaretur exſpectandum fuiſſe, quamvis & pronunciatum eſſe negari non poſſit, cùm Deus alioquin contriturus eum fuerit, & ut Saulem regno, ſic illum an & ſacerdotio neſcio, certè vitâ exuturus: *Adverſùs Aaron quoque vehementer iratus voluit eum conterere, & pro eo ſimiliter deprecatus ſum*, Deut. 9. ver. 20. Verùm deprecantem Moſem pro Aarone Deus exaudivit: pro Saule autem Samuelem repulit; *Uſque quò tu luges Saul, cùm projecerim eum nè regnet ſuper Iſrael?* 1 Reg. 15. ver. 1.

CAP. XIV.

Argumentorum quibus vulgaris niti opinio videatur, de populi adverſùs Aaronem ſeditione, vi & minis, perſpicua refutatio.

VErùm enimvero cùm de iis quæ diximus hactenus Scriptura Aaronem minimè arguat, & temerarium ſit, nè dicam, periculoſum, de quibus non arguatur, nos teneri eum credere: ad ea nunc potiùs convertamur, de quibus è Scriptura teneri convincatur. In eo autem mirus eſt omnium conſenſus, quòd petente ab eo Deos qui ſe in via præcederent populo, ídque per ſeditionem, iracundè & minaciter, ſícque adeò ut neque à vi ſi repulſam paſſus eſſet temperaturus videretur, ipſe puſillanimiter & demiſsè, nullâque exhibitâ dignâ Levitico ſpiritu, nedum perſonâ Pontificis, fortitudine, ſed *timens populum, & obediens voci eorum*, ut dictus Rex Saul de ſe apud Samuelem fatebatur, 1 Reg. 15. ver. 24. quod ſibi ex officio neutiquam faciundum ſciret, ut faceret aſſenſus ſit, vitulúmque conflaverit. Fuíque ab ea opinione haud dudum nec ipſe valdè alienus, ut ex præmiſſa tumultûs utriuſque illius popularis comparatione videre eſt. Et quidem in comparatione illa tantò proclivius, quòd in partem illius & hoc veniret; cùm in utroque tumultu populum eodem modo ſeditiosè, inſolenter & minaciter per omnia ſe geſſiſſe ponerem. At verò poſtquam intentiùs paulò & Moſis verba, rémque ipſam, & rei geſtæ tempus, circumſtantiáſque alias inſpexi & perpendi, prorſus ab ea opinione dimotus ſum.

Quæro enim primùm, ex quibus Scripturæ verbis quod de populi ſeditione, vi & minis vulgò creditur, elici exiſtiment? An quia ferat editio Vulgaris congregatum fuiſſe populum adverſùs Aaronem, tantam adverbio *adverſus* vim tribuant ut niſi de diſſidio & contrarietate intelligi locum hunc non poſſe ſentiant? perinde ac ſi adverbii ejuſdem vis eadem idémque uſus hîc eſſet, ut & affinis videtur ſententia, qui loco alio eſt, de vera populi ſeditione ad aquam contradictionis, Num. 20. ver. 3. *Cúmque indigeret aquâ populus, convenerunt adverſùm Moyſem & Aaron, & verſi in ſeditionem, dixerunt, Utinam periiſſemus*, &c. At interpretibus aliis conſultis, nominatim Pagnino, Septuaginta & Chaldaico paraphraſte, video nil aſperum verbis illis in Hebræo notari, neque aliud iis ſignificari quàm congregatum fuiſſe populum ad Aaronem, quomodo & ipſi interpretati ſint. Sed neque dictum adverbium repugnet, quin commodè etiam in eandem ſententiam conſtet Latina interpretis Hieronymi verſio: cùm ſoleat nonnunquam idem adverbium in bonam etiam partem apud auctores claſſicos accipi; ut loco illo Ciceronis, *Adhibenda eſt etiam quædam reverentia adverſùs homines*, Lib. de Offic. 1. An verò quia Aaron apud Moſem de eo quod acciderat ſe purgans, factum in populi impetum (Græcè certè uſurpatâ ibi à Septuaginta interpretibus voce ὄχλημα) regerat? Atqui non aliam vocis hujus apud Græcos rationem ſignificationémve eſſe quàm quæ Vulgari noſtræ Verſioni aptè etiam reſpondeat, & *propenſionem proclivitatémque* & *aviditatem* denotet, Auguſtinus Steuchus ad hunc ipſum locum expreſsè annotavit. Idque prædictorum interpretum Pagnini & Chaldaici verſiones manifeſtò etiam evincunt.

Sunt hæc nimirum quæ pro dicta vulgari opinione afferri ſola poſſe exiſtimo. Quæ quidem quàm non multa ſint quis non videt, quámque eadem levia, repugnantibus præſertim circumſtantiis puto omnibus? Hâc imprimis, quòd nullo tempore alio fuerit Iſraelitis in deſerto majoris tranquillitatis ut occaſio, ſic neque fruitio, tranquillitatis, inquam, animorum, vitæ & morum, quàm illo ipſo tempore quo hæc geſta ſunt; cauſis omnibus ſeditionis tumultuandíve, cujuſmodi & antèa & poſtea habuerunt, ceſſantibus: cùm jam à metu hoſtium,

ſtium, Amalechitis nuper à Joſua internecione deletis, ſecurus eſſet; nullâque jam annonæ penuria, ejuſdémve nauſea eum torqueret; cùm recente tunc mannæ in cibum, torrentis in potum dulcedine fruerentur. Sed neque de reditu in Ægyptum à commodorum deliciarúmve quas, ibi reliquerant recordatione cogitarent, cùm ſimulacrum fieri ſibi illud peterent, quod ante ſe neutiquam Ægypti viâ, ſed Chanaitidis præcedere cuperent. Porrò ab omni in Principes ſuos obmurmuratione & rebellione fuiſſe tunc alieniſſimos tam omnia credere ſuadent, ut obſequentiores contrà nunquam fuiſſe certum ſit; omnibus nuperâ illâ tam terrificâ Legis promulgatione in eorum oculis auribúſque etiam tum obverſante expavefactis, Deíque metu conterritis; cùm & hac ſiní expreſsè talem illam eſſe, dico tam terrificam, Deus voluerit: ſic enim ad populum Moſes, *Nolite timere: ut enim probaret vos venit Deus, & ut terror ejus eſſet in vobis*, Exod. 20. v. 20. Quod autem Deo placitum erat, etiam conſecutum, timoréque illo ejus ſancto fuiſſe conceptum populum, ipſemet ad Moſem hoc mŏdo teſtatus, perpetuúmque eſſe illum quodammodo populo comprecatus legitur, *Audivi vocem verborum populi hujus quæ locuti ſunt. Quis det talem eos habere mentem, ut timeant me, & cuſtodiant univerſa mandata mea in omni tempore, & bene ſit eis & filiis eorum omni tempore?* Deut. 5. v. 28, 29. Acceſſit mox (die enim ſequenti, ni fallor) ſolennitas ſacrificiúmque illud votivum, primùm poſt relictam Ægyptum religioſiſſimè, ſummâque cum ordinum omnium reverentia, loco ſingulis ſuo à Deo aſſignato, ad radices montis celebratum, noviúmque item ictum ibidem cum Deo fedus, publica cum Legis prolixa repetitione, denique & admiranda illa, quanquam Principibus ſolis, non etiam populo, perceptibilis, Dei Iſrael viſio; *Et viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis Sapphirini, & quaſi cœlum cùm ſerenum eſt*, Exod. 24. v. 20. Eadem nempe viſio, ut fuſiùs alibi oſtendi, quæ Ezechieli poſtea contigit, *viſio ſimilitudinis gloriæ Domini Dei Iſrael*, ab ipſo appellata Ezech. 2. v. 1. & alibi paſſim.

Quibus rebus omnibus ſimul quo dixi modo, eodem loco, eodémque tempore incurrentibus; fieri aliter non potuit quin populus à dicta ſolennitate non ſolùm multò quàm pro ſolita ſua cervicis duritie in principes ſuos morigerantior obſequentiórque redierit, verumetiam religioſior, Legíſque ac mandatorum Dei obſervantior. Præſertim cùm & talem futurum ſe, Moſe verbis præeunte ac veluti ſtipulante, iteratò ſpopondiſſet, *Reſpondítque omnis populus unâ voce, Omnia verba Domini quæ locutus eſt faciemus, & erimus obedientes*, Exod. 24. v. 3. & 7. Quid? horúmne omnium immemorem deſubito evaſiſſe, ſtatímque immutatum putabimus, poſtquam Moſes ad Deum aſcendens (quod eodem ſolennitatis illius renovatíque federis ac viſionis die factum) oculis eorum ſubductus eſt? Aĉqui hoc ipſo religioſiores rurſum ut eſſe eos contrà oportuit, ſic & fuiſſe, quantò probabilius eſt rerum maximarum (ut & erant revera, & eſſe dubitare non poterant) ſéque cumprimis & ſalutem ſuam tangentium, quarum cauſâ juſſus ad Deum adſcendiſſet (exemplarium ſcilicet, ad quæ arca federis, & ſacra reliqua ſupellex informanda eſſet, Legíſque divinæ in tabulis lapideis à Deo deſcriptæ) exſpectatione?

Sed neque fuit cur, Moſe longiorem moram quàm pro eorum opinione, fortè & votis, deſcendendi de monte faciente, aſperior contumaciórve aut intractabilior populus evadere debuerit: ſed magis cur ſubmiſſior humiliórque, ab opinione quæ de Moſis deceſſu omnium animos invaſerat, conſecutóque opinionem illam luctu publico & mœrore, ut vel ex Joſepho intelligere eſt, qui & ipſe in Antiquitatibus dictum populi luctum mœorémque agnoverit deſcripſerítque, verbis ſuprà operis hujus initio à me productis, quorum hoc principium, *Neque in tot erumnis aliud quicquam eos ſic contriſtavit ut interitus Moſis opinio*, 3 Antiq. 4. Hoc autem extremum, *Suam autem vicem dolebant, quòd tali præſide & patrono eſſent orbati, qualem alium inveniri credebant impoſſibile.* Imò verò & his majus aliud quod dolerent erat, Joſephe, quòd à monte illo ſterili & deſerto in promiſſam terram, terram omnium uberrimam abire feſtinantes, per ejus deceſſum moram timerent profectioni injectam, quàm diuturnam incertum, ſed tamen diuturnam. Ab hac igitur opinione & metu ad Aaronem conveniſſe tam non iracundè & ſeditioſè oportuit, ut potiùs & omnino ſpecie captantium prenſantiúmque eum & demulcentium, útque rebus ſuis quâ poſſet optimâ ratione, ac vel receptâ in ſe ſigni illius ſacri, quo niſi præcedente educi indè non poſſent, conficiundi provinciâ proſpectum conſultúmque vellet, ſuppliciter eum rogantium: præſertim cùm affectibus, cujuſmodi populum tunc quidem commotum trepidaſſe ſtatuo, concuſsâ civitate, experimento ſæpe compertum ſit, multitudinem ad principes ſuos conſilii inopem hoc modo aggregari & concurrere ſolere; ac vel mulieres quoque & virgines, præter ſexûs & ætatis verecundiam, ut exemplo eſſe poteſt turba illa, ab hac fortè non valde abſimilis, quam Jeroſolymis dediſſe Heliodorus legitur, cùm pecuniam templi ſanctitati creditam regis ſui juſſu ereptum veniſſet, *Alii etiam gregatim de domibus ſuis confluebant, publicâ ſupplicatione obſecrantes pro eo quòd in contemptum locus eſſet venturus. Accinctæque mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant. Sed & virgines quæ concluſæ erant procurrebant ad Oniam, alia autem ad muros, quædam verò per feneſtras aſpiciebant, univerſa autem protendentes manus in cœlum deprecabantur. Erat enim miſera commiſtæ multitudinis & magni Sacerdotis in agone conſtituti exſpectatio*, 2 Macc. 3. v. 19. Ejuſmodi igitur fuiſſe & tumultum illum ſub Aarone popularem, aut certè non valde, ut dixi, abſimilem, conſentaneum puto. Tumultum dico non quem iracundia, ſeditio & furor commoverit, ſed quem luctus & metus, unde & ſuum tumultui etymum, quaſi *timor multus*. Et quis obſecro ſic ſtatuendum æquius eſſe mecum non judicet, quàm, ut vulgò fit, ſeditionem, vim, minas populo, Pontifici formidinem, puſillanimitatem, officii deſertionem tribuere, hiſtoriâ tam neutrum vel à verbis, vel à ratione naturâque rerum exigente, ut contrà reluctante & obnitente?

Niſi fortè facere huc putent, (& putant verò,) quòd aliquantò pòſt, ubi Aaron rei totius geſtæ ſeriem obiter apud fratrem repetit, dicat, *Tu enim noſti populum iſtum quòd pronus ſit ad malum*, Exod. 32. v. 22. cujus dicti rationem in verbis immediatè ſequentibus contineri exiſtiment, *Dixerunt mihi, Fac nobis Deos qui præcedant nos*, &c. quaſi præmemorata populi ad malum propenſio ſtatim à principio in eo ſe retexerit manifeſtarítque, quòd Deos ab Aarone fieri poſtularit: fuerítque illud quo pronus eſſe ad malum convinceretur, fieri Deos poſtulaſſe. Quod cùm Aaron ſic & ipſe ſentiret, verúmque eſſe agnoſceret, qui narret affirmétque ipſe, & nihilominus tali petitioni aſſenſum præbuerit, populóque morigeratus ſit, adeóque & vitulum à ſe factum nullâ tergiverſatione aut diſſimulatione confeſſus ſit, *Quibus ego dixi, Quis veſtrûm habet aurum? tulerunt, & dederunt mihi: & projeci illud in fornacem, egreſſúſque eſt hic vitulus*, Exod. 32. 24. intelligi non poſſit, niſi vi & minis adactus, id ut faceret adduci potuiſſe. Hic nimirum locus unicus, & unica ratio eſt, ni fallor, afferri quæ poſſit, & puto ſoleat, ſtabiliendæ opinioni illi pervulgatæ de populi ſeditione, vi & minis, & ad extremum de Pontificis omnium ſanctiſſimi ad malum omnium maximum ſummémque deteſtabile non ſolùm conſenſione, verumetiam cooperatione, imò & præitione. Quâ probatâ concesſâque opinione, quid jam aliud ſuperſit, quàm ut de Aarone, quomodo ſolet de reo confeſſo, ſtatuatur, lapidibúſq; obruatur? Imò ſervet eum Deus, miſeróq; & periclitanti parvum Danielem ſubmittat, qui occurrens liberet. Parvus ego ingenio, & modis omnibus, ſed non Daniel, & tamen an à Deo ſubmiſſus neſcio, certè eodem favente & opitulante liberabo.

Ac

Ac dicam imprimis, ſi præmemoratorum verborum, quæ Aaroni cum Moſe interceſſerunt, recepta & vulgaris præmiſſa expoſitio vera eſſet, videri mihi Aaronem nullius rei magis juſtiúſve argui poſſe quàm inſaniæ: cui cùm improperaſſet objeciſſétque Moſes frater, quòd induxiſſet ſuper populum peccatum maximum, déque objectione improperióque illo ſeſe apud illum purgare, ac nè ſibi temere indignaretur iraſceretúrve obtinere ab eo cuperet, immediatè reſpondens, *Nè indignetur Dominus meus mihi*, &c. ibid. ver. 22. tamen cùm nihil quo purgari poſſet, quóque placari Moſem poſſe ſperandum ei fuerit, afferat, ut nè illud quidem quod huc facere exiſtimant, próque eo ut magnum aliquid afferri ſolet, in ipſa rei geſtæ hiſtorica narratione à Moſe præmiſſum, quòd populum afferre ad ſe inaures aureas de uxorum filiorúmque & filiarum ſuarum auribus juſſerit, ſi fortè hâc ratione impetum eorum cohibere poſſet, non daturis libenter illis ſua hoc genus ornamenta, quorum ſexus & ætas illa aviditſima eſſet. Tam hoc, inquam, quod alii pro ipſo, nec pro ſe ipſe, nec omnino aliud quicquam quod purgationis ſpeciem aliquam habeat, alleget, ut contrà, ea ultro fateri non verecundetur, quæ quod objiciebatur verum eſſe impenſiùs confirmarent, atque adeò & objectis deteriora propemodum eſſent. Nam quod de inducto peccato ab eo ſuper populum objiciebatur, poterat hoc citra conſenſum & voluntatem, & omnino per imprudentiam, aut etiam per errorem, ut verum erat, factum eſſe dicere, vel ſi non diceret ipſe, ſaltem aliis ſuſpicandum relinquere. At ille neque errorem imprudentiámve excuſat, quinimo ſcientiam ſuam, & quod inculpabatur voluntariè à ſe factum ſponte agnoſcit, tantúnque non diſſimulat, mitigátve aut elevat, ut contrà, perinde ac ſi à flagitii ſui recordatione voluptatem aliquam acciperet, ultro ipſe prodat & ſeriatim enarret. Numquid ſunt hæc ejuſmodi propter quæ fuerit Moſes indignari deſiturus, ac non acerbiùs multò contra eum verbis exarſurus deſtomachaturúſque, déque impudentiſſima ejus impudentia, ob rem turpiſſimam apud iratum indignantémque tantùm non jactare ſe & gloriari audentis, conqueſturus? Non fuerint hæc imò, quod dicebam, hominis inſani, aut proximè inſano aſſidentis? At hoc de eo nè putem Moſes facit, qui verè his auditis indignari deſierit, támque non exarſerit acerbiùs, deſtomachatúſve aut conqueſtus fuerit, ut contrà ſilentio ſuo ſibi abunde à fratre ſatisfactum indicarit: quinimo & ab hoc ſermone ad hiſtoriam proſequendam, quæque deinde ſecuta ſunt exponenda converſus, ab eo quod Aaronem purget vel maximè & ab omni crimine vindicet auſpicetur, in hæc verba, *Videns ergò Moſes populum quòd erat nudatus, ſpoliaverat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat*, ibid. ver. 25. Nam (ut & ſuprà dixi ubi locus ille à me explicatus eſt) nihil eſt quod integritatem innocentiámque Aaronis magìs aſtruat, quódque ab omni conſenſûs in idololatriam, ſive ſpontanei ſive coacti, peccatíve alterius, de quo, admiſſâ ſemel dictâ vulgari opinione, teneri eum neceſſe ſit, ſuper omnia autem puſillanimitatis, ſuſpicione liberet, quàm quòd incunctanter & imperterritè primus, (an & ſolus dicam?) in centena minimùm idololatrarum millia incurrerit, in eoſdémque lege animadverterit, ſpoliatis ab eo illis & nudari coactis.

Inveſtiganda itaque producendáque nobis præmemoratæ Aaronis ad Moſem compendiariæ narrationis illius commodior ratio explicatióque eſt, quæ Aaronem infamiâ & periculo, Scripturam magnis incommodis liberet: atque imprimis oſtendendum, falli qui Aaronis verba, *Noſti populum iſtum quòd ſit pronus ad malum*, habere rationem ſuam in verbis immediatè ſequentibus illis putent, *Dixerunt mihi, Fac nobis Deos qui præcedant nos*, &c. quaſi probaturus Aaron quod dixerat, populum pronum eſſe ad malum, pro ratione Deos ab eo fieri poſtulatos afferret. Quod ego quàm facilè, tam & verè mihi facturus videor, ſi oſtendam dicta Aaronis verba neutiquam ad ea quæ ſequuntur, verùm ad immediatè præcedentem Moſis expoſtulationem contrà eſſe referenda, & puncto, quia in illis periodus & ſententia terminetur, à ſequenti compendiaria quam dixi Aaronis narratione eſſe ſeparanda. Quod priuſquam facio, illud præmittere me oportet, quod Aaronis innocentiæ mexque pro eo defenſioni valde faveat opituletúrque, quòd Moſes cùm primùm à Deo revertens de monte deſcendit, fratrem, & ſi quid ab eo incautiùs fortè actum eſſet, nil moratus, in vitulum primùm, mali caput, irruerit, conterens illum & in pulverem redigens, ac mox in populum, adacto illo ad ſubeundum experimenti periculum. Hoc autem deinde, quòd Aaron quid & quorſum hæc fierent conſcius pervidénſque, fratri ſe quamprimum adjunxerit, eidémque ſtrenuè hac ipſa in re ſuccenturiatus ſit, donec morbo, quo ſuprà dictum eſt, experimentum conſecuto, de idololatria convictos ad nudationem compulit. Quibus demum ex ſententia ab utroque peractis, ſimúlque immiſſâ in idololatrarum eadem tribu Leviticâ, & hoc facto mitigatâ jam Mons iracundiâ, tunc primùm quaſi liberior rei geſtæ modum, & ſeriem audire Moſes geſtiens, ſermonem cum fratre miſcere cœperit quem & ſic ab expoſtulatione exorſus ſit, *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum?* A quo improperio demum ſe purgans Aaron, fratri reſpondet, *Non indigneturDominus meus*; & deinceps, *Noſti populum iſtum quòd ſit pronus ad malum*: Quaſi diceret, Paululùm reprimat indignationem Dominus meus (fratrem blandè ſic compellat, quò deferveſcentem jam iracundiam ejus ampliùs mitigaret) donec tam, uti geſta eſt, intelligat, nec quod in hac re peccaverit populus mihi imputet: ſed ejus potiùs ad malum peccatúmque illud maximum notæ propenſioni, quam cavere non potui, qui ſimulacrum ſacrum cùm putarem quo fini à me petebant, eodem omnes habituros, nimirum ut vitâ in Chanaitidem ante illos præcedens, ſignum illis eſſet Jhovæ Dei Iſrael in medio eorum verſantis, eósque deducentis; quomodo habui ego, cum Principibus & Senioribus, totâque tribu Levitica, bonísque omnibus qui Domino adhæſimus; non habuerint tamen, quinimo (quod ab externa ſimulacri forma deceptis illis factum exiſtimem) eo viſo in errorem & idololatriam interiore cordis ſenſu & cultu magno numero lapſi ſint. Hoc igitur in perſona Aaronis purgationis ejus apud fratrem initium facio. Porrò autem hoc ille ubi dixit, ad rei geſtæ ſeriem enarrandam accingitur, ut ex ea quod dixit confirmet, nullámque ſuam culpam in hoc perpetrato à populo flagitio eſſe oſtendat, *Dixerunt, Fac nobis Deum*, &c. Sed præſtat horum etiam verborum totiúſque narratiunculæ illius paraphraſim, aut potiùs hypotheſim, pergam ceu cœpi attexere, facto indè initio, unde hiſtorica etiam Moſis narratio incipit, *Videns autem populus quòd moram faceret de monte deſcendendi Moſes*, &c. Sic igitur locutum puta; Cùm propter tam diuturnam abſentiam tuam in monte, de ſalute tua & reditu nulla jam populo, ac nec mihi boníſque omnibus, qui te à Deo raptum putaremus, ſpes eſſet, magnus in caſtris metus & trepidatio oborta eſt, anxiis & ſollicitis omnibus quid de ſe futurum eſſet, principe ac duce, qui idem ſimulacri ſacri, quo niſi confecto, & ante eos præcedente, educi hinc non poſſent, architectus ſperabatur, deſtitutis. In hac anguſtia cùm ad quem alium potiùs ſe verterent habere ſe non putarent, coitione undecunque factâ me ſuffragiis omnibus, qui principatûs ducatúſque onus, & fabricæ illius opus in me reciperem, elegerunt, *Dixerúntque, Fac nobis Deum qui præcedat nos: Moſi enim huic viro qui eduxit nos de terra Ægypti neſcimus quid acciderit*, Ex. 32. 1. Quam electionē quo modo quâq; ratione defugerem cùm non haberem, qui dux fuiſſem populo ex Ægypto educendo unà tecum ac vel prior à Deo nominatus, *Iſte eſt Aaron, & Moſes, quibus præcepit Dominus, ut educerent filios Iſrael de Ægypto per turmas ſuas*, Exod. 6. ver. 26. eſſémque idem à digni illius ſacri procurandi negotio & cura, ab ea quæ mea eſt ſacrorum functione, minimè alienus (non fuit

cùm Deus curam illam in utrumque contulerit, qui de ea loquens numeri pluralis verbo, quod utrumque comprehenderet, uſus ſit, ut paulò antè oſtendimus.) Hanc igitur provinciam quas dixi ob cauſas cùm defugere non poſſem, in me recepi: edicens, quod edicturus & tu fueras (fecit hoc enim ſimiliter & Moſes, quando dixit, *Separate apud vos primitias Domino: omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino, aurum, & argentum, & æs*, &c, Exod. 35.5.) ut aurum qui haberent, ad me deferrent; *Qui veſtrûm habet aurum?* quod cùm feciſſent, (*Tulerunt, & dederunt mihi*) ſic conſilium inivi vitando malo, quod tamen vitari non potuiſſe ſed eveniſſe nunc video, nè ſimulacrum darem in quo eſſet aliquid tam ab artificii præſtantia admirandum, quod pellicere quenquam de populo quantumvis ad malum prono in ſuperſtitionem poſſet; ſed eſſet contrà artis penuriâ deſpectabile & aſpernandum. Itaque ſecùs fortè quàm feciſſes tu, & puto facturus es, non fuit mihi cura de perquirendis artificibus exquiſitiſſimis, quibus hoc operis affabrè informandum perpoliendúmque traderem (fecit hoc Moſes cùm publicè edixit, *Quiſquis veſtrûm ſapiens eſt veniat, & faciat quod Dominus imperavit*, ibid.v.19.) ſed cùm aurum temere in fornacem conjeciſſem, móxque indè rude & infabre in maſſam conflatum recepiſſem, per me ſtylo in Cherubum ſpecie vitulinâ configuravi, quem illi præter mentem meam, nullâque culpæ meæ admixtione, in vitulum animalem brutúmque malè interpretando commutaverunt, *Et projeci illud in ignem, & exiit hic vitulus.* Hanc igitur veram verborum Aaronis ſive paraphraſim, ſive hypotheſim, aut certè vero proximam exiſtimo. Quâ probatâ (vix enim qui improbet futurum quenquam arbitror) quàm iniquum ſit quis non videt, hoc ipſum quod Aaron refellendæ falsò de ſe conceptæ opinioni, ſuíque purgandi cauſâ dixerat, criminis è contrà ab eo perpetrati confeſſionem, ut vulgò fit, fuiſſe ſuſpicari?

CAP. XV.

Cùm in Divinis etiam errorem, imò & caſum lui proditum ſit, quod Aaron commiſerit graviſſimum fuiſſe, minimè indè ſequi, quòd eum Deus conterere voluerit. Quid illud porrò fuiſſe credi poſſit.

ROges, nihílne igitur Aaron peccavit? Scriptura certè peccatum Aaronis proprium nullum exprimit. Quinimo, cùm factum ab Aarone vitulum agnoſcat, tamen reatui & peccato illum eximit, dum totum populo ſoli attribuit, *Percuſſit ergò Dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aaron*, Exod.32.v.35. cúmq; eadem, de inducto peccato ſuper populum, hoc eſt, de peccato alieno illum arguiſſet, ſimul purgantem ſe, ut vidimus modò, inducit, & ut videtur, purgatum dimittit. Cur igitur Deus in eum incanduerit, & ni Moſes pro eo deprecetur, contriturus eum fuerit? Nimirum quædam ſunt in quæ tametſi hominum judicio & æſtimatione minimè gravia, Deus tamen morte vindicaſſe legitur. In Bethſamitas nimiâ eorum curioſitate, in Azam intempeſtivâ ſedulitate accenſus eſt, & utroſque interemit. Nec temere eſſe videtur, quòd Ethnicorum Theologia, quæ magna ex parte à vetere illa Patriarcharum fluxit, etiam fortunam & caſum in Superis lui prodidit. Sic enim Ovidius lib. 1. de Triſt.

Scilicet in Superis etiam fortuna luenda eſt,
Nec veniam, læſo Numine, caſus habet.

Poteſt itaque & hoc modo quod Moſes peccatum in fratre leve & condonabile judicarit, & de quo propterea tam facilè ſibi ab eo ſatisfieri paſſus ſit, apud Deum gravius cenſeri: neque tam facilè, non enim niſi Moſe pro eo deprecante, condonandum duci; apud quem nullum peccatum, quantulumcunque ſit, mortis temporariæ ſupplicio non inveniatur dignum. Unde & ſacrificia pro eo nominatim inſtituta in Lege erant, qui per errorem & neſciens circa ceremonias & ea quæ Domino ſanctificata erant peccaſſet, Levit. 5.v.15. Atqui ſi quod à populo per errorem peccatum eſſet, tanti Deus habebat, ut niſi ſacrificiis expiatum mortem operaretur, quanti habuerit magìs quæ à Levitis, & ampliùs quæ à Sacerdotibus, ipſóque adeò & Sacerdote ſummo? Quando quò quis vel naturâ, ut quòd de ſemine Abrahæ eſſet, & hodie quòd Chriſtianus, vel functione, profeſſione & ordine, Deum & Divina propiùs attingit, ut quòd Levita, Sacerdos, Judex, Rex, hôc ejus apud Deum peccatum majus cenſeri ſolet, & aſperiùs vindicari, præ eo quod ab alio commiſſum ſit modis illis omnibus ad eum minùs attinente. Exempli gratiâ, factum ab Aarone animo minimè malo, quinimo ſimplici & ſincero, Cherubum Deus morte dignum judicavit: Aaronis filios Nadab & Abiu ignem alienum offerentes eodem igne abſumpſit, Exod. 10.v.1. Oziam thurificantem leprâ incurabili corpus ejus totum pervadente deſubitò percuſſit, 2 Par.26.v.19. Contrà autem Jeroboamum iiſdem ſimul peccatis omnibus obnoxium (nam & ille pro unico quem fecit Aaron vitulos duos fecit, ignémque alienum, ut Nadab & Abiu, obtulit, & uti Ozias thurificavit) vitam & regnum in multos annos citra noxam producere, in uxoríſque & filiorum manibus longævum deficere, denique & morientem regnum in heredem tranſmittere, paternóque ſepulcro inferri paſſus eſt; *Dies autem quibus regnavit Jeroboam, anni viginti duo ſunt, & dormivit cum patribus ſuis, regnavítque Nadab filius ejus pro eo*, 3 Reg.14. v.20. Quid ità verò Deus in priores illos tam ſeverè támque inclementer? Nimirum in Aaronem, quia ſummum ſacerdotem: in Aaronis filios, quia ſacerdotes à ſummo proximos: in Oziam, quia unctum & gentis ſanctæ regem ſanctum. Quid autem contrà in Jeroboamum tam remiſsé? Quia projecerat Jeroboamus Dominum poſt tergum ſuum, & abjecerat eum Dominus. Hinc itaque verum eſſe quod dicebam initio manifeſtò reſultat, correptionis in ſacerdote gravitatem non tam peccati gravitatem arguere, quàm perſonæ dignitatem: nec ſi conterere Aaronem Deus voluerit, rectè hinc continuò perpetrati ab eo ſceleris peccatíve alicujus majoris argumentum duci.

Verùm quantum quantulúmve cunque illud ſit quod peccavit Aaron, cùm à vitulo per eum conflato profectum eſſe oporteat, nè nihil dicam, hoc fortè apud Deum grave fuerit viſum, quòd ſigni etiam ſacri, cujuſmodi hoc ejus fuiſſe nullum jam puto ambigendi relictum locum, ad populum productionem, ignorare non debuerit fuiſſe rationem abunde ſuffecturam quâ populus per errorem in idololatriam impelli & prolabi poſſet; qui ſciret (cur enim minùs quàm frater Moſes?) idcirco noluiſſe Deum populo, ad eum de monte quando locutus eſt, formæ ſimilitudiníſve ullius divinæ aſpectabilis copiam fieri (uti principibus ſenioribúſque Iſrael die ſequente facta eſt) ut ipſi ab idololatria caveret, nimis facilè alioquin, pro ſua ad malum ingenii propenſione, quacunque ejuſmodi ſimilitudine viſâ, deviè circa eam in religione viam inituro. Nam ſi hoc de exemplari materiâ experte, meréque cœleſti & divino, erat metuendum, quantò eſſe debuerat magis de materiali & terreno? Verè autem noluiſſe propterea Deum Divinæ viſionis participem fieri populum, Moſes poſtea eidem populo in hæc verba declaravit, *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die quâ locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis: Nè fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi vel feminæ, ſimilitudinem omnium jumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel avium ſub cœlo volantium, atque reptilium quæ moventur in terra, ſive piſcium qui ſub terra morantur in aquis. Nè fortè elevatis oculis videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea*, Deut.4. v.16, 17, 18, 19. His, inquam, verbis Moſes Dei conſilium & providentiam populo exponit, qui cùm futurum ſciret, ſi Deum Iſrael uti principes & Seniores etiam vidiſſet populus, erroris cauſam

cauſam & occaſionem fuiſſe indè facilè arrepturum, & effictis ſacrorum animalium, cujuſmodi viſio illa continebat, ſimilitudinibus, ſibi deinceps eaſdem pro diis ad adorandum propoſiturum. Hoc Deus, inquam, cum ſciret, ſatis ei eſt viſum, ſi de medio ignis vocem ſuam ei audiendam tantùm, non etiam divinas ullas ſimilitudines ſpectandas exhiberet: quas adeò & fingi, non aliam ob cauſam, ſtatim concionis ſuæ initio, verbis proximè ad Moſaica quæ recenſui modò accedentibus, prohibuit, *Non facies ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra*, Exod. 20. ver. 4. Et hoc quidem Moſes cùm dicit, ad id quod pòſt paulò ſecutum eſt, imò verò & jam tum cùm id diceret contigerat, reſpicit, & Aaronem occultè tangit, qui propoſitâ populo unius è ſacris illis animalibus ſimilitudine, eundem in errorem (illum ipſum quem metuendum fuiſſe ibidem indicavit) induxerit. Nam & quod ibi ad extremum additum eſt, *Nè fortè elevatis oculis videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra cœli, (militiam cœli* vertit Pagninus) *& errore deceptus adores ea*, poſt adorationem vituli proximè etiam contigiſſe, S. Stephanus in ſua ad Judæos extrema illa concione ſignificare videtur, cùm ait, *Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulacro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum: convertit autem Deus, & tradidit eos ſervire militiæ cœli*, &c. Act. 7. ver. 41, 42.

Moſes ea de re nihil prodidit, verùm propiùs id etiam perſuadeat, quòd ab iis quoque qui Jeroboami vitulos ſecuti ſunt factum ſimiliter traditum ſit; ut ex loco quem ſubjicio apparet, *Fecerúntque ſibi conflatiles duos vitulos, & lucos, & adoraverunt univerſam militiam cœli*, &c. 4 Reg. 17. ver. 16. At obſecro ecquando tandem vituli ſub Aarone populus adorator Solem, Lunam, & omnia aſtra cœli adoraverit, cùm omnem ejus idololatriam vix diurno ſpatio longiorem fuiſſe, eóque vitulum adoraſſe, ac mox caſtigatum reſipuiſſe, certum ſit? An fortè à vituli aurei aſpectu ad ſignum tauri cœleſte (de quo probabiliùs quàm de Api ſit eum fortè interpretatus) ac reliqua ſigna zodiaci numero duodecim, quibus multò poſtea ſacrificaſſe etiam vel ipſos Reges Juda proditum eſt, 4 Reg. 23. ver. 5. ac deinceps ad planetarum, Saturni, Jovis, Martis, Veneris, Mercurii, & præ cæteris Solis & Lunæ, deorum gentilium, cogitatione verti, & ad eoſdem intra ſe ſimul adorandos adduci? Nam & quòd Gentes pro diis planetas eoſdem habuerint, ab Aſtronomica eadem ratione factum non ſit fortaſſe improbabile.

Sed & accipi fortè iſtud ſic poſſit, ut ſit nihil aliud *aſtra & militiam cœli adorare* quàm dæmonia adorare, quòd ſpiritus illi noxii de cœlo cum principe ſuo Satana deturbati, *ſtellarum* vocabulo cenſeri in Scriptura nonnunquam ſoleant. Ut cùm in Apocalypſi, c. 12. 4 quo loco de hac ipſa eorum deturbatione & præcipitatione agitur, Draco magnus rufus, qui ipſe Satanas eſt, *caudâ ſuâ traxiſſe tertiam partem ſtellarum cœli*, hoc eſt, tertiam partem Angelorum, in terram dicitur. Quocum pulcre congruit, quòd & propria ſtellarum nomina, propter primævam eorum claritatem, fuiſſe initio illis attributa videantur. Cur enim minùs aliis quàm ipſi Satanæ principi, cui ab ſtellæ matutinæ ſimilitudine *Lucifero* nomen factum? Ac neſcio, ánnon aliquâ rei hujus memoriâ & ſimilitudine etiam factum ſit, ut idolorum nonnullorum ſimulacris ſtellas Ethnici appinxerint, ut Pani in pectore. Cujuſmodi aliquid innuere etiam videntur cùm Amos propheta, tum S. Stephanus, loco ex actis Apoſtolorum paulò antè allegato, verbis Amos mutuatis quaſi ſemet explicans, & quo ſenſu dictum ab ſe intellectum vellet, *Deum tradidiſſe Iſraelitas ſervire militiæ cœli*, fortè indicans, pro eo nimirum quod *ſervire dæmoniis*: dum Moloch aut tale idolum aliquod *ſidus* vocant. Sunt hæc verba Amos, cap. 5. ver. 26. *Et portaſtis tabernaculum Moloch, & imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis.* Addit autem B. Stephanus vel ſideris, vel dei hujus nomen ab Amos prætermiſſum, *Sidus Dei veſtri Rempham*, quod *obſcuritatem & tenebras* ſignificare Hebraicè periti annotant. Sed an à Stephano ut proprium nomen ſideris aut idoli verè illud additum? Vix putem; verùm appellativâ ſignificatione uſurpatâ voce illâ, Protomartyrem in antitheſi luſiſſe magis crediderim ac dixiſſe, *Sidus Dei veſtri, tenebras:* aut ſi vox ea Hebraicè adjectivè etiam uſurpari poteſt, *Sidus Dei veſtri tenebroſum*; quomodo ſi quis cum Apoſtolo ipſum quem dixi dæmonum principem Satanam, conſimili anthitheſi pro ſolito ſuo Luciferi nomine, *principem tenebrarum* vocet; Eph. 6. ver. 12. Quod certè haud paulò veriſimilius ſit quàm ut verbis Amos nomen *idoli*, aliàs prophetis & Scripturæ univerſæ ſacræ veteri incognitum, addere Protomartyr de ſuo voluiſſe credi poſſit.

Verùm his omiſſis, effugii ſpeciem magis quàm ſeriæ ac legitimæ expoſitionis vel meâ ipſius confeſſione habentibus, ſimplicius ac, ni fallor, verius fuerit dicere, quòd locis præmemoratis duobus, S. Stephani uno, ex Actis Apoſtolorum, altero ex hiſtoria Regum, ſtatim poſt vitulorum conflatorum mentionem, de Sole & Luna & ſtellis cæteris adoratis mentio ſubjicitur, fortuitum eſſe, quantumvis pulcre cum eis etiam conveniat præmiſſus Deuteronomii locus, in quo eadem conjungantur: minimè enim ità conjungi locis illis putandum aſtrorum cultum cum vitulorum errore, perinde ac ſi ejuſdem temporis & loci, earundémque perſonarum uterque hiſtoriam contineret: verùm hanc potiùs diſtinctionem adhibendam eſſe, ut finito utrobique de vitulis eorúmque ſectatoribus ſermone, nova periodus cum novi ſceleris ab eodem populo circa Solem & Lunam & ſtellas aliquando commiſſi narratione incipiat.

Quam eandem ſolutionem & illud recipere arbitror, quod viris doctiſſimiſque graviſſimiſque, interpretationi hujuſmodi meæ de cætero non invitè accedentibus, nonnihil refragari videbatur, ſic eodem illo Lucæ loco ab eodem S. Stephano conjungi renovatum in Iſraelitarum animis Ægypti deſiderium cum vituli aurei hiſtoria, ut cùm fieri Deum ſibi peteret ab Aarone populus, ab Ægypti recordatione factum eſſe ut peteret, & ideo petiiſſe ut in Ægyptum eo duce reverterentur, exiſtimes. Unde opinio illa vulgaris de Api bove ad adorandum poſtulato impetratóque non parùm confirmetur. Sunt hæc de quibus loquor Diaconorum principis verba, *Cui noluerunt obedire Patres veſtri, ſed repulerunt, & averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum, dicentes ad Aaron, Fac nobis Deos qui præcedant nos*, &c. Act. 7. ver. 39. Verùm hæc quoque unius ejuſdémque neque temporis, neque loci fuiſſe certum eſt. Fuit ſiquidem deſiderium illud Ægypti, & ad ejus commoda cordis animorúmque averſio aliquantò tumultu Horebitano poſterior. Sic autem accidit ut cùm à ſermone de Moſe ejuſdémque rebus priùs geſtis prolixè, repetitis ad murmur contra eundem populi, propter nauſeam mannæ, Protomartyr uno veluti ſpiritu tranſiiſſet, murmuris tumultúſve ejuſdem occaſione ac ſubmonitu, etiam præcedentem alterum tumultum contra Aaronem permiſceret, nec ea, ut vulgaria & Judæis ad quos loquebatur abunde cognita, accuratiùs diſtinguere curæ ei eſſet, dum ad Chriſtum, quò mentis intentione & ſpiritu totus ferebatur, in concione feſtinat.

CAP. XVI.

Aaronis cum Balaamo, & ejus quod ab Aarone peccatum ſit cum Balaami ſcelere comparatio. Ad extremum brevis per anacephalæoſim totius rei hujus ex Aaronis ſenſu geſtæ repetitio.

HOC ad extremum quod annotem obſervatione non indignum mihi videtur, quod commiſſurus peccatum fuiſſet populus, ſi viſis exemplaribus cœleſtibus eorundémque ſimilitudine effictâ ea adoraſſet, fuiſſe dici

per deceptionem & errorem illud commiſſurum, *Nè fortè decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem*, & paulò pòſt, *Et errore deceptus adores ea*, videri de vituli ſub Aarone adoratoribus dici ſimiliter potuiſſe. Quod quidem nonnullam Aaroni invidiam pariat, à quo deceptum conſequenter & abductum in errorem populum reſultet, haud ſecùs quàm à Balaamo & Moabitis poſtea, qui inducto per mulieres patrias in Iſrael idolo Phegor, utî nunc ab Aarone vitulo, idem illud peccatum maximum ſuper populum induxerint: quando & hoc ſimiliter per deceptionem Deus factum dicit, & voluit in deceptionis autores præcipuè vindicatum, his ad Moſem verbis, *Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, & percutite eos, quia & ipſi hoſtiliter egerunt contra vos, & deceperunt inſidiis per idolum Phegor*, Num. 25. v. 17, 18. Unde nec Moſes à mulierum cæde abſtinendum cenſuerit, quarum in deceptione illa præcipuæ fuiſſent partes, ſic ad victoris & vindicis exercitûs duces loquens, *Cur mulieres reſervaſtis? nónne illæ ſunt quæ deceperunt filios Iſrael ad ſuggeſtionem Balaam, & prævaricari vos fecerunt ſuper peccato Phegor, unde & percuſſus eſt populus?* Ac vel ſimilitudinis hujus ſolius ratione peccatum hoc populi utrumque propemodum ſimile atque æquale fuiſſe quivis judicaverit, quando ſignificare Scriptura videtur, non niſi per deceptionem & errorem, quem vocat, ſuggeſto primùm vitulo ab Aarone, & poſtea idolo Phegor à Balaamo, commiſſurum ea populum fuiſſe: ſed peccatum nihilominus utrobique ab eodem, cùm graviſſimè, tum æqualiter. Nam quòd vitulum adorantes ſtrages minor ſecuta ſit, Moſis apud Deum pro eis interceſſioni & orationi ferri acceptum oportet. Hoc cùm ità ſit, quid ſupereſt niſi ut erroris & deceptionis autores æqualiter itidem peccaſſe, & pœnâ conſimili affici debuiſſe cogitemus, & ſic Aaronem cum Balaamo, & quod ab Aarone peccatum ſit cum Balaami ſcelere comparemus? Facerem equidem, ſi Aaron vitulum populo cùm daret idolum dare ſe, aut futurum ut populus in uſum & occaſionem idololatriæ arriperet, (quomodo de idolo Phegor conſcius erat Balaam) cognoviſſet: verùm Aaron vitulum cùm effinxit, & deinceps efflagitanti populo publicè exhibuit, neque idoli effingendi, neque peccatum maximum, quod tamen ſecutum eſt, ſuper populum inducendi voluntatem & conſilium, ſed neque id quod accidit eventurum ſuſpicandi materiam aut cauſam, quomodo Balaam, habuit: verùm à populo rogatus vehementer (ut facti totius ſummam brevi veluti anacephalæoſi ad extremum in pauca contraham) ſignum illud ſacrum & myſticum, quod erat Moſi Deus, Moſes populo, Dei verbis, ante eos præceſſurum pollicitus exhibere, ipſe certò hoc agi exiſtimans, neque deterius quicquam vel metuens vel cogitans, cùm neque de fratris morte aut raptu (à quo id alioquin exſpectari ac peti æquius fuiſſe non ignorabat) opinionem & famam quî refelleret haberet, ipſe, inquam, pro Cheruborum duorum ſimilitudinibus, quas à Moſe propediem accepturi erant, conſimilem unicam auro collatitio in maſſam conflato, cœlo configuravit, & Deo ad eam, ut poſtea ad Cherubos præmemoratos ſuper arcam federis, legitimè citráque offenſam (quantum mente ipſe agitabat) invocando, adorandóque (ut ipſummet cum principibus ac tribu Levi univerſa invocaſſe & adoraſſe haud dubium eſt) publicè exhibuit. Unde conſequens eſt, utcunque abuſus eâ deinceps ſit populus, aut pars ejus haud parva, cùm ſit hoc præter ejus mentem factum, non tam dici ipſum poſſe Aaronem peccaſſe, quàm per errorem & incogitantiam peccato alieno occaſionem dediſſe.

HIC finem hypotheſi quam ſum pollicitus impono, tamdiu per me valituræ uſque dum potiorem magiſque probabilem aliam alter afferat. Quod ſi me vivo futurum eſt, tam non etiam invito invidentéve fiet, ut ſim contrà afferenti ex animo congratulaturus, pectúque cum elogio in ejus ſententiam deſcendens veteris poetæ verſus illos eidem libenter occenturus, (Lucr. lib. 3.)

E tenebris tantis tam clarum accendere lumen
Qui primus potuiſti illuſtrans commoda vitæ,
Te ſequor ô ..... gentis decus, ínque tuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.

Tantùm meminerit ille, quiſquis erit, vel ſiquis alius, ſive etiam plures, non quidem univerſaliter, neque in hypotheſi ipſa tota à me diſſentient, ſed erit ſolùm quod in partibus fortè reſpuant, deſideréntve, aut reprehendant, meminerint, inquam, moderationis & candoris, quem peculiari etiam meo ſcito totâ vitâ meâ profeſſus, ſuper omnia in ſcribendo ſervavi, & nè quenquam vel unicæ literulæ apice læderem perpetuò operam dedi, eandem ut moderationem candorémque, eandem operam à ſe exſpectare etiam & experiri me velint. Quod eò dico, non ut ſiqua in re lapſus ero (ni eſſem, homo non eſſem, cui labi innatum) diſſimuletur, ſícque mihi parci vellem, ut nè quidem admoneri ſuſtinerem: doceri enim & reprehendi valde cupio, quicquid neceſſe & conſultum erit propere emendaturus: ſed nè inſultetur, aut etiam tragicè & gladiatoriè, quod peſſimo exemplo nimiùm jam fieri invaluît, ſtylo in me incurratur.

Natis in uſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare Thracum eſt, tollite barbarum
Morem: — —

dicebat inſignis Poeta lib. 1. Od. 27. Quantò autem juſtiùs eandem ſententiam huc traduxerimus dixerimúſq; Natis in uſum pacis & concordiæ, mutuæque inter homines augendæ benevolentiæ, comitatis, clementiæ, humanitatis, ab qua & ſua illis appellatio, literis pugnare, nec quidem Thracum eſt, cùm vel Thraces ipſi quantumvìs olim barbari, alii quercus & ornos, hoc eſt, feros ſuorum animos, (nam Orpheus certè) literis manſuefecerint, alii manſuefieri & ad vitam humaniorem ſe traduci paſſi ſint: ſed vel hominum anguſti animi eſt, vanáſque & inanes concertationis gloriolas pueriliter captantium admirantiúmque; vel lividorum pravorúmque & malevolorum, de genere illo in quorum animam non intrare ſapientiam (veram certè) verè ſcriptum eſt? Sin autem multò plura libri hujus ſunt quæ improbare nequeant, imò verò quæ laudare, amplecti, fortè & magnifacere debeant, quia pia, rara, utilia, congratulentur, ac Deo bonorum datori, cui ſoli ferenda accepta ea ſunt, gratias mecum agant, & Chriſto filio ejus, qui benedictus in ſecula. AMEN.

JOANNIS

JOANNIS ANTONIDÆ VANDER LINDEN EXERCITATIO X.

VINI PLENI.

S. Lucas Actor. 2. 13.

ἙΤΕΡΟΙ δὲ χλευάζοντες ἔλεγον, Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί.

| *ALII verò ſubſannantes dicebant, Quia vini pleni ſunt.*

COMMENTARIUS.

§ 1.

ASSEREBAM pronuper Veteres etiam manè Merum non modò guſtare cum buccella panis ſolitos, ſed & bibere ſeorſim, & quidem liberaliùs, ac ſæpe ad ebrietatem uſque. Cui aſſertioni fidem utì apud te facerem plenam, poſt varia à Gentilibus mutuata loca produxi inſuper hunc, quem propoſui. Qui quia intentioni meæ directò non favebat, promiſi conſequentiæ rationem me proximo in diſcurſu demonſtraturum. Quod ità nunc conſtitui facere ut primò Argumentum exponam, ſeu rationem quâ abutebantur Judæi ad calumniam, quam evomebant in Apoſtolos: deinde Argumentationem, ſeu modum potiùs quo illam profitebantur & objectabant.

§ 2. Argumentum erat, Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. Pro quibus Vulgata & Eraſmus reddidere, *Quia muſto pleni ſunt.* Summus vir D. Heinſius Exerc. ſacr. p. m. 269. *Hoc in loco recentioribus vox* muſti *non placet. Et certè cùm primitiarum feſto muſtum propriè ſic dictum nondum eſſet, cujus menſe Tiſri, ſive vindemiæ, qui & ab eo dictus, primus uſus; vix potuiſſe fieri videtur ut muſto eſſent pleni, ſive γλεύκους potiùs, ut ipſam vocem ſervemus.* In recentioribus illis vel primi nominis eſt magnus Beza noſter, qui notationibus in eumpſe locum ità ſcribit, *Muſtum fateor à Græcis* γλεῦκος *dici: ſed cùm hæc geſta ſint ipſo die Pentecoſtes, quo tempore nullum eſt muſtum, malo in genere pro vino dulci & præſtanti accipere: præſertim cùm muſtum rarò & multò minùs quàm vinum inebriare teſtentur Philoſophi.* De hoc problema habet Plutarchus Sympoſ. 3. 7. quod examinat Andr. Baccius in Hiſt. vinor. 1. 18.

§ 3. Itaque apparet dubium eſſe, quid γλεῦκος ſignificet. Si enim *muſtum* ſeu Vinum novum dicas, major exſiſtit difficultas. Quî namque *muſtum* Vere fuerit, quod Autumnus vel dederat vel daturus erat? De *hoc* quidem cogitari non potuit. *Illud* verò quemadmodum in ſeptimum menſem ſervaverint, ut etiam tunc fuerit in deliciis & quidem matutinis ſeu incorrupti palati, nec non aptum inebriando, non dicitur. Sin vox non Muſtum ſignificet, ſed aliud quid, quid fuerit dicendum erat. Neſcimus feciſſe hactenus quenquam. Theologos non miror hoc ſui ſtudii non facere. Non facit enim ad fidem hiſtoriæ. Referebat, ebrios eſſe, aut non: non, ſi eſſent, quo vino. Quare autem Phyſicus nihil hîc, nihil Medicus tentavit? cùm illius ſit Veritatem ſcrutari; hujus ad Utilitatem omnia dirigere? Criticorum nonnemo tentavit: ſed quàm feliciter, malo te inſtitutâ collatione diſcere, quàm dicendo videri cornicum oculos confixiſſe. Noſtræ curæ erit miſcuiſſe utile dulci.

§ 4. Vinorum genera numero comprehendi poſſe nemo facilè exiſtimet: ſunt enim innumera atque infinita. Quamobrem nec omnia dicentur, ſed quæ à ſapore ſumuntur tantùm; nec omnia rurſus, ſed ad rem facientia: *quippe totidem penè ſunt, quot agri,* inquit veriſſimè Plinius 14. 2.

§ 5. Hippocrates 2. de Diæt. t. 13. triplex Vinorum genus à Sapore agnoſcit: dulcia, auſtera, acida. E quibus nunc non niſi primum conſiderabimus: cætera enim non eſſe ad voluptuandum, facilè quis experiatur. Medicinæ loco quod quis ſumit, eo ſe nemo inebriabit.

§ 6. De *acidis* quid exſpectes Hippocrates dicit eodem t. 13. 237. οἱ ὀξυώδεες οἶνοι ψύχουσι, καὶ ἰσχναίνουσι, καὶ ὑγραίνουσι· ψύχουσι μὲν καὶ ἰσχναίνουσι, κίνησιν τῇ ὑγρῇ διὰ τῆς ζώματος ποιεύμενοι· ὑγραίνουσι δὲ, διὰ τῆς ἐσιόντος ὕδατος σωματώδεος οἶνος, *Acida vina refrigerant, attennant, humectant. Refrigerant quidem & attennant, vacuationem humidi è corpore faciendo: Humectant verò per ſubeuntem cum vino aquam.* Sunt enim aquoſa valde. Hoc verò viſum eſt dignum addì ad ea quæ habet Hofmannus 5. Inſt. 25. 3. diſputans, Num quod vinum refrigeret. Si enim Baccio Hiſt. vin. 2. 2. licuit Galeni verbis, quæ ſunt 1. de Cibis 12. in fine, uti tanquam deciſoriis; quantò amplius ponderis ineſſe putabimus his quæ ratione ſtabiliuntur, eâque infallibili? Tale autem ad nos rarò non Moſella mittit, niſi uvam Sol continuus & ardentior excoxerit valde.

§ 7. Quod ad auſtera, præterquam quòd nulla ſe guſtui probent, etiam rarò ſe ſanitati commendant. Si enim ſimul nigra fuerint, ξηρότεροι, καὶ ὑ διαχωρεῦνται, ὅτε ὑρέουται, ὅτε πλύνουσι, *ſiccIora ſunt, & non ſecedunt, neque mejere faciunt, neque ſpurare.* Sin alba, θερμαίνουσιν, ὑρέουται ἧμᾶλλον ἢ διαχωρέουσιν, *calefaciunt, reddunt urque per urinam magis aut per ſeceſſum,* inquit Hippocrates t. eod. 225. 228. Utraque adſtringunt: ſed potentiùs nigra. Unde iterum noſter 1. de Hum. uſu t. 9. 10. ὅσα ψύξιος [lege, ςύφλος] νοῦται, ὁ μέλας οἶνος καὶ αἱ ἐλαῖαι καλαρῶν, *quæ verò adſtrictione indigent, nigro vino cum lana irrigare oportet.*

§ 8. Igitur ad dulcia adeamus, quò nos ipſa vox vocat, cujus in gratiam hoc omne ſcribimus. Eſt autem dulcium Vinorum duplex genus: unum, quod Naturâ tale; alterum, quod Arte eſt.

§ 9. Quod naturâ Dulce vinum eſt, vel Excellenter tale eſt, vel Remiſſé. Illud genus propter excellentiam puto ſimpliciter οἶνος γλυκὺς *vinum dulce* Græcis vocari ſolitum. Etiam de illo Galeni accipio quod ſcribit cùm alibi tum l. de Att. vict. 12. *nullum album dulce reperiri.* Niſi enim hanc μεσομυδίαν admittimus, non poteſt exculpari. Quæſivit mantelum tamen Andr. Baccius in Hiſt. vin. 2. 7. Vult de Italiæ vinis Galenum locutum. Mirum! Cùm ea regio nunc alba multa habeat, eâque generoſa ſimul & egregiè dulcia, quæ guſtavi non ſemel, quin & ante paucos dies, unde illa? Quemadmodum vinum nigrum mutetur in album, & viciſſim, modum unum Varro tradit in Geop. 7. 21. alium Apitius 2. de Re cul. 1. 7. Sed vitem nigram in albam quemadmodum

mutes, docet nemo: nec verisimile est posse id naturâ vel arte fieri. De capnia Theophrastus testatur de Caus. plant. 5. 2. uvas ferre quandoque albas, quandoque nigras. Sed hoc ità refert, ut videatur ipse dubitasse. Itaque dixit, κᾀδάπερ φασὶ, *ut aiunt*. Fortè objecerit quis è Plinii 14. 2. *etiam è nigris vina vetustate in album colorem transeunt*: iterúmque è cap. sequenti, *Prusinia, nigro acino, intra quadriennium albescente vino*. Sed vel puer viderit, non ista nos tangere. Neque enim dubium, an vina, posito per ætatem quo colorabantur, albescere possint. Hæc credimus expertis. Sed vitem quis vidit, vinum dare nigrum solitam, dedisse postea album?

§ 10. Sed neq; hoc prætendit Baccius: sed esse advectitia. Ergò, si alibi fuere, nimis liberaliter fuit locutus. Hippocrates l. de Affect. t. 49. γλυκὺς οἶνος κομιστικὸς, καὶ διουρητικὸς καὶ φλεγματώδης, *Dulce vinum refectivum, diureticum, & pituitosum est*. Quæ conditiones certè non cadunt in dulce nigrum. Quod cùm, fatente Galeno, omne sit crassum; quænam sunt *tenuia dulcia*, λεπτοὶ γλυκέες, 11. de Diæt. 13. 232. si alba non sunt? de quibus sermo tamen est in proximè præcedentibus. Sed, ut concludam, nullius momenti istam esse causationem, nemo non perspiciet, cui modò vacat inspicere loca quæ ipsus profert ex Galeno. Imò, si placet, confer autorem sibi ipsi lib. 5. p. 224. D. & vide quàm fuerit antea scriptorum non satis memor.

§ 11. Cæterùm absolutè Dulcia dicuntur vina, quæ isthuc maturitatis pervenere, ut controversiam quasi facere videantur his quæ ars fecit ex musto dulci dulcissima. Hæc esse arbitror quæ Porta in Georg. 1. 241. vocat *mollissima vina*. Nam *molle* idem quod *maturum* esse, notius est præut moneri debeat. Nostrates etiam, si quod se vinum amabile gustui præbet, id hac ferè consuerunt laude prosequi, *'t is een mollige vviin*, *Molle vinum est*. Ea autem mollitudo, ut maturitatis, ità & ætatis argumentum est. Sic *merum molle* dicitur Venusino 1. Carm. 7. 19. quod quamprimum bibendo est. Aliàs quippe merum, & omne vinum generosum, acre fit & amarum ab annis.

§ 12. De illo Hippocrates 11. de Diæt. 13. 25[illegible] ὁ γλυκὺς οἶνος διαχωρεῖ μᾶλλον τοῖσι φλεγματώδεσιν, *Dulce vinum alvo promptiùs secedit pituitosis*. Quamobrem Galenus ergò de San. tu. 6. 2. biliosis ventribus præscribit? præsertim si sitim facit, ut ipse dicit de Vict. acut. 3. 2.

§ 13. Alterum genus est remissè Dulcium. Id οἶνος γλυκάζων *vinum dulcescens* Dioscoridi dicitur in 6. 17. ubi ei qui Mandragoram bibit, præmisso vomitu conferre ait nitrum & apsinthium σὺν γλυκεῖ ἢ οἴνῳ γλυκάζοντι, *ex vino dulci aut passo*, Ruellius: *cum passo aut vino dulci*, Cornarius. Neuter rectè: minùs tamen ille. Nam neque γλυκὺς *vinum dulce* significat, neque οἶνος γλυκάζων, *passum*. Ad verbum, *cum dulci aut vino dulcescenti*. De isto mox. *Vinum dulcescens* autem non id dicitur propriè quod suavitatem tempore acquirit: sed quod, suo licèt in genere sit optimè à Sole & solo coctum, attamen non pervenit ad illum dulcoris excessum quem in alteris agnovimus. Hujuscemodi sunt, quotquot ex albis meliora nobis Gallia mittit.

§ 14. Quæ arte Dulcia sunt, eorum duplex quoque genus est: unum, Vinum est revera, alterum, Mustum sive ex musto potiùs.

§ 15. Vinorum si quod olim non satis esset sapidum, conditurâ dulcabant. Hanc aromatis alii, alii musto aut ex musto coctis faciebant. Aromatis condire vinum Pamphilus docet in Geop. 6. 20. & ibidem Cassianus 7. 13. ut & Columella 12. 20. 28. A musto Vinum dulce faciendi modum ostendit Didymus in eisdem Excerptis Geop. 7. 19. Sed & quæ fiebant ex musto, dulcandis vinis serviisse cognoveris ex his quæ postea adducemus è Columella. Hóccine verò sit quod à Lxx interpretibus redditur γλυκασμὸς apud Joelem 3. 18. aut γλύκασμα dicitur Phavorino, ex origine vocum suspicamur quidem, sed affirmare non possumus.

§ 16. Hodie in hunc usum ferè Saccharum, & quæ è saccharo veniunt. Oenopolæ vinorum acidiusculà & aquosiora facere dulcia & pinguia solent syrupo, quem post se relinquit Saccharum, cùm crystallizatione fit κατὰ τὸν ἢ καλὸν, *angulosum*. Quod verbum medii seculi Græcorum esse, seu à puritate veteris elegantiæ abeuntium, Salmasius te Exerc. Plinian. 1022. D. & Meursius in Glossario docebunt. Meminerint ergò Medici, primùm in suis Recipe, scribere *Saccharum* non *candum* aut *candidum*, sed *cantum* aut *cantium*. Quemadmodum scriptum est in Pharmacopœa Amstelædamensi, & ut sic scriberetur obtinui in ejus olim confectione ab Clariss. Medicis, quibuscum fui ad hoc negotium deputatus. Meminerint deinde Belgæ mei, queis adeò est Orthographia curæ, utì deinceps quoque scribant *Suiker-kant-ys*. Quo aliud rei vocabulum convenire magis non potest. Est enim, quod dicitur, instar glaciei & mirè angulosum.

§ 17. Ad extemporaneos in mensa usus plerique utuntur Saccharo purissimo & in panes, quos vocant, formato. Delicatiores etiam nobile vinum & ferè ultimâ mensâ edulcant *Saccharo* quodam *spumeo*, cui *canto* nostri nomen, cognomen autem dederunt à parte quâ sedemus. Ecce quàm iniqua gula in Naturam, serva in dominam sit. Miror sæpe in conviviis, cùm quotidie nos ipsa Natura cujusque nostra admoneat, quàm paucis, quàm parvis rebus, quàm vilibus egeat ad vitam atque sanitatem: niti interea homines non quò Natura aurigatur, cui se sapiens accommodat; sed quò gula, sanitatis corruptrix & interemptrix vitæ. Quot enim quotidie non necat? Plures certè quàm gladius.

§ 18. Ex musto Dulcia multa sunt, & multivaria. Quæ commodè ad duo itidem genera reducimus: unum eorum quæ ad Potandum parantur, alterum verò eorum quæ ad Usus præcipuè alios. De his dicam primo loco, quia abeunt ab intentione nostra longiùs: de cæteris deinde.

§ 19. Hujus itaque generis fiebant Carœnum, Defrutum, & Sapa. De quibus Palladius Octobr. 18. *Cùm omnia uno genere conficiantur ex musto, modus his & virtutem mutabit, & nomina*. Hoc est, quod aliàs diximus & firmiter tenendum est, In artibus, quæ differunt substantiæ modo, differre specie. Speciem quippe forma constituit. At forma quid aliud quàm substantiæ modus est? Quo variato variari virtutem simul necesse est. Hanc varietatem Artifex ut dignosci faciat, nomen rei à se factæ aliud atque aliud imponit.

§ 20. Sed quomodo Virtutem variat Substantiæ modus? Dispositivè. Quatenus nempe ἡ δύναμις ὕλης, *potestas materialis*, non se potest exserere aliter quàm permittit materiæ dispositio. *Dispositio* autem hæc in particularum minimarum inter se coordinatarum figura consistit potissimúm. Quid enim, si partium sensilium figuram variare dispositionem corporis ceu instrumenti concedimus, non idem fatebimur de figuris particularum insensilium? præsertim cùm ἐκ τῶν ἐλαχίστων τὰ μέγιστα, *ex minimis maxima* fiant? ceu docet Hippocrates 1. de Diæt. t. 18. 204.

§ 21. Quæ vero isthæc nova Philosophia est? inquis. Falleris, amice. Doctrina est ipsius Hippocratis l. de Vet. med. 39. 146. En! δεῖν δέ μοι δοκέει καὶ ταῦτ' εἰδέναι, ὅσα τῷ ἀνθρώπῳ παθήματα ὑπὸ δυνάμιων ἔρχεται, καὶ ὅσα ὑπὸ σχημάτων. λέγω δὲ τί τοῦτο. δυνάμιν μὲν ἕν, τὴν χυμῶν τὰς ἀκροτήτας τε καὶ ἰσχύς· σχήματα δὲ λέγω, ὅσα ἔνεστιν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ, *Oportere autem mihi videtur & hæc nevisse, qui affectus homini à facultatibus veniant, & qui à figuris. Quod dico hoc est. Facultatem scilicet esse humorum summas vires: Figuras verò intelligo, quæ insunt in homine*. Exemplis deinde aliquot dilucidatâ hâc propositione, tandem concludit t. 40. 157. f. ταῦτα δὴ πάσχει διὰ τὴν φύσιν τῶν σχημάτων, *Hæc verò patitur ob naturam figuræ*.

§ 22. Cujus varietatem quoque esse causam varietatis in effectibus, etiam cognoveris ex his quæ scribit Plinius 22. 24. *Est & ratio subtilitatis immensæ à Platone descendens, corpusculis rerum lævibus, scabris, angulosis, rotundis*

rotundè magìs aut minùs ad aliorum naturam accedentibus: ideo non eadem omnibus amara aut dulcia esse. Sic & in lassitudine proniores esse ad iracundiam, & in siti: ergò & hac animi asperitas, seu potiùs anima, dulciore succo mitigatur.

§ 23. Quæ ego non ideo tantùm adscripsi, quia de consensu antiquorum in hoc placito testantur: sed vel imprimis, ut discant præcipites quidam non statim ceu nova damnare quæ in suis libris non legunt; quin scrutari Veteres primùm, & ex his cognoscere quàm verè cecinerit Caspar Barthius, ille Varro Germanus, Zod. Christ. 10. p. 224.

——Eadem toto diludit fabula mundo.
Immutata parùm persona, sed immutata
Orbe redit patulo: scena una est, histrióque idem,
Gens eadem, casus iidem. Variabile saltim
Effigies alternat opus. Nil fingere factu
Aut dictu valeas mirum invisumque. ——

Si feceris, etiam hæc veterà esse perspicies quæ hodie Cartesio auctore reddita luci aspicis ut nova, & despicis propterea, quia intuere illa per conspicilium præjudicio viridicatum. Sed satìs, si fortè non nimiùm, de re aliena, non tantùm ab instituto, sed & communi sensu.

§ 24. *Carœnum* Palladius scribit, itemque Marcellus Empiricus cap. 26. circa finem: at *carenum* Isidorus Orig. 20. 3. & Cæl. Apitius 9. de Re cul. 8. 3. ac sæpe alibi. Sed pro illis est origo vocis. De qua Adr. Turnebus Adver. 13. 23. *vocabuli origo ità obscura est, ut à Grammaticis nullis sit perscripta. Ego autem vinum velut caricum esse ferè crediderim: etsi nihil præter conjecturam adferre possum.* Ac mox, *vinum caricum* dictum opinatur, *quòd primi id Cares decoxere, & nomine de se affecere.* Sed ista quidem verè conjectura est: & hâc ineptior Brasavoli, qui in Syrup. exam. *calenum* dici à *Caleno* oppido contendit. *Vini caleni* Deipnosophista meminit in 1. 21. & præfert Falerno toties auctoribus laudato: vide Plinium 23. 1. Isidorus verosimiliùs fortè, *Carenum, eò quod fervendo parte careat.*

§ 25. Sed miror, neque huic, neque Turnebo, viris Græcè doctissimis, subolusse, vocem Græcam esse τὸ κάρηνον· præsertim cùm Turnebus meminerit exstare apud Nic. Myrepsum de Antid. 1. 5. & Fuchsius in notis jam id monuisset.

§ 26. Videtur autem nata Vox ex effectu & modo substantiæ. Conficiebatur quippe *carœnum*, Palladio auctore, *cùm, tertiâ perditâ, dua partes remanserint.* Isidorus, *Tertiâ parte musti amissâ, quod remanserit carenum est.* Quæ amissio non tanta est, ut propterea vinum non sit quod supereſt. Hoc ipsum tamen τὸ κάρη καρηνῶ caput gravare magìs quàm vinum merum, Ratio & in simili Experientia docent.

§ 27. Ratio primùm, quia vinum musteum est. *Mustum verò inflat & fervet in ventre,* inquit Hippocrates 2. de Diæt. 10. 3. 233. Perinde vinum musteum venis & sanguini infusum. Inflatus verò fervénsque sanguis non potest non gravem capiti dolorem adferre, dum in transitu exilia vasorum, per meninges discurrentium, distendit, & crassæ membranas velut à se divellit. Ista cùm surgit nebula, ebrietas primùm, mox cùm urget, sopor obrepit. Hic est quem propriè Græci κάρον nominant. Nam & impropriè Medici appellant *carum*, qui isti omnia similis est, exceptâ causâ. Mecum facit Casaubonus ad Athen. 11. 9. Verùm de hoc aliás.

§ 28. Experientia deinde ostendit in Vino novo & vetere saccharato. Novum vinum Dioscorides 5. 7. δυσόνειρον dicit, seu quòd quietem inquietam reddat & perturbet insomniis dirisque visis. Pro quo Hippocrates dixit I. de Vet. med. 19. 55. δυσκοίλιον καὶ ὀυνιάζοντα παρεγκέφαλα καὶ θορυβώδεα. Pro his Celsus 2. 2. in notis adversæ valetudinis futuræ; *si gravior somnus pressit, si tumultuosa somnia fuerunt, si sæpius expergiscitur aliquis quàm assuevit, deinde iterum soporatur.* Vide quàm multa Anazarbæus uno verbo comprehenderit. Similiter qui Vinum saccharatum bibunt insueti vel aliquantò largiùs, vix dici potest quanta ipsis obveniat καρηβαρία sive *gravatio capitis*, ut appellat Cæl. Aurelianus Tard. 4. 3.

§ 29. Quemadmodum verò rari usûs Carœnum erat: ità è contrario vulgatissimi quod ἔφημα Græci, *defrutum* Latini nominabant. In quibus primùm Vocabulis quædam necessaria annotabimus antequam Rem definiamus.

§ 30. Quod ad nomen Græcum, scire licèt primùm, Non esse confundendum ἔφημα cum οἶνῳ ἑφθῷ, *Hepsema* cum *Vino cocto.* Dalechampius, quod mirere, facit tamen apud Athenæum 1. 24. Dicit hic, ἄπυρον δ' ἄσπ, ἀ οὐχ ἑφημένον· ἐχρῶντο γὰρ ἑφθοῖς οἴνοις. Vertit ille, *ἄπυρον autem is vocat, quod decoctum non est. Nam sapâ etiam ac defruto quondam usi sunt.* Reddendum erat, *Crudum dicit, quod non est coctum. Nam & coctis vinis utebantur.* τὸ ἄπυρον id dicitur propriè quod est expers ignis sive hujus vim non sensit. Ità Hesychius ἄπυρα ζωὰ interpretatur τὰ ἀ παρέχοντα χρῆσιν ὀ πυρὶ, *quæ usum non exhibent ad ignem.* Sic & apud Suidam, ἄπυρος βοηθὸς, ἀ δι' ὠμότητος καὶ λαχάνων, *Crudus victus* dicitur, *qui intra poma & olera est.* Hæc enim igne non indigent quo coquantur antequam edantur. Cruda quippe sumere ea licet. Talibus victitasse Zenonem memorat Laertius p. m. 452. D. Sic quoque *crudum vinum* est, quod super igne non fuit. Solebant quippe veteres, cùm pluviosus annus, aut aliàs mustum esset à vindemia imbecillius, decoquere aliquatenus vinum. Democritus in Geop. 7. 4. scribit feciſse id alios usque ad vigesimæ partis, alios ad quintæ consumptionem. Haut dubiè ut arte vino sapiditatem atque durabilitatem conciliarent, quæ Natura dare nequiverat.

§ 31. Deinde, Ἔφημα strictiùs quandoque, quandoque latiùs dici. Hoc modo ἐφήματα appellabant Cocta olera aut legumina vel alia. Clem. Alexandrinus Pædag. 2. 1. p. m. 148. C. inter tenuis mensæ cibos enumerat ἐφήματα παντοδαπὰ, ζωμοὶ ἄπυροι, *pulmenta omnigena, sine juribus.* Dicit *omnigena*, respiciens ad materiam ex qua coquebantur. Forma quippe uniusmodi erat.

§ 32. Materiam præbebant ferè legumina: vide ad Theophrastum Hist. 4. 5. Etiam fructus alii. Aristoteles de Part. 2. 7. τὰ μὲν χερσαῖα ἐφήματα καὶ τὰ ἄλλα καρπῶν, *pulmenta leguminum aliorumque frumentorum.* Hesychius, καρποὶ, ζῖτα. In his & milium erat, è quo hodiéque nobile fit pulmentum. Hesychius, κεγχρίνη, τὸ ἐκ κέγχρου ἔφημα, *Cenchrine, pulmentum de milio.* Dicebam verò etiam ex oleribus fieri, & frequenter admodum ruri. Plato de Republ. 2. p. m. 601. A. καὶ λάχανα, οἷα δὴ ἐν ἀγροῖς, ἑφήματα ἑφήσουσι, *atque olera, quemadmodum ruri, in pulmenta coquent.* Hippocrates ea ξυμφορὰ εἰς ἄφορον *mollire ventrem* ait I. de Aff. t. L. Hæc Materia fuit.

§ 33. Forma verò, ut coquerentur tamdiu, donec frigescentibus superficies in tenuem crustam concresceret. Cognoveris è Philosopho de Gen. anim. 2. 3. f. τοῖς δ' ὑγροῖς μὲν, σωματώδεσι δ', θερμαινομένοις ἐπῆλθε, καθάπερ ἐπὶ τῶν ἑφήμασι ψυχομένοις τὸ ἐπίξηρον, *Humidis quidem, sed corpulentis, ubi incaluere, in superficie concrescit, velut in pulmentis frigescentibus crusta quædam.* Ea χαὶς Græcis dicitur, quasi dicas *anum* aut *vetulam*: vide Galenum de San. tu. 4. 4.

§ 34. Strictiùs verò ἔφημα vocabant Mustum decoctum ad consistentiam, minorem majorémve. Hoc me credere facit, primùm Quòd Lexica videam promiscuè τὸ ἔφημα interpretari *defrutum* & *sapam.* Glossarium, *Defrutum*, ἔφημα. Iterum, *Sapa*, ἔφημα. Similiter Onomasticum & alii. Deinde, Facultatum, quas ei adscribit Hippocrates, communitas. Ἔφημα, inquit 2. de Diæt. 13. 242. θερμαίνει καὶ ὑγραίνει καὶ χαλᾷ. θερμαίνει μὲν, ὅτι οἰνῶδες· ὑγραίνει δ', ὅτι πέφθιμον· χαλᾷ δ', ὅτι γλυκύ. *Hepsema calefacit, & humectat, & subducit. Calefacit, quia vinosum. Humectat, quia alit. Subducit, quia dulce.* Ultimo huic videtur contrariari Dioscorides in 5. 9. sed sine ratione. In altero notes, Alimenti præstantium mu-

nus esse, ut humectet. In primo autem, Hepsemata fieri ex generosis vinis solita, quæque ferendo essent ignem. Qui cùm plurimum vinosi digerat, si nihilominus Hepsema futurum est vinosum, oportet Mustum fit perquam generosum.

§ 35. *Hepsema* in Latinitatem prior intulit Plinius 14.9. Dicebatur verò sic ob prærogativam quam habet supra cætera omnia ejusdem artificii. Prærogativam verò ipsam habet partim à Materia, partim ab Utilitate. Quà materiam, nihil est eorum quæ fert tellus Vino præcellentius, quod meritò Poetas scribit Athenæus 2.3. vocasse ἡυφεγνα καρπὸν ἀρούρης, *jucundum fructum terræ*; vide ad Homerum Iliad. γ'. 246. Certè vinum ipsum bonum est, & quidquid ex eo: vide in quo Vitis glorietur Jud.9.13. & confer Psalm. 104. 15. Utilitas tanta est, ut hinc quidam Græcorum dictum οἶνον ἀπὸ τῆς ὀνήσεως existimaverint. Testis iterum mihi Deipnosophista in 2. initio. Quibus speciatim usibus *Hepsema* servierit, paulò pòst dicam.

§ 36. Quod ad nomen Latinum suprà propositum, obscuræ hactenus originis est. Quo ipso invitamur aliquid meditari Grammaticis ex usu quod fiet. *Defrutare vinum* Columellæ 2. 22. est, decoquere mustum ad spissitudinem. *Decoctum* communiore vocabulo dicebatur *defrutum*. Quod verbum si cui arcessere à Græcis libet, fortasse licet. Φεύγειν, *frigere* (pro quo Attici φρύγειν) est Coquere quid in sartagine ex oleo aut butyro, quod ferè præferunt nostrates βουτυροφάγοι. Belgarum verbum, *fruiten*, liquidò Græcum est. Quod ficuti videtur fictum sumptúmque à strepitu quem edunt pinguia cùm torrentur: similiter Latinos suum arbitror formasse ad sonum quem spissescente materiâ vapor edit erumpens. Sæpe in culina, cùm pulmenta coquunt, audire est, *phrut, phrut*, pro quo nostrates *prut*. Unde cùm pulmentum eò devenit, ut istum edat sonum, dicere solent, *de bry pruttelt*, q. d. *pulmentum defrutat*, seu sono ostendit usque quò sit coctione redactum.

§ 37. Indè *pruttelen* nobis est γογγύζειν, *murmurare*. Quod ipsum verbum fictum est ad imitationem soni quem murmurantes ità proferunt, ut loqui audias, verùm quid dicant non intelligas. Hoc enim murmurantium est, indignationem neque premere, neque promere. Premere eam non potentes loquuntur, quæ non audent promere. Loquuntur ergò, sed verbis obscuris, sensu presso, nec impresso voci vestigio iræ, nedum exsecrationis. Hoc verò est efflare verba potiùs quàm pronunciare.

§ 38. Perottus à *fruor* deducit, cujus præteritum sit *frutus*. Sed *frutus* non dicitur, inquit purè dicendi maximus autor Vossius de Arte Gramm. 3. 32. Est verò, addit, *defrutum* ex *defruitum*: quia ex eo omnis musti fructus percipitur. Nam, ut Festus ait, *Defrui dicebant antiqui, ut deamare, deperire, significantes omnem fructum percipere.* Si ista negem placere mihi, audiam fortasse, Sus Minervam. Nego tamen, & tamdiu donec ostendatur quemadmodum omnis musti fructus percipiatur in defruto. Etiámne dotes Vini habet, seu musti defæcati, quod fæcum plus quàm vini habet? Verosimiliùs Isidorus Orig. 30. 3. *Defrutum dictum est, quòd defrudetur, & quasi fraudem patiatur.* Non credo.

§ 39. Quod ad usum Vocis, quandoquidem non ad eandem semper spissitatem decoquere Mustum solerent, sed aliquando ad dimidiam, aliquando ad tertiam: hinc est quòd *defrutum* significaret modò quodvis Hepsema, modò quod esset maximè decoctum. Apud accuratiores propriè dicebatur *defrutum*, quod ad tertiam: *Sapa*, quod ad dimidiam decoctum erat. Quid ergò ista Plinii volunt? *quod alii hepsema, nostri sapam appellant, musto usque ad tertiam partem mensura decocto: quod ubi factum ad dimidiam est, defrutum vocamus.* Error memoriæ est, quæ amanuensi *tertiam* dictavit, ubi *dimidiam* debuit, & contrà *dimidiam* ubi *tertiam* dicere oportebat. Hoc verò dilucebit clarè ex consideratione singulorum.

§ 40. *Defrutum* Latinis *à defervendo dictum, ubi ad spissitudinem fortiter despumaverit, effectum est*, inquit Palladius Oct. 18. Nota, cùm *defrutum* ait à *defervendo* dictum, respicere ad originem rei potiùs quàm nominis. Præterquam enim quod *deferbitum* non dicatur, etiam violentum esset hinc *defrutum* formare.

§ 41. In re ipsa non modò consentit Columella in 12. 20. sed & quò spissius fuerit decoctum, eò melius ait, *Si naturâ tenue mustum erit, cùm ad tertiam partem fuerit decoctum, ignis subtrahendus est, & fornax protinus aquâ refrigeranda: quod si fecerimus, nihilominus defrutum infra tertiam partem vasis consedit. Sed id quamvis aliquid detrimenti habeat, prodest tamen: nam quantò plùs decoquitur (si modò non est adustum) melius & spissius fit.*

§ 42. Quibus è verbis observes, primùm, *Mensuram decoquendi.* Ea erat vel ad tertiam vel intra. Si mustum decoqueretur ad tertiam, refrigescens confidebat infra eam. Quamdiu enim calet decoctum, plenum vaporibus tumet: quibus evanidis fidit. Qui considere ad tertiam volebant, ad dimidiam decoquebant. Hoc licebat in mustis craffioribus: illud verò expediebat in tenuibus, quò nè situm ducerent; cui magis sunt obnoxia quæ sunt aquosiora magís. Valde hoc Pharmacopœi experiuntur in Sambuci *rob*, quod vocant.

§ 43. Deinde, *Modum decoquendi.* Quem plenius tamen exponit capite præcedente, *Uvas*, inquit, *sereno siccóque die quàm maturissimas legemus, quibus proculcatis mustum, quod defluxerit antè quàm prælo pes eximatur, satis de lacu in vasa defrutaria deferemus, levíque primùm igne, & tenuibus admodum lignis, qua cremia rustici appellant, fornacem incendemus, ut ex commodo mustum ferveat. Isque qui præerit huic decoquendo, cola juncea vel spartea ex crudo [id est, non malleato] sparto præparata habeat. Itémque fasciculos fœnieuli fustibus illigatos, quos posit utique ad fundum vasorum demittere, ut quidquid facis subsederit, exagitet & in summum reducat: tum colis omnem spurcitiam qua redundarit expurget. Nec absistat id facere, donec videbitur eliquatum omni face mustum carere: tum sive mala cydonia, qua percocta sublaturus sit, seu quoscunque voluerit convenientes odores adjiciat, & nihilo minùs subindè fœniculo peragitet, nè quid subsederit quod possit plumbum perforare. Cùm deinde jam acriorem potuerit ignem vas sustinere, id est, cùm aliquâ jam parte mustum in se fervebit, tum codices & vastiora ligna subjiciantur, sed ità nè fundum contingant. Quod nisi vitatum fuerit, vel vas ipsum, quod aliquando contingit, pertundetur; vel, si id factum non erit, utique aduretur mustum, & amaritudine conceptâ condituris fiet inutile,*

§ 44. Tertiò, *Cautelam decoquendi.* Cavendum quippe nè aduratur. Ad hoc, præter id quod jam audivimus, necessarium est eodem monitore, ut *ipsa vasa, quibus sapa aut defrutum coquitur, plumbea potiùs quàm ænea sint, Nam in coctura æruginem remittunt ænea, & medicaminis saporem vitiant.* Hodie ad ejusmodi usus vasa adhibent ænea, seu quæ perforationi non sunt exposita. Quò nè verò æruginem remittant, obducunt intus fuso stanno.

§ 45. Denique, *Terminum decoquendi.* Nam quantò plùs defrutum decoquitur, tantò fit melius, cùm ad Penum, tum ad Usum. Illius rationem jam intelleximus: spectare nempe præcautionem situs, quo facilè obducitur, si quid remanst aquei seu potiùs pituitosi: quomodo nunc appello, quod substantiâ aqueum, substantiæ modo lentum est. Purè aquea enim, cùm evaporant, difflantur. At mucida lanugo illa quæ superficiei obhæresci, vaporis lentitudinem ac tenacitatem arguit. Ad usum verò Poeta allusit in Georg. 4. 268.

—— *igni pinguia multo Defruta.*——

Pinguia vocat, quia sunt spissa & dulcia: nam *pingue* pro *dulci* rectè dici, autor nobis Galenus est 6. Epid. 5. 14. & alibi. A multo autem igne spissitudo est: à spissitudine, dulcedo: à dulcedine, gratia usûs. Ab utraque verò est, quòd

Dulci defruta sint lutosa cœno,

ut satis ingeniosè Papinius lusit in 4. Silv. 4. 708.

§ 46. Inter *defrutum* verò & *carœnum* erat quæ *sapa* Latinis, σίραιον Græcis fuit nominata. Heic iterum necesse

cesse habeo aliquid præliminiò dicere de vocibus istis, antequam ad rem deveniamus. Dicam verò primùm de Græco.

§ 47. Hesychius, Ἔψημα, ὅπερ ἔνιοι σιφλὸν καλοῦσιν, ἄλλοι γλυκύ. *Scribe*, inquit Vir magnus, ὅπερ ἔνιοι σίφλιον καλοῦσιν, ἄλλοι γλεῦκος. Scribes, ὅπερ ἔνιοι σίφλιον καλοῦσιν, ἄλλοι γλυκύ, siquidem audis non me, sed ipsum Hesychium: Σίφλιον, τὸ ἀπὸ τῆς σαφίδος ἕψημα· οἱ δὲ γλυκύ· ἢ ἑψημάριον οἶνον. Phavorinus, Σιφλίῳ, τῷ γλυκεῖ ἑψήματι, παρὰ τοῖς Ἰωνικοῖς. Desumpsit è Galeni glossis, aut Erotiani. Apud illum præterea sic scribitur l. κ', γλώ 3. 2. p. 346. l. 46. & l. de Atten. vict. 12. ac alibi. Apud Hippocratem reperitur 1. Muliebr. t. XCI. iterúmque 2. t. LXIII. Ubi tamen utroque loco legitur non σίφλιον, sed οἴνου σίφλου· de quo mox. Etiam σίφλιον scribunt Aristophanes & Scholiastes Vespis p. m. 493. B. F. Unde rectè Dalechampius & Casaubonus pro τῷ σισίφλιον, quod Athenæo 4. 21. subrepsit, rescribunt σίφλιον, præeunte mss. Videtur hæc non vidisse Seberus: alioqui confidentiùs apud Pollucem 6. 2. idem restituisset pro σεσαίφλιον, quod planè mendosum est.

§ 48. Cæterùm quod alteram emendationem attinet, apud Hesychium non esse in locum τῷ γλυκὺ reponendum γλεῦκος, vel unum Eustathii illud evicerit, quod est Odyss. α'. p. m. 1385. l. 14 ἢ τὸ γλυκὺ ἐκ τοῦ γλεύκους. Si enim *dulce* est *ex musto*, non est mustum. Neque est qui σίφλιον & γλεῦκος pro synonymis habuerit. Quæ eapropter debui paulò pleniùs proponere, ut nè obstet mihi auctoritas Exercitatoris sacri.

§ 49. Latini quoque *siraum* dixere. Plinius 14. 9. *Nam siraum, quod alii hepsema, nostri sapam appellant.* Distinguere autem quod ex musto fiebat Siræum oportet ab eo quod ex caricis aut palmulis. Nam ex his quoque Siræum confeciisse scribit Ægineta 7. 14. σίφλιόν [libri σίφλον, vitiosè] ἔστι, τὸ τι ἀπὸ τῆς γλεύκους ἑψόμενον, ἢ τὸ ἀπὸ τῶν ἰσχάδων ἢ φοινίκων· ἢ αὐτὸ τὸ γλυκὺ γλεῦκος σὺν τῷ μέλιτι, *Siraum dicitur, non tantùm quod ex musto coctum sit; sed & quod ex caricis atque palmulis; & ipsum hoc dulce, mustum cum melle.* Quod ex ficubus coquebatur, id Galenus l. de Att. vict. 12. assimilat corrupto melli. Credibile verò est & hoc & ex dactylis pinguibus (τὸ δὲ λιπαρῶν φοινίκων ἀφέψημα, ut Paulus ait 3. 28. quà de curatione Arteriacorum) quod fiebat, venisse potissimùm tenuioris fortunæ hominibus in usum.

§ 50. Etiámne verò mustum cum melle decoquebant ad consistentiam ceu speciem Siræi novam? Ità quidem videtur ex istis Ægineta. Hóccine verò fuerit quod Græci appellabant μελιτώδες, quasi ἐκ μέλιτος ὑδρὸν *dulce ex melle?* Suspicor id quidem: affirmare tamen præter auctoritatem non ausim. Quæ conjectura tamen si vera est, confundi cum eo, quod etiam dulci è genere est, *melitites* non debet, quam *mellinam* vocat Plautus Pseud. act. 2. sc. 4. 51. unde *mellilla*, ὑπανισεισικὸν, Casinâ act. 1. sc. 1. 47. *Melitites* quippe erat οἰνόμελι ἀπὸ γλεύκους *mulsum è musto* factum. Faciendi modum tradidit Dioscorides 5. 16. alium Beritius in Geop. 8. 25. At hoc quia homines comperiebantur inflationibus obnoxium & ventriculo incommodum esse, seculis jam fieri desiit. *Solebat tamen inveteratum alvi causâ dari in febre*, ut Plinius notat 22. 24.

§ 51. Sapa verò quemadmodum conficeretur, intelligas etiam è Palladio; *Sapa*, inquit, *ubi ad tertias redacta descenderit.* Plinius 23. 2. *Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit.* Quibus videtur (ut iterum hoc moneam) Columella contrarius l. 12. 19. *Quidam partem quartam musti, nonnulli tertiam decoquunt. Nec dubium quin ad dimidiam si quis excoxerit, meliorem sapam facturus sit, eóque usibus utiliorem, adeò quidem ut etiam vice defruti, sapâ mustum, quod est ex veteribus vineis, condire possit.* Non. Marcellus 17. 14. Sapa, *quod nunc* mellaceum *dicimus, mustum ad mediam partem decoctum.* Probat è Varronis 1. de vita P. R. *Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant.*

§ 52. Quæ quo concilies modo, nisi quem suprà innui? dicendo nempe, ad dimidiam excoxisse quod refrigescens volebant ad tertiam considere. Revera enim hinc dictum Græcis σίφλιον fuit, quòd esset εἰς τριῶν *ad dimidiam* coctum. Cyrilli glossæ; Στεῶ, *Civisa:* pro quo Vulcanius, *Simissa:* uti mox apud illum Σιφωτὴς οἶνου ἢ ἄλλου τινὸς ὑγροῦ, *Simissator* exponitur, sive *qui decoquit ad dimidiam.* Rectum puto, *semissa* & *semissator:* prorsus ut *semissarius heres* dicitur Florentino is *qui ex parte dimidia institutus* est, l. Legatum 116. § 1. ff. de Leg. & fideic. itémque *semissalis usura* Modestino l. Septicia 10. ff. de Pollicitationibus.

§. 53. Sapa igitur, quà formam seu consistentiam, spissior Caræno fuit, mollior Defruto. Quod ad materiam verò, sapa fit ex musto vel albo vel nigro. *Ex albo melior*, inquit Plinius 23. 2. non tantùm quia sapidior; sed & quia μαλακτικὴς τῆς ἄλλων μᾶλλον, *ventrem præ aliis mollit.* Ità Dioscorides 5. 9. Ex nigro enim musto Sapa haut dubiè adstringit.

§ 54. Erat autem sapa per se sapida admodum. Sapidiorem tamen qui volebant, optimi vini sextarios C. ad musti 8. adjiciebant. Hanc præparationem seu optimam commendat Leontinus in Geop. 8. 31. Alii aromatis condiebant: vide ad Columellam 12. 20.

§ 55. Paret itaque, ingenii hæc, non naturæ opera esse: & esse non ad bibendum comparata, sed *omnia in adulterium mellis excogitata*, uti Plinius ait 14. 9. Aristophanes loco quem modo laudabam disertè σίφλιον ἀντὶ μέλιτος *sapam pro melle* substituit. Inquies, quemadmodum Sapa saltem ad bibendum non sit facta, cùm referente Plinio 22. 2. *Fabianus auctor sit, venenum esse, si quis jejunus à balinetis eam bibat?* Fortè quis recèns à balneo & antequam ibi insudasset, æstuante corpore & onusto pravis humoribus, dilutam vino sapam bibens subitò fuit extinctus cum talibus symptomatis, quæ potionatis aliàs accidere esset observatum. Id si accidit, ut sanè potuit accidere, non miror veneni instar habitam eo in casu sapam. Quàm facile enim est ut sapa ferveat & instar mellis fermentet humores pravos & secessionem (quam *putredinem* appellat vulgus) faciat in sanguine, spiritúmque enervet enecétque.

§ 56. Sed verò, potui ista, saltem mera, non fuisse, colligi & equidem haut obscurè potest è Galeni l. de Att. vict. 12. *Vina*, inquit, *quæ duleia admodum sunt, omnia sanguinem crassum gignunt: nigra namque hæc sunt, & consistentiâ crassâ, & iis adhuc magis Siraum quod vocant, id est, sapa. Est autem id mustum plurimùm coctum.* Ecce, crassiora erant præut bibi indiluta possent; & talem gignebant sanguinem, qualem nemo cupiat, ideóque cavet quæ materiam ei præbere queunt. Cùm enim τὸ αἷμα τὸ ἐν ἀνθρώπῳ πλεῖστον ξυμβάλλεται μέρος σωμάτων, *Sanguis qui in homine est potiorem partem contribuat ad prudentiam*, uti ex vero dicit Hippocrates 1. de Morb. t. 28. & l. de Flat. 20. 209. conferat verò hoc quod ad eam confert puritate suâ & pellucidítate: nemo equidem non obscurare hanc cavebit, quisquis vel experimento didicit quàm Spiritus noster oderit tenebras, amet autem habitare in lucido.

§ 57. Ut jam non dicam, matutino potui id expeti potissimùm, quod ipsum coctione non egeat, quin serviat pridianæ cœnæ reliquiis conficiendis & digerendis. At verò συστλικὸς πᾶς ὢν, *astringit omne siraum*, monente Dioscoride 5. 9. unde nec facilè confert ulli qui consuevit alvum habere obedientem.

§ 58. Accedit tertium, quòd *intùs facilè vitientur defrutum, passum, & quidquid nimis dulce est*, auctore Celso 2. 28. Causam aperiet Hippocrates tibi, si audire libet, l. de Vet. med. t. 24. 76. Sed exscribamus verba in gratiam eorum quibus ad manum liber non est; ἀλλ' ὅτι ἰσχυρὸν ἐκεῖνο, καὶ τὸ κράτιστον τῆς ἀνθρωπίνης, ἢν μὴ ὑδρωπικὸν κρατύνῃ, τοῦτο βλαπτικὸν ἡγήσαιτο, καὶ τοῦτο ἐξητήσατο ἀφιλέειν· ἰσχυρότατον δὲ ὅτι τῷ μὴ γλυκεῖ τὸ γλυκύτατον. *Sed quod in unoquoque forte est, & potentius Naturâ humanâ, quod non potuit superare, hoc lædere arbi-*

trati

trati ſunt, atque hoc ſtuduerunt auferre. Potentiſſimum verò eſt inter dulcia dulciſſimum. Quid autem melle dulcius? Jud.14.18. Certè nihil in his quæ ſponte nobis Naturæ ſuppeditantur. Quid autem ſapâ potentius? quæ & in adulterium mellis fuit excogitata, & excocta è muſto plurimum omnino retinet in ſe vini. Cujus ſi *Aſclepiades*, autore Plinio 23.1. *utilitatem aquari vix deorum* (gentilium nempe, quæ per Dei gratiam *idola ſcimus nihil eſſe in mundo, & nullum Deum alium niſi unum*, 1 Cor.8.4.) *potentiâ poſſe pronunciavit*: quanto meliore nobis jure licet de Vino affirmare, non habere æquipollens ſibi in humanam naturam? Effecta teſtantur quàm nè robuſtiſſimus quidem Vinum impunè laceſſat: confer ad Prov. 23.29. & deinceps.

§ 59. Ergò igitur ſi potui non fuere, cui uſui erant? Ad condimenta & medicamenta.

§ 60. Medicamenti loco ſæpe ſapam ac defrutum veniſſe olim, clarius eſt è Medicorum libris præut oſtendi loca debeant: imò jam oſtendimus in Hippocrate & Galeno, principibus viris: adde interim Dioſcoridem 5.9.

§ 61. Serviebant autem potiſſimùm condiendis cùm Vinis tum Cibis. Vinis primùm. Columella 12.20. *memineris anniculo defruto, cujus jam bonitas explorata eſt, vinum condire: nam vitioſo medicamine fructus, qui perceptus eſt, vitiatur.* Et mox cap. 21. *Poteſt tamen etiam poſt dies novem quàm refrixerit, adjici in vinum: ſed melius eſt ſi anno requieverit.* Præmiſit autem cap.19. monitum egregium, quod utinam hodie audirent Oenopolæ, *Quacunque vini nota ſine condimento valet perennari, optimam eam eſſe cenſemus, nec omnino quidquam permiſcendum, quo naturalis ſapor ejus infuſcetur. Id enim præſtantiſſimum eſt quod ſuâpte naturâ placere poterit.* Quidquid ſit, ſaltem, ut ex eodem pergamus loqui, *cavendum eſt, nè condîtus ſapor intelligatur: nam ea res emptorem fugat*, cap. 20. Me certè, qui nihil æquè odi ac vinum adulteratum. Naturâ dulce & maturitate bonum amo, non arte. Interea etiam veriſſimum eſt hodie, quod ſuo jam tempore queſtus fuit Plinius in 23.1. *Jam verò nec Proceres uſquam ſinceris utuntur. Eò venêre mores, ut nomina modo cellarum veneant, ſtatimque in lacubus vindemia adulterentur: ergò, mirum dictu, innocentius jam eſt quodcunque & ignobilius.* Hodie nè hoc quidem expers manet fuci.

§ 62. Vinum verò quod admixtum ſibi Hepſema haberet, dicebatur priſcis γλεῦξις ἢ γλυξις. Athenæus 1.24. ἡ γλύξις δ' οἶνος καλεῖται, ὁ τὸ ἕψημα ἔχων, *Glyxis verò id vinum dicitur, quod mixtum ſibi hepſema habet.* Euſtathius ad Odyſſ.α'.p.m.1385.l.1. ἡ γλεῦξις κατὰ Παυσανίαν, οἶνος πολὺ ἕψημα ἔχων· ὁ νῦν φησι σίριον, *Gleuxis ſecundùm Pauſaniam eſt vinum habens multum hepſematis admixtum ſibi: quod nunc dicitur Sirinum.* Tale fuiſſe arbitror quod οἶνος σίραιος *vinum ſiraum* dicebatur Hippocrati ſuprà § 47. Solum namq; *ſiraum* infuſionibus non ſatis aptum. Diluebatur itaque vino. Hoc *ſiræum* aut *ſirinum* aut *ſirium*, ut Dioſcorides. Heſychius inter γλεῦξιν & γλύξιν facere diſcrimen videtur. Γλεῦξις, οἶνος, ἕψημα. Revera, ut jam audivimus, fuit οἶνος σὺν ἑψήματι, non *vinum* aut *hepſema*, ſed *vinum cum hepſemate.*

§ 63. Iterum, Γλύξις, ὁ ἀνεμιώδης οἶνος ἢ ἄγαν ὀξύς, οἱ ἔνιοι ἀπαλδόεσσον, οἱ δὲ γλεῦξιν, *Glyxis, effœtum vinum atque infœcundum, quod quidam ŏri-molle, alii gleuxin vocant.* Priore colo quid velit, non aſſequor ſatis. Utrúmne intelligit, quod Plautus Pœnulo act.3.ſc.3.87. vocat *vinum edentulum*, ſive quod ſine dentibus, quaſi nimiâ vetuſtate, eſt? vide Lipſium Antiq.lect.2.19. An verò tale quod ſterilitatem adferret? cujuſmodi Herea, oppidum Arcadiæ, dicitur habuiſſe, quod infœcundas redderet mulieres. Athenæus de Trœzenio 1.24. ὁ δὲ Τροιζήνιος οἶνος ἀγόνους, φησὶ, ποιεῖ τὰς γυναῖκας, *Trœzenium vinum infœcundos dicitur facere bibentes.* Suſpicor tamen pro ἄγαν legendum eſſe ἄπονος. Sanè hoc malim, dicíq; *vinum ἀνεμιῶδες*, quod ætate, ἄπονον, quod naturâ infirmum eſt. Hoc genus vini ſalubre non eſſe cognoſcimus è Dioſcoride, 5.9. Οἱ δὲ καλούμενοι ἀπαφόχυλοι, inquit, ἔχοντες δὲ ἕψημα μαμιγμένον, καφαλῆς εἰσι πληρωτικοὶ, μήδης γονιμικοὶ, δυσδιάπνευστοι, κακοστόμαχοι· hoc eſt, *Vinorum quotquot maris expertia ſunt, habent autem hepſema permixtum, caput implent, temulentiam gignunt, difficilè tranſpirant, aliena ſtomacho ſunt.* Heſychio οἶνος ἀπαφόχυλος exponitur ᾧ ὁ πυκάθιος ἅλαται, *cui non eſt additum mare.* Eodem modo interpretatur Galenus Meth.med.12.4. Cui verò admixta eſſet *marina*, id Celſus modò *ſalſum* ſimpliciter vocat, ut lib.1. cap.6. modò *ſalſum Græcum*, ut 3.6.24. & alibi. Græcorum namque id inventum erat, vinorum ſola ignobilia condientium mari. Quomodo? docet Dioſcorides 5.27. itémque Columella 12.25. Quare? docet Plutarchus in Quæſt.nat.10. Species ſalſi ſeptem recenſet Plinius 14.8. Quod verò eſſet ἀθάλασσον, *maris expers*, diximus cum Horatio 2. Sat. 8.15.

§ 64. Etiam cibis Sapam atque defrutum condiendis veniſſe, multis autorum locis teſtatiſſimum eſt. Præ aliis videri Cæl. Apitius poteſt, qui ſæpeſæpius eorum meminit omnibus penè in libris de Re culinaria. De talibus Cibis accipio Celſi judicium 1.1.2. *Condîta omnia duabus de cauſſis inutilia ſunt, quoniam & plus propter dulcedinem aſſumitur, & quòd modo par eſt, tamen agriùs concoquitur.* Verè ità eſt, ut medici ſentiunt, *Cibus ſimpliciſſimus, cibus optimus.* Præterquam enim quòd minoris conſtet, fructûs eſt majoris. Nam & parvo ſaturat, & facilè coquitur, & plùs alit. Martialis ea propter rectè

Convictum facilem, ſine arte menſam

recenſet inter

Vitam quæ faciunt beatiorem. l. 10. Epigram. 47. v. 1.8.

§ 65. Præcipuè verò nigrandis juribus Sapa faciebat. Jam non contineo me, ut non aliquantùm de propoſito decedam & aperiam aliquid veteris hiſtoriæ. Namque hæc ſunt curarum noſtrarum delinimenta.

§ 66. Olim frequenti in uſu fuit Jus duplex, album & nigrum. Ζωμὸς λευκὸς, *jus album* quódnam diceretur, & quâ ratione conficeretur, intelligi è duobus Galeni locis poteſt. Unus eſt l.de Alim. fac.3.30. Quæ quia ab Oribaſio ſunt exſcripta in Conſect.2.51. ſuffecerit mihi Latina indè deſumpſiſſe, prout Raſarius exhibuit, *Piſcium molli carne præditorum apparatus ad concoctionem optimus eſt is qui ex albo jure conficitur, quod quidem parant hoc modo. In aquam copioſam olei quod ſatis ſit effundito, paríque anethi & porri addito: cùm piſces ſemicocti fuerint, tantum ſalis adjicito ut totum jus nondum ſalſum videatur. Hic apparatus vel ipſis ægrotis eſt accommodatus.* Non ſuaſerim tamen noſtris palatis apponi.

§ 67. Hoc interim modo non conficiebatur album jus, niſi quoties carnes æger cuperet. Simpliciter enim olera tantùm admittebat. Oribaſius diſertè Conſect.4.1.§ 13. *Album jus atq; ſimplex ex ſola aqua & oleo, pauco aneth & porri, & ſale modico injecto poſt idoneam coctionem, conficitur.* Plinius 32.9. *piſces* ad alvum emolliendam jubet *coqui cum aneth o, apio, coriandro, porro, additis oleo & ſale.* Subnotat Dalechampius, *Tale eſt album jus, toties à Galeno memoratum.*

§ 68. De carnibus quod dixi, id verò clarum eſt ex altero Galeni, quem intendebam, loco. Is eſt, Τιμίων 4.10. εἰ δὲ σαρκὸς βύλοιτο γεύσασθαι, τῷ μὲν πίσσαιον ἰχθύων ἢ ὀνίσκων ὀπτῷ λευκῷ ζωμῷ καλῶς ἐφύσαλλα διδόναι. προσαρτύω δὲ λευκὸν ζωμὸν, ὅταν ἄνευ σαρκός τε, καὶ πολὺ μᾶλλον τῆς ἄλλης καρυκείας, ἐκδιδῷ, ἀνήθου τε καὶ ἁλῶν ἐμβαλὼν ὀλίγων εἰς ὕδωρ σὺν ἐλαίῳ καὶ πράσῳ βεβχῆ. Pro quibus Linacer nobis iſta dedit, *Quòd ſi carnem quoq; guſtare velit, ſaxatiles piſces vel oniſcos in albo jure bene elixos dabis. Voco jus album, cùm ſine garo, magiſque etiam ſine ſupervacua conditura, cujuſmodi καρυκείαν Græci vocant, præparatur, aneth o ſaléque cum oleo & porri exiguo in aquam conjectis.*

§ 69. Quibus in verbis tria iterum ſe offerunt conſideratu digna. Primùm, Quid ὀνίσκοι, *aſelli*, fuerint antiquis. Deinde, Quemadmodum ſine carne Jus album fieri dicatur, ſi Oniſcos aut ſimiles piſces admitteret. Denique, Quid fuerit καρυκεία. Primum, quia nequit tribus, quod aiunt,

aiunt, verbis expediri, reſervabimus in proximam exercitationem.

§ 70. Quod ad alterum, Linacer, *ſine garo* reponens pro eo quod noſtris in libris eſt ἀνὰ Ζαρκὸς, *ſine carne*, videtur uſus manu exarato codice. Interea editos exhibere quod rectum eſt oſtendunt verba proximè præcedentia & præſcripta. Ad quæſtionem ergó.

§ 71. Apoſtolus 1 Cor. 15. 39. ἄλλη μὲν Ζὰρξ κτηνῶν, ἄλλη δὲ ἰχθύων, ἄλλη δὲ πτηνῶν, *alia eſt caro pecorum, alia piſcium, alia volucrum.* Hoc adeò certum eſt, ut vulgus nè admittat quidem piſces in cenſum carnium. Medici admittunt, ceu videre in Galeni iſtis: ſed ità ut in æſtimatione nutrimenti, quod præbent, planè diſtinguant, & pro Carne habeant non niſi eam, quam præbet *omne animal quadrupes domi natum, omnis fera, omnis avis*, quemadmodum hæc digerit Celſus 2. 18. Qui & propterea cùm ibidem dicit, *plus alimenti eſt in carne quàm in ullo alio*, piſces omnino ſecludit à valore & cenſu carnium. Confer ad Hippocratem l. de Affect. t. 46. ubi ἰχθύες κοῦφον ὑγρὸν, *piſces leve edulium* dicuntur. Ubi *leve* dici, quod & facilè concoquitur & parùm nutrit, reſciveris ex collatione horum Celſi, *Levior piſcis inter ſaxa editus*, &c. cum textu 11. lib. 2. de Diæta.

§ 72. Quando itaque *Piſces* Carnibus non adnumerabant, rectè *Jus ſine carnibus* dicebatur, quod nihil earum recepiſſet quæ propter excellentem vim nutriendi ceu prærogativâ quadam ſingulari appellantur *caro*. Ut adeò etiam Galeni iſta quæ propoſuimus planè evincant appellatum fuiſſe *Jus album*, in quo vel olera tantùm, vel præterea piſces fuiſſent cocti: at non item carnes. Modum Juris albi faciendi varium tradit Cæl. Apitius de Re cul. 7. 6. novum verò & noſtri ſeculi ac ſuæ præſertim gentis hominibus vel aptiorem vel ſapidiorem, Jul. Alexandrinus Salubr. 19. 15.

§ 73. Præter hæc quærebamus, Quid καρυκεία fuerit. Propriè, Conditura quæ cum caryca fiebat: impropriè, Conditura quælibet ad imitationem illius facta. Itaque ut qualis eſſet ea conditura intelligamus, ſciendum eſt quid Caryca fuerit.

§ 74. Τῆς καρύκης inventum Athenæus 12. 3. refert ad Lydos, hominum molliſſimos: memorátque ſuis ibi nominibus Auctores ſeptendecim, qui ejus conficiendæ rationem tradidiſſent. Propterea verò, fortaſſe & quòd appararent illi ſuaviſſimam, in proverbium abiit καρύκη Λυδῶν: vide ſis ad Eraſmum p. m. 193. 446. 510. Quantivis verò pretii eſſet, nihilominus ei Timon Pyrrhonius Sillorum 2. non comparare tantùm, ſed & præferre auſus eſt *conchum* Græcorum, vilem cibum & facilem paratu: ídque propterea quòd ἡ πᾶσι σκευοτρόφητος ὀψοφύλαξ, *aruma ſit quaſi perpetua comes ambitioſarum cupediarum.* Verè enim ità eſt, ut Parœmiographus ſacer ait Prov. 23. 21. *comeſſator depauperabitur.*

§ 75. Ex quibus *caryca Lydorum* verò conficeretur, Athenæus non dicit. Materia præcipua fuere Sanguis & Hedyſmata, ceu ex Heſychio paret, & inprimis Phavorino. Heſychius; καρύκη, βρῶμα λύδιον, ἐξ αἵματος καὶ ἄλλων ἡδυσμάτων ζυγκείμενον. Prima ergò materia, Sanguis. Cujus animalis? Quo quiſque maximè delectaretur. Scribit Galenus de Alim. fac. 3. 18. leporinum celebrari ut jucundiſſimum: etiam ſuillum edi; quo & hodie paſſim Belgæ delectamur in farciminibus. Homero laudatur caprinus. Eadem & Ægineta habet lib. 1. 85.

76. *Hedyſmata* Galenus *aromata* exponit in gloſſis. Per quæ intelligi putem non ea duntaxat quæ aut India mittebat, aut felix Arabia: ſed & quidquid domi natum conciliare poteſt condituræ & odorem ſuavem & gratum ſaporem. Videre id apud Aretæum eſt de Cur. diut. 1. 2. ubi exponens quæ καρυκεία Cephalæ conveniat, ait; καλοὶ γὰρ οἱ ὀν τῇ καρυκείᾳ καρποὶ, κόκκυ, κοριάνν, ἄνισυ, Ζελίνυ τε τυτίων κρίθων, ἡ εὐόσμου ἡ βοτάνη, καὶ γλήχων, *Bona namque in conditura ſunt ſemina cari, coriandri, aniſi, quibus melius eſt apii, mentha herba, ac pulegium:* confer & Platinam de Tuenda valet. 3. 7. 10. in initiis.

§ 77. Etiámne verò alia Materia fuerit adhibita, non poſſum dicere. Suſpicamur tamen ex eo, quòd pro ſucco ſufficere ſanguis non videtur. Videtur enim non abſimilis fuiſſe Carycarum compoſitio à compoſitione Unguentorum. Qua de Plinius 13. 1. *Ratio faciendi duplex: ſuccus & corpus; ille olei generibus ferè conſtat, hoc odorum. Hæc ſtymmata vocant, illa hedyſmata.* Ubi *ſtymmata* vocat, quæ conſiſtentiam ſeu corpus darent unguentis: *hedyſmata* verò ſuccos quibus ea exciperentur. Sic quoque in Carycæ confectione præter ſanguinem credimus addidiſſe ſapam aut defrutum aut quid ſimile.

§ 78. Forma Carycæ quæ fuerit, nuſpiam expreſſè docetur. Phavorinus, cùm eam modò βρῶμα edulium, modò ὑπόχυμα intritum, modò ἕψημα decoctum vocat, videtur variam indigitaſſe, ac conſiſtentiorem aliquando, aliquando molliorem fuiſſe. Hoc verò certum eſt, nigricante colore fuiſſe, ſive à Sanguine eum, ſive aliunde haberet. Phavorinus cauſam reddens quare λύδιον βρῶμα dictum eſſet καρύκη, diſertis ait, ὅτι μέλας ἐστὶ, *quia nigrum eſt.* Unde & ipſe &, è quo pleraque ſua deſumpſit, Heſychius, τὸ καρυκεύειν exponunt per σωλαβεῖν καὶ ἀναδεύειν, *infuſcare & immiſcere.*

§ 79. Non arbitror autem verè ac ſimpliciter nigram Carycam fuiſſe, ſed ex ruſſo nigricantem, ſive phœnicio colore, *caſtanatum* quem nuncupamus à cortice caſtaneæ quem refert. Huc nos ducunt Hippocratis illa quæ referuntur 4. Epid. t. 13. de duobus fratribus, qui Cecropis erant domeſtici, οἵσι τὰ μέλανα καὶ ἀρχὰς διῆκεν, ὑπόπυρα καρυκοειδέα. ὁκόταν χολαγωγίων ἀφορμέων χολώδεα ἦσαν, *His nigra ab initio exibant, quaſi fax, caryca ſimilia: ex ſaturatis ſpumoſis bilioſa erant.* Hâc gradatione meliorari conſuerunt excreta, & ſæpe eſt hæc obſervare in evadentibus à gravi morbo & colluvie pancreatis.

§ 80. Et iſta mihi ratio videtur, quare quodvis Conditum deinceps, modò Jus ſapidum facere & infuſcare adinſtar Lydiæ poſſet, καρύκη fuerit appellatum. Tale eſt quo noſtrates coqui profundunt artocreas ex bubula carne: *bruine ſauſſe.* Tale verò vel inprimis eſt, quod pro intinctu ſuperfunditur aſſo lepori: *haſe-ſauſſe.* Tale eſt in quo Carpiones elixant; cujus formulam exhibet Jul. Alexandrinus Salubr. 20. 13.

§ 81. Galenus itaque per καρυκεῖον intellexit omnem talem Condituram, quâ delicioſum Jus & fuſcum fieret. Ferè enim jurium in gratiam fiebant. Quæ ratio eſt quare Heſychio etiam καρύκη exponatur ἀδιάφορος ζωμός. Pro quo ſi quis, Linacrum ſecutus, reddere velit, *Caryca eſt ſupervacuum jus*, non ſonabit bene. Concinnius, ſi dicas; *Caryca eſt jus ambitioſum.* Ità enim appellant Græci pariter ac Latini ea quæ fiunt affectato ſtudio, enixâ operâ, ingenti ſumptu, cuíque omnino liceret parcere & nihilominus ſatisfacere non tantùm neceſſitati, ſed & voluptati.

§ 82. Ità οἶνοι περίεργοι Dioſcoridi 5. 19. dicuntur vina quæ ſunt majore curâ & operâ confecta, ut exponit ibi Marc. Vergilius, cujus hîc ſectiones ſequebamur: nam cæteris in libris reperies cap. 27. Talis fuit Amminæi confectio, quam Didymus tradit in Geop. 8. 21. & aliorum, quæ haut opus recenſere. De quibus Plinii penè ſimile judicium eſt in 23. cap. 1. quale eſt Plutarchi Symp. 4. 1. in fine, de Aburtacis, Candulis, Carycis, atque id genus eduliis: eſſe nempe περίεργα καὶ σπερμολογικὰ, *ſupervacua atque inutilia.* Quæ omni in menſa deſiderare cupediorum eſt. *Cupedii* dicuntur κυπτοὶ, faſtidioſi illi, qui attingere nihil eorum in menſa ſolent quo populus utitur; quin & in omni delitiarum affluentia, niſi quid novum atque inexſpectatum, & ad ambitionem, non utilitatem comparatum apponatur, conſueti electilia ſectari nihil inveniunt quod faciat ad palatum.

§ 83. Quando itaque Galenus jus album fieri abſquè ulla καρυκείᾳ dicit, etiam ſapam & defrutum excludit. Horum enim ſi quid ſuffunditur juri, nigreſcit. Ità ſcribit Galenus 1 Prorrh. t. 13. *dejectiones ſæpè ſequi colorem* τῶν

eorum quæ quis comedit: & hoc apparere manifestò in his, qui ederunt decoctum leporinum sanguinem, vel jus nigrum eorum, quæ cum multa conficiuntur sapa.

§ 84. Nigri juris inventionem Lampriæ tribuere videtur Euphron in Adelphis,

Ζωμὸς μέλας ἐγένετο πρώτῳ Λαμπρίᾳ.

Ad quæ Casaubonus in Animadv. ad Athen. 9.6. *Nugatur hic coquus, juris nigri inventum Lampriæ tribuens, cùm Lacedæmonios ab antiquissimis temporibus eo usos constet; aut ità accipe hunc versum, Excelluisse Lampriam in parando eo jusculo, & primas tulisse.*

§ 85. Sed tempus est redeundi unde sumus digressi, ac progrediendi ad illud Dulcium genus quod suprà § 18. primo proposui loco, & Potui potiorem partem inservire, atq; ad intentionem nostram spectare propiùs dixi.

§ 86. Hoc ipsum verò genus Dulcium, quia non uniusmodi est, digeremus etiam, ordinis clarioris & doctrinæ causâ, in duas velut classes: quarum altera Passum cum suis speciebus contineat, altera Non-passum.

§ 87. Latinis *passum* quod dicebatur, id Græcis modò γλυκὺς, modò γλυκύ Neutro genere reperies apud Dioscoridem in 6.2. ubi Cantharides habenti in intestinis, infundi ex melicrato nitrum jubet, & superdare οἶνον ἢ γλυκύ, *vinum aut passum*. Onomasticon, *Passum*, γλυκύ. Sic verò etiam masculo genere reperies cùm alibi tum lib. 5.9. Eodem etiam apud Athenæum 14.18. ubi ex Theopompo festivam narrat historiam: nempe Amithrochatem regem Indorum literis ab Antiocho postulasse emi suo sumptu ac mitti sibi Passum & ficus ac Sophistam. Rescripsit urbanè Anticchus, ἰχάδας μὲν καὶ γλυκὺν ὑποπεμψόμεν σοι, σοφιστὴν δ' οὐκ Ἕλλησιν ἐξὸν νόμιμον πωλεῖν, *Caricas & passum mittemus tibi, Sophistam verò apud Græcos leges non sinunt vendi.*

§ 88. Nosse si quis velit qui illo tempore fuerint *Sophistæ*, resciet è Plutarcho in Themistoclis vita, p.m. 112 D. quem ibi ait fuisse sectatorem Mnesiphili Phrearii, ὃν ῥήτορα, ὅτε μὲν φυσικῶν κληθέντων, ἀλλὰ τὴν καμπύλην σοφιστὴν, ὅσαι τε δεινότητα πολιτικὴν καὶ δεξιότητα λόγων ἐπιδείκνυται καὶ διασοφιστικὴν, ὥσπερ αἵρεσιν ἐκ διαδοχῆς τοῦ σόλωνος, *qui neque Rhetor erat, neque ita è Philosophis qui dicebantur Physici, sed studii sui faciebat eam quæ Sapientia dicitur, quaque est solertia politica ac negotiosa prudentia, eámq; tenuit ceu sectam ex traditione Solonis.* Quo de Agellius 11.18. *fuisse ex septem illis inclytis sapientibus.* Cum istis Plutarchi confer egregium Protagoræ promissum apud Platonem p.m. 222. D.

§ 89. Aliàs verò etiam *Sophistæ* dicebantur, qui se sapientes videri magìs quàm esse studebant, pecuniarum honorísq; gratiâ. Quales hodie si quæsitum Diogenes redivivus iret, etiámne inveniret? Etiam sine lucerna; etiam nostro in ordine. Hippocrates tibi, si nosse vis, notas dicet l. de Eleg. 1.16. ἀγορὴν ἐργαζόμενοι, μὴ βασανίσιν ἀπατέουσι, καὶ ἐς πόλιν ἀναχυκλέουν, ὑφηνανέως κεκοσμημένοι· multitudini studentes, & auræ populari atque ad se concursui, cum ambitione & prædicatione sui non tantùm adulantur magnatibus divitibúsque, sed & obsequiosè colunt, quemcunque sperant posse se apud alios commendare: & hæc propter in urbibus frequenter obeunt salutatum atque se suúmque servitium oblatum, nitidè ac muliebriter sæpe compti. quo scilicet in æstimationem ac fiduciam sui admirabundum & facilè ad splendentia stupens vulgus adducant illis velut illiciis, nihil in dictis factísq; omnibus habentes prius quàm ut quæstui placendo serviant.

§ 90. Contra tales excellenter olim Socrates disputavit, ceu videre in Hippia. Quo fructu autem? ut cicutam bibere sit coactus. Hujus enim hanc causam dicit Laertius p.m. 113. C. ὅτι ἐλέγχει τοὺς μεγαλοφρονοῦντας, *quòd redarguerit magna de seipsis sentientes.* Idem istud cùm nostri non possint hodie, hoc adimere tamen sophis sophistæ satagunt, quod ex pari cum vita procedere ait Pratensis ad Decretum c. 11. q. 1. C. nolo: verbo, famam, sive Nomen bonum, quod omnibus divitiis est potius, P. ov. 22.1. Sed hæc velut ἐν παρενθέσει.

§ 91. Porrò, quemadmodum à sapore Græci hunc uvæ fructum nominabant γλυκύ: ità *passum* Latini, à *patiendo*. Servius ad Georg. 2.93. *Passum dicitur à patiendo; nam mustum decoquitur, & indè fit passum.* Fallitur: hoc enim, ceu vidimus, *Sapa* dicebatur, aut *Defrutum*. Varro in 1 de vita P.R. *Passum nominabant, si in vindemia uvam diutiùs coctam legerent, eámq; passi essent in sole aduri.* Non. Marcellus tamen cap. 1.38 *uvam passam* dictam putat, quòd sit rugis implicata. Nam *passum est propriè rugosum vel siccum*, inquit: additis è Plauto & Lucillio locis quibus id doceatur. Sed stare ista simul queunt, aduri in sole, siccari æstu, siccatione rugescere, atque ità simul hæc omnia pati.

§ 92. Sed videamus potiùs quid esset *passum*. Atque heic primum occurrit ratio faciendi. Hanc strictissimè Dioscorides proponit in 5.9. ὁ δ' ἐκ τῆς ἡλιοπεπαθούσης σταφυλῆς, ἢ ἐπὶ τῶν κλημάτων ἀπηνθρακωμένης καὶ τετριμμένης γλυκύς· *Passum fit ex insolata uva, aut in palmitibus adusta, & conculcata.* Locus ubi hæc insolatio atq; exsiccatio fiebat, ἡλιωτήριον dicebatur. Vide sis ad Hesychium & Eustathium ad Odyss. ν'. p.m. 1573. l. 23.

§ 93. Plinius verò fusiùs ista persequitur in 14.9. *Fieri certum est ex uvis diutiùs in vite sole adustis, aut fervente oleo. Quidam siccantes sole, donec paulò amplius dimidium pondus supersit, tusáq; liniter exprimunt: deinde, quantum expressere, adjiciunt vinaceis aquæ puteanæ, ut & secundarium passum faciant. Diligentiores eodem modo siccatis acinos eximunt, ac sine sarmentis madefactos vino excellenti, donec intumescant, premunt: & hoc genus ante cætera laudant: ac simili modo, aquâ additâ, secundarium faciunt.*

§ 94. Observa in his Passum Veteribus duplex fuisse: primarium & secundarium. Primarium oportuit vinosissimum fuisse, simul & dulcissimum. Vinosissimum quidem, propter evaporatum fervore Solis aqueum omne, quod acinos turgidiores facere quàm vinosiores solet. Dulcissimum verò, propter excoctum magìs vinosum. Quæ coquuntur enim, uti usq; & usq; crassescunt, ità dulcescunt. Nullus autem ignis delicatiùs coquit quàm Solis. Neque ulla coctio jucundior quàm humidi atque in humido est. Secundarium contrà dilutum valde & turbidum haut dubiè fuit. Dilutum, propter aquam: Turbidum, propter crassamentum, quod majore vi exprimebatur.

§ 95. Palladius Octobr. 19. *Passum nunc fiet ante vindemiam. Leguntur ergò uvæ passæ quamplurimæ, & in fiscellis clausæ junco fictis aliquatenus rariore contextu, virgis primò fortiter verberantur. Deinde ubi uvarum corpus vi contusionis exoluerit, cochleâ suppositâ sporta comprimitur. Hinc passum est quidquid effluxerit, & conditum vasculo, mellis more, servatur.* Si rectè attendis, modus iste à Plinianis diversus est, facítque passum mellaceum magis & culinæ accommodatius.

§ 96. Columella denique in 12.39. optimum Passum sic fieri ex Magone præcipit, ut & ipse fecisse se testatur. *Uvam præcoquam bene maturam legere, acina arida aut vitiosa rejicere, furcas vel palos, qui cannas sustineant, inter quaternos pedes figere, & perticis jugare. Tum insuper cannas ponere, & in sole pandere uvas, & noctibus tegere, nè irroreantur. Cùm deinde exaruerint acina decerpere, & in dolium aut in seriam conjicere, eodem mustum quàm optimum, sic ut grana submersa sint, adjicere: ubi combiberint uvæ, séque impleverint, sexto die in fiscellam conferre & prælo premere. passúmq; tollere. Postea vinaceis calcare adjecto recentissimo musto, quod ex aliis factum fuerit, quas per triduum insolaveris: tum permiscere & subactam brisam prælo subjicere, passúmq; secundarium statim vasis oblinitis includere, nè fiat austerius: deinde post viginti vel triginta dies, cùm deferbuerit, in alia vasa deliquare, & confestim opercula gypsare & pelliculare.* Atque hoc quidem modo è quacunq; uva, dulci dum, præcoctâ albâ faciebant passum.

§ 97. Quo tamen nobilius erat quod fiebat *ex uva quam sticam vocant, nos apianam, item scirpulam*, inquit Plinius 14.9. Cogendi ratio diversa à priore. Columella iterum, *Passum si ex uvis apiana facere volueris, uvam apianam integram legito, acina corrupta purgato & secernito. Postea in perticis suspendito, perticæ ubi semper in sole sint facito.*

facito. Ubi ſatis corrugata erunt acina demito, & ſine ſcopionibus in dolium conjicito, pedibúſque bene calcato. Ubi unum tabulatum feceris, vinum vetus conſpergito poſtea alterum ſupercalcato, item vinum conſpergito. Eodem modo tertium calcato, & infuſo vino ità ſuperponito ut ſupernatet, & ſinito dies quinque: poſtea pedibus proculcato, & in fiſcina nova uvas premito.

§ 98. Et hic ſumptuoſior modus fuit. Qui autem ſumptui parcere, & neceſſitati tamen proſpicere ſatagebant, alium excogitarunt. *Quidam*, inquit, *aquam cœleſtem veterem ad hunc uſum præparant, & ad tertias decoquunt: deinde cùm ſic uvas, ut ſuprà ſcriptum eſt, paſſas fecerunt, decoctam aquam pro vino adjiciunt, & cætera ſimiliter adminiſtrant. Hoc, ubi lignorum copia eſt, viliſſimè conſtat, & eſt in uſu vel dulcius quàm ſuperiores note paſſi.*

§ 99. Inter apianas uvas Columella 3. 2. magnis botibus tres commendat, omnes feraces. In his *venuculæ* Plinius. Hæc enim eadem eſt quæ *ſcirpula* atque *ſticula* dicebatur. Diſertis hoc Columella. Quare hinc emendandus Plinius 14. 2. *Venuculam Campani malunt ſcirculam vocare, alii ſtaculam:* lege, *ſcirpulam vocare, alii ſticulam.* Hodie eam *moſcatellam* nominamus. Indicat hoc Dalechampius Annot. in hoc caput lit. *e.*

§ 100. Cæterùm judicio Poetæ Georg. 2. 93. *paſſo Pſythia utilior* eſt. Heſychius, Ψιθία, εἶδος ἀμπέλου· *Speciem vitis alba* fuiſſe Florentinus dicit in Geop. 5. 2. Eam *vitem Græculam* dicit Columella 3. 2. Cæl. Rhodiginus Ant. lect. 15. 19. eandem cum Pramnia facit. At hoc qui verum ſit, non video. Vinum namque pramnium auſterum: Pſythium dulce eſt. De illo paulò pòſt liquebit.

§ 101. De hoc teſtantur Eubuli verſus apud Athenæum 1. 22.

Οἶνον γάρ μοι ψύθιον γλύκας ὕδωρ ἄκρατον,
Διψῶντα λαβὼν ὄξος πάλιν φέρε τὸ σάνδυ.

Quemadmodum aliarum rerum venalium exemplar proponi, ità vini & id genus guſtus ſolet præberi. Sed ſæpe admodum fieri videas ut alius guſtus præbeatur, aliud exemplar oſtendatur, alia deinde merces tradatur. Id nunc conqueritur iſte ſibi apud cauponem contigiſſe: datum enim *Pſythium vinum* quàm optimum guſtandum, deinde verò ὄξος *acetum* ſitienti eſſe propoſitum, quod graviter læderet ſtomachum. Ubi per ὄξος intelligi non *acetum* propriè dictum velim, ſed οἶνον ὀξύδη quod vocat Pollux 6. 2. Latinè poſſis *acetum nativum* dicere. Vide ad Hofmannum 5. Inſt. 25. 4. ubi Scipionem ſuum refert luſiſſe Ratisbonâ reducem, fuiſſe ſe

Hîc ubi nativum colles lacrymantur acetum.

§ 102. De *Surrentino* Tiberius Cæſar dicebat conſenſiſſe medicos, ut nobilitatem ei darent, alioquin eſſe *generoſum acetum*: auctor Plinius 14. 6. Cave putes tamen hoc fuiſſe *crucium vinum*, quod in extremis porrigebant ſitienti Salvatori. Verè *acetum* fuit. Hoc enim potui etiam fuiſſe veteribus, non ex hiſtoriis tantùm ſcimus, verùm etiam ex libris Juris Civilis Romanorum l. 3. § 5. ff. De penu leg.

§ 103. Ex vite Pſythia paſſum, *Pſythium* & *Melampſythium* vocat Plinius 14. 9. De hoc Dioſcorides 5. 9. γλυκὺς μέλας, καλούμενος μελαμψίθιος, ἰσχύς δὲ καὶ πολύσαρκος, *Paſſum nigrum, quod vocatur Melampſithium, craſſum eſt & multi nutrimenti.* Hinc ſi corrigere Heſychium voles, pro Μελαμπιμέδιος lege Μελαμψίθιος, οἶνός τις. Laudantur ibidem Dioſcoridi γλυκὺς κρητικὸς, καὶ φθερτικὸς, καὶ στρυφνός. De quibus vide an placeant quæ ſcribit Cornarius in com. ad Gal. de Comp. κ. τῶν. lib. 3. cap. 1. pag. 360.

§ 104. *Paſſum Creticum*, inquit Andr. Baccius Hiſt. vinor. 1. 9. *adhuc habetur in Candia, quod more antiquo uvis in vite paſſis, vel contortis pediculis, ac exemptis pampinis, vel conſperſis in ſuſpenſa crate pertenui gypſo, ſeptem dierum ſpatio, comprimunt excipiúntque electiſſimum vinum, quam Malvaſiam dicunt.* Confer ad eundem lib. 10. p. 331. & ſeqq.

§ 105. *Paſſum protropum* niſi ſit cum *primario* idem, non dixero quid ſit. Nam ex uva paſſa paſſum ſuâ ſponte effluere poſſe, non videtur. Rectè enim Nonius 4. 364. *Paſſum dicitur genus liquoris, quod ex uva paſſa cogitur.* Nam & pellicula uvæ contractior eſt prætut tranſmittat liquorem, & lentior prætut ſine preſſu majore rumpatur, & ſuccus denique ipſe pinguior prætut etiam cute ruptâ effluat ſponte.

§ 106. *Pramnium* à vite dicatur, an aliunde, incertum eſt. Didymus à vite dictum arbitrabatur. Alii verò nigrum ſic propriè appellari: alii quodcunque eſt πρὸς πεσμονὴν ἐπιτήδειον, *aptum durare:* alii denique, quòd σφίγγει τὸ μέλος *leniat animum:* vide ad Athenæum 1. 24. Confer Plinium 14. 4. Quidquid ſit, hoc certum eſt, fuiſſe nigrum atque durum. Heſychius, Πεσμὸς οἶνος, ὁ ἐπὶ τῆς πεσμώδους ἀμπέλου. Ἔστι δὲ καὶ ἐγχώμιον οἶνου, καὶ Χαλκηδὼν οἶνος. *Vinum durum* dici quod auſterum validúmque eſt, multis docet Salmaſius Plin. exercit. p. 345. Nobis unus ille locus ſufficit qui apud Athenæum eſt 1. 24. cujuſque Vir illuſtris non meminit; Πεσμὸς οἶνός ἐστι οὔτε γλυκὺς οὔτε παχὺς, ἀλλ' αὐστηρὸς, καὶ Χαλκηδὼν, καὶ διάμικτον ἔχων διαφόρως. οἷον Ἀεισοφάνης μὲν ἐκ Πλαταιᾶς Ἀθηναίους φησὶ, λέγων, ἀ' Ἀθηναίων δῆμον ὅτι ποιηταῖς Πλαταιεῖς καὶ ἀστεμφέστιν, ὅτι πεσμοῖσι Χαλκηδόσιν οἴνοισι Κωμάζουσι τὰς ὀφρῦς τε καὶ τὼ κοιλίαν, *Pramnium vinum eſt neque dulce, neque craſſum, ſed auſterum, & durum, & inſigniter validum. Quali Ariſtophanes ſcribit non delectari Athenienſes. Populo, inquit, Athenienſi non placent aſperi & horridi Poetæ, neque Pramnia vina dura, quæ contrahunt & ſupercilium & alvum.*

§ 107. Hujus gratiâ tamen dare Hippocrates ſolebat: ceu videre 1 de Morb. mul. t. 81. quin & ad fluxum rubrum mulieribus præſcribit 2 de Morb. ear. t. 76. Et quia auſteritate ſuâ etiam ſiccat egregiè, eluere eo naturam femineam jubet, cùm ulceratur ex partu, 1 de Morb. mul. t. 126. Ex eodem Hecamede cum caſeo & polenta *cyceonem* parat apud Homerum Iliad. λ'. 623. 638. Hunc ipſum Hippocrates ſorbendum puerperæ dabat, ſi diarrhœa prehendiſſet à partu, 1 de Morb. mul. t. 112. Quando igitur in 2 de Diæt. 6. 69. ait, κυκεὼν ἐν οἴνῳ μὲ θερμαίνει, καὶ ξηραίνει, καὶ ἵστησιν, *Cyceon ex vino calefacit, & nutrit, & ſiſtit:* accipiendum hoc inprimis eſt de eo quì ex duro auſterióque vino fiebat. Cujuſcemodi hodie eſt quod *vin-tint* appellamus.

§ 108. Supereſt nobiliſſimum Paſſi genus, quod *Vinum dulce* vocat Columella 12. 27. Cujus faciendi modum proponit talem; *Uvas*, inquit, *legito, in ſole per triduum expandito, quarto die meridiano tempore calidas uvas proculcato, muſtum lixivum* [*hoc eſt, antè quàm prælo preſſum ſit quod in lacum muſti fluxerit*] *tollito, cùm deferbuerit in ſextarios quinquaginta irim bene pinſitam nec plus uncia pondere addito, vinum à facibus eliquatum diffundito. Hoc vinum erit ſuave, firmum, corpori ſalubre.* Egregiæ dotes! quibus quid requiras in vino majus?

§ 109. Dos prima, magna; *ſuavitas*. Id verò vinum *ſuave* dicimus, quod viſui jucundum, olfactui gratum, guſtui molle eſt; omnibus autem iſtis amabile ſpiritui, magnóque hoc merito ſuo expetendum eſt.

§ 110. Dos altera, major; *firmitas*. Græci ἔυτονον vocant, cui unus velut & perpetuus tenor atque conſtantia virtutis ac mollitudinis eſt. Plinius hoc expreſſurus, quà de Maroneo, *vis ei*, inquit, *vigórque indomitus*, 14. 4.

§ 111. Vini vim æſtimare ex poteſtate non tam inebriandi oportet, quàm ferendi aquam. Quod facilè & potenter inebriat, Latini *vehemens* vocant, Græci καρωτικὸν. Celſus 2. 18. *vinum vehemens valentiſſimi generis eſt.* Heſychius, Καρώδης, τῷ καρηλῷ σταδεὶς, (lege, σταδὴς,) μθυσθείς, ἢ βιασθείς. Quod verò aquæ multum ſuſtinet, Latini *generoſum*, Græci πολυφόρον appellant: vide ad Galenum de Vict. ac. 3. 20. Pollux 6. 2. ἐπῄνουν δὲ οἶνον ἐκ τελαφόρου, τοῦτον τὸν τριπλοῦν τῷ ὕδατι, *Commendabant verò vinum quod tria ferebat, hoc eſt, triplum aquæ.*

aquæ. Hoc ordinarium puto. Nam quod *maroneum* vicies tanto aquæ miscendum Homerus prodidit, singulare est. Si facere *polyphorum* velis, ostendit artificium Paxamus in Geop. 7. 23.

§ 112. Athenæus 4.27. ex fama refert Amphictyonem regem primùm docuisse Athenienses τὸν σύμμετρον κρᾶσιν τοῦ οἴνου, *vini temperationem convenientem*, uniuscujusliber naturæ scilicet. Naucratites Deipnosophista, ἐὰν ὑπόλαλος ἡ ὁ τοῦ κράματος οἶνος, εἰς ὕδωρ φησί· ἐὰν δ' ἴσον ἴσῳ περιφέρῃ, μᾶλλον ποιεῖ· ἂν δ' ἀκέραιον, περίλυσιν σωμάτων. Διὸ σχοινίον τοῦ συμμέτρου, *Si aqua in cramate superet vinum, ad contumeliam ducit. Si parem pari addas, insaniam facit. Sin verò immixtum bibas, resolutionem corporum. Quamobrem conjicere, quid conveniat, oportet*: citat Eustathius Odyss. ι'. p. m. 1624. l. 34. Quod tamen præceptum non amant οἰνόφλυγες, id est, expositore Hesychio, οἱ καταπύθμενοι οἴνου, *qui vinum vehementi desiderio prosequuntur* (quos eleganter mei populares nuncupant *wijn-vliegen*.) Solent enim in ore habere illud Diphili in Pæderastis,

——τὸ μὲν
Τὰλαιὸς ἅπαν τοῦτ' ἔστι τῇ ψυχῇ κακόν.
Est anima nocuum vinum quodcunq; adaquatum.

§ 113. Vini vigorem duratio arguit. Firma vina sint oportet, quæ ætatem ferant. Memorabile quod Plinius refert 14.4. *Anno fuit omnium generum bonitas, L. Opimio Consule, cùm C. Gracchus Tribunus plebem seditionibus agitans interemptus: ea cœli temperies fuit, quam coctiuram vocant, solis opere, natali urbis 634. durántque adhuc vina ducentis ferè annis, jam in speciem redacta mellis aspери: etenim hæc natura vinis in vetustate est; nec potari per se queunt, si non pervincat aqua, usque in amaritudinem carie indomita: sed cæteris vinis commendandis minimâ aliquâ misturâ medicamenta sunt.*

§ 114. Notat verò etiam Plinius 23.1. *Quò generosius vinum est, hòc magis vetustate crassescere, & in amaritudinem corpori minimè utilem coire.* Quare autem hoc fiat, causam reddit Theophrastus de Caus. plant. 6. 10. τοῦτό γε συμβαίνει, διότι τὸ πότιμον ὁ ἀὴρ ἐξάγει καὶ τὸ σεσηχὸς ἀπιὼν δὲ τούτου, καταλείπει τὸ γεῶδες καὶ πικρόν. *Hoc verò accidit, quia potabile exigit aer ambiens. Abeunte enim illo, relinquitur terreum & amarum.* Meritò dubitatur, an ignavus in subterraneis cellis aer penetrare vasa, subire in vinum, & attenuare ejus τὸ πότιμον, atque educere possit. Crassius hoc philosophema est præut intelligas.

§ 115. Neque sanè hoc vult Philosophus: quanquam velle videatur. Neque vis illa potabilis vini sponte exhalat suâ. Exigitur, ab interno Igne, per se; ab externo Frigido, per accidens. Exhalatio fit à frigido Ambientis, per ἀντιφήριστιν· à calido Vini, per irrequietam agitationem. Circumstat vini calorem frigus, atq; obsidet & cogit. Idcirco est ἀντίς, quia contrarium: ἔρις, quia cohibens: σθένος, quia indomitum & validum. Obsessione ignis unitur, unione roboratur, roboratus invalescit, & subigit atque attenuat particulas substantiæ terreas pariter ac aqueas. Hæ quia progrediente motu redduntur perquam subtiles, non est mirum evadere per ligni poros, & commisceri aeri. Atq; ità perit τὸ πότιμον Vini, seu id propter quod usui erat ad potandum.

§ 116. Terreæ, quæ remanent, dum motu continuo atteruntur magis magísque, itidem valde tenues & aculeatæ fiunt. Atq; hinc est, quòd degustatæ videantur amaræ. Tenuitate quippe suâ facilè se ingerunt in linguæ poros & penetrant in altum, ubi offendentes spiritum, primum sensitivum, suos illi aculeos infigunt, atque ità is πικρᾶται seu *amarescit* & exacerbatur. Πικρότης enim vini revera non *amaritudo*, sed *acrimonia* est. Sic πικρὸν piper. Sic & Galli *vin picquant*, vinum acre vocant, quódq; spiritum acutiùs stimulat. Hanc quam dixi etiam Philosophi mentem fuisse non est dubium. Ideo enim dixit, ἀνιόντος· quod significat *abitum spontaneum*, seu motum ab intrinseco. Nam si τὸ σεσηχὸς *ambiens* extraheret τὸ πότιμον *potabile*, alio id verbo debuisset dicere.

§ 117. Dos tertia, maxima; *salubritas*. Autor l. de Sectis ad eos qui introducuntur, cap. 1, ait, *Salubria ab antiquis dicta fuisse, quæ & præsentem sanitatem conservant, & collapsam redintegrant.* Utrovis modo salubre Passum hoc si fuit, neque tam consentientibus Medicis ut nobilitatem ei darent, quàm experientiâ eorum qui sumerent; nemo quisquam mirabitur, vel hoc nomine solo fuisse hominibus expetitum, atq; in illo se non tantùm oblectasse multos, sed & corrupisse.

§ 118. Huic passo affine est quod ὑπόχυτον Græci, aut διάχυλον, vocant. Athenæus 1.24. Timachidas Rhodius ὑπόχυλόν τινα οἶνον ἐν Ῥόδῳ καλῶ παρασκήσιον τῇ γλυκεῖ, *Hypochytum quoddam vinum Rhodi esse dicit assimile passo.* Plinius in 14.9. plenius, *His adjiciunt aliqui quod vocant diachyton, uvis in sole siccatis loco clauso per dies septem, in cratibus totidem pedes à terra altis, noctibus à rore defensis, octavo die calcatis. Ità fieri optimi odoris saporísque.* Faciendi modum hunc si compares cum præcedente, videbis non rectè pro eodem haberi à Dalechampio in Annot. ad hunc locum.

§ 119. Priusquam hinc discedam, aliquid etiam de *murina* dicendum: nam & hanc inter Dulcia habebant antiqui & in deliciis. Agellius 10.23. *Qui de victu atq; cultu pop. Romani scripserunt, mulieres Romæ atque in Latio ætatem abstemias egisse, hoc est, vino semper, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt: institutúmq; ut cognatis osculum ferrent, reprehendendi causâ ut odor indicium faceret si bibissent. Bibere autem solitas ferunt loream, passum, murinam, & quæ id genus sapiant, potu dulcia.* Quod ad primum vide Plinium 14.13. & Dalechampium ibi lit. a. & quos citat Elmenhorst. Observ. in Arnob. l. 11. p. 102. noviss. edit.

§ 120. Dulcibus *loram* cur accensuerint, ex confectione ejus patet, qua de Columella 12.40. *Quantum vini uno die feceris, ejus partem decimam quot metretas efficiat considerato, & totidem metretas aqua dulcis in vinacea, sed quibus unius diei vinum expressum erit, addito: eodem & [nota] spumas defruti sive sapa & faecem ex lacu confundito & permisceto, eámq; intritam macerari unâ nocte sinito, postero die pedibus proculcato, & sic permistam prælo subjicito: quod deinde fluxerit aut doliis aut amphoris condito, & cùm deferbuerit, obturato. Hanc ipsam loram M. Columella ex aqua vetere faciebat, & nonnunquam plus biennio innoxiam servabat.* Vide præterea ad Dioscoridem 5.13.

§ 121. Cæterùm dulcibus *Murinam* quoq; veteres adstituisse, etiam Plinius affirmat in 14.13. Ubi productis è Plauti Pseudolo act. 2. sc. 4. 50. his versibus,

Ps. *Quòd si opus ut dulce promat, id ex se ecquid dabit?*
Ca. *Rogas? Murinam, passum, defrutum, mellam*;

protinus subjicit, *Quibus apparet non inter vina modò murrhinam, sed inter dulcia quoque nominatum. Inter dulcia*, intellige non Vina, sed quæ fiebant ex vinis.

§ 122. Sed *murina* quæ fuit? De ea namque magna est à veritate aberratio; quanquam in quærenda illa multi & multùm laborarint. Quo ipso exstimulamur ad symbolam conferendam.

§ 123. Ante omnia igitur distinguendum est inter *murinam* & *murrhinam*, tanquam diversissima vina, & quoad confectionem commune nihil prorsus habentia. Certam nobis distinguendi rationem faciunt Hesychianæ glossæ, omnium quæ ad nos veterum venerunt doctissimæ; Μυρρίνων, εἶδος μέθης, οἶνον μυρρίνῳ κληθέντα· οἱ δὲ ποτὸν ἐκδεδαμμένον· οἱ δὲ πόνον φασὶν, ᾧ ἐπεχέετο μύρον, *Myrrhinam aliqui vinum aromaticum dixere: alii potum factitium: alii denique potionem cui affusum est unguentum.* Vides ejusdem ibi nominis triplex Vinum; de quibus necessariò singulis aliquid nos commentari oportet, si volumus ex hac controversia evadere.

§ 124. Sed antequam eò descendamus, observandum est primùm, Quam σμύρναν Græci, διὰ τὸ μυρίζον, καὶ ἐνῶδες, Æoles μύρραν dixisse: & hinc Latinos, *myrrham* aut *murram*. De hoc quidem liquebit in locis postea citandis. Prioris verò autor nobis est Athenæus 15.11. μύρρα δὲ ἡ σμύρνα παρ' Αἰολεῦσι, ἐπεὶ δὲ τὰ πολλὰ τῶν μύρων διὰ σμύρνης ἐσκεύαζετο, καὶ ἡ μὲν καλὴ καλεμένη διὰ μύρης ταύτης. Locum istum cùm non intelligeret interpres, necessariò malè vertit.

Verba

Verba enim hoc ſonant, *Pro ſmyrna myrrha dicebatur Æolibus, quia complura unguenta cum myrrha fiebant, & quæ ſtacte dicebatur ex ſola illa.* De *ſtacte* videſis egregia in Salmaſii Plin. exerc. p. 520. & ſeqq. & alibi locorum, quæ index indicabit. Brevibus Theophraſtus l. de Odorib. 2. 48. ἡ δὲ ἐκ τῆ σμύρνης κατασταζόυσης ἔλαιον ῥεῖ, σταχὴ δ' καλεῖται, διὰ τὸ μικρὸν στάζειν. *Ex myrrha contuſa oleum fluit. Stacte dicitur, quia minutatim ſtillat.* Confer Furlani commentarium. De hac intelligendi veniunt autores, cùm myrrham unguentis adſcribunt. Varro de L. L. 5. p. m. 62. l. 8. *Ubi lucet, cenſor, ſcriba, magiſtratus, murrhâ, unguentis unguntur.* Locus illuſtris, & qui auctario eſſe Dempſtero poſſit Antiq. Rom. 7. 10. docet enim, quo ritu luſtrum conderent Cenſores.

§ 125. Obſervandum ſecundò, Myrrham propriè Lacrymam arboris in Arabia naſcentis dici: qua de porrò videre licet Dioſcoridem 1. 78. Quod ad nobis hîc contemplabiles facultates, Myrrha amara, acris, odorata eſt. Amarore meruit inter ſalubria haberi, intérque antidota, neque ultimo ſanè loco. Salubritatis perſuaſio è re amara dulcem fecit uſui. Quòd antidotus eſt, eo ſe non parùm commendat, temporibus præſertim ſuſpectæ malignitatis. Flagrat præterea ſpiritu ſaporis acri & odoris boni. Et indè habet quòd non tantùm inter Aromata adſcribatur, ſed & *aroma* pro Myrrha ponatur ſimpliciter.

§ 126. Aromatis adſcribi, notum eſt. Do teſtes tamen. Græcos duos. Alterum, S. Johannem 19. 39, 40. Nicodemus ibi dicitur attuliſſe μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν, *mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum.* At quid? Ad ungendum & pollincendum corpus Chriſti. Sequitur enim protinus, ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν, *Acceperunt igitur corpus Jeſu, & pollinxerunt illud faſciis cum aromatis, ſicut mos eſt Judæis ſepeliendi.* Ubi quæ poſſunt *aromata* intelligi præter *myrrham* & *aloem*, de quibus præceſſit? Addo alterum, Dionyſium Periegeſeos v. 936.

—— ὄδωδεν

Ἡ θύη, ἢ σμύρνης, ἠὲ κρόκου ἢ καλάμοιο,
Ἢ ἡ θεσπεσίοιο πεπαυμένης λιβάνοιο,
Ἢ κασίης.

Latinum denique addo, Marcellum Empir. cap. 23. *Thus, coſtum, folium, myrrham, ſtyracem, crocomagma.*

§ 127. Etiam ſimpliciter poſitum *aroma* Myrrham ſignificare clarum eſt à duobus Plinii locis. Alter eſt 37. 10. *Aromatites*, inquit, *& ipſa in Arabia traditur gigni, ſed & in Ægypto circa Pyras* [lege, corrigente Salmaſio, *Philas*] *ubique lapidoſa, myrrha coloris & odoris, ob hoc regiis frequentata.* Locus alter, 16. 16. *Aromatiten quoque invenio factitatum tantùm non unguentorum compoſitione, primò ex myrrha, ut diximus* (cap. 13.) *mox & nardo Celtico, calamo, aſpalatho, oſſis in muſtum aut dulce vinum defectis.* Vides hîc *vinum*, ibi *gemmam* vocari *aromatiten* ab odore, quem ſpirant, myrrhæ. Neque quadraret ea denominatio, niſi *aroma* Myrrham ſignificaret abſolutè. Quibus præhabitis, venio nunc ad ſpecies Myrrinæ propoſitas.

§ 128. Quarum *prima* Heſychio eſt, *Vinum myrrhinum*. Μυρρίνιλον, inquit, εἶδος οἴνου μυρρίνου καλοῦσι. Reddidi, *Myrrhinam aliqui vinum aromaticum dixere.* Præſenti gloſſâ nullus dubito, quin nativum Vinum intelligat Grammaticus: vel propterea quòd illi *potum factitium* opponat in ſequenti. Cyrilli gloſſæ, Ἀρωματῖτον, *Murina.* Græco ſi quis fuit uſus, dictum puto de *taberna ſpeciaria* ſive quæ promercales habet ſpecies aromaticas: prorſus ut μυρεῖον eſt *officina medica.* Gloſſis itaque reſcripſerim, ἀρωμαλίζων, ſubintellige οἶνος· ut jam *Murina* ſit *aromatizans vinum*, hoc eſt, odoris ſuavitate atque fragrantiâ excellens, idque beneficio Naturæ.

§ 129. *Sapriam* laudat hoc nomine Hermippus Deipnoſ. 1. 23. & ipſo nectare, qui deorum eſt potus, nobilius eſſe non obſcurè declarat. Verſus ſunt venuſti;

Ἔστ' δέ τις οἶνος, ὃν δὴ σαπρίαν καλέουσι·
Οὗ ἡνίκ' ἂν σάμαλος σάμων ἀναπνεύσεται,
Ὀζὴ ἴων, ὄζῃ ῥόδων, ὄζῃ δ' ὑακίνθου,
Ὅσμὴ θεσπεσίη· καὶ πᾶν δ' ἔχῃ ὑπήνεμος δῶ
Ἀμβροσίᾳ καὶ νέκταρ ὁμῶ. τοῦτ' ἔστι τὸ νέκταρ.

Latinè hoc dicunt,

Eſt aliud vinum, Saprian quod nomine dicunt:
Hujus, aperta cadi leviter cùm labra pateſcunt,
Admirandus odor, ſpirans violáſque, roſáſque,
Purpureóſque hyacinthos: quin ſimul omnia replet
Ambroſiâ cum nectare. Nectar hoc arbitror ipſum.

Caſauboni hîc videſis Animadv. & diſce, οἶνον σαπρίαν vulgò Græcis appellatum ἀπὸ τοῦ σήπειν, ut exponunt Grammatici; ſive id vinum, quod inibi eſt, ut definat & deſtituat Oeconomum.

§ 130. Euſtathius ad Hom. Odyſſ. β'. p. m. 1449. l. 10. ex Athenæo etiam exſcriptis his verbis ſubſcribit, ἤτοι τοιοῦτον οἶνον, ὑπεναντίον ἀνθοσμίᾳ τῷ, *Hoc vinum ſciendum eſt anthoſmiam eſſe.* Si ità eſt, confecta res eſt. Pollux 2. Onom. 4. 14. οἶνος ἀνθοσμίας, εὐώδης. Eſt hoc ex Ariſtophanis Scholiaſte, Ranis act. 5. ſc. 1. 32. Heſychius, Ἀνθοσμίας οἶνος, εὔοσμος, ἢ ἄνθος ἔχων. Quibus, ut paret, *Anthoſmias* idem eſt quod *Vinum odoratum, fragrans, aut florem habens.*

§ 131. Aliud eſt Vinum florem habens, aliud Flos vini. *Flos vini* tenuiſſimè ſignificat tenuem vini in ſummo natantem ſpumam. Ità doctiſſimus Turnebus 29. 34. accipit in illo Plinii 14. 21. *Flos vini candidus probatur: rubens triſte ſignum eſt, ſi non ex vini colos ſit.* Ubi longè tamen aliud ſignificat. Nempe id quod doliari vino in ſuperficie effloreſcit & concreſcit: Belgis *kaem* aut *kiem*. Planum hoc cùm è Cæcilii illo apud Nonium 2. 354. *Ego neque florem, neque floces volo mihi, vinum volo:* tum è Columella 12. 30. *Si vinum florere incipit, ſapius curare oportebit nè flos ejus peſſum eat, & ſaporem vitiet. Quanìo major æſtus erit, eò ſæpius convenit vinum nutriri, refrigerarique, & ventilari: nam quamdiu frigidum erit, tamdiu rectè manebit.* Ubi *florere* eſt in ſummo velut pelle obduci. Oenopolæ dicunt, *pand ſetten.*

§ 132. Efficaciùs cùm ſignificat, *flos* odor eſt & fragrantia vini. Lucretius de Rer. nat. 3. 222.

Quod genus eſt Bacchi cùm flos evanuit, aut cùm
Spiritus unguenti ſuavis diffugit in auras.

Una res *flos* & *ſpiritus*. Uterque ſubtiliſſimum corpus, imò corporis effluvium eſt; ille Vini, hic Unguenti: adeò etiam ut dicat & conſtet, licèt vel hic vel ille ſuo

—— *de corpore ceſſit,*
Nihil oculis tamen eſſe minor res ipſa videtur
Propterea, neque [illegible]ctum de pondere quidquam.

§ 133. Denique *flos vini* ſignificat ipſum vinum, ſed egregium & purum. Plautus Ciſtell. act. 1. ſc. 2. 8. *adeò me complevi flore Liberi*, id eſt, nobili & ſuavi vino. Eodèm trahitur & illud, Curcul. act. 1. ſc. 2. 1.

Flos veteris vini mihi naribus objectus eſt.

Verùm hîc *flos vini* idem eſt & *odor veteris vetuſti*, quem hoc potenter ſpirare ac latè ſolet diffundere. Ità exponere & antecedentia pariter ac conſequentia jubent. Quæ confer ſis. Denique poſtea audiemus, *florem vini* ſignificare partem ejus optimam & ex uvis antequam calcentur effluentem. Ità *flos olei* dicitur Plinio 15. 6. *ſalis* Catoni de Re ruſt. 88. *ignis* Mart. Capellæ 6. initio. Et hæc quidem *flos vini* ſignificat.

§ 134. Dicitur verò *florem habere* Vinum, quod & uvam recentem reſipit, & odoris boni velut moſchi ſpiritu fragrat. Tale nullum vinum eſt niſi ſit ἁπαλὸν καὶ ἁπαλόν, *ſuave & molle*, ut exponit Ariſtophanis Scholiaſtes eodem loco. Indè eſt quòd Heſychio ἀνθινος οἶνος, εὐωδης· ἀπὸ βοτρύων exponatur. Libri, ἀπὸ βοτανῶν. Si rectè, ἀνθινος οἶνος erit potiùs *medicatum vinum*, ſivè quod gratiam acquirit ab herbis odoriferis. Cujuſmodi plura conficere docemur à Dioſcoride lib. 5. cap. 35. ad 63. & à Caſſiano Baſſo Geop. 8. 2. ac ſequentibus aliquot. Noſtræ inter ea conjecturæ favet Phavorinus, cùm

ἀνθοσμίᾳ exponit ἡδύσθ, ἐυόσμε ὅπερ τὰ ἄνθη, ἢ ὡς ὑπὸ οἴνου ἀμπέλου. Confer & Suidam ibi, & Foëſium in Ἄνθινον οἶνον.

§ 135. Non ſemper verò adjectivum eſt ἀνθοσμίας, interdum etiam ſubſtantivâ formâ uſurpatur. Xenophon Hiſt. Græc. 4. ὅς᾽ ἂν ἐθέλειν πίνειν, οἷ μὲν ἀνθοσμίας εἶν. Simili phraſi ἢ ἀρωματίζοντα dici, & ſubaudiri οἶνον, quid vetat? Quidquid ſit, ſatis clarum ex iſtis quæ propoſui, puto, eundem eſſe οἶνον μυρρίνην καὶ ἀρωματίζοντα, *myrrhinam & aromaticum vinum*, ſeu quod à vite ſuaviſſimè fragrat. Hoc enim ἄρωμα ſignificare itidem Cyrilli gloſſæ indicant, cùm exponunt, *Odoramentum, Suavitas odorum.*

§ 136. Quæ quia excellentiſſima eſt in Vino odorato vetere, idcirco illud lena vinoſiſſima comparat cuivis optimæ ſpeciei aromaticæ, & ſimul egregiè oſtendit quòd vinum verè aromaticum ſit. Lepidi verſus, & qui eâdem operâ exhibeant characterem mulieris οἰνόφλυγος ſeu *vino cupidæ* nativum & luculentum,

Flos veteris vini meis naribus objectus eſt.
Ejus amos cupidam me huc prolicit per tenebras.
Ubi, ubi eſt? prope me eſt. cuax habeo. Salve anime mi,
Liberi lepos: ut veteris vetuſti cupida ſum!
Nam omnium unguentûm odor pra tuo nauſea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu cinnamomum, tu roſa,
Tu crocum & caſia es, tu bdellium; nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me pervelim ſepeliam.
Sed cùm adhuc naſo odos obſecutus es meo,
Da viciſſim meo gutturi gandium.

§ 137. Non poteſt elegantiùs deſcribi *anthoſmias*, ſive οἶνος ἡδὺς καὶ εὐόσμος *vinum ſuave & longè lateque fragrans*, ut interpretatur Suidas. Hoc itaque *vinum myrrhinum* vel *myrrhina* ſimpliciter dicebatur à præcellentia odoris, quem liquidæ myrrhæ inſtar gratiſſimè fundit. Intellige ejus Myrrhæ quâ Veteres gaudebant; cujuſq; σταλὴ ſeu *liquor expreſſus* ut erat fragrantiſſimus, ità & pretioſiſſimus. Nunc non fit: ſed neque Myrrha ipſa ſatis ſincera ad nos advehitur. Eapropter Arabes & recentiores Medici *ſtoracem liquidum* vel *ſtoracis liquorem* potiùs pro *ſtacte* paſſim accipiunt.

§ 138. Species altera Myrrhinæ dicitur Heſychio *potus factitius* fuiſſe. Prior ergò, ut inferebam, naturalis. Venit autem hâc appellatione Potio omnis myrrhæ odore condîta. Plinius 14.13. *Lautiſſima ap d priſcos vina erant, myrrha odore condîta.* Ità ſcripſiſſe Plinium ipſemet clamare videtur in paulò pòſt ſequentibus cap. 16. verbis quæ exhibui § 127. Ubi tamen *myrrha* in locum, *pomorum* reſtituit Salmaſius Exerc. Plin p. 710. volente loco, quem ipſe è Plauti Perſa citat.

§ 139. Quam emendationem ut facilè pro indubitatiſſima poſſumus admittere; ità nobis duriuſculè dictum videtur illud, *mirificè negatur Plinius, qui murrinam veterum putet à myrrha dictam, aut ullum vinum myrrhâ conditum in uſu communi ac deliciis apud priſcos fuiſſe.* Etiámne poſteris negari videbitur, ſi quis hodie ſcribat, in communi uſu & jejunorum deliciis eſſe Vinum quod *abſinthites* vocant, quódque conficiunt immaceratione abſinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, ſimilium in amaricando potentium? Friſii in hoc potu uſque adeò luxuriantur, ut conſtet mihi uno in diverſorio Leovardiæ, provinciæ metropoli, aliquot ſupra quinquagenos cados fuiſſe conſumptos uno anno. Cados voco, quos vulgus *Oxhoofden*. Æſtimatur quiſque amphoris octoginta: amphora, libris octo ſeu unciis nonaginta ſex.

§ 140. Sed attendamus verba autoris; Ait, *lautiſſima vina* fuiſſe, quæ *myrrha odore condîta* eſſent. Non eadem ratio odoris, quæ ſaporis eſt. Unde eſt quòd utplurimum τὰ ἐυοσμα *odorata* ſint δριμέα, καὶ στυφνὰ, καὶ αὐστηρὰ, *ſapore ingrata, & acerba, & ſubamara*, inquit Theophraſtus l. de Odoribus n. 2. Hoc in numero myrrha eſt: cujus ut ſapor amarus, ità odor gratiſſimus. Quem qui deteſtantur, digni ſunt quorum naribus ſubjiciatur quod ruſtici deficientis ante pharmacopolion. Odorem myrrhinum verò vinis conciliabant vel conditu vinorum vel ſuffitu vaſorum. Plinius 14.21. *dolia abſte ſa myrrhâ ſuffiri, ipſáſque ſapim cellas* jubet: hoc quidem ad conſervationem; illud verò etiam ad condituram. Quam quia ſuavem deprehendebant, fugacem verò, eapropter myrrhæ aliquid vinis infundebant. Verùm quantitate tam parvâ, quæ odorem dare, ſaporem non poſſet. Vidimus mox exemplum, & in eo veritatem quam urgemus. Vulgò dolia & cados thure ſuffiri conſueverant, ut oſtendit Diophanes in Geop. 6.12.

§ 141. Plinii ſententiæ præter hæc favet Feſtus, *Murratâ potione uſos antiquos indicio eſt, quòd etiam nunc Ædiles per ſupplicationes diis addunt ad pulvinaria, & quòd duodevim tabulis cavetur, nè mortuo indatur, ut ait Varro in Antiquitatum lib.* 1. Ejuſcemodi potio fuit ἐσμυρνισμένος οἶνος, *vinum myrratum*, quod Chriſto Domino noſtro tantùm non animam ob immenſas anxietates, vigilias, jactationes, verberationes, ſanguiniſque profuſiones, deficienti dederunt Judæi, cùm jamjam crucifigendus eſſet.

§ 142. Notant viri docti, Hebræos homini ad ſupplicii locum perducto exhibere vinum thure aut myrrhâ mixtum ſolitos; eo fine, ut eriperetur noxio horror mortis dolorúmque ſenſus. Beza in Annot. ad Marci 15. 23. ex Galatino, ſive potiùs Judæorum Sanhedrin, hæc adfert, *Editâ confeſſione, poratur reus vino thure condîto, ut inde mens ejus turbetur, & vehementiùs inebrietur, juxta illud quod dicitur, Date ſiceram perituro, & vinum iis qui amaro ſunt animo.* Mirum eſt *thus* heic nominari, cùm nullæ tales ejus memorentur facultates. *Myrrham* καρωτικὴν *ſoporiferam* Dioſcorides ſcribit 1.78.

§ 143. Quod verò illum morem attinet potandi reos, ſive exhilarandi cauſâ, ſive quadantenus ſoporandi, ſimilis quidam fuit apud Athenienſes. Heic enim promulgatâ capitis damnatione, cùm è loco judicii exibant rei ducendi ad ſupplicium, habebant facultatem largiùs ſumendi cibum vinúmque: ſimul etiam tria, quæ modò cunque vellent, proloquendi. Quod ad prius, ſimile quid apud nos obtinet. Horis enim ante exſecutionem vigintiquatuor minimùm denuntiatur reis, utì ſe ad audiendam mortis ſententiam mortémque adeundam præparent. Ab eo tempore è ſqualido carcere in meliorem locum deductis conceditur quidquid cibi potûſque rogaverint. De altero Suidas ad Τὰ τρία. Τοῖς δὲ θανάτου ἀγομένοις ἔξεστιν καὶ οἶνον παρασθῆναι τρία λέγειν, ἃ βούλοιτο, μεθ᾽ ἃ φιμωθέντες ἀπήγοντο τὴν πρὸς θάνατον. i. *His, qui ad mortem ducebantur, licebat cibo atque vino repleti tria dicere quæ vellent, iisque dictis ore obturato abducebantur viâ ad mortem.* Adagium erat, ἔπος τὰ τρία. Cujus uſum negat ſe Eraſmus apud quenquam reperiſſe.

§ 144. Ejuſcemodi potio autem quæ facit obliviſci malorum, νηπενθὴς dicta fuit à Poeta Odyſſ. δ'. 220.

—— ὃς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἕπιον
Νηπενθὲς τ᾽, ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων.

Plinius 25.2. *Nobile illud nepenthes oblivionem triſtitiæ veniámque afferens.* Qualis ea potio fuerit, incertum. Poetam volunt hoc dicere: Helenam aliquod medicamentum ſomniferum vino immiſcuiſſe, & bibendum marito atque Telemacho dediſſe. Quod equidem veriſimile non eſt. Hoc enim agebat, ut exhilararet ipſos, triſtitiámque animis depelleret.

§ 145. Conſtantinus, Gorrhæus, Martinius, alii putant fuiſſe νεκταρίτην οἶνον, *nectaritem vinum*, quod vocat Dioſcorides in 5.66. Ὁ δὲ νεκταρίτης καθάρσιός ἐστιν ἐν τῷ ἐλενίῳ. ὁ δὲ ἔνιοι μανδραγορίτην, οἱ δὲ ἰδαῖον φάλμον, οἱ δὲ ὀρεστίον, οἱ δὲ νεκτάριον καλοῦσιν, ἐλενίου ῥίζης ⊰ ὁ. ἐνδήσας εἰς ὀθόνιον, κάθες εἰς χόας ς'. γλεύκους, καὶ μῦ γ' μελιτος ἐπόχι. *Nectarites fit ex helenio. Quod alii Medicam, alii Symphytum, alii Verbaſcum Idæum, alii Oreſtium, alii Nectarium vocant*; (totam hanc ſynonymiam Ruellius interpres prætervidit.) *Helenii radicis ſiccæ drachmas quinque liga in linteo, mitte in congios ſex muſti, atque poſt tres menſes diffunde.* Sed huic non ex vires, ſaltem præſignes: quidquid etiam ſcribat Plinius 21.21. *Heleninm ab Helena, ut diximus, natum, favere creditur formæ. Attribuunt & hilaritatis effectum eidem potæ in vino, eúmque quem habuerit nepenthes*

illud

illud prædicatum ab Homero, quòd eo tristitia omnis abeatur. Dioscorides nihil tale. Et si quid habet ejus virtutis Nectarites, habere à vino potiùs credendum, quàm ab helenio.

§ 146. Longè verò est similius, fuisse Vinum aliquod Aromatites huic usui paratum. Habet ejuscemodi geminam descriptionem Dioscorides 5. 64. Quibus hoc laudis tribuit, καὶ τοῖς διὰ κρυμὸν ὀδύνωσιν ἀμοίζει πινόμενος, καὶ πρὸς τοὺ πάχους ἡμυοῦντας· πέπτουσι δὲ καὶ εὐχροΐαν, εὐστατικός τε ὢν καὶ ἀναδοτικός. Pro quibus Ruellius, *atque iis qui per frigora iter faciunt, potum convenit: pituita crassitiem extenuat: colorem alit, somnum conciliat, dolorem finit.*

§ 147. Ineptè, *colorem alit.* Ergóne fovet, quem invenit? Εὐχροΐαν πέπτουσιν est *bonum colorem conciliare*, sive *coloratiorem facere*, ut Celsus loquitur 2. 2.

§ 148. Ineptiùs verò, *pituitæ crassitiem extenuat.* Græcè quod est, ἀμοίζει καὶ πρὸς τοὺς πάχους ἡμυοῦντας, planè alium sensum habet. Πάχους ἡμυᾶν est *corpulentiam acquirere*, sive *habitior fieri*, ut ibidem Celsus loquitur. Conducit itaque his qui fiunt, nè fiant. Plinius 11. 54. *Augescunt corpora delicibus atque pinguibus & potu: minuuntur siccis & aridis, frigidisque ac siti.* Hippocrates l. de Sal. diæt. t. 2. Τοῖς δὲ ἕλκεσι τοῖσι σαρκώδεσι καὶ μαλθακοῖσι καὶ ἐρυθρῇσι, ξυμφέρει δὴ ἥ πλείονα χρόνον τῇ ὀπώρῃ ξηρότητι διατήμασι χρέεσθαι. ὑγιὴς καὶ ἡ φύσις ἥδε ἐλκέων τυτθῶν, *Habitu carnosis ac mollibus atque rubicundis, convenit potiore parte anni sicciore victu uti. Humida enim constitutio eorum habituum est.* Confer & ad Galenum l. de Atten. vict cap. 1. ubi *acria* in illum finem singulariter conferre testatur. Unde & apud Plinium pro *aridis* fortè *acribus* legendum: præsertim cùm constet variare ibi codices.

§ 149. Porrò si ea fuit Hebræis consuetudo quam notavimus, etiam probabile est Judæos cæteris quidem reis potionem myrrhinam melioris notæ dedisse, seu tale aliquod aromatites vinum, quod & gustatu suave esset & in stuporem quodammodo mentem daret: Christo autem ὄξος μὴ χολῆς μεμιγμένον *acetum cum felle mixtum*, uti appellat Matthæus 27. 34. Vide & Lactantium de Vera sapient. 4. 18. Quæ verba non posse in propria significatione accipi, neque de vero Aceto aut genuino Felle, prorsus consentio doctissimo Bezæ. Claret ex omnibus circumstantiis, fuisse unam & eandem potionem quam uterque Euangelista, aliter atque aliter licèt, describit.

§ 150. S. Marcus ait obtulisse Domino οἶνον ἐσμυρνισμένον, hoc est, ut ego interpretor, *vinum cum admixta myrrha.* Planè enim persuadeo mihi, fuisse extemporaneam mixturam myrrhæ cum vino. Judæi enim & quorum proteruiæ atque ludibrio traditus erat Salvator, ut nihil non, ità & hoc in contumeliam ipsius excogitarunt. Volebant videri nihil de solennibus remittere, & ob id etiam ipsi de more *myrrhinam* ceu nepenthes offerre. Offerunt itaque *vinum*: sed quale? Vappam. Philoxeni glossæ, *Vappa*, ὄξινος· nempe in ὄξος cœptum mutari vinum. Unde, & meritò, ὄξος vocat Sp. S. apud Matthæum. Offerunt *murrhatum*: sed quale? Non odore myrrhæ conditum lautissimo; sed sapore ejus amaricatum ingratissimo, sive in quo recèns myrrham diluissent. Quàm verò ingrata talis potio fuerit, facile cogitare est. Et hæc propter *fellis* loco habuit Ille qui per Spiritum suum prædixerat fore *ut darent sibi in refectione sua venenum, & in siti sua acetum*, Psa. 69. 22. Prius colon spectat præsens factum; posterius, quod pendenti in cruce contigit in extremo agone angoréque: Matth. 27. 48. Marc. 15. 36. Joh. 19. 29, 30.

§ 151. Atque ex his, nisi fallor, satìs constat, fuisse olim in usu *myrrhatam potionem.* Verùm id præterea liquet cùm ex Dioscoridis de Mat. med. 5. 65. tum ex Plutarchi Iside p. m. 383. E. & 384. B. Et ille quidem expressè vinum conficere ex myrrha, pipere, iride, atque aniso docet. Alter verò Ægyptios ait τῷ κώθι χρῆσθαι καὶ πόμασι καὶ κρέμασι, *Cyphi uti in potu & vino.* Erat autem *cyphi* Confectio quædam aromatica ex sedecim rebus religiosè concinnata. Ingredientia erant, Mel, vinum, uva passa, cyperus, resina, myrrha, aspalathum, seseli, juncus odoratus, bitumen, thyum (quo de consule Cl. Salmasi Plin. exerc. p. 953. A.) lapathum, juniperus major ac minor, cardamomum, & calamus. Forma erat solida, & fortè non absimilis quâ conficitur hodie *Chocolata*, quam vocant: de qua habes Ant. Colmeneri libellum à M. Aur. Severino editum Latiné. Usus Cyphi erat ad alterandum aerem pestiferum, temperandum corpus, recreandum spiritum & à pravis miasmatis vindicandum, animum denique ab hominum carnificibus curis liberandum. Has enim tot dotes odoratu præstabat. *Confectionem* hanc vino diluisse etiam & bibisse, idem testatur. Ab Ægyptiis eam didicisse Romanos, & funeribus suis respersisse olim, sed propter sumptum vetitam 12 tabulis arbitratur Dion. Gothofredus in Notis ad earum fragm. l. Nè sumptuosa aspersio h.

§ 152. Sed fortè excipies, utrumque illud Medicamentum potiùs ducendum dicendúmque quàm vinum. Quippe prius Dioscorides πρὸς καταῤῥους, βῆχας, ὠμότητας, ἐμπνευματώσεις καὶ πάθος στομάχου, *ad catarrhos, tusses, cruditates, inflationes, atque flacciditatem ventriculi* condiri scribit. Et *cyphi* Plutarchus *potum* scribit τὰ ἐντὸς καθαίρειν, κοιλίας μαλακτικὸν, *interiora purgare, quoniam alvum emollit.* Aliæ hæ quæstiones: Fuerítne myrrhata potio in usu? &, Cui usui fuerit? Quanquam quid vetat, ut nè nimiùm solliciti de valetudine, etiam in secunda frequentent adversæ præsidia? Quod meritò tamen vetat Celsus lib. 1. cap. 1.

§ 153. Extra controversiam verò iterum hoc Festus ponit, *Myrrina genus potionis, quæ Græcè dicitur nectar. Hanc mulieres vocabant murriolā, quidā murratū vinū.* Propterea nempe quòd murra ingrederetur confectionem ejus. Quam sanè nobilissimam nobis, ex antiquitatis reliquiis servatam, prodidit Cassianus Bassus in Geop. 8. 24. Quam ecce, vel hoc fructu, ut videas, quò primum intenderit Festus, & constet non ipsum fuisse auctorem errandi doctis, sed suam inadvertentiam: Ἄλλοι δὲ ὕτως ποιοῦσι. Σμύρνης γεμίσματος ς'. κασίας χ.ιϛ'. κόστου χ.ϛ'. νάρδου. χ δ'. σπέρεως χ.δ'. μάλαθρου ἀττικοῦ ξέστ.ς'. οἴνου ξέστ.κδ'. μίσχοι καὶ σωλίθιον ὃν πλήρη, ὃν τῶν τῆς κωμῳδοποιῶν, δὸς ἡμέρας μ'. τοῦτο καλοῦσι νέκταρ. *Alii verò sic faciunt. Myrrhæ scrup. 6. Casiæ scrup. 12. Costi scrup. 2. Nardi scrup. 4. Piperis scrup. 4. Mellis Attici sextarios 6. Vini sext. 24. commiscent & exponunt ad Solem, sub Caniculæ ortum, ad dies 40. Hoc nectar vocant.*

§ 154. Equidem meritò: suavissima enim confectio est. Neque dubito fuisse inter veterum lautitias. Etiámne verò feminarum? Nihil [illegible]tat. In ò illud quod ex Agellio audivimus, vino erat [illegible]erdictum. Adeóne strictè ut nullo modo gustare liceret? De hoc non constat. Si constet tamen, nihil prohibet suspicari, pro *vino* confectioni *mustum* adhibuisse. Nam & œnomeli ex musto fecisse constat. At cùm experirentur hoc φυσῶδες ἂν, καὶ ἀναλλήλιον στομάχῳ, *flatuosum esse, & inconveniens ventriculo*, condire deinde aromatis solitos, quæ illud vitii corrigerent. Ideo autem semper dulce mansisse, speciebus aromaticis & γλυκύτητα ei suam servantibus.

§ 155. Potuere etiam ad *murrinæ* confectionem adhibuisse aquam cœlestem, & fecisse hydromel pro œnomeli. *Hydromelitis* suavis admodum compositio est, quam idem Bassus tradit in Geop. 8. 26. Alias præparationes exhibet Dioscorides 5. 17. ubi & convenire μικροψύχοις καὶ ἀδυνάτοις ait, *pulsuparvis & debilibus.* Qualis cùm magna pars feminarum sit, non facilè credam abstineri potuisse iis, quæ valetudinis prætextu negari non poterant.

§ 156. Vix etiam dubito quin *myrrhinæ* appellatione Plautus vel istud Nectar vel simile intellexerit loco quem proposui. Sed objicit Hadr. Junius Animadv. §. 19. *amarorem* Myrrhæ: ceu qui pro gratis ingratas potiùs potiones faciat. Facilis responsio. Quæsitus in confectione Nectaris non sapor Myrrhæ, sed odor: est enim εὐώδης. Illud verò quantitas docet. Sextariis quippe

triginta, ſcilicet vini 24, ſeu unciis trecentis, mellis autem 6, ſeu unciis centum & quinquaginta, adduntur *myrrhæ* ſcrupuli 6, ſeu grana centum quadraginta quatuor. Ut adeò quotquot ternæ Oenomelitis unciæ recipiant granum unum & alterius partem duodevigeſimam. Quaſi verò hoc obſcurare dulcedinem mellis poſſit, & amaricare potionem. Si quis, non obſtante illo, juſtus tamen metus eſt, eum inſolatio diſcutit omnino. Quin hæc penitiſſimè pervadens omnia, omnia ſubtiliſſimè ſolvens atque exactiſſimè miſcens, incredibile quid addit deliciarum, etiam præcipitando ſi quid mixtioni ineptius repererit. Nota in tranſitu, Sextarium pendere vini Uncias ſedecim totidémque ſcrupulos: mellis Uncias viginti quinque.

§ 157. Sed ecce etiam aliam, eámque ſingulari elogio commendatam, deſcriptionem *myrrhinæ* ex Vindanionio Geop. 7. 36. *Iridis optimæ drachm.* 4. *Feniculi ſeminis tryblium unum. Farinæ tantundem. Piperis dr.* 1. *Myrrhæ troglitidis dr.* 2. *Seſelis dr.* 1. ß. *Mei dr.* 1. ſs. *Apii dr.* 2. *His contuſis affunde vini odorati albi quod ſatis, & tere atque in maſſas forma, eáſque linteolo denſo involutas mitte in vas, ac ſuperaffunde vinum optimum, & obtura; poſt dies quatuor aperiens, bibe calicem jejunus. Præſtat verò cum muſto fieri.* Elegans elogium verò eſt, quod inſcriptio præ ſe fert his verbis, prout ex Palatinus olim codex exhibebat, Οἶνε μάχεις γήρως ὑγιὰς φυλάσσοντος ἀδιάπλωτος ζωὴν· h. e. *Vini uſque ad ſenectam conſervantis ſanitatem firma confectio.* Quo ſi quis ſemper utatur, ἄνοσος διαμένει *incolumis perdurat*, addit in textu. Nota verò, *tryblium* fuiſſe menſuram trium unciarum totidémq; drachmarum capax.

§ 158. Plinius ergò rectè, qui *myrrhinam* Plauti inter Vina ſimul & Dulcia adſcribit. Charini etiam reſponſio promittit nobile quid & delicioſum. *Rogas*, inquit, *ecquid daturus ſit?* Dabit *myrrhinam, paſſum, defrutum, mellam*, meras delicias. Et par erat optima quæque potionum reperiri apud eum, qui inſtruxerat *thermopolium*, ſive tabernam, ubi confectæ dulcéſque potiones venibant, quas bibere calidas ſolitos teſtatur Turnebus Adverſ. 20. 10. Non ideo, quia potari non poterant niſi diſſolutæ, quod videtur Andr. Baccius innuere Hiſt. vin. 4 p. 176. ſed quia plus eſt ſuavitatis in calido potu. Confer ad Hier. Mercurialis Var. lect. 1, 8. & Joh. Freinſhemium de Cal. potu, cap. 1. §. 2, 4.

§ 159. *Myrrhina* hæc proculdubio fuit in pretio: & teſtatur hoc Poſidippus Comicus apud Athenæum 1. 23. cujus hæc ſunt verba; μυρτίτης ἢ ἡ μυρρίνης οἶνος καὶ παρὰ Ποσειδίππῳ·

Διψηρὸς ἄπολος, ὁ μυείνης ὁ τέμνος.

Sed perperàm, inquit Cl. Salmaſius Plin. exerc. p. 711. B, *legitur in Athenæo* μυρτίτης *pro* μυρρίνης· *qui fortaſſe error eſt Abbreviatoris cenſentis* ἢ μυρρίνιον οἶνον ἀπὸ ἢ μυρρίνης *aut* μυρσίνης *dici. Sic enim myrtum appellant veteres. Sed* μυρρινίτης *dicendus eſſet* (aut μυρσινίτης, ut apud Dioſcoridem 5. 37. *non* μυρρίνης) nempe id vinum, quod ex Myrti nigræ virgultis cum foliis & baccis in muſto ad dimidium decoctis conficitur. Verùm hoc nè bibendo quidem erat. Erat μυρίτης· quo de Dioſcorides 5. 36. Verùm hoc, quamvis ſtomacho utile, nihil minus quàm delicioſum erat.

§ 160. Quæ ratio ſola ſatis eſt ad eundem errorem eodem modo corrigendum in Artemidori Oneirocrit. 1. 68. Verba ſunt, οἰνόμελι ἢ καὶ μελίμηλον καὶ ὑδρόμυλον καὶ μυρτίτην, καὶ πάντα ἃ ἐσκιαζόμενον οἶνον πίνειν, πλουσίοις μὲν ἀγαθὸν διὰ τὸ τρυφᾶν· πένησι δὲ, μοχθηρόν. ὁ δὲ αὐτὸς ὁρῶν δεῖ τὰ τοιαῦτα πάσματα, εἰ μὴ ὑπὸ νόσου ἀναγκάζοιτο. Reſtituo primùm, ὑδρόμηλον καὶ μυρρίνην. Verto deinde, *Oenomeli aut melimeli aut hydromeli aut myrrhinam, aut quod aliud confectum vinum bibere, divitibus quidem bonum, propterea quòd in deliciis vitam tranſigant: egenis verò malum. Neque enim priùs appetunt ejuſcemodi potu, niſi à morbo cogantur.* Τὸ μήλον, pro ὑδρόμηλα, recentiorum eſt. Reperies etiam apud Caſſianum in Geop. 8. 26.

§ 161. *Melimelum* quid ſit, videre apud Columellam 12. 45. ubi tradens rationem conſervandi Cydonea, ait, *nihil certius aut melius experiri ſe, quàm ut cydonea maturiſſima, integra, ſine macula, & ſereno cœlo decreſcente lunâ leganture, & in lagena nova quæ ſit patentiſſimi oris, deterſâ lanugine, quæ malis ineſt, componantur leviter & laxè, nè collidi poſſint: deinde cùm ad fauces uſque fuerint compoſita, vimineis ſurculis ſic tranſverſis arctentur, ut modicè mala comprimant, nec patiantur ea cùm acceperint liquorem ſublevari: tum quam optimo & liquidiſſimo melle vas uſque ad ſummum ità repleatur, ut pomum ſubmerſum ſit. Hæc ratio non ſolùm ipſa mala cuſtodit, ſed etiam liquorem mulſei ſaporis præbet, qui ſine noxa poſſit interdum dari febricitantibus: iſq; vocatur melimeli.* Turnebus Adverſ. 17. 13. *melomeli* ſcribendum exiſtimat. Ità quidem analogia vult. Tum verò *melimelum* pomorum in genere eſt. Plinius 15. 14. *quæ nunc melimela dicuntur, à ſapore melleo.* Aliter ergò olim. Varro de Re ruſt. 1. 59. *pomorum quæ antea muſtea vocabant, nunc melimela appellant.* Confer ad Stapelii com. in Theophr. hiſt. plant. 4. 6. p. 399.

§ 162. Species tertia Myrinæ dicitur Heſychio fuiſſe *Potio, cui ſuperfuſum erat unguentum.* De hoc planiſſimè conſtat ex Polluce 6. 2. ὧν δή τις καὶ μυείνης οἴνος, μύρῳ κεκραμένος· οἱ δὲ καὶ γλυκὺν ἅπαν οἶνον καλεῖσθαι, *Erat & myrinum vinum, myro permiſtum. Sunt autem qui eo nomine paſſum vocari exiſtimant.* Rectum eſt, οἶνος μύρινος, *Vinum myrinum*, i. e. unguento temperatum. Rectum quoque, μυείνης· ut enim à voce φύλλον, ὁ φυλλίνης· ità à μύρον eſt ὁ μυρίνης &, geminatâ caninâ literâ, μυρρίνης. Latinis *murrina* eſt à murra. *Murra* autem unguentum ſignificat, idem quod μύρον. Cyrilli gloſſæ, μύρον, *Unguentum*, *Murra*. Quòd enim (ut ſuprà § 124 notabamus) compluria unguenta non ſine myrrha fierent, & ipſa pretioſum eſſet unguentum, propterea non tantùm μύρον de *Myrrha* Græci abſolutè & κατ' ἐξοχὴν dixerunt; ſed & *myrrham* Latini de unguento quolibet aromatico.

§ 163. Achmeti in Oneirocrit. 196. 2. dicitur οἶνος ζυγκεκραμμένος *vinum adulteratum*, & ſignificare, ſi quis ſe bibere illud ſomniet, θλῖψιν εἰς ἢ πλῆθος αὐτῷ ἀνάλογον ἢ ζέσεως, *jacturam bonorum pro modo ferveris*, quo bibi ſcilicet ſomniatur. Namque, ut eſt apud Juvenalem Sat. 6. 302. oportet bene calida eſſe,

Ut perfuſa mero ſpument unguenta Falerno.

§ 164. De *paſſo* Myrrhinam qui interpretetur, non cognovi. Rectè interim de *vino* Hadr. Junius Animadv. 5. 19. accipit hoc Sutrii Comici, ubi Glyceram meretriculam ità loquentem introducit,

Myrinũ mihi adfer, quò virilibus armis occurrẽ fortiuncula.

Nam & mulierum libidinoſiores vino, præſertim aromatite incaleſcere in complexum, vulgare noſtras adagium innuit, *Femina ſubebria, Venus in lecto.* De eodem Dalechampius illud Diphili in Deficiente interpretatur ad Athenæum 4. 4. ubi coquus ait, artis ſuæ principale atque palmarium eſſe

Τὸ δ' ἡδομένων τὰ στόμαθ' ὑφηγήσασθαι.
Οἷον, Ῥοδίους κάλπικας; εἰσίωσι δὲς
Εὐθὺς ὑπὸ θερμῆ τ' μεγάλῳ αὐτοῖς πάσαι
Ἀποζέσας σίλυρον, ἢ Λιβίαν, ἐφ' ᾧ
Χαιρῇ πολὺ μᾶλλον, ἢ μυείνῳ συγκόας.
Pranoſſe linguam & ora convivantium.
Rhodios vocaſti forte? quando intraverint,
Magnum è camino prabeas ipſis ſtatim
Silurum elixum, Lebiámve, quo magis
Facto placebis, quàm queas murinâ datâ.

Diſſentiunt Mercurialis Var. lect. 5. 1. & Brodæus Miſcell. 4. 20. uterque ſine ratione tamen, ſaltem ad quam reſponderi ſit opus, aut reſponſum non ſit.

§ 165. Friſiorum gulonibus expetitũ valde laudatúmq; eſt, aliis Abſinthite vino, aliis Hamburgenſi birâ cum butyro thermopotare gutturem, ut Plautus loquitur Trinummo act. 4. ſc. 3. 7. Qui hoc ſæpius vidi, cauſam

non

non habeo dubitandi etiámne verum sit, Veteres unguenta Vinis superfudisse, & bibisse. Sed verò res est multorum auctoritatibus testatissima.

§ 166. Theophrastus l. de Odorib. p. 183. Furlanæ edit. οἱ τὰ μύρα καταγνύντες, ἢ τῷ οἴνῳ ἐπιχέοντες, *Qui unguenta miscent, aut vino superfundunt.* Plinius 13. 3. *At herculè jam quidam etiam in potus addunt: tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis.* Si rectè hæc assequor, vult eos qui unguenta bibunt, hoc consequi luxuriâ, ut sive ructent sive vissent, semper fruantur odore unguenti ceu teste & exprobratore prodigalitatis. Confer ad Clem. Alexandrinum Pædag. 2. 8. p. m. 177.

§ 167. Luxuriæ argumentum fuisse etiam notat Ælianus Var. hist. 12. 31. Τί δὲ, οὐκ ἐκεῖνα τοῖς Ἕλλησι τρυφῆς ἀπόδειξις; μύρῳ γὰρ οἶνον μιγνύντες ἔπινον, καὶ ὑπολυσανχάζοντο τῶν τοιούτων κέρσιν. καὶ ἐκαλεῖτο ὁ οἶνος μυρρίνιτης (lege, μυρρίνης) μάμπη δὲ αὐτῷ Φιλιππίδης ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητής. *Quid autem, nónne hæc in Græcis luxuriæ indicium sunt? Unguento enim vinum miscentes bibebant, eâque mixturâ prorsus abutebantur. Vocabatur hoc vinum myrrhina. Meminit verò ejus Philippides Comœdiæ scriptor:* de quo vide sis ad Suidam. Quid sit ibi ὑπολυσανχάζεσθαι τῷ κέρσιν τοῦ μύρου, fortean Plinii hæc dicent, *Hæc est materia luxûs è cunctis maximè supervacui. Excedúntque quadringenos denarios libræ. Tanti emitur voluptas aliena.*

§ 168. Ut verò luxuriæ erat argumentum, ità & libidinis incitamentum. Huc spectat illud meretriculæ quod modò citabamus. Fulgentius Mytholog. 3. 9. quà de Myrrha & Adonide, *Ideo Venerem amasse Adonin dicunt, quòd hoc genus pigmenti* (id est unguenti: loquitur enim de succo Myrrhæ, seu potiùs myrrha stacte) *sit valde fervidum. Unde & Petronius Arbiter ad libidinis concitamentum, Myrrhinum se poculum bibisse refert.*

§ 169. Quare meritò fuere *omnia ista*, ut Plinius memorat 14. 17. *ab Themisone summo autore damnata. Et herculè coactus eorum usus videri potest, nisi si quis naturæ opus esse credit aromaticen, & ex unguentis vina composita.*

§ 170. Quænam vero unguenta in compotationibus adhiberentur, abunde docet Athenæus in 15. 12. ubi magnum eorum offendes catalogum: quem nihil attinet hic recitare.

§ 171. Sed de *passo* Vino satis. Transeamus ad genus alterum, quod appellabam *Non passum*, propterea quòd fiat ex Uva matura quidem, sed integra, nullámque sui diminutionem passa ab exquisito Solis ardore aliàve insolita violentia. Plinius *medium inter dulcia vinúmque* dicit 14. 9. Neque enim meretur haberi in numero aut Dulcium aut Vinorum. Non *dulcium*; quia ex musto est: Non *vinorum*; quia prohibetur fervere.

§ 172. Hoc genus autem triplex est; γλεῦκος, & οἶνος γλυκὺς, & quid inter hæc medium.

§ 173. Γλεῦκος *mustum* significat in communi, sive, ut olim scribebatur, *moustum*. Ità quippe nominabant Latini οἶνον μόχον *vinum novellum*, seu potiùs liquorem illum qui recèns ab uvis effluit, & quamdiu non ferbuit, seu vinum mistum fæcibus est. Dicebam, *potiùs*; quia Vinum novum propriè est quod nuper ferbuit, fæcésque suas recèns defæcavit. Esse enim diversa, Mustum & Vinum novum, ex utriusque facultatibus cognoveris. De *musto* Hippocrates 2 de Diæt. 13. 233. γλεῦκος φυσᾷ, καὶ ὠδύνη, καὶ ἐκπυρώσεις ἐόν τε τῇ κοιλίῃ, καὶ διαχωρέον, *Mustum inflat, & subigit, & perturbat fervens in ventre, alvúmque subducit.* De *vino novo* Dioscorides 5. 7. ὁ δὲ νέος ἐμπνευματικὸς, δύσπεπτος, δυσούριος, ὑπνικὸς, *Novum verò inflat, ægrè concoquitur, insomnia inquietat, urinam ciet.*

§ 174. *Mustum* verò duplex est: lixivum & vulgare.

§ 175. Mustum *lixivum* dicitur, quod lixæ seu aquæ instar effluit ex uvis ante expertam vim. Columella 12. 41. *Mustum lixivum de lacu statim tollito. Hoc autem erit, quod distillaverit antequam nimium calcetur uva.* Corrige, *quod sponte distillaverit antequam nimium calcetur uva.* Plinius 14. 9. *protropum appellatur à quibusdam mustum sponte defluens, antequam calcentur uvæ.* Columella iterum cap. 40. *mustum lixivum (hoc est, antequam prælo pressum, quod in lacum musti fluxerit) tollito.* Ubi quæ in parenthesi dicuntur, haut dubiè glossema sunt. Confer ad Cæl. Rhodiginum 28. 34.

§ 176. Græcis hoc genus Musti πρόχυμα dicebatur. Florentinus Geop. 6. 16. πρὶν θλιβῆναι τὰς βότρυας τὸ ἐξ αὐτῶν αὐτομάτως ἀποῤῥέον γλεῦκος, ὃ πρόχυμά τινες καλοῦσι, *Quod, prinsquam calcentur uvæ, ex his sponte exstillat mustum, quod prochyma quidam vocant.*

§ 177. Frequentius erat οἶνος προπατὼρ ἢ πρόδρομος, *Vinum protropum* aut *prodromum*. Pollux 6. 2. Πρότροπος ὃ διὰ τῆς οἶνος, ὁ πρὶν ὑποθλίβεσθαι [scilicet, τὰς βότρυας] ἐκρεῖς, *Protropum erat vini species, quod citra pressuram effluit*, adeóque prælum prævertit. Belgæ dicerent *voorloop*. Quod verbum usitatissimum est *Destillatoribus*, quos vocamus. Hesychius, Πρότροπος, οἶνός τις, οὗ γλεύκους τὸ πρόχυμα. Rescribo, οἶνός τις, ἢ οὗ γλεύκους τὸ πρόχυμα. Reddo, *Protropum, vinum quoddam, aut musti quod sponte profluit.* Revera enim hoc nominis conveniebat etiam speciei Vini certæ. Athenæus 1. 24. οἱ Μιτυληναῖοι τὸ παρ' αὐτῆς γλεῦκος οἶνον πρόδρομον καλοῦσι· ἄλλοι δὲ πρότροπον ἢ πρόδρομον, *Mitylenæi vinum suum dulce Prodromum vocant; alii verò Protropum aut Prodromum.* Hujus generis est quod hodiéque *lacrymam* Itali cum Hebræis appellitant.

§ 178. Quin & Passi *lixivum* dicebatur *protropum*. Athenæus, 2. 7. λαμβάνετε, φησὶν ἡδύσματα πρότροπον, γλυκὺν Λέσβιον, *sumat, quod vocant protropum, passum Lesbium.* Ælianus Var. hist. 12. 31. καὶ δὴ τούτοις [τοῖς Λεσβίοις] γλυκύς τις ἐκαλεῖτο, πρόπον τῷ ὀνόματι καὶ τῷ γεύσει. Interpres, *& præter hæc aliud Dulce vocabatur, sapore etiam referens.* Corrige primùm, πρότροπος τῷ ὀνόματι καὶ τῇ γεύσει· tum redde, *& apud hos* [Lesbios scilicet] *Passum quoddam celebratur, Protropum nomine saporéque.* Unde & apud Vitruvium Archit. 8. 3. rectè Philander, pro *vinum protyrum*, restituit *protropum*. Loquitur enim de Lesbio vino.

§ 179. Hujus generis *scybelites* erat, quod toties Galenus commendat: vide Meth. med. 6. 31. de Dign. puls. 1. 1. & in l. de Comp. med. sæpissimé. Fuisse verò è *genere* Protropi passi, ex Ætio liquet, nec non Myrepso. Ætius 3. tetr. 1. 24. Σκυβελίτης δ' οἶνός ἐστιν ὁ αὐτομάτως ἀποῤῥέων ἀπὸ τῶν παθήσεων σταφυλῶν, καὶ ὁ οἶνος ἀπ' ἐλλισσῶν, *Scybelites vinum est quod sponte destillat ex uvis passis, vinúmque; ultrò fundentibus.* Myrepsus de Antid. cap. 145. Ἔστι δὲ σκυβελίτης οἶνος, ὁ μὴ τὸ παλαιθλῶσι σταφυλὰς ἀποῤῥέων οἶνος, *Scybelites vinum est quod exstillat postquam uva passæ sunt solem, & conjectæ in torcular se mutuò premunt.*

§ 180. Mustum *vulgare* appello, quod vi expressum est. Vim præstat vel Pes vel Prælum. Pes primùm, deinde prælum. Unde mustum licet distinguere in Primarium & Secundarium.

§ 181. *Primarium* nuncupo, quod uvis calcatis seu pede pressis effluit. Ex hoc musto Vina *pressa* vocat non semel Horatius: ceu videre 4. Carm. 12. 14. & Epod. 13. 8, 9. Græcis, πατητὸ οἶνοι. Hesychio τερητῶν est λινοπατῶν, *calcare torcular*. A Græco habent suum *trappen* Germani.

§ 182. *Secundarium* verò, quod pressiore pede aut prælo etiam exprimitur aut extorquetur. Hoc quia quandoque circumciso pede, quandoque non circumciso fiebat; indè est, quòd alii *tortivum*, à pressuræ modo, illud appellarent, alii *circumcisitium*, à cuta acinis quam adhibebant post primam pressuram. Hoc rursus aliquando exprimebant in eundem lacum, aliquando servabant seorsum. Quæ sanè notanda sunt antiquarum lectionum studioso. Sed inspiciamus quædam huc facientia.

§ 183. Varro de Re rust. 1. 54. *Quæ calcata uva erunt, earum scopi cum folliculis subjiciendi sub prælum, ut si quid reliqui habeant musti, exprimatur in eundem lacum. Cùm desiit sub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rursus premunt: & rursus, cùm expressum, circumcisitium appellant, ac seorsum, quod expressum est, servant, quod respis-*

ferrum. Expreſſi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, cóq; aqua additur: ea vocatur lora, quòd lota acina, ac pro vino operariis datur hieme. Quibus quia exhibetur ratio tota exprimendi uvas & in varios uſus, non debet mihi vitio eſſe, quòd paulùm rurſus de via digreſſus ſubnotem quæcunque lucem iſtis, quà rem, quà verba, queunt dare.

§ 184. *Quæ calcatæ uvæ erunt.* Semper antè calcabantur uvæ, quàm prælo vinacea ſubderentur. Eò alludunt Prophetæ, Jeſaia 53.3. & Johannes Apoc. 14. 20. Cæterùm cùm conſtet facilè vitiari muſtum, & infici fœtore, & diſponi ad corruptionem, eapropter Apuleius in Geop. 6. 11. jubet εἰσιέναι εἰς τ' ληνὸν τὸς πατοῦντας εὖ μάλα τὰ πρὸς τὸς πόδας κεκαθαρμένους, κ) μηδένα αὐτῶν ὸ τῇ ληνῷ μήτε ἐδέιν, μήτε πίνειν, μήτε εἰσιέναι κ) ἐξιέναι πολλάκις· κ) εἴ τις ἀνάγκη γένοιτο τ' ἀπελθεῖν, μὴ γυμνοῖς τοῖς ποσὶν ἀπίεναι. δεῖ δ κ) ἡμφιέσθαι κ) διαζώματα ἔχειν τὸς πατοῦντας, διὰ τὸς ἐπιῤῥεόντας [lego, ἐπιῤῥεόντας] ἱδρῶτας· *ingredi in torcular calcatores, valde bene pedes purgatos, neque quenquam ipſorum in torculari vel edere vel bibere, neque ingredi vel exire ſæpius. Et ſiqua neceſſitas ineidat exeundi, nè nudis pedibus abeat. Oportet verò etiam indutos eſſe calcatores & ſubligaribus tectos propter ſudores obortos.* Quos conſultò admodum miſceri muſto prohibet, ut & omne quod vino malum ſaporem odorémve dare poteſt. Rationem dat Columella 12. 28. *quia nulla res alienum odorem celeriùs ad ſe ducit, quàm vinum.* Quod & Plinius obſervat in collocatione doliorum, & monet 14. 21. *doliis etiam intervalla dari, nè inter ſeſe vitia ſerpant, contagione vini ſemper ocyſſimâ.*

§ 185. *Earum ſcopi.* Quos Varro *ſcopos*, Cato *ſcopiones* vocat cap. 112. Sed depravatus eſt locus. Legendum quippe, emendatore Joſ. Scaligero, *Tum acina de uvis miſcellis decerpito de ſcopione, inde in dolium:* confer ad Auſonii Popmæ Notas. Apud Columellam bis perperàm legitur *ſcipiones*, 12, 39. & 43. Eſt autem *ſcopus*, ramoſum id ligneúmque quo dependent acini. Ità Ruellius in 1 de Stirpib. 11. Cælius Rhodiginus Antiq. lect. 12. 14. cum *ſcapo* confundit; admodum inconſideraté: *Nam ut in papavere*, inquit, *pars ſemen continens vocatur ſcapus, ſic & in uvis quo grana continentur, eodem cenſetur vocabulo.* Quibus in verbis cùm rectè non habeat antecedens, quid ſperes de conſectario? In iſto enim nimis ſecurè ſequutus fuit Plinium 19. 8. cujus ibi verba ſunt, *papaveris nigri ſcapo inciſo lacteus ſuccus excipitur.* Rectum eſt, *ſcaphio inciſo.* Nam σκάφιον eſt *caput*, autore Polluce 2. Onom. 4. 1. & autoritate Ariſtophanis, cujus hunc verſum (unde? incertum quippe,) citat;

Ἵνα μὴ καλέσαιῆς τὸ σκάφιον πληγαῖς ξύλῳ,
Tibi nè dolatum fuſte frangatur caput.

Quemadmodum igitur *caput* Poetæ κωδίαν vocabant: ità Plinius viciſſim τὸν κωδίαν five τὸν μήκωνος καφαλὸν, *papaveris caput*, appellavit *ſcaphium*. Ità pro eo quod Theophraſtus Hiſt. plant. 4. 10. de Loto dixerat, ὸν δ τῇ Εὐφράτῃ τὸν κωδίαν φασὶ κ) τὰ ἄνθη δύειν, reddidit 13. 18. *Hoc amplius in Euphrate tradunt & ſcaphium & florem mergi:* ità enim & hèic legendum; ſiquidem reſpexit ad illum Philoſophi locum quem propoſuimus. Si verò ad illum qui legitur de Cauſ. plant. 2. 26. ubi non κωδίαν *caput*, ſed τ' καυλὸν ait ὅτε μὲν ἀναδύνειν, ὅτε δ δύνειν, *caulem quandoque emergere, quandoq; mergi:* rectè *ſcapum* reddidit. Nam *ſcapus* idem qui *caulis*. Ità *aſphodeli ſcapum* Columella dixit 9. 4. *ferulæ ſcapum* Plinius 13. 22. Hinc ob ſimilitudinem *ſcapus columnæ* dictus, qui eſt inter ſpiram & capitulum: de quibus conſule Bernardini Baldi Lexicon Vitruvianum. At *ſcopus* eſt, quod dixi. E quo quia acini dependent, hinc κρεμαστῆρες vocat Florentinus Geop. 5. 17.

§ 186. *Cum folliculis.* Plinius *acinorum* modò *corium*, modò *corticem*, interdum *cutem* vocat: ubivis metaphoricé. Propriè enim *vinacea* dicuntur Latinis. σάμυλα Græci. Quanquam poſteriores id nominis tribuerint *gigartis* ſeu granis carni incluſis, ut videbimus poſtea.

§ 187. *Subjiciendi ſub prælum.* Servius Georg. 2. 242. *prælum* eſſe trabem propriè ſcribit, quâ uva jam calcata premitur. Quod ideo notandum, quia Literatores pro eodem uſurpant torculare, lacum, & prælum. Vide ad Grapaldum de Part. ædium 1. 3. De ſtructura Torcularis adi ſis ad Catonem cap. 18. & ad Vitruvium 6. 9. Nota interim torculare Catonianum eſſe diverſum à Vitruviano, atq; etiam à noſtræ ætatis torcularibus. *Quod ego*, inquit ad Catonem Popma, *cùm inſtituiſſem apertiùs & fuſiùs deſcribere, animadverti vix poſſe verbis illuſtrari, & ſi maximè illuſtretur, nullam utilitatem habere, ſanè non magnam: itaque omiſi.* Utinam hoc ſaperemus omnes, & in hac vitæ brevitate ſtuderemus non niſi utilia diſcere atq; docere! Totius interim machinæ partes proſequitur l. de Inſtr. fundi n. 11.

§ 188. *Ut ſi quid reliqui habeant muſti.* Scilicet expreſſo ſucco ſeu ſanguine uvarum, ſupereſt caro; qui & *callus* Plinio in uvis duracinis. Illam gravior preſſura conterens velut in ſuccum reſolvit. *Sanguinem uvæ* Moſes vocavit primus Deut. 32. 14. deinde plurimi, quos citat Caſaubonus Animadv. in Suet. 2. 24. Adi & ad Salmaſii Plin. exerc. p. 12. 84. C. Dictus vero *ſanguis* propriè, qui ex nigris uvis: compara Prov. 23. 31.

§ 189. *Exprimatur in eundem lacum.* Hoc muſtum alios in alium lacum expreſſiſſe & ſeorſim ſervaſſe conjicio ex illis quæ præcipit Cato cap. 23. *Tortivum muſtum circumcidaneum ſuo cuique dolio dividito, additóq; pariter.* Interciſiſſe copulam, & ſcriptum fuiſſe, *Tortivum muſtum & circumcidaneum*, clamat quod ſequitur præceptum; *ſuo cuique dolio dividito*, hoc eſt, ſeorſim reponito, & alio in vaſe Tortivum, in alio Circumcidaneum. Quin & alterum; *addito pariter*, hoc eſt, utrique pari menſurâ modóque admiſceto defrutum, aut marmor, aut reſinam, quo miſceri hæc juſſerat cum muſto *prælegato*. Fiebat hoc ex uvis miſcellis. Varro 1. 53. *nam & præcox, & miſcella, quam vocant nigram, multò antè coquitur, quò prior legenda.* Fortè & ex *uvis pretiis* quas nominat Maro Georg. 2. 95. & *citò maturéſcere* Columella 3. 2. & *ollis utiliſſimas* Plinius dicit in 14. 2. Vinum iſtud *præleganeum* operarii bibebant.

§ 190. Confirmat porrò me in propoſito Columella 12. 37. ubi Vinum ſimile Græco facere docens ait, *Uvas præcoquas quàm maturiſſimas legito, eáſque triduum in Sole ſiccato, quarto die calcato, & muſtum, quod nihil habeat ex tortivo, conjicito in ſeriam, diligentérque curato ut cùm deferbuerit faces expurgentur. Deinde quinto die, cùm purgaveris muſtum, ſalis cocti & cribrati duos ſextarios, vel quod minimum, adjicito unum ſextarium in ſextarios undequinquaginta. Quidam etiam defruti ſextarium miſcent: nonnulli etiam duos adjiciunt, ſi exiſtimant vini notam parùm eſſe firmam.*

§ 191. Græci *marinam* ſuffundere vinis ſolebant quæ travehebantur in titulum, præterquam Chiis. De hoc more etiam Athenæus 1. 25. Species aliquot refert Plinius 14. 8. Modos aliquot faciendi Dioſcorides 5. 28. Confer & ad Catonem cap. 25, & 105. atque Columellam 12. 21. Quare fecerint, Plutarchus quærit in Quæſt. nat. 10. *Græca* ergò *vina* dicebantur quotquot eſſent ſuffuſa mari. Plautus Rudentib. act. 2. ſc. 7. 30.

Quaſi vinis Græcis Neptunus nobis ſuffudit mare:
Itaque alvom pradi ſperavit nobis ſalſis poculis.

Dicitur *alvum prodere*, quod ipſam cogit ex inopinato ſe profundere. Parabantur autem *ſalſa vina* κ) πρὸς κοιλίας ὑπαγωγὴν ad *ventris ſubductionem*, inquit Anazarbæus dicto loco.

§ 192. *Cùm deſiit ſub prælo fluere, quidam circumcidunt extrema, & rurſus premunt.* Columella 12. 36. *Muſtum tortivum eſt, quod poſt primam preſſuram, vinaceorum circumciſo pede, exprimitur.* Niſi fallor, *cremaſterum* in uvis triplices ſunt partes, Pes, ſcopiones, pediculi. Pes eſt, è quo uva dependet à ſarmento. Scopiones, qui ramorum inſtar è pede ceu ſtipite exſurgunt. Pediculi denique, ſummitates ſcoporum, quibus appendent acini. Uti verò pedes uvarum κρεμαστῆρες appellantur Florentino Geop. 5. 17. ità pomorum πόμαλα Democrito Geop. 10. 25. *ficuum* verò πώμαλα Africano Geop. 10. 56. Palladius, uno in omnibus nomine, *tenaces* aut *tenacia* nominat. Pes

ergò

ergò velut radix racemi est. Pro qua etiam sumitur apud Columellam 12. 43. Latiùs significat id totum ramosum ligneúmque quod acinos inter & sarmenta est. Ità hîc sumi argumento est, quòd pro *pede* Cato dixerit *extrema*. Quæ uterque *circumcidere* jubet, priusquam denuo vinacea prælo subjiciantur. Apuleius Geop. 6. 11. etiam *grana extrahi* jubet; ἐμελανθήσας ϑ', inquit, τὰς σταφυλὰς εἰς τὸν ληνὸν, ἐυθὺς τοῖς ποσὶν ὑποδλιβέντως οἱ φερὲς ἔστω πεπιεσμένοι, πᾶσάν τε ῥᾶγα ὁμαλῶς πατήσαντες ἀνασυρήσασα τὰ στάφυλα, τυτθοὶ τὰ γίγαρτα, ὅστε τὸ πολὺ τῦ ὑποῤῥυήσεται εἰς τὸ ὑπολήνιον, διὰτεῦν ϑ' πατήσεως, ἀπαλλατλέσθως, *Injectas in torcularia uvas statim pedibus conterunto quibus hoc demandatum est, omnibúsque acinis aqualiter compressis extrahunto vinacia, hoc est, grana, quò possit quamplurimum liquoris defluere in lacum, atque ubi denuo calcarunt, discedunto.* Τὰ στάφυλα etiam Anatolius in Geop. 6. 13. per γίγαρτα interpretatur: uterque novè. Sunt enim propriè *vinacia* seu *folliculi*, ut dicebam modò. Interea etiam Latini *vinacia* dicunt pro nucleis. Palladius Sept. 11. *vinacia, quæ in acinis celantur, hoc est, grana:* glossema hoc. Quia namque, auctore Varrone 1. 48. *granum dicitur, quod est intimum solidum*, visum fuit lectori non incommodè *vinacium* per *granum* exponi. Sed & illud novum est. Est & illud, λωὸν exponere *lacum:* facit interpres Apocal. 14. 19, 20. At hoc est ὑπολήνιον: sicuti λωὸς, *torcular*.

§ 193. *Et rursùm, cùm expressum, circumcisitium appellant.* Ità enim scribendum, postulante analogiâ & vestigiis priscæ scripturæ. Libri edunt, *circumsitum:* membranæ, *circumcisicium*, notante Pet. Victorio in Explan. suarum in Varronem castigationum. Cato, ut audivimus, *circumcidaneum* appellabat. *Circumcidere* hîc est amputare & auferre inutilia.

§ 194. *Ac seorsùm, quod expressum est, servant.* Cui usui? Non dicit. Credibile inter vina *operaria* habita, quæ ex isto genere musti fierent. Plinius 14. 19. notat, *nefastum habitum, prolibare diù vinum, quod circumcisis vinaceis profluxerit.* Num in hoc etiam & similibus Gentiles verarunt dictum Apostolo Rom. 2. 14. *Gentes non habentes Legem, sibi ipsis sunt lex, & naturâ faciunt quæ sunt Legis?* Nempe natura ipsos docebat, haut fas esse offerre Deo quid vitiosi, Levit. 22. 20. aut quod offerre Præsidi suo non auderent, Malach. 1. 8. Tale verò fuisse id vinum, notat quod sequitur apud Varronem.

§ 195. *Quod resipit ferrum.* Jos. Scaliger hîc, *resipit ferrum dixit, ut Dioscorides,* ὑπόβρωμον ὄζει. An scriptum fuit, *resipit facem?* quæ procul dubio plurima huic musto.

§ 196. *Expressi acinorum folliculi in dolia conjiciuntur, eóque aqua additur: ea vocatur lora, quòd lora acina, ac pro vino operariis datur hieme.* Quod ad potûs hujus *appellationes*, Latinis non alio, quod sciam, quàm *lora* nomine venit. Nonius 17. 11. *Loram dicebant in vindemia, cùm expressissent acinis mustum, & folliculos in dolium conjecissent.* Aliquando tamen dicebant *loriolam*, diminutivè. Varro 1 de Vita pop. Rom. *Loriolam nominabant cùm ex uvis expressum erat mustum, & ad folliculos seu vinacea adjiciebant aquam.* Hotomannus & ex eo Gothofredus ad l. Si quis 9. ff. de Tritico leg. etiam *acinaticium* Ulpiano dictum, loram esse existimant. Quæ cùm fieret non ex acinis, sed acinorum folliculis, non potest lora esse. Sciendum enim, monitore Dalechampio Hist. gen. plant. 5. 24. *acinum* non pro uvæ vinaceo, sed fructu toto accipi, qui ex succo, & parte quæ veluti caro est, & ex vinaceis, & ex ambiente cute constat. Ità esse liquet è Catone cap. 113.

§ 197. Sed esto, *acina* sint hoc quod putant: ità dicendum esset *Vinum acinaceum*; prorsus ut *acinus vinaceus* dicitur, ad differentiam aliorum. Nam & ebulo & sambuco aliísque suus est acinus. Vide Turnebum Advers. 4. 6. Mercurialis Var. lect. 5. 1. contendit *protropi* quoddam & nobile genus fuisse. Sententiæ auctorem facit Cassiodorum in Var. 12. 4. qui tamen suum *Acinaticum, cui nomen ex acino esse* dicit, adeò describit ambitiosè, ut studio obscurasse rem, non explicasse videatur. Exscripsit locum Lud. Nonnius de Re cibar. 4. 13. & dimisit cum hac suspicione, *speciem Passi protropi esse.*

§ 198. Sed cùm Jurisconsultus dicat initio legis, *Si quis* vinum *legaverit, omne continetur quod ex vinea natum vinum permansit*, & verò nemo non *protropum* in vinis habeat: quid dici potest ineptius, quàm appellatione *vini* Vinum contineri? Viderint ergò periti annon scripserit Ulpianus *concinnaticium*. Non. Marcellus 1. 207. *apud veteres* cinnus *potionis genus ex multis liquoribus confectum dici solet.* Rursus 295. Cinnus *est commistio plurimorum, unde &* concinnare *dicitur.* Ut adeò *concinnaticium vinum* Jurisconsulto sit idem qui Χύδαιος οἶνος & Dioscoridi 5. 45. *factitium vinum* Plinio 14. 16. Clarum hoc contideranti & verba legis & seriem rerum eâ propositarum. Proponit enim quæ oporteat *appellatione* Vini continere, quæ non. Non *mulsum*, non *zythum*, nec *camum*, nec *cervesiam*, nec *hydromeli*, nec *conditum*, nec *passum*, nec *defrutum*. Etenim priora ex vinea non fiebant: posteriora fiebant, sed potiùs condituræ loco quàm ad bibendum. Continetur verò *passum*, nisi contraria sit mens testatoris: itémque *œnomeli* planè, id est, dulcissimum vinum. Quibus ità digestis, tandem subjicit, *Concinnaticium planè vino continetur.* Quid enim aliud est quàm vinum variorum additione concinnatum & medicatum? Græcis variè nominabatur. Vulgatius nomen, Δευτειναν, pro quo alii, Δευτειναν. Hesychius, Δευτειναν, ὁ μὴ τὸ ὕδωρ ἐπιχεόμενον εἰς τὰ στάφυλα οἶνος. Joh. Meursius in Notis ad Caton. n. 25. pro Δευτειναν rescribit Δευλειας. Sed ostendit Casaubonus Animadv. ad Athen. 8. 11. probum esse Δευλειναν, atq; usurpatum Spartanis, qui caninam literam plurimùm adamabant & frequentabant: quemadmodum & Dores. Si vacat adire, reperies id genus magno numero. Hesychius iterum, Δευτερία, χάλιτος οἶνος, ἐυτελὴς. *Deuteria, residuum vinum, vile.* Cyrilli glossæ Δευτερῖον *secundarium* exponunt. Unde & Plinius 14. capiti 10. inscripsit, *De deuteriis & secundariis.* Dicebatur & πότιμος. Dioscorides 5. 13. Ὁ δὲ καλούμενος Δευτερίας, ὃν ἔνιοι πότιμον καλοῦσι, *Deuterias dictus, quem aliqui loram vocant.*

§ 199. Loræ genera Plinius tria facit. Primum, *Decimâ parte aquæ additâ, qua musti expressa sit, & ità nocte ac die madefactis vinaceis, rursúsque prælo subjectis.* Alterum, *quomodo Græci factitavêre, tertiâ parte ejus quod expressum sit additâ aquâ, expressóque decocto ad tertias partes.* Dioscorides præterea *salem* addit. Tertium est, *facibus vini expressum, quod facatum* Cato appellat cap. 153. Græci, τρυγηδιον. Pollux. 6. 32. τὸ δ' ἐκ τῶν στεμφύλων πιόντων ὑποῤῥυὲν, τρυγηδιον. Interpres, *Caterum quod ex fracibus uvarum effluit, fax dicitur:* inepté. Nam *fraces*, expositore Plinio 15. 6. sunt *carnes olivarum*, & indè *faces olei.* Agellius 11. 7. *floces audierat priscâ voce significare vini facem è vinaceis expressam, sicuti fraces ex oleis.* Reddendum erat, *quod è vinaceis pressis effluit, facatum vinum* vocant: nempe quia pura puta τρὺξ φαινεται *fax videtur.* Pollux iterum 6. 2. ὁ δὲ Δευτερίας, ϗ τρυγηφάνις ἐκαλεῖτο. Quartum addit Columella 12. 40. quam & *loram optimam* dicit. Dioscorides *lori* adstituit ἀδιώπωτον, quod vocabant & faciebant ex pari mensura aquæ ac musti, ferventibus donec excoqueretur aquæ mensura. Plinius 14. 16. *aquæ dimidium* duntaxat addebat.

§ 200. *Loram* bibebant feminæ, familia, operarii, rurales. De *feminis* nuper ex Agellio audivimus. Quod ille videtur omnino habere ex Varronis 1 de Vita pop. Rom. *Antiquæ mulieres majores natu*, inquit, *bibebant loram, aut sapam, aut defrutum aut passum, quam murrhinam quidam Plautum appellare putant.* Nempe, *non licebat vinum feminis Romæ bibere*, inquit Plinius 14. 13. & testantur plures auctores. Quorum catalogum exhibet Elmenhorstius ad Arnob. p. 102. edit. novissimæ. Interim natu majoribus, ætatis respectu, concedebatur aliquid eorum quæ præter vinum fiebant ex uva. *Familia* datam loram, è Catone scimus. Cap. 25. *vinaceos, si voles*, ait, *lavito paululùm, & lora erit familiæ, quod bibat.* Iterum cap. 57. *Vinum familiæ, ubi vindemia facta erit, loram bibant menses tres. Mense quarto heminâ in diem.*

Familiæ verò in uſus veniſſe credo, quòd eſſet notæ melioris. *Operariis* contrà datam viliorem. Plinius 14.10. *Non poſſunt jure dici vina, quæ Græci deuteria, Cato & nos loram, maceratis aquâ vinaceis: ſed tamen inter vina operaria numerantur.* Eodem potu etiam ſe *ruſticos* oblectaſſe patet ex Anatolii Geop.6.13. ἡδ, inquit, ὁπὸ σαμφύλων τρυγὸς, ὧν ἐπιχωρίως καλοῦσι θάμνον, ὑπ' αὐτῆς πόμα τοῖς ἀγροίκοις γίνεται. Interpres, *Etenim fax ex vinaceis, quam vernaculâ linguâ Thamnam appellant, non injucundus potus ruſticis fit.* Sed occurriſſe non videtur Cornario, quod Feſtus notat; *Tryga antiqui vinum dicebant.* Theocriti Scholiaſtes Idyll.7.70. τρυξ ἡ κυρίως νέος οἶνος λέγεται, καταχρηστικῶς δὲ, καὶ ὁ παλαιός· *Tryx propriè novum vinum dicitur: abuſivè verò, etiam vetus.* Heſychius, Τρύγα, οἶνον ἀδιάθητον, ἀπὸ λωβῆς. *Tryga* vocabant *vinum non defæcatum*, quale recens *à torculari* eſſe ſolet. Iterum, Τρυξ, ὁ νέος οἶνος, καὶ γλεῦκος ἀδιάθητον, *Tryx, novum vinum, & muſtum non defæcatum.* Quare vertendum fuit, *Quod è vinaceis fit vinum, patrio nomine Thamna, haut injucundus potus eſt ruſticis.* Sed ſatis de eo, quòd non erat noſtri propoſiti: ad hoc ergò revertamur.

§ 201. Erat ergò duplex Muſti potioris genus: *lixivum* ſive ſpontaneum, & *calcatum* ſive pedibus expreſſum. Dixi, *potioris*; quia Muſta cætera vilioris erant, præut uſibus nunc dicendis ſervire poſſent. Ex iſtis enim induſtriâ & curâ faciebant quid medium inter Dulcia dicta & Vinum. Faciebant namque ex *lixivo*, γλεῦκος, ex *calcato*, Aïgleuces.

§ 202. Τὰ αἰγλεῦκες, quod è Græcis appellat Plinius, unde habuerit, neſcitur hodie. Quippe vocis Græcæ nè veſtigium quidem reperire eſt apud autores quos habemus. Hoc verò me quærere, non magis ad rem pertinet, quàm Ulyſſes ubi erraverit: quo de vide ſis ad Senecam Epiſt 88. & confer correptionem illam Bionis apud Stobæum Serm. 8. Nota interea res eſt: quod ſufficit.

§ 203. Quemadmodum namque fiat, ità exponit Plinius, *Quod Græci aïgleuces vocant, hoc eſt, ſemper muſtum, id evenit curâ, quòniam fervere prohibetur: ſic appellant muſti in vina tranſitum. Ergò mergunt è lacu protinus in aquam cados, donec bruma tranſeat, & conſuetudo fiat algendi.* Ante Plinium reperimus Catonem docuiſſe etiam ejus conficiendi modum. Ait cap.121. *Muſtum ſi voles totum annum habere, in amphoram muſtum indito, & corticem oppicato, demittito in piſcinam, poſt triceſimum diem eximito, totum annum muſtum erit, & dulce.*

§ 204. Quale cur permanere compreſſu frigoris obſidentis queat tam longo tempore, quæſitum fuit à Plutarcho olim in Quæſt.nat.27. *Cauſa duplex*, inquit. *Una*, quòd prohibeatur fervere. Fervor enim à calore eſt. Interno quidem, ſed qui ſe promovere nequit in illum actum, quamdiu cogendo frigus incraſſandóque poteſt plus quàm calor movendo & attenuando. *Altera*, quòd calidum, obſidio frigoris impeditum evadere, invadat magis & ſubigat muſti crudiora, & ſubacta contemperet vinoſis, atq; ità in longum tempus conſervet dulcedinem, qui proprius muſti ſapor eſt.

§ 205. Huic vi coacto manere muſto ſimile eſt quod noſtrates Oenopolæ appellitant *ſtomme*, q.d. *mutum* Vinum. Hoc fit, muſto è lacu in dolia infuſo, quæ priùs fumo ſulphuris ſint ſuffumigata, donec non ampliùs ardere in ipſis ſulphur queat. Hoc ceu adulterio inficiuntur & emolliuntur hodie vinorum aſperiora quæque. Etiámne per ſe bibatur, neſcio. Hoc ſcio, reddere vina valde inſalubria & gravedinoſa.

§ 206. Ab iſto diverſum eſt, materiâ pariter & formâ, quod γλεῦκος Græci recentiores appellabant, ob excellentiam ſuam & dulcedinis prærogativam ſingularem. Vetuſtiſſimis namq; temporibus notum fuiſſe, ſaltem hoc nomine, nuſpiam comparet. Dixi verò, *excellenter* γλεῦκος appellatum, propter rationes ſcilicet allatas jam ſuprà § 173.

§ 207. Utramvis ibi propoſitam ſignificationem Varinus conjungit in hiſce verbis, γλεῦκος τὸ ἀποτάλαγμα τῆς σαφυλῆς, πεῖν πλυθῆ· ἢ γλεῦκος, ὁ νέος οἶνος, ὁ λαγήμιος μῆς. Reddidero, *Gleucus dicitur deſtillamentum uvæ, priuſquam calcetur: aut novum vinum, quod vulgò dicitur muſtum.* Prius etiam habet Heſychius, etiam Suidas, & totidem verbis: niſi quòd ille ἀπόταγμα habeat, pro ἀποτάλαγμα, pari ſenſu. Dixi, *gleucus*, autoritate eorum qui *gleucinum* Oleum hinc & fecere & dixere: Columellæ, inquam, 12. 51. & Plinii 23.4. aliorúmque. Plinius 14.19. itémq; Vitruvius 8.3. *protropum* appellant, & quod erat Græcis nomen, civitate donatâ, retinuerunt: quò nè excogitato novo novam rem deſignare viderentur.

§ 208. Nomina cum rebus accipere ſapientium eſt. At rebus admiſſis, peregrinitatis damnare nomina, revera eſt γλωσσομανῶν, ſeu eorum qui maternæ linguæ amore veſano capti malunt non intelligi in converſatione civili, quàm peregrinis in ſermone vocibus uti, quantumvis receptis. *Mania* quippe dicitur omne vehemens deſiderium atque ſtudium cujuſcunque rei. Sic *inſanire* Cornificio Rhet. ad Herenn.4. p.m.125. & frequens aliàs verbum oſtentatione contenti ſtudii déque rebus magnificis, ſolâ libidine contra rationem ſæpe inſtitutis: compara Venuſinum 2. Serm.3. 64, 224. Qua de cauſa Eunapius in vita Proæreſii p.143. volens deſiderii quod aliquando Anatolium corripuit videndæ Græciæ, cùm magnitudinem tum laudabilitatem commendare, dixit, χρυσῆς τινος αὐτὸν μανίας ἐπιλαβούσης, *aureâ quadam ipſum inſaniâ ſubeunte.* Nempe *aurea* tum vocabant Latini quæ ſunt amabilia & laudabilia. Exempla videſis plura apud C. Barthium Adverſ. 49. 8. Cæterùm quam vim habeat τὸ μανία in compoſitis, cùm quoſdam vocamus γυναικομανεῖς aut χρυσομανεῖς, ediſſerit Galenus de Decr. 4.5. quem conſule, & confer ad Athenæum 11.11. atque Caſaubonum ibi: nobis quippe hæc indicaſſe nunc ſatis. Aliquid etiam in hanc rem dixi 2 Phyſiolog. 6.36. & dicam poſtea.

§ 209. Materia quæ fuerit, ex qua gleucus fieret, dixi: *Muſtum protropum* nempe. Faciendi modus alius & alius. Ignobilior eſt, quem proponit Florentinus in Geop.6.16. Περὶ γλεύκου, inquit, τὰς βότρυας, τὸ ἐξ αὐτῶν αὐτομάτως ἐκπιέζον γλεῦκος, ὃ πεῖνυμά τινες καλοῦσι, βέλτιον ἀυθήμερον εἰς ἄγγειον πισσωμένον ἔσωθεν καὶ ἔξωθεν, ὅτε ἡμίσεια ᾖ τὰ ἀγγεῖα, καὶ πῶμασον ὁπαλῶς γύψῳ. ὅσῳ γὰρ χρόνον διαμένει τὸ γλεῦκος σφόδρα γλυκύ, πολὺ δὲ μᾶλλον φυλαχθήσεται, ἐὰν τῷ ἀγγείῳ πωμασθῇ ὁπαλῶς· ἐμαλήθη ὅτι ἡμέρας λ'. διὰ γὰρ τὸ μὴ ἀναζέσαι, ἔσαι διὰ παντὸς γλεῦκος· hoc eſt, *Quod, priuſquam calcentur uvæ, ex his ſponte exſtillat muſtum (quod prochyma nonnulli nominant) conde eodem die in vas picatum intus, ità ut dimidia tantùm impleantur vaſa, & obtura accuratè gypſo. Sic enim ad longum tempus perſeverat muſtum valde dulce. Multò verò magis ſervabitur, ſi vas veſicâ obturatum demittatur in puteum ad dies triginta. Propterea enim quòd non ferveat, erit ſemper muſtum.*

§ 210. Quæ ſi compares cum ſuperioribus, cenſebis & hoc eſſe *aïgleuces* potiùs quàm *gleucus*. Certè eſt & hoc, & illud; ſive potiùs medium quid inter utrumque. *Gleucus* eſt, quà materiam: eſt enim ex Muſto lixivo. *Aïgleuces* eſt, quà formam: prohibetur enim fervere, ſeu tranſire in vinum. Cauſa etiam eadem prohibens, frigus, ſive piſcinæ, ſive putei. Videtur interim differre ab Aïgleuce; quòd hoc Amphoris mergeretur, illud Picatis conderetur vaſis. Unde ut ſaporem non ingratum, ità & ſalubritatem accipiebat longè gratiorem. De *picatis* Vinis, quæ cum pice muſta condiebant, Dioſcorides teſtatur 5. 48. quòd calefaciant, concoquant, abſtergant, & purgent per ſuperiora. Quas ob dotes credibile eſt expetita fuiſſe ad uſus etiam matutinos. Quippe jejuni vini-potores enumeratarum neceſſitatum obtentu plerumque ſolent excuſare factum præter naturam & publicam conſuetudinem initum.

§ 211. Verùm *gleucus* quemadmodum fieret, brevibus Plinius, verùm ſic ſatis accuratè tamen, exponit in 14.9. *Sed inter hæc genera potuum ponere debeo & Protropum*, inquit. *Ità appellatur à quibuſdam muſtum ſponte defluens, antequam*

antequam calcentur uva. Hoc protinus diffusum lagenis ſuis defervere paſſi, poſtea in Sole quadraginta diebus torrent æſtatis ſecutæ ipſo Canis ortu.

§ 212. Miretur quis, quare *protropum* Dulcibus adſtituat, cùm Vinum ſit. Si enim fervore muſta in vinum tranſeunt, quidni vinum fit, poſteaquam deferbuit hoc muſtum? Patiebantur autem defervere lagenis ſuis, in quas protinus è lacu diffuderant. Igitur quid dicendum? Niſi fallor, hoc: vinum eſſe, tenuitate & puritate ſubſtantiæ: dulce verò, dulcedine & mixturâ pinguioris fæcum.

§ 213. Etenim ratio ſuadet, muſtum Protropum habere & minus fæcis & minus fæculentiæ, præſertim quod ex uva matura atque lecta ſtillavit. Credibile quippe in hanc rem diligentiùs uvam non ſolùm legi ſolitam, ſed & eligi. Quò maturior autem uva fuerit, hoc eſt, coctior à Sole, eò & generoſius muſtum fundit, & minimè turbidum. Sed & quò dulcior uva fuerit, eò oportet fæcem eſſe & pinguiorem & pituitoſiorem, ſi huc transferre hoc verbum claritatis gratiâ licet.

§ 214. Quæ verò fæx talis eſt, eadem & idonea eſt toſtione Caniculæ velut excoqui & permiſceri exactiùs cum vino, & permixtum reddere vinum mollius atque ſuavius palato, præſertim integro. Solem ſub Canicula ardere vehementiùs, res eſt cunctis notiſſima terris. Is æſtus quid poſſit, multarum rerum inſolationes docent. Chymici æmulari eum volentes excogitarunt Ignem *circulatorium*, quem vocant. Quò ſicuti perfectiùs omnia excoquunt, & miſcibilia miſcent ſubtiliùs, & heterogenea depurgant exactiùs, atque ità mirum in modum exaltant virtutem medicinæ: ità Sol vinum naturâ optimum in lagenis percoquens reddit ſuâ virtute multimodis præſtantius, quódque ſe omnibus gratiis commendet guſtanti.

§ 215. Γλεῦκος igitur, quod nomine proprio ſic vocabant, & Vinum erat, & Protropum nobile. *Vinum* fuiſſe conſtat vel ex eo, quòd fervore in hanc naturam ex muſto tranſiret. *Protropum* cur appellarent, Plinius cauſam dicit, quòd fieret ex muſto ſpontaneo ſeu præveniente preſſuram. Ergóne idem fuit cum Vino *protropo*, quod Mitylenæi vocabant? Negare non poſſum: nec poſſum affirmare. Ut fuerit, neceſſe non eſt. Ut enim muſtum protropum fieret vinum, opus ſolo fervore erat: ut fieret *gleucus*, curâ inſuper; nempe muſti diffuſione in lagenas, & vini toſtione ad ſolem, quæ brevi facit, quod ætas tempore. Olympiodorus ad Meteorolog. 4. 34. ἃ ζωώσιν τὸ γλυκὺ πνεύματα πολλὰ καὶ φυσώδη τινά, τῷ χρόνῳ διαφορεῖται, *Qui inſunt muſto ſpiritus craſſi atque flatulenti, tempore digeruntur.* Ubi fortè rectiùs φλέγματα legeris: namque quid vetat hoc nomine vini τὸ ὑδατῶδες, *aquoſum*, appellare? Deſtillatrix ars non aliter appellat hodie.

§ 216. *Nobile* denique à qualitatibus fuit: inprimis à facultatibus. Non ſolùm qualitatibus enim, finceritate, tenuitate, ſaporis odoríſque gratiâ ſe commendabat, ſed & facultatibus egregiis, potiſſimùm verò ſalubritate. Pliſtonicus apud Athenæum 2. 6. εὐστόμαχον *ventriculo convenire* ait. Hæc culina corporis eſt. Cui ſi bene eſt, bene eſt & toti. Toti namque ventriculus operatur. Illi igitur ut bene ſit, vel inprimis operam dare ſatagunt ſanitatis ſtudioſi. Galenus præterea l. de Atten. victu 100. 12. multùm Protropo juvari ait omnes Affectus Thoracis ac pulmonis, qui diuturni ſunt & ſine febre, præſertim qui per ſputa purgari debent. Arteriacis præſcribit l. de Comp. κ. πν. 7. 2. Hæmoptyicis l. eod. 4. Hepaticis, 8. 8.

§ 217. Hier. Mercurialis in Var. lect. 1. 17. *Ipſe enim puto* vinum, *quod Amos Propheta 6. 6.* in phialis *vocavit, & quod Tertullianus l. Adv. Marcionem* 4. p. 524. C. liquatum *dixit, hoc ipſum Protropum fuiſſe.* Ego puto in neutro ipſum bene putare.

§ 218. Non in primo: quia ad ſcopum Prophetæ nihil faciebat, cujuſcemodi Vinum biberent principes utriuſque domûs Iſraelis, quibus *Va* denunciat: faciebat, bibere ipſos *ex pateris vini* (ità enim Sacri ſermonis gnariſſimus interpres vertit) hoc eſt, crateribus capacioribus vinum ingurgitare, eóque ſe quovis die profluere. Scopus ſcilicet Prophetæ erat, exprobrare primoribus populi ſecuritatis culpam. In hanc facilè incidimus homines, cùm abundantia omnium rerum eſt: faciliùs, cùm vino ſe & deliciis dant. Erant illa in Iſraele. Ideo *ſeponebant diem mali*, qui timendus erat. Illius ſecuritatis verò argumenta erant, 1. Lecti eburnei ſive in accubitu ſive in decubitu & ſomno. 2. Somnus profundus & multus; ut in ſpondis ſuis computreſcere & diffluere viderentur. 3. Cibus opimus & deliciosus. 4. Muſicæ ſtudium, idq; ad pruritum aurium & effeminandum animum. 5. Οἰνοφλυγία ſeu temeti ſectatio 6. Prodigalitas ac luxus in optimis unguentis, quibus ſe delibuebant. 7. Inadvertentia ad fractionem Joſeph fratris, quaſi ad ſe non ſpectaret, neu res eſſet dolenda. Ea verò ſtupidiſſima eſt & inexcuſabilis ſecuritas. non putare quòd

Tunc ſua res agitur, paries cùm proximus ardet.

§ 219. Non in altero. Paret enim conferenti, Septimium verſione Græcâ uſum, & hanc voluiſſe exprimere, Lxx interpretes dixerant, οἱ πίνοντες ἐκ διυλισμένου οἴνου. Tertullianus verbo ad verbum, *qui bibunt vinum liquatum.* Quod διυλίζειν aut ζαννίζειν Græci, id *liquare* aut *ſaccare* dicebant Latini.

§ 220. Tranſcolabant verò vinum tribus potiſſimùm de cauſis. Una erat, ut depurarent, relictis in ſacco fæcibus. Ità Dioſcorides in 5. 49. de Abſinthite, ἀφίδιον ὀπτικῶς μίξαντες καταχύσει· κατασείσαντα δὲ διυλίζουσι, *abſinthium accuratè miſcentes diffundunt in vas: ubi ſubſedit, eliquant.* Columella 12. 27. *vinum à facibus eliquatum.* Martialis 12. Epigr. 61. 3.

Turbida ſollicito tranſmittere Cæcuba ſacco.

Egregia metaphora eſt, quâ verbum tranſfert hoc ſenſu ad animam Clemens in Pædag. 1. 6. p. m. 96. B. οἱ διυλισμὸν μὲν τῷ πνεύματι τῷ μνήμῃ τῶν κρειττόνων εἶναι φασιν· διυλισμὸν δὲ νοῦσι τὸν ἀπὸ τῆς ὑποστάσεως τῶν ἀμεινόνων, τῶν χειρόνων χωρισμόν· *Qui tranſcolationem ſpiritûs memoriam meliorum eſſe dicunt. Tranſcolationem verò intelligunt, quæ ſit, recordatione meliorum, deteriorum ſegregatio.*

§ 221. Altera erat, ut vini vim ſacco frangerent. Hoc dicitur Plutarcho Probl. 6. 7. ἐξδυνχίζειν οἶνον· ut Plinio 19. 4. *caſtrare vinum.* Confer ad Cæl. Rhodiginum 28. 26. Non minùs elegantèr hoc *vitiare* dixit Horatius: ità 2. Sat. 4. 64. de Maſſicis vinis,

Integrum perdunt lino vitiata ſaporem.

Sacci ergò linei: hodie lanei. Scribonius Largus de Comp. med. 29. 122. *vinum Falernum non ſaccatum* commendat ad remedia colica. Theophraſtus de Cauſ. plant. 6. 9. *myrtum* dicit habere *vinoſum ſuccum* talem, ὃς ἐμπίπτει τῷ οἴνῳ πολλάκις ἀναζυμοῦντι· ac eſt *qui innatat vino cùm ſaccatur.*

§ 222. Porrò οἶνος ζαννιασμένος, *vinum ſaccatum*, aliquibus Græcorum etiam ζαννίας ſimpliciter dicebatur. Pollux 6. 2. ζαννίας δὲ, ὁ διυλισμένος οἶνος. Quod additur, δεύτερος παρ' Εὐπόλιδι, vult, *Eupolidem* eo nomine etiam appellaſſe *ſaccularium*, hoc eſt, eum *qui vetitas in ſacculo artes exercens, partem ſubducit, partem ſubtrahit:* uti explicat Ulpianus l. Saccularii 7. D. de Extraord. criminib. ubi videſis Gothofredi notas. Intelligit autem, quos *guichelaers & beurſe-ſnijders* Belgæ vocant. Plautus *perenticidam* Epid. act. 3. ſc. 2. 13. dixit jocans fictóque nomine eum, qui peram incidit & exenterat marſupium. Cæterùm illuc pertinet quæſtio apud Plutarchum in Sympoſ. 6. 7. an Vinum ſaccandum ſit? Nobilis ea, neque prætervehenda medico: reperiet quippe quæ ſuos transferre ad uſus queat.

§ 223. Tertia erat, ut vino conciliarent vel Odorem peregrinum, vel Saporem peculiarem, vel Poteſtatem

medicinalem. Quod vini genus hodie *Hippocraticum* nuncupamus, ſi ſaccis Aromata ſunt addita, & colato Saccharum. Noſtrates *ſponſa lacrymam* appellant: quia exhiberi ſolet venientibus gratulatum ipſi. Plinius 20.17. de Aniſo, *Saccis quoque additur:* quibus ſcilicet vina eliquantur. Quod addit, *Cum amaris nucibus vina commendat:* id fortean reſpicit morem amygdalis tritis oblinendi labra ſacci.

§ 224. Cæterùm varia quæ ſaccis adderentur olim erant in uſu. Florentinus Geop.7.37.quà de Vinis ſaccatis, Τὸν ὑλισῆρα εἰς ἄλμην καθ' ἑαυτὸν, ἢ εἰς θαλάσσιον μὴ πολὺν ὕδατος μιχθὲν ἔμβαλε δεῖ β'. ἡμέρας, καὶ μὴ πῖνε οἶνον διάβρεχε. καὶ ὅταν χρεία ᾖ αὐτῦ, ἐκπίεσον αὐτὸν, ἔπειτα τὰ χείλη τῦ ὑλισῆρος ἀμυγδάλοις ἢ καρύοις πριθεῖσι διάχεε. τοῖς δὲ σπονδείοις οἴνοις, οἱ μὲν ἀνίσου ἢ ἀσφόλης, οἱ δὲ γύψου, ἢ ἰψηλῦ, ἢ μέλιτος, ἢ οἴνου καλῦ τρυγὸς, ἢ ὀρόβοις ἀλεύρου μιγνύουσι· *Saccum in muriam ſeorſim, aut in marinam potabili mixtam ad biduum immitte, poſteáque vino perfunde. Cùm voles uti, exprime, ac mox labra ſacci amygdalis aut nucibus tritis obline. Saccatis autem vinis alii aniſum aut fuliginem, alii gypſum, aut defrutum, aut vini boni facem, aut orobace m farinam miſcent.* Pro σπονδείοις οἴνοις legerim σπονδυλίοις οἴνοις, ut rubrica habet. Addebantur quippe hæc *vinis ſaccandis*, non *ſaccatis:* pars, ut odorem ſaporémve darent; pars, ut limpidiora tranſmitterentur.

§ 225. Hinc jam perceperis σπονδικοὶ οἶνοι quæ dicantur Theophraſto de Cauſ.plant.6.24. ἡ αὐτὴ δ' αἰτία, inquit, καὶ τῦ θάττον παρίσασι τὰς σπονδικὰς (vetus ἠθικὰς, malim σπονδυλικὰς;) ἢ οἶνον. Gaza, *Hac eadem cauſa eſt, & quamobrem genus vini quod morale vocatum eſt, celeriùs purgetur conſiſtátque.* Mirum eſt tam abſonam atque ridiculam interpretationem toleraſſe, qui ſe *Gazæ interpretationem, cùm aliàs autoris Græci mentem non rectè exprimeret, aliàs obſcurè admodum Latinè efferret, paſſim caſtigaſſe* ſcribit Lectori. Reddendum erat, *Hæc ipſa cauſa eſt, quare ſaccata vina citiùs afficiant,* ſenſus pariter ac mentem.

§ 226. Hactenus, ni fallor, liquidò ſatis manifeſtavi, quid γλεῦκος in propria ſignificatione fuerit. Dico *propria:* nam quòd γλεῦκος *muſtum* ſignificet, id per tranſlationem factum dicit eruditiſſimus Barthius in Adverſ. 5.2. Supereſt quæſtionis, num id præcisè heic ſit intelligendum. Ratio dubitandi verò gemina ſe mihi offert.

§ 227. Una, Quòd non videtur eâ quantitate potuiſſe haberi quæ ſufficeret multorum uſui, nedum abuſui. Imò verò quid non hominum induſtria machinatur in paranda affluentia ejus rei quæ in pretio eſt, & lucrum dare poteſt? Polyænus Strateg. 4. Alex. 32. ex ænea columna, cui inſcriptus erat catalogus eorum quæ Perſarum reges in apparatum prandii atque cœnæ conſumerent quotquot diebus, memorat fuiſſe ibi γλεύκους ἐξ οἴνου πίντε μάδες, *gleucus è vino quinque maries.* Qualis menſura eſſet μάδες, jam antè dixerat: μάδες δὲ δέκα χοεῖς ἀττικοί, *Maris valet decem choas Atticos.* Secundùm meum verò Anonymum *Chus Atticus* capiebat vini libras 8. cum unciis 4. *Maris* itaque menſura fuit librarum 83 & unciarum 4. Demenſum ergò quotidianum erat librarum 416 & unciarum 8. Nota vero locutionem, γλεῦκος ἐξ οἴνου. Nam γλεῦκος ſimpliciter dictum expreſſum ex uvis muſtum erat. At illud nobile, ex liquore protropo, qui proximè & quaſi vinum cenſebatur.

§ 228. Altera, Quòd præterea habuerint in quibus ſe oblectare jejuni & corrumpere poſſent. Præter enim *concinnaticia* Vina varia, varia itidem in Dulcibus erant, quæ ſatis illecebrarum in qualitatibus, cauſarum ſatis in facultatibus habebant, ad perſuadendum ſui jejunis uſum etiam liberaliorem.

§ 229. Erant, ut vidimus, *aigleuces* Plinii, & *vinum dulce* Columellæ. In prius inclinat Exercitationum ſacrarum autor eruditiſſimus: ſed ità, ut neget ſe velle acriter cum iis contendere qui *muſti* voce hîc utuntur. Neq; ſunt tanti res criſios, ut & alibi ſcripſi, ut propterea quis artes fideliter doctus debeat ἀμιλλᾶδζ ταῖς μύσαις, *certare cum muſis,* ut Galenus ait Meth.med.1. 9. fine. Non eſt hic animus mihi. Sed neque alterius in ſententiam eundi non prælucente ratione. Quam niſi quis ferat, fruſtrà me ductare non poteſt.

§ 230. Contrà, rationem Plutarchus nobis in Symp. 3.7. ſuppeditat, quare minimè aſſentiamur his qui dictant voce γλεύκους heic *muſtum* intelligi, ſive naturâ tale, ſeu arte eſſet: quíque cum ſeculi moribus congruiſſe exiſtimant, ut ſe muſto etiam manè inebriarent, ſeu recens illud, ſeu perenne eſſet. Quæ propterea non admittimus, quòd compertum ſit τὸ γλεῦκος ἧκιστα μεθύσκειν, *muſtum minimè inebriare.*

§ 231. Cujus ibi quatuor exponuntur cauſæ. Primam Hagiæ tribuit, qui dicebat, *dulce uſquequaque offendere & ſatie capere. Eapropter non facilè quem muſti bibiturum, quod ſatis ſit inebriando. Appetitionem quippe faſtidio reprimit.* Quare verò? Cauſam dicit, eámque egregiam, Hippocrates 2 de Diæt. 19.366. τὰ γλυκέα, inquit, πληροῖ μὲν δὴ, δίδωι δὲ ὀλίγην ὄγκον πολύχουα δὲ. διαφαίνεται δὲ καὶ διαχέόμενα, πληροῖ τὸ σῶμα ὀν τῷ σώματι, καὶ θαλπωτέζειν ποιεῖ. *Dulcia replent* [aut *ſatiant,*] *quia ex parva mole multùm ſe diffundunt. Calefacta verò & diffuſa, replent* [ac *ſatiant*] *calidum in corpore, & quieſcere faciunt.* Quæ lucis etſi egere ſciam apud ſermonis Hippocratici non ſatìs gnaros, cogor abſtinere tamen, quia res eſt & profundioris meditationis & profuſioris tractationis, præut ſine longa aberratione expediri heic queat. Patere igitur, amice, differri. Interea confer ad Philoſophum Probl.22.2,3. & Macrobium Saturn.7.7.

§ 232. Alteram Ariſtænetus Nicæus in quibuſdam ſe libris legiſſe aiebat, ídque memoriâ recolere, ὅτι γλυκὺς μιχθεὶς οἴνῳ παύει μέθην. Xylander, *Dulcia vino admixta reprimere ebrietatem.* Non hoc dicunt Græca: ſed, *Quòd paſſum mixtum vino ſedet ebrietatem.* Quibus autem in libris hoc legerit Nicæus, quis dicet? Philoſophus in Probl. 3. 13. habet quid tale. Quærit enim, quare τῇ γλυκεῖ ὑπολασικῇ ἔντος, ἐάν τι μεθύον ἤδη ὑπῇ γλυκύ, καταπίττεται ὁ ἐνεπάρχων οἶνος, καὶ ἧττον ἐνοχλεῖ; *cùm paſſum fluitet, ſi quis ebrius jam ſuperbibat paſſum, concoquatur hauſtum vinum, minúſque infeſtet?* Nam & heic τὸ γλυκὺ *paſſum* ſignificare, prorſus aſſentior Mercuriali Var. lect. 1. 17. ſiquidem vel ad hoc problema reſpexit, vel ad præcedens duodecimum: quo quæritur, quare ὁ γλυκὺς, καὶ ἄκρατος, καὶ ὁ κυκεὼν μεταξὺ διαπίνόμενοι ὐ τοῖς πότοις νήφειν ποιῦσι; *paſſum, ídque merum, & cyceon mixta potibus, impediant ebrietatem?*

§ 233. Quòd verò etiam de paſſo accipiat locum, qui eſt Meteor.4. 9. non probo; imò placet judicium Lud. Septalii & Jul. Guaſtavinii in com.ad probl. jamjam citatum. Miror interim quare Ariſtotelem maluerint argumentis à Galeno potiùs quàm ipſomet petitis defendere. Si quis enim verba ipſa conſulit, non poteſt non fateri ſermonem in iis de quolibet Vino dulci eſſe. Comparat enim inter ſe oleum, aquam, vinum. Ἔλαιον, inquit, θυμιατόν ἐστιν, ἀλλ' οὐκ ἀτμιστόν. ὕδωρ δ' οὐ θυμιατὸν, ἀλλ' ἀτμιστόν. οἶνος δ', ὁ μὲν γλυκὺς, θυμιᾶται· πίων γάρ· καὶ ταυτὰ ποιεῖ τῷ ἐλαίῳ. ὅτε γὰρ πάγωσι, καίεται τε. ἔστι δ' ὀνόματι οἶνος· ἔργῳ δ' οὐκ ἔστιν. οὐ γὰρ οἰνώδης ὁ χυμός· διὸ καὶ οὐ μεθύσκει. Reddo, *Oleum exhalat, non evaporat. Aqua non exhalat, ſed evaporat. Vinum, ſiquidem dulce ſit, exhalat: nam pingue eſt. Eadem quippe facit cum oleo. Neque enim à frigore coit, uritur etiam. Nomine vinum eſt: effectu non eſt. Non enim vinoſus ei ſapor; ideo nec inebriat.*

§ 234. Si neſcis quid interſit inter *exhalare* & *evaporare*, exponet tibi Philoſophus eodem capite & paulò præcedentibus ea quæ exhibuimus. Vinoſus ſapor ſuavis eſt, non dulcis. Quorum diſcrimen & Plutarchus heic & Macrobius laudato loco ediſſerunt accuratiùs: ubi vide, ſi libet.

§ 235. Cæterùm τὸ γλυκὺς non abſolutè in verbis Philoſophi poni, ſed relativè, conſentit mihi Alex. Aphrodiſeus in com. p.138. l.17. λέγει δὲ καὶ ἢ οἶνον, ἢ μὴ γλυκὺν

γλυκὺ δυμᾶδες· *Dicit autem vinorum dulce quidem exhalare.* Grammaticus ſic integrè hoc efferret, *Ex numero vinorum, vinum dulce quidem exhalat:* conſule Voſſium de Arte Grammat. 7. 10. confer ad Hippocratem l. de Affect. t. 44. ubi ſimilem loquendi modum offendes. Sed nè quidem abſolutè cùm ponitur ὁ γλυκὺς, præter *paſſum* aliud non ſignificat, ceu oſtendimus § 87. Denique *vinum protropum* Plinii (quod & agnoſcit heic Mercurialis & urget maximè) cui appellatum *dulce* fuerit, neque dicit, neque dicere potuit.

§ 236. Porrò aliud quàm paſſum Ariſtænetum non intellexiſſe, argumento etiam eſt, quod protinus ſequitur præceptum nonnullorum medicorum, quos ait *conſulere ebriis, ut dormituri panem melli intinctum edant.* Facultates enim ſi compares, Paſſo nihil melli vicinius eſt.

§ 237. Præceptum ipſum quod attinet, ejus fortè rationem intellexeris ex ejuſdem Philoſophi Probl. 3. 35. ubi quærenti, *Cur oleum contra ebrietatem valeat?* reſponder, *Quia urinas ciet, & laxat viam potui.* Ejuſdem quoque poteſtatis eſſe mel, teſtantur Dioſcorides 2. 101. & Galenus de Comp. κ. πν. 8. 8. ut & alibi, aliíque.

§ 238. Quòd ſi paſſum Vino intermixtum, aut melli buccea panis intincta reſiſtat ebrietati, conjicere licet etiam alia eam dulcia arcere. Quod & revera comperiuntur, quotquot ſaccharo dulcatum bibunt. Bellè itidem procedit argumentatio Ariſtæneti quam ſubjicit, ὅτι δὴ αἱ γλυκύτητες ἀμελιώσιν ἀκρατον, οἰκότως ὁ γὰρ οἶνος ὑ μεθύσκει πρὶν ἂν ἡ γλυκύτης μεταβάλῃ· *Siquidem igitur dulcia hebetant merum, veriſimile eſt muſtum non inebriare priuſquam dulcedo abierit*, hoc eſt, in vinum tranſierit.

§ 239. Neque poteſt aliter eſſe, ſi conſideres illud Hippocratis l. de Affect. t. 49. τὰ γλυκέα ὑγιεσίλιν μὲν καὶ φλέγμα παρέχει· *Dulcia aquam atque pituitam faciunt:* hoc eſt, augent in corpore non modò aqueum illud quod, ut rectè Fœſius in Oecon. notat, pars potior ſudorum eſt; ſed & pituitam, quæ ψυχρότατος τῇ φύσει *frigidiſſima naturâ* dicitur 1 de Morb. t. 22. & l. de Nat. hom. t. 12. His verò auctis in corpore ſegnitiem oboriri, torporémque neceſſe eſt. Ità enim eſt in ſtatu etiam ſanitatis, uti ſcribit Hippocrates l. de Morbo ſacro t. 8. ὁκόταν τὸ φλέγμα ψυχρὸν περῤῥυῇ ὡς τὸ αἷμα, θερμὸν ἐὸν, ὑποψύχει καὶ ἵστησι τὸ αἷμα· *Cùm pituita, quæ frigida eſt, conſluxerit in ſanguinem, qui calidus eſt, refrigerat & ſiſtit ſanguinem.*

§ 240. Atque hæc jam cauſa eſt ejus quod Hippocrates de Vict. acut. 3. 2. dicit: ὁ μὲν γλυκὺς [οἶνος] ἧσσον δοκεῖ καρηβαρικώτερος τῇ οἰνώδει, καὶ ἧσσον φρενῶν ἀπολύμενος· *Dulce vinum minùs inebriat quàm vinoſum, minúſque mentem ferit.* Suidas, καρηβαρία· ἡ μέθη. Iterum, καρηβαρῶν· τὸν κεφαλὴν καρύμενον ἐξ οἴνου. Heſychius, καρηβαρεῖ· βαρύνεται κεφαλὴν· ἐξ οἴνου μέθυσι. Vino qui inebriebantur, his caput rarò non gravatur. Cauſa gravedinis eſt fervor ſanguinis. Sanguis qui fervet, tumet & urget. Tumet, propter vaporem: urget, propter æſtum. Æſtum verò vaporémque plurimum intra ſe concipere ebrios nimiò certius eſt. Tumeſcens ſanguis magis magiſque vaſa implet & diſtendit. Dum verò vi majore impellitur in anguſta vaſorum & inſtat tranſire ex arteriis in venas, ipſe ſibi tranſitum facit uſque & uſque difficiliorem. Indè altiùs altiúſque ſtagnat in viſceribus. Ea ſtagnatio atque diſtentio cùm accidunt arteriis inter duræ matris meninges diſcurſantibus, omnino has neceſſe eſt à ſe quodammodo divelli, & dolere ob hanc quaſi-divulſionem. Confer quæ in ſimili caſu ſcripſi ad Ariſtippum 4. 24.

§ 241. Inquies, Si iſta Cauſa gravedinis eſt, ſi iſta Pars affecta eſt, quare gravativus dolor, non acutus eſt, cùm membranarum proprius dolor ſit acutus? Non dicam, quiſquis hoc noviſti, noviſſe etiam diſcrimen quod in dolendo evenit membranarum craſſioribus & tenuioribus, carnoſioribus & excarnibus. Potior ratio eſt in ſtupore ſpiritûs. Nam & calidum frequentiore uſu aut immoderatiore invehit κάρηνον γνόμης *torporem mentis*, Aph. 5. 16. Stupet autem ſpiritus multis de cauſis. Quia vaporum multitudine disjungitur obruitúrque. Quia ſuccenditur plùs juſto, nec refrigeratur ſatís. At in temperato Senſus melior: ut Motus in fervido fortior. Quia denique diſſipatur: cui atteſtatur vel imprimis νεύρων ἀκρασία *nervorum impotentia.* Οἱ γὰρ μαθόντες (inquit Etymologici magni auctor in μέθη) ἀκίνητοι ὅτι μάχεις ἂν ὑπομεθύσσειν. *Ebriis enim, donec exhalarint crapulam, dubii ſtántque labántque pedes*, ut è Poetæ Faſt. 6. 676. mihi ſic liceat περιφέζειν illud ἀκίνητοι ὦσι. Neque enim immobiles ebrii, niſi ſoporati, ſunt. Hinc, quia

Pedes captat primùm, luctator doloſus

Vinum dicitur in Pſeudolo act. 5. ſc. 1. 6. Utriuſque imaginem videris in diſticho, quod Magno hujus Academiæ lumini olim, cum aſperſior flore Liberi non ſatìs per plateam greſſus firmaret, excidiſſe ſæpius ex patre & patruo HERBERTO, ſtudiorum tunc cauſâ hîc commorantibus intellexi. Ipſi verſus ingenioſi ſunt.

Sta pes. ſta mi pes. ſta pes. nè labere mi pes.
Sta pes: aut lapides hi tibi lectus erunt.

§ 242. Cæterùm, quæ ſuprà dixi de gravitate capitis, ea tibi poterunt in commentarium eſſe eorum quæ de eadem ſcribit Hippocrates l. de Flat. 13. 140. πόνοι δὲ κεφαλῆς ἅμα τῷ πυρετῷ γίνονται, διὰ τίνα. συγχωρεῖν τῷσι διεξόδοισιν ὀλίγῃ τῇ κεφαλῇ τὸ αἷμα γίνεται. πιμπλάμενα γὰρ ἠρῶ. πληθύσαι δὲ καὶ φρηθῦσαι, ἢ πόνον ἐμποιέουσι ἐν τῇ κεφαλῇ. βίᾳ δὲ τὸ αἷμα διαζόμενον διὰ στενῆς ὁδοῦ θερμὸν ἐὸν, ἢ δύναται προκιῦδε ταχέως. πολλὰ γὰρ ἐμποδὼν ὅτιν αὐτῷ κωλύματα καὶ ἀμφιάγματα, *Dolores capitis unà cum febre fiunt hac de cauſa. Anguſtantur via quâ tranſit in capite ſanguis. Implentur enim aere. Impleta verò & inflata, dolorem efficiunt in capite. Vi namque ſanguis coactus per anguſtam viam, cùm ſit calidus, non poteſt tranſire celeriter. Multa enim ei impedimento ſunt obſtacula atque obturamenta.* Non debet autem te offendere, quòd quæ ſunt ex ebrietate, comparem his quæ ſunt ex febri. Etenim ſi rectè putes, ebrietas eſt febris diaria. Quò magis cavendum eſt, ut nè *ſine menſura bibatur vinum, quod cum menſura emitur*, ut ſapienter monet Petr. Chryſologus ſerm. 174. p. 433. D.

§ 243. Cauſam tertiam quare Muſtum non inebriet, Ariſtoteli acceptum Plutarchus refert. Eam minoris facit, quòd ſit obvia & facilis intellectu. Eſt autem, βαρύτης τῶν γλεύκων ἡ διαλύουσα τὴν κοιλίαν, *gravitas muſti interpellans alvum.* Quid hoc ſit, intellexeris ex Hippocrate iterum 2 de Diæt. 13. 234. γλεῦκος φυσᾷ μὲν, ὅτι θερμαίνει· καθαίρει δὲ ἐκ τῆς ϛόμαλος, ὅτι καθαίρει· ταράσσει δὲ, ζέον ἐν τῇ κοιλίῃ, καὶ διαχωρέει· *Muſtum inflat, quia calefacit: ſubducit è corpore, quia purgat: turbat denique, fervens in ventre, & ſecedit.* Hoc ſi non facit, facile eſt, ut lienoſis præſertim, faciat aquam intercutem. Qua de adiſis ad eundem l. de Affect. int. t. 28. & Jo. Martinum ibi ſent. 26. 6.

§ 244. Unde autem muſto ea gravitas ſit, docet Philoſophus Meteorolog. 4. 10. *Quia novum vinum plus terræ habet quàm vetus.* Sed id unde conſtat? *Quia & incraſſatur calido maximè, & cogitur minùs à frigido.* Incraſſari verò à calore probat exemplo cujuſdam Arcadici vini, quod ὅπως ἐναξηραίνῃ ὑπὸ τῷ καπνῷ ἐν ταῖς ἀσκοῖς, ὥστε ξυόμενον πίνεσθαι, *ità exſiccetur à fumo in utribus*, inſenſibiliter tranſpirante humido, *ut raſum bibatur:* certo argumento, habere plurimum terreni. Fumo autem excoquere & condire vina familiare fuit priſcis: vide ſis ad Andr. Baccium, Hiſt. vinor. 1. 16.

§ 245. Non arbitror fore, qui ex Olympiodori com. ad Meteorolog. 4. 34. opponat, τὸ γλεῦκος, καθὸ μὲν γλεῦκος, λεπτότατόν ἐστιν· *Muſtum, quà muſtum, tenuiſſimum eſt.* Neque enim contradictoria ſunt, diluto tenuiſſimum eſſe, & habere plurimum limoſi. Hoc certè, διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἔκπεπτον, *propterea quòd nequeat concoqui*, uti

Philo-

Philosophus ait in Probl. 1. 48. idcirco causa purgationis est, quam Natura gravata illo pondere & inritata molitur ad præcautionem mali majoris.

§ 246. Quarta seu ultima cujus sit, non dicitur. Est autem hæc, *quòd musto insit plurimum flatulenti atque aquosi.* Illud scilicet à pressura, hoc à natura. Utì verò illud citò digeritur, ità hoc non nisi fervore & æstate. A quibus priusquam digeratur, obtundit vinum & impedit quò nè queat suam vim ostentare. Hic enim sensus verborum est. Quæ cùm mendosè admodum edantur (quod & Parisina bis indicat appositis asteriscis) operæ fuerit emendasse. Lege igitur, καὶ τὸ πολὺ συμμῦσαν πνευματώδους καὶ ὑδατώδους. ἂν τὸ μὲν ἰσχὺς ἐκπίπτῃ διαζόμενον· τὸ δὲ πόρυκα, τὸ ὑδατῶδες, ἀμελύτερον ποιῶν τῇ οἴνῳ πολαίωσις· καὶ δύτασιν λαμβάνει, ὀκνειομένῳ τὸ ὑδατώδες. καὶ γίνεται μᾶτερ μὲν ἐλάττων ὁ οἶνος, δυνάμει δὲ σφοδρότερος. Redde; *tum quòd multum* musto *insit flatulenti atque aquosi. Quorum alterum quidem statim evolat, vi factâ: alterum verò (aquosum nempe) hebetare solet vini atas; & vires* vinum *accipit, cùm excernitur aquosum. Et fit mensurâ quidem minus vinum, at potestate potentius.*

§ 247. Atque ex istis vel solis rationibus omnino constat mustum inebriando non esse. Quibus etiam tenentur respondere qui *aïgleuces* supponunt. Quod optimis rationibus quoque ostendi potest minùs aptum fuisse ad reddendum ebrios, si qui biberent: nam venisse in potum nemo docet. Quin persuadeo mihi condiendis potiùs vinis adhibitum, prorsus ut hodie illud *aïgleuces* sive *semper mustum*, cujus faciebam mentionem.

§ 248. Quæ quidem placere haut facilè ulli queunt, quin cogatur fateri, γλεῦκος quod designatur verè illud fuisse quod non modò vinum esset, sed verè flos vini seu optimum uvarum; quódque se excellenti cum suavitate tum salubritate insinuaret in palatum & desiderium bibentium; quódque satìs idoneum quoque deprehenderetur ad feriendam mentem iis qui & jejuni biberent, & bibendo modum nonnihil excederent. Hujus testem habemus Hedylum in Epigrammatis,

Ὕλας δὲ γλεύκους μεμυδυσμένα παίγνια Μουσῶν,
Ebria cantabat Musarum ludicra glencu.

Is. Casaubonus Animadv. in Athen. 4. 24. *aut omnia me fallunt, aut verissimè ità emendamus: nam* γλεύκους *ineptum est multis modis; nostrum* γλεύκους *planè confirmat vox* μεμυδυσμένα. Non est dubium, consentiente præsertim Ms. Non consentio tamen exponenti τὸ γλεῦκος *mustum.*

§ 249. Etiamsi verò hæc ratio, ex ipsa rei natura desumpta ostensáque, meritò debebat sufficere iis qui nullum pro sua sententia constabilienda adferunt momentum: momentosam tamen addo aliam. Non possumus non credere, Spiritum S. optimè noviſse & genus & nomen Potionis, quam & innuebant Irrisores isti, & bibebant jejuni, sive valetudinis causâ, sive deliciarum. Si ità est, quæ causa est cur non suo nomine, eóque publicè noto, nominaverit rem notissimam? Talem quippe nominare Irrisores adstantibus erat necesse, nisi ipsi vellent irrisui esse. Dicere enim, ebrium quem esse ex eo ex quo inebriari nemo solet aut potest, non est calumniantis. Ipsus enim novit ejuscemodi tela ferire aures, non animos, nec hærere posse, aut nocere ei in quem jaciuntur. Fidem mendacium ut invenisat, oportet sit simile vero. Irrisores itaque si scapham scapham dixerunt (qui mos est maledicorum) quídni Sp. Sanctus scriptori sacro rem gemino vulgatóque nomine dictaverit?

§ 250. Quod vero illud virus erat quod in S. Apostolos evomebant Judæi irrisores? Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. Jeremias Propheta consideratione malorum quæ imminebant Prophetis & Sacerdotibus hypocritis, ità se conturbatum ait 23. 9. ut esset ὡς ἄνδρωπος σωσχόμενος ὑπὸ οἴνου, *tanquam vir qui agitatus à vino*; non potest se continere quin loquatur & operta recludat. Fusiùs hoc Eratosthenes apud Stobæum Serm. 44. 3. nisi mavis Callimachus; in cujus Epigr. n. 5. totidem exstat verbis.

Οἶνός τοι πνεῖον ἴσχε μόνος· οὐ τ' ἂν ἐς ἄνδρας
Ἔλθῃ, κυμαίνῃ δ' οἷα λίβυσσαν ἅλα
Βορέης ἢ νότος· τὰ δ' ἀνέμων πάντ' ἐπίταξε νόος.
Vis eadem vino & flamma. Vini ignis inerrans
Pectoribus, Libycum ceu mare circumagit,
Quod Notus aut Boreas jactatis commovet alis,
Et sinit in toto corde latere nihil.

§ 251. Hesychius, Μεμεστωμένοι, πεπληρωμένοι. Cyrilli Lexicon, Μεμεστωμένος, *Fartus, Confertus.* Iterum, Μεστὸν, *Cumulatum.* Μεστὸς, *Onustus.* Belgæ dicerent, *opgepropt vol, overladen van wiin, overstalligh dronckenn.*

§ 252. Cl. Heinsius, *Quia autem creber usus* τοῦ γλεύκους *deliciatioribus ac mollibus placebat, aut reddebat tales eo qui uterentur,* γλυκίωνα *dicebantur. Hesychius,* Γλυκίωνας, ὑπὸ τοῦ γλεύκους ἡδυπαθοῦντας καὶ παχυμερῶς, καὶ ὑπὸ τοῦ οἴνου. *Scribe,* καὶ ἀπινῶς. Imò scribe, ut libri edunt, etiam Phavorini, qui verbotenus sua solet ex illo describere, καὶ παχυμερῶς ὑπὸ τοῦ οἴνου. Grammatici enim volunt ità appellari non modò eum qui speciatim hoc vini genere, sed & quovis alio sit solutus atque effeminatus.

§ 253. Fœdum crimen & gentibus ipsis abominatum. Fœdius verò, si luce committeretur, etiamsi à servo. Plautus Pseudolo act. 5. sc. 2. 6.

Si. *Quid tu, malùm, ergò in os mihi ebrius irructas?*
Ps. *Molliter siste nunc me, cave nè cadam: non vides me ut madidè madeam?*
Si. *Quæ isthæc audacia est, te sic interdiu cum corolla ebrium incedere?* Ps. *Iubet.*

Neroni dat vitio Tacitus in Annal. 14. 1. quòd *medio diei per vinum & epulas incalescere:* adeò turpe erat de die potare.

§ 254. Proinde veteres seriò cavebant ebrietatem hoc tempore. Accius, poeta vetus,

Nemo unquam vidit ebrium ire interdiu.

Eapropter de vespere convivabantur, ut noctu essent ebrii: quem morem atro carbone notat etiam Apostolus 1 Thes. 5. 7. Scilicet nocturnam pro ebrietate seu vitio non habebant. Quæ Satanæ persuasio utinam non audiretur ab iis etiam qui nominant nomen Christi, & quos omnino ab omni injustitia oportet recedere, 2 Tim. 2. 19. & meminisse, omnia esse nuda & patentia oculis ejus quicum nobis est negotium, Hebr. 4. 13. Psal. 33. 13, 14. & 139. 2, 3, 8, 12. Confer & Diphili quæ citat Clemens Alexandrinus Strom. 5. p. 606. B.

§ 255. Etiam ulteriùs provehebantur Gentiles (scilicet ut intelligas dictum Apostolo Rom. 1. 24.) & tantùm non laudabant ebrietatem, modò intempestiva esset; prorsus ut Lacedæmonii furtum, teste Agellio 11. 18. aliísque. De ebrietate Quinctilianus Declamat. 331. *nec ebrietatem facit illa potio, postquam concidendum est; sed tempestivum convivium, & aviditas nimia.* Dicebantur *tempestivè* epulari & convivari, qui præveniebant horam diei nonam, quæ erat cœnæ ordinaria. Vide Lipsium Excurs. ad 14. Annal. A. Discas verò licet indè, fugisse diurnam ebrietatem non amore virtutis, non valetudinis, sed nè existimationis suæ jacturam facerent apud populum. Rari quippe à conviviis surgebant non ebrii. Nolebant igitur videri redeuntes, & titubantes, & fieri *spectacula vulgi*, uti Naso ait Fast. 3. 539.

§ 256. Istis fœdius crimen erat ante diem medium deprehendi in vino. Serò hæc lues Romanos invasit, Israelitas multis antè seculis. De illis Seneca Epist. 123. *Isti non videntur tibi contra naturam vivere, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii transeunt? Atqui frequens hoc ado-*

adoleſcentium vitium eſt qui vires excoluêre. Poſt prandium aut cœnam bibere vulgare eſt. Hoc patresfamiliæ ruſtici faciunt, & veræ voluptatis ignari. Merum illud delectat quod non innatat cibo, quod liberè penetrat ad nervos. Illa ebrietas juvat quæ in vacuum venit. Apparet ſic rem peſſimam deteſtari tanquam recentis moris. Id verò clariùs eluceſcit ex Plutarchi Sympoſ. 8. 9. ὕδωρ γὰρ οἱ παλαιοὶ πεῖν ὀυτρεχεῖν ἔπινον. οἱ δὲ νῦν ἄπτοι πεφυθότες, ἄπλουται τὸ ὕφος διαζέχῳ τῷ σώματι καὶ ζέοντι, λεπτὰ καὶ τραχὺ καὶ ὀξὺ περιφέροντες, ὑπέκκαυμα τῆς ὀρέξεως, εἶτα ὕπνῳ ἐμφερόμενοι τῷ ἄλλῳ· hoc eſt, *Nè quidem aquam Veteres bibebant antequam cibum ſumpſiſſent. Nunc verò ante cibum ſumptum inebriati, accipiunt illum madido corpore & fervente: tenuiáque & acria atque acuta, ſuccendiculum appetitûs, ingerentes, ſic demum feruntur ad alia.* De *antiquis* quod ait, id vel de Plauti ævo prioribus intelligendum eſt, vel de ejus ævi frugalioribus. Quàm bene enim jam tum Plutarchi ſeculo græcari didicerint Romani, obvium eſt vel in noſtri monumentis.

§ 257. De Iſraelitis quod dixi, dilucet ex Propheta Jeſaia 5. 11. ubi queritur & denunciat, *Væ ſurgentibus ſummo manè, ut ſectentur potum inebriantem, & prorogantibus uſque ad crepuſculum, donec vinum incendat ipſos.* Hoc turpiſſimo more, & quem nè nominari quidem oportuit inter eos qui ſe gloriabantur Dei populum, nitebatur veriſimilitudo atrocis illius calumniæ, quâ non tam innocentiam atque famam ſanctorum hominum homines impuriſſimi lacerabant, quàm præſentem Spiritum Sanctum dæmones incarnati inceſſebant.

§ 258. Profectò, ſi fuiſſet prorſus inuſitatum, Merum bibere jejunis, quæ demum impudentia vel auſa fuiſſet ſine ulla ſpecie veri tantum & tam ſplendidum mendacium coram tot teſtibus eructare, vel non metuere redargutionem publicam? Gentes ipſæ norant, nullâ ſe injuriâ magìs lædi, quàm ſi quis mendacium ſibi diceret, teſte Demoſthene de Falſa legat. p.m. 321. E. Unde Cicero de Offic. 3. 20. ait, *non cadere in virum bonum mentiri, aut criminari.* Nec dubium voluiſſe, qui id dicebant, Judæos videri viri boni; quâ ſpecie non ſemel ipſum Dominum adire & aggredi conſueverant. Fateor ità eſſe, ut Quinctilianus Declamat. 11. ait, *nullus innocens huc uſq; felix eſt, ut diligentia fingentium par ſit.* Sed & hoc me Tragicus Troad. v. 167. docuit,

Majora veris monſtra vix capiunt fidem.

Cujuſcemodi certè hoc fuiſſet, ſi nihil ejus populo innotuiſſet ante id temporis.

§ 259. Quibus de cauſis utì non dubito invaluiſſe tunc temporis illum manè bibendi & vinum in vacuum admittendi morem peſſimum atque inimiciſſimum cùm naturæ tum moribus bonis; ità valde ſuſpicor quòd hæc non effuderint infandi homines, niſi ipſi ἄλλως βεβαρυμένοι οἴνῳ ſatìs onuſti vino, utì loquitur Apollinaris in Pſal. ξη'. Extremum verò infortunium eſt homini ſobrio, ebriorum eſſe ludibrium.

§ 260. Atque hactenus expendimus argumentum, quod ſervire ſibi ſcurræ iſti voluerunt ad improperandum convicium hoc ignominioſum, quod audivimus, mortalium ſanctiſſimis. Supereſt, ut paucis conſideremus quoque modum quo id ipſum objectabant; Ἕτεροι δὲ χλευάζοντες ἔλεγον, *Alii verò ſubſannantes dicebant.*

§ 261. Inquit, *alii:* quia erant qui in ſtuporem atque in admirationem dati hæſitabant quid judicare deberent de eo, quòd homines Galilæos, illiteratos & idiotas (Act. 4. 13.) audirent tot linguis loqui τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *magnalia Dei*, ut reddit Interpres vetus. Cujus tranſlationem perperàm mutari vel hoc oſtendit, quòd efficaciùs deſignet quod debet, quàm quæ reponitur vox *magnifica.* At non eſt illa Latinitatis purioris: Non ſit; recepta tamen uſu, & ab egregiis atque antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus civitate donata. Onomaſticon vetus, cui nemo non doctus tribuit plurimùm, *Magnalia*, μεγαλεῖα. Tertullianus ad Uxor. 2. 7. *Senſit magnalia, vidit experimenta.* Epicorum autor adv. Marcionem 1. 54.

Dat dextram mancus, loquitur magnalia mutus.

Iterum 3. 54.

Armatus virtute Dei magnalia geſſit.

§ 262. Græcum etiam in D. Virginis Cantico reperitur Lucæ 1. 49. ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα ὁ δυνατός· *fecit mihi magnalia ille Potens:* h.e. fidem, miſericordiam, potentiam ſuam declaravit in me. Fidem, adimplendo promiſſum Gen. 3. 15. & ſpecialiùs Jeſ. 7. 14. Miſericordiam, reſpiciendo ad ſe *humilem ancillam ſuam*, hoc eſt, hominem & conditionis abjectæ in oculis hominum. Compara 2 Sam. 7. 12, 18, 19. Potentiam denique, inumbrando ſe virtute ſuâ & impregnando Virginem ſuperventu Spiritûs ſui, Lucæ 1. 35.

§ 263. Quemadmodum verò iſti attoniti præſtolabantur quò tandem evaderent miracula quæ ſtupebant: ità alii non itidem ſilentio illa tranſmittebant, ſed apertâ ſannâ excipiebant, hoc eſt, contemnebant ignominioſo ludibrio & condemnabant impudentiſſimo mendacio. Mendacium quippe, quod audivimus, χλευάζοντες ἔλεγον, *ſubſannantes dicebant*, & irructabant Apoſtolis in os, & additâ ſannâ ſeu geſtu petulante reddebant probroſius.

§ 264. Ut hæc propiùs intelligamus, obſervandum eſt, *irridendi* modum eſſe triplicem: unum, qui Verbis, alterum, qui Geſtibus, tertium, qui fit Utriſque.

§ 265. Irriſio quæ Verbis fit, quædam modeſtior eſt, alia dicacior. Modeſtior eſt, quæ verum dicit, ſed ità ut *exſpectationibus*, inquit Cicero in Orat. 2. p.m. 425. *decipiendis, & naturis aliorum irridendis, ipſarum ridiculè indicandis, & ſimilitudine turpioris, & diſſimulatione, & ſubabſurda dicendo, & ſtulta reprehendendo, riſum moveantur.* Huic locus in facetiis eſt datus; ſed quæ dedecent revera pium: neque enim expertes ſunt mali, à cujus etiam ſpecie abſtinere nos jubemur 1 Theſ. 5. 22. Interea ſæpe cogimur illo modo tentare emendationem ejus qui ſe non patitur apertè moneri. Probi votum eſt & verbum probum, *Tundat me juſtus; gratia eſt: & redarguat me; unguentum capitis*, Pſal. 141. 5. De improbis ſcriptum eſt, *Qui erudit deriſorem, ſcipit ſibi ignominiam: qui corripit improbum*, parat *convitium ſibi*, Prov. 9. 7. Quare *nè corripito irriſorem, quò nè odio proſequatur te:* potiùs *corripe ſapientem, & amabit te*, ibid. ver. 8.

§ 266. Dicacior irriſio eſt, quæ, ut acriùs mordeat, ſpeciem ſæpe conviciantis ſubit. Hæc iracundi eſt, aut maligni. Etiam deterioris commatis cavillatio eſt: genus facetiæ (ſcilicet l) quod ſit mentiendo. In foro *cavillari* propriè dicitur patronus imperitus, qui, cùm verè clienti ſuo cavere non poſſit, comminiſcitur tamen aliquid & ſe ſimulat proſpicere illi nè decipiatur, cùm revera nihil agat niſi ut circumveniat judicem, aut hoc ſi non ſuccedat, fallat clientem, vide l. quid enim, 1. ff. de reg. Caton. l. natura 177. ff. de verb. ſignif. l. 12. § 3. C. de ædific. privat. Quibus vice commentarii adde Scaligeri Caſtigationes ad Feſtum, ibi. Unde rectè Valla ait in Elegant. 6. 49. *cavillationem* eſſe ſubdolam rationem, quam quis, mendacii ſibi conſcius licèt, vincendi tamen causâ profert. Ea boni habet ſpeciem. Mali verò, etiam apertè, quæ mendacium fingit in opprobrium. Philoxenus gloſſis, *Cavillatio*, κακοήθεια, εἰρωνία, ὑπόδεγμα, ἀπάτη, παρεγχείρησις. Sanè prægnans vitium, & quo vix aliud hominem dedecet magìs.

§ 267. Maligna irriſio eſt, quando quis alteri mendacium improperat verbis non tantùm acutis & quæ ſicarum inſtar transfodiant cor ejus quem feriunt; verumetiam probroſis, hoc eſt, objectantibus crimen infame, horrendum, ingens, ídque tam impudenter, tam vafrè, tam callidè, ut facilè hæreat animis præſentium & imprudentiorum.

§ 268. Irriſio quæ Geſtibus fit. Latinis *ſanna*, Græcis χλεύη & μῶκος dicitur. Onomaſticon, *Sanna*, χλεύη. Cyrilli Lexicon Græcolat. vetus, χλεύη, *Inluſorium. Ludibrium;*

brium. Iterum, χλευάζω, *Seduco, Inerepo, Derideo*. Revera simul ista facit subsannator. Mendacio *seducit* adstantes, saltem seducere tentat. Vitii accusatione *increpat*, hoc est, cum clamore convitiatur & maledicit quem arguit. Plenis denique buccis *deridet* ipsum ceu indignum qui probos inter & honestos versetur. Invenio pro *subsannatore* Latinos etiam *gannatorem* dixisse. Philoxeni glossæ, *Gannator*, χλευαστής. Itidem, *Gannat*, χλευάζει.

§ 269. Eâdem notione vox μῶκος ponitur: quanquam & pro *subsannatore* ponatur. Cyrilli Lexicon, Μῶκος, *hæc Sanna*. Philoxeni glossæ, *Sanna, Subsannator*, Μῶκος. Ubi vides utramque significationem conjungi. Atenimvero, aut fallor, aut hæc accentu olim fuere discriminata. Quare legerim, *Sanna*, Μῶκος. *Subsannator*, Μωκός. Disertè sic Etymologici autor, Μωκὸς, χλευαστὴς, μωρὸς, σκώπτης. Stephanus etiam, oxytonos se in veteri suo Lexico reperisse scriptum testatur. Quare non vereor hinc emendare Grammaticos, Hesychium, Phavorinum, Suidam: & ubicunque demum de persona dicitur, accentum retrahere ad ultimam; relicto, ubi rem significat. A μῶκος est μωκάδος, & hinc haut dubiè Galli habent suum *mocquer*, quod & ipsis significat *subsannare* seu contumeliosè irridere.

§ 270. Definitore autem Simplicio ad Epictetum, μῶκός ἐστιν ὁ μυκτηρισμὸς καὶ ὁ διὰ τοῦ χείλους ἐκτελισμός· *Sanna est derisio cum certo gestu, contemptûs indice*. Hic gestus pro cujusque lascivia & fuit olim & est hodiéque multiplex. Commodè retuleris ad duo genera. Sunt enim irrisorii, ut dentium anteriorum monstratio, oris & labiorum in alterum latus distortio, & si quis præterea talis est nequitiæ ostentus.

§ 271. Sunt etiam & his nequiores, obscœni. Apex omnium est, ostensio partium, quas ut honestè nominare non licet, ità nudari natura sine pudore non finit. Hâc contumeliâ miles Romanus universos publicè Judæos affecit, ídque die quartâ Paschatis, festorum primi & maximè solennis, & quidem stans supra porticum templi. Memorat Josephus Antiq. Judaic. 20.4. Quod ipsis evenisse nè dubites citra singulare Dei judicium; apud quem justum est reddere, ut afflictionem affligentibus, 2 Thes. 1.6. ità & irrisionem irrisoribus, Psal. 109.17.

§ 272. Usitatiores sunt & fuerunt semper modi isti, quos adfert Persius Satyrâ 1. 58.

O Jane, à tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec lingua, quantum sitiat canis Appula, tantum.

Quos modos etiam Hieronymus in Epist. ad Rusticum monachum, sed aliter, exprimit; *Nè credas laudatoribus tuis: imò irrisoribus aurem nè libenter accommodes: qui cùm te adulationibus foverint, & quodammodo impotem mentis effecerint; si subitò respexerù, aut ciconiarum deprehendes post te colla curvari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.* Quæ sannæ quàm turpes sint ut liqueat magis, dicemus de singulis aliquid.

§ 273. Primus sannæ modus est, quæ *ciconia* dicitur. Fit indice digito in eum directo quem ridebant, & crebrâ ejusdem curvati motitatione, atque sic ad imitationem ciconiæ rostro pinsentis. Ità eruditissimus Casaubonus ad Persium. Dicitur autem *pinsere*, quoties, ut Ovidius Metamorph. 6. 97. canit,

Ipsa sibi plaudit crepitante ciconia rostro.

Unde & *crotalistria* dicta Petronio fuit in Satyrico cap. 37. quòd rostri collisu sonum ceu *crotalo* efficiat: quo de adisis Turnebum Adverss. 8.18. & Salmasii Notas in Vopiscum p. 492. C. & Georg. Erhardi Symbolas in Petronium h. l.

§ 274. Cæterùm quòd *pinsere* dicatur tunc, transumptum est non à sono, sed motu quo sonum edit. Utì enim is creber est & concitatus: ità qui aut adulatores à tergo aut contemptores ante oculos hoc modo illudunt, crebrò, quem intendunt atque incurvant, digitum motitant, prorsus ut *pinsentes*, hoc est, tundentes far aut subigentes farinam frequenti agitatione vel comminuunt vel dant in massam. Quo facto an significare volunt dignos esse qui in pistrinum tradantur, ceu inutiles rebus momenti gerendis & solùm aptos negotiis operosis & corpus fatigantibus viréque; ejus requirentibus tantúm?

§ 275. Illius *ciconiæ* etiam Hieronymus meminit præf. in Sophoniam Prophetam, ubi cùm respondendum videretur his qui se irridendum existimabant, quòd omissis viris ad feminas scriberet potissimùm, ait, *si scirent Holdam virù tacentibus prophetasse, & Deboram hostes Israel, Barach timente, superasse, nunquam post tergum meum manum incurvarent in ciconiam*. Ergóne hâc sannâ *effeminatum* significare voluerunt?

§ 276. Itali hodie digitorum impudico quidem protenso, indice verò & annulari sic juxtà complicatis ut exstent primi nodi, pollice autem minimóque absconditis *ciconiam* faciunt, Sodomitam quoties indigitare aut Androgynon volunt: an & significare *ciconiâ* dignum? Ità verò appellant βακτήν seu *gabuli* genus, ex quo unus tantùm potest suspendi; vide Georg. Pachymerium Mechanic. 12. 16.

§ 277. Nisi fallor, *ciconiam pinsere* Græcis erat τὸ σιφνιάζειν. Hesychius enim exponit καταδακτυλίζειν, addens, διαβάλλων δέ τινας ὡς παιδικοῖς χαίρουσι. σιφνιάσαι δὲ τὸ σκαμβίσαι. De hoc videri possunt ad Rob. Constantini Lexicon quæ conjecturam nostram confirmant. Aliò tendit Erasmus in Adagio, σιφνιάζειν· ut & Hadr. Junius in Adagiis, ad illud, *Siphnia arrha*.

§ 278. Altera sannæ species est *auricularum affixio*. Qua de Casaubonus, *quos esse asinos significare volebant, oppositis temporibus pollice, & manu commotâ sannam eis faciebant. Ratio autem est, quia solus ferè ex animalibus homo aures à natura accepit immobiles: asinus contrà maximè mobiles*. Addit mox, *huic sannæ affine esse, quòd ad contemptum rei alicujus declarandum, caput movebant, quia aliter non poterant*. Vocat in testimonium Galeni illud l. de Diff. puls. 2. 3. ἐπὶ τύπτοις ὁ γέρων ὥσπερ ὄνος ἔσεισεν ἤδη τὰ ὦτα, *his auditis senex instar asini movere cœpit aures*. Non ut illuderet Galeno, sed applauderet potiùs. Ex sequentibus enim liquet, voluisse senem, quamvis eorum quæ diceret Galenus revera nihil intelligeret, tamen perinde quasi nihil non intelligeret & probaret, ità hoc nutu alludere. Est enim asino naturale subinde movere auriculas; quasi significet se jam intelligere, cùm nihil etiam audierit. A nostra heic mente stat Erasmus in Adagio, *Asinus ad lyram*.

§ 279. Revera autem huic sannæ affinis est illa, quâ pollice & minoribus digitis complicatis & fronti admotis, duo reliqui eriguntur divaricati velut in furcam; *cornua* vocant. Hâc sannâ sanniones illudunt, cui sua conjux illudit.

§ 280. In foro *furcam* appellant homines nefarii & nullo jure alios in jus vocantes, & ab aliis summâ injuriâ se vocari volentes, sempérque hoc omni in lite omni vafritie agentes, ut Judex cogatur se admittere ad juramentum sive judiciale sive suppletivum aut necessarium JCtis dictum. Quò rem adducere si queunt, victoriam in furca gerunt scelestissimi homines & innocentium in oppressionem nati. His quia idem est jurare & ludere linguâ digitísque, jactare illud Euripidis solent, quod est Hippolyto versu 611.

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ', ἡ δ' ἄφρην ἀνώμοτος·
Juravi linguâ, mentem injuratam gero.

Ità enim Cicero vertit lib. de Offic. 3.29. Pia est in hanc rem & seriò audienda admonitio Poetæ cujusdam Christiani apud Hincmarum Remensem Archiepisc. in de Hlotharii regis & Tetbergæ reginæ divortio,

vortio, exhibitum in Bibliotheca Patrum tom. 9. p. 179.

At si jurandi te causa perurget & arctat,
Id puris verbis, id gere monte pia.
Nec verbi arte putes te fallere posse Tonantem,
Cui nihil abstrusum est, cui tua corda patent;
Qui non ut juras, sed ut is juravisse putavit,
Cui juras, audit: sicque ex utrique reus:
Nempe Deo, in vanum cujus vis sumere nomen;
Et socio, quem tu fallere fraude paras.

Certè ità est, ut Isidorus ait in 2 de Summo bono, *Quacunque arte verborum quis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, sic illud accipit, sicut ille cui juratur intelligit.* Sed in viam.

§ 281. Ultimus sannæ modus est, *linguam exertare* ad alicujus contumeliam. Qui mos unde sit desumptus, nemo ignorat. Fessorum canum est, cùm sole fervente & fervidâ præsertim regione (qualis Apulia est) currunt, ex ore patulo linguam projicere & frigidum haurire anhelantes. Idem de tauro testatur Nonnus Dionysiac. 11. 157. Quàm vetus hæc sanna sit, apparet ex historia illius Galli, qui cum T. Manlio Torquato pugnavit apud Livium lib. 7. & Agellium 9. 13. Quid obscœni ea sanna notet, si scire licet, dicere non licet. Nobis dictum est, πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω, *Nullus sermo putidus ex ore vestro egrediatur*, Ephes. 4. 29. Compara ibidem 5. 3, 4. Colossi. 3. 5, 8. Matth. 12. 36.

§ 282. Ex his jam satis intelligitur, quid sit *irridere* Verbis & Factis simul, & esse hanc gravissimam contumeliam. Cæcilius Fallaciâ,

Facilè ærumnam ferre possum, si indè abest injuria:
Etiámque injuriam, nisi contrà constat contumeliâ.

Citat Nonius 5. 32. & ex eo Lipsius ad Senecam de Const. 5. 53. Confer ad Demosthenem Orat. adv. Midiam, p. m. 614. E.

§ 283. Judæi itaque quando notantur illud virus, quod vidimus, χλευάζοντες *cum sanna* evomuisse in Apostolos, proculdubio verbis injuriosis addidere gestum contumeliosum. Nam qui in ipsum Dominum illusisse satis non habuerant, nisi inspuissent insuper, Matth. 27. 29, 30. cur peperciisse Discipulis credamus, & quos sciebant cum Jesu fuisse? Act. 4. 13. *Neque enim discipulus supra magistrum, neque servus supra dominum suum*, Matth. 10, 24, 25. Joh. 15. 20.

§ 284. Sed ad hæc Apostoli quid? quidni enim etiam de hoc verbum addemus, mantissæ loco? Illi non (ut ferè mos est hominum, rarò non fœnum in cornu irásque promptas habentium) contumeliam pro contumelia reponere: imò nè dicere quidem,

Non solas respicere te, cùm dicis injustè alteri?

verùm memores dictorum Domini Matth. 5. 11, 44. contumeliam & contemptum contemnere; ad injuriam paucissimis respondere necessaria eximendo cùm scandalo tum scrupulo, quem teneris conscientiis & animis stupore miraculi suspensis injecerant; denique bonum pro malo rependere, & bene agendo ceu capistro frœnare illorum amentium ignorantiam, 1 Pet. 2. 15.

§ 285. Profectò magnum est, & magni animi, *spernere se sperni*, uti pio olim, nec invenusto, carmine demonstravit meus b. m. avus HENRICUS ANTONIDES VANDER LINDEN, SS. Theol. Doct. & Profess. in Acad. Frisiorum, quæ Franekeræ est: sumpto sibi argumento, *Disce contemnere & contemni*, Philemon apud Stobæum Serm. 92. 2.

Ἥδιον ἀνδρὸς, ὃς μεμαθήκοτος
Ἐς', ἢ δικαίως λοιδορεῖσθαι φέρειν.
Ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
Μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖται ὁ λοιδορῶν.
Jucundius vel erudito dignius
Nihil est quàm ferre posse contumeliam.
Convitio si te petentem negligis,
Convitium ad convitiatorem redit.

§ 286. Nam, uti non malè Seneca de Const. cap. 17. *Genus ultionis est, eripere ei qui fecit contumeliæ voluptatem. Solent dicere, Miserum me, puto non intellexit! adeò fructus contumeliæ in sensu & indignatione patientis est.* Tertullianus de Patientia cap. 8. *Omnis injuria, seu linguâ seu manu inussa, cùm patientiam offenderit, eodem exitu dispungetur, quo telum aliquod in petra constantissimæ duritiæ libratum & obtusum. Concidit enim ibidem irritâ operâ & infructuosâ, & nonnunquam repercussum in eum qui emisit, reciproco impetu sæviet. Nempe idcirco quia te lasit, ut doleas: quia fructus lædentis in dolore læsi est. Ergò cùm fructum ejus everti non dolendo, ipse doleat necesse est amissione fructûs sui.*

§ 287. Sed plus illo præstitere Viri sancti. Exemplo docuere se discipulos Christi esse & didicisse ab eo *mites esse & humiles corde*, Matth. 11. 29. Eph. 4. 2. & *non reddere malum pro malo, aut convitium pro convitio, sed contrà, benedicere: ut qui sciebam se ad hoc vocatos esse, ut benedictionis hereditatem possiderent*, 1 Pet. 3. 9. Atque eâ demum verâ ratione ostendêre se & *spiritu vivere, & spiritu incedere*, Gal. 5. 25. Nam *fructus Spiritûs est charitas, gaudium, pax, lenitas, benignitas, probitas, fides, mansuetudo, temperantia*, Gal. 5. 22. Eph. 5. 9.

§ 288. Interea, nè qui fortè offenderent in hoc scandalum, quem velut offendiculi lapidem ponebant impii, duobus verbis respondet Apostolus, sed adeò efficacibus, ut nebula citiùs discuti à Sole non possit, quàm Veritati cesserit hoc mendacium. Οὐχ, ὡς ὑμεῖς ὑπολαμβάνετε, οὗτοι μεθύουσιν· ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας· *Non*, inquit, *ut vos suspicamini, isti ebrii sunt: est enim hora tertia diei.* Verbo primo Factum negat: altero Negationis reddit rationem.

§ 289. Factum negat, non simpliciter, sed ità ut simul ipsos coarguat præcipitis judicii.

§ 290. Negatio facti est, *Non sunt isti ebrii.* Ad quæ Cl. D. Heinsius, *Ex eo loco patet, quàm ingeniosè nonnunquam indulgeant sibi, & acumen aliquod novum ament, etiam antiqui. Quemadmodum cùm ista verba sic acceperunt, ac si dictum esset, fuisse quidem, neque tamen ut existimarent ipsi, ebrios. Sanctam enim ebrietatem fuisse.* Cui deinde confirmando adducit Cyrilli Hierosolymitani è Cat. 17. verba, quæ non recito. Post quæ meritò miratur argumentum: *Hi, non, ut vos existimatis, sed, spiritualiter, ebrii sunt.*

§ 291. Quod ad alterum, Cunctator esse debet, qui judicabit de salute aut fama alterius. Thucydides l. 1. quà de Pausaniæ condemnatione, δεῖ μὲ πιχῆι δὲ σὲ ἀνδρὸς, ἀνδρὶ ἀναμφισβητήτων τεκμηρίων, βουλεύσασθαί τι ἀνήκεστον· *Oportet minimè festinos esse ad decernendum quid gravius de homine sine testimoniis meridianâ luce clarioribus*; Cicero prò Cæcina p. m. 576. *ea res de qua existimationis periculum est, tardissimè judicetur.* Apostolus itaque cùm respondet, *non est ità, ut vos suspicamini*, hoc apertè satis significat, se contra humanitatis jura omnia damnari priùs, quàm cognovissent maledici & præcipites isti nequam. Gentili placuit dixisse, *Si judicas, cognosce.* Vide ad Senecam Medeâ vers. 194. & confer ad Sarisberiensem Policrat. 5. 6.

§ 292. Cæterùm

§ 292. Cæterùm, cùm ea, *quæ quidem sunt criminum, plerumque inficiatione defendantur*, ut Cicero ait de Orat. 2. p. m. 371. Apostolus tamen maluit in ipsa herba calumniam opprimere & prævenire, nè quod pravæ suspicionis virus adspergeret animorum teneriori-bus & qui ejus quod audirent causam mirarentur, nec assequerentur tamen, ideóque suspensi & solliciti avebant videre, quid esset eventurum ex illo miraculo.

§ 293. Quâ se suósque defendit, ratio est, *est enim hora tertia diei*. Cujus autem? Sanctæ: de qua dictum erat, *Et lætaberis coram Jehova, Deo tuo*, Deut. 16. 11. Eâ tamen lege, ut *priùs sacrificia offerrent*, Lev. 23. 17, 18. *ac convenirent*, Deut. 18. 26. & cæteris vacarent sacris, ut his peractis, tum se darent conviviis atque exhilarationi animorum cum gratiarum actione pro liberatione ex Ægypto, domo servitutis. Neque enim voluit Deus *quæ fecisset in terra Ægypti Pharaoni & omnibus servis ejus & toti terræ ejus, tentationes illas magnas quas viderant, signa & prodigia illa magna, recedere ab animo ipsorum ullo dierum vitæ suæ, quin nota ea facere filiis suis & nepotibus suis*, Deut. 29. 2, 4, 9.

§ 294. Illius autem diei *hora* erat ab orto sole *tertia*, eáque destinata offerendo Agno, Exod. 29. 39. Num. 28. 4. videlicet in typum Agni illius Dei qui tollit peccata mundi, Joh. 1. 29. & in consummatione seculorum semet ipse obtulit pro peccatoribus super ligno, ceu altari, crucis: Hebr. 9. 14, 26. Phil. 2. 7, 8. Hebr. 7. 27. Rom. 5. 6. Colos. 2. 14.

§ 295. Eâ itaque horâ cùm & ipsi convenissent ad Festi celebrationem & facienda sacra quæ jusserat Lex, optimè omnino negat Apostolus illâ ratione niti suspicionem ejus, de quo accusati essent. Quasi dicat, Turpe est inebriari nocte: turpius, die festo: turpissimum, manè. Quemadmodum ergò in nos, quorum vitam inter vos actam novistis, cadere suspicio potest, nos ebrios esse die festo, & quidem ineunte, atque eâ horâ quâ prima sacra sunt facienda? Atqui ità malo & ego hæc accipere, quàm cum vulgo, quasi Apostolus hoc voluerit, esse neminem, qui vino eâ horâ daret operam: cujus jam contrarium docui in præcedentibus.

§ 296. Non satis verò habuit Apostolus insigni argumento ostendisse, quàm non esset hoc mendacium in damnum potens: etiam bonum rependit pro malo, & docere ipsos atque instruere incipit interpretatione Prophetiæ, quæ ultimis ista temporibus fore prædixerat, ejúsq; applicatione ad conscientias auditorum. Unde factum est ut compuncti fuerint corde, & resipuerint, & baptizarentur in nomine Jesu Christi, quotquot erant ordinati ad vitam æternam, Actor. 2. 37, 38. 13. 48.

§ 297. Da, Domine Jesu, ut quoties de hoc miraculo missionis & dono Spiritûs tui vel legimus vel audimus, non sit in nostrûm ullo cor malum & infidele; quin contrà & hunc & omnem tuum tuòrúmque Apostolorum sermonem accipiamus corde aperto, animo erecto, desiderio flagrante, amore sollicito, studio denique indefesso atque obsequio prompto; quò, qui sumus in tuo nomine baptizati, in tua fide vivamus, tuáque laudes celebremus & nunc & in secula seculorum. AMEN.

HUGO

Sept. 24.167

HUGO GROTIUS
DE VERITATE
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.
AD VIRUM AMPLISSIMUM
HIERONYMUM BIGNONIUM,
Advocatum Regium in ſummo Auditorio Pariſienſi.

Nobiliſſimo Ampliſſimoque D. D.
HIERONYMO BIGNONIO,
Advocato Regio in ſummo Auditorio Pariſienſi.

Vir Nobiliſſime & Ampliſſime,

PEccem in Juſtitiam ipſam ſi tempora ei in auguſtiſſimo loco exercendæ debita aliò divertam. Sed audacem me facit Religionis Chriſtianæ tutela, pars Juſtitiæ tuíque muneris magna. Neque Juſtitia ſinit ut acceſſio hæc ad quenquam priùs perveniat quàm ad eum ex cujus nomine magnam tituli ſuperbiam liber præfert. Non dicam me partem poſcere de otio tuo, quod tibi tam latè diffuſa muneris functio non concedit. Sed cùm occupatis pro otio ſit negotiorum mutatio, rogo ut forenſes curas harum chartarum lectione diſtinguas. Nè ſic quidem longè abibis ab actibus ſolitis. Audies teſtes, vim teſtimoniorum expendes, judicium feres. Ego judicatum faciam. Vale, Vir Maxime. Lutetiæ 27. Auguſti, CIↃ IↃC XXXIX.

LIBER PRIMUS.

I. QUærere identidem ex me ſoles, vir & de patria tua, & de literis, &, ſi id adjici pateris, de me quoque optimè merite, HIERONYME BIGNONI, quod argumentum ſit eorum librorum quos pro religione Chriſtiana patriæ meæ ſermone ſcripſi. Neque id quærere te miror. Non enim ignoras, ut qui omnia legi digna, & quidem tanto cum judicio legeris, quantum excoluerint iſtam materiam philoſophicâ ſubtilitate Ræmundus Sebundus, dialogorum varietate Ludovicus Vives, maximâ autem tum eruditione tum facundiâ veſtrâs Mornæus. Quam ob cauſam videri poteſt magìs ex uſu fuiſſe alicujus illorum in ſermonem popularem verſio, quàm inchoatio novi operis. Sed quid alii hac de re judicaturi ſint, neſcio: te quidem, tam benigno ac facili judice, facilè ſpero me poſſe abſolvi, ſi dicam, me lectis non illis tantùm, ſed & Judæorum pro Judaica vetere, & Chriſtianorum pro Chriſtiana religione ſcriptis, uti voluiſſe meo qualicunque judicio, & animo dare, negatam, cùm id ſcriberem corpori, libertatem. Exiſtimabam enim pro veritate non niſi veritate certandum, & quidem tali quam ipſe animo approbarem: fruſtrà enim daturum me operam ut perſuaderem aliis quæ non antè mihi perſuaſiſſem. Itaque ſelegi ex veteribus ac novis quæ mihi ſe probabant maximè, omiſſis argumentis quæ parùm mihi ponderis habere videbantur, & autoritate eorum librorum quos ſubdititios eſſe aut certò ſciebam, aut meritò ſuſpicabar. Quibus autem ipſe aſſentiebar, ea & ordine certo diſpoſui, & expoſui quàm potui maximè populariter, & verſibus incluſi, quò rectiùs memoriæ mandarentur. Propoſitum enim mihi erat, omnibus quidem civibus meis, ſed præcipuè navigantibus, operam navare utilem, ut in longo illo marino otio impenderent potiùs tempus, quàm, quod nimiùm multi faciunt, fallerent. Itaque ſumpto exordio à laude noſtræ gentis, quæ navigandi ſolertiâ cæteras facilè vincat, excitavi eos, ut hâc arte, tanquam Divino beneficio, non ad ſuum tantùm quæſtum, ſed & ad veræ, h. e. Chriſtianæ, religionis propagationem uterentur. Neque enim deeſſe materiam, cùm per longinqua itinera paſſim incurrerent aut in Paganos, ut in Sina & Guinea; aut in Mahumetiſtas, ut ſub imperio Turcæ, Perſæ, & Pœnorum, tum verò Judæos, & ipſos jam Chriſtianiſmi profeſſos hoſtes, diſperſos per maximas partes terrarum orbis: Neque deeſſe impios, qui abditum metu venenum ex occaſione apud ſimplices prodant; adverſùm quæ mala optare me ut rectè armati ſint noſtrates, & qui ingenio præſtant, incumbant pro virili revincendis erroribus, cæteri ſaltem id caveant nè ab aliis vincantur.

II. Ac primo quidem libro, ut oſtendam non eſſe rem inanem Religionem, ab ejus fundamento ordior; quod eſt, Numen eſſe aliquod. Id autem probare ſic aggredior; Res aliquas eſſe quæ eſſe cœperint, ſenſu ipſo & confeſſione omnium conſtat. Eæ autem res ſibi non fuerunt cauſa ut eſſent: nam quod non eſt, agere non poteſt; nec ipſa res eſſe potuit antequam eſſet. Sequitur igitur ut aliundè habuerint ſui originem: quod non tantùm de illis rebus quas ipſi aut conſpicimus, aut conſpeximus, fatendum eſt;

ſed & de iis unde illæ ortum habent, donec tandem ad aliquam cauſam perveniamus quæ eſſe nunquam cœperit, quæque ſit, ut loqui ſolemus, non contingenter, ſed neceſſariò. Hoc autem, qualecunque tandem ſit, de quo mox agemus, idipſum eſt quod NUMINIS aut DEI voce ſignificatur. Alterum argumentum quo probamus Numen eſſe aliquod, ſumitur à manifeſtiſſimo conſenſu omnium gentium apud quas ratio & boni mores non planè extincta ſunt inductâ feritate. Nam cùm quæ ex hominum arbitratu veniunt, nec eadem ſint apud omnes, & ſæpe mutentur; hæc autem notio nuſquam non reperiatur, neque temporum viciſſitudine mutetur, quod ipſi etiam Ariſtoteli notatum, homini ad talia minimè credulo; omnino cauſam ejus aliquam dari convenit, quæ ſe ad omne genus humanum extendat: quæ alia eſſe non poteſt quàm aut oraculum Dei ipſius, aut traditio quæ à primis humani generis parentibus manarit: quorum prius ſi admittimus, conſtat de quo quæritur; ſin poſterius, nulla ſanè ratio aſſignari poterit idonea cur primos illos parentes credamus falſum aliquod in re momenti maximi ad omnes poſteros prodidiſſe. Accedit quòd, ſive olim cognitas, ſive nuper repertas orbis partes ſpectemus, ubi modò, ut diximus, aliquid eſt humanitatis, exſerit ſe hæc notitia, tum apud gentes ſapientiâ aut ingenio valentes, tum apud ſtupidiores alias; quarum nec illas omnes decipi potuiſſe, nec has reperiſſe quò alii alios deciperent, ullo pacto credibile eſt. Nec eſt quòd opponat hîc quiſquam paucos in multis ſeculis qui Deum eſſe aut non crederent, aut non credere ſe profiterentur. Nam & paucitas ipſa, & quòd ſtatim intellectis argumentis rejecta univerſim eſt eorum opinio, oſtendit, non provenire hoc ex uſu rectæ rationis, quæ hominibus communis eſt; ſed aut ex ſtudio novitatis, quali tenebatur qui nivem atram eſſe contendebat, aut ex mente corrupta, ſicut vitiato palato res non ut ſunt, ità ſapiunt: præſertim cùm & hiſtoriæ & alia ſcripta doceant, quò quiſque fuit probior, eò diligentiùs ab ipſo cuſtoditam de Deo notitiam. Atque adeò à pravo ingenio, eorum maximè quorum intereſt nè quis ſit Deus, i. humanarum actionum judex, venire hanc à tam recepta antiquitus ſententia diſceſſionem, vel hinc apparet, quòd quicquid illi ponunt, ſive generum ſucceſſionem abſque ullo primordio, ſive atomorum concurſum, ſive aliud quidvis, id non minores, ſi non majores, habere difficultates, neque eo quod receptum eſt magis eſſe credibile cuivis ad rem mediocriter attendenti ſatis appareat. Quod enim obtendunt nonnulli, quia non videant Deum, eò ſe nec credere, ſi quid vident, ſatis vident quàm hoc ſit homine indignum, qui modò mentem habere ſe credat, quam nec ipſam videt. Nec ſi capere Dei naturam noſtro ingenio non poſſumus, ideo talem eſſe naturam negandum eſt. Eſt enim id inferioris cujuſque proprium, ut quæ ſe ſuperiora atque excellentiora ſunt capere non poſſit. Nè beſtiæ quidem quid homo ſit capiunt; multóque minùs ſciunt quâ ratione homines reſpublicas inſtituant ac regant, aſtrorum curſus metiantur, mare navigent. Hæc enim omnia ipſarum captum ſuperant. Atque ex hoc ipſo homo, quippe ſupra beſtias nobilitate naturæ conſtitutus, idq; non à ſeſe, inferre debet id à quo ſuperior beſtiis eſt conſtitutus, non minùs ſeſe eſſe ſuperius quàm ipſe ſit beſtiis; ideóque eſſe aliquam naturam quæ, utpote excellentior, ſui captûs modum excedat.

III. Evicto Numen eſſe aliquod, reſtat ad attributa ejus veniamus; quorum primum hoc occurrit, non plures eſſe Deos, ſed unum Deum. Hoc indè colligitur, quòd Deus, ut ſuprà jam dictum eſt, eſt id quod eſt neceſſariò, ſive per ſe: neceſſariò autem ſive per ſe quidque eſt, non quà in genere conſideratur, ſed quà actu eſt: actu autem ſunt res ſingulæ. Quòd ſi plures Deos ponas, jam in ſingulis nihil invenias cur neceſſariò ſint: nihilque cur magis duo quàm tres, aut decem quàm quinque credantur. Adde quòd multiplicatio rerum ſingularium congenerum eſt ex cauſarum fœcunditate, pro qua plures ipſæ res enaſcuntur, aut pauciores. Dei autem nec origo, nec cauſa ulla eſt. Tum verò in ſingulis diverſis ſunt quædam proprietates ſingulares quibus inter ſe diſcriminentur, quas in Deo, qui natura eſt neceſſaria, ponere non eſt neceſſarium. Neque verò uſquam ſigna deprehendas Deorum plurium. Nam tota hæc univerſitas unum facit mundum: in eo unum pulcerrimum, Sol: in homine etiam unoquoque unum imperat, Mens. Præterea, ſi duo eſſent aut plures dii, liberè agentes & volentes, poſſent contraria velle: impediretur autem alter ab altero quò minùs quod vellet efficeret: impediri autem poſſe Deo indignum eſt.

IV. Ut cætera Dei attributa noſcamus, omne id quod Perfectionis nomine intelligi ſolet (utamur nunc ſanè hoc vocabulo, quando aliud lingua Latina non ſuppeditat, Græcum eſt τελειότης) in Deo eſſe, hinc intelligitur; quòd quæcunque eſt perfectio in rebus, ea aut cœperit, aut non cœperit. Quæ non cœpit, Dei eſt. Quæ cœpit, neceſſe eſt habuerit unde inciperet. Et cùm à nihilo nihil fiat eorum quæ ſunt, ſequitur ut quæ in effectis apparent perfectiones, in cauſa fuerint, ut ſecundùm eas cauſa efficere aliquid poſſit, & proinde omnes in prima cauſa. Neque prima cauſa ullâ perfectione poſtea orbari potuit: non aliunde, quia quod æternum eſt, ab aliis rebus non pendet, neq; quicquam ab illarum actione patitur; neq; vero à ſe, quia natura omnis ſuam perfectionem appetit.

V. Addendum eſt, eſſe has perfectiones in Deo modo infinito: quia attributum cujuſque finitur, aut quia cauſa, per quam exſiſtit, tantum, nec plus ei communicavit; aut quia ipſa tantum, nec amplius, capiebat. Deo autem nulla natura quicquam ſui communicat: nec ipſe aliunde capit quicquam, exſiſtens, ut antè diximus, per ſe ſive neceſſariò.

VI. Cùm verò apertiſſimum ſit perfectiora dici ea quæ vivunt iis quæ non vivunt, quæ agendi pollentiam habent iis quæ non habent, quæ intelligunt non intelligentibus, quæ bona ſunt his quæ minùs ſunt talia; ſequitur ex his quæ modò diximus, hæc omnia attributa Deo convenire, & quidem infinitè. Itaque eſſe eum vitæ infinitæ, i. æternum, pollentiæ immenſæ, i. omnipotentem, ſic & omniſcientem, & omnino ſine ulla exceptione bonum.

VII. Quæcunque autem ſubſiſtunt, à Deo exſiſtendi habere originem, connexum eſt his quæ antè diximus. Concluſimus enim, id quod per ſe ſive neceſſariò eſt, unum eſſe. Unde ſequitur, ut alia omnia ſint orta ab aliquo diverſo à ſeipſis. Quæ autem aliunde orta ſunt, ea omnia in ſe, aut in cauſis ſuis, orta eſſe ab eo quod ortum nunquam eſt, i. à Deo, jam antè vidimus. Neque ratio tantùm, ſed ipſe id quodammodo ſenſus evincit. Nam ſi humani corporis admirabilem conſtructionem intus extráque conſpicimus, & ut omnia ibi etiam minima ſuos uſus habeant, nullo ſtudio, nullâ induſtriâ parentum, arte verò tantâ, ut Philoſophorum ac Medicorum præſtantiſſimi nunquam eam ſatis poſſint admirari, oſtendit hoc opificem naturæ eſſe mentem excellentiſſimam: qua de re videri poteſt Galenus, præſertim quâ parte oculi & manûs uſum examinat. Imò & mutorum animantium corpora id loquuntur. Non enim ex vi materiæ, ſed ad finem certum collocatæ ac figuratæ ſunt eorum partes. Neque animantium tantùm, ſed & plantarum & herbarum, ut à Philoſophis accuratè notatum eſt. Idem egregiè (a) Strabo notavit in aquarum poſitu, quæ, ſi materiæ qualitatem reſpicias, mediæ eſſe debuerunt inter terram atque aerem, cùm nunc terris interfuſæ ſint, nimirum ut terræ fœcunditati hominúmque vitæ nihil obſtaret. Ob finem autem agere non eſt niſi intelligentis naturæ. Neq; verò ſingula tantùm ad peculiarem ſuum finem ordinantur, ſed & ad communem Univerſi; ut apparet in aqua, quæ contra naturam ſibi propriam ſurſum movetur, nè inani interpoſito hiet Univerſi compages: ità facta ut continuâ partium cohæſione ſemet ſuſtineat. Finis autem hic univerſalis intendi, & vis ad eum finem inſeri rebus non potuit, niſi ab intellectu, cui ſubeſſet hoc Univerſum. Quin & beſtiarum nonnullæ actus exercent ità ordinatos atque directos, ut omnino eos appareat à ratione aliqua proficiſci: quod in formicis & apibus maximè apparet: ſed & in aliis quibuſdam, quæ ante omne experimentum aut nocitura fugiunt,

fugiunt, aut profutura quærunt. Non ipſis ineſſe vim hoc aut inveniendi aut dijudicandi, indè apparet, quòd ſemper agunt conſimiliter, & ad alia neutiquam graviora nihil valent: quare ab extrinſeca ratione ipſas aut dirigente, aut efficaciam ſuam ipſis imprimente, neceſſe eſt iſta proficiſci: quæ quidem ratio non aliud eſt quàm quod DEUS vocatur. Jam verò cœleſtia quoque ſidera, & quæ in iis maximè eminent, Sol & Luna, curſus agunt ità attemperatos ad terrarum fœcunditatem & animantium valetudinem, ut nè excogitari quidem aptius quicquam poſſit. Nam cùm alioqui multò ſimplicior fuiſſet per Æquatorem motio, aliam illis attributam videmus per obliquum circulum, quo ad plura terrarum ſpatia beneficia ipſorum pertingerent. Sicuti verò terrarum uſus penès animantia eſt, ità animantium cæterorum penès hominem maximè, qui violentiſſima quæque exſuperantiâ ingenii ſibi ſubjicit. (b) Unde Mundum hominis causâ factum etiam Stoici colligebant. Cùm verò eò uſque vis hominis non poſſit pertingere ut & cœleſtia lumina ſibi ſervire cogat, nec illa ultro ſe homini mancipaſſe credenda ſint; ſequitur ut ſuperior quædam ſit mens, cujus imperio pulcerrima illa corpora homini tanto infrà poſito operas perpetuas præſtent: quæ ipſa mens non alia eſt quàm opifex ſiderum atq; Univerſi. (c) Motus autem ſiderum qui eccentrici, quíque epicyclici dicuntur, manifeſtè oſtendunt non vim materiæ, ſed liberi agentis ordinationem. Idem teſtantur aſtrorum alii ex hac, alii ex altera cœli parte poſitus, terrarúmq; ac marium tam inæqualis forma. Nec aliò referri poteſt, quòd ſidera in hanc magìs quàm in illam partem eunt. Ipſa verò mundi figura perfectiſſima, rotunda ſcilicet, & partes ejus in cœli quaſi ſinu concluſæ, atq; ordine admirabili diſpoſitæ, ſatìs loquuntur, non caſu hæc conſluxiſſe, ſed ab intellectu, & quidem excellentiſſimo, eſſe conſtituta. Nam quis adeò ſtultus eſt ut à caſu aliquid tam accuratum exſpectet, quaſi credat caſu lapides & ligna (d) in domûs ſpeciem coalitura, aut ex jactis fortè literis exſtiturum poema; cùm & qui figuras geometricas in litore viderat, hominis ſe dixerit videre veſtigia, ſatìs perſpiciens à caſu talia proficiſci non potuiſſe? Præterea non ab æterno exſtitiſſe hominum genus, ſed à certo tempore communem ſtirpi ſumpſiſſe originem, evincunt inter alia (e) artium progreſſus, & inculcæ olim terræ, quæ habitari poſtea cœperunt, quod & inſularum ſermo teſtatur, profectus à terris adjacentibus. Tum verò inſtituta quædam ità & hominibus communia, ut non tam naturæ inſtinctui, aut evidenti rationis collectioni, quàm perpetuæ, & vix paucis in locis per malitiam aut calamitatem interruptæ, traditioni accepta ferri debeant: qualis olim fuit victimarum in ſacris mactatio, & nunc quoq; pudor circa res Veneris, nuptiarum ſolennia, & inceſtorum fuga.

ANNOTATA.

(a) *Strabo notavit*] Locus eſt lib. 17. ubi cùm diſtinxiſſet opera φύσεως *naturæ*, i. materiæ, & προνοίας, i. *Divinæ providentiæ*, addit, ἀλλ' ἱκανὴ τῇ γῇ εἶκεν τὸ ὕδωρ, οὐκ ἦν δ' ἔνυδρον ζῷον ὁ ἄνθρωπος, ἀλλὰ χερσαῖον, καὶ ὀναδεὲς, καὶ πολλοῖς κοινωνικὸν φωλεὸς, ἐποίησεν ἐξοχὰς ἐν τῇ γῇ πολλὰς καὶ εἰσοχὰς, ὥς' ἐν αἷς μὴ ἐπλημμύρησε τὸ σύμπαν. ἢ καὶ τὸ πλέον ὕδωρ; ὑπέχυπτον τοῦτο ὑπ' αὐτῇ γοῦν, ἐν αἷς δ' ἐξέχυν τοῦτο γοῦν ὑπεκύπτουσαν ἐφ' ἑαυτῇ τὸ ὕδωρ, πλεῖστον ὅσον χρήσιμον τῷ ἀνθρωπείῳ γένει καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ ζῴοις καὶ φυτοῖς, *Sed cùm circùm terram ſitus ſit aquæ naturalis, homo autem non ſit animal aquaticum, ſed partim terreſtre, partim aereum, multíſque partibus lucis capax, fecit providentia multas in aqua exſtantias depreſſionéſque, ut ha quidem reciperent aquam aut plurimam ejus partem, quâ occultaretur quod ſub ea eſt terra; per illas verò attolleret ſe terra, ac ſub ſe aquas occultaret, niſi quatenus ea ipſæ generi & quæ humano generi inſerviunt, animalibus planíſque eſſent uſui.* Obſervarunt hoc inter Hebræos Rabbi Juda Levita & Abenesdra, inter Chriſtianos verò Chryſoſtomus de Statuis Serm. 9.

(b) *Unde Mundum hominis causâ factum etiam Stoici colligebant*] Docet Cicero De Officiis 1. & De nat. Deorum 2.

(c) *Motus autem ſiderum qui eccentrici, quíque epicyclici dicuntur*] Tractat doctè hoc argumentum Maimonides Ductore dubitantium parte 2. c. 24. Quòd ſi terram perpetuò moveri ſtatuas, res ſub aliis nominibus eodèm redibit.

(d) *In domûs ſpeciem*] Aut navis, aut baliſtæ.

(e) *Artium progreſſus, & inculcæ olim terræ, quæ habitari poſtea cœperunt*] Tertullianus ex hiſtoriis hoc tractat lib. De Anima ſect. 30. *Invenimus autem apud omnes commentarios etiam humanarum antiquitatum, paulatim humanum genus exuberaſſe*, &c. Et mox, *Ipſe orbis in promptu eſt cultior in dies & inſtructior priſtino.* Duo hæc argumenta Ariſtotelis ſententiæ, quæ nunquam cœpiſſe vult genus humanum, autoritatem apud hiſtoriarum peritos ademerunt, etiam apud Epicureos. Lucretius 5.

Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
Terrarum & cœli, ſempérque æterna fuere,
Cur ſupra bellum Trojanum & funera Trojæ
Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?
Quà tot facta virûm toties cecidere: nec uſquam
Æternis famæ monumentis inſita florent?
Verùm, ut opinor, habet novitatem ſumma, recénſque
Natura eſt mundi, neque pridem exordia cepit.
Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur,
Nunc etiam augeſcunt, nunc addita navigiis ſunt
Multa, modò organici melicos peperere ſonores;

& quæ ibi ſequuntur plura. Virgilius Eclogâ 6.

——— *ut his exordia primis*
Omnia, & ipſe tener Mundi concreverit orbis.

Idem Georg. 1.

Ut varias uſus meditando extunderet artes,
Paulatim & ſulcis frumenti quæreret herbam,
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.
Tunc alnos primùm fluvii ſenſere cavatas;
Navita cùm ſtellis numeros & nomina fecit,
Pleïadas, Hyadas, clarámque Lycaonis Arctον.
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inventum, & magnos canibus circumdare ſaltus:
Atque alius latum fundâ jam verberat amnem
Alta petens, pelagóque alius trahit humida lina.
Tum ferri rigor atque argutæ lamina ſerræ;
Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum.
Tum variæ venere artes.

Horatius lib. 1. Sat. 3.

Cùm prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus glandem atque cubilia propter
Unguibus & pugnis, dein fuſtibus, atque ità porrò
Pugnabant armis quæ poſt fabricaverat uſus:
Donec verba, quibus voces ſenſúſque notarent,
Nominaque invenere: dehinc abſiſtere bello,
Oppida cœperunt munire, & ponere leges,
Nè quis fur eſſet, neu latro, neu quis adulter.

Plinius lib. 3 Naturalis hiſt. circa initium, *Quare ſio accipi velim, ut ſicubi vidua famâ ſuâ nomina, qualia fuere primordio ante ullas res geſtas, nuncupentur.* Idem *robora Hercynia mundo congenita* dixit lib. 16. Et in pleno cuncto mortalium generi minorem in dies fieri menſuram obſervatum ait lib. 7. Seneca apud Lactantium, *Nondum ſunt mille anni ex quo initia ſapientiæ nota ſunt.* Tacitus Annal. 3. *Vetuſtiſſimi mortalium nullâ adhuc malâ libidine, ſine pretio, ſcelere, eóque ſine pœna aut coercitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cùm honeſta ſuopte ingenio peterentur: & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At poſtquam exuit æqualitas, & pro modeſtia ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, multóſque apud populos æternùm mansere. Quidam ſtatim, aut poſtquam regum pertæſum, leges malurunt. Hæ primò rudibus hominum animis ſimplices erant.* Neque verò non aliis tantùm, ſed nec plenè ſibi ipſi probavit Ariſtoteles illam ſuam, De hominum genere nunquam cœpto eſſe, ἀνάπλασιν. Hæſitanter enim compluribus in locis ea de re loquitur, ut notatum Moſt.

Maimonidæ Ductoris dubitantium parte 2. in præloquio. Libri 2 De cœlo cap. 1. ejus quod ipse hac in re ponit πίστιν *persuasionem* esse dicit, non autem dicit ἀπόδειξιν *demonstrationem*. Est verò ejusdem Philosophi dictum lib. 3 De Anima cap. 3. Δόξη ἕπεται πίστις, *Opinionem sequitur persuasio*. Præcipuum autem ejus argumentum est ex absurdo contrariæ sententiæ: Ea autem ponebat non creatum cœlum & universum, sed generatum, quod est ἀσύστατον. Lib. 12 Metaphysicorum c. 8. verisimile ait eandem artem sæpius inventam corruptámque: libro autem 3. cap. ult. De generatione animantium sic loquitur, Διὸ καὶ ἀεὶ τῆς τῶν ἀνθρώπων καὶ τετραπόδων γενέσεως ὑπολάβοι τις ἄν, εἴ τῳ ἐγίγνετό ποτε γηγενῆς, ὥσπερ φασί τινες, δύο πρότων γενέσις ἢ ἑτέρου· ἢ γὰρ ὡς σκώληκι συνεισαφίσι τὸ πρῶτον, ἢ ὑξ ὠῶν, *Quare & de hominum ac quadrupedum ortu non absurdè quis conjiciat, si olim ex terra editi sunt, id duorum modorum altero evenisse; aut ut vermiculi primùm exsisterent, aut ut ex ovis ederentur.* Utrumque hunc modum cùm explicasset addit, ὅτι μὲν οὖν, εἴ τῳ ἐξ ἀρχῆς τῆς γενέσεως πᾶσι τοῖς ζώοις, ὑπολοιπὸν δυεῖν τούτων ἢ τριῶν ἑτέρων φανείην, *Quare si quod initium exsistendi animalibus fuit, id altero de duobus istis modis contigisse manifestum est.* Idem Aristoteles Topic. 1. cap. 9. Ἔστι δ' εὐβλήματα καὶ ὧν ἀναγκαῖον οὐδὲν οἱ συλλογισμοὶ (ἀπορίαν γὰρ ἔχει, πότερον ἔστιν ἔχει, ἢ οὐκ ἔστιν, διὰ τὸ οὐκ ἀμφοῖν ἢ λόγους πιθανοὺς) καὶ οὗ μὴ λόγον μὴ ἔχοντι, ὄντων μεγάλων, χαλεπὸν οἰόμενοι ἢ τὸ διὰ τί ἀποδοῦναι· ἆρ' πότερον ὁ κόσμος ἀΐδιος, ἢ οὔ. καὶ γὰρ τὰ τοιαῦτα ζητήσει ἄν τις. *Quæstiones sunt de quibus & in alteram partem est ratiocinari: ubi nempe disputari potest res sic se habeat, an aliter, quia in utramque partem argumenta sunt probabilia. Tum etiam de quibus certi aliquid non habemus, quia cùm res ipsa sint graves, causas cur sic vel sic se res habere pro certo habeatur, non invenimus: ut An ab æterno sit Mundus, an non: nam talia solent venire in disputationem.* De eadem re idem differens lib. 1 De cœlo cap. 10. ἅμα δὴ μᾶλλον ἂν εἴη πιστὰ τὰ μέλλοντα λεχθήσεσθαι, περιληφθέντα τὰ νῦν ἀμφισβητούμενα λόγῳ δικαιώματα, *Sic & credibiliora erunt quæ dicentur, si priùs disputantium momenta rectè expenderimus.* Meritò igitur Tatianus, ubi causas adfert cur S. Scripturis credat, etiam hanc non tacuit, τῆς τῶν παλαιῶν ποιήσεως τὸ ἐυκαταλήπτως, *comprehensu facile illud quod tradunt de Universi hujus fabricatione.* Sume de Platone Mundi originem fuisse aliquam; ab Aristotele non esse genitum; & habebis ipsam Judæorum Christianorúmque sententiam.

VIII. Neque ab eo quod diximus dimovere nos debet, quòd mala multa evenire cernimus quorum videtur origo Deo adscribi non posse, ut qui perfectissimè, sicut antè dictum est, bonus sit. Nam cùm diximus, Deum omnium esse causam, addidimus, eorum quæ verè subsistunt. Nihil enim prohibet quominus ipsa quæ subsistunt deinde causæ sint accidentium quorundam, quales sunt actiones. Deus hominem & mentes sublimiores homine creavit cum agendi libertate; quæ agendi libertas vitiosa non est, sed potest suâ vi aliquid vitiosum producere. Et hujus quidem generis malis, quæ Moraliter mala dicuntur, omnino Deum asscribere autorem nefas est. At sunt quæ alio sensu dicuntur mala, quia certæ personæ doloris aut damni adferunt aliquid, quæ à Deo proficiscí, putà ad emendationem hominis, aut etiam in pœnam delicto respondentem, nihil vetat; cùm in eo nihil sit quod bonitati repugnet: imò sæpe hæc ab ipsa bonitate proficiscantur, ficut à bono medico ingratum sapori pharmacum.

IX. Rejicienda autem hîc obiter eorum sententia qui duo principia agentia, alterum bonum, alterum malum, posuerunt. Ex duobus enim pugnantibus inter se destructio sequi potest, ordinata constructio non potest. Neque verò ficut aliquod est per se bonum, ità aliquod esse per se & omni modo malum potest: cùm malum defectus sit quidam, qui esse nequit nisi in re exsistente; ipsum autem exsistere jam boni est aliquid.

X. Dei autem providentiâ regi hoc universum indè apparet, quòd non tantùm homines, quippe intellectu prædíti, sed & aves, feræ, quadrupedes, quibus aliquid est quasi vice intellectûs, curam habent eorum quæ à se producta sunt. Quæ perfectio cùm pars sit bonitatis, à Deo removenda non est, eóque magis, quòd sit ipse & omniscius & omnipotens, ità ut non possit non cognoscere ea quæ aguntur aut agenda sunt, eáque ipse temperare ac dirigere facillimè possit: quò & illud pertinet quod suprà jam diximus de motu rerum contra naturam propriam ob finem universalem.

XI. Multùm autem errare eos qui providentiam hanc cœli orbibus includunt, tum ex ratione jam allata, & ad res omnes conditas vim suam exserente apparet; tum indè etiam, quòd astrorum cursus, ut Philosophorum potissimi agnoscunt & experientia satìs demonstrat, ordinati sint ad usum hominum. Æquum autem est ut magìs curetur id cujus gratiâ est aliud, quàm quod in usum alterius comparatum est.

Neque minùs falluntur qui universalia ab eo curari volunt, non & singularia. Nam si ignorari à Deo singularia volunt, quod quidam profitentur, nè se ipse quidem Deus agnoscet. Neque verò infinita erit scientia, quod jam antè concluſimus, si ad singula non extenditur. Quòd si & illa cognoscit Deus, quidni & curet? præsertim cùm & singula, quà singula sunt, ordinentur ad finem certum, tum peculiarem tum universalem: & ipsa rerum genera, quæ à Deo conservari illi ipsi autores agnoscunt, non subsistant nisi in singulis, ità ut si singula perire possint abdicata à Divina providentia, possint & ipsa genera.

XII. Providentiæ Divinæ circa res hominum non leve argumentum & philosophi & historici agnoscunt in conservatione rerumpublicarum: primùm universim, quòd ubicunque ordo ille regendi parendíque receptus est, manet semper: deinde sæpe etiam specialiter in longa duratione hujus aut illius formæ imperii per multa secula, ut Regii apud Assyrios, Ægyptios, Francos; Optimatum apud Venetos. Quanquam enim humana sapientia aliquid in hoc potest, tamen, si rectè consideretur multitudo malorum hominum, & quæ extrinsecùs nocere possint, & agnatæ quasi rebus vicissitudines, non videtur tam diu imperium aliquod posse subsistere, nisi peculiari quadam Divini numinis curâ, quæ evidentiùs etiam spectatur (a) ubi Deo visum est mutare imperia. Nam quibus ille tum ad eam rem, tanquam sibi destinatam, instrumentis utitur, putà Cyro, Alexandro, Cæsare dictatore, apud Tartaros Cingi, (b) apud Sinenses Namcaa; his omnia, etiam quæ ab humana prudentia non pendent, fluunt suprà votum magìs quàm fert solita casibus humanis varietas: quæ tanta eventuum similitudo, & ad certum finem quasi conspiratio, indicium est providæ directionis. Nam in alea Venerium aliquoties jacere casus esse potest; at centies si quis eundem jaciat, nemo erit qui non hoc ab arte aliqua dicat proficisci.

ANNOTATA.

(a) *Ubi* DEO *visum est mutare imperia*] Lucretius ipse,

Usque adeò res humanas vis abdita quadam
Obterit.

(b) *Apud Sinenses Namcaa*] Suo jure nominari hîc poscit Peruani imperii inchoator Mancacapitus.

XIII. At certissimum Divinæ providentiæ testimonium præbent miracula & prædictiones quæ in historiis exstant. Referuntur quidem multa id genus fabulosa: sed quæ testes sui temporis idoneos habuerunt, i. tales quorum nec judicium nec fides laboret, rejicienda non sunt, quasi omnino talia fieri nõ possint. Nam cùm Deus sit omniscius & omnipotens, quid est cur non possit aut quod scit significare, aut quod vult agere, etiam extra communem naturæ ordinem, quippe à se constitutum, & sibi opificii jure subjectum? Quòd si quis dicat, talia quædam etiam à mentibus Deo inferio-

inferioribus potuisse proficisci, concedi sanè potest; sed hoc ipsum viam struit ut faciliùs de Deo idem credatur: tum verò & quod illæ mentes tale faciunt, Deus aut per ipsas facere, aut sapienter permittere censendus est, cùm in regnis bene constitutis nihil fieri soleat extra communes leges, nisi summi rectoris arbitratu.

XIV. Miracula autem aliqua revera aliquando esse conspecta, etiamsi de aliarum historiarum fide dubitari possit, vel sola Judaica religio facilè evincat, quæ jampridem omnibus humanis auxiliis destituta, imò contemptui ac derisui exposita, per omnes ferme mundi plagas (a) in hunc diem perdurat, cùm (b) religiones aliæ omnes (exceptâ Christianâ, quæ Judaicæ quali perfectio est) aut evanuerint, similatque subducta est ipsis vis atque auctoritas imperantium, ut Paganicæ omnes; aut eâdem imperii vi adhuc perpetuò sustententur, ut Mahumetismus. Quòd si quæratur, quæ sit causa cur Judaica religio in Hebræorum omnium animos tantas egerit radices ut evelli nequeat, nulla poterit alia adferri aut fingi quàm quòd, qui nunc sunt à suis parentibus, ut illi rursum à suis, atque ità porrò, donec ad eos veniatur qui Mosis ac Josuæ ætate vixerunt, certâ ac constanti traditione acceperint ea miracula, quæ tum aliàs, tum maximè in ipso Ægypti exitu atque itinere, & in Cananeæ ingressu, contigerant; quorúmque ipsi illi progenitores eorum testes fuerant. Neque verò credibile est, alioqui fieri potuisse ut ingenii satìs contumacis populus Legem tot ritibus onerosam in se susciperet: aut ut homines sapientes ex multis, quæ reperire humana ratio poterat, notis religionis Circumcisionem eligerent, quæ & (c) suscipi sine dolore gravi nequiret, & (d) ab externis omnibus derideretur, nec quicquam haberet quo se commendare posset extra Deum auctorem.

ANNOTATA.

(a) *In hunc diem perdurat*] Hecatæus de Judæis qui ante Alexandri tempora fuere, Τοιγαροῦν ἐκ κακῶν ἀνόητος ὑπὸ τῶν ἀσυνετέων καὶ τῶν ἐπαφιεμένων πάντων, καὶ θεραπηλακιζόμενοι πολλάκις ὑπὸ τῶν Περσικῶν βασιλέων καὶ Σατραπῶν, ἐ δύνανται μεταπεδῶσαι τῇ διανοίᾳ, ἀλλὰ γεγυμασμένως ἀεὶ τέτων καὶ ἀϊδίως καὶ θανάτοις δηλετοῖς μάλιστα πάντων ἀπαντῶσι, μὴ ἀγνώμονες τὰ πάτρια, *Quare quanquam & maledictis impeti solent à vicinis advenisque, & injuriosè sæpe tractati sunt à Persicis Regibus ac Satrapis, non possunt à sententia deduci, sed pro ea palàm omnes cruciatus savissimásque mortes subeunt, nec adduci possunt ut patria instituta abdicent.* Locum nobis servavit Josephus contra Appionem primo, & ex eodem Hecatæo exemplum addit Alexandri temporum, cùm ad reparandum Beli templum Judæi milites operam suam constanter negarunt. Bene autem libro contra Appionem altero ostendit Josephus hinc apparere firmam Judæorum ab antiquo persuasionem de Deo legum suarum auctore, quòd non, ut cæteri populi, mutare quicquam in illis legibus ausi sunt unquam, nè tunc quidem cùm in exsiliis longinquis sub exterorum Regum imperio omni genere & minarum & blandimentorum tentarentur. Addendum his Taciti illud de proselytis, *Transgressi in morem eorum idem usurpant, nec quicquam prius imbuuntur quàm contemnere deos, exuere patriam, parentes, fratres vilia habere.* Nempe præ Dei lege, quod immeritò culpat homo irreligiosus. Vide & quæ de Judæorum constantia Porphyrius tradidit lib. 2, & 4 De non edendis animalibus, ubi & Antiochi mentio, & inter Judæos speciatim constantiæ Essenorum.

(b) *Religiones aliæ omnes*] Imò & leges etiam illæ laudatissimæ Lycurgi, quod & Josephus notavit & Theodoretus.

(c) *Suscipi sine dolore gravi nequiret*] Μετὰ χαλεπῶν ἀγνοήσων, *cum gravibus doloribus* factum ait Philo.

(d) *Et ab externis omnibus derideretur*] Idem Philo, πρᾶγμα γελώμενον παρὰ πολλοῖς. Hinc Judæi *curti, verpi, recutiti* apud Poetas.

XV. Mosis quoque scriptis, quibus illa miracula memoriæ prodita sunt, fidem maximam conciliat, non tantùm quòd Dei oraculo ipsum commendatum ac populo præfectum perpetua inter Hebræos fama semper constitit; sed & quòd nec suæ gloriæ nec suorum commodis eum studuisse satìs appareat, cùm & peccata sua, quæ dissimulare poterat, ipse tradiderit, & regni sacerdotiique dignitatem aliis assignaverit; suâ posteritate in Levitarum plebem redactâ: quæ omnia satis ostendunt, nihil ei causæ fuisse cur mentiretur: ficut nec fucatâ aut illecebrosâ utitur oratione, qualis mendacio fidem impetrare solet, sed & simplici & conveniente rei ingenio. Accedit indubitata scriptorum Mosis antiquitas, cui nullum aliud scriptum possit contendere: cujus argumentum & hoc est, quòd Græci, unde omnis ad alias gentes fluxit eruditio, (a) literas se aliunde accepisse fatentur, quæ apud ipsos literæ & ordinem & nomen & ductum quoque veterem non alium habent quàm Syriacæ sive Hebraicæ: ficut & (b) antiquissimæ leges Atticæ, unde & Romanæ postea desumptæ sunt, ex legibus Mosis originem ducunt.

ANNOTATA.

(a) *Literas se aliunde accepisse fatentur*] Herodotus Terpsichore, Ἴωνες παραλαβόντες διδαχῇ παρὰ τῶν Φοινίκων τὰ γράμματα, μεταρρυθμίζοντες ὀλίγα, ἐχρέωντο. χρεώμενοι δ' ὑπότισαν, ὥσπερ καὶ τὸ δίκαιον ἔφερε, οἰσαγαγόντων Φοινίκων ἐς τὴν Ἑλλάδα, Φοινικήια κεκλῆσθαι, *Iones cùm à Phœnicibus literas didicissent, usi eis sunt cum immutatione quadam. Et cum usu effecere ut litera illa, quòd eas Phœnices in Græciam attulissent, Phœnicia dicerentur.* Timon dixit,

—— Φοινικικὰ σήματα Κάδμου,
—— *Cadmi Phœnicica signa.*

Callimachus,

Κάδμος, ἀφ' ἧς γραπτὰς Ἕλλας ἔχει σελίδας,
Cadmus, ab hoc scriptos Græcia nacta libros.

Literas Phœniciças sive *Punicas* dixit & Plutarchus Sympos. lib. 9. Probl. 3. ubi & Alpha linguâ Phœnicum ait significare *bovem*, quod verissimum. Eupolemus libro De Judææ Regibus ait, Τὸν Μωσῆ πρῶτον σοφὸν γενέσθαι καὶ γραμματικὰ πρῶτον τοῖς Ἰουδαίοις ἐξευρεῖν, καὶ παρ' Ἰουδαίων Φοινικὰς παραλαβεῖν, *Mosem primum fuisse sapientem, atque ab eo datam literaturam Judæis, qua ab Judæis ad Phœnicas pervenerit.* Nimirum lingua vetus eadem Judæis quæ Phœnicibus, aut certè paululùm diversa. Lucianus, Ὅ δ' φωνάς τινας ἀσήμους φθεγξάμενος, οἷα λέγουσιν ἂν Ἑβραῖοι ἢ Φοίνικες, *Loquebatur is verba quædam ignota, qualia sint Hebraica aut Phœnicia.* Chœrilus in versibus de Solymis quos ad lacum habitasse dicit, Asphaltiten puto,

Γλῶσσαν μὲν Φοινίσσαν ἀπὸ στομάτων ἀφίεντες,
His verò ore suo Phœnicia verba sonabant.

Vides scenam Punicam Plauti, ubi quæ posita sunt linguâ Punicâ bis habes, ex duplici scriptura, deinde interpretationem Latinam, unde corrupta facilè corrigas. Sicut autem lingua Phœnicibus eadem & Hebræis, ità & literæ Hebræorum vetustissimæ eædem quæ Phœnicum. Vide hac de re viros magnos, Josephum Scaligerum in Diatriba ad annum Eusebii CIↃ IↃC XVII. & Gerardum Vossium Grammatices lib. 1. cap. 10. Adde, si placet, Clementem Alexandrinum Strom. lib. 1, & Eusebium Præp. Euang. lib. 10. cap. 5.

(b) *Antiquissimæ leges Atticæ*] Exemplum habes illustre in fure nocturno, qua de re egimus lib. 2 De Jure belli cap. 1. sect. 12. Alterum in lege illa quam Sopater recitat, τῇ ἁπλῇ ἐπιδικάζειν ὁ ἀγχιστεύς, quam Terentius sic exponit,

Lex est, ut orba qui sint genere proximi
Iis nubant, & illos ducere eadem hac lex jubet.

Donatus autem ad eum locum sic, *Orba proximo nubat: orbam proximus ducat, lex Attica est.* Sumpta nimirum ex lege Mosis Numerorum ultimo: qua de re alibi pleniùs agendi erit locus. Multa alia reperiet si cui cura fuerit

erit quærere. Ut Ὀχοφόρια ex Festo Tabernaculorum. Legem nè pontifex nisi virginem & civem ducat. Ut post sorores ad successionem vocentur agnati.

XVI. Accedunt ad hæc non paucorum alienorum à Judaica religione testimonia, quæ ostendunt, vetustissimam apud omnes gentes famam ità habuisse ut Mosis scripta prædicant. Nam quæ ille de mundi origine scripta reliquit, eadem ferme erant & (a) in antiquissimis Phœnicum historiis, quas à Sanchuniathone collectas vertit Philo Biblius: (b) partim & apud Indos (c) & Ægyptios; (d) unde apud Linum, (e) Hesiodum, & Græcorum plures Chaos ab aliis Ovi nomine significatum, & animantium, ac postremò hominis, & quidem ad Divinam effigiem exstructio; & in animantia cætera dominium homini datum: quæ passim apud plurimos scriptores, (f) ac postremò apud Ovidium, qui ex Græcis ista transcripsit, invenias. Verbo Dei facta omnia, (g) etiam Epicharmo & Platonicis proditur, & ante eos scriptori antiquissimo, non illorum hymnorum quos nos sub eo nomine habemus, (h) sed eorum carminum quæ vetustas ORPHICA appellavit, non quòd Orphei essent, sed quòd ab eo tradita continerent. Solem non esse lucem primigeniam, sed lucis receptaculum, Δόχημα καὶ ὄχημα τῦ πυρός, ut veterum Christianorum quidam loquitur, (i) agnovit & Empedocles: (k) supra astrorum loca Divinum esse domicilium, Aratus (l) & Catullus: in eo lucem perpetuam Homerus. Antiquissimum rerum esse Deum, quippe non genitum; pulcerrimum mundum, quippe Dei opus; tenebras luce priores (m) ex veteri disciplina docuit Thales: quorum postremum (n) etiam apud Orphicos (o) & Hesiodum est; atque indè (p) antiqui moris retinentissimæ gentes tempora per noctes numerabant. (q) A suprema mente ordinata omnia, Anaxagoras; (r) sidera à Deo facta, Aratus; (s) spiritu Dei infusam rebus vitam, post Græcos Virgilius; (t) hominem ex luto formatum, Hesiodus, (u) Homerus, (x) Callimachus; denique unum esse summum Deum, rerum omnium causam, consensu gentium traditum asseverat (y) Maximus Tyrius. Et intra septem dies peracti operis memoria servata non apud Græcos tantùm & Italos honore diei septimi, quod (z) ex Josepho, (a 2) Philone, (b 2) Tibullo, (c 2) Clemente Alexandrino & (d 2) Luciano discimus, (nam de Hebræis notissimum est) sed & (e 2) apud Celtas & Indos, quibus omnibus per hebdomadas digesta tempora; quod nos docent (f 2) Philostratus, (g 2) Dion Cassius, Justinus Martyr, (h 2) & vetustissima dierum nomina. Primam hominis vitam (i 2) cum simplicitate fuisse, (k 2) & nudo corpore, docebant & Ægyptii; unde aurea Poetarum ætas, (l 2) etiam Indis celebrata, ut apud Strabonem est. (m 2) Adami, Evæ, arboris, serpentis historiam apud Indos idololatras suo tempore exstitisse (n 2) notavit Maimonides, eandémque apud Peguenses & Calaminsamenses paganos ejusdem Indiæ populos repertam, apud Brachmanas Adami quoque nomen, apud Siamenses ab orbe condito (o 2) ad sex annorum millia putari, (p 2) nostri quoque seculi testes perhibent. Eorum qui primos homines secuti sunt, vitam ad mille ferme annos durasse, (q 2) Berosus in Chaldaicis, Manethos in Ægyptiacis, Hiromus in Phœniciis, Hestiæus, Hecateus, Hellanicus in Græcis prodiderunt; & inter poetas Hesiodus; quod eò minùs incredibile, quando & (r 2) majora multò olim fuisse hominum corpora nudatis sepulcris compertum plurimarum gentium historiæ prodiderunt. Ac nominatim Græcorum (s 2) Pausanias & (t 2) Philostratus, Romanorum (u 2) Plinius. Sicut & visa Divinitus obtigisse hominibus, antequam frequentia & magnitudo delictorum Deum (x 2) & famulantes ei mentes ab hominum familiari commercio quasi secluderent, (y 2) post Græcos plurimos refert Catullus. Gigantum ferina vita, cujus Moses meminit, ubique ferme (z 2) apud Græcos & (a 3) Latinos quosdam legitur. De Diluvio notandum, in ejus historiam ferme omnium gentium memoriam desinere, etiam earum quas diu incognitas parentum nostrorum ætas nostræ notitiæ tradidit: unde & (b 3) Varroni omne id tempus Ignotum vocabatur. Sed quæ à Poetis fabularum licentiâ involuta legimus, ea ex vero, i. Mosi convenienter, vetustissimi scriptores tradiderant, (c 3) Chaldæorum Berosus, (d 3) Assyriorum Abydenus, (e 3) qui & columbæ emissæ meminit, ut & ex Græcis Plutarchus, & (f 3) Lucianus, qui apud Hierapolim Syriæ vetustissimam ait exstitisse historiam & de Arca, & de servatis per eam non hominibus modò selectis, sed & de animantibus cæteris. (g 3) Apud Molonem quoque (h 3) & Nicolaum Damascenum historia eadem exstabat: quorum hic Arcæ quoque nomen habebat, quod & in Deucalionis historia apud Apollodorum reperitur. (i 3) Sed & in Americæ partibus, Cuba, Mechoacana, Nicaraga, Diluvii, animalium servatorum, quin & corvi & columbæ servatam memoriam, Diluvii ipsius etiam in ea parte quæ nunc Castella aurifera vocatur, Hispani complures testantur. Quâ parte terrarum homines ante Diluvium egerint, vel illud loquitur, (k 3) quod Plinio notatum est Joppen ante Diluvium conditam. Locus in quo post Diluvium subsedit Arca (l 3) in montibus Gordiæis ab omni ævo (m 3) in hunc diem Armeniorum constante memoriâ monstratur. (n 3) Iapetus Europæorum genitor, & indè Ion, aut, ut olim eloquebantur, (o 3) Javon Græcorum, Afrorum verò (p 3) Hammo, nomina sunt, quæ apud Mosem quoque apparent, sicut & cæterorum vestigia in gentium locorúmque vocabulis (q 3) Josephus & alii (r 3) observant. Jam verò (s 3) affectati in cœlum itineris quis non Poetarum meminit? (t 3) Sodomorum incendium est apud Diodorum Siculum, Strabonem, (u 3) Tacitum, (x 3) Plinium, (y 3) Solinum. (z 3) Circumcisionis vetustissimo mori testimonium præbuerunt Herodotus, (a 4) Diodorus, (b 4) Strabo, (c 4) Philo Biblius: præbent etiam nunc (d 4) ortæ ab Abrahamo gentes, non Hebræi tantùm, sed (e 4) Idumæi, (f 4) Ismaelitæ, (g 4) & alii. Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi historia Mosi consonans (h 4) exstabat olim apud Philonem Biblium ex Sanchuniathone, (i 4) apud Berosum, (k 4) Hecatæum, (l 4) Damascenum, (m 4) Artapanum, Eupolemum, Demetrium, partim & (n 4) apud vetustissimum Orphicorum scriptorem: exstat & nunc aliquid (o 4) apud Justinum ex Trogo Pompeio. (p 4) Apud eosdem ferme omnes exstat & Mosis actorúmque ipsius memoria. (q 4) Nam & aquâ extractum, & duas à Deo tabulas ei datas, Orphica carmina disertè memorant. His (r 4) adde Polemonem, (s 4) & de exitu ex Ægypto non pauca ex Ægyptiis, Manethone, Lysimacho, Chæremone. Neque verò cuiquam prudenti credibile fiet Mosem, (t 4) qui non Ægyptios tantùm hostes habebat, sed & plurimas gentes alias, (u 4) Idumæos, (x 4) Arabas, (y 4) Phœnicas, vel de Mundi ortu & rebus antiquissimis ea ausum palàm prodere quæ aut aliis scriptis prioribus revinci possent, aut pugnantem sibi haberent persuasionem veterem atque communem; vel de sui temporis rebus ea prædicasse quæ viventium multorum testimoniis possent refelli. Meminerunt Mosis & (z 4) Diodorus Siculus, & (a 5) Strabo, (b 5) & Plinius, (c 5) Tacitus quoque, (d 5) & post eos Dionysius Longinus De sermonis sublimitate: Jamnis autem & Mambris, qui in Ægypto Mosi restiterunt, (e 5) præter Talmudicos (f 5) Plinius & (g 5) Apuleius. Legis ipsius per Mosem datæ ac rituum, (h 5) tum alibi nonnulla exstant, (i 5) tum apud Pythagoricos plurima. (k 5) Veteribus Judæis insigne & religionis & justitiæ testimonium perhibent & Strabo & ex Trogo Justinus: ità ut jam quæ de Josua aliísque aut reperiuntur, aut reperta olim sunt Hebræorum libris consentientia, adferre nè opus quidem sit, cùm qui Mosi fidem habeat, quæ, nisi inverecundè admodum, negari ei non potest, is omnino crediturus sit eximia olim prodigia à Deo edita, quod hîc præcipuè spectamus. Posteriorum verò temporum miracula, putà (l 5) Eliæ, Elisæi & aliorum, eò minùs conficta censeri debent, quòd illis

temporibus

temporibus & innotuiſſet jam magis Judæa, & ob diverſitatem religionis in magno eſſet odio vicinorum, quibus facillimum fuiſſet refellere naſcentem mendacii famam. Jonæ hiſtoria qui triduo intra cetum fuerit (m 5) eſt apud Lycophronem, & Æneam Hazoum, niſi quòd ſubjectum eſt nomen Herculis, in cujus claritatem referri ſolitum quicquid ubique magnificum eſſet (n 5) notatum Tacito. Certè Julianum, Judæorum non minùs quàm Chriſtianorum hoſtem, hiſtoriæ evidentia coegit fateri, & (o 5) viros Divino ſpiritu afflatos vixiſſe inter Judæos, & (p 5) ad Moſis atque Eliæ ſacrificia ignem cœlitus delapſum. Ac ſanè notandum in hac parte eſt, non modò (q 5) ſupplicia gravia apud Hebræos conſtituta fuiſſe in eos qui Prophetiæ munus falsò ſibi arrogarent, ſed (r 5) plurimos reges, qui autoritatem ſibi eo modo conciliare poterant, plurimos viros eruditiſſimos, (ſ 5) qualis Eſdras atque alii, nunquam auſos eum ſibi honorem arrogare, (t 5) nec aliquot ſeculis quenquam ante Jeſu tempora. Multò verò minùs imponi populo tot millium potuit in aſſeveratione prodigii quaſi perpetui ac publici, i. (u 5) oraculi ejus quod ex pectorali ſummi Pontificis effulgebat: quod duraſſe ad excidium uſque Templi primi tam firmè à Judæis omnibus ſemper creditum eſt, ut neceſſe omnino ſit eorum majores id habuiſſe compertiſſimum.

ANNOTATA.

(a) *In antiquiſſimis Phœnicum hiſtoriis, quas à Sanchuniathone collectas vertit Philo Biblius*] Indè hæc nobis ſervavit Euſebius lib. 1 Præpar. cap. 10. Φοινίκων θεολογία τὴν πᾶσ' ὅλων ἀρχὴν ὑποτιθεται ἀέρα ζοφώδη καὶ πνοὴν ἀέρος ζοώδους, καὶ χάος θολερὸν, ἐρεβῶδες· ταῦτα δὲ ἀπειρα καὶ διὰ πολὺν αἰῶνα μὴ ἔχειν πέρας. ὅτι δὲ, φασὶν, ἠράσθη τὸ πνεῦμα τῶν ἰδίων ἀρχῶν καὶ ἐγένετο σύγκρασις, ἡ πλοκὴ ἐκλήθη πόθος· αὕτη δὲ ἀρχὴ κτίσεως ἀπάντων. αὐτὸ δὲ οὐκ ἐγίνωσκε τὴν ἰδίαν κτίσιν. καὶ ἐκ τῆ αὐτῆ συμπλοκῆς τῷ πνεύματος ἐγένετο Μώτ. τοῦτο πάντες φασιν ἰλὺν· οἱ δὲ ὑδαλώδους μίξεως σῆψιν· καὶ ἐκ ταύτης ἐγένετο πᾶσα σπορὰ κτίσεως καὶ γένεσις ὅλων, *Phœnicum Theologia principium hujus univerſi ponit aerem tenebroſum & ſpiritalem, ſive ſpiritum aeris tenebroſi, & chaos turbidum ac caligine involutum: Hæc porrò infinita fuiſſe, multóq; tempore ignara termini. At ubi ſpiritus amore principiorum ſuorum tactus eſt, factáque eſt indè mixtio, huic nexui nomen factum Cupidinis. Tale fuit initium procreationis rerum omnium. At ſpiritus generationem ſui nullam agnoſcebat. Ex connexione autem ejus ſpiritûs prodiit Mot. Hoc limum nonnulli, alii aquoſæ mixtionis putredinem eſſe volunt. Et hinc factum eſt ſeminium omnis creaturæ & omnium rerum generatio.* In Moſe habes ſtatim *tenebras*, habes & *ſpiritum*. *Amoris* ſignificatio eſt in voce מרחפת. Plutarchus Sympoſ. 8. Probl. 1. Platonem explicans, Deum ait Mundi eſſe Patrem, non emiſſione ſeminis, ſed aliâ quadam vi genitabili materiæ inſertâ, quod iſto ſimili illuſtrat,

Πλήθουσι γὰρ τοι καὶ ἀνέμων θέλξασαι
Θήλειαι ὄρνιν,
Namque & volucrem feminam perflans ſolet
Implere ventus.

Μὼτ verò מות, unde Græcum μόθος, eſt תהום ἄλυσος jam commota. Eſt enim ἄλυσος nihil aliud quàm ingens ἰλὺς Ennio, ſi rectè ſenſum ejus accipio,

Corpore Tartarino prognata Paluda virago.

Is limus diſceſſit deinde in tellurem ac mare. Apollonius Argonaut. 4.

—— ἐξ ἰλὺς ἐκλάσσατο
χθὼν αὐτὴ, ——
—— *edita limo*
Terra fuit.

Ubi Scholiaſtes, Ζήνων τὸ παρ' Ἡσιόδῳ χάος ὕδωρ εἶναι φησιν, ἐξ οὗ τὰ πάντα γίνεσθαι, οὗ συμπήξαντος ἰλὺν γενέσθαι, ἣς πηγνυμένης ἡ γῆ στερεμνιῶσθαι, *Zeno Chaos illud apud Heſiodum aquam eſſe dicebat, unde fiunt omnia, eâ ſubſidente factum limum, limo concreto terram ſolidatam.* Nota autem Zenonem hunc fuiſſe è Phœnicibus quorum colonia Cittium, unde omnes tranſmarini כתים Hebræis. Non abit hinc Virgilius Eclogâ 6.

Tum durare ſolum & diſcludere Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas.

Numenius citatus à Porphyrio De Nympharum antro ait, τὸν προφήτην ἐμφέρεσθαι ἐνθέως ὑπὸ τοῦ ὑδατος τοῦ θείου πνεῦμα, *Dixiſſe Prophetam* (Moſem ſcilicet) *Dei ſpiritum ſupervectatum* (eâ voce Tertullianus utitur de Baptiſmo) *aquis.* Quia verò vox מרחפת propriè *incubitum columbæ ſuper ovo* ſignificat, ideo in iſto limo animantia, i. fidera, ut in ovo fuiſſe, ſequitur apud Sanchuniathonem; & hinc ſpiritus ille *columba* dictus nomine, cujus columbæ ſimilitudine etiam vocem illam מרחפת explicat Rabbi Solomo. Nigidius apud Scholiaſtem Germanici, *Ibi ovum inveniſſe mira magnitudinis, quod volventes ejecerunt in terram, atque ità columbam inſediſſe, & poſt aliquot dies excluſiſſe eam Syria quæ vocatur Venus.* Lucius Ampelius libro ad Macrinum, *Dicitur & in Euphratis fluvio ovum piſcis columba adſediſſe dies plurimos, & excluſiſſe Deam benignam & miſericordem hominibus ad bonam vitam.* Ovum Mundi ſimulacrum Macrobio Saturnal. lib. 7. cap. 16. ἀρχὴ γένεσεως *initium genituræ* in Orphicis, memorante Plutarcho Sympoſ. 2. cap. 3. & Athenagora. Hinc *Ovorum progenies Dii Syri* apud Arnobium: *Dii, aſtra.* Sequitur enim in Phœnicum Theologia, καὶ ἐξέλαμψε Μὼτ, ἥλιός τε καὶ σελήνη, ἀστέρες τε καὶ ἄστρα μεγάλα, *Luce illuſtratum eſt limus, & Sol, Luna & ſtellæ & aſtra magna.* Vides hîc ut apud Moſem lucem Sole priorem. Quod autem mox dicit Moſes ארץ, ubi planè ab aquis ſicca exſtitit, appellatam יבשה, id Pherecydes Syris uſus magiſtris (ut & alii nos docent, & primo contra Appionem Joſephus) ſic extulit, χθονίη δ' ὄνομα ἐγένετο γῆ, ἐπειδὴ Ζεὺς αὐτῇ γάμες ἐτέλεσε, *Chthonia nomen telluris accepit, poſtquam Deus ei honorem attribuit.* Exſtat locus apud Diogenem Laertium & alios. Anaximander verò mare dixit τὸ πρώτης ὑγρασίας λείψανον, *id quod reſtitit de primo illo madore rerum.* Confuſas autem res fuiſſe, qua de re Moſis verba habes apud Chalcidium Timæi explicatione, antequam diſcernerentur, etiam Linus didicit docuitque,

Ἦν τοτὲ τοι χρόνος οὗτος, ὃν οὔ ἅμα πάντ' ἐπέφυκεν,
Tempore primævo ſimul omnia mixta fuerunt.

Anaxagoras, Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ πεφυρμένα· ὁ νοῦς δὲ αὐτὰ διέταξε καὶ διεκόσμησε, καὶ ἐκ τῆς ἀταξίας εἰς τάξιν ἤγαγε, *Cuncta ſimul erant: at Mens ea diſcrevit ornavítque, & qua confuſa erant ordinavit.* Atque ob id ipſi Anaxagoræ *Mentis* inditum nomen, indicante id Timone Phliaſio,

Καὶ τοῦ' Ἀναξαγόρην φασ' ἔμμεναι ἄλκιμον Ἥρω,
Νοῦν· ὅτι ῥὰ Νόος αὐτῷ, ὃς ἐξαπίνης ἀναγώγα
Πάντα συνεσφήκωσεν ὁμοῦ τάλαγμένα πρίν,
Atque ubi Anaxagoram dicunt Heroa morari
Egregium, Mentem: nam Mens illi eſſe putatur
Quæ turbata priùs ſubitò digeſſit in unum.

A Phœnicibus hæc omnia, quorum vetuſtiſſima cum Græcis commercia. Linum à Phœnice veniſſe tradunt veteres. Sic & Orpheus ſua à Phœnicibus hauſit, cujus hoc eſt apud Athenagoram, ἐκ τοῦ ὑδατος ἰλὺς καλέσῃ, *ex aqua factus eſt limus.* Deinde Ovi ingentis facit mentionem quod in duas partes diſſilierit, cœlum & terram. Ex eodem Orpheo citat Timotheus Chronographus, Ἦν χάος νὺξ ζοφερὰ, πάντα δὲ ἐκάλυπτε τὰ ὑπὸ τὸν αἰθέρα, *Erat chaos & nox tenebroſa omnia occultans quæ ſub æthere.* Ἡ γῆ ὑπὸ τοῦ σκότους ἦν ἀόρατος· τὸ δὲ φῶς ῥήξαν τὸν αἰθέρα ἐφώτισε πᾶσαν τὴν κτίσιν, *Terra pra tenebris erat inconſpicua: ſed lux æthera perrumpens illuminavit omnem creaturam.* Vide locum apud Scaligerum initio libri 1 Græcorum Chronicorum Euſebii. In ſequentibus Sanchuniathonis nox dicitur βάαυ· id omnino eſt בהו Moſis. Ventus autem qui ibi dicitur κολπία eſt קל־יהוה *vox Dei.*

(b) *Partim & apud Indos*] Eorum ſententiam ſic Megaſthenes exprimit apud Strabonem lib. 15. Περὶ πολλῶν ἢ τοῖς Ἕλλησιν ὁμοδοξεῖν· ὅτι γὸ γενητὸς ὁ κόσμος καὶ φθαρτὸς λέγειν καί κτίστης, καὶ ὅτι σφαιροειδής· ὁ, τε διοικῶν αὐτὸν καὶ ποιῶν θεὸς δι' ὅλου διαπεφοίτηκεν· ἀυτῦ ἀρχὰς ἢ τὸν συμπάντων ἑτέρας, τε ἢ κοσμοποιίας τὸ ὕδωρ. *De multis eos cum Græcis ſentire: ut quòd Mundus & ortus ſit & interiturus; quòd eum opifex ejus & gubernator Deus univerſum pervadat; univerſarum rerum diverſa eſſe primordia, Mundi autem facti aquam.* Ipſius verò Megaſthenis hæc verba è tertio Indicorum nobis Clemens deprompſit Strom. 1. Ἁπαντα μέν τοι τὰ θεῖ φύσεως εἰρημένα παρὰ τοῖς ἀρχαίοις, λέγε καὶ παρὰ τοῖς ἐξω τε Ἑλλάδος φιλοσοφῦσι· τὰ μὲν παρ' Ἰνδοῖς ὑπὸ τῶν Βραχμάνων, τὰ ἢ ὲν τῇ Συρίᾳ ὑπὸ τῶν καλυμένων Ἰουδαίων, *Omnia quæ antiquitus de rerum natura dicta ſunt, etiam apud eos tradita fuere qui extra Græciam ſunt philoſophati; quales apud Indos Brachmanes, in Syria verò hi qui dicuntur Judæi.*

(c) *Et Ægyptios*] De quibus Laertius in Proœmio, Ἀρχὼ εἶ τὴν ὕλην, εἶτα τὰ τέτταρα στοιχεῖα ἐξ αὐτῆς διακεκριθῆναι, καὶ ζῶά τινα ὑποτελεσθῆναι, *Principium eſſe molem confuſam: ex hac diſcreta elementa quatuor, & animalia perfecta.* Poſtea verò τὸν κόσμον γενητὸν καὶ φθαρτὸν, *Mundum ut ortum, ità interiturum.* Diodorus Siculus eorũ ſententiam ſic explicat, Κατὰ γὸ τὸν ἐξ ἀρχῆς χρόνον ὅλον σύστασιν μίαν ἔχειν ἰδίαν ὑρανόν τε καὶ γῆν μιμημένης αὐτῶν τε φύσεως· μῦ ἢ ταῦτα διακεκρίσθαι τε σωμάτων ἀπ' ἀλλήλων, τε μὲ κόσμον ὑπολαβεῖν ἅπασαν τὴν ὑρωμένην ὑπ' αὐτῷ συντάξιν, τε ἢ ἀέρα κινήσεως τυχεῖν συνεχῆς. Καὶ τὸ μὲ πυρῶδες αὐτῦ θεὸς τὸν μετεωρότατος τόπους συνδραμεῖν, ἀναφερῆς ὕσης τῆς τοιαύτης φύσεως διὰ τε κυφότητα· ἀφ' ἧς αἰτίας, τε μὲ ἥλιον καὶ τὸ λοιπὸν πλῆθος τῶν ἄστρων ὁναπολυθῆναι τῇ πάσῃ δίνῃ. τὸ ἢ ἰλυῶδες καὶ θολερὸν μῦ τε τῶν ὑγρῶν συκείσεως δεῖ ταυτὸ κατασῆναι, διὰ τὸ βάρος· ἰλύμενον δ' ὲν ἑαυτῷ, καὶ συςρεφόμενον συνεχῶς, ὲκ μὲ τῶν ὑγρῶν τε θάλατταν, ὲν ἢ τῶν τερεμνιωτέρων ποιῆσαι τε γῆν πηλόδη καὶ παντελῶς ἁπαλὴν. ταύτην ἢ τὸ μὲν πρῶτον τε θεῖ τε ἥλιον πυρὸς καταλάμψαντος πῆξιν λαβεῖν· ἔπειτα διὰ τε θερμασίαν ἀναζυμμένης τε ὑπαρνείας, συνοιδῆσαί τινα τῶν ὑγρῶν χρ πολλὰς τόπους, καὶ γενέσ θεῖ αὐτὰ σπειδόνας ὑμέσι λεπτοῖς θεσχομένας· ὅθεν ὅτιν ὲν τοῖς ἕλεσι καὶ τοῖς λιμνάζυσι τῶν τόπων ἔτι, καὶ νῦν ὁρᾶσ γινόμενον· ὑποπιπτόντος τε χάρας καὶ ψυχομένης ἄρτι διαπνεῖ τε ὁ ἀὴρ γόνιμα, μὴ λαβὼν τε μεταβολὴν ὲκ τε καὶ ὀλίγον. ζωογονημένων ἢ τῶν ὑγρῶν διὰ τῆς θερμασίας τε εἰρημένου τρόπου, τὰς μὲν νύκτας λαμβάνειν αὐτίκα τὴν τροφὴν ὲκ τῆς περιθέσης ἀπὸ τῦ θερίχυ ὁμίχλης, τὰς δ' ἡμέρας ὑπὸ τῦ καύματ σεριεῖσ. τὸ δ' ἔσχατον τῶν κυοφορημένων τε τελείαν αὔξησιν λαβόντων, καὶ τῶν ὑμένων διακαυθέντων τε καὶ θερραγέντων, ἀναφῦναι καὶ φανῆναι παντοδαπὲς τύπους ζώων. τότων ἢ τὰ μὲν πλάσης θερμασίας κεκοινωνηκότα θεῖς τὲς μετεώρες τόπους ἀπελθεῖν, ἡμόνα πλανᾶ· τὰ ἢ γεώδης ἀν δεχόμενα συκείσεως ὲν τῇ τῶν ἑρπετῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ὁπηνίων τάξει καταειθμηθῆναι· τὰ ἢ φύσεως ὑγρᾶς μᾶλλα μετφληφότα θεῖς τε ὁμοχθῆ τόπον συνδραμεῖν ὀνομαδέντα πλωτά. τε ἢ γῆ ἀεὶ μᾶλλον στερεμένη ὑπό τε τῦ θεῖ τε ἥλιον πυρὸς καὶ τῶν πνευμάτων, τὸ τελευταῖον μηκέτι δυνάδαι μηδὲν τῶν μειζόνων ζωογονεῖν, ἀλλ' ὲκ τε θεῖς ἄλληλα μίξεως ἔκασα ἡμυνᾶδαι τῶν ὲμψύχων. ἔοικε ἢ θεῖ τε τῶν ὅλων φύσεως ὑπ' Ἐυριπίδης διαφωνῶν τοῖς περιημένοις, μαθητὴς ὢν Ἀναξαγόρε τῦ φυσικῦ· ὲν γὸ τῇ Μελανίππῃ τίθησιν ὕτως,

Ὡς ὲχνὸς τε γαῖα τ' ἦν μορφὴ μία·
Ἐπεὶ δ' ἐχωρίσθησαν ἄλληλων δίχα,
Τίκλυσι πάντα κἀξέδωκαν εἰς φάος,
Δένδρη, πετεινὰ, θῆρες, ὅς τ' ἅλμη τρέφει,
Γένος τε θνητῶν.

Καὶ θεῖ μὲν τε πρώτης τῶν ὅλων γενέσεως τοιαῦτα παρειλήφαμεν. τῦ ἢ ἐξ ἀρχῆς ζωογονεῖν τε γῆν εἰ καὶ παράδοξον εἶναί τισι φάνε τε τότε ὑπεργάσαι, φασὶ καὶ τὰ μέχρι νῦν γινόμενα παρ' ἑαυτοῖς. χρ γὸ τε Θηβαΐδα τῆς Αἰγύπτ, καθ' ὃς ἂν καιρὸς πλεονάσῃ τε ἀναβάσιν ὁ Νεῖλ, καὶ τῆς μὲν γῆς διὰ τῦτο καθύγρε γινομένης, τῆς ἢ θεῖ τε ἥλιον θερμασίας ἄρτι περιτεσύσης, καὶ διὰ τῦτο χρ πολλὰς τόπους τῆς ὑπαρνείας σύψεως γινομένης, πλῆθος μυῶν ὲκ γῆς ἀναειθμήτον γενᾶς. ὑπὸ τ' ὢν τῆς γῆς σκληρᾶς γεγενημένης καὶ τῦ θερίχυ ἀέρος ὑκέτι διαπνῦντ ἐξ ἀρχῆς ἐυταξίαν καὶ ἐυκρασίαν φυᾶς ζῶα, φανερὸν εἶ λέγουσι, διότι χρ τε ἐξ ἀρχῆς, μὴ ὅλων γίνεσθαι ὲκ τῆς γῆς συνέβαινε ζωογονεῖσθαι παντοίας φύσεις ἐμψύχων, *Cùm primùm res univerſa exſiſtere cœpere, unitus vultûs fuiſſe cœlum ac terram, permixtâ eorum naturâ. Poſteaquam diſceſſiſſent à ſe iſta corpora, Mundo contigiſſe eum quem nunc videmus ordinem, aerem autem perpetui motûs factum compotem. Huſus quod maximè erat igneum ad ſublimia loca vectum, quippe cùm ſurſum tendat ob levitatem talis naturæ: eadémque de cauſa Solem & cæteram ſiderum multitudinem manſiſſe in perenni vertigine: quod verò cœnoſum ac turbidum, cum humida concretione unoſubſedisse in loco vi gravitatis. Sed hoc quoque cùm volutaretur in ſe verſaretúrque continuò, ex humidis mare, ex ſolidioribus edidiſſe terram, ſed lutoſam mollémque valde. Hanc verò, ut primùm qui Soli adeſt ignis collucere cœpit, coaluiſſe: tum verò cùm fermentaretur ſumma facies, intumuiſſe pluribus in locis humentia, inque iis putredines exſtitiſſe tenuibus pellicùlis circumdatas. Quod etiam nunc in ſtagnis locíſque uliginoſis fieri conſpicitur, ubi poſt refrigeratum ſolum ſubitò incaleſcit aer, non autem paulatim immutatur. Cúmque ad eum modum ex calore fœta impleta eſſent quæ madebant, iis fœtibus advenisſe alimentum noctibus ex circumfuſa nebula, diebus verò eos ab æſtu ſolidatos. Poſtremò cùm ad ſui plenitudinem veniſſent ii fœtus, peruſtáque atque ità rupta eſſent membranarum involucra, enatas apparuiſſe omnimodas animantium formas. Horum alia plurimum ſortita caloris ad loca ſupera abiiſſe, facta volucria. At quæ terreſtri craſſitie eſſent prædita, ea in reptilium & aliorum humi viventium poſita claſſe. At quæ de humente natura traherent plurimum, ea quoque ad locum perlata cognatum ſibi, dicíque Natamia. At tellurem, cùm & ab æſtu Solis & à ventis magìs magíſque indurviſſet, ad poſtremum non ſuffeciſſe gignendis majoribus animantium, ſed ea ex mutuo cœtu cœpiſſe gigni. Videtur ab his quæ dicta ſunt nec Euripides diſſentire, qui Anaxagoræ phyſici diſcipulus fuit. Nam is in Melanippe ſic loquitur,*

Figuram una fuerit & cœli & ſoli:
Secreta quæ mox ut receperunt ſtatum,
Cuncta ediderunt hæc in horas luminis,
Feras, volucres, arbores, pontigregem,
Homines quoque ipſos.

De prima igitur rerum origine talia ſunt quæ accepimus. Quòd ſi cui mira videatur illa vis terræ in producendis initio animantibus, adferunt ei rei ab iis quæ adhuc fiunt argumenta. Nam in Thebaide Ægypti, quo tempore maximè exundat Nilus, atque indè humectatâ tellure ſubitò Solis calor ſupervenit, atque ex eo multis in locis in facie terræ putredo facta eſt, gigni murium vim incredibilem. Cùm ergò ex terra jam indurata & aere non jam illam primam ſervante temperiem modúmque, tamen aliqua naſcantur animalia, indè manifeſtum aiunt, rerum initio ex terra omnia edita eſſe genera animantium. Hìc ſi addas Deum opificem, qui *Mens* dicitur Anaxagoræ, videbis multa cum Moſe & Phœnicum traditione congruentia, permixtum cœlum & terram, motum aeris, limum ſive abyſſum, lucem, deinde ſidera, diſceſſionem cœli, maris, terræ: deinde volucres, reptilia, piſces, aliaque poſtremò animantia, etiam hominem. Ex Ægyptiis hæc habet Macrobius Saturnal. 7. c. 16. *Si concedamus, ut ab adverſa parte dictum eſt, hac quæ ſunt ex tempore aliquod ſumpſiſſe principium, natura primùm ſingula animalia perfecta formavit. Deinde perpetuam legem dedit, ut continuaretur procreatione ſucceſſio. Perfecta autem in exordio fieri potuiſſe teſtimonio ſunt nunc quoque non pauca animantia, quæ de terra & imbre perfecta naſcuntur, ut in Ægypto mures, & aliis in locis ranæ ſerpentéſque, & ſimilia.* Meritò autem veteribus Græcorum Phyſicis Anaxagoram præfert Ariſtoteles Metaphyſ. 1. cap. 3. tanquam ſobrium ebriis, quòd illi ſolam materiam ſpectaſſent, hic verò addidiſſet eam cauſam quæ ex propoſito agit, quam Ariſtoteles *Naturam* vocat,

vocat, Anaxagoras feliciùs *Mentem*, *Deum* Moſes; ut & Plato, de quo vide Laertium, ubi de Principiis ex ſententia Platonis agit, & Apuleium De dogmatibus Platonis. Thales hoc primus docuerat ante Anaxagoram. Velleius apud Ciceronem 1 De natura Deorum, *Thales enim Mileſius, qui primus de talibus rebus quæſivit, aquam eſſe dixit initium rerum: Deum autem eam mentem quæ ex aqua cuncta fingeret.* Ubi *aquam* intellige ὕλην quæ *terra* Xenophani & aliis; neutrum malè, ſi rectus intellectus adhibeatur.

(d) *Unde apud Linum*] Verſu ſuprà citato.

(e) *Heſiodum*] In Theogonia.

Ἤτοι μὲν πρώτιστα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔπειτα
Γαῖ' εὐρύστερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
Ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,
Τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυοδείης·
Ἦ δ' Ἔρος, ὃς κάλλιστος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι,
Λυσιμελής, πάντων τε θεῶν πάντων τ' ἀνθρώπων
Δάμναται ἐν στήθεσσι νόον ἠδ' ἐπίφρονα βουλήν.
Ἐκ χάεος δ' Ἔρεβός τε μέλαινά τε Νὺξ ἐγένοντο.
Νυκτὸς δ' αὖτ' Αἰθήρ τε καὶ Ἡμέρη ἐξεγένοντο,
οὓς τέκε κυσαμένη, Ἐρέβει φιλότητι μιγεῖσα.

Principio natum Chaos, hinc prodivit in auras
Larga ſinu tellus, divûm certiſſima ſedes,
Summum tenent qui templa nives tangentis Olympi,
Tartaráque obſcuro terra concluſa receſſu.
Indè etiam Divos inter pulcerrimus omnes
Curarum depulſor Amor, hominúmque Deúmque
Solertes animos & fortia pectora mulcens.
Hinc Erebum ſimul & Noctem Chaos edidit atram.
Æthera ſupremum genuit Nox atra diémque,
Quos commiſta Erebo grato concepit amore.

Confer hæc cum Phœniciis quæ modò habuimus; videbis indè adumbrata. Vicinus ſcilicet Thebarum Bœotiæ, quas Cadmus Phœnix condidit, fuit Heſiodus. Ἔρεβος eſt עֶרֶב Moſis, quem ſequitur nox & dies in Hymnis qui Orphei nomen præferunt.

Ἀρχαίη μὲν πρῶτα χάος ἀμήχανον ἀνέψιλον,
Vim primùm immenſam chaos, qua rebus origo.

In Argonauticis ejuſdem nominis,

Πρῶτα μὲν εἰς χάος ἐλθεῖν μελιηδέα ὕμνον,
Ὡς ἐτεὸν μελέοντο φύσεις, ὅς τ' ἀγενὴς οἷς πέρας ἔλθῃ,
Γῆς τ' εὐρυσθενέος γένεσις, πυθμήνά τε θαλάσσης,
Πρηστῆρός τε καὶ ἀντολιῆς πολύμητιν ἰφθίμα,
Ὅσσα τ' ἔφυσαν ἅπαντα, διέκρινεν δ' ἄλλον ἐπ' ἄλλῳ,

Antiqui chaos mellitum ante omnia carmen,
Naturam ut mutarit, & ut ſit conditus æther,
Terráque latipatens, fundamináque aquoris alti,
Conſiliíque potens, quo nil priùs exſtat, Amorem,
Diſcernens aliis aliud qui cuncta creavit.

Unde hæc ſua ſumpſit Apollonius, in ejuſdem argumenti libro,

Ἠείδειν δ' ὡς γαῖα καὶ οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα
Τὸ πρὶν ἐπ' ἀλλήλοισι μιῇ συναρηρότα μορφῇ
Νείκεϊ ἐξ ἀλαοῦ διέκριθεν ἁμῖς ἕκαστα,

Namque canebat uti tellus cœlúmque ſolúmque
Miſta aliis alia & communem nacta figuram
Cœperunt cacâ tandem diſcedere pugnâ.

Epicharmus Comicorum vetuſtiſſimus antiquam traditionem referens,

Ἀλλὰ λέγεται μὲν χάος πρῶτον γενέσθαι θεῶν,
Sed Deos primùm exſtitiſſe ferunt ante omnes chaos.

Ariſtophanes in Avibus conſervatus à Luciano in Philopatride & Suida,

Χάος μὲν καὶ νὺξ Ἔρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος εὐρύς·
Γῆ δ' οὐδ' ἀὴρ, οὐδ' οὐρανὸς ἦν. Ἐρέβους δ' ἐν ἀπείροισι κόλποις
Τίκτει πρώτιστον ὠιὸν πνοὰς ὑπομένον Νὺξ ἡ μελανόπτερος ὠόν.
Ἐξ ἧς περιτελλομένας ὥρας ἔβλαστεν Ἔρως ὁ ποθεινός,

Στίλβων νῶτον πτερύγοιν χρυσαῖν, ἀνέμοισι θοαῖσι.
Οὗτος δὴ χάει πλεῖστον μιχθεὶς νυχίῳ κατὰ τάρταρον εὐρὺ
Ἐνεβίβασεν ἡμέτερον, καὶ πρῶτον ἀνήγαγεν εἰς φάος.
Πρίν τιν' οὐκ ἦν θνητῶν ἀθανάτων τ' ἐν ἔθνεσι σωμιξαμένων ἔρωτα.
Συμμιγνυμένων δ' ἑτέρων ἑτέροις γένετ' οὐρανὸς ὠκεανός τε
καὶ γῆ, πάντων θ' ὅσα μακάρων ἐστὶν ἄφθιτον

(*tur? ingens.*
Chaos & nox primùm erat atq; Erebo nigricans & Tar-
Nec hum?, nec cœlũ erat aut aer: tunc, ceu vi ſtimmis, ovũ
Gremium ſuper infinitum Erebi peperit Nox decolor alis:
Ex quo bonus inde emerſit Amor circumvolventibus horis,
Radians tergo aureolis pennis, par magni turbinis aura:
Qui deinde volans miſtúſq; chao, ſtabat quà Tartar?, atro,
Noſtrũ genus edit & in dias produxit luminis oras. (pido:
Neq; enim Divûm gen? antè fuit quàm junxit cunctis Cu-
Simulatq; hæc ſunt aliis commiſta alia, æther prodit & a-
Et terra, beatorúmque Deûm genus immortale. (quor,

Cuivis vel leviter inſpicienti apparet ſumpta hæc è traditione Phœnicum, quibuſcum vetus Atticæ incolis, Ionum antiquiſſimis, commercium. De Erebo jam diximus. Tartarus eſt תוֹהוֹם ἄβυσσος. Amor ex voce מְרִיחָה, ut ſuprà indicatum eſt: quò & illud Parmenidis pertinet,

Πρώτιστον μὲν Ἔρωτα θεῶν μητίσατο πάντων,
Omnibus ex divis primùm perfecit Amorem.

Et Simmiæ Rhodii carmen alarum figuram præferens.

(f) *Ac poſtremò apud Ovidium, qui ex Græcis iſta tranſcripſit*] Locus eſt in promptu, 1 Metamorph. dignus tamen qui & hîc legatur, quòd præcipua eorum quæ in Moſe, verbis ad Moſem proximè accedentibus, enunciet, multúmque iis quæ jam diximus afferat lucis, & ab iis viciſſim accipiat.

Ante mare & terras &, quod tegit omnia, cœlum,
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtáque moles,
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtáque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum.
Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,
Nec nova creſcendo reparabat cornua Phœbe,
Nec circumfuſo pendebat in aere tellus
Ponderibus librata ſuis, nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quâque erat & tellus, illic & pontus & aer.
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda,
Lucis egens aer: nulli ſua forma manebat;
Obſtabatque aliis aliud: quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.
Hanc Deus & melior litem natura diremit:
Nam cœlo terras, & terris abſcidit undas;
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aere cœlum.
Quæ poſtquam evolvit, cæcóque exemit acervo,
Diſſociata locis concordi pace ligavit.
Ignea convexi vis & ſine pondere cœli
Emicuit, ſummáque locum ſibi legit in arce.
Proximus eſt aer illi levitate locóque.
Denſior his tellus, elementáque grandia traxit,
Et preſſa eſt gravitate ſui: circumfluus humor
Ultima poſſedit, ſolidúmque coercuit orbem.
Sic ubi diſpoſitam, quiſquis fuit ille deorum,
Congeriem ſecuit, ſectámque in membra redegit,
Principio terram, nè non æqualis ab omni
Parte foret, magni ſpeciem glomeravit in orbis:
Tum freta diffundi, rapidiſque tumeſcere ventis
Juſſit, & ambitæ circumdare littora terræ.
Addidit & fontes & ſtagna immenſa lacúſque,
Fluminéque obliquis cinxit declivia ripis,
Quæ diverſa locis partim ſorbentur ab ipſa,
In mare perveniunt partim, campóque recepta
Liberioris aquæ, pro ripis littora pulſant.
Juſſit & extendi campos, ſubſidere valles,
Fronde tegi ſilvas, lapidoſos ſurgere montes.

Utque

Utque duæ dextrâ cœlum, totidémque ſiniſtrâ
Parte ſecant zonæ, quinta eſt ardentior illis:
Sic onus incluſum numero diſtinxit eodem
Cura Dei, totidémque plagæ tellure premuntur;
Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu:
Nix tegit alta duas: totidem inter utramq; locavit,
Temperiémque dedit, miſtâ cum frigore flammâ.
Imminet his aer, quì quantò eſt pondere terra,
Pondere aquæ levior, tantò eſt oneroſior igne.
Illic & nebulas, illic conſiſtere nubes
Juſſit, & humanas motura tonitrua mentes,
Et cum fulminibus facientes frigora ventos.
His quoque non paſſim mundi fabricator habendum
Aera permiſit. Vix nunc obſiſtitur illis,
Cùm ſua quiſque regat diverſo flamina tractu,
Quin lanient mundum; tanta eſt diſcordia fratrum.
Eurus ad Auroram Nabathæáque regna receſſit,
Perſidáque, & radiis juga ſubdita matutinis:
Veſper, & occiduo quæ littora ſole tepeſcunt,
Proxima ſunt Zephyro: Scythiam ſeptémq; triones
Horrifer invaſit Boreas: contraria tellus
Nubibus aſſiduis pluvióque madeſcit ab Auſtro.
Hæc ſuper impoſuit liquidum & gravitate carentem
Æthera, nec quicquam terrena facis habentem.
Vix ità limitibus diſcreverat omnia certis,
Cùm, quæ preſſa diu maſſa latuere ſub ipſa,
Sidera cœperunt toto efferveſcere cœlo,
Neu regio foret ulla ſuis animalibus orba,
Aſtra tenent cœleſte ſolum, formæque deorum:
Ceſſerunt nitidis habitanda piſcibus alta: unda
Terra feras cepit, volucres agitabilis aer.
Sanctius his animal mentiſque capacius unum
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet.
Natus homo eſt: ſive hunc Divino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Sive recens tellus, ſeductáque nuper ab alto
Æthere, cognati retinebat ſemina cœli;
Quam ſatus Iapeto, mixtam fluvialibus undis,
Finxit in effigiem moderantûm cuncta deorum.
Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlúmque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Vides hîc hominis in cuncta hæc inferiora dominatum: vides factum eum ad Dei aut cœlitum imaginem. Euryſus Pythagoreus libro De fortuna, τὸ σκεῦος τοῖς λοιποῖς ὅμοιον, εἶτα γεγονὸς ἐκ τᾶς αὐτᾶς ὕλας· ὑπὸ τεχνίτα δ' εὐεργασμένων λώϊον, ὃς ἐτεχνίτευσεν αὐτὸν ἀρχετύπῳ χρώμενος ἑαυτῷ. *Hominem corpore ſimilem reliquis, quippe ex eadem conſtantem materia: ſed ab optimo effictum artifice, qui in eo faciendo ſemetipſum habuit exemplar.* Ubi σκῆνος eſt *corpus*, ut Sap. 9. 15. 2 Cor. 5. 1, & 4. Adde quòd Horatius animam vocat,

—— *Divinæ particulam auræ.*

Virgilius,

Ætherium ſenſum.

Juvenalis verò Sat. 15.

—— *atque adeò venerabile ſoli*
Sortiti ingenium, divinorúmque capaces,
Atque exercendis capiendíſque artibus apti,
Senſum à cœleſti demiſſum traximus arce,
Cujus egent prona & terram ſpectantia. Mundi
Principio indulſit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animùm quoque.

Adde egregia ad hanc rem Platonis Alcibiade & Phædone. Cicero De nat. Deorum 2. *Nam cùm cæteras animantes abjeciſſet ad paſtum, ſolum hominem erexit, ad cœlíque quaſi cognationis & domicilii priſtini conſpectum excitavit.* Saluſtius initio belli Catilinarii, *Omnes homines qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animalibus, ſummâ ope niti decet nè vitam ſilentio tranſeant, veluti pecora, quæ natura prona atque ventri obedientia finxit.* Plinius lib. 2. cap. 26. *Hipparchus nunquam ſatìs laudatus, ut quo nemo magìs approbaverit cognationem cum homine ſiderum, animáſque noſtras partem eſſe cœli.*

(g) *Etiam Epicharmo*] Ὁ δή γ' ἀνθρώπῳ λόγος πέφυκ' ἀπὸ τοῦ θεοῦ λόγου, *Et Dei à ratione ratio naſcitur mortalium.*

Et Platonicis] Amelius Platonicus, καὶ ἔτι ὧδε ὁ λόγος καθ' ὃν ἀεὶ ὄντα τὰ γινόμενα, ὡς ἂν καὶ Ἡράκλειτος ἀξιώσειε, καὶ νὴ Δί' ἂν ὁ βάρβαρος ἀξιοῖ, ὃν τῇ τῆς ἀρχῆς τάξει τε καὶ ἀλαξίᾳ καθεστηκότα θεὸς ὄντ' ἤδη, δι' ὃ πάντ' ἀπλῶς γεγενῆσθαι, ἐν ᾧ τὸ γενόμενον ζῶον καὶ ὃν πεφυκέναι, *Hæc itaque illa ratio per quam ſemper ſunt quæ ſunt facta, quomodo & Heraclitus cenſuit: eadem profectò quam barbarus ille indicat, in primo rerum conditu, imò & in incondito ſtatu Deo adſtitiſſe, per quem omnia omnino facta, in quo id quod ſit animal eſſe ſuum haberet.* Barbarus quem dicit eſt Johannes Euangeliſta, cujus temporibus ſerior aliquantò Amelius. Verba ejus ſervavit nobis Euſebius Præpar. lib. 11. cap. 19. & Cyrillus lib. 8. contra Julianum. Meminit ejuſdem Ameliani loci & Auguſtinus lib. 10. cap. 29. De civ. Dei, & Confeſſ. lib. 8. Tertullianus Adv. Gentes, *Apud veſtros quoque ſapientes λόγον, i. ſermonem atque rationem, conſtat artificem videri univerſitatis. Hanc enim Zeno determinat factitatorem qui cuncta diſpoſitione formaverit.* Locus Zenonis erat libro Περὶ ὑσίας, ubi τὸ ποιοῦν cauſam effectricem vocabat λόγον, quem ſecuti Cleanthes, Chryſippus, Archedemus, Poſidonius, docente Laertio in Zenone. Seneca *rationem facientem* vocat epiſtolâ LXV. Chalcidius ad Timæum, *Et ratio Dei Deus eſt humanis rebus conſulens, qua cauſa eſt hominibus bene beatéque vivendi, ſi non conceſſum ſibi munus à ſummo Deo negligant.* Idem de Moſe alio loco, *Apertè judicans, præeunte Divinâ ſapientiâ cœlum terrámque factam, tandémq; ſapientiam Divinam eſſe univerſitatis primordium.*

(h) *Eorum carminum quæ vetuſtas* ORPHICA *appellavit*] Verſus ſunt hi,

Αὐδὴν ὀρθίζω σε παῖδος, ἣ φθέγξατο πρώτιν,
Ἣν ἵκα κόσμον ἅπαντα ἐὰς ἐπείξατο βυλὰς,
Illa mihi teſtis vox ſit quæ prima parentis
Edita, cùm totum fundavit juſſibus orbem.

Exſtant in admonitione ad Græcos inter opera Juſtini: & hi,

Φθέγξομαι οἷς θέμις ἐστὶ, θύρας γ' ἐπίθεσθε βεβήλοις
Πᾶσιν ὁμῶ· σὺ δ' ἄκουε φαεσφόρου ἔκγονε μήνης
Μουσαῖ, ἐξερέω δ' ἀληθέα· μηδέ τ' ἐπ' ἀρὴν
Ἐν σήδεσι φαίνοντα φίλης ἀῶνος ἀμέρσῃ·
Εἰς δ' λόγον θεῖον βλέψας τόδε νοήσεαι
Ἰδωὼν κραδίης νοερὸν κύτος· οὐδ' ἐπίβαινε
Ἀβακτίῃ· μοῦνον δ' ὁσέρα κόσμοιο ἀνακλᾶ.
Εἷς ὃς' αὐτοτελής· ἐνδὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται·
Ἐν δ' αὐτοῖς αὐτὸς φαείνεται· οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσορόᾳ θνητῶν, αὐτὸς δ' ὁρᾷ πάντας ὁρᾶν.
Queis fas eſt audire canam, procul ite profani,
Ite forás: tibi ſed Luna, Muſae, nepoti,
Vera tibi pandam, nè quæ priùs inſita menti
Hæreſcunt, dulcis ſpolient te munere vitæ.
Divinam ſpectans rationem pectus ad illam
Dirige, & ima animi ſemper præcordia, rectâ
Nec deflecte viâ: fictorem conſpice mundi:
Unus is æternus; ſúntque omnia facta per unum.
Ipſe agitat totam præſenti numine molem:
Mortalis quem nemo videt, videt unicus omnes.

Exſtant in Admonitione ad Græcos, item in libro De Monarchia in operibus Juſtini Martyris, in Clementis Alexandrini lib. Strom. 5. in Euſebio lib. 13 Præpar. Euan. ex Ariſtobulo.

(i) *Agnovit & Empedocles*] De quo Laertius, ἥλιόν φησι πυρὸς ἄθροισμα μέγα, *Solem dicebat magnum eſſe aceervum ignis.* Is qui Placita ſcripſit Philoſophorum quæ ſunt in operibus Plutarchi lib. 2. cap. 6. Ἐμπεδοκλῆς ἥλιόν φησιν αἰθέρα πρῶτον διακεκλῶσθαι, δεύτερον δὲ τὸ πῦρ, ἐφ' ᾧ τὸν γλῶ, ἐξ ἀγαθοειδοῦς τῇ ῥύμῃ τῆς περιφορᾶς, ἀναβλύσαι

σαι τὸ ὕδωρ· ἐξ ἧς θυμιαθῆναι ἀέρα, ἐκ γῆνδος δὲ τοῦ ἀέρος, καὶ ἥλιον ἐκ πυρός, *Empedocles primum omnium secretum aiebat æthera, deinde ignem, pòst terram, quâ constrictâ impetu ipso agitationis, ebullisse indè aquam: ex hac exhalasse aerem: cœlum autem ex æthere natum, solem ex igne.* Et cap. 20. Empedocles Δύο ἥλιους, τὸν μὲν ἀρχέτυπον, καὶ τὸν φαινόμενον, *Duos soles, alterum originalem, alterum eum qui apparet.* Philolaus verò, ut ibidem legimus, dixit Solem ὑαλοειδῆ, δεχόμενον μὲν τοῦ ἐν τῷ κόσμῳ πυρὸς τὴν ἀνταύγειαν, διαδιδοῦντα δὲ εἰς ἡμᾶς τὸ φῶς, *vitrea natura, qui ignis ejus-que in mundo est repercussum in se splendorem recipiat, lumen autem ad nos destillet.* Anaxagoras, Democritus, Metrodorus, solem *massam* quandam *ignitam* dicebant, ut ibidem dicitur. Et has sententias esse antiquissimas ostendit Democritus, narrante Laertio.

(k) *Supra astrorum loca divinum esse domicilium, Aratus*] Ὅσσον γὰρ κεφαλὴν θεὸν ὑπὸ ποσὶ φορεῦσι
Λοιψαῖον ἐρίδαιο πολυκλαύτου ποταμοῖο,
Quantus & ille vides subter vestigia divûm
Se ferat Eridani gurges, lacrymabilis amnis.

(l) *Et Catullus*] Coma Berenices apud Callimachi interpretem Catullum sic loquens inducitur,

Sed quanquam me nocte premunt vestigia divûm.

(m) *Ex veteri disciplina docuit Thales*] Testis Diogenes Laertius. Fuit autem Thales Phœnix origine, testibus Herodoto & Leandro.

(n) *Etiam apud Orphicos*] Hymno noctis,

Νύκτα θεῶν γοερὴν ἀείσομαι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
Noctem concelebro genitricem hominúmque deúmque.

(o) *Et Hesiodum*] Cujus hac de re versus suprà posuimus.

(p) *Antiqui moris retinentissima gentes*] Οἱ νομάδες τῆς Λιβύης οὐ τὰς ἡμέρας, ἀλλὰ τὰς νύκτας, ἀριθμοῦσι τὸν χρόνον, *Numida in Libya non ex diebus, sed ex noctibus, tempora sua computant*, ait Nicolaus Damascenus. De Germanis Tacitus, *Nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computant: sic constituunt, sic condicunt: nox ducere diem videtur.* Vide Speculum Saxonicum lib. 1. art. 3. 67. & alibi, & doctissimum Lindebrogium ad Vocem *Noctis*, in Vocabulario ad leges Germanicas. Servant hunc morem etiam nunc vicinæ gentes Bohemi & Poloni: olim & Galli. Cæsar lib. 6 Belli Gallici, *Spatia omnis temporis non numero dierum, sed noctium finiunt.* De Druidibus Plinius lib. 16. Hist. Nat. cap. ult. *Luna, qua principia mensium annorúmque his facit.* De Hebræis nota res. Athenienses addit Gellius lib. 3. cap. 2. Phœnicum hac quoque in re discipulos.

(q) *A Suprema mente ordinata omnia Anaxagoras*] Verba ejus posuimus suprà, quæ habes apud Laertium, scriptorem de Placitis Philosophorum & alios. Etiam Timonis de ejus sententia versus supra habes.

(r) *Sidera à Deo facta, Aratus*] Phænomenon initio,

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα· τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἀοιδῇ
Ἄρρητον· μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ,
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγορηὶ, μεστὴ δὲ θάλασσα,
Καὶ λιμένες· πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.
Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν· ὁ δ' ἤπιον ἀνθρώποισι
Δείκνυσι σημαίνει, λαοὺς δ' ἐπὶ ἔργον ἐγείρει,
Μιμνήσκων βιότοιο· λέγει δ' ὅτε βουλομένοισιν
Βουσί τε καὶ μακέλῃσι. λέγει δ' ὅτε δείελος ὄρφνη
Καὶ φυτὰ γυρῶσαι καὶ σπέρματα πάντα βλῆσθαι.
Αὐτὸς γὰρ τάγε ζῆμα' ἐν ἀργεῖῳ ἐστήριξεν,
Ἄστρα διακρίνας· ἐκάλεσσατο δ' εἰς ἐνιαυτὸν
Ἀστέρα, οἵκε μάλιστα τετυγμένα σημαίνειν
Ἀνθρώποις ὡράων, ὅτε πάντα φυτεύεται.
Τῷ μὲν ἀεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἰλάσκονται.
Χαῖρε πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ.

Quæ nos olim sic vertimus,

Ab Jove Musarum primordia: semper in ore
Plurimus ille hominum est, qui computa numine magno,
Concilióque virûm complet, pelagúsque profundum,
Et pelagi portus: fruimur Jove & utimur omnes.
Nos genus illius: nobis ille omine læto
Dextera præsignat, populúmque laboribus urget,
Consulat ut vita: quando sit terra ligoni
Aptior aut bubus monet, & quo tempore par sit
Aut serere, aut septas lymphis adspergere plantas.
Ipse etiam in magno dedixit sidera mundo
Ordine quæque suo, atque in totum providus annum.
Astra dedit, quæ nos moneant quâ qualibet horâ
Apta regi, certâ nascantur ut omnia lege.
Idem ergò primus placatur & ultimus idem.
Magne pater, magnum mortalibus incrementum.

Jovem hîc intelligendum Deum verum Mundi opificem & res docet & Paulus Apostolus Act. 17. 28. Ovidius sua Phænomena his versibus terminavit, ut ex Lactantio discimus;

Tot numero, talique Deus simulacra figurâ
Imposuit cœlo, pérque atras sparsa tenebras
Clara pruinosa jussit dare lumina nocti.

Chalcidius ad Timæum, *Cui quidem rei Hebræorum quoque sententia concinit, qui perhibent exornatorem mundi Deum mandasse provinciam, Soli quidem ut diem regeret, Lunæ verò ut noctem temperaret; cæteras quoque stellas disposuisse, tanquam temporum limites annorúmque signa, indicia quoque futurorum proventuum.*

(s) *Spiritu Dei infusam rebus vitam post Græcos Virgilius*] In sexto Æneidos, quem Servius ait ex plurimis veterum scriptis fabricatum,

Principio cœlum & terras campósque liquentes,
Lucentémque globum Lunæ, Titaniáque astra
Spiritus intus alit, totámque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Indè hominum pecudúmque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est illis vigor & cœlestis origo
Seminibus.

Explicandis his illâ serviant ejusdem Georg. 4.

Hîc quidam signis atque hæc exempla secuti
Esse apibus partem Divinæ mentis & haustus
Ætherios dixere. Deum namque ire per omnes
Terrásque tractúsque maris, cœlúmque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quémque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

(t) *Hominem ex luto formatum, Hesiodus*] Operibus ac diebus,

Ἥφαιστον δ' ἐκέλευσε περικλυτὸν, ὅππι τάχιστα
Γαῖαν ὕδατι φύρειν, ἐν δ' ἀνθρώπου θέμεν αὐδήν,
Mulciberúmque moras jubet omnes solvere, & undas
Commiscere solo, atque humanam imponere vocem.

(u) *Homerus*] Iliados ν'.

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα φυόντε,
At vos in tellurem omnes abeatis & undam.

Redeunt enim omnia eò unde venerunt. Euripides Hypsipyle, ut nos docet Stobæus titulo, Eventus rerum fortiter ferendos;

—— κατὰ δ' ἄχθονὸς βεβηκὼς
Εἰς γῆν φέρησιν γῆν· ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θνητὸν ὄντα, ὥστε καρπίμου σάχυν.

Quæ Cicero ità vertit Tuscul. 3.

Quæ genuit humano angorem nequicquam adferunt.
Reddenda est terra terræ: tum vita omnibus
Metenda, ut fruges: sic jubet necessitas.

Idem Euripides Supplicibus,

Ἐᾶσαι· ἤδη γῆ κεκρυφθῶσαι νεκρούς.
Ὅθεν δ' ἕκαστον εἰς τὸ σῶμ' ἀφίκετο,
Ἐνταῦθ' ἀπῆλθε· πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν· οὐ γὰρ κεκτήμεθα
Ἡμέτερον αὐτὸ πλὴν ἐνοικῆσαι βίον·
Κἄπειτα δὴ θρέψασ' αὐτὸ δεῖ λαβοῦσαν,
Jam finite terræ mortuos gremio tegi:
Res unde quæque sumpserat primordium,

Eò recipitur. Spiritus cœlo redit,
Corpúsque terræ: jure, nec enim mancupi,
Sed brevis ad ævi tempus utendum datur,
Mox terra repetit ipsa quod nutriverat.

Quæ vide quàm pulcrè conveniant cum Moſe, Gen. 3. 19. & Solomone Eccleſ. 12. 7.

(x) *Callimachus*] Cui in Scazonte homo πηλὸς ὁ Προμήθιος, *lutum Prometheum*. Hujus luti mentio & apud Juvenalem & apud Martialem. Adde Cenſorini locum, *Democrito verò Abderitæ ex aqua limóque primùm viſum eſt homines procreatos. Nec longè ſecùs Epicurum.*

(y) *Maximus Tyrius*] Diſſertatione 1. Ἐν τοσούτῳ δὴ πολέμῳ καὶ στάσει καὶ διαφωνίᾳ ἕνα ἴδοις ἂν ὑπὲρ πάσης γῆ ὁμόφωνον νόμον καὶ λόγον, ὅτι Θεὸς εἷς πάντων βασιλεὺς καὶ πατὴρ, καὶ θεοὶ πολλοί, θεοῦ παῖδες, συνάρχοντες Θεῷ. ταῦτα ὁ Ἕλλην λέγει καὶ ὁ βάρβαρος λέγει, καὶ ὁ ἠπειρώτης καὶ ὁ θαλάττιος, καὶ ὁ σοφὸς καὶ ὁ ἄσοφος. *In tanta pugna ac diſcordia & diſcrepantia, unam videas per terras omnes legem famámq; conſentientem, Deum eſſe unum rerum univerſarum & Regem & Patrem, multos præterea deos, Dei filios, adminiſtrationis participes. Hæc & Græcus dicit & dicit barbarus, dicit qui in continentibus terris, dicit qui in oris maritimis habitat, & ſapiens & ſapientiâ deſtitutus.* Adde his loca quæ attulimus lib. 2 De Jure B. ac P. cap. 20. §. 45. & illud Antiſthenis relatum à Cicerone 1 De natura Deorum, *Populares deos multos, naturalem unum eſſe.* Addit Lactantius lib. 1. c. 5. ex eodem Antiſthene, *Summæ totius artificem.* Sophocles,

Εἷς ταῖς ἀληθείαισιν, εἷς ὄζιν Θεὸς,
Ὃς οὐρανόν τ' ἔτευξε καὶ γαῖαν μακρὰν,
Πόντου τε χαροπὸν οἴδμα κἀνέμων βίας,
Unus profectò eſt, unus eſt tantùm Deus,
Cœli ſolíque machinam qui condidit,
Vadúmque ponti cærulum & vim ſpiritûs.

Adde Varronis locum, qui apud Auguſtinum De Civ. Dei lib. 4. cap. 31.

(z) *Ex Joſepho*] Adverſùs Appionem 2. circa finem nullam eſſe ait urbem Græcam, nullam barbaram, ἥντινα μὴ τὸ τῆς ἑβδομάδος, ὡς ἀργοῦμεν ἡμεῖς, τὸ ἔθος οὐ διαπεφοίτηκεν, *quam non pervaſerit mos ſeptimæ diei quâ Judæi feriantur.*

(a 2) *Philone*] De die ſeptima, Ἑορτὴ γάρ ἐστι μιᾶς πόλεως ἢ χώρας ὄζιν, ἀλλὰ τῆς παντὸς, *Eſt enim feſtus dies non uni urbi aut regioni, ſed univerſo.*

(b 2) *Tibullo*]

Cultáque Judæo ſeptima ſacra viro.

Loquitur autem de iis feriis quas & Romanæ mulieres obſervabant.

(c 2) *Clemente Alexandrino*] Qui Strom. 5. ex Heſiodo adfert

——ἕβδομον ἱερὸν ἦμαρ,
——*Lux ſeptima ſancta,*

& ſimilia ex Homero & Callimacho. Adde quæ ex Ariſtobulo adfert Euſebius lib. 13. cap. 12. Theophilus Antiochenus lib. 2 ad Autolycum, Περὶ τῆς ἑβδόμης ἡμέρας ὧν πάντες ἄνθρωποι ἀγομάζουσι, *De ſeptima die quam omnes homines celebrant.* Suetonius Tiberio XXXI, *Diogenes grammaticus diſputare ſabbatis Rhodi ſolitus.*

(d 2) *Luciano*] Qui pueros luſiſſe diebus ſeptimis nos docet in Paralogiſta.

(e 2) *Apud Celtas*] Oſtendunt antiquiſſima etiam apud Celticas gentes, i. Germanos, Gallos, Britannos, dierum nomina. Idem de Slavis docet nos Helmoldus lib. 1. c. 84.

(f 2) *Philoſtratus*] Lib. 3. c. 13. ubi de Indis.

(g 2) *Dion Caſſius*] Lib. 33. Τὴν ἡμέραν τὴν τοῦ Κρόνου καλοῦμεν, *Diem quam Saturni dicimus.* Addit ibidem morem per ſeptenos dies tempora computandi ab Ægyptiis ad omne humanum genus manaſſe. Non autem recentem eſſe hunc morem, ſed vetuſtiſſimum, docet nos Herodotus lib. 2. Adde de Romanis Iſidorum lib. 5. cap. 30, & 32.

(h 2) *Et vetuſtiſſima dierum nomina*] Vide oraculum & Orphei verſus in Prolegomenis Scaligeri ad Emendationem temporum.

(i 2) *Cum ſimplicitate fuiſſe*] Vide quæ in hanc rem produximus lib. 2. cap. 1. §. 11. De jure Belli, & in Notis ad eum locum.

(k 2) *Et nudo corpore docebant & Ægyptii*] Quorum ſententiam ſic refert Diodorus Siculus lib. 1. Τοὺς οὖν πρώτους καὶ ἀνθρώπων, μηδενὸς πω περὶ βίον χρησίμων ἐνρημένου, ἀπόρως διάγειν, γυμνοὺς μὲν ἐσθῆτος ὄντας, οἰκήσεως δὲ καὶ πυρὸς ἀήθεις, τροφῆς δ' ἡμέρου παντελῶς ἀπείρους, *Primos homines, cùm nihil eorum quæ ſunt ad vitam utilia repertum adhuc eſſet, vixiſſe duriùs, quippe nullâ veſte amictos, domicilii & ignis inſuetos, manſuctioris victûs rudes.* Plato in Politico, Θεὸς ἄνωθεν αὐτοὺς, αὐλὸς ὥσπερ νῦν ἀνθρώποι, ζῷον ὂν ἕτερον ἐπέστησεν, ἀλλὰ γένη φαυλότερα αὐτῶν νομεύσι, *Deus eos paſcebat, cuſtóſque eorum ipſe erat, ſicut nunc homines, Divinius animal, paſcunt animantium ſequiora.* Deinde, Γυμνοὶ δὲ καὶ ἄστρωτοι ὑπαιθρίως τὰ πολλὰ ἐνέμοντο, *Nudi autem & ſine ſtragulis ſub dio plerumque paſcebant.* Dicæarchus Peripateticus citatus tum Porphyrio lib. 4 De non eſu animalium, tum, quoad ſenſum, Varroni De re Ruſtica, Τοὺς πρώτους καὶ ἐγγὺς Θεῶν γεγονότας, βελτίους ἢ ὄντας φύσει καὶ ἤθει ἰζηκότας βίον, ὡς χρυσοῦν γένος νομίζουσι, *Primos illos diíſque proximos mortales, optimæ fuiſſe indolis, vitámque vixiſſe optimam, unde & auream hanc dici ætatem.*

(l 2) *Etiã Indis celebrata, ut apud Strabonẽ eſt*] Libro 15 Calanum Indum loquentem inducit, Τὸ πρωϊαῖον πάντ' ὦν ὀρίτων καὶ ὀρύων πλήρη, καθάπερ καὶ νῦν κόνεως. καὶ κρῆναι δ' ἔρρεον αἱ μὲν ὕδατος, γάλακτος δ' ἄλλαι, καὶ ὁμοίως αἱ μὲν μέλιτος, αἱ δ' οἴνου, τινὲς δ' ἐλαίου. ὑπὸ πλησμονῆς δ' οἱ ἄνθρωποι καὶ πυρῶν οἷς ὔζειν ὑζέπεσον. Ζεὺς δὲ μισήσας τὸν κατάσασιν, ἠφάνισε πάντα, καὶ διὰ πόνου τὸν βίον ἀπέδωκε, *Olim omnia ità plena erant farinæ ex tritico & hordeo ut nunc pulvere. Fontes fluebant aquâ nonnulli, lacte alii, rurſum alii vino ac melle. Sed homines præ copia rerum ac deliciis ad contumeliam ſe tranſtulere: quem ſtatum exoſus Deus omnia ea abolevit, aliúdque vitæ genus per labores agendæ inſtituit.*

(m 2) *Adami, Evæ, arboris, ſerpentis hiſtoriam*] In iis quæ Philo Byblius ex Sanchuniathone vertit, πρωτόγονος eſt אדם, αἰὼν eſt חוה, mortalium primi, repertores fructûs arborum. Et in antiquiſſimis Græcorum myſteriis acclamatum Εὖα, ſimúlque monſtratus ſerpens. Meminere Heſychius, Clemens in Protreptico, Plutarchus Alexandro. Chalcidius ad Timæum, *Juxtáque Moyſea Deus vitæ primigenis interdixit, nè edulibus arborum, ex quibus notitia boni malíque animis eorum obreperet, veſcerentur.* Idem alio loco, *Quibus Hebræi concinunt, cùm dicunt homini quidem à Deo datam eſſe animam ex inſpiratione cœleſti, quam Rationem atq; animam Rationabilem appellant; mutis verò & agreſtibus ex ſilva rationis experiem, juſſu Dei vivis animantibus & beſtiis terræ gremio profuſis: quorum in numero fuerit etiam illa ſerpens, quæ primitias generis humani malis ſuaſionibus illaqueaverit.*

(n 2) *Notavit Maimonides*] Ductoris dubitantium parte 3. c. 29.

(o 2) *Ad ſex annorum millia putari*] Cum hoc numero bene convenit quod ex Porphyrio tradidit Simplicius Commentario 16 in lib. 2 De Cœlo, obſervationes quas Babylone collectas ad Ariſtotelem miſit Caliſthenes, fuiſſe ad illa tempora annorum CIↃ IↃCCCC III. id enim à Diluvii tempore non multùm abit.

(p 2) *Noſtri quoque ſeculi teſtes perhibent*] Vide inter alios Ferdinandum Mendeſium de Pinto.

(q 2) *Beroſus in Chaldaicis, Manethos in Ægyptiacis, Hieronymus in Phœniciis, Heſtiæus, Hecatæus, Hellanicus in Græcis prodiderunt*] Omnes hos ſcriptores, ſuo adhuc tempore manentibus libris, teſtes citat Joſephus Antiq. hiſt. lib. 1. cap. 4. ac præter hos Acuſilaum, Ephorum, Nicolaum Damaſcenum. Arcadas ad CCC annos vivere ſolitos notat ad VIII Æneidos Servius.

(r 2) *Majora olim multò fuiſſe hominum corpora*] Joſephus

sephus Antiq. hist. lib. 5. cap. 2. Τπελάμπετο ἡ τῶν γιγάντων ἔτι ἡφῶς, οἱ διὰ σωμάτων μεγέθη καὶ μορφὰς ἀδὲν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις παραπλησίας παράδοξον ἦν θέαμα καὶ δηλὸν ἄκυσμα· λείψανα δ' ἔτι καὶ νῦν τούτων ἐστὶ, μηδὲν τοῖς ἐπὶ πόσιν ἐρχομένοις ἐοικότα, *Restabat etiam tum gigantum genus, qui ob corporis magnitudinem ac figuras multùm aliis hominum dispares stupendum erant spectaculum, & fama terribile: monstrantur in hunc diem eorum ossa fidem omnem vulgi excedentia.* Gabinius in Mauritaniæ descriptione dicebat à Sertorio reperta Antæi ossa, quorum compagem fuisse cub. 60. Phlegon Trallianus Mirabilium cap. 9. meminit effossi capitis Idæ, quod triplæ esset ad solitum modum quantitatis. Addit idem in Dalmatia reperta corpora multa quorum ulnæ 16 ulnas excederent. Narrat idem ex Theopompo in Bosphoro Cimmerio repertam ossium humanorum compagem longam 24 cubitos. Ejusdem Phlegontis exstat libellus De longævis, dignus sanè lectu.

(r 2) *Pausanias*] Is in Laconicis meminit ossium humanorum, sed insolitæ magnitudinis, quæ in Templo Æsculapii ad Asopum urbem ostendebantur: & in Eliacorum priore ossis è mari eductis, quod olim Pisæ custoditum; Pelopísque creditum fuerat.

(t 2) *Philostratus*] In Heroicorum initio multa ait gigantea corpora in Pallene detegi per imbres aut terræ motus.

(u 2) *Plinius*] Lib. 7. cap. 16. *In Creta terræmotu rupto monte inventum est corpus stans, quod alii Orionis, alii Eetionis fuisse tradunt. Oresti corpus Oraculi jussu refossum septem cubitorum fuisse monumentis traditur. Jam verò ante annos propè mille vates ille Homerus non cessavit minora corpora mortalium quàm prisca conqueri.* Solinus cap. 5. *Quis enim non avo isto minor parentibus suis nascitur? Priscorum autem testantur molem etiam Orestis suprema, cujus ossa Olympiade* LVIII *Tegea inventa à Spartanis oraculo monitis, discimus impleſſe longitudinem cubitorum septem. Scripta quoque quæ ex antiquitate memorias accersunt in fidem veri, hoc etiam receperunt, quòd bello Cretico cùm elata flumina plus quàm vi amnicâ terras rupissent, post discessum fluctuum inter plurima humi discidia humanum corpus reperium sit cubitûm trium atque triginta: cujus inspectandi cupidine L. Flaccum legatum, Metellum etiam ipsum impendiò captos miraculo, quod auditu refutaverant oculis potitos.* De molari hominis dente à se conspecto vide Augustinum lib. 15 De civ. Dei cap. 11.

(x 2) *Et famulantes ei mentes*] De his vide pulcra apud Plutarchum de Iside, Maximum Tyrium Dissert. 1, & 16. Julianum hymno Solis. Ipsum nomen ἀσύλων in hac re usurpant præter Græcos V. Federis interpretes, Labeo, Aristides, Porphyrius, Iamblichus, Chalcidius, & his omnibus antiquior Hostanes citatus Minutio. Heraclitus, teste quem dixi Chalcidio, asserit, præmoneri meritos instruentibus Divinis potestatibus.

(y 2) *Post Græcos plurimos refert Catullus*] Epithalamio Pelei & Thetidos,

Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Justitiámque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optavit genitor primaevi funera nati,
Liber ut innupta potiretur flore noverca:
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est divos scelerare penates:
Omnia fanda, nefanda malo permista furore
Justificam nobis mentem avertêre deorum.

(y 2) *Apud Græcos*] Homerum Iliados θ'. Hesiodum in Operibus. Huc pertinent deorum pugnæ, quarum & Plato meminit De Repub. 2. & segreges isti dominatus quorum idem Plato mentionem facit De legibus 3.

(z 2) *Et Latinos quosdã legitur*] Vide Ovidium 1 Metamorph. & Lucanum lib. 4. Seneca Natur. quæst. 30. ubi de diluvio, *Exstinctis pariter feris, in quarum homines ingenia transierant.*

(a 3) *Varroni omne id tempus Ignotum vocabatur*] Censorinus, *Nunc verò id intervallum temporis tractabo quod Historicon Varro appellat. Hic enim tria discrimina temporum esse tradit: Primum ab hominum principio ad Cataclysmum priorem: quod propter ignorantiam vocatur ἄδηλον. Secundum à cataclysmo priore ad Olympiadem primam: quod, quia in eo multa fabulosa referuntur, μυθικὸν nominatur. Tertium à prima Olympiade ad nos: quod dicitur ἱστορικὸν, quia in eo res gestæ veris historiis continentur.* Tempus illud quod Varro ἄδηλον, Hebræorum Rabbini vocant *inane*. Diluvii autem universalis notam conchas quæ in montibus reperiuntur, notavit Philo De Mundi immortalitate.

(b 3) *Chaldæorum Berosus*] De quo sic Josephus contra Appionem 1. Οὗτος τοίνυν ὁ Βηρωσὸς τῆς ἀρχαιοτάτης ἐπακριβωσάμενος ἀναγραφῆς, ὡς ἐπὶ τὸν ἡμέτερον καταλυσμὸν, καὶ ὃν αὐτὸς ἀσαφῆς καὶ ἀνθρώπων, καθάπερ Μωϋσῆς ἔτως ἱστόρηκεν, καὶ ὡς ἐπὶ λάρνακος ὁ τοῦ γένους ἡμῶν ἀρχηγὸς διασωθεὶς, συγγεγραφότος αὐτῆς ἡ ἀκριβείας ἕνεκα Ἀραβίων ὁρᾶν, *Hic Berosus antiquissima scripta sequens eadem qua Moses narrat de magno Diluvio, hominúmque per id interitu, ac de Arca in qua Nochus generis nostri auctor servatus est, cùm ea ad cacumina Armeniorum montium se applicuisset.* Post recitatam autem Diluvii historiam hæc verba addidit Berosus, quæ idem ille Josephus habet Ant. Hist. lib. 1. c. 4. Λέγεται δὲ καὶ τὸ πλοῖον ἐν τῇ Ἀρμενίᾳ πρὸς τῷ ὄρει τῷ Κορδυαίων ἔτι μένειν, καὶ κομίζειν τινὰς τὸ ἀσφάλτου ἀφαιρουμένους. χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τὰς ἀποτροπιασμούς, *Dicitur autem etiamnunc in Armenia in Cordyæorum monte pars esse ejus navigii, & quosdam indè bitumen auferre. Eo autem ablato utuntur homines maximè pro amuleto.*

(c 3) *Assyriorum Abydenus*] Servavit nobis ejus locum Eusebius lib. 9 Præpar. cap. 12. & Cyrillus 1 Adv. Julianum, Μεθ' ὃν ἄλλοι τε ἦρξαν καὶ Σείσιθρος, ᾧ Κρόνος σημαίνει μὲν ἔτεσι πλεῖστα ὅμοια δισὶ πέμπτῃ δὲ δίκα κελεύει δὲ πάντα, ὅτι γράμματα ἦν ἐχόμενον ἐν Ἡλίου πόλει τῇ ἐν Σιππάροισιν ἀποκρύψαι. Σείσιθρος δὲ ταῦτα ἐπιτελέσας ἐνθέως ἐπὶ Ἀρμενίας ἀνάπλει, καὶ παραυτίκα μὲν καταλάμβανει τὰ ἐκ Θεοῦ. Τρίτῃ δὲ ἡμέρᾳ ἐπεὶ τὰ ὧν ἐκύησαν, μίξει δὲ ὀρνίθων πίσσα ποιούμενος, εἶ τι γλαῦξ ἴδοιεν τῷ ὕδατι ἐκδύσαι. ἰδὼν δὲ, ἐκδεχόμενος σφᾶς πελάγει ἀχανεῖ, ἀπρίξασαι ἄκρα κατοχμώσονται, πρὸς δὲ Σείσιθρον ὀπίσω κομίζονται, ᾗ δὴ αὐτῆσι ἔτεραι. ὡς δὲ τῆσι τείτῃσι ὀτύχεεν (ἀπίκατο γὰρ δὴ πλοῦ κατάπλεοι τὰς ταρσὰς) θεοὶ μιν ἔξ ἀνθρώπων ἀφανίζεσι· τὸ δὲ πλοῖον ἐν Ἀρμενίῃ φέρεται ξύλων ἀλεξιφάρμακα τοῖσι ἐπιχωρίοισι παρέχεται, *Post hos imperarunt alii, ac deinde Sisithrus, cui Saturnus præsignificavit ingentem vim imbrium futurã Desii decimâ quintâ: jussit autem quicquid erat literarum eum Heliopoli, quæ in Sipparis est, abscondere. Sisithrus hac cùm impleſſet, statim in Armeniam navigavit, ac subitò vera deprehendit quæ Deus dixerat. Tertiâ die postquam remiserat tempestas, avium quasdam emisit, experimentum capturus an illa terra aliquid visura essent è mari exstans. Illæ verò excepta ab immenso pelago, non habentes ubi considerent, ad Sisithrum retro rediere, & post eas aliæ. At cùm misissent tertiò (redierant enim aves alis limo plenis) dii eum humanis rebus exemerunt. Navigiũ in Armeniam pervenit, ibique vicinis ligna præbuit amuleti vim habentia.* Sisithrus, ut & *Ogyges*, & *Deucalion*, nomina sunt idẽ aliis linguis significantia quod *Noe* Hebraico sermone, quo scripsit, nominaque propria, ità ut eorum vis ab Hebræis intelligi posset, expressit Moses: quomodo scilicet Alexander Polyhistor Isaacum Græcè scribens Γέλωτα vocavit, ut ex Eusebio discimus; multáque sunt talia apud Historicos omnes. Philo De præmiis & pœnis, Τοῦτον Ἕλληνες μὲν Δευκαλίωνα, Χαλδαῖοι δὲ Νῶε ὀνομάζουσιν, ἐφ' ᾧ τὸν μέγαν κατάκλυσμὸν συνέβη γενέσθαι, *Hunc Græci Deucalionem, Chaldæi Noe vocant, sub quo magnus ille cataclysmus evenit.* Deucalionis autẽ diluviũ fuisse illud universale tradebant Ægyptii teste Diodoro l. 1. Ad Italiã etiam

 pertinuisse

pertinuisse Plinius lib. 3. c. 14. Ut ad nominum illam in alias linguas transfusionem redeam, insignis est ea de re Platonis in Critia locus, τὸ δ' ὅτι βραχὺ πρὸ τοῦ λόγου δεῖ δηλῶσαι, μὴ πολλάκις ἀκούοντες Ἑλληνικὰ βαρβάρων ἀνδρῶν ὀνόματα θαυμάζητε, τὸ γὰρ αἴτιον αὐτῶν πεύσεσθε. Σόλων ὁπηνοῦν εἰς τὴν αὑτοῦ ποίησιν καταχρήσασθαι τῷ λόγῳ, διανοηθεὶς μιμεῖσθαι τὴν ὀνομάτων δύναμιν, εὗρε τοὺς παρ' Αἰγυπτίοις τὰς πρώτας ἐκείνας αὐτὰ γραψαμένους, εἰς τὴν αὑτῶν φωνὴν μεταλλοιοχόλας. αὐτὸς δὲ αὖ πάλιν ἐκεῖνα τὴν διάνοιαν ὀνόμασιν ἀναλαμβάνων, οἷς τὴμετέραν ἄγων φωνὴν ἀπεγράψατο, *Illud in hujus sermonis limine dicendum vobis, nè miremini si Græca sæpe audiatis virorum barbarorum nomina; causam jam intelligetis. Cùm Solon carminibus suis inserere hanc narrationem vellet, vim ipsam significationémque nominum perscrutatus, reperit Ægyptiorum primos qui de rebus istis scripserant, in suam ea linguam transtulisse. Ipse verò percepta nominis cujusque significatione, ea ipsa nostro vestivit sermone.* Cum Abydeni verbis congruunt illa Alexandri Polyhistoris, quæ servavit nobis Cyrillus dicto libro primo Adversùs Julianum, Ὡτιάρτη δὲ τελευτήσαντος τὸν υἱὸν αὐτοῦ Σίσουθρον βασιλεῦσαι Σάρος δεκαετίᾳ. δηλοῖ τοῦτο μέγας φασὶ γενέσθαι κατακλυσμόν. εἶτα σωθῆναι λέγει Σίσουθρον σχεδαγγέλαις αὐτὸ τοῦ Κρόνου τὸ ἐσόμενον, καὶ ὅτι σκάφην ναυπηγήσεσθαι λάρνακα· καὶ ὁμοῦ πλοίοις, ἑρπετοῖς τε καὶ κλήνεσι πλεῖν ἐν αὐτῇ, *Mortuo Otiarte filium ejus imperasse Xisuthrum per octodecim annos, quos Saros vocant. Hujus temporibus fuisse aiunt diluvium magnum. Narrat deinde servatum Xisuthrum Saturno ipsi quod futurum erat pronunciante, & fabricandam ipsi Arcam: in eo ipsi unà cum volucribus, reptilibus ac jumentis navigandum.* Assyriis autem, ut & aliis quibusdam gentibus, Deus summus ab ea stella vocabatur quæ, ut Taciti utar verbis, è septem sideribus, queis mortales reguntur, altissimo orbe & præcipuâ potentiâ ferebatur; aut certè Syriacum אֵל, quod *Deum* significat. Græci interpretes Κρόνον ideo vertêre, quòd in Syris אֵיל dicebatur. Philo Byblius Sanchuniathonis interpres Ἦλον τὸν καὶ Κρόνον λ, citat Eusebius: apud quem mox ex eodem Philone sequitur, Κρόνῳ, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ ὀνομάζουσι. Sed error est librarii, qui pro Ἦλ quod contractè pro Ἰσραὴλ Græcis Christianis poni solet, posuit Ἰσραὴλ, cùm Ἦλ sit, ut diximus, אֵיל, quomodo Syri dicunt, quod אֵל Hebræi.

(e 3) *Qui & columba emissa meminit, ut & ex Græcis Plutarchus*] Libro Terrestria an aquatica animantia plus habeant solertiæ, Δευκαλίωνι φασὶ φανῆναι ὑπὲρ τὴν λάρνακα δι' ἐμβόλου δήλωμα γῆθεν, χοιμῶντα· ἣν οὖσαν πάλιν εὐδυποροῦσαν, ἐυδίας δ' ὑπαλλάξαν, *Columbam aiunt ex arca emissam certum indicium detulisse Deucalioni, cùm rediret, tempestatis; ubi emanebat, sereni.* Notanda autem & in hoc Plutarchi & in illo Polyhistoris loco, non minùs quàm in Nicolai Damasceni & Apollodori libris, & in iis scriptoribus quibus utitur Theophilus Antiochenus l. 3. vox λάρναξ, quæ planè respondet voci תֵּבָה, quam in hac historia Moses usurpat, neque verò aliter eam vertit Josephus.

(f 3) *Lucianus*] Libro de Dea Syria, cùm de templo vetustissimo quod erat Hierapoli agere cœpisset, adjungit, Οἱ δὲ ἓν πολλοὶ Δευκαλίωνα τὸν Λυκάονος λέγουσι· οὗτον Δευκαλίωνα, ὅτι οἱ τὸ πολλὸν ὕδωρ ἐγένετο· Δευκαλίωνι δὲ πρὸς λόγου ἐστὶν Ἕλληνες ἐπ' αὐτῷ λέγουσι. ὁ δὲ μῦθος ὧδε ἔχει, Ἥδε ἡ γῆ πρὶν ἀνθρώπους ἐφέρετο, ἀλλ' ἀκούει δὲ ἡ γῆ πάντα ἀνθρώπων ἔπλητο. ἔτει δὲ γίνεται τοῦ Δευκαλίωνος εἰς πλῆθος ἀπίκετο. ἐκείνων δὲ πρὸς ἀνθρώπων τάδε μυθέονται. ὑβρεισαὶ κάρτα ἐόντες, ἀδέμιστα ἔργα ἔρεξαν· ὅρκια γὰρ ἔρκια ἐφύλασσον, ὅτε ξείνους ἐδέχοντο, ὅτε ἱκετέων ἀνέχοντο· ἀνὴρ ὃν σφισὶ ἢ μεγάλα συμφορὴ ἀπίκετο. αὐτίκα ἡ γῆ πολλὸν ὕδωρ ἐκδιδοῖ, καὶ ὄμβροι μεγάλοι ἐγένοντο, καὶ οἱ ποταμοὶ κατέβησαν μείζονες, καὶ ἡ θάλασσα δὴ πολλὸν ἀνέβη, ἐς ὃ πάντα ὕδωρ ἐγένετο καὶ πάντες ὄλοντο. Δευκαλίων δὲ μοῦνος ἀνθρώπων ἐλίπετο ἐς ἡμέων δευτέρων, συβυλίης καὶ τῶν ἐυσεβίῃ ἕνεκα. ἡ δέ οἱ σωτηρίη ἦδε ἐγένετο. λάρνακα μεγάλην, τὴν αὐτὸς ἔχε, ἐς ταύτην δὲ οἱ ἀπίκοντο σύες, καὶ ἵπποι, καὶ λέοντων γένεαὶ, καὶ ὄφιες, καὶ ἄλλα ὁκόσα ἐν γῇ νέμονται πάντα ἐς ζεύγεα· ὁ δὲ πάντα ἐδέχετο. καὶ μιν οὐκ ἐσίνοντο· ἀλλά σφισι μεγάλη Διόθεν φιλίη ἐγίνετο· καὶ ἐν μιῇ λάρνακι πάντες ἔπλευσε, ἐς τὰ τὸ ὕδωρ ἐπεκράτεε. τὰ μὲν Δευκαλίωνος πέρι Ἕλληνες ἱστορέουσι. τὰ δὲ ἀπὸ τούτου, λέγεται λόγος ὑπὸ σφίσιν ἐν τῇ ἱερῇ πόλει μεγάλως ἄξιος θωμάσαι, ὅτι ἐν τῇ σφετέρῃ χώρῃ χάσμα μέγα ἐγένετο, καὶ τὸ σύμπαν ὕδωρ κατεδέξατο. Δευκαλίων δὲ, ἐπεὶ τάδε ἐγένετο, βωμὸς ἐτέθετο, καὶ νηὸν ὑπὲρ τοῦ χάσματος Ἥρης ἄγιον ἱδρύσατο. ἐγὼ δὲ καὶ τὸ χάσμα εἶδον· καὶ ὅτι ὑπὸ τῷ νηῷ κάρτα μικρόν. εἰ μὲν γὰρ πάλαι καὶ μέγα ἦν, νῦν τοιοῦτο ἐγένετο, ὡς οἶδα· τὸ δὲ ἐγὼ εἶδον μικρόν ὅτι. σῆμα δὲ τόδε σφήσι· δὶς ἑκάστου ἔτεος ἐκ θαλάσσης ὕδωρ ἐς τὸν ἀνικητέα φέρουσι δὲ οὐχ ἱερῆες μοῦνοι, ἀλλὰ πᾶσα Συρίη καὶ Ἀραβίη καὶ πέρην τοῦ Εὐφρήτεω πολλοὶ ἀνθρώποι ἐς θάλασσαν ἵξονται, καὶ πάντες ὕδωρ φέρουσι· τὸ, πρῶτα μὲν ἐν τῷ νηῷ ἐκχέουσι, μετὰ δὲ ἐς τὸ χάσμα κατέρχεται, καὶ δέχεται τὸ χάσμα μικρὸν ἐὸν ὕδατος χρῆμα πολλόν. τὰ δὲ τοιοῦτος Δευκαλίωνα ἐν τῷ ἱερῷ τούδε νόμου θέσθαι λέγουσι, συμφορῆς τε καὶ εὐεργεσίης μνῆμα ἔμμεναι. ὁ μὲν ἐν ἀρχαίῳ αὐτοῖς λόγος ἀμφὶ τῷ ἱερῷ τοιόσδε ἐστί, *Plerique à Deucalione structum aiunt hoc templum, eo scilicet Deucalione cujus ætate vis aquarum fuit maxima. De eo autem Deucalione in Græcia audivi quod Græci narrant. Est autem sermo talis; Hoc quod nunc est hominum genus non ab initio exstitisse, sed id periisse stirpitus: qui verò nunc sunt homines secundi esse generis, quod ortum à Deucalione paulatim in ingentem multitudinem excrevit. De illis autem qui antè fuerant hominibus hæc sunt quæ memorantur; Contumelioſi homines cùm essent, iniqua facinora perpetrabant: nam neque jusjurandum servabant, neque excipiebant hospites, neque curabant supplices: ob quas res maxima eis supervenit calamitas. Statim enim terra plurimum aquæ de se extulit, tum verò plurimi de cœlo ceciderè imbres; flumina quoque ultra modum exundavere, & mare ipsum superfusum est terris, ità ut res omnes aqua fierent, homines verò perirent omnes. Solus tunc ad secundi generis exordium Deucalion relictus est, prudentia & pietatis ergò. Servatus autem hoc modo est; In arcam magnam quam habebat, liberos mulieréque domûs suæ imposuit, ipseque eam ingressus est: quod eum faceret, venêre apri, & equi, & leonum genera, & serpentes, & alia quæ in terra pascuntur, bina quaque. Ille hæc ad se animantia recepit omnia; quæ nihil nocuere, sed magna ei cum illis Divinitus amicitia obvenit: unáque in arca navigarunt omnes quamdiu aqua super terras fuit. Hæc sunt quæ de Deucalione referunt Græci. De iis verò quæ pòst acciderunt fertur ab illis qui Hierapolim habitant res admirabilis, In sua regione terra fuisse hiatum, qui aquam absorpserit omnem. Id ubi factum esset, à Deucalione postas aras & Junonis templum super illo hiatu. Hiatum ipse vidi: valde exiguus est sub templo quod dixi. An olim major fuerit, contractúsque sit eum tempore, equidem nescio: id scio, quod vidi parvum esse. In historia hujus signum quod aguni, hoc est; bis anno ex mari aqua in templum defertur. Ferunt aquam non sacerdotes tantùm, sed omnis Syria Arabiáque. Quin ab Euphrate usque eunt ad mare homines, omnéque aquam ferunt: eam primùm effundunt in templum. Descendit in hiatum aqua: & is hiatus, quamvis parvus, immensam vim aquæ recipit. Hoc cùm faciunt, ritum hunc aiunt à Deucalione institutum, in calamitatis simul & salutis partæ memoriam. Talis est vetus de Templo hoc sermo.*

(g 3) *Apud Molonem quoq;*] Verba ejus tradidit nobis Eusebius lib. 9 præpar. Euang. c. 19. Κατὰ καταχλυσμὸν ἀπὸ Ἀρμενίας ἀνελθὼν ἐλεύθερος ἄνθρωπος μὴ ἔχων ἰδίων ἐξελαυνόμενον ὑπὸ ἰσχυρῶν· διασωθεὶς δὲ μεταξὺ χώρας, ἐλθὼν εἰς ὄρεινὰ συείας ὕσαι ἔρημον, *Sub diluvii tempus excessisse ex Armenia enim hominem qui cum liberis suis diluvium evaserat, ejectum rebus suis vi indigenarum. Eundem, cùm loca interjecta transisset, pervenisse in Syria regionem montanam tunc vacuam.*

(h 3) *Et Nicolaum Damascenum*] Ejus verba ex historiæ Universalis lib. 96. sic exhibet dicto jam loco Josephus, Ἔστιν ὑπὲρ Μιγυνάδα μέγα ὄρος καὶ Ἀρμενίαν, Βάεις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὶ συμφυγόντες διὰ τὸν κατακλυσμὸν ἔσωσαν· καί τινα διὰ λάρνακος ὀχούμενον, διὰ

ὄπη ἡ ἀκρώρεια ὑκπλεῖ· ἐν τῷ λοιπὰ μὲν ξύλων ὄπη πολὺ σωθῆναι. γένοιτο δ' ἂν ἔτι & ὃν τινα καὶ Μωσῆς ἀνέγραψεν, ὃ μὲν Ἰουδαίων νομοθέτης, *Est super Minyada* (quam *Milyada* vocant Strabo & Plinius) *ingens in Armenia mons Baris dictus, in quo fama est servatos esse ex cataclysmo multos: unum verò in Arca vectum ad summum ejus jugum appulisse, diúque lignorum ejus arcæ mansisse reliquias. Hic, credo, is fuerit cujus Moses meminit, qui Judæis leges condidit.* His scriptoribus addendi Hieronymus Ægyptius, qui res Phœnicias scripsit, & Mnaseas, memorati Josepho. Fortè & Eupolemus, quem ex Polyhistore producit Eusebius Præpar. lib. 9. cap. 17.

(i 3) *Sed & in Americæ partibus*] Vide Josephum Acostam & Antonium Herreram.

(k 3) *Quod Plinio notatis*] Lib. 5. c. 13. Cõsentiunt Plinio Mela & Solinus. Confer quæ ex Abydeno jam attulimus.

(l 3) *In montibus Gordyeis*] Quos Moses *Ararath* vocat, *Kardu* transtulere Chaldæi interpretes, *Cordyæos* Josephus, *Cordæos* Curtius, *Gordyæos* scribit Strabo lib. 16. c. 27. & Ptolemæus.

(m 3) *In hunc diem*] Monstratas suo ævo has Arcæ reliquias ait Theophilus Antiochenus lib. 3. Epiphanius contra Nazaræos, Ὡς ἔτι καὶ νῦν & τὰ λείψανα τῆς τῶν Νῶε λάρνακος & δείκνυται ἐν τῇ τῶν Κορδυαίων χώρᾳ. *Ad hoc usque tempus reliquiæ Arcæ Noe monstrantur in Cordyeorum terra.* Chrysostomus oratione De perfecta dilectione. Isidorus lib. 14 Originum cap. 8. *Ararath mons Armeniæ, in quo Arcam historiæ post diluvium resedisse testantur. Unde & usque hodie ibidem lignorum ejus videntur vestigia.* Adde ex Haitone Armenio hæc quæ habet cap. 9. *In Armenia est altior mons quàm sit in toto orbe terrarum, qui Ararath vulgariter nuncupatur, & in cacumine illius montis post diluvium Arca primò sedit.* Adde Geographum Nubiensem, & Itinerarium Benjamini.

(n 3) *Japetus*] Est ipsa vox יפת. Nam eandem literam פ alii ut π, alii ut φ pronunciabant; qualis differentia & nunc est inter Germanos & Belgas. Notavit id de Hebræa litera ad Danielem Hieronymus.

(o 3) *Javon*] Nam Ἰάονες sæpe est apud vetustos scriptores. Id in Aristophanis Acharnensibus Persa pronunciat Ἰαονᾶν. Jam verò mos antiquior erat inter duas vocales interponere digamma, quod postea per υ scribi cœpit, olim sic F. ità ἀνὼς erat quod nunc ἀὼς & ὠὼς· ταὼς, ταὼς παυσὶ. Ἰαῦνας τὺς Ἕλληνας καλοῦσι, Suidas.

(p 3) *Hammo*] Nam ח per aspirationem reddere aut etiam omittere Græci solent: ut חצר־מות Ἀδραμυτῆν, vel Ἀδραμυτηνῆν. חכמות, ἀχμωθ. apud Irenæum & alios. חברה *socia*, ἄβρα Græcis veteribus. חוה αἰών. חנה, *Hanno* vel *Anno*. חני־בעל *Hannibal* vel *Annibal*. חצר־בעל *Hasdrubal* vel *Asdrubal*. חשים ἀξυμῖται. ων verò Græca est desinentia. Hic non Lybium tantùm, sed & multarum aliarum gentium pater consecratus ab ipsis in Jovis stellam. Lucanus 9.

Quamvis Æthiopum populis Arabúmque beatis
Gentibus atque Indis unus sit Juppiter Ammon.

Ægyptum quoque in hujus parte ponunt Sacræ literæ Psal. 78. 51. & 105. 23, 27. & 106. 22. Hieronymus in traditionibus Hebraicis ad Genesim, *A quo Ægyptus usque hodie HAM patriâ Ægyptiorum linguâ dicitur.*

(q 3) *Josephus & alii observant*] Is à גמר dicit esse Γαμαρῆς Galatas, ubi oppidum *Comara* Plinio; *Comari populi* Melæ lib. 1. Ex מגוג Scythas, à quibus condita Scythopolis in Syria, & altera urbs *Magog* Plinio lib. 5. cap. 23. aliis dicta *Hierapolis* & *Bambyce*. A מדי *Medos* esse apparet; ab יון quod diximus *Javonas*, *Jaonas*, *Jonas*. A תבל Josephus ait esse Iberos Asiæ, in quorum vicinia *Thabilacam* urbem vetustæ originis vestigia servantem ponit Ptolemæus. A משך est urbs ipsi memorata *Mazaca*, cujus & Strabo meminit lib. 12. & Plinius l. 6. 3. & Ammianus Marcellinus lib. 20. Adjice huic *Moschos* nominatos Straboni lib. 11. & Melæ libro tum primo, tum tertio, quos *Moschenos* dixit Plinius lib. 6. cap. 9. & *Moschicos montes* apud eosdem Melam & Plinium. A תירס esse *Thraces*, cum Josepho tradunt consensu alii, & vox indicat: præsertim si observemus Græcum ξ ab initio respondisse Syriacæ literæ ס, quod ordo indicat. De iis qui ab אשכנז corruptus est apud Josephum locus, sed dubitandum non est quin indè nomen habeat *Ascania* Homero memorata, pars Phrygiæ & Mysiæ: de qua Strabonem vide lib. 12. & Plinium lib. 5. c. 32. & *Ascanius lacus*, & ex lacu amnis apud eundem Strabonem lib. 14. & apud Plinium dicto cap. 32. libro 5. *Ascanius portus* apud Plinium lib. 5. cap. 30. *Ascania insula* eidem lib. 4. cap. 12. & lib. 5. cap. 31. A ריפת esse Paphlagonas dicit Josephus, *Riphæos* dictos aliis, quibus locis *Rhiphaces* ponit Mela lib. 1. Ab אלישה esse Αἰολεῖς idem ille nos docet Josephus, & Jerosolymitanus Paraphrastes ei adstipulatur, pro *Æolibus Græcos* nominans, totum pro parte: neque abludit *Hellas* terræ nomen. A תרשיש esse Cilices Josephus idem dicit, probátque ex urbe Tarso. Mul is enim in locis evenit, ut quæ populorum nomina fuerant, urbium facta sint nomina. De כתים unde Κίτιον suprà attigimus. A כוש Æthiopes *Chusæi* & sibimetipsis & vicinis, ut Josephi tempore, ità & nunc vocantur: unde & fluvius apud Ptolemæum, & apud Geographum Arabem urbes Æthiopiæ duæ nomen retinent: paritérque à מצרים, qui Μισὼρ, Philoni Byblio, *Mesori* sibi ipsis & accolis ii qui Græcis Ægyptii, & mensis apud eos nomen Μεσεῖ. Cedreno terra ipsa Μίσερ. Verè & hoc Josephus à פוט esse in Mauritania amnem. Meminit ejus amnis & Plinius lib. 5 cap. 1. *Phut & juxta eum regio Phutensis usque in præsens dicitur*, ait Hieronymus Tradit. Hebr. in Genes. Est non longè à Fesa, manente nunc etiam vocabulo. Qui Mosi est בנען is contractiùs Sanchuniathoni, & ex eo Philoni Biblio, Χνᾶ. Invenies id apud Eusebium lib. 1 Præpar. cap. 10. Et terra ipsa sic dicta. Stephanus De urbibus, Χνᾶ, οὕτως ἡ Φοινίκη καλεῖται, *Chna, sic appellatur Phœnice.* Et suo tempore ait Augustinus libro Expositionum epistolæ ad Romanos, rusticos ad Hipponem si interrogentur qui essent, respondere Canaani. Et Mestraimi & Canaanis nomina sunt & in Eupolemi loco, ut eum profert Eusebius Præpar 9. c. 17. A רעמה *Regema* Ptolemæo in Arabia felice, nimirum ע in γ mutato, ut in *Gomorra* aliisque vocibus. A סבא *Sabæos* deducit Josephus, notam gentem: quarum & urbs princeps *Sabæ* Straboni lib. 16. Ubi à סבתה *Sabatenos* Josephus ponit, ibi Plinio urbs est *Sobotale* lib. 6. cap. 28. להבים à *Lybium* nomine non abit: nec à נפתחים *Nepata* urbs Æthiopum Plinio lib. 6. cap 29. *Napata* Ptolemæo: nec à פתרסים *Pharusii* Plinio lib. 5. 8. *Phaurusii* Ptolemæo in Æthiopia. A צידון nota urbs omnibus poetis & historicis *Sidon*. A גרגשי oppidum *Gorasa* Ptolemæo. Ab ערקי *Arca* urbs Phœnices Ptolemæo memorata, & Plinio lib. 5. cap. 18. Ab ארודי *Aradus* insula memorata Straboni lib. 16. Plinio lib 5. cap. 20. & Ptolemæo in Syria. A חמתי *Amathus* Arabiæ nominata Herodoto in Euterpe & Thalia. Ab עילם *Elymæi* Medis contigui apud Straboném lib. 16. Plinium lib. 5. cap. 26, & 27. & apud Livium lib. 37. Horum traduces in Phrygia *Elymi* apud Athenæum lib. 4. Ab אשור *Assyrii* noti omnibus, ut & à לוד *Lydi*, unde & vox *Ludorum* Latina. Ab ארם in hunc diem semet appellant qui Græcis ab urbe צור *Syri*: nam צ modò per τ, modò per σ vertitur, unde urbs illa צור quæ *Tyrus* Græcis, *Sarra* Ennio, & *Sina*, aliis *Tina*. Strabo lib. 16 in fine, Λέγει δὲ καὶ τὸν Ἄειμιν ὁ ποιητὴς οὕς φησι Ποσειδῶνι & δμχιὸς δῆν μὴ τόπον τινὰ & Συείαν, ἢ & Κιλικίας, ἢ ἄλλης τινὸς γῆς, ἀλλὰ & Συείαν αὐτῷ, *Nominat Homerus & Arimos: eâ autem voce vult Posidonius intelligi, non partem aliquam Syriæ, aut Ciliciæ, aut alterius regionis, sed Syriam ipsam.* Idem lib. 14. Οἱ δὲ τὸν Σύρους Ἄειμους δέχονται, οὕς νῦν Ἀράμους λέγουσι, *Sunt qui per Arimos Syros intelligant, qui & nunc Arami dicuntur.* Libro autem primo, τὸν ὑφ' ἡμῶν Σύρους καλουμένους ὑπ' αὐτῶν & Σύρων Ἀραμαίους καλουμένους, *Nam qui à nobis dicuntur Syri, eos ab ipsis Syrus dici Arammæos.* Ab עוץ *Ausanitis* regio apud LXX Interpretes in Jobo. *Ausitida* dixit Aristæus. A חול urbs *Chulla* Ptolemæo posita in Syria. A גתר *Gindarus* urbs apud Ptolemæum.

Et populus *Gindareni* Plinio 5. c. 23. in Cœle-Syria. A מש *Masius* mons non procul Nisibi apud Strabonem lib. 11. & Ptolemæum in Mesopotamia. Nomina יקטן ut & חצרמות & חולן Geographi Arabes nobis in Arabia repræsentant nominibus *Balsatiaktan*, *Hadramuth*, *Chaulan*, ut notavit Cappellus vir eruditissimus. Nomen אופר retinet, ni fallor, *Opharus* fluvius, & populus *Opharita* circa Mœotim Plinio lib. 6. c. 7. Etiam urbes eas quarum hoc in loco meminit Moses, antiquissimas esse collatione scriptorum apparet. De Babylone res notissima. ארך est *Aracca*, quam in Susiane ponit Ptolemæus, unde *Araccæos campos* Tibullo dici notavit in Solinianis vir infinitæ lectionis Cl. Salmasius. Ab אכר *Acabenen* corruptè pro *Acadene* dictam suspicatur probabiliter diligens in Scripturarum interpretatione Franciscus Junius, qui & alia non pauca observavit eorum quæ jam posuimus. כלנה est *Calliniscum* oppidum ad Euphraten, cui id nomen ad Ammiani manisse tempora ex libro ejus 23 docemur. Terra שנער est Σενααρ ἡ Βαϐυλωνίας apud Histiæum Milesium in loco quem nobis conservavit Josephus Antiq. hist. lib. 1. cap. 7. & in Chronico, itémque in Præparatione Eusebius. Scripsit is res Phœnicum, lectus etiam Stephano. At rursum ע in γ mutato *Singaram* hinc *montem* Ptolemæus in Mesopotamia nominat, Plinius autem *Singaram oppidum* libro 5. c. 24. Hinc *Singarana regio* Sexto Rufo. נינוה haud dubiè est quæ Græcis contractiùs *Ninos*. In epitaphio Sardanapali,

Καὶ γὰϐ ἐγὼ τοσόσδ' εἰμὶ, Νίνε μεγάλης βασιλεύσας,
Ipse e Nini magna modò Rex nil sum nisi pulvis.

Est id nomen & apud Theognidem, Strabonem lib. 17. Plinium lib. 6. cap. 13. cujus verba sunt, *Fuit & Ninos imposita Tigri ad solis occasum spectans, quondam clarissima.* Lucanus 3.

Et felix, sic fama, Ninos.———

Habet id nomen Ptolemæus in Assyria. A כלח urbe principe nomen habet regio *Calachena*. Straboni lib. 11. bis, deinde initio libri 16. רסו est *Resaina* apud Ammianum lib. 23. Sidon nota omnibus. עזה nemo dubitare potest quin litera ע per γ, ut diximus, reddita sit *Gaza* Palæstinorum, nominata Straboni lib. 16. Melæ lib. 1. qui *ingentem & munitam admodum* vocat, Plinio lib. 5. c. 13. 6. 28. & alibi. ספרה est Heliopolis urbs Sipparorum in loco Abydeni quem modò produximus. Sippara Ptolemæo in Mesopotamia. אור est *Ur* castellum Ammiano memoratum lib. 25. חרו *Carræ* Crassorum clade nobiles.

(r 3) *Affectati in cœlum itineris*] Homerus Odysseæ λ. Ovidius 1 Metamorph.

Affectasse ferunt regnum cœleste gigantes.

Vide & Virgilium Georg. 1. & Lucanum lib. 7. Frequens est apud omnes gentes loquendi genus, ut quæ supra communem altitudinem attolluntur, dicantur ὑρανομῆκη, ut apud Homerum sæpe. Sic & Deut. 1. 28. & 9. 1. Sibyllæ nescio cujus locum de insana illa Turris substructione agentem citat Josephus talem, Πάντων ὁμοφώνων ὄντων πρὸς ἀνθρώπων πύργον ὠκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον, ὡς ὅτι ὑρανὸν ἀναϐησόμενοι δι' αὐτοῦ· οἱ δὲ θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες ἀνέτρεψαν τὸν πύργον, καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδωκαν· καὶ διὰ τοῦτο Βαϐυλῶνα αὐτὴν κληθῆναι τὴν πόλιν, *Cùm homines omnes unâ linguâ uterentur, altissimam Turrim ædificare quidam cœperunt, velut per eam in cœlum scansuri: At Dii ventis immissis evertêre turrim hanc, & suam cuique linguam attribuêre: unde urbi Babylon factum est nomen.* At ex Abydeno hæc nobis profert Eusebius Præpar. 9. ca. 14. & Cyrillus lib. 1 contra Julianum, Ἔνιοι δ' οἱ λέγουσι τὸν πρῶτον ἐκ γῆς ἀναϐόντας ῥᾴμῃ καὶ μεγάθει χωννυθέντες καὶ δὴ θεῶν ὑπεροπτήσαντας ἀμήχανον εἶδος, τύρσιν ὑλίσαντο ἀείρειν, ἵνα νιν Βαϐυλὼν δὴ· ἦδη καὶ ἄσσον εἶδε τὸ ἔργον· καὶ τὰς ἀνέμους θοΐσι βουθόοισι ἀναπτῆναι ἐπὶ αὐτοῖσι τὸ μηχάνημα· τὰ δ' ἔπτα ἐρεῖσια λέγουσι Βαϐυλῶνα. τάων δ' ὅντας ὁμογλώσσους ἐκ θεοῦ πολύθρονον φωνὴν ὀπίσσω. μετὰ δὲ Κρόνῳ καὶ Τιτῆσι σὺν ἦναι πόλεμον, *Sunt qui dicant primos illos è terra editos homines, cùm & viribus & mole suâ superbirent, ità ut se plus Diis posse jactarent, vertisse se ad Turrim struendam quo loco nunc est Babylon. Cùmque jam propè ad cœlum pervenisset opus, ventorum vi Diis auxiliantibus, disjectum id super ædificantes: ruinis impositum nomen Babylonis. Cùm verò ad id temporis unius sermonis fuissent homines, immissam in eos à Diis linguarum discrepantiam. Post id exstitisse bellum Saturnum inter & Titana.* Falsò autem à Græcis proditum, conditam à Semiramide Babylonem, etiam Berosus in Chaldaicis prodidit, ut nos Josephus docet contra Appionem 1. eundémque errorem tum ex Philone Byblio, tum ex Dorotheo Sidonio, refellit Julius Firmicus. Vide & quæ de Gigantibus & Turri ex Eupolemo nobis adducit Eusebius Præpar. Euang. lib. 20. c. 17.

(t 3) *Sodomorum incendium est apud Diodorum Siculum*] Libro 19. ubi post lacûs Asphaltitæ descriptionem, Ὃ δὲ πλησίον τόπον ἅπαντα θεῖον καὶ πυρώδης, ποιεῖ τὰ σώματα τῶν ἐπιχωρίων ὑγίεινα καὶ παντελῶς ὀλιγοχρόνια, *Vicina regio cùm igni subardeat, sevúmque odorem exhalet, in causa est cur accolarum corpora morbida sint minimèque vivacia.*

Strabonem] Libro 16. post Asphaltitæ descriptionem, Τῆ δ' ἅπασαν ἡ χώρα ἔοικε τὰ ἄλλα τεκμήρια φέρουσι πολλά. καὶ γὰϐ πέτρας τινὰς ὑπερκαιομένας δεικνύουσι ταχείας περὶ Μοασάδα, καὶ σήραγγας πολλαχοῦ· καὶ γῆν τεφρώδη, καιομένην ἡ πλατης ἐκ λιπαρῶν λειβομένης, καὶ δυσώδης πόρρωθεν πολλαμοῦ ζέοντας, κατοικίας ἠ ἀνατετραμμένας ποιεῖ λόγους· ὅτε πιστεύειν τοῖς θρυλλουμένοις ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, ὡς ἄρα ἐκοινῶτό ποτε διακαῆναι πόλεις ὀκτὼ ἐν, ἃν τῆς μητροπόλεως Σοδόμων σώζοιτο κύκλῳ ἐξήκοντά πυκάδιον. ὑπὸ σεισμῶν δὲ καὶ ἀναφυσημάτων πυρὸς καὶ θερμῶν ὑδάτων ἀσφάλτωδῶν τε καὶ θειωδῶν ἡ λίμνη φερητόσοι καὶ πόδας πυείληπται ἠροίητο· αἵ τε πόλεις αἱ μὲν καταποθῆναι, ἃς δ' ἐκλοίπασιν οἱ δυνάμενοι φυγῆν, *Esse in hoc solo ignem, multa indicia adferunt. Nam & petras ostendunt asperas & exustas circa Moasada; tum multis in locis exesas cavernas, terram cineresam, picis guttas de petris stillantes, ferventia non sine fœdo odore flumina, & habitationes passim eversas: quæ cuncta fidem faciunt famæ apud indigenas vulgatæ, olim in ea regione habitatas urbes, quarum princeps Sodoma fuerit, cujus ambitus etiamnunc ostenditur in Lx stadia patens: terra autem motibus, erumpente igne aquisque calidis & bituminosis, exstitisse qui nunc est lacum, saxa concepisse ignem, urbium absorptas alias, alias ab iis qui fugere potuerunt derelictas.*

(u 3) *Tacitum*] Hist. 5. *Haud procul indè campi, quos ferunt olim uberes magnísque urbibus habitatos, fulminum jactu arsisse: & manere vestigia, terrámque specie torridam, vim frugiferam perdidisse. Nam cuncta sponte edita aut manu sata, sive herba tenus aut flore, seu solitam in speciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vanescunt.*

(x 3) *Plinium*] Is Asphaltiten describit lib. 5. cap. 16. & lib. 35. cap. 15.

(y 3) *Solinum*] Cap. 36 editionis Salmasianæ, *Longo ab Hierosolymis recessu tristis sinus panditur, quem de cœlo tactum testatur humus nigra & in cinerem soluta. Duo ibi oppida, Sodoma nominatum alterum, alterum Gomorrum, apud quæ pomum quod gignitur, habeat licèt specimen maturitatis, mandi tamen non potest: nam fuligine intrinsecùs favillaciam ambitus tantùm extima cutis cohibet, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem.*

(z 3) *Circumcisionis vetustissimo mori testimonium præbuerunt Herodotus*] Cum errore tamen. Verba ejus sunt in Euterpe, Μουνοι πάντων Κόλχοι καὶ Αἰγύπτιοι καὶ Αἰθίοπες ἐκτετμήκασι τὰ αἰδοῖα. Φοίνικες δὲ καὶ Σύριοι οἱ ἐν τῇ Παλαιστίνῃ καὶ αὐτοὶ ὁμολογέουσι παρ' Αἰγυπτίων μεμαθηκέναι. Σύριοι δὲ οἱ περὶ Θερμώδοντα καὶ Παρθένιον ποταμὸν, καὶ Μάκρωνες τούτοισι ἀσυγκότονες ὄντες, ὑπὸ Κόλχων φασὶ νεωστὶ μεμαθηκέναι. εἰσὶ γὰρ οὗτοι οἱ ἐκτετμημένοι ἀνθρώπων μοῦνοι. καὶ οὗτοι Αἰγυπτίοισι φαίνονται ποιεῦντες καὶ ταῦτα. αὐτῶν δὲ Αἰγυπτίων καὶ Αἰθιόπων οὐκ ἔχω εἰπεῖν ὁπότεροι παρὰ τῶν ἑτέρων ἔξεμαθον, *Soli ab antiquo circumcisi sunt Colchi & Ægyptii & Æthiopes.*

Æthiopes. Phœnices autem & qui in Palæstina sunt Syri fatentur hunc se morem ab Ægyptiis accepisse. Syri verò qui ad Thermodontem & Parthenium sunt amnem, & Macrònes horum vicini, à Colchis dicunt se didicisse. Hi enim soli sunt qui circumciduntur, faciúntque ea in re eadem quæ Ægyptii. De Æthiopibus autem & Ægyptiis, utri ab alteris acceperint, liquidò dicere non possim. In Syria Palæstina nullos fuisse circumcisos præter Judæos verè dicit Josephus Antiq. hist. lib. 8. c. 4. & contra Appionem priore libro. De quibus Judæis Juvenalis,

— præputia ponunt.

Et Tacitus, *Circumcidere genitalia instituêre, ut diversitate noscantur.* Vide & Strabonem lib. 17. Tantum verò abest ut Judæi fassi sint unquam ab Ægyptiis se accepisse hunc morem, ut contrà apertè dicant Ægyptios ab Josepho didicisse circumcidi. Vide scriptorem Lexici Aruch, quem citat optimè meritus de S. literis Drusius lib. 6 Præteritorum. Neque verò commune omnibus Ægyptiis fuit circumcidi, ut Judæis: quod vel Appionis hominis Ægyptii exemplo apud Josephum discas. *Phœnicas* Herodotus haud dubiè pro Idumæis dixit: ut & Aristophanes Avibus, ubi Ægyptios & Phœnicas Φοίνικας vocat. Ammonius De verborum differentiis, *Ἰδουμαῖοι δὲ τὸ μὲν ἀρχῆθεν οὐκ Ἰουδαῖοι, ἀλλὰ Φοίνικες καὶ Σύροι, Idumæi non ab origine Judæi, sed Phœnices ac Syri.* Æthiopes autem illi qui circumcisi sunt ex Cethuræ erant posteris, ut jam dicemus. Colchi & eorum vicini ex decem sunt tribubus, quas transtulit Salmanasar. Indè in Thraciam quidam venere. Scholiastes ad Aristophanis Acharnenses, *Ὀδομάντων ἔθνος Θρακικόν. φασὶ δὲ αὐτοὺς Ἰουδαίους εἶναι, Odomantum gens est Thracica. Dicuntur autem esse Judæi.* Ubi *Judæos* intellige impropriè, Hebræos, ut sæpe. Ab Æthiopibus trans Oceanum circumcisio venit in Novum orbem, si vera sunt quæ de eo more reperto in variis ejus orbis locis narrantur.

(a 4) *Diodorus*] Lib. 1. de Colchis, *Ὅτι δὲ τοῦτο τὸ γένος Αἰγυπτιακὸν ὄν, ζημίαν εἴληφε τὸ σπέρμα τὰς ἀνδρώπους ἀφαιρεῖσθαι τοῖς κατ' Αἴσυπλον, διαμένοντος τοῦ νομίμου παρὰ τοῖς ἀποίκοις, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, Gentem hanc ab Ægyptiis ortam argumento sit, quòd circumciduntur & ipsi more Ægyptiorum, quorum mos in hac colonia mansit ut & apud Judæos.* Cùm Hebræi ab antiquo circumcisi sint, nihilo magis ostendit circumcisio Colchos illos ab Ægyptiis esse, quàm quod nos diximus ab Hebræis. Idem lib. 3. Troglodytas circumcisos narrat, Æthiopum scilicet partem.

(b 4) *Strabo*] Lib. 16. de Troglodytis, *Εἰσὶ δὲ περιτετμημένοι πρὸς καθάπερ Αἰγύπτιοι, Sunt horum quidam circumcisi, ut Ægyptii.* In eodem libro περιτμὰς tribuit Judæis.

(c 4) *Philo Byblius*] In fabula de Saturno apud Eusebium lib. 1. cap. 10.

(d 4) *Orta ab Abrahamo gentes*] Cui Abrahamo primo omnium datum Circumcisionis præceptum etiam Theodorus docuit in Carmine de Judæis, unde hos versus nobis Eusebius dedit lib. 9. Præpar. Euang. cap. 22.

Ὃς ποθ' ἅμ' υἷας πάσης ἐξήγαγε δῖον Ἀβραάμ,
Αὐλὸς ἀπ' ὠγυγίου κλιτὺς αὐέρα πᾶσι σαώσας
Σαρκὸς ἀκροτομῆσαι πόδας ἄκρα, καὶ ῥ' ἐτέλεσσεν,
Qui sanctum patriis Abrahamum eduxit ab oris,
Idem ipsum totámque domum genitalia ferro
Tegmina præcepit præcidere; paruit ille.

(e 4) *Idumæi*] Ab Esavo ità dicti, qui Οὐσωὸς Philonì Byblio. Ei enim alterum nomen erat Edom, quod Græci Ἐρυθρὰν transtulere, unde dictum *mare Erythræum:* quippe eò usque pervenit vetus Esavi posteromúmque ejus imperium. Originis ignari eos cum Phœnicibus, ut modò dixi, confuderunt. Ammonius Idumæos circumcisos ait, ut & Justinus Dialogo cũ Tryphone, & Epiphanius contra Ebionæos. Horum pars Homeritæ, quos suo etiam tempore circumcisos docet nos Epiphanius contra Ebionæos.

(f 4) *Ismaelitæ*] Circumcisi hi ab antiquo, sed eo ætatis anno quo Ismael. Josephus lib. 1. cap. 12, & 13. *Τίκτεται δὲ παῖς ἑκατέρῳ τῷ ὑστάτῳ ἔτει· ὃν ἐνάτῃ μετ' ὀγδόην ἡμέραν περιτέμνουσι, κατὰ ταὐτὰ τοῖς Ἰουδαίοις ποιοῦντες τὰς περιτομάς. Ἄβραμος δὲ ἦν ἐτῶν ἑκατὸν καὶ δέκα. Ἰσμαὴλος δὲ ὁ κλῆσις αὐτῶν τὰ ἔθνους, Ἀβράμου γεγόνασιν ἐν τῇ παλαιᾷ, ὃν τότε περιτέμνεσθαι τῷ χρόνῳ, Nascitur Abrahamo & Saræ anno ætatis sui ultimo puer, quem ipso die octavo circumcidunt; quem diem etiam nunc Judæi in circumcidendis liberis observant. At Arabes circumciduntur post annum ætatis tertium & decimum. Nam princeps eorum generis Ismaelus eâ ætate circumcisus est, filius & ipse Abrahami, sed ex ancilla.* Origenes in pulcra dissertatione contra Fatum, quæ & apud Eusebium exstat lib. 6. c. 11. & in collectione Græca cui Φιλοκαλίας nomen; *Οὐκ οἶδ' ὅπως δυνήσονται σῶσαι τὸν μὴ ὄντα Ἰουδαῖον πάντων τοιούτων ὄντα χρηματισμὸν δεῖ τῇ γενέσεως, ὡς ὀκτήμερον αὐτὸν λαβὸν περιτομὴν ἀκροποδιαζομένους καὶ ἕλκεσι, καὶ φλεγμονῇ περιπιπτομένους καὶ βασάνοις, καὶ ἅμα τῇ εἰς τὸν βίον εἰσόδῳ ἰατρῶν δεομένους· τὸν δὲ ἐν Ἰσμαηλίταις τοῖς νῦν τῆς Ἀραβίας τοιοῦτον, ὃς πάντως δεκατρισὶ περιτμηθεὶς τεσσαρεσκαιδεκατεῖς· τοῦτο γὰρ ἱστόρηται περὶ αὐτοῦ. Nescio quomodo defendere hoc possint, iis qui in Judæa nascuntur propè omnibus talem esse positurã siderum nascentibus, ut octavo die debeant circumcidi, mutilari, ulcerari, vulnera & inflammationes incurrere, ac medici ope egere simul atque vitæ limen intraverint; at Ismaelitũ, qui in Arabia sunt, talem esse posituram siderum, ut circumcidendi sint omnes ætatis anno tertio & decimo: id enim de istis proditum est.* Hos Ismaelitas Epiphanius contra Ebionæos disputans explicat *Sarracenos:* rectè admodum. Semper enim hunc morem observarunt Sarraceni, & ab eis accepere Turcæ.

(g 4) *Et alii*] Nempe illi à Cethura, de quibus locus est egregius Alexandri Polyhistoris, apud Josephum lib. 1. cap. 16. quem & Eusebius adducit Præpar. Euang. lib. 9. cap. 20. *Κλεόδημος δέ φησιν ὁ προφήτης, ὁ καὶ Μαλχᾶς, ἱστορῶν τὰ περὶ Ἰουδαίων, καθὼς καὶ ὁ Μωϋσῆς ἱστορησεν ὁ νομοθέτης αὐτῶν, ὅτι ἐκ Χαθούρας Ἀβραάμῳ ἐγένοντο παῖδες ἱκανοί· λέγει δ' αὐτῶν καὶ τὰ ὀνόματα, ὀνομάζων τρεῖς, Ἄφερ, Ἄσσυρ, Ἀφρά· καὶ ἀπὸ Ἄσσυρ τοῦ Ἀσσυρίαν κεκλῆσθαι. Ἀπὸ δὲ τῶν δύο, Ἄφερ τε καὶ Ἄφρᾶ, πόλιν τε Ἄφραν καὶ τὴν χώραν Ἀφρικὴν ὀνομασθῆναι, τούτους δὲ Ἡρακλεῖ συστρατεῦσαι ἐπὶ Λιβύην καὶ Ἀνταῖον. γήμαντα δὲ τὸν Ἄφρα θυγατέρα Ἠρακλέα, γεννῆσαι υἱὸν ἐξ αὐτῆς Δέδωρον. τούτου δὲ γενέσθαι Σοφῶνα, ἀφ' οὗ τοὺς Βαρβάρους Σοφακὰς κληθῆναι, Cleodemus Propheta, Malchas dictus, in libro De Judæis eadem dicit quæ Moses, qui Judæis leges condidit, ex Chettura Abrahamo multos esse natos liberos, quorum tres ab ipso nominantur Afer, Assur, Afra. Ab Assur dictam Assyriam. Ab aliis duobus Afra & Afer urbem Afram, terrámque Africam. Hos Herculi commilites fuisse in Lybiam & Anteam. Herculem autem, cùm Afra duxisset filiam, ex ea filium genuisse Dedorum nomine. Ex hoc natum Sophona, unde barbaros Sophacas dictos.* Hîc cætera nomina exscriptorum vitio, nec cum Mose, nec inter se collatis Josephi & Eusebii, quales habemus, codicibus congruunt. At Ἄφερ haud dubiè est qui Mosi עֵפֶר, Herculem autem intellige non Thebanum, sed multò antiquiorem Phœnicem, cujus & Philo Byblius méminit Eusebio citatus in dicto sæpe cap. 10. lib. 1 Præpar. Euang. Is ipse est Hercules cujus exercitum in Africam veniisse Sallustius in Jugurthino commemorat. Videmus ergò unde Æthiopes, pars magna Afrorum, circumcisionem acceperint, quam & Herodoti habuerunt tempore, & nunc etiam qui eorum Christiani sunt, non ex religionis necessitate, sed ex vetustissimi moris reverentia, retinent.

(h 4) *Exstabat olim apud Philonem Byblium ex Sanchuniathone*] Certè ad Abrahamum pertinere putat Scaliger quædam quæ ex Philone Byblio nobis servavit Eusebius. Ipsum vide in Auctuario ad Emendationem Temporum. Est tamen cur de eo dubitem.

(i 4) *Apud Berosum*] Ejus verba servavit nobis Josephus Antiq. hist. lib. 1. cap. 8. *Μετὰ δὲ τὴν κατακλυσμὸν δεκάτη γενεᾷ, παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος καὶ μέγας καὶ τὰ οὐράνια σοφὸς, Post cataclysmum decimâ stirpe apud Chaldæos vir exstitit justus & eximius, intérque cætera cœlestium peritus.* Hæc ad Abrahamum rectè referri temporum ratio ostendit.

(k 4) *Hecataeum*] Is librum de Abrahamo scripsit, qui periit, sed exstabat Josephi tempore.

(l 4) *Damascenum*] Nicolaum illum virum illustrem, amicum & Augusto & Herodi, cujus reliquias aliquot nuper accepimus beneficio viri Amplissimi Nicolai Peiresii, in cujus morte & literæ & literati omnes damnum incredibile fecerunt. Ejus Nicolai Damasceni verba hæc refert Josephus dicto jam loco, Ἀβραμιος ἀφικετο βασιλεύοντος Δαμασκοῦ Νικολαος φησὶ στρατῷ ἐπελθὼν ἀφ' ὑπερ τῆς γῆς ἣν κατῴκουν Βαβυλῶνος χρόνων λεγομένης, μετ' ὀλίγον δὲ πολὺν ἐκείνον μεταναστὰς, καὶ ἀπὸ ταύτης τὴν χώραν ἣν νῦν τὸ Ἰουδαίων ἔθνος ἔχει, οἰκήσας τότε μὲν Χαναναία λεγομένην, τῶν δ' Ἰουδαίων μετέπειτα, καὶ οἱ ἀπ' ἐκείνου πολυπλήθειαν ἔσχον, ἐπὶ ἐν ὀνόματι λόγῳ διήξειν τὰ ἱστορούμενα. ἔστι δ' Ἀβράμου ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ Δαμασκηνῶν γῇ τὸ ὄνομα δοξάζεται· καὶ κώμη ἀπ' αὐτοῦ δείκνυται, Ἀβράμου οἴκησις λεγομένη, *Abrames in Damasco regnavit, qui advena cum exercitu illuc venerat ex ea regione quæ supra Babylonem sita, Chaldæorum dicitur. At non multo pòst tempore cum sua multitudine etiam hinc emigrans pervênit in terram, quæ tunc Chananæa vocabatur, nunc Judæa dicitur, ubi & illi habitarunt qui ab eo orti sunt plurimi, quorum res alibi memorabo. Abrama autem in Damascena regione etiam nunc celebre est nomen, monstratúrque vicus qui ab eo dicitur Abrama habitaculum.*

(m 4) *Artapanum, Eupolemum, Demetrium*] Habes quæ horum nomine ex Alexandro Polyhistore adfert Eusebius in Præparatione lib. 9. cap. 16, 17, 18, 21, 23. Loca sunt longiora quàm ut huc transcribam. Ante Eusebium nemo est qui ea produxerit. Sed ex altari in Bethel ab Jacobo structo, de quo agitur Gen. 35. venit fabula ἐκ Βαιτυλίων, quam ex Philone Byblio habet Eusebius lib. 1. Præparat. cap. 10.

(n 4) *Apud vetustissimum Orphicorum scriptorem*] Certè enim de alio accipi ista non possunt quæ apud Clementem Alexandrinum Strom. 5. & Eusebium lib. 13. cap. 12 legimus.

Ὅστ γάρ κεν τὸν ἅπαντα θνητῶν μερόπων κραίνοντα,
Εἰ μὴ μυοψὼς τις ἀπέρρωξ φύλλ' ἄνωθεν
Χαλδαίων· ἴδεσκε γὰρ ἕλιον ἄστρον ὁπόσον,
Καὶ ζώνης κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς ἀστέλλει
Κυκλοτερὲς, ὁμοῦ τε καὶ σφίγγον κυάλοιο.
Nemo illum novit mortalia cuncta regentem,
Unicus ille nisi Chaldæo sanguine cretus:
Norat enim Solis quâ se astrum lege rotaret,
Et circùm terram magnus se volveret orbis
Æqualisq; teréq;, intus sita circumplectens.

Ubi Abrahamus μυοψὼς sic dicitur, ut apud Esaiam 51. 2. אחד. Ex cognitione autem siderum celebratus Abrahamus etiam Berosо, ut jam audivimus. Eupolemus apud Eusebium de eodem, Οὗτος δὲ καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ τὴν Χαλδαϊκὴν ἐφεῦρεν, *Hunc repertorem fuisse & scientiæ sideralis & disciplinæ insuper Chaldaicæ.*

(o 4) *Apud Justinum ex Trogo Pompeio*] Lib. 37. cap. 2. *Judæis origo Damascena, Syriæ nobilissima civitas. Pòst Abraham & Israel Reges fuere. Reges* hos ut Nicolaus, sic Trogus Pompeius dixere, quòd in suis familiis jus regium obtinuerint. Itaque & Χειροὶ vocantur Psal. 105. 15.

(p 4) *Apud eosdem ferme omnes exstat & Mosis actorúmque ejus memoria*] Vide Eusebium dicto libro 9. cap. 26, 27, 28. Quæ ex Tragico Judæo Ezechiele ibidem citantur, vera sunt, & partem eorum habes apud Clementem Alexandrinum Strom. 1. qui ex mystarum libris adfert Ægyptium à Mose verbis occisum: & Strom. 5. ex Artapano quædam habet ad Mosem pertinentia, sed non satis ex vero. Justinus ex Trogo Pompeio de Mose, *Dux igitur exsulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit: quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt: itáque Moses Damascenâ antiquâ patriâ repetitâ montem Synan occupat:* & quæ sequuntur vera falsis mixta. Ubi *Arvas* apud eum scribitur, *Arnas* legendum est. Is est Aaron, non filius, ut hic existimavit, sed frater Mosis & Sacerdos.

(q 4) *Nam aquâ extractum & duas à Deo tabulas ei datas Orphica carmina disertè memorant*] Ut quidem ea emendavit maximus Scaliger, qui literâ, vicini admodum ductûs, mutatâ, pro eo quod ex Aristobulo Eusebius Præpar. Euang. lib. 13. cap. 12. citat ὑλοχιὼς, legere nos jussit ὑδοχιὼς, ut versus sic habeant,

Ὡς λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδοχιὼς διέταξεν,
Ἐκ θεόθεν γναμπτοῖσι λαβὼν κάτα πλάκα θεσμὸν,
Ut veterum fama est, ut jussit flumine natus,
Dona Dei tabulas geminas qui sensibus hausit.

Subjungit autem hæc, quisquis ille fuit vetustissimus scriptor Orphicorum, postquam dixerat unum Deum esse colendum rerum omnium artificem ac moderatorem.

(r 4) *Adde Polemonem*] Videtur is vixisse temporibus Ptolemæi Epiphanis, quæ de re vide utilissimum V. Cl. Gerardi Vossii de Græcis historicis librum. Africanus historias Græcas ab eo scriptas ait, qui idem liber est quem Ἑλλαδικὸν vocat Athenæus. Sunt autem ejus hæc verba, Ἐπὶ Ἄπιδος τοῦ Φορωνέως μοῖρα τοῦ Αἰγυπτίων στρατοῦ ἐξέπεσον Αἰγύπτου, οἳ ὑπὸ τῇ Πληισίνῃ λεγομένῃ Συρίᾳ ὑπὸ πόρρω Ἀραβίας ᾤκησαν, *Regnante Apide Phoronei filio pars exercitûs Ægyptiaci Ægypto exiit, habitarúntque illi in ea Syria quæ Palæstina dicitur, ab Arabia non longè.* Sicut Polemonis locum Africanus, ità Africani servavit in Chronicis Eusebius.

(s 4) *Et de exitu ex Ægypto non pauca ex Ægyptiis Manethone, Lysimacho, Chæremone*] Loca sunt apud Josephum contra Appionem plena mendaciis, utpote profecta à gente semper Judæis infestissima, unde & sua hausit Tacitus. Apparet autem ex his omnibus inter se collatis Hebræos ab Assyriis ortos, parte Ægypti potitos, ibi pastoralem egisse vitam: sed operis postea servilibus pressos, exiisse Ægypto, Ægyptiis etiam quibusdam ipsos comitantibus Mose duce, pérque Arabum terras postremò perveniisse in Syriam Palæstinam, ibíque instituta eos secutos Ægyptiorum institutis contraria. Cæterùm quomodo in his quæ huic historiæ aspersere mendaciis scriptores Ægyptii inter se, quidam & secum singuli, pugnent, quótque illa seculis ab antiquitate Mosis librorum vincantur, egregiè ostendit in illo libro eruditissimo Josephus.

(t 4) *Qui non Ægyptios tantùm hostes habebat*] A quibus cum vi abscesserant: quorum instituta resciderant Judæi. De odio Ægyptiorum implacabili adversùs Hebræos vide Philonem, tum contra Flaccum, tum in legatione; ac Josephum in utroque contra Appionem libro.

(u 4) *Idumæos*] Herodes veteris odii inter Jacobum & Esavum, ad quod nova accessit causa, cùm Hebræis Idumæi transitum negarunt, Num. 20. 14.

(x 4) *Arabas*] Illos scilicet ab Ismaele ortos.

(y 4) *Phœnicas*] Cananæos scilicet vicinásque gentes, in quos Hebræis bellum æternum.

(z 4) *Diodorus Siculus*] Is libro 1 agens de iis qui deos auctores suis legibus inscripserint, addit, παρὰ Ἰουδαίοις ὑπὸ Μωσέως τὸν Ἰαὼ ὀνομαζόμενον Θεὸν, *Ut Moses qui apud Judæos Deum qui* IAO *vocatur.* Ubi Ἰαὼ est יהוה, quod eodem modo extulere & oracula & Orphica antiquis memorata, & hæretici Basilidiani, aliíque Gnostici. Idem nomen Tyrii, ut ex Philone Byblio discimus, extulere Ἰαὼ, alii Ἰαὶ, ut apud Clementem Alexandrinum est; Samaritani Ἰαβαὶ, ut apud Theodoretum legimus. Nimirum Orientis populi iisdem vocibus alii alias tribuebant vocales, unde in propriis nominibus V. Testamenti tanta diversitas. Esse in hac voce τὸ ὄντος significationem verè dictum Philoni. Præter Diodorum qui Mosis meminerint, Paræneſis ad Græcos, quæ Justino asscribitur, nominat Polemonem, Appionem, Ptolemæum Mendesium, Hellanicum, Philochorum, Castorem, Thallum, Alexandrum Polyhistorem. Quosdam horum & Cyrillus contra Julianum libro 1.

(a 5) *Et Strabo*] Locus est libro ejus 16. ubi quòd Ægyptium Sacerdotem Mosem fuisse putat, ab Ægyptiis habet scriptoribus, ut ex Josepho apparet. Addit deinde dogmata ejus non sine aliquo errore describens, Σωσιγένης αὐτῷ

αὐτῷ πολλοὶ τιμῶντες τὸ Θεῖον. ἔφη γὰρ ἐκεῖνος ἐδίδασκεν, ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῦσιν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις καὶ ζώοις καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον, οὐδ' οἱ Λίβυες ὧν ἓν ἡ ἀθεότης οἱ Ἕλληνες, ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες. οὐ γὰρ ἓν τοῦτο μόνον θεὸς τὸ περιέχον ἡμᾶς ἅπαντας καὶ γῆν καὶ θάλατταν, ὁ κόσμος καὶ τὰ ἐν αὐτῷ πάντα φύσιν. τίνα τίς ἂν εἰκόνα πλάττων διαρρήσσει τὸν ἔχων ὁμοίαν τινὶ τῶν παρ' ἡμῖν; ἀλλ' ἐᾶν δεῖ πάσας ξοανοποιΐας τε καὶ ἀφορίσαντας καὶ σηκὸν ἀξιόλογον τιμᾶν ἐνταῦθα χρεών, *Affirmabat ille, docebátque non rectè sentire Ægyptios, qui ferarum pecorúmque imagines numini tribuerent: sed nec Afros & Græcos, qui humanas. Nihil aliud esse Deum quàm unum illud quod nos cunctos terrámque & mare contineret, quod Cœlum dicimus & Mundum rerúmque naturam. Huic, aiebat, quis prudens audeat fingere imaginem rebus quæ apud nos sunt similem? Abstinendum ergò ab omni simulacrorum effictione: sed structo templo inque eo adyto quàm magnificentissimo, ibi sine ulla figura colendum Deum.* Addit viris bonis id persuasum. Addit instituta ab eo sacra & ritus nec impensis gravia, nec lymphatico furore odiosa. Narrat circumcisionem, cibos vetitos, alia: & cùm ostendisset hominem naturâ suâ animal esse societatis civilis appetens, ad eam ducere præcepta humana ac Divina, Divina verò efficaciús.

(b 5) *Et Plinius*] Lib. 30. c. 1. *Est & alia Magices factio à Mose.* Juvenalis,

Judaicum ediscunt & servant & metuunt jus,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

(c 5) *Tacitus quoque*] Historiarum 5. ubi contra Ægyptiorum fabulas *unus exsulum* dicitur.

(d 5) *Et post eos Dionysius Longinus*] Vixit is tempore Aureliani Imperatoris, gratus Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ. Is in libro De sublimi dicendi genere, cùm dixisset de Deo loquentes curare debere ut eum nobis magnum sincerúmque & impermixtum exhibeant, ταῦτα καὶ ὁ παρ' Ἰουδαίων θεσμοθέτης, οὐκ ὁ τυχὼν ἀνήρ, ἐπιλαβὼν ἢ τῇ θείᾳ δυνάμει καὶ ἀξίᾳ ἐχώρησε καθέξοντι, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσόδῳ χρήσας τοῖς νόμοις, εἶπεν ὁ θεός, φησί· τί; γενέσθω φῶς· καὶ ἐγένετο. γενέσθω γῆ· καὶ ἐγένετο, *Sic egit & is qui Judæis leges condidit, vir minimè vulgaris ingenii, ut qui Dei potestatem dignè & conceperit & elocutus fuerit, statim in principio legum hæc scribens, Dixit, ait, Deus; Quid? Fiat lux: & facta est. Fiat terra: & facta est.* Chalcidius multa ex Mose habet, & de eo sic loquitur, *Sapientissimus Moses, non humanâ facundiâ, sed Divinâ, ut ferunt, inspiratione vegetatus.*

(e 5) *Præter Thalmudicos*] In Gemara Titulo de oblationibus cap. Omnes oblationes Synagogæ. Adde Tanchuma sive Ilmedenu. Dicuntur ibi principes Magorum Pharaonis, & colloquium eorum cum Mose refertur. Accedat Numenius lib. 3 De Judæis. Verba ejus profert Euseb. l. 8. c. 8. Τὰ δ' ἐξῆς Ἰαμνῆς καὶ Μαμβρῆς Αἰγύπτιοι ἱερογραμματεῖς, ἄνδρες ὀνόμασι θεῶν μαγεύσαι κεκλημένοι τῷ, ὅτε Ἰουδαίων ἐξελαυνομένων ἐξ Αἰγύπτου· Μουσαίῳ γὰρ τῷ Ἰουδαίων ἐξηγησαμένῳ, ἀνδρὶ γνωμάτῳ θεῷ ἐυξαῖς δυναμένῳ, οἱ παρεῖναι ἀξιωθέντες ὑπὸ τοῦ πλήθους τοῦ τότε Αἰγυπτίων, ὄντες ἴσως, ὅτε τε συμφορᾶς ἁς ὁ Μουσαῖος ἐπῆγε τῇ Αἰγύπτῳ τὰς γενικωτάτας ἀπὸ πολυάνδρου ὁρμηθεὶς δυνατοί, *Deinceps verò Jannes & Mambres sacrorum scriba Ægyptii, magicis artibus præstare crediti, quo tempore exacti sunt ex Ægypto Judæi. Nam qui ab omni Ægyptiorum multitudine electi sunt, ut Musæo resisterent Judæorum duci, viro precibus apud Deum potentissimo, hi fuere, ac gravissimas calamitates à Musæo in Ægyptum invectas coram omnibus depellere quiverunt.* Ubi Mosem voce vicinâ & Græcis usitatâ *Musæum* vocat, sicut alii Jesum *Jasona*, Saulum *Paulum*. Ad eundem Numenii locum nos remittit Origenes adversùs Celsum 4. Artapanus apud eundem Eusebium lib. 9. cap. 27. hos vocat τοὺς ἱερεῖς τοὺς ὑπὲρ Μέμφιν, *Sacerdotes supra Memphim*, quibus à Rege ait mortem indictam ni paria Mosi patrarent.

(f 5) *Plinius*] Dicto jam loco.

(g 5) *Apuleius*] Apologetico secundo.

(h 5) *Tum alibi nonnulla exstant*] Ut apud Strabonem, Tacitum, Theophrastum productum à Porphyrio De non edendis animalibus secundo, ubi de Sacerdotibus & holocaustis; & quarto ejusdem operis, ubi de vetitis edi tum piscibus tum animantibus aliis. Vide & Hecatæi locum apud Josephum primo contra Appionem, & apud Eusebium in Præparat. lib. 9. cap. 4. Legem vitandæ consuetudinis alienigenarum habes in Justini Tacitíque historia: de suilla non edenda apud Tacitum, Juvenalem, Plutarchum Sympos. 4. cap. 5. Macrobium ex antiquis. Apud Plutarchum dicto loco & Levitas, & Ζελωτηγίαν reperies.

(i 5) *Tum apud Pythagoricos plurima*] Hermippus vitâ Pythagoræ citatus ab Josepho adversùs Appionem 2. Ταῦτα δ' ἱστορεῖ καὶ Ἵππυς, τὰς Ἰουδαίων καὶ Θρᾳκῶν δόξας μιμούμενος καὶ μεταφέρων εἰς ἑαυτόν· ἦν δὲ ἀνὴρ ἐπιτήδειος καὶ πολλὰ τῶν παρὰ Ἰουδαίοις νομίμων εἰς τὴν αὑτοῦ μετῳκίσατο φιλοσοφίαν, *Hæc faciebat dicebátque, Judæorum ac Thracum opiniones imitans & sibi vindicans. Verè enim vir ille multa Judæorum instituta in suam philosophiam transtulit.* Τὸ θυσιμαίων ἀπέχεσθαι, *abstinere morticinis*, inter Pythagoræ præcepta ponit Hierocles, Porphyrius epistolâ ad Anebonem, & Ælianus lib. 4. id est, ex Levit. 7. 15. Deut. 14. 21. Οὗ τύπου μὴ ἐσθίειν νεκρὸς δακτυλῷ ex Pythagora est apud Malchum sive Porphyrium Hortatione ad Philosophiam, & apud Diogenem Laertium. Id ex Decalogi est præcepto secundo. *Quod non posuisti nè tollas*, inter Judaica ponit Josephus contra Appionem libro altero, inter Pythagorica Philostratus. Iamblichus, ἥμερον φυτὸν καὶ ἥμερον μήτε βλάπτειν, μήτε φθείρειν, *arbor mitis & frugifera nè corrumpatur, néve ei noceatur*, ex Deut. 20. 19. *Non transfoundum locum ubi asinus in gramina fuderit*, Pythagoræ tribuit is quem dixi Hermippus. Origo ex historia quæ est Num. 22. 27. Platonem quoq; multa ex Hebræis sumpsisse agnoscebat Porphyrius, ut Theodoretus notat Sermone contra Græcos 1. Partem eorum videbis in Præpar. Eusebii.

(k 5) *Veteribus Judæis insigne & religionis & justitiæ testimonium perhibent & Strabo & ex Trogo Justinus*] Strabo quidem lib. 16. post Mosis historiam, οἱ δὲ διαδεξάμενοι χρόνους μετὰ τινας ὀλίγους τοῖς αὐτοῖς δόγμασι δικαιοπραγοῦντες καὶ εὐσεβοῦς, οἷς Ἰουδαῖοι, ὄντες, *Successores verò ad aliquod tempus in iisdem institutis mansere, justi verèque religiosi.* Idem paulò antè eos qui Mosi crediderant ait fuisse τιμῶντας τὸ θεῖον, *Dei reverentes*, & εὐνομένους, *æqui amantes.* Justinus verò sic libro 36. cap. 2. *Quorum* (Regum scilicet & Sacerdotum) *justitiâ religione permixtâ, incredibile quantum coaluere.* Aristoteles quoque magnum sapientiæ & eruditionis testimonium Judæo, quem viderat, præbuit, Clearcho teste lib. 2 De somno, quem exscripsit Josephus. Tacitus inter multa falsa hoc verè; coli ab Judæis *summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum*, i. Deum, ut de iisdem Judæis agens Dio Cassius loquitur, ἄῤῥητον καὶ ἀειδῆ, *qui nec voce exprimi, nec à nobis conspici possit.*

(l 5) *Eliæ*] De cujus prophetia Eupolemo scriptum librum dicit Eusebius Præpar. lib. 9. cap. 30. Ejusdem locum de Jeremiæ Prophetiis profert eodem libro Eusebius cap. 39.

(m 5) *Est apud Lycophronem*] Versus hi sunt,

Τειταίᾳ λέοντος, ὃν ποτ' ἀγάθοις
Τέτων ἀμάλαψε κάρχαρος κύων·
Ἐμανὲς δ' ἀιχθὲς ὑπάτων φλοιδώμενος
Τινδῷ λάβρος, ἀρλόγοις ἐπ' ἐχάρεις
Σμήνεγγας ἐσάλαξε καδδίας πέδῳ.
Trivespéri leonis, olim quem suis
Malis veravit sæva Tritonos canis,
Cùm vivus intrà cœnum coquus, versans jecur
Imo lebetis in fine ignibus foco
Sudore totum per caput madefaceret.

Ad quem locum Tzetzes, Διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας ποιῆσαι, *quia per triduum intra cetum fuit.* Æneas Gazæus Theophrasto, ὥσπερ καὶ Ἡρακλῆς ἀδήτας, διαῤῥαγέντος τοῦ πλοίου ὑφ' ἧς ἤλαυνε, ὑπὸ κήτους κατακοπέντας, καὶ διασωθέντος, *Sicut Hercules narratur, fractâ quâ vehebatur navi, à cete voratus incolumis factus.*

 (n 5) *No-*

(n 5) *Notatum Tacito*] Et Servio, tum Varrone, tum Verrio Flacco auctoribus.

(o 5) *Viros Divino spiritu afflatos vixisse inter Judæos*] Lib. 3. apud Cyrillum.

(p 5) *Ad Mosis atque Eliæ sacrificia ignem cœlitus delapsum*] Julianus in libro Cyrilli 10. Πεσσάγην ἡ ἱερεῖα βωμῷ ἢ θύειν παρητήσατο. πῦρ γάρ, φησιν, ὃ κάτωσιν ὥσπερ ὅτε Μωσέως τὰς θυσίας ἀνάλισκον. ἅπαξ τοῦτο ὅτε Μωσέως ἐγένετο, ἢ ὅτε Ἠλίου τοῦ Θεσβίτου πάλιν μὴ πολλὰς χέρνες, *Aris admovere victimas & sacrificare defugitis. Nempe quòd ignis de cœlo non descendat ut Mosis tempore, & victimas consumat. Atqui id semel tantùm accidit sub Mose, & multo pòst tempore cùm viveret Elias Thesbita.* Vide & sequentia de igne cœlesti. Cyprianus Testimoniorum 3. *Item in sacrificiis quæcunque accepta habebat Deus, descendebat ignis de cœlo qui sacrificata consumeret.* Menander autem in Phœnicum historia meminerat summæ illius siccitatis quæ Elia florente contigit, i. regnante apud Tyrios Ithobalo. Vide Josephum Antiq. hist. lib. 8. cap. 7.

(q 5) *Supplicia gravia apud Hebræos constituta fuisse in eos qui Prophetia munus sibi falsò arrogarent*] Deut. 13. 5. & 18. 20. & seqq.

(r 5) *Plurimos Reges*] Nemo id ausus post Davidem.

(s 5) *Qualis Esdras*] Ad illa tempora asscribere solent Hebræi, *Hactenus Propheta, jam incipiunt Sapientes.*

(t 5) *Nec aliquot seculis quenquam ante Jesu tempora*] Itáque libro 1 Maccab. cap. 4. v. 46. legimus contaminati altaris lapides sepositos seorsim μέχει τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην τοῦ ἀποκριθῆναι περὶ αὐτῶν, *Donec veniret Propheta qui de iis responderet.* Ejusdem libri cap. 9. v. 27. Καὶ ἐγένετο θλῖψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραὴλ, ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης αὐτοῖς, *Facta est tribulatio magna in Israel, quæ non est facta à qua die non est visus Propheta eis.* Idem legis in Thalmude, titulo de Synedrio.

(u 5) *Oraculi ejus quod ex pectorali summi Pontificis effulgebat*] Vide Exodi 28. 30. Levit. 8. 8. Num. 27. 21. Deur. 33. 8. 1 Sam. 21. 11. & 22. 10, 13, 15. & 23. 2, 5, 9, 10, 11, 12. & 28. 6. Adde Nehemiam 7. 65. Adde Josephum lib. 3. c. 9. Hoc est ἐρώτημα δήλων apud Sirachidem 33. 4. Nam vox δῆλα propriè respondet Hebræo אורים, atque ità vertunt Lxx dictis locis Num. 27. 21. 1 Sam. 28. 6. & alibi δήλωσιν, ut Exodi 28. 26. Lev. 8. 8. תמים verò iidem vertunt ἀλήθειαν. Imitati hoc, sed ut pueri virorum res imitantur, Ægyptii. Diodorus lib. 1. in rebus Ægyptiorum describit ἀρχιδικαστὴν ἔχοντα τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τοῦ τραχήλου, *Summum judicem qui haberet de collo pendentem veritatem.* Atque iterum postea, Συντάξεις ἦσαν ἀναγκαῖαι παρὰ τοῦ βασιλέως τοῖς μὲν δικασταῖς ἱκανὰι πρὸς διατροφὴν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων· τῷ δ' ἀρχιδικαστῇ παμπλήσιοι. ἐφόρει δ' ὅταν δέῃ τὸν τραχήλου ἐκ χρυσοῦ ἁλύσεως ἠρτημένον ζῶδιον ὃ καλοῦσι λίθων τιμιωτάτων ἀπειργασμένον ἀλήθειαν. ὃ δ' ἀμφισβητήσεων ἐχόντων ἐπιδὰν τοῦτο τὴν ἀλήθειαν εἰκόνα ὁ ἀρχιδικαστὴς προσθῆται, *Salaria ad victum réque alias necessarias à Rege judicibus præbebantur: ampliſsima autem summo judici. Gestabat is de collo pendens ex aurea catena simulacrum è pretiosis lapidibus, cui nomen Veritas. Causa autem dictio tunc incipiebat cùm hoc veritatis simulacrum sibi summus judex aptasset.* Ælianus Var. hist. lib. 14. cap. 24. Δικασταὶ ἦσαν τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἧσαν. ὧν ἦν τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας. ἦσαν ἦν αὐτῶν οἱ δικαιότατον ἀνδρώπων καὶ ἀφιλοκερδέστατον. ἔσχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα, ἀλήθεια. *Apud Ægyptios qui judicabant sacerdotes erant. Eorumque princeps, qui ætate anteibat cæteros: is in omnes jus dicebat. Eum verò esse oportebat omnium & justissimum & parcentem nemini. Gerebat autem de collo imaginem ex sapphiro, eáque imago Veritas dicebatur.* Gemara Babylonica cap. 1 codicis Joma ait in secundo Templo defuisse quæ in primo fuerant, Arcam cum Propitiatorio & Cherubim, Ignem cœlitus lapsum, Schecina, Spiritum S. Urim & Thummim.

XVIII. Huic ex miraculis argumento affine est alterum ad probandum Dei providentiam non minus efficax, ex prædictionibus rerum futurarum, quæ apud Hebræos plurimæ exstant & apertissimæ: (a) ut de orbitate ejus qui Hierichuntem restitueret: de exscindendo per regem, Josiam nomine, templo Bethelis, (b) trecentis & ampliùs annis priusquam res eveniret. Sic (c) Cyri quoque nomen ipsum ac res præcipuæ præsignificatæ ab Esaia: exitus obsidionis quâ Chaldæi Hierosolyma cinxerunt, ab Jeremia: (d) à Daniele verò translatio imperii ab Assyriis ad Medos ac Persas, (e) indè ad Alexandrum Macedonem; (f) cujus deinde ex parte successores forent Lagidæ & Seleucidæ; quæque mala populus Hebræus ab his omnibus, (g) maximè verò ab Antiocho Illustri, accepturus esset, adeò perspicuè, (h) ut Porphyrius, qui historias Græcas suo adhuc tempore exstantes cum vaticiniis istis contulit, aliter se expedire non potuerit quàm ut diceret ea quæ Danieli tribuebantur, post eventum fuisse scripta: quod perinde est quasi quis neget, quæ sub Virgilii nomine exstant, & pro Virgilianis habita sunt semper, ab ipso scripta Augusti ævo. Non enim de isto quod dicimus magis unquam dubitatum inter Hebræos fuit quàm de hoc apud Romanos. Addi his possunt oracula plurima & clarissima (i) apud Mexicanos & Peruanos, quæ Hispanorum in eas terras adventum & secuturas indè calamitates prædixerunt. Referri huc possunt & somnia non pauca, tam exactè congruentia cum eventibus, qui & in se, & in causis suis, somniantibus erant planè incogniti, ut ad casum, aut causas naturales referri, nisi inverecundè, non possint: cujus generis illustria exempla ex probatissimis scriptoribus (k) libro De anima Tertullianus congessit: & (l) spectra, non visa tantùm, sed & loqui audita, tradentibus hæc historicorum etiam illis qui à superstitiosa credulitate absunt longissimé; & nostri quoque ævi testibus, qui in Sina, quíque in Mexicana & aliis Americæ partibus vixere. Neque spernenda publica illa (m) ad tactum ignitorum vomerum innocentiæ examina, quorum tot Germanicarum nationum historiæ, ipsæque leges meminerunt.

ANNOTATA.

(a) *Ut de orbitate ejus qui Hierichuntem restitueret*] Confer Jos. 6. 26. cum 1 Reg. 16. 34.

(b) *Trecentis & ampliùs annis*] CCCLXI. ut Josephus putat Antiq. hist. lib. 10. cap. 5.

(c) *Cyri quoque nomen ipsum ac res præcipuæ præsignificatæ ab Esaia*] Cap. 37. & 38. Implementum vide cap. 39 & 52. Et prophetiæ & implementi testimonium ex Eupolemo adfert Eusebius Præpar. lib. 9. c. 39.

(d) *A Daniele verò translatio imperii ab Assyriis ad Medos ac Persas*] Dan. 2. 32, 39. & 5. 28. & 7. 5. & 8. 3, 20. & 10. 20. & 11. 2.

(e) *Indè ad Alexandrum Macedonem*] Dicto cap. 2. 32 & 39. & 7. 6. & 8. 5, 6, 7, 8, 21. & 10. 20. & 11. 3, 4.

(f) *Cujus deinde ex parte successores forent Lagidæ & Seleucidæ*] Cap. 2. 33, 40. & 7. 7, 19, 23, 24. & 8. 22. & 11. 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20.

(g) *Maximè verò ab Antiocho Illustri accepturus esset*] Cap. 7. 8, 11, 20, 24, 25. & 8. 9, 10, 11, 12, 13, 14, 23, 24, 25, 26. & 11. 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45. & 12, 1, 2, 3, 11. Hæc loca, sicut nos, exponunt Josephus lib. 10. cap. 12. & 12. cap. 11. & De bello Jud. lib. 1. cap. 1. Chrysostomus 2 Adversùs Judæos, Josephi utens testimonio, & Polychronius, Græcorúmque alii.

(h) *Ut Porphyrius*, &c.] Vide Hieronymum passim ad Danielem.

(i) *Apud Mexicanos & Peruanos*] Mira sanè sunt quæ de istis oraculis referunt Incha, Acosta, Herrera, alii. Vide & Petrum Ciezam tomo 2 rerum Indicarum.

(k) *Libro*

(k) *Libro De anima Tertullianus*] Cap. 46. ubi notabilia refert somnia Astyagis, Philippi Macedonis, Himereæ feminæ, Laodices, Mithridatis, Balaridis Illyrici, M. Tullii, Artorii, Polycratis Samii filiæ, ejus quæ gerula Ciceroni, Cleonymi Pythæ, Sophoclis, Neoptolemi tragœdi. Habes quædam horum & apud Valerium Max. lib. 1. c. 7. præterea Calpurniæ de Cæsare, P. Decii & T. Manlii Consulum, T. Atinii, M. Tullii in exsilio, Annibalis, Alexandri Magni, Simonidis, Crœsi, matris Dionysii tyranni, C. Sempronii Gracchi, Cassii Parmensis, Aterii Rufi equitis Romani, Amilcaris Pœni, Alcibiadis Athenienſis, Arcadis cujusdam. Sunt & notabilia apud Ciceronem De divinatione, nec indignum memoratu quod Plinius habet lib. 25. cap. 2. de matre in Lusitania militantis. Adde illa Antigoni & Artuculis qui Osmanidarum generis auctor, in Monitis Lipsianis lib. 1. cap. v. 5. & alia quæ collegit vir magnæ diligentiæ Theodorus Zuingerus Voluminis 5. libro 4. titulo De insomniis.

(l) *Spectra non visa tantùm, sed & loqui audita*] Vide Plutarchum vitâ Dionis & Bruti, & de eodem Bruto Appianum Civilium quarto, & Florum libro 4. cap. 7. Adde Tacitum de Curtio Rufo Annalium 11. quæ eadem historia est in epistola Plinii 27 libri 7. simul cum altera, de eo quod vidit Athenis philosophus sapiens & intrepidus Athenodorus. Vide & quæ apud Valerium Maximum lib. 1. cap. 8. præsertim de Cassio homine Epicureo exterrito ad conspectum Cæsaris à se occisi, & apud Lipsium Monitorum lib. 1. cap. v. 5. Multas historias tales congesserant Chrysippus, Plutarchus libro De Anima, Numenius lib. 2 De animarum immortalitate, memorante Origene contra Celsum quinto.

(m) *Ad tactum ignitorum vomerum innocentiæ examina*] Vide testimonia hac de re congesta à Francisco Jureto ad epistolam Ivonis Episcopi Carnutensis 74. Quàm autem id antiquum sit docet Sophocles Antigone, ubi sic Thebani Oedipodæ loquuntur,

Ἡμῖν δ' ἕτοιμοι καὶ μόλυβδος αἴρειν χεροῖν,
Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὀμνύμεν,
Τὰ μήτε δρᾶσαι, μήτε τῷ ξυνδρᾶνα,

In hoc parati tangere ardentes sumus
Massas, per ignes ire, jurare aut deos,
Non hujus esse nec reos, nec conscios.

Docet & ex iis quæ in luco Feroniæ apud Soracte olim spectata ferunt Strabo lib. 5. Plinius Hist. Nat. lib. 7. cap. 2. & ad Virgilium 11 Æneidos Servius. His naturæ ordinem egredientibus addi posse arbitror, quæ contrà telorum jactus tutandis corporibus usurpari videmus. Vide & de iis qui exsectâ ob religionem linguâ locuti, testes certissimos Justinianum l. 1. C. de officio Præfecti prætorio Africæ, Procopium Vandalicorum 1. Victorem Uticensem libro De persecutionibus, Æneam Gazæum Theophrasto.

XVIII. Nec est quòd quisquam objiciat, talia miracula hoc tempore non conspici, nec audiri tales prædictiones. Satis enim est ad probationem Divinæ providentiæ, factum id esse aliquando; quâ semel constitutâ consequens est, ut tam providè ac sapienter nunc credatur Deus abstinere à talibus quàm olim ea usurpaverit. Neque verò æquum fuit, leges Universo datas de rerum cursu naturali & futurorum incertitudine, temere aut semper excedi: sed tum demum cùm digna incidisset causa, ut quo tempore veri Dei cultus toto propè orbe ejectus in uno mundi angulo, i. in Judæa, residebat, & adversùs circumfusam impietatem novis subindè præsidiis muniendus erat, aut cùm Christiana religio, de qua peculiariter mox agemus, ex Dei decreto per totum orbem primùm spargi debuit.

XIX. Solent nonnulli, ut de Divina providentia dubitent, moveri conspectu scelerum, quorum velut diluvio quodam hic orbis obruitur: quæ coercere atque reprimere præcipuum contendunt Divinæ providentiæ, siqua esset, opus futurum fuisse. Sed facilis est responsio, Cùm hominem Deus condidisset liberum ad bene malóque agendum, sibi reservatâ bonitate planè necessariâ atque immutabili, (a) æquum haud fuisse ut malis actionibus impedimentum poneret ei libertati contrarium. Cæterùm quæcunque sunt impediendi rationes cum libertate data non pugnantes, ut legis constitutio ac promulgatio, monitus interni externíque cum minis etiam & promissis, earum nulla à Deo prætermittitur: sed nec malitiæ effectus finit quò possent evagari; unde nec imperia everti, nec legum Divinarum cognitio planè deleri unquam potuit. Quæ verò permittuntur scelera, nõ carent interim suo fructu, cum adhibeantur, ut attingere suprà cœpimus, aut ad puniendos alios non minùs sceleratos, aut ad corrigendos qui extra virtutis viam prolapsi sunt, aut ad exigendum specimen eximium patientiæ atque constantiæ ab his qui magnos in virtute profectus fecerunt. Postremò & ipsi quorum ad tempus dissimulata videntur scelera, pœnas eorum cum temporis usura solent solvere, ut de iis fiat quod Deus voluit, qui fecerunt quod Deus noluit.

ANNOTATA.

(a) *Æquum haud fuisse ut malis actionibus impedimentum poneret ei libertati contrarium*] Tertullianus Adv. Marc. 2. *Tota ergò libertas arbitrii in utramque partem concessa est illi, ut sui dominus constanter occurreret & bono sponte servando, & malo sponte vitando: quoniam & aliàs positum hominem sub judicio Dei oportebat justum illud efficere de arbitrii sui meritis, liberi scilicet. Cæterùm nec boni nec mali merces jure pensaretur ei qui aut bonus aut malus necessitate fuisset inventus, non voluntate. In hoc & lex constituta est non excludans, sed probans libertatem de obsequio sponte præstando, vel transgressione sponte committenda: ità in utrumque exitum libertas patuit arbitrii.* Mox, *Igitur consequens erat, ut Deus secederet à libertate semel concessa homini, id est, contineret in semetipso & præscientiam & prapotentiam suam, per quas interceßisse potuisset quominus homo malè libertate sua frui aggressus, in periculum laberetur. Si enim interceßisset, rescidisset arbitrii libertatem, quam ratione & bonitate permiserat.* Tractat hoc ipsum eruditè, ut solet, Origenes quarto contra Celsum, ubi hoc inter alia, Ἀρετῆς ἐὰν ἀνέλῃς τὸ ἐκούσιον, ἀνῄρηκας αὐτῆς καὶ τὸ εἶναι, *Virtuti humanæ si auferas libertatem, ipsam ejus naturam sustuleris.*

XX. Quòd si quando nullæ apparent scelerum supplicia, &, quod multos infirmos solet offendere, boni quidam, malorum violentiâ oppressi, non vitam modò agunt ærumnosam, sed & mortem sæpe subeunt, & quidem infamem; non ideo mox tollenda est à rebus humanis Dei providentia, quæ tam validis, ut jam diximus, argumentis esse ostenditur; sed potiùs cum sapientissimis viris ità colligendum est,

XXI. Cùm Deus curet actiones, justúsque sit, & ità interim fiant, exspectandum est aliquod post hanc vitam judicium, nè aut insignis improbitas sine pœna, aut magna virtus sine solatio præmióque maneat.

XXII. (a) Hoc autem ut statuamus, etiam animos superesse corporibus statui necesse est: quæ antiquissima traditio à primis (unde enim alioqui?) parentibus ad populos moratiores penè omnes manavit; ut (b) ex Homeri carminibus apparet, & (c) ex Philosophis non Græcorum tantùm, sed & Gallorum veterum, (d) quos Druidas vocabant, & (e) Indorum, quos Brachmanes: & ex iis (f) quæ de Ægyptiis (g) & Thracibus, quin & Germanis, scriptores plurimi prodiderunt. Quin & de judicio Divino post hanc vitam plurima exstitisse videmus non apud Græcos tantùm, (h) sed & apud Ægyptios & (i) Indos, ut nos Strabo, Diogenes Laertius, (k) Plutarchus docent: quibus addi potest traditio de Mundo hoc conflagraturo, quæ olim (l) apud Hystaspem & Sibyllas, nunc quoque (m) apud Ovidium (n) & Lucanum & (o) Indos Siamenses reperitur: cujus rei indicium (p) & Astrologis notatum Sol ad terras propiùs accedens. Etiam cùm in Ca-

narias

narias, Americam & alia longinqua loca primùm ventum eſt, reperta ibi quoque eadem de animis & judicio ſententia.

ANNOTATA.

(a) *Hoc autem ut ſtatuamus, etiam animos ſupereſſe corporibus ſtatui neceſſe eſt*] Qui argumentum hoc fuſiùs tractatum volet legere, recurrat ad Chryſoſtomum ad 2 Cor. 18. in Ethico, eundem Tomo 6. contra eos qui à dæmonibus aiunt res humanas adminiſtrari, & 4 Serm. De providentia.

(b) *Ex Homeri carminibus apparet*] Maximè in ea parte quæ νεκυία dicitur, cui addi poſſunt ſimiles νεκυίαι apud Virgilium, Senecam in Oedipode, Lucanum, Statium, & quod eſt 1 Sam. 28.

(c) *Ex Philoſophis*] Pherecyde, Pythagora ac Platone, omníque horum ſcholâ. His Empedoclem & oracula plurima adjungit Juſtinus Apologetico 2. Anaxagoram & Xenocratem Theodoretus.

(d) *Quos Druidas vocabant*] Docebant hi non interire animas, teſte Cæſare lib. 6. De bello Gallico. Strabo lib. 4 de iiſdem, ἀφθάρτους ϑ λέγουσι καὶ ἔτι καὶ ἄλλοι τὰς ψυχάς, *Et hi & cum his alii interitûs expertes dicunt animas.*

(e) *Et Indorum, quos Brachmanes*] Quorum ſententiam ſic exprimit nobis Strabo lib. 15. Νομίζειν μὲν ϑ δὴ τὸν ἀνθρώπινον βίον, ὡς ἂν ἀκμὴν κυοφόρων ὄντων· τὸν ϑ ϑάνατον γένεσιν εἰς τὸν ὄντως βίον καὶ τὸν εὐδαίμονα τοῖς φιλοσοφήσασι, *Hanc vitam habendam eſſe quaſi recèns concepti fœtûs ſtatum: mortem verò partum eſſe ad eam quæ verè vita eſt, planéque beatam, iis ſcilicet qui ſapientiam ſectati fuerint.* Vide & inſignem de hac eorum ſententia locum lib. 4 Porphyrii De non edendis animalibus.

(f) *Quæ de Ægyptiis*] Herodotus Euterpe Ægyptiorum eſſe ait dogma, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατος ἔϛι, *morte carere humanas animas.* Idem tradit de iis Diogenes Laertius in procœmio. Tacitus lib. 5 Hiſtor. de Judæis, *Corpora condere quàm cremare è more Ægyptio. Eadémque cura, & de infernis perſuaſio.* Vide de anima Oſiridis Diodorum Siculum, & Servium ad VI Æneidem, cujus pleraque ab Ægyptiis deſumpta ait.

(g) *Et Thracibus*] Repete hîc locum Hermippi de Pythagora, quem modò ex Joſepho protulimus. Mela lib. 2 de Thracibus, *Alii reduturas putant animas obeuntium: alii etſi non redeant, non exſtingui tamen, ſed ad beatiora tranſire.* De iiſdem Solinus cap. 10. *Nonnulli eorum putant obeuntium animas reverti: alii non extingui, ſed beatas magìs fieri.* Hinc mos ille lætitiæ ſignis funera proſequendi & his ſcriptoribus memoratus, & Valerio Maximo lib. 1. cap. 6, 12. Facit ea, res credibile quod ex Scholiaſte Ariſtophanis modò diximus, Hebræorum quoſdam jam olim veniſſe in Thraciam.

(h) *Sed & apud Ægyptios*] Quæ de inferis Orpheus prodidit, ab Ægyptiis ſumpta ait Diodorus Siculus lib. 1. Repete quæ ex Tacito jamjam habuimus.

(i) *Indos*] In quorum ſententiis ponit Strabo lib. 15. περὶ καθ' ᾅδου κρίσεων, *de judiciis quæ apud inferos exercentur.*

(k) *Plutarchus*] De his qui ſerò à Deo puniuntur, & De facie in orbe Lunæ. Vide & egregium ejus locum ex dialogo De anima recitatum ab Euſebio Præpar. Euang. lib. 11. cap. 38.

(l) *Apud Hyſtaſpen & Sibyllas*] Teſtis Juſtinus Apologetico altero, & Clemens Stromateon 6, unde & illud ſumptum quod ex tragœdia citatur,

Ἔϛαι γὰρ, ἔϛαι κῶπος αἰώνων χρόνος,
Ὅταν πυρὸς γένωνται θησαυροὶ χθονὸς
Χρυσοῦ τε καὶ ϑήρης· ἡ ϑ βροτηθεῖσα φλὸξ
Ἅπαντα ταπίγεια καὶ μιλήσια
φλέξει μανῆσ'· ὑπὰρ δ' ἀχ' ἁλίπλητ τὸ πᾶν,
Φρῦδος μὲν ἔϛαι κυμάτων ἄπας βυθὸς,
Γῆ δενδρέων ἔρημος, οὐδ' ἄλης ἔτι
Πίσσωτὰ φῦλα βασάνοις πυρώμενος,

Nam veniet ille, veniet haud dubiè dies,
Laxabit ignis cùm redundantes opes
Auratus æther: lege tum ſpretâ furens
Terras, & illis quicquid eſt ſublimius,
Depaſcet ardor: indè cùm defecerit
Hoc omne, nullas jam ferent undas vada,
Neque ulla ramos eriget tellus, neque
Exuſtus aer paſcet aligerum genus.

(m) *Apud Ovidium*] Metamorphoſeon 1.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, adfore tempus
Quo mare, quo tellus, correptáque regia cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

(n) *Et Lucanum*] Libro 1.

Si cum compage ſolutâ
Secula tot mundi ſuprema coegerit hora,
Antiquum repetent iterum chaos omnia: miſtis
Sidera ſideribus concurrent: ignea pontum
Aſtra petent: tellus extendere littora nolet,
Excutiétque fretum: fratri contraria Phœbe
Ibit, & obliquum bigas agitare per orbem
Indignata, diem poſcet ſibi, totáque diſcors
Machina divulſi turbabit fœdera mundi.

Præiverat Lucano patruus Seneca, fine ad Marciam, *Sidera ſideribus incurrent, & omni flagrante materiâ, uno igne quicquid nunc ex diſpoſito lucet ardebit.*

(o) *Apud Indos Siamenſes*] Vide Ferdinandum Mendeſium.

(p) *Et Aſtrologis notatum*] Copernico Revolutionum lib. 3. cap. 16. Joachimo Rhætico ad Copernicum, Gemmæ Friſio. Vide & Ptolemæum lib. 3. cap. 4 Syntaxeos Mathematicæ. Mundum non illis viribus ſtare quibus priùs ſteterat, ídque ipſum loqui mundum, & *occaſum ſui rerum labentium probatione teſtari* ait Cyprianus ad Demetrianum.

XXIII. Neque verò ullum poteſt reperiri ex natura petitum argumentum, quod hanc tam veterem, tam latè patentem traditionem refellat. Nam quæ perire cernimus omnia, ea pereunt aut oppoſitu contrarii validioris, ſicut frigus perit vi magnâ caloris; aut ſubtractione ſubjecti, à quo pendent, ut magnitudo vitri fracto vitro; aut defectu cauſæ efficientis, ut lux ſolis abitu. Nullum autem horum poteſt de animo dici. Non primum: quia nihil poteſt dari quod animo ſit contrarium; imò ea eſt ejus natura peculiaris, ut quæ inter ſe contraria ſunt, ea pariter & eodem tempore in ſe capiat ſuo, i. intellectuali, modo. Non ſecundum: quia nec ſubjectum eſt ullum à quo pendeat animi natura. (a) Si quod enim eſſet, id eſſet corpus humanum. At id non eſſe ex eo apparet quòd cùm vires quæ corpori inhærent agendo laſſentur, ſolus animus actione laſſitudinem non contrahit: item (b) corporis vires læduntur à nimia excellentia rei objectæ, ut viſus à ſolis luce; at animus quò circa excellentiora verſatur, ut circa figuras à materia abſtractas, circa univerſalia, (c) eò redditur perfectior. Quæ corpori inhærent vires occupantur circa ea quæ locis ac temporibus definita ſunt, quæ eſt natura corporis; at animus etiam circa infinitum & æternum. Quare cùm in operando animus à corpore non pendeat, nè eſſe quidem ipſius indè pendet. Nam rerum quas non cernimus natura aliunde quàm ex operationibus colligi nequit. Sed nec tertius ille pereundi modus hîc locum habet. Neque enim dari poteſt cauſa effectrix à qua animus ſemper emanet. Non enim parentes dixeris, cùm iis mortuis vivere filii ſoleant. Quòd ſi quam omnino velimus eſſe cauſam unde emanet animus, non poteſt alia ea eſſe quàm cauſa prima atque univerſalis, quæ ex parte poteſtatis nunquam deficit. Ex parte autem voluntatis eam deficere, h.e. velle Deum ut exſtinguatur animus, nullo poteſt probari argumento.

ANNOTATA.

ANNOTATA.

(a) *Si quod enim esset, id esset corpus humanum*] Id non esse bene probat Aristoteles ex senibus libro De anima 1 cap. 4. Idem lib. 3. cap. 4. Anaxagoram laudat quòd τὸν ἀμιγῆ dixerit, *mentem impermixtum aliquod*, nimirum ut res alias possit cognoscere.

(b) *Corporis vires laduntur à nimia excellentia rei objectæ*] Aristoteles lib. 3 De anima, cap. 4. Ὅτι δ' οὐχ ὁμοία ἡ ἀπάθεια τῇ αἰσθητικῇ καὶ τῷ νοητικῷ φανερὸν ὅτι αἰσθητικὸν καὶ τῆς αἰσθήσεως. ἡ μὲν γὰρ αἴσθησις ἐκ διὰ μέσου αἰσθάνεται ἐν τῷ ζώδει καὶ αἰσθητῷ, οἷον ψόφου ἐν τῷ μεγάλῳ ψόφῳ, καὶ ἐν τῷ ἰσχυρῷ ὀσμῇ καὶ χρώματος, ὅτι ὁρᾷ, ὅτι ἀσφράζεται· ἀλλ' ὁ νοῦς ὅταν τι νοήσῃ ζόφδες νοητὸν, οὐκ ἦττον νοεῖ ἢ τὰ ὑπολάβετα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον· τὸ μὲν γὰρ αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ ζώματος, ὁ δὲ νοῦς χωριστός, *Non esse autem similem impassibilitatem partis sentientis & intelligentis, apertum est ex sentiendi instrumentis, ipsâque sensione. Sensus enim, ubi nimia est res sensibilis, sentire nequit, id est, nec audire sonos vehementes, nec odores tales olfacere, nec conspicere colores. At mens ubi aliquid concepit quod egregium sit intellectu, non minùs id intelligit quàm minora, imò & magis. Id eò venit quòd sentiens pars non sit sine corpore, mens autem aliquid à corpore separabile.* Adde Plotini locum egregium, quem posuit Eusebius in Præpar. lib. 15. cap. 22. Adjunge, quòd animus eos qui ex corpore nascuntur affectus vi suâ vincit, ipsíque corpori cruciatus interitúmque imperat.

(c) *Eò redditur perfectior*] Et quæ magis animum à corpore seducunt, ex sunt animi actiones excellentiores.

XXIV. Imò argumenta sunt non levia in contrarium, datum homini (a) dominium in suas actiones, appetitus immortalitatis insitus, conscientiæ vis consolantis se ob actiones bonas quamvis molestissimas, & spe quadam sustentantis, (b) contrà, cruciantis sese ob pravè acta, præsertim circa mortem, tanquam sensu imminentis judicii: quam vim (c) sæpe nec pessimi tyranni intra se exstinguere, cùm maximè id vellent, potuerunt, ut multis exemplis apparet.

ANNOTATA.

(a) *Dominium in suas actiones*] Et in animantia quævis. Adde notitiam Dei & naturarum immortalium. Συντὸν γὰρ ἀθάνατον θνητὸν, ait Sallustius Philosophus, *Nulli naturæ mortali immortalis natura cognita est.* Notitiæ autem ingens signum, quòd nihil est tam grave quod non Dei causâ animus soleat contemnere. Adde quòd potentiam intelligendi agendíque non habet circumscriptam, ut cætera animantia, sed infatigabilem, & in infinitum patentem, & sic Deo similem; quæ differentia hominis à cæteris animantibus etiam Galeno notata.

(b) *Contrà, cruciantis sese ob pravè acta, præsertim circa mortem*] Plato De Republica 1. Ἐπειδάν τις ἐγγὺς ᾖ τοῦ οἴεσθαι τελευτήσειν, εἰσέρχεται αὐτῷ φόβος καὶ φροντὶς, ἃ πρὶν οὐ· τοὺς μύθους ἐν οἷς, *Cum jam prope est ut quis moriturum se putet, tunc metus eum ac sollicitudo subit, de quibus antè non instituerat cogitare.*

(c) *Sæpe nec pessimi tyranni intra se exstinguere, cùm maximè id vellent, potuerunt*] Testis illa Tiberii ad Senatum epistola, *Quid scribam vobis, Patres conscripti, aut quomodo scribam, aut quid omnino non scribam hoc tempore, Dii me deaque pejus perdant quàm perire quotidie sentio, si scio:* quâ recitatâ, addit Tacitus Annal. 6. *Adeò facinora atque flagitia sua ipsi quoque in supplicium verterant. Neque frustrà præstantissimus sapientia firmare solitus est, si recludantur tyrannorum mentes, posse aspici laniatus & ictus: quando ut corpora verberibus, ità sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur.* Plato est is quem hîc indicat Tacitus, qui De Republica 9. de tyranno, Πάντες τῇ ἀληθείᾳ φαίνεται, ἐάν τις ὀλίγῳ ὕστερον διεξιὼν θεάσαιτο, ἢ φόβῳ γέμων διὰ παντὸς τοῦ βίου, ζοφώδους ἢ ἀνάπλεως πάσης, *Mendicus revera est, si quis universum ipsum animum rectè norit inspicere, plenus formidinis per omnem vitam, plenus mœroris & cruciatuum.* His similia idem Philosophus habet in Gorgia. Suetonius cap. 67. eam quam dixi Tiberii epistolam recitaturus sic præfatur, *Postremò semetipse perfossu talis epistolæ principio tantùm non summam malorum suorum professus est.* Ad Platonis locum etiam Claudianus respexit Rufinum Carmine secundo describens,

—— pectus inuste
Deformant macula, vitiisque inolevit imago.

XXV. Quòd si animus & ejus est naturæ quæ nullas habeat in se interimendi causas, & Deus multa nobis signa dedit quibus intelligi debeat, velle ipsum ut animus superstes sit corpori, non potest finis homini ullus proponi ipso dignior quàm ejus statûs felicitas: & hoc est quod Plato & Pythagorici dixerunt, (a) bonum esse hominis Deo quàm simillimum reddi. Qualis autem ea sit felicitas, & quomodo comparetur, possunt quidem homines conjecturis indagare: sed si quid ejus rei à Deo patefactum est, id pro verissimo & certissimo haberi debet.

XXVI. Quod cùm Christiana religio supra alias se nobis adferre polliceatur, sítne ei fides habenda, secundâ hujus operis parte examinabitur.

ANNOTATA.

(a) *Bonum esse hominis Deo quàm simillimum reddi*] Quod à Platone accepere Stoici. Notat Clemens Strom. 5.

HUGO GROTIUS
DE VERITATE
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

LIBER SECUNDUS.

I. SEcundus igitur liber, fusis ad Christum in cœlo jam regnantem precibus, ut ea nobis Spiritûs sui auxilia subministret quæ ad rem tantam nos idoneos reddant, consilium explicat, non hoc esse ut omnia dogmata Christianismi tractentur, sed ut ostendatur religionem ipsam Christianam verissimam esse atque certissimam: quod sic orditur;

II. Jesum Nazarenum vixisse quondam in Judæa, rerum Romanarum potiente Tiberio, non tantùm Christiani per omnes terrarum oras sparsi constantissimè profitentur, sed & Judæi omnes qui nunc sunt, & qui unquam post illa tempora scripserunt: testantur idem & Pagani, h. e. nec Judaicæ nec Christianæ religionis scriptores, ut (a) Suetonius, (b) Tacitus, (c) Plinius junior,

nior, & poſt hos multi. Eundem Jeſum à Pontio Pilato, Judææ præſide, cruci affixum, omnes itidem Chriſtiani, quanquam ignominioſum videri poterat talem Dominum colentibus, fatentur; (d) fatentur & Judæi, cùm tamen non ignorent eo ſe nomine, quòd majores ſui Pilato id ſtatuendi auctores fuerint, graviſſimam invidiam apud Chriſtianos, quorum ſub imperiis paſſim degunt, ſuſtinere. Pagani verò, quos jam diximus, ſcriptores idem memoriæ prodiderunt: imò multo pòſt tempore exſtiterunt (e) acta Pilati, quibus id conſtaret, ad quæ Chriſtiani nonnunquam provocabant. Neque Julianus aut alii oppugnatores Chriſtianiſmi id unquam in controverſiam vocarunt: ità ut nulla excogitari poſſit hiſtoria quæ certior hâc ſit; ut quæ tot, non dicam hominum, ſed populorum inter ſe diſcordantium teſtimoniis approbetur. (f) Quod cùm ità ſit, videmus tamen per diſſitiſſimas mundi regiones ipſum, ut Dominum, coli.

ANNOTATA.

(a) *Suetonius*] Claudio cap. 25. ubi *Chreſto* ſcribitur pro *Chriſto*, quia nomen illud Græcis & Latinis notius.

(b) *Tacitus*] Lib. 15. ubi de Chriſtianorum ſuppliciis, *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Ubi *flagitia & odium generis humani* nihil aliud ſunt quàm falſorum deorum neglectus: quam eandem cauſam etiam Judæis maledicendi Tacitus habuit, & Plinius major, cui Judæi dicuntur *gens contumeliâ numinum inſignis.* Nimirum Romani plerique ità erant facti ut, quod Seneca laudat, civilis Theologiæ partes in animi religione non haberent, ſed in actibus fingerent, ſervaréntque tanquam legibus juſſa, credentes cultum magis ad morem quàm ad rem pertinere. Varronis & Senecæ hac de re ſententiam, quæ eadem Taciti, vide apud Auguſtinum lib. 4. cap. 33. & lib. 6. c. 10. De civ. Dei. Interim nota, Jeſum, qui à Pontio Pilato ſupplicio affectus eſt, jam Neronis tempore à multis, etiam Romæ, pro Chriſto habitum. Confer quæ apud Juſtinum ſunt Apologetico 2. de hac hiſtoria, ubi Imperatores & Senatum Romanum alloquitur, qui ex Actis noſſe iſta poterant.

(c) *Plinius junior*] Epiſtolâ omnibus obviâ, quæ libri decimi eſt XCVII, cujus & Tertullianus Apologetico meminit, & Euſebius in Chronico. Ubi vides Chriſtianos *carmen Chriſto, quaſi Deo, dicere* ſolitos, *obſtrictóſque* inter ſe, non in ſcelus aliquod, ſed *nè furta, nè latrocinia, nè adulteria committerent, nè fidem fallerent, nè depoſitum appellati abnegarent. Pervicaciam & inflexibilem* in iis *obſtinationem* culpat Plinius, in hoc uno quòd deos appellare, & ſimulacris numinum thure ac vino ſupplicare, ac Chriſto maledicere nollent, neque ut id facerent ullis tormentis cogi poſſent. Epiſtola quæ ei reſpondet Trajani, eum ait re ipsâ manifeſtum facere Chriſtianum ſe non eſſe qui diis Romanis ſupplicet. Hiſtoriam quandam de Jeſu etiam apud Numenium Pythagoricum exſtitiſſe docet nos Origenes contra Celſum 4.

(d) *Fatentur & Judæi*] Qui eum vocant תלוי, i. *ſuſpenſum.* Jeſum Hieroſolymis occiſum agnoſcit Benjaminus Tudelenſis in Itinerario.

(e) *Acta Pilati*] Vide Epiphanium in Teſſareſcædecatitis.

(f) *Quod cùm ità ſit, videmus tamen per diſſitiſſimas mundi regiones ipſum, ut Dominum, coli.*] Tractat hoc fuſiùs Chryſoſtomus ad 2 ad Corinth. 5. 7.

III. Neque noſtris tantùm, aut actis paulò antè temporibus, ſed & ſuperioribus, uſque dum ad ætatem rei geſtæ proximam veniatur; putà ſub Neronis imperio, quo tempore plurimos Chriſti venerationem profeſſos ob id ipſum affectos ſupplicio, is, quem diximus, Tacitus & alii teſtantur.

IV. Fuerunt autem ſemper inter cultores Chriſti plurimi & judicio præditi, & literarum non rudes: quales (ut de Judæis nunc taceamus) (a) Sergius Cypri præſes, (b) Dionyſius Areopagita, (c) Polycarpus, (d) Juſtinus, (e) Irenæus, (f) Athenagoras, (g) Origenes, (h) Tertullianus, (i) Clemens Alexandrinus, ac porrò alii: qui tales cùm eſſent, cur homini ignominioſâ morte affectoſe cultores addixerint, præſertim cùm propè omnes in aliis religionibus educati eſſent, nec in Chriſtiana quicquam eſſet aut honoris aut commodi, nulla poteſt cauſa reddi præter hanc unam, quòd diligenti inquiſitione, qualis viros prudentes in maximi momenti negotio decet, comperiſſent, veram & firmis teſtibus ſubnixam fuiſſe famam quæ de miraculis ab eo editis percrebuerat, ut de ſanatis ſolâ voce, & quidem palàm morbis gravibus atque inveteratis, de viſu reddito ei qui cæcus natus eſſet, de auctis non ſemel panibus in alimenta multorum millium, quæ id teſtari poterant, de mortuis in vitam revocatis, & quæ plura ſunt ejuſmodi.

ANNOTATA.

(a) *Sergius Cypri Præſes*] Act. 13. 12.

(b) *Dionyſius Areopagita*] Act. 17. 34.

(c) *Polycarpus*] Qui martyrium paſſus in Aſia anno Chriſti CLXIX, juxta Euſebium.

(d) *Juſtinus*] Qui pro Chriſtianis ſcripta edidit anno Chriſti CXLII. Vide eundem Euſebium.

(e) *Irenæus*] Floruit Lugduni anno Chriſti CLXXXIII.

(f) *Athenagoras*] Athenienſis hic fuit. Floruit autem circa annum Chriſti CLXXX, ut ex libri inſcriptione apparet.

(g) *Origenes*] Floruit circa annum Chriſti CCXXX.

(h) *Tertullianus*] Celeber anno Chriſti CCVIII.

(i) *Clemens Alexandrinus*] Circa idem tempus. Vide Euſebium.

V. Quæ quidem fama tam certam atque indubitatam habuit originem, ut edita à Chriſto prodigia aliqua (a) neque Celſus (b) neque Julianus, cùm in Chriſtianos ſcriberent, negare auſi fuerint; (c) Hebræi verò in Thalmudicis libris apertè fateantur. Naturali vi non patrata fuiſſe quæ diximus opera, ſatis hoc ipſo apparet, quòd Prodigia ſive Miracula appellantur. Neque verò per naturæ vim fieri poteſt ut ſolâ voce aut contactu, morbi graves, & quidem ſubitò, tollantur. Quòd ſi ad naturalem efficaciam referri opera iſta aliquo modo potuiſſent, dictum jam pridem id fuiſſet ab iis qui ſe aut Chriſti in terris agentis, aut Euangelii ipſius hoſtes profeſſi ſunt. Simili argumento colligimus, nec præſtigias fuiſſe: quia pleraque opera palàm geſta ſunt, (d) inſpectante populo, & in populo multis eruditis Chriſto malè volentibus, cuncta ipſius opera obſervantibus. Adde quòd ſimilia opera ſæpe repetita: & ipſi effectus non momentanei, ſed permanentes. Quibus, ut oportet, expenſis, omnino ſequitur, quod & Judæi fatentur, opera hæc proceſſiſſe à virtute aliqua pluſquam humana, i. à ſpiritu aliquo bono vel malo. A malo autem ſpiritu non eſſe profecta hæc opera, indè probatur, quòd doctrina Chriſti, cui probandæ iſta opera adhibebantur, malis ſpiritibus adverſatur. Vetat enim malos ſpiritus coli, abſtrahit homines ab omni immunditia morum, quâ tales ſpiritus delectantur. Rebus quoque ipſis apparet, ubicunque ea doctrina recepta eſt, collabi dæmonum cultum (e) & artes magicas, & unum Deum coli cum deteſtatione dæmonum: quorum vim ac poteſtatem Chriſti adventu infractam (f) Porphyrius ipſe agnovit. Credendum autem non eſt, quanquam malum ſpiritum adeò eſſe imprudentem ut ea faciat, & quidem ſæpiſſime, ex quibus nihil honoris ſibi aut commodi, contrà verò maximum detrimentum ac dedecus accedat. Sed neq; ſapientiæ aut bonitati ipſius Dei ullo modo convenit, ut paſſus credatur aſtu dæmonum illudi hominibus ab omni malitia alienis & ſui metuentibus; quales fuiſſe primos Chriſti diſcipulos vita ipſorum inculpata, & multæ calamitates conſcientiæ cauſâ toleratæ manifeſtum faciunt. Quod ſi dicas, à bonis mentibus,

Deo

Deo tamen inferioribus, profecta Christi opera, jam eo ipso fateris illa Deo placuisse, & ad Dei honorem pertinuisse; cùm bonæ mentes nihil faciant nisi quod Deo gratum, ipsíque gloriosum sit: ut jam taceamus quædam Christi opera esse talia quæ Deum ipsum auctorem testari videantur, ut mortui non unius in vitam revocatio. Jam verò Deus miracula nec facit, nec fieri finit absque causa: id enim sapientem legis conditorem decet, à legibus suis non nisi ob causam, & quidem gravem, recedere. Causa autem nulla alia reddi potest cur hæc facta sint, quàm ea quæ à Christo allata est: nempe ut doctrinæ ipsius redderetur testimonium. Neque verò qui ea aspicerent, aliam causam ullam animo concipere potuerunt; quos inter cùm multi, ut diximus, pio essent animo, Deum hoc egisse ut eis imponeret, impium est creditu. Et hæc una fuit causa cur Judæorum plurimi, qui circa Jesu tempora vixerunt, etiam (g) qui induci non possent ut legis à Mose datæ partem ullam omitterent, quales fuerunt qui Nazareni & Ebionæi dicebantur, nihilominus Jesum ut missum cœlitus magistrum agnoscerent.

ANNOTATA.

(a) *Neque Celsus*] Cujus verba apud Origenem lib. 2. Ἐνομίσατε αὐτὸν τὸν υἱὸν Θεοῦ ἐπὶ χολῇ καὶ τυφλῇ ἐθεράπευσε, *Credidistis eum esse Dei filium, ideo quòd claudos & cæcos sanavit.*

(b) *Neque Julianus*] Imò rem fatetur cùm dicit verbis recitatis à Cyrillo lib. 6. Εἰ μή τις οἴεται τὸν κυλλὸν καὶ τυφλὸν ἰάσασθαι, καὶ δαιμονῶντας ἐξορκίζειν τὸ Βηθσαϊδᾶ καὶ τὸν Βηθανίᾳ ἢ κώμαις, ἢ μᾶλλον ἅπασι τοῖς), *Nisi quis existimat inter maxima esse opera claudos & cæcos integritati restituere, & dæmonio correptos adjuvare in vicis Bethsaida aut Bethania.*

(c) *Hebræi verò in Thalmudicis apertè fatentur*] In titulo Aboda Zara.

(d) *Inspectante populo*] Act. 26. 26. Luc. 12. 1.

(e) *Et artes magicas*] Quarum & libri hortatu discipulorum Jesu combusti. Act. 19. 19.

(f) *Porphyrius ipse agnoscit*] Locus apud Eusebium Præpar. l. 5. c. 1. Ἰησοῦ τιμωμένου, ὀλίγας τις ἔτεσιν ὑπὲρ δαιμονίας ἀφελείας ἤνετο, *Ex quo Jesus coli cœptus est, publicam deorum opem nemo sensit.*

(g) *Qui induci non possent ut legis à Mose datæ partem ullam omitterent*] Vide Act. 15. Rom. 14. Hieronymus in Chronico Eusebiano ad annum Christi CXXV. cùm Christianos Episcopos Hierosolymitanæ Ecclesiæ quindecim nominasset, *Hi omnes usque ad eversionem quam ab Hadriano perpessa est Jerusalem, ex circumcisione Episcopi præfuerunt.* Severus Sulpitius de illorum locorum ac temporum Christianis, *Christum Deum sub Legis observatione credebant, & ex circumcisione eorum Ecclesia habebat sacerdotem.* Adde Epiphanium, ubi de Nazarenis & Ebionitis agit. *Nazareni* non est nomen partis alicujus, sed omnes in Palæstina Christiani, ideo quòd Dominus eorum Nazarenus fuisset, sic appellabantur, Act. 24. 5.

VI. Miraculis à Christo editis par argumentum præbet Christi ipsius post crucem, mortem, sepulturam, admirabilis reditus in vitam. Id enim non modò ut verum, sed ut præcipuum suæ fidei fundamentum, adferunt omnium locorum & temporum Christiani: quod fieri non potuit nisi qui primi Christianam fidem docuerunt, certò auditoribus suis persuaserint rem ità gestam. Certò autem persuadere hoc non potuerunt hominibus aliquo judicio præditis, nisi affirmarent semetipsos oculatos rei testes esse: sine qua affirmatione nemo mediocriter sanus illis habuisset fidem, præsertim iis temporibus cùm illis credere maximis malis ac periculis constaret. Affirmatum hoc ab ipsis magnâ constantiâ etiam libri ipsorum (a) & aliorum docent: imò ex libris apparet, provocasse eos (b) ad testes quingentos, qui Jesum post mortem redivivum conspexerint. Non est autem mos mentientium ad tam multos testes provocare. Neque fieri potest ut in falsum testimonium tam multi conspirent. Et ut alii testes non fuissent quàm duodecim illi notissimi Christianæ doctrinæ primi propagatores, sufficere hoc debebat. Nemo gratis malus est. Honorem ex mendacio sperare non poterant; cùm honos omnis esset penès Pagānos aut Judæos, à quibus ipsi probris & ignominiâ afficiebantur: non divitias; cùm contrà hæc professio sæpe & bonorum, si qua essent, damno mulctaretur; atque ut hoc non fuisset, tamen Euangelium doceri ab ipsis non posset nisi omni bonorum temporalium curâ omissâ. Neque verò alia ulla vitæ hujus commoda ad mentiendum movere eos potuerunt, cùm ipsa Euangelii prædicatio laboribus, fami, siti, verberibus, carceribus eos objecerit. Fama duntaxat inter suos tanti non erat ut propterea homines simplices, & quorum vita ac dogma à fastu abhorrebat, tantam malorum vim subirent: neque verò sperare ullo modo poterant tantum progressum sui dogmatis, cui & intenta commodis suis natura, & ubique imperantium auctoritas repugnabant, nisi ex Divino promisso. Accedat quòd etiam hanc qualemcunque famam nullo modo durabilem sibi poterant promittere, cùm Deo de industria suum in hoc consilium celante, (c) Mundi totius exitium quasi de proximo imminens operirentur, quod & ipsorum & sequentium Christianorum scripta apertissimum faciunt. Restat ergò ut religionis suæ tuendæ causâ mentiti dicantur, quod omnino, si res rectè expendatur, dici de illis non potest. Nam aut religionem illam veram ex animi sententia crediderunt, aut non crediderunt. Si non credidissent optimam, nunquam hanc elegissent omissis religionibus aliis magis tutis magísque honoratis: imò quamvis veram, professi non essent, nisi & professionem ejus credidissent necessariam, præsertim cùm & facilè prævidere possent, & experimento statim discerent, hanc professionem post se trahere mortem immensi æruminis, cui sine justa causa causam dare à latrocinii scelere non abscedebat. Quòd si crediderunt religionem suam veram, imò & optimam, & profitendam omnino, & quidem post magistri sui mortem, sanè id fieri non potuit si fefellisset eos magistri sui de sua resurrectione pollicitatio. Nam (d) id cuivis sano homini satis fuisset ad excutiendam etiam antè conceptam fidem. Rursum religio omnis, præsertim verò Christiana, (e) mendacium ac falsum testimonium maximè in Divinis rebus prohibet: non potuerunt ergò religionis, & quidem talis, amore ad mendacium permoveri. Adde jam, quòd viri fuerunt vitæ nè ab adversariis quidem culpatæ, & quibus nihil objicitur (f) præter solam simplicitatem, cujus ingenium à confingendo mendacio longissimè abest. Nemo etiam eorum fuit qui non gravissima quæque passus sit propter illam professionem de Jesu resuscitato. Multi etiam ipsorum morte exquisitissimâ ob id testimonium affecti sunt. Jam verò, ut quis sensûs sui compos talia toleret ob conceptam animo opinionem, fieri potest: at ut ob falsum, quod falsum esse norit, tam dura pati velit, non unus aliquis sed plures, quorum id falsum credi nihil interfit, res est planè incredibilis. Amentes autem eos non fuisse, & vita & scripta satis testantur. Quod de primis illis diximus, idem de Paulo quoque dici potest; qui Christum in cœlo regnantem à se conspectum (g) palàm prædicavit, (h) cùm nihil eruditionis Judaicæ ipsi deesset; nec spes honorum, si patrum viam institisset: contrà verò, ob illam professionem & odiis cognatorum suorum subjacere, & toto orbe peregrinationes difficiles, periculosas, laboriosas suscipere deberet, ac postremò etiam supplicium cum infamia perpeti.

ANNOTATA.

(a) *Et aliorum*] Etiam Celsi, qui adversùs Christianos scripsit. Vide Originem lib. 2.

(b) *Ad teſtes quingentos*] Paulus 1 ad Corinth. 15. 6. quoſdam eorum eo tempore mortuos eſſe dicit: ſed horum quoque liberi & amici ſuperſtites audire poterant ac teſtari quæ audierant. Major autem horum pars etiam vivebat ſcribente iſta Paulo. Hæc apparitio in monte Galilææ contigit.

(c) *Mundi totius exitium quaſi de proximo imminens operirentur*] Vide 1 Theſſal. 4. 15, 16. 1 Cor. 15. 52. Tertullianus de Monogamia, *Cùm magis nunc tempus in collecto factum ſit.* Hieronymus ad Gerontiam, *Quid ad nos, in quos fines ſeculorum devenerunt?*

(d) *Id cuivis ſano homini ſatis fuiſſet ad exequiendam etiam antè conceptam fidem.*] Fuſiùs hoc argumentum exſequitur Chryſoſtomus ad 1 Cor. 1. in fine.

(e) *Mendacium ac falſum teſtimonium, maximè in Divinis rebus, prohibet*] Matth. 12. 36. Joh. 8. 44, 55. Epheſ. 4. 25. Rom. 9. 1. 2 Cor. 7. 14. & 11. 31. Gal. 1. 20. Coloſſ. 3. 9. 1 Tim. 1. 10, 11. 27. Jac. 3. 14. Matth. 22. 16. Marc. 12. 14. Luc. 20. 21. Joh. 14. 16. Epheſ. 5. 9. 1 Tim. 2. 7. & alibi.

(f) *Præter ſolam ſimplicitatem*] Etiam Celſus. Vide Origenem lib. 1.

(g) *Palàm prædicavit*] 1 Cor. 15. 9. 2 Cor. 12. 4. Adde quæ diſcipulus Pauli Lucas ſcribit Act. 9. 4, 5, 6. & 22. 6, 7, 8.

(h) *Cùm nihil eruditionis Judaicæ ipſi deeſſet*] Act. 22. 3. Gamalieles duos eruditionis nomine Hebræi prædicant. Horum alterius diſcipulus fuit Paulus, neque Legis tantùm, ſed & eorum quæ à magiſtris erant tradita apprime gnarus. Vide Epiphanium.

VII. Sanè tantis ac talibus teſtimoniis fidem detrahere nemo poteſt, niſi dicat, rem ipſam talem eſſe ut nullo modo fieri poſſit; qualia ſunt quæ contradictionem, ut loquuntur, implicant. (a) Id autem hac de re dici non poteſt. Poſſet ſanè, ſi quis eundem tempore eodem & vixiſſe, & mortuum fuiſſe, pronunciaret. Cæterùm ut mortuo vita reddi poſſit, præſertim per ejus efficaciam qui vitam primùm homini dedit, cur pro impoſſibili habeatur, nihil cauſæ eſt. Neque verò viri ſapientes id impoſſibile crediderunt; cum (b) Eri Armenio id eveniſſe ſcripſerit Plato, mulieri cuidam (c) Heraclides Ponticus, (d) Ariſtæo Herodotus, (e) alii Plutarchus; quæ ſive vera, ſive falſa ſunt, oſtendunt opinionem eruditorum de ea re tanquam poſſibili. Quod ſi nec impoſſibile eſt ut Chriſtus in vitam redierit, & ſatis magnis teſtimoniis id conſtat, quibus convictus Judæorum magiſter Bechai veritatem hujus rei agnovit, is ipſe autem Chriſtus, ut & ſui & alieni fatentur, novum protulit dogma tanquam mandato Divino; ſanè ſequitur ut dogma verum ſit; cùm Divinæ juſtitiæ ac ſapientiæ adverſetur tam excellenti modo eum ornare qui falſum in re tanta commiſiſſet: præſertim verò, cùm ipſe ante mortem ſuam, & mortem & mortis genus, & reditum ſuum in vitam prædixiſſet ſuis, & quidem addito, (f) hæc ideo eventura ut de ſui dogmatis veritate conſtaret.

ANNOTATA.

(a) *Id autem hac de re dici non poteſt*] Reſponſio ſeptima ad objecta de Reſurrectione in Juſtini operibus. Ἄλλο τὸ πάντῃ ἀδύνατον, καὶ ἄλλο τό τινι ἀδύνατον. πάντῃ μὲν ἀδύνατόν ἐστιν, ὡς τῇ διαμέτρῳ τὸ σύμμετρον εἶναι τῇ πλευρᾷ. τινὶ δὲ ἀδύνατόν ἐστιν, ὡς τῇ φύσει τὸ χωρὶς σπέρματος ποιῆσαι ζῷον. τίνι τούτων δὴ ἀδυνάτων καταβάλλει ἡ ἀνάστασιν οἱ ταύτῃ ἀπιστοῦντες; ἀλλ' οὐ μὲν πρώτῳ, ἀδύνατός ἐστιν ὁ λόγος· ὃ δὲ καὶ ἀνάλυσιν σύμμετρος γίνεται ἡ διάμετρος τῇ πλευρᾷ· οἱ δὲ ἀνισάριθμοι καὶ ἀνάλυσιν ἀνίσαται. οὐ δὲ πρός τινι, ἀλλὰ πρὸς θεῷ πάντα δυνατὰ τὰ τινι ἀδύνατα. *Aliud eſt quod omnino eſt impoſſibile, aliud quod alicui. Omnino impoſſibile, ut dimetiens par ſit lateri. Alicui impoſſibile, quomodo natura eſt impoſſibile ſine ſemine animans producere. Utri horum duorum impoſſibilium generum reſurrectionem conferunt qui ei non credunt? Si priori, falſa eſt illatio: neque enim nova creatio hoc facit ut dimetiens par ſit lateri. Reſurgent autem homines per novam creationem. At ſi intelligunt id quod alicui impoſſibile eſt, certè Deo poſſibilia ea omnia quæ impoſſibilia tantùm alicui.* De diſcrimine hoc impoſſibilium vide quæ doctè notat Maimonides Ductoris dubitantium parte 3. c. 15.

(b) *Eri Armenio*] Locus hac de re Platonis exſtat De Repub. 10. tranſcriptus Euſebio Præpar. Euang. lib. 11. c. 35. Hiſtoriæ autem ipſius memoria apud Valerium Maximum lib. 1. cap. 8. exemplo externorum primo, in Protreptico quod eſt inter Juſtini opera, apud Clementem Strom. 5. apud Origenem lib. 2 contra Celſum, apud Plutarchum Sympoſiacon 9. 5. apud Macrobium initio ad Somnium Scipionis.

(c) *Heraclides Ponticus*] Ejus erat liber Περὶ ἄπνου, cujus meminit Diogenes Laertius in Proœmio & Empedocle, & Galenus 6 De locis affectis. De eo ſic Plinius lib. 7. c. 32. *Nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, ſeptem diebus feminæ exanimis ad vitam revocatæ.* At triginta dies ei tribuit Diogenes Laertius loco poſteriore.

(d) *Ariſtæo Herodotus*] Melpomene. Vide & Plinium Hiſt. Nat lib. 7. cap. 52. & Plutarchum Romulo, & Heſychium De philoſophis.

(e) *Alii Plutarchus*] Theſpeſio. Habet hoc Plutarchus libro De ſera Dei vindicta. Item Antyllo, de quo Plutarchi locum ex primo De anima nobis ſervavit Euſebius Præpar. lib. 11. cap. 36. & Theodoretus Serm. 11.

(f) *Hæc ideo eventura ut de ſui dogmatis veritate conſtaret*] Vide Joh. 17. Luc. 24. 46, 47.

VIII. Et hæc quidem ex factis ipſis veniunt argumenta: veniamus ad ea quæ veniunt ex natura dogmatis. Sanè aut omnis omnino Dei cultus repudiandus eſt (quod nunquam ei in mentem veniet qui & Deum eſſe, & curare res conditas credat, & hominem conſideret tum intellectu eximio, tum vi electrice boni malíque moralis præditum, ac proinde ut præmii ità & pœnæ in ipſo eſſe materiam) aut hæc admittenda religio; non tantùm ob factorum teſtimonia, de quibus jam egimus, verùm etiam ob ea quæ religioni ſunt intrinſeca: cùm nulla ex omnibus ſeculis ac nationibus proferri poſſit, aut præmio excellentior, aut præceptis perfectior, aut modo quo propagari juſſa eſt admirabilior.

IX. Nam ut à præmio, i. à fine homini propoſito, incipiamus, quia id, ut dici ſolet, in executione eſt ultimum, ſed intenditur primùm, (a) Moſes in religionis Judaicæ inſtitutione, ſi diſerta Legis pacta reſpicimus, nihil promiſit ſupra hujus vitæ bona, terram uberem, penum copioſam, victoriam de hoſtibus, longam & valentem ſenectam, poſteros cum bona ſpe ſuperſtites. Nam ſi quid eſt ultrà, id umbris obtegitur, aut ſapienti ac difficili ratiocinatione colligendum eſt: quæ cauſa fuit cur multi, qui legem Moſis ſequi ſe profiterentur, ut (b) Sadducæi, ſpem omnem de bonis poſt hanc vitam adipiſcendis projicerent. Apud Græcos, ad quos eruditio uſque à Chaldæis & Ægyptiis perlata eſt, qui de vita poſt hujus conſpicuæ vitæ interitum ſpem habebant aliquâ, (c) valde de ea re hæſitanter loquebantur, (d) ut ex Socratis diſſertationibus, ex ſcriptis (e) Tullii, (f) Senecæ, (g) aliorúmque apparet. Et cùm ad eam rem argumenta conquirerent, nihil ferme adferebant certi. Nam quæ adferunt, pleraque (h) nihil magìs de homine quàm beſtiis procedunt. Quod cùm alii animadverterent, mirandũ adeò non eſt (i) ſi tranſitũ animarũ de hominibus in beſtias, de beſtiis in homines, commenti ſunt. Rurſum verò, cùm hoc quoque nullis teſtimoniis aut argumentis certis niteretur, & tamen negari non poſſet quin homini finis aliquis eſſet propoſitus; eò perducti ſunt alii ut dicerent, (k) virtutem ſibi eſſe præmium, & ſatis beatum eſſe ſapientem, etiam in Phalaridis tauro. Sed & hoc non ſine cauſa aliis diſplicuit, qui ſatis videbant, (l) in ea re quæ ſecum haberet pericula, incommoda, cruciatum, interitum, felicitatem,

felicitatem, præsertim summam, non posse esse positam; nisi verborum sonum sine rerum sensu sequi liberet: idéoque bonum supremum finémque hominis collocarunt in iis rebus quarum voluptas sensibus perciperetur. Sed hæc quoque sententia à plurimis, & quidem efficaciter, refutata est: ut quæ honestum omne, cujus semina quædam in animo condita habemus, exstingueret, hominémque ad sublimia erectum dejiceret in sensum pecudum, quæ pronæ nihil nisi terrestre respiciunt. In tantis dubitationibus incertum palabatur genus humanum eâ ætate, cùm Christus veram finis cognitionem intulit, promittens sectatoribus suis post hoc ævum vitam non modò sine morte, sine dolore ac molestia, verùm etiam summo gaudio comitatam: neque id parti tantùm hominis, i. animo, de cujus speranda post hanc vitam felicitate partim conjectura partim traditio aliqua exstabat, verùm etiam corpori: & id quidem justissimè, ut corpus quod ob legem Divinam sæpè incommoda, cruciatus atque interitum pati debet, repensationis expers non esset. Gaudia autem quæ promittuntur non vilia sunt, (m) ut epulæ, quas post hanc vitam sperant crassiores Judæi, & (n) concubitus, quos sibi promittunt Mahumetistæ; sunt enim hæc caducæ vitæ propria mortalitatis remedia; illud quidem ad singulorum animantium conservationem, hoc verò ad durationem generum: sed in corporibus vigor perpetuus, & plusquam siderea pulcritudo; in animo intellectio sine errore, etiam Dei ac Divinæ providentiæ, & si quid nunc occultum latet; voluntas verò tranquilla, maximè in Dei conspectu, admiratione laudibúsque occupata; in summa, majora multò ac meliora omnia quàm optimarum ac maximarum rerum comparatione concipi possint.

ANNOTATA.

(a) *Moses in religionis Judaicæ institutione, si diserta Legis pacta respicimus, nihil promisit supra hujus vitæ bona*] Vide Deut. 11. & 28. Hebr. 8. 6.

(b) *Sadducæi spem omnem de bonis post hanc vitam adipiscendis projecerunt*] Matth. 22. 23. Lucæ Act. 23. 8. Josephus, Σαδδυκαῖοι τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. Alibi, ψυχῆς ἣ τιμωρίαν ἢ τὰς κατ' ᾅδου τιμωρίας ἢ τιμὰς ἀναιροῦσι. Hieronymus de eisdem, *Animam putabant interire cum corporibus.*

(c) *Valde ea dere hæsitanter loquebantur*] Notatum hoc Chrysostomo 1 ad Cor. cap. 1, 25.

(d) *Ut ex Socratis dissertationibus*] In Platonis Phædone, Νῦν ἢ ἔν ἴσα ὅτι παρ' ἀνδρὸς τε ἀγαθοῦ ἐλπίζω ἀφίξεσθαι ἀγαθούς· ἢ τοῦτο μὲν οὐκ ἂν πάνυ διισχυρισαίμην, *Hoc scitu, spem mihi esse venturum me ad viros bonos: quod tamen non nimiùm affirmaverim.* Et postea, Εἰ μὲν τυγχάνει ἀληθῆ ὄντα ἃ ἐγὼ λέγω, καλῶς δὴ ἔχει τὸ πειθῆναι. οἶμαι ἢ μεδέν δεῖ τελευτήσαντι, ἀλλ' ἔν γε τούτῳ τῷ χρόνῳ ἀντὸν ἢ περὶ τοῦ θανάτου ἧττον τοῖς παροῦσιν ἀνδρὶ λυπηρὰ ὀδυνήσω· εἰ ἢ ἄγνοιά μοι αὐτὴ ξυνδιατελεῖ (κακὸν γὰρ ἂν ἦν) ἀλλ' ὀλίγον ὕστερον ἀπολεῖ, *Si enim vera sunt quæ dico, pulcrum est ea credere. Si verò mortuo nihil supereſt, hoc tamen tempore quod mortem antecedit minùs torquebor præsentibus: hic autem meus error non manebit (id enim malum foret) sed paulò pòst interibit.* Tertullianus De anima, *Adeò omnis illa tunc sapientia Socratis de industria venerat consultæ æquanimitatis, non de fiducia compertæ veritatis.* Idem in Socrate observat Parænesis quæ est inter opera Justini.

(e) *Tullii*] Ut Tusculanarum 1. *Expone igitur mihi, nisi molestum est, primùm animos, si potes, remanere post mortem: tum, si id minùs obtinebis, (est enim arduum) decebit carere omni malo mortem.* Deinde, *Præclarum autem nescio quid adepti sunt, quòd didicerunt se, cùm tempus mortis venisset, totos esse perituros: quod ut ità sit, (nihil enim pugno) quid habet ista res aut lætabile aut gloriosum?* Postea, *Fac enim sic animum interire ut corpus, Num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est? nemo id quidem dicit.* Citat ex eodem Cicerone hoc ejus post disputationem de animo dictum Lactantius lib. 7. cap. 8. *Harum sententiarum quæ vera sit, Deus aliquis viderit.*

(f) *Senecæ*] Epist. 64. *Et fortasse (si modò sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus periisse, præmissus est.*

(g) *Aliorúmque*] Generaliter Justinus Martyr Colloquio cum Tryphone, Οὐδὲν οὖν ἴσασι περὶ τούτων οἱ φιλόσοφοι· οὐδὲ γὰρ ὅ,τι ποτέ ἐστι ψυχὴ, ἔχουσιν εἰπεῖν, *Nihil horum norunt Philosophi: neque vel quid sit anima valent dicere.*

(h) *Nihil magìs de homine quàm de bestiis procedunt*] Ut illud Socratis, sive Platonis, *quod se movet, æternum est.* Vide Lactantium dicto jam loco.

(i) *Si transitus animarum de hominibus in bestias, de bestiis in homines commenti sunt*] Ut Brachmanes olim, & nunc quoque: à quibus hausit Pythagoras & ejus Schola.

(k) *Virtutem sibi esse præmium, & satis beatum esse sapientem etiam in Phalaridis tauro*] Vide Ciceronem Tusculanarum 2. & Lactantium lib. 3 Institutionum c. 27. ubi contra hanc sententiam fortiter disputat, ut & Augustinus epist. 52.

(l) *In ea re quæ secum haberet pericula, incommoda, cruciatum, interitum, felicitatem, præsertim summam, non posse esse positam*] Lactantius lib. 3. cap. 12. *Virtus per seipsam beata non est, quoniam in perferendis, ut dixi, malis tota vis ejus est.* Et mox cùm Senecæ adduxisset locum, *Sed & Stoici, quos secutus est, negant sine virtute effici quenquam beatum posse. Ergò virtutis præmium beata vita est, si virtus, ut rectè dictum est, beatam vitam facit. Non est igitur, ut aiunt, propter seipsam virtus expetenda, sed propter vitam beatam, quæ virtutem necessariò sequitur. Quod argumentum docere eos potuit, quod esset summum bonum. Hæc autem vita præsens & corporalis beata esse non potest, quia malis est subjecta per corpus.* Bene Plinius Histor. Nat. lib. 7. cap. 7. *Mortalium nemo felix.*

(m) *Ut epulæ, quas post hanc vitam sperant crassiores Judæi*] Loca adducentur infrà ad librum 5.

(n) *Et concubitus, quos sibi promittunt Mahumetistæ*] Alcoranus Azoara 2, 5, 47, 54. 65, 66.

X. Solet hîc præter eam objectionem, cui jam antè respondimus, alia adferri, quasi omnino fieri nequeat ut quæ dissoluta sunt hominum corpora, in eandem compagem redeant: sed hoc ratione nullâ nititur. Cùm enim inter plerosque Philosophos constet, rebus quantumcunque mutatis manere materiam diversarum specierum capacem, quis dicat aut Deum nescire quibus in locis etiam longissimè distantibus sint materiæ ejus quæ ad humanum corpus pertinuit partes; aut deesse ei potentiam quâ eas reducat atque recomponat, idémque faciat in suo universo quod in fornacibus aut vasis facere Chymicos videmus, ut quæ congenera sunt, quamvis disjecta, colligant? Ut verò, specie quantumvis mutatâ, res tamen ad originis suæ formam redeat, ejus & in rerum natura exempla sunt, ut in arborum animantiúmque seminibus. Neque insolubilis est ille qui à multis nectitur nodus de humanis corporibus, quæ in ferarum aut pecudum alimenta transeunt, quibus ità pastis homines iterum pascantur. Nam eorum quæ comeduntur pars maximâ non in corporis nostri partem abit, sed in excrementa, aut accessiones corporis; quales sunt & pituita, & bilis: & de eo quod alendi vim habet, morbis, interno calore, circumfuso aere multum absumitur: quæ cum ità sint, Deus qui etiam mutorum animantium genera ità curat ut nullum eorum intereat, potest humanis corporibus singulari quadam curâ prospicere, ut quod indè ad aliorum hominum escam pervenit, non magis in substantiam eorum vertatur quàm solent venena aut medicamenta; eóque magis, quòd quasi naturaliter constet humanam carnem ad hominum victum non datam. Id si non sit, & aliquid quod posteriori corpori aliunde accesserit indè debeat decedere, non hoc tamen efficiet ut non idem sit corpus. (a) cùm etiam in

hac vita major contingat particularum mutatio: (b) imò & papilio insit in verme, & herbarum substantia aut vini in minimo aliquo, unde iterum instaurentur in veterem magnitudinem. Certè cùm & hæc & alia multa non incommodè poni possint, nulla est causa cur inter impossibilia habeatur restitutio dissoluti corporis, cùm viri eruditi, (c) Zoroaster apud Chaldæos, (d) Stoici propè omnes, (e) & inter Peripateticos Theopompus, eam & fieri posse, & futuram crediderint.

ANNOTATA.

(a) *Cùm etiam in hac vita major contingat particularum mutatio*] Alsenus in l. Proponebatur. D. de Judiciis, *Quòd si quis putaret partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ex ejus ratione nos ipsi non iidem essemus qui abhinc anno fuissemus: propterea quòd, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis constiterimus, ha quotidie ex corpore nostro decederent, aliaque extrinsecùs in earum locum accederent.* Seneca epist. 58. *Corpora nostra rapiuntur fluminum more: quicquid vides, currit cum tempore: nihil ex his quæ videmus manet. Ego ipse, dum loquor mutari ista, mutatus sum.* Vide quæ pulcrè hac de re disserit Methodius, cujus verba nobis servavit Epiphanius, ubi Origenianos refutat numeris XII, XIII, XIV, XV.

(b) *Imò & papilio insit in verme*] Ovidius ultimo Metamorphoseon,

Quæque solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineæ, res observata colonis,
Ferali mutent cum papilione figuram.

Addamus ex Plinio quædam Hist. Nat. lib. 10. cap. 5. de ranis, *Mirúmque semestri vitâ resolvuntur in limum nullo cernente, & rursus vernis aquis renascuntur quæ fuere natæ.* Eodem libro cap. 9. *Coccyx ex accipitre videtur fieri, tempore anni figuram mutans.* Lib. 11. cap. 20. *Sunt qui mortuas, si intra tectum hyeme serventur, deinde sole verno torreantur, ac siculneo cinere toto die foveantur, putent revivíscere.* Ibidem cap. 22. de bombycibus, *Et alia horum origo è grandiore vermiculo, gemina protendens sui generis cornua. Hi eruca sunt. Fit deinde quod vocatur bombilis: ex ea necydalus: ex hoc in sex mensibus bombyces.* Ibidem cap. 23. de bombyce Coa, *Fieri autem primò papiliones parvos nudósque.* Cap. 26. de cicadis, *Fit primò vermiculus, deinde ex eo quæ vocatur tettigometra, cujus cortice rupto circa solstitia evolant.* Cap. 30. *Musci humore exanimatis, si cinere condantur, redit vita.* Cap. 32. *Multa autem insecta & aliter nascuntur. Atque Asilus imprimis ex rore: insidet hic raphani folio primo vere, & spissatus sole in magnitudinem milii cogitur. Indè oritur vermiculus parvus, & triduo mox eruca, quæ adjectis diebus crescit immobilis, duro cortice, ad tactum movetur aranea. Hæc eruca, quam Chrysalidem appellant, rupto deinde cortice volat papilio.*

(c) *Zoroaster apud Chaldæos*] Vide Clementem Strom. 5.

(d) *Stoici propè omnes*] Clemens Strom. 5. Οἵδεν γοῦν καὶ ἐκ βαρβάρου φιλοσοφίας μαθὼν, τῷ διὰ πυρὸς καθάρσιν τῶν κακῶν βεβιωκότων, ὧν ὕστερον ἀναπύρωσιν ἐκδέξεσθαι οἱ Στωϊκοί. καθ' ὃν καὶ ἡμῖν ποιὸν ἀναστήσεσθαι δογματίζουσι· τοῦτ' ἐπῆνε τῷ ἀνάστασιν εἰσηγουμένῳ, *Norat enim ille*, Heraclitus, *edoctus è barbara philosophia, Mundum à malis hominibus purgatum iri per ignem, quod ἐκπύρωσιν posteà Stoici dixere: qui & per eam hunc talem quemque revicturum docent; his vocibus obtegentes resurrectionis rem.* Origenes lib. 4 adversùs Celsum, Φασὶ δέ τινες ἀπὸ τοῦ σοῦ καὶ περιόδου ἐκπύρωσιν τοῦ παντὸς γενέσθαι, καὶ ἐξῆς αὐτῇ διακόσμησιν πάντ' ἀναλλάκτως ἔχειν, *Aiunt de porticu Philosophi post seculorum circuitus fore incendium universi, deinde ejusdem formationem quæ eadem omnia habeat.* Posteà καὶ μὴ ὀνομάζωσιν ἴδιον τὸ τῆς ἀναστάσεως ὄνομα, τὸ πρᾶγμα γε δηλοῦσιν, *quanquam igitur resurrectionis non usurpant vocabulum, rem tamen agnoscunt.* Addit hîc Origenes Ægyptios. Chrysippus De providentia citatus Lactantio lib. 7 Instit. cap. 23. Τοῦτο δ' ὅτως ἔχοι, δῆλον ὡς ἐστὶν ἀδύνατον καὶ ἡμᾶς μὴ τὸ παράπαν εἶναι, πάλιν ἐκείνων τινῶν ἀληθῶν ὄντων, οἷς ὁ νῦν ἐπὶ γῆς ἀνθρωπος ἀποκαταστήσεται χρόνος, *Hoc cùm ita se habeat, apparet non esse impossibile, ut & nos post mortem, seculorum certis circuitibus evolutis, restituamur in eum in quo nunc summus statum.* Vide si vacat Nathanaelem Carpentarium Liberæ Philosophiæ exercitatione XVI.

(e) *Et inter Peripateticos Theopompus*] De quo Diogenes Laertius initio libri, Καὶ Θεόπομπος ἐν τῇ ὀγδόῃ τῆς Φιλιππικῶν, ὅτι καὶ ἀναστήσεσθαι τοὺς μάγους φησὶ τοὺς ἀνθρώπους, καὶ ἀθανάτους, καὶ τὰ ὄντα ταῦτα διαμένειν διαμένοντα, *Theopompus verò etiam octavo Philippicorum, qui revicturos homines ex magorum sententia tradit, immortaléque futuros, & omnia in suis iisdem semper mansura nominibus.*

XI. Secundum, quo Christiana religio omnes alias quæ aut sunt, aut fuerunt, aut fingi possunt, exsuperat, est summa sanctitas præceptorum; tum in iis quæ ad Dei cultum, tum quæ ad res cæteras pertinent. Paganorum sacra ferme per totum orbem terrarum, ut latè ostendit (a) Porphyrius, & nostri etiam seculi navigationes docent, plena erant crudelitatis. Nam receptum ferme ubique, ut & humano sanguine dii placarentur: quem morem nec Græca eruditio nec Romanæ leges sustulerunt, ut apparet ex iis (b) quæ de victimis factis Baccho Omestæ apud Græcos, de Græco & Græca, (c) Gallo & Galla mactatis Jovi Latiari legimus. Mysteria autem illa sanctissima, sive Cereris, sive Liberi patris, plenissima fuere omnis obscœnitatis, ut apparuit, postquam semel perruptâ arcani religione evulgari cœperunt: quod latè exsequuntur (d) Clemens Alexandrinus & (e) alii. Tum verò illi dies qui deorum honori sacrati erant, talibus spectaculis celebrabantur (f) quibus interesse Catonem puduit. At Judaica religio nihil quidem habuit illicitum aut inhonestum: sed tamen (g) nè pronus ad idololatriam populus à vera religione desciscceret, multis præceptis earum rerum quæ per se nec bonitatem nec malitiam habebant oneratus est; qualia sunt Pecudum mactationes, Circumcisio, exacta quies Sabbati, & Ciborum aliquammultorum interdictio; quorum nonnulla mutuati sunt Mahumetistæ, additâ vini prohibitione. At Christiana religio Deum, ut mentem purissimam, (h) purâ mente colendum docet, (i) & iis operibus quæ suapte naturâ etiam citra præceptum honestissima sunt. Sic (k) non carnem vult circumcidi, sed cupiditates: (l) non ab omni opere, sed ab illicito nos feriari: non pecudum sanguinem aut adipem Deo sacrare, sed, si opus sit, (m) pro veritate ipsius testanda nostrum offerre sanguinem: & (n) quæ de bonis nostris egentibus damus, Deo data credere: non certis ciborum potûsve generibus abstinere, sed (o) utroque uti cum modo qui sanitati conveniat; (p) interdum & jejuniis subactum corpus animo addicere, quò is alacrior ad sublimia feratur. Præcipua verò pars religionis ubique ostenditur posita (q) in pia fiducia, (r) quâ compositi ad fidele obsequium (s) in Deum toti recumbimus, (t) ejúsque promissis non dubiam habemus fidem, (u) unde & spes exsurgit, (x) & verus amor tum Dei tum proximi, quò fit ut præceptis ipsius pareamus, (y) non serviliter pœnæ formidine, (z) sed ut ipsi placeamus, (a 2) ipsúmque habeamus pro sua bonitate patrem ac (b 2) remuneratorem. (c 2) Precari verò jubemur, non ut divitias aut honores nanciscamur, & quæ alia multùm optata plurimis malè cesserunt; sed primùm quidem ea quæ Deo sunt gloriosa, nobis verò de rebus caducis ea quæ natura desiderat, reliquum permittentes Divinæ providentiæ, utramcunque in partem res ceciderit securi; ea vero quæ ad æterna ducunt, omni studio; nempe retro commissorum veniam, in posterum auxilium Spiritûs, quo firmati adversùs minas omnes atque illecebras in pio cursu perstemus. Hic est Dei cultus in religione Christiana, quo certè nihil excogitari potest Deo dignius.

ANNO-

ANNOTATA.

(a) *Porphyrius*] De abstinentia ab esu animalium. Unde multa sumpsit Cyrillus 4 contra Julianum.

(b) *De victimis factis Baccho Omesta apud Græcos*] Meminit Plutarchus Themistocle, & Pausanias. Similia sacra Messeniorum, Pellæorum, Lyctiorum in Creta, Lesbiorum, Phocæensiũ habes apud Clementem Protreptico.

(c) *Gallo & Galla mactatis Jovi Latiali*] Antiquum in Italia homines immolare docet nos lib. 1 Dionysius Halicarnassensis. Quamdiu id manserit Plinius lib. 28. cap. 1. *Boario verò in foro Græcum Græcámve defossos, aut aliarum gentium cum quibus tum res esset, etiam nostra ætas vidit.* Manfit mos ad Justini & Tatiani tempora. Justinus enim sic Apologetico 1 Rom. alloquitur, Τῷ παρ' ὑμῖν τιμωμένῳ εἰδώλῳ, ᾧ ἐ μόνον ἀψύχων ζώων αἵματα σπονδεῖσθε, ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπεια, διὰ τῆ παρ' ὑμῖν ἐπισημόλητι καὶ ἐνθυσιάτι ἀνδρὸς τὸν σφάγειν τῶν ἴδιον φονεύοντων αἷμα & ποιμάνα, *Ut ei quod vos colitis idolo, cui non tantùm ratione carentium animantium sanguis aspergitur, sed & humanus, nobilissimo atque illustrissimo vestrûm occisorum hominum affundente sanguinem.* Tatianus verò, Εὑρὼν παρ' μὲ Ῥωμαίοις & Λακιδαιμόνιον Διὰ λύδρεσις ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἐπ' ἐκ' ἀνδρολαγεῖν αἵμασι τερπόμενον, *Cùm comperirem apud Romanos Latialem Jovem humano cruore, & per homicidium fuso sanguine oblectari.* Porphyrius ad Adriani tempora manfisse talia sacra nos docet. Apud Gallos mos is vetus humanis victimis litandi, ut ex Cicerone pro M. Fonteio, & ex Plutarcho De superstitione discimus. Eum sustulit indè Tiberius, memorante Plinio lib. 30. cap. 1. De Britannis eundem ibi Plinium vide, & Dionem Nerone, & Solinum. De Slavis verò Helmodum lib. 1 cap. 3. Porphyrius libro De non esu animantium secundo manfisse ad suam ætatem ait, & in Arcadia & Carthagine, imò & ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει, i. Romæ, sacrum nominans Jovis Latialis.

(d) *Clemens Alexandrinus*] In Protreptico.

(e) *Et alii*] Maximè Arnobius.

(f) *Quibus interesse Catonem puduit*] Martialis initio Epigrammatum 1. Gellius 10. 13. Valerius Maximus lib. 11. cap. 10.

(g) *Nè pronus ad idololatriam populus à vera religione descisceret, multis præceptis earum rerum quæ per se nec bonitatem nec malitiam habent, oneratus est*] Hanc causam talium præceptorum reddit & Maimonides, quem sequitur Josephus Albo.

(h) *Purâ mente colendum docet*] Joh. 4. 24.

(i) *Et iis operibus quæ suapte naturâ etiam citra præceptum honestissima sunt*] Unde λογικὴ λατρεία dicitur, *cultus rationi consentiens*, Rom. 12. 1. Adde Philip. 4, 8.

(k) *Non carnem vult circumcidi, sed cupiditates*] Rom. 2. 28, 29. Philip. 3. 3.

(l) *Non ab omni opere, sed ab illicito nos feriari*] 1 Cor. 5. 8

(m) *Pro veritate ipsius testanda nostrum offerre sanguinem*] 1 Cor. 10. 16. Heb. 12. 4. 1 Pet. 2. 21.

(n) *Qua de bonis nostris egentibus damus, Deo data credere*] Matt. 6. 4. Luc. 12. 33. 2 Cor. 9. 7. Heb. 3. 6.

(o) *Utroque uti cum modo qui sanitati conveniat*] Luc. 21. 34. Rom. 13. 13. Eph. 5. 18. Gal. 5. 21. 1 Pet. 4. 3. 1 Tim. 5. 3.

(p) *Interdum & jejuniis subactum corpus animo addicere*] Matth. 6. 18. & 17. 21. 1 Cor. 7. 5.

(q) *In pia fiducia*] Ut Joh. 12. 44.

(r) *Quâ compositi ad fidele obsequium*] Luc. 11. 28. Joh. 13. 17, & seqq. Rom. 1. 5. 1 Pet. 1. 2. 1 Cor. 7. 19.

(s) *In Deum toti recumbimus*] Matt. 21. 21. 2 Tim. 1. 12.

(t) *Ejúsque promissis non dubiam habemus fidem*] Rom. 4. 20. 2 Cor. 7. 1. Gal. 3. 29.

(u) *Unde & spes exsurgit*] Heb. 6. 11. Rom. 8. 24. & 15. 4.

(x) *Et verus amor tum Dei, tum proximi*] Gal. 5. 6. 1 Thess. 3. 6.

(y) *Non serviliter pœna formidine*] Rom. 8. 15.

(z) *Sed ut ipsi placeamus*] Heb. 12. 28.

(a 2) *Ipsúmque habeamus pro sua bonitate patrem*] Rom. 8.

(b 2) *Et remuneratorem*] Colos. 3. 24. 2 Thess. 1. 6.

(c 2) *Precari verò jubemur*] Matth. 6. 10.

XII. Similia sunt quæ adversùs proximum exiguntur officia. Mahumetis religio in armis nata nihil spirat nisi arma, armis propagatur. Sic & Laconum instituta, quæ inter Græcanica maximè laudabantur, etiam Apollinis oraculo, tota ad vim bellicam fuisse directa (a) notat & in culpa ponit Aristoteles. Sed idem in Barbaros bellum dicit esse naturale, cùm contrà verum sit, inter homines à natura amicitiam ac societatem constitutam. (b) Quid enim iniquius quam singulas cædes puniri, occisarum gentium, velut glorioſum facinus, triumphis ostentari? Et tamen illa adeò celebrata Romana civitas, quo tantum nomen, nisi bellis, (c) sæpe manifestè injustis, (d) ut de bello in Sardiniam (e) & Cyprum ipsi fatentur, consecuta est? Et certè generatim, ut à præclaris annalium conditoribus memoriæ proditum est, (f) latrocinia extra fines plerisq; gentibus nullam habebant infamiam. (g) Ultionis exactionem Aristoteles & Cicero in virtutis parte ponunt. (h) Gladiatorum mutuæ dilaniationes inter oblectamenta erant publica Paganorum: (i) exponere liberos quotidianum. Apud Hebræos sanè lex melior, sanctior disciplina; sed tamen in populo impotentis iræ diffimulata quædam, aut etiam ipsis concessa: (k) ut vis in populos septem id meritos; quâ non contenti, (l) omnes à se dissidentes crudeli odio sunt persecuti: (m) cujus signa nunc etiam in ipsorum precibus adversùs Christianos conceptis apparent. At (n) dolorem suum talionis judicio exsequi, homicidam propinqui sui privatâ manu occidere, lege ipsâ permittebatur. Christi verò lex omnino (o) prohibet injuriam, sive verbis sive rebus factam, reponere, nè, quam in aliis improbamus malitiam, rursum probemus imitando: bene fieri vult bonis quidem præcipuè, sed & malis, (p) ad Dei exemplum, à quo solem, astra, aerem, ventos, imbres habemus communia in homines quosvis dona.

ANNOTATA.

(a) *Notat & in culpa ponit Aristoteles*] Polit. 7. c. 14. Παραπλησίως δ' τούτοις καὶ οἱ ὕστερόν τινες γεγράφαντον ἀπορήναντο & ὡς & δόξαν ἐπαινοῦντες δ' & Λακεδαιμονίων πολιτείαν, ἄσασθαι & νομοθέτη & ὅτι πάντα σχεδὸν ὅσα τὸ κρατεῖν καὶ σχεδὸν & πόλεμον διωμοθέτησεν. ἃ καὶ χρόνῳ & λόγον ἔδειν ἐυλαβεῖα, καὶ τοῖς ἔργοις ἐξελήλεγκται νῦν, *Pari modo & qui posteriùs scripserunt, ostenderunt ejusdem se esse sententiæ. Nam in laudatione Lacedæmoniorum reipublicæ, admirantur propositum conditoris legum in eo, quòd leges omnes ad bellicas res victoriámq; direxit: quod & ratione refelli facilè potest, & ipsis factis refutatum nunc apparet.* Euripides Andromachâ Aristoteli prælerat,

—— οὐδ' ἀπλῶ λόγῳ
Τοῖς Σπαρτιάταις δόξα καλὴ μάχης ἀγών,
Τ' ἄλλ' ὄντες ἐσθλοὶ μηδενὸς βαλλίονες,
—— *si vis Martia*
Vobis, Lacones, abfit & ferri decus,
Spectatur ultrà quod sit eximium nihil.

(b) *Quid enim iniquius quàm singulas cædes puniri, occisarum gentium, velut glorioſum facinus, triumphis ostentari?*] Sensus ex Senecæ epistola 96. & De ira lib. 2. cap. 8. ex Cypriani epist. 2.

(c) *Sæpe manifestè injustis*] Petronius,

—— *si quis sinus abditus ultrà,*
Signa foret tellus fulvum qua mitteret aurum,
Hostis erat. ——

(d) *Ut de bello in Sardiniam*] Vide Polybium Historiarum 3.

(e) *Et Cyprum ipsi fatentur*] Florus lib. 3. cap. 9. *Divitiarum tanta erat fama, nec falsò, ut instar gentium populum, & donare regna consuetus, Publio Clodio tribuno duce, socii vivique Regis confiscationem mandaverit.* Meminit ejusdem rei Plutarchus Catone, Appianus lib. 2 Civilium, Dion lib. 38. Vide eundem Florum de bello Numantino & de Cretico.

(f) *Latrocinia extra fines plerisque gentibus nullam habebant infamiam*] Thucydides lib. 1. Οἱ γὰρ Ἕλληνες παλαι, καὶ τῶν βαρβάρων οἵτε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐπειδὰν ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους, ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγεμόνων ὑπ' αὐτῶν γιγνομένων, κέρδους τῆς ζωπυρούσης τοῖς ἀδυνάτοις τοῦ ἕνεκα καὶ τοῖς ἀδυνάτοις ἐπῆς· καὶ περιιόντες πόλεσιν ἀτειχίστοις καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις, ἤρπαζον, καὶ τὸν πλεῖστον ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο· οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου γε ἔργου, φέροντός τι καὶ δόξης μᾶλλον. Σημεῖα δὲ τῆς τοιαύτης τινες ἔτι καὶ νῦν, οἷς κόσμος καλῶς τοῦτο ἐφάνη, καὶ οἱ πάλαι δὲ ποιηταὶ, τὰς πύσεις πανταχοῦ ἐρωτῶντες, εἰ λῃσταὶ εἰσιν· ὡς οὔτε οἷς πορίζονται ἀπαξιοῦντων τὸ ἔργον, οἷς τ' ὀνειδιζόντων· ἐλαφίζοντο δὲ καὶ κατ' ἤπειρον ἀλλήλους· καὶ μέχρι τῶνδε πολλὰ τῆς Ἑλλάδος τῷ παλαιῷ τρόπῳ νέμεται, ὥσπερ τοῖς Λοκροῖς τοῖς Ὀζόλαις καὶ Αἰτωλοῖς καὶ Ἀκαρνᾶσι, καὶ τῇ ταύτῃ ἠπείρῳ. *Olim quippe Graci non minùs quàm barbari, tum qui in continente, tum qui per insulas vivebant, postquam sæpius alii ad alios navibus transire cœperunt, ad latrocinandum se contulerunt; ad quam rem viri illustres duces ipsis erant, partim quæstûs sui causâ, partim ut victum suppeditarent egentibus: adortique civitates mœnibus carentes, aut per vicos sparsas, diripiebant eas, maximámque partem hinc se alebant; nondum infami eo vitæ genere, quin & nonnihil habente gloriæ. Manifestum id faciunt etiam nunc quidam continentis terræ habitatores, qui pro decoro habent strenuè id facere, & veteres Poetarum, apud quos frequentes sunt interrogationes ad navigantium obvios, an prædones essent; nimirum quòd nec defugituri id nomen illi essent qui interrogabantur, nec exprobaturi hoc qui interrogabant. In ipsa quin etiam terra continente spoliabant alii alios, & nunc quoque magna portio Græcorum sic vivit, apud Locros Ozolas, apud Ætolos, apud Acarnanas & vicina terrarum.* Interrogatio illa cujus Thucydides meminit, est apud Homerum Odysseâ ι'. ubi Scholiastes, οὐκ ἄδοξον τῶν παρὰ τοῖς παλαιοῖς τὸ λῃστεύειν, ἀλλ' ἔνδοξον, *Apud veteres latrocinari adeò infame non erat, ut & gloriæ duceretur.* Justinus lib. 43. cap. 3. de Phocensibus, *Studiosiùs mare quàm terras exercuere, piscando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris (quod illis temporibus gloria habebatur) vitam tolerabant.* De Hispanis vide Plutarchum Mario: & Diodorum lib. 5. de Tyrrhenis, Servium ad 8. & 10 Æneidos: de Germanis Cæsarem, Tacitum, Saxonem Grammaticum.

(g) *Ultionis exactionem Aristoteles & Cicero in virtutis parte ponunt*] Aristoteles De moribus ad Nicomachum 4. 11. Δοκεῖ γὰρ οὐκ εὐδαίμονος ὑβρὶ λυπεῖσθαι, μὴ ὀργιζόμενός τι οὐκ εἰ ἀμυητικός· τὸ δὲ περιπλακιζόμενον ἀνέχεσθαι, ἀνδραποδώδες, *Videtur talis & sensu & dolore carere, & cùm non iracatur, vindicta esse negligens: Servile, si contumeliosè tractetur, id tolerare.* Cicero autem De Inventione 2. inter ea quæ ad jus naturæ pertinent ponit vindicationem, *per quam vim aut contumeliam defendendo aut ulciscendo propulsamus.* Ad Atticum, *Odi hominem & odero: utinam ulcisci possem.* In Antonium, *Sic ulciscar facinora singula, quemadmodum à quibusque sum provocatus.*

(h) *Gladiatorum mutua dilaniationes inter oblectamenta erant publica Paganorum*] Vide Lactantium lib. 2. Tertullianum De Spectaculis cap. 19.

(i) *Exponere liberos quotidanum*] Justinus Apologetico 2. Tertullianus Apologetico cap. 9. Vide & Lactantium lib. 6. Institut. cap. 20. & Terentii Hecyram.

(k) *Ut vis in populos septem id meritos*] Exodi 34. 11, 12. Deut. 7. 1, 2.

(l) *Omnes à se dissidentes crudeli odio sunt persecuti*] Dandam operam ut eis damnum quovis modo inferatur, docet R. Levi ben Gerson: non reddenda illis quæ furtis subducta sunt, Bachai.

(m) *Cujus signa etiamnunc in precibus adversùs Christianos conceptis apparent*] Vide Libellum precum editum Venetiis formâ minimâ fol. 8. & librum Germanicum Antonii Margaritæ; Maimonidem ad XIII articulos, ubi perdendos ait qui eos non credunt. Et dictum est in ore Judæorum, *Omnes sectarii subitò pereant.* Similia sunt dicta R. Isaaci in Bereschith rabba, & Thalmud in Baba Kamma, & Baba Bathra.

(n) *Dolorem suum talionis judicio exsequi*] Levit. 24. 20. Deut. 19. 21.

(o) *Prohibet injuriam sive verbis sive rebus factam reponere*] Matt. 5. 38, 44.

(p) *Ad Dei exemplum, à quo solem, astra, aerem, ventos, imbres habemus communia in homines quosvis dona*] Matth. 5. 45.

XIII. Conjunctio maris cum femina, per quam propagatur genus humanum, dignissima res est legum curâ. Quam partem neglectui habitam à paganis haud mirum est, cùm eorum quos colerent (a) deorum stupra & adulteria narrarentur. Quid quòd & (b) concubitus marium cum maribus deorum exemplis defendebantur? in quorum numerum eo merito relati, olim Ganymedes, (c) postea Antinous; quod flagitium apud Mahumetistas quoque frequens est, apud Sinenses, & gentes alias etiam pro licito: à Græciæ autem philosophis in id laboratum videtur (d) ut rei turpi honestum nomen imponeretur. Inter eosdem Græciæ philosophos præstantissimi (e) communione mulierum laudatâ, quid aliud quàm ex civitate tota unum fecerunt lupanar, (f) cùm etiam inter muta animantia quædam sit fedus aliquod conjugale? quantò æquius nè sanctissimum animal homo incerto semine nascatur, exstinctis etiam parentum & liberorum inter se affectibus? Lex Hebræa omnem quidem spurcitiem inhibet, sed & (g) plures uni concedit uxores, (h) & marito dimittendæ ob quasvis causas uxoris jus facit: quod & hodie usurpant Mahumetistæ, & olim Græci ac Latini, tantâ licentiâ, ut & uxores ad tempus utendas aliis darent (i) Lacones, & Cato. At perfectissima Christi lex ad ipsas penetrat vitiorum radices, & eum qui attentavit mulieris cujusquam pudicitiam, vel oculis libavit, (k) reum habet, inspectore cordis Deo judice, concupiti, nec peracti criminis. Cúmque omnis vera amicitia perpetua sit & insolubilis, (l) meritò talem eam esse voluit quæ cum animorum societate corporum quoque continet communionem: quod etiam ad rectam liberorum educationem haud dubiè est utilius. Inter Paganos paucæ gentes unâ uxore contentæ fuerunt, ut Germani & Romani. (m) Sequuntur & hoc Christiani; ut scilicet animus ab uxore in solidum marito datus, (n) æquali retributione pensetur, (o) rectiúsque procedat sub una præside domesticum regimen; neu diversæ matres discordiam liberis inferant.

ANNOTATA.

(a) *Deorum stupra & adulteria*] Euripides Ione,

—— νυθέλητός μοι
Φοῖβος, τί πάθω, παρθένιος βίᾳ γαμεῖ,
Πορίδωσι παῖδα τὴν τακυρόμῳ λάθρᾳ,
Θνήσαντα μέλος· μὴ σύ γ'· ἀλλ' ἐπεὶ κρείσσων,
Ἀρτὰς δίκαια. κεἰ γὰρ ὄντες ἐν βροτοῖς
Κακὸς παρανόμοις, ζημιοῦσιν οἱ θεοί.
Πῶς ἂν δίκαιον, νῦν νόμοις ὑμᾶς βροτῶν
Γράφεσθαι, αὐτοὺς ἀνομίαν ἐγκαλοῦντας;
Εἶδ', ὦ γάτεια, τῷ λόγῳ σ' ἐρήσομαι,
Δίκας βιαίων δόσιν ἀνθρώποις γάμων,
Σὺ καὶ Ποσειδὼν, Ζεὺς δ' ὁ τιμῶν κράτη,
Ναὸς τίνουσι δυσίλαις ἀράσεις;
—— *monendum, sit tamen fas est mihi,*
Apollo, per vim virginum minuis decus,
Quosque ipse sevis liberos, interficis
Clàm patre: ah nè tu ista: sed quando imperas,
Honesta sequere. Si quis est mortalium
Qui scelera patrat, exigunt pœnam dii.
At nonne iniquum est, vos suas leges quibus
Gens debet hominum, jure nullo vivere?

Si

Si, quod futurum non erit, dicam tamen,
Hominibus æquo stupra lucretis modo,
Neptunus & tu, réxque supremi poli,
Vacuare omnes multa templorum domos.

Vide hæc fusè tractata apud Clementem Protreptico, Athenagoram, Tatianum, Arnobium lib. 4. Nazianzenum 1 contra Julianum, Theodoretum Serm. 3.

(b) *Conubitus marinus cum maribus*] Hæc quoque vide apud Clementem & Theodoretum dictis locis.

(c) *Postea Antinous*] Meminit Justinus Apologetico 2. Clemens Protreptico, Origenes libro contra Celsum 3, & 8. Eusebius Hist. Eccles. 4. 8. Theodoretus 8. & historici illorum temporum.

(d) *Ut rei turpi honestum nomen imponeretur*] Ità sanè censent non Lucianus tantùm libello De amoribus, sed & Gregorius Nazianzenus Oratione 3 contra Julianum, & ad eum Elias Cretensis & Nonnus, Cyrillus contra Julianum lib. 6. & latè Theodoretus lib. 13 ad Græcos. Philonis, qui Platoni favit plurimùm, locum hîc omittere non possum è libro De vita contemplatrice, τὸ δ' Πλατωνικὸν ὅλον χρεὼν ὅτι σὺν ἱλαρῷ, οὐκ ἀσθενῶν ἐπὶ γυναικεῖον ἐπαινεθήσεται, ἢ γυναικῶν ἀνδρεῖόν τι· ἀπὸ μόνου γὰρ ἀκολουθοῦ καὶ ἐνθυμίας ἔνεστι νόμῳ φύσεως· ἀλλὰ ἀνδρῶν ἄρρενα ἔρωτα μόνον διαφθείρει· καὶ γὰρ εἴ τι σὺν ἱλαρῷ καὶ εὐμαθὲς Ἀφροδίτης κακομηχάνῳ δόκῃ, χρεὼν ἀσεβήματος παραίτιον, *Platonicum autem convivium totum ferè in amoribus consumitur, non virorum modò in mulieres, mulierum in viros insanientium; tales enim cupiditates lege naturæ explentur: sed virorum in sexûs ejusdem solâ ætate dispares: nam si quid ibi de Venere & Amore cœlesti speciosè dici auditur, id honesti obtentûs causa assumitur.* Tertullianus De anima, Christianam sapientiam præferens Socraticæ, *Nec nova inferens dæmonia, sed vetera depellens; nec adolescentiam vitians, sed omni bono pudoris informans.*

(e) *Communione mulierum laudatâ*] Platonem vide tum alibi, tum maximè De Republica 4.

(f) *Cùm etiam inter muta animantia quadam sit fœdus aliquod conjugale*] Plinius lib. 10. cap. 34. *Ab his columbarum gesta spectantur maximè, simili ratione. Mores iidem, sed pudicitia illis prima, & nostri nota adulteria: conjugii fidem non violant.* De palumbium castitate conjugali vide Porphyrium De non esu animantium l. 3.

(g) *Plures uxores concedit uxores*] Apparet id Deut. 17. 16, 17. & 21. 15. 2 Sam. 12. 8. Sic legem intelligunt Hebræi, & Chrysostomus 1 ad Corinth. 11. Augustinus De doct. Christ. lib. 3. cap. 12. & veterum alii. Josephus legis peritissimus Antiq. 16. πάτριον δὲ τοῖς τούτῳ πλείοσιν ἡμῖν συνοικεῖν, *Mos nobis patrius eodem tempore plures habere uxores.*

(h) *Et marito dimittendæ ob quasvis causas uxoris jus facit*] Deut. 24. 1, 2, 3, 4. Lev. 21. 14.

(i) *Lacones & Cato*] Vide Herodotum lib. 6. Plutarchum Lycurgo & Catone Uticensi.

(k) *Reum habet, inspectore cordis Deo judice, concupiti, nec peracti criminis*] Matth. 5. 28.

(l) *Meritò talem eam esse voluit, quæ cum animorum societate corporum quoque contineat communionem*] Matth. 5. 32. & 9. 9.

(m) *Sequuntur & hoc Christiani*] Paulus Apostolus 1 Cor. 7. 4. Lactantius Institut. 6. 23. Hieronymus adversùs Oceanum.

(n) *Æquali retributione pensetur*] Bene enim Sallustius Jugurthino, *Apud eos qui plures uxores habent, levis ista ducitur necessitudo, quòd animus multitudine distractus nullam pro socia obtinet, quæ pariter viles sunt.* Ammianus de Persis lib. 23. *Per quibus varias charitas dispersa torpescit.* Claudianus bello Gildonico,

——*Connubia mille:*
Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero languet pietas.

(o) *Rectiúsque procedat sub una præside domesticum regimen; neu diversa matres discordiam liberis inferant.*] Utrumque rectè concepit & expressit Euripides Andromachâ,

XIV. Ad usum eorum quæ Bona vulgò dicuntur ut veniamus, furta videmus à gentibus paganis quibusdam, (a) ut Ægyptiis & (b) Spartiatis, permissa: & quia privatis non permiserant, publicè hoc ferme unum agebant, ut Romani: (c) quibus ad casas redeundũ dicebat Romanus orator, si suum cuique reddere deberent. Hebræis nihil quidem tale, sed (d) fœnus tamen in extraneos permissum, ut eorum ingenio se lex aliquatenus aptaret, (e) quæ propterea legem servantibus inter cætera divitias pollicebatur. At (f) Christiana lex non modò omne injustitiæ genus & in quosvis prohibet; (g) sed & vetat nos studium nostrum rebus illis caducis impendere: quia scilicet non sufficiat animus noster ad duo sedulò curanda quæ singula hominem totum requirant, & sæpe in contraria consilia nos trahant: deinde verò & in quærendis & in servandis divitiis (h) solicitudo servitutem quandam & cruciatum secum ferat, quæ ipsam voluptatem quæ ex divitiis speratur corrumpant; (i) ea verò quibus natura contenta est, & pauca sint, & facilè sine magno labore aut impendio parentur. Quòd si quid tamen Deus ultrà indulserit, non hoc in mare projicere jubemur, (k) ut Philosophi quidam imprudenter fecerunt, neque detinere inutile, neque prodigere; sed supplere indè hominum aliorum inopiam, (l) sive donando, (m) sive dando mutuum id rogantibus, (n) ut decet eos qui se non dominos harum rerum, sed Dei summi parentis procuratores ac dispensatores credant: bene enim locatum beneficium (o) thesaurum esse bonæ spei plenum, in quem nec furum improbitati, nec casuum varietati quicquam liceat. Cujus veræ, non fucatæ liberalitatis exemplum admirabile præbuerunt Christianorum primi, (p) cùm usque ex Macedonia & Achaia ea mitterentur quæ Palæstinorum egestatem sublevabant: non aliter quàm si orbis totus una esset familia. Atque hîc illa quoque cautio in Christi lege additur, (q) nè qua repensationis aut honoris spes beneficentiam deflorret; (r) cujus apud Deum perit gratia si aliud præter Deum respicit. Ac nè quis, ut fieri solet, obtendat tenacitati suæ velum, quasi metuat nè ipse olim senex, aut à calamitate aliqua deprehensus, suis rebus opus habeat, (s) promittit lex curam specialem pro his qui illa præcepta servaverint; & quò magis confidant, in mentem illis revocat (t) conspicuam Dei providentiam in alendis feris ac pecudibus, & in ornandis herbis floribúsque: rem verò fore indignam si Deo tam bono, tam potenti, tanquam malo nomini, non credamus ultrà quàm dum pignori incumbimus.

ANNOTATA.

(a) *Ut Ægyptiis*] Diodorus Siculus Historiarum lib. 1.

(b) *Et Spartiatis*] Plutarchus Lycurgo.

(c) *Quibus ad casas redeundum esse dicebat Romanus orator, si suum cuique reddere deberent*] Verba hunc in sensum Ciceronis ex 3 De Republica recitat Lactantius in epitome cap. 1.

(d) *Fœnus tamen in extraneos permissum*] Deut. 23. 19.

(e) *Qua propterea legem servantibus inter cætera divitias pollicebatur*] Levit. 26. 5. Deut. 28. 4, 5, 6, 7, 8, 11, 12.

(f) *Christiana lex non modò omne injustitiæ genus & in quosvis prohibet*] Matth. 7. 12. Eph. 5. 3.

(g) *Sed & vetat nos studium nostrum rebus illis caducis impendere*] Matth. 6. 24. & seqq. & 13. 22. Luc. 8. 14. 1 Tim. 6. 9.

(h) *Solicitudo servitutem quandam & cruciatum secum ferat*] Matth. 6. 34. Philip. 4. 6.

(i) *Ea verò quibus natura contenta est, & pauca sint, & facilè sine magno labore aut impendio parentur*] 1 Tim. 6. 7, 8.

(k) *Ut Philosophi quidã imprudenter fecerunt*] Habet hoc de Aristippo Laertius & Suidas, de Cratete Philostratus.

(l) *Sive donando*] Matth. 5. 42.

(m) *Sive dando mutuũ id rogantibus*] Mat. ib. Luc. 6. 35.

(n) *Ut decet eos qui se non dominos harum rerum, sed Dei summi parentis procuratores & dispensatores credant*] 1 Tim. 6. 17, 18.

(o) *Thesaurum esse bona spei plenum, in quem nec furum improbitati, nec casuum varietati quicquam liceat*] Matth. 6. 20.

(p) *Cùm usque ex Macedonia & Achaia ea mitterentur, quæ Palæstinorum egestatem sublevarent*] Rom. 15. 25, 26, & seqq. 2 Cor. 9. 1, 2, 3, 4. Philip. 4. 18.

(q) *Ne qua repræsentationis aut honoris spes beneficentiam defloret*] Matth. 6. 1, 2. Luc. 14. 12.

(r) *Cujus apud Deum perit gratia, si aliud prater Deum respicit.*] Matthæus dicto jam loco.

(s) *Promittit lex curam specialem pro his qui illa præcepta servaverint*] Matth. 6. 32. Luc. 12. 7. & 21. 18.

(t) *Conspicuam Dei providentiam in alendis feris ac pecudibus, & in ornandis herbis floribúsque*] Matth. 7. 26, 28.

XV. Perjurium vetant leges aliæ: (a) hæc verò etiam jurejurando extra necessitatem omnino vult abstineri, & ità coli veracitatem in quovis sermone, (b) ut jusjurandum à nobis nè exigatur quidem.

ANNOTATA.

(a) *Hæc verò etiam jurejurando extra necessitatem omnino vult abstineri*] Matth. 5. 33, 34, 35, 36, 37. Jac. 5. 12.

(b) *Ut jusjurandum à nobis nè exigatur quidem*] Matth. dicto jam loco.

XVI. Ac planè nihil egregium reperiri potest, aut in Græcorum philosophicis scriptis, aut in sententiis Hebræorum aliarúmve gentium, quod non hîc contineatur, & quidem ut sancitum Divinâ auctoritate; putà (a) de modestia, (b) temperantia, de (c) bonitate, (d) de morum honestate, (e) de prudentia, (f) de officio magistratuum & subditorum, (g) parentum & liberorum, (h) dominorum & servorum, (i) item conjugum inter se, maximè verò de vitandis vitiis quæ specie quadam honesti plurimis Græcis Romanísq; imposuerunt, (k) cupiditatibus scilicet honorum ac gloriæ. Summa verò præceptorum solidâ brevitate admirabilis, (l) ut Deum amemus supra omnia, proximum verò juxta nos ipsos, (m) i. ut alteri faciamus quod nobis velimus fieri. Opponat fortè aliquis contra dogmatum Christi excellentiam, quam prædicamus, magnam opinionum inter Christianos discrepantiam, unde orta sit & sectarum multitudo.

ANNOTATA.

(a) *De modestia*] 1 Petr. 3. 3.

(b) *Temperantia*] Tit. 2. 12. 1 Tim. 2. 9.

(c) *Bonitate*] 2 Cor. 6. 6. Galat. 5. 22. Col. 3. 12. 1 Cor. 13. 4.

(d) *De morum honestate*] Philipp. 4. 8. 1 Tim. 2. 2. & 3. 4. Tit. 2. 7.

(e) *De prudentia*] Matth. 10. 16. Ephes. 1. 8.

(f) *De officio magistratuum & subditorum*] 1 Tim. 2. 2. Rom. 13. 1 Pet. 2. 13, 17.

(g) *Parentum & liberorum*] Col. 3. 20, 21. Eph. 6. 1, 2, 3, 4.

(h) *Dominorum & servorum*] Eph. 6. 5, 6, 7, 8, 9, 10. Col. 3. 22, 23, 24, 25.

(i) *Item conjugum inter se*] Eph. 5. 22, 23, 24, 25, 28, 33. Col. 3. 18, 19. 1 Tim. 2. 12.

(k) *Cupiditatibus scilicet honorum & gloriæ*] Matth. 18. 4. & 23. 12. Luc. 14. 11. & 18. 14. Joh. 5. 44. Eph. 4. 2. Col. 2. 18, 21, 23. 1 Joh. 2. 16. Philip. 2. 3. 1 Thess. 2. 6. 1 Pet. 1. 24. & 5. 5.

(l) *Ut Deum amemus supra omnia, proximum verò juxta nos ipsos*] Matth. 9. 18. & 22. 37, 39. Luc. 10. 27. Rom. 13. 9, 10, 11. Gal. 5. 14. Jac. 2. 8.

(m) *Id est, ut alteri faciamus quod nobis velimus fieri*] Matth. 7. 12. Luc. 6. 31. Laudabat Imperator Alexander. Vide Dionem, & qui Latinè vitam ejus Imperatoris scripsit.

XVII. Sed parata responsio, idem in omnibus ferme artibus accidere, partim imbecillitate humani ingenii, partim quòd studiis judicium impeditur. Sed solent istæ opinionum varietates consistere intra certos terminos, de quibus convenit, & unde ad ambigua argumentum petitur: sicut in Mathematicis, An quadrari circulus possit disputatur, non item an, Si æqualibus æqualia demantur, quæ remanent sint æqualia; idémque in Physicis, Medicina & aliis artibus videre est. Sic & discrepantia illa opinionum inter Christianos impedire nequiit quominus de præcipuis, i. de præceptis illis ex quibus Christianam religionem maximè commendavimus, satis constet: eorúmque certitudo hoc ipso emicat, quòd qui odiis inter se inflammati quærunt dissidendi materiam, eò progredi non ausint ut hæc negent à Christo imperata, nè illi quidem ipsi qui vitam suam ad eam normam nolunt componere. Quòd si quis etiam his velit contradicere, par habendus sit Philosophis qui nivem albam negarunt. Nam ut hi sensu refelluntur, ità illi consensu omnium gentium Christianarum, & librorum quos scripserunt Christianæ religionis primi, ac primis proximi, & deinceps secuti doctores, etiam illi qui suam in Christum fidem morte testati sunt. Nam quod hi omnes ut Christi dogma agnoscunt, id omnino pro tali habendum est ab æquo rerum judice: sicut Platoni, Xenophonti, aliísque Socraticis credimus de dogmatibus Socratis, Stoicorum scholæ de his quæ Zeno tradidit.

XVIII. Tertium, quo Christianam religionem omnibus aliis quæ sunt aut fingi possunt præstare diximus, est ipse modus quo tradita fuit ac propagata; qua in parte prima est inspectio de ipso dogmatis auctore. Græcæ sapientiæ auctores nihil ferme certi se adferre ipsi fatebantur; quippe (a) veritatem velut in puteo demersam, & (b) mentem nostram non minùs caligare ad Divina quàm oculos noctuæ ad lumen Solis. Ipsorum præterea (c) nemo non aliquo vitio obsitus, (d) alii Regum adulatores, (e) alii scortorum amoribus addicti, (f) alii caninæ impudentiæ. Invidiæ verò omnium inter se magnum argumentum, (g) rixæ de verbis aut nullius momenti rebus; frigoris verò in Dei cultu, quòd & qui Deum unum crediderunt, tamen illo sepositio, aliis, & quidem quos Deos non crederent, cultum exhibuerunt, (h) religionis normam statuentes id quod receptum esset publicé. De præmio quoque pietatis nihil asseverabant certi, (i) quod vel ex ultima illa Socratis morituri disputatione apparet. Mahumetes, latè sparsæ religionis auctor, (k) projectus ad libidinem per omnem vitam nè à suis quidem negatur. Tum verò nullam fidem dedit quâ constare possit, quod ipse promisit præmium in epulis & Venere positum, id verè exstiturum, cùm ipsius in corpus vitam rediisse nè dicatur quidem, imò in hunc diem Medinæ situm sit. At Hebrææ legis conditor Moses, vir eximius, non tamen ab omni culpa liberatur, (l) cùm & legationem ad regem Ægyptium à Deo sibi mandatam multo cum reniſu vix susceperit, (m) & ad pollicitum Dei de aqua è rupe excitanda diffidentiæ nonnihil ostenderit, ut Hebræi fatentur. Eorum verò quæ per legem suis promisit præmiorum vix quicquam ipse consecutus est, desertis in locis (n) jactatus perpetuis seditionibus, (o) neque ingressus in terram illam felicem. At Christus (p) peccati omnis expers à suis describitur (q) nec ab aliis ullius commissi allatis testimoniis arguitur. Tum verò (r) quicquid præscripsit aliis, id præstitit ipse. Quæ enim sibi à Deo mandata erant implevit fideliter, (s) in vita omni simplicissimus, (t) injuriarum ac cruciatuum patientissimus, quod in ipso crucis supplicio ostendit, amantissimus hominum, etiam inimicorum, etiam à quibus ad mortem actus fuerat, (u) ità ut pro iis etiam Deum deprecaretur. Quod autem suis promisit præmium, ejus ipse compos factus excellentissimo modo & perhibetur, & certâ fide comprobatur. In vitam enim redditum (x) viderunt multi, audierunt,

audierunt, palparunt etiam: (y) in cœlum evectus est spectantibus duodecim: ibi potestatem, quæ suprema est, consecutus ostenditur, eò quòd suos sectatores & (z) linguarum quas non didicerant loquelâ, (a 2) & aliis mirificis virtutibus donavit, (b 2) ità ut facturum se discedens promiserat: quæ omnia faciunt ut nec de fide, nec de potentia ejus ad retribuendum nobis id quod pollicitus est præmium, dubitare ullo modo liceat. Ac sic collegimus, hanc religionem in hoc quoque eminere supra cæteras; quòd ejus magister quæ jussit ipse præstitit, quod promisit ipse est consecutus. Videamus jam etiam effectus allati ab ipso dogmatis; qui profectò, si rectè animadvertantur, tales sunt, ut si Deo ulla est cura rerum humanarum, non possit hoc dogma non Divinum credi. Conveniebat Divinæ providentiæ id efficere, ut quod optimum esset, pateret quàm latissimé. Id autem contigit religioni Christianæ, quam ipsi videmus per Europam omnem, (c 2) nè Septentrionis quidem recessibus exclusis, doceri; (d 2) nec minùs per Asiam omnem, (e 2) etiam ejus insulas in Oceano; (f 2) per Ægyptum quoque, (g 2) per Æthiopiam, (h 2) & alias aliquot Africæ partes; (i 2) postremò & per Americam. Neque id nunc tantùm fieri, sed & olim factum, ostendunt omnium temporum historiæ, libri Christianorum, acta Synodorum, vetus traditio nunc quoque apud Barbaros conservata de itineribus ac miraculis Thomæ, (l 2) Andreæ, aliorúmque Apostolorum. Jam suis temporibus quàm latè Christi nomen celebraretur apud Britannos, Germanos, aliásq; ultimas gentes, (m 2) notant Clemens, (n 2) Tertullianus, (o 2) & alii. Quæ est religio quæ cum tam lata possessione possit contendere? Nam si Paganismum dixeris, nomen unum dixeris, non religionem unam. Nam nec idem adorabant: alii enim astra, alii elementa, alii pecudes, alii res non subsistentes, nec eadem ex lege, nec ullo communi magistro. Judæi sparsi quidem, sed gens una, nec post Christum eorum religio ulla accepit notabilia incrementa: imò lex ipsorum magis per Christianos quàm per ipsos innotuit. Mahumetismus satis multas terras insidet, sed non solus. Nam per easdem terras colitur & Christiana religio, aliquibus in locis numero majore: cùm contrà Mahumetistæ non reperiantur in partibus plerisque ubi sunt Christiani. Sequitur & hoc videamus, quibus instrumentis progressus fecerit Christiana religio, ut hâc quoque parte cum aliis contendatur. Videmus ità plerosque homines comparatos esse, ut regum & potentum exempla facilè sequantur; eóque magis si lex etiam & coactio adsit. Hinc Paganicarum religionum, hinc Mahumeticæ incrementa. At qui Christianam religionem primi docuerunt, non modò sine imperio omni fuerunt, sed & fortunæ humilis, piscatores, textores, & si quid his simile. Et horum tamen operâ dogma illud intra annos triginta, aut circiter, (p 2) non tantùm per omnes Romani imperii partes, sed ad Parthos quoque & Indos pervenit. Nec tantùm ipso initio, sed per tria ferme secula, privatorum operâ, sine minis ullis, sine ullis invitamentis, imò renitente quàm maximè eorum vi qui imperia obtinebant, promota est hæc religio, (q 2) ità ut antequam Constantinus Christianismum profiteretur, hæc pars Romani orbis propè major esset. Apud Græcos qui morum præcepta tradiderunt, aliis simul artibus reddebant se commendabiles; ut Geometriæ studio Platonici, Peripatetici animantium ac plantarum historiâ, Stoici Dialecticâ subtilitate, numerorum & concentuum cognitione Pythagorici: multis adfuit & admirabilis quædam facundia, ut Platoni, Xenophonti, Theophrasto. At primis Christianismi doctoribus ars talis nulla, (r 2) sermo simplicissimus & sine illecebris, sola præcepta, promissa, minas nudâ oratione proferens: quæ cùm per se non habeant efficaciam parem tantis progressibus, omnino necesse est statuamus aut miracula adfuisse, aut arcanam Dei actionem adspirantem negotio, aut utrumque.

ANNOTATA.

(a) *Veritatem velut in puteo demersam*] Democriti est ἐν βυθῷ ἀλήθεια, memoratum & aliis & Ciceroni in Academicis.

(b) *Mentem nostram non minùs caligare ad Divina, quàm oculos nocturna ad lumen Solis*] Aristoteles Metaphysicorum 2. cap. 1. Ὥσπερ γὰρ ἡ τὰ πρὸ τυχόντων ὄμματα πρὸς τὸ φάος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέραν, ὕτω καὶ ἡ ἡμετέρα ψυχὴ ὁ τῶν πρὸς τὰ τῇ φύσει φανερώτατα πάντων, *Sicut enim vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ità & animi nostri mens ad ea quæ omnium sunt clarissima.*

(c) *Nemo non aliquo vitio obstrictus*] Maximo consensu omnium laudatur Socrates. At ejus summam iracundiam, quæ in dictis & factis se ostenderit, ante oculos nobis Porphyrii verbis ponit Cyrillus sexto adversùs Julianum.

(d) *Alii Regum adulatores*) Plato, Aristippus.

(e) *Alii scortorum amoribus addicti*] Marium Zeno Stoicæ sectæ princeps. Feminarum propè omnes; Plato, Aristoteles, Epicurus, Aristippus. Athenæus lib. 3, & 13. Laertius, Lactantius testes. Theognis ipse de se multis in locis.

(f) *Alii canina impudentia*] Dicti indè Cynici.

(g) *Rixæ de verbis aut nullius momenti rebus*] Bene id notatum Timoni Phliasio,

Σχέτλιοι ἄνδρωποι, κακὰ γαστέρες οἷον, ἐλέγχεα,
Ποῖόν σε τ' εἶδον ἢ λεχομάχων στεπαίηνδε,
Ἄνδρωποι, κενεῆς οἰήσι ξυμπλοοι ἀσκοί;

Mortales miseri, probra pessima, nil nisi ventres,
Quæ vos vaniloquo fallunt certamine lites,
O homines, tumidis inflati fastibus utres?

Item,

Φοιτᾷ δ' ἀγορὴν ἐπὶ πᾶσαν λαλαγεῦσα,
Νείκης ἀνδροφόροιο κασιγνήτη καὶ ἑταίρη,
Ἠπεδανὴ μὲν πάντα κυλινδεται· ἀντὰρ ὕπερθε
Ἐς τὸ μεσηγὺς σκέλος κάρη, ἢ ἐς ἀπλίδα βάλλη,

Aspera lis quædam provênit inania clamans,
Incensi in cædes odii soror atque ministra,
Quæ caca huc illuc circúmque voluta, suprema
Mortales capite incurrit, spémque injecit illis.

Item,

Τίς δ' ἄρ' τὸν δ' ὀλοῇ ἔριδι ξυνήκε μαχέσσαι;
Ἠχῇ συμφερόμενοι ὁμάδῳ· ὁ δὲ σιγῶσι κολωδοὶ,
Νῶτον ἐπ' ἀνέρος ἄρσεν λάλλα· ἀλίκοισι δὲ πολλοί.

Ecquis eos tanto pugnæ inflammavit amore?
Ad strepitum accurrens plebs atque exosa silentes:
Unde loquax morbus multa cum peste cucurrit.

Invenies hæc apud Clementem Strom. 5. apud Eusebium in fine Præparationis, & apud Theodoretum Serm. 2.

(h) *Religionis normam statuentes id quod receptum esset publicè*] Xenophon Memorabilium 5. oraculum recitat quo jubentur dii coli ex lege cujusque civitatis. Repete hîc Senecæ verba, quæ ex Augustino suprà citavimus: post quæ sic Augustinus, *Colebat quod reprehendebat, agebat quod arguebat, quod culpabat adorabat.* Nimirum, ut Plato dixit in Timæo & alibi, & Porphyrius loco qui est apud Eusebium Præparat. lib. 4. cap. 8. periculo non caret vera de rebus Divinis apud vulgus differere. Ejus autem periculi metum Græca & Latina & barbara philosophia pluris fecit quàm veri sinceram professionem: quod vel unum sufficit nè quis tales sibi per omnia sequendos putet. Notat hoc in Platone Justinus martyr Paræneſi ad Græcos.

(i) *Quod vel ex ultima illa Socratis morituri disputatione apparet*] Vide quæ attulimus suprà.

(k) *Projectus ad libidinem per omnem vitam nè à suis quidem negatur*] Vide quæ dicentur lib. 6.

(l) *Cùm & legationem ad Regem Ægyptium à*

Deo

Deo ſibi mandatam multo cum reniſu vix ſuſceperit] Exod. 4. 2, 10, 13, 14.

(m) *Et ad pollicitum Dei de aqua ex rupe excitanda diffidentiæ nonnihil oſtenderit*] Num. 20. 12.

(n) *Jactatus perpetuis ſeditionibus*] Exod. 22. Num. 11. 12, 14, 16, 20. 25.

(o) *Neque ingreſſus in terram illam felicem*] Num. 20. 12. Deut. 34. 4.

(p) *Peccati omnis expers à ſuis deſcribitur*] Joh. 8. 46. & 10. 32. 2 Cor. 5. 21. 1 Pet. 2. 22. Heb. 4. 15. Pietatem ejus etiam oraculo apud Gentes auctoritatem habente laudatam oſtendemus ad lib. 4.

(q) *Nec ab aliis ullius commiſſi allatis teſtimoniis arguitur*] Notatum id Origeni lib. 3 contra Celſum.

(r) *Quicquid præſcripſit aliis, id præſtitit ipſe*] Bene Lactantius fine Inſtitutionum, *Nec monſtravit tantùm, ſed etiam præceſſit, nè quis difficultatis gratiâ iter virtutis horreret.*

(ſ) *In vita omni ſimpliciſſimus*] 1 Pet. 2. 22.

(t) *Injuriarum ac cruciatuum patientiſſimus*] Matt. 26. 50, 52. Joh. 8. 23. Act. 8. 32.

(u) *Ità ut pro iis etiam Deum deprecaretur*] Luc. 23. 34.

(x) *Viderunt multi, audierunt, palparunt etiam*] Joh. 20. 27, 28, 29. Joh. 1 epiſt. 1. 1. Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. 1 Cor. 15. 3, 4, 5, 6, 7, 8.

(y) *In cœlum evectus eſt ſpectantibus duodecim*] Marc. 16. 19. Luc. 24. 51, 52. Act. 1. 9, 10, 11. Adde Act. 7. 55. & 9. 3, 4, 5. & 22. 6. 1 Cor. 15. 8.

(z) *Linguarum quas non didicerant loquela*] Act. 2. 3, 4. & 10. 46. & 19. 6. 1 Cor. 12, 10, 28, 30. & 13. 1, 8. & 14. 2, 4, 5, 6, 9, 13, 14, 18, 19, 22, 23, 26, 27, 39.

(a 2) *Et aliis mirificis virtutibus donavit*] Act. 3. 5, 8, 9, 10, 11, 13, 14, 16, 19, 20, 21, 27. Rom. 15. 19. 2 Cor. 12, 12. Heb. 2. 4. Oſtendunt hujus rei veritatem & Juſtinus cum Tryphone diſputans, & Irenæus lib. 2. Tertullianus Apologetico, Origenes adversùs Celſum 7. Lactantius, & alii.

(b 2) *Ità ut diſcedens factarum ſe promiſerat*] Joh. 14. 12. & 17. 28. Marc. 16. 17.

(c 2) *Nè Septentrionis quidem receſſibus exclusis*] Vide Adamum Bremenſem & Helmoldum, & qui de Iſlandia ſcripſere.

(d 2) *Nec minùs per Aſiam omnem*] Vide Acta Conciliorum Univerſalium.

(e 2) *Etiam ejus inſulas in Oceano*] Vide Oſorium in Luſitanicis.

(f 2) *Per Ægyptum quoque*] Apparet ex Actis Conciliorum Univerſalium, ex hiſtoria Eccleſiaſtica vetere, ac nominatim Euſebio 6. 34. ex liturgia Coptitarum.

(g 2) *Per Æthiopiam*] Vide Franciſcum Alvareſium.

(h 2) *Et alias aliquot Africæ partes*] Vide Tertullianum, Cyprianum, Auguſtinum, & Conciliorum per Africam Acta, præcipuè ejus Concilii quod Cypriani operibus ſubtexitur.

(i 2) *Poſtremò & per Americam*] Vide Acoſtam & alios de rebus Americanis.

(k 2) *De itineribus ac miraculis Thomæ*] Vide Abdiam lib. 9. Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 1. in fine, & lib. 2. capite 1. & initio libri 3. Ruffinum lib. 10. cap. 9. Adde Oſorium & Linſchotium de rebus Indiæ Orientalis, & Freitam de imperio Luſitanorum Aſiatico. Sepulcrum ejus Apoſtoli in terra Coromandel etiam nunc monſtratur.

(l 2) *Andreæ*] Euſebius dicto libro 3. initio, & Origenes ad Geneſim.

(m 2) *Notant Clemens*] Chriſtum is dicit omnibus notum gentibus. Strom. 5.

(n 2) *Tertullianus*] Adversùs Judæos 1. *In quem enim alium univerſæ gentes crediderunt, niſi in Chriſtum, qui jam venit? cui enim & aliæ gentes crediderunt, Parthi, Medi, Elamita, & qui inhabitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, & incolentes Pontum & Aſiam & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ quæ eſt trans Cyrenen inhabitantes, Romani & incolæ; tunc & in Hieruſalem Judæi & cæteræ gentes: ut jam Getulorum varietates & Maurorum multi fines, Hiſpanorum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita: & Sarmatarum & Dacorum, & Germanorum & Scytharum, & abditarum multarum gentium, & provinciarum & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ enumerare minùs poſſumus; in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui jam venit, regnat.* Mox oſtendit quantò latiùs Chriſti regnum ſuis temporibus, i. fine ſeculi ſecundi, patuerit quàm olim Nabuchodonoſoris, & Alexandri, aut Romanorum. *Chriſti autem regnum ubique porrigitur, ubique creditur ab omnibus gentibus ſuprà enumeratis* (numeraverat autem Babylonicos, Parthos, Indiam, Æthiopiam, Aſiam, Germaniam, Britanniam, Mauros, Getulos, Romanos) *colitur, ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter.*

(o 2) *Et alii*] Irenæus Tertulliano vetuſtior lib. 1. cap. 3. *Nam etſi in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, virtus traditionis una & eadem eſt. Et neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ quæ in Iberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya, neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in univerſo mundo unus & idem eſt, ſic & lumen, prædicatio veritatis, ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire.* Origenes Homiliâ ad Ezechielem 4. *Conſitentur & miſerabiles Judæi hæc de Chriſti præſentia prædicari: ſed ſtultè ignorant perſonam, cùm videant impleta quæ dicta ſunt. Quando enim terra Britannia ante adventum Chriſti in unius Dei conſenſit religionem? quando terra Maurorum? quando totus ſemel orbis?* Arnobius lib. 2. *Virtutes ſub oculis poſitæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipſo fiebat palàm, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto, eas ſubdidit appetitionum flammas, & ad unius credulitatis aſſenſum ventè unâ conurrere gentes & populos fecit, & moribus diſſimillimas nationes. Enumerari enim poſſunt atque in uſum computationis venire ea quæ in India geſta ſunt apud Seras, Perſas & Medos: in Arabia, Ægypto; in Aſia, Syria, apud Galatas, Parthos, Phrygas; in Achaia, Macedonia, Epiro; in inſulis & provinciis omnibus quas Sol oriens atq; occidens luſtrat; ipſam denique; apud dominâ Romam.* Athanaſius in epiſtola Synodica quæ apud Theodoretum eſt lib. 4. cap. 3. Eccleſias Chriſtianas commemorat Hiſpaniæ, Britanniæ, Galliæ, Italiæ, Dalmatiæ, Myſiæ, Macedoniæ, Græciæ, Africæ, Sardiniæ, Cypri, Cretæ, Pamphyliæ, Lyciæ, Iſauriæ, Ægypti, Libyæ, Ponti, Cappadociæ. Theodoretus adversùs Græcos Serm. 8. de Apoſtolis ſic loquitur, Ἡνίκα μὲν γὰρ μὴ θνητῷ ζωμάτων ἐπολιτεύοντο, νῦν μὲν παρὰ τούτου, νῦν δὲ παρ' ἐκείνου ἐφοίτων, καὶ ἄλλοτε μὲν Ῥωμαίοις, ἄλλοτε δὲ Ἰσπανοῖς ἢ Κελτοῖς διελέγοντο· ἐπειδὴ δὲ θεὸς ἐκείνον ἐξεδήμησαν ὑφ' ὧν μετετέθησαν, ἅπαντες ἀνθ' ὁδηγῶν ἐπολαύουσιν, οἱ μόνον Ῥωμαῖοι, ἀλλ' ὅσοι γε τὸν τούτων ἀγαπῶσι ζυγὸν, καὶ ὑπὸ τούτων ἰδύνατοι, ἀλλὰ καὶ Πέρσαι, καὶ Σκύθαι, καὶ Μασσαγέται, καὶ Σαυρομάται, καὶ Ἰνδοὶ, καὶ Αἰθίοπες, καὶ ξυλόβολοι εἰσὶν, ἅπαντα τῆς οἰκουμένης τὰ τέρματα, *Olim enim mortale corpus induti, nunc hos, nunc illos accedebant, modò Romanis loquentes, modò Hiſpanis aut Gallis: at poſtquam ad eum iverunt à quo miſſi fuerant, omnes populi illorum fruuntur laboribus, non Romani tantùm, & qui Romana amant imperia, & ab ipſis reguntur; ſed & Perſæ, & Scytha, & Maſſagetæ, & Sauromatæ, & Indi, & Æthiopes, &, ut ſummatim rem eloquar, omnes qui ſunt intra oras habitabiles.* Idem lib. 9. converſis gentibus annumerat Perſas, Maſſagetas, Tibarenos, Hyrcanos, Caſpios, Scythas. Hieronymus epitaphio Nepotiani Chriſtianis annumerat Indos, Perſas, Gothos, Ægyptios, Beſſos, & pellitos populos: in epiſtola ad Lætam Indos, Perſas, Æthiopas, Armenios, Hunnos, Scythas, Getas: in Orthodoxi & Luciferiani Dialogo Britannos, Gallos, Orientem, Indorum populos, Iberos, Celtiberos, Æthiopas. Chryſoſtomus Homil. 6 ad

ad priorem ad Corinthios, Πῶς δ' ἂν τὰ γεγράφηλα καὶ οἷς ἢ βαρβάρων ἢ οἷς ἢ Ἰνδῶν ἢ περὶς αὐλὰ τὰ Ὠκεανοῦ τὰ πέρατα ἀφίκηλο, ἂν ὄντων ἢ λογίων ἀξιοπίςων; *Quomodo verò quæ ab iis ſcripta ſunt ad terras barbarorum, etiam Indorum, ipſos denique fines Oceani perveniſſent, niſi autores illi fide digni fuiſſent?* Idem poſteriore Homiliâ in Pentecoſten, Ἔρχεται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐν παντὶ γλωσσῶν, ἐκάστῳ μελίζον τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην διδασκαλίας τὰ κλίματα, καὶ διὰ τῆς δοθείσης γλώττης, καθάπερ κέλλῳ τινὶ, γνωρίζον ἑκάστῳ τῆς ἐπισκοπῆς ἀρχῆς τε καὶ διδασκαλίας τὸν ὅρον, *Venit Spiritus S. in linguarum ſpecie, dividens unicuique orbis regiones quas inſtituerent, & per conceſſum linguæ donum velut codicillis quibuſdam definiens terminos mandati ipſis magiſtralis imperii.* Idem Oratione egregiâ, Chriſtum eſſe Deum, Ἐρώμην ὅτι οὐκ ἦν ἀνθρώπῳ φίλῳ τοσαύτην ἐν βραχεῖ καιρῷ ἐπιδεῖξαι οἰκουμένην καὶ γῆν καὶ θάλατταν, καὶ ὅτι τοιούτοις κελεύει προσιέναι ὅτου καὶ ταῦτα ὑπὸ ἀτόπου συνηθείας ἀποκαλυμμένους ἀνθρώπους, μᾶλλον δὲ ὑπὸ τοσαύτης κακίας καλυπτομένους. Καὶ ὅμως ἴσχυσε τῶν πάντων τὸ μὴ ἀνθρώπων ἡμῶν ἐλευθερῶσαι, οὐχὶ Ῥωμαίους μόνον, ἀλλὰ καὶ Πέρσας, καὶ ἁπλῶς τὰ ἀπὸ βαρβάρων ἔθνη, *Non eſt meri hominis, tantum orbis brevi ſpatio peragrare terrâ marique, ad res tales tali modo vocare homines malâ conſuetudine occupatos, imò à tanta malitia poſſeſſos; & tamen ab his malis liberare humanum valuit genus, non Romanos tantùm, ſed & Perſas, & omnes barbarorum gentes.* Vide & quæ ſequuntur lectu digniſſima.

(p 2) *Non tantùm per omnes imperii Romani fines*] Rom. 15. 19.

(q 2) *Ità ut antequam Conſtantinus Chriſtianiſmum profiteretur, hac pars Romani orbis propè major eſſet*] Jam ſuo ævo Tertullianus dixerat 2 Apologetico, *Heſterni ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum. Sola vobis relinquimus templa.*

(r 2) *Sermo ſimpliciſſimus*] Prudenter id notatum Chryſoſtomo 1 ad Cor. 1. 17. & Theodoreto poſt recitata jam verba.

XXII. Cui conſiderationi & hæc addenda eſt, quòd qui Chriſtianiſmum illis docentibus receperunt, animum non habebant à certa norma Religionis vacuum, ac proinde ductilem, ut qui Paganica ſacra & Mahumetis legem primi ſuſceperunt, multóque minùs antecedente quadam inſtitutione præparatum, ſicut Hebræi Circumciſione & unius Dei cognitione ad legem Moſis acceptandam idonei erant redditi; ſed conti à impletum opinionibus & conſuetudine, quæ velut altera natura eſt, repugnante cum iſtis novis inſtitutis, educati ſcilicet, legúmque & parentum auctoritate confirmati in ſacris Paganicis aut Judaicis ritibus. Huic obſtaculo accedebat non minus alterum; graviſſima ſcilicet mala quæ Chriſtianiſmum ſuſcipientibus eam ob cauſam ferenda aut metuenda conſtabat. Cùm enim à malis talibus abhorreat humana natura, ſequitur ut, quæ eorum malorum cauſæ ſunt, non niſi difficillimè recipiantur. Honoribus arcebantur diu Chriſtiani, acceſſerunt mulctæ, & bonorum publicationes & exſilia: ſed levia hæc: damnabantur ad metalla; iis afficiebantur tormentis quibus crudeliora nulla reperiri poterant: ſupplicia verò ad mortem tam frequentia, ut teſtentur illorum temporum ſcriptores, nullâ fame, nullâ peſtilentiâ, nullo bello plus hominum uno tempore abſumptum. Nec vulgaria erant mortium genera, ſed (a) vivicomburia, cruces, atque id genus pœnæ, quæ ſine maximo horrore legi aut cogitari non poſſunt: atque hæc ſævitia, quæ non longis interpoſitis ſpiramentis, & his ipſis non ubique, ad Conſtantini ferme tempora in orbe Romano, alibi longiùs duravit, adeò eos non imminuit, ut contrà ſanguis eorum ſemen eſſe diceretur; ità reciſis plures ſuccreſcebant. Comparemus hîc quoque cum Chriſtianiſmo religiones alias. Græci Paganíſque cæteri ſoliti ſua in majus attollere, paucos numerant qui dogmatis causâ mortem toleraverint; Gymnoſophiſtas aliquos, Socratem, haud multò plures: ſed his viris notiſſimis quin aliqua ineſſe potuerit famæ ad poſteritatem tranſmittendæ cupiditas, vix eſt ut negetur. At inter Chriſtianos mortem ob ſuum dogma perpeſſos fuere homines de plebe plurimi, vix vicinis ſuis cogniti, mulieres, virgines, adoleſcentes, quibus nec appetitus inerat, nec ſpes probabilis duraturi nominis; ſicut & pauci ſunt quorum nomina in Martyrologiis exſtant (b) præ numero eorum qui eam ob cauſam ſupplicium tolerarunt, & tantum in cumulum recenſentur. Accedit, quòd levi aliquâ ſimulatione, putà thuris jactu in aram, plerique ſe liberare à tali pœna potuerunt; quod de illis dici non poteſt qui qualemcunque ſenſum in corde premerent, certè in factis conſpicuis ad vulgi mores ſe aptaverant: ità ut propè ob Dei honorem mortem ſubiiſſe non aliis tribui poſſit quàm Judæis & Chriſtianis; ac nè Judæis quidem poſt Chriſti tempora: ante ea verò paucis, ſi cum Chriſtianis comparentur, quorum plures in una aliqua provincia pro Chriſti lege ſupplicium tolerarunt quàm unquam Judæi, quorum omnis patientia ejus generis ferme ad Manaſſis & Antiochi tempora redigitur. Quare cùm Chriſtiana religio hac quoque in parte tam in immenſum cæteras excellat, meritò aliis anteponenda eſt. Ex illa tanta multitudine omnis generis ſexûſque hominum, tot locis ac ſeculis diſtinctorum, qui pro hac religione mori non dubitarunt, colligendum, magnam aliquam tantæ conſtantiæ fuiſſe cauſam, quæ alia cogitari non poteſt quàm lux veritatis, & Dei Spiritus. Si quis allatis hactenus argumentis pro Chriſtiana religione ſatis ſibi factum non puter, ſed magis urgentia deſideret, ſcire debet, (c) pro rerum diverſitate diverſa quoque eſſe probandi genera; alia in Mathematicis, alia de affectionibus corporum, alia circa deliberationes, alia ubi facti eſt quæſtio; in quo genere ſanè ſtandum eſt nullâ ſuſpicione laborantibus teſtimoniis: quod ni admittitur, non modò omnis hiſtoriæ uſus periit, medicinæ quoque pars magna, ſed & omnis quæ inter parentes liberóſque eſt pietas, (d) ut quos haud aliter noſcamus. Voluit autem Deus id, quod credi à nobis vellet, ſic ut illud ipſum credere tanquam obedientiam à nobis acceptaret, non ità evidenter patêre, ut quæ ſenſu, aut demonſtratione percipiuntur, ſed quantum ſatis eſſet ad fidem faciendam, rémque perſuadendam homini non pertinaci, ut ità ſermo Euangelii tanquam lapis eſſet Lydius, ad quem ingenia ſanabilia explorarentur. Nam cùm ea, quæ diximus, argumenta tam multos probos, eoſdémque ſapientes, in aſſenſum traxerint, hoc ipſo liquet apud cæteros incredulitatis cauſam non in probationis penuria eſſe poſitam, ſed in eo (e) quòd nolint verum videri id quod adfectibus ſuis adverſatur; quòd ſcilicet durum illis ſit honores & alia commoda parvi ducere, quod faciendum ſit ſi ea recipiant quæ de Chriſto narrantur, ac propterea etiam Chriſti præceptis obtemperandum putent. Idque eo ipſo detegitur, quòd multas alias narrationes hiſtoricorum pro veris habeant; quas tamen veras eſſe ſolâ auctoritate conſtet, non etiam manentibus in hunc diem veſtigiis; qualia habet Chriſti hiſtoria; partim confeſſione Judæorum qui nunc ſuperſunt, partim iis qui ubique reperiuntur Chriſtianorum cœtibus; quorum omnino cauſam aliquam exſtitiſſe oportuit. Cúmque illa religionis Chriſtianæ tam diuturna continuatio, & tam latè diffuſa propagatio, ad nullam humanam efficaciam referri poſſit, ſequitur, ut tribuenda ſit miraculis; aut ſi quis miraculis neget id factum, (f) hoc ipſum, quòd ſine miraculo tale quid tantas acceperit vires, majus habendum eſt omni miraculo.

ANNOTATA.

(a) *Vivicomburia, cruces, atque id genus pœnæ*] Domitius Ulpianus nobilis Juriſconſultus libros ſeptem ſcripſit, quibus pœnis affici deberent Chriſtiani. Lactantius meminit lib. 5. cap. 2.

(b) *Præ numero eorum qui eam ob cauſam ſupplicium tolerarunt*

lerarunt, & tantùm in cumulum recenſentur] Ut Maſſa candida trecentorum Carthaginè, quorum memoria in Martyrologio Romano 24 Auguſti: Plurimi in Africa ſub Severo; ſub Valeriano, Antiochiæ & in Arabia, Cappadocia & Meſopotamia: in Phrygia, in Ponto ſub Maximino: Nicomediæ, in Numidia, Romæ, in Thebaide, Tyro, Treveris ſub Diocletiano: in Perſide ſub Cabada, Sapore; quorum fine nominibus mentio in Martyrologio.

(c) *Pro rerum diverſitate diverſa quoque eſſe probandi genera*] Ariſtoteles Ethicorum ad Nicomachum lib. 1. Λόγοιτο δ' ἂν ἱκανῶς εἰ κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην διασαφηθείη· τὸ γὰρ ἀκριβὲς οὐκ ὁμοίως ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ἀπαιτητέον, *Satis de re dictum erit ubi ea explicabitur quantum fert materia: exacta enim tractatio non pari modo in omni genere quærenda eſt.* Metaphyſicorum 1. parte poſteriore cap. ult. τὴν δ' ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν οὐκ ἐν ἅπασιν ἀπαιτητέον, *Certitudo mathematica non in omnibus rebus quærenda eſt.* Chalcidius ad Timæum ex Platonis ſententia, *Credulitatem omnes doctrinas præcedere, maximè cùm non quorumlibet, ſed magnorum & propè divinorum virorum ſit aſſertio.*

(d) *Ut quos aliter haud noſcamus*] Homerus,

Οὐ γάρ πω τις τὸν γε κατὰ δῆμον ἀνέγνω,
Generis nemo ſibi conſcius ipſe eſt.

Exactiſſimo ſcilicet ſciendi genere.

(e) *Quòd nolint verum videri id quod affectibus ſuis adverſatur*] Tractat hoc pulcre Chryſoſtomus 1 Cor. cap. 3. in principio. Idem ad Demetrium, τὸ ἀπιστεῖν διὰ ὀλιγωρίας ἐκ τῆς πρὸς ἐκπλήρωσιν ἐκλειψάσης ἐντολῶν γίνεσθαι, *Quòd præceptis non creditur, ex inertia ad implenda quæ præcepta ſunt venit.*

(f) *Hoc ipſum, quòd ſine miraculo tale quid tantas acceperit vires, majus habendum eſt omni miraculo*] Tractat hoc argumentum Chryſoſtomus 1 ad Cor. cap. 1. in fine: & Auguſtinus De civ. Dei lib. 22. c. 5.

HUGO GROTIUS
DE VERITATE
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

LIBER TERTIUS.

I. QUI jam his quæ allata ſunt argumentis, aut ſi qua præter hæc ſunt alia, perſuaſus, eam quam Chriſtiani profitentur, religionem veram optimámque crediderit, ut partes ejus omnes ediſcat, mittendus eſt ad libros antiquiſſimos eam religionem continentes, quos N. Teſtamenti aut Fœderis potiùs libros dicimus. Iniquè enim faciat ſi quis neget illis libris eam religionem contineri, ſicut Chriſtiani omnes affirmant, cùm omni ſectæ, ſive bonæ ſive malæ, æquum ſit credi in eo, quòd aſſerunt, hoc aut illo libro ſua dogmata contineri; ſicut Mahumetiſtis credimus Mahumetis religionem contineri Alcorano. Quare cùm ſuprà jam probata ſit veritas religionis Chriſtianæ, ſimúlque conſtet eam ipſam his libris contineri, ſatis vel hoc ſolo adſtruitur illis libris ſua autoritas. Si quis tamen eam magis ſpeciatim ſibi monſtrari poſtulet, primùm illam ponemus uſitatam apud æquos omnes judices regulam, ut qui impugnare velit ſcriptum aliquod multa per ſecula receptum, (a) ei incumbat onus adferendi argumenta fidem ſcripto derogantia: quod ſi id facere nequeat, defendendum librum velut in poſſeſſione ſuæ autoritatis.

ANNOTATA.

(a) *Ei incumbat onus adferendi argumenta ſcripto fidem derogantia*] Baldus in rubrica de fide inſtrumentorum. Vide & Gailium lib. 11. Obſ. CXLIX, num. 6, & 7. & quos ibi profert.

II. Dicimus ergò, ſcripta de quibus dubitatum inter Chriſtianos non eſt, quæque certum nomen præferunt, ejus eſſe ſcriptoris cujus titulo inſigniuntur: quia ſcilicet primi illi, putà Juſtinus, Irenæus, Clemens, ac deinceps alii ſub his ipſis nominibus eos libros laudant: cui accedit, quòd (a) Tertullianus aliquot librorum ipſa archetypa ſuo adhuc tempore ait exſtitiſſe; quódque omnes Eccleſiæ illos libros tanquam tales, antequam conventus ulli communes habiti eſſent, receperunt: neque aut Pagani, aut Judæi unquam controverſiam moverunt, quaſi non eorum eſſent opera quorum dicebantur: (b) Julianus verò apertè etiam fatetur, Petri, Pauli, Matthæi, Marci, Lucæ, eſſe ea quæ Chriſtiani legunt iiſdem nominibus inſcripta. Homeri aut Virgilii eſſe quæ eorum dicuntur nemo ſanus dubitat, ob perpetuum de hoc Latinorum, de illo Græcorum teſtimonium: quantò magis de horum librorum autoribus ſtandum eſt teſtimonio propè omnium quotquot per orbem ſunt gentium?

III. Sunt ſanè in eo, quo nunc utimur, volumine libri aliquot non ab initio pariter recepti, ut Petri altera, ea quæ Jacobi eſt, & Judæ, duæ ſub nomine Joannis Preſbyteri, Apocalypſis, & ad Hebræos epiſtola: ſed ità tamen ut à multis Eccleſiis ſint agniti; quod oſtendunt Chriſtiani antiqui, cùm illorum teſtimoniis tanquam ſacris utuntur: unde credibile eſt Eccleſias quæ ab initio eos libros non habuerunt, eo tempore eos ignoraſſe, aut de iis dubitaſſe; poſtea autem de rei veritate edoctas, ad cæterarum exemplum iis libris uti cœpiſſe, ut nunc ferme omnibus in locis fieri videmus. Neque verò cauſa idonea fingi poteſt cur illos libros quiſquam ſuppoſuerit, cùm nihil indè colligi poſſit quod non aliis indubitatis libris abunde contineatur.

ANNOTATA.

(a) *Tertullianus*] De præſcriptione adverſùs hæreticos, *Age jam qui voles curioſitatem meliùs exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſa adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitantur.* Quid ni ipſa manus Apoſtolorum tum exſtiterit, cùm Quintilianus dicat ſuo tempore exſtitiſſe manum Ciceronis, Gellius Virgilii ſuo tempore?

(b) *Julianus*

(b) *Julianus verò apertè etiam fatetur, Petri, Pauli, Matthæi, Marci, Lucæ esse ea quæ Christiani legunt iisdem nominibus inscripta*] Extat locus libro Cyrilli 10.

IV. Non est etiam quòd fidem quis detrahat epistolæ ad Hebræos eo solo nomine quòd nesciatur ejus scriptor, ac similiter duabus epistolis Johannis & Apocalypsi, quòd dubitent nonnulli, an earum scriptor Johannes sit Apostolus, an alius quis ejus nominis. In scriptoribus enim qualitas magis quàm nomen attenditur. Itaque multos libros historicos recipimus, quorum scriptores nescimus; ut de bello Alexandrino Cæsaris, nempe quia videmus eum, quisquis fuit, & illis vixisse temporibus, & rebus interfuisse. Sic etiam cùm qui libros scripserunt de quibus nunc agimus, & primâ ætate se vixisse testentur, & donis Apostolicis fuisse præditos, sufficere id nobis debet. Nam si quis dicat potuisse fingi has qualitates, item in aliis scriptis etiam nomina, rem dicat minimè credibilem; eos scilicet qui ubique veritatis ac pietatis studium inculcant, nulla de causa voluisse se crimine falsi obstringere: quod non tantùm apud bonos omnes detestabile est, sed (a) Romanis etiam legibus capite puniebatur.

ANNOTATA.

(a) *Romanis etiam legibus capite puniebatur*] L. *Falsi nominis.* D. De lege Cornelia. Paulus libro 5 Sent. tit. 25. sect. 10, & 11. Pœnæ exempla vide apud Valerium Maximum librorum ejus fine, & apud Capitolinum in Pertinace.

V. Constare ergò debet, libros N. Federis scriptos ab illis quorum nomina præferunt, aut à talibus quales ipsi se testantur: quibus si accedat, ut itidem constet illis & nota fuisse quæ scriberent, neque studium fuisse mentiendi, sequetur ut quæ scripserunt, vera sint; cùm omne falsum aut ab ignorantia aut à mala voluntate debeat proficisci. Matthæus, Johannes, Petrus, Judas, ex sodalitio illorum duodecim fuere quos Jesus vitæ suæ ac dogmatum testes elegerat, (a) ità ut notitia illis eorum quæ narrant deesse non potuerit. Idem de Jacobo dici potest, qui aut Apostolus fuit, aut, ut alii volunt, (b) proximus consanguineus Jesu, & ab Apostolis constitutus Hierosolymorum Episcopus. Paulus quoque ignorantiâ falli non potuit circa dogmata quæ sibi ab ipso Jesu in cœlo regnante revelata profitetur; neque magis circa res à se gestas falli ipse potuit, aut etiam Lucas, (c) individuus ei itinerum comes. Idem Lucas quæ de vita ac morte Jesu scripsit facilè scire potuit, natus in locis proximis, per ipsam Palæstinam peregrinatus, (d) ubi & locutum se ait cum iis qui oculati rerum testes fuerant. Haud dubiè præter Apostolos, quibuscum amicitiam habuit, alii quoque multi tum vivebant ab Jesu sanati, & qui morientem ac redivivum viderant. Si Tacito & Suetonio credimus de iis quæ multò ante eos natos contigerunt, quòd eorum diligenti inquisitioni confidamus; quantò huic scriptori æquius est credi, qui se omnia ab ipsis qui inspexerant hausisse dicat? (e) Marcum constans fama est Petro semper hæsisse comitem, ità ut quæ scripsit ille habenda sint quasi Petrus, qui res illas ignorare non potuit, ipse dictasset: præter quod, quæ ille scribit etiam in Apostolorum scriptis reperiuntur penè omnia. Neque falli potuit Apocalypseos scriptor in iis visis (f) quæ sibi Divinitus immissa dicit, (g) aut ille ad Hebræos in iis quæ profitetur se aut à Dei Spiritu, aut ab Apostolis ipsis didicisse.

ANNOTATA.

(a) *Ità ut notitia illis eorum quæ narrant deesse non potuerit*] Joh. 15. 27. Idem 1. epist. 1. 1. Act. 1. 21, 22.

(b) *Proximus consanguineus Jesu*] Ità & alii sentiunt non pauci, & ubique Chrysostomus. Vide & Josephum.

(c) *Individuus ei itinerum comes*] Vide Act. 20. & sequentia. Col. 4. 14. 2 Tim. 4. 11. Philem. 24.

(d) *Ubi & locutum se ait cum iis qui oculati rerum testes fuerant*] In procœmio Euangelicæ historiæ.

(e) *Marcum constans fama est Petro semper hæsisse comitem*) Irenæus lib. 3. cap. 1. Clemens in Hypotyposeon libris citatus in Ecclesiastica Eusebii historia.

(f) *Quæ sibi Divinitus immissa dicit*] Apoc. 1. 1, 2. & 4. 1, & seqq. & 22. 18, 19, 20, 21.

(g) *Aut ille ad Hebræos in iis quæ profitetur se aut à Dei spiritu, aut ab Apostolis ipsis didicisse*] Hebr. 2. 4. & 5. 14. & 13. 7, 8, 23.

VI. Alterum quod diximus, non fuisse ipsis mentiendi voluntatem, connexum est cum eo quod suprà tractavimus, cùm generatim Christianæ religionis & historiæ resurrectionis Christi fidem adstrueremus. Qui testes ex parte voluntatis refellunt, necesse est aliquid adferant quò voluntatem credibile sit à vero dicendo diverti. Id autem hîc dici non potest. Nam si quis objiciat ipsorum causam agi, videndum erit cur ipsorum sit hæc causa: non sanè commodi consequendi, aut vitandi periculi alicujus gratiâ, cùm hujus professionis causâ & commoda omnia amitterent, & nulla non adirent pericula. Causa ergò hæc ipsorum non fuit, nisi ob Dei reverentiam, quæ certè neminem inducit ad mentiendum, in eo maximè negotio unde humani generis æterna salus pendeat. Tam impium facinus de illis credi vetant & (a) dogmata pietatis ubique plenissima, & vita ipsorum nunquam ullius mali facinoris accusata, nè ab inimicissimis quidem, qui solam illis imperitiam objiciunt, quæ non est nata falsimoniam parere. Quòd si vel minimum quid in ipsis fuisset malæ fidei, non ipsi suas culpas æternæ memoriæ prodidissent, (b) ut de omnium fuga in Christi periculo, (c) de Petro ter negatore.

ANNOTATA.

(a) *Dogmata pietatis ubique plenissima*] Et mendacio infesta: Joh. 14. 17. & 15. 26. & 16. 13. & 17. 17, 19. & 18. 37. Act. 26. 25. Rom. 1. 25. 2 Thess. 2. 20. 1 Joh. 1. 8. & 2. 4, 21. 2 Cor. 6. 8. Ephes. 4. 15, 25. Col. 3. 9. Apoc. 22. 15. 2 Cor. 2. 31. Gal. 1. 20. Vide quàm solicitè Paulus distinguat quæ à se sunt, & quæ à Domino 1 Cor. 7. 10, 12. quàm formidet dicere, quæ vidit, in corpore an extra corpus viderit, 2 Cor. 12. 2.

(b) *Ut de omnium fuga in Christi periculo*] Matth. 26. 31, 56.

(c) *De Petro ter negatore*] Matth. 26. 69, & seqq. Marc. 14. 66, & seqq. Luc. 22. 54, & seqq.

VII. Contrà verò bonæ ipsorum fidei Deus ipse testimonia illustria reddidit, editis prodigiis; (a) quæ cum magna fiducia ipsi ipsorúmve discipuli publicè asseverarunt, additis personarum locorúmque nominibus & circumstantiis cæteris, ità ut facillimè posset à Magistratibus inquisitione factâ veritas aut falsitas asseverationis detegi; inter quæ dignum observatione est, quod & (b) de linguarum quas non didicerant usu apud multa hominum millia, & de sanatis subitò corporum vitiis in populi conspectu constantissimè prodiderunt. Neque eos deterruit, quòd scirent iis temporibus Judæos magistratus sibi esse infestissimos, & Romanos iniquos admodum: qui nullam omissuri essent ipsos, tanquam novæ religionis auctores, aliquo crimine traducendi materiam. Neque verò aut Judæi aut Pagani unquam negare proximis illis temporibus ausi sunt prodigia ab his viris edita: (c) imò Petri miracula Phlegon Adriani Imperatoris libertus in Annalibus suis commemoravit: & ipsi Christiani in his libris quibus fidei suæ rationem Imperatoribus, Senatui, Præsidibus reddunt, (d) facta hæc tanquam notissima, & de quibus dubitari non posset, affirmant, imò & apud sepulcra eorum vim mirificam durasse per aliquot secula apertè prædicant; cùm non nescirent,

ſi id falſum eſſet, facillimè à Magiſtratibus cum ipſorum pudore ac ſupplicio revinci poſſe. Fuit verò prodigiorum apud ſepulcra quæ dixi editorum tanta frequentia, tot eorum teſtes, (e) ut etiam Porphyrio ejus rei confeſſionem expreſſerint. Sufficere quidem hæc debent quæ diximus; ſed & alia ſuppetunt in cumulum argumenta, quæ fidem librorum illorum nobis commendant.

ANNOTATA.

(a) *Quæ cum magna fiducia ipſi, ipſorúmve diſcipuli, publicè aſſeverarunt*] Vide tota Acta Apoſtolica. 2 Cor. 12. 12.

(b) *De linguarum quas non didicerant uſu*] Loca ſuprà producta ſunt.

(c) *Imò Petri miracula Phlegon Adriani Imperatoris libertus in Annalibus ſuis commemoravit*] Libro 13. Teſtis Origenes contra Celſum 2. Eſt autem hic ipſe Phlegon cujus reliquias De mirabilibus rebus & De hominibus longævis habemus.

(d) *Facta hæc tanquam notiſſima, & de quibus dubitari non poſſet, affirmant*] Loca ſunt plurima, maximè apud Origenem. Vide totum cap. 8 Auguſtini lib. 22 De civ. Dei.

(e) *Ut etiam Porphyrio ejus rei confeſſionem expreſſerint*] Vide Cyrillum lib. 10 contra Julianum, & Hieronymum adversùs librum Vigilantii.

VIII. Multa enim in illis prædicta apparent de rebus quas homines ſuapte vi noſſe non quirent, quæ ipſo eventu mirè ſunt confirmata: (a) ut de ſubita atque ingenti hujus religionis propagatione, (b) de duratione ejus perpetua, (c) de ea rejicienda à Judæis pleriſque, (d) amplectenda verò ab extraneis, (e) de odio Judæorum in profitentes hanc religionem, (f) de ſuppliciis graviſſimis ob eam ſubeundis, (g) de obſidione & excidio Hieroſolymorum ac templi, (h) ſummíſque Judæorum calamitatibus.

ANNOTATA.

(a) *Ut de ſubita atque ingenti hujus religionis propagatione*] Matth. 13. 33, & ſeqq. Luc. 10. 18. Joh. 12. 32.

(b) *De duratione ejus perpetua*] Luc. 1. 33. Matth. 28. 20. Joh. 14. 16.

(c) *De ea rejicienda à Judæis pleriſque*] Marc. 21. 33, & ſeqq. & 22. in principio. Luc. 15. 11, & ſeqq.

(d) *Amplectenda verò ab extraneis*] Iiſdem in locis, ac præterea Matth. 8. 11. & 12. 21. & 21. 43.

(e) *De odio Judæorum in profitentes hanc religionem*] Matth. 10. 17.

(f) *De ſuppliciis graviſſimis ob eam ſubeundis*] Matth. 10. 21, 39. & 23. 34.

(g) *De obſidione & excidio Hieroſolymorum ac Templi*] Matth. 23. 38. & 24. 16. Luc. 13. 34. & 21. 24.

(h) *Summíſque Judæorum calamitatibus*] Matth. 21. 33, & ſeqq. & 23. 34. & 24. 20.

IX. Ad hæc addo, quòd ſi recipimus curare Deum res humanas, & maximè eas quæ ad honorem ſuum cultúmque pertineant, non poteſt fieri ut is tantam multitudinem hominum, quibus nihil aliud propoſitum erat quàm Deum piè colere, paſſus ſit falli mendacibus libris. Jam verò quòd poſt ſubortas tot in Chriſtianiſmo ſectas vix ulla reperta fuit quæ non hos libros, aut omnes aut pleroſque, exceptis paucis qui nihil ſingulare continent, amplecteretur, magnum eſt argumentum quo credatur nihil illis libris potuiſſe opponi, cùm illæ ſectæ tantis in ſe odiis exarſerint, ut quicquid his placuiſſet, aliis ob id ipſum diſpliceret.

X. Fuerunt ſanè inter eos qui Chriſtiani dici volebant pauci admodum qui eorum librorum omnes reſicerent quos ſuo peculiari dogmati videbant adverſari; putà qui aut Judæorum odio (a) Deum Judæorum mundi opificem & Legem maledictis inſectabantur, aut contrà, formidine malorum quæ Chriſtianis erant ſubeunda, (b) latere volebant ſub nomine Judæorum, (c) quibus impunè licebat ſuam religionem profiteri. Sed hi ipſi (d) ab omnibus aliis qui ubique erant Chriſtianis abdicati ſunt (e) illis temporibus, cùm adhuc omnes ſalvâ pietate diſſentientes magna cum patientia ex Apoſtolorum præſcripto tolerarentur. Horum Chriſtianiſmi adulteratorum prius illud genus ſatis refutatum arbitror ſuprà, cùm oſtendimus unum eſſe verum Deũ, cujus opificium ſit mundus: & ſanè ex ipſis etiam libris quos illi, ut Chriſtiani aliquo modo videantur, recipiunt, (f) quale eſt imprimis Lucæ Euangelium, ſatis patet eundem Deum quem Moſes & Hebræi coluerunt à Chriſto prædicarum. Genus alterum tum opportunè refellemus cùm eos qui Judæi & ſunt & dici volunt oppugnabimus. Interim hoc dicam, miram eſſe eorum inverecundiam qui Pauli auctoritatem elevant, cùm nemo fuerit Apoſtolorum qui plures Eccleſias inſtituerit, & cujus tot miracula narrata ſint jam eo tempore cùm, ut modò dicebamus, facilis eſſet facti inquiſitio. Quòd ſi miracula edidit, quid cauſæ eſt cur non & de viſis cœleſtibus acceptâque à Chriſto inſtitutione ipſi credamus? Quòd ſi Chriſto tam charus fuit; ut quicquam doceret Chriſto ingratum, i. falſum, fieri non poteſt. Quódque unũ in illo culpant, dogma nempe de libertate Hebræis parta à ritibus per Moſem olim imperatis, ejus docendi præter veritatem nulla ei cauſa fuit, (g) cùm & circumciſus eſſet ipſe, (h) & pleraque Legis ultro obſervaret; (i) religionis autem Chriſtianæ cauſâ multa & faceret difficiliora & duriora ferret quàm Lex imperabat, aut Legis occaſione habebat exſpectandum; (k) atque eadem & faciendi & ferendi auctor eſſet diſcipulis ſuis: quò apparet, nihil ipſum dediſſe auribus aut commodis auditorum, qui pro ſabbato (l) ſingulos dies Divino cultui impendere docebantur, pro exiguis ſecundùm Legem impendiis (m) bonorum omnium ferre jacturam, (n) & pro pecudum ſanguine ſuum ipſorum Deo conſecrare. Jam verò palàm affirmat ipſe Paulus (o) ſibi à Petro, Johanne & Jacobo in ſignum conſenſûs datas dexteras: quod ni verum fuiſſet, nunquam auſus eſſet dicere, cùm ab ipſis adhuc viventibus mendacii potuiſſet argui. His ergò, quos dixi, excluſis, qui vix Chriſtianorum nomine cenſeri poſſunt, tot reliquorum cœtuum manifeſtiſſimus in recipiendis his libris conſenſus, ſupra ea quæ modò diximus de miraculis quæ ſcriptores ediderunt, & de ſingulari Dei curatione circa res hujus generis, æquis omnibus ſufficere debet ut fides narratis habeatur; quippe cùm aliis quibuſvis hiſtoricorum libris, quibus nulla ejus generis adſunt teſtimonia, credi ſoleat, niſi valida ratio in contrarium adferatur, quæ hîc certè nulla eſt.

ANNOTATA.

(a) *Deum Judæorum mundi opificem & Legem maledictis inſectabantur*] Vide Irenæum lib. 1. cap. 29. Tertullianum contra Marcionem, Epiphanium de eodem.

(b) *Latere volebant ſub nomine Judæorum*] Vide Gal. 2. 11. & 6. 13, 14. Phil. 3. 18. Irenæum lib. 1. c. 28. Epiphanium de Ebionæis.

(c) *Quibus impunè licebat ſuam religionem profiteri*] Act. 9. 20. & c. 13. & eo libro ſæpe. Philo contra Flaccum, & De legatione. Joſephus paſſim. Addidit L. *Generaliter* D. De decurionibus. L. 1. C. De Judæis. Tertullianus Apologetico, *Sed & Judæi palàm lectitant; vectigalis libertas vulgò aditur ſabbatis omnibus.*

(d) *Ab omnibus aliis qui ubique erant Chriſtianis abdicati ſunt*] Tertullianus adversùs Marcionem 1. *Nullam Apoſtolici cenſûs Eccleſiam invenies quæ non in creatore Chriſtianizet.*

(e) *Illis temporibus, cùm adhuc omnes ſalvâ pietate diſſentientes magna cum patientia ex Apoſtolorum præſcripto tolerarentur.*] Vide quæ hac de re dicentur ad finem libri 6. Adde Irenæi epiſtolam ad Victorem, & quod de

de ea in Catalogo ſcribit Hieronymus. Cyprianus Concilio Africano, *Neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, ſi diverſum ſenſerit, amoventes.*

(f) *Quale eſt imprimis Lucæ Euangelium*] Oſtendit id manifeſtiſſimè Tertullianus adverſùs Marcionem lib. 4.

(g) *Cùm & circumciſus eſſet ipſe*] Philipp. 3. 5.

(h) *Et pleraque legis ultro obſervaret*] Act. 16. 3. & 20. 6. & 21. & ſequentibus.

(i) *Religionis autem Chriſtianæ cauſâ multa & facere difficiliora, & duriora ferre, quàm Lex imperabat, aut Legis occaſione habebat exſpectandum*] 2 Cor. 11. 23, & ſeqq. & paſſim in Actis. Vide & 1 Cor. 2. 3. 2 Cor. 11. 30. & 12. 10.

(k) *Atque eadem & faciendi & ferendi autor eſſet diſcipulis ſuis*] Act. 20. 29. Rom. 5. 3. & 8. 12. 2 Cor. 1. 4, 8. & 2. 4. & 6. 4. 1 Theſſ. 1. 6. 2 Theſſ. 1. 6.

(l) *Singulos dies Divino cultui impendere docebantur*] Act. 2. 46. & 5. 42. 1 Tim. 5. 5. 2 Tim. 1. 3.

(m) *Bonorum omnium ferre jacturam*] 2 Cor. 6. 4. & 12. 10.

(n) *Et pro pecudum ſanguine ſuum ipſorum Deo conſecrare*] Rom. 8. 36. 2 Cor. 4. 11. Phil. 1. 20.

(o) *Sibi à Petro, Johanne & Jacobo in ſignum conſenſûs datas dexteras*] Gal. 2. 9. Adde 1 Cor. 15. 11. 2 Cor. 11. 5. & 12. 11.

XI. Nam ſi quis dicat, quædam in his libris narrari quæ fieri non poſſint, (a) cùm jam ſuprà oſtenderimus eſſe quædam quæ ab hominibus præſtari non poſſint, à Deo autem poſſint, quæ ſcilicet nullam in ſe repugnantiam includunt, atque earum rerum in numero eſſe etiam illas, quas maximè miramur, prodigioſas virtutes, & mortuorum in vitam revocationem, evaneſcit iſta objectio.

ANNOTATA.

(a) *Cùm jam ſuprà oſtenderimus*] Lib. 2.

XII. Neque magìs audiendi ſunt ſi qui dicant, dogmata quædam in his libris reperiri quæ à recta ratione diſſonent. Nam primùm refellitur hoc tantâ multitudine virorum ingenio, eruditione, ſapientiâ valentium, qui horum librorum autoritatem ſecuti ſunt, jam indè à primis temporibus. Tum verò quæcunque in primo libro oſtenſa ſunt congruere rectæ rationi, putà Deum eſſe, & quidem unicum, perfectiſſimum, immenſæ virtutis, vitæ, ſapientiæ, bonitatis; facta ab ipſo quæcunque ſubſiſtunt; curam ejus ad opera omnia, præſertim ad homines, pertingere; poſſe eum etiam poſt hanc vitam præmia reddere ſibi obtemperantibus; frænum injiciendum ſenſuum cupiditatibus; cognationem eſſe inter homines, ac proinde æquum ut alii alios diligant; omnia hæc in his libris apertiſſimè tradita reperias. Ultra hæc pro comperto aliquid affirmare aut de Dei natura, aut de ejus voluntate, (a) ſolo ductu humanæ rationis, quàm ſit inturum ac fallax, docent tot diſſonantia non Scholarum modò inter ſe, ſed & ſingulorum Philoſophorum placita. Neque verò id mirum. Nam ſi (b) de mentis ſuæ natura diſſerentes in longiſſimè diſtantes opiniones dilabuntur, quantò magìs neceſſe fuit id accidere de ſuprema illa, tantóque ſuprà nos poſita, mente definire aliquid cupientibus? (c) Si Regum conſilia indagare rerum prudentes periculoſum aiunt, nec ideo nos aſſequi; *quis eſt qui ità ſit ſagax, ut quid Deus velit ex earum rerum genere quas liberè velle poteſt, id ſuapte conjecturâ ſperet ſe poſſe deprehendere? Quare optimè Plato (d) horum nihil ſciri poſſe dicebat ſine oraculo. Jam verò nullum proferri poteſt oraculum, quod tale revera eſſe majoribus teſtimoniis conſtet quàm ea ſunt quæ in libris N. Fœderis continentur. Tantum abeſt ut probetur, nè aſſeritur quidem, Deum quicquam de natura ſua hominibus prodidiſſe quod his libris repugnet; neque de voluntate ipſius ulla poteſt proferri quæ credibilis ſit poſterior ſignificatio. Nam ſi quid in eo genere rerum quæ aut planè ſunt mediæ, aut certè non omnino per ſe debitæ, nec plane turpes, ante Chriſti tempora aliter impetratum aut permiſſum fuit, id his libris non obſtat, (e) cùm in talibus lèges poſteriores prioribus derogent.

ANNOTATA.

(a) *Solo ductu humanæ rationis, quàm ſit intutum ac fallax*] Matth. 11. 27. Rom. 11. 33, 34, 35. 1 Cor. 2. 11, 16.

(b) *De mentis ſuæ natura diſſerentes in longiſſimè diſtantes opiniones dilabuntur*] Vide in operibus Plutarchi librum 4 De Placitis Philoſophorum, Stobæum in Phyſicis cap. 11.

(c) *Si regum conſilia indagare rerum prudentes periculoſum aiunt, nec ideo nos aſſequi*] Habet id Tacitus Annalium 6.

(d) *Horum nihil ſciri poſſe dicebat ſine oraculo*] Locus eſt Phædone. Paria in Timæo. Bene Ambroſius, *Cui magis de Deo quàm Deo credam?*

(e) *Cùm in talibus legibus poſteriores prioribus derogent*] Αἱ μεταγράφεσαι διατάξεις ἰσχυρότεραι τῶν πρὸ αὐτῶν εἰσιν, *Conſtitutiones tempore poſteriores plus valent prioribus.* Dictum eſt Modeſtini l. ultimâ D. de conſtitutionibus principum. Tertullianus, *Puto autem etiam humanas conſtitutiones atque decreta poſteriora priſtinis prævalere.* Idem Apologetico, *Veterem & ſqualentem ſilvam legum novis principalium reſcriptorum & edictorum ſecuribus truncatis & caditis.* Et de Baptiſmo, *In omnibus poſteriora concludunt, & ſequentia antecedentibus prævalent.* Plutarchus Symp. 9. Ἐν τοῖς νόμοις καὶ νόμοις, ἐν τε συνθήκαις καὶ ὁμολογίαις, ἰσχυρότερα τὰ ὕστερα νομίζω καὶ βεβαιότερα τῶν πρώτων, *Et in decretis & in legibus, & in contractibus ac pactis, poſteriora prioribus validiora ac firmiora habentur.*

XIII. Solet à nonnullis objici, eſſe quandam in his libris interdum ſenſuum diſcrepantiam. Sed contrà, quiſquis hanc rem æquis animis volet dijudicare, reperiet hoc quoque argumentis pro eorum librorum autoritate poſſe adjici, quòd in rebus quæ aliquod dogmatis aut hiſtoriæ momentum in ſe habent, manifeſtiſſima eſt ubique conſenſio, qualis nulla alibi inter ejuſdem ſectæ ſcriptores reperiatur, (a) ſive Judæos ſumas, (b) ſive Græcos Philoſophos, (c) aut Medicos, (d) ſive Romanos Juriſconſultos: in quibus omnibus ſæpiſſimè reperias non modò pugnare inter ſe qui ſectæ ſunt ejudem, (e) ut Platonem & Xenophontem, ſed & (f) eundem ſæpe ſcriptorem nunc hoc nunc illud, velut ſui oblitum, aut quid ſtatuat incertum, aſſeverare. At hi, de quibus agimus, ſcriptores credendæ eadem inculcant, eadem dant præcepta; etiam de Chriſti vita, morte, reditu in vitam, ſumma ubique eſt eadem. Quod verò ad exiguas aliquas circumſtantias & ad rem nihil facientes attinet, facillimè fieri potuit ut non deſit commoda conciliatio, ſed nos lateat, ob res ſimiles diverſis temporibus geſtas, nominum ambiguitatem, aut hujus hominis aut loci plura nomina, & ſi quid his ſimile eſt. Imò hoc ipſum ſcriptores illos ab omni doli ſuſpicione liberare debet; (g) cùm ſoleant qui falſa teſtantur de compacto omnia ità narrare, ut nè in ſpeciem quidem quicquam diverſum appareat. Quòd ſi ex levi aliqua diſcrepantia, etiam quæ conciliari nequiret, totis libris fides decederet, jam nulli libro, præſertim hiſtoriarum, credendum eſſet: cùm tamen & Polybio, & Halicarnaſſenſi, & Livio, & Plutarcho, in quibus talia deprehenduntur, ſua apud nos de rerum ſumma conſtet autoritas: quò magìs æquum eſt ut nihil tale eorum fidem deſtruat, quos videmus ex ipſorum ſcriptis pietatis & veri ſemper fuiſſe ſtudioſiſſimos? Alius reſtat modus teſtimonia refellendi ex contrariis extrinſecùs teſtimoniis.

ANNOTATA.

(a) *Sive Judæos summos*] Quorum diversissimas sententias tum alibi videas, tum apud illarum literarum doctissimum Manassem Israelis filium, libris de Creatione & Resurrectione.

(b) *Sive Græcos Philosophos*] Vide dictum modò librum De placitis Philosophorum.

(c) *Aut medicos*] Vide Galenum De sectis, & De secta optima, & Celsum initio De re medica. Tum verò Spagiricos adde.

(d) *Sive Romanos Jurisconsultos*] Nota olim discordia Sabinianorum & Proculianorum: nunc eorum qui Bartolum & sequentes eum, quíque Cujacium & alios literatiores sequuntur. Vide & Gabrielii sententias communes, communiores, communissimas.

(e) *Ut Platonem & Xenophontem*] Vide epistolam Xenophontis ad Æschinem Socraticum, Athenæum 11. Laertium Platonis vitâ, Gellium lib. 14.

(f) *Eundem sæpe scriptorem nunc hoc nunc illud, velut sui oblitum, aut quid statuat incertum asseverare*] Ostendêre id multi in Aristotele; in Romanis Jurisconsultis alii.

(g) *Cùm soleant, qui falsa testantur, de compacto omnia ità narrare, ut nè in speciem quidem quicquam diversum appareat*] Hoc est quod dicit Imperator Adrianus, videndum in testibus utrùm unum eundémque meditatum sermonem attulerint: L. testium, D. de Testibus. Speculator lib. 1. parte 4. de Teste in pr. n. 81. Exactissima circumstantiarum omnium notitia in teste non est necessaria. Vide Luc. 1. 56. & 3. 23. Joh. 2. 6. & 6. 10, 19. & 19. 14.

XIV. At ego cum fiducia affirmo, talia repertum non iri, nisi fortè eò referre quis velit dicta multò pòst natorum, & quidem talium qui, inimicitias adversùs Christianum nomen professi, sub testium nomine non veniunt. Imò contrà, quanquam eo opus non est, multa habemus testimonia quæ historiæ istis libris traditæ partes aliquot confirmant. Sic Jesum cruci affixum, ab ipso & discipulis ejus miracula patrata, & Hebræi & Pagani memorant. De Herode, Pilato, Festo, Felice, de Johanne Baptista, de Gamaliele, de Hierosolymorum excidio exstant scripta luculentissima Josephi edita paulò post annum à Christi obitu quadragesimum: cum quibus consentiunt ea quæ apud Thalmudicos de iisdem temporibus leguntur. Neronis sævitiam in Christianos Tacitus memoriæ prodidit. Exstabant olim & libri tum privatorum, (a) ut Phlegontis, (b) tum & acta publica, ad quæ Christiani provocabant, quibus constabat (c) de eo sidere quod post Christum natum apparuit, de terræ motu, & Solis deliquio contra naturam, plenissimo Lunæ orbe, circa tempus quo Christus crucis supplicio affectus est.

ANNOTATA.

(a) *Ut Phlegontis*] Lib. 13 Chronicorum sive Olympiadum his verbis, Τῷ δ' ἔτει τῆ CB Ὀλυμπιάδι ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωσμένων πρότερον· ἦν νὺξ ὥρας ς' ἀπ' ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε ἐν οὐρανῷ φανῆναι, *Quarto autem anno* CCII *Olympiadis magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant defectio Solis facta: dies horâ sextâ ità in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subverterit.* Habes hæc in Chronico Eusebii & Hieronymi. Sed & Origenes meminit tract. 35 ad Matthæum, & adversùs Celsum 2.

(b) *Tũ & acta publica*] Tertullianus Apologetico CXXI. *Eum mundi casum relatum in arcanis vestris habetis.*

(c) *De eo sidere quod post Christum natum apparuit*] Chalcidius Platonicus in Commentario ad Timæum, *Est quoque alia sanctior & venerabilior historia, quæ perhibet ortu stellæ cujusdam non morbos mortésque denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad humana conservationis rerúmque mortalium gratiam: quam stellam cùm nocturno itinere inspexissent Chaldæorum profectò sapientes viri, & consideratione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertâque illâ majestate puerili veneratos esse, & vota Deo tanto convenientia nuncupasse.*

XV. Quid ampliùs opponi his libris possit, sanè non video; nisi fortè non tales mansisse quales ab initio fuerant. Fatendum est, ut aliis libris, ità his quoque accidere potuisse, accidisse etiam, ut ex scriptorum incuria, aut perversa cura, literæ quædam, syllabæ, verba mutarentur, omitterentur, adderentur. Sed iniquum est ob talem, quæ per multa tempora non potest non accidere, exemplorum diversitatem, tali instrumento aut libro moveri controversiam, cùm & mos postulet & ratio, ut quod plurima & antiquissima exempla ostendunt, id cæteris præferatur. At verò dolo, aut alio quovis modo omnia exempla vitiata, & quidem in iis quæ ad dogma aut insigne aliquod historiæ caput pertinerent, nunquam probabitur: neque enim aut instrumenta sunt quæ id doceant, neque testes illorum temporum: quòd si quid, ut jam modò dicebamus, seriùs multò dictum est ab iis qui in horum librorum discipulos atrocissima odia exercebant, id pro convitio, non pro testimonio habendum est. Et sufficere quidem hæc quæ diximus possent adversùs eos qui Scripturæ mutationem objiciunt, (a) cùm qui id affirmet, præsertim adversùs scripturam diu latéque receptam, is, quod intendit, probare ipse debeat: at nos, quò magis pateſcat illius objectionis vanitas, ostendemus id quod illi factum fingunt, nec factum esse, nec potuisse fieri. Evicimus suprà libros eorum esse scriptorum quorum nomina præferunt: quo posito, sequitur, non esse alios libros pro aliis suppositos. Pars quoque aliqua insignis mutata non est. Nam cùm ea mutatio aliquid sibi deberet habere propositum, ea pars à cæteris partibus librísque non itidem mutatis notabiliter discreparet, quod nunc nusquam conspicitur; imò, ut diximus, admirabilis est ubique sensuum consonantia. Tum verò ut primùm Apostolicorum aliquis, aut virorum Apostolorum aliquid edidit, dubium non est quin Christiani magnâ diligentiâ, ut ipsorum pietatem & studium conservandæ propagandæque ad posteros veritatis decebat, exempla sibi indè plurima sumpserint, quæ proinde sparsa sint quàm latè patebat Christianum nomen per Europam, Asiam & Ægyptum, quibus in locis Græcus sermo vigebat: imò & archetypa nonnulla, ut jam antè diximus, ad annum usque ducentesimum servata sunt. Non potuit autem liber aliquis in tot exempla diffusus, custoditus non privatâ tantum singulorum, sed & communi Ecclesiarum diligentiâ, falsariam manum recipere. Adde jam, quòd proximis statim seculis versi sunt hi libri in sermonem Syriacum, Æthiopicum, Arabicum, Latinum, quæ versiones etiamnum exstant, & à Græcis libris in nulla alicujus momenti re discrepant. Jam verò habemus & scripta eorum qui ab Apostolis ipsis aut ab eorum discipulis instituti fuerunt, qui loca non pauca ex his libris adferunt eo quem nos nunc quoque legimus sensu. Neque verò quisquam fuit in Ecclesia tantæ autoritatis per illa tempora, cui mutare quicquam volenti paritum fuisset; quod satis ostendunt Irenæi, Tertulliani & Cypriani liberæ dissensiones ab iis qui in Ecclesia maximè eminebant. Post hæc quæ dixi tempora secuti sunt alii multi magnæ eruditionis magnique judicii, qui post diligentem inquisitionem hos libros, ut in originaria sua puritate perstantes, receperunt. Jam & illud quod de diversis Christianorum sectis modò dicebamus, huc quoque aptari potest, illas omnes, saltem quæ Deum mundi opificem, & Christum legis novæ autorem agnoscunt, uti his libris ità ut eos nos habemus. Quòd si qui instituissent partem aliquam interpolare, eos tanquam falsarios cæteri detulissent. Neque verò ullam sectam id unquam habuisse licentiæ,

ut

ut hos libros mutando ad sua placita aptaret, vel indè satis colligas, quòd omnes sectæ & adversùs omnes hinc sibi argumenta depromunt. Tum quod de Divina providentia attigimus, ad partes præcipuas non minùs quàm ad totos libros pertinet, Ei non convenire ut siverit Deus tot millia hominum pietatis studiosa, & æternam salutem sincero proposito quærentia, induci in eum errorem, quem vitare omnino non possent. Et hæc quidem pro N. Federis libris dicta sunto; qui si soli extarent, satis esset unde veram religionem disceremus.

ANNOTATA.

(a) *Cùm qui id affirmet, præsertim adversùs scripturam diu latéque receptam, is, quod intendit, probare ipse debeat*] L. ult. C. De Ed. Divi Adriani tollendo.

XVI. Nunc cùm Deo visum fuerit etiam Judaicæ religionis, quæ vera olim fuit, & Christianæ non exigua testimonia præbet, instrumenta nobis relinquere, non abs re erit his quoque fidem suam adstruere. Esse autem hos libros eorum quorum dicuntur, pari modo constat quo id de nostris libris probavimus. Hi autem quorum nomina præferunt, aut Prophetæ fuerunt, aut viri fide dignissimi; qualis & Esdras, qui eos in unum volumen collegisse creditur, quo tempore adhuc Prophetæ vivebant Aggæus, Malachias, Zacharias. Non repetam hîc quæ in Mosis commendationem dicta sunt suprà. Neque verò pars tantùm illa prima à Mose tradita, ut primo libro ostendimus, sed & recentior historia multos Paganorum habet adstipulatores. Sic (a) Davidis & Salomonis nomina & fœdera cum Tyriis præferebant Phœnicum annales. (b) Nabuchodonosori (c) & aliorum Chaldæorum Regum Berosus non minùs quàm Hebræi libri meminerat. (d) Qui Vaphres Ægypti Rex Jeremiæ, (e) Apries est Herodoto. Jam (f) Cyri & successorum ejus (g) ad Darium usque pleni Græcorum libri. Multáque alia ad Judæorum gentem pertinentia adfert Josephus in libris contra Appionem; quibus jungi possunt (h) quæ ex Strabone & Trogo suprà attigimus. Nos verò, qui Christiani sumus, omnino non est quòd de eorum librorum fide dubitemus, cùm ex illis penè singulis testimonia extent in libris nostris, quæ in Hebræis itidem reperiuntur. Neque Christus, cùm plurima in Legis doctoribus & temporis sui Pharisæis reprehenderet, unquam eos accusavit falsimoniæ in libros Mosis aut Prophetarum commissæ, aut quòd suppositis mutatísve libris uterentur. Post Christi tempora Scripturam in iis quæ momentum habent vitiatam neque probari potest, neque verò credibile fiet, si quis rectè cogitaverit quàm longè latéque sparsa esset per orbem terrarum gens Judæorum illos ubique libros custodientium. Nam primùm ab Assyriis abductæ in Mediam decem tribus, duæ postea: & ex his quoque post concessum à Cyro reditum multi in terris exteris subsederunt. (i) Macedones in Alexandriam magnis commodis eos invitarunt. Antiochi sævitia, Asmonæorum civilia arma, externa Pompeii & Sossii, multos disjecerunt: plena Judæis erat (k) Cyrenaica; plena (l) urbes Asiæ, (m) Macedoniæ, (n) Lycaoniæ, etiam insulæ (o) Cyprus, (p) Creta, atque aliæ. Jam (q) Romæ numerus eorum ingens vel (r) ex Horatio, (s) Juvenali & (t) Martiali discatur. Tam difficilis inter se cœtibus imponi nullâ arte potuit; nec magis ipsi in falsum convenire. Adde quòd (u) trecentis ferme ante Christum annis curâ Ægypti regum, Hebræorum libri in Græcum sermonem ab his qui Lxx dicuntur versi sunt, ità ut jam & à Græcis, sermone quidem alio, at sensu in summam eodem, possiderentur, eóque minùs mutationem reciperent. Quin & in Chaldaicum, & in Hierosolymitanum, i. semi-Syriacum, translati sunt itidem libri: (x) partim paulò ante, (y) partim non multò post Christi tempora. Secutæ deinde versiones in Græcum aliæ, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, quas cum illa interpretum Lxx Origenes contulit, & post eum alii, nullâ historiæ aut rerum pondus habentium diversitate. Philo Caligulæ ævo floruit, Josephus ad Vespasianorum tempora provixit. Uterque ex Hebræorum libris ea adferunt quæ nos hodiéque legimus. His autem ipsis temporibus magis magísque spargi cœpit Christiana religio, quam profitentium (z) multi Hebræi erant, (a 2) multi Hebræas literas addidicerant, quibus proinde promptum fuit, si quid à Judæis falsi fuisset admissum, in parte, inquam, insigni, id ipsum collatis libris antiquioribus deprehendere apertúmque facere. At non modò id non faciunt, sed etiam plurima adducunt ex V. Fœdere testimonia planè in eum sensum quo apud Hebræos exstant: quos sanè Hebræos cujusvis potiùs criminis quàm, non dicam falsi, sed vel negligentiæ circa hos libros convincas, (b 2) cùm eos summâ religione describere ac conferre soleant, etiam ut literas quoties quæq; occurrat numeratas habeant. Addatur ultimo loco & hoc minimè spernendum non mutatæ per Judæos de industria Scripturæ argumentum, quòd Christiani ex iis ipsis quos Judæi legunt libris evincunt, & quidem, ut confidunt, validè suum magistrum Jesum esse illum ipsum Messiam qui Judæorum majoribus jam olim sit promissus. Quod vel maximè nè fieri posset, cavissent Judæi post ortum inter ipsos & Christianos certamen, si unquam in eorum potestate fuisset mutare quæ vellent.

ANNOTATA.

(a) *Davidis & Salomonis nomina, & fœdera cum Tyriis præferebant Phœnicum annales*] Vide quæ ex iis recitat Josephus Antiq. hist. lib. 8. cap. 2. ubi addit volentem exempla habere epistolarum, quas inter se scripsere Solomo & Iromus, petere ea posse à publicis Tyri archivorum custodibus. De Davide locus est insignis ex 4 historiarum Damasceni Josepho citatus Antiq. hist. lib. 7. cap. 6. Μετὰ ἢ πάντα πολλῷ χείρω ὕστερον τὴν ἐγχωρίων τις Ἀδὰδ ὄνομα, πλῶν ἰσχύσας, Δαμασκῶ τε καὶ τῆς ἄλλης Συρίας ἔξω Φοινίκης ἐβασίλευσε. πόλεμον δ' ὑπενόησε πρὸς Δαβίδην βασιλέα τῶν Ἰουδαίων, καὶ πολλαῖς μάχαις κειθεὶς, ὑστάτῃ τε πρὸ τοῦ Εὐφράτου ὃν ἡττᾶται, ἄρχει δ' Ἀδὰδ βασιλέων ῥώμῃ τε καὶ ἀνδρείᾳ. τελευτήσαντος δ' ἐκείνου, διαγονοι δὴ δίχα ἠρτῶς ἐβασίλευον, ἑκάτεροι πρὸς τὸ πατρῷς ἅμα τῇ ἀρχῇ καὶ τὸ ὄνομα τοῦτο ἐκδεχόμενοι, ὥσπερ οἱ Πτολεμαῖοι ἐν Αἰγύπτῳ. μέγιστον ἢ πάντων Σωφδοὺς ὁ τρίτος, ἀναμάχιδι βουλόμενος τὸν τοῦ πατρὸς ἔπαυ, σεβόμενος δὴ Ἰουδαίοις ἀπόφθεγμα τὸν τοῦ Σαμαρῶν κληθέντα, *Multo post hæc tempore indigenarum quidam Adadus nomine, prepollens factus, & Damascum & Syriæ, præter Phœnicen, cætera regno tenuit. Sed suscepto in Davidem Judææ regem bello, cùm multis præliis concurrisset, postremo ad Euphratem commisso victus est, præstantissimus regum habitus animi virtute & roboris excellentiâ. Eo mortuo posteri ejus in decem stirpes regnarunt, simúlque cum paterno imperio nomen ejus acceperunt, quomodo Ægypti reges Ptolemæi dicuntur. Tertius horum cùm multum invaluisset, reparare volens novo decore avi cladem, in Judæos profectus Samaritidem populatus est.* Priorem hist. hujus partem habes 2 Sam. 8. 5. 1 Chron. 18. posteriorem 1 Reg. 20. ubi Josephũ vide. Adadus ille Josepho *Ader* dicitur, *Adores* Justino ex Trogo. Plura de Davide ex Eupolemo nobis dat Eusebius Præpar. Euang. lib. 4. cap. 30. Idem Josephus eódem cap. & priore contra Appionem hunc locum profert ex Dii historia Phœnicia. Ἀβίβαλος τελευτήσαντος, ὁ υἱὸς αὐτῷ Εἴρωμος ἐβασίλευσεν. ὅστις τὰ μὲν ἀπολωλότα μέρη τῆς πόλεως ἀνέστησεν, καὶ μᾶλλον τὸ ἄστυ ἐπῴκισεν, καὶ τὸ Ὀλυμπίου Διὸς τέμενος καθ' ἑαυτὸν ὂν ὀχυρώσας, χώσας τε μεταξὺ τόπον, ζωσθῆς τῇ πόλει, ᾗ χρυσοῖς ἀναθήμασιν ἐκόσμησεν. ἀναβὰς ἢ εἰς Λίβανον ὑλοτόμησεν ἐκεῖς τὸν τῶν ναῶν κατασκευήν. τῆς τε γεγενῆσθαι Ἱεροσολύμοις Σολομῶνα πέμψαι φασὶ πρὸς Εἴρωμον αἰνίγματα, ἢ παρ' αὐτοῦ λαβὼν ἀξιῶν· τῆς μὲν δυνηθέντα λῦσαι τὰ αἰνίγματα πολλὰ, καὶ χρημάτων εἰς τὸ ὀπτόμενον ἀνήσασθαι. αὖτα δὴ Ἀβδήμονά τινα Τύριον ἀνδρα τὰ προτεθέντα λῦσαι, καὶ αὐτὸν ἄλλα προβαλεῖν, ἃ μὴ λύσαντα τὸν Σολομῶνα πολλὰ τῷ Εἰρώμῳ προσαποτίσαι χρήματα. *Abibalo mortuo regnavit filius ejus Iromus. Hic ad ortum regionem urbi addidit, ipsámque urbem vetu-*

fecit majorem: etiam Jovis Olympii templum, quod seorsim in insula erat, aggerato quod intercedebat spatio, urbi annexuit, ornavitque donariis aureis. Annis & qui Hierosolymis tunc regnabat Solomonem ad Iromum enigmata misisse quædam, & cupiisse ab ipso alia accipere. Sed Iromum cùm enigmata illa solvere nequiret, magnam pecuniæ vim pro mulcta pependisse: postea verò Abdemonum hominem Tyrium solvisse ea quæ proposita fuerant, ac proposuisse vicissim alia, quæ cùm solvere Solomon nequisset, Iromo ab eo magnas pecunias persolutas. Addit deinde Menandri Ephesii, qui regum tam barbarorum quàm Græcorum res perscripsit, locum illustrem: Τελεύτησαντος δ' Ἀβιβάλου, διεδέξατο τὴν βασιλείαν υἱὸς αὐτοῦ Εἴρωμος, βιώσας ἔτη ῥιακοντα πέντε. οὗτος ἔχωσε τὸν ὑπὲρ χωμα, τόπον χρυσοῦν κίονα τὸν ἐν τοῖς τοῦ Διὸς ἀνέθηκεν. ὑπῆρχε ὕλαι ξύλων ἀπειλὼν ἱκανὸν ὑπὸ τοῦ λεγομένου ὄρους Λιβάνου, κέδρινα ξύλα εἰς τὰς τῶν ἱερῶν στέγας, καθελὼν τὰ ἀρχαῖα ἱερὰ, καινοὺς ναοὺς ᾠκοδόμησεν. τότε τὸν Ἡρακλέους καὶ τὴν Ἀστάρτης τέμενος ἀνέῤῥηξεν. πρῶτόν τε τοῦ Ἡρακλέους ἔγερσιν ἐποιήσαλο ἐν τῷ Πεντετίῳ μηνὶ, ὅτε τὸ τῆς Ἀστάρτης ἱερὸν Τιλυοῦς ἐπεστράτευσεν μὴ ὑποδιδοῦσι τὸν φόρους, οὓς καὶ ὑποτάξας ἑαυτῷ πάλιν ἀνέστρεψεν. ἐπὶ τούτων δέ τις τῶν Ἀβδήμονος, πῶς γενόμενος, ὃς ἐπίστατο τὰ προβλήματα ἃ ἐπέστειλε Σολομὼν ὁ Ἱεροσολύμων βασιλεύς. ὑποφίζεται δὲ ὁ χρόνος ἀπὸ τούτου τοῦ βασιλέως ἄχρι τῆς Καρχηδόνος κτίσεως ἔτος· πενταπόσιοι Εἰρώμου διεδέξατο τὴν βασιλείαν Βαλεάζαρος ὁ υἱὸς, ὃς βιώσας ἔτη πεντήκοντα ἑπτὰ, ἐβασίλευσεν ἔτη ἑπτά. μεθ' ὃν Ἀβδάστρατος ὁ τούτου υἱὸς, βιώσας ἔτη εἴκοσι ἐννέα, ἐβασίλευσεν ἔτη ἐννέα. τοῦτον οἱ τροφεῖς αὐτοῦ υἱοὶ τέσσαρες ὄντες βουλευόμενοι ἀπέκτειναν· ἐφ' ὃ φρουρὸς ἐβασίλευσεν ἔτη δεκαδύο. μεθ' ὃν Ἀσταρτος ὁ Δελαιαστάρτου, ὃς βιώσας ἔτη πεντήκοντα τέσσαρας, ἐβασίλευσεν ἔτη ῥώδεκα. μεθ' οὗτον ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ἀσδρυμος, βιώσας ἔτη τέσσαρας καὶ πεντήκοντα, ἐβασίλευσεν ἔτη ἐννέα. ὅτου ἀπώλεσε ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Φίλητος, ὃς λαβὼν τὴν βασιλείαν ἦρξεν μῆνας ὀκτὼ, βιώσας ἔτη πεντήκοντα. τούτου ἀνῆλεν Εἰθώδεμος ὁ τοῦ Ἀσάρεως ἱερεὺς, ὃς βασιλεύσας ἔτη ῥιακονταδύο, ἐβίωσεν ἔτη ἑξήκοντα ὀκτώ. τοῦτον διεδέξατο Βαδέζορος υἱὸς, ὃς βιώσας ἔτη τεσσαρακονταπέντε, ἐβασίλευσεν ἔτη ἕξ. τούτου διάδοχος γέγονε Μάτγενος ὁ υἱὸς, ὃς ζιώσας ἔτη ῥιάκοντα δύο, ἐβασίλευσεν ἔτη ἐννέα. τούτου διάδοχος γέγονε Φυγμαλίων, βιώσας δὲ ἔτη πεντήκοντα ἓξ, ἐβασίλευσεν ἔτη τεσσαράκοντα ἑπτά. ἐν δὲ τῷ ἐπ' αὐτοῦ ᾠκοδόμηται ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ φυγοῦσα ἐν τῇ Λιβύῃ πόλιν ᾠκοδόμησε Καρχηδόνα. *Mortuo Abibalo successit in regnum filius ejus Iromus, qui vixit annos* LXXIV. *Hic aggeravit latam quæ dicitur regionem: idem auream columnam posuit quæ in Jovis est templo. Deinde materiam excidit è monte Libano, cedrinas arbores ad templi tecta, templisque veteribus dejectis fecit nova. Etiam Herculis & Astartes delubra sacravit. Sed Herculi priùs mense Peritio, deinde Astartes quo tempore Tityis arma intulit, tributa non solventibus, eósque sibi cùm subjecisset reversus est. Hâc ætate Abdemonus vixit juvenis, qui victor fuit explicando problemata missa à Solomone Hierosolymorum Rege. Tempus autem ab hoc Rege ad conditam Carthaginem sic putatur; Mortuo Iromo regnum ejus accepit filius ejus Baleazarus, qui vixit annos* XLIII. *regnavit* VII. *Post hunc Abdastratus ejus filius annos vixit* XXIX. *regnavit* IX. *Hunc nutricis ipsius filii quatuor de insidiis interfecere: quorum qui maximus natu erat regnavit annos* XII. *Post quos Astartus Delaastarti filius, qui vixit annos* LIV. *regnavit* XII. *Post hunc frater ejus Asorymus vixit annos* LIV. *regnavit* IX. *Hic à fratre Phelete occisus fuit: qui accepto regno imperavit menses* VIII. *vixit annos* L. *Hunc interemit Ithobalus Sacerdos Astartes, regnavitque annos* XXXII. *vixit* LXVIII. *Successit ei filius Badezorus, qui vixit annos* XLV. *regnavit* VI. *Hujus successor fuit filius Matgenus: vixit is annos* XXIII. *regnavit* IX. *Excepit hunc Phygmalion: vixit annos* LVI. *regnavit* XLVII. *Septimo hujus anno soror ipsius profuga urbem in Africa struxit Carthaginem.* Locum hunc Menandri, sed contractiorem, posuit Theophilus Antiochenus libro ad Autolycum tertio. Tertullianus Apologetico cap. 19. *Referanda antiquissimarum etiam gentium archiva, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum, per quos notitia submissitata est; aliqui Manethon Ægyptius & Berosus Chaldæus, sed & Iromus Phœnix Tyri rex; sectatores quoque eorum Mendesius Ptolemæus, & Menander Ephesius, & Demetrius Phalereus, & Rex Juba, & Appion, & Thallus.* Iromi illius & Solomonis ei cozvi mentionem etiam apud Alexandrum Polyhistorem, Menandrum Pergamenum, & Lætum in Phœnicicis extitisse ait Clemens Strom. 1. unde corrigendus Tatianus, apud quem Χαῦτος pro Λαῦτος scribitur, dicitúrque is in Græcum transtulisse quæ Phœnices Theodotus, Hypsicrates & Mochus scripserant. Azaelis Syriæ Regis, qui nominatur 1 Reg. 19. 15. 2 Reg. 8. 11. & 12. 17. & 13. 3, 24. memoria Damasci divinis honoribus conservata, tradente Josepho Antiq. hist. lib. 9. cap. 2. Est idem nomen apud Justinum ex Trogo. De Salmanasare qui Decem tribus in servitutem avexit, ut narratur 2 Reg. 17. 3, & seqq. & Samariam cepit 2 Reg. 18. 9. locus est Menandri quem diximus Ephesii apud Josephum libro eodem 9. cap. 14. Καὶ Ἐλουλαῖος ὄνομα ἐβασίλευσεν ἔτη ῥιάκοντα ἕξ. ὅτος ὑποτάντων Κίτταίων ἀναπλεύσας, στρατηγὸν αὐτοῦ πάλιν. ἐπὶ τούτου πέμψας ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς, ἐστόλισε Φοινίκων πολεμῶν ἅπαξ, ὃς πᾶσαν μὲν ἐφίλιον μὴ πάντων ἀνεχώρησεν ὀπίσω. ἀπέστη δὲ Τυρίων Σιδὼν, καὶ Ἄρκη, καὶ ἡ Παλαίτυρος, καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις, αἳ τῷ τῶν Ἀσσυρίων ἑαυτὰς βασιλεῖ παρέδοσαν. διὸ Τυρίων οὐκ ἀποστάντων, πάλιν ὁ βασιλεὺς ἐπ' αὐτοὺς ὑπέστρεψε, Φοινίκων ξυμπαρεσκευάντων αὐτῷ ναῦς ἑξήκοντα καὶ ἑπτακόσιας. αἷς ἑπτακαιδεκάσαντες Τύριοι ναῦσι δεκαδύο, τῶν νέων τῶν ἀντιπάλων διαφθείρασαν, λαμβάνουσιν αἰχμαλώτους ἄνδρας ὡς πεντακοσίους. ἐπτάδη δὲ πάντων ἐν τύρῳ τιμὴ διὰ ταῦτα. ἀναζεύξας δ' ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς, κατέστησε φύλακας ἐπὶ τοῖς ποταμοῖς καὶ τῶν ὑδραγωγίων, οἳ διακωλύσουσι Τυρίους ἀρυσθαι. καὶ τοῦτο ἔτεσι πέντε ᾠκοδόμουν, ἐναρίθμησαν πίνοντες ἐκ φρεάτων ὀρυκτῶν, *Elulæum nomine apud Tyrios regnavit annos* XXXVI. *Hic Cittæos qui ab imperio suo defecerant classe eò vectus ad obsequium reduxit. Sed in hos misit Rex Assyriorum, Phœnicémque omnem bello incursavit: mox tamen pace cum omnibus factâ rediit retro. Verùm desciverè à Tyrorum imperio Sidon, Arce, Palætyrus, multæque urbes aliæ, quæ se Assyriorum Regi dediderunt. Cùm tamen non ob id se dederent Tyrii, Assyriorum Rex bellum eis rursùs intulit, cùm accepisset à Phœnicibus naves sexaginta, remiges octingentos. In quas invecti Tyrii navibus duodecim, disjectis hostium navibus, homines fecere captivos quingentos. Auctâ hinc apud Tyrios rerum omnium pretia. Cùm abiret Rex Assyriorum, constituit custodes ad flumina & aquæductibus, qui Tyrios ab aqua haustu arcerent. Toleratúmque id Tyriis per annos quinque, bibentibus interim ex puteis quos foderant.* Addit Josephus eodem loco ipsum hujus regis nomen Salmanasarum extitisse ad sua tempora in Tyriorum archivis. Sennacheribi, qui Judæam propè omnem exceptis Hierosolymis subegit, ut narratur 2 Reg. 18. 13. 2 Par. 32. 1. Esa. 36. 1. & nomen & expeditiones in Asiam & Ægyptum in Berosi Chaldaicis repertas testatur idem ille Josephus lib. 10. cap. 1. Ejusdem Σαναχαρίβου *Sannacheribi* meminit & Herodotus lib. 2. vocátque Arabum & Assyriorum Regem. Baladæ Babyloniorum regis mentio est 2 Reg. 20. 12. & Esaiæ 39. Ejusdem nomen in Berosi Babylonicis extitisse testatur Josephus Antiq. hist. lib. 10. cap. 3. Herodotus prælii illius in Mageddo, quo Nechao Rex Ægypti Judæos vicit, quæ historia est 2 Paral. 35. 22. Zach. 12. 1. meminit dicto lib. 2. his verbis, Καὶ Σύρῳσι πεζῇ ὁ Νεκὼς ξυμβαλὼν ἐν Μαγδόλῳ ἐνίκησε, *Et cum Syris* (ità semper Judæos vocat Herodotus, ut & alii) *Necos congressus in Magdolo eos vicit.*

(b) *Nabuchodonosori*] De hoc Berosi locum nobis servavit Josephus Antiq. hist. 10. adversùs Appionem lib. 1. conferendus cum Eusebio, qui & in Chronico circa hæc tempora, & Præpar. lib. 9. cap. 40, & 41. hunc, & qui sequetur Abydeni locum producit, Ἀκούσας δὲ ὁ παλὶς αὐτοῦ Ναβοπολάσαρος ὅτι ὁ τῶν Χαλδαίων ἐν Βαβυλῶνι

Αἰγύπτῳ

Αἰγύπτῳ καὶ τοῖς ἄνω τῶν Συρίων † κοίλῃ καὶ † Φοινίκῃ τύπου ὑποτάκτης γέγονεν, ὑ πιμάνθαι αὐτὸς ἔτι κακοπαθοῦν, αὐτήκοος. τῷ υἱῷ Ναβυχοδονοσόρῳ ὄντι ἔτι ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ † δυνάμεως, ἐξέπεμψεν ἐπ' αὐτόν. συμμίξας ὁ Ναβυχοδονόσορ τῷ ὑποτάτῃ καὶ παραταξάμενος, αὐτῷ † ἐκνεύσαντι, καὶ † χώραν ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ † αὐτῷ βασιλείαν ὑπήκοον. τῷ † παῖδι αὐτοῦ συνέζευξε Ναβουπολλασάρῳ χρόνῳ † τῷ πρῶτον † κομιδῇ ἀρρωστήσαντα ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι † βίον ὄντα βασιλεύοντι ἐνιαυτοὺς εἰκοσιεννέα. αἰδόμενος ὁ μετ' ὀλίγον † ὁ παῖδες πολιτεύω Ναβυχοδονόσορ, καταπέμπει τὰ χρήματα † Αἰγυπτίων πράγματα, καὶ † λοιπῶν χώρας, καὶ πρὸ αἰχμαλώτους Ἰουδαίων † καὶ Φοινίκων καὶ Σύρων καὶ † χρόνῳ † Αἰγυπτίων ἐθνῶν συντάξας τοῖς † φίλοις, μετ' † δυνάμεως καὶ τῆς λοιπῆς ὠφελείας ἀνακομίζων εἰς † Βαβυλωνίαν, αὐτὸς ὁρμήσας ὀλίγους παρῆλθε διὰ τῆς ἐρήμου εἰς Βαβυλῶνα. καθήκασιν ὁ τὰ πράγματα διοικούμενα ὑπὸ Χαλδαίων, καὶ διαπεπυσμένος † βασιλέως ὑπὸ τῷ βελτίστου ἀνδρῶν, κινεύσας ἐξ ὁλοκλήρου † παρικῆς ἀρχῆς, τοῖς μὲν αἰχμαλώτοις παρῄνεσεν, σωτηρίαν αὐτοῖς ὑπισχνεῖται ἐν τοῖς ἀπορρητοτάτοις † Βαβυλωνίας τόποις ἀποδείξας. αὐτὸς δ' ὑπὸ † ἐν τῷ πολέμῳ λαφύρων τό, † Βήλου ἱερὸν καὶ τὰ λοιπὰ κοσμήσας φιλοτίμως, τιμᾷ τε ὑπάρχοις ἐξαρχῆς πόλιν καὶ ἑτέραν ἔξωθεν προσκεισαμένην καὶ ἀναπλήσας, πρὸς τὸ μηκέτι πολιορκεῖσθαι τοῦ πολιορκοῦντας † ποταμὸν ἀναστρέψασι ἐπὶ † πόλιν κλασικεύζειν, ἐπεβάλετο βοῖς μὲ † ὕδωρ πόλεως ἐκκόλπους, πρεῖς ὁ τῆς ἔξω τύπου, τὰς μὲ ἐξ ὀπίσθης πλίνθου καὶ ἀσφάλτου, τὰς ὁ ἐξ αὐτῆς πλίνθου. καὶ τειχίσας ἀξιολόγως † πόλιν, καὶ τὰς πυλῶνας κοσμήσας ἱερομρεπῶς, περικαλλεπέπλασι τοῖς παλαικοῖς βασιλείοις ἕτερα βασίλεια ἐχόμενα ἐκείνων, ὑψηφαίρετα ἀνάκτημα καὶ † πολλῷ πολυτελέστερα. μακρὰ δ' ἔστι λέγειν, ἐάν τις ἐξαγγέλῃ. πλὴν ὅτι γ' ὑφηγήσολιν ὡς μεγάλα καὶ ὑπερφυᾶ συνετελέσθη ἡμέρας δεκαπέντε. ὁ δὲ τοῖς βασιλείοις τούτοις ἀναθήματα λίθινα ὑψηλὰ ἀνοικοδομήσας, καὶ τὸν ὅλον ὑπόδους ὁμοιοτάτην τοῖς ὄρεσι, καταφυτεύσας δένδρεσι παντοδαποῖς ἐξεπηγάσατο· καὶ καταπειράσας † κλιμάκων κρεμαστὸν περίδρομον, διὰ τὸ † γυναῖκα αὐτῷ ὀδυνᾶσθαι τῆς ὀρείας διαθέσεως, ὡς τεθραμμένην ἐν τοῖς κατ' Μηδίαν τόποις. μετὰ τὸ ἄρξασθαι τῆς περιεχομένης τάχους ἐμπεσὸν εἰς ἀρρωστίαν, μετηλλάξατο τὸν βίον, βασιλεύσας ἔτη τεσσαράκοντα δύο. Cùm audisset pater ejus Nabopallasarus eum qui in Ægypto Syriâq; Cœle & Phœnice præpositus fuerat Satrapen defecisse, ipse ferendis laboribus per ætatem impar, filio Nabuchodonosoro adhuc juveni tradidit partem exercitûs, ut desertorem bello peteret. Hic autem cùm eum aggressus esset prælio, ipsum cepit, regionémque omnem iterum sub imperium redegit. Sub id tempus evenit ut pater Nabopallasarus, cùm morbum contraxisset, in urbe Babylone de vita decederet, postquam regnarat annos 29. Nabuchodonosor post id, simul patris morbum intellexit, rebus Ægypti vicinarúmque gentium bene ordinatis, amico cuidam commisit captivos ex Judæa, Phœnicibus ac Syris, & ex Ægypti populis, unà cum exercitu rebúsque aliis servari dignis, reportandos Babylonem. Ipse cum comitibus paucis breviore per desertum viâ Babylonem se contulit. Ibi cùm reperisset res à Chaldæis administrari, & ipsum regnum asservari ab eorum potissimo, totum patris quod fuerat imperium adeptus est, captivísque confectis jussit illis idoneas per Babylonicum imperium colonias assignari. Ipse verò de belli manubiis Beli aliáque templa ornavit, urbémque Babyloniæ quæ jam erat, novâ alterâ additâ, instauravit eum in modum, nè possent posthac qui ad obsidendam venirent urbem abacto flumine eam aggredi, ternáque mœnia urbi interiori, totidem exteriori circumdedit, partim ex cocto latere & bitumine, partim ex latere solo. Bene munitâ urbe, portísque magnificè ornatis, ad paternam regiam novam adjecit, supereminentem & altitudine & omni splendore, quem longum sit exsequi. Sufficerit dicere hoc opus & magnitudine & omni rerum paratu eximium intra dies perfectum esse quindecim. In hac regia ex lapide sublimia extulit ambulacra, speciémque dedit montibus persimilem, omnis etiam generis arboribus ibi consitis, addito & paradiso pensili, quòd uxor ejus in Media locis educata montium aspectu delectaretur. Sed inter hæc opera morbo implicitus mox de vita excessit, cùm regnasset annos 43. Uxor illa Nabuchodonosori est *Nitocris* Herodoto, libro ejus primo, ut docuit magnus Scaliger in præclara temporum Emendatorum appendice. Interpretatur hæc Curtius lib. 5. quem videj partim & Strabo lib. 15. & Diodorus lib. 2. Berosus, ex quo hæc & alia suprà protulimus, Beli Sacerdos fuit post Alexandri Magni tempora, cui ob divinas prædictiones Athenienses publico in gymnasio statuam inauratâ linguâ statuêre, memorante Plinio Hist. Nat. lib. 7. cap. 37. Librum ejus *Babylonica* vocat Athenæus 15. Tatianus, qui & ipse Nabuchodonosori Berosum meminisse affirmat, & Clemens, *Chaldaica*. Ex iis Rex Juba profitebatur accepisse se quæ de rebus Assyriis scripsit, ut notat Tatianus. Meminere ejus & Vitruvius & Tertullianus Apologetico, & scriptor Chronici Alexandrini. Nabuchodonosori mentionem alteram ex Abydeno Assyriorum scriptore nobis tradidit Eusebius tum in Chronico tum in fine noni de Præparatione. Verba hæc sunt, Μεγασθένης δὲ φησι Ναβυκοδόσορον Ἡρακλέους ἀναμάτιον γεγονέναι· ὃν τινὲς Λιβύων καὶ Ἰβηρίων κρατῆσαι· πάντας δὲ χειρωσάμενον, ὑποτάξαι αὐτῶν εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ Πόντου καταικῆσαι. μετὰ δὲ λέγει πρὸς Χαλδαίων, ὡς ἀναβὰς ἐπὶ τὸ βασιλεῖα καταλαβεῖν διὸ ὀτέῳ δὴ. φθεγξάμενον δὲ εἶπε τάδε, Ἐγὼ Ναβυκοδόσορος, ὦ Βαβυλώνιοι, πρὸ μέλλοντός μοι ἀγγέλου συμφορὰν, καὶ ὅτι Βῆλος ἡμᾶς μέγας, ὅτι βασίλεια Βῆλτις ὑπερβάλλει μοίρας πᾶσαι δύναμι. ἔξει Πέρσης ἡμῖν τοῖσι ὑμετέροισι δαίμοσι χρεώμενος συμμάχοισι, ἀνδρῶν δυνάμιος. ἐπὶ δὲ σωτῆρι ἔσται Μήδης τὸ Ἀσσύριον ἄχνημα. ὃς εἰδέ μιν, πρὶν ἢ δοῦναι τοῦ πολίτης, χαρὴ σὺν τινα ἢ θάλασσαν ἐσδεξαμένην ἀϊστῶσαι περῤῥίζον, ἢ μὲν ἄλλας ὁδοὺς φερούσας διὰ τῆς ἐρήμου, ἵνα ὅτε ἄσια, ὅτε πάσι ἀνθρώποις, ἔνθεος ὁ νομὸν ἔχουσι καὶ ὄρνιθες πλάζονται, ἢν † πίδησι καὶ χαρέδρησι μοῦνον ἀλάμενον· ἴμα †, πεὶν ἐς νόον βαλέδ ταῦτα, τέλος ἀμείνονος κυρῆσαι. ὁ δὲ Διαπίσας παρεχρῆμα ἀφάνισε, *Megasthenes* autor est *Nabucodrosorum* Herculi ipso fortiorem fuisse, bellóque usque in Africam & Hispaniam illato, quos indè deportaverat collocasse ad dextram Ponti oram. Præterea verò narrant de eo Chaldæi, quondam cùm regiam conscendisset, numine aliquo afflatum eum hæc prædixisse, *Ego Nabucodrosorus, ô Babylonii, imminentem vobis prænuncio calamitatem, quam ut arceant Parca nunquam ea aut Belus generis nostri autor, aut regina Beltis permovere poterunt. Persicus veniet mulus, qui vestris diis auxiliantibus servitium imponet. Hujus mali adjutor erit Medus, Assyriorum gloriatio. Utinam eum antequam cives prodat, Charybdis aut mare absorptum funditus interimat, aut ipse alio raptus erret per solitudines, ubi neque urbes neque hominum ulla sint vestigia, ubi fera pascantur, circumvolénteque liberè aves, ut ibi inter rupes faucésque solus vagetur: utinámque & ego felicem exitum sortitus fuissem, prinsquam hæc animo meo obversarentur.* Hæc ubi effatus erat, statim disparuit. Confer hæc postrema cum iis quæ in Danielis libro de hoc Nabuchodonosoro habemus. Prima illa ex Megasthene etiam Josephus habet lib. 10 Antiq. Histor. cap. 2. & ait exstare Indicorum 4. Habet ex Abydeno etiam hæc de Nabuchodonosoro Eusebius, Λέγει δὲ πάντα μὲν ἐξ ἀρχῆς ὕδωρ εἶ, θάλασσαν καλουμένην. Βῆλον δὲ σφᾶς πάσαι, χώρην ἐκάστῳ ἀποτεμόντα, καὶ Βαβυλῶνα τεῖχος περιθεῖναι· τὸ χρόνῳ δὲ ἐκπεσόντα ἄφαντα διὰτην. τειχίσαι δὲ αὖθις Ναβυκοδονόσορα, τὰ μήκει δὲ Μακεδόνων ἀρχῆς διαμεῖναι, ὧν χαλκόπυλοι. *Fama est ubi nunc est Babylon omnia aquam fuisse, dictam Mare. Id sustulisse Belum, agrósque distribuisse viritim, & mœnia circumjecisse Babyloni, quæ tempus abolseverit. Nova autem mœnia structa à Nabuchodonosoro, eáque mansisse ad imperii Macedonum tempora, portis æneis.* Postea, Ναβυκοδονόσορος δὲ διαδεξάμενος δὲ ἀρχὴν, Βαβυλῶνα μὲν ἐτείχισε πιστῶ σειδίλῳ τὸ πολεμοδόκια ὑμέρην, τὰ τὰ Ἀμμανδίλα ποταμὸν ἐξήγαγε, ἵδρυσε πύλας Εὐφρήτου, τὸν † Ἀκρόκαιον. ὑφ' ὃ † Σιππαρηνῶν πόλις λάκκον ὀρυξάμενος, σέμνυσον μὲν τειχαρέκοντα περιαγωγὴν, βάθος ὀργυιῶν εἴκοσι, πύλας ἐπέστησε, τὰς ἀνοίγοντας ἄρδειν τὸ πέδιον. κλῆσαι δ' αὐλὰς ὀχετηγήσαντας, ἐτείχισε δὲ τὴν

ἡ ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἡ ὀπίλυσιν, καὶ τεῖχος πάλιν ἔλιξεν, καὶ τὰς Ἀσσυρίων ἀσβολάς· τὰ δὲ βασιλεῖα δένδρεσι ὕψωσε, κρεμαστὸς παράδεισος ὀνομάσας, *Nabuchodonosorus, ubi in imperium ſucceſſerat, Babylona munivit trinis mœnibus, intra dies quindecim, & Narmalcam amnem, qui divergium eſt Euphratis, ſimúlque Acracanum amnem divertit. Tum in gratiam civitatis Sipparenorum foſſam effecit quæ in ambitu haberet paraſangas XL, in altum vicies quantum patent ſparſa manu, appoſuítque ſepta quibus apertis irrigaretur ager. Ea ſepta appellant aquæductuum normas. Maris quoque rubri elluvionem operibus circumdatis repreſſit, Teredonem condidit ad reprimendos Arabum impetus; regiam præterea inſtruxit arboribus, quas Paradiſos penſiles vocant.* Confer Daniel. 4. 27. Strabo lib. 15. ex eodem Megaſthene hoc adfert, Ναβυκοδονόσορον ἢ φησὶ Χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα Ἡρακλέους μᾶλλον, καὶ ἕως στηλῶν ἐλάσαι, *Nabuchodronoſorũ, cujus apud Chaldæos fama Herculem vincit, ad columnas veniſſe cum exercitu.* Fuere & alii qui ejus regis hiſtoriam attigere, ſed quorum nunc nomina tantùm ſuperſunt, Diocles Perſicorum ſecundo, Philoſtratus tum in Indicis tum in Phœnicicis, qui Tyrum ab eo obſeſſam ait per annos XIII, ut Joſephus nos docet tum Antiq. Hiſt. dicto jam loco, tum adversùs Appionem priore, ubi ex Phœnicum Actis publicis hæc profert, Ἐπὶ Εἰθωβάλου τοῦ βασιλέως ἐπολιόρκησε Ναβυχοδονόσορος ἡ Τύρον ἔτη τρία καὶ μῆνας τοσούτους ἐβασίλευσε Βαλὰτ ἔτη δέκα. μετὰ τοῦτον δικασαὶ κατεστάθησαν, καὶ ἐδίκασαν αὐτοί. Ἐκνίβαλος Βασλάχου μῆνας δύο, Χέλβης Ἀβδαίου μῆνας δέκα, Ἄββαρος ἀρχιερεὺς μῆνας τρεῖς, Μύτγονος καὶ Γεράστρατος τοῦ Ἀβδηλίμου δικασαὶ ἔτη ἓξ· ὧν μεταξὺ ἐβασίλευσε Βαλάτορος ἐνιαυτὸν ἕνα. τούτῳ τελευτήσαντι ὑποσπάσεις μετεπέμψαντο Κέρβαλον ἐκ τῆς Βαβυλῶνος, καὶ ἐβασίλευσεν ἔτη τέσσαρα. τούτῳ τελευτήσαντι, μετεπέμψαντο ἀδελφὸν αὐτοῦ Εἴρωμον, ὃς ἐβασίλευσεν ἔτη ὀκτώ. ἐπὶ τούτου Κῦρος Περσῶν ἐδυνάστευσεν, *Ithobalo apud Tyrios regnante Nabuchodonoſorus Tyrum obſedit per annos XIII. Poſt hunc regnavit Baal annos X. Poſt hunc judices conſtituti ſunt qui Tyrum rexere. Eenibalus Baſlachi menſes duos, Chelbes Abdæi menſes decem, Abbarus Sacerdos ſummus menſes tres, Mytgonus & Geraſtratus Abdelimi judices fuere per annos ſex: ſed medio inter hos tempore annum unum cum poteſtate regia Tyro præfuit Balatorus. Quo mortuo miſere Tyrii qui ex Babylone Cerbalum advocarent. Regnavit is annos IV. Hoc quoque mortuo advocarunt fratrem ejus Iromum, qui regnavit annos XX. Hujus temporibus Cyrus apud Perſas potens fuit.* Hæc ſupputatio quàm pulcrè cum Sacris libris congruat, vide Joſephum dicto contra Appionem libro. Sequitur ibidem apud Joſephum de Hecatæo, Πολλὰς μὲν δὴ ἡμῶν, φησὶν, ἀναστάσεις οἱ Βαβυλῶνα Πέρσαι πρότερον αὐτῶν ἐποίησαν μυριάδας, *Noſtrorum ille multa millia, ait, à Perſis Babylonem translata.* Et de bello Senacherib, & de deportatione per Nabuchodonoſorum facta, vide Demetrii locum apud Clementem Strom. 1.

(c) *Et aliorum Chaldæorum Regum*] Apud Beroſum poſt modò prolata hæc ſequebantur, Joſepho duobus quos indicavimus locis id referente, Τῆς δὲ βασιλείας κύριος ἐγένετο ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἐυιλμαράδουχος. ὅτος πρὸς τῷ ἀκρασίᾳ τῶν ἀνθρωπίνων καὶ ἀσεβείᾳ, ὑπερβαλλούσῃ τοὺς τῆ ἀδελφῆ ἔχοντας αὐτοῦ Νηριγλισσορόου ἀνῃρέθη, βασιλεύσας ἔτη δύο. μετὰ δὲ τὸν ἀναιρεθέντα τοῦτον, διαδεξάμενος ἀρχὴν ὁ ἐπιβουλεύσας αὐτῷ Νηριγλισσορόος ἐβασίλευσεν ἔτη τέσσαρα. τούτου υἱὸς Λαβοροσοάρχος ἐνεχείσθη μὲν τῆς βασιλείας παῖς ὢν μικρὸς ἔτι· ἐπιβουλευθεὶς δὲ διὰ τὰ πολλὰ ἐμφαίνειν κακοήθη, ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη. ἁπολομόδου δὲ τούτου, συνελθόντες οἱ ἐπιβουλεύσαντες αὐτῷ, κοινῇ τὴν βασιλείαν ἐπέδωκαν Ναβοννήδῳ τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως. ἐπὶ τούτου τὰ μὲν τοῦ ποταμοῦ τείχη τῆς Βαβυλωνίων πόλεως ἐξ ὑπερβολῆς καὶ ἀσφάλτου κατεσκευάσθη. ὕστερος δὲ τῆς βασιλείας αὐτῷ ὁ τῶν ἑπταικαιδεκάτῳ ἔτει, περιξελυνθεὶς Κῦρος ἐκ τῆς Περσίδος μετὰ δυνάμεως πολλῆς, καὶ καταστρεψάμενος τὴν λοιπὴν Ἀσίαν ἅπασαν, ἦρμησεν ἐπὶ τὴν Βαβυλωνίας. αἰσθόμενος δὲ Ναβοννήδος τὴν ἔφοδον αὐτοῦ, ἀναστήσας μὲν τῆς δυνάμεως καὶ παρεξάμενος, ὑπήντησε τῇ μάχῃ καὶ φυγὼν ὀλιγοστὸς, συνεκλείσθη εἰς τὴν Βορσιππηνῶν πόλιν. Κῦρος δὲ Βαβυλῶνα καταλαβόμενος, καὶ συντάξας τὰ ἔξω τῆς πόλεως τείχη κατασκάψαι, διὰ τὸ λίαν αὐτὴν φρασμάτικὴν καὶ δυσάλωτον φανῆναι τῇ πόλει, ἀνέζευξεν ἐπὶ Βόρσιππον, ἐκπολιορκήσων τὸν Ναβόννηδον. τοῦδε Ναβοννήδου οὐκ ὑπομείναντος τὴν πολιορκίαν, ἀλλ' ἰσχυρίσαντος αὐτὸν πείσεσθαι χρησάμενον Κῦρος φιλανθρώπως, καὶ δὸς οἰκητήριον αὐτῷ Καρμανίαν, ἐξέπεμψεν ἐκ τῆς Βαβυλωνίας. Ναβόννηδος μὲν ἓν τὸ λοιπὸν τῆ χείρι διαγενόμενος ἐν εἰρήνῃ τῇ χώρᾳ, διέτριψε βίον, *Regnum accepit filius ejus Evilmaradochus. Hic cùm iniquè ac per malam libidinem res adminiſtraret, petitus inſidiis Neriglisſoroori qui ſororem ejus in matrimonio habebat, interiit, poſtquam per annos regnaverat decem. Eo ſublato regni compos factus interfector ejus Neriglisſoroorus imperium tenuit per annos quatuor. Hujus filius Laboroſoarchodus puer adhuc regnum tenuit menſes novem: ſed quia prava in illo indolis multa ſigna apparerent, inſidiis amicorum trucidatus eſt. Hoc mortuo cùm inter ſe coiſſent ejus facinoris participes, communi conſenſu regnum detulere ad Nabonnidum ex Babyloniis unum, qui & ipſe in eadem conjuratione fuerat. Hoc regnante meliora facta ſunt ea quæ ad amnem erant ex latere & bitumine Babylonis mœnia. Cùm verò regni ejus annus ageretur decimus & ſeptimus, venit ex Perſide multo cum exercitu Cyrus, reliquâque Aſiâ ſubactâ ad Babylonem perrexit. Adventu ejus cognito Nabonnidus occurrit magno & ipſe exercitu, prælióque facto victus, cum paucis fugit, conclusítque ſe in urbem Borſippenorum. Cyrus autem Babylone captâ conſtituit exteriora ejus munimenta diruere, quòd civitatem videret adres novas mobilem, urbem verò capi difficilem: indè in Borſippum proficiſcitur ad obſidendum Nabonnidum. Verùm is obſidionis non tolerans ſe dedidit. Cyrus benignè exceptum à Babylonia exire eum ad Carmaniam habitandam juſſit. Atque ibi Nabonnidus tranſacto vitæ catero diem ſuum obiit.* Abydeni, poſt ea quæ modò attulimus de Nabuchodonoſoro verba, hæc nobis ſervavit Euſebius dicto loco, Ὁ δὲ υἱὸς Ἐυιλμαλαρυχὸς ἐβασίλευσε. ἡ δὲ κηδεστὴς ἀποκλίνας Νηριγλισσάρης, λεῖπε παῖδα Λαβοσσοάρασκον· τούτῳ δὲ ὑποπαγόντος βιαίῳ μόρῳ, Ναβαννίδαχον ὑποδεικνῦσι βασιλέα, πρεσβύτατον οἱ ὄντα. τὸν δὲ Κῦρος, ἐλὼν Βαβυλῶνα, Καρμανίης ἡγεμονίαν ἔνειμε, *Poſt hunc filius regnavit Evilmaluruchus. Hujus interfector, qui affinis ipſi fuerat, Neriglisſares, filium reliquit Laboſſoaraſcum. Hoc violentâ morte exſtincto, Babylonii Nabonnidum regem faciunt, cum rege mortuo nullo junctum ſanguine. Cyrus hunc, cùm Babylona cepiſſet, Carmaniæ præfecit.* Evilmaraduchus iſte nominatur 2 Reg. 25. 27. De cæteris vide Scaligerum. Iſta de Babylone à Cyro capta congruunt cum iſtis Herodoti, Οὗτω Κῦρος μὲν δὴ Βαβυλῶνα. οἱ δὲ Βαβυλώνιοι ἐκστρατευσάμενοι ἔμενον αὐτόν. ἐπεὶ δὲ ἐμέλλετο ἁλώσιον ἀΐσσειν ἡ πόλις, σωρεύσαντες ἐς οἱ Βαβυλώνιοι, καὶ πανωδύνως τῇ μάχῃ κατηλήθησε ὡς τὰ ἄκρα, *Sic Cyrus in Babylonem movit. Babylonii autem educto contrà exercitu eum exſpectarunt. At poſtquam Cyrus urbi appropinquavit, pugnarunt cum eo Babylonii, ſed prælio victi in intima urbis ſe receperunt.* Cum quibus confer Jer. 51. 20, 30, 31. de fuga ad Borſippa eundem Jeremiam 51. 30. de exſiccato amnis alveo Herodotus conſentit Jeremiæ 51. 32. Verba Herodoti, τὸν δὲ ποταμὸν διώρυχι ὑποαγαγὼν ὡς ἡ λίμνη ἰοῦσα ἔλῃ· τὸ ἀρχαῖον ῥέεθρον διαβατὸν ἐποίησε, ὑποτρέψασα ἐς τὸ ποταμίη, *Amnem diſſidit, parte ejus in lacum paluſtrem deductâ; ac ſic veterem alveum fecit pervium, aquâ derivatâ.* An ea quæ de Beleſi Chaldæo narrat Diodorus l. 2. ad Danielem poſſint referri, cui nomen Chaldæum fuit בלטשאצר Dan. 1. 7. cogitemus.

(d) *Qui Vaphres Ægypti Rex Jeremiæ*] Ità Lxx & Euſebius vertunt quod in Hebræo Jeremiæ 44. 3. eſt חפרע. Fuit is Nabuchodonoſoro coævus.

(e) *Apries eſt Herodoto.*] Lib. 11.

(f) *Cyri*] Vide loca jam allata. Diodorũ Siculum l. 2. Cteſiam Perſicis, Juſtinum lib. 4. c. 5. & ſeqq. Sub Cyro jacta Templi Hieroſolymitani fundamenta ſub Dario conſummatum opus Beroſo teſte probat Theophilus Antiochenus.

(g) *Ad*

(g) *Ad Darium usque*] Codomannum. Vide eosdem, & Æschylum Persis, & scriptores rerum Alexandri. Sub hoc Dario summus Hebræorum Sacerdos fuit Jaddus Nehem. 12. 22. is qui Alexandro victori ivit obviàm, narrante Josepho Antiq. Hist. lib. 1. 8. His ipsis temporibus vixit Hecatæus Abderita, celebratus Plutarcho libro De Iside, & Laertio in Pyrrhone. Is de Judæis librum scripsit singularem, unde egregiam & urbis Hierosolymorum & Templi descriptionem deprompsit Josephus adversùs Appionem libro priore, quem locum habet & Eusebius Præpar. Euang. lib. 9. cap. 9. Uterque horum etiam Clearchi habent locum, qui Aristotelis verbis Judaicam sapientiam commendat. Laudatores etiam Judæorum rerúmque Judaicarum testes Josephus dicto libro nominat Theophilum, Theodotum, Mnaseam, Aristophanem, Hermogenem, Euemerum, Cononem, Zopyrionem & alios.

(h) *Quæ ex Strabone & Trogo suprà attulimus*] Libro 1.

(i) *Macedones in Alexandriam magnis commodis eos invitarunt*] Hecatæus Josepho descriptus in libro priore contra Appionem, de Judæis loquens, οὐκ ὀλίγαι ἢ (nempe μυριάδες ex præcedentibus) ἢ μᾶ ἢ Ἀλεξάνδρου ἤνεγκεν εἰς Αἴγυπτον ἢ Φοινίκην μετέστησαν, διὰ ἢ ἐν Συρίᾳ στάσιν, *Non pauca etiam millia post Alexandri mortem in Ægyptum & Phœnicen migrarunt ob exortas in Syria seditiones.* Adde Philonem in Flaccum: Ὅτι οὐκ ὀλιγάκις μυριάδων ἐκατὸν ἢ Ἀλεξάνδρειαν ἢ ἢ χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες ὑπὸ τῷ φθόνῳ Λιβύλλῃ καταβαθμῷ μίχεις ἢ ἰδίων Ἀιθιοπίας, *Non minùs decies centenis millibus Judæos in Alexandria & regione circumsita habitare ab Africa descensu ad fines Æthiopiæ.* Adde Josephum lib. 12. cap. 2, 3, & seqq. Lib. 13. cap. 4, 5, 6, 7, 8. & 18. 10. Et habebant Judæi Alexandriæ jus civitatis; Josephus 14. 17.

(k) *Cyrenaica*] Josephus Antiq. Hist. lib. 16. 10. & alibi. Act. 6. 9. & 11. 20.

(l) *Urbes Asiæ*] Josephus 12. 3. & 14. 17. & 16. 4. Act. 19.

(m) *Macedoniæ*] Act. 17.

(n) *Lycaoniæ*] Act. 14. 18.

(o) *Cypri*] Act. 13. 5.

(p) *Cretæ*] Act. 2. 11.

(q) *Romæ*] Josephus 18 Hist. Antiq. cap. 5. Act. 18. 2. & 28. 17.

(r) *Ex Horatio*] Lib. 1. Sat. 4.

——numero plures sumus: ac veluti te
Judæi cogemur in hanc concedere turbam.

Sat. 5.

——credat Judæus apella.

Sat. 9.

—— hodie tricesima sabbata, &c.

(s) *Juvenali*]

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem.

Et quæ sequuntur Sat. 14.

(t) *Martiali*] 3. 4.

Quod jejunia sabbatariorum.

Et alibi: ut 7. 29, & 34. & 11. 97. & 12. 57. Adde Rutilium Itinerarii libro 1.

Atque utinam nunquam Judæa subacta fuisset
Pompeii bellis, imperioque Titi.
Latiùs excisa pestis contagia serpunt,
Victoréque suos natio victa premit.

Quod ex Seneca desumptum, qui dixerat de iisdem Judæis, *Cùm interim usque eò sceleratissimæ gentis consuetudo convaluit, ut per omnes terras recepta sit. Victi victoribus leges dederunt.* Locus est apud Augustinum De civ. Dei lib. 6. cap. 11. *Sceleratissimam gentem* vocat tantùm ob legum quæ Dei unius cultum damnabant neglectum, ut suprà notavimus: quo nomine & Socratem culpabat major Cato. Adde latissimè sparsi Judæi nominis testem Philonem in legatione; Ὅσον ἐστὶν ὁ πολυανθρωπίᾳ, ὅπερ οὐκ ἐξελέξατο καθάπερ ἢ ἄλλων ἕκαστον μιᾶς χώρας ἢ ἐπικληρωθὲν αὐτῷ μόνῳ σεβόλῳ, ἀλλ' ὀλίγα ἅπαν φάναι πᾶσα ἡ οἰκουμένη κέχυται γὰ ἀπὸ τὰς ἠπείρους ἢ νήσους ἁπάσας ἐς ἢ ἀνδιχθῶν μὲ πολλῷ τινι δοκῶν ἐλαττοῦσ, *Quanta illa gens est hominum numero, quam non ut cæteras una continet attributa regio, sed paulò minùs terra tota! Diffusa enim est per terras continentes pérque insulas omnes, ità ut videri possit ipsis indigenis non multò minor.* Dion Cassius lib. 36 de Judæorum genere, κωλυθὲν μ πολλάκις, ἀνξηθὲν ἢ ὅτι πλεῖστον ὥστε ἢ εἰς παρησίαν ἢ νομίσεως ἐληλῦθαι, *Cohibita sæpe, nihilominus aucta plurimùm: ità ut & libertatem institutorum suorum evicerit.*

(u) *Trecentis fermè ante Christum annis*] Vide Aristeam & Josephum lib. 12. 2.

(x) *Partim paulò ante*] Ut ab Onkelosо, fortè & ab Jonathane.

(y) *Partim non multò post*] Ut à scriptore Thargumi Hierosolymitani & Josepho cæco, aut quisquis ille est qui Jobum, Psalmos, Proverbia, & quæ Hagiographa dicuntur, vertit, unus, sive plures.

(z) *Multi Hebræi erant*] Aut vicini Hebræis, ut Justinus, qui fuit Samarita.

(a 2) *Multi Hebræam literas addidicerant*] Ut Origenes, Epiphanius, maximè verò Hieronymus.

(b 2) *Cùm eos summâ religione describere ac conferre soleant*] Josephus priore contra Appionem, Δῆλον δ' ἔστιν ἔργῳ πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν. τοσούτου γὰ αἰῶνος ἤδη παρωχηκότος, ὥστε τινὰ εἰπεῖν τις ἂν, ὥστε ἀφελεῖν αὐτῶ, ὥστε μεταθεῖναι τετόλμηκεν, *Quantam verò fidem nos scriptis apud nos receptis habeamus, rebus ipsis apparet. Cùm enim tot sæcula transierint, nemo aut addere quicquam, aut demere, aut mutare aliquid est ausus.* Vide legem Deut. 4. 1. Thalmudem titulo Schebuoth.

HUGO GROTIUS
DE VERITATE
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

LIBER QUARTUS.

QUartus liber, initio facto ab ea voluptate quam plerique homines capiunt ex ſpectaculo alieni periculi, cùm ipſi extra periculum poſiti ſunt, oſtendit ſummam Chriſtiani hominis in hac vita eam eſſe debere, ut non modò de reperta veritate ſibi gratuletur, ſed & aliis, qui in variis errorum anfractibus palabundi verſantur, opem ferat, & eos tanti boni participes faciat. Quod nos aliquo quidem modo conati ſumus facere libris prioribus; quia veri demonſtratio in ſe contineat erroris refutationem: ſed tamen cùm ſingula religionum genera quæ ſe Chriſtianis opponunt, Paganiſmus putà, Judaiſmus & Mahumetiſmus, præter id quod inter ſe habent commune, proprios quoſdam errores habent, & peculiaria quædam argumenta quæ nobis ſoleant opponere, non abs re fore credimus ſi ſpecialem adversùs hæc ſingula diſputationem inſtituamus, rogatis lectoribus ut & à ſtudiis & à longa conſuetudine, tanquam bonæ mentis impedimentis, judicium liberent, quò æquiore animo de iis quæ dicenda ſunt cognoſcant.

II. Ac primum adversùs Paganos dicimus, Si plures Deos ſtatuant æternos & æquales, id jam primo libro ſatìs refutatum, cùm docuimus unum duntaxat eſſe Deum rerum omnium cauſam. Quòd ſi Deorum nomine vocent Mentes creatas homine ſuperiores, eas aut bonas eſſe aut malas. Si bonas dicant, primùm conſtare ipſis deberet hoc, an bonæ ſint, (a) nè fortè periculoſè labantur, inimicos pro amicis, transfugas pro legatis recipientes; tum verò rationem exigere, ut evidens aliquod in ipſo cultu diſcrimen ſit inter Deum ſummum & has Mentes; deinde ſciendum eſſet, quis inter eas Mentes ſit ordo, quid à quaque boni exſpectari poſſit, quo quamque honore affici velit Rex ſummus: quæ omnia cùm deſint in ipſorum religione, ſatìs hinc apparet quàm ea nihil in ſe certi habeat, quantóque facerent tutiùs, ſi ad unius Dei ſummi cultum ſe transferrent; quod ſapientis hominis eſſe officium (b) etiam Plato dixit; eóque magìs, quia cùm bonæ Mentes Dei ſummi miniſtræ ſint, (c) non poſſit eas non ſibi addictas habere qui Deo utatur propitio.

ANNOTATA.

(a) *Nè fortè periculosè labantur, inimicos pro amicis, transfugas pro legatis recipientes*] 2 Cor. 12. 14. Porphyrius 2 De abſtinendo ab animatis, Διὰ μάντεις τὴν ὀναλίσκων καὶ ἃ ἅπασα γοητεία ἐκπελεῖ. τύπις γὰρ μάλιστα καὶ ἡ παρεσκῶπα αὐτὴν ἐκπομπῶσιν, οἱ τὰ κακὰ διὰ τὴν γοητικὴν πάσης φαντασίας ἐπιλανθάνοντες· ὅτι γὰρ ἱκανοὶ διὰ τῆς τερατουργίας ἀναπῆσαι. δι' ὧν φίλτρα καὶ ἐρωτικὰ κατασκευάζουσιν οἱ κακοδαίμονες· ἀκολασία γὰρ πᾶσα καὶ πλοῦτον ἐλπὶς καὶ δόξης διὰ τούτων καὶ μάλιστα ἡ ἀπάτη· τὸ γὰρ ψεῦδος τοῖς οἰκεῖον. βέλτιον γὰρ εἶναι θεοὶ, καὶ ἡ παρεσκῶπα δύναμις αὐτὴν δοκεῖν θεὸς εἶναι), *Per illos oppoſitos diis omnis ars maleficа perficitur. Nam qui per malas artes animis illudere ac res pravas efficere ſtudent, illos ſpiritus & eorum præſidem maximè colunt: poſſunt enim his prodigiorum ſpecie imponere. Per hos philtra & alia ad amores pertinentia miſeri homines ſibi quærunt. Omnis enim mala libido & opum ſpes & gloria ab his maximè ſpiritibus, præcipuè verò fraudes. Mendacium enim his proprium. Dii ſiquidem eſſe volunt, & qui eorum princeps eſt Deus ipſe haberi.* Deinde de Ægyptiis Sacerdotibus, Οἱ γὰρ μὴ ἔξωθεν τίθενται τὸ ἀπήκοον τῷ θεῷ ἀναλλοῦς φύσεως, παλίμορφόν τι καὶ πολύτροπον, ὑποκινούμενον ὑπὸ θεῶν καὶ δαίμονας καὶ ψυχὰς τεθνεώτων, καὶ διὰ τοῦτο πάντα δύνασθαι τῶν δοκούντων ἀγαθῶν ἢ κακῶν εἶναι· ἐπεὶ εἰς τάχος ὄντως ἀγαθὰ, ἄκρᾳ εἰσὶ καὶ ψυχικῶ, μηδὲν καθάπαξ ξυμβιβάζ δύναν), μηδὲ εἰδέναι ταῦτα, ἀλλὰ κακοχολεύειν καὶ τωθάζειν, καὶ ὀμωδίζειν πολλάκις τοῖς εἰς ἀρετὴν ἀφικνουμένοις, πλήρεις τ' εἶναι τύφου, καὶ χαίρειν ἀτμοῖς καὶ θυσίαις, *Illi verò illud quidam extra controverſiam ponunt, eſſe genus quoddam ſpirituum omni fraudulentiæ inſerviens, multiforme, verſutum, quod modò deos ſimulat, modò dæmonas, modò mortuorum animas, eóque modo omnia eos poſſe immittere qua bona quaque mala habentur. Ad vera autem bona qua in animo conſiſtunt nihil eos poſſe, neque eorum eos habere notitiam, ſed malè uti otio, ludificari & impedire eos qui in via ſunt ad virtutem, plenos eſſe faſtûs, gaudentes nidoribus ac victimis.* Arnobius lib. 4 Adver. nationes, *Sic Magi haruſpicum fratres ſuis in actionibus memorant antitheos ſæpe obrepere pro veris: eſſe autem hos quoſdam materiis ex craſſioribus ſpiritus qui deos ſe fingunt.* Idem ſenſus eſt, nè nimium multa transcribam, apud Iamblichum De myſteriis Ægyptiorum lib. 3. cap. 32. & lib. 4. cap. 17.

(b) *Etiam Plato dixit*] Μετὰ μὲν Διὸς ἡμεῖς, ἄλλοι δὲ μετ' ἄλλων δαιμόνων, *Cum Jove nos, cum aliis dii alii.* Citat Origenes contra Celſum 8.

(c) *Non poſſit eas non ſibi addictas habere qui Deo utatur propitio*] Pulcre hoc exſequitur Arnobius lib. 3.

III. At verò non bonas, ſed malas fuiſſe Mentes quibus Paganorum cultus impendebatur, non levibus conſtat argumentis. Primùm, (a) quòd cultores ſuos non rejecerunt ad cultum ſummi Dei, imò eum cultum quantum poterant ſuſtulerunt, aut ſaltem omnibus modis ſe ſummo Deo in cultu æquari voluerunt. Secundò, quòd unius ſummi Dei cultoribus mala maxima procurarunt, concitatis in ipſorum pœnas magiſtratibus & populis. Nam cùm poetis impunè liceret deorum parricidia & adulteria canere, & Epicureis Divinam providentiam è rebus tollere, neque ulla eſſet religio alia tam ritibus diſſona quæ non in ſocietatem admitteretur, ut Ægyptiaca, Phrygia, Græca, Thuſca ſacra Romæ; ſoli Judæi paſſim (b) deridiculo erant, ut ex ſatyris & epigrammatis apparet, (c) interdum & relegabantur; (d) Chriſtiani verò præterea etiam atrociſſimis afficiebantur ſuppliciis: cujus rei non alia poteſt reddi cauſa, quàm quòd hæ duæ ſectæ unum Deum venerarentur, cujus honori recepti dii adverſabantur, non tam inter ſe, quam illius æmuli. Tertiò, ex modo cultûs, qui bonam honeſtámque mentem non deceat, (e) per ſanguinem humanum, (f) per nudorum hominum in templis curſationem, per

ludos

ludos (g) & saltationes plenas spurciitæ, qualia nunc etiam conspiciuntur apud Americæ & Africæ populos Paganismi tenebris obrutos. Imò quod est amplius, & olim fuerunt, & nunc sunt populi qui malas Mentes adorant, quas tales norunt ac profitentur, (h) ut Arimanium Persæ, Græci Cacodæmonas, (i) Vejoves Latini, & nunc alios Æthiopum & Indorum quidam: quo nihil potest magis impium excogitari. Nam cultus religiosus quid est aliud quàm testimonium summæ bonitatis quam agnoscas in eo quem colas; qui si malo spiritui impenditur, falsus est ac mendax, & in se continet rebellionis crimen, cùm debitus regi honos non modò ei subtrahitur, sed & in desertorem ejus atque hostem transfertur. Stulta autem est persuasio quâ fingunt, Deum bonum id non vindicaturum, quia id à bonitate alienum esset. Nam (k) clementia, ut justa sit, suos habet limites, & ubi scelera modum excedunt, pœnam justitia ex se quasi necessariò producit. Neque minùs culpandum, quòd metu adductos se dicant malis Mentibus præstare obsequium: cùm is qui summè bonus est, sit etiam summè communicativus, ac proinde etiam naturarum cæterarum productor. Quod si est, sequitur, ut in naturas omnes, tanquam opificia sua, jus supremum habeat, ità ut ab earum nulla aliquid possit fieri quod ipse planè impedire cupiat: quibus positis, facilè colligitur, ei qui Deum summum ac summè bonum faventem habeat, malos spiritus non ampliùs nocere posse quàm Deus ille boni alicujus causâ velit pati ut fiat. Neque verò à malis spiritibus quicquam impetrari potest quod non rejciendum sit, quia (l) malus bonum cùm simulat, tunc est pessimus, (m) & hostium munera insidiæ sunt.

ANNOTATA.

(a) *Quòd cultores suos non rejecerunt ad cultum summi Dei*] Bene hoc exsequitur Augustinus De civ. Dei. lib. 10. cap. 14, 16, 19.

(b) *Deridiculo erant*] Ut *curti, recutiti, sabbatarii, nubium & cœli adoratores, clunentes in porcos.*

(c) *Interdum & relegabantur*] Jos. 18. 5. Tacitus Annalium 2. Seneca epistolâ 109. Act. 18. 2. Suetonius Tiberio c. 36.

(d) *Christiani verò præterea etiam atrocissimis afficiebantur supplicüs*] Tacitus Annal. 15. quò & illa pertinent Juvenalis,

—— tada lucebis in illa
Quâ stantes ardent qui fixo gutture fumant,
Et latus mediam sulcus diducit arenam.

(e) *Per sanguinem humanum*] Vide quæ hac de re dicta lib. 2.

(f) *Per nudorum hominum in templis cursationem*] Ut in Lupercalibus. Livius lib. 1. Plutarchus Antonio, & alii.

(g) *Et saltationes plenas spurcitiæ*] Ut in Floralibus. Ovidius quarto Fastorum. Adde Tatianum, Origenem 8 contra Celsum.

(h) *Ut Arimanium Persæ*] Plutarchus de Iside & Osiride: Diogenes Laertius in Præfatione.

(i) *Vejoves Latini*] Cicero 3. De natura deorum.

(k) *Clementia, ut justitia sit, suos habet limites*] *Quomodo diliges, nisi times non diligere?* Tertullianus Adv. Marcionem 1.

(l) *Malus bonum cùm simulat, tunc est pessimus*] Syri mimi versus.

(m) *Hostium munera insidiæ sunt*] Sophocles,

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα,
Damnosa ab hoste dona, quin nec dona sunt.

IV. Fuerunt & Pagani, & sunt nunc etiam, qui vitâ functorum hominum animis cultum exhibere se aiunt. Sed primùm hic quoque cultus distinguendus notis conspicuis fuerat à summi Dei cultu; tum verò inanes sunt ad illos preces, nisi ab illis animis aliquid nobis tribui possit, de quo nihil cultoribus constat, nec quicquam est cur magis id dicant fieri quàm non fieri. Illud verò pessimum, quòd quibus hominibus hunc honorem habuerunt, ii comperiuntur magnis vitiis fuisse insignes. Ebriosus Bacchus, mulierosus Hercules, impius in fratrem Romulus, in patrem Jupiter: ità ut illorum honos ad Dei veri & probitatis ipsi placentis ignominiam redundet, (a) dum vitiis satis per se abblandientibus addit ex religione commendationem.

ANNOTATA.

(a) *Dum vitiis satis per se abblandientibus addit ex religione commendationem*] Exemplum vide in Eunucho Terentiana Act. 3. Scena 5. Cyprianus epistolâ 2. *Deos suos quos venerantur, imitantur. Fiunt miseris & religiosa delicta.* August. Epist. CLII. *Nihil homines tam insociabiles reddit vitæ perversitate quàm illorum deorum imitatio, quales commendantur & describuntur literis eorum.* Chalcidius in Timæo, *Itáque factum ut pro gratia quæ ab hominibus debetur Divinæ providentiæ, origo & ortus sacrilegio panderetur.* Vide locum totum.

V. Vetustior isto fuit cultus astrorum, & quæ elementa dicimus, ignis, aquæ, aeris, terræ: nec ipse quidem magno vacans errore. Nam cultus religiosi para maxima sunt preces, quæ adhiberi, nisi stultè, non possunt nisi apud naturas intelligentes. Tales autem non esse eas quæ elementa dicimus, sensu quodammodo apparet. De astris si quis aliud affirmaverit, nihil habebit quo id probet, cùm ex astrorum operationibus, quæ naturarum sunt indices, nihil tale possit colligi, imò contrarium satis apertè colligitur ex motu non vario, qualis est eorum quæ voluntatem habent liberam, (a) sed rato atque præscripto. Jam verò alibi ostendimus astrorum cursus ad hominum usus esse temperatos: unde homo agnoscere debuit se Deo & similiorem parte sui potiore, & chariorem esse, ac proinde nobilitati suæ injuriam se facere si se iis rebus subjiciat quas Deus ipsi donaverit: cùm contrà pro illis Deo gratias agere debeat, quod ipsæ pro se non possunt, aut posse non docentur.

ANNOTATA.

(a) *Sed rato atque præscripto*] Quo argumento motus quidam rex Peruanus negabat Solem esse posse Deum. Vide historiam Incharum.

VI. Illud verò indignissimum, quòd & (a) ad bestiarum cultum delapsi sunt homines, Ægyptii præsertim. Quanquam enim in quibusdam aliqua se ostendit quasi umbra intelligentiæ; ea tamen ipsa nihil est si ad hominem spectetur, cùm nec internos conceptus distinctis vocibus scripturâque explicent, neque opera diversorum generum faciant, neque ejusdem generis opera diverso modo, multò minùs numerorum, dimensionum, cœlestiúmque cursuum cognitionem assequantur. (b) Contrà verò homo validissima quæque animantia, feras, aves, pisces capit solertiâ ingenii sui, partim etiam sub leges suas subigit; ut elephantas, leones, equos, boves: ex iis quæ maximè sunt noxia, utilitates sibi deducit, ut medicamenta ex serpentibus: hunc certè usum ex omnibus habet, quem ipsæ ignorant, quòd corporum compagem, situmque partium speculatur, & tum species tum genera inter se comparans, hic quoque suam dignitatem discit, quantò humani corporis perfectior cæteris nobiliórque structura est: quæ si quis rectè consideret, tantum abest ut pro diis animantia colat cætera, ut potiùs sese illorum quasi Deum quendam sub summo Deo constitutum arbitrabitur.

ANNOTATA.

ANNOTATA.

(a) *Ad beſtiarum cultum delapſi ſunt homines, Ægyptii maximè*] De quibus Philo in legatione, οἱ κύνας καὶ λύκους καὶ λέοντας καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλείονα θηρία καὶ ἔνυδρα καὶ χερσαῖα καὶ πτηνὰ θεοποιοῦντες, *Qui canes, leones, lupos, crocodilos aliáque terreſtria, aquatica, volucria animantium pro diis habent.* Adde longam ea de re diſſertationem lib. 1 Diodori Siculi.

(b) *Contrà verò homo validiſſima quæque animantia, feras, aves, piſces, capit ſolertiâ ingenii ſui*] Euripides Æolo,

Βραχύ τοι δίνῳ ἀνέρι,
Ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων
Δαμᾷ φῦλα πόντου,
Χθονίων τ' ἀερίων τε παιδεύματα,
Vis exigua eſt, quamcunque homini
Natura dedit: ſed conſiliis
Variis artes, quæ nata mari
Et quæ terrâ cœlóque domant.

Antiphon,

Τέχνῃ κρατοῦμεν ὧν φύσει κρατούμεθα,
Natura quorum ſuperat, arte hæc vincimus.

Non malè hinc explices quod eſt Gen. 1. 26. & Pſal. 8. 8. Latiorem hac de re diſſertationem qui deſiderat, videat Oppianum initio quinti de Piſcatu, & Baſilium in Hexaemeron Homil. 10. Origenes contra Celſum lib. 4. Καὶ ὁπόταν θῇς ὄψεις τινὰ τρόπον ἃ σύνεσις μέγα βούλημα ἡμῖν δέδωκε, καὶ παντὸς ὅπλου κρεῖττον ἃ δοκεῖ ἔχειν τὰ θηρία, ἡμεῖς γοῦν οἱ πολλῷ τῷ σώματι τῶν ζώων ἀδυνατώτεροι, πυνθάνῃ τί καὶ οἷς ὑπερβολὴ βραχύτητος, κρατοῦμεν διὰ τὴν σύνεσιν τῶν θηρίων, καὶ τὰς τηλικούτους ἐλέφαντας θηρεύομεν, τὰ μὲν περιφυτὰ παλαύοντες τῇ ἡμετέρᾳ χειρί· τῶν δὲ μὴ περιφύτων, ἃ μὴ δοκούντων ἡμῖν χρείαν παρέχειν ὅλην ἡ τιθασσία, ὅτου μὴ ἡμετέρας ἐσόμεθα ἀσφαλείας, ὅτε ὅτε μὲν βουλόμεθα ἔχομεν τὰ τοιαῦτα θηρία κατακεκλεισμένα· ὅτε δὲ χρῄζομεν ζῴων ἀπὸ τῶν σωμάτων αὐτῶν, ὅτως αὐτὰ ἀναιρούμεν ὡς καὶ τὰ μὴ ἄχρια τῶν ζώων. Θῦλα οὖν πάντα τῷ λογικῷ ζῴῳ καὶ ἡ φυσικὴ αὐτοῦ σύνθεσις κατεσκεύασεν ὁ δημιουργός, *Vel hinc videas quàm validum nobis auxilium datum eſt intellectus, quantóque præſtet omnibus armis quibus inſtructas feras videmus. Nos enim corpora habentes multò imbecilliora, & immenſum minora aliorum animantium corporibus, horum tamen potimur vi mentis, & elephantes illos tantos venamur, quæque ſunt ità nata ut manſueſcere poſſint, ea noſtra naturæ manſueta ſubdimus; quæ verò aut talia non ſunt, aut nullam ex manſuetudine utilitatem nobis promittunt, ea cum noſtra ſecuritate ità tractamus, ut cùm lubet ea teneamus concluſa: ubi eorum carne ad victum indigemus, ea non minùs facilè quàm manſueta animalium interficimus. Apparet igitur à ſummo opifice facta cuncta ſerva animanti rationem mentî, & agnato ei intellectui.* Claudius Neapolitanus apud Porphyrium De non eſu animantium 1. ſic de homine loquitur, Ὃς δὴ ἀλόγων δεσπόζει πάντων, ὡς ὁ Θεὸς ἀνθρώπων, *Qui mutis animantibus omnibus dominatur, non minùs quàm hominibus Deus.*

VII. Adoratas legimus à Græcis, Latinis atque aliis etiam eas res quæ non ſubſiſtunt, ſed aliarum rerum ſunt accidentia. Nam ſæva illa, (a) Febrim, Impudentiam & ſimilia omittam: Sanitas nihil eſt aliud quàm partium corporis recta temperies: Fortuna bona ſimilitudo eventûs cum hominis deſiderio: Affectus verò, quales Amor, Metus, Ira, Spes, atque alia, ex conſideratione rei vel bonæ vel malæ, facilis vel difficilis, motus quidam in ea animi parte quæ corpori per ſanguinem maximè connectitur, qui ſui juris non ſunt, ſed Voluntatis tanquam Dominæ imperio ſubſunt, certè quod durationem ac directionem eorum attinet. Virtutes verò, quarum diverſa ſunt nomina, circa utilis electionem Prudentia, in periculis ſubeundis Fortitudo, in abſtinentia alieni Juſtitia, in voluptatum moderatione Temperantia, & porrò alia, pronitates quædam ſunt ad rectum in animo longâ exercitatione adultæ, quæ ipſæ ut augeri, ità & neglectu minui, imò & interire in homine poſſunt. (b) Honor verò, cui & ipſi templa dicata legimus, aliorum eſt de aliquo tanquam virtute prædito judicium; quod ſæpe & malis contingit, & bonis non contingit, ingenitâ hominibus errandi facilitate. Hæc ergò cùm non ſubſiſtant, ac proinde rebus ſubſiſtentibus dignitate comparari nequeant, neque precum aut venerationis intellectum habeant ullum, pro diis colere à recta ratione alieniſſimum eſt, cùm ob hæc ipſa is colendus ſit à quo hæc dari conſervaríque poſſunt.

ANNOTATA.

(a) *Febrim, Impudentiam*] Cicero De legibus 2.

(b) *Honor verò, cui & ipſi templa dicata legimus*] Cicero dicto loco. Livius lib. 27.

VIII. Solent à Paganis ad religionis ſuæ commendationem miracula adferri: ſed adverſùs quæ multa excipi poſſint. Nam qui ſapientiſſimi inter ipſos Paganos fuere, multa horum (a) ut nullâ idoneâ teſtium fide ſuffulta planéque conficta rejiciunt. Quædam quæ facta dicuntur contigerunt in receſſu, nocte, coram uno aut altero, quorum oculis falſâ rerum ſpecie per aſtus ſacerdotum imponi facilè potuit. Sunt & alia quæ admirationem tantùm ſui conciverunt apud ignaros rerum naturalium, præcipuè occultarum proprietatum; quale quid accideret ſi quis apud populos ejus rei ignaros magnete ferrum duceret: (b) quibus artibus Simonem & Apollonium Tyanæum valuiſſe à multis proditum eſt. Non negem conſpecta & quædam his majora, quæ ex cauſis naturalibus ſolâ humanâ vi non potuerint elici; ſed talia tamen quæ vim verè Divinam, i. omnipotentem, non deſiderarent, cùm ad eas ſufficerent Spiritus inter Deum hominémque interpoſiti, qui pro ſua celeritate, efficacia atque ſolertia facilè poſſent diſſita transferre, & quamvis diverſa componere ad effectus tales qui homines in ſtuporem darent. Sed Spiritus, per quos id effectum eſt, bonos non fuiſſe, ac proinde nec bonam religionem, jam ex iis quæ ſuprà diximus apparet, tum indè etiam, (c) quòd certis carminibus invitos ſe cogi dicerent, cùm tamen inter ſapientiſſimos etiam Paganorum conſtet, in verbis nullam talem vim eſſe poſſe ſitam, ſed ſuadendi tantùm, ídque pro modo ſignificationis. Eſt & illorum nequitiæ indicium, quòd (d) in amorem ſæpe hujus aut illius hunc illúmve renitentem ſe pellecturos ſuſcipiebant, aut vanâ pollicitatione, aut effectu injurioſi, (e) cùm hoc etiam humanæ leges tanquam veneficium interdicant. Neque eſt quòd miretur quiſquam, paſſum eſſe ſummum Deum ut mira quædam à pravis Spiritibus ederentur, (f) cùm deludi talibus præſtigiis meriti eſſent qui à veri Dei cultu pridem defecerant. Tum verò impotentiæ eorum argumentum, quòd eorum opera nullum inſignè bonum ſecum adferebant. Nam & ſi qui viſi ſunt in vitam revocati, non permanſerunt in vita, nec viventium functiones exercuerunt. Quòd ſi quid aliquando à Divina pollentia procedens in Paganorum conſpectu apparuit, non tamen prædictum eſt id eventurum ad probandum ipſorum religionem, unde nihil impedit quò minùs Divina efficacia cauſas ſibi longè alias propoſitas habuerit. Exempli cauſâ, Si verum eſt per Veſpaſianum cæco viſum eſſe redditum, factum id eſt (g) ut is hâc re venerabilior Imperium Romanum faciliùs adipiſceretur, lectus quippe Deo judiciorum ipſius in Judæos miniſter: ſimiléſque aliorum prodigiorum cauſæ exſiſtere potuerunt, quæ cum religione nihil haberent commune.

ANNOTATA.

(a) *Ut nullâ idoneâ teſtium fide ſuffulta planéque conficta rejiciunt*] Livius initio, *Quæ ante conditam condendámve urbem poeticis magis decora fabulis quàm incorruptis rerum*

rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est. Datur hac venia antiquitati, ut miscendo humana Divinis, primordia urbium augustiora faciat.

(b) *Quibus artibus Simonem & Apollonium Tyanæum valuisse a multis proditum est*] Tatianus, Εἰσὶ μέν τινες νόσοι καὶ διαστάσεις ἐν ἡμῖν ὕλης. δαίμονες δὲ αὐτοὶ τούτων τὰς αἰτίας, ὅταν συμβαίνωσιν, ἑαυτοῖς προσγεράρουσιν, *Sunt enim morbi & dissidia quædam in materia hac nostra. Ea cùm eveniunt, dæmones eorum causas sibi asscribunt.*

(c) *Quòd certis carminibus invitos cogi se dicerent*] Oraculum Hecates apud Porphyrium,

Ἦλυθον αἰσάμενα τεῖς πολυφράδμοσι ἐυχῇς,
Ἣν θνητῶν φύσις εὗρε, θεῶν ὑποδημοσύνῃσι,
Advenio precibus sapientibus indigetata
Quas genus humanum monitu reperere deorum.

Item,

Τίπτε μ' ἀεὶ θέλοντ' ἀπ' αἰθέρος ὧδε χατίζων
Θεσπάμοις Ἑκάτῃ με θέλῳ ἐπέδησας ἀνάγκῃ;
Cujus egens Hecaten me summo ex æthere tractam
Carmine vinxisti? superos cui cogere fas est?

Et Apollinis apud eundem,

Κοὐδὲ μὲν οὐκ ἐθέλοντ', ἐπεὶ μ' ἐπέδησας ἀνάγκῃ,
Invitum me audi, quando me lege ligasti.

Hi sunt secretarum artium ritus, quibus affantur nescio quas potestates, ut Arnobius loquitur, κατεπᾴδουσιν ὕλας ταῖς ἐπῳδαῖς πεποιηκότες, quasi *eas sibi famulas carminibus fecissent*, ut Clemens explicat. Minarum formula est apud Iamblichum in mysteriis Ægyptiorum lib. 4. cap. 5, 6, 7. Habet eadem Lucanus lib. 9. in verbis minoris Pompeii, & ex Porphyrio Eusebius lib. 5. cap. 10. Præpar. Alias formulas comminationum habes apud Lucanum, ubi de Erichto agit, & Papinium, ubi de Tiresia.

(d) *In amorem sape hujus aut illius, hunc illúmve renitentem se pellecturos suscipiebant*] Vide Pharmaceutriam Theocriti & Virgilii. Vide Porphyrii confessionem apud Eusebium lib. 5 Præpar. cap. 17. & apud Augustinum lib. 10 De civ. Dei cap. 11. Vide eundem Porphyrium lib. 2 De non esu animantium, & Origenem contra Celsum lib. 7.

(e) *Cùm hoc etiam humana leges tanquam veneficium interdicant*] L. *Ejusdem*, §. *Adjectio* D. Ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficis. L. *Si quis*, §. *Qui abortionis*, D. De pœnis. Paulus Sententiarum lib. 5. Tit. 23.

(f) *Cùm deludi talibus præstigiis meritis essent, qui à veri Dei cultu pridem defecerant*] Deut. 13. 3. 2 Thess. 2. 9. 10. Ephes. 2. 2, 3.

(g) *Ut in hâc re venerabilior imperium Romanum facilius adipisceretur*] Tacitus Historiarum 4. *Multa miracula evenere, quis cœlestis favor & quadam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur.* Dixerat antè Historiarum 1. *Occultâ lege fati & ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium post fortunam credidimus.* Suetonius eadem miracula narraturus sic præfatur cap. 7. *Auctoritas & quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato & quasi novo principi deerat: hac quoque accessit.* Eundem Suetonium vide paulò ante cap. 5. Josephus de eodem Vespasiano libro Belli Judaici 3. cap. 27. Τῷ θεῷ διεγείροντι αὐτὸν ἐς ἡγεμονίαν ἤδη, καὶ τὰ σύμπαντα δι' ἑτέρων σημείων ἐφοδιαζομένῳ, *Deo jam illum excitante ad principatum, aliisque etiam signis ei sceptra præsignificante.*

IX. Eadem ferme omnia aptari possunt & ad id solvendum quod de oraculis opponunt, præcipuè quod diximus, meritos eos homines ut sibi illuderetur, contemptis illis notitiis quas cuique ratio aut vetustissima traditio suggerit. Tum verò (a) verba oraculorum ferme ambigua, & quæ facilè interpretationem ex qualicunque eventu acciperent. Quod si quid definitius prædictum ab illis, non tamen necesse est ab omniscia mente profectum, cùm aut talia sint quæ ex causis naturalibus jam exsistentibus præsentiri poterant, (b) sicut medici quidam venturos morbos prædixerunt; aut probabiliter ex eo quod plerumque evenit conjectari, (c) quod & à rerum civilium peritis factum sæpe legimus. Quod si quando etiam apud Paganos aliquorum vatum operâ usus est Deus ad ea prædicenda, quæ causas certas nullas extra Dei voluntatem habere poterant; non id pertinuit ad confirmandam religionem paganicam, sed magis ad eam evertendam; qualia sunt (d) quæ apud Maronem exstant Eclogâ quartâ ex Sibyllinis carminibus deprompta, quibus ille id nesciens Christi adventum & beneficia nobis depingit. Sic in iisdem Sibyllinis erat, (e) Pro rege agnoscendum qui verè rex noster esset, & (f) Ab Oriente venturum qui rerum omnium potiretur. (g) Apollinis oraculum apud Porphyrium legitur, quo ait, cæteros deos aerios esse spiritus, colendum autem unum Hebræorum Deum: cui dicto si parent Apollinis cultores, jam tales esse desinunt; si non parent, suum Deum mendacii accusant. Adde jam, quòd si Spiritus illi suis oraculis consultum voluissent humano generi, ante omnia generalem proposuissent vivendi normam, & certam fidem fecissent remunerationis quæ maneret ità viventes, quorum neutrum ab ipsis factum est. Contrà (h) laudati sæpe eorũ carminib⁹ reges quamvis improbi, (i) pugilibus decreti honores divini, (k) pellecti homines in amores etiã non legitimos, (l) ad mala lucra captanda, (m) ad cædes faciendas, quæ multis exemplis demonstrari possent.

ANNOTATA.

(a) *Verba oraculorum ferme ambigua*] Vide Oenomai hac de re loca apud Eusebium lib. 4. cap. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26. Hinc Phœbus dictus Græcis Λοξίας. Flexiloqua & obscura oracula Apollinis dicit Cicero De Divinatione 2. *Utrum eorum accidisset*, inquit, *verum oraculum fuisset.*

(b) *Sicut medici quidam futuros morbos prædixerunt*] Chalcidius ad Timæum, *Aut enim alitum volatu, aut extis, aut oraculis homines præmonentur, prædicente alia quæ propitio dæmone qui sit eorum omnium qua deinceps sequuntur scius, perinde ut si medicus juxta disciplinam medendi dicat vel exitium vel sanitatem.* Et terræ motus Anaximander & Pherecydes. Plin. lib. 2. cap. 79.

(c) *Quod & à rerum civilium peritis factum sæpe legimus*] Scriptor vitæ Attici; *Ei rei sunt indicio præter eos libros in quibus de eo facit mentionem* (Cicero) *qui in vulgus jam sunt editi, sexdecim volumina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: qua qui legat non multùm desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat: & facilè existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solùm quæ vivo se acciderunt futura prædixit; sed etiam qua nunc usu veniunt, cecinit ut vates.* Cicero verè de seipso libri sexti epist. 6. *Qua in bello nihil adversi accidit non prædicente me. Quare, cùm ut augures & astrologi solent, ega quoque augur publicus ex meis superioribus prædictu constitui apud te auctoritatem auguris & divinationis meæ, debebit habere fidem nostra prædictio. Non igitur ex alitis involatu, nec ex cantu sinistro oscinis; ut in nostra disciplina est, nec ex tripudiis solistimis aut somniis tibi auguror, sed habeo alia signa quæ observem.* Sic Solon prædixit à Munychia maxima mala Athenis fore; Thales in vico tunc despecto forum aliquando Milesiorum futurum: Plutarchus Solone.

(d) *Qua apud Maronem exstant Eclogâ quartâ*] Vide Augustinum De civ. Dei lib. 10. cap. 27.

(e) *Pro rege agnoscendum qui vera rex noster esset*] Cicero meminit 2 De divinatione.

(f) *Ab Oriente venturum qui rerum omnium potiretur*] Suetonius de Veſpaſiano cap. 4. Tacitus Hiſtoriarum 4.

(g) *Apollinis Oraculum apud Porphyrium legitur*] Vide Auguſtinum De civ. Dei lib. 20. c. 23. & Euſebium Præpar. 4. c. 4. Idem Porphyrius in libro de Oraculis, τλῶ ϑ εὕρεσιν ὁ Θεὸς Ἀιγυπτίοις ἐμαρτύρησε, φοίνιξί τε καὶ Χαλδαίοις, Λυδοῖς τε καὶ Ἑβραίοις, *Vera via repertores deus* (Apollo ſcilicet) *eſſe teſtatur Ægyptios, Phœnicas, Chaldæos, Lydos & Hebræos.* Paræneticus ad Græcos inter Juſtini opera hoc citat oraculum,

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτοχύτου ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς,

Soli Chaldæi ſapiunt, & Hebræa virûm gens,
Qui puro haud genitum venerantur pectore numen.

Et illud,

Ὃ πρῶτον πλάσας μερόπων, Ἀδάμ τε καλέσας.
Qui primum finxit mortalem, Adámque vocavit.

De ipſo Jeſu Hecates oracula ſunt duo, quæ ex Porphyrio tranſcripſit Euſebius in Euang. Demonſt.

Ὅτι μὲ ἀθανάτῳ ψυχὴ μὴ σῶμα περβαίνει,
Γιγνώσκει σοφίη τετιμμένος· ἀλλά γε ψυχὴ
Ἀνέρος εὐσεβίῃ περιφερεστάτη ἔστιν ἁπάντων,
Morte carere animas exutas corpore, novit
Quemcunque exornat ſapientia: ſed pietate
Eſt anima illius qua longè excelluit omnes.

Σῶμα μὲν ἀφραίνοντα βαθέοις ἀνὰ πημοβόλοις·
Ψυχὴ δ' εὐσεβίων εἰς ἠθέριον πόλον ἵζει,
Illius invalidos corpus tulit uſque dolores:
Aſt anima aſcendit cœleſtia templa piorum.

Eorundem meminit ex eodem Porphyrio Auguſtinus lib. 29. 23. De civ. Dei, ubi & aliud affert oraculum, quo Apollo dixerit, Legem omnium deorum eſſe patrem, quem valde ſancti honorant Hebræi.

(h) *Laudati ſæpe eorum carminibus reges, quamvis improbi*] Vide ea quæ adfert Oenomaus apud Euſebium Præpar. Euang. lib. 5. c. 23. & 35.

(i) *Pugilibus decreti honores Divini*] Ibidem cap. 32. de Cleomede. Habet hoc & Origenes contra Celſum 3.

(k) *Pellecti homines in amores etiam non legitimos*] Oſtendimus jam ſuprà.

(l) *Ad mala lucra captanda*] Vide Euſebium Præpar. 5. cap. 22.

(m) *Ad cades faciendas*] Oenomaus oracula hujus generis recitat, quæ reperies dicto jam Euſebii libro c. 19, & 27.

X. Tum verò ingens nobis, præter ea quæ ſuprà ſunt allata, argumentum ſuppeditat contra ſe Pagana religio, eò quòd ubicunque humanâ vi deſtituta eſt, planè confidit, tanquam ſublato quo uno ſtabat. Nam ſi oculos circumferas per quotquot ſunt Imperia Chriſtianorum aut Mahumetiſtarum, videbis Paganiſmi nullam niſi in libris memoriam. Imò docent hiſtoriæ etiam illis temporibus, cùm Imperatores aut vim & ſupplicia, ut priores, aut eruditionem & ſolertiam, ut Julianus, adhiberent ad ſuſtentandam religionem paganicam, in dies ei aliquid deceſſiſſe, non oppoſitâ vi ullâ, non generis fulgore (fabri enim filius à vulgo Jeſus habebatur) non literarum flore, cujus expers fuit oratio Chriſti legem docentium, non donis, (pauperes quippe illi erant) non ullâ aſſentatione, cùm contrà omnia commoda ſpernenda, nihil non adverſi ejus legis causâ ſubeundum dicerent. Vide quanta fuerit paganiſmi imbecillitas cùm talibus auxiliis deſtructus ſit. Neq; tantùm credulitas Paganorũ evanuit ad iſlam doctrinam, ſed & ipſi Spiritus ad Chriſti nomen (a) exceſſerunt è corporibus, compreſſerunt vocem, & interrogati de ſilentii cauſa (b) dicere ſunt coacti, Nihil ſe poſſe ubi Chriſtus invocaretur.

ANNOTATA.

(a) *Exceſſerunt è corporibus, compreſſerunt vocem*] Act. 5. 16. & 8. 7. & 16. 18.

(b) *Dicere ſunt coacti, Nihil ſe poſſe ubi Chriſtus invocaretur*] Tertullianus Apologetico. Vide & Lucianum Pſeudomanti. Apollo in Daphne, Νεκρῶν τὸ χωρίον ἡ Δάφνη μεστόν· καὶ τοῦτο κωλύει τὸν χρησμόν, *Locus hic Daphne plenus mortuis; id oracula impedit.* Mortui illi erant Babylas & alii Chriſtiani martyres. Vide Chryſoſtomum contra Gentiles.

XI. Fuere philoſophi, qui ut ortum ità interitum religionis cujuſque aſtris adſcriberent. Sed ipſa, quam iſti ſcire ſe profitentur, fideralis ſcientia tam diverſis ſub normis traditur (a) ut nihil in ea certi reperiatur præter hoc ipſum, certi eſſe nihil. Non de illis loquor effectibus qui ex natura neceſſitate cauſarum ſequuntur, ſed de his (b) qui ab humana procedunt voluntate, quæ ità ſuapte vi libera eſt ut nihil ei neceſſitatis extrinſecùs imprimi poſſit. Quod ſi ex impreſſione tali neceſſariò ſequeretur actus voluntatis, jam vis in anima deliberandi atque eligendi, (c) quam ſentimus ipſi, fruſtrà eſſet data, (d) omniúmque legum præmiorúmque ac pœnarum æquitas ſublata, cùm neque culpa neque meritum eſſe poſſit in eo quod planè ſit inevitabile. Tum verò cùm actiones voluntatis malæ quædam ſint, ſi certâ neceſſitate ex cœlo procedunt, eò quòd cœlo cœleſtibúſque corporibus vim talem Deus attribuerit, jam ſequetur Deum, qui perfectiſſimè bonus eſt, (e) malitiæ moralis veram eſſe cauſam, & cùm lege poſitâ profiteatur ſe deteſtari malitiam, cujus vim effectricem atque inevitabilem inſeruerit ipſis rebus, velle eum duo quæ inter ſe ſunt contraria, ut idem fiat & non fiat: & peccari in eo quod quis agat Divino impulſu. Probabiliùs ab aliis dicitur, aſtrorum influxibus aerem primùm, deinde & corpora noſtra contingi, & qualitates quaſdam imbibere, quæ plerumque in animo excitent reſpondentes ſibi appetitiones: ab his autem voluntatem illici, & iis obſequi ſæpe. Verùm hoc ità conceſſum nihil facit ad eam quam tractare cœpimus quæſtionem. Nam Chriſti religio cùm homines vel maximè abducat ab iis quæ corpori placent, ex corporis affectibus ortum habere non potuit, ac proinde nec è vi ſiderum, quæ, ut diximus, in animũ non agunt, niſi per eos affectus. Prudentiſſimi Aſtrologorum (f) eximunt à ſiderum legibus viros verè ſapientes ac bonos: at tales revera fuere qui primi Chriſtianam religionem ſuſceperunt, quod vita ipſorum probat. Quòd ſi eruditioni quoque & literis aliquam vim damus adversùs corporis contagium, fuerunt ſemper inter Chriſtianos etiam qui hac laude florerent. Tum verò ſiderum effectus, ut doctiſſimi fatentur, certas mundi plagas reſpiciunt, & temporarii ſunt. Hæc autem religio jam per mille ſexcentos annos durat, nec in una, ſed in diſſitiſſimis mundi partibus, & quæ longè ſub alio ſunt ſiderum poſitu.

ANNOTATA.

(a) *Ut nihil in eo certi reperiatur præter hoc ipſum, certi eſſe nihil*] Vide egregiam hac de re Bardeſanis Syri diſſertationem, quam reperies in Philocalia de Origene collecta, & apud Euſebium Præpar. lib. 6. cap. 10.

(b) *Qui ab humana procedunt voluntate, quæ ità ſuapte vi libera eſt ut nihil ei neceſſitatis extrinſecùs imprimi poſſit*] Vide Alexandri Aphrodiſæi hac de re librum.

(c) *Quam ſentimus ipſi*] Euſebium vide Præpar. Euang. lib. 6. cap. 6.

(d) *Omniúmque legum præmiorúmq; ac pœnarum æquitas ſublata*] Juſtinus Apologetico 2. Εἰ μὲ φεύγειν ἀλλήλους τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ καὶ αἱρεῖσθαι τὰ καλὰ δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπειον γένος, ἀναίτιόν ἐστι τοῦ ὁπωσδήποτε πεφυκέναι, *Niſi enim electione liberâ facultatem habet humanum genus ut turpia fugiat, honeſta ſumat, in nemine ea partem ipſi aſcribenda actionis cauſa.* Vide & quæ ibidem ſequuntur. Tatianus, Ἐλευθερία τῆς προαιρέσεως, ὅπως

ὅτως ὁ μὲν φαῦλος δικαίως κολάζηται, δι' αὐτὸν γεγονὼς μοχθηρός· ὁ δὲ δίκαιος ἐπαινῆται, καὶ τὸ αὐτεξούσιον τοῦ Θεοῦ μὴ παρεὶς τὸ βούλημα, *In hoc data voluntati libertas, ut qui malus est puniatur justè, quippe suâ culpâ factus improbus; qui verò justus est laudetur, ut qui eâdem libertate caverit Divina violare præcepta.* Adde Chalcidii hac de re disputationem in Timæo.

(e) *Malitia moralis veram esse causam*] Contrà quàm dixit Plato De republica 2. Αἰτία ἑλομένου, Θεὸς δ' ἀναίτιος, *Causa penès optantem, Deus extra culpam*, ut vertit in Timæo Chalcidius; quod cum Mose congruere ait Justinus dicto loco.

(f) *Eximunt à siderum legibus viros verè sapientes ac bonos*] Zoroaster, Μὴ σύ γε αὔξανε τοῦ εἱμαρμένου, *Fatum augere noli.* Ptolemæus, Δύναται ὁ εἰδὼς τὰ ὄντα πολλὰς ἀποτροπὰς ἐνεργείας τῶν ἄστρων, *Potest vir sapiens multas astrorum efficientias avertere.*

XII. Eò verò minus Pagani habent quo Christianam religionem oppugnent, quòd ejus partes singulæ tantæ sunt honestatis ut suapte luce animos quasi convincant, ità ut inter Paganos quoque non defuerint qui dixerint singula, quæ nostra religio habet universa: utpote (a) religionem non in ritibus, sed in animo esse positam, (b) adulterum esse etiam qui adulterium committere voluit, (c) non reponendam injuriam, (d) uni marito unam uxorem jungendam, (e) fedus matrimonii debere esse perpetuum, (f) hominis officium esse homini cuivis benefacere, (g) præsertim egenti, (h) juramento quantum fieri potest abstinendum, (i) contentos nos in victu & vestitu esse debere ad naturam necessariis. Quòd si quid est in Christiana religione creditu difficile, apud sapientissimos Paganorum paria inveniuntur, quod de animorum immortalitate & reditu corporum in vitam suprà ostendimus. Sic Plato à Chaldæis edoctus (k) Divinam naturam distinguit in Patrem; Mentem paternam, quam & Dei germen vocat, Mundi opificem; & Animam quâ cuncta contineantur. Cum humana natura Divinam jungi posse, (l) Julianus tantus Christianorum hostis credidit, & exemplum dedit in Æsculapio, quem volebat ad tradendam hominibus medendi artem de cœlo venisse. Crux Christi multos offendit; at quæ de diis non narrant Paganorum autores? alios famulos regum fuisse, fulminatos alios, dissectos, vulneratos. Et verò lætius esse honestum, quoties magno sibi constat, sapientissimi ipsorum dixere. (m) Plato de Republica 2. quasi præscius, ait, ut verè justus exhibeatur, opus esse ut virtus ejus omnibus ornamentis spolietur, ità ut ille habeatur ab aliis pro scelesto, illudatur, suspendatur denique. Et certè summæ patientiæ exemplum ut extaret, aliter obtineri non poterat.

ANNOTATA.

(a) *Religionem non in ritibus, sed in animo esse positam*] Menander,

Θεῷ δὲ διὰ τέλους λέγε ὤν,
Μὴ λαμπρὸς ὢν δὲ χλαμύσιν, ὡς τῇ κρηπίδι,
Deo sacrifica semper ingenio probo,
Neu in albam vestem magis quàm mores induas.

Cicero De Natura deorum 2. *Cultus autem deorum est optimus, idémque castissimus atque sanctissimus plenissimúsque pietatis, ut eos semper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneremur.* Idem de legibus 2. *Caste jubet lex adire ad deos; animo videlicet, in quo sunt omnia.* Persius Satyrâ 2.

Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum jus fásque animi, sanctósque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto;
Hoc cedò ut admovem templis, & farre litabo.

Qui versus respicere videntur Pythiæ oraculum quod est apud Porphyrium De non esu animantium 2. ubi aliquid à viro pio oblatum Hecatombis alterius præfertur. Eodem libro hæc habet paris argumenti Porphyrius,

Νῦν δὲ ἀδῆτα μὴ λαμπρὰν δεῖ σῶμα μὴ καθαρὰν ἀμφιασαμένῳ, ἃ ἀρχὴν νομίζουσιν πρὸς τὸ θεῖ θυσιῶν ἁγνόν. ὅταν δὲ τὸ σῶμα μὴ τοῦ ἀδήτου τινὸς λαμπρυνάμενος, μὴ καθαρὰν καρδίαν καὶ ψυχὴν ἔχοντες, ἴωσιν πρὸς τὰς θυσίας, ὑβρὶν διαφέρειν νομίζουσιν. ὥσπερ ἂν τῷ θειοτάτῳ τοῦ ὄντος χάριν μάλιστα καὶ θεὸν διακεμένῳ καθαρῶς, ἅτε συγγενεῖ πεφυκότι. ὁ γὰρ Ἐπιδαύρῳ περιγέγραπται,

Ἁγνὸν δὴ ναοῖο θυώδεος ἔνδον ἰόντα
Ἐμφᾶναι.

ἀγνὰ δ' ἔδει φορεῖν ἕσια, *Nunc verò eum qui non candidâ purâque amictus sit veste idoneum negant qui purè sacrificet. Ubi verò & corpore & vestitu nitentes quidam, animum interim à malis purum non habent, & sic ad sacra accedunt, id nihil referre existimant. Quasi non Deus maximè delectetur eo quod in nobis divinissimum est bene se habente, ut cui cum ipso sit cognatio. At verò in Epidauri Templo præscriptum erat,*

Castus odorati venias ad limina templi
Fas jubet.

Castimonia autem in eo sita est, ut sancta cogites. Et aliquantò pòst, Θεῷ μὲν τῷ ὄντι πάσιν, ὡς τις ἀνὴρ σοφὸς ἔφη, μηδὲν τοῦ εἰδήτου μήτε θυμιῶντες, μήτε προσομάζοντες. οὐδὲν γάρ ἐστιν ἔνυλον ὃ μὴ τῷ ἀύλῳ ἐυδὲς ἐστιν ἀναθυμίαμα. διὸ οὐδὲ λόγῳ τούτῳ ὁ καθαρὸς εἰκῇ· οὐδ' ὁ ὕδωρ, ὅταν πάθει ψυχῆς ᾖ μεμολυσμένῳ, *Deo ei qui super omnia est, ut vir quidam sapiens dixit, nihil eorum quæ materiam habent aut adoleri aut indigetari debet. Nihil enim est materia particeps quod non impurum sit materiâ carenti: quare nec sermo illi convenit qui voce exprimitur; ac nè ille quidem internus, si ex animi perturbationibus vitium contraxerit.* Iterum ibidem, Οὐ γὰρ δὴ οἱ μὲν ἱερεῖς τὰ ἀνθρώπων θεοῖς ἀφωσιωμένοις, καὶ τὰ οἱ ποσὶ καθαρὰ δεῖ εἶ) καὶ ἀκηλίδωτα πέδιλα· οἱ δὲ τοῦ ναοῦ τοῦ παντὸς, τοῦ κόσμου τούτου, ἕ ἔχατον καὶ ἐκτὸς ἡμῶν χιτῶνα ἢ δερμαλιοῦν ἐκ ἀγνὸν προσήκει διατηρεῖν, καὶ μεθ' ἁγνοῦ διαχρίεσθαι οἱ τοῦ ναοῦ τοῦ παντός, *Neque enim convenit ut in iis templis quæ homines diis dicarunt, etiam pedum vincula pura requirantur, & sine macula calcei, in templo verò summi patris, Mundo hoc scilicet, non oporteat puram servare illam externam nostri corporis ultimam è pellibus vestem, eámque quàm castissimè versari in illo Patris templo.* Nè hoc quidem ex eodem libro omittam, Πειθοῖς ἢ ὅτι τούτων χρείαν ἐκ ἴσχυσιν οἱ θεοί, εἰς ἢ τὸ ἦθος ἐπιλέπουσι τοῦ προσιόντος, μᾶλλον θυσίαν λαμβάνοντες ἢ ὀρθῶν δεῖ αὐτῶν ἢ καὶ τοῦ πραγμάτων διάληψιν, πῶς ὁ σώφρων καὶ ὅσιος καὶ δίκαιος ἔσαι; *Qui verò persuasum est victimas illis non egere deos, sed ad animum spectare offerentis, optimúmque; eis censeri sacrificium, rectam tum de diis tum de rebus sententiam, quomodo non is temperans, pius justúsque evadat?* Ubi tria ista nota quæ apud Paulum Tit. 2. 12. σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς, *temperanter, justè, & pié.* Charondas in legum anteloquio, Ἔχειν ἢ ψυχὴν καθαρὰν πάσης κακίας, ὡς ἢ θεῶν ὁ χειρόντων τοῦ πονηρῶν θυσίαις ἢ καὶ δαπάναις, ἀλλὰ τοῖς τοῦ ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίαις ἢ καὶ ὁσίαις ἐπιτηδεύσεσι, *Omnis malitiæ pura mens esto, neque enim gaudent dii pravorum hominum sacrificiis & impendiis, sed justis & honestis bonorum actionibus.* Seneca Lactantio prolatus l. 6. Institutionum, c. 25. *Vultisne Deum cogitare magnum & placidum & majestate leni verendum, amicum & semper in proximo? Non immolationibus & sanguine multo colendum, sed mente purâ honestóque proposito. Non templa illi congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore.* Sensum eundem habes apud Dionem Prusæensem Orat. 3. Thucydides lib. 1. Ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ τὰ δίκαια πράττειν, *Festus dies nihil est aliud quàm officium facere.* Diogenes, Ἀνὴρ ἀγαθὸς ὁ πᾶσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἄγων; *Vir bonus, nonne omnem diem festum habet?*

(b) *Adulterum esse etiam eum qui adulterium committere voluit*] Ovidius,

Quæ quis non licuit, non facit, illa facit:
Ut jam servâris bene corpus, adultera mens est,
Omnibus exclusis intus adulter erit.

Seneca pater, *Incesta est etiam sine stupro quæ cupit stuprum.* Alibi, *Non immeritò in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præstitit, & non sibi.*

(c) *Non reponendam injuriam*] Plato Critone. Maximus Tyrius Dissert. 2. Menander,

Οὕτω κρείττους ἐσ' ἀνὴρ, ὦ Γοργία,
Ὅς τις ἀδικεῖσθαι πλεῖν' ὀπίσαλα βεστῶν,
O Gorgia, ille vir virorum est optimus,
Qui melius aliis callet ferre injurias.

Ariston Spartianus, *Dicenti cuipiam, Regium esse amicis bene, inimicis malè facere: Imò, inquit, amicis benefacere, inimicos, amicos reddere.* Et apud Plutarchum Dion ille Siciliæ liberator philosophici studii veram demonstrationem in eo ait positam, non ut quis in amicos benignus sit, sed si quis injuriâ affectus sit exorabilis & clemens in eos qui peccarunt.

(d) *Uni marito unam uxorem jungendam*] Vide quæ suprà ex Sallustio & aliis ad hanc rem attulimus. Euripides Andromache,

——ὕδὲν χὰμὸν
Δυοῖν γυναιξὶν ἄνδρ' ἓν' ἡσίας ἔχειν·
Ἀλλ' εἰς μίαν βλέποντες εὐναίαν κύπειν
Στέργουσιν, ὅς τις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλῃ,
—— *non etenim decet*
Unum imperare feminis binis virum:
Contentus uno conjugis vivat toro,
Quicunque cupiet rite curatam domum.

In ejusdem tragœdiæ choro plura sunt in hunc sensum.

(e) *Fœdus matrimonii debere esse perpetuum*] Quale fuit apud Romanos ad annum urbis vicesimum & quingentesimum, Valerio Maximo teste lib. 2. cap. 1. Anaxandrides in hunc sensum,

Ὁ γὰρ λίαυλος ἔστιν ἀμφοῖν ἔχων,
Reciprocum iter hoc nunquam vacat infamiâ.

(f) *Hominis officium esse homini cuivis benefacere*] Terentius Heautontimorumeno,

Homo sum: humani nihil à me alienum arbitror.

Inter nos cognationem quandam natura constituit, ait Florentinus Jurisconsultus L. *Ut vim de justitia.* Eodèm spectat proverbium, *Homo homini Deus.* Cicero De Officiis primo, hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes, societatem esse ait.

(g) *Præsertim egenti*] Horatius lib. 2. Sat. 11.

Cur eget indignus quisquam te divite? ——

In Mimo,

Bona comparat præsidia misericordia.

(h) *Juramento quantum fieri potest abstinendum*] Pythagoras, μὴ ὀμνύναι θεοὺς ἀσκεῖν χὰ ἀνδρὸς δεῖν ἀξιόπιστον παρέχειν, *non jurandum per deos: quemque enim id curare debere ut nec jurato sibi credatur.* Quod ipsum latè ad aureum carmen explicat Hierocles. M. Antoninus lib. 3. in viri boni descriptione, μήτε ὅρκου δεόμενον, *Cui juramento uti non sit opus.* Sophocles Oedipode Coloneo,

Οὔ τι σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακὸν πεισθήσομαι,
Nolo te adigere jurejurando, ut malum.

Clinias Pythagoricus trium talentorum litem perdere maluit quàm jurejurando rem veram affirmare. Narrat Basilius De legendis Græcorum libris.

(i) *Contentos nos in victu & vestitu esse debere ad naturam necessariis*] Euripides,

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλεῖν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς πώματός θ' ὑδρηχόου,
Ἄρτῳ πίεσι χὰ πόμῳ' ἡμᾶς βέφυν;
Homini quid est necesse, præterquam duo,
Cereale germen atque limpharum latex.
Quæ sunt parata semper & vitæ satis?

Lucanus,

——*Satis est populis fluviisque Cereque.*

Aristides, Ἐδῆτος χὰ οἶμαι χὰ σκέπης χὰ τροφῆς δεόμεθα, *Opus nimirum habemus veste, tecto & alimentis.*

(k) *Divinam naturam distinguit*] Plato epistolâ ad Dionysium. Vide & Proclum in Timæum. Primum principium Plato vocat *Patrem*, secundum principium, *omnium causam & præsidem*, in epistola ad Hermiam, Erastum & Coriscum. Idipsum *Mentem* vocat Plotinus libro περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων. Numenius Δημιουργὸν *Opificem*, item *Filium*: Amelius λόγον, ut videre est apud Eusebium lib. 11. cap. 17, 18, 19. Vide & Cyrillum libro contra Julianum 3, 4, & 8. Chalcidius ad Timæum primum nominat *summum Deum*, secundum *Mentem* vel *Providentiam*, tertium *Animam Mundi* vel *Mentem secundam.* Alibi tria hæc sic discriminat, *Ordinans, jubens, insinuans.* De secundo sic idem, *Ratio Dei Deus est humanis rebus consulens, qua causa est hominibus bene beatéque vivendi, si non concessum sibi munus summo à Deo negligant.* Pythagorici ternarium numerum perfectum summo Deo assignant, ait Servius ad Eclogam septimam. Unde non abit quod habet de iisdem Pythagoricis Aristoteles primo De cœlo in ipso initio.

(l) *Julianum tantus Christianorum hostis credidit*] Libro 6. Ὁ γὰρ Ζεὺς ὁ μὲν τοῖς νοητοῖς ἐξ ἑαυτοῦ τὸν Ἀσκληπιὸν ἐγέννησεν· οἷς δὲ τὸν γλυκὺ διὰ τὸ ὑλαῖον γονίμου ζωῆς ἐπέφηνεν. ἔστι δὲ γῆς ἐξ ὑγροῦ ποικιλώδης πρόοδος, ἐνοειδῆς μὲν αὖ τὸ Ἐπίδαυρον ἐφάνη, &c. *Juppiter inter ea quæ intellectu percipiuntur de se Æsculapium genuit: Eundem terris cerni dedit per solis vitam genitabilem. Hic verò ex cœlo in terram progressu facto unicâ specie apud Epidaurum apparuit.* Porphyrius, verba ejus referente Cyrillo libro quem diximus 8. Γένος ἐστὶ καὶ τι θεῶν ὃ δὴ καὶ βέπουσι καιροὺς εἰς ἀνθρώπους, *Genus quoddam deorum esse quod suo tempore in homines mutetur.* Quæ hac de re fuerit Ægyptiorum sententia, vide Plutarchum 8 Symp. quæst. 1. Adde his locum Actorum 14. 10.

(m) *Plato De Republica 2. quasi præscius ait*] Græca sic habent, Μαστιγώσει, στρεβλώσει, δεδήσει, ἐκκαυθήσεται τὼ ὀφθαλμὼ· πολυπλῶν, πάντα κακὰ παθὼν, ἀναξιανδυλαθήσεται. Unde Cicero illud sumpsit, & in tertium De republica librum retulit; *Bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur.* Lactantius libro 6 Institut. cap. 17. hunc nobis locum Senecæ servavit; *Hic est ille homo honestus, qui sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore recipienda est, sive extendenda per patibulum manus, non quærit quid patiatur, sed quàm bene.* Talem nobis & Euripides ob oculos ponit istis versibus,

Πίμπρη, πάτιθε σάρκας, ἐμπλήσθητί μου
Πίνων χιλαινὸν αἷμα· πεζὸς γὰρ κάτω
Γῆς εἶσιν ἄσφο, γῆ τ' ἄνωτ' εἰς αἴθέρος,
Πεῖν ἐξ ἐμοῦ σοι θῶπ' ἀπαστῆναι λόγον.
Ure hæc, cremáque membra, & impletor mei
Potans rubentem sanguinem: in terram priùs
Descendet æther, terra se in cœlum feret,
Quàm noster unquam sermo adulatur tibi.

Tali verè convenit illud Æschyli, Platoni memoratum dicto loco,

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστον, ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἀφ' ἧς τὰ καλὰ βλαστάνει βουλεύματα.
Namque allaborat esse, non credi, optimus,
Sulcos profundos corde demersos gerens,
Unde illa sese pulcra consilia exserunt.

HUGO GROTIUS
DE VERITATE
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

LIBER QUINTUS.

QUale est quod ex obscuro specu enitentibus paulatim se ostendit inter lucem tenebrásque medium, talem se nobis ex densa paganismi caligine gradum moventibus Judaismus offert, pars & primordium veri. Quare Judæos compello, nè nos aversi audiant. Cognitum nobis, (a) esse ipsos progeniem sanctorum virorum, quos Deus & per Prophetas & per Angelos suos invisere solebat; ex eadem gente natum Messiam, & primos Christianismi doctores; ipsorum esse arborem cui nos sumus inoculati; custodes esse ipsos oraculorum Dei, quæ nos non minùs ipsis veneramur, ac cum Paulo suspiria pro ipsis ad Deum emittimus, orantes ut quàm primùm veniat illa dies cùm, ablato (b) velamento, quod vultui eorum impendet, clarè nobiscum visuri sunt (c) complementum Legis, cúmque, ut habent veterum vaticinia, nostrûm, qui alienigenæ sumus, quilibet (d) Hebræi viri pænulam apprehendet, rogans ut concordi pietate colamus unicum illum Deum, Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi.

ANNOTATA.

(a) *Esse ipsos progeniem sanctorum virorum*] Sumpta hæc & quæ sequuntur ex Rom. 9, 10, 11. Adde Matth. 15. 24.

(b) *Velamento*] 2 Cor. 3. 14, 15, 16.

(c) *Complementum Legis*] Rom. 3. 21. & 8. 14. & 10. 4. & 13. 8. Gal. 3. 24.

(d) *Hebræi viri pænulam*] Zachariæ 8. 20, & seqq. Esaias 2. 2. & 19. 18, 24. Michææ 4. 2. Oseæ 3. 4. Rom. 11. 25.

II. Primùm ergò rogantur, nè iniquum existiment in causa aliena quod in sua æquum judicent. Si quis Paganus ab ipsis quærat, cur credant miracula à Mose facta, nihil dicant aliud quàm inter suos adeò perpetuam constantémque ejus rei fuisse famam, ut non potuerit nisi ex testimonio eorum qui vidissent, proficisci. Sic (a) ab Elisæo auctum apud viduam oleum, (b) purgatum subitò à mala scabie Syrum, (c) hospitæ filium ad vitam revocatum, & similia alia, credunt Judæi, non aliam sanè ob causam quàm quòd testes bonæ fidei id proditum ad posteros transmiserunt. (d) De Eliæ verò in cœlum raptu unius Elisæi, tanquam viri omni exceptione majoris, testimonio fidem habent. At nos de Christi ascensu in cœlum (e) duodecim proferimus testes vitæ inculpatæ; (f) de Christo post mortem in terris viso multò plures: quæ si vera sunt, verum sit necesse est & Christi dogma: planéque nihil à Judæis pro se adferri potest quod non & nobis pari aut potiori jure possit aptari. Sed ut testimonia omittamus, res prodigiosas à Christo factas (g) ipsorum Thalmudistarum & Judæorum confessio est: quod ipsum sufficere debet. Neque enim potest Deus dogmati per hominem promulgato auctoritatem efficaciùs conciliare quàm miraculis editis.

ANNOTATA.

(a) *Ab Elisæo auctum apud viduam oleum*] 2 Reg. 4.

(b) *Purgatum subitò à mala scabie Syrum*] Ibidem c. 4.

(c) *Hospita filium ad vitam revocatum*] Dicto cap. 4.

(d) *De Eliæ verò in cœlum raptu*] Dicto libro cap. 2.

(e) *Duodecim proferimus testes*] Marci 16. 19. Luc. 24. 52. Act. 1.

(f) *De Christo post mortem in terris viso multò plures*] Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Joh. 20, 21. 1 Cor. 15.

(g) *Ipsorum Thalmudistarum & Judæorum confessio est*] Vide quæ allata ad lib. 2.

III. At ope Dæmonum facta ab eo prodigia dixerunt aliqui: verùm hæc calumnia suprà jam refutata est, eò quòd ubi Christi dogma innotuit, omnis potestas Dæmonum confracta est. Quod addunt aliqui, didicisse Jesum in Ægypto magicas artes, speciem veri multò minorem habet quàm similis Paganorum adversùs Mosem accusatio, (a) quam apud Plinium (b) & Apuleium videmus. Nam fuisse Jesum unquam in Ægypto non constat nisi ex discipulorum libris, qui addunt, infantem adhuc indè rediisse. At Mosem magnam ætatis adultæ partem in Ægypto exegisse, (c) & ipsius (d) & aliorum narratione certum est. Sed & Mosem & Jesum validè purgat hoc crimine lex utriusque, (e) tales artes disertè vetans ut Deo invisas. Tum verò si Christi & ejus discipulorum tempore usquam, aut in Ægypto aut alibi, exstitissent ars ulla magica, quâ possent ea fieri quæ de Christo prædicantur, muti omnes subitò sanari, claudis gressio, cæcis visus dari, Imperatores, (f) Tiberius, (g) Nero atque alii, qui ad inquirenda talia nullis impendiis pepercerunt, haud dubiè eam deprehendissent. Et si verum est, (h) quod tradunt Judæi, senatores magni synedrii gnaros fuisse magicarum artium, ut reos possent convincere, sanè cùm iidem Jesu inimicissimi fuerint, & honori ejus maximè per miracula crescenti invidentes, aut opera similia ex eadem arte edidissent ipsi, aut certis argumentis apertum fecissent ipsius opera non aliunde proficisci.

ANNOTATA.

(a) *Quam apud Plinium*] Libro 30. c. 1.

(b) *Et Apuleium*] Apologetico 2.

(c) *Et ipsius*] Exodi 2, 4, & seqq.

(d) *Et aliorum narratione certum est*] Manethonis, Chæremonis, Lysimachi apud Josephum contra Appionem primo, Justini, Taciti.

(e) *Tales artes disertè vetans*] Exodi 22. 18. Levit. 20. 6, 27. Num. 23. 23. Deut. 18. 10. 1 Sam. 28. 9. 2 Reg. 17. 17. & 21. 6. Act. 13. 8, 9, 10. & 16. 18. & 19. 19.

(f) *Tiberius*] Tacitus Annalium 6. Suetonius ejus vitâ cap. 63, & 69.

(g) *Nero*] De quo Plinius lib. 30. c. 11. in Magiæ historia, *Non citharæ tragicique cantûs libido illi major fuit.* Postea, *Nemo unquam ulli arti impensiùs favit. Ad hæc non opes illi defuere, non vires, non discendi ingenium.* Mox narrat magicis cœnis initiatum à Tiridate rege.

(h) *Quod tradunt Judæi*] Thalmud titulo De Synedrio, & titulo De Sabbato.

IV. Quòd verò Judæorum nonnulli prodigia Jesu asscribunt nomini cuidam arcano, quod à Solomone in Templo positum duo leones per mille & amplius annos custodierint, quódque ab Jesu sublectum sit, non mendaciter modò, sed & impudenter confictum est: cùm de illis leonibus, re maximè insigni atque admiranda, nec libri Regum, nec Paralipomena, nec Josephus quicquam prodant; sed nec Romani, qui cum Pompeio Templum intrarunt ante Jesu tempora, tale aliquid compererint.

V. Verùm posito à Christo edita esse prodigia, quod Judæi fatentur, dicimus, ex ipsa Lege Mosis sequi, fidem ei adhibendam. Dixit enim Deus Deut. 18. futurum ut post Mosem, alii quoque Prophetæ à Deo excitarentur, iisque obediendum à populo; nisi id fieret, graves pœnas denuncians. (a) Certissimæ autem Prophetarum notæ sunt prodigia. Neque enim illustriora alia animo concipi possunt. Ad Deut. 13 dicitur, si quis Prophetam se ferens prodigia ediderit, ei non credendum, si populum ad novum deorum cultum pelliciat. Nam illa prodigia ut fiant, in hoc tantùm à Deo permitti, ut experiatur an satis constans sit populus in veri Dei cultu. Ex quibus locis collatis inter se (b) Hebræi interpretes rectè colligunt, omni ei (c) qui miracula faciat credendum, extrà quàm si à veri Dei cultu abducat; quia in eo solo casu prædictum sit, nè miraculis, quamvis speciosis, fides habeatur. Jesus autem non modò falsos deos coli non docuit, (d) sed contrà hoc tanquam crimen gravissimum disertè vetuit, docuitque nos & Mosis & qui eum secuti sunt Prophetarum scripta venerari: quare nihil est quod miraculis ejus objici possit. Nam quòd quidam objiciunt, legem Jesu aliqua in parte à Mosis lege discrepare, id non sufficit.

ANNOTATA.

(a) *Certissima autem Prophetarum nota sunt prodigia*] Et futurorum prædictiones, quæ & ipsæ prodigiis rectè accensentur. Deu. 18. 22.

(b) *Hebræi interpretes*] Vide Mosem Maimonidem, & alios productos in Conciliatore Manassis, quæst. 4. ad Deuteronomium.

(c) *Qui miracula faciat*] Cujúsque prædicta impleantur. Hoc argumento validè pugnat Chrysostomus 5 Adversùs Judæos, & Sermone, Christum esse Deum, in Tomo 6 Savilliano.

(d) *Sed contrà hoc tanquam crimen gravissimum disertè vetuit*] Marci 12. 29, 32. Joh. 17. 3. Act. 15. 20. 1 Cor. 5. 10, 11, 18. & 6. 9. & 10. 7. & 12. 2. 2 Cor. 6. 16. 1 Thess. 1. 9. 1 Joh. 5. 21.

VI. Nam ipsi Hebræorum Doctores normam hanc ponunt; (a) Ad imperium Prophetæ, i. miracula facientis, qualecunque præceptum intrepidè posse violari, excepto illo de unius Dei cultu. Et sanè potestas leges condendi, quæ penès Deum fuit, cùm per Mosem daret præcepta, postea ab eo non abiit: nec quisquam qui suo jure leges dedit, eo impeditur alias etiam pugnantes dare. Quòd Deum esse immutabilem objiciunt, id nihil est: non enim de intrinseca Dei natura, sed de operibus agitur. Lux tenebris mutatur, juventus senectute, æstas hyeme: quæ omnia Dei sunt opera. Adamo olim Deus poma cætera permisit, (b) unius arboris fructu interdixit, nempe quia ità libuit. Prohibuit generaliter homines occidere: (c) Abrahamo imperavit ut filium mactaret. Victimas seorsim à Tabernaculo alias vetuit, (d) alias accepit. Nec sequitur, si bona fuit lex per Mosem data, nullam dari potuisse meliorem. Solent parentes cum infantibus balbutire, ad ætatis vitia connivere, crustulo eos ad discendum allicere. At ubi processit ætas, corrigitur sermo, instillantur virtutis præcepta, ostenditur quæ sit honesti pulcritudo, quæ ejus præmia. (e) Non fuisse autem ejus legis præcepta summè perfecta vel eo liquet, quòd multi illorum temporum viri sancti vitam secuti sunt illis præceptis excellentiorem. Moses qui ultionem doloris partim manu, partim judicio exigi permittit, ipse atrocissimis injuriis vexatus, (f) precatorem se pro inimicis constituit. Sic (g) David rebelli filio parci vult, (h) maledicta in se jacta fert patienter. Dimisisse uxores viri boni nusquam leguntur, cùm tamen id lex permitteret. Nimirum (i) ad majorem populi partem aptantur leges: itaque in illo statu par fuit quædam dissimulari, ad perfectiorem regulam reducenda illo tempore quo majore vi Spiritûs populum novum ex cunctis populis Deus sibi erat collecturus. Etiam præmia lege Mosis apertè proposita ad hanc vitam mortalem spectant omnia: unde fatendum est, (k) legem aliquam illâ lege meliorem dari potuisse, quæ æterna præmia non sub umbris, sed apertè proponeret; quod lege Christi factum videmus.

ANNOTATA.

(a) *Ad imperium Prophetæ, i. miracula facientis, qualecunque præceptum intrepidè posse violari*] Ponitur hæc regula in Thalmude titulo De Synedrio. Sic ad præceptum Josue violata lex Sabbati Jos. 6. Et extra locum lege præscriptum sacrificarunt Prophetæ, ut Samuel, 1 Sam. 7. 17. & 13. 8. & Elias, 1 Reg. 18. 38.

(b) *Unius arboris fructu interdixit*] Gen. 2. 17.

(c) *Abrahamo imperavit ut filium mactaret*] Gen. 22. 2.

(d) *Alias vetuit, alias accepit*] Diximus modò de hac re.

(e) *Non fuisse autem ejus legis præcepta summè perfecta*] Heb. 8. 7.

(f) *Precatorem se pro inimicis constituit*] Exod. 32. 11, 12, 13, 31. Num. 11. 2. & 12. 13. & 14. 13, & seqq. & 21. 7, 8. Deut. 9. 18, 26. 33.

(g) *David rebelli filio parci vult*] 2 Sam. 18. 5.

(h) *Maledicta in se jacta fert patienter*] 2 Sam. 16. 10.

(i) *Ad majorem populi partem aptantur leges*] Origenes adversùs Celsum 3. Ὥσπερ γάρ τις τῶν νομοθετῶν φοβεῖται τὸ ἰδιωτικὸν καὶ τοὺς καλλίους ἔθηλο τοῖς πολίταις νόμους, ὅτι οὐ τοὺς καθάπαξ καλλίστους, ἀλλ' οὓς ἐδύνατο τοὺς καλλίστους, *Quod quidam ait legum conditorem dixisse interrogatum, an optimas dedisset leges civibus, non omnium dedisse se optimas, sed quantum fieri poterat.* Porphyrius lib. 1 De non esu animantium, de legum conditoribus, Εἰ δὲ ὅτοι περὶ τοῦ μὴ φονεύειν λογιζόμενον μόνον βίον ἀροῦντες, ἢ οὐ συσσίτιον ἂν ἦν οἱ πολλοὶ, οἷς τὰ ἐλίδια καὶ τὰ ἀγαθὰ ἢ κακὰ ἢ τὰ τοῦ σώματος ἀνύτως ἐφίλησαν, νομοθετῶν, τί τις ἂν τούτων πωφέλειαν νόμον ἀναβάλοιτο βίου; *Quòd si illi respicientes ad vitam illam quæ secundùm naturam est, & media vocatur, & ad ea quæ cupiant homines, qui externa quæque in corpore sita sunt, bona maláque existimant, leges condidere; in quo ladit vitam qui talibus legibus melius aliquid adjicit?*

(k) *Legem aliquam illâ meliorem dari potuisse, quæ æterna præmia non sub umbris, sed apertè proponeret; quod Christi lege factum videmus*] Heb. 7. 19, 22. & 8. 6. 2 Tim. 1. 10.

VII. Notandum hîc obiter ad vincendam iniquitatem Judæorum qui Jesu coævi fuerunt, Jesum pessimè ab ipsis tractatum & supplicio deditum, cùm nullum ejus admissum adversùs Legem posset adferri. (a) Circumcisus erat; (b) cibis utebatur Judaicis; (c) vestitu simili; (d) purgatos scabie mittebat ad sacerdotes; (e) Paschata & alios dies festos religiosè observabat. Si quos sanavit sabbato, (f) ostendit non tantùm ex Lege, (g) sed & ex receptis sententiis talia opera sabbato non interdicta. Tum verò primùm cœpit promulgare (h) legum quarundam abrogationem, cùm morte devictâ in cœlum evectus, etiam Spiritûs S. conspicuis donis ornasset suos, issque rebus ostendisset adeptum se (i) potestatem regiam, (k) in qua continetur legis condendæ auctoritas; idque secundùm Danielis vaticinium cap. 3, & 8. collato etiam cap. 8, & 11. qui prædixerat fore, ut paulò post destructa regna Syriæ & Ægypti (quorum posterius sub Augusto contigit) Deus regnum daturus esset (l) homini qui plebeius videretur, in

omnis

omnis tractûs sermonisque populos, & quidem nunquam desiturum. Pars verò illa legis cujus necessitas à Christo sublata est nihil continebat suâ naturâ honestum: sed constabat ex rebus per se mediis, ac proinde non immutabilibus. Nam si eæ res per se aliquid haberent cur faciendæ essent, (m) omnibus populis, non uni eas præscripsisset Deus, & ab initio statim, non postquam bis mille & quod excedit annos vixerat humanum genus. Abel, Enoch, Noe, Melchisedec, Job, Abraham, Isaac, Jacob, omnes viri pii & Deo eximiè cari, hanc legis partem ignorarunt, aut totam aut ferme totam, neque eo minùs acceperunt testimonium & suæ in Deum fiduciæ, & amoris Divini in se. Neque Moses socerum Jethronem ad hos ritus suscipiendos adhortatus est, neque Jonas Ninevitas, nec alii Prophetæ Chaldæos, Ægyptios, Sidonios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, ad quos scribunt, ob eos non susceptos reprehendunt, cùm peccata ipsorum satis exactè enumerent. Peculiaria ergò erant hæc præcepta, (n) sive ad vitandum aliquod malum, in quod proni erant Judæi, sive ad experimentum obedientiæ, sive ad rerum futurarum significationem introducta. Quare non magis mirandum est ea aboleri potuisse, quàm si quis Rex municipalia quædam statuta tollat, ut toti imperio jus idem statuat. Neque verò quicquam adferri potest quo probetur, Deum se adstrinxisse nè quid ejus mutaret. Nam si dicas, præcepta hæc vocari Perpetua, (o) eâdem voce utuntur sæpe & homines, cùm significare volunt quæ fic jubent non esse annalia, (p) aut certis temporibus, putà belli, pacis, caræ annonæ accommodata: quo tamen non impediuntur quò minùs novas de iisdem rebus constitutiones edant, ubi id publica utilitas exegerit. Sic & Dei præcepta data Hebræis alia erant temporaria, (q) quamdiu in locis desertis ageret populus, (r) alia adstricta habitationi terræ Cananææ: ab his ergò ut illa distinguat, Perpetua vocat, quò intelligi possit, non debere ea usquam aut unquam intermitti, nisi Deus contrariæ voluntatis daret significationem. Quod loquendi genus cùm omnibus populis sit commune, eo minùs mirari debent Hebræi, qui sciant in lege sua (f) jus Perpetuum & servitutem Perpetuam vocari, quæ duret à Jubilæo ad Jubilæum: (t) Messiæ verò adventus ab ipsis vocatur Complementum Jubilæi, sive magnus Jubilæus. Quid quòd novi federis olim ineundi promissio apud Prophetas Hebræos exstat? (u) ut Jeremiæ 31. ubi pollicetur Deus novum se pactum initurum, quod ipsis mentibus sit inscripturus: neque opus habituros homines ut religionem alii ex aliis discant; apertam enim omnibus fore. Præterea veniam se daturum antè delictorum: quæ res ferme ità se habet, ac si rex aliquis post graves civium inter se inimicitias, ad pacem stabiliendam sublatâ legum varietate communem omnibus eámque perfectam legem imponat, & in posterum se emendantibus polliceatur omnium commissorum impunitatem. Hæc quanquam sufficiant, euntes per partes singulas sublatæ legis ostendemus, eas tales non esse ut aut Deo per se placere possent, aut semper durare deberent.

ANNOTATA.

(a) *Circumcisus erat*] Luc. 2.21.

(b) *Cibis utebatur Judaicis*] Gal. 4.5.

(c) *Vestitu simili*] Matth. 9. 20.

(d) *Purgatos scabie mittebat ad sacerdotes*] Matth. 8.4. Mar. 1.44. Luc. 5.14.

(e) *Paschata & alios dies festos religiosè observabat*] Luc. 2. 41. Joh. 2.13,23. & 11.56. & 12.1. Joh. 7.10.

(f) *Ostendit non tantùm ex Lege*] Matth. 12.5.

(g) *Sed & ex receptis sententiis talia opera sabbato non interdicta*] Matth. 12.11.

(h) *Legum quarundam abrogationem*] Act. 10. Coloss. 2. 14.

(i) *Potestatem regiam*] Act. 2.36. Apoc. 1.5.

(k) *In qua continetur legis condendæ autoritas*] Jac. 1. 25.

(l) *Homini qui plebeius videretur*] Dan. 2. 45. & 7.13. Nam *filius hominis* Hebræis vilitatem quandam significat. Et sic vocantur Prophetæ comparati cum Angelis: ut & Jacchiadæ notatum ad Dan. 10.16.

(m) *Omnibus populis, non uni eas præscripsisset Deus*] Id autem tantum abest, ut leges aliquot, putà de primitiis, de decimis, de congregatione ad festos dies, ea presiè se referant ad unum Judææ locum, quò certè omnes gentes coire non poterant. Vide Exo. 23.19. & 34.26. Deut. 26.2, & seqq. Item Deut. 12.5, & seqq. & 14.23, & seqq. Item Exo. 23.17. & 34.2,23,24. Deut. 16.16. De sacrificiis legem eodem modo interpretata est vetustissima consuetudo. Solis Hebræis, non & alienigenis, datam Mosis legem docet Thalmud in titulo de Synedrio & titulo Chagiga. Maimonides ad Deut. 33. & Bachai.

(n) *Sive ad vitandum aliquod malum in quod proni erant Judæi*] Rituales supra modum, eóque ad idololatriam proni. Ostendunt id passim Prophetæ; maximè Ezechiel 16.

(o) *Eâdem voce utuntur & homines*] L. *Hâc edictali*. C. De secundis nuptiis. L. *Hac in perpetuum*. Cod. De diversis prædiis lib. 11. & alibi sæpe.

(p) *Aut certis temporibus, putà belli, pacis, caræ annonæ accommodata*] L. Valerius apud Livium lib. 34. *Quas tempora aliqua desiderant leges, mortales, & temporibus ipsis mutatas video: qua in pace lata sunt plerumq; bellum abrogat; qua in bello, pax.*

(q) *Quamdiu in locis desertis ageret populus*] Ut Exo. 27. Deut. 23.12.

(r) *Alia adstricta habitationi terræ Cananææ*] Ut Deut. 12.1,20. & 26.1. Num. 33.52.

(s) *Jus Perpetuum & servitutem Perpetuam*] Exo. 21.6. 1 Sam. 1.22. Et sic vocem לעולם in lege rituali accipi posse sensit Josephus Albo lib. 3 Fundamentorum cap. 16. Etiam sacerdotium Phineæ dicitur עד עולם Psal. 106. 30, 31. εἰς τὸν αἰῶνα Sirachidæ 45.28,29,30. ἱερωσύνη αἰωνία 1 Macch. 2.55.

(t) *Messiæ verò adventus ab ipsis vocatur Complementum Jubilæi*] In Pereck Chaleck & alibi, idque ex Esaia, 61.2.

(u) Ut *Jeremiæ 31.*] v. 31, & seqq.

VIII. Præcipuum & quod maximè in oculos incurrit sunt sacrificia; de quibus multi Hebræi sentiunt, priùs (a) ab hominum ingenio ea excogitata quàm à Deo jussa. Certè id apparet, Hebræos multorum rituum fuisse appetentes, (b) ità ut satis causæ fuerit cur Deus plurimos injungeret, vel ob hoc, nè ad falsorum deorum cultum memoriâ Ægyptiaci incolatûs redirent. At cùm eorum posteri plus æquo hæc æstimarent, tanquam per se Deo grata, & veræ pietatis partem, reprehensi sunt per Prophetas; *Sacrificiorum causâ*, inquit Deus apud Davidem Psalmo qui est apud Hebræos quinquagesimus, *nè verbum quidem tecum velim communicare: nempe ut holocausta alia super alia mihi mactes, ut juvencos aut hircos accipiam de tuis septis. Nam certè quicquid animantium per saltus pascitur, aut per montes errat, meum est. In numerato habeo & volucres & feras: ità ut si esurirem, nihil opus esset mihi te convenire; mihi, inquam, cujus est bos Universum, & quicquid in eo conspicitur. Putásne vesci me carne pingui, aut bibere hircorum sanguinem? imò laudem Deo sacrifica & vota redde.* Sunt inter Hebræos qui hæc eò dici aiunt, quòd qui sacrificia illa offerebant, animo vitâque impuri essent. At aliud docent quæ attulimus verba, rem scilicet per se nihil habere Deo gratum. Et si seriem totam Psalmi consideres, pios illis verbis alloquitur Deus. Dixerat enim, *Congregate mihi pios*; deinde, *Audi, populе mi*: hæc docentis sunt. Postea finitis quæ attulimus, ut fieri solet, ad impios sermo convertitur; *Impio autem dicit Deus*. Eundem sensum ostendunt loca alia, ut Psal. 51. *Sacrificia ut tibi dem gratum tibi non est, neque holocaustis delectaris. Sed quod verè tibi placet sacrificium, est animus culpæ suæ sensu dejectus: mentem enim quasi fractam atque contritam, ô Deus, non despicis.* Simile est illud Psal. 40;

Victimâ & oblato libo non delectaris. Sed me tanquam perfossâ aure tibi mancipas, non exigens aut holocaustum, aut victimam piacularem. Itaque respondi, En adsum; ac tanquam ex pacto conscripto faciam quod velis, quæ voluptas mea est: Lex enim tua cordi meo inhæret. Æquitatis tuæ laudes non intra cogitationes meas claudo; sed veracitatem tuam ac benignitatem prædico ubique: præsertim verò misericordiam tuam atque fidem celebro in numeroso cœtu. Apud Esaiam cap. 1. Sic Deus loquens inducitur, *Quò mihi tot victima? Satias me tenet holocaustorum ex arietibus, & adipis quamvis pinguissimi. Nec amo sanguinem, sive ille juvencorum est sive agnorum sive hadorum, ut cum eo apud me appareatis. Nam quis de vobis exegit, ut eo modo subdialia imputaretis?* Apud Jeremiam verò 7. locus est huic geminus & ejus interpres; *Sic ait Dominus Angelorum, Deus Israelis, Holocausta vestra congerite cum victimis, & ipsi earum carne vescimini. Nam quo primùm tempore majores vestros eduxi ex Ægypto, nihil exegi, aut præcepi de holocaustis & victimis. Sed hoc est quod illis seriò edixi, ut mihi obedientes forent; sic me fore Deum ipsorum, ipsos verò meum populum: ùtque eâ incederent viâ quam ego ipsis eram imperaturus; sic omnia ipsis prosperè eventura.* Apud Oseã hæc sunt Dei verba cap. 6. *Beneficentiam in homines multò* (c) *acceptiorem habeo quàm sacrificiũ: de Deo rectè sentire supra omnia est holocaustа.* Apud Michæam verò cap. 6. cùm quæstio esset instituta, quomodo quispiam Deum sibi optimè conciliaret, arietum ingenti numero, vi magnâ olei, an vitulis anniculis, respondet Deus, *Dicam tibi quid sit verè bonum, mihique gratum; Nimirum* (d) *ut suum cuique reddas, ut bene aliis facias, & ut Deo humilem ac submissum te præbeas.* Quibus ex locis cùm appareat sacrificia non esse earum rerum in numero quas Deus per se aut primariò velit, populus verò irrepente paulatim, ut fit, pravâ superstitione in illis posuerit potissimam pietatis partem, & victimis suis crediderit peccata satis compensari; quid mirum est si tandem Deus sustulit rem suapte naturâ mediam, sed cujus usus jam in vitium fluxerat, (e) cùm Rex quoque Ezechias à Mose erectum æreum serpentem confregerit, ideo quòd populus eum religioso cultu venerari cœpisset? Neque vaticinia desunt, quæ sacrificia illa de quibus controversia est desitura prædixerint: quod facilè quivis intelliget qui modò considerarit secundùm Mosis legem sacrificare soli Aaronis posteritati concessum, ídque duntaxat in solo patrio. Jam verò Psalmo 110 secundùm numerum Hebræum, promittitur Rex latissimè dominaturus initio regnandi facto ex Sione, qui Rex idem & Sacerdos in perpetuum futurus esset, ídque instar Melchisedeci. Esaias verò cap. 19 dicit, altare visum iri in Ægypto, ubi non tantùm Ægyptii, sed Assyrii quoque & Israelitæ Deum sint culturi: & capite 66 ait, futurum ut longissimè dissiti, & omnium sermonum populi non minùs quàm Israelitæ munera Deo offerant, & ex ipsis quoque constituantur qui sint sacerdotes & Levitæ, (f) quæ omnia stante Mosis lege fieri non poterant. His adde quòd apud (g) Malachiam cap. 1. Deus futura prædicens, fastidio sibi esse ait Hebræorum munera: ab ortu ad occasum, apud gentes omnes nomen suum celebrari, suffitúmque sibi fieri, & purissima sibi offerri. Daniel verò cap. 9. Gabrielis Angeli de Christo oraculum referens, *abolevit*, inquit, *sacrificium & munus.* Neque verbis tantùm, sed & rebus ipsis satis significat Deus, non ampliùs probari sibi præscripta per Mosem sacrificia, cùm jam per annos ampliùs mille sexcentos patiatur Judæos esse sine Templo, sine altari, sine certo generum censu, unde constare possit qui sint quibus sacra facere fas sit.

ANNOTATA.

(a) *Ab hominum ingenio ea excogitata*] Chrysostomus 12 De statuis, de Abele locutus, Οὐ γὰρ παρά τινος μαθὼν, ἀλλὰ νόμῳ θείῳ ἀπαρχὰς διαλεγομένῳ ταῦτα ἀνέθηκας, ἀλλ' οἰκόθεν καὶ παρὰ τῆς συνειδήσεως διδαχθείς, ἢ θυσίαν ἐπαινῶν ἀνέθηκας, *Non enim ab ullo edoctus, non lege acceptâ qua de primitiis aliquid constitueret, sed apud se suapte motu conscientiâ sacrificium illud obtulit.* In responsis ad Orthodoxos in operibus Justini ad interrogatũ LXXXIII, Οὐδὲν γὰρ θυσιάζων τὰ ἄλογα θυσίαν προσφέρει τῷ νόμῳ μὴ τῆς θείας διατάξεως θύσας, κἂν φαίνηται ὁ Θεὸς ταύτῃ προσδεξάμενος, τῇ ταύτης ἐπιδοχῇ δικαίαν ἢ θυσίαν ἐυάρεστον εἶπῃ, *Nemo eorum qui ante legem pecudes Deo obtulit, Divino id jussu fecit, quanquam patet talia accepta esse Deum, & acceptando ostendisse charum sibi esse eum qui offerebat.*

(b) *Ità ut satis causæ fuerit cur Deus plurimos eis injungeret, vel ob hoc nè ad falsorum deorum cultus memoriâ Ægyptiaci incolatûs redirent.*] Hanc ipsam causam legis de sacrificiis affert Maimonides in Ductore dubitantiũ lib. 3. c. 32. Tertullianus adversùs Marcionem 2. *Sacrificiorum quoque onera & operationem, & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendet, quasi Deus talia propriè sibi desideraverit, qui tam manifestè exclamat, Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? Et, Quis exquisivit ista de manibus vestris? Sed illam Dei industriam sentiat, quæ populum pronum in idololatriam & transgressiones ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio seculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, nè simulacris faciendis delinqueret.*

(c) *Acceptiorem habeo quàm sacrificium*] Ità & Chaldæus Interpres hunc locum exponit.

(d) *Ut suum cuique reddas, ut bene aliis facias, & ut Deo humilem ac submissum te præbeas.*] Itaque aiunt Judæi Legis præcepta numero 1DCII ab Esaia contracta in sex c. 33. 15. à Michea hoc loco in tria, ab Esaia in duo c. 56. 1. ab Abacuco in unum c. 2. 4. item ab Amoso 5. 6.

(e) *Cùm Rex quoque Ezechias à Mose erectum æreum serpentem confregerit*] 2 Reg. 18. 4.

(f) *Quæ omnia stante Mosis lege fieri non poterant*] Adde locum Jeremiæ 3. 16. *In diebus illis, dixit Dominus, non dicent ultrà, Arca fœderis Domini, neque ejus rei veniet in cogitationem aut memoriam, neque visitabunt Arcam, neque ultrà, ut nunc, sacrificabitur.*

(g) *Malachiam cap. 1.*] Vide hujus loci luculentam paraphrasim apud Chrysostomum 2 adversùs Gentes.

IX. Quod de sacrificiorum lege ostendimus idem ostendamus & de ea quâ ciborum certa genera interdicuntur. Constat ergò, post magnum diluvium, (a) Noæ ejúsque posteris à Deo jus datum quolibet victu utendi; quod jus proinde non ad Japhetum tantùm & Chamum, sed & ad Semum ejúsque posteros, Abrahamum, Isaacum, Jacobum transiit. Sed cùm postea populus in Ægypto pravis superstitionibus ejus gentis imbutus esset, tum primùm Deus quædam animantium genera edi vetuit, (b) seu quòd illa potissimùm Ægyptii diis suis offerrent, & ex illis aruspicium facerent, (c) seu quòd in lege illa umbratica certis animantium generibus certa hominum vitia notarentur. Non esse præcepta hæc universalia, apparet exemplo ejus quod constitutum est de carne bestiæ fato suo mortuæ, Deut. 14. ut Israelitis quidem ea vesci non liceret, (d) incolis autem liceret; quos quidem incolas Judæi omnibus officiis tanquam Deo commendatos prosequi jubentur. Veteres quoque Hebræorum magistri apertè tradiderunt, (e) Messiæ temporibus cessaturam legem de cibis vetitis, & suillam non minùs puram fore quàm bubulam. Et certè cùm ex omnibus populis unum sibi colligere Deus voluit, æquius fuit ut libertatem quàm ut servitutem in rebus talibus communem faceret. Sequitur inspectio festorum dierum.

ANNOTATA.

(a) *Noæ ejúsque posteris à Deo jus datum quolibet victu utendi*] Obstare videtur mentio animalium mundorum

dorum & immundorum in diluvii historia. Sed aut id χρὴ πρόληψιν dictum est ad eos quibus nota lex, aut *immunda* intelligi debent ea quæ hominum victus naturaliter defugit; quæ *profana* dixit Tacitus Historiarum 6. nisi malis munda accipere quæ herbis aluntur, immunda quæ aliis pascuntur animantibus.

(b) *Seu quòd illa potissimùm Ægyptii diis suis offerrent, & ex illis aruspicium facerent*] Origenes lib. 4 contra Celsum, Δαίμονές τινες φαῦλοι καὶ (ἵν' ἄτοις ὀνομάσω) τιτανικοὶ ἢ γιγάντιοι, ἀσεβῶς περὶ τὸ ἀληθῶς θεῖον καὶ τοῦ ἐν ὑπερῳῷ ἀγγέλους γεγονότες, καὶ πεσόντες ἐξ ὑπερῴου, καὶ περὶ τὰ παχύτερα τῶν σωμάτων καὶ ἀκάθαρτα ὄντα γῆς κυλινδόμενοι, ἔχοντές τί τι περὶ τῶν μελλόντων διορατικὸν, ἅτε γυμνοὶ τῶν γηΐνων σωμάτων τυγχάνοντες, καὶ περὶ τοιοῦτον ἔργον καταγινόμενοι, βακόμενοι ἀπάγειν τῶν ἀληθινῶν θεῶν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ὑποδύονται τῶν ζώων καὶ τὰ ἁρπακτικώτερα καὶ ἀγριώτερα, καὶ ἄλλα πανουργότερα, καὶ κινοῦσιν αὐτὰ πρὸς ἃ βούλονται· ἢ τὰς φαντασίας τῶν τοιῶνδε ζώων πρέπουσιν ὅτι τὰς πλήσεις καὶ κινήσεις τοιάσδε, ἵν' ἄνθρωποι διὰ τὸ ἐν τοῖς ἀλόγοις ζώοις ἁλισκόμενοι μαντικῆς, θεὸν μὴ τὸν περέχοντα τὰ ὅλα μὴ ζητῶσι, μηδὲ τὸ καθαρὸν θεοσέβειαν ἐξετάζωσι· πίστωσι δὲ τῷ λογισμῷ ὅτι τὼ γλῶ, τὰς ὄρνεις, καὶ τοὺ δράκοντας, ἔτι δ' ἀλώπεκας καὶ λύκους. καὶ γὰ παρατετήρηται τοῖς περὶ ταῦτα δεινοῖς, ὅτι αἱ ἐναργέστεραι προγνώσεις διὰ τῶν τοιούτων ζώων γίγνονται, ἅτε μὴ δυναμένων τῶν δαιμόνων ἐν τοῖς ἡμερωτέροις τῶν ζώων τοσοῦτον ὅσον δύνανται διὰ τὸ πυρατλήσιον τῆς κακίας, καὶ ὁ κακίας μέτοχοι ἢ κακίαι ὅσαι ἐν τοῖς τοιοῖσδε τῶν ζώων ἐνεργῶσι τάδε τὰ ζῶα. ὅθεν εἰκὸς ἄλλο τι Μωϋσέως τεθαύμακα, καὶ τὸ τοιοῦτον θαυμαστὸν ὑπεραγωγὸν ἄξιον εἶδε, ὅτι φύσεις καταγνόντας ζώων διαφόρους, καὶ εἶτ' ὑπὸ τῆς θείας μανίας τὰ περὶ αὐτῶν, καὶ τῶν ἑκάστῳ ζώῳ συγγενῶν δαιμόνων, ὅτε καὶ αὐτὸς ἀναβαίνων τῇ σοφίᾳ ἐν τῇ περὶ ζώων διατάξει, πάντα μὲ ἀκάθαρτα ἔφησεν εἶδε τὰ νομιζόμενα παρ' Αἰγυπτίοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἀνθρώποις εἶδε μαντικὰ, ὡς ὅπαν ἢ εἶδε καθαρὰ τὰ μὴ τοιαῦτα, *Mali quidam damones & (ut sic loquar) Titanici aut gigantei, qui impiè in verum numen & cœlestes Angelos se gessere, ideóque è cœlo ejecti sunt, circa corporum crassiora & impuriora in terris se agitant; cúmque habeant aliquam circa futura perspicaciam, ut qui à terrenis corporibus sint liberi, & in talibus negotiis multùm versati, hoc unicè studentes humanum genus ut abducant à vero Deo, insinuant se in animantium fera ac rapacia maximè, deinde & in callidiora, & ea, quoties volunt, quò volunt movent; aut etiam talium animantium vim imaginosam incitant ad hos aut illos volatus motionésve, ut homines capti divinationibus quæ per muta fiunt animalia, Deum cuncta continentem non quærant, neque veram exerceant pietatem, sed cogitationibus suis decidant in terram, in aves, in dracones, quin etiam in vulpes & lupos. Observatum enim est harum rerum peritis, prædictiones maximè notabiles per id genus animantia fieri, non valentibus, ut videtur, damonibus tantum efficere in mansuetis animantium quantum prava ista animantia possunt in aliis quæ diximus animantibus, ob id quòd ista habent vitio simile, non vitium propriè, sed quasi vitium. Quamobrem si quid aliud in Mose & miratus sum ipse, & dignum miratu existimo, hoc est, quòd cùm percepisset naturas animantium diversas, sive à Deo edoctus ea quæ ad animantia & ad damones animantium cuique affines pertinebant, sive propriâ ipse scientiâ perductus ad noscendos animantium gradus, omnia ea impura pronuntiavit quæ ab Ægyptiis aliísque gentibus vim divinandi habere censebantur, contrà verò omnia ea pura quæ extra illum essent censum.* Similia habet Theodoretus lib. 7 Adversùs Græcos. Non planè alienum hinc quod Manetho dixit, Νομοθετήσας καὶ πλεῖστα ἄλλα, μάλιστα τοῖς Αἰγυπτίοις ἀδιαφόροις ἐναντίωμα, *Cùm plurima constituisset alia, Ægyptiorum inst tutis pugnantia.* Et quod Tacitus de Judæis, *Profana illic omnia quæ apud nos sacra.* Deinde, *Caso ariete velut in contumeliam Ammonis, Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt.*

(c) *Seu quòd in lege illa umbratica certis animantiũ generibꝰ certa hominũ vitia notaverunt*] Barnabas in epistola, Ὅτιᾗ Μωσῆς εἶπεν, Οὐ φάγεσθε χοῖρον, οὐδ' ἀετὸν, οὐδὲ ἰξύπλεγα, οὐδὲ κόρακα, οὐδὲ πάντα ἰχθὺν ὃς οὐκ ἔχει λεπίδα, ὁ αὐτῷ τρία ἔλαβεν ἐν τῇ συνέσει δόγματα. Πέρας γέ τοι λέγει λόγοις αὐτοῖς ἐν τῷ Δευτερονομίῳ. Καὶ διαθήσονται πρὸς ἀλλὰ τοῦτον τὰ δικαιώματά μου. ἄρα οὐκ ἔστιν ἐντολὴ τοῦ Θεοῦ τὸ μὴ τρώγειν· Μωσῆς δὲ ἐν πνεύματι ἐλάλησε. τὸ δὲ, χοῖρον, πρὸς τοῦτο εἶπεν· οὐ μὴ κολληθήσῃ, φησὶν, ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵτινες ὅμοιοί εἰσι χοίρων, ὅταν γὰ τρυφῶσιν, ἐπιλανθάνονται τοῦ κυρίου αὐτῶν· ὅταν δὲ ὑστερηθῶσιν, ἐπιγινώσκουσι τὸν κύριον. καὶ χοῖρος ὅταν τρώγῃ, οὐκ οἶδε τὸν κύριον· ὅταν δὲ πεινάσῃ, κραυγάζει· καὶ λαβὼν πάλιν, σιωπᾷ. οὐδὲ μὴ φάγῃς, φησὶν, τὸν ἀετὸν, οὐδὲ τὸν ὀξύπλεγα, οὐδὲ τὸν ἰκτῖνα, οὐδὲ τὸν κόρακα· Οὐ μὴ, φησὶ, κολληθήσῃ ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵτινες οὐκ οἴδασι διὰ κόπου καὶ ἱδρῶτος ποιεῖν ἑαυτοῖς τὸν τροφὴν, ἀλλ' ἁρπάζουσι τὰ ἀλλότρια ἐν ἀνομίᾳ αὐτῶν, καὶ ἐπιτηροῦσιν ὡς ἐν ἀκριβείᾳ τινὶ περιπατοῦντες· καὶ καθήμενα ἀργὰ ταῦτα ἐκζητοῦσι τῶν ἀλλοτρίας σάρκας καταφάγῃ, ὅντα λοιμὰ τῇ πονηρίᾳ αὐτῶν. καὶ, Οὐ φάγῃς, φησὶ, σμύραιναν, οὐδὲ πολύποδα, οὐδὲ σηπίαν. ὁ μὴ, φησὶν, ὁμοιωθήσῃ κολλώμενος ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵτινες εἰς τέλος εἰσὶν ἀσεβεῖς καὶ κεκρυμμένοι τῷ θανάτῳ, ὡς καὶ ταῦτα τὰ ἰχθύδια μόνα ἐπικατάκλυστα ἐν τῷ βυθῷ νήχεται, μὴ κολυμβῶντα ὡς τὰ λοιπὰ, ἀλλ' ἐν τῇ γῇ καὶ τῷ βύθῳ κατοικεῖ. ἀλλὰ καὶ, Τὸν δασύποδα οὐ φάγῃ, φησὶν. πρὸς τί; ὁ μὴ γένῃ παραβάθρος, οὐδὲ ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις. ὅτι ὁ λαγωὸς καθ' ἑκάστου ἔτος πλείονα ἢ ἀσθένειαν. ὅσα γὰ ἔτη ζῇ, τοσαύτας ἔχει πύρας. ἀλλ', Οὐδὲ τὴν αἶναν φάγῃ· οὐ μὴ, φησὶ, γένῃ μοιχὸς οὐδὲ φθορεύς, οὐδὲ ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις· πρὸς τί; τοῦτο γὰ τὸ ζῶον παρ' ἑαυτὸν ἀλλάσσει φύσιν, καὶ ποτὲ μὲν ἄρρεν, ποτὲ δὲ θῆλυ γίγνεται· ἀλλὰ καὶ γαλῆν ἐμίσησε καλῶς. οὐ μὴ γὰ φησὶν, ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις οἷς ἀκούομεν ἀνομίαν ποιοῦντας τῇ σάρκι δι' ἀκαθαρσίαν, οὐδὲ κολληθήσῃ ταῖς ἀνομίαις ποιούσαις τῇ σάρκι. τὸ γὰ ζῶον τοῦτο τῇ σάρκι κύει. Περὶ μὲν βρωμάτων μὴν οὖν Μωσῆς τεία δόγματα ἐν πνεύματι ἐλάλησεν· οἱ δὲ καθ' ἐπιθυμίαν σαρκὸς, ὡς περὶ βρωμάτων ἐλέξαντο. Λαμβάνει δὲ τεῖαν δογμάτων γνῶσιν Δαυὶδ, καὶ λέγει ὁμοίως, Μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν (καθὼς οἱ ἰχθύες πορεύονται ἐν σκότει ὡς τὰ βάθη) καὶ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν οὐκ ἔστη (καθὼς οἱ δράκοντες φοβοῦνται κύειον ἁμαρτάνουσιν ὡς χοῖροι) καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν οὐκ ἐκάθισε (καθὼς τὰ πετεινὰ τὰ καθήμενα εἰς ἀρπαγὴν·) ἔχετε τελέως καὶ περὶ γνώσεως. ἀλλ' ἅπας Μωσῆς, Φάγεσθε πᾶν δίχηλον καὶ μαρυκώμενον. τί λέγει; ὁ τὸ τροφὴν λαμβάνων οἶδε τὸν τρέφοντα αὐτὸν, καὶ ἐπ' αὐτῷ ἀναπαυόμενος εὐφραίνεται δοκῶ. καλῶς εἶπε, βλέπων ἐντολήν. τί δὲ λέγει; κολλᾶσθε μὴ τοῖς φοβουμένοις τὸν Κύριον· μὴ τοῖς μελετῶντα ὃ ἔλαβον διάσαλμα ῥήμασι ἐν τῇ καρδίᾳ· μὴ τοῖς λαλοῦσιν τὰ δικαιώματα Κυρίου καὶ τηροῦσιν· μὴ τοῖς εἰδόταν, ὅτι ἡ μελέτη ἔργον ἔστιν εὐφροσύνης, καὶ μεμυκωμένων τὸν λόγον τοῦ Κυρίου· τί δὲ τὸ δίχηλον; ὅτι ὁ δίκαιος ἐν τούτῳ κόσμῳ περιπατεῖ, καὶ τὸν ἅγιον αἰῶνα ἐκδέχεται. βλέπετε πῶς ἀνομοθέτησε Μωσῆς καλῶς, *Quod dixit Moses,* Nè vescimini porco, neq; aquilâ, neq; oxyptero, neque corvo, neque pisce qui squamis careat, *in secreto intellectu tria comprehendit dogmata. Quò tendat disertè ipse in Deuteronomio ostendit,* Et testabuntur populo meo justa mea. *Non igitur præceptum Dei propriè est, hoc vel illo non vesci: sed in spiritu dixit ista Moses. De* porco *hoc est quod voluit; nolite conglutinari cum hominibus illis qui porcis sunt similes. Nam dum luxu diffluunt, oblivíscuntur domini sui: Ubi autem res contrà eunt, agnoscunt dominum. Nam & porcus ubi comedit non curat dominum; ubi esurit, clamat; & rursum ubi quod edat accepit, tacet.* Neq; comedas *inquit,* aquilam, neq; oxypterum, neq; milvum, neque corvum: *Hoc dicit, nè conglutineris hominibus ejusmodi qui labore ac sudore victũ sibi nescíunt quærere, sed aliena rapiunt injustè factis suis, insidiásque ponunt specie sumptâ bonâ fide ambulantium: Sic & animantia illa odiosa dum desident, speculantur quomodo alienis se pascant carnibus, noxia malo suo ingenio.* Nè comedas *etiam* murænam, *inquit,* nec polypum, nec sepiam. *Hoc dicit, nè agglutinando similem te reddas hominibus talibus qui perpetuò sunt impii, & morti servantur, sicut piscium illi soli qui damnantur in fundo natant, nec in summo, ut cæteri, fluitant, sed in imo solo degunt. Sed,* nec dasypodem comedas, *inquit.* Cur verò? id est, *nè fias puerorum corruptor, aut similis talibus. Lepus enim anno*

quoque

quoque ad ejectamenta alvi fit opulentior. Quot enim habet annos, totidem & cavernas. Sed, nec hyænâ, *ait*, vescere, *i. nec adulter esto, aut similis adulteris. Unde hoc? Hoc enim animal quotannis mutat naturam, & nunc mas fit, nunc femina. Sed & mustelam meritò odio habuit. Nimirum hoc monet, noli similis esse illis quos audimus ore infamia patrare, neque aggrega te feminis in eum modum morigerantibus: nam animal illud ore concipit. De cibis ergò loquens Moses tria dogmata in spiritu eloquutus est. At illi pro cupidine carnis suæ simpliciter de cibis ea accepere. At trium illorum dogmatum cognitionem etiam David consecutus est. Dicit enim*, Beatus vir qui non ambulavit in consilio impiorum, *nimirum quomodo pisces versantur in tenebris in profundo abditi*; & in via peccatorum non stetit, *nimirum ut illi, qui cùm videantur Deum timere, peccant porcorum instar*; & in cathedra pestilentium non sedit, *nimirum ut volucres quæ raptui imminent. Habete & ea quæ ad scientiam pertinent. Dixit Moses*, Edite omne bifidum ungulis & ruminans. *Quid ait? qui cibum sumit, agnoscitque altorem suum, & in eo acquiescens lætatur. Bene dixit ad præceptum respiciens. Quid igitur dicit? Adhærendum iis qui Dominum timent; iis qui in corde meditantur quod accepere in verbis præceptum; iis qui loquuntur justa Dei, eáque servant; iis qui norunt meditationem opus esse justitiæ; iis qui sermones divinos ruminant. Quid verò* bifidum ungulis? *quia vir justus in hoc ævo ambulat, & alterum ævum exspectat. Vide quàm pulcre leges dederit Moses.* Laudat hæc Barnabæ Clemens Strom. 5. Habes autem multa partim his eadem, partim similia in Philone libro De agricultura, & libro, Pejorem insidiari meliori, quæ longum esset transcribere. Similia ex Aristæo habet Eusebius lib. 8. cap. 9.

(d) *Incolis autem vesci liceret*] Piis scilicet, sed non circumcisis, de quibus agitur & Levitici 22. 25. & 25. 47. & in Thalmudicis titulis de Rege & Synedrio, & apud Maimonidem libro De idololatria.

(e) *Messiæ temporibus cessaturam legem de cibis vetitis, & suillam non minùs puram fore quàm bubulam*] Ità R. Samuel in Mecor Chaim. Thalmud in titulo Nida, Legem ait non mansuram nisi ad tempora Messiæ. Notandum etiam quosdam Judæorum magistros, inter quos est Bachai, sentire leges de cibis vetitis proprias esse terræ Palæstinæ, nec extra eos fines quenquam illis obligari. Multa etiam animantium nomina quid significent, aut ignotum esse Judæis, aut inter ipsos controversum; quod credi non debet permissurum fuisse Deum, si ad hunc diem maneret obligandi vis.

X. Hi universim omnes instituti sunt in memoriam beneficii à Deo accepti cùm ex Ægyptiaca calamitate liberarentur, atque deinde deducerentur in terram promissam. Jam verò Propheta Jeremias 16, & 23 capite ait, tempus venturum quo nova multóque majora beneficia istius beneficii memoriam ità obscurent, ut ejus vix ulla mentio sit futura. Tum verò, quod modò de sacrificiis dicebamus, etiam de festis diebus verum est, iis quoque confidere populum cœpisse, tanquam his bene observatis non magni ducenda essent quæ de cætero peccarentur. Unde Jeremiæ cap. 1. Deus ait se calendas ipsorum & dies festos fastidire, & oneri tanto sibi esse ut vix queat sustinere. De sabbato specialiter opponi solet, esse præceptum universale & perpetuum; quippe non uni populo datum, sed in ipsa mundi origine Adamo omnium parenti. Respondeo, assentientibus Hebræorum doctissimis, duplex esse præceptum de sabbato, (a) præceptum recordandi Exod. 20. 8. (b) & præceptum observandi Exod. 31. 31. Præceptum recordandi impletur religiosâ memoriâ mundi conditi. Præceptum observandi situm est in exacta abstinentia ab omni alio opere. Prius illud præceptum ab initio datum fuit, atque ei haud dubiè (c) paruerunt viri pii ante Legem, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob; quorum quidem postremorum cùm multæ peregrinationes legantur, (d) nullum usquam indicium est itineris ob Sabbatum intermissi, quod post exitum ex Ægypto perpetuò reperias. Nam postquam eductus ex Ægypto populus, & feliciter transgressus Rubrum mare, primum diem securum egit sabbatum, eóque cecinit Deo Epinicium, ex eo tempore imperata est exacta illa sabbati quies, cujus prima mentio est in collectione mannæ Exod. 35. 2. Levit. 23. 3. Et hoc sensu causa legis de sabbato redditur liberatio ex Ægypto Deut. 5. 21. Et simul hâc lege consultum est servis adversùs dominorum duritiem, nullam ipsis à laboribus respirationem indulgentium, ut dictis locis videre est. Verum est, (e) hâc lege obstrictos fuisse etiam incolas, quia scilicet una debebat esse totius populi quiescentis facies. Cæterùm aliis populis non datam hanc exactæ quietis legem, vel indè apparet, quòd multis in locis vocatur Signum, atque etiam fœdus speciale inter Deum & Israelitas, ut Exodi 31. 13, 16. Jam verò, quæ in memoriam exitûs ab Ægypto instituta sunt, non esse talia ut nunquam cessare debeant, suprà jam ostendimus ex promisso majorum multò beneficiorum. Adde quòd, si lex de quiete sabbati fuisset ab initio lata, & eo sensu ut tolli nunquam posset, sanè prævaluisset illa lex in conflictu aliarum legum, quod nunc contrà se habet: Nam (f) circumcidi infantes rectè in sabbato constat; (g) sicut & stante Templo victimæ sabbatis non minùs quam diebus aliis jugulabantur. Mutabilitatem hujus legis ipsi Hebræorum magistri ostendunt, cùm aiunt, ad imperium Prophetæ rectè opus fieri sabbato, quod probant exemplo captæ Hierichontis die sabbati, imperante Josua. Messiæ autem temporibus discrimen dierum sublatum iri non malè eorundem nonnulli ostendunt ex Esaiæ loco cap. 66. 23. ubi prædicitur, fore ut perpetuus sit Dei cultus à sabbato ad sabbatum, à novilunio ad novilunium.

ANNOTATA.

(a) *Præceptum recordandi*] זכור.

(b) *Et præceptum observandi*] שמור. Distinctio est Mosis Gerundensis, Isaaci Aramæ.

(c) *Paruerunt viri pii ante Legem*] A quibus etiam ad Græcos septimæ diei veneratio aliqua pervenit, ut notatum Clementi. Vide quæ huc pertinentia diximus libro 1.

(d) *Nullum usquam indicium est itineris ob sabbatum intermissi*] Hoc sensu illorum temporum pios σαββατίσαι, i. *sabbata observasse*, negat Justinus cum Tryphone disputans, & Tertullianus adversùs Judæos duobus locis.

(e) *Hâc lege obstrictos fuisse etiam incolas*] Non etiam alios qui extra Judæam præcepta posterorum Noæ data observabant. Ità sentiunt Hebræi.

(f) *Circumcidi infantes rectè in sabbato constat*] Proverbium Hebraicum מילה דוחה את השבת *Circumcisio pellit sabbatum.* Vide Joh. 7. 22.

(g) *Sicut & stante Templo victimæ non minùs sabbatis quàm diebus aliis jugulabantur*] Num. 28. 9.

XI. Veniamus ad Circumcisionem; quæ sanè Mose est antiquior, quippe Abrahamo imperata ejúsque posteris. Sed hoc ipsum præceptum inchoatio fuit fœderis per Mosem publicati. Sic enim dixisse Deus Abrahamo legitur Gen. 17. *Dabo tibi & posteritati tuæ terram in qua peregrinus egisti, terram, inquam, Cananæam in possessionem duraturam. Tu ergò fœdus meum serva, tu, inquam, & posteritas tua per sæcula. Hoc est fœdus inter me & vos vestrámque posteritatem, ut circumcidatur omnis mas.* Atqui jam suprà intelleximus in hujus fœderis locum successurum fœdus novum, & quidem commune populis omnibus; quam ob causam cessare etiam debuit necessitas illa notæ discriminatricis. Est & hoc manifestum, in præcepto Circumcisionis contineri mysticam quandam & excellentiorem significationem, quod ostendunt Prophetæ, (a) cùm jubent cor circumcidi, quò spectant Jesu præcepta omnia: quare & promissa Circumcisioni addita simili modo necesse est ad majus aliquid referantur; nempe illud de possessione terrestri (b) ad revelationem possessionis

nis verè æternæ, quæ nunquam apertiùs quàm per Jesum facta est; & (c) de Abrahamo constituendo in patrem plurimarum gentium, in id tempus quo non pauci aliquot populi, sed innumeri toto orbe diffusi, imitaturi essent illam adeò memoratam Abrahami in Deum fiduciam; quod profectò non nisi per Euangelium contigit. Mirum autem non est, umbras destinati operis auferri opere impleto. (d) Dei verò gratiam huic signo adstrictam non esse, satis hinc discas, quòd non vetustiores tantùm, sed & ipse Abrahamus adhuc incircumcisus Deo placuit, (e) & toto tempore itineris per Arabum deserta omissa ab Hebræis Circumcisio fuit, Deo ob id nihil expostulante.

ANNOTATA.

(a) *Cùm jubent cor circumcidi*] Deut. 10.16. & 30.6. Jer. 4.4.

(b) *Ad revelationem possessionis verè æternæ*] Heb. 4.

(c) *De Abrahamo constituendo in patrem plurimarum gentium, in id tempus quo non pauci aliquot populi, sed innumeri toto orbe diffusi, imitaturi essent illam adeò memoratam Abrahami in Deum fiduciam*] Gen. 17. 5. Rom. 4 11, 13, 16, 17. Luc. 19. 9. Gal. 3. 7.

(d) *Dei verò gratiam huic signo non adstrictam fuisse*] Ἐπειδὴ εἰς ζημίαν τῶν δεδομένων, ἀλλ' οὐκ εἰς δικαιοσύνης ἦγον, ait Justinus colloquio cum Tryphone, *Siquidem ista vestra Circumcisio in signum data erat, non in opus justitiæ.* Irenæus lib. 4. cap. 30. *Quoniam autem & Circumcisionem, non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptura discimus. Dixit enim, inquit, Deus ad Abraham, Circumcidetur omne masculinum vestrum, & circumcidetis carnem præputii vestri, & erit in signum testamenti inter me & vos.*

(e) *Et toto tempore itineris per Arabum deserta omissa ab Hebræis Circumcisio fuit*] Jos. 5. 4, 5, 6.

XII. Certè erat cur magnas gratias agerent Jesu & ejus legatis Hebræi, quòd gravi illo rituum onere per ipsum liberarentur, certíque suæ libertatis fierent (a) per dona ac miracula Mosi nihil cedentia. Sed tamen primi nostri dogmatis publicatores nè hoc quidem ab illis exegerunt, ut suam hanc felicitatem agnoscerent; sed si præcepta Jesu omnis honestatis plenissima susciperent, facilè passi sunt eos in rebus mediis (b) sequi quem vellent vivendi modum; (c) ità tamen ut alienigenis, quibus lex illa rituum nunquam data fuerat, ejus observandæ necessitatem non imponerent: quod vel unum satis est, ut evidenter ostendatur, iniquè à Judæis rejecta Jesu dogmata prætextu illo legis ritualis. Solutâ hâc objectione, quæ prope unica miraculis Jesu opponi solet, veniamus ad alia argumenta quæ ad Judæos convincendos sunt idonea.

ANNOTATA.

(a) *Per dona ac miracula Mosi nihil cedentia*] Miracula Messiæ majora esse debere quàm Mosis dixit R. Levi ben Gerson, quod vel maximè patuit in mortuis resuscitatis.

(b) *Sequi quem vellent vivendi modum*] Act. 16. 3. & 21. 24. Rom. 14. 1 Cor. 9. 17. Gal. 5. 6. Col. 3. 11.

(c) *Ità tamen ut alienigenis, quibus lex illa rituum nunquam data fuerat, ejus observanda necessitatem non imponerent*] Act. 15. Gal. 1. 6. & 2. 13, 15. & 4. 10. & 6. 12.

XIII. Constat inter nos & ipsos, in Prophetarum vaticiniis supra multos qui Hebræis Divinitus contigerunt magnorum bonorum autores, unum multò cæteris excellentiorem promitti, quem nomine communi quidem, sed huic uni eximiè competente, MESSIAM vocant. Eum nos pridem venisse asserimus; illi venturum exspectant. Supereſt ut de ea lite judicium quæramus in iis libris quorum autoritatem pariter agnoscimus.

XIV. Daniel, (a) cui summæ pietatis testimonium Ezechiel perhibuit, neque nos decipere voluit, neque deceptus est ab Angelo Gabriele. Is autem Angelo dictante cap. 9. conscriptum reliquit, post promulgatum edictum de instauranda urbe Hierosolymorum non elapsuros annos quingentos (b) quin adesset Messias. Atqui in hunc diem elapsi sunt ab eo tempore plus bis mille anni, nec adest is quem Judæi exspectant: nec quenquam alium nominare possunt in quem id tempus quadret: In Jesum autem tam bene convenit, ut magister Hebræus Nehumias, qui annis 50 eum præcessit, apertè jam tum dixerit, non posse ultra eos 50 annos protrahi tempus Messiæ à Daniele significatum. Cum hac temporis nota congruit altera, quam suprà attigimus, (c) de imperio in omnes nationes dando Divinitus, (d) postquam Seleuci & Lagi posteritas regnare desiisset; quarum posterior in Cleopatra desiit, non multò antequam Jesus nasceretur. Tertia nota est dicto cap. 9. apud Danielem, quòd post Messiæ adventum exscindenda esset urbs Hierosolyma; quod de excidio urbis vaticinium (e) ipse Josephus ad suam refert ætatem: unde sequitur, tempus Messiæ adventui præstitutum jam tum præteriisse. Eodèm pertinet quod apud Aggæum cap. 2. Deus Zorobabelem Ethnarcham & Jesum Josedeciden Pontificem Maximum mœstos, quòd viderent excitatum à se templum non respondere magnitudini prioris templi, solatur hoc promisso, futurum ut major honos isti Templo quàm priori contingeret; quod profectò neque de mole operis, neque de materia, neque de arte, neque de ornatu dici posse historia horum temporum in Sacris literis & apud Josephum, collata cum ea quæ est de templo Salomonis, indubitatum facit. Adde quòd Hebræorum magistri annotant duas maximas dotes defuisse Templo posteriori quæ priori adfuerant, (f) conspicuam quandam lucem Divinæ majestatis indicem, & Divinum afflatum. Sed quo Templum hoc posterius priori præstiturum sit, ibi quidem breviter ostendit Deus, (g) cùm pacem suam, i. gratiam & benevolentiam, in eo templo se quasi sedere certo stabiliturum dicit. Latiùs autem exsequitur Malachias cap. 3. *Ecce mittam legatum meum, qui vias meas præparet. Brevi veniet in templum suum* (vixit autem Malachias tempore ædificati templi posterioris) (h) *Dominus ille quem vos desideratis, internuncius ille fœderis, delicia vestra.* Venire ergò debuit Messias stante Templo secundo, (i) quo nomine apud Hebræos venit totum illud ævum à Zorobabele ad tempus Vespasiani; quia Herodis magni temporibus Templum non ex ruinis resuscitatum fuit, (k) sed paulatim per partes innovatum: quales mutatio facit idem Templum appellari. Et sanè tam constans apud Hebræos & vicinos fuit opinio illis temporibus exspectandum Messiam, ut (l) multi Herodem, (m) alii Judam Gauloniten, (n) alii alios, qui circa Jesu tempora vixerunt, pro Messia haberent.

ANNOTATA.

(a) *Cui summa pietatis testimonium Ezechiel perhibuit*] 14. 14. & 28. 3. Josephus de Daniele fine libri 10. Ὅτι τὸ θεῖον ἐμπνεῦμα συμπάρεστι, *Spiritus Dei ei aderat.* Deinde, Ἀφικτο γὰρ αὐτῷ παρὰ θεοῦ ὡς ὑπὲρ τὴν ἀνθρωπίνην μεγίστων ἐυτυχηθῆναι μοῖρῶν, καὶ παρὰ τὰ ζῶντα χρόνον τιμὴν τε καὶ δόξαν παρὰ πάντων βασιλέων καὶ τῶν πολίτων· καὶ πολυτίμως δὲ μνήμην αἰώνιον ἔχει. τὰ δὲ βιβλία ὅσα δὴ συγγεγράφαμεν καταλέλοιπεν, ἀναγινώσκεται παρ' ἡμῖν ἔτι καὶ νῦν, καὶ πιστεύομεν ἐξ ἐκείνων ὅτι ἐφοίτα τῷ θεῷ, *Omnia illi supra fidem, & quantum maximorum Prophetarum ulli succedebant: dumque vixit, in summa gratia ac honore fuit apud reges & populum: & postquam mortuus est, æterna ejus viget memoria. Leguntur enim apud nos in hunc diem libri quos à se conscriptos reliquit, quorum testimonio crédimus fuisse Danieli cum Deo commercium.*

(b) *Quin adesset Messias*] *Filium hominis* apud Danielem esse Messiam consentiunt magni Judæorum magistri Salomon Jarchi, Rabbi Josue citatus ab Abenesdra, & Szadias;

Saadias. Sic & Rabbi Joſe, qui excidium Templi vidit, Meſſiæ tempus adveniſſe dicebat, ut teſtatur R. Jacob in Caphthor.

(c) *De imperio in omnes nationes dando Divinitus*] Lapidem illum cujus percuſſu imago illa imperiorum figuram habens comminuenda eſſet, Meſſiam eſſe tradidit R. Levi ben Gerſon : & regnum illud cætera regna abſumpturum eſſe regnum Meſſiæ docent R. Solomo, R. Abeneſdra, & R. Saadia.

(d) *Poſtquam Seleuci & Lagi poſteritas regnare deſiiſſet*] Vide quæ hac de re annotata ad lib. 1.

(e) *Ipſe Joſephus ad ſuam refert ætatem*] Lib. 10. c. 12. Τὸν αὐτὸ χρόνον Δανιὴλος καὶ περὶ τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἁλωθήσεται. Ταῦτα πάντα ἐκεῖνος ὁ θεοῦ θεράπων ἀπὸ συγγενείας καλέσαντος, ὥσπερ νῦν ἀναγινώσκοντας καὶ τὰ συμβάντα σκοποῦντας θαυμάζειν δεῖ τῆς παρὰ θεοῦ τιμῆς τὸν Δανιήλου. *Eodem tempore Daniel etiam de Romanorum ſcripſit imperio, & ferè ut ab eo gens noſtra vaſtetur. Hæc omnia ille Deo indicante præſcripta reliquit, ità ut non poſſint qui iſta legunt, & eventus conſiderant, non admirari Danielem ob honorem à Deo acceptum.* Septuaginta annorum hebdomadas finire in excidio Templi ſecundi etiam Jacchiades docet ad Dan. 9. 24.

(f) *Conſpicuam quandam lucem Divinæ majeſtatis indicem, & Divinum afflatum*] In titulo De documentis Gemara Hieroſolymitana cap. 3.

(g) *Cùm pacem ſuam, i. gratiam & benevolentiam, in eo Templo ſe quaſi fœdere certo ſtabiliturum dicit*] Notandum eſt quod præcedit, *Veniet deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloriâ :* quod mirificè convenit cum iis quæ jam addimus ex Malachia, ità ut hi duo Prophetæ mutuò interpretum fungantur vice. Venire debuiſſe Meſſiam in Templum ſecundum ſenſit Rabbi Akiba, multíque alii teſte Rabbino Solomone.

(h) *Dominus ille quem vos deſideratis*] Hunc Malachiæ locum communiter Judæi de Meſſia exponunt.

(i) *Quo nomine apud Hebræos venit totum illud ævum à Zorobabele ad tempus Veſpaſiani*] Ut in Thalmude capite ultimo de Synedrio, & titulo Joma, & titulo Roſch Haſchana.

(k) *Sed paulatim per partes immutatum, qualis mutatio facit idem Templum videri*] Philo de Mundo, Οὐ γὰρ δήπουθεν ἃ πάντα μέρη φθείρεται, φθαρτόν ἐστιν ἐκεῖνο· ἀλλ' ἃ πάντα τὰ μέρη ἅμα καὶ ἐν ταὐτῷ ἀθρόα καθ' ἑαυτὸν χρόνον, *Non cujus partes pereunt, utique interitui obnoxium eſt; ſed cujus omnes partes ſimul & eodem tempore pereunt.* Adde L. *Proponebatur*, D. De Judiciis, & L. *Quid tamen* §. *In navis*, D. Quibus modis uſusfructus amittatur.

(l) *Multi Herodem*] Hi *Herodiani* Matth. 22. 16. Marc. 3. 6. & 8. 15. & 12. 13. Tertullianus in hæreticorum enumeratione, *Cum his etiam Herodianos, qui Chriſtum Herodem eſſe dixerunt.* Paria habet de his Epiphanius, quibuſcum convenit vetus ad Perſium Scholiaſtes, *Herodes apud Judæos regnavit tempore Auguſti in partibus Syriæ. Herodiani ergò diem natalem Herodis obſervabant, ut etiam Sabbata, quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponunt.*

(m) *Alii Judam Gauloniten*] Vide Joſephum 18. 1. Act. 5. 36.

(n) *Alii alios*] Act. 21. 38. Joſephus plura exempla habet temporibus Felicis : & poſt excidium quædam.

XV. Sentiunt ſe premi his argumentis de Meſſiæ adventu Judæi : quæ ut eludant, nonnulli aiunt ſua peccata in cauſa fuiſſe quò minùs promiſſo tempore adveniret. (a) Ut omittam, in dictis vaticiniis definitum, non aliquâ conditione ſuſpenſum decretum indicari : quomodo ob peccata differri adventus potuit, cùm hoc quoque prædictum eſſet, (b) ob plurima & maxima populi peccata urbem exſcindendam paulò poſt Meſſiæ tempora ? Adde quòd Meſſias venturus erat hac quoque de cauſa, (c) ut corruptiſſimo ſeculo medicinam faceret, ſimúlque cum emendandæ vitæ regulis criminum veniam adferret ; unde de ejus temporibus apud Zachariam dicitur cap. 13. fore tunc fontem apertum domui Davidis, & Hieroſolymitis omnibus, ad peccata abluenda : & apud ipſos Hebræos receptum eſt Meſſiam appellare (d) ISCHCOPHER, h.e. *placaturem*. Planè autem à ratione abhorret, dicere ob morbum aliquem dilatum id quod præciſè ei morbo erat deſtinatum.

ANNOTATA.

(a) *Ut omittam, in dictis vaticiniis definitum, non aliquâ conditione ſuſpenſum decretum indicari*] Id diſertè affirmat R. Jochanan in Schemoth rabba, & R. David Kimchi in Pſal. 108. 5. Bene de Daniele Joſephus lib. 10. circa finem, Οὐ γὰρ τὰ μέλλοντα μόνον προεῖπεν ὁ προφήτης, καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι προφῆται, ἀλλὰ καὶ καιρὸν ὥρισεν εἰς ὃν ταῦτα ἀποβήσεται, *Non enim ſolùm futura prædixit toto vitæ ſuæ tempore, ut & alii Prophetæ, ſed & tempus definivit quo quæque eventura erant.* Nullâ conditione ſuſpenſum fuiſſe decretum de Meſſia illo tempore mittendo apparet & ex Malachiæ 3. 1. Præterea cùm N. Federis autor deberet eſſe Meſſias, ut & ibi Malachias & alii Prophetæ oſtendunt, non potuit ejus adventus ſuſpendi à conditione obſervati federis quod antiquatum venerat.

(b) *Ob plurima & maxima peccata urbem exſcindendam paulò poſt Meſſiæ tempora*] Dan. 9. 24.

(c) *Ut corruptiſſimo ſeculo medicinam faceret, ſimúlque cum emendandæ vitæ regulis criminum veniam adferret*] Eſaias 53. 4, & ſeqq. Jeremias 31. 31, & ſeqq. Ezechiel 11. 19, 21.

(d) ISCHCOPHER] Vide Chald. Paraph. Cant. 1. 14. Meſſiam peccata noſtra portaturum dicit R. Judas in Chaſidim, R. Simeon in Bereſchith rabba.

XVI. De eo quod dicimus, adveniſſe pridem in terras Meſſiam, ipſe etiam ſenſus Judæos poteſt convincere. (a) Promiſit Deus fœdere per Moſem inito ipſis felicem poſſeſſionem terræ Palæſtinæ quamdiu vitam ſuam ad Legis præſcriptum componerent : (b) Contrà, ſi adverſùs eam graviter delinquerent, exſilium aliáque id genus mala ipſis minatus eſt. Quòd ſi tamen aliquo tempore preſſi malis, & pœnitentiâ peccatorum ducti, ad obedientiam rediiſſent, ſe miſericordiâ populi tactum iri, effectumque ut, quamvis in ultimas mundi plagas diſperſi, redirent in patriam, ut videre eſt tum alibi tum Deut. 30. & Neh. 1. Atqui jam anni ſunt mille & ultra quingentos quòd Judæi patriâ carent, Templo carent, (c) & ſi quando novum ædificare voluerunt, ſemper ſunt impediti : etiam flammarum globis ad fundamenta erumpentibus cum operarum pernicie, (d) quod ab Ammiano Marcellino ſcriptore non Chriſtiano proditum eſt. Cùm olim populus graviſſimis ſceleribus ſe contaminaſſet, liberos paſſim ſacrificaſſet Saturno, adulteria pro nihilo duceret, viduas & pupillos expilaret, inſontem ſanguinem magnâ copiâ funderet, (e) quæ omnia illis Prophetæ exprobrant, paſſus eſt exſilium, (f) ſed non diutiùs annis 70. atque interea non omiſit Deus (g) per Prophetas illos alloqui & ſolari ſpe reditûs, (h) indicato etiam ejus tempore. At nunc, (i) ex quo ſemel ejecti patriâ ſunt, manent extorres, contempti : nullus ad eos venit Propheta; nulla futuri reditûs ſignificatio : magiſtri ipſorum, quaſi ſpiritu vertiginis afflati, ad turpes fabulas & ridicula dogmata delapſi ſunt, quibus ſcatent libri Thalmudici, quos legem ore datam audent dicere, & cum iis quæ Moſes ſcripſit conferre, aut iis præferre etiam. Nam quæ ibi leguntur (k) de Dei fletu, quòd urbem paſſus ſit exſcindi, (l) de ejus quotidiana diligentia in legenda lege, (m) de Behemotho & Leviathane, (n) multíſq; rebus aliis, tam ſunt abſurda ut etiam referre tædeat. Et tamen tanto tempore Judæi, nec ad falſorum deorum cultus deflexerunt ut olim, nec cædibus ſe contaminant, nec de adulteriis accuſantur : (o) Deum verò & precibus & jejuniis certant placare; nec exaudiuntur. Quæ cùm ità ſe habeant, omnino ex duobus alterum ſtatuendum eſt;

aut

aut fœdus illud per Moſem factum omnino eſſe abolitum, aut teneri Judæorum univerſitatem gravis alicujus peccati tot jam per ſecula durantis: quod quale ſit ipſi dicant; aut ſi dicere non poſſunt, nobis credant, peccatum illud eſſe contempti Meſſiæ, qui antè advenerit quàm hæc mala ipſis contingere cœperunt.

ANNOTATA.

(a) *Promiſit Deus fœdere per Moſem inito ipſis felicem poſſeſſionem terræ Paleſtinæ quamdiu vitam ſuam ad Legis præſcriptum componerent*] Exod. 15. Lev. 18. Deut. 6, 7, 11, 28.

(b) *Contrà ſi adverſus eam graviter delinquerent, exſilium aliáque id genus mala ipſis minatus eſt*] Levit. 26. Deut. 4, 11, 28.

(c) *Et ſi quando novum ædificare voluerunt, ſemper ſunt impediti*] Sub Adriano, ſub Conſtantino, ſub Juliano. Chryſoſtomus 2 adverſus Judæos.

(d) *Quod ab Ammiano Marcellino ſcriptore non Chriſtiano eſt proditum*] Lib. 23. Chryſoſtomus 2 adverſus Judæos, Πῦρ ἐκπηδῆσ ἐκ τῆσ θεμελίων ἐυθέωσ κατέφλεξέ τ πολλὸς ἀνθρώπους, ὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸς λίθους τῦ τόπυ ἐκείνυ, *Ignis è fundamentis exſiliens multos homines combuſſit, ipſos quinetiam loci illius lapides.* Totus locus dignus qui legatur. Paria habet ſcriptor idem in Matthæum Hom. 4. & Sermone, Chriſtum eſſe Deum.

(e) *Quæ omnia illis Prophetæ exprobrant*] Eſa. 1. 17. & 3. 14, 15. & 5. 23. & 11. 2, 3. & 59. & 65. Amos 2. 6. Jerem. 2, 3, 5. & 7. 31. & 8, 9, 11, 16, 22. Ezech. 2, 6, 7, 8, 16, 22, 24. Dan. 9. Micheas 2. 1, 2, 3.

(f) *Non diutiùs annis LXX*] Objicit hoc R. Samuel in epiſtola ad R. Iſaacum.

(g) *Per Prophetas illos alloqui & ſolari ſpe reditûs*] Jerem. 30, 31, 33. Ezech. 36. & 37.

(h) *Indicato etiam ejus tempore*] Jer. 25. 15. & 29. 10.

(i) *Ex quo ſemel ejecti patriâ ſunt, manent extorres, contempti: nullus ad eos venit Propheta*] Thalmud in Baba Bathra.

(k) *De Dei fletu, quòd urbem paſſus ſit exſcindi*] Præfatio Echa Rabthi. Similia in Thalmude, titulo Chagiga, in Debarim Rabba & in Berachoth.

(l) *De ejus quotidiana diligentia in legenda Lege*] Thanith; Aboda Zara.

(m) *De Behemotho & Leviathane*] Thalmud Baba Bathra. Paraph. Chald. ad Cant. Canticorum 8. 2.

(n) *Multiſque rebus aliis*] Quorum multa tranſcripſit Chriſtianus Gerſon in ſuo ad Judæos libro. Vide ejus capita de diabolis, de Meſſia, de revelationibus per Eliam, de Gehenna, de regno X tribuum trans amnem Sabbaticum, de Rabbinorum facinoribus.

(o) *Deum verò & precibus & jejuniis certant placare*] Quòd ſi ipſis credendum eſt, optimè de Deo merentur, Meſſiam falſum, quem tanta pars humani generis recepit, repudiando.

XVII. Et hæc quidem, ut diximus, oſtendunt, veniſſe jam ante tot ſecula Meſſiam: addimus nos, non alium eum eſſe quàm Jeſum. Nam quicunque alii pro Meſſia haberi ſe voluerunt, aut habiti ſunt, nullam reliquerunt ſectam in qua ea opinio perſeveraret. Nulli nunc aut Herodis, aut Judæ Gaulonitæ, aut qui Adriani temporibus Meſſiam ſe dixit, (a) & doctiſſimis quibuſdam impoſuit, (b) Barchochebæ ſectatores ſe profitentur. At Jeſu qui nomen dent, ex quo ipſe in terris fuit, in hunc diem fuerunt (c) ſúntque plurimi, nec in una regione, ſed quàm latè hic orbis patet. Poſſem hîc multa alia adferre olim de Meſſia prædicta aut credita, quæ in Jeſu eveniſſe credimus, cùm de aliis nè aſſeverentur quidem: quale eſt, (d) quòd ex Davidis fuit poſteritate, (e) quòd ex virgine natus eſt, (f) edocto ea de re cœlitus eo qui virginem eam duxerat, cùm ex alio prægnantem in matrimonio non fuerat retenturus, (g) quòd natus eſt Bethlehemi, (h) quòd dogma ſuum facere cœpit in Galilæa, (i) quòd omne genus morbos ſanavit, cæcis viſum, claudis greſſum dedit: ſed uno contentus ſum cujus effectus in hunc diem durat. Ex (k) Davidis, (l) Eſaiæ, (m) Zachariæ, (n) Oſeæ vaticiniis manifeſtiſſimum eſt, Meſſiam non tantùm Judæorum ſed & aliarum gentium magiſtrum fore: (o) per ipſum collapſuros cultus falſorum deorum, & ad unius Dei cultum perducendam ingentem multitudinem alienigenarum. Ante Jeſu adventum ſub falſis cultibus totus ferè orbis jacebat: deinde paulatim evaneſcere illi cœperunt, nec ſinguli tantùm homines, ſed & populi & reges ad unius Dei cultum converti. Hæc non Judæorum Rabbinis debentur, ſed Jeſu diſcipulis, eorúmq; ſucceſſoribus: ità (p) populus Dei factus eſt qui antè non erat, & impletum eſt quod per Jacobum prædictum fuerat Gen. 49. antequam planè tolleretur civilis poteſtas à poſteris Judæ, venturum SILO, quem (q) Chaldæus & alii interpretes MESSIAM exponunt, (r) cui parituræ eſſent etiam exteræ gentes.

ANNOTATA.

(a) *Et doctiſſimis quibuſdam impoſuit*] Ut Rabbi Akibæ, Thalmud in titulo de Synedrio, & liber Zemach David.

(b) *Barchochebæ*] Qui ὁ τ Ἰυδαίων ἀποστάτης ἀρχηγός Juſtino. Mentio ejus apud Euſebium, Hieronymum, Oroſium, Thalmudico titulo de Synedrio, in Bereſith rabba, apud Rabbinos Johannem & Abrahamum Salmanticenſem, & alios multis in locis.

(c) *Súntque plurimi, nec in una regione, ſed quàm latè hic orbis patet*] Vide quæ hac de re allata ad lib. 2.

(d) *Quòd ex Davidis fuit poſteritate*] Pſal. 89. 4. Eſa. 4. 2. & 11. 10. Jerem. 23. 5. Ezech. 34. 24. Mich. 5. 2. Matth. 1. 1. & 5. 20. & 9. 27. & 12. 23. & 15. 22. & 20. 30, 31. & 21. 9, 15. & 22. 42, & ſequentibus. Marc. 10. 47. & 12. 35, 36, 37. Luc. 1. 27, 32, 69. & 2. 4, 11. & 18. 38, 39. & 20. 42, 44. Joh. 7. 42. Act. 13. 34. & 15. 16. Rom. 1. 3. 2 Tim. 2. 8. Apoc. 5. 5. & 22. 16.

(e) *Quòd ex virgine natus eſt*] Eſaiæ 7. 14. Matth. 1. 18, 22, 23. Luc. 1. 35.

(f) *Edocto ea de re cœlitus eo qui virginem eam duxerat*] Matth. 1. 20.

(g) *Quòd natus eſt Bethlehemi*] Mich. 5. 2. Matth. 1. & 2. 2, 3, 4, 5, 6. Lucæ 2. 4.

(h) *Quòd dogma ſuum ſerere cœpit in Galilæa*] Eſa. 4. 1. Mat. 4. 12, 13. Marc. 1. 4. Luc. 4. 14, 15, 16. & alibi ſæpe.

(i) *Quòd omne genus morbos ſanavit, cæcis viſum, claudis greſſum dedit*] Eſaias 35. 5. & 61. 1. Mat. 11. 5. Luc. 4. 18. & alibi paſſim. Adde quòd mortuos reſuſcitavit; quod inter præcipuas Meſſiæ notas ponit R. Levi ben Gerſon.

(k) *Davidis*] Pſal. 2. 8. & 22. 28. & 68. 32. & 72. 8, 17.

(l) *Eſaiæ*] 2. 2. & 11. 10. & 14. 1. & 19, 18. & 27. 13. & 35. & 42. & 43. præcipuè 49. 6. & 51. 5. & 52. 15. & 54. & 55. 4, 5. & 60. 3, & ſeqq. & 65. 1, 2. & 66 19, & ſeqq.

(m) *Zachariæ*] 2. 11. & 8. 20, & ſeqq. & 9. 9, 10, 11. & 14. 16.

(n) *Oſeæ*] 2. 24.

(o) *Per ipſum collapſuros cultus falſorum deorum*] Eſaiæ 2. 18 20. & 31. 7. & 46. 1. Sophonias 1. 4, 5, 6. Zach. 13. 2.

(p) *Populus Dei factus eſt qui antè non erat*] Oſeæ 2. 24.

(q) *Chaldæus*] Tam Jonathan quàm Hieroſolymitanæ paraphraſeos ſcriptor. Item Thalmudici titulo de Synedrio, Bereſith Rabba, Jakumus ad Pentateuchum, Rabbi Solomo & alii. שבט, quod nunc Judæi volunt eſſe *virgam caſtigationum*, Thargum Chaldæo exponitur שלטן, & Græcis eodem ſenſu ἀρχων, Aquilæ ζαπτηρ, Symmacho ἐξουσία, שילה autem per בנו *filius ejus* exponunt Chaldæus, R. Siloh, R. Bachai, R. Salomo, Abeneſdra & Kimchi. Vide pulcre dicta de hoc loco apud Chryſoſtomum Serm. Chriſtum eſſe Deum.

(r) *Cui parituræ eſſent etiam exteræ gentes*] Vide dictum locum Eſaiæ 11. 10. qui huic lucem adfert.

XVIII. Opponi hîc à Judæis ſolet, quædam de temporibus Meſſiæ prædicta eſſe quæ non conſpiciantur

impleta: ſed quæ adducunt obſcura ſunt, aut diverſam recipiunt ſignificationem, propter quæ non debent deſerri ea quæ ſunt manifeſta; qualia ſunt ſanctitas præceptorum Jeſu, præmii excellentia, & in eo proponendo ſermo perſpicuus; quibus cùm accedant miracula, ſufficere hæc ad amplectendum ejus dogma debebant. Ad vaticinia, (a) quæ *libri clauſi* nomine nuncupari ſolent, rectè intelligenda opus ſæpe eſt Dei quibuſdam auxiliis, quæ meritò illis ſubtrahuntur qui aperta negligunt. Loca autem quæ objiciunt, variè exponi nè ipſi quidem ignorant: & ſi cui conferre libeat interpretes veteres, qui in Babylonico exſilio, aut alioqui circa Jeſu tempora exſtiterunt, cum his qui ſcripſerunt poſtquam Chriſtianorum nomen in odio apud Judæos eſſe cœpit, inveniet explicationes novas repertas partium ſtudio, cùm olim receptæ eſſent aliæ, quæ cum Chriſtianorum ſenſu ſatis conveniebant. Multa in S. literis non ex proprietate verborum, (b) ſed figurâ quadam eſſe intelligenda, nè ipſi quidem ignorant; (c) ut cùm Deus deſcendiſſe dicitur, cùm ei (d) os, (e) aures, (f) oculi, (g) nares tribuuntur. Quîdni ergò hunc in modum explicemus & pleraque de Meſſiæ temporibus dicta? qualia ſunt, (h) lupum cum agno, pardum cum hœdo, leonem cum pecore ſtabulaturum, luſurum cum anguibus infantem, (i) montem Dei ſurrecturum ſupra montes alios, venturos eò alienigenas ut ſacra faciant. Sunt quædam promiſſa, quæ ex antecedentibus aut conſequentibus verbis, aut etiam ex ipſo ſenſu, conditionem in ſe tacitam continent. Sic multa Hebræis promiſit Deus ſi Meſſiam miſſum reciperent, eíque parêrent: quæ ſi non eveniunt, habent ipſi quod ſibi imputent. Quædam verò etiam definitè & ſine conditione promiſſa, ſi impleta nondum ſunt, adhuc poſſunt exſpectari. Conſtat enim etiam apud Judæos, (k) tempus, ſive regnum, Meſſiæ durare ad finem ſeculorum.

ANNOTATA.

(a) *Quæ* libri clauſi *nomine nuncupari ſolent*] Eſaias 29. 11. Dan. 12. 4, 9, & ibi Jachiades. Vide quæ hanc ad rem diſſerit Chryſoſtomus Serm. 2. Cur obſcurum ſit V. Teſtamentum.

(b) *Sed figurâ quadam eſſe intelligenda, nè ipſi quidem ignorant*] Quomodo Maimonides in libro Jad locum Eſaiæ 11. 6. de Meſſiæ temporibus ἀλληγορικῶς vult intelligi. Idem dicit ad ipſum Eſaiæ locum David Kimchi: qui & ſimilia habet ad Jerem. 2. 15. & 5. 6.

(c) *Ut cùm Deus deſcendiſſe dicitur*] Ut Gen. 11. 5. & 18. 21. Vide de his ſimilibúſque locutionibus Maimoniden Doctoris dubitantium Parte 1. cap. 10. & 2. c. 29, & ſeqq. & eundem ad Deut. ubi de rege. Meſſiæ res fore cœleſtes ait liber cabaliſticus Nezael Iſrael.

(d) *Os*] Ut Jeremiæ 9. 12.

(e) *Aures*] Ut Pſal. 31. 3. & 34. 16.

(f) *Oculi*] Loco Pſalmi proximè citato.

(g) *Nares*] Pſal. 18. 9. Jer. 32. 37.

(h) *Lupum cum agno*] Dicto loco Eſaiæ 11. 6, & ſeqq.

(i) *Montem Dei ſurrecturum ſupra montes alios*] Eſaiæ 2. 2. Micheas 4. 1, & ſeqq.

(k) *Tempus, ſive regnum, Meſſia durare ad finem ſeculorum*] Perek Chelek p. 97.

XIX. Offendit multos humilis Jeſu fortuna; iniquè verò, cùm in S. literis paſſim dicat Deus, (a) erigi à ſe humiles, & ſuperbos ſterni. (b) Jacob extra ſe nihil præter baculum ferens Jordanem tranſiit: rediit eodèm maximâ vi pecoris ditatus. Moſes exſul, pauper, pecora paſcebat, (c) cùm ei in rubo Deus apparuit, populíque ſui ductum ei mandavit. (d) David itidem gregem paſcens ad regnum vocatur. Multíſque aliis exemplis talibus plena eſt Sacra hiſtoria. De Meſſia verò legimus, fore eum (e) lætum pauperibus nuncium; (f) non clamorem excitaturum in publico, aut jurgiis uſurum, ſed acturum leniter, ità ut parcat arundini concuſſæ, & in ellychnio fumigante alat quod reſtat caloris. Neque magìs cætera ejus mala, & mors ipſa, inviſum eum cuiquam facere debent. Nam ſæpe à Deo permitti ut pii ab impiis non vexentur modò, (g) ut Lothus à Sodomæ civibus, ſed interficiantur quoque manifeſtum eſt (h) exemplo Abelis parricidio enecti, (i) Eſaiæ diſſecti, (k) Maccabæorum fratrum cum matre ad mortem excruciatorum. Ipſi Judæi Pſalmum canunt 79. in quo hæc verba ſunt, *Dederunt ſervorum tuorum cadavera in cibum volucrium, reliquias eorum quos tu, ô Deus, amas, beſtiis: ſanguinem eorum effuderunt in pomœrio Hieroſolymorum; nec quiſquam fuit qui eos ſepeliret*, & quæ ſequuntur. Ipſum verò Meſſiam debuiſſe per ærumnas & mortem pervenire ad regnum ſuum, & ad poteſtatem ſummis bonis ornandi familiam ſuam, negare nemo poterit qui ad iſta Eſaiæ verba (l) cap. 53. animum volet attendere: *Quotuſquiſque credidit ſermoni noſtro & vim Dei agnovit? Idque ideo, quia ſurrexit illi, Deo aſpectante, tanquam tener ſurculus, tanquam herba ex ſolo arenoſo. In vultu ejus nihil puleri, nihil decori, nec ſi aſpiceres, quicquam erat quod oblectaret: contemptui patebat, & inter homines erat velut abjectiſſimus; multos dolores, multas agritudines expertus: omnes ſe ab eo avertebant: tanto erat deſpicatui, nullóque in pretio. Sed verè* (m) *noſtros ille morbos pertulit, noſtra mala toleravit. Nos illum habuimus tanquam de cœlo tactum, à Deo ictum atque depreſſum: ſed ob noſtra peccata vulneratus eſt, attritus ob noſtra crimina.* (n) *Pœna qua nobis ſalutem pareret ipſi impoſita eſt: tumices ipſius dati ſunt nobis pro remedio. Certè enim nos ut oves aberravimus omnes hinc atque illuc: ipſi Deus inflixit pœnam, qua noſtris criminibus debebatur. Et tamen cùm opprimeretur & graviſſimè cruciaretur, vocem non emiſit, ſicut agnus mactandus, aut ovis quæ tondetur, ſilent muta. Poſt vincula, poſt judicium è medio ſublatus eſt: ſed rurſus vita ejus durationem quis dignè eloqui poterit? Nimirum ex hoc loco, in quo nos vivimus, ereptus eſt: ſed hoc malum ei evênit ob populi mei ſcelera. Ad mortem uſque & ſepulturam datus eſt in manus potentium atque impiorum, cùm tamen nemini feciſſet injuriam, neque in ſermone ejus deprehenſus fuiſſet unquam dolus malus. Sed quanquam Deus eouſque eum paſſus eſt conteri doloribúſq; affici; tamen* (o) *quia ſe conſtituit hoſtiam piacularem,* (p) *videbit poſteritatem, vitam aget durabilem, & qua Deo ſunt placita per ipſum feliciter curabuntur. Liberatum ſe à malo conſpiciens, ait Deus,* (q) *voluptate ſatiabitur, eò maximè, quòd dogmate ſuo ipſe juſtus ſervus meus multos abſolvet, eorum crimina auferens. Dabo ei partem eximiam,* (r) *ubi inter præliatores ſpolia dividentur, quia morti ſe dedidit, & ſceleratis annumeratus eſt, cúmque pœnas alienorum criminum ferret ipſe, pro ſontibus ſe conſtituit precatorem.* Quis poteſt nominari, aut Regum, aut Prophetarum, in quem hæc congruant? Nemo ſanè. Quod autem recentiores Judæi commenti ſunt, agi hic de ipſo populo Hebræo diſperſo in omnes gentes, ut ſuo exemplo ac ſermone multos ubique proſelytos faceret, is ſenſus primùm plurimis S. literarum teſtimoniis repugnat, quæ clamant, Judæis (ſ) nihil mali accidiſſe quod non ipſum, & inſuper majora multò, ſuis factis eſſent promeriti. Deinde ipſa Propheticæ orationis ſeries eam non fert interpretationem. Dicit enim ſive Propheta, quod iſti loco videtur convenientius, ſive Deus, *hoc malum illi evênit ob populi mei ſcelera.* Populus autem Eſaiæ, aut etiam populus Dei peculiaris, eſt populus Hebraicus. Quare is qui tam gravia perpeſſus ab Eſaia dicitur, non poteſt idem populus eſſe. Meliùs antiqui Hebræorum magiſtri fatebantur hæc de Meſſia dici: quod cùm viderent quidam poſteriorum, (t) duos Meſſias commenti ſunt; quorum alterum vocant Joſephi filium, qui mala multa & mortem cruentam pateretur, alterum Davidis filium, cui cuncta proſpere ſuccederent: (u) cùm multò facilius eſſet, & Prophetarum ſcriptis congruentius, unum agnoſcere, qui per adverſa & mortem ad regnum eſſet perventurus; quod nos de Jeſu credimus, & verum eſſe res ipſa docet.

ANNO-

ANNOTATA.

(a) *Erigi à se humiles, & superbos sterni*] 1 Reg. 2. 8. Psal. 34 19. Prov. 11. 2. Esa. 57. 15. & 66. 2.

(b) *Jacob extra se nihil præter baculum ferens Jordanem transiit*] Gen 32, & sequentibus.

(c) *Cùm ei in rubo Deus apparuit*] Exodi 3.

(d) *David itidem gregem pascens ad regnum vocatur*] 1 Sam. 16. 7, 11.

(e) *Latum pauperibus nuncium*] Esa. 61. 1. Matth. 11. 5. Adde Zach. 9 9.

(f) *Non clamorem excitaturum in publico, aut jurgiis usurum, sed acturum leniter*] Esaias 40. 2, 3, 4. Matth. 12. 19, 20.

(g) *Ut Lothus à Sodoma civibus*] Gen. 19.

(h) *Exemplo Abelis parricidio enecti*] Gen. 4.

(i) *Esaia dissecti*] Ità habet Judæorum traditio, ad quam respicit scriptor ad Hebræos 12. 37. & Josephus 10. 4. Chalcidius in Timæum, *Cùm Prophetæ à conscelcratis, unus membratim sectus, alter obrutus saxis.*

(k) *Maccabæorum fratrum cum matre ad mortem excruciatorum*] 2 Macc. 7. Josephus libro Περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ.

(l) *Capite* 53.] Quem locum de Messia interpretantur Chald. Paraph. & Gemara Babylonica titulo De Synedrio.

(m) *Nostros morbos ille pertulit*] *Morborum* voce quævis mala intelligi docet ad hunc locum Abarbaniel.

(n) *Pœna quæ nobis salutem pareret, ipsi imposita est*] De Messia hæc explicant Rabboth & Salomon Jarchi ad Gemaram titulo De Synedrio.

(o) *Quia se constituit hostiam piacularem*] De malis volente animo toleratis hîc agi ait Alseck.

(p) *Videbit posteritatem*] Voce *seminis*, quæ in Hebræo est, significari discipulos ait hîc Alseck. Sic *semen serpentis* Hebræi interpretantur Cananæos. Nec aliter accipiunt nonnulli eorum, *filios* Esaiæ 8. 18. ut Thalmud Hierosolymitanum notat titulo De Synedrio.

(q) *Voluptate satiabitur*] Hæc ad futurum seculum refert Abarbaniel.

(r) *Ubi inter præliatores spolia dividentur*] Hæc spirituali modo intelligenda docet Gemara Babylonica titulo סוכה. Per *spolia* intelligi sapientum honores & præmia dicit Alseck ad hunc locum.

(s) *Nihil mali accidisse quod non ipsum, & insuper majora multò, suis factis essent promèriti*] Apparet id locis Prophetarum jam suprà positis, & Danielis 9. & Nehem 9. Adde, quòd, de quo agit Esaias, deprecaturus erat Deum pro Ethnicis, quod Judæi non faciunt.

(t) *Duos Messias commenti sunt*] Thalmud titulo Succa, R. Salomo, R. D. Kimchi.

(u) *Cùm multò facilius esset, & Prophetarum scriptis congruentius, unum agnoscere, qui per adversa & mortem ad regnum esset perventurus*] Quod ipsum non uno in loco ad hoc Esaiæ caput sequitur Abarbaniel.

XX. Retinet multos à suscipienda Jesu disciplina præconcepta quædam opinio de virtute ac probitate majorum suorum, ac maximè sacerdotum, qui Jesum præjudicio damnarunt, & dogma ejus repudiarunt. Sed quales sæpe majores ipsorum fuerint, nè me sibi maledicere existiment, audiant ipsis verbis, & Legis suæ & Prophetarum, à quibus sæpe appellantur (a) incircumcisi auribus & corde; (b) populus labiis & rituum apparatu Deum honorans, animo autem remotissimus. Majores ipsorum fuerunt (c) qui Josephum fratrem suum parùm abfuit quin interficerent, re autem ipsâ in servitutem vendiderunt. Majores ipsorum & illi (d) qui Mosem perpetuis seditionibus ad vitæ tædium egerunt, ducem suum ac liberatorem, cui terra, mare, aer obediebant: (e) qui panem cœlitus missum fastidierunt, (f) qui velut de summa penuria conquesti sunt, cùm aves comestas adhuc ructarent. Majores ipsorum fuerunt (g) qui Davide, tanto ac tam bono rege, deserto secuti sunt rebellem filium. Majores ipsorum fuerunt (h) qui Zachariam, Joiadæ filium, trucidarunt in loco sanctissimo, victimam crudelitatis suæ facientes ipsum sacerdotem. Jam verò (i) Pontifices quod attinet, tales fuerunt qui Jeremiæ falso crimine mortem machinati sunt, & perfecissent, nisi procerum quorundam obstitisset autoritas: (k) extorserunt tamen ut captivus haberetur ad ipsum usque momentum captæ urbis. Si quis putet meliores fuisse eos qui Jesu temporibus vixerunt, eum ab hoc errore liberare Josephus poterit, qui atrocissima eorum facinora describit, & pœnas graviores omnibus unquam auditis, (l) & tamen, ut ipse censet, infra meritum. Neque de Synedrio meliùs existimandum; præsertim cùm eo tempore senatores non veteri more cooptari manibus impositis, (m) sed ex potentium nutu, legi solerent, ut & Pontifices, non jam perpetuâ, (n) sed annali & sæpe emptâ, dignitate. Non mirari ergò debemus si homines arrogantiâ tumidi, ambitione & avaritiâ insatiabiles, in furorem actæ sunt conspecto homine qui sanctissima præcepta adferens vitam ipsis suam ipsâ diversitate exprobrabat. Nec aliud illi crimini datum quàm quod olim optimo cuique. (o) Sic Michæas ille, qui Josaphati tempore vixit, in custodiam datus est quòd intrepidè verum contra quadringentos falsos Prophetas asseruisset. (p) Eliæ Achabus objecit, planè ut Jesu sacerdotes, ipsum esse qui pacem Israelis turbaret. (q) Jeremiæ quoque crimini datum, id quod Jesu, vaticinatio adversùs Templum. Addendum hîc, quòd Magistri Hebræorum veteres (r) scriptum reliquerunt, temporibus Messiæ homines fore caninâ impudentiâ, asininâ contumaciâ, ferinâ crudelitate. Deus ipse, qui quales Judæi plerique exstituri essent Messiæ tempore multò antè prævideraat, futurum dixerat, (s) ut qui populus suus non fuisset, in populum assumeretur, (t) ex Judæorum autem urbibus ac vicis singulis vix unus & alter irent ad sacrum montem; sed quod ad illorum numerum deesset, id expleturos extraneos: item (u) Messiam Hebræis in ruinam fore: sed lapidem hunc rejectum ab ædificio præfectis, potissimo loco positum iri ad coagmentationem operis.

ANNOTATA.

(a) *Incircumcisi auribus & corde*] Jer. 4. 4. & 6. 10.

(b) *Populus labiis & rituum apparatu Deum honorans, animo autem remotissimus*] Deut. 32. 5, 6, 15, 28. Esa. 29. 13. Amos 5. 21. Ezech. 16. 3.

(c) *Qui Josephum fratrem suum parùm abfuit quin interficerent, re autem ipsâ in servitutem vendiderunt*] Gen. 38.

(d) *Qui Mosem perpetuis seditionibus ad vitæ tædium egerunt*] Loca notata suprà ad lib. 2.

(e) *Qui panem cœlitus missum fastidierunt*] Num. 11. 6.

(f) *Qui velut de summa penuria conquesti sunt, cùm aves comestas adhuc ructarent*] Dicto cap. 11. in fine.

(g) *Qui Davide, tanto ac tam bono rege, deserto secuti sunt rebellem filium*] 2 Sam. 15.

(h) *Qui Zachariam, Joiada filium, trucidarunt*] 2 Par. 24. 21.

(i) *Pontifices quod attinet, tales fuerunt qui Jeremiæ falso crimine mortem machinati sunt*] Jeremiæ 26.

(k) *Extorserunt tamen ut captivus haberetur ad ipsum usque momentum captæ urbis*] Jeremiæ 38.

(l) *Et tamen, ut ipse censet, infra meritum*] Dicit is neq; urbem aliam talia perpessam mala, neque ab omni ævo ætatem fuisse omnium scelerum feraciorem. Plus Judæis mali à semetipsis illatum quàm à Romanis, qui illorum facinora expiaturi venerant.

(m) *Sed ex potentium nutu legi solerent*] Josephus 14. 19.

(n) *Sed annali & sæpe emptâ dignitate*] Joseph. 18. 3. & 6.

(o) *Sic Michæas ille, qui Josaphati tempore vixit, in custodiam datus est*] 1 Reg. 22.

(p) *Eliæ Achabus objecit, planè ut Jesu sacerdotes, ipsum esse qui pacem Israelis turbaret*] 1 Reg. 18. 17. Achabus Eliæ dicit הַאַתָּה זֶה עֹכֵר יִשְׂרָאֵל: ubi Græci, σὺ ὁ διασείων τὸν Ἰσραήλ; *Nónne tu es qui turbas Israelem?*

Sic Sacerdotes de Jesu apud Lucam 23. 2. Τοῦτον εὑρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, *Hunc invenimus turbare Israelem.*

(q) *Jeremiæ quoque crimini datum, id quod Jesu, vaticinatio adversùs Templum*] Jerem. 7. 4, & seqq. & 26. 6, 11.

(r) *Scriptum reliquerunt, temporibus Messiæ homines fore caninâ impudentiâ, asininâ contumaciâ, ferinâ crudelitate*] Thalmud De Synedrio, Ketuboth, & Sota, R. Salomo ad dictum titulum de Synedrio c. Helec, Thalmud titulo de ponderibus. Traditio Rabbi Judæ in Masoreta ad eundem titulum De Synedrio c. Helec, *Quo tempore adveniet filius David, domus institutionis Divinæ fiet lupanar.* Vide Jeremiam 10.21. & 29.14.

(s) *Ut qui populus suus non fuisset, in populum assumeretur*] Oseæ 2.24.

(t) *Ex Judæorum autem urbibus ac vicis singulis vix unus & alter irent ad sacrum montem: sed quod ad illorum numerum deesset, id expleturos extraneos*] Jer. 3. 14, 17. Adde Esaiam 53.

(u) *Messiam Hebræis in ruinam fore: sed lapidem hunc rejectum ab ædificio præfectis, potissimo loco positum iri ad coagmentationem operis*] Esaiæ 8.14. Psal. 118.22.

XXI. Restat ut duabus accusationibus respondeamus, quibus Judæi & dogma & cultum Christianorum impetunt. Prius est, quòd plures à nobis Deos aiunt coli. Sed hoc nihil est, nisi in odium contorta alieni dogmatis explicatio. Quid enim est cur magis id Christianis objiciatur quàm (a) Philoni Judæo, qui sæpe tria in Deo statuit, & Dei rationem sive (b) sermonem vocat Dei nomen, (c) mundi opificem, (d) neque ingenitum ut est Deus Pater omnium, neque ità genitum ut sunt homines; (e) quem & Angelum sive legatum universum hoc curantem & ipse Philo (f) & Moses Nehemanni filius appellat: (g) aut Cabalistis, qui Deum distinguunt in tria lumina, & quidem nonnulli iisdem quibus Christiani nominibus, Patris, Filii sive Verbi, & Spiritûs sancti? Et ut id summam quod apud omnes Hebræos maximè confessum est, spiritus ille quo agitati sunt Prophetæ non est aliquid creatum, & tamen distinguitur à mittente; quomodo & illud (h) quod Schekina vulgò vocant: Jam verò in Messia habitaturam eam vim Divinam quam Sapientiam vocant (i) plurimi Hebræorum tradiderunt; (k) unde Chaldæo Paraphrastæ Messias Dei Verbum dicitur; sicut & (l) augusto illo Dei, (m) itémque Domini, nomine Messias appellatur apud Davidem, Esaiam, & alios.

ANNOTATA.

(a) *Philoni Judæo, qui sæpe tria in Deo statuit*] De sacrificiis Abel & Cain, Ἡγεῖται ὁ Θεὸς δορυφορούμενος ὑπὸ δυοῖν ἀδελφοῖν ἀνωτάτω δυνάμεων, ἀρχῆς τε ἄμα καὶ ἀγαθότητος, εἷς ὢν ὁ μέσος, ἴσπερ φασὶν ἐπηράσατο τῇ ὀρεκτικῇ ψυχῇ, ὃν ἐνέσεισε μεμόχθη μὲν ἐδαμῶς, ἀσθενέστεροι δὲ αἱ δυνάμεις αὐτοῦ, μεμέμικτε δὲ τὰ ὅλα, *Cùm Deus comitatus duabus summis suis efficaciis, imperio ac bonitate, medius ipse & unus, tres conceptus operatus est. animo perspicaci, quorum nullus mensurâ capitur; immensæ enim ejus efficaciæ: sed singula totum metiuntur.* Mox ἀρχὴν etiam vocat Ἐξουσίαν, & ἀγαθότητα vocat εὐεργεσίαν, aitq; à pio animo non enunciari, sed in silentii arcano asservari. Similia habet in libro De Cherubim: lib. 2 De agricultura Noæ vocat τὸν, τὸ βασιλικὸν, καὶ ἵλεω δύναμιν, *id quod est, vim dominam, vim beneficam.* Maimonides initio libri De Fundamentis, & post eum Joseph Albo distinguunt in Deo, *Id quod cognoscit, quod cognoscitur, & cognitionem.* Habet quæ huc pertinent & Abenesdra ad Gen. 18. & Maimonides Ductoris dubitantium parte 1. cap. 68.

(b) *Sermonem vocat Dei nomen*] In Allegoriis, & De confusione linguarum.

(c) *Mundi opificem*] In Allegoriis, Ὁ λόγος αὐτοῦ, ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ κεχρημένος ἐκοσμοποίει, *Verbum ejus quo velut instrumento usus Mundum fecit.* De Caino, Ὄργανον δὲ λόγον τῆς Θεοῦ δι' οὗ κατεσκεύασεν, *Instrumentum autem Dei videbis esse ipsum verbum Dei, per quod factus est Mundus.*

(d) *Neque ingenitum ut est Deus pater omnium, neque ità genitum ut sunt homines*] Locus est libro, Quis heres sit rerum Divinarum. Idem verbum Philoni vocatur *Dei imago* libro De monarchia; & De somniis à Deo immissis: interdum ἀντεισβύσιμα, ut libro, Pejorem insidiari meliori; & χαρακλὴς lib. 2 De agricultura. Confer Joh. 1. & Heb. 1. 3.

(e) *Quem & Angelum sive legatum universum hoc curantem & ipse Philo*] Ἄγγελον vocat in Allegoriis, & libro De Cherubim: Ἀρχάγγελον verò libro De herede Divinorum bonorum, & libro De confusione linguarum. Idem & *Angelus* & יהוה dicitur R. Samueli in Mecor Chaim.

(f) *Et Moses Nehemanni filius*] Ejus verba sic transtulit doctissimus Masius ad Josuæ caput 5. *Iste Angelus, si rem ipsam dicamus, est Angelus redemptor: de quo scriptum est, Quoniam nomen meum in ipso est. Ille, inquam, Angelus qui ad Jacob dicebat, Ego Deus Bethel. Ille de quo dictum est, Et vocabat Mosem Deus de rubo. Vocatur autem Angelus, quia mundum gubernat. Scriptum est enim, Eduxit nos Jehova (i. Dominus Deus) ex Ægypto: & alibi, Misit Angelum suum, & eduxit nos ex Ægypto. Præterea scriptum est, Et Angelus faciei ejus salvos fecit ipsos. Nimirum ille Angelus qui est Dei facies: de quo dictum est, Facies mea præibit, & efficiam ut quiescas. Denique ille Angelus est de quo Vates, Et subitò veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quem cupitis.* Rursum alia ejusdem verba sic, *Animadverte attentè quid ista sibi velint. Moses enim & Israelitæ semper optaverunt Angelum primum. Caterùm quis ille esset, verè intelligere non potuerunt. Neque enim ab aliis percipiebant, neque propheticâ notione satis assequebantur. Atqui* Facies Dei *ipsum significat Deum: quod apud omnes interpretes est in confesso. Verùm nè per somnium quidem ista intelligere quisquam possit, nisi sit in mysteriis Legis eruditus.* Mox, *Facies mea præcedet, h.e. Angelus fœderis, quem vos cupitis: in quo videbitur facies mea. De quo dictum est, Tempore accepto exaudiam te. Nomen enim meum in eo est. Faciámq; ut quiescas, sive efficiam ut ipse sit tibi lenis & benignus. Neq; te ducat per jus rigidum, sed placidè & clementer.* Confer quæ habet Manasses conciliator ad quæstionem 19 super Genesim.

(g) *Aut Cabalistis, qui Deum distinguunt in tria lumina, & quidem nonnulli iisdem quibus Christiani nominibus, Patris, Filii sive Verbi, & Spiritûs sancti*] Vide additamenta ad Lexicon Hebraicum Schindleri in notis אבן ספרות in Deo non obstare unitati, ait liber dictus Schepha-tal.

(h) *Quod* Schekina *vulgò vocant*] Et distinguunt à Spiritu sancto. Gemara Hierosolymitana titulo De documentis cap. 3. & Gemara Babylonica titulo Joma cap. 1. Schekina per annos tres & dimidium se tenuisse in Monte Oliveti exspectantem conversionem Judæorum, ait R. Jonathan in præfatione Ecka Rabthi: quo rectè accepto nihil verius.

(i) *Plurimi Hebræorum tradiderunt*] Rabbi Solomo. Idem ad Gen. 19.18. agnoscit à Deo assumi posse humanam naturam, quam & olim ad tempus assumptam putat: cui consentit Thalmud titulo Schebuoth & Sabbath.

(k) *Unde Chaldæo Paraphrastæ Messias* VERBUM DEI *dicitur*] Ut Oseæ lib. 7.

(l) *Augusto illo* DEI] Nempe יהוה, Jonathan & David Kimchi ad Jeremiam 23.6. cum quibus consentit R. Abba in Ecka Rabthi. יהוה צבאות Zachariæ 14.16. Futurum eo tempore ut Deus יהוה digito monstretur, ait Thalmud in Taanith ex Esaia 25.9.

(m) *Itémque* DOMINI *nomine*] אלהים Psal. 45.7. quem Psalmum de Messia agere agnoscit Chaldæus ibi Paraphrastes, ut & jam dicto Esaiæ loco. Item אדוני in Psal. 110. quem de Messia agere jamjam patebit.

XXII. Æquè

XXII. Æquè parata reſponſio eſt ad alterum quod objiciunt nobis, nos ſcilicet cultum Deo debitum impartiri naturæ à Deo conditæ. Dicimus enim, à nobis Meſſiæ non alium honorem aliúmve cultum exhiberi quàm exigunt (a) Pſalmus 2. & Pſal. 110. quorum illum in Davide rudi modo impletum, ſed excellentiùs ad Meſſiam pertinere etiam (b) David Kimchi, magnus Chriſtianorum adverſator, agnoſcit; poſterior verò de alio quàm de Meſſia exponi non poteſt. Nam quæ recentiores Judæi alii de Abrahamo comminiſcuntur, alii de Davide, alii de Ezechia, frivola ſunt. Pſalmus ipſe Davidis eſt, ut docet Hebræa inſcriptio. Quod ergò David Domino ſuo dictum dicit, id nec Davidi ipſi, nec Ezechiæ, qui inter poſteros Davidis fuit, Davide nullâ re excellentior, aptari poteſt. Abrahamus autem ſacerdotium aliquod eximium non habuit, imò Melchiſedecus (c) ei tanquam ſe minori bene precatus eſt. Sed & hoc, & quod additur (d) de ſceptro ex Sione exituro & perventuro in oras ultimas, planè in Meſſiam competit, (e) ut loci ſimiles de Meſſia haud dubiè agentes patefaciunt: nec aliter acceperunt vetuſtiores Hebræi & Paraphraſtæ. Propriè autem Jeſum Nazarenum eſſe in quo hæc impleta ſint, poſſem vel ſolis ipſius diſcipulis id affirmantibus credere ob ſummam eorum probitatem; ſicut & Judæi Moſi credunt de iis quæ ſine teſte alio à Deo ſibi tradita dixit. Sed adſunt præter hoc plurima & (f) validiſſima argumenta ſummæ illius poteſtatis quam obtinere Jeſum dicimus: conſpectus ipſe vitæ redditus à multis: conſpectus in cœlum avehi: tum verò dæmones ejecti, morbíque ſanati ſolo ipſius nomine, & linguarum dona data diſcipulis; quæ regni ſui ſigna Jeſus ipſe promiſerat. His addè, quòd ſceptrum ejus, i. ſermo Euangelii ex Sione profectus, nullâ humanâ ope, ſolâ Divinâ vi ad ultimos terrarum fines pervaſit, populóſque & reges ſibi ſubegit, planè ut Pſalmi prædixerant. Judæi cabaliſtæ inter Deum & homines medium ſtatuunt (g) Enochi quendam filium, nullo tantæ poteſtatis indicio. Quantò nos juſtiùs illum qui tanta dedit ſui documenta? Neque ad Dei Patris imminutionem id pertinet, (h) à quo venit hæc poteſtas Jeſu, (i) & ad quem reditura eſt, (k) & cujus honori illa inſervit.

ANNOTATA.

(a) *Pſalmus 2 & Pſalmus* 110.] Hæc loca & Zachariæ 9. 9. de Meſſia exponit doctiſſimus Rabbi Saadia.

(b) *David Kimchi*] De Meſſia eundem 2. exponunt Abraham Eſdra, & R. Jonathan in Bereſith rabba.

(c) *Ei tanquam ſe minori bene precatus eſt*] Et ab eò decimas ſacerdotali jure accepit, Gen. 14. 19, 20.

(d) *De ſceptro ex Sione exituro & perventuro in oras ultimas*] Pſal. 110. 2.

(e) *Ut loci ſimiles de Meſſia haud dubiè agentes patefaciunt*] Ut Gen. 49. 10. & qui ex Prophetis adducti ſunt ſuprà.

(f) *Validiſſima argumenta ſummæ illius poteſtatis quam obtinere Jeſum dicimus*] Quæ vide tractata libro ſuprà 2. Adde & quæ dicta hujus libri initio.

(g) *Enochi quendam filium*] Nomen quod ei faciunt Hebræi eſt מטטרון *metator*. Ità Latinis dicitur qui regi viam parat. Lucanus,

Audax Heſperios veniam metator in agros.

Vegetius lib. 2. *Metatores in caſtris dicuntur, qui præcedentes locum caſtris idoneum eligunt.* Suidas, Μιτάτωρ, ὁ ὑπηρετικὸς ἄγγελος πρὸς τὸν ἄρχοντα, *Metator, nuncius qui à principe præmittitur.*

(h) *A quo venit hæc poteſtas Jeſu*] Ipſo fatente Joh. 5. 19, 30, 36, 43. & 6. 36, 57. & 8. 28, 49. & 10. 18, 29. & 14. 28, 31. & 16. 28. & 20. 21. & Apoſtolo Heb. 5. 5. Rom. 6. 4. 1 Cor. 11. 4.

(i) *Et ad quem reditura eſt*] Fatente Apoſtolo 1 Cor. 15. 24.

(k) *Et cujus honori illa inſervit*] Joh. 13. 31. & 14 13. Rom. 16. 27. Ideo Thalmud in titulo De Synedrio negat Jeſum idoli eſſe nomen, quando Chriſtiani in ejus honore reſpiciant Deum Mundi opificem.

XXIII. Subtiliùs iſta rimari non hujus eſt operis, neque de his egiſſemus, niſi ut pateret, nihil eſſe in Chriſtiano dogmate aut impium aut abſurdum, quod ſobtendere quis poſſit quò minùs religionem tantis prodigiis ornatam, tam honeſta præcipientem, tam eximia pollicentem, amplecti poſſit. Nam eam qui ſit amplexus, is jam de ſpecialibus quæſtionibus conſulere debet libros illos quibus religionis Chriſtianæ dogmata contineri ſuprà oſtendimus. Quod ut fiat, oratur Deus ut Judæorum mentem ſuâ luce colluſtret, & efficaces reddat preces (a) quas ipſe Chriſtus jam in cruce pendens pro illis fudit.

ANNOTATA.

(a) *Quas ipſe Chriſtus jam in cruce pendens pro illis fudit*] Luc. 23. 34.

HUGO GROTIUS
DE VERITATE
RELIGIONIS CHRISTIANÆ

LIBER SEXTUS.

SExtus liber Mahumetiſtis oppoſitus præfationis vice Dei judicia adverſùs Chriſtianos ad ipſam uſque Mahumetiſmi originem deducit: quomodo ſcilicet (a) vera illa atque ſimplex pietas, quæ inter Chriſtianos graviſſimè vexatos oppreſſóſque floruerat, paulatim refrigeſcere cœperit, ex quo per Conſtantinum & ſequentes Imperatores effectum eſt ut ea profeſſio non tuta tantùm, ſed & honorata eſſet, (b) mundo velut intruſo in Eccleſiam: (c) principes primùm Chriſtianos nullum feciſſe bellandi modum, etiam cùm pace frui liceret: (d) Epiſcopos acerrimè inter ſe certaſſe de ſummis ſedibus: ac (e) ſicut olim arbori vitæ prælata arbor ſcientiæ maxima dederat mala, ità tunc quoque curioſam eruditionem pietati antehabitam, (f) & ex religione artem factam: cui deinde conſequens fuerit, ut (g) ad exemplum eorum qui turrim Babylonicam ædificabant, affe-

ctatio temeraria rerum sublimium dissonas locutiones & discordiam pareret: quibus plebs conspectis, sæpe nescia quò se verteret, culpam in S. literas rejecit, & eas tanquam venenatas cœpit fugere. Religio autem passim non in mentis puritate, sed quasi reducto Judaismo in ritibus collocari cœpit; (h) & in iis quæ corporis magis exercitationem quàm animi emendationem in se continent, (i) itémque in studio flagrante semel electarum partium: (k) tandémque evênit ut ubique multi essent Christiani nomine, re pauciſſimi. Non dissimulavit Deus hæc populi sui vitia: quin (l) ex ultimo Scythiæ (m) ac Germaniæ recessu immensa agmina, quasi diluvio, effudit in orbem Christianum: & cùm datæ ab his strages maximæ non satis profecissent ad corrigendos superstites, justo Dei permissu in Arabia Mahumetes novam sevit religionem, pugnantem eam directâ fronte cum Christiana religione, sed quæ verbis quodammodo exprimeret vitam magnæ partis Christianorum. Accepta hæc religio primùm à Saracenis, qui ab Heraclio imperatore defecerant: quorum armis brevi subacta Arabia, Syria, Palæstina, Ægyptus, Persis, pòst infesta Africa, & trans mare etiam Hispania. Sed Saracenorum potentiam tum alii, (n) tum Turcæ maximè, exceperunt, gens & ipsa pugnaciſſima; quæ post longa adversùm Saracenos certamina, in fedus invitata facilè suscepit religionem suis moribus congruentem, imperiique majestatem in se transtulit. Captæ Asiæ Græciæque urbes, & promotâ armorum felicitate in Hungariam Germaniæque fines deventum est.

ANNOTATA.

(a) *Vera illa atque simplex pietas, quæ inter Christianos gravissimè vexatos oppressósque florverat*] Ammianus Marcellinus fine libri 21. de Constantio, *Erátque super his adimere facilis quæ donabat, Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexiùs, quàm componenda gravius, excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusiùs aluit concertatione verborum, ut catervis antistitum, jumentis publicis utróque citróq; discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehicularia succideret nervos.*

(b) *Mundo velut intruso in Ecclesiam*] Vide de hac re pulcrè dicta Chrysostomi Morali secundo ad 2 Cor. 12. post ver. 10.

(c) *Principes primùm Christianos nullum fecisse bellandi modum, etiam cùm pace frui liceret*] Marciani laudabile dictum apud Zonaran, Μὴ δεῖν ὅπλα βασιλέα κινεῖν ἕως ἀφιωτεύειν ἐξεν, *Non debere principem arma sumere quamdiu pace frui liceret.*

(d) *Episcopos acerrimè inter se certasse de summis sedibus*] Ammianus lib. 27. *Et hunc quoque* (Viventium ex quæsitore Palatii) *discordantis populi seditiones terruere cruenta, qua tale negotium excitavere. Damasus & Ursicinus supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrimè conflictabantur, adusque mortis vulnerúmque discrimina adjumentis utriusque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Viventius nec mollire, vi magnâ coactus secessit in suburbanum: & in certatione superaverat Damasus, parte quæ ei favebat instante. Constátque in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die 137 reperta cadavera peremptorum: efferatámque din plebem egre delinitam. Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgare debere; cùm id adepti futuri sint ità securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedántque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati revera, si magnitudine urbis despectâ, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum querundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humi spectantia perpetuo Numini veríque ejus cultoribus, ut puros commendat & verecundos.* Postea, *Hæc inter Prætextatus præfecturam urbis sublimiùs curans, per integritatis multiplices actus & probitatis, quibus ab adolescentiæ rudimentis inclaruit, adeptus est id quod rarò contigit, ut cùm timeretur, amorem non perderet civium, minùs firmari solitum erga judices formidatos: cujus auctoritate justíque veritatis suffragiis tumultu lenito quem Christianorum furgia concitarunt, pulsóque Ursicino, alta quies pari jam proposito civium Romanorum aptissimè adolescebat, gloriâ clari rectoris plura & utilia disponentis.* Hic est Prætextatus de quo historiam, haud indignam quæ hîc ponatur, narrat Hieronymus ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani, *Prætextatus, qui designatus Consul est mortuus, solebat ludens beato Papa Damaso dicere, Facite me Romæ urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Vide & quæ idem habet Ammianus lib. 15. Non frustrà Concilium Africanum Cœlestinum Romanæ urbis Episcopum monet, *Nè fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Adde nobiles Epistolas Gregorii Romani Episcopi verè magni, lib. 4. 32, 34, 36. lib. 6. 30. lib. 7. Indict. 1. epist. 30.

(e) *Sicut olim arbori vita prælata arbor scientiæ maxima dederat mala*] Gen. 2, & 3.

(f) *Et ex religione artem factam*] Vide quæ jam produximus ex Ammiani lib. 21. Idem lib. 22. in Juliani historia, *Utque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum antistites eum plebe discissa in palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus: quod agebat ideo obstinatè, ut dissensiones ungente licentiâ, non timeret unanimantem postea plebem, nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus.* Procopius Gothicorum 1. cum temperamento tamen hîc ut & alibi audiendus, Πρεσβεις ἐκ Βυζαντιου παρὰ τὸν Ῥώμης ἀρχιερέα ἦκον, ὅτι τῆς Ἐφέσου ἱερᾶς Ὑπατίου, καὶ Δημήτριον ἐκ Μακεδόσι Φιλίππων, δόξης ἕνεκεν, ὧν Χειστιανοὶ ὁμόσιον αὐτοῖς ἀντιλέγουσιν ἀμφισβητοῦντες. τὰ δὲ ἀντιλεγόμενα ἐγὼ ὀλιγωρήσω, ὡς ἥκιστα δυνήσομαι. δοκοῦσι γάρ μοι ἀνδρὸς τινὸς ἡμῶν εἶναι, διεφθάρθαι τὰ τῆς θεοῦ φύσιν, ὁποία ποτ' ἔστιν. ἀνθρώπῳ γὰρ οὐδὲ τὰ ἀνθρώπινα ὡς τὸ ἀκριβὲς (εἶμαι) καταληπτὰ, μήτοι γε τὰ ἐς θεῖαν φύσιν ἥκοντα. ἐμοὶ μὲν δὴ ταῦτα ἀκινδύνως ξυνοισήσω, μόνῳ τὸ μὴ ἀπιστῆσαι τὰ τετιμημένα· ἐγὼ γὰρ οὐκ ἂν οὐδὲ ἄλλο σθένος θεῷ, ὅ, τι ἂν σπουδῇ, ἢ ὅτι ἀγαθός τε παντάπασιν ὤν, καὶ ξύμπαντα ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ αὐτοῦ ἔχει. λεγόντων δ' ἄλλως γενέσθαι ὑπὲρ αὐτῶν ὅσιόν τε καὶ ἱερεὺς καὶ ἱερώτης, *Hæc dum ille agitat, legati à Byzantio ad Romæ antistitem veniunt, Ephesi antistes Hypatius, Philipporum verò Macedoniæ provinciæ Demetrius, ob ea quæ inter se controversa Christiani habent. Ea verò quæ sint, quanquam percognita, memorare me tædeat. Insanæ enim temeritatis esse existimo, naturam Dei qualis sit scrutari. Homini enim nec humana, quantum ego existimo, planè in aperto sunt; tantum abest ut ei pateant ea quæ ad æternum Numen pertinent. Liceat ergò mihi impunè de talibus silere, non commoventi ea quæ aliis sancta habentur. Ipse hoc tantum de Deo quod dicam habeo, esse eum omnino bonum, ejúsque potestate omnia contineri. Qui plus sciverit, plus de eo dicat, sive in sacerdotum est ordine, sive in plebe.* Laudat Gregoras lib. 8. dictum Lysidæ Pythagorici, deinde Synesii, τὸ δημοσίᾳ φιλοσοφῶν μιγάλης ἐς ἀνθρώπους ἤρξε τῆς δόλου καταφρονήσεως, *Apud populum subtiliter philosophari causa hominibus fuit magni contemptûs rerum Divinarum.* Idem lib. 10 multum dissuadet tales disputationes, & de Latinis sui temporis loquens, Τοὺς Ἰταλοὺς διασύρω καὶ μέμφομαι ἰταμῶς ἀτιμοι καὶ μετὰ πολλῆς τῆς ὀρρᾳθυμίας τῇ διαλογίᾳ ἐπιπηδῶντας, *Italos ego rideo atque contemno, quòd ità temere magnóque cum supercilio ad Theologiam prosiliant.* Addit mox, Οὕτω δὲ παρ' αὐτοῖς ἐπιπολῆς τῆς βασάνοις ἐπιχυθεῖσα τὰ

τὰ θεολογίας μυστήρια· καὶ οὕτω κεχήνασιν ἅπαντες ὡσὶ πρὸς συλλογισμῶν ἐμβατεύειν τοῖς λόγοις αὐτῶν, ὥσπερ ὡσὶ τῇ χλόῃ καὶ νομαῖς τὰ βοσκήματα. καὶ οἱ τὰ πιστεύειν ὀφθῶς ἀμείνονα ἔχοντες, καὶ οἱ μηδ' ὅπως δεῖ πιστεύειν εἰδότες, μηδ' ὅτι τῶν πιστεύειν φασὶν, ἄγροικοι καὶ ἀκατάστατοι καὶ διάφορα πάντ' ἐμπιπλάντες τὰ θεολογίας, καὶ οὐδὲ τοῦτο τὸ ἥλιον αἰσχύνονται μάρτυρα τῆς ἀναιδείας ποιούμενοι, *Ità apud illos etiam sellularios opificibus effluunt Theologiæ mysteria: ità hiant omnes ut per syllogismos tractent talia, sicut pecudes ad herbas & pabula: & qui ea quæ omnino rectè credenda sunt in ambiguo habent, & qui nec quomodo credendum sit sciunt, nec quid sit quod se dicant credere, hi fora omnia & ambulacra & theatra implent theologiâ, neque Solem verentur talis impudentiæ testem facere.*

(g) *Ad exemplum eorum qui turrim Babylonicam ædificabant*] Gen. 11. Exprobrat has controversias Christianis sæpe Mahumetes, præsertim Azoarâ 26, 32.

(h) *Et in iis quæ corporis magis exercitationem quàm animi emendationem in se continent*] 1 Tim. 4. 8. Col. 2. 23.

(i) *Itémque in studio flagrante semel electarum parvum*] Rom. 10. 2. 1 Cor. 1. 12, & seqq.

(k) *Tandémque evênit ut ubique multi essent Christiani nomine, re pauciſſimi*] Salvianus lib. 3 De gubernatione Dei, *Præter pauciſſimos quosdam qui mala fugiunt, quid est aliud omnis cœtus Christianorum quàm sentina vitiorum?*

(l) *Ex ultimo Scythia*] Hunnos, Avaros, Sabiros, Alanos, Euthalitas, Turcas.

(m) *Ac Germania recessu*] Gothos, Erulos, Gepidas, Vandalos, Francos, Burgundiones, Suevos, Alemannos, Saxonas, Varnos, Longobardos.

(n) *Tum Turca maximè exceperunt*] Vide Turcica Leunclavii, & Laonicum Chalcondylam.

II. Hæc religio planè ad fundendum sanguinem facta multùm ritibus gaudet, (a) credíque sibi vult nullâ inquirendi libertate: unde librorum, quos sanctos habet, lectio plebi interdicta est. Quod ipsum statim manifestum est indicium iniquitatis. Meritò enim suspecta merx est quæ hac lege obtruditur nè inspici possit. Verum quidem est, non æqualem esse omnibus ad omnia cognoscenda perspicacium, multos arrogantiâ, alios affectibus, consuetudine nonnullos in falsum abripi: sed (b) ut via ad æternam salutem cognosci nequeat ab his qui nullo commodi aut honoris respectu eam quærunt, se suáque omnia Deo subjicientes, & eum pro auxilio orantes, bonitas Divina vetat credi. Et sanè cùm judicandi vim Deus inseruerit humanæ menti, nulla pars veri dignior est in quam ea impendatur, quàm illa quæ ignorari fine amittendæ salutis æternæ periculo non potest.

ANNOTATA.

(a) *Credíque sibi vult nullâ inquirendi libertate*] Alcoranus Azoarâ 13. ut habet prima editio Latina, quam hîc in lectoris gratiam sequimur.

(b) *Ut via ad æternam salutem cognosci nequeat ab his qui nullo commodi aut honoris respectu eam quærunt, se suáque omnia Deo subjicientes, & eum pro auxilio orantes, bonitas Divina vetat credi*] Responsio ad quæst. 4. ad Orthodoxos inter opera Justini, Ὅτι ἡ ἀδυνατόν ἐστι μὴ τυχεῖν τῆς εὑρέσεως τῷ ὅλῃ καρδίᾳ τε καὶ ψυχῇ ζητοῦντι τὴν ἀλήθειαν, μαρτυρεῖ ὁ Κύριος λέγων, Πᾶς ὁ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρήσει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται, *Fieri autem nequire ut non ad inventionem perveniat, qui toto corde ac viribus quærit veritatem, testatur Dominus dicens, Quisquis petit, accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Origenes 8 Contra Celsum, Ἐχέλω δ' ἀυτὸν συνιέναι, ὅτι πάντ' εἰκὸς καὶ πάντ' ἀναγκαῖον ὁ κοινὸς πάντων πατὴρ καὶ δημιουργὸς, τὴν ἀνθρωπείαν ζητοῦσαν αὐτὸν καὶ εὐσεβῶν βουλομένην, κατ' ἀξίαν κεῖνον, καὶ τύχοις πᾶ ἀνθρωπίνῃ καρδίᾳ τὰ περὶ θεοῦ ἰδεῖν, *Cogitare eum oportuit communè omnium opificem ac patrem, qui cuncta spectat auditque, æqua retribuere voluntati ipsum quærenti, ac piè vivere cupienti, eíq; fructum largiri aliquem sui patrocinii.*

III. (a) Mosem à Deo missum, (b) item Jesum, (c) & viros sanctos fuisse qui Jesu disciplinam primi propagarunt, Mahumetes ejúsque sectatores fatentur. At in Alcorano, lege Mahumetis, (d) multa narrantur planè contrà quàm à Mose & ab Jesu discipulis sunt prodita. Ut ex multis unum sumamus exemplum, Jesum in cruce mortuum, intra tertium diem in vitam rediisse, conspectúmq; à multis, omnes Apostoli discipulíque Jesu maximo consensu testantur. Contrà docet Mahumetes, (e) Jesum clàm subductum fuisse in cœlum, cruci autem affixum fuisse quoddam ejus simulacrum, ac proindè non mortuum Jesum, sed deceptos Judæorum oculos. Hæc objectio evadi non potest, nisi dicat Mahumetes, quod & dicit, (f) libros tum Mosis tum discipulorum Jesu non quales fuerant mansisse, sed corruptos esse. Sed hoc commentum jam suprà à nobis lib. 3 refutatum est. Certè si quis Alcoranum corruptum diceret, negarent hoc Mahumetistæ, ídque sufficere dicerent adversùs non probantes: at ipsi ultro adferre pro integritate sui libri ea argumenta non possent quæ nos afferimus, de sparsis statim exemplis per orbem terrárum, & quidem, non ut Alcorani, uno sermone, custodiísque fide tot sectarum tam discrepantium circa cætera. Persuadent sibi Mahumetistæ, Johannis cap. 14. ubi de Paracleto mittendo agitur, exstitisse aliquid scriptum de Mahumete, quod Christiani deleverint. Sed hîc ab ipsis libet quærere, hanc scripturæ mutationem velintne factam post Mahumetis adventum, an antea. Post Mahumetis adventum fieri planè non potuit, cùm jam eo tempore exstarent toto orbe plurima, non Græca tantùm, sed Syriaca, Arabica, & in diffitis ab Arabia partibus, Æthiopica & Latina exemplaria non unius versionis: hæc autem omnia eo in loco consentiunt, nullâ scripturæ varietate. Ante Mahumetis adventum nulla fuit mutandi causa: nemo enim scire poterat quid docturus esset Mahumetes. Imò si Mahumetis dogma nihil haberet Jesu dogmati contrarium, non magìs difficiles fuissent Christiani in libris ejus recipiendis quàm in libris Mosis & Prophetarum Hebræorum fuerunt. Ponamus utrinque nihil scriptum fuisse, aut de Jesu dogmate, aut de Mahumetis. Doceret æquitas, pro Jesu dogmate habendum in quod Christiani omnes, pro Mahumetis in quod Mahumetistæ consentirent.

ANNOTATA.

(a) *Mosem à Deo missum*] Azoarâ 5, 21.

(b) *Item Jesum*] Azoarâ 5, 12.

(c) *Et viros sanctos fuisse qui Jesu disciplinam primi propagarunt*] Azoarâ 5, 71.

(d) *Multa narrantur planè contrà quàm à Mose & ab Jesu discipulis sunt prodita*] Ut templum Mechæ structum ab Abrahamo, Azoarâ 2. Alia de Abrahamo, Azoarâ 31. Confusa Gedeonis & Saulis historia, Azoarâ 3. in historia Exodi multa, Azoarâ 17, & 30, & 38. in historia Josephi multa, Azoarâ 22. de avibus ab Abrahamo dissectis, & in vitam revocatis, Azoarâ 4. de Maria apud Zachariam educata, Azoarâ 5. de avibus ex luto factis per Jesum, ibidem, & 13.

(e) *Jesum clàm subductum fuisse in cœlum, cruci autem affixum fuisse quoddam ejus simulacrum, ac proindè non mortuum Jesum, sed deceptos Judæorum oculos*] Azoarâ 11.

(f) *Libros tum Mosis tum discipulorum Jesu, non quales fuerant mansisse, sed corruptos esse*] Azoarâ 9.

IV. Conferamus jam utriusque dogmatis adjuncta atque affectiones, ut videamus utrum utri præferendum sit: ac primùm de autoribus videamus. (a) Jesus Mahumetis ipsius confessione erat Messias ille in Lege & Prophetis promissus; (b) ab ipso Mahumete vocatur Dei Verbum, (c) Mens, (d) Sapientia; (e) dícitur eidem nullum ex hominibus patrem habuisse: (f) Mahumetes solito naturæ ordine genitus etiam à suis creditur. Jesus vitæ semper immaculatæ, cui nihil objici posset: (g) Mahumetes diu raptor, (h) mulierosus semper,

(i) Jesus in cœlum evectus, fatente Mahumete: Mahumetes in sepulcro detinetur. Uter potiùs sequendus sit, quis non videat?

ANNOTATA.

(a) *Jesum Mahumetis ipsius confessione erat Messias ille in Lege & Prophetis promissus*] Azoarâ XXIX.

(b) *Ab ipso Mahumete vocatur* DEI VERBUM] Azoarâ V, XI. & in libro Doctrinæ Mahumetis Jesum à Mahumete vocari λόγον, καὶ πνεῦμα Θεοῦ, ait Euthymius Zigabenus in Disputatione contra Saracenos.

(c) MENS] Azoarâ IV, XI, XXIX. & in dicto libro.

(d) SAPIENTIA] Dictis locis.

(e) *Dicitur eidem nullum ex hominibus patrem habuisse*] Azoarâ XXXI.

(f) *Mahumetes solito naturæ ordine genitus etiam à suis creditur*] Vide librum Generationis Mahumetis.

(g) *Mahumetes diu raptor*] Vide Chronica Mahumetis versa ex Arabico. Vide Disputationem Saraceni & Christiani à Petro Abbate Cluniacensi editam.

(h) *Mulieroso usu semper*] Azoarâ XLII, XLIII, LXXV, & LXXVI. Vide dictam disputationem.

(i) *Jesus in cœlum evectus, fatente Mahumete*] Azoarâ XI.

V. Accedant utriusque facta. (a) Jesus visum cæcis, claudis gressum, ægrotis sanitatem dedit; imò, fatente Mahumete, etiam vitam mortuis. (b) Mahumetes se missum ait, non cum miraculis, sed cum armis. Secuti tamen sunt qui ei & miracula attribuerent, at qualia? Nempe quæ aut arte humanâ facilè possunt effecta reddi, ut de columba ad aurem advolante; aut quorum nulli sunt testes, ut de camelo noctu ei locuto; aut quæ sui absurditate refelluntur, (c) ut de magna Lunæ parte in manicam ipsius delapsa, & ab ipso remissa ad reddendam sideri rotunditatem. Quis non dicat, in causa dubia ei legi standum quæ certiora pro se habet Divinæ approbationis testimonia? Videamus & eos qui hanc & illam legem primi susceperunt.

ANNOTATA.

(a) *Jesu visum cæcis, claudis gressum, ægrotis sanitatem dedit; imò, fatente Mahumete, etiam vitam mortuis*] Azoarâ V, XIII.

(b) *Mahumetes se missum ait, non cum miraculis, sed cum armis*] Azoarâ III, XIV, XVII, XXX, LXXI.

(c) *Ut de magna Lunæ parte in manicam ipsius delapsa, & ab ipso remissa*] Azoarâ LXIV. Vide latiùs hanc fabulam ex capite Ceramar apud Cantacuzenum Oratione 2 in Mahumetem §. 23.

VI. Qui Jesu legem amplexi sunt, viri erant Dei timentes, vitæ simplicis: convenit autem Deo, ut tales neque sermonum præstigiis, neque specie prodigiorum decipi patiatur. At (a) qui Mahumetismum primi susceperunt prædones erant, homines ab humanitate ac pietate alieni.

ANNOTATA.

(a) *Qui Mahumetismum primi susceperunt prædones erant*] Ostendit vox ipsa *Saraceni*, quod λῃστικὸς significat. Vide Scaligerum De emend. Temp. lib. 3. cap. De Periodo Arabum.

VII. Sequitur ut modum ostendamus quo religio utraque propagata est. De Christiana aliquoties jam diximus, incrementa ejus esse ex miraculis, non Christi tantùm, sed & discipulorum, & qui eis successerunt, tum verò ex ipsa malorum & suppliciorum patientia. At Mahumetismi doctores nulla ediderunt miracula, nullas graves ærumnas ac dura mortium genera ob eam professionem pertulerunt. Sed (a) religio illa quò arma eunt sequitur, & armorum accessio est: (b) nec aliud ipsi argumentum pro ea magistri adferunt quàm bellorum successum & imperii magnitudinem, quibus nihil ad hanc rem fallacius. Paganica sacra ipsi improbant. Et tamen scimus quantæ fuerint Persarum, Macedonum, Romanorum victoriæ, quàm latè patuerint eorum imperia. Neque Mahumetistis semper prosperi bellorum eventus. Notæ clades quas plurimis in locis terrâ marique acceperunt: totâ Hispaniâ pulsi sunt. Non potest res quæ vices tam incertas habet, quæque bonis ac malis communis esse potest, nota esse certa veræ religionis: eóque minùs quòd arma eorum injusta sunt, (c) cùm sæpe ea moveant adversùs populos sibi non molestos, nullâ injuriâ cognitos, ità ut nihil armis obtendere possint nisi solam religionem, quod maximè est irreligiosum. Nam (d) cultus Dei nullus est nisi ab animo volente procedat. Voluntas autem docendo & suadendo elicitur, non minis, non vi. Coactus qui credit, non credit, sed credere se simulat ut malum vitet. Qui mali sensu aut metu extorquere assensum vult, eo ipso ostendit se argumentis diffidere. Rursus autem hunc ipsum obtentum religionis ipsi destruunt, cùm subactos sub imperium patiantur uti quâ velint religione, imò & (e) palàm agnoscant interdum Christianos in sua lege servari posse.

ANNOTATA.

(a) *Religio illa quò arma eunt sequitur, & armorum accessio est*] Azoarâ X, XVIII, XXVI.

(b) *Nec aliud ipsi argumentum pro ea magistri adferunt quàm bellorum successum & imperii magnitudinem*] Azoarâ XXXIII, XLVII.

(c) *Cùm sæpe ea moveant adversùs populos sibi non molestos*] Azoarâ XIX.

(d) *Cultus Dei nullus est nisi ab animo volente procedat*] Lactantius lib. 10. cap. 20. *Nihil est enim tam voluntarium quàm religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.*

(e) *Palàm agnoscant interdum Christianos in sua lege servari posse.*] Azoarâ, I, & XII. Liber De doctrina Mahumetis. Vide Euthymium.

VIII. Contendamus inter se & præcepta. Hinc patientia præcipitur, imò & benignitas in malè volentes; indè ultio: hinc perpetua matrimonii fides, morum mutuâ toleratione; (a) indè discedendi licentia: hîc maritus quod ab uxore exigit præstat ipse, & affigendum uni amorem exemplo suo docet; (b) ibi aliæ super alias mulieres, nova semper libidinum irritamenta: hîc intus ad animum revocata religio, ut eo bene culto fructus exserat humano generi utiles; ibi eadem (c) in circumcisione, (d) aliisque rebus per se mediis, vim suam propè totam consumit: hîc temperatus ciborum vinique usus permittitur; ibi (e) vetitum sue vesci, (f) bibere vinum; quod tamen magnum Dei munus est ad animi & corporis bona cum modo sumptum. Et ante quidem legem perfectissimam, qualis est Christi, rudimenta quasi puerilia præcessisse non mirum est: post eam verò publicatam redire ad figuras præposterum. Neque ulla potest causa adferri, cur post Christianam religionem longè optimam, aliam decuerit proferri.

ANNOTATA.

(a) *Indè discedendi licentia*] Vide Euthymium, & eos qui de rebus Turcicis scripsere.

(b) *Ibi alia super alias mulieres*] Azoarâ III, VIII, IX, XXXIII.

(c) *In circumcisione*] Vide & Bartholomæum Georgevitium De ritibus Turcarum.

(d) *Aliisque rebus per se mediis*] Ut lotionibus, Azoarâ IX. Vide & Euthymium.

(e) *Vetitum*

(e) *Vetitum sue vesci*] Azoarâ II, XXVI.

(f) *Bibere vinum*] Vide Euthymium, & alios qui res Saracenicas scripserunt.

IX. Offendi se aiunt Mahumetistæ quòd Deo filium demus, cùm uxore non utatur; quasi FILII vox in Deo non possit Diviniorem habere significationem. At ipse Mahumetes multa Deo ascribit non minùs indigna quàm si uxorem habere diceretur; putà (a) manum ipsi frigidam esse, idque se tactu expertum: (b) gestari in sella, & his similia. Nos verò cùm Jesum DEI FILIUM dicimus, hoc significamus quod ipse (c) cùm eum VERBUM DEI dicit: (d) verbum enim ex mente sua quodàm modo gignitur. Adde jam, quòd ex virgine, solâ Dei operâ vim paternam supplente, natus est; quòd in cœlum evectus Dei potestate; quæ & ipsa Mahumeti confessa ostendunt (e) Jesum singulari quodam jure DEI FILIUM appellari posse, & debere.

ANNOTATA.

(a) *Manum ipsi frigidam esse, idque se tactu expertum*] Locum vide apud Richardum contra Mahumetistas cap. 1, & 14. & apud Cantacuzenum Orationem in Mahumetem 2. §. 18. & Oratione 4. non longè à principio.

(b) *Gestari in sella*] Ibidem.

(c) *Cùm eum* VERBUM DEI *dicit*] Vide suprà.

(d) *Verbum enim ex mente suo quodam modo gignitur.*] Vide Platonem in Convivio, & Abarbanielem in dialogo qui vulgò Leonis Hebræi dicitur. Vide hac de re & Euthymium in dicta Disputatione, ubi ait, ὅσπερ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐν τῇ τῆ γίνεται νοήμων, &c. Cardinalem Cusanum lib. 1. cap. 13, & seqq. contra Mahumetistas, Richardum c. 9, & 15.

(e) *Jesum singulari quodam jure* DEI FILIUM *appellari posse, & debere.*] Luc. 1. 35. Joh. 10. 36. Act. 3. 13, 14, 15. & 13. 33. Hebr. 1. 5. & 5. 5. In dicto libro Doctrinæ Mahumetis Jesus inducitur Deum suum Patrem appellans.

X. At contrà in scriptis Mahumeticis (a) quàm multa sint à veritate historiæ aliena, quàm multa planè ridicula, longum foret eloqui. Talis est fabula (b) de pulcra muliere, quæ ab Angelis vino captis solenne didicerit carmen, quo in cœlum ascendi & ex eo descendi solet: quæ cùm ascendisset in multam cœli altitudinem, deprehensam à Deo, ibíque fixam, atque eam esse stellam Veneris. Talis illa (c) de mure in nave Noe nato ex elephanti stercore; (d) contrà autem fele ex leonis halitu. Atque illa maximè (e) de morte in arietem commutanda, qui medio inter cœlum & inferos spatio sit stabulaturus: (f) & de epulis in vita altera excernendis per sudorem, (g) déque mulierum gregibus cuique assignandis ad concubitûs voluptates: quæ profectò talia sunt omnia, ut oporteat culpâ suâ esse in stuporem datos qui istis fidem habent, præsertim cùm Euangelii lux ipsos circumfulgeat.

ANNOTATA.

(a) *Quàm multa sint à veritate historia aliena*] Ut de Alexandro Magno, qui ad fontem pervenerit in quo sol quiesceret; Azoarâ XXVIII. de Solomone, Azoarâ XXXVII.

(b) *De pulcra muliere*] In libro Doctrinæ Mahumetis est hæc fabula, sumpta ex libro Enarrationum. Vide & Cantacuzenum Orat. 2 in Mahumetem c. 15.

(c) *De mure in navi Noe nato ex elephanti stercore*] Sunt hæc dicto libro Doctrinæ Mahumetis.

(d) *Contrà autem fele ex leonis halitu*] Ibidem.

(e) *De morte in arietem commutanda*] In fine dicti libri Doctrinæ Mahumetis.

(f) *Et de epulis in vita altera excernendis per sudorem*] Dictus liber De doctrina Mahumetis.

(g) *De mulierum gregibus cuique assignandis ad concubitûs voluptates*] Vide quæ suprà adducta ad lib. 2.

XI. Hâc ultimâ disputatione absolutâ sequitur peroratio, non jam ad extraneos, sed ad omnis generis ac nominis Christianos; summatim monstrans eorum usum quæ dicta sunt hactenus, ut & quæ recta sunt fiant, & quæ prava vitentur. Primùm (a) ut puras manus elevent ad Deum illum (b) qui omnia conspicua atque inconspicua fecit ex nihilo; (c) cum certa fiducia eum curam nostri gerere, (d) cùm nisi ejus permissu nè passer quidem cadat: (e) ac nè eos timeant qui tantùm corpori nocere possunt. præ eo cui & in corpus & in animum æquale jus est. (f) Confidant non Deo tantùm Patri, sed & Jesu: (g) quando in terris aliud nomen non est quod nos salvos præstet: (h) quod rectè facturos, si cogitaverint, non qui illum Patrem, hunc Dominum voce nuncupant, æternùm victuros, sed qui ex eorum voluntate vitam componunt. Monentur deinde (i) sanctum illud dogma Christi, ut pretiosissimum thesaurum, solicitè custodire; atque eam ob rem etiam (k) sæpe legere Sacra scripta, quibus nemo possit decipi nisi qui priùs se ipse deceperit. (l) Nam & fideliores fuisse eorum scriptores & afflatûs Divini pleniores quàm ut necessariâ veritate nos fraudare vellent, cámve nube aliquâ obtegere: (m) sed adferendum animum paratum obsequio: id si fiat, (n) nihil eorum nos fugiturum quæ credi, sperari aut fieri à nobis debent: (o) atque eo modo ali & excitari in nobis illum Spiritum, (p) qui futuræ felicitatis arrabo est datus. Absterrentur præterea ab imitatione Paganorum, (q) Primùm in cultu falsorum deorum, (r) qui nihil sunt nisi vana nomina, (s) quibus mali dæmones utuntur (t) ut nos à veri Dei cultu avertant: (u) quare non posse nos eorum sacris participare, ità ut simul & Christi sacrificium nobis prosit: (x) Secundò in vivendi modo licentioso, nec aliam habente legem quàm à cupiditate dictatam; (y) unde Christianos longissimè abesse oporteat, (z) qui non tantùm Paganis præstare multùm debeant, (a 2) sed & Judæorum legisperitis & Pharisæis, quorum justitia in externis quibusdam factis consistens non sufficit ut ad cœleste regnum perveniatur. (b 2) Nullo nunc in pretio esse circumcisionem manu factam, sed alteram internam cordis, (c 2) observationem mandatorum Dei, (d 2) novum opificium, (e 2) fiduciam in diligendo efficacem, (f 2) unde agnoscantur veri Israelitæ, (g 2) mystici Judæi, h. e. Dei laudatores. (h 2) Ciborum discrimina, (i 2) sabbata, (k 2) dies festos, (l 2) umbras esse rerum quæ in Christo & Christianis exsistant. Ex occasione Mahumetismi hæc adferuntur monita, (m 2) prædictum à Domino Jesu, venturos quosdam post sua tempora qui à Deo se missos mentirentur; (n 2) sed etiamsi Angelus de cœlo veniret, non recipiendum esse dogma aliud (o 2) quàm illud Christi, tantis testimoniis probatum. Quippe (p 2) olim quidem Deum multis variísque modis allocutum pios, qui fuerunt; postremò autem voluisse eum nos compellare per filium suum, (q 2) rerum omnium dominum, (r 2) splendoris paterni effulgentiam, substantiæ ejus expressam imaginem, (s 2) per quem condita sint quæ fuerunt aut erunt, (t 2) qui suo imperio agit ac fert omnia, (u 2) & expiatis peccatis nostris ad dexteram Dei sublatus, (x 2) dignitatem supra Angelos consecutus est: (y 2) quo proinde legis auctore nihil potest exspectari magnificentius. Revocatur etiam eâdem occasione ipsis in memoriam (z 2) arma Christi militibus assignata, non esse qualibus Mahumetes nititur, sed Spiritûs propria, apta expugnandis munitionibus quæ se adversùs Dei cognitionem erigunt: pro scuto fiduciam, quæ tela ignita diaboli repellat; pro lorica justitiam sive rectitudinem vitæ; (a 3) pro galea, quæ quod infirmissimum est tegat, spem æternæ salutis; (b 3) pro ense verò tradita Divinitus verba, penitissimas animi partes penetrantia. Sequitur post hæc exhortatio (c 3) ad mutuam concordiam, quam Christus suis abiens tam serió commendavit;

commendavit: (d 3) non multos inter nos esse doctores debere, sed unum Jesum Christum: (e 3) omnes Christianos in idem nomen baptizatos: (f 3) quare non debere inter ipsos sectas esse & scissuras, quibus ut remedium tandem adhibeatur aliquod, suggeruntur dicta illa Apostolica, (g 3) sapiendum temperanter, (h 3) pro modo cognitionis quam cuique Deus admensus est: (i 3) si qui minùs omnia intelligunt, eorum ferendam imbecillitatem, (k 3) ut placidè ac fine jurgiis nobiscum coalescant: (l 3) si qui intelligentiâ præstent cæteris, par esse ut & studio erga cæteros excellant: (m 3) hos verò qui aliter aliqua in parte sentiunt, exspectandos donec & ipsis Deus veritatem latentem aperiat: (n 3) interim, de quibus constat, retinenda, & opere implenda. (o 3) Nunc ex parte sciri: (p 3) venturum illud ævum quo omnia certissimè cognoscenda sint. Etiam hoc rogantur singuli, (q 3) nè inutile detineant talentum sibi concreditum: (r 3) sed omnem impendant operam ut alios Christo acquirant: (s 3) quam ad rem non tantùm adhibendos rectos salutaréque sermones, (t 3) sed & emendatæ vitæ exemplum, ut ex servis de bonitate Domini, & ex actionibus de legis puritate judicium fiat. Postremo loc[illegible] versa, unde exierat, ad lectores populares oratio, [illegible]at eos, (u 3) si quid hic boni est, de eo agant Deo gratias; (x 3) si quid minùs placeat, rationem ut habeant, tum communis naturæ hominum ad multos errores pronæ, tum & loci ac temporis, quo opus hoc effusum verius quàm elaboratum est.

ANNOTATA.

(a) *Ut puras manus elevent ad Deum illum*] 1 Tim. 2. Jac. 4. 8. Tertullianus Apologetico, *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum.*

(b) *Qui omnia conspicua atque inconspicua fecit ex nihilo*] Col. 1. 16. Heb. 11. 3. Act. 4. 24. & 17. 24. 2 Macc. 7. 28.

(c) *Cum certa fiducia eum curam nostri gerere*] 1 Pet. 3. 11. & 5. 7.

(d) *Cùm nisi ejus permissu nè passer quidem cadat*] Mat. 10. 29.

(e) *Ac nè eos timeant qui tantùm corpori nocere possunt, pra eo cui & in corpus & in animum aquale jus est*] Matt. 10. 28. Luc. 12. 4.

(f) *Confidant non Deo tantùm Patri, sed & Jesu*] Joh. 14 2. Heb. 4. 15, 16. Eph. 3. 12, & 17.

(g) *Quando in terris aliud nomen non est quod nos salvos prastet*] Act. 4. 12.

(h) *Quod rectè facturos, si cogitaverint, non qui illum Patrem, bune Dominum voce nuncupant, aternùm victuros, sed qui ex eorum voluntate vitam componunt*] Joh. 8. 41, & seqq. Matth. 7. 21. Joh. 15. 14. 1 Joh. 2. 3, 4.

(i) *Sanctum illud dogma Christi, ut pretiosissimum thesaurum, solicitè custodire*] Matth. 13. 44, 45. 1 Cor. 4. 7. 1 Tim. 6. 20. 2 Tim. 1. 14.

(k) *Sape legere sacra scripta*] Col. 4. 16. 1 Thess. 5. 27. Apoc. 1. 3.

(l) *Nam & fideliores fuisse eorum scriptores, & afflatûs Divini pleniores, quàm ut necessariâ veritate nos fraudare vellent*] Tertullianus de hæreticis sic loquitur in Præscriptione, *Solent dicere, non omnia Apostolos sciisse, eâdem agitati dementiâ quâ rursus converunt; omnia quidem Apostolos sciisse, sed non omnia omnibus tradidisse: in utrog, Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minùs instructos, aut parùm simplices Apostolos miserit.* Vide & quæ sequuntur ibidem longè utilissima.

(m) *Sed adferendum animum paratum obsequio*] Joh. 7. 17. 5. 44. Matth. 11. 25. Phil. 3. 15. 2 Pet. 3. 16. Osea 14. 10.

(n) *Nihil eorum nos fugiturum qua credi, sperari aut fieri à nobis debent*] 2 Tim. 3. 15, 16. Joh. 20, 31. 1 Pet. 1. 23.

(o) *Atque eo modo ali in nobis & excitari illum spiritum*] 2 Tim. 1. 6. 1 Thess. 5. 19.

(p) *Qui futura felicitatis arrhabo est datus*] Eph. 1. 14. 2 Cor. 1. 22. & 5. 5.

(q) *Primùm in cultu falsorum deorum*] 1 Cor. 8. 5, 6.

(r) *Qui nihil sunt nisi vana nomina*] Ibidem 5. 4. & 10. 19.

(s) *Quibus mali damones minuntur*] 1 Cor. 10. 20. Apoc. 9. 2.

(t) *Ut nos à veri Dei cultu avertant*] Ephes. 2. 2. Apoc. 9. 9. 2 Thess. 2. 9. Matt. 13. 19. Ephes. 2. 12.

(u) *Quare non posse nos eorum sacris participare, ità ut simul & Christi sacrificium nobis prosit*] 1 Cor. 10. 20.

(x) *Secundò in vivendi modo licentioso, nec aliam habente legem quàm à cupiditate dictatam*] Eph. 2. 3. Tit. 2. 14.

(y) *Unde Christianos longissimè abesse oporteat*] 2 Cor. 6. 15.

(z) *Qui non tantùm paganis prastare multùm debeant*] Matt. 5. 47. & 6. 7, 32.

(a 2) *Sed & Judæorum legisperitis & Pharisæis, quorum justitia in externis quibusdam factis consistens non sufficit ut ad cœleste regnum perveniatur*] Matt. 5. 20. & 23, 23. Rom. 3. 20. Gal. 2. 16.

(b 2) *Nullo nunc in pretio esse circumcisionem manufactam, sed alteram internam cordis*] 1 Cor. 7. 19. Gal. 5, 6. & 6. 15. Philip. 3. 3. Eph. 2. 11. Col. 2, 11. Rom. 2. 29.

(c 2) *Observationem mandatorum Dei*] 1 Cor. 7. 19.

(d 2) *Novum opificium*] Gal. 6. 15.

(e 2) *Fiduciam in diligendo efficacem*] Gal. 5. 6.

(f 2) *Unde agnoscantur veri Israelita*] Rom. 9. 6. 1 Cor. 10, 18. Gal. 6. 16. Joh. 1. 47.

(g 2) *Mystici Judæi, h. e. Dei laudatores*] Rom. 2. 28. Philo de Allegoriis, Τῦ ἐξομολογεμένου ἐ Ἰσραὴλ Σύμβολον, *Judæi symbolum ejus qui Deum profitetur.*

(h 2) *Ciborum discrimina*] Act. 10, 13, 14, 15. & 15. 19, 20. 1 Cor. 10. 25. Col. 2. 16, 21.

(i 2) *Sabbata*] Colos. dicto loco.

(k 2) *Dies festos*] Ibidem Rom. 14. 5.

(l 2) *Umbras esse rerum qua in Christo & Christianis exsistant*] Col. 2. 17. Heb. 10. 1.

(m 2) *Prædictum à Domino Jesu, venturos quosdam post sua tempora qui se à Deo missos mentirentur*] Joh. 5. 43. 2 Thess. 2. 9. Matth. 7. 15. & 24. 11. Marci 13, 22. 1 Joh. 4. 1.

(n 2) *Sed etiamsi Angelus de cœlo veniret, non recipiendum esse dogma aliud*] Gal. 1. 8.

(o 2) *Quàm illud Christi tantis testimoniis probatum*] 1 Joh. 5. 7, 8. Heb. 2. 9. & 12. 1. Joh. 1. 7, 32. & 5. 32, 37, 39, 46. Luc. 24. 27. Act. 2. 22, 23. & 10. 43.

(p 2) *Olim quidem Deum multis variisque modis alloquutum pios, qui fuerunt, postremò autem voluisse eum nos compellare per filium suum*] Heb. 1. 2.

(q 2) *Rerum omnium Dominum*] 1 Cor. 15. 27. Heb. 2. 5.

(r 2) *Splendoris paterni effulgentiam, substantia ejus expressam imaginem*] Heb. 1. 3.

(s 2) *Per quem condita sunt qua fuerunt, aut erunt*] Ibid. Colos. 1. 16.

(t 2) *Qui suo imperio agit ac fert omnia*] Heb. 1. 3. Apoc. 1. 5.

(u 2) *Et expiatis peccatis nostris ad dexteram Dei sublatus*] Heb. 1. 3. & 9. 12. Matth. 20. 28. 1 Joh. 2, 2. & 4. 10. Matth. 26. 64. Marci 16. 19. Act. 2. 33, 34. & 7. 55, 56. Rom. 8. 34. Eph. 1, 20. Col. 3. 1. Heb. 8. 1. & 10. 12. & 12. 5.

(x 2) *Dignitatem supra Angelos assecutus est*] 1 Pet. 3. 22. Heb. 1. 13. Eph. 1. 21.

(y 2) *Quo proinde legis auctore nihil potest exspectari magnificentius*] Heb. 2. 3, 4, 5, 6, 7, 8. & 3. 3, 4, 5, 6.

(z 2) *Arma Christi militibus assignata*] Rom. 13. 12. 2 Cor. 6. 7. 5. 4. Eph. 6. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18.

(a 3) *Pro galea*] Vide præter dictum ad Ephesios locum, 1 Thess. 5. 8.

(b 3) *Pro*

82266.

TRACTATUUM BIBLICORUM

Volumen Posterius:

Sive

Criticorum Sacrorum

Tomus IX.

LONDINI.

Excudebat *JACOBUS FLESHER*, M DC LX.

Prostant apud
CORNELIUM BEE
RICHARDUM ROYSTON
GUILIELMUM WELLS
SAMUELEM THOMSON
Londini.
GUILIELMUM MORDEN *Cantabrigiæ.*
THOMAM ROBINSON *Oxonii.*

ANNOTATA.

(a) *Ad bestiarum cultum delapsi sunt homines, Ægyptii maximè*] De quibus Philo in legatione, οἱ κύνας καὶ λύκους καὶ λέοντας καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλείονα θηρία καὶ ὕδρα καὶ χερσαῖα καὶ πτηνὰ θεοποιοῦντες, *Qui canes, leones, lupos, crocodilos aliáque terrestria, aquatica, volucria animantium pro diis habent.* Adde longam ea de re dissertationem lib. 1 Diodori Siculi.

(b) *Contrà verò homo validissima quaque animantia, feras, aves, pisces, capit solertiâ ingenii sui*] Euripides Æolo,

Βραχύ τοι δεινὸν ἀνήρ,
Ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων
Δαμᾷ φῦλα πόντου,
Χθονίων τ' ἀρίων † παιδεύματα,
Vis exigua est, quamcunque homini
Natura dedit: sed consiliis
Variis artes, quæ nata mari
Et quæ terrâ cœlóque domant.

Antiphon,

Τέχνῃ κρατοῦμεν ὧν φύσει κρατούμεθα,
Natura quorum superat, arte hæc vincimus.

Non malè hinc explices quod est Gen. 1. 26. & Psal. 8. 8. Latiorem hac de re dissertationem qui desiderat, videat Oppianum initio quinti de Piscatu, & Basilium in Hexaemeron Homil. 10. Origenes contra Celsum lib. 4. Καὶ ὀνταῦθα ἡ ὀρθή τινα τρόπον ἡ σύνεσις μέγα βοήθημα ἡμῖν δίδοῖ, καὶ παντὸς ὅπλου κρεῖττον ἔ δοκεῖ ἔχειν τὰ θηρία. ἡμεῖς γοῦν οἱ πολλῷ τῷ σώματι τῶν ζώων ἀδυνέστεροι, πτηνῶν ἢ καὶ ὑποζυγίων βραχύτεροι, κρατοῦμεν διὰ τὴν συνέσιν τῶν θηρίων, καὶ τοὺς τιτανώδεις ἐλέφαντας θηρεύομεν, τὰ μὲν πεφυκότα παθαινόμενοι ὑποτάττοντες τῇ ἡμετέρᾳ· καὶ † τῶν μὴ πεφυκότων, ἢ μὴ δοκούντων ἡμῖν χρείαν παρέχειν, ὁπόταν † τιθασείας, ὕτω μὴ † ἡμετέρας ἐσόμεθα ἀσφαλείας, ὥστε ὅτε μὲν βουλόμεθα ἔχεμεν τὰ τοιαῦτα θηρία κατασκευασμένα· ὅτε † χρήζομεν ὄφεως † ἀπὸ τῶν σωμάτων αὐτῶν, ὕτως αὐτὰ ἀναιρεῖμεν ὡς καὶ τὰ μὴ ἄχρια τῶν ζώων. ὅλα οὖν πάντα τῷ λογικῷ ζώῳ καὶ † φυσικῶς αὐτῷ συνέσεως κατεσκεύασεν ὁ δημιουργὸς, *Vel hinc videas quàm validum nobis auxilium datum est intellectus, quantóque præstet omnibus armis quibus instructas feras videmus. Nos enim corpora habentes multò imbecilliora, & immensùm minora aliorum animantium corporibus, horum tamen potimur vi mentis, & elephantes illos tantos venamur, quæque sunt ità nata ut mansuescere possint, ea nostræ naturæ mansueta subdimus; quæ verò aut talia non sunt, aut nullam ex mansuetudine utilitatem nobis promittunt, ea cum nostra securitate ità tractamus, ut cùm lubet ea teneamus conclusa: ubi eorum carne ad victum indigemus, ea non minùs facilè quàm mansueta animalium interficimus. Apparet igitur à summo opifice facta cuncta servo animanti ratione utenti, & agnato ei intellectui.* Claudius Neapolitanus apud Porphyrium De non esu animantium 1. sic de homine loquitur, Ὃς δὴ ἀλόγων δεσπόζει πάντων, ὡς ὁ Θεὸς ἀνθρώπων, *Qui mutis animantibus omnibus dominatur, non minùs quàm hominibus Deus.*

VII. Adoratas legimus à Græcis, Latinis atque aliis etiam eas res quæ non subsistunt, sed aliarum rerum sunt accidentia. Nam sæva illa, (a) Febrim, Impudentiam & similia omittam: Sanitas nihil est aliud quàm partium corporis recta temperies: Fortuna bona similitudo eventûs cum hominis desiderio: Affectus verò, quales Amor, Metus, Ira, Spes, atque alia, ex consideratione rei vel bonæ vel malæ, facilis vel difficilis, motus quidam in ea animi parte quæ corpori per sanguinem maximè connectitur, qui sui juris non sunt, sed Voluntatis tanquam Dominæ imperio subsunt, certè quod durationem ac directionem eorum attinet. Virtutes verò, quarum diversa sunt nomina, circa utilis electionem Prudentia, in periculis subeundis Fortitudo, in abstinentia alieni Justitia, in voluptatum moderatione Temperantia, & potrò alia, pronitates quædam sunt ad rectum in animo longâ exercitatione adultæ, quæ ipsæ ut augeri, ità & neglectu minui, imò & interire in homine possunt. (b) Honor verò, cui & ipsi templa dicata legimus, aliorum est de aliquo tanquam virtute prædito judicium; quod sæpe & malis contingit, & bonis non contingit, ingenitâ hominibus errandi facilitate. Hæc ergò cùm non subsistant, ac proinde rebus subsistentibus dignitate comparari nequeant, neque precum aut venerationis intellectum habeant ullum, pro diis colere à recta ratione alienissimum est, cùm ob hæc ipsa is colendus sit à quo hæc dari conservarique possunt.

ANNOTATA.

(a) *Febrim, Impudentiam*] Cicero De legibus 2.

(b) *Honor verò, cui & ipsi templa dicata legimus*] Cicero dicto loco. Livius lib. 27.

VIII. Solent à Paganis ad religionis suæ commendationem miracula adferri: sed adversùs quæ multa excipi possint. Nam qui sapientissimi inter ipsos Paganos fuere, multa horum (a) ut nullâ idoneâ testium fide suffulta planéque conficta rejiciunt. Quædam quæ facta dicuntur contigerunt in recessu, nocte, coram uno aut altero, quorum oculis falsâ rerum specie per astus sacerdotum imponi facilè potuit. Sunt & alia quæ admirationem tantùm sui conciverunt apud ignaros rerum naturalium, præcipuè occultarum proprietatum; quale quid accideret si quis apud populos ejus rei ignaros magnete ferrum duceret: (b) quibus artibus Simonem & Apollonium Tyanæum valuisse à multis proditum est. Non negem conspecta & quædam his majora, quæ ex causis naturalibus solâ humanâ vi non potuerint elici; sed talia tamen quæ vim verè Divinam, i. omnipotentem, non desiderarent, cùm ad eas sufficerent Spiritus inter Deum hominémque interpositi, qui pro sua celeritate, efficacia atque solertia facilè possent dissita transferre, & quamvis diversa componere ad effectus tales qui homines in stuporem darent. Sed Spiritus, per quos id effectum est, bonos non fuisse, ac proinde nec bonam religionem, jam ex iis quæ suprà diximus apparet, tum indè etiam, (c) quòd certis carminibus invitos se cogi dicerent, cùm tamen inter sapientissimos etiam Paganorum constet, in verbis nullam talem vim esse posse sitam, sed suadendi tantùm, idque pro modo significationis. Est & illorum nequitiæ indicium, quòd (d) in amorem sæpe hujus aut illius hunc illúmve renitentem se pellecturos suscipiebant, aut vanâ pollicitatione, aut effectu injurioſi, (e) cùm hoc etiam humanæ leges tanquam veneficium interdicant. Neque est quòd miretur quisquam, passum esse summum Deum ut mira quædam à pravis Spiritibus ederentur, (f) cùm deludi talibus præstigiis meriti essent qui à veri Dei cultu pridem defecerant. Tum verò impotentiæ eorum argumentum, quòd eorum opera nullum insigne bonum secum adferebant. Nam & si qui visi sunt in vitam revocati, non permanserunt in vita, nec viventium functiones exercuerunt. Quòd si quid aliquando à Divina pollentia procedens in Paganorum conspectu apparuit, non tamen prædictum est id eventurum ad probandum ipsorum religionem, unde nihil impedit quò minùs Divina efficacia causas sibi longè alias propositas habuerit. Exempli causâ, Si verum est per Vespasianum cæco visum esse redditum, factum id est (g) ut is hâc re venerabilior Imperium Romanum faciliùs adipisceretur, lectus quippe Deo judiciorum ipsius in Judæos minister: similésque aliorum prodigiorum causæ exstitere potuerunt, quæ cum religione nihil haberent commune.

ANNOTATA.

(a) *Ut nullâ idoneâ testium fide suffulta planéque conficta rejiciunt*] Livius initio, *Quæ ante conditam condendámve urbem poeticis magis decora fabulis quàm incorruptis rerum*

rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec affirmare nec refellere in animo est. Datur hac venia antiquitati, ut miscendo humana Divinis, primordia urbium augustiora faciat.

(b) *Quibus artibus Simonem & Apollonium Tyanæum valuisse a multis proditum est*] Tatianus, Εἰσὶ μὲν οὖν αἱ νόσοι αἱ σάρκες· ὧν ἡμῖν ὕλης. Δαίμονες δ' αὐτοὶ τούτων τὰς αἰτίας, ἐπειδὰν συμβαίνειν, ἑαυτοῖς προσγράφουσιν, *Sunt enim morbi & dissidia quædam in materia hac nostra. Ea cùm eveniunt, dæmones eorum causas sibi asscribunt.*

(c) *Quòd certis carminibus invitos cogi se dicerent*] Oraculum Hecates apud Porphyrium,

Ἦλυθον αἰσάμενα τιῆς πολυφράδμονος ἰυγγὸς,
Ἣν θνητῶν φύσις οὔτε, θεῶν ὑποδημοσυνῇσι,
Advenio precibus sapientibus indigetata
Quas genus humanum monitu reperire deorum.

Item,

Τίπτε μ' ἀεὶ θέλοντ' ἀπ' αἰθέρος ὧδε χατίζων
Θνοδάμοις Ἑκάτην με θεὸν ἐπέδησας ἀνάγκῃ;
Cujus egens Hecaten me summo ex æthere tractam
Carmine vinxisti? superos cui cogere fas est?

Et Apollinis apud eundem,

Κλῦθί μευ οὐκ ἐθέλοντος, ἐπεὶ μ' ἐπέδησας ἀνάγκῃ,
Invitum me audi, quando me lege ligasti.

Hi sunt secretarum arcium ritus, quibus affantur nescio quas potestates, ut Arnobius loquitur, καταλαμπαδεύειν δύναις ταῖς ἐπῳδαῖς πεποιηκότες, quasi *eas sibi famulas carminibus fecissent*, ut Clemens explicat. Minarum formula est apud Iamblichum in mysteriis Ægyptiorum lib. 4. cap. 5, 6, 7. Habet eadem Lucanus lib. 9. in verbis minoris Pompeii, & ex Porphyrio Eusebius lib. 5. cap. 10. Præpar. Alias formulas comminationum habes apud Lucanum, ubi de Erichto agit, & Papinium, ubi de Tiresia.

(d) *In amorem sape hujus aut illius, hunc illúmve renitentem se pellecturos suscipiebant*] Vide Pharmaceutriam Theocriti & Virgilii. Vide Porphyrii confessionem apud Eusebium lib. 5 Præpar. cap. 17. & apud Augustinum lib. 10 De civ. Dei cap. 11. Vide eundem Porphyrium lib. 2 De non esu animantium, & Origenem contra Celsum lib. 7.

(e) *Cùm hoc etiam humana leges tanquam veneficium interdicant*] L. *Ejusdem*, §. *Adjectio* D. Ad legem Corneliam de Sicariis & Veneficis. L. *Si quis*, §. *Qui abortionis*, D. De pœnis. Paulus Sententiarum lib. 5. Tit. 23.

(f) *Cùm deludi talibus præstigiis meriti essent, qui à veri Dei cultu pridem defecerant*] Deut. 13. 3. 2 Thess. 2. 9, 10. Ephes. 2. 2, 3.

(g) *Ut is hâc re venerabilior imperium Romanum facilius adipisceretur*] Tacitus Historiarum 4. *Multa miracula evenere, quîs cœlestis favor & quadam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur.* Dixerat antè Historiarum 1. *Occultâ lege fati & ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium post fortunam credidimus.* Suetonius eadem miracula narraturus sic præfatur cap. 7. *Auctoritas & quasi majestas quædam, ut scilicet inopinato & quasi novo principi deerat: hac quoque accessit.* Eundem Suetonium vide paulò ante cap. 5. Josephus de eodem Vespasiano libro Belli Judaici 3. cap. 27. Τῷ θεῷ διεγείροντι αὐτὸν εἰς ἡγεμονίαν ἤδη, καὶ τὰ σύμπαντα δι' ἑτέρων σημείων προδεικνύντι, *Deo jam illum excitante ad principatum, aliisque etiam signis ei sceptra præsignificante.*

IX. Eadem ferme omnia aptari possunt & ad id solvendum quod de oraculis opponunt, præcipuè quod diximus, meritos eos homines ut sibi illuderetur, contemptis illis notitiis quas cuique ratio aut vetustissima traditio suggerit. Tum verò (a) verba oraculorum ferme ambigua, & quæ facilè interpretationem ex qualicunque eventu acciperent. Quod si quid definitius prædictum ab illis, non tamen necesse est ab omniscia mente profectum, cùm aut talia sint quæ ex causis naturalibus jam exsistentibus præsentiri poterant, (b) ficut medici quidam venturos morbos prædixerunt; aut probabiliter ex eo quod plerumque evenit conjectarii, (c) quod & à rerum civilium peritis factum sæpe legimus. Quod si quando etiam apud Paganos aliquorum vatum operâ usus est Deus ad ea prædicenda, quæ causas certas nullas extra Dei voluntatem habere poterant; non id pertinuit ad confirmandam religionem paganicam, sed magis ad eam evertendam; qualia sunt (d) quæ apud Maronem exstant Eclogâ quartâ ex Sibyllinis carminibus deprompta, quibus ille id nesciens Christi adventum & beneficia nobis depingit. Sic in iisdem Sibyllinis erat, (e) Pro rege agnoscendum qui verè rex noster esset, & (f) Ab Oriente venturum qui rerum omnium potiretur. (g) Apollinis oraculum apud Porphyrium legitur, quo ait, cæteros deos aerios esse spiritus, colendum autem unum Hebræorum Deum: cui dicto si parent Apollinis cultores, jam tales esse desinunt; si non parent, suum Deum mendacii accusant. Adde jam, quòd si Spiritus illi suis oraculis consultum voluissent humano generi, ante omnia generalem proposuissent vivendi normam, & certam fidem fecissent remunerationis quæ maneret ità viventes, quorum neutrum ab ipsis factum est. Contrà (h) laudati sæpe eorũ carminib⁹ reges quamvis improbi, (i) pugilibus decreti honores divini, (k) pellecti homines in amores etiã non legitimos, (l) ad mala lucra captanda, (m) ad cædes faciendas, quæ multis exemplis demonstrari possent.

ANNOTATA.

(a) *Verba oraculorum ferme ambigua*] Vide Othomai hac de re loca apud Eusebium lib. 4. cap. 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26. Hinc Phœbus dictus Græcis Λοξίας. Flexiloqua & obscura oracula Apollinis dicit Cicero De Divinatione 2. *Utrum eorum accidisset*, inquit, *verum oraculum fuisset.*

(b) *Sicut medici quidam futuros morbos prædixerunt*] Chalcidius ad Timæum, *Aut enim alitum volatu, aut exstis, aut oraculis homines præmonentur, prædicente aliquo propitio dæmone qui sit eorum omnium quæ deinceps sequuntur scius, perinde ut si medicus juxta disciplinam medendi dicat vel exitium vel sanitatem.* Et terræ motus Anaximander & Pherecydes. Plin. lib. 2. cap. 79.

(c) *Quod & à rerum civilium peritis factum sæpe legimus*] Scriptor vitæ Attici, *Ei rei sunt indicio præter eos libros in quibus de eo facit mentionem* (Cicero) *qui in vulgus jam sunt editi, sexdecim volumina epistolarum, ab consulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum missarum: quæ qui legat non multùm desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipublicæ perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat: & facilè existimari possit, prudentiam quodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solùm quæ vivo se acciderunt futura prædixit; sed etiam quæ nunc usu veniunt, cecinit ut vates.* Cicero verè de seipso libri sexti epist. 6. *Quo in bello nihil adversi accidit non prædicente me. Quare, cùm ut augures & astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te auctoritatem augurii & divinationis mea, debebit habere fidem nostra prædictio. Non igitur ex alitis involatu, nec ex cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec ex tripudiis solistimis aut somniis tibi auguror, sed habeo alia signa quæ observem.* Sic Solon prædixit à Munychia maxima mala Athenis fore; Thales in vico tunc despecto forum aliquando Milesiorum futurum: Plutarchus Solone.

(d) *Quæ apud Maronem exstant Eclogâ quartâ*] Vide Augustinum De civ. Dei lib. 10. cap. 27.

(e) *Pro rege agnoscendum qui verè rex noster esset*] Cicero meminit 2 De divinatione.

(f) *Ab Oriente venturum qui rerum omnium potiretur*] Suetonius de Vespasiano cap. 4. Tacitus Historiarum 4.

(g) *Apollinis Oraculum apud Porphyrium legitur*] Vide Augustinum De civ. Dei lib. 20. c. 23. & Eusebium Præpar. 4. c. 4. Idem Porphyrius in libro de Oraculis, πλὴν ὅ εὕρεσιν ὁ Θεὸς Αἰγυπτίοις ἐμαρτύρησε, Φοινιξὶ τε καὶ Χαλδαίοις, Λυδοῖς τε καὶ Ἑβραίοις, *Veræ viæ repertores deus* (Apollo scilicet) *esse testatur Ægyptios, Phœnicas, Chaldæos, Lydos & Hebræos.* Paræneticus ad Græcos inter Justini opera hoc citat oraculum,

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτοχθόνιον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς,

Soli Chaldæi sapiunt, & Hebræa virûm gens,
Qui puro haud genitum venerantur pectore numen.

Et illud,

Ὃ πρῶτον πλάσας μερόπων, Ἀδάμ τε καλέσας.

Qui primum finxit mortalem, Adámque vocavit.

De ipso Jesu Hecates oracula sunt duo, quæ ex Porphyrio transcripsit Eusebius in Euang. Demonst.

Ὅτι μὲν ἀθανάτη ψυχὴ μὴ σῶμα προβαίνει,
Γιγνώσκει σοφίῃ τετιμένος· ἀλλά γε ψυχὴ
Ἀνέρος εὐσεβίῃ περιφερέστη ἔξαν ἁπάντων,

Morte carere animas exutas corpore, novit
Quemcunque exornat sapientia: sed pietate
Est anima illius quæ longè excelluit omnes.

Σῶμα μὲν ἀδρανέσιν βασάνοις ἀνὴ πεφύκλη·
Ψυχὴ δ' εὐσεβέων εἰς ὑράνιον πόλον ἵζει,

Illius invalidos corpus tulit usque dolores:
At anima ascendit cœlestia templa piorum.

Eorundem meminit ex eodem Porphyrio Augustinus lib. 29. 23. De civ. Dei, ubi & aliud affert oraculum, quo Apollo dixerit, Legem omnium deorum esse patrem, quem valde sancti honorant Hebræi.

(h) *Laudati sæpe eorum carminibus reges, quamvis improbi*] Vide ea quæ adfert Oenomaus apud Eusebium Præpar. Euang. lib. 5. c. 23, & 35.

(i) *Pugilibus decreti honores Divini*] Ibidem cap. 32. de Cleomede. Habet hoc & Origenes contra Celsum 3.

(k) *Pellecti homines in amores etiam non legitimos*] Ostendimus jam suprá.

(l) *Ad mala lucra captanda*] Vide Eusebium Præpar. 5. cap. 22.

(m) *Ad cædes faciendas*] Oenomaus oracula hujus generis recitat, quæ reperies dicto jam Eusebii libro c. 19, & 27.

X. Tum verò ingens nobis, præter ea quæ suprà sunt allata, argumentum suppeditat contra se Pagana religio, eò quòd ubicunque humanâ vi destituta est, planè confidit, tanquam sublato quo uno stabat. Nam si oculos circumferas per quotquot sunt Imperia Christianorum aut Mahumetistarum, videbis Paganismi nullam nisi in libris memoriam. Imò docent historiæ etiam illis temporibus, cùm Imperatores aut vim & supplicia, ut priores, aut eruditionem & solertiam, ut Julianus, adhiberent ad sustentandam religionem paganicam, in dies ei aliquid decessisse, non oppositâ vi ullâ, non generis fulgore (fabri enim filius à vulgo Jesus habebatur) non literarum flore, cujus expers fuit oratio Christi legem docentium, non donis, (pauperes quippe illi erant) non ullâ assentatione, cùm contrà omnia commoda spernenda, nihil non adversi ejus legis causâ subeundum dicerent. Vide quanta fuerit paganismi imbecillitas cùm talibus auxiliis destructus sit. Neq; tantùm credulitas Paganorũ evanuit ad illam doctrinam, sed & ipsi Spiritus ad Christi nomen (a) excesserunt è corporibus, compresserunt vocem, & interrogati de silentii causa (b) dicere sunt coacti, Nihil se posse ubi Christus invocaretur.

ANNOTATA.

(a) *Excesserunt è corporibus, compresserunt vocem*] Act. 5. 16. & 8. 7. & 16. 18.

(b) *Dicere sunt coacti, Nihil se posse ubi Christus invocaretur*] Tertullianus Apologetico. Vide & Lucianum Pseudomanti. Apollo in Daphne, Νεκρῶν τὸ χωρίον ἡ Δάφνη μεστόν· καὶ τοῦτο κωλύει τὸν χρησμὸν, *Locus hic Daphne plenus mortuis; id oracula impedit.* Mortui illi erant Babylas & alii Christiani martyres. Vide Chrysostomum contra Gentiles.

XI. Fuere philosophi, qui ut ortum ità interitum religionis cujusque astris adscriberent. Sed ipsa, quam isti scire se profitentur, sideralis scientia tam diversis subnormis traditur (a) ut nihil in ea certi reperiatur præter hoc ipsum, certi esse nihil. Non de illis loquor effectibus qui ex natura necessitate causarum sequuntur, sed de his (b) qui ab humana procedunt voluntate, quæ ità suapte vi libera est ut nihil ei necessitatis extrinsecùs imprimi possit. Quod si ex impressione tali necessariò sequeretur actus voluntatis, jam vis in anima deliberandi atque eligendi, (c) quam sentimus ipsi, fruſtrà esset data, (d) omniúmque legum præmiorúmque ac pœnarum æquitas sublata, cùm neque culpa neque meritum esse possit in eo quod planè sit inevitabile. Tum verò cùm actiones voluntatis malæ quædam sint, si certâ necessitate ex cœlo procedunt, eò quòd cœlo cœlestibúsque corporibus vim talem Deus attribuerit, jam sequetur Deum, qui perfectissimè bonus est, (e) malitiæ moralis veram esse causam, & cùm lege positâ profiteatur se detestari malitiam, cujus vim effectricem atque inevitabilem inseruerit ipsis rebus, velle eum duo quæ inter se sunt contraria, ut idem fiat & non fiat: & peccari in eo quod quis agat Divino impulsu. Probabiliùs ab aliis dicitur, astrorum influxibus aerem primùm, deinde & corpora nostra contingi, & qualitates quasdam imbibere, quæ plerumque in animo excitent respondentes sibi appetitiones: ab his autem voluntatem illici, & iis obsequi sæpe. Verùm hoc ità concessum nihil facit ad eam quam tractare cœpimus quæstionem. Nam Christi religio cùm homines vel maximè abducat ab iis quæ corpori placent, ex corporis affectibus ortum habere non potuit, ac proinde nec è vi siderum, quæ, ut diximus, in animũ non agunt, nisi per eos affectus. Prudentissimi Astrologorum (f) eximunt à siderum legibus viros verè sapientes ac bonos: at tales revera fuere qui primi Christianam religionem susceperunt, quod vita ipsorum probat. Quòd si eruditioni quoque & literis aliquam vim damus adversùs corporis contagium, fuerunt semper inter Christianos etiam qui hac laude florerent. Tum verò siderum effectus, ut doctissimi fatentur, certas mundi plagas respiciunt, & temporarii sunt. Hæc autem religio jam per mille sexcentos annos durat, nec in una, sed in dissitissimis mundi partibus, & quæ longè sub alio sunt siderum positu.

ANNOTATA.

(a) *Ut nihil in eo certi reperiatur præter hoc ipsum, certi esse nihil*] Vide egregiam hac de re Bardesanis Syri dissertationem, quam reperies in Philocalia de Origene collecta, & apud Eusebium Præpar. lib. 6. cap. 10.

(b) *Quæ ab humana procedunt voluntate, quæ ità suapte vi libera est ut nihil ei necessitatis extrinsecùs imprimi possit*] Vide Alexandri Aphrodisæi hac de re librum.

(c) *Quam sentimus ipsi*] Eusebium vide Præpar. Euang. lib. 6. cap. 6.

(d) *Omniúmque legum præmiorúmq; ac pœnarum æquitas sublata*] Justinus Apologetico 2. Εἰ μὴ φεύξεσθαι ἀλλήλων πείσει τὸ φεύγειν τὰ αἰσχρὰ καὶ αἱρήσεσθαι τὰ καλὰ δύναμιν ἔχει τὸ ἀνθρώπειον γένος, ἀναίτιον ἂν εἴη ὅτι οὐκ ὀνομοθέτηται περὶ ὧν πράττομεν, *Nisi enim electione liberâ facultatem habet humanum genus ut turpia fugiat, honesta sumat, in nemine partem ipsi ascribenda actionis causa.* Vide & quæ ibidem sequuntur. Tatianus, Ἐλευθερίᾳ τῆς προαιρέσεως, ὅπως

ὅπως ὁ μὲν φαῦλος δικαίως κολάζηται, δι' αὐτὸν γεγονὼς μοχθηρός· ὁ δὲ δίκαιος ἐπαινῆται, καὶ τὸ ἀντιξέσιον τοῦ θεοῦ μὴ πραττάς τὸ βούλημα, *In hoc data voluntati libertas, ut qui malus est puniatur justè, quippe suâ culpâ factus improbus; qui verò justus est laudetur, ut qui eâdem libertate cavérit Divina violare præcepta.* Adde Chalcidii hac de re disputationem in Timæo.

(c) *Malitia moralis veram esse causam*] Contrà quàm dixit Plato De republica 2. Αἰτία ἑλομένου, θεὸς δ' ἀναίτιος, *Causa penès optantem, Deus extrà culpam*, ut vertit in Timæo Chalcidius; quod cum Moſe congruere ait Juſtinus dicto loco.

(f) *Eximunt à ſiderum legibus viros verè ſapientes ac bonos*] Zoroaſter, Μὴ σύ γε αὔξαν τοῦ εἱμαρμένου, *Fatum augere noli.* Ptolemæus, Δύναται ὁ βέλτιστος πολλὰς ἐπιρροὰς ἐπιγείους τῶν ἀστέρων, *Poteſt vir ſapiens multas aſtrorum efficientias avertere.*

XII. Eò verò minus Pagani habent quo Chriſtianam religionem oppugnent, quòd ejus partes ſingulæ tantæ ſunt honeſtatis ut ſuapte luce animos quaſi convincant, ità ut inter Paganos quoque non defuerint qui dixerint ſingula, quæ noſtra religio habet univerſa: utpote (a) religionem non in ritibus, ſed in animo eſſe poſitam, (b) adulterum eſſe etiam qui adulterium committere voluit, (c) non reponendam injuriam, (d) uni marito unam uxorem jungendam, (e) fœdus matrimonii debere eſſe perpetuum, (f) hominis officium eſſe homini cuivis benefacere, (g) præſertim egenti, (h) juramento quantum fieri poteſt abſtinendum, (i) contentos nos in victu & veſtitu eſſe debere ad naturam neceſſariis. Quòd ſi quid eſt in Chriſtiana religione creditu difficile, apud ſapientiſſimos Paganorum paria inveniuntur, quod de animorum immortalitate & reditu corporum in vitam ſuprà oſtendimus. Sic Plato à Chaldæis edoctus (k) Divinam naturam diſtinguit in Patrem; Mentem paternam, quam & Dei germen vocat, Mundi opificem; & Animam quâ cuncta contineantur. Cum humana natura Divinam jungi poſſe, (l) Julianus tantus Chriſtianorum hoſtis credidit, & exemplum dedit in Æſculapio, quem volebat ad tradendam hominibus medendi artem de cœlo veniſſe. Crux Chriſti multos offendit; at quæ de diis non narrant Paganorum autores? alios famulos regum fuiſſe, fulminatos alios, diſſectos, vulneratos. Et verò lætius eſſe honeſtum, quoties magno ſibi conſtat, ſapientiſſimi ipſorum dixere. (m) Plato de Republica 2. quaſi præſcius, ait, ut verè juſtus exhibeatur, opus eſſe ut virtus ejus omnibus ornamentis ſpolietur, ità ut ille habeatur ab aliis pro ſcelesto, illudatur, ſuſpendatur denique. Et certè ſummæ patientiæ exemplum ut extaret, aliter obtineri non poterat.

Νῦν δ' ἰδιότης μὲν λαμπρὸν δεῖ σῶμα μὴ καθαρὰν ἀμφιασαμένῳ, οὐ θρησκεῖν νομίζειν πρὸς τὸ θεῖον ἀγνόν. ὅταν δὲ τὸ σῶμα μὴ θεοπρεπὲς τινες λαμπρυνάμενοι, μὴ καθαρὰν κακῶν ψυχὴν ἔχοντες, ἴασιν πρὸς τὰς θυσίας, οὐδὲν διαφέρειν νομίζουσιν. ὅπερ ὁ τῷ θειοτάτῳ θεῷ ὑμῖν χαίρειν μάλιστα θεῶν διακεκριμένῳ καθαρῶς, ἅτε συγγενεῖ πρυφύτι. ὃ γὰρ Ἐπιδαύρῳ περιγέγραπται,

Ἁγνὸν δὴ ναοῖο θυώδεος ἔνδον ἰόντα
Ἐμφρᾶναι.

ἀγνὰ δ' δεῖ φορεῖν ἕσια, *Nunc verò cum qui non candidâ purâque amictus ſit veſte idoneum negant qui purè ſacrificet. Ubi verò & corpore & veſtitu nitentes quidam, animum interim à malis parum non habent, & ſic ad ſacra accedunt; id nihil referre exiſtimant. Quaſi non Deus maximè delectetur eo quod in nobis divinissimum eſt bene ſe habente, ut sui cum ipſo ſit cognatio. At verò in Epidauri Templo præſcriptum erat,*

Caſtus odorati venias ad limina templi
Fas jubet.

Caſtimonia autem in eo ſita eſt, ut ſancta cogites. Et aliquantò pòſt, Θεῷ μὲν τῷ δεῖ πέφυκεν, ὅς τις ἀνὴρ σοφὸς ἦεν, μηδὲν ἄγαν αἰδοῖ μήτε θυμιῶντες, μήτε ἑκατόμβοντες. οὐδὲν γάρ θεὸν ἔνδον ὃ μὴ τῷ αὐτῷ ἐοῦσ θεὸν ἀκήδαρον. διὸ οὐδὲ λόγῳ τούτῳ ὁ κρείων οἰκεῖος· οὐδ' ὁ ἔνδον, ὅταν πάθει ψυχῆς ἢ μεμυσυμένῳ, *Deo ei qui ſuper omnia eſt, ut vir quidam ſapiens dixit, nihil eorum quæ materiam habent aut adoleri aut indigitari debet. Nihil enim eſt materiæ particeps quod non impurum ſit materiâ carenti: quare nec ſermo illi convenit qui voce exprimitur; ac nè ille quidem internus, ſi ex animi perturbationibus vitium contraxerit.* Iterum ibidem, Οὐ γὰρ δὴ ἐν μὲν ἱεροῖς ὑπ' ἀνθρώπων θεοῖς ἀφειερωμένοις, ἐν τὰ ἐν ποσὶ καθαρὰ δεῖ εἶναι καὶ ἀκήλιδωτα πάσιλα, ἐν δὲ τῷ ναῷ τῷ παρὰ, τῷ κόσμῳ τάτῳ, ἐ ἔχοντος ἐαυτὸς ἡμῶν χιλίαν ἐ δερμάλινον ἐχ ἁγνὸν περοπίνειν διατηρεῖν, ἐ μὲν ἁγνῷ διαχρῆσθαι ἐν τῷ ναῷ τῷ παρὰ, *Neque enim convenit ut in illis templis quæ homines diis dicarunt, etiam pedum vincula pura requirantur, & ſine macula calcei, in templo verò ſummi patris, Mundo hoc ſcilicet, non oporteat puram ſervare illam externam noſtri corporis ultimam è pellibus veſtem, eámque quàm caſtiſſimè verſari in illo Patrio templo.* Nè hoc quidem ex eodem libro omittam, Πανδεὶς δ' ὅτι τάτων χρείαν ἔχ ἰχνσιν οἱ θεοὶ, εἰς δ τὰ ἤθη ἀποβλέπτσι μᾶλλ προσίενται, μεγίσλων θυσίαν λαμβάνοντες ἐ ὀρθῶς ἐαυτῶν ἐ ἐ μᾶλλ πραγμάτων διάληψιν, πῶς ἂ σώφρων ἐ ὅσιος ἐ δίκαιος ἴσως; *Qui verò perſuaſus eſt victimis illis non egere deos, ſed ad animum ſpectare efferentis, optimumque eis conferri ſacrificium, rectam tum de diis tum de rebus ſententiam, quomodo non is temperans, pius juſtuſque evadat?* Ubi tria illa nota quæ apud Paulum Tit. 2. 12. σώφρονως, ἐ δικαίως, ἐ εὐσεβῶς, *temperanter, juſtè, & piè.* Charondas in legum anteloquio, Ἔχειν δ' ψυχὴν καθαρὰν πάσης κακίας, ὡς μὴ θεῶν ἂ χαιρόντων μὴ πονηραῖς θυσίαις ἐ ἐ δαπάναις, ἀλλὰ τοῖς μὴ ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίαις ἐ ἐ κλαῖς ἐπιδιώκουσι, *Omnis malitiæ pura mens eſto, neque enim gaudent dii pravorum hominum ſacrificiis & impendiis; ſed juſtis & honeſtis bonorum actionibus.* Seneca Lactantio prolatus l. 6. Inſtitutionum, c. 25. *Vultiſne Deum cogitare magnum & placidum & majeſtate lemi verendum, amicum & ſemper in proximo? Non immolationibus & ſanguine multo colendum, ſed mente purâ honeſtóque propoſitò. Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis exſtruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.* Senſum eundem habes apud Dionem Pruſæenſem Orat. 3. Thucydides lib. 1. Ἑορτὴ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ τὸ τὰ δίκαια πράσσειν; *Feſtus dies nihil eſt aliud quàm officium facere.* Diogenes; Ἀνὴρ ἀγαθὸς ἡ πᾶσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἄγει; *Vir bonus, nónné omnem diem feſtum habet?*

(b) *Adulterum eſſe etiam eum qui adulterium committere voluit*] Ovidius,

Quæ quia non licuit, non facit, illa facit:
Ut jam ſervâris bene corpus, adultera mens eſt;
Omnibus excluſis intus adulter erit.

ANNOTATA.

(a) *Religionem non in ritibus, ſed in animo eſſe poſitam*] Menander,

Θεῷ δ' θῦε διὰ τέλους δικαίῳ ὤν,
Μὴ λαμπρὸς ὢν δ' χλαμύσιν, ἀλλὰ τῇ γνώμῃ,
Deo ſacrifica ſemper ingenio probo,
Nec tu albam veſtem magìs quàm mores induas.

Cicero De Natura deorum 2. *Cultus autem deorum eſt optimus, idémque caſtiſſimus atque ſanctiſſimus plenissimúſque; pietatis, ut eos ſemper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneremur.* Idem de legibus 2. *Caſtè jubet lex adire ad deos; animo videlicet, in quo ſunt omnia.* Perſius Satyrâ 2.

Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum jus fáſque animi, ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto;
Hoc cedò ut admoveam templis, & farre litabo.

Qui verſus reſpicere videntur Pythiæ oraculum quod eſt apud Porphyrium De non eſu animantium 2. ubi aliquid à viro pio oblatum Hecatombis alterius præfertur. Eodem libro hæc habet paris argumenti Porphyrius,

Seneca pater, *Inceſta eſt etiam ſine ſtupro quæ cupit ſtuprum.* Alibi, *Non immeritò in numerum peccantium refertur, quæ pudicitiam timori præſtitit, & non ſibi.*

(c) *Non reponendam injuriam*] Plato Critone. Maximus Tyrius Diſſert. 2. Menander,

Οὗτος κράτιστός ἐσ' ἀνήρ, ὦ Γοργία,
Ὅς τις ἀδικεῖσθαι πλεῖσθ' ὁπίσαλαι βροτῶν,
O Gorgia, ille vir virorum eſt optimus,
Qui meliùs aliis callet ferre injurias.

Ariſton Spartianus, *Dicenti cuipiam, Regium eſſe amicis bene, inimicis malè facere: Imò, inquit, amicis benefacere, inimicos, amicos reddere.* Et apud Plutarchum Dion ille Siciliæ liberator philoſophici ſtudii veram demonſtrationem in eo ait poſitam, non ut quis in amicos benignus ſit, ſed ſi quis injuriâ affectus ſit exorabilis & clemens in eos qui peccarunt.

(d) *Uni marito unam uxorem jungendam*] Vide quæ ſuprà ex Salluſtio & aliis ad hanc rem attulimus. Euripides Andromache,

——ὥσθ' ὑμᾶς χρὴ κἀγὼ
Δυοῖν γυναιξὶν ἄνδρ' ἕν' ἡνίας ἔχειν·
Ἀλλ' οἷς μίαν βλέπουσιν εὐναίαν κύπειν
Στέργουσιν, ὅς τις μὴ κακῶς οἰκεῖν θέλῃ,
—— *non etenim decet*
Unum imperare feminis binis virum:
Contentus uno conjugis vivat toro,
Quicunque cupiet rite curatam domum.

In ejuſdem tragœdiæ choro plura ſunt in hunc ſenſum.

(e) *Fœdus matrimonii debere eſſe perpetuum*] Quale fuit apud Romanos ad annum urbis viceſimum & quingenteſimum, Valerio Maximo teſte lib. 2. cap. 1. Anaxandrides in hunc ſenſum,

Ὁ χρὴ πλανᾶσθ' ὅταν ἀφικνῆται ἔχων,
Reciprocum iter hoc nunquam vacat infamiâ.

(f) *Hominis officium eſſe homini cuivis benefacere*] Terentius Heautontimorumeno,

Homo ſum: humani nihil à me alienum arbitror.
Inter nos cognationem quandam natura conſtituit, ait Florentinus Juriſconſultus L. *Ut vim de juſtitia.* Eodèm ſpectat proverbium, *Homo homini Deus.* Cicero De Officiis primo, hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes, ſocietatem eſſe ait.

(g) *Præſertim egenti*] Horatius lib. 2. Sat. 11.

Cur eget indignus quiſquam te divite? ——

In Mimo,

Bona comparat præſidia miſericordia.

(h) *Juramento quantum fieri poteſt abſtinendum*] Pythagoras, μὴ ὀμνύναι θεοὺς ἀσκεῖν χρὴ ἀνδρὶ δοῦν ἀξιόπιστον παρέχειν, *non jurandum per deos: quemque enim id curare debere ut nec jurato ſibi credatur.* Quod ipſum latè ad aureum carmen explicat Hierocles. M. Antoninus lib. 3. in viri boni deſcriptione, μήτε ὅρκου δεόμενος, *Cui juramento uti non ſit opus.* Sophocles Oedipode Coloneo,

Οὔ τοι σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακὸν πείσομαι,
Nolo te adigere jurejurando, ut malum.

Clinias Pythagoricus trium talentorum litem perdere maluit quàm jurejurando rem veram affirmare. Narrat Baſilius De legendis Græcorum libris.

(i) *Contentos nos in victu & veſtitu eſſe debere ad naturam neceſſariâ*] Euripides,

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλεῖν δυοῖν μόνοιν,
Δήμητρος ἀκτῆς πώματός θ' ὑδρηχόου,
Ἄλγη πιέσαι καὶ φέρυχ' ὕπνου βίαν;
Homini quid eſt neceſſe, præterquam duo,
Cereale germen atque limpharum latex,
Quæ ſunt parata ſemper & vitæ ſatis?

Lucanus,

——*Satis eſt populis fluviúſque Cereſque.*

Ariſtides, Ἐδῶτος καὶ οἶμαι καὶ σκότους καὶ τροφῆς δεόμενα, *Opus nimirum habemus veſte, tecto & alimentis.*

(k) *Divinam naturam diſtinguit*] Plato epiſtolâ ad Dionyſium. Vide & Proclum in Timæum. Primum principium Plato vocat *Patrem*, ſecundum principium, *omnium cauſam & præſidem*, in epiſtola ad Hermiam, Eraſtum & Coriſcum. Idipſum *Mentem* vocat Plotinus libro περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων. Numenius Δημιουργὸν *Opificem*, item *Filium*: Amelius λόγον, ut videre eſt apud Euſebium lib. 11. cap. 17, 18, 19. Vide & Cyrillum libro contra Julianum 3, 4, & 8. Chalcidius ad Timæum primum nominat *ſummum Deum*, ſecundum *Mentem* vel *Providentiam*, tertium *Animam Mundi* vel *Mentem ſecundam.* Alibi tria hæc ſic diſcriminat, *Ordinans, jubens, inſinuans.* De ſecundo ſic idem, *Ratio Dei Deus eſt humanis rebus conſulens, quæ cauſa eſt hominibus bene beatéque vivendi, ſi non conceſſum ſibi munus ſummo à Deo negligant. Pythagorici* ternarium numerum perfectum ſummo *Deo aſſignant*, ait Servius ad Eclogam ſeptimam. Unde non abit quod habet de iiſdem Pythagoricis Ariſtoteles primo De cœlo in ipſo initio.

(l) *Julianum tantus Chriſtianorum hoſtis credidit*] Libro 6. Ὁ μὲν Ζεὺς ὁ μὲν τῶν νοητῶν ἐξ ἑαυτοῦ τὸν Ἀσκληπιὸν ἐγέννησεν· ὃς ἡμῖν διὰ τὴν ἀλλοτριότητα ζωῆς ὠφέλιμος ἐγένετο. Ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἐξ ὑφειμένου ποιοῦμαι τὸν λόγον, ἐννοοῦντες μὲν καὶ τὸν Ἐπίδαυρον ὁρῶντες, &c. *Juppiter inter ea quæ intellectu percipiuntur de ſe Æſculapium gennit: Eundem terris eorum dedit per ſolis vitam genitabilem. Hic verò ex cœlo in terram progreſſu facto unicâ ſpecie apud Epidaurum apparuit.* Porphyrius, verba ejus referente Cyrillo libro quem diximus 8. Τίνες εἰσὶ καὶ παρὰ θεῶν αἱ δι' ἡμᾶς γένεσις καὶ χρεῖαι τοῖς ἀνθρώποις, *Genus quoddam deorum eſſe quod ſuo tempore in homines mutetur.* Quæ hac de re fuerit Ægyptiorum ſententia, vide Plutarchum 8 Symp. quæſt. 1. Adde his locum Actorum 14. 10.

(m) *Plato De Republica 2. quaſi præſcius ait*] Græca ſic habent, Μαστιγώσει, στρεβλώσει, δεδήσεται, ἐκκαυθήσεται τὼ ὀφθαλμὼ πυρωθέντε, πάντα κακὰ παθὼν, ἀναχθεὶς δυλεθήσεται. Unde Cicero illud ſumpſit, & in tertium De republica librum retulit; *Bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur.* Lactantius libro 6 Inſtitut. cap. 17. hunc nobis locum Senecæ ſervavit; *Hic eſt ille homo honeſtus, qui ſive toto corpore tormenta patienda ſunt, ſive flamma ore recipienda eſt, ſive extendenda per patibulum manus, non quærit quid patiatur, ſed quàm bene.* Talem nobis & Euripides ob oculos ponit iſtis verſibus,

Πίμπρη, κάταιθε σάρκας, ἐμπλάδην δέ μου
Πίνων κελαινὸν αἷμα πηδᾷ τὸ κάτω
Γῆς εἴσω ἄσπερ γῆ τ' ἄνωθ' εἰς αἰθέρα,
Πεσὼν ἐξ ἐμοῦ σοι πᾶσ' ἀπαγγέλλω λόγον.
Ure hæc, cremáque membra, & impletor mei
Potans rubentem ſanguinem: in terram prius
Deſcendet æther, terra ſe in cœlum feret,
Quàm noſter unquam ſermo aduletur tibi.

Tali verè convenit illud Æſchyli, Platoni memoratum dicto loco,

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος, ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπίμου,
Ἀφ' ἧς τὰ καλὰ βλαστάνει βουλεύματα.
Namque allaborat eſſe, non credi, optimus,
Sulcos profundos corde demerſos gerens,
Unde illa ſeſe pulcra conſilia exſerunt.

HUGO GROTIUS
DE VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ.
LIBER QUINTUS.

QUale est quod ex obscuro specu enitentibus paulatim se ostendit inter lucem tenebrásque medium, talem se nobis ex densa paganismi caligine gradum moventibus Judaismus offert, pars & primordium veri. Quare Judæos compello, nè nos aversi audiant. Cognitum nobis, (a) esse ipsos progeniem sanctorum virorum, quos Deus & per Prophetas & per Angelos suos invisere solebat; ex eadem gente natum Messiam, & primos Christianismi doctores; ipsorum esse arborem cui nos sumus inoculati; custodes esse ipsos oraculorum Dei, quæ nos non minùs ipsis veneramur, ac eum Paulo suspiria pro ipsis ad Deum emittimus, orantes ut quàm primùm veniat illa dies cùm, ablato (b) velamento, quod vultui eorum impendet, clarè nobiscum visuri sunt (c) complementum Legis, cúmque, ut habent veterum vaticinia, nostrûm, qui alienigenæ sumus, quilibet (d) Hebræi viri pænulam apprehendet, rogans ut concordi pietate colamus unicum illum Deum, Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi.

ANNOTATA.

(a) *Esse ipsos progeniem sanctorum virorum*] Sumpta hæc & quæ sequuntur ex Rom. 9, 10, 11. Adde Matth. 15. 24.
(b) *Velamento*] 2 Cor. 3. 14, 15, 16.
(c) *Complementum Legis*] Rom. 3. 21. & 8. 14. & 10. 4. & 13. 8. Gal. 3. 24.
(d) *Hebræi viri pænulam*] Zachariæ 8. 20, & seqq. Esaias 2. 2, & 19. 18, 24. Michææ 4. 2. Oseæ 3, 4. Rom. 11. 25.

II. Primùm ergò rogantur, nè iniquum existiment in causa aliena quod in sua æquum judicent. Si quis Paganus ab ipsis quærat, cur credant miracula à Mose facta, nihil dicant aliud quàm inter suos adeò perpetuam constantémque ejus rei fuisse famam, ut non potuerit nisi ex testimonio eorum qui vidissent, proficisci. Sic (a) ab Elisæo auctum apud viduam oleum, (b) purgatum subitò à mala scabie Syrum, (c) hospitæ filium ad vitam revocatum, & similia alia, credunt Judæi, non aliam sanè ob causam quàm quòd testes bonæ fidei id proditum ad posteros transmiserunt. (d) De Eliæ verò in cœlum raptu unius Elisæi, tanquam viri omni exceptione majoris, testimonio fidem habent. At nos de Christi ascensu in cœlum (e) duodecim proferimus testes vitæ inculpatæ; (f) de Christo post mortem in terris viso multò plures: quæ si vera sunt, verum sit necesse est & Christi dogma: planéque nihil à Judæis pro se adferri potest quod non & nobis pari aut potiori jure possit aptari. Sed ut testimonia omittamus, res prodigiosas à Christo factas (g) ipsorum Thalmudistarum & Judæorum confessio est: quod ipsum sufficere debet. Neque enim potest Deus dogmati per hominem promulgato auctoritatem efficaciùs conciliare quàm miraculis editis.

ANNOTATA.

(a) *Ab Elisæo auctum apud viduam oleum*] 2 Reg. 4.
(b) *Purgatum subitò à mala scabie Syrum*] Ibidem c. 4.
(c) *Hospitæ filium ad vitam revocatum*] Dicto cap. 4.
(d) *De Eliæ verò in cœlum raptu*] Dicto libro cap. 2.
(e) *Duodecim proferimus testes*] Marci 16. 19. Luc. 24. 52. Act. 1.
(f) *De Christo post mortem in terris viso multò plures*] Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Joh. 20, 21. 1 Cor. 15.
(g) *Ipsorum Thalmudistarum & Judæorum confessio est*] Vide quæ allata ad lib. 2.

III. At ope Dæmonum facta ab eo prodigia dixerunt aliqui: verùm hæc calumnia suprà jam refutata est, eò quòd ubi Christi dogma innotuit, omnis potestas Dæmonum confracta est. Quod addunt aliqui, didicisse Jesum in Ægypto magicas artes, speciem veri multò minorem habet quàm similis Paganorum adversùs Mosem accusatio, (a) quam apud Plinium (b) & Apuleium videmus. Nam fuisse Jesum unquam in Ægypto non constat nisi ex discipulorum libris, qui addunt, infantem adhuc indè rediisse. At Mosem magnam ætatis adultæ partem in Ægypto exegisse, (c) & ipsius (d) & aliorum narratione certum est. Sed & Mosem & Jesum validè purgat hoc crimine lex utriusque, (e) tales artes disertè vetans ut Deo invisas. Tum verò si Christi & ejus discipulorum tempore usquam, aut in Ægypto aut alibi, exstitisset ars ulla magica, quâ possent ea fieri quæ de Christo prædicantur, muti omnes subitò sanari, claudis gressio, cæcis visus dari, Imperatores, (f) Tiberius, (g) Nero atque alii, qui ad inquirenda talia nullis impendiis pepercerunt, haud dubiè eam deprehendissent. Et si verum est, (h) quod tradunt Judæi, senatores magni synedrii gnaros fuisse magicarum artium, ut reos possent convincere, sanè cùm iidem Jesu inimicissimi fuerint, & honori ejus maximè per miracula crescenti invidentes, aut opera similia ex eadem arte edidissent ipsi, aut certis argumentis apertum fecissent ipsius opera non aliunde proficisci.

ANNOTATA.

(a) *Quam apud Plinium*] Libro 30. c. 1.
(b) *Et Apuleium*] Apologetico 2.
(c) *Et ipsius*] Exodi 2, 4, & seqq.
(d) *Et aliorum narratione certum est*] Manethonis, Chæremonis, Lysimachi apud Josephum contra Appionem primo, Justini, Taciti.
(e) *Tales artes disertè vetans*] Exodi 22. 18. Levit. 20. 6, 27. Num. 23. 23. Deut. 18. 10. 1 Sam. 28. 9. 2 Reg. 17. 17. & 21. 6. Act. 13. 8, 9, 10. & 16. 18. & 19. 19.
(f) *Tiberius*] Tacitus Annalium 6. Suetonius ejus vitâ cap. 63, & 69.
(g) *Nero*] De quo Plinius lib. 30. c. 11. in Magiæ historia, *Non citharæ tragicique cantûs libido illi major fuit*; Postea, *Nemo unquam ulli arti impensiùs favit. Ad hæc non opes illi defuere, non vires, non discendi ingenium.* Mox narrat magicis cœnis initiatum à Tiridate rege.

(h) *Quod tradunt Judæi*] Thalmud titulo De Synedrio, & titulo De Sabbato.

IV. Quòd verò Judæorum nonnulli prodigia Jesu asscribunt nomini cuidam arcano, quod à Solomone in Templo positum duo leones per mille & ampliùs annos custodierint, quódque ab Jesu sublectum sit, non mendaciter modò, sed & impudenter confictum est: cùm de illis leonibus, re maximè insigni atque admiranda, nec libri Regum, nec Paralipomena, nec Josephus quicquam prodant; sed nec Romani, qui cum Pompeio Templum intrarunt ante Jesu tempora, tale aliquid compererint.

V. Verùm posito à Christo edita esse prodigia, quod Judæi fatentur, dicimus, ex ipsa Lege Mosis sequi, fidem ei adhibendam. Dixit enim Deus Deut. 18. futurum ut post Mosem, alii quoque Prophetæ à Deo excitarentur, iisque obediendum à populo; nisi id fieret, graves pœnas denuncians. (a) Certissimæ autem Prophetarum notæ sunt prodigia. Neque enim illustriora alia animo concipi possunt. Ad Deut. 13 dicitur, si quis Prophetam se ferens prodigia ediderit, ei non credendum, si populum ad novum deorum cultum pelliciat. Nam illa prodigia ut fiant, in hoc tantùm à Deo permitti, ut experiatur an satis constans sit populus in veri Dei cultu. Ex quibus locis collatis inter se (b) Hebræi interpretes rectè colligunt, omni ei (c) qui miracula faciat credendum, extrà quàm si à veri Dei cultu abducat; quia in eo solo casu prædictum sit, nè miraculis, quamvis speciosis, fides habeatur. Jesus autem non modò falsos deos coli non docuit, (d) sed contrà hoc tanquam crimen gravissimum disertè vetuit, docuítque nos & Mosis & qui eum secuti sunt Prophetarum scripta venerari: quare nihil est quod miraculis ejus objici possit. Nam quòd quidam objiciunt, legem Jesu aliqua in parte à Mosis lege discrepare, id non sufficit.

ANNOTATA.

(a) *Certissima autem Prophetarum nota sunt prodigia*] Et futurorum prædictiones, quæ & ipsæ prodigiis recte accensentur. Deu. 18. 22.

(b) *Hebræi interpretes*] Vide Mosem Maimonidem, & alios productos in Conciliatore Manassis, quæst. 4. ad Deuteronomium.

(c) *Qui miracula faciat*] Cujúsque prædicta impleantur. Hoc argumento validè pugnat Chrysostomus 5 Adversùs Judæos, & Sermone, Christum esse Deum, in Tomo 6 Saviliano.

(d) *Sed contrà hoc tanquam crimen gravissimum disertè vetuit*] Marci 12. 29, 32. Joh. 17. 3. Act. 15. 20. 1 Cor. 5. 10, 11, 18. & 6. 9. & 10. 7. & 12. 2. 2 Cor. 6. 16. 1 Thess. 1. 9. 1 Joh. 5. 21.

VI. Nam ipsi Hebræorum Doctores normam hanc ponunt; (a) Ad imperium Prophetæ, i. miracula facientis, qualecunque præceptum intrepidè posse violari, excepto illo de unius Dei cultu. Et sanè potestas leges condendi, quæ penès Deum fuit, cùm per Mosem daret præcepta, postea ab eo non abiit: nec quisquam qui suo jure leges dedit, eo impeditur alias etiam pugnantes dare. Quòd Deum esse immutabilem objiciunt, id nihil est: non enim de intrinseca Dei natura, sed de operibus agitur. Lux tenebris mutatur, juventus senectute, æstas hyeme: quæ omnia Dei sunt opera. Adamo olim Deus poma cætera permisit, (b) unius arboris fructu interdixit, nempe quia ità libuit. Prohibuit generaliter homines occidere: (c) Abrahamo imperavit ut filium mactaret. Victimas seorsim à Tabernaculo alias vetuit, (d) alias accepit. Nec sequitur, si bona fuit lex per Mosem data, nullam dari potuisse meliorem. Solent parentes cum infantibus balbutire, ad ætatis vitia connivere, crustulo eos ad discendum allicere. At ubi processit ætas, corrigitur sermo, instillantur virtutis præcepta, ostenditur quæ sit honesti pulcritudo, quæ ejus præmia. (e) Non fuisse autem ejus legis præcepta summè perfecta vel eo liquet, quòd multi illorum temporum viri sancti vitam secuti sunt illis præceptis excellentiorem. Moses qui ultionem doloris partim manu, partim judicio exigi permittit, ipse atrocissimis injuriis vexatus, (f) precatorem se pro inimicis constituit. Sic (g) David rebelli filio parci vult, (h) maledicta in se jacta fert patienter. Dimisisse uxores viri boni nusquam leguntur, cùm tamen id lex permitteret. Nimirum (i) ad majorem populi partem aptantur leges: itaque in illo statu par fuit quædam dissimulari, ad perfectiorem regulam reducenda illo tempore quo majore vi Spiritûs populum novum ex cunctis populis Deus sibi erat collecturus. Etiam præmia lege Mosis apertè proposita ad hanc vitam mortalem spectant omnia: unde fatendum est, (k) legem aliquam illâ lege meliorem dari potuisse, quæ æterna præmia non sub umbris, sed apertè proponeret; quod lege Christi factum videmus.

ANNOTATA.

(a) *Ad imperium Prophetæ, i. miracula facientis, qualecunque præceptum intrepidè posse violari*] Ponitur hæc regula in Thalmude titulo De Synedrio. Sic ad præceptum Josue violata lex Sabbati Jos. 6. Et extra locum lege præscriptum sacrificarunt Prophetæ, ut Samuel, 1 Sam. 7. 17. & 13. 8. & Elias, 1 Reg. 18. 38.

(b) *Unius arboris fructu interdixit*] Gen. 2. 17.

(c) *Abrahamo imperavit ut filium mactaret*] Gen. 22. 2.

(d) *Alias vetuit, alias accepit*] Diximus modò de hac re.

(e) *Non fuisse autem ejus legis præcepta summè perfecta*] Heb. 8. 7.

(f) *Precatorem se pro inimicis constituit*] Exod. 32. 11, 12, 13, 31. Num. 11. 2. & 12. 13. & 14. 13, & seqq. & 21. 7, 8. Deut. 9. 18, 26. 33.

(g) *David rebelli filio parci vult*] 2 Sam. 18. 5.

(h) *Maledicta in se jacta fert patienter*] 2 Sam. 16. 10.

(i) *Ad majorem populi partem aptantur leges*] Origenes adversùs Celsum 3. Ὥσπερ δέ τις τὸν νομοθέτην φαίη ἐπιτρέπειν τοῖς πολίταις νόμῳ, ὃν οὐ τοὺς καθάπαξ καλλίστους, ἀλλ' ὃν ἐδύνατο τοὺς καλλίστους, *Quod quidam ait legum conditorem dixisse interrogatum, an optimas dedisset leges civibus, non omnium dedisse se optimas, sed quantum fieri poterat.* Porphyrius lib. 1 De non esu animantium, de legum conditoribus, Ἔστι γάρ ὅτοι φασὶν ἀνθρώπου μέσον βίον ἀροῦντες, καὶ συμβιοῦντες, ἂν καὶ οἱ πολλοὶ, οἷς τὰ ἐπιδεᾶ ὡς τὰ ἀγαθὰ ἢ κακὰ καὶ τὰ τοῦ σώματος ὠνύτως ὑπολαμβάνει, νομοθετοῦσιν, τί τις ἂν τούτων παραιτοῖτο νόμον ἀναβάσιον βίου; *Quòd si illi respicientes ad vitam illam quæ secundùm naturam est, & media vocatur, & ad ea quæ cupiant homines, qui externa quæque in corpore sita sunt, bona malàque existimant, leges condidere; in quo ladit vitam qui talibus legibus nolim aliquid adjicio?*

(k) *Legem aliquam illâ meliorem dari potuisse, quæ æterna præmia non sub umbris, sed apertè proponeret; quod Christi lege factum videmus*] Heb. 7. 19, 22. & 8. 6. 2 Tim. 1. 10.

VII. Notandum hic obiter ad vincendam iniquitatem Judæorum qui Jesu coævi fuerunt, Jesum pessimè ab ipsis tractatum & supplicio deditum, cùm nullum ejus admissum adversùs Legem posset adferri. (a) Circumcisus erat; (b) cibis utebatur Judaicis; (c) vestitu simili; (d) purgatos scabie mittebat ad sacerdotes; (e) Pascha & alios dies festos religiosè observabat. Si quos sanavit sabbato, (f) ostendit non tantùm ex Lege, (g) sed & ex receptis sententiis talia opera sabbato non interdicta. Tum verò primùm cœpit promulgare (h) legum quarundam abrogationem, cùm morte devictâ in cœlum evectus, etiam Spiritûs S. conspicuis donis ornasset suos, iisque rebus ostendisset adeptum se (i) potestatem regiam, (k) in qua continetur legis condendæ auctoritas; idque secundùm Danielis vaticinium cap. 3, & 8. collato etiam cap. 8, & 11. qui prædixerat fore, ut paulò post destructa regna Syriæ & Ægypti (quorum posterius sub Augusto contigit) Deus regnum daturus esset (l) homini qui plebeius videretur, in

omnis

omnis tractûs sermonisque populos, & quidem nunquam deficurum. Pars verò illa legis cujus necessitas à Christo sublata est nihil continebat suâ naturâ honestum: sed constabat ex rebus per se mediis, ac proinde non immutabilibus. Nam si ex res per se aliquid haberent cur faciendæ essent, (m) omnibus populis, non uni eas præscripsisset Deus, & ab initio statim, non postquam bis mille & quod excedit annos vixerat humanum genus. Abel, Enoch, Noe, Melchisedec, Job, Abraham, Isaac, Jacob, omnes viri pii & Deo eximiè chari, hanc legis partem ignorarunt, aut totam aut ferme totam, neque eo minùs acceperunt testimonium & suæ in Deum fiduciæ, & amoris Divini in se. Neque Moses socerum Jethronem ad hos ritus suscipiendos adhortatus est, neque Jonas Ninevitas, nec alii Prophetæ Chaldæos, Ægyptios, Sidonios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, ad quos scribunt, ob eos non susceptos reprehendant, cùm peccata ipsorum satis exactè enumerent. Peculiaria ergò erant hæc præcepta, (n) sive ad vitandum aliquod malum, in quod proni erant Judæi, sive ad experimentum obedientiæ, sive ad rerum futurarum significationem introducta. Quare non magis mirandum est ea aboleri potuisse, quàm si quis Rex municipalia quædam statuta tollat, ut toti imperio jus idem statuat. Neque verò quicquam adferri potest quo probetur, Deum se adstrinxisse nè quid ejus mutaret. Nam si dicas, præcepta hæc vocari Perpetua, (o) eâdem voce utuntur sæpe & homines, cùm significare volunt quæ fic jubent non esse annalia, (p) aut certis temporibus, putà belli, pacis, caræ annonæ accommodata: quo tamen non impediuntur quò minùs novas de iisdem rebus constitutiones edant, ubi id publica utilitas exegerit. Sic & Dei præcepta data Hebræis alia erant temporaria, (q) quamdiu in locis desertis ageret populus, (r) alia adstricta habitationi terræ Cananææ: ab his ergò ut illa distinguat, Perpetua vocat, quò intelligi possit, non debere ea usquam aut unquam intermitti, nisi Deus contrariæ voluntatis daret significationem. Quod loquendi genus cùm omnibus populis sit commune, eo minùs mirari debent Hebræi, qui sciant in lege sua (s) jus Perpetuum & servitutem Perpetuam vocari, quæ duret à Jubilæo ad Jubilæum: (t) Messiæ verò adventus ab ipsis vocatur Complementum Jubilæi, sive magnus Jubilæus. Quid quòd novi fœderis olim ineundi promissio apud Prophetas Hebræos exstat? (u) ut Jeremiæ 31, ubi polliceatur Deus novum se pactum initurum, quod ipsis mentibus sit inscripturus: neque opus habituros homines ut religionem alii ex aliis discant; apertam enim omnibus fore. Prætores veniam se daturum antè delictorum: quæ res ferme ità se habet, ac si rex aliquis post graves civium inter se inimicitias, ad pacem stabiliendam sublatâ legum varietate communem omnibus eamque perfectam legem imponat, & in posterum se emendandis polliceatur omnium commissorum impunitatem. Hæc quanquam sufficiant, euntes per partes singulas sublatæ legis ostendemus, eas tales non esse ut aut Deo per se placere possent, aut semper durare deberent.

ANNOTATA.

(a) *Circumcisus erat*] Luc. 2.21.

(b) *Cibis uebatur Judaicis*] Gal. 4.3.

(c) *Vestitus similis*] Matth. 9. 20.

(d) *Purgatos scabie mittebat ad sacerdotes*] Matth. 8.4. Mar. 1.44. Luc. 5.14.

(e) *Paschata & alios dies festos religiosè observabat*] Luc. 2. 41. Joh. 2.13, 23. & 11.56. & 12.1. Joh. 7.10.

(f) *Ostendis non tantùm ex Lege*] Matth. 12.5.

(g) *Sed & ex receptis sententiis talia opera sabbato non interdicta*] Matth. 12. 11.

(h) *Legum quarundam abrogationem*] Act. 10. Coloss. 2. 14.

(i) *Potestatem regiam*] Act. 2.36. Apoc. 1.5.

(k) *In qua continetur legis condendæ autoritas*] Jac. 1. 25.

(l) *Homini qui plebeius videretur*] Dan. 2.45. & 7.13. Nam *filius hominis* Hebræis vilitatem quandam significat. Et sic vocantur Prophetæ comparati cum Angelis: ut & Jacchiadæ notatum ad Dan. 10.16.

(m) *Omnibus populis, non uni eas præscripsisset Deus*] Id autem tantum abest, ut leges aliquot, putà de primitiis, de decimis, de congregatione ad festos dies, expressè se referant ad unum Judææ locum, quò certè omnes gentes coire non poterant. Vide Exo. 23.19. & 34.26. Deut. 26.2, & seqq. Item Deut. 12.5, & seqq. & 14.23, & seqq. Item Exo. 23.17. & 34.2,23,24. Deut. 16.16. De sacrificiis legem eodem modo interpretata est vetustissima consuetudo. Solis Hebræis, non & allenigenis, datam Mosis legem docet Thalmud in titulo de Synedrio & titulo Chagiga. Maimonides ad Deut. 33. & Bachai.

(n) *Sive ad vitandum aliquod malum in quod proni erant Judæi*] Rituales supra modum, eóque ad idololatriam proni. Ostendunt id passim Prophetæ; maximè Ezechiel 16.

(o) *Eâdem voce utuntur & homines*] L. *Hâc edictali*. C. De secundis nuptiis. L. *Hac in perpetuum*. Cod. De diversis prædiis lib. 11. & alibi sæpe.

(p) *Aut certis temporibus, putà belli, pacis, caræ annonæ accommodata*] L. Valerius apud Livium lib. 34. *Quas tempora aliqua desiderant leges, mortales, & temporibus ipsis mutatas video: quæ in pace latæ sunt plerumq; bellum abrogat; quæ in bello, pax.*

(q) *Quamdiu in locis desertis ageret populus*] Ut Exo. 27. Deut. 23.12.

(r) *Alia adstricta habitationi terræ Cananeæ*] Ut Deut. 12.1,20. & 26.1. Num. 33.52.

(s) *Jus Perpetuum & servitutem Perpetuam*] Exo. 21.6. 1 Sam. 1.22. Et sic vocem לעולם in lege rituali accipi posse sensit Josephus Albo lib. 3 Fundamentorum cap. 16. Etiam sacerdotium Phineæ dicitur עד עולם Psal. 106. 30, 31. εἰς τὸν αἰῶνα. Sirachidæ 45.28,29,30. ἱερωσύνη αἰωνία 1 Macch. 2.55.

(t) *Messiæ verò adventus ab ipsis vocatur Complementum Jubilæi*] In Pereck Chaleck & alibi, idque ex Esaiæ, 61.2.

(u) Ut *Jeremiæ* 31.] v. 31, & seqq.

VIII. Præcipuum & quod maximè in oculos incurrit sunt sacrificia; de quibus multi Hebræi sentiunt, priùs (a) ab hominum ingenio ea excogitata quàm à Deo jussa. Certè id apparet, Hebræos multorum rituum fuisse appetentes, (b) ità ut satis causæ fuerit cur Deus plurimos injungeret, vel ob hoc, nè ad falsorum deorum cultum memoriâ Ægyptiaci incolatûs redirent. At cùm eorum posteri plus æquo hæc æstimarent, tanquam per se Deo grata, & veræ pietatis partem, reprehensi sunt per Prophetas; *Sacrificiorum causâ*, inquit Deus apud Davidem Psalmo qui est apud Hebræos quinquagesimus, *nè verbum quidem tecum velim communicare: nempe ut holocaustis alia super alia mihi macties, ut juvencos aut hircos accipiam de tuis septis. Nam certè quicquid animantium per saltus pascitur, aut per montes errat, meum est. In numerato habeo & volucres & feras: ità ut si esurirem, nihil opus esset mihi te convenire; mihi, inquam, cujus est hoc universum, & quicquid in eo conspicitur. Putásne vesci me carne pingui, aut bibere hircorum sanguinem? imò laudem Deo sacrifica & vota redde.* Sunt inter Hebræos qui hæc eò dici aiunt, quòd qui sacrificia illa offerebant, animo vitâque impuri essent. At aliud docent quæ attulimus verba, rem scilicet per se nihil habere Deo gratum. Et si seriem totam Psalmi consideres; pios illis verbis alloquitur Deus. Dixerat enim, *Congregate mihi pios*; deinde, *Audi, populе mi*: hæc docentis sunt. Postea finitis quæ attulimus, ut fieri solet, ad impios sermo convertitur; *Impio autem dicit Deus.* Eundem sensum ostendunt loca alia, ut Psal. 51. *Sacrificia ut tibi dem gratum tibi non est, neque holocaustis delectaris. Sed quod verè tibi placet sacrificium, est animus culpæ suæ sensu dejectus: mentem enim quasi fractam atque contritam, ô Deus, non dispicis.* Simile est illud Psal. 40.

Victimâ & oblato libo non delectaris. Sed me tanquam perfoßâ aure tibi mancipas, non exigens aut holocauſtum, aut victimam piacularem. Itaque reſpondi, En adſum; ac tanquam ex pacto conſcripto faciam quod velis, quæ voluptas mea eſt: Lex enim tua cordi meo inhæret. Æquitatis tua laudes non intra cogitationes meas claudo; ſed veracitatem tuam ac benignitatem prædico ubique: præſertim verò miſericordiam tuam atque fidem celebro in numeroſo cœtu. Apud Eſaiam cap. 1. Sic Deus loquens inducitur, *Quò mihi tot victima? Satias me tenet holocauſtorum ex arietibus, & adipis quamvis pinguiſſimi. Nec amo ſanguinem, ſive illa juvencorum eſt ſive agnorum ſive hædorum, ut cum eo apud me appareatis. Nam quis de vobis exegit, ut eo modo ſubdialia impuraretis?* Apud Jeremiam verò 7. locus eſt huic geminus & ejus interpres; *Sic ait Dominus Angelorum, Deus Iſraelis, Holocauſta veſtra congerite cum victimis, & ipſi earum carne veſcimini. Nam quo primùm tempore majores veſtros eduxi ex Ægypto, nihil exegi, aut præcepi de holocauſtis & victimis. Sed hoc eſt quod illis ſeriò edixi, ut mihi obedientes forent; ſic me fore Deum ipſorum, ipſos verò meum populum: utque eâ incederent viâ quam ego ipſis eram imperaturus; ſic omnia ipſis proſperè eventura.* Apud Oſeã hæc ſunt Dei verba cap. 6. *Beneficentiam in homines multò* (c) *acceptiorem habeo quàm ſacrificiũ: de Deo rectè ſentire ſupra omnia eſt holocauſta.* Apud Michæam verò cap. 6. cùm quæſtio eſſet inſtituta, quomodo quiſpiam Deum ſibi optimè conciliaret, arietum ingenti numero, vi magnâ olei, an vitulis anniculis, reſpondet Deus, *Dicam tibi quid ſit verè bonum, mihique gratum; Nimirum* (d) *ut ſuum cuique reddas, ut bene aliis facias, & ut Deo humilem ac ſubmiſſum te præbeas.* Quibus ex locis cùm appareat ſacrificia non eſſe earum rerum in numero quas Deus per ſe aut primariò velit, populus verò irrepente paulatim, ut fit, pravâ ſuperſtitione in illis poſuerit potiſſimam pietatis partem, & victimis ſuis crediderit peccata ſatis compenſari; quid mirum eſt ſi tandem Deus ſuſtulit rem ſuapte naturâ mediam, ſed cujus uſus jam in vitium fluxerat, (e) cùm Rex quoque Ezechias à Moſe erectum æreum ſerpentem confregerit, ideo quòd populus eum religioſo cultu venerari cœpiſſet? Neque vaticinia deſunt, quæ ſacrificia illa de quibus controverſia eſt deſitura prædixerint: quod facilè quivis intelliget qui modò conſiderarit ſecundùm Moſis legem ſacrificare ſoli Aaronis poſteritati conceſſum, idque duntaxat in ſolo patrio. Jam verò Pſalmo 110 ſecundùm numerum Hebræum, promittitur Rex latiſſimè dominaturus initio regnandi facto ex Sione, qui Rex idem & Sacerdos in perpetuum futurus eſſet, idque inſtar Melchiſedeci. Eſaias verò cap. 19 dicit, altare viſum iri in Ægypto, ubi non tantùm Ægyptii, ſed Aſſyrii quoque & Iſraelitæ Deum ſint culturi: & capite 66 ait, futurum ut longiſſimè diſſiti, & omnium ſermonum populi non minùs quàm Iſraelitæ munera Deo offerant, & ex ipſis quoque conſtituantur qui ſint ſacerdotes & Levitæ, (f) quæ omnia ſtante Moſis lege fieri non poterant. His adde quòd apud (g) Malachiam cap. 1. Deus futura prædicens, faſtidio ſibi eſſe ait Hebræorum munera: ab ortu ad occaſum, apud gentes omnes nomen ſuum celebrari, ſuffitúmque ſibi fieri, & puriſſima ſibi offerri. Daniel verò cap. 9. Gabrielis Angeli de Chriſto oraculum referens, *abolevit*, inquit, *ſacrificium & munus.* Neque verbis tantùm, ſed & rebus ipſis ſatis ſignificat Deus, non ampliùs probari ſibi præſcripta per Moſem ſacrificia, cùm jam per annos ampliùs mille ſexcentos patiatur Judæos eſſe ſine Templo, ſine altari, ſine certo generum cenſu, unde conſtare poſſit qui ſint quibus ſacra facere fas ſit.

ANNOTATA.

(a) *Ab hominum ingenio ea excogitata*] Chryſoſtomus 12 De ſtatuis, de Abele locutus, Οὐ γὰρ παρά τινος μαθὼν, ἀλλὰ νόμῳ φύσεως ἀπαρχὰς διαλογισάμενα ταῦτα ἀνέσας, ἀλλ' οἰκοθεν γὰρ παρὰ τοῦ συνειδότος διδαχθεὶς, ἢ ἀνάγκην ἐπιθεὶς ἀνέωξε, *Non enim ab ullo edoctus, non lege acceptâ qua de primitiis aliquid conſtitueret, ſed apud ſe ſuapte motu conſcientiâ ſacrificium illud obtulit.* In reſponſis ad Orthodoxos in operibus Juſtini ad interrogatũ LXXXIII, Οὐδεὶς γὰρ ἀναίμακτον τὰ ἄλογα θυσίαν τῷ Θεῷ παρὰ τοῦ νόμου ἢ θείαν διάταξιν ἔθυσε, καὶ φαίνεται ὁ Θεὸς ταύτῃ προσέχων, τῇ ταύτης ἀποδοχῇ ἀναίμακτον ἢ θυσίαν ἐπάρασιν αὐτῷ, *Nemo eorum qui ante legem pecudes Deo obtulit, Divino id juſſu fecit, quanquam patet talia acceptaſſe Deum, & acceptando oſtendiſſe charum ſibi eſſe eum qui offerebat.*

(b) *Ità ut ſatis cauſæ fuerit cur Deus plurimos eis injungeret, vel ob hoc nè ad falſorum deorum cultus memoriâ Ægyptiaci incolatûs redirent.*] Hanc ipſam cauſam legis de ſacrificiis affert Maimonides in Ductore dubitantiũ lib. 3. c. 32. Tertullianus adverſùs Marcionem 2. *Sacrificiorum quoque onera & operationem, & oblationum negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendet, quaſi Deus talia propriè ſibi deſideraverit, qui tam manifeſtè exclamat, Quò mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? Et, Quis exquiſivit iſta de manibus veſtris? Sed illam Dei induſtriam ſentiat, quæ populum pronum in idololatriam & tranſgreſſionem ejuſmodi officiis religioni ſuæ voluit adſtringere, quibus ſuperſtitio ſeculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, ſibi jubens fieri quaſi deſideranti, nè ſimulacris faciendis delinqueret.*

(c) *Acceptiorem habeo quàm ſacrificium*] Ità & Chaldæus Interpres hunc locum exponit.

(d) *Ut ſuum cuique reddas, ut bene aliis facias, & ut Deo humilem ac ſubmiſſum te præbeas.*] Itaque aiunt Judæi Legis præcepta numero 1911 ab Eſaia contracta in ſex c. 33. 15. à Michea hoc loco in tria, ab Eſaia in duo c. 56. 1. ab Abacuco in unum c. 2. 4. item ab Amoſo 5. 6.

(e) *Cùm Rex quoque Ezechias à Moſe erectum æreum ſerpentem confregerit*] 2 Reg. 18. 4.

(f) *Quæ omnia ſtante Moſis lege fieri non poterant*] Adde locum Jeremiæ 3. 16. *In diebus illis, dixit Dominus, non dicent ultrà, Arca fœderis Domini, neque ejus rei veniet in cogitationem aut memoriam, neque viſitabunt Arcam, neque ultrà, ut nunc, ſacrificabitur.*

(g) *Malachiam cap. 1.*] Vide hujus loci luculentam paraphraſim apud Chryſoſtomum 2 adverſùs Gentes.

IX. Quod de ſacrificiorum lege oſtendimus idem oſtendamus & de ea quâ ciborum certa genera interdicuntur. Conſtat ergò, poſt magnum diluvium, (a) Noæ ejúſque poſteris à Deo jus datum quolibet victu utendi; quod jus proinde non ad Japhetum tantùm & Chamum, ſed & ad Semum ejúſque poſteros, Abrahamum, Iſaacum, Jacobum tranſiit. Sed cùm poſtea populus in Ægypto pravis ſuperſtitionibus ejus gentis imbutus eſſet, tum primùm Deus quædam animantium genera edi vetuit, (b) ſeu quòd illa potiſſimùm Ægyptii diis ſuis offerrent, & ex illis aruſpicium facerent, (c) ſeu quòd in lege illa umbratica certis animantium generibus certa hominum vitia notarentur. Non eſſe præcepta hæc univerſalia, apparet exemplo ejus quod conſtitutum eſt de carne beſtiæ fato ſuo mortuæ, Deut. 14. ut Iſraelitis quidem ea veſci non liceret, (d) incolis autem liceret; quos quidem incolas Judæi omnibus officiis tanquam Deo commendatos proſequi jubentur. Veteres quoque Hebræorum magiſtri apertè tradiderunt, (e) Meſſiæ temporibus ceſſaturam legem de cibis vetitis, & ſuillam non minùs puram fore quàm bubulam. Et certè cùm ex omnibus populis unum ſibi colligere Deus voluit, æquius fuit ut libertatem quàm ut ſervitutem in rebus talibus communem faceret. Sequitur inſpectio feſtorum dierum.

ANNOTATA.

(a) *Noæ ejúſque poſteris à Deo jus datum quolibet victu utendi*] Obſtare videtur mentio animalium mundorum

dorum & immundorum in diluvii historia. Sed aut id χρὴ περιλαμβάνειν dictum est ad eos quibus nota lex, aut *immunda* intelligi debent ea quæ hominum victus naturaliter defugit; quæ *profana* dixit Tacitus Historiarum 6. nisi malis munda accipere quæ herbis aluntur, immunda quæ aliis pascuntur animantibus.

(b) *Seu quòd illa potissimùm Ægyptii diis suis offerrent, & ex illis aruspicium facerent*] Origenes lib. 4 contra Celsum, Δαίμονές τινες φαῦλοι καὶ (ἵν' ὕτως ὀνομάσω) τιτανικοὶ ἢ γιγάντιοι, ἀσεβῶς περὶ τὸ ἀληθῶς θεῖον καὶ πνεῦμα ἐπιβεβηκότες, καὶ πατόπλεως ἔξω ὄντες, καὶ περὶ τὰ παχύτερα τῶν σωμάτων καὶ ἀκάθαρτα δὴ γῆς κυλινδούμενοι, ἔχοντές τί τι περὶ τῶν μελλόντων διοπτικὸν, ἅτε γυμνοὶ τῶν γενέσεων σωμάτων τυγχάνοντες, καὶ περὶ τούτων ἤγουν καταγινόμενοι, βιαζόμενοι ἀπάγειν τὸν ἀληθινὸν θεὸν τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος, ὑποδύονται τῶν ζώων καὶ τὰ ἀγριώτερα καὶ ἀγελαιότερα, καὶ ἄλλα παντοιότροπα, καὶ κινῆσαι αὐτὰ πρὸς ἃ βέλονται· ἢ τὰς φαντασίας τῶν τοιῶνδε ζώων πέμψαι δι' ὀνείρων καὶ κινήσεις τοιάσδε, ἵν' ἄνθρωποι διὰ τῶν ἀλόγων ζώων ἀλισκόμενοι μαντικῆς, θεὸν μὲν τὸν ποιήσαντα τὰ ὅλα μὴ ζητῶσι, μηδὲ τὴν καθαρὰν θεοσέβειαν ἐξετάζωσι· πίστωσι δὲ τῇ λογισμῷ δὴ τινὶ γλῶν, τὰς ὄρνεις, καὶ πανδοσκείας, ἔτι δ' ἀλώπεκας καὶ λύκους. καὶ γὰρ παρατηροῦσι τοῖς περὶ ταῦτα δαιμονίοις, ὅτι αἱ ἐναργέστεραι προγνώσεις διὰ τῶν τοιούτων ζώων γίγνονται, ἅτε μὲν δαιμόνων τῶν δαιμόνων ἐν τοῖς ἡμερωτέροις τῶν ζώων τοσοῦτον ὅσον διάκειται διὰ τὸ πυρατλέσιον ἐκ καλίας, καὶ ὁ καλίαν μὲν, οἰονεὶ δὲ καλίαν ὕσαν ἐν τοῖς τοιοῖσδε τῶν ζώων ἐνεργοῦσαι τάδε τὰ ζῶα. ὅθεν εἶφ' ἄλλο τι Μωσέως τεθαύμακα, καὶ τὸ τοιοῦτον θαῦμα καὶ ὑπερφυὲς ἄξιον εἶναι, ὅτι φύσεις καταγνόησας ζώων διαφόρους, καὶ εἴτ' ὑπὸ τοῦ θεοῦ μαθὼν τὰ περὶ αὐτῶν, καὶ τῶν ἐκάστῳ ζώῳ συγγενῶν δαιμόνων, ὥστε καὶ ἀνωθεν ἀναβαίνων τῇ σοφίᾳ ἐν τῇ περὶ ζώων διατάξει, πάντα μὲν ἀκάθαρτα ἡγήσεν εἶναι τὰ νομιζόμενα παρ' Αἰγυπτίοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἀνθρώποις εἶναι μαντικὰ, ὡς ὄντων ἢ εἶναι καθαρὰ τὰ μὴ τοιαῦτα, *Mali quidam damones & (ut sic loquar) Titanici aut gigantei, qui impiè in verum numen & cœlestes Angelos se gessere, ideóque è cœlo ejecti sunt, circa corporum crassiora & impuriora in terrâ se agitant; cùmque habeant aliquam circa futura perspicaciam, ut qui à terrenis corporibus sint liberi, & in talibus negotiis multùm versati, hoc unicè studentes humanum genus ut abducant à vero Deo, insinuant se in animantium fera ac rapacia maximè, deinde & in callidiora, & ea, quoties volunt, quò volunt movent; aut etiam talium animantium vim imaginosam incitant ad hos aut illos volatus motionésve, ut homines capti divinationibus quæ per ista fiunt animalia, Deum cuncta continentem non quærant, neque veram exerceant pietatem, sed cogitationibus suis decidant in terram, in aves, in dracones, quin etiam in vulpes & lupos. Observatum enim est harum rerum peritis, prædictiones maximè notabiles per id genus animantia fieri, non valentibus, ut videtur, dæmonibus tantum efficere in mansuetis animantium quantum prava ista animantia possunt in aliis quæ diximus animantibus, ob id quòd ista habent vitio simile, non vitium propriè, sed quasi vitium. Quamobrem si quid aliud in Mose & miratus sum ipse, & dignum miratu existimo, hoc est, quòd cùm percepisset naturas animantium diversas, sive à Deo edoctus ea quæ ad animantia & ad dæmones animantium cuique affines pertinebant, sive propriâ ipse scientiâ perductus ad noscendos animantium gradus, omnia ea impura pronuntiavit quæ ab Ægyptiis aliisque gentibus vim divinandi habere censebantur, contrà verò omnia ea pura quæ extra illum essent censum.* Similia habet Theodoretus lib. 7 Adversùs Græcos. Non planè alienum hinc quod Manetho dixit, Νομοθετήσας καὶ πλεῖστα ἄλλα, μάλιστα τοῖς Αἰγυπτίοις ἐναντιώματα, *Cùm plurima constituisset alia, Ægyptiorum institutis pugnantia.* Et quod Tacitus de Judæis, *Profana illic omnia quæ apud nos sacra.* Deinde, *Caso ariete velut in contumeliam Ammonis, Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt.*

(c) *Seu quòd in lege illa umbratica certis animantiũ generibꝰ certa hominũ vitia notarentur*] Barnabas in epistola, Ὅτι δὲ Μωσῆς ὤρυξεν, Οὐ φαγεσθε χοῖρον, οὐδ' ἀετὸν, οὐδὲ ἰέρακα, οὐδὲ πᾶσαν ἰχθὺν ὃς οὐκ ἔχει λεπίδα, οὐ αὐτῷ πρέπει πλάσεν ἐν τῇ συντάξει δόγματα. Πέφυκε γάρ τοι λέγειν λόγοις αὐτοῖς ἐν τῷ Δευτερονομίῳ. Καὶ διαθήσεται πρὸς ἀλλον τοῦτον τὰ δικαιώματά μου. ἆρα οὐκ ἔστιν ἐντολὴ τοῦ Θεοῦ τὸ μὴ τρώγειν· Μωσῆς δὲ πνεύματι ἐλάλησεν. τὸ δὲ, χοῖρον, πρὸς τοῦτο ὤρυξεν· ὃ μὴ κολλᾶσθαι, φησὶν, ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵ τινες ὁμοιοί εἰσι χοίρων. ὅταν γὰρ τρυφῶσιν, ἐπιλανθάνονται τοῦ κυρίου αὐτῶν· ὅταν δὲ ὑστερηθῶσιν, ἐπιγινώσκουσι τὸν κύριον. καὶ χοῖρος ὅταν τρώγῃ, οὐκ οἶδε τὸν κύριον· ὅταν δὲ πεινάσῃ, κραυγάζει· καὶ λαβὼν πάλιν, σιωπᾷ. οὐδὲ μὴ φάγῃς, φησὶ, τὸν ἀετὸν, οὐδὲ τὸν ὀξύπτερον, οὐδὲ τὸν ἱκτῖνα, οὐδὲ τὸν κόρακα· Οὐ μὴ, φησὶ, κολλωθήσῃ ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵτινες οὐκ οἴδασι διὰ κόπου καὶ ἱδρῶτος ποιεῖν ἑαυτοῖς τὴν τροφὴν, ἀλλ' ἁρπάζουσι τὰ ἀλλότρια ἐν ἀνομίᾳ αὐτῶν, καὶ δοκοῦσιν ὡς ἐν ἁπλότητι πορεύεσθαι· καὶ καθήμενοι ἁρπάζουσι ταῦτα ἐκζητοῦντες πᾶσι ἀλλοῖας σάρκας καταφάγῃ, ὄντα λοιμὰ τῇ πονηρίᾳ αὐτῶν. καὶ, Οὐ φάγῃς, φησὶ, σμύραιναν, οὐδὲ πολύποδα, οὐδὲ σηπίαν. ὃ μὴ, φησὶν, ὁμοιωθήσῃ κολλώμενος ἀνθρώποις τοιούτοις, οἵτινες ὡς τέλος ἀσεβεῖς εἰσὶ καὶ κεκριμένοι τῷ θανάτῳ, ὡς καὶ ταῦτα τὰ ἰχθύδια μόνα δικαιοπραγοῦντα ἐν τῷ βυθῷ νήχεται, μὴ κολυμβῶντα ὡς τὰ λοιπὰ, ἀλλ' ἐν τῇ γῇ καὶ τῷ βυθῷ κατοικεῖ. ἀλλὰ καὶ, Τὸν δασύποδα οὐ φάγῃ, φησὶν. πρὸς τί; ὃ μὴ ἡμᾶς παραφθόρους, οὐδὲ ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις. ὅτι ὁ λαγωὸς κατ' ἐνιαυτὸν πλειοναζεῖ ἢ ἀριθμοῦσιν. ὅσα γὰρ ἔτη ζῇ, τοσαύτας ἔχει τρύπας. ἀλλ', Οὐδὲ τὴν ὕαιναν φάγῃ· οὐ μὴ, φησὶ, ἡμῖν μοιχὸς οὐδὲ φθορεὺς, οὐδὲ ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις· πρὸς τί; ὅτι τὸ ζῶον παρ' ἐνιαυτὸν ἀλλάσσει φύσιν, καὶ ποτὲ μὲν ἄρρεν, ποτὲ δὲ θῆλυ γίγνεται· ἀλλὰ καὶ γαλῆν ἐμίσησε καλῶς. οὐ μὰ γὰρ, φησὶν, ὁμοιωθήσῃ τοῖς τοιούτοις, οἵτινες ἀκούουσιν ἀνομίαν ποιοῦσαι τῇ στόματι ἢ ἀκαθαρσίαν, ἢ κολλωθήσῃ ταῖς ἐν ἀνομίᾳ ποιούσαις τῇ στόματι. τὸ γὰρ ζῶον τοῦτο τῇ στόματι ἐνύει. Περὶ μὲν βρωμάτων μὴν οὖν Μωσῆς τέλεια δόγματα ἐν πνεύματι ἐλάλησεν· οἱ δὲ καὶ ἐνθυμίαν ἐσαρκὸς ὡς περὶ βρωμάτων ἐλάβοσαν. Λαμβάνει δὲ τεῖον δόγματον γνῶσιν Δαβὶδ, καὶ λέγει ὁμοίως, Μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη ἐν βουλῇ ἀσεβῶν (καθὼς οἱ ἰχθύες πορεύονται ἐν σκότει ὡς τὰ βάθη) καὶ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν οὐκ ἔστη (καθὼς οἱ δοκοῦντες φοβεῖσθαι τὸν Κύριον ἁμαρτάνουσιν ὡς λύκοι) καὶ ἐπὶ καθέδρᾳ λοιμῶν οὐκ ἐκάθισεν (καθὼς τὰ ποτινηπτὰ τὰ καθήμενα εἰς ἁρπαγάς·) ἔχετε τελέως καὶ σοφοὶ καὶ γνώσιμοι. ἀλλ' ἅτε Μωσῆς, Φάγεσθε πᾶν ὄρνεον καὶ μαρυκώμενον. τί λέγει; ὁ δὲ τροφὴν λαμβάνων οἶδε τὸν τρέφοντα αὐτὸν, καὶ ἐπ' αὐτῷ ἀναπαυόμενος εὐφραίνεται δοκεῖ. καλῶς εἶπε, βλέπων τὸν ποιήσαντα. τί ἂν λέγῃ; κολλᾶσθε μὴ τοῖς φοβουμένοις τὸν Κύριον· μὴ τοῖς μελετῶσιν ὃ ἔλαβον διάταγμα ἐν τῇ καρδίᾳ· μὴ τοῖς παλεύουσι τὰ δικαιώματα Κυρίου, καὶ τηροῦσι· μὴ τοῖς ὁρῶσι, ὅτι. ἡ μελέτη ἔχουσι ἐνεργοῦσιν, καὶ μαρυκωμένων τὸν λόγον τοῦ Κυρίου· τί δὲ τὸ δίκαιον; ὅτι ὁ δίκαιος ἐν τούτῳ κόσμῳ ἐπάτησε, καὶ τὸν ἅγιον αἰῶνα ἐκδέχεται. βλέπεις πῶς ἐνομοθέτησε Μωσῆς καλῶς, *Quod dixit Moses,* Nè vescimini porco, neq; aquilâ, neq; oxyptero, neque corvo, neque pisce qui squammis careat, *in secreto intellectu tria comprehendit dogmata. Quò tendat disertè ipse in Deuteronomio ostendit,* Et testabuntur populo meo justa mea. *Non igitur præceptum Dei propriè est, hoc vel illo non vesci: sed in spiritu dixit ista Moses. De* porco *hoc est quod voluit; nolite conglutinari cum hominibus illis qui porcis sunt similes. Nam dum luxu diffluunt, obliviscuntur domini sui: Ubi autem res contrà eunt, agnóscunt dominum. Nam & porcus ubi comedit non curat dominum; ubi esurit, clamat; & rursùm ubi quod edat accepit, tacet.* Neq; comedas *inquit,* aquilam, neq; oxyptcrum, neq; milvum, neque corvum: *Hoc dicit, nè conglutinerîs hominibus ejusmodi qui labore ac sudore victũ sibi nescisunt quærere, sed aliena rapiunt injustè factis suis, insidiásque ponunt specie sumptâ bonâ fide ambulantium: Sic & animantia illa odiosa dum desidant, speculantur quomodo alienis se pascant carnibus, noxia malo suo ingenio.* Nè comedas *etiam* murænam, *inquit* nec polypum, nec sepiam. *Hoc dicit, nè agglutinando similem te reddas hominibus talibus qui perpetuo sunt impii, & morti servantur, sicut piscium illi soli qui damnantur in fundo natant, nec in summo, ut cæteri, fluitant, sed in imo solo degunt. Sed,* nec dasypodem comedas, *inquit. Cur verò? id est, nè fias puerorum corruptor, aut similis talibus; Lepus enim annò*

quoque

quoque ad ejectamenta alvi fit opulentior. Quot enim habet annos, totidem & cavernas. Sed, nec hyænâ, *ait*, vescere, *i. nec adulter esto, aut similis adulteris. Unde hoc? Hoc enim animal quotannis mutat naturam, & nunc mas fit, nunc femina. Sed & mustelam meritò odio habuit. Nimirum hoc monet, noli similis esse illis quos audimus ore infamia patrare, neque aggrega te feminis in eum modum morigerantibus: nam animal illud ore concipit. De cibis ergò loquens Moses tria dogmata in spiritu eloquutus est. At illi pro cupidine carnis suæ simpliciter de cibis ea accepere. At trium illorum dogmatum cognitionem etiam David consecutus est. Dicit enim*, Beatus vir qui non ambulavit in consilio impiorum, *nimirum quomodo pisces versantur in tenebris in profundo abditi*; & in via peccatorum non stetit, *nimirum ut illi, qui cùm videantur Deum timere, peccant porcorum instar*; & in cathedra pestilentium non sedit, *nimirum ut volucres quæ raptui imminent. Habete & ea quæ ad scientiam pertinent. Dixit Moses*, Edite omne bifidum ungulis & ruminans. *Quid ait? qui cibum sumit, agnoscitque altorem suum, & in eo acquiescens lætatur. Bene dixit ad præceptum respiciens. Quid igitur dicit? Adhærendum iis qui Dominum timent; iis qui in corde meditantur quod accepere in verbis præceptum; iis qui loquuntur justa Dei, eáque servant; iis qui norunt meditationem opus esse justitiæ; iis qui sermones divinos ruminant. Quid verò* bifidum ungulis? *quia vir justus in hoc ævo ambulat, & alterum ævum exspectat. Vide quàm pulcre leges dederit Moses.* Laudat hæc Barnabæ Clemens Strom. 5. Habes autem multa partim his eadem, partim similia in Philone libro De agricultura, & libro, Pejorem insidiari meliori, quæ longum esset transcribere. Similia ex Aristæo habet Eusebius lib. 8. cap. 9.

(d) *Incolis autem vesci liceret*] Prius scilicet, sed non circumcisis, de quibus agitur & Levitici 22. 25. & 25. 47. & in Thalmudicis titulis de Rege & Synedrio, & apud Maimonidem libro De idololatria.

(e) *Messia temporibus cessaturam legem de cibis vetitis, & suillam non minùs puram fore quàm bubulam*] Ità R. Samuel in Mecor Chaim. Thalmud in titulo Nida, Legem ait non mansuram nisi ad tempora Messiæ. Notandum etiam quosdam Judæorum magistros, inter quos est Bachai, sentire leges de cibis vetitis proprias esse terræ Palæstinæ, nec extra eos fines quenquam illis obligari. Multa etiam animantium nomina quid significent, aut ignotum esse Judæis, aut inter ipsos controversum; quod credi non debet permissurum fuisse Deum, si ad hunc diem maneret obligandi vis.

X. Hi universim omnes instituti sunt in memoriam beneficii à Deo accepti cùm ex Ægyptiaca calamitate liberarentur, atque deinde deducerentur in terram promissam. Jam verò Propheta Jeremias 16, & 23 capite ait, tempus venturum quo nova multóque majora beneficia istius beneficii memoriam ità obscurent, ut ejus vix ulla mentio sit futura. Tum verò, quod modò de sacrificiis dicebamus, etiam de festis diebus verum est, iis quoque confidere populum cœpisse, tanquam his bene observatis non magni ducenda essent quæ de cætero peccarentur. Unde Jeremiæ cap. 1. Deus ait se calendas ipsorum & dies festos fastidire, & oneri tanto sibi esse ut vix queat sustinere. De sabbato specialiter opponi solet, esse præceptum universale & perpetuum; quippe non uni populo datum, sed in ipsa mundi origine Adamo omnium parenti. Respondeo, assentientibus Hebræorum doctissimis, duplex esse præceptum de sabbato, (a) præceptum recordandi Exod. 20. 8. (b) & præceptum observandi Exod. 31. 31. Præceptum recordandi impletur religiosâ memoriâ mundi conditi. Præceptum observandi situm est in exacta abstinentia ab omni alio opere. Prius illud præceptum ab initio datum fuit, atque ei haud dubiè (c) paruerunt viri pii ante Legem, Enoch, Noe, Abraham, Isaac, Jacob; quorum quidem postremorum cùm multæ peregrinationes legantur, (d) nullum usquam indicium est itineris ob Sabbatum intermissi, quod post exitum ex Ægypto perpetuò reperias. Nam postquam eductus ex Ægypto populus, & feliciter transgressus Rubrum mare, primum diem securum egit sabbatum, eóque cecinit Deo Epinicium, ex eo tempore imperata est exacta illa sabbati quies, cujus prima mentio est in collectione mannæ Exod. 35. 2. Levit. 23. 3. Et hoc sensu causa legis de sabbato redditur liberatio ex Ægypto Deut. 5. 21. Et simul hâc lege consultum est servis adversùs dominorum duritiem, nullam ipsis à laboribus respirationem indulgentium, ut dictis locis videre est. Verum est, (e) hâc lege obstrictos fuisse etiam incolas, quia scilicet una debebat esse totius populi quiescentis facies. Cæterùm aliis populis non datam hanc exactæ quietis legem, vel indè apparet, quòd multis in locis vocatur Signum, atque etiam fœdus speciale inter Deum & Israelitas, ut Exodi 31. 13, 16. Jam verò, quæ in memoriam exitûs ab Ægypto instituta sunt, non esse talia ut nunquam cessare debeant, suprà jam ostendimus ex promisso majorum multò beneficiorum. Adde quòd, si lex de quiete sabbati fuisset ab initio lata, & eo sensu ut tolli nunquam posset, sanè prævaluisset illa lex in conflictu aliarum legum, quod nunc contrà se habet: Nam (f) circumcidi infantes rectè in sabbato constat; (g) sicut & stante Templo victimæ sabbatis non minùs quam diebus aliis jugulabantur. Mutabilitatem hujus legis ipsi Hebræorum magistri ostendunt, cùm aiunt, ad imperium Prophetæ rectè opus fieri sabbato, quod probant exemplo captæ Hierichontis die sabbati, imperante Josua. Messiæ autem temporibus discrimen dierum sublatum iri non malè eorundem nonnulli ostendunt ex Esaiæ loco cap. 66. 23. ubi prædicitur, fore ut perpetuus sit Dei cultus à sabbato ad sabbatum, à novilunio ad novilunium.

ANNOTATA.

(a) *Præceptum recordandi*] זכור.

(b) *Et præceptum observandi*] שמור. Distinctio est Mosis Gerundensis, Isaaci Aramæ.

(c) *Paruerunt viri pii ante Legem*] A quibus etiam ad Græcos septimæ diei veneratio aliqua pervenit, ut notatum Clementi. Vide quæ huc pertinentia diximus libro 1.

(d) *Nullum usquam indicium est itineris ob sabbatum intermissi*] Hoc sensu illorum temporum pios σαββατίσαι, i. *sabbata observasse*, negat Justinus cum Tryphone disputans, & Tertullianus adversùs Judæos duobus locis.

(e) *Hâc lege obstrictos fuisse etiam incolas*] Non etiam alios qui extra Judæam præcepta posterorum Noæ data observabant. Ità sentiunt Hebræi.

(f) *Circumcidi infantes rectè in sabbato constat*] Proverbium Hebraicum מילה דוחה את השבת *Circumcisio pellit sabbatum.* Vide Joh. 7. 22.

(g) *Sicut & stante Templo victimæ non minùs sabbatis quàm diebus aliis jugulabantur*] Num. 28. 9.

XI. Veniamus ad Circumcisionem; quæ sanè Mose est antiquior, quippe Abrahamo imperata ejúsque posteris. Sed hoc ipsum præceptum inchoatio fuit fœderis per Mosem publicati. Sic enim dixisse Deus Abrahamo legitur Gen. 17. *Dabo tibi & posteritati tua terram in qua peregrinus egisti, terram, inquam, Cananæam in possessionem duraturam. Tu ergò fœdus meum serva, tu, inquam, & posteritas tua per sæcula. Hoc est fœdus inter me & vos vestramque posteritatem, ut circumcidatur omnis mas.* Atqui jam suprà intelleximus in hujus fœderis locum successurum fœdus novum, & quidem commune populis omnibus; quam ob causam cessare etiam debuit necessitas illa notæ discriminatricis. Est & hoc manifestum, in præcepto Circumcisionis contineri mysticam quandam & excellentiorem significationem, quod ostendunt Prophetæ, (a) cùm jubent cor circumcidi, quò spectant Jesu præcepta omnia: quare & promissa Circumcisioni addita similiter modo necesse est ad majus aliquid referantur; nempe illud de possessione terrestri (b) ad revelationem possessionis

nis verè æternæ, quæ nunquam apertiùs quàm per Jesum facta est; & (c) de Abrahamo constituendo in patrem plurimarum gentium, in id tempus quo non pauci aliquot populi, sed innumeri toto orbe diffusi, imitaturi essent illam adeò memoratam Abrahami in Deum fiduciam; quod profectò non nisi per Euangelium contigit. Mirum autem non est, umbras destinati operis auferri opere impleto. (d) Dei verò gratiam huic signo adstrictam non esse, satis hinc discas, quòd non vetustiores tantùm, sed & ipse Abrahamus adhuc incircumcisus Deo placuit, (e) & toto tempore itineris per Arabum deserta omissa ab Hebræis Circumcisio fuit, Deo ob id nihil expostulante.

ANNOTATA.

(a) *Cùm jubent cor circumcidi*] Deut. 10.16. & 30.6. Jer. 4.4.

(b) *Ad revelationem possessionis verè æternæ*] Heb. 4.

(c) *De Abrahamo constituendo in patrem plurimarum gentium, in id tempus quo non pauci aliquot populi, sed innumeri toto orbe diffusi, imitaturi essent illam adeò memoratam Abrahami in Deum fiduciam*] Gen. 17. 5. Rom. 4. 11, 13, 16, 17. Luc. 19. 9. Gal. 3. 7.

(d) *Dei verò gratiam huic signo non adstrictam fuisse*] Ἐνεδείκνυτο ἐκ σημείου τοῦ δοθέντος, ἀλλ' ἐκ τῶν δικαιοσυνῶν λεγόντων, ait Justinus colloquio cum Tryphone, *Siquidem ista vestra Circumcisio in signum data erat, non in opus justitiæ.* Irenæus lib. 4. cap. 30. *Quoniam autem & Circumcisionem, non quasi consummatricem justitiæ, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptura discimus. Dixit enim, inquit, Deus ad Abraham, Circumcidatur omne masculinum vestrum, & circumcidetis carnem præputii vestri, & erit in signum testamenti inter me & vos.*

(e) *Et toto tempore itineris per Arabum deserta omissa ab Hebræis Circumcisio fuit*] Jos. 5. 4, 5, 6.

XII. Certè erat cur magnas gratias agerent Jesu & ejus legatis Hebræi, quòd gravi illo rituum onere per ipsum liberarentur, certíque suæ libertatis fierent (a) per dona ac miracula Mosi nihil cedentia. Sed tamen primi nostri dogmatis publicatores nè hoc quidem ab illis exegerunt, ut suam hanc felicitatem agnoscerent; sed si præcepta Jesu omnis honestatis plenissima susciperent, facilè passi sunt eos in rebus mediis (b) sequi quem vellent vivendi modum; (c) ità tamen ut alienigenis, quibus lex illa rituum nunquam data fuerat, ejus observandæ necessitatem non imponerent: quod vel unum satis est, ut evidenter ostendatur, iniquè à Judæis rejecta Jesu dogmata prætextu illo legis ritualis. Solutâ hâc objectione, quæ prope unica miraculis Jesu opponi solet, veniamus ad alia argumenta quæ ad Judæos convincendos sunt idonea.

ANNOTATA.

(a) *Per dona ac miracula Mosi nihil cedentia*] Miracula Messiæ majora esse debere quàm Mosis dixit R. Levi ben Gerson, quod vel maximè patuit in mortuis resuscitatis.

(b) *Sequi quem vellent vivendi modum*] Act. 16. 3. & 21. 24. Rom. 14. 1 Cor. 9. 17. Gal. 5. 6. Col. 3. 11.

(c) *Ità tamen ut alienigenis, quibus lex illa rituum nunquam data fuerat, ejus observandæ necessitatem non imponerent*] Act. 15. Gal. 1. 6. & 2. 13, 15. & 4. 10. & 6. 12.

XIII. Constat inter nos & ipsos, in Prophetarum vaticiniis supra multos qui Hebræis Divinitus contigerunt magnorum bonorum autores, unum multò cæteris excellentiorem promitti, quem nomine communi quidem, sed huic uni eximiè competente, MESSIAM vocant. Eum nos pridem venisse asserimus; illi venturum exspectant. Superest ut de ea lite judicium quæramus in iis libris quorum autoritatem pariter agnoscimus.

XIV. Daniel, (a) cui summæ pietatis testimonium Ezechiel perhibuit, neque nos decipere voluit, neque deceptus est ab Angelo Gabriele. Is autem Angelo dictante cap. 9. conscriptum reliquit, post promulgatum edictum de instauranda urbe Hierosolymorum non elapsuros annos quingentos (b) quin adesset Messias. Atqui in hunc diem elapsi sunt ab eo tempore plus bis mille anni, nec adest is quem Judæi exspectant: nec quenquam alium nominare possunt in quem id tempus quadret: In Jesum autem tam bene convenit, ut magister Hebræus Nehumias, qui annis 50 eum præcessit, apertè jam tum dixerit, non posse ultra eos 50 annos protrahi tempus Messiæ à Daniele significatum. Cum hac temporis nota congruit altera, quam suprà attigimus, (c) de imperio in omnes nationes dando Divinitus, (d) postquam Seleuci & Lagi posteritas regnare desiisset; quarum posterior in Cleopatra desiit, non multò antequam Jesus nasceretur. Tertia nota est dicto cap. 9. apud Danielem, quòd post Messiæ adventum exscindenda esset urbs Hierosolyma; quod de excidio urbis vaticinium (e) ipse Josephus ad suam refert ætatem: unde sequitur, tempus Messiæ adventui præstitutum jam tum præteriisse. Eodèm pertinet quod apud Aggæum cap. 2. Deus Zorobabelem Ethnarcham & Jesum Josedeciden Pontificem Maximum mœstos, quòd viderent excitatum à se templum non respondere magnitudini prioris templi, solatur hoc promisso, futurum ut major honos isti Templo quàm priori contingeret; quod profectò neque de mole operis, neque de materia, neque de arte, neque de ornatu dici posse historia horum temporum in Sacris literis & apud Josephum, collata cum ea quæ est de templo Salomonis, indubitatum facit. Adde quòd Hebræorum magistri annotant duas maximas dotes defuisse Templo posteriori quæ priori adfuerant, (f) conspicuam quandam lucem Divinæ majestatis indicem, & Divinum afflatum. Sed quo Templum hoc posterius priori præstiturum sit, ibi quidem breviter ostendit Deus, (g) cùm pacem suam, i. gratiam & benevolentiam, in eo templo se quasi federe certo stabiliturum dicit. Latiùs autem exsequitur Malachias cap. 3. *Ecce mittam legatum meum, qui vias meas præparet. Brevi veniet in templum suum* (vixit autem Malachias tempore ædificati templi posterioris) (h) *Dominus ille quem vos desideratis, internuncius ille fœderis, delicia vestra.* Venire ergò debuit Messias stante Templo secundo, (i) quo nomine apud Hebræos venit totum illud ævum à Zorobabele ad tempus Vespasiani; quia Herodis magni temporibus Templum non ex ruinis resuscitatum fuit, (k) sed paulatim per partes innovatum: qualis mutatio facit idem Templum appellari. Et sanè tam constans apud Hebræos & vicinos fuit opinio illis temporibus exspectandum Messiam, ut (l) multi Herodem, (m) alii Judam Gauloniten, (n) alii alios, qui circa Jesu tempora vixerunt, pro Messia haberent.

ANNOTATA.

(a) *Cui summa pietatis testimonium Ezechiel perhibuit*] 14. 14. & 28. 3. Josephus de Daniele fine libri 10. Ὅτι τὸ θεῖον αὐτῷ πνεῦμα συμπάρεστι, *Spiritus Dei ei aderat.* Deinde, Ἅπασι γὰρ αὐτῷ παῤῥήξως ὡς ἐπὶ πᾶσι μεγίσων εὐτυχήσει συμβαίνει, καὶ παρὰ τῶν ζώντων χεῖνον τιμᾶται καὶ δόξα παρὰ πᾶσι βασιλέων καὶ τῶ πλήθους· καὶ πλάττουσι δὲ μνήμην αἰώνιον ἔχει. τὰ γὰρ βιβλία ὅσα δὲ συγγεγράφηκεν καταλέλοιπεν, ἀναγινώσκεται παῤ' ἡμῖν ἔτι καὶ νῦν. καὶ πιστεύομεν ἐξ αὐτῶν ὅτι ἀμίλει τῷ Θεῷ, *Omnia illi supra fidem, & quantum maximorum Prophetarum ulli succedebant: dúmque vixit, in summa gratia ac honore fuit apud reges & populum: & postquam mortuus est, æterna ejus viget memoria. Leguntur enim apud nos in hunc diem libri quos à se conscriptos reliquit, quorum testimonio credimus fuisse Danieli cum Deo commercium.*

(b) *Quin adesset Messias*] *Filium hominis* apud Danielem esse Messiam consentiunt magni Judæorum magistri Salomon Jarchi, Rabbi Josue citatus ab Abenesdra, & Saadias,

Saadias. Sic & Rabbi Joſe, qui excidium Templi vidit, Meſſiæ tempus adveniſſe dicebat, ut teſtatur R. Jacob in Caphthor.

(c) *De imperio in omnes nationes dando Divinitus*] Lapidem illum cujus percuſſu imago illa imperiorum figuram habens comminuenda eſſet, Meſſiam eſſe tradidit R. Levi ben Gerſon : & regnum illud cætera regna abſumpturum eſſe regnum Meſſiæ docent R. Solomo, R. Abeneſdra, & R. Saadia.

(d) *Poſtquam Seleuci & Lagi poſteritas regnare deſiiſſet*] Vide quæ hac de re annotata ad lib. 1.

(e) *Ipſe Joſephus ad ſuam refert ætatem*] Lib. 10. c. 12. Τὸν αὐτὸ χρόνον Δανιὴλ καὶ περὶ τῶ Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἁλώσεται. Ταῦτα πάντα ἐκεῖνος θεοῦ δείξαντος αὐτῶ συγγράψας καταλέλοιπεν, ὥστε μὴ ἀναγινώσκοντας καὶ τὰ συμβάντα σκοποῦντας θαυμάζειν τὴν τῆς παρὰ θεοῦ τιμῆς τῶ Δανιήλου. *Eodem tempore Daniel etiam de Romanorum ſcripſit imperio, & ferè ut ab eo gens noſtra vaſtetur. Hæc omnia ille Deo indicante præſcripta reliquit, ità ut non poſſint qui iſta legunt, & eventus conſiderant, non admirari Danielem ob honorem à Deo acceptum.* Septuaginta annorum hebdomadas finire in excidio Templi ſecundi etiam Jacchiades docet ad Dan. 9. 24.

(f) *Conſpicuam quandam lucem Divinæ majeſtatis indicem, & Divinum afflatum*] In titulo De documentis Gemara Hieroſolymitana cap. 3.

(g) *Cùm pacem ſuam, i. gratiam & benevolentiam, in eo Templo ſe quaſi federe certo ſtabiliturum dicit*] Notandum eſt quod præcedit, *Veniet deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloriâ* : quod mirificè convenit cum iis quæ jam addimus ex Malachia, ità ut hi duo Prophetæ mutuò interpretum fungantur vice. Venire debuiſſe Meſſiam in Templum ſecundum ſenſit Rabbi Akiba, multíque alii teſte Rabbino Solomone.

(h) *Dominus ille quem vos deſideratis*] Hunc Malachiæ locum communiter Judæi de Meſſia exponunt.

(i) *Quo nomine apud Hebræos venit totum illud ævum à Zorobabele ad tempus Veſpaſiani*] Ut in Thalmude capite ultimo de Synedrio, & titulo Joma, & titulo Roſch Haſchana.

(k) *Sed paulatim per partes immutatum, qualis mutatio facit idem Templum videri*] Philo de Mundo, Οὐ γὰρ δήπουθεν ἅπαντα μέρη φθείρεται, φθαρτὸν ὄντι ἐκεῖνο· ἀλλ' ἅπαντα τὰ μέρη ἅμα καὶ ἐν ταὐτῶ ἀθρόα καὶ ἅπαξ αὐτὸν χρόνον, *Non cujus partes pereunt, utiq; interitui obnoxium eſt; ſed cujus omnes partes ſimul & eodẽ tempore pereunt.* Adde L. *Proponebatur*, D. De Judiciis, & L. *Quid tamen* §. *In navis*, D. Quibus modis uſusfructus amittatur.

(l) *Multi Herodem*] Hi *Herodiani* Matth. 22. 16. Marc. 3. 6. & 8. 15. & 12. 13. Tertullianus in hæreticorum enumeratione, *Cum his etiam Herodianos, qui Chriſtum Herodem eſſe dixerunt.* Paria habet de his Epiphanius, quibuſcum convenit vetus ad Perſium Scholiaſtes, *Herodes apud Judæos regnavit tempore Auguſti in partibus Syriæ. Herodiani ergò diem natalem Herodis obſervabant, ut etiam Sabbata, quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponunt.*

(m) *Alii Judam Gauloniten*] Vide Joſephum 18. 1. Act. 5. 36.

(n) *Alii alios*] Act. 21. 38. Joſephus plura exempla habet temporibus Felicis : & poſt excidium quædam.

XV. Sentiunt ſe premi his argumentis de Meſſiæ adventu Judæi : quæ ut eludant, nonnulli aiunt ſua peccata in cauſa fuiſſe quò minùs promiſſo tempore adveniret. (a) Ut omittam, in dictis vaticiniis definitum, non aliquâ conditione ſuſpenſum decretum indicari : quomodo ob peccata differri adventus potuit, cùm hoc quoque prædictum eſſet, (b) ob plurima & maxima populi peccata urbem exſcindendam paulò poſt Meſſiæ tempora? Adde quòd Meſſias venturus erat hac quoque de cauſa, (c) ut corruptiſſimo ſeculo medicinam faceret, ſimúlque cum emendandæ vitæ regulis criminum veniam adferret ; unde de ejus temporibus apud Zachariam dicitur cap. 13. fore tunc fontem apertum domui Davidis, & Hieroſolymitis omnibus, ad peccata abluenda : & apud ipſos Hebræos receptum eſt Meſſiam appellare (d) ISCHCOPHER, h.e. *placatorem*. Planè autem à ratione abhorret, dicere ob morbum aliquem dilatum id quod præciſè ei morbo erat deſtinatum.

ANNOTATA.

(a) *Ut omittam, in dictis vaticiniis definitum, non aliquâ conditione ſuſpenſum decretum indicari*] Id diſertè affirmat R. Jochanan in Schemoth rabba, & R. David Kimchi in Pſal. 108. 5. Bene de Daniele Joſephus lib. 10. circa finem, Οὐ γὰρ τὰ μέλλοντα μόνον προεῖπεν διετέλει, καθάπερ καὶ οἱ ἄλλοι προφῆται, ἀλλὰ καὶ καιρὸν ὥρισεν εἰς ὃν ταῦτα ἀποβήσεται, *Non enim ſolùm futura prædixit toto vitæ ſuæ tempore, ut & alii Prophetæ, ſed & tempus definivit quo quæque eventura erant.* Nullâ conditione ſuſpenſum fuiſſe decretum de Meſſia illo tempore mittendo apparet & ex Malachiæ 3. 1. Præterea cùm N. Federis autor deberet eſſe Meſſias, ut & ibi Malachias & alii Prophetæ oſtendunt, non potuit ejus adventus ſuſpendi à conditione obſervati federis quod antiquatum venerat.

(b) *Ob plurima & maxima peccata urbem exſcindendam paulò poſt Meſſiæ tempora*] Dan. 9. 24.

(c) *Ut corruptiſſimo ſeculo medicinam faceret, ſimúlque cum emendandæ vitæ regulis criminum veniam adferret*] Eſaias 53. 4, & ſeqq. Jeremias 31. 31, & ſeqq. Ezechiel 11. 19, 21.

(d) ISCHCOPHER] Vide Chald. Paraph. Cant. 1. 14. Meſſiam peccata noſtra portaturum dicit R. Judas in Chaſidim, R. Simeon in Bereſchith rabba.

XVI. De eo quod dicimus, adveniſſe pridem in terras Meſſiam, ipſe etiam ſenſus Judæos poteſt convincere. (a) Promiſit Deus federe per Moſem inito ipſis felicem poſſeſſionem terræ Palæſtinæ quamdiu vitam ſuam ad Legis præſcriptum componerent : (b) Contrà, ſi adverſùs eam graviter delinquerent, exſilium aliáque id genus mala ipſis minatus eſt. Quòd ſi tamen aliquo tempore preſſi malis, & pœnitentiâ peccatorum ducti, ad obedientiam rediiſſent, ſe miſericordiâ populi tactum iri, effecturúmque ut, quamvis in ultimas mundi plagas diſperſi, redirent in patriam, ut videre eſt tum alibi tum Deut. 30. & Neh. 1. Atqui jam anni ſunt mille & ultra quingentos quòd Judæi patriâ carent, Templo carent, (c) & ſi quando novum ædificare voluerunt, ſemper ſunt impediti : etiam flammarum globis ad fundamenta erumpentibus cum operarum pernicie, (d) quod ab Ammiano Marcellino ſcriptore non Chriſtiano proditum eſt. Cùm olim populus graviſſimis ſceleribus ſe contaminaſſet, liberos paſſim ſacrificaſſet Saturno, adulteria pro nihilo duceret, viduas & pupillos expilaret, inſontem ſanguinem magnâ copiâ funderet, (e) quæ omnia illis Prophetæ exprobrant, paſſus eſt exſilium, (f) ſed non diutiùs annis 70. atque interea non omiſit Deus (g) per Prophetas illos alloqui & ſolari ſpe reditûs, (h) indicato etiam ejus tempore. At nunc, (i) ex quo ſemel ejecti patriâ ſunt, manent extorres, contempti : nullus ad eos venit Propheta; nulla futuri reditûs ſignificatio : magiſtri ipſorum, quaſi ſpiritu vertiginis afflati, ad turpes fabulas & ridicula dogmata delapſi ſunt, quibus ſcatent libri Thalmudici, quos legem ore datam audent dicere, & cum iis quæ Moſes ſcripſit conferre, aut iis præferre etiam. Nam quæ ibi leguntur (k) de Dei fletu, quòd urbem paſſus ſit exſcindi, (l) de ejus quotidiana diligentia in legenda lege, (m) de Behemotho & Leviathane, (n) multíſq; rebus aliis, tam ſunt abſurda ut etiam referre tædeat. Et tamen tanto tempore Judæi, nec ad falſorum deorum cultus deflexerunt ut olim, nec cædibus ſe contaminant, nec de adulteriis accuſantur : (o) Deum verò & precibus & jejuniis certant placare; nec exaudiuntur. Quæ cùm ità ſe habeant, omnino ex duobus alterum ſtatuendum eſt; aut

aut fedus illud per Moſem factum omnino eſſe abolitum, aut teneri Judæorum univerſitatem gravis alicujus peccati tot jam per ſecula durantis: quod quale ſit ipſi dicant; aut ſi dicere non poſſunt, nobis credant, peccatum illud eſſe contempti Meſſiæ, qui antè advenerit quàm hæc mala ipſis contingere cœperunt.

ANNOTATA.

(a) *Promiſit Deus federe per Moſem inito ipſis felicem poſſeſſionem terræ Paleſtinæ quamdiu vitam ſuam ad Legis præſcriptum componerent*] Exod. 15. Lev. 18. Deut. 6, 7, 11, 28.

(b) *Contrà ſi adverſùs eam graviter delinquerent, exſilium aliáque id genus mala ipſis minatus eſt*] Levit. 26. Deut. 4, 11, 28.

(c) *Et ſi quando novum ædificare volnerunt, ſemper ſunt impediti*] Sub Adriano, ſub Conſtantino, ſub Juliano. Chryſoſtomus 2 adverſùs Judæos.

(d) *Quod ab Ammiano Marcellino ſcriptore non Chriſtiano eſt proditum*] Lib. 23. Chryſoſtomus 2 adverſùs Judæos, Πῦρ ἐκπνεῦσαι ἐκ τῶν θεμελίων ἐυθέως κατέφλεξε πολλοὺς ἀνθρώπους, ὥ μοὶ ἀλλὰ καὶ τοὺς λίθους τῦ τόπου ἐκείνου, *Ignis è fundamentis exſiliens multos homines combuſſit, ipſos quinetiam loci illius lapides.* Totus locus dignus qui legatur. Paria habet ſcriptor idem in Matthæum Hom. 4. & Sermone, Chriſtum eſſe Deum.

(e) *Quæ omnia illis Propheta exprobrant*] Eſa. 1. 17. & 3. 14, 15. & 5. 23. & 11. 2, 3. & 59. & 65. Amos 2. 6. Jerem. 2, 3, 5. & 7. 31. & 8, 9, 11, 16, 22. Ezech. 2, 6, 7, 8, 16, 22, 24. Dan. 9. Micheas 2, 1, 2, 3.

(f) *Non diutiùs annis LXX*] Objicit hoc R. Samuel in epiſtola ad R. Iſaacum.

(g) *Per Prophetas illos alloqui & ſolari ſpe reditûs*] Jerem. 30, 31, 33. Ezech. 36. & 37.

(h) *Indicato etiam ejus tempore*] Jer. 25. 15. & 29. 10.

(i) *Ex quo ſemel ejecti patriâ ſunt, manent extorres, contempti: nullus ad eos venit Propheta*] Thalmud in Baba Bathra.

(k) *De Dei fletu, quòd urbem paſſus ſit exſcindi*] Præfatio Echa Rabthi. Similia in Thalmude, titulo Chagiga, in Debarim Rabba & in Berachoth.

(l) *De ejus quotidiana diligentia in legenda Lege*] Thanith; Aboda Zara.

(m) *De Behemotho & Leviathane*] Thalmud Baba Bathra. Paraph. Chald. ad Cant. Canticorum 8. 2.

(n) *Multiſque rebus aliis*] Quorum multa tranſcripſit Chriſtianus Gerſon in ſuo ad Judæos libro. Vide ejus capita de diabolis, de Meſſia, de revelationibus per Eliam, de Gehenna, de regno X tribuum trans amnem Sabbaticum, de Rabbinorum facinoribus.

(o) *Deum verò & precibus & jejuniis certant placare*] Quòd ſi ipſis credendum eſt, optimè de Deo merentur, Meſſiam falſum, quem tanta pars humani generis recepit, repudiando.

XVII. Et hæc quidem, ut diximus, oſtendunt, veniſſe jam ante tot ſecula Meſſiam: addimus nos, non alium eum eſſe quàm Jeſum. Nam quicunque alii pro Meſſia haberi ſe voluerunt, aut habiti ſunt, nullam reliquerunt ſectam in qua ea opinio perſeveraret. Nulli nunc aut Herodis, aut Judæ Gaulonitæ, aut qui Adriani temporibus Meſſiam ſe dixit, (a) & doctiſſimis quibuſdam impoſuit, (b) Barchochebæ ſectatores ſe profitentur. At Jeſu qui nomen dent, ex quo ipſe in terris fuit, in hunc diem fuerunt (c) ſúntque plurimi, nec in una regione, ſed quàm latè hic orbis patet. Poſſem hîc multa alia adferre olim de Meſſia prædicta aut credita, quæ in Jeſu eveniſſe credimus, cùm de aliis nè aſſeverentur quidem: quale eſt, (d) quòd ex Davidis fuit poſteritate, (e) quòd ex virgine natus eſt, (f) edocto ea de re cœlitus eo qui virginem eam duxerat, cùm ex alio prægnantem in matrimonio non fuerat retenturus, (g) quòd natus eſt Bethlehemi, (h) quòd dogma ſuum facere cœpit in Galilæa, (i) quòd omne genus morbos ſanavit, cæcis viſum, claudis greſſum dedit: ſed uno contentus ſum cujus effectus in hunc diem durat. Ex (k) Davidis, (l) Eſaiæ, (m) Zachariæ, (n) Oſeæ vaticiniis manifeſtiſſimum eſt, Meſſiam non tantùm Judæorum ſed & aliarum gentium magiſtrum fore: (o) per ipſum collapſuros cultus falſorum deorum, & ad unius Dei cultum perducendam ingentem multitudinem alienigenarum. Ante Jeſu adventum ſub falſis cultibus totus ferè orbis jacebat: deinde paulatim evaneſcere illi cœperunt, nec finguli tantùm homines, ſed & populi & reges ad unius Dei cultum converti. Hæc non Judæorum Rabbinis debentur, ſed Jeſu diſcipulis, eorúmq; ſucceſſoribus: ità (p) populus Dei factus eſt qui antè non erat, & impletum eſt quod per Jacobum prædictum fuerat Gen. 49. antequam planè tolleretur civilis poteſtas à poſteris Judæ, venturum SILO, quem (q) Chaldæus & alii interpretes MESSIAM exponunt, (r) cui paritura eſſent etiam exteræ gentes.

ANNOTATA.

(a) *Et doctiſſimis quibuſdam impoſuit*] Ut Rabbi Akibæ. Thalmud in titulo de Synedrio, & liber Zemach David.

(b) *Barchochebæ*] Qui ὁ τῶν Ἰουδαίων ἀρχηγέτης ἀχρεῖος Juſtino. Mentio ejus apud Euſebium, Hieronymum, Oroſium, Thalmudico titulo de Synedrio, in Bereſith rabba, apud Rabbinos Johannem & Abrahamum Salmanticenſem, & alios multis in locis.

(c) *Súntque plurimi, nec in una regione, ſed quàm latè hic orbis patet*] Vide quæ hac de re allata ad lib. 2.

(d) *Quòd ex Davidis fuit poſteritate*] Pſal. 89. 4. Eſa. 4. 2. & 11. 10. Jerem. 23. 5. Ezech. 34. 24. Mich. 5. 2. Matth. 1. 1. & 5. 20. & 9. 27. & 12. 23. & 15. 22. & 20, 30, 31. & 21. 9, 15. & 22. 42, & ſequentibus. Marc. 10. 47. & 12. 35, 36, 37. Luc. 1. 27, 32, 69. & 2. 4, 11. & 18. 38, 39. & 20. 42, 44. Joh. 7. 42. Act. 13. 34. & 15. 16. Rom. 1. 3. 2 Tim. 2. 8. Apoc. 5. 5. & 22. 16.

(e) *Quòd ex virgine natus eſt*] Eſaiæ 7. 14. Matth. 1. 18, 22, 23. Luc. 1, 35.

(f) *Edocto ea de re cœlitus eo qui virginem eam duxerat*] Matth. 1. 20.

(g) *Quòd natus eſt Bethlehemi*] Mich. 5. 2. Matth. 1. & 2. 2, 3, 4, 5, 6. Lucæ 2, 4.

(h) *Quòd dogma ſuum ſerere cœpit in Galilæa*] Eſa. 4. 1. Mat. 4. 12, 13. Marc. 1. 4. Luc. 4. 14, 15, 16. & alibi ſæpe.

(i) *Quòd omne genus morbos ſanavit, cæcis viſum, claudis greſſum dedit*] Eſaias 35. 5. & 61. 1. Mat. 11. 5. Luc. 4. 18. & alibi paſſim. Adde quòd mortuos reſuſcitavit; quod inter præcipuas Meſſiæ notas ponit R. Levi ben Gerſon.

(k) *Davidis*] Pſal. 2. 8. & 22. 28. & 68. 32. & 72. 8, 17.

(l) *Eſaiæ*] 2. 2. & 11. 10. & 14. 1. & 19. 18. & 27. 13. & 35. & 42. & 43. præcipuè 49. 6. & 51. 5. & 52. 15. & 54. & 55. 4, 5. & 60. 3, & ſeqq. & 65. 1, 2. & 66. 19, & ſeqq.

(m) *Zachariæ*] 2. 11. & 8. 20, & ſeqq. & 9. 9, 10, 11, & 14. 16.

(n) *Oſeæ*] 2. 24.

(o) *Per ipſum collapſuros cultus falſorum deorum*] Eſaiæ 2. 18, 20. & 31. 7. & 46. 1. Sophonias 1. 4, 5, 6. Zach. 13. 2.

(p) *Populus Dei factus eſt qui antè non erat*] Oſeæ 2. 24.

(q) *Chaldæus*] Tam Jonathan quàm Hieroſolymitanæ paraphraſeos ſcriptor. Item Thalmudici titulo de Synedrio, Bereſith Rabba, Jakumus ad Pentateuchum, Rabbi Solomo & alii. שבט, quod nunc Judæi volunt eſſe *virgam caſtigationis*, Thargum Chaldæo exponitur שלטן, & Græcis eodem ſenſu ἄρχων, Aquilæ ζωπτῆρ, Symmacho ἡγούμενος. שילה autem per בנו *filius ejus* exponunt Chaldæus, R. Siloh, R. Bachai, R. Salomo, Abeneſdra & Kimchi. Vide pulcre dicta de hoc loco apud Chryſoſtomum Serm. Chriſtum eſſe Deum.

(r) *Cui paritura eſſent etiam exteræ gentes*] Vide dictum locum Eſaiæ 11. 10. qui huic lucem adfert.

XVIII. Opponi hîc à Judæis ſolet, quædam de temporibus Meſſiæ prædicta eſſe quæ non conſpiciantur

impleta: sed quæ adducunt obscura sunt, aut diversam recipiunt significationem, propter quæ non debent deseri ea quæ sunt manifesta; qualia sunt sanctitas præceptorum Jesu, præmii excellentia, & in eo proponendo sermo perspicuus; quibus cùm accedant miracula, sufficere e hæc ad amplectendum ejus dogma debebant. Ad vaticinia, (a) quæ *libri clausi* nomine nuncupari solent, rectè intelligenda opus sæpe est Dei quibusdam auxiliis, quæ meritò illis subtrahuntur qui aperta negligunt. Loca autem quæ objiciunt, variè exponi nè ipsi quidem ignorant: & si cui conferre libeat interpretes veteres, qui in Babylonico exsilio aut alioqui circa Jesu tempora exstiterunt, cum his qui scripserunt postquam Christianorum nomen in odio apud Judæos esse cœpit, inveniet explicationes novas repertas partium studio, cùm olim receptæ essent aliæ, quæ cum Christianorum sensu satis conveniebant. Multa in S. literis non ex proprietate verborum, (b) sed figurâ quadam esse intelligenda, nè ipsi quidem ignorant; (c) ut cùm Deus descendisse dicitur, cùm ei (d) os, (e) aures, (f) oculi, (g) nares tribuuntur. Quídni ergò hunc in modum explicemus & pleraque de Messiæ temporibus dicta? qualia sunt, (h) lupum cum agno, pardum cum hœdo, leonem cum pecore stabulaturum, lusurum cum anguibus infantem, (i) montem Dei surrecturum supra montes alios, venturos eò alienigenas ut sacra faciant. Sunt quædam promissa, quæ ex antecedentibus aut consequentibus verbis, aut etiam ex ipso sensu, conditionem in se tacitam continent. Sic multa Hebræis promisit Deus si Messiam missum reciperent, eique parêrent: quæ si non eveniunt, habent ipsi quod sibi imputent. Quædam verò etiam definitè & sine conditione promissa, si impleta nondum sunt, adhuc possunt exspectari. Constat enim etiam apud Judæos, (k) tempus, sive regnum, Messiæ durare ad finem seculorum.

ANNOTATA.

(a) *Quæ* libri clausi *nomine nuncupari solent*] Esaias 29. 11. Dan. 12. 4, 9. & ibi Jachiades. Vide quæ hanc ad rem disserit Chrysostomus Serm. 2. Cur obscurum sit V. Testamentum.

(b) *Sed figurâ quadam esse intelligenda, nè ipsi quidem ignorant*] Quomodo Maimonides in libro Jad locum Esaiæ 11. 6. de Messiæ temporibus ἀλληγορικῶς vult intelligi. Idem dicit ad ipsum Esaiæ locum David Kimchi: qui & similia habet ad Jerem. 2. 15. & 5. 6.

(c) *Ut cùm Deus descendisse dicitur*] Ut Gen. 11. 5. & 18. 21. Vide de his similibúsque locutionibus Maimoniden Ductoris dubitantium Parte 1. cap. 10. & 2. c. 29, & seqq. & eundem ad Deut. ubi de rege. Messiæ res fore cœlestes ait liber cabalisticus Nezael Israel.

(d) *Os*] Ut Jeremiæ 9. 12.

(e) *Aures*] Ut Psal. 31. 3. & 34. 16.

(f) *Oculi*] Loco Psalmi proximè citato.

(g) *Nares*] Psal. 18. 9. Jer. 32. 37.

(h) *Lupum cum agno*] Dicto loco Esaiæ 11. 6, & seqq.

(i) *Montem Dei surrecturum supra montes alios*] Esaiæ 2. 2. Micheas 4. 1, & seqq.

(k) *Tempus, sive regnum, Messia durare ad finem seculorum*] Perek Chelek p. 97.

XIX. Offendit multos humilis Jesu fortuna; iniquè verò, cùm in S. literis passim dicat Deus, (a) erigi à se humiles, & superbos sterni. (b) Jacob extra se nihil præter baculum ferens Jordanem transiit: rediit eodèm maximâ vi pecoris ditatus. Moses exsul, pauper, pecora pascebat, (c) cùm ei in rubo Deus apparuit, populíque sui ductum ei mandavit. (d) David itidem gregem pascens ad regnum vocatur. Multísque aliis exemplis talibus plena est Sacra historia. De Messia verò legimus, fore eum (e) lætum pauperibus nuncium; (f) non clamorem excitaturum in publico, aut jurgiis usurum, sed acturum leniter, ità ut parcat arundini concussæ, & in ellychnio fumigante alat quod restat caloris. Neque magis cætera ejus mala, & mors ipsa, invisum eum cuiquam facere debent. Nam sæpe à Deo permitti ut pii ab impiis non vexentur modò, (g) ut Lothus à Sodomæ civibus, sed interficiantur quoque manifestum est (h) exemplo Abelis parricidio enecti, (i) Esaiæ dissecti, (k) Maccabæorum fratrum cum matre ad mortem excruciatorum. Ipsi Judæi Psalmum canunt 79. in quo hæc verba sunt, *Dederunt servorum tuorum cadavera in cibum volucrium, reliquias eorum quos tu, ô Deus, amas, bestiis: sanguinem eorum effuderunt in pomœrio Hierosolymorum; nec quisquam fuit qui eos sepeliret*, & quæ sequuntur. Ipsum verò Messiam debuisse per ærumnas & mortem pervenire ad regnum suum, & ad potestatem summis bonis ornandi familiam suam, negare nemo poterit qui ad ista Esaiæ verba (l) cap. 53. animum volet attendere: *Quotusquisque credidit sermoni nostro & vim Dei agnovit? Idque ideo, quia surrexit ille, Deo aspectante, tanquam tener surculus, tanquam herba ex solo arenoso. In vultu ejus nihil puleri, nihil decori, nec si aspiceres, quicquam erat quod oblectaret: contemptui patebat, & inter homines erat velut abjectissimus; multos dolores, multas agritudines expertus: omnes se ab eo avertebant: tanto erat despicatui, nullóque in pretio. Sed verè* (m) *nostros ille morbos pertulit, nostra mala toleravit. Nos illum habuimus tanquam de cœlo tactum, à Deo ictum atque depressum: sed ob nostra peccata vulneratus est, attritus ob nostra crimina.* (n) *Pœna quæ nobis salutem pareret ipsi imposita est: tumices ipsius dati sunt nobis pro remedio. Certè enim nos ut oves aberraveramus omnes huc atque illuc: ipsi Deus inflixit pœnam, qua nostris criminibus debebatur. Et tamen cùm opprimeretur & gravissimè cruciaretur, vocem non emisit, sicut agnus mactandus, aut ovis quæ tondetur, silent muta. Post vincula, post judicium è medio sublatus est: sed rursus vitæ ejus durationem quis dignè eloqui poterit? Nimirum ex hoc loco, in quo nos vivimus, ereptus est: sed hoc malum ei evênit ob populi mei scelera. Ad mortem usque & sepulturam datus est in manus potentium atque impiorum, cùm tamen nemini fecisset injuriam, neque in sermone ejus deprehensus fuisset unquam dolus malus. Sed quanquam Deus eousque eum passus est conteri doloribúsq; affici; tamen* (o) *quia se constituit hostiam piacularem,* (p) *videbit posteritatem, vitam aget durabilem, & quæ Deo sunt placita per ipsum feliciter curabuntur. Liberatum se à malo conspiciens, ait Deus,* (q) *voluptate satiabitur, eò maximè, quòd dogmate suo ipse justus servus meus multos absolvet, eorum crimina auferens. Dabo ei partem eximiam,* (r) *ubi inter præliatores spolia dividentur, quia morti se dedidit, & sceleratis annumeratus est, cùmque pœnas alienorum criminum ferret ipse, pro sontibus se constituit precatorem.* Quis potest nominari, aut Regum, aut Prophetarum, in quem hæc congruant? Nemo sanè. Quod autem recentiores Judæi commenti sunt, agi hîc de ipso populo Hebræo dispersо in omnes gentes, ut suo exemplo ac sermone multos ubique proselytos faceret, is sensus primùm plurimis S. literarum testimoniis repugnat, quæ clamant, Judæis (s) nihil mali accidisse quod non ipsum, & insuper majora multò, suis factis essent promeriti. Deinde ipsa Propheticæ orationis series eam non fert interpretationem. Dicit enim sive Propheta, quod isti loco videtur convenientius, sive Deus, *hoc malum illi evênit ob populi mei scelera.* Populus autem Esaiæ, aut etiam populus Dei peculiaris, est populus Hebraicus. Quare is qui tam gravia perpessus ab Esaia dicitur, non potest idem populus esse. Meliùs antiqui Hebræorum magistri fatebantur hæc de Messia dici: quod cùm viderent quidam posteriorum, (t) duos Messias commenti sunt; quorum alterum vocant Josephi filium, qui mala multa & mortem cruentam pateretur, alterum Davidis filium, cui cuncta prospere succederent: (u) cùm multò facilius esset, & Prophetarum scriptis congruentius, unum agnoscere, qui per adversa & mortem ad regnum esset perventurus; quod nos de Jesu credimus, & verum esse res ipsa docet.

ANNO-

ANNOTATA.

(a) *Erigi à se humiles, & superbos sterni*] 1 Reg. 2. 8. Psal. 74. 19. Prov. 11. 2. Esa. 57. 15. & 66. 2.

(b) *Jacob extra se nihil præter baculum ferens Jordanem transiit*] Gen. 32, & sequentibus.

(c) *Cùm ei in rubo Deus apparuit*] Exodi 3.

(d) *David itidem gregem pascens ad regnum vocatur*] 1 Sam. 16. 7, 11.

(e) *Latum pauperibus nuncium*] Esa. 61. 1. Matth. 11. 5. Adde Zach. 9. 9.

(f) *Non clamorem excitaturum in publico, aut jurgiis usurum, sed acturum leniter*] Esaias 40. 2, 3, 4. Matth. 12. 19, 20.

(g) *Ut Lothus à Sodoma civibus*] Gen. 19.

(h) *Exemplo Abelis parricidio enecti*] Gen. 4.

(i) *Esaia dissecti*] Ità habet Judæorum traditio, ad quam respicit scriptor ad Hebræos 12. 37. & Josephus 10. 4. Chalcidius in Timæum, *Cùm Prophetæ à conscelerati, unus membratim sectus, alter obrutus saxis.*

(k) *Maccabæorum fratrum cum matre ad mortem excruciatorum*] 2 Macc. 7. Josephus libro Περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ.

(l) *Capite* 53.] Quem locum de Messia interpretantur Chald. Paraph. & Gemara Babylonica titulo De Synedrio.

(m) *Nostros morbos ille pertulit*] *Morborum* voce quævis mala intelligi docet ad hunc locum Abarbaniel.

(n) *Pœna qua nobis salutem pareret, ipsi imposita est*] De Messia hæc explicant Rabboth & Salomon Jarchi ad Gemaram titulo De Synedrio.

(o) *Quia se constituit hostiam piacularem*] De malis volente animo toleratis hîc agi ait Alseck.

(p) *Videbit posteritatem*] Voce *seminis*, quæ in Hebræo est, significari discipulos ait hîc Alseck. Sic *semen serpentis* Hebræi interpretantur Cananæos. Nec aliter accipiunt nonnulli eorum, *filios* Esaiæ 8, 18. ut Thalmud Hierosolymitanum notat titulo De Synedrio.

(q) *Voluptate satiabitur*] Hæc ad futurum seculum refert Abarbaniel.

(r) *Ubi inter prædatores spolia dividentur*] Hæc spirituali modo intelligenda docet Gemara Babylonica titulo סוכה. Per *spolia* intelligi sapientum hónores & præmia dicit Alseck ad hunc locum.

(s) *Nihil mali accidisse quod non ipsum, & insuper majora multò, suis factis essent promeriti*] Apparet id locis Prophetarum jam suprà positis, & Danielis 9. & Nehem. 9. Adde, quòd, de quo agit Esaias, deprecaturus erat Deum pro Ethnicis, quod Judæi non faciunt.

(t) *Duos Messias commenti sunt*] Thalmud titulo Succa, R. Salomo, R. D. Kimchi.

(u) *Cùm multò facilius esset, & Prophetarum scriptis congruentius, unum agnoscere, qui per adversa & mortem ad regnum esset perventurus*] Quod ipsum non uno in loco ad hoc Esaiæ caput sequitur Abarbaniel.

XX. Retinet multos à suscipienda Jesu disciplina præconcepta quædam opinio de virtute ac probitate majorum suorum, ac maximè sacerdotum, qui Jesum præjudicio damnarunt, & dogma ejus repudiarunt. Sed quales sæpe majores ipsorum fuerint, nè me sibi maledicere existiment, audiant ipsis verbis, & Legis suæ & Prophetarum, à quibus sæpe appellantur (a) incircumcisi auribus & corde; (b) populus labiis & rituum apparatu Deum honorans, animo autem remotissimus. Majores ipsorum fuerunt (c) qui Josephum fratrem suum parùm abfuit quin interficerent, re autem ipsâ in servitutem vendiderunt. Majores ipsorum & illi (d) qui Mosem perpetuis seditionibus ad vitæ tædium egerunt, ducem suum ac liberatorem, cui terra, mare, aer obediebant: (e) qui panem cœlitus missum fastidierunt, (f) qui velut de summa penuria conquesti sunt, cùm aves comestas adhuc ructarent. Majores ipsorum fuerunt (g) qui Davide, tanto ac tam bono rege, deserto secuti sunt rebellem filium. Majores ipsorum fuerunt (h) qui Zachariam, Joiadæ filium, trucidarunt in loco sanctissimo, victimam crudelitatis suæ facientes ipsum sacerdotem. Jam verò (i) Pontifices quod attinet, tales fuerunt qui Jeremiæ falso crimine mortem machinati sunt, & perfeciſſent, nisi procerum quorundam obstetisset autoritas: (k) extorserunt tamen ut captivus haberetur ad ipsum usque momentum captæ urbis. Si quis putet meliores fuisse eos qui Jesu temporibus vixerunt, eum ab hoc errore liberare Josephus poterit, qui atrocissima eorum facinora describit, & pœnas graviores omnibus unquam auditis, (l) & tamen, ut ipse censet, infra meritum. Neque de Synedrio meliùs existimandum; præsertim cùm eo tempore senatores non veteri more cooptari manibus impositis, (m) sed ex potentium nutu, legi solerent, ut & Pontifices, non jam perpetuâ, (n) sed annali & sæpe emptâ, dignitate. Non mirari ergò debemus si homines arrogantiâ tumidi, ambitione & avaritiâ insatiabiles, in furorem acti sunt conspecto homine qui sanctissima præcepta adferens vitam ipsis suam ipsâ diversitate exprobrabat. Nec aliud illi crimini datum quàm quod olim optimo cuique. (o) Sic Michæas ille, qui Josaphati tempore vixit, in custodiam datus est quòd intrepidè verum contra quadringentos falsos Prophetas asseruisset. (p) Eliæ Achabus objecit, planè ut Jesu sacerdotes, ipsum esse qui pacem Israelis turbaret. (q) Jeremiæ quoque crimini datum, id quod Jesu, vaticinatio adversùs Templum. Addendum hîc, quòd Magistri Hebræorum veteres (r) scriptum reliquerunt, temporibus Messiæ homines fore caninâ impudentiâ, asininâ contumaciâ, ferinâ crudelitate. Deus ipse, qui quales Judæi plerique exstituri essent Messiæ tempore multò antè prævideraſ, futurum dixerat, (s) ut qui populus suus non fuisset, in populum assumeretur, (t) ex Judæorum autem urbibus ac vicis singulis vix unus & alter irent ad sacrum montem; sed quod ad illorum numerum deesset, id expleturos extraneos: item (u) Messiam Hebræis in ruinam fore: sed lapidem hunc rejectum ab ædificio præfectis, potissimo loco positum iri ad coagmentationem operis.

ANNOTATA.

(a) *Incircumcisi auribus & corde*] Jer. 4. 4. & 6. 10.

(b) *Populus labiis & rituum apparatu Deum honorans, animo autem remotissimus*] Deut. 32. 5, 6, 15, 28. Esa. 29. 13. Amos 5. 21. Ezech. 16. 3.

(c) *Qui Josephum fratrem suum parùm abfuit quin interficerent, re autem ipsâ in servitutem vendiderunt*] Gen. 38.

(d) *Qui Mosem perpetuis seditionibus ad vitæ tædium egerunt*] Loca notata suprà ad lib. 2.

(e) *Qui panem cœlitus missum fastidierunt*] Num. 11. 6.

(f) *Qui velut de summa penuria conquesti sunt, cùm aves comestas adhuc ructarent*] Dicto cap. 11. in fine.

(g) *Qui Davide, tanto ac tam bono rege, deserto secuti sunt rebellem filium*] 2 Sam. 15.

(h) *Qui Zachariam, Joiada filium, trucidarunt*] 2 Par. 24. 21.

(i) *Pontifices quod attinet, tales fuerunt qui Jeremiæ falso crimine mortem machinati sunt*] Jeremiæ 26.

(k) *Extorserunt tamen ut captivus haberetur ad ipsum usque momentum captæ urbis*] Jeremiæ 38.

(l) *Et tamen, ut ipse censet, infra meritum*] Dicit is neq; urbem aliam talia perpessam mala, neque ab omni ævo ætatem fuisse omnium scelerum feraciorem. Plus Judæis malî à semetipsis illatum quàm à Romanis, qui illorum facinora expiaturi venerant.

(m) *Sed ex potentium nutu legi solerent*] Josephus 14. 19.

(n) *Sed annali & sæpe emptâ dignitate*] Joseph. 18. 3. & 6.

(o) *Sic Michæas ille, qui Josaphati tempore vixit, in custodiam datus est*] 1 Reg. 22.

(p) *Eliæ Achabus objecit, planè ut Jesu sacerdotes, ipsum esse qui pacem Israelis turbaret*] 1 Reg. 18. 17. Achabus Eliæ dicit הַאַתָּה זֶה עֹכֵר יִשְׂרָאֵל: ubi Græci; ὁ σὺ ὁ διαστρέφων τὸν Ἰσραήλ; *Nónne tu es qui turbas Israelem?*

Sic Sacerdotes de Jesu apud Lucam 23. 2. Τοῦτον εὑρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, *Hunc invenimus turbare Israelem.*

(q) *Jeremiæ quoque crimini datum, id quod Jesu, vaticinatio adversus Templum*] Jerem. 7. 4, & seqq. & 26. 6, 11.

(r) *Scriptum reliquerunt, temporibus Messiæ homines fore caninâ impudentiâ, asininâ contumaciâ, ferinâ crudelitate*] Thalmud De Synedrio, Ketuboth, & Sota, R. Salomo ad dictum titulum de Synedrio c. Helec, Thalmud titulo de ponderibus. Traditio Rabbi Judæ in Masoreta ad eundem titulum De Synedrio c. Helec, *Quo tempore adveniet filius David, domus institutionis Divinæ fiet lupanar.* Vide Jeremiam 10.21. & 29.14.

(s) *Ut qui populus suus non fuisset, in populum assumeretur*] Oseæ 2.24.

(t) *Ex Judæorum autem urbibus ac vicis singulis vix unus & alter irent ad sacrum montem: sed quod ad illorum numerum deesset, id expleturos extraneos*] Jer. 3. 14, 17. Adde Esaiam 53.

(u) *Messiam Hebræis in ruinam fore: sed lapidem hunc rejectum ab ædificio præfectis, potissimo loco positum iri ad coagmentationem operis*] Esaiæ 8.14. Psal. 118.22.

XXI. Restat ut duabus accusationibus respondeamus, quibus Judæi & dogma & cultum Christianorum impetunt. Prius est, quòd plures à nobis Deos aiunt coli. Sed hoc nihil est, nisi in odium contorta alieni dogmatis explicatio. Quid enim est cur magis id Christianis objiciatur quàm (a) Philoni Judæo, qui sæpe tria in Deo statuit, & Dei rationem sive (b) sermonem vocat Dei nomen, (c) mundi opificem, (d) neque ingenitum ut est Deus Pater omnium, neque ità genitum ut sunt homines; (e) quem & Angelum sive legatum universum hoc curantem & ipse Philo (f) & Moses Nehemanni filius appellat: (g) aut Cabalistis, qui Deum distinguunt in tria lumina, & quidem nonnulli iisdem quibus Christiani nominibus, Patris, Filii sive Verbi, & Spiritûs sancti? Et ut id sumam quod apud omnes Hebræos maximè confessum est, spiritus ille quo agitati sunt Prophetæ non est aliquid creatum, & tamen distinguitur à mittente; quomodo & illud (h) quod SCHEKINA vulgò vocant: Jam verò in Messia habitaturam eam vim Divinam quam Sapientiam vocant, (i) plurimi Hebræorum tradiderunt; (k) unde Chaldæo Paraphrastæ Messias DEI VERBUM dicitur; sicut & (l) augusto illo DEI, (m) itémq; DOMINI, nomine Messias appellatur apud Davidem, Esaiam, & alios.

ANNOTATA.

(a) *Philoni Judæo, qui sæpe tria in Deo statuit*] De sacrificiis Abel & Cain, Ἡνίκα ὁ Θεὸς δορυφορούμενος ὑπὸ δυοῖν ἀνωτάτω δυνάμεων, ἀρχῆς τε ἄν καὶ ἀγαθότητος, εἰς ὢν ὁ μέσος, διπλᾶς φαντασίας ἐνεργάσατο τῇ ὁρατικῇ ψυχῇ, ὧν ἑκάτερη μεμύηκεν ἡμῶν ἑκάμως, ἀσυγχεάτοις γὰρ αἱ δυνάμεις αὐταῖς, μεμίχθαι δὲ τὰ ὅλα, *Cùm Deus comitatus duabus summis suis efficaciis, imperio ac bonitate, medius ipse & unus, tres conceptus operatus est animo perspicaci, quorum nullius mensuram capitur; immensa enim ejus efficacia: sed singula totum metiuntur.* Mox ἀρχὴ etiam vocat ἐξουσίαν, & ἀγαθότητα vocat εὐεργεσίαν, aitq; à pio animo non enunciari, sed in silentii arcano asservari. Similia habet in libro De Cherubim: lib. 2 De agricultura Noæ vocat τὸ ὄν, τὸ δεσποτικὸν, ἢ ἴλεω δυνάμιν, *id quod est, vim dominam, vim beneficam.* Maimonides initio libri De Fundamentis, & post eum Joseph Albo distinguunt in Deo, *Id quod cognoscit, quod cognoscitur, & cognitionem.* Habet quæ huc pertinent & Abenesdra ad Gen. 18. & Maimonides Ductoris dubitantium parte 1. cap. 68.

(b) *Sermonem vocat Dei nomen*] In Allegoriis, & De confusione linguarum.

(c) *Mundi opificem*] In Allegoriis, Ὁ λόγος αὐτοῦ, ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ πρεσβευόμενος κοσμοποιὸς, *Verbum ejus quo velut instrumento usus Mundum fecit.* De Caino, Ὄργανον ἦν λόγον τὸν Θεοῦ δι' οὗ κατεσκευάσθη, *Instrumentum autem Dei videbis esse ipsum verbum Dei, per quod factus est Mundus.*

(d) *Neque ingenitum ut est Deus pater omnium, neque ità genitum ut sunt homines*] Locus est libro, Quis heres sit rerum Divinarum. Idem verbum Philoni vocatur *Dei imago* libro De monarchia; & De somniis à Deo immissis: interdum ἀποτύπωμα, ut libro, Pejorem insidiari meliori; & χαρακτὴρ lib. 2 De agricultura. Confer Joh. 1. & Heb. 1. 3.

(e) *Quem & Angelum sive legatum universum hoc curantem & ipse Philo*] Ἄγγελον vocat in Allegoriis, & libro De Cherubim: Ἀρχάγγελον verò libro De herede Divinorum bonorum, & libro De confusione linguarum. Idem & *Angelus* & יהוה dicitur R. Samueli in Mecor Chaim.

(f) *Et Moses Nehemanni filius*] Ejus verba sic transtulit doctissimus Marius ad Josuæ caput 5. *Iste Angelus, si rem ipsam dicamus, est Angelus redemptor: de quo scriptum est, Quoniam nomen meum in ipso est. Ille, inquam, Angelus qui ad Jacob dicebat, Ego Deus Bethel. Ille de quo dictum est, Et vocabat Mosem Deus de rubo. Vocatur autem Angelus, quia mundum gubernat. Scriptum est enim, Eduxit nos Jehova (i. Dominus Deus) ex Ægypto: & alibi, Misit Angelum suum, & eduxit nos ex Ægypto. Præterea scriptum est, Et Angelus faciei ejus salvos fecit ipsos. Nimirum ille Angelus qui est Dei facies: de quo dictum est, Facies mea præibit, & efficiam ut quiescas. Denique ille Angelus est de quo Vates, Et subitò veniet ad Templum suum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus federis, quem cupitis.* Rursum alia ejusdem verba sic, *Animadverte attentè quid ista sibi velint. Moses enim & Israelitæ semper optaverunt Angelum primum. Caterùm quis ille esset, verè intelligere non potuerunt. Neque enim ab aliis percipiebant, neque propheticâ notione satis assequebantur. Atqui* FACIES DEI *ipsum significat Deum: quod apud omnes interpretes est in confesso. Verùm nè per somnium quidem ista intelligere quisquam possit, nisi sit in mysteriis Legis eruditus.* Mox, *Facies mea præcedet, h.e. Angelus federis, quem vos cupitis: in quo videbitur facies mea. De quo dictum est, Tempore accepto exaudiam te. Nomen enim meum in eo est. Faciámq; ut quiescas, sive efficiam ut ipse sit tibi lenis & benignus. Neq; te ducat per jus rigidum, sed placidè & clementer.* Confer quæ habet Manasses conciliator ad quæstionem 19 super Genesim.

(g) *Aut Cabalistis, qui Deum distinguunt in tria lumina, & quidem nonnulli iisdem quibus Christiani nominibus, Patris, Filii sive Verbi, & Spiritûs sancti*] Vide additamenta ad Lexicon Hebraicum Schindleri in notis אבן. Et ספרות in Deo non obstare unitati, ait liber dictus Schepha-tal.

(h) *Quod* SCHEKINA *vulgò vocant*] Et distinguunt à Spiritu sancto. Gemara Hierosolymitana titulo De documentis cap. 3. & Gemara Babylonica titulo Joma cap. 1. Schekina per annos tres & dimidium se tenuisse in Monte Oliveti exspectantem conversionem Judæorum, ait R. Jonathan in præfatione Ecka Rabthi: quo rectè accepto nihil verius.

(i) *Plurimi Hebræorum tradiderunt*] Rabbi Solomo. Idem ad Gen. 19.18. agnoscit à Deo assumi posse humanam naturam, quam & olim ad tempus assumptam putat: cui consentit Thalmud titulo Schebuoth & Sabbath.

(k) *Unde Chaldæo Paraphrastæ Messias* VERBUM DEI *dicitur*] Ut Osee lib. 7.

(l) *Augusto illo* DEI] Nempe יהוה, Jonathan & David Kimchi ad Jeremiam 23.6. cum quibus consentit R. Abba in Ecka Rabthi. יהוה צבאות Zachariæ 14.16. Futurum eo tempore ut Deus יהוה digito monstretur, ait Thalmud in Taanith ex Esaia 25.9.

(m) *Itémque* DOMINI *nomine*] אלהים Psal. 45.7. quem Psalmum de Messia agere agnoscit Chaldæus ibi Paraphrastes, ut & jam dicto Esaiæ loco. Item אדוני in Psal. 110. quem de Messia agere jamjam patebit.

XXII. Æquè

XXII. Æquè parata responsio est ad alterum quod objiciunt nobis, nos scilicet cultum Deo debitum impartiri naturæ à Deo conditæ. Dicimus enim, à nobis Messiæ non alium honorem aliúmve cultum exhiberi quàm exigunt (a) Psalmus 2. & Psal. 110. quorum illum in Davide rudi modo impletum, sed excellentiùs ad Messiam pertinere etiam (b) David Kimchi, magnus Christianorum adversator, agnoscit; posterior verò de alio quàm de Messia exponi non potest. Nam quæ recentiores Judæi âlii de Abrahamo comminiscuntur, alii de Davide, alii de Ezechia, frivola sunt. Psalmus ipse Davidis est, ut docet Hebræa inscriptio. Quod ergò David Domino suo dictum dicit, id nec Davidi ipsi, nec Ezechiæ, qui inter posteros Davidis fuit, Davide nullâ re excellentior, aptari potest. Abrahamus autem sacerdotium aliquod eximium non habuit, imò Melchisedecus (c) ei tanquam se minori bene precatus est. Sed & hoc, & quod additur (d) de sceptro ex Sione exituro & perventuro in oras ultimas, planè in Messiam competit, (e) ut loci similes de Messia haud dubiè agentes patefaciunt: nec aliter acceperunt vetustiores Hebræi & Paraphrastæ. Propriè autem Jesum Nazarenum esse in quo hæc impleta sint, possem vel solis ipsius discipulis id affirmantibus credere ob summam eorum probitatem; sicut & Judæi Mosi credunt de iis quæ sine teste alio à Deo sibi tradita dixit. Sed adsunt præter hoc plurima & (f) validissima argumenta summæ illius potestatis quam obtinere Jesum dicimus: conspectus ipse vitæ redditus à multis: conspectus in cœlum avehi: tum verò dæmones ejecti, morbíque sanati solo ipsius nomine, & linguarum dona data discipulis; quæ regni sui signa Jesus ipse promiserat. His adde, quòd sceptrum ejus, i. sermo Euangelii ex Sione profectus, nullâ humanâ ope, solâ Divinâ vi ad ultimos terrarum fines pervasit, populósque & reges sibi subegit, planè ut Psalmi prædixerant. Judæi cabalistæ inter Deum & homines medium statunnt (g) Enochi quendam filium, nullo tantæ potestatis indicio. Quantò nos justiùs illum qui tanta dedit sui documenta? Neque ad Dei Patris imminutionem id pertinet, (h) à quo venit hæc potestas Jesu, (i) & ad quem reditura est, (k) & cujus honori illa inservit.

ANNOTATA.

(a) *Psalmus 2 & Psalmus 110.*] Hæc loca & Zachariæ 9. 9. de Messia exponit doctissimus Rabbi Saadia.

(b) *David Kimchi*] De Messia eundem 2. exponunt Abraham Esdra, & R. Jonathan in Beresith rabba.

(c) *Ei tanquam se minori bene precatus est*] Et ab eò decimas sacerdotali jure accepit, Gen. 14. 19, 20.

(d) *De sceptro ex Sione exituro & perventuro in oras ultimas*] Psal. 110. 2.

(e) *Ut loci similes de Messia haud dubiè agentes patefaciunt*] Ut Gen. 49. 10. & qui ex Prophetis adducti sunt supra.

(f) *Validissima argumenta summa illius potestatis quam obtinere Jesum dicimus*] Quæ vide tractata libro suprà 2. Adde & quæ dicta hujus libri initio.

(g) *Enochi quendam filium*] Nomen quod ei faciunt Hebræi est מטטרון *metator*. Ità Latinis dicitur qui regi viam parat. Lucanus,

Audax Hesperios veniam metator in agros.

Vegetius lib. 2. *Metatores in castris dicuntur, qui præcedentes locum castris idoneum eligunt.* Suidas, Μιτάτωρ, ὁ μεταπεμπόμενος ἄγγελος ὑπὸ τοῦ ἄρχοντος, *Metator, nuncius qui à principe præmittitur.*

(h) *A quo venit hæc potestas Jesu*] Ipso fatente Joh. 5. 19, 30, 36, 43. & 6. 36, 57. & 8. 28, 49. & 10. 18, 29. & 14. 28, 31. & 16. 28. & 20. 21. & Apostolo Heb. 5. 5. Rom. 6. 4. 1 Cor. 11. 4.

(i) *Et ad quem reditura est*] Fatente Apostolo 1 Cor. 15. 24.

(k) *Et cujus honori illa inservit*] Joh. 13. 31. & 14 13. Rom. 16. 27. Ideo Thalmud in titulo De Synedrio negat Jesum idoli esse nomen, quando Christiani in ejus honore respiciant Deum Mundi opificem.

XXIII. Subtiliùs ista rimari non hujus est operis, neque de his egissemus, nisi ut pateret, nihil esse in Christiano dogmate aut impium aut absurdum, quod obtendere quis possit quò minùs religionem tantis prodigiis ornatam, tam honesta præcipientem, tam eximia pollicentem, amplecti possit. Nam eam qui fit amplexus, is jam de specialibus quæstionibus consulere debet libros illos quibus religionis Christianæ dogmata contineri suprà ostendimus. Quod ut fiat, oratur Deus ut Judæorum mentem suâ luce collustret, & efficaces reddat preces (a) quas ipse Christus jam in cruce pendens pro illis fudit.

ANNOTATA.

(a) *Quas ipse Christus jam in cruce pendens pro illis fudit*] Luc. 23. 34.

HUGO GROTIUS
DE VERITATE
RELIGIONIS CHRISTIANÆ.

LIBER SEXTUS.

SExtus liber Mahumetistis oppositus præfationis vice Dei judicia adversùs Christianos ad ipsam usque Mahumetismi originem deducit: quomodo scilicet (a) vera illa atque simplex pietas, quæ inter Christianos gravissimè vexatos oppressósque floruerat, paulatim refrigescere cœperit, ex quo per Constantinum & sequentes Imperatores effectum est ut ea professio non tuta tantùm, sed & honorata esset, (b) mundo velut intruso in Ecclesiam: (c) principes primùm Christianos nullum fecisse bellandi modum, etiam cùm pace frui liceret: (d) Episcopos acerrimè inter se certasse de summis sedibus: ac (e) sicut olim arbori vitæ prælata arbor scientiæ maxima dederat mala, ità tunc quoque curiosam eruditionem pietati antehabitam, (f) & ex religione artem factam: cui deinde consequens fuerit, ut (g) ad exemplum eorum qui turrim Babylonicam ædificabant, affec-

ctatio temeraria rerum sublimium dissonas locutiones & discordiam pareret: quibus plebs conspectis, sæpe nescia quò se verteret, culpam in S. literas rejecit, & eas tanquam venenatas cœpit fugere. Religio autem passim non in mentis puritate, sed quasi reducto Judaismo in ritibus collocari cœpit; (h) & in iis quæ corporis magis exercitationem quàm animi emendationem in se continent, (i) itémque in studio flagrante semel electarum partium: (k) tandémque evênit ut ubique multi essent Christiani nomine, re pauciſſimi. Non dissimulavit Deus hæc populi sui vitia: quin (l) ex ultimo Scythiæ (m) ac Germaniæ recessu immensa agmina, quasi diluvio, effudit in orbem Christianum: & cùm datæ ab his strages maximæ non satis profecissent ad corrigendos superstites, justo Dei permissu in Arabia Mahumetes novam sevit religionem, pugnantem eam directâ fronte cum Christiana religione, sed quæ verbis quodammodo exprimeret vitam magnæ partis Christianorum. Accepta hæc religio primùm à Saracenis, qui ab Heraclio imperatore defecerant: quorum armis brevi subacta Arabia, Syria, Palæstina, Ægyptus, Persis, pòst insessa Africa, & trans mare etiam Hispania. Sed Saracenorum potentiam tum alii, (n) tum Turcæ maximè, exceperunt, gens & ipsa pugnacissima; quæ post longa adversùm Saracenos certamina, in fedus invitata facilè suscepit religionem suis moribus congruentem, imperiique majestatem in se transtulit. Captæ Asiæ Græciæque urbes, & promotâ armorum felicitate in Hungariam Germaniæque fines deventum est.

ANNOTATA.

(a) *Vera illa atque simplex pietas, quæ inter Christianos gravissimè vexatos oppressósque floruerat*] Ammianus Marcellinus fine libri 21. de Constantio, *Erátque super his adimere facilis quæ donabat, Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens: in qua scrutanda perplexiùs, quàm componenda graviùs, excitavit dissidia plurima, quæ progressa fusiùs aluit concertatione verborum, ut catervis antistitum, jumentis publicis ultróque citrógs discurrentibus per Synodos, quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conatur arbitrium, rei vehicularis succideret nervos.*

(b) *Mundo velut intruso in Ecclesiam*] Vide de hac re pulcrè dicta Chrysostomi Morali secundo ad 2 Cor. 12. post ver. 10.

(c) *Principes primùm Christianos nullum fecisse bellandi modum, etiam cùm pace frui liceret*] Marciani laudabile dictum apud Zonaran, Μὴ δεῖν ὅπλα βασιλέα κινῆν ἕως ἡσυχάειν ἔξεστιν, *Non debere principem arma sumere quamdiu pace frui liceret.*

(d) *Episcopos acerrimè inter se certasse de summis sedibus*] Ammianus lib. 27. *Et hunc quoque* (Viventium ex quæstore Palatii) *discordantis populi seditiones terruere cruentæ, quæ tale negotium excitavere. Damasus & Ursicinus supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scissis studiis asperrimè conflictabantur, adusque mortis vulnerúmque discrimina adjumentis utrinsque progressis: quæ nec corrigere sufficiens Viventius nec mollire, vi magnâ coactus secessit in suburbanum: & in certatione superaverat Damasus, parte quæ ei favebat instante. Constátque in basilica Sicinini, ubi ritus Christiani est conventiculum, uno die 137 reperta cadavera peremptorum: efferatámque diu plebem agre delinitam. Neque ego abnuo, ostentationem rerum considerans urbanarum, hujus rei cupidos ob impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgare debere; cùm id adepti futuri sint ità securi, ut ditentur oblationibus matronarum, procedántque vehiculis insidentes, circumspectè vestiti, epulas curantes profusas, adeò ut eorum convivia regales superent mensas. Qui esse poterant beati revera, si magnitudine urbis despectâ, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antistitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandíque parcissimè, vilitas etiam indumentorum, & supercilia humi spectantia perpetuo Numini veríque ejus cultoribus, ut puros commendat & verecundos.* Postea, *Hæc inter Prætextatus præfecturam urbis sublimiùs curans, per integritatis multiplices actus & probitatis, quibus ab adolescentiæ rudimentis inclaruit, adeptus est id quod rarò contigit, ut cùm timeretur, amorem non perderet civium, minùs firmari solitum erga judices formidatos: cujus auctoritate justíque veritatis suffragiis tumultus lenito quem Christianorum jurgia concitarunt, pulsóque Ursicino, alta quies pari jam proposito civium Romanorum aptissimè adolescebat, gloriâ clari rectoris plura & utilia disponentis.* Hic est Prætextatus de quo historiam, haud indignam quæ hîc ponitur, narrat Hieronymus ad Pammachium contra errores Joannis Hierosolymitani, *Prætextatus, qui designatus Consul est mortuus, solebat ludens beato Papa Damaso dicere, Facite me Roma urbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Vide & quæ idem habet Ammianus lib. 15. Non frustrà Concilium Africanum Cœlestinum Romanæ urbis Episcopum monet, *Nè fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quæ lucem simplicitatis & humilitatis diem Deum videre cupientibus præfert, videamur inducere.* Adde nobiles Epistolas Gregorii Romani Episcopi verè magni, lib. 4. 32, 34, 36. lib. 6. 30. lib. 7. Indict. 1. epist. 30.

(e) *Sicut olim arbori vitæ prælata arbor scientiæ maxima dederat mala*] Gen. 2, & 3.

(f) *Et ex religione artem factam*] Vide quæ jam produximus ex Ammiani lib. 21. Idem lib. 22. in Juliani historia, *Utque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum antistites eum plebe discissa in palatium intromissos monebat, ut civilibus discordiis consopitis quisque nullo vetante religioni suæ serviret intrepidus: quod agebat ideo obstinatè, ut dissensiones augente licentiâ, non timeret unanimantem postea plebem, nullas infestas hominibus bestias, ut sunt sibi ferales plerique Christianorum, expertus.* Procopius Gothicorum 1. cum temperamento tamen hîc ut & alibi audiendus, Πρέσβεις ἐκ Βυζαντίου πρὸς τὸν Ῥώμης ἀρχιερέα ἦκον, ὅτι τῆς Ἐφέσου ἱερᾶς Τετάρτης, καὶ Δημήτρι ἐν Θεσσαλονίκῃ ἐν Μακεδόσι φιλίαν σφίσιν ἐνεκεν, ὧν Χριστιανοὶ ἐν Ἕλλησιν αὐτοῖς ἀμφιλέγουσιν ἀμφισβητοῦντες. τὰ δὲ ἀντιλεγόμενα ἐγὼ ἐξετασάμενος, ὡς ἦκιστα δυνήσομαι. ὑπονοίας γὰρ μανιώδεις τινὰς ἡγοῦμαι εἶναι, διεφθάσθαι τὰ τῆς Θεοῦ φύσιν, ὁποία ποτ' ἔστιν. ἀνθρώπῳ γὰρ ὑπὲρ τὰ ἀνθρώπεια οἷς τὸ ἀνειβὲς (οἶμαι) καταληπτὰ, μήτοι γε τὰ ἐς Θεοῦ φύσιν ἥκοντα. ἐμοὶ μὲν οὖν ταῦτα ἀκινδύνως ξυνιστάσθω, μόνῳ τὸ μὴ ἀπιστῆσαι τὰ τιμιωτάτα. ἐγὼ γὰρ ἐκ ἂν ἐπὶ ἄλλο σχεῖν Θεοῦ, ὅ, τι ἂν ἕπωμαι, ἢ ὅτι ἀγαθός τι παντάπασιν ὤν, καὶ ξύμπαντα ἐν τῇ ἐξουσίᾳ τῇ αὐτοῦ ἔχει. λεγέτω δ' ἄλλος γιγνώσκειν ὑπὲρ αὐτῶν ὅτεται καὶ ἱερεὺς καὶ ἰδιώτης, *Hæc dum ille agitat, legati à Byzantio ad Romæ antistitem veniunt, Ephesi antistes Hypatius, Philipporum verò Macedoniæ provinciæ Demetrius, ob ea quæ inter se controversa Christiani habent. Ea verò quæ sint, quanquam percognita, memorare me tædeat. Insanæ enim temeritatis esse existimo, naturam Dei qualis sit scrutari. Homini enim nec humana, quantum ego existimo, planè in aperto sunt; tantum abest ut ei pateant ea quæ ad æternum Numen pertinent. Liceat ergò mihi impunè de talibus silere, non commoventi ea quæ aliis sancta habentur. Ipse hoc tantum de Deo quod dicam habeo, esse eum omnino bonum, ejúsque potestate omnia contineri. Qui plus sciverit, plus de eo dicat, sive in sacerdotum est ordine, sive in plebe.* Laudat Gregoras lib. 8. dictum Lysidis Pythagorici, deinde Synesii, τὸ δημοσίᾳ φιλοσοφῶν μεγάλης ἐς ἀνθρώπους ἤρξε τῷ θεῶν καταφρονήσεως, *Apud populum subtiliter philosophari causa hominibus fuit magni contemptús rerum Divinarum.* Idem lib. 10 multùm dissuadet tales disputationes, & de Latinis sui temporis loquens, τοὺς Ἰταλοὺς διασύρων καὶ μέμφομαι ἰταμῶς ὄντως καὶ μετὰ πολλῆς τῆς ὀρρωδίας τῇ θεολογίᾳ ἐπιπηδῶντας, *Italos ego video atque contemno, quòd ità temere magnóque cum supercilio ad Theologiam prosiliant.* Addit mox, οὕτω δὲ παρ' αὐτοῖς νέων τοῖς βαυσοῖς ἐπιχύλας τὰ

τὰ θεολογίας μυστήρια· καὶ οὕτω χαίνουσι ἅπαντες ὅσοι τῷ συλλογιστικῶς ἐμβατεύειν τοῖς λόγοις ἐπιῤῥεῖ, ὥσπερ ὅσοι τῇ χλόῃ καὶ νομαῖς τὰ βοσκήματα. καὶ οἱ τὸ πιστεύειν ὀρθῶς ἀμφίβολον ἔχοντες, καὶ οἱ μηδ' ὅπως δεῖ πιστεύειν εἰδότες, μηδ' ὅτι δεῖ ὃ πιστεύειν φασὶν, ἀγροῖκοι καὶ σκιπάτοι καὶ θεολογίας ἅπαντ' ἐμπεπλήκασι· καὶ θεολογίας, καὶ οὐδὲ τῆτον· ἥλιον αἰχύνουσι μάρτυρες καὶ ἀναιδείας πιθήκοι, *Ità apud illos etiam sellularii opificibus effluunt Theologiæ mysteria: ità hiant omnes ut per syllogismos tractent talia, sicut pecudes ad herbas & pabula: & qui ea quæ omnino rectè credenda sunt in ambiguo habent, & qui nec quomodo credendum sit sciunt, nec quid sit quod se dicant credere, hi fora omnia & ambulacra & theatra implent theologiâ, neque Solem verentur talia impudentia testem facere.*

(g) *Ad exemplum eorum qui turrim Babylonicam ædificabant*] Gen. 11. Exprobrat has controversias Christianis sæpe Mahumetes, præsertim Azoarâ 26, 32.

(h) *Et in iis quæ corporis magis exercitationem quàm animi emendationem in se continent*] 1 Tim. 4. 8. Col. 2, 23.

(i) *Itémque in studio flagrante semel electarum partium*] Rom. 10. 2. 1 Cor. 1. 12, & seqq.

(k) *Tandémque evênit ut ubique multi essent Christiani nomine, re paucissimi*] Salvianus lib. 3 De gubernatione Dei, *Præter paucissimos quosdam qui mala fugiunt, quid est aliud omnis cœtus Christianorum quàm sentina vitiorum?*

(l) *Ex ultimo Scythiæ*] Hunnos, Avaros, Sabiros, Alanos, Euthalitas, Turcas.

(m) *Ac Germania recessu*] Gothos, Erulos, Gepidas, Vandalos, Francos, Burgundiones, Suevos, Alemannos, Saxonas, Varnos, Longobardos.

(n) *Tum Turca maximè exceperunt*] Vide Turcica Leunclavii, & Laonicum Chalcondylam.

II. Hæc religio planè ad fundendum sanguinem facta multùm ritibus gaudet, (a) credíque sibi vult nullâ inquirendi libertate: unde librorum, quos sanctos habet, lectio plebi interdicta est. Quod ipsum statim manifestum est indicium iniquitatis. Meritò enim suspecta merx est quæ hac lege obtruditur nè inspici possit. Verum quidem est, non æqualem esse omnibus ad omnia cognoscenda perspicaciam, multos arrogantiâ, alios affectibus, consuetudine nonnullos in falsum abripi: sed (b) ut via ad æternam salutem cognosci nequeat ab his qui nullo commodi aut honoris respectu eam quærunt, se suáque omnia Deo subjicientes, & eum pro auxilio orantes, bonitas Divina vetat credi. Et sanè cùm judicandi vim Deus inseruerit humanæ menti, nulla pars veri dignior est in quam ea impendatur, quàm illa quæ ignorari sine amittendæ salutis æternæ periculo non potest.

ANNOTATA.

(a) *Credíq; sibi vult nullâ inquirendi libertate*] Alcoranus Azoarâ 13. ut habet prima editio Latina, quam hîc in lectoris gratiam sequimur.

(b) *Ut via ad æternam salutem cognosci nequeat ab his qui nullo commodi aut honoris respectu eam quærunt, se suáque omnia Deo subjicientes, & eum pro auxilio orantes, bonitas Divina vetat credi*] Responsio ad quæst. 4. ad Orthodoxos inter opera Justini, Ὅτι δὲ ἀδύνατόν ἐστι μὴ τυχεῖν τοῦ εὑρίσκοντος τῷ ὅλῃ καρδίᾳ τε καὶ δυνάμει ὅπερ ζητοῦντι καὶ ἀληθεύειν, μαρτυρεῖ ὁ Κύριος λέγων, Πᾶς ὁ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται, *Fieri autem nequire ut non ad inventionem perveniat, qui totâ corde ac viribus quærit veritatem, testatur Dominus dicens, Quisquis petit, accipit, & qui quærit inveniet, & pulsanti aperietur.* Origenes 8 Contra Celsum, Ἐχέτω δ' αὐτὸν σκοπῆσαι, ὅτι πάντ' ἐποίησε καὶ πάντ' ἐπακούων ὁ κοινὸς πάντων πατὴρ καὶ δημιουργὸς, ἢ ἐάσει περαιρεῖσθαι ζητοῦσι αὐτὸν καὶ εὐσεβῶς βεβουλημένοις, κατ' ἀξίαν κείνων, καὶ τύχοις πρὸ ἀποτόμως καρπὸν ἢ περιουσίας ἀνῶ, *Cogitare eum oportuit communē omniū opificem ac patrem, qui cuncta spectat audítque, æqua retribuere voluntati ipsum quærenti, ac piè vivere cupienti, eíq; fructū largiri aliquem sui patrocinii.*

III. (a) Mosem à Deo missum, (b) item Jesum, (c) & viros sanctos fuisse qui Jesu disciplinam primi propagarunt, Mahumetes ejúsque sectatores fatentur. At in Alcorano, lege Mahumetis, (d) multa narrantur planè contrà quàm à Mose & ab Jesu discipulis sunt prodita. Ut ex multis unum sumamus exemplum, Jesum in cruce mortuum, intra tertium diem in vitam rediisse, conspectúmq; à multis, omnes Apostoli discipulíque Jesu maximo consensu testantur. Contrà docet Mahumetes, (e) Jesum clàm subductum fuisse in cœlum, cruci autem affixum fuisse quoddam ejus simulacrum, ac proinde non mortuum Jesum, sed deceptos Judæorum oculos. Hæc objectio evadi non potest, nih dicat Mahumetes, quod & dicit, (f) libros tum Mosis tum discipulorum Jesu non quales fuerant mansisse, sed corruptos esse. Sed hoc commentum jam suprà à nobis lib. 3 refutatum est. Certè si quis Alcoranum corruptum diceret, negarent hoc Mahumetistæ, ídque sufficere dicerent adversùs non probantes: at ipsi ultro adferre pro integritate sui libri ea argumenta non possent quæ nos afferimus, de sparsis statim exemplis per orbem terrarum, & quidem, non ut Alcorani, uno sermone, custoditíque fide tot sectarum tam discrepantium circa cætera. Persuadent sibi Mahumetistæ, Johannis cap. 14. ubi de Paracleto mittendo agitur, exstitisse aliquid scriptum de Mahumete, quod Christiani deleverint. Sed hîc ab ipsis libet quærere, hanc scripturæ mutationem velíntne factam post Mahumetis adventum, an antea. Post Mahumetis adventum fieri planè non potuit, cùm jam eo tempore exstarent toto orbe plurima, non Græca tantùm, sed Syriaca, Arabica, & in diffitis ab Arabia partibus, Æthiopica & Latina exemplaria non unius versionis: hæc autem omnia eo in loco consentiunt, nullâ scripturæ varietate. Ante Mahumetis adventum nulla fuit mutandi causa: nemo enim scire poterat quid docturus esset Mahumetes. Imò si Mahumetis dogma nihil haberet Jesu dogmati contrarium, non magis difficiles fuissent Christiani in libris ejus recipiendis quàm in libris Mosis & Prophetarum Hebræorum fuerunt. Ponamus utrinque nihil scriptum fuisse, aut de Jesu dogmate, aut de Mahumetis. Doceret æquitas, pro Jesu dogmate habendum in quod Christiani omnes, pro Mahumetis in quod Mahumetistæ consentirent.

ANNOTATA.

(a) *Mosem à Deo missum*] Azoarâ 5, 21.

(b) *Item Jesum*] Azoarâ 5, 12.

(c) *Et viros sanctos fuisse qui Jesu disciplinam primi propagarunt*] Azoarâ 5, 71.

(d) *Multa narrantur planè contrà quàm à Mose & ab Jesu discipulis sunt prodita*] Ut templum Mechæ structum ab Abrahamo, Azoarâ 2. Alia de Abrahamo, Azoarâ 31. Confusa Gedeonis & Saulis historia, Azoarâ 3. in historia Exodi multa, Azoarâ 17, & 30, & 38. in historia Josephi multa, Azoarâ 22. de avibus ab Abrahamo dissectis, & in vitam revocatis, Azoarâ 4. de Maria apud Zachariam educata, Azoarâ 5. de avibus ex luto factis per Jesum, ibidem, & 13.

(e) *Jesum clàm subductum fuisse in cœlum, cruci autem affixum fuisse quoddam ejus simulacrum, ac proinde non mortuū Jesum, sed deceptos Judæorum oculos*] Azoarâ 11.

(f) *Libros tum Mosis tum discipulorum Jesu, non quales fuerant mansisse, sed corruptos esse*] Azoarâ 9.

IV. Conferamus jam utriusque dogmatis adjuncta atque affectiones, ut videamus utrum utri præferendum sit: ac primùm de autoribus videamus. (a) Jesus Mahumetis ipsius confessione erat Messias ille in Lege & Prophetis promissus; (b) ab ipso Mahumete vocatur Dei Verbum, (c) Mens, (d) Sapientia; (e) dícitur eidem nullum ex hominibus patrem habuisse: (f) Mahumetes solito naturæ ordine genitus etiam à suis creditur. Jesus vitæ semper immaculatæ, cui nihil objici posset; (g) Mahumetes ditu raptor, (h) mulierosus semper.

(i) Jesus in cœlum evectus, fatente Mahumete: Mahumetes in sepulcro detinetur. Uter potiùs sequendus sit, quis non videat?

ANNOTATA.

(a) *Jesus Mahumetis ipsius confessione erat Messias ille in Lege & Prophetis promissus*] Azoarâ XXIX.

(b) *Ab ipso Mahumete vocatur* DEI VERBUM] Azoarâ V, XI. & in libro Doctrinæ Mahumetis Jesum à Mahumete vocari λόγον, καὶ πνεῦμα Θεοῦ, ait Euthymius Zigabenus in Disputatione contra Saracenos.

(c) MENS] Azoarâ IV, XI, XXIX. & in dicto libro.

(d) SAPIENTIA] Dictis locis.

(e) *Dicitur eidem nullum ex hominibus patrem habuisse*] Azoarâ XXXI.

(f) *Mahumetes solito naturæ ordine genitus etiam à suis creditur*] Vide librum Generationis Mahumetis.

(g) *Mahumetes diu raptor*] Vide Chronica Mahumetis versa ex Arabico. Vide Disputationem Saraceni & Christiani à Petro Abbate Cluniacensi editam.

(h) *Mulierosus semper*] Azoarâ XLII, XLIII, LXXV, & LXXVI. Vide dictam disputationem.

(i) *Jesus in cœlum evectus, fatente Mahumete*] Azoarâ XI.

V. Accedant utriusque facta. (a) Jesus visum cæcis, claudis gressum, ægrotis sanitatem dedit; imò, fatente Mahumete, etiam vitam mortuis. (b) Mahumetes se missum ait, non cum miraculis, sed cum armis. Secuti tamen sunt qui ei & miracula attribuerent, at qualia? Nempe quæ aut arte humanâ facilè possunt effecta reddi, ut de columba ad aurem advolante; aut quorum nulli sunt testes, ut de camelo noctu ei locuto; aut quæ sui absurditate refelluntur, (c) ut de magna Lunæ parte in manicam ipsius delapsa, & ab ipso remissa ad reddendam sideri rotunditatem. Quis non dicat, in causa dubia ei legi standum quæ certiora pro se habet Divinæ approbationis testimonia? Videamus & eos qui hanc & illam legem primi susceperunt.

ANNOTATA.

(a) *Jesus visum cæcis, claudis gressum, ægrotis sanitatem dedit; imò, fatente Mahumete, etiam vitam mortuis*] Azoarâ V, XIII.

(b) *Mahumetes se missum ait, non cum miraculis, sed cum armis*] Azoarâ III, XIV, XVII, XXX, LXXI.

(c) *Ut de magna Lunæ parte in manicam ipsius delapsa, & ab ipso remissa*] Azoarâ LXIV. Vide latiùs hanc fabulam ex capite Ceramar apud Cantacuzenum Oratione 2 in Mahumetem §. 23.

VI. Qui Jesu legem amplexi sunt, viri erant Dei timentes, vitæ simplicis: convenit autem Deo, ut tales neque sermonum præstigiis, neque specie prodigiorum decipi patiatur. At (a) qui Mahumetismum primi susceperunt prædones erant, homines ab humanitate ac pietate alieni.

ANNOTATA.

(a) *Qui Mahumetismum primi susceperunt prædones erant*] Ostendit vox ipsa *Saraceni*, quod λῃστικὸς significat. Vide Scaligerum De emend. Temp. lib. 3. cap. De Periodo Arabum.

VII. Sequitur ut modum ostendamus quo religio utraque propagata est. De Christiana aliquoties jam diximus, incrementa ejus esse ex miraculis, non Christi tantùm, sed & discipulorum, & qui eis successerunt, tum verò ex ipsa malorum & suppliciorum patientia. At Mahumetismi doctores nulla ediderunt miracula, nullas graves ærumnas ac dura mortium genera ob eam professionem pertulerunt. Sed (a) religio illa quò arma eunt sequitur, & armorum accessio est: (b) nec aliud ipsi argumentum pro ea magistri adferunt quàm bellorum successum & imperii magnitudinem, quibus nihil ad hanc rem fallacius. Paganica sacra ipsi improbant. Et tamen scimus quantæ fuerint Persarum, Macedonum, Romanorum victoriæ, quàm latè patuerint eorum imperia. Neque Mahumetistis semper prosperi bellorum eventus. Notæ clades quas plurimis in locis terrâ marique acceperunt: totâ Hispaniâ pulsi sunt. Non potest res quæ vices tam incertas habet, quæque bonis ac malis communis esse potest, nota esse certa veræ religionis: eóque minùs quòd arma eorum injusta sunt, (c) cùm sæpe ea moveant adversùs populos sibi non molestos, nullâ injuriâ cognitos, ità ut nihil armis obtendere possint nisi solam religionem, quod maximè est irreligiosum. Nam (d) cultus Dei nullus est nisi ab animo volente procedat. Voluntas autem docendo & suadendo elicitur, non minis, non vi. Coactus qui credit, non credit, sed credere se simulat ut malum vitet. Qui mali sensu aut metu extorquere assensum vult, eo ipso ostendit se argumentis diffidere. Rursus autem hunc ipsum obtentum religionis ipsi destruunt, cùm subactos sub imperium patiantur uti quâ velint religione, imò & (e) palàm agnoscant interdum Christianos in sua lege servari posse.

ANNOTATA.

(a) *Religio illa quò arma eunt sequitur, & armorum accessio est*] Azoarâ X, XVIII, XXVI.

(b) *Nec aliud ipsi argumentum pro ea magistri adferunt quàm bellorum successum & imperii magnitudinem*] Azoarâ XXXIII, XLVII.

(c) *Cùm sæpe ea moveant adversùs populos sibi non molestos*] Azoarâ XIX.

(d) *Cultus Dei nullus est nisi ab animo volente procedat*] Lactantius lib. 10. cap. 20. *Nihil est enim tam voluntarium quàm religio, in qua si animus sacrificantis aversus est, jam sublata, jam nulla est.*

(e) *Palàm agnoscant interdum Christianos in sua lege servari posse.*] Azoarâ, I, & XII. Liber De doctrina Mahumetis. Vide Euthymium.

VIII. Contendamus inter se & præcepta. Hinc patientia præcipitur, imò & benignitas in malè volentes; indè ultio: hinc perpetua matrimonii fides, morum mutuâ toleratione; (a) indè discedendi licentia: hîc maritus quod ab uxore exigit præstat ipse, & affigendum uni amorem exemplo suo docet; (b) ibi aliæ super alias mulieres, nova semper libidinum irritamenta: hîc intus ad animum revocata religio, ut eo bene culto fructus exserat humano generi utiles; ibi eadem (c) in circumcisione, (d) aliisque rebus per se mediis, vim suam propè totam consumit: hîc temperatus ciborum vinique usus permittitur; ibi (e) vetitum sue vesci, (f) bibere vinum; quod tamen magnum Dei munus est ad animi & corporis bona cum modo sumptum. Et ante quidem legem perfectissimam, qualis est Christi, rudimenta quasi puerilia præcessisse non mirum est: post eam verò publicatam redire ad figuras præposterum. Neque ulla potest causa adferri, cur post Christianam religionem longè optimam, aliam decuerit proferri.

ANNOTATA.

(a) *Indè discedendi licentia*] Vide Euthymium, & eos qui de rebus Turcicis scripsere.

(b) *Ibi aliæ super alias mulieres*] Azoarâ III, VIII, IX, XXIII.

(c) *In circumcisione*] Vide & Bartholomæum Georgevitium De ritibus Turcarum.

(d) *Aliisque rebus per se mediis*] Ut lotionibus, Azoarâ IX. Vide & Euthymium.

(e) *Vetitum*

(e) *Vetitum ſue veſci*] Azoarâ II, XXVI.

(f) *Bibere vinum*] Vide Euthymium, & alios qui res Saracenicas ſcripſerunt.

IX. Offendi ſe aiunt Mahumetiſtæ quòd Deo filium demus, cùm uxore non utatur; quaſi FILII vox in Deo non poſſit Diviniorem habere ſignificationem. At ipſe Mahumetes multa Deo aſcribit non minùs indigna quàm ſi uxorem habere diceretur: putà (a) manum ipſi frigidam eſſe, idque ſe tactu expertum: (b) geſtari in ſella, & his ſimilia. Nos verò cùm Jeſum DEI FILIUM dicimus, hoc ſignificamus quod ipſe (c) cùm eum VERBUM DEI dicit: (d) verbum enim ex mente ſua quodam modo gignitur. Adde jam, quòd ex virgine, ſolâ Dei operâ vim paternam ſupplente, natus eſt; quòd in cœlum evectus Dei poteſtate; quæ & ipſa Mahumeti confeſſa oſtendunt (e) Jeſum ſingulari quodam jure DEI FILIUM appellari poſſe, & debere.

ANNOTATA.

(a) *Manum ipſi frigidam eſſe, idque ſe tactu expertum*] Locum vide apud Richardum contra Mahumetiſtas cap. 1, & 14. & apud Cantacuzenum Oratione in Mahumetem 2. §. 18. & Oratione 4. non longè à principio.

(b) *Geſtari in ſella*] Ibidem.

(c) *Cùm eum* VERBUM DEI *dicit*] Vide ſuprà.

(d) *Verbum enim ex mente ſua quodam modo gignitur.*] Vide Platonem in Convivio, & Abarbanielem in dialogo qui vulgò Leonis Hebræi dicitur. Vide hac de re & Euthymium in dicta Diſputatione, ubi ait, ὥσπερ ὁ ἡμέτερος λόγος ἐν τῇ τῦ γίνεται νοὸς μορφῇ, &c. Cardinalem Cuſanum lib. 1. cap. 13, & ſeqq. contra Mahumetiſtas, Richardum c. 9, & 15.

(e) *Jeſum ſingulari quodam jure* DEI FILIUM *appellari poſſe, & debere.*] Luc. 1. 35. Joh. 10. 36. Act. 3. 13, 14, 15. & 13. 33. Hebr. 1. 5. & 5. 5. In dicto libro Doctrinæ Mahumetis Jeſus inducitur Deum ſuum Patrem appellans.

X. At contrà in ſcriptis Mahumeticis (a) quàm multa ſint à veritate hiſtoriæ aliena, quàm multa planè ridicula, longum foret eloqui. Talis eſt fabula (b) de pulcra muliere, quæ ab Angelis vino captis ſolenne didicerit carmen, quo in cœlum aſcendi & ex eo deſcendi ſolet: quæ cùm aſcendiſſet in multam cœli altitudinem, deprehenſam à Deo, ibíque fixam, atque eam eſſe ſtellam Veneris. Talis illa (c) de mure in nave Noe nato ex elephanti ſtercore; (d) contrà autem fele ex leonis halitu. Atque illa maximè (e) de morte in arietem commutanda, qui medio inter cœlum & inferos ſpatio ſit ſtabulaturus: (f) & de epulis in vita altera excernendis per ſudorem, (g) déque mulierum gregibus cuique aſſignandis ad concubitûs voluptates: quæ profectò talia ſunt omnia, ut oporteat culpâ ſuâ eſſe in ſtuporem datos qui iſtis fidem habent, præſertim cùm Euangelii lux ipſos circumfulgeat.

ANNOTATA.

(a) *Quàm multa ſint à veritate hiſtoria aliena*] Ut de Alexandro Magno, qui ad fontem pervenerit in quo ſol quieſceret; Azoarâ XXVIII. de Solomone, Azoarâ XXXVII.

(b) *De pulcra muliere*] In libro Doctrinæ Mahumetis eſt hæc fabula, ſumpta ex libro Enarrationum. Vide & Cantacuzenum Orat. 2 in Mahumetem c. 15.

(c) *De mure in navi Noe nato ex elephanti ſtercore*] Sunt hæc dicto libro Doctrinæ Mahumetis.

(d) *Contrà autem fele ex leonis halitu*] Ibidem.

(e) *De morte in arietem commutanda*] In fine dicti libri Doctrinæ Mahumetis.

(f) *Et de epulis in vita altera excernendis per ſudorem*] Dictus liber De doctrina Mahumetis.

(g) *De mulierum gregibus cuique aſſignandis ad concubitûs voluptates*] Vide quæ ſuprà adducta ad lib. 2.

XI. Hâc ultimâ diſputatione abſolutâ ſequitur peroratio, non jam ad extraneos, ſed ad omnis generis ac nominis Chriſtianos; ſummatim monſtrans eorum uſum quæ dicta ſunt hactenus, ut & quæ recta ſunt fiant, & quæ prava vitentur. Primùm (a) ut puras manus elevent ad Deum illum (b) qui omnia conſpicua atque inconſpicua fecit ex nihilo; (c) cùm certa fiducia eum curam noſtrî gerere, (d) cùm niſi ejus permiſſu nè paſſer quidem cadat: (e) ac nè eos timeant qui tantùm corpori nocere poſſunt, præ eo cui & in corpus & in animum æquale jus eſt. (f) Confidant non Deo tantùm Patri, ſed & Jeſu: (g) quandò in terris aliud nomen non eſt quod nos ſalvos præſtet: (h) quod rectè facturos, ſi cogitaverint, non qui illum Patrem, hunc Dominum voce nuncupant, æternùm victuros, ſed qui ex eorum voluntate vitam componunt. Monentur deinde (i) ſanctum illud dogma Chriſti, ut pretioſiſſimum theſaurum, ſolicitè cuſtodire; atque eam ob rem etiam (k) ſæpe legere Sacra ſcripta, quibus nemo poſſit decipi niſi qui priùs ſe ipſe deceperit. (l) Nam & fideliores fuiſſe eorum ſcriptores & afflatûs Divini pleniores quàm ut neceſſariâ veritate nos fraudare vellent, eámve nube aliquâ obtegere: (m) ſed adferendum animum paratum obſequio: id ſi fiat, (n) nihil eorum nos fugiturum quæ credi, ſperari aut fieri à nobis debent: (o) atque eo modo ali & excitari in nobis illum Spiritum, (p) qui futuræ felicitatis arrabo eſt datus. Abſterrentur præterea ab imitatione Paganorum, (q) Primùm in cultu falſorum deorum, (r) qui nihil ſunt niſi vana nomina, (ſ) quibus mali dæmones utuntur (t) ut nos à veri Dei cultu avertant: (u) quare non poſſe nos eorum ſacris participare, ità ut ſimul & Chriſti ſacrificium nobis proſit: (x) Secundò in vivendi modo licentioſo, nec aliam habente legem quàm à cupiditate dictatam; (y) unde Chriſtianos longiſſimè abeſſe oporteat, (z) qui non tantùm Paganis præſtare multùm debeant, (a 2) ſed & Judæorum legiſperitis & Phariſæis, quorum juſtitia in externis quibuſdam factis conſiſtens non ſufficit ut ad cœleſte regnum perveniatur. (b 2) Nullo nunc in pretio eſſe circumciſionem manu factam, ſed alteram internam cordis, (c 2) obſervationem mandatorum Dei, (d 2) novum opificium, (e 2) fiduciam in diligendo efficacem, (f 2) unde agnoſcantur veri Iſraelitæ, (g 2) myſtici Judæi, h. e. Dei laudatores. (h 2) Ciborum diſcrimina, (i 2) ſabbata, (k 2) dies feſtos, (l 2) umbras eſſe rerum quæ in Chriſto & Chriſtianis exiſtant. Ex occaſione Mahumetiſmi hæc adferuntur monita, (m 2) prædictum à Domino Jeſu, venturos quoſdam poſt ſua tempora qui à Deo miſſos mentirentur; (n 2) ſed etiamſi Angelus de cœlo veniret, non recipiendum eſſe dogma aliud (o 2) quàm illud Chriſti, tantis teſtimoniis probatum. Quippe (p 2) olim quidem Deum multis variſque modis allocutum pios, qui fuerunt; poſtremò autem voluiſſe eum nos compellare per filium ſuum, (q 2) rerum omnium dominum, (r 2) ſplendoris paterni effulgentiam, ſubſtantiæ ejus expreſſam imaginem, (ſ 2) per quem condita ſint quæ fuerunt aut erunt, (t 2) qui ſuo imperio agit ac fert omnia, (u 2) & expiatis peccatis noſtris ad dexteram Dei ſublatus, (x 2) dignitatem ſupra Angelos conſecutus eſt: (y 2) quo proinde legis auctore nihil poteſt exſpectari magnificentius. Revocatur etiam eâdem occaſione ipſis in memoriam (z 2) arma Chriſti militibus aſſignata, non eſſe qualibus Mahumetes nititur, ſed Spiritûs propria, apta expugnandis munitionibus quæ ſe adversùs Dei cognitionem erigunt: pro ſcuto fiduciam, quæ tela ignita diaboli repellat; pro lorica juſtitiam ſive rectitudinem vitæ; (a 3) pro galea, quæ quod infirmiſſimum eſt tegat, ſpem æternæ ſalutis; (b 3) pro enſe verò tradita Divinitus verba, penitiſſimas animi partes penetrantia. Sequitur poſt hæc exhortatio (c 3) ad mutuam concordiam, quam Chriſtus ſuis abiens tam ſeriò commendavit,

commendavit: (d 3) non multos inter nos esse doctores debere, sed unum Jesum Christum: (e 3) omnes Christianos in idem nomen baptizatos: (f 3) quare non debere inter ipsos sectas esse & scissuras, quibus ut remedium tandem adhibeatur aliquod, suggeruntur dicta illa Apostolica, (g 3) sapiendum temperanter, (h 3) pro modo cognitionis quam cuique Deus admensus est: (i 3) si qui minùs omnia intelligunt, eorum ferendam imbecillitatem, (k 3) ut placidè ac sine jurgiis nobiscum coalescant: (l 3) si qui intelligentiâ præstent cæteris, par esse ut & studio erga cæteros excellant: (m 3) hos verò qui aliter aliqua in parte sentiunt, exspectandos donec & ipsis Deus veritatem latentem aperiat: (n 3) interim, de quibus constat, retinenda, & opere implenda. (o 3) Nunc ex parte sciri: (p 3) venturum illud ævum quo omnia certissimè cognoscenda sint. Etiam hoc rogantur singuli, (q 3) nè inutile detineant talentum sibi concreditum: (r 3) sed omnem impendant operam ut alios Christo acquirant: (s 3) quam ad rem non tantùm adhibendos rectos salutaréque sermones, (t 3) sed & emendatæ vitæ exemplum, ut ex servis de bonitate Domini, & ex actionibus de legis puritate judicium fiat. Postremo loco reversa, unde exierat, ad lectores populares oratio, obsecrat eos, (u 3) si quid hìc boni est, de eo agant Deo gratias; (x 3) si quid minùs placeat, rationem ut habeant, tum communis naturæ hominum ad multos errores pronæ, tum & loci ac temporis, quo opus hoc effusum veriùs quàm elaboratum est.

ANNOTATA.

(a) *Ut puras manus elevent ad Deum illum*] 1 Tim. 2. Jac. 4. 8. Tertullianus Apologetico, *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubescimus; denique sine monitore, quia de pectore oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum.*

(b) *Qui omnia conspicua atque inconspicua fecit ex nihilo*] Col. 1. 16. Heb. 11. 3. Act. 4. 24. & 17. 24. 2 Macc. 7. 28.

(c) *Cum certa fiducia eum curam nostrî gerere*] 1 Pet. 3. 11. & 5. 7.

(d) *Cùm nisi ejus permissu nè passer quidem cadat*] Mat. 10. 29.

(e) *Ac nè eos timeant qui tantùm corpori nocere possunt, præ eo cui & in corpus & in animum aquale jus est*] Matt. 10. 28. Luc. 12. 4.

(f) *Confidant non Deo tantùm Patri, sed & Jesu*] Joh. 14. 2. Heb. 4. 15, 16. Eph. 3. 12, & 17.

(g) *Quando in terris aliud nomen non est quod nos salvos præstet*] Act. 4. 12.

(h) *Quod rectè facturos, si cogitaverint, non qui illum Patrem, hunc Dominum voce nuncupant, æternùm victuros, sed qui ex eorum voluntate vitam componunt*] Joh. 8. 41, & seqq. Matth. 7. 21. Joh. 15. 14. 1 Joh. 2. 3, 4.

(i) *Sanctum illud dogma Christi, ut pretiosissimum thesaurum, solicitè custodire*] Matth. 13. 44, 45. 1 Cor. 4. 7. 1 Tim. 6. 20. 2 Tim. 1. 14.

(k) *Sæpe legere sacra scripta*] Col. 4. 16. 1 Thess. 5. 27. Apoc. 1. 3.

(l) *Nam & fideliores fuisse eorum scriptores, & afflatûs Divini pleniores, quàm ut necessariâ veritate nos fraudare vellent*] Tertullianus de hæreticis sic loquitur in Præscriptione, *Solent dicere, non omnia Apostolos scisse, eâdem agitati dementiâ quâ rursus conversunt; omnia quidem Apostolos scisse, sed non omnia omnibus tradidisse: in utroq; Christum reprehensioni subjicientes, qui aut minùs instructos, aut parùm simplices Apostolos miserit.* Vide & quæ sequuntur ibidem longè utilissima.

(m) *Sed adferendum animum paratum obsequio*] Joh. 7. 17. 5. 44. Matth. 11. 25. Phil. 3. 15. 2 Pet. 3. 16. Oseæ 14. 10.

(n) *Nihil eorum nos fugiturum qua credi, sperari aut fieri à nobis debent*] 2 Tim. 3. 15, 16. Joh. 20, 31. 1 Pet. 1. 23.

(o) *Atque eo modo ali in nobis & excitari illum spiritum*] 2 Tim. 1. 6. 1 Thess. 5. 19.

(p) *Qui futuræ felicitatis arrhabo est datus*] Eph. 1. 14. 2 Cor. 1. 22. & 5. 5.

(q) *Primùm in cultu falsorum deorum*] 1 Cor. 8. 5, 6.

(r) *Qui nihil sunt nisi vana nomina*] Ibidem 5. 4. & 10. 19.

(s) *Quibus mali damones utuntur*] 1 Cor. 10. 20. Apoc. 9. 2.

(t) *Ut nos à veri Dei cultu avertant*] Ephes. 2. 2. Apoc. 9. 9. 2 Thess. 2. 9. Matt. 13. 19. Ephes. 2. 12.

(u) *Quare non posse nos eorum sacris participare, ità ut simul & Christi sacrificium nobis prosit*] 1 Cor. 10. 20.

(x) *Secundò in vivendi modo licentioso, nec aliam habente legem quàm à cupiditate dictatam*] Eph. 2. 3. Tit. 2. 14.

(y) *Unde Christianos longissimè abesse oporteat*] 2 Cor. 6. 15.

(z) *Qui non tantùm paganis præstare multùm debeant*] Matt. 5. 47. & 6. 7, 32.

(a 2) *Sed & Judæorum legisperitis & Pharisæis, quorum justitia in externis quibusdam factis consistens non sufficit ut ad cœleste regnum perveniatur*] Matt. 5. 20. & 23. 23. Rom. 3. 20. Gal. 2. 16.

(b 2) *Nullo nunc in pretio esse circumcisionem manufactam, sed alteram internam cordis*] 1 Cor. 7. 19. Gal. 5. 6. & 6. 15. Philip. 3. 3. Eph. 2. 11. Col. 2. 11. Rom. 2. 29.

(c 2) *Observationem mandatorum Dei*] 1 Cor. 7. 19.

(d 2) *Novum opificium*] Gal. 6. 15.

(e 2) *Fiduciam in diligendo efficacem*] Gal. 5. 6.

(f 2) *Unde agnoscantur veri Israelitæ*] Rom. 9. 6. 1 Cor. 10. 18. Gal. 6. 16. Joh. 1. 47.

(g 2) *Mystici Judæi, h. e. Dei laudatores*] Rom. 2. 28. Philo de Allegoriis, Τῷ ἐξομολογουμένῳ ὁ Ἰούδας ζύμβολον, *Judas symbolum ejus qui Deum profitetur.*

(h 2) *Ciborum diserimina*] Act. 10. 13, 14, 15. & 15. 19, 20. 1 Cor. 10. 25. Col. 2. 16, 21.

(i 2) *Sabbata*] Colos. dicto loco.

(k 2) *Dies festos*] Ibidem Rom. 14. 5.

(l 2) *Umbras esse rerum qua in Christo & Christianis exsistant*] Col. 2. 17. Heb. 10. 1.

(m 2) *Praditum à Domino Jesu, venturos quosdam post sua tempora qui se à Deo missos mentirentur*] Joh. 5. 43. 2 Thess. 2. 9. Matth. 7. 15. & 24. 11. Marci 13. 22. 1 Joh. 4. 1.

(n 2) *Sed etiamsi Angelus de cœlo veniret, non recipiendum esse dogma aliud*] Gal. 1. 8.

(o 2) *Quàm illud Christi tantis testimoniis probatum*] 1 Joh. 5. 7, 8. Heb. 2. 9. & 12. 1. Joh. 1. 7, 32. & 5. 32, 37, 39, 46. Luc. 24. 27. Act. 2. 22, 23. & 10. 43.

(p 2) *Olim quidem Deum multis variisque modis alloquutum pios, qui fuerunt, postremò autem voluisse eum nos compellare per filium suum*] Heb. 1. 2.

(q 2) *Rerum omnium Dominum*] 1 Cor. 15. 27. Heb. 2. 5.

(r 2) *Splendoris paterni effulgentiam, substantia ejus expressam imaginem*] Heb. 1. 3.

(s 2) *Per quem condita sunt quæ fuerunt, aut erunt*] Ibid. Colos. 1. 16.

(t 2) *Qui suo imperio agit ac fert omnia*] Heb. 1. 3. Apoc. 1. 5.

(u 2) *Et expiatis peccatis nostris ad dexteram Dei sublatus*] Heb. 1. 3. & 9. 12. Matth. 20. 28. 1 Joh. 2. 2. & 4. 10. Matth. 26. 64. Marci 16. 19. Act. 2. 33, 34. & 7. 55, 56. Rom. 8. 34. Eph. 1. 20. Col. 3. 1. Heb. 8. 1. & 10. 12. & 12. 5.

(x 2) *Dignitatem supra Angelos assecutus est*] 1 Pet. 3. 22. Heb. 1. 13. Eph. 1. 21.

(y 2) *Quo proinde legis auctore nihil potest exspectari magnificentius*] Heb. 2. 3, 4, 5, 6, 7, 8. & 3. 3, 4, 5, 6.

(z 2) *Arma Christi militibus assignata*] Rom. 13. 12. 2 Cor. 6. 7. 5. 4. Eph. 6. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18.

(a 3) *Pro galea*] Vide præter dictum ad Ephesios locum, 1 Thess. 5. 8.

(b 3) *Pro*

(b 3) *Pro ense verò*] Vide præter dictum locum Eph. 6.17. Heb.4.12. Apoc.1.16.

(c 3) *Admonuam concordiam, quam Christus abiens suis tam seriò commendavit*] Joh. 14.27. & 13.34,35. & 15.12,17. & 17. 20, & seqq. & 20. 19, 26. 1 Joh. 1.23. Adde Ephes.3. 14, & seqq. & 6.16. Heb. 13. 20. Matth.5.9.

(d 3) *Non multos inter nos esse doctores debere, sed unum Jesum Christum*] Matth.23.8. Jac.3.1.

(e 3) *Omnes Christianos in idem nomen baptizatos*] Rom. 6. 3,4. 1 Cor.1. 13,15. Gal. 3. 27. Ephes.4.5. Coloss.2,12.

(f 3) *Quare non debere inter nos sectas esse & scissuras*] 1 Cor.1.10. & 11.18. & 12.25.

(g 3) *Sapiendum temperanter*] Rom.12.3,16. 1 Corinth.4.6.

(h 3) *Pro modo cognitionis quam cuiq; Deus admensus est*] Dicto loco ad Romanos, & 12.6. 2 Cor.10. 13. Ephes.4.7,15,16.

(i 3) *Si qui minùs omnia intelligant, eorum ferendam imbecillitatem*] Rom.14.1. & 15.2. 1 Cor.8.7.

(k 3) *Ut placidè ac sine jurgiis nobiscum coalescant*] Rom.14.1. 2 Cor.12.20. Gal.5.20. Phil.1.16. & 2. 3,15. 1 Cor.11,16.

(l 3) *Si qui intelligentiâ præstent cæteris, par esse ut & studio erga ceteros antecellant*] Rom.8.1,2,3,9. & 12.8. & 13. 3, 14,16. 1 Cor. 13, 2. 2 Cor. 6. 6. & 8.7. 2 Pet.1. 5,6.

(m 3) *Hos verò qui aliter aliqua in parte sentiunt, exspectandos donec & ipsis Deus latentem veritatem aperiat*] Phil.3.15. Eph.4. 2. 1 Cor.13. 4, 7. 1 Thes. 5. 14. 2 Cor. 6.6. Gal. 5.22. Col. 4. 11. 2 Tim.4.2. Luc.9. 54, 55.

(n 3) *Interim de quibus constat retinenda & opere implenda*] Phil.3.16. Jac.1.22,23,24,25.

(o 3) *Nunc ex parte sciri*] 1 Cor.13.9,12.

(p 3) *Venturum illud ævum quo omnia certissimè cognoscenda sint*] Ibid. 5. 10,12. 1 Joh. 3. 2. Matth. 5. 8.

(q 3) *Ne inutile detineant talentum sibi concreditum*] Matth.25.15, & seqq.

(r 3) *Sed omnem impendant operam ut alios Christo acquirant*] 1 Cor. 9. 19, 20,21,22.

(s 3) *Quam ad rem non tantùm adhibendos rectos salutaréque sermones*] Gal.6.6. Ephes. 4.29. 2 Tim. 1.13. Tit. 2. 8.

(t 3) *Sed & emendatæ vitæ exemplum, ut ex servis de bonitate Domini, & ex actionibus de legis puritate judicium fiat*] 1 Pet.3. 1,16. Eph.6.6. 2 Tim. 2. 24. 1 Pet. 2,12. Eph.4.1. Phil.1.27.

(u 3) *Si quid hîc boni est, de eo Deo agant gratias*] Jac.1.17. 2 Thes.1.3. 1 Cor.1.4.

(x 3) *Si quid minùs placeat, rationem ut habeant, tum communis natura ad multos errores prona*] Jac. 3. 2. Gal.6 1,2.

FINIS.

UMI